Digitized by Google

XII
F
26

[BIB]LIOTECA NAZ.
[V]ittorio Emanuele III
XII
F
26
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORES TOTIVS THEOLOGIÆ PRACTICÆ,

TVM SACRAMENTALIS, TVM MORALIS;

AVTHORE P. F.

ELIGIO BASSAEO,

Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Prouinciæ Gallo-Belgicæ.

TOMVS SECVNDVS

INCIPIENS A LITERA I, VSQVE AD X,

Editio Vltima nouiſſimè recognita, & in meliorem, ac faciliorem vſum redacta.



VENETIIS; MDCLXVI.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

CASVS RESERVATI EPISCOPIS HVIVS BELGII.

Reſeruatio Mechlinienſis.

CASVS reſeruati in Diœceſi Mechlinienſi recenſentur in prima Synodo Prouinciali tit. de Sacramentis c. 6. & ſunt ſequentes.

1. Raptus virginum.
2. Homicidium.
3. Incendium ex deliberata voluntate procuratum.
4. Simonia.
5. Sodomia.
6. Hæreſis.
7. Apoſtaſia.
8. Inceſtus cum conſanguineis, aut ſanctimonialibus.
9. Iniectio manuum violenta, deliberato propoſito cum læſione in parentes facta.
10. Sortilegium.
11. Adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem maiorem annexam habent. Et ea delicta quæ prædictis grauiora ſunt.

Antuerpienſis, Brugenſis, Gandenſis, Ruremondenſis, & Iprenſis reſeruatio eadem eſt cum Mechlinienſi: eò quòd Paſtorali ad vſum totius illius Prouinciæ impreſſa, inſerta ſit, Epiſcopus tamen Iprenſis addidit caſum *Sacrilegij*, vt conſtat ex ſtatutis Synodalibus illius Diœceſis *cap. 28.*

Reſeruatio Cameracenſis.

CAſus reſeruati in Diœceſi Cameracenſi habentur in Synodo Diœceſana habita anno 1604. tit. 8. de Sacramento pœnitentiæ cap. 1. & referuntur in manuali Parochorum illius Diœceſis impreſſo anno 1622.

1. *Hæreſis*, non ea quæ ſolùm eſt interna, nec ea quæ ſolùm eſt externa; ſed interna quocunque ſigno exteriùs manifeſtata, Sub qua continetur dubitans de fide, ſi voluntariè, & ex pertinacia, ac paruitate, ſeu ſciens & prudens dubitat de veritate, quam nouit eſſe de fide, illudque ſuum dubium exteriùs prodit, ſecus ſi dubitet ex ignorantia, aut infirmitate.

2. *Apoſtaſia*. A fide quidem, ſi animo ſimul, & exteriùs ab ea ex toto deficiat. *A religione* ſi profeſſus ſi religionem approbatam ſine licentia eam deſerit animo non redeundi ad illam, vel ad aliam, ſed ſæculariter viuendi. Et ſi habitum ea intentione dimittit, vel vt contra ius ad aliam tranſeat, vel etiam ad vagandum, eſt excommunicatus ſimiliter ſi habitum abijcit ad fornicandum, alio vt ſe occulet aſſumpto. *Ab ordine* verò, ſi in maioribus Ordinibus conſtitutus propria auctoritate recedit ad ſtatum ſæcularem: & ſi vxorem duxerit, excommunicatus eſt. *Clem. vnic. tit. de conſang.*

3. *Publica, & enormis blaſphemia in Deum, vel Sanctos*. Enormis autem eſt, quę deliberatè fit, & ex odio, vel ex affectu deteſtandi, contemnendi, aut deridendi Deum vel Sanctos, Sacramenta, Imagines ſacras, Reliquias. Id autem ex qualitate perſonarum, locorum, temporum, aliarumque circumſtantiarium iudicandum eſt. Non cenſetur autem enormis (tametſi, ſit mortale peccatum) ſubitò fit (cum aduertentia tamen) ex aliqua paſſione, vel conſuetudine. Publica autem eſt, quæ fit coram pluribus, & innoteſcit maiori parti alicuius viciniæ, Collegij, aut cuiuſcunque congregationis, in qua ſunt ad minus decem perſonæ. Nolumus autem reſeruati blaſphemiam enormem, niſi ſimul ſit publica: neque publicam niſi ſimul ſit enormis.

4. *Homicidium voluntarium* reipſa factum, & ſi ſit Clerici, ſolus Pontifex, vel ab eo delegatam poteſtatem habens, abſoluere poteſt.

5. *Inceſtus* cum patre vitrico, matre, nouerca, filio, filia, priuigno, priuigna, fratre, ſorore reipſa commiſſus, & cum mulieribus religioſis profeſſi.

6. *Maleficia*: Per quæ maleficus pacto expreſſo, vel implicito cum Dæmone immediatè, vel mediatè, ſeu per tertiam perſonam ſcienter intto alicui in anima, corpore, ſama, honore, rebus & alijs quibuſcunque, reipſa nocet, quocunque modo id fiat, ſiue ſignis, ligaturis, characteribus, imaginibus, verbis, ſeu quibuſuis rebus.

7. *Simonia realis.*

8. *Sodomia* cum eodem ſexu, *Beſtialitas*, & eiuſmodi grauiora reipſa conſummata.

9. *Incendium* Eccleſiæ, domorum, fructum aut aliarum rerum ex propoſito factum.

10. *Peccata* item mandantium, conſulentium, auxilium, & fauorem præſtantium in hæreſi, homicidio, incendio, maleficijs ſupradictis.

11. *Iniectio violenta manus* in patrem, matrem, auum, auiam, proauum proauiam, vitricum, nouercam.

12. *Crimen falſarij*, ſi ſcripturæ ſint publicæ, vt Regis, Principis, Magiſtratus, Iudicis de publico contractantes.

13. *Violatio Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis*, ſcilicet edicta illi contraria faciens, ſeruans, ſeruari faciens, aut ſcribens, prohibenſque ſubditis, ne perſonis Eccleſiaſticis vendant, aut ab ijs emant: delinquentem extrahens ab Eccleſia, monaſterio ſeu conuentu, Capella ab Epiſcopo ad ibi celebrandum deputata, cœmeterio, domo Epiſcopi, hoſpitali, alioue loco priuilegiato. Quæ verò inſuper violatio libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ reſeruetur, nihil hic dicimus, quia pertinet ad Pontificem.

Excommunicationes reſeruatæ.

CONTRA.

ADulteros publicos, ſi intra quindecim, dies à monitione non abſtineant ab illa conuerſatione, *Synod. Cray. t. 6.* Hoſtiliter capientes vulnerantes interficientes in Comitatu Cameraceſij, agricolas arantes, vel ad agriculturam euntes, aut redeuntes, ſemina portantes, aut fautores. *Antiq. ſtatut. t. 16.*

Baptizantem alibi, quàm in Eccleſijs, in quibus ſunt fontes baptiſmales, liberis Regum, & Principum exceptis, & excepto caſu neceſſitatis. *Ant. ſtatut. t. 2.*

Iudicem laicum confiſcantem, & leuantem in ſequeſtrationem detinentem, vel detineri facientem niſi ſtatim ad Epiſcopi mandatum reddat bona clerici propter eius crimen ab Epiſcopo annotanda, vel ſequeſtranda. *Ant. t. 15.*

Violenter inuadentem, aut occupantem, cum fautoribus, Cameracenſem Ciuitatem, villas, nemora, prata, molendina, viuaria, & alia loca, & iura ad Epiſcopum pertinentia. *Ant. t. 16.*

Capientem, carceri mancipantem, vel à proſecutione litis ceſſare compellentem bonis ſuis cedentes, aut cedere volentes, aut aliàs forum Eccleſiaſticum eligentes ſuper his quæ ad illud pertinent. *Antiq. t. 28.*

Celebrantem ſcienter vbi eſt ceſſatio à Diuinis, qui ſuſpenditur, & ſi ſuſpenſionem per ſex dies ſuſtinuerit, excommunicatur. *Antiq. t. 15.*

Occidentem capientem, aut licentiam dantem, latorem cenſuræ Eccleſiaſticæ contra laicos, vel aliàs in perſona, bonis ſuis, vel ſuorum grauantem ipſum, aut eos qui tales cenſuras protulerunt, vel eaſdem ſeruant, vel taliter excommunicatis communicare nolunt, niſi licentiam reuocauerit, vel bona capta infra octo dies reſtituerit, aut pro ipſis ſatisfecerit. Et ſi per duos menſes in ea excommunicatione manſerit, à ſolo Papa poteſt abſolui. *Antiq tit. 15.*

Clericum, qui per inſtinctæ ſæcularis potentiam, & fauorem, euitat aut euitare tentat Iudicis Eccleſiaſtici correptionem, & dantes auxilium, conſilium, iuuamen, *Antiq. t. 2.*

Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui ſe coram iudicibus laicis ſiſtunt, fideiubent, aut ſe obligant, contrahunt, & ſe mutuò conueniunt *Synod. 2. Prouinc. t. 16. c. 2.*

Conſpirantes contra ſuos Prælatos, & Presbyteros, & eorum libertates, & iura, verbo vel facto, publicè, aut occultè, & auxilium, conſilium, fauorem, mandatum dantes, & alligationes, confœderationes, expenſarum, & ſumptuum diſtributiones. *Antiq. t. 14*

Duellatores cum fautoribus. *Antiq. t. 16,*

Polluentem Eccleſiam, vel Cœmeterium ſanguinis effuſione, aut pollutionis cauſam exiſtentem, ſi à curato requiſitus infra menſem reconciliationem cum effectu non procurauerit. *Antiq. t. 13.*

Obſeſſores Eccleſiarum, vel Cœmeteriorum aduerſus eos, qui eò refugij cauſa confugerint, ſi moniti non recedant. *Antiq. t. 13.*

Excommunicatos publicè, & interdictos, ſi nominatim moniti à celebrantibus, Eccleſiam non exeant, à ſolo Papa poſſunt abſolui; qui inhibent eis ne exeant, à ſolo Epiſcopo. *Antiq. t. 8*

Excommunicatos ab Epiſcopo vel Officiali, ſi in articulo mortis a proprio Curato fuerint abſoluti, reincidunt in eandem excommunicationem, niſi infra menſem poſt ſuam conualeſcentiam Epiſcopo, & parti ſatisfecerint. *t. 5. & 16.*

Homicidas *tit. 5.*

Incendiarios, cum fautoribus, in Comitatu Cameraceſij. *t. 16.*

Intromittentem ſeſe iudicialiter matrimonialibus cauſis, aut illis annexis. *Synod. Cray. tit. 6.*

Digitized by Google

Contrahentes ſcienter matrimonium in caſibus à iure prohibitis. *Antiq.tit.9.*

Copulatos matrimonio, qui ſine iudicio Eccleſiæ ſe ſeparant, cauſa diuortij faciendi, niſi infra quadraginta dies redierint, aut actionem diuortij inſtentauerint. *ib.*

Moniales clauſuram profeſſas, ſine licentia clauſuram exeuntes, ſiue ſint exemptæ, ſiue non. *Synod. Croy. tit. 4.*

Recipientem ordines ſcienter, & fraudulenter ab alieno Epiſcopo ſine conſenſu proprij: vel per ſaltum. *Antiq. tit. 10.*

Negantem Pœnitentiæ ſacramentum afficiendis vltimo ſupplicio, ſi illud petierint. *tit. 4.*

Religioſos exemptos, & non exemptos non ſeruantes interdictum. *tit. 13.*

Religioſos matrimonia ſolemnizantes, Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis miniſtrantes, ſine licentia Parochi cum fautoribus, aut abſoluentes à ſententia per ſtatutum Synodale promulgata ſine licentia. *tit. 9 & 11.*

Schiſmaticos. *tit. 16.*

Facientes ſortilegia de Chriſmate, de Corpore Chriſti, ſeu alio Sacramento. *tit. 8.*

Impedientem malitioſè Synodum. *tit. 1.*

Recipientem ſcienter, & fraudulenter tonſuram ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprij. *tit. 10.*

Facientem torneamenta, cum fautoribus. *tit. 16.*

Vſurarios manifeſtos. *tit. 21.*

Suſpenſiones reſeruatæ.

CONTRA.

PRoclamantem banna eorum, qui ſponſalia ſine Parocho contraxerunt. *Antiq. tit. 9.*

Deſeruientem beneficio curam animarum habenti, vltra menſem ſine Epiſcopi licentia. *tit. 8.*

Capellanum, vel officiatum ſine Epiſcopi, aut Vicarij eius conſenſu recipientem pecuniam ex redemptione redituum fundationis ſui beneficij, aut officij prouenientem *ib. in fine.*

Curatum Parochianos ſuos nominatim excommunicatos diebus Dominicis, & Feſtiuis non denunciantem in facie Eccleſiæ; quoties id ſcienter, gratia, amore vel fauore emiſerit. *tit. 12.*

Decanos, & alios Presbyteros ſe iudicialiter intromittentes matrimonialibus caſus, & alijs quibuſcumque. *tit. 9.*

Executorem prodentem litterarum curiæ portatorem, oſtendentem, reuelantem, reuelari facientem, aut mandatum inſinuantem, inſinuari facientem, permittentem, aut procurantem parti aduerſæ, antequam portator ad duo milliaria receſſerit: dum ſcit aut videt inſidias poni, aut periculum imminere portatori per partem aduerſam. *t. 15.*

Solemnizantem matrimonium ex ſponſalibus ſine Parocho contractus. *tit. 9.*

Presbyterum ipſa euidentia rei notorium fornicatorem; & celebrando fiet irregularis. *t. 8.*

Presbyterum, Capellanum ſtatuta Synodalia in caſu ceſſationis ſcienter non obſeruantem. *t. 15.*

Presbyterum, Capellanum, aut eorum Vicarios mulieres iacentes de partu damnato, coitu nefario, vel fornicario, notorio, & manifeſto ad purificationem recipientem ſine Epiſcopi, vel Officialis, vel Decani ſpeciali licentia: *t. 9.*

Presbyterum, qui leges Epiſcopo, & Archidiacono locorum debitas occultat, ſeu fraudem facit in eiſdem quo minùs legitimè perſoluantur, niſi infra menſem ſatisfecerit, eu reuelauerit. *t. 18.*

Religioſos mendicantes audientes pœnitentium confeſſiones ſine licentia Epiſcopi. *Synod. Croy. tit. 10.*

Sepelientem in loco ſacro eum, qui excommunicationem auctoritate Epiſcopi latam per annum & diem ſuſtinuit, quamuis in articulo mortis per ſacerdotem fuerit abſolutus. *Antiq. tit. 21.*

Prælatos, Patronos, Sacerdotes ad Synodum non venientes: item Capitula, Collegia, & quoſuis alios, qui de iure vel conſuetudine venire tenentur, ſi Diœceſani ſint, nec ſint legitimè excuſati, niſi infra menſem ſuper inobedientia ſua emendam Epiſcopo, vel Officiali competenter præſtiterint. *tit. 1.*

Reſeruatio Tornacenſis.

CAſus Epiſcopo Tornacenſi reſeruati habentur in Synodo habita ſub Reuerend. D. Michaele d'Eſne *Tit. 8. de Sacramento Pœnitentia cap. 7. & 8.* in hæc verba.

Cæterum ne quis ſolita caſuum reſeruatione à ſalutari confeſſionis remedio retrahatur: vel quia Sacerdotem, qui eum abſoluat in promptu non habet: vel quia propter ſumptus ad nos, vel delegatos noſtros proficiſci differat: huic rei conſulere volentes poteſtatem abſoluendi à caſibus nobis reſeruatis, omnibus Parochus vſque ad noſtram reuocationem committimus, exceptis tamen;

1. Hæreticis, qui à nobis abſoluendi veniunt.
2. Homicidis, qui ad Pœnitentiarium.
3. Excommunicatis, ſuſpenſis, ac noſtra auctoritate interdictis, vel quibus ſolemnis pœnitentia foret imponenda, quos ad Officialem noſtrum remittimus.

Et ſequitur. Cap. 8.

CAſus autem nobis reſeruati, à quibus Paſtoribus damus licentiam abſoluendi, hi ſunt:

4. Apoſtaſia.
5. Sortilegium factum cum Euchariſtia, vel Chriſmate.
6. Periurium ſolemne.
7. Violatio voti ſolemnis.
8. Iniectio violenta manuum, deliberato propoſito cum læſione in Parentes.
9. Veneficium.
10. Procuratio ſterilitatis, vel abortus.
11. Sacrilegium excedens quadraginta ſolidos.
12. Vſura notoria.
13. Incendium voluntate deliberata procuratum.
14. Adulterium notorium.
15. Inceſtus cum ſanctimonialibus, & conſanguineis intra tertium gradum.
16. Sodomia.
17. Raptus virginum.
18. Falſum teſtimonium datum in iudicio.
19. Crimen falſi.
20. Simonia realis, & prædictis grauiora, in eodem genere peccati.

Reſeruatio Atrebatenſis.

EXtracta ex Manuali Parochorum illius Diœceſis tit. Caſus Epiſcopo Attrebatenſi reſeruati. Anno 1623. Iure antiquo varij caſus in hac Diœceſi Epiſcopo reſeruantur, vt videre eſt in ſtatutis Prædeceſſorum *tit. Caſus reſeruati.* Sed ne eorum multitudo nimiam adferat in confeſſionis negotio perplexitatem, viſum eſt hodie tria hæc dumtaxat reſeruare, donec aliud iudicatum fuerit expedire.

Homicidium voluntarium. Libidinem neſandam. Excommunicationem maiorem.

NAm hæreſis crimen non eſt quòd adnumeretur, cùm hodie ſit caſus Papalis per Bullam cœnæ Domini reſeruatus.

Porrò nomine *Libidinis neſandæ* ne circa eam aliqua dubitandi occaſio relinquatur, declarat Reuerendiſsim. D. eius nomine intelligi illud dumtaxat peccatum libidinis, quod cum perſona eiuſdem ſexus, vel (quod etiam horror eſt nominare) cum bruto fuerit conſummatum.

Maioris Excommunicationis, intelligitur tam ea quæ de iure, quam quæ ab homine lata ſit. Ceterùm quia variæ ſunt, & multiplices Excommunicationes, ne ſimiliter earum reſeruatione, conſcientias illaqueari contingat, declarat Reuerendiſs. præter eas, quas ſibi Apoſtolica ſedes reſeruat, has ſolùm deinceps, quæ ſequuntur (niſi aliud ius emanare contingat) inter reſeruatas cenſendas eſſe.

1. Contra eos, qui maleficijs vſum matrimonij impediunt. Ita habetur in ſtatutis Prædeceſſorum, *tit. de Matrim.*

2. In eos, qui contra aliquod matrimonij impedimentum dirimens contrahere præſumpſerint. *Ibidem.* Comprehenſis etiam ijs, qui huiuſmodi matrimonia ſcienter celebrauerint *Clem. 1. de conſanguin.*

3. In Clericos beneficiatos, aut Sacerdotes tenentes notoriè concubinam, aut continuè mulierem in domo ſuſpectam. In dictis ſtatutis, *de vita, & honeſt. cleric.*

4. Contra vſurarios publicos *Ibid. tit. de uſur.* vbi excommunicantur quidem generaliter omnes vſurarij; cæterùm reſeruationem ipſius excommunicationis ad ſolos vſurarios manifeſtos Reuer. D. vult deinceps pertinere. Quorum etiam familia, vbi hactenus Eccleſiaſtico interdicto ſubiecta permanebit, ita vt nec ad communionem Altaris admitti debeat, nec Eccleſiaſtica honorari ſepultura.

5. Contra Clericos ſiue Sæculares, ſiue Regulares bona Eccleſiæ in perpetuum alienantes, nec non & contra Laicos cum ijſdem contrahentes. In Synod. Prouinc. Camerae. *Tit. 15. c. 2.*

6. Contra Clericos in ſacro ordine conſtitutos fide iubentes, aut alias ſe obligantes cum renunciatione priuilegij Clericalis. Eadem Synod. *tit. 16. c. 5.*

7. Contra Clericum ſacri ordinis, qui alium, vel alios in ſacro item ordine conſtitutos conuenire facit coram laicis iudicibus actione perſonali. *Ibid.*

8. In eos, qui cum excommunicato excommunicatione Epiſcopo reſeruata, communicant in crimine criminoſo, id eſt propter quod an-

re erat

Digitized by Google

Caſus reſeruati Epiſcopis Belgij.

erat excommunicatus.

9. Denique refertur excommunicatio ſpecialiter lata per ſententiam Epiſcopi vel Officialis eius in perſonam vel perſonas determinatas, vt quâ excommunicatur Petrus, Ioannes, &c. Secus autem de ea, quæ fertur generaliter & indeterminatè in eos, qui hoc vel illud fecerint.

Iſti igitur ſunt caſus & excommunicationes, quas Reuerendiſſ. D. ſtatuit hodie ſibi reſeruari. A quibus nihilominus permittit Pœnitentem abſolui per inferiorem confeſſarium, quando facit confeſſionem generalem, ad ſeriam vitæ emendationem; ſemel dumtaxat.

Ad extremum monendi ſunt Parochi, alijque confeſſarij inferiores, quòd licèt abſoluere poſſit à peccatis quibus annexa eſt aliqua ſuſpenſio, irregularitas, vel interdictum, niſi ea aliunde reſeruentur, non poſſe tamen ipſos huiuſmodi impedimenta tollere, vel in ijs (vti nec in votis aut iuramentis) diſpenſare, niſi id à ſuperiore ſpecialiter concedatur.

Reſeruatio Andomarenſis.

CAſus reſeruati in Andomarenſi Diœceſi recenſentur in Synodo habita ſub Reuerendiſſ. D. IOANNE SIX. *Tit. de Sacramento pœnitentiæ cap.* 17. vt ſequitur.

1. Vſus malarum ſiue Diabolicarum artium.
2. Periurium ſolemne.
3. Iniectio manus violente in Patrem aut Matrem.
4. Incendium deliberatè procuratum.
5. Apoſtaſia.
6. Homicidium.
7. Congreſſus cum beſtia.
8. Sodomia.
9. Adulterium notorium.
10. Concubinatus notorius.
11. Violatio ſanctimonialis.
12. Inceſtus in primo & ſecundo gradu tam conſanguinitatis, quàm affinitatis.
13. Raptus virginis.
14. Exercitium vſuræ publicum.
    Pro alijs, vide Trident. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.*

Reſeruatio Namurcenſis.

CAſus Epiſcopo Namurcenſi per peculiare illius ſtatutum reſeruati, enumerantur in Synodo Diœceſano publicata à Reuerendiſſ. D. Engelberto Desbois 7. Iunij, anno 1639. *Tit. de Sacramento pœnitentiæ*, his verbis.

Reſeruamus nobis omnem caſum cui annexa eſt excommunicatio maior de iure aut Decreto Sacri Concilij Tridentini Epiſcopis reſeruata.

Deinde ſequentes caſus enumerat.

1. Hæreſim.
2. Apoſtaſiam.
3. Homicidium voluntarium.
4. Incendium voluntate deliberata procuratum.
5. Concubitum contra naturam.
6. Raptum virginum.
7. Inceſtum cum ſanctimonialibus, conſanguineis aut affinibus, in primo aut ſecundo gradu.
8. Adulterium manifeſtum.
9. Manum violentam iniectionem in Parentes.
10. Veneficium.
11. Sortilegium.
12. Ligaturam & omne maleficium, in quo impeditur actus matrimonialis in coniugibus.
13. Oppreſſionem tenellorum negligentia qualibet proueniente factam.
14. Simoniam realem.

Et omnia alia prædictis grauiora in eodem genere peccati: Apoſtolicæ tamen ſedis ſuis caſibus ſemper ſaluis.

Reſeruatio Leodienſis.

CAſus Epiſcopo Leodienſi, ſeu eius Vicario in ſpiritualibus ac pœnitentiario reſeruati, iuxta Parochiale Leodienſe, de Sacramento Pœnitentiæ. Rubric. de Caſibus Epiſcopo, &c.

1. Hæreſis.
2. Apoſtaſia.
3. Homicidium voluntarium.
4. Iniectio manum in Parentes.
5. Machinatio in mortem coniugis.
6. Veneficium.
7. Maleficium.
8. Incantatio.
9. Procuratio aborſus.
10. Prolis oppreſſio.
11. Stuprum ſiue violenta virginis defloratio.
12. Raptus.
13. Matrimonium contractum poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priore vxore adhuc viuente.
14. Inceſtus cum conſanguineis, aut virgine ſacra ſeu moniali profeſſa.
15. Concubitus contra naturam, puta Sodomia & eius generis grauiora crimina.
16. Falſitas circa Monetam.
17. Falſitas circa litteras alicuius Prælati inferioris Papa.
18. Solemne periurium.
19. Publica, enormis blaſphemia in Deum aut Sanctos.
20. Inſignis contumelia illata Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs.
21. Abuſus Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacrarum reliquiarum; vel etiam ſacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum.
22. Omnes caſus occulti S. Sedi Apoſtolicæ reſeruati: Item excommunicatio, ſuſpenſio & irregularitas ex his prouenientes: dempta tamen irregularitate ex homicidio voluntario proueniente: nam hi caſus Epiſcopo ſunt conceſſi per Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Liceat Epiſcopis.

RESERVATIO TREVIRENSIS.

Caſus reſeruati Archiepiſcopo Treuirenſi.

SVNT:

1. Peccatum Clerici, propter quod incurrit irregularitatem.
2. Votorum violatio maximè poſt votum caſtitatis matrimonio contracto.
3. Crimen incendiarij.
4. Peccatum omne, propter quod ſolemnis pœnitentia indicenda eſt.
5. Omnis excommunicatio maior à Reuerendiſſ. Archiepiſcopo eiuſque Officialibus lata.
6. Suſceptio tonſuræ, vel Ordinis alicuius ab alieno Epiſcopo, ſine facultate Reuerendiſſ. Archiepiſcopi tanquam Ordinarij.
7. Homicidium voluntarium facto, vel præcepto, conſenſu, conſilio, exhortatione, vel quocumque modo perpetratum.
8. Machinatio in mortem proprij vel propriæ coniugis.
9. Crimen falſariorum tam monetæ, quàm literarum & inſtrumentorum publicorum.
10. Violatio Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis.
11. Sacrilegium, Diuinatio, Incantatio, & ſimilia magica.
12. Miniſtratio & executio Ordinis ſacri non ſuſcepti.
13. Celebratio Miſſæ, à non ieiuno, ſine veſtibus ſacris, in Altari non conſecrato, loco aut tempore interdicto, ſcienter facta.
14. Abuſus hoſtiæ, chriſmatis, olei ſacti, vel cuiuſuis rei ſacratæ.
15. Omnis inhoneſtas circa Euchariſtiæ Sacramentum vel culpa, vel negligentia commiſſa.
16. Secundarum nuptiarum benedictio.
17. Sepulturæ hæreticorum, & publicè excommunicatorum in loco ſacro.
18. Periurium Clericorum attactis Sanctis Euangelijs.
19. Percuſſio Parentum, vel enormis eis irrogata iniuria.
20. Crimina latrocinantium, & inſidiantium viatoribus & itineribus.
21. Defloratio violenta Virginum, & earundem raptus.
22. Matrimonium cum aliquo vel aliqua initũ viuente adhuc coniuge.
23. Matrimonium contractum cum illa, quam viuente marito per adulterium cognouit.
24. Conceptus prolis ex alieno, quem maritus pro ſuo neſcius educat.
25. Oppreſſio prolis ſtudioſa, vel ex negligentia, tam ante partum, quàm poſt, patrata.
26. Procuratio ſterilitatis vel abortum.
27. Coitus cum moniali, vel conſanguinea, vel Iudæa, & è contra.
28. Sodomia & cum brutis congreſſio.
29. Commixtio ſacerdotis cum filia ſua ſpirituali, quam ſcilicet baptizauit, vel cuius confeſſionem audiuit.
30. Omnis enormis blaſphemia in Deum vel Sanctos.
31. Crimen hæreſis iuxta Concilium Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reformatione*

F I N I S.

ELEN.

Digitized by Google

E L E N C H V S

Verborum & Titulorum omnium quæ in ho c ſecundo tomo continentur.

I.

IACTANTIA. p.1.
Idrema.
Idololatria. p.a
Ieiunium Eccleſiaſticum. pag.3
Ieiunium, *quoad eius obligationem, & de cauſis excuſantibus.* p.13
Ieiunium naturale.
Ignominia.
Ignorantia. p.26
Illegitimus filius Suppl. n.1.
Illiteratus.
Imagines ſacræ adoratio. n,10
Immunitas Eccleſiarum. p.33.
Impedimenta Matrimonij.
Imperator.Imperium.
Impotentia.Horæ Canonicæ .6.n.5.
Excommunicatio.8. 6.n.18.
Excommunicatio.9.§.vnicus. p.593.
Hæreſis. n.12.
Impreſſio Librorum.
Impubes filius. 6.n.7.
Impudicitia. p.41.
Incantatio.
Incendiarij.
Inceſtus. p.45.
Inconſideratio.
Inconſtantia.
Incontinentia. p.47.
Incorrigibilitas.
Indicia. adulterium in Supplemento. 17.
Indignatio.
Indignus.
Inductio ad peccatum.
Indulgentia. p.38.& 50,& 55.
Indulgentia pro defunctis. p.59. & 60.
Infamia.Excommunicat o.9.5.n.29.
Infamis.
Infernus. p.63.
Infidelis.Infidelitas. p.64.
Informatio.
Infirmus.
Ingratitudo. p.66.
Ingreſſus Eccleſiæ.
Ingreſſus religionis.
Inhabilitas.Inhabilis.
Inimicus.Charitas.a n.13
Iniuſtitia.Iniuria. p.67.
Innocentes.Bellum.n.11.
Inquietodo mentis.auaritia.n.2.
Inquiſitio.
Intemperantia.
Interdictum, *quid & quotuplex.* p.69.
Interdictum, *quoad illius effectus.* p.70.
Interdictum, *quoad peccatum & pœnas illud violantium.* p.74.
Interdictum, *quoad illius cauſas.* p.72.
Interdictum, *quoad illius relaxationem.* pag.75.
Interdictum iure latum. p.76.
Interdictum. p.77.
Interrogatorium. p.83.
Intereſſe.
Intentio. v.actus hum.3.n.5.
Interruptio peccati.fornicatio.n.4.
Interruptio prandij.
Interruptio horarum. horæ canonicæ.11.à num.16.
Inuitus.
Inuentarium.
Inuentum.
Inuidia. p.85.
Inuitabilis.
Inuocatio Dei.
Inuocatio Sanctorum.
Ioannis baptiſmus.ita. p.85.
Irregularitas, *quoad eius diuiſionem & cauſas.* p.86.
Irregularitas, *ex defectu animi.* p.88.
Irregularitas, *ex defectu corporis.* p.88.
Irregularitas, *ex defectu natalium.* p.90.
Irregularitas, *ex defectu ætatis.* p.90.
Irregularitas, *ex defectu libertatis.* p.92.
Irregularitas, *ex defectu ſacramenti.* p.92.
Irregularitas, *ex defectu lenitatis.* p.93.
Irregularitas, *ex defectu.* p.96.
Irregularitas, *ex delicto homicidij voluntarij.* p.101.
Irregularitas, *ex homicidio facto ad defenſionem ſui, verum ſuarum ac proximi, nec non ex homicidio caſuali.* p.104.
Irregularitas *ex iteratione baptiſmi.* p.105.
Irregularitas, *ex ſuſceptione ordinum & adminiſtratione.* p.106.
Irregularitas *ex hæreſis delicto, &c. & infamia.* p.107.
Irregularitas, *ex delicto.* p.109.
Irregularitas, *quoad modos, quibus tollitur.* p.114.& 116.
Irritatio filius. Supplemento.n.13.
Itineratio.feſtum.11.n.10.
Iubilæus. p.119.
Iudex. p.124.
Iudicium publicum. p.127.
Iudicium temerarium. p.135.
Iuramentum, *quoad eius diuiſionem & materiam.* p.137.
Iuramentum promiſſorium & eius obligatio. p.139.
Iuramentum, *quoad conditiones illius, vt ſit licitum.* p.140.
Iuramentum, *quoad peccatum iurantis ex conſuetudine & violantis iuramentum.* pag.142.
Iuramentum, *quoad eius relaxationem & de pœnis periurij.* p.145
Iuramentum. p.145
Iuriſdictio ordinaria. Confeſſ.à n.7.
Iuriſdictio delegata.ibidem.
Iuriſdictionis poteſtas. Confeſſarius. à n 8.
Iuriſdictio arbitraria.
Iuriſdictio acceſſoria.
Iuriſdictionis ſubiectio. domicil. à n.4.
Iuriſdictionis priuatio.
Ius.Iuſtitia. p.154.
Ius parochiale.
Ius patronatus.Benefic.9.à n.1.
Ius quæſitum.

L.

LAbor.Cambium n.6.
Laicus.Beneficium.5.n.7.
Lamiæ & illarum concubitus.
Lapſus carnis.Caſus reſeruatus. nu 140.
Latro publicus.
Latria.v.adoratio.n.1.n.6.
Laudemium.Emphyteuſis.n.8.
Lectores.
Lætitia immoderata.
Legatarius.
Legatum. p.159.
Legatus. p.164.
Legitima portio. p.166.
Legitimatio. p.188.
Legitimus.filius.n.1.
Legentes libros hæreticorum.
Lenocinium.hæreſis à n.9. p.11.
Leproſus.
Lex, *quoad eius diuiſionem & conditorem.* p.170.
Lex naturalis, vetus & Euangelica. p.171.
Lex, *quoad eius conditiones & materiam.* p.175.
Lex, *quoad eos qui legibus tenentur.* p.177.
Lex, *quoad eius obligationem, & de lege pœnali.* p.180.
Lex, *quoad cauſas, quibus ceſſat illius obligatio.* p.183.
Lex humana. p.184
Libellus repudij.adulterij. in Suppl. n.6.
Libellus famoſus. Confirmatio. n.2.
Libellarius contractus.
Libertus.
Liberum.Libertas.v.actus hum.
Libertas religionis. n,6.p.48.
Licentia.alienatio.in Supp.n.1.
Ligamen.
Linea.
Litaniæ.
Litteræ. adulterium in Supp.n.21.
Litteræ dimiſſoriales.
Lixiuium.
Locatio & conductio.p.190. & 191. & 192.& 193.
Locus.
Lucrum. adulterium in Supp.nn.13.
Lucrum ceſſans.Cambium.n.5.
Ludus. p.196.& 197.& 198.
Lumen.
Luxuria. p.204

M.

MAgia. p.213.
Magiſtri.
Maleficium. p.214.
Maleficij impedimentum,
Magiſtratus. Eleemoſyna.Supp.n.8.
Maledictio. p.218.
Malitia.v.Acedia.n.2. p.43.
Mandans.Excom.5.n.8.
Mandatum. p.220.
Manus violenta.
Martyrium. p.222.
Maritus.alimenta in Supp.n.124
Mater.v.abortus.a n.18. p.25.
Materia.
Materiæ paruitas.
Materia voti.
Matrimonium. *quoad eſſentiam* p.221.
Matrimonium, *quoad eius indiſſolubilitatem.* p.126.
Matrimonium, *quoad cauſam illius efficientem.* p.228.
Matrimonium, *Clandeſtinum.* p.232
Matrimonium, *quoad illius miniſtrum.* p.231.
Matrimonium, *conditionale.* p.235.
Matrimonium, *quoad eius naturam & proprietates.* p.237.
Matrimonium, *quoad illius impedimenta dirimentia.* p.242.
Impedimentum erroris perſonæ & ſeruilis. p.243.
Impedimentum voti. p.244.
Impedimentum cognationis carnalis. p.244.
Impedimentum cognationis ſpiritualis. p.245.
Impedimentum cognationis legalis. p.247.
Impedimentum criminis. p.247.
Impedimentum diſparitatis cultus. p.248.
Impedimentum violentiæ vel metus. p.249.
Impedimentum Ordinis. p.250.
Impedimentum ligaminis. p.251.
Impedimentum publicæ honeſtatis. p.252.
Impedimentum affinitatis. p.253.
Impedimentum impotentiæ. p.254.
Matrimonium, *quoad impedimenta non dirimentia.* p.269.
Matrimonium, *quoad diſpenſationes impedimentorum illius.* p.271. & 273.
Medicus, conſcientia à n.20.
Melioramenta.
Membrum.v.actus hum.3.n.27.
Membri defectus. p.54.
Mendacium. p.280.
Mercator.Mercatus.aſſeueratio.n.4.
Meretrix.adulterium in Suppl.n.24.
Meritum. p.283 n.2.
Merx. contractus gabella. Suppl n. 8 a n.20.
Metus p,286.v. actus hum.11.
Miles.Militia.Bellum.à n.14.
Miniſter.
Minor.alienatio.n.11.
Miſſa, *quoad eius efficaciam.* p.289.
Miſſa, *quoad eius effectus & valorem.* p.290.
Miſſa, *vt eſt ſacrificium.* p.292.
Miſſa, *quoad eius miniſtrum.* p.296.
Miſſa, *quoad locum, tempus & horam. quibus ſit celebranda.* p.302
Miſſa, *quoad requiſita ad illius celebrationem.* p.306.
Miſſa, *quoad defectus in illa contingentes & corrigendos.* p.307.
Miſſa, *quoad ſtipendium dandum Sacerdoti pro ea celebranda.* 309.
Miſſa, *vbi varia quæſtiones de Miſſa proponuntur & reſoluuntur.* 315.
Miſſa, *quoad illius præceptum.* p.312
Miſſa, *quoad cauſas excuſantes ab illa audienda.* p.325.
Miſſa, *quoad præceptum illam audiendi.* p.326.
Modalis donatio.

Modus

Elenchus.

Modus procedendi.
Molendinum.
Moletores.
Monaſterium.alimenta in Suppl. n.5
Monetæ valor.
Monialis.v.Abbatiſſa.à.n.6.p.26.
Monitio.
Monopolium.Cambium.n.16.
Mons pietatis. p.338.
Monſtrum.
Moribundus. v.abſolutio.n.13.p.28.
Mora.
Morbus contagioſus . Debitum Coniugale.11.Suppl.
Mors coniugis.
Motus proprius. Vide Priuilegium . p.491.n.5.p.492.n.9.
Mulier.v.abortus.n.16.p.24.
Muliones.Feſtum.11.n.5.p.636.
Multiloquium.gula n.8.
Multiplicatio peccatorum.
Mutus.
Mutatio in forma Sacramentorum.
Murmuratio. p.335.
Mutilatio membri.
Mutus.v.abſolutio.n.11. p.28.
Mutuum. p.338.
Mutuum & vſura, in 2.tom. p.339.

N.

NAſus.
Natiuitas.
Naufragium.
Neceſſitas. v. actus humanus. nu.8. p.48.
Necromantia.diuinatio.Suppl.n.7.
Negotia geſta. p.347
Negotiatio.emptio.Suppl.n.4.
Negligentia.
Neophytus.Electio.n.13.
Nobiles.Excom.v.n.24. p.611.
Nomen Ieſu. v. adiuratio. in Suppl. n.11.p.60.
Notarius. p.348
Notorium.
Nouatio.Delegatio. p.349
Nouitiatus.Nouitius. p.349
Nuptiæ.

O.

OBedientia. p.348
Obiectum. v.actus hum.4.
Oblatio.à n.1. p.54.
Obligatio.alimenta.n.4.
Oblitio. Confeſſio Sacramentalis.7. n.16.
Obduratio cordis. Auaritia.n.2.
Obſeruatio vana. p.363.
Obſtetrix.Baptiſmus. Suppl.n.11.
Occaſio propinqua vel remota peccati.v.abſolutio n.22. p.377
Occultum.
Occultum impedimentum.
Occupatio grauis. Horæ Canonicæ. VI.n.4.
Odium. p.364
Oeconomus. Cambium.n.9.pag.40.
Officialis.v.acculatio.a n.9. Bellum Suppl.n.18.
Officium.v. Iudex.o.9.p.126. Beneficium. n.3.
Oleum.Benedictio.n.11.
Omiſſio . Correptio fraterna. nu.12. Horæ Canonicæ.V.
Opinio.Conſcientia.a n.8.
Opus ſeruile.
Opus ſatisfactorium.
Opus indifferens.
Oraculum viuæ vocis.
Oratio. p.365
Oratorium. p.356
Ordinarius.
Ordo, *quoad eius eſſentiam, inſtitutionem & numerum.* p.369.
Ordo , *quoad eius materiam & formam.* p.369.
Ordo , *quoad eius miniſtrum & ſubiectum.* p.371.
Ordo, *quoad illius effectus & tempus illum conferendi.* p.375
Ordinis Sacramentum. p.377.
Ordinis poteſtas.
Ordines mendicantes.
Ordo reſtituendi .
Originale peccatum.
Ornatus externus.
Oſcula & amplexus., adulterium in Suppl.n.20.

P.

PActum. p.381
Pallatium Epiſcopi . Bellum à n.5.
Pallium. p.383.
Papa. p.384.
Parentes. p.388.
Parochia.Parochus. p.392.
Parochianus.
Pars,
Participans.
Paſcha. Communio Sacra.n.7.
Paſtus animalium.
Pater.alimenta.à n.2.
Patrimonium.
Patrinus. Baptiſmus.4.Suppl.n.4.
Patronus . Beneficium.9.à n.4.
Pauperes.adulterius.o.5.
Paupertas religioſa. p.403.
Peccatum, *quoad eius diuiſionem & diſtinctionem.* p.418.
Peccatum , *commiſſionis & omiſſionis.* p.425.
Peccatum, *quoad illius cauſas.* p.426
Peccatum, *quoad eius diſtinctionem ſpecificam & numericam.* p.429.
Peccatum, *quoad illius ſubiectũ.* 433
Peccatum, *quoad illius effectus.* 434.
Peccatum. p.436.
Peccatum *contra naturam.*
Peccatores.Charitas Suppl.n.9.
Peculatus . Vide furtum. p.673.n.3.
Peculium.dominium.1.n.6.
Penſio.p.438.& p.611.
Penſionarius.
Penuria Confeſſarij.
Percuſſio Clerici . Excommun. 7.5. vnicus. à o.1.p.183.
Percuſſio.Contumelia.n.8.
Peregrinatio.
Peregrinus . Vide lex.p.178. a nu.5. Communio Sacra.n.11.
Peregrinationis votum.
Peculium.
Periculum peccati.v.abſolutio.n.22. p.37.
Periurium.auaritia.n.2.
Permutatio.Emptio.n.2.
Permutatio beneficij.Beneficium.11 oom.7.
Perſona Sacra. Beneficium.XI.
Perſonatus.Beneficium.11.n.3.
Perfectio religionum.
Perſeuerantia. Pertinacia.
Petitio iuramenti.
Pietas.Feſtum.III.n.11.
Pignus & Hypotheca. p.445
Pingere.Feſtum.II.n.9.
Piſcatio.obidien.n.12.
Pœna. p.249
Pœnitentia, *ut eſt virtus.* p.452.
Pœnitentia, *ut eſt ſacramentum, de eius inſtitutione, neceſſitate, & præcepto.* p.453.
Pœnitentia, *quoad effectus primarios ſacramenti pœnitentiæ.* 454.
Pœnitentia , *quoad illius effectus ſecundarios.* p.455.
Pœnitentia . p.457.
Placitum, *eſt in 2.tomo.*
Plagiatus . Vide furtum pag. 673. num.3.
Phyſionomia.
Polligamia.
Pollutio.
Pontificalia.
Pontificalium vſus. pag.458.
Populus.
Poſſeſſio . Poſſeſſor. pag.460.
Poſtulatio . Beneficium 11.n.5.
Poteſtas . Confeſſarius 1.à n.2.
Precarium.
Preces.
Præcedentia.
Præceptum. pag.462
Præbenda.
Præcipitatio.
Prædicatio . pag.467
Prælatus. pag.474.
Prælatura regularis.
Presbytericidium.
Præpoſitura Dignitas n.5.
Præſcriptio. pag.480
Præſentes , Præſentia v. Euchariſtia 11.n.74. pag.464.
Præſtigium.
Præſtimonia.
Præſumptio . pag.486.
Præcarium. 489.
Primitiæ.
Princeps. v.Iudex à n.7. pag.126.
Prioratus. v. Abbas n.10. p.9.
Priuatio . Beneficium 7.n.4.
Priuilegium. *quoad eius diuiſionem, & conceſſionem.* p.490.
Priuilegium , *quoad eius qualitates.* 494.
Priuilegium, *quoad illius omiſſionem* 494.
Priuilegium, *quoad confirmationem, innouationem , & vſum priuilegiorum perſonarum regularium.* pag.497.
Priuilegium, *quoad illius communicationem.* pag.501.
Priuilegium, *quoad illius interpretationem.* pag.503.
Priuilegium. pag.505.
Probatio. pag.514
Proceſſiones. pag.519.
Procurationes.
Procurator. pag.522
Proceſſus .
Prodigus.
Proditio . Proditor. auaritia num.2.
Proditorium homicidium.
Profeſſio fidei. Fides 11.à n.3.
Profeſſio religioſis. pag.525
Promiſſio . pag. 533. Donatio.
Proprius Sacerdos.
Proprius Epiſcopus.
Proſcriptos . Bannitus à n.8.
Proprietas.
Prouincialis v.Abbas n.11. pag.6.
Proximus . Charitas à n.11.
Proxenetæ .
Prudentia. pag.535.
Pſalmi graduales , & Pœnitentiales .
Pubes . Filius Supplemento n.7.
Pupillus alienatio nu.11.
Pueri. Charitas. nu.12.
Publicum.
Pudicitia .
Purgatorium.
Puritas vitæ .

Q.

QVarta parochialis, & Epiſcopalis. pag.537.
Querela . v. Accuſatio n.2.
Quæſtus.
Quinquennium. Adulterium in Supplemento n.8.

R.

RApina . Vide furtum . p.666.o. 2.p.673.à n.3
Raptus. pag.537.
Ratificatio.
Ratihabitio .
Rebaptizatio. Rebaptizans.
Receptio ad religionem.
Reformatio regularium.
Reclamatio .
Reconuentio .
Recuſatio Iudicis appellare Supplemento nu.18.
Recuſatio Iudicis .
Regulares. 540
Regulares . *Quoad illorum iuriſdictionem & priuilegia circa Sacramentum pœnitentiæ.*
Circa Sacramentum Confirmationis.
Circa Euchariſtiam miniſtrandam .
Circa Miſſam.
Circa Extremam vnctionem.num 8 pag.623.
Circa Sacramentum Ordinis.
Circa Matrimonij impedimenta .
Circa irregularitatem.
Circa vota, & iuramenta.
Regulares , *in 2.tomo.*
Regulæ Cancellariæ . Beneficium 8.
Recurſus. Electio n.15.
Recidiuum.
Reincidentia .
Relapſus.
Religio . pag.546.
Religio, *quoad illius ſtatum in communi.* p.555
Religio, *de intrantibus religionem.* 558.
Religio, *quoad nouitiatum, & nouitios.* p.562.
Religio, *quoad profeſſionem.* p.565.
Religio , *quoad tranſitum ab vna religione ad aliam.* p.570.
Religio , *quoad religioſos electos, & fugitiuos.* p.572.
Religio, *ut eſt virtus.* p.575.
Reliquiarum cultus . Adoratio numer.12.
Reliquiæ Sanctorum . pag.576.
Remigatio Chriſtianorum.
Remiſſio delicti.
Renunciatio . Vide Priuilegium pag.296.n.6.
Repreſaliæ. pag.581.
Repudiatio. Diuortium n.2.
Res ſacræ . Furtum 11. Supplemento num.17.
Reſeruatio . Beneficium 8. à n.1.
Reſcriptum. pag.582.
Reſpublica . Bellum Supplemento nu.5.
Reſidentia. pag.582.
Reſignatio . Beneficium 11.n.8.
Reſtitutio, *quoad eius neceſſitatem.* 588.Re-

Digitized by Google

Elenchus.

Reſtitutio à poſſeſſore bonæ, vel malæ fidei facienda. pag.589.
Reſtitutio cooperantium ad damnum. pag:590
Reſtitutio, *quoad illius circumſtantias.* p.596.
Cui ſit reſtituendum. p.597
Vbi, & cuius expenſis ſit reſtituendum. p.598.
Quando ſit reſtituendum. p.598
Quomodo ſit reſtituendum, p.599
Quo ordine ſit reſtituendum. p.599.
Reſtitutio, *quoad cauſas excuſantes ab illa omninò, vel ad tempus.* p.600.
De cauſis quibus omitti poſſit reſtitutio. pag.602.
Reſtitutio. pag.603
Reſtitutio in integrum. pag.614.
Reſtrictio mentalis. pag.617.
Retentio. Hæreſis nu.11.
Retractus gentilitius.
Retrouenditio. Alienatio in Supplemento n.13.
Reuerentia. Honor n.2.
Reuocatio priuilegiorum. Vide Priuilegium. pag.495.à n.1.
Reus. pag.619.
Rex. Regina.
Rixa.
Rotæ deciſiones.

S.

SAcramentum, *quid, quotuplex, & illius neceſſitas.* p.626.
Sacramentum, *quoad eius formam, & materiam in genere.* p.628
Sacramentum, *quoad cauſam efficientem.* p.631
Sacramentum, *quoad illius effectus.* p.637
Sacramentum. pag.634.
Sacramentalia. pag.640.
Sacerdos. Euchariſtia 11. à num. 1.
Sacrilegium extra genus luxuriæ. pag.641.
Sacrilegium in materia luxuriæ. pag.646.
Sacrilegium, pag.643. Vide furtum pag.673.n.3.
Sagæ:
Sacrificium.
Satisfactio. p.647.
Satyrus.
Scandalum: pag.654
Schiſma. p.660.
Scientia. Aduocatus, n, 2. Beneficium 3.num.7.
Scholares. Confeſſarius, Supplemento n.13.
Scriba.
Scribere.
Scriptura. Confeſſio Sacramentalis 11.n.3.
Scrupulus. Conſcientia nu.306.
Sæuitia.
Sententia. v. Iudicium publicum. n.16. p.130. Compromiſſum à n.8.
Secretum. pag.633.
Senex.
Senectus.
Seditio.
Semifatuus. Communio Sacra numer.25.
Semiplena probatio.
Sepultura. pag.664
Seruitus. pag.670.& 672.
Seruus, pag. 672. Dominium 2. à num.25.
Signum. Fides 11.n.3.
Simonia *quid, & quotuplex.* p.677.
Simonia, *quoad diuiſionem pretij ſimoniaci.* p.678.
Simonia, *quoad illius materiam.* p.679.
Simonia, *quoad materiam rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexa.* p.683.
Simonia, *quoad cauſas excuſantes à labe Simonia,* p.685.
Simonia, *quoad illius pœnas.* p.686
Simonia, *quoad obligationem reſtituendi ſimoniacè accepta.* p.688.
Simonia, p.689.
Simulatio.
Simultas.
Societas. pag.695.
Socius criminis.
Sodalis.
Sodomia.
Sollicitudo temporalium, & futurorum.
Solutio, p.700.
Sortes. p.702.
Sortilegium.
Spes Theologica. p.703.
Spolium Eccleſiaſticum. p.707.
Sponſa. Sponſus.
Sponſalia. p.709.
Sponſaliorum obligatio. p.711.
Sponſaliorum diſſolutio. p.712.
Sponſalia. p.714.
Sponſalitia, largitas. Donatio inter Coniuges, n.1.
Sponſio. p.720.
Sportulæ.
Spurius. Alimenta n.2. p.84.
Spurcitia. Gula n.8.
Status.
Statutum. Vide lex p.183.n.2.
Sterilitas.
Stipes.
Stillicidium.
Stipendium. Aduocatus à n.7.
Stipulatio. p.721.
Studia.
Stuprum. p.721.
Stylus Curiæ.
Subditus. Conſcientia, n.21. denunciatio n.11.
Subiectum.
Subreptio. Diſpenſatio Supplemento n.36.
Subornatio. Electio n.14.
Subſtitutio. p.724
Succeſſio.
Suffragium. p.728.
Superſtitio. p.731.
Superbia. p.731.
Supplicatio. appellare Suppl.n.1.
Surdus.
Suſpectus. v. Ad miratio in Supp.nu.10.p.60.
Suſpenſio *quid & quotuplex.* p.733.
Suſpenſio, *quoad eius cauſas & effectus.* p.734.
Suſpenſio, *quoad illius durationem & abſolutionem.* p.636.
Suſpenſiones, *quæ ipſo iure contrahuntur.* p.737.
Suſpenſio. p.738.
Suſpicio.
Suſurratio. p.740.
Synagoga. Eccleſia.n.3.
Syndereſis. Conſcientia.n.2.

T.

TAbacum.
Tabellio.
Tabernarij.
Taciturnitas. diſpenſatio. Supp.n.12
Tactus. adulterium in Suppl.n.20.
Tentatio Dei. p.741
Tempus. Beneficium. X.n.8.
Terra.
Territorium.
Tertiarij. Tertiariæ.
Teſtamentum. p.742.
Teſtis. p.750.
Teſtimonium morum.
Theſaurus. Dominium. II.n.11
Titulus.
Tonſura. Electionis Suppl.n.2.
Tortura. p.757.
Torus legitimus.
Tranſactio. p.758.
Tranſcribere.
Trebellianica.
Tributum. gabella.n.10.
Trinitas Sanctiſſima. adoratio n.6.
Tumor mentis.
Tunſio pectoris.
Tutela. Tutor. p.760,& 761.
Typographus.
Tyrannus.

V.

VAgus. Vide lex. p.179.n.7.
Vana gloria. p.763.
Vaſallus. Feudum à n.6.
Vectigal. gabella.n.1.
Venatio. p.763.
Venefici. Veneficæ.
Venditio. p.764.
Veneficium.
Veniale peccatum.
Verba.
Verbum Dei.
Veritas.
Veſtis. Veſtes.
Viatores. Charitas Suppl.n.7.
Vicarius. p.769.
Viduæ. dos Suppl.n.6.
Viduus. alienatio Suppl.n.19
Virginitas. p.774
Virginis defloratio.
Victus.
Vis,
Violentia. v. actus hum.n.11.
Viſitatio. p.775.
Voto beneficiorum. Beneficium.7.
Vitium.
Voluntarium. v. actus hum. a nu.2. p.47.
Votum, *quid & quotuplex.* p.780
Votum, *quoad eius materiam.* p.784
Votum, *quoad eius obligationem.* p.786.
Votum, *quoad eius deobligationem.* p.790.
Votum. p.798.
Votum, *quoad illius irritationem.* p.803.
Votum, *quoad illius commutationem.* p.809.& 818.
Votum, *quoad eius diſpenſationem.* p.813.& 818.
Votorum renouatio.
Vſura *quid & quotuplex.* p.823.
Vſura, *quoad pacta ratione ipſius actionis mutuandi.* p.824.
Vſura, *quoad damnum emergens, lucrum ceſſans, &c. ab ea excuſante.* p.826.
Vſura, *quoad pœnam conuentionalem, & de alijs ad vſuram pertinentibus.* p.828.
Vſura, *quoad accipientes ad vſuras, & pœnas vſurariorum.* p.829.
Vſura, *quoad earum reſtitutionem.* p.830.
Vſucapio.
Vſus. vſusfructus. p.832.
Vſus fori.
Vtilitas monaſterij.
Vxor. Alimenta in Suppl. à n.12.
Vxoratus. Furtum.11.à n.4
Vxoricidium.

X.

XEnia. Adulterium in Supplem. n.21.

F I N I S.

Digitized by Google

FLORES TOTIVS THEOLOGIAE PRACTICÆ:

Tomus Secundus.

I.

IACTANTIA.

SVMMARIVM.

1 *Iactantia quid ſit? & quæ illius cauſa mouens.*
2 *An quando quis iactat ſe de malo quod fecit, propriè ſit iactantia.*
An iactantia de aliquo peccato eamdem habeat malitiam ac ipſum peccatum. itavt ſit neceſſario explicandum peccatum, de quo fuit iactantia? Refertur duplex ſententia.
3 *Quale peccatum ſit ſe de aliquo bono iactare? Et quid ſi falſa laus de aliquo bono ſit in damnum tertij.*
4 *In quibus caſibus iactantia ſit peccatum mortale.*

IActantia eſt vitium in ſermone contra veritatem: cùm quis maiora de ſe prędicat, quàm inſint: aut cum quis effert ſe ſupra id, quod homines de ipſo opinantur. Indirectè verò iactantia illis virtutibus opponitur, quarum oppoſita vitia ſunt cauſa iactantiæ. Cauſa autem mouens iactantiæ plerumque eſt ſuperbia & arrogantia: vnde ponitur à D. Gregorio inter ſpeciem ſuperbię. Et quia vt plurimum iactator ad hoc tendit, vt gloriam conſequatur ex ſua iactantia; ideò eius cauſa finalis, eſt inanis gloria. Interdum tamen cauſa mouens iactantiæ eſt auaritia; & finalis, lucrum. Cõmuniter verò cauſa mouens eſt mera vanitas; & finis eius delectatio. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 112. *art.* 1. Syluius *ibid.* & alij. D. Thom. Syluius.

2. Si quis ſe iactet de malo, quod fecit, non eſt propriè iactantia, quia deeſt mendacium, ſed eſt vana gloriatio, ſimilis iactãtiæ, eo peior quo res de qua gloriatur, peior eſt. Si autem illud non fecit, eſt peccatũ iactantiæ; quia eſt mẽdacium, quo de ſe maiora prædicat quàm inſint. Nec obſtat, quòd illud, quod de ſe dicit malũ ſit: quia accipit illud inſtar boni & laudabilis, & ita opinione ipſius bonum eſt.

Sed difficultas eſt, an iactantia de aliquo peccato eamdẽ habeat malitiam ac ipſum peccatũ, itavt in confeſſione teneatur explicare peccatum, de quo fuit iactantia? Reſp. cũ diſtinctione. Aut ille iactans habet adhuc complacentiam de illo peccato, aut nõ: ſi primum, certum eſt apud omnes, fatendam ſpeciem & circumſtantiam peccati, v. g. ſi quis iactauit ſe de peccato cũ coniugata, tenetur fateri circumſtantiam coniugij, & non ſufficit ſe accuſare toties ſe iactaſſe de peccato mortali. Si ſecundum, hoc eſt, ſi iactantia nõ fuit cũ complacentia ſeu gaudio de peccato commiſſo; Doctores non conueniunt; nam Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 3. *num.* 13. qui pro ſe adducit Ludouicũ Lopez, ſuſtinet fatẽdas eſſe circumſtantias, ſiue quis verè, ſiue falsò ſe vel aliũ laudarit, & quamuis non adfuerit de peccato admiſſo gaudium. Ratio eſt, quia hoc peccatum ad eam ſpeciem reducitur, cuius eſt illud peccatum, de quo eſt iactantia. Virtus enim contraria non tantùm peccatum cõtrarium, ſed etiã delectationes moroſas & iactantiam, qua id peccatum tãquam bonum approbatur, cohibet. Hæc ſententia eſt probabilis. Verum probabilius dicendum puto contrarium, nempe talem nõ eſſe obligatum declarare peccatum, cuius fuit iactãtia, ſed ſufficienter ſatisfacere dicẽdo ſe de mortali culpa iactaſſe. Quia tota iactantiæ malitia conſiſtit in captanda gloria, & honore de malefactis, quod verò malefacta ſint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid eſt, & per accidens ad iactantiæ malitiam, vnde ratio offenſæ mortalis eiuſdem rationis eſt in omnibus mortalibus. Sicut in cõtumelia, quando obijciuntur proximo defectus diuerſę ſpeciei, nõ ſunt verba illa contumelię ſpecie diſtincta, quia aſſumuntur tantùm vt inſtrumentũ ſeu medium ad honorẽ proximi lædendũ; quòd verò ſint hæc, vel illa verba contumelioſa, materialiter ſe habet. Ita ſentiunt Nauarrus apud Sanchez *loco citato*, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 161. & *part.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 44. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 11. *n.* 5. Sententiam tamen Sanchez nouiſſimè amplexatus eſt Cãdidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 22. *dub.* 31. Contrariã autem Leandrus *de Sacram tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 8. §. 3. *quæſt.* 12. apud Dianam *part.* 9. *tract.* 9. *reſol.* 20.

Sanch. Lopez. Nauar. Sanc. Diana. Palaus. Candidus. Leandrus. Diana.

3. Quando iactantia & vana gloria de aliquo bono eſt, ſolùm eſt peccatum veniale. Ratio eſt, quia etſi debitus ordo peruertatur, ea tamen peruerſio nõ tanti momenti eſt, nec adeò grauis iniuria rebus ſpiritualibus infertur, vt pœna æterna digna ſit Modò in tertij damnum hæc iactantia non cedat. ſi quis enim ſe falsò magnum Medicũ, aut Aduocatum iactet, vnde alijs damnum conſurgat, eſt peccatum mortale, & ſimiliter ſit alium laudare, eadem culpa eſt, & tenetur ſic ſe, vel alium laudans reſtituere damnũ illud; quòd per iniuſtitiam cauſa illius damni exiſtat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 112. *art.* 2. Caietanus. Syluius, *ibidem*, Nauar. *in man. cap.* 23. *num.* 13. Qui nouiſſimus benè aduertit, illum, qui falsò laudatus ſciens aliquod notabile damnum inde oriturum, ſi non contradicat ſaltem quantùm oportet ad illi obuiandum, peccare mortaliter. Damno autem notabili non ſubſecuto, approbationem explicitam vel implicitam falſa laudis de re bona, vel ſolum veniali, eſſe venialem: imò nec eſſe peccatum, ſed

D. Thom. Caietan. Syluius. Nauar.

Digitized by Google

virtutis actum audire falſas laudes abſque contradictione, modò laudatus eis non delectetur eo reſpectu, quo ſunt falſę aut laudes proprię, aut adulationes; ſed quia ſuo ſtatui neceſſarię ſunt, vt prauum exemplum ac ſcandalũ vitẽtur.

4. Quamuis iactantia per ſe, ſeu ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale, continens malitiam mendacij & vanæ gloriæ: poteſt tamen eſſe peccatum mortale in aliqoibus caſibus, *Primò*, Si quis ſe iactet cũ iniuria Dei ſibi tribuendo, quod Dei eſt. *Secundò*, Cum iniuria proximi, vt dictum eſt, modò illa iniuria ſit notabilis. *Tertio*, Si procedat ex ſuperbia vel inani gloria mortifera: vt ſi quis glorietur de donis Dei, tanquam ſit illis dignus. *Quarto*, ſi iactet ſe cum intentione nocendi proximo, aut emungendi pecunias iniuſtè, aut exponendi ſe periculo nocumenti, vt dictum eſt de Medico & Aduocato, &c. *Quintò*, Si ita ſit addictus iactantię, vt paratus ſit peierare vel aliud peccatum mortale committere. *Sextò*, Quando quis iactat ſe de opere, quod eſt peccatum mortale; nam videtur illud approbare, Notandum tamen eſt, aliquando ſe, vel alium laudantes de aliquo peccato, laudare non de opere abſoluto, quod eſt lethale, ſed tantùm de viribus, arte, aut induſtria in eo peccato repertis, abſque approbatione vel affectu ipſius operis, & tunc non eſt mortale: quia in hoc euentu, non eſt iactantia de peccato, ſed de quodam bono naturali. Ita Caietanus 2. 2. *quaſt*. 112. *art*. 2. ex D. Thoma, Leſſius *lib*. 2. *cap*. 47. *num*. 42. Sanchez *lib*. 1. *moral*. *cap*. 3. *num*. 12. Toletus *in Summ*. *lib*. 8. *cap*. 8. *num*. 4.

Caietan.
Leſsius.
Sanch.
Tolet.

IDOLOLATRIA.

SVMMARIVM.

1 *Idololatria vnde dicta? Et quæ ſit differentia inter imagines gentilium & Chriſtianorum.*
2 *Quæ fuerint cauſæ idololatriæ.*
3 *Qui apud gentiles fuerint dij nominati & quæ. Vbi de Saturno, Ioue, Neptuno, Plutone, Marte, Mercurio, Hercule, &c.*
4 *Quæ cognitio vnius veri Dei ſufficiens ſit, ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum, & cauendi à peccato idololatriæ.*
5 *Idololatria, alia eſt perfecta; alia minùs perfecta; tertia eſt ſimulata.*
6 *An idololatria maximum ſit peccatum contra Religionem? & an grauior ſit odio Dei.*

1. IDololatria Græca vox eſt & compoſita ex dictionibus Idolum & latria. Idolum latinè ſignificat ſimulachrum aut imaginem alicuius rei: latria, cultum ac venerationem: vnde Idololatria ex nomine ſignificat ſimulachrorum veneratiõné ac cultum. Differentia duplex eſt inter imagines Gentilium & Chriſtianorum: vna in ſignificatione, altera in cultu. Nã gentilium imagines ſignificant falſa: quia ſignificãt eſſe Deos, in quibus nihil vnquã diuinitatis fuit, eſſeque potuit. Chriſtianorum autem imagines vera ſignificant: ſcilicet eos, qui verè ſunt Sancti, & honore digni. Gentiles ſuas Imagines, vel eos homines, aut res alias quarum erant Imagines, pro dijs habuerunt accoluerunt; Chriſtiani autem ſuas Imagines, & eos quorum ſunt Imagines, non aliter venerantur ac colunt, quam vnicuſlibet in imagine præſentati dignitas poſtulat.

2 Cauſæ Idololatriæ fuerunt duplices, homines ſcilicet & dæmones. In hominibus inueniuntur tres cauſæ Idololatriæ: *Prima* inordinatus amor erga charos defunctos: quidam enim inuenti ſunt, qui filijs, alijſque charis Imagines erexerunt, quas nimium amando, tandem etiam vt Deos coluerunt, vt habetur in lib. Sapient. *cap*. 14 *Secunda* cauſa in hominibus, amor figurarum aut ſimulachrorum repręſentantium res abſentes, vel pręſentes. Hinc quidam pulchritudine ac venuſtate Imaginum permoti, paulatim in errorem prolapſi ſunt, vt eaſdem Imagines venerari, & vota ijs nuncupare inciperent. *Tertia* cauſa in hominibus fuit ignorantia veri Dei. Nam cùm homines verum Deum ignorarent, cœperunt pro Deo habere & colere, quidquid in rebus aliquam excellentiam pulchritudinis, aut virtutis haberet. Vt ignem, ventos, aerem, aquam nimiam, &c. vt dicitur *Sapient*. 17.

Cauſa altera principalis Idololatrię fuerunt Dęmones, qui ſe ſtatuis ab hominibus fabrefactis immiſcebant, eiſque motum, vocem & quaſi vitam dabant, ac reſponſa per eas edebant: vnde ipſę ſtatuę per ſe, tanquam numine plenę & animatę coli cœperunt. Et quia dęmones ſtatuis illis, mox vt dicatæ erant, ſe inſinuabant, putabant ethnici ſe poſſe deos facere, quam poteſtatem miratur & extollit Mercurius Triſmegiſtus, vt refer D. Auguſtin. *lib*. 8 *de ciuit*. *cap*. 23. Ita D. Thomas 2. 2. *quaſt*. 94. *art*. 4. Syluius *ibidem* & alij.

D. Auguſt.
D. Thom.
Sylu.

3 Gentiles ſibi finxerunt plurimos Deos? ita vt non ſolùm quęlibet Gens aut natio, ſed & ſingulę prope ciuitates ſuos peculiares Deos habuerint atque coluerint: quorum tamen pręcipui fuerunt homines ſcelerati, & infames. Inter eos primus fuit Saturnus, quem ſtulti gentiles Deorum Optimum maximumque dixerunt; cùm fuerit homo impuriſſimus ac ſceleratiſſimus. Hic natus ex Vranio & Veſta, Fratrem habuit Tian: Sorores ei erant Ops & Ceres. Filios genuit ex ſorore Ops, Iouem, Neptunum, & Plutonem; qui patris Regnum inter ſe ita diuiſerunt: vt Iupiter partes Orientis; Neptunus mare cum inſulis; Pluto partes Occidentis haberet. Filias genuit Iunonem & Glaucam. Tandem à Ioue filio regno expulſus, poſt longa itinera exul venit in Italiam ad Ianum, &c. Diciturque etiam Patri ſuo Vranio genitalia abſcidiſſe. De illo agunt D. Auguſt. *de ciuit*. *Dei lib*. 4. *c*. 10. Lact. *lib*. 1. *c*. 11. 12. & 14.

Saturnus.
D. Auguſt.
Lactantius.
Iupiter.

Iupiter Saturni Regis & Opis ſeu Rheę filius ſeruatus clam à matre, & Auia Veſta, atque Sorores Iunone, ne à Patre vt prior filius occideretur. Adultior factus, cùm audiſſet patrem atque matrem à Titane patruo eiuſque filijs, cuſtodijs circumſeptos, cũ magna Cretenſiũ multitudine venit, Titanemque & filios eius expugnans, parentes vinculis exemit; atque ita in Cretã remeauit. Et cũ Saturnus inſidiaretur Ioui filio, vt eum necaret: At filius inſidijs cognitis, patre fugato, Regnũ Orientis ſibi vẽdicat. Reliquam deinde vitã ſuã Iupiter in ſtupris & adulterius cõſumpſit. Poſteaquam autem Iupiter quinquies terram circuiuit, omnibuſque amicis ac cognatis ſuis Imperium diuiſit; &c. quibus memoriam & laudem velut immortalem conciliauit. Sed ętate peſſum acta, in Creta moritur, vbi & ſepulchrum eius oſtenditur. Lactant. *eod*. *lib*. *c*. 10.

Lactantius.
Neptunus.

Neptunus frater Iouis, regnauit in Inſulis Oceani & locis maritimis. Vnde Poetę finxerunt eum Deum Maris aut Mare ipſum. Vxorem habuit Salaciam. Mercede conductus à Laomedonte Rege Phrygię, iuuit eum in obſidione vrbis Troię, D. Aug. *de ciu*. *Dei lib*. 3. *c*. 2. & *lib*. 4. *cap*. 10. *cum Comment*. *Lud*. *Viuis*. Ex inceſtu cum matre Lybia genuit Buſirin Regem, vel potiùs Tyrannum: D. Aug. *de ciuit*. *lib*. 18. *c*. 12.

D. Auguſt.
D. Auguſt.
Pluto.

Pluto Frater Iouis regnauit in Occidente. Vnde Poetę finxerunt eum Regem Orci, vel Inferorum. Vxor eius Proſerpina, Cereris ex Ioue fratre ipſius, filia, quam inuitis parentibus rapuit. D. Auguſt. *de ciuit*. *lib*. 4. *cap*. 10.

Apollo natus eſt ex inceſtu Vulcani & Mineruę liberorum Iouis. Fuit hic homo improbus qui ob amorem turpẽ quo flagrabat, alienum gregem deſpicatiſſimè paruit, & muros Laomedonti extruxit. Puerum famoſum & dum amauit, & dum ludit, occidit, Lactantius *lib*. 1. *cap*. 10. & de eodem agit D. Auguſt. *lib*. 1. *de Ordine cap*. 4. & *de ciuit*. *lib*. 3. *c*. 2. *Cum comment*. *Lud*. *Viuis*.

Apollo.
Lactantius.
D. Auguſt.

Mars homicida fuit, & per gratiam, cędis crimine ab Athenienſibus liberatus; ne autem videretur nimis ferus & immanis, adulterium cũ Venere commiſit. D. Auguſt. *de ciuit*. *lib*. 18. *cap*. 10. & 23. Lactantius *lib*. 1. *cap*. 10.

Mars.
D. Auguſt.
Lactantius.

Mercurius fuit fur & nebulo, ad famam ſuam nil reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum. Cœlo ſcilicet dignus, quia paleſtrã doluit; & lyrã primus inuenit. Lactant. *lib*. 1 *c*. 10. D. Aug. *de ciuit*. *lib*. 4. *c*. 27. Putatur natus ex Nepote Atlantis & Maria; Atlas autem erat frater Saturni.

Mercurius.
Lactantius.
D. Auguſt.

Hercules genitus eſt ex adulterio Alemene, Orbem terrę peragrauit; quem ſtupris, libidinibus, adulterijs; rapinis quoque latrocinijs, homicidijs totum inquinauit: quin & ſuam vxorem cum liberis interemit. Stulti autem Gentiles arbitrantur ab ipſo orbem purgatum eſſe. D. Auguſt. *de ciuit*. *lib*. 2. *c*. 14. & *lib*. 18. *cap*. 12.

Hercules.
D. Auguſt.

Vulcanus Iouis & Iunonis, aut Iunonis, incerto patre filius fuit. Impurę Veneris maritus: arte faber ferrarius

Vulcanus.

Digitized by Google

rarius qui in Lemno artem fabrilem inſtituit. Ex inceſtu cum Minerua ſorore genuit Apollinem illum, in cuius tutela hiſtorici antiqui Athenas eſſe voluerunt. Ludouic. Viues *comment. in lib. 4. cap. 11. D. Auguſt. de ciuit.*

Lud. Viues.

Omnes alij Gentilium falſi Dij aut ex prædictis nati ſunt aut eorum fuerunt ſimiles, vt ex Lactantio & libris D. Auguſt. de ciuitate Dei facile cognoſci poteſt.

Iuno. Iuno fuit filia Saturni, Soror & vxor Iouis: quæ pellices accerrimè perſecuta eſt, quia ipſa parere nõ potuit ex fratre. Genuit tamen Vulcanum ex patre incerto, hoc eſt, ex adultero, cuius nomen reticetur, vt crimen tegatur Lod. Viues *comment. in lib. 4. cap. 11. D. Auguſt. de ciuit.*

Lud. Viues.

Minerua. Minerua Iouis & Themidos filia, à Poetis ficta Virgo: ſed ex Vulcano fratre per inceſtum genuit Apollinem & Erichthonium, D. Auguſt. *lib. 18. cap. 12. de ciuit.*

D. Auguſt.

Venus. Venus fuit vxor Vulcani, non ſolùm Deorum, ſed & hominũ libidinibus proſtituta. Hæc enim ex famoſo Martis ſtupro genuit Harmoniam. Ex Mercurio Hermaphroditum, qui eſt nanus Androgynus. Ex Ioue Cupidinem. Ex Anchiſe Æneam. Ex Bute Fryzen, Quæ prima artem meretriciam inſtituit: auctorque mulieribus in Cypro fuit, vti vulgò corpore quæſtum facerent. Quod idcirco imperanit, ne ſola præter alias mulieres impudica & virorum appetens videretur, Lactantius *lib. 1. cap. 17.* apud quem plura de alijs, quas Poetæ finxerunt Deas Virgines.

Lactantius.

Ratio autem cur iſti perditi homines in deorum numerũ, à Gentilibus faſcinaris, relati ſunt id factum putatur ob nonnulla beneficia, quæ ſuis populis dum viuerent præſtiterunt. Inde namque amorem & venerationem ſibi cõciliarunt, vt poſt vitã etiam ſui memoriã ac deſiderium reliquerint. Quamobrẽ populus & gratitudinis & memoriæ ergo cõſtituit eis ſimulacra: in quibus ipſos quoque venerari ac colere paulatim cœperũt. Quod obſeruans Diabolus, auxit in populo ſuperſtitionem eiuſque deſiderijs ſe accommodauit: reſponſa per ſimulachra dedit, & petita contulit. E quo deinde accidit, vt horum vicini, & poſt eos etiam alij remotiores. ſimilia ſibi ſimulachra fabricarent. Atque ita lõgè, lateque propagata eſt Idololatria, Deo permittẽte & Diabolo operãte. Deinde ad idololatriã hãc magnam occaſionem præbuerunt Poetæ ſuis adulatorijs laudibus & fictionibus: quibus & virtutes iſtorum perditorum hominum plus æquo prædicarunt, & nefanda eorum ſcelera, fictis fabulis occultarunt. Ita Lorichius *in theſaur. verb. Idololatria* ex Lactantio *lib. 1. c. 15. & 18.*

Lorichius. Lactantius.

4. Cognitio vnius veri Dei ſofficiens ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum, & cauendi à peccato idololatriæ, non neceſſariò debet eſſe vndequaque perfecta, ſine vllo admixto errore, ſed ſat erit cognitio quædam generalis de Deo, quod ſit principium omnium rerum, excedens omnia, à quo omnia dependent & gubernantur: ſiue ea cognitio habeatur per Dei reuelationẽ, ſiue per ſapientum magiſterium ſiue per demonſtrationẽ, ſiue per rationem probabilẽ: Imò ſatis eſt, ſi homo agnoſcat per ſynderesis dictamen eſſe aliquem Superiorem legiſlatorem, cui ſe debeat ſubijcere. Hinc illi Philoſophi gẽtilium, qui agnouerunt Deũ eſſe vnum duxtaxat, nequeũt excuſari, tum à crimine idololatriæ, tum ab omiſſione colendi vnum verum Deum. Prob. quia habita ratione vnius veri Dei, puta quod ipſe eſſet primum principium, parens & gubernator omnium rerum: ſtatim lumen naturæ dictat nos ei debere ſubijci ipſumque honorare tanquam præcelens qui ſuper omnia, à quo pendent omnia eius effecta, in eſſe, fieri & conſeruari, & eodem lumine dictante, cognoſcitur honorem diuinum ei debitum, nequaquam ad alios præterquam ad ipſum eſſe traſferendum. Vnde Apoſtolus ad Rom. 1. loquens de illis Philoſophis, ait: *ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt* (ecce omiſſionem diuini cultus, à quo non excuſantur) *& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium.* En crimen idololatriæ, à quo nõ excuſãtur.

Idololatriæ, autem, qui non habuerunt notitiam veri Dei, non ſunt etiam excuſandi à crimine idololatriæ: quia res per uia eſt cuique intellectum habenti, non eſſe colendos vt Deos homines imbecilles, obſcœnos & flagitioſos, quos gentilitas colebat: quin potius lumen naturæ dictat eos eſſe dignos irriſione & vituperio. Si verò ſermo ſit de alijs ſubſtantijs, quæ ſupra hominem credebantur, vt aſtra, luminaria, aut intelligentiæ ſeu Angeli probatur etiam dictum noſtrum: quia ex cognitione vnius veri Dei ſtatim promanat dictamen rationis naturalis, eum eſſe colendum, nullique alij honorem ſibi debitum eſſe exhibendũ. Sed idololatræ non excuſantur per ignorantiam à cognitione vnius veri Dei, ergo neque à cultu eius, aut idololatriæ crimine erga creaturas quaſcumque: quia vt dicitur Sapien. 13. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat creator horum cognoſcibiliter videri.* Et ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ita vt ſint inexcuſabiles* Quod etiam Plato in ſympoſi. Naturali lumine ductus rationis intellexit, cùm dixit: *Ex pulchritudine omnium rerum creatarum, pulchritudinem quandam quandam admirandam diuinæ naturæ repente conſpicio.*

5. Triplex idololatria diſtingui poteſt: prima eſt perfecta, cùm quis idolo diuinum honorem exhibere intendit, quia falsò exiſtimat Deum eſſe, & hæc idololatria cum infidelitate iuncta eſt. Altera eſt minus perfecta, cùm quis ſciens idolo diuinitatẽ nullã ineſſe; tamẽ ex prauo affectu, id eſt, ex odio erga verũ Deũ, vel cupiditate aliquid à Diabolo obtinendi, ipſi Dæmoni vel alteri creaturæ externum cultũ, tanquam Deo defert. Hæc idololatria ſpecies priorẽ ſuperare videtur in grauitate peccati: quia ex mera voluntatis malitia cõmittitur: tum quia aliquam etiam ſimulationem & mẽdacium pernicioſum. Deoque iniurioſum continet. Prior autem ob ignorantiam aliquo modo excuſatur. Tertia deniq; eſt idololatria ſimulata; cùm quis ſine exiſtimatione diuinitatis, & ſine interno affectu colendi ob Tyranni vel populi metum, exterius tantùm idolo exhibet cultum latriæ Deo vero debitum: quod nunquam licet; quia repugnat veræ fidei confeſſioni, & ſit perfectum mendacium in cultu Religionis, quod Deo iniurioſum eſt & apud homines ſcandaloſum: proinde grauiſſimum peccatum eſt contra Religionis virtutem. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 94. ar. 2. & art. 3.* Sylu. *ibid. ar. 1. & 2. concl. 4.* & alij. D. Thom. Syluius.

6. Inter peccata Religioni contraria, idololatria maximum eſt. Ratio eſt, quia idololatria quantum in ipſo eſt, alium Deum huic mundo præficit, ac vero Deo ſuum detrahit principium: ideoque committit crimen læſæ maieſtatis diuinæ. Imò idololatria quodammodo eſt maius peccatum, quàm odium Dei: quia ſi fiat idololatria ex perfecta notitia & libertate, includit odium & blaſphemiam: vt ſi quis noſcens verum Deum, vellet alium facere eique diuinum honorẽ tribuere, id enim quodammodo eſſet odio habere Deum verum, & inſinuare non eſſe Deum, quod eſſet blaſphemia. Idololatria tamen quæ fit abſque odio Dei expreſſo, videtur minus peccatum, quam Dei odium: quia minus eſt auferre Deo ſuum honorem & eum alteri deferre, quàm velle ipſam diuinitatem abſolutè è medio tollere. Cæterum, quamuis idololatria per ſe & ex ſuo genere ſit tam graue peccatum tamen ex diſpoſitione peccantis accidit, quod minus graue ſit, quàm vel hæreſis eorum, qui ſe Chriſtianos nominant, vel externa ipſorum ſiue idololatria, ſiue idololatriæ ſimulatio: vt quando gentiles per ignorantiam idola colunt; Chriſtiani autem ſcientes & volentes à Chriſto vel Eccleſia deficiunt. Vide D. Thomam *ſecunda ſecundæ, quæſt. 94. art. 3.* Caietanum, Syluius & alios *ibidem.* D. Thom. Caiet. Syluius.

IEIVNIVM I.

Quæ requirantur ad Ieiunium.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium quid: & quomodo quatuor modis accipi poſsit?*

2 *Quid ſit ieiunium Eccleſiaſticum. Et an adſit præceptum ieiunandi?*

3 *A quibus cibis ſit abſtinendum in diebus ieiuniorum?*

An quando licet comedere oua & lacticinia, liceat etiam comedere laridũ, vel ſagimen: refertur duplex ſẽtẽtia.

An quando conceduntur lacticinia, licere veſci ſanguine animalium?

An in ieiunijs pro lucrãdo Iubilæo, pœnitẽtia iniuncta, &

votiuis poſſunt abbiberi oua & lacticinia.

4 *An cui conceſſum eſt priuilegium comedendi carnes in die ieiunij, teneatur abſtinere a multiplici refectione?* refertur duplex ſententia.

Quando alicui prohibentur carnes, an illi ſint etiam prohibita oua & lacticinia?

Habens licentiam edendi carnes in Quadrageſima, an poſſit etiam comedere oua & lacticinia? An etiã piſces?

Diſpenſatus ad carnes pro certis tantùm diebus, non poteſt alijs vti.

An diſpenſatus in quadrageſima ad oua & lacticinia comedenda, ſit diſpenſatus à ieiunio?

5 *An qui vouit abſtinere ab ouis & lacticinijs, teneatur etiam abſtinere à carnibus?*

An qui vouit abſtinere à carnibus, teneatur abſtinere à iure carnium;

6 *An ieiunij præcepto ſatisfaciat, qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem non ſentiat.*

An poſſint non ieiunare, qui ieiunando ſentiunt grauiores carnis ſtimulos, quam non ieiunando?

7 *An in neceſſitate euidenti & certa comedendi cibos vetitos in die ieiunij, petenda ſit licentia? Et quid ſi dubitetur de ſufficientia neceſſitatis?*

An Parochus poſſit diſpenſare in lege ieiunij?

De neceſſitate comedendi cibos vetitos in diebus ieiunij, debent iudicare medici.

An Confeſſarius poſſit diſpenſare? An Prelati regularium? Remiſſiuè.

8 *An abſtinentia plurium refectionum ad eſſentiam ieiunij requiratur? Et an potus frangat ieiunium? An vſus electuariorum & conditorum?*

An lectores, Miniſtri menſæ in monaſterijs, poſſint aliquid ſumere ante prandiũ? An & Cantores ad conſeruandã vocẽ? An ne potus noceat? An paruitas materiæ excuſet a fractione ieiunij, etiam in comeſtione carniũ.

9 *An collatiuncula veſpertina ſit licita? & quæ ſit eius menſura?* referuntur variæ ſententiæ.

An nobilioribus & illis qui continuò ſtudijs vacant, liceat amplior refectiuncula veſpertina?

Qui cibi poſſint ſumi in refectiuncula? refertur multiplex ſententia.

10. *Anquoties peccetur mortaliter, quoties in die ieiunij comeditur;* refertur duplex ſententia. *Et quid dicendum de illo qui in die ieiunij carnes comedit?*

11. *An qui ieiunij die ſciens, vel inaduertenter ſumpſit ientaculum, teneatur eo die ieiunare?*

12 *An habens cauſam non ieiunandi, poſſit inuitare amicum cauſa vrbanitatis vel hoſpitalitatis ad cœnam, quem ſcit ſolere violare ieiunium domi cœnando?* refertur duplex ſententia.

13 *An graue peccatum ſit Cauponi in locis Catholicorum apponere carnes hoſpitibus ſuis in die ieiunij? Et quid in locis hæreticorum, ſi petantur carnes in contemptum religionis Catholicæ?*

14 *An diebus ieiuniorum licitum ſit cœnam apponere hoſpitibus, qui tenentur vel non tenentur ad ieiunium.*

15 *An qui ob negotium interrupit prandium, nondum completè ſumpta refectione, poſſit abſoluto negotio refectionem perficere? Et quid dicendum ſi interrupit animo non continuandi?*

16 *De tertio requiſito ad ſubſtantiam ieiunij, quod eſt certa refectionis hora. Et an notabilis anticipatio ſit peccatum mortale vel veniale. Et an hora determinata comedendi ſit de eſſentia ieiunij? Et quodnam tempus dicatur notabile, vt anticipatio ſit peccatum? Quæ ſint iuſtæ cauſæ horam prandij anticipandi?*

17 *An qui priuilegium obtinuit prandendi ante conſuetam ieiunij horam, teneatur reliqua die parte, à cibis abſtinere? An diſpenſatus pro ſumenda multiplici refectione, poſſit carnibus veſci & anticipare prandium?*

18 *An poſſit ſumere ientaculum qui diſcedit manè ex oppido domicilij vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum vbi non eſt ieiunium?*

19 *Diſcedens è loco vbi comeduntur carnes, an poſſit eas comedere, etiamſi eodẽ die peruenturus ſit ad locũ, vbi nõ comeduntur? Et an potẽs comedere carnes ſecundũ leges domicilij, poſſit eas comedere in loco vbi prohibentur?*

1. IEiunium ex vi ſuæ ſignificationis importat abſtinẽtiã, & quatuor modis poteſt accipi *Primò*, pro abſtinentia à vitijs, fuga peccatorũ Cap. *Ieiunium, De conſecr. diſtinct. 5. Secundò*, accipitur pro abſtinentia à qualibet re ſumpta per modũ cibi & potus, & hoc dicitur ieiunium naturale, quod frangitur quoties aliquibus cibus vel potus, tranſmittitur ad ſtomachũ, qui autẽ deguſtat aliquid, illudque ad ſtomachum nõ traijcit, ſed ſtatim eijcit, non dicitur frangere ieiunium naturale de quo ſupra diximus verb. *Communio ſacra* num. 40. & ſequẽt. *Tertiò*, accipitur pro ieiunio Eccleſiaſtico quo præcipitur Vnica comeſtio in die, id eſt, à media nocte, ad mediam vſque ad noctem futuram. *Quartò* ſumitur pro parſimonia & temperantia, quæ in hoc poſita eſt, vt non plus cibi & potus ſumatur, quàm ratio naturalis dictat D. Thomas 2. 2. q. 147. Fillic. *tract.* 27. 2. *part. cap.* 1. Reginal. *lib.* 4. *n.* 125. Nauarr. *in man. c.* 21. *n.* 11. Sylu. 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. Fagund. *præc.* 4. *c.* 1. *lib.* 1. *n.* 2. Sanc. *in ſelect. diſp.* 51. *n.* 1. *&* 2. & alij. D. Thom. Fillruc. Regin. Nauar. Sylu. Fagund. Sanc.

2. Ieiunium Eccleſiaſticũ nihil aliud eſt, quã *Abſtinẽtia voluntaria à cibo iuxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem.* Dicitur autẽ, *abſtinentia voluntaria*, quia eſt actus virtutis & præcipuè tẽperantiæ, obedientiæ; quia præceptũ de Eccleſiaſtico ieiunio integrè & perfectè ſeruatur: ad tẽperantiã enim pertinet moderari delectationes cibi & potus, ita vt cõſtituat in ipſis debitã mediocritatẽ, quæ cõſurgit ex eo quòd huiuſmodi delectationes ſint ſecundùm menſuram rationis Dicitur. *à Cibo* non autem à potu: tũ quia potus potiùs ordinatur ad diſtributionẽ cibi per corpus & ſanguinis refrigerium; quàm vt per ſe corpus alat. Tũ quia nomine cibi, non veniunt medicinæ, potiones & electuaria, quæ licet nutriant, ſumuntur tamẽ ob infirmitatẽ, & ideò non ſoluunt hoc ieiuniũ. Dicitur *iuxta præſcriptum* &c. hinc vt eo modo fiat, tria requitũtur, *Primò* abſtinentia ciborũ certi generis. *Secundò*, abſtinẽtia plurium refectionũ. *Tertiò*, certa refectionis hora. Ita cõmuniter Doctores D. Th. *c. art.* 1. Sylu. *ibidem.* Leſſi. *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 8. Fagund. *c. cap.* 2. *n.* 1. Bonac. *de præcept. Eccleſ. diſp. vlt. c.* 1. *punct.* 1. *n.* 7. Sanc. *in ſelect. diſp.* 51. *n.* 2. & alij. D. Thom. Sylu. Leſſi. Fagund. Bonac. Sanc.

An autem adſit præceptum ieiunandi; Communis eſt ſententia affirmatiua: Et quia ieiunium ab Eccleſia pro diuerſis temporibus & diebus inſtitutum eſt, ideò ex iure non colligitur vnum commune præceptum ieiunandi, ſed diuerſa pro diuerſis temporibus. Sic habetur tale præceptum ex cap. *Non liceat, c. Non oportet c. placuit, de conſecrat. diſt.* 3. *Quadrageſima, de conſecr. diſt.* 5. & cap. 1. & cap. *Conſilium, de obſeruat. ieiunior.*

Hi textus non condunt nouum ius circa ieiunium, ſed declarant obligationem iam ab Eccleſia impoſitam, & ideo non vtuntur præceptiuis verbis, ſed tantùm declaratiuis obligationis.

Vnde impudenter aſſuerunt hæretici noſtri temporis, ieiunia eſſe libera & ex cuiuſcumque arbitratu ſuſcipienda. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. Sylu. *ibi q.* 1. *concl.* 2. Nauar. *cap.* 21. *num.* 13. & communiter omnes hoc tanquam certum ſupponunt. D. Thom. Syluus. Nauar.

3. Cibi à quibus ex præcepto ſacrorum Canonum eſt abſtinendũ in die ieiunij Eccleſiaſtici, ſunt *primò*. Carnes, & quod attinet ad ieiuniũ Quadrageſimæ, id cõſtat ex cap. *ſtatuimus, diſt.* 4. Quod autẽ attinet ad omnia alia ieiunia, id deducitur ex cap. *de eſu carnium de conſecrat. diſt.* 3. & ex Concil. Gerundenſi *c.* 3. & id cõfirmat conſtans & perpetua traditio Eccleſiæ. Vnde tenendũ eſt, ex inſtitutione Eccleſiæ, abſtinentiam à carnibus eſſe eſſentialem, & neceſſariam pro ieiunio Eccleſiaſtico. Ita D. Thom. *c. art.* 8. Sylu. *ibi.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæſt.* 3. *& cap.* 10. *quæſt.* 6. Sanc. *in ſelect. diſp.* 51. *n.* 4. & alij. Ratio autem eſt, quia ieiunium conſiſtit in abſtinentia ordinata ad macerandum corpus, & proinde debet eſſe abſtinentia à cibo, qui eſt magis guſtui gratus, & qui magis reficit corpus, & ſenſui ſubminiſtrat vires contra rationem; tales autem ſunt ex genere ſuo carnes. D. Thom. Syluius. Tolet. Azor. Sanc.

Nomine autem *carnium* intelliguntur illæ, quæ à piſcibus contra diſtinguuntur, iuxta communem Chriſtianorũ vſum aut medicorũ iudicium, ſecundùm quod iam eſt determinatum, quænam ſit caro prohibita, & quæ non. Quidam doctores, vt Maior *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 10. *q.* 6. Reginald. *l.* 4. *n.* 143. nomine *Piſcium* intelliguntur Maior. Azor. Regin.

ea, quæ

Digitized by Google

ea, quæ non diu viuunt extra aquam: nomine autem carnis volunt intelligi quæ diu viuunt: ſed hæc regula non valet, quia plura, quæ diu viuunt extra aquam, non ſunt caro prohibita in die ieiunij, vt ſunt teſtudines, quæ licet in aqua viuant, naſcuntur tamen etiam extra aquam, & in terra per plures annos viuunt. Limaces etiam viuunt extra aquam, & tamen non ſunt caro prohibita in die ieiunij. Si autem occurrat animal, de quo dubitetur, an ſit caro prohibita, tunc videndum eſt, quibuſnam magis aſſimiletur, an ijs, quorum carnes prohibitæ ſunt, an verò ijs, quæ in ieiunijs conceduntur. Vide Bonacina *de præcept. Eccleſ. diſp. vlt. q. 1. punct. 2. n. 1.* Paſqualig. *in praxi ieiunij deciſ. 67.*

Bonac. Paſqualigus

Secundò, *oua*, ſed tempore Quadrageſimæ, nam extra hoc tempus, iure communi non ſunt vetita, ſed ſolæ carnes: quia in iure nullus textus reperitur, qui prohibeat oua, licet quibuſdam in locis conſuetudo ea non permittat in ieiunijs etiam extra Quadrageſimam, vt in quibuſdam partibus Hiſpaniæ & Galliæ: An autem talis conſuetudo obliget ſub mortali in ijs locis vbi recepta eſt, videant illi quorum intereſt: an introducta ſit ex deuotione, an cum deſtinatione obligationis, de qua Nauarr. *in man. cap.* 21. *n.* 15. Sancius *diſp.* 51. *num.* 18. Sanch. *lib.* 4. *moral.* 11. *num.* 53. Bonac. *c. num.* 2. Lezana *in ſum. v. Ieiunium num.* 3. Paſqualigus *c. deciſ.* 71. Dian. *p.* 2. *tract.* 6. *reſ.* 80. & alij. Vnde non eſt admittenda doctrina Fagund. *c. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. & quorumdam aliorum aſſerentium, ex vi iuris communis, & ſecluſa quacumque conſuetudine alicuius loci aut prouinciæ non eſſe pluſquam veniale, oua comedere in ieiunijs Quadrageſimæ, quia communiter Doctores exponunt in contrarium textum Cap. *Denique, diſtinct.* 4. Licet enim textus ille nullum contineat præceptum, quia inquit Pontifex, *par autem eſt, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam carnis trahũt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, ouis & caſeo.* Quærebat enim *Auguſtinus* Anglorum Epiſcopus à *Gregorio* Papa, an ſicut in ieiunijs quadrageſimæ abſtinendũ eſt à carnibus ita etiam abſtinendũ ſit ab ouis & lacticinijs; quod eſt idem ac ſi dicatur, an præceptum, quod prohibet carnes, extendatur ad prohibenda etiam oua & lacticinia. Ex pontifex reſpondet affirmatiuè: & cùm dicit *Par eſt*, aſſignat conuenientiam, ob quam dicendum eſt, quòd tale præceptum extendatur etiam ad prohibenda oua & lacticinia. Quare cùm ibi Pontifex non conſtituat nouum præceptum, ſed declaret ſolùm extenſionem præcepti iam exiſtentis, non debuit, vti verbis præceptiuis, ſed tantum declaratiuis, quibus talem extenſionem declararet. Et hic eſt ſenſus communis non ſolùm Doctorum, ſed etiam cæterorum fidelium, etiam ipſorum Paſtorum, qui omnes vnanimiter putant oua prohiberi in quadrageſima ſub mortali.

Nauar. Sanc. Sanch. Bonac. Lezana. Paſqualig. Dian. Fagund.

Tertiò ſunt *lacticinia*, ſed iure communi ſolùm tempore quadrageſimæ vetantur, extra illud permittuntur vt dictum eſt de ouis. Conſuetudo tamen quibuſdam in locis illa permittit, etiam in Quadrageſima, exceptis paucis diebus vt in Belgio: vnde in vſu lacticiniorum & ouorum attendenda eſt potius locorum conſuetudo, quàm ius ſcriptum; hæc enim eſt optima legis interpres. Vide Leſſius l. 4. *c.* 2. *n.* 8. Sylueſt. *v. Ieiunum. n.* 15. Rodriq. *tom.* 1. *ſum. cap.* 23.

Leſsius. Sylu. Rodriq.

Sed petes *primò*, an illis diebus quibus licet comedere oua, caſeum & cætera lacticinia, liceat etiam, comedere lardum vel ſagimẽ? Affirmant Gloſſa *in c. presbyter dist.* 82. *Hoſtienſ. in ſum. Rubric.* de *ieiunio* Syluest. *v. Ieiun num.* 16. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 21. Fagund. *cap. n.* 20. & probabilem vocat *Diana* & inſinuat Fagundes. Ratio eſt, tum quia quaſi mutando formam, videtur rei ſubſtantia immutata. Tum quia in dictis diebus nõ prohibetur aliud, quàm caro, ſaginem autem, cùm ſit ſola pinguendo, nõ eſt caro quia illa calore liqueſcit; nõ autẽ caro. vnde potius ſe habet in genere ouorum & lactis, cùm conueniat cum ipſis in eo, quod originem ducat à carne. Paſqualig. *cap. deciſ.* 74. *num.* 4. autem putat ſagimen eſſe licitum, lardum verò minimè: quia non eſt pura pinguedo, ſed caro mixta cum pinguedine valde concocta, vnde pro carne habendum eſt, ſicut etiam habetur ſecundùm communem exiſtimationem. Quod ſi pura pinguedo ſeparetur à partibus carneis, tunc putat eſſe eandem rationem, ac de ſagimine. Cæterum neque hæc ſententia eſt admittenda, niſi vbi conſuetudo eam probaret. Ratio autem eſt, quoniam etſi pinguedo non ſit caro, nihilominus magis accedit ad carnis naturam, quàm vel oua vel lacticinia, ideòque dum interdicitur caro, potiùs cenſetur interdici adeps ſeu pinguedo, quam oua vel lac, vel butyrum, aut alia lacticinia, niſi lex aut conſuetudo recepta aliud habeat. Ita Viuald. *cap.* 15. *de quadrageſ. num.* 37. Filliuc. *tr.* 27. *p.* 2. *num* 61. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 11. Sylu. *in p.* 1. *reſ. verb* Rogationes. & alij.

Gloſſ. Hoſt. Rubric. Diana. Fagund. Paſqualig. Viuald. Filliuc. Henriq. Syluester.

Petes *Secundò*, an quando conceduntur lacticinia, liceat veſci ſanguine animalium? Reſp. negatiuè Paſqual. *in praxi ieiun. Eccl. deciſ.* 75. niſi liceat fortè aut ex aliquo priuilegio, ex conſuetudine. Ratio eſt, quia licet ſanguis non ſit propriè caro, eſt tamen proximè caro, quia eſt in proximo ſtatu, vt conuertatur in carnem, & proinde cenſetur eſſe in eodem genere cum carne, & prohibitus in prohibitione carnis tanquam quid ipſi annexum in eodem genere, & tanquam id, quod moraliter cenſetur caro.

Rogabis *Tertiò*, an in ieiunijs pro Iubilæo, pœnitentia iniuncta, & votiuis, poſſint adhiberi oua & lacticinia? Reſponſio communis eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia quando indicuntur ieiunia aut à Pontifice pro Iubilæo, aut à Confeſſario pro pœnitentia, aut cùm quis ad ipſa ſe obligat per votum, niſi exprimatur aliquis ſpecialis modus ieiunandi, intelliguntur ieiunia ſecundùm conſuetudinem & præſcriptionem Eccleſiaſticã, ſeu ieiunia ſecundùm ſubſtantiam & modum, quo ſolent apud fideles ſeruari: vnde ſi ſolent ſeruari cum ouis & lacticinijs, talia ieiunia erunt ſufficientia pro implenda obligatione impoſita à Pontifice, aut ex quocumque alio capite prouenięte. Ita Dian. *p.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 6. *&* 17. Portel. *in dub. reg. v. Ieiun. in addit. n.* 7. Sanch. *l.* 4. *moral. c.* 11. *n.* 49. *&* 50. Bonac. *c. n.* 6. & alij communiter.

Dian. Portel. Sanch. Bonacina.

Sed difficultas eſt, quando ieiunia votiua, pro lucrando Iubilæo & pro pœnitentia iniuncta coincidunt cum diebus in quibus lacticinia & oua illicita ſunt, vt in Quadrageſima, impleri poſſint adhibendo oua & lacticinia? Reſp. certum eſſe tunc interuenire peccatum mortale contra præceptum abſtinendi à lactitinijs & ouis; ſi illa adhibeantur. An autem tale ieiunium tunc ſufficiat pro implendo voto, pœnitentia iniuncta, & lucrando Iubilæo, controuertitur inter Doctores, alijs negantibus, affirmantibus nonnullis: placet tamen ſententia affirmans: quia hic ex pœnitentia, voto, vel Iubilæo ad ſolum ieiunium eo modo quo eſt ab Eccleſia inſtitutum: tenetur, & ad id, ad quod obligat præceptum ieiunij vt ſic: at præceptum ieiunij non obligat ad abſtinentiam à lacticinijs, ſed eſt diſtinctum omninò præceptum independens à ſecundo. Tum quia in aliquibus locis viget præceptum de ieiunio, & non de abſtinentia à lacticinijs, quod fieri non poſſet, ſi eſſet vnum atque idem præceptum. Ita tenent Angles *in Flor. quæſt.* 9. *de ieiun. art.* 1. *poſt* 7. *diffic. dub* 2. *propoſ.* 3. Sanchez *l.* 4. *moral. cap.* 11. *numer.* 52. *&* 53. Portel. *cap. num.* 8. Paſqualigus *cap. deciſ.* 78. & alij.

Angles. Sanch. Portel. Paſq.

4. Quidam exiſtimant illum, cui conceſſum eſt priuilegium comedendi carnes in die ieiunij, nulla ratione teneri ad ieiunium & conſequenter abſtinere à multiplici refectione, quia abſtinentia à carnibus eſt de ſubſtantia ieiunij, qui autem ſubſtantiam ieiunij ſeruare non poteſt, non tenetur ad ieiunium: hæc ſententia eſt probabilis, quam tenent Azotius *tom.* 1. *l.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 3 Paſqualig. *deciſ.* 167. Sanch. *diſp.* 51. *num.* 4. Tolet. *l.* 6 *cap.* 3. Dian. *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 25. Sed melius alij diſtinguunt: aut conceſſum eſt priuilegium comedendi carnes ob debilitatem naturæ, quæ indiget meliori alimento & multiplici refectione; aut conceſſum eſt ob odium ſeu nauſeam vel damnum piſcium: ſi ratione primi detur, non tenetur ieiunare ſeu abſtinere à multiplici refectione: ſi vero ratione ſecundi, tenetur adhuc ieiunare, & non poteſt pluries refectionem ſumere: quia hoc priuilegium cenſetur odioſum, vtpote, contra ius commune, & conſequenter ſtrictè explicandum eſt, niſi fortè abſolutè concedatur, vt regulariter loquendo concedi ſolet. Ita Leſſ. *cap. dub.* 6. *num.* 45. Nauar. *cap.* 21. *num.* 22. Sà *v. ieiun. num.* 21. Reginald. *l.* 4. *n.* 168. & alij apud Paſqualigum citatum.

Azor. Sanc. Toler. Diana. Leſſ. Nauar. Sà. Regin.

Quando alicui carnes prohibentur, non ideo illi prohibetur eſus ouorum vel lacticiniorum, niſi aliter exprimatur, quia ſunt res diſtinctæ, quarum vna prohiberi poteſt, alia

non prohibita & vna concedi poteſt,alia non conceſſa.

Item habens licentiam edendi carnes in Quadrageſima, poteſt licite oua & lacticinia comedere: Ratio autē eſt, quia cui conceſſum maius eſt indultum eſt etiam minus eiuſdem generis. Tum quia prohibitio carnium inducit maiorē abſtinentiam,quàm prohibitio ouorum,& lacticiniorum;& vſus lacticiniorum mediat inter vſum carnis & piſcium: ſi quis igitur per diſpenſationem transfertur ab vſu piſcium ad vſum carnis,à fortiori transfertur etiam ad vſum lacticiniorum,tanquam ad id,quod mediat,& eſt quid minus. Ita Sāncinus *in ſelect. diſp.*51.*n.*17. Azorius *c.lib* 7.*c.*10. *queſt.*a.4. & 5.Paſqualig.*c.deciſ.*48.Reginald.*lib.*4. *num.*145. & 171. & alij.

Sancius. Azor. Paſqualig. Reginald.

Similiter qui ex diſpenſatione comedit carnes, quando ipſæ prohibentur, poteſt ſimul etiam edere piſcea, quando non inde prouenit aliquod damnum Quia piſces de ſe ſunt liciti in illis diebus, in quibus prohibentur carnes;& diſpenſatio facit licitas carnes, nec prohibet piſces. Ita Diana *part.* 1.*tract.* 9. *reſ.* 26. Lezana *v. Ieiunium n.* 11. Facund. *prac.* 4. *lib.* 1.*cap.* 2. *n.*18.

Diana, Lezana, Fagund.

Diſpenſatus ad carnes pro aliquibus tantùm diebus, non poteſt in ceteris ijs vti,quia præceptum ſemper vrget, quādo non obſtat diſpenſatio,vnde cùm diſpenſatio ſit coarctata ad certos dies, cæteris diebus vrgebit præceptum, & obligabitur ad ieiunium, niſi infirmitas aut debilitas excuſet.

Diſpenſatus autem ad carnes pro tribus aut quatuor diebus in hebdomada, poteſt ſibi eligere, quos voluerit, exceptis tamen diebus Veneris & Sabbati, qui numquam poſſunt eligi, quando adſunt alij dies, pro quibus poteſt inſeruire diſpenſatio; ex dictis collige quòd diſpenſatus ad edendas carnes, vnica vice pro ſingulis diebus, ſiue in prandio, ſiue in cœna, non poterit altera vice comedere carnes, quia præceptum abſtinendi à carnibus eſt negatiuū obligans pro ſingulis momentis, vnde cùm diſpenſatio ſit coarctata ad vnicam vicem, remanet præceptum obligans ad abſtinentiam pro cæteris vicibus. Ita Sanchez *in ſelect. diſp.* 31.*nn.* 14. & 15. Beja *p.* 1. *caſ. conſ. caſ.*45. *ver. Tum quia.*

Sanchez. Beja.

Diſpenſatus in quadrageſima ad oua, & lacticinia comedenda,non eſt diſpenſatus à ieiunio:quia comeſtio ouorum & lacticiniorum,non ſoluit ſubſtantiam & formam ieiunij Eccleſiaſtici, vt conſtat in ieiunijs extra Quadrageſimam, in quibus lacticinia non ſunt prohibita. Vnde *Pius V.* in *Bulla Cruciatæ* declarauit, quòd ieiunium ſtat cum ouis & lacticinijs. Ita Syluiuius 2.2.*quaeſt.* 147.*art.*4. Sanchez *lib.*4. *moral.cap.* 11 *num.*49 Llamas 3. *part.method.cap.*5.§ 26.& alij communiter: Imò cùm forma ieiunij Eccleſiaſtici ſit præſcripta ab Eccleſia, poteſt à Summo Pontifice determinari alia forma ieiunij, vnde poteſt etiam diſpenſare cum aliquo, vt veſcendo carnibus ieiunet; ita vt forma ieiunij conſiſtat tantùm in vnica comeſtione abſque delectu ciborum.

Syluest. Sanch. Llamas.

5. Iuxta ante dicta; qui voluit aliquo die ieiunare, aut cui indictum eſt ieiunium à Confeſſario, vel à Papa tempore Iubilæi, extra quadrageſimam, poteſt veſci lacticinijs aut alijs cibis, qui iuxta locorum conſuetudinem permittuntur in Quatuor Temporibus anni,& peruigilijs Sanctorum. *Sed dubium eſt*, an quando quis vouit abſtinere ab ouis & lacticinijs, teneatur etiam abſtinere à carnibus? Reſp. omiſſis varijs ſententijs probabilius eſſe non teneri, quia huiuſmodi votum habet pro obiecto peculiarem ſpeciem abſtinentiæ,nempe à tali cibo: vnde non debet extendi ad aliam ſpeciē abſtinētiæ,quæ ſit maior & magis afflictius; quia talis maior afflictiu non fuit de intentione vouentis. Nec obſtat, quod oua, & lacticinia originem trahant à carnibus: quia cùm non ſint in genere carnium, non ſunt pars carnis: nec talis origo ſufficit, vt abſtinentia ab ipſis trahat ſecum ex natura rei abſtinentiam à carnibus. Ita Sanch.*c.n.* 46.Bonac.*to.*2.*d.*4.*q.*2 *punct* 6.*n.*17. Dian.*p.*1.*tr.*9.*reſ.*22. *in fine.* Qui vouit abſtinere à carnibus,tenetur etiam abſtinere à iure carnium. Ratio eſt,quia talis vouens non reſpicit carnes materialiter, ſed vt cibū optimè nutritiuum, vnde promittit ſubtrahere proprio corpori illam nutritionem; quam conferunt carnes. In hoc autē includitur abſtinentia etiam a iure,quia ius carnis præbet eandē nutritionem, quam præbet caro ratione ſubſtātiæ carnis,ipſi immixtæ,& in ſubtiliſſimas partes reſolutæ, Lunita tamen,niſi vouens expreſſam intentionem,habuerit ad id non ſe obligandi,& licet occurrens memoriæ exciperet, Ita Sanch. *c. n* 48. Paſq.*c.deciſ.* 57. Bonac. *to.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 23. & poſt illum.

Sanch. Bonac. Dian. Sanch. Paſq. Bonac.

6. Ieiunij præcepto ſatisfacit, qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem, per ſolùm non ſentiat,nec carnis vitia comprimat,ſed potius libidinem excitet,& foueat;modò à cibis in die ieiunij vetitis abſtineat, nec plures refectiones ſumat. Ratio eſt quia ille dicitur præcepto ſatisfacere, qui præſtat id quod præceptum eſt, & finis præcepti non cadit ſub præcepto. Couar. 4. *variar. cap.* 20. *n.* 11. Regul. 4. *n.* 163. Medin. *C. de ieiunio q.* 9.

Couar. Regul. Medin.

Exinde rogabis, an poſſint non ieiunare, qui ieiunando ſentiunt grauiores carnis ſtimulos, quàm non ieiunando. Reſponſio eſt negatiua, ſed adhuc teneri ad ieiunium; quia ieiunium non eſt cauſa,quòd ſentiantur tales ſtimuli ſed potius macerat carnem, & cohibet ſtimulos, vnde huiuſmodi tentationes per accidens ſequuntur, & vinci poſſunt alijs medijs,quàm omiſſione ieiunij. Ita Sāch.*l.*5. *conſil.c.* 1. *dub.* 11.Bonac.*de precept.Eccleſ.diſp.vlt.q.*1.*punct.vlt.n.*15.Filliuc.*tr.*27.*p* 2.*c.*6.*q.*9.& alij: qui etiam notant,quòd cùm his facilè poteſt diſpenſari;quia adeſt ſufficiens cauſa ad diſpenſandum; tendit enim hæc diſpenſatio in bonum diſpenſati & fundatur etiam in voluntate præſumpta legiſtatoris:quia nimirum in hac particulari perſona per accidens lex ſortitur oppoſitum finem Addit tamē Paſqualic. *in praxi ieiunij Eccl. dec.*342. quòd ſi tales ſint carnis ſtimuli, vt ob debilitatem perſonæ ſequatur frequenter caſus illius,tunc deſinere obligationem præcepti, quia in tali caſu quod præcipitur, licet per accidens, eſt tamen cauſa ruinæ ſpiritualis: imò ſi carnis ſtimuli ſint adeo vehementes, licet non ſequatur ruina ſpiritualis; vt generent notabilem inquietudinem, & ob ipſos vincendos impediatur ieiunans à conſuetis exercitijs licitis; non ſobligaret præceptum ieiunij, quia non obligat cum notabili incommodo.

Sanch. Bonac. Filiuc. Paſqualig.

7. Adueniente neceſſitate comedendi cibos vetitos die ieiunij, per ſe loquendo, non eſt petenda licentia, modò neceſſitas ſit euidēs & certa;quia obligatio legis tollitur ob ſuperuenientē neceſſitatē:ex quo conſtat quòd quando ſtante cauſa euidenti petitur diſpēſatio, talis diſpenſatio nihil operatur,quo ad tollendā obligationem,ſed ſolùm quoad quandam iuſtificationem pro exteriori apparentia: vnde ratione ſcādali vel alterius circumſtantiæ,fieri poſſet,vt licentia petenda eſſet.proinde quando confeſſarius vel alius vir prudēs iudicat adeſſe cauſam ſufficientem ſoluendi ieiunium, non eſt neceſſaria diſpenſatio ſuperioris, quia ſtante tali iudicio cauſa ſit de ſe excuſans à ieiunio, atque adeo ſoluēs obligationem legis. D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.*4. *in corpore* Sylu. *ibid.* Nauar.*c.*21.*n.*1.Sanc. *in ſelect.diſp.*54.*n.*36. Leſſ *l.*4. *c.*2. *dub.*6. *n.*45. & alij.

D. Thom. Sylu. Nauar. Leſſ.

In dubio autem de ſufficientia neceſſitatis,petenda eſt diſpenſatio ab Epiſcopo, vel Prælato; nam diſpenſatio debet aliquid operari,nihil autē operaretur, ſi requireretur cauſa certa nam tūc abſque diſpenſatione ceſſat obligatio legis vt iam diximus. Ita D.Thom. 2. 2. *qu.*147.*a* 4. Nau.*c.*21.*n.*20. Sylu.*v.Ieiun n.*20. aſſerens de cōmuni Quando autē dubiū eſt, an cauſa ſufficiat pro diſpenſatione,quidam putant tunc debere Prælatum,ſeu ſuperiorem partim diſpenſare partim cōmutare in aliud opus bonū. Ita Lezan.*in ſum.v. Ieiunium n.*10.Sanch.l.5.*conſ.c.*1.*dub.*5.*n.*26.& alij mihi tamē dicendum videtur,quod ſi ſuperior diſpenſat in propria lege, poteſt diſpenſare,quando dubium eſt,an cauſa ſufficiat pro diſpenſatione; qua ſi poteſt in propria lege diſpenſare abſque cauſa,vt diximus ſupra *verb.Diſpenſatio n.*15.à fortiori poterit diſpenſare etiam quando dubitatur, an cauſa ſufficiat pro diſpenſatione.Si verò diſpenſandum ſit in lege ſuperioris, adhuc poterit diſpenſare, quia eſt in poſſeſſione diſpenſatiuæ poteſtatis, & in dubijs fauendum ſit poſſeſſori. Demum debent Prælati & ſuperiores faciles ſe præbere cum ijs,qui petunt diſpenſationem in ieiunio,nec eos relinquere propriæ ipſorum conſcientiæ, vt monent communiter Doctores.

D. Thom. Nauar. Sylu. Lezana. Sanchez.

Parochus autem ſecundùm quoſdam Doctores, non poteſt diſpenſare in ieiunio præſente Epiſcopo vel eius vicario. Alij verò communiter tenent, poſſe, ratione conſuetudinis: nam conſtat, quòd vbique conſuetudo viget, quòd Parochi diſpenſent in ieiunio, idque introductum eſt conſentientibus etiam Epiſcopis, quia licet ſint præſentes, non tamen

tamen acceſſus ad ipſos ſeu eorum vicarios, eſt ita facilis; præſertim hominibus infimæ conditionis, & extra ciuitatem degentibus, vt quando opus eſt, haberi poſſint. Conſuetudo autem, & præſcriptio dant iuriſdictionem ijs, qui ſunt capaces ipſius. *Cap. cum contingat, de foro competent.* Ideò modò Parochi iuriſdictionali modo diſpenſant in ieiunio, tanquam ſuperiores habentes iuriſdictionem ſpiritualem. Ita D. Thomas 4. *d.15.q.3. art.2. qu.4 ad 3.* Nauar. *cap.21.num.21.* Sanc. *diſp.54. num 36.* Sanch. *l.8. de matr. diſp.9.num.27. & l.5.conſ.cap.1. dub.5.* Sylu.2.2. *quæſt.147. art.4.* & alij: Vicarij autem Parochorum poſſunt etiam diſpenſare in ieiunio, vt notauit *Sancius* citatus, quia exercent actus iuriſdictionales parochiales, & proinde tenent etiam facultatem diſpenſandi in ieiunio, niſi id ipſis à Parocho prohibeatur. Hæc tamen diſpenſatio, cùm ſit in lege ſuperioris, ſiue ſit iuris communis, ſiue Diæceſana, debet tantùm concedi ex rationabili cauſa, alioquin erit inualida, vt conſtat ex dictis ſupra *verb. Diſpenſatio num.9.* vbi plura de hac materia, nec modo repetenda.

D. Thom. Nauar. Sanc. Sylu.

De neceſſitate autem comedendi cibos vetitos in diebus ieiuniorum, debent iudicare medici; qui cauti debent eſſe in concedendis licentijs ad carnis edandæ vſum; nec abſolutè facultatem exhibeant, quando infirmo ſat eſt limitata: Aliàs erunt medici rei fractionis duplicis præcepti, ieiunij ſcilicet, & carnis abſtinentiæ, niſi adſit cauſa excuſans à ieiunio, & non ab abſtinentia carnium, nam tunc eſſet vnum peccatum; ſi tamen adeſſe cenſeatur cauſa, bona fides medicum excuſaret. Si autem dubium ſit, an adſit, adhuc poterit concedere licentiam, ne infirmus periculo exponatur. Aliàs medicorum conſilia diuinæ cognitioni ſæpe ſunt contraria, quia nec ieiunare, nec flere, aut conſimilia ſinunt, vt optimè decernitur in *Cap. Contraria, de conſecrat. diſt.5.* Proinde infirmus cui declaratum eſſet à medico non indigere ad præcauendam ægritudinem, quotidie carnibus veſci in Quadrageſima, ſed tertio die nequit illo die quo à carnibus abſtinendum eſt, illis vti, ſed potius ad ieiunium eſt conſtrictus. Notandum tamen quòd medici non debent eſſe nimis cauti, ne dum ieiunio fauent, noceant proximo. Sed cautio in eo debet conſiſtere, quod non concedant licentias irrationabiliter. Vide Sancium, *in ſelect.diſput.41.num.16.* Sanches *l.4. moral. cap.11.num.57.* Tolet. *l.6.cap.4 num.5.* Paſqualigum *in praxi ieiunium Eccleſiaſt. deciſ.378.* & alios ab ipſis citatos.

Sanch. Sanch. Paſqualig.

Confeſſarius non poteſt diſpenſare de ieiunio, niſi adhoc deputetur ab habente facultatem diſpenſandi. Ratio eſt, quia diſpenſatio in ieiunio eſt actus iuriſdictionis in foro exteriori, confeſſarius autem non habet iuriſdictionem in foro exteriori: ergo. Poterit tamen confeſſarios declarare, an cauſa ſit ſufficiens ad non ieiunandum, & hoc pacto interpretari legem, quòd tunc non obliget: idem dicendum de quocumque viro prudenti. Siquidem hoc ſpectat ad iudicium prudentiale. Bonac. *diſput. vltim. de prac. Eccleſiaſt.qu.1.punct.vltim. nu.18.* Tolet. *leg.6. cap.4. num.5. Paſqualigus cap. deciſ.389.*

Bonac. Tolet. Paſqualig.

Pius IV. 21. Ianuarij 1563. conceſſit, vt ſuperiores Societatis Ieſu, & de eorum licentia alij etiam confeſſarij eiuſdem Societatis poſſint diſpenſare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis, & coniugibus Patrumfamilias hæreticorum, vt poſſint veſci carnibus, ouis, & lacticinijs ſine ſcrupulo, quando ij, quibus ſubſunt, negant cibos quadrageſimales.

Item conceſſit, vt ijdem poſſint diſpenſare in Germania ſuperiori circa ieiunia, cum ijs, qui ad ieiunandum totam Quadrageſimam in illis partibus adduci non poſſunt. Sed id fieri voluit cum prudenti iudicio, & alicuius boni occaſione, aut propoſito, ne diſpenſatio in diſſipationem conuertatur, & vt habeatur conſenſus Ordinarij, ſeu Prælati, vel ipſius Vicarij, ſaltem ſemel pro ſemper. *Ex Append. ad lit. Apoſtolicas pro Societ. Ieſu.* Sed quia hæc priuilegia ſunt viuæ vocis oraculo tantùm conceſſa, non licet illis modò vti, quia ſunt reuocata, & annullata per Conſtitut. Vrbani VIII. *Aliàs Felicis*, de qua infra verb. *Priuilegium 1. num.8.*

An ſuperiores regularium poſſint diſpenſare in ieiunio? dicendum eſt, quòd ſic? vt diximus ſupra *verb. Abbas num.10.* & dicemus infra *v. Ieiunium 11. num.12.*

8. Secundum requiſitum ad eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici, eſt abſtinentia plurium refectionum, ita vt intra ſpatium diei naturalis, non niſi ſemel corpus reficias; & hoc probari poteſt ex omnium conſenſu, & teſtis eſt ipſa conſuetudo. Conueniunt autem omnes, potum liquidorum, quæ tamen habeant rationem cibi, vt vis. lac, & alia huiuſmodi ſoluere ieiunium, ſi in notabili quantitate ſumantur extra prandium, & refectiunculam, quia per ſe primò huiuſmodi liquida ordinantur ad nutriendum. Difficultas eſt, de potu vſuali, vt eſt potus aquæ, ceruiſiæ, & aliorum, quæ communiter ordinantur ad extinguendam ſitim. Quidam volunt potum vini ſoluere ieiunium, præſertim ſi mane adhibeatur, quia nimirum nutrit. Ita Alenſis *part.4.qu.104.memb.1.art.3.* Alij dicunt, licere ſumere potum, quando cibus eſt indigeſtus, quia tunc potus non adiuuat, ſed impedit digeſtionem Caiet. 2.2. *q.147. art.6. ad 2.* & alij.

Alenſis. Caiet.

Sed dicendum eſt, *Primò* cum communi omnium ſententia, quæ conſuetudine firmatur, potus ſumptionem quamuis crebriorem non vetari: quia potus ordinatur potius ad cibi per corpus diſtributionem, & ſanguinis refrigerium, quàm vt per ſe corpus alat. Quod eſt verum, etiamſi potus in magna quantitate, & vltra neceſſitatem ſumatur, quia poteſt quidem in hoc delinqui contra temperantiam, non autem contra ieiunium. Ita D. Thom. *ſecunda ſecundæ qu.147. artic.6.* Leſsius *lib.4. cap.2. dubita.2 nu.10* Nau. *cap.21. num. decimotertio.* Paſqualig. *c. deciſ.116.* & alij communiter. Quia prohibitio cibi extra prandium, & refectiunculam non eſt extendenda ad potum, cùm potus non ſit cibus.

D. Thom. Leſsius. Nauar. Paſqualig.

Sed dubium eſt, ſi potus vini ſumatur non ad ſedandam ſitim, ſed potius ad expellendam famem, an violetur ieiunium? Affirmant D. Thomas 4. *diſt.15. qu.3.art.4. quæſt.1.* Syluius, 2. 2. *quæſt.147. art.6.* Reginaldus, *lib.4. num.153.* & alij probabiliter, maximè ſi potus ſit valde nutritiuus: quia tunc potus ſumitur per modum cibi, cùm ſumatur in eum finem, in quem ſumitur cibus. Alij tamen probabiliùs docent, & meritò non ſolui ieiunium, etiamſi ſumatur in magna quantitate. Ratio eſt, quia Eccleſia non interdicit potum, atque adeo nec etiam effectum ipſius: vnde nutritio illa, quæ prouenit ex potu, non eſt prohibita, ſicuti eſt prohibita, quando prouenit ex cibo, quia cibus eſt prohibitus. Atque adeo intendens talem nutritionem non facit contra præceptum ieiunij, quia non intendit ipſam, niſi vt prouenientem ex actu licito. Ita Nauarrus, *cap.num.13.* Angles *q.9. de ieiunium art.2. difficult.2.* Layman *lib.4.tractat.8.cap.1. num.7.* Diana *pars.1 tract.9. reſol.23.* Lezana *v. Ieiun. num.2.* alij multi.

D. Thom. Syluester. Regin. Nauarr. Angles. Layman. Dian. Lezana.

Secundò, non prohibetur etiam in diebus ieiunij vſus electuariorum, & conditorum: quia non ſumuntur vt alimenta, ſed vt medicamenta, niſi quis hæc ſumat in magna copia in fraudem ieiunij, aut pluries, quàm neceſſitas exigat. Imò nonnulla bellaria eodem modo adhiberi poſſunt abſque violatione ieiunij, ſiquidem ſunt apta, vt præſeruent bonam diſpoſitionem corporis. Et eadem eſt ratio de fructibus ſiue recentibus ſiue ſiccis, quando iuuare poſſunt ſalutem corporalem; quia tunc habent rationem medicinæ. Item ante, vel poſt prandium licet edere pomum, vel pyrum, aut quid ſimile ad ſedandam ſitim, modò pomum, vel pyrum non ſit tantæ quantitatis, vt inſeruiat pro comeſtione, & non pro ſedanda ſiti tantùm. De his vide Fagundes, *præcept.4. lib.1.cap.4.* Lezanam, *cap. num.4.* Filliucium, *tractat.27.part 2.num.43.* Paſqualigum *cap.deciſ.133.& 135.* & alios.

Fagund. Lezana. Filliuc. Paſqualig.

Excuſantur etiam Lectores, & miniſtri menſæ in monaſterijs aliquid præſumentes: quia illud eſt inchoatio quædam prandij, & illa interpoſitio temporis fit ex iuſta cauſa, ne vires notabiliter debilitentur: nec cenſetur interrumpi moraliter prandium, quia communicant inſeruiendo, aut legendo cum eodem prandio, ſiquidem vacant actioni, quæ eſt pars illius prandij Sylue. *c.ar.6.q.1.concl.1.* Leſſius *lib.4 c.2.dub.2.nu.11.* Diana *p.4.tr.4.reſol.142.*

Syluester. Leſsius. Dian.

Item cantores poſſunt in die ieiunij primo mane aliquid cibi ſumere, vt habeant vocem aptam ad canendum: quia quod tunc ſumitur, ordinatur ad conſeruandam vocem pro conſueta functione canendi, nec habet rationem cibi

per ſe primo ordinati ad nutriendum, ſed medicinæ, ordinatæ ad conſeruationem, ſeu præſeruationem. Res tamen quæ tunc ſumitur debet eſſe apta ad conſeruandam vocem, quæ ſe habeat per modum medicinæ: Idem à fortiori licebit Concionatoribus, quia ieiunium non debet impedire munus ipſorum, nec quæ ſunt neceſſaria pro ipſo exercendo, qualis eſt vox. Ita Filliucius, *c. c.2. num.* 37. Paſqualig. *cap. deciſ.* 132. Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7.

Filiuc. Paſqualig. Sanch.

Porrò quando bibitur per diem in ieiunio extra prandium & refectiunculam, licet aliquid cibi ſumere, ne potus noceat, quia concedens aliquid cenſetur etiam concedere omnia ſine quibus ipſum commodè obtineri non poteſt: vnde cum Eccleſia in ieiunijs concedat potum per diem, cenſetur etiam concedere ea, quæ neceſſaria ſunt, ne potus noceat, atque adeo aliquid cibi: Et hoc nedum ſemel in die, ſed pluries, quoties contigit bibere licitum eſt; modò non fiat in fraudem ieiunij, vt ſi quis biberet, non ob ſitim ſedandam, ſed vt poſſet ſumere illud parum cibi: ſi enim cibus in ordine ad potum ſumptus pluries perueniat ad notabilem quantitatem, frangitur ieiunium cum peccato mortali, ſecus autem, ſi ſiſtar intra paruitatem materiæ. Ita Layman. *l.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num* 7. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 24. Bonacina *c. punct.* 3. *num.* 4. Fagund. *cap.* 4. *num.* 14.

Layman. Diana. Bonac. Fagund.

Sed petes *Primò*, quænam paruitas materiæ excuſet à fractione ieiunij? Reſp. cum Turrian. *in ſum. p.* 1. *cap.* 256. *dub.* 27. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 11. quantitatem duarum vnciarum communis cibi, non ſufficere ad peccatum mortale. Ratio eſt, quia ſi quantitas collationis ſerotinæ in ieiunio reducenda eſt ad quartam partem quantitatis cœnæ ordinariæ, ſicut probabiliter aſſerunt Reginal. *lib.* 4. *c.* 14. *n.* 185. Layman *c. n.* 9. Filliuc. *tr.* 27. *p.* 2. *num.* 33. Ergo quantitas materiæ non frangentis ieiunium, reducenda eſt ad quartam partem quantitatis collationis ſerotinæ, quæ erit vnciarum duarum. Quantitas autem cibi quæ ſingulis vicibus ſumi poteſt per diem, ne potus noceat, eſt fruſtulum panis, duæ nuces, aut quid ſimile in proportionata quantitate; talis enim quantitas eſt exigua, ſed ſufficiens, vt potui in ſtomacho commixta impediat ipſius nocumentum. Ita doctores paragrapho præcedenti citato.

Turrian. Dian.

Reginald. Layman. Filiuc.

Petes *Secundò*, an etiam in comeſtione carnium in die ieiunij detur paruitas materiæ excuſans à mortali? reſponſio eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia licet præceptum Eccleſiæ de non veſcendis carnibus in Quadrageſima & alijs diebus ieiuniorum ſit negatiuum, etiam præceptum naturale de non furando, negatiuum eſt, ergo ſicut in hoc excuſat à mortali paruitas materiæ, ita in illo: non enim eſt maior obligatio præcepti poſitiui, quàm naturalis. Ita Sanches *lib.* 2 *moral. c.* 8. *n.* 17. Tãnerus 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 3. *n.* 93. Bonacin. *diſp. vlt. de præcep. Eccleſiæ quæſt.* 1. *part.* 2. *num.* 2. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 43. & *part.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 32. qui nouiſſimus ex *Antonio de Leone*, ait, paruitatem materiæ ſe extendere ad illam quantitatem, quam ſolent ſumere coqui & pincernæ ad prægustandos cibos: vnde ſi excedat, non eſſe amplius materiam paruam. Paſqualig. *in praxi ieiuny Eccleſiaſt. deciſ.* 42. autem dicendum videtur, quòd moraliter penſanda ſit paruitas materiæ, ita vt illa cenſeatur paruitas materiæ, quæ moraliter non ſufficit, vt quis dicatur refici per talem cibum: vnde putat poſſe aſſignari dimidiam vnciam circiter & moraliter ponderatam: quia hæc quantitas parum nutrimenti poteſt afferre, & proinde per tam paruam quantitatem non poterit dici quòd quis reficiatur carne. Et ex eo colligit cum *Bonacina*, comedentem carnem in parua quantitate non incidere in caſum reſeruatorum, vbi comeſtio carnis in diebus ieiuniorum eſt peccatum Ordinario reſeruatum. Item hæreticum internum comedentem carnes die prohibito in hac parua quantitate, non per hoc fore hæreticum externum, atque adeo nec incurrere pœnas latas contra hæreticos externos: quia talis comeſtio cùm de ſe non ſit actio externa peccaminoſa mortaliter, non poteſt eſſe ea, cui tanquam hæreſi externæ imponitur excommunicatio, cùm hæc imponatur tantùm pro peccato mortali externo explicante internum.

Sanch. Tannerus. Bonac. Diana.

Paſqualigus

Præterea infertur, quòd intendens initio Quadrageſimæ ſumere carnem ſingulis diebus in paruitate materiæ, non peccat mortaliter: quia quælibet illarum comeſtionum de ſe continet tantùm peccatum veniale; vnde etiam omnes ſimul continent ſolùm peccatum veniale, quia manent ſeorſim, nec continuatur aliquo modo, ita vt induant rationem vnius moralis comeſtionis, quia obligatio non comedendi carnes eſt affixa diei, ita vt ſinguli dies habeant ſingulas obligationes, vnde tranſacto die, ceſſat etiam obligatio. Deinde nunquam interuenit integra materia prohibita per huiuſmodi præceptum, nempe refectio per carnes, quia cùm ſingulis diebus ſumantur carnes in paruitate materiæ, nunquam verificatur, quod adſit refectio per carnes: vt dicemus infra *verb. Peccatum* 1. *num.* 9. Et præter Doctores ibi citatos hanc ſententiam ſuſtinent *Merolla, Sotus, Angles*, quos citat & ſequitur Paſqualigus *cap. deciſ.* 43.

9. Quamuis vnica refectio in die ieiunij præcipiatur non tam iure canonico, quàm conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ: cum hac tamen vnica comeſtione, ex conſuetudine quæ moribus vtentium comprobata eſt, collatiuncula veſpertina licita eſt, vt omnes communiter docent, modò non excedatur in quantitate, quia illa non dicitur refectio, ſed refectiuncula: & hoc verum, quamuis ſumatur non ſolùm ne potus noceat, vt olim, ſed etiam alendi cauſa & abſque potu, vt docent Nauarrus *cap.* 21. *numer.* 13. Medina *C. de ieiunio quæſt.* 8. Sylueſter, *verb. Ieiunium num.* 10. Lublinus *part.* 1. *ſumm. verb. Ieiunium numer.* 3. Toletus *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 5.

Nauar. Medin. Syluest. Lublinus. Tolet.

Menſura autem huius collatiunculæ veſpertinæ, eſt, quam pro varietate locorum & perſonarum conſuetudo recepta tenet: hinc aliqui volunt, quòd quilibet in ratione quantitatis cibi, ſit ingenuus arbiter & ſincerus index ſui actus ad pondus Sanctuarij, hoc eſt timoris Dei, & candidæ, non ſcrupuloſæ conſcientiæ: omnia enim illam moraliter iuxta moralem æſtimationem ſunt expendenda, nec ad mathematicas menſuras confugiendum. Verùm relinquere quantitatem veſpertinæ refectiunculæ indeterminatam, hoc eſſet inuoluere conſcientiam ſcrupulis infinitis, & daret occaſionem, vt plures nimium ſibi indulgeant, ſibi facilè perſuadentes, quò maiori quantitate indigeant. Et licet ſpeculatiuè loquendo vero ſit ſententia affirmans, quantitatem cibi in refectiuncula veſpertina menſurandam eſſe iuxta regionis conſuetudinem, vt docent Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 1. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Caietanus *v. Ieiun.* Nauarrus *num.* 13. Bonac. *c. punct.* 3. *num.* 2. Lezana *in ſum. v. Ieiunium num.* 4. & alij multi; ad praxim tamen vix deſeruire poteſt: quia non conſtat de quantitate determinata per conſuetudinem: nam viri timoratæ conſcientiæ etiam in eodem loco non conueniunt, nam alij plus, alij minus ſumunt, vel quia ſunt diuerſæ complexionis, vel quia magis, vel minùs rigoroſè ieiunia ſeruant, vel ex aliqua alia cauſa. Vnde ad repellendam incertitudinem in quanam quantitate quiſquis debeat ſumere veſpertinam refectiunculam, placita Doctorum in ſequentibus apponemus.

Diana. Leſſ. Caietanus. Nauar. Bonac. Lezana.

Quidam docent quartam partem cœnæ poſſe ſumi in veſpertina refectiuncula: quia in cæteris rebus quarta pars cenſetur modica, vt in omiſſione miſſæ, in omiſſione horæ canonicæ: vnde etiam in iure modicum ſumitur pro quarta parte. Ita Reginaldus *lib.* 4. *num.* 185. Layman, *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Filliucius *tract.* 27. *part.* 2. *num.* 33.

Regin. Layman. Filliuc.

Sed hæc ſententia pluribus Doctoribus non placet, Turrianus *in ſelect. centur.* 2. *dub.* 94 Dian. *part.* 1. *tra* . 9. *reſ.* 1. enim vocat illam ſcandaloſam, temerariam & contrariam bonis moribus. Diana autem eam nimis laxam vocat, qui tamen concedit octo vncias pro refectiuncula veſpertina quæ vt plurimùm eſt quarta pars cœnæ. Si opinio hæc *Reginaldi* & aliorum poſſet vniuerſaliter ad praxim deduci probabilis eſſet, ſed quibuſdam nimium cibum concedit, & alijs minimum: qui enim parce cœnant, non debent adſtringi ad quartam partem cœnæ in refectiuncula ſerotina, quia quòd quis parcus ſit in cœna, non debet ipſi præiudicare in ieiunio, quaſi teneatur vti minore quantitate in cœnula. Qui autem plurimùm comedunt in cœna, non poſſunt ſumere quartam partem in refectiuncula; quia quarta illa pars cenſeretur communis & regularis cœna. Itaque iuxta Paſq. *c. dec.* 90. prædicta opinio poteſt tantum habere locum reſpectu eorum, qui conſueuerunt ſumere cœnam moderatam, quia tunc quarta pars, eſt quid modicum non ſolùm reſpectiuè ad totam cœnam, ſed etiam in ſe.

Turrian. Dian.

Paſqualig.

Aliqui aſſignant quantitatem duarum aut trium vnciarum. Ita Graſſijs *p.* 1. *l.* 2. *cap.* 37. *num.* 29. quæ tamen opinio commu-

Graſſijs.

Digitized by Google

communiter ab omnibus nimis rigoroſa cenſetur:& conſuetudo eſt in contrarium. Alij verò ampliant quantitaté refectiunculæ vſque ad quatuor vncias. Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 8. quæſt.* 8. Sà *v. Ieiun. num.* 8. Lezana *ibi, num.* 4. Sed horum quoque opinio rigoroſa cẽſetur à quibuſdam, quia quatuor vnciæ ita aliquid modicum ſunt, nec ſufficiunt, vt plurimum, vt faciant tolerabilem macerationem ieiunij. Itaque alij adhuc eam ampliant dicentes poſſe pertingere vſque ad ſex vncias, Filliucius *tract. 27. par. 2. n.* 32. Fagund. *precept. 4. lib. 1. cap. 4. n.* 13. Diana *part. 1. tract. 9. reſol. 1.* Sãc. *diſp. 52. n. 7.* & alij. Hæ duæ poſteriores opiniones, à recentioribus admittuntur vt probabiles, ita vt quælibet ipſarum ad praxim tuta conſcientia reduci poſſit, ſex, aut ſeptem aut etiam octo vncias ſumendo, prout quiſque ſuæ complexioni neceſſarium putauerit.

Azor. Sà. Lezana. Filliuc. Fagund. Diana. Sanch.

In vigilia Natiuitatis Domini, in locis vbi adeſt conſuetudo, poteſt ſumi refectiuncula in maiori quantitate conſueta: quia ſicut Eccleſia in die Natiuitatis, ſi ſit dies veneris, aut Sabbati, concedit ad lætitiam feſti, vt poſſint fideles edere carnes: ita etiam ieiunium vigiliæ erit ieiunium lætitiæ: & vigilia vt quid acceſſorium ſequitur conditionem feſti, & participat in prærogatiuis ipſius, ſalua tamen ſubſtantia vigiliæ. Ita Azorius *cap. quæſt.* 8. Sanchez *c. num.* 10. Diana *cap. reſol.* 35. Fagund. *cap. num.* 19. Paſqualig. *c. deciſ.* 92.

Azor. Sanch. Diana. Fagund. Paſqualig.

Licet nobilioribus ob adeptam conſuetudinem aliquãtulum plus quàm plebeis in hac refectiuncula accipere: quia ſolent eſſe debilioris valetudinis, & aſſueti delicatioribus & pluribus epulis, plus macerantur per ieiunium quàm cæteri, etiamſi ſumant ampliorem refectiunculam veſpertinam, quia adhuc maior eſt ipſorum abſtinentia: & ideo vt ipſis ieiunium tolerabile fiat, cõcedi poteſt amplior refectiuncula, ita tamen vt non perueniat ad talem exceſſum, vt fiat cœna. Ita Sancius *in ſelect. diſp. 52. n. 9.* & alios citans. Quod confirmat cap. *Non cogantur diſt.* 41. Sic etiam paulò maior eſt refectiuncula, qua vti ſolent profani homines, quàm ſit ea, qua vtuntur Monachi, & reliqui viri religioſi.

Sanc.

Qui continuò ſtudijs vacant, ita vt inſumant in ſtudio totum illud tempus diei, quod ſolet impendi in operando, poſſunt vti in ieiunio ampliori refectiuncula veſpertina: cùm enim ſtudia conſumant ſpiritus, & valde debilitent, poteſt debilitas, quæ oritur ex ieiunio mitigari, cùm ampliori refectiuncula, ne nimis rigidum ſit, & impediat pro ſequenti die conſuetas functiones. Idem dicendum de illis qui tota die vacant operibus, in quibus ingenium laborat. Ita Layman, *lib. 4 tractat 8. cap. 1. numero* 9. Llamas *part. 3. meth. cap. 5. §. 24.* Paſqualigus *deciſione* 99. 100. qui etiam illud extendunt ad illos, qui difficile capiunt ſomnum, quando non cœnant, quia ieiunium non debet ita debilitare corpus, vt non poſſit vacare conſuetis functionibus; Imò quando ita impeditur, vt natura notabile detrimentum patiatur, ceſſat ipſum præceptum ieiunandi, vt docent communiter Doctores.

Layman. Llamas. Paſqualig.

Porrò exceſſus, qui refectiunculam veſpertinam conuertit in cœnam, eſt peccatũ mortale: vnde excedere per vnam aut duas vncias præfixam quantitaté non erit mortale: quia quantitas refectiunculæ moraliter menſuratur: & quòd ſit paulò amplior, adhuc manet ſub ratione refectiunculæ, nec dicit notabilem deformitatem ad rectam rationem, atque adeo nec etiam fundat grauem malitiam, quæ ſufficiat ad mortale. Quod diligenter debent aduertere confeſſarij, cùm frequenter hoc accidat. Ita Sancius *in ſelect. diſp. 52. n. 7.* Sanch. *l. 5. conſil. c. 1. dub. 25. n. 5.* & alij.

Sanc. Sanch.

Difficultas eſt inter Doctores circa qualitatem ciborum, qui ſumi poſſint in refectiuncula veſpertina: Scio communiorem Doctorum ſententiam eſſe, prout per extenſum refert Dian. *p. 1. tr. 9. reſ. 1. & q. 4. tr. 4. reſ.* 117. quod in refectiuncula ij tantum cibi aſſumi poſſint, quibus in die ieiunij veſcimur ante, vel poſt prandiũ, vt ſunt vuæ, nuces, poma, pyra, herbæ & alij arborum fructus, vel alia ex ſaccharo condita; etſi ſecus fiat, ieiunium ſolui, vt ſi ſumantur piſces, oua & cætera lacticinia, quibus licet ex priuilegio veſci. Fundamentum huius ſententiæ eſt quia nõ debent adhiberi in refectiuncula, quæ ſimpliciter ordinantur ad reficiendum, & quia non eſt introductum per conſuetudiné, quòd piſces, oua & lacticinia etiam in parua quantitate adhibeantur. Nihilominus Azor. 1. *p. l. 7. c. 8. q.* 7. Lauor. *p. 1. de Iubilæo can.* 210. concedunt piſciculos paruos afferentes id eſſe ſecundùm conſuetudiné. Et abſolutè poſſe ſumi, etiam partem piſcis magni docet Caiet. *in ſum v. Ieiunium §. 1.* dicens, non referre, quid quiſque ſumat in refectiuncula, dummodò modum non excedat. Bonac. *diſp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punct. 3. n.* 3. autem docet, in refectiuncula debere attendi, non qualitatem ſed quantitatem, modò ijs cibis non vtamur, qui tempore ieiunij in prima refectione prohibentur.

Dian. Azorius. Lauorius. Caietanus. Bonac.

Hæc ſententia, tam quoad piſciculos paruos, quàm quoad partẽ piſcis magni habet ſuas rationes ſatis efficaces, quas adducit Paſqualig. *c. deciſ.* 123. vir ſpectatiſſimæ eruditionis. Tum quia comedere piſces nõ eſt contra intentionem conſuetudinis concedentis refectiunculã, quæ non ſolùm adhibetur propter medicinã, ſed etiam propter aliqualem refectionẽ & ad cõfortandã naturam, ne nimis langueſcat ratione ieiunij, Piſcis enim in debita quãtitate ſumptus non perfectè nutrit, ſed tantùm aliqualiter & eſt cibus exigui momẽti; vnde tanquã cibus maceratiuus cõceditur ab Eccleſia in ieiunio. Tum quia piſces minùs nutriunt, quàm nutriant plures cibi qui cõceduntur pro refectiuncula. Et quoad panẽ id conſtat, non poſſunt homines cum ſolo pane diu viuere; ſi quis autem ſolos piſces comederet, non diu viueret, vt teſtantur medici. Ob has & plures rationes putat idem Auctor, ſaluo meliori iudicio, hanc ſententiam valde probabilem, & audiuit plurics in diuerſis congreſſibus viros doctos & probos ſtare pro illa contra alios, qui oppoſitum aſſerebant. Nec videt, cur hæc ſententia cenſeatur improbabilis & falſa à *Diana* & nonnullis alijs, cùm habeat pro ſe meliores rationes, quàm oppoſita, licet, pauciores authores.

Paſqualig.

Quando in die ieiunij licet comedere lacticinia, admittũt pro refectiuncula caſeum & lacticinia *Layman, Turrianus* & vbi eſt conſuetudo etiam butyrum *Syluius*, quia eſt eiuſdem ſubſtantiæ cũ caſeo & lacte, & ſolùm differt, quod conficitur ex partibus lactis ſubtilioribus, Hanc ſententiam probabiliſſimam putat *Paſqualigus*. Imò qui tenent, non referre, quid ſumatur in refectiuncula veſpertina dummodo non excedatur debita quantitas ex cibis permiſſis in die ieiunij, vt *Caietanus, Bonac. Paſqualigus* ſupracitati admittent etiam oua: quia cùm refectiuncula, vt omnes concedunt, ſit propter confortationem ſtomachi, & ſubleuationem naturæ, huic fini magis proportionata ſunt oua, quàm alij cibi: vnde hanc ſententiam cenſet Paſqualigus *c. deciſ.* 115. valde probabilem, & ſaltem ſtante aliqua debilitate ſtomachi, poſſe tutò in praxim deduci.

Paſqualig.

Porrò hæc collatiuncula, quando aliqua iuſta cauſa ſubeſt, vt ratione debilitatis, negotiorũ per diem agendorũ, itineris faciendi, &c. poteſt ſumi manè aut meridie, cœna in veſperam dilata, quia conſuetudo id permittit, ſi tamen abſque cauſa fiat, nõ erit niſi veniale, quia non violatur ieiunij ſubſtãtia, ſed ſolùm circũſtantia illius cœnulæ mutatur. Ita Leſſius *l. 4. c. 2. dub. 2. n.* 11. Tolet. *l. 6. c. 2. n.* 5. Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n.* 10. Dian. *p. 1. tr. 9. reſ.* 33. & alij cõtra *Nauarrũ, Azorium, Reginaldum* & alios exiſtimãtes per hanc mutationem cœnulæ ſolui ieiuniũ. Et certè differendo prandium ad noctẽ, nõ eſt dubium, quin ieiunium ſit perfectius & ſtrictius: quo enim tardiùs prandium prorogatur, eò eſt inedia productior, & longior corporis afflictio; quod ſanè eſt Legiſlatoris mẽti magis cõſentaneũ: tolerabilius enim fert aliquis anguſtiã famis per ſpatiũ viginti quatuor horarũ protractam ſi comedat vſque ad ſaturitaté in medio tẽporis, quàm ſi in tertia parte. Imò cenſet Paſq. *c. dec.* 103. quòd etiam abſque peccato veniali poſſet ſumi manè refectiuncula, quia id fieret ſaltem in commodum ieiunantis. Neque obſtat conſuetudo introducta vt fiat veſperi, nam illa non eſt taxatiua, quæ videlicet taxat quòd non alio tẽpore fieri poſſit, neque alio ordine ex rationabili cauſa.

Leſſius. Tolet. Layman. Diana. Paſqualig.

10. Quidam doctores ſuſtinent toties peccari mortiferè, quoties in die ieiunij pluſquã ſemel comeditur in notabili quantitate, quia licet præceptũ ieiunij videatur affirmatiuũ quoad verba, reuera tamen negatiuũ eſt: quia ita cõcedit vnam refectioné, vt prohibeat cæteras; vnde obligat ad comedendum ſemel tantùm in die: & ideo pluries comedens, pluries faciet contra ipſum. Ita Sylu. 2. 2. 4. 147. 4. 6. *quæſt.* 3. Medin. *de ieiun.* 4. 5. Cou. *l. 4. variar. c. 20. n.* 13.

Siluius. Medin. Couar.

Contra-

Digitized by Google

Contraria tamen ſententia eſt communis & tanquam longè probabilior tenenda eſt, nempe non peccari ſaltem mortaliter, niſi in ſecunda. Tum quia in die ieiunij præcipitur vna comeſtio facienda, poſito quòd aliquis velit in die ieiunij comedere; ſed ſtante ſecundà comeſtione, non poteſt pro illo die habere locum, quod præcipitur ab Eccleſia, quia ſecunda comeſtio violat, & tollit illud ieiunium, quod præcipitur, & deſtruit ſubſtantiam & formam ipſius, ergo poſita ſecundà comeſtione ceſſat obligatio præcepti de ieiunio; quia non poteſt amplius haberi, quod per ipſum præcipitur. Ad rationem autem in contrarium reſpondetur, quòd præceptum ieiunij eſt poſitiuum, nam non prohibet, quòd aliquid non fiat, ſed præſcribit exercitium virtutis abſtinentiæ & macerationem corporis, & pro hoc obtinendo moderatur cibum, ipſum reducendo ad aliquam certam menſuram: ex hac autem præſcriptione poſitiua conſequitur negatio plurium refectionum: imò etiamſi eſſet præceptum negatiuum, adhuc ſola ſecunda comeſtio contineret peccatum, non autem ſubſequentes: quia cæteræ refectiones ſupra primam non prohiberentur ſingulæ ſeorſum, ſed omnes ſimul indiuiſibiliter. Ita Leſſius, *c. dub.* 3. *n.* 15. Tolet. *l.* 6. *c.* 3. *n.* 5. Rodriq. 1. *p. c.* 13. *n.* 1. Nau. *c.* 21. *nu.* 14. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 44. Fernandes *part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 10. Paſqualigus *c. deciſ.* 357. & alij.

Leſſius. Tolet. Rodriq. Nau. Dian. Fernand.

Nota tamen, quòd ſi quis tertia vice comederet cum contemptu præcepti, aut cum noua voluntate frangendi ieiunium, ſi iam non fregiſſet, tùc de nouo & toties peccaret, quoties id faceret, quia adeſſet noua intentio in voluntate contra præceptum, vt aduertunt Doctores citati. Credibile tamen eſt, per ſe in tertia & quarta refectione eſſe aliquod peccatum ſaltem veniale.

Communis omnium ſententia eſt, comedentem carnes quando prohibentur, toties peccare mortaliter, quoties comedit. Ratio differentiæ eſt, quia ſumptis ſemel cibis vetitis, adhuc viget obligatio, non comedendi cibos vetitos, quæ ſeruari poteſt cùm præceptum negatiuum obliget ſemper & ad ſemper: ſumptà verò ſecunda refectione non poteſt amplius ſeruari præceptum affirmatiuum de vnica refectione ſumenda; & ideo toties peccatur mortaliter, quoties ſumuntur cibi vetiti in die ieiunij: quia tot ſunt actus tranſgreſſionis præcepti, quot ſunt comeſtiones inter ſe moraliter diſtinctæ. Vide Syluium *c. quæſit.* 3. Nauarrum *cap.* 21. *n.* 16. & 25. Dianam. *c reſ.* 45. Sancium *diſp* 54. *n.* 42. Layman. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. Tannerum 2. 2. *d.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 93. & alios communiter.

Syluius. Nauarr. Diana. Sancius. Layman. Tannerus.

11. Probabile eſt, illum, qui die ieiunij ſciens ſumpſit ientaculum, ſiue id cum culpa fecerit, ſiue abſque culpa (vt cauſa profectionis) non teneri eo die ieiunare, etiamſi contingat non proficiſci: quia ieiunium iam eſt voluntariè violatum, vel certè cauſa violandi data, nec poteſt illud reparari: habet locum hæc ſententia, maximè quando reliquum diem talis ſine cibo tranſigere non poſſet; ſi verò poſſet ſine incommodo, videretur teneri abſtinere à ſecunda refectione; quia ieiunium adhuc quoad vnicam refectionem ſeruari poſſet: ſed hic ſupponitur ientaculum exceſſiſſe in notabili quantitate limites refectiunculæ. Aliàs ſi non exceſſerit, tunc poterit vſq; ad veſperam differre refectionem: quia adhuc ieiunium poterit obſeruari quoad eam partem, in qua nondum eſt violatum, nempe quoad vnicam refectionem. Ita Syluius 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 13. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 18. Fillincius *tract.* 27. *part.* 2. *num.* 24. & alij.

Syluius. Layman. Leſſius. Filliuc.

Quando autem neſciens eſſe ieiunium mane comedit, tenetur reliquo tempore ſeruare ieiunium eo modo quo alij, perinde ac ſi nihil ſumpſiſſet, vnde poteſt cum alijs prandere; quia prior illa comeſtio, cùm prorſus fuerit inuoluntaria reſpectu violationis ieiunij, non computatur. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 27. Viualdus *de ieiun. nu.* 6. Syluest. *uerb. Ieiunium num.* 21. Alij volunt quòd debeat abſtinere à prandio, & contentus eſſe refectiuncula veſpertina, aut ad ſummum, veſperi cœnare: hoc tamen limitant, niſi ex hoc ſequatur notabile incommodum, quia ſi ſequatur, erit abſolutus à ieiunio. Ita Leſſius *c. n.* 19. Syluius *c. quæſit.* 2. Gordonus *lib.* 6. *Theol. moral. quæſt.* 18. *cap* 5. *n.* 9. Sancius *in ſelect. diſp.* 52. & alij etiam probabiliter. Denique docent quidam, quòd qui inaduertenter ſumpſit ientaculum, non tenetur ieiunare; quia non poteſt amplius illo die ſeruare ſubſtantiam ieiunij, eò quòd quando ſumit ientaculum, non ſeruat præceptum ieiunij, imò ponit in eſſe aliquam comeſtionem, quæ deſtruit formam ieiunij, & quantùm eſt de ſe non intendit illa die ieiunare: poniturque bona fide in poſſeſſione non ieiunandi pro illo die & pro illo tempore præceptum ieiunij non cauſat in ipſo ſuum effectum obligationis, ſeu non obligat in actu ſecundo. Hæc ſententia eſt etiam probabilis, quam ſuſtinent Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 44. Paſqualigus *c. deciſ.* 346. Bonacina *diſp. ult. de præc. Eccl. quæſt.* 1. *punct.* 3. *num.* 8.

Nauarr. Viuald. Syluest. Leſſius. Syluest. Gord. Sancius. Diana. Paſqualig. Bonac.

12. Quidam exiſtimant habentem cauſam non ieiunandi poſſe inuitare amicum cauſa vrbanitatis vel hoſpitalitatis ad cœnam, quem ſcit ſolere violare ieiunium domi cœnando: Ratio eſt, tum quia licitum eſt inuitare ad actum per ſe bonum vel indifferentem, quando iuſta cauſa ſubeſt, cœna autem eſt actus ſecundùm ſe indifferens, ergo. Tum quia quando amicus inuitatur, non quæritur ab ipſo, quod cœnet abſolutè, ſed quod ſuppoſito, quod iam cœnaturus ſit, cœnet apud inuitantem. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 24. Sà *uerb. Ieiunium num.* 8. Rodriq. 1. *part. cap.* 23. *num.* 6. Diana 1. *part. tract.* 9. *reſ.* 38. Paſqualiqus *c. deciſ.* 372. & alij probabiliter.

Nauarr. Sa. Rodriq. Diana. Paſqualig.

Nihilominus dicendum eſt, talem non poſſe inuitari ſeriò vt tecum cœnet, nec in menſa vrgeri vt comedat: Tum quia nemo poteſt inuitari ad id, quod ſine peccato præſtare non poteſt. Sed hic non poteſt ſine peccato comedere, vt ſupponitur; ergo non erit licitum illum ad cœnam inuitare. Ita Leſſius *c. dub.* 3. *num.* 20. Fagundez *præc.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *n* 12. Syluius 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. *quæſt. unic.* Bonacina *c. punct.* 3. *n.* 9. Lublinus *part.* 1. *ſumm. uer. Ieiuniũ n.* 11. & alij.

Leſſius. Fagundez. Syluius. Bonac. Lublinus.

Multò minus licebit talem amicum inuitare ad cœnam ſi non ſit paratus ad cœnandum, cum intentione vt cœnet, quia tunc eſſet intendere peccatum illius per violationem ieiunij, ſuppoſito quòd inuitans ſciret, illum non excuſari à præcepto ieiunij: quia ſi probabiliter crederet excuſari, poſſet inuitare, quia tunc intenderet id, quod ſupponeret, poſſe ſine peccato exhiberi.

In dubio autem, an teneatur ieiunare, poterit inuitare, quia debet ipſum ſupponere memorem propriæ ſalutis, & quòd non ſit acceptaturus inuitationem, ſi teneatur ieiunare. Imò addunt aliqui, quòd abſolutè licitum ſit inuitare quemcumque ad cœnam in die ieiunij, etiamſi probabiliter credatur, quòd ſit acceptaturus ad exercendum actum vrbanitatis: quia talis inuitatio eſt potius conditionata, quàm abſoluta, nempe, inuito te ad cœnam, ſi poſſis cœnare, aut inuito te ad id quod potes: deinde inuitare ad cœnam, non eſt inuitare ad comedendum tantam, vel tantam quantitatem cibi, ſed ad illam communionem menſæ, & proinde inuitatus poteſt aſſidere, & ſumere ſolùm tantùm cibi, quod non excedat quantitatẽ permiſſam in refectiuncula veſpertina. Vide Paſqualigum *deciſ.* 373.

13. In locis Catholicorum, graue eſt peccatum Cauponi, apponere carnes hoſpitibus ſuis in die ieiunij, & grauiter puniretur, ſi quis id faceret. Ratio eſt, tum quia eas apponere, quando prohibentur, non eſt quid indifferens, ſed contra præceptum, ſiquidem dum præceptum prohibet carnes, prohibet etiam omnem cooperationem ad illas comedendas, qualis eſt eas apponere. Tum quia dant ſcandalum, ſiquidem videntur contemnere præcepta Eccleſiæ: tum quia ibi cenſetur hæreſeos quædam tacita profeſſio; niſi in aliquo caſu particulari ratione euidentis neceſſitatis. Ita Leſſius *lib.* 4. *cap* 2. *dub.* 4. *num.* 22. Toletus *c. cap.* 5. *num* 4. Nauarrus *cap.* 21. *num* 26. Bonacina *c. punct.* 3. *num.* 9. & alij; quando enim neceſſitas adeſt, aut alia iuſta cauſa, aut priuilegium, poſſunt tunc Caupones petentibus miniſtrare carnes, quia cùm iuſtè petant, poſſunt etiam hi iuſtè & abſq; peccato exhibere. Idem licitum putat Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. ad vitandum aliquod graue incommodum, aut quando concurrunt minæ, ſi tamen non adſit ſcandalum ex parte miniſtrantis, quod facilè tolli poteſt, ſi oſtendat ſe coactè id facere: Ratio eſt, quia tunc non concurrit ad peccatum, nam conſtat, quòd coactè miniſtrat; nec præceptum Eccleſiæ obligat cũ tanto diſcrimine.

Leſſius. Tolet. Nauarr. Bonac. Layman.

In locis verò hæreticorum vbi paſſim ab alijs ſolent carnes apponi, id licitum eſſet cauponi Catholico, poſitis duabus conditionibus, præciſo contemptu religionis.

Prima eſt, vt nequeat recuſare ſine ſuo graui incommodo,

Digitized by Google

do, vt ſi aliquis vexetur à Prętore: quia id per ſe malum non eſt, ſed quiddam in differens, ergo ſuppoſita legitima cauſa fieri poteſt ſine peccato: hinc excuſantur ancillæ Dominorum hæreticorum, quæ diebus ieiuniorum carnes coquunt & cœnam apponunt.

Secunda, vt non apponantur niſi petantur, non enim ingeri poſſunt non petentibus, hoc enim eſſet illos ad illicita inuitare; niſi fortè ſimul apponat carnes & piſces, relicta cuique poteſtate alterutrum eligendi: quia tunc indifferenter etiam ipſo facto ſe habent Caupones, quo ſimul declarant velle, quòd quilibet ſequatur propriam conſcientiam. Ita *Leſſius, Layman, Bonacina* citati ſuprà.

In caſu autem quo petuntur carnes in contemptum religionis, ita vt miniſtrentur etiam in contemptum religionis, tunc Caupo vel quilibet alius nullo pacto poterit miniſtrare: quia facere aliquid in contemptum religionis ita eſt malum, vt nulla ratione poſſit honeſtari. Si verò contẽptus ſe teneat tantùm ex parte petentis, tunc non peccaret Caupones miniſtrando carnes, quia vendunt ſolùm cœnã ex carnibus, quæ indifferens eſt, & bene vel malè adhiberi poteſt: & in hoc caſu non adeſt obligatio in Caupone cauendi peccatum comedentis carnes in contemptum religionis: vt bene aduertit Paſqualigus *c. deciſ.* 168. ex doctrina Caietani 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 4. & Nauarri *cap.* 21. *nu.* 26. & *cap.* 23. *num.* 91. qui docent non peccare vendentes indifferentia ad bonum, & malum applicabilia, etiamſi ſciant emi cum intentione applicandi ad malum.

Paſqualig.
Caietanus.
Nauar.

14. Diebus ieiuniorum cęnam apponere hoſpitibus qui non tenentur ad ieiunium, licet, modò ſcandalum abſit; ſi verò conſtet illos ad ieiunium teneri, verius eſt non licere, modò abſque incommodo poſſit negari, quia tenetur Caupo impedire offenſionem Dei, & lapſum proximorum quantùm commodè poteſt: vnde ſi ex negatione cœnæ orirentur graues rixæ inter Caupones & hoſpites, aut quòd hoſpites blaſphemarent, aut aliquod aliud notabile incommodum naſceretur, non tenentur Caupones negare cœnam: quia maiora mala vitanda ſunt. Ita Leſſius *c. num.* 24 Nauarrus *cap.* 21. *num.* 24. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *num.* 34. Filliucius *tract.* 27. *part.* 2. *num.* 93. Syluius 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *quæſt.* 1. *in fine*, & alij. Plurimi tamen ſatis probabile putãt abſolutè caupones poſſe miniſtrare cœnam iis, quos probabiliter, vel certò ſciunt non excuſari à ieiunio. Ratio eſt, quia in hoc caſu Caupones non cooperantur peccato ipſorum; nam non poteſt eſſe cooperatio ad peccatum, niſi cooperans in aliqua ſua actione deflectat à recto tramite in ordine ad peccatum alterius: ſed in hoc caſu Caupo non concurrit ad aliquã actionem, in qua incipiat peccatum, nam tantùm parat & exhibet cœnam, quæ eſt actio ordinata ad ſuſtentationem naturæ, in qua nullum eſt peccatum: peccatum autem violationis ieiunij, incipit ſolùm in comeſtione & in intentione comedendi, non autem in intentione quòd cœna portetur, quæ de ſe non eſt mala. Et proinde Caupo in hoc exequitur proprium munus, quod licitè exercet. Ita Bonacina *tom.* 2 *de peccat. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *part.* 2. §. *vnic. num.* 37. & 38. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 49. Caietanus 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *in fine*. Rodriquez *part.* 1. *ſum. ca.* 23. *concl.* 5. Paſqualigus *c. dec.* 365. & alij apud ipſos.

Leſſius.
Nauar.
Sanch.
Filliuc.
Syluius.

Bonac.
Diana.
Caiet.
Rodriq.
Paſqualig.

Quando autem dubium eſt, ad hoſpites ad ieiunium teneantur; vel decorè poſſunt interrogari, an excuſentur à ieiunio, vel non poſſunt; ſi poſſunt, ſunt interrogãdi, & iuxta quod reſponderint, faciendum; ſi non poſſunt propter authoritatem, præſumendum eſt excuſari, quia in dubio nemo præſumitur velle peccare. Tum quia faceret iniuriam hoſpiti negando illi cœnam, ſi quidem cum ipſo ageret tanquam cum peccatore, & ſuo facto ipſum declaret peccatorem. Deinde ſtante dubio, cùm Caupo vel tabernarius ſit in poſſeſſione miniſtrandi cibos petentibus, poterit vti iure ſuo, cũ in dubiis ſit melior conditio poſſidentis. Ita Syluius 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 3. *in fine*. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *num.* 14. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 39. Bonacina *c. num.* 38. Leſſius *c. num.* 24. & alij. Licet quidam ſuſtineant Caupones non teneri interrogare hoſpites, an habeant legitimam cauſam non ieiunandi: quia non ſpectat ad Caupones & tabernarios moderari conſcientias aduẽtantium ſiue circa ieiunium, ſiue circa cætera, cũ non habeant curã ſpiritualẽ ipſorum. Vide Paſqualigũ *deciſ.* 364.

Syluius.
Sanc.
Diana.
Bonac.
Leſſi.

15. Qui ob negotium interrupit prandium nondum completè ſumpta refectione, poteſt abſoluto negotio refectionẽ reaſſumere & perficere, modò interruperit animo continuandi: quia interruptio refectionis non conſtituit duplicem refectionem, ſed vnam integrat, vtpote procedentem ab vna voluntate cõtinuata. Tum quia talis interruptio nón tollit, quin ſit moraliter vnica comeſtio, nã illæ partes comeſtionis vniuntur in vnica intentione præfigẽtis vnicam ſufficientem comeſtionem: Ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 9. *quæſt.* 1. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 277. Portel *in dub. verb. Ieiuniũ in Addit n.* 10. Bonacina *de præc. Eccleſ. d. vlt. quæſt.* 1. *p.* 3. *num.* 10. Syluius *c. artic.* 6. *quæſit.* 1. *concluſ.* 1. & 2. Sancius *in ſelect. diſp.* 52. *num* 4. & alij. Et hoc verum, quamuis longa tẽporis mora interceſſerit: quę iuxta *Azorium* & *Reginaldum* remittenda eſt arbitrio boni viri. *Portel* vult interruptionem dimidiæ horę non eſſe tempus notabile, & proinde poſt ipſam poſſe redire ad prandium. *Bonacina*, & alij aſſerunt: etiam poſt notabile tempus poſſe redire ad prandium, atq; adeo etiam poſt horam integram *Sancius* concedit, quòd etiam poſt duas horas poſſit redire, ſi ſurrexit cum animo poſtea continuandi prandium. *Syluius* vult poſſe prandiũ interrumpi per horam abſque cauſa ſine peccato mortali, quia in hoc ieiunium non læditur notabiliter. Imò Paſqualigus *deciſ.* 121. putat illum, qui ſurgit & à menſa nondum completa comeſtione, & ita detinetur negotijs, vt in ipſis inſumat totum diem, veſpere poſſe complere inchoatam comeſtionem: quia licet intercedant plures horæ, quia tamen tanta interruptio non eſt voluntaria, ſed ex neceſſitate, adhuc cenſetur ſecunda comeſtio pars & complementum prioris comeſtionis, quæ imperfecta fuit relicta. Hæc ſunt placita Doctorum.

Leſſius.
Azor.
Regin.
Portel.
Bonac.
Sylu.
Sanc.

Sed quid dicendum ſi interrupit abſque animo continuandi? Reſp. non poſſe amplius licitè prandium reaſſumere, ſi longa interceſſit mora: quia comeſtio non diceretur phyſicè aut moraliter continuari, conſequẽter duplex prandium reputaretur. Ita Portel. *c. num.* 10. Fernandez *part.* 2. *c.* 8. §. 2. *n.* 18. Sancius *c. n.* 4. & alij. Si verò modica interceſſit mora, is qui à menſa ſurrexit animo non continuandi, poterit adhuc mutata voluntate continuare, & ad conuiuas redire, ſi nondum eſt perfectum prandium: quia eo ipſo, quòd quis accumbit menſæ, acquirit ius ad omnia, quæ apponuntur, de quibus poteſt comedere non obſtante ieiunio, & per id, quod proponat non amplius comedere, & recedat à menſa, non pereit hoc ius, quandiu non pręteriit tantùm temporis, quod ſufficiat, vt cenſeatur moraliter ceſſaſſe hoc ius. Regulariter autem quarta pars horæ, & fortè etiam tertia non eſt ſufficiens, vt cenſeatur ceſſaſſe hoc ius. Vide Filliucium *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 41. Paſqualigum *c. deciſ.* 125. Bonacinam *c. punct.* 3. *num.* 10.

Portel.
Fernand.
Sanc.

Filliuc.
Paſqualig.
Bonacina.

16. *Tertium* quod requiritur ad ſubſtantiam ieiunij, eſt certa refectionis hora. Antiquitus autem in ieiunijs extra Quadrageſimam, hora nona, id eſt tertia poſt meridiem, ex conſuetudine erat hora ſumendi refectionem, vt colligitur ex can. 34. Concilij Moguntaici: In quadrageſima verò refectio differebatur vſque ad veſperam: Modò autẽ ex conſuetudine iam paſſim recepta, eſt circa meridiem, quæ conſuetudo, vtpote rationabilis, approbata eſt ab Eccleſia, vt conſcenderet humanæ fragilitati: ea autem hora non requiritur quidem poſitiuè, quaſi neceſſe ſit, tunc cibũ ſumere, quia poſſumus toto die abſtinere, ſi velimus, ſed negatiuè, ne videlicet ante illam ſumamus, notabili temporis ſpatio illam præuenientes. Meridies autem in diebus ieiuniorum intelligi debet de meridie moraliter computato, non autem ſecundùm aſtronomicum calculum, quia in rebus moralibus moraliter procedendum eſt. Ita communiter Doctores, Azorius *tom.* 6. *lib.* 7. *cap.* 11. Filliucius *c. cap.* 4. *num.* 67. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 156. Sylueſter *verb. Ieiunium quæſt.* 4. *n.* 11. Syluius 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 7. Couarruuias *lib.* 4. *var. cap.* 20. *num.* 14 & alij.

Azor.
Filliuc.
Regin.
Sylu.
Couar.

Sed rogabis, an hora determinata comedendi ſit de eſſentia ieiunij? Reſponſio negatiua eſt probabilior, ſed eſt tantùm circumſtantia accidentalis: hinc manente ieiunio in ſua ſubſtantia, mutata eſt in Eccleſia hora comedendi: quod fieri non potuiſſet, ſi hora determinata eſſet de eſſentia: quia non poteſt res ſubſiſtere mutatis ijs, qui ſunt de eſſentia ipſius. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 27. Rodriquez *part.* 1. *ſumm. cap.* 23. Caietanus 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 7.

Nauarr.
Rodriq.
Caiet.
Diana.

Diana

Diana *part.1. tract.9. reſol.*27. & alij.

Couarr. Syluius. Nauarr.

Dubium autem eſt, an notabilis anticipatio, ſit peccatũ mortale? Plerique Doctores, vt Couarruuias *lib.4.variar. cap.*20.*num.*16. Syluius *c.artic.*7. *concluſ.*3. Nauarrus *cap.* 21.*num.*27. & alij putant eſſe mortale, ſi fiat abſque iuſta cauſa: quia terminus ille præſcriptus eſt, tanquam notabiliter faciens ad mortificationem carnis, hoc autem tollitur illa præueotione; Hæc ſententia ob authoritatem Doctorum, valde probabilis eſt. Contraria tamen longè probabilior eſt eſſe tantum veniale, quia non ſolùm habet pro ſe inſignes Authores, ſed etiam nititur optimo fundamento, quia circumſtantia temporis, vt iam diximus, non eſt de neceſſitate & ſubſtantia ieiunij, quæ tantùm accidentalis eſt, vnde non ſeruata hora, adhuc ſatisfit pręcepto ieiunandi quoad ſuaſtantiam obligationis: quando autem præceptum impletur ſecundum ſubſtantiam, etiamſi prætermittatur aliqua circumſtantia, non committitur peccatũ mortale. Cùm enim ieiunium duret per ſpatium viginti quatuor horarum, nempe à media nocte in mediam noctem, quo tempore eſt licita vnica tantùm refectio cũ refectiuncula, parum refert, quòd iſta refectio ſumatur hac, vel illa hora: quia ſemper affligitur corpus per ſubtractionem alterius, aut plurium refectionum, vnde adeſt ſemper eadem abſtinentia ſecundùm ſubſtantiam, licet ſecundùm diuerſum ordinem.

Tolet. Angel. Leſſius. Dian. Rodriq. Layman. Paſqualig.

Ita Toletus *lib.*6.*cap.*5.*nu.*7. Angelus *verb. Ieiunium num.*2. Leſſius *c.dub.*2.*num.*13. Diana *p.*1.*tract.*9. *reſ.*27.*&* *part.*5.*tract.*5 *reſ.*11. Rodriquez *c.num.*3. Laymã *lib.*4 *tract.*8.*cap.*12.*n.*11. Paſqualigus *c.deciſ.*146.& alij.

Fagund.

Sed dubium eſt, quodnam ſit tempus notabile, vt anticipatio prandij, ſit peccatum mortale, vel veniale, iuxta diuerſitatem opinionum? Fagundez *prac.*4.*lib.*1.*cap.*3.*num.* 4. vult horam dimidiam eſſe tempus notabile: quia anticipatio non eſt dicenda notabilis vel non notabilis comparãdo quantitatem temporis ad totum diem, ſed debet comparari ad horam prandij, dimidium autem horæ eſt tẽpus notabile reſpectu prandij.

Filliuc. Diana. Syluius.

Filleucius *c.cap.*4.*num.*72. Diana *part.*1.*tract.* 9.*reſ.*27. Syluius *c.art.*7.*concl.*2. conſtituũt ſemihoram integram, ita tamen, vt quilibet exceſſus ſupra ipſam faciat tempus notabile. Plures Doctores docent ieiunantes prandere poſſe hora vnâ ante meridiem, & teſtantur hoc ita inualuiſſe, vt iam ferè conſuetudine firmatum ſit: quia tempus non pertingens ad horam integram, non eſt tempus notabile, non ſolùm in comparatione ad integrum diem, ſed etiam in anticipatione reſpectu meridiei, quia non ponit notabilem diſtantiam ab ipſo meridie.

Tolet. Sancius. Medina.

Vide Toletum *diſp.*53. Viguerium *cap.*7.*inſtit.* §.3. *verſ.*1. Medinam *lib.*1.*ſumm.cap.*14. §.10. Imò poſſe dari anticipationem non notabilem reſpectu horæ præſcriptæ, ſiue à cõſuetudine, ſiue à Doctoribus, docet Diana *p.*5.*tr.*5.*reſ.*10.

Ex iuſta cauſa anticipari poteſt notabiliter hora prandij in die ieiunij: quia ſicut obligatio ieiunandi ceſſat, quando impleri non poteſt abſque incommodo notabili: ita à fortiori ceſſabit obligatio ſeruandi in prandendo circumſtantiam temporis, ſed cũ minor obligatio ſit, ex minori quoque cauſa ceſſabit. Cauſæ autem iuſtæ, ob quas poteſt in ieiunio prandium anticipari notabiliter, ſunt: Lectio pro menſa, iter, concio, lectio in ſcholis, aduentus & receſſus hoſpitis, &c. Item quando ſuperuenit aliquid extraordinarium, aut continuum, quod ita exigat anticipationem, vt abſque incommodo non poſſit hora conſueta expectari.

Nauarr. Syluest. Bonac. Diana. Paſqualig.

Ita Nauarrus *cap.*21.*nu.*27. Sylueſter *verb Ieiunium quaſt.* 24. Bonacina *c.quaſtione prima, punctum quartum, numero ſecundo.* Diana *cit.reſolut.*27. Paſqualigus *c.deciſ.*149.

17. Qui priuilegium obtinuit prandendi ante conſuetam ieiunij horam, tenetur reliqua diei parte à cibis abſtinere, non enim cenſetur lege ieiunij ſolutus: quia cùm diſpenſatio expreſsè ſit de hora comedendi, non cadit ſupra ſubſtantiam ieiunij, ſed ſolùm ſupra circumſtantiam temporis, qua ſublata poteſt ſtare ſubſtantia ieiunij.

Nau. Azor. Bonac.

Ita Nauarrus *cap.*21.*num.*22. Azor.*c.lib.*7.*cap.*11. *quaſt.*6. Bonacina *c.num.*5.& communis.

Similiter qui diſpenſationem obtinuit ſumendi multiplicem refectionem, non poteſt ex vi illius diſpenſationis carnibus veſci; bene tamen poteſt horam comedendi inteuertere. Ratio prioris eſt; quia præter præceptum de ieiunio, adeſt etiam pręceptum ſpeciale de abſtinentia à carnibus ex *cap. Denique, diſt.*4. quod eſt vniuerſalius, nam comprehendit etiam adoleſcentes ab vſu rationis vſque ad annum vigeſimum primum, & ſenes quoad vſque vires patiuntur; ideò diſpenſatus quoad plures refectiones, non eſt ratione talis præcepti diſpenſatus quoad carnes: Poſterioris autem ratio eſt, quia tempus comedendi in die ieiunij præſcribitur tanquam accidens & circumſtantia, vt ſupra dictum eſt ex probabili ſententia; ergo ſublata obligatione ieiunij, tollitur etiam obligatio obſeruandæ horæ, nam ſublato eſſentiali, tollitur etiam accidentale.

Reginald. Paſqualig. Valent.

De his vide Reginaldum *lib.*4. *num.*168. Paſqualig. *c.deciſ.*267. *num.*15.& 19. Valentiam 2.2.*diſp.*9.*quaſt.*2.*punct.*5.

18. Qui diſcedit mane ex oppido domicilij, vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non eſt ieiunium, licet non poſſit in loco domicilij veſci carnibus, poteſt tamen ſumere ientaculum. Ratio eſt, quia non tenetur illo die abſtinere à ſecunda refectione, cùm in loco in quo peruenturus eſt, poſſit ſecundò & tertiò comedere; ergo poteſt primam refectionem ſumere mane antequam diſcedat.

Leſſius. Sanc. Portel. Sanc. Diana. Paſqualig

Ita Leſſius *lib* 4 *cap.*2.*num.*58. Sanchez *de matrim lib.*3.*diſp.* 18.*n.*22. Portel *verb. Ieiunium nu.*2. *in addit.* Imò Sancius *in ſelect.diſp.*54.*num.*28. Diana *part.*1.*tract.*9. *reſol.*3. Paſqualigus *c.deciſ.*63. putant hoc eſſe verum, quamuis nocte ſit reuerſurus ad ipſummet oppidum, à quo mane exiuit, & vbi ieiunium ſeruabatur: nam cùm ipſe ferè per totam diem fuerit in loco, vbi non ieiunabatur, potuit licitè pluries comedere, cum quo ieiunium nequit ſeruari; erit tamen aſtrictus, ſerò in oppidum reuerſus, à carnibus abſtinere.

19. Diſcedens è loco vbi comeduntur carnes, poteſt eas comedere, etiamſi eodem die peruenturus ſit ad locũ, in quo non comeduntur. Ratio eſt, quia poteſt ſequi leges & conſuetudines loci, quamdiu in ipſo eſt, nec tenetur ibi leges alterius loci proprias, etiam proprij domicilij obſeruare: quia cùm hæ leges non ſint vniuerſales, non habent vim obligandi extra locum pro quo ſunt latæ: talis tamen veſpere perueniens ad locum, in quo carnes non comeduntur, non poteſt comedere, ſi locus ad quem peruenit ſit proprium domicilium: quia quilibet tenetur legibus proprij domicilij, quamdiu in ipſo eſt. Nec obſtat, quòd mane comederit carnes; quia præceptum non comedendi carnes eſt negatiuum obligans pro quocumque momento temporis pro quo prohibentur, nec extinguitur per id, quod quis ſemel in illa die carnes comederit.

Si tamen locus, ad quem veſpere peruenit, non ſit proprium domicilium, poteſt ibi carnes comedere, etiamſi ibi prohibeantur, ſecluſo tamen ſcandalo. Et hæc opinio eſt conformis doctrinæ illorum, qui tenent peregrinos non obligari legibus loci, per quem tranſeunt. Ratio autem eſt; quia talis non eſt membrum ſeu pars illius communitatis, & ideo nec communicat in obligationibus eiuſdem, nec ſubditur legibus, quibus illa communitas dirigitur.

Sanch. Filliuc. Sancius. Paſqualig. Diana.

Plura de his apud Sanch. *de matrim. lib.*3. *d.*18. *num.*22. Filliucium *tract.*27.2.*part.num.*109. Sancium *in ſelect. diſp.*54. *num.*30. Paſqualigum *c.deciſ.*59.60. Dianam *part.*1. *tract.* 9.*reſ.*3.& alios.

An autem potens comedere carnes ſecundùm leges proprij domicilij, poſſit adhuc comedere, ſi reperiatur in locis, vbi prohibentur? Reſponſio eſt negatiua, iuxta eorum ſententiam, qui tenent, peregrinos obligari legibus loci, in quo degunt, vt aduenæ. Quia cùm in tali loco vigeat prohibitio carnis, tenebitur legem ſeruare. Probabilis tamen eſt etiam aliorum ſententia, qui volunt, peregrinos poſſe comedere carnes iuxta legem ſeu conſuetudinem ſui domicilij ſecluſo ſcandalo. Ratio eſt, quia peregrinus ſicut non ſit pars communitatis illius loci per quem tranſit cùm ibi ſe habeat tanquam aduena, ita non deſinit eſſe pars communitatis ſui domicilij: & proinde habet ius, vt viuat ſecundùm leges & conſuetudines eiuſdem communitatis.

Sanch. Fagund.

Ita Sanchez *de matrim. lib.*3. *diſp.*18. *num.* 7. Fagundez *prac.*4.*lib.*1.*c.*7. *num.*11. & alij infrà citandi *verb. Lex III.* num.5.& ſequentibus.

IEIVNIVM II.

Quinam teneantur ad ieiunium, & quo iure, & quando, & de cauſis excuſantibus.

SVMMARIVM.

Omnes Chriſtiani præcepto ieiunij adſtringuntur, etiam iuſti & perfecti, completo 21. anno. Huic præcepto non ſatisfit per alium.

2 *An qui aliquo die ieiunare non poteſt, teneatur aliquid aliud loco ieiunij perſoluere.*

3 *An omnia Eccleſiæ ieiunia ſint iure humano inſtituta; An conſuetudo legitima poſſit inducere obligationem ad ieiunandum? & abrogare ieiunia. An diebus Rogationum ſit ſeruandum ieiunium? liceatque veſci adipe ſeu pinguedine?*

4 *An ex præcepto ieiunandum ſit diebus ab Eccleſia præſcriptis? Et qui ſint illi dies? An fas ſit ieiunare die Dominico? An Epiſcopus poſſit transferre ieiunium in alium diem?*

5 *An præceptum Eccleſiæ de ſeruando ieiunio obliget ad mortale? An Religioſi exempti teneantur ieiunijs ab Epiſcopo præſcriptis? An Religioſi teneantur ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitates,* refertur duplex ſententia.

6 *Cauſæ excuſantes à ieiunio ſunt tres,* Impotentia, Labor, & Pietas. *Et quotuplex ſit impotentia?*

An qui nocte dormire non poteſt, nec calefieri, teneatur ad ieiunium? An fœmina grauida aut lactantes? An ſenes ſexagenarij? An Religioſi ſexagenarij teneantur ad ieiunia ſuæ regulæ? refertur duplex ſententia. *An pauperes? Quænam cenſenda ſit congruens refectio? An qui habet ſolum panem, poſſit comedere carnes? An pueri & adoleſcentes teneantur ad ieiunium ante 21. annum completum? An poſſint illis miniſtrari carnes ante ſeptennium? An infidelibus? An adoleſcẽtes profeſſi regulam P. S. Franciſci, teneantur ad ieiunia regulæ, & Eccleſiæ antequam expleuerint 21. annum? An qui vouit toto tempore vitæ ſuæ certis diebus ieiunare, teneatur etiam poſtquam ſexageſimum ætatis annum compleuerit?*

An frater Minor committat duplex peccatum, frangendo ieiunium in ſexta feria Aduentus & Quadrageſimæ? vel quando in eadem feria occurrit vigilia, vel ieiunium Quatuor temporum?

7 *De ſecunda cauſa excuſante à ieiunio, quæ eſt* Labor.

An labor voluntariò ſusceptus ſine neceſſitate, eximat ab obligatione ieiunandi? refertur duplex ſententia.

An defatigatus ex labore ob finem inhoneſtum excuſetur à ieiunio?

Quinam operarij ratione laboris excuſentur à ieiunio? Et quid dicendum ſi diuites ſint?

An ſuſcipientes iter pedeſtre teneantur ieiunare?

Et an iter ſine neceſſitate ſuſceptum tollat obligationem ieiunij?

8 *Qui mechanici non excuſentur à ieiunio? An Scholares? An illi, qui damni vitandi, vel notabilis lucri captandi cauſa laborant? An omnes, qui officio ſuo fungi nequeunt ieiunando excuſentur? An Aduocati, Procuratores, Iudices, Scribæ, Notarij, Typographi eximantur à ieiunio?*

9 *Tertia cauſa excuſans à ieiunio eſt* Pietas. *Quinam ratione pietatis excuſentur? vbi an Concionatores, Lectores, Confeſſarij, ornantes templa, Peregrinantes ad loca Sancta, etiam exercentes prædicta opera ob lucrum, excuſentur?*

10 *An excuſetur coniux, qui cum ieiunio debitum reddere non poteſt? An vxor excuſetur, quã maritus nõ permittit ieiunare, eo quod metuat eius valetudini vel formæ? An teneatur vxor non ieiunare præcipiente marito, ſi exinde diſcordia oriãtur? An mulier Catholica nupta ab Hæretico poſſit non ieiunare, ſi maritus prohibeat non in contemptum religionis? An fœmina nubere volens excuſetur à ieiunio, ſi ob illud deformis eſſet facienda notabiliter?*

11 *An teneatur ieiunare dubitans, an habeat iuſtam cauſam non ieiunandi, vel expleuerit 21. ætatis annum? Dubitans die Iouis an ſit hora duodecima media noctis poſſit edere carnes?*

Si hodie ſit dies Veneris, aut ieiunij, & dubium ſit, an hora duodecima noctis ſonuerit, an quis poſſit edere carnes vel cœnare?

An media nox computanda ſit mathematicè, an moraliter? refertur duplex ſententia.

12 *Obligatio ieiunij tolli poteſt per diſpenſationem Papæ, non ſolum in particulari, ſed etiam in communi, abrogando legem ieiunij.*

Epiſcopi poſſunt diſpenſare in ieiunio ex cauſa: non tamen poſſunt abrogare præceptum de ieiunio, ſi ſit vniuerſale: ſecus ſi ſit locale vel Synodale.

An Prælati Regulares, attento iure communi poſſint diſpenſare ſuos ſubditos ſicut Epiſcopus ſuos, circa ieiunia Eccleſiaſtica, & comeſtionem ouorum, carnium, & aliorum prohibitorum.

1. EX communi vſu & praxi Eccleſiæ omnes Chriſtiani præcepto ieiunij obſtringuntur, cõpleto vigeſimo primo anno, quia cauſa huius præcepti in omnibus locum habet: omnes enim egent caſtigatione carnis, vt ſpiritui ſit ſubiecta, ſatisfactione pro peccatis, & aptitudine mentis ad orandum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 147. *numer.* 4. Syluius *ibi Can.* 68. *Apoſtolorum*, & alij communiter. D. Thom. Sylu.

Hoc præceptum ieiunij obligat etiã iuſtos & perfectos, nec non eos, qui non egent ieiunio: primum eſt certum ſecundùm fidem determinatum in Concilio Viennenſi, & refertur in Clementina, *Ad noſtrum, de hæreticis*; vbi damnantur Beguardi & Beguini aſſerentes, Iuſtos & Perfectos non obligari ad ſeruanda ieiunia Eccleſiæ: ſed poſſe indulgere corpori, quidquid libuerit. Ratio autem eſt, quia in nullo poteſt ceſſare finis intentus ab Eccleſia in ieiunio: licet enim cauſa impulſiua ad indicendum ieiunium, videatur eſſe rebellio carnis contra ſpiritum, non tamẽ intendit ſolùm domare carnẽ, ſed etiam exercitium virtutis abſtinentiæ, meritum ieiunantis, & ſatisfactionẽ pro peccatis: quamdiu autem aliquis eſt viator, debet exercere opera meritoria, & ſatisfactoria, & ideo ſemper habet locum in ipſo finis intentus ab Eccleſia in ieiunio. Et hæc reſolutio tenet, etiam in ſententia illorum, qui docent, quod ceſſante fine legis etiam in particulari, ceſſet lex reſpectu illius, in quo ceſſat: quia tunc ſolũ deſinit lex obligare, quando ceſſat eius finis adæquatus, quòd ſi aliquis remaneat, non ceſſat obligatio, vt deſumitur ex §. *Affinitatis* & §. *Socrum* Inſtitut. *De nuptijs*, & notauimus infra *verb. Lex V. n.* 3. cum Authoribus ibi citatis, quibus adde Valent. *tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 2. *punct.* 2. Molfeſius *p.* 1. *ſum. cap.* 4. *nu.* 14. *& ſeq.* Angles *in Flor. quæſt.* 6. *de ieiunio difficult.* 1. Paſqualig. *in praxi ieiunij Eccl. deciſ.* 31. *&* 32. Valent. Molef. Angles. Paſqualig.

Huic præcepto ſatisfacere non poteſt quis per alium; quia obligatio ieiunij perſonalis eſt, vtpote ab Eccleſia impoſita ad affligendum corpus & carnem edomandam. Ieiunium tamen, quatenus ſatisfactiuum eſt, poterit per alterum exerceri: quia ſatisfactio vnius, poteſt pro alio applicari. Nam non eſt aliud, quàm debitum ſoluere, quod quis pro alio facere poteſt. Notandum tamen quòd ieiunijs impoſitis pro pœnitentia à Confeſſario, non poteſt quis per alium ſatisfacere, vt dicemus infra *verb. Satisfactio nu.* 17. quia talia ieiunia non ſolùm imponuntur vt ſatisfactiua, ſed etiam tanquam caſtigatiua corporis, & punitiua ipſius in pœnam peccatorum, qui effectus non habetur, ſi ieiunia per alios impleantur. Vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 21. *q.* 7. Bonac. *diſp. vlt. de præcept. Eccleſ. q.* 1. *punct.* 6. *n.* 2. Reginal. *lib.* 4. *n.* 187. & alios. Azor. Bonac. Reginald.

Notandum præterea hic eſt, vigeſimum primum annũ non ita computari debere de momento ad momentum, quòd ſi quis illum expleuit hora octaua mane, teneatur in reliquo diei ieiunare: nam ieiunij præceptum reſpicit totũ diem vt obiectum indiuiduum, non autem partem & ideò, qui per aliquam diei partem exemptus fuit, liberatur totaliter pro illa die ab onere ieiunij. Imò hoc verum, licet quis compleat annum vigeſimum primum etiam paruo tempore poſt mediam noctem præcedentem diem ieiunij,

quia adhuc præceptum non afficit totam diem, & ipſe ratione illius exigui temporis accipit illum diem, vt exemptũ à ieiunio, & conſtituitur in poſſeſſione. Ita probabiliter Sãcius *in ſelect. diſp. 54. num. 4.* Paſqualigus *c. deciſ. 252.* Diana *p. 1. tract. 9. reſ. 49.* Naldus *v. Aetas n. 3.* & alij, licet contrarium ſit etiam probabile, nempe hunc teneri ieiunare trãſacta hora; modò antea non ſuſceperit plures refectiones & ieiunare poſſit: quod docent *Sanchez*, *Lezana*, *Portel* & alij.

Sancius. Paſqualig. Diana. Naldus.

Si quis tamen compleat annum vigeſimum primum in initio quadrageſimæ aut circa medium ipſius, tenetur ad ieiunium in ſequentibus diebus quadrageſimæ: quia præceptum de ieiunando tota quadrageſima non eſt vnum indiuiſibile, ſed vnum integrale conſtans ex pluribus præceptis affixis ſingulis diebus: vnde etiam diuiſibiliter ſeruandum eſt, & per ſuas partes & ideo quando non poteſt ſecundum omnes ſuas partes obligare, obligabit ſecundùm illas, ſecundùm quas poteſt. Ita Filliucius *tract. 27. p. 2. c. 6. num. 111.* Lezana *verb. Ieiunium nu. 6.* Sanchez *l. 5. conſil. c. 1. dub. 2.*

Filliuc. Lezana. Sanch.

2. Qui aliquo die ieiunare non poteſt, non tenetur aliquid aliud loco ieiunij perſoluere. Ratio eſt, tum quia lex non magis obligat, quàm verbis exprimatur: lex autẽ imponit tantum ieiunium, non autem aliquid aliud, nec adeſt aliud præceptum obligans ad aliquid aliud, quando non ieiunatur: vnde non tenetur alio die ieiunare; quia tunc ieiunium, cùm ſit ſtatutum pro certo die, eſt onus diei; vnde ſequitur diem & tranſit cum ipſo: niſi fortè virtute alicuius priuilegij tranſtulerit ieiunium in aliam diem; quo priuilegio gaudebant olim Fratres Minores de obſeruantia, ſi dũ iter faciunt, neceſſitate premantur: quamuis nonnulli putent hoc priuilegium datum Fratribus Minoribus à *Leone X.* magis eſſe ad ſedandos ſcrupulos, quàm ex neceſſitate: qui enim iter agit, vel ob itineris laborem & incommoda à ieiunio excuſatur, vel labores eius non ſunt ſufficientes vt excuſetur; ſi primum; non indiget translatione & onere illo replicato aliàs ieiunandi: Si ſecundum dicatur, cenſetur ieiunare poſſe. Hodie hoc priuilegium *Leonis X.* ſublatum eſt & nullum, quia eſt viuæ vocis oraculum: & hoc ob Bullam *Vrbani VIII.* reuocãtis omnia viuæ vocis oracula gratiam continentia, vt dicetur infra *verb. Priuilegium 1. n. 8.* proinde cauendum eſt à doctrina quorumdam Authorũ, qui hoc priuilegiũ citant: quia fortè ante hanc Bullã ſcripſerunt; aut de illa nihil audierunt. Vide Nauarr. *in man. c. 21. n. 21.* Reginald. *l. 4 n. 118.* Leſſius *1. dub. 3. n. 18.* Paſqualigus *c. deciſ. 39 & 184.* Bonac. *c. punct. 6. num. 3.*

Nauar. Reginald. Leſſius. Paſqualig. Bonac.

3. Communis Doctorum ſententia eſt & amplectenda omnia Eccleſiæ ieiunia etiam quadrageſimæ eſſe de iure humano inſtituta, eoque ſolo obligare: quia ordinationes Apoſtolorum, quas ipſi vt Eccleſiarum Rectores fecerũt, ſub iure humano comprehenduntur. Tum quia non debet adſtrui aliquod præceptum niſi de ipſo conſtet: non cõſtat autem de hoc præcepto diuino de Quadrageſima poſito à Chriſto, quia ſolùm habemus ex Euangelio eius quadragenarium ieiunium, quod tamen non habet rationẽ præcepti. Ita Leſſius *c. dub. 3. n. 30.* Reginald. *lib. 4. num. 120.* Syluius *2. 2. quæſt. 147 art. 5. quæſt. 1.* Nauarrus *c. 21. n. 12.* & alij.

Leſſius. Reginald. Syluius. Nauarr.

Negandum tamen non eſt, aliquem poſſe obligari ad ieiunia per legitimam conſuetudinem: quia legitima conſuetudo vim legis habet *Leg. de quibus, ff. de legibus* &c. *Conſuetudo. diſt. 1.* Imò conſuetudo poteſt abrogare ieiunia, vt conſtat ex praxi. Sic apud Mediolanenſes abrogati ſunt quatuor primi dies quadrageſimæ. Clerici non ſeruãt amplius ieiunium ſeptimæ hebdomadæ ante Paſcha, quod decernitur ſeruandum ab ipſis, *Cap. ſtatuimus, diſt. 3.* Ieiunium quartæ feriæ, & ſextæ quod olim obligabat, abrogatum eſt. Item ieiunium aduẽtus Domini, quod ſeruabatur apud Romanos. Ita Syluester *verb. Ieiunium q. 2.* Paſqualigus *c. deciſ. 34. & 35.* Azor. *tom. 1. l. 7. cap. 19. q. 1.* Bonac. *c. punct. 1. n. 2.* & alij. Vt tamen conſuetudo deroget legi ieiunij, debet eſſe in ſe rationabilis, quia cùm lex nitatur ratione, non poteſt corruere, niſi in virtute eiuſdem rationis.

Sylueſter. Paſqualig. Azor. Bonac.

Sed petes *Primò*, an diebus Rogationum ſit ieiunium ex præcepto ſeruandum? Reſpond. negatiuè, ſaltem ſi ius commune, ſiue ſcriptum, ſiue in conſuetudine generali fũdatum attendamus: quia nullum extat ius commune, nullaque eſt generalis conſuetudo vim præcepti habens, de vero ieiunio illis diebus ſeruando: vnde non eſt illicitum illis tribus diebus plures refectiones ſumere, imò nec horam in ieiunijs obſeruari ſolitam præuenire. Tamen ſi alicubi extet præceptum Synodale, vel conſuetudo habens vim præcepti vt ieiunetur ſaltem vſque ad prandium, ſeruanda eſt recepta loci conſuetudo, quæ ſemper non eſt obligatoria habens vim legis, ſed ſæpe eſt ſolùm directiua, tanquam ex conſilio dictans, quod fieri expediat. Vide Azorium *cap. 15. quæſt. 4.* Paſqualigus *c. deciſ. 174.* Filliucius *tract. 27. p. 2. num. 102.* Fagundez *præc. 4. lib. 1. cap. 6. num. 8.* Reginaldus *lib. 4. num. 131.* & alios.

Azor. Paſqualig. Filliuc. Fagund. Reginald.

Petes *Secundo*, an in ferijs Rogationum liceat veſci adipe ſeu pinguedine in locis, vbi conſuetudo id permittit in Sabbatis quæ non ieiunantur? Reſponſio eſt negatiua, Syluius *in reſolutionibus var. verb. Rogationes, part. 1.* niſi conſuetudo aliter obtinuerit: tum quia interdicto vſu carniũ, interdictus etiam conſequenter cenſeri debet vſus adipis, vbi conſuetudo præſcripta non eſt in contrarium: tum quia conſuetudo quæ pro quibuſdam Sabbatis alicubi obtinuit, non eſt extendenda ad alios dies abſtinentiarum, niſi etiam pro illis inualuerit conſuetudo.

Syluius.

4. Ex præcepto ieiunandum eſt diebus ab Eccleſia præſcriptis: ex deuotione autem, aut ex voto eſt certum aliis etiam diebus ieiunium ſuſcipi poſſe; nam ieiunium eſt opus ſanctum & meritorium, quod quouis die præſtari poteſt: *Die Dominico* autem, etiam fas eſt ieiunare, ſi non fiat ex aliquo errore, vt fiebat à Manichæis, nec ex contemptu moris Eccleſiaſtici & ſcandalum abſit: ab Eccleſia tamen & communi fidelium vſu receptum eſt, vt vigiliæ ieiuniũ, ſi in diem Dominicam incidat, perſoluatur præcedenti die Sabbathi. *Cap. ex parte, de obſeruatione ieiuniorum.* Vide Valentiam *tom. 2. d. 9. quæſt. 2. punct. 4.* Sà *verb. Ieiunium num. 5. & 7.* Azorium *c. cap. 16. quæſt. 7.* Reginald. *l. 4. n. 188.*

Valent. Sà. Azor. Reginald.

Dies in quibus ex præcepto ieiunium indictum eſt ab Eccleſia, ſunt *primò*, dies ſinguli Quadrageſimæ, exceptis Dominicis. Quadrageſima olim apud Eccleſiam Romanã ſolebat incipere initio ſextæ hebdomadæ ante Paſcha, ſeu hebdomada poſt Quinquageſimam, vt refertur *Cap. Quadrageſima. diſt. 4.* Quod ex eo etiam colligitur, quòd officia quadrageſimalia etiam modò ſolùm incipiunt in Dominica prima Quadrageſimæ, & non in feria quarta Cinerum, & tunc ſolùm Veſperæ recitantur ante refectionem, ſicuti ſolùm debent recitari in quadrageſimali ieiunio. Et hic mos hodie adhuc viget apud Eccleſiam Mediolanenſem. De quibus Syluius *2. 2. quæſt. 147. art. 5. quæſt. 3.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 2.* Couarruuias *lib. 4 variar. c. 20.* & alij.

Syluius. Layman. Couarr.

Teleſphorus autem Papa ſanciuit, vt clerici quadrageſimale ieiunium inciperent à Quinquageſima, atque adeo per ſeptem ſeptimanas plenas ieiunarent, vt notatur in *Cap. Quadrageſima diſt. 4.* Sed hæc conſuetudo abrogata eſt.

Modò autem ieiunium quadrageſimale incipit à feria quarta Cinerum, nam fuerunt additi ieiunio illi quatuor dies, qui præcedunt Dominicam primam quadrageſimæ; vt nimirum ieiunium eſſet quadraginta dierũ: prius enim erat triginta ſex dierum: modò autem eſt reductum ad quadraginta dies, ad imitationem ieiunij Chriſti. Terminatur autem ieiunium quadrageſimale de iure in Sabbatho incluſiuè ante Paſcha, vt conſtat ex communi & vniuerſali conſuetudine & communi ſenſu Doctorum.

Secundò, quatuor anni tempora vt refertur in *Cap. Statuimus diſt. 76.* his verbis. *Statuimus, vt ieiunium quatuor temporum hoc ordine celebretur, primum in initio quadrageſimæ: ſecundum in hebdomada Pentecoſtes: tertium verò in Septembri: quartum in Decembri more ſolito fiat.* In quibus præcipitur ieiunium trium dierum, vt ſingulis menſibus vna dies reſpondeat, & in toto anno tot ſint dies ieiunij, quot ſunt menſes. Omnia ieiunia quatuor temporũ eſſe de præcepto & obligare ſub mortali docent communiter Doctores Syluius *c. quæſt. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 14. quæſt. 2.* Toletus *lib. 6. cap. 3.* Paſqualigus *c. deciſ. 166.* & alij.

Sylu. Azor. Toler. Paſqualig.

Tertiò, ex iure communi habetur ieiunandũ eſſe in peruigiliis Natiuitatis Domini & Aſſumptionis B. Virginis in cœlum. *Cap. Ex parte, de obſeruatione ieiuniorũ.* Præterea eſt etiam de iure ieiunium in peruigiliis Sanctorũ Apoſtolorum, vt habetur ex *Cap. Conſilium, de obſeruatione ieiuniorũ*; excluſa tamen non ſolũ vigilia Sanctorũ *Philippi* &

Iacobi,

Iacobi, in qua non ieiunatur ob Paſchalis lætitiæ ſignum, verum etiam vigilia S. Ioannis Euangeliſtæ, quia incidit inter feſta Natalis Domini, in quo non eſt locus ieiunio.

Palud.

Aduertendum tamen eſt, quod ieiunia in peruigiliis quorumdam Apoſtolorum, aliquando ſaltem vniuerſaliter non fuerunt in vſu: propterea Paludanus *in 4. diſt.* 15. *q.4. art.3. concl.2.* docet non eſſe ieiunandum in peruigiliis *SS. Bartholomæi, Iacobi maioris & Matthiæ* ex præcepto, niſi vbi præceptum ſit conſuetudine receptum: proinde quiſque debet ſequi conſuetudinem ſuæ diœceſis.

Syluest. Fagund. Paſqualig.

In vigilia Pentecoſtes ſecundùm communem ſententiã ieiunium non eſt de iure; quia nullibi reperitur præceptũ de tali ieiunio: obligat tamen ex conſuetudine habente vim legis. Idem dicendum de vigilia *S. Ioannis Baptiſtæ, Sancti Laurentij & Omnium Sanctorum*, teſtibus Sylueſtro *c. n.5.* Syluio *c. art.5. quæſt.*7. Fagundez c. *cap.5. nu.9. &* 10. & aliis. Licet quidam dubitent, an hæc conſuetudo introducta fuerit cum animo ſe obligandi, an verò tantùm ex deuotione, vide Paſqualigum *c. decif.* 171. 172.

Quando vigilia S. Ioannis Baptiſtæ incidit in feſtũ corporis Chriſti, anticipandum eſt ieiunium die immediatè antecedenti, nempe feria quarta, prout ieiunaretur in ipſa vigilia. Ex Conſtitut. Vrbani VIII. edita die 13. Octobris anni 1638. quæ incipit, *Cum euenirc.* Hæc conſtitutio non indulget talem anticipationem ieiunii, ſed præcipit, vt conſtat ex tenore ipſius: ideò obligat ſub mortali. Porrò in aliis vigiliis non eſt obligatio ieiunandi, niſi peculiaris aliqua conſuetudo alicubi recepta ſit, ſub obligatione.

Epiſcopus poteſt tranſferre huiuſmodi ieiunia in alium diem, dummodò id fiat ex rationabili cauſa. Ratio eſt, quia licet, quæ ſtatuuntur in iure canonico, non relinquãtur diſpoſitioni Epiſcopi, committitur tamen ipſi executio ipſorum, vnde in exequendo debet prudenter procedere. Idem poſſunt omnes Abbates & quicumque alii, qui exercent iura Epiſcopalia, ita vt exempti ſint à iuriſdictione Epiſcopi: cùm enim habeant iuriſdictionem fori Eccleſiaſtici, in hoc æquiparantur Epiſcopis. Eamdem authoritatem habent Prælati regulares reſpectu ſuorum ſubditorum: exercent enim reſpectu ipſorum iura quaſi Epiſcopalia, & ſunt executores iuris canonici reſpectu eorumdem, quia ſunt Ordinarii ipſorum.

Syluius. Bonac. Nauarr. Paſqualig. Fagund.

Ex dictis colligitur, quòd ſi in aliqua Eccleſia ſpeciali, aut loco alicuius Diœceſis contingat celebrari aliquod feſtum ſolemne, vt eſſet feſtum Titularis aut Patroni, & eodem die incidat ieiunium indictum à iure communi, poterit Epiſcopus pro iis, qui ſunt de illo loco, vel de illa Eccleſia, transferre ieiunium in alium diem. Vide Syluium 2.2. *quæſt.*147. *art.* Bonacinam *diſp. vlt. quæſt.* 1. *punct. vlt. nu.* 19. Nauarrum *cap.21. n.*11. Paſqualigum c. *decif.*179. Fagund. *præc.4. lib.1. cap.9. n.4.* & paſſim Canoniſtas in *cap. Conſil. de obſeruatione ieiuniorum*. Vnde valde probabile eſt Epiſcopum poſſe transferre ieiunium vigiliæ feſti S. Matthiæ Apoſtoli, vbi obſeruatur, in alium diem, quando incidit in duobus vltimis diebus Bacchanalium, quia adeſt cauſa valde rationabilis pro tali tranſlatione, vt nimirum vitentur tot peccata, quot committuntur in violatione ieiunii: Et Epiſcopus transferens, vtiliter gerit negotium

Layman. Paſqualig. Diana.

Eccleſiæ, vt ſentiunt Layman, *lib.4. tract.8. cap.3. num.9.* Paſqualigus c. *decif.*180. Diana *p.3. tract.6. reſol.66.*

5. Præceptum Eccleſiæ de ſeruando ieiunio, iuxta cõmunem ac receptam Doctorum ſententiam, ita obligat ad mortale, vt ſi abſque cauſa violetur, mortale nihilominus erit, quamuis id non ex conſuetudine, ſed ex aliqua tentatione & ſemel tantùm fiat. Tum quia res præcepta capax eſt huius obligationis, & Eccleſia abſolutè præcipit. Tum quia in *Cap. Conſilium de obſeruat. ieiuniorum*; declarat Pontifex, quòd infirmi vrgente neceſſitate diſpenſari poſſunt in ieiuniis. Vnde, cùm requiratur ſemper neceſſitas, vt ſolui poſſint ieiunia, ſignum eſt, præcipi ſub ſtricta obligatione, atque adeo ſub peccato mortali. Deinde violatores ieiunii quadrageſimalis abſque legitima cauſa, puniuntur pœna excommunicationis, vt conſtat ex *Can.*68. *Apoſt.* & aliis Conciliis; pœna autem grauis, & præſertim excommunicatio non imponitur, niſi vbi adeſt

D.Thom. Syluius. Syluester. Nau.

peccatum mortale. Ita Diuus Thom. 2.2. *quæſt.*147. *art.*3. Syluius ibidem *quæſt.1. concl.2* Sylueſter *c. quæſt.*1. Nauarrus c.21. *n.*13. & communiter omnes. Quod colligitur etiã ex *Cap. Quadrageſima*, & ex *Cap. Ieiunia, de conſecr. diſt.5.*

Si quis tamen putaret ſubeſſe iuſtam cauſam non ieiunandi, & ita bona fide comederet, non peccaret ſaltem mortaliter, quamuis in ea re fallatur, ſiueque ſenſualitati indulgeat, modò non ſit ignorantia craſſa, quæ dolo æquiparari poſſit. Ratio eſt, quia quando cenſetur adeſſe iuſta cauſa non ieiunandi, intentio non fertur contra legẽ, nec directè, nec indirectè; imò operatio eſt ſecundùm rectã rationem, nam recta ratio dictat, quòd liceat ſoluere ieiunium, quando exiſtimatur adeſſe cauſa ſufficiens ſoluendi, & ideò etiam operatio habet debitam rectitudinem. Ita

Bonac. Tolet. Sylu. Fernand. Paſqualig.

Bonacina *diſp. vlt. quæſt.1. punct. vlt. n.*20. Toletus *lib 6. cap.* 4. Syluius c. *art.4.* Fernand. *p.2. cap.8. §.2. num.*14. Paſqualigus *c. decif.*353. & alij.

Dubium primum eſt, an Religioſi exempti teneantur ieiuniis ab Epiſcopo præſcriptis in diœceſi, intra cuius terminos poſitum eſt Monaſterium? Communior ſententia eſt negatiua. Ratio eſt, quia huiuſmodi Religioſi non ſubſunt Epiſcopis, ſed ſunt immediatè ſubiecti Sedi Apoſtolicæ, & proinde ſunt extra iuriſdictionem ipſorum, ergo quando indicunt ieiunia, ſicut ipſorum iuriſdictio non extenditur ad regulares, nec etiam extẽditur obligatio, quia obligatio, quæ originatur ex iuriſdictione, non excedit limites iuriſdictionis. Ita Suares *de leg. lib.4. cap.* 20. Salas *de leg. quæſt.96. tract.14. ſect.4. n.*43. Azor. *p.1. lib.7. cap.19. q.*2. Portel. *in dub. reg. ver. Feſti dies.* Diana *p.1. tract.9. reſ.*36. & alij. Si tamen ieiunia generali conſuetudine recepta ſunt, ſeruari debent etiam à Religioſis exemptis: quia generalis conſuetudo omnes, generaliter obligat, igitur obligat & Religioſos: etſi non obligentur ex vi legis Epiſcopalis. Ratione tamen ſcandali alioquin eueniri, poſſent quoque regulares obligari ad noua ieiunia per Epiſcopos indicta. Vt notant Doctores citati.

Suar. Salas. Azor. Portel. Dian.

Dubium ſecundum, an Religioſi teneantur ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitates? Affirmant Sãchez *lib 4. moral. c.*15. *n.*21. Portel *verb. Feſti dies in Addit. n* 4 Lezana *tom.1. ſum. cap.11. n.*3 qui tale votum eſt emiſſum pro communi omnium vtilitate, & Religioſi participant de hac vtilitate, & de bonis populi. Non eſt tamen improbabile illos non teneri Ratio eſt, quia votum cõmunitatis non obligat, niſi quatenus aliorum voluntates ſunt quodammodo in volũtatibus vouentium, aut ex vi cuiuſdam pacti, cuius obligatio tranſit ad ſucceſſores. Cõmunitas autem Religioſorum, cùm ſit diſtincta, tam à communitate laicorum, quã clericorum, non poſſunt voluntates ipſorum eſſe vllo pacto in voluntatibus vouẽtium, nec ſimiliter poſſunt teneri ad pactum, quòd circa hoc faciunt, ſicut nec etiam tenentur ad alia pacta cõmunitatis. Tum quia votum non obligat, niſi emittentẽ, & eos, quos emittens poteſt obligare. Sic ſi ego voueã pro ſalute amici, non tenetur ille amicus ad tale votum. Ita Bordonus *in conſil. reg. reſol.*18. *nu.*5. Paſqualigus *c. decif.*191. qui nouiſſimus *decif.*193. docet nec Moniales teneri ad ieiunia loci, quæ ſunt ex voto, niſi cõſentiant ſpecialiter in talia vota & accedat etiam conſenſus Epiſcopi: tunc obligaret ieiunium non ſolũ emittentes de illo votum, ſed etiam pro tẽpore ſuccedentes, nã eſſet eadẽ ratio de ipſis ac de cõmunitate.

Sanch. Portel. Lezana.

Bordonus Paſqualig.

6. Cauſæ excuſantes à ieiunio reuocari poſſunt ſecundùm Doctores ad tria capita, *Impotentiã, Laborem & Pietatem.* Impotentia duplex eſt, Phyſica & Moralis. Impotẽtia *Phyſica* contingit, quando quis non poteſt abſolutè ieiunare: *Moralis* contingit, quando non poteſt abſq; notabili damno ieiunare: ideo ob impotentiam moralem excuſantur *infirmi*, & ſub nomine *infirmorũ* comprehenduntur etiã conualeſcentes, qui nondum recuperauerunt priſtinas vires deperditas, ex præcedenti morbo. Ratio eſt, quia cõmunis ſenſus ita interpretatur legem, vt noluerit Eccleſia obligare infirmos, nec conualeſcentes. Et id habet locum, etiamſi infirmitas ex propria culpa contigerit: quacumque enim cauſa proueniat infirmitas, ſemper corpus eſt tale, vt caſtigatio ipſius per ieiunium ſemper euadat indiſcreta, & irrationabilis. Inſuper ſi ieiunium cauſaret aliquem morbum, nempe capitis vertigines, ſtomachi ventoſitates affligentes, aut quid ſimile, ceſſaret obligatio ieiunandi: Item quando ieiunium impedit conſuetas functiones: hoc autẽ impedimentum non debet neceſſariò eſſe tale, vt abſolutè impediat, ſed ſufficit quomodocumque impediat, ne poſſint commodè exerceri: vt eſſet dolor capitis aut quid ſimile. Sub nomine *infirmorum* comprehenduntur etiam

valetudinarij, qui nimirum non habent aliquem actualem morbum,ſed ſunt complexionis malè affectæ, & proni ad actualem morbum: quia praua illa affectio complexionis æqui paratur continuo morbo, nam reddit corpus debile. Item qui habent ſtomachum debilem, & non poſſunt in vnica refectione tantum cibi ſumere, quantum ſufficiat ad commodè nutriendum corpus: quia videlicet illa quantitate ſtomachus nimis grauatur, & difficilè cõcoquere poteſt. In tali caſu ieiunium euadit nimis oneroſum, & afflictiuum corporis extra terminos rationis. Item qui nocte dormire non poteſt, niſi cœnet, non tenetur ad ieiunium: quia ſubtractio ſomni valde nocet corpori, impedit cõcoctionem cibi, & diſponit ad infirmitates. Non ſufficit tamen quòd parum impediatur; nec etiam requiritur, quòd totaliter impediatur; ſed ſolũ, quòd notabiliter impediatur per maiorem partem temporis, quo quilibet cõſueuit dormire. Idem dicendum, ſi quis noctu calefieri nõ poſſit, niſi cœnet: quia quando impeditur nocturna calefactio, non ſolùm corpus patitur illud præſentaneum incommodum, ſed etiam impeditur tranſpiratio, quæ neceſſaria eſt ad cõſeruandam ſanitatem: & proinde conſurgit notabile damnum, cum quo præceptum ieiunij non obligat. Debet tamen eſſe notabile impedimentum, ſcilicet, quando talis frigus percipitur, quod cenſeatur conſtituere corpus in tali ſtatu, vt indigeat ſubleuamento. Proinde quando quis non poteſt noctu dormire, aut calefieri, niſi cœnet, non tenetur mane ſumere collatiunculam, & differre refectionem ad horam cœnæ: quia in ieiunio quilibet habet ius ad ſumendam principalem refectionẽ in meridie, nec tenetur quis ſe priuare hoc iure, vt ieiunet. Hæc ex Doctoribus hic citatis D. Thoma *in 4.d.15.q.3.art.2.quæſt.4.* Syluius 2.2.*quæſt.* 147.*art.4.* Bonacina *c.diſp.vlt.quæſt.1.punct.vlt.n.1.* Paſqualig.*c.deciſ.*261.263.264 & 265. Leſſius *lib.4.cap.2.dub.6.* Sanchez *l.5.opuſcul.moral.cap.1.dub.14.* Anglez *in Flor. quæſt.6.de ieiunio diffic.8.* Sanc. *in ſelect. diſp.54.num.13.* Diana *part.1.tract.9.reſ.51.* & alijs.

D. Thom. Syluius. Bonac. Paſqualig. Leſſius. Sanch. Anglez. Sanc. Diana.

Fœminæ grauidæ aut lactantes non obligantur præcepto ieiunij. Quia non ſolùm habent ſubſtentare ſeipſas, ſed etiam infantulum, vnde cibus debet eſſe ſufficiẽs pro duabus perſonis. Et in fœminis grauidis militat ſpecialis ratio, quia ſæpe vehemẽtiſſimè appetunt aliquos ſpeciales cibos & ſi non poſſunt ſatisfacere appetitui, imminet periculum proli. Ita Nauarrus *cap.21.n.16.* Syluius *c.num.24.* Syluius *cap.art.4.* Diana *c.reſol.14.* & omnes communiter.

Nauar. Syluius. Diana.

An autem omnes prægnantes & lactantes abſoluantur à ieiunio, dubium eſt, quia fieri poteſt, quòd aliquæ ſint ita robuſtæ, quòd poſſint in vnica refectione ſumere, quantũ ſufficit alimenti & ſibi & proli. Seu dicendum eſt, quod in dubio, adhuc abſoluitur ab obligatione ieiunij, quia in dubio non debent ſe exponere periculo nocendi infantulo. Si verò robuſtæ ſint, ita vt vnica refectione poſſint ſeipſas & infantulum ſuſtentare, quidam putant obligari ad ieiunandum, quia in ipſis ceſſat cauſa, ob quam cenſentur aliæ diſpenſatæ. Alij tamen docent & meritò prægnantes & lactentes excuſari, nec vllam adhibent limitationem: quia ſicut lex non fertur pro ijs, quæ raro eueniunt, ſed quæ vt plurimùm accidunt, *L. Ex his. L. Nam ad ea, ff. de legibus.* Ita etiam interpretatio legis facta per conſuetudinẽ, quod aliquod genus perſonarum, non comprehendatur ſub lege non reſpicit, quæ raro eueniunt in illo genere perſonarũ, ſed quod vt plurimùm fit: ideo cum vt plurimum pregnãtes & lactantes non poſſint ieiunare abſque preiudicio infantuli, debent omnes cenſeri immunes. Imò illas peccare docent Caietanus 2.2.*quæſt.147.art.5.* Syluester *c.num.24.* Nauarrus *cap.21.num.16.* & alij, ſi ieiunent, niſi ſint ita robuſtæ, vt vnica comeſtione ſatisfacere poſſint ſibi & infãtulis: hęc ſententia admittenda eſt pro vno aut altero die, ſi ſint bonę complexionis: ſed ſi ieiunia continuentur ſupra duos dies, non poſſunt excuſari à mortali, & ideo præcipiendum eſt illis vt non ieiunent, quia ſe exponunt periculo valde probabili, quòd damnum notabile infantulo ſequatur. Ita Roſella *verb Ieiunium num.17.* Azorius *lib.7. cap.17.quæſt.6.* Paſqualigus *c.deciſ.286.*

Caietan. Sylue. Nauar.

Roſella. Azor. Paſqualig.

Regulariter autem prægnantes & lactantes non poſſunt comedere carnes in diebus ieiuniorum, quia poſſunt ſe & infantulum ſuſtentare cibis in ieiunio permiſſis; ſi tamen pręgnantes vehementer appetant carnes, debent illis in tali caſu concedi, quia talis appetitus, niſi ſatietur, periculoſus eſt proli & poteſt cauſare abortum Bonacina *c. punct. vlt.num.3.* Filliucius *tract.27.part.2.num.114.* Cęterum prægnantes infirmę complexionis habent rationabilẽ cauſã, vt cũ ipſis diſpenſetur in pręcepto abſtinẽdi à carnibus.

Bonac. Filliuc.

An autem mulier pręgnans poſſit & teneatur ieiunare cum periculo prolis, ad vincendas carnis tentationes? Dicendum eſt, quòd non: quia talis poteſt, ſi vult, reſiſtere tẽtationibus etiã ſine ieiunio, quia hoc non eſt mediũ neceſſarium: vnde ordo charitatis non exigit, quòd nobis prouideamus per ea media, quæ ſunt noxia proximo, quando non ſunt neceſſaria, ſed per alia prouidere poſſumus. Diana *p.tract.9.reſol.30.* Paſqualigus *c.deciſ.289.* contra Fernandez *p.4.c.12.§.6.*

Diana. Paſqualig. Fernand.

Ob impotentiam moralem excuſantur à ieiunio etiam *ſenes*: quia ſenectus ipſa eſt morbus & quidem incurabilis: ętas autem qua incipit hęc ſenectus, nõ eſt determinata in iure: quia ſtante varietate complexionũ ſenectus nõ ſemper eodem tempore incipit in omnibus, cũ alij citiùs, alij tardiùs incipiãt pati diminutionem virtutis, & caloris naturalis. Quidam docent ętatẽ ſeptuagenariam eſſe terminum, in quo ceſſat obligatio ieiunij: quia ſicuti ſeptuagenarij excuſantur in iure ciuili ab oneribus perſonalibus, *L. vnica C. Qui ætate lib.10.* ita etiam excuſantur à ieiunio, cũ leges Canonicæ non ſint minùs mites, quàm ciuiles. Ita Syluester *verb. Ieiunium quæſt.6.* Roſella *num.15.* Tabiena *quæſt.17.num.18.* Reliqui tamen omnes ferè conueniunt excuſari ordinariè etiam ſexagenarios, hac enim ætate, eſt media ſenectus iuxta Medicos, in qua natura facilè inedia & repletione grauiter lędintur: attendendas tamen eſſe vires, & robur complexionis, quia ſi vires ſatis firmę ſint, & complexio robuſta, non excuſari. Ita Nauarrus *cap.21.nu.16.* Layman *lib.4.tract.8.cap.3.* Leſſius *lib.4.cap.2.num.41* & alij. Quamuis probabilis etiam ſit ſententia docens, in ętate ſexagenaria ſenes, licet viribus polleant, excuſari à lege ieiunij. Tum quia ſanitas ſenum non eſt firma & conſtans, quamuis robuſta videatur, ſed fallax & incerta, mediaque inter morbum & ſanitatem. Tum quia licet aliqui ſexagenarij validi & fortes videantur; tamen eorum natura prolabitur, & ad interitum tendit, atque adeò adminiculo cibi frequentiùs ſumpti indiget, vt non tam pręſenti ſtatui, quàm futuro conſulatur. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7.d.52.num.17.* Portel *in dub. reg. verb. Ieiunium num.5.* Sà *eodem verb.num.9.* Angles *4.p.1.quæſt.6. diffic.6.* Diana *p.1.tract.9.reſ.20.* Sancius *diſp.54.n.8.*

Syluester. Roſella. Tabiena.

Nauarr. Layman. Leſſius.

Sanc. Portel. Sà. Angles. Diana. Sancius.

Mihi tamen probatur ſententia illorum, qui dicunt, nullam prorſus certam poſſe præſcribi ætatem, in qua lex ieiunij non obliget, ſed attendendum eſſe ad robur corporis & complexionis naturę, & iuxta eam iudicandum eſſe, atque adeo id totum arbitrio prudentis relinquendum: quia ſunt quippe nonnulli ſexagenarij ac ſeptuagenarii robuſtiores ac valẽtiores viribus, quàm multi quinquagenarii. Ita Rodriquez *in Bull.cruc.§.6.dub.2.* Medina *C.de ieiunio quæſt.9.* D. Antonin. *2.p.tit.6.cap.3.§.6.* Fagundez *præc.4. lib.1.cap.8.n.9.* Syluius *c.art.4.* Aduertendum tamen, quòd licet ſenes ratione ętatis excuſentur à ieiunio, tenentur tamen abſtinere à cibis prohibitis in ieiunio, niſi ex alio capite iis indigeant: quia cibi prohibentur diſtincto pręcepto: vt docent communiter Doctores.

Rodriq. Medina. D. Antonin. Fagund. Syluius.

Petes, an Religioſi ſexagenarii teneantur ad ieiunia regulę ſuę? Affirmant Ludouicus à S. Ioanne *1.part. ſum.tr. de ieiunio art.6.* Bordonus *in regul.reſol.18.nu.6.* quia obligatio regulę eſt voluntariè ſuſcepta. Nihilominus oppoſitum eſt probabile. Tum quia pręceptum regulę obligat inſtar pręcepti Eccleſiaſtici, & proinde ob eandem rationẽ ob quam ceſſat lex Eccleſiaſtica, debet etiam ceſſare lex religionis: vnde ieiunia regularia ſequuntur naturã ieiuniorum Eccleſię, & ij ſub iiſdem modis obligant, & ex iiſdem cauſis diſpenſantur. Hinc ieiunia v.g. in regula Fratrũ Minorum nõ tam voto promittuntur, quàm ſub pręcepto regulę cadunt, etſi eorũ obſeruantię, qui vouet regulam, ſe aſtringat, eo modo nimirum quo pręcipiũtur, & quo ieiunia obligãt. Tum quia nimis oneroſum eſſet, quod ſexagenarii Religioſi iam laboribus regularibus confecti, & cõtinuo regularis obſeruantię pondus portantes, ſubiiciantur etiã ieiuniis, ſi ſiquidẽ ſtante declinatione ętatis nimis opprimerentur cum periculo damni notabilis, & inhabilitatis ad obeunda munera religionis. Nec refert, quòd adoleſcẽs ante vigeſimum primum annum ętatis v. g. in ordine Minorum

Lud. à S. Ioa. Bordonus.

norum profeſſus ad ieiunia regularia teneatur vt dicetur infrà. Reſp. negandam eſſe paritatem in vtroque caſu. Adoleſcens enim ille in ſæculo manens non excuſatur à ieiunio ratione infirmitatis, aut debilitatis, ſed ex mera indulgentia ratione incrementi ſeu naturæ creſcentis: vnde ſupponitur eſſe ex ratione ætatis potens ad ieiunandum ſaltem poſt annum ætatis 15. & 16. quo religioni eſt aptus: hinc ſi vel voueat, vel obedientiæ ſe addicat in religione tenebitur ad ieiunia regularia, quia illi indulgentiæ & priuilegio voluntariè ceſſit. Aliud eſt autem de fratre ſexagenario: ſupponitur enim ex communi defectu ætatis impotens & infirmus. Ita probabiliter Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 8. Petrus Marchantius *tom.* 2. *Tribunal. Sacram. tract.* 12. *tit.* 3. *quæſt.* 4. Hieronymus Rodriquez *in compen. reſol.* 75. *n.* 10. Paſqualigus *c. dec.* 259. Tamburinius *tom.* 2. *de iure Abbat. diſp.* 12. *quæſt.* 5. *num.* 7. Cæterum in noſtra ſacra religione per quadraginta ferè annos nullos ſexagenarios vidi ſe eximentes ab onere tam ieiuniorum Eccleſiaſticorum, quàm regularium, niſi aliqua alia infirmitate preſſos.

Sancius. P. March. Rodriq. Paſqualig. Tambur.

A ieiunio excuſantur etiam *pauperes*, qui propter paupertatem alimento carent ſufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij ſumendam. Ratio eſt, quia, quando non adeſt ſufficiens refectio, ieiunium eſſet nimis oneroſum, & præter intentionem Eccleſiæ, quæ non intendit, quòd ſubtrahatur corpori, debitum alimentum, ſed ſolùm quòd maceretur per ſubtractionem multiplicis refectionis & qualitatis ciborum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *ad* 4. *& in* 4. *d.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 2 *quæſt.* 4. Syluius *c. art.* 4. Azorius *c. lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 7. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 211. & alij cõmuniter. Hinc pauperes mendicantes ſunt regulariter excepti è ieiunio; quia ferè nunquam habent congruentem refectionem, cùm ipſis deficiat, aut quantitas aut qualitas ciborum: ſi tamen pro aliquo die habeant congruentem ſubſtentationem, tenentur illo die ieiunare: quia ceſſante cauſa ſoluente obligationem præcepti, incipit ligare præceptum.

D. Thom. Syluius. Azor. Reginald.

Sed petes, quænam cenſenda ſit congruens refectio? Reſp. non ſufficere panem in quantauis quantitate, ſicut nec etiam fructus, & olera, ſed requiri cibos, qui ſint maioris nutritionis, vt notant Angles *quæſt.* 6. *de ieiunio diffic.* 9. Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 15. quia cibi prædicti moraliter cenſentur incongrui, & ſufficientes ad completam ſubſtentationem. Similiter veſcens ex conſuetudine pane cum alio, cepis & alijs huiuſmodi cibis non tenetur ieiunare: etiamſi veſcatur his cibis vt ſuponat aliquid ob ſuas vel ſuorum neceſſitates, vel familiæ, vel ob dotandas filias, vel ob alium huiuſmodi finem. Ratio prioris eſt, quia non habet congruum alimentum pro vnica refectione: & talis plus maceratur cum multiplici refectione comedendo ſolùm tales cibos, quàm cum vnica refectione & vtendo cibis commodis & congruentibus. Ratio poſterioris, quia licet poſſet ſibi prouidere de cibo congruenti, id tamen non fieret ſine notabili incommodo: quia ſepoſitio pecuniæ ordinantur ad ſubueniendum neceſſitatibus proprijs & ſuorum. Ita Paſqualigus *c. deciſ.* 279.

Angles. Sanch. Paſqualig.

Imò liceret pauperibus vſus carnium, ſi alium cibum inuenire non poſſent. Tum quia Eccleſia non obligat cum graui incommodo. Tum quia lex poſitiua humana non obligat, quando agitur de conſeruanda vita. A fortiori iſti pauperes oſtiatim mendicantes poſſunt comedere oua & lacticinia, quæ iſtis dantur, quando aliàs ſunt probibita. Ratio eſt, quia cùm mendicantes oſtiatim non habeant vnde ſoſtententur, niſi ex ijs, quæ ipſis dantur, quæ non præſumuntur excedere debitam ipſorum ſuſtentationem, poſſunt, quæcunque ſint, ea comedere ratione neceſſitatis, quę ipſos ſoluit ab obligatione legis. Vide Bonacina *c. punct. vlt. n.* 5. Toletus *lib.* 6. *cap.* 4. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. Rodriquez *tom.* 1. *ſum. cap.* 23.

Bonac. Telet. Henriq. Rodriq.

Sed dubium eſt, ſi quis haberet panem, quo poſſet vitam ſubſtentare, ſed non haberet alios cibos conceſſos, an tunc poſſet veſci carnibus? Dicunt quidam non poſſe, ſi per vnicum tantum diem careret alijs cibis, ſed deberet contentus eſſe ſolo pane, ſecus ſi deberet carere per plures dies. Ita *Angles, Vega*. Non eſt tamen improbabile poſſe in hoc caſu loco ciborum conceſſorum veſci carnibus. Quia lex in tantum prohibet carnes, in quantum relinquit alios cibos, quibus commodè cibari poſſumus, ergo habemus ſufficiens fundamentum ad interpretandum, quòd non obliget, quando non reliquuntur ij cibi, quos lex præſumit relinqui: tum quia ceſſat intentio legis, quæ intendit moderatam tantùm abſtinentiam: tum quia lex fieret nimis oneroſa abſque noua cauſa. Ita Paſqualigus *c. dec.* 49.

Paſqualig.

Excuſant etiam *Pueri & adoleſcentes* vſque ad finem tertij ſeptennij; ita vniuerſalis conſuetudo præceptum hoc interpretatur. Quia cùm vſque ad illud tempus magis augeſcat corpus, eget copioſo alimento, vnde ſæpiùs capere cibum debent ob abundantiam caloris, ne accretio & perfectio naturæ intercipiatur. Vnde Eccleſia non intendit eos obligare, quia non obligat ad ea, quæ nimis oneroſa ſunt, & excedunt moralem potentiam, etiamſi alioquin futura ſint vtilia, vt eſſet ieiunium pro motibus carnis coercendis, etiam ante vigeſimum primum annum; quia non intendit omne, quod vtile eſt; ſed vt etiam, quòd non ſit nimis oneroſum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *ad* 2. Syluius *ibi. art.* 4. *verſ. Primus eſt.* Nauarrus *c.* 21. *num.* 16. Sancius *ſelect. diſp.* 54. *num.* 1. Lezana *in ſum. verb. Ieiunium n.* 6. & omnes.

D. Thom. Sylu. Nauar. Sanch. Lezana.

Tenebuntur tamen pueri & adoleſcentes ante vigeſimum primum annum ieiunare, volentes lucrari Iubilæum ſub onere ieiunij conceſſum, vel ſi à Confeſſario imponatur pro pœnitentia ſacramentali ieiunium, vel ob placandam iram Dei, ob gratias agendas pro aliquo inſigni beneficio, ob implorandum diuinum auxilium in aliqua graui neceſſitate. In his enim caſibus viget ſpecialis ratio, ob quam non debet excludi illa ætas. Ita Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. Paſqualigus *c. dec.* 247. Sancius *c. num.* 6. Fagundez *præc.* 4. *c.* 8. *num.* 5.

Sanch. Paſqualig. Sancius. Fagund.

Certum eſt etiam apud omnes, quòd pueri & adoleſcentes poſt ſeptennium, adepto rationis vſu, obligentur ad qualitatem ciborum; ita vt non poſſint cibis in die ieiunij vetitis veſci: quia præcepto negatiuo de non comedendis carnibus in die ieiunij, tenentur homines poſtquam ad rationis vſum peruenerunt, niſi alia iuſta de cauſa excuſentur. Dubium tamen eſt, an liceat pueris miniſtrare carnes, quando prohibentur antequam ſeptennium compleuerint? Reſpondent negatiuè, vbi nõ eſt conſuetudo. Lopez 2. *part. inſtruct. cap.* 212. Syluius *c. art.* 4. quia debet erga ipſos ſeruari praxis Eccleſiæ. At licitum eſſe ijs miniſtrare carnes, ſiue adſit conſuetudo, ſiue non, docent Sancius *in ſelect. diſp.* 51. *n.* 31. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 42. Caſpenſis *tract. de leg. diſp.* 4. *num.* 25. Fagundez *præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 8. Paſqualigus *c. deciſ.* 50. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 12. *num* 9. & alij ab ipſis citati: & à fortiori oua.

Lopez. Syluius. Sancius. Diana. Caſpenſis. Fagund. Paſqualig. Sanch.

Ratio eſt, quia cùm paruuli ante ſeptennium nulla obligentur lege, nec etiam obligantur conſuetudine, quæ habeat vim legis. Tum quia nec ipſi comedendo peccant; neque talis ſubminiſtratio interdicta eſt; quia non fit in actione, quæ ſit eis aliquo modo prohibita, ſed in actione honeſta & de ſe bona. Hæc ſententia eſt probabilis. Ob eamdem rationem licet miniſtrare carnes, quando prohibentur infidelibus, vt notant Authores relati: quia infideles non ſubſunt legibus Eccleſiaſticis tanquam ij, qui ſunt extra Eccleſiam: vnde non eſt illis prohibitum, comedere carnes in quacumque die, & proinde miniſtrans non concurrit ad aliquid illicitum. Ex qua tamen ſententia non infertur, licerè perpetuò amentes vel pueros carentes rationis vſu prouocare ad turpia inter ipſos exercenda, vel ad aliquid aliud contra legem naturalem; quia illa actio, cùm ſit intrinſecè mala ex natura ſua, omnibus illis eſt prohibita: quamuis ob defectum rationis, & diſcurſus, culpa illis nõ imputetur.

Verùm licet Eccleſia non obligauerit adoleſcentes ad ieiunium ante vigeſimum primum annum, nihilominus Cõfeſſarij, aut alij quibus adoleſcentum cura demandata eſt, debent eos inducere ad ieiunium, prout expedire iudicauerint; vt incipiant aſſueſcere ieiunijs, & turpes motus carnis illecebras cõprimant, vt monet Sãcius *in ſelect. diſp.* 54. *n.* 7.

Dubium primum eſt, an adoleſcentes religionum Fratrũ Minorum profeſſi, teneantur ad ieiunia ſui Ordinis, antequam expleuerint annum ætatis vigeſimum primum? Quidam enim ambigunt, & ratio dubitandi eſt, tum quia omnis rationabilis cauſa, quæ excuſat à ieiunijs præceptis, excuſat pariter & à ieiunijs votiuis, puta, infirmitas, debilitas, ſenectus, defectus cibi, neceſſitas, & maius bonum; & hic defectus ætatis excuſat à ieiunijs præceptis; ergo & à ieiunijs votiuis; ergo hi adoleſcentes ad regularia

Digitized by Google

ieiunia non tenentur ratione voti & regulæ promiſſæ. Tum quia regula Minorum dicitur, quòd Fratres tempore manifeſtæ neceſſitatis non teneantur ieiunio corporali; ſed trinum iſtud ſeptennium vſque ad vigeſimum primum annum completum eſt tempus manifeſtæ neceſſitatis; ergo hoc tempore fratres ieiunio corporali non tenentur. Propter has & ſimiles rationes ſententiam hanc amplectuntur Medina *lib. 1. ſum. cap.* 14. §. 10. Graffis *part. 1. lib. 2. cap. 37. n.* 42. Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. diſp. 12. quæſt. 4. num.* 4.

Medina. Graffis. Tambur.

Nihilominus dicendum eſt, prædictos adoleſcentes ad prædictæ regulæ ieiunia teneri: tum quia hi in minori hac ætate conſtituti, poſſunt expreſsè explicitum votum emittere de ieiunando Quadrageſimā, & de ieiunando Aduentum ſingulis annis. Tum quia hi adoleſcentes ſimpliciter ieiunare valent, quamuis non ita commodè. Et quamuis à regulari præcepto de ieiunio excipiatur neceſſitas ex labore aliquo proueniens, & quamuis in ætatis defectu ſit ſimilis, vel vrgentior ratio, tamen hæc cauſa non cenſetur excepta, quia ipſi ſua ſponte in hac ætate ſe huic regulæ ſubmiſerunt: & conſuetudo ordinis à temporibus antiquis interpretata eſt hoc præceptum mox poſt emiſſam profeſſionem hos adoleſcentes obligare. Ita Rodriquez *tom. 2. quæſtionem reg. quæſt.* 100. *art.* 1. Syluester *verb. Ieiunium num.* 18. Syluius 2. 2. *quæſt.* 147. *artic.* 2. Croulers *ad c. 3. reg. S. Franc. lect. 6. fol.* 290. Bordonus *in conſil. reg. reſol.* 18. *num.* 6. Portel. *verb. Ieiunium num. 2. in dub. reg.* Lezana *ver. Ieiunium num.* 6. Diana *part. 1. tract. 9. reſol.* 16. & alij communiter apud *Paſqualigum deciſ* 254. licet in contrariam ſententiam inclinet.

Rodriq. Sylueſt. Croulers. Bordonus. Portel. Lezana. Diana.

Ad aliam autem rationem opinionis contrariæ, dicendum eſt, quòd his adoleſcentibus defectus ætatis, non eſt moralis neceſſitas, propter quam à ieiunijs his votiuis excuſentur, quia promittendo regulam iſtam, ſuo iuri voluntariè renunciauerunt.

Notandum tamen eſt, hos adoleſcentes ante vigeſimum primum ætatis annum expletum, ad ieiunia Vigiliarum & Quatuor temporum, non plus obligari, quàm cæteri fideles: non enim aſtringuntur ex præcepto regulæ, vt patet: nec ex præcepto Eccleſiæ propter ætatis defectum, ergo. Ita *Rodriquez cap. art. 6. & Portel.*

Secundum dubium eſt, an qui vouit ſe ieiunaturum certis diebus hebdomadæ, vel anni, in perpetuum ſeu toto vitæ tempore, excuſetur, poſtquam ad ſexageſimum ætatis annum peruenerit? Negat Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num.* 2. Quia cùm votum ſit perpetuum, & emiſſum pro toto tempore vitæ, debet eiuſmodi obligatio durare toto tempore vitæ. Et licet hoc votum obliget inſtar præcepti Eccleſiaſtici, quod attinet ad formam & modum ieiunandi, non item quòd attinet ad perſonas. Qui enim præcepto Eccleſiaſtico non obligantur, ij propria voluntate ſe obligare poſſunt ad ieiunandum, vt dictum eſt de adoleſcentibus vouentibus ieiunare iuxta regulam S. P. N. Franciſci. Ergo ſimiliter, tametſi ponamus ſexagenarios etiam robuſtos, liberari lege Eccleſiaſtica ieiunij, non obſtat tamen, quominus ad ieiunandum ea ætate voluntario voto ſe aliquis obliget: idque ipſo facto facere præſumitur, quando vouet, ſe perpetuò ſeu toto vitę ſuę tempore ieiunaturū, quamdiu ſine notabili corporis detrimento ieiunare poteſt. Hæc ſententia mihi maximè placet ob rationes quibus fulcitur. Attamē cōtraria non caret probabilitate (licet improbabilem illam vocet *Layman.*) Quia votum ieiunij obligat inſtar legis Eccleſiaſticæ de ieiunio: atqui Eccleſiaſtica lex ieiunij communiter, lata, non obligat ſexagenarios, ſecundùm probabilem quorumdam ſententiam; Ergo nec obligabit votū, niſi aliter ex intentione vouentis conſtat. Et ſicuti præceptum Eccleſiæ ceſſat obligare, quando obligatio eſſet nimis dura; ita etiam votum, quia non plus vouens cenſendus eſt ſe obligare, quàm ſoleat obligare, legiſlator habens poteſtatem obligandi: nam legiſlator intendit obligare quantùm ſubditus rationabiliter obligari poteſt. Nec obſtat, quod votum ſit emiſſum pro toto tempore vitæ; quia intelligitur de toto illo tempore, in quo vouens eſt capax rationabiliter talis obligationis, atque adeò iuxta menſuram obligationis præcepti Eccleſiaſtici. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap.* 11. *num.* 54. Bonacina *c. punct. vlt. num.* 4. Diana *par. 1. tract. 9. reſol.* 20. Paſqualigus *c. deciſ.* 260. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp. 12. quæſt. 5. num* 7. Portel *v. Ieiun. num.* 5.

Layman. Sanch. Bonacina. Diana. Paſqualig. Tambur. Portel.

Si quis autem voueret ſe ieiunaturum certis diebus toto vitæ ſuæ tempore etiam in ſenectute poſt annum ſexageſimum: votum ex natura ſua obligaret, quia obligat, quantùm ſe extendit intentio vouentis. Ex alio tamen capite poteſt non obligare, ſi nimirum ſenectus ſit adeò debilis, vt non poſſit ſine graui damno ſuſtinere tale onus; cenſetur enim tale votum emiſſum ex ſuppoſitione, quòd ſenectus ſit futura ſatis robuſta & poſſit reſiſtere oneri: vnde ſi eſt diuerſa, ac expectabatur, cenſetur variatum ſubiectum obligationis, atque nec inducta obligatione pro illo ſtatu, vt bene aduertit *Paſqualigus* citatus.

In Bullis Cruciatæ à temporibus Pij V. diſpenſatur cum Religioſis præfatæ ætatis ſexagenarijs, non in ieiunio, ſed ad veſcendum ouis & lacticinijs, vt tradunt Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp.* 32. *num.* 17. Portel. *c. num.* 5. Hieron. Rodriq. *reſol.* 75. *num.* 10.

Sanch. Portel. Rodriq.

Tertium dubium eſt, an Frater minor committat duplex peccatum frangendo ieiunium in ſexta feria intra feſtum omnium Sanctorum & Natiuitatem Domini, & intra Quadrageſimam vſque ad Reſurrectionem? Reſponſ. eſt negatiua, quia non facit contra duo præcepta; ſed tantùm contra vnicum, Eccleſiæ ſcilicet, quantùm ad Quadrageſimam, & Regulæ ratione Aduentus: extra enim id temporis, tantùm tenetur ſexta feria ieiunare: quia Regula Minorum non obligat ad ieiunium ſextæ feriæ intra Quadrageſimam ſpeciali præcepto, ſed communi Eccleſiæ, quo tenentur omnes fideles. Ita Rodriquez *tom. 2. quæſtionum reg. quæſt.* 100 *art. 8. in fine.* Ouando. *in 4. diſt. 26. propoſ.* 53. & poſt alios Hier. Rodriq. *reſol. 75. num* 9.

Rodriq. Ouando. Rodriq.

An autem duplex peccatum committat Frater Minor non ieiunans ſexta feria, in qua occurrit vigilia, vel ieiunium Quatuor temporum, dictum eſt ſuprà *verb. Circumſtantia num.* 14. § 111. vide Sancium in ſelectis. *diſp.* 11. *num.* 17. & Bordonum *in conſil. regul. reſol.* 18. *num.* 13.

7. Secunda cauſa excuſans à ieiunio, eſt, *Labor* cum quo non ſufficit laboranti vnica refectio in die ieiunij & hoc certum eſt apud omnes. Controuertitur tamen inter Doctores, an labor corporalis voluntariè ſuſceptus abſque vlla neceſſitate, eximat ab obligatione ieiunandi, ſi cauſet tantam laſſitudinē, quę de ſe valeat excuſare à ieiunio? Quidā docent laborē nō neceſſariū non extinguere obligationē ieiunandi. Alij dicunt, quòd ſi præuideatur, vel debeat præuideri, quòd talis labor mediante laſſitudine impediet ieiunium, non poteſt ſuſcipi, & ſi ſuſcipiatur, peccatur mortaliter in cauſa contra præceptum ieiunij: ſi verò non præuideatur, aut non debeat præuideri, quod impediet ieiunium, tunc poteſt ſuſcipi, etſi inde proueniat notabilis laſſitudo, ſi non ieiunet, non peccabit, quia bona fide proceſſit. Ita De la Crux *in director. part. 1. precept. 3. art. 4. dub. 9. num.* 9. Filliuc. *tract. 27. part. 2. cap. 6. num.* 123. Rodriquez *part. 1. ſumm. c.* 23. *concluſ.* 6. Alij docent, quòd poteſt aſſumi talis labor, etiamſi præuideatur, quòd ſit ſuperuentura laſſitudo reddens impotentem ad ieiunandum. Hæc ſententia eſt cōmunior. Ratio eſt, tum quia præceptum ieiunij obligat tantùm eos, quod reperit potentes ad ieiunandum; non autem quos reperit impotentes: Vnde quando quis eſt factus impotens, non amplius ſubditur obligationi ipſius. Tum quia præceptum hoc obligat tantùm ad abſtinentiam ſecundùm talem formam præſcriptam, non autem ad conſeruandas vires corporales, ita vt valeat ieiunare: vnde cùm quiſquis ſit dominus propriarum virium corporalium, poteſt eas impendere in hoc, vel illud exercitium, prout libuerit: & ſi ex hoc fiat impotens ad ieiunandum, non facit contra præceptum ieiunij, quia vtitur iure ſuo & facit id, quod non prohibetur præcepto ieiunij. Ita Bonacina *tom. 2. diſp. 2. q. 8. punct. 1. num.* 16. Lublinius *part. 1. ſumm. verb. Ieiunium num.* 29. Diana *part. 1. tract. 9. reſ.* 40. & 52. Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 14. & 20. Layman *lib. 4. tract* 8. *cap. 3. num.* 5 Sanchez *lib. 5. conſil. c. 1. dub.* 7. Paſqualigus *c. deciſ.* 317. & alij ab ipſis citati.

De la Crux. Filliuc. Rodriq. Bonac. Lublin. Diana. Sancius. Layman. Sanch. Paſqualig.

Sed rogabis, an defatigatus ex labore voluntario aſſumpto ob finem inhoneſtum excuſetur à ieiunio? Reſp. quòd factus impotens ad ieiunandum ex labore ob turpem finē, aut non præuidens impotentiam, non peccat ſecundùm omnes. Si autem præuideat impotentiam, quidam docent talem peccare in caſu contra præceptum ieiunij; quia

præuidet,

Digitized by Google

præuidet, quòd talis labor erit cauſa non ieiunandi, atque adeò dat cauſam peccato. Ita *Rodriguez*, *De la Crux* citati ſuprà. Veriùs tamen eſt, ſolùm peccare contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhoneſtus, non autem contra præceptum ieiunij. Ratio eſt, quia non eſt volitum aliquid, quod tanquam cauſa contineat violationem præcepti de ieiunio, quando obligat; ſed ſolùm eſt volitum aliquid, quod cauſando impotentiam ad ieiunandum ſoluit obligationem ieiunandi. Rurſus præceptum ieiunij non obligat, vt quis ſe abſtineat à laboribus inhoneſtis, vt poſſit ieiunare, quia præcipit abſtinentiam ijs tantùm, qui poſſunt ipſam ſeruare, non autem impotentibus. Ita Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 23. *concl.* 6. Diana *part* 1. *tract.* 9. *reſ.* 40 Bonacina *c. num.* 16. Sancius *diſp.* 54. *num.* 20. & alij. Labor enim in actu turpi reddens impotentem ad ieiunandum non poteſt aſſumi, non ratione præcepti de ieiunio, ſed ratione turpitudinis: Vnde non ieiunans, quia impotens etiam ex actu turpi, non tenetur id in confeſſione explicare, ſed ſufficit, ſi explicet ſolum illum actum turpem.

Medina. Diana. Bonac. Sanc.

Sed quid ſi in fraudem ieiunij ſe defatigaret, peccaret deſiderio illo frangendi ieiunium; quia nimirum fit fraus præcepto, quod iam in intentione, & deſiderio frangitur. Nauarrus *cap* 21. *num.* 17. Bonacina *c. num.* 16. Layman *c. num.* 5. Sed ex doctrina Sancij *c. num.* 14. & 20. Diana *c. reſol.* 52. Paſqualig. *c. deciſ.* 320. & aliorum, contrarium eſſet dicendum: nam in tali caſu non interuenit fraus, ſed fuga quædam obligationis, quæ non ſufficit ad cauſandum peccatum: vt fraudetur autem lex, oportet, vt retineat ſuam vim obligandi, & fiat aliquid tanquam licitum, quod tamen ſit contra obligationem ipſius, licet Diana *p.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 11. mutauerit ſententiam.

Nauar. Bonac. Layman. Sancius. Diana. Paſqualig.

Ob laborem eximuntur à ieiunio quotquot labore ſuo victitant, cum quo probè ieiunium conſiſtere nequit: vt ſunt primò, agricolæ, fabriferrarij, vel lignarij, cæmentarij, argentarij in pecunijs cudendis, vel vaſis conficiendis laborantes, & omnes operarij, qui opera, & artes laborioſas exercent, vt ſunt *Textores*; eſt enim ars textoria valde laborioſa, cùm requirat magnam corporis, & continuam agitationem; ſignanter quando texuntur panni, ſiue lanei, ſiue linei, ſiue ſericei, aut alia huiuſmodi.

Piſtores, ſeu Furnarij excuſantur etiam à ieiunio; quia ars furnaria eſt valde laborioſa, & requirit vires robuſtas, & niſi cœnarent, debiles exiſterent pro illo labore.

Sutores conficientes calceos, ſecundùm probabilem ſententiam excuſantur: quia quamuis ſutores ſedentes laborent, magnum tamen conatum adhibent, & non ſolùm manus, & brachia applicant labori, ſed etiam crura, & pedes, vt contineant calceos, dum vtroque brachio ſuunt: vnde ex tali labore totum corpus laxatur, & cum continuus ſit, valde magnus cenſendus eſt. Idem dicendum eſt de ijs, qui calceos incidunt, vt poſtea tradant alijs conſuendos, ſi tota integra dies in hoc exercitio inſumeretur cum magna applicatione, & celeritate.

Coqui, qui pro pluribus habent parare fercula, ita vt inſumant totum diem in tali præparatione, & tractent cacabos, & ollas magnas, excuſantur à ieiunio, quia talis labor valde notabilis eſt, præſertim cùm ſit coniunctus cum motu diſcurrendi huc, & illuc. Accedit etiam quòd ignis, cui per bonam partem diei aſſiſtunt, aut ſaltem frequenter, ſicut valde calefacit corpus, ita etiam laſſat.

Molitores, per totum diem molentes, qui portant triticum, imponuntque molendino, colligunt farinam, & aſportant, atque alia huiuſmodi opera exercent, quæ neceſſaria ſunt pro molitione, excuſantur à ieiunio: quia requiritur magnus labor, & continuus. Si autem ſemel, aut bis imponant triticum molendino, & colligant farinam in modica quantitate, non excuſabuntur. Si autem triticum, & farina ſint in magna quantitate, ita vt habeant portare onera grauia, aut plura mediocria per multas vices; tunc labor grauis cenſendus eſt.

Fullones, *Lanarij*, *Coriarij* non ſunt obligati ad ieiunandum, quia hæ artes ſunt multùm laborioſæ: ſi per ſeipſos exerceant omnia opera artis: ſi tamen leuia quædam exercerent, & laborioſa facerent exerceri per alios, tunc non excuſarentur, nam tunc ceſſaret labor, qui eſt cauſa excuſans.

Circumeuntes ciuitatem cum mercibus venalibus liberi ſunt à ieiunio; ſi per totam diem circumeant; quia comparantur ijs, qui pedites iter agunt; talis enim circuitio valde defatigat corpus, vnde labor ſufficiens eſt, vt ſoluat obligationem ieiunandi: non eximentur autem à ieiunio ratione talis exercitij, ſi per modicum tempus ipſum exerceant, quia tunc labor non habetur pro conſiderabili, ratione breuis durationis. Plura de his operarijs vide apud Paſqualigum *cap. deciſ.* 290. 296. 297. 298. & *ſeq.* Leſſium *lib* 4. *c.* 2. Bonac. *de præc. Eccleſ. diſp. vlt. q.* 1. *punct. vlt. num.* 8. & *ſeq.* Fagund. *præc.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. Syl. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. Nauar. *cap.* 21. *nu.* 16. Lezana *v. ieiunium nu.* 8. Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 14. & 15. Dian. *p.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio reſ.* 7. 9. & alios.

Paſqualig. Leſſius. Bonac. Fagund. Sylu. Nauar. Lezana. Diana.

Hi omnes operarij exercentes artes laborioſas non tenentur ieiunare, iuxta communem ſententiam, etiamſi diuites ſint, & aliunde habeant victum, & conſueta incommoda familiæ. Fundatur hæc ſententia in declaratione *Eugenij IV.* anno 1440. apud Nauarrum *cap.* 21. *nu.* 16. Syluestrum *verb. Ieiunium q.* 9. Fagundez *præc.* 4. *l.* 1. *cap.* 8. *num.* 15. & 16. Sancium *c. num.* 14. & alios. *Opifices*, ſcilicet, *ſuas artes exercentes, aut Coloni, colendis ſerendiſque agris, aut alijs eiuſmodi rebus operam dantes, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes, ad ieiunia ſub peccato mortali, non tenentur, & à Confeſſarijs abſolui poſſunt, conſulendo illis, vt in eleemoſynis, alijſque pijs operibus occupentur.* Ita Eugenius IV. Ex dicto priuilegio putat *Fagundez* Pontificem omnes artifices indiſcriminatim excuſare, ſiue eis concedendo priuilegium non ieiunandi, ſiue declarando eos non comprehendi lege ieiunij: hanc tamen ſententiam non admittunt alij Theologi regulariter quoad quoſdam operarios, vt dicetur infrà.

Nauar. Sylueſt. Sancius.

Imò operarij non ſolùm excuſantur à ieiunio eo die quo laborant, verùm etiam eo die quo laborem intermittunt, vt ſi interueniat dies feſtus, & præſertim ſi ieiunando graue ſentirent incommodum ob laborem præcedentis diei, vel ſi redderentur inepti ad laborem ſequentis diei, iuxta iudicium prudentis viri. Quod tamen ita accipiendum eſt, vt id verum ſit, quando vno, aut altero die contingit ceſſare ab exercitio laborioſo: quòd ſi ceſſatio eſſet longior, tunc diebus intermedijs, excepto primo, & vltimo, obligaret ad ieiunium. Medina *l.* 1. *ſum. cap.* 14. §. 10. Syluius 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. Sanchez *l.* 5. *conſil. cap* 1. *dub.* 7. *num.* 10. Diana *c. reſ* 9. Paſqualigus *c. deciſ.* 293. & alij ab ipſis citati.

Medina. Sanch. Diana. Paſqualig.

Ob eamdem cauſam excuſantur ſuſcipientes iter pedeſtre: hic enim cenſetur grauis labor, & maximè debilitat, quia continuus motus exigit quòd abundanter ſpiritus animales ſubminiſtrentur inſtrumentis, quibus exercetur, & ideo cùm valde ſpiritus conſumantur, ſequitur notabilis debilitas, & laſſitudo, & ideo opus eſt maiori cibo ad reſtaurandum corpus. Ita communiter Doctores, & ſpecialiter Nauarrus *cap.* 21. *num.* 16. *in fine*, Toletus *lib.* 6. *c.* 4. *num.* 2. Bonac. *c. punct. vlt. num.* 11. Sancius *cap. num.* 21.

Nauarr. Tolet. Bonac. Sancius.

Sed dubium eſt, an debeat eſſe iter longum, an verò breue? Quidam ex Doctoribus citatis abſolutè loquuntur, nec definiunt dies; Alij volunt, quòd ſit iter plurium dierum: & hæc ſententia eſt probabilior: quamuis non ſit improbabile, quòd ſufficiat iter vnius diei, ſi in illo die contingat ieiunium, quia attendenda eſt præſens fatigatio, quæ cùm illo die ſit notabilis, eſt ſufficiens, vt ſoluat obligationem ieiunij: quia cauſa ſufficiens ad ſoluandam obligationem præcepti ſemper ſoluit, ſiue diu duret, ſiue parùm.

Quantum autem debeat eſſe iter pro ſingulis diebus, vt excuſet à ieiunio? Rodriquez *t.* 2. *quæſtionum reg. qu.* 100. *art.* 3. docet excuſari ab obligatione ieiunij conficientes iter ſex leucarum pedeſtres, & hoc regulariter, & vt plurimum; ea enim poteſt eſſe itinerantis debilitas, vel itineris aſperitas, vel quid ſimile, vt ex breuiori ſpatio excuſetur, ad arbitrium prudentis viri. Alij putant, præſcindendo à quibuſcumque alijs circumſtantijs, ſeptem, aut octo milliaria Italica ſufficere. Verùm meliùs opinantur, qui docent nullam poſſe ad excuſationis legitimam rationem dari certam menſuram longitudinis itineris. Aliquis enim aſſuetus faciliùs decem leucas perficiet abſque ſolutione ieiunij, quàm alter non aſſuetus quinque. Quidam quinque, quàm alij tres. Siue enim debilitas, vel fatigatio ab intra veniat, ſiue ratione aeris, vt caloris nimij, pluuiarum,

Rodriq.

Digitized by Google

rum, tempeſtatum: ſiue ratione itineris prærupti, montoſi, aut valde obſiti, &c. quis minori etiam itinere fatigari poteſt, & à ieiunio excuſari. Generalis ergo menſura excuſationis à ieiunio eſt fatigatio, deficientia naturæ in itinere, & opere quocumque; ita vt quis ſibi ipſi bona fide ſit incertus arbiter: & ſi ſibi non poſsit ſatisfacere credat viro bono, & prudenti, maximè Confeſſario, cuius eſt de hoc iudicare. Vide Paſqual. *in praxi ieiun. Eccleſ. deciſ.* 313. *num.* 5.

Paſq.

Iter habentes in curru, regulariter non excuſantur à ieiunio: non enim interuenit labor conſiderabilis, cùm ſedentes trahantur: nec equitantes ſunt immunes à ieiunio, quando iter eſt breue, & equus placidus, & obtemperans, atque greſſu facili, & ſine agitatione incedens. Si verò iter ſit plurium dierum, & præſertim in æſtate, quando calor conficit equitantes, *Filliucius*, & *Bonacina* docent æquitantes eſſe immunes à ieiunio etiam ab initio itineris, quia non eſt attendendus ſolùm præſens ſtatus, ſed etiam futurus. Ita Filliuc. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 122. Bonacina *c. punct. vlt. num.* 11. Syl. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. Fagund. *prac.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8 *num.* 17.

Filliuc. Bonacina. Syluius. Fagund.

Quamplures volunt, quòd vt iter tollat obligationem ieiunij, debet ex neceſsitate ſuſcipi, aut quòd ſaltem commodè differri non poſſit. Quia præceptum præponendum eſt rebus voluntarijs, quando ſimul cum ipſis obſeruari non poteſt. Ita Angles *in Flor. qu.* 6. *de ieiun. diffic.* 10. *dub.* 1. Nauar. *c. num.* 16. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 43.

Angles. Nauar. Leſsius.

Alij verò non adhibent hanc limitationem, ſed abſolutè docent, quòd iter pedeſtre ſoluat obligam ieiunandi, & hæc ſententia non eſt improbabilis. Ratio eſt, quia præceptum de ieiunio eſt merè præceptiuum, & nullo modo prohibitiuum; ex quo optimè colligitur, quòd hoc præceptum non obligat ad omittenda, quæ cum obſeruantia ipſius incompatibilia ſnnt, etiamſi ſine incommodo poſſint omitti: quod confirmatur ex declaratione *Eugenij IV.* ſuprà, vbi declarat, quòd exercentes artes laborioſas, etiamſi diuites ſint, & poſsint conſequenter intermittere laborem, aut minuere ſine incommodo, non teneantur ieiunare. Ita Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 21. Paſqualigus *c. deciſ.* 314. Medina *lib.* 1. *inſtruct. confeſſ. cap.* 14. §. 10. & alij.

Sanc. Paſqu. Medina.

8. Non excuſantur à ieiunio mechanici, quorum labor eſt exiguus, vt ſunt pictores, ſculptores, quorum opus eſt ingenij potiùs quàm virium: præſertim illi, qui non per totam diem, ſed tantùm per aliquam partem, & potiùs recreationis cauſa vacant his exercitijs: quia nulla adeſt cauſa excuſans, ſiquidem labor exiguus eſt; nec corpus fatigatur ex longa, & continua attentione. Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. Diana *par.* 1. *tract* 9 *reſ.* 8. Syluius *c. art.* 4. Sancius *c. num.* 16. & alij contra *Fagundez*.

Layman. Diana. Syluius.

Sartores, & Barbitonſores non eximuntur à præcepto ieiunij: quia horum exercitia non exhauriunt vires, cùm fiant cum labore moderatu, & ideo poteſt corpus optimè reſiſtere cum ieiunio; nam tunc eſt neceſſaria multiplex comeſtio, quando per laborem exhauriuntur vires. Ita communiter Doctores Leſſius *c. num.* 43. Toletus *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 216. Bonac. *c. punct. vlt. num.* 12.

Leſsius. Tolet. Reginald. Bonac.

Scholares tenentur ad ieiunium, iuxta communem ſententiam: quia ſi non poſſunt ieiunare, debent laborem extraordinarium ſtudij remittere, & ſeruare ieiunia, quia publica obſeruantia non eſt facilè omittenda. Ita Azor. *par.* 1. *l* 7. *cap.* 17. *quaſt.* 8. Molfeſ. *p.* 1. *ſum. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 43. Bonac. *c. num.* 12. Quando autem ſtudium eſt continuum, & aſſiduum, poſſet eſſe cauſa ſufficiens, ob quam ſoluatur obligatio ieiunandi, quia magis laſſat, & debilitat, quàm quodlibet exercitium corporale mechanicum, nam vt dici ſolet, tanquam lima ſurda conſumit. Atque hoc regulariter eſt verum, licet per accidens in aliquo ob bonam, & fortem complexionem ſtudium non cauſet damnum valde conſiderabile. Scholarem tamen non teneri minuere conſuetum etiam ſtudium, vt poſſit ieiunare non eſt improbabile: quia officium ſtudendi eſt ipſi proprium, à quo non tenetur abſtinere, ſicut nec cæteri tenentur abſtinere à proprio officio, vt dicetur. Ita Paſqualigus *c. deciſ.* 233. Sancius *in ſelect. diſputat.* 54. *nu.* 17.

Azor. Molfeſ. Bonac.

Paſ qualig. Sancius.

Excuſantur etiam illi, qui damni vitandi, vel notabilis lucri (cuius occaſio non ſemper datur) captandi cauſa laborant, etiam ex officiò non ſoleant. Fundamentum eſt, quia lex ieiunij ordinatur ad bonum animæ, ſed ſine detrimento temporali, nam intendit eleuare ad opus virtutis, & ideo non contrariatur ſtatui temporali, ſed ipſum ſupponens perficit per exercitium virtutis. Vnde quando per accidens ſequitur, quòd contrarietur inferendo aliquod incommodum, aut impediendo aliquod incommodum, ceſſat obligare, quia obligatio annexa cum damno eſt contra intentionem legis interpretatiuam. Ita Leſs. *c. num* 43. Nauar *c.* 21. *num.* 16. Tolet. *l.* 6. *cap.* 4. Medina *c. de ieiunio q.* 9. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. & alij.

Leſs. Nauarr. Tolet. Medina. Layman.

Denique omnes, qui officio ſuo fungi nequeunt cum ieiunio excuſantur, etiamſi labor non ſit niſi ingenij. Tum quia parum refert qualis ſit labor, ſi non patitur ſecum ieiunij vſum. Tum quia labor ingenij redundat etiam in corpus ipſum affligendo, quatenus ex labore ingenij conſumuntur illi ſpiritus, quibus corpus foueretur, & in ſuo robore manuteneretur: vnde plus patitur corpus ex labore ingenij proportione ſeruata, quàm patiatur ex labore corporali, quod ſatis conſtat in ijs, qui continuò ſtudijs incumbunt. Ita Bonac. *c. num.* 10. Paſqualig. *c. deciſ.* 325. Angles *de ieiunio qu.* 6. *diffic* 10. & alij.

Bonac. Paſqu. Angles.

Hinc Aduocati, Procuratores, & Iudices qui multum laborant, ita vt totum diem in ſuo munere inſumant, excuſantur à multis Doctoribus: quia cum debeant ſtudere, ſcripturas legere, & ponderare, ſcribere pro clientibus, valde fatigantur: quia hæc munera requirunt continuum mentis conatum, & conſumunt naturalem vigorem, vnde remanet corpus laſſum, & defatigatum, & ideo quando continua ſunt, & aſſidua incompoſsibilia ſunt cum ieiunio: Et à fortiori non tenentur minuere laborem, vt dictum eſt de ſcholaribus. Hæc ſententia eſt probabilia, quam tenent Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 12. Sancius *c. num.* 17. Sanch. *l.* 6. *conſ. c.* 1. *dub.* 13. *num.* 10. Sum. Coron *par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 80. *in fine.* Paſqualig. *c. deciſ.* 334. & alij, quamuis eos non excuſent *Ledeſm. Reginald. Syluius, Azorius, Gordon. De la Crux*, & alij, quia non ita laborant, vt excuſari poſſint.

Diana. Sanch. Sum. Coro. Paſqu.

Scribas, qui per totum diem ſcribunt, excuſant Angles *c. diffic.* 10. *append.* 1. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 130. Summa Corona *c. nu.* 50. *in fine.* Paſqualigus *c. deciſ.* 335. & alij. Labor enim ingens eſt, & caput valde fatigatur, interuenit magna conſumptio ſpirituum, & naturalis vigoris: *Tres digiti*, inquit *Angles*, *ſcribunt*, *cætera membra dolent*. Adde, quòd qui aſsiduè ſcribunt, non poſſunt in vnica refectione tantùm cibi ſumere, quantùm ſufficiat, alioquin grauarentur, nec poſſent ſuo muneri incumbere; vnde etiam ex hoc capite excuſantur.

Angl. Diana. Sum. Coro. Paſqu.

De Notarijs autem, ſi per totum diem laborent tranſcribendo ſcripturas, eadem eſt ratio, ac de Scribis. Si autem vacent componendis inſtrumentis, & alijs ſcripturis, non abſoluuntur ab onere ieiunandi; quia labor valde modicus eſt, nec eſt continuus. Ita Azor. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 8. Sanch. *lib.* 5. *conſ. c.* 1. *dub.* 7. Gordonus *lib.* 6. *q.* 18. *c.* 6. & alij.

Azor. Sanch. Gordon.

Apud Typographos non excuſantur à ieiunio typos colligentes: Ratio eſt, quia nullus ferè interuenit labor ingenij, & mentis. Labor autem corporalis valde moderatus eſt, cùm fiat abſq; vlla omnino agitatione corporis: verſantes verò prelum excuſantur: labor enim ipſorum grauis eſt, cùm debeant ducere, reducere, & premere prælum, & requirit vires robuſtas, & proinde non poteſt ſtare cùm ieiunio. Ita Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 134. Gordon. *lib.* 6. *q.* 18. *c.* 6. & alij.

Dian. Gordon.

9. Tertia cauſa excuſans à ieiunio, eſt *Pietas*. Vnde ob illam excuſantur omnes, qui operibus præſtantioribus, vel maioris momenti incumbunt, quæ ipſi vna cum ieiunio perficere non poſsunt, qualia ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia, & opera religionis. Ratio eſt, quia præcepta Eccleſiæ non impediunt maius bonum, quia ita præſcribunt bonum, vt ſi hoc bonum ſit impeditiuum alterius boni maioris, ceſſet ipſorum obligatio ex generali intentione eiuſdem Eccleſiæ, quæ ſicut ſequitur directionem charitatis, ita etiam ſemper intendit maiorem gloriam Dei, quæ reperitur in maiori bono in comparatione minoris. Opera autem pietatis ſunt maius bonum, nam ſemper ſunt excellentioris virtutis, quàm ſit ieiunium. Ita D. Thom. 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 3. *art.* 1. *q.* 2. Syluius 2. 2. *quaſt.* 147. *art.* 4. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 16. Sancius *in ſelect. diſput.* 54. *n.* 22. Paſqualig. *c. deciſ.* 139. Fagundez

D. Thom. Syluius. Nauarr. Sancius. Paſqu. Fagund.

prac. 4.

Digitized by Google

prac.4. lib.1. cap.8. num. 19. & alij communiter. Præſens autem doctrina locum habet, quando opera pietatis ita laborioſa ſunt, vt cauſent debilitatem notabilem, atque adeo reddant ieiunium nimis oneroſum: non tamen requiritur, quod reddant abſolute incompoſſibile, quaſi ſi ieiunaret, impoſſibile eſſet vt vacaret talibus operibus. Sed ſufficit notabilis difficultas in exercendis his operibus ſimul cum ieiunio.

Concionatores, qui ſingulis diebus in Quadrageſima concionantur, omnino eximuntur ab obligatione ieiunandi; hoc enim munus requirit vires corporales viuidas, & corpus abundans ſpiritibus, & ſtudium cũ attẽtione, quod valde debilitat corpus; & ideo vt conſeruentur vires corporales pro concionibus relaxandũ eſt ieiunium. Idem dicendum de illis, qui concionantur ter, vel quater in hebdomada: quia cum frequenter concionentur, debent conſeruare robur & vires, quod ieiunando malè præſtarent. Qui per annum in diebus feſtis concionantur, non tenentur ieiunare pridie ante concionẽ, & in die concionis: quia nimirum requiruntur vires integræ pro concione, & labor concionis ſufficit vt ſoluat obligationem ieiunãdi pro ipſo die cõcionis. Ita Paſq. *in praxi ieiun. Eccl. deciſ.* 326. Hanc ſententiã admittunt communiter Doctores, quando commodè ieiunare non poſſunt, regna ſi poſſent, tenerentur: & maximè, illi, qui ſemel tantùm in hebdomada concionantur, niſi eſſent debiles & delicatæ cõplexionis: & ideò hoc remittẽdum putant ad arbitrium boni viri. Vide Syluium 2.2.q.147.a.4.v. *maius bonum.* Bonacina *c. punct. vlt. n.* 13. Dian. *p. tr. 9. reſ.* 30. & 11. Sanc. *diſp.* 54. *n.* 17. Leſſ. *l.4.c.2.n.* 44. & alios. In noſtra autem Sacra religione, iure Conſtitutionum Ordinis cautum eſt, ne permittantur noſtri concionari, qui ieiunando id munus exercere non poſſunt: imò per totam Quadrageſimam debent veſci cibis quadrageſimalibus in ieiunio permiſſis & non alijs. Quod ſtatutum hucuſque inuiolabiliter obſeruatum eſt.

Paſqualig.
Syluius. Bonac. Diana. Sanc. Leſſi.

Lectores Theologiæ, Philoſophiæ, Iuris Ciuilis & Canonici, Medicinæ, &c. non ſunt omnes excuſandi a ieiunio, ſed tantùm illi, quorum labor improbus eſt, vel complexio debilior, quàm quæ ſuo muneri cum ſatisfactione obeundo ſufficiat. Ita D. Thom. *quodlib.* 5. *a.* 18. Syluius *c. a.* 4. Fernandez *p.* 2. *c.* 8. §. 2. *n.* 12. & alij.

D. Thom. Syluius. Fernand.

Confeſſarij etiam eximuntur à ieiunio, quando cõmodè ieiunare nõ poſſunt: quia melius eſt, & vtilius confeſſiones audire, quàm ieiunare, ieiuniũ autem nõ eſt impeditiuum maioris boni: ſed hoc intelligendum eſt pro ijs diebus tantùm, quibus exercetur hoc munus, & per maiorem partẽ diei: nam hoc opus eſt valde laborioſum, cùm requirat cõtinuam attentionem & mentis agitationem, tum in interrogandis pœnitentibus, tum in expendendis peccatis & circũſtantijs, tum in decernenda obligatione pœnitentis, & in alijs huiuſmodi: vnde cauſatur magna debilitas capitis, & conſequenter totius corporis: vnde plures nequeunt diu reſiſtere per plures horas: & maximè quando cõfeſſiones laborioſæ ſunt, & occurrunt caſus difficiles, &c. Si tamen Confeſſarij audirent per plures horas confeſſiones peccatorum venialium, non excuſarentur, quia mens non fatigaretur: quod etiam procedit de ijs, qui ſolùm audiunt pœnitentes: meliùs tales abſtinerẽt à tali munere, cùm inhabiles ſint, nec mentẽ fatigant, quia neſciũt quam obligationẽ teneãt in tali munere obeundo. Vide Azor. *l.7. c.*18. q. 1. Fagund. *prac.4.l.1.c.8.n.*19. Syluium *c.a.*4. Lublin. *p.* 1. *ſumm. v. Ieiunium n.*5. Dianam *part.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 30. Paſqualigum *c. deciſ.* 331. Sà *v. Ieiunium, num.*9. & alios.

Azor. Fagund. Sylu. Lublinus. Diana. Paſqualig. Sà.

Ornantes templa non ſubduntur præcepto ieiunij: labor enim quæ ſubeunt, notabilis eſt, quia huc illuc diſcurrunt, portãtes ornamẽta, aſcendunt ſcalas, & in alijs huiuſmodi fatigantur: vnde labor ipſorum æquiparari poteſt labori artificum, quia ratione artificij excuſantur à ieiunio. Bonac. *c. punct. vlt. n.* 33. Molfeſius *p.1. ſum. tr.* 10. *c.*4. *n.* 42.

Bonac. Molfeſ.

Peregrinantes ad loca ſancta non excuſari à ieiunio, ſi peregrinatio commodè differri poſſit, docent D. Thom. 2.2.q.147.a.4. ad 3. Syluius *ibi. verſ. Ex his intelligi poteſt*, & alij ſatis cõmuniter: Aliàs poſſunt excuſari: quia Eccleſia non imponit fidelibus obligationẽ abſtinendi à peregrinatione, vt ieiunio vacet. Nonnullorũ tamen ſententia affirmat, quòd volũtaria peregrinatio poſſit ſuſcipi, etiamſi ob laborem non poſſit ſeruari ieiunium. Fundamentũ ipſorũ eſt, quòd ieiunium non debet eſſe impeditiuum maioris boni, ſiue communis, ſiue proprij particularis, & proinde quòd poteſt prætermitti ieiuniũ, quando agitur de maiori bono acquirendo. Peregrinatio autẽ ad loca ſancta eſt maius bonum, quia eſt actus religionis, quæ eſt virtus excellentior, quàm ſit abſtinentia. Ergo hanc ſuſtinent Sancius *diſp.* 54. *n.* 21. Palaus *p. 1. tr. 3. diſp.* 1. Paſqualig. *c. deciſ.* 341.

D. Thom. Syluius.
Sancius. Paſqualig.

Exercentes ſupradicta opera pietatis voluntariè, ſiue ob lucrum, ſiue ob alia cauſam, & non ex officio, obedientia, aut voto, immunes ſunt à ieiunio. Fundatur hæc opinio in doctrina D. Thom. *4.d.15.q.3.art.1.q.2.ad* 3. quẽ ſequuntur Leſſius *lib.4. cap.2. dub.6. num.*44. Layman *lib.4.tr.*8 *cap.3.num.*4. Bonac. *c. punct. vlt. num.* 33. Syluius 2.2. *quæſt.* 147. *art.4. verſ. maius bonum*, & alij multi: vbi docet, quòd eſt indiſcretum ieiunium, quando impedit opus nobilius, & maioris charitatis, & obſtat officijs charitatis. Et proinde iuxta ipſum, hæc opera anteponi poſſunt ieiunio, etiamſi abſque neceſſitate ſuſcipiantur. Deinde huiuſmodi opera v.g. concionari, docere, adminiſtrare Sacramenta, ornare templa, peregrinari ad loca ſancta, ex natura ſua ſunt talia vt poſſint excuſare à ieiunio, ergo etiam ſi voluntariè aſſumantur ex mercede, aut quocumque capite, ſemper excuſãbunt. Contra *Nauarrum* & alios.

D. Thom. Leſſius. Layman. Bonac. Sylu.

10. Excuſatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non poteſt: nam in hoc caſu concurrunt duo præcepta, nempe preceptum iuſtitiæ reddendi debitũ, & preceptum Eccleſiæ de ieiunio: Cedit autem in hoc cõcurſu præceptum de ieiunio: tum quia obligatio iuſtitiæ eſt ſtrictior, & propter ius alterius præfertur obligationi virtutis, qualis eſt abſtinentia. Tum quia præceptũ reddendi debitũ eſt naturale diuinum, & ideo anteponendum præcepto humano, quale eſt præceptum ieiunij. Ita Sãchez *de matr. l.9.d.3.n.*10. Leſſius *c.n.*44. Bonac. *c. punct. vlt. n.* 34. Sancius *diſp* 54. *n.* 23 Paſqual. *c. deciſ* 280. Syl. 2.2. *quæſt.* 47. *art.*4. & alij communiter. Cenſetur autem coniux ſolutus ab obligatione ieiunandi vt poſſit reddere debitum: quando non poſſet ſine notabili debilitate illud reddere. Tenetur autem ex iuſtitia reddere debitum moderatè: quia per hoc ſatisfacit fini matrimonij, & iuri, quod conuenit alteri coniugi: Hæc autem moderata redditio debiti debet conſiderari attenta qualitate coniugum; nam alia eſt ratio de iuuenibus, & alia de prouectis in ætate, alia de robuſtis, & alia de debilibus. Non poteſt autem quis non ſeruare ieiunium, vt valentior ſit in vſu matrimonij ſecluſo periculo incontinentiæ alterius coniugis: quia hoc non eſt neceſſarium ad matrimonium; nec ad regularem, & conſuetum vſum illius: Imò ex quorumdam ſententia, coniuges ob reddendum debitum poſſunt In Quadrageſima veſci carnibus; nam obligatio reddendi debitum vt pote naturalis & diuina præualet præcepto Eccleſiæ: hoc autem continget, ſi complexio ſit valde debilis, ita vt ſine carnibus difficile poſſit ſoluere debitum.

Sanch. Leſſius. Bonac. Sanc. Paſqualig. Sylu.

Item vxor excuſatur, quam maritus ieiunare non permittit, eò quòd metuat eius valetudini, vel formæ, aut quia putat eſſe nimis debilem: quia bonum matrimonij exigit, quòd conſeruetur mutuus amor maritalis: in hoc enim cõſiſtit quies ſtatus matrimonialis: Bono autem ſtatus matrimonialis cedit præceptum Eccleſiæ, quale eſt præceptũ de ieiunio, quando per accidens eſt ipſi contrarium. Vxor verò cenſenda eſt conſtituta in tali ſtatu, vt ob ieiunium minus placeat viro, quando vir notat in vxore pallorem, & debilitatem tanquam quid extraordinarium & ſibi diſplicens, & propterea vt cauſans etiam diſplicentiam vxoris. Nota tamen ſi fortè maritus id faciat in contemptum Eccleſiæ; tunc potiùs mors oppetenda eſſet, quàm parendum. Ita Nauarrus *c.21. num.16. in fine.* Fagundez *prac.4. lib.1. cap.8. num.*18. Sanchez *c. num.*15. Sancius *in ſelect. diſp.*54. *num.*24. Paſqualigus *c. deciſ.*281. Bonacina *c. num.* 34. & alij communiter.

Nauarr. Fagundez. Sanch. Sanc. Paſqualig. Bonacina.

Imò nec tenebitur vxor ieiunia ſeruare, quando à marito frangere præciperetur, & ex inobedientia notabiles diſcordiæ exoriundæ forent: cùm præcepta poſitiua non obligent cũ ſcandalo; hoc eſt, quando ex ſcandalo ſumpto ab alio, nocumentum temporale eſſet exoriundum præceptum ſeruanti. Tamen ſi dubium eſſet rationabile, an rixæ magnæ conſiderationis, vel leuis, eſſent cenſendæ, in hoc euentu, opus eſſet declaratione perſonæ doctæ, ſeu

aliàs

Digitized by Google

aliàs bene intelligentis, ſeu potius diſpenſatione. Ita Sancius *c.num.26.* Syluius *c.art.4. verſ. Ex his.* Toletus *lib.6. cap.4.* Sanchez *c. d. 3. n. 13.* & alij.

Sancius. Syluius. Tolet. Sanch.

Item ſi fœmina ſuſtinere velit diſcordias, ſiue alia mala, à ieiunio ceſſare non tenebitur, nec ad illud à Confeſſarijs poterit obligari, & ſibi imputet maritus blaſphemias & maledictiones à ſe emiſſas. Proinde ſcandalū mariti ieiunium vetantis, eſt merè paſſiuum, Phariſaicum, & ortum ex malitia ipſius. At ſi maritus ex rationabili cauſa nolit vxorem ieiunare, tunc tenetur vxor obedire ad vitandum ſcandalum mariti; tunc ſicut rationabiliter maritus vult ieiuniū omitti, ita vxor irrationabiliter reſiſtit, & proinde occaſio ſcandali eſt irrationabilis, & facit, quod ſcandalum cōuertatur in actiuum. Ita Paludanus *in 4. diſt.15. quaeſt.4. art.2.* Paſqual. *c. deciſ.283.* Sanc. *in ſelect. diſp.54. num.26.*

Palud. Reginald. Sancius.

Mulier Catholica nupta ab Hæretico poteſt nō ieiunare, ſi maritus Hæreticus pręcipiat ſecluſo contemptu religionis: quia cùm maritus id nō faciat in odium religionis Catholicæ, & ſinat vxorem viuere ritu Catholico, non adeſt alia obligatio, niſi illa, quam ſecum affert præceptū de ieiunio: hæc autem ceſſat, quia agitur de vitanda perturbatione familiæ, & rixis inter coniuges, vel quia incommodum ſit familiæ parare cibos ieiuniorū, vel quia ſit diſpendioſum, cum quibus incommodis non obligat præceptum Eccleſię. Tamen ſi vxor poſſet facilè inducere maritum, vt ſibi permittat ieiunare, teneretur inducere, & ieiunare: nā ſignum eſſet, quòd non haberet multam repugnantiam, & proinde quæ non præponderaret obligationi præcepti. Ita Azorius *part.1 lib.7. cap.18. quaeſt.7.* Lublinius *part 2 verb. Ieiunium n.15.* Fagundez *præcept.4. lib.1. cap.9. n.10.* & alij.

Azor. Lublinius. Fagund.

Fœmina nubere volens excuſatur à ieiunio, ſi ob illud eſſet deformis efficienda notabiliter: quia deperditio formæ in ordine ad nubendum, cenſetur notabile damnum; quia hęc valde à viris attenditur. Pręceptum autem ieiunij nō obligat cum notabili detrimento. Notabilis autem eſſet deperditio formæ, quæ ſtatim ab vnoquoque notaretur. Nota tamen, quòd poterit tantùm excuſari in Quadrageſima, ſed non in ſingulis diebus: nam tenebitur bis aut ter in hebdomada ieiunare: niſi fortè complexio ſit tam delicata, vt ex his quoque ieiunijs notabiliter offendatur muliebris forma. Ita Sanchez *lib.9. de matr diſp.3. n.12.* Sanc. *diſp.54. n.25.* Fagund. *c. cap.8. num.18.* Paſqual. *c. deciſ.285.*

Sanch. Sanc. Fagundez. Paſqualig.

11. Dubitans an habeat iuſtam cauſam non ieiunandi, tenetur ieiunare, niſi diſpenſationem non ieiunandi obtineat à Superiore, vel niſi dubium deponat, conſilio Parochi vel Confeſſarij, vel alterius boni viri, aut alia ratione: quia dubio fauendum eſt poſſidendi, ſed poſſeſſio ſtat pro lege. Ergo. Ita Leſſius *c. dub.5. n.34.* Tolet. *l.6. c.4. n.5.* Sāch. *de matrim. lib.2. d.41. num.38.* & alij. Paſqual. *c. deciſ.354.* autem arbitratur in tali caſu, quòd poſſeſſio ſtet pro libertate, dubium pro obligatione, & ideò in dubio melior eſt conditio libertatis: præceptum enim non obligat, niſi potentes ieiunare, & ideo impotentes ſunt in poſſeſſione, ne obligentur, vnde non afficiuntur obligatione pręcepti, quo vſque certum ſit quòd ſit potentes.

Leſſius. Tolet. Sanch. Paſqualig.

Qui dubitat an expleuerit vigeſimum primum annum, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, non tenetur ad ieiunium: tum quia poſſeſſio eſt pro libertate, & dubium de pręcepto. Tū quia ius incertum non poteſt pręualere contra ius certum, nam minus non poteſt pręualere contra maius: ſtante autem dubio de complemento anni vigeſimi primi, adeſt ius certum poſſidendi propriam libertatem, & ius pręcepti obligantis ad ieiunium eſt incertum: quia cùm pręceptum nō obliget, niſi expleto anno vigeſimo primo, dum eſt dubium tale complemētum, remanet etiam dubia obligatio, quia remanet dubium fundamentū, ſeu materia, circa quam verſatur talis obligatio. Ex quo fit, quòd quando quis neſcit tēpus pręciſum, quo complet annum vigeſimum primum, non teneatur ieiunare, niſi quando poteſt formare determinatum iudicium quò talis annus iam cōpletus ſit. Quòd ſi probabile ſit, quòd ſit completus, & etiā quòd non ſit completus, tunc ſequi poteſt vtrumlibet: quia non eſt maior ratio de vna parte, quàm de alia, & ideo ex libertate ſua poteſt ſe determinare. Vide Sanciū *in ſelect. diſp.54. num.5.* Layman *lib.1. tract.1. cap.5 §.4. num.33.* Dianam *part.1. tract.9. reſ.49. & part.4. tract.3. reſ.21.* Fagundez *præcept.4. lib.1. cap.8. num.7.* & alios communiter.

Sanc. Layman. Diana. Fagundez.

Si quis autem dubitet, an die Iouis ſit hora duodecima medię noctis, adhuc poteſt edere carnes: tum quia eſt in poſſeſſione dies Iouis, & non tenetur quis credere non eſſe diem Iouis, quouſque euidenter ſciat. Tum quia quādo quis dubitat, an ſit media nox, dubitat, an incœperit obligatio abſtinendi à carnibus: Vnde ius pręcepti eſt dubium, an valeat pro illo tempore, ius autem comedendi carnes in die Iouis eſt certum, ius autem dubium non poteſt pręualere cōtra certum. Idem dicendum de quocumque die in quo comeduntur carnes, ſi ſequens ieiunij aut abſtinentię ſit. Si dicas, ius comedendi carnes reddi dubiū ex eo, quòd dubitatur, an vrgeat pręceptum ieiunandi vel abſtinendi à carnibus. Sed hoc nō poteſt dici, quia ius certum non immutatur per dubium, quod adſit in cōtrarium, atque adeo non cadit à ſua certitudine, alioquin ſequeretur, quòd res fidei, quę certę ſunt, euaderent dubię, ex eo quòd in contrarium adeſſent dubitationes. Ita Sanchez *de matr. lib.2. diſp.41. num.40.* Paſqualig. *c. deciſ.163.* Fagundez *c. cap.10. num.2.* Ghilinus *in ſumm. verb. Ieiunium num.18.* Diana *part.4. tract.3. reſ.18.* & alij ab ipſis citati.

Sanch. Paſqualig. Fagund. Ghilinus. Diana

E contra ſi hodie ſit dies Veneris, aut ieiunij, dubitetur an ſit media nox, aut hora duodecima noctis ſonuerit, nō poteſt quis edere carnes, nec cœnare: quia poſſeſſio eſt pro præcepto, cùm conſtet hodiernum diem eſſe abſtinētiæ vel ieiunij, & dubitetur an tranſacta ſit hora: nō enim poteſt quis prudēter credere eā iam tranſiuiſſe, quouſque habeat aliquam rationem probabilem. Ita Doctores citati §. præcedenti. Paſqualig. *in prax. ieiunij Eccleſ. deciſ.164.* tamen videtur, quòd poſſit quis in hoc caſu cœnare, quia non vrget ampliùs præceptum: hoc enim dubium oriri nō poteſt, niſi propter vicinitatem mediæ noctis, aut quia etiam paulo ante tranſacta ſit, nam ſi longè abeſſet, non eſſet dubium, an ſit tranſacta. Stante autem vicinitate mediæ noctis, moraliter cenſetur eſſe media nox; vnde cùm in hoc caſu media nox non ſit computanda moraliter, poteſt tunc cœna ſumi abſque violatione ieiunij, quia erit comeſtio pertinēs ad diē ſubſequentē ieiuniū. Ita ille.

Paſqualig.

Ex dictis oritur difficultas, quomodo ſit computanda media nox, an mathematicè, an verò moraliter? Reſp. Doctores moderniores quoſdam docere, computandam eſſe mathematicè; vnde inferunt, quòd ſi quis comedens audiat primum pulſum mediæ noctis, nō poteſt cōtinuare comeſtionē quouſque finiantur omnes pulſus, ſi ſequenti die ſit ieiunium. Ratio ipſorum eſt, quia cùm non poſſit obſeruari media nox iuxta curſum Solis, voluēt mathematicè ſeruandam eſſe iuxta indicationē horologiorum. Sed quàm incertum & ſæpe falſum ſit hoc fundamentū, ſuprà demonſtrauimus, *ver. Communio Sacra, n.46.* Et ideò dicēdum eſt, præceptum de ſeruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, eſſe intelligendū de media nocte moraliter computata: nō autem mathematicè. Ratio eſt, quia non poteſt imponi ab Eccleſia præceptum, niſi eo pacto, quo ſeruari poteſt, alioquin obligaret ad impoſſibile; non poteſt autem ſeruari, niſi computetur media nox moraliter: nam media nox mathematicè nō poteſt cognoſci, niſi obſeruentur curſus ſtellarum, quod eſt impoſſibile: tum quia pauci admodum ſciunt obſeruare (tum quia non poſſunt obſeruari, quando cœlum eſt nubiloſum. Tum quia horologia nunquam ita exactè procedunt, prout conſtat experientia, vt indicent præciſè horam & tempus, quod currit, ſed ſolùm indicant moraliter, nempe plus minuſve. Vnde ex hoc fundamento remanet probabile eſſe dari paruitatem materiæ in poſtponendo v.g. cœnam poſt mediam noctem, ad quam ſubſequitur ieiunium, ſicut etiam in anticipanda comeſtione in die ieiunij ante mediam noctem; & proinde excuſare à peccato mortali, & etiam à veniali, ſi interueniat iuſta aliqua cauſa. Sed de his plura ſuprà *verb. Communio ſacra n.46.* & apud Paſqualig. *in praxi ieiunij Eccleſ. deciſ.158. 159. & 160.*

Paſqualig.

12. Obligatio ieiunandi tolli poteſt per diſpenſationem: quia cùm ieiunia, quę in Eccleſia obſeruantur, ſint de iure humano vt dictum eſt ſuprà, obligatio ad ipſa poteſt tolli per diſpenſationem; quam dare poteſt abſolutè Summus Pontifex, non ſolùm concedendo alicui, vt nunquam ieiunet, ſed etiam tollendo omninò legem ieiunij. Et hoc verum, etiamſi lex de ieiunio Apoſtolica ſit, aut in Concilio ſancita. Ratio eſt, quia lex humana debet eſſe ſub diſpoſitione

Digitized by Google

ſitione poteſtatis humanæ: & cùm nulla poteſtas humana ſit maior poteſtate Pontificis, ſub ipſius diſpoſitione erit omnis lex humana Eccleſiaſtica, atque adeo etiam lex de ieiunio, & proinde poterit ipſum tollere, aut in ipſa cum aliquo diſpenſare. Ita Nauar. *c.* 21. *n.* 21. Couarr. 2 *p. decret. c.* 6. §. 9. *n.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 18. *q.* 2. Sylueſt. *q.* 7 & alij cõmuniter. Canoniſtę in *c.* 1. *& cap. Conciliũ, de obſeru. ieiuniorũ.*

Nauar. Couar. Azor. Sylueſt.

Epiſcopi etiam poſſunt diſpenſare cum aliquo in ieiunio, quando nõ adeſt rationabilis cauſa non tamen poſſunt abrogare præceptum de ieiunio, ſi ſit vniuerſale. Ratio prioris eſt, quia leges debent ſufficienter prouidere communitati, atque adeò debet eſſe in quacumque communitate particulari ſufficiens iuriſdictio pro illa tegenda, & prouidendo in ijs, in quibus non poteſt recurri ad ſupremum Superiorem; talis autem eſt facultas diſpenſandi in lege ieiunij, quia non poteſt in quocumque caſu occurrenti recurri ad Pontificem. Poſterior pars probatur: quia inferior non habet iuriſdictionem ſuprà leges Superioris, vt habetur ex *cap. Cum infertur, cap. Quod ſuper his, de maiorit. & obedient.* Ita D. Thom. 4. *d.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 4 Syluius 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Nauarrus *c. num.* 21. Lezana *verb. Ieiunium num.* 10. & alij communiter.

D. Thom. Syluius. Nauarr. Lezana.

Quando lex localis ieiunij eſt lata ab Epiſcopo aut ab eius prædeceſſore, poteſt ab ipſo abrogari: quia quilibet legiſlator poteſt propriã legem reuocare, & etiam ſui prædeceſſoris, nam habet parem auctoritatem cũ ipſo. Si autẽ præcipiatur ieiunium à lege Concilij Prouincialis, tunc nõ poteſt abrogari ab Epiſcopo, licet poſſit in ipſo diſpenſare: Si verò lex de ieiunio ſit tantùm Synodalis facta in Synodo Diœceſana, poterit ab Epiſcopo abrogari: quia qui dat vigorem legi, poteſt etiam tollere per abrogationem. Ita Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 9. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 17. *num.* 33. Paſqualigus *c. deciſ.* 384.

Suarez. Sanch. Paſqualig.

Prælati regulares, attento iure communi poſſunt diſpẽſare ſuos ſubditos, ſicut Epiſcopus ſuos, circa ieiunia Eccleſiaſtica, & comeſtionem ouorum, carnium & aliorum prohibitorũ in Quadrageſima, & à fortiori, vt poſſint anticipare horam prandij ante horam nonã. Ratio eſt, quia ſunt Prælati ordinarij ſuorum ſubditorum, & proinde habent iuriſdictionem ſpiritualem circa ipſos, & ſpectat ad Prælatos ſubditos dirigere in *ijs*, quæ ſpectant ad animã: & ideò debent habere ſufficientem facultatẽ pro munere proprio, quod non ſaluaretur, niſi poſſent diſpenſare in ieiunio. Vnde priuilegium quod *Eugenius IV.* conceſſit viuæ vocis oraculo Fratribus Ordinis *D. Hieronymi*, quod nimirum Prælati poſſint diſpenſare in ieiunijs Eccleſiæ proprios ſubditos, & in eorum abſentia vicarij, non confert ipſis aliquam nouam iuriſdictioem, ſed eſt potius quædam declaratio iuriſdictionis, quam habent. Cauendũ tamen eſt ab vſu huius priuilegij in eo, quod concedit Cõfeſſoribus Fratrũ vt poſſint licentiare, etiã familiares Monaſterij infirmos & debiles circa ieiunia Eccleſiaſtica, & cibos prohibitos, etiam ſine conſilio Medici: quia his tẽporibus non valet, cùm ſit viuæ vocis oraculum, & proinde reuocatum ab *Vrbano VIII.* vt ſæpius dictum eſt. Idem dicendum de priuilegio *Leonis X.* quo conceſſit Fratribus Minoribus maximè Prædicatoribus, actu prædicantibus, vt poſſint ſine ſcrupulo & ſeruato ieiunio, anticipare, ſeu retardare horas comeſtionis & ſerotinæ collationis. Vide Caietanum 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Syluium *ibid.* Mirandam *tom.* 2. *q.* 30. *a.* 11. *concl.* 2. Hieron. Rod. *in comp. reſ.* 75. *n.* 2. Portel. *in dub. reg. verb. Ieiunium num.* 5. Nauar. *c.* 21. *n.* 21. Tambur. *de iure Abbat. tom* 2. *diſp.* 12. *q.* 5. & alios.

Caietan. Mirand. Rodriq. Portel, Nauarr. Tambur.

De Ieiunio, Vide *Communio ſacra* num. 46. *Lex III.* num. 5. & ſeq. *Satisfactio* num. 5. *Dubium* num. 9. *Præceptum* num. 9.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Vox ieiunium vnde dictum? & de quadruplici ieiunio.*
2 *An Ieiunium ſit actus virtutis.*
3 *An præceptum ieiunij Eccleſiaſtici obliget ad mortale.*
4 *Quæ ſint cauſæ inſtitutionis ieiunij Quadrageſimalis? Et quare inſtitutum fuerit proximè ante Paſcha.*
5 *De Ieiunio Feriæ Quartæ, Sextæ & Sabbathi.*
6 *De Ieiunio Aduentus.*
7 *De Ieiunio Rogationum.*
8 *An peccent mortaliter qui conducunt operarios ea conditione, vt eo die, quo laborant, non ieiunent.*
An conductor eos ſolos operarios teneatur vocare, qui cum moderato labore poſſint operari ſine fractione ieiunij? Refertur duplex ſententententia.
9 *Quæ paruitas materiæ excuſet à fractione Ieiunij.*
10 *Qui Doctores teneant non eſſe attendendam qualitatem cibi in refectiuncula veſpertina, ſed quantitatem, modo non ſit prohibitus.*
11 *An in vigilijs Natiuitatis Domini & Paſchæ poſſit ſumi collatio ſerotina maior, quàm in alijs ieiunijs.*
12 *An obligatus ieiunare ex voto, toties peccet mortaliter, quoties carnes comedit?* Refertur duplex ſententia.
13 *An diſtincta ſit malitia in confeſſione explicanda ſæpius in Quadrageſima per diem comedere, & comedere carnes, oua aut lacticinia*
14 *An in diebus ieiuniorum liceat ſine fractione ieiunij ſumere vuas vel ſimiles fructus, quoties libuerit, ad ſedandam ſitim.*

1. VOx Ieiunium ſumpta eſt ab inteſtino quodam, quod Ieiunum dicitur, à vacuitate: quia cibum nullum retinet, ſed traſmittit eum ad partes inferiores. Et hinc Ieiunus dicitur, qui needum cibum ſumpſit, quaſi adhuc vacuus à cibo.

Theologi quadruplex ieiunium ponunt. *Primum* eſt, Metaphoricum & ſpirituale, & eſt abſtinentia à quibuſlibet vitijs; iuxta Auguſtinum *tract.* 17. *in Ioan.* vbi ait: *Ieiunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum ieiunium.* D. Auguſt.

Secundum vocatur ieiunium naturæ, omnimoda ſcilicet abſtinentia poſt mediam noctem, ab ijs quæ guſtari poſſunt, ità vt taliter ieiunus, nihil à media nocte ſumpſerit cibi, potus, medicinæ, aut cuiuſuis alterius rei quæ ſumatur per modum cibi vel potus, & ad ſtomachum tranſmiſſum.

Tertium eſt ieiunium Philoſophicum ſeu morale, quod propter valetudinis curam & ſtudiorum profectum ſuſcipitur, iuxta dictamen naturalis rationis. Dicitur autem Philoſophicum, quia Ethnici meliore quadam indole præditi illud ſeruauerunt.

Quartum eſt Eccleſiaſticum, quod ab Eccleſia præceptum certis diebus ac temporibus ſeruatur. De his egimus etiam *tom* 1. *verb. Ieiunium* 1. *num.* 1. cum Doctoribus ibi citatis.

2. Ieiunium metaphoricum non eſt actus vnius tantum virtutis; ſed omnium virtutum ſimul iunctarum, ſiue charitatis non ſimpliciter, ſed quatenus omnes virtutes continet. Ieiunium naturæ nullius virtutis eſt actus, quia conſiſtit in pura negatione, ſcilicet, in priuatione cibi vel potus præaſſumpti. Ieiunium Philoſophicum eſt actus virtutis ſaltem acquiſitæ, & pertinet ad temperantiam, vt minimum talem, qualis poteſt eſſe in fidelibus. Ieiunium Eccleſiaſticum eſt actus virtutis, quia verſatur circa obiectum bonum, cum relatione ad debitum finem. Vnde ieiunium hoc eſt res indifferens, vt volunt hæretici, ſed opus natura ſua Deo gratum, ac Dei cultu. Vt bene nobis tradit Syluius *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 417. *art.* 1. ex D. Thoma. Syluius.

3. Quorumdam Catholicorum Doctorum ſententia fuit præceptum ieiunij Eccleſiaſtici non obligare ad peccatum mortale, mortaliter tamen peccare eos, qui illud violant, ex vi conſuetudinis, totius populi Chriſtiani exiſtimantis ſe in hoc mortaliter peccare, & ex communi omnium Doctorum conſenſu. Ratio eſt, quia nullibi in iure canonico inuenitur tam grauis obligatio per præceptum ieiunij inducta, qualecumque ipſum ieiunium ſit, ſiue Quadrageſimæ, ſiue extra illam. Ita Caietanus *in ſumm. verb. Ieiunium, §. hora competens cap.* 4. *&* 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. Vnde aſſerit idem Auctor ſe non audere affirmare ex vi ſolius iuris ſcripti in materia ieiunij, quia, inquit, neſcio an alicubi in iure ſancitum ſit præceptum

sub

Digitized by Google

ſub mortali obligans ad ieiunium.

Alij volunt ſolùm eos peccare mortaliter, qui præceptum ieiunij per contemptum non ſeruant, ſiue contemptus ſit expreſſus, ſiue tacitus: contemptum expreſſum appellant illum, quo quis ex formali intentione deſpiciendi præceptum Eccleſiæ, ieiunium violat. Tacitum putant quidam eſſe illum, quo quis aſſiduitate quadam & vſu frequenti ieiunium omittit. Ita Richardus *quodlib.* 1. *quæſt.* 19. Angelus *verb. Inobedientia, initio.* Richard. Angelus.

Communis tamen Theologorum & Canoniſtarum ſententia ſuſtinet Eccleſiaſtici ieiunij violationem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, etiamſi non fiat ex conſuetud ne vel contemptu. Ratio eſt, quoniam leges & pręcepta obligant pro quantitate materiæ ad peccatum mortale, vel veniale: ieiunium autem quod Eccleſia ſuis legibus pręcipit, eſt materia grauis. Tum quia Canones *tom.* 1. *verb. Ieiunium* 1. *num.* 2. *verſ. An autem*, citati, grauiorem pœnam ſtatuunt in violatores ieiunij, quàm ſtatui ſoleat in peccantes venialiter. Tum quia in Clementina *Exiui, de verb. ſignificat.* Pontifex ait Fratres Minores propter ieiunia Regulæ non eſſe liberos à ieiunijs Eccleſiaſticis, quæ alij Chriſtiani obſeruare debent. Et in Clementioa *Ad noſtrum, de hæreticis*, damnatur errot dicentium, viros perfectos ieiuniorum legibus non teneri. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *ad* 5. *& art.* 3. *ad* 2. quem ſequuntur omnes Theologi. Ex Canoniſtis Panormitanus *in rubric. de obſeruat. ieiuniorum num.* 11. Archidiac. *cap. vtinam, diſt.* 70. Couarr. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *num.* 10. vbi docet ieiuniorum Canones & conſtitutiones conſcientias ita obligare, vt qui ieiunia indicta etiam ſine vllo contemptu, ſed ſolùm de facto abſque vlla legitima cauſa non ſeruant, cùm poſſunt, mortaliter delinquunt. D. Thom. Panorm. Archidiac. Couarr.

4. Multæ ſunt cauſæ inſtitutionis ieiunij quadrageſimalis, quarum prima eſt, & præcipua, vt Chriſtum pro modulo noſtro imitemur. Secunda, vt pro peccatis totius anni communem pœnitentiam agamus, & communibus ſtudijs faciamus Deum nobis propitium: *Sed vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent*, vt loquitur S. Leo *ſerm.* 4. *de Quadrageſ.* Tertiam cauſam adfert D. Gregor. *hom.* 16. *in Euangelia*, vt decimam partem totius anni Deo conferremus: A prima namque Dominica Quadrageſimę, vſque ad Paſcha reperiuntur Quadraginta duo dies, è quibus ſi tollantur ſex Dominicæ, in quibus non ieiunatur, reſtant triginta ſex dies ieiunij: triginta autem & ſex dies ſunt decima pars anni, conſtantis trecentis ſexaginta quinque diebus. D. Greg.

Quare autem hoc ieiunium quadrageſimale inſtitutum fuerit proximè ante ſolemnitatem Paſchalem ſeruari? Reſpondent Sancti Patres, vt iſto ieiunio reddamur aptiores ad maxima redemptionis noſtræ myſteria, Paſſionis ſcilicet ac Reſurrectionis Dominicæ recolenda. Item vt per illud ieiunium fideles omnes pręparentur ad Communionem Paſchalem. Item quia nullum eſt anni tempus, in quo faciliùs poſſit ab omnibus ieiunari: & quia circa tempus vernum ſolent in humano corpore abundare humores, & ſanguis efferueſcere: vnde ſoleot tunc temporis vehementius inſurgere motus libidinis, ad quos proinde refrenandos valde ſalubriter & vtiliter adhibetur ieiunium. De his plura apud Syluium 2. 2. *quæſt.* 147. *artic.* 5. *quæſt.* 2. Syluius.

5. Olim in quibuſdam locis fuit præceptum ieiunandi ferijs quarta & ſexta: alibi verò feria ſexta & Sabbatho. Poſtea conſuetudo fecit, vt ieiunium quartæ feriæ omnino aboleretur, & vt in ſexta feria maneret tantùm ieiuniũ imperfectum quoad abſtinentiam tantum eſus carnium, non autem ab ouis & lacticinijs. Hinc iam vbique videtur vſu receptum vt in ſextis ferijs totius anni oua & lacticinia comedantur, & à carnibus tantùm abſtineamus. Si tamen alicubi contraria vigeret conſuetudo, ea obſeruanda eſt: quia conſuetudo vim legis habet, & ſicut conſuetudine leges & præcepta ac iura confirmantur, ita non vſu & diſſuetudine abrogantur.

Ieiunium in Sabbathis totius anni olim fuit in pręcepto, vt conſtat *ex cap. Sabbatho, de conſecrat. diſtinct.* 3. ſicut & ieiunium feriæ ſextæ: vbi Innocentius I. ita ait: *Sicut ſexta feria cuiuſque hebdomada propter paſſionem Domini ieiunamus, nullum etiam Sabbathum prætermittere debemus, in quo triſtitiam Apoſtolorum ieiunio non iteremus.* Innocent. I. Ex quo capite colligunt Doctores præceptum eſſe ieiunium & abſtinentiam à carnibus, quæ in Sabbathis obſeruatur: & licet olim obſeruaretur perfectè illud ieiunium: nunc tamen non eſt tam perfectum in vſu, ſed tantummodo abſtinentia à carnibus, lacticinia & oua, & plures refectiones permittuntur. Imò vbi conſuetudo permittit eſum carnium in Sabbathis intra Natiuitatem Domini & Purificationem B. Virginis incluſiuè, licet ibi tunc veſci carnibus, etiam ipſa die Purificationis ſi caddat in Sabbathum cuius conſuetudinis ratio, eſt lætitia natalis Domini Saluatoris: & ob eamdem lætitiam iure conceſſum eſt, quando contingit diem Natiuitatis Domini incidere in Feriam ſextam, carnibus veſci, *cap. Explicari, de obſeruat. ieiunior.* Honor. III. vbi Honorius III. Pragenſi Epiſcopo reſpondet. *Explicari per Sedem Apoſtolicam poſtulaſti: Reſpondemus, quod illi, qui nec voto nec regulari obſeruantia ſunt adſtricti, in ſexta Feria, ſi feſtum Natiuitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob deuotionem voluerint abſtinere.*

6. In Eccleſia Romana olim in Aduentu Domioi ieiunium ſeruabatur, vt patet *in cap. conſilium, de obſeruat. ieiunior. Apud nos*, inquit Innocentius III. *in Aduentu Domini ieiunium agitur.* Innoc. III. Et quidem in aliquibus Eccleſijs totus Aduentus ieiunio erat conſecratus, prætèr dies Dominicos. In alijs autem ſoli tres dies cuiuſque hebdomadæ aut quatuor ieiunio dicati erãt, vt ex Matiſconenſi Concilio his verbis conſtat: *A feria S. Martini vſque ad Natalem Domini, Secunda, Quarta, Sexta & Sabbatho ieiunium.* Conc. Mat. Hodie tamen hoc ieiunium in diſſuetudinem abijt, & ſolùm apud Religioſos, licet non apud omnes, manſit: qui partim ex proprijs ſtatutis, partim vſu & conſuetudine id retinuerunt. Apud tamen Fratres Minores ex Regula eorum ieiunium à feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatẽ Domini eſt obligatorium ad culpam mortalẽ.

7. Quamuis Eccleſia nullum ieiunium præcipiat inter Paſcha & Pentecoſten propter lætitiam Reſurrectionis Chriſti Domini, iuxta *cap. ſcire debes, diſtinct.* 76. Licitum tamen eſt Epiſcopis, alijſque Eccleſiarum Prælatis, quoties id euidens aliqua neceſſitas poſtulat, indicere extraordinarias ſupplicationes cum ieiunio. Vnde Mamertus Epiſcopus Viennenſis, cùm ea ciuitas luporum, vrſorùmque incurſibus vehementer infeſtaretur, & terræ motibus illius edificia periclitarentur, triduanas Litanias cum ieiunio per illos tres dies ante Feſtum Aſcenſionis Domini, in ſuo Epiſcopatu præcepit, vt iis pręcibus & ieiuniis ira Dei placaretur. Hoc pium atque vtile opus paulatim alię atque aliæ Eccleſiæ imitatæ ſunt, ita vt tota Gallia, Anglia, Germania & Hiſpania eas Rogationes & ieiunia ſuſcepetit; Conc. Aur. vnde Concilium Aurelianenſe primum omnibus fidelibus illud ieiunium indixit, iuxta *cap. Rogationes, de conſecrat. diſtinct.* 3. vbi habetur. *Rogationes, id eſt Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum ieiunium in Dominica Aſcenſionis ſolemnitate ſoluatur; per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat quo triduo omnes abſtineant, & etiam quadrageſimalibus cibis utantur.* Hæc ieiunia abierunt in deſuetudinem, ita vt modò ſolùm ſit neceſſarium obſeruare ieiunium imperfectum, abſtinendo à cibis in ieiunio vetitis: imò abſque peccato poſſunt ſumi plures refectiones, ac etiã abſque peccato mortali poteſt præueniri hora in perfectis ieiunijs obſeruari debita. Vt docet Syluius 2. 2 *quæſt.* 147. *art.* 5. *in fine.* Fagundez *de præc.* 4 *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. *num* 8. & alij citati *tom.* 1. *verb. Ieiunium II. num.* 3. *verſ. ſed petes primò.* Syluius. Fagund.

8. Quibuſdam placet peccare mortaliter eos, qui conducunt operarios, vt agricultores, meſſores, &c. eo pacto & conditione, vt eo die, quo ſuo labori incumbunt, non ieiunent, quia eis impediunt obſeruationem vnius præcepti ad quam parati ſunt. Dicendum tamen eſt huiuſmodi condoctores nullo modo peccare, nec venialiter quidẽ. Ratio eſt, tum quia operarij non tenentur ieiunare, ergo quamuis conductores prædicto pacto & conditione, illis impediant ieiunium, non tamen impediunt impletionem

præcepti,

præcepti cùm illi ad id non teneantur. Tum quia non pec-
cat conductor ſi operarij mercedem minuat, ex eo quòd
operarius ieiunium ſeruans minùs ſolito laborat; quia nō
debet maiorem mercedem promittere, aut ſoluere, quàm
operarius mereatur; ergo etiam nō peccabit in pactum &
conditionē deducendo, ne ieiunet. Ita Fagundez *loco citato*
lib.1.cap.8.n.16. An autem conductor eos ſolos operarios
teneatur vocare, qui cū moderato labore poſſint operarj
Toletus. Paludanus. Gabriel. — ſine fractione ieiunij. Affirmant Toletus *in ſumm. lib. 6.*
cap.6. caſ.1. Paludanus, Gabriel apud ipſum citati, niſi la-
bor ille non poſſit differri in alium diem, quin damnum
alicuius momenti obueniat. Contraria tamen ſententia
vera eſt, & ita obtinuit conſuetudo recepta ab omnibus
timoratis & religioſis viris, non enim propter ieiunium
ſubtrahunt ſeruis de labore, neque operarios dimittunt.
Ergo non tenetur Dominus ſeu conductor eum ſolum la-
borem ſeruis imponere, & eos ſolos operarios vocare,
qui cum moderato labore poſſint ieiunare, ſed poteſt
quoſcumque vocare, licet ieiunium non ſint ſeruaturi
Fernandez. Diana. — operando. Ita Fernandez *in examin. part.2.cap.8.§.2.n.15.*
cui adhæret Diana *part. 1. tract.9 reſol.13.*

9. Poſita ſententia aſſerente, licere ſumere pro refe-
ctiuncula veſpertina vncias octo panis cū fructibus, ſiue
illa ſumātur coniunctim, vel ſeparatim in eadē quātitate.
Difficultas eſt quænam paruitas materiæ excuſet; alibi ex
auctoritate Turriani & Dianæ diximus quantitatē duarū
vnciarum communis cibi non ſufficere ad conſtituendum
peccatum mortale, ob rationē addactam *tom.1. verb. Ieiu-*
nium I. n.8. verſ. Sed petes primò. Vnde ex hac ſententia ſe-
quitur, quòd quis manè poſſit ſine mortali fractione ieiuni
ſumere quantitatē cibi duarum vnciarum & poſtea hora
cōſueta comedere, & ſerò collatiunculam veſpertinā ſu-
mere in quantitate vnciarum octo. Similiter ſi quis in col-
latione veſpertina ſumat vncias decem cibi communiter,
peccaret ſolùm venialiter contra legem ieiunij.

Quod ſi probabile ſit multum iuuabit ad ſubleuandam
ſummam difficultatem, quam plures fideles ſentiunt in
obſeruādis Eccleſiæ ieiunijs. Ita Pellizarius *in man. regul.*
Pellizarius. Diana. Io: Henriq. — *tom. 1. tract. 5. cap. 6. num. 11.* & nouiſſimè Diana *part.9.*
tract.6. reſ. 15. vbi adducit Ioannem Henriquez *in pract.*
quaſt. ſect.16. quaſt. 4. docentem quòd ſi collatiuncula ve-
ſpertina ſumatur in fructibus, non debere eam intelligi de
humidis, aut recentibus, ſed de ſiccis: & in illis maiorem
quantitatem permitti; eo quòd decem vnciæ fructuum
humidorum æquiualeant octo vncijs ſiccorum. An autem
hæc opinio ſit probabilis, tu lector iudica.

10. Qualitatem cibi, ſi in quantitate non excedatur,
collatiunculam veſpertinam nō vitiare, modò ex prohibi-
tis in diebus ieioniorum non ſit, diximus *tom.1. verb. Ieiu-*
*nium I. n.9. verſ. Difficultas eſt, edit.*3. docere Bonacinam,
Caietanum, & Paſqualigum. Modo pro firmanda eorum
ſententia, quàm improbabilem & falſam vocant nonnulli,
opere pretium duxi adducere quorumdam ſententiam in
P. March. — idem conſentientē. Nam Petrus Marchantius *in tribunal.*
Sacram. tom.2. tract.12. tit.3. quaſt.3. dub.1. ſic ait. In colla-
tiuncula veſpertina de qualitate cibi nō eſſe altercandum,
ſed de quantitate duntaxat: quia collatiuncula illa tolera-
ta, permiſſa eſt ad aliquam confortationem naturæ,
propter infirmitatem humanam. Quid igitur refert quo
cibo confortatio illa fiat, modò non excedatur, & cibus
abſtinentiæ ieiunij ſit accomodus.

Iacobus autem Marchantius huius Petri Frater *in reſol.*
Iac. March. — *Paſtoral. part.2. cap.5. quaſt.1.* dicit, Bonacinæ ſententiam
nonnulli ſequuntur & dicunt licere loco fructuū vel piſci-
culum, vel piſcis grādioris particulam ſumere, vel aliquid
cibi alterius cuiuſcumque liciti in diebus ieiuniorum, ſi
modò non excedatur quantitas modica. Et quamuis nō ſit
ſuadendus ordinariè huius ſentētiæ vſus, tamen cùm cau-
ſa aliqua adeſt, poteſt fieri ſine peccato; & ſi fiat ſine vlla
cauſa excuſante ego exiſtimo non eſſe niſi veniale: & puto
Antoninum Diana in cenſura excedere, dum aſſerit ſine
dubio peccari mortaliter & frangi ieiunium.

Hanc etiam ſententiam tenent Franciſcus Ghetius in
Ghetius. — theſauro animæ *tom. 2. verb. Ieiunium cap. 1. quaſt.* 4. In
ientaculo ſerotino non refert quid quiſque ſumat, ſi mo-
dum non excedat, dummodò non ſit aliquid ex cibis veti-
tis, vnde poteſt comedi caſeus, piſciculi parui, vel pars exi-
gua piſcis grandis, iuſculum etiam aliquod, & tandem
quid magis vnuſquiſque putat prodeſſe ſuæ complexioni.
Ita etiam Zambellus *in Repert. moral. verb. Ieiunium,* — Zambellus.
num. 19. & illam probabilem eſſe fatetur Trullench. *in* — Trullench.
Decalog. tom. 1. lib.3. cap.6 num.8 & alij.

Aliqui concedunt abſolutè in collatione ſerotina, ſumi
poſſe iuſculum abſque peculiari indigentia ac neceſſitate,
dummodo iuſculum non ſit coctum in aliquo cibo vetito,
ſed tantùm in pane, vel cū fructibus, nec excedatur quāti-
tas alioqui conceſſa. Ita Eſcobar *in Theolog. moral tract.1.* — Eſcobar.
examin.13. cap.1. n.102. Pellizarius *in man. Regul. tom.1.* — Pellizarius.
tr.5. cap.5. num.16. qui citat Azorium & Reginaldum. Et — Azorius.
ideò Caramuel *in Regul D. Bened. diſp.128. num.1613.* do- — Reginald.
cuit, non audere condemnare qualitatem collationis ſero- — Caramuel.
tinæ quomodolibet paratam. Imò ipſemet Diana *part. 9.* — Diana.
tract.6. reſol.29. non condemnat eum, qui in refectiuncula
veſcitur pane cocto cum aqua, oleo, & ſale, in quantitate
aliàs licita, quamuis contrarium alibi aſſeruerit.

Prædicta ſententia, apud multos, maximam parit diffi-
cultatem quoad oua, quę permittuntur diebus ieiuniorum
extra quadrageſimam: quis enim non vidit, ſumptionem
ouorum in quantitate ſeptem vel octo vnciarum, debere
dici nō refectiunculam, ſed plenā & integram quaſi refe-
ctionem? Tum quia oua plus afferunt nutrimenti, quàm
piſces, & tanquā maioris ſubſtantiæ poſt carnes apponun-
tur in medio prandij poſt initiū & ante finē: vnde oua in-
ter meliora, imò & optima fercula numerari debent, & de
facto ab omnibus enumerantur. Accedit, quod oua ex cō-
ſuetudine immemoriali vbique in collatiuncula veſperti-
na cenſentur prohibita; nec quiſquam fidelium ea adhibe-
re audet, quod eſt ſignum ouorum eſum non eſſe cibum
proportionatum pro refectiuncula in diebus ieiuniorum.

Nec obſtat, quòd aliquando oua in ientaculis ſumantur,
nam ex hoc non infertur bene, quòd debeant inter bella- — Marc. Vid.
ria numerari, vt vult Marcus Vidal *in Arca vital. titul. de*
ieiunio Inquiſit. 1. n. 140. & ideò in collationes ſumi poſſe:
quia, vt notum eſt omnibus, multa alia, quæ habent ratio-
nem ferculi principalis, paſſim in ientaculis, tam matuti- — Diana.
nis, quàm veſpertinis apponuntur. Ita Diana *part. 10.* — Leandrus.
tr. 14. reſol. 57. Leandrus apud ipſum citatus. Vbi ſolidè
reſpondet ad argumēta Marci Vidal. Sed tu lector iudica.

11. In Diœceſibus & Prouincijs, vbi ſic vſu receptum
eſt, in collatione ſerotina vigiliæ Natiuitats Domini, po-
teſt ſumi duplo maior quantitas, quàm licitū eſt ſumere in
alijs ieiunijs: vnde ſi in alijs ieiunijs licitum eſt ſumere vn-
cias octo, erit in illa licitum ſumere vncias ſexdecim. Hu-
iuſmodi enim conſuetudo excuſabir à tranſgreſſione prę-
cepti ieiunij in locis vbi Prælati non reclamant, neque per
ſe, neque per ſuos Prædicatores, aut Cōfeſſores, ſed potiùs
ipſi ita faciunt, & cōſuetudinem ſequuntur: cœpta eſt au-
tem induci hęc conſuetudo in Eccleſia, quia omnes ea no-
cte vigilabant, & in templo diuinis officijs intererat. Ita
Azorius *tom. 1. lib.7. cap. 8. quaſt.* 8. Fagundez *precept. 4.* — Azorius. Fagundez.
Eccleſ. lib.1. cap.4. num. 19. Diana *part.1. tract.9. reſol.35.* — Diana.
Idem dicendum putant de peruigilio Paſchatis, vbi fuerit
vſu communi receptum, vt refectiuncula tunc paulo ma-
ior ſolito ſumatur. Nonnulli tamen hanc conſuetudinem
improbant, quia per illam fraudatur ieiunium & admittit
veram cœnam nomine collationis tectam, ſeu palliatam.
Tum quia hæc conſuetudo, nō eſt conſuetudo populi Dei,
ſed populi cuius Deus venter eſt, & corruptela vitioſa di-
cenda eſt à guloſis introducta. Ita ſentiunt Nauarrus *in* — Nauarrus.
man. cap.21. num.14. Rodriguez *tom.1. ſumm. cap.23. n.10.* — Rodriquez.
Angles *tract. de ieiunio queſt.9. art.2. diffic.4. dub.1.* & alij. — Angles.
Cæterum hæc conſuetudo non eſt ita vniuerſalis, vt arbi-
trantur Doctores primæ ſententiæ, cùm nuſquam in hoc
noſtro Belgio hucuſque inualuerit, ſed potiùs contraria
apud plebeios, quorum plerique illis diebus ieiuni manent
vſque ad Solis occaſum ieiunio etiam naturali.

12. Certum eſt apud omnes comedentem carnes in die
ieiunij Eccleſiaſtici, toties peccare mortaliter, quoties illas
comedit, vt diximus ex communi *tom.1. verb. Ieiunium I.*
n.10. Difficultas eſt tamen, an obligatus ieiunare ex voto,
ſi ſecunda vice comedat carnes, peccet iterum contra vo-
tum? Videtur quod ſic: qua de ratione ieiunij Eccleſiaſtici
eſt tantùm vnica comeſtio, & abſtinentia à carnibus in
omnibus horis illius diei. Ergo vouens ieiunium vouet nō

Azorius. Palaus.

comeſturum ampliùs, quàm ſemel, & in nulla hora illius diei carnes: ergo quacumque hora illius diei carnes comedat, peccat; quia eſto violauerit ieiuniũ, non violauit omni modo, quo poteſt. Ita Azorius *tom. 1 lib. 11 cap. 20. quæſt 6.* Caſtrus Palaus *tom. 2. diſp. 1. punct. 12. n. 15.* probabiliter. Non eſt tamen improbabile contrarium: quia in hoc voto non clauditur directè abſtinentia à carnibus, ſed indirectè, quatenus, eſt pars eſſentialiter ad ieiunium requiſita, & acceſſoriè ipſi ieiunio. Quare cùm ſemel violato ieiunio ceſſet obligatio circa principale, ceſſare videtur circa acceſſoriam abſtinentiam à carnibus. Quare latum eſt diſcrimen inter obligatum ex præcepto Eccleſiaſtico ad ieiunium, & obligatũ ex ſolo voto. Quippe ille prima vice comedens carnes, nec excuſatur à ieiunio, duplex peccatum neceſſariò confitendum committit, alterum in ieiunij legẽ ea comeſtione violatam: alterũ verò in legem aliam particularem obligantem ea die abſtinere, independenter à ieiunij obligatione. At comedens carnes in die ſolius ieiunij promiſſi, vnicum peccatum admittit contra ſolum ieiunij votum, quatenus ea comeſtione id violatur.

Deinde hoc votum differt à præcepto Eccleſiaſtico ieiunij, quippe quod etiam non ieiunantes ſeparatim, atque diſtinctè obligat ad abſtinentiam à carnibus, imò etiam à lacticinijs in Quadrageſima. Votum autem ieiunandi tali die vtrumque eorum, videlicet à carnibus abſtinentiam & vnicam comeſtionem per modum vnius comprehendit: quare ſi alterum ſit, iuſta vel iniuſta de cauſa, obſeruatio voti omninò corruit. Ex quo ſequitur, quòd talis de cętero continere ſe à cibis imò & à carnibus non tenetur, eo quod ieiunij formam ampliùs obſeruare non poſſit. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 11. num. 42.* Layman *lib. 4 tr. 4. cap. 3. num 3* Diana *part. 1. tract. 9. reſol. 45. & 37.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 1. quæſt.* 140. & alij, vt iterum dixi *tom. 1. verb. votum 3. num. 3. diffic. 2.*

Sanchez. Layman. Diana. Fauſtus.

13. Ex dictis in præcedenti reſolutione ſequitur, quod in Quadrageſima comedere ſępius per diem, & comedere carnes & comedere oua, ſunt ſingula particulariter & diſtinctis præceptis prohibita; vnde ſingula habent diſtinctã prohibitionem Eccleſiæ, eiuſque fini repugnantiam, quod inde patet quod vnum ſæpe ſine altero permittatur, & cõſequenter continent diſtinctã malitiam in confeſſione explicandã. Ita Conink *de Sacram. diſp. 7. dub. 5. tom. 42.* Sãcius *in Selectis diſp. 51. n. 26. & 27.* qui vltimus ſic ait: Præceptum abſtinendi à lacticinijs & ouis negatiuũ eſt, & habet diuiduam materiam, vnde frangeretur à Sacerdotibus quoties in die oua & lacticinia ederent, eo modo quo toties delinquerent, quoties in die prohibito carnes comederẽt. Et duplici labe inquinaretur Sacerdos edens carnes & oua in die Quadrageſimali abſque legitima cauſa, cùm ſit diſtinctum præceptum, quo Sacerdotibus lacticinia & oua vetantur ab eo quo carnes: in quam duplicem fractionem etiam rueret laicus edens carnes in Quadrageſima abſque cauſa, & oua, & lacticinia ſine Bulla cruciatæ; & tenebitur confiteri, quoties ſe applicauerit eſui carnium in die, & quoties comeſtioni ouorum. Ita ille.

Conink. Sancius.

14. Dubium eſt, an in diebus ieiuniorum liceat ſine fractione ieiunij ſumere vuas ad ſedandam ſitim, quoties libuerit, vel ſimiles fructus videtur quod ſit affirmatiuè reſpondendum; quia quando comedimus vuam, idem eſt in ordine ad cibationem & nutritionem, ac ſi ſumeretur ſolùm ſuccus ipſius, quia ſolus eſt aptus, vt digeratur: & quia cortex vinacea egerũtur in propria ſubſtantia, nõ poſſunt habere rationem cibi, atque adeò nec frangere ieiunium Eccleſiaſticũ, per quod ſolus cibus nutritiuus prohibetur. Quare vua non poteſt frangere ieiunium ratione corticis, aut vinaceorum, neque ratione ſucci, quia ſuccus in ſua ſubſtantia eſt vinum, & habet rationem potus: & quando vua dentibus conteritur, in ipſo ore acquirit rationem potabilis, atque adeò traſmittitur ad ſtomachum per modum potus. Ita ſentit Paſqualigus *in praxi de ieiun. deciſ. 135. & 136.* & hanc ſuam opinionem viris doctis relinquit maturandam: quæ tamen penes Dianam *part. 9. tract. 6. reſ. 14.* ſemper acerba erit; & ideò in praxi nunquam prorſus deducenda. Si quis enim vinacea vuarum in torculari preſſa ſumeret in magna quantitate, quis diceret eum illas comedendo non frangere ieiunium? Ergo quanto magis in caſu noſtro dicendum eſt illum comedere & frangere ieiunium, qui ſuccum ſimul & vinacea dentibus preſſa deglutit. Alias non frangeret ieiuniũ ille, qui ad ſatietatẽ comederet pira, poma, & ſimilia, corticeſ tantum expuendo, ſed ſuccum degluttiendo, ſed hoc dicere videtur abſurdum. Dicendũ eſt ergo ſumentem vuam in quantitate notabili frangere ieiuniũ. Ratio eſt, quia vua & quidquid in ea eſt, cibus eſt, & moraliter habetur cibus: vnde liquor nõ includitur intra ipſa grana vuarum per modũ potus, ſed potiùs per modum cibi, & non dicitur bibi, ſed manducari; hinc non habet ſtatum & modum potus, ſed potius materiam cibi, cùm reuera ſimul vt reliqua manducetur. Ita Dicaſtillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. diſp. 2. dub. 5. num. 91. & 92.* Et quod vuæ ſint cibus, tradunt Præpoſitus *in 3. part quæſt. 74. art. 5. num. 44.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 22. diſp. 2. ſect. 3. n. 18.* Leſſius *in 3. p. quæſt. 74. art. 5.* & alij communiter. Et hæc addita ſufficiant de hac materia ieiunij.

Paſqualig. Diana. Dicaſtillus. Præpoſitus. Caſpenſis. Leſſius.

Cæterum, quæ alibi & hic de ieiunio produximus, ſecundùm probabilem opinionem Doctorum accipienda ſunt, quam ſcire debent Confeſſarij & Paſtores. Nõ enim propoſuimus iſta vt laxentur habenæ quibuſdam, qui curã carnis faciunt in deſiderijs, & animo effræno ſectãtur cõcupiſcentias ventris. Confeſſariorũ munus eſt & Concionatorum, ac Paſtorum, eos feriò hortari, monere, arguere; non verò nimia indulgentia & facilitate eis condeſcendere, Et certè Sancta Abſtinentia mæſta luget, quòd cùm olim tanta cum veneratione exciperetur, & tot ſui aſſeclas cum gaudio intueretur, nũc penè ab omnibus deſeritur & eliminatur. Modò enim omnis ferè ſexus, ætas, ordo & generatio, ſeſe à ieiunantium numero ſubducere nititur, varias prætexens excuſationes, quæ vtinam non ſint perizomata & folia filiorum. Adæ ad cooperiendam nuditatẽ, quas ventus diuinę equitatis diſcutiet & excutiet, ac emãdabit ad ignem. Vt fuſius proſequitur Iacobus Marchantius *in reſolutione paſtoral. part. 2. poſt cap. 5. in appendice.*

Iac. March.

Vide verb. Miſſa 2. *num. 5. & 6.*

IGNORANTIA.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia alia eſt iuris, alia facti, alia pœna.*
2 *Alia eſt iuris communis, alia iuris particularis.*
3 *Subdiuiſio ignorantiæ in probabilem, ſeu inuincibilem, & in vincibilem ſeu culpabilem.*
4 *Ignorantia vincibilis alia eſt affectata, alia craſſa & ſupina.*
5 *Ignorantia aliquando appellatur antecedens, aliquando comitans, & aliquando conſequens.*
6 *An poſſit dari ignorantia inuincibilis iuris diuini & myſteriorum fidei, nec non aliquorum præceptorum naturalium?*
7 *An ignorantia inuincibilis aut probabilis tam iuris quàm facti, excuſet à peccato?*
8 *An per iuramentum ignorantia inuincibilis probetur in foro externo?*
9 *An teneatur repetere confeſſionem, qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter commiſſum prætermiſit in confeſſione?*
10 *An poſſit dari ignorantia inuincibilis legum particularium ſpectantium ad proprium ſtatum & officium.*
11 *An ignorantia poſſit facere vt peccatum ex mortali fiat veniale?*
12 *An laborans ignorantia inuincibili vnius circumſtantiæ, non verò alterius excuſetur à peccato reſpondente illi circumſtantiæ quam nouit, ſeu quam culpabiliter ignorat?*
13 *An qui præceptum aliquod non adimplet ob inaduertentiam vel ignorantiam quæ ipſius culpa contingit, excuſetur à peccato?*
14 *An peccata commiſſa ex ignorantia culpabili ſint eiuſdem ſpeciei cuius ſunt peccata quæ fiunt cum ſcientia?*
15 *An ignorantia vincibilis formaliter ſit peccatum?*
16 *An ignorantia inuincibilis pœnæ excuſet à peccato & à pœna?*

17 *An*

17 *An qui contra ius diuinum, vel naturale ſcienter delinquit, ignorans tamen ius Canonicum afficiens omnes excommunicatione, qui non obtemperant, incidat in excommunicationem?* Refertur duplex ſẽtẽtia.
An ignorans reſeruationem pœnalem alicuius caſu, incurrat in illam?

18 *An ignorantia comitans excuſet actionem externam à peccato, à reſtitutione, ab incurrendis cenſuris & irregularitate ex delicto?*

19 *An ignorantia affectata augeat peccatum, & excuſet ab incurrenda cenſura?* Refertur duplex ſententia.

20 *An ignorantia vincibilis facti ſiue iuris excuſet ab incurrendis cenſuris vel irregularitate ex delicto? Et an ignorantia legis irritantis actum efficiat etiam actum irritum.*

1. IGnorantia alia eſt *iuris*, alia *facti*, & alia *pœnæ*. *Ignorantia iuris* contingit, quando neſcitur præceptum, vel prohibitio. *Ignorantia facti* contingit, quando adeſt ſcientia & notitia legis, ſeu iuris, ſed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege. *Ignorantia pœnæ* contingit, quando neſcitur latam eſſe talem pœnam contra delinquentes. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 1. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 76. Præpoſitus *ibi. art.* 4. *dub.* 1. & alij.

Azorius. D. Thom. Præpoſitus.

2. *Ignorantia* alia eſt *iuris communis*, alia *iuris particularis*. *Ignorantia iuris communis* contingit quando ignoratur ius, ſeu lex vniuerſalis, quæ vniuerſaliter obligat. *Ignorantia iuris particularis* eſt illa, qua ignoratur ius obligans ſolùm particulares aliquas perſonas, vel tãtùm in aliquo particulari territorio. Bonac. *de cenſur. d.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Crouſers *lect. præmialis prima ad reg. S. Franc.*

Bonacina. Crouſers.

3. *Ignorantia* ſiue ſit iuris, ſiue facti, ſubdiuiditur in *probabilem*, quæ dicitur inuincibilis & inculpabilis, & in *improbabilem*, quæ vincibilis & culpabilis nuncupatur: *Vincibilis* eſt, quæ vinci potuit, ſed ignorans non adhibuit ſufficientem diligentiam, iuxta qualitatem negotij ad illam vincendam. *Ignorantia probabilis* dicitur illa, quæ vinci non poteſt etiam poſt adhibitam ſufficientem diligentiam. Vaſquez *de pœnit. q.* 92. *art.* 3. *dub.* 1. Præpoſit. *dub.* 1. & alij.

Vaſquez. Præpoſitus.

4. *Ignorantia vincibilis* alia eſt *affectata*, alia *craſſa & ſupina*. *Ignorantia affectata* contingit quando quis eligit neſcire præceptum, vt liberiùs peccet *Ignorantia craſſa & ſupina* dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis, ſeu ex ſumma negligentia, vt quando quis nullam vel modicam adhibuit diligentiam ad cognoſcendum id quod ſcire tenetur Nauarrus *c.* 23. *n.* 45. Henriquez *l.* 13. *c.* 23. Crouſers *c. fol* 4.

Nauarrus. Henriquez. Crouſers.

5. *Ignorantia* aliquando appellatur *antecedens* aliquando *comitans* & aliquando *conſequens*. *Antecedens* dicitur illa, quæ eſt probabilis & inuincibilis, qua non poſita, actus malus nõ fieret: *Ignorantia comitans* dicitur illa, quæ ſi nõ adeſſet, actus nihilominus fieret: *Ignorantia conſequens* dicitur, quæ quouis modo eſt voluntaria & culpabilis. Et hæ ſupradictæ diuiſiones ignorantiæ, quod rẽ moralem accommodari poſſunt inaduertentię, & obliuioni & naturali inconſiderationi, quæ cõtingit, quando quis habuit cognitionem præcepti, ſed hic & nunc ad illud non aduertit, D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 8. Sylu. *ibi*. Præpoſitus *ibi. dub.* 1. 2. & 3. Sanch. *l. moral. c.* 16. *n.* 8. & alij. His poſitis dicimus quòd.

D. Thom. Syluius. Præpoſitus. Sanchez.

6. *Ignorantia inuincibilis* dari poteſt iuris diuini, & myſteriorum fidei; nam aliqui infideles extiterunt, ad quos nulla peruenit cognitio myſteriorum fidei, ergo reſpectu illorũ datur ignorantia inuincibilis; & hoc verũ, nõ ſolùm in ignorantia pura & ſimplici, verùm etiã in illa, quæ coniuncta eſt cũ errore; nam ſi rudis inſtruatur ab Hæretico, quem ipſe neſcit Hæreticum, ſed putat virum probum & doctum, ab eoque aliquos errores contra fidem ſimul cũ aliquibus veritatibus imbibat, dicitur habere ignorantiam inuincibilem coniunctam cũ errore, quæ nõ imputatur ad culpam, cùm nullam de veritate habuerit cognitionẽ. *Non ſolùm* autẽ iuris diuini dari poteſt ignorantia inuincibilis, verùm etiam aliquorum præceptorum naturaliũ, quia aliqui pueri inuincibiliter ignorant pollutionẽ illicitam eſſe: Nõ tamẽn omnia præcepta naturalia inculpabiliter ignorari poſſunt, extant enim aliqua pręcepta notiſſima, & clariſſima, quę dicuntur prima principia iuris naturæ, vt ſunt illa, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; *Colendus eſt Deus*, *Malum vitandum*, *Bonum faciendum*, &c. Multò magis dari poteſt *ignorantia inuincibilis* legum humanarum, ſeu iuris non ſolùm particularis, verùm etiam communis, quia fieri poteſt, vt quis nihil vnquam de lege aliqua cogitauerit, vel ſi cogitauit, debitam adhibuerit diligentiam ad veritatem cognoſcendam, & tamen nondum venerit in ipſius cognitionem. Clauis Regia *l.* 2. *c.* 9. *n.* 17. Sanch. *l.* 1. *moral. c.* 16. *n.* 32. Caſpenſis *tr.* 12. *diſp.* 5. *n.* 19. & *ſeq.* Conink *de pœnit. diſp.* 8. *dub.* 17. *n.* 135 Sylu. 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. *q.* 2. *concl.* 5. Reginald. *l.* 11. *n.* 23 Nauar. *c. n.* 46. Valent. *t.* 2 *diſp.* 6. *q.* 6. *pun.* 7. 1. Azor. *t.* 1. *l.* 1. *cap.* 13. Dian. *de Sacram. reſ.* 108. *p.* 3. Præpoſitus 1. 2. *q.* 76. *a.* 4. *q.* 76. *a.* 4. *dub.* 2. Sylu. 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. *q.* 2. *concl.* 4. & alij.

ClauisReg. Sanchez. Caſpenſis. Conink. Sylu. Reginald. Nauarrus. Valentinus. Azorius. Diana. Præpoſitus. Sylu.

7. *Ignorantia* tam iuris quàm facti inuincibilis, aut probabilis, excuſat à peccato; quia nullum eſt peccatum niſi ſit voluntarium; voluntarium autem non poteſt eſſe cum ignorantia inuincibili iuris vel facti, ſupponit enim cognitionem, & vſus libertatis noſtræ nititur cognitione tanquam radice. Nouarrus *c.* 23. *num.* 46. Vaſquez *part.* 2. *diſp.* 122. *c.* 2. Sylu. *concl.* 6. & 7. & alij.

Nauarrus. Vaſquez. Sylu.

Aduertendum tamen hic eſt, tum ignorantiam inuincibilem non excuſare à peccato per eam commiſſo, quando huius ignorantiæ cauſa data eſt, propria vel aliena voluntate nobis imputabili. Vnde excæcatio quæ ex peccatorũ actualium gurgite prouenit, cui ſe homo ſponte immerſit, ſic vt iuſto iudicio extincta omni luce diuinæ gratiæ in altiſſimis tenebris à Deo deſeratur, nõ excuſat à peccatis per cæcitatem illam commiſſis, licet ſe quis peccare ob cæcitatem neſciat, quia eius cauſam propria voluntate dedit.

Item ſecundò iuxta mentem Diui Auguſtini & eius ſequacium, excæcatio ſeu ignorãtia inuincibilis quę ex peccato originis proximè venit, non excuſat à peccatis, quæ ex ea cõmittuntur, quia peccatum primi parẽtis fuit cõmune totius naturæ, & perinde nos culpam ac pœnã per illud incurrimus, ac ſi noſtrum eſſet perſonale, cuius licet cauſam propria voluntate nõ dederimus, dedimus tamen aliena, quæ quodammodo etiã erat noſtra, quia totius naturę: Vnde ſit ait Diuus Anſelmus, *cap.* 17. *de concord. grat. Quoniam natura humana peccando deſeruit iuſtitiam, ad peccatum illa imputatur impotentia, quam ipſa peccando ſibi fecit, nec ſolum impotentia iuſtitiam habendi, ſed etiam impotentia illam intelligendi.*

Itaque cùm primus parens ſcientiam legis naturæ ad cuius normã vitam ſuam dirigere debebat, in creatione vt debuit à conditore infuſam habuerit, ac vires ad eã cuſtodiendã acceperit, & homo ſua culpa perdiderit: ideò quidquid iam mali vel per illius legis ignorantiam, non ſolùm vincibilem, ſed etiã inuincibilem, vel per virium imbecillitatem deſignat, ei in culpam imputatur, vt apertè tradit D. Auguſt. *epiſt.* 105. his verbis: *Per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propria voluntatis, ſiue qui nouit ſiue qui ignorat, ſiue qui iudicat, ſiue qui non iudicat: Quia & ipſa ignorantia in ijs qui intelligere noluerunt* (ecce ignorantia vincibilis) *ſiue dubitatione peccatum eſt: in ijs autem qui non potuerunt* (en ignorantia inuincibilis) *pœna peccati eſt. Ergo in vtriſque non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta damnatio.* Et ad Iulianum in opere imperfect. *Cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quando labore diſcatur. Qui autẽ neſciunt, ipſam boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur, peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim vt peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, vbi dicitur*: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. Pſalm. 24. *Quod genus delictorum, ſi non imputaret Deus iuſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis.*

Itaque ſententiam D. Auguſt. de ignorantia inuincibili iuris naturæ à culpa non excuſante, præter cæteros acriter & reſolutè defendens *Gregorius Ariminenſis* ſic ait:

Cùm dicitur, quòd ſecundùm omnes Doctores, non imputantur hominis quæ ex ignorantia ſimpliciter inuincibili committuntur, Dico quod illud eſt intelligendũ de ignorantia, quæ non eſt peccatum, nec pœna peccati, cuius ille ſit, vel fuerit reus. Nã ignorãtia quæ prouenit ex peccato nequaquã excuſat, ſaltem à toto: Si enim non peccaſſemus in Adamo, nullus hanc ignorantiam habuiſſet, & ideo neminẽ excuſat.

Idem ſuſtinet Eſtius *in* 2. *diſt.* 22. §. 14. additque *Inno-*

centium, Adrianum & *Caietanum* conſentire. Et ne cui nimis admirabile & durum videatur, quòd homines in aliquo peccent, in quo ſe peccare inuincibiliter neſciunt. Occurrit D. Auguſt. *lib. 3. cap. 18. de grat. & lib. arbitr. Nec mirandum eſt*, inquit, *quod homo vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, illa eſt enim peccati pœna iuſtiſſima, vt amittat vnuſquiſque quo bene vti noluit cùm ſine, vlla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, vt qui ſciens rectè non facit*, (vt quouis homo in primo ſuo parente) *amittat ſcire quid rectum ſit. Et qui rectè facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit*. Et conſequenter in homine, qui in iſtam neceſſitatem vltrò ſe coniecit, ait *quadam etiam neceſſitate facta improbari*, Hæc ſummatim de ſententia D. Auguſtini circa ignorantiam iuris naturæ, quæ rectè explicat quo ſenſu ſit intelligenda communis doctrina Theologorum de ignorantia inuincibilis.

8. *Ignorantia* inuincibilis probatur in foro externo, per iuramentum ipſius, qui ex ignorantia legem nõ impleuit, ſi ſpectatis circumſtãtijs dubitatur an legem ignorauerit, & non ſit plena præſumptio contra ipſum, quòd legem ſciuerit, aut illam craſsè ignorauerit: quia in dubio æquitas nõ patitur, vt quis condemnetur; ſi verò non ſit dubia præſumptio, ſed clara contra aliquem, poterit ignorantiã probare aliquibus ſignis, quæ moraliter coniungi non ſolent cum ſcientia illius legis, ſeu negligentia culpabili illius ſciendæ. Et hæc omnia probantur ex *Cap. præſumitur, de reg. iuris in 6.* vbi dicitur reg. 47. *præſumitur ignorantia, dum ſcentia nõ probatur*. Vbi Gloſſa ait, probari ignorantiam per iuramentũ, vel probando aliquid quod neceſſariò cõſequitur ignorantiam. Et hoc frequentiùs eueniet in homine idiota, & circa legem particularem, quæ non eſt omnibus nota vel facilis. Ita Bonac. *tom. 2. diſp. 1. q. 8. p. 3. n* 13. Molina *tr. 5. diſp.* 81. *n.* 4. Nauarr. *l. 1. conſil. tit. de conſtit. conſil. 1. n. 6.* Caſtro *de leg. pœn. l. 2. c.* 14. & alij.

Bonac. Nauar. Caſtro.

9. *Ille* excuſatur ab obligatione repetendæ cõfeſſionis, qui peccatũ aliquod ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter commiſſum prætermiſit in confeſſione inuincibiliter aut probabiliter ignorans, ſe teneri ad peccatũ illud in cõfeſſione aperiendum, non enim peccauit retinendo peccatũ in confeſſione, inuincibiliter aut probabiliter ignorans tale peccatum in confeſſione manifeſtandum eſſe: idem *dicendum* de eo qui in prima confeſſione culpabiliter prętermiſit aliquod peccatũ ex ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter, ſed in reliquis confeſſionibus prætermiſit bona fide, eò quòd nullam de tali peccato, aut de tali omiſſione cogitationẽ habuerit, facto diligẽter examine; aut eò quòd in reliquis cõfeſſionibus prudenti ratione iudicauerit illud non fuiſſe peccatum; hic enim non tenetur repetere confeſſiones bona fide factas, cùm à peccato excuſetur ratione bonæ fidei, ſeu ignorãtiæ inuincibilis aut probabilis; cõſequenter ſatisfaciet repetendo confeſſionẽ in qua culpabiliter ex ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter peccatũ prętermiſit. Vaſques *de pœnit. q. 92. art. 3. dub. 1. n. 9* Nauar. *c. 9. n. 15.* Conink *diſp 7. dub. 9. n. 70.* Bonac. *c. n. 17.* Diana *de Sacr reſol.* 108. *p.* 3. Sylu. *in Supplem. q. 9. art. 2. q. 4.* & alij.

Vaſques. Conink. Diana. Sylu.

10. Qui per ignorantiam inuincibilem aliquid facit, vel omittit contra proprium officiũ, excuſatur à peccato, quia datur ignorantia inuincibilis etiam legum particularium ſpectantium ad proprium ſtatum & officium, quãdo nulla pręceſſit de huiuſmodi legibus cogitatio: aut ſi pręceſſit cogitatio, ſed adhibita debita diligentia ad inquirendã veritatem, veritas comperta non fuit: qualis autem diligentia adhibenda ſit ad veritatem aſſequendam, ſeu ad ſuperandam ignorantiam, non poteſt certò definiri, ſed iudicio prudentis relinquendum eſt hoc iudicium, habita ratione præcepti, officij, & qualitatis perſonæ, aut etiam circumſtantiæ temporis & loci, ita vt tanta diligentia adhibeatur ſtudendo, aut conſulendo peritos, quæ viro prudenti ſufficiens videatur attenta qualitate loci & temporis. Sanch. *lib. 1. moral. c. 16. num. 21. &* 27. Reginald. *l. 15. n. 75.* Suar. *de cenſur. diſp. 4. ſect.* 8. Vaſq. *p. 2. diſp. 123. c. 2. n. 6.* Sylu. *1. 2. q. 76. a. 3. quæſt. 3. concl. 1 & 2.* & alij.

Sanch. Regin. Suarez. Vaſq. Sylu.

11. *Ignorantia* poteſt facere vt peccatum ex mortali, fiat veniale; quia peccatum cum ignorantia ſeu negligẽtia culpabili tantummodò venialiter cõmiſſum, eſt nimis imperfectè voluntarium; voluntarium autem imperfectum excuſare poteſt à mortali: imò quælibet ignorantia legum humanarum, poteſt à peccato mortali excuſationem parere, modò adſit aliqua bona fides, & modò ignorantia non ſit craſſa vel ſupina, quę contingit, quando pręcedente cogitatione legis, ſeu obligationis ſciendi, nulla aut valde modica adhibita fuit diligentia: Vnde fieri poteſt, vt ignorantia, quæ reſpectu iuris diuini vel naturalis diceretur culpabilis mortaliter, ſit tantummodò venialis reſpectu iuris humani, modò adſit bona fides, & non adſit ignorantia craſſa, vel ſupina, vel affectata: quia leges humanæ ſunt adeò benignæ, vt non intendant adeò ſtrictam obligationem inducere, ſicut exigit & inducit ius diuinum & naturale. Ita Sanchez *l. 1. moral. c. 17. n.* 17. 20. Reginald. *l. 11. n. 19.* Sà *v. lex n. 15.* Suar. *de Sacram. diſp. 22. ſect. 3. tom. 4.*

Sanch. Reginald. Suarez.

12. *Laborans* ignorantia inuincibili vnius circumſtantiæ, non verò alterius iuxta D. Thom. *1. 2. q. 76. art. 3.* Sãch. *l. 1. moral. c. 16. n.* 10. Syluium *c. quæſit.* 4. & alios, nõ excuſatur à peccato reſpondente illi circumſtantiæ, quam nouit, ſeu quam culpabiliter ignorat; nam peccatum illi circumſtantiæ reſpondens cenſetur voluntarium: vnde qui fornicationem externam nouit eſſe peccatum, ſed inuincibiliter ignorat deſiderium fornicandi eſſe peccatum, non peccat deſiderio fornicationis: peccat verò exterius fornicando.

D. Thom. Sanch. Syluius.

13. Qui præceptum aliquod non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, quæ ipſius culpa contingit, vt ſi quis culpabiliter omittat Sacrum in die feſto, quo tẽpore enunciatur edictũ de blaſphemis ad inquiſitores deferendis, excuſatur à peccato; quia laborat ignorantia inuincibili, cùm nulla præceſſerit cogitatio, vel dubitatio præcepti obligationis denunciandi aut ſciendi tale præceptũ. Clauis Reg. *l. 2. c. 9. n.* 35. Sãch. *c. n.* 31. Valẽt. *1. 2 d. 8. q. 6. p. 1.* & alij.

Clauis Reg. Sanch. Valent.

14. *Peccata* cõmiſſa ex ignorantia culpabili, ſunt eiuſdem ſpeciei cuius ſunt peccata, quæ fiunt cũ ſcientia: quia opponuntur eidem virtuti & præcepto, quamuis leuiora ſint ob ignorantiam: *vnde* ſequitur, eum, qui peccatũ aliquod perpetrauit, nõ teneri in confeſſione explicare, num peccauerit ex ignorãtia vincibili vel ſcienter, quia hæ circumſtantiæ ſunt tantummodo aggrauantes, vel minuentes, quæ neceſſariò non ſunt explicandæ in confeſſione, vt dictum eſt. Suar. *tom. 4. diſp. 22. ſect. 4. n. 14.* Sanch. *l. 1. c. 17. n. 15.* Clauis Regia *c. n.* 38. Diana *p. 4. tract. 4. reſ. 35.* & alij.

Suarez. Sanch. Clauis Reg. Diana.

15. *Ignorantia* vincibilis, non eſt formaliter peccatum; quia ſequeretur eum, qui culpabiliter ignorat, quod ſcire tenetur ſub mortali, ſemper in ſtatu peccati mortalis exiſtere, etiam eo tempore, quo non poteſt ſcientiam habere: *dicendum* tamen eſt ignorantiam vincibilem eſſe peccatũ ratione negligentiæ, quam quis commiſit dum potuit ſcire, quæ ſcire tenebatur: & inſuper hæc ignorantia vincibilis, eſt peccatum oppoſitum præcepto & virtuti, ex qua homo tenetur aliquid ſcire, vel facere, nam exponit ſe periculo faciendi contra præceptum talis virtutis, non curando ipſius cognitionem & ſcientiam. Reginald. *l.* 11. *n. 15.* Sanchez *c. l. 1. c. 17. n. 7.* Vaſq. *1. 2. d. 118. 119. c 2. & 3.* Vide Dian. *de Sacr. reſ. 165. p. 3. & p. 4 tr. 4. reſ. 37.* & alios.

Reginald. Sanch. Vaſq. Diana.

16. *Ignorantia* inuincilis pœnæ, non excuſat à peccato; quia non tollit voluntarium & aduertentiam ſufficientem ad legem & prohibitionem, & ad factum prohibitum, & conſequenter ad peccatum: An autem ignorantia pœnæ excuſet à pœna, dicendum eſt quòd qui bona fide & probabiliter ignorat ius diuinum vel naturale, nõ peccat, quia id nõ ſponte & voluntate agit, & proinde liber eſt ab omni pœna legis non obtemperantibus irrogata; qui autem ſcit legem diuinam vel naturalem, ignarus tamen eſt pœnæ iure diuino vel naturali debitæ peccato, delinquit, huiuſmodi pœnæ ſubeundæ ſubijcitur, quia quicumque ſcienter ius diuinum vel naturale perfringit, eo ipſo ſponte ſeſe obſtringit Deo legiſlatori, ad pœnam peccato debitam luendam: imò ignorans pœnam iure ciuili irrogatam ijs, qui ius diuinum vel naturale conuellunt, ipſius iuris ciuilis pœnæ ſubiectus eſt, ſic fures ſuſpenduntur ob furtum, homicidæ gladio necantur, &c. pœnæ enim licet iure ciuili irrogentur, non ex conſenſu peccantium pendent, ſed authoritate Principis imponuntur, ne delicta maneant impunita. Bonacina *c. p. 3. n. 33.* Azor. *tom. 1. l. 1. c. 13. q. 1 & 2.* Crouſers *lect. proœmialis prima ad reg. S. Franc.*

Bonac. Azor. Crouſers.

17 *Magna controuerſia* eſt inter Doctores, an qui cõtra ius diuinum vel naturale delinquit ſcienter, vel per ignorantiam,

Digitized by Google

rantiam, culpâ ſua, vel mala fide contractam, ſed ignorans ius canoaicum afficiens excommunicatione omnes, qui non obtemperant, incidat in excommunicationem iure illo canonico conſtitutam: ſunt duæ opiniones celebres, tum inter iuris canonici interpretes, tum inter Theologos; *prima* affirmat talem excommunicationem incurrere, & eſt Scoti *in 4. d.6.q.8.a.*1. Gabr.*4.d.6.q.2.a.3.dub.*8. Couar. *c. Alma mat.p.*1.§.10.*n.*11. quia qui ſcienter aut virò ius diuinum, vel naturale contemnit, ſponte ſe ſubijcit pęnis Principis, quæ non ex conſenſu peccantis, ſed ſunt authoritate Principum conſtitutæ. *Secunda* opinio negat, quę eſt magis æquo, & bono conſentanea, licet prior fortaſſe magis cum iure congruat. Azor. *c.q.* 3. Conink *to.*2. *diſp.*13. *d.*10. *n.*90. Bonac. *de cenſur.d.*1. *q.*2. *p* 1. *n.* 13. Syl. *in ſuppl. q.*21. *a.*4. & 1 2. *q.*76. *a.*3 *q.*5. & 6. Crouſ. *c. fol.*8. Diana *p.*3. *tr.*6. *miſcel. reſ.*41. & 4. *p. tr.*2. *reſ.*36. & alij. Ratio eſt, quia qui peccat ſciens ius diuinum, vel naturale, ignorat tamen bona fide ius canonicum, agit quidem contra Dei aut contra rectæ rationis, & naturæ legem, non tamen facit contra Eccleſiã, cùm Eccleſiæ ius, & legem ignoret, ſed excommunicatio conſtituitur in eos, qui per contumaciam Eccleſiæ non parent: vnde dicendum eſt ignorantiam pęnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, excuſare ab incurrenda pęna, imò Sanch. *de matr.l.*9. *diſp.*32. *n.*16. & 17. Nau. *c.*27. *n.*274. Crouſ. *c. fol.*11. Dian. *p.*4. *tr.*2. *reſ.* 85. & alijs, docet hãc ſententiam etiam habere locum in irregularitate ex delicto, quia eſt impoſita tanquam delicti pœna: ſecus dicendum de irregularitate non proueniente ex delicto, ſed ex defectu; hæc enim incurritur etiam ex ignorantia, cum nullam præexigat culpam; *ſimiliter* coniux non priuatur iure petendi debitum, quamuis ſcienter acceſſerit ad conſanguineam vxoris, ſi ignorabat prohibitionem, & pœnam iuris. Ita *Sanch Henriq.* apud Dianam *tract.*5. *miſcel. reſol.* 12. *p.*3. vide v. *Debitum coniug.* 1 *n.*16.

Scotus. Gabriel. Azor. Conine. Bonac. Syl. Crouſers. Diana. Sanch. Nauar. Crouſers. Diana.

Ex quib. infertur, quàm frequenter Confeſſarios poſſe ab excommunicatione, & alijs cenſuris, & penis Eccleſiaſt. inhabilitatis, &c. excuſare laicos pleroſq; Clericos, quoniam ſępè illa inuincibiliter ignorant. Vide Dianã *p.*5. *tr.*9. *reſ.*17.

Sed dubium eſt, an ignorans reſeruationem pœnalem alicuius caſus, incurrat in illam? Reſp. probabiliter ſuſtineri poſſe quòd non, iuxta id quod docetur à *Sanchez* citato nu. 18 nempe ad incurrendam pœnam Eccleſiaſticam, non ſolum requiri ſcientiam prohibitionis iuris poſitiui, ſed etiam talis pœnæ impoſitæ, quare ignorans inuincibiliter reſeruationem peccati impoſitam, non illam incurret. Ait enim, hinc deducitur, dum in noua conſtitutione reſeruatur abſolutio alicuius peccati, in odium illius; vt fecit *Sixtus V.* contra malè promotos ad Ordines, ignorantem inuincibiliter eam conſtitutionem non incurrere hanc reſeruationem quamuis ſe delinquere norit, quia ea reſeruatio eſt pœna ſtatuta in odium delinquentis. Et huic ſententiæ fauent Lugo *de pœnit. diſp.*20 *ſect.*2. *nu.*11. Hurtadus de Mendoza *in* 2.2 *tom.*1. *diſp.*84. *ſect.*1. §.8. qui tamen aduertunt cum ipſo *Sanch.* ignorantiam non excuſare in reſeruatione ſimpliciter facta, quæ ab bonam Eccleſiæ gubernationem refertur, vt grauiora delicta ſuperioribus reſeruentur: & ideo ſubdunt certum eſſe talem reſeruationem afficere etiam ignorantes, vt patet ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reſeruationis non tribuit facultatem abſoluendi pœnitentem, qui reſeruationem ignorauit: quia talis reſeruatio non ſtatuitur, vt pœna, ſed vt medicina. Vide Dianam *p.*6. *tract.*6. *reſ.*42.

Lugo. Hurt. de Mend. Diana.

Quæ autem dicta ſunt de ignorantia inuincibili; applica etiam obliuioni, & inaduertentiæ inculpatæ, quia illi æquiparantur. Vnde ſi quis vouiſſet non fornicari ſub pœna peregrinationis, vel eleemoſynæ, & poſtea immemor voti fornicaretur, non teneretur ad pœnam voti. Idem dic, ſi dum fornicaretur memor fuerit voti, non autem pęnę impoſitę. Idem dicendum eſt de eo, qui ex obliuione naturali omittit recitare aliquas Horas Canonicas; nam non tenetur reſtituere fructus, non obſtante lege pœnali irritante fructuum acquiſitionem. Ita Sanch. *l.*4. *moral. cap.*22. *nu* 18. & 19.

Sanch.

Sed quia quotidie contingunt caſus, in quibus violantur Bullæ Pontificiæ, punientes illos, qui contra facere præſumpſerint. Petes, quomodo credendum ſit tranſgreſſori dicenti ſe feciſſe bona fide, & quomodo probanda ſit in illis bona fides? Reſp. in foro conſcientiæ credendum eſſe aſſerenti ſe feciſſe bona fide, nec cogitaſſe ibi interueniſſe culpam, vel pœnam: ſi enim id credidiſſet, non feciſſet. In foro autem externo, probatur bona fides, & ignorantia per iuramentum parti exhibitum, ſtante enim dubio, ſtabitur iuramento illius, vt dictum eſt hic ſupra *nu.*8.

18. *Ignorantia comitans* excuſat actionem externam à peccato; *vnde* ſi quis proijciat ſagittam in proprium inimicum inuincibiliter putans eſſe feram, ſed ita ſit affectus, & actualiter in mente diſpoſitus, vt ſi noſſet eſſe inimicum, ſagittam adhuc emitteret, non eſt reus actualis homicidij, Azor. *tom.*1. *lib.*1. *c.*14. *q.*4. Suar. *de cenſ diſp.*4. *ſect.*8. *n.*8. Regin. *l.*11. *n.*20. Sanch. *moral. c.*16. *n.*13. Sylu. 1.2. *q.*76. *a.*3. *conc.*4. & alij: quia actio externa, verbi gratia, exploſionis ſagittæ, non fuit cauſata ab affectu, & voluntate occidendi inimicum, ſed à voluntate occidendi feram, ergo licet prauus affectus actualis erga inimicum ſit peccaminoſus, & malus; tamen actio externa homicidij non eſt mala malitia homicidij: *verùm* ſi quis iaciat ſagittam intentione occidendi quodcumq; illud ſit, quod ſibi ob oculos extat, committit homicidium etiam externum, ſecuto homicidio. *Similiter* ignorantia comitans excuſat ab incurrendis cenſuris, & irregularitate ex delicto; *imò* etiam excuſat à reſtitutione; *ratio prioris* eſt, quia cenſuræ incurruntur ob peccatum externum, opus autem externum factum cum ignorantiâ concomitante, non eſt peccatum, cùm non ſit voluntarium. *Ratio poſterioris* eſt, quia actio illa externa non habet malitiam iniuſtitiæ, quamuis affectus, & deſiderium ſit iniuſtũ, obligatio autem reſtituendi oritur ex actione externa iniuſta, non verò ex affectu, & deſiderio preciſè. Filliuc. *tract.* 11. *c.*8. *quæſt* 9. Molina *tom.*6. *tract* 5. *diſp.*71. *n.*8. Vaſquez 1.2. *q.*76. *a.*3. *diſp.* 125. *c* 3. Sylnius *c.a.*3. *quæſt.*6.

Azor. Suar. Reginald. Sanch. Syl. Filliuc. Molina. Vaſq. Syl.

19. *Ignorantia affectata*, qua videlicet quis ignorat præceptum, vt liberiùs peccet, iuxta Sanch. *l.*1. *moral. c.*17. *n* 5. Sylu. *c.a.*4. *concl.*3 Suar. *c. diſp.*4. *ſect.*10. *n.*3. non ſolùm non diminuit, ſed auget peccatum, quia peccator cum tali ignorantia maiorem habet affectum ad peccatum, & ſecundùm Suar. hæc ignorantia non excuſat ab incurrenda cenſura, etiamſi in ſententia cenſuræ contineantur hæc verba: *Qui ſcienter hoc fecerit, vel temerè, vel conſultò, vel qui præſumpſerit, excommunicatus ſit*, &c. *Contrarium* tamen alijs probabilius videtur, nam ſuperior illo loquendi modo, non videtur requirere quamlibet temeritatem, præſumptionem, vel contemptum, ſed videtur exigere temeritatem, & præſumptionem prouenientem ex certa ſcientia, aut ſaltẽ cõiunctã cum ingenti temeritate. *A fortiori* patet ignorantiã craſsã, vel ſupinã non ſufficere ad incurrendam cenſurã latam contra eos, qui præſumpſerint, vel temerè fecerint Bonac. *c.n.*11. Syluest. *ver. culpa q.*11. Angel. *v. dolus n.*1. Caſpenſ. *tr.*25. *d* 1. *ſect.*8 *n.*112. Diana *p* 5. *tr.*9. *reſ.*17.

Bonac. Syluest. Angel. Caſpenſis. Diana.

20. *Ignorantia vincibilis*, ſiue facti, ſiue iuris, quæ craſſa eſt, & non excuſat à culpa mortali, non excuſat etiam ab incurrendis cenſuris, vel irregularitate proueniente ex delicto. Suar. *c n.*10. Regin. *l.*9. *n.*198. Filliuc. *c* 8 *q.*12. quia in iure generaliter aſſeritur ignorantiam, quæ non eſt craſſa nec ſupina, excuſare ab omnibus ſententijs quorumcunque ordinariorum: ergo ignorantia iuris, vel facti, quæ ita eſt craſſa, & ſupina, vt non excuſet à culpa mortali, non excuſat ab incurrendis cenſuris; quia cenſuræ dicuntur pœnæ contemptus; videtur autem ſufficienter adeſſe contemptus, quando committitur aliquod delictum ex ignorantia, quæ adeò craſſa, vel ſupina eſt, vt non excuſet à mortali peccato. Secus dicendum ſi ignorantia ita leuis eſt, vt excuſet à culpa mortali, hæc enim etiam excuſat à cenſuris. Tamen ſecundùm Sanch. *de matr.l.*9. *diſp.*32. *n.*31. Tanner. Cæleſtinum apud Dian *p.*5 *tr.*9. *reſ.*17. Caſpenſ. *tr.*25. *diſp.*1. *ſect.*8. *n.*110. & alios: non eſt improbabile cenſuram non incurri, quando ignorantia eſt vincibilis mortaliter, ſed non eſt craſſa, & ſupina, ſiue ſtatuatur Epiſcopi, ſiue Pontificijs conſtitutionibus, tum quia in *c.*2. *de conſtitut. in* 6. vniuerſaliter dicitur excuſare ab omnibus ſententijs quorumcumque Ordinariorum, ignorantiam, quæ non eſt craſſa, nec ſupina: vbi nomine ſententiæ non ſola excommunicatio, ſed omnes aliæ pœnæ ſaltem ſpirituales comprehenduntur; quia indefinita iuris propoſitio tradens regulam, prout ibi fit, æquiualet vniuerſali. Tum quia ad incurrendam cenſuram requiritur veluti contemptus, quia cenſura eſt pœna propter hunc contemptum,

Suarez. Regin. Filliuc. Sanch. Tanner. Cæleſt. Diana. Caſpenſis.

qui quidem non reperitur, vbi adeſt ignorantia, quamuis ſit vincibilis, & mortaliter culpabilis. Intelligitur autem hoc quando cenſura imponitur abſolutè ſine additione aliquorum terminorum, qui requirunt, vel ſcientiam expreſſam, vel ignorantiam affectatam; quando enim requiritur, vel hæc ſcientia expreſſa, vel ignorantia effectata ad cenſuram, excuſat ab ea craſſa, vel ſupina. Et hæc ſententia eſt tuta, & valde notanda pro multis materijs in particulari, qua ratione poſſunt plures in foro conſcientiæ excuſati ab incurſione cenſuræ.

An autem ignorantia legis irritantis actum aliquem efficiat, vt etiam actus ille irritus ſit, qui fit ab ignorante legem illam.

Reſpondet Sanchez *cit. num.* 18. annullationem actus, quando non eſt de defectu ſolemnitatis, ſed in delinquentis pœnam, non incurri à legem ignorantibus.

Plura de ignorantia v. *Actus humanus* 2. nu. 8. 9. 10. *Cenſura* nu. 29. *Confeſsio* 5. nu. 2. *Conſcientia* nu. 34. *Miſsa* 9. nu. 6. *Præſcriptio* nu. 6. *Excommunicatio* 3. nu. 4. *Correptio* nu. 10. *Culpa* num. 6. *Debitum coniugale* 1. nu. 16. *Fides* 1. nu. 13. *Hæreſis* nu. 4. *Inceſtus* nu. 6. *Irregularitas* 1. num. 7. *Irregularitas* 9 nu. 5. *Matrimonium* 8. num. 15. 16. 17. 18. *Confeſſarius* 11. nu. 27. *Homicidium* 1. n. 9. *Sepultura* n. 2.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia vnde dicta? alia eſt negationis, alia priuationis, alia praua diſpoſitionis.*

2 *Quid requiratur, vt ignorantia dicatur vincibilis.*
Quomodo intelligendi Doctores dicentes eſse par ſcire, & debere ſcire.

3 *Quando ignorantia ſit diſtinctum peccatum ab opere conſequenti? Et an ignorantia vincibilis conſtituat duo peccata.*

4 *Quibus modis dignoſcitur ignorantia probabilis ab improbabili.*

5 *An ſit differentia inter hæc, lex non obligat ignorantes, vel illos obligat, excuſantur tamen à peccato, & pœna.*

6 *An ignorantia iuris, vel facti excuſans à mortali culpa, excuſet etiam à cenſuris, & pœnis? Et an etiam excuſet ignorantia mortaliter culpabilis.*

7 *An ignorans inuincibiliter excommunicationem reſeruatam eſſe annexam caſibus Pontificijs, excuſetur à cenſura incurſu, & à reſeruatione? Et quid iuris ſi ignorantia ſit vincibilis, non tamen craſſa.*

8 *An ignorantia craſſa, & lata culpa excuſet à pœna impoſita ſcienter aliquid facientis? Et quid ſi ignorantia fuerit affectata.*

9 *An ex ignorantia facti craſſa, & ſupina conſurgat bona fides.*

10 *An ex ignorantia iuris naturalis, & humani oriatur bona fides ad fructus acquirendos.*

11 *Qui cognoſceret conſanguineam, vel affinem, inuincibiliter ignorans, an fornicationem committat, vel inceſtum.*

12 *An ignorantia inuincibilis iuris aut facti excuſet hominem à pœna iuris, quæ incurritur ſine peccato.*
Irregularis eſt, qui ignoranter contrahit, & conſummat matrimonium cum illa, quæ ab alio corrupta fuit.
Item ille, qui vxorem, quam duxerat Virginem, cognoſcit poſt eiuſdem vxoris adulterium.

13 *Alia eſt ignorantia, quæ coniungitur omni peccato, quæ cæcitas mentis ſeu hebetudo ſenſus dicitur.*

1 IGnorantia eſt dictio priuans, aut negans notitiæ rerum: à verbo ignoto, pro non noſco. Vnde ignorantia eſt neſcientia rerum, aut factorum quorumcumq; Ignorantia alia eſt negationis, alia priuationis, alia prauæ diſpoſitionis. *Negationis* eſt partim in animalibus, & rebus inanimatis, quæ ſcientiam non poſſunt habere: partim in hominibus, & Angelis, reſpectu earum rerum quæ ſciri nequeunt. *Priuationis* ignorantia eſt priuatio ſcientiæ, quę poteſt haberi: hæc eſt ſolum hominum. *Prauæ diſpoſitionis* ignorantia eſt error ſiue habitus ſcientiæ contrarius ſcientiæ rectæ. Ita Syluester *verb. Ignorantia, num.* 1. Sylueſt. Alias partitiones ignorantiæ habes *tom.* 1 *eadem dictione.*

2. Secundùm quorumdam ſententiam, ad peccatum mortale contrahendum, cognito obiecto, ſatis eſt cognitio malitiæ, quam vocant interpretatiuam, vt contingit, dum ratio actu non conſiderat malitiam, potuit tamen, & debuit conſiderare; & ita vt ignorantia dicatur vincibilis, ſufficit te eſſe obligatum aduertere. Ita Valentia 1. 2. *diſput.* 6. *q.* 6. Valenc. *punct.* 1. Gordonus *in Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 8. Gordon. *cap.* 10. *nu.* 37. & alij probabiliter. Dicendum eſt tamen cum probabiliori ſententia, quòd vt ignorantia dicatur vincibilis, non ſufficere aliquem ex ſtatu, & officio eſſe obligatum aduertere, niſi aliqua cognitio, dubitatio, vel ſcrupulus de malitia, aut obligatione adſit. Quare nullum peccatum mortale in voluntatis conſenſu eſt, niſi cogitatio aliqua præceſſerit, & conſideratio expreſſa, quam actualem vocant malitiæ mortalis, vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, vel ſcrupulus. Itaq; vt quis peccet mortaliter, debet conſiderare, vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe malitiæ periculum, vel dubium, vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere; quod ſi nihil horum præceſſerit, ignorantia, inaduertentia, ſeu obliuio cenſentur omninò naturalia, & inuincibilia. Et ſic non ſatis eſt cognitio illa virtualis, ſeu interpretatiua, quam ſufficere dicit prima ſententia. Ratio huius opinionis eſt, quia ſi nunquam in mentem venit cogitare, aut ſuſpicari de operis malitia, tunc homo non operatur malum deliberatè, cùm fieri non poſſit vt voluntas in malum peccati conſentiat, niſi intellectus illud cognoſcat. Vt ergo quiſpiam circa operis bonitatem, aut malitiam conſultare poſſit, opus eſt vt occurrat primò aliqua cogitatio naturalis, quæ talis conſultationis poſſit eſſe principium. Nec erit in noſtra poteſtate primam hanc cogitationem excitare. Igitur quamdiu non occurrit intellectui cogitatio aliqua, aut ſcrupulus, aut dubitatio circa obiecti malitiam, & circa illius periculum, quantumuis de illius commoditate conſultet intellectus, non eſt principium ſufficiens deliberandi de malitia ipſa morali. Ergo non poteſt eſſe culpa quamdiu hæc cogitatio circa malitiam non ſe offert. Ita Sanch. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 21. Vaſq. 1. 2. *q.* 74. *art.* 7. Vaſq. *diſp.* 107. *cap.* 3. & *diſp* 123. Portel. *in dub. regul. verb. Ignorantia n.* 11. Portel. Laym. *lib.* 1. *tract* 2. *cap.* 4. *n.* 6. Salas. 1. 2. *tr.* 13. Layman. *diſp.* 8. *ſect. vltim. n.* 87. qui vltimus primam ſententiam vocat improbabilem. Tannerus *in* 1. 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 9. *dub.* 1. Tannerus. *n.* 17. & alij ferè communiter. Adde præterea quod non ſufficit vt detur aliqua conſideratio malitiæ obiecti, niſi fuerit plena: nec ſufficiet ſemiplena, & imperfecta deliberatio, ſeu aduertentia mali ad peccatum ſaltem mortale.

Quod ſi obijcias, Doctores æquiparare ſcire ac debere ſcire, ita vt is qui tenebatur ſcire, & non ſciuit peccet, ac puniatur, ſicut qui tenebatur ſcire, neſciuit. Et ita dicunt de illo qui tenebatur aduertere, & non aduertit. Reſp. Sano modo intelligenda iura ac Doctores, dum dicunt eſſe par ſcire, & debere ſcire: nam intelligi debent, quando adfuit aliqua actualis, plena, & ſufficiens aduertentia ad malitiam peccati mortalis, eiuſq; periculum, ſeu dubium, aut ſcrupulus: quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, non eſt in noſtra poteſtate proxima expellere eam ignorantiam, aut non eſt plenè, ita vt ad mortale peccatum ſufficiat. Ita Sanch. *loc. cit.* Sanch. *n.* 24. Hinc etiam intelligitur quomodo ſit exponenda illa Reg. Iuris. Regula iuris in 6. *Ignorantia facti non iuris excuſat.* Eſt. n. intelligenda de ſolo foro externo, in quo lex præſumit neminem ignorare legem latam à Principe. Nam in foro conſcientiæ vtraq; ſi eſt inuincibilis modo prædicto, æquè excuſat, & neutra, ſi vincibilis ſit. Ita Sanch. *citat. num.* 26. Sanch.

3. Ignorantia eorum quæ ſolùm per accidens, ſeu ex ſuppoſitione, & in ordine ad ſubſequens factum, hic, & nunc ſciri debent, v. g. cognitio iuris alicuius in caſu, quo quis nõ ex officio, ſed ſponte velit cauſam aliquam cõtrouerſam dirimere, vel cognitio particularis alicuius circumſtantiæ facti, ſolùm in ordine ad opus propoſitum rectè exequendum v. g. an homo ſit, an fera in quam iaculor, non eſt peccatum diſtinctũ ab opere conſequente, quia in his neceſſitas ſciendi oritur non ex virtute ſtudioſitatis per ſe, ſed ex præcepto eius virtutis, in cuius materia verſatur operans. Ignorantia verò eorum, quæ ſcire tenemur per ſe ex virtute ſtudio-

dio-

dioſitatis v. g. articulos fidei, præcepta Decalogi & præcepta communia Eccleſiæ, quæ præterea ad cuiuſque ſtatum & officium pertinent, eſt peccatum per ſe diſtinctum ab opere conſequenti; quia aduerſatur virtuti diſtinctæ, nempe ſtudioſitati, quæ moderatur appetitum ſciendi, iuxta cuiuſque materiæ ac perſonæ conditionem. Ita Layman

Layman. Vaſq. Tannerus.

lib. 1. tract. 2. cap. 4. num 10. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 126. *cap.* 5. & *diſp.* 119. *cap.* 2. & 3. Tannerus 1. 2. *diſp.* 4. *quaſt.* 9. *dub.* 1. *num.* 12. Notandum tamen eſt negligentiam cognoſcendi, ipſámque vincibilem, & culpatam, non conſtituere duo peccata, ſed vnicum, ſicut actus internus & actus externus vnum peccatum in genere moris conſtituunt: quia ignorantia, cùm in intellectu exiſtat, non eſt peccatum, niſi quatenus volita, non autem volita eſt, niſi qui eam aliquis poſſet, ac deberet tollere, & negligit. Vt docent Sanchez *lib.* 1.

Sanch. Valent.

moral. c. 17. *n.* 13. Valentia *tom.* 2 *diſp.* 6. *quaſt.* 6. *punct* 2.

4. Dignoſcitur ignorantia probabilis ab improbabili diuerſis modis. *Primo*, Si homo, quando incipit operari, nihil prorſus dubitet de eo, quod oportet fieri, vel nulla incurrat cogitatio, debeat ne ita facere necne, ſignum eſt talem ignorantiam eſſe inuoluntariam, & propterea probabilem. *Secundò*, quando aliquis facit totum id, ad quod tenetur, vt acquirat ſcientiam, & tamen eam acquirere, non poteſt ignorantia eſt probabilis & inuincibilis; quando verò non facit, eſt improbabilis & vincibilis. Sufficit autem moralis diligẽtia, quam homo prudens in re graui adhiberet. *Tertio*, Si quis ſpecialiter ad obeundum certum munus & officium, ſtatuto, lege, mandatóve ſuperioris compulſus ſit, excuſari non poteſt ignorantia quin ſaltem dubitet, aut cogitet de his, quæ ad illud munus generaliter, aut ſpecialiter pertinere videntur: nam cuiuſcumque muneris & officij quædam ſunt obligationes communes, quędam verò ſpeciales. Communes, compertæ ſtatim debent eſſe ei cui munus & officium curæ committitur: ſpeciales licet non ſtatim notæ omnes ſint; cura tamen ſtudio & diligentia diſci & ſciri debent. Propterea ignorantia communium obligationum in illo, erit vincibilis; qui tenetur ſcire quæ ſunt officij & muneris. Particularium non item, ſi paratus ſit animus ad dubitandum de eo, quod fieri aut deuitari debet, & ad inquirendum id, quod oportet quodque licitum eſt, aut ad conſulendum peritiores, ſeu exercitatos in eo munere & officio præſtando: tunc enim ſi qua erit ignorantia, probabilis & iuſta ſeu inuoluntaria iure cenſebitur. Ita ex com-

Azor.

muni Axorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *quaſt.* 5. & alij.

5. Differentia eſt inter hæc; Lex non obligat ignorantes: vel illos obligat, excuſantur tamen à peccato & pœna. Si enim dicatur obligare, quamuis ignorans excuſetur à culpa tranſgreſſionis & pœna: at non excuſabitur ab alijs legis effectibus. Quod ſecus dicendum eſſet, vbi lex non obligaret ignorantes. Verbi gratia Decretum Tridentini obligat Ignorantes vbi legitimè promulgatum eſt, ita vt contrahentes clam matrimonium in eo oppido, ignari inuincibiliter decreti, minimè peccent, nec ſubdantur illius pœnis; at matrimonium eo decreto irritatum erit nullum. At vbi id decretum non obligat, matrimonium eſt validum; & tale eſſet ſi diceretur illud non obligare ignorantes. Propterea certum eſt legem, vbi ſufficienter promulgata eſt, ita vt ſcientes liget, obligare etiam inuincibiliter ignorantes: quia talis lex habet iam completam legis rationem ac ſubinde perfectam obligandi vim; tum quia virtus obligandi ex ipſa legis natura & virtute, non ex ſubditi notitia proficiſcitur. Quare cùm aliqui dicunt, ignorantes minimè obligari lege, intelligendi ſunt, vt velint ignorantes excuſari à pœna & culpa tranſgreſſionis legis. Ita Sotus *lib.* 1. *de iuſtit. quaſt.* 1.

Sotus. Sanch. Medina.

art. 4. *conc.* 3. Sanch. *de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 2. & 3. Medina 2. 2. *quaſt.* 90. *art.* 4. *conc.* 3. *verſ. Illud autem.*

6. Quoties ignorantia iuris vel facti eſt talis, vt canonis tranſgreſſionem à culpa mortali excuſet, excuſabit ab excommunicatione, & alijs pœnis ob delictum impoſitis, vt irregularitate ob delictum, ſuſpenſione, interdicto. Non conſtat inter omnes, excommunicationem abſque lethali culpa incurri non poſſe. Reliquæ autem cenſuræ ſunt omnes pœnæ grauiſſimæ, & proinde minimè credendum eſt piam matrem Eccleſiam velle ijs plectere ob culpam leuem, qualis eſt venialis. Ita de irregularitate ſuſtinet Nauarrus

Nauar. Sotus. Henriq.

in man. cap. 27. *num.* 252. *verſ. Octauo* Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quaſt.* 1. *art.* 9. *verſ. Id autem.* Henriquez *lib.* 14. *de irreg. cap.* 3. Et de ſuſpenſione iure lata, Rodriquez *tom.* 2. *ſumm.* Rodriq. Sanch.

cap. 77. Emanuel Sà *verbo Suſpenſus ab officio.* Et de omnibus cenſuris docet Sãchez *loco citato n.* 29. & alij. Imò ignorantia etiam mortaliter culpabilis, ſiue iuris, ſiue facti, modò non ſit craſſa & ſupina excuſat à cenſuris & pœnis: idem dicendum licet adſit ſcientia legis, ſi adſit ignorantia non craſſa excommunicationis ſeu cenſuræ vel irregularitatis. Quod probatur *ex cap.* 2. *de conſtit. in* 6. vbi vniuerſaliter dicitur excuſare ab omnibus ſententijs quorumcumque ordinariorum ignorantiam, quæ non eſt craſſa nec ſupina. Ignorantia autem craſſa & ſupina dicitur, quando ignorans aut nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam, vt ſciret quod noſſe tenetur. Vnde non omnis negligentia, ſed ſumma eſt, quæ poteſt ignorantiam craſſam efficere. Et iuxta Sotum, Graffijs ignorantia craſſa eſt illa, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit, vel quando eſt latiſſima culpa, quæ dolo æquiparatur, iuxta Anton. *c.* 2. *de* Antonius. Portel. Diana. Tannerus. Cæleſtin. Sanch.

conſtit. num. 9. Hanc ſententiam de ignorantia vincibili ſuſtinent Portel. *in dub. regul. verb. Ignorantia n.* 27. Diana *part.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 13. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 10. *dub.* 3. *n.* 47. Cæleſtinus *in compend. Theolog. moral. tract.* 3. *cap.* 5. Sanchez *loco citato num.* 31. Contra Suarez & alios, qui putant omnem ignorantiam mortaliter culpabilem eſſe craſſam, vt videre eſt *tom.* 1. *verb. Ignorantia, n.* 20.

7. Ex dictis numero præcedenti, ſequitur, quod ſi quis inuincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam cenſuram quæ eſt annexa caſibus Pontificijs, non ſolùm excuſabitur ab incurſu cenſuræ, verum etiam caſus non erit reſeruatus reſeruatione illa Pontificia: atque adeò poterit abſolui à quocumque Confeſſario habente iuriſdictionem in peccata mortalia huius rei, qui in tales caſus eſt lapſus. Ratio eſt, quia reſeruatio culpæ omnino dependet ab ipſa cenſura. Idcirco non debet eſſe mirum, quod quando quis inuincibiliter cenſuram non aduertit, vel per ignorantiam, vel per obliuionem, caſus, qui in reſeruatione rependent ab ipſa cenſura, remaneant non reſeruati. Nec obſtat dicere inde ſequi, valde paucos incidere in cenſuras Pontifici reſeruatas, vel etiam reſeruatas Ordinarijs, quia vel ignorant cenſuras prædictis criminibus annexas, vel naturali obliuione & inconſideratione illas non aduertunt, hoc autem aſſerere videtur nimis durum. Reſp. hoc non eſſe nimis durum, ſed potiùs valde conſonum ſuaui diſpoſitioni, qua pia mater Eccleſia regit fideles, cùm nolit illos, dum non ſunt contumaces contra ipſam, puniri pœna adeò graui, qualis eſt cenſura, & præſertim excommunicatione, quæ eſt pœna inter ſpirituales quæ ab Eccleſia imponuntur, omnium maxima: proinde quando fideles ignorant, vel naturali obliuione & inaduertentia non apprehendunt cenſuram, excuſandi ſunt ab eius incurſu. Ita docent probabiliter Sãchez *lib.* 2. *moral.* Sanch. Henriq. Conin. Præpoſitus.

cap. 8. *num.* 5. *in fine.* Henriquez *in ſumm. lib.* 6. *cap.* 13. Conink *de cenſur. diſp.* 13. *dub.* 10. *num.* 91 & 92. Præpoſitus *in* 3. *part. quaſt.* 1. *de cenſur. dub.* 8. *num.* 59. qui nouiſſimus ſic ait. Ex qua ſententia ſequitur innumeros non incurrere cenſuram excommunicationis, quamuis aduertant ſe in aliquo actu peccare mortaliter etiam cõtra legem Eccleſiaſticam, vel craſſa eius ignorantia laborent: quia non obſtante notitia legis, vt eſt præceptiua, vel craſſa eius ignorantia, laborant ignorantia inuincibili eiuſdem, vt eſt illatiua cenſuræ, eo quòd videlicet, nec quidquam de tali cenſura, vnquam audiuerint; nec ex aliquo alio cognito facilè eius notitiam comparare potuerint. Qua ratione plerumque non ſolùm ruſtici, ſed etiam alij plebeij à plurimis cenſuris poſſunt excuſari, quamuis commiſerint peccatum, cui eſt annexa cenſura. Quare prudens Confeſſarius non debet ſtatim iudicare tales incurriſſe excommunicationem, ſed quibuſdam interrogationibus debet conari inueſtigare, num eorum ignorantia reſpectu ipſius cenſuræ fuerit inuincibilis quando factum perpetrabant: quod ſi deprehendat ignorantiam fuiſſe inuincibilem, poteſt iudicare tales non incurriſſe excommunicationem, & ſi caſus ſit reſeruatus propter excommunicationem, poteſt iudicare in ea circumſtantia, caſum non eſſe reſeruatum, ſeque ab eo poſſe abſoluere, quamuis alioquin non poſſet abſoluere ab excommunicatione.

Imò hic dicta poſſunt habere locum in varijs Religioſis qui excommunicationes non ita facilè poſſunt cognoſcere, qui proinde poſſunt ab ijſdem excuſari. Idem dicendum de

varijs

varijs ſuſpenſionibus, quarum ignorantia poteſt eſſe inuincibilis etiam reſpectu clericorum, & proinde ſi Confeſſarius ex circumſtantijs poſſit aduertere aliquem etiam Sacerdotem laboraſſe ignorantia inuincibili, quòd ſuſpenſio eſſet annexa actui quem exercuit, poterit iudicare talem non incurriſſe cenſuram.

Præpoſitus. Idem Ioannes Præpoſitus plus addit in *prima ſecunda quæſtione 95. diſp. 5. dub. 5. numero* 18. vbi docet, ignorantiam eſſe vincibilem, dummodò non ſit craſſa, probabiliter excuſare, ne aliquis incurrat pœnas legis, verbi gratia excõmunicatiobem irregularitatem, ſuſpenſionem, inhabilitatem ad officia, ratione ſimoniæ, & alias graues pœnas. Cui ſubſcribit Magiſter Serra in *prima ſecunda tom. 2. quæſt. 76. articulo* 3. *dubio* 2. dicens, ignorantiam etiam mortaliter culpabilem tam facti, quàm iuris communis Pontificij, quàm etiam cenſuræ, excuſare non ſolùm à pœna excommunicationis, ſed etiam a cæteris omnibus alijs cenſuris, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, &c. Si tamen ignorantia non ſit craſſa, vel ſupina. Hanc ſententiam tenent recentiores permulti. Ita ille. Ex horum Authorum doctrina, Confeſſarij in caſibus occurrentibus multos ſcrupulos euaneſcere facient, & conſolationem pœnitentibus afferent. Vt bene aduertit Diana varijs in locis, & nouiſſimè in *part. 1. tract. 6. reſol.* 13.

Serra. Diana.

8. Ignorantia quantumcumque craſſa & lata culpa, modò non ſit ingens temeritas, excuſat à pœna impoſita ſcienter aliquid facienti. Ratio eſt, quia quando ea non expreſsè aut tacitè petit dolum, non ſatis eſt craſſa ignorantia & lata culpa. At cùm canon poſtulat ſcienter aliquid fieri, dolum manifeſte petit. Tum quia tunc intendit Eccleſia punire delictum expreſsè, & formaliter volitum, præmiſſa illius notitia, quod non contingat, vbi adeſt ignorantia etiam craſſa: quia tunc verè non adeſt notitia illius, & ſolum eſt virtute volitum. Idem dicendum, quando canon dicit, *Si quis auſus fuerit:* quia audacia temeritatem importat. Idem, cùm lex pœnam inducit præſumenti aliquid facere: quia non verè dicitur præſumens, ſi quis aliquid ignorantia culpabili & craſſa efficeret, præſumptio enim dolum importat & temeritatem. Ita Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 10. Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 32. num. 36. & ſequent.* Diana *part. 3. tract. 5. reſol.* 13. Molina *tract. 5. diſp.* 71. *num.* 13. & alij penes ipſos Imò Bonacina *de cenſur. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1 num.* 11. contra Suarez docet hanc ſententiam procedere, nõ ſolùm quando quis operatur cum ignorantia craſſa, ſed etiam cum ignorantia affectata: nam Superior illo modo loquendi non videtur requirere quamlibet temeritatem, præſumptionem vel contemptum ſed videtur exigere temeritatẽ & præſumptionẽ prouenientem ex certa ſcientia, aut ſaltem coniunctam cum ingenti temeritate. Quod videtur admittere etiam Sanchez *lib. 2. moralium cap. 10. num.* 38. Pellizarius *in man. reg. tract. 6 cap. 1. num.* 9.

Pontius. Sanchez. Diana. Molina. Bonacina.

Sanchez. Pellizar.

9. Ex ignorantia facti craſſa aut ſupina, non conſurgit bona fides: vt quoties quis hac ignorantia putat rem eſſe ſuam: quia tunc nulla adeſt probabilis ratio ad exiſtimandã iuſtam poſſeſſionem, ea enim exiſtente non eſſet ignorantia craſſa: vnde vt ignorantia bonam fidem producat debet eſſe inuincibilis, id eſt excuſans a culpa lethali, in acceptione rei & omiſſione inquirendi cuius ſit. Hæc autem ignorantia excuſans à culpa Thologica iudicanda eſt attenta capacitate perſonæ accipientis, an ſcilicet accipiens ſit timorata perſona, quæ ſi vitium in ea acceptione aut emptione ſuſpicaretur, abſtineret ſe ab illis: quia in huiuſmodi perſonis, non eſt præſumenda ignorantia culpabilis craſſa, ſed potiùs inuincibilis, aut propter inaduertentiam, quæ ſæpe non eſt in hominum poteſtate, aut ratione ignorantiæ ſubtilitatum iuris. Quando verò perſona non eſt timorata, ſi nimia ruditas arbitrio prudentis eam non excuſat à culpa, præſumitur ignorantia craſſa eò facilius, aut difficilius, quò circumſtantiæ concurrentes indicarent plus, aut minus, eam non eſſe tradentis, ſpectataque ruditate, ſimplicitate ac perſpicacitate ingenij eam accipientis. Ita Molina *tomo 3. diſp. 720. & diſp.* 723 *n. 2. & 7. &* 8 Nauarrus *in man. cap. 17. num.* 84. Toletus *in ſum. lib. 5. cap. 26. numero vlt.* Rebellus *de obligat. iuſtit. part. 1. lib. 2. quæſt. 5. numero* 5. Clauis Regia *lib. 10. tract. 2. cap. 2. numero* 2. & alij communiter.

Molina. Nauarrus. Toletus. Rebellus. Clau. Reg.

10. Quando ignorantia eſt iuris naturalis, vt ſi quis norit rem eſſe furtiuam, ignoret tamen ſibi non licere eam emere, certum eſt apud omnes, hanc ignorantiam eſſe craſſam, nec excuſare, ac proinde non conſurgere bonam fidem ad acquirendos fructus. Sed difficultas eſt, de iuris humani ignorantia. Quidam enim negant hinc oriri bonam fidem ad fructus acquirendos, niſi ignorans ſit ruſticus, aut mulier, aut minor aut ius ſit ita dubium, vt varias interpretationes patiatur: quia iura clamant, ignorantiam facti non iuris excuſare *reg. Ignorantia, de reg. iur. in* 6. Ad dicendum eſt inuincibilem iuris ignorantiam ſatis eſſe ad producendam bonam fidem ad huiuſmodi effectum. Quia nullum eſt ius decidens hac ignorantia excludi bonam fidem ad acquirendos fructus; imò eam ſatis eſſe deciditur expreſsè *l. Sed & ſi, §. ſcire. ff. de petit. hæredit.* ibi: *Et non puto hunc eſſe prædonem, qui dolo caret, & ſi in iure errauit.* Vnde quando ius voluit hanc ignorantiam non prodeſſe; vt quoad vſucapionem, id explicauit, *l. ſi fur. 32. §. ſi quis id. ff. de vſucap.* ibi: *In iure erranti non procedat vſucapio.* Ita docent Angelus *in Summ. verb. Ignorantia num.* Sylueſter *ibid. quæſt.* 8. Toletus *lib. 5. cap. 26. numero vltimo* & alij apud Sanchez *lib. 2. moral. cap. 23. num.* 163.

Angelus. Sylueſt. Toletus. Sanchez.

11 Si quis ſolutus cognoſceret aliquam conſanguineam vel affinem ſuam, inuincibiliter ignorans illam eſſe affinem aut cõſanguineam, prout accidit Iudæ coeunti cũ Thamar *Geneſ.* 38. etſi fornicationem committeret, non tamen inceſtum, quia inuincibiliter ignorat eſſe affinẽ, aut cõſanguineã ſuam. Et proinde ſi ille vellet matrimoniũ contrahere, poſſet ſine vlla diſpẽſatione id licite facere. *cap. ſi quis cum & cap. ſi homo 35. quæſt. 2. &* 3. quamuis inceſtuoſo ſit à iure pœna inflicta, vt matrimonium non contrahat in *cap. de inceſtis & in cap. nec eam 35. quæſt. 2. &* 3. Poſſet etiam ab vxore debitum petere, ſi matrimonio alligatus aliquam cognouiſſet, quam inuincibiliter ignorabat eſſe vxoris ſuę conſanguineã; quod tamen illi non liceret, ſi ſciuiſſet illam eſſe ſibi affinem, vt habetur in *Tranſmiſſa De eo qui cognouit conſang. vxor. ſua* Ratio eſt, quia ſicut in vtraque iſtorum caſuum excuſatur ille ab inceſtu propter inuincibilem conſanguinitatis aut affinitatis ignorantiam; ita etiam ex conſequenti excuſatur à pœna quæ propter inceſtum eſt à iure ſtatuta, De primo caſu vide quæ diximus *tom. 1. verb. Actus humanus* 11. *n.* 8. Et de ſecundo *verb. Inceſtus, n. 6. cum Doctoribus* ibi citatis.

12. Ignorantia inuincibilis iuris aut facti non excuſat hominem habentem vſum rationis à pœna iuris, quæ incurritur ſine peccato. Ratio eſt, quia hæ pœnæ non infliguntur à iure ob peccatum, ſed ſunt tantùm operationes quædam, aut certæ perſonarum qualitates & conditiones. Ergo ſicut ignorantia non tollit cauſam harum pœnarum, ita neque tollit effectum, qui neceſſariò cauſatur ab illa cauſa. Hinc irregularis eſt ille, qui ignoranter contrahit & conſommat matrimonium cum illa, quæ ab alio corrupta fuit, quamuis tanta ignorantia laboret, vt etiam poſtquam cum illa coiuit putet eſſe à ſe primo corruptam. Ratio eſt, quia cùm irregularitas hæc infligatur ſine vllo peccato mortali præcedente, & ſolum incurratur ob defectum perfectæ ſignificationis, nulla ignorantia ab huiuſmodi irregularitate illum excuſare poterit. Vt communiter tradunt Doctores in *cap. curandum. diſtinct.* 34. & omne poſt D. Thomam *in ſupplem. quæſtio 66. articulo 3. ad* 3.

D. Thom.

Similiter irregularitas ob homicidium etiam iuſtum, ſecluſo peccato incurritur, vt conſtat in iudice iuſtè hominem occidi præcipiente, & etiam in eo qui occidit in bello iuſto vterque enim irregularis eſt, etſi non peccet, quia in vtroque deeſt ſignicatio & repræſentatio manſuetudinis Chriſti. Quæ irregularitates à talibus operationibus cauſatæ cùm per nullam facti aut iuris ignorantiam tolli poſſint, ergo nec impedire poteſt quin tales irregularitates ab illis operationibus prodeant.

Item irregularis eſt ille qui vxorem quam duxerat Virginem, cognoſci poſt eiuſdem vxoris adulterium, id quod procedit non ſolùm quando ſciens ſed atiam ſi ignorans vxoris adulteriũ, illã poſtea cognouerit; vt docẽt omnes Canoniſtæ & Summiſtæ. Et inter Theologus D. Thomas *in ſupp. ein. 3. p. quæſt. 66. art. 3. ad* 4. Sayrus *de cẽſur. lib. 6. cap. 4 n.* 19. Toletus *lib. 1. Sum. c. 66. n.* 11. & alij. Et certè, cùm hęc irregularitas ſine peccato cõtrahatur, qua ratione probatur irregularẽ eſſe eum qui ſciens vxoris adulterium, carnaliter illi poſtea miſcetur, eadem etiam conuincitur in regularitatẽ incidere, quando id fecerit ignorans adulteriũ vxoris. Vnde Secundũ

D. Thom. Sayrus. Toletus.

Paluda-

Paludanum 4.*diſp.27.quaſt.4. art.2. uerſ. Tertius modus*, Multi ſunt bigami, qui ſuam bigamiam ignorant. Et hæc irregularitas procedit ex bigamia interpretatiua, vt docent Sanchez, Suarez citati *tom.1.uerſ.Bigamia n.5.*

Sanchez. Suarez.

13. Præter ignorantias hic & alibi recenſitas, alia eſt quæ coniuncta eſt omni peccato, de qua Prouerb.14.dicitur, *Errant qui operantur malum*. quæ cæcitas mentis, ſeu hebetudo ſenſus ſeu error, ignorantia imprudentiæ vel obſcuratio in ſcripturis & Patribus appellatur, & eſt illa, quo principium aliquod non cogitatur, quod rectè expenſum & conſideratum attentè à peccato auerteret, vt quã nobis noxium peccatum, quanta pœna dignum & ſimilia. Hæc cæcitas mentis ſumitur pro omnimoda priuatione cognitionis diuinorum, qua ſcilicet aliquis ita mentem voluntariè abſtrahit à conſideratione rerum ad ſalutem pertinentium, ſiue directè, ſicut ille de quo dicitur Pſal.35. *Noluit intelligere ut bene ageret*, ſiue indirectè ſicut cùm aliquis ſe immergit carnis voluptatibus aliiſque rebus terrenis, vt nequeat eas apprehendere. Vnde certum eſt, & conſtat experimento multos agere contra id quod apertè ſciunt, eo quòd obliuiſcantur vel minus attentè conſiderent rationes illas, quæ illos à peccatis retraherent. Propterea Scriptura ſæpius inculcat eos, qui peccant, non intelligere ea, quæ agunt, eoſque cæcos appellat. Et certè ipſa experientia hoc docet, quoties peccamus: nam quoties quis attrahitur ab obiecto delectabili, vel vtili, nec recta ratio impedit voluntatis affectum, ita ſe habet intellectus, vt rationem delectabilis, vel vtilis in peccato efficaciùs & attentiùs conſideret, rationes autem retrahentes à peccato leuiùs cogitet & expendat; qui ſane defectus cæcitas mẽtis & hebetudo ſenſus appellatur: quamuis hebetudo ſit peccatum à cæcitate diuerſum: hebetudo enim eſt debilitas mentis, qua quis difficulter poteſt intelligere vel conſiderare res ſpirituales; & iſta debilitas eatenus eſt peccatum, quatenus prouenit ex voluntaria occupatione circa res terrenas & carnales; vnde fit quod quis de ſpiritualibus diſcutere negligit vel faſtidit. Oritur autem hebetudo ex gula. Cæcitas autem importat omnimodam priuationem cognitionis rerum ſpiritualium, & oritur ex luxuria: quamuis enim & aliunde poſſint oriri, maximè tamen oriuntur ex illis vitiis, quæ magis impediunt operationem intellectualem vt talem, cuiuſmodi ſunt peccata luxuriæ & gulæ. Vt docent D.Thomas 2.2.*quaſt.15.art.2.& 3.* Syluius *ibidem* Vaſquez 1.2.*diſp.128.ca.5.* Petrus Sotus *tract. de medendis peccatis ſect.* 2. & alij commentatores D. Thomæ.

D. Thom. Syluius. Vaſquez. P.ſoto.

Vide verb. Aduocatus *num.*4. Circumſtantia *num.7.&*. 6. Communio *num.*2. Diſpenſatio *num.* 41. Emptio *nu.*11. Excommunicatio 1.*num.*16.17. Excom.6.*num.*11. Fornicatio *num.*3. Irregularitas 2.*num.*15. & 16. Lex 2.*num.*15. Matrimon.2.*num.*25. Mendacium *num.* 4. Poſſeſſio *num.* 3. Priuilegium *num.*18.

IMMVNITAS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit immunitas Eccleſiaſtica; & quo iure ſit introducta;*
2 *An Eccleſia authoritate Epiſcopi fundata etiam non benedicta, licet polluta, uel interdicta ſit, gaudeat immunitate Eccleſiaſtica;*
3 *Quid nomine Eccleſia quoad hanc materiam immunitatis ueniat?*
4 *An priuilegio immunitatis gaudeant Monaſteria, domus regulares & ſaculares, loci ſacri aut religioſi, hoſpitale, Palatium Epiſcopale, uel quacumque oratoria;*
5 *An ſacrilegium committatur contra immunitatem, ſi quis à ſatellitibus fori ſacularis capiatur intra Eccleſiam & c. ſi fracto carcere intra illam ſe receperit?*
6 *An uioletur immunitas Eccleſia, dum reus extra locum ſacrum comprehenſus deducitur ad carcerem per cœmeterium aut Eccleſiam, ſi per uim extrahatur & inde recuſet exire; & an reus amplexans Sacerdotem deferentem Euchariſtiam gaudeat immunitate?*
7 *An omnes fideles baptizati licet ſint interdicti & excommunicati, haretici, gaudeant immunitate?*
8 *An debitores in loco ſacro exiſtentes gaudeant Eccleſia immunitate?*
9 *An immunitate gaudeant latrones publici, depopulatores agorum, & committentes homicidia ſiue mutilationes in Eccleſiis aut cœmeterijs?*
10 *An qui proditoriè aliquem occidit priuilegio immunitatis gaudeat?*
11 *An rei aſſaſſinij priuati ſint immunitate;*
12 *An rei hareſis vel crimine laſa maieſtatis immunitate priuentur?*
13 *Quos effectus pariat immunitas Eccleſiaſtica?*
14 *An extrahens delinquentem è loco ſacro peccet peccato ſacrilegij & iniuſtitia? Et an reus extractus è manibus ſatellitum, ſi confugiat ad Eccleſiam, gaudeat immunitate.*
15 *Quas pœnas incurrat violator immunitatis Eccleſiaſtica;*
16 *An Prælati locorum gaudentium immunitate, teneantur delinquentes ad locum immunem confugientes conſignare curia ſaculari; ſi ipſi rei non gaudeant immunitate?*
17 *An clerici poſſint expellere confugientes ad Eccleſiam & alia loca immunia?*

1. *IMmunitas* Eccleſiaſtica quoad locum eſt exemptio ſeu priuilegium Eccleſiæ ſeu templo conceſſum, vt ibi exiſtentes tuti ſint à laica poteſtate, & delinquentes ad illa loca fugientes per vim extrahi non poſſint: *Immunitas* hæc introducta eſt iure Eccleſiaſtico, non verò naturali, vel diuino, vt patet ex iure Canonico, titulo *de immunitate Eccleſiarum*, & ex conſtitutione. *Bulla Greg.14. Cùm aliàs nonnulli.7.*

2. *Eccleſia* authoritate Epiſcopi fundata, ſiue benedicta ſit, ſiue non; quamuis in ea nondum celebrata fuerint officia diuina, gaudet Eccleſiaſtica immunitate licet polluta vel interdicta, vel etiam diruta ſit; modò non ſit diruta authoritate Epiſcopi ſine ſpe reædificandi; in hoc enim caſu amitteret immunitatem, quia priuilegium hoc, eſt veluti accidens morale, accidens autem deſtruitur deſtructo ſubiecto. Suar. *to.1.de relig.tract.2 l.3.cap.9. numer.* 2. Syluest. Angel. *v.*Eccleſ.& alij.

Suar. Syluest. Angel. Eccleſiæ.

3. Nomine *Eccleſia*, quoad hanc materiam immunitatis, non ſolùm venit interius Eccleſiæ corpus, verùm etiã tota Eccleſiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, ſacriſtia Eccleſiæ coniuncta, cœmeterium *Cu.ſi quis in atrio, & C.Id conſtit.17.q.4. C. ſicut antiquitus 17.q.4.* Suar.*c.n.7.8.* hæc imunitas, iure communi extenditur ad fines, ſeu confinia Eccleſiæ, vſque ad quadraginta paſſus, ſi Eccleſia fuerit maior, ſeu matrix, & metropolitana; *ſi verò* fuerit Eccleſia minor protenditur vſque ad triginta paſſus: præciſà tamen conſuetudine in contrarium, & exceptis Eccleſijs in ciuitate constructis, in quibus ob locorum anguſtiam hoc ſeruati non poteſt.

Suarez.

4. *Priuilegio* immunitatis Eccleſiæ, ex conſtitutione Greg.14.*cit.Cap.ad hac de religioſ.domibus.C.id conſtituimus 17.q.4.* Couarru.2.*var.cap.20.n.4.& 5* Suar.*c.c.9.n* 20 gaudent monaſteria, domus regulares & ſæculares, lociue ſacri, aut religioſi; vnde extenditur hæc immunitas ad totum clauſtrum, ſeu habitationem religioſorum, etiam ad viridarium, quia totus ille locus eſt ſacer & religioſus. *Praterea* extenditur ad hoſpitale fundatum authoritate Epiſcopi, & ad ſeminarium, quia hoſpitale & ſeminarium, reputantur loca pia & religioſa. *Palatium* ſeu domus Epiſcopi eodem priuilegio gaudet, modò conſtructum ſit intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ, quia ſic reputatur locus ſacer, aliàs non, niſi fortè in palatio conſtructum ſit oratorium in quo diuina celebrentur: *Diana* tamen abſolutè dicit Palatium Epiſcopi, ſiue cum capella, ſiue ſine capella, ſiue intra quadraginta paſſus, ſiue extra gaudere ea immunitate, qua gaudet ſponſa eius Eccleſia, *Tractatu* 1. *de immunitate Eccleſiaſtica, reſolutione 27. parte 1. Denique* oratorium authoritate Epiſcopi conſtructum & perpetuò dicatum cultui diuino, cenſetur locus ſacer & religioſus;

Greg. Couarru. Suarez.

gioſus; ſecus ſi priuata authoritate ſit conſtructum.

5. *Sacrilegium* committitur contra loci ſacri reuerentiam & immunitatem, dum à ſatellitibus fori ſæcularis capitur delinquens, qui fracto carcere recipit ſe intra Eccleſiam, vel oratorium, vel hoſpitale authoritate Epiſcopi conſtructum, vel in monaſterium religioſorum, vel in palarium Epiſcopi, vel vbi vſu receptum eſt, in domum parochi, aut canonicorum aliorumve Eccleſiaſticorum, non diſtantem triginta paſſibus ab Eccleſia: *idem dicendum*, ſi ad hæc loca confugit, poſtquam ſe è manibus ſatellitum exemit, etiamſi tunc ad mortis ſupplicium duceretur, vel dum ſatellites ipſum inſequerentur ad capiendum: vnde non poteſt capi reus, qui clauſas Eccleſiæ ianuas, vel ſeram vel quid ſimile apprehendit, vel qui ſupra tectum ſeu tegulas Eccleſiæ exiſtit, & ſatellites capientes reum ſuper tecto exiſtentem, aut adhærentem valuis, aut fere Eccleſiæ, peccant contra immunitatem, nam reus exiſtit in loco immuni, quod ampliandum eſt, etiamſi delinquens capiatur per eam pallij, aut corporis partem, quæ extra tectum vel valuas aut extra alium locum immunem prominet. Graffis 1.*p.l.*2.*cap.*48 *num.*7. Couarru. *c.num.*3.& 18.Suar.*c.c.*9.*n.*8. Azor.*tom.*2.*l.*9.*c.*9.*q.*9. Bonac.*to.*2.*diſt.*3. *queſt.*7.§.2.*num.*10. Dian.*tract.*1.*de imm.Eccleſ.reſ.*73.*p.*1 *Fagund.p.*2.*l.*4.*cap.*4.*num.*63.& alij.

Graffis. Couarru. Suar. Bonac. Dian. Eccleſ. Fagund.

6. *Non violatur* immunitas Eccleſiæ, dum reus extra locum ſacrum comprehenſus, deducitur ad carceres per cœmeterium aut Eccleſiam, etiamſi per vim extrahatur, & inde recuſet exire, hic enim non dicitur capi in loco ſacro, cùm liber ad Eccleſiam vel cœmeterium non confugerit: idem *dicendum* dum capitur reus ſeipſum voluntariè offerens, nolenſque loci ſacri immunitate frui; quia licet priuilegium immunitatis immediatè conceſſum ſit loco ſacro; tamen mediatè redundat in fauorem hominum, quilibet autem cedere poteſt iuri ſuo: *item* non violatur immunitas, dum reus blanditiis, aut deceptione, aut promiſſionibus ſine coactione, extractus à loco ſacro, capitur extra locum ſacrum, immunitas autem violatur per violentam extractionem. Couarru. *c.n.*13. Suar.*c.c.*13.*nn.*2. Nauar.*c.*25.*num.*21. Graffis *c.n.*7. *Vide* Dian.*de immunit. Eccleſ.reſ.*30.*p.*1.*tract.*1.& alij. *Porrò* reus amplexans Sacerdotem deferentem Euchariſtiam, non poteſt capi à ſatellitibus ob reuerentiam Sacramenti, licet in hoc caſu ſecundùm aliquos non violetur immunitas Eccleſiaſtica, nec reus reſtituendus videatur; præciſa conſuetudine in contrarium Bonac.*c.num.*11. Couar. *l.*2.*var.c.*20.*num.*6. Concors tamen omnium fere Doctorum ſententia eſt, talem gaudere immunitate; vt videre eſt, apud *Dianam cit. reſol.*28.

Couarru. Suar. Nauar. Graffis. Dian. Eccleſ.

Bonac. Couarru.

7. *Omnes fideles* baptizati, quamuis interdicti & excommunicati, præter hæreticos in delicto hæreſis, gaudẽt immunitate: imò & infideles, ſi fieri volunt Chriſtiani, protegendi ſunt immunitate Eccleſiæ, quia par eſt vt Eccleſia eum defendat, qui ſeipſum gremio Eccleſiæ committere non recuſat, & hæc immunitas prodeſt in omnibus caſibus, ſeu cauſis, tam ciuilibus: quàm criminalibus, exceptis caſibus in iure & conſtitutione *Gregor.XIV.* expreſſis; quia iura indiſtinctè & indefinitè loquuntur, & ſolùm excipiuntur aliqui caſus; exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis: *Notandum* tamen ſecundùm veriorem ſententiam vſu receptam, Prælatum Eccleſiaſticum poſſe Clericos à loco ſacro extrahere, etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à iudice ſæculari: quia in iure nulla ſit mentio Clericorum, ſed tantummodò laicorum, vt patet in conſtitutione *Gregorij XIV.* vide Couar.2.*var.reſ.c.*20.*num.*11. Syluest.*v.Immunitas* 3.*queſt.*3. Suar.*tom.*1.*de relig.tract.*2.*cap.*10.*num.*13 Nauar.*c.*25.*num.*12. Tanner.2.2.*d.*5.*q.*8.*dub.*1.*num.*16. & alios citatos. Multi tamen apud *Dianam de immunit. Eccleſiarum*, *p.*1.*tract.*1. *reſol.*24. docent Clericos gaudere immunitate: quia iura Canonica & ciuilia indiſtinctè loquuntur: ergo tam Clerici, quàm laici comprehenduntur.

Couarru. Syluest. Suar. Nauar. Tanner.

8. Debitores in loco ſacro exiſtentes gaudent Eccleſiæ immunitate, quamuis ſuſpecti ſint de fuga, vel ſint obſtricti debito publico, vel decoxerint cum magno Reipub. detrimento: imò & blaſphemi, modò non ſint hæretici. Adulteri exiſtentes in Eccleſia non poſſunt capi à iudice ſæculari; quia hi caſus non excipiuntur in conſtitutione Gregoriana. Suar.*c.c.*11.*n.*3 Bonac. *c.*§.4.*num.*3.4. Dian. *cit.reſ.*32.

Suarez. Bonacina. Dian.

9. *Immunitate Eccleſiaſtica* non gaudent, *Primò*, latrones publici, hoc eſt, qui palàm & publicè prædantur, vel publicas vias obſident, vel caſtra tenent vt tranſeuntes ſpolient *cap. inter alia de imm.& bulla* Greg.*citata.* Azor. 2.*p.c.*9.*q.*9. Nauar.*cap.*25 *num.*20. quidam tamen Doctores volunt fures occultos ſeu furantes in viis priuatis, non priuar immunitate, quia non dicuntur obſediſſe vias frequentatas, quamuis *Suarez* putet contrarium conſuetudine receptum eſſe. *Secundò*, Depopulatores agrorum, quamuis nocturni non ſint, non gaudent priuilegio immunitatis, id eſt, qui diripiunt alienos agros, vt qui ſegetes ſeu fructus ſurripiunt, vineas vaſtant. *Tertiò*, Committentes homicidia ſeu mutilationes in Eccleſiis, aut earum cœmeteriis, carent immunitate; quia par non eſt, vt immunitate Eccleſiæ fruatur, qui in Eccleſia deliquit: & hoc ampliandum, quamuis delictum in alia Eccleſia commiſerint, ſiue ſine ſpe immunitatis, ſiue cum ſpe, commiſſa fuerint: imò ſiue extra Eccleſiam exiſtat, qui occidit vel mutilauit, modo occiſus vel mutilatus fuerit in Eccleſia: *An autem* hac immunitate priuetur, qui exiſtens in Eccleſia, ſi extra Eccleſiam exiſtentem occidat vel mutilet, Nauar.*c. n.*21. Couar.*c.num.*15. Suar.*c.c.*11.*num.*6.& 7. affirmant, & quidam alij: Bonac.*c.num.*8.& 9 Dian.*tract.de imm.*Eccl. *reſ.*9.10.*tr.*1.*p.*1. negant, quia hic caſus non eſt in iure, neque in Conſtitut. Gregor. expreſſus, cùm non ſit completus in Eccleſia. *Qui* autem vulnerauit in Eccleſia, ſed vulneratus extra Eccleſiam mortuus eſt, priuatur immunitate, quia delictum homicidij cenſetur commiſſum in Eccleſia. De mandante verò homicidium vel mutilationem in Eccleſia, quidam vt Suar.*cap.num.*7. Dian. *p.*1.*tract.*1.*reſ.* 10.& alij, aiunt priuari Eccleſiæ immunitate: ſed alij probabiliter negant apud *Dianam*, quia qui mandat homicidium vel mutilationem fieri in Eccleſia, propriè loquendo non dicitur occidere vel mutilare. *Denique* committentes alia delicta in Eccleſia præter homicidia, vel mutilationes, non incurrunt priuationem immunitatis poſt Conſtitut. Gregor. quia non eſt trahẽda priuatio immunitatis ad caſus in bulla non expreſſos Farinacius *in decis.conſ.*76.*num.* 7.& 9. Diana *tract.de imm.Eccl.reſ.*2.*p.*1.*tract.*1. quamuis contrarium docuerint Doctores, qui ante illam conſtitutionem ſcripſerunt. Vt *Nauarrus, Conarruuias, Suares.*

Greg. Azor. Nauar.

Nauar. Couar. Suarez. Bonacina. Diana. Eccleſ.

Suarez. Diana.

Farinacius. Diana. Eccleſ.

10. *Quartò qui proditoriè proximum ſuum occiderunt*, deſtituti ſunt priuilegio immunitatis *Conſtit.* Gregor.14. proditor autem dicitur, qui amicitiam ſimulabat cum eo quem occidit, ſeu qui doloſè aliquem ſeducit, vt occidat, ſeu qui hominem interfecit nihil tale præuidentem, qui autem occidit inimicum, non dicitur proditor, in rigore loquendo, quamuis illum occidat à tergo, aut dormientem nam hic necem præuidere poterat & præcauere. Gomez *variar.reſ.*§.*de homic.cap.*3.*num.*5. Suarez *c.cap.*21.*nu.*12 Diana *c.reſ.*31.& alij.

Gregor.

Gomez. Suarez. Diana.

11. *Quintò, Rei aſſaſſinij* immunitate priuati ſunt: vt patet ex bulla Gregor. *Aſſaſſini* dicuntur propriè illi, qui pecunia aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti, præuio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes: ſimiliter priuantur immunitate, qui tradita pecunia mandant aliquem per aſſaſſinos occidi: quia dicuntur rei aſſaſſinij: & ſecundùm ſententiam Doctorum, ad aſſaſſinium requiritur, vt occidatur Chriſtianus: & in dubio præſumendum eſt occiſum fuiſſe Chriſtianum, ſi in terris Chriſtianorũ fuerit occiſus. Couarru. 2.*var.cap.*20.*num.*9. Suarez *c.c.*11.*num.*15. Iulius Clarus §.*Aſſaſſinium n.*13.

Couarru. Suarez. Iulius. Clarus.

12. *Sextò Rei hæreſis* priuantur immunitate Eccleſiaſtica: *conſtit.* Gregor.14. Bonacina *c.num* 21.22.*rei* autem *hæreſis* dicuntur, non ſolum ij, qui cum pertinacia ſentiunt contra fidem, & verùm etiam ij, qui auxilium, aut refugium prebent hæreticis, tamen in illis locis vbi hæretici impunè habitare permittuntur, nec propter hæreſim puniuntur, Diana *tract.de imm.*Eccleſ.*reſ.*29.*p.*1.*tract.*1. putat in criminibus non exceptis, gaudere, vt cæteri, immunitate Eccleſiarum. *Septimo*, *Rei criminis læſæ maieſtatis* in perſonam Principis, non gaudent priuilegio immunitatis; ſed ad hoc crimen læſæ Majeſtatis requiritur, tum vt

Gregor. Bonacina.

Diana. Eccleſ.

ipſa-

ipſamet perſona Principis offendatur, tum & à ſuo ſubdito Vide *Dianam p.1.tract.1.reſol.6.*

Couarr. Suarez. Sylueſt. Bonac.

13. *Immunitas Eccleſiaſtica*, multos parit effectus. Secundùm Couarru *cap.20.num.18.* Suarez *l. cap.12. num.5. & 2.4.& ſeq.cap.diffinimus 17.q.4.cap.inter alia de immunit.* Syluest. *v Immunitas 3.q.7.* Bonac. *cap.§.5.* & alios. *Primus* eſt, vt reus capi nequeat in Eccleſia. *Secundus* eſt, vt non apponatur impedimentum, quo exiſtenti in loco ſacro non deferantur alimenta, veſtitus, aut alia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt: tamen iudici ſæculari licet extra locum ſacrum obſidere delinquentem, in Eccleſia exiſtentem, vt illum capiat, dum ſe reciperet extra locum ſacrum. *Tertius* eſt, vt exiſtenti in loco ſacro nulla vis aut damnum inferatur. *Quartus* eſt, vt dum reus in Eccleſia exiſtit, damnari nequeat ad mortem, vel pœnam corporalem, imò actus facti à laico iudice erga delinquentem, per vim extractum à loco ſacro, irriti ſunt, vtpote facti ſine iuriſdictione *Quintus* eſt, vt delinquens per vim extractus ab Eccleſia, reſtituatur Eccleſiæ eidem, vel alteri, in qua æquè tutus & liber eſſe poſſit; imò probabile eſt, extractum per vim poſſe reſtitui Epiſcopo, quia Epiſcopus repræſentat Eccleſiam; modò hac reſtitutione facta, abſtractus ſit æquè tutus, ac ſi reſtitutio facta fuiſſet Eccleſiæ. Ita Diana *c.reſol.16.*

Diana.

14. Extrahens delinquentem è loco ſacro, *Primò*, peccat peccato ſacrilegij, quia grauem iniuriam facit loco ſacro, in eius reuerentiam conceſſum eſt immunitatis priuilegium. *Secundò* grauiter peccat peccato iniuſtitiæ, quia facit iniuriam delinquenti habenti ius reſiſtendi; vnde qui per vim extraxit delinquentem, tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde paſſus eſt delinquens, quia ex peccato contra ius alteris conſurgit obligatio reſtituendi. D. Thom. *2.2.q.62.art.2.* Suar. *c.l.3.cap.13.n.4.& 9.* Valentia *tom.3.diſp.6.q.15.p.1.* & alij.

D.Thom.2. Suarez. Valentia.

Sed petes, an ſi reus extractas è manibus ſatellitum, cōfugiat ad Eccleſiam, ſit reſtituendus curiæ ſæculari, quæ fuit iniuſtè priuata? Reſp. in tali caſu Eccleſiam teneri reſtituere reum curiæ ſæculari. Ratio eſt, tum quia iniuſta ſpoliatio non priuat dominum iure & dominio rei, quia ſpoliatur, alioquin non eſſet iniuſta. Tum quia nemo ſibi poteſt retinere rem alieni iuris, ſed tenetur reſtituere domino. Quod præſertim verum eſt, ſi dominus contradicat tali retentioni. Ex his autem principijs iuris naturalis fit, quod iniuſtè ſpoliatus habeat ius ad repetendum quod ſuū eſt, nec poſſit ab aliquo impediri; & quòd habens rem, ei qui eſt iniuſtè ſpoliatus, teneatur reſtituere. Nec vlla lex, ſiue diuina, ſiue humana poteſt oppoſitum ſtatuere; alioquin non eſſet lex, ſed iniquitas, quia ſtatueret iniuſtum. In caſu autem noſtro curia ſæcularis iniuſtè ſpoliatur reo; quia ſpoliatur per vim ab iis, qui non habent poteſtatem, & per captionem ipſum fecerat ſui iuris & dominij; vnde non obſtante hac iniuſta ſpoliatione retinet ius & dominium ſupra reum, & proinde poteſt ipſum repetere apud quemcumque ſit, & non poteſt à quocumque impediri ne repetat; vnde Eccleſia illum habens apud ſe, tenetur reſtituere, Si enim Eccleſia iniuſtè ſpoliata reo, eſt reſtituenda; ergo etiam curia ſæcularis eſt reſtituenda, quando iniuſtè reo ſpoliatur. Nec iuuat priuilegium Eccleſiæ de immunitate; quia hoc conſiſtit tantùm in eo, quòd poſſit protegere reos; non autem quòd poſſit protegere iniuſtitiam, & facere contra principia legis naturalis nolendo reddere alteri quod ſuum eſt. Reus enim confugiens ad Eccleſiam, vt gaudeat immunitate, debet eſſe liber, non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter; alioquin non poteſt protegi: hic autem moraliter non eſt liber; nam cùm iniuſtè eripiatur, non priuatur curia ſuo iure. Nauarius *in ſum. Bullar. tit de immun. num.14.* Francus *deciſ.709.* Paſqualigus *c.deciſ.486. in deciſionibus moral.* contra Dianam *p.6. tract.8.reſ.5.* cuius ſententia eſt etiam probabilis. Vide Sanc. *in ſelect. diſp.44.num.52.in fine.*

Nauarr. Bullar. Francus. Paſqualig. Diana. Sanchez.

15. *Varias* pœnas incurrit violator imunitatis Eccleſiæ nam de *Li.2.c.de his qui ad* Eccleſ. Suar *c.cap.13. num.6.* iure ciuili incidit in crimen læſæ Majeſtatis, & alibi decernitur puniendum eſſe pœna capitali & vltimi ſupplicij; ſed hæc pœna non eſt amplius in vſu. *cap.quiſquis 17.q.4.* Iure Canonico erat pœna excommunicationis ferendæ non latæ: ſed in conſtitut. Gregor. excommunicatio lata, vt conſtat ex textu, apud *Benacinam* citatum. *Imò* hanc excommunicationem incurrent mandantes extrahi reum à loco ſacro, & iudices qui nec mandauerunt extrahi, nec extraxerunt, ſed extractum Eccleſiæ reſtituere noluerunt, aut morti adiudicarunt. Clarus *in practica §.finali q.30.* Praxis Neapolit. *cap.17.num.7.* & alij.

Eccleſ. Suarez.

Clarus. Praxis. Neapolit.

16. *Prelatis* locorum gaudentium immunitate, tenentur delinquentes ad locum immunem confugientes, conſignare curiæ ſæculari illum requirenti, ſi cognouerint aliquod delictum ab eis commiſſum fuiſſe, propter quod immunitatis priuilegium amiſerunt; vt conſtat ex conſtitutione *Gregor. X IV.* tamen antequam delinquens, qui ad locum ſacrum confugerat, curiæ ſæculari tradatur, obtinenda eſt primò ab Epiſcopo vel ab eius officiali facultas expreſſa capiendi & extrahendi delinquentem, & debet aſſiſtere aliqua perſona Eccleſiaſtica ad hoc deputata, dum extrahitur, Epiſcopus autem non tenetur ſtare proceſſui à laica poteſtate facto, quo oſtenditur reum priuandum eſſe immunitate, ſed debet ipſe nouas probationes recipere, ipſique certò conſtare de delicto rei, antequam tradatur curiæ ſæculari. Vide Bonac. *cap.§.7.* Diana *c.reſol.14.* Filliucius *tract.15.cap.6.num.148.& ſeq.*

Bonac. Diana. Filliucius.

17. Clerici non poſſunt expellere confugientes ad Eccleſias & alia loca immunia, ſed debent ſuſcipere defenſionem confugæ, vt habetur ex Cap. *Miror.* Cap. *Reum.* Cap. *Definiuit.* Cap. *Sicuti antiquitus 17.quaſt.4* & cap. *Inter alia, de immunit. Eccleſ.* Ratio eſt, quia dans immunitatem alicui loco, dat etiam ius omnibus, qui indigent confugiendi, ad ipſum; ergo qui expellit, priuat confugam iure ſuo, atque facit contra iuſtitiam: & hoc etiam extendendum eſt ad eos, qui quomodocumque impediunt ne confugæ recipiantur in locis immunibus, quia impediunt ius confugientis in re graui, atque adeo mortaliter peccant. Ex quibus colligitur quòd clerici & regulares nequeant expellere confugas à domibus gaudentibus immunitate, aut à conuentibus reiiciendo ipſos ad Eccleſiam: quia cùm etiam conuentus & dictæ domus gaudeant immunitate, habent ius non ſolùm confugiendi ad Eccleſias, ſed etiam ad dictas domos & conuentus, & ideò non poſſunt priuari ſuo iure; quia quod conceſſum eſt à Superiore, nequit auferri ab inferiore. Si tamen confugæ in monaſterijs immodeſtè ſe gerant, aut in aliis locis immunibus, ita vt turbent quietem, & damnoſi ſint diſciplinæ regulari, poſſunt expelli abſque eo quòd expellentes incurrant aliquas pœnas: quia immunitas eſt priuilegium loci, & proinde non debet eſſe cum damno ipſius & eorum, ad quos locus pertinet: quia quod conceditur in fauorem, non debet in diſpendium retorqueri, quod contingeret, ſi confugæ ſuis immodeſtijs præiudicarent habitatoribus loci immunis. Ita Paſq. *c.deciſ.469.& 470.*

Paſqualig.

Si tamen malefactores ad Monaſteria Monialium confugiant, non ſunt ab ipſis admittendi, dedecet etiam earum ſtatum & ſexum id facere. Si autem ipſi vi ingrediantur clauſuram, pro-vt iuſtè id aliquando facere poſſunt; ſi ſibi timeant mortem, aut aliquod magnum malum; ceſſante tamen periculo non poſſunt ibi manere. Si verò nolunt inde exire, & non gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, tradi poſſunt Curiæ Eccleſiaſticæ, iuxta modum præſcriptum in Conſtitut. *Gregor. X IV.* Si verò illa gaudeant, ad minus extraxi debent è clauſura Monaſterij, & poni in alio loco ſacro extra illam, data etiam facultate in vtroque caſu viris ad illos eiiciendum è clauſura. Ita Sanch. *l.6. moral.cap.16.num.59.* Bonac. *de clauſ.q.4.punct.4. numer.13.* Lezana *tom.3.ſum.v.clauſ.num.31.*

Sanchez. Bonac. Lezana.

IMMVNITAS ECCLESIARVM.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas vnde dicta & quid.*
Bulla Gregorij Papæ X IV. ponitur.

2 *An hæc constitutio deroget iuri communi & conſuetudinibus?* Refertur duplex ſententia.

3 *An committentes in Eccleſia ſtupra, Sodomias, monetam falſam & ſimilia gaudeant immunitate.*

4 *An delinquens prope Eccleſiam ſpe confugiendi ad illam* gaudeat

gaudeat immunitate.

5 *An proditoriè attentans aliquem occidere: vel per inſidias inimicum occidens, non tamen proditoriè, priuetur immunitate.*

6 *An reus criminis læſæ maieſtatis ſemper immunitate priuetur.*

7 *An committens homicidium vel mutilans membrum non deliberatè ſed calore iracundiæ in Eccleſia, gaudeat immunitate.*

An extrahens aliquem violenter ab Eccleſia, & poſtea extra illam occidens gaudeat immunitate.

8 *An occidens vel mutilans aliquem in ſcalis, atrio, porticu vel tecto Eccleſiæ, gaudeat immunitate.*

9 *An fures immunitate gaudeant, ſi furtum commiſſum ſit in Eccleſia? Et quid dicendum de conſuetudine, qua fures priuantur immunitate.*

10 *An tentans committere Aſſaſſinium, morte non ſecuta gaudeat immunitate.*

11 *Aſſaſſini nomen vt tripliciter accipitur: Et quis ſit dicendus verè aſſaſſinus, & quis non.*

12 *An raptores Virginum, vel deflorantes moniales, gaudeant immunitate.*

13 *An incendiarij, vel decoctores immunitate priuentur.*

14 *An qui ſemel aut bis in via publica deprædatur, ſit dicendus publicus latro & immunitate priuandus.*

15 *An clerici, & religioſi gaudeant immunitate confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla:* Refertur duplex ſententia.

16 *An procurantes aborſum fœtus animati priuentur immunitate?* Refertur duplex ſententia.

17 *An omnia crimina præter excepta in Bulla gaudeant immunitate.*

18 *An ſacrilegium committat & excommunicationem incurrat iudex ſæcularis, qui in caſibus etiam exceptis extrahit reos ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi.*

19 *In dubio an reus debeat gaudere immunitate, ad quem pertineat cognitio cauſæ.*

20 *An Epiſcopus teneatur ſtare proceſſui facto à iudice laico, ſit ne reus remittendus, necne.*

21 *An excommunicatio lata in conſtitutione prædicta Gregorij, ſit reſeruata Summo Pontifici?* Refertur duplex ſententia.

1. IMmunitas ex vi vocis ſignificat negationem, aut libertatem à muneribus ſeu Officiis communibus: præſertim quæ cum oneribus coniuncta ſunt. Hinc Immunitas Eccleſiaſtica definitur libertas concesſa Eccleſijs Eccleſiaſticis perſonis & rebus ad eas pertinentibus. Atque ob id Immunitas & Libertas Eccleſiaſtica idem ſunt. Sed quia præter & contra ius commune aliqua decreta
Gre. XIV. ſunt in Conſtitutione Gregorij XIV. circa hanc materiam, ideò eam ponendam eſſe cenſuimus.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus ſeruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm alias nonnulli prædeceſſores noſtri, & præſertim fœl. recordat. Sixtus Papa V. necnon Pius etiam V. Sancto Zelo ducti diuerſas facultates & indulta extrahendi etiam in caſibus quibuſdam à iure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos, & delinquentes, cum pluribus ſæcularibus Principibus, eorumque Curijs, & Magiſtratibus, ſub varijs modis & formis conceſſerint, prout in illis plenius cõtinetur. Experientia poſtmodum docuit, tum ob diuerſitatem & differentiam huiuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diuerſimodè, etiam latius, quam par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ, perturbationem, & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laicos indultis huiuſmodi vti voluiſſe, aut potuiſſe, quod populis inueterata erga Eccleſias reuerentia, deuotis & aſſuetis, ſcandali potius, quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum, ſæpe numero ſecutum eſt, vt infimæ interdum conditionis laici, non modò iuris, ſed etiam literarum penitus ignari & imperiti, dum quaſi poteſtates, aut Miniſtri curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo iuriſdictionem exercebant, facultatem, & indultorum huiuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos, detorſerint, & illorum prætextu, quidquid ſibi in mentem venit, attentare præſumpſerint, in graue iuriſdictionis, & communitatis Eccleſiaſticæ præiudicium, locorum & perſonarum diuino cultui dicatarum contemptum, ipſius diuinæ maieſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis Officij munere prædictis abſurdis, & ſcandalis obuiare, ac differentias huiuſmodi ad vniformem regulam reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occaſionem dilucida declaratione ſubmouere, abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica iura planè conculcentur & negligantur opportunè prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus prædeceſſor noſter iiſdem de cauſis motus ſtatuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen vt quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruerſorum hominum malitia, id expoſcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium & ad coercenda illorum facinora, vltra id quod priſca illa maiorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum Canonum norma præſcripſerat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita: permittamus. Hac itaque noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium V. quam alios quoſcumque noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos. Sedemque Apoſtolicam eiuſve Legatos, ſuper adducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, domibus regularibus & ſæcularibus, locisve ſacris, aut Religioſis, aliaſque in caſibus à iure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis vrgentiſſimis ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in iure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extenſis, perpetuo vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, ſeu alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata & innouata, ac vſu recepta, literaſque Apoſtolicas, ſub plumbo, aut in forma Breuis, ſeu alias quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantum formam reducimus & moderamur, vt laicis, ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis earumve cœmeteriis committere non vereantur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinij, vel hæreſis, aut læſæ maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei: immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis Regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos & alia loca ſupradicta ſacra ſeu Religioſa reſpectiuè confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod, iudicio ſuo commiſiſſe videbantur, quando a Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris & Officialibus curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu; tradi & conſignari curent, & faciant quilibet eorum curet & faciat. Non autem curiæ ſæcularis prædictæ Miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi & abducendi ſibi olim, vt præfertur attributa, & per præſentes reuocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus & declaramus, vt Curia ſæcularis, eiuſque Iudices & Officiales, ab Eccleſiis. Monaſteriis, locisque ſacris prædictis, laicum aliquem, vt præfertur delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu

interuentu

teruentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentes, ad quos ſolos & non alios, Epiſcopis inferiores, etiamſi alij Ordinarij ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſeruatores ab hac ſede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dicta perſona Eccleſiaſtica requiſita illos in delictis ſuperius expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire, & aſſiſtere recuſauerint, tuncque reuerentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores; prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum ſcandalo & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam vt præfertur ab Eccleſijs, locisue extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data, illis, ſi opus fuerit per Curiam ſæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint: tuncque demum de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quacumque appellatione poſtpoſita, conſignentur. De crimine verò hæreſis, cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia ſæcularis ſe quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas, ſæculares, aut cuiuſuis Ordinis, vel militiæ etiam S. Ioannis Hieroſolymitani regulares quoquo modo etiam vigore prædictorum priuilegiorum, indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos iuris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant. illaſue ab Eccleſijs, Monaſterijs, Domibus, locisque ſacris, aut religioſis, etiam in caſibus in hac Conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quàm de iure & per priuilegia eiſdem Ordinibus, aut Militijs conceſſa permittitur quomodolibet præſumant. Quod ſi quis quacumque dignitate & auctoritate præditus præmiſſorum, aut alio quouis prætextu, quidquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto, cenſuras & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones, & Conciliorum generalium, noſtrorum prædeceſſorumque Conſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari, & definiri debere, necnon irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti, & Pij V. quàm aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis, priuilegijs, indultis & facultatibus quibuſuis perſonis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebuſpublicis, Dominijs, Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris & locis, eorumue Curijs, Parlamentis, Senatibus, Conſilijs, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegijs, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, locatenentibus, Vicarijs, Poteſtatibus, alijſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliarijs, ex prædictis, vel alijs etiam grauioribus & vrgentioribus cauſis; eam illorum intuitu & contemplatione, ſiue ad eorum preces & inſtantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum noſtrorum Conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſuis præſeruatiuis, reſtitutiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarum derogatorijs, alijſque validiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & alijs decretis, etiamſi inibi caueatur expreſſè, quod illis, niſi ſub certis modis & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu ad quorum fauorem conceſſa fuerint, derogari poſſit, & aliter facta derogationes nullius ſint roboris vel momenti, & alias quomodolibet conceſſis etiam ſæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, aut plures quam ſuperius expreſſos caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis omnino ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat reduximus & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in valuis Sancti Ioannis Lateran. & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum, de vrbe necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi, & publicari: earum etiam exemplis inibi affixis & dimiſſis, ac poſt publicationem huiuſmodi volumus, & decernimus, vt omnes & ſingulos, quos concernunt & concernent in futurum, perinde arctent & afficiant, ac ſi illorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Earumdem verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis. Notarij publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in iudicio & extra illud vbique gentium & locorum haberi volumus. quæ eiſdem originalibus literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo hominum omninò liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimoprimo, Non. Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.

M. VESTRIVS BARBIANVS.

2. Circa hanc Conſtitutionem eſt difficultas, an deroget iuri communi & conſuetudinibus? Videtur enim quod non, quia pleriſque in locis obſeruatur adhuc ius commune, imò & cõſuetudines contrariæ huic Conſtitutioni sũt in viridi obſeruãtia in pleriſq. Prouinciis, & Regnis, ergo Vnde nonnulli Doctores laicalis fori exiſtimãtes conſuetudinem non abrogari per legem poſteriorem, niſi ipſius mentio fiat in lege poſteriori, arbitrantur, Iudices laicos in iis locis, in quibus ante conſtitutionem ſupra poſitam extabat conſuetudo extrahendi laicos à loco ſacro, non ſeruata forma in hac Conſtitutione præſcripta, poſſe etiam nunc extrahere, cùm in dicta Conſtitutione non reuocetur conſuetudo contraria, ſed tantummodo priuilegia. Ita Clarus, & alij apud Farinac. *de carceribus, q.28.n.71.* apud Dianam *par. 1. tr. 1. reſ. 1.* Verum hæc opinio non eſt admittenda. Probatur, quia Pontifex in dicta Bulla cum particula taxatiua reducit omnia ad vnicam formam, vt patet in illis verbis: *Ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur.* Ergo reuocat ius commune, & conſuetudines diuerſam aliam formam ab iſta introducentes. Tum quia licet Pontifex expreſsè non reuocet conſuetudinem, tacitè tamen reuocat, quatenus modum extrahendi è loco ſacro intendit ad vnicam formam reducere, & aliter definiendi & iudicandi quamlibet facultatem auferre, & irritum reddere aliter factum. Tum quia in dicta Conſtitutione Pontifex pluries facit mentionem iuris communis, & quando voluit, quod in aliquo caſu illibatum permaneret, hoc expreſſit, vt patet quando loquitur de Clericis, Monachis, Militibus, eorùmque priuilegiis, Vnde quoad reuocationem conſuetudinũ; vide Ambroſinum *tr. de immun. Eccleſ. c.* 14. Farinacium *in appendic. c.22. n.359.* Bonacin. *tr. de leg. diſp. 3. q. 7. punc.* 10. & alios penes ipſos. Et quod reuocet & corrigat ius commune, docent Filliucius *tract. 15 nu. 153.* Duardus *in Bullam Cœnæ, l.2. Canon. 15. q. 16. n. 27.* & plurimi Iuriſperiti apud Dianam *ſupra*. Ex hoc fundamento deducuntur variæ reſolutiones multorum caſuum contra immunitatem ſacrorum locorum: ſed quia multi Doctores ſcripſerunt ante hanc Bullam Gregorianam, ideò in eorum ſcriptis non conueniunt cum illis qui poſt illam libros ediderunt

Clarus. Farinacius. Diana.

Ambroſin. Farinac. Bonacina.

Filliucius. Duard.

derunt de Eccleſiarum & locorum ſacrorum immunitate, ideò tanta diuerſitas opinionum penes Auctores in hac materia, vt ferè nihil certi Lector apprehendere poſſit. Imò multi ex his Auctoribus ſcripſerunt in loco vbi hæc Conſtitutio Gregoriana non eſt vſu recepta, ideò Lector, antequam de aliquo caſu iudices in particulari, primò ſcias, an hæc Bulla quoad omnes partes ſuas, ſit in praxi, vbi caſus euenerit. Et vt tutius in hac materia procedamus, ſtabimus ſententiæ illorum, qui poſt Bullam hanc ſcripſerunt, & pro locis vbi communiter eſt vſu recepta.

3. Priuatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla non expreſſos. Hinc in Eccleſijs committentes ſtupra, ſodomias, monetam falſam & ſimilia, gaudent immunitate Eccleſiæ, licet tales delinquentes ſint à Iudice Eccleſiaſtico puniendi ratione loci delicti: ſeu conſulto priùs Romano Pontifice, poterunt etiam tradi Curię ſeculari, ſi delictum eſſet atrociſſimum. Ratio eſt, quia in dicta Bulla excipitur tantùm homicidium, & membrorum mutilatio, ergo non eſt trahenda ad alia, licet enormia & grauiora delicta; vnde per hanc Bullam correctum eſt *cap. final. de immunit. Eccleſiar.* Ita docent Farinacius *de immunit. Eccleſ. c. 16. n. 208. & 209.* Bonacina *loco cit. §. IV num. 12.* Riccius *par. 5. collect. 1792.* Diana *p. 1. tract. 1. reſol. 2.* & alij penes ipſos.

Farinacius. Bonacina. Riccius. Diana.

4. Delinquens propè Eccleſiam ſpe confugiendi ad illam gaudet immunitate, etiamſi poſtea patrato delicto ſtatim ſe cum armis in Eccleſiam recipiat. Ratio eſt, quia non eſt facienda extenſio ad caſus in Bulla non expreſſos: in Bulla autem exprimuntur ſolùm patrantes homicidia vel mutilationes membrorum in Eccleſijs, vel earum cœmeterijs. Tum quia, qui propè Eccleſiam ſine ſpe immunitatis patrat delicta, gaudet immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiat; ergo eadem gaudere poteſt, etiamſi patret delicta ſpe immunitatis, cùm Summus Pontifex reſpexerit ad delicti qualitatem, & ad iniuriam Eccleſiæ, nō verò ad ſpem. Ita Fagundez *precept. 2. Eccleſ. l. 4. c. 4. num. 45.* Peregrin. *de immun. c. 6. n. 30.* Diana *loc. cit. reſol. 3.* & ante Bullam Suarez *t. 1. de Relig. tr. 2 lib. 3. c. 11.* Contra Couarruuiam, Menochium & alios.

Fagundez. Peregrinus. Diana. Suarez.

5. Attentans aliquem occidere proditoriè, non priuatur immunitate ob ſolam proditoriam vulnerationem, effectu homicidij non ſecuto. Ratio eſt, quia in verbis dictæ Bullæ expreſsè Pontifex loquitur de occidente proditoriè, vnde lex præſertim in materia pœnali, & odioſa explicanda eſt iuxta propriam verborum ſignificationem: ſed ex vi verborum requirit actum conſummatum cum effectu ſecuto: ergo. Ita Farinac. *de immun. c. 9. num. 145. & 146.* Suarez *loco cit cap. 11. numer. 14* Diana *cit. reſol. 4.* Et hæc opinio poſt Bullam omni difficultate caret, vt aſſerit idem Diana *part. 6. tract. 1 reſol. 12.*

Farinacius. Suarez. Diana.

Similiter, qui occidit inimicum per inſidias, non tamen proditoriè, non priuatur immunitate: quia eſt differentia inter homicidium proditoriè commiſſum, & non proditoriè. Sed Bulla ex immunitate ſolùm excipit homicidium proditorium: ergo non excludit non proditorium, ſeu inſidioſum. Per homicidium autem proditorium intelligitur illud, vbi nullus cum occiſo præcedebat rancor, ſed potiùs ſimulabatur amicitia. Vnde non dicitur proditor, qui inimicum ſuum occidit à tergo, aut dormientem, &c. quia verbum proditoriè ſtrictè interpretandum eſt, cùm immunitas Eccleſiæ ſit fauorabilis, & exceptio ſit odioſa. Ita Bonacina *de leg. diſp. 3. q. 7. §. 4. n. 14.* Farinacius *immun. c. 9 n. 143.* Ambroſinus *cap. 6. num. 3. & ſeq.* & alij. Contra Fagundez & Portel. qui ſcripſerunt in Hiſpania, vbi Bulla Gregorij non eſt vſu recepta.

Bonacina. Farinacius. Ambroſin.

6. Licet multis modis committatur crimen læſæ maieſtatis, vt offendere ſtatus, vel imagines Principum, cudere falſam monetam, offendere eum, qui habet ſaluum conductum, tractare de faciendo Rege, ipſo viuente, expoliare Nūcios Regis vel alterius Principis, vt arcana Regni detegantur, occidere fiſcalem Regis, aut Conſiliarium eius & ſimilia perpetrare, & tamen rei horum criminum immunitate non priuantur, ſed tantum illi, qui perſonam Principis offendunt, modò ſint ei ſubditi ratione originis, ſeu domicilij; ſi verò non ſint ſubditi, ſed extranei non dicuntur committere crimen læſæ maieſtatis, vt docent communiter Doctores, teſte Ambroſino *de immunit. c. 9. numer. 6.* Farinacio *de immunit. cap. 13. n. 190. 191.* Rolando *lib. 1. conſil. 4. n. 5.* Claro *§. Læſa maieſtatis, numer. 6.* Scientes autem machinationem contra perſonam Principis, & non reuelantes, gaudent immunitates, quia crimen eſt omiſſionis, & non commiſſionis contra perſonam Principis, quia verbum *in*, poſitum in Bulla denotat *contra* & per conſequens actionem, & non omiſſionem vt notat Peregrinus *de immunit. cap. 10. num. 11:* quamuis contrarium doceat Farinacius *cap. 13. num. 186.*

Ambroſin. Farinacius. Roland. Clarus.

Peregrinus. Farinacius.

7. Qui in Eccleſia homicidium committit, vel membrū mutilauit, non deliberatè, ſed accidentaliter, & calore iracundię, vel prouocatus, iuxta Peregrinum *de immunit. c. 6. num. 15.* & alios, non gaudet immunitate: quia Summus Pontifex in Bulla indiſtinctè excipit membrorum mutilationes & homicidia facta in Eccleſijs vel cœmeterijs; ergo indiſtinctè debet intelligi. Probabilior tamen ſententia meritò aſſerit gaudere, ſi tale homicidium fuiſſet in Eccleſia perpetratum, non ſolùm ex rixa ſubitanea, ſed & ad alterius prouocationem, & multò magis ad ſe defendendum. Ratio eſt, quia occidens vel mutilans in præfatis caſibus non videtur habere animum offendēdi & violandi ipſam Eccleſiam. Ita ſubſtinent Farinacius *de immunit. cap 16. n. 240.* Diana *part. 3. tract. 1 reſol. 11. & parte quarta, tractatu primo, reſolut. 107.* Et ita fuiſſe deciſum Romæ anno 1639. occiſione cuiuſdam homicidij facti in Eccleſia Sacti Ioannis Lateranenſis teſtatur idem Diana *part. 6. tr. 1. reſol. 7.* citans ibi pro hac ſententia *Nouarinum Zambellum*, & alios.

Peregrinus.

Farinac. Dian.

Diana. Nouar. Zambellus.

Sed petes, an extrahens aliquem ab Eccleſia violenter, & illum extra Eccleſiam occidens, vel mutilans gaudeat immunitate? Negant quidam, quia per talem extractionem violatur Eccleſia & in ipſa datur cauſa occiſionis. Sed dicendum eſt gaudere: quia illa cauſa mortis data in Eccleſia non fuit cauſa neceſſaria, cùm liberè poſtea occiſio facta eſt; ergo reus non eſt immunitate priuandus. Tum quia in Bulla excipitur homicidium & mutilatio in Eccleſia. Ita Bonacina *de leg. diſput. 3. quæſt. 7. §. 4. num. 8.* Caſtrus Palaus *to. 2. tr. 11. diſp. vnic. punct. 6. n. 18.* Diana *part. 4. tract. 1. reſol. 107.* Contra Farinacium, Azotium, & alios.

Bonacina. Palaus. Diana.

8. Occidens vel mutilans aliquem in ſcalis, atrio, ſeu porticu, vel tecto Eccleſiæ, gaudet immunitate, ſi poſt delictum in aliqua Eccleſia ſe abſcondat. Ratio eſt, tum quia ſic occidens, non occidit in Eccleſia, ſed in locis extra Eccleſiam. Tum quia nomen Eccleſiæ ſumitur aliquando ſtrictè & quandoque largè; & ideò quando tractatur de pollutione Eccleſiæ, ſumitur ſtrictè: vnde Campanile, & Atrium & ſimilia loca non veniunt nomine Eccleſiæ in dicto caſu, quia non ſunt principaliter Deo dicata, ſed in quandam conſequentiam: vnde etiamſi ſanguis humanus effundatur in dictis locis, non polluitur Eccleſia. Quando verò tractatur de priuilegio immunitatis, tunc ſupradicta loca veniunt nomine Eccleſiæ. Dicendum eſt igitur, quòd ſcala, porticus, tectum, &c. Eccleſiæ, in odioſis non includuntur ſub eius nomine, ſecus autem in fauorabilibus. Ita Peregrinus *immunit. capit. 6. numer. 32.* Aloyſius Riccius *par. 3. deciſ. 250.* Diana *par. 3. tract. 1. reſol. 39. & part. 6. tract. 1. reſol. 7.*

Peregrinus. Riccius. Diana.

9. Fures immunitate Eccleſiarum gaudent, etiamſi furtum commiſſum fuerit in Eccleſia: immò furantes in Eccleſia Pixidem Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, gaudent eius immunitate. Ratio eſt ſæpè dicta, quia homicidia & mutilationes factæ in Eccleſia tantùm excipiuntur, non autem alia crimina: & in materia immunitatis caſus excepti non extenduntur etiam ex maioritate rationis. Vnde adeſt expreſſa determinatio Sacræ Congregationis immunitatis in vna Squillacenſi 18. Martij 1632. vbi decretum eſt immunitate Eccleſiaſtica gaudere furantes in Eccleſia. Ita docent Farinacius *de immunitat. capit. 6. numer. 94. & ſequent.* Ambroſinus *capit. 5. numer. 6.* Gauantus *in addit. ad man. Epiſcop. verb. Immunitas Eccleſiaſt. numer. 8.* & alij con-

Sacr. Cong.

Farinac. Ambroſin. Gauantus.

Digitized by Google

contra Decianum, Naldum & alios. Notandum tamen quod Reus non poteſt in Eccleſijs ſpoliari à iudice laico re furata, quam ſecum traxit: ſed recurrendum eſt ad iudicem Eccleſiaſticum: quia *in cap. 1. extra de immunit. Eccleſ.* & *cap. 2. eodem in 6.* expreſsè prohibetur iudicibus laicis aliquam iuriſdictionem in Eccleſia exercere: cùm Eccleſia ſit de territorio Epiſcopi, & extra territorium ius dicenti, etiam à ſubditis non paretur ex *cap. 2. de Conſtit. in 6.* & *l. vltim. cum Gloſſ. ff. de iuriſdict. omn. Iudic.*

Quibuſdam tamen in locis, vbi furum eſt maxima copia, conſuetudo viget, vt fures in furtis grauibus Eccleſiarum immunitate non gaudeant: quia fuit introducta videtur Clericis & Epiſcopis in odium delicti, ac proinde quaſi renunciantibus tali immunitati, quoad fures. Et talem cōſuetudinem extrahendi fures ab Eccleſia, ob rationem prædictam, iuſtificanda eſſe, docent Suarez *de Relig. to. 1. lib. 3. cap. 11. n. 4.* Raphael de la Torre *tom. 2. in* 2. 2. *quæſt. 99. art. 3. diſp. 7. gradu* 8 ex Couarruuia *lib. 2. variar. cap. 20. n. 13. in fine.* Contra quam tamen conſuetudinem clamat & exurgit Diana *p. 6. tract. 1. reſol. 9.* docens immunitatem Eccleſiarum contraria conſuetudine tolli non poſſe: tum quia populus nihil ſtatuere poteſt ſuper immunitate Eccleſiarum; ideò nec conſuetudinem inducere valet. Tum quia conſenſus Clericorum in aliquam conſuetudinem, quando adeſt libertatis Eccleſiaſticæ præiudicium, nihil operatur, Pontifice ignorante. Tum quia hoc priuilegium non delinquentibus ob ipſos, ſed ob reuerentiam loci ſacri eſt conceſſum, quapropter renunciari à nullo poteſt, ſicuti neque renunciari poteſt priuilegium fori Clericis conceſſum, quia non ipſis ob ipſos, ſed ob dignitatē Clericalem cōceditur. Ita etiam Bonac. *de leg. diſp. 3. q. 7. § 4. n. 5. in fine.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 11. diſp. 1. punct. 11. n. 5.* & alij.

Si dicas, quod tales fures indigni ſunt priuilegium immunitatis, aliàs Eccleſia Dei fiet ſpelunca latronū, eiuſque immunitas occaſionem præberet perditis hominibus liberiùs viuendi & delicta perpetrandi? Reſpondeo: Indignos quidē eſſe immunitate taliter peccantes, ſi eorum delicta & perſonæ ſpectentur; ſed immunitas non ipſis propter ipſos, ſed ipſis propter locum ſacrum conceditur, qui eſt omni priuilegio digniſſimus. Neque inde fit Eccleſiam fieri ſpeluncam & aſylum latronum: tum quia ibi exiſtentes corrigi & frænari à iudice Eccleſiaſtico poſſunt. Tum quia non eſt Eccleſiæ imputandus abuſus illuc confugientium; cùm ipſa ſolùm prætendat fauere miſeris, eos a pœna liberando, nō autē fauore eorum malitiam & facinora.

10. Eccleſiæ immunitate gaudet tentans committere aſſaſſinium, etiamſi deuenerit ad actū proximum morti, ſi ſequuta non fuerit. Ratio eſt, quia immunitas neganda nō eſt niſi propriè committentibus crimen aſſaſſinij: ſed qui accepta pecunia alium vulnerauit, ſi tamen non occidit, verè & propriè crimen aſſaſſinij non committit: ergo. Tū quia textus *c. 1. de homic. in 6.* ſolùm de mandante dicit puniendum eſſe ijſdem pœnis, ſiue mors ſequatur, ſiue non; & nihil de mandatario dicit. Ergo mandatarius, qui mortem non intulit, relinquitur in hac parte diſpoſitioni iuris communis diſponentis neminem ob vulnerationem non gaudere immunitate. Tum quia in genere non ponitur pœna ordinaria affectus, ſeu conatus non ſecuto effectu, ſeu delicto; ergo cùm hæc opinio ſit mitior, & fauorabilis immunitati Eccleſiarum, eſt tenenda. Ita Layman *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 9.* Suarez *apud ipſum.* Diana *p. 6. tract. 1. reſol. 11.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tr. 11. diſp. vnic. punct. 9. n. 38.*

11. Aſſaſſini nomen tripliciter accipitur. *Primò*, pro quodam infidelium Saracenorum genere, qui hoc propriu & communi vocabulo vocabantur: hi arbitrabantur licitum eſſe quoſcumque regis ſui inimicos, ipſo iubente, necare, de quibus mentio eſt *in cap. 1. de homicid. in 6.* Sed huiuſmodi hominum genus non ampliùs reperitur, vnde de his non eſt nobis ſermo. *Secundò*, pro illis, qui homines in vijs publicis obſident, & deprædantur. *Tertiò*, pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti præuio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes; & hæc eſt vulgaris intelligentia & interpretatio huius vocis aſſaſſini, qui iuxta prædictam Bullam immunitate priuantur. Ex quo patet illum non dici aſſaſſinum, qui ſine pretio, aut ſine præuia pretij promiſſione aliquem occidit, vt alteri rem gratam faceret. Item, nec illum, qui occidit alterum, præuia ſolùm promiſſione vaga, generali & incerta, vt ſi quis mandans homicidium dicat mandatario, ſe nunquam defuturum in ipſius neceſſitatibus. Item, nec illum, qui promiſſionem vel oblationem pro homicidio non acceptauit, licet poſtea ſequutum fuerit: nec qui alterum necat ſpe alicuius premij à mandatore obtinendi, vel ſpe ſuccedendi in bona occiſi; nec qui aduerſarium, cum quo inimicitias gerebat, occidit, ſocijs pecunia conductis. Ita Ambroſinus *de immunit. cap. 7. n. 3. & ſeqq.* & alij multi ab ipſo citati. Diana *p. 6. tract. 1. reſol. 11.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 4. caſu* 360. Maſcardus *de probat. tom. 1. concl.* 138. Ambroſin. Diana. Menoch. Maſcardus.

12. Quamuis lex ciuilis raptores Virginum ab Eccleſiarum immunitate excludat, vt habetur *in Authent. de Mandatis Principum*, his verbis, *Neque homicidis, neque adulteris, neque Virginum raptoribus delinquentibus Sanctorum terminorum tutelam concedendam eſſe.* Verum id iure Canonico correctum eſſe conſtat, non tantùm ex *cap. de raptoribus 36. quæſt. 1.* vbi illis conceditur immunitas. Sed etiam ex *cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* vbi dicitur, *Si liber quantumcumque grauia maleficia perpetrauit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus.* Et paulò poſt: *Et hoc verum eſt, niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum.* Quæ exceptiones confirmant regulam in aliis. Conſtat idem ex Bulla Gregoriana ſupra, quia raptus huiuſmodi Virginum non eſt inter crimina excepta in illa. Nec refert quod hoc crimen ſit perniciosum non ſolùm perſonæ, cui infertur iniuria, ſed etiam Reſpublicæ, ergo non debet illius criminis reus immunitate gaudere, Reſpondeo, textum *cap. inter alia*, ex identitate, vel maioritate rationis non eſſe extendendum ad alios caſus non expreſſos, quia aliàs nihil firmum & ſtabile eſſet in iure conſtitutum, illud autem eſt abſurdum admittere. Ita docent Farinacius, *de immunit. c. 6. num.* 88. Gutierrez *in pract. quæſt. l. 3. q. 5.* Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 9.* contra Suarez dicentem, Raptores Virginum incluſos eſſe ſub nomine publicorum latronum *in dict. cap. inter alia*, qui in hoc non eſt audiendum. Quæ autem dicta ſunt de raptoribus Virginum, habent etiam locum in deflorantes Moniales, etiamſi defloratio facta fuerit in Eccleſia Monaſterii; hi enim gaudere debent immunitate; quia hoc crimen non excipitur, de quo videndus Diana *part. 4. tract. 1. reſol. 42.* Farinacius. Gutierrez. Layman. Diana.

13. Incendiarii non ſunt priuandi Eccleſiarum immunitate: quia *in c. inter alia de immunit.* & in Bulla Gregoriana omnibus delinquentibus conceditur immunitas, niſi in caſibus exceptis, ſed incendiarii in dictis iuribus non excipiuntur, ergo dicendum eſt illos immunitate gaudere. Nec obſtat hoc crimen eſſe ſimile depopulationi agrorum; quia cùm non ſit idem, ſed diuerſa exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis: & hoc verum etiamſi fores Eccleſiæ combuſtæ ſint ad eam prædandam. Ita Peregrinus *de immun. cap. 12. n. 15.* Nouarius *in ſum. Bullar. tit. de immun num. 9.* Farinacius *de immun. cap 60. num.* 105. & alii multi poſt Bullam Gregorii. Simile iudicium ferendum eſt de illis qui per fraudem decoxerunt creditores fraudando, vt iniuſtè ditari poſſint: tales enim doctores nec ratione debiti, nec ratione delicti ſunt immunitate priuandi, quia hi non ſunt depopulatores agrorum & latrones publici: & licet à Pio V. publicis latronibus æquiparentur; non ſequitur ex hoc quòd in priuatione immunitatis debent æquiparari: quia pœnæ non ſunt extendendæ ad delicta ſimilia. Ita Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num.* 24. Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 11. diſp. vnic. punct.* 8. Ambroſinus *de immunit. cap. 13. num.* 14. Bonacina *loco cit. § 4. n. 2.* Diana *part. 1. tract. 1. reſol. 32.* & alii multi penes ipſum, contra nonnullos alios. Et hæc doctrina procedit etiam in debitore publico, vt eſt exactor tributorum: & de debitore ex cauſa adminiſtrationis & redditionis rationum & de obligatio ad ratiocinia publica. Peregrinus. Nouarius. Farinacius. Pius V. Sanchez. Palaus. Ambroſin. Bonacina. Diana.

14. Non eſt dicendus publicus latro, qui ſemel vel bis in via publica & cum violenta deprædatur, vt exinde Eccleſiarum immunitate priuandus ſit, vt patet ex *l. Capitalium, §. & vt generaliter, ff. de pœn.* Et ideo mulier ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix;

Ambroſin. Farinacius. Peregrinus. Barboſa.

nec publicus vſurarius, qui ſemel tantùm commiſit vſuram, vt tradunt communiter Canoniſtæ, Ambroſinus *cap.* 21. *n.* 4. Farinacius *c.* 10. *num.* 154 Peregrinus *cap.*6. *num.* 8. Barboſa *de iur. Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 84 & alij penes ipſos. Aduertendum autem hic eſt, non dici latrones publicos & graſſatores viarum, niſi qui deprædantur in vijs publicis, & itineribus frequentatis: at non ſufficit, quòd per inſidias furentur, etiamſi non fuerit in loco publico: quia textus expreſsè loquitur ibi: *Itinera frequentata & publicas ſtratas obſident*, tum quia nomen, via, publicum iter denotat, vt notant Farinacius *capite duodecimo. n.* 165 Ambroſinus *c.*3. *n.*5. & alij.

Farinacius. Ambroſin.

15. Difficultas eſt magna inter Doctores, an Clerici, & religioſi gaudeant immunitate confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla? Prima opinio negat: vnde Prælatus Eccleſiaſticus poteſt Clericos à loco ſacro extrahere etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à iudice ſeculari. Ratio eſt, tum quia immunitas Eccleſiæ non præiudicat poteſtati Eccleſiæ: tum quia maior eſt immunitas perſonalis conceſſa Clericis ob ſtatum Eccleſiaſticum, quàm conceſſa fidelibus ratione loci ſacri, ſed immunitas perſonalis non obſtat, quominus Clericus delinquens capi poſſit ab Eccleſiaſtica poteſtate: ergo neque obſtat immunitas, quæ fidelibus conceſſa eſt ratione loci ſacri. Tum quia cùm hæc immunitas non ſit de iure diuino, ſed de iure Canonico & poſitiuo; ideò non ligat Iudices Eccleſiaſticos, vt patet ex praxi & conſuetudine. Tum quia Gregorius XIV. in ſupradicta Bulla ſolùm de laicis facit mentionem, ergo excludit Clericos ab iſta immunitate. Ita ſuſtinent Suarez *de relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6 Portel. *in dub. reg. verb. Eccleſia immunitas, n.* 11. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 8. *dub.* 16. *n.* 17. Nauarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 22. & alij multi probabiliter penes ipſos.

Greg. XIV. Suarez. Portel. Tannerus. Nauarrus.

Secunda ſententia docet gaudere Clericos hac immunitate: quia non ſunt deterioris conditionis quàm laici, & iura abſolutè & indiſtinctè loquuntur, conſequenter intelligenda ſunt de quibuſcumque fidelibus baptizatis. Et ita fertur determinatum fuiſſe à Sacra Cardinalium Congregatione tam Concilij Trident. interpretum, quàm Epiſcoporum & Regularium, in facto cuiuſdam Clerici in minoribus conſtituti, qui anno 1618. ob patratum homicidium ad Eccleſiam confugerat. Quam declarationem refert Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 35. pro Confirmatione huius ſententiæ, quam docuerat antea *p.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 24. cum Ambroſino *de immunit. c.* 12. Zerola *in praxi Epiſc. p.* 1. *verb. Immunitas verſ.* 8. Farinacio *tit. de carcer. q.*28 *num.*7. Quibus adde *Layman, Barboſam*, & alios penes ipſum adductos.

Sacr. Cong. Diana. Ambroſin. Farinacius. Layman. Barboſa.

Idem dicendum eſſet de religioſis ac Clericis, ſtando in rigore Canonum & conſtitutionis Gregorianæ; ex recepta tamen conſuetudine à Summis Pontificibus approbata, contrarium dicendum videtur, quia alias nullus religioſus puniretur pro delictis in Monaſterijs commiſſis, & ſic obſeruantia & diſciplina regularis corrueret.

16. Quidam negant procurantes abortum fœtus animati gaudere Eccleſiarum immunitate: quia tales occidunt proditoriè illum, qui nullo pacto præuidit, nec præcauere potuit talem mortem. Ex Bulla autem Gregorij prædicta proditorium homicidium perpetrantes, immunitatis Eccleſiaſticæ ius, ſeu ſacri aſyli amittunt, ergo. Sic tenent Farinacius *de immunitate Eccleſ. c.*8. *num.* 138. Peregrinus *de immunit. cap.*3. *n.*8. Probabilior tamen ſententia meritò docet contrarium; quia huiuſmodi delinquentes iuxta communem vſum loquendi non dicuntur proditoriè occidere; quia proditoriè occidunt, qui per dolum ſimulando amicitiam aliquem id non præuidentem necant: infans autem in hoc caſu non dicitur doloſè occidi, cùm ipſe nullius rationis capax ſit, nec dolus in ipſum committatur. Ita Bonacina *tom.*3. *diſp.*2. *q.*3. *punct.* 16. §.8. *num.* 8. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 72. & alij.

Farinac. Peregrinus. Bonacina. Diana.

Secus dicendum de illo, qui aliquem veneno occidit, hic enim immunitatis priuilegio non gaudet, ſecundùm omnes ferè Doctores, prout declarauit Sacra Eminent. DD. Cardin. Cõgregatio Concilij die 3. Decembris anno 1632. teſte Diana *part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 12. quia in hoc caſu homicidium dicitur & cum ratione proditorium, cùm interficiatur homo, nihil tale præcauens, cùm nulla eſſet præcauendi cauſa. Verùm hæc ratio non militat cùm quis veneno occidit inimicum, quia non dicitur illum occidere proditoriè: nam ſtante inimicitia habebat cauſam præcauendi, & poterat & debebat ſibi præcauere. Et ideò maximè poſt Conſtitutionem Gregorianam quantumcumque per inſidias inimicum quis occidat, gaudebit immunitate, ſiue occidat veneno, ſiue dormientem, ſiue cum ſclopo è feneſtra, ſiue à tergo, &c. Quia Gregoriana ſolùm excludit ab immunitate occidentes proditoriè: ſed ſtante inimicitia inſidiæ non conſtituunt proditionem. Et ita fertur definiuiſſe Clementem VIII. per Breue ad Archiepiſcopum Panormitanum die 6. Februarij anno 1597. Et docent Ambroſinus, Peregrinus, Bonacina, Farinacius & alij, quos citat & ſequitur Diana *p.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 5.

Sacr. Cong. Diana. Clem. VII[I] Ambroſin. Peregrinus Bonacina Farinacius Diana.

17. In ſumma, quæuis crimina præter excepta in Bulla gaudent immunitate: vnde & filius occidens patrem; & periuri & adulteri, & ſimoniaci & blaſphemi; & Sodomitæ; & falſi monetarij; & fraudantes regia tributa; & Apoſtatæ à Religione præterquam in Eccleſijs eiuſdem à Religionis, & qui carcerem effregerunt, vel qui ſub iuramento redeundi ex eo eſſent dimiſſi. Et qui vulnerat actu confitentem ſacramentaliter peccata ſua; vel aliud Sacramentum ſuſcipientem, modò id non faciat animo hæretico. Item, qui alium occidit in duello; denique etiam infideles, Saraceni, & Iudæi: quia hoc priuilegium conceſſum eſt non intuitu perſonarum, ſed loci. Hæretici in criminibus non exceptis à Bulla gaudent eadem immunitate quà cæteri. Item Bannitus etiam capitaliter, modò non ob delictum exceptum in Bulla. Item capite damnatus, qui per Eccleſiam ducitur ad ſupplicium, iuxta probabilem ſententiam Nauarri. Idem dicendum de damnatis ad triremes, ſi ad Eccleſiam confugiant. De his & ſimilibus caſibus videndus eſt Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 21. 23. 32. 17. *&* 22. & *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 37. *&* 40. & *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 43. 45. 46. 50. *&* 51. & *part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 25. 26. 19. 20. 21. 22. 23. &c.

Diana.

18. Graue ſacrilegium committit & excommunicationem incurrit aliaſque pœnas Iudex ſæcularis, qui in caſibus etiam exceptis, extrahit reos ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi. Probatur, quia captura reorum, vt patet, eſt actus iuriſdictionis, qui in alieno territorio exerceri non poteſt, ex *l. extra territorium, ff. de iuriſdict. in c.*2. *de conſtit in* 6. Ergo iudex laicus non poteſt exercere iuriſdictionem in Eccleſia, quia non eſt de diſtrictu Principis ſæcularis, ſed de territorio iudicis Eccleſiaſtici, vt ſuſtinent cõmuniter Canoniſtæ, Farinacius *de immunitate, c. vltim n.* 256. *conſil.* 214. *n.*3. & alij. Tum quia ſic ſtatuitur in Bulla Gregorij XIV. Qua ſtante non ſunt audiendi quidam iuriſperiti qui contrarium obſeruari in praxi teſtantur, & inter illos Iulius Clarus *l.* 5. *q.* 36. §. *final. n.* 20. Ratio eſt quia in dicta Bulla adeſt decretum irritans, contra quod allegari non poteſt contrarius vſus: tum, quia in dicta Cõſtitutione reducuntur omnia ad vnam formam, quę de ſui natura opus eſt vt ſeruetur ad vnguem. Tum quia cõſuetudo derogans immunitati corruptela à Summo Pontifice vocatur. Tum denique, quia expreſsè derogat cuilibet facultati, quomodocumque emanauerit à Sede Apoſtolica, contrarium iudicandi: ſub qua tam ſtatutum, quàm lex & conſuetudo videntur comprehendi. Et in ſpecie ſtatuit iudices etiam in caſibus exceptis non poſſe auctoritate propria delinquentes ab Eccleſia extrahere. Qua doctrina ſuppoſita, conſuetudines contra immunitatem Eccleſiarum non poſſunt defendi, cum non fuerint introductæ cũ ſcientia & expreſſo conſenſu Pontificis: imò contra dictas conſuetudines Concilium Tridentinum & conſtitutio Gregorij inuehitur & illas reuocat, & Summi Pontifices quotidie aduerſus tales conſuetudines, ſeu potius abuſus reclamant, & in Bulla Cœnæ ſingulis annis improbant & damnant: vnde Vrbanus VIII. Pont. Maxim. nouiſſimè edidit Bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*, dat. Romæ 5. Iunij 1641. vbi annullat & reprobat omnes conſuetudines contra immunitatẽ Eccleſiarum. Ita Ambroſinus *de immunit. cap.* 11. Peregrinus *cap.* 14 *num.*6. Filliuc. *tract.* 15. *n.* 154. Zipæus *in ſua Anal. iur. Canon. lib.* 3. *de immunit. num.* 12. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 14. *&* *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.*

Farinacius Greg. XI[V] Vrb. VII[I] Ambroſ. Peregrin Filliucius Zipæus. Diana.

reſolat. 42. & *parte quinta, tract.* 1. *reſol.* 21. & *part.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 28. & 29. apud quem plura.

19. In dubio, an reus, gaudere debeat immunitate, necne cognitio cauſę pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum. Ratio eſt, quia cauſa Eccleſiaſtica ab Eccleſiaſticis iudicibus tractari debet, per textum *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtit.* Sed cauſa immunitatis, vt de ſe patet, eſt cauſa Eccleſiaſtica, ergo, &c. Tum quia agere de immunitate Eccleſiaſtica pertinet an honorem & reuerentiam Dei; ſed huiuſmodi cura ad Eccleſiaſticos Superiores pertinet, ergo. De hoc hodie nō eſt dubitandū, ſtante Bulla Gregoriana ſupradicta: in qua apparet ſolùm iudicem Eccleſiaſticum eſſe competentem in hac materia: quod etiam priùs patebat ex *cap. final. de immun. Eccleſ.* & ex *c. ad Epiſcopos* 17. *q.* 4. Imò ex iure ciuili *in l. pateant, §. hos verò, Cod. de his, qui ad Eccleſiam confug.* & *in l. præſenti, eod.* Et ita docent Farinacius *in append. de immun. caſ. vlt. num.* 366. Barboſa *de iur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 155. & *ſeq.* Diana *p.* 4. *tract.* 1. *reſolut.* 49. & *part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 30. & alij ab ipſis citati.

Farinac. Barboſa. Diana.

20. Epiſcopus non tenetur ſtare proceſſiui facto à iudice laico, ſi reus remittendus ſit, necne: & hoc probatur Greg. XIV. apertè ex Bulla Gregorij, ibi: *Curiaque ſæculari, nec tradi, nec conſignari poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu per deputatum ab eo, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint.* In quibus verbis cognitio illius articuli ſpecialiter demandatur Epiſcopis, ſeu alijs ab ipſis deputatis. Sed quando delegatur cognitio alicuius articuli, vel cauſæ, cenſetur delegata poteſtas ſumendi probationes ſuper illo articulo & cauſa, iuxta *cap. præterea, de offic. deleg.* & ibi Gloſſa *verb. Delegatus.* Ergo Epiſcopi debent recipere probationes de prætenſo delicto, & non ſtare proceſſui exhibito per iudicem ſæcularem, cùm agatur de proprio intereſſe. Ratio eſt, quia acta inſtructorij vnius iudicij in alio non probant, niſi inter eaſdem perſonas, & in eiſdem cauſis, ex *cap. inter dilectos. §. in omnibus, de fide inſtrument.* Et hoc maximè procedit, ſi proceſſus fuerit formatus à iudice laico poſtquam reus ad Eccleſiam confugit; tunc enim ſuſpicionem non leuem haberet falſitatis, eo quòd in defenſionem proprij iuris & diminutionem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis formatus eſſe cenſeretur. Si autem proceſſus formatus eſt antecedenter, eſto obligatus non ſit Epiſcopus illi ſtare; debet quàm breuiſſimè poterit teſtes illos apud ſe examinare, & reum iudici ſæculari remittere, ſi nulla appareat ſuſpicio falſi in dicto proceſſu. Ita Farinacius *in append. de immunit. Eccleſ. cap.* 22. *num.* 375. Caſtrus Palaus *tom.* 2 *tract.* 11. *diſput. vnic. punct.* 1. *num.* 8. & 9.

Farinacius. Palaus.

Aduertendum tamen, quòd non ſufficiunt coniecturæ indicia, & præſumptiones ad declarandum quod reus commiſerit delictum exceptum in Bulla, ſed neceſſarium eſt, vt Epiſcopo certò conſtet de tali delicto à reo commiſſo. Ratio eſt, quia Bulla prædicta requirit, vt verè conſtet de delicto, ſed quando delictum cognoſcitur per coniecturas & præſumptiones, non dicitur verè cognoſci. Tum quia hæ præſumptiones non vincunt præſumptionem ortam ex poſſeſſione immunitatis & iure fundato, *l. final. ff. quod metus cauſa,* & ibi Doctores. Tum quia quando lex requirit probationem, intelligenda eſt de vera, & non præſumptiua: nam ſi hoc vltimum requireret, illud exprimeret, vt patet *in cap. pro humani de homicid. in* 6. Et *in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re militari.* Et docent Bonacina *de leg. diſp.* 3. *q.* 7. *§.* 7. *num.* 3. & 4. Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 11. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 38. Farinacius *loco citato, n.* 373. & 374. & alij.

Sanchez. Bonacina. Diana. Farinacius.

21. Dubium eſt inter Doctores an contrauenientes Conſtitutioni prædictæ Gregorij XIV. poſſint ab Epiſcopo abſolui, & an hæc communicatio ſit Summo Pontifici reſeruata? Quidam ſuſtinent eſſe reſeruatam, hoc ipſo quod dicitur in ea, in eaſdem pœnas incidere cum violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis: quæ deinde à Clemente VIII. in declaratione decreti abſolutionis caſuum, reſeruata eſt etiam reſpectu eorum, qui habent priuilegia abſoluendi à reſeruatis Papæ in Italia tantùm ſola & extra vrbem, vt annotauimus *tom.* 1. *v. Caſus reſeruatus, num.* 36. *edit.* 3. Et hoc dubium fertur diſcuſſum in Prætorio Sacræ Pœnitentiæ & fuiſſe concluſum eſſe reſeruatam, nec poſſe Ordinarios regulariter ab ea abſoluere. Sic docent Filliucius *tract.* 15. *n.* 155. Peregrinus *de immunit. cap.* 15. *num.* 16. Farinacius *de immunit. cap.* 20 *num.* 315.

Filliucius. Peregrinus. Farinacius.

Nihilominus ſentiunt multi non eſſe reſeruatam reſpectu Epiſcoporum facta reſtitutione & ſatisfactione ab eo, qui in excommunicationem hanc incidit, modò eam exhibere poſſit. Ratio eſt, quia nullibi reperitur hic caſus Summo Pontifici reſeruatus, ergo Epiſcopus, vel alius Confeſſarius ad hoc ab Epiſcopo deputatus poteſt abſoluere, iuxta *cap. Nuper, de ſentent. excommunicat.* Tum quia in prædicto decreto non adimitur facultas Ordinariorum, qualis eſt facultas Epiſcoporum, imò corroboratur, quia Summus Pontifex non vult quemquam virtute priuilegij Apoſtolici in Italia poſſe à caſibus Ordinario reſeruatis abſoluere. Vnde Epiſcopus, aliuſque Confeſſarius ab eo ſpecialiter deputatus, poteſt ab hac excommunicatione abſoluere, quando delictum eſt occultum, iuxta Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* Ita Bonacina *de leg. diſ.* 3. *q.* 7. *§.* 6. *n* 8. Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.* 3. *Allegat.* 51. *caſ.* 3. *n.* 72. Megala, Gratianus, Homobonus, Zypæus, Riccius, Graſſijs & alij apud Dianam *p.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 41. Et hæc circa Bullam Gregorianam dixiſſe ſufficiat.

Conc. Trid. Bonacina. Barboſa. Megala. Gratianus. Homobon. Zypæus, Riccius. Graſſijs. Diana.

Vide v. Abortus *num.* 21.

IMPVDICITIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit impudicitia? & an detur in rebus venereis paruitas materiæ excuſans à mortali?*

2 *Quomodo tactus, oſcula, & amplexus tripliciter fieri poſſint? & vt ſiat ex ſe res indifferentes.*

3 *An oſcula, tactus & amplexus cauſa amicitiæ ſint peccata.*

4 *An oſcula, tactus & amplexus habita cauſa delectationis venereæ inter ſolutos ſint peccata mortalia?*

5 *Quis ſit dicendus tactus libidinoſus & venereus?* referuntur variæ ſententiæ.

6 *Qualiter tactus, oſcula, amplexus quæ ſiunt cauſa delectationis ſenſibilis quæ eſt in ipſis, variè vocantur à Doctoribus.*

7 *An tactus, amplexus, & oſcula quæ ſiunt ob ſolam delectationem ſenſibilem ſint peccata mortalia?*

8 *An tactus, amplexus, & oſcula facta ex curioſitate, leuitate vel ioco ſint peccata mortalia?*

9 *An tactus & oſcula in coniugatis excuſentur à mortali, ſi ſit periculum pollutionis? Et an coniugatus peccet mortaliter ſeipſum tangens propter voluptatem.*

10 *An oſcula & tactus non impudici permittantur ſponſis de futuro?*

11 *An propria verenda tangere cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ ſit peccatum mortale?*

12 *An tangere aliena pudenda ob delectationem veneream ſit peccatum mortale?*

13 *An peccet mortaliter fœmina aduertens ſe ab alio libidinoſe tangi, ſi non ſe retrahat?*

14 *An aſpectus rerum turpium ob delectationem naturalem, & ſenſitiuam tantum, ſit peccatum mortale?*

15 *An aſpicere concubitum viri cum fœmina ex ſola curioſitate, vel concubitum brutorum, vel propria verenda, ſit peccatum mortale?*

16 *Quomodo peccet puella mortaliter, quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti à quo ſe credit turpiter concupiſcendam?*

17 *Quomodo ornatus externus virorum vel mulierum ſit peccatum mortale vel veniale?*

18 *An turpiloquium ſit peccatum mortale?*

19 *An comedijs intereſſe ſit mortale?*

20 *An choreæ ſint ex ſe illicitæ.*

21 *An aperienda ſit circumſtantia perſonæ agentis & patientis, quando id tactibus, aſpectibus & verbis turpibus fuit commiſſum peccatum mortale.*

.1 IMpudicitia eſt *peccatum luxuriæ, quo ſolutus, uel ſoluta uacat tactibus libidinoſis abſque intentione alterius operis, aut actus conſummati*: dicitur *peccatum luxuriæ*, hæc enim deformitas connumeratur etiam inter ſpecies luxuriæ, & differt ab illis, ſicut delectatio moroſa à conſenſu io ipſum actum; vnde verſatur hoc peccatum circa delectabilia ſecundùm tactum in materia venerea dicitur, *quo ſolutus, uel ſoluta*, quia inter coniuges eiuſmodi tactus, poſſunt eſſe liciti, ita vt nõ ſint peccata mortalia, modò nõ ſit periculum pollutionis, dicitur, *uacat tactibus*, ſic aiunt Caiet. Armilla *v. Impudicitia*: & per hoc verbũ *vacat*, ſignificare voluerunt grauitatem actionis pertingentes ad peccatum mortale, quaſi noo quilibet ſimplex tactus eſſet materia ſufficiens, ſed replicatus, & in tali materia grauis requiratur ad peccatum mortale; quia ſecundùm Nauar. *prælud 9. n. 12. & cap. ſi cui de pen. diſt* 1. *num. ult.* Clau. Reg. *lib. 8. cap. 6. num.* 1. Sanch. *de matr. lib. 9. diſt.* 46. *num. 9.* P. Soto *l. de doct. Chriſt.* Vaſq. 12. *diſt.* 108. *nu.* 3. Malder. 1. 2. *queſt. 74. art.* 10 Marchant. *in qq.* Paſtor. *ad decalog. cap. 6.* probabile eſt dari io hac materia leuitatẽ materiæ excuſantem à mortali, vt dicetur infrà *v. Peccatum* 1. num. 7. dicitur, *libidinoſis*, quia tactus ex ſe non ſunt quid intrinſecè malum, ſed res indifferens, ſecundùm D. Thom. dixi *abſque intentione*, quia ſi tactus conſiderentur vt quædam antecedentia vel ſubſequentia actum conſummatum luxuriæ, ſic certum eſt, eſſe peccatum mortale einſdem ſpeciei, cuius eſt actus ad quem tendunt: ſi verò ex intentione operantis eligantur per ſe, tanquam vltimus terminus illius actionis, & quatenus habent aliquam rationem delectabilis, ſecundùm ſenſum tactus, & hoc pacto pertinent ad hanc ſpeciem luxuriæ.

Caietanus. Armilla. Nauarrus. Clauis Reg. Sanchez. P. Soto. Vaſq. Malder. Marchant. Paſtor.

Leſſius.

2. Tactus, oſcula & amplexus tripliciter fieri poſſunt, iuxta Leſſium *lib. 4. cap. 3. dub.* 8. Reginald. *tom. 2. lib. 22. num. 6. Primò* in ſignum amicitiæ & iuxta conſuetudinem patriæ. *Secundò*, cauſa delectationis concubitus. *Tertiò*, cauſa delectationis ipſius tactus vel oſculi ſecundùm ſe conſiderati, vt eſt delectabilis carni & remotè diſponens ad ſeminationem: *unde* contractus partis verendæ totidem modis fieri poteſt, verbi gratia, cauſa comedendi, vel alia neceſſaria, *uel* cauſa voluptatis concubitus, *uel* cauſa voluptatis illius contactus per ſe ſpectati, *uel* denique cauſa curioſitatis aut leuitatis: quibus prænotatis dicendum eſt cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. Sanch. *cap. num.* 2. Nauar. *c. ſi cui de pen. diſt.* 1. *num.* 13. quem omnes ſequuntur; quòd.

D. Thom. Sanchez. Nauarrus.

Oſcula, amplexus, & tactus ex ſe & obiecto ſuo ſunt res quædam indifferentes, quia eiuſmodi opera ſunt actiones & ſenſationes quædam, quæ poſſunt bene & malè fieri, licitè & illicitè; vnde tactus pudendorum fœminæ factus à viro, eſt res indifferens, quia aliquando poteſt licitè fieri, vt cauſa medendi; vel alia neceſſaria; etiamſi inde delectatio aliqua vel turpis motus ſuboriatur, vel etiam pollutio ſequatur, modò abſit cõſenſus in illius delectationẽ.

3. *Oſcula*, tactus, & amplexus cauſa amicitiæ ſecundùm patriæ conſuetudinem, non ſunt peccata, ſed res per ſe licita: quia cibi nulla eſt turpitudo, ſed caſtus amor, vt patet ex ſcripturis & vſu omnium geotium: *Imò* delectatio inde ſequens licita eſt, quia ſicut licitum eſt delectari amicitia, ita etiam teſtificatione & vſu ſigni amicitiæ Bonacina *de matr. q. 4. punct. 9. num.* 1. 2. Leſſius *c. n.* 5. 56. Rodriq. *in Sum. tom.* 1. *c.* 202. *num.* 2. Sanchez *cap. num* 3. *&* 13. Nauar. *c.* 16. *n.* 11. Sylueſt. 2. 2. *q.* 154 *art. 4. concl.* 1. Laym. *l. 3. ſect. 4. num.* 10 & alij: *Habenda* tamen ratio eſt decentiæ, & cauendum ſcandalum, etiam puſillorum, & hoc verum etiamſi inde motus ſenſualitatis inordinatus, & venerea delectatio in carne tantùm inſurgeret; modò cohibeatur, & alioqui non ſit periculum conſenſus, nec fiat exceſſus, aut mutatio delectationis ſubinde oriatur: item non eſt mortale, nec ſæpe veniale exoſculari molles infantium carnes, id enim non ex libidine oritur, ſed ex amore teneræ infantilis ætatis & amore honeſto; alioquin innumeri parentes & nutrices damnarentur. Vt docet Sylvius *concl.* 4. poſt *Sanchez*.

Bonacina. Leſſius. Rodriquez. Sanchez. Nauarrus. Syluester. Layman.

Sed circa prædicta aduertendum eſt ordinariè peccatum mortale ſaltem ratione periculi non euadere, qui ſub pretextu parentelæ, honeſtæ amicitiæ, moroſis & repetitis oſculis vtuntur, & ſi enim in aduentu & valedictione oſculum honeſtum & leue permittatur; nullatenus tamen permittuntur moroſa, & incongrua repetita oſcula: Nec ſibi de intentione & affectu caſto blandiantur: tela enim inimici ignita ſunt, & ſagitarius ille inuiſibilis etiam in die pleno caſtitatis ſagittas venenatas emittere nouit. Summum enim eſt periculum in moroſis & fixis oſculis perſonarum alterius ſexus, etiam ex motiuo honeſtatis; etſi enim à motiuo primo honeſto procedant, delectatio tamen in carne illa conſequens ſtatim rapit imaginationem, & potentias rationales, niſi valde leuiter, & leuiſſimo attactu fiant per actum leuiter tranſeuntem. Non minus interdum periculi eſt in moroſis illis puerorum oſculis & amplexibus, ex quibus natura corrupta interdum impuras delectationes haurit. Etſi enim in puerili carne libido abſit, in ijs tamen, qui incongruè iſtis oſculis vtuntur, non rarò libidinem excaleſcere miſeriæ humanæ probant.

4. *Oſcula*, tactus & amplexus habita cauſa delectationis venereæ, inter ſolutos ſunt peccata mortalia; iuxta omnium ſententiam poſt S. Thomam *c. art.* 4. Leſſium *c. num.* 57. Filliucium *tract.* 30. *num.* 172. Sylu. *c. art.* 4. *concl.* 3. Layman *c. num.* 10. quia excitare in ſe deliberatè veneream delectationem, inter ſolutos eſt peccatum mortale, ſicut eſt ipſe concubitus, & copula ad quam delectatio illa tendit ex ſua natura, & ſunt eiuſdem ſpeciei, cuius eſt actus ad quem delectatio refertur: duobus autem modis poteſt tactus eiuſmodi exerceri. *Primò*, ſi quis vtatur oſculo tanquam diſpoſitione ad concubitum. *Secundò*, ſi vtatur tanquam ſigno, quo phantaſiæ repræſentetur ipſe concubitus, in vtroque caſu eſt peccatum mortale. Item ex duplici capite tactus impudicus poteſt dici. Primò ex ratione materiali ipſius tactus, vtpotè, quòd in membris verecundis aut libidinoſis mulieris fiat. Secundò, ex ſolo affectu impudico & libidinoſo: vt tactus manuum, faciei, brachij, preſſio pedis, &c. Prioris quidem generis tactus ſub peccato mortali prohibetur, quia per ſe ad libidinem incitat, & libidinoſis eſt via ad concubitum & delectationes laſciuas. Tactus verò ſecundi generis, non plus habent malitiæ, quàm affectus impudicus ſuggerit. Ex eo enim totam malitiam accipiunt. Vnde ſi affectus tendat in concubitum vel delectationem carnalem & libidinoſam, eſt huiuſmodi tactus peccatum mortale, quamuis ſit honeſtus ex natura & materiali ſuo: quapropter non abblandiantur ſibi, qui ſolas manus mulieris, aut faciem tangunt, ſi enim tactus illi ab affectu ad libidinem excitandam vel fouendam procedant, ſunt peccata mortalia.

D. Thom. Filliucius. Leſſius. Layman.

5. *Magna* controuerſia eſt inter Theologos, quis ſit dicendus tactus libidinoſus, & venereus? Caietanus enim *c. quæſt.* 154. *art.* 4. quem ſecuti ſunt alij recentiores, vt Valentia, Leſſius, Sanchez apud Filliucium *c. num.* 181. & alij, ait non modò eſſe libidinoſum eum, qui fit ex intentione concubitus, vel delectationis concubitus, ſed etiam eum, qui fit ex intentione delectationis ſenſibilis tantùm, quia hic etiam eſt ex ſua natura actus circumſtans coitum, & habet idem motiuum ſeu obiectum moraliter, quòd habet actus quem circumſtat; vnde erit licitus ſi fiat inter coniugatos, illicitus autẽ ſi inter ſolutos.

Caietanus. Valent. Leſſius. Sanchez. Filliucium.

Alij verò, vt SS. Thom. *in quæſt. de mal. Luxur. art.* 2. D. Antonin. 2. *part. tit.* 5. *cap.* 1. §. 9. Sylueſt. *c. concluſ.* 4. Rodriquex *tom.* 1. *Summ. cap.* 202. *num.* 2. Nauarrus *cap. ſi cui, de pœnit. diſp.* 1. *num.* 15. Azorius & multi alij apud Sanchez *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. *not.* 3. & apud Filliucium *c. num.* 191. docent, tunc tantùm eſſe libidinoſum actum, quando fit ex intentione actus luxurioſi vel delectationis eius; hanc ſecundam ſententiam antiquiores Doctores, vnà cum *Sancto Thoma* complexi videntur, vt videre eſt apud *Filliucium*, qui ipſorum verba formalia affert: *Caietani* verò & aliorum ſententia, nec videtur ad mentem *Sancti Thomæ* nec omninò vera: quia ratio libidinoſi, in oſculis & amplexibus, eſt ſeparabilis ſecundùm ſe, quia hæc poſſunt fieri ſine peccato & libidine; vnde ratio delectabilis, ſecundùm ſenſum tactus, & ratio libidinoſi, diuerſæ ſunt realiter, vnde ſecundùm hanc ſententiam dicendum eſt, tantùm libidinoſum & venereum dici eum, qui fit propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ; non autem, qui fit propter

D. Thom. D. Antonin. Syluester. Rodriqez. Nauarrus. Azorius. Sanchez. Filliucium.

delecta-

Digitized by Google

delectationem ipſius ſecundùm ſe, vt habet adiunctam mollitudinem, leuitatem moderatam, caliditatem & alias qualitates primas vel ſecundas naturaliter.

Caiet. Azor. Leſſius. Sanchez. Comitol. Filliuc.

6. *Tactus*, oſcula, amplexus, quæ fiunt cauſa delectationis ſenſibilis, quæ eſt in ipſis, variè deſcribuntur, & vocantur à Doctoribus, Caietanus enim *c. art. 4.* vocat *delectabiles* ſecundùm ſenſum tactus, & libidinoſos, quem loquendi modum plerique ex Summiſtis ſecuti ſunt. Azorius *c. not. 3.* docet hoc dictum *Caietani* eſſe ſeuerius, & dicit oſcula tunc eſſe libidinoſa, quando fiunt ob delectationem capiendam ex eis, qualis capi ſolet antecedens vel comitans; vel conſequens copulam. Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub. 8. numero* 58. vocat per ſe *delectabiles* carni & remotè diſponentes ad ſeminationem. Sanchez *de matrimonio, cap. 9. d. 46. numero 4. & 6.* vocat *delectationem* ſenſibilem veneream & libidinoſam conſurgentem ex ipſis tactibus ſiſtendo in ea Comitolus *lib. 4. quæſt. 20. numero 6.* Filliucius *c. numero* 180. & 194. vocat *tactum* primarum qualitatum qualis eſt leuitas & mollitudo. His viſis *dicendum* eſt hos actus ſecundùm probabiliorem ſententiam, meliùs vocari delectabiles ſecundùm ſenſum tactus, vel ſecundùm primas, aut ſecundas qualitates naturales mollitiei, leuitatis quàm libidinoſos aut venereos, quia ex ſe poſſunt haberi ſine vlla libidine, & venerea commotione, ſiue illi tactus fiant in partibus pudendis ſiue non, quia ſpeculatiuè loquendo & in rigore ſolius tactus delectabilis, vt eſt quid molle, calidum, leue & huiuſmodi, abſque periculo & ſenſu libidinis vel pollutionis, eadem videtur eſſe ratio de illis, ac de aliis corporis partibus. Ita Layman *c. numero* 10. Syluius *ſecunda ſecundæ quæſt. 154. artic. 4. concluſ. 4.*

Layman. Syluius.

Sotus. M. de Mag. Vmber. Gabriel. Nauarr. Anton. Nider. Marg. conf. Viguer. Rodriq.

7. *Probabile* eſt iuxta Sotum 4. *d. 34. quæſtione prima, artic. 2.* Martinanum de Magiſtr. Vmbertum, Gabrielem, Nauarrum, Antoninum, Nider. Margarit. Confeſſor. Viguerium, Rodriq apud Sanchez, & alios, tactus, amplexus & oſcula, quæ fiunt ob ſolam delectationem ſenſibilem, quæ eſt in ipſis, abſque admixtione alterius delectationis concubitus, vel actus luxurioſi, non eſſe peccata mortalia; quia delectatio naturaliter conſequitur actum, & eſt eiuſdem malitiæ. Cùm ergo ſubſtantia tactuum non ſit ex ſe peccatum, nec delectatio conſequens illam erit; *præterea* obiectum non efficitur malum propter delectationem, ſed ideo eſt mala delectatio, quòd vertetur circa malum obiectum, ergo tactus, qui, ea delectatione ſecluſa, mali non ſunt, ratione delectationis non erunt lethales: hæc ſententia multos habet fautores, vt refert Sanchez *c. num. 6.* Et nouiſſimè Iacobo Marchantio *in qq. Paſtoral. ad Decalog. cap. 6. quæſt. 2.* viſa non eſt improbabilis, quia voluptas illa ex oſculo capta, videtur ſpectare ad paruitatem materiæ, in hoc genere peccati & ſolùm remotè diſponere ad voluptatem mortalem, quæ in cõcubitu carnali eſt, ſic ergo voluptas illa venialis cenſeri poteſt, ſicut quæ remotè diſponunt ad alia peccata mortalia, ſolùm in genere peccati venialis cenſentur, v. g. litigium diſponit ad homicidium, hauſtus immoderatus ad ebrietatem, non tamen nox ſunt peccata mortalia. Nec valet dicere ex Galeno & aliis Medicis, quòd omnis delectatio venerea ſit inchoatio quædam pollutionis, atque adeò pertineat ad mollitiem. Et ſicut inchoatus actus occiſionis eſt mortalis, ita etiam quæcumque eiuſmodi delectatio: Nam reſpondetur, quod quando inchoatio tam exigua eſt, vt actus moralis non cenſeatur phyſicè ſecundùm ſubſtantiã aut virtute, moraliter loquendo, iam eſſe, ſed ſolùm in diſpoſitione remotiori, aut imperfectiori, non erit talis inchoatio mortalis, etſi actus fuerit mortalis. Et huic etiam ſententiæ ſubſcribit Ioannes Caramuel Lobko VVitz *in reg. S. Benedicti diſp. 69. num. 1052. & ſeq* probans dari laſciuas actiones, quæ ſint leues iiſdem ferè argumentis, *Marchantius* ſupra. Vt videre eſt infra verb. *Peccatum* 1. num. 7. §. *Sanè Quoad* praxim tamen, vt notant Filliucius *c. num. 176. 179. & 196.* Syluius *2. 2. quæſt. 154. concl. 4.* Salas *1. 2. quæſt 74. tract. 13. d. 6. ſect. 20. num. 139.* Vide Dianam *4. part. tract. 4. reſ. 136.* & alij, tactus huiuſmodi ob delectationem ſolam ſenſibilem aſſumpti, vitandi ſunt ſub peccato mortali, tanquam periculoſi adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxurioſi, vt pollutionis, & præcipuè ſi fiant inter perſonas diuerſi ſexus, habiles ad commiſcenda carnaliter corpora, in partibus inhoneſtis; quia oſcula in iis partibus, non fiunt niſi ex amore libidinoſo & deprauato, & practicè loquendo, ſemper ſunt oſcula libidinoſa inter non coniugatos. Inter hos autem, etſi non ſint cenſenda peccata mortalia, tamen increpandi ſunt, qui hæc faciunt, tanquam operis arguentis animum nimis mollem & libidini deditum. Syluius *2. 2. quæſt. 154. art. 4. concl. 6.* Diana *part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſ. 225.* Contra *Syluestr.* & *Rodriq.* affirmantes eſſe mortale apud *Dianam* citatum.

Sanchez. Iac. March. Caramuel. Filliuc. Syluius. Salas. Diana.

Syluius. Diana.

Nauar. Syluius. Layman. Graffis. Sanch. Leſſius. Bonac. Filliuc. Caiet.

8. *Probabile* eſt iuxta Nauarrum *c. ſi cui de pœnit. d. 1. num. 12. & in man. cap. 14. num. 42.* Syluium *c. art. 4. concl. 2.* Layman *c. num. 10.* Graffiis *1. part. lib. 2. cap. 75. num. 10.* Sanchez *de matrim. l. 9. d. 46. num. 10.* Leſſium *c. dub. 8. nu. 61.* Bonacinam *de matrim. quæſt. 4. part. 9.* Filliucium *c. cap. 9. num. 199 200. 201.* Caietanum *verb. Impudicitia.* & alios, tactus, amplexus & oſcula, ſi fiant ex ſola curioſitate, leuitate, ioco vel alia ſimili, non excedere culpam venialem, ſublato ſcandalo, & periculo quod transferantur in libidinoſos: quia tunc eiuſmodi tactus apprehenduntur ſub alia ratione magis eleuata & ſpirituali, & conſequenter non habent tantam vim ad commouendam naturam, affectus enim in iis non quærit voluptatem libidinoſam, nec ſenſibilem, ſed tantùm curioſæ cognitionis, vt ex tactu aliarum rerum mollium, leuium & moderatè calidarum: & quidem ſi tactus ſint in partibus honeſtis, & non omninò impudicis, probabiliſſimum eſt: *ſi verò* ſint impudici, hoc eſt in partibus impudicis propriis, nec etiam excedunt culpam venialem, quia quando Doctores dicunt tactus eſſe peccata mortalia ſi libidinoſi ſint, vel fiant cauſa voluptatis, quam reſtrictionem non adderent, ſi putaſſent etiam ob curioſitatem fore peccata: idem dicendum de tactibus obſcœnarum partium brutorum. *Si verò* ſermo ſit de partibus alienis, multi etiam excuſant à mortali, ſi fiant ex curioſitate; quia verò res eſt plena periculi, ideò maximè ab his eſt abſtinendum: qui tamen ſimplici tantùm tactu ſecretiores alterius partes in tranſitu tangeret, non eſt facilè damnandus de mortali, vt aiunt Filliucius *c.* & Syluius *2. 2. quæſt. 154. art. 4. concl. 3* ſicut *Nauarrus* non damnauit virum, qui fœminæ mamillas iocosè abſque alia praua delectatione tangeret. *Contraria* tamen ſententia, quæ generaliter tactus & oſcula, ob periculum peccati mortalis ſub mortali cenſet vitandos eſſe, practicè loquendo, probabilior eſt.

Filliuc. Syluius.

Syluius. Azor. Henriq. Conin.

9. *Tactus & oſcula* in coniugatis excuſantur à mortali, etiamſi capiantur ob delectationem abſque intentione copulæ coniugalis, modò non adſit periculum pollutionis extra vas. Syluius *2. 2. quæſt 154. art. 4. concl. 6.* Azorius 3. *part. lib. 3. cap. 25. quæſt. 2.* Henriquez *lib. 11. cap 16. num. 7.* Conink *de matrim. d. 34. dub. 11. num. 113.* Ex quo fit, vt etiam à mortali excuſantur verba obſcœna, & aſpectus inter coniuges, ſecluſo periculo pollutionis, deſiderio, aut delectatione alterius ſponſæ. *Notandum* tamen inter coniugatos, tactus & oſcula cum periculo pollutionis, imò cum pollutione, non eſſe mortalia in tribus caſibus. *Primò*, ſi pollutio accidat reddenti, quia quamuis petens non poſſit petere oſcula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamſi polluatur; quia non dat operam rei illicitæ, & hoc eſt præter intentionem eius. *Secundò*, nec etiã in petente, ſi intenderet copulam, & cum iam intendit per oſcula eam excitare, polluitur, propter ſuprà dictam rationem. *Tertiò*, ſi fierent ad excitandum amorem vel ad eũ conſeruandum, & tum præter intentionem ſequeretur pollutio. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 45. num. 35.* Filliucius *tract. 10. 1. part. n. 356.* Diana *tract. 4. de Sacramentis reſol. 217. p. 6. tract. 6. reſol. 37.*

Præpoſitus.

Verùm ab hac ſententia *Sanchez*, *Filliucij* & aliorum recedit Præpoſitus 3. *part. de matrim. dub. 25. num. 186.* quia eo caſu poteſt vitari pollutio petendo actum coniugalem, quem coniugatus poteſt exercere: ſi enim dans operam rei alioquin licitæ & præceptæ aduertat inde ſecuturam pollutionem, quam retenta actione poſſit impedire, tenetur impedire, alioquin, inquit, mortaliter peccabit; cùm ergo coniugatus in hoc caſu poſſit occurrere pollutioni per actum coniugalem, qui non eſt ei difficilis, tenetur illum exercere: propter quam rationem, per ſe loquẽdo, ſentit idem Author compartem, quæ per modum reddentis tactus & oſcula cum delectatione venerea patitur

vel

Digitized by Google

vel exercet, teneri actum coniugalem petere, ſi aduertat in ſe pollutionis periculum, & nulla circumſtantia extrinſeca excuſet; alioquin pollutionem cenſendam ei voluntariam, cùm eam poſſit impedire per medium non extraordinarium ſtatui matrimoniali, idque ſine magno grauamine, vt ſupponendum eſt. *Ita ille*, cuius opinio in praxi ſequenda eſt, tanquam ſecurior: licet altera ſit etiam probabilis ob Doctorum authoritatem, qui illam tuentur; quia benigna eſt, & in coniuges indulgens.

Salas. De la Crux. Vaſq.

An autem mortaliter peccet coniugatus in abſentia coniugis ſeipſum tangens propter voluptatem captandam abſque pollutionis periculo, affirmant Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 15 *diſp.* 6. *ſect.* 4. *num.* 129. De la Crux *in direct. part.* 1. *prec.* 6. *art.* 9. *dub.* 12. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 113. quia coniux non habet dominium corporis proprij in ordine ad vſum veneris ſecum explendum: Sed tantùm habet dominium corporis ſui conſortis; quapropter vtens proprio corpore in ordine ad venerem ſecum, vtitur re aliena, cùm in ordine ad veneris vſum, ſiue oblectationem, corpus proprium ſic erit reputandum ac ſi eſſet alienum; & cùm aliàs talis vſus prohibitus ſit circa materiam grauem, mortale crimen fore cogimur arbitrari.

Sanchez.

Quamuis Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. diſp.* 44. *num.* 16. putet tantùm, cùm aliquibus peccare venialiter, eò quòd tactus ille indifferens ſit ad copulam coniugalem vel illicitam; poteſtque ad vnam vel alteram referri; & cum aliàs ex intentione tangentis ſe, à ſua natura, & ab hoc ordine non diſtrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur, quia id ſupponitur, non eſt cur culpa lethali damnandus ſit. Ita *Sanchez* cui ſubſcribunt

Hurtado. Per. Ochag. Præpoſitus.

Gaſpar Hurtado *de matrimon. d.* 10. *diffic.* 10. *num* 47. Petrus Ochagauia *de matrimon. tract.* 5. *queſt.* 12. *num.* 9. Præpoſitus 3 *part. queſt.* 6. *de matrim. dub.* 26. *num.* 188. Sed prior ſententia eſt tenenda, quia licet tactus ille indifferens dicatur in eo ſenſu, quòd ordinabilis eſt ad fornicationem, vel copulam coniugalem; tamen intrinſecè malus eſt, quatenus coniux per illum vtitur pro proprio corpore in ordine ad venerem ſecum explendam, quod illi prohibitum eſt, & non in ordine ad explendam cum coniuge quæ abſens reperitur. Fundamentum autem *Sanchez*

Sancius. Diana.

& aliorum, non ſolùm probat eſſe tantùm culpam venialem, tactum illum, verùm nec nullum: vt fusè docet Sancius *in ſelect. diſp.* 21. *nu.* 26. & pluribus in loci Diana *part.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 37. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 215. & *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 137.

Toletus. Syluius. Nauarr. Sanchez.

10. *Oſcula* & tactus non impudici, qui poſt ſponſalia de futuro fiunt cauſa delectationis, excuſantur à multis Doctoribus, Toletus *lib.* 5. *cap.* 14. Sylu. *c. art.* 4. *concluſ.* 7. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 11. Sanchez *lib.* 9. *d.* 46. *num.* 48. modò non fiant in partibus pudendis, & non ſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam; quia ſicut matrimoniũ facit copulam licitam, ita ſponſalia, quæ ſunt via ad matrimonium, faciunt hos tactus licitos. Imò ipſe *Sanchez* putat dicta oſcula, tactus & amplexus eſſe licita; etiamſi pollutio præuiſa ſequatur, dummodo id faciant neceſſitate compulſi, & ſine periculo conſenſus in pollutionem, cùm inurbani & auſteri haberentur, niſi ita ſe inuicem oſcularentur & amplexarentur. Et in hoc caſu delectatio appetitus ſenſitiui ex tactibus, aſpectibus & verbis cogitatis à ſponſis de futuro, conſurgens, non eſt mortalis: quia eſt de obiecto omninò licito, & reſpicit illud tanquam præſens & in præſenti eſt eis licitum: erit tamen venialis ſi debitus abſit finis, tanquam otioſa, & quæ neceſſitate & pietate caret, vt idem Sanchez docet *diſp.* 47. *num.* 6. Hæc tamen non erunt licita inter ſponſos de futuro ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, quia hi de præſenti non ſunt aſtricti veris ſponſalibus, ſed ſub conditione pendenti ex

Henriq. Leſſius.

futuro. *Contrarium* tamen tenent Henriquez *lib.* 11. *cap.* 19. *num* 4. Leſſius *c. dub.* 15. *num.* 120. & alij, quia hæc delectatio, eſt à natura inſtituta ad copulam, quæ cum ſit illicita inter ſponſos, fit, vt illicita ſit hæc delectatio, vtraque ſententia probabilis eſt. Vide Dianam *part.* 2. *tract.* 3. *miſcel. reſolutione* 6. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 131.

11. Non ſolùm illicitum eſt mari impudicè tangere fœminam & è contra, verùm etiam illicitum eſt tangere propria pudenda, cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ; ſi quis tamen ea tangat ex curioſitate; vel leuitate, vel cauſa calefaciendi manus, non peccat mortaliter; quia in huiuſmodi contactu, non adeſt tanta turpitudo, quanta eſt in contactu alieno. Imò interueniente iuſta cauſa aut neceſſitate, licitum eſt aliquãdo tangere pudenda propria, vel aliorum abſque peccato mortali; tunc enim tactus eſt moraliter honeſtus, & conſentaneus rectæ rationi, vt cauſa medendi, quamuis inde præter intentionem conſurgat aliquis turpis motus etiam cum periculo pollutionis. Sanchez *c. num.* 14. Bonacina *c. num.* 8. Leſſius *c. dub.* 8. *num.* 60. Nauarrus *de pœnit. cap. ſi cui, n.* 13. Diana *part.* 2. *tract* 2 *miſcel. reſol.* 56 & alij.

Sanch. Bonac. Leſſius. Nauarr. Diana.

12. *Si perſonæ* eiuſdem ſexus, vt ſi vir viri, aut fœmina fœminæ pudenda tangant ob delectationem veneream ex eo tactu conſurgentem, mortale peccatum erit, quia tactus illi ad ſodomiam pertinent, vt quædam illius inchoatio; ſecus eſſet ſi ex quadam leuitate & ioco abſque animo turpi tactus ille haberetur. Sanchez *c. num.* 12. Diana *tract.* 5. *miſcel. reſol.* 89. *part.* 3. *Excuſant* etiam Sanchez *c. num.* 15. Bonacina *c. num.* 15. & quidam alij à mortali, confricantem inhoneſtas brutorum partes etiamſi hoc faciat intentione inſpiciendi ſeminis, quia inde non excitatur tã vehemens delectatio, ſed modica quędam & potiùs ex ſola curioſitate. Tamen vix hic tactus poteſt excuſari à mortali, quia eſt actus nimis obſcœnus & inhoneſtus, diſponens ad vlteriorem libidinem vt docet Bonacina. Vide Dianam *parte* 2. *tractatu* 17. *reſolutione* 37. Vnde famuli circa equos, iumenta aut alia pecora verſantes; ſi contrectent genitalia pecorum ex quadam libidine, non ſolùm peccant mortaliter, ſed & iſtud referendum eſt ad ſpeciem beſtialitatis; eſt enim actus quidam inchoatus. Nec videntur facilè excuſandi, ſi id faciant ex curioſitate, quia ille tractus omninò periculoſus eſt, niſi ſit valde leuiter factus.

Sanch.

Sanch.

13. *Fœmina* aduertens ſe ab alio libidinoſè tangi, & actus ſunt impudici, peccat mortaliter non ſe retrahendo, quia concurrit ad actum intrinſecè malum, & nimis periculoſum incitantem ad res venereas; quando autem actus ſunt extrinſecùs honeſti, & fiunt iuxta conſuetudinem patriæ, ad iudicandam beneuolentiam, & fiunt in publico, fœmina non peccat mortaliter, ſe non retrahendo, & non repellendo alterum: nam repellendo ingereret animis adſtantium ſuſpicionem peccati, & periculo exponeret famam alterius; ſi verò fiunt in ſecreto, peccat mortaliter contra charitatem, non impediendo, ſi commodè poteſt: quia quilibet ex charitate tenetur curare, quantùm commodè poteſt, ne alter peccet. Azorius 3. *part. lib.* 3. *cap.* 25. *quaſt* 4. Leſſius *c. dub.* 8. *num.* 64. Filliucius *tract.* 30. *c.* 9. *nu.* 196. 297 Graffiis 1. *part. lib.* 2. *c.* 75. *a num.* 11. & alii.

Azor. Leſſius. Filliuc. Graffius.

14. *Aſpectus* rerum turpium, ſecundùm probabiliorem ſententiam Caietani *verb. Impudicitia & delectatio.* Nauarr. *cap.* 16. *num* 21. Bonacin. *c. quaſt* 4. *punct.* 9. *n.* 13. & Filliucius *c. cap.* 10. *num.* 215. ob delectationem naturalem & ſenſitiuam tantùm, ſublato periculo tranſeundi ad delectationem veneream, non videtur excedere culpam venialem; quia ſecundùm ſe aſpectus rei quantumuis turpis, non eſt res mala, ſed indifferens, quòd autem fiat ob ſolam delectationem ſenſitiuam; non eſt finis adeò malus, vt efficiat aſpectum moraliter prauum, cùm nec ipſi tactus ob ſolam delectationem sẽſibilem, ſint peccata mortalia, qui tamen grauiores ſunt & magis mouent; aſpectus autem non ita ordinatur ad venerea & remotiùs ad turpia diſponit: quidam tamen apud Sanchez *c. num* 21. 22. 23. & 24. & *ſeq.* Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *miſcel. reſol.* 88. Sylu. 2. 2. *quaſt.* 154. *art* 4. *concl* 8. Filliucium *c. n.* 218. & 219. nullam diſtinctionem inter viſum & tactum ponunt, atque ita dicunt ſimiliter eſſe mortales aſpectus obiecti turpis, ob delectationem ex ipſis conſurgentem, licet nihil aliud intendatur: & hæc ſententia eſt ſatis probabilis. *Fatendum* eſt tamen, ſi aſpectus ſit partium ſecretiorum deſeruientium generationi, cum aliqua mora, practicè loquendo, tã periculoſum eſſe, vt ſub mortali ſit obligatio ab illo ſe abſtinendi: ſecus dicendum, ſi ob ſolam curioſitatem videat aliquis perſonam diuerſi ſexus nudam, tam breui tempore, vt non detur occaſio magnæ commotionis in corpore; vel ſi ratione puerilis, aut ſenilis ætatis, aut frigidiſſimæ complexionis, ceſſet id periculum commotionis magnæ in aſpiciente, ipſe enim aſpectus damnatur tantùm quia mortaliter eſt periculoſus: perſonæ verò eiuſdem ſexus,

Caiet. Nauarr. Bonacin. Filliuc.

Sanch. Dian. Sylu. Filliuc.

non

Digitized by Google

non ſolent damnari vllius peccati, ſi ſe nudas aſpicient, vt in flumine natantes, vel in balneo, ſi partes pudendæ velatæ ſint: ſi ex ſola curioſitate aſpiciantur, non excedit veniale; ſi tamen curioſitas tranſiret in delectationem libidinoſam, vel periculum illius, eſſet mortale.

15. *Aſpicere* concubitum viri cum fœmina, etiam ſi fiat ex ſola curioſitate, eſt peccatum mortale, quia hic aſpectus eſt impudicus, nimiſque prouocat ad libidinem, & ad res venereas: *Aſpicere* autem coitum brutorum, vel eorum partes turpiter commotas, ordinariè loquendo, non eſſet peccatum mortale, modò aſpiciens inde non capiat notabilem delectationem ſenſualem, vel non ſit periculum capiendi dictam delectationem: *Propria* autem pudenda aſpicere ex curioſitate non eſſet mortale, minùs enim propria mouent quàm aliena, ſecluſo alio periculo. *Porrò* illa regula ſeruanda eſt in hoc toto genere tactuum & aſpectuum, vt ſi libidinoſi ſint, omninò ſub mortali caueri debent, ſi ob delectationem tantùm ſenſitiuam fiunt, tanquam practicè periculoſi ſub eodem peccato mortali fugiendi ſunt, ſi ob curioſitatem, ferè eodem modo cauendi, ſi tactus vel aſpectus ſint earum partium, quæ communiter ad libidinem excitant. Vide Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 1. *num.* 7. Filliucium *c. num.* 219. Sanchez *c. num.* 28. 29. *&* 30. Bonacinam *c. num.* 14. Syluium *c. concl.* 8. & alios.

Reginald. Filliucius. Sanchez. Bonacina. Syluius.

16. *Puella*, quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam, mortaliter peccat peccato generali ſcandali; quando data opera ſe præbet illius conſpectui, abſque vlla neceſſitate, ſeu potiùs ex quadam vanitate, non ignorans illius turpem amorem: ſi verò hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel vtilitate, aut ne priuet ſe ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram, non videtur peccare mortaliter. Ita Sanchez *lib.* 1. *moral. c.* 6. *num.* 16. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 30. Diana *tract.* 1. *miſcel. reſol.* 30. *part.* 2. Azorius *part.* 2. *lib.* 12. *c.* 18. *quæſt.* 12. & alij: quia hoc eſt potiùs ſcandalum acceptum quàm datum. Vide *Scandalum* num. 10.

Sanchez. Nauarr. Diana. Azorius.

17. *Ornatus externus* virorum vel mulierum, eſt adiectio ornamenti, quod auget naturalem gratiam & pulchritudinem, eſt autem peccatum mortale vel veniale. *Primò*, ſi quis ſe ornet eo animo, vt carnaliter adametur, etiamſi non ſequatur effectus, peccat mortaliter ex fine mortali. *Secundò*, ſi eam ſollicitudinem in illo ponat, vt propterea negligat neceſſaria ad ſalutem, vt Miſſam in die feſto. *Tertiò*, ſi vbi non eſt conſuetudo, fœminæ oſtendant pectora nuda, vt pulchiores videantur; vbi eſſet conſuetudo, excuſari poſſunt, quamuis præſtaret auferri talem conſuetudinem. *Quartò*, mulieris fuco & ceruſſa ſe pingentes, vt alios trahant ad ſui concupiſcentiam, peccant mortaliter. Si id agant ad tegendam aliquam faciei maculam, per quam diſpliceant viro, vel vt ei magis gratæ ſint, non eſſet peccatum. *Quintò*, ornare ſe ſplendidè pro decentia ſui ſtatus & more regionis, modò id fiat bono fine, non eſt peccatum, eſto aliquis alliciatur ad eius concupiſcentiam: imò ornare ſe vltra decentiam ſui ſtatus, modò abſit malus animus, & ſatisfaciat debitis & legatis, non eſt peccatum mortale. *Sextò*, ornare ſe moderatè ob ſolam vanitatem, oſtendendo ſuam pulchritudinem & elegantiam corporis, abſque alio malo fine, non eſt mortale. *Septimò*, portare veſtes ita ſubtiles, vt verenda appareant, eſt mortale propter ſcandalum. Leſſius *lib.* 4. *c.* 4. *dub.* 14. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 14. Sà, Caietanus, & Syluius *verb. Ornatus.* Filliucius *tract.* 30. *cap.* 10. *num.* 221. Bonacina *c. num.* 25. Graffijs 1. *part. lib.* 2. *cap.* 77. *num.* 5. Nauarrus *cap.* 14 *num.* 37. Diana *tract.* 1. *miſcel. reſol.* 30. *part.* 2. Turrian. 2. 2. *diſp.* 69. *d.* 2. & alij.

Leſſius. Nauarr. Sà. Caietanus. Syluester. Filliucius. Bonacina. Graffiis. Nauarrus. Diana. Turrian.

18. *Turpiloquium*, id eſt, verba turpia proferre, ſcribere, vel audire, non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, ac proinde huius honeſtas vel malitia pendet ex circumſtantijs adhibitis, ac fine proferentis, ſcribentis, vel audientis verba illa turpia: vnde ſi fiat animo oblectandi ſe rebus ipſis turpibus narratis & obiectis imaginationi eſt peccatum mortale: ſi verò fiat propter delectationem, quæ ex narratione præciſè capitur, abſque alia praua intentione, vel abſque affectu venereo, eſt peccatum tantummodò veniale; quia hæc delectatio remotè ſolùm diſponit ad turpia: per accidens tamen verba illa turpia, cantiones, vel geſtus, poſſunt eſſe peccata mortalia, vt ratione ſcandali adſtantium; cùm audientes ſunt ſpiritu debiles, & non probatæ virtutis, & verba aut cantiones ſunt valde laſciuæ, & inhoneſtæ. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 9. *d.* 46. *num.* 43. *& ſeq.* Azorius 3. *part. lib.* 2. *cap.* 25. *quæſt.* 1. Graffijs 1. *part. lib.* 2. *cap.* 75. Filliucius *tract.* 30. *num* 212. *& præd.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 14. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 14. Sylu. 2. 2. *quæſt.* 153. *art.* 5. *concluſ.* 1. 2. *&* 3. Sancius *in ſelect. diſp.* 21. *num.* 20. & alij.

Sanchez. Azorius. Graffijs. Filliucius. Toletus. Nauarrus. Sylu. Sancius.

19. Non eſt mortale comœdijs intereſſe, vbi nec res turpes ræpreſentantur, nec modus ræpreſentandi eſt turpis; vel ſi hæc concurrant, audiuntur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili lapſus in aliquod peccatum mortale: at quando turpia repræſentantur, vel modus eſt turpis, audiunturque ob delectationem ex ipſis turpibus rebus conſurgentem, aut cum probabili ruinæ periculo, eſſet lethale: componentes verò aut repræſentantes comœdias, quæ res valde turpes ad venerem excitantes continent, peccant mortaliter: idem dicendum de ſcribentibus aut interpretantibus libros turpes, & plenos laſciuijs, quia ex ſe præbent hi ſufficientem cauſam ruinæ, ſicut pingentes turpia, vt Venerem aut Adonidem detectis pudendis, aut diaphano velo opertis. Sanchez *de matr. lib.* 9. *d.* 46. *num.* 42. *& ſeq.* Filliucius *c. n.* 210. 211. Bonacina *c. num.* 23. D. Anton. *tit.* 3. *cap.* 7. §. 5. Syluest. Angel. *v. ludus*, & alij.

Sanchez. Filliucius. D. Anton. Angelus.

20. *Choreæ* ex ſe non ſunt illicitæ, neque damnandæ peccati mortalis, ſed tantùm ex mala intentione vel abuſu, vel probabili periculo libidinis in aliquo, vel ex aliqua circumſtantia, *puta* loci, ſi fiant in loco ſacro, aut temporis, ſi fiant tempore celebrationis diuinorum officiorum, & auocent ab illis. *Tertiò*, ratione perſonarum, vt ſi à Clericis exerceantur, quibus iure communi prohibitæ ſunt. *Quartò*, ratione modi, ſi fiat modo impudico & laſciuo: his ſublatis circumſtantijs, & ſublata peccandi occaſione, non peccant mortaliter qui eas ducunt: etiamſi eas ducant diebus feſtis: & *ratio* eſt, quia choreæ ſunt ſigna publicæ lætitiæ, & ſunt receptæ per conſuetudinem, ſæpeque ſunt conciliatrices beneuolentię inter adoleſcentes & puellas, vnde contrahuntur matrimonia inter eos; tollendi ſunt tamen abuſus ſi qui miſceantur. Sylueſter, Angelus *verb. chorea.* Azorius *c. cap.* 26. Bonacina *c. num.* 24. Filliucius *cap.* 223. Lopez 2. *part. c.* 31. *v.* 3. Nider *in Decaleg. præcep* 6. *cap.* 3. *num.* 4. & alij.

Sylueſter. Angelus. Bonacina. Filliucius. Lopez. Nider.

21. Quando in tactibus, aſpectibus, & verbis turpibus fuit commiſſum peccatum mortale, aperienda eſt communiter in confeſſione circumſtantia perſonæ, tam agentis, quàm patientis, circa quam aut à qua habita fuit delectatio mortalis, in tangendo, aſpiciendo, &c. quia hæc delectatio eſt eiuſdem malitiæ cuius eſt actus conſummatus, & tendit ad conſummandum actum. Bonacina *c. num.* 16. Syluius 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. *concl.* 5. Sanchez *c. num.* 18. 31. *&* 46. Caiet. *verb. Impudicitia*, & alij.

Bonacina. Syluius. Sanchez. Caietanus.

Plura de impudicitia in tomo primo v. *Delectatio. Debitum coniugale* 2. *Diuortium* num. 5. *& hoc tomo verbo Luxuria.*

INCESTVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit inceſtus?*
2 *An inceſtus ſit grauiſſimum peccatum mortale?*
3 *An omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei?* referuntur variæ ſententiæ.
4 *An gradus inceſtus exprimendus ſit in confeſſione?*
5 *An copula habita inter Confeſſarium & pœnitentem reducatur ad inceſtum, & ſit circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione? & an inceſtum committat Confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad turpia in confeſſione, vel propè actum confeſſionis?*
6 *Duplicem effectum habet inceſtus cum conſanguinea vxoris in primo & ſecundo gradu.*
7 *An inceſtus cum conſanguinea propria impediat petitionem*

tionem debiti? refertur duplex ſententia. *ſcilicet Canoniſtarum & Theologorum.*

8 *An Epiſcopus poſſit diſpenſari in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. Et an Confeſſarij Ordinum Mendicantium id etiam poſſint, ex commiſſione ſui Prouincialis.*

1. INceſtus, *eſt congreſſus cum conſanguinea vel affine intra gradus prohibitos*, id eſt, in quibus non poteſt celebrari matrimonium, quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis ex matrimonio contracti, vſque ad quartum gradum; ex fornicatione autem vſque ad ſecundum: *vnde* qui copulam habet cum perſona deſcendente ab eodem ſtipite, à quo ipſe deſcendit vſque ad quartum gradum, committit inceſtum propter conſanguinitatem; *ſi verò* rem quis habeat cum conſanguineis vxoris ſuæ etiam vſque ad quartum gradum, inceſtus etiam committitur propter affinitatem ex matrimonio conſummato ortam; *ſimiliter* ſi quis copulam illicitam habeat cum Berta, contrahit affinitatem cum conſanguineis Bertæ, vſque ad primum & ſecundum gradum & inceſtum committit, quia ex copula illicita inducitur affinitas impediens & dirimens matrimonium vſque ad ſecundum gradum poſt Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. c. 4. Cap. non debet. de conſang.* Hinc in nomine inceſtus continentur coitus fornicarij ſequentes, vt ſi quis coeat fornicariè cum matre aliena, & poſtea cum filia eius, aut cum duabus ſororibus aut duabus conſobrinis fœminis, aut cum auia & poſtea nepte eius, aut cum amita & matertera, & poſtea cum nepte filia ex patre vel ſorore. Item ſi quis fornicariè coeat cum ea, quam frater ſuus aut pater, aut auus, aut conſobrinus antea polluerat per fornicationem. Vide Leſsium *lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 75.* Filliucium *tract. 30. cap. 5. quæſt. 1.* Syluium *2. 2. quæſt. 154 artic. 9.*

Conc. Trid. Leſſius. Filliucius. Syluius.

An autem ſit inceſtus, ſi conſanguinei ſodomiticè commiſceantur, affirmatiuam ſententiam docent Azorius *part. lib. 3. cap. 18. quæſt. 5.* Graffiis *de Arbitr. confeſſ. lib. 2. cap. 34. num. 3.* quando coitus ſodomitici fiunt inter maſculos cognatos in primo, & ſecundo gradu, licèt propriè non ſit inceſtus quantùm ad matrimonium contrahendum, impediendum, aut dirimendum, cùm exinde nulla contrahatur affinitas: tamen ſodomiæ inceſtuoſæ rectè dicuntur, & reductiuè illud peccatum pertinet ad inceſtum, vt docet Syluius *2. 2. quæſt. 154. art. 12.* vnde ſecundùm illum, coitus illi ſodomitici inter cognatos, vſque ad quartum gradum incluſiuè, habent ſpecialem deformitatem & malitiam præter ſodomiticam, & confitendus gradus, tum conſanguinitatis, tum affinitatis. Verùm hæc ſententia quoad primum, & ſecundùm gradum, communiter recipitur in praxi, ſed quoad alios gradus non ita: Fatendum eſt tamen ratione inceſtus, non eſſe caſum reſeruatum abuſum fratris aut ſororis per actum ſodomiticum inter gradus prohibitos, vt ſentit Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 211. & part. 1. tract. 7. reſ. 31. & p. 7. tract. 12. reſ. 18.* qui etiam putat probabile in tali caſu, gradus conſanguinitatis vel affinitatis non eſſe in confeſſione explicandos, eò quòd ſint tantummodò circumſtantiæ aggrauantes intra eandem ſpeciem. Imò Sancius *in Selectis diſp. 40. num. 21.* probabilius reputat nullum inceſtus reatum reperiri inter affines eiuſdem ſexus etiam in primo gradu ex iure poſitiuo: quia iuxta Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 67. num. 8.* nullibi reperitur ſpecialis prohibitio acceſſus ad affines, niſi quando inter illos interdicitur matrimonium, ideò tota prohibitio copulæ dimanat à matrimonij prohibitione, eſtque illi acceſſoria. Igitur cùm Eccleſia non appoſuerit impedimentum affinitatis inter duos viros affines, aut duas fœminas, fiet, coniunctionem carnalem inter ipſos viros, aut inter fœminas, inceſtuoſam non eſſe. At ſi pater cum filio rem carnalem habuerit, inceſtus labe inquinabitur, quia iure naturæ debita erat reuerentia.

Azorius. Graffijs. Syluius. Diana.

Sed inquires, an coitus ſodomitici inter cognatos qui ſolùm ſunt lege humana poſitiua Eccleſiaſtica, vel ciuili, addant etiam ſpecialem malitiam, eò quòd ſint perpetrati cum ijs, qui ſunt cognati cognatione ſpirituali, vel legali? verbigratia, ſiquis coeat cum eo, quem batizauit, vel ex Baptiſmo leuauit: Item, ſi quis coeat cum eo, quem in filium adoptauit, vel arrogauit.

Item, ſi quis coeat cum aliquo, & poſtea coeat cum fratre illius Reſponſio. *Azorius tom. 3. l. 3. c. 18. q. 4.* eſt negatiua, quia nulla extat ſpecialis lex, quæ eos coitus colibeat præter legem naturalem in genere prohibentem ſodomiticum peccatum: hæc ſententia admittitur vt probabilis à Diana *part. 7. tract. 12. reſ. 17.* verior tamen eſt ſententia affirmatiua: ſi enim baptizans fœminam, & poſtea accedens ad illam copula naturali, peccat contra reuerentiam illi debitam, tanquam ſpiritualiter cognatæ, vt omnes fatentur, cur non peccabit, ſi accedat ſodomiticè ad baptizatum à ſe? nam eo ipſo quòd lex humana poſitiua conſtituit huiuſmodi cognationem ſpiritualem, inde quaſi naturaliter reſultat vt contra rectam rationem ſit non ſeruare erga prædictas perſonas debitam reuerentiam & pietatem. Itaque poſita illa cognatione Iure naturæ exigitur reuerentia & pietas, contra quam fiet in luxurioſo congreſſu, & non minùs in ſodomitico, quàm in naturali.

Azorius. Diana.

2. *Inceſtus* eſt grauiſsimum peccatum mortale, vt conſtat ex Scripturis Leuitici 18. 1. ad Corinth. 5. & eſt contra reuerentiam & honorem debitum, in hoc genere actuum, conſanguinitati vel affinitati: & hoc peccatum eò eſt grauius, quo perſona, cum qua copula habetur, eſt magis coniuncta; vnde grauius eſt peccatum, cæteris paribus, inceſtus cum conſanguinea, quàm cum affine, & grauius ſi committitur in primo, quam in ſecundo gradu. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 154. art. 9.*

Leuitici 18. 1. ad Cor. 5. D. Thom.

3. *Controuertitur* inter Doctores, an diuerſitas graduum faciat diuerſitatem ſpecificam, in inceſtu ſiue an omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei: Nauarrus enim *in man. cap. 16. num. 3.* & Valentia *tom. 3. diſp. 9. quæſt. 3. punct. 3.* aſſerunt omnes gradus conſanguinitatis differre ſpecie, non ſolùm à gradibus affinitatis & cognationis legalis, ſed etiam inter ſe, & conſequenter omnes inceſtus differre ſpecie, prout differunt gradus. Diana *de circumſt. reſ. 31. part. 1. & part. 4. tract. 4. reſ. 234.* Caietanus *2. 2. quæſt. 154. num. 9.* Bonacina *de matr. quæſt. 4. punct. 16. num. 5.* & nonnulli recentiores volunt omnes gradus & omnes inceſtus eſſe eiuſdem ſpeciei, & ſolùm eſſe circumſtantiam aggrauantem intra eandem ſpeciem, ſicut maior quantitas rei ablatæ in furto; & ideò addunt non oportere eſſe ſollicitum in explicandis gradibus in confeſſione. Quamuis hæ ſententiæ ſint ſatis probabiles, verior tamen & probabilior eſſe videtur ſententia Leſſij *lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 79.* Azorij 3. *part. lib. 3. cap. 9. quæſt. 1.* Filliucij *tract. 30. cap. 5. num. 96.* & aliorum affirmantium gradus conſanguinitatis differre ſpecie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & ſpiritualis gradus verò conſanguinitatis, non differre ſpecie inter ſe, ſicut nec inter ſe ſpecie differunt gradus affinitatis, & cæteri gradus; & ſecundùm hanc ſententiam, inceſtus commiſſus cum conſanguinea, differt ſpecie ab inceſtu cum affine, vel cum cognata à cognatione legali vel ſpirituali; quia multò immanius cenſetur inceſtus cum matre, quàm cum nouerca; cum ſorore, quàm cum vxore fratris, vel alia cognata legali, vel ſpirituali, ergo ſignum eſt gradus conſanguinitatis differre ſpecie à gradibus affinitatis, & ab alijs gradibus impoſitis iure poſitiuo.

Nauarrus. Valent. Diana. Caietanus. Bonacina. Leſſius. Azorius. Filliucius.

4. Iuxta opinionem rectè ſentientium, vt ait Clauis Regia *lib. 8. cap. 4. num. 3.* Sylu. *2. 2. quæſt. 154. art. 9.* Conink *de pœnit. d. 7. dub. 3. num. 13. & 21.* Rodriquez *tom. 1. ſumm. cap. 208. num. 3.* gradus inceſtus exprimendus eſt in confeſſione, contra *Caietanum*: & *ratio* eſt, quia licet circumſtantia aggrauans non ſit neceſſariò exprimenda in confeſſione; tamen qualitas perſonæ, cum qua commiſſa eſt copula, non eſt circumſtantia actus ſeu peccati, ſeu potiùs illud obiectum eſt quid pertineps ad ſubſtantiam actus conſiderati in indiniduo.

Clau. Reg. Sylu. Conink. Rodriq.

5. *Inceſtus* non eſt iuxta Filliucium *tract. 30. num. 105.* Eman. Sà *verb. confeſſ. num. 25.* Caſpenſem *tom. 1. tract. de peccat. diſp. 2. num. 56.* Dianam *tract. 3. miſcel. reſ. 11 part. 2.* Azorium *3. part. lib. 3. cap. 9. quæſt. 5.* Bonacinam *c. nu. 8. 9.* Rodriq. *tom. 2. quæſtionum reg. quæſt. 27. art. 1. 2.* Naldū *verb. confeſſ. num. 26.* Caramuelem *in reg. S. Bened. num. 1015.* Sancium *in ſelect. diſp. 11. num. 3.* & alios, niſi metaphoricè

Sà. Caſpenſis. Diana. Pellizz. Rodriq. Naldus. Caramuel.

Digitized by Google

taphoricè copula inter Confeſſarium & pœnitentem, neque circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione, contra *Sanchez* & alios; quia inceſtus committitur inter cognatos. Sacramentum autem confeſſionis non inducit propriè cognationem ſpiritualem, cùm in nullo iure expreſſa reperiatur; tamen ſi Confeſſarius vtatur Sacramento tanquam medio ad ſollicitandam pœnitentem, vel eam ſollicitauerit in confeſſione, vel propè actum confeſſionis, ante vel poſt, non committit quidem inceſtum; ſed ſacrilegium neceſſariò explicandum in confeſſione, ob grauiſſimam irreuerentiam quam irrogat tanto Sacramento, & de hoc crimine cognoſcunt Inquiſitores hæreticæ prauitatis; quia talis incurrit vehementem ſuſpicionem hæreſis, contra ſacramentum Pœnitentiæ: & in hac re fides præſtatur vnico teſti, quia difficillimum eſt, vel impoſſibile, crimen aliter probare. Conſule Dianam *4. part. tract.* 5. per totum. *Notandum* tamen hic eſt, quòd ſi Confeſſarius, qui cognouit pœnitentem ſuam, illam baptizauerit, commiſit inceſtum, ratione cognationis ſpiritualis conſurgentis ex collatione baptiſmi: imò *Bonac.* hic citatus ait, parochum habentem copulam cum ſua parochiana, committere ſpeciale peccatum, etiamſi eam non baptizauerit, quia peccat contra proprium officium, tenetur enim ex officio oues ſibi ſubiectas bonis moribus imbuere: & maximè ſi peccatum ſit notorium, vt dictum eſt *tomo primo* de Epiſcopo fornicãte, *v. Fornicatio n.* 5. cuius tamen ſententiam non admittit Sancius.

6. Inceſtus cum conſanguinea vxoris in primo & ſecundo gradu peculiarem effectum, eumque duplicem habet, *cap. tranſmiſſa* 1. *&* 2. *de eo qui cognouit conſ. vxoris.* Leſſius *c. num.* 81. *prior* eſt, quod impediat petitionem Leſſius. debiti, eo quòd cognoſcendo conſanguineam vxoris, factus ſit vxoris affinis eo gradu, quo ipſa vxori erat ſanguine iuncta: ignorantia tamen affinitatis excuſaret ab hac pœna inceſtui conſtituta. Similiter quando coniux habet tantùm ignorantiam ſolius pœnæ impoſitæ, videlicet, ne petatur debitum, ſcit tamen prohibitum eſſe à iure accedere ad conſanguineam vxoris: tunc non indiget diſpenſatione ſicut nec ille qui tale ius ignorabat. Ita probabiliter Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. ignorantia num.* 29. Portel. Diana. Sanchez. Diana *part.* 3. *tract.* 9. *reſ.* 12. poſt Sanchez *de matrim. lib* 9. *d.* 32. *num.* 20. Eſt tamen hic aduertendum, ſi quis haberet rem cum muliere in tertio & quarto gradu cum ſua vxore coniuncta, ſibique eodem gradu affine, non impediri à petione debiti; quia nullum ius Eccleſiaſticum ſtatuit inceſtum in tali caſu à petitione debiti impedire. Ita Baſilius Pontius. Diana. Rodriquez. Pontius *de matrim. lib.* 7. *c.* 33. *num.* 5. qui citat Nauarrum apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 19. Rodriquez *tom.* 1. *quæſtionum reg. quæſt.* 63. *art.* 1. Prætereà aduertendum eſt, & ex probabili ſententia Sanchez *c. lib.* 7. *diſp.* 83. Præpo- Sanchez. Præpoſitus. Diana. ſiti 3. *part. de matrim dub.* 9 *num* 81. Dianæ 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 43. & aliorum aſſerentium ad affinitatem contrahendam requiri in copula vtriuſque ſeminationem: vnde ſi quis haberet copulam cum conſanguinea; vel affine vxoris, & illa non ſeminauerit, non contrahi vllum impedimentum, & ideo poſſe virum ſine alia diſpenſatione petere debitum ab vxore. *Alter* effectus eſt, quod mortua vxore non poſſit aliam ducere, quòd ſi ducat, multi Doctores volunt, non poſſe debitum ab ea petere abſque diſpenſatione, quam poteſt concedere Epiſcopus: debet tamen hoc peccatum eſſe conſummatum, hoc eſt, vt ſeminis emiſſio ſecuta ſit intra vas naturale, vt dictum eſt.

Nauarrus. 7. Nauarrus *in cap. tranſmiſſa* 1. *&* 2. *cit:* & plerique Canoniſtæ exiſtimant, ſimile impedimentum inducere inceſtum cum conſanguinea propria: tamen ab illorum ſententia recedit D. Thomas *in* 4. *diſp.* 34. *quæſt.* 1. D. Thom. Leſſius. Sanchez. *artic. vlt.* Leſſius *c. num.* 82. Sanchez *de matrimon, lib.* 9. *diſp.* 27 quem communiter ſequuntur Theologi: vtraque ſententia probabilis eſt; quamuis hæc Theologorum probabilior ſit & tenenda; & *ratio* eſt, quia cùm hæc ſi pœna non eſt extendenda vltra caſus in iure expreſſos; ius autem, solùm interdicit petitionem debiti inceſtuoſo cum conſangineis propriæ coniugis: vnde infertur huiuſmodi inceſtuoſum, ſi abſque diſpenſatione petat debitum, peccare lethaliter: quia contrauenit præcepto Eccleſiæ in re graui, & petitio illa debiti, inceſtuoſa eſt, tenetur tamen inceſtuoſus hic debitum reddere coniugi petenti: quia innocens non debet iure ſuo priuari propter delictum alterius.

Aduertendum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem, vt quando matrimonio iam contracto, ſuperuenit impedimentum cognationis ſpiritualis, vel affinitatis, ratione cuius coniux, qui eſt effectus affinis, priuatur iure petendi. Quia quamuis rigore iuris attento nequeat; at ratione conſuetudinis iam præſcriptæ id poteſt. Atque praxis ipſa id teſtatur: paſſim enim Epiſcopi in hoc diſpenſant. Et hoc verum, quamuis ad quoſcumque potentes diſpenſare ſit facillimus aditus. Quia hæc poteſtas, quamuis ordinem duxerit ex neceſſitate medendi periculo incontinentiæ coniugum, at iam ea poteſtas ex conſuetudine præſcripta conuenit abſolutè Epiſcopis; vt docent Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 12. *num.* 13. 15. Sanchez. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Filliucius *tract.* 10. Valent. Filliucius. *num.* 308. *part.* 2. Ex conceſſione *Pij V.* viuæ vocis oraculo poterant olim Confeſſarij ordinum Mendicantium à ſuis Prouincialibus deputati, diſpenſare cum inceſtuoſis ad petendum debitum: ſed modò cùm omnia viuæ vocis oracula ſint reuocata ab *Vrbano VIII.* in Bulla, *Aliàs Fælicis* 20. *Decembris* 1631. dicendum eſt prædictos Confeſſarios id non poſſe: niſi de nouo illis à S. D. N. concedatur. Vnde Lezana *in ſumm. tom.* 3. *uerb. Affinitas num.* Lezana. 4. *&* 5. obſeruat hodie adhuc non obſtante dicta Bulla, poſſe Regulares diſpenſare in dicto caſu ex quodam priuilegio conceſſo Monachis S. Benedicti Congregationis Valliſoletanæ à *Iulio XI.* anno 1503. quod refert Rodriquez in ſuo Bullario *Bulla* 23. & cuius etiam meminit Sorbus noſter *in Compend. Priuileg. Mendic. uerb. Diſpenſatio.* Concurrentibus tamen aliquibus conditionibus. Primò, hos Confeſſarios deputandos eſſe ad talem diſpenſationem faciendam per Superiorem Monaſterij, ita vt non ſufficiat generalis facultas audiendi confeſſiones fidelium, ſed requiritur iſta deputatio ad hoc munus ſpecialiter; Et mortuo Superiore vel amoto, qui talem deſignationem fecit, ceſſat deſignatio ab illo facta, eò quod illa eſt ad nutum concedentis reuocabilis. Secunda conditio eſt, vt dicta diſpenſatio efficietur in Sacramento confeſſionis, & non extra: efficiatur in domibus, & Eccleſijs Religionis, & non extra: quæ quidem omnia non erant neceſſaria ex Priuilegio *Pij V.* & aliorum Pontificum. Monet tamen Diana *p.* 6. *tract.* 8. *reſ.* 32. vt ex his Confeſſarij Re- Diana. gulares cautè procedant in diſpenſando ſuper petitione debiti inter vxoratos; quia poſt Bullam *S. D. N. Vrbani VIII.* non deſeruiunt priuilegia antiqua. Sed tu Lector iudica. Vide *Priuilegium* 1. num. 8.

De inceſtu vide tomo primo verbo *Exhæredatio* nu. 1. & hoc tomo verbo *Matrimonium* 7. num. 73. *Matrimonium* 8. num. 7. *Fornicatio* tomo primo.

INCONTINENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Incontinentia quid ſit? Et quomodo paſſio poſſit uincere rationem.*
2 *Incontinentia eſt duplex.*
3 *Incontinentia quæ verſatur circa delectationes tactus an ſit peccatum.*
4 *An incontinentia ſit minus malum, quàm intemperantia.*
5 *An incontinentia concupiſcentiæ ſit turpior quàm incontinentia iræ.*

1. INcontinentia eſt, quando paſſio, præſertim ea, quæ verſatur circa delectationem tactus, vincit rationem: vnde incontinens dicitur, qui iudicium quidem habet rectæ rationis; ſed eo relicto ſequitur prauam concupiſcentiam: hæc eſt enim vox incontinentis. *Video meliora probóque, deteriora ſequor.* Paſſio autem dupliciter poteſt vincere rationem. *Primò*, ſi contingat eſſe tam vehementem, vt hominem penitus priuaret vſu rationis, ſicut in illis accidit, qui præ amore vel ira facti ſunt amentes;

Digitized by Google

tes: quo caſu non eſt propriè incontinentia: quia ſicut beſtiæ non dicuntur incontinentes; ita nec illi, qui rationis vſum amiſerunt, quantumuis turpia committant. Tum quia incontinens eſt, qui non continet ſe in bono rationis, cùm poſſit & debeat, atqui talis non poteſt, ergo, &c. *Secundo*, ſi rationis vſum non tollat, & tunc habet locum incontinentia ſi voluntas paſſionem ſequatur. Ratio eſt, quia cauſa incontinentię propriè ac per ſe eſt anima: vnde quantumcuinque vehementes ſint paſsiones in appetitu concupiſcibili; non tamen ſunt ſufficiens cauſa incontinentiæ: propterea quod durante vſu rationis homo ſemper poteſt iјs paſsionibus reſiſtere, ne animus conſentiat. Si poteſt, ergo debet: ſi debet continere & non facit, iam eſt incontinens; deeſt enim continentia, vbi & quando habebat ineſſe. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt*. 156. *art*. 1. Syluius *ibidem*, & alij.

D. Thom. Syluius.

2. Incontinentia eſt duplex: vna quæ vocatur effrænis, temeraria, vel præuolans; quando nimirum impetu ſuo rapit ad ſe voluntatem, priuſquam ratio conſultet, aut exactiùs deliberet. Hoc autem accidit, vel ob paſsionis celeritatem, vt in cholericis; quia humor iſte ob tenuitatem & calorem facilis eſt moueri & accendi: vel ob illius vehementiam; vt fit in melancholicis, qui ob ſiccam & terreſtrem conſtitutionem vehementem accenduntur. In huiuſmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque ſinit negotium ratione expendi, ſed ſtatim cedit; ſatis tamen in confuſo aduertens malum eſſe quod proponitur. Altera, quæ dicitur debilitas, quando nempe ſurgente praua cupiditate quis conſulit quidem iudicium rationis, quæ ei dictat huiuſmodi cupiditatem non eſſe ſequendam; ſed ipſius voluntas tam debiliter eſt affixa ei quod recta ratio dictat, vt ſinat ſe vinci à paſsione, ſeu cupiditate: vt fit in mulieribus & iјs, quorum conſtituitio mollior eſt & fœminea, vt ſunt phlegmatici: vt docet D. Thomas *loco citato*, *artic*. 1. *ad* 2. poſt Ariſtotelem *lib*. 7. *Ethicorum*, *cap*. 7.

D. Thom.

3. Incontinentia propriè & ſimpliciter dicta, hoc eſt, ea quæ verſatur circa illicitas delectationes tactus, eſt peccatum. Ratio eſt, tum quia turpe eſt rationem vinci à paſſione, & voluntatem deſerere bonum rationis, vt inhæreat bono delectabili. Tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum bruti, ſunt communes. Hoc autem peccatum eſt mortale vel veniale pro ratioue materiæ. Incontinentia verò honoris, diuitiarum & ſimilium, peccatum item eſt vna ratione; quia licet talis incontinens non peccet ratione materiæ, peccat tamen ratione modi, & formæ. Quamuis enim huiuſmodi res non ſint ſimpliciter malæ; malum eſt tamen excedere modum rectæ rationis in iјs appetendis vel conſeqnendis. Ita Diuus Thomas *loco citato*, *art*. 2. & alij Commentatores ibi.

Si petas quomodo paſſio poſſit vincere rationem, manente rationis vſu? Reſpondeo: Rationem non ita vinci quin poſſit reſiſtere: & ideò meritò illi imputari, quòd ſe vinci ſinat, vel potiùs quod ſponte cedat & conſentiat. Paſſio enim ſolùm allicit, blanditur & ſuadet per modum propoſitionis obiecti; facit enim vt obiectum appareat valdè ſuaue & conueniens homini: intellectus ſimili modo illud apprehendit & voluntati proponit. Et quamuis ex altera parte iudicet illud eſſe illicitum; nihilominus quia apprehenſio delectabilis eſt vehementior, magiſque ſenſibilis; ac naturalis, & ex ratione illiciti non cernitur præſens periculum, vincit iſta apprehenſio, & voluntati perſuadet vt delectabile, hic & nunc honeſto præponat, paſſionique conſentiat. In poteſtate tamen voluntatis erat ſe continere, & illam delectationem contemnere. Quia nullam ſufficientem incontinentiæ cauſam præbet qualiſcumqne corporis complexio, ſed occaſionem tantùm: ideò incontinentia non eſt principaliter referenda in corpus, ſed in animam.

4. Incontinentia cæteris paribus eſt minus malùm, quàm intemperantia, id eſt, incontinens minùs peccat, quàm intemperans. Ratio eſt, quia incontinens peccat ſubito errore in electione per negligentiam & ignauiam, permittens ſe vinci à paſſione exurgente: nam & ante & poſt paſſionem voluntati diſplicet opus, eoque commiſſo ſtatim pœnitentia ducitur. At intemperans non peccat ex paſsione, ſed ex electione animi vitioſa, iam in eo radicata, ſiue peccat ex prauo habitu voluntatis. Tum quia intemperans habet intellectum prauè diſpoſitum quoad iudicium obiecti, & voluntatem prauè diſpoſitam habitu vitioſo, & appetitum inferiorem ſimiliter: nam intellectus non reputat illud obiectum inhoneſtum, vel certè parui æſtimat, tanquam exiguum malum. Incontinens verò habet iudicium rectum & voluntatem rectam extra paſsionem, & appetitus inferior non eſt adeò corruptus. Accedit quod intemperans multò difficiliùs emendatur quàm incontinens, propter iudicij & voluntatis inolitam longa conſuetudine peruerſitatem. Ita D. Thomas *ſecunda ſecunda quæſt*. 156. *art*. 3. & alij communiter.

D. Thom.

5. Incontinentia concupiſcentiæ, quæ nimirum abſolutè vocatur incontinentia & verſatur circa delectationes tactus, eſt turpior, quàm incontinentia iræ. Ratio eſt, tum quia concupiſcentia quærit voluptatem ſuperfluam; ira verò repellit malum immeritum. Plus autem excuſatur qui in malo à ſe depellendo modum rationis excedit, quàm qui in voluptate ſuperflua adiciſcenda. Tum quia motus iræ habet aliquam ſpeciem & imaginem rationis, (offert enim ſe vindicta menti ſpecie iuſtitiæ) ſed in eo deficit, quòd modum, qui ratione præſcribitur non attendat. Modus autem concupiſcentiæ nullam habet rationis ſpeciem, ſed totus eſt ſecundùm ſenſum, totus carnalis, ad hoc ſolum tendens vt carni & ſenſualitati ſeruiatur. Nihilominus incontinentia iræ vt plurimum eſt grauior, quia ducit in ea, quæ inferunt proximo maiora nocumenta, quàm incontinentia concupiſcentiæ: hinc enim ſeditiones, bella, cædes, incendia & tota ferè generis humani turbatio. Ita D. Thom. *loco citato*, *art*. 4. communiter receptus.

D. Thom.

Vide in tomo primo v. Abbas *num*. 14. Debitum coniugale 1. *num*. 7.

INDVLGENTIA I.

Quid ſit Indulgentia, & quis poſſit eam conferre.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit indulgentia?*
2 *Quis poſſit indulgentias concedere?*
3 *An Summus Pontifex vel Epiſcopus ante conſecrationem poſſint concedere indulgentias?*
4 *An facultas concedendi indulgentias poſſit à Papa vel Epiſcopo, cuicumque etiam laico delegari? Et an indulgentia, quæ alicui conceduntur à Summo Pontif. applicanda imaginibus, &c. poſſint in alterum transferri, à quo applicentur.*
5 *An Epiſcopo inferior poſſit indulgentias cōcedere abſque Summo Pontifice, vel Epiſcopi licentia?*
6 *An ad valorem indulgentiæ neceſſaria ſit aliqua cauſa finalis honeſta & pia, indulgentiæ proportionata?*
7 *An honor Dei, Eccleſiæ vtilitas, bonum commune vel priuatum ſit iuſta cauſa concedendi indulgentias?*
8 *An quando adeſt iuſta cauſa concedendi indulgentias nullo iniuncto opere, poſſit Sum. Pont. illas abſolutè concedere nullum opus requirendo.*

D. Thom. Sylu. Valent. Nauarr. Suarez. Graffiis. Henriq. Reginald. Corduba.

1. SEcundùm communem ferè Doctorum ſententiam, D. Thom. *in ſupplemen*. 3. *part*. *quæſt*. 25. Sylu. *ibid*. *art*. 1. Valent. *tom*. 4. *diſp*. 7. *q*. 10. *punct*. 1. Nauarr. *de indulgent*. *not*. 3. *& ſeq*. Suar. *tom*. 4. *diſp*. 49. *&* 50. Filliuc. *tract*. 8. *cap*. 3. *quæſt*. 1. Graffiјs *in append*. *lib*. 2. *cap*. 1. Henriq. *lib*. 7. *cap*. 1. Reginald. *lib*. 7. *num*. 99. Cordub. *lib*. 5. *quæſt*. 4. 5. 6. *Indulgentia* nihil aliud eſt, quàm *relaxatio pœnæ temporalis debita pro peccatis actualibus iam dimiſsis conceſſa homini exiſtenti in gratia à Prælato per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici*: Ex hac definitione licet colligere *Primo*, quod per indulgentias homo ſolùm

Digitized by Google

ſolùm abſoluatur à pœna, quam pro peccatis luere debet in Purgatorio. *Secundò*, per indulgentias non remittatur culpa mortalis, aut venialis, ſed pœna; Neque obſtat in iure aliquando concedi indulgentiam à culpa & à pœna: ſenſus enim eſt, per huiuſmodi indulgentiam concedi facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſoluat ab omnibus peccatis. *Tertiò*, quòd per indulgentias non remittatur pœna æterna, ſed temporalis quidem debita peccato actuali, non autem originali: debet tamen priùs culpa auferri per pœnitentiam. *Quartò*, quòd indulgentia non proſit exiſtenti in peccato mortali, non ſolùm pro remiſſione pœnæ debitæ tali peccato mortali; verùm neque pro remiſſione aliorum peccatorum mortalium aliàs remiſſorum, iuxta communiorem ſententiam *D. Thom.* & aliorum. *Quintò*, quòd indulgentiæ non à quolibet concedi poſſint, ſed ab eo ſolùm qui poteſtatem habet illas concedendi, qualem habent Prælati Eccleſiæ. *Sextò*, quod acceptatione Dei conſeruetur in Eccleſia Theſaurus; conſtat non ſolùm ex infinitis meritis Chriſti, verùm etiam ex Sanctorum ſatisfactionibus ipſis ſuperfluis; vnde *notandum* quòd in operibus hominis iuſti, duo conſiderantur, *meritum* ſcilicet & *ſatisfactio*. Meritum non communicatur alijs, ſatisfactio autem poteſt communicari: cùm igitur multi Sancti, plus ſatisfecerint, quàm ipſi indigerent, ipſorum ſatisfactiones ſuperabundantes in theſauro Eccleſiæ conſeruantur, diſtribuendæ per Eccleſiæ Prælatum. Theſaurus hic inchoatus fuit ante Chriſti aduentum; vſus tamen iſtius theſauri non fuit in veteri lege, quia Chriſtus nondum contulerat facultatem diſtribuendi theſaurum.

D. Thom. Toletus. Suarez. Nauar. Filliucius. Sylu.

2. *Poteſtas* concedendi indulgentias ſecundùm D. Thom. *in addit. quæſt.* 26. *art.* 1. Toletum *lib.* 6. *cap.* 31. *num.* 1. *C. cum ex eo, de pœnitent. & remiſſ.* Suar. *diſp.* 55. *ſect.* 3. Nauarrum *c. not.* 32. *num.* 11. Filliucium *c. cap.* 4. Syluium *in ſupplem. quæſt.* 26. *art.* 3. & alios, primariò tanquam in cauſa efficiente, reſidet in Sum. Pont. quia Summus Pontifex tanquam Summus Princeps & vniuerſalis Eccleſiæ rector, iure diuino cuſtos, & ſtributor eſt theſauri, iuxta illud Chriſti ad Petrum & ad ſucceſſores eius: *Paſce oues meas*: Epiſcopus autem, non habet primariò facultatem concedendi indulgentias, ſed eam accipit à Summo Pontifice: conſequenter poteſt tantum indulgentiæ concedere, quantũ illi permiſſum fuerit à Sede Apoſtolica, vnde illi cum limitatione & reſtrictione conceſſa eſt hæc poteſtas: hinc in dedicatione Eccleſiæ, indulgentiam vnius anni, & in anniuerſario dedicationis, aut aliàs cõcedit ſolùm indulgentiam quadraginta dierum, & irrita eſt conceſſio indulgentiæ facta ab Epiſcopo, vltra limites ſibi præſcriptos, quoad exceſſum ſolùm: ſimiliter non poteſt concedere indulgentiam pro mortuis, quin hoc non eſt illi à iure conceſſum.

Reginald. Graffijs. Sà. Sylu.

3. Cum conceſſio indulgentiarum ſit actus iuriſdictionis, non ordinis; hinc Summus Pontifex electus, licet nondum ſit conſecratus, poteſt concedere indulgentias. Reginaldus *c. n.* 123. Graffijs *c. cap.* 2. *num.* 24. Sà *verb. Indulgent. num.* 16. Sylu. *c. art.* 2. & alij. *Idem* dicendum de Epiſcopo electo & confirmato, etiamſi nondum ſit conſecratus: & validæ ſunt indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopo exiſtenti in peccato mortali, vel excommunicato, modò denunciatus non ſit. Vt docet *D. Thom. c. art.* 4.

Reginald. Suarez. Bonacina. Valentia. Syluius.

4. Summus Pontifex de plenitudine ſuæ poteſtatis poteſt delegare cuicumque etiam laico facultatem indulgẽtias concedendi, Epiſcopus verò non poteſt huiuſmodi facultatem laico demandare, Reginaldus *c. num.* 116. & 117. Suarez *c. diſp.* 55. *ſect.* 6. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *part.* 3. *num.* 10. *& ſeq.* Valentia *c. punct.* 3. Syluius *c. art.* 2. & alij: quia per ſe loquendo, non poteſt in iure communi diſpenſare: poteſt tamen hanc facultatem ſuo vicario aut alteri clerico delegare, quia hæc facultas concedendi indulgentias, iure ordinario illi competit, ergo poteſt eam delegare, niſi adſit in contrarium prohibitio: vicarius tamen Epiſcopi, non poteſt abſque ſpeciali facultate Indulgentias concedere; quia hæc facultas quaſi reſeruata dignitati Epiſcopali, vt ait *Nauarrus* ſuprà citatus. Idem dicendum videtur de capitulo ſede vacante, iuxta communiorem ſententiam, vt dictum eſt Tomo primo *verb. Capitulum num.* 9.

Sed rogabis, an indulgentiæ, quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis, &c. poſſint in alterum transferri, à quo applicẽtur? Reſp. affirmatiuè ſtando in iure communi. Tum quia tales indulgẽtias applicandas accipit, non ſolùm accipit ipſas indulgentias, ſed etiam facultatem eas applicandi cuinam materiæ voluerit; vnde cenſetur ad hoc munus delegatus; Sed quia delegatus à Summo Pontifice poteſt rurſus delegare, *cap. final. de offic. iudic. delegat.* & *cap. cum cauſam. de appellat.* ideò cùm ſit delegatus ad tales indulgẽtias applicãdas, poteſt alium ſubdelegare, qui eas nomine ſuo applicet cuinã materiæ placuerit. Tamen ſi quis ab alio, quàm à Pontificẽ accipiat talem facultatem, non poterit in alium transferre indulgentias applicandas: quia ex vi ſubdelegationis terminatur in ipſo facultas: & tunc valet regula, quòd *delegatus non poteſt delegare.* Proinde qui petit indulgentias à Pontifice nomine alterius, ideò iſte, non verò qui petit, cenſetur delegatus, & poterit alterum ſubdelegare: quia tunc intelliguntur cõceſſæ perſonæ, cuius nomine petũtur.

Sed quid, ſi Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari poſſe, quàm ab eo, cui conceduntur, an adhuc poſſint applicari ab alio, ſi ad ipſum ab obtinente tranſmittantur? Reſp. in hoc caſu concurrere voluntatem priuatam Pontificis cum iure communi, nam ratione iuris communis poſſunt huiuſmodi benedictiones ad alium tranſmitti, vt probatum eſt, hoc autem prohibetur per voluntatem priuatam Pontificis; quia autem priuata voluntas non præualet legi, & proinde ipſi non derogat: ideò ſaluo meliori iudicio, poſſent adhuc in alium traſmitti, à quo applicentur; attendendo ad ius commune. Quòd autem priuata illa voluntas non deroget in hoc iuri communi, ex eo patet; quia non eſt voluntas legiſlatoris, & ideò non æquiualet voluntati publicæ, quia lex ſancitur; & conſequenter non eſt tanti ponderis, quanti eſt voluntas publica legis: & proinde debet cedere tanquam inferioris ordinis, & relinquere in ſuo robore ius commune. Ita Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 492. Paſqualig.

5. Nullus Epiſcopo inferior poteſt indulgentias concedere, abſque Summi Pontificis vel Epiſcopi licentia: vnde Abbates, & Prouinciales Religionum, Cardinales, qui non ſunt Epiſcopi, parochi, non poſſunt Indulgentias concedere, licet Prælati religionum poſſint alios efficere participes ſatisfactionum & orationum quæ fiunt in religione, antequam in theſauro Eccleſiæ reponantur, vt dictum eſt verb. *Ieiunium* num. 1. Suarez *c. d.* 55. *ſect.* 4. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 31. Reginaldus *c. num.* 124. Nauarrus *c. not.* 31. *num.* 18. Sylu. *c. q.* 26. *art.* 1. & alij.

Suarez. Henriquez. Reginald. Nauarrus. Sylu.

Negandum tamen non eſt, quòd Prælati regulares poterant olim ex Apoſtolico priuilegio & gratia indulgentias concedere, & de facto aliqui Prælati hoc tempore concedunt Indulgentiam plenariam ſuis ſubditis peractis viſitationibus, ſed hæc poteſtas eſt ipſis limitata à *Paulo V.* vt dicetur infra num. 12. Ex conceſſione variorum Pontificum; vt habetur in *compend. priuileg. mendic. verb. Indulgent. quoad ſaculares* 5. & apud Rodriq. *tom.* 2. *qq. reg. quæſt.* 96. *art.* 1. & apud Dianã *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 22. poſſunt Fratres Prædicatores & Minores & qui cum ipſis cõmunicant in Priuilegijs, concionantes in ſuis domibus quocumque anni tempore, concedere auditoribus ſuis 18. annos & 320. dies indulgentiæ: extra ſuas vero Eccleſias 18. annos 222. dies tantùm. Tempore verò Quadrageſimę in ſuis domibus feria 2. 4. & 6. 156. annos & 24. dies. Debent tamen illas indulgentias expreſsè concedere in communi nomine ſuæ Sanctitatis, aliàs eſſent nullæ. Et has putat Portel. *in dub. reg. reg. v Prædicatores num.* 15. non eſſe reuocatas à *Paulo V.* quia non ſunt conceſſæ fratribus directè, ſed ſæcularibus. Portel.

Suarez. Filliucius. Reginald. Conink. Valent. Sylu. Diana.

6. Ex communi ſententia omnium Doctorum, Suarez *c. d.* 54. *ſect.* 1. & 2. Filliuc. *tr.* 8. *c.* 5. Reginaldus *lib.* 7. *nu.* 126. Conink *d.* 12. *dub.* 6. Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *quæſt.* 10. *punct.* 4. Sylu. *c. q.* 25. *artic.* 2. *q.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 16. *reſ.* 10. ad concedendum indulgentiam neceſſaria eſt aliqua cauſa finalis, quæ moueat concedentem, eaque honeſta, ac pia eſſe debet, & indulgentiæ proportionata, non modò ad iuſtitiam, ita vt alioqui culpa committeretur, verùm etiam ad valorem, ita vt à ſolutione obligationis ſatiſfaciendi abſolutè non liberaret, etſi redderet immunem

ab iniunctæ pœnitentiæ in confeſſione obligatione, & multò magis valeret ad alias conceſſiones, quæ indulgentijs adiungi ſolent, vt eligendi Confeſſorem, qui poſſit abſoluere à caſibus reſeruatis, diſpenſare in votis, & huiuſmodi: & *ratio* eſt, quia cùm Sum. Pont. non ſit Dominus, ſed diſpenſator, & diſtributor Theſauri indulgentiarum, ideò rem ſibi commiſſam diſtribuere debet iuxta rationabilem Domini voluntatem.

7. *Iuſta cauſa* concedendi indulgentias, eſt honor Dei, Eccleſiæ vtilitas, bonum commune, vel priuatum: imò in quolibet actu pio inueniri poteſt cauſa iuſta ad concedendam indulgentiam, ſi ex illo aliqua Eccleſiæ vtilitas & gloria diuina redundet, ſiue ſit actus internus, ſiue externus, ſiue fiat tunc, ſiue futurus ſit, ſiue fiat ab eo, qui cõſequitur indulgentiam, ſiue fiat ab alio, vt contingit, quando indulgentiæ applicantur defunctis per modum ſuffragij: regulariter tamen indulgentia quæ toti Eccleſiæ conceditur, requirit cauſam communem immediatè pertinentem ad vtilitatem totius Eccleſiæ, vel certè alicuius principalis partis eius, aut vnius regni vel prouinciæ: non oportet autem vtilitatem hanc immediatè eſſe ſpiritualem, aliquando enim poteſt eſſe temporalis, qualis eſt defenſio Eccleſiæ ab hoſtibus eius, aut expulſio famis aut peſtis à Deo impetranda: denique ſufficientiſſima cauſa eſt Chriſtiani populi reformatio, vel ſpirituale augmentum, quæ cauſa maximè nunc eſt in vſu. Bonacina *c. punct.* 4. Toletus *l. 6. cap.* 34. Sà *verb. Indulg. num.* 1. Graffijs c. *n.* 44. 47. Suarez *diſp.* 54. *ſect.* 4. *num.* 4. *& ſeq.* Sylu. *c. concl.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. & alij. Bonacina. Toletus. Sà. Graffijs. Suarez. Sylu.

8. Cùm adeſt iuſta cauſa concedendi indulgentias nullo iniuncto opere, Summ. Pont. poteſt illas abſolutè concedere, nullum opus requirendo: vt ſi defuncto de Eccleſia benemerito indulgentiam concedat, vt alios hoc pacto trahat ad conſimilia merita. Denique fideles, in æſtimanda cauſa indulgentiæ, proniores eſſe debent in ſufficientiam eius, præſertim cum à Sum. Pont. conceditur, nec temerè contrarium exiſtimandum eſt, etſi huiuſmodi æſtimatio ad fidem non pertineret: quia in facto Principis præſumitur cauſa, ſaltem quando non vergit in præiudicium tertij. Reginaldus c. *n.* 196. Suarez *c. d.* 54 *ſect.* 4. Filliucius *c. cap.* 5. Toletus *cit. n.* 6. Graffijs *c. cap.* 6. *art.* 26. Reginald. Suarez. Filiucius. Toletus. Graffijs.

Vide Tomo primo, verbo *Capitulum* n. 9. & hoc tomo verbo *Iubilæus*, *Suffragium*, *Satiſfactio* num. 13.

SVPPLEMENTVM.

INDVLGENTIA I.

SVMMARIVM.

1 *An in Eccleſia detur theſaurus meritorum Chriſti & Sanctorum.*

2 *An theſaurus meritorum & ſatisfactionum Chriſti diſpenſetur ab Eccleſia per Sacramenta vel extra.*

3 *An vſus indulgentiarum repugnet iuſtitiæ vel perfectioni.*

4 *An diſtributio theſauri indulgentiarum data ſit Petro & Succeſſoribus eius.*

5 *An indulgentia concedi poſſint non ſubditis & exemptis.*

6 *An Prælatus concedens generaliter indulgentias, eaſdem ſibi lucrari poſſit.*

7 *Indulgentia alia eſt perſonalis, alia localis, alia realis.*

8 *An Concilium Generale habeat poteſtatem concedendi indulgentias pro tota Eccleſia.*

9 *An Pontifex per indulgentias poſſit remittere pœnitentias ſacramentales à Confeſſario pro peccatis iniunctas.*

10 *An per indulgentias intendat Pontifex non ſolum liberare à pœnitentijs iniunctis, ſed etiam à non iniunctis?* Refertur triplex ſententia.

11 *An indulgentiarum conceſſio contineat veram abſolutionem reſpectu viuorum, & reſpectu mortuorum ſolutionem pretij.*

12 *An indulgentia ſublata peccati fictione effectum ſuum ſortiatur?* Refertur duplex ſententia.

13 *Ad lucrandum indulgentias debeat opus iniunctum fieri bene moraliter & ſine peccato?* Refertur duplex ſententia.

14 *An requiratur actualis intentio lucrandi indulgentiam in eo qui facit opera iniuncta?* Refertur duplex ſententia:

An recitans ter Aue Maria, &c. *ad tria ſigna Campanæ poſt Solis occaſum, lucretur indulgentiam Plenariam, ſi ignoret talem indulgentiam eſſe conceſſam? Vbi tres illationes referuntur.*

15 *An excommunicatus contritus, ſi non poteſt obtinere abſolutionem, lucretur indulgentias?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quomodo ad valorem indulgentiæ cauſa debet eſſe proportionata.*

17 *An aliqua certa forma ſeruanda in concedendis indulgentijs.*

18 *An omnes ſemper lucrentur Plenarias Indulgentias qui faciunt in ſtatu gratiæ opus præſcriptum.*

19 *An indulgentiæ poſſint pluries in die obtineri?* Refertur duplex ſententia.

1. DE fide eſt in Eccleſia dari theſaurum, id eſt abundantiam meritorum Chriſti & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſimet Sanctis, & hominibus iuſtis debitas, ſimulque in Eccleſia reſidere poteſtatem concedendi indulgentias, virtute cuius remittuntur pœnæ temporales in iudicio Dei debitæ. Theſaurus hic conſtare dicitur ex ſatisfactionibus Chriſti, eo quòd de plenitudine eius electi non ſolùm accipiant gratiam & gloriam, ſed etiam pœnarum remiſſionem. Ratio eſt, quia Chriſtus per ſanguinem ſuum non modò meritus eſt nobis gratiam & gloriam, ſed etiam pro pœnis peccatis noſtris debitis ſatisfecit: quia perfectè Saluator, aut Redemptor non eſſet, qui ſola deleta culpa & pœna æterna in temporalem commutata, pro pœnis reſiduis Patri æterno pretium non dediſſet. Et licet paſſiones, quas Chriſtus in proprio corpore pro nobis pertulit, fuerint in infinitum ſufficientes ex parte eius ad redemptionem totius generis humani, nihilominus ſingulari ſapientia ad earum completum effectum, voluit illas in ſuo corpore myſtico per ſanguinem Martyrum, afflictiones & tribulationes compleri, & velut per illas noſtram redemptionem & ſaluationem terminari. Vnde ſatisfactiones B. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum in ipſis in qualitate Satisfactionis non remuneratæ in alijs iuxta Dei prouidentiam remanent remunerandæ, cùm nulla opera viatorum in charitate facta, apud Deum irremunerata maneant, ergo opera ſatisfactoria B. Mariæ Virginis & Sanctorum, qui ſatisfactione non indigent, irremunerata remanere non poſſunt, ergo in Eccleſia theſauro reponi cenſentur; quod nihil aliud eſt, quam remanere in acceptatione diuina, vt iuxta Dei ſapientiam & prouidentiam in Eccleſiæ filijs remunerentur, & in eos diſtribuantur. Hic eſt Eccleſiæ Catholicæ ſenſus circa hunc theſaurum, vt decreuit Concil. Tridentin. *ſeſſ* 27. *c.* 21. in decreto de indulgentijs, & docent Suarez *tom.* 4. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *&* 2. *cum alijs.* Et hæc veritas præcipuè tradita eſt & declarata in *Extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur Chriſtum Dominum per effuſionem totius ſanguinis ſui nos redemiſſe, cùm vna gutta ſanguinis propter vnionem ad verbum, ad redemptionem totius generis humani ſufficere potuiſſet, ſubdit: *Quantum ergo, exinde, vt nec ſuperuacua, inanis, aut ſuperflua tanta effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filijs pius pater, vt ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum cœli clauigerum, eiuſque ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.* Et paulo poſt: *Ad cuius quidem theſauri cumulum Beatæ Dei genitricis* Conc. Trid. Suarez.

& omnium

Digitized by Google

& omnium electorum à primo iuſto vſque ad vltimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur. Et id confirmauit Leo X. in Bulla in qua errores Lutheri condemnauit. Vide Syluium *in ſupplem. 3. part. q. 25. art. 1. quæſit. 1.* Conink *de indulg. diſp. 12. dub. 1.* & alios.

Leo X. Syluius. Conink.

2. Theſaurus meritorum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia per Sacramenta: quia prima gratia & iuſtificatio non contingit niſi per merita Chriſti; Sacramenta autem omnia habent vim conferendi primam gratiam, vt docent Theologi communiter; nec in Eccleſia eſt poteſtas remittendi peccata, niſi Sacramentis allegata, cùm Chriſtus ob excellentiæ poteſtatem etiam extra Sacramenta peccata remiſerit. Theſaurus verò ſatisfactionum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia extra Sacramenta: quia illæ poſſunt communicari extra Sacramenta, vt patet in priuata ſatisfactione; quàm vnus alteri poteſt applicare: ergo ab eo qui toti Eccleſiæ præeſt, id eſt, Summo Pontifice, ſic poterunt diſpenſari. Verùm quia ſatisfactiones Sanctorum commodè non poſſunt diſpenſari, ſine ſatisfactionibus Chriſti, quia cùm illæ ſint finitæ, neque conſtet ad quantam ſatisfactionem valeant. E contra Chriſti ſatisfactiones ſint infinitæ, ideò adiungendæ fuerunt ſatisfactionibus Sanctorum Chriſti ſatisfactiones, vt Eccleſia non eſſet dubia de valore indulgentiarum. Nam Eccleſia non tantùm per modum impetrationis & de congruo applicat eiuſmodi theſaurum per indulgentias, nam hoc modo dubius eſſet indulgentiarum fructus, ſed etiam ex vi ipſius applicationis vltra meritum operantis & de condigno remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Vt conſtat tum ex Extrauag. vnigenitus cit. & Bulla Leonis X. tum nouiſſimè ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex omnibus afflictionibus*, data Romæ anno 1567. Kalend. Octobr. vbi damnatur articulus 57. *Per paſſiones Sanctorum in indulgentijs communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſsiones impertiuntur vt digni ſimus qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur*; quàm Bullam confirmarunt poſtea Gregorius XIII. anno 1579. Quarto Kalend. Februar. per aliam quæ incipit, *Prouiſionis noſtræ*, Et Vrbanus VIII. per aliam cuius initium eſt, *In eminenti*, anno 1642. pridie Nonas Martij.

Leo X. Pius V.

Greg. XIII. Vrb. VIII.

3. Vſus indulgentiarum non repugnat iuſtitiæ, nec perfectioni. Ratio prioris eſt, quia licet Deus ſtatuerit pœnas purgatorij, eius tamen voluntas in eis ſtatuendis, non fuit efficax & abſoluta, ſed conditionata, nempe niſi quiſque ſatisfaceret pro ſuis peccatis, vel alijs modis ab ipſo Deo conceſſis veniam conſequeretur: inter alios autem modos vnus eſt beneficium indulgentiæ: qui modus licet non ſit neceſſarius, eſt tamen valde vtilis, & populo Chriſtiano maximè ſalutaris, vt Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 21. in decreto de indulgent.* non modo ob fructum proprium qui acquiritur remiſſionis pœnæ, verum etiam ob multa opera bona, quæ occaſione eius à fidelibus exercentur. Prob. poſterior pars, quia operari ad lucrandas indulgentias eſt ex ſuo genere bonum; tùm quia frui theſauro Chriſti, modo ab ipſis inſtituto, ſanctum eſt, & finis etiam bonus, ad tollendum ſcilicet impedimentum gloriæ. Nec poteſt dici opus tale imperfectum etiam in genere ſatisfactionis: quia indulgentiæ acquiſitio non impedit, quominus homo poſſit exhibere propriam ſatisfactionem, ſi voluerit: vnde Religioſis conuenit etiam lucrari indulgentias, quia poſſunt indigere tali ſubſidio, & non repugnat eorum ſtatui. Ita communiter Doctores.

Conc. Trid.

4. Diſtributio theſauri indulgentiarum data eſt Petro, & Succeſſoribus Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Quod autem ſub illis verbis comprehendatur hæc poteſtas, colligitur ex proprietate & amplitudine ipſorum verborum: ſunt enim verba vniuerſaliſſima, quæ ex vi ſua omnem actum includunt, qui ad aperiendum regnum cœlorum poſſit eſſe accommodatus: ideòque non ſolum includit poteſtatem ſoluendi à præceptis vel obligationibus, ſed etiam ab omnibus vinculis & impedimentis; quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in regnum cœlorum. Ideòque non dicitur, *Quemcumque ſolueris*, ſed *Quodcumque ſolueris*, id eſt, quodcumque vinculum vel impedimentum regni cœlorum abſtuleris: meritò ergo vinculum pœnæ ad claues regni cœlorum ſpectare dignoſcitur, cùm plenè homini viatori cœlum ſine pœnarum dimiſſione aperiri non poſsit. Congruum ſanè fuit, vt Chriſtus hanc poteſtatem Eccleſiæ ſuæ daret, cùm enim multi infirmi ſint, & quamuis in charitate Deo ſeruiant, debito pœnarum ex culpis actualibus relictarum ſatisfacere non poſsint, nec vllum datum ſit Sacramentum aut ſacrificium poſt Baptiſmum, quo per ſe omne debitum pœnæ remittatur, ſine iuſto & congruo remedio Eccleſia relicta fuiſſet, nec homini viatori pleniſsimam redemptionem Chriſtus contuliſſet, ſi eius ſoli ſatisfactioni aut ſatiſpaſsioni pœnas peccati debitas reliquiſſet. Quam intelligentiam maximè confirmat Eccleſiæ traditio, quæ eſt optima legum & Sacræ Scripturæ interpres, vt communiter docent Theologi.

5. Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ſubditis, vt conſtat ex *cap. quod autem, de pœnitent. & remiſſ.* quia ſicuti à iudice non ſuo ligari nemo poteſt, ita neque abſolui. Exempli tamen participes fieri poſſunt indulgentiarum Epiſcopalium; cùm in ea re, ſicuti & in diſpenſationibus votorum, iuramentorum, &c. ſubijcere ſe poſſunt iuriſdictioni Diœceſani: cùm exemptio non ſit in ipſis conceſſa in damnum, ſed in fauorem, & ne quod ipſis gratioſè conceſſum eſt, in eorumdem diſpendium cedat. Imò Epiſcopi & quicumque Prælati ſuis ſubditis licentiam dare poſſunt; vt ab alieno Epiſcopo datas indulgentias lucrentur. Ita Paludanus *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 4.* Reginaldus *lib. 7. num.* 119. & alij.

Paludanus. Reginald.

6. Certa & communis ſententia eſt, poſſe Prælatum, qui indulgentias generaliter concedit, eaſdem ſibi lucrari: nam Summus Pontifex lucratur indulgentias conceſſas à ſuis prædeceſſoribus & Iubilæum etiam à ſe conceſſum. Ratio eſt, quia Prælati non debent eſſe peioris conditionis, quam inferiores: ergo ſicut alij poſſunt participare fructum de theſauro Eccleſiæ, ita etiam ipſi. Modus autem huius participationis, ſeu indulgentiæ triplex eſſe poteſt. *Primus*, ſi Prælatus det alteri facultatem concedendi ſibi indulgentiam; ſicut in foro conſcientiæ Prælatus dat alteri facultatem, vt ſe abſoluat. *Secundus*, ſi conceſsio directè fiat communitati, redundet verò in ipſum concedentem, tanquam in partem communitatis, ſic comprehenditur ſub lege à ſe lata: quo pacto conceſsio indulgentiæ directè fertur ad ſubditos, indirectè autem participatur etiam à non ſubdito in ratione partis communitatis. *Tertius*, ſi conceſsio directè & primariò fiat ſibi ipſi, vel ſoli, vel cum alijs, ſi alioqui rationabilis cauſa ſubſit ad talem indulgentiam ſibi concedendam: quod maximè locum habet in Summo Pontifice; nam inferiores iuxta conceſſionem à Pontifice eis factam, eam participant. Ratio eſſe poteſt, quia in Pontifice non deeſt iuriſdictio, & actus applicandi ſibi indulgentiam, non eſt talis, vt requirat diſtinctionem perſonarum; ſicut enim ſecum diſpenſat in voto & in iuramento, ita in indulgentia; in qua cum tantùm requiratur prudens iudicium de ſufficienti cauſa ad concedendam indulgentiam; non apparet requiri diſtinctionem vllam inter concedentem, & eum cui conceditur, ſicut neceſſaria eſt in collatione Sacramenti, vbi requiritur diſtinctio Miniſtri. Pontifex enim hoc ipſo quod non habet alium ſuperiorem, ſubditus eſt ſuæ dignitati, & ſic vt Papa eſt ſuperior, vt homo & peccator, eſt ſubditus. Hæc colliguntur ex communi doctrina D. Thom. *in ſupplement. 3. part. quæſt. 27. artic. 4.* Nugni, Syluij *ibidem*, Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 52. num. 14. & ſequent.* Nauarri *de indulgent. notab. 20. num. 61.* & aliorum penes ipſos.

D. Thom. Nugnus. Syluius. Suarez. Nauarr.

7. Quamuis omnes indulgentiæ in hoc conueniant, quòd omnes referantur ad vſum hominum, & in eis ſolis effectum habeant, rectè tamen diuiditur indulgentia in perſonalem, localem, & realem. Perſonalis eſt, quæ ita conceditur perſonæ, vt illi quaſi inhæreat talis fauor, vnde quocumque pergat, illam ſecum defert. Localis autem inhæret quodammodo loco in ordine ad perſonas.

Dicitur autem concedi loco, quia conceditur hominibus orantibus in tali loco, vel aliud pium opus ibi exercentibus, & ideò cenſetur fauor ille quaſi inhærere loco; quia in illo tantùm & non in alio talis indulgentia obtinetur, nec effectus eius communicatur hominibus niſi mediante loco. Realis ſimilis eſt locali, eſt enim ea, quæ conceditur alicui rei mobili, vt eſt imago aliqua, Agnus Dei, Roſarium & ſimilia, quibus cenſetur inhærere talis fauor & cum eis quaſi deferri, & per eas communicari hominibus, ita vt omnes, qui coram tali imagine orant, vel per talia grana, vel Roſaria, &c. talem remiſſionem conſequantur. Atque ita verum eſt ſolos homines viatores eſſe capaces indulgentiarum, quantum ad effectum, ſeu finem earum, ſi verò habeatur ratio rei cui immediatè talis fauor conceditur, nunc eſt ipſa perſona, nunc locus, nunc res aliqua mobilis. Ita Suarez *loco cit. diſp. 52. ſect. 1. num. 3.* & alij.

Suarez.

8. Quorumdam ſententia fuit Concilium generale habere poteſtatem concedendi indulgentias pro tota Eccleſia, quia habet poteſtatem ferendi leges & excommunicandi per indulgentias. Tum quia in Concilio generali ſunt omnes Paſtores & ſpirituales iudices Eccleſiæ, ergo ad illos pertinet vniuerſalis diſpenſatio vel remiſſio per indulgentias. Tum quia diſpenſatio theſauri alicuius communitatis ad totam communitatem pertinet; ergo ſimiliter poteſtas diſpenſandi Eccleſiaſticum theſaurum pertinet ad Eccleſiam vniuerſalem, ſed Concilium generale repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, vt docuit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi in fine, ergo. Ita ſuſtinent Panormitanus *in Clement. 2. de pœnit. & remiſſ.* Felinus *tract. de indulgentijs, num.* 44 Corduba *quæſt. 12. de indulgentijs*, qui ſpecialiter id aſſerit de Concilio generali ſede vacante, & alij. Verior tamen ſententia meritò docet Concilium generale non habere ex iure diuino talem poteſtatem concedendi indulgentias vi ſua, ſeu quatenus à capite eũ diſtinguitur. Probatur primò, quia nõ reperitur hæc poteſtas conceſſa Eccleſiæ, ſed Petro. Matth. 16. *Tibi dabo claues, &c.* Ioan. 21. *Paſce oues meas.* Secundò, quia Eccleſiæ vt eſt corpus quoddam myſticum, nullum aliud genus iuriſdictionis collatum eſt à Chriſto, vt habetur ex perpetua traditione Eccleſiæ; cuius regimen fuit Monarchium & pendens ab vno capite: ergo neque illa iuriſdictio, quæ eſt neceſſaria ad indulgentias. *Tertiò*, Concilium ſecluſo capite non habet talem poteſtatem viuente Pontifice; ergo multò minus habet illam mortuo capite. Neque neceſſitas indulgentiarum eſt ſufficiens ratio ad illam concedendam Concilio ſede vacante: tum quia hic actus non eſt ex neceſſarijs ad regimen Eccleſiæ, præſertim pro breui tempore, quo durare ſolet in Eccleſia carentia capitis: & licet contingeret eſſe diuturnum, illud eſſet valde accidentarium & erarum, quod non cadit ſub moralem conſiderationem, præſertim in re, quæ ſolum eſt ſupererogationis, & melius eſſe, vt eſt indulgentia. Ita pro hac ſententia citatur D. Thomas *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4.* & alij Theologi ibidem. *Durandus, Paludanus, Richardus, D. Bonauentura.* Alenſis *4 part. quæſt. 23. alias 83. memb. 3.* qui omnes nulla facta mentione Concilij generalis, ſoli Pontifici hoc tribuunt: & multi eorum notam excluſiuam expreſsè addunt. Quibus adde Suarez *loco cit. diſp. 55. ſect. 1.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 1.*

Martin V.
Panormit.
Felinus.
Corduba.
D. Thom.
Durand.
Paludanus.
Richardus.
D. Bonau.
Alenſis.
Suarez.
Layman.

Quamuis probabile ſit, in Concilio, Sede Apoſtolica vacante, eſſe talem poteſtatem, quia repræſentat totam Eccleſiam; & tunc dici poſſet iure diuino habere talem poteſtatem ex natura rei, & per neceſſariam conſequentiam, vt præter Doctores citatos pro prima ſententia tenent Nauarrus *de indulgent. notab. 31.* Henriquez *de indulgent. c. 31. §. 3.* De facto autem & iure humano non inueniuntur indulgentiæ conceſſæ à Concilijs generalibus, vt teſtatur Suarez *loco citato num. 8.* Diana *part. 5. tract. 12. reſol. 21.* Syluius *in ſupplem. 3. part. quæſt. 26. art. 3.*

Nauarrus.
Henriq.

9. Pontifex etiamſi Sacerdos non ſit, per indulgentias poteſt remittere pœnitentias ſacramentales à Confeſſario pro peccatis iniunctas, non qua medicinales & præſeruatiua; ſed qua merè peccatorum vindicatiuæ ſunt. Ratio eſt, quia potuit Chriſtus inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam ſupremum tribunal in ferenda ſententia de peccatis & offenſis contra ſe commiſſis, & nihilominus retinere poteſtatem relaxandi pœnas in eo latas: quam poteſtatem potuit per indulgentias ſuo Vicario communicare. Ex eo enim quòd Pontifex nomine Chriſti miſericorditer per indulgentiarum theſaurum relaxat pœnitentiam à Sacerdote vice Chriſti in foro ſacramentali iniunctam, non retractat, aut reuocat ſententiam Sacerdotis: nam hæc à Sacerdote lata fuit ſub tacita conditione, ſi Chriſtus, in cuius honoris defenſionem lata fuit, noluerit talem pœnitentiam remittere. Tum quia præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur à Confeſſario, humanum eſt: ergo Pontifex poteſt illud abrogare, præſertim quando concedit indulgentias commutando pœnitentias Confeſſarij in aliud pium opus, quo quis diſponitur ad indulgentiam conſequendam, & ſupplendo ex theſauro ſatisfactionis, quod deeſt. Et conſtat id ex formula earum indulgentiarum, in quibus expreſſa mentio fit de pœnitentijs in foro ſacramentali iniunctis. Ita Conink *de Sacrament. diſp. 12. dub. 3. concl. 2.* Henriq. *lib. 5. cap. 22. num. 5.* Iacobus Granado *in 3. part. contro. 12. tract. 2. diſp. 4. num.* 8. Ex quorum doctrina infertur non teneri pœnitentem adimplere pœnitentiam vindicatiuam ſuorum peccatorum à Confeſſario impoſitam, ſi probabiliter Indulgentiam Plenariam lucratus fuerit, quamuis optimum conſilium ſit, adhuc lucratis indulgentijs eam adimplere, vt etiam diximus *tom. 1. verb. Satisfactio, num. 13. edit. 3.* vide Dianam *p. 5. tract. 12. reſol. 3.*

Conink.
Henriq.
Granado.

10. Controuerſia eſt magna inter Doctores, an per indulgentias intendat Pontifex non ſolùm liberare à pœnitentijs iniunctis in Confeſſione, ſed etiam à non iunctis. Quidam putant ſolùm liberari hominem virtute indulgentiarum à pœna debita peccatis, pro quibus Confeſſarius pœnitentiam iniunxit: quia Eccleſia ſolùm concedit indulgentias, quibus homines liberentur à pœnitentijs iniunctis, ergo illarum effectus eſt ſola relaxatio pœnitentiæ iniunctæ. Alij volunt, ſi in forma conceſſionis indulgentiæ nulla limitatio adhibeatur, ſed abſolutè relaxetur pœna peccatorum, intelligendum eſſe, virtute illius remitti etiam pœnam non iniunctam: ſi autem expreſsè apponatur particula, *de iniunctis*, intelligendum eſſe conceſſionem reſtringi ad ſolam relaxationem pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ. Ita Bellarminus *lib. 1. de indulgent. cap. 7. propoſ. 5.* Henriquez *lib 7. de indulgent. cap. 6.* Nugnus, Sotus, & alij probabiliter. Sed quia beneficium Principis largiſſimè interpretandum eſt, puto omnes indulgentias extendi ad quaſcumque pœnas, etiam pro quibus nulla eſt iniuncta pœnitentia. Ratio eſt, tum quia hæc verba *de iniunctis pœnitentijs*, non ſunt reſtrictiua, ſed ampliatiua, habent enim hunc ſenſum, vt non ſolùm indulgentia extendatur ad pœnas, quibus nulla eſt iniuncta pœnitentia, ſed etiam ad eas, quibus pęnitentia iniuncta eſt; igitur cui conceditur indulgentia de pęnitentijs iniunctis, à fortiori conceditur etiam de pęnis, quibus nulla eſt pęnitentia iniuncta. Tum quia maius eſt remittere pęnam pluribus, quàm paucioribus titulis debitam: ſed pęna, cui impoſita eſt ſacramentalis pęnitentia, non ſolùm eſt debita lege naturali & diuina, ſed etiam humana Sacerdotis illam imponentis. Tum quia nunc pęnitentiæ, quæ à Confeſſarijs pro peccatis confeſſis iniunguntur, ſunt adeò exiles, vt parum vtilitatis pęnitentibus afferrent indulgentiæ, ſi tantùm eas pęnas remitterent, pro quibus illæ iniunctæ ſunt. Tum quia ſæpe conceduntur indulgentiæ multorum millium annorum; certum autem eſt nulli vnquam talem pęnitentiam imponi. Adde quia aliàs iam omnes maiores indulgentię eſſent ferè inutiles, cùm paruæ pęnitentiæ imponantur, & ferè expleantur antequam indulgentias lucremur. Ita Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 50. ſect. 3. aſſert. 3.* Conink *diſp 12. dub. 3. concluſ. 4.* Filliucius *tract 8. cap. 7. quæſt. 1.* Amicus *tom. 8. diſp. 20. ſect. 3. num. 52.* Diana *p. 8. tract. 1. reſol. 81.* Syluius *in ſuplem. 3. p. q. 25. art. 2. quæſit. 1.*

Bellarmin.
Henriq.
Nugnus.
Sotus.
Suarez.
Conink.
Filliucius.
Amicus.
Diana.
Syluius.

11. Indulgentiarum conceſſio continet veram abſolutionem reſpectu viuorum & ſolutionem pretij, reſpectu autem mortuorum ſolam ſolutionem pretij. Probatur prima pars, quia vbique in iure dans indulgentias dicitur alios à peccatis, ſeu pęnis iis debitis abſoluere. Iura

autem

autem videntur loqui de vera abſolutione; quod patet primo ex *cap. Quod autem, de pænit. & remiſſ.* vbi dicitur dantem indulgentias debere eſse iudicem accipientis, quia nemo poteſt ligari, aut ſolui, niſi à proprio iudice, quod inaniter diceretur, ſi non ageretur de vera abſolutione. *Secundò*, quia ius vbique diſtinguit indulgentias datas viuis à datis defunctis, quòd illæ dentur per modum abſolutionis, hæ per modum ſuffragii. Quod autem hæc abſolutio non fiat ſine ſolutione ſufficientis pretii ex theſauro Eccleſiæ, patet ex *Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* quia Deus ſemper ita exercet miſericordiam, vt etiam admiſceat aliquid iuſtitiæ. Hinc nunquam aliquod peccatum; pœnamve ei debitam etiam per Sacramentum, aut ſacrificium nobis remittit ſine interuentu meritorum, aut ſatisfactionis Chriſti vel noſtræ. Tertia pars probatur, quia poteſtas abſoluendi non extendit ſe ad non ſubditos, vt dictum eſt, atqui defuncti non ſunt ſubditi Pontificis, ergo, &c. Tum quia Pontifex nullo modo poteſt ligare defunctos, ergo nec poteſt ſoluere; quia æquè latè patet vtraque poteſtas. Tum quia poteſtas ſoluendi promiſsa Petro, Matth. 16. eſt ei data Ioan. 21. dum dicitur ei: *Paſce oues meas.* Atqui poteſtas Papæ paſcendi, non extendit ſe ad defunctos, ergo nec poteſtas ſoluendi. Tum quia Chriſtus trandens Petro poteſtatem dixit, *quodcumque ſolueris ſuper terram*; non verò dixit, Quodcumque ſolueris ſuper terram, & ſub terra. Sed animę in Purgatorio exiſtentes non ſunt ſuper terram, ſed ſub terra. Hinc defunctis proſunt indulgentiæ non per modum iudicii & auctoritatis, ſed per modum ſuffragii, id eſt, per modum ſolutionis auxilii & adiutorii Eccleſiaſtici illis applicati: ſicut enim vir iuſtus poteſt ſuam ſatisfactionem alteri applicare, ita etiam poteſt indulgentiam, id eſt, ſatisfactionem Chriſti & Sanctorum, poſitam in theſauro Eccleſiæ applicare defunctis iuxta intentionem ipſius applicantis, modò ex intentione concedentis conſtet huiuſmodi ſatisfactionem, ſeu indulgentiam poſse defunctis applicari.

Conink. Henriq. Granado.

Ita Bellarminus *lib. 1. de indulg. cap. 5.* Suarez *loco cit. diſp. 49. ſect. 3. & 4.* Conink *de indulg. diſp. 12. dub. 2. & dub. 10. num. 45.* Nauarrus *de indulgent. notabili 22. nu. 23.* Syluius *in ſupplem. 3. p. quæſt. 25. art. 1. quæſit. 2. & q. 71. art. 10. concl. 2.*

Bellarmin. Suarez. Conin. Nauarrus. Syluius.

12. Communior ſententia eſt, indulgentiam, ſublata peccati fictione non ſortiri effectum ſuum: quia ita reuiuiſcere eſt proprium omninò Sacramentorum, quæ efficaciùs multò applicant merita Chriſti, quàm indulgentiæ. Tum quia non conſtat tale priuilegium eſse conceſſum indulgentiæ, nec ex Sacra Scriptura, nec ex voluntate concedentis: cùm omnes indulgentiæ concedantur hominibus confeſsis, vel contritis: ergo nihil operantur in illis, qui ſunt in peccato, quia non ſunt contriti. Ita ſuſtinent Suarex *in 3. p. tom. 4. diſp. 52. ſect. 2. num. 15.* Conink *loco cit. diſp. 12. dub. 7.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 2. verb. Indulgentia, num. 9.* Reginaldus *lib. 7. num. 169.* & alii multi penes ipſos.

Suarez. Conin. Zerola. Raginald.

At his non obſtantibus apud multos affirmatiua ſententia ſuſtinetur vt probabilis & magis pia. Ratio eſt, quia omnia Sacramenta ſortiuntur effectum recedente fictione, ſaltem quando bona fide recepta ſunt ab eo, qui credebat ſe eſſe benè diſpoſitum, ergo idem de indulgentiis dicendum eſt. Antecedens patet, quia ſi alicui Sacramento id poterat iure denegari, illud certè erat Eucharistia, quæ tam facilè iterari poteſt; diximus tamen probabile eſse, cùm illa recipitur bona fide, ſortiri, poſtea effectū recedente fictione, (*tom 1. verb. Sacramentum IV. num. 11.*) Conſequentia verò probatur, quia Sacramenta ſortiuntur prędictum effectum, quia ille eſt ex opere operatio, id eſt, virtute meritorum Chriſti Domini, ſed effectus indulgentiæ etiam ex opere operato, prouenit enim ex applicatione ſatisfactionum Chriſti Domini & Sanctorum. Denique licet qui tempore præſcripto à Pontifice non habet ſtatum gratiæ, nihil in ſe recipiat phyſicè & realiter, eo tamen ipſo, quòd reliqua pia opera pręſtiterit, morale ius habet ad illam ſatisfactionem, quam Pontifex diſpenſauit iis, qui illa opera exercent: Eſt ergo illa ſatisfactio quaſi in actu primo diſpenſata, ſolùmque expectat ablationem obicis peccati, vt in actu ſecundo communicetur. Ita ex recentioribus Iacobus Granadus *in 3. part. de Sacram. controu. 12. tract. 5. diſp. 2. num 5.* & Probabile eſse docet Filliucius *tract. 8. num. 140.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 94.* Ex antiquioribus *Paludanus, Syluester* quos citat & ſequitur Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 3.*

Granadus.

Filliucius. Diana. Paludanus. Syluester. Henriq.

13. Varii verè ſentiunt, an ad lucrandas indulgentias debeat opus iniunctum fieri bene moraliter, ita vt ſit in ſe honeſtum & moraliter bonum? *Prima* opinio docet, ſi opus iniunctum vitietur peccato veniali ita vt illud ipſum opus ſit peccatum, impedit fructum indulgentiæ, v. g. ſi quis ieiunet vel oret ob vanam gloriam: quia tale opus non eſt diſpoſitio requiſita ad indulgentiam. Ita Syluius *in ſupplem. quæſt. 27. art. 1. quæſit. 1. concl. 2.* Nauarrus *de indulgent. notab. 19. num. 6.* & alii. *Secunda* ſentētia negat eſse neceſsariam vt opus requiſitum & iniunctum ad lucrandam indulgentiam debeat eſse honeſtum & bonum moraliter, id eſt, ſecundùm omnes circumſtantias, ſeu indiuiduo ſed ſufficit vt ſit honeſtum & bonum ex genere ſuo. Si enim non obſtante mala circumſtantia opus poſsit conducere ad finem, quem Pontifex ſibi propoſuit, eius vitium non videtur obſtare, quòminùs indulgentiæ poſſint obtineri, vt ſi indulgentia conceſsa ſit tribuentibus eleemoſynam in ædificationem, vel reſtaurationem templi, vel pugnantibus contra infideles vel hæreticos, vel ieiunantibus, &c. quæ licet fiant ex vana gloria, vel alia circumſtantia vitientur, non deſinunt tamen eſse proportionata fini, quem ſpectat Pontifex: vnde non impediunt quominùs aliquis poſſit indulgentias obtinere. Et ita communiùs ſentiunt Doctores, Suarez *diſput. 52. ſect. 6.* Valentia *in 3. part. diſp. 7. quæſt. 20 punct. 5. §. ego vero*, Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 5.* Granadus *loco citat. diſp. 4. num. 10.* & alij. *Tertia* opinio eſt aſſerentium, quod ſi illud opus pium iniunctum ſit ad placandum Deum, vel illi ſatisfaciendum non ſufficit ad indulgentiam, quia eiuſmodi opus nec ſatisfacit, nec Deo placet: vt ſi ad placandum Deum præſcribantur ieiunia, non lucrabitur indulgentiam, qui in ieiuniis ſe vino inebriarit: ideoque magnam ſeu notabilem partem iniuncti boni operis non bene perfecerit. Si verò ob alium finem requiratur opus iniunctum, v. g. ad ſubueniendum pauperi, tunc ſufficit ad indulgentiam, quia illud vitium non obſtat fini intento. Ita Bellarminus *lib. 1. de indulgent. cap. 13. §. altera quæſtio*, Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 7. num 4.* Præpoſitus *3 part. de indulgent. quæſt. 14. dub. 10. num. 92.* & alij Diana verò circa hanc quæſtionem putat non eſſe, veriſimile plus requiri à Pontifice, cùm iniungit hæc opera pia ad lucrandas indulgentias, quàm quod Eccleſia requirit ad implenda præcepta diuina & humana, ſed medijs operibus, quæ aliquo culpæ vitio inficiuntur, implentur præcepta diuina & humana, ergo & diſponuntur homines ad indulgentiam. Ita ille *part. 5. tract. 12. reſol. 5.* Pellizzarius *in man. reg. tract. 8. cap. 5. num. 194.*

Syluius. Nauarrus.

Suarez. Valentia. Henriq. Granadus.

Bellarmin. Layman. Præpoſitus. Diana.

Pellizzarius

14. Quidam docent ad lucrandam indulgentiam non ſatis eſſe opera iniuncta præſtare, ſed requiri actualem intentionem eā lucrandi: quia ſicut ad mercedem habitualis intentio non videtur ſufficere, ita neque ad lucrandam indulgentiam: & talis videtur eſſe intentio Summi Pontificis indulgentias concedentis. Hæc opinio eſt ſecurior pro praxi, quam mordicus tenent Corduba *de indulgent. quæſt. 25.* Vega *tom. 2. Summ. cap. 7. caſ. 2.* Rodriguez *in Bulla cruc. § 8. num. 9.* Nihilominus ſententia aſſerens ad lucrandam indulgentias non requiri actualem voluntatem; ſed ſatis eſſe habitualem & interpretatiuam, eſt ſatis probabilis. Ratio eſt, quia vnumquodque opus noſtrum factum in gratia, maximè pœnoſum vltra portionem gratiæ, quàm meretur, meretur etiam certam ſatisfactionem pro pœna debita in purgatorio: at tale opus meritorio meretur hanc certam proportionem ſatisfactionis pro pœnis, etiamſi operans meritoriè, neque actu, neque virtualiter intendat talem ſatisfactionem, quādo actu operatur, vt conſtat, imò multi & ferè omnes ſæculares id ignorant. Ergo cùm indulgentia ſuppleat noſtra opera ſatisfactoria circa eaſdem pœnas purgatorij, habeatque eandem conditionem, vt ſcilicet opus iniunctum & factum pro indulgentia acquirat portioné illam ſatisfactionis, etiamſi is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque ſciat neque intendat de tali indulgentia.

Corduba. Vega. Rodrig.

Deinde non eſt exiſtimandum Summum Pontificem in lucrante indulgentiam exigere actualem intentionem, quia nec natura indulgentiæ id neceſſario poſtulat, nec verba conceſſionis id ſignificant, cùm ſolùm dicatur indulgentiam v. g. plenariam conſequendam fore à fidelibus, qui tali die Eccleſiam piè viſitauerint: id autem totum fit, etſi quis actualem intentionem non habeat Layman. Salas. Portel. Sanctarell. Diana. Pellizzarius indulgentias lucrandi. Et ita docent Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.*6. *num.*4. Salas *de legib. diſp.*17. *cap.*5. Portel. *in dub. reg. verb. Indulgentia in addit. num.* 7. Sanctarellus *de iubil. cap.* 15. *dub.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 6. & alii. Quibus addo Pellizzarium *in man. regul. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 250.

Ex præcedenti doctrina colligitur. *Primò* exiſtentem in gratia, ſi ad tria ſigna campanæ poſt ſolis occaſum recitet *Aue Maria* cum verſ. *Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Verbum caro factum eſt*, &c. lucrari in- Adrian. VI. dulgentiam plenariam ab Adriano VI. Papa conceſſam, etiamſi tunc talem indulgentiam concedi ignoret. Et de aliis indulgentiis ſimile eſto iudicium.

Colligitur *Secundò*, non requiri vt opera pia iniuncta efficiantur potiſſimum propter conſequendam indulgentiam, ſed ſatis eſſe propter eum finem executioni illa mandari, licet alius finis intendatur æquè, aut magis principaliter. Ratio eſt, quia vt opus ſit pium, ſufficit vt quis habeat intentionem lucrandi indulgentiam, licet intentio illa non ſit principalis, & faciat idem opus ob alium finem, quo non exiſtente non faceret opus illud, & in conceſſionibus indulgentiarum non dicitur vt opera iniuncta efficiantur principaliter ad lucrandam indulgentiam, Suarez. Granadus. ergo, &c. Ita Suarez *loco citato diſp.* 52. *ſect.* 6. *num.* 5. Granadus *loco cit. controu.* 12. *tract.* 5. *diſp.* 4. *num.* 10. & alii.

Colligitur *Tertiò*, eum, qui confeſſus eſt & communicauit quatuor ante diebus, & de nouo nõ peccauit mortaliter poſſe vi dictæ confeſſionis & communionis obtinere indulgentiam poſtea conceſſam, quæ ad ſui conſecutionem item requirat cõfeſſionem, & communionem, idque eſto non direxerit dictam confeſſionem, & communionem ad hanc indulgentiam comparandam. Ratio eſt, quòd ex vna parte in moralibus quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur: vnde & fictione iuris reputatur præſens, qui breui abſuturus eſt, ex alia parte ad acquirendam indulgentiam nõ requiritur intentio actualis, aut virtualis, ſed ſufficit habitualis, ſicque non eſt opus vt implens requiſita ad indulgentiæ conſecutionem eam ad illam dirigat actualiter, aut virtualiter, ſed ſatis Comitolus. Portel. Pellizzarius eſt quod ea dirigat habitualiter. Ita Comitolus *lib.* 1. *reſponſ. moral. quæſt.* 39. Portel. *in dub. regul. verb. Indulgentia num.* 5. Pellizarius *in man. regular. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 184. *&* *num.* 248. Quorum ſententia non videtur Diana. improbabilis. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 166. & *part.* 10. *tract.* 13 *reſol.* 55.

15. Ex communi Doctorum ſententia excommunicatus quantumuis contritus ſi non poteſt obtinere abſolutionem, non lucratur indulgentias. Ratio eſt, quia talis eſt membrum ab Eccleſia præciſum, atque ideò participare non poteſt influxum ſpiritualium bonorum ab ipſa Eccleſia prouenientium. Nihilominus quia non videtur eſſe intentio piæ matris Eccleſiæ velle priuare huiuſmodi ſuffragiis filios obedientes, & quantum eſt ex ſe omnino à contumacia recedentes, pium & probabile eſt etiam ex intentione eiuſdem Eccleſiæ illis prodeſſe indulgentiam, illiuſque fructom lucrari poſſe; quia excommunicatus poteſt præſtare opera pro quibus datur indulgentia, ſcilicet orare in Eccleſia priuatim, ieiunare, facere eleemoſynam, & licet ante abſolutionem ab excommunicatione non poſſit recipere Sacramenta Pęnitentiæ & Euchariſtiæ; horum tamen excommunicatus pęnitens poterit commutationem obtinere in aliud opus pium à confeſſario electo, ſi Bulla indulgentiæ eiuſmodi facultatem con- Henriq. Eman. Sà. Boſſius. cedat. Ita docent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 18. Emanuel Sà *verb. Indulgentia numero ſecundo*, Boſſius *de triplici Iubilæo ſect.* 4. *caſ.* 22. §. 1. *num.* 12.

16. Indulgentia interdum conceditur nullo præſcripto opere, qua ratione in mortis articulo poteſt alicui concedi indulgentia intuitu meritorum pręcedentium ipſius, nullo pio opere impoſito, eo caſu ad valorem indulgentiæ oportet cauſam extrinſecam ex ſe eſſe proportionatam, quia per nihil aliunde adueniens poteſt compleri proportio. Communius tamen præſcribuntur aliqua opera, & eo caſu etiamſi cauſa extrinſeca ſolitarie ſumpta forte non eſſet tantæ indulgentiæ proportionata, poteſt tamen proportionari iuncta operi præſcripto, ſeu ex vtroque poteſt conſurgere vna cauſa proportionata: quia tale vel tale opus per reſpectum ad cauſam extrinſecam multum poteſt iuuare ad honorem, Dei procurandum, & quia quanto opus deuotius & feruentius fit, eò eſt præſtantius, maior deuotio poteſt iuuare ad cauſæ complementum. Et licet opus præſcriptum pro lucrandis indulgentijs interdum videatur leue, id non refert: nam quamuis ſecundùm ſe ſpectatum poſſit videri parui momenti; ſpectatum tamen provt conducit ad finem Pontificis concedentis, non poteſt, nec debet cenſeri leue, quia poteſt magnam cum illo habere proportionem & notabiliter iuuare ad finem præſcriptum. Vnde præſentia, qua aliquis aſſiſtit, dum Summus Pontifex benedicit populo præ foribus Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ſpectato fine Pontificis, non poteſt cenſeri aliquid leue, cùm per eam præſentiam aſſiſtentes proteſtentur & agnoſcant ſupremum caput Eccleſiæ, atque ita ea cauſa poteſt abundè ſufficere, vt Indulgentia Plenaria præſentibus concedatur. Ita communiter Doctores.

17. In concedendis indulgentijs nulla certa forma requiritur, ſed ſufficit quilibet actus externus, per quem declaretur voluntas concedendi indulgentias. Ratio eſt, quia neque ex diuino iure certa forma requiritur, neque ex natura abſolutionis, neque ad hoc, vt theſaurus cenſeatur diſtribui: quod verum habet non ſolùm in Pontifice vel alijs iure ordinario conferentibus indulgentias, ſed etiam in delegato; quia etiam reſpectu huius Eccleſia non ſolet præſcribere formam ſubſtantialem, licet in Bullis varia ponantur ad inſtructionem. Propterea ſi confeſſarius habeat poteſtatem concedendi indulgentias, poteſt eas conferre etiam per conſuetam formam abſolutionis Sacramentalis, intẽdendo per eam non ſolum Sacramentaliter abſoluere, ſed etiam indulgentias conferre. Notandum autem eſt hic, attendendam formam, qua conceduntur indulgentiæ: ſi enim dicatur concedi in morte, obtitur tantùm quando mors reipſa ſequitur: ſi verò dicatur in mortis articulo, & nulla pericula reſtringens apponatur, indulgentiæ toties conceduntur, quoties incurritur verum mortis periculum. Vt docet Præpoſitus *in* 3. *parte de indulgentijs quæſt.* 14. *dub.* 9. *num.* 75. Præpoſitus.

18. Dubium eſt, an omnes ſemper lucrentur Plenarias indulgentias legitimè conceſſas, qui faciunt in ſtatu gratiæ opus pręſcriptum à Pontifice? videatur quòd non, quia fieri poteſt quod aliqui habeant tot pœnas perſoluendas & opus tam exigua cum deuotione faciant, vt eius vtilitas ad illarum finem promouendum non ſit tanta, quanta requiritur pro tot pœnis remittendis. Quod ipſum facis clarè ſignificat Bonifacius VIII. in Extrauag. *Antiquorum, de pœnitent. & remiſſ.* vbi poſtquam pro anno 1300. viſi- Bonif. VIII. tantibus Baſilicam SS. Apoſtolorum Romæ pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſiſſe ſubiungit. *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & deuotius frequentabit.* Quæ verba non videntur poſſe admittere commodum ſenſum, niſi dicatur fieri poſſe, vt tepidè frequentantes Baſilicas non lucrentur plenarias omninò indulgentias; alias has deuotiùs frequentantes non poſſent illas efficacius lucrari. Ob has & alias rationes ſententiam hanc tuentur Conink *diſp.* 12. *dub.* 6. *num.* 34. Conin. Layman. Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 2. & alij.

At his non obſtantibus dicendum eſt omnes qui ſufficienter opus perficiunt, lucrari æqualem indulgentiæ Plenariæ effectum. Ratio eſt, tum quia voluntas concedentis indulgentiam impleta conditione, tranſit in abſolutam, & eſt omninò efficax, vnde operatur totum quod promiſſum eſt. Si ergo omnes opus ſufficienter perficiunt, æqualem fructum referent indulgentiæ: omnes enim totum conſequuntur, in quo non reperitur, maius vel minus ex parte indulgentiæ, quamuis ex parte ſubiecti ei poſſit eſſe maior, vel minor iuxta maiorem vel minorem indulgentiam. Tum quia indulgentia operatur non

ex ope-

ex opere operantis, ſed ex opere operato, nempe meritis Chriſti, vel Sanctorum, ergo maior, vel minor deuotio quoad remiſſionem promiſſam in Iubilæo nihil addit, vel minuit: tum quia ſi hoc eſſet, ſequeretur non eſſe verum illud commune dictum, Indulgentia tantum valet, quantum ſonat: ergo,&c. Ita Suarez *loco citat. diſputatione 52. ſectione octaua*, Boſſius *tractatu de Iubilæo, ſect.4.caſu* 21. §. 1.n.38. Filliucius *tr.8.numer.* 164. Diana *p. quinta.tr.*12.*reſ.*18 Bartholom. à S. Fauſto *de Iubil. l.* 3. *q.* 66.& alii.

Suarez. Boſſius. Filliucius. Diana. Fauſtus.

19. Quælibet indulgentia, ſiue ſit perpetua,ſiue ad tempus, vel per diem, vel per horas, poteſt multoties in die, obtineri,dummodo tamen prudenter & moraliter pluries repetatur opus præſcriptum. Ratio eſt, qui formulæ indulgentiarum, neque reſtringunt, neque limitant ad vnam vicem tantùm, ſed abſolutè concedunt indulgentias: ergo dum indefinitè loquuntur, euidens eſt, vt quis multoties in die poſſit moraliter illas lucrari, poſſit aliqua morali diſtantiam inter vnam & alteram vicem, ſi indulgentia ſit conceſſa cum determinatione temporis; ſecus verò quando eſt perpetua, vel per longum tempus: tunc quotidie ſaltem ſemel ad libitum quis poterit illam lucrari. Ita ſuſtinent Diana *par.*1.*tract.*11.*reſ.*104. *& par.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 45. Trullench *in Bulla Cruciat. l.* 1. §.6. *dub.4.num.2.* Alphonſus de Leone, Peirynus, Card. Lugo apud Pellizzarium *in Man. regul. tract.* 8.*cap.5.num.*234. Hæc ſententia videtur verior & probabilior, licet etiam probabile ſit,indulgentiam conceſſam cum determinatione temporis, in eadem die pluries obtineri non poſſe, vt docent Layman. *lib.5.tract.7.cap.3.num.*3. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 57. *ſectione prima, num.* 7. Reginaldus & Filliucius poſt illos.

Diana. Trullench. Leone. Peyrinus. Lugo. Pellizzar. Layman. Suarez. Reginald. Filliucius.

Verùm in hac quæſtione diſtinguendum videtur, vel enim de indulgentiis Plenariis, vel non plenariis, quæſtio eſt: ſi de non plenarijs intelligatur illæ pluries in die poſſunt obtineri; quòd vna vice non ex integro reatum pœnæ temporalis diuinæ iuſtitiæ debitæ exhauriant, vel tollant, ſed tantùm partialiter, vel ſecundùm partes & partes. Secus dicendum in indulgentiis Plenariis; nam cùm hæ obtente in die ſemel totum ſimul reatum tollant, a deòque nullam ampliùs materiam poſt ſe pœnę temporalis debitæ, in tali ſubiecto relinquant, non videtur eiuſmodi hominem eadem die amplius eſſe capacem Indulgentiam Plenariam ſibi iterato lucrandi. In alio tamen ſenſu non eſt,dubitandum, quin Plenaria Indulgentia ſæpius in die ab vno homine obtineri queat, ſcilicet pro ſe; deinde etiam pro defunctis ſæpius, ſi tales indulgentiæ à Pontifice pro illis expreſsè concedantur.

Porrò, quia nunquam remittitur pœna, niſi priùs remiſſa culpa, ideò qui volunt Indulgentiam Plenariam obtinere,debent cum maxima diligentia adimplere requiſita à Pontifice,pro ea obtinenda,& omnem affectum ad quęcumque venialia peccata deponere, & de eis dolorem concipere: nam aliàs indulgentia non remittit pœnam peccati venialis,cui culpa placet.

Plura verb. *Iubilæus.*

INDVLGENTIA II.

Quæ requirantur ad indulgentiam conſequendam; quantum valeant, & quamdiu durent.

SVMMARIVM.

1 *Quis ſit capax indulgentiæ? & an Cathecumenus*, refertur,duplex ſententia.
2 *An ſuſcipiens indulgentiam debeat eſſe in gratia.*
3 *An ad conſequendum effectum indulgentiæ requiratur, vt is qui præſtat opera ſit in gratia toto tempore, quo ſingula opera præſtat?*
4 *An qui præſtitit omnia bona opera, vel ſaltem vltimum opus præſcriptum ad cōſequendam indulgentiam, dum exſtiteret in peccato mortali, conſequatur indulgentiam remoto peccato per pęnitentiam?* refertur duplex ſententia,
5 *An ad conſecutionem indulgentiæ requiratur,vt qui illam eſt ſuſcepturus,præſtet ea, quæ præſcripta ſunt à ſuperiore, & qualis omiſſio operis iniuncti priuet fructu indulgentiæ?*
6 *An poſsit quis vno & eodem actu, ſeu eadem ratione conſequi indulgentias, diuerſis vijs conceſſas?* refertur duplex ſententia.
7 *An vno & eodem tempore, diuerſis actibus, poſſit quis conſequi plures indulgentias?*
8 *An indulgentiæ tantum valeant quantum ſonant?*
9 *Duplex eſt indulgentia,plenaria & temporalis?*
10 *An indulgentia plenaria idem valeat quod plenior & pleniſſima? & in quo differat à Iubilæo?*
11 *An indulgentiæ tamdiu durent, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltra?*
12 *Quis poſſit indulgentias reuocare? & an ceſſet indulgentia ceſſante cauſa.*
13 *An indulgentia conceſſa pro mortis articulo, ſemel tantum accipi poſſit?*
14 *An indulgentia pro mortis articulo conceſſa, percipi ſolum poſsit in articulo vero, quando nullum requiritur confeſſarij miniſterium.*

S*Vſceptor* indulgentiarum debet eſſe homo fidelis, viator vnde infideles nondum baptizati non videntur capaces indulgentiæ, ſicut & hæretici, apoſtatæ à fide, excommunicati etiam contriti. Suarez *c.diſp.52 ſect.2.n.1 & ſeq.* De catechumenis autem diſputant Doctores, an illis proſint indulgentiæ, quidam enim apud Henriq. *l 7 c.18.n.3.* Diana *p.5.tract.12.reſol 9:* Laym: *lib. 5. tr. 7.cap 6.num.1.* vt *Corduba, Nauar. Sà*,& alii dicunt indulgentias prodeſſe catechumenis non per modum abſolutionis, & iudicij directè tamquam ſubditis Eccleſiæ, cùm nondum ſint ſubditi, ſed per modum ſuffragii. Idem docent de catechumenis in purgatorio exiſtentibus, ſed probabilior ſententia ait, quæ eſt Suarez *c.ſect.1.num.*2. Conink *cit.diſp.* 12.*dub.*10.*ad finem* & aliorum indulgentias catechumenis non prodeſſe, quia nullus videtur capax remiſſionis culpæ ex opere operato, niſi ſuſceperit Baptiſmum, ergo, neque videtur capax remiſſionis pęnæ per indulgentias.

Suarez. Henriquez. Diana. Laym. Suarez. Conink. D. Thom.

2. Secundum requiſitum in eo qui vult indulgentiam lucrari iuxta D. Thom. *3.p.in addit.q.27.art.* 1. Reginald. *c.num.*168. eſt, vt ſit in gratia, quia certum eſt indulgentiam non valere illi, qui eſt in peccato mortali ad remiſſionem pęnæ temporalis debitæ ratione illius peccati, in quo perſeuerat: quia pęna non poteſt remitti, niſi priùs remittatur culpæ. Vnde ſi quis iuſtus habeat venialem culpam nondum remiſſam, reſpectu illius non poterit conſequi effectum indulgentiæ, quia non poteſt reatus pęnæ auferri manente culpa.

Hinc talis non poteſt lucrari indulgentiam abſolutè plenariam, quia non dimittitur ei illud veniale, in quo volūtariè manet: & ipſe impedimētum ponit, propter quod illa indulgentia non eſt ei plenaria; ex quo colligere est frequenter fieri vt quis plenariam indulgentiam non lucretur, licet Bulla ita ſonet: quia frequenter fit, vt aliquæ perſonæ venialibus obnoxiæ ſint, nec eis illa diſpliceant, ſed potius complaceant, nō obſtante contritoine & confeſſione mortalium, quorum remiſſionem etiam potius pęnæ illis debitæ lucratæ ſunt.

Tamen ad effectum indulgentiæ conſequendum, non eſt neceſſaria confeſſio, ſed ſufficit vt illam ſuſcepturus exiſtat in gratia per contritionem, modò in Bulla non exprimatur confeſſio: quando autem hæc exprimitur, vt ſi dicatur *contritis, & confeſſis*, non ſufficit ſuſceptorem eſſe in gratia per contritionem, ſed neceſſaria eſt confeſſio in eo, qui commiſit peccatum mortale poſt vltimam confeſſionem. Si verò nullum mortale commiſit poſt vltimam confeſſionem, probabiliſſimum eſt iuxta ſententiam plurimorum Doctorum, Suarez *diſp.52.ſect.2.num.*4. Nauar. *not.* 18. Conink *d.* 12. *dub.* 7.*num.*38. Graffijs *cap.5.num.*

Suarez Nauarr. Conink. Graff. Reginald. Emman. Sà Rodriq. Henriq.

8.*Re-*

8. *Rezinald c.numer.*172. Emmanuel Sà *v. indulg.num.*3. Rodriq. *in Sum.c.*183.*n.*12. Henriq.*cu.lib.*7.*cap.* 12. &c. ſuſceptorem indulgentiæ non obligari ad confeſſionem, niſi Summus Pontifex aliter declaret, quia talis dici poteſt contritus, & confeſſus ad effectum conſequendi indulgentiam, cùm habitualiter perſeueret in prima contritione, & confeſſione, nonnulli, tamen apud Diana *part.*1. *tract. de Bulla Cruc. reſol.* 107. *& part.*5.*tract.*12. *reſol.*30. Sylluius *in ſupplem. quaſt.*27. *art.* 1. *quaſit.* contrarium ſentiunt, quorum ſententia in praxi eſt conſulenda, ne pœnitens ſe periculo exponat non lucrandi indulgẽtiam, Quando autem in bulla exprimeretur confeſſio venialium ad indulgentiam lucrandam, tunc ſine dubio illa facienda eſſet, aliàs non; quia quando exprimitur in bulla confeſſio, ſermo eſt de confeſſione reſpectu illius, qui conſcientiam habet peccati mortalis, niſi aliud exprimatur, ſic habet communis vſus & ſenſus Eccleſiæ.

Diana.
Syluius.

Cæterùm ad maiorem elucidationem huius, non grauabor hic apponere verba *Syluii* loco hic citato: vti quærit an ad fructum indulgentiæ percipiendum, requiratur confeſſio ſacramentalis? Reſpondet, eam requiri poſſe, vel vt partem operis iniuncti; vel vt diſpoſitionem ad ſtatum gratiæ. Si priori modo; eſt neceſſariò adhibenda, etiamſi quis haberet ſola peccata venialia: quia totum opus præſcriptum debet impleri. Si poſteriori; facere illum tenetur is, qui peccati mortalis habet conſcientiam, & non alter.

Prius, quia confeſſio eſt medium ordinarium ad conſequendam relapſis veniam peccatorum mortalium. Poſterius, quia diſpoſitio, propter quam præcipitur confeſſio, iam habetur. Quando autem exigatur confeſſio, vt pars operis; quando verò ſolùm vt diſpoſitio ad ſtatum gratiæ, non eſt facilè ſemper iudicare. Quando conceditur indulgentia, ſed non niſi illis qui confeſſionem præmiſerint; requiri videtur vt pars operis. Quando conceditur contritis & confeſſis dubium eſt; probabilius tamen videtur, tunc requiri vt diſpoſitionem; ideoque non eſſe neceſſariam, niſi peccati mortalis conſcientiam habentibus. Hæc ille.

Sed circa prædicta eſt aduertendum *Gregorium XIII.* conceſſiſſe Patribus Societatis Ieſu, *quòd quando ad acquiſitionem indulgentiæ plenariæ vel Iubilæi requiſita eſt confeſſio, & Euchariſtia, ſi tamen per ætatem, vel per aliud legitimum impedimentum non poſſunt confiteri, vel communicare, indulgentiam conſequantur, & inculpabiliter non receperunt, ſi poſt, ſublato impedimento perfecerint quæ præſcribuntur, indulgentiam conſequantur etiamſi dies conſtitutus præterierit.* Hæc eſt magna conceſſio, vt ait Rodriquez *tr.*2. *qq. reg. q.*88. *art.* 2. quæ non eſt reuocata per *Paulum V.* quia non eſt indulgentia, ſed priuilegium. Vt notat Portell. *in dub. reg. v. Indulgentia numer.* 8.

Rodriq.
Portel.

Præterea eſt notandum, quòd ſi ſint duæ indulgentiæ duobus immediatis diebus conſequendæ, quarum vtraque confeſſionem & communionem requirit, ſatis eſſe quòd quis confiteatur & communicet in primo, dummodo in ſecundo perſeueret in gratia & non conſtet expreſſè de voluntate requirentis duas confeſſiones diſtinctas. Ita *Turrian.* apud Diana *part.*4.*reſol.*166.

Diana.

3. Secundùm communem Doctorum ſententiam, ad conſequendum effectum indulgentiæ, non requiritur, vt is, qui præſtat opera, ſit in gratia toto tempore, quo ſingula opera præſtat, ſed communiter ſufficit, vt in gratia exiſtat, dum facit vltimum opus, quo poſito conceditur indulgentia Toletus *lib.* 6. *cap.*27.*num.* 3. Nauar. *not.*19. *&* 32. Filliucius *tract.*8.*cap.*6.*q.*6. Suarez *d.* 52.*ſect.*2. Regin. *c.n.*173. Sà *v. indul.n.*2. Diana *p.*3. *de ſacramentis reſolut.* 148. Syluius *c. art* 1. vnde qui tempore iubilæi ieiunat, aut viſitat Eccleſias, dum exiſtit in peccato mortali, conſequitur iubilæum, ſi deinde communicet in gratia: quia opus præſcriptum ad conſequendas indulgentias, non debet neceſſariò ad ſatisfactorium, aut applicare ipſas indulgentias; ſed eſt conditio, qua poſita Summus Pontifex applicat indulgentias: & communi vſu conſtat hanc eſſe Summi Pontificis intentionem, cum ille non præcipiat omnia opera fieri in gratia. Imò aliqui probabile putant idem dicendum, ſi quis ſuſcipiat ſacram Euchariſtiam in peccato mortali, vel faciat confeſſionem ſacrilegam, modò in vltima Iubilæi periodo per actum contritionis ſit in gratia, & communio non ſit vltimum opus ex requiſitis. Vide Dianam hic citatum, qui idem confirmat *p.* 5. *tr.*22. *reſol.*17. circa medium.

Toletus.
Nauarrus.
Filliucius.
Suarez.
Reginald.
Sà.
Diana.
Syluius.

4. Probabile eſt, iuxta ſententiam Henriq. *l.*7.*c.*9.*n.*3. Sylu. *ver. indulg.q.*7. Palud. *in* 4.*diſt.*20.*q.*4. & aliorum, illum, qui præſtitit omnia bona opera, vel ſaltem vltimum opus præſcriptum in bulla ad conſequendam indulgentiã dum exiſteret in peccato mortali, conſequi indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam; quia ſicut per pœnitentiam reuiuiſcit quodammodo ſatisfactio Sacramentalis facta in ſtatu peccati, ita reuiuiſcere videtur indulgentia, quatenus pendet ex opere operato Chriſti & Sanctorum, quod applicatur viatoribus per indulgentias. Contraria tamen ſententia, quæ eſt Suarez *diſt.* 52.*ſect.*2.*n.*13. Nauarr. *cap. not.*17.*numer.*2. Reginald. *lib.* 7.*numer.* 169. Filliucius *c.cap.*6.*quaſt.*7. *Vide* Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.*94. *& part.*5.*tract.*12. *reſolut.* 4. &c. eſt probabilior: quia indulgentiæ tantùm valent, quantùm exprimitur: ſed in conceſſione indulgentiæ non exprimitur eam obtineri recedente fictione ſeu peccato. Ergo. Deinde theſaurus indulgentiarum ſolis Dei amicis aperiri videtur.

Henriq.
Sylueſter.
Paludanus.
Suarez.
Nauarr.
Reginald.
Filliucius.
Dianam.

5. *Tertium requiſitum* ad conſecutionem indulgentiæ eſt, vt qui illam eſt ſuſcepturus, præſtet ea quæ præſcripta ſunt à ſuperiore, in conceſſione indulgentiæ: quia indulgentia conceditur à ſuperiore ſub conditione talis operis quo non adimpleto, non obtinetur indulgentia, cùm diſpoſitio non ſubſiſtat, non adimpleta conditione. *Nota* tamen, illum, qui prætermitteret leuem partem operis iniuncti, ſecundùm probabiliorem ſententiam ſuſtineri poſſe, non priuari fructu indulgentiæ; quia parum pro nihilo reputatur; paruitas autem materiæ non ſolùm conſideranda eſt ſecundùm ſe & abſolutè, ſed etiam reſpectiuè ad opus iniunctum. Vide D. Thom. *cap.q.*27.*art.* 3. Nauar. *cap. not.* 19. *numer.* 1. Tolet. *c.cap.*33.*num* 2. Regin. *c. n.* 176.177. Suarez *cap. d.* 52.*ſect.*5. & alios. *Præterea* qui cupit obtinere indulgentiam, debet opus præſcriptum per ſeipſum adimplere, nam ſuperior cenſetur ſub hac conditione indulgentiam concedere. Bonacina *tract.* 1.*diſt.*6.*q* 1.*part.*5.*num.* 24. eſt cum qui prætermittit aliquem actum, quem iuxta probabilem, vel etiam iuxta probabiliorem opinionem credebat non eſſe neceſſarium ad conſequendam indulgentiam, non conſequi indulgentiam, ſi talis actus reipſa neceſſarius eſt, ad lucrandam indulgentiam: quia communis error, & probabilis opinio non ſupplet defectum, cùm nullum graue incommodum publicum ſequatur, ratione cuius dicendum ſit Summum Pontif. rationabiliter conſentire, & ſupplere defectum, ſicut conſtat ſupplere iuriſdictionem interueniente communi errore, & titulo colorato aut probabili opinione. Graffijs *c.*5.*n.*65.

D. Thom.
Nauar.
Toletus.
Regin.
Suarez.
Bonacina.
Graffijs.

6. Quidam putant poſſe aliquem vno, & eodem actu, ſeu eadem ratione conſequi indulgentias diuerſis viis conceſſas: Sed meliùs dicendum eſt, ſtandum eſſe intentioni concedentis indulgentias, quo pendet conceſſio indulgentiæ. Ita Corduba *quaſt.*35. *de indulgent.l.*5. Graffijs *cit.num.*55. Suarez *diſp.*57.*ſect* 8.*num.*16. Intentio autem concedentis veroſimilior eſt, vt pro qualibet indulgentia conſequenda ſinguli actus & ſingula opera præſtentur; ille autem qui habet plura grana, & imagines cum priuilegio eiuſdem indulgentiæ, lucratur indulgentiam ad quam conſequendam, ſuam determinauit intentionem: qui verò ad nullam determinauit intentionem lucratur ratione omnium ſimul eandem quantitatem. Vide Diana *par.* 5. *tract.*12. *reſ.*11. *Prepoſitus* 3.*p.quaſt.*14. *de indulg.dub.*10.*n.*95.

Corduba.
Graff.
Suarez.
Diana.

7. *Quoties* vnus actus non impedit alium, ſed vterque ſimul ſubſiſtere poteſt, poteſt quis vno & eodem tempore diuerſis actibus conſequi plures indulgentias, Bonacina *cap. num.* 31. Sanchez *in Sum. lib.* 1.*cap.*14. *num.*11. quia talis dicitur præſtare opera præſcripta ad plures indulgentias conſequendas, & ſicut ſe habet vnum opus ad vnam indulgentiam, ita duo ad duas: *Similiter* quando indulgentia conceſſa eſt abſque temporis determinatione, poteſt quis ſæpius eodem die con-

Bonacina.
Sanchez.

Digitized by Google

conſequi indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam tali die; quia præſtat opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam, illam conſequitur; ſi verò indulgentia conceſſa ſit cum determinatione & explicatione temporis, v.g. ad vnum vel paucos dies, huiuſmodi indulgentia conceſſa eſt pro vna tantùm vice, niſi aliud exprimatur, quia tempus præſcribitur, vt oſtendatur non poſſe ſæpius eandem indulgentiam obtineri. Nauar. *c. nota.* 31. *num.* 36. Toletus *l.* 6. *capite* 28. Reginaldus *l.* 7. *n.* 153. Suarez *diſt.* 37. *ſect.* 2.

Nauarrus. Toletus. Regin. Suarez.

8. Indulgentiæ, ſecundùm communem doctrinam Theologorum, & Canoniſtarum, tantum, valent, quantum ſonant: quia ſuperior facultatem habet concedendi indulgentias ad remittendam tantam pœnam, & tantam pœnam vult remitti, quantam ſonant indulgentiæ, ergo. Vnde qui moritur ſtatim obtenta indulgentia plenaria, in cælum euolat abſque dilatione & mora, quia indulgentia plenaria ſonat remiſſionem omnis pœnæ. Ita Viuald. *de indulgent. tit.* 9. *numer.* 11. Conink *diſt.* 12 *dub.* 6. Suarez *diſput.* 56. *ſection.* 3. Sylueſt. *quaſt.* 25. *artic.* 2.

Viuald. ConinK. Suar. Syluest.

9. *Indulgentia* duplex eſt, plenaria, & *temporalis*; *plenaria* eſt illa, qua remittitur totà pœna ſimpliciter, vel in aliquo certo genere: illa dicitur remittere totam pœnam ſimpliciter, quæ conceditur ſine additione particulæ, *de iniunctis pœnitentijs*, cùm autem additur de pœnitentijs iniunctis, valet ad delendas pœnas reſpondentes pœnitentiis iniunctis, & conſequenter hæc indulgentia remittit pœnas in certo genere, *Indulgentia temporalis* dicitur illa, qua non remittitur tota pœna, ſed tanta quanta in Bullis exprimitur, & hæc diuidi poteſt in *caretam*, *quadragenam*, & *ſeptenam*. *Carena* accipitur pro indulgentia, quà remittuntur tot pęnę, quot fuiſſent remiſſæ peragendo pęnitentiam in pane & aqua quadraginta diebus cum ſeptem annis. *Quadragena* eſt indulgentia, qua remittitur pęna reſpondens pęnitentiæ quadraginta dierum, ſi hæc facta fuiſſet iuxta canones pęnitentiales; idem dicendum de *ſeptena*: vnde quando in Bullis conceditur indulgentia ſeptem annorum vel quadraginta dierum, non ſignificatur hominem per conſecutionem talis indulgentiæ liberari à pœnis in purgatorio luendis ſpatio ſeptem annorum & quadraginta dierum, ſed potiùs obtinere tantam pœnæ remiſſionem, quantam obtinuiſſet, ſi tanto tempore pœnitentias iuxta canones egiſſet, vnde in forma indulgentiarum non dicitur, relaxamus tot annos pœnæ, ſed pœnitentiæ. Henriquez *de indulgent. cap.* 15. Toletanus *lib.* 6. *capit.* 30. Valentia *tom.* 4. *diſputat.* 7. *quaſt.* 20. *part.* 3. Nauarrus *de indulgent. notab.* 11. Filliucius *tract.* 8. *capite* 7. *quaſtio* 7. Reginaldus *lib.* 7 *numer.* 150. & 151. & alii.

Henriquez. Tolet. Valent. Nauarrus. Filliucius. Reginald.

10. *Indulgentia plenaria* idem valet quod plenior & pleniſſima ſolùm amplificationis gratia: *Iubileus* autem per hoc differt ab indulgentia plenaria, pleniore & pleniſſima, quòd in Iubilæo concedi ſolet facultas commutandi vota & abſoluendi à caſibus reſeruatis. Toletanus *lib.* 6. *capite* 24. *numer.* 2. Conink *diſtinct.* 12. *numer.* 28. Suarez *diſt.* 50. *ſect.* 4. Reginaldus *cap. num.* 146. & alij.

Tolet. ConinK. Suarez. Reginald.

11. *Indulgentia* tamdiu durant, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltrà: quia gratia dependet à voluntate concedentis, ipſiuſque voluntatem verbis expreſſam non excedit, Graffijs *in addit. capite* 8. Suarez *diſtinct.* 57. *ſectio* 2. *numero* 2. Sà *ver. indulgent. numero* 9. Reginaldus *capite numero* 158. 159. & *ſequent.* Nauarrus *capite nota.* 31. *numero* 27. & alij. Vnde *indulgentia* abſolutè & ſimpliciter conceſſa, per ſe loquendo, perpetuò durat: *indulgentia* verò alicui conceſſa, deſinit eo deſtructo per mortem: conceſſa autem communitati perſeuerat quamdiu manet communitas: conceſſa alicui loco abſque limitatione temporum tamdiu durat quamdiu durat locus: *vnde* indulgentia conceſſa alicui templo, quod paulatim deſtruitur & reædificatur, non ceſſat per reparationem & reædificationem, adhuc enim cenſetur idem locus: *ſi verò* Eccleſia tota deſtruatur, & iterum in eodem loco ædificetur, adhuc indulgentia durat, modò templum non fuerit deſtructum authoritate ſuperioris, vel domini ſine ſpe refectionis: nam tunc indulgentiæ ceſſarent, cùm priuilegium illud cenſeatur veluti quoddam accidens morale, quod deſtruitur ſubiecto deſtructo. Sed hæc indulgentia in caſu quod Eccleſia tota deſtrueretur & in eodem loco ædificaretur, aliquibus videtur valde dubia: quia reuera illa eſt alia Eccleſia, non ſolùm phyſicè, ſed moraliter, & ideo indulget noua conſecratione. Aliter dicendum eſſet, ſi non tota ſimul, ſed per partes dirueretur; tunc enim numquam prior Eccleſia deſijt eſſe, ſed ſemper moraliter perſeuerauerit. Ita Lugo *de Penit. diſp.* 27. *ſect.* 8. *n.* 150. ſed de his plura apud Dianam *p.* 5. *tra.* 12. *reſol.* 20. & *p.* 6 *tr.* 7. *reſ.* 32.

Graffijs. Sà. Reginald. Nauarrus.

Lugo. Diana.

Porro indulgentia quæ conceditur alicui feſto, non transfertur cum officio illius feſti. Si verò cum officio transferatur etiam feſtum, & in conceſſione non fiat mentio diei menſis, ſed ſolùm feſtiuitatis, tunc veriſimile eſt indulgentiam quoque transferri, quia indulgentia conceditur pro die feſto talis Sancti, dies autem feſtus illius eſt, quando eius officium ac feſtum celebratur. Ita Syluius *p.* 1. *reſ.* 5. *verbo Indulgentia* 11. cui adhæret Diana *p.* 6. *tr.* 8. *reſ.* 31.

Sylu. Dian.

12. *Indulgentia* deſinit eſſe per reuocationem concedentis: quia ſuperior poteſt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, per ſe loquendo, etiam abſque cauſa indulgentias pro ſuo arbitrio reuocare. Imò *ſucceſſor* in dignitate poteſt indulgentias ab anteceſſore conceſſas reuocare, nam ſucceſſor reputatur vna perſona moraliter cum concedente, cùm ſuccedat cum eadem auctoritate: *Inferior* verò non poteſt reuocare indulgentias à ſuperiore conceſſas: quando autem Summus Pontifex indulgentiam reuocat, illa non extinguitur antequam reuocatio peruenerit ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat: vnde qui inuincibiliter ignorans reuocationem indulti ſibi conceſſi, confeſſus eſt bona fide peccata reſeruata, vel cenſuras, remanet abſolutus virtute indulti, in quo continebatur facultas abſoluendi à reſeruatis, & cenſuris in ordine ad indulgentiam; quia Summus Pontifex non præſumitur reuocare donec cognitio reuocationis perueniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat: *non ceſſat* tamen indulgentia ceſſante cauſa, propter quam conceſſa fuerat, quia indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem. Suarez *diſput.* 57. *ſect.* 2. *num.* 5. Graffis *c. cap.* 8. Reginaldus *cap. nu* 161. Syluest. *v. gratia n.* 4. Sà *v. indulgent. n.* 9. Bonacina *cap. part.* 8. *n.* 8. Filliucius *c. cap.* 9. Nugnus *q.* 27. *art.* 4. *diffic. vlt.* & alij.

Suarez. Graffis. Regin. Syluest. Sà. Bonacina. Filliucius. Nugnus.

Sed quia plurimæ Indulgentiæ olim fuerant conceſſæ diuerſis Ordinibus ac religioſis, de quibus latè Compend. priuileg. Minorum *v. Indulgentia quoad Fratres*. Et Rodriquez *tom.* 2. *qq. reg. quaſt.* 88. & *ſeq. Paulus V.* in Bulla *Romanus Pontifex* quæ eſt 21. aliàs XVI. In Bullario nouo reuocauit omnes, & ſingulas indulgentias conceſſas per Prædeceſſores Summos Pontifices, quibuſlibet Regularibus ac Monialibus cuiuſuis Ordinis, illaſq; annullauit, ac decreuit, quod loco illarum ibi reuocatarum omnes & ſinguli religioſi gauderent conceſſis in Bulla cuius tenorem in gratiam Regularium Perſonarum apponemus: quia pleriſque hucuſque ignota fuit.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cæleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſollicitè proſpicere debet ac ſolerter, vbi huiuſmodi indulgentiarum diſpenſatio, & vſus, ad Dei gloriam & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur. Exordium.

§.1. Proinde cum ſerre Clemens Papa *VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia & ſollicitudine procurauerit, abuſus, & corruptelas tum in communicando Indulgentiaris*

the-

Digitized by Google

Clem. VIII. formam aggregandi cõfraternitates præſcripſit. Circa tamen indulgentias nihil morte præuentus deliberauit. Id igitur hic Pontif. Cardinalib. examinandum commiſit.

theſauros, tum in modo illos recipiendi ineptos tollere, propterea ſua quam conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præuentus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, vt conſtituerat, circa indulgentias a pleriſque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus, Religionibus, & ordinibus Monaſticis, & mendicantibus diuerſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad Summi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus, ad optimum finem perducere cupientes, vbi primum Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, Venerabilibus S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus, iniunximus, vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

Qui Ordinum Regularium indulta examinarũt, & indulgẽtias iam conceſſas reuocãdas & alias de nouo cõcedendas eſſe cenſuerunt.

§. 3. Cum itaque præfati Cardinales priuilegia, conceſſiones, & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint & examinauerint, ac eorumdem Ordinum Superiores, & Officiales plures adiuuerint, ac circa eaſdem indulgentias varia dubia & incertitudines & confuſiones adeſſe compererint, & ex iudicio eorumdem etiam Regularium vel aliquorum ex illis nobis propoſuerint valde expedire, pro eorum maiori ſecuritate, & beneficio, vt indulgentias ipſis Religionibus & ordinibus ad inſtar, vel per communicationem aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus & reuocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

Hic itaque Pont. has de nouo Indulgentias concedit, videlicet

§. 4. Nos, matura ſuper hoc conſultatione prehabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcumque quorumuis Ordinum tam Monaſticorum, quàm Mendicantium, ſpirituale ſolatium & iuuamen afferre, infraſcriptas indulgentias & gratias quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum legitima de cauſa illis conceſſa degentibus tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

Habitum regularem ſuſcipientibus.

§. 5. Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè & iuxta ordines cuiuslibet Religionis & conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem a legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam religionem, ſi verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam.

Profeſſionẽ emittentib.

§. 6. Ac cuilibet nouitio, qui pœnitens & confeſſus ac Sacra Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

In feſto principali ſui Ordinis celebrantibus &c.

§. 7. Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterij viuenti, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus & ſacra communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam Plenariam.

In mortis articulo pœnitentibus &c.

§. 8. In cuiuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac ſacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus nomen Ieſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.

Miſſam primam celebrantib. vel ei intereſſentibus.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit, necnon etiã ijs religioſis, qui pariter confeſſi ac Sacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

Spirituale exercitium, de quo hic facientib.

§. 10. Iis verò, qui de ſuorum ſuperiorum licentia à negotijs per decem dies alicui in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conuerſatione ſeparati in piorum librorum & aliarum rerum ſpiritualium animos ad deuotionem, & ſpiritũ inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe cõſiderationes, & meditationes myſteriorũ fidei Catholicæ diuinorum beneficiorũ, quatuor Nouiſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & aliorum exercitiorum orationũ iaculatoriarum aut vocalium ſaltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebrauerint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Clauſtralib. & eorum Eccleſias viſitantibus.

§. 11. Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, & vt præfertur orauerint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis & extra eam diebus ſtationum conſequuntur, in omnibus diebus perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

Aliiſq. diebus orantibus.

§. 12. Omnibus item Religioſis intra clauſtra vt ſupra viuentibus, qui quinquies Orationem Dominicalem & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet diè quinque Annos & totidem quadragenas.

Prædicantibus Lectoribusq. &c.

§. 13. Iis verò, qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes aut extra clauſtra degentes tanquam Prædicatores, & lectores, quinquies Orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque Annos & totidem quadragenas.

Orationem mentalem facientib.

§. 14. Nec non etiam eiſdem Religioſis qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio media hora orationem mentalem fecerint, ac confeſſi & ſacra communione vltima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos & totidem quadragenas.

Culpas proprias in capitulis accuſantibus.

§. 15. Qui verò contrito corde & pœnitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

Miſsione ad Terras infidelium &c. acceptantibus &c.

§. 16. Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis aut ſuorum Superiorum in ditiones & terras infidelium aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam conuertendum, & Eccleſiæ gremio reconciliandum miſſi fuerint, ſi pœnitentes, & confeſſi ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebrauerint, vt melius ad huiuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Prouinciam vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus & elargimur.

Orationib. 40. horarũ à ſuperiorib. Ordinis indictis aſſiſtentib.

§. 17. Et inſuper cum Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ & obſeruantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces, vt ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi & Sacra communione refecti fuerint, aut Miſſam celebrauerint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem, vt præfertur, concedimus.

Declarat eaſdem indulgentias Monialibus pertinere.

§. 18. Volumus autem vt omnes ſupradictæ Indulgẽtiæ & gratiæ Religioſis regularibus cuiuſuis Ordinis tã Monaſticis quam Mendicantis dumtaxat, vt præfertur conceſſæ, huiuſmodi etiam Monialibus cuiuſuis regulæ approbatæ & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuentibus & perpetuam clauſuram ſeruantibus tam Ordinarijs locorũ, quàm etiam regularibus cuiuſcumque Ordinis, regulæ, & Inſtituti ſubiectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporis duraturis.

Reuocat qualcumque alias Indulgentias.

§. 19 Cæterum omnes & ſingulas Indulgentias quibuſcumque Ordinibus & inſtitutis regularibus huiuſmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet perſonis regularibus, tam vigore priuilegiorum & literarum Apoſtolicarum, quàm viuæ vocis oraculo aut alias quouis modo per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicã Sedẽ hactenus conceſſas, & confirmatas, approbatas & innouatas, auctoritate, & tenore, prædictis perpetuò reuocamus, caſſamus, annullamus, abrogamus, & ad præſentium noſtrarum literarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

§. 20. Nec

Digitized by Google

Clauſula contrariorũ derogatoria appoſita.

§. 20. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac eorumdem Ordinum, & Inſtitutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum & Bulla aurea nuncupatis, eiſdem Ordinibus & Inſtitutis, eorumque Monaſterijs, Conuentibus, Collegijs, Domibus, Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de uerbo ad uerbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quauis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis et ad uerbum inſertis habentis, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac uice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem dari præcipit.

§. 21. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. May 1606. Pontific. noſtri anno 2.

Circa hanc reuocationem eſt aduertendum *Primò*, quòd in illa ſolum reuocantur indulgentiæ olim conceſſæ directè ipſis Religioſis & Monialibus ſeu Religionibus, quales erant illæ, quibus ſoli religioſi vtebantur. At non videtur in dicta reuocatione prohiberi quominus Religioſi lucrentur, alias indulgentias conceſſas à Pontificibus vniuerſis Chriſti fidelibus: tum quia Religioſi etiam ſunt fideles. tum quia non ſunt peioris conditionis, quàm ſæculares: tum quia ſimiles indulgentiæ non ſunt, conceſſæ primò & directæ perſonis. Regularibus, ſed omnibus Chriſti fidelibus abſque limitatione, & reſtrictione.

Secundò. Per iſtam reuocationem non reuocantur indulgentiæ conceſſæ Regularibus pro defunctis. Ita fertur *Paulum V.* declaraſſe Congreg. S.M. Fulien. viuæ vocis oraculo facto *Card. Bandino* die 23. Febr. 1609. & docet Peregrinus *p. ſui compend. uerb. Indulg. n. 9.* Quare omnes ſacerdotes regulares, qui Dominicis diebus, aut in ſolemnitatibus D.N. Ieſu Chriſti, & B.M. celebrant, & non ſacerdotes quotieſcumque communicant, conſequuntur plenariam indulgentiam per conceſſionem *Innocentij VIII.* factam Minoribus. Sed iſtam non poſſunt lucrari pro ſe, quia quoad viuos reuocata eſt per hanc conſtitutionem. Poſſunt autem illam applicare pro defunctis. Idem dicendum de ſimilibus indulgentijs pro defunctis conceſſis, vt refert Peregrinus *loco citato* §. 12. & 13.

Alph. Leo. 1.

Tertiò, Per iſtam reuocationem non reuocantur indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. Nam quæ ſpeciali digna ſunt nota, non cenſentur tacitè eſſe ſublata, vt dicitur *in leg. Item apud Labeonem §. Ait Prætor, ff de iniurijs*. Ita Alph. Leo *1. part. de Iubil. q. 6. n. 243.* qui id colligit ex quadam declaratione facta ab *Vrbano VIII.* publicata Romæ ab Illuſtriſs. Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, anno Iubilæi 1625. quòd anno iubilæi non ſuſpenduntur indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. Quare poterunt regulares in dicto articulo frui indulgentia conceſſa à *Sixto IV. Eugenio IV.* &c. de quibus Caſarub. *v. indulgentia quoad Fratres* & Peyrinus *de priuil. tom. 2. VIII. conſtit. Pauli V. §. 19. n. 10.*

Peregrin.

Porrò indulgentijs in hac conſtitutione *Pauli V.* conceſſis poſſunt etiam frui religioſi, quando extra proprias domos & Eccleſia commorantur, viſitando altaria Eccleſiarum illorum locorum, in quibus commorantur, ſiue ibi ſint per modum itineris, ſiue per modum ſtatus ad breue tempus. Ita refert Peregrin. *1. p. ſui compend. tit. Indulgentia n. 7.* declaraſſe *Paulum V.* poſt hãc indulgentiarum reuocationem, viuæ vocis oraculo. Nec ſuſpiceris iſtud viuæ vocis oraculo eſſe reuocatum. quia in iſta declaratione nulla continetur gratia, ſolùm declarat Pontifex per ſuam conſtitutionem non eſſe derogatum huic priuilegio, quod eſt valdè diuerſum à conceſſione gratiæ. Qui enim declarat, nihil de nouo concedit. Et à diuerſis non ſit illatio.

Item infirmi & decrepiti religioſi, qui non poſſunt Eccleſiam adire ad lucrandas indulgentias ab hoc Pontifice conceſſas regularibus, poſſunt eas conſequi in lectulo ſuo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio confeſſarij. Ita declarauit *Paulus V.* Congregationi S.M. Fulien. ann. 1609. vt habetur in eorum compend. *tit. infirmi* §. 4. & referunt etiam *Peregrinus* eodem tit. §. 1. *Peyrinus* loco ſuperius dicto § *IV*. Vide etiam de prædictis Lezan. *in ſum. t. 1. c. 3. n. 19.* Lezan.

13. Quidam Doctores non improbabiliter opinantur, indulgentiam pro mortis articulo conceſſam, ſemel tantùm accipi poſſe, & conſequenter expirare, ſi ſemel accepta ſit, niſi ſuperior in conceſſione indulgentiæ aliter expreſſerit. Sà *v. indulg. n. 5.* Fumus *v. indulg. n. 23.* Oppoſitũ tamen videtur probabilius, quia propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali: propterea facultas abſoluendi a reſeruatis in articulo mortis non expirat per vnum mortis articulum, ſed adhuc licet ea frui, ſuperueniente nouo mortis articulo, ergo: Bonacina *c. p. 8. n. 11.* Corduba *l. 5. q. 39.* Sà. Fumus. Bonacina. Corduba.

14 Indulgentia conceſſa pro mortis articulo percipi ſolùm poteſt in articulo mortis vero, quando in conceſſione indulgentiæ nullum præſcribitur, ſed requiritur cõfeſſarij miniſterium, quia finis & intentio concedentis eſt vt infirmus decedat ex hac vita abſque onere luendi pœnas in purgatorio: huic autem fini ſatisfacit ſolùm in vero mortis articulo: ſi verò in conceſſione indulgentiæ præſcribitur, ſeu requiritur miniſterium confeſſarii, huiuſmodi indulgentia accipi poteſt non ſolùm in vero, verùm etiam in præſumpto & probabili mortis articulo, alioquin ſæpius inanis redderetur huiuſmodi conceſſio. Nauar. *de indulgentia notab. 30. n. 3.* Reginaldus *lib. 7. nn. 156.* Bonacina *num. 12.* Nugnus *in addit. quæſt. 27. artic. 4.* & alij. Nauar. Regin. Bonac. Nugnus.

INDVLGENTIA II.

Indulgentia pro Defunctis.

SVMMARIVM.

1 *An indulgentiarum fructus poſsint per Pontificem defunctis in purgatorio detentis applicari?*

2 *An indulgentia conceſſa à Summo Pontifice pro defunctis, proſint tantum illis per modum ſuffragij?*

3 *An neceſſe ſit in gratia, qui facit opus ad conſequendam indulgentiam pro defuncto?*

4 *An poſsit homo in hac vita degens indulgentiam lucrari alteri homini in hac vita exiſtenti?*

5 *An indulgentia pro defuncto accepta tantum illi proſit quantum prodeſſet accipienti, ſi eam pro ſeipſo accepiſſet? & an indulgentia habeat infallibilem effectum reſpectu animæ defuncti:* refertur duplex ſententia. *Et de cauſis cur indulg. multoties accipiatur pro eidem defuncto.*

1 COmmunis ſententia Theologorum in 4. eſt, indulgentiarum fructus poſſe etiam applicari, & prodeſſe defunctis, quando ad illos expreſſè extenduntur per Summum Pont. Fundamentum autem huius veritatis eſt, communis ſenſus & traditio Eccleſiæ, quod partim nobis conſtat ipſa experientia & vſu, partim ex antiquis Doctoribus, D. Tho. *in 4. d. 45. q. 2. art. 3. q. 1.* Suar. *diſt. 45. ſect. 1. & diſp. 53. ſect. 1. n. 3.* Valent. *tr. 4. diſp. 11. q. 1. p. 1.* Conink *de pœn. diſt. 11. dub. 1.* Sylu. *in ſupplem. q. 71. ar. 10. conc. 1.* & alijs *ſupponit* tamẽ hæc veritas duas alias, *una* eſt, eſſe aliquas defunctorũ animas pœnis tẽporalibus ſubiectas, & ideò dari purgatorium, in quo animæ detinentur, donec perſoluerint pœnas peccatis debitas, pro quibus in hac vita debitam nõ præſtitere ſatisfactionem: *alia* eſt, inter viuentes & defunctos poſſe eſſe cõmunicationẽ ſuffragiorum, ita vt ſuffragia viuentium pro defunctis oblata, poſſint illis ad remiſſionem pœnarum prodeſſe. D. Thom. Suarez. Valentia. Conink. Syluius.

Digitized by Google

2. *Indulgentiæ* conceſſæ à Summo Pont. pro defunctis, quamuis plenariæ ſint, proſunt defunctis per modum ſuffragij, non per modum iudicij, & authoritatis, modò applicentur defunctis in gratia exiſtentibus: ex quo patet *notandum primò*, nullum præter Romanum Pontif. poſſe indulgentias plenarias pro defunctis concedere. *Secundò*, Eccleſiam non poſſe animas in purgatorio exiſtentes per modum iudicij ſoluere, cum non habeat iudiciariam poteſtatem in animas in purgatorio exiſtentes, cùm ſint extra forum Eccleſiæ. *Tertiò*, indulgentias prodeſſe defunctis, non per modum iudicij & authoritatis, ſed per modũ ſuffragij, id eſt, per modum auxilij & auditorii Eccleſiaſtici illis applicari. *Quartò*, quando Summus Pont. concedit indulgentias pro omnibus fidelibus, non cõprehendi defunctos, quia nomine fidelium, ſimpliciter veniunt viuentes. *Quintò*, indulgentias, prodeſſe defunctis in purgatorio exiſtentibus, non detruſis ad inferna loca, cùm extra gratiam ſint, neque etiam beatis, cùm non habeant reatum & obligationem ad pœnam, pro qua ſatisfaciendum ſit per indulgentias. Vide Suar. *d.* 53. *ſect.* 3. Nauarr. *cap. notab.* 22. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 32. *n.* 1. Filliucius *tr.* 8. *c.* 8. *q.* 5 Regin. *lib.* 7. *n.* 193. Bonac. *tract.* 1. *diſt.* 6. *q.* 1. *par.* 6 *n.* 9. & 10. Valẽt. *t.* 4. *diſt.* 7. *q.* 20. *p.* 1. & 5. Sylu. *c. concl.* 2. & alios.

Suarez. Nauarrus. Tolet. Filliucius. Reginald. Bonacina. Valentia. Syluest.

3. Qui facit opus ad conſequendam indulgentiam pro defuncto, non eſt neceſſe vt ſit in gratia, quamuis requiratur, quòd defunctus ſit in gratia; licet enim exiſtens in peccato mortali non poſſit ſuis operibus ſatisfacere pro ſe aut alio, nihilominus poteſt indulgentiam pro defuncto lucrari, ſi faciat opus præſcriptum ad obtinendam indulgentiam pro defuncto, tunc enim ipſe non dicitur ſatisfacere, ſed facere opus, quo poſito Summ. Pontif applicat defuncto indulgentiam, id eſt, ſatisfactionem Chriſti & Sanctorum: quia indulgentia ſuum habet valorem ex opere operato, & non dependet à gratia illius, qui pro defunctis indulgentiam lucratur. Conink *quaſt.* 12. *dubit.* 7. *n.* 39. Henriquez *cap. n.* 6. Tolet. *lib.* 6. *c.* 32. *n.* 5. Nauarrus, *not.* 19. *n.* 9. Reginal. *cap. nn.* 195. Portel. *in dubit. reg. v. indulg. num.* 24. Diana *part.* 5. *tractat.* 12. *reſolut.* 38. & alij.

Conink. Henriq. Tolet. Nauarrus. Raginald. Portell. Diana.

4. Ex conceſſione Summi Pont. poteſt homo in hac vita degens, indulgentiam lucrari alteri homini, in hac vita exiſtenti: & hoc verum, quamuis non adſit conſenſus & ſcientia illius, cui applicatur, cùm enim hìc paſſiuè ſe habeat, non videtur neceſſarius ipſius conſenſus vel ſcientia: Bonacina *cap. num.* 12. Suarez *diſt.* 52. *ſect.* 7.

Bonacina. Suarez.

5. Cùm indulgentia tantùm valeat quantum ſonat, hinc fit, vt indulgentia pro defuncto accepta, tantum illi proſit, quantũ prodeſſet accipiẽti, ſi eã pro ſeipſo accepiſſet: vnde Indulgentia plenaria accepta pro defuncto, ad remiſſionem omnis pœnæ defuncto prodeſt, modò Deus eam acceptet. Nauar. *not.* 22. *n.* 50. Reginald. *cap. n.* 198. Filliucius *tr.* 8 *c.* 8. *q.* 13. Bonacina *cap. n.* 15. Cur autem multoties indulgentiæ pro eodem defuncto accipi conſueuerint, multis de cauſis hoc fit. *Primò*, quia fieri poteſt, vt ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto contigerit defectus, propter quem Indulgentia efficiatur irrita & inualida. *Secundò*, quia fieri poteſt vt aliquis defectus interceſſerit in conceſſione Indulgentiæ, vt ſi conceſſa ſit abſq. vlla omnino cauſa. *Tertiò*, quia fieri poteſt, vt Deus non acceperit Indulgentiam, nam indulgentia, iuxta quoſdam Doctores, non habet infallibilem effectum reſpectu animæ defuncti, ſed liberum eſt Deo illam acceptare. Ita Cordub. *q.* 16. *l.* 5. Caiet. *apud* Henriquez *c.* 7 *n.* 4. hæc ſententia à multis non probatur, & ideò dicunt, tam infallibilem eſſe indulgentiam, per modum ſuffragij, quàm abſolutionis; & ideò tam infallibiliter habere in defuncto effectum, quãdo pro illo conceditur, ſicut habet in viuente, ſi cætera ſint paria, id eſt, ſi in concedente ſupponatur poteſtas, & in pia cauſa ſufficientia ſeu proportio, & quod opus iniunctum ſeu conditio poſtulata ſufficienter impleta ſit: hanc ſententiam dicunt veriorem Suarez *diſt.* 53. *ſect.* 3. Valent. *cap. diſt.* 7 *q.* 20. *p.* 5. Nauarrus *not.* 22. *n.* 18. Conink *diſt.* 10. *dubit.* 7 *n.* 58. D. Thom. *in* 4. *diſp.* 45. *q.* 2. *art.* 3. Syluest. *c. concl.* 4. Diana *p.* 5. *tract* 12. *reſ.* 8. & multi alii. Confirmatur hæc ſententia ex verbis Chriſti: *Quodcumq. ſolueris* vbi nomine *ſolutionis*, non intelligitur ſola abſolutio iudiciaria, ſed etiam omnis diſpenſatio; imò & omnis fauor & gratia, ex vi illius poteſtatis facta, ergo ſemper eſt valida, & rata apud Deum, ſi fiat ex rationabili cauſa, ſed claue non errante. Conſulatur Syluius *in ſupplem. q.* 71. *art.* 10.

Nauarrus. Regin. Filliucius. Bonac.

Cordub. Caiet. Henriq.

Suarez. Valentia. Nauar. Conin. D. Thom. Syluester. Diana.

Si dicas, ergo Pontifex poſſet ſic certò animam liberare & conſequenter etiam omnes, quia poteſt pro omnibus ex infinito hoc theſauro pretium ſufficiens offerre? Reſp. ſicut Pontifex non poteſt dare indulgentiam viuis ſine iuſta cauſa & proportionata, ita nec mortuis, & ſic ſolum illis prodeſt pro ratione cauſæ ſufficientis: Nec enim ex ſolo miſericordiæ motiuo poteſt Pontifex quaslibet animas liberare, quia diſpenſatio theſauri erga illas debet etiam fieri cum moderamine, & diſcretione.

SVPPLEMENTVM.

INDVLGENTIA III.

De Indulgentijs Defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *An indulgentia proſint defunctis in Purgatorio detentis, ſi illis in Eccleſia applicentur.*
2 *An animæ Purgatorij ſint capaces indulgentiæ per modum ſuffragij, & quid ſit indulgentiam concedi per modum ſuffragij.*
3 *An indulgentiæ defunctis conceſſa per modum ſuffragij valeant illis de condigno, vel tantùm ex congruo?* Refertur duplex ſententia.
4 *An omnibus defunctis ſemper proſint ſuffragia Eccleſiæ & indulgentiæ.*
5 *An quando Sacerdos in Altari priuilegiato dicit Miſſam, debeat non ſolùm indulgentiam, ſed & fructum ſacrificij applicare defuncto.*
6 *An grauiter peccent qui ſub titulo Altarium priuilegiatorum tot Miſſas recipiunt, vt vix in vno anno, aut pluribus celebrari poſſint.*
7 *An indulgentiæ & Altaria priuilegiata vnius Eccleſiæ vel Religionis communicentur aliis Eccleſijs vel Religionibus.*
8 *An Sacerdos obligatus celebrare in Altari priuilegiato pro defunctis ſatisfaciat, ſi dicat Miſſam, quæ non ſit de* Requiem.

1 CErtum eſt, & contrarium eſt hæreſis, vel hæreſi proximum, indulgentias prodeſſe defunctis in Purgatorio detentis, ſi illis ab Eccleſia applicentur. Probatur *Primò*, ex Decretali Leonis X. miſſa ad Cardinalem Caietanum, quæ incipit, *Surge Domine*, &c. reperitur apud eundem 3. *p. q.* 48: *art.* 5. vbi inter cæteros Lutheri articulos damnatur etiam iſte vigeſimus ſecundus. *Indulgentiæ ſex hominũ generibus, nec ſunt neceſſaria, nec vtiles; mortuis ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui admiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.* Probatur *Secundò*, quia ſicuti animæ defunctorum iuuari poſſunt ſuffragiis viuorum, vt patet 2. Machab. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur.* Ita etiam Pontifex, vt caput Eccleſiæ poterit ex theſauro eiuſdem pro eiſdem defunctis applicare ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum mediis indulgentiis: quia defuncti in Purgatorio exiſtentes ſunt mẽbra Eccleſiæ Fide, Spe, & Charitate coniunctaeſt, ergo ab Eccleſia iuuari poſſunt: quia idcircò eſt bonorum Communio in Eccleſia, eo quòd fideles ſint inuicem membra; membrum autem pro membro ſollicitum ſit & laboret. Et iſta ſemper fuit conſtans traditio & ſenſus totius Eccleſiæ Catholicæ. Nam Paſchaſis I. ante annos 700. Indulgentias defunctis conceſſit, cuius factum vndecim ſequentes Pontifices confirmarunt. Idem fecit Gregorius I. ante annos ferè mille, vt monumenta teſtantur, quæ in templo S. Praxedis & alibus Romæ paſſim extant Quod autem ſuffragia, ſeu preces Eccleſiæ, ſacrificia &

Leo X.

Paſchal. I.

Gregor. I.

alia

Digitized by Google

alia pia opera, proſint defunctis, nouiſſimè definitum eſt in Conc. Trid. *ſeſſ. 25. in princ.* Idem quoq. docent S. Patres apud Gratianum 13. q. 2. De his vide Bellarmin. *l. 1. de indulg. c. 14.* Suarez *diſp. 53. ſect. 1.* & alios communiter, quibus adde Nauarr. *de indulg. notab. 22. n. 9.*

Conc. Trid. Bellarm. Suarez. Nauar.

2. Animæ purgatorij ſunt capaces indulgentiæ per modũ ſuffragij. Quid autem ſit indulgentiã concedi per modum ſuffragij? quidam ſic explicant, quod talis indulgentia non ſit omninò infallibilis, ſed pendens ex libera acceptatione Dei: quia cùm in animas purgatorij iam ſit prolata ſententiam in termino viæ, ſolùm ſupereſt via liberalis acceptationis, qua oblata ſatisfactione ſufficienti illas Deus liberet. Ita Caiet. *t. 1. opuſc. tr. 16. q. 5. & 6.* & alij. Secũdus modus explicandi eſt, quod non concedatur indulgentia directè & immediatè animabus purgatorij ſed viuẽtibus, ſimul concedendo vt poſſint applicare defunctis, ſicut poſſunt ſuas priuatas ſatisfactiones per modũ ſuffragii. Hinc eſt, vt huiuſmodi indulgentia non ſit propria defunctorũ; cum poſſit etiam hoc modo viuens afferre ſatisfactionem ſuam pro alio viuente. Tertius modus omnium probabiliſſimus eſt, quod indulgentia per modum ſuffragij differt ſolùm quoad modũ cauſandi moraliter illum effectum remiſſionis pœnæ: nam quando eſt per modum abſolutionis erga viatores, qui eam concedit, immediatè remittit pœnam tanquam Dei miniſter & locum eius tenens: quando autem eſt ſolùm per modum ſuffragij, concedens non remittit pœnam, ſed offert Deo pretium æquiualens, vt ipſe remittat. Vnde indulgentiæ viuorum includunt actũ iuſtitiæ vindicatiuæ & commutatiuæ; Defunctorum verò ſolùm commutatiuæ. Vnde infertur indulgentias applicatas viuis & defunctis, in hoc conuenire, quod ſint ſimpliciter indulgentiæ & actus poteſtatis Clauium, per quem ad remittendas pœnas diſtribuitur theſaurus ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum; proindeque in vtriſque fit ſolutio æquiualens, & reperitur iuſtitia commutatiua. Differunt autem in hoc, quòd indulgentiæ applicantur per modum abſolutionis, & per actum iudiciariæ poteſtatis. In indulgentijs verò, quæ applicantur defunctis per modum ſuffragii, Pontifex exhibet Deo prætium æquiualens ex theſauro & Deus ipſos abſoluit à pœna. Ita Nauarrus *de indulg. notab.* 212. Toletus *in ſum. lib. 6. cap. 26. n. 3.* Suarez *diſp. 53. ſect. 3.* Filliucius *tr. 8. c. 8. q. 6.* & alij.

Caiet.

Nauarr. Tolet. Suarez. Filliuc.

3. Dubium non leue eſt inter Doctores, an Indulgentiæ defunctis per modum ſuffragii conceſſæ, valeant illis ex condigno, certaque lege an tantùm ex congruo, nempè ſi Deus acceptauerit? Exiſtimant enim quidam indulgentiã defunctis applicatam non habere infallibilem effectũ, ſed ſolùm per modum cuiuſdam impetrationis ex libera Dei acceptatione, eo quòd ſupremus Iudex non teneatur commutationem pœnæ ſibi debitæ acceptare, niſi ad id ſua ſe promiſſione obligauerit: at Deus non videtur obligatus ad acceptandam ſatiſfactionem ex Chriſti & Sanctorum meritis pro Defunctis oblatam, quia Chriſtus Dominus ſolum promiſit ſoluendum in cœlis quod Pontifex ſolue-rit ſuper terram: non verò quod Pontifex ſolnerit ſub terra, vbi animæ detinentur & pœnas luunt. Confirmatur hæc ſententia ex vſu fidelium, qui poſtquam indulgentiã plenariam alicui defuncto applicarunt, medio ſacrificio, vel alio pio opere, iterum repetunt eandem indulgentiã; quod ſuperfluum eſſet, ſi infallibiliter haberet effectum. Sentiunt ergo fideles ſolùm habere effectum ex libera Dei acceptatione. Ita ſentiunt Laym. *l. 5. tr. 7. n. 3.* D. Bonauentura, Richardus, Durandus, Caietanus, Corduba, Canus, Petrus Soto, Henriquez apud ipſum & inclinat Bellarminus *tr. de indulg. l. 1. c. 14. q. 4.* Amicus *t. 8. diſp. 20. ſect 8. n.* 176 & ſequent.

Layman. Bonauent. Richard. Durandus. Caiet. Corduba. Canus Soto. Henriq. Bellarm. Amicus.

Communior tamen ſententia docet indulgentias defunctis valere ex condigno & certa lege. Prob. quia etſi fortaſſe noſtra ſatisfactio non alteri valeat ex condigno, tamen ſatisfactio Chriſti valet non ſolum viuis, ſed etiam defunctis: atqui hæc potiſſimum applicatur per Indulgentias, vt patet in *Extrau. Vnigenitus de pœnit. & remiſſ.* Tũ quia vt indulgentiæ infallibili iuſtitiæ lege proſint defunctis, duo ſolum requirũtur. Primũ eſt, diuina promiſſio. Secundum applicatio ſatisfactionis æquiualentis pœnæ, quam defunctus debet. Et quidem diuina promiſſio non deeſt, quia perpetua Eccleſiæ traditio qua docemur Indulgentias prodeſſe defunctis, non niſi in diuinæ promiſſionis notitia fundamentum habere poteſt, ſine promiſſione enim nihil firmum eſſet. Quòd verò ad ſecundũ m attinet, maxima certè eſt gratia, quòd velit Deus admittere ſatisfactionem oblatam pro anima Defuncti etiam incapacis ſatisfaciendi; verumtamen hæc ſufficientiſſima & æquiualens eſt cum præcipua eius pars ſit Chriſti Domini, ac proinde valoris infiniti. Sic docent. D. Tho. *in 4. diſt. 21. q. 2. ar. 3. quæſtiunc. 2.* Sotus *ibid.* Suarez *diſp.* 53. Nauarr. *de indulg. notab. 22 n. 18.* Granad. *in 3. p. controu. 12. tr. 3. diſp. 5. n. 10.* & alij multi. Quæ doctrina colligitur ex Epiſtola Decretali Leonis X. ad Caietanum, in qua habetur *Apoſtolica auctoritatem theſaurum Ieſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſando, & per modũ abſolutionis indulgentiam ipſam concedenda, vel per modum ſuffragij illã transferendo* Vnde concludit, *omnes tã viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgẽtias huiuſmodi conſequuti fuerint, à tanta tẽporali pœna ſecundum diuinam iuſtitiã pro peccatis ſuis actualibus debita, liberari, quanta conceſſa & acquiſita indulgentia æquiualet.* In quibus verbis Pontifex indiſtinctè & indifferenter loquitur de viuis & defunctis & planè ſignificat, æque certam & infallibilem eſſe indulgentiam vtriſque conceſſam: & tanquam de re certa loquens, docet eos omnes liberari à tanta pæna, quantam ſonant indulgentiæ, idque fieri Apoſtolica auctoritate.

D. Thom. Sotus. Suarez. Nauarrus. Granadus. Leo X.

Si dicas, quòd ſi indulgẽtiæ valerẽt ex cõdigno & certa lege ſequeretur, quòd Pontifex poſſet vno die exhaurire purgatoriũ. Reſp. Pontificẽ id non poſſe præſtare, quia nõ ſubeſt cauſa ob quã poteſtate clauiũ tam ingẽs diſpenſatio fieri queat; atqui diſpenſatio ſine iuſta cauſa eſt irrita, ergo

Obiicies Secundo, ſi indulgentiæ infallibili lege iuſtitiæ proſint determinatè animabus purgatorii quibus applicãtur, quare poſt applicatã ſemel indulgentiã, qua liberatur anima à purgatorio, applicantur eidem aliæ indulgentiæ, ſacrificia & ſuffragia? Reſp. 1. quia non nobis ſatis conſtat de veritate huius opinionis, cũ Doctores graues opinẽtur non eſſe legem infallibilem qua Deus acceptet totũ quod ſingulis animabus applicatur: 2. quia vt indulgentia valeat requiritur cauſa proportionata, poteſt autem accidere eã non ſufficere ad indulgentiarũ conceſſionẽ, quanta requiritur ad liberandã hãc determinatã animã à purgatorio: vt ergo certiori quo poſſumus modo defunctis ſuccurramus ſolent indulgẽtiæ multiplicari, vt ſi quę nõ profuerint, aut certè minùs valuerint, aliarum applicatione ſuppleantur.

4. Quidam exiſtimant ſuffragia ſpecialiter quibuſdam defunctis applicata, nõ habere in illis effectum, niſi meritum aliquod præceſſerit, v. g. ſi dum viuerent ſollicitè curarunt ſatisfacere pro peccatis & deuotionem habuerunt ad ſuffragandum defunctis. Idem docent de indulgentiis, quæ illis ſolis proſunt, qui in vita habuerunt deuotionem erga claues Eccleſiæ donatiuas indulgentiarum: illos autem, qui dum viuerent, nullam curam pro mortuis habuerunt, nec pro peccatis ſuis ſatisfacere conati ſunt, non iuuari aliorum ſuffragiis, in vindictam indeuotionis, & incuriæ. Ita Caiet. *opuſ. 16. q. 5. de indulg.* Nauarr. *de indulg. notab. 22. n. 42.* & Verùm hæc ſententia paſſim reiicitur. Ratio eſt quia omnes qui in gratia diſcedunt, capaces ſunt cuiuſuis influxus meritorum Chriſti, qui per indulgentias diſpenſatur. Nam fundamentum communionis ſuffragiorum Eccleſiæ, non eſt particulare aliquod meritum, ſed ſtatus gratiæ ob quem ſatis digni ſunt qui iuuentur. Tum quia ad indulgentiæ applicationem ſolùm requiritur ex parte eius, cui eſt applicanda, ne ponat obicem; quia eſt quædam liberalis donatio & pœnarum remiſſio. At eo ipſo quo caret peccato, non ponit obicem. Ergo negligentia præcedens obſtare non poteſt, quin peccatum mortale non conſtituat. Quod ſi de facto mortale fuit, per pœnitentiam deletum eſt. Neque contrarium docuerunt Auguſtinus *in c. Non æſtimemus 13. queſt. 2.* Et Gregorius *libr. 4. Dialog. c. 39.* ſed affirmant non prodeſſe orationes & ſacrificia eis, qui in vita, conſequendo gratiam, non compararunt vt proſint: de hac verò negligentia in ſatisfaciendo, nec verbum loquuti ſunt. Proinde ſententia Caietani, & aliorum non admittunt Henriquez, Suarez, Valentia, Laym. quos citat & ſequitur Caſtrus Palaus *t. 4. tr. 24. diſp. vnic. punt. 10. n. 11.* Leſſius *in tertia p. c. 5. de indulg. dub. 3. n. 41.* & alii.

Caiet. Nau.

D. Aug. D. Greg.

Henriquez. Suarez Valen. Laym. Palaus Leſsius.

5. Quando conceditur liberatio animæ purgatorij pro qua dicitur Miſſa, vel recitatur corona, aliudve ſimile, opus ſit, tunc neceſſe eſt ſubſtantiam operis, id eſt Miſſam vel Coronam, ſeu ſatisfactionem ex opere operantis ex illa prouenientem applicari à lucrante. Ratio eſt, quia cũ Pontifex concedit indulgentias ad liberandam animam è purgatorio, dicendo Miſſam in tali altari, vel Eccleſia videtur conſequenter exigere vt ſacrificium eidem animæ applicetur. Et idem a ſimili dicendum eſt cùm pro indulgentia mortuis lucranda præcipitur ieiunium, viſitatio tẽpli, peregrinatio & maximè eleemoſyna, quæ in bonum tertij imponitur. Proinde verba reſcripti ſeu priuilegij Apoſtolici ſunt attente expendenda, nam ſi hunc tenorem contineant, *Quandocumque Sacerdos Miſſam defunctorum pro anima cuiuſcumque fidelis, ad præfatum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequetur*, tunc perſpicuum eſt ex mente Pontificis requiri, vt non ſolùm indulgentia, ſed & ſacrificium applicetur defuncto. Si autem in indulto ſolùm diceretur, quoties Sacerdos Miſſam in tali Altari celebrauerit, liberabit animam è purgatorio, vel quoties dicet Coronam vel Pſalmum &c. tunc probabile eſt non requiri talem applicationem ſpecificam operis, ſed ſolùm indulgentiam. Sed quia ſæpe non conſtat quibus verbis talis gratia conceſſa ſit, ſecuriùs eſt, & optimum conſilium ſacrificiũ pro defuncto offerre, vel illi ſatisfactionem operis applicare, quia fortaſſe hoc modo erit ſufficiens cauſa ad lucrandam indulgentiam, quæ aliàs non eſſet. Ita Suarez *t.4. diſput.53.ſect.4.* Fillucius *tract.8.num.* 212. Caſtrus Palaus *tom.4.trac.24.diſp.vnic.punct.* 10.*n.9.* & alii.

Suarez. Fillucius. Palaus.

6. Qui ſub titulo Altarium priuilegiatorum tot ſimul & ſucceſſu temporis Miſſis recipiunt, vt vix in vno anno aut pluribus celebrari poſſint grauiſſimè peccant. Ratio eſt, quia non tantùm intentionem Miſſas poſtulantium defraudant, ſed etiam animabus defunctorum iniurij ſunt, & ſeipſos in graues anxietates conſcientiæ præcipitant. Intentio enim poſtulantium eſt, vt cito Miſſæ celebrentur, vt anima ſuffragio illius indulgentiæ liberetur. Detrimentum autem graue animæ eſt, ſi per multum temporis, vt per plures menſes & ampliùs pati debeat, donec ſolutio indulgentiæ offeratur; Conſcientia accipientium torquetur, qui a & ratione ſtipendii oblati Miſſas celebrandas in Altari priuilegiato acceptant & ignorantes tempus, quo illis ſatisfieri poſſit, ſibi anxietates in præſenti & tormenta in futuro theſaurizant. Conſilium ſanum eſt non plures Miſſas acceptare, quam vno vel ad ſummum duobus menſibus & non vltra perſolui poſſint, vt docent Villalobos, Ledeſma, Hieronymus, Garzias, quos refert & ſequitur Diana, *part.2.tract.14.reſol.25. & part.9.tract.6.reſol.*55. Imò quidam conſulunt non debere acceptari Miſſas plures, quam in vna aut altera hebdomada dici poſſint. Sed de hoc infra verb. *Miſſa*, iterum redibit ſermo.

Villalobs. Ledeſma. Garzias.

7. Quamuis inter Mendicantes ſit communicatio priuilegiorum, vt dicemus *verb. Priuilegium V. numer.* 2. Non datur tamen inter eos communicatio indulgentiarum, iuxta probabiliorem ſententiam & ſeruendam Doctorum. Vnde Altaria priuilegiata vnius Eccleſiæ vel Religionis non communicantur aliis etiam habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliarum Religionum. Ratio eſt, tũ quia ſtylus curię ita tenet. Tum quia iuxta Regulam Iuris in 6. quæ eſt 81. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*. Nec dicere quod conceſſa vni Monaſterio vnius Ordinis cenſentur etiam conceſſa omnibus Monaſteriis eiuſdem Ordinis, vt conceſſit Pius IV. Patribus Sancti Hieronymi in Hiſpania ad inſtantiam Regis Philippi II. Reſpond. hoc debere intelligi de priuilegiis, gratiis, & indultis ſpiritualibus, non verò de indulgentijs, quę nimis differant à priuilegijs, gratijs, & indultis ſpiritualibus. Gratia enim nomen generale eſt ſignificans gratiam infuſam, beneficium, fauores, &c. Indulgentum etiam ſpirituale multa alia ſignificat, vtpote conceſſiones ad quietandos ſcrupulos, ad abſoluendum à reſeruatis, & alia ſimilia pertinentia ad animam, vt diſpenſationes, quæ non ſunt indulgentiæ. Hinc Iulius III. Sixtus V. & Clemens VIII. confirmantes priuilegia vltra indulgentias dixerunt, etiam indulta ſpiritualia tanquam quid diuerſum. Et quod ſub nominibus communibus non intelligantur indulgentiæ, tenet expreſsè Suarez *de legat.lib.8.c.9. ad finem*. Et confirmantur ſupradicta. Nam ſi vna indulgentia plenaria conceſſa particulariter Eccleſiæ alicuius conuentus, efficeretur communis pro aliis etiam Conuentibus totius Ordinis, ſequeretur clarè, quòd etiam omnes aliæ Religionis gaudebunt illa indulgentia eodem die, eo quod iam illa indulgentia per ſe eſt communis toti ordini, cum quo ordine cæteri Mendicantes participant. At nemo vnquam excogitauit, neque praxis edocuit, quod virtute indulgentiæ plenariæ conceſſæ in die S. Bonauenturæ viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum, &c. illam lucrentur in die S. Hyacinti viſitantes Eccleſiam Fratrum Prædicatorum. Ita docent Lezana *tom.3.quæſt. regul. verb. Altare num.* 19. qui citat Peirynum, Bordonus *tom.2.reſol.52.n.85.* Diana *par.9.tract.2.reſol.*20. Portel. *in dub.regul. verb. Priuilegium, n.*20. Vnde non eſt audiendus Hieron. Rodriquez *in compend.quæſt.regul.reſol.*116.*n.* 52. docens indulgentias conceſſas Fratribus Minoribus in Feſtis ſuorum Sanctorum, cenſeri conceſſas pro Eccleſijs Fratrum Prędicatorum in Feſtis ſuorum Sanctorum, & è contra. Cuius opinio prorſus eſt reijcienda & à praxi abhorret, & eam deteſtatur conſuetudo, ſecundùm quam priuilegia eſſe interpretanda, communis eſt Doctorum ſententia.

Regjuris. Pius IV. Iulius III. Sixtus V. Clem. VIII. Suarez. Lezana. Peirinus. Bordunus. Diana. Portel. Hier. Rodr.

De rigore tamen iuris, indulgentiæ conceſſæ Eccleſijs vnius ordinis & perſonis ſæcularibus, cenſentur etiam conceſſæ Eccleſijs aliorum ordinum cum eo habentium communionem priuilegiorum, vt conceſſit Leo X. Ordini Prædicatorum per Bullam quam refert Caſarrubius *in compend.priuileg. Mendic. verb. communicatio priuileg. num.*10. Cæterum iſta conceſſio Leonis X. videtur amiſſa ex non vſu, quia priuilegia regularium ex non vſu amittuntur; nimirum, ſi adſit occaſio vtendi priuilegio, concurrantque ſcientia ipſius priuilegij, & poteſtas eo vtendi, & nihilominus regulares eo non vtantur, prout notat Portel. *in dub. regul. verb. Priuilegium nu.* 57. & hæc omnia reperiuntur in hoc priuilegio. Proinde hactenus dicta conceſſione vſi non fuerunt regulares, & quidem per decurſum plus quàm centum annorum quod eſt ſignum eos voluntariè renunciaſſe tali priuilegio, vtpote quod erat ex ſe valdè odioſum & aptum ad excitandam magnam perturbationem ac tumultum inter ipſos Religioſos: eo quòd vi talis conceſſionis Fratres Minores poſſent in proprijs Eccleſiis exponere indulgentias Roſarij, & è contra Fratres Dominicani in ſuis indulgentias Cordæ Sancti Franciſci, eæque promiſcuè poſſent à ſæcularibus obtineri in dictis Eccleſijs: vnde omninò abſtinendum eſt ab illius priuilegij vſu, ad vitanda iurgia, ac offenſiones, quæ inde poſſent facilè prouenire non ſine fidelium ſcandalo.

Leo X. Caſarrub. Portel.

8. Quod Sacerdos obligatus ad celebrandum in Altari priuilegiato pro defunctis non ſatisfaciat, ſi dicat Miſſam, quæ non ſit *de Requiem*, declaraſſe fertur Sacram Congregationem rituum in Piſtorien. 1. Iunij 1601. & in Toletan. 13. Iulij 1601. his verbis: *Miſſa celebrata in Altari priuilegiato pro defunctis, non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licet in indulto non exprimatur.*

Sacr. Cong.

Non obſtante tamen dicta declaratione Eminentiſs. DD. Cardin. (ſi de ea conſtet authenticè) Pellizzarius *in man. reg. tract. 5.cap.9.n.*81. ſuſtinet, non improbabiliter ad mentem ipſius, quo ad liberandam animam è purgatorio, ſufficiat quælibet Miſſa dicta in Altari priuilegiato: quia illa declaratio non facit legem vniuerſalem (vtpote quæ non habet requiſita ad obligandum inſtar legis communis) adeòque facit ſolùm opinionem probabilem, non ablata probabilitate opinionis oppoſitæ. Præterquam quòd eadem S. Congregatio declarauit. *Quod Miſſa de Requiem in Altari priuilegiato non poteſt dici in die Feſto duplici, & de præcepto, qui incidit in diem aſſignatum pro dicto Altari priuilegiato.* Sub die 24. Aprilis 1627. Sicque non rarò contingeret, priuilegiũ præfati Altaris nõ ſuffragari & conſequenter animas defunctorũ interim priuari eo ſuffragio: quod non videtur, ita facilè præſumendum eſſe de pia Matre Eccleſia, aliàs tam propitia animabus purgatorij. Maximè cùm in contrarium non afferatur

Pellizzar. Sacr. Cong.

niſi

Digitized by Google

niſi illa declaratio Sacræ Congregationis, quæ non tollit probabilitatem oppoſitæ opinionis.

Hurtado. Huic ſententiæ nouiſſimè ex parte adhæret Thomas Hurtado *in ſuis reſolut. moral. tractat. 2. cap. 4. reſol.* 13. *nu.* 119. dicens: aduerto etiam circa Miſſæ celebrationem in Altari priuilegiato, quod quamuis in Breui Pontificio dicatur quod vt liberetur anima debeat dici Miſſa defunctorum, aut de Requiem; ſi incidat dies feſtus duplex, ex precepto, & dicatur Miſſa de die, adhuc anima liberatur, & citat *Nauarrum, Zerolam, & Fagundez*. Ratio ipſius eſt, nam verba illa, quæ in Breui ponuntur, denotant quod Miſſa de Requiem debet dici ſemper, quando iuxta Rubricas Miſſalis liberum eſt Sacerdoti Miſſas votiuas celebrare: quando autem occurrit Feſtum duplex in diebus priuilegiatis, cùm nõ poſſit omitti Miſſa de die Feſto, anima liberatur & ſatisfit intentioni Pontificis: ſicut ſi fundator dicat, quod quotidie dicat Miſſa de Requiem, vt Capellanus lucretur fructus Capellaniæ, abſque dubio illos lucretur, ſi diebus Dominicis & aliis Feſtis duplicibus

Seraphicus. maioribus & de præcepto Miſſam celebret currentem: Vt enim notat Cardinalis Seraphicus in vna Papien. 23. Februarii anno 1604. priuilegium fauorabile ad adiuuandos pauperes Clericos latè eſt interpretandum, non autem reſtringendum; ergo multo magis priuilegium ad adiuuandas pauperrimas Purgatorij animas. Ita ille. Nihilominus ſuppoſita veritate dictarum Declarationum Sacrę

Diana. Congreg. non audet Diana *par. 9. tract. 2. reſ. 8.* ab illis diſcedere, nec ego.

Vide verb. Miſſa 11. *n.* 13. & 14.

INFERNVS.

SVMMARIVM.

1 *Infernus vnde dictus, & quid.*
2 *Infernus qua parte terra ſitus ſit, & quare dæmones ſuam damnationem vbique portent.*
3 *Pœna infernalis duplex eſt.*
4 *An ignis infernalis ſit verus ſubſtantialis ignis & eiuſdem ſpeciei cum noſtro? Et quomodo poſſit agere in animas corporibus exutas.*
5 *An damnati crucientur in ſingulis ſenſibus, & quid ſit vermis inferni.*
6 *An in damnatis ſit fletus cum effuſione lachrymarum & ſtridor dentium.*
7 *An pœna damnatorum ſint æterna? Et quare Deus peccatum mortale æternum puniat.*

1 INfernus nomen habet ab eo quod infra nos ſit. Apud Grammaticus eſt nomen adiectiuum, quod accommodari poteſt ad omne quod ſub terra eſt. In Sacra autem Scriptura & apud Sanctos Patres ac Theologos, Infernus definitur *locus ſubterraneus inferorum ſpirituum*. Et ſicut olim & etiam nunc fuerunt, ac ſunt diuerſi ordines inferorum ſpirituum: ita & loca inferorum ſunt diuerſa. Nempe alius ſpirituum damnatorum, qui eſt infimus. Huic proximus eſt locus Purgatorij, in quo animæ fidelium pro pœnis peccatorum ſuorum cruciantur ad tempus eodem igne, quo maligni Spiritus in loco infimo. Tertius dehinc locus eſt puerorum abſque Baptiſmo mortuorum, qui ſola viſione Dei in cœli priuatis ſunt, nullam aliam pœnam ſentientes. Quartus locus fuit in quo detinebantur omnes veteres Sancti mortui ante paſſionem, mortem & deſcenſum Chriſti ad ipſos: nullus autem Sanctorum à condito mundo in regnum cælorum, propter pœnam peccati originalis, intrare potuit. Locus iſte etiam apud inferos fuit, ſed in ſuprema parte, ad quam nullus inferni cruciatus potuit peruenire, qui Limbus Patrum vocatus fuit. Hinc Iacob Patriarcha dixit ſe deſcenſurum lugentem ad filium ſuum in Infernum. *Geneſ.* 37. Et Iob domum ſuam dixit Infernum. *cap.* 17. Vnde ſequitur nomen Inferni non ſemper accipi pro inferno damnatorum. Sed hic locus Limbi, aut iam non eſt, aut certè eſt vacuus; cùm iam animæ iuſtorum, quæ nihil expurgabunt habent, ſtatim à morte euolent in ipſum cœlum. Ita D. Thom. *in ſupplem.* 3. *p. q.* 69. Sotus *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 1. *art* 1. & 2. D. Thom. Sotus.

2. Communior ſententia Doctorum eſt, Infernum eſſe ſub terra, circa eius medium ſeu centrum, vbi ſunt Dæmones & homines damnati. Tamen ordinatione Dei multi Dæmonum relicti ſunt in aere caliginoſo, ad tentationem ſeu exercitatiouem hominum, de quibus Apoſtolus *ad Epheſ.* 6. Nihilominus Dæmones qui vſque ad finem extremi iudicii in aere caliginoſo relicti ſunt, ſuam damnationem ſemper ſecum portant, quia in eis ſemper eſt dolor afflictionis in voluntate, qui exiſtit *Primò*, ex priuatione illius ſummæ fœlicitatis Angelorum, aliorumque Beatorum, quam colligere poſſunt ex naturali fœlicitate, quam habuerunt ab initio, ſed ſua malitia perdiderunt. *Secundò*, ex conſideratione peccatorum, quibus tantas pœnas commeruerunt. *Tertiò*, ex inuidia erga Angelos, cæteroſque Beatos, quòd gaudeant tanta fœlicitate, à qua ipſi excluſi ſunt. *Quartò*, ex cruciatu ignis infernalis, quo miris & inexplicabilibus, tamen veris modis cruciantur, ſimul & tanquam in teterrimo carcere conſtringuntur, ita vt inde nunquam exire poſſint, quod vehemẽter dolorem auget in voluntate damnatorum, Ita D. Tho. 1. *p. q.* 64. *ar* 3. & 4. Bannez, Siluius *ibidem*, & alij. D. Thom. Bannez. Siluius.

3. Pœna infernalis duplex eſt; altera priuatio viſionis Dei ac beatificæ gloriæ cœleſtis: altera ſenſibilium pęnarum & cruciatuum in animabus pariter & corporibus damnatorum. Priorem D. Chryſoſtomus *homil.* 24. *in Matth.* dixit grauiorem ac miſerabiliorem poſteriori; eo quòd ſuperet omnem dolorem incomparabiliter priuatio perpetua illius iucundiſſimæ, pretioſiſſimæ atque ineffabilis viſionis Dei in cęlis. Quod intelligendum eſt de damnatis adultis qui propriæ voluntatis malitia ſe ab ea fælicitate excluſos cognoſcunt, non autem de paruulis ſine Baptiſmo mortuis. Nam hi ob perpetuam carentiam viſionis Dei in cœlis non multum anguntur: quia cognoſcunt ſe non ſua, ſed primi parentis culpa cęleſti gloria priuari. Et hinc horum puerorum pęna dicitur eſſe miniſſima. Ex D. Thoma *in ſupplem.* 3. *p. q.* 69. *art.* 6. *ad* 2. Domin. Soto *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. D. Thom. Sotus.

Pęna ſenſus in inferno tam horribilis eſt, vt nulla maior cogitari poſſit. Ibi enim eſt ardentiſsimus ignis, cuius cruciatum nulla Sanctorum Martyrum ſupplicia atque tormenta æquare potuerunt, teſte D Auguſtino relato *in* §. *final. de pœnit. diſtinct.* 7. Ibi eſt deſperatio extrema, quæ numquam, dum Deus erit Deus, vlla conſolatione, refrigerio, aut redemptione leuabitur. Ibi ſunt tenebræ tum exteriores, tum interiores. Exteriores denſiſſimæ, quæ nullo Solis radio, nullòque ignis ſplendore (tametſi ibi plurimus ſed obſcuriſsimus ſit) tranſierunt. Interiores id eſt, tanta quoque mentis cæcitas in eis eſt, vt Deum putent eſſe iniuſtum. Adde quòd ſcientia quam hic acquiſierunt, & per mortẽ auctior facta eſt, ſupplicium augeat, dum per eam cognoſcunt, quantæ beatitudinis damnum ſua culpa patiantur. Vnde exurgit remorſus conſcientiæ, qui dicitur Vermis corrodens, & dilanians eorum corda, nunquam intermoriturus. Vt dicitur *Iſaia* 66. Ibi Societas cacodæmonũ, & continua cum eis conuerſatio, quorũ aſpectus adeò terribilis, vt quidam vir Sanctus, vnius ſolius aſpectu ferè exanimatus, poſtea in ſe reuerſus teſtaretur, malle ſe fornacem ignis ardentem ingredi, quàm iterum eum videre. Porrò ibi eſt horribilis confuſio clamorum, lamentorum, blaſphemiarum, maledictionum contra Deum, ipſoſque Cacodæmones, & quorumlibet damnatorum contra ſeipſos & ſocios ſuos, quibus illud infernale, horribile & execrabile regnum modis omnibus confunditur. Ita ex D. Anton. 2. *p. tit.* 5. *c.* 3. Nauar. *in man. prælud.* 4. *num.* 24. D. Anton. Nauarr.

4. Communis omnium Theologorũ ſententia eſt, ignẽ infernalem eſſe verum ſubſtantialem ignem, eiuſdemque ſpeciei cum noſtro igne elementari. Quæ concluſio, etſi non ſit fidei, cùm de ea non extet aperta definitio Eccleſiæ, communiter tamen aſſeritur, propter frequentes Scripturæ Sacræ ſententias, in quibus damnatorum ſupplicium ignis nomine deſignatur. Matthæi 5. *Reus erit gehennæ ignis*. Matth. 7. *In ignem mittetur*, & cap. 13. *Mittent eos in caminum ignis*. Ille tamen ignis infernalis

Digitized by Google

habet quaſdam proprietates differentes à noſtro, vt quod ſucceſſione non indiget; nec lignis nutritur, nec vnquam extinguitur. Aptiſſimè autem ignis, quo damnatorum corpora cruciantur intelligitur eſſe corporeus, eò quòd corporibus cruciandis conuenientiſſimum ſit inſtrumentum corporeum: Atqui Scriptura facit illum ignem communem Dæmonibus *Matth.25.* ergo ſicut homines damnati ita & Dæmones igne corporeo cruciantur; & conſequenter animæ hominum ſeparatæ ante diem iudicij. Quomodo autem verus ignis agere poſſit in animas corporibus exutas, non omnes conueniunt. Aliqui enim putant hunc torquendi modum latere, & non cognoſci. Alii aſſerunt ignem agere in animas producendo qualitatem ipſis diſconuenientem & doloris cauſatiuam. Sed Beati Thomæ ſententia eſt, animas ſeparatas ab igne, per hoc quòd ignis tanquam inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ eas ſibi alliget ac detineat; quod illæ vt ſibi noxium (vtpote contra naturalem ſuam, tum dignitatem, tum libertatem) apprehendentes; ſummam inde triſtitiam concipiunt. Hæ opiniones ſunt probabiles, ſed non certæ, cùm Deus nondum hoc reuelauerit: neque rogandus eſt Deus vt hoc reuelet, ſed potius vt efficiat ne per experientiam diſcamus.

D. Thom. Syluius. Bellarm. Suarez.

De his vide D. Thomam 1. *part. q.64. art.4. & in ſupplem. 3. p. q.70. art* 3. Syluium *ibidem*, Bellarminum *lib.* 2. *de purgatorio*, *c.* 12. Suarez *tom.* 4. *in tertia parte diſp.46. ſectione* 2. & 3.

5. Præter pœnam damni, quæ eſt carentia viſionis Dei, aliis variis affligentur damnati: & quidem ſecundùm omnes ſuas potentias, tam interiores, quàm exteriores, adeò vt quemadmodum Sancti in ſingulis ſenſibus ſuas habebunt oblectationes, ita veriſimile ſit futuros in damnatis ſingulorum ſenſuum cruciatus. *Viſus*, torquebitur tenebris & terribilibus pœnarum ſpectaculis. *Auditus*, luctuoſis clamoribus & lamentis. *Odoratus*, fœtore, quem ipſe locus, & eorum corpora exhalabunt. *Guſtus*, ab humore corrupto. *Tactus*, ab igne in omnibus partibus intolerabilem percipiet læſionem. Ita Sotus *in 4. diſt.50. quæſt. vnic art.4.*

Sotus.

Vermis inferni non eſt materialis ſeu corporalis: quia poſt diem iudicij nullum corpus mixtum remanebit, præter corpus hominis, nec ampliùs futura eſt vel generatio, vel corruptio. Per eum myſticè intelligitur remorſus conſcientiæ in damnatis, qui poſt reſurrectionem corporum, etiam redundabit in corpora: & non aliter punget eos atque vermis ex putredine corporis ortus pungit illud. Dictus eſt autem ille remorſus vermis, quia ex putredine peccati oritur, & animam affligit. Ita D. Tho. *in ſupplem. quæſt.97. artic.*1. & 2.

D. Thom.

6. In damnatis non erit fletus cum effuſione lachrymarum, quia hoc pertinet ad ſtatum corruptibilem, & lachrymæ ſine humoris augmento non effluunt, quod in damnatis eſſe non poteſt. Nihilominus inſtar flentium erit in illis eiulatus corporalis, cum mira capitis oculorumque perturbatione, D. Thomas *loco citato ar.*3. & poſt eum Durandus, Richardus, Palud *in 4. diſt.* 50.

D. Thom. Durand. Richard. Palud.

Denique poſt reſurrectionem corporum damnati verè ſtridebunt dentibus, non ob frigiditatem loci: ſed partim ex rigore doloris, quem patientur ab igne; partimque ex iracundiæ rabiæ, qua frement aduerſus Deum, eiuſque Sanctos. Vel propter ſeram pœnitentiam delictorum, quæ eos illuc coniecit; vel denique ob memoriam bonorum quæ amiſerunt. Ita Sotus *loco cit. art.* 4. apud quem plura de his pœnis.

Sotus.

7. Damnatorum pœnæ ſunt futuræ æternæ, ita vt numquam ſint finem durationis habituræ. Prob. quia Scriptura Sacra pari modo loquitur de æternitate gaudij iuſtorum & de æternitate ſupplicij impiorum, Sicut ergo gaudium & gloria iuſtorum ſine fine durabit: ita pœnæ impiorũ erunt perpetuæ. Huc pertinet illud Iſa. 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et Matthæi 25. impiis dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum*. Et deinde ſubiungitur. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam*. Prob. ſecundò ex natura oppoſitorũ. Sicut enim non poteſt ceſſare fœlicitas beatorum; ita nec miſeria damnatorum ceſſabit. Neque hoc repugnat miſericordiæ diuinæ: quòd oporteat eam eſſe moderatam, vt non euertatur Ordo Iuſtitiæ diuinæ. Qui enim in hac vita miſericordiam Dei contempſit: iuſto iudicio incidet poſt hanc vitam in vindictam diuinæ Iuſtitiæ.

Sed petes, quare Deus propter peccatum vno momento commiſſum & tranſitorium, æternum puniat? Reſp. iuſtum eſſe Dei iudicium; quia quantitas pœnæ non debet reſpondere durationi actus peccati, ſed eius grauitati, peccati autem mortalis grauitas tanta eſt, vt mereatur pœnam, non ſolùm ſecundùm extenſionem acerbam, ſed etiam ſecundùm extenſionem infinitam. Tantò enim quodque peccatum grauiùs cenſetur, tantò dignior eſt in quem peccatur. Vnde peccans in Regem, cenſetur reus læſæ Maieſtatis. Cùm ergo Deus infinitam dignitatem habeat, infinitam ſeu æternam pœnam commeretur, peccans contra Deum mortaliter: quia præfert Deo rem temporalem & æternæ fœlicitati voluptatem. Tum quia peccatum eſt contra æternum bonum quod deſtruit. Idcirco dignum eſt vt æterno malo affligatur. Accedit, quòd peccator impœnitens, ſi æternùm viueret, æternùm peccaret. Habens ergo æternam voluntatem peccandi, meritò æternùm punitur. Atque ita peccatum fit voluntate æternum, quod actu eſt temporarium. Porrò homo peccans contra Deum infinitum, deberet infinitè puniri intenſiue. At quia homo ſic puniri non poteſt, vt qui nullius infiniti capax eſſe poſſit: idcirco punitur duratione æterna. Ita D. Thomas *in ſupplem. tertia parte qu.99. art.* 1. & alij communiter.

D. Thom.

INFIDELITAS.

SVMMARIVM.

1 *An fides habeat duo vitia contraria?*
2 *Quotuplex ſit infidelitas?*
3 *An infidelitas negatiua ſit peccatum?*
4 *An infidelitas priuatiua ſemper ſit peccatum?*
An peccent Catholici, negligentes diſcere articulos fidei, quos ſcire tenentur?
An qui ſunt in tali ignorantia continuò peccent?
5 *An infidelitas poſitiua ſit peccatum mortale?*
An grauiſſimum omnium peccatorum?
6 *Quot ſint ſpecies infidelitatis poſitiuæ?*
7 *An infideles baptiZati poſſint cogi ad retinendam fidem?*
8 *An infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſint compellendi ad eam ſuſcipiendam?*
9 *An ritus infidelium & hæreticorum ſint tolerandi?*
10 *An libertas religionis à Principe Catholico poſſit introduci & permitti?*
11 *An liceat communicare cum infidelibus vel Iudæis?*

1 FIdes habet duo vitia contraria, vnum per exceſſum, leuitatem credendi, alterum per defectum, quod vocamus generaliter infidelitatem. Prius vitium eſt in illis, qui credunt ante euidentiam credibilitatis, ac propterea imprudenter credunt; alterum eſt in illis, qui fide ſufficienter propoſita, nolunt credere ſicut par eſt, & defugiunt authoritatem diuinam, ſiue habeant errorem contrarium, ſiue non.

2. Infidelitas eſt triplex, negatiua, priuatiua, & poſitiua. *Negatiua* eſt in eo qui poteſt habere fidem, & tamen non habet ſine culpa ſua, vnde dici poteſt nuda fidei carentia, qualis eſt in eo cui fides vel non eſt annunciata, vel certè non ſufficienter, vt fuit in Indis & Iaponiis, antequam audirent prædicationem Euangelij. *Priuatiua* eſt in eo qui poteſt ac debet habere fidem, eamque culpabiliter non habet, etiamſi nullum habeat errorem in intellectu poſitiuum: vt quando aliquis non vult fidem audire, vel auditam ſufficienterque propoſitam omittit acceptare. *Poſitiua* ſeu contraria eſt, vel in eo, qui res fidei ſufficienter propoſitas recuſat credere, vel in eo, qui habet errorem contrarium, in quo genere maxima pars infidelium verſatur; Vide D. Thom. 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 1. Sylu. *ibid.* & alios Commentatores ibi.

D. Thom. Syluius.

3. Infidelitas negatiua non eſt peccatum. Nam damnata eſt à *Bulla Promiſſionis noſtræ n.65.* D. Th. *c. ar.*1. Sylu. *ibid.*

Digitized by Google

D. Thom. Sylvius. *ibid. concl. 1. Pio V. & Gregorio XIII.* hæc propoſitio. *Infidelitas purè negatiua, in illis quibus Chriſtus non eſt prædicatus, eſt peccatum.* Prob. ex Scripturis Ioan. 15. n. 2. *Si non veniſſem & locutum fuiſſem eis peccatum non haberent:* ſed eis, qui infidelitatem habent negatiuam Chriſtus neq. per ſe, neque per ſuos miniſtros eſt locutus myſteria fidei: ergo peccatum infidelitatis non habent. Et confirmatur, ad Roman. 10. n. 10 *Quomodo credent ei, quem non audierunt.* D. Auguſt. Hinc D. Auguſtinus *ep.* 105. *Ignorantia,* inquit, *in illis qui intelligere noluerunt peccatum eſt: in iis, qui non potuerunt, pœna peccati eſt.* Ratio eſt, quia nullum peccatum eſt ſine voluntate, hæc autem ignorantia eſt inuoluntaria, quam depellere non eſt in hominis poteſtate, vt ſupponimus. Vnde patet hanc infidelitatem non facilè contingere circa Deum, vt authorem naturæ, & creatorem omnium, ſed maximè circa myſteria ſupernaturalia fidei Chriſtianæ, vt colligitur ex epiſt. *ad Rom. 1. n. 21.*

Dices, ſi rectè viuerent infideles, cum auxilio Dei ordinario ſicut poſſunt, illuminarentur à Domino Deo, ergo ipſis imputanda eſt infidelitas, quam ſic ſaltem pellere potuerunt? Reſp. negando conſequentiam, quia inuincibiliter ignorant, ſe debere rectè viuere ob hunc finem: vnde damnabuntur quidem propter peccata, quæ committunt contra legem naturæ, non tamen ob infidelitatem, quæ nullo modo fuit volita.

4 Infidelitas priuatiua, ſemper eſt peccatum. Ratio eſt, tum quia is cui doctrina fidei eſt ſufficienter propoſita, tenetur eam acceptare, ergo ſi omittit acceptare, peccat. Tum quia hæc infidelitas eſt in eo qui tenetur habere fidem, & eam ſua culpa non habet. D. Thom. *c. art.* 1. Sylu. *ibid. concl.* 2. D. Thom. Sylvius.

Petes *primò*, an ſic peccent Catholici, qui negligunt diſcere articulos fidei, quos expreſsè ſcire tenentur? Reſp. peccare grauiter non tamen peccato infidelitatis. Prior pars patet, quia cognitio illorum eſt neceſſaria ad ſalutem tum per ſe, tum vt incitemur ad functiones aliarum virtutum, charitatis, miſericordiæ, religionis temperantiæ, &c. Prob. poſterior pars, quia ſunt fideles, & adhærent diuinæ authoritati, credentes quidquid credit Eccleſia; alioquin amitterent fidem & deſinerent eſſe Catholici.

Petes *ſecundo*, an qui ſunt in tali ignorantia continuò peccent? Reſp. non peccare continuò, ſed tunc tantùm de nouo peccant, quando aduertunt, vel facilè aduertere poſſunt ſuam obligationem, & non concipiunt propoſitum diſcendi, aliàs non contrahunt nouum peccatum, ſed manent in antiquo.

5. Infidelitas poſitiua, ſemper eſt peccatum mortale, niſi excuſetur ob indeliberationem. Prob. quia eſt peccatum mortale ex genere, nec admittit paruitatem materiæ: nam contemnere authoritatem diuinam, ſemper eſt graue.

Sed petes, an ſit grauiſſimum omniom peccatorum? Reſp. negatiuè, quia odium Dei, eſt omnium peccatorū grauiſſimum, quia directiſſimè Deum impugnat. Infidelitas tamen ſuperat omnia peccata, quæ opponuntur virtutibus moralibus, vt ſunt homicidium, adulterium, beſtialitas, &c. nam immediatè contemnit authoritatem diuinam, & vt loquitur *D. Ioannes* epiſt. 1. c. 5. n. 10. *Mendacem facit Deum,* quod intellige quando eſt directè voluntaria: nam ſi interpretatiuè tantum volita eſt, non eſt neceſſariò maior. Vide D. Tho. *c. ar.* 3.

D. Thom. 6. Tres ſunt ſpecies infidelitatis poſitiuæ, *Hæreſis*, *Iudaiſmus, Paganiſmus.* Prob. qui pertinaciter negat fidem Catholicam ſufficienter propoſitam, vel profitetur Chriſtum expreſsè, vel non ſi profitetur expreſsè, erit Hæreticus, ſi non, vel tunc vel omnino non profitetur Chriſtum, & erit paganus, vel in ſigno tantùm & figura, & erit Iudæus. D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *ar.* 5. Sylvius *ibid.* & Malder. Becan. 2. 2. *c.* 13. *q.* 2. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 1. D. Thom. Sylu. Becan. Bonacina.

Ex quibus patet *primo* omnes infidelitates in hac diuiſione comprehendi: nam membra conſiſtunt in contradictione. Vnde quamuis idololatræ & Philoſophi differant, quòd hi non credant idola eſſe Deos, tamen in formali ratione paganiſmi conueniunt, reiicientes totam fidem, & ne in ſigno quidem eam profitentes, *Mahumetani* autem tametſi mixtam habeant religionem, & multa nobiſcum, ac cum Iudæis communia retineant, abſolutè tamen ſunt pagani, quia Chriſti fidem omninò reiiciunt, & quod nobiſcum credunt, non recipiunt, quia à Chriſto traditum, ſed quia à *Mahumet* approbatum.

Patet *Secundo*, ante Chriſtum duas tantùm fuiſſe ſpecies infidelitatis, hæreſim paganiſmum. hæreſis erat in Iudæo pertinaciter aliquid negante contra veritatem fidei, quales fuerunt Saducæi, Matth. 22. *num.* 23. paganiſmus erat in Idololatris.

Patet *Tertiò* neminem poſſe ſimul eſſe Hæreticum, Iudæum & Paganum; neminem Hæreticum & Iudæum; nec Hæreticum & Paganum, nec Iudæum & Paganum: quia iſtæ ſpecies ſibi repugnant.

Patet *quartò* has ſpecies eſſe accidentales, nam omnis infidelitas habet eamdem ſpecie deformitatem, videlicet, contemptum diuinæ authoritatis, quod autem ſit magis voluntaria, vel extendat ſe ad ampliorem materiam, vel quod profiteatur Chriſtum, nihil videtur facere ad differentiam eſſentialem.

Dices, ergo ſufficiet dicere in confeſſione, fui infidelis tamdiu, nam dicit ſpeciem & numerum peccati? Reſp. negando conſequentiam, quia infidelitati iunguntur ferè blaſphemiæ quædam, vt contra diuinitatem Chriſti, cōtra Sanctos, contra Sacramenta, &c. quæ valde inter ſe differunt; ac propterea neceſſe eſt etiam exprimere genus hæreſis, Lutheraniſmum, Caluiniſmum, Libertinitatem, &c. præterquam quod hæc omnia notabiliter Confeſſarij iudicium immutent. Adde eos qui baptizati ſunt, non tantùm in fidem peccare, ſed etiam in iuſtitiam legalem: quia ſubtrahunt ſe ab Eccleſia, in cuius corpus, tanquam membra quædam inſerti fuerunt. Imò ſecundùm *Sylvium* tenetur pœnitens confiteri qualitatem errorem ſuorum in particulari, dicendo in quibus propoſitionibus errauerit, vtrum v. g. negandi diuinitatem Chriſti, an humanitatem, an veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia, an purgatorium, an infernum, &c. eò quòd hæc notabilem addant malitiam, ſiquidem non mutent ſpeciem: Tum quia, vt in eis poſſit doceri à Confeſſario de veritate Catholicæ religionis. Tum quia multi Doctores cenſent has tres infidelitates differre ſpecie; imò & hæreſes inter ſe. Ita Sanchez *l.* 2. *moral. c.* 7. *num.* 17. & Valent. *t.* 3. *d.* 1. *q.* 10. *punct.* 3. contra Dianam *p.* 1. *tr.* 7 *reſ.* 45. qui poſt *Reginaldum, & Sotum* putat non eſſe explicandam ſpeciē hæreſis, quia omnes materialiter ſe habent ad ſpeciē peccati. Sanchez. Valent. Diana.

7. Infideles baptizati, qui fidem aliquando ſuſceperunt, vt Hæretici, & Apoſtatæ, poſſunt cogi ab Eccleſia, vt eam retineant. Ratio eſt, quia ſunt ſubditi Eccleſiæ ergo poſſunt ab Eccleſia cogi, vt deſiſtant ab iniuria Religioni inferenda per hæreſim & apoſtaſiam. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Malderus, Bannez *ibi.* & alii. D. Thom. Malderus. Bannez.

Princeps autem ſæcularis non poteſt omnes compellere, ſed ſuos tantùm ſubditos, & eos pro quibus vel ab Eccleſia, vel ab eorum Principe fuerit requiſitus: quia Principes ſunt cuſtodes legum diuinarum & humanarum.

8. Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, non ſunt compellendi ad eam ſuſcipiendam. Quia coactio vt legitimè fiat, debet compellens habere iuriſdictionem in eos, qui coguntur; alioquin erit poteſtatis vſurpatio, ſed Eccleſia non habet poteſtatem in eos, qui nunquam fidem ſuſceperunt. Tum quia fides noſtra exponeretur contemptui & periculo ſacrilegii: infidelis enim, qui inuoluntariè fidem ſuſciperet, oblata opportunitate illam abnegaret.

Aduertendum tamen eſt, quòd hi poſſunt à ſuo principe Chriſtiano compelli vt ſeruent legem naturæ, ſiue circa cultum vnus Dei, ſiue circa mores politicos; ſi enim Principes non infideles ſibi ſubditos cogere ad obſeruationem legis naturalis, ſequitur quòd ad nullius legis obſeruationem cogere illos poſſit; quia nullæ leges humanæ obligant, niſi quatenus à naturali deriuantur. Non eſt tamen ſæpiſsimè expediens vt Chriſtiani Principes hac ſua poteſtate vtantur, ne infideles à recipiendo Euangelio auertantur, illorum ſeueritate, nève grauiora quædam mala eueniant.

Notandum præterea, quòd infideles non poſſunt impedire fidei prædicationem, vt ne impediant poſſunt à fidelibus Principibus compelli cùm enim Eccleſia habeat à Chriſto ius prædicandi Euangelium per totum mundum

Matth. 28.*n*.19. *&* *Marci* 16.*n*.15. conſequens eſt quòd vel bello, vel aliis modis compeſcere poſſit eos, qui huiuſmodi prædicationem impedire conantur. Ita *D. Thomas* citatus & alijs communiter eius interpretes.

9. Ritus infidelium, qui non ſunt baptizati, tolerari non debent, niſi aut propter maius malum vitandum, aut ne maius aliquod bonum impediatur, videatur expedire quod tolerentur. Prior pars probatur, quia ritus ipſorum nihil vtilitatis adferunt, & cùm ſint contra legem naturæ, Principis fidelis eſt, illos extirpare. Poſterior pars prob. quia Iudæorum ritus rectè ab Eccleſia tolerantur, etiamſi Iudæi in illis exercendis peccent. Ex hoc enim quòd Iudæi tolerantur in ſuis ritibus, hoc bonum prouenit, quòd teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus; illi enim ritus continent figuram eius rei, quam nos credimus. Vnde libri eorum, quibus Sacra Scriptura ſimpliciter exponitur, tolerantur, quia fidei noſtræ non aduerſantur, ſed potiùs eam confirmant, libri verò quos contra Chriſtum & Eccleſiæ fidem ſcribunt, tolerari non debent, ſed comburi.

Ritus Hæreticorum non ſunt tolerandi, quando in Principum Catholicorum poteſtate eſt eos extirpare, vel impedire abſque notabili iactura boni communis; quia ſunt maximè pernicioſi, & *ſermo eorum vt cancer ſerpit* 2. Timoth. 2. nu. 17. Si tamen eorum ritus abſque grauiſſimo Eccleſiæ detrimento impediri nequeant, licitum eſt eis permittere publicum exercitium ſuæ religionis, quia licet permittere quædam mala, vel propter aliquod bonum, quod ex eis ſequitur, vel propter aliquod malum quod vitatur. Sed plura de his apud D. Thomam *c. art.* 11. Syluium, Lorcam, Malderum, Azor. *t.* 1. *l.* 8. *cap.* 23. *q.* 18. *&* 19. Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 10. *punct.* 7. Filliuc. *tract.* 22. *cap.* 5. *quaſt* 10. Bonacin. *tom.* 1. *diſp.* 3. *quaſt.* 2. *punct.* 8, *num.* 4. & alios.

D. Thom. Syluius. Lorc. Malderus. Azor. Valent. Filliuc. Bonac.

10. Libertas religionis à Principe Catholico introduci non poteſt, neque permitti, *L. nullus, C. de ſum. Trinit. L. Cuncti, C. de hæreticis*. Ratio prioris eſt, quia non licet approbare hæreſim, libertas autem conſcientiæ non poteſt ſine hæreſis approbatione introduci, cùm libertas conſcientiæ plures contineat errores contra fidem. Deinde libertas religionis, valde repugnat publicæ tranquillitati, quæ ſine fidei vnitate ſeruari non poteſt: ex charitate autem & iuſtitia tenetur Princeps Catholicus publicæ tranquillitati conſulere, ideò non poteſt ab ipſo libertas conſcientiæ introduci. Poſterioris ratio eſt, quia qui poteſt peccatum aliquod impedire, & non impedit, cenſetur eiuſdem peccati cooperator & particeps, niſi iuſtam ipſius permittendi cauſam habeat. Vnde *Paulus V.* nunquam voluit concedere facultatem Catholicis Principibus permittendi libertatem religionis ſectatoribus hæreticæ prauitatis, quamuis ex denegata libertatis conceſſione aſperrimum & diuturnum bellum cum periculo amittendorum regnorum & prouinciarum ingrueret, vt teſtatur *Bonacina* citatus §. t.

Verùm quamuis Princeps aut Magiſtratus Catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem religionis, ſi tamen id facere non poſſit ſine grauiori incommodo boni publici & Catholicæ religionis, poteſt eam tolerare, tanquam minus malum, ad euitandum maius, quod alioqui ſequeretur: Ex duobus enim malis, minus eſt eligendum, ſi vtrumque euitare non poſſumus. Ratio eſt, quia tunc illud minus malum non eligitur præcisè, vt malum quoddam eſt, ſed vt medium vtile ad euitandum maius malum, ac proinde eligitur ſub ratione boni vtilis. Ita D. Thomas *c. art.* 11. Caietanus *ibi Cap. nerui, diſt.* 13. Molina *tr.* 2. *de iuſt. & iur. diſp.* 335.

D. Thom. Caiet. Molina.

11. Licitum eſt communicare cum infidelibus non baptizatis in rebus politicis ac ciuilibus, quales ſunt, contractus ciuiles & politicæ conuerſationes, vt emptio, venditio, conuiuia, modò non ſit periculum ſeductionis, aut ſcandali; cum illo autem periculo non licet. Ratio eſt, quia iure naturæ quilibet tenetur abſtinere ab iis, quę ſibi ruinæ cauſam afferre poſſunt.

Communicare autem cum infidelibus, in ijs rebus & actionibus, quæ directè pertinent ad cultum infidelitatis, opera religionis ipſorum faciendo nullo modo eſt licitum; quia hoc eſſet eorum ſectam profiteri & veram fidem negare, vt colligitur ex illo 2 Corinth. 6. num. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Licitum tamen eſt infideles admittere ad prædicationem verbi Dei, non autem ad auditionem totius Miſſæ, ſed tantùm ad Miſſam Cathecumenorum, vt ſtatuitur; *Cap. Epiſcopus, de conſec. diſt.* 1. Ita D. Thom. *c. art.* 9. Syluius, Turrian. Malder. *ibid.* Filliuc. *tr.* 22. *n.* 128. Bonac. *c. punct.* 6. *n.* t.

D. Thom. Syluius. Turrian. Malderus. Filliuc.

In multis caſibus ſpecialiter prohibetur communicatio cum Iudæi 1. eſt cohabitatio *Cap. Iudæi* 2. *de Iudæis* 2. ne Chriſtiani comedant azima Iudæorum, ſecluſa tamen neceſſitate 3. aduocatio Iudæorum ad medendum, ſecluſa neceſſitate 4. receptio medicinæ à Iudæis paratarum 5. Ingreſſus in idem balneum, vt ita fidelis communicet cum Iudæo in eadem lotione 6. conuiuium cum Iudæis, ſaltem quando Iudæi cibos diſcernunt, & aliquos reſpuunt; modò Catholicus non ſit miſſus ad curandam conuerſionem Iudæorum 7. ne Chriſtianæ mulieres nutriant filios Iudæorum in domibus ipſorum Iudæorum. 8. ne Chriſtiani accedant ad nuptias, vel ſolemnitates Iudæorum, nec choreas cum ipſis ducant, nec ipſorum ſynagogas inuiſant iis temporibus, quibus ſuperſtitioſa ab ipſis celebrantur. 9. Ne Iudæi admittantur ad publica officia inter Chriſtianos. Iſti omnes caſus colliguntur ex *Cap. ad hæc, cap. nullus, cap. etſi Iudæos, de Iudæis, c. omnes*, 28. *q.* 1. de quibus Syluester *v. Iudæi n.* 2. Caietanus *in Summ. verb. Iudæorum communicatio*. Bonac. *c. punct.* 6. Syluius *c. art.* 9. Filliuc. *tract.* 22. *c.* 5. *q.* 1. Sanch. *l.* 2. *moral. c.* 31. *n.* 4. *& ſeq.*

Syluest. Caiet. Bonacina. Sylu. Filliuc. Sanch.

INGRATITVDO

SVMMARIVM.

1 *Gratitudo & ingratitudo quid ſint? An ſit ſpecialis virtus gratitudo, & ingratitudo ſpeciale peccatum.*
2 *Quæ ſint officia gratitudinis? & qui gradus ingratitudinis.*
3 *Quis magis ad gratiarum actionem teneatur, pœnitens ad innocens.*
4 *Quale peccatum ſit ingratitudo, & quando in confeſſione aperiendum.*

1 INgratitudo eſt vitium oppoſitum gratitudini, & ideò de vtraque agendum, vnde Gratitudo generatim eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & vt illi aliquo modo ſatisfaciat, rependit aliquid benefactori; vt actionem gratiarum, obſequium, cultum, vel aliud beneficium. Et extendit ſe ad omnes, à quibus aliquid beneficij accepimus, nimirum ad Deum, parentes, Superiores & homines priuatos.

Ingratitudo autem dupliciter admittitur, formaliter & materialiter. Formalis ingratitudo eſt quando beneficiũ actualiter contemnitur, in re nimirum, vel in mente, veluti benefactorem eiuſve animum deſpiciendo, aut minoris quam par eſt, beneficium æſtimando, quaſi non propter hoc ſis ei obnoxius. Materialis ingratitudo eſt, quando abſque contemptu, vel committitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra benefactorem.

Gratitudo eſt virtus ſpecialis ab alijs diſtincta. Ratio eſt, quia ſine controuerſia ſumus debitores illis, qui nobis benefaciunt, id eſt, qui gratis ac ſine temporali prætio vel præmio aliquid boni nobis conferunt: hoc autem debitum eſt minus, quam illud quo tenemur obſtricti Deo, parentibus & Principi ſeu communitatis rectori & noſtris Superioribus; ergo gratitudo in benefactorem aliquem particularem, eſt virtus minor religione, pietate, obſeruantiâ, & per conſequens ab ijs diſtincta: quia virtutes annexæ iuſtitiæ diſtinguendę ſunt ſecundùm ſpeciales rationes debiti ad alterum: nam gratitudo in Deum eſt Religio; gratitudo in parentes, pietas; gratitudo in Superiores obſeruantia; dicitur præterea eſſe aliquã gratitudinẽ quæ particulares benefactores reſpicit, eſtque virtus ſpecialis.

Ingratitudo materialis non eſt peccatum ſpecialis, ſed gene-

generale, quę in quolibet peccato inuenitur, & eſt cuiuſlibet peccati circumſtantia. Formalis autem ingratitudo eſt ſpeciale peccatum, utpote gratitudini, quæ ſpecialis eſt uirtus oppoſitum, idque per defectum potius quàm per exceſſum: quamquam & per exceſſum poſſit peccare contra gratitudinem, recompenſando ſcilicet id quod recompenſari non debet, uel quando non debet. Sed hoc peccatum caret proprio nomine, minùſque repugnat gratitudini, quàm peccatum illi oppoſitum ex defectu. Hæc colliguntur ex doctrina D. Thom. 2. 2. *q. 106. art. 1. & quaſt. 107. art. 2.* quem ſequuntur omnes communiter Commentatores; Et Sylueſter *verb. Ingratitudo quaſt. 2.*

D. Thom. Sylueſter.

2. Gratitudines officia ſunt quinque. *Primum* eſt beneficij æſtimatio; nempe oſtendendo nos illud æſtimare, ſi non ex rei magnitudine, ſaltem ex affectu & animo donantis: hic enim in beneficijs gratuitis potiſſimùm eſt ponderandus. *Secundum*, Benigna acceptatio; ſi enim repudies vel abſque iudicio, quo ſignifices gratum eſſe, acceptes, videris contemnere, vel certè parui facere beneficium & effectum donantis. Si autẽ benignè acceptes, ſic illum honoras & effectui eius quodammodo ſatisfacis. *Tertium* eſt, Gratiarum actio, quæ nihil aliud eſt, quam beneuola proteſtatio gratiæ acceptæ, ſeu beneficij gratis, & abſque debito dati, cum quadam ſui ſubiectione & demiſſione ad ipſum benefactorem directa. *Quartum* eſt, Grata commemoratio, vt ſcilicet primò apud nos tempore & loco ſimus memores beneficij accepti: deinde vt apud alios, quando occaſio ſe offert, libenter referamus: hoc enim eſt quædam compenſatio. *Quintum* eſt, Beneficij relatio, quando vicíſſim beneficium re, vel obſequio redditur. Hæc quinque officia D. Thom. *loco citato quaſt.* 107. *art. 2.* reducit ad tria. *Primum* eſt, Beneficiũ agnoſcere. *Secundum*, laudare & gratias agere. *Tertium*, Retribuere loco & tẽpore, pro ſua facultate. Propterea ſunt tres gradus ingratitudinis in omittendo, *Primum* Beneficium non retribuere. *Secundum* Diſſimulare, non agendo gratias. *Tertium* nolle agnoſcere. In committendo ſunt alij tres. *Primum* retribuere mala pro bonis. *Secundum* Vituperare beneficium. *Tertium* Reputare beneficium loco maleficij, qui eſt ſummus ingratitudinis gradus. Primi tres gradus ingratitudinis pertiuent ad ingratitudinem priuatiuã, quę eſt cùm quis nõ agnoſcit beneficium, quod, quando, & vbi deberet agnoſcere. Poſteriores tres pertinent ad ingratitudinem contrariam, quia ſolùm prætermittitur officium gratitudinis, ſed etiam fit aliquid veræ gratitudini repugnans: vt aduertit Syluius 2. 2. *quaſt.* 107. *artic.* 2. Sylueſter *loco citato quaſt.* 3.

D. Thom. Syluius. Sylueſter.

3. Omnes homines accipientes beneficia à Deo ſunt aut peccatores pœnitentes, aut innocentes. Vtrique magna à Deo conſequuntur beneficia: illi liberationem à perditione; hi cuſtodiam à lapſu in perditionem. Innocens ſecundùm aliquid accipit maius beneficium, quàm pœnitens: idcòque quodammodo ad maiorem actionem gratiarum tenetur, quatenus actio gratiarum eſt profeſſio boni accepti, eſt enim innocentia maius bonum, quia includit continuum exiſtentiam iuſtitiæ in homine, quę magis optabilis eſt, quàm iuſtitia interrupta per peccatum mortale: bonum enim cæteris paribus, quo diuturnius eſt, eo eſt præſtantius. Si autem ſpectetur magnitudo beneficij in quantum ipſum magis gratuitum; ſic pœnitens maius beneficium accipit & magis ad gratias Deo reddendas tenetur, quia donum pœnitentiæ & iuſtificationis magis gratuitum eſt illi quàm ſtatus gratiæ innocenti. Cùm enim eſſet dignus pœna, veniam & iuſtitiam accipit. Vnde in compenſationem huius beneficij tenetur ad humiliora obſequia & maiorem ſui demiſſionem quàm innocens. Beneficium enim, qua parte datur magis indigno, compenſatur maximè demiſſione ſui, confeſſione ſuæ indignitatis & obſequijs humilibus. Ita D. Thomas 2. 2. *quaſt.* 106. *art.* 2. & alii communiter.

D. Thom.

4. Ingratitudo ſiue materialis ſiue formalis, ſiue priuatiua ſiue contraria, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. Si enim contemptus fuerit omninò deliberatus & beneficii notabilis, peccatum erit mortale; ſimiliter ſi id quod benefactori ſubtrahitur ſit ei vel ſimpliciter, vel in caſu neceſſitatis valde neceſſarium. Veniale erit, vel ob imperfectum conſenſum, vt quando ex repentino cholerę motu accidit; vel ob materię exiguitatẽ, vt ſi beneficiũ ſit paruũ; contemptus enim parui beneficii non cenſentur notabilis iniuria benefactoris, modò abſit ſcandalum. Si enim ita fieret vt benefactor grauiter offenderetur, poſſet eſſe peccatum mortale. Aduertendum autem eſt, ingratitudinem nunquam eſſe neceſſariò confitendam ſpecialiter niſi, ſit formalis, eaque tanta vt meritò putetur vel dubitetur eſſe peccatum mortale; quòd cõtingit, quãdo ingratitudo eſt ſpeciale peccatum, cùm directè intenditur à peccatore volente ſic peccatũ aliquod cõmittere in contemptũ Dei & beneficii ſuſcepti. Si autẽ ſit tantùm circumſtantia cõſequens quodlibet peccatũ mortale, non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione. Ita D. Thom. 2. 2. *quaſt.* 107. *art.* 3. & 3. *part. q.* 88. *art.* 4. Sylu. *ibid.* & alii. D. Thom.

Vide verb. Donatio *num.* 27. 28. Pœnitentia *num.* 8.

INIVSTITIA.

INIVRIA.

SVMMARIVM.

1 *Iniuſtitia, vt varijs modis ſumi poſſit? Et quomodo iniuria dupliciter alteri fieri poſſit.*
2 *An iniuſtitia ſit ſpeciale peccatum ab alijs diſtinctum.*
3 *Quando iniuſtum faciens denominandus ſit iniuſtus.*
4 *An aliquis poſſit pati iniuſtum volens.*
5 *Quale peccatum ſit ex ſuo genere facere iniuſtum.*
6 *Iniuria vnde dicta & quid? & vt tribus modis fiat.*
7 *Iniuria quando enormis dicatur.*
8 *Qualiter actio iniuriarum competat iniuriam paſſo? & quot modis hæc actio tollatur.*
9 *An iniuriam paſſus teneatur iniuriam condonare & quando.*

1. INiuſtitia variis modis ſumi poteſt. Interdum enim generaliter pro omni legis violatione: & hoc modo omne peccatum eſt iniuſtitia quædam: quia violatio æqualitatis ſeu conformitatis debitæ legi vel præcepto Superioris. Vnde paſſim in Scripturis omne peccatũ vocatur iniuſtitia & peccatores iniuſti, vt Pſal. 36. *Iniuſti punientur & ſemen impiorum peribit.* Ioannis 7. *Iniuſtitia in illo non eſt.* Vſurpatur ſecundo modo iniuſtitia vt opponitur iuſtitiæ particulari, idque vel vt actus, vel vt habitus. Si vt actus, ſic nihil eſt aliud, quàm alieni iuris violatio, neque differt ab iniuria: quia ſicut actu iuſtitiæ cuique ius ſuum tribuitur; ita iniuſtitiæ hoc ius violatur: in qua violatione iniuriæ ratio ſita eſt. Si verò accipiatur vt habitus oppoſitus habitui iuſtitiæ eſt praua voluntatis diſpoſitio inclinans ad actus iniuſtos.

Dupliciter autem fit alteri iniuria Primò, commiſſione vt furto, homicidio, &c. Secundò, omiſſione, non ſatisfaciendo non reſtituendo, &c. Redditur enim homo iniuſtus non minus omiſſione, quàm commiſſione, & quidem omiſſio nulla relinquit hominem iniuſtum habitualiter donec reſtituat, vel ſatisfaciat. Rarò tamen omittitur officium debitum abſque poſitiua complacentia uoluntatis, aliquando tamen fieri poteſt, ſicut in alijs uitijs poteſt quis remanere habitualiter uitioſus abſque reali habitu, ubi omiſſione peccatur. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 1. Syluius 2. 2. *quaſt.* 59. Filliucius *tract.* 32. *quaſt.* 1. & alii.

Leſſius. Syluius. Filliucius.

2. Iniuſtitia tam quæ opponitur iuſtitiæ legali, quàm quæ particulari eſt uitium ſpeciale ab alijs diſtinctum. Ratio prioris eſt, quia tunc reſpicit ſpeciale obiectum ſcilicet bonum commune quod contemnit. Poſterioris autem eſt, quia habet materiam ſpecialem circa quam inordinatè uerſatur, uolendo plus habere de bonis puta de diuitijs & honoribus; & minus de malis puta laboribus & damnis. Nota tamen, quod ſi & contemptus boni communis & intentio faciendi contra illud abſint, iniuſtitia illegalis non erit uitium diſtinctum ab iis quæ committuntur contra illas uirtutes, quarum actus exercendi erant ex imperio iuſtitiæ legalis, ſed

erit

erit generalis quædam conditio omnium peccatorum. Vt ſi quis furetur vel occidat, non ex animo vt vel legem deſpiciat, uel bono communi aduerſetur, ſed ut ſuæ cupiditati obſequatur, non committit ſpeciale peccatum contra legalem iuſtitiam, ſed illud ſolum quod opponitur præceptis, *Non furtum facies. Non occides.* Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 59. *art.* 9. & alij communiter.

D. Thom.

3. Qui ignoranter iniuſtum facit vel nihil peccat, ſi nimirum ignorantia ſit inculpata; vel peccat quidem ſi ſcilicet ignorantia ſit culpabilis: ſed non idcirco eſt denominandus ſimpliciter iniuſtus, quia non facit iniuſtum per ſe & formaliter, ſed materialiter & per accidens. Qui iniuſtum facit ex aliqua paſſione iræ, luxuriæ, vel ſimili, peccat etiam, ſed neque propterea ſimpliciter denominatur iniuſtus: quia licet agat ex electione obiecti quod ſciens & prudens eligit, tametſi paſſione inductus; non tamen agit ex perfecta deliberatione & electione iniuſti formaliter; quia non omninò intendit facere iniuſtitiam, ſed potius ſuæ paſſioni aut voluptati ſatisfacere. Qui ſciens aliquid eſſe iniuſtum ſponte illud facit ſimpliciter & abſolutè dicitur iniuſtus; quia qui vult liberè id quod nouit eſſe iniuſtum, cenſetur etiam velle ipſam iniuſtitiam & æqualitatem annexam, ac proinde meritò dicitur iniuſtus, & eſt magnum iudicium habitus; iniuſtum autem eſſe denotat habitum & operantem ex habitu, vt Philoſophi loquuntur. Apud illos autem iuſtum, iniuſtum & ſimilia ſunt nomina habitus. Ita D. Thomas *loco citato, art.* 2. Syluius *ibidem* ex Ariſtotel. *libro quinto, & hic capit. ſexto & octauo.*

D. Thom. Syluius Ariſtotel.

4. Sicut nemo poteſt facere iniuſtum propriè vel iniuriam, niſi volens, ita nec vllus pati iniuſtum, niſi nolens. Prior pars patet, quia iniuſtum formaliter & iniuria includunt rationem voluntarij, & illud ſolum dicitur homo propriè per ſe facere, quod ſciens & volens facit: hinc fit vt amens & brutum non faciat iniuſtum, etſi lædat; quia facere iniuſtum formaliter eſt peccatum. Ergo.

Altera pars probatur, quia vnuſquiſque in ijs quæ ad ipſum pertinent cedere poteſt iuri ſuo: hoc autem facit, qui ſciens & volens patitur: ergo vt babet Regula iuris in 6. *Scienti & volenti non fit iniuria.* Hæc autem regula intelligitur de illo, qui eſt omnino ſciens & volens, ita vt eius voluntarium non ſit admixtum inuoluntario, ſed prorſus liberum ac ſpontaneum, cuiuſmodi non eſt quando quis conſentit ex ignorantia vel per violentiam, aut ſimilem aliquam iniuſtitiam. Vnde qui ſoluit vſuras, non cedit iuri ſuo: quia non cupit vt vſurarius has exigat, nec intendit ſe vllo iure priuare, aut donare, ſed ſoluit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Non cenſetur ergo quiſpiam, cedere iuri ſuo, ſi aliquo modo inuoluntariè & renitente affectu conſentiat, inductus ab eo, qui læſurus eſt. Tamen fieri poteſt, vt quis ex parte ſua iniuriam inſerat, & tamen alter propriè iniuriam patiatur: & è contrario fieri poteſt, vt quis iniuſtum patiatur & alter propriè iniuriam non inferat. Exemplum prioris eſt, ſi detrahas famæ alterius, vt illi noceas; & ille cedat iuri ſuo optans haberi infamis propter Chriſtum. Poſterioris eſt, ſi quis aduertat emptorem fraude vel dolo uti, atque ita pro mercibus quæ pluris ualent, ſibi tanquam uenditori minus iuſto ſoluere, uolens patietur id quod eſt iniuſtum, ſed materialiter duntaxat. Ita ex Ariſtotele 5. *Ethicorum, cap.* 9. Diuus Thomas *loc. citat. art* 3. Syluius *ibidem.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. & alii communiter.

Reg. iuris.

Ariſtotel. D. Thom. Syluius. Leſsius.

5. Communis ſententia eſt, facere iniuſtum, eſſe ex ſuo genere peccatum mortale; quia repugnat charitati. Charitas enim mouet ad uolendum bonum alterius, facere autem iniuſtum ſemper eſt cum alterius nocumento, quod uoluntariè ipſi infertis, qui facit iniuſtum formaliter. Ex ignorantia autem facere iniuſtum poteſt uel nullum eſſe peccatum, ſi ignorantia ſit inuincibilis, uel eſſe tantùm ueniale, ſi ignorantia ſit parum culpabilis; uel eſſe mortale, ſi ignorantia ſit craſſa. In materia autem leui facere iniuſtum eſt tantum ueniale: quia probabile eſt, quod is qui tale iniuſtum patitur, inde non lædatur, nec ei diſpliceat. Si tamen qui committit iniuſtum in materia leui, ſciat dominum ualde ægrè laturum, peccabit mortaliter, non peccato furti, ſed peccato ſcandali: eſt enim cauſa grauis illius indignationis quam præuidet ex furto ſuo ſecuturam. Item iniuſtitia eſt ſolum venialis ob imperfectionem actus non plenè deliberati, vt tradunt communiter Doctores in materia de peccatis poſt D. Thom. 2.2. *q.* 59. *art.* 4.

D. Thom.

6. Iniuria, ab in, id eſt, non & ius dicta eſt: quaſi non iure, aut contra ius facta. Et inuenitur in quatuor generibus actionum hominum. *Primum* eſt eorum qui legem aut mandatum Superioris tranſgrediuntur. *Secundum* eorum qui faciunt contra ius. *Tertium*, iudicum iniuſtè iudicantium. *Quartum* eorum, qui alterius honorem lædunt. Iniuria propriè dicta tribus modis fit: Re, Verbis, & Literis. *Re*, ſi quis alteri manus violentas inferat. *Verbis*, ſi conuitia aut contumelias in alterum dicat. *Literis*, ſi famoſis ſcriptis, picturis, ſignis, notis alterius honorem diminuat, ſi alterum iniuſtè accuſat, aut excommunicat, aut condemnat. Ita Sylueſter *verb. Iniuria, num.* 1. & 2. Armilla *eodem verbo num.* 1.

Sylueſt. Armilla.

7. Iniuria enormis dicitur, ſi membrum mutilatur, ſi effuſio ſanguinis ſit abundans, & de membro, de quo non facilè exit ſanguis. Si in Abbatem, vel Prælatum, vel Superiorem ſit iniecta manus; *cap. cum illorum, de ſentent. excommun.* Si quis ita vulneretur, vt indigeat medicamine chirurgiæ, vel emplaſtro, vel aliorum medicaminum. Si quis fuſtibus cæditur. Si in theatro, foro, vel ante iudicem verberetur. Si in Eccleſia, cœmeterio, dormitorio verberetur, ſecundùm aliquos. Si fiat iniuria Sacerdoti induto veſtibus, ſacerdotalibus, Magiſtratui, Parenti, Patrono, & Prælato. Ex tempore dicitur enormis iniuria, ſi fiat tempore ludi, vel feſtiuitatis, & hoc eſt arbitrarium. Ex re ipſa, vt ex vulnere, quia magnitudo vulneris atrocitatem facit, ſecundùm leges, & aliquando locus vulneris, vt ſi fiat in oculo, *l. ita incipit, ff. de iniur.*

8. Actio iniuriarum oritur ex illata alteri iniuria, qui ob id iuſtam habet actionem aduerſus eum, qui intulit, aut inferri procurauit. Adde quod iniuria illata alicui, qui in alterius poteſtate eſt, etiam redundet in eum. Vt iniuria filiorum in parentes; ſeruorum in Dominos; vxorum in maritos; ſocij in Collegium; Religioſi in Abbatem ac totum Monaſterium. Et in eiuſmodi caſibus iniurians debet vtriuſque offenſi actionem ſuſtinere; ſi ſciuit eum, quem læſit, ad alterius poteſtatem pertinere. Niſi inferior ſuam actionem ceſſerit Superiori. Ita Sylueſter *verb. Iniuria, quæſt.* 6.

Sylueſt.

Huiuſmodi autem actio iniuriarum multis tollitur & aboletur: *Primò*, remiſſione, iniuriante, petente aut ſupplicante pro venia, *cap. ſi illis*, 23. *quæſt.* 4. aut cum vterque inter ſe paciſcuntur, ineuntque reconciliationem, *l. ſi tibi decem, §.* 1. *ff. de pactis.*

Secundo, tollitur hæc actio diſſimulatione: nam ſi læſus iniuriam non reuocauit ad animum quando fiebat, non poterit eam poſtea recolere, *l. non ſolum. §.* 1. *ff. de pactis.* Relinquitur tamen actori annus vtilis, quando iniuria illata eſt per metum: aut continuus, ſi alio modo, *l. ſi cum exceptione §. in cauſa ff. quod metus cauſa.*

Tertiò, fit actibus amicitiæ, vel deoſculatione, &c. Per hæc enim læſus tacitè renunciat actioni iniuriarum: niſi eam iam cœperit vocando in ius iniuriantem. Nam tunc illa ſigna non ſufficiunt ſine expreſſa renunciatione actionis, aut facta tranſactione, ſicut nec ſufficiunt ſigna, quæ neceſſariò exhibenda ſunt inimico. Vide dicta, *l. Contumelia n.* 3.

Quartò tollitur, quoties quis iudicem incitat ad torquendum iniuriantem, eo ipſo quod eum torquet aut condemnat ad vindictam; aliam ſatisfactionem actor petere non poteſt pro iniuria, niſi ſimul proteſtetur ſe nihilominus pro ſuo intereſſe actionem iniuriarum proſecuturum. Vt *l. final. ff de iniur.*

Quintò aboletur morte læſi: quia talis actio non tranſit ad hæredem ante litis conteſtationem moriente iniuriato. Sed limita quoad actionem iniuriarum, ſed non quoad damna & expenſas, quia per hoc non tollitur quin agere poſſit ad reſtitutionem. Ita Sylueſter *verb. Iniuria quæſt* 8.

Sylueſt.

Aduertendum autem hic eſt, quod remittere actionem iniuriarum nullus poteſt, qui eſt in alterius poteſtate

abſque

Digitized by Google

abſque eius uoluntate. Poteſt tamen Collegium Religioſorum remittere iniuriam ſuo Religioſo factam, ipſo etiam reclamante: Sed hoc non licet Collegio Canonicorum. Si uerò læſus iniuriam nimium magni æſtimet, & reconciliationem oblatam nolit admittere: tunc iniuriator in conſcientia tenere poſſet arbitrium iudicis pœnitentiæ. Argument. *cap. veniens, de iureiur.* & *cap. 2. de arbitr.*

9. In iniuria illata duo mala concurrunt: alterum offenſio perſonæ: alterum damnum datum eidem cui fit iniuria. Ex offenſione perſonæ oritur rancor & odium erga iniuriantem. Hæc offenſus, aut non debet intra animum ſuum admittere, aut cito deponere: quia nunquam licet ullum hominem odiſſe: & nos ſemper pacem cum aliis habere debemus, etiamſi illi nobiſcum non habeant, *cap. inter verba 11. quæſt.* 3. Et Chriſtus iuſſit nobis diligere inimicos & benefacere his qui oderunt nos. *Matth.* 5. *Luc.* 6. Quod attinet ad damnum ab iniurante datum, nemo obligatur illud citò condonare. Quin potius iniurians debet ueniam petere ab eo quem læſit, & ad ſatisfactionem ſe offerre: alioqui non poteſt abſolui in foro conſcientiæ. Pium tamen eſt, ut læſus dimittat etiam actionem iniuriarum quoad forum conſcientiæ. Sed actionem reſtitutionis damni rerum aut honoris; poteſt, & quandoque etiam debet proſequi, donec reus ſatisfaciat. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. charitas num.* 15. 16. *&* 17. cum Doctoribus ibi citatis.

INTERDICTVM I.

Quid ſit interdictum, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit interdictum, & de eius diuiſione in locale, perſonale, & mixtum?*
2 *An interdicto loco cenſeatur populus interdictus?*
3 *Quid ſit interdictum locale generale?*
4 *Quid ſit interdictum perſonale generale?*
5 *An ciues communitatis interdicta, qui abſunt dum fertur interdictum, ſubiaceant interdicto?*
6 *An amentes & pueri carentes vſu rationis, cenſeantur interdicti, interdicta communitate?*
7 *An interdicta aliqua ciuitate intelligantur etiam interdicta ſuburbia?*
8 *An interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, cenſeantur etiam interdicta religionum Eccleſiæ?*
9 *An interdicta Eccleſia, intelligantur interdicta Capella & cœmeteria contigua Eccleſiæ?*
10 *An interdicto perſonali, vel locali includatur iudex, qui tulit interdictum?*

1. INterdictum *eſt Eccleſiaſtica cenſura, Sacramentorum vſum, diuina Officia, & ſepulturam Eccleſiaſticam ſecundum ſeipſam prohibens. Cap. non eſt nobis, de ſponſalibus. Interdictum*, aliud eſt *locale*, aliud *perſonale*, & aliud *mixtum. Locale* eſt quo directè interdicitur locus, ne in eo diuina Officia audiantur ab incolis uel extraneis: quamuis perſonæ loci interdicti poſſint alibi audire diuina Officia. *Perſonale* eſt, quo prohibetur populus, uel aliqua perſona particularis, audire diuina Officia ubicumque ſit, & ideò immediatè dirigitur ad perſonam, differtque à locali, quòd non terminetur ad certum locum. *Mixtum* uerò complectitur locale & perſonale, quare hoc interdictum interdicit locum & perſonas ſimul. Vnumquodque illorum poteſt diuidi in *ſimplex* & *mixtum*, hoc eſt generale tantùm; aut particulare tantùm, aut generale & particulare ſimul. Nauarrus *cap. 27. n.* 164. Toletus *lib. 6. cap.* 21. Filliucius *tract. 18. num.* 1. Suarez *de cenſ. diſp. 32. ſect. 1. &* 2.

Nauarrus. Toletus. Filliucius. Suarez.

2. Interdicto loco, non cenſetur interdictus populus, niſi aliud exprimatur: & poſito interdicto perſonali, non cenſetur poſitum interdictum locale, niſi hoc exprimatur à iudice. Vnde interdicta aliquà Eccleſia poſſunt Sacerdotes illius Eccleſiæ in alia Eccleſia perſoluere diuina Officia, modò ipſi non fuerint in cauſa culpabili, ob quam latum ſit interdictum; qui enim cauſam dederunt culpabilem interdicti localis, nullibi poſſunt audire uel perſoluere diuina Officia: poſito autem interdicto locali, non poſſunt ciues illius loci, imò neque exteri celebrare in loco interdicto. Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 25. num.* 5. Sylueſter *v. interdict. 2. num. 7. Cap. ſicut, de ſent. excom. in* 6. & alii.

Reginald. Sylueſter.

3. *Interdictum locale generale* illud eſt, quo interdicitur locus uniuerſalis, ut regnum, aut prouincia, aut diœceſis, aut ciuitas, aut uilla, aut caſtrum. Vnde interdictum parochiæ eſt generale, ſi per parochiam intelligatur totus ambitus alicuius caſtri: ſi uerò in ciuitate, oppido, uel caſtro ſunt aliæ parochiæ non eſt generale, ſed ſpeciale, multò magis erit interdictum ſpeciale, non generale, quando interdicuntur aliquæ Eccleſiæ uel omnes cuiuſcumque loci. Propterea diuina Officia celebrari poterunt extra Eccleſias, videlicet in domibus priuatis, in quibus aliqui habent priuata ſacella. Suarez *c. ſect. 2. num.* 7. Filliuc. *c. n.* 5. Henriq. *c. 41. l. 13 n.* 3. Sayr. *de cenſur. l. 5. c. 2. num. 13. &* 14. & alij.

Suarez. Filliucius. Henriq. Sayrus.

4. *Interdictum perſonale generale* eſt, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, vel villæ, vel caſtri: ſpeciale verò, quo interdicitur pars aliqua populi & cõmunitatis. Valent. *tom. 4. d. 7. q. 18. punct* 2. Nauarr. *c. n.* 167. An autem interdicto Clero cenſeantur interdicti Religioſi; affirmant Suarez *c. ſect. 2. n.* 17. Couarr. *c. Alma p. 2. §.* 1. quia populus diſtinguitur in populum & Clerum, ſed Religioſi non comprehenduntur ſub nomine populi, ergo comprehenduntur ſub nomine Cleri: Sayrus tamen *c. c. 4. n.* 29. & Henriq. *c. n.* 3. negant, quia Religioſi in fauorabilibus ueniunt nomine Cleri, non verò in odioſis: interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus, & è contra. Interdicta autem familia, interdicti cenſentur Clerici & alij eiuſdem familiæ, quia interdictum ſimpliciter fertur in perſonas illius familiæ, Suarez *c. n.* 14. Filliuc *c. n.* 14. *Præterea* quando interdicuntur Doctores alicuius ciuitatis vel collegij, cenſentur etiam interdicti clerici Doctores illius ciuitatis vel collegij, quia nomen Doctores tam conuenit Doctoribus clericis, quàm laicis: Ita Henriq. *c. n.* 3. & Auilà 5. *p. d. 1. dub. 4. concl.* 9. contra Sayrum *c. cap. 4. n.* 30 & Vgolinum *tab. 5. c* 20. *§.* 5. interdicto verò populo ciuitatis, non intelliguntur interdicti, qui habitant in ſuburbijs, quando habitantes in ſuburbijs non ſunt de populo ciuitatis; aliàs cenſerentur interdicti.

Valent. Nauarrus. Suarez. Couarrus. Sayrus. Henriquez. Suarez. Filliucius. Henriquez. Auila. Sayrus. Vgolinus.

5. *Ciues* communitatis interdictæ, qui abſunt dum fertur interdictum, ſubiacent interdicto. Sayrus *c. cap. 4. num.* 13. Vgolinus *c. §.* 5. quia ſunt pars communitatis interdictæ: ſi verò actu habeant domicilium alibi, vt aliò transferant domicilium, deſinunt eſſe interdicti, modò ipſi non dederint cauſam culpabilem interdicti. *Interdicto populo* non intelliguntur interdicti exteri alterius ciuitatis, vt ſunt Scholares, quamuis ad longum tempus ibi habitent. Nauarrus *cap. 27. num.* 167. Filliucius *c. num.* 14. quia non ſunt pars illius populi vel communitatis. Qui verò habent duo domicilia, vnum in eo loco in quo totus populus eſt interdictus, aliud in alio loco vbi non eſt interdictus, aliqui affirmant ipſum eſſe interdictum, alij negant, idque probabiliter, hinc fit vt ille qui habet domicilium in loco non interdicto, ſubiaceat interdicto, ſi transferat domicilium in locum vbi ciuitas & populus eſt interdictus, quia fit pars illius communitatis. Vide Bonacinam *de cenſur. diſp. 5. part. 1. numer.* 19. Henriquez *c. cap.* 42.

Sayrus. Vgolinus. Nauarrus. Filliucius. Bonacina. Henriquez.

6. *Amentes* & pueri carentes vſu rationis, non cenſentur interdicti, interdicta communitate, quia infantes non ſunt capaces doli & culpæ: hi tamen priuantur Eccleſiaſtica ſepultura tempore interdicti: hoc enim eſt interdictum locale, quod directè afficit locum: per *interdictum* generale perſonale latum contra aliquam communitatem intelliguntur interdictæ ſingulares perſonæ, quæ ſunt partes illius communitatis, quia non interdicitur communitas abſtractè ſumpta. Filliucius *c. num.* 24. Sayrus *cap. 4. n.* 23. Suarez *c. diſp. 34. ſect. 1. num.* 34.

Filliucius. Sayrus. Suarez.

7. *Inter-*

7. *Interdicta* aliqua ciuitate, intelliguntur etiam interdicta ſuburbia; id eſt ædificia quæ ſunt extra muros illius ciuitatis, vel illis contigua vel vicina reſpectu quorum locorum oriretur occaſio parui pendendi interdictum, ſi in illis locis celebraretur: & hoc valet etiamſi illa loca ſint alterius diœceſis & non ſubdita iudici Eccleſiaſtico, à quo latum eſt interdictum, quia tunc illa ſuburbia non cenſentur interdici ab Epiſcopo, ſed à iure communi. Suarez *c. num.* 32. Conink *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 18. Filliucius *c. num.* 8. & 9. & alij.

Suarez. Conih. Filliucius.

Conc. Trid.

8. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de reg. cap.* 12. & 22. ſtatuit vt interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, cenſeantur etiam interdictæ religionum Eccleſiæ, quæ aliàs ſunt exemptæ; vnde Religioſi tenentur ſeruare interdictum locale generale: per *interdictum* tamen ſpeciale non poteſt Epiſcopus interdicere Eccleſias exemptas, quia ius illi hoc non permittit.

9. *Interdicta* Eccleſia intelliguntur interdictæ Capellæ, & Cœmeteria contigua Eccleſiæ, quia cenſentur vnum corpus cum Eccleſia, & acceſſorium ſequitur principale: *contigua* dicuntur ea, quorum extrema ſunt ſimul, ſeu quorum extremitates ſe inuicem tangunt; ita vt inter vnum & alterum non interponatur aliquid aliud. Nauarrus *c. num.* 167. Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 3. Sayrus *cap.* 2. *num.* 16.

Nauarrus. Reginald. Sayrus.

10. In interdicto perſonali, non includitur iudex qui tulit interdictum, quia non poteſt ſeipſum interdicere, cùm non habeat iuriſdictionem coactiuam in ſeipſum, ſicut neque habet in ſuperiorem vel æqualem, ſed tantùm in ſubditos: in *locali* verò interdicto includitur etiam ipſe iudex, vel ſuperior, vel æqualis: quia effectus interdicti ſunt inſtituti à iure communi, in iure autem communi non poteſt iudex inferior Papa diſpenſare: unde iudex qui aliquem locum interdixit, tenetur abſtinere ab officijs perſoluendis in eo loco, quia hoc eſt effectus interdicti introductus à iure communi, in quo non poteſt diſpenſare. Vide Filliucium *c. num.* 24. Nauarrum *c. num.* 167. Conink *c. num.* 25.

Filliucius. Nauarrus. Conin.

INTERDICTVM II.

De effectibus Interdicti.

SVMMARIVM.

1 *Effectus interdicti ad tria capita reuocantur.*
An tempore interdicti localis, Sacramenta Baptiſmi & Confirmationis ſolemniter adminiſtrari poſſint?
3 *An interdictus perſonaliter, interdicto perſonali generali vel ſpeciali, poſſit recipere Sacramentum Confirmationis vel Baptiſmi?*
4 *An Pœnitentia Sacramentum tempore generalis interdicti localis concedatur?*
5 *An Euchariſtia Sacramentum infirmis, in probabili mortis periculo exiſtentibus, tempore interdicti localis adminiſtrari poſſit cum ſolita ſolemnitate? An autem Sacerdotes non celebrantes vel alij Clerici ſani tempore interdicti Euchariſtiam ſumere poſſint?* refertur duplex ſententia.
6 *An Sacerdos, qui ſublato interdicto habet ius adminiſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ, poſſit illud miniſtrare tempore interdicti, in articulo mortis?*
7 *An tempore interdicti localis generalis, teneantur fideles ad implendum annuæ Communionis præceptum, recipere Sacramentum Euchariſtiæ?* refertur duplex ſententia.
8 *An Extrema Vnctionis Sacramentum miniſtrandum ſit perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis, generalis, vel particularis?*
9 *An Sacramentum Ordinis adminiſtrari poſſit perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis?*
10 *An licitum ſit matrimonium contrahere, non obſtante interdicto?* refertur duplex ſententia.
11 *An ſponſalia de futuro licitè & validè fieri poſſint tempore interdicti, ſiue in eo loco interdicto, ſiue inter perſonas interdictas? An benedictiones nuptiales licitæ ſint tempore interdicti?*
12 *De ſecundo effectu interdicti, qui eſt priuatio diuinorum officiorum?*
13 *An tempore cuiuſcumque interdicti ſiue localis ſiue perſonalis, obligati ad horas debeant eas priuatim recitare?*
14 *An tempore interdicti localis generalis, liceat ſingulis diebus in Eccleſijs & Monaſterijs celebrare?*
15 *Quid ſit differentia inter interdictum locale generale, & locale ſpeciale, & inter interdictum locale, & perſonale?*
16 *Quæ ſint feſtiuitates in quibus licitum ſit tempore interdicti localis generalis, celebrare Miſſas & diuina Officia publicè & ſolemniter?*
17 *Quæ perſonæ poſſint admitti ad diuina Officia, tempore interdicti localis generalis?*
18 *De tertio effectu interdicti, qui eſt Eccleſiaſtica ſepulturæ vel ingreſſus Eccleſiæ priuatio.*
19 *An tempore interdicti localis generalis, licitum ſit in loco Sacro interdicto ſepelire laicos adultos, in ijs feſtiuitatibus, in quibus, ſecundùm ius, publicè poſſunt celebrari diuina Officia?* refertur duplex ſententia.
20 *An tempore interdicti localis, vel perſonalis generalis, poſſint infantes vel amentes ſepeliri in loco Sacro?*
21 *An laicus tempore interdicti ſepultus in loco non Sacro, ſublato interdicto exhumandus ſit & ſepeliendus in loco Sacro?*
22 *An peccet ſepeliens laicum interdictum?*
23 *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſit in Eccleſia vel cœmeterio ſepeliri?*
24 *An ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus poſſit formaliter audire diuina Officia, & audiendo peccet mortaliter?*
25 *An Clerici, Religioſi, & Moniales, eorumque Nouitij non interdicti, qui ſeruarunt interdictum, poſſint tempore interdicti localis generalis, vel ſpecialis ſepeliri in loco Sacro?*
26 *Quando interdicitur Clerus, an comprehendantur perſonæ Religioſæ?*

1. OMnes *effectus* interdicti ad tria capita reuocantur, quæ ſunt *priuatio actiua & paſſiua* quorumdam Sacramentorum: *priuatio actiua & paſſiua* diuinorum Officiorum; & ſimilis *priuatio Eccleſiaſtica ſepulturæ*; hi tres effectus communes ſunt proportionaliter omni interdicto, tam locali, quàm perſonali; & vtrique tam generali, quàm particulari. *Cap. ſi ciuitas, Cap. ſi ſentent. & Cap. Alma mater, de ſentent. excommunic. in* 6.

2 Tempore *interdicti localis*, ſiue interdictum ſit generale, ſiue ſit particulare, Sacramenta Baptiſmi & Confirmationis adminiſtrari poſſunt paruulis & adultis, infirmis aut ſanis, idque ſolemniter cum Cathechiſmis, Exorciſmis, vnctione Chriſmatis in vertice, publicè & apertis ianuis: *Cap. Quoniam, & Cap. Alma, de ſent. excom. in* 6. *vnde* parochus cuius Eccleſia interdicta, non tenetur aliam Eccleſiam non interdictam adire, vt Sacramentum Baptiſmi adminiſtret, quia illius parochia, quoad hunc effectum non eſt interdicta. Sayrus *l.* 5. *c.* 7. *num.* 3. Filliucius *tract.* 18. *num.* 31. 32. Suarez *d.* 33. *ſect.* 1.

Sayrus. Filliucius. Suarez.

3. Sacramentum Cõfirmationis poteſt recipere interdictus perſonaliter, interdictus interdicto perſonali generali: ille verò qui ſpeciali & perſonali interdicto ligatus eſt, aut qui dedit cauſam interdicto, ad hoc Sacramentum non poteſt admitti, niſi priùs condignam ſatiſfactionem ab Eccleſia præſcriptam præſtiterit, quia hic eſt reus culpæ & contumaciæ: *præterea* licitum eſt miniſtrare Baptiſmum, etiam ſolemniter, perſonæ interdictæ interdicto perſonali generali: *perſonæ* verò ſpecialiter interdictæ non licet extra neceſſitatem miniſtrare Sacramentum Baptiſmi: in neceſſitate licet, priuatim tamẽ: *ſimiliter* perſonaliter interdictus interdicto generali perſonali, & qui cauſam non dedit interdicto, poteſt miniſtrare ſacramentum

tum Confirmationis, ſicut & Baptiſmum: ſpecialiter verò interdictus non poteſt. Ita Reginaldus *lib.32. num.24.* Sayrus *c. cap.7. num.6.* Suarez *cap. num.9.* Filliucius *cap. num.33 35.* Bonacina *diſt.5.part.3.§.1 num.4.5.& 6.* Diana *part. 5.tract. 10.reſol.63.* & alij.

Reginald. Sayrus. Suarez. Filliucius. Bonacina. Diana.

4. *Pœnitentia* ſacramentum, tempore generalis interdicti localis, iure nouo conceditur, tam ſanis, quàm ægrotis, Henriquez *lib.13. cap.45.* Tolet. *lib.6. cap.23. num.6.* Couarr. *in* C. Alma *part.2. §.3. num 1.* Sayrus *cap.num.8. & 9.* Conink *diſp.17.d.2.num.42.* Suarez *c.n.20.* Filliucius *cap.num. 38.* & alij. *Excipiuntur* tamen excommunicati, qui non admittuntur ad pœnitentiam, tempore interdicti, niſi in articulo mortis, vel à legitimo ſuperiore fuerint abſoluti. *Secundò*, excipiuntur illi, quorum culpa, dolo, vel fraude, latum eſt interdictum. *Tertiò*, excipiuntur etiam illi, qui auxilium, conſilium, fauoremve dederunt ad delictum perpetrandum, propter quod latum eſt interdictum: iſti enim abſolui non poſſunt, niſi priùs ſatisfaciant, vel ſi hoc non poſſunt, idoneam ſaltem cautionem dent de ſatisfaciendo, vel ſaltem, quando hæc præſtare non poſſunt, iurent ſe quamprimùm poterunt ſatisfacturos, ſimulque curaturos, vt ab illis ſatisfiat. Ita ſtatutum eſt in *Cap. Alma, de ſententia excommun. in 6.* vnde quilibet cõfeſſarius, qui nõ dedit culpabilem cauſam interdicto locali, poteſt tempore interdicti localis, in loco interdicto, adminiſtrare ſacramentum Pœnitentiæ; idem *dicendum* tempore interdicti perſonalis generalis: quando autem ſpecialiter eſt interdictus confeſſarius, non poteſt licitè hoc Sacramentum adminiſtrare, excepto caſu neceſſitatis, quamuis ſecundùm aliquos apud Dianam *part. 5. tract.10. reſol.62.* Bonacina *cap.§. 3. n.2.* valida ſit confeſſio. Sed hoc non eſt certum, quia interdictum priuat rebus diuinis quantùm poteſt.

Henriquez. Toletus. C. Alma. Sayrus. Conin. Suarez. Filliucius.

Diana. Bonacina.

5. *Euchariſtia* ſacramentum, iure antiquo, & etiam à fortiori iure nouo *Cap. permittimus de ſenten. excommun. Cap. Alma mater. de ſenten. excommun. in 6. C. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* infirmis in probabilis mortis periculo exiſtentibus, tempore interdicti localis adminiſtrari poteſt, cum ſolita ſolemnitate, id eſt, cum geſtatione luminarium, cum ſono campanulæ, & cum recitatione pſalmorum, & cum apparatu Sacerdotis, & Chriſti fidelibus cum luminaribus ipſam Euchariſtiam comitantibus: vnde fœminæ vicinæ partui, dum prima vice partitura eſt, vel ſi aliàs peperit cum periculo, & ſuſcipienti periculoſam nauigationem item præliaturo, aut illi qui eſt ſuſpendendus, licitum eſt Euchariſtiam adminiſtrare, tempore interdicti localis, & hoc per modum viatici, quia hi omnes verſantur in probabili periculo mortis: alio verò tempore, ſecluſo priuilegio, non licet in loco interdicto Euchariſtiam recipere. Extra verò locum interdictum licet, modò recipiens non ſit perſonaliter interdictus interdicto ſpeciali, vel generali, vel non dederit cauſam culpabilem interdicto: An autẽ Sacerdotes non celebrantes, & ſimiliter alij clerici ſæculares ſani, tempore interdicti Euchariſtiam ſumere poſſint? Communis Doctorum ſententia apud Sayrum *c.n.21.26.* Henriquem *cap.32. num. 45.* Suarem *diſt. 33. ſect. 1. num.28.* Nauarr. *cap. 27. n.169.* Bonacinam *c.§.2. num.8.* Vgolinum *cap.7.§.6.n.5. tab. 5.* & alios eſt negatiua, quia Euchariſtia, ex vi ipſius interdicti prohibita eſt, ergo non alia ratione licitè clericis miniſtrari poterit, quàm in caſibus iure expreſſis, ſcilicet, Miſſam celebrantibus & morituris; à communi tamen ſententia recedunt non improbabiliter Suarez *cap. num.35.* Filliucius *num.42.* Syluest. *v. interd.5.quæſt.7.* dicentes, Sacerdotibus non celebrantibus poſſe concedi Corpus Chriſti, quia priuilegia ſunt amplianda: hæc opinio eſt magis pia & fauorabilis; communis tamen prior ſententia videtur tutior, & iuri ſcripto conformior.

Sayrus. Henriquez. Suarez. Nauarrus. Bonacina. Vgolinus.

Suarez. Filliucius. Sylueſter.

6. *Sacerdos*, qui ſublatò interdicto habet ius adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ, poteſt illud adminiſtrare tempore interdicti, in articulo mortis; modò ipſe non dederit cauſam interdicto, nec ſit ligatus ſpeciali interdicto: *ſimiliter* interdictus perſonaliter interdicto generali, poteſt recipere Euchariſtiam, per modum viatici abſque alia ſatisfactione, modò non dederit cauſam interdicto, nec ſit ſpecialiter interdictus; ab his enim prius eſt exhibenda ſatisfactio, ſi poteſt exhiberi; ſin minus exhibenda eſt cautio. Conink *d.17.dub.2. num.45.* Suarez *cap. num. 26. & 24.* Filliucius *c. num.39.*

Conin. Suarez. Filliucius.

7. Quidam Doctores cenſent, tempore interdicti localis generalis, licere, imò & fideles teneri, ad implendum annuæ communionis præceptum, recipere ſacramentum Euchariſtiæ: quia in die Paſchatis iure conceſſum eſt diuinis intereſſe, & conſequenter videtur conceſſum Euchariſtiam ſuſcipere; hæc ſententia eſt Suaris *cap.num. 37.* Conink *cap.num.36.* Filliucij *cap.num.42.* Communis tamen aliorum opinio eſt, id non licere, neque ad id fideles obligari, quia interdictum priuat ſuſceptione Euchariſtiæ, præterquam in articulo mortis, vt in iure decernitur: & Euchariſtia non venit nomine officiorum, quæ permittuntur tempore interdicti, vnde diſpoſitum in vno, non cenſetur diſpoſitum in alio. Ita ſentiunt Sayrus *cap. num. 25.* Couar. *cap. §. 3. num. 1.* Bonacina *cap. §. 2. num.11.* Syluest. *v. interdict.5. num.5.*

Suarez. Conin. Filliucius.

Sayrus. Couarrus. Bonacina. Sylueſt.

8. *Extrema Vnctionis* Sacramentum, non eſt miniſtrandum perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis, niſi aliquibus ſit permiſſum ex priuilegio ſpeciali. *Cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* hinc perſonaliter interdictus non poteſt percipere hoc Sacramentum in loco non interdicto, quia interdictum perſonale afficit perſonas, & ſuum in illis producit effectum, ubicumque exiſtant: *præterea* hoc Sacramentum, tempore interdicti localis, non poteſt ulli etiam perſonæ non interdictæ, quamuis ſit clericus nõ interdictus, in loco interdicto miniſtrari, & hoc uerum etiam in illis feſtiuitatibus, in quibus ex priuilegio iuris licitum eſt audire diuina officia, ut bene ait Sayrus *lib.5. cap.7. n.29.* Nauar. *c.27 num.179.* Suarez *d.33.ſect.1.* Filliucius *tr.18. cap.2.q.6.* cum aliis.

Sayrus. Nauarrus. Suarez. Filliucius.

9. Sacramentum *Ordinis* admininiſtrari non poteſt perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis. *Cap. non eſt vobis de ſponſalibus & C. reſponſo, de ſenten. excom.* quia interdictum priuat perceptione Sacramentorum, niſi fiat aliqua ſpecialis exceptio, in aliquo Sacramento, quam non conſtat factam fuiſſe in Sacramento; *excipitur* tamen caſus neceſſitatis, ut ſi non eſſent Sacerdotes, qui tempore neceſſitatis conferrent Sacramenta, tunc licitum eſſet conferre ordines in loco interdicto, ſi non eſſet alius locus commodus non interdictus; unde qui non eſt perſonaliter interdictus, poteſt in loco non interdicto ordines ſuſcipere, & tempore interdicti localis poſſunt clerici & laici ordines ſuſcipere alibi, modò cauſam culpabilem interdicto non dederint. Viualdus *de interd. num.111.* Henriquez *lib.13. cap. 45. §. 4.* Sayrus *cap.n.38.* & alii.

Viualdus. Henriq. Sayrus.

10. Multi Doctores tenent non improbabiliter, licitum eſſe *matrimonium* contrahere, non obſtante interdicto, Tolet. *c. cap.23.* Conink *d.17.dub.3 n.48.* Henriquez *c.45.num.3.* imò Couar. *in cap. Alma mater, part.2. §.2. num.7.* Nauar. *cap. 27. num. 179.* aſſerunt, inter interdictos perſonaliter & ſpecialiter poſſe licitè matrimonium contrahi, quia licet matrimonium ſit Sacram. tamen eſt etiam contractus humanus, imò ſubſtantialiter eſt contractus, & ratio ſacramenti eſt illi adiuncto, contractus autem humani, non ſunt prohibiti per interdictum, ergo nec matrimonium eſt prohibitum. Suarez *d. 33. ſect. 1. num.50.& ſeq.* Filliucius *cap.q.8.* Bonacina *cap.§. 3.num.8.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. num. 28.* docent probabilius eſſe non eſſe licitum perſonis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, niſi fortè contrarium receptum ſit per conſuetudinem; quia licet matrimonium ſit contractus, nihilominus eſt etiam Sacramentum, Sacramenta autem non poſſunt licitè adminiſtrari interdicto, uel tempore interdicti exceptis Sacramentis in iure expreſſis. Vide Dianam *de ſacrament. reſol. 267. part.3. & p.5. tract.10. reſol. 81.*

Toletus. Conin. Henriquez. Couarrus. Nauarrus.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Reginaldus

Diana.

11. *Sponſalia* de futuro licitè & ualidè fieri poſſunt tempore interdicti, ſiue in loco interdicto, ſiue inter perſonas interdictas: quia illud neque eſt Sacramentum, neque aliquid ſacrum, ſed eſt tantùm quidam humanus contractus: benedictiones uerò quæ fiunt ſuper coniunctos, licitè ſunt tempore interdicti localis generalis modò

fiant

Digitized by Google

fiant ianuis clauſis, excluſis excommunicatis, & interdictis, ſine ſolemnitate, & coniugati habeant priuilegium aſſiſtenti diuinis: imò iſtę benedictiones fieri poſſunt cum ſolemnitate ijs diebus, in quibus licitum eſt perſoluere ſolemniter diuina officia, exceptis diebus, quibus ſolemnitates nuptiales probibentur ab Eccleſia: tamen eſt *notandum* huiuſmodi benedictiones, non poſſe fieri ſuper coniugatos, quorum vterque vel alter eſt perſonaliter interdictus interdicto particulari, aut etiam interdicto perſonali generali. Suarez *cap. ſect.* 1. *num.* 46. 47. Couarr. *cap. num.* 7. Henriquez *cap.* 44. *num.* 1. Bonacina *cap. num.* 9. & alij.

Suarez. Couarrus. Henriquez. Bonacina.

12. *Secundus effectus* interdicti, eſt *priuatio diuinorum officiorum. Cap. Si Ciuitas. Cap. ſi ſenten. Cap. Alma de ſentent. excom. in* 6. Vnde tempore interdicti localis generalis prohibitum eſt, celebrare Miſſas, & diuina officia publicè in loco interdicto. vti ſono organorum, & campanarum pro officio: nomine autem *Officij diuini* intelligitur illud, quod fit in Eccleſia à miniſtro Eccleſiaſtico, ſeu à perſona conſecrata vel deputata ad illud officium: hinc ſequitur horas canonicas eſſe officium diuinum: imò ſacramentalia veniunt nomine officij diuini, vt ſunt omnes ceremoniæ ſacræ, quæ ſpectant ad ſolemnem ritum ſacramentorum immediatè, vel præparatoriæ, vel conſecutiuè, vt eſt ſolemnis benedictio nuptiarum, templi vaſorum ſacrorum, corporalium, veſtium ſacrarum, Candelabrum, Ramorum, Cinerum, fontis Baptiſmalis, aquæ, Benedictio ſolemnis Epiſcopi, litaniæ proceſſionaliter recitatæ cum cruce & ſuperpelliceis. Officia autem, quæ ex ſuo modo non requirunt perſonam Eccleſiaſticam ad ea deputatam, non cenſentur prohibita tempore interdicti, quia non cenſentur officia Eccleſiaſtica, & communia, ſed priuata: vnde generalis confeſſio & abſolutio, angelica ſalutatio, benedictio menſæ, crucis adoratio, priuata officia recitari ſolita à confraternitatibus, animæ commendatio, prædicatio, purificatio mulierum poſt partum, & ſimilia officia permittuntur. Suarez *cap. diſp.* 34. *ſect.* 3. *num.* 4. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 3. *num.* 79. Reginaldus *lib.* 32. *cap.* 28. *num.* 32. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 38. *& ſeq.* & alij.

Suarez. Filliucius. Reginald. Sayrus.

13. Tempore cuiuſcumque interdicti, ſiue localis, ſiue perſonalis, obligati ad horas, priuatim eas recitare poſſunt, & debent, ſiue ad eas teneantur ex voto ſpeciali, ſiue ratione beneficii, ſiue ratione ordinis ſacri: & beneficiarij eas omittentes tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis. Nauartus c. 27. *num.* 175. Filliucius *cap. num.* 62. Suarez *cit. ſect.* 3. *c.* 5. *num.* 10. & alii.

Nauartus. Filliucius. Suarez.

14. Iure antiquo, tempore interdicti localis generalis, Miſsā ſemel in hebdomada celebrare, licebat, idque cauſa conſecrandi Euchariſtiam pro infirmis *Cap. permittimus de ſentent. excom. Cap. Alma Mater de ſenten. excom. in* 6. Sayr. *cit. cap.* 5. *n.* 5. Suar. *cit. n.* 12. Regin. *cap. n.* 34. iure autem nouo *Bonifaci VIII.* in Cap. *Alma Mater*, conceditur, vt ſingulis diebus, Eccleſiis & monaſterijs celebrari poſſit, cum quadruplici hac moderatione. *Primò*, vt celebretur ſubmiſſa voce. *Secundò*. ianuis clauſis. *Tertiò*, non pulſatis campanis. *Quartò*, excluſis excommunicatis & interdictis. Eſt autem *aduertendum* iuxta Nauar. *cap. num.* 177. Conink *d.* 17. *dub.* 2. *n.* 33. Henriq. *cap.* 46. *num.* 1. Filliucium *cap. num.* 69. & alios; circa has moderationes, quòd, quando celebratur, ita ianuæ claudi debent, vt illi qui prohibentur intereſſe, non poſſint videri diuina officia; & tam ſubmiſsa voce debet Miſsa dici, vt canentes non poſſint moraliter loquendo audiri ab exiſtentibus extra Eccleſiam, qui prohibentur audire. *Præterea* quamuis licitum ſit pulſare campanas, ad conuocandum populum, ad concionem, ad comitandam Euchariſtiam, quæ miniſtratur. infirmis, vel ſalutationem angelicam, vel ad indicandam populo feſti diei ſolemnitatem, ad oſtendendas reliquias: ad diuina tamen officia non licet pulſare, imò in ſacrificio Miſsæ, non eſt licitum vti tintinnabulo, cùm hoſtia eleuatur, vel ad *ſanctus*: loco autem campanæ adhibenda eſt tabula cum matraca vel tuba, quia hæc inſtrumenta non ſunt vetita, cùm non veniant nomine campanarum.

Sayrus. Suarez. Reginald.

Nauarrus. Conin. Henriquez. Filliucius.

15. Magna *differentia* eſt; inter interdictum locale generale, & locale ſpeciale, quòd tempore interdicti localis ſpecialis, non eſt licitum ſingulis diebus celebrare diuina officia vel Miſsas, ſed ſolùm licitum eſt ſemel in hebdomada celebrare Miſsam ad renouandam Euchariſtiam in loco, vbi aſſeruatur Euchariſtiæ Sacramentum, ſicut licitum erat iure antiquo. Nam circa hoc nihil ſancitum eſt iure nouo. *Præterea* differentia eſt inter interdictum locale, & perſonale, quòd tempore interdicti perſonalis perſonæ interdictę perſonaliter interdicto particulari vel generali, non poſsunt celebrare Miſsas, nec intereſse. Vide Reginald. *cap. n.* 33. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 44. *num.* 3. Sayrum *c. cap.* 5. *num.* 8. 9. Nauar. *cap. n.* 173. Bonacinam *cap. part.* 4. *num.* 6. & alios.

Reginald. Henriquez. Sayrus. Nauarrus.

16. In Cap. *Alma Mater*, dantur aliquæ feſtiuitates, in quibus licitum eſt tempore interdicti localis non verò ſpecialis, celebrare Miſsas & diuina officia publicè & ſolemniter, cùm ſono campanarum ianuis apertis, alta uoce, admiſſis interdictis, etiam illis quorum cauſa latum eſt interdictum, modò non admittantur ad oblationes uel communionem. *Feſtiuitates* ſunt Natalis Domini, Paſchę, Pentecoſtes, Aſsumptionis Beatæ Virginis. *Martinus V.* & *Eug. IV.* addiderunt ſolemnitatem Corporis Chriſti cum octaua. Et *Leo X.* addidit diem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ſimul cum octaua: iſtæ autem feſtiuitates incipiunt à primis ueſperis uigiliæ uſque ad completorium ipſius ſolemnitatis, Suar. *d.* 34. *ſect.* 1. *n.* 32. *&* 38. 41. Filliucius *cap. num.* 79. Conink *c. dub.* 2. *num.* 27. Rodriquex *cap.* 136. *num.* 8. Nauarr. *cap. num.* 182. Sotus, Auila, Conink, *apud* Bonacinam *c. n.* 14. & alii. Nomine autem Feſtiuitatis Domini, Paſchæ, &c. non ſolùm intelligitur primus dies; ſed etiam alii ſequentes; quamuis *Suarez, Filliucius* & *Reginaldus* contrarium doceant.

Suarez. Filliucius. Conin. Rodriquez Nauarrus. Sotus. Auila. Conin. Bonacina.

17. *Tempore* interdicti localis generalis, aliquæ perſonæ admitti poſſunt ad diuina officia, ut infantes carentes uſu rationis, amentes: quia huiuſmodi perſonæ defectu libertatis & iudicii nondum ſunt capaces præcepti, & obligationis: item clerici non coniugati etiam extranei, modò ipſi non ſint excommunicati uel interdicti, nec dederint cauſam culpabilem interdicto, clerici uerò coniugati, qui non ſunt addicti & applicati alicui miniſterio ſacro, reputantur tanquam ſæculares, quamuis geſtando tonſuram & habitum gaudeant priuilegio canonis & fori: laici uerò non habentes priuilegium, non poſſunt admitti ad Miſsas, uel ad diuina officia: habentes autem priuilegium aſſiſtendi diuinis officiis, poſſunt admitti Suarez *d.* 34. *ſect.* 1. *num.* 34. Henriq. *cap.* 42. *num.* 4. Conin. *d.* 17. *dub.* 2. *num.* 27. Nauarr. *cap. num.* 175. Sayrus *lib.* 5. *c.* 5. *num.* 35. Filliucius *cap. num.* 71. Reginald. *cap. n.* 35. & alii. Imò ſecundùm probabiliorem ſententiam Nauar. *cap.* 21. *n.* 3. Soti 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. Sà *v. interdictum num.* 21. Filliuc. *cap. num.* 73. & aliorum diebus feſtis & dominicis tenentur Miſsam audire, quia præceptum audiendi ſacrum in die feſto, obligat omnes legitimè non impeditos: laici autem priuilegium habentes audiendi ſacra, non dicuntur impediti. Porrò habens priuilegium audiendi diuina officia, poteſt ſimul cum ſua familia diuinis intereſse; modò inter eos non adſit aliquis, qui dederit cauſam culpabilem interdicto: nomine autem familiæ, aliqui recentiores intelligunt uxorem, filium, nepotes, ſeruos & famulos in illius domo commorantes.

Suarez. Henriquez Conin. Nauarrus. Sayrus. Filliucius. Reginald. Nauarrus. Sotus. Filliucius.

18. *Tertius effectus* interdicti tam localis, quàm perſonalis generalis, aut ſpecialis eſt, *Eccleſiaſtica ſepultura, vel ingreſſus Eccleſiæ priuatio*. Clement. 1. *de ſepult.* ſepulturæ autem Eccleſiaſticę priuatio eſt, non poſse ſepeliri in loco ab Epiſcopo conſecrato, uel in cœmeterio ab Epiſcopo benedicto, uel in loco ubi diuina peraguntur, uel cum pompa funerali Eccleſiaſtica: unde ſequitur tempore interdicti localis, non poſse laicos, quamuis non interdictos, ſepeliri in loco ſacro interdicto, & multò minùs excommunicatos & interdictos: *Laici* uerò, qui non ſunt perſonaliter interdicti, nec dederunt cauſam culpabilem interdicto, poſsunt tempore interdicti ſepeliri in loco ſacro non interdicto: interdicti poſsunt ſepeliri in campo uel in cœmeterio ab Epiſcopo deputato, non tamen benedicto: *Præterea* laici, qui habent priuilegium aſſiſtendi di-

Clement.

uinis

Digitized by Google

uinis officiis, tempore interdicti morientes, poſſunt ſepeliri in loco ſacro, quamuis in priuilegio non exprimatur ſepultura, quia cui conceſſum eſt principale, hoc eſt poſſe aſſiſtere diuinis, illi videtur etiam conceſſum acceſſorium quod eſt ſepultura. Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 1. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 4. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 8. Syluest. *v. interd.* 5. *num.* 10. Regin. *cap. num.* 37. Nauar. *cap.* 27. *num.* 181. Conink *cit. dub.* 2. *num.* 52. & alii.

19. Multi Doctores negant, tempore interdicti localis generalis, licitum eſſe in loco ſacro interdicto, ſepelire laicos adultos, in iis feſtiuitatibus, in quibus ſecundum ius publicè poſſunt celebrari diuina officia, & *ratio* illorum eſt, quia ſepultura non eſt diuinum officium: hanc ſententiam tenent Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 1. *n.* 13 Conink *cap. dub.* 2. *num.* 55. Filliuc. *cap. num.* 99. & alii. Contraria tamen ſententia videtur probabilior & tenenda: quia mitior & benignior: tum quia cui licitè communicamus viuo in diuinis officiis, poſſumus etiam cõmunicare mortuo in ſepultura, vt eſt quoddam acceſſorium ad principale diuini officij; & huius ſententiæ ſunt Nauar. *num.* 181. Sayr. *cap.* 8. *num.* 11. Henriquez *cap.* 46. *num.* 4. & alii.

20. *Tempore interdicti localis*, nõ poſſunt infantes, vel amentes ſepeliri in loco ſacro, *quia* per interdictum locale, locus fit incapax ſepulturæ, cuiuſcumque ſit cadauer, ſiuè illud ſit adulti, ſiuè infantis: *tempore* verò interdicti perſonalis generalis, non poſſunt hi ſepeliri in loco ſacro, quia videntur aliqua ratione pars communitatis; *tempore* autem interdicti perſonalis ſpecialis, poſſunt ſepeliri in loco non interdicto, quia ipſi non afficiuntur interdicto ſpeciali, & ideò nullum eſt impedimentum ex parte perſonæ, neque ex parte loci. Nauar. *cap. num.* 168. Sayrus *cap.* 8. *num.* 5. Filliucius *num.* 90. Henriquez *cap.* 42. *num.* 3. et alii.

21. *Laicus* tempore interdicti ſepultus in loco non ſacro, ſublato interdicto, exhumandus eſt & ſepeliendus in loco ſacro; nam ſublata cenſura, ceſſat etiam illius effectus: *Laicus* verò qui non dedit cauſam culpabilem interdicto, nec eſt interdictus, ſepultus illicitè in loco interdicto, durante interdicto, non eſt exhumandus, vt ſepeliatur in loco non ſacro. Sà *v. interdict. num.* 27. Sayr. *cap.* 8. *num.* 21. Henriquez *cap.* 44. *num.* 5. Filliuc. *num.* 97.

22. Non peccat *ſepeliens* laicum interdictum interdicto perſonali generali, Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 3. *num.* 2. Reginald. *num.* 38. & 47. quia interdictus ſolùm interdicto generali non eſt vitandus: idem *dicendum* de ſepeliente in loco interdicto, antequam locus denunciatus fuerit interdictus: *ſepeliens* autem interdictum ſpecialiter & nominatim, incurrit excommunicationem latam in Clement. 1. *de ſepult.* Conink *cap. num.* 75. Ille verò cenſetur ſpecialiter denunciatus, qui eſt membrum alicuius communitatis; quæ denunciata eſt interdicta.

23. *Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ*, non poteſt in Eccleſia vel cœmeterio ſepeliri, niſi fortè dederit ſigna contritionis, tunc enim poteſt abſolui & ſepeliri in loco ſacro, *cap. is cui de ſentent. excomm. in 6. præterea* huiuſmodi interdictus priuatur actione, ſeu exercitio ordinis ſacri in Eccleſia, conſequenter non poteſt celebrare & Sacramenta miniſtrare, imo fit irregularis exercendo ordines ſacros in Eccleſia, quia violat interdictum per exercitium ordinis ſacri, poterit tamen extra Eccleſiam celebrare, vt in aliquo tentorio, vel oratorio priuato, imo & in cœmeterio, quia, vt ait *Suarez*, interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non cenſetur interdictus ab ingreſſu cœmeterii, conſequenter non prohibetur, quominùs poſſit ibi celebrare, aut ibi diuina audire, ſi celebrentur, eo quod cœmeterium in rigore non veniat nomine Eccleſiæ, & verſemur in materia odioſa, quæ non eſt extendenda. Vide Filliuc. *cit. cap. num.* 101. & 103. Sà *v. intred. num.* 19. *cap.* 7. *num.* 20. Nauar. *cit. num.* 170. Regin. *num.* 39. 40. & 41. et alios.

24. Non poteſt *interdictus* ab ingreſſu Eccleſiæ iuxta Suar. *diſp.* 34. *ſect.* 1. *num.* 36. Regin. *cap. num.* 41. Conin. *cap. num.* 59. Filliuc. *cap. n.* 104. Nauar. *cap.* et alios, formaliter audire diuina officia, et audiendo mortaliter peccaret, eo quod faceret contra prohibitionem in re graui, quamuis non fiat irregularis: quia non violat cenſuram per exercitium ordinis: vnde ſi tempore diuinorum officiorum tranſiens per Eccleſiam alio fine, aliquid incidenter audiet, non peccat mortaliter, quia non dicitur formaliter audire vel intereſſe diuinis officiis, ſicut neque peccat, ſi tempore quo non celebrantur diuina officia, ingrediatur Eccleſiam, ibique priuatim oret, etiamſi ibi reconditum vel repoſitum ſit Euchariſtiæ Sacramentum: ſecus *dicendum* eſſet, ſi huiuſmodi interdictus, exiſtens extra Eccleſiam audiat Miſſam, vel diuina officia, quæ in Eccleſia celebrantur; quia tunc licet non ſit materialiter & quoad corpus in Eccleſia, dicitur tamen eſſe ſenſu formaliter & animo. Ex quo patet huiuſmodi interdictum poſſe in Eccleſia exercere actus iuriſdictionis in foro exteriori, vt excommunicare, &c. quamuis non poſſit abſoluere ſacramentaliter. Auila *part.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *dub.* 2. quia talis abſolutio eſt actus ordinis: *Porrò* hic poteſt recipere Sacramenta in Eccleſia, quando non celebrantur diuina officia, quia talis interdictus, non eſt priuatus vſu Sacramentorum, ſed vſu diuinorum officiorum & ſepulturæ; ita Sayrus *de ſuſpect. cap.* 7. *num.* 11. Bonacina *cap. part.* 5. *num.* 12. Henriquez *cap.* 3. *num.* 2. & alii, contra Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 4. *num.* 5. *Coninch*, *Syluestrum* et alios.

25. *Clerici*, id eſt, initiati aliquo ordine: vel tonſura, Religioſi, & Moniales, eorumque Nouitii non interdicti, qui ſeruarunt interdictum, nec illius cauſam culpabilem dederunt, poſſunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam ſpecialis, ſepeliri in loco etiam ſpecialiter interdicto, id eſt, in Eccleſia vel cœmeterio ſacro, modò hoc fiat ſine ſolemnitate, & ſine ſono campanarum, *cap. quod in te de pœnit. & remiſſ.* immo poſt *cap. alma mater*, poſſunt ſepeliri cum diuino officio & Miſſa, iuxta moderationem illius capitis, id eſt, ſub miſſa voce, ianuis clauſis, interdictis & excommunicatis excluſis; quod ſi cœmeterium extra Eccleſiam exiſtat, officia celebrari poterunt in Eccleſia, ſeruata ſolemnitate *cap. alma*: deinde in cœmeterium cadauer cum ſilentio transferri poterit. Nauar. *cap. num.* 176. Suarez *diſp.* 35. *ſect.* 1. & 3. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 6. & 13. Reginald. *lib.* 32. *num.* 37. Henriquez *cap.* 44. & alii.

26. Quando interdicitur Clerus, non comprehenduntur perſonæ religioſæ, niſi ex antecedentibus, vel conſequentibus conſtet de contraria mente Iudicis, vel Legiſlatoris. Ratio eſt, quia ſecundùm multos, tales in odioſis non comprehenduntur nomine Clerici, etiamſi primam tonſuram habeant, niſi ex adiunctis aliud colligatur. Si tamen Religioſus haberet beneficium ſæculare, v. g. Paſtoratum, Canonicatum, ita vt cenſeantur à ſuis ſegregatus, ſub nomine Cleri comprehenderetur. Si autem interdictum feratur ſub nomine perſonarum Eccleſiaſticarum, comprehenduntur etiam Religioſi, quamuis Conuerſi, et Moniales; quia etiam hi diuino ſeruitio ſe mancipàrunt, et vocantur perſonæ Eccleſiaſticæ. Immo comprehenduntur Eremitæ; veriùs eſt etiam comprehendi Nouitios, quia etiam cenſentur perſonæ Eccleſiaſticæ, quamdiu verſantur in probatione; ſi interdicantur Religioſi, veriùs eſt eos non comprehendi, quia in odioſis non veniunt nomine Religioſi, benè autem in fauorabilibus. Ita Portel *in dub. Regul. v. interdictum num.* 5. Præpoſitus *in* 3. *part. quaſt.* 4. *de interdict. dub.* 2. *numer.* 11. Conink *diſput.* 17. *dub.* 1. *num.* 9. Auila *de cenſur. part.* 5. *diſput.* 1. *dub.* 4. *concluſ.* 7. Layman *lib.* 1. *tractat.* 5. *part.* 4. *num.* 3. Hieronymus Rodriquez *reſol.* 80. *num.* 8. quidquid in contrarium ſentiant Suarez *de cenſur. diſput.* 32. *ſect.* 2. *num.* 17. Couar. *in cap. Alma mater p.* 2. *num.* 8. §. 1.

Sed dubium eſt, an priuilegia Mendicantium quoad celebrandum tempore interdicti, ſint reuocata per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* Reſpondeo ſpecialia Regularium priuilegia, vt pro ſuis feſtis et per eorum octauas, aliiſq. certis diebus non ſeruet inter-

Digitized by Google

interdictum, non eſse reuocata per dictum Concil. nec eiſe cõtra Conc. Tr. Quod reuocat tantùm priuilegia generalia, quæ in quibuſdam Religionibus haberi videbantur, quæ concedebant, vt non obligarentur ad vlla interdicta ſeruanda, etiamſi ab Eccleſia matrice ſeruarentur. Ita docent Rodriquez *tom. 2. qq. reg. quaſt. 112. art. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 13. num. 24. & 25.* Portel *v. interdictum n. 3.* Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 133.* Sorbus *in Compend. v. interdictum 3. in princ.* apud quos plura de priuilegiis conceſſis Ordinibus Mendicantium, vt poſſint celebrare in ſuis Eccleſiis tempore interdicti.

Et poſito quòd priuilegia Regularium ante Conc. Tridentinum conceſsa; ſint per idem Concilium *ſeſs. 25. cap. 12. de Regul.* reuocata, vt quidam affirmant: aliter tamẽ dicendum eſt, ſi aliquod priuilegium poſt ipſum Concilium Religioni alicui indultum fuerit, prout fuit illud à Clemente VIII. Fratribus Minoribus conceſsum, in quo approbat priuilegia, quòd iidem Fratres Minores poſſint tempore interdicti, quacumque etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, celebrare feſta Sanctorum ſuæ Religionis, et de nouo concedit, vt poſsint dictis priuilegiis vti in feſto S. Didaci, et Portiunculæ. Et quod dicitur de interdicto, intelligendum eſt etiam de ceſsatione à diuinis, eadem enim ratio militat.

INTERDICTVM III.

De peccatis, & pœnis violantium interdictum.

SVMMARIVM.

1 *An mortaliter peccent Laici violantes interdictum?*
2 *An clerici tam ſæculares, quam regulares violantes interdictum, per exercitium alicuius ordinis ſacri, peccent mortaliter, & incurrant irregularitatem, & ſuſpenſionem ab officio?*
3 *Quotuplicit er interdictum à clericis poſsit violari?*
4 *An clericus violans interdictum per aliquam actionem non ſpectantem ad ordinem, vel ad ſuum officium incurrat irregularitatem?*
5 *An celebrans coram interdicto incurrat irregularitatem? & an mortaliter peccet clericus communicans cum nominatim interdictis?*
6 *Qui ſint dicendi nominatim interdicti denunciati, & an quando fertur perſonale interdictum contra collegium, vel communitatem, ſinguli ſint nominatim denunciati interdicti?* referuntur duplex ſententia.
7 *An ſit peccatum in rebus humanis communicare cum interdicto?*

1 MOrtaliter peccant, ex ſuo genere, laici violantes interdictum locale generale, ſpeciale, vel perſonale, Suar. *diſp. 34. ſect. 5.* Sayr. *lib. 5. cap. 14. num. 5.* Filliuc. *cap. num. 54. 81.* quia faciunt contra prohibitionem cenſuræ in materia graui, hæc doctrina ab omnibus recipitur, quoad violantes interdictum perſonale, quamuis quoad locale, quidam vt Nauar. *num. 187.* Caiet. *v. interd.* Regin. *lib. 30. tract. 3. num. 42.* et alii exiſtiment tantummodò peccare venialiter, ſecluſo contemptu, violentia, ſcandalo, aut aliqua circumſtantia extrinſeca mortali. Nullam autem pœnam incurrunt laici præcisè ob violationem interdicti, quia nulla eſt in iure expreſsa, præterquam in *Clement. 2. de ſent. excomm.* vbi ligantur excommunicatione laici cogentes aliquem celebrare divina officia in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt interſint diuinis officiis, quæ celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes, ne interdicti exeant, poſtquam fuerint admoniti à celebrantibus exire. Coninch *diſp. 17. dub. 4. n. 73.* Bonac. *cap. part. 7. num. 2.* Nauar. *cap. num. 104.* et alii.

Suarez. Sayr. Filliuc.

Nauar. Caiet. Regin.

Conin. Bonac. Nauar.

2 *Clerici* tam ſæculares, quam regulares, violantes interdictum, tam locale, quam perſonale, tam generale, quam ſpeciale, peccant mortaliter ex ſuo genere, quia faciunt contra præceptum in re graui; vnde violantes interdictum ſcienter per exercitium alicuius ordinis ſacri, incurrunt irregularitatem, et vltra illam, incurrunt etiam ſuſpenſionem ab officio, conſequenter à iuriſdictione, violando interdictum locale: *præterea* incurrunt interdictum ab ingreſsu Eccleſiæ, violantes interdictum locale ſaltem generale; inſuper violantes priuantur electione actiua et paſsiua, imò per ſententiam poſſunt priuari beneficiis: regulares autem non ſeruantes ceſsationem vel interdictum locale generale, quando ſeruatur ab Eccleſia Cathedrali ſeu matrice oppidi, ſeu Parochiali, ipſo facto excommunicantur à iure; etiamſi reipſa interdictum ſit nullum. Ita decernitur in *cap. is cui de ſentent. excommun. in 6. cap. tanta de exceſſib. Prælator. cap. Epiſcoporum, & priuilegiis in 6. cap. ſi qui de ſentent. excommunic. in 6. cap. poſtulaſtis de cler. excommun.* Clement. *1. de ſentent. excomm.* Clement.

3 *Interdictum* tripliciter à clericis poteſt violari. *Primò*, dum clericus vinculo interdicti ligatus, functionem ordinum exercet conferendo Sacramenta. *Secundò*, dum ipſe non eſt interdictus, ſed Sacramenta confert in loco interdicto. *Tertiò*, dum nec ipſe, nec locus eſt interdictus, ſed Sacramenta confert interdicto: in primis *duobus caſibus* incurritur irregularitas: in *tertiò* verò, valde probabile eſt non incurri, quia hic caſus non eſt iure expreſsus. Suar. *diſp. 34. ſect. 4.* Filliuc. *num. 56.* Bonac. *cap. par. 7. num. 4.* Suar. Filliuc. Bonacina.

4 *Clericus* violans interdictum per aliquam actionem non ſpectantem ad ordinem, vel ad ſuum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit vt laicus: hinc clericus ſepeliens interdictum in loco interdicto, ſine diuinis officiis, non fit irregularis: *ſimiliter* qui tempore interdicti pulſat campanas ad conuocandum populum ad Miſsam, ſed poſtea reipſa Miſsam non celebrat, non eſt irregularis, licet peccet mortaliter: *præterea* qui audit Miſsas, diuina officia vel eorum partem notabilem in loco interdicto, grauiter peccat, ſed non incurrit irregularitatem, quia auditio non eſt actio ordinis ſacri: *item* clericus interdictus recipiens Sacramenta, non ligatur vinculo irregularitatis, quia receptione Sacramentorum non exercet ordines. *Deinde* Sacerdos aſsiſtens matrimonio, aut priuatim baptizans non fit irregularis, quia hic non eſt actus ordinis ſacri, *ſecus* ſi benedicat ſponſis, aut ſolemnitates baptiſmi ſuppleat. Vide Henriq. *cap. 46. num. 1.* Bonac. *cap. part. 7. num. 8.* Suarez *cap. num. 15. & 21.* Sylueſt. *v. irregul. quaſt. 13.* Filliuc. *cap. num. 59.* et alios. Henriquez. Bonacina. Suar. Sylueſt. Filliuc.

5 *Celebrans* coram interdicto, non incurrit irregularitatem, quia hæc irregularitas non extat in iure: *Clericus* autem communicans cum nominatim interdictis, in rebus, a quibus ſunt interdicti, mortaliter peccat, vt ſi coram illis celebret, vel illos ad diuina officia admittat, vel ad ſepulturam, vel ad Sacramenta: *imò* ſi clericus, quamuis exemptus ab ordinaria iuriſdictione, celebret coram illis, aut admittat excommunicatos publicos, vel interdictos, ad diuina officia ſeu Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfaciat ad arbitrium illius qui tulit interdictum: et hoc habet locum non tantùm de clericis celebrantibus, verùm etiam de clericis habentibus regimen Eccleſiæ, qui permittunt huiuſmodi interdictos audire diuina officia. Nauar. *cap. 25. num. 94.* Suar. *cap. diſp. 34. ſect. 4. num. 29.* Sayr. *cap. 14. num. 11.* Sà *v. interdictum.* Auila *diſp. 5. dub. 4.* Filliuc. *num. 57. & 147.* et alii. Nauar. Suar. Sayr. Sà. Auila. Filliucius.

6 *Nominatim interdicti* denunciati dicuntur illi, qui exprimuntur nomine proprio, vel nomine officii, vel alio ſigno manifeſtante talem perſonam in particulari; vnde ſecundùm Nauar. *num. 187. cap. 27.* Sà *v. interdict. n. 3.* quando fertur perſonale interdictum contra aliquod collegium, vel communitatem, ſinguli illius collegii vel cõmunitatis non videntur nominatim denunciati interdicti, quia per nomen communitatis, non ſufficienter exprimuntur omnes ciues nominatim: Alii tamen Doctores docent et meritò contrarium probabilius eſse: et huius ſententiæ ſunt Suar. *diſp. 37. ſect. 2. num. 3.* Sayr. *lib. 5. cap.* Nauarrus. Sà. Suar. Sayr.

Digitized by Google

Filliuc. Henriquez

cap. 12. *num.*23. Filliuc. *tract.* 18. *cap.*6. Henriq. *cap.* 43. *num.* 7. & multi alii: quia communitas nihil aliud eſt, quàm ſinguli homines: & ferè impoſſibile eſt, interdicendo communitatem, ſingulos nominare.

Sayr.

7. *Communicans* cum interdicto in rebus humanis,nō peccat, iuxta Sayr. *lib.*5.*cap.*12.*n.*23. *&* 24. quia interdictum prohibet tantùm officia diuina, Sacramenta & ſepulturam: *Similiter* non eſt peccatum, communicare cū interdicto non denunciato nominatim, vt patet ex *Conc. Conſtantienſi*, Extrauag.*ad euitan. ſcandala*,vnde nemo renetur ſeruare interdictum latum à iure,vel ab homine, niſi fuerit promulgatum ſpecialiter, & expreſsè à iudice, contra certam aliquam perſonam, collegium, Vniuerſitatem, Eccleſiam, aut certum locum.

INTERDICTVM IV.

De cauſis interdicti.

SVMMARIVM.

1 *Qua ſit cauſa efficiens interdicti?*
2 *Quodnam ſit ſubiectum interdicti perſonalis?*
3 *Qua ſit cauſa materialis interdicti? & quæ finalis.*

1 INterdicti *cauſa efficiens*, à qua ſcilicet, interdictum ferri poteſt, eſt illa eadem,quæ poteſt alias cenſuras ferre: vnde ſequitur *Primò*, Papam poſſe interdictum ferre. *Secundò*, Epiſcopum etiam ſine conſenſu Capituli, conſuetudo enim derogatum eſt iuri antiquo. *Tertiò*, Prælato religionum: *Nota* tamen hos Prælatos non poſſe interdictum locale ferre, licet poſſint perſonale, quia ipſorum iuriſdictio potiùs cadit in perſonas, quàm in locum. Vide Suar. *diſp.*36.*ſect.*1. Filliuc.*tract.* 18.*cap.* 1.*q.*7. Nauar. *cap.*27.*num.* 168.

Suarez. Filliucius. Nauar.

2 *Subiectum* interdicti perſonalis ſunt homines, in quos iuriſdictionem externam ſpiritualem exercere poteſt is, qui fert interdictum, *cap. quia periculoſum de ſent. excom. in* 6. *cap. ſi ſentens.eodem tit.* hinc omnes perſonæ quæ excommunicari poſſint, poſſunt etiam interdici, quantum eſt ex parte perſonæ, ſi reliqua concurrunt, id eſt, cauſa, iuriſdictio ſufficiens; quia ex parte fidelium eadem eſt capacitas ad quamcumque cenſuram: iure tamen ſtatutum eſt, vt Epiſcopi non poſſint interdici per ſententiam, ſeu generalem legem, per quam interdicuntur omnes, qui hoc vel illud delictum fecerint: *præterea* ſecundùm ius, non ſolùm particulares perſonæ, ſed etiã communitates interdici poſſunt: in quo etiam differt interdictum ab excommunicatione, & cum ſuſpenſione conuenit. Suar. *cap. ſect.*2.*n.*1. *& ſeq.* Bonac. *cap. part.* 2. Filliuc. *num.*21. Syluest. *V. interdict.*3. *n.*1. & alii.

Suarez. Bonacin. Filliuc. Syluest.

Ex quo patet, interdictum perſonale aut locale, ferri poſſe à Summo Pontifice, etiam in totum orbem, vel à Concilio Generali ſede vacante, quamquam, moraliter loquendo,non videtur poſſe iuſta cauſa accidere ad interdictum vniuerſale ferendum: *ſimiliter* dicendum eſt, totam diœceſim cuiuſcumque Epiſcopi, poſſe ab eo interdici, non tantùm diuiſiuè quamcumque partem eius, ſed etiam collectiuè ſimul totam, adueniente cauſa ſufficiente.

3 *Cauſa materialis* interdicti, eſt culpa *cap.cùm medicin. de ſentent. excom. in* 6. & quidem interdictum perſonale ſpeciale nō poteſt in aliquem ferri, niſi propter propriam culpam eius, quam oportet eſſe mortalem,ſi interdictum ſimpliciter & abſolutè feratur; poſset autem ſufficere venialis ſi interdictum nimis limitatum & leue imponeretur: *interdictum* autem perſonale generale, longè grauiorem cauſam, & culpam requirit, quam ſpeciale,non tamen eam exigit in omnibus perſonis,quæ tali interdicto ligantur, ſed in corpore morali, vt tale eſt, vel in magna parte perſonarum eius, vel in capite: *Interdictum* verò locale generale, vt iuſtè feratur, requirit cauſam grauiſſimam, quæ non ſolùm peccatum mortale cōtineat, ſed etiam ſit generalis, ex peccato aliquo modo publico ſeu communi procedens; vnde neceſſe eſt,vt tale delictū ſit ipſius Principis, ſeu Gubernatoris, aut totius communitatis. *Porrò* interdictum locale particulare etiã requirit culpam grauem, & aliquo modo communem, quamuis minorem, quam interdictum generale. *Cauſa finalis* interdicti, eſt reſipiſcentia & emendatio delinquentis. De his Suar. *diſp.* 36. *ſect.*3. *n.*2. *& ſect.* Nauar. *cap.num.*168. Couar. *in cap.alma part.*2.§.1.*num.*4. *&* 5. Syluest. *v.interdict.*3 *quæſit.*5. Dian. *part.* 5.*tract.*10.*reſol.* 78. Sayr. *lib.*5. *cap.* 11.

Suar. Nauar. Couar. Syluest. Dian. Sayr.

INTERDICTVM V.

De relaxatione interdicti.

SVMMARIVM.

1 *An interdictum latum pro delicto purè præterito, tantum auferri poſſit per relaxationem, aut abſolutionem ſuperioris?*
2 *An quando fertur interdictum ſub hac cōditione, donec ſatisfaciat, vel reſtituat, neceſſaria ſit abſolutio vel relaxatio, cōditione impleta?* refertur duplex ſentẽtia.
3 *An interdictum locale ceſset deſtructione ædificiorum loci interdicti? & quid dicendum de communitate interdicta, ſi illa diſſoluatur?*
4 *Quis poſſit abſoluere ab interdicto locali poſito à iure vel ab homine?*
5 *An Parochus vel alius confeſſarius poſſit abſoluere ab interdicto locali, & perſonali?*
6 *Ante abſolutionem interdicti debet præcedere ſatisfactio, vel cautio iuratoria.*
7 *In articulo mortis quodlibet interdictum perſonale relaxari poteſt.*
8 *Si nominatim interdictus ante mortem ſigna pœnitentiæ dederit, poteſt poſt mortem ab interdicto abſolui.*

1 INterdictum latum pro delicto purè præterito, abſq. vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur, et abſque temporis limitatione auferri non poteſt, niſi per relaxationem aut abſolutionem ſuperioris habentis poteſtatem, ſiue ille ſit qui illud tulit, vel eius ſuperior, vel aliàs habens facultatem delegatam: quando autem fertur interdictum vt pura pœna pro peccato præterito, et pro tempore definito, tunc non eſt neceſſaria interdicti abſolutio elapſo illo tempore,ſed ipſo facto ceſsabit, quia cenſura non ampliùs operatur, quàm per verba exprimatur, et proinde non ligat vltra intentionem conditionis. Suar. *diſp.*38.*ſect.*1. Bonac.*cap. punct. vlt.num.*1. Filliuc. *cap.num.* 114. Sayr.*lib.*5.*cap.*15. *num.*2. Reginald. *lib.*32. *num.* 53. Vgolin. *in tab.*5. *cap.*4. *num.*2. *& cap.*23. *num* 3. et alii.

Suar. Bonacina. Filliuccius. Reginald. Vgolin.

2. *Quando* interdictum fertur, vt recedatur à contumacia, vel ſub hac conditione tacita, vel expreſsa donec ſatisfiat, vel reſtituatur, multi Doctores Syluest. *v. inter* 3.*q.*9. Couar. *in cap. alma part.*1. §. 11. *num.* 7. cenſent et ſatis probabiliter, non eſse neceſſariam abſolutionē, vel relaxationem interdicti: nam ſi conditio nō eſt impleta, interdictum non eſt tollendum: *ſi autem* conditio eſt impleta, ipſo facto ceſsat interdictum, quia ille terminus poſitus eſt in ipſa lege; ergo vltra illum non operatur, vt dictum eſt, Suar. *cap. num.* 5. Viuald. *de interdict. num.* 291. tamen et alii cenſent, nullam propriam cenſuram auferri poſse, niſi per abſolutionem, ſeu relaxationem eius, qui iuriſdictionem habet.

Couar. Suar. Viuald.

3. *Interdictum* locale non ceſsat deſtructione ędificiorum loci interdicti, quia non ſolum cenſentur interdicta ædificia, ſed etiam ipſum ſolum, tamquam ipſorum baſis et fundamentum, ex quo ſequitur, deſtructa Eccleſia interdicta non poſse in eius ſolo corpora ſepeliri; *interdictum* verò latum in communitatem diſſoluatur,ceſsat reſpectu innocentium; reſpectu autem eorum, qui cauſam culpabilem interdicto dederunt, non ceſsat, quia hoc eſt interdictum particulare, quod ſequitur perſonam. Suar. *diſp.*38.*num.*13. Regin. *cap.num.* 59.60. Filliuc.*num.* 118. Conin. *diſp.*17.*dub.*6.*num.*78. et alii.

Suar. Reginald. Filliuccius Coninch.

4. Ab *interdicto* locali poſito à iure Epiſcopus poteſt abſoluere, imò poteſt huiuſmodi interdictum ab Epi-

ſcopo ſuſpendi ad tempus; quia in iis quæ non ſunt reſeruata, poteſt diſpenſare Epiſcopus; ab *interdicto* verò perſonali non poteſt Epiſcopus abſoluere, niſi fortè interdictum perſonale ſit occultum, nunc enim poteſt abſoluere virtute priuilegii conceſſi in Tridentino *ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* *Quando* autem interdictum latum eſt à Summo Pontifice tamquam ab homine, non poteſt Epiſcopus ab illo abſoluere, quia inferior non habet iuriſdictionem in ſuperiorem. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 51. *n.* 3. Conink *cap. n.* 76. Suar. *cap. ſect.* 2. Filliuc. *cap. n.* 125. Sayr. *de cenſ. lib.* 5 *cap.* 15. *num.* 14. 15. 16. & alii.

Henriq. Conink. Filliuc. Sayr.

5. *Parochus* vel alius confeſſarius non poteſt abſoluere ab interdicto locali, quia cùm locus non ſit materia fori pœnitentialis, non pertinet ad confeſſarium auferre illius interdictum, ſed ad Epiſcopum habentem iuriſdictionem in foro externo: *ſimiliter* parochus nō poteſt abſoluere ab interdicto perſonali generali; quia communitas interdicta vt communitas, non pertinet ad forum pœnitentiæ in quo iudicatur ſolùm de eo particulari, quod quis ſua ſponte illi ſubiicit, Suar. *cap. ſect.* 2. *num.* 6. Filliuc. *cap. num.* 125. Regin. *cap. num.* 56. Conink *cap. num.* 77. & alii: *fatendum* tamen eſt iure communi parochum poſſe abſoluere ab interdicto perſonali particulari non reſeruato, quia poteſt ab aliis cenſuris, ergo & ab interdicto: ſi autem interdictum adnexum ſit excommunicationi reſeruatæ, ſola excommunicatio eſt reſeruata, vt ait Tolet. *lib* 6 *cap.* 25.

Suarez. Filliuc. Reginald. Conin.

Tolet.

6. Ante abſolutionem, aut relaxationem interdicti, præcedere debet ſatisfactio partis: vnde relaxans interdictum vocare debet partes, vt eas componat, vbi id opus erit. Imò nonnumquam præmittenda erit ante abſolutionem cautio iuratoria, id eſt, iuramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, iuxta formam Eccleſiæ conſuetam, vt habetur in *cap. ſuper eo* 2. & *cap. venerabili de ſenten. excommunic.* Mandatum autem, quod iniungendum eſt illi, qui abſoluitur, eſt, ne de cætero audeat committere illud ipſum crimen: deinde in virtute iuramenti præſtiti, communiter debet eidem iniungi aliqua moderata & rationabilis pœna, vt ex ea diſcat non facilis eſſe in delinquendo. Nota tamen, quod quando quis ante abſolutionē hæc omnia præſtare poſſet, tunc opus non eſt iuramento vllo. Ita Sayr. *de cenſ. lib* 5. *cap.* 15. *num.* 26. Viuald. *de interdicto num.* 146.

Sayr. Viuald.

7. In articulo mortis abſolui & relaxari poteſt quodlibet interdictum perſonale, præſertim verò ſpeciale, ſeu particulare per quemcumque ſacerdotem; quia hæc eſt Eccleſiæ pietas, vt nullum omninò delictum, nullam cenſuram voluerit in articulo mortis non poſſe abſolui, vt colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & docent Nauar. *in Man. cap.* 26. *num.* 27. & *cap.* 27. *num.* 272. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 51. §. 1.

Conc. Trid. Nauar Henriq.

8. Quamuis nominatim interdictus & mortuus in ſuo interdicto in loco ſacro ſepeliri non poſſit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt habetur *Clement.* 1. *de ſepult.* ire. Si tamen ſigna pœnitentiæ dederit, ab interdicto poſt mortem abſolui poteſt, ab eo, ad quem de iure in vita abſoluere pertinebat, & poſtea in loco ſacro ſepeliri. Ratio eſt, quia, vt ait *Panor. in cap. nobis* 2. *num.* 8. *de ſenten. excomm.* omnia quæ principaliter pertinent ad corpus, poſſunt poſt mortem applicari ipſi defuncto; ſed ſepultura, & conſequenter relaxatio interdicti, ad effectum ſepulturæ principaliter pertinet ad corpus; poteſt igitur poſt mortem abſolui, vt ſepeliatur: cùm ex ſignis pœnitentiæ datis in morte, præſumatur quantùm ad animam, ſic interdictum abſolutum à Deo.

INTERDICTVM VI.

De interdictis in iure latis.

SVMMARIVM.

1 *Ex triplici cauſa reperitur interdictum generale loci in iure latum.*

2 *Territorium illius qui Epiſcopum iniurioſè vel temerè percutit, capit ſeu bannit, occidit, &c. ſubiacet interdicto vſque ad condignam ſatisfactionem.*

3 *Locus & ciuitas ipſo facto interdicuntur, quando Dominus, rectores, vel officiales ciuitatis in qua moritur Sum. Pontif. non faciunt obſeruari conſtituta in* cap. vbi periculum de elect. in 6.

4 *Omnes terræ Epiſcoporum & aliorum Eccleſiaſticorū ſubiiciuntur interdicto, qui conceſſerunt domos manifeſtis vſurariis ad fœnus exercendum.*

5 *Terra eorum qui exigunt per ſe vel per alium ab Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis, guidagia, pedagia, &c. ipſo facto interdicto ſubiacet.*

6 *Interdicta eſt ciuitas, ſi Epiſcopum iniurioſè vel temerè cœperit, percuſſerit, bannierit, occiderit, vel hæc fieri mandauerit, &c.*

7 *Interdicta eſt ipſo facto ciuitas præter vrbem, quæ conſenſit dando conſilium, auxilium vel fauorem occidētibus vel percutientibus Cardinalem S. Rom. Eccleſ.*

8 *In duobus caſibus reperitur in iure latum interdictum ſpeciale loci, & de primo.*

9 *De ſecundo, nempe quando hæreticus ſcienter ſepulturæ Eccleſiaſticæ traditur.*

10 Interdictum generale perſonale ſtatuitur in iure, *contra vniuerſitates concedentes repraſalias contra perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona.*

Et contra imponentes vel exigentes decimas, talias ab Eccleſiaſticis, vel bona Eccleſiarum occupantes.

11 *Contra appellantes à ſententiis Summi Pont. ad futurum Concilium generale.*

12 *Contra Capitulum ſede vacante, intra annum à die vacationis, concedens dimiſſorias ad ordines.*

13 *Contra Capitulum & vniuerſitatem, quæ non obſeruat conſtitut. Ioannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium.*

14 Interdictum perſonale particulare in iure latum reperitur *contra Iudicem Eccleſiaſticum ferentem ſententiam cenſuræ non obſeruata forma iuris.*

15 *Contra Epiſcopum, Abbates ſeu alios regulares ſeu ſæculares, uſurpantes aliquid ex redditibus dignitatis vacantis, aut Eccleſiarum ſubditarum.*

16 *Contra Epiſcopum, Abbatem alienantes bona Eccleſiæ non legitimè.*

17 *Contra Metropolitanum, qui ſuffraganeum, & è contra, vltra annum non reſidentem, ad Romanum Pontificem non defert.*

18 *Contra Epiſcopum in viſitatione aliquid accipientem quod ſibi non debetur.*

Contra recipientem Abbatiam vel aliam dignitatem de manu laici.

Contra Sacerdotem admittentem interdictum ad diuina officia.

19 *Contra Prælatos edentes Commentaria in Tridentinū.*

20 *Contra violantem interdictum locale ſaltem generale.*

1 I*Nterdictum* generale loci in iure latum reperitur ex triplici cauſa. *Extrauag. ſuper gentes de conſuetudine.* *Prima* eſt, ex culpa domini temporalis. *Secunda*, ex culpa Epiſcoporum & Clericorum ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum. *Tertia*, ex culpa ipſiuſmet ciuitatis, quādo dominus regni, caſtri ciuitatis, oppidi, aut alicuius loci impedit ne Legatus, vel Nuncius Apoſtolicus exequi poſſit officium ſuum in ſuis locis, tunc eius regnū, ciuitas, terra, & quælibet loca ei ſubiecta, tamdiu ſunt eo ipſo Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, quamdiu in huiuſmodi contumacia dominus loci perſtiterit. Filliuc. *tract.* 18. *num.* 132. Henriq. *cap.* 43. *num.* 5. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 1. & 2. Viuald. *de interdicto num.* 13.

Filliuc. Henriq. Sayr.

2. *Quando* quis quemcumque Epiſcopum iniurioſè vel temerè percutit, capit, ſeu bannit, occidit, aut hæc fieri mandat, aut ab aliis facta rata habet, vel conſilium faciēti dat, vel eumdem ſcienter defenſat, aut ſocius eius fit, *Clement.* 1. *de pœnis*, tunc territorium illius ſubiacet interdicto vſque ad condignam ſatisfactionem, & locus etiam vbi Epiſcopus captus detinetur, interdictus eſt quādiu durat detentio. Regin. *lib.* 32. *n.* 63. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 3. Vgolinus *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 6. & alii.

Reginald. Sayr. Vgolin.

3. *Quando* Dominus aliquis, rectores, vel officiales ciuitatis in qua moritur Sūmus Pontifex, & in qua faciēda

eſt

Digitized by Google

eſt electio Romani Pontificis, non faciunt ea inuiolabiliter obſeruari abſque vlla fraude & dolo, quæ conſtituta ſunt in *Cap. Vbi periculum, de elect. in 6.* tunc locus & ciuitas ipſo facto eſt interdicta. Tolet. *lib. 6. cap. 24. §. 4.* Suarez *d. 37. ſect. 1. num. 21.* Bonac. *cap. par. 8. num. 4.*

Tolet.
Suar.
Bonac.

4. *Quando* Epiſcopus & alij inferiores Eccleſiaſtici permanent per menſem in excommunicatione vel ſuſpenſione ob culpam, quam admiſerunt in concedenda domo manifeſtis vſurarijs ad fęnus exercendum. *Cap. 1. de vſuris in 6.* tunc omnes eorum terræ poſt menſem ſubijciuntur interdicto, quamdiu vſurarii ibi commorantur. Sayr. *cap. num. 5.* Viuald. *de interd. num. 10.*

Sayr.
Viuald.

5. *Vniuerſitas*, ciuitas, collegium, vel locus, qui exigit per ſe vel per alium ab Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis guidagia, pedagia vel alia de rebus ſuis quas aſportant vel important non cauſa negotiationis, terra ipſo facto interdicto ſubiacet, *Quamquam de cenſuris in 6.* donec acceptum totum reſtituerit, ac pro delicto huiuſmodi competenter ſatisfecerit. Suar. *d. 37. ſect. 1. num. 14.* Filliuc *cap. num. 144.* dicunt pleriſque in locis hæc non eſſe in vſu.

Suarez.
Filliuc.

6. *Si ciuitas*, Epiſcopum iniurioſè vel temerè cœperit, percuſſerit, bannierit, occiderit, vel hæc fieri mandauerit, vel ab aliis facta rata habuerit, vel ſocia fuerit facientis, aut dederit conſilium vel fauorem, vel ſcienter defenſauerit, ipſa interdicta eſt. *Clement. 1. de pœnis.* Nauarrus *capite 27. numero 269.* Toletanus *lib. 6. capite 24.*

Nauar.
Tolet.

7. *Ciuitas*, quæuis præter Vrbem, quæ conſentit dando conſilium, auxilium vel fauorem occidentibus vel percutientibus Cardinalem Sanctæ Rom. Eccleſiæ, vel quæ intra menſem delinquentes huiuſmodi prout enormitas facientis exigeret, & ei facultas affuerit, non punierit, ipſo facto eſt interdicta. *Cap. fælicis, de pœnis in 6.* Suarez *cap. numero 17. & ſeq.* Filliuc. *numero 139.*

Suarez.
Filliucius.

8. *Interdictum* ſpeciale loci in iure latum reperitur in duobus caſibus. *Cap. animarum de ſepult. in 6.* quando Clerici ſiue ſæculares, ſiue regulares inducunt aliquem ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita ſeu aliàs promittendum, ut in eorum Eccleſia eligat ſepulturam, uel ſemel electam ulteriùs non immutet, ſi poſtea in eorum Eccleſia uel cœmeterio hunc ſepelire præſumpſerint, tunc eorum Eccleſiæ & cœmeteria ſunt ipſo facto interdicta, niſi intra decem dies, Eccleſiæ in qua ille de iure ſepeliendus erat, reſtituant omnia quæ acceperunt occaſione ſepulturæ, etiámſi non petantur, & præterea ipſum cadauer, ſi petatur. Filliucius *capite numero 14* Suaren *d. 37. ſectio 1. numero 25.* Nauarr. *cap. 27. numero 169.* Sayrus *cap. capite 12. numero 9.* & alii.

Filliuc.
Suar.
Nauarr.
Sayr.

9. *Secundus caſus* eſt, *Cap. quicumque, de hæret. in 6.* quando hæreticus traditur ſcienter Eccleſiaſticæ ſepulturæ, locus ille in perpetuum interdicitur quoad ſepulturam, ita ut nullus ibi in perpetuum poterit ſepeliri: quantum autem ad alia, locus ille non cenſetur interdictus: imò Epiſcopus non poteſt hoc interdictum remouere. Viuald. *de interdict. num. 19.*

10. *Interdictum* generale perſonale in his caſibus latum eſt in iure, *Cap. vnico de iniurijs in 6.* uniuerſitas concedit repræſalias, uel pignorationes contra perſonas Eccleſiaſticas, uel earum bona, & *quando* iis conceſſis ab aliis, non reuocat conceſſionem intra menſem, tunc enim prædicta uniuerſitas incidit in interdictum: *eadem* pœna extenditur ad uniuerſitates imponentes uel exigentes decimas, talias ab Eccleſiaſticis, uel bona Eccleſiarum occupantes. *Cap. Clericis de immunit. Eccleſiaſt. in 6.* hic quòd repræſaliæ ſunt, quando dux aut iudex (poſtquam monuit Rempub. ſatisfacere læſis, nec illa ſatisfacit) concedit licentiam generalem ut in ricompenſam rapiant bona à quocumque illius ciuitatis. Nauarr. *cap. 27. num. 136.* Henriq. *lib. 13. cap. 43. §. 5.* Sayr. *cap. num. 12. & 13.*

Nauar.
Henriq.
Sayr.

11. *Quando* uniuerſitates, uel capitula, uel collegia appellunt à ſententiis Summi Pontificis ad futurum Concilium generale: eidem interdicto ſubiacent præbentes conſilium & fauorem. *Bulla cœna num. 2.*

12. *Quando* Capitulum ſede uacante intra annum à die vacationis, concedit litteras dimiſſorias ad ordines; præterquam, quando ſcilicet aliquis eſt ordinandus ratione beneficij accepti vel accipiendi. Illi ſunt perſonaliter interdicti, qui cauſam culpabilem interdicto locali generali dederunt. Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de reform. cap. 10.* Filliuc. *cap. num. 144.*

conc. Trid.
Filliuc.

13. *Capitulum* & vniuerſitas quæ non obſeruat conſtitutionem Ioannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium, ſubiacet interdicto. Extraua. *vnico de ſede vacante.*

14. *Interdictum* perſonale particulare in iure latum reperitur in his caſibus. *Cap. cùm medicinalis de ſentent. excommu. in 6.* Henriq. *lib. 13. de interd. cap. 43. §. 5.* Iudex Eccleſiaſticus qui ſententiam cuiuſcumque cenſuræ propriæ dictæ pronunciat ſine ſcriptis, vel in ſcriptis quidem ſed ſine monitione, aut non exprimendo cauſam, vel qui parti petenti non concedit intra menſem exemplar ſcripturæ, ſuſpenſus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ: Prælatus tamen regularis iuxta *Henriquez* poteſt abſque ſcriptis proferre cenſuram contra ſuos.

Henriq.

15. *Epiſcopus*, ipſoue maior, nec non Abbates ſeu alij regulares ſeu ſæculares, qui ſibi vſurpat aliquid ex redditibus dignitatis vacantis aut Eccleſiarum ſubditarum, interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ puniantur, quouſque de prædictis reſtitutionem fecerint. *C. Præſenti, de offic. ordin. in 6.*

16. *Epiſcopus*, aut Abbas, qui bona Eccleſiæ non legitimè alienat, ab in ingreſſu Eccleſiæ interdicitur. *Extrauag. vnic. de rebus Eccleſ. non alien.*

17. *Interdicitur* ab ingreſſu Eccleſiæ Metropolitanus, qui ſuffraganeum; & ſuffraganeus antiquior reſidens qui Metropolitanum vltra annum non reſidentem, non defert ad Romanum Pontificem intra tres menſes vel per nuncium, vel ſaltem per literas. Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de reform. cap. 1.*

conc. Trid.

18. *Quando* Epiſcopus in viſitatione aliquid accipit quod ſibi non debetur: niſi intra duos menſes duplum reſtituat, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ: *Porrò* hoc interdictum incurritur, quando quis recipit abbatiam vel aliã dignitatem de manu laici: *Item* Sacerdos admittens interdictum ad diuina officia afficitur interdicto. Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 3. Cap. ſi quis deinceps, 16. quæſt. 7.*

conc. Trid.

19. *Prælati* edentes commentaria in Trident. remanent interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: vt habet *Pius IV.* in Bulla confirmationis Concilii Tridentini, *Benedictus Deus*. Et aduertunt. Suar. *cap. ſect. 1. nu. 11.* Filliuc. *cap. num. 147.*

Suar.
Filliuc.

20. Violans interdictum locale ſaltem generale, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *C. Epiſcoporum priuileg. in 6.*

SVPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti nomen quatuor modis accipitur.*
2 *An interdicto loco, interdicti cenſeantur homines in ordine ad illum locum.*
3 *An interdictum locale & perſonale inter ſe differant.*
4 *Quod dicatur interdictum ſpeciale ſeu particulare loci.*
5 *An interdicta ciuitate, Cathedralis Eccleſia cenſeatur interdicta.*
6 *Qui ciues comprehendantur ſub cenſura interdicta ciuitate? Et quid ſi augeatur ciuitas.*
7 *An deſtructo loco ſeu ciuitate interdicta, eo ipſo tollatur interdictum.*
8 *An interdicta terra alicuius Principis, veniant omnes eius terra.*
9 *Quando interdicitur totus populus vnius ciuitatis, an cenſeatur etiam locus interdictus.*
10 *An interdicto populo aliquo, ſi alij de nouo veniant & fiant de populo interdicto, ſint etiam interdicti.*
11 *In perſonali interdicto, quinam dicantur generaliter, qui ſpecialiter, & qui nominatim interdicti.*
12 *Quinam ligentur interdicto generali perſonali.*

13 *An interdicta familia alicuius, includatur etiam clericus eius familia.*
14 *An interdicto populo alicuius ciuitatis, interdicantur etiã illi, qui in ea pro ſuis negotijs ad tempus habitãt.*
15 *An interdictum latum contra clerum comprehendat ipſam Eccleſiam, quæ ad clericos interdictos pertinet.*
16 *Perſona ſingularis quomodo dupliciter interdici poſſit.*
17 *An interdictum perſonale generale poſſit ferri pro debito pecuniario?* Refertur duplex ſententia.
18 *An poſito interdicto perſonali generali, cenſeatur poſitum locale.*
19 *An interdictum priuet poteſtate ordinis & iuriſdictionis.*
20 *An liceat celebrare coram perſona interdicta ſi expelli non poſſit & locus non ſit interdictus.*
21 *An licitum ſit audire miſſam ſacerdotis interdicti nominatim?* Refertur duplex ſententia.
22 *An nominatim denuntiatus interdictus interdicto perſonali, particulari poſſit ſepeliri ſepoltura Eccleſiaſtica? Et quid de interdicto perſonali generali dicendum ſit.*
23 *An illi, quibus conceditur per priuilegium intereſſe diuinis officijs, poſſint in loco ſacro ſepeliri?* Refertur duplex ſententia.
24 *An poſſit concedi Euchariſtia interdictis, quibus conceditur aſſiſtere miſſæ.*
25 *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit in ea ſuſcipere ſacramenta, quando diuina officia non celebrantur.*
26 *An tempore interdicti liceat moribundo miniſtrare vnctionem extremam, ſi Sacramentum pœnitentiæ recipere non potuerit.*
27 *An tempore interdicti liceat dicere commendationes animæ cum litanijs: Salutationem Angelicam ter in die ad ſonum campanæ? Adorare crucem in Die Paraſceues, &c.*
28 *An interdictum generale loci priuilegio iuris ſuſpendatur, in Natiuitate & Reſurrectione Domini, Pentecoſte & Aſſumptione B. Virginis? Et quando incipiat & finiatur hæc ſuſpenſio.*
29 *An etiam ſuſpendatur huiuſmodi interdictum in feſto Corporis Chriſti & per totam eius Octauam: An in feſto Conceptionis B. Virginis & per eius Octauam? An per aduentum Regis? An per ſpeciale priuilegium Summi Pontificis.*
30 *An Legatus à Latere, Epiſcopi & alij inferiores Prælati poſſint interdictum ſuſpendere.*
31 *An interdictum perſonale poſſit à iudice Eccleſiaſtico ſuſpendi.*
32 *Quas pœnas incurrant clerici violantes interdictum.*

1. INterdicti nomen ſolet quatuor modis accipi, *Primò* ampliſſimè pro ſolemni dicto Prætoris, aliquid fieri præcipientis, ſiue præceptum illud prohibitorium ſit, ſiue alterius modi: & in hoc ſenſu interdictum eſt quaſi Inter duos dictum Prætoris, quo inter reum & actorem aliquid dicendo conſtituit, aliquid iubens, aut prohibens fieri. Vt habetur *Inſtitut. de interdictis circa principium & ff. eodem titulo.* Vnde in iure ciuili interdictum diuiditur in tria, vt aliud ſit Reſtitutorium, aliud Exhibitorium, aliud Prohibitorium. *Secundò* ſtrictiùs accipitur pro ſolo interdicto, ſeu dicto Prætoris prohibitoris, deducto nomine à verbo interdico, quod ſignificat prohibeo: interdicere enim propriè ſignificat prohibere, ac vetare ne aliquid fiat quo ſenſu exules Banniti vulgo, nominati, interdicti dicuntur, quia in patriam reditus ipſis prohibitus eſt. Et hæ duæ acceptiones ſunt propriæ Iuriſconſultorum, de quibus latius Couarruuias in *cap. alma mater p. 2. §. 1. n. 1. de ſentent. excommun. in 6.* Couar.

Tertiò, in iure canonico Interdictum duobus alijs modis ſumi poteſt. Nempe pro prohibitione Iudicis Eccleſiaſtici, ſeu iuris canonici, & hoc modo non aliter differt à ſecunda acceptione Legiſtarum, niſi quod inibi ſermo ſit de prohibitione Prætoris: hic verò de prohibitione Iudicis, ſeu iuris Eccleſiaſtici. Et hoc modo accipitur interdictum in *cap. Significaſti de offic. Archidiac.* & *cap. cùm illorum, de ſentent. excom.* Quartò, accipitur pro ſententia iuris vel Prælati Eccleſiaſtici prohibentis alicui diuina officia, Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam in pœnam delicti, vel contumaciæ, ſiue illius, qui interdicitur, ſiue in pœnam alicuius alterius. Quæ prohibitio rectè interdictum appellatur, & vna ex tribus cenſuris Eccleſiaſticis dicitur, vt patet ex *cap. Quærenti de verb. ſignificationibus.*

2. Interdictum locale eſt illud, quod ſolum locum interdicit: nota tamen, licet locus ipſe dicatur ſubijci interdicto, propriè tamen locus interdicto non afficitur: quia cùm locus ſit res quædam inanimata, propriè non eſt cenſuræ & pęnæ eccleſiaſticæ capax, vt docet Innocentius *in cap. tanta numero 5. de exceſſ. Prælator.* Innocent. Sed propriè interdictum loci hanc vim habere cenſetur vt loco interdicto, interdicti cenſeantur homines in ordine ad illum locum tantùm, & non ad alium, ita vt in illo loco, nec homines illius loci, nec alienigenæ exercere poſſint diuina officia, aut participare in Sacramentis, aut Eccleſiaſtica ſepultura paſſiuè vel actiuè, in alio verò loco non interdicto, incolæ loci qui culpabiles non ſunt, in illis tribus ſupra dictis actiuè & paſſiuè participare poſſunt. Ita Nauarrus *in man. capite 27. nu. 167.* Angelus *verb. Interdictum 2. in princip.* Couarruuias *loco citato num. 6.* Sotus *in 4. diſputatio 22. quæſt. 3. artic. 1. conc. 1.* Sayrus *de cenſur. lib. 5. c. 2.* Nauar. Angelus. Couar. Sotus. Sayr.

3. Interdictum locale & perſonale inter ſe differunt *Primò*, quod interdictum locale non includat populum, id eſt perſonas eius quæ non ſunt culpabiles, niſi, ne in illo loco audiant diuina, aut ſacramenta ſumant, vel adminiſtrent, aut ibi ſepeliantur: Vnde tales extra eum locum omnia facere poſſunt, ſicut prius: in illo autem loco nec habitatores loci illius, nec exteri facere vel audire poſſunt, nec ſepeliri, aut ſacramenta ſumere. *Secundò*, Interdictum perſonale non comprehendit locum, ita tamen perſonas ligat, vt nec ibi, nec alibi audire diuina poſſint; extranei verò poſſunt in illo loco audire & celebrare diuina, etiam ianuis apertis, cùm locus ille non ſit interdictus, ſed tantùm perſonæ, vitatis tamen habitatoribus loci. Ita Nauarrus *in man. capite 27. numero 167. & numero 173.* Sayrus *loco citato numero 6.* Henriquez *lib. 13. de excom. & interdict. c. 42. §. 1.* & alij. Nauar. Sayrus. Henriq.

4. Interdictum ſpeciale ſeu particulare loci eſt illud, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in ſe alia loca, ſcilicet ſacra, & profana: nam quamvis interdiceretur locus continens intra ſe plura loca etiam ſacra, erit tamen interdictum ſpeciale: nam interdicta Eccleſia, intelliguntur interdictæ etiam capellæ, quæ ſunt intra Eccleſiam. Item interdictum ſpeciale erit: quando interdicuntur omnes Eccleſiæ ciuitatis, caſtri. Epiſcopatus Prouinciæ, Regni, Imò etiam totius mundi; quia extra Eccleſias illas in iiſdem locis officia diuina celebrari poſſunt, ſcilicet in priuato oratorio, aut alibi. Nam ad interdictum generale, parum aut nihil facit multitudo Eccleſiarum interdictarum, niſi etiam alia loca ſimul interdicantur. Ita Couarruuias *in cap. alma mater part. 2. §. 1. numer. 9.* Nauarrus *in man. capite 27. num. 166.* Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab. 5. cap. 6.* Calderinus, Francus, Ancharanus & alij quos citat & ſequitur Sayrus *de cenſur. lib. 5. cap. 2. numero* 13 Et hęc diſtinctio interdicti generalis à ſpeciali, diligenter notanda eſt: quia multi habent priuilegia, quod tempore generalis interdicti poſſunt audire, percipere, vel celebrare diuina, quæ tamen omnia non habent locum interdicto ſpeciali, ſeu particulari, vt prædicti Doctores notarunt. Couar. Nauar. Vgolin. Calderin. Francus. Anchar. Sayr.

5. Interdicta ciuitate, Cathedralis Eccleſia interdicta etiam cenſetur: quia aliàs ſententia redderetur fruſtratoria, ſi interdicta ciuitate in Eccleſia Cathedrali diuina celebrari poſſent, contra *capite ſi ſententia, & capite ſi ciuitas, de ſententia excommunicat. in 6.* Tamen Eccleſia Cathedralis non includitur interdicto ſpeciali loci: vnde interdictum latum in totius diœceſis & in omnes ciuitatis Eccleſias, non comprehendit Eccleſiam Cathedralem. Ita Vgolinus *tab. 5. cap. 21. §.* Sayrus *loco cit. cap. 3. num. 10.* & alij penes ipſos. Vgolinus. Sayr.

6. Ex communi Doctorum ſententia, interdicta ciuitate non comprehenduntur ciues & habitatores eius

niſi

niſi qui culpabiles ſunt & cauſam interdicto dederunt: vnde extra ciuitatem, qui culpabiles non ſunt, poſſunt ſacramenta ſuſcipere & diuinis intereſſe & in Eccleſia ſepeliri. Et colligitur expreſſè ex *cap. ſi ſententia, §. cæterum de ſenten. excommun. in 6.* Item interdicta ciuitate, ſi poſtea augeatur ciuitas, pars aucta cenſetur etiam interdicta; nam augmentum eius naturæ eſt, cuius eſt res, quæ augetur; & idem dicendum eſt, ſi Eccleſia interdicta aucta ſit, aut etiam paulatim per partes refecta ſit, ita vt ex priori nulla pars remanſerit, ſiquidem eadem eſſe, quæ prius exiſtimatur, argum. *cap. cùm dilecta, de confirm. vtil. vel inutil.* Sayrus *loco cit. n. 11 & 12*

Sayr.

7. Verius eſt deſtructo loco, ſeu ciuitate interdicta eo ipſo interdictum non tolli. Ratio eſt, quia interdicta ciuitate adhuc locus manet, etiamſi deſtruantur ædes, vnde, cum in tali interdicto locus interdictus ſit, ita vt nec in ædibus nec extra ædes diuina fieri poſſint, manente loco ciuitatis, interdictum manet, etiam deſtructis ædibus. Eodem modo dicendum eſt de deſtructa Eccleſia interdicta; quia remanet locus ſub nomine Eccleſiæ interdictus: & deſtructa Eccleſia, non ceſſat cauſa interdicti, quæ eſt, ne in loco vbi Eccleſia, aut ciuitas eſt, diuina fiant; remanet enim locus, cui interdictum inhæret, & ideò interdictum manet. Ita Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab. 5. cap. 21. §. 6.* Sayrus *loco cit. num. 13.*

Vgolinus. Sayr.

8. Interdictum quo generaliter interdicitur terra alicuius Principis, cadit in omnes terras quarum Princeps habet dominium abſolutum, ſiue iuriſdictionale ſit ſiue vtile, aut ſolum vſumfructum ratione dotis vxoris. Nam verba generalia ſunt generaliter intelligenda, non tamen cadit in terram acquiſitam poſt latum interdictum, niſi ſit expreſſum in ſententia interdicti. Ratio eſt, quia gratiæ non extenduntur ad futura, ergo multò minus pęnæ debent ad futura extendi. Verùm ſi dominus vendat, done aut alio modo amittat terram interdictam, terra ſic alienata remanet interdicta. Ratio eſt, quia interdictum eſt onus, quod loco inhæret, & ideò ad quemcumque tranſit cum re ipſa, ſcilicet terra ſic alienata. Ita Suarez *de cenſur diſput. 32. ſect. 2. num. 30.* Sayrus *loco cit. num. 25. & 26.* Conink *de interdicto diſput. 17. num. 21.* Syluest. *verb. Interdictum 2. num. 3.* & alij.

Suar. Sayr. Conink. Syluest.

9. Quidam affirmant quando totus populus vnius ciuitatis eſt generatim interdictus, cenſeri etiam locum interdictum: quia aliàs clerus poſſet ibi celebrare diuina officia apertis templi ianuis, & pulſatis campanis ſicut prius. Sed contrarium aſſerendum eſt, quia hæc interdicta ſunt omninò diſtincta. Ad rationem autem contrariam conceditur id fieri poſſe per ſe loquendo: nec in eo eſſe vllum abſurdum: per accidens tamen ſi aliàs clerus non poſſet excludere interdictos ne diuina officia audirent, cum ad hoc teneatur, teneretur conſequenter diuina officia ea moderatione celebrare, qualis eſſet neceſſaria, vt ab ijs audiendis interdicti arcerentur. Ita Nauarrus *in man. cap. 27. nu. 167.* Sotus *in 4. d. 22. q. 3. art. 1.* Auila *p. 5. diſp. 1. dub. 2.*

Nauar. Sotus. Auila.

10. Interdicto populo, ſeu vniuerſitate aliqua, ſi alii de nouo veniant, & fiant de populo interdicto, interdicti ſunt ſicut alii, quia facti ſunt membra & partes illius corporis & communitatis & ideò debent eodem iure cenſeri. E contra exiſtens de populo interdicto ſi ingrediatur religionem, poſt profeſſionem deſitit eſſe interdictus, quia deſitit eſſe de populo per profeſſionem ſolemnem in religione approbata, & conſequenter poſt emiſſam profeſſionem ad ordines omnes promoueri poterit, etiamſi populus ille maneat interdictus. Ita Vgolinus *loco cit. tab. 5. cap. 20. §. 3 & 4.* Augelus *verb. Interdictum 1. nu. 2. 10.* Henriquez *lib. 13. c. 42. §. 2.* & alii. Exiſtens tamen de populo interdicto ad ordines promoueri non poteſt, quia ordinaretur, cum ſit interdictus, & conſequenter fieret irregularis, ſed neceſſe eſt, vt prius deſinat eſſe de populo interdicto, vt ordinari poſtea valeat.

Vgolinus. Angelus. Henriq.

11. In perſonali interdicto quidam dicuntur eſſe generaliter interdicti, alii ſpecialiter ſeu particulariter, alii verò nominatim. Generaliter interdicti ſunt illi omnes, qui in interdicto generali, populi, vel vniuerſitatis comprehenduntur & ſunt pars ipſius populi vel vniuerſitatis & cauſam interdicti non dederunt, & non ſunt culpabiles in illo delicto, ob quod interdictum latum eſt; Alias enim interdicti eſſent ſpecialiter & non generaliter, vt habet communis Doctorum ſententia.

Specialiter interdicti ſunt 1. illi, qui ſpecialiter interdicuntur, vt quando familia interdicitur, familia enim non facit vniuerſitatem, nec vnum quid propriè aut collegium 2. Qui in generali interdicto fuerunt culpabiles, illi omnes intelliguntur ſpecialiter interdicti. Et hoc locum habet, ſiue interdictum generale fuerit locale, ſiue perſonale. De generali interdicto loci expreſſè colligitur ex *cap. ſi ſententia, de ſentent. excom. in 6.* Ergo id multò magis locum habebit in interdicto generali perſonali. 3. Interdicti ſpecialiter, ſeu ſingulariter dicuntur illi, qui in propria perſona, id eſt ſinè ſociis interdicti fuerunt. Ita Sotus in *4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1.* Nauarrus *in man. c. 27. num. 167.* Tabiena *verb. Interdictum 1. §. 10.* & alii.

Sotus. Nauar. Tabiena.

Interdictus nominatim ille cenſetur, qui expreſſus eſt aut nomine propriò, aut demonſtratione, aut circumlocutione ſufficienter deſignante perſonam illam determinatè, vt habetur in *cap. licet ex quadam & ibi gloſſ. in verb. demonſtratione de teſtibus & atteſtation.* aut qui indiciis æquipollentibus deſignantibus certam perſonam exprimitur. Vt notat Tabiena *loco cit. § 4.* Sayrus *l. 5. c. 4. n. 11.*

Tabiena. Sayr.

12. Interdicto generali perſonali ligantur illi omnes, qui & ſunt de populo illo, & apud illum habitant, etiamſi ſint innocentes & contradixerint illi delicto, propter quod latum fuit interdictum, imò licet abſentes ſint, quod colligi videtur, ex *cap. ſi ſententia, de ſentent. excom. in 6.* & docent Nauarrus *Man. cap. 27. n. 168.* Armilla *verb. Interdictum, num. 16.* Vgolinus *tab. 5. cap. 20. §. 2.* Sylueſter *verb. Interdictum, 2. §. 13.* Ratio horum eſt, quia pęna interdicti puniuntur etiam non peccantes. Tum quia abſentes ſunt de illo populo interdicto, & proinde ipſi etiam interdicti, ſunt, quamuis non accedant, nec cohabitent. Imò interdicto populi ligantur Duces, marchiones, Comites, Barones & ſimiles viri nobiles: ſi ſint membra populi interdicti: & eiuſdem corporis pars. Si autem per priuilegium, aut per conſuetudinem præſcriptam iſti facti eſſent omnino ſui iuris, ita vt in nullo participarent cum populo, nec à populo illo penderent, quia tunc nullo modo ſunt de populo, & conſequenter non erunt cum illo interdicti. Ita Vgol. *tab. 5. c. 20. §. 2.* Sylu. *loc. ci. §. 16* & alii.

Nauar. Armilla. Vgolinus. Syluest.

Vgolinus. Sylueſt.

13. Si interdicatur familia alicuius, etiam includitur Clericus eius familiæ: quia familia non facit vniuerſitatem, ſed interdictum familiæ cadit ſuper ſingulos, qui ſunt de prædicta familia; vnde Clericus dictæ familiæ non deſinit eſſe interdictus, eo quod recedat ab ea familia. Secus dicendum eſt de illo, qui poſt latum interdictum, fit de familia interdicta, hic enim non incurrit in interdicto. Ratio eſt, quia interdictum familiæ eſt ſpeciale, & perſonæ illius familiæ non ſunt interdictæ quatenus faciunt vnam communitatem & familiam, ſed ſunt interdictæ ſingulares perſonæ illius familiæ, ſecundùm ſe, propterea qui recedit remanet in interdictus, & qui accedit non ſubiacet interdicto. Ita Sayrus *lib. 5. cap. 4. n. 28.* Bonacina *de cenſur. diſp. 5. punct. 1. num 13.* & alii communiter apud ipſos.

Sayr. Bonacina.

14. Qui habitant ad tempus in populo, vel vniuerſitate interdicta, pro ſuis negotiis, & non ſunt de illo populo, aut vniuerſitate, non cenſentur interdicti ſecundùm communem Doctorum ſententiam & colligitur ex *cap. ſi ſententia, §. cum verò, verſic. ſingulares ex eo perſonæ, de ſentent. excommun. in 6.* Populo enim loci interdicto, ſingulares ex eo perſonas Pontifex interdictas eſſe dicit, ergo, ſecus ſi non ſint ex eo populo. Excipe eos, qui eſſent culpabiles, iſti enim eſſent interdicti: quia in interdicto generali populi, illi qui ſunt culpabiles, pro ſpecialiter interdictis habentur, & ad interdictum ſpeciale parum refert eſſe de illo populo, vel de alio. Ita Vgolinus *tab. 5. ca. 20. §. 3. & 4.* Sylueſter *verb. Interdictum 2. verſic. decimumtertium,* Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 167. verſic. & quando interdicitur ſolus populus.* Vnde ſcolares qui ſtudiorum cauſa in aliqua vniuerſitate commorantur, interdicto populo illius vniuerſitatis, interdicti ipſi non erunt, quia non ſunt pars ipſius populi.

Vgolinus. Sylueſt. Nauar.

15. Interdictum latum contra Clerum, non comprehendit ipſam Eccleſiam, quæ ad huiuſmodi Clericos inter-

terdictos pertinet: vnde alij Clerici licitè celebrant in illa. Colligitur ex *cap. per exemptionem, de priuileg. in 6.* vbi priuilegium exemptionis conceſſum Clericis alicuius Eccleſiæ non extenditur ad ipſam Eccleſiam, ergo multò minus extendi debet interdictum: quia priuilegium eſt fauor, interdictum eſt pena. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. n. 7.* Silueſter *verb. Interdictum 2. verſ. Octauum,* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 167.* Interdicto Clero alicuius loci, cõprehenduntur omnes Clerici illius loci etiam primæ tonſuræ, beneficiati & habentes dignitates. Poſt autem Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 8. de reformat.* tonſurati & exiſtentes in Minoribus non cenſentur interdicti niſi gaudeant priuilegio Clericali: Hoc tamen interdicto Cleri non comprenditur Epiſcopus; tum quia communiter in vſu loquendi Canonum & Conciliorum, Epiſcopus contra diſtingui ſolet à Capitulum & Clero. Tum quia Epiſcopi non incurrunt ſuſpenſionem, aut interdictum, niſi de illis expreſſa mentio habeatur, ex *cap. quia periculoſum, de ſentent. excomm. in 6.*

Couar. Sylueſt. Nauar. Conc. Trid.

16. Perſona ſingularis dupliciter interdici poteſt, vno modo ſimpliciter, non ſpecificando vnam rem magis, quam alteram, & ſic huic ſingularis perſonæ interdicta ſunt illa omnia & ſingula, quæ ex natura interdicti prohibentur. Alio modo, ita vt perſonæ huic interdicantur aliqua determinatè expreſſa, vt cùm illi interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, aut ſi alicui interdicatur exercinium vnius, aut alterius Ordinis. Prior modus naturam interdicti; poſterior verò naturam potius ſuſpenſionis participat, adeò, vt verbũ illud interdicendi in poſteriori modo expreſſum, verbo ſuſpendendi æquipolleat. Vnde ſi quis interdicatur ſimpliciter, omne quod per interdictum prohibetur, eſt illi prohibitum. Si verò interdicatur ab vno actu, ſeu ab actu vnius Ordinis, actus Ordinis inferioris exercere poteſt, actus autem maioris, id eſt, actus Ordinis ſuperioris, exercere non poteſt. Denique ſic interdictus, vbique locorum eſt interdictus, ne illi prohibita ante abſolutionem exerceat. Ita Armilla *verb. Interdictum. n. 20.* Tabiena *verb. Interdictum 1. num. 14.* & alij communiter.

Armilla. Tabiena.

17. Quidam docent interdictum perſonale generale non poſſe ferri pro debito pecuniario: quia licet *in extrauag. prouidè, de ſentent. excommunica.* prohibeatur ſolùm hoc fieri in interdicto locali, quod intelligitur tam de generali, quàm de particulari, debet tamen extendi ad interdictum perſonale generale, propter paritatem rationis, quod ſcilicet inde multa animarum damna ſequantur. Ita Sotus *in 4. diſtin. 22. quaſt. 3. art. 1. poſt 3. concl.* Auilla *part. 5. diſp. 3. dub. 3. concl. 3.* Contrarium tamen eſt probabilius: quia extrauagans citata ſolùm agit de interdicto locali: ergo non eſt extendenda ad alia interdicta & de cætero ex rei natura interdictũ perſonale poni poteſt propter debitum pecuniarium, vt indicat Emanuel Sà *verb. Interdictum, num. 8.* & tenent Suarez *diſp. 36. ſect. 3. n. 9.* Præpoſitus *in 3. part. quaſt. 4. de interdict. dub. 1. num. 5.* & alii.

Sotus. Auila. Eman. sà. Suarez. Præpoſitus.

18. Poſito interdicto perſonali generali, cenſeri poſitum locale, affirmat Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 7.* & alii probabilius negant. Quia *cap. ſi ſententia, de ſentent. excomunic. in 6.* interdicta perſonalia & localia ponuntur tamquã diſtincta, neque vlla ratio oſtendit interdictum generale locale includere perſonale, vel contra. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 167* Sotus *in 4. diſt. 22. quaſt. 3. art. 1. poſt. 1. concluſ.* Auila *diſput. 1. dub. 2.*

Nauar. Sotus. Auila.

19. Interdictum non priuat poteſtate Ordinis & iuriſdictionis, ſed impedit vſum licitum illius ſecùndum probabilem ſententiam. Nec refert quòd perſonaliter interdictus æquiparetur ex comunicato, à quo certum eſt auferri omninò vſum iuriſdictionis ſi denuntiatus ſit: atque ita abſolutionem ſacramentale ab eo collatam eſſe inualidam. Reſpondeo æquiparari præcisè quo ad hoc quod eſt eſſe vtrique prohibitum vſum actiuum huius Sacramenti, atque ita vterque peccabit illud adminiſtrando, non tamen quantum ad ablationem iuriſdictionis & inualiditatem Sacramenti, cùm hoc non reperiatur in iure expreſſum de interdicto, ſicut de excommunicatione. Et licet perſonaliter interdictus non poſſit validè abſolui ob defectum debitæ diſpoſitionis, quia peccat recipiendo abſolutionem, quod peccatum redd r eam inualidam. Inualiditas tamen abſolutionis lata ab interdicto ex nullo capite prouenire poteſt, & ita valida eſt. Ratio eſt, quia peccatum quod committit interdictus conferendo abſolutionem, non poteſt illam inualidare & ex alia parte interdictum non abſorbet iuriſdictionem. Ita Corneio *in 3. part. tract. 5. de interd. §. 1. diſp. 2. dub. 3. queſt. 4.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 62.* Contra Philippum Fabrum ſuſtinentem talem interdictum inualidè abſoluere. Sed prior ſententia vt probabilis poteſt ſuſtineri.

Corneio. Diana. Faber.

20. Quando locus non eſt interdictus, ſed tantùm perſona eſt interdicta præſens, licet celebrare & alia diuina facere, ſi expelli non poſſit. Quia non eſt pro hoc caſu peculiaris prohibitio iuris poſitiui. Iura enim quæ decernunt excludendos eſſe interdictos, loquuntur de locali interdicto. Tum quia in tali euentu non eſt moralis cooperatio cum perſona interdicta, quia potius eſt contra voluntatem facientis ſacrum. Vnde ſolo iure naturali attento non eſt aliquid ratione cuius celebratio ſit inhoneſta, & contra ratione. Ita Mercerus *in 3. part. queſt. 24. de interdicto, dub. 3.* Turrianus *lib. 6. diſp. 49. dub. 2.* Suar. *diſp. 34. ſect. 2. n. 10.* Contra aliquos, qui dicunt tunc non eſſe celebrandam Miſſam, & ſi ſit inchoata, nec peruentum ad Canonem, eſſe ceſſandum: qui mutuò referuntur celebratio actiua & paſſiua aſſiſtentia, ideò cùm prohibetur aſſiſtentia paſſiua alicui, conſequenter agenti miniſtratio actiua etiam prohibetur.

Mercerus. Turrian. Suarez.

21 Certum eſt perſonam non interdictam poſſe audiri Miſſam Sacerdotis interdicti, ſi non eſt publicè denuntiatus, per *Extrauag. ad euitanda.* Si verò eſſet nominatim interdictus, tunc ſunt opinionis, Aliqui enim negant poſſe audiri eius Miſsam, quia eſset participare cum eo in diuinis, ſicut non poteſt audiri Miſsa excommunicati non tolerati. Tum quia celebratio diuinorum Officiorum actiua & paſſiua eſt mutua. Vnde cùm quis interdicitur perſonaliter à celebratione Miſsæ ac diuinorum, conſequenter etiam prohibitio indicitur, ne alii ei aſſiſtant, quia hæc mutuò ſeſe conſequuntur. Hæc opinio eſt probabilis, quam tuetur Faber *de cenſur. diſtinct. 15. queſt. 1. diſp. 15. cap 2. num. 47.* Nihilominus alii etiam probabiliter affirmant, tum quia non eſt eadem ratio de excommunicato denuntiato & de interdicto: nam excomunicatus priuatus eſt Communione fidelium in Sacramentis diuinis, & ideò non poſsunt alii eius Miſsam audire, quia communicarent cum eo. At interdictus tantùm prohibetur, ne faciat, vel audiat diuina, non tamen alii prohibiti ſunt, ne cum eo cõmunicent, aut eius actionibus aſſiſtant. Proinde dicendum eſt cooperari Sacerdoti vel illum inducere ad dicendam Miſsam, eſse illicitum, non tamen ſolùm eius Miſsam audire. Prioris ratio eſt, quia non licet inducere ad actum peccati. Poſterioris autem, quia in ſola auditione Miſsæ non eſt vlla ſpecies cooperationis, conſiderato iure naturali: & nullum eſt ius poſitiuum id prohibens, & ex vi cenſuræ id non ſequitur quando quis non cooperatur. Ita Suarez *diſp. 34. ſect. 2. num. 5.* Mercerus *loco citato, dub. 3.* Turrianus *loco citato, diſp. 49. dub. 2.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 64.*

Suarez. Mercerus. Turrian. Diana.

22. Nominatim denunciatus interdictus interdicto perſonali particulari non poteſt vllibi ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica: quia per interdictum prohibetur ſepultura Eccleſiaſtica. At de interdicto perſonali generali eſt contentio inter Doctores, nam per illud non denuntiantur nominatim ſinguli interdicti, vnde interdictum non violatur eos ſepeliendo, quando quidem non tenemur eos vitare, ex *Extrauag. ad euitanda*, vbi conceditur priuilegium erga eos, qui non ſunt nominatim denunciati. Nam quamuis in generali interdicto perſonali fiat generalis denunciatio totius populi, aut communitatis, illa tamen eſt remota reſpectu cuius vis in particulari. Ita Suarez *diſp. 35. ſect. 3. num. 2. & ſequentibus.* Sed videtur omninò probabilius, quod talis non poſſit ſepeliri, quamdiu manet pars communitatis, quæ nominatim eſt interdicta: quia ex *Extrauag. ad euitanda*, videtur conſtare, quod interdictum nominatim & expreſsè denunciatum in vniuerſitatem ab illis ſit ſeruandum eo modo, quo ab iis ſeruari poteſt, non minus quàm interdictum perſo-

Suarez.

nale

nale particulare ; non poteſt autem aliter ſeruari, quàm ſingulis deſignando ſepulturam, cùm hic effectus ſit per alios mandandus executioni. Nec refert quod non ſint ſinguli nominatim denunciati, quia nihilominus ipſum eorum interdictum eſt nominatim denunciatum eo modo, quo denunciari debet interdictum generale perſonale. Ita Turrianus *lib. 6. diſpu. 51. dub. 1.* Præpoſitus *in. 3. part. quæſt. 4. de interdicto, dub. 4. num. 51.* Auila *part. 5. diſp. 5. dub. 1.*

Turrian. Præpoſitus. Auila.

23. Dubium eſt, an illi, quibus conceditur per priuilegium particulare intereſſe diuinis Officijs, poſſint in loco ſacro ſepeliri ; Sententia communior eſt non poſſe, vt patet ex *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* & ex *cap. ſi ſententia, de ſenten. excommunic. in 6.* Ratio eſt, quia priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ eſt effectus interdicti diſtinctus à priuatione diuinorum Officiorum, nec cenſetur illi neceſſariò connexus, & proinde ſepultura non ſolùm ratione diuini Officii prohibetur, ſed etiam ratione ſui: vnde ex conceſſione vnius, non aptè infertur conceſſio alterius. Suarez *diſp. 35. ſect. 1. num. 13.* Hurtadus *tract. de interdict. diffic. 9. num. 30.* Mercerus *in 3. part. q. 24. de interdict. dub. 4.* Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 6. cap. 3.* Filliucius *tract. 18. n. 96.* & alij. Nihilominus contraria ſententia non eſt improbabilis, quia ſepultura interdicto negatur propter duo. *Primò*, ratione diuini Officij annexi. *Secundò*, ratione dependentiæ ad Ordinem ſacrum propter conſecrationem Eccleſiæ, vnde nec in loco ſacro ſine diuino Officio, nec extra locum ſacrum cum Officio diuino fieri poteſt, ergo quãdo vtrumque eorum licet ex priuilegio, conſequenter libebit ſepultura: nam qui communicamus viuo, poſſumus communicare defuncto. Et hanc opinionem docent Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 181.* Henriquez *lib. 13. cap. 44. num. 5.* Eman. Sà *verb. Interdictum, num. vlt.* Auila *part. 5. diſp. 4. ſect. 3. dub. 4. concluſ. 1.* & alii multi.

Suarez. Hurtado. Mercerus. Alterius. Filliuc.

Nauar. Henriq. Sa. Auila.

24. Probabile eſt, illis interdictis, quibus conceditur aſſiſtere Miſſæ, concedi etiam Euchariſtiam ſumere, niſi expreſsè excipiantur. Vnde laicis licet tempore interdicti ſumere Euchariſtiam in quatuor Feſtis, videlicet, Paſchæ, Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ : quia per *c. Alma mater, de ſentent. excommun. in 6.* poſſunt tunc diuinis intereſſe, & pro inde omne impedimentum iuris antiqui eſt ſublatum. Et ideo ſtante probabilitate huius opinionis tẽpore interdicti ſi occurrat præceptum ſumendi Euchariſtiam, vt in Paſchate, poterit dari ſæcularibus. Hæc ſententia contra communem iudicata eſt probabilis à multis doctiſſimis in Hiſpania, præſertim in Academijs Complutenſi & Salmaticenſi, de hac re interrogatis, vt teſtatur Turrianus *libr. 6. diſput. 48. dub. ſecundo*. quam priùs vt probabilem admiſerat Suarez *diſp. 33. ſect. 1. num. 36. & ſequent.* quem poſtea ſecuti ſunt Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interd. dub. 2.* Layman *lib. 1. tract. 5. par. 4. cap. 2. num. 2. verſ. Quarta exceptio*, Conink *de Sacrament. diſ. 17. dub. 2. num. 36.* Portel. *in dub. regul. verb. Interdictum, num. 16.* Fundamentum huius opinionis eſt, quod cui conceditur facultas aſſiſtendi Miſſæ ſacrificio, conceditur etiam vt de illo participare, ſeu communicare poſſit, niſi expreſè excipiatur, ſeu denegetur. Quãuis enim qui Miſſam audit non ſtatim obligetur ad communicandum in illa, quod verum eſt non ſolum de laicis, ſed etiam de Clericis. Nihilominus eſt valde conſentaneum ; huic ſacrificio & modo, quo in Eccleſia offertur, vt qui aſſiſtunt, de illo ſuo modo participent, ſicut illud ſuo modo offerunt: quia *cap. Alma mater* dicit *participationem permittimus diuinorum.*

Turrian. Suarez. Mercerus. Layman. Conin. Portel.

25. Quidam ſuſtinent interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ illicitè poſſe in ea ſuſcipere Sacramenta : quia credibile non videtur aliquem iudicari indignum, qui aliis diuinis Officiis interſit & tamen ei permittere, vt cum aliis in Eccleſia Sacramenta recipiat. Tum quia Eccleſia non tantùm eſt inſtituta ad diuina Officia celebranda, ſed etiam ad Sacramenta miniſtrãda & ſuſcipienda. Ita Suar. *diſp. 35. ſect. 4. num. 5.* Conink *diſp. 17. dub. 2. num. 59.* Nihilominus contraria ſententia eſt probabilis, ſi Sacramenta ſuſcipiantur quando diuina Officia non celebrantur. Ratio eſt, quia interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ non prohibetur vſus Sacramentorum, ſed vſus diuinorum Officiorum & ſepulturæ. Ita Bonacina *de cenſur. diſ. 5. punct. 5. n. 12.* Auila *part. 5. diſp. 4. dub. 5. concl. 6.* Imò probabile eſt, interdictum huiuſmodi poſſe in cœmeterio Officia diuina audire & Miſſam celebrare : quia in talis interdicti ſententia tanquam pœnali, nomen Eccleſiæ accipiendum eſt in rigore, quo non comprehendit cœmeterium. Nec eſt aliquod ius vel ratio cogens ad faciendã extenſionem ad cæmeterium, cùm verſemur in materia odioſa; Ita Suarez *diſp. 35. ſect. 4. n. 16.* Filliucius *tract. 18 num. 103.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 29. n. 41.* & alij.

Suarez. Conin.

Suarez. Filliucius. Reginald.

27. Tempore interdicti ſi moribundus non poſſit recipere Sacramentum Pænitentiæ, non eſt improbabile poſſe miniſtrari Extremam Vnctionem, etiam ab excõmunicato denuntiato: quia tunc videtur habere locum Sacramenti Pęnitentię & poteſt facere de attrito contritum. Si enim a denunciato poteſt tunc miniſtrari, poterit etiam tempore interdicti in quo poteſt pœnitentia, cuius locum eo in caſu Vnctio, Extrema tenere videtur ; vt ſi poſtquam oſtendit ſigna contritionis, amiſit vſum rationis, & ob id non poteſt confiteri & iam moritur. Ita docent Auila *de cenſur. 2. part. cap. 6. diſp. 3. dub. 3. concluſ. 5.* Conink *in 3. part. quæſt. 64. art. 6. dub. 2. num. 48.* Trullench *in Bulla Cruciat. lib. 1. §. 3. dub. 7.* quibus adhæret Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 77.*

Auila. Conin. Turlenc. Diana.

27. Tempore interdicti licitum eſt officium commendationis animarum, quod morientibus legi ſolet, quia non eſt Officium diuinum. Tum quia hæc commendationem animæ, in quibus recitari ſolent Litaniæ, Pſalmi Pęnitentiales, Paſſio Chriſti, & Euangelium, multũ conferunt animæ & ſaluti ſpirituali ipſius infirmi, nec eſt probabile Eccleſiam velle in illo vltimo diſcrimine deſtituere infirmum periclitantem, & moriturum, modò Sacerdos non dicat Dominus vobiſcum, quia hoc ad Officium Diaconi pertinet.

Similiter qui habent confraternitates, poſſunt tempore interdicti publicè cantare Litanias, ſeu Rogationes & Pſalmos, & Laudes Dei, & B. Virginis, & aliorum Sanctorum, etiam in ipſis Eccleſiis ſitis in loco interdicto: & hoc licitum eſt etiam Clericis & Regularibus, ſiue cum cantu, ſiue abſque cantu, dummodò id faciant ſicut laici, id eſt, ſine ea ſolemnitate, qua ſolent uti, quando ex officio faciunt, nimirum, ſine crucis eleuatæ geſtatione, ſine ſtola & ſuperpelliceo, ſine ordine procedẽdi, ſine Dominus uobiſcum, &c. *Item*, licita eſt Angelica ſalutatio tempore cuiuſcumque interdicti, ſiue generalis, ſiue ſpecialis, quæ fieri ſolet ter in die mane, meridie & ueſpere. *Item*, laici de populo interdicto uel loco licitè poſſunt in die Paraſceues ad crucem accedere, eamque adorare, & oſculari, iuxta Eccleſiæ conſuetudinem: quia crucis adoratio non eſt Officium diuinum, ſed ſimplex oratio. Idem Clericis licet, ſi nihil amplius faciant, quam laici facere ſolent, &c. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 176.* Henriquez *lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. §. 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 8. num. 2. & 3.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 38. & ſeq.* & alii apud ipſos.

Nauarrus. Henriquez. Vgolin. Sayr.

28. Interdictum generale loci ſuſpenditur generali priuilegio iuris in quatuor anni feſtiuitatibus, ſcilicet, Natiuitate Domini, Reſurrectione Domini, Pentecoſte, & Aſſumptione B. Virginis, ut habetur *in cap. Alma mater, §. in feſtiuitatibus, de ſentent. excommunic. in 6.* Quibus diebus prout priùs, *Campanæ pulſantur, & Officia diuina voce alta & ianuis apertis ſolemniter celebrantur, excommunicatis prorſus excluſis, non interdictis, quibus ob reuerentiam dictarum ſolemnitatum (vt ipſi interdicti ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur) præfatis diebus participatio diuinorum permittitur, ſic tamen, quod ibi, propter quorum exceſſum interdictum huiuſmodi prolatum eſt, Altari nullatenus appropinquent.*

Circa quam ſuſpenſionem eſt annotandum *Primò*, quod interdictum particulare in his feſtiuitatibus non ſuſpendatur, ut ex textu *d. c. Alma mater*, & Gloſſa *ibi in verb. Eccleſiis* colligi poteſt, & docet Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 173.*

Gloſſ. Nauarrus.

Secundò, in his feſtis interdictum ſolùm ſuſpenditur pro prima die earum, nõ autem pro duobus aliis ſequentibus,

Digitized by Google

tibus, vnde prima ſolùm die licitè celebrantur diuina Officia, vt prius. Quia reliqui duo dies ſequentes de Octaua ſunt & officium de Octaua fit, non de die, imò in Natali Domini Officium fit de aliis Sanctis, vt ex communi docet Nau. *c.* 27. *n.* 182. Vgol. *tab.* 5. *c.* 8. §. 9. & alij.

Nauar. Vgolin.

Tertio, Officia diuina, quæ in his feſtiuitatibus permittuntur, à primis Veſperis ipſum diem Feſtum antecedentibus, inchoantur, vt habet communis Doctorum opinio ex Nauarro *loco citato num.* 184. Armilla *ver. Interdictum, num.* 43. Imò probabile eſt, in Feſtis Reſurrectionis Pentecoſtes & Natiuitatis Officium incohoari à Miſſa Vigiliæ, id eſt, die præcedenti. Ratio eſt, quia cùm ſit Priuilegium Principis & fauorabile, nemini pernicioſum, potius ampliandum & latè interpretandum erit, quàm reſtringendum. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *quaſt.* 8. *art.* 2 *concl.* 7. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 7. Sotus 4. *diſtinct.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *concluſ.* 4. Henriquez *lib.* 3. *de excomm. & interd. cap.* 47. §. 3. Terminantur autem hæc officia poſt Completorium illorum dierum: quia Completorium Feſt. duplicis eſt pars officii illius diei.

Nauar. Vgolinus. Palud. Sayr. Sotus. Henriq.

Quartò, in his feſtiuitatibus quęcumque Officia diuina, tam publica, quàm priuata, tam ordinaria, quàm extraordinaria, ſiue coniuncta ſint cum benedictionibus, ſiue abſque benedictionibus fiant, publicè celebrari poſſunt, vt obſeruat conſuetudo. Vnde his diebus poteſt Epiſcopus conſecrare Calices, Eccleſias, Altaria, benedicere Abbates, Abbatiſſas, Virgines, Corporalia & ſimilia; poſſunt etiam in Aſſumptione B. Virginis & in Feſto Pentecoſtes & Corporis Chriſti fieri benedictiones nuptiales, quæ pertinent ad Officium: non tamen in Feſtis Natiuitatis & Reſurrectionis, quia id iure prohibitum eſt, in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de reformat. matrimon.* Item poſſunt ſepeliri mortui etiam laici cum ſolemni officio ſepulturæ: quia his diebus licitum eſt omne Officiũ diuinum, quale eſt officium ſepulturæ & omnis benedictio. Excipiuntur tamen nominatim interdicti, qui hoc priuilegio non gaudent. Ita Sayrus *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 10. 11. & 12. cum multis aliis à ſe citatis.

Conc. Trid. Sayrus.

Quintò, quamuis his diebus interdicti etiam laici Officiis diuinis intereſſe poſſint, non poſſunt tamen Altari appropinquare; vnde ſi orandi cauſa ad Eccleſiam veniãt, eis Altari appropinquare prohibetur, vt rubore perfuſi à contumacia diſcendant. Hinc interdictorum viuorum non pœnitentium oblationes non accipiuntur in Miſſa, ſed tantùm eorum, qui cum pœnitentia mortui ſunt. Ità Tabiena *verb. Interdictum* 5. *num.* 2. Henriquez *loco cit. cap.* 47. §. 2. & communis.

Tabiena. Henriq.

29. Suſpenditur etiam interdictum generali priuilegio in feſtiuitate Corporis Chriſti & per totam eius Octauam, ſicut in quatuor prædictis. Quæ ſuſpenſio facta eſt per Martinum V. ſolùm pro die ipſo, cum tamen poſtea Eugenius IV. in Extrauag. quæ incipit, *Excellentiſſimi*, ad Octauam vſque diem extendit. Item etiam ſuſpenditur interdictum in feſtiuitate Conceptionis B. Virginis & per totam eius octauam per quandam Bullam Leonis X. vt habetur *in Compendio Priuileg. Mendic. verb. Conceptio Virginis*, §. 11. & *verb. Interdictum* 2. §. 8. Sed hęc ſuſpenſio tantùm valet pro Eccleſiis Hiſpaniæ, vt tenet Couarruuias *in cap. Alma mater part.* 2. §. 5. *num.* 2. *verſ. Secundo, de ſentent. excommun. in* 6. Item ſecundùm nonnullorum ſententiam ſuſpenditur interdictum generale loci etiam in aduentu Regis in aliquam Ciuitatem, quæ interdicta eſt, ſaltem in die aduentus, vel altero ſequenti. Sed hoc nullo priuilegio, aut iure communi cautum eſt: ſed tantùm probabile, non eſſe mentem Summi Pontificis in hoc caſu, communem illius ciuitatis lætitiam impedire, vt opinantur Couarruuias *loco citat. num.* 4. *verſic. Quinto*, Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 8. §. 6. *num.* 2. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 47. §. 4.

Martin. V. Eugen. IV. Leo X. Ceſarubius. Couar. Couar. Vgolinus. Henriquez.

Deum principaliter ſuſpenditur interdictum ſpeciali priuilegio, quod concedi ſolet per Sedem Apoſtolicam communiter & ordinariè, vt multa, fuerunt olim priuilegia conceſſa Religioſis & Epiſcopis circa celebrationem tempore interdicti, vt colligitur ex *cap. vt priuilegia, cap. Quod nonnullis, de priuileg.* quare priuilegia Religioſorum conſulenda ſunt, & videri poſſunt in Compendio Priuileg. Ordinum Mendicant. *verb. Interdictum.*

30. Legatus a latere poteſt etiam ſuſpendere interdictum, & concedere priuilegiũ celebrandi tempore interdicti, ſiue a ſe lati, ſiue ab Epiſcopis & aliis Prælatis, qui ſunt ſub eius legatione, vt docent Syluester *verb. Interdictum* 3. *num* 10. Angelus *verb. interdictum* 8. *num.* 5. Herinquez *lib* 3. *cap.* 48. §. 3. Et hoc priuilegium Legati valet non ſolùm pro tempore legationis, ſed etiam poſt expirationem legationis, niſi ſpecialiter a ſucceſſore reuocetur. An autem Legatus poſſit ſuſpendere interdicta a Sede Apoſtolica lata? Reſpondeo, hoc pendere ex forma conceſſionis legationis, quæ ipſi Legato fit. Epiſcopus autem & alij Prælati inferiores poſſunt interdictum ſuum locale etiam ſuſpendere, vt docent Syluester *verb. interdictum* 3. *num.* 8. Angelus *verb. Interdictum* 8. *n.* 3. & 7. Sayrus *loco cit. num.* 27.

Syluest. Angel. Henriquez. Syluest. Angelus. Sayr.

31. Interdictum perſonale poteſt à Iudice Eccleſiaſtico vel ſimpliciter & omnino ſuſpẽdi quod ad omnes eius effectus, vel quamdiu ei videbitur, in ordine ad illos effectus, qui videbuntur, vt tradunt communiter Doctores. Ratio eſt, quia cenſuræ Eccleſiaſticæ regulariter ligant ad nutum & voluntatem Iudicis eas decernentis, *cap. Veniens* 2. *de teſtib.* et *cap. Significaſti, de eo, qui dux. in matrim.* Huiuſmodi tamen Iudices et Prẹlati caueant, ne ex quauis cauſa facilè ſuſpendant interdictum, ſed ex cauſa graui, et ne ad longum tempus illud ſuſpendant, ne priuilegium dare aduerſus in commune, ſeu in iure diſpenſare videantur, vt rectè annotauit Couarruuias *in c. Alma mater, part.* 2. §. 2. *num.* 4. *de ſentent. excommunicat. in* 6. Adde quod interdictum dum ad tempus ſuſpenditur, quantum ad aliquem, aut omne effectum, redit, quãuis, qui cauſam dederunt, plenè ſatisfecerint, vt tradit Henriquez *lib.* 13. *cap.* 51. §. 4.

Couar. Henriquez.

32. Clerici violantes interdictum merentur aliquas pœnas, et quaſdam ipſo facto incurrunt. Et quidem *Primò* merentur ſpoliari omnibus beneficiis, vt habetur *in cap. Poſtulaſtis*, §. *quaſiuiſtis, de Cler. excomunic. miniſt. Secundò*, perpetuæ depoſitionis ſententiam pro auſu tantę temeritatis incurrere, niſi moniti ſine dilatione deſiſtant: Ita *cap. clerici autem, de Cleric. excomunic. miniſtr. Tertiò*, celebrans in loco interdicto, aut diuina ibi faciens, ad beneficia Eccleſiaſtica et dignitates eligi nõ poteſt, aut eligere, *cap. is qui*, §. *is verò, de ſent. excom. in* 6. *Quartò*, quod nec poſtulari ad dignitatem Eccleſiaſticam valet, Gloſſa *in dict. cap. is qui, de ſentent. excommunic. in* 6. *Quinto*, celebrans, vel celebrare faciens in loco generaliter interdicto, vltra ea, quæ de iure conceduntur, etiãſi exemptus ſit, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ incurrit, quovſque ab arbitrium eius ſatisfecerit, cuius interdictum violauit ex *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in* 6. Et ad arbitrium Epiſcopi, ſi violet interdictum iuris. Item, Clericus nõ ſeruans interdictum loci, ab officio et beneficio ſuſpenſus eſt, *cap. finali, de exceſſ. Prælat.* et ſic ſuſpenſus, ea quæ iuriſdictionis ſunt, exercere non poteſt: quia ſuſpenſus ab officio conſequenter iuriſdictione priuatur, quæ ei ratione officij competit, vt habet communis Doctorum ſententia. *Sextò*, Religioſi interdictum generale nõ obſeruantes; vbi Cathedralis, aut matrix Eccleſia ipſorum illud obſeruat, ipſo facto & iure excommunicati ſunt, vt habetur *in Clement.* 1. *de ſent. excomunic. Septimò*, Domini terrarum qui in locis interdicto ſubiectis aliquem diuina celebrare cogunt, mortaliter peccant, & ipſo iure excommunicati ſunt. Ex *Clemen.* 2. *de ſentent. excommunic. Octauò*, Tempore interdicti generalis loci in loco ſacro mortuos ſepelire in caſibus non permiſſis ipſo facto excommunicatio incurritur, à qua quis abſolui nequit, niſi priùs ad arbitrium Ordinarii illis, quibus ob id iniuria irrogata eſt, omninò ſatisfecerit, vt habetur *Clement.* 1. *de ſepultur. Nonò*, Clericus interdictus decedens Eccleſiaſtica ſepultura priuatus eſt, niſi moriens pœnituerit. Ex *c. is cui, de ſent. excomunic. in* 6. Porrò, Clericus interdictum quodcumque exercitio alicuius Ordinis ſacri violans irregularis eſt. Ex *c.* 1. *de ſentent. & re iudic. in* 6. et *c. Cum medicinalis*, §. *caueant autem*, & *cap. is qui*, § *is verò de ſentens. excom. in* 6. Et hęc de interdicto addita ſufficiãt. De quo plura apud Auctores hic citatos cernere licebit.

Gloſſa.

Vide v. Beneficium 2. *num.* 5. Excommunicatio. 2, *num.* 29. Miſſa 2. *num.* 16.

INTER-

Digitized by Google

INTERROGATORIVM pro Confeſſionibus longioris temporis, circa præcepta Decalogi.

Ponuntur hic monita quædam pro Confeſſariis.

1 C*Onfeſſarium* non tenetur pænitentem examinare & interrogare, vt dictum eſt ſupra, ſi probabiliter & prudenter iudicet pęnitentem integrè confeſſum fuiſſe ſua peccata, conſiderata cõditione pœnitentis, moribus, ſcientia & longitudine aut breuitate temporis, & aliis circumſtantiis: tùm quia nulla eſt talis obligatio, cùm in his rebus, non ſit maior euidentia requirenda, ſed ea probabilitas quæ ad alia negotia humana grauia exiſtimari ſolet ſufficiens; quin potiùs in huiuſmodi euentu iudicari poſſet quælibet interrogatio otioſa, et curioſa, et oneroſa pænitenti. Tum quia examen pænitentis Confeſſario competit in hoc iudicio, non per ſe et directè, ſed per accidens et indirectè, ratione nimitum defectus pænitentis, qui ſuppleri debet: cum enim iudicium hoc requirat voluntariam accuſationem, iuxta latitudinem ſcientiæ & conſcientiæ in pænitente, Sacerdos ex vi offici præciſè debet tantum audire et iudicare: *ſi verò* Confeſſarius credat pænitentem vel defectu examinis, vel per obliuionem aut inaduertentiam inculpabilem non integrè confeſſum fuiſſe, aut aliquod peccatum mortale omiſiſſe; debet illum dimittere ad diſcutiẽdam perfectius conſcientiam, vel ipſe debet per interrogationes defectum examinis ſupplere, habita ratione qualitatis perſonæ et ſtatus eius: quia integritas confeſſionis eſt neceſſaria, vt homo ſit capax abſolutionis: ergo priuſquam Confeſſor abſoluat, tenetur probabiliter iudicare, pænitentem confeſſum eſſe integrè, ergo ſi non iudicat abſque interrogatione et inquiſitione, tenetur inquirere: ex quo fit, vt non dicantur indignè accedere ad confeſſionem, qui adhibita modica diligentia ad examinandam conſcientiam, accedunt ad Confeſſarium animo reſpondendi ad quæſita et interrogationes Confeſſarii, cui exiguam in examine diligentia aperiunt.

Quoniam in confeſſionibus excipiendis ſæpiſſimè accidit, vt ipſi pænitentes teneantur repetere confeſſiones tanquam inualidas, à multo tempore factas, ideò Confeſſarius debet ad manum habere interrogatorium breue, quod memoriter tenere debet, ad inuádos rudes et ruſticos, qui peccata ſua præmeditari neſciunt: multum inſeruiet Confeſſario habere methodum hanc diſcurrendi, per peccata probabiliter à pænitente commiſſa, ne ſi in incertum vagetur, vel idem repetat, vel neceſſarium aliquid omittat.

Confeſſarius interroget tria. *Primò* tempus vltimæ confeſſionis, & an impleuerit pænitentiam. *Secundò*, ſtatum pænitentis, (ſi eum non nouit) an coniugatus vel ſolutus, Mercator, Miles, Officialis, Clericus in Sacris, Beneficiarius, Religioſus, &c. *Tertiò*, an paratus veniat. Cætera in progeſſu confeſſionis. Deinde interroget circa decem præcepta hoc ordine.

De his videndi ſunt Suarez *de pænit. diſp.* 32. *ſect.* 3. *nu.* 3. Reginaldus *lib.* 2. *num.* 14. *& ſeq.* Conink *de pænitent. diſp.* 8. *dub.* 17. *num.* 120. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 10. Bonacina *de Sacr. d.* 5. *q.* 4. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 1. *nu.* 5. *&* 7. Nauarrus *c.* 9. *num.* 13. Sylu. *in Supplement. q.* 9. *quæſit.* 7. & alij.

Suarez. Reginald. Conin. Henriq. Bonacina. Nauarrus. Sayr.

Circa primum præceptum, quinque.

Primò, C*Irca fidem*, An dubitauerit, conſenſerit, expreſſerit ſigno aliquo externo propter excommunicationem; De prouidentia Dei præcipuè, animæ immortalitate, futura vita; an ſciat neceſſaria pro rudibus. *Secundò*, *circa Spem*. An deſperauerit, tentarit Deum, ſpem totam in creatura repoſuerit. *Tertiò circa Charitatem*. An odio Deum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni impoſitam, mortem, &c. An amauerit Deum ratione debita, tempore debito; in periculo tentationis, vſu Sacramentorum. *Quartò, circa Religionem*. An orauerit aliquando præcipuè occaſione mortis ſpiritualis, vel neceſſitatis proximi. An Officium recitauerit, ſi eſt Clericus in Sacris conſtitutus, Beneficiarius, &c. An commiſerit ſacrilegium in perſonis, rebus, locis ſacris. *Quintò, circa vitia oppoſita Religionis*. An fidem præſtiterit breuibus, ſuperſtitionibus, vanis obſeruantiis. An iis vſus fuerit ad malum vel bonum finem, vbi de maleficio, &c.

Circa ſecundum præceptum, tria.

Primò D*E Blaſphemia.* An blaſphemauerit Deum, Beatam Virginem, Sanctos, Creaturas. Quomodo, attribuendo Deo quod non habet, vel auferendo quod habet, vel tribuendo creaturæ quod eſt Dei proprium, vel imprecando Deo aliquod malum, vel nominando membra turpia. *Secundò*, *De Iuramento.* De veritate eius, an mendacium cum iuramento protulerit. *De Iuſtitia*, an promiſerit facere quod malum eſt, vel non facere quod bonum. *De Iudicio*, an indiſcretè & ſine vlla cauſa ex temeritate iurauerit. *Tertiò*, *De Voto.* Qua de re, an tardus in eo implendo, an promiſerit quod non eſt bonum, an fregerit, & quoties; videat an poſſit commutare, diſpenſare, &c.

Circa tertium præceptum, quatuor.

Primò, D*E Miſſa in Feſtis & Dominicis*, aut totam vel notabilem partem, vt tertiam, omiſerit ſine cauſa, vel cum magna diſtractione confabulatus ſit. *Secundò, De opere ſeruili*, vel alio prohibito in Feſtis per tempus notabile; an ipſe id egerit, vel aliis fuit cauſa vt ipſi agerent. *Tertiò, de ieiunio* in Quadrageſima, Vigiliis, &c. Confeſſione annua, Communione in Paſchate & ſolutione Decimarum. *Quartò, De Communicatione* cum excommunicato non tolerato, vel an ipſe excommunicatus participarit in diuinis.

Circa quartum præceptum, ſex.

Primò, D*E dilectione* proximi generali & de ſignis communibus erga inimicos, remiſſione iniuriæ & pace petita. *Secundò*, *de beneficentia corporali*, vt eleemoſyna in neceſſitate extrema vel graui, & de ſuperfluis ratione ſtatus. *Tertiò*, *de beneficentia ſpirituali*; vt correptione fraterna, de peccato mortali, quando eſt ſpes emendationis, opportunitas perſonę & temporis. *Quartò, de obligatione filiorum* erga parentes. *Primò*, in dilectione etiam externa, ſubuentione in neceſſitate, impletione teſtamenti & legatorum. *Secundò*, in reuerentia, an maledixerint, percuſſerint, optarint mortem. *Tertiò* in obedientia in rebus Pertinentibus ad gubernationẽ domus, ad bonos mores & ſalutem animæ & contra. *Quintò*, de obligatione parentum erga filios, tum in cura, vt ſciant res neceſſarias; tum quoad mores, permittendo eos malè viuere, vel præbendo malum exemplum. *Sextò*, de obligatione viri reſpectu vxoris, in non afficiendo iniuria, non percutiendo, non negando debito, &c. & è contra vxoris reſpectu viri, in obedientia, in ſpectantibus ad mores & gubernationẽ familiæ, in redditione debiti modo dicto, & cura, ne ſua moroſitate & rixis, blaſphemare, vel maledicere faciat virum.

Circa quintum præceptum, quinque.

Primò, S I optauit ſibi aut aliis mortem, vulnera, infamiam, graue malum, vel gauiſus eſt de morte patris, fratris, ob hæreditatem, vel ex inuidia, odio, &c. ſi moroſè delectatus ſit de vindicta, uel doluit de aliorum proſperitate. *Secundò*, ſi protulit minas, contumelias ex ira, uel conuitia. *Tertiò*, ſi occidit iniuſtè, mutilauit, vulnerauit, torſit: Mater, ſi oppreſſit infantem in lecto, vel fuit cauſa abortus. *Quartò*, ſi ad aliquod ſupradictorum cooperatus eſt nouem illis modis, de quibus in verſibus. *Iuſſio, conſilium, conſenſus, &c.*

Quintò, ſi fuit aliquo ſcandalo cauſa mortis ſpiritualis, inducendo ad peccatum, vel publicè peccando.

Cir-

Circa ſextum præceptum, ſex.

Primò, SI habuit turpes cogitationes cum conſenſu in delectationem, vel in actum turpem, ſi verba inhoneſta, aſpectus, tactus libidinoſi interceſſerunt, & cum quo, vel cum qua. *Secundò*, ſi cognouit fœminam, an ſoluta, virgo, coniugata, conſanguinea, affinis: ſacra, ſi in vaſe naturali, an extra vas. *Tertiò*, ſi contra naturam per mollitiem, ſodomiam, beſtialitatem, impudicitiam, an pollutionem voluntariam paſſus fuerit in vigilia, & de qua perſona cogitarit. *Quartò*, ſi inſecutus eſt fœminam diu, an peruenerit ad verba, litteras, munera, oſcula impudica, tactus, &c. ſi ornatu, muſica, et alijs ob malum finem placendi, & prouocandi ad libidinem vſus eſt. *Quintò*, ſi lectione librorum impudicorum ſe prouocauit ad libidinem, optauit ab aliis concupiſci, iactauit ſe de huiuſmodi peccatis. *Sextò*, à coniugato, ſi petiuit debitum cum impedimento affinitatis, cognationis ſpiritualis, voti caſtitatis, periculi abortus, vel effundendi ſemen extra vas.

Circa ſeptimum præceptum, quinque.

Primò, DE furto in notabili quantitate, etiam à propriis parentibus, de damno illato, an iuſſus in alia confeſſione reſtituit: hic de bonis naufragantium & latrocinio maritimo. *Secundò*, de fraudibus in emptione, et venditione circa rem, pretium, pondus, menſuram, numerum, ſi emit rem alienam ſcienter. *Tertiò*, de vſuris in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata ſolutione, in cambiis, ſocietatibus, cenſibus. *Quartò*, de fraudibus in ludo, an cum perſonis habilibus, inæqualibus quoad artem, inductis importunis precibus aut minis. *Quintò*, de animo furandi aliena, retinendi cum damno domini, de concupiſcentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis.

Circa octauum præceptum, duo.

Primò, DE iniurijs extra iudicium. *Primò*, de mendacio pernicioſo. *Secundò*, de detractione mētiendo, vel dicendo verum occultum, quod infamet, vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi, vel audiendo, & cooperando infamationi. *Tertiò*, de ſecreto reuelato abſque iuſta cauſa, apertione litterarum alienarum. *Quartò*, de ſuſurratione, ſeminando diſcordias, irriſione animo confundendi. *Quintò*, de maledictione, animo vt graue malum eueniat, iudicio temerario & ſuſpicione. *Secundò*, de iniuriis in iudicio ex parte iudicis, accuſatoris, rei, teſtis, aduocati, procuratoris.

Circa nonum præceptum, quinque.

Primò, DE ſuperbia, an putauit à ſe habere bona vel à Deo ex propriis meritis, vel tribuit quæ non habet, vel alios contempſit inordinatè. *Secundò*, de vanagloria, quando optatur vel quæritur de re mala aut malis artibus, aut relata ad malum finem. *Tertiò*, de inobedientia & ambitione. *Quartò*, de gula, an per eam violatum ſit præceptum, vel ea quæſita ſit cum notabili damno ſalutis propriæ vel proximi, vel propter eam debita non ſoluantur. *Quintò*, reliqua reducta ſunt ad præcepta, vt auaritia ad quartum, luxuria ad ſextum, ira & inuidia ad quintum. *Acedia* communiter non eſt peccatum mortale, niſi quando ob eam violatur præceptum ſub mortali, vel deſperat quis peruenire ad vltimum finem.

Circa decimum præceptum.

QVæri poteſt in fine. *Primò*, an ſciat neceſſaria & obligationes proprii ſtatus. *Secundò*, an aliquid aliud memoriæ ſe offerat grauans conſcientiam. *Tertiò*, an doleat generaliter de offenſis in cuſtodia quinque ſenſuum, trium potentiarum, operum miſericordiæ. *Quartò*, de ingratitudine in reddendis gratiis pro beneficiis, recidendo in peccata. De periculo peccandi, cui ſæpè ſe expoſuit, de dubiis quæ habuit an quid eſſet peccatum, & tamen operatus eſt cum illis. *Quintò*, accuſet ſe pœnitens de omni alia re, in qua Deum offendiſſet, vel fuiſſet cauſa, vt alter offenderet, etc.

Nota tamen quod hæc omnia, et ſingulá, non à quocumque pęnitente petenda ſunt, ſed prudens Confeſſarius illa tantummodò interrogabit, quæ probabiliter iudicabit eſſe commiſſa à ſuo pœnitente, cum quo agit, habita ratione ipſius ſtatus, conditionis, & officii: et quando aduertit ipſum pœnitentem ex ſe ſatis conſcientiam ſuam exonerare, non debet ipſum Confeſſarius turbare et interrumpere confeſſionem, niſi omittat quaſdam circumſtantias neceſsarias vt dictum eſt, cum de prudentia Cōfeſsarii ageremus, tom. 1. *v. Confeſſarius* 4. *num.* 17. In caſibus autem in quibus pœnitens non tenetur ad integritatem materialem confeſſionis, non tenetur Sacerdos illum examinare, vt in naufragio, in periculo mortis, in anxietate, et anguſtia graui, etc. quia examen fit in ordine ad integritatem, quæ cùm in illis non requiratur, examen fruſtraneum eſset.

Porrò etiam et cautè ſe gerere debent Confeſsarii in interrogationibus peccatorum carnis cum mulieribus: quia præſtat aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel ſibi aliquod ſcandalum creare.

Porrò Confeſsarii debent abſtinere à curioſis et ſacrilegis interrogationibus, quæ profanant et odioſum reddunt hoc Sacramentum, cum ſcandalo pœnitentium: et licet ipſi pœnitentes fortè non ſcandalizentur: alii tamen, qui ita agi intelligunt, offenduntur: ideoque non tantùm poſsunt, ſed etiam tenentur pęnitentes non obtemperare eiuſmodi interrogationibus, quæ ad peccata illorum non pertinent, neque ſub ſigillum cadunt: vnde non tenetur pœnitens etiam interroganti Sacerdoti aperire quis ſit ipſe, aut quis complex, quando ad peccati explicationem id non pertinet: vbi habitet, aut cui cohabitet, quando ea peccato impertinentia ſunt: neque an ſit coniugatus, ſi matrimonium non offendit, neque an ſit Religioſus, ſi caſtitatem, paupertatem et obedientiam non violauit. Peius faciunt, qui ſub prætextu examinis, domeſticorum parietum penetralia, intrant, inquirentes ab vxoribus, filijsfamilias, ancillis de omnibus quæ domi fiunt: et timoratas conſcientias ſuſpicionibus, iudiciis temerariis, detractionibus, reuelationibus ſecretorum illicitis intricant, in magnum animarum grauamen, et tertiæ perſonæ graue detrimentum, non ſine Sacramenti pœnitentiæ iniuria et irreuerentia. Vide Nauar. *in cap.* 1. §. *Diligens, de pœniten. diſp.* 6. *num.* 2. *& in cap. conſideret de pœnit. diſp.* 5. *num.* 97. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 25. *num.* 4. Rituale Rom. *de Sacr. pœnit.* Sancius *in ſelectis diſp.* 6. *num.* 12. Nauar. Henriq. Rit. Rom. Sancius.

Contra illos Confeſsarios inuehitur Malderus *tract. de ſigillo confeſſ. cap.* 19. dicens, eos habere partem cum negotiantibus in templo, qui curioſè inquirunt ea, quæ ad peccata pœnitentis non pertinent, vel quæ ſpeciem auaritiæ præ ſe ferunt, verbi gratia, an diues ſit pænitens, an proles habeat, an teſtamentum fecerit, an pia legata fecerit, & in cuius vtilitatem, maximè ſi addat commendationem pro ſe, aut aliis, & ſuadeat mutationem factæ diſpoſitionis ſine iuſta cauſa; fędè & ſacrilegè abutuntur ſacra confeſſione ad nundinationem, qui non ſolùm ſe hæredes ſcribi procurant, ſed à pænitentibus enormes donationes poſtmodum pænitendas, inter viuos accipiunt, vel ſibi erogari procurant turpis lucri auiditate, quæ pænitentes ipſi contemptu diuitiarum, eorum ſuaſu à ſe abdicant; vt iam ipſi magis ſint domini peculii confitentium, quàm ipſi pænitentes.

Ita faciendo incidunt in iudicium Giezi pueri Eliſæi, & lepra quam gratis non curant, eis incipiet adhæreſcere. Præeat potiùs Sacerdos in paupertatis ſtudio pænitentes, quos ad diuitiarum contemptum incitare debet. Theſaurizent potiùs patres ſpirituales ſuis filijs ſpirituales theſauros et cæleſtes, terrenos ſibi ab iis non captent; non enim debent filii parentibus theſaurizare. Non inueniatur itaque iniquitas iſta in hæreditate Iacob. Hæc paſſim *Malderus*.

Denique Confeſſarii nō debent eſſe nimis importuni,

in

in inquirendis circumſtantijs ſolùm aggrauantibus, præſertim quando pœnitens nullam eius rei præbet occaſionem, ne nimis emungendo, ſanguinem eliciant: neque etiam pœnitentem ſententiæ probabili adhærentem, ad ſuam cogant. Non deſcendant etiam ad particulares ſubſtantias peccatorũ carnalium, quia delectabilia quantò magis conſiderantur, tantò magis ſunt apta mouere: et nocet talis interrogatio et Confeſſori et confitenti: ſufficit enim habere vltimam ſpeciem peccati in huiuſmodi et circumſtantias, quæ cadunt ſub ſpeciali prohibitione et a longè etiam verbis honeſtis, vnde nullo modo deſcendant ad alia ſpecialiter, ſicut faciunt quidam, qui potius ſunt contaminatores quam Confeſſores, qui ſæpiſſimè peccant mortaliter, delectando ſe de huiuſmodi interrogationibus, et propter delectationem faciendo eas. Hi ſuæ obliti fragilitatis barathrum damnationis æternæ et certam ruinam apertis velut oculis ſe præcipitant, in hoc examine malitioſo peccatorum carnis in mulieribus infirma terræ tentantes et explorantes cum Sacramenti nefando ſacrilegio et ſcandalo.

INVIDIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit inuidia?*
2 *An inuidia ſit peccatum mortale? & de eius remedijs.*
3 *An inuidia debeat inter vitia capitalia connumerari?*

1. INuidia *eſt inordinata triſtitia, qua quis dolet de bono alicuius, non quatenus eſt bonum illius, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellẽtiam*: vnde quando triſtitia eſt bene ordinata, non imputatur ad culpam, vt quãdo elicitur ex bono fine; hinc non peccat peccato inuidiæ, qui occaſione boni alicuius, quo alterum affectum videt; triſtitiam capit, non quatenus alter eſt affectus eo bono, ſed quia videt ſe eo deſtitutum: quia propriè inuidus dicitur qui triſtatur de bono alterius, putans inde propriam excellentiam diminui. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 36. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 13. *part.* 1. 2. Toletus *l. de peccatis mort. c.* 63. Diana *tract.* 6. *miſcel. reſ.* 85. *p.* 3. Sylu. 2. 2. *q.* 36. *art.* 1. & alij.

D. Thom. Valent. Tolet. Diana.

2. *Inuidia* eſt peccatum mortale ex ſuo genere contrarium charitati; quia charitas gaudet de bono proximi, inuidia verò triſtatur de bono proximi, obiectum enim materiale charitatis eſt bonum: tamen inuidia poteſt fieri peccatum veniale, tum ob imperfectionem conſenſus & non plenam aduertentiam, tum ob materiæ paruitatem, vt pueris contingere conſueuit, qui de leuibus aliorum puerorum bonis triſtitiam capere ſolent. D. Thomas *c. art.* 2. *&* 3. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 118. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 129. Caietanus *v. inuidia.* Filliucius *tract.* 28. *c.* 8. *q.* 5. Sylu. *c. art.* 2. *&* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 67. & alij.

D. Thom. Nauarrus. Reginald. Caietanus. Filliucius. Diana.

Contra inuidiam valent quinque, *Primum* vt homo ponat dilectionem in ea bona, quę poſſunt ſimul à multis haberi, & à ſingulis plenè, ſicut eſt Prædicatio, Euchariſtia, Communio, vel ſuper omnia dilectio, & regnum cœlorum: *Secundum* eſt, eradicatio propriæ ſuperbiæ, quia ex ea oritur. *Tertium*, meditatio multiplicis damni, quod ex ea prouenit. Sicut enim Græcus ignis arena, & aceto ſolet extingui, ſic inuidia conſideratione infructuoſi ſtatus quem habet, & amaritudine, & conſumptione virium poteſt extingui. *Quartum*, valet contra inuidiam, exercitium in operibus miſericordiæ circa proximos, vel inimicos: miſericordia enim directè opponitur inuidiæ: quarum prior dolet de miſeria proximi, poſterior verò de fœlicitate proximi. *Quintum*, inſpicere debemus, quantis fraternitatibus iungimur. Omnis enim proximus eſt frater noſter naturalis, quorum omnium vnus fuit pater Adam: multi ſunt fratres noſtri ſpirituales, quorum omnium vnus pater Chriſtus eſt, & mater vna Sancta Eccleſia.

3. *Inuidia* debet inter vitia capitalia connumerari; quia ex ipſa tanquam ex capite, multa alia peccata originem ducunt, vt odium proximi, ſuſurratio, detractio, gaudium in aduerſis proximi, & triſtitia in proſperis eiuſdem. De quibus ſuis locis agimus. D. Thomas *c. art.* 4. Toletus *c. cap.* 67. Nider *in decalog. præc.* 5. *cap.* 6. Inuidus namque ſentiens ex triſtitia concepta perſecutionem interius, incipit ſuo conatu alterius gloriam diminuere, vel occultè, & tunc ſequitur ſuſurratio, vel manifeſtè, ex quo ſequitur detractio: quòd ſi conſequatur ſuam intentionem, gaudet de illius aduerſitate; & ſi non poteſt, affligitur de illius proſperitate: quæ triſtitia, ſi duret, poſtea generat odium.

D. Thom. Toletus. Nider.

IRA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ira in materia morali? vt an ſit per ſe mala aut bona?*
2 *Quando ira ſeu iracundia ſit peccatum mortale? quando veniale?*
3 *An ira ſeu iracundia ſit peccatum capitale? & quæ alia vitia ex hoc naſcantur?*
4 *An peccatum iræ ſit minus peccatum quàm odium vel inuidia.*

1. IRa eſt *ſanguinis feruor in corde, euaporatione & turbatione fellis proficiſcens*: in materia autem morali; nihil aliud eſt, quam *vitium animæ ad appetitum vindictæ inclinans*: Ita per ſe nec bona eſt, nec etiam mala, ſed quiddam indifferens, quo bene & malè vti poſſumus, ſicut & reliquæ paſſiones. Vide Nyſſenum *lib.* 4. *philoſoph. cap.* 13. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 158. & Sylu. *ibi. concl.* 1.

Nyſſen. D. Tho. Syluius.

2. *Ira* ſeu potiùs iracundia, peccatum erit, ſi modum à ratione præſcriptum non ſeruet, quod dupliciter poteſt contingere. *Primò*, ex parte obiecti, ſi iniuſtam vindictam appetas, vt ob cauſam non legitimam, vel maiorem quam oportet, vel abſque publica authoritate exequendam, vel contra iuris ordinem, vel principaliter in malum proximi & non in bonum iuſtitiæ: et hoc modo ex genere ſuo eſt peccatum mortale; quia eſt contra proximi charitatem et iuſtitiam: poteſt tamen eſſe veniale ob imperfectionem actus, quæ ſpectatur vel ex parte voluntarij, vt cùm motus iræ perfectum rationis iudicium preuertit: vel ex parte obiecti ſeu materiæ, vt cùm quis modicam vindictam appetit. *Secundò*, poteſt præſcriptum rationis non ſeruari ex parte ipſius motus, vt ſi nimiùm interiùs ira exardeſcas, vel exteriùs eam per ſigna nimiùm patefacias: et hoc modo non eſt quidem ex genere ſuo peccatum mortale; poteſt tamen eſſe mortale, vel ratione affectus et præparationis animi, quam inducit, vt ſi tantùm ira accendaris, vt paratus ſis aliquid facere, quod ſit peccatum mortale; vel ratione ſcandali vt interdum accidere poteſt in Prælatis. Ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 24. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 4. *p. vlt.* §. 1. *n.* 8. Filliucius *tract.* 29. *cap.* 10. *q.* 3. Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 115. Syluius *c. q.* 158. *art.* 1. *concl.* 3. Fernandez *p.* 4 *c.* 2. §. 5. *num.* 2. Nider *in decalog. præc.* 5. *c.* 2. *num.* 8. *&* 9. et alij.

Leſſius. Bonacina. Filliucius. Nauarrus. Syln. Fernandez. Nider.

3. *Vitium* iræ ſeu iracundiæ ponitur à Doctoribus, tanquam capitale aut cardinale; quia ordinariè plura alia ex eo naſci conſueuerunt: idque duplici ratione. *Primò*, ex parte obiecti, quod eſt vindicta habens ſpeciem iuſtitiæ, ratione cuius homines multa facere conſueuerunt. *Secundò*, ratione illius impetus; quo mentem ad multa inordinatè agenda, et ad quiduis audendum vindictæ deſiderio præcipitat: ex hoc vitio naſcuntur *ſeptem alia*, ſcilicet, *indignatio*; cùm contemnitur et vilipenditur ille, cui iraſcimur, tanquam indignus a quo tale quid patiamur. *Tumor* mentis, cùm iraſcens ſeipſum extollit et alteri præfert. *Clamor*, cum vocem extollimus, multa inordinatè et confusè iactantes. *Contumelia*, cum iactamus conuitia verborum in proximum. *Blaſphemia* cũ contra Deum et Sanctos: denique *Opprobrium & rixa*. De quibus plura apud D. Gregorium *lib.* 1. *moral. cap.* 31. Tolet. *de ſept. peccatis c.* 58. D. Thom. *c. art.* 6. *&* 7. Leſſius *c. num.* 32. Sylu. *c. art.* 7. Nider *in decal. præc.* 5. *c.* 3.

D. Greg. Toletus. D. Thom. Boſſius. Sylu. Nider.

4. *Pecca-*

4. *Peccatum iræ* per ſe minus eſt peccatum quam odium vel inuidia. *Odium* enim appetit malum proximi, quia malum, & eo duntaxat fine, vt ei ſit malè, illi enim malè eſſe appredendit tanquam ſuum bonum; hinc fit vt nulla mali menſura ſatietur. *Ira* verò appetit malum alterius ſub ratione iuſtæ vindictæ, nimirum vt qui offendit, ſentiat & doleat ſe malè feciſſe, & ita fiat cōpenſatio. *Inuidia* dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obſeruare, vnde deſiderat illi malum, nempe illius boni priuationem, vt ſuam exiſtimationem & excellentiam illibatam conſeruet, ac proinde affectu proprii boni mouetur. D. Thomas *c. art.* 4. Azorius *1.p.l.*3. *cap.*17. Leſſius *c. num.*27. Sylu. *c.art.*4. & alii.

D. Thom. Azorius, Leſſius.

Deus multùm ira offenditur; Ratio eſt, tum quia per illam hoſpitium Dei turbatur: tum quia imaginem Dei in templo cordis diſſipat. Tum quia templum Dei incendit. Deinde ira homini valde nocet in anima, corpore, & rebus. In anima quidem, propter vitia prætacta, quæ ex illa naſcuntur. Nocet etiam corpori, amarum reddens hominem, triſtitiam ingerens, & membris valetudinem, ſanitatemque adimens, & vita citiùs priuans; quia totum corpus propter ſanguinis ebullitionem & ſpirituum turbationem alteratur. Nocet etiam rebus; quia iratis familia triſtè ſeruit; Amici tales fugiunt, & prudentes horrent: ex quibus pauca temporalia iratus procurat.

De ira vide tomo primo v. *Blaſphemia* num. 5.

IRREGVLARITAS I.

Quid & quotuplex ſit irregularitas, & quæ eius cauſa.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit irregularitas, & quando diſtinguatur à cenſuris?*
2 *An irregularitas impediat ſuſceptionem primæ tonſuræ?* refertur duplex ſententia.
3 *Irregularitas vna dicitur ex defectu, alia ex delicto.*
4 *An Summ. Pontif. ſit ſolus cauſa efficiens irregularitatis.*
5 *An omnis homo capax ordinis, ſubditur iure communi, ſit cauſa materialis, ſeu ſubiectiua in quam cadere poſſit irregularitas.*
6 *Quæ ſit cauſa formalis irregularitatis.*
7 *An requiratur peccatum mortale ad incurrendam irregularitatem ex delicto? & an Summus Pontifex poſſit imponere illam pro peccato præterito? & an excuſet ab illa ignorantia iuris vel facti?*
8 *An ad incurrendam irregularitatem requiratur actus externus conſummatus?*
9 *An in dubio iuris quis iudicandus ſit irregularis?*
10 *An in quolibet dubio facti cenſendus ſit quis irregularis?* refertur duplex ſententia.
11 *Quæ impedimenta pariat irregularitas totalis & partialis.*
12 *An irregularis ſuſcipiens vel exercens ordines ante obtentam diſpenſationem, nouam irregularitatem vel aliam pœnam incurrat? & an irregularis prohibeatur actus ſacros exercere, qui per laicum præſtari poſſunt.*
13 *An irregularitas licèt occulta faciat hominem incapacem beneficij?* refertur duplex ſententia.
An aliquo modo reualidari poſſit collatio beneficij alicui nulliter facta?
14 *An irregularis, qui recipit beneficium in irregularitate, poſſit fructus percipere, &c.* refertur itidem duplex ſententia. *Et quid dicendum, ſi irregularitas ſit tantum ſubſequens beneficium vel penſionem?*
15 *An irregularis ſit incapax iuriſdictionis ordinariæ & delegatæ?*
16 *An confeſſio facta Sacerdoti nominatum denunciato irregulari, ſit valida?*

1. IRregularitas deſumitur ab *in* & *regula*, eò quòd irregularis careat regula, & non ſit intra regulam ab Eccleſia præſcriptam; hinc *irregularitas* communiter definitur eſſe *Canonicum impedimentum ex facto vel defectu proueniens, quo quis ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & iam promotus in eiſdem miniſtrare prohibetur*: ex qua definitione colligitur *Primo*, irregularitatem inductam eſſe iure canonico; non verò iure diuino: propterea irregularitas non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis. *Secundo*, colligitur duo eſſe capita præcipua, ex quibus omnes irregularitates oriantur, nimirum aut *ex delicto*, quod in præſentia vocatur factum; aut ex *aliquo defectu*, id eſt, qui abſque culpa contrahitur. *Tertio*, patet irregularitatem diſtingui à cenſuris: *irregularitas* enim alia ratione impedit ſuſceptionem & exercitium ordinum, quàm impediant cenſuræ; nam *excommunicatio maior* impedit, quatenus ſuſceptio & exercitium ordinum eſt quædam communicatio; *Suſpenſio* priuat directè vſum ordinum; *irregularitas* verò directè impedit ſuſceptionem ordinum, illorumque vſum, & exercitium; *interdictum* denique non ſemper impedit vſum ordinum: hinc colligitur irregularitatem non eſſe cenſuram, quia cenſuræ ſemper ex aliquo delicto contrahuntur, irregularitas verò non ſemper. Vide Sayrum *de cenſur. lib.*6. *cap.* 1. *num.* 16. *& ſequent.* Filliucium *tract.*19. *quæſt.*1. *num.*2. Sayrus *d.* 40. *de cenſur. ſect.*3. Reginaldum *lib.*30. *tract.*2. *num.*2. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 1. *num.* 2. Nauarrum *in Man. cap.* 27. *num.* 191. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. regul. q.* 24. *art.* 1. Vgolin. *de irregul. c.* 1. §. 1. & alios.

Sayrus. Filliucius. Suarez. Reginald. Henriq. Nauarrus. Rodriq. Vgolinus.

2. Magna cōtrouerſia eſt inter Doctores Canoniſtas, & Theologos, an irregularitas impediat ſuſceptionē primæ tonſuræ: Quidam enim ſupponentes iuxta veriorem & cōmuniorē Theologorum ſententiam, primā tonſurā nō eſſe propriè ordinē, ſed medium quoddam inter ordines, aſſerunt irregularitatē non impedire ſuſceptionē primæ tonſuræ, quia in odioſis non eſt facienda extenſio de vno caſu ad aliū, & tōſuratus dicitur potiùs deputatus ad ordines, quàm ordinatus: cōmunior & verior ſententia aſſerit irregularitatē impedire ſuſceptionē primæ tonſuræ; quia quamuis tonſura, ſi eius nomen accipiatur ſtrictè, nō ſit ordo, ſed diſpoſitio ad ordines; nihilominus in iure canonico intelligitur nomine ordines. Vt docent Bonacin. *de cenſur. d.*7. *q.*1. *p.*1. Suar. *d.*40. *ſect.*2. *n.*2. Sayr. *l.*6. *c.*1. *n.* 19. Filliuc. *c. n.*59. Regin. *c. n.*11. Diana *4. p. tr.* 2. *reſ.*88. & alij.

Bonacina. Suarez. Sayrus. Filliucius. Reginald. Diana.

3. *Irregularitas* eſt duplex, *vna* dicitur ex defectu, vel indecentia, quæ prouenit abſque culpa, & huius irregularitatis multæ ſunt ſpecies: *Prima* dicitur ex defectu animi. *Secunda* ex defectu corporis. *Tertia* ex defectu natalium. *Quarta* ex defectu ætatis & libertatis. *Quinta* ex defectu Sacramenti, id eſt, bigamia. *Sexta* ex defectu lenitatis; id eſt, homicidio licitè patrato. *Altera* dicitur ex facto, ſeu delicto & huius etiam irregularitatis multæ ſunt ſpecies. *Prima* dicitur ex iteratione Baptiſmi. *Secunda* ex indebita ſuſceptione vel vſu ordinis. *Tertia* ex actu infidelitatis, aut hæreſis. *Quarta* ex infamia. *Quinta* ex homicidio illicitè patrato. De his Tolet. *lib.* 1. *cap.* 51. Nauar. *c.* 27 *n.* 192. Sayr. *c. c.* 1. *n.* 27. Bonac. *c. n.* 6. & 7. & alij.

Toletus. Nauarrus. Sayrus. Bonacina.

4. *Cauſa efficiens* irregularitatis eſt Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit, eamque per Sacros Canones expreſſit, *Cap. is qui, de ſent. excom. in* 6. Suarez *d.*40. *ſect.*4. *num.*11. 14. 15. Diana *part.*4. *tract.*2. *reſ.*80. Filliuc. *c. n.*35. Sayrus *cap.*2. *num.*9 Nauarr. *in Man. cap.*27. *n.*194. quia poteſtas ferendi irregularitatem ad eum pertinet, qui poteſt ius cōmune canonicum condere; vnde nulla eſt irregularitas niſi ſit in iure expreſſa: nomine autem *iuris*, non ſolùm veniunt corpus iuris, verùm etiam Bullæ Pontificiæ, & Concilia Generalia à Summo Pontif. approbata: hinc patet Epiſcopum alioſque Summo Pontif. inferiores, non poſſe irregularitates ferre; *præterea* non eſſe admittendam aliquam irregularitatem, ob ſolam Doctorum authoritatem, teſtantium de conſuetudine niſi ſit in iure expreſſa; *denique* patet irregularitatem non incurri ob æqualem, ſimilem, vel maiorem cauſam, ob quam inducta eſt in alio ſimili æquali vel maiori caſu.

Suarez. Diana. Filliucius. Nauarrus.

5. *Cauſa materialis* ſeu potiùs ſubiectiua, in quam cadit irregularitas, eſt omnis homo capax ordinis, ſubditus iuri communi, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Cardinalis, *Cap. licet de elect. & c. quia periculoſum in* 6. *de ſentent. excommunicat.* Suar. *c. ſect.* 7. excipitur Summus Pontifex, Suarez
qui

Digitized by Google

qui non tenetur ſuis legibus, quoad vim coactiuam; ex quo enim in Summum Pontificem eligitur, ſtatim immunis eſt ab omni canonico impedimento, quia ſtatim deſinit eſſe ſubditus iuri canonico quoad vim coactiuam. Infideles verò, & fœminæ non dicuntur propriè loquendo irregulares, quia non habent capacitatẽ ad ordines. Sayr. *c. cap.* 2. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 13. & alij.

Sayrus. Reginald.

An autem puer occidens aliquem ante pubertatem irregularitatem incurrat? affirmant Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 12. *num.* 8. Granado *de legibus fol.* 252. *num.* 38. Negant Auila *de cenſur.* 7. *part. diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 13. Sancius *in ſelect. diſp.* 26. *n.* 18. quia id probabiliter decernunt iura.

6. *Cauſa formalis* irregularitatis ſunt verba irregularitatẽ exprimentia, quæ nõ ſunt determinata? quia variis verbis ſignificari poteſt ipſa impoſitio irregularitatis; & ex circumſtantiis aliquando colligi debet, vt ſi dicatur; nunquam ordinetur, vel ad Clericatum non promoueatur, vel non aſpiret ad Ordines, vel ne fiat Clericus, aut non poteſt eſſe Clericus; vel ad Sacros Ordines aſpirare non audeat, vel non poteſt eſſe ex numero Sacerdotali, vel non poſſunt ſecundùm canones Sacerdotii iura concedi. Bonacina *c. part.* 2. *num.* 10. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 8.

Bonacina. Suarez.

7. Ad incurrendam *irregularitatem ex delicto*, requiritur culpa mortalis, quia pœna debet proportionari delicto; cùm ergo irregularitas, quæ ob delictum incurritur, ſit pœna grauiſſima non debet incurri ob veniale peccatum: *Nota* tamen Summum Pontificem de poteſtate abſoluta poſſe imponere irregularitatem pro delicto merè præterito, nam ad incurrendam irregularitatem non requiritur contumacia, ſicut ad incurrendam excommunicationem: propterea irregularitas ex delicto non incurritur, interueniente ignorantia probabili iuris, vel facti, vel etiam pœnæ, ſecundùm probabilem ſententiam Doctorum, vt dictum eſt, *verbo Ignorantia*, quia probabilis ignorantia excuſat à culpa, ita etiam à pœna. Vide Suarez *d.* 40. *ſect.* 3. *num.* 39. Reginaldum *lib.* 30. *num.* 201. Nauarrum *cap.* 27. *num.* 252. Conin. *diſp.* 18. *dub.* 4. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *miſcel. reſ.* 18. & 4. *p. tract.* 2. *reſ.* 85. & alios.

Suarez. Reginald. Nauarrus. Conin. Diana.

8. *Ad incurrendam* irregularitatem requiritur actus externus conſummatus, nec ſufficit deſiderium ſeu attentatio ac conatus; quia pœnæ non ſunt extendendæ; vnde qui lethaliter vulnerauit, non afficitur nota irregularitatis latæ contra homicidas, ſi vulneratus miraculosè conualuit; qua de cauſa actus internus non ſufficit ad inducendam irregularitatem, cùm non ſubiaceat poteſtati Eccleſiæ. Valentia *t.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *part.* 2. Sayr. *c. cap.* 2. *n.* 17. & *ſeq.* Conin. *c. dub.* 2. *num.* 11.

Valent. Sayrus. Conin.

9. *Communis* Doctorum ſententia eſt, in dubio iuris nullum iudicandum eſſe irregularem; quia irregularitas non incurritur, niſi adſit ius expreſſum ſufficienter indicans irregularitatem poſitam eſſe: & in dubio iuris nullus in foro externo iudicatur irregularis, ergo neque iudicandus eſt irregularis in foro conſcientiæ. Filliucius *c. cap.* 2. *q.* 4. Bonacina *c. part.* 5. *num.* 2. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 193. & alii.

Filliucius. Bonacina. Nauarrus.

10. *Multi* exiſtimant in quolibet dubio facti, cenſendum aliquem eſſe irregularem, quia in dubio facti tutior pars amplectenda eſt Alii verò & meritò probabiliùs exiſtimant tantummodò in dubio homicidii iudicandum eſſe irregularem; quia iura loquuntur ſolùm de dubio homicidii; vnde cùm ſit dubium iuris, an in aliis factis præter homicidium ſancita ſit irregularitas, ideò in hoc dubio fauẽdum eſt ſubditis, & nullus cenſendus eſt irregularis poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad cognoſcendam veritatem. Suarez *c. ſect.* 6. *num.* 13. Conin. *c. n.* 23. Filliuc. *c. num.* 49. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *n.* 47. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 4. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 52. & *tract.* 5. *miſcel. reſ.* 72 *part.* 3. & alii.

Suarez. Conin. Filliucius. Sanchez. Henriq. Diana.

11. *Irregularitas* totalis impedit ſuſceptionem ordinum & primæ tonſuræ, ſicut etiam impedit exercitium omnium ordinum ſuſceptorum: *quando* autẽ eſt tantummodò partialis, prohibet ſolùm illum actum, qui ponit impedimentum, *Cap. quæſitum de temp. ordinand. Cap.* 1. *de corpore vitiatis.* vnde Clericus, cui poſt Sacerdotalem ordinem fuit amputatus digitus, poteſt promoueri ad beneficium habens adnexum onus exercẽdi ea, quæ præſtari poſſunt per huiuſmodi amputatum; propterea poteſt illi conferri Canonicatus, Præbenda Diaconalis, aut etiam beneficium habens adnexam obligationem audiendi confeſſiones, modò nõ habeat coniunctum onus celebrandi: & hoc verum, ſiue irregularitas contracta fuerit abſque peccato, ſiue cum peccato. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 200. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 23. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 2. *num.* 8.

Nauarrus. Sayrus. Suarez.

12. *Irregularis* ſuſcipiens vel exercens ordines Eccleſiaſticos ante obtentam diſpenſationem quamuis mortaliter peccet, eò quòd faciat contra præceptum Eccleſiæ in re graui, nouam tamen irregularitatem vel aliam pœnam non incurrit, quia irregularitas vel alia pœna non incurritur niſi ſit in iure expreſſa. Reginald. *lib.* 30. *cap.* 2. *n.* 11. Filliuc. *c. num.* 60. 61. Sayrus *c. n.* 20. & alij. Tamen irregularis non prohibetur actus ſacros exercere, qui per laicum præſtari poſſunt, cùm priuetur tantummodò actibus, qui ſunt proprij ordinatorum, quapropter poteſt recipere Sacramenta, excepto ordine, poteſt inſeruire Miſſæ, baptizare ſine ſolemnitate, actus iuriſdictionis exercere, &c. Nauarr. *c. num.* 191. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 1. *num.* 2. Conink *d.* 18. *dub.* 1. *num.* 4. Suar. *c. ſect.* 2. *num.* 8.

Reginald. Filliucius. Suarez. Nauarrus. Henriquez. Conin. Suarez.

Quicunque ob irregularitatem prohibetur exercere ordinem ſuſceptum; ſuperiorem illo etiam ſuſcipere prohibetur, ita vt ſuſcipiendo illum peccet; non tamen illum ſuſcipiendo, irregularitatem incurrit niſi ordinis inferioris actum in eius ſuſceptione exerceat.

13. Irregularitas licet occulta, ſecundùm communem & tutiorem ſententiam Nauarr. *p.* 27. *n.* 194. Leſſius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 22. *n.* 120. Sayr. *de cenſur. lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 21. Couar. *in c. Alma p.* 1. §. 7. *n.* 1. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 2. *num.* 5. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 57. & 79. facit hominem incapacem beneficij; vnde irregularis inualidè recipit beneficij collationem, nec illud poteſt retinere, niſi obtenta diſpenſatione irregularitatis, curauerit beneficium ſibi de nouo conferri ab eo qui poteſt illud conferre: & ſecundùm hanc opinionem non valet collatio Prælaturæ regularis facta irregulari: pro firmanda autem hac ſententia adducunt *Cap.* 2. *de clerico nõ ordinato miniſtrante. Cap. Dudũ de electione.*

Nauarrus. Leſsius. Sayrus. Couarrus. Henriquez. Diana.

Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis: licet enim peccet mortaliter irregularis, acceptando beneficium in irregularitate, & ſimiliter retinendo; valet tamen collatio beneficii, & poteſt facere fructus ſuos, neque tenetur eos reſtituere, etiamſi per iudicem beneficio priuaretur. Item poteſt validè reſignare beneficium, antequam eo priuetur Item poteſt impetrata diſpenſatione irregularitatis licitè beneficium retinere, abſque alia habilitatione, vel noua collatione: Poteſt etiam validè exercere omnes actus competentes ratione beneficii, imò & licitè, ſi non ſint actus ordinis, & ſaltem non ſit in mora petendi diſpenſationem: hinc validè eligit, præſentat, confert beneficia, iuriſdictionem, poteſtatem excipiendi confeſſiones, miniſtrandi Sacramenta, benedicendi ſponſis, &c. Ita Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 5. *de irregul. dub.* 3. Suar. *de cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 2. *num.* 35. Conin. *diſp.* 18. *dub.* 1. *num.* 6. Filliucius *tract.* 19. *num.* 83. Turrianus *de cenſur. lib.* 7. *diſp.* 58. *dub.* 2. noſter Crouſers *ad cap.* 7. *reg. minor. lect.* 28. *fol.* 773. & Syluester *v. excom.* 4. *num* 4.

Præpoſitus. Suarez. Conin. Filliucius. Turrian. Crouſers. Syluester.

Prior pars eſt communis & certa, eamque tradunt Maiol. *lib.* 1. *de irreg. c.* 2. *num.* 11. §. 21. Viuald *tract. de irregul. n.* 20. & fauet Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 11. & *ſeq.* Ratio eſt ipſamet indecentia rei; qui enim exercere nequit ordinem inferiorem ob aliquam cauſam & defectum, indecens planè eſt, vt ad ſuperiorem aſcendat. Poſterior autem pars patet; quia nullibi expreſſum eſt, ſuſpẽſum aut prohibitum ab exercitio ordinis inferioris, aſcendendo ad ſuperiorem effici irregularem, cùm tamen irregularitas non niſi in caſibus à iure expreſſis incurratur.

Maiol. Viuald. conc. Trid.

Sæd quæres, an aliquo modo reualidari poſſit collatio beneficii facta nulliter alicui? Reſp. cum Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *n.* 12. diſpenſationem ſuperuenientẽ ſecũdùm plures Doctores, cõfirmare aliquando poſſe actus præcedentes irritos, v. g. præſentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerunt ex defectu aliquo obtinentis beneficium; vt quia erat irregularis, vel inhabilis; ſi hic poſtea irregularitatis illius, vel inhabilitatis occultæ diſpenſationẽ obtineat, eo ipſo, abſque noua præſentatione, collatione, vel electione, poteſt

Sanchez.

licitè retinere beneficium illud. Sic tradunt *Speculator, Innocentius, Hoſt:enſis, Ioannes, Andreas, Ancharanus, Nauarrus* & alij dicentes doctrinam hanc habere verum, ſiue diſpenſans habeat poteſtatem conferendi beneficium, ſiue illa careat.

Ipſe verò *Sanchez* docet, ſententiam hanc eſſe probabilem & tutam, propter tot, tantorumque Doctorum authoritatē, concurrentibus tamen aliquibus conditionibus. *Prima eſt*, vt vitium, propter quod dicti actus fuerunt irriti, occultum ſit; quia cùm tunc illi validi ſint quoad forum externum, non omnino ſunt irriti, ſed aliquid ſunt quoad Eccleſiam; atque proinde non mirum, ſi diſpenſatio ſuperueniens eum valorem quoad forum conſcientiæ, confirmet. *Secunda* conditio eſt, dummodo non ſit in tertij coelecti præiudicium, qui cùm prior electio ſit nulla, ius habet ad rem. Tandem, dummodo beneficiarius ille non acceptauerit ſcienter cum vitio illo, beneficij collationem, iure enim eſſet intruſus, ac proinde oporteret non tantùm prioris vitij diſpenſationē obtinere, ſed illius quoque intruſionis; cùm tunc, reſpectu illius beneficij, ſit duplex impedimentum canonicum; alterum prioris vitij, alterum autem intruſionis; intruſus enim dicitur qui abſque canonico & legitimo titulo, ſed vitioſo beneficium capit. Proinde impetrata diſpenſatione vtriuſque vitij occulti, probabile eſt, ratam fieri collationem; diſpenſationem verò concedere poteſt vnus & idem. Vide plura de hac materia infrà verb. *Simonia VI. num.* 2.
Portelus. Portel. *in reſponſ. moral. p.* 1. *caſu* 1.

Filliucius. 14. Secundùm communem prædictam ſententiam Filliucij *c. num.* 88. Suarez *c. num.* 41. 42. & aliorum, irregularis, qui recepit beneficium in irregularitate, non poteſt fructus beneficii percipere, nec alios actus adminiſtrationis, qui ſunt adnexi beneficio, exercere; non enim habet ius ad illos fructus percipiendos, vel ad alios actus beneficii exercendos, cùm inualidè beneficium acceperit; quamquam opinio contraria non videatur improbabilis, vt dictum eſt. Irregularitas tamen ſubſequens beneficium vel penſionem, nō priuat beneficiarium beneficio vel penſione ante irregularitatem obtenta, quamuis aliqui oppoſitum ſenſerint; vnde talia beneficiarius poteſt reſignare beneficium in fauorem alterios; quia adhuc habet titulum & ius; & ſi muneri ſuo ſatisfecit per ſe, vel ſaltem, per alium, non tenetur fructus beneficii reſtituere, ſi verò non poteſt ſatisfacere, nec irregularitatis diſpenſationem obtinere, tenetur beneficium in manibus ſuperioris reſignare, niſi aliud grauis neceſſitas ſuadeat.
Sà, Ita Sà *v. irregal. num.* 4. Nauarrus *c. num.* 249. Sayrus
Nauarrus, *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 24. Conink *c. dub.* 1. *num.* 5. Reginaldus
Sayrus. *lib.* 30. *num.* 14. & alios.
Conin.
Reginald.

15. *Irregularis* videtur incapax iuriſdictionis ordinariæ, non verò delegatæ; quia iuriſdictio ordinaria ſolet alicui competere propter beneficium, officium, ac titulum ſpiritualem ordinatum ad functiones ordinum, ſed irregularis eſt incapax beneficij, ergo: Delegatæ verò iuriſdictionis non eſt incapax, quia hæc non fundatur in beneficio, nec confertur ratione beneficij: *hinc* patet irregularem non poſſe accipere authoritatem ordinariam fori pœnitentiæ, authoritatē verò delegatam poſſe quidem validè accipere, quamuis non poſſit eam licitè exercere quando illius
Suarez. exercitium coniunctū eſt cum vſu ordinis ſacri. Ita Suar.
Filliucius. *d.* 40. *ſect.* 2. *num.* 12. Filliucius *c. num.* 81. Bonacina *c. diſp.* 7.
Bonacina. *q.* 1. *p.* 4. *num.* 13. 14. *Hinc* etiam conſtat irregularem poſſe actus iuriſdictionis, qui non includunt exercitium ordinis exercere, non ſolùm validè ſed etiam licitè, vnde poteſt alteri facultatem abſoluendi delegare, quamuis ipſe non poſſit abſoluere Sacramentaliter, ſi ſit denunciatus: quia delegatio eſt actus iuriſdictionis, non ordinis: poteſt etiam ſuperior irregularis excommunicare & abſoluere ab ex-
Suarez. communicatione, Suarez *c. num.* 45. Filliucius *c. num.* 73.
Filliucius. 74. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 37. *Item* irregularis non priuatur
Suarez. iure eligendi, quod eſt annexum beneficio, quia hoc ius
Nauarrus. vel eſt iuriſdictio, vel pertinet ad iuriſdictionem. Nauar-
Filliucius. rus *c.* 27. *num.* 244. Filliuc. *num.* 75.

16. *Confeſſio* facta Sacerdoti nominatim denunciato irregulari non eſt valida: quia irregularis nominatim denunciatus eſt vitandus; vnde pœnitens ponit obicem ad gratiam cooperando peccato Sacerdotis exercentis functionem ordinis, contra pœnam irregularitatis: *ſi verò* Sacerdos non eſt nominatim denunciatus, confeſſio valida eſt, eò quòd Sacerdos non careat iuriſdictione, nec pœnitens peccet communicando cum irregulari. Ita Auila *p.* 7. Auila.
d. 2. *dub.* 6. *concluſ.* 7. *Quando* autem parochus vel alius Confeſſarius eſt nominatim denuntiatus irregularis, & hoc ignoratur à pœnitente, confeſſio facta tali Sacerdoti eſt valida, ſicut & abſolutio ab ipſo collata; tum quia nihil deeſt ex parte pœnitentis, cùm paratus ſit & diſpoſitus ad abſolutionem recipiendam, nec peccet participando cum tali irregulari; tum quia nihil deeſt ex parte Sacerdotis, cùm habeat poteſtatem ordinis & iuriſdictionis; irregu- Suarez.
laritas enim non tollit iuriſdictionem. Suarez *d.* 40. *ſect.* 2. Conin.
num. 45. Conin. *d.* 18. *dub.* 1. *num* 7. Filliucius *c. num.* 80. Filliucius.
Diana 4. *p. tract.* 2. *reſ.* 68. Præpoſitus 3. *p. q. de irreg. d.* 3. Diana.
num. 13. & alij. Præpoſitus.

Vide *Beneficium* 3. num. 11. *Cenſura* num. 3. *Dubium* num. 5. *Ignorantia* 17. 18.

IRREGVLARITAS II.

De irregularitate ex defectu animi & corporis.

SVMMARIVM.

1 *Triplex eſt defectus animi inducens irregularitatem: & de primo, qui eſt defectus vſus rationis.*
An is qui ſemel incidit in furiam vel amentiam perpetuo maneat irregularis.
2 *De ſecundo defectu, qui eſt defectus literaturæ ſeu ſcientiæ.*
3 *De tertio defectu, qui eſt fidei, reſpectu illius qui mox ad fidem acceſſit; vnde Neophyti ſunt irregulares.*
4 *Quis defectus ſeu vitium corporis inducat irregularitatem?*
5 *Hic ponuntur in particulari multi defectus corporales ob quos qui fit irregularis.*
6 *An monſtruoſus ſit irregularis.*
7 *An Hermaphroditus ſit irregularis? & quid dicendum de eo, quem infirmitas reddidit ineptum ad exercitium ordinum, &c.*
8 *An laborantes febri continua, morbo gallico, lepra, multa ſcabie, vel peſte, ſint irregulares?*
9 *An laborantes morbo caduco irregulares ſint?*
10 *An amentes & furioſi habitualiter ſint irregulares? & quis in hac irregularitate diſpenſet?*
11 *An dæmoniaci ſint irregulares?*
12 *An qui vinum bibere aut retinere non poſſunt, ſint irregulares?*
13 *An habens defectum corporis impedientem ſuſceptionem Sacerdotalis ordinis poſſit admitti ad reliquos ordines?* refertur duplex ſententia.
14 *An carentia alicuius membri vel partis membri etiam occulti inducat irregularitatem?*
15 *An qui ſponte ſibi membrum vel membri partem vt digitum vel partem digiti amputauit, irregularis ſit?*
16 *An in hac irregularitate proueniente ex defectu diſpenſet ſolus Summus Pontifex?*

1. D*Efectus animi* inducens irregularitatem, triplex eſt, *primus* eſt defectus vſus rationis; quocirca perpetuò amentes non ſunt iure canonico irregulares, ſed impediti iure naturali, quia cùm vſum rationis non habeant, actus ordinum exercere non poſſunt: hi tamen characterem reciperent, ſi ordinarentur. Sayrus *lib.* 6. Sayrus.
cap. 13. *num.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 205. Suar. *d.* 51. *ſect.* 1. Nauarrus.
Sed dubium eſt, an is qui ſemel incidit in furiam vel Suarez.
amentiam, perpetuò maneat irregularis, ita licet ſanitatem recuperet, ſine diſpenſatione promoueri non poſſit? Reſp. hanc irregularitatē perpetuò manere ad ſuſcipiendos ordines ob talē defectū, etiamſi iudiciū rationis reſtitutum

Digitized by Google

tunum ſit. Ratio eſt, quia qui ſemel paſſus eſt hanc ægritudinem, rarò præſumitur perfectè ſanus abſque timore reincidendi, & ideò meritò non admittitur ad ordines, uel ſaltem deſideratur Prælati approbatio, ut priùs ei conſtet de ſanitate integrè recuperata. Sed hoc intelligendum eſt de amentia, quę eſt per modum habitus & habet propriam ac permanentem cauſam, fundatam in propria læſione organorum, uel humorum, *vt dicetur infra num.* 10. At uerò in Clerico iam promoto talis defectus ſuperueniens non deijcit illum perpetuò ab uſu ordinum, ſed ſolùm quamdiu talis defectus durat. Ita *Suarez* citatus poſt Gratianum *in* §. *vlt.* 15. *q.* 1. Gloſſam *vlt. in cap. Maritum diſt.*33. & probatur etiam ex can. *In tuis literis*,7.*q*.2.

Filliucius. Reginald.

2. *Defectus literaturæ* ſeu ſcientiæ facit hominem iure Canonico irregularem, *Cap.vlt.de temporib.ordinat. in* 6. Filliuc. *tract.* 19. *num.* 188. Reginald. *lib.* 30. *num.* 39. ut patet ex *Cap Illiteratos*,*d*.36. Ius etiam naturale dictat nō admittendos eſſe ad aliquod munus eos, qui munus illud neſciunt exercere: imò ignorantia, quâ quis ignorat neceſſaria ad uſum ordinum, non ſolùm inducit inhabilitatem ad ordines ſuſcipiendos, uerùm etiam ad uſum ſuſceptorum: *quænam* enim ſcientia requiratur ad ordines ſuſcipiendos? poſt Concilium Tridentin. *ſeſſ.*22. *cap.*2.*&* *ſeſſ.*23. *cap.*4.11.13. Sayrum *lib.*6. *cap.* 13. *num.* 6. Nauarrum *in cap.ſi quando de reſcript.* dicendum eſt, *ad primam tonſuram* requiri, vt initiandus prima tonſura ſit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, ſciatque legere ad ſcribere: ad *minores ordines*, vt teneat linguā Latinā: Ad *Diaconatum* & *Subdiaconatum*, vt habeat inſtructionem eorū, quæ pertinent ad eos ordines exercendos: Ad *Presbyteratum*, vt habeat eam ſcientiam, qua poſſit docere populum & adminiſtrare Sacramenta. Cum omninò illiterato non poteſt Sum. Pont. diſpenſare, vt ordines recipiat, qui requirunt ſcientiam: poteſt tamen diſpenſare quatenus hoc impedimentum eſt à iure humano. Bonacina *c.* *q.* 2. *p.* 1. *num.*2.

Conc. Trid. Sayrus. Nauarrus.

Cum Religioſis non multùm literatis poſſunt Epiſcopi diſpenſare, vt ad Ordines ſacros promoueantur, quia in illis non requiritur tanta ſcientia, quanta in Clericis ſęcularibus, eò quòd ad curam animarum non ordinentur. Ita Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. reg. reſol.*52. *num.*22. Diana *tract.*2. *miſcel. reſ.*29. *part.*2.

3. *Defectus* fidei reſpectu illius qui mox ad fidem acceſſit, inducit irregularitatem: vnde Neophyti ſunt irregulares, *diſtinct.*41.*cap.*1. cuius irregularitatis *triplex ratio* aſſignari poteſt iuxta Sayrum *cap.* 13.*num.*10. Nauarrum *c.num.*205. Toletum *lib.*1.*cap.*58. Reginald. *lib.*30. *n.*43. Filliucium *tract.*20.*num.*240. Nauar. *cap.*27.*n.*205. Couar. *in Clement. Si furioſus p.*1 §.2.*num.*7. *de homicid.* & alios. *Prima* eſt, ne elati in ſuperbiam incidant in laqueum diaboli. *Secunda*, quia alios docere nequeunt, quæ ipſi nondū didicerunt, & miſerum eſt eum magiſtrum fieri, qui nunquam diſcipulus fuit. *Tertia*, quia alijs ſeſe conformare nō valent, qui ſtatum Eccleſiæ regendæ non ſunt experti. *Neophytus* autem dicitur ille, qui ex lege Iudaica, Mahumetica, vel Ethnica nuper conuerſus eſt ad fidē Chriſtianam: qui verò ab infantia Baptiſmum ſuſcepit, vel ab hinc decem annis, vel eò amplius non dicitur Neophytus, quamuis deſcendat ab auo, vel patre Neophyto, vel Iudęo vel Saraceno, non enim dicitur nuper ad fidem conuerſus. Cum Neophyto ad ordines, beneficia, vel officia publica, diſpenſare poteſt ſolus Summus Pontifex. Ex his infertur filium Turcæ, vel alterius infidelis, baptizatum ab infantia, ſi fiat Religioſus, poſſe eſſe Prælatum, abſque diſpenſatione, quia talis non eſt Neophytus. Bulla autem *Pauli IV.* id Fratribus Minoribus prohibens ſecundùm Auilam *de cenſur. p.*7. *diſt.*4. *dub.*3. & poſt illum Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 27. *num.* 3. abijt in deſuetudinem. Imò ſecundùm Sorbum noſtrum *in compend. priuileg. Mendic. verb. Nouitius*; fuit derogata per aliam Bullam *Pij V.* quæ incipit *Paſtoralis officij*, &c. anno 1571. vbi conceſſum fuit iiſdem Patribus Minoribus, vt poſſint recipere in religionem filios Infidelium, & ad Prælaturas admittere. Vide Dianam *p.*7. *tract.*7. *reſol.*1.

Sayrus. Nauarrus. Toletus. Reginald. Filliucius. Nauarrus. Couarrus.

4. *Defectus* ſeu *vitium corporis* inducens irregularitatem, illud eſt, quod vel impedit vſum & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem aut horrorem, ſiue illud vitium contractum ſit ex culpa, ſiue ſine culpa; ſiue ex cauſa iuſta, ſiue ex iniuſta; ſiue ex cauſa naturali, ſiue accidentali, *Cap.* 2. *de Clerico ægrotante. Cap. vlt. de corp. vit.* quia æquitas ipſa naturalis dictat: eum ad Ordines vel eorum vſum non eſſe promouendum, qui nequit Ordines exercere, aut horrorem incurrit adſtantibus: tale vitium eſt naſi amputatio, aut priuatio vnius oculi, aut inſignis macula in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem: ſecus *dicendum* de eo, qui caret lumine & viſu oculi dextri, modò habeat vtrumque oculum integrum, nec ſit notabilis horror vel deformitas: qui autem caret lumine oculi ſiniſtri, qui dicitur oculus Canonis, irregularis eſſet. Suarez *d.* 50. *ſect.*2. Sayrus *lib.* 6. *cap.*7 *num.*6. Nauarrus *cap.*27. *num.*200. Toletus *lib.*1. *cap* 57.58. Reginald. *num.*49. & alij.

Suarez. Sayrus. Nauarr. Tolet. Reginald.

5. *Irregularis* eſt, qui habet vnum oculum grandiorem, ſeu groſſiorem altero, vel vtrumque prominentem: ita vt magnam inducat deformitatem: Bonacina *c.q.*2.*p.*2. *num.*4. *Item* qui habet naſum abſciſſum, aut ita diſtortum vel magnum, vt notabilem pariat deformitatem: Filliucius *tract.*19.*num.*171. *Item* qui habet labia penitus corroſa vel abſciſſa: *Item* qui nodum linguæ ita patitur, vt verbum integrum vix poſſit exprimere: *Item* qui habet dentes prominentes extra os; & qui eſt ſurdus vtraque aure, ita vt nullo modo poſſit audire: tamen ſi defectus ſurditatis contingat poſt Sacerdotalem ordinem, poteſt Miſſam ſubmiſsè celebrare; non autem admittendus eſt ad Miſſam ſolemnem celebrandam, ne riſum excitet faciendo aliquid extra tempus: ſi verò vna tantùm aure ſurdus ſit, nō videtur irregularis. Henriquez *lib.*14.*cap.*8. *num.*2. Sayrus *c. cap.* 8. *num.*8. *& ſeq.* Reginaldus *lib.*30. *num.*50. Filliucius *num.*169. *Carens auriculis*, id eſt, externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret; eſt irregularis, ſi non poteſt huiuſmodi deformitatem auferre, ſeu celare capillorum velamine. Nauar. *c.n.*200. Conink *d.* 18. *dub.* 13. *num.*108. *Gibboſus* non eſt irregularis, niſi gibboſitas coniuncta ſit cum nimia deformitate vel debilitate, vt accidit quando gibboſus nequit ſe eligere aut ſtare erecto capite. Molina *tom.*4. *tract.*3. *diſp.*70. *num.*8. Reginald. *c.num.*52. Diana *tract.*6. *miſc. reſ.*61. *p.*3.

Bonacina. Filliucius. Henriq. Sayrus. Reginald. Filliucius. Nauarrus. Conin. Molin. Reginald. Diana.

6. *Monſtruoſus* eſt irregularis, qualis eſt habens duo capita, quatuor manus, aut vultum adeò fœtidum, vt ipſum intuentibus facilè incutiat riſum, aut horrorem; vnde Æthiops non videtur irregularis, quia non ſolet horrorem parere, *Cap. qui in aliquo d.* 51. Maiolus *lib.* 1. *cap.* 21. Idem *dicendum* de viris grandioris vel exiguæ ſtaturæ: niſi Epiſcopus aliquo caſu aliter indicet. Sayrus *cap.* 8. *num.* 2. *&* 3. Habens ſex digitos non videtur irregularis, quoties digitus ſuperfluus non impedit vſum aliorum digitorum: imò poteſt abſcindi abſque periculo irregularitatis, ſi hoc fieri poſſit abſque periculo vitæ, vel maioris deformitatis. Reginaldus *c.num.*46. Filliuc. *c.num.*165. *Item* irregularis eſt, qui aliquo caret pede, vel cui neceſſarius eſt pes ligneus ad Altare, etiamſi non careat vero pede; vel qui indiget baculo, ita vt non poſſit per ſeipſum ad Altare accedere. Nauar. *c. num.*100. Molina *c.num.*9.

Maiol. Sayrus. Reginald. Filliucius. Nauarrus. Molin.

Secus *dicendum* de illo, qui habet crura diſtorta, modò huiuſmodi deformitas tegi poſſit auxilio veſtium. Bonacina *c.num.*14. *Item* habentes manus tremulas vt periculum ſit in tenendo calice, irregulares ſunt: quando autem tale periculum ſit, iudicabit Epiſcopus. Ita Maiolus *de irregul. lib.*1.*cap.*14 *num.*9. Toletus *lib.*1.*cap.*25. *Item*, qui vnguibus in totum carent, irregulares ſunt, vel ob deformitatem notabilem, vel ob periculum, aut difficultatem contrectandi Hoſtiam, vel frangendi; aut tenendi calicem; ſin autem nec ſit deformitas, nec periculum in celebrando, non ſunt irregulares, quia vngues non ſunt membrum, vt colligitur ex *Cap. final. de corpore vitiat.*

Bonacina.

7. *Hermaphroditus*, quando ſcilicet particeps eſt maſculini & fœminei ſexus, eſt irregularis, *Cap. ſi teſtes* 4.*q*.3. Nauarrus *cap.*25.*num.*203. Sayrus *c.cap.*8.*num.*24. Suarez *diſp.*51.*ſect.*2. & ſi hermaphroditus magis aut æquè participet fœmineum & virilem ſexum, eſt incapax ordinis & characteris; quia neque poteſt dici vir neque fœmina, ſubiectum autē characteris capax, eſt vir propriè: ſi tamen magis particeps ſit virilis quàm fœminei ſexus, tunc enim quamuis ſit irregularis; eſt capax, & characterem recipit, ſi ad

Nauarrus. Sayrus. Suarez.

Toletus. Fornar.

ſi ad Ordines promouerunt. *Toletus* tamen aſſerit non eſſe irregularem, modò res non ſit notoria, & concedit talem poſſe promoueri propter ſcandalum. Tolet. *lib.* 1. *cap.*57.*num.*13. Fornar. *de ord.cap.*2.*num.*1. eſt, quem infirmitas reddidit ineptum ad exercitium ordinum, aut quando ordines exercere nequit abſque horrore uel deformitate notabili uel ſcandalo; unde non ſolùm irregularis eſt, qui caret indice uel pollice, aut qui caret parte digiti pollicis uel indicis, ſed etiam qui laborat debilitate digitorum, ita ut hoſtiam frangere, eleuare aut tractare nequeat. *Cap.Tua nos de clerico.* Sayr. *cap.n.*2. Filliuc. *cap. num.*179. Reginald. *cap.num.*53.

Sayrus. Filliucius. Reginald.

8. *Irregulares* ſunt laborantes febri continua; uel graui dolore capitis, quamdiu periculum ſubeunt celebrando: *laborantes* item morbo gallico, qui foris appareat, horroremque ac ſcandalum generet: *item* laborantes lepra uel multa ſcabie nimiam inducente deformitatem, quamdiu durat lepra uel ſcabies: *item* laborantes peſte propter periculum infectionis aliorum, ſicut & laborantes tuſſi, quæ coniunctum habeat periculum in ſuſcipienda Euchariſtia, quamuis peſte uel tuſſi ſublata, ceſſet irregularitas. Vide Vgol. *cap.*54.55.§.1.*num.*5.Mol.*cap.num.*16.Regin. *cap.num.* 56.57. Maiol. *lib.* 1. *cap.*18. *&* 20. & alios.

Vgol. Mol. Reginaldus

9. *Cap.maritum &c.Communiter,diſt.*35. Sayr. *cap* 9. *num.*11.Mol.*cap.num.*15.Regin.*cap.n.*41.morbo caduco irregulares ſunt, imò non poſſunt ad ordines promoueri, quamuis fuerint iam ſani effecti, & hoc propter periculum incidendi de nouo in eundem morbum: poſſunt tamen in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, modò liberati fuerint eo morbo: ſi uerò nondum liberati fuerint plenè, ſed tantùm rarò, uerbi gratia, ſemel in menſe cadunt in terram abſque clamore uel ſpumarum emiſſione, poſſunt celebrare adiuncto ſibi ſocio Sacerdote ieiunio, qui perficiat ſacrificium, ſi fortè alter incepto canone corripiatur morbo caduco. *Ad Epiſcopum* pertinet iudicium an aliquis liberatus ſit eo morbo, penſatis conditionibus morbi & perſonæ. Non ſunt tamen irregulares, qui leuem mentis alienationem uel uertiginem, uel deliquium animi, uel quid ſimile patiuntur; licet cauti eſſe debeant, quando periculum eſt, ut ipſi hoc morbo ita uexentur, ut nequeant ſacrificium perficere, ut adiungant ſibi ſocium. Vide Suar. *d.*51.*ſect.*1.*n.*6. Filliucius *cap.num.* 180. Maiol. *lib.*2. *cap.*16.

ſayrus. Mol. Reginald.

Suarez. Filliucius. Maiol.

10. *Amentes & furioſi* habitualiter ſunt irregulares, propter periculum ſcandali & noui lapſus in amentiam; unde huiuſmodi amentes, uel furioſi, quando furor, amentia, & mentis alienatio eſt frequens, non poſſunt abſque approbatione Summi Pontificis, qui conſtet de ſanitate mentis recuperata, celebrare, etiamſi omninò liberati ſint; tamen ſi furor uel amentia proueniat ex cauſa transeunte, ut ex ui morbi, uulneris, iræ & paſſionis breuis, ſublata amentia ceſſat impedimentum & irregularitas. Ita Nauar. *cap.*27. *num.* 203. Conink *cap. num.* 107. Filliuc. *c.n.* 187. Regina. *cap.num.*37. Sayr. *num.* 11. *cap.*9. & alij. *In hac* uerò irregularitate ob amentiam ad ordines ſuſcipiendos, non poteſt diſpenſare Epiſcopus, quia hæc prouenit ex defectu; in ſuſceptis autem, poteſt, tranſacto anno ab amentia, uel iudicio prudentis diſpenſare, ut in illis miniſtret. Suarez *d.*51.*ſect.*1.*num.*5: *Cap.Communiter diſt.* 33.

Conin. Reginald. Sayrus.

Suarez.

11. *Dæmoniaci*, quorum corpora à dæmone obſidentur, uel ſemel fuerunt obſeſſa, irregulares ſunt, *Cap.maritum* 2. *& Clerici diſt.*33. Tolet. *lib.*1.*cap.*59.*num.*2. Nauar. *cap.*27.*num.*203. Reginald. *num.*43. Sayr. *c.cap.*9.*num.* 14. conſequenter non poſſunt ordines ſacros ſuſcipere; tamen ille qui fuit à dæmone obſeſſus poſt ordines ſuſceptos, ex diſpenſatione Epiſcopi poteſt ordines ſuſceptos exercere, modò conſtet ipſum à dæmone ſpatio vnius anni non fuiſſe vexatum: imò qui liberatus eſt ab obſeſſione dæmonis, poteſt ad ordines minores promoueri: iure autem non ſolùm illi irregulares ſunt, qui à dæmone ſunt oppreſſi, ſed etiam illi qui ſe dæmoniacos ſimularunt.

Toletus. Nauarrus. Reginald. Sayrus.

12 Qui vinum bibere, aut retinere non poſſunt, quin illud euomant, non tam irregulares ſunt, quàm iure naturali impediti, quominus ad ſacerdotium promoueri poſſint propter periculum, cùm Sacerdos communicare debeat ſub vtraque ſpecie: nec in hoc diſpenſari poteſt authoritate humana, ſi ſequamur communem Theologorum ſententiam aſſerentium, non poſſe Papam diſpenſare, vt ſacrificium Miſſæ ſola panis & non vini conſecratione peragatur: rectè tamen tales promoueri poſſunt ad ordines minores, ad ſubdiaconatum & diaconatum. Ita Graff. *l.*4. *cap.*27.*num.*51. Nauar. *cap.*27 *num.*204. Sayrus *cap.*9. *n.*15.*&* 16. Filliucius *tract.* 59. *num.* 181. & alij.

Nauarrus. Sayrus. Filliucius.

14. Iuxta communiorem Doctorum ſententiam, habens defectum corporis impedientem ſuſceptionem ſacerdotalis ordinis, non poteſt admitti etiam ad reliquos ordines, v.g. ad Subdiaconatum vel Diaconatum, Vgolin. *cap.*52. §.1.*n.*4. Bonac. *cap.num* 18. quia talis eſt irregularis, ergo non poteſt ad vllos ordines promoueri, cùm irregularitas directè impediat ſuſceptionem omnium ordinum: quam Sayr. *lib.*6. *cap.*7. *n.* 8. & quidem alij contrarium doceant.

Sayrus.

14. *Carentia* alicuius membri, vel partis membri etiam occulti, ſi propria culpa contingat, inducit irregularitatē, quamuis ea membri priuatio non impediat vſum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem. *Cap. maritum diſt.*33. *Cap. qui partem diſt.*55. Suar. *d.*51. *ſect.*2. *num.*8. *Cap. ſi quis abſcidit diſt.*55. Filliuc. *c.cap.*6.*quæſt.*1. Bonac. *cap.n.* 30.*& ſeq.* Nauar. *cap.n.*198. ſecus *dicendum*, quando ille membri defectus contingit abſque propria culpa, nec impedit executionem ordinis, neque notabilem deformitatem habeat adiunctam: *hinc* qui ſibi virilia amputauit, vel permiſit amputari abſque iuſta cauſa, vt cauſa cantus, vel etiam cauſa caſtitatis, vel pœnam delicti, vt ſi clerico amputentur teſtes à marito adulterę vel à iudice, irregularis eſt: ſecus *dicendum* eſt de eo, qui ſibi virilia aut teſtes amputari permiſit ex iuſta cauſa, v.g. infirmitatis; vel qui paſſus eſt ab inimicis per vim illa abſcindi, facta debita reſiſtentia: hic enim non tenetur ſecum deferre teſtes abſciſſos, vel eorum cineres, vt falsò putat vulgus.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Nauarrus.

15. *Irregularis* eſt, qui ſponte ſibi membrum, vel membri partem, v.g. digitum uel partem digiti ex indignatione uel impatientia abſcidit: etiamſi ex huiuſmodi abſciſſione non oriatur notabilis deformitas, uel impedimentum ad celebrandum: *Cap. qui partem* 6. *diſt* 55. Molin. *cap.d.*70. *num.*19. Suarez *diſp.*51. *ſect.*2. Diana *part.*4.*tract.*2.*reſ* 66. hæc tamè irregularitas potiùs ex iuſta ſæuitia in ſeipſum, ſeu potiùs ex delicto, quàm ex defectu inducta eſt. Nauar. *cap.*27. *n.* 198. Regin. *cap.num.*47. & plures alij uolunt ad hac irregularitatem incurrendam notorium debere eſſe, talem ſibi abſcidiſſe partem membri uel digiti ex indignatione: uerùm notorietatem requiri gratis uidetur dici, ut ait *Suarez*, cùm non colligatur ex textu. Non eſt autem dicendus irregularis, qui ſeipſum ex indignatione uulnerauit uel dentem extrahit; quia uulnus nullum inducit corporis defectum ut ſupponitur, & dens non eſt membrum aut pars membri, Sayr. *lib.*7. *cap.*7. *num.* 12. Filliuc. *cap. num.* 160.

Molin. Suarez. Diana. Nauarrus. Regin.

Sayrus. Filliucius.

16. In hac irregularitate proueniente ex defectu, uel deformitate, uel ex infirmitate, diſpenſat ſolus Summus Pontifex, ſi hæc irregularitas coniuncta non ſit cum impedimento iuris naturalis. *Cap. ſignificauit, de corpore vitiatis* ad Epiſcopum tamen pertinet iudicare, utrum defectus uel deformitas inducat irregularitatem: & ſimiliter hoc iudicium pertinet ad Prælatos religioſorum exemptorum reſpectu ſubditorum, licet plurimi hoc non probent; cùm nullo iure probetur hoc priuilegium illis conceſſum. Sed de hoc egimus ſuprà Tomo primo v. *Abbas* n. 8. §.4. Vide Nauarr. *num.*200. Sayr. *lib.*6.*cap.*8.*num.*26. Filliuc. *n.*180. Suar. *diſp.*51. *ſect.*2.*num.*16.

Nauarrus. Sayrus. Filliucius. Suarez.

IRREGVLARITAS III.

De irregularitate ex defectu natalium & ætatis.

SVMMARIVM.

1 *An illegitimus ſit irregularis?*
2 *An irregularis ſit natus ex matrimonio inter duos inualide*

Digitized by Google

lidè contracto, ſi vterque contrahens vel vnus eorum bona fide contraxit?

3 *An illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium parentum?*

4 *An irregularis & illegitima proles ſit, ſuſcepta ex parente, qui contracto & nondum conſummato matrimonio, profeſſionem emiſit in approbata religione, eaque emiſſa priorem coniugem carnaliter cognouit? & an etiam irregularis ſit natus ex parentibus coniugatis, quando pater factus eſt ſacerdos, ſed poſtea vxorem carnaliter cognouit.*
An proles habita ex coniugibus ſimplici caſtitatis voto ligatis mutuo conſenſu ſit illegitima & irregularis?

5 *Quomodo auferri poſſit irregularitas proueniens ex illegitimitate? & de primo modo qui eſt per legitimationem?*

6 *De ſecundo modo, quo tollitur defectus natalium, qui eſt per profeſſionem in religione approbata?*

7 *De tertio modo qui eſt per diſpenſationem.*

8 *An defectus legitimæ ætatis requiſitæ à iure ad ordines inducat irregularitatem?*

1 IRregularis eſt illegitimus quamuis occultus, *Cap. 1. de fil. presbyt.* quia expedit illegitimum arceri ab ordinibus, in deteſtationem delicti à parentibus commiſſi; propter periculum incontinentiæ in prole ex imitatione paterna; & ob reuerentiam ordinibus debitam: *Illegitimus* appellatur ille, qui non eſt ortus legitimo matrimonio, ſed potius ex fornicatione, vel ſtupro, vel inceſtu, vel adulterio. Sayr. *l. 6. c. 10. n. 8. & ſeq.* Suar. *diſp. 50. ſect. 3. n. 2.* Reginald. *l. 30. n. 67.* & alij.

Sayr. Suarez. Regin.

2. *Irregularis* non eſt, natus ex matrimonio inter duos inualidè contracto ob aliquod occultum impedimentum, ſed vterque contrahens, vel vnus eorum bona fide ex probabili errore iuris vel facti contraxit in facie Eccleſiæ coram parocho & teſtibus, *cap. ex tenore. C. peruenit, qui filij ne legitimi*, Sanch. *de matr. l. 3. d. 42.* quia talis legitimus eſt, vt in iure conſtat, quamquam Suarez *d. 50. ſect. 1. num. 11.* Filiiuc. *cap. num. 132. & 144.* Regin. *cap. num. 78.* requirant bonam fidem in vtroque parente, *filius* autem genitus à parentibus qui matrimonium inualidè contraxerunt, non tenetur ſe tamquam irregularem gerere, niſi ei conſtet de mala fide parentum; in dubio enim non debet præſumere parentes deliquiſſe; imò matri aſſerenti ipſum eſſe illegitimum non tenetur credere, quamuis id cum iuramento vel in mortis articulo aſſerat; ſed debet rationibus conuinci, vel ſi vterque parens id affirmet.

Sanch. Suarez. Filliucius. Regin.

3. *Illegitimus* fit legitimus per ſubſequens matrimoniū parentum, & conſequenter habilis non ſolùm ad ſucceſſionem hæreditariam, & dignitates ſæculares, ſed etiam fit idoneus ad ordines & Eccleſiaſticas dignitates, *Cap. tanta, qui filij ſint leg.* Sayr. *l. 6. c. 10. n. 13. 14.* Sanch. *cap. l. 8 d. 7. n. 19.* Regin. *c. num. 79.* Henriq. *lib. 13. c. 20. num. 4.* excepto Cardinalatu, vt patet in motu proprio *Sixti V.* apud *Cayrum*: quia matrimonium ſequens purgat omnia præcedentia, modò parentes tempore cõceptionis vel natiuitatis habiles eſſent ad contrahendum matrimonium inter ſe, nec haberent aliquod impedimentum dirimens matrimonium nam ſi tunc temporis non erant habiles ad contrahendum matrimonium, non tollitur illegitimitas, & inhabilitas ad ordines & Eccleſiaſticas dignitates. Imò *Reginaldus* loco ſupra citato *num. 72.* probabile exiſtimat illegitimum ſine diſpenſatione promotum, ſi poſtea parentes matrim. ineant, poſſe ſuſceptos Ordines exercere, & aliis initiari, quia per ſuſceptionem illam ordinum non incurrit nouam irregularitatem, ſed tantùm ſuſpẽſionem ab illorum exercitio, quæ tollitur ſublata irregularitate per matrimonium parentum.

Sar. Sanch. Regin. Henriq.

4. *Irregularis & illegitima* eſt proles ſuſcepta ex parente, qui contracto & nondum conſummato matrimonio profeſſionem emiſit in approbata religione, eaque emiſſa priorem coniugem carnaliter cognouit, Sayr. *l. 9. c. 10. n. 41.* Bonac. *c. part. 3. num. 9.* Conc. Trid *ſeſſ. 24. can. 6.* & alij, quia non eſt ſuſcepta ex legitimo matrimonio, eò quòd matrimonium fuerit diſſolutum per profeſſionem. *Similiter* irregularis eſt, *cap. literas, de filiis presbyt.* Suar. *cap. ſect. 2 n. 4.* Filliuc. *c. num. 136. Ioan. 22. Extrauag. Antiquæ de voto.* Sayr. *cap. num. 41.* natus ex parentibus coniugatis, quando pater factus eſt Sacerdos de conſenſu vel abſque conſenſu ſuæ vxoris, ſed poſtea vxorem carnaliter cognouit, ex eaque prolem ſuſcepit, tunc enim proles inde ſuſcepta cenſetur irregularis, ſi ante ordinationem matrimonium fuerit conſummatum; ſi tamen non fuerit conſummatum & inſcia ſeu inuita vxore promotus ſit, proles poſtea nata legitima erit, & ad ordines promoueri poteſt, quia matrimonium in hoc caſu non dirimitur, imo poteſt vxor cogere virum ſuum Subdiaconum, Diaconum vel Presbyterum ad conſummationem matrimonij: ſi tamen vxor conſenſit ipſius ordinationi, vel ſciens non contradixit; tunc filius illegitimus eſt, & indiget diſpenſatione. Quamuis Sanchez *de matr. l. 9 diſp. 38. n. 7.* admittat prolem hanc eſſe irregularem, non tamen illegitimam quoad ſucceſſionem, & hæreditatem, & alias dignitates: & docet ſic intelligi debere *cap. literas, de fil. Presbyt.*

Sayr. Bonac. Conc. Trid. Suarez. Sayr. Sanch.

Sed petes, an proles habita ex coniugibus ſimplici caſtitatis voto ligatis mutuo conſenſu, ſit illegitima & irregularis? Reſp. negatiuè, quia prolem eſſe illegitimam; eſt pœnale & odioſum; atque ita niſi expreſſum ſit in iure, minimè id ſtatuendum eſt. Eò vel maximè quòd culpa parentum minimè liberis officiat præter caſus in iure expreſſos. Ita Sanchez *l. 9. de matrim. diſp. 38. n. 3.* qui etiam *num. 7.* docet contra communem ſententiam prolem eſſe legitimam quoad ſucceſſionem & alios honores, habitam ex parentibus poſt conſummatum matrimonium mutuo cõſenſu profeſſis, licet irregularis ſit quoad ordines & beneficia. Ratio prioris eſt, quia plus operari debet cauſa naturalis & radix eſſentialis legitimationis, qualis eſt verum matrimonium, quàm culpa parentum accidentaliter ſuperueniens. Ratio autem poſterioris ſumitur ex *cap. literas* citato; quamuis enim textus non loquatur de profeſſione, ſed de Ordine, at fundamentum in illo expreſſum paternæ incontinentiæ fortiùs militat in hoc caſu; cùm enim decidat textus ſobolem hãc eſſe irregularem ad modum illegitimæ prolis, ob paternam incontinentiam, dicitur quodammodo illegitima, nempe quoad ordines, & beneficia, at verè legitima eſt quoad ſucceſſionem & alios honores. Hæc ſententia eſt probabilis.

5. *Irregularitas* proueniens ex illegitimitate, tribus modis auferri poteſt, *Primò*, per legitimationem, vnde legitimatus à Papa cenſetur factus habilis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates, & alia omnia ad quæ ſe extendit poteſtas legitimantis. *Cap. Per venerabilem, qui filij ſint legit.* hic eſt *notandum*, iuxta veriſſimam ac receptiſſimam Doctorum ſententiam. Pontificem non habere poteſtatem ad legitimandum quoad bona temporalia, & officia ſæcularia extra loca temporali ſuæ iuriſdictioni ſubiecta, ſed tantùm quoad beneficia, ordines, ac Eccleſiaſtica officia: *Præterea* quidam ſuſtinent, quando Pontifex diſpenſat in matrimonij irrita radice (nempe quando matrimonium fuit irritum ratione impedimenti iure Pontificio inducti) non poſſe legitimare filios ex eo ante matrimonij diſpenſationem natos, in locis ſibi temporaliter nõ ſubditis, ita vt capaces ſint officiorum ſæcularium ac ſucceſſionum temporalium; frequentiſſima tamen ac verior ſententia habet id poſſe Pontificem, licet grauem culpam Pontifex admitteret, ſi abſque cauſa legitima diſpenſationem hanc concederet, quamuis valida eſſet. Vide Sanch. *de matrim. lib. 8. diſput. 7 n. 1. 2. & ſeq.* Molin. *tom. 1. tract. 2. diſſ. 173.* Sayr. *lib. 6. cap. 11. numer. 6.* Henriq. *lib. 11. c. 20. num. 2.* Nauar. *lib. 4. conſ. tit. de ſponſal. conſ. 3. num. 12.* & alios.

Sanchez. Molin. Sayr. Henriq. Nauar.

6. *Secundò*, defectus hic natalium tollitur per profeſſionem in religione approbata. *Cap. 1. de filijs Presbyter.* Nauar. *cap. 27. n. 201.* Suar. *diſp. 50. ſect. 5. §. 3.* Sayr. *lib. 6. cap 11. n. 4.* vnde illegitimus per profeſſionem fit habilis ad ordines, licet non fiat habilis ad prælaturam, ſiue ſit religioſus, ſiue Monialis: & licet *Sixtus V.* in conſtitutionibus ſuis prohibuerit illegitimos quoſquè admitti in religionem, aut admiſſos, ad honores & dignitates promoueri; poſtea tamen Greg. XIV. *Bulla circumſpecta Romani: Compend. priuileg. Mendic. v. diſpenſatio §. 12. & 13.*

Nauar. Suarez. Sayr. Greg. XV.

Dian.

Diana 4.p.tr.2.reſ.65. Vechis *diſp*, 13. *dub*.6. moderando *Sixti V*. conſtitutiones permiſit, vt illegitimi omnes præſentes,& futuri, tum ad profeſſionem recipi, tum etiam ad honores, & dignitates & officia religionis aſſumi poſſint, dummodò tamen filius illegitimus in religione, in qua pater, ſiue ante,ſiue poſt natiuitatem dicti filii, profeſſus fuerit, ipſo patre viuente, non admittatur, & inſuper facultates ac priuilegia religionibus conceſſa diſpenſandi cum illegitimis ad omnes dignitates, & officia religionis reualidauit.

Sayrus. Filliucius. Suarez. Nauarrus. Conc. Trid. Diana.

7. *Tertiò*,irregularitas hæc ex defectu natalium tollitur per diſpenſationem, *cap*. 1.*de filijs presbyt.in* 6. Sayr.*cap*. *n*.8. Filliuc. *cap.num*. 152. Suar. *cap.ſect*.5. Nauarr.*cap*.27. *num*. 201. Conc. Trid. *ſeſſ*.24.*c*.6.Dian.4.*p*.2.*reſ*.64.quam dare poteſt ſolus Summus Pontifex ad maiores ordines, ad dignitatem, & ad beneficium curatum: Epiſcopus autem diſpenſare poteſt ad ordines minores, & ad vnum beneficium ſimplex non requirens ordinem ſacrum, qualem requirit Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis ex Trident. Et ratio cur Epiſcopus non poſſit diſpenſare in hac irregularitate ad maiores ordines eſt, quia hæc irregularitas communiter annumeratur ab omnibus Doctoribus inter irregularitates ex defectu; Tridentinum autem non conceſſit facultatem Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus prouenientibus ex defectu, ſed in prouenientibus ex proprio delicto occulto.

Auila.

Auila *de cenſ*. *p*. 7. *d*.3.*d*.7. tamen docet diſpenſationem poſſe dari ab Epiſcopo, etiam ad ordines ſacros, ſi illegitimitas ex delicto occulto proueniat: nam licet hæc irregularitas cauſet in homine quemdam defectum, tamen intrinſecè dependet à crimine parentum; ergo ſi huiuſmodi crimē ſit occultum, comprehenditur ſub decreto Concilij; hæc ſententia licet improbabilis vocetur à Suar. *de cenſ.diſp*.50.*ſect*.5.*n*.5. illam tamen tanquam probabilem admittunt Conink. *de ſacr*. *diſp*.18.*n*.111. Laym. *lib*.2.*tr*.10 *part*. 1.*cap*.5.*n*. 2. *Præpoſitus* 3.*par*.*q*.5.*de irregul.dub*.16.*num*. 131. Barboſ. *de iure Pontif.l*.1.*c*. 11. *n*. 156.

Suarez. Conin. Laymon. Barboſ.

Et confirmatur, quia omnia iura hanc irregularitatem inducentia. ſupponunt communiter peccatum in parentibus,ex quo illa oriatur, vnde Eccleſia eam inducendo voluit punire parentum incontinentiam, atque ideò poteſt ſortiri rationem pœnæ. Imò *Layman*. docet, quòd ſi aliquis bona fide ordinatus fuerit, cognito natalium defectu,Epiſcopus diſpenſare poteſt,vt in ſuſceptis miniſtret. Imò fortaſſe etiam ſi mala fide ordines ſuſceperit,vt colligitur ex *cap. niſi cùm pridem*, §.*perſona de renunt*. qui etiam addit quod ſi filius ſciat,aut credat ſe eſſe illegitimum, & ex vna parte cauſa vrgeat cur ſacros ordines ſuſcipient, ex altera parte ſi hoc faceret petendo diſpenſationem, ſe infamaret grauiter apud Papam, tunc ſine diſpenſatione poteſt ordinari. Exemplum habes ſi primogenitus Regis occultè ſciens ſe illegitimum eſſe hęreditatem legitimo fratri non poſſit aliter relinquere quàm ſi fiat Cardinalis,vel Sacerdos,non teneretur ſe infamare apud Summum Pontificem.

D. Anton. Eugen. 4. Paulus 3. Rodriq.

Ex variis autem ſummorum Pontificum priuilegiis, poſſunt Prælati regulares diſpenſare cum illegitimis ſibi ſubditis ad quaſcumque dignitates, officia ordinis. Ita conceſſit *Alexand*.3. & *Ioannes* 22. Vt refert D. Anton. 3.*p.tit*.29. *de irregular.d*.4. Item Eugen. 4. Paulus 3. teſte Rodriq. *tom*.1.*qq.reg.q*.13 *art*.6.*&* 9. Denique hoc clariùs conſtat ex Bulla *Gregorij X IV*. quæ incipit: *Circumſpecta Romani Pontificis*, in qua ſtatuit licere Generali aut Prouinciali ſingulorum ordinum ac congregationum,cum illegitimis, quos alias dictus Generalis aut Prouincialis cū Generali ſeu Prouinciali,ſeu intermedio capitulo, & non aliàs,ſuffragātibus meritis, dignos iudicauerint, ad honores, gradus, dignitates obtinendas diſpenſare, *Imò virtute* confirmationum Apoſtolicarum de priuilegiis Regulariū, quæ emanarunt poſt dictam conſtitutionem Gregorianam,vt eſt illa *Clement*.8. facta Patribus de Obſeruantia, quæ incipit: *Ratio Paſtoralis*. 20. Decemb. 1597. & illa *Pauli* 5. eiſdem Patribus,quæ incipit: *Iniuncti nobis* 1. Decemb. 1609. In quibus confirmationibus appoſitæ ſunt clauſulæ, *ex certa ſcientia*, *& plenitudine poteſtatis*, &c. *Motu proprio*,&c. ſine vlla reſtitutione poſſunt Prælati regulares prædictis priuilegiis vti ſecundum eorum tenorem prout iacent, & non ſecundum diſpoſitionem ſupradictæ Conſtit. *Gregorij* 14. id eſt, Generalis, vel Prouincialis, ſeu eorum Vicarij per ſe, abſque conſenſu capituli ſeu definitorij, poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis illegitimis ad quaſcumque dignitates & officia ordinis; quia hæ clauſulæ operantur, vt reſtituantur & reualidentur priuilegia reuocata, vt communiter docent Doctores & præcipuè Suar. *de leg.lib*.8.*cap*.19. Rodriq.*tom*.1.*q*.8.*art*. 1.*&* 4. Sigiſm. à Bouon. *tract.de elect.dub*.73.*n*.6.7.Dian.*p*.3.*tract*. 2.*reſol*.102. Portel. *v. Illegitimus nu*.10. & alij apud *Dianam*. Imò ipſemet *Gregorius X IV*. per Bullam incip. *Illius* relatam in Bullario nuper edito tom. 2. conſtit. eius 17. *conceſsit facultatem Præfecto Generali Congregationis Clericorum Regularium infirmis Miniſtrantium pro tempore exiſtenti, ſeu de eius licētia, Præfectis inferioribus aliorū locorum, ſeu Prouincialibus dictæ congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicarijs, ac loca tenentibus, vt cum eiuſdem Congregationis perſonis defectum natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito & damnato coitu prouenientem patientibus, poſtquam in dicta congregatione vota emiſerint, vt defectu huiuſmodi non obſtante, ad quoſcumque ſacros etiā Presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, nec non ad quaſcumque adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia dictæ congregationis eligi, admitti, & aſſumi, illaq. gerere & exercere poſſunt diſpenſare liberè & licitè poſſint & valeant*, Hic nulla fit mentio Capituli Generalis, Prouincialis, aut intermedij. Vide Tamburin. *de iure Abbat*.*t*.1.*diſp*.5.*q*.14.*n*.10.

Suarez. Rodriq. Sigiſm. Bouon. Dian. Portel.

8. *Defectus legitimæ ætatis* requiſitæ à iure ad ordines, inducit irregularitatem. *Can*. 1.*diſt*.77.*Cap.vlt.de temp.ordin*. Sayr. *lib*.6.*cap*. 12. & Tolet. *lib*. 1. *cap*. 55. quamdiu defectus durat: & qui ordinatus eſt aliquo ſacro ordine ante legitimam ætatem, aut ab alieno Epiſcopo abſque literis dimiſſoriis, vel extra tempora a iure ſtatuta, ex cōſtitut. *Pius II. Cum ex ſacrorum* ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi actum aliquem ordinis ſacri in ſuſpenſione faciat, in nouam irregularitatem incidit à ſolo Papa diſpenſabilem.

Sayrus. Tolet.

IRREGVLARITAS IV.

De irregularitate ex defectu libertatis, & Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Ad quod capita reducatur irregularitas ex defectu libertatis proueniens.*
2 *An ſerui, quamdiu ſunt ſerui, iure impediantur ne ordines ſuſcipiant?*
3 *An obligati ad ratiocinia iure impediantur ne ordines recipiant donec ratiocinium reddiderint?*
4 *An curiales ad ordinibus arceantur? & qui dicantur hoc in loco curiales?*
5 *An vxoratus ad ſacros ordines promoueri poſſit?*
6 *Quid ſit irregularitas ex defectu ſacramenti? & quotuplex ſit bigamia? & quis diſpēſet in hac irregularitate?*

1 IRregularitas ex defectu libertatis proueniens ad quatuor capita reducitur; *Primò*, enim, alii ſunt irregulares, quia ſunt ſeruituti ſubiecti. *Secundò* alij, quia obligati ſunt ad ratiocinia. *Tertiò* alij, quia sūt obligati curię ſęculari, & in iure dicuntur curiales. *Quartò* alij, quia ſunt obligati vinculo matrimonij; hi omnes, licet in iure Canonico dicantur irregulares, ſunt tamen aliquo modo iure naturali impediti, & inhabiles ad ordines, quia quamdiu alligati ſunt vinculo, aut ſeruitutis, aut ratiocinij, aut curię aut matrimonij, non ſunt ſui iuris, ſed alterius. Sayr. *l*.6.*c*. 14. Bonac. *de cenſ.d*.7.*q*.2.*punct*.4. Filliuc. *tr*. 19. *cap*.7.*q*.5. Suar. *d*.51.*ſect*.4. & alij.

Sayr. Bonac. Filliuc.

2. *Serui*, quamdiu ſunt ſerui, iure impediuntur ne ordines ſuſcipiant. *Cap. nullus diſt*. 54. D. Thom. *in addit*. *q*.39.*art*.3. Nauar. *c*. 27. *n*. 203. tum quia non decet ſeruū ob vilem conditionem euehi & promoueri ad dignitatem

D. Thom. Nauar.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotalem, ne dignitas Sacerdotij paruipendatur; tum quia ſeruus non eſt ſui iuris, ſed domini ſui, vnde cùm ille ſit res animata poſſeſſa, non poteſt ſe Eccleſiæ miniſterio mancipare, cùm nemo dari poſſit quod ſuum non eſt. *Notandum* tamen eſt, ſi ſeruus prima tonſura initiatus ſit, vel ordinatus, de conſenſu tacito, vel expreſſo domini, fit eo ipſo liber: ſi verò abſque conſenſu domini ſit initiatus minoribus ordinibus, adhuc manet ſeruus: ſecus ſi ſine domini conſenſu initiatus ſit maioribus ordinibus, tunc enim acquirit libertatem ſoluendo pretium domino, vel tradendo alium ſeruum in ſui locum; alioquin adhuc compelletur inſeruire in ijs rebus, quæ non dedecent ordinem ſuum. *Cap. ſi ſeruus ſciente, diſt.* 54. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 54. Regin. *lib.* 30. *n.* 63. Valentia *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *part.*

Toletus. Regin. Valenc.

3. Epiſcopus autem, qui ſeruum ſine conſenſu domini ſcienter ordinauit, peccat mortaliter, & tenetur ſatisfacere domino, reſtituendo illi duplicatum pretium. *Cap. ſi ſeruus abſcente domin. diſt.* 54.

3. *Obligati ad ratiocinia* iure impediuntur ne ordines recipiant, donec ratiocinium reddiderint: reddito verò ratiocinio & depoſita eius obligatione, poſſunt ad ordines promoueri. *cap.* 1. *&* 2. *ne clerici vel monachi cap. peruenit. diſt.* 85. vnde non ſunt ordinandi illi qui obligati ſunt ad reddendam rationem adminiſtrationis publicæ, quales ſunt theſaurij, aut depoſitarij æris publici; item aduocati, Magiſtratus, iudices. & qui tenentur ad reddendam rationem adminiſtrationis rei priuatæ, vel alicuius perſonæ ſæcularis non miſerabilis, vt ſunt tutores, curatores, procuratores, executores teſtamentorum, niſi reddito ratiocinio: illi verò qui adminiſtrationem gerunt perſonæ eccleſiaſticæ, vel perſonarum miſerabilium, vt viduarum, pupillorum, cauſarum piarum, non afficiuntur hoc impedimento: ſicut neque afficiuntur, qui ſunt obligati abſque vlla adminiſtratione reddere rationem ex aliquo contractu, vt exemptione, diſpoſito, conducto, mutuo &c. niſi ante promotionem vel in ipſa promotione mota ſit lis, de dolo aut perfidia, tunc enim non debent promoueri ante finitam litem. Filliuc. *cap. n.* 198. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 7. 8. Suar. *d.* 51. *ſect.* 3. Regin. *cap. num.* 66. & alij.

Filliucius Sayr. Suarez. Regin.

4. *Curiales* ab ordinibus arcentur, *cap.* 1. 2. & 3. *diſt.* 51. quia, vt conſtat, aliqui eorum ſunt viles perſonæ, & ſæpe fuerunt irregulares ex officio ſuo: *Curiales* autem, in hoc loco dicuntur ij, qui quacumque ex cauſa curiæ ſæculari obligati ſunt, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus, ſiue honeſtum, ſiue inhoneſtum munus exercuerint, & ſiue ex vi iuramenti, aut ſtipendiis, in aliquo officio curiæ ſæcularis maneant, vt ſunt iudices, aduocati, milites, & alij, quamdiu non fuerint ſoluti ab illa obligatione; tamen ex hoc capite non ſunt impediti ab ordinibus officiales Epiſcoporum aut eccleſiarum, ſed neque etiam curiales illi, qui aulas & curias principum ſæcularium ſequuntur obſequi, & famulatus gratia, dummodo nullus nexus, nullaue obligatio eos ad aulæ & curiæ obſequia aſtrinxerit; hinc fundatarij, qui re immobili accepta cum inſtrumento & iuramento obligati ſunt perſonaliter inſeruire domino, repelluntur ab ordinibus, niſi feudum reliquant; vel facultatem à domino directo habeant. Syluest. *v. ordo* 4. *quæſt.* 3. Sayr. *cap. num.* 9. *&* 10. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 5. Filliuc. *c. num.* 197. Bonac. *cap. part.* 4. *num.* 3. Reginald. *cap. num.* 64. & alij.

Syluest. Sayr. Henriq. Filliucius Bonacina. Regin.

5. *Vxoratus* ad ſacros ordines promoueri non poteſt, niſi coniuge etiam religionem aliquam approbatam profitente. *cap. coniugatus & C. Vxoratus, de conuerſ. coniug. C. Nullus Epiſcopus, de tempore ordin. in* 6. quod ideò ſtatutum eſt, ne coniux in ſæculo manés periculum fornicationis incurreret; ſed neque ad ordines minores promoueri poteſt coniugatus, prout Bonifacius Papa decreuit.

6. *Irregularitas ex defectu ſacramenti*, Id eſt, bigamia, conſurgit ex multiplici matrimonio contracto, & cõſummato *Cap. propoſuiſti diſp.* 82. *Cap. Acutius diſt.* 26. *Cap. ſi quis Viduam diſt.* 34. in bigamia enim Sacramenti ratio deeſt in matrimonio ſignificata: *triplex* eſt, *vera*, cùm duplex matrim. validum contrahitur, nec per baptiſmum aufertur, ſi antea contracta ſit. *Interpretatiua*, cùm duplex matrimonium inualidum eſt & conſummatum, vel alterũ eorum, etiamſi ex defectu conſenſus nullum ſit, vel per ignorantiam vtrumque contractum, propriè autem dicitur ea, quæ ex matrimonio cum vidua, vel cum corrupta ab alio, vel repudiata, vel cum propria vxore cognita poſt adulterium eius, conſurgit: contrahitur autem etiamſi matrimonium cum vidua nullum ſit. *C. Nuper. de bigamis.* Suar. *d.* 49. *ſect.* 2. *n.* 10. Filliuc. *tr.* 19. *c.* 4. *n.* 104. Sanch. *de matr. l.* 7. *diſt.* 84. *n.* 3.

Suarez. Filliucius Sanchez.

Similitudinaria, cùm quis poſt profeſſionem in approbata Religione, matrimonium contrahit & conſummat, vel poſt votum caſtitatis in ordine ſacro eodẽ modo nuptias celebraret & conſummaret, ex communiore & probabiliore ſententia priuat vſu omnium ordinum ſuſceptorum, vltra inhabilitatem alios ſuſcipiendi. *Cap. quotquot* 27 *quæſt.* 1. *Cap. Nuper de bigamis*. Fillinc. *cap. q.* 9. additur etiam in pœnam priuatio clericalis priuilegij, ſi vera, vel interpretatiua ſit. In ea ſolus Papa diſpenſat, *C. Vnic. de big. in* 6. Sayr. *cap.* 5. *n.* 2. excepta ſimilitudinaria, cum clerico in ſacris, & religioſo, in quâ etiam diſpẽſat Epiſcopus; Tolet. *lib.* 1. *cap.* 62. *nu.* 2. Filliuc. *q.* 12. & hæc ſummatim de hac irregularitate ex bigamia: plura enim dicta ſunt & ſpeciatim Verb. *Bigamia*.

Fillicius Sayr. Filliuc.

IRREGVLARITAS V.

De irregularitate ex defectu lenitatis ſeu ex homicidio iuſto proueniente.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſit irregularitatis ex defectu lenitatis procedens; & quæ pars corporis, membrum dicatur?*

2 *An qui iuſtè mutilat, vel occidit, vel cooperatur ad mutilationem, vel homicidium, ſecuto effectu fiat irregularis?*

3 *An quilibet iudex ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, eiuſque aſſeſſores & alij miniſtri iuſtitiæ ſecuta morte vel mutilatione fiant irregulares ex defectu lenitatis?*

4 *Conſultores interrogati an quis teneatur denunciare vel accuſare in materia ſanguinis, an lingẽtur irregularitate, ſi in genere aperiantius & doceant veritatem, & quid dicendum de ijs qui præparauerunt aut vendiderunt venenum aut funem, &c.*

5 *An clerici aſſiſtentes executioni ſententiæ ſint irregulares? & quid iuris de clericis habentibus iuriſdictionem temporalem, ſi conſtituant prætores & alios officiales qui cauſas ſanguinis inquirant & delicta puniant?*

6 *An iudex eccleſiaſticus ſit irregularis qui aliquem degradat & tradit brachio ſæculari? & quid de Inquiſitoribus qui tradũt aliquos iudici ſæculari comburẽdos?*

7 *An fiat irregularis Prælatus, vel Princeps ſæcularis legem & ſtatutum condens, quo aliquid ſub pœna mortis prohibetur, ſi iudex ex lege ductus aliquem occidat? & an liceat ſacerdoti præbere conſilium Principi, vt talem legem ferat?*

8 *An ſit confeſſarius irregularis nolens abſoluere pœnitentem, niſi reum dignum morte puniat ſecundum iura? vel ſi horteur pœnitentem iudice, interrogatum, vt fateatur veritatem & ex confeſſione puniendum ſit pœna mortis?*

9 *An clericus adiuuans chirurgum vel medicum ad iuſtè ſecandum ægroti membrum ſit irregularis?*

10 *An clericus fiat irregularis exercendo officium medici vel chirurgi?*

11 *An clericus exercens chirurgiam vel medicinam ſecundum regulam artis, ſit irregularis, ſi membrum aliquod abſcindat cauſa ſanitatis?*

12 *An fiat irregularis accuſans alium in cauſa criminali petendo vindictam, ſecuta mutilatione vel morte, quid de petente ſatisfactionem vel intereſſe ſibi debitum, ſi proteſtetur ſe non intendere pœnam ſanguinis?*

13 *An teſtis ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis incurrat irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione?*

14 *An*

14 *An Aduocatus notam irregularitatis incurrat qui cauſam ſuſcipit rei, quando ſequitur mors vel mutilatio accuſatoris calumniatoris? & in quibus caſibus aduocatus fiat irregularis?*

15 *An occidens alium in bello tam iuſto quàm iniuſto incurrat irregularitatem?*

16 *An bello iuſto poſſint intereſſe tam laici quàm clerici, abſque irregularitate, etiamſi hortentur milites ad pugnam? Item an præbentes ſeu vendentes arma ſint irregulares, & in neceſsitate an liceat clericis pugnare.*

17 *Quis poſsit diſpenſare in irregularitate contracta cauſa belli.*

1 I*Rregularitas*, quæ ex defectu lenitatis procedit, illa eſt, quando quis occidit vel mutilat hominem abſque peccato. *Cap final. ne clerici vel monachi in 6.* ad hanc autem irregularitatem requiritur, vt actu fiat hominis viuentis occiſio, vel membri mutilatio, ſeu abſciſſio; nec ſufficit amputatio membri alicuius mortui, animo vindictæ ac rabiei explendæ facta: ſufficiet verò occiſio vel mutilatio hominis infidelis, vel excommunicati, vel banniti, vel etiam infantis editi in lucem, aut exiſtentis in vero matris: deſideratur etiam ad hanc irregularitatem incurrendam, vt occidens vel mutilans ſit baptizatus, doli capax, & influat in homicidium, vel mutilationem extra caſum neceſſitatis, & citra iuſtam defenſionem. D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 3. 8. 10. *& ſeq.* Reginald. *lib.* 30. *n.* 96. Nauar. *c.* 27. *num.* 209. *Membrum* autem dicitur, ſecundùm communiorem ſententiam, illa pars corporis, quæ habet ſuum proprium ac peculiarem actum ab aliis diſtinctum, vt ſunt manus ad palpandum, pedes ad ambulandum, oculi ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, lingua ad loquendum: vnde digiti, qui inſeruiunt manui, dentes qui inſeruiunt linguæ & ori, propriè membra non ſunt, ſed partes membri, vnde horum abſciſſio irregularitatem non inducit. Graffis *l.* 2. *c* 62. *n.* 4. Henriq. *l.* 14. *c.* 8. §. 1. Valentia *t.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. §. 4. Syluius 2. 2. *q.* 65. *ar.* 1. *concl.* 1. & alii.

D. Thom.
Sayrus.
Reginald.
Nauar.
Graffis.
Henriquez.
Valentia.
Syluius.

2. *Clericus* aut alius iuſtè mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium, ſecuto effectu fit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines ſuſcipere & ſuſceptos exercere: *ſimiliter* ille, qui mortem accelerauit aut cauſam propinquam mortis dedit, dicto vel facto, irregularis eſt, *Cap. ſi quis viduam, diſt.* 50. Tolet. *lib.* 1. *c.* 70. Conink *diſp.* 18. *dub.* 10. Filliuc. *tr.* 19. *c.* 9. *q.* 1. Sayr. *cap. n.* 2. & ideo repelluntur ab ordinibus homicida vel mutilatores, tam iuſti, quàm iniuſti; quia non præ ſe ferunt pacem & manſuetudinem, nec Chriſtum repræſentant, ſed potiùs quandam crudelitatem, ipſoſque Chriſti crucifixiores, vt ait *Sayrus* cum aliis communiter. Ex hac doctrina generaliter tradita ſequentes concluſiones ponimus.

Tolet.
Conin.
Filliucius.
Sayrus.

3. Quilibet *iudex*, inferior Summo Pontifice, ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, eiuſque aſſeſſores, cooperatores, ſatellites comprehendentes reum, torquentes reum ad extorquendam veritatem: *Notarius* ſcribens vel legens ſententiam, conſultores in cauſa ſanguinis, in aliquo caſu particulari, comitantes reum ad ſupplicium cauſa ſecuritatis, Filliuc. *c. num.* 239. Reginald. *c. nu.* 101. Sayrus *l.* 6. *c.* 16. *n.* 4.

Cuſtodes carceris afferentes claues carceris, aut aperientes oſtium carceris, vt inde reus ad mortē ducatur; *fabricantes* furcam ad ſuſpendendum aliquem in particulari: *docentes* in caſu particulari carnificē imperitum, quo pacto debeat funem aptare; detrudentes alium in carcerem adeò durum, & aſperum, vt ex eo veriſimiliter credant breui ſecuturam mortem; *iudex* Eccleſiaſticus qui fert duriſſimam ſententiam, quà reo victum adeò diminuit, vt citiùs moriatur, huiuſmodi enim ſententiam æquiualet ſententiæ ſanguinis & mortis. Molina *t.* 4. *tr.* 3. *diſp.* 74. *n.* 1. *&* 2. Couar. 2. *p.* §. 5. *n.* 8. Vgolinus *cap* 11. §. 1. *& cap.* 5. §. 6. Henriq. *c. cap.* 3. *n.* 7. *Similiter* qui dicit reo, aſcende ſcalā, vel ſuppone caput ad excipiendum ictum, & qui dicit miniſtro iuſtitiæ, vt gladium acuat, aut citò faciat, vt ſemel & non ſæpius feriat, aut quid ſimile faciat, quo mors, vel mutilatio acceleretur, etiamſi hoc faciat ex pietate, Graffis 1. *p. lib.* 4. *cap* 27. Bonac. *de cenſ. diſput.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *num.* 9 *Item* præbens gladium ad aliquem particularem occidendum: vel qui tradit ligna quibus hæreticus viuus comburatur, *ſecus* ſi ille comburatur poſt ſuffocationem. *Item* qui ſatellitibus directè vel indirectè indicando reum, fuit cauſa reus caperetur, & qui iniuſtè eſt cauſa rixatum inter aliquos, ſi mors inde ſecuta eſt: Sayrus *c. cap.* 16. *num.* 3. Molina *cap. num.* 3. Nauar. *cap. num.* 217.

Couar.
Vgolin.
Henriq.
Graffis.
Bonac.
Sayr.
Molin.
Nauarra.

Item qui clamauit adeſſe latrones, quando ſuo clamore præuidit fore, vt alii accurrerent illoſque occiderent; *ſecus* ſi clamauit aut pulſauit campanas vel tubas ad res ſuas defendendas, vel ad ſedandam ſeditionem. Suar. *d.* 47. *ſect.* 2. *n.* 21. Filliucius *cap. nu.* 252. *Item* qui ſua interrogatione fuit cauſa, vt aliquis à ſatellitibus comprehenderetur: in hoc caſu poteſt interrogatus vti amphibologia. Bonacina *cap. num.* 19. Hi omnes ſecuta morte vel mutilatione fiunt irregulares ex defectu lenitatis; quia ipſorum facta vel dicta influunt in aliquam mortem vel mutilationem, ſed qui dicto vel facto, cauſam propinquam mortis vel mutilationis dedit, aut mortem accelerauit, irregularis eſt.

Aduertendum autem eſt, eſſe ſatis probabilem ſententiam *Vaſquis, Turriani* & aliorum apud *Dianam tract.* 5. *miſc. reſ.* 79. *p* 3. *& in addit. reſol.* 15. quòd, ſcilicet, irregularitatis, ex homicidio nō incurratur ob concurſum ad illud, niſi aut factum à miniſtro publico iuſtè, aut factum à perſona priuata iniuſtè: hoc eſt, irregularitatem ex defectu lenitatis incurrant tantùm miniſtri iuſtitiæ, & non alij: quia in iuribus, in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantùm eſt ſermo de iudicibus & aliis officialibus concurrentibus ad occiſionem aut mutilationem, vt publicis miniſtris iuſtitiæ.

4. *Non ligantur irregularitate* conſultores, qui interrogati, an quis teneatur denunciare, vel accuſare in materia ſanguinis, & ipſi in genere aperiunt ius, & docent veritatem, non inducendo ad denunciandum vel accuſandum; *Item* nec fabri ferrarij, vel alij armorū fabricatores, conflando aut vendendo gladios ad vſus humanos in genere ad quos ſunt inſtituti, quamuis poſtea aliquis occidatur, vel mutiletur illis armis, non enim cenſetur dare cauſam propinquam & moralem mortis, ſed tantummodo remotam: ſic etiam eſt cauſa remota, qui præparauit, aut vendidit venenum, aut funem, quo latro ſuſpenditur abſque dolo vel praua intentione vendentis; *ſecus* ſi venenum vel funem vendidit vel præparauit ad ſuſpendendos vel occidendos homines; actio enim ſpecificatur à fine ad quem dirigitur. Molin. *cap. num.* 5. Filliucius *cap.* 242. Nauar. *cap.* 212. Graffis 1. *p. l.* 4. *c.* 27. Molina *c. n.* 4. Suarez *d.* 45. *ſect.* 3. *num.* 5.

Molin.
Nauar.
Graffijs.
Molin.
Suarez.

Item irregularis non eſt, qui campanis ſimpliciter dat ſignum, quo aliquis ſuſpendendus eſt, vt homines ſciant aliquem ad mortem duci; *ſecus dicendum*, ſi ſignum illud adhiberet ad conuocandos milites, qui aliquem ducerent ad mortem. Vgo. *c.* 11. §. 6. *n.* 1. Cou. *p.* 2. §. 4. Diana 4. *p. tr.* 2. *reſ.* 28.

5. *Clerici* aſſiſtentes executionis ſententiæ, non ſunt irregulares; *ſecus dicendum* de clericis habentibus iuriſdictionem temporalem, qui ſua præſentia aliquo modo præſtant authoritatem Suar. *d.* 47. *ſect.* 4. *num.* 10. Filliuc. *cap. n.* 258. *Item* clericus, qui rogat principem, vt iuſtitiam faciat, vel præcipiat iudici, vt ex iuſtitia iudicium ferat, vel vt iudicet ſecundùm iura, excuſari poteſt ab irregularitate, quia modus hic loquendi non importat cooperationem ad mortem, ſed indifferens eſt; *ſecus dicendum*, ſi quis roget principem, vt iubeat iudici ſententiam exequi, hic enim ſecuta morte vel mutilatione ob ipſius petitionem fit irregularis, quia iſta actio ex ſua natura ordinatur ad mortem Bonacin. *c. par.* 1. *num.* 21. Diana 4. *p. tr.* 2. *reſ.* 35. Imò Princeps, vel Dominus temporalis, vel clericus habens iuriſdictionem temporalem ratione patrimonij vel beneficij, poteſt abſque periculo irregularitatis conſtituere prætores & alios officiales, qui cauſas ſanguinis inquirant & delicta puniant, poteſt etiam in aliquo delicto particulari mandare ſpecialiter alicui, vt inquirat de eo delicto & iuſtitiam faciat, imò ſpecialiter non mandet punitionem. *Cap. vlt. ne clerici vel monachi.* Syluest. *v. homicidium* 3. *n.* 7. Filliuc. *cap. num.* 241. Sayr. *c. cap.* 18. *n.* 17.

Suarez.
Filliuc.
Syluest.
Filliuc.
Sayrus.

6. *Iudex*

6. *Iudex* Eccleſiaſticus, qui aliquem degradat & tradit brachio ſæculari, non fit irregularis, *Cap. nouimus de verborum ſignificatione* quia degradando non cooperatur ad mortem, ſed fungitur officio ſuo, & munere, præmiſſa proteſtatione, etiamſi delinquens poſtea plectatur morte à ſæculari iudice: multò minus fiunt irregulares inquiſitores S. Officii, tradendo aliquos iudici ſæculari comburendos, etiamſi nullam præmittant proteſtationem, vt patet ex bulla. *Bulla Pij V. apud Penam in directl. p. 2. comment.* 20. Vnde etiam excuſantur officiales ſanctæ inquiſitionis, denunciatores, teſtes & alij, etiamſi nullam præmittant proteſtationem, quia hæc non deſideratur coram iudicibus Eccleſiaſticis, qui non imponunt pœnam ſanguinis. Sayr. *l. 6. cap. 18. num. 14. & 15.* Suarez *d. 47. ſect. 2. n.* 21. Filliuc. *cap. num.* 224. 251.

7. Poteſt Prælatus iuriſdictionem temporalem habens, ſicut & Princeps ſæcularis, legem & ſtatutum condere, quo aliquid ſub pœna mortis prohibetur; nec tamen fit irregularis, ſi iudex ex lege ductus, aliquem poſtea occidat: quia poſtea homo non infert pœnam, ſed lex, & quia in certam perſonam non animaduertit. Sayr. *lib. 6. cap. 18. num.* 18. Henriq. *lib. 14. cap.* 12. Syluest. *v. homicid. 3. num. 7.* Imò licitum eſt ſacerdoti, præbere conſilium principi Eccleſiaſtico vel ſæculari, vt ferat legem, qua fures & alij delinquentes plectantur capite: ſimiliter licitum eſt concionatori, abſque nota irregularitatis, reprehendere publicos peccatores, quamuis iudex inde capiat occaſionem illos capiendi & mutilandi: licet etiam ipſos hortari iudices ad ſeruandas leges, ad coercendos improbos debitis pœnis; & ad purgandam rempub. perditis & ſceleſtis hominibus. Filliuc. *cap. num.* 242. Vgolin. *cap. §. 2. num.* 2. Bonacina *cap. par. 1. num.* 31. Vide Dianam *part. 3. tract. 5. miſc. reſolut.* 80. *& 4. part. tract. 2. reſol.* 78.

8. Non eſt *irregularis confeſſarius*, quando pœnitenti nolenti punire reum dignum morte, dicit, ſe non poſſe illi beneficium abſolutionis impendere, niſi firmiter proponat reum punire ſecundùm iura: quia hic videtur a iure per Epychiam exceptus, neque credibile eſt velle Eccleſiam irregularitatis notam imponere confeſſario aperienti, quod celare non poteſt, exequenti ſuum munus & officium. Sayr. *cap. num.* 26. Molina *cap. diſp. 74. numer.* 18. Reginald. *lib. 30. numer.* 138. Filliuc. *cap. numero* 248. *Item* excuſandus eſt confeſſarius ab irregularitate, qui pœnitentem iuridicè interrogatum, hortatur ad confitendam veritatem in iudicio, etiamſi reus ob confeſſionem veritatis puniendus ſit pœna mortis, hortatur enim ad id, ad quod tenetur & præſtat ſuum munus. Henriq. *libro 14. cap. 12. numero* 4. Auila *part. 7. d. 5. dubio. 6. ſect. 2.* Diana *4. par. tra. 2. reſolut. 99. & tract. 5. miſc. reſol. 8. part. 3.*

9. *Clericus*, qui adiuuat chirurgum vel medicum ad iuſtè ſecandum ægroti membrum, non eſt irregularis, quia chirurgus vel medicus non ſecat membrum ad vindictam, vel punitionem alicuius delicti, ſed ex pietate & miſericordia ad ſalutem ægroti, & iure canonico non eſt impoſita irregularitas hæc chirurgo vel medico, niſi ſit in culpa, cur moriatur ægrotus; & ideò ſicut chirurgo vel medico irregularitatem Eccleſia non impoſuit, ſic clerico qui adiuuat chirurgum irregularitatem non imponit, ſed ſolùm prohibet, ne ipſemet ſecare poſſit. Nauarr. *capite 27. numer.* 217. Henriquez *libro 14. cap. 11. §. 2.* Sayrus *capite num. 27. & 28.*

10. *Clericus* etiam beneficiarius non fit irregularis exercendo officium medici, vel chirurgi ſecundùm regulam artis, citra abſciſſionem, vel adutionem; quia nullo iure probatur, hoc illi ſpecialiter vetitum eſſe ſub pœna irregularitatis: Molina *tract. 2. d. 75. numer. 6.* Sayr. *libro 7. capite 6. num.* 11. Rodriquez *capite* 177. *Clericis* tamen minoribus ordinibus initiatis, ſpecialiter prohibitum eſt, mederi abſcindendo vel durando, ſecluſa vrgente neceſſitate, vt tempore peſtis, quando non eſt alius qui hoc munus præſtet. Diana *tr. 2. 4. p. reſ.* 23. Et hæc eſt communis ſententia, a qua recedit Præpoſitus 3. 3. *par. quæſtio 5. de irregular. dubit. 10. num* 86. docens talem clericum non eſſe irregularem.

11. *Laicus* exercens chirurgiam, vel medicinam ſecundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamſi membrum aliquod abſcindat cauſa ſanitatis; quia in huiuſmodi abſciſſione, vel exercitio non deeſt lenitas vel manſuetudo, cùm abſcindatur pars, vt totum conſeruetur: tamen ſi culpa vel imperitia medici vel chirurgi mors ſequatur, incurritur irregularitas ex delicto: ex quo patet illos, qui curam infirmorum habent, eſſe irregulares, quoties culpabiliter mortaliter ſunt cauſa accelerationis mortis, irregularitas autem hæc, cùm ſit ex delicto, ſupponit grauem culpam: ſi verò conueniente prouidentia & abſque notabili negligentia ſe geſſerunt, non ſunt irregulares. Suarez *d. 47. ſectio 7. numero 2. & 3.* Nauarrus *capite 27. numer.* 209. Filliuc. *capite numero* 278. Auila *part. 7. diſt. 6. ſectio 1. dubi.* 10. Diana *tractatus 5. miſcel. reſ. 79. particula 3.* Suarez. Nauar. Filliuc. Auila. Diana.

12. *Qui accuſat alium* in cauſa criminali petendo vindictam, fit irregularis, ſecuta mutilatione vel morte, etiamſi proteſtetur ſe non intendere pœnam mortis, vel ſanguinis, *C. vlt. in fin. de homicid. in 6.* Molin. *tom. 1. tract. 3. d.* 8. Henriquez *cap. 10. numer. 1.* quia eo ipſo quòd in cauſa criminali petit vindictam vult reum puniri pœna ſanguinis, quæ propter illius delictum à lege imponitur: Qui verò accuſat vel denunciat non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem vel intereſſe ſibi debitum, etiam in criminibus dignis morte, non fit irregularis, proteſtando expreſsè ſe non intendere pœnam ſanguinis, etiamſi poſtea ſequatur mutilatio vel mors. Suarez 47. *ſect. 2.* Filliucius *cap. num.* 258. Conink *cap. dub. 10 n. 92.* *Accuſans* autem alterum de iniuria illata perſonis extraneis, aut etiam conſanguineis, fit irregularis ſecuta mutilatione vel morte, etiamſi præmiſerit proteſtationem: vt habetur *Cap. Prælatis, de homicid. in 6. & docent* Nauar. *cap. 27. num.* 213. Reginald. *lib. 30. num.* 120. Molin. Henriq. Nauar. Regin.

Aliqui tamen Doctores probabiliter exiſtimant, licitum eſſe conqueri de damno illato parentibus, filijs, vel fratribus, vel alicui ſub ſua protectione exiſtendi, quia illorum damnum reputatur proprium. Auila *d. 5. ſect. 2. dub.* 11. Henriq. *lib. 14. cap.* 11. Dian. *part. 4. tra. 2. reſolut.* 33. Auila. Henriq. Dian.

Vnde clericus poteſt ſine nota irregularitatis, accuſare iniuſtum damnificatorem bonorũ ſuæ Eccleſiæ, nam bona Eccleſiæ ad ipſum pertinent. Sayr. *lib. 6. cap. 18. num. 3.* Rodriq. *cap. 170. concluſ. 6.* Molin. *cap. d. 74. num.* 11. Poteſt etiam ad ſui defenſionem vel ſuorum, alterum accuſare, etiamſi ſequatur mors præmiſſa proteſtatione, quæ coram iudice fieri debet. *Cap. 2. de homic. in 6.* Sayr. *cap. numero 3.* nec excuſatur ab irregularitate proteſtationem omittens ex obliuione, & inaduertẽtia in cauſa ſanguinis: Et hæc proteſtatio ad euitandam irregularitatem, requiritur, non ſolùm in clericis, ſed etiam in laicis accuſantibus delinquentes ad conſulendum ſibi, & rebus ſuis. Filliucius *cap. num.* 248. Conink *cap. dub. 10. numero* 93. An autem qui iuſte denunciat, præmittendo proteſtationem ficto animo, & interiùs deſiderando vindictam, & ſanguinem, incurrat irregularitatem. Nauar. *cap. n.* 226. Tolet. *l. 1. c. 83. n. 5.* affirmant, ſed Suarez *d. 47. ſect. 2. n. 3.* Sayr. *c. nu. 4.* Filliuc. *num.* 258 259. negant; quia verſamur in materia pœnali, in qua benignior pars accipienda eſt. *Cap. in pœnis, de regulis iuris lib. 6.* Sayr. Rodriq. Molin. Filliucius. Conink. Toletus. Suarez. Sayr. Filliucius.

13. *Teſtis* ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis, incurrit irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione, ſiue fuerit examinatus iuridicè, ſiue non: & hoc verum etiamſi illius aſſertio exhibuerit tantummodò indicium ad capiendum, vel inquirendum ad torquendum reum, licet poſtea mors ſecuta fuerit ob probationes aliorum, vel ob propriam rei confeſſionem; quia quicunque cooperatur morti vel mutilationi, fit irregularis. *Cap. ſi quis viduam diſt.* 50. Nauar. *cap. 27. num.* 212. Suar. *d. 47. ſect. 3. a. 2.* Filliuc. *cap. num.* 254. Vnde clericus non poteſt cogi ad ferendum teſtimonium contra reum in cauſa ſanguinis, in fauorem tamen rei poteſt teſtari de licentia Epiſcopi, vel eius vicarii; nec incurrit irregularitatem id teſtimonium ferens, quamuis mors ſequatur accuſatori, eò quòd reus inuentus ſit innocens, & accuſator calumniator. *Cap. his, a quibus 23. quæſt. 8.* Sayr. *lib. 6. cap. 18. num.* 11. Vgolin. *c. ap. 74. num. 7.* quia mors accuſatoris reſpectu clerici te- Nauar. Suarez. Filliucius. Sayr. Vgolinus

ſtan-

Digitized by Google

ſtantis in fauorem rei cenſetur ſequi per accidens ex ipſius dicto. Vide *Dianam 4.par.tract.2.reſolut.31.*

14. *Aduocatus*, qui cauſam ſuſcipit rei, non incurrit notam irregularitatis, quando ſequitur mors vel mutilatio accuſatoris, qui compertus eſt calumniator, niſi petierit accuſatorem puniri pœna Talionis: incurreret autem irregularitatem aduocatus iniuſtè defendens reum, ſi ob iniuſtam ipſius defenſionem ſecuta eſt mors, vel mutilatio accuſatoris; imò hæc irregularitas eſſet ex delicto, niſi bona fide fecerit, credens accuſationem eſſe iniuſtam. Molin. *d.* 74.*n.* 11. Filliuc. *capite numero* 257. Suar. *d.*47.*ſect.*4.*numer*6. Vgolin. *capite* 9.§.1. *ſimiliter* Aduocatus incurrit irregularitatem, quando reus imperitia vel negligentia illius fuit adiudicatus morti, quam euaſiſſet ſi aduocatus munus ſuum ritè obiiſſet; quia mors imputatur ipſius culpæ: Nauar. *cap.* 27. *num.*228. Bonacina *cap. quæſt.* 4. *part.* 3. *numero* 6. *Item* Aduocatus vel procurator accuſatoris fit irregularis ſecuta morte vel mutilatione rei, contra quem pro accuſatore agebat, quia cenſetur cauſa ſanguinis vel mutilationis: nec excuſantur ab irregularitate procurator, & aduocatus accuſatoris, aut delatores criminum, aut Sindici fiſcales, aut teſtes concurrentes in cauſa criminali præmittendo proteſtationem. Henriquez *capite* 12.*num.*8. Reginald. *lib:* 30.*num.*133. Filliucius *cap.num.*257. quia cooperatores in cauſa ſanguinis incurrunt irregularitatem, niſi excipiantur in iure, *Cap. prælatis de homicid.in.* 6. Couar. *part.* 2. §.5. Laym. *ſect.* 5.*tract.* 3. *part.* 3. *cap* 7.*numer.*5. vt excipiuntur accuſatores, ne patiantur iniurias in rebus ſuis, præmiſſa proteſtatione. Verùm Præpoſitus 3. *p. quæſt.* 5. *de irregul.dub.*13.*numero* 104. *Conin K de ſacram. diſput.* 18.*dub.* 10. *numero* 95. putant in caſu quo accuſator cum proteſtatione non incurrit irregularitatem, non etiam incurrere Aduocatum: quia niſi aduocatus eodem priuilegio vti poſſet, ſæpe redderetur inutilis facultas accuſandi. Vide *Dianam* 4.*part.tract.*2.*reſol.*32.34.

15. Contrahitur etiam irregularitas ob bellum, nam occidens alium in bello tam iuſto, quàm iniuſto incurrit irregularitatem, quia eſt cauſa mortis: *Capite petitio tua de homicid. differentia* tamen eſt inter irregularitatem, quæ contrahitur ex bello iuſto: nam *illa quæ* eſt ex bello iniuſto, dicitur ex delicto; *quæ* verò incurritur ex bello iuſto, dicitur ex defectu perfectæ lenitatis: vnde procedens ad bellum iniuſtum alio fine quam pugnandi & occidendi non incurrunt irregularitatem occidendo aduerſarium ad defendendam vitam propriam, dum eam aliter tueri non poſſunt, quàm ipſum occidendo: vt habet *Clementin. Si furioſus, de homicid.* procedentes tamen ad bellum intentione pugnandi, fiunt irregulares, ſiue bellum ſit iniuſtum ſiue iniuſtum, quia tales voluntariè ſe exponunt periculo homicidij, & ſaltem in cauſa volunt homicidium, & conſequenter ſecuto homicidio fiunt irregulares. Vide Suar. *d.*47.*ſectio* 5. Filliuc. *cap. num.* 263. Rodriq. 1. *part. cap.*171. Henriq. *capite* 11. *num.* 1. Dian. 4. *part. tract.* 2. *reſolut.*27.*&* 29. & alios.

16. *Bello iuſto* poſſunt intereſſe tam clerici, quàm laici abſque irregularitate, etiamſi hortentur milites, vt ſuo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter ſe gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendam, ad patriam defendendam; & hoc iure ſancitum eſt, in fauorem iuſti belli: vnde duces exercitus, conſultores militiæ, tibicinæ, pulſantes tympana, & alij & quauis ratione concurrentes ad bellum iuſtum, non ſunt irregulares, niſi per ſeipſos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in particulari; Nauar. *cap.* 27.*num.*215. Sayr. *cap.*19 *lib.*6.*num.*3. Regin. *l.* 30. *num.* 165. Filliuc. *cap. num.* 269. *&* 274. *Item* præbentes ſeu vendentes arma in bello iuſto, non ſunt irregulares, etiam, ſi arma ſint offenſiua: qui verò præbent arma in bello iniuſto, ipſius imputantur homicidia in eo bello ſecuta, nec vllo iure eximuntur ab irregularitate. Nauar. *cap. num.* 224. Vgolin. *c.*12.§.2. Quamuis clerici non poſſint præbere arma ad occidendum hunc vel illum, & nequeant abſque facultate per ſeipſos pugnare, per ſe loquendo, poſſunt tamen in exercitu armati incedere & cum vexillo crucis præire: imò poſſunt aliquando pugnare in bello, quando ſcilicet neceſſitas cogit ad defendendam rempub. vel ad conſequendam inſignem victoriam. *C. petitio tua de homicidio*, Suar. *d.*47.*ſect.*6.*num.*11. Filliuc. *cap.n.*269.

Hinc clerici pugnantes de licentia Summi Pontificis, & ſecuta morte non fiunt irregulares; nec conſulens principi bellum iuſtum contra alium. Molina *tom.*4.*d.*73. *num.* 1. *&* 2.

17 Iure communi, in irregularitate cōtracta cauſa belli diſpenſat ſolus Summus Pontifex, quia ille ſolus poteſtatem habet ordinariam ſupra ius commune: Epiſcopi autem non poſſunt in hac irregularitate diſpenſare: quia in Tridentino conceſſa eſt facultas Epiſcopis diſpenſandi in irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepta irregularitate homicidii voluntarij; irregularitas autem quæ propter bellum contrahitur, aut non prouenit ex delicto, vt accidit, quando bellum eſt iuſtum, vel ſi prouenit ex delicto homicidium eſt voluntarium, aut ſaltem publicum. Suar. *cap.num.*12. Sayr. *l.* 6. *c.* 19. Bonac. *cap. p.* 4 *num.*13. Filliuc. *cap.n.*281. Vide Dianam 4. *part. tr.* 2. *reſol.* 70.

An autem hæc irregularitas ex defectu lenitatis ſi diſpenſabilis, ab Epiſcopo, *Bonacina, Auila, Bannes, Tannerus* negatiuam ſententiam docent, quia in Tridentino ſolùm conceditur irregularitas ex delicto: hæc ſententia eſt probabilior, & ſequenda, vt ait *Diana* 4.*par.tract.*2. *reſol* 69. quamuis contrarium probabile etiam iudicetur à *Rodriquez, Couaruuia, Viualdo, Medina*, & aliis, quos citat & ſequitur Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 39.*n.*47

An autem in illa diſpenſent Prælati regulares. Vide v. *Abb.*1 *num.*8.§.4.

Molin. Filliuc. Suarez. Vgolin. Nauar. Bonac. Henriq. Reginald. Filliuc. Layman. Couar. Suarez. Filliuc. Rodriq. Henriquez. Diana. Nauarrus. Sayrus. Regin. Filliuc. Nauar. Vgol. Suarez Molin. Suarez Sayr. Filliuc. Vide Dian.

SVPPLEMENTVM.

IRREGVLARITAS V.

De irregularitate ex defectu.

SVMMARIVM.

1 *An omnis irregularitas iure humano Pontificio conſtituta ſit.*
2 *An damnatus ad triremes efficiatur irregularis.*
3 *An ignorantia inuincibilis iuris excuſet ab irregularitate ex delicto.*
4 *An pluralitas vxorum per verba de præſenti citra conſummationem, irregularitatem bigamiæ inducat.*
5 *Ducens vxorem corruptam quæ moritur ante copulam, & deinde ducit Virginem, quam cognouit, an ſit bigamus & irregularis.*
6 *Quæ ſit ratio, quare corruptio viri cum alijs extra matrimonium non efficiat eum bigamum, ſicut efficitur bigamus ſi ducat vxorem ab alio cognitam.*
7 *An ſit irregularis, aut bigamus ille, qui liber eſt ab omni voto & matrimonium contrahit cum Moniali, ſi eam cognoſcat.*
8 *An ex corporis defectu ſint irregulares, qui in iure dicuntur corpore vitiati, aut diminuti.*
An quodcumque corporis vitium vel Ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem inducens irregularem habentem efficiat.
An inhabilis ad Sacerdotium, promoueri poſſit ad alios Ordines maiores vel minores.
9 *An defectus membri magni & apparentis irregularitatem inducat.*
10 *An defectus membri alicuius occulti, qui notabilem deformitatem non generat, irregularitatem inducat.*
11 *Quis illiteratus dicendus, & cenſendus irregularis.*
12 *An illegitimè natus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium.*
13 *Illegitimus promotus ad Ordine ſine diſpenſatione antequam parentes ipſius inter ſe contraxerint, an poſſit poſt tale matrimonium Ordinem ſuſceptum exercere vel ad altiorem aſcendere ſine diſpenſatione.*
14 *Qui auctoritate Principis eſt legitimus factus, an poſſit ad Or-*

ad Ordines ſine diſpenſatione promouetri.

15 *Ad quem Principem pertineat legitimare filium Clerici ex Sacrilegio natum.*

16 *An irregularitas ex defectu natalium per profeſſionem Religionis aboleatur quoad Ordines ſuſcipiendos & ſuſceptorum vſum?* Refertur duplex ſententia.

17 *An filij infidelium cenſeantur legitimi, ſi parentes eorum matrimonium contraxerint cum impedimento dirimente.*

18 *An irregulares ſint, qui curam pauperum & tutelam ſuſceperunt.*

19 *An irregularis ſit teſtis, qui iure naturæ vel præcepto iudicis, vel ex metu cogitur ad teſtimonium ferendum in cauſa ſanguinis.*

20 *Quid reſpondere debeat Prælatus, qui petitur à ſuis Officialibus, quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis.*

21 *In quibus caſibus Clericus in ſacris exercens Chirurgiam per inciſionem vel aduſtionem, non fiat irregularis.*

22 *An irregularitas ex defectu lenitatis contrahatur ante baptiſmum & per illum deleatur.*

23 *An Clericus cauſam ciuilem deferens apud ſæcularem iudicem, teneatur præmittere proteſtationem.*

24 *Quando Clericus crimen defert apud iudicem Eccleſiaſticum, an debeat proteſtationem facere.*

25 *An Clerici ſint irregulares, dum interſunt ſententiæ & executioni pœnæ mortis, & quale peccatum cōmittant.*

26 *An Clericus ſit irregularis, qui præbet arma militi in bello iuſto, vt mortem alterius exequatur? Et quid ſi incitet ad aliquem determinatè occidendum.*

27 *Dubius, an in bello iuſto aliquem occiderit vel mutilauerit, an debeat ſe reputare irregularem?* Refertur duplex ſententia.

28 *An ordinatus ante legitimam ætatem & poſt Bullam Pij II.* Cum ex Sacrorum, *ſit ſuſpenſus.*

1 OMnis irregularitas iure tantùm humano Pontificio conſtituta eſt: multæ tamen irregularitates iure Pontificio conſtitutæ, ex lege veteri & naturali originem traxerunt, & Eccleſia ad legis veteris imitationem *iſtas* inſtituit. Cæterum licet irregularitas ex lege naturæ originē trahat & multæ ex illis in lege veteri fuerint, necnon ex Canonibus Apoſtolorum & corū Epiſtolis deſumptè ſint; nihilominus tamen irregularitates omnes iure tantùm humano Pontificio inſtitutæ ſunt; quia Apoſtolorum Canones & Decreta iuris humani ſunt. Vnde ſi aliquando dictant Doctores aliquas irregularitates de iure diuino eſſe, aut falſum dicunt, aut intelligendi ſunt ita docuiſſe, quia habent originem ex lege veteri, ex cuius imitatione illas inſtituit Eccleſia. Ita Couarruuias *in Clem. Si furioſus, n. 2. de homic.* Nauarr. *in man. c. 27. n. 194. verſ. Quinto,* & alij communiter. Quod colligitur expreſsè ex *c. is qui, de ſentent. excommun. in 6.* vbi dicitur, *quòd nemo ſit irregularis cenſendus, niſi ſit in iure expreſſum.* Vnde in hac materia non valet argumentū a ſimili, neq. à fortiori, Nec obſtat *c. ad audientiam, & c. Significaſti, de homicid.* vbi ſtatuitur cēſendum eſſe irregularem eum, qui de irregularitate ſui dubius atque incertus eſt, eò quòd in dubio tutior pars ſit eligenda. Hæc enim iura procedunt vbi dubium eſt de facto, ſed *c. is, qui,* procedit de iure; igitur quando dubium eſt de iure, hoc eſt, an ſit pro aliquo delicto commiſſo impoſita à iure aliqua irregularitas, tunc eſt ad iudicandum non eſſe irregularitatem in eo caſu conſtitutam, cùm talis irregularitas non ſit in iure expreſſa. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 40. ſect. 4. nu. 15.* Sayrus *l. 6. c. 2. nu. 14. & 18.* Valentia *t. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 2 notab. 3.* & alij communiter.

Couar. Nauar. Suar. Sayr. Valentia

2. Probabile eſt, damnatum ad triremes non effici irregularem: nam irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus à iure expreſſis, quod idem dicendum eſt de pœna infamiæ, ex Gloſſa *in c. infamibus, de regul. iur. in ſexto.* Sed non legitur condemnatum ad remigandum contrahere infamiam. Ita Homobonus *in conſult. caſuum conſcient. vol. 1. p. 4. reſponſ. 158.* Riccius *deciſ. Cur. Neapol. p. 1. deciſ. 119.* nihilominus contrarium eſt etiam probabile, quod docent Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 43. n. 15.* Lezana *in Summ. q. regul. c. 16. n. 32.* & alii.

Homob. Riccius. Barboſa. Lezana.

3. Ignorantia iuris inuincibilis excuſat ab irregularitate, ex dicto, etiamſi imponatur pro facto iure naturali damnato; quia pœna non incurritur abſque culpa; & ideò ſi excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus celebret ignorans inuincibiliter eſſe impoſitam pœnam irregularitatis, excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto celebranti, non incurrit irregularitatem: vt ſæpiùs diximus ex probabili Doctorum ſententia, vbi ſupra *verb. Ignorantia, numero ſeptimo, & numero decimoſeptimo.* Si dicas ex hac doctrina ſequi, quòd ſi quis occideret aliquem neſciens homicidio impoſitam eſſe irregularitatem, illam non incurreret? Reſpondeo, hoc concedere Portel. *in dub. regul. verb. ignorantia num. vigeſimo.* Caſtrum Paulum *in opere moral. tom. 1. tract. 2. diſput. 1 punct. 18.* Sed verius eſt contrarium: quia irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licet videatur ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis, ergo incurritur: quia certum eſt apud omnes irregularitatem ex defectu certo contrahi, etiamſi operans operatur ignorantia inuincibili, vt rectè ex Merolla aduertit Diana *p. 4. tract. 2. reſol. 85.*

Portel. Paul. Merolla. Diana.

4. Pluralitas vxorum per verba de præſenti citra conſummationem, irregularitatem bigamiæ non inducit *cap. Debitum de bigamis.* Ratio eſt, quia cùm non adſit commixtio carnis in huiuſmodi matrimonio, non perfectè ſignificatur aſſumptio, & vnio humanitatis cum verbo diuino. Similiter iterata ſponſalia citra copulam, aut etiam cum copula irregularitatem non inducunt, quia ad irregularitatem contrahendam non ſatis eſt, quæcumque carnis commiſtio, ſed quæ eſt cum iis, cum quibus contractum eſt matrimonij Sacramentum de iure vel de facto; fornicaria autem coniunctio non ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3. p. q. 66. art. 1. ad 2.* & communis.

D. Tho.

5. Si quis ducat vxorem etiam corruptam, moritur tamen ante carnis copulam, & deinde ducit Virginem eam cognoſcit, non eſt bigamus, neque irregularis: quia non diuiſit carnem ſuam in plures, nec cum corrupta conſummauit: ſicut nec bigamus cenſetur, qui ab alio ductam, ſed minime cognitam deſponſauit, & eam cognouit, *c. Debitum, de bigamis,* Sayrus *lib. 6. cap. 4. n. 16.*

Sayr.

6. Petes, quare diuiſio & corruptio viri cum alijs extra matrimonium, non efficiat eum bigamum, ſicut efficitur bigamus ſi ducat vxorem ab alio cognitam. Reſpondeo rationem communiorem & veriorem eſſe, quia irregularitas hæc contrahitur ex defectu contracto in Sacramēto matrimonii, actus autem contrahendi, ſeu contrahentis matrimonium, ſcilicet conſenſus ille non cadit ſuper ſeipſum, ſed ſuper alterum coniugem, vnde vitium corruptionis extra matrimonium factum nullum ponit defectum in Sacramento ex parte eius, in quo eſt corruptio, ſed ex parte alterius, quia ſcilicet conſenſus contrahentis matrimonium non cadit ſuper ſeipſum, ſed ſuper alterum. Quare cùm matrimonium ſit motus quidam & actio, actio autē & motus ſpecificantur non à termino à quo, ſed à termino ad quem, inde eſt, quod cùm matrimonium viri terminetur ad fœminam, contrahens cum corrupta irregularis efficitur, quia ex parte illius eſt defectus myſticæ ſignificationis. Pari ratione corruptio viri extra matrimonium mulierem faceret irregularem, ſi capax eſſet irregularitatis, ipſe verò non eſſet irregularis, quia terminaretur eius corruptio ad fœminam tanquam ad terminum ad quem eo modo, quo nunc coruptio ex parte mulieris transfertur in virum, qui cùm capax ſit irregularitatis, exinde irregularitatem contrahit. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3. part. quæſt. 66. art. 3.* Syluius *ibidem,* Syluеſter *verb. Bigamia, n. 2. q. 1.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus, p. 1. §. 2. n. 3. de homicid.* & alij.

D. Tho. Sylu. Syluest. Couar.

7. Si quis liber ab omni voto contrahat matrimonium cum fœmina habente ſolemne votum caſtitatis, ſi eam cognoſcat non videtur eſſe irregularis, aut bigamus: quia *c. Quotquot 27. q. 1.* tantum loquitur de contrahentibus matrimonium poſt ſolemne votum caſtitatis, non autē de ijs, qui contrahunt cum fœminis habentibus votum ſolemne caſtitatis. Hæc autem interpretatio benignior eſt, pœnæ autem reſtringendæ ſunt potiùs quam ampliandæ: cùm id non ſit iure expreſſum. Ita Henriquez quem citat & ſequitur Sayr. *loc. cit. n. 24.* licet aliqui contrariū ſentiant.

Henriq. Sayr.

I 8. Ex

8. Ex corporis defectu irregulares ſunt omnes habẽtes aliquem corporis defectum, qui in iure dicuntur vitiati aut diminuti corpore, vt conſtat ex toto tit. de corpore vitiatis,& *cap. illiteratos, diſtinct. 36. & diſt. 55. per totum*. Corpore autem vitiati in hac materia dicuntur illi, qui vel debilitati ſunt vel mutilati. Debilitatus autem dicitur ille, qui habet quidem omnia membra, ſed tamen, aut vnum, aut plura inefficacia & inutilia habet, vt qui habet oculum cæcum, aut manum aridam. Mutilatus verò is eſt, qui aliquo corporis membro neceſſario ad vſum ordinum caret, vt manu, vel oculo, &c. Sed vt ſcire quis poſſit quod nam corporis vitium irregularem faciat, ſequentia notanda ſunt.

Primum, quodcumque corporis vitium vel ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem, inducens, irregularem habentem efficit. Non eſt tamen eadem ratio de habentibus defectus corporis quoad ordines ſuſcipiendos,& quoad exercitium actus in ordinibus receptis antequam talis corporis defectus contigerit, nam quoad Ordines ſuſcipiendos eo ipſo iure, quo quis inhabilis eſt ad Ordines exercendos, etiam nec promoueri debet,& ſic promotus deiicitur; quando autem poſt Ordines ſuſceptos ſuperuenit talis defectus, ſi non per hoc redditur nimis deformis, poteſt exequi illa officia, ad quæ non impeditur propter illum defectum, puta, Diaconus, cui ſiniſter oculus erutus eſt, inhabilis fit ad Sacerdotium, licet in ſuo Ordine miniſtrare non prohibeatur, ſicut colligitur ex *c. vlt. diſt. 55*. Et Sacerdos, cui pollex vel medietas palmæ cũ duobus minoribus digitis abſciſſa eſt, inhabilis fit ad ſacrificandum; non item ad alia Sacerdotis munera, v. g. Confeſſiones audiendas, vel actus Diaconi, & Subdiaconi faciendos. Ex *cap. Presbyterum, de Cleric. ægrotante.*

D. Tho. Nouar. Suar. Molin. Et notat D. Thom. *3. p. q. 82. art. vlt. ad* 3. Nauarr. *in Man. cap. 27. n. 200. verſ. Septimo dico*, Suar. *diſp. 51. ſect. 2. n. 13.* Molina *tract. 3. diſp. 70. n. 14.* & alii communiter.

Sed dubium hic eſt, an inhabilis ad Sacerdotium ob defectum aliquem corporis, ad Diaconatum, vel Subdiaconatum vel ad minores promoueri poſſit. Reſpondeo poſſe ex iuſta & rationabili cauſa, quando defectus talis non eſt, vt eorum Ordinum vſum impediat: tamen qui careret membro neceſſario ad Sacerdotium, ad aliorum verò Ordinum vſum minimè neceſſario, iure Canonico eſt irregularis,& prohibitus à quocumque Ordine Clericali, quia *in cap. illiteratos, d. 36.* abſolutè & generaliter dicitur, *Corpore vitiatos, aut diminutos ad Clericatum promoueri non debere*. Secus dicendum de illo, qui propter deformitatem in aliquo membro corporis, irregularis eſt ad Sacerdotiũ, vt quia vngue pollicis caret, aut aliquo alio, ad alios Ordines inferiores admitti poteſt, quia in iure expreſſum non eſt, quod talis ſit irregularis ad alios Ordines, cùm aliud ſit membro carere, aliud deformitatem membri habere. Ita Panormitanus *in cap. expoſuiſti, de corpore vitiatis*,

Panorm. Sayr. Maiol. Sayrus *l. 6. cap. 7. numer.* 8. Maiolus *lib.* 1. *de irregul. cap. 14. n. 14.* Quamuis contrarium probabiliter aliqui ſentiant.

9. *Secundum* notabile, eſt, quòd defectus membri magni & apparentis, inducens magnam deformitatem, ex quacumque cauſa proueniat irregularitatem inducit, & hominem inhabilem reddit ad promotionem,& a promotis deiicit. Similiter priuatus membro paruo & occulto ſponte,& ſine iuſta cauſa, ab ordinatione repellitur, & ab ordinatis deiicitur, ſiue ipſe abſciderit, ſiue alius ex ſua culpa, & hoc verum, etiamſi ea abſciſſio, nec impediat miniſterium Ordinis, nec notabilem deformitatem inducat; vnde abſcindens propria voluntate pudenda, vel ſine iuſta cauſa permittens amputari, eſt irregularis, etiamſi id faceret cauſa caſtitatis, exiſtimans ſe obſequium præſtare Deo, *cap. ſi quis abſcidit, & cap. qui partem, diſt. 55. & cap. Maritum, diſt. 33.* Sic etiam qui abſcindit partem membri eſt irregularis, vt qui abſcidit partem digiti, aut teſticulos, ſine amiſsione membri genitalis, aut etiam debilitauit mẽbrum, aut partem eius ſi per indignationem vel impatientiam id fecit, præſertim ſi notoria ſit abſciſſio. Ita Nauar.

Nauar. Nouar. Sayr. Dian. *in Man. cap. 27. num.* 198. Couarruuias *in Clement. Si furioſus, par.* 1. *init relect. n.* 6. Sayr. *loc. cit. n. 9. & ſeq.* citans multos. Vide Dian. *p. 4. tr. 2. reſ. 60.*

10. *Tertium*. Defectus membri alicuius occulti, qui notabilem deformitatem in facie, manibus, aut corpore non generat, ſi ex propria culpa non acciderit, irregularitatem non inducit. Vnde ſi ex cauſa iniuſta, non autem ſponte, ſed inuitus, puta, ſi ab inimicis per inſidias, aut vim aut etiam ſit ita natus, aut puer in cunabulis virilia amiſerit, aut aliud membrum occultum non generans deformitatem, talis promoueri poteſt & in ſuſceptis miniſtrare, *cap. ſi quis à medicis, cap. Eunuchus, cap. ſi quis pro ægritudine, cap. ſi quis in infirmitate, diſt. 55.* Ita Suarez *diſp.* Suarez. Molina Nauar.
51. ſect. 2. Molina *loco cit. diſp. 70.* Nauarr. *in Man. cap. 27. n. 199. verſ. Tertio dico*,& alii communiter.

11. Illiteratus qui ob defectum literaturæ irregularis dicitur, ſiue ante, ſiue poſt Concilium Tridentinum, eſt ille, qui latinè legere & ſcribere neſcit, aut qui linguam latinam arte vel vſu non didicit; quia qui ſic ignarus eſt, dicitur eſſe abſque literis, vt colligi poteſt ex *c. final. de ætate & qualitat. ordinand. & cap. final. de tempor. ordinand. in ſexto*. Et hæc literatura ſufficit, vt quis irregularis non ſit ob defectum literaturæ in iure requiſitæ, literatura verò, quam Tridentinum ad ſingulos Ordines requirit, eſt literatura, quæ iure naturali requiritur, vt quiſque ſciat benè ea, quæ ad ſuum Officium pertinent, vt illud rectè,& debito modo facere & exercere queat. Nauarrus *in cap.* Nauar. Vival. Sayr.
Si quando, de reſcript. Viualdus *tract. de irregul. num.* 93. Sayrus *l. 6. c. 13. n. 5.*

12. Vt filius illegitimè natus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, ex communi Doctorum ſententia requiritur vt tempore generationis, quo filius eſt genitus, parentes inter ſe contrahere poſſent matrimonium, ſi cõſenſus adfuiſſet. Si enim tunc habent aliquod impedimentum dirimens, quo ad matrimonium contrahendum inter ſe ſint inhabiles, licet ſe moto illo impedimento poſtea contrahant, non fit legitimus filius ante generatus per matrimonium ſubſequens, atque ita manet irregularis, ex *capite Tanta, qui filij ſint legitimi*. Ex quo infertur *Primò*, filios natos ex coitu fornicatio etiam domi, minimè cohabitante concubina per ſubſequens parentum matrimonium legitimos eſſe. *Secundò*, filium ſuſceptum ex religioſo & concubina, vel ex religioſa, intra annum probationis per ſubſequens matrimonium fieri legitimum. *Tertiò*, ſequitur, quòd habens filios ex concubina, licet alter parentum contrahat matrimonium cum alio, vel cum alia poſt conceptum filium, ſi defunctis eorum coniugibus, inter ſe contrahant matrimonium, proles quę concepta erat primo tẽpore, quo ſoluti erant, fit legitima nõ obſtantibus nuptiis intermediis. Ratio horum eſt, quia tempore conceptionis parentes inter ſe matrimonium contrahere poterant. E contra, qui ex coitu inceſtuoſo, puta ex affinitate, vel conſanguinitate ſcienter geniti ſunt, & poſtea Papa diſpenſat & per illã diſpenſationem parentes matrimoniũ contrahunt, filius per ſubſequens matrimonium non fit legitimus. Ratio eſt, quia tempore generationis parentes nõ erant apti ad legitimum matrimonium contrahendum. Poteſt tamen Papa facere vt ſua prouiſio & diſpẽſatio inducat plenum effectum, etiam quoad pręterita, & ita poteſt Papa tollere impedimenta, quæ erant Sayr. Couar. Sylueſt.
tempore conceptionis. De quibus plura apud Sayrum *l. 6. c. 10. n. 15. & ſequent.* Couarruuiam *in Epitom. 4. decretal. p. 2. c. 8. §. 2. & 3.* Syluestrum *verb. illegitimus, & verb. Legitimus*,& alios

13. Illegitimus qui ſine diſpenſatione ad aliquem Ordinem promotus eſt, antequam parentes ipſius matrimonio inter ſe coniungerentur, poteſt poſt initum tale matrimonium, per quod factus eſt legitimus. Ordinem ſuſceptum exercere, ad altiorem aſcendere, ſine diſpenſatione. Nam per illam ſuſceptionem Ordinis, non incurrit nouam irregularitatem, ſed tantùm ſuſpenſionem ab executione ſuſcepti, atque illa cui ſubiiciebatur ex defectu natalium purgata eſt omninò per ſequens matrimonium, per quod verè effectus eſt legitimus. Quia igitur nulla ei ſupereſt irregularitas, nulla opus habet diſpenſatione. Ceſſat pariter, ſuſpẽſio ſecuta ex illa ordinatione, nam ceſſat effectus ceſſante ipſius cauſa. Ideoque ſicut ordinatus ante ætatẽ, hoc ipſo quod ętas debita aduenit, poteſt ſine diſpẽſatione exercere ſuſceptos Ordines ita & is qui adhuc illegitimus ordinatus eſt, poſteà prædicto modo factus legitimus, in ſuſceptis Ordinibus ſine diſpẽſatione miniſtrare, niſi fortè

antea

antea præſumpſerit exercere Ordinem ſuſceptum: in hoc enim caſu nouam irregularitatem incurrit, eo quod in ſuſpenſionem Ordinem exercuerit, vnde poſt legitimationem aduenientem, opus habet diſpenſatione. Ita Regi- Regin. Dian. naldus *l.30.tr.2.num.71.* Diana *p.4.tract.2.reſ.59.* & alij.

14. Qui auctoritate legis ciuilis, vel Principis ſæcularis ſuperiorem temporalem non agnoſcentis, ex illegitimo factus eſt legitimus, non poteſt ad Ordines ſine diſpenſatione promoueri: iuxta *cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Ratio eſt, quia cùm poteſtas ſæcularis determinata ſit ad res ſæculares, ideoque non ſe extendat ad Ordines & dignitates Eccleſiaſticas, ne quidem indirectè; cum id quod minus eſt, vt ſæculare, non trahat ſecum id quod maius eſt, vt ſpirituale, ſequitur quod talis legitimatio quoad ſæcularia id eſt, quoad dignitates & ſucceſſiones ſæculares locum tantummodò habet in terris ſubiectis poteſtati Principis legitimantis & quoad ſola ſæcularia; neque ſe extendit ad Ordines & dignitates Eccleſiaſticas, quæ ſæculari poteſtati non ſubſunt, vt pluri- Couar. bus docet Couaruuias *in Epitom.4. decretalium, cap.8.§.* D. Anto. 8. & Diuus Antoninus *3.p.tit.28.cap.4.§.1. in fine.*

15. Difficultas eſt inter Doctores, ad quem Principem ſpectet legitimare filium Clerici ex ſacrilegio natum, hoc eſt filium Sacerdotis, vel alicuius in ſacris Ordinibus conſtituti. Quidam docent ad ciuilem Principem hoc ſpectare, vt tanquam hæres ſuccedat in bonis profanis patris hoc eſt, in bonis ipſius patrimonialibus, ac vt poſſit ad dignitates, honores, ad munera, ac officia ciuilia promoueri. Ratio eſt, quia filius huiuſmodi eſt laicus, & eſt Principis ſæcularis poteſtati & iuriſdictioni ſubiectus. Tum quia ſolum reſtituitur natalibus in iis, quæ profana & ciuilia ſunt, & vt fungi poſſit ciuilibus officijs: ergo ad ciuilem Principem pertinet, ius natalium ipſi concedere. Ita Couar. Conarruuias *in Epitom. de matrim. c.8.§.8.n.19.* dicens hanc eſſe communem ſententiam. Nihilominus alii ſuſtinent, hanc natalium reſtitutionem eſſe petendam à Summo Pontifice, non à Principe ſæculari, quia Clericorum bona ſunt a Principum ciuilium iuriſdictione libera & exempta: tum quia filius legitimus non fit, niſi conſentiente patre: at pater cùm Clericus ſit, etiam ſponte ſua nequit coram Iudice ſæculari cauſam aliquam tractare, *c. ſi diligenti, de foro competent.* Domin. Ita Dominicus *in cap. vlt. §.1. de* Pariſius. *elect. in ſexto*, Paulus Pariſius *lib. 2. conſil.2.num.23.* & alij. His poſitis, tutius eſſet ab vtroque Principe, legitimationem poſtulare. Si tamen filius etiam Clericus fuerit, nõ niſi à Põtifice maximo poteſt legitimis natalibus reſtitui; quia legitimatio eſt actus iuriſdictionis, ſed Clericos a ſeculari poteſtate exemptos eſſe ex ſe patet. Ita Decius *con-* Decius. Diana. Ponti⁹. *ſil. 150.* Diana *p. 1. tract.2.reſolut. 112.* qui citat Baſilium Pontium, & alios. Contra Couarruuiam *ſupra.* Sed plura de his infra.

16. Si qui, illegitimus in ſæculo abſque diſpẽſatione ad Ordines promoueatur, iuxta quorumdam ſententiam, nõ poterit effectus profeſſus in eis miniſtrare: quia *cap. 1. de filijs Presbyt.* dum hanc irregularitatem aboleri decidit profeſſione, loquitur ad effectum Ordines ſuſcipiendi; & cùm contineat diſpenſationem quandam, ea eſt ſtrictè in- Sayr. Angelus. telligenda. Ita docent Sayr. *de cenſur. lib.6. cap. 11.n.3.* Angelus *in 4. q. de Sacram. Ordinis, art.4.diffic.1. concl.5.* Sed verius eſt eam irregularitatem prorſus quoad Ordines ſuſcipiẽdos, & ſuſceptorũ vsũ aboleri per profeſſionem Religionis approbatæ. Ratio eſt, tum quia diſpenſatio non vni vel alteri, ſed fauore totius religioſi ſtatus cõceſſa, eſt latè interpretanda; Tum quia multò facilior eſt diſpenſatio quoad vſum Ordinum ſuſceptorum, quàm quoad promotionẽ; & ideò in multis caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad vſum cũ malè promotis, in quibus nequit ad promotionem diſpẽſare: vt videre eſt apud Syluest. Henriq. Syluestr. *verb. Diſpenſatio, q.10.n.16.* & Henriq. *l.14. de irregul. c.19.* Tũ quia exceptio in textu *c.1. de filijs Presbyt.* addita, ibi: *Prælationem verò nullatenus habeant*, id non obſcurè incidat: quia in ea exceptione voluit Pontifex clarè indicare, ſolùm quoad prælationes permanere hanc irregularitatem poſt poſſeſſionem. Ita Vecchis *in praxi No-* Vechis. Diana. Sanchez. *uit. diſp.13.dub.6.nu.3.* Diana *p.4.tr.2.reſ.65. in fine*, poſt Sanch. *l.5. moral c.5.n.10.*

17. Filii ſuſcepti ab infidelibus cenſentur legitimi, ſi parentes tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundùm leges ipſorum, ſed inualidum ſecundùm leges Canonicas; quoniam filij cenſentur illegitimi, quando non oriuntur ex matrimonio valido: Sed prędicti filij orti ſunt ex matrimonio valido: quia matrimonium infidelium non diſſoluitur per ipſorum conuerſionem ad fidem; niſi ſit inualidum propter impedimentum iuris naturæ, aut propter impedimentum inductum à Principibus ipſorum *c. de infidelium, de conſanguinit. & affinit.* Sayr. *l.* Sayr. Regin. *6.c.10 n.35.* Reginaldus *lib.30.tr.2.n.77.* & alij cõmuniter.

18. Quamuis obligati ad ratiocinia impediantur ne Ordines recipiant, vt patet ex *c. unico. de obligatis ad ratiocinia.* Non repelluntur tamen ab Ordinibus, qui curam pauperum ſuſceperunt, maximè ſi hoc fecerunt de licentia Epiſcopi, aut ex neceſſitate, qua per legis diſpoſitionẽ ad tale munus obeundum obligentur: licet enim Clericis vetitum ſit tutoris officium ſuſcipere, vt patet ex *cauſa 21. q.3.* tamen ex cauſa pietatis illud ſuſcipere poſſunt, eòque ſuſcepto non arcentur ab Ordinum vſu, vt colligitur ex *cap. peruenit. diſt 86.* & docent Suarez *de cenſur. diſp. 51.* Suarez. *ſect.3.num.17.* Maiolus *de irregul. l.2. cap.5.* & alij com- Maiol. muniter apud Dianam *p.4.tr.2.reſol.98.* qui cum aliis Do- Dian. ctoribus inibi citatis aduertit Principum Conſiliarios, iudices & Officiales Epiſcoporum & adminiſtratores rerũ Eccleſiaſticarum, imò rerum piarum, quamuis, ſæcularium, ordinari poſſe, quod deducitur etiam ex *c.1. diſt.88.*

19. Teſtis in cauſa ſanguinis fit irregularis, nec ei prodeſt proteſtatio ad euitandam irregularitatem, vt habet ſententia communis Doctorum. Aliqui tamen probabiliter cenſent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel iure naturæ, vel iuſto Iudicis præcepto ad teſtimoniũ ferendum, & multo potiori ratione, quando ad id graui metu obligatur. Ratio eſt, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis, ſed hic nullus eſt defectus lenitatis, quia hic ſolùm reperitur in voluntariè occidente ſicut faciunt miniſtri iuſtitię, qui ſponte talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occiſionem obligant: hic autem omninò inuoluntariè ad alterius mortem concurrit, & quadam neceſſitate antecedente voluntatem, qua ratione diſtinguitur à iudice, & aliis, qui liberè ſuſcipiendo officium, cenſetur etiam ſe obligare ad pœnam ſanguinis interdum infligendam. Ita Conink *de Sacram. diſp. 18.* Conin. *d. b.10.n.56.* Auila *de cenſur. par.7.diſput.5.ſect.2. dub. 12.* Auila. *concl.2.* Præpoſitus *in tertia parte, quaſt. 5. de irregularitate, dub.13.n.105.* Mercerus *de Sacram. in 3. p.* D. Thom. Præpoſ. Mercer. D. Tho. *quaſt.24. dub.8.*

20. Prælatus, qui petitur à ſuis Officialibus, quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis circa aliquem particularem caſum, poteſt reſpondere; facite quod leges ſtatuunt, conſulite peritos, homicidæ pœna mortis puniuntur, graſſatores viarum ſecundùm leges ſuſpenduntur, &c Quare Prelatus ſic reſpondens non fit irregularis, cũ nõ inducat ad hunc occidendum vel mutilandum, ſed ſolùm in genere declaret leges, & id quod ſecundùm leges faciendum Bonac. eſt. Ita Bonacina *de irregul. diſp.7.q.4.punct.1.num.30.* & alij.

21. Quamuis Clericus in Sacris exercens chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem, morte ſecuta fiat irregularis licet adhibuerit neceſſariam diligentiam, vt docẽt *Nauarrus, Toletus, Suarez, Sayrus*, & alij citati *tom. 1. verb. irregularitas VII. num.6. in f.* quia dat operam rei illicitę & prohibitę, & ita videtur determinatum in *cap. tua nos, de homicid.* quod tamen alii non admittunt, vt in *bi lit. g.* diximus. Poſita nihilominus dicta ſententia, dicendum eſt *primò*, quod in *d. cap. tua nos* illa actio Monachis, & Clericis in Sacris non prohibetur in extrema neceſſitate, quando non adeſt alias Chirurgus, vel quando adeſt ignorantia inuincibilis huius prohibitionis. *Secundò*, quãdo Monachus vel Clericus applicaret emplaſtrum mollificatiuum quo apoſtema ſeſe aperit, & mors inde ſequitur ſine eorũ culpa; quia in *d. cap.* agitur de ſciſſione & aduſtione. *Tertiò*, ſi ſupradicti ſecundùm peritiam artis iubeant inciſionem, aduſtionem, & mors inde ſequatur; quia pœna lata contra facientes, non ligat mandantes, neque conſulentes, niſi exprimantur. *Quartò*, ſi mors eſt ſecuta propter morbi grauitatem, & non ex aduſtione vel abſciſſione; In his caſibus non incurritur irregularitas. Ita

Molin. Turrien. Sotus. Rodriq.

Molina *tom.4.diſp.75.num.5.* Turrianus *de cenſur. lib. 5. diſp.6.part.1. dub.* 10.*concl.*5. & alii, quibus adhæret Rodriquez *in ſum. Latin. cap.176. num.9. & 10.part.* 1. Qui cum Molina ſuſtinet iure prohibitum non eſſe initiatis Ordinibus Sacris venam aperire: quia venæ apertio non eſt Chirurgiæ actus, nec ad Chirurgos ſpectat, ſed ad tonſores, qui ad præſcriptum Medicorum & Chirurgorum venas ſcindunt, in pœnalibus autem odioſis, vt ſunt prohibitiones, quę irregularitatem inducunt, facienda non eſt extenſio à paritate, imò neque à maioritate rationis eorum quæ diſpoſita comperiuntur in iure. Ita Molina *ſupra cit. num.* 4. licet contrarium ſic etiam probabile, vt docent *Auila, & Bonacina.*

Molina.

22. Nonnullorum ſententia eſt irregularitatem ex defectu lenitatis contrahi ante Baptiſmum, ita vt ſit quis antequam eſſet baptizatus exercendo iudicis officium occidit, vel mutilauit, ſit irregularis, nec irregularitatem hanc tolli per Baptiſmum cùm contrahatur abſque delicto. Secus dicendum eſſe volunt, vbi homicidium ex peccato acciderit, licet irregularitas incurratur, illa tamẽ ſimul cum peccato per Baptiſmum tollitur. Ita Gloſſa *in cap. ſi quis viduam, diſtinct.50. in verb. poſt Baptiſmum*, vbi Archidiaconus, Dominicus & alii. Rectiùs tamen alij arbitrantur hanc irregularitatem non contrahi ante Baptiſmum: quia nulla eſt irregularitas niſi ſit in iure expreſſa, vti habet textus *cap. is qui, de ſentent.excom.in 6.* Iura verò quæ occidentibus, vel mutilantibus irregularitatem imponunt, clarè loquuntur de iis, qui occidunt vel mutilant poſt Baptiſmum *cap. ſi quis poſt baptiſm.diſt.*51. & docent Syluester *v. Homicidium 3.q.2. verſ. primum*, Couarruuias *in element. Si furioſus part.1 §.2.num. 5. de homicid.* Nauar. *in man.cap.27 n.209.* & alij quos refert & ſequitur Sayrus *l.6.c.15.n.*10. Vnde tradi ſolet à Doctoribus hæc regula, vt cognoſcatur, quando hæc irregularitas ex defectu lenitatis incurratur, quæ talis eſt. *Omnis & ſolus ille qui poſt Baptiſmum occidit, aut mutilat hominem caſu licite, aut cauſam propinquam præbet, vt talia fiant, vel citius fiant, extra inculpabilẽ neceſſitatem vitæ defendendæ & c. irregularis eſt.* Quæ regula tam laicis, quàm Clericis conuenit.

Gloſſa.

Syluest. Couar. Nauar. Sayr.

23. Clericus cauſam ciuilem deferens ad iudicem ſæcularem, aut de leui delicto accuſans quod non eſt dignum pœna mortis, aut mutilationis non tenetur iure communi proteſtationem vllam præmittere in denunciando, nec irregularis erit ſi abſque proteſtatione denunciet, ſecuta morte illata per iudicem excedentem iuſtitiæ limites; vel ob aliquod aliud crimen in delinquente deprehenſum, de quo non cogitauit Clericus denunciando. Si autem Clericus accuſans ciuiliter prævideat probabiliter delinquentem periculum incurrere pęnæ ſanguinis, tunc requiritur proteſtatio ne fiat irregularis: quia eſt periculum probabile pœnæ ſanguinis, cui periculo denuncians obuiare debuit. Ita Nauarrus *in manual. c. 27. num.*214. Henriquez *lib.14.cap.11.§.5. & cap.12. §.* 8. Couarruuias *in Clement. Si furioſus, part 2.§ 5.numero. 3. verſ. Octauò, & verſ. None.*

Nauar. Henriq. Couar.

24. Quando Clericus crimen defert ad Iudicem Eccleſiaſticum, nulla tunc proteſtatio requiritur. Ratio eſt, quia Iudex Eccleſiaſticus non poteſt imponere pœnam ſanguinis, vnde proteſtatio ſolùm neceſſaria eſt, cùm malefactores in cauſa ſanguinis apud Iudicem ſęcularem denunciat aut accuſat. Et ita ſi Clericus denunciet Hæreticos apud Inquiſitores fidei, non tenetur facere prædictam proteſtationem, nec erit irregularis, ſi poſtea Hæreticus denunciatus & conuictus apud Inquiſitores tradatur curiæ ſæculari, & comburatur. Ita Felin. *in c. poſtulaſti, de homicid.* docens, quod quando cauſa incipit in iudicio Eccleſiaſtico, ſiue coram Iudice Eccleſiaſtico & finitur apud Iudicem ſæcularem, non requiritur proteſtatio. Et huic doctrinæ ſubſcribit Henriquez *lib. 14. cap.* 11. §. 5. cum aliis.

Felinus.

Henriq.

25. Quotieſcumque Clerici in Sacris Regulares & alii Beneficiarij, imò & alij quicumq. Clerici licet non ſint in Sacris, interſunt ſententiæ, aut executioni pœnæ mortis, quaſi auctoritatem, conſilium, auxilium, fauorem, aut operam præſtantes, irregulares ſunt, vt ex *cap. ex literis, de exceſſ. Prælator. & cap. Sententiam, ne Clerici vel Monachi*, colligi poteſt. Si tamen interſint nullam præſtando authoritatem, incurrunt irregularitatem. An autem peccent mortaliter? quidam affirmant, ſi adſint ex cauſa iniuſta, puta curioſitate, vt ſcilicet aliquam pulchram mulierem occidendam videant, vel vt verba aliqua ab executoribus iocosè ſolita dici, aut aliud ſimile. Ita Viualdus *tract. de irregul.num.276.& 277* Nauarr. *in man. cap.27. num.214.verſ. Quinto* Henriquez *lib.14.cap.12.§.7.* Sayrus *lib.6.cap.18.num.20.* Alii putant peccare tantùm venialiter ſi aſſiſtant ex curioſitate ob paruitatem materiæ. Ita Suarez *de cenſur.diſp.47 ſect.4.num.* 10. & alii, quia licet Clericus ſit prohibitum *in cap. ſententiam ſanguinis* ſupra, ne ſe immiſceant in cauſa ſanguinis, tamen hæc materia eſt leuis. Diana autem *par.4.tr.2. reſol.* 35. putat non peccare, neque venialiter: quia Canones hoc prohibentes videntur contraria conſuetudine abrogati, vel intelligendi ſunt de Clericis auxilium & fauorem ſua pręſentia præſtantibus. Cuius ſententia non eſt improbabilis.

Vital. Nauar. Henriq.

Suar.

Dian.

26. Irregularis eſt Clericus in bello iuſto præbens arma quæ apud ſe habet, militi non habenti, vt mortem alterius exequatur, v.g. ſi præbendo arma dicat, cape arma, & occide illum. Si tamen Clericus arma præbent militi vt ſe & bona ſua defendat; vel vt ſuum officium faciat, verius eſt irregularitatem non incurri, dummodo non intendat occiſionem alicuius in particulari, quamuis intendat occiſionem hoſtium in generali. Ratio eſt, quia talis conceſſio armorum, non eſt propinqua cauſa occiſionis alicuius in particulari, ſed per accidens hinc eſt, quod hic vel ille poſtea his armis occidatur, Ita Nauarrus. *in man. cap.27.num.*215. Henriquez *lib. 14 cap.11.§. 4.* Sayrus *de cenſur.lib.6.cap.19.num.* 11. & 12. & alij. In hoc enim caſu præbere arma militi ſolùm vt pugnet, vt ſe & bona ſua in bello iuſto defendat, perinde eſt ac hortari militem vt pugnet, vt vincat, vt bellet, atqui non incurritur irregularitas à Clerico ſi hortetur milites in bello iuſto, vt pugnent, vt vincant ex ſententia communi, vt diximus *tom. 1 verb. irregularitas V. num.* 16 Imo aliqui ſuſtinent Clericum non incurrere irregularitatem, qui in bello iuſto incitat ad aliquem determinatè occidendum. Ratio eſt, quia perſuaſio totius exercitus ad ſtrenuè pugnandum eſt coniuncta cum perſuaſione ad hominum cædes & mutilationes, ſed illa non contrahitur, irregularitas ergo neque hac. Tum quia ſtrenua pugna totius exercitus, non poteſt phyſicè ſeparari à cedibus & mutilatione. Quomodo enim poteſt acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hoſtium cadat. Tum quia irregularitas ex defectu lenitatis incurritur tantùm ab illis, qui concurrunt aliquo modo ad mortem, vt iuſtitiæ miniſtri, ſecus autem ab aliis, ſi non ſit in iure expreſſa, vt poſt Vaſquez & alios annotauimus *tom.1.v. Irregularitas V. num.3. edit.3. in fine.* Vnde ſecundùm hanc ſententiam, niſi Clericus ipſe ad necem concurrens mouens arma ſuis manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem, non eſt irregularis, licet alias ſit cauſa proxima, vt alij occidant, exhortando milites in generali, ac etiam in particulari ad hoſtes ad occidendos. Ita Turrianus *in 2.2.tom.1.diſp.93.dub.* 2. Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſp.169.ſect.2.§.137.145.& 143.* quos ſequitur Diana *part.5.tract.14.reſol.* 98.

Nauar. Henriq. Sayr.

Turrian. Hurt. de Mend. Diana.

27. Dubius, an in bello iuſto aliquem occiderit, vel mutilauerit, ita vt non habeat maius indicium ad vnam partem, quàm ad aliam, tunc tutior pars eligenda eſt, & ſe debet reputare irregularem, *argum. cap. ad audientiam de homicid. & cap. Illud, & cap. Apoſtolica, de cleric. excom. miniſtrant.* & docent Bonacina *de irregul. diſp. 7. quæſt.4. punct.4.num.* 10. Sayrus *lib.6.cap.19.num.* 13. & alij ferè communiter. Nihilominus non videtur improbabile, quòd non teneatur ſe habere tanquã irregularem, quia in *c. petitio tua, de homicid.* Pontifex dicit, *Mandamus, quatenus ſi de interfectione cuiuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordeat, à miniſterio Altaris abſtineas reuerenter.* Hoc autẽ non contingit, quando nullum probabile iudiciũ formari poteſt. Et certè ſi ſolùm dubium ſufficeret ad irregularitatem in iis qui pugnant in bello iuſto innumeri eſſent irregulares. Et ideò hanc ſententiam docent Præpoſitus *in 3.p.q.5.de irregul.dub.12.n.97.* Aula *part. 7. diſp.6 ſect.3.dub.2.concluſ.3.* Merolla *in diſp. Theolog.t.1.*

Bonac. Sayr.

Præpoſ. Aula. Merolla.

diſp.

Digitized by Google

Sanch. Dian.

*diſp.3.cap.3.num.*252. Sanchez *lib.1.moral.cap.*10.*nu.* 50. Diana *par 3.tract.5 reſol.*72. dicentes, quod licet in dubio homicidij irregularitas præſumatur, hoc tamen non eſt extendendum ad dubium homicidij iuſti, v.g. in bello commiſſi: quia iura loquuntur de caſu homicidij prohibiti.

Pius II.

28. Ante Bullam Pij II. quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, ordinatus ante legitimam ætatem, non fuit ipſo iure ſuſpenſus, ſed ſuſpendi poterat; & erat impeditus ab vſu ordinum ſic ſuſceptorum interim dũ legitima carebat ætate, ſed non per nouam aliquam irregularitatem aut ſuſpenſionem, ſed per illam eandem antiquam, qua quis irregularis eſt interim dum legitimam ætatem non habet. Nunc verò poſt dictam Bullam ordinatus aliquo ſacro ordine ante legitimam ætatem, ipſo facto eſt ſuſpenſus & ſi ſcienter actum aliquem ſacri ordinis proprium in ſuſpenſione faciat; in nouam irregularitatem incidit. Notandum tamen eſt, tam in foro exteriori, quàm interiori, excuſari eum ab irregularitate, qui bona fide & probabili ignorantia miniſtrauit in ordine ſacro ſuſcepto, & etiam bona fide illum ſuſcepit, putans id ſibi licere, alioquin nec miniſtraturus in illo ordine, nec illum ſuſcepturus: quia in dicta Extrau. *Cum ex Sacrorum* ponitur verbum *Præſumpſerint*. Vnde pœna hæc irregularitatis ſolùm imponitur ei, qui præſumpſerit miniſtrare. Si quis autẽ ante legitimam ætatem Ordines minores ſuſcipiat & in eis miniſtret, nec ſuſpenſus eſt, nec irregularitatem nouam incurrit: quia *cap. vel non eſt compos de tempor. ordin.* non fit mentio de Ordinibus minoribus. Et Bulla Pij II. ſolùm loquitur de Ordinibus ſacris ante legitimã ætatem ſuſceptis. Ita Nauar. *in man.cap.25.num.70. & c.27.num.*155. *verſ. Tertio, & num.*241. Sayrus *de cenſur.lib.6.cap.*12.*n.* 6.*& ſequent.* & alii apud ipſum.

Nauar. Sayr.

Vide verb. Ignorantia *n.* 12. t.t. Beneficium 2. *num.* 5. Accuſatio *num.*6.

IRREGVLARITAS VI.

De irregularitate proueniente ex aliquo defectu.

De irregularitate ex delicto homicidij voluntarij.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex poſſit contingere irregularitas proueniens ex homicidio voluntario.*

2 *Quæ hominis occiſio, vel membri abſciſſio inducat irregularitatem?*

3 *An mandans tacitè vel expreſsè homicidium, reus ſit homicidij & irregularis?*

4 *An conſulens illicitè homicidium aut membri abſciſſionem, ſecuta morte vel mutilatione ſit regularis & reus homicidij? An ſit irregularis, qui alteri ſuadet furtum, cui ſcit impendere ſupplicium capitis?*

5 *Ab auxiliantes aut cooperatores ad homicidium, rei ſint homicidij & irregulares?*

6 *Qui ſint dicendi irregulares, quãdo vnus percuſſit leuiter, ſed alij poſtea accedentes lethaliter percuſſerunt?*

7 *An ſit irregularis qui iniuſte percuſſit, leuiter tamen & non mortiferè, ſi ſequatur mors ex negligentia Medici, aut Chirurgi, & malo regimine ipſius percuſſi?* refertur duplex ſententia.

8 *An cenſendus ſit irregularis, qui rixam habens cum altero, admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali alteri inferant, ſi accurrentes occidant alterum, huius intuitu: & quid dicendum de illo qui alteri tradit arma, ad occidendum alium?*

9 *An irregularitatẽ incurrat qui tenetur ex officio, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione alterum defendere, & non defendit, ſi homicidium ſequatur, & an Dominus non impediens homicidium patrandum à famulo, fiat irregularis? An Clericus irregularitatem incurrat, ſi non impediat abortionem fœminæ a ſe prægnantis redditæ?*

10 *An contrahatur irregularitas ex ſola ratihabitione homicidij ab alio commiſſi, licet ſuo nomine?* refertur duplex ſententia.

11 *Quis poſſit diſpenſare in qualibet irregularitate proueniente ex homicidio?*

12 *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali proueniente? An id poſſint Prælati regulares?*

13 *An habens facultatem diſpenſandi in irregularitate, excepta illa quæ prouenit ex homicidio voluntario, poſſit etiam diſpenſare ab irregularitate proueniente ex homicidio, non ſolum caſuali, ſed etiam ex non caſuali, & ex defectu perfectæ lenitatis?* refertur duplex ſententia.

Et an irregularitas contracta ex mutilatione, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis.

1 PRima *ſpecies* irregularitatis ex delicto, enumeratur, illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, quod dupliciter contingere poteſt: *Primò* abſolutè, directè & in ſe formaliter, quando ſcilicet illud intenditur ab agẽte. *Secundò* eſt volũtariũ indirectè & ſecundũ quid, quando ſcilicet non intenditur quidẽ in ſe directè, explicitè & in actu ſignato, nihilominus cenſetur & reputatur intentum, in actu exercito, eò quòd aliquid actu fiat per ſe & immediate ordinatum ad illum effectum, vt, qui enſe grauiter ferit alterum in capite, non intendens mortem, cenſetur velle mortem indirectè & in actu exercito. Suarez *d.44.ſect.*1.*num.*4. Toletus *lib.*1.*cap.*71.*num.*10. Diana 4.*part.tract.*2.*reſ.*71. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 1.*q.*2. Bonacina *d.7.q.4.p.8.num.*1. & alii. *Homicidium* autem poteſt dici voluntarium, vel caſuale, reſpectu mandantis, vel conſulentis, tunc enim eſt voluntarium, quando intenditur à mandante, vel conſulente, aut etiam quando mandãs mandauit aliquid ex quo facilè ſequi poteſt mors alterius, & fieri poteſt vt homicidium reſpectu mandantis, vel cõſulentis ſit voluntarium, reſpectu verò exequentis mandatum vel conſilium ſit caſuale, vel è contra: vt ſi mandans intendat mortem, mandatarius verò velit leuiorem iniuriam inferre, ſed errore manus vel alia de cauſa contingit lethale vulnus, vel è contra. Molina *diſp.* 35. Sayr. *lib.7.cap.*1.*num.*11. Filliuc. *c.num.*32.

Suarez. Toletus. Dian. Filliucius. Bonac.

Molin. Sayr. Filliuc.

2. *Homo baptizatus* occidens, vel abſcindens alterius membrum voluntariè ſimpliciter, vel ſecundum quid, eſt irregularis ſecuta morte aut mutilatione. *c. homicid. de pœnit. diſt.* 1. Idem *dicendum* de illo, qui caſualiter cum mortali culpa occidit vel mutilat: & qui abſque iuſta cauſa ſibi membrum amputat, etiamſi membrum debilitatum eſſet vel aridum, modò mutilans non ſit Chirurgus vel Medicus, qui hoc faciat ex præſcripto artis: tamen irregularis non eſt, qui non abſcindit, ſed debilitat tantùm vel reddit inutile membrum alterius, vel qui reddit aliquem cæcum, non eruẽdo illi oculum, aut qui claudum aliquem reddit abſque membri mutilatione, vel qui alteri digitum abſcindit, nam digitus non eſt membrum ſed pars membri, vel qui mutilat cadauer, quia hæc non dicitur hominis mutilatio Sayrus. *lib.7.c.*1. Suarez *d.44 ſect.*2. Nauar. *cap* 27.*num.*207. Toletus *lib.1.cap.*71.*num.* 3. Filliuc. *tra.* 20.*c.*1. Reginald. *l* 30.*n.*93. & alii.

Sayr. Suarez. Nauar. Toletus. Filliuc. Regin.

Verumtamen, quamuis qui abſcindit alteri digitum, vel infligit vulnus in facie etiam cum magna ſanguinis effuſione, non ſit irregularis, quia talis non dicitur membrum auferre vel mutilare, abſciſſus tamen digito aut deformiter vulneratus in facie, manet irregularis, ob magnam & ingentem deformitatem. è contra verò amputans alteri membrum virile, remanet irregularis, quia dicitur propriè membrum abſcindere, quamuis ille, cui abſque ſua culpa membrum abſciſſum eſt, non maneat irregularis. Molina *diſp.69.num.*3. Diana *par.* 2 *tract.* 1.*miſcel.reſ.*20. & 4.*par.tract.*2.*reſ.*26.60. Bonac. *d.7.q.4.p* 8. Vgolinus *c.* 4.§ 7. Filliucius *c.num.*12. Suarez *c.num.*4.& 10. Sylueſt. 2.2.*q.*65.*ar.*1.*c.*3. & alij.

Molin. Diana. Bonac. Vgolin. Filiucius Suarez Sylu.

3. *Mandans* tacitè vel expreſsè homicidium, reus eſt homicidij, conſequenter eſt irregularis, & tenetur ad reſtitutionem, niſi expreſsè aut tacitè reuocauerit mandatum, & illius reuocatio innotuerit mandatario, Nauarrus *cap.num.*233. Toletus *lib.*1.*cap.* 78. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2.*n.* 6. Suarez *d.44.ſect.* Filliucius *num.* 27.28.29. Regi-

Nauar. Tolet. Sayr. Suarez. Filliuc.

nal-

Reginal. naldus *c. num.* 124. & alij, quia mandans cenſetur cauſa efficax homicidij & damni: tamen ſi mandatarius occidat alterum poſtquam cognouit pacem initam eſſe inter illum & mandantem, homicidium ſecutum mandanti nõ eſſet imputandum, ſed potius malitiæ mãdatarij: *ſecus dicendum* ſi mandatarius ignorauit pacem & familiaritatem eſſe à mandãte celebratam: quia tunc mandatum nõ cenſetur reuocatum, cùm illius reuocatio non innotuerit mandatario; *Item* reus eſt homicidii & irregularis, qui mandauit verberare, percutere, vel capere, aut in carcerem detrudere ſuum inimicũ; imponendo expreſsè ne occideret, & curaret, ne occideretur; ſed nihilominus mandatarius inimicũ reipſa occidit; quia mãdauit actiones, quę ſunt periculoſę mortis, non adhibitã ſufficienti diligentia ad mortẽ præcauendã. *Cap. final. de homicid. in 6.* Sayr. Diana. Suar. Sayrus *c. num.* 7. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 14. Suar. *diſp.* 45. *ſect.* 2.

4. *Quicumque conſulit* illicitè homicidium, aut membri abſciſſionem illi, qui paratus non erat ad homicidium vel mutilationem patrandã, reus eſt homicidii & irregularis, ſecuta morte vel mutilatione, modò conſulens non retraxerit influxum, quem exhibuerat per ſuum conſilium. Sayr. Toles. *C. ſi quis viduam d.* 50. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 1. Toletus *lib.* 1. *cap.* 79. Conſulens verò homicidium alicui iam parato ad occidendum, non fit irregularis, quia non cenſetur cauſa efficax homicidii, quamuis peccet ratione affectus & intentionis homicidii: Hinc dicendũ illũ eſſe irregularem, qui dedit conſilium faciendi abortum fętus animati anima rationali, ſecuto tamen effectu. Filliuc. Reginal. Diana. Filliucius *tract.* 20. *num.* 19. Reginaldus *l.* 30. *num.* 96. Diana *c. reſ.* 14. & 18.

An autem ſit irregularis, qui non potuit dimouere fęminam à conſilio dato de abortu faciendo, affirmatiuè ex *Nauarro* & *Corduba* reſpondent *Auila* de cenſuris apud *Dianam reſolut.* 15. & hæc ſententia eſt probabilior & tutior; Henriq. Diana. Laymã. quamuis cõtraria Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 5. non ſit improbabilis. Vide deinde Dianam *parte.* 3. *tract.* 5. *miſcel. reſol.* 83. Vbi concludit cum Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. in gratiam Confeſſariorum, ad tollendos omnes ſcrupulos, quòd qui alteri propoſitis rationibus homicidium iniuſtum perſuaſit, ſi eas poſtea seriò & quatenus poteſt efficaciter, retractauit, ſecuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem reſtituendi incurrit, quia in hoc caſu non videtur executor alterius conſilio moueri, ſed potiùs ſua malitia.

Non eſt irregularis, qui alteri ſuadet furtum cui ſcit impendere ſupplicium mortis, quia non peccat contra iuſtitiam circa mortem inferendam latroni, ſed contra fortitudinem, qui conſulit illi, quando & quomodo non oportet, vt ſe exponat periculo vitę: Ratio eſt, quia hoc modo non eſt cauſa homicidii poſitiuè influens, ſed tantùm peccat contra fortitudinem, ſuadendo illi, vt ſe offerat periculo vitæ ſine cauſa; nec is dicitur homicida per ſe, & propriè in iure ad effectum irregularitatis.

Idem eſt de conſulente alteri in bello fugam, cui eſt annexa pœna mortis, quamuis ſciret fugientem exponere ſe periculo capturę & etiam de conſulente alteri, vt fugiat à carcere à quo ſub pœna mortis fugere non poteſt, vel vt effringat carcerem, cui effractioni eſſet impoſita pœna mortis. Vaſq. Caſpẽſis Ita Vaſquez. 1. 2. *diſp.* 100. *art.* 8. *dub.* 3. Caſpenſis noſter *tom.* 2. *tract.* 25. *ſect.* 8. *num.* 38.

5. *Auxiliantes*, aut cooperatores ad homicidium, rei ſunt homicidii & conſequenter irregularitatis, ſecuta morte vel mutilatione: vnde quando plures de communi conſenſu aggreſſi ſunt aliquem hominem, & inuaſus ex vno tantùm vulnere periit, omnes ſunt rei homicidii & irregulares, etiamſi non omnes percuſſerint: ſi verò non ſe concitarũt, nec pręmiſerunt conſilium, ſed ſubita quadam rixa inflixerunt vulnera, & vnus tantùm lethale vulnus inflixit, ille tãtùm videtur reus homicidii, qui lethale vulnus inflixit: quando verò neſcitur quiſnam lethaliter vulnus inflixerit, omnes qui dubitant a ſe lethale vulnus inflictum eſſe, debent ſe tanquam irregulares gerere: quòd ſi plures vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe mortalia, ſed ſimul ſumpta, ſunt cauſa ſufficiens mortis, ſinguli incurrunt irregularitatem. Ita Sayrus *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 12. Molina *d.* 33 *num.* 1. & 7. Reginaldus *c. num.* 160. Suarez *d.* 44. & 45. Filliucius *num.* 109. & *ſeq.* & alii. Sayrus. Molina. Regin. Suarez. Filliuc. *Similiter* quãdo plures percuſſerunt abſque præmiſſo conſilio & conſenſu, & non cõſtat, ex quo vulnere percuſſus obierit, debent omnes ſe tamquam irregulares gerere, quia, in dubio facti homicidii dubitans cenſendus eſt irregularis, vt habetur *cap. Significaſti, de homicidio.* Couar. Diana. Couarruuias *Clementina ſi furioſus, part.* 2. §. 2. Vide Dianam *tract.* 1. *miſcel. reſ.* 18. *p.* 2.

6. Quando vnus percuſſit leuiter, ſed alii poſtea accedentes lethaliter percuſſerunt, abſque cooperatione illius qui leuiter percuſſit, vltimi ſunt irregulares, quia lethaliter percuſſerunt: quando autem primus lethaliter percuſſit, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm percuſſerunt; ſolus primus erit irregularis, modò vulnus illorũ non ſit cooperatum ad mortem citiùs inferendam. Sayrus. Henriq. Nauar. Diana. Sayr. *c. num.* 15. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14. *nu.* 2. Nauarrus *c.* 27. *num.* 223. Diana *tract.* 1. *miſcel. reſ.* 18. *part.* 2.

7. *Plurimi Doctores* affirmante eſſe irregularem eum, qui iniuſtè percuſſit, leuiter tamen & non mortiferè, ſi propter eam percuſſionẽ, vel ex negligentia Medici, aut Chirurgi imperitia, vel culpa & malo regimine ipſius percuſſi, ſequatur mors quia percutiens videtur cauſa ſatis propinqua mortis, quòd vero non fuerit adhibita diligentia in medicamine vulneris, volunt eſſe per accidens reſpectu mortis, percuſſionem vero, ſeu vulnus directè et per ſe ad mortẽ pertinere. Nauar. Syluest. Viuald. Maiol. Sic Nauarrus *cap.* 27. *num.* 223. Sylueſter *v. hom.* 2. *q.* 2. Viualdus *de irregul. num.* 141. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 4. &c. *Alia opinio* negat eſſe irregularẽ, quia illa percuſſio nõ eſt cauſa immediata mortis; et certè, vt ait Sayrus *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 16. Sayrus. quamuis prima opinio videatur communior; hæc tamen ſecunda videtur rationi magis conſentanea, et ſic ſentiunt Toletus *lib.* 1. *cap.* 80. Salon 2. 2. *quaſt.* 64. *art.* 8 Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14 §. 4. et quidam alii. Toletus. Salon. Henriq.

8. Non eſt *cenſetur irregularis*, qui rixam habens cum altero, admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali alteri inferant, etiamſi accurrentes occidant alterum intuitu huius. Reginal. Henriq. Reginaldus *c. num.* 147. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14 *num.* 4. quia ipſe non cenſentur ad mortem cooperari; ſed homicidium reſpectu huius ſequitur per accidẽs: *Irregularis* vero eſt, qui præſtat aliquid præuium ad homicidium, vel ad mutilationem, verbi gratia, tradendo vni arma, quibus alterum occidit, modo ſuſpicionem aliquam habuerit illa arma peti ad malum aliquod patrandum; *ſi verò* neſciuit, nec ſuſpicatus eſt peti ad malum aliquod patrandum, excuſatur ab irregularitate, quia excuſatur à culpa. Molina *c. d.* 33. *memb.* 6. *num.* 6. Molin. Vgolin. Vgolinus *cap.* 17. *num.* 2. *Multò minus* irregularis erit tradens alteri arma ad aliquem occidendũ, ſi ille, cui tradidit arma nõ committit homicidium illis armis, ſed aliis, quia reipſa non cenſetur influere in homicidium Suarez *d.* 45. *ſect.* 3. *num.* 10. Filliucius. *c. num.* 100. & 215. Suarez. Filliuc.

9. *Qui tenetur* ex Officio, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione alterum defendere & non defendit incurrit irregularitatem, ſi voluntariè non impediat homicidium, quod tenebatur ex iuſtitia impedire: quia talis peccat contra iuſtitiam, non impediendo, & cenſetur cauſa moralis homicidii: quando autem tenebatur impedire ex ſola charitate; non incurrit irregularitatem: *hinc* ligãtur irregularitate ſecuta morte Princeps, non impediendo neces; iudex, non impediendo iniuſtam ſententiã contra vitam innocentis; Medicus, non curando eos à quibus pretio conductus eſt; Dominus, non adhibendo diligentiam ne animalia quæ ſub ſuo dominio vel cuſtodia exiſtunt nocumẽtum aut vulnera infligant: hi omnes tenetur ex officio & iuſtitia impedire damna, Suarez. Sayrus. Nauar. Tolet. Henriq. Reginal. Suarez. *d.* 45. *ſect.* 4. *n.* 5. Say. *l.* 7. *c.* 4. *n.* 3. & *ſeq.* Nau. *c.* 27. *n.* 231. 232. Tol. *l.* 1. *c.* 8 3. *n.* 4. Henr. *l.* 14. *cap.* 12. *n.* 7. Regin. *li.* 30. *n.* 168 & *ſeq.* & alii. *Dominus* vero non impediens homicidium patrandum à famulo, non ſit irregularis, ſicut neque pater non impediens homicidium patrandum è filio, modo filius vel famulus non ſit commiſſurus homicidium intuitu patris uel ueri, tunc enim herus uel pater tenetur ex iuſtitia impedire, ſi poteſt, alioquin cenſetur cauſa moralis negatiua homicidii. Bonac. Molina. Toletus. Bonacina *c. p.* 8. *num.* 40. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *d.* 33. Toletus *c. num.* 3. *Notandum*, ta-

tamen hic eſt, quòd nõ impediens homicidiũ, quod tenebatur ex iuſtitia impedire, incurrat irregularitatẽ homicidii voluntarii, ſi non impediuit ex odio, et ex directa intentione, vt occideretur; ſi verò non impediuit, ex aliquo timore humano, vel ex negligentia, aut auaritia, videtur incurrere irregularitatem homicidij caſualis, in qua poterit Epiſcopus diſpenſare: quia hoc homicidium non eſt directè intentum, nec perpetratum, ergo propriè non videtur appellandum voluntarium, ſed caſuale. Suarez *cap. ſect.* 4. *num.* 9. Filliuc. *tract.* 20. *num.* 130.

Suarez. Filliuc.

Sed quid dicendum de Clerico, qui ſciens mulierem à ſe prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea ſobolis abortionem, an irregularitatem incurrat, ſi hanc pro virili non impediat? Rationes pro affirmatiua ſententia ſunt, 1. quia eiuſmodi fornicator videtur teneri fœtũ illũ in vita tueri, tamquam eius generationis cauſa; error autem cui non reſiſtitur, approbatur: et is dicitur reus homicidii, qui cùm commodè potuiſſet, non impediuit alterius occiſionem, *cap. ſignificaſti, de homicidio* 2. Reus eſt homicidii, qui cauſam præbet. Fecit id Clericus, nam impregnando mulierem, eam redegit in has anguſtias, vt aut fœtum ab illa extingui, aut famæ ſuæ iacturã pati eſſet neceſse; ergo Clericus incidet in irregularitatem, ſi eius eiectionem non impediat. Sic ſentiunt Portel *in dub. Reg. v. Abortus n.* 14. citans *Rodriquez, Layman, Auilam*, et alii multi citati à Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 8. Pro negatiua autem adduci poſset quòd Clericus in hoc caſu nõ concurrit nec cooperatur vllo modo poſitiuè, ſed ſolùm merè negatiuè, non defendendo quem defendere tenebatur, irregularitas autem ſolùm incurritur propter cooperationem poſitiuam, ergo etc. Tum quia ſatis probabile eſt patrem non teneri defendere vitam filiorum lege iuſtitiæ, ſed pietatis et officii pater, ergo etc. Vnde hanc ſententiam admittunt tamquam probabilem *Turrianus, Leſſius à Diana* citati, quibus ſubſcribit Lugo nouiſſimè *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 10. *ſect.* 10. *n.* 222. et Caſpenſis noſter *tom.* 2. *tract.* 25. *diſp.* 5. *ſect.* 8. *num.* 38. qui ex præfato fundamẽto infert, contra præcedentem doctrinam, eum qui non impedit homicidium, quod ex iuſtitia tenetur impedire, non incurrere irregularitatem, etiamſi ex dolo non impediat. Ratio eſt, quia licet iſte ſit cauſa moralis, ſeu voluntaria homicidii quod non impedit, et conſequenter influat moraliter, et voluntariè in illud: nihilominus nõ eſt cauſa poſitiua influens poſitiuè, vel opere aliquo, vel auxilio, vel conſilio, et in iure hæc irregularitas non fertur, niſi contra verè et poſitiuè homicidas ſaltem conſilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium. Et pro hac ſententia citantur *Hurtado, Vaſquez, Turrianus, Prapoſitus* apud Dianam 4. *p. tract.* 2. *reſ.* 7.

Portel. Diana. Lugo. Caſpenſis.

10. Nauarrus *cap. n.* 233. Sylueſt. *v. homicid.* 1. *q.* 7. Molina *c. d.* 33. *memb.* 3. et quidam alii dicunt irregularẽ eſse, ratum habentem homicidium ſuo nomine factum, ipſo etiam inſciente; ſecus autem vbi non eſset commiſsum homicidium nomine ratum habentis, ſed alterius, quia ratihabitio retrotrahitur et mandato comparatur; verior tamen et communior opinio docet, non contrahi irregularitatem ex ſola ratihabitione homicidii ab alio cõmiſſi, licet ſuo nomine: quia ratum habens homicidium, quod præcepit, nec conſuluit, liceat peccet peccato mentis et voluntate, nõ tamen peccato homicidii actualis, ita Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 3. Sayr. *c. lib.* 7. *c.* 4. *n.* 17. Filliuc. *n.* 39. & 41. Regin. *lib.* 30. *n.* 140. Diana 4. *p. tract.* 2. *reſol.* 13.

11. *Summus Pontifex* poteſt diſpenſare in qualibet irregularitate prouenient ex homicidio iuſto vel iniuſto, voluntariè vel caſuali, Suar. *d.* 44. *ſect.* 4. *n.* 35. Auila *p.* 7. *d.* 6. *ſect.* 5. quia ſupremam habet poteſtatem in terris, et in impedimentis iuris humani poteſt diſpenſare: *Epiſcopus* tamen nõ poteſt diſpenſare in homicidio voluntario iuſto ſecundùm probabiliorem ſententiam; vel iuſto, quia in Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. & *ſeſſ.* 24. *c.* 6. conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitate prouenient ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: Licet quãdo Doctores ſuſtineant vrgente magna neceſſitate ſcandali, vel alia, et difficili exiſtente recurſu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam diſtantiam, diſpenſare poſse; et hoc ſiuè ex eius ordinaria poteſtate, ſiuè ex tacita Pontificis commiſſione: non enim credendum eſt, Papam ſibi diſpenſationem reſeruaſse in tanto animarum periculo. Et hanc ſententiam docent *Henriq. Sylueſt. Corneio, Auila* quos citat et ſequitur Diana *p.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 100. Diana.

12. *Epiſcopus* poteſt diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali prouenient, modo delictum ſit occultũ: *hinc* ſequitur Epiſcopum poſse diſpenſare cum eo, qui habebat intentionem leuiter percutiendi, ſed accidit vt ſecutum fuerit homicidium: *Item* cum eo, qui cauſa defenſionis commiſit homicidium occultum, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Bonac. *c. punct. vlt.* Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 3. §. 5. Sayr. *l.* 7. *c.* 7. *n.* 22. *Item* cũ eo, qui mandauit ſeruo vt alterum percuteret, ſed caueret, ne mutilaret vel occideret; nam homicidium inde ſequẽs non eſt propriè voluntarium reſpectu mandantis, ſed eſt caſuale culpabile. Suar. Fill. *cc.* Mol. *c. tract.* 3. *d.* 3. *n.* 7. *Itẽ* poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularite prouenient ex iniuſta mutilatione occulta, quia iſta irregularitas cõſurgit ex delicto occulto, in qua, virtute Tridentini poteſt Epiſcopus diſpenſare. Regin. *c. n.* 29. Tolet. *c.* 84. Sà *v. Irreg. in fin.* Tamen iuxta veriorem ſententiam, Nauarri *c. n.* 340. *c.* Molinæ *c. n.* 8. non poſset Epiſcopus diſpenſare cum eo, qui alium occidit in rixa inopinato ſuborta, etiamſi homicidium ſit occultum: neq. cum illo qui contraxit irregularitatem in bello iuſto, etiãſi occiſio ſit occulta, nam iſta irregularitas non prouenit ex homicidio caſuali, aut ex delicto homicidii, ſed ex homicidio iuſto voluntario, Epiſcopus autem ſolùm poteſt diſpenſare virtute Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. in irregularitate prouenient ex delicto homicidii non voluntarii. Vide Dianã *p.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 70. referentem multos Doctores aſserentes Epiſcopum poſse diſpenſare in irregularitate iuſtæ occiſionis, quia hoc conceditur Epiſcopis in dicto loco Concilii, dum excipitur homicidium voluntarium: nam ibi ſub nomine homicidii voluntarii, excipitur tantùm occiſio hominis iniuſta prohibita in quinto præcepto Decalogi. Ita *Barboſa, Bannez, Medina, Huron. Rodriq.* et alii.

Bonac. Valent. Sayr. Suar. Filliuc. Molina. Reginal. Toletus. Sà. Nauar. Molina. Concil. Trid.

Prælati regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio ſimpliciter voluntario illicito, modò ſit occultum, non autem ſi ſit publicum. Probatur id per Bullam Pauli III. conceſsam Generali, Abbatibus, Prioribus, et Præſidentibus Ordinis, et Congregationis S. Benedicti Valliſoleti, quam refert *Rodriquez* in ſuo Bullario inter Bullas eiuſdem Pauli III. vbi concedit prædictis poteſtatem diſpenſandi ſubditos ſingulis annis prima die Lunæ Quadrageſimæ ſuper quibuſcumque irregularitatibus, quauis occaſione, vel cauſa contractis. Quo priuilegio gaudent omnes Prælati cuiusvis religionis Communicationem priuilegiorum habentes.

An autem idem poſſint Prælati virtute conceſſionis Martini V. factæ Priori Monaſterii S. Benedicti Valliſoleti apud Caſarubium *v. Abſolutio ordinaria quoad Fratres* § 40. Reſp. Doctores, qui ante Bullas *Gregory XV.* & *Vrbani VIII.* quæ abrogãt & annullant omnia priuilegia viuæ vocis oraculo conceſsa, ſcripſerunt, affirmatiuè reſpondere: ſed his temporibus nihil valet. Quod maximè notandum eſt, & aduertendũ quando ſimilia viuæ vocis oracula leguntur apud *Caſarubium, Cordobam, Rodriquez, Sorbum, Portel, Mirandum, Crouſers*, et alios, qui ante iſtas reuocationes ſcripſerunt: plerique enim ex iſtis ſæpiùs in ſuis ſententiis innituntur huiuſmodi viuæ vocis oraculis iam reuocatis, proinde hoc tempore cautè procedendum eſt, in vſu ſimilium priuilegiorum non Bullatorum, ne error in praxi cum animarum detrimento contingat. Sed plura de his viuæ vocis oraculis dicemus infra v. *Priuilegium* 1. *n.* 8.

13. Affirmant multi Doctores, habentem facultatem diſpenſandi in irregularitate, excepta illa: quæ prouenit ex homicidio voluntario poſse etiam diſpenſare ab irregularitate prouenient ex homicidio non ſolùm caſuali, verùm etiam ex non caſuali, et ex defectu perfectæ lenitatis; quia homicidium voluntarium propriè dicitur illud, quod fit voluntariè & iniuſtè, ſed homicidium caſuale non dicitur fieri voluntariè, & homicidium ex defectu lenitatis non dicitur propriè homicidium, nec fit iniuſtè; ita ſentiunt Suar. *d.* 47. *ſect.* 6. *n.* 13. Molina *d.* 79. *n.* 3. Filliuc. *tract.* 19. *n.* 282. Nauar. *cap. n.* 240. Regin. *lib.* 50. *n.* 23.

Suar. Molina. Filliuc. Nauar. Reginal.

Alii

Digitized by Google

Alii tamen probabilius eſſe docent & meritò, non poſſe Epiſcopum in vllo homicidio voluntario, etiam iuſtè & licitè patrato diſpenſare, nam homicidium iuſtum reuera appellatur homicidium in iure canonico *Clement. 1. de homic.* Ita Toletus *lib.1.c.82. n.8.* Salon & Atragon 2.2. *q.64. art.8.* Vide Dianam *4.p. tract.2.reſ.69.& 70.*

Tolet. Salon. Arragon

Hic quæri etiam poſſet, an irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis: Negatiuam ſententiam docent *Sanchez, Henriquez, Medina*: ſed contraria ſententia eſt cõmunis, cui adhærent multi recentiores citati à Diana *cit.reſ.71.* Præterea peti poterit an qui plura homicidia commiſit, cõtraxerit plures irregularitates neceſſariò in diſpenſatione manifeſtandas, affirmatiuè reſpondent *Suarez, Conin. Rodriguez*: licet in contraria ſententia ſint *Henriquez, Filliucius, Sanchez*, apud *Dianam, quem conſule reſ.86.*

IRREGVLARITAS VII.

De irregularitate proueniente ex homicidio facto ad defenſionem ſui, rerum ſuarum, ac proximi, nec non ex homicidio caſuali.

SVMMARIVM.

1 *An irregularis ſit, qui occidit alium ad vitæ ſuæ defenſionem? An autem fiat irregularis homicida occidens inuaſorem vitæ cũ moderamine, ſi ipſe homicida cauſam dederit inuaſionis?* refertur duplex ſententia.

2 *An cenſendus ſit irregularis, qui ob honoris, vel bonorum ſuorum defenſionem aliquem occidit ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ?* refertur duplex ſententia.

3 *An occidens aut mutilans aggreſſorem patris, fratris, aut alterius conſanguinei, vel proximi innocentis ſit irregularis?* duplex eſt ſententia.

4 *An qui alterum occidit ad ſui defenſionem, in foro externo præſumatur irregularis, donec hoc probet?*

5 *An homicidium caſuale inducat irregularitatem?*

6 *Vt irregularitas ex homicidio caſuali incurratur, an requiratur peccatum mortale, vel veniale?* refertur duplex ſententia. *Et an dans operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ſecuto homicidio ſit irregularis?* refertur duplex ſententia.

7 *Multi hic enumerantur caſus in quibus non incurritur irregularitas ob homicidium caſuale.*

8 *An qui dat cauſam periculoſam homicidij ſit irregularis? ibi multa de hac irregularitate.*

9 *An irregularis ſit qui inter dormiendum interimit infantem? ſimiles hic caſus ponuntur, in quibus incurritur irregularitas, & in quibus non.*

1 IRregularis non eſt, qui occidit alium ad vitæ ſuæ defenſionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ: *Clement. ſi furioſus de homicidio.* Sayr. *lib.6.c.17.n.1.* Suar. *diſp.46. ſect.1.* quia huiuſmodi homicidium non reputatur voluntarium, ſed neceſſariũ, vnde ſicut non imputatur ad culpam, conſequenter neq. ad pęnam: qui tamen notabiliter excederet moderamen cum peccato mortali, incurreret irregularitatem, vt fit, quando quis occidit inuaſorem, à quo ſe poterat tueri fugiendo, aut vulnerando ſolùm, & non occidendo; An autem fiat irregularis homicida occidens inuaſorem vitæ cum moderamine, ſi ipſe homicida cauſam dederit inuaſionis; & inuaſionem præuiderit ſecuturam, vt accidit quando quis alium contumelijs afficit, vel adulterium committit cum ipſius vxores? Affirmant Nauarrus *c.27. n.238.* Conink *diſp. 18. dub.9. n.75.* Filliuc. *tract.20.n.135.* et multi alii. Negant verò Suar. *diſp.46 ſect.1.n.11.* Regin. *lib.30. n.100.* Henriq. *lib.14. c.10.n.3.* et alii; vtraque ſententia probabilis eſt, vt videre eſt apud Sayrum *lib.6.c.17. n.18.* & apud Dianam *p.4.tract.2.reſ.2.*

Sayr. Suar.

Nauar. Conin. Filliuc. Suar. Regin. Henriq.

2. Magna controuerſia eſt inter Doctores, an cẽſendus ſit irregularis, qui ob honoris, vel bonorum ſuorum defenſionem aliquem occidit, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ? *Prima* & communis opinio ait eſſe irregularem; quia irregularitas huius ſpeciei eſt quodcumque homicidium. aut mutilatio etiam iuſta, niſi in caſibus à iure expreſſis, ſed in iure non eſt caſus niſi in vitæ ſuæ propriæ defenſionem: ergo citra hunc caſum occidens aut mutilans in defenſionem honorum fortunæ, irregularis eſt: huius ſententiæ ſunt Nauarrus *c. num. 213* Valent. *tom.3.diſp.5.q.8.p.4.* Salon & Arragon *2.2.q 64.art. 8.* Reginald. *lib.3. n. 107.* & alij apud *Sayrum*. *Secunda* opinio docet, non eſſe irregulare: quia occidens priuatim alium ſine culpa, non incurrit irregularitatem, ſed occidens alium ad defenſionem rerum ſuarum occidit ſine culpa, ergo &c. occidens verò publica authoritate fit irregularis ex defectu, quamuis occidat ſine peccato; niſi ipſius homicidium eſt voluntarium, ita ſentiunt Leſſius *lib. 2. c.9. diſp.11.* Suar. *diſp.46. ſect.2.* Couar. *in Clem. ſi furioſus.* Sayrus *lib.6.cap.17.n.22.* Vide Dianam *par.2.tr. 1. miſc. reſ. 16.& 4.p.tract.2. reſ.4.* vtraque opinio probabiliter defendi poteſt.

Nauar. Valent. Salon. Arragon Regin.

Leſſius. Suar. Conink. Sayr. Dian.

3. An occidens aut mutilans aggreſſorem patris, fratris, aut alterius conſanguinei vel proximi innocentis, ſit irregularis, duplex eſt ſententia. *Prima* dicit eſſe irregularem, quia in *Clement. ſi furi ſus, de homicidio*, dicitur non eſſe irregularem occidentem, quando aliter mortem propriam vitare non poteſt, niſi occidendo inuaſorem? ſecus ergo dicendum eſt in occiſione pro vitanda morte proximi: & ſic ſentiunt Nauarr. *c.n. 213.* Toletus *lib. 1.c. 76.n.11.* Henriq. *lib 14. c.11. §.3.* & multi alii apud Sayr. *lib.6. c.17. n.21.* *Altera* tamen opinio docet, non eſſe irregularem; quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum homicidium, requiritur culpa homicidii, in hoc autem caſu non adeſt culpa, cùm licitum ſit vim vi repellere, non ſolùm ad propriam defenſionem, verùm etiam ad defenſionem proximi & extranei. Et huius ſententiæ ſunt, Emmanuel Sà *v. irregul. n. 2.* Conink *num. 88.* Suar. *diſp.46.ſect.3.* P.Nauarra *lib.2.c.3.n.419.* Dian. *4.p.tr.2.reſ.5.*

Nauar. Tolet. Henriq. Sayr.

Sà. Conin. Suar. Nauar. Dian.

4. Qui alterum occidit ad ſui defenſionem, in foro externo, non præſumetur hoc feciſſe ad ſui defenſionem, niſi probet, nam habet præſumptionem contra ſe, quia homicidium & mutilatio ex ſua natura mala ſunt & delicta, in delictis autem præſumitur dolus: quare homicida non debet ad Ordines promoueri, vel ſuſceptos exercere propter ſcandali periculum, antequam ab Epiſcopo declaretur, an defenſio neceſſaria fuerit, & ſeruatum ſit moderamen: in foro autem conſcientiæ ſtandum eſt iudicio prudentis viri. Ita Henriquez *lib. 14. c. 10. num.2.* Reginald. *lib. 30. num. 112.* Suar. *diſp.45. ſect. 5. num. 9* Filliuc. *c. num. 63.* et alii.

Henriq. Regin. Filliuc.

5. *Homicidium omninò caſuale*, quod non eſt volitum in ſe, nec in cauſa, non inducit irregularitatem, *cap. dilectus de homicid.* quia nullo modo eſt peccaminoſum aut voluntarium: vnde homicidium commiſſum ab amente, vel furioſo non habente tunc temporis lucida interualla cum perfecta libertate ſufficiente ad peccatum mortale, item ab ebrio, vel dormiente, qui non præuidit illud ſecuturum, vel ab infante rationis vſu carente, non inducit irregularitatem. Filliuc. *c. num. 54.* Suarez *diſp. 45. ſect.5.* Nauarrus *c.num.230.*

Filliuc. Suar. Nauar.

6. Vt *irregularitas* ex homicidio *caſuali* incurratur iuxta communiorem ac veriorem ſententiam Sayr. *lib. 7.c.5.num.4.& 6.* Nauar. *c.n.252.* Bonacin. *c.q.4. p.7. n.6.* requiritur quòd non ſit omninò caſuale, ſed volitum in cauſa, ſeu implicitè voluntarium, & ideo peccatum mortale, licet Toletus *lib. 1.c.76.* Corduba *q.37.* et quidam alii apud *Sayrum*, aſſerunt hanc irregularitatem poſſe incurri ex peccato veniali. Hanc ſecundùm priorem ſententiam, dans operam rei licitæ vel illicitæ, non eſt reus homicidii aut irregularitatis, ſi debitam diligentiam adhibuit, ne ſequeretur homicidium.

Sayr. Nauar. Bonac.

Toletus. Corduba

An autem dans operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ſecuto homicidio ſit irregularis, duplex eſt ſententia ſatis ſolemnis inter Doctores, *Prima* eſt Nauar. *c. num. 237.* Tolet. *cap.77.& 78.* Suar. *diſp.45.ſect.6 n.12.* Sayr. *lib.7.c.5.n.11. & 12.* et aliorum aſſerentium eſſe irregularem, quia eò ipſo quò quis dat operam rei illicitæ periculoſæ, cenſetur velle homicidium inde ſequens, et ideo cùm ſit voluntarium, inducet irregularitatem, & hoc videtur expreſſum in *cap. tua nos, de homicid.*

Nauar. Toletus. Sayr.

Alte-

Digitized by Google

Leſſius. Filliuc. Henriq. Bonac. Dian.

Altera ſententia eſt Leſſij *lib.2.c.9. diſp.*15. Filliucij *c. n.*70. P.Nauar. *lib.*2. *c.*3.*n.*362. Henriq. *lib.*14. *c.*15. *n.* 1. Bonac. *c.n.*9. Dian. 4.*p. tr* 2.*reſ.*20. negantium dantem operam rei illicitæ periculoſæ eſſe irregularem, ſed debitam adhibuit diligentiam, ne ſequeretur homicidium: quia huiuſmodi homicidium non eſt voluntarium in ſe, vt ſupponimus, neque in cauſa, per hoc quod voluntariè detur opera rei illicitæ periculoſæ: nam periculum tollitur & purgatur per ſufficientem diligentiam, quæ facit, vt homicidium non dicatur voluntarium: hæc ſecunda ſententia poſſet probari excipiendo caſus in iure expreſſos, *cap. vlt. de homicid. in* 6 et in *cap. tua nos*: et dicendo, quando datur opera rei periculoſæ, ex qua raro mors cõtingit, ſecus quando datur opera rei illicitæ periculoſæ ex qua ſolet mors vt plurimùm ſequi.

Auila. Megala. Arragon Nauar. Dian.

Sed dubium eſt, an adulter irregularis fiat, ſi maritus cognito adulterio vxorem interficiat? *Reſp.* Probabile eſſe quòd non. Ratio eſt, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio caſuali proueniente ex opere illicito, non ſufficit quælibet cauſa, ſed neceſſario requiritur vt alterum ex his interueniat, vel vt opus illud per ſe ſit aptum ad inferendum homicidium, vel vt ſit cauſa immediata illius: ſed adulterium nec per ſe eſt aptum ad inferendum homicidium, nec eſt cauſa immediata illius, ergo adulter non erit irregularis. Ita Auila *de cenſur.p* 7. *diſp.*5.*ſect.*3.*dub.*3.*concluſ.*2. Megala *de cenſur. lib.*7. *c.*2. *q.*5. *n.* 81. Arragon 2.2. *q.* 64. *art.* 8. P. Nauarra *de reſtu. lib.*2.*c.*3.*n.*363. contra *Nauarrum, Guttierez, Sayr.* apud Dianam *part.*4.*tr.*2.*reſol.*1.

Sayr. Diana.

Similiter probabile eſt, adulterum non effici irregularem, ſi maritum aggreſſorem cauſa neceſſariæ defenſionis occidat, et homicidium fiat ſine peccato, et cum moderamine: quia ex *Clement. ſi furioſus, de homicid.* abſolutè et ſine vlla diſtinctione habetur, quod qui ſe inuadẽtem occidit pro defenſione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, non eſt irregularis. Ita Sayrus *de cenſur. lib.* 6. *c.*17. *n.* 18. et alii 10. quos citat et ſequitur, quibus adde 7. citatos à Diana *p.*4. *tr* 2. *reſ.*2. contra *Nauar. Molin. Vgolin.* et alios. Idem dicendum eſt de fure etiam nocturno, qui inuaſus à domino rerum occidit illum, vt ſe defendat, maximè quando Dominus non ceſſat ab inuadendo quamuis fuit relinqueret res: nam ſi ceſſaret, iam fur poſſet abſque occiſione euadere mortẽ, et per conſequens ſi occidat, erit irregularis. Ita Auila *de cenſ.part.*7.*diſp.*5.*ſect.*3 *dub.*3. citans *Henriquez*.

Filliuc. Nauarr. Sayr. Maiol. Suar. Reginal. Filliuc. Henriq. Sayr. Leſſius. Sayr. Vgolin. Reginal. Sayr. Nauarr.

7. *Gladios conficiens*, quibus aliqui poſtea occiduntur, non fit irregularis, quia cenſetur tantummodo cauſa remota mortis, quæ non debet illi ad irregularitatem imputari: Filliuc. *tr.*20.*n.*104. *Item* notam irregularitatis nõ incurrit, qui cautè ſecundum regulas extraxit ſagittam è vulnerato, ex cuius extractione vulneratus mortuus eſt; quia ſeruando regulas artis, cenſetur ſufficientem adhibuiſſe diligentiam in opere periculoſo, ne ſequeretur homicidium: Nauarr. *c.n.*229. Sayr. *lib.*7. *c.*6.*n.*14. Maiol. *lib.*5. *c.*48 §.4. *Idem dicendum* de cædente ligna in die feſto, ſi fortè inter cædendum, ſecuri manibus excidente, aliquem occidit: Suar. *d.*45.*ſect.*5 *n.*4. Regin. *lib.*30.*n.*159. *Iudex* non eſt irregularis, ſi licitè præcipit reum verberari iuxta leges, quæ leuem imponunt percuſſionem, miniſter vero adeo exceſſit in verberibus inferendis, vt ratione illius exceſſus reus mortuus ſit: Filliuc. *c. num* 95. Henriq. *c.* 14. *n.* 5. *Item* excuſatur ab irregularitate, qui alteri inflixit vulnus leue, & non lethale, ex quo vulneratus conualuiſſet cum modico medicamine, ſed vulneratus ex ſua intemperantia, aut ex incuria Medicorum ex hac vita deceſſit: Sayr. *lib.*7.*c.*6.*n.*1. Leſſius *lib.*2. *c.* 9. *d.* 15. *Item* non eſt habendus pro irregulari inſidens equo, quando equus fractis habenis puerum in via exiſtentem conculcauit & interfecit, mors enim cenſetur omnino caſualis. Sayr. *lib.*7.*c.*6.*n.*1. Vgolin. *c.* 18. §. 1. *Item* non eſt irregularis, qui domi diligenter cuſtodit feram, quæ abſque illius culpa ſoluta aliquem occidit: ſecus dicendũ de eo, qui feram vinculis conſtrictam in platea detinet, quæ incautè accedentes occidit, nam in opere periculoſo non cenſetur ſufficientem adhibuiſſe cautionem ad præcauendum mortem. Regin. *c.n.*153. Sayrus *lib.*7.*c.*6. *n.*19. Nauarrus *c.* 17. *n.*227.

Suarez. Nauarr. Sayr. Vgolin. Suar. Bonac. Vgolin. Nauarr. Filliuc. Suarez. Reginal. Molina. Henriq. Dian.

8. *Aromatarij* conficientes medicinas, ex rebus corruptis, irregulares ſunt, ſi hac de cauſa ſequitur mors infirmi; cenſetur enim dare cauſam periculoſam homicidii, Suar. *d.*45. *ſect.*3. *Item* qui præbet, aut conſulit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra Medici præceptum, fit irregularis, quoties infirmus ex illius rei traditione perit, aut notabiliter ipſius mors acceleratur, etiamſi hoc faciat titulo pietatis ne infirmus tamdiu patiatur; nam exercet opus illicitum periculoſum homicidij, Nauarr. *c. n.* 228. Sayr. *lib.*7.*c.*6. *n.*13. Vgol. *c.*11.§.3. *Henriquez* tamen et alii exiſtimant nõ fieri irregularem, quando mors ita parum acceleratur, vt pro nihilo reputetur: Tamen nõ fieret irregularis qui traderet aliquid infirmo bona fide, quod non eſt ipſi vetitum, vel qui reuolueret infirmum in lecto, non vt citius pereat, ſed vt facilius ſomnũ, quietem, vel cibum capiat, etiamſi mors ex aliqua culpa acceleratur, modo reuoluens eam adhibuerit diligentiam, quam communiter adhibent homines illius profeſſionis, Suar. *d.*45.*ſect.*5.*n.*1. Bonac. *c.p.*7.*n.*12. Vgolin. *c.* 19. §.3. *Item* fit irregularis magiſter verberans diſcipulum, excedendo modum percuſſionis, vt quando proijcit aliquid in caput, vnde illi oculum eruit, quando calce ventrem percutit & inde mors ſequitur, *cap. ad audientiam, de homic.* Nau. *c.n.*235. Filliuc. *tr.*20.*n.*56. *Item*, iuxta probabiliorem & tutiorem ſententiam eſt irregularis in foro conſcientiæ, qui mandauit, vel conſuluit Titio occidere Caiũ, ſed accidit, vel Titius ipſe occiſus fuerit à Caio, quia videtur mandaſſe vel conſuluiſſe opus periculoſum mortis non adhibita ſufficienti diligentia ad præcauendam mortem mandatarii. Suar. *d.*45.*ſect.*2.*n.*6. Reginal. *lib.*30. *n.*126. Molin. *d.* 32. *n.*2 Contraria tamen ſententia Henriquez *lib.*14.*c.*16.*n.*1. non eſt improbabilis. Sicut docet Diana *tr.*1. *miſc.reſ.*17.*p.*2.

Filliuc. Suar. Reginal. Sayr. Nauarr. Sayr. Henriq. Filliuc. Sayr. Bonac. Henriq. Nauarr. Maiol. Sayr.

9. *Irregularis eſt*, qui inter dormiendum interemit infantem in lecto, eo quod non adhibuerit debitam cautionem præſcriptam in tenendo infantulo in lecto; nam voluntariè dedit operam rei illicitæ periculoſæ. Filliuc. *c.n.* 79. Suar. *d.* 45.*ſect.*6. *n.*15. *Item* fit irregularis proiiciens lapidẽ in Titium, ſi lapis Titio illum declinante, coincidit in Caium, illumq. occidit: ſecus dicẽdum videtur, ſi proiiciens debitam adhibuit diligentiam, & fortè fortuna lapis tetigit Caium, Regin. *c.n.*156. *&* 158. Sayr. *lib.*1.*c.*6. *n.* 30 *Item* qui reficiendo tectum proiicit regulam ex qua occiditur viator, niſi monuerit, vel ſignum de more expoſuerit, Nauar. *c.n.*235. Sayr. *c.n* 27. *Item*, ſaltans cum muliere prægnante ſaltatione conſueta & moderata, non eſt irregularis, ſecuto abortu fœtus animati; ſecus ſi vſus eſt ſaltatione immoderata: *Item* fit irregularis, qui vtitur copula mulieris prægnantis, abſque debita cautione, ſi mors fœtus animati inde ſequatur, *cap. ſicut ex litterarũ, de homic.* Henriq *lib.* 14. *c.* 15.*n.*4. Filliuc. *c. n.* 75. *Item* irregularis eſt qui ioco terrorem incutit alteri, eſtque cauſa, vt alter eo terrore commotus, & perterritus ſe det præcipitem: *idem* dicendum eſt de incutiente terrorẽ mulieri grauidæ abortum facienti, quam terrefaciens ſciebat grauidam eſſe, Sayr. *lib.*7.*c.*6.*n.*31. Bonac. *c.num.* 7.*n.*26. Henriq. *lib.* 14. *c.*15. §.3. *Item* irregularis eſt, qui puerum pro aſportanda aqua mittit ad flumen, aut puteũ diſcoopertum, qui ſuffocatus eſt, & qui mittit puerum ad aquandum equum, etiamſi moneat eum vt caueat à flumine, ſi puer flumen intret & ſubmerſus ſit, quod intelligitur quando probabiliter præcogitare debuit periculum, Nauar. *cap.*27.*num.* 236. Maiolus *lib.*5. *cap.* 48. §.3. Sayrus *c.num.* 20.

IRREGVLARITAS VIII.

De irregularitate ex delicto circa Sacramentum Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *An ex iteratione culpabili Baptiſmi incurratur irregularitas à rebaptizante & rebaptizato, toties quoties reiteratur Baptiſmus?*

2 *An infans qui rebaptizatur ante vſum rationis ſit irregularis, ſi poſtea ratam habeat rebaptizationem, & in quibus*

Digitized by Google

quibus caſibus tam rebaptizans quàm rebaptizatus, non ſint irregulares?

3 *An qui rebaptizat vel rebaptizatur ex metu cadente in conſtantem virum, cum intentione iterum baptizandi vel recipiendi Baptiſmum irregularis ſit?*

4 *An hæc irregularitas ex iteratione Baptiſmi impediat promotionem ad ſuperiores Ordines?*

5 *An ex iteratione Confirmationis & Ordinis contrahatur irregularitas?* refertur duplex ſententia.

6 *An adulti differentes Baptiſmum vſque ad ægritudinem vel ſenectutem, vel baptizati ab hæretico ſint irregulares?*

7 *Quis poſſit diſpenſare in irregularitate quæ contrahitur ex iteratione Baptiſmi publica vel occulta? An irregularitas incurratur etiam à bis ordinantibus & ordinatis, à bis confirmantibus & confirmatis.*

1 SEcundum *crimen* ex quo incurritur irregularitas, eſt *Baptiſmi iteratio, cap. ex litterarum, de Apoſtatis, & cap. confirmandum diſt.* 50. quæ iteratio tum iure diuino, tum iure poſitiuo prohibita eſt: vt patet *Ioannis* 3. & ex toto tit. *de baptiſmo, diſt. 4. de conſecr.* Imo, tam ingens eſt iniuria quæ fit Baptiſmi Sacramento, quando iteratur, vt ex culpabili iteratione illius publica, vel etiã occulta, contrahatur irregularitas, vnde tã rebaptizans cum peccato mortali, quàm rebaptizatus, fit irregularis, & toties incurrit irregularitatem, quoties reiterat Baptiſmum; quia toties multiplicatur culpa, propter quam impoſita eſt irregularitas; & in iure extenditur hæc irregularitas etiam ad Acolitum publicè miniſtrantem in reiteratione Baptiſmi, & cõſequenter poſſet extendi ad omnes qui inſeruiunt ex officio, et non ad alios, cùm odia ſint reſtringenda. Sayr. *lib. 7. c. 8.* Suarez *diſp. 42. ſect.* 1. Filliuc. *tr. 20. c. 6.* Toletus *lib. 1. cap. 65.*

Sayr. Suar. Filliuc. Toletus.

2. *Infans*, qui rebaptizatur ante vſum rationis, non eſt irregularis, etiamſi poſtea ratam habeat rebaptizationem, nam qui caret culpa, carere debet etiam pœna. Nauar. *c. 27. n. 246.* Sayr. *lib. 7. cap. 8. n. 9. &* 10. *Idem dicendum* de illo qui rebaptizatur dum vacat ſomno: patet etiam rebaptizatum ex ignorantia iuris vel facti non eſſe irregularem, quia ignorantia probabilis excuſat à delicto: *Præterea* non eſt irregularis, qui rebaptizat alium ſub conditione, ſi nõ eſt baptizatus, ſiuè illa conditio apponatur tantùm in mente, ſiuè etiam exteriùs addatur, quia in hoc caſu non iteratur Baptiſmus, qui enim dicit, *Ego te baptizo ſi non es baptizatus*, non intendit baptizare, ſi eſt baptizatus. Tolet. *lib. 1. c. 63.* Regin. *c. num.* 177. Conink *diſp. 18. dub. 5. n. 35.* Filliuc. *c. num.* 181. Imo qui rebaptizauit abſolutè & ſine conditione, poſtquam inquiſiuit, an alter eſſet baptizatus, non tenetur ſe tamquã irregularem gerere, ſi adhuc poſtea dubitat an eſſet baptizatus; quia in dubio facti extra caſum homicidii, nemo tenetur ſe irregularem gerere: fatendum tamen eſt, illum peccaſſe rebaptizando abſolutè, cùm debuiſſet rebaptizare ſub conditione. Suar. *diſp. 42. ſect. 1. n. 5.* Auila *diſp. 7. dub. 2. concl. 5.* *Similiter* irregularis non eſt, qui cum conſcientia erronea aliquem baptizauit, credens antea baptizatum eſſe: nam hæc irregularitas incurritur ob iterationem Baptiſmi, non ob ſolam conſcientiam erroneam, Suar. *c. num. 2.* Bonacina *d. 7. quæſt. 3. p. 3.* *Præterea* non eſt irregularis, qui baptizat filios infidelium vel expoſitos ſine vllo ſigno teſtimonium perhibente de ipſorum Baptiſmo; quia adeſt ignorantia facti excuſans. Sayrus *lib. 7. cap. 8. n. 11.*

Nauar. Sayr. Tolet. Regin. Conin. Filiuc. Suar. Auila. Suar. Bonac. Sayr.

3. Qui verò rebaptizat, vel rebaptizatur ex metu cadente in conſtantem virum, cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi Baptiſmum, irregularis eſt: nec metus in hoc caſu excuſat, cùm non cadat in voluntatem & intentionem, & baptizans adhuc poſſit habere intentionem non baptizandi: qui autem rebaptizat ſine intentione rebaptizandi, non incurrit irregularitatem, quia verè non rebaptizat: idem dicendum de fictè rebaptizato, aut de rebaptizato per vim abſolutam. Reginaldus *c. num.* 173. Suarez *c. ſect. 1. n. 3.* Filliucius *c. num.* 171. & 179. Nauarrus *c. num.* 246. et alii.

Regin. Suar. Filliuc. Nauar.

4. Hæc irregularitas ex iteratione Baptiſmi, non eſt totalis, ſed ſolùm impedit promotionem ad ſuperiores Ordines; quia in iure dicitur, *ad ſuperiores ordines aſcendere non valebit*, & cùm verſemur in materia pœnali & odioſa, non eſt facienda extenſio vltra id, quod in iure expreſſum eſt, *cap. ex litterarum, de Apoſtat.* Suar. *tom. 3. diſp. 31. ſect. 6.* Filliuc. *c. num.* 177.

Suar. Filliuc.

5. Nauarrus *num.* 247. & quidam alii apud Sayrum *num.* 27. Suar. Valentiam, Filliucium apud Bonacinam *part. 3. num.* 8. exiſtimant etiam irregularitatem contrahi ex iteratione Confirmationis & Ordinis, ſed verior et certa ſententia eſt contraria; quia hæc irregularitas non eſt in iure expreſſa, et argumentum à ſimili in pœnis non valet, præſertim in irregularitate. Vide infra num. 7.

Nauar. Sayr. Suar. Bonac.

6. *Adulti* differentes Baptiſmum vſque ad ægritudinem, vel ſenectutem, ſunt irregulares, quia non videntur voluntariè fidem ſuſcipere, ſed coactè; quare huiuſmodi baptizatus non videtur promouendus, niſi paucitas miniſtrorum idoneorum id exigat, aut niſi ipſius fides, et vita probata fuerit poſt Baptiſmum, *cap. ſi quis diſt.* 57. Sayr. *c. num.* 30. Tolet. *lib. 1. c. 64. n. 9.* Hæc autem irregularitas non tollitur per Baptiſmum, cùm incurratur ob ipſam ſuſceptionem Baptiſmi dilatam. *Porrò* Adultus baptizatus ab hæretico, eſt irregularis; Infans verò minimè, quamuis adulta ætate approbauerit Baptiſmum collatum ab hæretico, *cap. qui in Qualibet*, 1. 7. *cap. placuit* 1. *q.* 4.

Sayr. Tolet.

7. *Summus Pontifex* diſpenſare poteſt in irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Baptiſmi publica vel occulta. *Epiſcopus* verò in rebaptizatione occulta poteſt diſpenſare, quia in irregularitate proueniente ex delicto occulto virtute Tridentini poteſt diſpenſare. Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Filliucius *c. num.* 186. Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 37. ſect.* 13. Sayrus *lib. 7. c. 10. n. 16.* imo quando quis alium publicè baptizat, ſed neſcitur verum qui baptizatur fuerit antea baptizatus, poteſt diſpenſare, quia delictum cenſetur occultum, ratio enim rebaptizandi occulta eſt, cùm neſciatur, an ille fuerit baptizatus.

Concil. Trident. Filliuc. Sanchez Sayr.

Dubium autem eſt, an irregularitas incurratur etiam à bis ordinantibus et ordinatis, bis confirmantibus et confirmatis? Affirmant multi cum Nauarro *in Man. cap. 27. num.* 247. propter Canonem primum *diſt. 68. & c. dictum eſt, de conſecr. diſt.* 5. Sed contrarium eſt longè verius; quia argumentum à paritate rationis, in materia odioſa, et pœnali, præſertim vero in irregularitate debiliſſimum eſt, cum cautum ſit, nullam incurri irregularitatem, niſi ipſo iure exprimatur. *cap. is qui, de ſent. excommun. in* 6. Ita Sotus *in 4. diſt. 7. q. vlt.* communiter receptus.

IRREGVLARITAS IX.

De irregularitate ex ſuſceptione ordinum proueniente, & adminiſtratione.

SVMMARIVM.

1 *An qui ſcienter vel per ignorantiam craſſam aut affectatam ignorans ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum, Ordines ſacros ſuſcipit, ſit irregularis?*

2 *An qui vno die, non aduertente Epiſcopo, minores Ordines cum Subdiaconatu, vel duos Ordines ſacros, vel qui Ordines furtiuè ſuſcipit: vel ſi vir coniugatus recipiat Ordinem ſacrum, vel ſi ab Epiſcopo qui renunciauit dignitati, incurrat irregularitatem?*

3 *An clericus vel laicus, qui miniſtrat in Ordine ſacro, quem non habet, incurrat irregularitatem?*

4 *An ſolus Summus Pontifex diſpenſet in hac irregularitate?*

5 *An excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus incurrant irregularitatem exercendo ſolemniter vel ex officio actus maioris ordinis? & quando excuſentur ab hac irregularitate incurrenda?*

6 *Quis poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ob violationem cenſuræ.*

Qui

Digitized by Google

1 QVi ſcienter vel per ignorantiam craſſam, aut affe-ctatam ignorans ſe eſſe excommunicanim maiori excommunicatione, vel ſuſpenſum, vel interdictum, interdicto generali, vel ſpeciali à iure, vel ab homine, Ordines ſacros ſuſcipit, communiter à Doctoribus dicitur eſſe irregularis, *cap. 1. de eo qui furtiuè*, Sayrus *lib. 7. cap. 10. n. 12.* Licet nonnulli aſſerant talem non incurrere irregularitatem, ſed remanere ſuſpenſum ab vſu ordinis ſuſcepti cum excommunicatione, quod valde probabile eſt; Bonac. *q. 3. p. 4. num. 1.* imo ſecundùm probabiliorem ſententiam Suar. *diſp. 42. ſect. 3. num. 2.* Sayr. *c. num. 14.* Filliuc. *tract. 20. num. 192.* ſuſpenſus vel interdictus recipiendo Ordines ſacros, non incurrit irregularitatem, quia iura loquuntur ſolùm de excommunicato, non de ſuſpenſo vel interdicto; deinde ſuſcipiens Ordines ſacros non ſemper exercet ſolemniter actus Ordinis ſacri, & ideo non ſemper incurrit irregularitatem, quæ ſolemniter actum ordinum exercentibus impoſita eſt.

Sayr. Bonac. Suar. Sayr. Filliuc.

2. *Qui* vno & eodem die, inſcio & non aduertente Epiſcopo, recipit minores Ordines cum Subdiaconatu, vel duos Ordines ſacros, irregularitatem vel potiùs ſuſpenſionem incurrit; & quando delictum eſt occultum, diſpenſat Epiſcopus in hac irregularitate, *cap. 2. & 3. de eo qui ordinem furtiuè ſuſcepit*. Nauar. *cap. 27. n. 241.* Sayr. *lib. 7. cap. 10. num. 26.* Henriq. *lib. 14. cap. 6. §. 5.* Conſuetudo tamen multis in locis concedit, ſimul conferri quatuor minores, imò & cum minoribus Subdiaconatum; quia per Conc. Trid. conſuetudines antiquæ non tolluntur, niſi quando id expreſſè declarat: *Prætereà* probabiliſſimum eſt, illum irretiri vinculo irregularitatis, qui Ordines furtiuè ſuſcipit, ſcilicet, inſcio Epiſcopo, non vocatus vel approbatus ad Ordines, aut qui alium in ſui locum examini ſub ſuo nomine ſubmittit, deinde vocatus proprio nomine Ordines capit, *c. 1. de eo qui furtiuè, &c.* Diana *4. par. tr. 2. reſ. 55.* Suarez *diſp. 42. ſect. 3. n. 5.* Filliucius *tract. 20. num. 195.* *Item* vir cõiugatus recipiens Ordinem ſacrum, non ſolum eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis. *Extrauag. antiquæ concertationi*, ſicut & recipiens Ordines ſacros ab Epiſcopo, qui renunciauit dignitatem, vel ſaltem ſuſpenſionem, etiamſi recipiens fortè ob ignorantiam non peccauerit: ſi tamen quis ordinetur ab eo, qui ſolum loco renunciauit, non autem dignitati, id eſt, iuriſdictioni & executioni ordinis Epiſcopalis, de licentia ſui Superioris aut Epiſcopi ſui proprii, non eſſet irregularis, *cap. 1. de ordin. ab Epiſcopo qui renunciauit Epiſc.* Toletus *lib. 1. c. 65.* Sayrus *c. num. 27.* Reginaldus *lib. 30. num. 190.*

Nauarr. Sayr. Henriq. Dian. Suar. Filliuc. Tolet. Sayr. Reginal.

3. *Clericus*, qui miniſtrat in Ordine ſacro, quem non habet, incurrit irregularitatem, modò ſcienter & seriò & ex officio miniſtret, *cap. 1. & 2. de clerico non ordinato miniſtrante*; non incurreret autem laicus, ſecundùm multorũ ſententiam, quia iura loquuntur abſolutè tantũ de Clerico; nec quia ex ignorantia etiam craſſa miniſtraret in Ordine quem non habet, credens ſe talem habere, nec qui miniſtraret ioco vel per repræſentationem, vel ad ſe exercendum in Miſſa celebranda, ne erret celebrando poſtquam initiatus fuerit ordine Sacerdotali; nec qui miniſtraret in minoribus Ordinibus, cùm in iſtis ſoleant etiã laici adhibitis veſtibus miniſtrare; nec qui exerceret Ordinem ſacrum ſine ſolemnitate, vnde cantans Epiſtolam ſine manipulo, vel Euangelium ſine ſtola, non fit irregularis, eò quòd non dicatur canere ſolemniter ex ordine & ex officio. *Dicitur* autem quis actum aliquem ordinis exercere ſolemniter, vel ex officio, quando actus talis eſt, vt ab alio non poſſit exerceri, quàm ab eo, qui talem ordinem habet. Vide Sayrum *lib. 7. num. 6.* Reginaldum *c. num. 192.* Filliucium *tract. 20. num. 208.* Conink *diſp. 18. dub. 6. n. 43.* Vgolin. *cap. 37. n. 12. 13.* Bonac. *diſp. 7. q. 3. punct. 6. n. 1. & 9.* Diana *4. par. tr. 2. reſ. 56. 77. & 91.*

Sayr. Reginal. Filliuc. Conink. Vgolin. Bonac. Diana.

4. *Solus Summus Pontifex* diſpenſat in irregularitate, quam quis contraxit exercendo ordines quos non habebat, vt accedat ad vlteriores ordines, nam ad ipſum pertinet diſpenſare in iure communi: *Epiſcopus* verò poteſt diſpenſare, vt exerceat ſuſceptos; imo etiam vt alios ſuſcipiat, ſi delictum ſit occultum, vt patet ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* Sayro *lib. 7. c. 10. n. 11.* Sylueſt. *v. irregul. q. 8.* Vgolin. *cap. 37. n. 14.*

Sayr. Sylueſt. Vgolin.

5. *Excommunicatus maiori excõmunicatione, ſuſpenſus, interdictus* quamuis occultus & toleratus, incurrit irregularitatem exercendo ſolemniter vel ex officio actus maioris ordinis, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis, *cap. 1. de ſent. excom. in 6. cap. ſi quis Epiſcopus in concilio 11. q. 3. c. 7. cap. is cui de ſenten. excomm. in 6.* Sayr. *lib. 7. c. 9.* Nauar. *c. 27. n. 241.* Filliuc. *tr. 20. c. 8.* Suar. *de cenſ. diſp. 11. ſect. 3.* Diana *4. par. tr. 2. reſ. 90.* ita communiter omnes Theologi & Canoniſtæ: *vnde* inſertur ligatum aliqua cenſura fieri irregularem; in his caſibus nimirum, ſi canendo in Choro tamquam hebdomadarius dicat, *Dominus vobiſcum*, ſi Epiſtolam ſolemniter cum manipulo, vel Euangelium cum ſtola cantet: ſi baptizet ſolemniter, aut conſecret aquam ad aſpergendum populum, ſecus dicendum ſi baptizet priuatim: ſi abſoluat ſacramentaliter etiam occultè, etiamſi abſolutio ſit inualida ob culpam pœnitentis, & non ex defectu intentionis abſoluendi: ſi benedicat ſponſis, ſi faciat ſolemnitates Baptiſmi, ſi miniſtret Euchariſtiam; nam iſti ſunt actus ordinis. *Secus dicendum* de aſſiſtente matrimonio iuxta Suar. *c. n. 18.* Filliuc. *tr. 20. c. 8. q. 2.* nam illa aſſiſtentia non eſt actus ordinis: ſimiliter ſuſpenſus vel interdictus non fieret irregularis exercendo ea, quæ ſibi non ſunt prohibita per cenſuram, ſicut qui functionem ordinis exerceret contra præceptum ſuperioris, antequam vinculo cenſuræ ligatus fuerit. Porrò hæc irregularitas afficit etiam Epiſcopum excommunicatum, vel ſuſpenſum, ſi exerceat ordinem Epiſcopalem, v. g. ſi chriſma conficiat, aut baptizatos confirmet, Sayr. *lib. 7. c. 9. n. 5.*

Sayr. Nauarr. Filliuc. Suar. Dian. Suar. Filliuc. Sayr.

Notandum hic prætereà eſt, excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum ex duplici cauſa, exercendo Ordines ſacros, duplicem etiam incurrere irregularitatem, nam violat duplicem cenſuram ſpeciem diuerſam. Vide *Irregularitas 1. n. 12.* & Bonacina *c. punct. 5. n. 10*

Bonac.

6. In hac irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti per exercitium ordinum ſolus Papa diſpenſat, quando delictum eſt publicum, Nauar. *c. n. 241.* Regin. *c. n. 188* quando autem delictum eſt occultum & violatio occulta, diſpenſat Epiſcopus, Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6.* manet tamen ſemper delictum occultum, etiamſi quis publicè exerceat ordines, modò delictum excommunicationis, vel alterius cenſuræ ſit occultum, ita vt neſciatur an ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus.

Nauarr. Reginal. Conc. Trid.

IRREGVLARITAS X.

De irregularitate proueniente ex aliis delictis, vt hæreſi, &c. et eorum infamia.

SVMMARIVM.

1 *An omnes hæretici, Apoſtatæ à fide, eorum fautores, & defenſores etiam ſi ſint occulti ſint irregulares?*
2 *An ſchiſmaticus qui non eſt hæreticus, & Religioſus apoſtata à Religione; & Clericus apoſtata à clericali habitu & tonſura, ſint irregulares?*
3 *An filij hæreticorum ſint irregulares? & quid iuris ſi filius hæretici natus ſit ante lapſum parentis in hæreſim?* refertur duplex ſententia.
4 *An ſolus Summus Pontifex diſpenſet in irregularitate contracta ob hæreſim?*
5 *Quid ſit infamia iuris & facti? & quæ crimina iure canonico inducant infamiam iuris vel facti?*
6 *An infamia iuris & facti faciunt hominem irregularẽ?*
7 *Quot modis infamia auferri poſſit?*
An Prælati regulares poſſint diſpenſare in hac irregularitate?

1 IRregulares ſunt omnes hæretici, qui ſuam hæreſim exteriùs protulerunt; Apoſtatæ à fide, eorum fautores & defenſores, etiamſi ſint occulti, *cap. ſaluberrimum 1. q. 7. cap. 2. de hæret. in 6.* qui vero pactum ineunt cum dæmone, aut ipſum colunt abſque hæreſi, non ſunt verè irregulares ex hoc capite, aliunde tamen, ſcilicet ob ſuſpi-

cione m

Sanchez Suar. Conin. Dian. Bonac. Dian.

e!onem hæreſis, ex qua conſurgat infamia, certum eſt, irregulares fieri: vnde Clericus qui lapſus eſt in hæreſim, non poteſt promoueri, nec ordines ſuſceptos exercere, poſt pœnitentiam & abiurationem, ante obtentam legitimam diſpenſationem irregularitatis; quidquid in contrarium aliqui audeant affirmare, quia hic verè eſt irregularis, ergo indiget diſpenſatione. Sanchez *lib. 2. moral.c.25.n.2.& ſeq.*Suar. *diſp.43.ſect.1.*Conink *d.18.dub.7.* Bonac. *c.punct.7.* Diana *tr.1. miſc.reſ.24. par.4. & p.2. tract.2. reſ.44* et alii.

Sayr. Sà. Henriq. Layman Tanner.

Aduertendum eſt, multos Doctores aſſerere hæreticũ occultum non incurrere irregularitatem, quia *cap. ad abolendam* loquitur de publico hæretico, vt apparet in illis verbis, *Quicumque manifeſte fuerit in hæreſi deprehenſas* Sic etiam citatũ *cap. ſaluberrimum*, loquitur pariter de publico hæretico,& de ſolemni abiuratione,quæ in ſcriptis fit. Ita Sayr.*de cenſ.lib.7.c.12.n.16.* Sà *v. Irreg.ex defectu animæ n.2.* Henriq. *lib.14.c.4. n.6.* Layman *lib.1. tr.5 part.5.c.4.n.12.* Tanner. *tom.4.diſp.6.q.10.dub.10.n.200.* et alii probabiliter. Vnde ſecundùm hos Doctores, hæreticus occultus,poſt impetratam abſolutionem,poteſt ſine vlla diſpenſatione & metu irregularitatis celebrare. Vide Dian. *4.part. tr.2.reſ.46.* Ratio eſt, quia non propter hæreſim ſecundum ſe; ſed quatenus iuris infamiam annexam habet, irregularitas hæc decreta videtur.

Suar.

2. *Schiſmaticus*, qui non eſt hæreticus, non eſt irregularis,quia in iure non eſt expreſſa hæc irregularitas.Suarez *diſp.43.ſect.2.n.7.* *Religioſus* autem profeſſus apoſtata à religione, eſt irregularis? decernitur enim in iure apoſtatam à Religione durante eo ſtatu non eſſe admittendum ad ordines, *cap. fin. de apoſtatis*. *Clericus* verò qui eſt apoſtata à clericali habitu & tonſura,non eſt irregularis; nam iſta irregularitas nullo iure probatur. Bonacina *q.3.punct.7.n.8.*

Bonac.

3. *Filij hæreticorum* ſunt irregulares vſq. ad ſecundam generatione per lineam virilem paternam,per lineã vero fœmineam ſeu maternam, ſunt irregulares vſque ad primam; modo eorum parentes mortui ſint in delicto hæreſis, & non fuerint conuerſi, ſiuè poſt primum, ſiuè poſt ſecundum lapſum; vnde filii et nepotes hæreticorum poſſunt promoueri, quando parentes ipſorum ante mortem fuerunt reconciliati Eccleſiæ, *cap. ſtatutum 2.de hæret.* Sayr. *lib.6.c.10.n.4.* Conin. *c. num.51.*

Sayr. Conink.

Suar. Filliuc. Couar. Gomez. Dian.

An autem dicendus ſit irregularis, filius hæretici, qui natus eſt ante lapſum parẽtis in hæreſim, dubiæ eſt quæſtionis. Suarez enim *de cenſ.diſp.43. ſect.3.n.2.* & Filliuc. *tr.20.n.238.* poſt Couar. *2.variar.c.8.n.5.* & Gomez *tom.3.variar. c.2. n.16.* Diana *par. 4. tr. 8. reſ. 74.* affirmant, nullum diſcrimen admittentes, ſiuè ante,ſiuè poſt delictũ ſit genitus: Probatur autem hæc ſententia *cap. ſtatutum 2.de hæret.in 6.* vbi indiſtinctè & indefinitè filii hæreticorum redduntur inhabiles ad beneficia, & officia publica: At indefinita Canonis, vel legis verba tradentia regulã, æquiualent vniuerſali orationi; ergo perinde eſt, ac ſi dicerent textus, *omnes filij*. Et cum lex nihil diſtinguat,ſed filios abſolutè nominet, omnes planè comprehendit, nec nos poſſumus eam limitare, aut conuenienti aliqua ratione inter filios diſtinguere. Hæc ſententia eſt probabiliſſima et ſatis iuri communi conformis: Nihilominus, quia verſamur in materia odioſa,quæ benignè explicãda eſt, contrarium eſt probabilius. Tum quia *cap. ſtatutum*, licet indefinitè loquatur de filiis hæreticorum punitis, et quod indefinita æquipolleat vniuerſali,et per conſequens debeat intelligi de omnibus filijs ante & poſt natis; tamen indefinita locutio limitatur ex diuerſitate rationis, quæ reperitur in aliquibus caſibus ſub indefinita contentis. Tum quia lex illa Canonica puniens filium pro peccato parẽtis, eſt valde rigida & exorbitans, & ideo nullatenus eſt extendenda,ſed potius quantum fieri poteſt, reſtringenda. Eſt ergo intelligenda de illo, qui propriè & formaliter eſt delinquentis hæretici filius; qualis non eſt antea conceptus, cum quando contracta eſt filiatio, parens non erat talis; ſed ſolum materialiter dicitur filius talis, id eſt hominis, qui poſt generationem commiſit tale delictum. Ita Vgolin. *de irreg. c. 36. § 1. n.6.* Bonac. *de irregul. diſp.7.q.3.punct.7.n.10.* Henriq. *lib. 14.c.5.n.4.* Sà *v.hæreſis n.4.* Leſs. *lib.2.c.34. n.121.* Sanch. *lib. 2. moral.*

Vgolin. Bonac. Henriq. Sà. Leſſius. Sanch.

Rodriq. Sanciu[s].

c.27.n.14. Rodriq. *in ſum.c.129.n.5.tom.1.* Sanc. *in ſelect.diſp.44. n.54.* et alii.

Adnotandum item hic eſt, licet ſupradictus filius non incurrat irregularitatem inflictam in *cap. ſtatutum* contra filios hæreticorum, incurrere tamen facilè poteſt irregularitatem ortam ex infamia. Vnde ſententia negatiua deſeruiet pro locis hæreſi valde infectis,vbi hanc irregularitatem ex infamia filii hæreticorum nõ incurrerent: ſecus autem in locis vbi hæreſis impunè non graſſatur. Ita Tannerus *tom.4.diſp.6 q.10.n.201.* Præpoſitus *3.p.de irregul.q.5. dub.7.n.45.* Conin. *diſp.18. dub.7.n.11.*

Tanner. Præpoſ. Conink.

4. *Solus Summus Pontifex* diſpenſat in irregularitate contracta ob hæreſim, etiamſi hæreſis ſit occulta,nam abſolutio hæreſis, hoc tempore, eſt reſeruata Summo Pontifici, vt patet ex Bulla Cœnæ, ergo etiam eſt illi reſeruata diſpẽſatio irregularitatis inde prouenientis, *Bulla Cœnæ Domini, cap.cum illorum,de ſent.excomm.* Suar.*d.43.ſect.1.n.6.* Filliuc. *c.n.243.* Non eſt tamen improbabile, quamuis oppoſita ſententia ſit communior, Clericum conuerſum ab hæreſi, poſſe circa vſum ordinũ ſuſceptorum diſpenſari ab Epiſcopo vſq. ad Diaconatum incluſiuè, vt colligitur ex *cap.ſaluberrimum*; quoad vſum tamẽ Sacerdotii, diſpenſationem pertinere ad Papam: ſicut etiam diſpenſationem cum Epiſcopo hæretico,quoad vſũ Pontificalium, quia horum cauſæ, in materia fidei, reſeruatæ ſunt Sum.Pont. *cap. Inquiſitores, de hæret. in 6.* Imo etiam probabiliter ſuſtineri poteſt, Epiſcopum ius habere diſpenſandi non ſolum circa vſum ordinum ſuſceptorũ, verum etiam circa ſuſceptionem ipſorum ordinum, quamdiu delictum eſt occultum, et id ex priuilegio Tridentini,quod non eſt reuocatum per Bullam Cœnæ; non ſolum per ſeipſum, verum etiam per vicarium, Sanchez *lib.2.mor.c.25.n.16.* Filliuc. *c.n.246.* Viuald.*de irreg.n.80.*

Suar. Filliuc.

Sanchez Filliuc. Viuald.

5. *Inter alia multa delicta*, ob quæ merito homines ab Eccleſiaſticis ordinibus ſuſcipiendis et ſuſceptis arceri ſolent, *eſt infamia, cap.infames 17. cauſa 6.q.1.* quæ nihil aliud eſt, quàm publica opinio praua de vita et moribus alicuius, et hæc infamia *alia* eſt iuris, *alia* facti: *infamia iuris* contingit quando committitur delictum, cui impoſita eſt à iure canonico vel ciuili pœna infamiæ; omnis autem infamia quæ per ius canonicum reuocata non eſt, cenſetur canonica. *Tale delictum eſt*, Apoſtaſia à fide, raptus mulierum, periurium in iudicio, ſimonia, ſodomia, hæreſis,eiuſq. fauor, crimen læſæ Maieſtatis, perſecutio hoſtilis,crimen quo vſuræ vſurarum exiguntur, duellum, pugna publica cum feris, matrimonium actuale cũ duobus, lenociniũ, proſtitutio propriæ vel neptis, matrimonium cum meretrice vel repudiata. Sayr. *lib.7.c.10.& 11.* Suar. *d.48.ſect.1.* Regin. *lib.30.n.195.* Nauar. *c.27.n.248.* Conin. *d.18.d.7.n.56.* Tolet. *lib.1.c.62.* *Ad incurrendam* tamen huiuſmodi infamiam, requiritur iuxta Dianã *p.2. tr.3.miſc.reſ.21.& 4.p.tr.2.reſ.93.* Vecchis *diſp.9. dub.22.* Filliucium *tract. 19.n.219.* vt factum ſit notorium maiori parti viciniæ, vel collegij, vel loci, in quo quis degit, nam delinquens non videtur infamis, quãdiu delictum eſt occultum. *Secundò* contingit infamia iuris per definitam ſententiam iudicis, quando videlicet, delinquens damnatus eſt à iudice de graui aliquo crimine quod infert infamiam, vt de furto, etc. *Tertiò*, contingit, quando delinquens crimen ſuum confeſſus eſt in iudicio, nam talis cõfeſſio efficit delictum publicum publicitate iuris; vnde patet ad incurrendum infamiam requiri ſententiam iudicis declaratoriam, aut notorietatem facti, aut propriã confeſſionem. *Infamia facti* ex delicto contingit, quando committitur delictum, quod infame cenſetur apud graues et honeſtos viros, quod delictum debet eſſe publicum, ſeu notum maiori parti viciniæ, et hoc ex diſpoſitione iuris, *cap.vlt.de temp.ordin.*

Sayt. Suar. Regin. Nauar. Conink. Tolet. Dian. Vecchi. Filliuc.

Notandum tamen eſt, quod in aliquibus caſibus infamia iuris incurratur abſq. proprio delicto, vt patet in filiis eorum, qui violentas manus in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales iniecerunt, qui ipſo iure infames fiunt, *cap. fœlicis, de pœnis in 6.* et in filiis, qui læſæ Maieſtatis crimen incurrunt, horum enim filii iure ciuili infamia notantur, *l. quiſquis §.filias, C. ad l. Iuliam Maieſt.*

Nota *Secundo* quod ſiniſtra opinio, ſeu infamia inter homines orta ex aliquo crimine, de quo in iure non ſta-

tuitur,

Digitized by Google

tuitur, vt tale delictum ſit ex ijs, quæ infamat, non dicitur infamia facti legalis, nec per eam irregularitas propriè, ſimpliciter & abſolutè ac ſtrictè ſumpta incurritur, licet tali opinione grauetur quidem perſona, ac illius fama denigretur, poſsitque reddi indigna munerum, ad dignitatum, quantùm rei natura vel conditio poſtulauerit, non tamen per modum pœnæ, vel legalis impedimenti, ſed ex naturali tantùm ratione: idcircò talis infamia non dicitur legalis, ſed humana, vt docent Suarez *de cenſur. diſput.* 48. *ſect.* 1. *num.* 11. Vecch. *cap. dub.* 22. *num.* 10. & 11.

Suarez. Vecch.

6. *Infamia iuris* facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines ſuſcipiendos, & exercendos ſuſceptos: infamia verò facti prouenientis ex delicto facit hominem irregularem & inhabilem ad recipiendos ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus, *Cap. Infames* 17. *quæſt.* 1. *cauſ.* 6. tamen per emendationem aufertur infamia facti, & irregularitas ex ea conſurgens; nam res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur: eſt hic etiam *notandum*, quòd infamia ipſa præcisè non impedit exercitium ordinum ſuſceptorum, niſi crimen tale ſit vt impediat etiam exercitium ſuſceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale eſt homicidium. Vide Sayrus *c. cap.* 11. Suar. *diſt.* 48. *ſect.* 2. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 56. Bonac. *cap. quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. & 5.

Sayrus. Suarez. Toletus. Bonac.

7. *Infamia* quatuor modis auferri poteſt, iuxta Nauarrus *cap. num.* 204. Filliucius *cap. num.* 229. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 15. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. §. 3. Reginaldus *cap. num.* 196. Bonacina *cap. num.* 6. & alios. *Primo*, Infamia facti auferri poteſt per emendationem vitæ, ex qua bona opinio apud probatos & graues viros denuo conſurgat, & mala quæ antea orta erat, tollatur: vnde criminoſus emendatus & purgatus præſumitur, ſi trium annorum ſpatio ab improbè factis ſe abſtinuerit, vt in rectis, ac honeſtis actionibus ſe exercuerit. Nam præſumptio de qua *regula ſemel malus*, &c. *de regul. iur. in* 6. tollitur, ſi quis per triennium laudabiliter vixerit poſt commiſſum delictum. *Secundò*, infamia iuris canonici & ciuilis poteſt à Summo Pontifice auferri: imo illa, quæ eſt iuris ciuilis, poteſt etiam auferri a Principe, qui eam tulit, qua ſublata infamia, tollitur irregularitas. *Tertiò*, infamia poteſt auferri per diſpenſationem Epiſcopi, quatenus poteſt diſpenſare in adulterio & criminibus minoribus adulterio, nam directè diſpenſando in delicto, indirectè etiam & acceſſoriè abolet infamiam inde conſurgentem. *Quintò*, per baptiſmum tollitur omnia infamia conſurgens ex delicto, nam infamia ſequitur peccatum, ſed per baptiſmum aufertur peccatum; quamuis contrarium doceant Suarez *d.* 48. *ſect.* 2. *num.* 11. Filliuc. *tract.* 19. *quæſt.* 11. *num* 226. de infamia canonica.

Nauar. Filliuc. Sayrus. Henriq. Regin. Bonac.

Suarez. Filliuc.

An autem Prælati regulares poſsint diſpenſare in hac irregularitate ex infamia, vide tomo primo v. *Abbas n.* 8. §. 4. Quibus nunc addo, quod iuxta aliquorum Doctorum recentiorum ſententiam, omnis infamia iuris notoria per confeſsionem, aut ſententiam tolli poſsit iure priuilegij. Probatur ex priuilegio cõceſſo à *Pio V.* Abbatibus & prælatis Congregationis Caſsinenſis diſpenſandi in quauis macula infamiæ, qualitercumque contractæ ante vel poſt ingreſſum Religionis, habetur in Bullario nouo tom. 2. Bulla 129. quæ incipit, *Dum ad Congregationem.* anno 1571. & alio priuilegio conceſſo à *Gregorio XIV.* Clericis Regularibus miniſtrantibus infirmis, Bulla 17. quæ incipit, *Illius, qui pro egregia.* anno 1591. Hinc reiiciuntur *Rodriquez, Miranda* & *Vecchis* citati ſupra *v. Abbas n.* 8. §. 4. *verſ. Hinc inferunt*, aſſerentes Prælatos Regulares non poſſe diſpenſare in hac irregularitate, quando eſt publica, quia delictum per ſententiam publicatum infert ſcandalum, quod coniungitur cum infamia. Sed tollitur difficultas, quia priuilegia citata abſolutè loquuntur, ergo de quauis infamia ſiue ſit cum ſcandalo, & publica, ſiue non, intelligenda ſunt. Deinde ſcandalum tam reperitur in minoribus delictis deductis ad forum contentioſum, quam in maioribus adulterio, puta Sodomia: ergo ſi non obſtat in illis minoribus, in quibus poſſunt Prælati diſpẽſare, vt docent *Rodriquez, Miranda* & *Vecchis*, ita neque obſtare debet in maioribus. Ita Lezan. *tom.* 1. *ſum. cap.* 18. *num.* 35. & *tom.* 3. *v. Infamia num.* 17. 18. qui etiam admittit limitationem ſcandali cum aliis, ſed Bordon. *in conſil. reg. reſ.* 11. *num.* 50. nullam exceptionem ponit. Sed tu Lector iudica.

Lezan. Bordon.

Multa alia irregularitates ab aliquibus Doctoribus aſsigantur præter recenſitas: ſed quia communiter non admittuntur à Doctoribus, eò, quod in iure non ſatis videantur expreſſa, ideò ab illis ſuperſedemus.

SVPPLEMENTVM.

IRREGVLARITAS XI.

De irregularitate ex delicto.

SVMMARIVM.

1 *An propter homicidium ſeu mutilationem illicitam ſit impoſita pœna irregularitatis.*
2 *An omnes milites in bello iniuſto ſint irregulares.*
3 *An propinas alteri venenum, ſit irregularis, ſi poſt longum tempus ſequatur mors.*
4 *An quis licitè mandans alium percuti, ſi mandatarius excedens mandatũ mutilet vel occidat, ſit irregularis.*
5 *An mandans vel conſulens fieri homicidium ei, qui aliàs erat abſque mandato vel conſilio facturus irregularis ſit.*
6 *An irregularis ſit mandans aliquem occidi vel mutilari, ſi ipſimet mandatarius occidatur?*
Et quid de illo cui datum eſt conſilium vt occideret, ſed è contra ipſe fuit occiſus.
7 *An mandans vel conſulens homicidium vt euitet irregularitatem non ſolum teneatur reuocare mandatum vel conſilium, ſed monere occidendum, vt caueat.*
8 *An præbentes conſilium pium ex quo præter intentionem homicidium ſequitur, irregularitatem incurrat.*
9 *An homicidium non impediens quod ex iuſtitia tenebatur impedire, irregularis ſit?* refertur duplex ſententia.
10 *An occidens inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus, ſit irregularis.*
11 *Vt incurratur irregularitas ex homicidio caſuali, an requiratur peccatum mortale.*
12 *Regulæ tres quibus cognoſcitur irregularitas ex homicidio caſuali contingens.*
13 *Quando pulſans campanas; mittens lapidem in aliquem ludendo; vel ſaltans cum fœmina prægnante, incurrat irregularitatem.*
14 *An ſit irregularis, emittens ſagittam animo occidendi Petrum inimicum ſuum, ſed caſu occidit Paulum.*
15 *Quando adeſt probabilis ignorantia facti, an rebaptizatus vel rebaptizans ſit irregularis.*
16 *An ignorantia iuris baptiſmum iterari prohibentis excuſet ab irregularitate, ſi ſit inuincibilis.*
17 *An incurratur irregularitas, ſi quis ſine delectu cum conditione baptizet,* Si non es baptizatus, &c.
18 *Quibus in caſibus incurratur irregularitas in mala Ordinum ſuſceptione? & in quibus non.*
19 *Quando ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem vel exercentem Ordines ſacros, an incurratur irregularitas ab eo, qui ſuſcipit Ordines, vel illos exercet.*
20 *An irregularis ſuſcipiens Ordines nouam irregularitatem incurrat.*
21 *An incurrat irregularitatem ille, qui ſine Ordine requiſito adminiſtrat Sacramenta.*
22 *An Apoſtatæ à Religione ſint irregulares.*
23 *Quando incurratur irregularitas ratione infamiæ.*
24 *An ad incurrendam infamiam ipſo iure latam contra perpetrantes tale delictum, requiratur ſententia iudicis declaratoria?* refertur duplex ſententia.
25 *Qui ſint infames ex delicto proprio, vel alieno, vel ex vſu artis infamis & muneris ignominioſi.*
26 *Quando ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares & quando non.*

1. INter delicta, quibus in iure Canonico irregularitas imponitur, annumeratur homicidium, ſeu mutilatio illicita, hoc eſt occiſio corporis humani animati, prout eſt contra iuſtitiam proximo debitam facta, ſcilicet, vt eſt delictum cõtra quintum Decalogi præceptum, commiſſum, dummodo is qui occidit, vel mutilat, id faciat, poſt baptiſmum, & ſit voluntarium, vel caſuale, in ijs caſibus in quibus homicidium caſuale hanc irregularitatem inducit, ſiue illud homicidium ſit publicum & manifeſtum, ſiue occultum: quantumuis enim occultum ſit, ſemper inducit irregularitatem: ſiue homo ille occiſus ſit Paganus, ſiue Iudæus, ſiue excommunicatus, ſiue bannitus. Hoc autem homicidium committi poteſt opere, vel mandato, vel conſilio, vel auxilio & fauore, vel cooperatione aliqua, vel permiſſione, vel approbatione, & complectitur quoſcumque miniſtros, aut Officiales, quorum actiones ipſo iure in homicidium vel membri abſciſſionem diriguntur. Per mutilationem autem intelligitur membri alicuius abſciſſio: per membrum intelligitur id quod habet officium in corpore per ſe ſeparatum ab alijs, vt tradunt communiter Doctores Theologi & Canoniſtæ.

2. Quicumque ad homicidium iniuſtum, vel iniuſtam membri abſciſſionem concurrit vt cauſa propinqua, irregularis eſt. Erit autem cauſa propinqua, dictum, vel factũ alicuius ſufficienté directũ in tales effectus inde ſecutos, vel ſaltē vt citius ſequantur: ex Nauarro *in Manual. c.* 27. *num.* 220. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. §. 1. Hinc omnes milites in bello iniuſto ſunt irregulares, ſi contingant in eo homicidia vel mutilationes etiamſi proprijs manibus non fundant ſanguinem, ſed commilitem effundentibus, vel aliquo pacto cooperentur præbendo arma, adhortando & alia huiuſmodi faciendo. Ratio eſt, quia omnes huiuſmodi cooperantur ad homicidia & ſunt vna cauſa moralis, & quilibet aſſiſtentia aliorum animatur & cuſtodia adiuuatur: ſiue contingant homicidia in ea parte ex qua eſt iuſtum bellum, & contra quam alij iniuſtè pugnant: ſiue contingant ex parte militantium iniuſtè; quia ſunt cauſa iniuſti belli, & ideo etiam huiuſmodi homicidia tribuuntur militantibus in bello iniuſto quoad culpam. Ita Suarez *de cenſur. diſput.* 47. *ſect.* 5. Syluester *verb. Bellum* 3. *quæſt.* 3. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 8. *aſſert.* 3. Hurtadus *diſput.* 2. *de irregular. diffic.* 6. *num.* 21. & alij communiter. Cæterũ, quamuis hoc, quando ſunt ita pauci milites vt ſe mutuò omnes videre, vel audire poſſint, ſit regulariter verum, quia omnes ſe mutuò animant, quando tamen ſunt multa millia, videtur valdè difficilè intelligere quomodo ſinguli quotuis occidentes, aut mutilantes ad hoc animent, cum multi ſint, qui eos nec videre, nec audire poſſint, & difficilè intelligitur, quomodo quis hic & nunc poſſit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo ſenſu percipit, vnde hanc irregularitatẽ extendit Conink *de Sacrament. diſp.* 18. *dub.* 10. *num.* 98. ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia poſſunt hi omnes ſe mutuò animare. Sed hanc limitationem reijcit Hurtadus *ſupra*, cum Laymano dicens, omnes milites, quamuis ſint plura millia, in bello iniuſto incurrere irregularitatem, & etiam cuſtodientes ſarcinas, quamuis vnus tantùm occidat, aut mutilet. Tamen ſi neutra ex parte contingant homicidia, vel mutilationes, non incurritur irregularitas: quia ad hanc requiritur effectus ſubſecutus, vt notant communiter Doctores.

Nauar.
Henriq.
Suarez.
Syluest.
Laym.
Hurtad.
Conink.

3. Dans cauſam morti, hac ſecuta, irregularis eſt. Ratio eſt, quia talis eſt verè homicida; et qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur *de regul. iur. in ſexto.* Exemplum eſt in eo, qui propinat alteri venenum: ex quo etiamſi poſt longum tempus, is moritur. Nec obſtat, quod mors ſecuta non ſit voluntaria in ſe, ſed in ſua cauſa tantùm, quare non dicetur homicidium voluntarium? Reſpondeo, quòd qui ex intentione mortis dat venenum, dat cauſam ex qua ſcienter ſequitur mors, et ideò committit homicidium voluntarium, quando ex tali cauſa ſequitur per ſe effectus mortis. Tamen ſi quis det cauſam mortis cum intentione occidendi, et per antidotum mors impediatur, non foret irregularis: quia in effectu mors eſt ſecuta. Coram Deo tamen erit reus homicidij voluntarij, quoad culpam, propter morale periculum homicidij. Et ſic intelligendum eſt *cap. ſi quis, de homicidio*, prout notant communiter Doctores.

Regul. Iuris.

4. Si quis licitè mandet alium percuti, vel verberari: et mandatarius excedens mandatum mutilet, vel occidat nõ eſt irregularis. Ratio eſt, quia irregularitas hæc non incurritur niſi ex delicto, vnde cùm percuſſio, aut verberatio ſit licitè facta à mandante, non incurritur irregularitas hæc, ſi mandatarius excedat mandatum. Ita ex communi Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 233. Vinaldus *tractatu de irregul. tr. num.* 260. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 2. *num.* 5. Contra Syluestrum *verb. Homicidium* 1. *quæſt.* 17. *verſ. Quartum.* Secus dicendum, ſi mandans illicitè mandauerit percuſſionem, puta in vindictam et iniuriam, tunc incurritur irregularitas, quantumuis moneat ne mutilet, aut occidat: quia dedit operam rei illicitæ, et mandauit actiones, quæ ſunt periculoſæ mortis; probabiliter enim ex verberatione et alijs circumſtantiis aduertere debuerat poſſe ſequi talem effectum homicidii, vel mutilationis. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 45. *ſect.* 2. *num.* 3. Filliucius *tract.* 20. *num.* 94. et alii communiter; hoc tamen homicidium poteſt dici caſuale.

Nauar.
Viuald.
Maiolus
Syluest.
Suarez.
Filliuc.

5. Mandans vel conſulens fieri homicidium ei, qui aliàs erat abſque mandato, conſilio et ſuaſione facturus, non eſt irregularis: quia mandans vel conſulens non cenſetur cauſa efficax homicidii, eo quod exequens homicidium occidat ſua voluntate; non verò impulſu et ſuaſione conſulentis vel mandantis. Secus ſi aliqua ratione homicidium commiſit vel citius propter mandatum, et ſimul etiam ob propriam voluntatem, tunc mandans vel conſulens irregularis erit. Ita Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 11. Molina *tract.* 3. *memb.* 6. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 4. et alii.

Sayrus.
Molina.
Henriq.

6. Mandans aliquem occidi vel mutilari, irregularis eſt, ſi ipſemet mandatarius occidatur. Argum. *Cap. final. de homicid. in* 6. Ratio eſt, quia mandans homicidium dat operam rei illicitæ ſic mandando, et ita nihil refert ſi præter eius intentionem accidat mors mandatarii, cogitare enim debuit talia contingere poſſe. Ita Nauarrus *in man. cap.* 27. *n.* 233. Sylueſter *verb. Homicidium* 1. *quæſt.* 7. *verſ. Quartum.* et alii. An autem idem dicendum ſit illo cui datum eſt conſilium vt occidat, vel mutilet, non occidit tamen alium, ſed ipſemet occiditur? Reſp. communiorem et veriorem opinionem eſſe affirmatiuam, à qua nec ſpeculatiuè, nec practicè eſſe recedendum docet Suarez *de cenſur. diſput.* 44. *ſect.* 3. *n.* 18. Idem tenet Sayrus *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. Nauarrus *loco proximè citato*, Couarruuias, Henriquez et alii. Ratio eſt, quia iſte vt eſt vera cauſa moralis incurrit irregularitatem homicidii voluntarii. Si verò non intendebat eius mortem, incurreret irregularitatem homicidii caſualis. Nihilominus contraria ſententia à quibuſdam ſuſtinetur vt probabilis, nempe mandantem aut conſulentẽ huiuſmodi nõ eſſe irregularẽ adhuc ex homicidio caſuali: quia in iure non eſt lata irregularitas niſi ob mandatum, aut conſilium, quo quis mandat aut conſulit alicui vt vel ſeipſum vel alterum occidat ſecuto effectu. In præſenti autem caſu mandans aut conſulens non mandat aut conſulit inuadenti occiſionem ipſius, ſed alterius: ſicuti nec mandatarius aut conſularius ſeipſum occidit, quia verè non apponit cauſam ex ſe ordinatam homicidium, & independenter à voluntate aliena quod erat neceſſarium vt diceretur ſeipſum occidere. Ita Hurtadus *diſp.* 2. *de irregul. difficult.* 6. *num.* 22. Turrianus *de cenſur. lib.* 9. *diſput.* 63. *dub.* 4. Præpoſitus *quæſt.* 5. *de irregul. dub.* 10. *num.* 78. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 1. & alij.

Nauar.
Syluest.
Suarez.
Sayrus.
Nauar.
Couar.
Henriq.
Gasp.
Hurtad.
Turrian.
Præpos.
Henriq.

4. Quorumdam ſententia eſt mandantem homicidium nõ ſolùm teneri reuocare mandatũ ad vitandam irregularitatem, ſed monere occidendum, vt caueat: quia ipſe ſuo mandato in eo periculo conſtituit occidendum, ergo ſi nõ poteſt efficaciter reuocare mandatum, tenetur monere illum, vt caueat. Ita Turrianus *de cenſur. lib.* 7. *diſput.* 63. *dub.* 3. Hurtadus *diſp.* 2. *de irregul. diffic.* 6. *num.* 24. & ita aſſerunt de conſulente. Probabilior tamen ſentẽtia aſſerit mandantem non teneri monere occidendum, ſed tantùm reuocare mãdatũ dummodò reuocatio expreſsè vel tacitè nota ſit mandatario: Conſulentem verò eſſe irregularem, etiam poſt reuocatum cõſilium, ſi ſequatur homicidium, propter prius conſilium datum. Ratio diuerſitatis eſt, quia qui conſulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate, debet efficacius reuocare conſilium, quam mandatum:

Turrian.
Gasp.
Hurtad.

quia

Digitized by Google

quia mandans in mandando vim & obligationem imponere videtur mandatario, adeò, vt quidquid agit mandatarius in gratiam ipſius mandantis agere videtur, vnde ad hanc obligationem tollendam ſatis eſt quod reuocet mandatum priùs factum, & illud mandatario manifeſtet; & ſi poſt reuocationem mandatarius occidat, non imputabitur mandati.

At in conſilio agitur res ipſius conſulti & in fauorem eius datur, vnde conſulens non facit ſatis reuocando conſilium: ſed debet conari precibus importunis, ne cõſilium mandetur executioni; quod ſi firmiter credat preces non profuturas, debet indicare occidendum in particulari, vel in generali ad arbitrium viri prudentis, vt caueat; aliàs irregularis erit ſecuto effectu. Ita Syluester *verb. Homicidium 1. quæſt. 7. verſ. Tertium*, Nauarrus *in man. cap. 27. num. 233.* Sayrus *lib. 7. cap. 3. n. 4. & 5.* Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 4. concl. 3.* & alii apud ipſos. Quamuis aliqui nullam agnoſcant differentiam inter mandantem & conſulentem, & docent in prædicto caſu ſufficere reuocare mandatum & conſilium ad vitandam irregularitatem, ita P. Nauarra, Præpoſitus apud Dianam *part. 4. tr. 2. reſol. 14.* quorum ſententia probabilem putat Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 17. & 18.* Notandum eſt tamen, quod ſi bona fide conſulens putauit ſufficere tantùm reuocationem ſolam, non erit irregularis, etiamſi ſequatur homicidium, vt annotauit Sayrus *loco citato num. 6.* argument. *cap. ſicut tuis, de ſimonia.*

Sylueſt. Nauar. Sayrus. Auila. Nauar. Præpoſ. Diana. Leſſius.

8. Præbentes conſilium pium ex quo præter intentionem homicidium vel membri mutilatio ſequitur, ſi factus non ſit ordinatus in talem effectum, nec à conſiliario intentus, irregularitatem non incurrunt: Hinc qui dat conſilium in rebus fidei, vt ſcilicet quis ſe exponat indubitanter morti pro Chriſti honore, pro fide, vel pro Eccleſia, talis non ſit irregularis etiamſi mors inde ſequatur. Item qui conſulit alicui vt patrem ſuum periculantē defendat, etiã cum periculo vitæ ſuæ, quando ad id præcepto tenetur. Imò & qui conſulit alicui vt exponat ſe periculo pro virtute quadam, vt pro amici defenſione, quem hoſtes occidere tentãt, irregularis non erit, quamuis is cui conſilium dedit, interficiatur. Item conſulens alicui omninò parato inferre graue damnum, v. g. homicidium, vt potius minus damnum faciat, puta, vt mutilet, ſecuto damno minori, irregularis conſulendo non erit: quia non peccat in hoc bono conſilio, nec conſilium eius influit moraliter vt fit mutilatio, ſed ne fiat homicidium. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 16. §. 4.* Sylueſter *verb. Homicidium 1. quæſt. 8. verſ. Octauum.* Sayrus *lib. 7. cap. 3. num. 8. ſequent.* Nauarrus *in man. cap. 14. num. 40. verſ. Decimo tertio.*

Sayrus. Henriq. Sylueſt. Sayrus. Nauar.

9. Communior ac probabilior ſentẽtia aſſerit non impedientem homicidium quod tenetur ex iuſtitia impedire, irregularitatem incurrere: quia in tali caſu quis cenſetur cauſa moralis homicidii, priuat enim alium iure ſuo, & re ſibi neceſſaria ad ſui defenſionẽ, vnde conſequenter moraliter influit in homicidium vt diximus *tom. 1. verb. Irregularitas VI. num. 9.* cum Doctoribus ibi citatis.

Verùm contrarium a quibuſdam neotericis ſuſtinetur vt probabile. Ratio illorum eſt, quia etiamſi iſte non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & ſit cauſa moralis & voluntaria homicidij quod non impedit, non tamen eſt cauſa poſitiua poſitiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec conſilio: in iure autem non fertur irregularitas niſi contra verè & poſitiuè homicidas, ſaltem conſilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium quod etiam eſt verum quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam illatam non impedienti, quamuis non cõtradicenti verbis ei, qui occidit, quia etiam tunc permittens, ſeu non impediens non influit poſitiuè. Tum quia licet talis peccat contra iuſtitiã non impediens, tamen non debet puniri eadem pœna, qua punitur ille, qui poſitiuè operatur. Vnde ſicut in iure non dicitur fur, qui non impedit furtum, ſic etiam non dicitur homicida, qui non impedit homicidium. Ita docent Hurtadus *diſp. 2. de irregul. diffic. 9. num. 34.* qui citat. *D. Antoninum & Tabienam.* Turrianus *de cenſur. lib. 9. diſput. 63. dub. 3.* & probabilem putat Conink *de Sacram. diſput. 18. dub. 8. num. 71.* & probabiliorem oppoſitam tenet Præpoſitus *in 3. p. quæſt. 5. de irregul. dub. 10. num. 79.*

Gaſp. Hurt. D. Ant. Tabien. Turrian. Conink. Præpoſ.

A fortiori neque irregularis erit, qui hominis occiſionem impedire volentem magna diſſuaſione ab hoc opere charitatis reuocat: non enim peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, vt docet Auila *part. 7. diſput. 6. ſect. 2. dub. 7. concl. 2. §. ex dictis*, quem ſequitur Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 7.* & ſi contrarium doceant *Suarez, Sayrus* & alij. In foro tamen externo contra talem, qui homicidium, cum facilè poſſet impedire neglexit, præſumptio oritur, conſenſiſſe vel conſpiraſſe in homicidium, vt conſtat ex *cap. Sicut dignum, §. illi, etiam, de homicidio.*

Auila. Layman. Suarez. Sayrus.

10. Irregularis non eſt occidens inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus. Ratio eſt, quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam; ſed, poteſt quis ad defendẽdas ſuas diuitias occidere inuaſorem, ergo. Tum quia in hoc caſu occidens non peccat occidendo, ergo neque incurrit pœnas iniuſtè occidentium. Tum quia ſic defendens verè vitam tueri dicitur, cùm hoc ad vitæ conſiſtentiam pertineat. Sic Sayrus *lib. 6. cap. 17. num. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 10. num. 3.* Bonacina *de irregular. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 6. num. 7.* Contra Toletum & alios.

Sayrus. Henriq. Bonac.

Idem dicendum ſi quis occidat alterum, in defenſionem alicuius membri, & ne ab illo mutiletur. Ita Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 22.* poſt Hurtadum *de irregul. diſput. 2. difficult. 10. num. 36.*

Diana. Hurtad.

11. Vt ex homicidio caſuali incurratur irregularitas iuxta communiorem ac veriorem opinionem requiritur peccatũ mortale. Ratio eſt, quia cùm irregularitas ex culpa contracta, ſit pœna grauis, priuans vſu & ſuſceptione ordinũ, nõ niſi ob culpam graue & mortalem imponenda eſt. Præterea irregularitas nõ eſt imponenda niſi expreſsè habeatur in iure: nullibi autem in iure imponitur irregularitas ob culpam cõtracta, niſi pro culpa graui: & ſemper dicitur homicidium illud eſſe culpabile, ex quo incurritur irregularitas, quod intelligitur culpabile mortaliter; non enim ſolent leges punire actus leues & imperfectos, culpa verò venialis eſt leuis & imperfecta in genere culpæ & peccati, ideoque veriſimile non eſt tam grauem pœnam, qualis eſt irregularitas, pro veniali culpa imponi à iure, cùm pœna proportionata debeat eſſe culpæ. Ita Syluius 2. 2. *quæſt. 64. art. 8. concluſ. 3.* Salon *ibidem, controuerſia* 3. Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 21.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 252. verſ. Octauò*, & alij communiter Theologi.

Syluius. Salon. Diana. Nauar.

12. Tres regulæ ponuntur à Doctoribus, vt ſciatur quandonam incurratur irregularitas ex homicidio caſuali, quarum prima eſt.

Quando quis dat operam rei licitæ, & adhibet omnem diligentiam, quam adhibere debet ne homicidium ſequatur, non eſt irregularis etiamſi tunc ſubſequatur: quia talẽ homicidium eſt omninò inuoluntarium, & ſine vlla culpa, & colligitur ex *cap. Lator, cap. Dilectus filius, cap. Significaſti 1. & cap. final. de homicidio.*

Secunda, Qui dat operam rei licitæ, non adhibet tamen omnem curam, quam adhibere debet ne ſequatur homicidium, irregularis eſt, ſi homicidium ſequitur, vt colligitur *ex cap. Presbyterum & cap. ad audientiam, de homicid.* Notandum tamen quod in his duabus regulis non requiratur Summa & exactiſſima diligentia, qualem adhibuiſſet diligentiſſimus, ſed ſatis eſt, quod quis talem adhibuerit diligentiam, qualem conſiderata rei qualitate, & perſonarum & negotiorum & temporis, ad viri prudentis arbitrium adhibere debuiſſet. In his duabus regulis conſentiunt omnes Doctores.

Tertia regula eſt, Qui dat operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi prohibitæ, etiamſi adhibeat diligentiã ſufficientem ne ſequatur homicidium vel mutilatio, ſi tamen homicidium, aut mutilatio ſubſequitur, irregularis eſt. Circa hãc regulam non conſentiunt Doctores; quidam enim exiſtimant vniuerſaliter verum eſſe. Sed verior & communior ſententia meritò docet regulam hanc vniuerſaliter & abſolutè ſumptam eſſe falſam, id eſt, non ſufficere ad incurrẽdam irregularitatem, quod ſit ſubſecutum homicidium ex opere illicito, ſed neceſſarium eſſe quod opus illud vel ſit ex ſe & ſua natura inductiuum ſaltem probabiliter, & vt plurimum mortis, aut mutilationis, vel periculoſum,

aut prohibitum iure Diuino vel humano, adeò; vt hæc neceſſariò requirantur nimirum, quod opus illud ſit illicitum, periculoſum, vel ab operante fieri prohibitum. Vt tradunt Toletus *lib. 1. Summ. cap. 81.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 221.* Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. art. 9.* Suarez *diſp. 45. ſect. 6.* Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 1.* Sayrus *lib. 7. cap. 5.* Couarruuias *in clement. ſi furioſus, part. 2. §. 4. num. 10. de homicid.* Salon *in 2. 2. quæſt. 64. art. 8.* & alij.

Toletus. Nauar. Suarez. Auila. Sayrus.

*13. Ex dictis regulis reſoluuntur ſequentes caſus. Pulſans campanas, aut eas tollens, ſi abſque eius culpa, caſu aliquis occidatur, non erit irregularis, *cap. ex literis, 2. & cap. Ioannes de homicid.* quia dedit operā rei licitæ & debitam diligentiam adhibuit. Sin verò pulſatio campanarū eſſet illicita, quia pulſaret ad ſeditionem & arma, ſi exinde in illa pugna quis occidatur, irregularis erit, quia dedit cauſam huic morti, & præcauere debuit ſimile quid euenturum, Couarruuias *in Clement. ſi Furioſus part. §. 2. 4. n. 5. verſ. Tertio, de homicid.* qui addit nō eſſe irregularē eū, qui campanā pulſauerit in ſignum quod aliquis ſit à miniſtris iuſtitiæ occidentibus. *Item* irregularitatē nō incurrit mittens lapidem in aliquem ludendo, ſi is à lapide fugiens, in alterum lapidem caput offendat & culpa medici moriatur: quia qui miſit lapidem dedit operam rei licitæ, ludus enim inter pueros licitus eſt, nec aliquam culpam habuit, quam ipſe præuidere potuit. Couarruuias *ſupra, num. 6.*

Couar.

Cenſebitur irregularis clericus aut Monachus cum fœmina prægnante ludens, ſi cum ea ſaltet, aut choreas ducat, ſi caſu cōtingat aborſus fœtus animati ex eo luſu: quia luſus ille cum fœmina prægnante pericoloſus eſt, frequenter occaſionem præbens abortioni: & talis ludendi leuitas clerico & monacho indigna eſt, & illicita propter periculum aborſus. Laicus autem ſi ludat & ludus ſit leuis, irregularis non erit, ſi caſu ſequatur aborſus: quia leuis ludus, vt choreas ducere modeſtè etiam cum muliere prægnante, non eſt prohibitus laicis, ſicut clericis & religioſis, & ideò non imputatur aborſus laico, qui Monacho aut clerico imputaretur. Sic Nauarrus *in man. cap. 27. num. 236.* Angelus *verb. Homicid. 2. §. 5.* Syluest. *verb. Homicidium 2. §. Pudecimo,* Sayrus *lib. 7. cap. 6. num. 15.* Couarruuias *in Clement. ſi furioſus, part. 2. §. 4. num. 4. & num. 10.*

Nauar. Angel. Syluest. Sayrus. Couar.

14. Irregularis eſt, qui emittit ſagittam, ſiue lapidē animo occidendi Petruoi in micū ſuum, ſed Petro declinante ſagitta emiſſa occidit Paulum, qui non intendebatur occidi ab illo. Ratio eſt, quia in hoc caſu mittens ſagittam habebat intētionem occidendi hominem, & verè realiter hominem occidit: & licet nō intenderit occidere Paulum, ſed Petrum, non ideò excuſatur ab homicidio, quia fecit actionē iniquam & periculoſam animo peruerſo faciendi homicidium abſque ſufficienti diligentia ne ſagitta vel lapis ad Paulum perueniret: Mors tamen Pauli in hoc dicetur caſualis. Ita Molina *tom. 4. diſp. 32. n. 3.* Sayrus *lib. 7. cap. 6. num. 30.* Bonacina *diſput. 7. q. 4. punct. 7. num. 19.* Verum ſi emittens ſagittam ſeruaſſet debitam cautelam, adhibendo diligentiam poſſibilem, ne alium occideret, niſi Petrum, ſed omninò caſualiter, & præter intentionem occidiſſet Paulum, tunc poſſet dari aliqua excuſatio ab iſta irregularitate incurrenda, prout docent Suarez *de cenſur. diſp. 45. ſect. 6. num. 18.* Filliucius *tract. 20. cap. 3. num. 81.* & Bonacina probabiliter.

Molin. Sayrus. Bonac.

Suarez. Filliuc. Bonac.

15. Irregularis non eſt rebaptizans, aut rebaptizans, quando adeſt probabilis ignorantia facti. Ratio eſt, quia irregularitas hæc contrahitur ex culpa ſeu delicto, ergo vbi non eſt culpa mortalis, non incurritur pœna irregularitatis. Vbi autem eſt ignorantia probabilis ſiue in rebaptizante, ſiue in rebaptizato, nulla eſt culpa, ergo nec irregulares ſunt. Ita Suarez *in 3. p. de Sacram. diſput. 31. ſect. 6.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 3. verſic. Quarto,* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 246.* Sayrus *lib. 7. cap. 8. num. 8.* & alij penes, ipſos, contra Syluestrum, Angelum & alios. Cenſetur autem ignorantiam facti probabilem ille habere, qui adhibita debita diligentia ſcire non potuit, an is qui offertur ſit baptizatus: quam tamen ignorantiam prætendere non poteſt is, qui ſcit infantem natum eſſe ex parentibus Chriſtianis, & inter Chriſtianos educatum, talis enim certò credendus eſt eſſe baptizatus, niſi contrarium euidentiſſimè probetur, tunc enim non rebaptizari, ſed baptizari deberet.

Suarez. Valent. Nauar. Sayrus.

16. Communis Doctorum ſententia eſt, ignorantiam iuris, ſiue diuini, ſiue humani, baptiſmum iterari prohibentis, non excuſare ab irregularitate, etiamſi ignorantia eſſet inuincibilis. Ratio eſt, quia ignorantia eorum, quæ quis tenetur ſcire, non excuſat à culpa eos, qui ex officio baptizare tenentur: Reiteratio enim Baptiſmi eſt prohibita iure diuino cuius iuris ignorantiam nemo iuſtè prætendere poteſt: quapropter Doctores communiter damnant irregularitatis eum qui baptiſmum iterat ex ignorantia iuris; quia ea iuris diuini ignorantia vix in aliquo præſumitur inculpata, cui ex officio incumbit baptizare, & qui ius diuinum ſcire obligatur. Nihilominus fieri poteſt vt quis inuincibilē habeat ignorantiam ipſius iuris diuini rebaptizationem prohibentis, quamuis fundetur in Euangelio, non eſt tamen ita per ſe notum, quin plebeius & ruſticus ſeu idiota illud præceptum inuincibiliter ignorare poſſit. Vnde quando contingit ignorantiam eſſe inuincibilem iuris prohibentis iterationem Baptiſmi, excuſabit à culpa, & pœna irregularitatis impoſita ob eam culpam, ſaltem in foro conſcientiæ. Ita Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 31. ſect. 6. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. §. 3.* Filliucius *tract. 20. cap. 6. quæſt. 2.* Sotus *in 4. diſt. 3. quæſt. 1. art. 9.* & alij. Notandum tamen quod ſi ignoretur pœna irregularitatis, ſciatur tamen lex prohibens iterationem Baptiſmi, ſatis erit ad eam incurrendam, quia irregularitas non eſt cenſura, ſed pœna iure poſitiuo conſequens talem culpam. Sed hæc dicta ſint, ſecundùm antiquorum ſententiam, aliter enim philoſophantur & docent nonnulli Neoterici, quorum opinio improbabilis non eſt, vt diximus ſupra *verb. Ignorantia, num. 6. & 7.*

Suarez. Henriq. Filliuc. Sotus.

17. Certum eſt eos peccare mortaliter, qui ſine delectu aliquem cū conditione, *ſi baptizatus es, ego te non baptizo, ſi nō eſt baptizatus, ego te baptizo,* baptizant, nō priùs quærentes an baptizatus fuerit. Dubium tamen eſt, an in hoc caſu incurratur irregularitas, quando quis temerè & nulla diligentia adhibita, aut certò ſciens aliquem eſſe baptizatum ſub conditione rebaptizat? Quidam negant: quia conditio illa ſuſpendit & impedit completam & perfectam rebaptizationem, conſequenter non erit peccatum in ſua ſpecie conſummatum. Irregolaritas autem non incurritur, niſi ob peccatum in ſua ſpecie conſummatum. Tum quia talis non intendit rebaptizare, cum ſub ea conditione rebaptizet; actus autem agentium non operantur vltra intentionem eorum. Ita Suarez *loco cit. diſput. 31. ſect. 6. dub. 5.* Nauarrus *in man. cap. 27. n. 246.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. §. 4.* & alij. Contrarium tamen videtur determinatum in Catechiſmo Romano edito iuſſu Pij V. tract. de Baptiſmo, cap. de effectibus Baptiſmi, his verbis. *Non deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemuis ſine delectu, cum adiunctione illa baptizent: Quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit; ſed ſtatim ei baptiſmum tribuunt. Quin etiam quamuis exploratum habeant, domi Sacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum adiunctione repetere non dubitant. Quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt; & eam maculam ſuſcipiunt, quam Diuinarum rerum ſcriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptiſmi forma ex Alexandri Tertij Papæ auctoritate,* in cap. De quibus dubium, de bapt. & eius effect. *in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an Baptiſmum ritè ſuſceperint, aliter verò nunquam fas eſt, etiam cum adiunctione Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.* Hactenus Catechiſmus Romanus. Quibus verbis refellitur fundamentum prioris ſententiæ & ſimul declaratur illum eſſe Irregularem, qui ſub conditione rebaptizat, niſi quando adhibita debita diligentia dubium eſt, an baptizatus, necne. Proinde hanc tenent Victoria *Summ. §. 35. de bapt.* Zerola *in prax. Epiſcop. part. 1. verb. Irregularitas, dub. 12.* Sayrus *lib. 7. cap. 8. num. 24.* Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 14. num. 5.* Sotus & alij.

Suarez. Nauar. Henriq. Catech. Roman.

Victoria Zerola. Sayrus. Maiolus

18. Quidam probabiliter ſentiunt quòd in duobus tantum caſibus quis in mala ordinum ſuſceptione incurrit irregularitatem. *Primò,* ſi furtiuè ordinetur: hoc eſt, quando non examinatus, neque admiſſus ſuſcipit ordines, vel quando fecit vt alius examinaretur & ipſe loco illius &

nomine

Digitized by Google

nomine ſuſcipit ordines, vt patet *ex cap. 1. de eo qui furtiuè ordinatur*, & talis nec ordinibus prius ſuſceptis aut eo ordine ſic accepto vti poterit, nec ad Superiores aſcendere permittuntur. Diſpenſatio verò huius irregularitatis committitur Epiſcopo cum hac tamen conditione, vt non fuerit denuntiatus ab Epiſcopo, vel Archidiacono, vel alio Miniſtro mandante, vt nullus ſe furtiuè ingerat ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, in hoc enim caſu non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia eſt Papæ reſeruata, vt clarè colligitur *ex cap. veniens 1. de eo, qui furtiuè ordines ſuſcipit.*

Secundò, Vir coniugatus ſi durante matrimonio etiam non conſummato præſumens ſacrum ordinem illicitè ſuſcipere, non ſolum eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, vt patet *ex Extrauag. Antiqua, de voto & voti redempt.* quia non ſolùm prohibetur ordines ſuſceptos exercere, verum etiam alios ſuſcipere, quod eſt proprium irregularitatis. In alijs autem caſibus quos adducunt Doctores aſſerentes incurri irregularitatem in ſuſceptione Ordinum, contrarium tenendum eſt, quia cùm non exprimantur in iure, non ſunt admittendi. Vt ſuſtinent Hurtadus *de cenſur. diſp. 2. diffic. 1.* Præpoſitus *in 3. p. quæſt. 5. de irregul. dub. 5. num. 27.* Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 55.* Vnde in ſequẽtibus caſibus non irregularitas, ſed ſuſpenſio incurritur. *Primò*, quando quis ordinatur ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui quoad locum & dignitatem. *Secundò*, ante legitimam ætatem. *Tertiò*, ab Epiſcopo alieno ſine licentia pretii. *Quartò*, non ſeruatis interſtitiis. *Quintò* per ſalutem. *Sextò*, extra tempora ſine diſpenſatione, de quibus videndus Filliucius *tract. 20. num. 190. & ſequent.*

Gaſp. Hurt. Præpoſ. Diana.

19. Irregularitas non incurritur ab eo, qui ſuſcipit ordines, vel illos exercet, quando ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem. vel exercentem ordines ſacros. Ratio eſt, quia excommunicatio ſupponit ſuſceptionem ordinis, vel eius functionem, cùm propter illam incurratur, & illam ſupponat tanquã cauſam, propterea ille cui facta eſt prohibitio ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, non incidit in excommunicationem dum traſgreditur, ſed poſtquam tranſgreſſus eſt, debet enim cauſa præcedere effectum, ſit vt quando quis in tali caſu prohibitionem traſgreditur, ſuſcipiendo, vel exercendo ordinem, ſicut nondum eſt excommunicatus, ita necdum tanquam excommunicatus obnoxius ſit irregularitati incurrendę, ſed tantùm poſt completam illam tranſgreſſionem, per quam incidit in excommunicationem, qua irretitus ſi ordines ſuſcipiat, aut ſuſceptos exerceat, fit irregularis. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 42. ſect. 5.* Reginaldus *l. 30. tract. 2. num. 182.* Filliucius *tract. 20. cap. 8. q. 2. 3. & 4. tract. 17. num. 191.* Conin. *diſp. 15. dub. 5. num. 36.* & alii.

Filliuc. Suarez. Regin. Filliuc. Conink.

20. Irregularis ſuſcipiens ordines nouam irregularitatem non incurrit: quia talis noua irregularitas nullibi in iure inuenitur expreſſa. Vnde irregularis recipiens ordines, vel celebrans, aut Sacramenta adminiſtrans non incurrit nouam irregularitatem, ſed remanet in eadem, qua prius erat ligatus, & toties peccat mortaliter; quoties huiuſmodi actiones ſacras facit contra præceptum Eccleſiæ. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 3. num. 3.* Filliucius *tract. 20. num. 193.* & alii communiter.

Suarez. Filliuc.

21. Ex textu *cap. 1. & 2. de cleric. non ordin. miniſtr.* Conſtat illum eſſe irregularem, qui præſumit ſolemniter baptizare carens ordine ad id requiſito, & qui ſine Sacerdotali ordine præſumit Miſſam celebrare. Sed dubium eſt, an incurrat irregularitatem ille, qui ſine ordine requiſito adminiſtrat alia Sacramenta? Rationẽ dubitandi præbet textus cap. 1. citat. vbi habetur, *Si quis baptizauerit aut aliquod diuinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Eccleſia & nunquam ordinetur.* Sub diuinis autem officiis non ſatis conſtat hic contineri adminiſtrationem Sacramentorũ, cùm ſæpe in iure inter ſe diſtinguantur: imò & in *dict. cap. 1.* Baptiſmus condiſtinguitur contra diuinum officium: ergo non videtur ſatis conſtare diuinum officium comprehendere Sacramentorum adminiſtrationem, & ideò opinio negatiua apud quoſdam videtur probabilis, & illam docet Syluester *verb. Confeſſ. 1.* Præpoſitus *in 3. p. quæſt. 5. de irreg. dub. 6. n. 35* His tamen non obſtantibus non eſt recedendum à communi

Syluest. Præpoſ.

ſententia affirmatiua docente, clericum, qui ſerio, ſcienter ſolemniter ex officio miniſtrare præſumit in ſacris ordinibus, quos non habet, ipſo facto irregularitatem incurrere, in qua quando delictum eſt publicum ſolus Papa diſpenſat, quando verò eſt occultũ poterit in foro conſcientiæ Epiſcopus diſpenſare ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* Ita Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 11. ſect. 3. num. 22. & diſp. 42. ſect. 4.* Nauarrus *in man. cap. 27. n. 242.* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 1.* Auila *part. 6. diſput. 9. dub.* et alii communiter apud ipſos.

Concil. Trident. Suarez. Nauar. Sayrus. Auila.

Ex quo ſequitur, quod ſi quis Sacerdos miniſtrare præſumpſerit in ordine Epiſcopali, confirmando, ordinando conſecrando Eccleſiis, ſiue altaria conficiendo Chriſma, et huiuſmodi functiones Epiſcopales, ipſo facto irregulares eſſet. Similiter, ſi aliquis non legitimè ordinatus Sacerdos Sacramentaliter abſoluat, aut Extremam Vnctionem, aliaque Sacramenta miniſtret, aut benedicat ſponſos ſolemniter, vel alia munera pertinentia ad Sacerdotem, efficeretur irregularis.

22. Apoſtatæ à religione ſunt irregulares, dum ſunt in actu Apoſtaſiæ, et non poſſunt ad ordines promoueri, neque in ſuſceptis miniſtrare ratione excommunicationis contractæ per Apoſtaſiam, quare durante illo ſtatu, ſunt tanquam irregulares habendi vt habetur *in cap. final. diſt. 50.* et docent Vgolinus *de irregular. cap. 36. §. 4.* Suarez *de cenſur. diſput. 31. ſect. 6.* Henriquez *lib. 13. cap. 4. num. 6.* et alii.

Vgolin. Suarez. Henriq.

23. Incurritur irregularitas ratione infamiæ *Primò*, ex quocumque crimine inducente infamiam, ſi illa ſequatur: vnde clericus offerens, vel acceptans duellum, irregularis eſt, *cap. Porro, de cleric. pugnant. in duello.* Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 19. de reform.*

Concil. Trident.

Secundò, Ex quocumque delicto enormi et depoſitione digno, ſi ſit notorium et manifeſtum contrahitur irregularitas, vt colligitur *ex cap. final. de tempor. ordin.* Vnde vt hoc crimen irregularitatem inducat requiritur vtraque conditio, nempe, vt ſit enorme et depoſitione dignum, et Notorium; quibus duabus conditionibus concurrentibus contrahitur irregularitas, quæ non tollitur per pœnitentiam, ſed indiget diſpenſatione.

Tertiò, ex nullo crimine quantumuis enormi, dummodò occultum ſit contrahitur irregularitas, niſi in iure expreſſum habeatur, et ſiue ante, ſiue poſt peractam pœnitentiam: quando autem à iure impoſita eſt irregularitas, tunc crimen illud quantumuis ſit occultum inducit irregularitatem, etiam poſt peractam pęnitẽtiam illius, quale eſt homicidium etiam occultum. Vt colligitur *ex cap. Miror, diſt 50.* et patet ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* Ratio eſt, quia ex nullo crimine contrahitur irregularitas niſi in iure exprimatur; ſed in iure exprimitur tantùm homicidium voluntarium occultum, ergo citra caſum illum in nullo crimine occulto quantumuis enormi incurritur irregularitas; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Hæ tres regulæ communiter ſtatuuntur tanquam certæ à Doctoribus, præſertim Nauarro *in man. cap. 27. num. 248. verſ. Tertiò*, Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 3. §. 5. in fine*, Sayro *lib 7. cap. 12. num. 11. & ſequent.* Henriquez *lib. 14. cap. 5. §. 1. & 2.* et aliis.

Concil. Trident. Nauar. Valentia Sayrus. Henriq.

24. Dubium eſt, an ad incurrendam infamiam, ipſo iure latam contra perpetrantes tale delictum requiratur ſententia iudicis declaratoria, vel ſufficiat euidentia facti, quod tale delictum realiter commiſſum ſit?

In qua re ſunt duę opiniones; Prima docet neceſſariam eſſe ſententiam iudicis declarantis talem eſſe infamem propter tale crimen commiſſum; cui erat impoſita in iure pęna infamiæ; et ideò nullum crimen, licet depoſitione dignum et quantumuis notorium inducere irregularitatẽ, antequam ſit notorium in Iudicio, vel per Confeſſionem rei, vel per ſententiam iudicis, excepto crimine homicidii. Ita Paulus à Caſtro *de leg. penal. lib. 2. cap. 15.* Alii vero dicunt quod infamia iuris incurritur ipſo facto radicaliter, quando aliquis committit delictum, ob quod impoſita erat in iure pęna infamiæ, ſed talis executio pęnæ dependet à ſententia iudicis, à quo declarandum eſt tale crimen fuiſſe commiſſum à tali perſona, cui ſecundùm iura impoſita eſt pęna infamiæ ipſo facto. Ita Suarez *diſp. 48. ſect. 1. num. 18.* Azorius *p. 1. lib. 5. cap. 7. q. 4.* Filliucius

Caſtro. Suarez. Azorius. Filliuc.

tract. 19 *num.* 207. & alij.

25. Ex delicto proprio infames ſunt, qui de furto ſunt conuicti: qui muliebria paſſi ſunt & non per vim: Apoſtatæ a fide: Sacrilegi: Sepulchrorum violatores: Inceſtuoſi: homicidæ; periuri: qui in iudicio mendacium iuramento confirmarunt: Raptores; malefici; venefici, belli deſertores; adulteri; hæretici; fautores, receptatores, defenſores hæreticorum; credentes hæreticis; Schiſmatici, Blaſphemi Simoniaci; vſurarij; duellum offerentes, vel acceptantes; omnes denique criminibus capitalibus irretici; & in crimine notorio depoſitione digno, exiſtentes. Item, qui ducũt vxores viles & abiectas, vel meretrices, eiectas, repudiatas, ioculatrices ſaltatrices. Hæc colligi poſſunt *ex cap. infames 3. quæſt. 7. & cap. infames, 6. quæſt. 1. cap. ſi quis viduam, diſt.* 34. & iuris.

Irregularitas iſta ex infamia contrahitur etiam ſine propria culpa ex crimine alieno perſonæ coniunctæ, vt filius & nepos per lineam maſculinam hæretici damnati & in hæreſi morientis, aut de crimine læſæ maieſtatis damnati: ex matre verò hæretica ſolus filius, non autem nepos contrahit infamiam iuris, *cap. Statutum 2. de hæret. in 6.* Si tamen occulta fuerit hæreſis, aut in natione infecta patet deceſſit in publica hæreſi abſque nota infamiæ, filius Catholicus non eſt infamis, aut irregularis. Item infamiam iuris incurrit, qui ex meretrice matre, quamuis coniugata natus eſt, dummodò notorium ſit matris meretricium.

Denique hæc irregularitas infamiæ contrahitur aliquando ex vili conditione perſonæ, quæ oritur ex vſu artis infamis & muneris ignominioſi, vt ſunt Mini, Hiſtriones, Scenici, Ioculatores, Carnifices, Macellarij, Tabernarij, Cauponarij, Aurigæ & ſimiles. De quibus
Maiolus Suarez. Filliuc. legendi ſunt Maiolus *lib.* 3. *cap.* 1. Suarez *diſp.* 48. *ſect.* 3. Filliucius *tract.* 19. *num.* 230. qui vltimus rectè aduertit, quod ſemper debet aliquo iure conſtare tale munus inducere infamiam: nam alias ob vſum artis Mechanicæ regulariter non incurritur irregularitas, etiamſi ſint homines infimæ notæ, modò nihil turpe efficiant & cum peccato, ratione cuius fiant irregulares. Sic etiam filij vilium perſonarum non ſunt infames, neç irregulares, etiamſi eorum parentes tales fuerint; quia nullum eſt ius id exprimens, ſecluſo autem iure ignobilitas parentis non officit filio in ordine ad munera Eccleſiaſtica.

26. Suſpecti de hæreſi qui coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi. non ſunt irregulares; quia non damnantur tanquam hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæreſim, ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, a qua ſe purgarunt per abiurationem: Tum quia in iure imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non autem abiurantibus hæreſim. Suſpecti tamen de hæreſi eſſent irregulares quando ſuſpicio oritur ex eo, quod fauent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt, ſi autem ſuſpicio oriatur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter huiuſmodi ſuſpicionem, ſed ſolùm propter infamiam, ſi crimen fuerit notorium; quare ſi auferatur infamia, & ſuſpicio purgetur, conſequenter
Sanchez Henriq. Filliuc. Diana. Farinac. etiam tollitur huiuſmodi irregularitas. Ita Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 25. *n.* 12. & 10. Henriquez *lib.* 13. *c.* 5. Filliucius *tract.* 20. *n.* 235. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 47. & 48. Farinacius *de hæreſi q.* 192. §. 5. *num.* 80. & alij.

Vide verb. Ignorantia *num.* 12. Miſſa 3. *n.* 13. Suſpenſio *num.* 10. & 11.

IRREGVLARITAS XI.

De modis quibus poteſt tolli irregularitas in vniuerſum.

SVMMARIVM.

1 *Tribus modis tollitur irregularitas.*
2 *Qua irregularitas tollatur per Baptiſmum?*
3 *An ſola irregularitas ex defectu natalium tollatur per profeſſionem?*
4 *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in omni irregularitate iure humano introducta?*
5 *An Epiſcopus virtute Concilij Tridentini poſſit diſpenſare, in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis?*
6 *An facultas diſpenſandi quam habent Epiſcopi ex priuilegio Tridentini, competat etiam alijs prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi epiſcopalem?* refertur duplex ſententia.
7 *An Epiſcopus irretitus aliqua irregularitate vel cenſura poſſit alteri facultatem dare, qui ſecum diſpenſet.*
8 *An eo ipſo quo Epiſcopus aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit literas dimiſſorias, cenſeatur cum eo diſpenſare?* refertur duplex ſententia.
9 *An Prælati regulares virtute priuilegiorum ſuorum poſſint cum ſubditis in quacumque irregularitate diſpenſare?*
10 *An priuilegium Sixti IV. conceſſum Minimis diſpenſandi ſuper quacumque irregularitate, extendatur etiam pro ſæcularibus?* refertur duplex ſententia.
11 *An quando per Iubilæum vel Bullas aliquas conceditur facultas à Papa abſoluendi à quibuſcumque caſibus, cenſuris, pœnis & ſententijs, intelligatur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto?* refertur duplex ſententia.
12 *Quæ ſit forma diſpenſandi in irregularitatibus, & an poſſit dari diſpenſatio extra Sacramentum pœnitentiæ? & an debeat exprimi ſpecies irregularitatis in diſpenſatione? & numerus delictorum propter quæ contracta eſt irregularitas.*
13 *An irregularitas auferatur etiam ablata cauſa ob quam fuerat inducta?*

1. IRregularitas in vniuerſum tribus modis tollitur: per *baptiſmum*, per *profeſſionem religionis*, & per *diſpenſationem*.

2. Per *Baptiſmum* tollitur omnis irregularitas ſaltem conſurgens ex proprio delicto, & ex Canonica infamia: quia homo per Baptiſmum regeneratur, & fit quaſi nouus homo, conſequenter omnis macula & indecentia aufertur, niſi aliter ſancitum ſit in aliquo caſu, vt in caſu bigamiæ non conſurgentis ex delicto, aut niſi perſeueret Filliuc.
defectus propter quem inducta eſt irregularitas. Filliucius *tract.* 20. *c.* 10. Sayrus *l.* 7. *c.* 13. Suarez *d.* 41. *ſect.* 1. *n.* 2. Reginald. *l.* 30. *n.* 17. Toletus *l.* 1. *c.* 83. Diana 4. *p. tract.* 2. *reſol.* 51. & alij. Sayrus. Suarez. Regin. Toletus. Diana.

3. Per *profeſſionem* in approbata Religione tolluntur irregularitates in iure expreſſæ: iure autem tantùm irregularitas ex natalium defectu videtur expreſſa; & hæc irregularitas aufertur ſolùm per profeſſionem quoad ordines, non verò quoad prælaturas, vnde illegitimus non poteſt abſque Summi Potificis diſpenſatione fieri Abbas, vel Prior, &c. *Auth. de monach. in princ. collat.* 1. *Cap.* 1. *de filijs Presbyt.* Nauar. *cap.* 27. *num.* 201. Suarez *cap. num.* 3. Nauar.
Conink *d.* 18. *dub.* 14. *num.* 130. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 17. *n.* 2. Vecchis *diſ.* 13. *dub.* 6. Suarez. Conin. Henriq.

4. *Diſpenſare* poteſt Summus Pontifex in omni irregularitate iure humano introducta, quia ille ſupremam in terris habet poteſtatem circa ea, quæ iure humano eccleſiaſtico inſtituta ſunt: vnde ſi lex auferatur à Summo Pontifice, qua fertur irregularitas, aufertur quoad eas, quæ adhuc contractæ non ſunt: quoad contractas ſine culpa etiam aufertur: quoad eas verò, quæ contrahuntur ex delicto, etſi probabile ſit eas non auferri, tamen probabilius eſt tolli, modò ſimpliciter & abſolutè fiat abrogatio legis. Bonacina *d.* 7. *q.* 5. *punct.* 1. *num.* 1. Suarez *d.* 41. *ſect.* 1. *num.* 7. Filliucius *c. cap.* 10. *q.* 5. Bonac. Suarez. Filliuc.

5. Epiſcopus in ſua diœceſi exiſtens, virtute Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 11. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 255. Sanchez *de matr. lib.* 8. *d.* 34. *num.* 55. 56. Sayr. *l.* 7. *cap.* 13. *num.* 13. Portelus *v. Abbas, in addit. num.* 3. & *ſeq.* Crouſers *ad c.* 7. *reg. Minor. lib.* 11. *fol.* 577. diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate proueniente ex Concil. Trident. Sanch. Nauar. Sanch. Portel. Crouſers

homici-

homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentioſum: diſpenſare etiam poteſt cum religioſis exemptis de licentia ſuperiorum ſeipſos illi ſubijcientibus in ijs caſibus; in quibus poteſt cum ſuis ſubditis: Notandum tamen probabile eſſe Epiſcopum poſſe diſpenſare in irregularitatibus & ſuſpenſionibus etiam pro foro externo, & quamuis extra diœceſim exiſtat: nam Concilium Tridentinum illa verba: *in foro conſcientiæ, & in diœceſi ſua*, non apponit in priori parte, in qua conceditur diſpenſandi poteſtas in irregularitatibus & ſuſpenſionibus; & quare dicta facultas poteſt exerceri erga ſubditos ſuos ab Epiſcopo in abſentia, & ſiue Epiſcopus, ſiue ſubditi ſint extra diœceſim: atque diſpenſatio non ſolum pro foro interno, ſed etiam pro externo proderit. Ita *Sanchez* cit. *Præpoſitus* 3 *p. q.* 1. *de cenſur. dub.* 14. *num.* 99. Fagundez *pr.* 2. *l.* 8. *cap.* 8. *num.* 35. Suarez 3. *p. tom.* 5. *diſp.* 41. *ſect.* 2. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 116. & *p.* 7. *tract.* 2. *reſol.* 8. & 9. contra *Henriquem, Auilam, Hugolinum*, & alios. *Occultum* autem hic dicitur *delictum* non ſolùm quod eſt per ſe occultum, ſed etiam quod licet de ſe probabile ſit per teſtes, non eſt tamen notorium vel famoſum: & tamdiu dicitur occultum, quamdiu non eſt notorium; vel per confeſſionem criminis factam in iudicio, vel per ſententiam iudicis, vel per facti ipſius euidentiam in ciuitate, populo, collegio, vicinia, vel loco: *notandum* inſuper eſt non ſatis eſſe, vt delictum dicatur notorium, quòd actus, qui eſt delictum, ſit notorius, ſed delictum ipſum in quantum delictum, debet eſſe notorium. Poſſet alicui videri, quòd Tridentinum magis extenſè accipiat hoc loco *occultum*, dum quaſi ſpecificans, quidnam cenſeat occultum, dicit in conceſſione, quam facit Epiſcopis ad diſpenſandum in irregularitatibus & ſuſpenſionibus omnibus, ex delicto occulto prouenientibus: & addit *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum*: qua exceptione videtur inſinuare tamdiu aliquod delictum manere occultum, ad hoc vt in irregularitatibus ex eo ortis poſſit per Epiſcopos diſpenſari, quamdiu non eſt deductum ad forum contentioſum.

Fagund.
Suarez.
Diana.

Delictum dicitur ad forum contentioſum deduci, quando delinquens accuſatus fuit de aliquo delicto, & nondum ſe purgauit in iudicio, nec fuit liberatus definitiuè, aut ab inſtantia; quando verò delinquens ſe purgauit veris vel falſis teſtibus, aut quando abſolutus fuit defectu probationis, perinde eſt, ac ſi delictum nõ fuiſſet deductum ad forum contentioſum, & ideò poterit cum eo Epiſcopus diſpenſare. Suarez *d.* 41. *ſect.* 2. *num.* 2. Sà *v. Epiſcopus num.* 34. Filliuc. *tract.* 20. *num.* 169. Portel. *c. num.* 5.

Suarez.
Sà.
Filliuc.
Portel.

Sed quid dicendum, ſi delictum deductũ ad hoc forũ, eſt iam iudicio finito punitum? Quidam negant tunc poſſe Epiſcopum diſpenſare eo quòd ſit verè deductum ad forũ exterius: nec Concilium diſtinguat. Item, quia Concilium dicit: *in delictis occultis*; at hoc eſt iam publicum. Ita Gutierez *lib.* 1. *qq. can. cap.* 3. Rodriquez *in ſum. tom.* 1. *cap.* 167. *num.* 16. At meritò quidam dixerunt poſſe. Ratio eſt, quia intentum Concilij fuit conſeruare authoritatem iudicij de delicto illo congnoſcenti, & non concedere delicta publica, quo publicum ſcandalum caueatur. At in hoc euentu vtrumque damnum ceſſat. Nil enim authoritati iudicis detrahitur, vt pote qui iam functus ex officio ſuo, delictum illud puniendo. Scandalum etiam publicum ceſſat punitione illa humiliter tolerata à delinquente. Per illam enim purgat delictum & ſatisfacit Reipublicæ ex illo offenſæ. Ita Auila *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 10. *dub.* 7. Henriquez *lib.* 14. *de irreg. cap.* 7. *num.* 5. Portellus *in reſp. moral. p.* 3. *caſu* 40. *in fine*. Reginaldus *lib.* 3. *n.* 29. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num* 21. Caſpenſis *tract.* 15. *diſp.* 5. *ſect.* 17. *num.* 116. & noniſſimè noſter *Caſpenſis*. Tamen ſi reus non fuit abſolutus definitiuè defectu probationum, ſed eductus è carcere cum onere ſe præſentandi toties, quoties, tunc Epiſcopus non poteſt vti facultate Tridentini, vt declarauit Sacra Congregatio apud Dianam *part.* 7. *tract.* 2. *reſol.* 19.

Auila.
Henriq.
Portelus
Regin.
Sanch.
Caſpenſ.

Sed circa prædictum decretum Tridentini eſt aduertendum quòd Epiſcopi non poſſint diſpenſare cum forenſibus ſeu non habentibus firmum domicilium in eorum diœceſi, in irregularitatibus & ſuſpenſionibus Papalibus, licet poſſint reos abſoluere à caſibus papalibus occultis. Ratio prioris eſt, quia qui non poteſt in principali, neque in acceſſorio poteſt; ſed Epiſcopus nequit forenſibus conferre ordines, ergo neque diſpenſare in irregularitatibus, quæ ſunt acceſſoriæ ad ordines. Ratio poſterioris eſt, quia quilibet forenſis confiteri poteſt peccata ſua in diœceſi, in qua ad tempus moratur, & illa ſubiectio ſufficit ad obtinendum horum criminum abſolutionem in foro conſcientiæ. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 39. *num.* 6. Garzias *de beneſ. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 139. De hoc decreto Tridentini egimus Tomo primo *verb. Abſolutio num.* 29. Vide ibi dicta.

An autem Epiſcopus in aliquo caſu poſſit diſpenſare cum irregulari ex homicidio occulto, vt miniſtret in ordinibus ſuſceptis? Reſpondet affirmatiuè *Diana* vrgente magna neceſſitate ſcandali, & difficili exiſtente recurſu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam diſtantiam; & hoc ſiue ex eius ordinaria poteſtate, ſiue ex tacita Pontificis commiſſione. Ita ille 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 100.

6. An facultas hæc diſpenſandi, quam habent Epiſcopi ex priuilegio Tridentini competat etiam aliis Prelatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante, aut Cardinali in Eccleſia ſui tituli, Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 12. Reginald. *cap. num.* 29. & multi alii affirmant probabiliter, eò quod Capitulum ſuccedat in iuriſdictionem Epiſcopi: Suarez *d.* 41. *ſect.* 2. *num.* 13. Toletus *lib.* 1. *cap.* 83. *n.* 9. Filliucius *cap. num.* 276. Vide Dianam 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 211. & *part.* 7. *tract.* 2. *reſol.* 3. & alii negant, fulti, tum declaratione Cardinalium aſſerentium illam facultatem conceſſam eſſe ſolis Epiſcopis priuatiuè quoad alios omnes; tum quia capitulum ſede vacante ſuccedit in iuriſdictionem Epiſcopi ordinariam, non verò in extraordinariam qualis eſt iuriſdictio diſpenſandi in irregularitate. Et hæc ſententia eſt etiam probabilis. Sed prima eſt probabilior.

Henriq.
Sanch.
Regin.
Suarez.
Toletus.
Filliuc.
V. Dian.

7. *Epiſcopus* irretitus aliqua irregularitate vel cenſura, poteſt alteri facultatem dare, qui ſecum diſpenſet in iis caſibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis, quia Epiſcopus non debet eſſe deterioris conditionis clericis inferioribus. Ita Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 11. *n.* 11. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 21. Diana *part.* 7. *tract.* 2. *reſol.* 14.

Sanch.
Regin.
Diana.

8. *Epiſcopus* eo ipſo quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut cõcedit literas dimiſſorias, cenſetur cũ eo diſpenſare in irregularitatibus, in quibus, ipſe diſpenſare poteſt, aut concedere facultatem, vt diſpenſetur ab Epiſcopo ad quem mittitur, pro recipiendis ordinibus, modò ſciat ordinandum eſſe irregularem & intentionem habeat diſpenſandi: quia non eſt prohibitum Epiſcopis diſpenſare in irregularitate per aliquod factum ſine vllis verbis. Ita Sayrus *l.* 7. *cap.* 14. *num.* 10. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 17. §. 4. Suarez *d.* 41. *ſect.* 3. *num.* 4. Filliuc. *c. num.* 283. Barboſa *de pot. Epiſc. alleg.* 39. *num.* 9. & alii, quamuis Nauarrus *cap.* 25. *num.* 74. dicat hanc ſententiam non habere locum in foro exteriori, ſed tantùm in foro conſcientiæ.

Sayrus.
Henriq.
Suarez.
Filliuc.
Barboſa.
Nauar.

9. *Ex delegata authoritate*, iure communi nullus poteſt in irregularitate diſpenſare: *ex priuilegio* autem, illi, quibus conceſſum reperitur: vnde iuxta Rodriquez *tom.* 1. *qq. reg. q.* 24. *art.* 12. & *ſeq.* Sayrus *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 14. *Compend. priu. Societ. v. diſpenſat.* §. 1. Crouſers *ad cap.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 12. & alios. Prælati regulares virtute priuilegiorum facultatem amplam habent, vt cum ſuis ſubditis in quacumque irregularitate diſpenſare valeant: excepta ea, quæ prouenit ex bigamia, ex mutilatione, & homicidio voluntario: imò quãdo homicidium & mutilatio ſunt omninò occulta, per conceſſionem plurimorum Pontificum, poſſunt etiam diſpenſare: aliàs non, propter ſcandalum, ita conceſſit *Martinus V.* Benedictinis. *Sixtus IV.* apud *Rodriquez* cit. *Crouſers Dianam* de dub. reg. reſ. 45. & 4. p. tract. 2. reſ. 87. vide etiam Tomo primo v. *Abbas* n. 8. §. 4. Sed circa hanc conceſſionẽ *Martini V.* factam Benedictinis, ſuprà (Tomo primo *Aborſus n.* 2. §. *Præterea*) adnotauimus fuiſſe oraculum viuæ vocis, & ideo hoc tempore propter Bullas *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* reuocatam & nullatam, vt ex *Caſarubio* in Compendio patet *verb. Diſpenſatio num.* 24. ſignas illam lit. O

Rodriq.
Sayrus.
Crouſers

magno,

Digitized by Google

magno, quod eſt ſignum apud ipſum viuæ vocis oraculi, licet authentici.

Portel. Rodriq.

Refertur item a Portelus *in dub. reg. v. Confeſſor erga Fratres num.* 15. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 7. *reg. q.* 52. *artic.* 6. aliud priuilegium *Sixti IV.* quo poſſunt confeſſores Regulares ex Mendicantibus ſemel in vita, & in articulo mortis ſuos conſubditos abſoluere ab omnibus caſibus, & peccatis plenariè, nullo caſu excepto cum omnimoda authoritate: ac diſpenſare cum illis in omni irregularitate, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membri. Animaduertere tamen debemus priuilegium hoc conceſſum fuiſſe etiam viuæ vocis oraculo, prout conſtat ex *Compend. priu. v. Abſolutio extraordin. quoad fratres num.* 5. *Caſarubio.* Vnde hodie nullius eſt valoris, niſi per Bullam reualidatum fuerit, quoad diſpenſationem irregularitatis.

10. *Sixtus IV.* conceſſit Fratribus Ordinis Minimorū facultatem confeſſiones audiendi, & ab omnibus caſibus excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, ac ſuper quacumque irregularitate, Ordinario tam a iure quam ab homine reſeruatis, toties quoties opus fuerit abſoluendi, diſpenſandi, ac vota quæcumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam ſalutarem iniungendi, ſicut poteſt diœceſanus. Hæc conceſſio habetur in monumentis ordinis. *Compend. Priu. Mendic. tit. abſolut. quoad ſecul.* §. 20. Collector priuilegiorum ordinum Mendicantium dubitat, an hæc conceſſio concedatur reſpectu ſæcularium. Cordub. *ibid.* Crouſers *ad cap.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 28. Rodriq. *tract.* 1. *qq. reg. quaſt.* 61. *art.* 3. Peyrin *tom.* 1. *de priuileg. conſtit.* 1. *Iuly* 2. §. 32. *num.* 67. *Stephanus* D. Aluin *de poteſt. Epiſcop. cap.* 36. *num.* 12. Caſpenſis *tract.* 25. *diſp.* 5. *ſect.* 17. *num.* 120. & alii aduertunt conſtare ex ſupplemento ordinis eſſe conceſſum etiam pro ſæcularibus. Sayrus *lib* 7. *cap.* 13. *num.* 14. fatetur priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, eſſe Minimis conceſſum, etiam pro externis, et refert Henriquez *lib.* 14. *cap* 9. §. 3. *lit. V.* docentem hoc priuilegium ita Romæ practicari: huius priuilegii neminit etiam *de la Crux de priuileg. lib.* 2. *cap* 7. de priuilegiis. Et *Gregorius XIII.* (vt videre eſt in Appendice ad literas Apoſtolicas pro Societate) conceſſerat Patribus eiuſdem Societatis, vt poſſent rehabilitare ab omni genere irregularitatis; præter eam, quæ eſt ex homicidio, mutilatione, bigamia, defectu natalium. Sed iſta conceſſio eſt tantùm viuæ vocis oraculo facta: vnde hodie locum non habet. Poſtea tamen *Clemens VIII.* in Bulla *Dominici gregis cura* apud *Rodriquez* in Bullario, conceſſit Patribus Carmelitis Diſcalceatis euntibus ad conuerſionem quorumcumque Infidelium, Schiſmaticorum, et hæreticorum, vt cum ſacerdotibus ſuper irregularitate præmiſſorum (in Bulla) occaſione, et etiam quia cenſuris Eccleſiaſticis ſic ligati miſſas et alia diuina officia etiam forſan in contemptum clauium celebrarunt, contracta, diſpenſare poſſint.

Cordub. Crouſers Rodriq. Peyrin. D. Aluin Caſpenſ. Sayrus. Henriq.

11. Iuxta veriorem & communiorem ſententias & in praxi ſequendam Nauar. *cap.* 27. *num.* 254. Toletus *lib.* 1. *cap.* 83. *num.* 11. Suarez *d.* 40. *ſect.* 3. *num.* 3. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 1. 2. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 1. *quaſt.* 4. Diana *tract. de Bulla cruc. reſol.* 27. *part.* 1. & aliorum quando per iubilæum vel Bullam aliquas conceditur facultas à Papa abſoluendi a quibuſcumque caſibus, cenſuris, pœnis & ſententijs: non intelligitur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitatibus contractis ex delicto, quia iuxta Romanæ Curiæ ſtylum nunquam cenſetur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitate, niſi fiat illius expreſſa mentio. Stylus autem Curiæ facit legem, *Cap. ex literis, de conſtitut.* Deinde diſpenſatio in irregularitate, non eſt neceſſaria in foro pœnitentiæ, cùm ab omnibus peccatis abſolui quis poſſit, ſiue hoc, quòd tollatur irregularitas: Sotus *in* 4. *d.* 22. *quaſt.* 3. *art.* 1. Medin. 1. 2. *quaſt.* 96. *art.* 4. Corduba *de indulg. q.* 43. *dub.* 4. Salon. 2. 2 *quaſt.* 64. *art.* 8. *contr.* 4. Bann. *ibi*, Fernandes, Naldus, Salas, Nugnus & *alii apud* Dianam *cit.* affirmant irregularitates ex delicto, eſſe cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, quæ in pœnam peccati imponuntur, & proinde dum in Bullis & priuilegijs datur facultas confeſſarijs, vt abſoluere poſſint ab omnibus cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, abſoluere poſſunt ab irregularitatibus ex delicto, non autem ab illis quæ ex defectu, quia illis verbis generalibus, comprehenditur irregularitas illa quæ eſt pœna & ex delicto contrahitur: hæc ſententia reprobatur a multis: quæ tamen a *Diana* & alijs probabilis vocatur. Sed de his plura apud Molinam *tract.* 3. *diſp.* 80. & apud Guttieres lib. 1. quæſt. canon. cap. 3.

Nauar. Toletus. Suarez. Sayrus. Filliuc. Diana. Sotus. Medin. Cordub. Salon. Bann. Fernan. Naldus. Salas. Nugnus Diana.

12. *In concedenda diſpenſatione* irregularitatis, non extat in iure certa & determinata verborum forma: hæc tamen communiter adhiberi poteſt, *diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus quas ob talem vel talem cauſam contraxiſti, teque habilem efficio ad ſuſceptionem & executionem ordinum officiorum tuorum, quantùm poſſum in nomine Patris*, &c. quando dubitatur an irregularitas contracta ſit, poteſt hæc forma adhiberi, *diſpenſo tecum irregularitate, ſi fortè incurriſti ob talem vel talem cauſam*: hæc diſpenſatio dari poteſt extra ſacramentum Pœnitentiæ. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 17. *num.* 4. Reginald. 30. *num.* 31. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 18. Filliucius *tract.* 20. *num.* 280. & alij.

Henriq. Regin. Sayrus. Filliuc.

Notandum tamen eſt, quòd in concedenda & obtinenda diſpenſatione, requiritur vt exprimatur ſpecies irregularitatis ſeu delicti, alioquin obſtrictus pluribus irregularitatibus, nullius validè obtinet diſpenſationem: ſi autem petat quis diſpenſationem ab omnibus irregularitatibus quibus detinetur, tunc per generalem diſpenſationem remanet liber & immunis ab omnibus. Suar. *d.* 41. *ſect.* 3. *num.* 2. Bonacina *cap. quaſt.* 5. *p. vlt.* Reginald. *cap. num.* 32. & alij.

Suarez. Bonac. Regin.

Præterea, in obtinenda diſpenſatione irregularitatis, non eſt opus exprimere numerum delictorum propter quæ petens diſpenſationem, contraxit irregularitatem; modò delicta non ſint diuerſæ rationis: *hinc* patet eum, qui contraxit irregularitatem celebrando centies in excommunicatione, non tenetur exprimere ſe toties celebraſſe in excommunicatione, ſed ſatisfacit dicendo, ſe exiſtentem in excommunicatione celebraſſe: *ſecus dicendum*, ſi etiam erat ſuſpenſus, tunc debet in obtinenda diſpenſatione vtramque cenſurã exprimere, quia delicta non ſunt eiuſdem rationis, & irregularitas contracta eſt ex diuerſis cauſis Sanchez *de matr. lib.* 8. *diſp.* 24. *num.* 7. Conink *cap. num.* 112. Sà *v. irregularitas.* Henriquez *l.* 13. *cap.* 30. *num.* 3.

Sanchez. Conink. Sà. Henriq.

13. *Irregularitas* præter tres prædictos modos quibus communiter tollitur; aufertur etiam ablata cauſa, ob quam fuerat inducta: *hinc* quando irregularitas non fuit ſimpliciter & abſolutè lata, ſed ſolùm pro aliquo tempore, quo durat aliquis defectus, ceſſat, ceſſante cauſa illius, vt irregularitas ex defectu ætatis tollitur ſublato ætatis defectu per aduentum legitimæ ætatis, irregularitas ex infamia facti aufertur per emendationem vitæ, & irregularitas ex ignorantia tollitur per oppoſitam ſcientiam. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 23. Suarez *d.* 41. *ſect.* 1. *num.* 5. Toletus *lib.* 1. *c.* 56. Filiucius *tract.* 19. *num.* 93. & alij.

Sayrus. Suarez. Toletus. Filliuc.

Porrò inquiri poſſet, an validè abſolui queant abſentes ab irregularitatibus ex delicto: probabiliter ſententia affirmatiua videtur poſſe ſuſtineri; quia abſolutio cenſuræ quæ independenter eſt ab abſolutione a peccatis, ex natura ſua poteſt conferri abſenti. Vide Dianam 4. *p. tract.* 2. *reſol.* 103.

SVPPLEMENTVM.

IRREGVLARITAS XII.

Quibus modis tollatur irregularitas.

SVMMARIVM.

1 *Quæ irregularitates tollantur per baptiſmum, & quæ non.*

2 *An irregularitas ex defectu natalium per profeſſionem trium votorum ſimplicium in Societate IESV tollatur.*

Digitized by Google

3 *An irregularitas tollatur per diſpenſationem, an verò per abſolutionem.*

4 *An diſpenſatus indefinitè ad ordines, poſſit promoueri ad maiores? & an diſpenſatus ad maiores, cenſeatur etiam diſpenſatus ad minores.*

5 *Tria obſeruanda pro obtinenda vel concedenda diſpenſatione circa irregularitates contractas.*

6 *Quæ conſiderare debeat Superior diſpenſans in irregularitate.*

7 *Quando Summ. Pontifex abrogat legem, quæ imponebat pœnam alicuius irregularitatis, an cenſeantur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolum contrahendæ, ſed etiam contractæ.*

8 *An irregularitas bigamiæ quæ oritur ex delicto etiam alieno, ſit ab Epiſcopo & Prælatis regularibus diſpenſabilis.*

9 *An diſpenſatus in vna irregularitate ob vnam cauſam contracta, maneat diſpenſatus in cæteris irregularitatibus contractis ob alias cauſas? Et an ex diuerſis homicidijs diuerſæ incurrantur irregularitates, in diſpenſatione explicanda.*

10 *Quænam irregularitates ſine vlla diſpenſatione aliquando tollantur.*

1. OMnis irregularitas quæ ex proprio delicto cõtrahitur, tollitur per Baptiſmum: Item, quæ contrahitur ex infamia proueniẽte ex proprio facto, ſeu delicto: quia baptiſmus omnia delicta tollit, & quæ ex delicto cõſequuntur. Tollit etiam Baptiſmus non ſolùm irregularitatem quę procedit ex homicidio voluntario culpabili, aut mutilatione priùs facta, ſed eam etiã quæ procedit ex homicidio iuſto & licito, quale facit Iudex, aut miles in bello iuſto. Ratio eſt, qui iura & Canones volunt tolli omnem irregularitatem ex homicidio quocumque contractam, aut ſaltem non imponunt irregularitatem homicidijs, niſi post Baptiſmum occidentibus. Ita Angelus *verb. Irregularitas 2. in princip.* Sylueſter *verb. Baptiſmus 6. quæſt. 1.* & *verb. Homicidium 3. quæſt. 8. verſ. primum*, Maiolus *lib. 5. cap. 51. n. 11.* Henriquez *lib. 14. cap. 17. §. 2.* & alij, quamuis aliqui pauci contradicant. Non tolluntur tamen per Baptiſmum irregularitates ex bigamia; ex defectu natalium; & quæ ex defectu, aut vitio corporis procedunt, ſi tales ſint vt inhabiles efficiant ad miniſtrandum, vel ſuperſit grauis deformitas: nam cæcus, mutus, ſurdus & ſimiles etiam poſt Baptiſmum remanent irregulares.

Angelus. Sylueſt. Maiol. Henriq.

2. Quamuis iure communi & antiquo irregularitas ex defectu natalium, vel quæ ex infamia contracta eſt ob delictum parentum, per profeſſionem ſolemnem Religionis approbatæ tollatur; Iure tamen nouo Conſtitut. Gregorij XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, edita anno 1584. Octauo Kalend. Iunij, id ſpeciale eſt in Societate IESV, in qua ſicut per tria vota ſimplicia facta poſt biennium probationis, iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones verè & propriè quis religioſus efficitur, ita etiam per ea tollitur irregularitas ex defectu natalium; cùm vota ſimplicia habeant vim voti ſolemnis quoad hoc.

Gregor. XIII.

Cæterum per profeſſionem Religionis faciliùs diſpenſatio obtinetur aliarum irregularitatum, quæ iure communi non ſunt expreſſæ; quod eſt conformæ praxi Sacræ pœnitẽtiariæ, quæ faciliùs cõcedit diſpenſationes irregularitatem religioſis quàm ſæcularibus: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt nonnulli Doctores, qui generaliter dicunt per profeſſionem tolli omnem irregularitatem, hoc eſt, quod facilior diſpenſatio obtineatur.

3. Irregularitas poteſt tolli per diſpenſationem, non autem per abſolutionem. Ratio prioris eſt, quia ſicut diſpenſatio conceditur in iure humano, ita concedi poterit de irregularitate, quæ iure humano introducta eſt. Poſteriùs autem conſtat ex eo, quod abſolutio eſt actus iuſtitię, in quo terminatur cauſa & iudicium. Diſpenſatio autem eſt exemptio quædam à lege communi: & ideò propriè diſpenſatio cadit in irregularitatem, quæ habet vim perpetuæ cuiuſdam prohibitionis, vel pro tali tempore & ſtatu; vnde quamuis doleat quis de ea, niſi accedat poteſtas Superioris diſpenſantis, nõ poteſt ab ea liberari per abſolutionem, ſi irregularitas ſit ex defectu, quæ ſine culpa cõtrahitur, quia cùm non ſit pœna, nec cenſura, nec ſententia, nec vinculum, ſed tantùm impedimentũ & inhabilitas, nõ propriè diceretur tolli per verbũ, *Abſoluo*, ſed propriè tolleretur per verbũ, *Diſpenſo*. Quamuis irregularitas ex delicto contracta, per verbum, *Abſoluo*, tolli poſſit, vt aduertit Sayrus *lib. 7. cap. 14. num. 19.* & Fillíucius *tract. 20. n. 280.* modò diſpenſans intendet it ſub ea forma diſpẽſare. Sayrus. Filliuc.

4. Cùm diſpenſatio ſit odium iuris, et odia ſint reſtringenda, ideò diſpenſatio eſt ſtrictè explicanda et tantummodò extendenda ad ea, quæ tacitè, vel expreſsè ex intentione concedentis per verba ſignificantur: proinde ex cõmuni Doctorũ ſentẽtia diſpenſatus indefinitè ad ordines, non poteſt promoueri ad maiores, *ex cap. literas, de filijs presbyter.* quia diſpenſatio in quantũ odioſa eſt reſtringenda, niſi fortè ex ſubiecta materia, vel generalitate verborũ aut ex alijs circumſtantijs aliter colligatur. Diſpenſatus verò ad maiores, cenſetur etiam diſpenſatus ad minores; ſicut enim maiores ordines virtualiter cõtinent minores; ita diſpenſatio ad maiores virtualiter cõtinet diſpenſationem ad minores, cùm non poſſit ad maiores promoueri, niſi priùs minores receperit. Quare in diſpenſatione nõ eſt facienda extenſio ad ea quæ expreſsè, vel tacitè in ea non comprehenduntur, nec valet argumentum à maiori ad minus, ita vt diſpenſatus in maiori cenſeatur etiam diſpenſatus in minori, niſi minùs ſit annexum et incluſum in maiori, tanquam pars illius. De his vide Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1.* Suar. *de cenſur. diſp. 41. ſect. 3.* Bonac. *diſp. 7. quæſt. 5. punct. vlt. num. 6.* et alios penes ipſos. Sanchez. Suarez. Bonac.

5. Pro obtinenda vel cõcedenda diſpenſatione tria ſunt obſeruanda, vt talis diſpenſatio legitimè fiat circa irregularitates contractas. *Primum*, debet Prælatus talem diſpẽſationem concedere verbis expreſſis, vel ſcripto, vel ſaltẽ ſigno aliquo externo ſufficienter declarante intentionem et voluntatem ſuam diſpenſandi et tollendi talem irregularitatem: nam diſpenſatio eſt actus humanus, qui inter homines exercetur: actus autem humanus debet eſſe ſenſibilis, non enim voluntas hominis poteſt cognoſci, niſi aliquo ſigno externo manifeſtetur. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* Nauarrus *in man. cap. 26. n. 13.* et alij communiter. Suarez. Nauarr.

Secundum, vt talis diſpenſatio non fiat ſine aliqua rationabili cauſa ipſi Superiori diſpenſãti cognita: quia iuxta D. Dhom. *1. 2. q. 97. art. 4.* diſpẽſatio in quacumque lege, ſi fiat ſine cauſa eſt illicita, et colligitur ex doctrina Cõcil. Trident. *ſeſſ. 23. c. 14. de reform.* vbi dicitur: *cum promoto per ſaltũ, ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poterit diſpenſare.* Quamquam ſi diſpenſatio fuerit à Summo Pontifice collata ſine cauſæ cognitione, ſit valida, eò quo Papa habeat ſupremam poteſtatem in quocumque iure Eccleſiaſtico diſpenſandi, quando ita voluerit. Diſpenſatio verò Prælatorum inferiorum in iure communi obtenta ſine iuſta cauſa, inualida erit, *ex cap. Dominus noſter, d. 56.* & *c. 1. diſt. 57.* et diximus *tom. 1. verb. Diſpenſatio, num. 14.* cum Doctoribus ibi citatis. D. Tho. Concil. Trident.

Tertium, in petitione diſpenſationis facienda eſt expreſſa mentio omnium ſpecierum irregularitatum, de quibus obtinenda eſt diſpenſatio: nam ſi aliquis eſſet aſtrictus pluribus vinculis ſpecierum irregularitatum, et peteret diſpenſationem ab irregularitate confuſè, et idefinitè, non remaneret diſpenſatus ab illis omnibus, cùm non conſtaret à qua fuerit diſpenſatus niſi Prælatus in caſu habuiſſet expreſſam voluntatem diſpenſandi in omnibus et quibuſcumque irregularitatibus, in quas talis incidiſſet, quæ intentio expreſſis verbis et ſignis fuiſſet oſtenſa. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* Maiolus *lib. 5. cap. 51.* Fillíucius *tract. 20. cap. 10. num. 281.* Bonacina *diſp. 7. quæſt. 5. punct. vlt. num. 1.* Suarez. Maiolus Filliuc. Bonac.

6. Superior diſpenſans debet attentè conſiderare grauitatem illius irregularitatis, de qua petitio diſpenſationis eſt facta: nam difficiliùs diſpenſare debet in irregularitatibus grauioribus, quàm in alijs; et hac de cauſa rariſſimè diſpenſare ſolet Papa in irregularitate bigamiæ, quia ad hoc requiritur maior cauſa: Similiter difficiliùs diſpenſatur in homicidio voluntario, quàm caſuali, vel ratione iuſtitiæ exequendæ, et faciliùs conceditur diſpenſatio ad miniſtrandum in ſuſceptis, quàm in ſuſcipiendis ordinibus, vt docent Henriquez *lib. 14. cap. 8. n. 10. & cap. 17. num. 5. & 6.* Auila *part. 7. diſp. 10. dub. 1. concl. 2. & 3.* Henriq. Auila.

7. In confeſſo eſt apud omnes Catholicos, poſſe Summum

mum

mum Pontificem de plenitudine poteſtatis tollere omnem irregularitatem, vel in ea diſpenſare ſecundùm totum, vel ſecundùm partem: Proinde ſi aliquando Summus Pontifex abrogaret legem, quæ imponebat pœnam alicuius irregularitatis, cenſentur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolùm contrahendæ, ſed etiam contractæ. Ratio eſt, quia ſublata lege inducente irregularitatem, cenſetur etiam ſublata irregularitas ante talem abrogationem eiuſdem legis contracta: cùm enim irregularitas fundata ſit in lege, quæ talem irregularitatem imponebat propter indecentiam miniſterij Sacri Ordinis ſequitur, quòd ſublata tali lege, ſublata etiam ſit talis irregularitas, ſublata enim cauſa, par eſt, vt tollatur effectus ab ea pendens: Propterea abrogata lege declarante illegitimos eſſe irregulares, cenſentur eſſe habiles ad ordines, non ſolùm, qui ita tales deinde naſcuntur, ſed etiam illi, qui ante talem legis abrogationem nati fuerant ex coitu illicito: Item militat in abrogatione legis imponentis irregularitatem homicidijs, bigamis; aut rebaptizantibus, aut filijs hæreticorum & alijs. Ita Suarez *diſput*. 41. *ſect*. 1 *numer*.7. Filliucius *tract*. 20. *cap*.10. *quæſt*.4. Bonacina *de irregul.diſp.7.quæſt.5.punct.1.num*.2. & alij.

Suarez. Filliuc. Bonac.

Supradicta tamen limitantur dupliciter, *Porrò*, quando talis abrogatio facta ſit abſolutè ſine aliqua reſtrictione declarante, quoad irregularitatem impoſterum contrahendas, quia tunc de illis tantummodò intelligeretur facta talis abrogatio, & non de alijs: quia abrogatio non plus operatur, quàm verbis exprimatur.

Limitantur *Secundò*, quando Summus Pontifex non immediatè aufert legem imponentem irregularitatem, ſed tantùm aufert legem ferentē cenſuram, pro cuius violatione irregularitas fuit contracta: quare ille, qui celebrauit in excommunicatione contracta ob clerici percuſſionem, non fit liber ab irregularitate, reuocata lege imponente excommunicationem: Ratio eſt, quia in caſu noſtro ſolùm ſublata eſt excommunicatio contrahenda per talem percuſſionem in poſterum faciendam, non tamen ſublata excommunicatio ante contracta, neque irregularitas, quæ contracta fuit à celebrante in excommunicatione: eſt enim diuerſa vtriuſque ratio, & a diuerſis non eſt facienda illatio. Vt bene aduertunt Doctores citati.

8. Ex communi Doctorum ſententia irregularitas orta ex bigamia propria & interpretatiua, etiamſi res ſit occulta, non eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis: quia hæc irregularitas non oritur ex delicto, ſed ex defectu ſignificationis, vel ex ipſo facto coniugij attentati etiam inualidè. Verùm apud nonnullos nō videtur improbabile quod poſſit Epiſcopus in ea irregularitate diſpenſare, quæ oritur ex delicto etiam alieno, verbi gratia, in ea quam contrahit is qui cognouit vxorem, poſtquam ea commiſit adulterium cum alio, etiamſi adulterium vxoris ſit occultum; quia talis irregularitas verè oritur ex delicto. *Item* quod poſſit in ea, quam contrahit Sacerdos qui poſt mortem vxoris legitimæ tentat aliam in vxorem accipere; quia etiam hæc irregularitas oritur ex delicto, idque etiamſi conetur contrahere cum vidua: nam cùm matrimonium ſit irritum, non inducit irregularitatem ex defectu ſignificationis, ſed ex peccato. *Item* ſi laicus contrahat irregularitatem ineundo matrimonium cum duabus inualidè, vel inualidè cum vidua, quam irregularitatem oriri ex delicto ſuſtinet Sanchez *libro ſeptimo, de matrim. diſputatione* 84. *numero* 6. *in fine*, & *diſp*.86.*num*.12. docet Epiſcopum in eo caſu poſſe diſpenſare. In his & ſimilibus caſibus, quando irregularitas eſt occulta, probabile eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare, non ſolùm quoad minores ordines recipiendos, vel exercendos, ſed etiam quoad maiores, iuxta poteſtatem ei conceſſam a Concilio Trident. *ſeſſ.24.cap.6.de reform.* Ita Præpoſitus *in 3.part.quæſt.5. de irregular. dub.7.num*. 138. Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit.diſput.9.dub.15.num*.3. Tamburinus *tom.2.de iur. Abbat.diſp.17.quæſt.3.num*.3. qui duo poſtremi hanc poteſtatem extendunt ad Prælatos regulares cum eorum ſubditis. Multò plures tamen Doctores concedunt Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi in irregularitate veræ bigamiæ quoad ordines minores & ſimplex beneficium, vt videre eſt apud Sayrum *de cenſur. lib. 6. cap. 6. num*. 11. Sanchez *de matrim. lib.7. diſp*. 86. *num*.11. Auila *de cenſur. part.7. diſp.7. dub*. 4.

Sanchez. Concil. Trident. Præpoſ. Vecchis. Tamb. Sayrus. Sanchez. Auila.

9. Diſpenſatus in vna irregularitate ob vnam cauſam contracta, diſpenſatus non manet in cæteris irregularitatibus contractis ob alias cauſas. Ratio eſt, quia poteſt quis in vna irregularitate diſpenſare, & non in aliis: tum quia poteſt quis ex multis defectibus & cauſis eſſe impeditus ad ordines & ad vſum ordinum, & poteſt reddi habilis ſublato vno impedimento, & manere inhabilis ex aliis impedimentis. Imò iuxta Suarez *de leg. l.6. cap.24. num*.12. ex diuerſis homicidiis diuerſæ incurruntur irregularitates, quæ non ſatis in diuerſis vicibus explicantur pro diſpenſatione obtinenda: quia licet irregularitates illæ ſint numero distinctæ, moraliter tamen quaſi efficiunt vnam grauiorem, vel certè vna illarum non ſatis abſque alia explicatur. Cæterum ab hac ſententia recedit Caſtrus Palaus *tom.1. tract.3. diſput.6. punct.16.§.4. num*.16. Non enim apparet quare vna irregularitas non ſatis abſque alia explicetur, cùm ſatis vnum homicidium abſque alio explicari poſſit, nec cur vnius diſpenſatio cum alia colligata ſit, quia ex diſtincta omninò cauſa procedit, neque ex pluribus illis irregularitatibus vna coaleſcit, ſed ſunt diſtinctæ, ac ſi quælibet in ſuo ſubiecto diſtincto exiſteret. Sicut enim poteſt remiſſio vnius homicidii ſine alio impetrari, cur non poterit diſpenſatio irregularitatis vnius homicidii ſine diſpenſatione alterius obtineri? Nihilominus quia probabile eſt, contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium committas; quia cùm irregularitas ſit inhabilitas per modum habitus, non potes ampliùs ex eadem cauſa inhabilitari, cùm omnia homicidia ſint eiuſdem rationis, ideò ſecundùm hanc opinionem non eſt opus exprimere numerum homicidiorum, propter quæ petens diſpenſationem contraxit irregularitatem: ſicut qui excommunicatus centies celebrauit, non tenetur in obtinenda diſpenſatione irregularitatis exprimere ſe toties celebraſſe in excommunicatione, ſed ſatisfacit dicendo, ſe exiſtentem in excommunicatione celebraſſe. Ita Sanchez *de matrim.lib.8.diſp.24.num*.7. Auila *diſp* 10. *de irregul. dub*.8. Henriquez *lib*. 12. *cap*. 10. §. 3. & *lib*. 14. *cap*.7.§.3. Emanuel Sà *verb.Irregularitas,num*.7. Bonacina *de irregularit. diſp.7. quæſt.5. punct. vlt. num*. 1. & alii. Et confirmari poteſt hæc opinio ex copula cum conſanguinea ſæpiùs repetita, quæ non inducit nouum impedimentum, neque eſt neceſſariò facienda mentio omnium illorum delictorum, ſed ſufficit, ſi vnius tantùm mentio fiat, pro impetranda diſpenſatione ad matrimonium inter ſe contrahendum, vt docet Sanchez *loco cit.*

Suarez. Palaus. Auila. Henriq. Sà. Bonac. Sanchez.

10. Quænam irregularitates ſine vlla diſpenſatione tolluntur: *Primò*, irregularitas proueniens ex defectu ætatis, ſolo temporis lapſu tollitur, cùm quis legitimam ſecundùm Canones ad ordines ætatem attigerit.

Secundò, irregularitas ex infamia contracta, temporis lapſu, vel loci mutatione, tolli poteſt; & quidem ſi fuit infamia facti: qui enim in vna ciuitate contraxit infamiam facti, deſinit eſſe irregularis, ſi alibi ex mutatione vitæ acquirat bonam famam: imò & in eodem loco lapſu temporis fama recuperari poteſt per bona opera, apud bonos & graues viros, ſicut fuerat perdita per factum proprium. Si verò fuit infamia iuris, vel iudicis, tolli poteſt ſi reſtituatur in integrum fama per ſententiam iudicis.

Tertiò, irregulares, quia ſunt ſerui, vel matrimonio iuncti, vel quia ſunt ad ratiocinia, vel coriam ſæcularem obligati, eo ipſo quod ab his vinculis liberantur, manent habiles ad ordines ſine vlla alia diſpenſatione, dummodo irregularitatem ex alia cauſa prouenientem non contraxerint.

Quartò, qui morbo aliquo aut defectu corporis laborat, ſi euadat ſanus & ceſſauerit defectus, poſt longi temporis probationem ad ordines admitti poterit. Denique illegitimus ex facto ſecuto fit legitimus, ſi parentes inter ſe matrimonium contrahant. Ita communiter Doctores.

Vide t. 1. verb. Aborſus *nu*.8. Capitulum *n*.3. Diſpenſatio *num*. 26. 30.

IVBI-

Digitized by Google

IVBILÆVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Iubilæus apud Iudæos & apud Chriſtianos?*
2 *An in Anno Iubilæi omnes indulgentiæ plenariæ ſuſpendantur? & quæ facienda ſint vt acquirantur indulgentiæ?*
3 *An poſſit quis bis, ter, vel pluries indulgentiam Iubilæam ſibi quærere?* refertur duplex ſententia.
4 *Quæ opera iniungi ſoleant in indulgentijs, quæ forma Iubilæi conceduntur? & an Iubilæo completo poſſit quis à reſeruatis oblitis abſolui?*
An opera Iubilæi poſſint compleri per opera aliàs præcepta?
An hæc opera præſtari poſſint intra duas hebdomadas?
An opera præſcripta impleri poſſint in diuerſis locis?
An qui omiſit ex malitia opera præſcripta in Iubilæo, poſſit vltimo die illud lucrari, ſi opera commutentur à Confeſſario?
An qui de Confeſſarij conſenſu diſtulit confeſſionem, poſt tranſactum Iubilæum, poſſit ab illo à reſeruatis abſolui?
Quæ & quanta eleemoſyna ſit largienda tempore Iubilæi?
Quæ preces ſint dicendæ pro lucrando Iubilæo?
Quomodo ſit viſitanda Eccleſia, vel Altaria?
An qui tempore Iubilæi non poteſt confiteri, lucretur illud, ſi poſt alia opera, cum ſola contritione communicet?
An omnia opera præſcripta debeant in individuo eſſe bona?
5 *An Confeſſarius tempore Iubilæi poſſit abſoluere pœnitentem, qui intra tale tempus commiſit peccatum aliquod reſeruatum ſpe abſolutionis obtinendæ? & an teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione explicare? Et quid ſit peccare in confidentiam priuilegij?*
6 *An ſit differentia inter Iubilæum & indulgentiam plenariam & pleniſſimam? Et an indulgentia plenaria conceſſa per modum Iubilæi, pariat facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis & cenſuris.*

1. IVbilæus olim apud Hebræos vocabatur annus quinquagenarius, qui remiſſionis erat, fructuoſus & geminaris; apud Chriſtianum populum indulgentias ſignificat, quæ in ampliſſima forma conceduntur, non ſolùm in anno, qui ſanctus dicitur, verùm etiam extra illum. *Iubilæus annus* primùm fuit Chriſtianis centeſimus, deinde quinquageſimus, poſteà trigeſimus tertius, nunc eſt vigeſimus quintus. *Bonifacius VIII.* fuit primus Pontifex, qui literis mandauit Iubilæum annum ſingulis centenis annis celebrari. *Clemens VI.* fuit primus qui ſtatuit, vt ſingulis quinquaginta annis celebraretur. *Paulus II.* ordinauit, vt ſingulis viginti quinque annis celebraretur, quod probauit & executus eſt *Sixtus IV.* quorum vterque ſtatuit, vt inciperet à primis Veſperis Natiuitatis Domini, vſque ad finem Veſperarum vigiliæ eiuſdem feſti ſequentis anni.
Nauarr. Filliuc. Nauar. *de anno Iubilæo notab.* 1. 4. & 24. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 1. & 2.

2. *In anno Iubilæi*, omnes indulgentiæ plenariæ ſuſpenduntur, ſicut & indulta, facultatesque ipſarum occaſione conceſſæ: Nauarrus *notab.* 33. Filliucius *c. cap.* 10. *quæſt.* 2.
Nauar. Filliuc. Non ſuſpenduntur autem indulgentiæ conceſſæ pro defunctis, ſiue Regularibus, ſiue ſæcularibus: nec Altaria priuilegiata, non conceſſæ pro confitentis in articulo mortis: Nec Bulla Cruciata pro locis in quibus publicatur, aut indulgentiæ per illam conceſſæ, eo quòd illæ conceduntur per modum contractus, ſcilicet dantibus eleemoſynam in Bulla deſignatam. Priuilegia enim per modum contractus conceſſa, non reuocantur per illam generalem reuocationem & quando ex iuſta causa reuocantur, expreſsè debet fieri compenſatio æqualis. Nec etiam ſuſpenduntur Indulgentiæ plenariæ conceſſæ Eccleſiis Vrbis Romæ, etiam illis, quæ ſunt extra muros. Nam cauſa ſuſpendendi indulgentias pro anno Iubilæi, ſcilicet, vt fideles omnes Romam conueniant, non militat in Eccleſiis Vrbis. Nec etiam ſuſpenduntur indulgentiæ non plenariæ, ſed ſolùm plenariæ, eò quòd per id ſufficienter ſaluatur finis ſuſpenſionis factæ in Iubilæo, vt ſcilicet Romam conueniant fideles. Ita probabiliter Lezana *tom.* 3. Lezana.
ſum. verb. Iubilæum, & alij multi ab ipſo citati.

De ſuſpenſione verò indultorum abſoluendi à caſibus reſeruatis, dicendum eſt intelligi debere ſolùm de facultatibus à Sede Apoſtolica conceſſis occaſione indulgentiarum, ſeu cauſa illas conſequendi. Non verò de illis quæ conceſſæ ſunt ob alios fines, prout ſunt, quæ conceduntur Epiſcopis in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. & Regularibus in eorum priuilegijs. Ita Lugo *de pœnit. d.* 20. *ſect.* 8. Lugo.
num. 145. Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 4. Nec etiam Layma.
ſuſpenduntur facultates conceſſæ aliquibus ad abſoluendum à caſibus Epiſcopalibus, quia ſolùm in Bulla Iubilæi eſt ſermo de facultatibus abſoluendi à caſibus Sede Apoſtolicæ reſeruatis.

Vt acquirantur indulgentiæ iubilæi facienda ſunt tria. *Primo*, Eccleſiæ quatuor Vrbis deuotè ſemel ſaltem in die viſitandæ, a Romanis & incolis Romæ per dies triginta; a peregrinis & externis per quindecim, in quo tamen tempore confeſſarij diſpenſant. *Secundo*, pro totius Chriſtiani populi ſalute rogandus eſt Deus. *Tertiò*, verè pœnitentes & confeſſi eſſe debent: Cæremonia apertionis portæ ſanctæ vetuſtiſſima eſt, non tamen ad indulgentiam lucrandam eius ingreſſus neceſſarius eſt, vide *Nauarrum* in fine ſui tractatus de indulgentijs & iubilæo.

3. Secundùm probabilem plurimorum Doctorum ſententiam ſcilicet, Henriq. *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 3. & *lib.* 7. *cap.* 11. *de* Henriq.
indulg. Nauar. *notab.* 32. *n.* 46. Regin. *lib.* 8. *n.* 64. Graffijs *de* Nauar.
indulg. cap. 5. *n.* 53. Rodriq. *in Sum. cap.* 183. *n.* 17. Filliuc. Regin.
c. cap. 10. Dian. *part.* 2. *tract.* 3. *miſc. reſol.* 49. & *p.* 5. *tract.* 12. Graffijs.
reſ. 28. Crouſ. *ad cap.* 7. *reg. Minor ſect.* 19. *fol.* 668. Lezan. Rodriq.
tom. 3. *Sum. v. Iubil. num.* 20. poteſt quis bis, ter, vel pluries, Filliuc.
indulgentiam Iubilæam ſibi quærere, bis, ter, vel pluries, Diana.
faciendo viſitationes requiſitas; ſimiliter quando conceditur Iubilæus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis; Crouſ. Lezana.
qui illum obtinuit prima hebdomada, poteſt adhuc abſolui a reſeruatis in ſecunda hebdomada, ſi obtento Iubilæo incidat in caſus reſeruatos, antequam elabatur ſecunda hebdomada niſi alia Pontificum mens fuerit verbis expreſſa: quia in Iubilæo non exprimitur, vt quis vna tantùm vice poſſit a caſibus reſeruatis intra tempus Iubilæi abſolui; deinde hic agitur de beneficio Principis non ambitioſo, non præiudiciabili, tertio, ſed maximè animabus fauorabili, quod latiſſimè interpretãdum eſt. Tum quia, etſi quis ſemel tantùm Iubilæum ex indulto Pontificis poſſit lucrari in alterutra hebdomada: non prohibetur tamen, ad maiorem certitudinem, & pro ſpirituali ſua vtilitate bis ſiue in vtraque hebdomada opera præſtare, & conſequenter a reſeruatis in vtraque hebdomada abſolui, etſi non niſi ſemel Iubilæum lucretur, ſiue ad finem operum hebdomadæ primæ, ſiue ſecundæ; quia fortaſsis in ſecunda hebdomada opera perfectiùs adimplebit. Sicut enim poteſt quis per vtramque hebdomadam opera extendere, ita vt vltimum opus adimpleat in fine ſecundæ hebdomadæ: ſic poteſt bis opera ipſa præſtare ad finem ſemel bene lucrandi Iubilæi.

Oppoſita tamen ſententia aliquibus & meritò videtur probabilior, quę eſt Sanch. *lib.* 4. *mor. cap.* 54. *num.* 30. Suar. Sanchez.
tom. 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 17. Bonacina *tom.* 1. *d.* 5. Suarez.
q. 7. *p.* 5. §. 2. *n.* 17. tum quia in Iubilæis, quæ hoc tempore Bonac.
concedi conſueuerunt, conceditur facultas lucrandi Iubilæum ſub forma disiunctiua, in prima ſcilicet, aut ſecunda hebdomada, non verò copulatiuè aut indefinitè; tum quia in forma conceſsionis Iubilæi dicitur, hac vice tantùm, id eſt, vna vice in vna, vel altera hebdomada.

Cæterùm quamuis hæc opinio negatiua eſſet vera, & quis nõ lucretur indulgentias, attamen eius confeſsio peccatorum reſeruatorum eſſet valida; quia probabilis opinio confert iuriſdictionem, vt dictum eſt, vnde talis validè a cenſuris & caſibus reſeruatis abſolueretur: & idē dicendũ eſt de votorum commutatione: In materia enim indulgentia-

gentiarum, non iuuat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, ſi oppoſitum ſit verùm: quia tunc talis non preſtat opus præſcriptum ad acquirendam indulgentiam,
Diana. vt notauit Diana *part.5. tract.12. reſol.32.*

4. In indulgentijs, quæ in forma Iubilæi conceduntur, opera ſex iniungi ſolẽt, *Eccleſiæ viſitatio, oratio, ieiunium, eleemoſyna, confeſſio & communio* cum circumſtantijs expreſſis in Bulla; vnaque cum eis, ſingulis quidem Chriſtianis etiam regularibus poteſtas conceditur eligendi cõfeſſarium ex approbatis; confeſſarijs verò facultas datur abſoluendi a caſibus reſeruatis ſecundùm tenorem Bullę: itẽ vota quæcumque commutandi, excepto voto caſtitatis & religionis: eius publicatio in ſingulis quibuſque prouincijs, aut ciuitatibus expectanda eſt: eius verò conſecutio etiam poteſt a confeſſario electo iuſtas ob cauſas differri. Confeſſio ante Dominicam diem peragenda eſt, cætera opera, ſi quæ eſſent commutanda, etiam in ipſa die; ſatis eſt ſemel eleemoſynam largiri quantacumque ſit: omnes regulares etiam ſuis cõſtitutionibus prohibiti, quemlibet ex approbatis eligere ſibi poſſunt. Iubilæo completo etiam poteſt quis a reſeruatis oblitis abſolui, modo eo animo Iubilæi tempore confeſſus ſit; ſicut qui animo lucrandi Iubilæum reſeruata confeſſus eſt, etiamſi poſteà mutata intentione illum non lucretur, ab iis abſolutus manet: de his omnibus in particulari tractat Vincentius Fillincius, *in prædicto capite decimo tr.* 8. Diana *de ſacramentis reſ.* 145. *& ſequent. part.3. & part.5. tract.* 12.

Sed circa opera prædicta quæ iniungi ſolent pro conſecutione Iubilæi, occurrunt quædam hic notatu digna.

Primum. Quod opera hæc poſſunt compleri per opera aliàs præcepta: quia nõ repugnat vnico actu pluribus obligationibus ſatisfieri, dummodò natura talium obligationum id patiatur. Hinc Pontifices ſolent publicare Iubilæum in Quadrageſima. Sufficit ergo fundere orationes aliàs debitas ex voto, vel pœnitentia, & dare eleemoſynã extremè indigenti cui debetur ex obligatione naturali. Ita
Diana. Diana *p.5. tract.12. reſol.31.33. & 54* Lezana *tom.3. ſum. v.*
Lezana. *iubil. num.* 20. & infra *v. Præceptum num.* 9. & alii citati.

Secundum. Probabile eſt hæc opera preſtari poſſe intra duas hebdomadas; nimirum ieiunando in prima, confitẽdo & communicando in ſecunda: ieiunia tamen quæ præſcribuntur, videntur debere impleri intra eamdem ſeptimanam, quia id facit ad ſcopum Pontificis, videlicet, ad maiorem carnis macerationem: Oppoſitũ tamen in praxi eſt conſulendum pręciſa aliqua neceſſitate, vel rationabili cauſa: tum quia grauiſſimi Doctores tenent hæc omnia pia opera ad conſequendum Iubilæum requiſita debere ad impleri in vna & eadem hebdomada. Tum quia in materia indulgentiarum non prodeſt opinio probabilis ad conſequendam indulgentiam, ſi veritas ſit in oppoſitum, vt diximus ſupra *v. Indulgentia* 11. *n.* 5. Ita poſt alios Bo-
Bonac. nac. *tom.1. diſp.6. q.1. punct.5. num.*34 Diana *p.3. tract.4.*
Diana. *reſol.*153. & *p.5. tract.12. reſol.*24. Lezan. *cap. num.*19.
Lezana. *Tertium.* Opera præſcripta impleri poſſunt in diuerſis locis; vnde ſi quis in patria ſua promulgato Iubilæo aſſignatas ibidem Eccleſias viſitauerit, & poſtea ex aliquo negotio è patria diſcedat, poteſt ieiunium, confeſſionem, communionem in alia Diœceſi peragere, Tum quia fauor Iubilæi eſt perſonalis, non localis: tum quia ſi in Eccleſia deſignata orauerit, nihil refert, vbi ieiunet, faciat eleemoſynam, confiteatur communicet; & ita vbique poteſt eligere confeſſarium approbatum, qui eum a reſeruatis abſoluat, & votorum commutationem obtineat: Securiùs tamen eſt in dicto caſu ad conſequendam Iubilæi indulgentiam vt in patria, vel ſaltem in loco vbi Iubilæum promulgatum eſt, opera omnia præſtare, ob rationem in præ-
Laym. cedenti notabili dictã. Ita Laym. *lib.5. tract.7. cap.8. n.*11.

Quartum notabile. Qui omiſit ex malitia opera pręſcripta in Iubilæo, poteſt vltimo die illud lucrari, ſi dicta opera a confeſſario commutentur. Vnde hæc commutatio fieri poteſt die Dominico ſecundæ hebdomadæ: nam confeſſarius cum tali pœnitente diſpenſat, ſicut cum infirmo: licet enim ex ſua malitia prædicta opera non peregerit tempore conſtituto, tamen quando ad pœnitentiam accedit, verè dicitur impotens; & impedimentum illud non diceretur amplius voluntarium, ſed neceſſarium ex ſuppoſitione; neque etiam obſtat quod ſit elapſum tempus, cur addicta erant ieiunia, quia datur regulariter confeſſario facultas differendi ſingula & omnia opera & hęc facultas Fillius.
vt ſupponitur nondũ expirauit. Ita Fillius. *tract.8. cap.* 9. Diana.
*num.*268. & 273. Diana *p.5. tract.12. reſol.*26. & alii citati a Dian. *p.3. tract.3. reſol.*152. Idem dicendum, ſi qui alia opera præſtitiſſet, & die Dominico communicaturus inaduertenter bibiſſet: huic enim communio commutari poteſt in aliud opus pium. Ita *Sanctarellus, Graff., Henriq.* apud Dianam.

Quintum. Qui de confeſſarii conſenſu diſtulit cõfeſſionem poſt tranſactum Inbileum, poteſt ab illo abſolui a caſibus reſeruatis poſt elapſum Iubilæum cõmiſſis, hęc enim videtur eſſe mens Summi Pontificis; alioquin iſte nõ poſſet lucrari Iubilæum & ſic ex ſua obedientia reportaret damnum, fieretque deterioris conditionis: deinde fauor Iubilæi, cùm ſit beneficium Principis, & natura fauorabilis, eſt ampliandus, & nullo modo reſtringendus abſque
euidẽti ratione. Ita probabiliter *Fauſtu* & *Boſſius* quos ci- Diana.
tat. & ſequitur Dian. *p.3. tr.4. reſol.* 14. & *p.5. tr.12. reſ.*27.

Sextum. Circa eleemoſynam largiendam tempore Iubilæi eſt aduertendum, 1. quod quando indeterminatè & abſolutè præcipitur ad lucrandam indulgentiam, ſufficiat quæcumque eleemoſyna minima & parua, etiam in ordine ad diuites: Si vero in Bulla demandetur eleemoſyna, pro cuiuſque facultate, tunc maior eleemoſyna impendenda eſt a diuite, quam ab egeno. 2. Qui commiſit famulo eleemoſynam dandam, ſi is vel non det, vel non niſi poſt tempus Iubilæi, hæres, non lucrabitur Iubilæum. 3. Non ſufficit ad lucrandum Iubilæum eleemoſyna ſpiritualis, ſed debet eſſe realis & temporalis: pauperes autem qui de quotidiano labore viuunt, vel oſtiatim mendicant, debent petere commutationem in aliud opus pium, vel facere ſibi ipſis a confeſſario applicari eleemoſynam, quam pro lucranda Indulgentia largiri tenerentur. 4. Religioſi, moniales, vxores, ſerui, filij familias, ſi non poſſint dare aliquam eleemoſynam, debent ad lucrandam indulgentiam Iubilæi commutationem petere in aliud opus pium. Porro eleemoſyna poteſt fieri ante vel poſt communionem, etiamſi communio fiat die Dominico, vt decitum fuit à Bonac.
Gregorio XIII. De his vide Bonac. *cap. punct.* 5. *num.* 18. Graffis.
& 22. Graffiis *in Append. lib.2. cap.5. n.* 58. Dianam *p.5.* Diana.
tract.12. reſol. 14. 15. & 31.

Septimum. Quando in bulla Iubilæi non determinantur preces, ſufficit orare iuxta mentem Pontificis, quaſcumque orationes recitando, & quacumque lingua, ſolitariè aut alternatim cum ſocio. Et probabile eſt ſufficere orationem mentalem, ſi ſolùm dicatur in Bulla orandum eſſe quia oratio mentalis, oratio propriiſſimè dicitur, & præferenda eſt, cæteris paribus, vocali, & eſt magis fructuoſa, quando vocalis non eſt in præcepto. Diana citatus Diana.
*reſol.*33. & 44.

Octauum. Quando indulgentia conceditur in Iubilæo viſitantibus Eccleſiam, vel orantibus in Eccleſia, obtinetur hæc ab eo qui accedit ad Eccleſiam, ſed cùm nequeat ingredi corporaliter præ hominum concurſu & multitudine, orat ante fores Eccleſiæ. Ratio eſt, quia moraliter rem æſtimando in hoc caſu talis Eccleſiam viſitat, quando præſentiam ſuam exhibet, quatenus poteſt: vnde in huiuſmodi conceſſione etiam adiunctum cœmeterium nomine Eccleſiæ comprehenditur, quia in fauorabilibus verba ſunt latè interpretanda. Ita Layman *lib.5. tract.7. cap.3. num.* 3. Pro lucranda autem indulgentia conceſſa viſitantibus quinque altaria ſatis eſt preces fundere ex vno loco, ſine motu de vno ad aliud altare: quare ſufficit moueri corde ab vno altari in aliud, etiam quando nullum adeſt impedimentum. Ita Bonac. *c. num.* 25. Dian. *p.1.* Diana.
*tract.11. reſol.*102. & *part.5. tract.12. reſol.* 16. qui citat *Sà, Graſſium, Azorium*: quibus adde *Dianam.*

Nonum. Habens phyſicam, aut moralem impotentiam confitendi tempore Iubilæi, ſi poſt alia opera communicet cum ſola contritione, non lucratur Iubilæum: tum quia hic non adimplet quæ Iubilæo præſcribuntur: tum quia hic non eſt caſus, vt quis habens peccatum mortale valeat communicare abſque præuia confeſſione, niſi ſcandali periculum immineat: tum quia non eſt recurrendum ad præſumptã mentem Pontificis, quia ſumus in claris; & in claris nõ egemus coniecturis. Ita Suar. *to.4. diſp.52. ſect.3. n.6.* Sr

Dian. *num.6.* Dian. *par. 5. tr 12. reſ. 29.* et alii apud *Dianam*. Si tamen quis die Veneris v. g. confiteretur & in Sabbato antequam indulgentiam conſequatur peccaret mortaliter, probabile eſt non teneri iterum confiteri: quia Iubilæum vnam tantùm exigit confeſſionem, cùm autem ea non ſit neceſſariò facienda in vltimo tẽpore Iubilæi, ſed poſſit fieri ante dies aliquot, non eſt cur nouum onus alterius confeſſionis imponatur, & aliunde per contritionem hic liberari poteſt à peccato lethali denuò commiſſo, vt ita recuperet ſtatum gratiæ, ſine quo indulgentiæ effectus non percipitur. Ita contra *Suarez, Granadus, & Prepoſitus* citati à Diana *par. 5. tr. 12. reſ. 1.* Et vterque hanc doctrinam extendit ad caſum, quo quis in confeſſione oblitus eſſet aliquod peccatum mortale: & huic etiam ſententiæ ſubſcribit Bonacina *tom. 1. diſp. 6. q. 1. punct. 5. n. 9.*
Bonac. citans *Nugnum*.

Decimum. Omnia opera præſcripta, non debent in indiuiduo ita eſſe bona, vt ſi peccato veniali inficiantur, aut circumſtantia aliqua vana, nihil valeant ad conſecutionem indulgentiæ: quia veriſimile eſt non plus requiri à Pontifice, cùm iniungit hęc opera pia ad lucrandas indulgentias, quam quod Eccleſia requirit ad implenda præcepta diuina, et humana, ſed medijs operibus, quæ aliquo culpæ vitio inficiuntur, implentur præcepta diuina, & humana; ergo & diſponuntur homines ad indulgentiam: alioqui valde difficilis redderetur & lubrica indulgentiæ conſecutio, ſi ita ſingulæ circumſtantiæ in actibus noſtris ſint conſiderandæ. Ita *Suarez, Henriquez, Prepoſitus*, et alii apud Dianam *par. 5. tr. 12. reſ. 5.*

5. *Confeſſarius* qui facultatem habet abſoluendi à reſeruatis, ſpatio, v. g. quindecim dierum tempore Iubilæi, poteſt abſoluere pœnitentem, qui intra tale tẽpus commiſit peccatum aliquod reſeruatum, modò pœnitens intentionem habeat præſtandi ea quæ ad conſecutionem
Henriq. Iubilæi ſunt neceſſaria. Ita Henriq. *lib. 3. cap. 16. & lib. 7.*
Reginal. *c. 65. n. 6.* Reginaldus *lib. 8 num. 34.* Graffijs *lib. 4. p. 1. cap.*
Graffijs. *15. num. 44.* Sà *verb. Indulg. n. 19.* et alij: quia toto eo tempore durat facultas abſoluendi a reſeruatis: imo hoc procedit etiamſi pœnitens peccatum commiſerit ſpe abſolutionis obtinendæ. Vnde qui obtinuit priuilegium, quo poſſet a caſibus reſeruatis abſolui, poteſt ab illis abſolui, etiamſi occaſione priuilegii libentiùs ſe præcipitauerit in
Sanchez. caſibus reſeruatos. Sanchez *lib. 4. moral. cap. 54. num. 18.*
Dian. Diana *de Bulla Cruc. reſ 16. p 1.* Filliuc. *tr. 8. n. 262.* et alii:
Filliuc. non enim amittit priuilegiũ ob peccatum eo animo commiſſum, nec tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione explicare iuxta Dianam *p. 1. de circumſt. reſ. 33.* Sed quia in multis priuilegiis a Pontificibus datis pro abſolutione a reſeruatis, excipitur caſus, qui committitur in fraudem vel confidentiam: vt videre eſt in nonnullis priuilegiis datis Fratribus Minoribus, vt certis temporibus à peccatis omnibus etiam reſeruatis a quocumque approbato a Superioribus Ordinis abſolui poſſint. Dummodò (aiunt Pontifices) ex confidentia aliqua peccata non committant, in quo caſu nullatenus eis talis indulgentia, ſiue gratia ſuffragetur. Vide *Compend. priuileg. v. Abſolutio extraordinaria quoad Fratres*.

Rogabis, quid ſit peccare in confidentiã priuilegii vel gratiæ? Reſp. eum dici peccare in confidentiam priuilegii vel gratiæ: cui principale motiuum lapſus, eſt gratia vel priuilegium certo tempore conceſſum: ita vt non tam fragilitas vel tentatio grauis vrgeat, quam occaſio gratiæ certo tempore conceſſa ſit incentiuum ad peccatum, ſine qua omnino veriſimile eſt quod non peccaretur: Si autẽ graui alias tentationi gratia occurrens tantummodo occaſionem ſubminiſtret, tunc propriè ex confidentia non
Bordon. dicetur peccare. Vide Bordonum *in conſil. reg. reſ. 3. n. 32.*

6. *Iubilæus* non differt ab indulgentia plenaria & pleniſſima; quia indulgentia plenaria idem valet quod plenior et pleniſſima; & dicitur *pleniſſima* ſolùm amplificationis gratia: *Iubilæus* autem per hoc differt ab indulgentia plenaria, pleniore & pleniſſima, quod in Iubilæo ordinariè concedi ſolet facultas commutandi vota, & ab-
Tolet. ſoluendi a caſibus reſeruatis. Toletus *lib. 6. cap. 24. n. 2.*
Conink. Conink *diſp. 12. num. 5.* Reginaldus *lib. 7. cap. 13. ſect. 2.*
Regin. *num. 146.*

An autem indulgentiæ plenariæ conceſſæ per modum Iubilæi importent facultem abſoluendi a caſibus reſeruatis et cenſuris, Suarez *3. part. tom. 5. diſp. 7. ſect. 5. num. 9.* Suar.
et Diana *p. 10. tr. 16. reſ. 5.* negant: quia cùm conceſſio in- Dian.
dulgentiarum, et conceſſio caſuum, et cenſurarum reſeruatarum, ſint omnino diuerſa, non apparet, qua ratione ex conceſſione indulgentiæ, quantumuis ita plenariæ, vt in Iubilæis concedi ſolet, inferri poſſit conceſſio caſuum reſeruatorum, et cenſurarum. Deinde quia reſeruata concedi non ſolent, nulla eorum facta mentione. Præterea illa poteſtas abſoluendi a cenſuris, non eſt definita, et certa: ſed interdum ampla eſt, et interdum magis reſtricta: ergo in abſoluta voce Iubilæi non poteſt intelligi conceſſa poteſtas huiuſmodi. Quando igitur indulgentia conceditur *per modum iubilæi*, nihil aliud ſignificatur, niſi concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi ſolet in Iubilæis. Contrarium tamen docet Graffijs Graffiis.
lib. 4. cap. 15. n. 29. putans per illam particulam concedi facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris. Cuius ſententiæ adhærent Coriolanus noſter *de caſ reſeru. p. 1. ſect. 3. art. 15.* et Paſqualigus *de Iubilæo q. 178. n 7.* Coriol.
vt probabiliori, licet exiſtiment ſententiam *Suar.* proba- Paſqual.
bilem. Ratio *Coriolani* eſt, quia Bulla indictionis Iubilæi nihil aliud dicit, quod concedit indulgentiam plenariam in forma Iubilæi: propterea non eſt ſemper verum quod dicit *Suarez* nempe quoties facultas in reſeruata conceditur, ſpeciatim exprimitur, nam nihil horũ poſuit Clemens VIII. in Bulla indictionis Iubilæi pro anno 1600. Nec Vrbano VIII. pro anno 1625. in Bulla *Omnes gentes*; et nihilominus ab omnibus fuerunt abſoluti pœnitentes, et a cenſuris, et a reſeruatis: ergo ſufficit, quòd indulgentia vel ſit Iubilæum, vel ad inſtar Iubilæi, ad hoc vt in ea detur facultas prædicta. Et certè in hoc dubio mens Pontificis eſſet exploranda, quia pro vtraque parte ſunt rationes probabiles.

Ex ratione tamen *Coriolani* & *Graffijs* non ſequitur quod Regulares poſſint vti talibus indulgentiis per modum Iubilæi ad effectum conſequendi beneficium abſolutionis a caſibus reſeruatis, quia vt diximus ſupra, verb. *Caſus reſeruatus n. 36.* Clemens VIII. & Vrbanus VIII. in ſuis Bullis manifeſtè id prohibent; dicũt enim ſic. *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, &c. locum minimè habere, neque cenſeri, &c.*

De Iubilæo, vide plura tom. 1. verb. *Caſus reſeruatus* n. 13. 14. 28. *Confeſſarius* 3. n. 15. 16. 17. et hoc tomo verb. *Indulgentia* 2. n. 3. *Irregularitas* 11. n. 11. *Votũ* 6. n. 13. 14.

SUPPLEMENTUM.

SVMMARIVM.

1 *Iubilæus vnde deriuetur? & quid per eum intelligatur in Sacra Eccleſia.*
2 *An regularis approbatus à ſuo Prouinciali pro confeſſionibus Fratrum, cenſeatur approbatus ab ordinario tempore iubilæi ad confeſſiones ſæcularium.*
3 *An Prælatus Religionis non approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas, poſſit eligi in confeſſarium à ſæcularibus, tempore iubilæi?* refertur duplex ſententia.
4 *Qui tempore iubilæi obtinuit commutationem votorum, ſed aliquorum oblitus eſt, an tranſacto eo tempore poſſit oblitorum commutationem petere.*
5 *An quis poſſit lucrari iubilæum aliquando ſine communione, & ſine ieiunio trium dierum.*
6 *An qui omnia opera in iubilæo iniuncta infra hebdomadam compleuit, poſſit die Dominica uerum à reſeruatis abſolui?*
7 *An quocumque die hebdomadæ præſcripta poſſit fieri Cõmunio Sacra, tempore iubilæi? Et an Communio facta in peccato mortali ſit ſufficiens pro iubilæo lucrando, ſi vltimum opus præſcriptum non ſit.*
8 *An pueri, qui non ſunt capaces Communionis poſſint*

lucrari Iubilæum.

9 *An poſſit Confeſſarius commutare ieiunia Iubilæi, & alia opera præſcripta, vltimo die ſequentis hebdomadæ, in quo terminatur Iubilæus.*

10 *An requiratur confeſſio, vel tantum contritio ad lucrandam indulgentiam?* refertur duplex ſententia.

11 *An Parochus ſit eligibilis in Confeſſarium vbique terrarum tempore Iubilæi? Quid iuris ſi beneficio Parochiali renunciauit.*

12 *An tempore Iubilæi poſſit quis ab vno Confeſſario abſolui, & ab alio commutationem votorum petere.*

13 *An Confeſſarius virtute Iubilæi commutans vota, poſſit etiam commutare iuramenta, vel vota iurata?* refertur duplex ſententia.

14 *An in Iubilæo poſſit Confeſſarius commutare vota peregrinationis in Ieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum, ſi non exprimantur.*

15 *An in materia indulgentiarum ualeat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam?* refertur duplex ſententia.

1 IVbilæus, ſecundùm quoſdam, deriuatur à verbo Iubilo, quod ſignificat ingentem animi lætitiam, quæ verbis exprimi non poteſt, & quaſi quadam voce confuſa datur intelligi cordis lætitia. Ita Gloſſa *in Clement. 3. §. Intelleximus, de relig. & venerat. Sanctor.* Alii volunt deriuari à voce Hebræa Iobal, quæ denotat gaudium, & lætitiam vniuerſalem, quæ mediante ſonitu tubæ, ſeu buccinæ promulgabatur, quo indicabatur annus germinans & fructuoſus, reddens fructus terræ vberrimos ſine labore; qui annus quinquageſimo quoque anno apud Hebræos incidebat: in quo anno remittebatur agriculturæ ſuppeditante Domino ex frugibus anni præcedentis ad triplam menſuram, agri etiam domusq. diuenditæ redibant ad priores dominos, & ſerui reſtituebantur libertati, prout *ex Leuit. cap. 26. & 27.* colligitur.

Gloſſ.

Vnde per talem annum Iubilæi figurabatur lex gratiæ, in qua fideles Chriſti recipiunt peccatorum commiſſorum pleniſſimam remiſſionem ſine magno labore per applicationem factam à Pontifice meritorum Chriſti, & Sanctorum, quæ in theſauro Eccleſiæ conſeruantur, & ita liberantur à ſeruitute Diaboli ad recipiendam Paradiſi poſſeſſionem. Ita Bellarminus *lib. 1. de indulg. tom. 3. cap. 1.* Suarez *tom. 4. de pœnit. diſp. 50. ſect. 4.* Filliuc. *tr. 8. cap. 10. quæſt. 1.* et alii.

Bellarm.
Suar.
Filliuc.

Per Iubilæum in Eccleſiam ſancta Dei intelligitur non ſolum annus ſanctus, qui hodie vigeſimo quoque quinto anno celebratur, verum etiam intelligitur plenarium indultum, quod in pleniſſima forma per totam Eccleſiam conceditur, vt pœnitentes eligant ſibi Confeſſarium, qui eos abſoluat ab omnibus criminibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis & cenſuris, cum poteſtate cõmutandi vota, quo mediante conſequuntur indulgentiam plenariam.

2. Tempore Iubilæi regularis approbatus à ſuo Prouinciali ad audiendas confeſſiones Fratrum ſuæ Religionis, non poteſt eligi in Confeſſarium à ſæcularibus, ſiue à Presbyteris ſæcularibus, ſi non ſit approbatus ab aliquo Epiſcopo ad audiendas confeſſiones ſæcularium. Ita fertur declaratum fuiſſe Romæ in Sacra Pœnitentiaria. Nã nomine Ordinarii intelligitur Epiſcopus, & non Prælatus Regularium, vt docet Suarez *tom. 4. de pœnit. diſp. 28. ſect. 6. num. 11.* Filliuc. *tract. 8. n. 275.* et alii communiter. Tamen quoad regulares talis Confeſſarius poteſt eligi, quia Superior eſt ordinarius ipſorum, & ita approbatus ab ipſo, eſt approbatus ab ordinario.

Suar.
Filliuc.

3. Controuerſia eſt inter Doctores, an Prælatus alicuius Religionis non approbatus ab aliquo Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas, poſſit eligi in Confeſſarium à ſæcularibus tempore Iubilæi? Negant Suar. *to. 4. diſp. 28. ſect. 4. n. 21.* Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 2. diſp. 6. quæſt. 17.* Fagund. *præc. 2. lib. 7. cap. 2. n. 39.* Ratio eſt, quia Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 15. de refor.* expreſſè dicit, quòd *Nullus regularis ad audiendas confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotũ idoneus reputetur, niſi aut Parochiale beneficiũ, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur & approbationẽ, quæ gratis detur, obtineat.* Cùm ergo iſte Prælatus nunquam fuerit admiſſus ab Ordinario, ſequitur nõ poſſe eligi virtute Iubilæi, in quo ſemper additur illa clauſula, vt Sacerdos eligendus debeat eſſe approbatus ab Ordinario. Hæc ſententia eſt tenenda. Nihilominus opinio oppoſita apud quoſdã ſuſtinetur vt probabilis. Ratio eſt, quia nomine habentis beneficium Parochiale, ſeu curatum, videntur comprehendi omnes, quibus ratione dignitatis vel proprii officii demandata eſt cura animarum, quales ſunt Generales, Prouinciales Religionum, Abbates, Priores, Guardiani, & ſimiles Præpoſiti Monaſteriorum, atq. adeò hi, ſicuti Parochi, iuxta Concilium erunt ſufficienter idonei, vt poſſint proximè eligi vi Bullæ Iubilæi, vel alterius priuilegii in Confeſſarios. Non enim alia de cauſa Conc. Trid. admittit tamquam idoneos & ſufficienter approbatos illos, qui habent Parochiale beneficium, niſi quia ipſis commiſſum ſit ab Epiſcopo officium curatum. Nam eo ipſo, quod alicui committitur cura animarũ, declaratur ſufficienter idoneus: Cùm ergo Prælatis Regularium ex vi ſui muneris ſit demandata animarum cura ſequitur, quod iuxta Concilium habeantur tãquam idonei, & approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas, & præſertim, dicti Prælati ſunt communiter probatiores & digniores, tam in litteris, quam in moribus, quàm plures ex ſæcularibus habentibus ſimplex beneficium curatum. Ita Angelus Boſſius *in tr. de iubilæo ſect. 3. caſ. 2. §. 2. n. 53.* Martius, Gallus, Ioannes Medina apud Henriq. *lib. 6. c. 6. n. 2. in Gloſſa lit. E & F.* Io. Valerius *in differ. vtriuſq. fori verb. Nullitas differ. 5. n. 5.* Geſualdus *p. 2. Theol. mor. tr. 2. c. 2. n. 33. & 34.* qui nouiſſimus aduertit hoc eſſe intelligendũ de Prælatis, qui adhuc ſunt in officio Prælaturæ, non autem de illis, qui aliquando fuerunt Prælati, ſed modò non ſunt, quia ceſſante officio, ceſſat animarum cura, ex Diana *p. 5. tr. 11. reſ. 8.*

Boſſius.
Martius.
Gallus.
Medina.
Henriq.
Valer.
Geſuald.

Dian.

4. Iuxta veriorem & magis rationi cõſentaneam opinionem, qui tempore Iubilæi obtinuit commutationẽ votorum, ſed aliquorum oblitus eſt, tranſacto eo tempore non poteſt à dictis votis oblitis commutationem petere, non obſtante, quod non ſit lucratus Iubilæum. Ratio eſt, quia non eſt eadem ratio de votis oblitis, & de peccatis reſeruatis: illa enim peccata oblita in confeſſione facta, fuerunt indirectè abſoluta. Vota autem non commutantur indirectè: quapropter, quando quis non obtinuit Iubilæum, non poteſt poſtea, eo tranſacto commutationem votorum oblitorum petere. Ita Sanchez *lib. 4. mor. c. 54. num. 52.* Portel *in dub. reg. verb. Indulgentia pro Iubilæo n. 19.* Filliuc. *tract. 8. n. 279.* Boſſius *de Iubilæo ſect. 2. caſu 45.* Diana *p. 5. tract. 12. reſ. 41.* Tamen vota commutata a Confeſſario virtute Iubilæi, quamuis poſtea pœnitens illud non lucretur, remanent verè commutata, nec reuiuiſcũt, vt docent Sanctarell. *de Iubilæo c. 12. dub. 3.* & Layman *lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 9.* Si verò Iubilæum obtinuit, poſſet poſtea vota ante Iubilæum emiſſa, non ſolùm oblita, verum etiam, quæ tunc noluit, commutare. Nam quando pœnitens conſecutus eſt Iubilæum, obtinuit ius illius conceſſionis commutandi vota omnia emiſſa ante Iubilæi conſecutionem, vt etiam dicemus *verb. Votum 6. num.* 13. cum Doctoribus ibi citatis.

Sanchez
Portel.
Filliuc.
Boſs.
Dian.

Sãctarel.
Layman

5. Si aliquis omnia opera iniuncta pro conſequendo Iubilæo feciſſet, & mane die Dominico vellet cõfiteri, & Sacram Euchariſtiam ſumere, ſed inaduertenter & incuria aliquid cibi deglutiuit, vel bibit, hoc non obſtãte poteſt lucrari Iubilæum, & a reſeruatis abſolui: quia in tali caſu Confeſſarius poteſt Communionem, quam tenebatur facere, in aliud opus pium commutare. *Similiter* qui noluit lucrari Iubilæum, et in ſecunda hebdomada die Sabbatho mutat propoſitum, poteſt abſolui a reſeruatis et lucrari Iubilæum, dummodo commutentur ieiunia: nam communionem, eleemoſynam, viſitationes Eccleſiarum et orationem poteſt facere die Dominico: quia iam tempore debito confitetur, non enim obligatus erat confiteri ante Sabbathum, nam poterat mane die Dominico, vnde in tali caſu cum ipſo proceditur, ac ſi fuiſſet impotens ad ieiunium. Ita docent probabiliter Sanctarell. *de Iubilæo c. 7. dub. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 8. in fin.* Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 152.*

Sãctarel.
Dian.
Henriq.

6. Qui compleuit intra hebdomadam omnia opera in Iubilæo iniuncta, ita vt vltimum opus ſit ieiunium Sab-

bathi

Digitized by Google

bathi, ſi iterum mane in die Dominico incidat in caſum reſeruatum, poteſt ab illo virtute Iubilæi abſolutionem obtinere: quia cùm ſit infra eamdem hebdomadam poteſt variare, & tutiùs procedendo iterum confiteri, & communicare, et poſtea facere eleemoſynam, & viſitare Eccleſias, ſub diſtinctione id faciendo, pro vltimo opere Iubilæi: nemini enim prohibetur pluries idem opus repetere pro eodem fine intra terminum conceſſum. Ita Alphonſ. de Leone *de Iubilæo p. 2. ſect. 5. n. 170.* contra Sanctarell. *loco cit cap. 8. dub 6.*

Leone. Sanctarell.

7. Tempore Iubilæi Communio poteſt fieri quocumq. die hebdomadæ præſcriptæ, etiamſi in diplomate præſcriptum ſit, quod Communio ſit facienda in Dominico die, qui ieiunia proximè ſequitur. Ratio eſt, quia non aſſignatur dies pro Cõmunione facienda in tali die præcipuè, ſed conſultiuè, tamquam tempus magis accõmodũ, et ideo conuenientiùs Communio fit vltimo die, præmiſſis cæteris operibus, tamquam præuijs diſpoſitionibus, nõ tamen eſt de eſſentia: propterea in quocumque die eiuſdem hebdomadæ ſumatur Communio Sacra, adimpletur ſufficienter opus præſcriptum. Ita Angelus Boſſius *de Iubilæo ſect. 4. caſu 20.* quem ſequitur Diana *p. 5. tr. 12. reſ. 17.* qui probabiliter docent Communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatisfaciendum oneri Communionis iniunctæ ad lucrandũ Iubilæum, ſi eadem Cõmunio non ſit vltimum opus in Iubilæo præſcriptũ: quia non eſt neceſſarium, vt quis ſit in ſtatu gratiæ toto tempore, quo ſingula opera facit, ſed ſufficit, vt in vltimo inſtanti, in quo vltimum opus perficitur, ſit in gratia. Ita etiam Fauſtus *de Iubilæo lib. 4. q. 46.* Fernandez *p. 2. cap. 8. §. 8.* Henriq. *lib. 7. c. 9. n. 5.* Nec refert quod in Bulla Iubilæi dicitur Euchariſtiam ſumendam eſſe reuereter & deuotè; nam particula deuotè non importat idem quod dignè, ſeu abſque conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam accedere, ſed idem ſonat quod attentè, ſeu mente non omnino ad aliud voluntariè diſtracta. Quare qui ſumit Euchariſtiam intentione actuali, vel ſaltem virtuali colendi Chriſtum, vel lucrandi Iubilæum, ſeu obediendi Eccleſiæ, aut Papæ, etiamſi ſit in ſtatu peccati mortalis cogniti, dici poteſt ſumere Euchariſtiam deuotè, licet nõ ſumat dignè. Nonnulli tamen Doctores exiſtimant Summum Pontificem exigere Communionem ritè factam, non autem ſacrilegam, quorum ſententia eſt etiam probabilis, quàm ſuſtinent Sanctarellus, Zanardus, et alii apud Dianam *p. 3. tr. 4. reſ. 148.*

Boſſius. Dian. Fauſtus. Fernandez. Henriq. Sanctarell. Zanard. Dian.

8. Pueri, qui ex defectu ætatis non ſunt capaces Communionis, poſſunt lucrari Iubilæum, faciendo cætera opera præſcripta abſque ſumptione Euchariſtiæ cuius ſũt incapaces; tenentur tamen petere à Confeſſario cõmutatione Communionis in aliud opus, cuius ſunt capaces; aliàs indulgentiam Iubilæi non lucrarentur, quia Communio eſt vnum ex operibus in Iubilæo præſcriptis & indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant. Nec ſufficit, quod Communionem ſpiritualem faciant, vt volunt Fernandez *p. 3. cap. 8. §. 8.* et Zanardus *in direct. Confeſſ. p. 1. c. 11. q. 28.* ſed requiritur realis Communio, & incaſu impoſſibilitatis requiritur commutatio Confeſſarij in aliud opus pium, iuxta formam in Bulla Iubilæi præſcriptam. Et idem dicendum eſt de infirmis, & patientibus tuſſim, vomitum, vel quid ſimile. Ita Fauſtus *de Iubilæo lib. 4. q. 45.* Sanctarell. *de Iubilæo c. 7. dub. 1.* Diana *p. 5. tr. 12. reſol. 17. in fine.* Graffijs *in append. lib. 2. cap. 5. num. 50.* & alii.

Fernãd. Zanard. Fauſtus. Sãctarel. Dian. Graffijs.

9. Confeſſarius poteſt commutare ieiunia Iubilæi, aliaque opera præſcripta etiam vltimo die ſeonentis hebdomadæ, in quo terminatur tempus lucrandi Iubilæum. Ratio eſt, quia facultas Confeſſarii commutandi opera Iubilæi non tantum ſe extendit circa opera facienda, verum etiam circa opera præterita, non ſolum ob legitimã cauſam ægritudinis, et impotentiæ, ſed etiam ex negligentia, ſiue etiam ex malitia omiſſa. Nam quamuis ex ſua malitia talis opera præſcripta non feciſset tempore conſtituto, tamen quando ad pœnitentiam accedit verè dicitur impotens.

Verum ſi quis peteret commutationem operum, vel dilationem conſecutionis Iubilæi, ob id ſolum, quia non vult illo tempore lucrari, cum tamen commodè poſſet, talis non eſſet capax, illius diſpenſationis, quia non diceretur impeditus. Ita Fillincius *tract. 8. num. 168. & 273.* Sanctarellus *de Iubilæo cap. 7. dub. 1.* Diana *p. 5. tr. 12. reſ. 26.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Præpoſitus *in 3. p. q. 14. de Indulgen. dub. 10. n. 88.* aſſerens, quod quando dicitur præſcripta opera poſſe mutari in alia, reſpectu eius, qui detinetur impedimento non poſſint mutari reſpectu illius, qui carens iuſto impedimento neglexit opera præſcripta: qui enim negligit voluntariè implere conditiones requiſitas, moraliter loquendo, non poteſt dici detentus impedimento, neque Pontifex per talem particulam cenſetur velle per Confeſſarium tali poſſe ſuccurri. Hæc *Præpoſitus* ſatis rigidè; prima tamen ſententia, vt benignior, ita probabilior videtur. Nam fauor Iubilæi cum ſit beneficium Principis, & animæ fauorabilis, eſt ampliandus, & nullo modo reſtringendus abſque euidenti ratione.

Filliuc. Sãctarel. Dian. Præpoſ.

10. Quando in Bulla Iubilæi, vel indulgentiæ dicitur, *Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, vel omnibus contritis & confeſſis, qui viſitauerint Eccleſiam, &c. concedimus plenariam indulgentiam;* iuxta tutiorem ſententiam, non ſufficit quod ſuſceptor ſit in gratia per contritionem, ſed neceſſaria eſt confeſſio, ſaltem ſi ſuſceptor commiſit peccatum mortale poſt confeſſionem. Ratio eſt, tum quia indulgentiæ explicandæ ſunt, vt in Bullis exprimitur; cum ergo in Bullis exprimatur confeſſio & contritio, neceſſaria eſt confeſſio & contritio. Tum quia in dubio non eſt recedendum à proprietate verborum: nam particula & non eſt diſiunctiua, ſed coniunctiua & copulatiua: diſpoſitio autem copulata exigit vtriuſque partis veritatem, ſeu exiſtentiam vtriuſque termini. Ita Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 7.* Bellarmin. *lib. 1. de indulgent. cap. 13. quaſt. 3.* Sanctarell. *de Iubilæo cap. 14. dub. 3.* et alii. Quamuis contrarium, nempe ſufficere veram, & perfectam contritionem cum confeſſione in voto, ſeu cum propoſito confitendi tempore debito ſecundum Eccleſiæ præceptum, etiamſi lucraturus indulgentiam commiſerit peccatum mortale poſt vltimam confeſſionem, cenſeatur etiam probabile. Quia Pontifex ſolum videtur peccatorum confeſſionem requirere ad tollendum obicem indulgentiæ: is autem ſufficienter tollitur per contritionem ſi tempus confeſſionis annuæ, eo tempore non obliget: quare in tali caſu confeſsio exigitur non vt opus, ſicut ſolet exigi ieiunium, eleemoſyna, &c. ſed vt diſpoſitio. Ita Suarez *in 3. par. tom. 4. diſp. 52. ſect. 3. num. 15.* Filliuc. *tract. 8. num. 148.* Conink *de Sacram. diſp. 15. dub. 7. num. 38.* Ad quartam rationem poſſet reſpondere. Pontificem, ſecundum praxim Eccleſiæ exigere confeſsionem peccatorum mortalium vt per eam certius, ac ſecurius tollatur obex lucrandæ indulgentiæ; cum plerumque non ſatis certi ſimus nos habere contritionem perfectam, & per ſe ſufficientem ad gratiam iuſtificationis. Vide quæ diximus de hoc caſu *tom. 1. verb. Indulgentia 2. num. 2. verſ. cæterum*, ex Syluio.

Layman Bellarm. Sãctarel.

Suar. Filliuc. Conink.

11. Parochus, quamdiu retinet beneficium, curatum, non ſolum eſt eligibilis per Iubilæum intra eandem Diœceſim vbi habet beneficium, ſed extra et vbique terrarũ. Ratio eſt, quia in huiuſmodi beneficiato ex Conc. Trid. nulla alia approbatio requiritur, præterquam quod parochiale beneficium habeat, vt poſſit confeſſiones ſæcularium audire; quo ergo fundamento dici poteſt vltra beneficium parochiale requiri etiam approbationẽ ſui Epiſcopi? Tum quia, ſi extra Diœceſim non poſset eligi, nec etiam extra ſuam parochiam intra eandẽ poſset; cum ex vi beneficii ſolum videatur approbatus pro ſita parochia, & nihilominus ex vi Concilii reputatur illa approbatio ſufficiens pro aliis parochiis ſuæ Diœceſis, quia mi'nſter publicus debet ſimpliciter reputari ſufficiens, vt ibi eligatur. Ita Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 18.* Toletus *lib. 3. cap. 13. num. 6.* Fagundez *præcept. 2. lib. 7. cap. 2. num. 36.* Molfeſius *in Summ. tom. 1. tract. 7. cap. 15. num. 81.* et alii. Quidquid in contrarium ſentiant nonnulli. Nam conſuetudo habet vt parochi abſque alia licentia ſuorum Epiſcoporum ſeſe mutuo iuuent in audientia confeſſionibus ſuorum ſubditorum, ex ſolo ſuo cõſenſu, etiam diuerſarum Diœceſum, et diuerſi regni: *Si ergo ex mutuo conſenſu, et commiſsione hoc poteſt fieri* multo

Suar. Tolet. Fagund. Molfeſ.

multò maiori cum ratione hoc fieri poterit ex priuilegiatis, vt docent præcitati Doctores.

An autem Parochus ſit eligibilis tempore Iubilæi, ſi beneficio Parochiali renunciauit? Negatiuam ſententiam amplexi ſumus *tom.1.verb.Confeſſarius 3.n.*16. cum Authoribus ibi citatis. Contrariam ſententiam nihilominus vocant probabilem nonnulli: quia talis Parochus habebat approbationem ab Ordinario, imò & ab ipſo iure, ſed per renunciationem beneficij parochialis ſolùm tollitur ei iuriſdictio, non verò approbatio, ergo manet eligibilis per Bullam. Approbatio enim non habet neceſſariam dependantiam & connexionem cum parochiali illo beneficio, ergo non eo ipſo quo fit renunciatio beneficij, aufertur approbatio. Ita *Rodriquez*, *Ioannes de la Crux* à nobis citati loco ſupra, quibus adde Trullench *in Bulla Cruciat. lib.1. §.7.dub.4.n.4.*

Rodriq. De la Crux. Trullen.

12. Quando in Bulla Iubilæi iniungitur vt opera poſſint commutari per Confeſſarium electum, ſi quis iam elegit Confeſſarium, & ab eo eſt facta commutatio, non tamen illi confeſſus eſt ſua peccata, ſed alteri, commutatio valet. Nam in Bulla Iubilæi requiritur ſolùm vt commutans ſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario, quod accidit in noſtro caſu: & ita declaraſſe Greg. XIII. teſtatur Henriquez *lib.7.c.10.n.*8. vide Sanchez *lib. 4. moral. c.54. n.* 17. vbi docet non oportere, vt commutans vota virtute Bullæ aut Iubilæi, aut priuilegiorum Religionis, ſit Confeſſor vouentis. Tum quia verius eſt, nec per religionis priuilegia, aut Iubilæum, exigi confeſſionem ad vota commutanda, ſed poſſe extra confeſſionem fieri, vt pluribus docet idem Sanchez *n.* 16. et Diana *part. 3.tract. 2.reſ.9. & par.5.tract.12.reſ.*36. cum multis Doctoribus, quos ipſe citat.

Gregor. XIII. Henriq. Sanch.

Sanchez. Dian.

13. Quorumdam ſententia eſt Confeſſarium virtute Iubilæi habentem facultatem commutandi vota, non poſſe commutare iuramenta Deo facta, vel vota iurata. Ratio illorum eſt, quia iuramenta Deo facta ſunt diuerſæ rationis à votis: alia enim eſt ratio voti, alia iuramenti. Votum enim eſt ſimplex promiſſio facta Deo. In iuramento autem inuocatur Deus tamquam teſtis & iudex, & ideò videtur eſſe maioris obligationis, ergo quando ſimpliciter per Iubilæum conceditur facultas cõmutandi vota, non intelligitur de iuramentis: quando enim Pontifex vult concedere facultatem ad commutanda iuramenta, ſolet explicare, cùm ergo in Iubilæo non ſit talis explicatio, non intelligitur facta. Hæc ſententia eſt probabilis, quam docent Leſſius *lib.2.c.42.dub.*12.*n.*60. Sanchez *lib.4.moral.c.*53.*n.*20. Azor *tom.1.lib.*11.*c.*10.*q.*12. et alii. Verius tamen & probabilius eſt, delegatam poteſtatem in votis diſpenſandi, et illa commutandi, extendi tum ad iuramenta pia abſolutè facta, tum ad vota iuramento ex propoſito confirmata, tum etiam ad vota iurata, tametſi iuramentum & votum eiuſdem materiæ concomitanter ſe habeat. Ratio eſt, quia ſi ſolum eſſet votum, diſpenſabile, eſſet etiam ſi ſolum eſſet iuramentũ: ex eo autem quod ſint concomitantia illa duo vincula, vnum non mutat ſuam naturam ex conſortio alterius, quia etſi ſint duo vincula diuerſæ ſpecie, at in ordine ad diſpenſationem et commutationem, reputantur quaſi vnum et idem et eiuſdem rationis, nec vnum addit alteri nouam grauitatem intenſiuam, ſed ſolùm extenſiuam, id eſt, plura vincula. Tum quia rem moraliter & practicè ſpectando, parum refert ad obligationis vim in ordine ad Deum, ſiuè vno modo, ſiuè altero iuramentum fiat, nec eſt minor obligatio, vtroûis modo fiat. Hanc ſententiam tenentur Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib 6. cap.14. à num.6.* Pontius *de matrim. lib.8. cap.*11. *num.*5. Diana *part.5. tract.12. reſol.* 57. Et probabilem vocant *Leſſius*, *Sanchez*, *Fillincius*.

Leſſius. Sanchez Azor.

Suar. Pontius. Dian.

14. Dubium item eſt, an in Iubilæo poſſit Confeſſarius commutare vota peregrinationis in Ieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum, ſi non exprimantur? Ratio dubitandi eſt, quia in generali conceſſione diſpenſandi, vel commutandi vota, non continentur ſupradicta vota, quia quæ ſpeciatim ſunt reſeruata, ea ſpecialem et expreſſam conceſſionem poſtulant, vt habetur *in cap. ſi Epiſcopus, de pœniten. & remiſſ. in* 6. vbi Pontifex tradit hanc regulam, vt ſub generali conceſſione non veniant caſus reſeruati, ſed aliqua ſpeciali expreſſione indigeant. Cùm ergo omnia quinque vota ſint verè reſeruata, non clauderentur in ea conceſſione generali. Propter has rationes negatiuam ſententiam amplectuntur Suarez *tom.2.de relig.lib.*2. *cap.*25.*num.*4. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.8.n.7.* Lauotius *de Iubilæo par.*2.*cap.*27. *n.* 6. Sanchez *lib. 4.moral. cap.*40. *n.*16. retractans, quod ante docuerat *lib* 8.*de matrim. diſp.9.n.*2. Verùm, dicta vota, comprehendi in illa generali conceſſione, niſi expreſſè excipiantur, nonnulli probabiliter aſſerunt. Ratio eſt, quia horum votorum reſeruatio non eſt ita antiqua ſicut reſeruatio votorum caſtitatis et religionis, neque eſt tanti momenti, ergo non eſt accipienda tam ſtrictè et cum tanto rigore, et ideo dicendum comprehendi in generali conceſſione commutandi omnia vota. Ita Sotus *de iuſt. lib.7.q.4.art.3. in fine corp.* Malderus *in* 2.2. *tract.* 10.*cap.* 5.*dub.*10. Rodriquez *tom.*2.*Summa Latina c.*99 *concl.*1. Certum tamen eſſet vota illa tria peregrinationis comprehendi, ſi Pontifex in facultate commutandi omnia vota, exciperet votum caſtitatis et religionis, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.

Suar. Layman Lauor. Sanchez

Sotus. Malder. Rodriq.

De commutatione votorum plura dicentur infra verb. Votum 11. Hæc pro nunc dicta ſufficiant.

15. Pro coronide huius materiæ indulgentiarum Iubilæi, iterum lectorem monendum cenſeo; quod quia circa opera et materiam Iubilæi adſunt hinc inde tam multæ Doctorum opiniones, vt videre eſt, in materia indulgentiarum, non iuuat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, ſi oppoſitũ ſit verum, quia non præſtat opus præſcriptum ad illam lucrandam. Vnde ſi aliquis in prima hebdomada ieiunauit, Eccleſias adiit, eleemoſynam dedit, et in ſecunda confeſſus eſt et communicauit, ſecũdùm aliquos ſufficit ad lucrandum Iubilæum: Sed hæc opinio licet ſit probabilis: tamen ſi à parte rei eſſet falſa, remaneret quidem talis abſolutus à reſeruatis, quia opinio probabilis confert iuriſdictionem, non tamen lucraretur indulgentiam iubilæam. Ita Bartholomæus à S. Fauſto *in tract. de Iubilæo lib.4. q.* 64. Diana *part. 5. tr.12. reſ.* 32. Leonardus *in Theſaur. Sacratiſſimi Roſarij c. 9.* et alii.

Fauſtus. Diana Leonar.

His tamen obſtantibus, multi Doctores moderni contrarium ſuſtinent: quia aliàs vix eſſent qui indulgentiam obtinerent. Tum quia ſi opinio probabilis eſt ſufficiens ad hoc, vt cenſeatur Papa tribuere iuriſdictionem Sacerdoti, vt à reſeruatis abſoluat pœnitentem; cur eadem opinio probabilis non erit ſufficiens ad hoc, vt credatur Pontificem de facto indulgentiam concedere illi, qui ſecundùm dictam opinionem opera Iubilæi exequitur? Hoc enim de benignitate Sedis Apoſtolicæ certò credendum videtur. Ita Leandrus *de Sacram. tom.1.tract. 5.diſp.*14. *quæſt.* 64. Martinus de S. Ioſeph *tom.* 1. *lib.*2. *de indulg. tract.*12.*num.* 12. Paulus Maria Quarti *in tract. de Iubilæo anni Sancti cap.* 2. *punct.* 1. *poſt dubium* 6. apud Dianam *part.* 10. *tract.* 11. *reſ.*34. qui ibi hanc ſententiam ſatis probabilem putat.

Leãdrus Martin. de S. Ioſeph. P. Quarti.

Vide verb. Priuilegium *num.*3. *&* 4. Votum 2. *num.* 14. Indulgentia 1.

IVDEX.

SVMMARIVM.

1 *De Iudicis nomine, officio, & conditionibus.*
An in iudice neceſſaria ſit poteſtas, & iuriſdictio ad validitatem ſententiæ?

2 *Quotuplex poteſtas, & iuriſdictio iudici competere poſſit?*

3 *An mortaliter peccet Iudex iudicans aliquem abſque ordinaria, vel delegata, vel arbitraria, vel acceſſoria poteſtate?*

4 *An iudex excommunicatus peccet vſurpatione iudicij, ſi excommunicatio eſt occulta?*

5 *An in iudice præter iuriſdictionem requiratur etiam veritas? & an poſſit condemnare reum per teſtes probatũ criminoſum, v.g. homicidam, quem tamen certò nouit innocentem?* refertur duplex ſententia.

6 *An*

Digitized by Google

6 *An in cauſis ciuilibus & criminalibus minoribus dẽ-ptionis vitæ, vel mutilationis innocentis, poſſit Iudex ſeruare ordinem iuris iudicando ſecundum allegata, & probata?*

7 *An ſupremus Princeps poſſit ex priuata ſcientia contra fidem actorum ſententiam proferre tam condemnatoriam, quàm abſolutoriam?* refertur duplex ſententia.

8 *An iudex ſupremus quantumuis ſit certus de crimine, poſſit in certis caſibus, non citatum & auditum condemnare?*

9 *An in conferendis officijs, electionibus diſpenſationibus, vel alijs, quæ ipſius arbitrio committuntur, teneatur ſequi publicam ſcientiam, omiſſa priuata?*

10 *An in iudice ſit neceſſaria forma iuris?*

11 *An in iudice neceſſaria ſit ſcientia?*

12 *An in iudice ſit neceſſaria vitæ puritas, humilitas, prudentia?*

An Iudex peccet mortaliter iudicando in peccato mortali?

13 *Iudex etiam ſupremus an poſſit compellere partes ad compoſitionem?*

1 IVdex à iudicando, ſiue à ius dicẽdo nuncupatur, *C.* 1.23.*q*.2. quaſi ius dicens, ſiue ab eo, quòd iure diſceptet, iure autem diſceptare, iuſtè iudicare eſt: ita docemur *c. ferus,* §. *Iudex, de verb. ſignif.* quare Iudicis nũcupatione minimè dignus erit, quo cum non erit iuſtitia. Ex quo Iudicis habetur officium, ſua nempe cuiq. ex iudicij ratione tribuere: non vnius tantùm, ſed partis vtriuſq. bonum indifferenter intueri: aliter namque agens iniuſtus eſſet, ac perſonarum acceptator, contra præcepta legis, tum diuinæ, Deut. 1. & 16. & Eccl. 42. *Non accipias cuiuſquam perſonam*: & Prou. 24. *Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum*. Tum humanæ, *c. in iudicijs non eſt acceptatio perſonarum habenda, de reg. iuris in 6.* Verùm, vt rectè Iudex & abſq. peccato cauſas cognoſcere, ac diiudicare poſſit, quinque debet eſſe conditionibus, veluti militibus illũ cuſtodientibus conſtipatus. *Poteſtate*, nempe, *veritate*, *Forma iuris*, *ſcientia ad faciendum iudicium*, & *animæ puritate*; quarum tres priores adeo cuiq. Iudici neceſſariæ ſunt, vt ſine ipſis iudicium ab eo factum, inualidum omnino ſit, quarta quoque Iudici neceſſaria eſt per ſeipſum, vel ſaltem per aſſeſſorem vel conſultorem. Sine quinta quidem iudicium conſiſtit; verùm iudicans, peccatum committit, vt dicetur infra. Vide D. Thom. 2. 2. *queſt.* 60. *art.* 1.

In iudice adeo neceſſaria eſt poteſtas & iuriſdictio, vt ſententia lata ſine poteſtate, & iuriſdictione inualida ſit; quia iudicium eſt lex quædam particularis, lex autem nõ poteſt validè ferri à non habente poteſtatem, & iuriſdictionem: qui autem non eſt verus Iudex, ſed titulo colorato & communi errore putatur Iudex, ſufficientem poteſtatem & iuriſdictionem nihilominus dicitur habere, modò non adſit impedimentum iuris naturæ, vel diuini, quod ab Eccleſia, vel ab humana poteſtate ſuppleri non poteſt. D. Thom. 2.2.*q*.67. *art*.1. Reginald. *lib*.25. *n*.641. Azor. 3.*p. lib*. 13.*c*.12. Leſſius *lib*.2.*c*.29. *dub*. 8. & alii. D. Tho. Regin. Azor.

Hinc ſine Iudice legitimo nullum prorſus iudicium valet conſiſtere: cùm enim iudicium nihil aliud ſit, præterquam legis ad perſonas applicatio, cum vi aliqua coactiua, inde fit, vt Iudex legitimus omnium calculis tamquam totius iudicij caput in omni iudicio exigatur, qui coactiua poteſtate munitus homines in officio contineat, & legibus parere cogat.

2. *Iudici quadruplex* poteſtas & iuriſdictio competere poteſt, ſcilicet, *ordinaria, delegata, arbitraria, & acceſſoria*. *Ordinaria* iuriſdictio eſt illa, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate; vnde qui habet officiũ vel dignitatem, cui ex iure, vel conſuetudine, vel præſcriptione conuenit poteſtas vel iuriſdictio, dicitur habere poteſtatẽ & iuriſdictionem ordinariam. Ita Pontifex maximus ex dignitate, qua gerit Chriſti vices in terris, ordinariam ſuper omnes fideles in ſpiritualibus poteſtatem habet; atq. etiam in temporalibus ſpiritualium illis annexorum ratione. Ita Imperator, Reges, Principes, Reſpublicæ in ſæculares ſuæ iuriſdictioni ſubiectos ordinariam in temporalibus poſſident poteſtatem. Epiſcopus in propria Diœceſi, loquendo in ſpiritualibus, quare & Ordinarius nuncupatur. Legati Apoſtolici in ſua prouincia, vel regno. Generales Ordinum in ſua quiſque congregatione. Prouinciales in ſua quiſque prouincia. Apud nos Procurator Ordinis, quatenus Cõmiſſarii Generalis & Ordinarii ius ſibi annexũ habet, Viſitatores Generales Prouinciarum, qui ſtabiles, ac permanentes dicuntur. Abbates, Priores, Guardiani, Præpoſiti, ac omnes Prælati locales, in ſuo quiſque Monaſterio, ſeu Conuentu ordinariã poteſtatem in ſibi ſubiectos habent. *Poteſtas delegata* eſt illa, quæ competit alicui non ex officio vel dignitate, ſed ex conceſſione vel commiſſione illius, qui poteſtatem habet ordinariam. Hac poteſtate præditi ſunt Cõmiſſarii, Auditores, Prætores, cæteriq. à iudicibus ordinariis ad cauſas in locis eorum iuriſdictioni ſubiectis cognoſcendas electi. Inter regulares delegati Iudices ſunt viſitatores à Generali ad aliquam Prouinciam viſitandã miſſi. Commiſſarii Prouinciales, Prouinciali vel abſente, vel infirmitate detento, ſiue ij ad vniuerſitatem cauſarum, ſiue ad aliquas tantum cauſas ſint delegati. Iudices autem Appellationum extra Ordinẽ ſunt Eminentiſſimus Ordinis Protector, Sacra itẽ Congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, poſtremò Summus Pontifex, qui omnium eſt Iudex ſupremus ac Ordinarius, *c. cuncta*, 9. *q*.3. *Arbitraria* eſt illa, quæ communi partium litigantum conſenſu obtinetur, & hæc dupliciter contingit. *Primò*, dum eligitur Iudex ſeu arbiter ex cõuentione partium, vt litem amicabiliter componat: & in hoc caſu arbiter poteſt pro ſuo arbitrio iudicare iuxta æquitatem iuris naturalis, etiamſi non ſeruet ordinem iuris poſitiui, et ipſius decreto partes obedire tenentur. *Secundò*, dum eligitur quis in iudicem, et tunc debet Iudex ſententiam ferre iuxta ordinem iuris, & partes tenentur ſub mortali ſententiæ ipſius obedire. *Acceſſoria* eſt illa, quæ alicui aliunde accedit, v. g. ratione delicti, vt quando quis in alieno territorio deliquit, ſuperior acquirit in ipſum iuriſdictionem, & delinquens ratione delicti, fit ſubditus illius iudicis, in cuius territorio deliquit, ab eoque puniri poteſt. Vide Leſſium *c. dub*.6. Clauis reg. *lib*.12. *c*.7. Tolet. *lib*. 5.*c*.56. Couar. 3.*var. c*.20. *n*.6. Bonac. *tom*.2. *diſp*. 10. *q*.2. *punct*.1.*n*.3. Sanch. *in Summ. lib*.1. *c*. 22. *n*.38. Bouerium *in direct. Fori iudicialis c*.4. Ghiſiler. *tract. de Iudice reg. c*.2. et alios. Eandem acceſſoriam poteſtatem tribuit domicilium & poſſeſſio, *cap. ſanè de foro compet.* Hoc poteſtate poterit quoq. alicuius Monaſterii Prælatus alterius Conuentus regularem in ſuo delinquentem punire. Clau. regia. Tolet. Couar. Bonac. Sanchez Ghiſiler.

3. *Mortaliter* peccat Iudex, iudicans aliquem abſque aliqua ex dictis poteſtatibus. Azorius *c. cap*.15. Leſſius *c. dub*.6.*n*.51. & *ſeq*. Bonac. *c. n*. 4. quia fit iniuria tum partibus, in quas ille poteſtatem non habet; tum etiam ſuperiori, cuius authoritatem ſibi aſſumit, & tenetur ad reſtitutionem damni, quod alter ob illud iudicium vſurpatum patitur: peccauit enim contra iuſtitiam vſurpatione iudicii: *Nota* tamen, illum qui facit iniuriam alteri, ſi non puniatur à ſuo ſuperiore, iudicari poſſe à Iudice, cui ſubiectus eſt ille, qui paſſus eſt iniuriam. *Hinc* peccant vſurpatione iudicii iudices ſæculares iudicantes Clericos, quia ſunt exempti ab eorum iuriſdictione, tam in ciuilibus, quam in criminalibus. *C. ſi imperat d*. 96. *C. inter alia, de immunit. C. Decet, de immunit. Eccl. in* 6. *Item* eſt vſurpatio iudicii, ſi reus extra Eccleſiam contrahatur & condemnetur. *Item* ſi Iudex ſententiam ferat in Eccleſia: *Denique* vſurpatione iudicii peccant Ordinarii, dum exemptorum cauſas diſcutere præſumunt, in quibus Conc. Trid. eos non ſubiecit: Syluius 2.2.*q*.60.*ar*.6. Non poteſt idem Iudex ſæcularis de re ſpirituali, aut quaſi ſpirituali iudicare; poſſet verò de re ciuili, profana, & mixti fori. Azorius 1.*p. lib*.5.*c*.14.*q*.1. Azor. Leſſius. Bonac. Sylu. Azor.

4. *Iudex excommunicatus* nõ peccat vſurpatione iudicii, ſi excommunicatio eſt occulta: et ſententia, cæteraq. eius acta publica, ſunt valida; quia non eſt priuatus, nec ſuſpenſus ab officio: et hoc intelligendum eſt, non ſolùm in ſententiis et actis fori externi, ſed etiam interni et ſacramentalis. Couar. *in c. Alma* 1.*p*.§.7.*n*.9. Leſs. *c. dub*.7. Suar. *de cenſ. diſp*.16. *ſect*.1. Ratio autem prædictæ aſſertionis eſt, quia cùm Concil. Conſtantienſe indulſerit Couar. Leſſ. Suar.

communicationem cum excommunicatis, qui ſunt nominatim denunciati, vel notorii Clericorũ percuſſores, ad euitanda ſcandala & pericula peccatorum, eò ipſo videtur velle eorum actus iudiciales eſse validos. Et ita videtur receptum communi omnium praxi, tam in foro interno, quàm externo, nec vllus contra ſententiam latam à Iudice aliàs excommunicato tolerato, reclamare audet, quaſi contra ſententiam inualidam. Sententiæ autẽ Iudicis excommunicati non tolerati, non ſunt validæ. Ratio item eſt, quia excõmunicatus eiuſmodi debet ab omnibus vitari, ergo aufertur eo iuriſdictio, qua ſtante, non poteſt non perſeuerare communicatio cum ſubditis. Eſt etiam communis citatorum Authorum. Et hæc doctrina procedit tam in Iudice ordinario, quàm delegato: vtriuſque ſententiæ validæ ſunt, ſi ſint tolerati; inualidæ verò, ſi non ſint tolerati. Si tamen propter loci diſtantiam eorum excommunicatio ignoretur; tunc eorum acta valida etiam eſſent propter communem errorem, vt alibi diximus. Vide Dianam *p.5.tr.9.reſ.*108.*&* 109. Si excõmunicatio Iudicis ſit publica, ſeu notoria, ante quidẽ Concilium Conſtantienſe peccabat vſurpatione iudicij, iudicando, & ſententia erat irrita; poſt tamen illud Concilium, veriùs eſt non ſic peccare, nec ſententiam, reliquaque eius acta publica eſse irrita, niſi ſit denunciatus nominatim vel notorius percuſſor Clerici: probabile tamen eſt, vt dictum eſt de excommunicatione, etiam contrarium. Vide Nauarrum *c.27.num.7.* Henriquez *de excomm.c.7.* Sanchez *de matrim.lib.3.diſp.22. n.*32. Lugo *de iuſt.& iur. diſp.37.ſect.2.n.6.*

Dian.

Nauarr. Henriq. Sanchez Lugo.

5. *Præter* poteſtatem & iuriſdictionem in iudice, requiritur etiam veritas: quæ (quoad præſens negotiũ attinet) duplex eſt, vna rei, conſcientiæ altera. Veritas rei dicitur illa, quæ cum ipſa re conuenit, adeo vt, quod aſseritur, ita reipſa ſit. Veritas vero conſcientiæ illa nuncupatur, quæ aut cum reipſa conueniat, aut non conueniat; eiuſmodi tamen eſse exiſtimatur, quare nõ prout eſt; verũ prout exiſtimatur, aſseritur. Vnde Iudex tã veri, ac recti cupidus eſse debet, vt neq. ſuſpicione, neque vulgi rumore facilè moueatur: ſed omni ſtudio rerum veritatem inquirens, nunquam niſi diligentiſſimè perſpecta cauſa ad iudicium procedat. Tunc autem veritati dicitur adhærere Iudex, per ſe loquendo, dum ſecundum allegata & probata iudicat: *Hinc* quæri poteſt, an Iudex poſſit condemnare reum, qui per teſtes legitimè eſt probatus criminoſus, verbi gratia, homicidia, quem tamen certò nouit innocentem; in hoc caſu certum eſt teneri Iudicem omnes vias & rationes inire, quibus poſſit eum liberare, vt impediendo accuſationem, ſi poteſt, ſæpè & per interualla examinando teſtes, an nihil varient; extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, ſi commodè & ſine ſcandalo fieri poteſt; vel debet Iudex inferior cauſam remittere ad ſuperiorem, & depoſita Iudicis perſona aſsumere officium teſtis apud ſuperiorem, ſi putet eum hac ratione liberari poſse: ſi autem his modis non poſſit illum liberare & pars aduerſa vrgeat condemnationem, multi Doctores docent, Iudicem tunc poſse illum condemnare ſecundum allegata et probata: quia Iudex non iudicat vt perſona priuata, ſed vt publica, ergo non debet ſequi priuatam, ſed publicam ſententiam. Ita D.Thom. *2.2. q.67. art.2.* Salon, Arragon *ibi.* Clauis Regia *lib.12. c.8. n.13.* Valent. *tom.3.lib.3.q.11.punct.2.* Tanner. *tom.3.diſp.4.q.4. dub.2.n.51.* Dian. *par.5. tr. 4. reſ.22.* Hæc ſententia eſt probabilis, quia Authores habet doctiſſimos, quorum authoritas ſententiam probabilem & ſecutam reddit. Contraria nihilominus videtur verior, et potiùs debet Iudex officium dimittere, etiamſi hoc modo nihil eſset reo profuturus; quia repugnat iuri naturæ & diuino innocentem directè occidere. Ita P.Nauar. *lib.2.c.3. n.*161. Sà *v. Iudex n.* 13. Bonac. *c.punct.2.n.2.* Filliuc. *tract. 40. c. 6. q.5.* Leſſius *c.dub.*10. Sylu. *2.2.q.67.art.2. concl.1.*

D. Tho. Salon. Arragon Clau. regia. Valent. Tanner. Dian.

P.Nauar Sà. Bonac. Filliuc. Sylu.

6. *In cauſis* ciuilibus & criminalibus minoribus demptione vitæ, vel mutilatione innocentis, quando Iudex certò ſcit alteram partem falſis probationibus niti, tenetur quidem omni induſtria curare vt falſitas detegatur, vel vt proceſsus impediatur, tamen ſi id non poteſt efficere, poteſt ſeruare iuris ordinem iudicando ſecundum allegata et probata: *ratio diſparitatis* eſt, quia Iudex maius ius habet ſupra facultates & bona externa, quam ſupra vitam et membra innocentis, ſuperior enim ex iuſta cauſa poteſt facultates vni auferre, et alteri tradere; atqui hic videtur eſse iuſta cauſa, ne forma publicorum iudiciorum cum populi ſcandalo peruertatur. Arragon *c.q.60.ar.5.* Bonac. *c.n.4.* Leſſius *c.n.84.* Sylu. *c.concl.2.*

Arragon Bonac. Leſsius. Sylu.

7. Quidam ſentiunt ſupremum Principem poſse ex priuata ſcientia, etiam contra fidem actorum ſententiam proferre, tam condemnatoriam, quàm abſolutoriã; quia ſupremus Princeps poteſt diſpenſare in illo iure quo ſtatuitur, vt ex allegatis et probatis ſententia feratur, cùm non ſit naturale, ſed poſitiuum. Ita Couar. *lib.1.var.c.1. n.7.* non improbabiliter, et multi Iuriſperiti apud *Leſſium*. Sed verius & probabilius eſt contrarium, ſcilicet non poſse; quia Iudex ſicut ex poteſtate publica, ita etiã ex publica ſcientia iudicare debet; actus enim publicus debet à poteſtate, voluntate et notitia publica, tamquam à cauſa ſibi commenſurata procedere: Reſpublica tamen poſset Principi concedere authoritatem, vt ex priuata ſcientia abſoluere et condemnare poſſit, quia poteſt cedere iuri ſuo quod habet in famam circa occulta. Leſſius *c.dub.11.n.94.* P.Nauarra *lib. 2. cap.3. num.* 150. Nauar. *cap.25.n.9.* Bonac. *c. num.* 5. et alii.

Couar.

Leſſ. P.Nauar Nauar. Bonac.

8. *Iudex ſupremus* quantumuis ſit certus de crimine, ordinariè non poteſt condemnare, niſi citatum et auditum, quia contra facere, eſset auferre arma reo, quibus ſe iure poteſt defendere negando crimen ſi eſt occultum, vel certè excuſando eo modo quo poterit, vnde iure gentium hoc receptum eſt, imo videtur eſse iuris naturalis: tamen in quibuſdam caſibus non eſt neceſse id ſeruare. *Primò*, ſi crimen eſt publicum, quia factum notorium eſt loco accuſatoris et teſtium: ſic ſuſpenduntur aliquando latrones in fragranti delicto inuenti. *Secundo*, quando eſset periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, ſi iuridicè procederetur. *Tertiò*, quando quis machinatur Reip. vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit. *Quartò*, ſi crimen ſoli Principi et tribus aliis notum ſit, ita vt iuridicè probari poſſit; tunc occultè poſset interfici reus, ſine citatione et probationibus. Nauar. *cap.25.n.10.* Clauis regia *lib.12. c.8.n.* 20.26. *& ſeq.* Leſſius *c.num.* 100.101. Bonac. *c. num.*5. P.Nauar. *lib.2. c.3. num.*188. Sylu. *c. art.3.* et alii.

Nauar. Clau.regia. Leſſius. Bonac.; Sylu.

9. *Iudex* in conferendis officijs, electionibus, diſpenſationibus, vel alijs; quæ ipſius arbitrio committuntur, non tenetur ſequi publicam ſcientiam, omiſsa priuata, quia in conferendis officijs, non eſt propriè Iudex, ſed diſtributor, cui onus incumbit diſtribuendi officia pro meritis, merita autem non ex teſtibus, ſed ex reipſa deſumenda ſunt. Sylueſt. *v. Iudex 2.q.5.* Clauis reg. *c.n.*18. Salon *2.2.q.67.art.2.* et alii.

Sylueſt. Clau.regia. Salon.

10. Tertia conditio, in Iudice neceſsaria forma iuris eſt, quæ adeo ſeruari debet, quòd ſine aliqua iuris forma iudicium factum nullum penitus exiſtimetur, et ſit *arg. c.qua contra, de reg. iur. in 6.* Forma vero iuris in iudice neceſsaria, in quatuor potiſſimum videtur conſiſtere, videlicet. In modo procedendi. In præparatorijs. In ferẽda ſententia. Et in pœna imponenda. Vt dicetur infrà, *v. Iudicium publicum*. Ita Tolet. *lib.5.c.53.n.9.* Sayr. in Clauis reg. *lib.12.c.9.* Notandum autem eſt, quod in iudiciis duplex ſit procedendi modus. *Primus*, iure ordinario, et iuxta exactam iuris cõmunis formam. *Alter* ſummariè, et de plano ſola rei veritate inſpecta, rimulis omnibus et apicibus iuris poſtpoſitis. Primus ad ſæculare, et Eccleſiaſticum Epiſcoporum forum ſpectat, in quibus ea, quæ ad ſolemnitatem, perfectionemque iudicii requiruntur, adamuſſim obſeruantur. Regulares vero Iudices tum ex ipſo iure, *cap. qualiter & quando, de accuſat.* tum etiam ex indulto Bonifacii VIII. vt videre eſt in Compendio priuilegiorum Mendic. tomo 1. *v.Correctio Frat. n.6.* altero tantum procedendi modo in ſuis iudiciis, velut magis Religioſis viris accommodato vti debet, nempe vt ſine ſtrepitu, ac figura iudicii, rimulis, & apicibus iuris omnibus poſtpoſitis ſuorum cauſas cognoſcant. Idcirco iis omiſſis, quæ ad ſolemnitatem iudicii ſpectant, ea tantum in ſuis iudiciis proſequi debent, quæ ad iudiciorum ſubſtantiam pertinent, quæque ad veritatis veram perfectamque cognitionem hauriendam diuino

Tolet. Clau.regia.

aut

Digitized by Google

aut naturali iure conſerunt. Bullam *Bonifacij Octaui* pro Fratribus Minoribus refert *Rodriq.* in Bullario Bulla 2. Pro Ciſtercienſibus Bulla 10. eiuſdem *Bonifacij* apud eundem. Pro Minimis extat Bulla *Iulij XI.* quæ eſt 26. eiuſdem Pontificis *num.* 39. apud *Rodriquez* in tom. 1. Bullarij communis *Eugenius IV.* idem conceſſit Congregationi S. Iuſtinæ Bulla 9. §. 2. Et Congregationi Montis Oliueti *Iulius XI.* Bulla 12. §. 9. in eodem Bullario. Et Camaldulenſibus *Leo X.* vt conſtat ex eius Bulla 2. §. 11. in eodem Bullario communi. De his vide Sanchez *l.6.conſil.c.* 8. *dub.* 1. Suar. *tom.4. de relig.l.*10.*c.*12. Lugo *de iuſt. & iur. diſp.*37.*ſect.*14. & Bouer. noſtrum *in direct. Fori iudic.c.*7.

Sanch. Suarez. Lugo. Bouer.

11. Cum quilibet ſcire teneatur, quæ pertinent ad proprium officium, ſine quorum cognitione ſuum munus & officium exercere non poteſt, *Inſt. de obligationibus*; hinc in iudice neceſſaria eſt ſcientia, qua rectè ſciat ſuo munere fungi, & obligatur Iudex ex imperitia malè iudicandi ad intereſſe parti læſæ, & ad expenſas litis: & talis Iudex in foro conſcientiæ non poteſt abſolui, niſi renuntiet officio, aut habeat firmum propoſitum renunciandi. Regin. *l.*25.*n.*657. Nauarr. *c.*24 *n.*12.

Reginal. Nauar. Auguſt.

Hinc rectè Auguſt. *l.9 de ciuit. Dei* c.6. monet *ignorantiam iudicis ſæpe fieri calamitatem innocentis.* Non eſt tamen neceſſarium Iudicem eſſe peritiſſimum, ſed ſufficit competentem habere ſcientiam *arg. c. cum nobis olim, de elect.* eòque magis cùm ex defectu ſcientiæ aſſeſſorem ſibi partium expenſis aſſumere poſſe concedatur. *C. Statutum, §. aſſeſſorem, de reſcript. in* 6. Notandum autem hic eſt, Iudicem, qui errorem à ſe factum agnouerit, in præiudicium litigantis, etiam ſi à ſe ſine graui culpa factus fuerit, teneri illum errorem impedire, ſi citra ſuam infamiã poterit; quod fieri poſſet admonendo occultè partem læſam, vt ſibi appellatione aliove ſimili remedio conſulat, iuxta ea quæ traduntur communiter à Doctores in *c. præterea, de teſtibus cogendis*. Ita in ſimili de teſte Caietanus 2.2.*q.*70.*art.*4. & poſt illum Lugo *de iuſt. & iur. diſp.* 37. *ſect.*1.

Caiet. Lugo.

12. Vitæ puritas in Iudice requiritur, quæ duplex eſt, Interior vna, exterior altera. Interiorem quoque duplicem poſſidere debet, alteram quòd abſque peccato ſit, alteram verò quòd amore ſolo iuſtitiæ ad iudicandum moueatur: non autem odio, vel amore, vel timore, vel cupiditate, vel alia quauis paſſione; adeò quòd interiores duæ, vna verò exterior in Iudice puritas eſſe debet. Hæc autem exterior vitæ puritas in Iudice requiſita in duobus potiſſimum videtur conſiſtere, nempe in manſuetudine, & à muneribus abſtinentia. Vnde debet cum manſuetudine audire ipſum Reum, illiuſque Aduocatos, & Procuratores. Abſtinentia quoque à muneribus Iudici neceſſaria eſt, neque enim abſque peccato Iudex aut pro iudicio ferendo, aut pro ſententia ferenda munus aliquod accipere debet, arg. Exod. 23. *Nec accipiens munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Franciſcus Ghiſilerius *tr. de iudic. regular. c.* 6. Bonerius *in director. for. iudic. c.*3. An autem Iudex validè iudicet, qui eſt in peccato mortali, fuit error aliquorum, qui dicebant, illum eo ipſo carere omni iuriſdictione, & eius ſententiam eſſe irritam: hic tamen error damnatus eſt in Concil. Conſt. *ſeſſ.*8. & 15. Ratio à priori eſt, quòd dominium & iuriſdictio fundatur in libero hominis arbitrio, quod non deſtruitur per peccatum: ergo ſicut pater adhuc poſt peccatum manet pater, & habet poteſtatem in filios, ita ſuperior manet ſuperior, & habet poteſtatem in ſubditos. A poſteriori etiam probatur, quia alioquin nihil eſſet certum in præceptis ſuperiorum; nunquam enim cõſtare poteſt de gratia & ſanctitate præcipientis, ac per cõſequens ſemper dubitaremus de eius poteſtate, quod eſſet magnum inconueniens ad regimen humanum. Ita Suarez *de leg. lib.* 3. *c.*10. Salas *de legib. diſp.*7 *ſect.*15. Sotus *in 4 diſt.* 1. *q.*5. *art.*5. & alii multi apud ipſum.

Ghiſil. Bouer.

Suar. Salas. Sotus.

Sed dubium eſt, an Iudex licitè poſſit iudicare in peccato mortali: Reſp. quòd Iudex per ſe loquendo ſiue ſit laicus, ſiuè Eccleſiaſticus, non peccat iudicando in peccato mortali; quia actus iudicandi, quamuis fiat in peccato, ex ſe & ex obiecto honeſtus eſt, pertinetque ad virtutem iuſtitiæ, nec vitiatur ex eo quod ab homine peccatum habente exercetur, *per accidens* tamen ratione ſcandali fieri poteſt, vt aliquando mortaliter peccet; vt ſi Iudex adulter publicus, velit alios de adulterio condemnare. *Porrò* Iudex tenetur cauſas iudicare & celeriter expedire, & mortaliter peccat contra proprium officium cauſarum expeditionem notabiliter differendo; imò tenetur parti læſæ damna & expenſas, quarum cauſa eſt, reſtituere, quia iniuſta cauſa damni ad illius reſtitutionem obligatur. Arragon. 2.2.*q.*60.*art.*2. Salon, Bannez, Valent. *tom.* 3. *d.*5. *q.*4. *punct.* 2. Clauis Reg. *c. num.* 4. 8. Nauarrus *c.* 25. *num.* 14. Syluius 2.2.*q.*60 *art.* 2. *quæſt.* 1. Lugo *c. diſp.*37. *ſect.* 2. & alij.

Aragon. Valent. Clauis Reg. Nauar. Syluius. Lugo.

Porrò Iudex præſertim regularis, in iudicis exercendis humilitatem ita cum charitate coniungere debet, vt illius iudicia, non ſuperbiam, non typhum, non crudelitatem præ ſe ferant: ſed humilia, benigna, ac charitatis plena ſint, quibus delicta, non delinquentes extinguant, ſcelera perdant, ſed ſcelerum reos ſeruent, & ad virtutes prouocent; ita vulnera curent, vt vulneratos poſt vulnera fortiores reddant. Denique ad ſit prudentia præditus Iudex regularis, quòd neque omnes abſque diſcrimine accuſationes accipiat, neque facilè accuſatoribus credat: quin potius ſuſpectas in ipſo præſertim cauſæ exordio omnes accuſationes habeat, ne indiſcreto iuſtitiæ zelo reos interdum opprimat, & leuiùs quam par ſit ad eorum condemnationem feratur. In eo quoque maximè prudens, ac circumſpectus eſſe debet, vt cuiuſque rei famam, quoad fieri poteſt, integram & ſartam tectam ſeruet; atque ita erga reum ſe gerat, vt non modo Actoris, ſed etiam Rei, tam in teſtium examine, quàm in defenſionibus eidem exhibendis, cauſam agat. Sed de his plura apud *Bouerium* noſtrum hic citatum.

13. Iudex non poteſt compellere partes ad compoſitionem etiamſi ſit ſupremus, vt deſumitur ex *l.*1. *ff. de nou. oper. nunc.* & ratio eſt, quia nemo poteſt facere iniuſtitiam: eſt autem iniuſtitia impedire ius alterius: quia idem eſt ac ipſum priuare iure proprio; Iudex autem cogens partes ad compoſitionem, impedit ius ipſarum, quia prohibet, ne illud proſequantur: tamen quando lis eſt longa, & difficilis, & iura vtriuſque partis dubia, poteſt Iudex compellere & componere partes per modum ſententiæ: quia ſic ſeruat ipſius ius, quod habent proſequendi litem vſque ad ſententiam, & ipſe vtitur iure ſuo, ferendo ſententiam de compoſitione: debet tamen ipſe determinare compoſitionem proportionatam iuribus vtriuſque partis: alioquin ſi relinqueret decernendam partibus, eas relinqueret cum lite, & eſſet ſolùm cogere ad compoſitionem, non autem decidere litem. Vide Syluestrum *verb. iudex* 1. *q.*7. Angelum *ibid. n.*4. Tabienam *n.*2. Sanch. *l.* 6. *conſ. moral. c.* 1. *dub.* 25. *n.* 2.

Syluest. Tabiena Sanchez.

De Iudice, vide *Communio ſacra* num. 20. *Conſcientia* num. 16. 17. *interdictum* 1. num. 10. *irregularitas* 5. num. 3. 6. *Reus* num. 1. 6. 7. *Sponſalia* 3. numer. 16. 18.

IVDICIVM PVBLICVM.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex ſit modus procedendi in iudicijs? & de primo qui eſt per accuſationem.*

2 *Quando cenſeatur iudex via denunciationis iuridicè procedere?*

3 *Quotuplex ſit inquiſitio?*

4 *Quid ſint infamia, clamoroſa inſinuatio, & Indicia tum leuia, & grauia, tum indubitata?*

5 *Quid ſit ſemiplena probatio?*

6 *An neceſſe ſit vt aliqua infamia præceſſerit, vel accuſator, vel denunciator, vt iudex faciat inquiſitionem generalem?*

7 *An quando crimen eſt manifeſtum iudex habeat ius inquirendi in genere quis fecerit?*

8 *An modus procedendi per ſpecialem inquiſitionem, qua intenditur pœna delinquentis, requirat præuiam infamiam,*

Digitized by Google

miam, vel clamoroſam inſinuationem? & quanta debeat eſſe iſta infamia?

9 *An modus procedendi per inquiſitionem mixtam requirat preuiam infamiam, vel ſemiplenam probationem & accuſationem, aut ſaltem manifeſta indicia?*

10 *An Iudex inferior poſsit ex conſenſu accuſatoris & partis læſæ relaxare pœnam à iure taxatam.*

11 *An mortaliter peccet Iudex liberando reum, aut pœnam mortis in mulctam pecuniariam commutando?*

12 *An poſsit Iudex ad mortem condemnare reum, à quo ipſe, vel eius miniſtri veritatem criminis commiſsi extorſerunt promiſſa impunitate ſeu fictis promiſsionibus, &c.*

13 *An periculoſum ſit aliquando pro reis intercedere in iis quæ ab arbitrio Iudicis non dependent?*

14 *An Iudices tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici poſsint à litigantibus aliquid loco ſtipendij accipere pro exercendo iuſtitiæ officio?*

15 *An Iudex Eccleſiaſticus habens beneficium cui eſt annexa iuriſdictio, poſsit à litigantibus munera vel ſportulas, vel xenia accipere?*

16 *Quæ ſit forma iuris, quam Iudex ſeruare debet in ferenda ſententia?*

1 M*Odus procedendi* in iudiciis, triplex a Doctoribus communiter ponitur, *Cap. qualiter, & quando 2. de accuſationibus. Primò*, per accuſationem. *Secundò*, per denunciationem. *Tertio*, per Inquiſitionem. Iudex via accuſationis iuridicè procedit, quoties delata accuſatione interrogat teſtes, & poſtea habita ſaltem ſemiplena probatione procedit ad interrogandum reum: vnde Iudex non poteſt aliquem condemnare ſine accuſatore generatim accepto, nam ſemper requiritur accuſator formalis vel virtualis: *virtualis* dicitur id, quod vices accuſatoris ſupplet, vt in criminibus contra bonum publicũ ſimplex denunciatio, in priuatis ſi ſint notoria, ipſa facti euidentia: quando per accuſationem proceditur, actor ſeu accuſator ſpondet ſe obiecta probaturum: non ſemper tamen iudex procedit via accuſationis propriè acceptæ, ſed frequenter procedit per querelam. Clauis reg. *l.* 12. *c.* 10. *n.* 27. Leſſius *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 12. *n.* 104. Sà *v. Iudex n.* 1. Azor. 3. *p. l.* 13. *c.* 23. & 25. & alij.

Clauis Reg.
Leſsius.
Sà.
Azor.

2. *Iudex* via denunciationis iuridicè procedit, quoties crimine, de aliquo, apud ipſum delato, ex officio procedit, ad capiendas informationes & examinandos teſtes nominatos a denunciatore, vel alios quos ipſe iudex inquirendo ex officio comperit informatos, quibus poſitis legitimè accedit ad examinandum delinquentem, *Notandum* eſt, duplicem eſſe denunciationem, *quadam* dicitur *Euangelica*, quæ tendit ad emendationem fratris, & fit ſuperiori tamquam patri, vt dictum eſt v. *Denunciatio. Alia* eſt *iudicalis*, quæ ſpectat vel punitionem criminum ob bonum commune, vel certè mali, damnique impeditionem & fit ſuperiori tamquam iudici. Iulius Clarus *l.* 5. *q.* 7. Bonac. *c. punct.* 6. *n.* 4. Leſſius *c. num.* 103. Azorius *c. cap.* 21. Regin. *lib.* 25. *cap.* 54. & alij.

Iul. Cla.
Bonaci.
Leſsius.
Azorius.
Regin.

3. *Inquiſitio* triplex eſt, *generalis, ſpecialis & mixta generalis* eſt, quando de perſona in communi, quæritur crimen in communi, an ſcilicet, ſubditi ſeruent leges, an non committantur crimina, an de nullo ſit fama vel ſuſpicio alicuius criminis; hac vtuntur prælati & ſuperiores in viſitationibus ſuis. *Specialis* eſt, quando de certa perſona & de certo crimine quæritur; an ſcilicet, Paulus commiſerit homicidium. *Mixta* eſt, quando, vel ſolum crimen eſt ſpeciale, vel ſola perſona; vt quis fecerit iſtud homicidium, an Paulus ſeruet ſtatuta, vel ordinationes. *Notandum* præterea eſt, antequam iudex procedat ad inquiſitionem ſpecialem & mixtam, debere præcedere infamiam, vel clamoroſam inſinuationem vel indicia, vel ſemiplenam probationem. Leſſius *l.* 29. *dub.* 13. *n.* 107. Bonac. *tom.* 2 *d.* 10. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 3. Farinacius *in pract. crimin. q.* 1. *num.* 4. & alii.

Leſsius.
Bonacin.
Farinac.

4. Infamia eſt, *frequens vox bonorum & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter ſuſpectum reddit*, Clauis reg. *l.* 12. *c.* 10. *n.* 12. 13. & *ſeq.* Regin. *l.* 24. *num.* 40. 41. & *ſeq.* Sylu. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Vnde ad infamiã iudicialem requiritur, vt ſit frequens opinio, vt vox bonorum; vox enim diſcolorum & hominum infimę ſortis, non efficit legitimam & iudicialem infamiam, cùm hæc infamia induci non poſſit abſque indiciis, & coniecturis ſufficientibus. *Quot* autem homines requirantur ad infamiam, iuxta probabiliorem ſententiam Salon 2. 2. *q.* 60. *ar.* 2. Nauar. *c. inter verba q.* 3. *n.* 697. hoc relinquendum eſt arbitrio prudentis viri, quia nihil de hoc ſtatutum eſt in iure, *Clamoroſa inſinuatio* eſt, vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extra iudicium. *Indicia* ſunt ſigna & circumſtantiæ, ex quibus prudenter & rationabiliter iudicamus de actibus aliorum: & ſunt in triplici differentia, iuxta Azor. *c. in l.* 13. *c.* 18. *dub.* 5. & *cap. q.* 26. & 27. Leſſium *cap. dub.* 17. Clarum *lib.* 5. *q.* 21. Bonac. *num.* 5. Bouerium *in director. c.* 32. 33. Spatarium *in methodo corrig. tract.* 8. & alios: *alia* ſunt *leuia*, & hoc ſufficiunt ad capiendum reum, ne fugiat: huiuſmodi indicium eſt dictum ſocii criminis, *Alia* ſunt *indicia grauia*, & hæc ſufficiunt ad citandum & examinandum reũ: *Alia* ſunt *indubitata* & hæc ſufficiunt, non ſolum ad examinandum, verùm etiam ad torquendum reum, vel deferendum illi iuramentum, nam delat o iuramenti eſt veluti quædam tortura: qualia ſunt, fuga delinquentis ſuſcepta ſtatim poſt crimen commiſſum, grauis inimicitia coniuncta cum aliis indiciis: exiſtentia rei furto ablatæ apud delinquentem; hæc indicia ſufficiunt ad torturam, licet non ſufficiant ad condemnandum reum pœna ordinaria.

Clauis
Reg.
Regin.
Sylu.

Salon.
Nauar.

Azor.
Leſsius.
Clarus.
Bonac.
Bouerius
Spatar.

5. *Semiplena* probatio eſt *leg. admonendi. ff. de iureiur. Primò*, dictum vnius teſtis occulati, vel alias fide digniſſimi legitimè deponentis cum iuramento, & hic teſtis dicitur omni exceptione maior, qui ſcilicet deponit cum iuramento ſe vidiſſe crimen, quoties criminis perpetratio cadit ſub viſum, vel qui deponit ſe crimen audiuiſſe, quoties teſtificatio criminis non cadit ſub viſum; ſed ſub potentiam auditus, vt eſt crimen hæreſis, vel blaſphemiæ. *Secundò*, eſt confeſſio rei facta extra iudicium, non calore iracundiæ, quæ probetur per duos teſtes, qui viderint talem confeſſionem. Item ſi confeſſio fiat coram vero Iudice, non ſedente pro tribunali, & probetur per duos teſtes; Sed illa confeſſio quæ fit coram Iudice incompetente, neque eſt ſemiplena probatio, neque ſufficit ad torturam. *Tertiò*, fit ſemiplena probatio per Scripturam rei clarè cognitam, in qua delictum fatetur. *Quarto*, per præſumptionem vehementem, quando ſcilicet talia ſunt indicia, vt vehementer inducant ad credendum quòd reus id fecit: imò vnumquodque indicium etiam propinquum delicto, debet probari duobus teſtibus. Et notandæ ſunt qualitates indiciorum, ſi leuia, ſi grauiora, ſi vehementia ſint. *Quinto*, duo ſocij criminum faciunt ſemiplenam probationem. *Sextò*, duo teſtes ſingulares, vel duo teſtes non idonei, ſeu infames, vel inhabiles, vt duæ fœminæ efficiunt ſemiplenam probationem. Per infamiam verò, quantumcumque grauis illa ſit, & clamoroſa, nunquam fit ſemiplena probatio. Neque illam facit fuga rei a carcere, in quo detinebatur ob illud crimen: maximè ſi rediens det excuſationem, fugæ vt quia timebat calumniam, vel rigorem carceris, & ſimilia. Vide Syluius 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 10. *n.* 15. Bouerius *c. cap.* 31. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. Rodriq. *in addit. ſum. tom.* 4. *cap.* 155. Clarus *in practic. crimin. quæſt.* 22. & alios.

Syluius.
Clauis.
Gomez.
Rodriq.
Clarus.

6. *Vt iudex* faciat inquiſitionem omninò generalem, non eſt neceſſe, vt aliqua infamia præceſſerit, vel accuſatio, vel denunciatio, *Cap. Pernicioſam, de officio ordinarij*, quia talis inquiſitio eſt neceſſaria ad purgandam Remp. moreſque in cœtibus hominum reformandos; per eam enim nulli fit iniuria, cùm de nemine in particulari fiat inquiſitio, *in hoc* tamen caſu interrogati ſubditi, non debent patefacere criminoſos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant, etiamſi ſuperior ſub iuramento, vel ſub pœna excommunicationis præcipiat vt dicas veritatem de eo, quod noſti, potes in hoc caſu cum reſtrictione mentali dicere te neſcire quidquam, intelligendo, vt tenearis dicere: Ratio eſt, tum quia Iudex non poteſt præcipere aliquid contra ius naturale obligans ad non

diffa-

Digitized by Google

diffamandum proximum;ille vero,cuius delictum eſt occultum, adhuc retinet ius ad integritatem ſuæ famæ; non ergo præcipit prælatus ſeu iudex manifeſtari eiuſmodi delicta: alias eſſet duriſſimum imperium, ſi iudex ex ſe poſſet venari,& expiſcari omnia peccata ſecreta ſubditorum ad punienda illa in iudicio. Tum quia, hoc eſſet dare occaſionem iudici vexandi ſubditos,inciperet enim ex ſe iudicia, & eſſet quaſi ipſe accuſator,& iudex,dum ipſe à nemine prouocatus obligaret alios ad accuſandum, vel denunciandum iudicialiter, quod iudex facere non debet regulariter, ſed incipere debet prouocatus à denunciatore,vel infamia vel aliquo ſimili. Imò quando crimen nullo modo probari poteſt,apertè contra iuſtitiam peccat,qui illud aperit,niſi in duobus caſibus. *Primò*,quando id putatur eſſe neceſſarium ad delinquentis emendationem,tunc enim aperiendum ſuperiori, non vt iudici, ſed vt patri, vt ſua prudentia & authoritate illum emendet. *Secundo*,dum aliquod malum ſpirituale,vel temporale impendet ab aliquo, quod commodè auerti non poteſt niſi ſuperioris opera. D.Thom. *2.2.q.69.art.* 2. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 10. Leſſius *c.dub.*13. Azor. *3.p.lib.*13.*cap.*26. Bonac. *c.d.*10. *q.2.par.5.n.7.* Lugo *de iuſtit. & iur.diſp.*37.*ſect.*6.*num.* 56. & alii.

D. Tho. Clauis Reg. Leſsius. Azor. Bonac. Lugo.

7. *Quando* crimen eſt manifeſtum, iudex habet ius inquirendi,in genere quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit, niſi de eo ſit aliqua fama vel indicia, quamuis Caiet. *2.2.q.69.art.*1. & 2. Sotus *de ſecret.memb. 2.q.6.dub.4.* doceant id non eſſe licitum; probatur hoc ex praxi communi iudicum tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium,quam durum eſt condemnare. Nec obſtat quòd per inquiſitionem illam generalem aliquando occulta crimina detegantur: quia id non prouenit ex ipſa conditione interrogationis, ſed ex imperitia eorum qui interrogantur,qui neſcientes iura,putant ſe teneri occulta patefacere. Nauar. *cap.* 18.*num.*40. Leſſius *c.n.*114. Syluester *v.correptio n.*6 & alij.

Caiet. Sotus.

Nauar. Leſsius. Syluest.

8. Iuxta communem ſententiam Doctorum D.Thom. *2.2.quaſt.67.art.3.* Azor. *c.cap.*26. *dub.*1. Regin. *lib.*25.*n.* 647. Leſſius *c.dub.* 15. Clauis reg. *cit.* Bouerius *in director.for.indic.c.*6. & aliorum, modus procedendi per ſpecialem inquiſitionem,qua intenditur pœna delinquentis, requirit præuiam infamiam, vel clamoroſam inſinuationem, vt habetur in *Cap.Inquiſitionis* §. 3. *De accuſat.* Ratio eſt, quia quamdiu aliquis habet bonum nomen, non poteſt illo ſine cauſa ſpoliari;redderetur autem ſuſpectus, & aliquo modo deterioris famæ per ipſammet inquiſitionem ſpecialem: omnes enim meritò ſuſpicarentur illum, de quo inquiritur, aliquam occaſionem dediſſe ad illam inquiſitionem faciendam. Quando autem non tenditur ad punitionem criminum, ſed ad malum impediendum, verbi gratia de beneficiorum & officiorum collatione,vel matrimonio contrahendo, licitum eſt inquirere de impedimentis, vel delictis perſonarum particularium,etſi nullus ſit de illis rumor: omnia enim alioquin erunt plena inceſtibus, ſacrilegiis, vel nefariis coniugijs, & prauis rerum ſacrarum & ciuilium miniſtris. *Quanta* autem debeat eſſe iſta infamia, dicendum eſt, non ſufficere vt duo vel plures etiam iurati affirment ſe vidiſſe illum crimen committentem, quia adhuc res eſt occulta, ac proinde minimè per publicam inquiſitionem prodenda, ſed requiritur vt rumor de eo ſparſus ſit per maiorem partè viciniæ,vel collegij,vel vniuerſitatis in qua commoratur, Leſſius *c.n.*123. Sotus *de ſecret.memb.2.quaſt.6.* Bonac. *c. p.5.n.*11. Nota tamen *Primò*, hanc infamiam debere attendi ſecundùm radicem; an ſcilicet oriatur ex maleuolis, vel ex leuiſſimis hominibus: hæ enim non generant veram infamiam: *Secundo*, poſſe aliquem eſſe infamatum de vno crimine, & tamen hoc non ſufficere, vt inquiratur de aliis diſparatis: fama enim eſt diuiſibilis, & poteſt adhuc in alio vitio retinere bonum nomen & exiſtimationem. Secus eſſet de vitiis annexis,quorum ſuſpicio generatur ex aliis, ſuper quibus iam eſt infamatus. Porrò in caſu quo duæ famæ contrariæ ſimul probatæ concurrant, nimirum vna in fauorem, altera in odium Rei: bona fama Rei præualere debet malæ famæ contra ipſum probatæ, imo ſi reus probaret ſe per triennium honeſtè conuerſatum fuiſſe, infamia contra ipſum probata abſtergeretur. Si verò prædictæ famæ inæqualiter tam reſpectu temporis, quàm probationum ſe prodant, quoad tempus ſtandum eſt priori, quoad probationes verò tribuendum erit veriſimilioribus probationibus: quidquid ſit de prioritate aut poſterioritate temporis. Ita Lugo *de iuſt. & iur. diſp.* 37.*ſect.*6.*n.*52. Bouerius *in director.c.* 5. *Ex quo* patet ad ſpecialem inquiſitionem, præciſa conſuetudine in contrarium, non ſufficere ſola indicia manifeſta,quia ſecundùm ius requiritur infamia vel clamoroſa inſinuatio: praxis tamen multis in locis recepta eſt & conſuetudo derogans iuri poſitiuo, vt habitis indiciis de aliquo formetur contra illum inquiſitio: hæc praxis non eſt damnanda,ſi circumſpectè & ſecundùm leges vel conſuetudines in prouincijs receptas,fiat,idque in grauibus cauſis,vt in furtis,homicidijs,ſacrilegijs, inceſtibus, in crimine hæreſis, apoſtaſię, læſę maieſtatis humanæ,&c. hæc praxis potuit induci eò quòd expediat delicta ob commune bonum puniri,quamuis perſona particularis infametur: deinde ius humanum poteſt contraria conſuetudine legitimè præſcripta aboleri. Nauar. *c.* 18. *n.* 38. Clauis reg. *c.num* 10. Leſſius *dub.* 17.*n.*132. Mol. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſput.* 47. Lugo *de iuſt. & iur.diſp.*37.*ſect.*6. *n.* 64 Bouerius *c.cap.* 6. & alii. Ratio autem eſt, quod neceſſitas infamiæ præcedentis non eſt de iure naturæ,ſed de iure poſitiuo, vt fatetur Sotus *de ſecret.memb.*1 *q.2.dub.*2. Sed dubitabis, an ſufficiat ad inquiſitionem ſpecialem infamia orta, poſtquam reus eſt incarceratus,cùm antea nulla eſſet? Reſp. negatiuè: quia hæc infamia naſcitur ex ipſo facto iudicis,qui illam non inuenit,ſed poſuit,atque hoc modo poſſet de omnibus delictis occultis inquirere ponendo infamiam circa aliquem in particulari. Ita Nauar. *in c. inter verba corollar.* 62. *n.* 691.

Leſsius. Sotus. Bonac.

Lugo. Bouer.

Nauar. Clauis Reg. Leſsius, Mol. Lugo. Bouer. Sotus.

Nauar.

An autem clamoroſa inſinuatio ad ſpecialiter inquirendum ſemper ſit neceſſaria præter ſimplicem infamiã? Communis eſt DD. ſententiam clamoroſam inſinuationem tum neceſſariò requiri, quando inquiſitio contra Prælatum aut collegium inſtituitur: tunc enim talis infamia eſſe debet,quæ non poſſit abſque ſcandalo,& periculo tolerari, ac proinde ſæpe Iudicis aures pulſare debet, antequam Iudex ex officio aduerſus Prælatum inquirat. Cùm vero inquiſitio contra ſubditum ſit, ſufficit, quod infamia abſque clamoroſa inſinuatione præcedat. Ita Ghiſilerius *de indic.reg.c.*16.*n.*87. Bouerius *in director.c.* 5. Farinac. *conſil.*130. Sotus *de tegend. ſecret.memb.*2.*q.*6. *dub.*3. & alii.

Ghiſil. Bouer. Farinac. Sotus.

9. *Modus* præcedendi per inquiſitionem mixtam qua inquiritur ſpecialiter de perſona, & generatim de crimine requirit præuiam infamiam,vel ſemiplenam probationem & accuſationem,aut ſaltem manifeſta indicia iuxta receptam loci conſuetudinem: *quando* verò crimen eſt manifeſtum,& quæritur eius auctor in communi,non requiritur infamia delinquentis,nec ſemiplena probatio, & accuſatio: *hinc* quando commiſſum fuit homicidium, de quo publicè conſtat; poteſt in genere inquiri, quis illud commiſerit,non verò in ſpecie, niſi præceſſerit infamia, vel ſemiplena probatio & accuſatio, vt dictum eſt; nec in hac in inquiſitione mixta ſeu generali interrogatus tenetur, iuxta probabiliorem ſententiam, manifeſtare auctorem criminis: nam delinquens, quamdiu duo vel tres extraiudicialiter noſcunt ipſius delictum, nondum laborat infamia publica. Ita Nauar. *cap.* 18.*n.*38. Leſsius *c.n.* 132. Mol. *c.num* 2. Reginald. *l.*25.*n.*652. Lugo *de iuſt. & iur.diſput.*37 *ſect.*6.*num* 58 & alij. Quidam tamen Doctores,vt Azor. *cit.cap.*25.*dub.*4. Clauis reg. *c.cap.* 10. *num.* 24. Syluester *v.correptio.q.* 8. putant teneri, etiamſi interrogatus ſolus ipſe nouerit crimen. Ratio eſſe poteſt, quia licet Iudex non poſſit inquirere ſpecialiter ſine infamia præcedenti illius perſonæ; hoc tamen eſt, quia per ipſam inquiſitionem ſpecialem videtur infamari inquiſitus, cùm tamen ſit innocens; at verò iudice interrogante generaliter, hoc inconueniens ceſſat: ſi autem poſtea per teſtis depoſitionem infametur, iam tunc non infamatur innocens, ſed noxius, in quo nullum eſt inconueniens. Tamen probabiliori ſententia non eſt recedendum in praxi.

Nauar. Leſsius Mol. Reginal. Lugo. Azor. Clauis Reg. Syluest.

10. Ordinariè loquendo nullum iudex inferior relaxare poteſt pœnam à iure taxatam, etiamſi accuſator vel

pars

pars læſa conſentiat: quin iudex inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, & hoc habet locum in pœna, quæ iniungitur ob bonum publicum propter iniuriam, quæ Reip. fieret. *Pœna* autem, quæ iniungitur in ſatisfactionem partis læſæ, poteſt remitti, conſentiente parte læſa: *Pœna* verò arbitraria minui poteſt & augeri, intra terminos æquitatis, pro varietate temporum, locorum, & perſonarum arbitrio iudicis: hinc iudex remittens pœnā ex cuius remiſſione damnum parti obuenit, vel illi qui pœnas emit, tenetur ad reſtitutionem parti læſæ, & reus non obſtante remiſſione iudicis, ratione damni dati tenetur ad ſatisfactionem parti læſæ, niſi ea conſentiat: quia iudex non poteſt reo ſatisfactionem condonare, quam reus alteri debet ex iuſtitia & iure naturæ niſi alter conſentiat. D. Th. *2.2.q.67.art.*4. Tolet. *lib.5.c.56.num.*11. Reginald. *lib.25.num.*655. Azor. *3.p.l.*13.*cap.*23.*dub.*3.4. Clauis reg. *cap.12.n.*8. Syluius *2.2.q.67.art.4. co.icl.* 2. & 3. & alij.

D. Tho. Tolet. Regin. Azor. Clauis Reg. Sylu.

Princeps tamen ſupremus poteſt aliquando minuere pœnam à lege taxatam. Ratio eſt, quia ipſe poteſt ex rationabili cauſa diſpenſare in legibus poſitiuis; ergò licet lex imponat pœnam alicui, poteſt Princeps ex cauſa rationabili diſpenſare in illa lege. In cauſis autem ciuilibus vix continget caſus, in quo Princeps non teneatur etiam iudicare ſecundùm legem ſcriptam; quia ſubditus habet ius ex lege ad rem, quam petit, vel defendit: non poteſt ergo a Principe priuari ſuo iure. Marchiones autem, Duces & Comites, qui ſub alio Principe ſunt, non poſſunt in ſuis terris remittere pœoas ex cauſa, ſi corporales ſiot, vel etiam pecuniariæ applicandæ Sommo Principi, vel aliis; quia cùm ipſi ſubdantur legibus ſuperioris Principis, nec poſſint in iis diſpenſare, non poſſunt earum exequutiooẽ impedire, niſi id conſuetudine legitimè præſcripta, & a ſupremo Principe tolerata facere ſolerent, quam aliqui centum annis dicunt poſſe præſcribi. Prædicti tamen Domini poſſunt pœnas pecuniarias ſibi applicandas condonare. De his Sotus *de iuſt. & iur. lib.* 3.*q.4.art.*5. Suarez *de leg. lib.5.cap.* 11. Sanchez *lib.* 3.*conſil. c.vnic. dub.* 5. *& lib.6. dub.*21. Lugo *de iuſtit. & iur. diſp.* 37. *ſect.* 8. & alij.

Sotus. Suarez. Sanchez. Lugo.

11. *Iudex* peccat mortaliter liberando reum, aut pœnam mortis in mulctam pecuniariam commutando, dum commune bonum poſtulat reum occidi: imò iudex fit reus omnium malorum, quæ poſtea ſequuntur ob rei liberationem; quia tenetur ex officio conſulere bono communi, & impedire damna reipublicæ: & iudex ipſe non debet ſe facilem exhibere in commutandis pęnis corporalibus in pecuniarias, nam diuites occaſionem acciperent liberiùs peccandi ſpe commutationis pœnæ corporalis in pecuniariam: & in caſu quo iudex has pęnas pecuniaras exigit, debet illas potiùs in pios vſus, quàm in propriam vtilitatem conuertere. Mol. *tom.4.tract.3.diſp.48.num.*3. Clauis reg. *c.cap.* 12.*num.*6. Nauar. *c.23.num.* 14. Caiet. *v. Iudic. peccata* & alij.

Molin. Clauis Reg. Nauar. Caiet.

12. Regulariter loquendo, iudex non poteſt ad mortem condemnare reum, à quo ipſe, vel ipſius miniſtri veritatem criminis commiſſi extorſerunt promiſſa impunitate, ſeu fictis promiſſionibus, aut minis, aut deceptionibus, niſi adſint alia indicia ſufficientia, coniecturæ, & præſumptiooes commiſſi ab eo delicti, aut niſi reus deſtitutus ſpe promiſſionis, adhuc perſeueret in confeſſione criminis; quia illa confeſſio fuit extorta per dolum, conſequenter non videtur ſufficiens ad condemnationem: tamen aliquando puniri poteſt reus, vt ſi alioquin magnũ immineat Reip. damnum, & ad illud auertendum neceſſaria ſit punitio, bonum enim commune priuato præferendum eſt. P. Nauar. *lib.2.cap.*3. *num.* 242. Sà *v. Iudic. actus n.*18. Regin. *lib.25.n.*653. Couar. 1.*var. cap.2. num.* 16. & alij.

P. Nau. Regin. Couarr.

13. *Periculoſum* eſt aliquando pro reis intercedere in iis, quæ ab arbitrio iudicis non dependent nam fieri poteſt vt petatur licitæ pœnæ relaxatio, quare vt plurimùm tutius erit agere prius cum parte, ab eaque remiſsionem obtinere, & ea obtenta pro liberatione delinquentis apud iudicem intercedere. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. Valent. *tom.3. diſp.5 quaſt.11.p.*4. Lugo *de iuſtit. d.* 37. *ſect.* 8 *num.*96. & alij. Vnde in eiuſmodi interceſsionibus magna prudentia eſt adhibenda, *Primò*, ſi delicta ſint frequentia, & ex iudicum clementia Republica grauiter patiatur, interceſsiones ſunt vitandæ. *Secundò*, conſideranda perſona intercedens, nam perſona læſa ſecuriùs poteſt intercedere ad oſtendendam charitatem Chriſtianam erga offenſorem. *Tertiò*, conſideranda eſt perſona iudicis, nam ſi ſit doctus, probus, & conſtans in adminiſtratione ſui officij, ſecuriùs poteſt apud eum intercedi: non enim præſumitur conceſſurus, quæ non licent. Si verò ſit indoctus, vel infimus, & qui facilè reuerebitur perſonam intercedentem cui placere deſiderat, & a quo dependet: tunc non niſi magna cautela petendum eſt, dicendo non exigi, niſi id, quod intra iuſtitiæ terminos fieri poſsit.

Clauis. Reg. Valent. Lugo.

14. *Quando* iudicibus ſtipendium à Reipub. vel ab alio aſsignatum non eſt, iudices ipſi tam ſæculares quàm eccleſiaſtici, poſſunt a litigantibus aliquid loco ſtipendii accipere, pro exercendo iuſtitiæ officio; quia obligatio iudicandi eſt res pretio æſtimabilis, nec eſt aliquid ſpirituale, ſed eſt locatio operæ ſuæ: hinc patet iudicem, cui ſtipendium aſsignatum eſt, non poſſe quidquam à litigantibus accipere, ſicut nec iudicem eccleſiaſticum habentem beneficium, cui annexa eſt iuriſdictio ad aliquid agendũ, non poſſe quidquam accipere, etiamſi beneficium ſit tenue, nam beneficium datur propter officium: imò iudex eccleſiaſticus ordinarius non poteſt aliquod ſtipendium, vel expenſas pro aſſeſſore, pro notorio, & pro aliis officialibus accipere, debet enim ſuis ſumptibus aſseſſorem adhibere, vt ſuum præſtet officium; delegatus verò & Iudex ſæcolaris petere poſſunt ſtipendium pro acceſſore, pro Notorio aliiſque officialibus, quia reditus aliunde non habent. Clauis reg. *lib.12.cap* 13.*num.9.* & 10. Regin. *l.25. n.659.* Nauar. *cap.25.n.13.* Syluest. *v. index 1.q* 10. Azor. *3.par. lib. 12. cap.*23. Vide Dian *p.3.tract.5.miſcel.reſol.*45. & alii.

Clauis reg. Regin. Nauarr. Syluest. Azor. Vide Dian.

15. *Index eccleſiaſticus* tam ordinarius quàm delegatus habens beneficium cui eſt annexa iuriſdictio, non poteſt à litigantibus munera vel ſportulas accipere; *ſportulæ* dicuntur quæcumque munera quæ vel in cibo, vel in pecunia vltra ſtipendium a litigantibus dari conſueuerunt; quia hoc illi vetitum eſt iure canonico; *Cap. Cum ab omni, de vita & honeſt. cleric. C. Statutum, de reſcriptis in 6.* Iudices verò ſeculares tam ordinarii quàm delegati, iuxta legitimam loci conſuetudinem poſſunt munus accipere, hoc enim iuri naturæ vel diuino non aduerſatur: imò etiã ipſi iudices eccleſiaſtici poſſent excuſari, vbi legitima conſuetudine receptum eſt, vt ab ipſis munera accipiantur, quia non implicat aliquod ius canonicum contraria conſuetudine abrogari: *Xenia* autem, quæ appellantur munera conſiſtentia in eſculentis & proculentis, accipi poſſunt à quocumque iudice tam eccleſiaſoco, quàm ſeculari, tam ordinario, quam delegato, quia nullo iure prohibita eſt illorum acceptio. Vide Clauis reg. *cap. num.* 12. 13. & 19. Azor. *c. cap.*23. *d.*2. Regin. *cap. num.*659. Syluestr. *2.2.q.71.ar.4.* & alios.

Clauis reg. Azorius. Regin. Sylu. Bonaci.

Porrò quilibet iudex ſæcularis iuxta Bonac. *tom.2.d.*10. *q.2.p* 8.*n.*6. petere poteſt expenſas, quas facit dum proficiſcitur extra domicilium & domum; eccleſiaſticus ordinarius verò non poteſt expenſas accipere, niſi in duobus caſibus. *Primò*, quando Epiſcopus proficiſcitur extra diœceſim ad viſitandam prouinciam. *Cap. Cum Apoſt. de cenſibus Secundo*, quando accedit ad conſecrandam aliquam Eccleſiam. *Cap. Cum ſit Romana, de ſimonia.*

16. *Forma iuris*, quam Iudex ſeruare debet in ferenda ſententia, in hoc conſiſtit, vt ſententia feratur iuxta diſpoſitionem iuris & legis. *Cap. 1. de ſententia & re indicata, vnde* iudex qui leges igoorat, tenetur ſibi adiutorem eruditum quęrere, cuius conſilio vtatur ad iudicandum, iuxta iuris diſpoſitionem; & per ſe loquendo, iudicandum eſt ioxta verba legis, non ſolùm ab inferiore Iudice, verùm etiam a ſuperiore, quoties ſeruatis verbis legis nulla ſequitur iniquitas; & iniuſtitia; *aliquando* tamen fieri poteſt vt ſententia licitè feratur, non ſeruata verborum proprietate, vt ſi ita poſtularet Epicheia, aut ſi iudicis intentio contraria ſit verbis legis; nam is in legem peccat, qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem

Vide

Reginal. Clauis Reg. Arrag. Valent.

Vide dicta ſupra v. *Iudex n.* 10. & Reg in. *l.* 25. *n.* 643. Clauis reg. *l.* 12. .9. *n.* 4. Arrag. 2. 2. *q.* 60. *art.* 5. Valent. *t.* 2. *d.* 5. *queſt.* 4. *p.* 2.

Vide T. 1. verb. *Arbitrium* n. 5. *Feſtum* 2. n. 21. & hoc T. verb. *Reus* a. 1.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Iudex competens quis cenſeatur? & vt multis modis quis ſortiatur forum.*
2 *Quæ ſint obligationis iudicis.*
3 *An iudex teneatur ſemper ſecundum verba legis iudicare.*
4 *An iudex poſsit aliquando ſupplere per ſe defectum Aduocati & partium, vt veritas detegatur, & ſecundum eam iudicet.*
5 *An in pari dubio vtriuſque partis teneatur iudex fauere poſsidenti, & quid iuris ſi neuter poſsideat.*
6 *An quando dantur duo vota, qualia, poſsit iudex licitè aliquid accipere pro electione partis pro qua fert ſententiam, ſeclaſa prohibitione iuris poſitiui?* Refertur duplex ſententia.
7 *Vbi vertitur competentia ſuper iuriſdictione inter iudicem Eccleſiaſticum & ſæcularem, quis cognoſcere debeat.*
8 *Quæ ſint peccata Iudicum.*
9 *Iudicium quid ſit? Et quot perſonæ in eo deſiderentur.*
10 *An iudicium ſit actus iuſtitiæ.*
11 *Vt iudicium ſit ſecundum iuſtitiam, quæ conditiones ſint neceſſariæ.*
12 *Quando iudicium cenſeatur illicitum, & quando nullum.*
13 *An de iure diuino & naturali ſit, vt inquiſitionem præcedat infamia, aut condemnationem accuſatio? Et qui fungantur vice accuſatoris in iudicis extraordinarijs.*
14 *An in crimine læſæ Maieſtatis, hæreſis aut apoſtaſiæ poſsit procedi ad inquirendum, non præcedente infamia.*
15 *An liceat inquirere quando in inquiſitione non intenditur condemnatio aut pœna inquiſiti, ſed ad conferendum ei dignitatem, officium, &c.*
16 *An quando quis confeſſus eſt publicè crimen ſuum extra ordinem iuris, poſsit procedi contra illum.*
An quando delictum committitur coram ipſis iudicibus.
An quando iudex in generali inquiſitione detegit aliquem deliquiſſe, &c.
17 *An Superiores clericorum & religioſorum teneantur ſecundum formam iuris contra ſuos procedere.*

1 IVdex competens cenſetur aliquis multis modis, vt ex iure ciuili & canonico colligitur. Nam quis poteſt ſortiri forum *Primò* ratione cauſæ, de qua in iudicio agitur, v. g. ſi cauſa ſit ſpiritualis vel annexa ſpirituali tùc ſolùm corã Iudice Eccleſiaſtico agi poteſt. *Secundò*, ſortitur qui forũ ratione criminis. Vt ſi crimen eſt merè Eccleſiaſticum de eo ſolùm iudicat Eccleſia: ſi eſt merè ſæculare ſolùm contra illud procedit iudex ſæcularis; ſi eſt mixti fori poteſt laicus conueniri tam corã Eccleſiaſtico, quàm coram ſæculari iudice. *Tertiò*, ratione loci quis forum ſortitur, & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti. Ratione originis, *in l. S. vt propenie Cod. De municip. & originarijs.* Vnde filius ſequitur originem patris, non matris, id eſt, ex ea patria cenſetur oriundus, in qua ortus eſt pater, non autem in qua ſolùm eſt nata mater *l. Filios, C. de municip.* & *l. Aſſumptio, §. 1 ff. ad municipalem*. Item cenſetur quis oriundus ex ciuitate, ſi natus fuerit ipſe, vel pater eius in vico, caſtello, vel illa intra territorium illius ciuitatis, *l. Qui ex vico, ff. Ad municipalem*. Tamen vulgò quæſiti cenſentur oriundi ex patria, in qua nata eſt eorum mater, quia certum patrem nominare non poſſunt, *l. eos, qui iuſtum, ff. ad municipalem*.

Ratione domicilii ſortitur quis forum. *cap. licet de foro competent.* Domicilium dicitur, vbi quis habet rerum ſuarum ſummam, id eſt, magnam partem, vel vbi larem, id eſt familiam conſtituit, animo habitandi ibi perpetuò, vel aſſiduè, non autem ſi conſtituat iterum inde diſcedere; hoc enim non facit incolam, ſed peregrinum. Vt ait Gloſſa *in l. cives, cod. De incolis*, poteſt tamen quis habere domicilium in pluribus locis *cap. ex parte, de foro competent.* puta, ſi aliquis in duobus locis, quæ ſunt neceſſaria ad rem domeſticam, collocauerit. *l. eius Secunda, §. Celſus, ff. Ad municipalem*. Vagabundus autem in quocumque loco puniri poteſt ob delictum in quo deprehenditur. Gloſſa

Ratione loci, in quo quis delictum commiſit ſortitur forum, *cap. Licet & cap. Poſtulaſti de foro competent.* Vnde ſi quis mandauit aliquod delictum patrari, puniendus non eſt in loco, in quo fuit iniunctum mandatum, ſed in quo conſummatum fuit crimen: quia mandans an tenetur ex mandato, ſed ex delicto tanquam ex effectu & damno propter mandatum: vt ex communi docet Clarus *l. 5. receptarum ſentent. in practica criminali q.* 38. *n.* 9. Clarus

Ratione perſonæ ſortitur quis forum, verbi gratia. Si eſt clericus, conueniri non poteſt, niſi coram iudice Eccleſiaſtico: hoc tamen priuilegium clericale, quod dicitur priuilegium fori, debet intelligi, quando conuenitur, non quando eſt actor, ſiue accuſator: quia tunc actor ſequitur forum rei. *cap. cum ſit generale, de foro competent.* tamen ſi clericus reconueniatur, etiam tunc poteſt laicus clericum reconuenire coram iudice ſæculari in materia ciuili, non criminali, modò reconuentio fiat incontinenti in principio litis, vel ſtatim poſt conteſtationem litis. Ex *c. 1. & 2. de mutuis petitionibus*. Item pauper & miſerabiles perſonæ poſſunt laicum coram iudice Eccleſiaſtico conuenire, vt habet textus expreſſus *in cap. Super quibuſdam, de verbor. Significat.* vb habetur. *Item viduis, pupillis, orphanis & miſerabilibus perſonis tenearis in iudicio Eccleſiaſtico reſpondere*. Facit etiam textus *in cap. Si quis de potentibus; cap. illi qui* 24. *q.* 3. Et ita docent ſcribentes *in cap. Significantibus, de offic. & poteſt. iudic deleg. & in cap. ex tenore, de foro competenti*, Vnde pro ſibi relictis alimentis poteſt pauper aduerſarium ſuum laicum ad iudicium Eccleſiaſticum trahere, vt docent Bartolus, Imola, Geminianus & alij, quos adducit Petrus Surdus *de alimeat. tit. 8. priuil. 9.* Diana *p. 1. tract. 2. reſol. 118. & par. 4. tr. 1. reſol. 90.* qui tamen fatetur praxim eſſe contrariam, de qua praxi teſtatur Couarruuias *in pract. queſt. c. 6.* Denique ratione contractus initi ſortitur quis forum. Item ratione rei de qua agitur, nimirum, vt iudicetur, vbi res de qua agitur, ſita eſt. Bartolus Imola. Gemin. Surdus. Diana

2. Obligationes Iudicis ſunt. *Primò* enim obligatur ad debitam legum ſcientiam, & cauſæ diligentem inueſtigationem; ſi enim ſe inſufficientem ſentiat, aut ſuſpicetur, adhibere tenetur iuſtos & doctos aſſeſſores, ſupplere enim debet, quod in hac re ſibi deeſſe ſentit, & aſſumere tales, quos putat ſua rectitudine, conſilio & auxilio defectus, qui euenire poſſent, ſuppleturos. *Secundò*, obligatur ad animi rectitudinem, vt in cauſis iudicandis, nec amore, nec odio, nec timore, aut cupiditate moueatur, ſed ab omni paſſione liber ſolam iuſtitiæ veræ rectitudinem in Deo reſpiciat. Vnde Iſidorus *in cap. Quatuor* 11. *q.* 3. relatus ait, *Quatuor modis peruertitur humanum iudicium; timore, dum metu poteſtatis alicuius veritatem loqui pertimeſcimus, cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus: odio, dum contra quemlibet aduerſarium molimur, Amore, dum amico, vel propinquo complacere contendimus*. Propterea ob timorem obliquitatis ab officio Iudicis repelluntur, qui perſonarum acceptatores ſunt, aut de quibus moraliter timetur, ne in perſonas nimis inclinent, vt conſanguinei, amici, & partium ſingulares patroni. Item, qui muneribus, prece, pretio corruptibiles exiſtimantur. Item, qui ſuis paſſionibus facilè conturbantur & quicumque a rectitudine animi facilè deijciuntur.

Tertiò, obligatur iudex ad animi fortitudinem, & ſtrenui-

nuitatem tam in diſpoſitione, quàm in iudicio & eius executione, iuxta illud Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Quartò, debet iudex omnibus ſe præbere æquanimen, eorum lites opportunè promouere, erga viduas, orphanos pupillos & miſerabiles perſonas, vbi æquitas poſtulat, ſe patrē oſtendere. Vnde & monet Propheta regius pſal. 81. *Iudicate egeno, & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* De his D. Thomas 2. 2. *q.* 63. *ar.* 4. Syluius *ibidem* Regin. *l.* 25. *c.* 54. *n.* 641. & ſequentibus.

D. Tho. Sylu. Regin.

3. Iudex tam ſuperior, quàm inferior, per ſe loquendo tenetur ſecundùm verba legis iudicare, quoties cauſa propoſita ad leges humanas pertinet, ex quarum obſeruatione nihil ſequitur legi diuinæ, vel naturali repugnans. Ratio cur inferior iudex teneatur ſecundùm verba legis iudicare, eſt, quia eſt ſubditus illi legi, & illius executor, ergo ſecundùm eam iudicare tenetur: fruſtra enim conderētur leges ſi iudicibus pro arbitrio iudicare liceret, multa exinde damna & incommoda & perturbationes in Republica ſequerentur. Quod autem teneatur ſuperior iudicare ſecundùm verba ſuæ legis, patet, quia ratio naturalis dictat, vt patiatur quiſque legem, quam tulit, atque vt caput ſe membris conformet. Quamuis enim Princeps legibus a ſe, vel a ſuis prędeceſſoribus latis non ſit ſubiectus quoad vim coercitiuam, cùm par in parem non habeat imperium, ad eas tamen ſeruandas ex vi directiua legis naturalis obligatur: dictat namque ratio naturalis, vt quiſque ſubeat legem, quam aliis imponit, & vt ſeipſum eo modo dirigat, quo alios ſtatuit. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 5. Syluius, Arragon, Salon, *ibidem*. Valentia *t.* 3. *diſp.* 5. *q.* 4. *punct.* 2. & alii communiter. Aduertunt tamen prędicti Doctores poſt D. Thomam, quando ſeruatis verbis legis, ratione loci, temporis vel perſonæ, ſequeretur aliqua iniuſtitia, vel iniquitas tunc non ſolum Princeps, ſed etiam inferior iudex non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm æquitatem, epiickeiam & rectæ rationis dictamen iudicare debet. Quia quando ratione alicuius circumſtantiæ obſeruantia legis contra ius naturale eſſet, non ſecundùm legis literam, ſed ſecundùm æquitatem & mentem legiſlatoris iudicandum erit: nam is in legem peccat, qui verba legis amplexus contra legiſlatoris nititur voluntatem, *ex l. contraria, ff. de legibus.* In quibus autem caſibus non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm Epiickeiam iudicandum, vide *t.* 1. *verb. EpijcKeia, n.* 2. infra *v. Lex a num.* 22.

D. Tho. Sylu. Aragon. Salon. Valent.

4. Quamuis probabile ſit, iudicem in eligendis opinionibus attendere ſolùm debere, quæ allegata ſunt, non quæ allegari poſſunt, neque poſſe alteri parti, quæ allegare, vel probare debeat, aperire cùm hoc ſit officium non iudicis, ſed aduocati. Vt ſuſtinent Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num* 48. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 10. *n.* 9. & alij. Verumtamen quia eo ipſo quòd cauſa iudici proponitur, tenetur ipſe iudex ex officio examinare omnia, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem cauſæ. Quare ſi iudex videat aduocatos partium, & partes ipſas omittere vera & genuina argumenta, vnde veritas facti licitè poſſit cognoſci: item non allegare rationes, & leges præcipuas quę ſunt in iure communi, aut particulari, quæ magis ad rem ſint, debebit iudex id totum ſupplere per ſe, ſiue illud præſtando & proferendo, ſiue iudicando, vt ea propoſita in proceſſu habeantur & ad illa attendens poſſit iuſtam ſententiam ferre. Quando enim venit litigans ad iudicem, vel poſtulando, vel defendendo, ius ſuum, non cenſetur tantum petere vt ſit ex meris allegatis a ſe, vel a ſuo aduocato viderit ius ſibi fauere, pro ſe ferat ſententiam, ſed abſolutè petere, vt ſi iudex cauſam cognoſcens nouerit iuſtitiam ſtare a parte ſua, in ſui fauorem iudicet. Si enim iudex ſciens veritatem probari poſſe iuridicè veris, & certis aut probabilioribus argumentis, & non aperiat viam ad illam probandam; ſed tacens permittat in proceſſu poni rationes pro veritate adeò infamas & pro falſitate adeò apparentes & approbabiles in foro externo, vt qui alias veritatem non ſciat, pro parte falſa & iniuſta iudicare debeat & ipſe tantùm vtatur ea ſcientia, & non alia, nec poſſet indicare, aut ſupplere media; quibus veritas appareat, expoſitus eſt ſæpe ad iudicandum parti iniquæ aut non habenti reuera ius. Et quando dicunt Doctores teneri iudicem ſecundùm allegata & probata iudicare contra innocentem, etiamſi ipſe priuata ſcientia nouerit innocentem: hoc tamen intelligendum eſt de ſcientia priuata, quam ipſe iudex moraliter non poſſit facere publicam. Nam ſi poſſit inuenire media, quibus poſſit facere, vt veritas innoteſcat, debet id non omittere & publicam facere illam ſcientiam; medium autem valde congruum eſt indicare aduocato rei innocentis viam, per quam poſſit illius innocentiam certò vel probabiliter oſtendere. Ecce qua ratione tunc iudex poteſt aduocatum dirigere, & non attendere ſolùm ad allegata & probata. Dicendum itaque eſt, quod iudex non ſolùm tenetur laborare vt veritas inueniatur, vt ſecundùm ipſum poſſit iudicare, ſed ex officio tenetur etiam curare vt falſitas detegatur; hinc poteſt ſupplere de iure & de facto, vbi vertitur periculum animæ. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſputatio* 5. *dubio* 9. *numero* 285. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *reſolutione* 41. citans pro hac ſententia. *Hoſtienſem, Ioannem à Capiſtrano, Farinacium* & alios.

Sanch. Palaus.

Dicaſtil. Dian. Hoſtien. Capiſt. Farinac.

5. In pari dubio iuris vtriuſque partis, tenetur iudex fauere poſſidenti, nec poteſt ipſum cogere vt partem reſtituat, quia poſſidens in hoc dubio habet ius retinendi: ſi autem neuter poſſideat tenetur iudex inter vtrumque diuidere, quia æquum eſt vtriuſque ius. Si verò res indiuidua ſit, lex iuſtitiæ petit, vt tunc res illa ſorte diſtribuatur vel vni res, alteri verò dimidium æſtimationis conferatur. Ratio eſt, quia in hoc caſu vterque habet ius commutatiuæ iuſtitiæ, vt inter eos diuidatur. Nec eſt ſimile de duobus dignis petentibus beneficium, quia nullus illorum habet ius aliquod iuſtitiæ, etiam diſtributiuæ vt ſibi conferatur, ſed hæc iuſtitia dictat vt alteri illorum detur, proinde poteſt Epiſc. eligere quem maluerit. Ita ex Sanchez Ioan. Salas *in* 1. 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 23. *n.* 240. Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 40. & alij.

Sanchez. Salas.

6 Nonnullorum ſententia eſt, ſecluſa prohibitione iuris poſitiui vetantis & prohibentis munerum receptiones, quando dantur duo vota æquila. poſſe iudicem licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua ferat ſententiam. Ratio eſt, quia illa ſententia iuſta non eſt debita huic parti determinatè; poteſt enim iuſtè iudex ſine iniuria illius pro alia parte ferre ſententiam & electio illius partis pro qua eſt ferenda ſententia, eſt in manu & arbitrio iudicis: ſed eligere & determinare hanc partem litigantem, pro qua feratur ſententia, eſt fauor pendens ex voluntate iudicis, & eſt pretio æſtimabilis, quia eſt valde vtilis litiganti, & ſimul eſt coniuncta cum aliquo incommodo iudicis; quia perdit gratiam & amicitiam alterius partis: ergo iuſtè poteſt iudex pro eo fauore pretium accipere. Vnde illi parti a qua pretium petitur accipitur, nulla fit iniuria in eo petando, operitur pro re, quæ non eſt ei debita, quia ergo talis donator voluntariè donat, ergo res accepta a iudice ex duplici titulo ab eo retineri poteſt: titulo ſcilicet pretij iuſti, & titulo liberalis donationis. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. Trullench *in decalog. tom.* 2. *l.* 8. *cap.* 1. *dub.* 6. quorum opinionem putat probabilem eſſe Fagundez *in decalog tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 34 verius tamen eſt in hoc caſu iudicem teneri ad reſtitutionem: quia actus iuſtitiæ eſt inuendibilis, & iudex non poteſt manere ſuſpenſus, ſed tenetur ex iuſtitia pro aliquo ſententiam ferre, imò tenetur ex officio ſe determinare ad vnam partem: ergo gratis, nam in ea determinatione conſiſtit exercitium ſui numeris. Ita Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 10. *num.* 290. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 59. recedens ab opinione Leſſij quam priùs tenuerat *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 55. Verum quando tales donationes fuerunt factæ ex mera liberalitate, & amicitia, non teneri iudices illas ante latam ſententiam reſtituere, docent Molina *de iuſt. tom.* 1. *diſput.* 88. Fagundez *loco cit. cap.* 27. *num.* 9. & alij, quia leges poſitiuæ ſolùm donationes prohibent, non tamen illas inualidant.

Leſſius. Trullen. Fagund.

Tanner. Diana.

Molin. Fagund.

7. Vbi competentia ſuper iuriſdictione vertitur inter iudicem Eccleſiaſticum & ſæcularem, iudex Eccleſiaſticus, tanquam maior & tanquam is, qui maiori dignitate præfulgere, cognoſcere debet, an ſua ſit iuriſdictio, & an in ea cauſa iudex competens exiſtat, nec arbitros eligere

tene-

Digitized by Google

tenetur. Quod probatur, nam materia immunitatis Eccleſiaſticæ eſt ſpiritualis; ergo neceſſariò ſequitur, iudicē ſæcularem in hac lite ratione materiæ ſubditum eſſe iudici Eccleſiaſtico, quem de materia ſpirituali, ex iure determinare ſpectat. Nec obſtat quòd quando duo iudices Ordinarii vel delegati contendunt de iuriſdictione, arbitros eligere debent; nam dicti iudices, pares dignitate ſunt, nec alter alterum compellere poteſt, cùm par in parem non habeat imperium, ex *c. Innotuit de elect.* Vnde quando inter ipſos oritur competentia circa iuriſdictionem, arbitros eligere tenentur. Sed Iudex laicus & Iudex Eccleſiaſticus non ſunt pares, ſed Eccleſiaſticus eſt maior iudice laico, ergo vt dignior, ipſe ſolus cogneſcit, an ſua ſit iuriſdictio, nec poteſt compelli ad eligendum arbitros. Ita Suarez cōtra Regem Angliæ *l. 4. c. 34. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 7. num. 6.* Benacina *t. 2. diſp. 10. q. 2. punct. 1. §. 4. n. 13.* & multi alij iuriſperiti, quos citat & ſequitur Diana *part. 7. tr. 10. reſol. 5.*

Suar. Layman. Benaci. Diana.

8. Peccata, quæ iudices directè concernunt, & ſunt hæc. *Primò*, iniuſtam ſententiam ſcienter & ex certa ſciētia proferre, ſiue hoc proueniat ex amore, odio, corruptione per pecuniam, ſiue aliunde. Talis enim Iudex falſam & iniuſtam ſententiam pronuntians, aut pronunciari permittens, peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem parti læſæ: quia verè cauſam dat damni & parti infert ſcienter iniuſtam læſionem.

Secundò, ſi ex ignorantia craſſa vel affectata proferat ſententiam iniuſtam, peccat etiam mortaliter, & ad reſtitutionem damni tenetur. Ratio eſt, quia cùm ſciat, aut ſcire debuerit ſe ignorantem, non debuit, nec potuit licitè ſe iudicijs intromittere, hoc ipſo enim quo ſe iudicio immiſcuit, periculo ſe expoſuit, & damno cauſam dedit. Poſſet tamen excuſari, ſi adhibito aſſeſſore ſufficientis ſcientiæ, iniuſtitia ex parte aſſeſſoris prouenisſet.

Tertiò, ſi iniuſtam ſententiam protulit ex eo, quòd diſcuſſionem, aut examen debitum cauſæ neglexit, ſiue fuerit negligentia ſtudij, ſiue inquiſitionis, auditionis & informationis debitæ adhibendæ; ſiue dilationis nimiæ, ob quam teſtibus mortuis probationes ſiue defenſiones veræ iuſtitiæ parti defuerunt: ſiue nimiæ præcipitationis, ob quam cauſæ plena diſcuſſio facta non eſt, ſiue ex aliis ſimilibus cauſis. Et in his caſibus iudex peccat mortaliter & ad damnum reſtituendum obligatus, *c. ſi culpa, de iniur. & damno dato.*

Quartò, peccat iudex ſi permittat ſe corrumpi prece, vel pretio, muneribus, obſequijs, aut aliis quibuſcumque, ex quibus ſequitur iniuſta ſententia. In quo caſu peccat mortaliter, & ad reſtitutionem eorum quæ accepit, & ad damni compenſationem obligatur.

Quintò, ſi remittat pœnas, non puniens maleficia ex amicitia vel auaritia vel alio malo reſpectu, vnde grauiter læditur Reſpublica. Et in hoc caſu iudices ſunt rei omnium malorum, quæ fiunt propter ſuam indiſcretam pietatem.

Sextò, ſi cùm poſſit & debeat, ſententiam tamen dare non vult, aut non niſi interlocutoriam, aut iniuſtè ad aliud tribunal transfert, ne damnum quantumuis iuſtum pars, quæ condemnari debet, accipiat. Imò in re clariſſima iuſta ad compoſitionem cogit, ſub prætextu alicuius dubii euentus, qui reuera non ſubeſt, aut tantùm imaginarius eſt.

Septimò, in criminalibus iudiciis peccat iudex, ſi debitam diligentiam in examine accuſatoris, teſtium & circumſtantiarum non adhibeat. Item, ſi examen perſonis committat, quas ſcit, aut corruptibiles, aut fauore vel odio facilè moueri. Item, ſi nocentes diſſimulet, aut dimittat, aut eis modos euadendi ſuggerat. Item, ſi examinet ea, de quibus quis directè vel indirectè non eſt accuſatus, vel aliàs iuridicè ſuſpectus. Item, ſi teſtes ſcienter ſuſpectos adhibeat, vel eorum quos adhibet qualitates non ſatis attendat. Item, ſi præter exigentiam cauſæ torturas & tormēta adhibeat; vel ſi vltra modum, ſententiæ rigorem ſine cauſa augeat. Denique omnis iudicis defectus vel exceſſus notabile damnum reipublicæ vel reo offerens, eſt peccatū mortale, & pro ratione damni iudex ad reſtitutionem tenetur, tradunt communiter Doctores.

9. Iudicium ex prima nominis impoſitione ſignificat rectā determinationem iuris, ſiue iuſti: & ſic idē eſt quoad actus iudicis in quantum eſt iudex, id eſt, ius dicens inter partes. Sed, poſt ampliatum eſt nomen eius ad ſignificandum omnem rectam determinationem ſpeculatiuam, aut practicā: quomodo dicimus ad vnāquamque virtutē pertinere rectum iudicium in propria materia. Ita D. Tho. 2. 2. *q. 60. a. 1.* Sumitur etiam iudicium pro caſu fortuito; pro actione, qua ad iudicium tenditur, pro punitione & condemnatione; pro vſu rationis; & denique pro inſtantia, vel ordinatione cauſæ diſcutiendæ in iure coram iudice. Et iſto modo nihil aliud eſt, quàm actus legitimus duarum perſonarum, ſcilicet, Actoris & Rei ſuper eadem queſtione, ſub eodem iudice contractus: & ab aliquibus dicitur actus trium perſonarum, vbi Actor, reus & iudex concurrunt, quamuis aliquando fama locum teneat actoris. Ita Syluest. *verb. Iudicium*, & Sylu. 2. 2. q. 60. Iudex requiritur ad ferendam ſententiam, de quo dicitur Deuter. 16. *iudices & Magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio.* Actor, ſeu accuſator requiritur, ad accuſandum, quia *in c. de manifeſta 2. q. 1.* dicitur, *iudicis non eſt ſine accuſatore damnare*, quod intelligendum eſt, quando crimen, non eſt manifeſtum: nam vt ibidem habetur, euidentia patrati criminis, clamore indiget accuſatoris, fama enim publica cum accuſat. Requiritur reus ad reſpondēdum; ſicut enim non eſt iudicium abſque iudice, qui iudicat, ita nec eſſe poteſt ſine eo, qui iudicatur. Eſt enim reus, qui accuſatur de aliqua re, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. Hæ perſonæ ſubſtantialiter conueniunt ad iudicium quo adminiſtratur iuſtitia, vtpote ſine quibus iudicium eſſe non poteſt. In non notoriis requiritur etiā teſtis ad probādum: non enim ante condemnare debent iudices quàm, aut reum ſe quis confiteatur, aut per innocentes, aut canonicè examinatos teſtes regulariter cōuincatur. In notoriis autē, euidētia criminis & Cōfeſſionis propria accuſati vicem ſupplent teſtis, ſicut de accuſatione dictum eſt.

Sylueſt. Sylu.

Aliæ vero perſonæ contingenter, ſeu accidentaliter cōcurrunt ad iudicium, quia ſine ipſis conſiſtere poteſt, quales ſunt Aſſeſſor, Aduocatus, Procurator: Tabellio, ſeu Scriba; Executor, & ſi quæ ſint aliæ ad iuſtitiæ adminiſtrationem congruentes.

10. Iudicium acceptum pro determinatione facta à iudice competenti in materia iuſtitiæ (vt in præſenti accipimus) eſt actus elicitus à iuſtitia. Probatur, quia tale iudicium eſt debitum & conſtituit æquale & iuſtum, idque in ordine ad alterum, ergo nihil deeſt illi, quominus ſit actus elicitus à iuſtitia. Tum quia ſecundùm primam nominis impoſitionem idem valet quod dictio iuris; ius autem eſt obiectum iuſtitiæ, ergo. Eſt autem actus iuſtitiæ legalis, in quantùm iudex debet illud iudicium bono cōmuni: & eſt actus iuſtitiæ commutatiuę, in quantum iudex tanquā miniſter reipublicæ ſtipendio conductus, profert tale iudicium conſtituitque æquale in re. Si autem iudicium fiat à non iudice, ſed ab homine priuato, poterit eſſe vel actus miſericordiæ, ſi fiat ad ſuccurrēdum miſero, vel actus cæterarum virtutum, iuxta motiua, quibus quis motus fuerit ad ferandum tale iudicium. Ita ex D. Thoma 2. 2. *q. 60. ar. 1.* Sylu. & Aragon *ibidem.*

D. Tho. Syluius. Aragon.

11. Vt iudicium ſit ſecundùm iuſtitiam, tres conditiones ſunt neceſſariæ *Prima* eſt, quod iudicium procedat ex intentione & inclinatione iuſtitiæ. *Secunda*, quòd procedat ex iuriſdictione & auctoritate præſidentis & iudicantis. *Tertia* conditio eſt, quod tale iudicium procedat ſecundùm rectam æſtimationem prudentię, & debitam conſultationem. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 60. ar. 2.* Legitimus ſenſus primæ conditionis eſt, quod iudicium procedat ex iſto actu iuſtitię, *volo reddere alteri quod ſuum eſt.* Et tunc iudicium procedit ex intentione & inclinatione iuſtitiæ, quāuis in illo iuſtitię habitus non ſit. Iſta conditio potiſſima eſt inter requiſitas ad rectum iudicium: quia ſumitur ex fine, qui pręcipuus eſt in rebus moralibus. Ex huius conditionis defectu, iudicium dicitur iniquum; & eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, ſi contra regulas ſeu leges iuſtitię agendo, notabiliter violetur ęqualitas alteri debita Si verò tale iudicium nō ſit contra ęqualitatem, ſed tamē proferatur vel ſine affectu iuſtitię, vel etiam ex praua aliqua affectione, nō eſt contra iuſtitiā, imò nec mortale peccatum niſi odium, aliaue praua affectio ſit in eo mortalis.

D. Tho.

Secunda conditio ſumitur ex parte agentis & ex parte ſubiecti,in quo recipitur authoritas & iuriſdictio. Ratio illius eſt, nam cum iuſtitia neceſſariò debeat habere vim coactiuam, & cogere nullus poſſit niſi ſibi ſubditum manifeſtè ſequitur eſſe opus iuriſdictione & auctoritate in iudicante, ad hoc vt iudicium ſit rectum, ſi iudicium ſit publicum. Ex defectu huius conditionis,ex genere ſuo iudicium ſemper eſt peccatum mortale,quia dicitur vſurpatum. Quare iudex,qui vel nullam habet authoritatem, vel alienam vſurpans iudicat eum,qui ſibi non ſubditur,mortaliter peccat. Ex quo infertur, quod iudex ſæcularis clericum bonis ſuis priuans,verè dicendus ſit latro, & occidens homicida.

Tertia conditio requirit vt qui iudicaturus eſt ſeruet leges & rectitudinem prudentiæ,habita ratione loci,temporis,perſonarum,aliarumque circumſtantiarum; Alioquin etſi ius diceret,iuſtumque inter litigantes conſtitueret; ſi tamen hoc non faciat,quando, vbi & quomodo oportet,eius iudicium erit vel ſuſpectum vel temerarium. Proinde defectus huius conditionis ex genere ſuo inducit peccatum mortale: poteſt tamen fieri veniale ex leuitate materiæ, vt ſi iudex leues aliquos terminos iuris miſſos faciat: vel aliquis quempiam de re leui leuiter iudicet. Ita
D. Tho. ex D. Thom. *loco citato* communiter Doctores.

12. Ex dictis ſequitur tribus modis iudicium reddi illicitum 1. quando deeſt iudici authoritas ſuper reo vel cauſa,quod prohibetur *in cap. Scriptum eſt,6.quæſt. 3. & diſt. 6. de pœnit. §. final.* 2. quando iudex habens authoritatem iniuſtè procedit amore,odio,vel alia paſſione,quod prohibetur *in cap. quicumque 11.quæſt.3.* Tertiò, quando iudex habens authoritatem & ſecundùm iura procedens, vel quicumque alius extra iudicium, ex leuibus ſignis aliquem condemnat ſiue ex ſuſpicionibus, quod prohibetur *in cap. Primo ſemper 2.q.1.*

Iudicium redditur nullum primò, ratione iudicis incompetentis,putat quia non habet poteſtatem ſuper eum quem iudicat. *cap. etſi clerici,de iudiciis*. Secundò ratione perſonæ agentis,quia eſt minor & agit ſine authoritate curatorum *l. properandum Cod. de iudic.* Similiter quia eſt ſeruus, vel monachus, aut excommunicatus & huiuſmodi, quia ſimiles agere non poſſunt, niſi in caſibus in iure expreſſis. Tertiò ex defectu rei,puta quæ ſub tali iudice tractari non poteſt, ſicut ius patronatus ſub laico, *ex cap. Quanto,de iudiciis* vel res eccleſiaſtica,*ex cap. Decernimus de iudic.*

13. De iure naturæ vel diuino non eſt,vt inquiſitionem præcedat infamia, aut condemnationem præcedat accuſatio,ſed tantùm de iure humano, quod tamen ius humanum conforme eſt iuri & rationi naturali. Vnde Summus Pontifex qui tale ius conſtituit, vt nullus inquiratur, niſi is, de cuius crimine præceſſerit infamia, inſtituere etiam poteſt, vt in nonnullis caſibus inquiri poſſit, ea non præcedente; quia poteſt Papa in Eccleſia Dei, & ſupremus Princeps in foro ſuo ſæculari pro magna & rationabili cauſa in tali lege diſpenſare, vt ex communi tradunt Na-
Nauarr. uarrus *in c. inter verba 11.q.3.concl.6. corollar.50.nu.587.*
Salon. Salon *2.2.q.69.ar.2.controuerſ.7.* Valentia *t. 3. diſp.5.q.11.*
Valent. *punct.3. & q.13.punct.2.* & alii.

Proinde in iudiciis extraordinariis quinque funguntur vice veri accuſatoris; *Primum* eſt infamia publica, ſeu clamoroſa inſinuatio & indicia manifeſta, quæ & factum indicant & perſonam ita manifeſtè, vt res nihil contra obiicere poſſit. *Secundum* eſt, Notorietas & euidentia facti.

Tertium, ſi iudex illud videat in ſua præſentia & aliorum,non autem ſi ſolus. *Quartum* eſt, rebellio manifeſta contra Prælatum & Eccleſiam poſt denunciatum crimen. quando illud teſtibus probari poteſt. *Quintum*, denunciatio iuridica,quæ fit ob commune bonum, & tendit ad punitionem delinquentis pernicioſi, vt quæ fit Inquiſitoribus, hæreticæ prauitatis. Quæ omnia colliguntur ex D.
D. Tho. Thoma *2.2.quæſt.67.art.3.* Syluio,Caietano,Salon,Arra-
Syluius. gon *ibidem*.
Caiet.
Salon. 14. In aliquibus caſibus poteſt, ſecundùm Doctores,
Aragon. procedi ad inquirendum,tam in genere, quàm in ſpecie, abſque præcedente infamia. Quorum *Primus* eſt, quando inquiſitio, vel manifeſtatio neceſſaria eſt ad impediendũ malum futurum publicum, aut priuatum, præſertim animarum, v.g. ad impediendum crimen læſæ maieſtatis, aut hæreſis, vel Apoſtaſiæ. Ratio eſt, quia bonum animæ eſt præferendum bonis externis, famæ, honoris, & facultatum. Proinde ſi libelli continentes hæreſes publicè ſeminarentur,etiamſi auctor illorum eſſet omninò occultus, poteſt inquiri ſpecialiter contra aliquem non præcedente infamia & ſine accuſatore vero, aut ficto,dummodo præcedat aliqua ſuſpicio,alias non. Sic Nauarrus *in rubric. de iudiciis,n.92.* Salon *2.2.q.69.art. 2.controuerſ.7.* Mouet ta- Nauarr.
men Nauarrus,vt niſi adſit grauis ſuſpicio & timeatur de Salon.
fuga rei, quòd nemo vinctus capiatur pro hæreſi, ob magnum famæ detrimentum, quod inde ſaltem de facto naſcitur,quod etiam Sanctæ Inquiſitionis Officium ſeruare, ait, Imò omnes caſus, qui numerari ſolent ab Auctoribus,tanquam excepti ab hac regula,vt nemo ſine accuſatore damnetur,adhuc caſum reduci poſſe, docet: quia cauſa præcipua cur non permittitur inquiri ſine accuſatore,aut infamia, eſt, ne lædatur fama proximi, quæ ratio ceſſat,quando eius amiſſio neceſſaria eſt,ad iacturam animæ impediendam. Concurrunt enim in hoc caſu duæ leges naturales, vna de non infamando, altera de ſaluanda anima fratris quarum hæc fortior eſt,illa de non detegendo occulto quare ſtandum eſt illi, quæ fortior eſt arctiuſque obligat.

15. Secundus caſus,eſt quando in Inquiſitione non intenditur condemnatio,aut pœna inquiſiti,ſed ad conferẽdum beneficium, ad eligendũ aliquẽ ad aliquod officium vel dignitatem,ne eligatur,aut confirmetur indignus; vel cùm inquiritur impedimẽtũ matrimonij,ne quis in gradu prohibito contrahat. Superior enim cauere debet ne officia conferat indignis,aut inhabiles in matrimonium coniungat: hoc autem cauere nõ poteſt,niſi ius habeat interrogandi conſcios: cauere tamen debet inquirens ne defectum delinquẽtis,ſeu indigni aliis detegat,quibus neceſſe non eſt detegere; quia cõſulendum eſt famæ proximi quã-
tùm fieri poteſt. Hunc caſum ponunt Panorm. *in c. 5. de* Panorm
off. ordin. Salon *2. 2. q. 69. ar.2.contr.7.* Petrus Soto *in re-* Salon.
lect. de tegendo ſecret.membr.2.q.6.concluſ.3. verſ. Primus P. Soto.
caſus. Verùm Nauarrus *in comment. in rubr. de iudic.nu.* Nauarr.
85. rectè docet hunc caſum ſine cauſa excipi ab illa regula, quandoquidem regula hæc, vt nemo ſine accuſatore damnetur,ſolùm habet locum, quando iudex procedit ad pœnam ipſius rei,& ſecundùm iuris ordinem: in hoc autẽ caſu non agitur de damnatione electi, neque de eo caſtigando,ſed ſolùm de non dando ei,quod non debetur, &c.

16. Tertius eſt, quando quis confeſſus eſt publicè crimen ſuum, extra tamen ordinem iuris, vt determinauit Bo-VIII
Bonifacius Papa VIII. *in c.1.de accuſat. in 6.* tunc enim poteſt iudex procedere contra confeſſum proprium crimen,etiamſi ſolùm incidenter confeſſus ſit,ſecus autem ſi Confeſſio metu tormentorum facta ſit & poſtea reuocetur tanquam metu facta: perinde enim eſt ac ſi facta non fuiſſet. Similiter non ſufficit Confeſſio facta Prælato incogitanter, aut in aliqua ſecreta epiſtola, quam Prælatus aperuit; adhuc enim delictum dicitur occultum.

Quartus,quando delictum committitur coram ipſis iudicibus aliiſque circumſtantibus,ſeu quando deprehenditur in diſcurſu proceſſus.

Quintus,quando iudex in generali inquiſitione comperiit aliquem deliquiſſe: vel quando ſuſpicio communis ſupplet vocem infamiæ: tunc enim poteſt procedere ad ſpecialem Inquiſitionem. Sed de his plura apud Nauarr. Nauar.
in Comment. de iudic. Clauem Regiam. *l. 12.c.11.* Azor. *3.* Cla. reg.
p.l.13.c.17.& 25.dub.2. Bannez, Arragon *in 2.2.q.67. ar.* Azor.
3. & alios penes ipſos citatos. Bannez. Arrago.

17. Superiores Clericorum, & Religioſorum non poſſunt contra eos procedere in criminibus grauibus niſi eo modo quo alii iudices,ſcilicet,ſine aliquo accuſatore formali,aut virtuali,& ſine ordine iudiciali,quamuis ſine ſtrepitu & figura iudicii,ſicut decet religioſos. Ratio eſt, quia ius naturæ de celendis occultis & fama proximi ſeruanda, non minùs obligat erga Clericos & religioſos, quàm erga alios,immo tanto magis, quanto eorum fama pretioſior eſt,& infamia maius ſcandalum generare ſolet. Tamen in leuibus, cauſis, ſeruandæ ſunt conſtitutiones cuiuſque Religionis approbatæ a Summo Pontifice, vt ſcilicet, ſine ſtrepitu, & tumultu iudiciali ſuperiores

pro-

Digitized by Google

procedant, ſola rei veritate inſpecta, prout conceſſit Bonifacius Papa VIII. pro Minoribus Fratribus & alii Pontifices conceſſerunt pro aliis Ordinibus, vt videre eſt *tom. 1. verbo Iudex, num. 10. edit. 3.*

Bonifac. VIII.

Hæc pauca addita de iudice & forma iudicii ſufficiant cognoſcenda à Confeſſoribus, reliqua petenda erant à iuriſperitis, qui practicam criminalem deſcripſerunt.

Vide v. Immunitas Eccleſiar. *num.* 18. 19. *&* 20. Aduocatus *numer.* 2. Apellare *numer.* 6. *& ſeq.* Delegatus *numer.* 13. *& ſeq.* Homicidium 1. *num.* 17. *&* 19. Reſtitutio *numer.* 26. Teſtis *numer.* 5 *& ſeq.* Tortura *numer.* 2. *&* 6. Interdictum *num.* 31. Legatus *numer.* 6. Pœna *num.* 6. Papa *num.* 12.

IVDICIVM TEMERARIVM

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit iudicium temerarium? & quomodo differat à ſuſpicione?*

2 *Quando iudicium temerarium ſit peccatum mortale & quando veniale? & vnde cognoſci poterit an fuerit iudicium firmum, an verò ſuſpicio?*

3 *An ſit peccatum mortale ex leuibus indicijs iudicare de aliorum defectu naturali?* Refertur duplex ſententia.

4 *An peccet mortaliter qui temerè iudicat in re graui de aliquo indeterminatè, nullum concipiendo in particulari?*

5 *An qui de alio malè ſuſpicatur vel iudicat cum ſufficienti fundamento, poſſit ſuam opinionem vel iudicium alijs manifeſtare?*

6 *An iudicium temerarium ſit peccatum contra iuſtitiam obnoxium reſtitutioni?*

7 *Dubia in meliorem partem poſſunt explicari, tum poſitiuè ſeu affirmatiuè tum negatiuè.*

8 *An licitum ſit dubia in peiorem partem explicare: quando agitur de damno vitando, aut de remedio ad præcauendum malum?*

1 IV*dicium temerarium* dicitur, quod de alicuius peccato, aliove infami malo ex leuibus indiciis concipitur: *differentia* eſt inter iudicium temerarium, ſuſpicionem, opinionẽ, & dubium; quòd *ſuſpicio* ſit opinio mali orta ex leuibus indiciis & cum formidine oppoſiti; *iudicium* verò temerarium fit, quando quis ex leuibus indiciis aſſentitur firmiter malitiæ proximi: proinde non committitur iudicium temerarium malè iudicando de aliquo ex indiciis, & coniecturis probabilibus & ſufficientibus; quia iudiciũ quod procedit ex ſufficientibus indiciis, eſt cõforme prudentiæ & rectæ rationi, cùm ex recta ratione iudicetur eſſe tale ob indicia ſufficientia, *adſunt* autem ſufficientes coniecturæ, & iudicium non eſt temerarium & peccaminoſum, quando omnibus conſideratis ſufficiẽter mouere poſſunt hominem prudentem ad ferendũ tale iudicium: iſtæ autem cõiecturæ ex multiplici capite reſumi poſſunt, vt ex circumſtantia tenoris, loci, perſonę referentis alterius delictum, & ex circumſtantia perſonæ de qua delictum refertur, & ex circũſtantia famæ: tamen eſt *notandum* quòd non ſingulæ coniecturæ ſufficientes ſunt ad firmiter iudicandum, ſed aliquando plures, & aliquando pauciores ſufficiunt, iuxta prudẽtis arbitrium D. Tho. 2. 2. *q. 60. art. 3.* Leſſ. *l. 2. c. 29. dub. 2. n. 5. & ſeq.* P. Nauar. *l. 2. c. 4. n. 445.* Regin. *l. 24. n. 21. 24* Clauis reg. *l. 12. c. 3. n. 11.* Salon 2. 2. *q. 60. a. 3.* & alij. Opinio temeraria eſt, cùm quis nõ iudicat certo malum de proximo, ſed probabiliter adhærendo vni parti ſiue ſufficientibus indicijs ad talem adhæſionem. Dubium eſt duplex, aliud poſitiuum, cùm ſcilicet aliquis actu poſitiuo dicit hanc, vel illam rem eſſe dubiam & non adhæret alteri parti & hoc etiam facit ſine ſufficientibus indiciis: Dubium negatiuũ eſt cùm quis ſuſpẽdit iudicium, nihil poſitiuè affirmando, vel negando. Notandum quòd vniuerſaliter ad temeritatẽ requiratur, vt indicia nõ ſint ſufficientia reſpectiuè ad eũ actum intellectus quem

D. Tho. Leſſius. Nauar. Regin. Clauis reg. Salon.

elicimus: vnde poteſt eſſe, vt indicia, quæ non ſunt ſufficiẽtia ad iudicium, ſint ſufficientia ad opinionem, aut ſuſpicionem.

2. *Iudicium temerarium* mortale peccatum eſt, quando quis iudicat firmiter & deliberatè de aliquo graui malo proximi, abſque ſufficienti fundamento & indiciis ſeu coniecturis: quia proximus habet ius, vt de ipſo certò non malè opinemur abſque ſufficientibus indiciis; ius autẽ proximi grauiter violatur, quoties graue malum de ipſo firmiter opinamus, & credimus abſque ſufficientibus indiciis. Ita P. Nauar. *c. n. 446.* Regin. *l. 24. n. 20.* Filliuc. *tr. 40. c. 1. q. 3.* Syluius 2. 2. *q. 60. ar 3. quæſit. 1. concl. 3.* & alij. Peccatum verò veniale erit iudicium temerarium iuxta Leſſ. *c. dub. 3. n. 28.* Diana *p. 5. tr. 5. reſ* 68. Bonac. *de reſtit. d. 2. q 7. p. 1. n. 4.* Sà *v. iudicium temerar.* Clauis reg. *c. cap. 3. n. 7.* & alios, *Primò*, ſi non fuit graue malũ, quod proximo temere quis in mente ſua impegit. Quænam verò ſit dicenda materia grauis, in hoc negotio per ſe quidem, & ex natura ſua, peccatum mortale, eſt materia grauis; per accidẽs tamen non eſt plus quàm veniale: quia nonnulla peccata mortalia quorumdam hominum vitio non habentur pro infamibus, vt ſi quis de ebrioſo iudicet ex indiciis paruis quòd fuerit ebrius, de laſciuo quod puellam ad malum ſollicitauerit, de milite quòd ad duellum prouocauerit, &c. conſule Syluius 2. 2. *q. 60. ar. 3. quæſit. 4.* *Secundò*, ſi fuit graue malum, ſed non perfectè aduertit ſe malè iudicare. *Tertiò*, ſi aduertit quidem ſe malè iudicare, tamen non aduertit ſigna eſſe inſufficiẽtia, nec occurrit ei dubium de eo. *Quartò*, ſi ſigna erant ſufficientia ad probabilem opinionẽ, tunc enim etſi certò quaſi crediderit, nõ erit peccatum niſi veniale. *Quintò*, ſi tantùm ſuſpicatus eſt, non erit peccatum mortale, niſi ſuſpicio fuerit pertinax, vt cùm prouenit ex contemptu vel ex maleuolentia, non ex humano errore, ſitque de graui malo Dian. *tr. 5. miſc. reſol. 31. p. 3.* Ad *ſciendum* autem an fuerit ſuſpicio, an iudicium firmum, eſt notãdum; dum quis ita iudicat, vt rogatus an habeat pro certo, reſpõſurus ſit, ſibi certum, aut ferè certum videri, tunc eſt iudicium firmum: ſi verò ita iudicet, vt reſponſurus ſit ſe non eſſe moraliter certum, ſed facile poſſe ea in re falli, tunc ſolùm eſt ſuſpicio, Caiet. 2. 2. *q. 62. ar. 3.*

P. Nau. Regin. Filliuc. Syluius. Leſſius. Diana Bonaci. Sà. Clauis reg. Sylu. Diana. Caiet.

3. Leſſius *c. dub. 2. n. 14.* Regin. *c. n. 22.* Filliuc. *c. c. 1. n. 19.* Azor. *3. p. l. 13. c. 11. d. 4.* P. Nauar. *lib 2. de reſtit. c. 4 part 4. dub. 2. n. 450.* docent non eſſe peccatum mortale, ex leuibus indiciis iudicare de aliorum defectu naturali, vt iudicare aliquem eſſe ſpurium, vel natum ex adulterio, vel inceſtu, vel ſacrilegio, vel eorum habuiſſe a Iudæis, vel Saracenis, &c. niſi fortè idcirco illum contemnas, aut infames, aut ab aliquo officio, aliove bono cõſequendo iniquè impedias: quia hęc carent omni vituperio apud ſapientes, cùm nõ ſint in hominis poteſtate: hæc ſententia ſatis probabilis eſt. Aliis tamen & meritò probabilius videtur eſſe peccatũ mortale. Tũ quia iudicare de aliquo eſſe inſanũ, vel ex maculato ſanguine deſcendere, inſeparabile eſt a quodam deſpectu & contemptu: ius autem habet proximus, quod a nemine deſpiciatur, nec etiam leuiter nullis, vel leuibus indiciis exiſtentibus, maximè ſi ſit falſum de quo fit iudiciũ. Tum quia licet eſſe ex illo genere, nulla ſit culpa, aut peccatum, facit tamen plurimùm ad famam & exiſtimationem alicuius, & minus æſtimaretur, ſi apud homines diuulgaretur, ſed etiã ipſi viri prudẽtes ęgrè ferũt huiuſmodi iudicia de ipſis haberi. Atque adeò in aliquibus Regionibus tales non admittuntur, imò etiam ab ordinibus ſacris repelluntur, nec in Prælatos eligi, aut ad prædicandum admitti poſſunt. Ita Clauis reg. *c. n. 68.* Sotus *de iuſt. lib. 3. q. 4. art. 3.* Sà *c. n. 2.* Bonac. *c. n. 6.* & alii apud ipſũ.

Leſſius. Regin. Filiuc. Azor. P. Naua.

4. *Non peccat mortaliter*, qui temerè iudicat in re graui de aliquo indeterminatè, nullum concipiendo in particulari, aut etiam de aliquo determinato in ſingulari, ſed illum non agnoſcit, nec vnquam agniturus eſt: quia iudicio prudentis nulli cenſetur in hoc caſu grauis iniuria irrogari, nec vllus ægrè ferret talem haberi opinionem. Regin. *c. num. 22.* Molina *tract. 4. diſp. 16. num. 5.*

Clauis reg. Sotus. Sà. Bonaci. Regin. Molina.

5. *Qui* de alio male ſuſpicatur, vel iudicat cum ſufficiẽti fundamẽto, non poteſt ſuã opinionem, vel iudicium aliis manifeſtare, niſi fiat ad honeſtum finem: quia bonam proximi opinionem auferret, et læderet illius famam, quod eſt peccatum detractionis; tamen non committeretur pec-

 catum

catum mortale, ſi res eſſet adeò manifeſta, vt ab aliis idem iudicium fiat, nec augeatur ſuſpicio & mala opinio apud audientes ex manifeſtatione iudicii alterius. Clauis reg. *c. n.* 20. Salon. 2. 2. *q.* 60. *ar.* 3. Emmanuel Sà *c.* & alii. Proinde non eſt opus in confeſſione explicare, quale fuerit iudicium, dicendo iudicaui proximum eſſe furem, vel fornicarium, nec contra quam perſonam, fueritne Eccleſiaſtica vel ſæcularis: quia in eſſe ſolùm phyſico iudicia hæc diuerſitatem habent, vtpote circa diuerſa crimina; non verò in morali, cùm contra iuſtitiam commutatiuam ſint, prohibentem ſub vna ſpecifica ratione famam alienam non lædi, tam internè per iudicium, quam externè per detractionem aut contumeliam. Vt bene adnotat. Sancius *in ſelect. diſp.* 5. *n.* 10.

Clauis reg. Salon. Emm. Sà

6. *Iudicium temerarium* eſt peccatum contra iuſtitiam; quia temerè iudicans, violat ius quod alter habet ad ſuam famam & ad bonam ſui opinionem & æſtimationem, qui autem violat ius alterius peccat contra iuſtitiam: ex iudicio tamen temerario præcisè, non oritur obligatio reſtituendi, quia obligatio reſtituendi non conſurgit ex actu mere interno, ſed ex actione externa iniuſta damnificatiua: vnde quando iudicium temerarium alteri manifeſtatur, non manifeſtatis leuibus indiciis, tunc committitur peccatum mortale detractionis obligans ad reſtitutionem ſub mortali, poſita grauitate materiæ. Filliuc. *tra.* 40. *cap.* 1. *quæſt.* 4. Azor. 3 *par. lib.* 13. *cap.* 11. Leſſius *c. dub.* 2. *num.* 11. Bonac. *c. par.* 2. Clauis reg. *c* Syluius 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. *quæſit.* 2.

Filliuc. Azor. Leſsius. Bonac. Clauis reg. Sylu.

7. *Dubia* in meliorem partem dupliciter poſſunt explicari. *Primò* poſitiuè ſeu affirmatiuè. *Secundò*, negatiuè: *poſitiuè* explicantur, quando quis iudicat quod melius eſt, verbi gratia, oblato dubio criminis alterius, iudico illum non commiſiſſe crimen. *Negatiuè* explicantur in meliorem partem, quando quis nec bene nec malè iudicat. *Præterea* eſt notandum, quòd dubium vel eſt de rebus, verbi gratia: ſitne talis contractus licitus, an illicitus; vel de perſonis, nempe de probitate vel improbitate earum; aut quis hoc vel illud crimen commiſerit: his poſitis dicimus.

Dubia de rebus non eſſe in meliorem partem interpretanda, ſed ſuis æſtimanda momentis, quia in iudicio rerum tantùm agitur id vnum, vt attingatur veritas, nec timetur, ne cuiquam iniuria inferatur.

Dubia de perſonis regulariter loquendo tenemur explicare negatiuè in meliorem partem, non poſitiuè ſeu affirmatiuè, niſi fortè quis velit actum poſitiuum iudicij elicere, quia proximus non habet ius, vt ipſo bene poſitiuè opinemur, ſed ne malè opinemur; ſed non malè opinamur explicando dubia negatiue in meliorem partem, id eſt, ſuſpendẽdo iudicium, nõ bene nec male iudicando; tamen ſi quis velit de altero actum poſitiuum iudicii facere, tenetur poſitiue bene iudicare. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. Bannes, Salon, Arragon *ibid.* Clauis reg. *cap. n.* 23. Leſſius *cap. dub.* 4. Bonac. *cap. p.* 3. P. Nauar. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 453. Filliuc. *tract.* 40. *c.* 1. *q.* 9. Syluius 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. & alii.

D. Tho. Bannez. Clauis Reg. Leſsius. Bonac. P. Nau. Syluius

8. *Quando* agitur de damno vitando, aut de remedio ad præcauendum malum adhibendo, licitum eſt aliqua ratione dubia in peiorem partem explicare, non definitiuè & poſitiuè, ſed per quandam ſuppoſitionem, hoc eſt, non exiſtimando poſitiuè proximum eſſe prauum & improbum, ſed ſibi cauendo propter incertitudinem prauitatis & improbitatis illius; quia non repugnat rectæ rationi, adhibere media ad præcauenda mala, cùm hoc fit ſine detrimento famæ alterius: ſic Superiores ob incidiis quædam dubia, interdum obiurgant ſubditos ſuos, pœnitentias imponunt, aliaque remedia illis corrigendis adhibent, tamquam ſi ipſos malos putent, quamuis eos pro malis non habeant, & eorum facta vel intentionem apud animum ſuum excuſent: hic tamen cauere debent, ne vel modum excedant, vel illos aliis ſuſpectos reddant, vel ne malam de ſubditis concipiant opinionem & affectionem, vel de illorum virtute diffidere videantur, D. Thom. *c. ad* 2. Valen. *t.* 3. *diſp.* 5. *q.* 4. *punct.* 4. Sanch. *l.* 1. *moral. c.* 7. *nu.* 17. Filliuc. *c.* Leſſius *c. n* 43. Molin. *tr* 4. *diſp.* 14. Becanus 2. 2. *q.* 90. *q.* 7. Syluius *c. concl.* 4. & alij.

D. Tho. Valentia. Sanchez. Filliuc. Leſsius Molina. Becanus. Syluius.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Ex quibus cauſis Iudicium temerarium & ſuſpicio prouenire ſoleant.*
2 *An ſuſpicio ex leuibus indicijs, ſit peccatum iure naturali & diuino prohibitum.*
3 *An ſuſpicio grauis criminis de proximo ſit peccatum mortale?* Refertur duplex ſententia.
4 *Vt iudicium temerarium ſit peccatum mortale, quæ requirantur.*
5 *An ſit peccatum mortale aliquando iudicare proximum de venialí.*
6 *An ſit mortale iudicare aliquem ſtultum, aut fatuum.*
7 *Regula ad cognoſcendum quando quis peccauerit mortaliter temerè iudicando.*
An omnia iudicia temeraria ſint eiuſdem ſpeciei.

1 IVdicium temerarium & ſuſpicio ex tribus potiſſimum cauſis prouenire ſolent. *Prima eſt*, ex prauitate, ſeu malitia iudicantis, qui cùm ſit malus, facile etiã alios putat eſſe malos, iuxta illud Eccleſiaſt. 10. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit omnes ſtultos æſtimat.*

Secunda eſt, ex odio, inuidia, & liuore animi: ſicut enim quos diligimus iudicamus ſtudioſos, ita & de his, quibus mala optamus, facile mala opinamur.

Tertia eſt, ex longo vſu & experientia. Suſpicio tamen illa quæ propter longam experientiam contingit, leuior eſt: quæ autem propter ſuſpicantis prauitatem, grauior, quæ verò propter odium, grauiſſima & frequenter mortalis. Ita poſt D. Thom. 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. Syluius & alii commentatores.

D. Tho. Syluius.

2. Suſpicio prout comprehendit dubitationem, opinionem & iudicium temerarium, eſt mala & peccatum, tum iure naturali, tum etiam iure diuino prohibitum. Quoad ius naturæ patet, ex illo communi naturæ præcepto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et cùm homo ſit naturæ rationalis, debet operari ex ratione, & ſecundùm rationem, hoc autem non facit, qui ex indiciis leuibus, atque adeò ex cauſa ſufficiente cogitat malum de proximo. Vnuſquiſque enim eo iure gaudet, vt quamdiu eius peccata peccatorumue indicia manifeſta nõ apparent, habeatur de illo bona exiſtimatio, neque eius probitas in dubiũ vocetur ſine cauſa rationabili: ergo is qui ſine cauſa rationabili proximi probitatem vocat in dubium, male de ipſo ſuſpicans, peccat, quia agit contra illud ipſum ius naturale: quod peccatum reducitur ad id ius naturæ in octauo Decalogi mandato contentum, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Quod autem prohibitum ſit iudicium temerarium iure diuino, conſtat ex illo Matth 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, quẽ locum D. Auguſt. *lib.* 2. *de ſermone Domini in monte, c.* 28. de iudicio temerario intelligit, & D. Paulus ad Rom. 14. ait. *Qui non manducat, manducantem non iudicet*, cauſam autem quare non iudicandum ſit, præcedentibus verbis expoſuit, quia, ſcilicet, ſic iudicans fratrem ſuum ſpernit & contemnit, idemque iudicare & contemnere eſſe docet, vnde præpoſuit. *Is qui manducat non manducantem non ſpernat.* Et idem Apoſtolus 2. Cor. 4. dicit *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* Cùm enim occulta cordium ſoli Deo pateant, & incerta & obſcura ſint reſpectu iudicii humani velle ex incognitis & incertis iudicium temerarium ferre, alterius id eſt, Dei iudicium ſibi vſurpat, ac proinde ſic iudicando peccat.

D. Aug.

3. Sed difficultas eſt inter Doctores; an peccat mortaliter, qui ex leuibus iudiciis temere & voluntarie de proximo ſuſpicatur graue ſcelus, vt ſi ſuſpicio eſſet circa perſonam honeſtam, de hæreſi, de inceſtu cum matre, de proditione ciuitatis, &c. Affirmant quidam probabiliter. Ratio illorum eſt, tum quia iudicium temerarium in tantum eſt peccatum mortale, in quantum nõ eſt ſine contemptu proximi: ſed ſuſpicio prorſus deliberata & de re graui nõ

eſt ſine

Digitized by Google

eſt ſine contemptu proximi, ergo eſt peccatum mortale. Tum quia ſuſpicio repentina, ideoque indeliberata quidẽ, ſed in re parui momenti, eſt peccatum veniale: ergo ſi ſit & plenè deliberata & in re magna, & eſt morale: tunc enim deeſt id ratione cuius eſſet ſolũ veniale. Ita Bannez, Salon, Syluius 2.2.q.60.*art*.3. Clauis reg.*l*.12.*c*.3.Mol. *de inſt.tr.4.diſp.17.n.*10. & alii. Non eſt tamen improbabilis ſententia negans eſſe mortale. Tum quia nullum iudiciũ citra certitudinem eſt peccatum mortale, ſed iſta certitudo tollitur non ſolùm per dubitationem, quæ in neutram partem declinat, ſed etiam per ſuſpicionem & opinionem quia etſi ſuſpicio & opinio vni parti magis adhæreant, nõ tamen id fit ſine formidine alterius. Igitur ſuſpicio de re graui, ſi non habeat aſſenſum firmum, nunquã erit peccatum mortale. Quia ſiniſtra ſuſpicio in genere exiſtimationis adeò imperfecta & imbecilla eſt, vtpote dubitationẽ ac formidinem oppoſiti adiunctam habens, vt ſuapte natura parum imminuat ac lædat antea conceptã de proximo veluti habitualem bonã exiſtimationem ſiue famã; multò verò minùs contrariã de eodem malè exiſtimandi diſpoſitionem, ſiue malam famam in animo reponat. Proinde fit, vt qui ſiniſtrè ſuſpicatus erat, poſtea, cùm opus eſt, facilè ſuſpicionem corrigat, & perinde de proximo bene ſentiat, ac ſi nunquam de ejus virtute vacillaſſet. Hæc eſt ſententia D. Thomæ *loco cit.art*.3. Caiet. *ibi*. Ioan. de la Cruz *in director.præcept.7.q.1.dub.2.concluſ*.2. Laym. *lib.3.ſect.5.tract.3.part.2.cap.2.num.6.*

Bannez. Salon. Sylu. Clauis reg. Molin.

D. Tho. Caiet. De la Cruz. Laym.

4. Vt iudicium temerarium ſit peccatum mortale, requiruntur quatuor. *Primùm*, vt ſi certum non quod ſit omninò abſque vlla formidine & ambiguitate, qualis eſt certitudo illa, quæ ad ſcientiam in ſpeculatiuis requiritur; ſed ſatis eſt, quòd quis ita firmus ſit in ſua ſententia, vt ferè nihil dubitet in illa re. *Secundum*, vt ſit plenè deliberatũ non ſubitaneum & repentinum: nam alioqui ob imperfectionem actus erit tantùm veniale peccatum, vt alij quicumque mali actus nõ plenè deliberati. *Tertium*, vt ſit de materia graui, id eſt, tali, vt ſpectatis, circumſtãtiis perſonæ, vel ipſius de qua iudicatur, vel illius, à qua delictum alterius auditur, is, de quo ſiniſtrè iudicatur, ſi ſciret, tale de ſe iudicium temerè conceptum eſſe, meritò grauem iniuriam & læſionem exiſtimationis ſuæ cẽſeret. *Quartum*, vt procedat ex leuibus coniecturis; & quamuis difficile ſit aſſignare quænam ſint indicia leuia, & quæ ſufficientia ad temerè vel prudenter iudicãdum malum de altero, ex tribus tamen circumſtantijs vtcumque res iſta diſcerni poteſt. Nempe, ratione temporis, vt ſi quis videat hominem noctu domum ſcalis admotis conſcendentẽ & ingredientem per feneſtram, prudẽter exiſtimare poteſt, talem mali aliquid machinari. Item ratione loci, vt ſi quis cernat ſecreto & obſcuro loco petulanter & laſciuè iuuenem & puellam ſe amplexantes, qui ſponſi non ſunt, poteſt prudenter iudicare de illis malum. Item, ratione perſonæ; ſi enim perſona, de qua iudicatur, conſuetudinem habeat alicuius peccati, minora indicia requiruntur ad iudicãdum malum de illo, quàm de alio. De his vide Leſsium *de inſt. lib.2.cap.29.dub.2.* Laym. *loco cit.num*.5. Clauem Reg. *l.* 12.*cap.3.num.*13. *& ſequent.* Molin. *loco cit.diſp.*13. *&* 16. Dianam *p.8.tract.5.reſol.*31. & quæ diximus ſupra, *nu.* 2, cum Doctoribus ibi citatis.

Leſsius. Laym. Clauis reg. Molina. Diana

5. Peccatum mortale committi poteſt aliquando iudicando proximum temerè de culpa veniali. Licet enim per ſe loquendo & regulariter peccata venialia non infament notabiliter hominem, cum nemo ſine peccato veniali viuere poſsit, ſunt tamen aliqua venialia, per quæ non minus infamantur aliquæ perſonæ, quàm perſonæ aliæ per mortalia infamari ſolent. Sunt enim inter Religioſos aliquæ res, quæ licet ſecundum ſe non ſint magni momenti, habentur tamen inter ipſos in magno põdere, conducuntque quàm maximè ad famam illorum: vnde ſi quis iudicet de aliquo Religioſo ex leuibus indiciis, quod nullam curam gerat cæremoniarum; quod frequenter ludat quod habeat conſuetudinem mentiendi; quod vanitatibus delectetur; quod ſit rariſsimus in Choro, &c. peccatum mortale erit. Ratio eſt, tum quia hæc venialia in huiuſmodi homine ſunt materia grauis, & ob quæ indignus reputatur Religioſus & Clericus officiis & dignitatibus Religionis & Eccleſiæ. Tum quia per tale iudicium offenduntur, quàm maximè Religioſi & Clerici in fama & honore, quæ inter bona temporalia plurimi fiunt apud ipſos. Ita Salon 2.2.*quæſt*.60.*art*.3. Arragon. *ibidem, verſ. Sed dubitauit*, Syluius *ibid.quæſt*.4. Valent. *tom.* 3. *diſp.5.q.4.p unct.* 3. *con.l.2.* & alij.

Salon. Aragon. Sylu. Valent.

6. Graue aliquod malum, tametſi nullum ſit peccatum, grauis materia eſſe poteſt, ſi per illud vel honor, vel fama proxima notabiliter læderetur: vt ſi fatuum, aut ſtultum iudices eum, cuius honor vel bona opinio exinde notabiliter minuitur. Sicut enim quos ſapientes iudicamus, veneramur; ita quos fatuos & ſtultos habemus, facilè deſpicimus: contemptus autem proximi ex genere ſuo peccatum eſt mortale. Confirmatur hæc ratio: quia ſi actus exterior eſt peccatum mortale, etiam interior, à quo ille procedit, mortale eſt; ſed vocare aliquem fatuum iniurioſè & contemptibiliter, eſt peccatum mortale, iuxta illud Matth.5. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*; ergo iudicium à quo talis contumelia vel conuitium procedere ſolet, etiam eſt mortale. Quamuis veniale tantum eſſet, ſi quis non obſtante tali iudicio, perſonam de qua ſic iudicat, in eodem pretio & honore haberet, & dignam officiis & honoribus propter merita & bonos mores: quia non videretur eam perſonam perfectè ſaltem contemnere, vt tradunt Doctores numero præcedenti citati. Ex quorum doctrina patet, neque ſolum, neque omne peccatum mortale eſſe materiam grauem in hac materia iudicij temerarij, ſed illud quod attenta perſonarum & facti qualitate notabiliter præiudicat honori, bonæ exiſtimationi vel famæ alterius.

7. Vt in ſuſpicione vel iudicio temerario peccetur mortaliter, non eſt ſatis quomodocumque deliberatè ſuſpicari, aut iudicare in re graui, ſed oportet quod aduertas & aduertendo ſcias, aut ſaltem dubites te ex ſignis inſufficientibus & de graui malo proximi dubitare, ſuſpicari vel iudicare. Proinde ad iudicandum quandonam peccauerit quis mortaliter in iudicando, vel non, ad pacandas hominum conſcientias, hæc regula aſſignari poteſt.

Quando quis eſt timoratæ conſcientiæ & habet curam propriæ ſalutis, ſi dubitet, an mortaliter peccauerit in iudicio faciendo, interrogandus eſt, an, ſi tunc aduertiſſet illud eſſe iudicium temerarium & peccatum, deliberatè voluiſſet conſentire. Si negatiuè reſpondeat; cenſendum eſt non peccaſse mortaliter, quia vel nullus adfuit voluntatis conſenſus, vel non fuit plenè deliberatus. Hinc viri timorati rarò incidunt in culpam lethalem iudicii temerarii, eſto ſæpe patiantur eiuſmodi ſiniſtras cogitationes; quia vel non perueniunt ad conſenſum voluntatis, vel ſi repentinus aliquis adſit conſenſus, non eſt plenè deliberatus.

Qui vero non eſt ita de ſua ſalute ſollicitus, libenter aliorum vitam carpere ſolet, ſi dubius eſt, an tali cogitationi conſenſerit, ſemper ſcrupulum habere debet de mortali et ſub dubio ſe in confeſſione accuſare; quia probabile eſt illum conſenſiſſe. Ità Molina *tract.4.diſp.13 n.* 4. Clauis regia *l.12.n.9.&* 15. Syluius 2.2.*q.60.art.3.q.1.concl.4.* Regin. *l.24.n.25.* et alii.

Molina. Clauis reg. Syluius. Regin.

Porrò ex dictis infertur, omnia iudicia temeraria eſſe eiuſdem ſpeciei; quia offendunt vnam et eandem rationem formalem famæ proximi, quamuis differant materialiter iudicia prout ſunt de diuerſis vitiis ſpecificis; omnia tamen induunt vnam et eandem rationem formalem offenſiuam famæ, ſicut diximus de contumelia et detractatione *t.1.verb.Contumelia,n.4.*

IVRAMENTVM I.

Quid ſit iuramentum, & quotuplex, et quæ eius materia.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit iuramentum? & quæ requirantur ad eius eſſentiam?*

2 *An cenſeatur eſſe iuramentum in iſtis.* Coram Deo loquor; Deus ſcit ita eſſe, &c.

3 *An*

3 *An iuramentum per falſos deos ſit verum iuramentum, & obliget in conſcientia?*
4 *An ad iuramentum ſufficiat tacita Dei inuocatio?*
5 *Quibus modis poſsit creatura in teſtem veritatis adduci?*
6 *An ad iuramentum requirantur verba determinata?*
7 *Quæ ſint diuiſiones iuramenti?*
8 *Iuramentum aliud ſit per Deum, per creaturas, aliud eſt ſolemne, & ſimplex. Aliud aſſertorium & promiſſorium. Aliud abſolutum & conditionale? Et an ſint omnia eiuſdem ſpeciei?*
9 *An materia iuramenti debeat eſſe res licita?*
10 *An res indifferens aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſilijs ſit materia iuramenti?*
11 *An iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem obliget.*

1 I*Vramentum* dicitur à iure, quia inſtar iuris habendum, vnde a Latinis paſſim vocatur iuſiurandum. Eſt autem *Iuramentum* nihil aliud, quàm *atteſtatio diuini numinis; vel inuocatio diuini teſtimonij ad fidem faciendam vel promiſsionem firmandam: vnde duo* requiruntur ad eſſentiam iuramenti, *intentio* ſcilicet iurandi, ſeu Deum teſtem faciendi, & *locutio*, qua in teſtem vocetur: & ſi alterum horũ abſit, non erit iuramentũ, vnde in iſtis formulis: *In veritate, in rei veritate, per fidem meam, in fide mea fide boni viri, uel fide boni Chriſtiani, uel Sacerdotis, uel in bona fide uel per bonam fidem, uel ut Chriſtianus, Religioſus, uel conſcientia, uel per meam conſcientiam*, vt ordinariè accipiuntur, non erit iuramentum quia qui ſic loquũtur non intendunt iurare, ſed ſolùm ſignificare ſe loqui ex virtute fidei vel veritatis, quam vir probus Chriſtianus, Sacerdos, Religioſus in dictis & promiſſis ſuis adhibere debet; & ſi fallat, vt non habeatur verax & fidelis: ſi tamẽ per fidem, intelligant fidem Catholicam, erit iuramentum, quia cenſentur authorem illius in teſtem adducere. Proinde ruſtici confitentes ſe iuraſſe, & blaſphemaſſe, interrogati debent, quomodo iurarint præſertim circa ſua pecora: nam ſæpe multa verba impatientiæ proferunt, quæ non ſunt iuramenta, & quæ ordinariè non excedunt peccatum veniale. Vide D. Thomam 2. 2. *q.89 a.*1. Leſſium *l.2.c.42.dub.*1. Filliucium *tra.*15.*c.*2. Sanch. *l.*3. *moral.c.*2.*num.*16.30.*&* 32 Nauar. *c.*12.*num.*2. Suar. *l.* 1. *de iuram.c.*13.*n.*9. Clau.reg. *l.*5.*ar.*1.*n.*13. Syluium 2. 2.*qu.*89.*ar.*1. Layman. *l.*4.*tr.*3.*c.*2.*n.* 2. *&* 4. Marchantium *in riſol.paſtor.c.*2.*q.*3. & alios.

D. Tho.
Filliuc.
Sanchez.
Nauar.
Suar.
Clauis reg.
Sylu.
Marchã.

2. Cenſetur eſſe iuramentum in iſtis, *Coram Deo, loquor, Deus ſcit ita eſſe, Deus uidet me uera dicere, uidet conſcientiam meam*; ſi accipiantur hæc verba prout vulgo accipi ſolent, inuocatiuè, ſcilicet, intendendo Deum inducere in teſtem eius quod dicitur: ſi tamen quis non intendat iurare, ſed proferat illa verba per modum narrationis, affirmando Deum iſta ſcire, intueri, abſque intẽtione inuocãdi, aut confirmare ſua dicta, non erit iuramentum, quia deeſt intentio: ſi verò proferantur hæc verba a viris ſolitis iurare, præſumentur iuramenta, niſi aliter cõſtet de animo iurantis Valentia 2. 2. *d* 6.*q.*7.*p.* 2. Sanch. *c. n* 20. Clauis reg. *c.n.*5. Leſſius *c.n.*4. Syluius 2.2.*q.*89. *a.*1. Laym. *l.*4.*t.*3.*c.*2.*n.*4. Filliuc. *c.n.* 124. & alii.

Valentia.
Sanchez.
Clauis reg.
Leſsius.
Laym.
Filliuc.

3. *Iuramentum* per falſos deos, non eſt verum iuramẽtum, nec obligat, niſi ex conſcientia erronea, quia nulla reuerentia illis debetur; vnde non eſt per ſe peccatum mortale iurare falſum per Iouem, ſi ſcias Iouem nihil eſſe quia vere non iuras, ſed iocaris & ludis imagine iuramenti; ſi tamen iuramentum ſeriò fiat, erit peccatum mortale blaſphemiæ: ſicut etiam mortale erit iurare per dæmonẽ, ſiue iuramentum ſit conteſtatorium, ſiue execratoriũ nam honor Dei videtur tribui diabolo. Ita Suar. *c.cap.*5.*num* 7.9. Clauis Regia *lib.*5.*c.*3.*num.*21. Reginal. *lib.*18.*num.*19. Leſſius *cit.num.*5. Layman. *c.cap.*1.*num.*2. & alij. *Præterea* quando aliquis dicit ira, *Per Deum*, vel corpus Dei, non intendens Deũ inuocare in teſtẽ, nec aliquid confirmare, nõ eſt verũ iuramentum, nam hic potius intendit malum imprecari, vel iram aut tædium patefacere, quam iurare. Sanchez *c. cap.*2.*num.*18. Bonacina *de iuram.q.*1.*p.*1.*num.*2. Reginaldus *l.*18.*n.*9.

Suarez.
Clauis reg.
Reginal.
Leſsius.
Laym.

Sanchez.
Bonac.
Reginal.

4. *Ad iuramẽtũ* ſufficit tacita Dei inuocatio, quia Deus per tacitã inuocationem adducitur in teſtem vt contingit, *quando* quis rogatus vt iuret, manu tangit crucem, vel librum Euãgeliorum, vel aliud ſignum facit, quo ſe iurare oſtendit, vt ſi ſubſcribat aliquam ſcripturam, in qua iuramentum continetur: *Item* tacita Dei inuocatio contingit, quando iuramentum fit per creaturas, in quibus ſpecialiter relucet bonitas Dei, vt ſi fiat per Sanctos, per animam rationalem, &c. quia tunc non volumus creaturas nobis eſſe teſtes, ſed Deum, qui in ipſis ſingulari modo reſidet, accipitur enim continens pro contento, ſignũ pro ſignato, creatura pro creatore. Rodriquez 1.*p.c.*190. *num.*2. Clauis regia *lib.*5.*cap.*1. Suarez *c.lib.*1. Suar. *c. l.* 1.*c.*1. Leſſius *c.n* 1 Sanch. *c.n.*17. & alii.

Rodriq.
Clauis Reg.
Leſsius
Sanchez.

5. *Tribus modis* poteſt creatura in teſtem adduci. *Primo* tanquam teſtis infallibilis veritatis, & hoc modo adducere creaturam eſt blaſphemia, quia tribuitur creaturæ attributum Dei; iurans tamen non præſumitur velle hoc modo iurare, niſi ex indiciis præſumatur. *Secundo* creatura poteſt adduci, quatenus in ea relucet Deus, vel quatenus ordinatur ad Deum, & quatenus Deus in ea honoratur, & ſic eſt verum iuramentum, vnde iurans per Tẽpla Sanctum, per habitum S. Petri, per Ordines, Tonſuram, per habitum Religioſum, &c. dicitur verum iuramentum emittere. *Tertio* poteſt adducit creatura ſecundùm dignitatem, quam in ſe habet, non per ordinem ad Deum, vt quando quis dicit, per meam conſcientiam, per aerem, fide boni Sacerdotis: talis hæc dicendo non dicitur propriè iurare, quia ſolùm confirmat ſuum dictum per creaturas, tanquam per res humanas, nec intendit Deum in teſtem inuocare. Azorius 1.*p.l.*11.*c.*3.*quæſt.* 1. Suarez *c.cap.*13.*num.* 23. Clauis regia *lib.* 5.*c.*1. Sanchez *c.n.*25. Syluius 2.2.*q.*89.*artic.*6. & alij.

Azor.
Suar.
Clauis reg.
Sanchez.
Syluius.

6. *Ad iuramentum* non requiruntur verba determinata, ſed ſufficit, vt quis Deum adducat in teſtem, quibuſcumque verbis illum adducat; imò quamuis adhibeatur verbum *iuro*, non cenſebitur emitti verum iuramentum, ſi proferens non intendat verè iurare, aut ſi addat aliquid, quod diſtrahat verbum a propria ſignificatione, vt ſi dicatur, iuro per hunc verbum: *hinc patet* eum non teneri iuramento, qui ſolùm dicit, iuro, vel iuro me facturum hoc, nam Deus non adducitur in teſtem: ſecus dicendum eſt, ſi hoc dicat animo verè adducendi Deum, quia ad iuramentum ſufficit vt quis ſua mente intendat ſe vinculo iuramenti obſtringere. Suarez *de relig. l.* 1.*c.*11. *& c.*13. *num.*3. Bonacina *c.num.*6.7. Sanchez *lib.* 3. *moral.nu.*27. *&* 32. *& num.*3. *&* 12.*c.*4. & alij.

Suar.
Bonac.
Sanchez.

7. *Multa* ſunt iuramenti diuiſiones, ſecundùm Leſſiũ *c. dub.*2. Toletum *lib.*4.*c.*20. Reginaldum *lib.*18.*num.*31 Clau. reg. *lib.*5.*c.*2. Valentiam 2.2.*d.*6.*p.*2 *q.*7. Filliucium *tract.*25.*c.*3. Sanch. *lib.*3.*c.*1. Layman. *lib.*4.*tract.*3.*cap* 4. Suarez *lib.* 1. *de iuram. c.* 12. & alios: *aliud* enim verbis concipitur *aliud* nutu, vel alio ſigno; aut manu ſublata, aut tactu Euangeliorum, vel reliquiarum, aut ſubſcriptione Scripturæ, in qua continetur iuramentum. *Deinde aliud* fit per ſimplicem conteſtationem, qua Deus in teſtem adducitur, vt dicendo, teſtor Deum, iuro per Deum, per fidem Chriſti, vel Dei, quæ omnia idem valent: *Aliud* fit per execrationem, ſeu imprecationem, vt, quando quis aliquid affirmat, vel negat, adducendo Deum, non ſolùm in teſtem, ſed etiam in iudicem, & vindicem ſeu punitorem, ſi falſum ſit quod iurat, vt ſi quis dicat, *peream, non mouear hinc, dæmon me arripiat, per animam meam, per vitam meam, vel ſalutem meam, vel alterius, ita me Deus amet, ſit propitius*, &c. ſenſus enim eſt, ſi non ita eſt, vt aſſero, Deus det mihi mortem, non me amet, non ſit propitius: ex quo fit, vt iurans falſum in iuramento execratorio, non ſolùm ſit periurus, ſed etiam peccet contra propriam charitatem, aut pietatem, ſi in perſonam alterius, vt per vitam filij, patris, &c. modò ex animo illud ſibi vel alteri malum imprecetur; & tunc pœnitens tenetur hanc circumſtantiam confiteri quia peccauit contra religionem & charitatem: hinc periurium execratorium cõtinet ſpecialem malitiam contra charitatem ſui: quia per hanc execrationem ſeu maledictionem exponitur, quis

Leſsius
Toler.
Regin.
Valen.
Filliuc.
Laym.
Suarez.

maio-

Digitized by Google

maiori periculo diuinæ vindictæ, licet putet vindictam non aduturam, vel iuſtè ſibi pœnam imprecetur: quia quantum eſt ex ſe, crudeliter remouet à ſe beneficium diuinæ miſericordiæ. Sed quia rarò, & ferè nunquam accidit, vt quis ſibi malum imprecetur ex animo, conſequenter non videtur neceſſe eſſe pœnitentem, qui iurauit falſum iuramento execratorio, intertogate de hac circumſtantia. Sanchez *c.num.* 7. Valentia 2.2. *d.6.q.7.p.* 2. Filliuc. *tract.* 25. 3. *q.* 8. et alii.

Sanchez. Valent. Filliuc.

8. *Iuramentum aliud* fit per Deum, *aliud* per creaturas, *aliud* eſt ſolemne, *aliud* ſimplex; *ſolemne* fit cum certa iuris formula, vt coram Notario, Iudice, tactis Euangelijs: *ſimplex* vero non habet illam iuris formulam: *Item* iuramentum *aliud* eſt aſſertorium, *aliud* promiſſorium. *Aſſertorium* adhibetur ad aliqua præterita, vel præſentia affirmanda, vel neganda. *Promiſſorium* vero eſt illud quo vtimur ad aliquid futurum affirmandum: *Porrò* iuramentum, *aliud* eſt abſolutum, *aliud* conditionale; conditio autem aliquando ponitur à iure, aliquando ab ipſo iurante. Hæc omnia iuramenta quouis modo fiant, ſunt eiuſdem ſpeciei; quia iuramentum formaliter conſiſtit in inuocatione diuini teſtimonii, quæ eſt eiuſdem rationis quouis modo fiat iuramentum; quod autem fiat per Sanctos, per alias creaturas, hæc materialiter ſe habent ad iuramentum. Ita Leſſius *c. dub.2. n. 9.* Reginaldus *c.num.*31. Suarez *c.cap.5.* & 9. Bonac. *c.punct.2.* Sylu. 2.2. *q.89.art.1.* Layman *c. cap.4. n. 4.* & alii. Vnde dum pœnitentes confitentur iuramenta falſa, aut vera ſine neceſſitate, minimè eſt neceſſarium illa narrare indiuidualiter dicendo, *Iuraui per Deum, per vitam meam, ſic me Deus adiuuet*, etc. ſed ſat eſt dicere, *Decies falsò iuraui, aut ſepties.* Ita Sanchez *lib.3.moral.cap.1.n.9.* & Sancius *in ſelectis diſp.6. num.6.*

Leſſius. Regin. Suar. Bonac. Sylu.

9. *Materia iuramenti* debet eſſe res licita, & non peccaminoſa, quia irrogatur iniuria Deo, adducendo ipſum in teſtem rei turpis & illicitæ: imo iuramentum non obligat, ſi illud quod promittitur, eſt peccatum vel ſaltem non poteſt ſine peccato impleri; iuramentum enim non eſt vinculum iniquitatis, nec obligare poteſt ad malum: quando autem iuramentum fit de materia partim licita, partim illicita, ſeruandum eſt quoad partem licitam & poſſibilem, quia vtile per inutile non vitiatur. Nauarrus *cap. 12. n.17.* Suarez *cap.18. lib.2. diſp.* 17. Leſſius *c.dub. 4. num.*18. Clauis regia *c. cap.* 7. Layman *c.cap.6.num.*1. Sanchez *c.lib.3.cap.9.n.29.* et alii.

Nauar. Suar. Leſſius. Clau reg. Sanchez.

10. *Res indifferens* aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſiliis, non eſt materia iuramenti, quamdiu res illa manet indifferens, &c. imo iuramentum de tali re non obligat, quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otioſum; vel contrarium ſuis conſiliis, ſeu ad aliquid impeditiuum maioris boni: tamen licet iuramentum de re indifferenti, vel quam meliùs eſt non fieri non obliget per ſe loquendo, obligat tamen ſi fiat in fauorem alterius, niſi ille remittat; quia in hoc caſu ſpectatur quid gratius ſit homini, non quod in ſe melius, et ideo adimpletio huius iuramenti, non eſt actus indifferens, ſed actus virtutis, videlicet veracitatis & fidelitatis. D.Thom. *2.2.q.89.art.7.* Caiet. *ibi.* Nauarrus *cap.12.num.*12. Leſſius *c.num.*20. Suarez *c.lib.2.cap.* 12. Clauis regia *c.cap.* 5. Toletus *lib. 4. cap.22. n.* 3. Layman *c.cap.6. num.*3. et alii.

D. Thom. Caiet. Nauarr. Leſſius. Suar. Tolet. Layman

11. *Iuramentum* factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò et immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat; quia lex quæ immediatè dirigitur ad bonum publicum, obligat ad culpam: *iuramentum* autem non obligat ad aliquid faciendum, quod ſit culpabile & peccaminoſum: ſecus *dicendum* de iuramento facto contra legem, quæ primariò et immediatè reſpicit fauorem et commodum perſonæ priuatæ, hoc enim obligat, modo non vergat in præiudicium tertii; quia hæc lex immediatè fertur, in fauorem perſonæ priuatæ, quælibet autem perſona priuata poteſt cedere iuri ſuo, abſque præiudicio tertii; ergo ſi cedat iuri ſuo cum iuramento, validum erit, et obligatorium iuramentum: tales ſunt leges, ſiue priuilegia conceſſa, ætate minoribus, et filiis familias, ne ex contractu; item mulieribus, ne ex fide iuſſione efficaciter obligentur; quibus proinde renunciare poſſunt, ſi non ſemper validè, ſaltem licitè, vt inſuper accedens iuramentum obligandi vim habeat, ex ipſorum etiam communium iurium diſpoſitione. Bonacina *de iuram punct.5.num.1.* & 2. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.9.n.* 22. Filliucius *tract.* 25. *cap.7.q.6.* Layman *c. num.* 8. & 9. Vaſquez *de teſtam.c.3. dub.2.* et alii.

Bonac. Sanchez. Filliuc. Layman Vaſq.

Vide *Præceptum* n. 8. *Teſtis* n.4.

IVRAMENTVM II.

De iuramento promiſſorio, & eius obligatione.

SVMMARIVM.

1 *An promiſſio aut iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promiſſionem validam, obliget?*

2 *An qui exteriùs aut ſine animo iurandi iurat, obligetur ex vi iuramenti? Et quid ſi quis iuret animo quidem iurandi, non tamen ſe obligandi, an teneatur?* refertur duplex ſententia. *Quando autem qui iurat abſque animo implendi, an naſcatur obligatio?* refertur itidem duplex ſententia.

3 *An quoties iuramentum rationabiliter exigitur, peccatum mortale committatur iurando cum animo non iurandi, vel cum animo non ſe obligandi? & quid ſi iuramentum irrationabiliter exigatur?*

4 *An iuramentum appoſitum contractui cui error, vel dolus cauſam dedit, ſit irritum? & quid dicendum, quando ſolum verſatur circa rei qualitatem, vel cauſam promiſſionis aut contractus?*

5 *An iuramentum promiſſorium metu graui extortum obliget?*

6 *Quale peccatum ſit violatio iuramenti metu extorti?* refertur duplex ſententia. *Et an obliget in dubio, an habueris animum ſe obligandi, qui iurauit ex metu graui?*

1 P*Romiſſio* aut iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promiſſionem validam, non obligat, *l. traditionibus C. de pactis, l. quoties C. de rei vendic.* quia ſecundum iuramentum vel ſecunda promiſſio eſt de re, quæ ſine peccato ſeruari non poteſt, & ideo ſecunda ſponſalia iurata contra prima ſunt inualida: geſta tamen contra obligationem iuramenti, valida ſunt, niſi aliunde ſint irrita, vt matrimonium contra votum ſimplex caſtitatis, aut contra ſponſalia iurata cum alia, validum eſt; quia iuramentum non reddit iuratorem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex ſe validum: etiamſi iurans dum iurauit, haberet voluntatem auferendi ſibi poteſtatem validè faciendi actum contrarium; non enim poteſt hanc ſibi poteſtatem auferre: fieri tamen poteſt vt huiuſmodi actus et geſta irritentur à iure; vnde ſi mulier inter ſe non alienaturam fundum dotalem, et poſtea illum alienet abſque iudicis authoritate, alienatio non eſt valida, non quia fit contra iuramentum, ſed quia irritatur à iure. Suarez *lib.2.cap.19.n.7.* Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 12. *n.* 32. Bonac. *c. punct.6.*

Suar. Sanch. Bonac.

An autem alienatio ſit valida, ſi fiat cum iuramento non alienandi? Suarez *c.cap.30.num.26.* et Molina *de iureiurand.diſp.540.* affirmant, quia actus factus contra obligationem iuramenti validus eſt, quamuis illicitè fiat. Sanchez *cap.12.num.* 38. Azorius *1.par.lib.11.c.6.q.3.* et Leſſius *lib.2.c.17.diſp.7.* negant, quia poſterius iuramentum eſt contrarium priori; nam iurans non alienare, tacitè cenſetur reprobare alienationem futuram, et ex iuris diſpoſitione alienatio hæc eſt inualida.

Suar. Molina. Sanchez. Azor. Leſſius.

2. *Si quis* exteriùs iuret ſine animo iurandi non obligatur ex vi iuramenti coram Deo, quia reuera non iurat; tamen ſi tale iuramentum alteri ſit alicuius cauſa damni, teneretur iurans illud ſarcire: imo in foro externo cogeretur ad ſeruandum iuramentum, ob præſumptionem veri iuramenti, et ratione ſcandali, quod oriretur ex

tran-

Sanchez. Azor.

tranſgreſſione, obligaretur iurans ſtare iuramento facto animo ficto, Sanchez *lib.3.cap.10.n.13.* Azor. *lib.11. cap.4.q.2.* Suar. *c. lib.2. c.7.*

Azor. Sanchez. Sylu. Syluest. Bonac.

Quando autem quis iurat animo quidem iurandi, non tamen ſe obligandi, quidam Doctotes valde probabiliter putant talem non teneri, quia hic apponitur clauſula, quæ eſt contra ſubſtantiam iuramenti, & Deus non acceptat iuramentum, niſi ſecundùm hominis intentionẽ. Ita Azorius *cit.* Sanchez *c.num.8.* Syluius *2.2.q.89.art.7. quæſit.3.c.1.* Syluester *v. Iuram.4. q.20.* Bonac. *c.punct.7. num.* 3. & multi alii apud *Leſſium*; hæc ſententia eſt ferè communis. Nihilominus *altera ſententia* non eſt improbabilis, imo aliquibus videtur verior, nempe tale iuramentum, ſi ſeria intentione iurandi factum ſit, obligare, etiamſi animus ſe obligandi defuerit; quia obligatio eſt omnino inſeparabilis à iuramento promiſſorio, nec eſt in hominis poteſtate efficere, vt ſi tale iuramentum, & ex eo non naſcatur obligatio. Ita Leſſius *lib. 2. c. 42. dub. 8. num* 38. Filliucius *tract.25.c.6.q.3.* Valentia *c.d.6.q.7.p.4.* Clauis reg. *lib.5. c.6.num.8.*

Leſſius. Filiuc. Valent. Clau. regia.

Præterea ſi quis iuret abſque animo implendi, quidam inſinuant non naſci obligationem, quia quicumque habet animum non implendi, cenſetur etiam ſe nolle obligare, & ſicut probabile eſt non teneri eum, qui iurat abſque animo ſe obligandi, ita probabile erit eum non teneri, qui iurat animo non implendi: hæc ſententia non eſt improbabilis quando iuramennm iniquè extortum eſt, ita Syluest. *cit. q.6.* Valentia *cit.* et alii. *Contrarium* tamen eſt verius, et multo probabilius; quia in contractibus, animus non ſoluendi non tollit obligationem, ergo neque iuramento. Ita Leſſius *c.num. 41.* Sanchez *c.num. 5.* Suarez *lib.2.c.2.* Sylu. *cit.concl.3.*

Syluest. Valent. Leſſius. sanchez. suar. sylu.

3. *Quoties* iuramentum rationabiliter exigitur, peccatum mortale committitur *iurando* cum animo non iurandi, vel cum animo non ſe obligandi; quia intercedit grauis deceptio, quæ expreſsè repugnat vſui, & fini iuramenti valde neceſſario rebus humanis. *Si verò* iuramentum irrationabiliter exigatur, & iurans iuret verum, non peccat mortaliter; ſi vero falſum eſt, quod iurat, & intendat iurans materiam illam falſam confirmare iuramento, ſeu iuramentum ad rem falſam referre, ſic peccat mortaliter: ſi verò ſolùm vſurpet illa verba ad ſignificandum aliud mente conceptum, nec intendit per illa verba quidquam confirmare, non peccat mortaliter ſecluſo ſcandalo, quia habet ius vſurpandi ea verba iuxta quem voluerit ſenſum. *Qui autem* iurat cum animo non adimplendi, peccat mortaliter peccato periurij, quia cum *duplex* requiratur veritas in iuramento promiſſorio, *præſens & futura* deeſt veritas præſens, nempe animus exequendi, quòd ſi poſtea non exequaris, accedet noua culpa lethalis, quia deeſt veritas executionis. Sanchez *c.cap.4.n.9.* Leſſius *c.dub.8. num.42. &* 43. Nauar. *cap. 12. n.13.* Suarez *c.lib.3.cap.15. n.2.* Bonacina *c.cap.7.n.6.* Valentia *c. d.6. q.7.* et alii.

sanchez. Leſſius. Nauarr. suarez. Bonac. Valent.

4. *Iuramentum* appoſitum contractui, cui error & dolus cauſam dedit iuxta Suar. *de iur.lib.2.c.11.n.7.* Sanch. *c.lib.3.c.11. n.42.* Bonac. *c.punct.8.* Leſſius *c. dub.7. n.33.* et alios, irritum eſt; quia eſt error circa ſubſtantiam rei: vt ſi quis iuret ſe daturum rem aliquam, quam putat eſſe vitream, & poſtea comperit eſse gemmam, quia vt iuramentum obliget, requiritur conſenſus & voluntas, quoties autem error & dolus ſunt circa ſubſtantiam, deeſt conſenſus; quia iurans non intendit iurare rem illam, ſed aliam; et hoc verum etiamſi error & dolus ſit tantummodo comitans, id eſt, etiamſi iurans cognito errore iuraſſet. Quando autem dolus ſolùm verſatur circa rei qualitatem, vel cauſam promiſsionis aut contractus, plerique Doctores valde probabiliter docent tunc iuramẽtum non obligare, quia vbi dolus eſt, excluditur voluntas; & iuramentum non obligat extra mentem et intentionem iurantis: vnde qui iuramento promiſit puellæ nuptias, putans eſse virginem, poſtea intelligit occultè fornicatam, non tenetur iuramento; quia error dedit cauſam promiſſioni. Nauar. *cap.12.num.13.* Sà *v. Iuramen.n.9.* Azor. *1.p.lib.11.cap.7. q. 3.* Sylu. *2.2. q.89.art. 7.q.2. concl.1. & 2.* Layman *lib.4. tract. 3. cap.7. num.5.* et alii.

suarez. sanchez. Bonac. Leſſius.

Nauarr. sà. Azor. sylu. Layman

5. *Communis* Doctorum ſententia eſt, iuramentum promiſsorium metu graui extortum etiamſi iniuſtè, obligare, modò factum ſit animo ſe obligandi, et de re licita *C. ad audientiam, de his quæ vi*, quia iure naturæ tenemur efficere, vt verum ſit quod iurauimus, ne Deum faciamus teſtem falſi, vnde qui pro redimenda vita promiſit cum iuramento latroni 100. aureos, tenetur ſoluere; vbi tamen ſoluiſti, potes repetere in iudicio: tutius eſt in hoc caſu petere relaxationem iuramenti ab eo qui poteſt relaxare. Layman *lib.4.tr. 3. c.n. 2.* Syluest. *2.2. q.89.art. 7.quæſ.1.* poſt alios. *Præterea* qui iureiurando promiſit ſe rediturum ad carcerẽ quamuis iniurioſum, tenetur redire, etiamſi ſciat iniuſtè plectendum, quia iſte reditus ſuppoſita promiſſione redeundi non ſolùm eſt licitus, ſed etiam eſt honeſtus, vtpotè opus virtutis, fidei, veritatis, et fortitudinis: ergo accedente iuramento naſcitur obligatio. Suarez *lib.2. cap.10.num.14.* Sanchez *c.cap.11. n. 32.* Toletus *lib.4. cap.22.* Leſſius *c. dub.6.num.28.* et alii. *Quidam* tamen Doctores docent non teneri redire, ſi carcer erat iniurioſus, vt Tyranni, vel iudicis non competentis, vel iudicis legitimi, ſed non procedentis ſecundum ordinem iuris; imo dicunt non ſolùm non teneri redire, ſed ſi redierit, grauiter peccare, quia redire in tali caſu, eſt ſeipſum quodammodo occidere et vitam ſuam prodigere, quod eſt illicitum. Nauarrus *cap.12. num.18.* Vaſquez *1.2.diſp.174.cap.5.* Reginaldus *lib. 18. num.62.* Sà *v. Iuramen. num. 11.* Syluester *v. Iuram.4. q.26.* Hæc ſententia eſt probabilis & ſecura in praxi. Vide Layman *c.num.3.*

Layman sylu.

suarez. sanch. Tolet. Leſſius.

Nauarr. Vaſquez. Regin. Sà. Sylu.

6. *Multi Doctores* præſertim Canoniſtæ putant violationem iuramenti metu extorti ſolùm eſse peccatum veniale; ſed communis ſententia Theologorum eſt, eſse peccatum mortale præſertim ſi materia ſit grauis, & is in cuius fauorem factum eſt, vel alius poteſtatem habens, non relaxet. D.Thom. *2.2. q.89 art. 7. ad 3.* Leſſius *c. n. 30.* Sanchez *c. cap.11. num.14.* quia grauem iniuriam Deo facit, cùm violator huius iuramenti efficiat, vt Deus in teſtem falſi adductus eſse videatur. *In dubio* autem an habuerit animum ſe obligandi, qui iurauit ex metu graui, dicendum eſt obligari et teneri iuramentum adimplere; quia poſſeſsio ſtat pro iuramento, & idem eſt iudiciũ fori interni & externi, quando externum non nititur falſa præſumptione, et in hoc caſu forum externum iudicaret in fauorem iuramenti. Gutierez *de iuram. 1. p. c. 57. num.20.* Sanchez *de matrim. diſp.9.lib.1. n.13.*

D. Thõ. Leſſius. sanchez.

Gutierez sanch.

Vide *Promiſſio n.6. Sponſalia* 3.n.24.

IVRAMENTVM III.

An iuramentum ſit licitum, & qui poſſint iurare, & quo ſenſu teneantur.

SVMMARIVM.

1 *An ſit de fide licitum eſſe iurare? & quæ conditiones aſſignentur vt iuramentum ſit licitum?*
2 *Veritas, iuſtitia, & iudicium requiruntur vt iuramentum ſit licitum.*
3 *An in omni materia etiam leui iuramentum aſſertorium ſit peccatum mortale, quoties iurans credit non eſſe verum, quod aſſerit: vel qui rem dubiam iurat vt certam.*
4 *In quo conſiſtat iudicium requiſitum in iuramento?*
5 *An iuſtitia iuramenti in hoc conſiſtat, vt non fiat de re illicita?*
6 *Quo anno maſculus, & puella ex præſcripto iuris admittantur ad iuramentum ſolemne in cauſis ciuilibus & criminalibus?*
7 *An periuri repellantur à iuramento emittendo in iudicio? & an Sacerdotibus, & Prælatis interdicatur iurare in iudicio?*
8 *An iuramentum poſſit præſtari per nuncium, vel procuratorem?*
9 *In quibus caſibus iuramentum licitè poſſit exigi ab eo qui*

Digitized by Google

qui creditur peieraturus?

10 *An ſit periurium, & illicitum amphibologia vti in iuramento?* refertur duplex ſententia. *Et an peccet alio ſenſu iurans quàm aliter intelligat?*

11 *An qui legitimè ad iuramentum compellitur, vel qui ſe ſua ſponte offert ad iurandum ſine neceſſitate peccet mortaliter, ſi alieno ſenſu iuret?*

D. Tho. Caſtro. Leſſius. Sanchez Bonac. Filliuc. Layman

1 MVlti Hæretici olim docuerunt non eſſe licitum iurare, vt Pelagiani, VValdenſes, & noſtro tēpore idem docent Anabaptiſtæ; ſed contrarium eſt fide tenendum, iuxta D. Thomam 2.2.q.89.art 2. Caſtro *contra hæreſes v. Iuram.* Gen. 21. & 26. Leſſium *lib. 2. cap. 42. dub. 3. n. 13. & ſeq.* Sanchez *lib. 3. moral. c. 3. num. 1.* Bonacinam *de iuram. punct. 3.* Filliucium *tract. 25. cap. 2. q. 3.* Sylu. 2.2.q. 89 *art. 2.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 3.* & alios communiter, quia in Scripturis legimus viros ſanctiſſimos in contractibus iuraſſe: *Abraham* fœdus iniens cum *Abimelech*, illud iuramento confirmauit. Idem fecit *Iſaac*, & probatur hoc ex vſu omnium gentium, et omnium tribunalium: tamen quamuis iuramentum ſit licitum et bonum, non eſt ex eo genere bonorum, quæ ſunt per ſe bona & frequentando, ſicut eſt ieiunium, oratio; ſed eſt ex eo genere bonorum, quæ bona ſunt poſita neceſſitate, ſicut eſt vſus medicinæ, quæ ſolùm prodeſt vrgente neceſſitate: vnde vt iuramentum ſit licitum, multæ conditiones à Doctoribus aſſignantur, quæ his verſibus continentur.

Sit iuſiurandum licitum, diſcerne, notato,
Quis, cui, quod, per quod, ad quid, cur, quomodo, quando.

De omnibus his circumſtantiis, quibus iuramentum licitum aut illicitum redditur, agit ex profeſſo, Sayr. *in ſua Claui Regia lib. 5. c. 3. num. 7. & ſeq.* nos verò conditionibus his omiſſis enumerabimus illas, quæ ad quodlibet iuramentum requirantur, quæ à *S. Thom.* iuramenti comites appellantur.

2. Vt iuramentum ſit licitum tria requiruntur, ſcilicet, *veritas, iuſtitia, & iudicium.* Inſinuantur hæc Ieremiæ 4. *Iurabis, dicit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* *Veritas* autem requiſita ad iuramentum in hoc conſiſtit; vt iurans non leui, ſed probabili coniectura, & prudenter arbitretur verum eſſe quod iurat, vnde ſi non eſt verum, vel iurans arbitretur non eſſe verum, aut dubitat eſſe verum quod certò iurat, peccat mortaliter peccato periurii, niſi excuſetur ob indeliberationem, aut leuem negligentiam in cognoſcenda veritate. D. Th. *q. 89. art. 3.* Toletus *lib. 4. c. 21.* Nauar. *cap. 12. n. 3.* Sanchez *c. lib. 3. cap. 4.* Leſſius *c. num. 17.* Sylu. 2.2.q.89.*art. 3.* Layman *c. num. 3.* et alii.

D. Tho. Tolet. Nauarr. Sanchez. Leſſius. Sylu. Layman

3. *In omni* materia etiam leui iuramentum aſſertoriũ eſt peccatum mortale, quoties iurans credit non eſſe verum quod aſſerit, etiamſi iuret ex bono & neceſſario fine, aut ex timore, aut fiat cauſa ioci, Suarez *lib. 2. cap. 4. n. 6.* Clauis regia *lib. 5. cap. 4. n. 14* Nauar. *cit. num. 6. & 7.* Sylu. *c. art. 3. & q. 89. art. 3.* et alii, quia intrinſecè malum eſt adducere Deum in teſtem mendacii: *Item* mortaliter peccat qui rem dubiam iurat vt certam, vel rem certam iurat vt dubiam: non eſt tamen periurus, qui rem dubiam iurat vt dubiam. *Præterea* minus malum ab eo committitur, qui iurat ſe facturum aliquod veniale animo illud exequendi, quàm animo non exequendi; nam qui iurat animo exequendi, peccat tantummodò venialiter, qui verò iurat cum animo non exequendi, peccat mortaliter defectu veritatis primariò requiſitæ in iuramento, Sanchez *c. cap. 4. n. 32.* Bonacina *c. num. 6.* *Diligentia* autem adhibenda ab eo, qui iurat, ad cognoſcendum rei veritatem, vt excuſetur à peccato illa eſt, quam poſtulat materia ſupra quam cadit iuramentum, quia aliquæ res maiorem requirunt diligentiam, quàm aliæ, quia ſcilicet claræ ſunt. Clauis regia *c. cap. 4. n. 33.* Sanchez *c. num. 10.* Arragon 2.2.*q. 89. art. 3.* et alii.

Suar. Clau. reg Nauar. Syluius. Sanchez Bonac. Clau. regia. Sanchez Aragon

4. *Iudicium* requiſitum in iuramento conſiſtit in hoc, vt fiat cum neceſſitate & reuerentia; propterea ſi fiat ſine neceſſitate, vt in re leui, quam non ſit neceſſe iuramento confirmare, committitur peccatum defectu iudicii, quod non erit pluſquam veniale, vt docet Syluiu *c. concl. 2.* Vide Leſſium *c. dub. 3. num. 17.* Clauem regiam *cap. 4. n. 32.* Suar. *c. lib. 3. cap. 12.* et alios.

Leſſius. Clau. regia. Suar. Leſſius.

5. *Iuſtitia* iuramenti in hoc conſiſtit, iuxta Leſſium *c. num. 17. 18.* vt iuramentum non fiat de re illicita: quia fit irreuerentia Deo, ipſum adducendo in teſtem rei illicitæ: hæc autem irreuerentia eſt peccatum graue aut leue, pro grauitate, aut leuitate materiæ, ſupra quam fertur iuramentum: hinc qui iniuſtam ſuam detractionem de altero confirmat iuramento, præter graue peccatum detractionis, committit culpam grauem defectu iuſtitiæ iuramenti in graui materia. Ita Reginaldus *lib. 18. n. 87.* quamuis Suarez *cap. 12. num. 7. 8.* & Sanchez *c. num. 33.* Sylu. *c. concl. 1.* velint eſſe tantùm veniale, quando res iurata eſt vera.

Regin. Suar. Sanch. Sylu.

6. *Maſculus* ante decimum quartum annum, & puella ante duodecimum annum ex præſcripto iuris non admittuntur ad iuramentum ſolemne in iudicio in cauſis ciuilibus, *cap. pueri 22. q. 5. l. inuiti ff. de teſtib.* quia non habent ſufficientem rationis vſum, ſeu maturum iudicium ad iurandum cum debita reuerentia; propterea non poſſunt à iudice cogi ad iurandum: *In criminalibus* non admittitur minor viginti annis: ſi vero ſe ſponte offerant ad iurandum, quidam Doctores putant poſſe admitti, ſi ſint doli capaces, & in eis iudicium ſufficiens vigeat. Ita Sotus *lib. 8. q. 1. num. 10.* Syluius 2.2. *q. 89. art. 10.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 12. n. 3.* Communiter tamen Doctores, Azorius *1. par. lib. 11. cap 11. q. 6.* Valentia 2.2. *diſp. 6. q. 7. par. 3.* Sanchez *lib. 3. cap. 3. n. 6.* docent non eſſe admittendos, quia præſumuntur non habere iudicium ſufficiens ad iurandum in iudicio: verùm, ſi minores dicta ætate admittantur, licet non faciant plenam fidem, faciunt præſumptionem, etiam ſufficientem ad torturam.

Sotus. Syluius. Layman Azor. Valent.

7. *Repelluntur* à iuramento emittendo in iudicio etiã periuri, qui in iudicio conuicti ſunt, & condemnati tamquam periuri, *cap. paruuli 22. q. 5. cap. ſi quis Presbyt. 2. q. 5. cap. quamquam 14. q. 2.* quia præſumuntur peieraturi, ex quo ſemel peierarunt. *Interdicitur* etiam Sacerdotibus & Prælatis iurare in iudicio ſine graui cauſa, et neceſſitate, *cap. peruenit, de iureiuran. cap. ſi quis 22. q. 5.* tamen non licet Clericis iurare coram iudice ſæculari ſine licentia Epiſcopi, in actu teſtificationis; & quando coguntur à laico iurare coram ipſo tamquam ſuo ſuperiori; vel quando coram eo, qui non eſt ipſorum ſuperior, iurant de calumnia. Vide Syluium *cit. art. 10.*

8. *Iuramentum* poteſt præſtari per nuncium vel procuratorem, modò procurator ſpeciale mandatum habeat ad iurandum: et actus talis ſit, qui per procuratorem præſtari poſſit, et lex proprium iuſiurandum non requirat, ſeu non præſcribat, vt quis propria manu iuret, *cap. vlt. de iureiur. in 6.* hinc fit vt ille, cuius nomine præſtatur iuramentum, obligetur iuramento, non verò nuntius, vel procurator emittens iuramentum nomine alterius. Suarez *c. lib. 2. cap. 31.* Azorius *1. par. lib. 11. cap. 7. q. vlt.* Sanchez *cap. 13. n. 21.*

Suar. Azor. Sanchez.

9. *Quando* iuſta cauſa ſubeſt petendi, iuramentum licitè poteſt exigi ab eo qui creditur peieraturus, D. Thomas 2.2.q.98.*art. 4.* Suarez *lib. 3. cap. 14. n. 16.* Reginaldus *lib. 18. num. 76. 77.* Sanchez *lib. 3. moral. cap. 8. n. 7.* Leſſius *c. cap. 42. dub. 10.* Diana *par. 5. tr. 7. reſ. 9.* quia non petitur, nec intenditur periurium, ſed iuramentum, quod alter licitè poteſt emittere abſque mendacio; vnde in his caſibus licet *Primò*, ſi ſit iudex & pars id poſtulaſſet, vel aliàs ratio officii exigat, vt cùm adducuntur teſtes, vel proceditur via inquiſitionis. *Secundò*, ſi alterius cauſam agas & ratio officii tui poſtulet, vt ab aduerſario iuſiurandum petas, ſi enim omittas, videberis præuaricari. *Tertiò*, ſi ſperas illum reuerentia Numinis non auſurum peierare, & aliàs magni tua interſit. *Quartò*, ſi eius periurio poſſis vti in commodum tuum, v.g. ad eius fraudes detegendas, et fidem ei detrahendam, vt ſic iniuriam euadas, aut ius obtineas. *Extra* hos caſus fas non eſt, quia quantùm in nobis eſt, tenemur tantam Dei iniuriã et proximi peccatum vitare et impedire, et qui abſque iuſta cauſa petit iuramentum ab eo, quem probabiliter credit peieraturum, peccat mortaliter, etiamſi peierans paratus eſſet ad peierandum, licet aliqui oppoſitum ſentiant:

D. Thomas. Suar. Regin. Leſſius. Diana.

ſiant: in dubio autem an alter ſit peieraturus, non peccat petens, per ſe loquendo, quia in dubio non debemus præſumere alterum velle peccare. Sanchez *c. cap.* 8. *num.*22. Azor. *c. cap.*11. Suarez *c. cap.* 14. Bonacina *de iurament. punct.*11.*num.*3.

Sanchez. Azor. Suarez. Bonac.

20. Magna eſt difficultas inter Doctores, quando ſit periurium, aut illicitum amphibologia aliqua vti in iuramento ad ſignificandum aliquod verum iuxta mentem iurantis: at iuxta diuerſum ſenſum ab eo quem audientes excipiunt. Prima ſententia ait quæ eſt Caietani 2.2. *q.*89. *art.*7. *col.penult.* Soti *lib.*5. *q.*6. *art.* 2. *c.* 7. Malder. *opuſc. de reſtrict. ment. c.*4. & 10. Sylu. 2. 2.*q.* 89. *art.*7. *quæſ.*3. *concl.*5. Azor. *tom.* 1.*lib.*11. *c.*4. *q.* 5. Henriq. *lib.*6.*c.*19. Layman *lib.*4.*tract.*3.*c.*13. *n.*5,6.& 7. Conink *de act. ſupern. lib.*1.*diſp.*10.*dub.*3. *concl.*3. Arragon 2.2.*q.*69.*art.*2. & *q.*89.*art.*7. & aliorum, ex cauſa iuſta licitum eſſe iurare cum aliqua amphibologia, quando verba quæ vſurpantur, ſunt ex ſignificatione ſua, & communi audientium vſu ambigua; & proinde vtrunq. ſenſum, tam iurantis, quàm interrogantis recipientia, ſecus quando talia non ſunt, ſed in ſenſum verum detorquentur ex ſolo aliquo addito mente iurantis concepto: id enim dicunt ſemper eſſe mendacium, et conſequenter periurium mortale huius ſententiæ Authores. Ducuntur, quòd niſi id ſit mentiri, magnus aditus multis incommodis pateſieret in communi hominum conuerſatione; tolleretur enim omnium ſermonum, qui inter æquales babetur, certitudo; ac proinde omne commercium, vniuerſaq. dolis paterent. Hæc ſententia ſecurior eſt, et quoad praxim amplectenda. *Quamuis probabile ſit* ex iuſta cauſa poſſe quoque abſque mendacio et periurio, ea verba vſurpari, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſenſum verum admittant ex ſe, nec ex circumſtantis occurrentibus, ſed tantùm verum ſenſum reddunt ex aliquo addito, mẽte proferentis retento, quodcumque illud ſit: vt ſi videlicet iuret quis ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliã diem ab ea in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum. Ita Nauarrus *cap. humanæ aures* 22. *q.* 5. Valentia 2.2.*d.*5.*q.*13.*part.*2. Toletus *lib.*4.*c.*21.*num.*9. Leſſius *lib.* 2.*c.*42. *dub.*9. *n.*48. Suarez *de iuram.lib.*3.*cap.*11.*num.*6. Rodriquez *tom.*1. *ſum. c.* 190. *num.*7. Diana *part.* 2.*tract.* 2. *miſc. reſol.*25. & *tract.*6. *miſc.reſol.*30.*part.*3. Reginaldus *lib.*24. *num.*91. Sanchez *lib.*3. *moral.cap.* 6. *num.*15. Sà *v. Iuramentum num.* 6. et alii. Ratio huius ſententiæ eſt, Mentiri eſt contra mentem ire, ſeu velle aliquid exterius ſignificare, quod in mente ſcitur, vel putatur falſum: at verò in propoſito caſu, loquens, non vult ſignificare quod falſum eſt: ſed quod verum, propterea enim retinet partem orationis in mente, cum qua externa oratio verum ſenſum habeat, quem etiam intendit: ergo non mentitur, et per conſequens non eſt periurus. Cæterum ſi hæc ſententia eſſet vera, nullus, qui aſtutus ſatis eſt, mendacium committeret & conſequenter nunquam peieraret, cùm periurii propriè dicti vnica ſedes ſit mendacium: conſequens autem eſt falſum, ergo & antecedens.

Caiet. Sotus. Malder. Sylu. Azor. Henriq. Conink. Arragon

Nauarr. Valent. Tolet. Suarez. Rodriq. Diana. Regin.

Cauſam verò iuſtam vtendi his amphibologiis & æquiuocationibus, eſſe dicunt quoties id neceſſarium aut vtile eſt, ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens ac ſtudioſa. Item cùm ratio operis aliàs iuſti id requirit: vt in ſtratagematibus belli, in explorationibus, in inſidiis, defenſione contra inimicos: ad aduerſos caſus auertendos: ad vtilitatem aliquam ſibi vel proximo iuſtè conciliandam: Nullus tamen amphibologiæ vſus fraudi, dolo iniuſto vel iniuriæ alicui ſuffragari debet aut poteſt: vnde qui in tali caſu amphibologia vtitur, ſi nocumentum ſit graue, mortaliter peccat: quia nunquam licet iniuſtum nocumentum proximo inferre, aut tali nocumento iniuſto etiam negatiuè cooperari. Secus ſi nocumentum ſit iuſtum, et iuſtè inferatur: tunc enim licebit ei, qui illud poteſt inferre, amphibologia vti vt inferatur. Ratio eſt, quia in hoc caſu, illa per ſe mala non eſt; cum in aliquam vtilitatem feratur, & nocumentum ipſum, quod infertur, licitum eſt: hinc poteſt miles amphibologia vti vt inimicum decipiat & illi noceat: idem licebit iudici, vt veritatem à reo expiſcetur: item amphibologia licebit furem deducere vt à ſatellite capiatur, &c. Non licebit tamen in caſibus militiæ, in quibus quouis modo hoſti communi vſu fides eſt decreta, fidem frangere. Similiter in contractibus cum inimico, et in eorum materia, et circumſtantiis, in quibus ob publicam et communem ſocietatem nulla amphibologia admittitur. Sicut non licet adulterari, fornicari, et alia peccata committere, ex quibus damnum etiam iuſtum hoſti eueniat. Vide Nauarrum *cit. in q.*1. & *in q.* 2. *n.*10. Sanchez *c. num.*19. Dianam *tract.* 1. *miſc.reſ.*25.*par.*2.

Nauarr. Sanchez. Dian.

12. Si quis orationem de futuro confirmet iuramento, vtendo aliqua amphibologia, fuco verborum, aut aliqua conditione tacitè ſubintellecta, atque adeo iuret id quod eſt verum ſecundum mentem ſuam, falſum autem ſecundum mentem eius cui iuratur; peccat mortaliter, ſi faciat, vel ſponte ſe offerens ſine neceſſitate, vel à ſuperiore legitimè iuſſus iurare, Nauarrus *cap.*12. *num.* 8. Clauis regia *lib.*5.*cap.* 4. *num.* 21. Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. *num.*9. Leſſius *lib.*2. *cap.*42.*num.*46.48. Azorius *cit. cap.* 4.*quæſt.* 5. *reg.* 4. Armill. *verb. Iuramentum num.*16. Lopez 1. *part. cap.*42. & alii, quia præceptum naturale religionis, non ſolum obligat ad tuendum honorem diuinum, efficiendo verum id in cuius confirmationem reuera eſt inuocatum diuinum teſtimonium, ſed etiam id quod rationabiliter poteſt credi ab aliis fuiſſe diuino confirmatum teſtimonio, aliàs minueretur, per ſe loquendo apud illos honor diuinus: et ſuperiori, vel Iudici, vel parti fieret iniuria, et peruerteretur iudicium. *Excuſant* tamen aliqui iurantem abſque neceſſitate à periurio, et peccato mortali, ſi amphibologiis vtatur extra iudicium, et in materia non preiudiciali, vel ſi irrationabiliter compelleretur ad iurandum: quia in huc iuramento deficit ſola diſcretio, ſeu iudicium, cuius defectus ſolus, non efficit iuramentum mortaliter peccaminoſum. Bonacina *de legib.diſp.*4. *quæſt.* 1. *punct.*12. Filliucius *tract.*25. *num.* 331. Sanchez *c.num.*22. Vide Dianam *par.*2.*tract.miſcel. reſol.*25. & *par.*3.*tract.*6.*miſcel.reſ.*30. & Sanchez *cit.toto cap.* 6. vbi multi caſus referuntur, in quibus licet iuxta hanc ſententiam amphibologiis vti.

Nauarr. Clau. regia. Tolet. Azor. Armill. Lopez.

Bonac. Filliuc. Sanchez. Diana.

Porrò pro regula generali ſit, quòd omnis amphibologia, ſiuè in verbis, ſiuè in reſtrictionibus, et intentionibus mentalibus conſiſtat, quæ iuſtitiæ, fidelitati, vel charitati proximo debitæ in aliqua materia graui aduerſatur, eſt peccatum mortale: Vnde conſtat, quam perniciosſus ſit vſus reſtrictionum mentalium, et qualiter iuri naturali, quatenus homo eſt animal ſociale, repugnet, omnemque ſocietatem diſſoluat, nihilque eſt aliud quam ſentina fraudum, et deceptionum, omni animæ Chriſtianæ omnibus modis abhorrenda tamquam radix multorum peccatorum.

Vide tom. 1. Verb. *Compenſatio* num. 8. *Feſtum* 2. n. 22. *Reus.*

IVRAMENTVM IV.

De peccato iurantis ex conſuetudine, & violantis iuramentum, et quomodo iuramentum ſit explicandum.

SVMMARIVM.

1 *An conſuetudo iurandi per ſe ſit peccatum mortale?*
2 *An mortaliter peccet qui aduertit ſe habere conſuetudinem peierandi, & non adhibet remedia ad illam tollendam, & quando talis poſſit abſolui?*
3 *An violans iuramentum in re parui momenti peccet mortaliter?* refertur duplex ſententia.
4 *An qui emiſit iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna quam iuſtè poteſt infligere, teneatur iuramentum adimplere?*
5 *An iuramentum cadens ſupra propoſitum, vel promiſſionem habentem tacitam conditionem ex intentione iuran-*

Digitized by Google

rantis, vel ex diſpoſitione iuris, vel ex conſuetudine iam recepta, eo modo explicandum ſit, quo explicatur & obligat ipſa promiſſio?

6 *An iuramentum in dubio ita explicandum ſit, vt quantum fieri poſſit minus obliget, ſeruata verborum proprietate?*

1 C*Onſuetudo iurandi*, vt ſumitur pro habitu inclinante ad actus ſimiles illis, à quibus fuit productus, per ſe non eſt peccatum mortale, cùm ipſa ſit potius effecti peccati mortalis; peccatum enim non conſiſtit in habitu, ſed in actu, vel in omiſſione alicuius actus: vnde qui habet conſuetudinem iurandi, ſed non mentiendi, non eſt in ſtatu peccati mortalis, nec peccat mortaliter, etiamſi non conetur talem conſuetudinem euellere; quia talis conſuetudo non eſt magis mala quàm ſint ipſi actus iurandi, habitus enim deſumit ſuam malitiam ab actibus, ſed actus non ſunt mortaliter mali, cùm non ſint periuria, Valentia 2.2. *diſp.* 6. *q.*7.*punct.*3. Reginald. *lib.* 18. *n.* 87. Sanchez *lib.*3.*moral.c.*5. Filliucius *tract.*25.*cap.*10.*q.* 9. Sylu. 2.2 *q.*98. *art.*3. *concl.*3. et alii. *Qui vero* habet iurandi conſuetudinem, & mentiendi, & coniungendi mendacia cum iuramento, peccat mortaliter, ſi talem conſuetudinem euellere non conetur, quia cenſetur eſſe in proxima occaſione peccandi mortaliter, cùm illa conſuetudo indicat ad coniungenda iuramenta cum mendacio, Clauis regia *lib.*5. *cap.*5.*n.*10. Suarez *lib.* 3. *cap.*6. Nauar. *cap.*12.*n.*6. Sylu. *cit.concl.*1. et alii.

Valent. Regin. ſanch. Filliuc. Sylu.

Clau. regia. Suar. Nauarr. Syluius.

2. *Qui* aduertit ſe habere conſuetudinem peierandi, & non adhibet remedia ad illam tollendam, mortaliter peccat, quoties aduertit talem conſuetudinem, et eam non conatur extirpare. Ita Valentia *c. punct.* 3. Bonacina *c. punct.*13.*n.*4. Sãchez *cit.cap.*5.*n.*13. Graffijs 1 *p.lib.*2.*cap.* 20.*n.*14. Diana *tract.de circumſtan.reſ.*55.*par.*1.et aliiab eo tamen ſtatu peccati poteſt quis ſe liberare, dolendo de peccatis, et mala conſuetudine; *præterea* & proponendo ſe amplius non malè iuraturum atque adeo non habiturum talem conſuetudinem, vnde talis, ſi habeat firmum propoſitum abſtinendi in futurum ab huiuſmodi iuramentis, in rigore & per ſe loquendo poteſt abſolui, quia hæc conſuetudo non dicitur occaſio extrinſeca ob quam ſit illi deneganda abſolutio. Poſtquam verò pœnitens prauam conſuetudinem efficaci propoſito retractauit, tunc conſequentia falſa iuramenta, & verba blaſphemiæ eadem conſuetudine quaſi naturali, & neceſſario impetu prouenientia non imputabuntur ad peccatum, cùm neque ſint voluntaria in ſe, vt ſupponitur, neq. in ſua cauſa, puta conſuetudine, quippe quæ ab ipſo per propoſitum retractata, non ampliùs voluntaria cenſeri debeant: ſed indeliberata orta ex praua conſuetudine iurandi. Et quando Doctores dicunt negandam eſſe abſolutionem habenti conſuetudinem iurandi, intelligendi ſunt de habente conſuetudinem iurandi ex aduertentia: non autem quando proferuntur iuramenta inaduertenter, cùm tunc non ſint peccata, quantumcumque ex peſſima conſuetudine naſcantur; quamuis tutius aget Confeſſarius in tali caſu, ſi faciat accuſare pœnitentem de negligentia in extirpanda praua conſuetudine iurandi. Ita Layman *lib.*1.*tr.*2. *cap.*3. *n.*6. Sancius *in ſelectis diſp.* 20.*n.*5. & 7. Diana *par.*3.*tr.*5. *reſ.*62. & *par.*1.*tr.*7.*reſ.*55. Suarez *de relig.tom.*2. *de iuram. lib.*3.*cap.*7.*n.* 3. & *ſeq.* Caſpenſis *tract.*12.*diſp.*3. *n.*54. et alii. Tamen ratione ſcandali vitandi quod peierans aliis præbere ſolet, iuxta prudentis Confeſſarii iudicium, abſolutio aliquando deneganda eſſet, aut differenda, prout iudicauerit ſaluti pœnitens expedire. Vt monent communiter Doctores.

Valent. Bonac. Sanchez. Graffijs. Diana.

Layman Sancius. Dian. Suar. Caſpenſ.

3. *Certum* eſt apud omnes violantem iuramentum promiſſorium in re magni momenti, peccare mortaliter, vt dictum eſt, controuertitur tamen inter Doctores, an violans iuramentum in re parui momenti, peccet mortaliter. Caietanus 2. 2. *q.*89. *art.*7. et Couarruuias *lib.* 1. *var.cap.*1.*n.*2. aſſerunt, quando res parua eſt tota materia promiſſionis, tunc violatio iuramenti erit peccatum mortale, quia tota promiſſio violatur; ſi autem ſit pars materiæ promiſſæ, erit tantum veniale. Nauar. *cap.*12.*n.* 10. Suarez *lib....c.*16. Sanchez *cap.*4.*n.*23. Sylu. *cit.art.* 3.*concl.*4. Diana *part.*4.*tr.*4.*reſ.*70. & *par.*5.*tract.*5.*reſ.*4. dicunt non fore niſi veniale, ſi res parua promiſſa ſit tota materia, ſiue pars tantum; quia hoc nihil aliud eſt, quã fidem violare iuramento datam in re parua, quod eſt tantùm peccatum veniale. Leſſius vero *lib.* 2. *c.*42. *d.* 5. Valentia *c.d.*3.*q.*7.*p.*2. Reginaldus *lib.* 18. *n.*79. & Bonacina *c. punct.*14. affirmant tranſgredientem iuramentum in re parua ſeriò promiſſa, peccare mortaliter, ſiuè ſit tota materia, ſiuè pars: quia qui rei paruæ promiſſionem, quam iuramento confirmauit, non implet; is quantum in ſe eſt, facit Deum teſtem falſi; hoc autem eſt peccatum mortale, cum ſit magna in Deum iniuria: illæ tres ſententiæ ſunt probabiles, ſed tertia tutior & probabilior videtur.

Nauar. ſuar. ſanchez. Sylu. Dian.

Leſſius. Valent. Regin. Bonac.

6. *Qui emiſit* iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, quam iuſtè poteſt infligere, tenetur iuramentum adimplere, modo eius adimpletio non ſit impeditiua maioris boni, aut non ſit ſublata cauſa, propter quam adimpleri debeat: *ſecus* ſi cauſa variata eſt, iuramentum enim habet hanc tacitam conditioné, niſi cauſa varietur; *cenſetur* enim cauſa variari, quoties aduenit cauſa non puniendi: quod ſi quis comminetur ex paſſione, & ira, ſeu animo vindictæ inordinatæ, non tenetur ſeruare iuramentum, quia iuramentum vt ſic, non habet materiam bonam. Reginaldus *lib.* 18.*n.* 56. Clauis regia *cit.cap.*5. *n.*12. Bonacina *c. num.*3.

Regin. Clau. regia. Bonac.

5. Secundum communem Doctorum ſententiam, iuramentum cadens ſupra propoſitum, vel promiſſionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex diſpoſitione iuris, vel ex conſuetudine iam recepta, eo modo explicandum eſt, quo explicatur & obligat ipſa promiſſio, *Cod. de non numerata pecunia*, quia iuramentum ſortitur conditiones actus, ſuper quem cadit; hinc qui iurauit ſe ſoluturum alteri centum, poteſt vti cõpenſatione non ſoluendo, ſi alter ſibi totidem debeat, quia promiſſio cenſetur facta cum tacita conditione, niſi aliũde ſatisfecero vel compenſauero: ſimiliter qui promiſit aliquid abſenti cum iuramento, poteſt promiſſioné antequam acceptetur reuocare, quia cenſetur facta cum conditione, ſi acceptet. Multa inferuntur corollaria ex propoſitione hac, quæ breuitatis cauſa omittimus & videri poſſunt apud Suarez *lib.*2.*cap.*32. Sanchez locis citatis *cit.lib.*3.*cap.*17.*n.*15. Reginaldum *lib.*18.*num.* 34. Leſſium *lib.*2.*cap.*42.*d.*7. Bonacinãm *de iuram. punct.* 16. *num.*2. & alios.

Suar. Sanchez Regin. Leſſius. Bonacin.

6. *In dubio* iuramentum, ita explicandum eſt, vt quantum fieri poteſt, minus obliget, ſeruata verborum proprietate, *cap.*1.*de iuramento in* 6. vnde iuramentum, vel votum non ludendi, intelligitur de ludo illicito, non vero de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter coniiciatur de iurantis aut vouentis intentione; nam vbi agitur de obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt; ideo iuramentum reſtringendum eſt, vt quantum fieri poteſt, minus obliget: ſi tamen conſtet iurantem aut vouentem ſe voluiſſe obligare ad abſtinendũ à ludo licito, tenebitur ex vi iuramenti abſtinere: intentio autem iurantis colligi poteſt ex fine, quo ductus eſt ad iurandam aut vouendam abſtinentiam a ludo. Sanchez *lib.*3.*cap.*17.& 18. Nauar. *cap.*12.*n.*11. Rodiquez 1.*par. c.*188.*n.*10. Reginald. *lib.*28.*n.*34. & alii.

ſanchez. Nauar. Regin.

IVRAMENTVM V.

De pœnis periurij, & quibus modis tollatur obligatio iuramenti.

SVMMARIVM.

1 *De quatuor pœnis periurij.*

2 *Quomodo obligatio à iuramento dupliciter tolli poſſit?*

3 *Tolli poteſt obligatio iuramenti, mutatione materiæ, condonatione, irritatione, commutatione, diſpenſatione, & de primo, & ſecundo.*

4 *Quis poſſit irritare iuramenta, & an Curatores poſſint irrita reddere iuramenta minorum, & tutores impuberum?*

5 An

5 *An quando commutatio iuramenti in aliud opus facta eſt, teneatur iurans ex vi iuramenti ad illud in quod facta eſt? & quis poſſit commutare iuramenta ex poteſtate ordinaria, & delegata? & an potens commutare vota poſſit etiam commutare iuramenta de eadem materia?* refertur duplex ſententia.

6 *An commutatio iuramenti in æquale, vel minus, vel melius poſſit fieri propria authoritate?*

7 *Quis poſſit in obligatione iuramenti diſpenſare, &c. An iuramenta caſtitatis, religionis, &c. ſint reſeruata. Sum. Pont. ſicut ſimilia vota?*

8 *An Prælati regularium poſſint in iuramentis ſubditorum diſpenſare? & an idetiam poſſint Confeſſores ordinum Mendicantium ex priuilegio circa pœnitentes ſuos?*

9 *An diſpenſans in iuramento ſine rationabili cauſa peccet, & valida ſit diſpenſatio in foro conſcientiæ?*

10 *Quæ ſint cauſæ iuſtæ relaxandi iuramentum, quamuis emiſſum ſit in fauorem tertij?*

1 PRima & principalis pœna periurij, quæ vtroque iure, tam Pontificio, *Can. infames 6. q. 1. Can. quicumque q. 1.* quàm Cæſareo, *l. ſi quis maior C. de tranſactionib.* irrogatur, eſt infamia: ad hanc tamen infamiam contrahendam concurrere debent duæ conditiones, ſcilicet, quòd ſolemniter iurando peierauerit, & quod poſtea in foro iudiciali ſit de periurio publicè condemnatus, ita vt ſit à ferendo teſtimonio repudiandus. *Secunda* eſt, quòd periurium aſſertorium rei præſentis vel præteritæ, iure ciuili punitur pœna criminis ſtellionatus, & ideo periurus ad tempus exulat; periurium autem promiſſorium hanc etiam iure ciuili pœnam habet, vt præter infamiam, periurus pœnam contractus ſoluat, & actionem omneque conuentionis commodum amittat, *l. vlt. ff. de crimine ſtellio, l. ſi quis maior cit.* Couar. *in c. quamuis par. 1.* *Tertia* eſt, quòd periurium ſimplex priuato homini iniuriam & præiudicium irrogans iure Pontificio, *cap. cum non ab homine, de iudic. Can. ſi Epiſcopus diſt. 50.* Couarruuias *in c. quamuis p. 1. §. 7. n. 6. de pact. in 6.* Clauis regia *lib. 5. c. 3. n. 7.* pœna depoſitionis ab ordine, ſi Clericus ſit, punitur; quòd ſi falſum dixerit teſtimonium in iudicio, vltra depoſitionẽ, detruditur in Monaſterium: ſi laicus ſit & crimen capitale ſit, qui falſum teſtimonium aduerſus reum dixerit, puniendus erit eadem pœna, qua puniretur reus ipſe, ſi criminis conuictus foret: ſi vero crimen capitale non ſit, tunc pœna falſi in homine libero eſt deportatio, omnium bonorum publicatio, in ſeruo autem vltimum ſupplicium. *Quarta* pœna eſt, quòd periurus priuandus eſt beneficio: procedunt tamen hæc omnia in periuro, ratione deficientis veritatis, non autem ratione deficientis iuſtitiæ iudicij; ex periurio enim in iſtis nec infamia incurritur, nec à teſtimonio repellitur, nec beneficio Eccleſiaſtico priuandus eſt. Sylueſt. *verb. periurium num. 5.* Sotus *lib. 5. q. 2. concl. 6. art. 3.* Caietanus *2. 2. q. 89. art. 2.* *Quinta* eſt, quod collatio beneficii facta periuro, eſt ipſo iure nulla; quia periurus eſt infamis, collatio autem beneficii facta infami, eſt ipſo iure nulla, Filliuc. *tract. 25. cap. 12. in fin.*

Couar.
Couar. Clau. regia.
Sylueſt. Sotus. Caiet.
Filliuc.

2. *Obligatio* à iuramento dupliciter tolli poteſt: *Primò*, impediendo ne illam ab initio inducat. *Secundò*, tollendo iam inductam. *Impediri* poteſt obligatio iuramenti per legem, ſi lex ſtatuat vt iuramentum contractui vel promiſſioni alicui adiectum, ſit irritum, & nullam inducat obligationem, Bonacina *de iuram. punct. 17. num. 1.* Leſſius *c. cap. 42. dub. 12.* ſic Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 16. de regul.* Sanchez *lib. 3. cap. 22. n. 11.* irritare videtur renunciationem bonorum etiam cum iuramento factam ante duos menſes præcedentes profeſſionem: *Alio modo* impediri poteſt obligatio, quando prohibetur executio, ita vt ſine peccato fieri non poſſit, quomodo putant multi impediri obligationem pœnæ conuentionalis, ſponſalibus appoſitæ, & iuramento confirmatæ.

Bonac. Leſſius. Cõc. Tr. Sanchez

3. *Obligatio* iuramenti iam inducta tolli poteſt quinque modis: *Primò*, Mutatione materiæ. *Secundò*, Condonatione. *Tertiò*, Irritatione. *Quartò*, Commutatione. *Quintò*, Diſpenſatione. *Quantum* ad primum, ſcilicet, *mutatione materiæ*, apparet obligationem iuramenti ceſſare, ſi materia iuramenti fiat illicita, nam iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; aut ſi materia fiat impoſſibilis, nam ad impoſſibile nemo tenetur. *Secundò* tollitur obligatio iuramenti *condonatione*, ſeu relaxatione eius in cuius fauorem factum eſt iuramentum; quis enim poteſt condonare promiſſionem factam in ſuum fauorem, etiamſi facta ſit in modum voti; quia qui hoc modo vouet & iurat, cenſetur ſolùm ſe obligare ſub conditione tacita, ſi ille, in cuius fauorem iurat, velit acceptare; illo igitur remittente obligationem, aut nolente promiſſionem acceptare, iurans liber erit ab obligatione iuramenti, vt ſi voueas Deo, & iures te ducturum Catharinam pauperem, vel daturum illi dotem vt melius nubat: Catharina remittente obligationem, permanebis liber ab obligatione promiſſionis quamuis iuratæ. Leſſius *cit. dub. 12. num. 57.* Clauis regia *lib. 5. cap. 7.* Azorius *lib. 11. cap. 9.* Sanchez *lib. 3. cap. 20. num. 4.* Rodriquez *in ſum. cap. 244. num. 10.* Syluius *2. 2. q. 89. art. 9.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 11.* & alii.

Leſſius. Clau. regia. Azor. Sanchez. Rodriq. Layman

4. *Tertiò* tollitur obligatio iuramenti *irritatione* facta per ſuperiores, quibus ſubiecta eſt materia iuramenti: hanc facultatem irritandi iuramenta ſicut & vota etiam ſine cauſa, habet pater reſpectu filiorum & filiarum, ſuperior reſpectu ſubditorum, dominus reſpectu ſeruorum, maritus reſpectu vxoris in ijs rebus, in quibus tales perſonæ ſunt ſubiectæ. Sanchez *de matrimon. lib. 6. diſp. 39. num. 10.* Clauis regia *lib. 5. cap. 8. num. 5.* Reginaldus *c. num. 64. 66.* Layman *c. num. 1. & 2.* et alii: quia nullus poteſt iurare in præiudicium alterius; vnde omnes illi poſſunt irritare iuramenta, qui vota eiuſdem materiæ irrita reddere poterant: *Eſt notandum* tamen quòd iuramenta minorum non poſſunt curatores irrita reddere, quamuis poſſunt irritare vota realia ipſorum, quatenus eorum adminiſtrationi officiunt, *l. 1. & 2. C. ſi aduerſus venditionem.* Leſſius *c. num. 61.* Vnde minoribus non conceditur reſtitutio in integrum, ſi ex contractu læſi ſint, ſi iuramento illum confirmarunt, nam iuramentum ſupplet defectum ætatis eoſque diſpoſitione legis efficit maiores. Secus dicendum de iuramentis impuberum, hæc enim irritari poſſunt à tutoribus; quia nihil iura in contrarium ſtatuerunt, *cap. pueri 22. q. 5.*

Sanchez. Clau. regia. Regin. Layman

5. *Quartò* iuramenti vinculum tollitur *commutatione*; vt ſi ille, cui factum eſt, concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promiſſum eſt, præſtari: hic *notandum* eſt, quando talis commutatio facta eſt, iurantem non teneri ex vi iuramenti ad illud in quod facta eſt, quia illud iuramento non promiſit, ſed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit; ſecus autem eſt in commutatione voti, quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id, in quod ſit commutatio, quæ promiſſio, cùm Deo fiat, habet vim voti. *Præterea* eſt notandum quod omne iuramentum promiſſorium, vel fit in honorẽ Dei, & ſic continet votum, vel fit in fauorem hominis, et tunc vel acceptatur, vel non acceptatur; ſi fiat in honorem Dei, vt ſi iures te auditurum Sacrum, &c. commutari poteſt ab eo, qui ſimile votum poteſtate ordinaria commutare poteſt: hæc poteſtas competit Epiſcopis, & alijs Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos; hi poſſunt omnia talia iuramenta, præter ea, quæ implicant votum Pontifici reſeruatum, commutare; quia in illis diſpenſare poſſunt: commutare autem minus eſt quàm diſpenſare; nam diſpenſatio omnino remittit iuramenti obligationem, commutatio vero non item, ſed vnum in aliud mutat, vel æquale, vel melius. Vide Leſſium *lib. 2. cap. 42. dub. 12. num. 57. 58. & 59.* Bonaciam *cit. quæſt. 1. punct. 17. num. 7.* Clauem regiam *lib. 5. cap. 8. num. 14.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 16. num. 7.* Rodriquez *1. part. cap. 191. concl. 10.* & alios. *Ex poteſtate* delegata, regulares qui ex priuilegio commutant vota, poſſunt etiam commutare iuramenta de eadem materia, iuxta communiorem ac veriorem ſententiam, Arragon *2. 2. q. 89. art. 12.* Lopez *de voto q. 5. num. 42.* Vinaldus *cap. 14. q. 8.* Layman *c. num. 8.* quia ſecundùm *D. Thom.* & plurimos Doctores iuramenti vinculum per ſe minus eſt, quàm voti; at cui conceſſum quod maius eſt, cenſetur etiã conceſſum quod minus, *Contrarium* tenet

Leſſius. Bonac. Clau. regia. Sanchez Rodriq.
Arragon Lopez. Vinald. Layman

Na-

Nauar.
Azor.

Nauarrus *cap.27.num.175.* Azorius *cit.lib.11.cap.10.* et qui iam recentiores, quorum ſententia conformis eſt ſtylo Cutiæ Romanæ, ſolet enim tamquam ſpeciale priuilegium concedi poteſtas commutandi iuramenta.

6. *Commutatio iuramenti* in æquale, vel minus bonũ, quamuis fieri non poſſit ſine authoritate Prælati, aut alterius habentis ad hoc poteſtatem; in illud tamen quod certum eſt melius eſſe, vnuſquiſque pro ſuo arbitratu commutare poteſt: vnde omnia iuramenta extinguuntur profeſſione Religionis approbatæ ſicut & vota; nec refert etiamſi talia iuramenta cedant in commodum tertii, quia ſi promiſſionis verba ad illum directa non ſint, nullum ille ius acquirit; ſi autem iuramentum fiat in fauorem hominis, et validè ſit acceptatum, non poteſt commutari ab alio, ipſo inuito, niſi interceſſerit iniuria, vel niſi hoc fiat in iuſtam ipſius pœnam, vel niſi commune bonum ita efflagitet; quia ſuperior non poteſt tollere ius alterius ſine vrgentiſſima cauſa; ille autem in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentum, acquiſiuit ius

Clau regia.
Leſſius.
Bonac.
Caiet.

per acceptationem. Clauis regia *lib. 5. c. 8. n. 15. C. ſcriptura, de voto.* Leſſius *c.cap.* 42. *dub.12.n.58.* Bonacina *punct.17.num.7.* Caiet. 2.2.*q.88.art.12.* & alii.

7. *Quintò*, iuramenti obligatio tollitur diſpenſatione, ſeu abolitione, hæc fir authoritate Superioris, & quidem Summus Pontifex in omni iuramento diſpenſare poteſt

Tolet.
Arrag.

ex cauſa rationabili, ceſsante damno tertiæ perſonæ Toletus *lib. 4. c. 23.* Arragon *c. art. P. Epiſcopus* autem ex cauſa cum ſibi ſubditis, non ſolùm declarare poteſt, quando dubium eſt, an aliquid ſub iuramento promiſſum ſit debita voti materia, ſed etiam diſpenſare poteſt in omnibus iuramentis, quæ ſi eſsent vota, poſſet in illis diſpenſare, quia vinculum iuramenti minus eſt quàm vinculum voti; vnde quicumque poteſt à voto abſoluere, à iuramento etiam de eadem re emiſso abſoluere poteſt iuxta probabilem ſententiam. D. Thomas *q.89. ad 3.* Clauis regia *lib.5. c. 8. num.9.* Bonacina *c.num.11.* Filliucius *tr. 25. c. 9. q. 9.* Sylu. 2.2.*q.89. art.9.* et alij.

D. Tho.
Clau.regia.
Bonac.
Filliuc.
Sylu.

Sed non conſtat inter Doctores, an quando iuramenta ſunt abſoluta caſtitatis, religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, cenſeantur reſeruata Summo Pontifici, ſicut ſimilia vota.

Affirmant quidam, eò quòd iuramentum factum Deo includat votum: iurans enim Deo ſe ſeruaturum caſtitatem, vel ingreſsurum Religionem: id promittit Deo, iuramentoque firmat: Et proinde ibi eſt votum, quod nihil aliud eſt, quam promiſſio facta Deo: Reſeruatis ergo votis caſtitatis, Religionis, &c. cenſentur à fortiori reſeruata ſimilia iuramenta. Ita Valentia 2. 2. *diſp. 6. quaſt. 7. punct. 4.* Caietanus 2.2. *quaſt.89. art. 9.* Sotus *de iuſtit. lib.8. quaſt.1. art.9.* Rodriquez *tom.2. ſum. cap. 99. num.3.* Toletus *lib.4. cap.23. num.2.* Diana *part. 4. tract. 4. reſ. 69.*

Valent.
Caiet.
Sotus.
Rodriq.
Tolet.
Diana.

Negant alii eſse reſeruata: quia nunquam in facultate conceſsa circa relaxanda, aut commutanda iuramenta, excipiuntur hæc, ſed ſola, quæ in tertii præiudiciũ vergunt. Nec ex votorum reſeruatione deducitur ſufficienter reſeruatio iuramenti circa eandem materiam. Ita

Nauar.
Tabiena
Ledeſma

Nauarrus *lib.2. conſil. de iureiur. conſil.3. num.4.* Tabiena *verb. Iurare q. 20. num. 21.* Petrus Ledeſma *tom. 2. ſum. tract. 11. cap.4. dub.2.*

Sanchez

Verùm placet mihi quod docet Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 13. & 3. moral. cap. 19. num 6.* nempe, regulariter, & in plurimum hæc iuramenta eſse reſeruata Pontifici, vtpote quæ communiter votum iureiurando confirmatum claudunt. Sed quia poſsunt aliquando hæc iuramenta fieri, ita vt nullam promiſſionem Deo factam includant, ſed mera ſint iuramenta: quia ſcilicet, iurans intentione caruit promittendi, ac offerendi aliquid Deo, ſed ſolùm per iuramentum quaſi aſsertorium, id ſe facturum affirmauit: & ideo in hoc caſu poſse Epiſcopos diſpenſare, & conſequenter Confeſsores ordinum Mendicantium.

Clau.regia.
Rodriq.
Arrag.
Sanch.

8. *Prælati* regulariũ exempti ab Ordinario circa ſuos ſubditos in iuramentis diſpenſare poſsunt ſicut Epiſcopi, Clauis regia *c.num.10.* Rodriq. 1. *part. cap.191. num.10.* Arragon *q.88. art.12.* Sanchez *lib.4. mor. cap.53. num.8. & 9. & lib.3. cap. 19. num. 5.* imo etiam omnes Confeſſores ordinum Mendicantium, & alii Confeſsores regulares, qui priuilegiis ordinum Mendicantium fruuntur, ex priuilegio Innocentii VIII. & Eugenii IV. poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſsunt Epiſcopi, & conſequenter in omnibus iuramentis, iuxta doctrinam ſupra traditam *Arragonij, Rodriquez, Clauis regia,* contra *Nauarrum, Azorium, Emanuelem Sà, Leſſium,* & alios. Sed de hoc priuilegio Innocentij VIII. vide dicenda infra *verb. Votum 7. num. 10.* fuit enim tantùm viuæ vocis oraculum, & ideo hoc tempore annullatum per Bullam Vrbani VIII. *Aliàs fœlicis*, vt dicetur *verb. Priuilegium 1. num.8.*

9. *Diſpenſans* in iuramento ſine cauſa rationabili peccat, nec valet diſpenſatio in foro conſcientiæ, quia reſpectu illarum rerum, quæ ex iure diuino, aut naturali pendent, non habet Summus Pontifex excellentem, & ſupremam poteſtatem, ſed tantùm diſpenſatoriam, quæ data eſt ei in Eccleſiæ ædificationem, & non in deſtructionem: *Cauſa* vero diſpenſandi in iuramento elicienda eſt, vel ex grauitate operis, & imbecillitate iurantis, vel ex diminuta operis vtilitate, vel reſpectu boni communis: & quæcumque cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in votis, ſufficit etiam ad diſpenſandum in iuramentis: *obſeruandum* tamen eſt, quando cauſa non eſt ſufficiens ad diſpenſandum, poſse iuramentum partim relaxari, et partim commutari, habita ratione cauſæ. D. Thomas 2.2. *quaſt. 88. art. 12. ad 2.* Caietanus *ibid.* Couarruuias *in cap. quamuis 1. par. §. 3. num. 5.* Sotus *lib.8. q. 1. art. 9.* Valentia 2.2. *diſput.6. q. 7. p. 4.* Sanchez *c. num. 4. cap. 19.* Syluius 2.2. *q.88. art. 12. concl. 4.* & alii.

D. Tho.
Caiet.
Valent.
Sanch.
Sylu.

10. *Denique* cauſæ iuſtæ relaxandi iuramentum quamuis emiſsum in fauorem tertii, ſunt, *Primò*, ſi metu, vel fraude ſit extortum. *Secundò*, ſi alia iniuſtitia interceſſit, vt cum vſurarius exigit iuramentum de ſoluendis vſuris; item quando quis in contractu grauiter læſus eſt, et coactus eſt illum iuramento confirmare, vel non aduertens læſionem ſponte confirmauit. *Tertiò*, in iuſtam pœnam, quando is cui præſtitum eſt, id meretur, ſiue quia iniquè exegit, ſiue quia cõmiſit aliquid, ob quod meretur bonis ſpoliari, ſiue quia contumax in Eccleſiam. *Quartò*, ſi bonum commune poſtulet. Leſſius *lib. 3. cap. 42. dub. 12. num. 62.* Bonacina *c. num. 8.* Syluius *cit. concl. 4.*

Leſſius
Bonac.
Sylu.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An ad iuramentum requiratur intentio formalis, vel virtualis iurandi.*

2 *Quando dicatur iuramentum aſſertorium, promiſſorium, vel exæcratorium.*

3 *An periurus, qui fecit iuramentum execratorium, commiſerit duo peccata?*

4 *An de eſſentia iuramenti ſit, vt explicitè interponatur verbum* iuro? *Et quod fiat iuramentum tactis Euangelijs.*

5 *Sicut veritas in iuramento tribus modis conſiderari poteſt, ita triplex falſitas poteſt eſſe in iuramento.*

6 *An iuramẽtum aſſertorium, vel promiſſorium cui deeſt veritas, ſit ſemper peccatum mortale?*

7 *An ob defectum veritatis de futuro iuramentum promiſſorium de re licita, ſemper ſit peccatum mortale?*

8 *Quale peccatum committat, qui iurat ſe commiſſurum peccatum mortale, aut veniale?*

9 *Ex defectu iudicij quando contingat peccatum in iuramento?*

10 *An iuramentum per falſos Deos licitum, & obligatorium?*

11 *An iurare verum per falſos Deos grauius ſit peccatum, quàm iurare falſum per Deum verum?*

12 *An iuramentum promiſſorium obliget ad ea, & ad eos euentus, qui rationabili intentione iurantis, vel in-*

terpretatione iuris, cenſentur excepti?

13 *Quæ conditiones in omni iuramento promiſſorio ſimpliciter facto ſubintelligenda ſint ex iure communi ad hoc, vt iuramentum obliget?*

14 *An qui iniquè ab altero adigitur ad iurandum, peccet quocumque modo alterum decipiat circa ſenſum orationis de futuro?* refertur duplex ſententia.

15 *An iuramentum latroni per metum præſtitum de non denunciando illum iudici, vel Eccleſiæ valeat & obliget?*

16 *An iuramentum homini præſtitum ita ſit perſonale ex parte iurantis, vt eius obligatio ad heredes tranſeat?*

17 *An iuramentum ex parte eius, cui præſtatur, tranſeat ad heredes?*

18 *An obedientiæ iuramentum præſtitum alicui in dignitate conſtituto, obliget, eo ab illa dignitate remoto?*

19 *An ex iuramento confirmatorio promiſſionis ab altero acceptatæ concedatur actio in foro externo?*

20 *An laicus ratione iuramenti conueniri poſſit coram iudice Eccleſiaſtico?*

21 *An Iudex ſæcularis poſſit cogere aliquos ad condonandam iuramenti obligationem, metu, aut iniuria extortis?*

22 *An iuramentum contra ſimplicem promiſſionem, incipiat obligare, ſi ceſſet obligatio promiſſionis?*

23 *An obligatio iuramenti aſſertorij maior ſit, quàm voti?*

24 *An iuramenta parentum, herorum, dominorum, quibus iurant ſe punituros filios, aut famulos communiter obligent?*

25 *An iuramentum vrbanitatis gratia præſtari ſolitum in ingreſſu, vel egreſſu alicuius loci, non ingrediendi, aut egrediendi prius, obligatorium ſit?*

Et quid de iuramentis inter emendum, aut vendendum?

26 *An promiſſio prodiga iuramento firmata obliget?* Refertur duplex ſententia.

27 *An iuramentum ſoluendi vſuras ſit obligatorium?*

28 *Qui iurauit ſeruare ſtatuta Reipublicæ, Collegij, Vniuerſitatis, qualiter obligetur?*

29 *Iuramentum de ſeruando ſecreto eorum, quæ in Capitulo, Concilio tractantur, qualiter intelligendum?*

30 *Quomodo dignoſcatur, quando promiſſiones factæ homini, licet iuramento firmatæ, obligent ad mortale?*

31 *An ſit in Eccleſia legitima ſpiritualis poteſtas, verè relaxandi iuramenta ex iuſta cauſa?*

32 *Quæ ſint iuramenta, præter quinque communia, quorum relaxatio Papæ reſeruatur?*

33 *Irritatio iuramenti dupliciter fit, directè nempe & indirectè?*

34 *Quæ ſit differentia inter iuramentum & votum?*

35 *Ad irritationem iuramenti, vel voti, an requiratur iuriſdictio Eccleſiaſtica?*

36 *An ſuperior, qui conſenſit in iuramenta ſubditorum poſſit ſine peccato illa irritare?*

37 *Quando iuramentum eſt gratia, vel fauore alterius præſtitum, an ceſſet eius obligatio remiſſione partis cui præſtitum eſt.*

38 *Si iuramentum eſſet principaliter in Dei honorem præſtitum, at tota res promiſſa cedat in fauorem partis, an pars illud remittere poſſit?* refertur duplex ſententia.

39 *An iuramentum de non petenda iuramenti relaxatione, factum latroni, &c. ſit validum, & indigeat relaxatione?* refertur duplex ſententia.

40 *Si quis petat relaxationem iuramenti metu extorti vt ſit liber à iuramento in vtroque foro, an neceſſario ſit citanda, & audienda pars?*

41 *An indirecta iuramenti relaxatio ad poteſtatem ſæcularem, ſeu ciuilem pertinere poſſit?*

42 *An Princeps ſupremus, & lex ciuilis poſſit irritum reddere iuramentum, antequam laicus ſubditus in contractibus illud præſtet?*

1 INuocare diuinum teſtimonium, nihil aliud eſt, quam Deum in teſtem vocare, ſeu precari, vt Deus veritatem rei quam profero atteſtetur, tamquam id quod eſt ab ipſo Deo ſcitum & verum, idque quando ei viſum fuerit, vel ſaltem quando manifeſtabit abſcondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium. Confirmat autem hæc inuocatio diuini teſtimonij veritatem apud alterum cui iuro, quatenus ego qui iuro, non cenſeor tam improbus, vt velim Deo tantam iniuriam irrogare, eum, qui ſummè ſapiens, & ſummè bonus eſt, in teſtem rei falſæ, aduocando. Proinde non eſt iuramentum, niſi quis velit verba quæpiam vſurpans, formaliter, vel virtute inuocare diuinum teſtimonium ad alicuius veritatis confirmationem. Ratio eſt, quia ad humanam actionem conſtituendam, ſemper neceſſaria eſt intentio. Dico *virtute*, nam ad iurandum non requiritur, vt quis explicitè intelligens, quid ſit inuocare diuinum teſtimonium, velit id facere: ſatis enim eſt velle vſurpare verba in eo ſenſu, quo pro conſuetudine aliorum iurantium vſurpari ſolent; eſt enim circa has formulas habenda ratio conſuetudinis patriæ. Imò & ſi aliqua verba habeant ſpeciem iuramenti, ſi tamen ea non proferas per modum teſtificationis, ſeu inuocationis, ſed enunciationis, non erit iuramentum, quæ vt dixi requiritur expreſſa, vel implicita intentio Deum teſtandi; vt ſi dicas loquor coram Deo conſcientiarum inſpectore, tantùm volens explicare, quanta cum conſideratione loquaris. Secus ſi inuocationis modo dicantur, vt Diuus Paulus ad Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Ille tamen iurat, qui dicit, Deus ſcit me verum dicere, Deum enim in teſtem adducit. Ita Clauis regia *lib. 5. cap. 1. num. 5.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 89. art. 1. in fin.* Arragon *ibid. notab. vlt.* Sotus *lib. 8. de iuſtit. q. 1. art. 1. ante finem.* Nauarrus *in Man. cap. 12. n. 2.* Clau. regia. Caiet. Arragon Sotus. Nauar.

2. Quando diuinum teſtimonium inuocatur ad cõfirmandam enunciationem de præſenti, aut de præterito, dicitur iuramentum aſſertorium: quando vero adducitur ad confirmandam enuncitionem de futuro, dicitur promiſſorium, ſub quo etiam comminatorium comprehenditur, quale eſt illud Dauidis contra Nabal 1. Reg. c 25. *Hæc faciat Dominus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane mingentem ad parietem*. Differunt autem hæc iuramenta, quòd aſſertorium ſolùm requirit vnam veritatem, ſcilicet præſentem, vel præteritam quæ aſſeritur: Promiſſorium autem duplicem præſentem, vt verè habeas præſentem voluntatem faciendi quod promittis, & futuram, vt poſtea verè exequaris: Præſens veritas, uel præterita eſt principalis; futura autem eſt ſecundaria.

Iuramentum per ſimplicem conteſtationem eſt, cùm quis ſimpliciter inuocat diuinum teſtimonium, dicendo teſtis eſt Deus, aut teſtor Deum, aut per Deum, aut per cœlum, quatenus eſt ſedes Dei. Iuramentum verò execratorium non conſiſtit per ſe, & formaliter, vt iuramentum eſt, in ipſa execratione, tamquam ipſa per ſe ſit diuini teſtimonii inuocatio, ſed conſiſtere dicitur in execratione, tamquam in ſigno quodam à poſteriori ipſius iuramenti: opto enim puniri à Deo iudice, ſi violem iuramentum, ſeu inuocationem diuini teſtimonii à me implicitè factam. Quare aſſertionem meam iuramento conteſtatorio firmatam firmiorem reddo per ipſam pœnæ imprecationem.

Simplex autem iuramentum & execratorium non differunt ſpecie in ratione iuramenti: quia in vtroque inuocatur diuinum teſtimonium, ſed in ſimplici generali modo; in execratorio verò, ſpeciali modo, uidelicet, vt teſtetur puniendo. Ita Caietano *loco cit. art. 1.* & alii communiter. Caiet.

3. Dubium eſt, an periurus qui fecit iuramentum execratorium commiſerit duo peccata mortalia diſtincta, alterum periurii, alterum execrationis, ſeu maledictionis contra ipſum imprecatæ, ſiuè execratæ in vindictam ſui ſceleris? Reſpondent communiter loquendo vnum tantum peccatum mortale commiſiſſe, videlicet, periurii. Ratio eſt, quia execratio illa videtur prolata cauſa adducendi Deum in teſtem veritatis. Non enim exiſtimãdum eſt, quòd aliquis ſit ita proteruus, quod ſeriò intendat mala illa ſibi inſligi à Deo: ideoq. quamuis in huiuſmodi iuramentis execratoriis, Dei punitio & vindicta videatur peti à iurante, niſi ſit verum, quod ipſe affirmat,

vel

vel negat, non tamen formaliter intelligit, vel exoptat pœnas illas ſibi à Deo eſſe infligendas in vindictam ſui periurii, ſed finis intentus eſt Deum inuocare in teſtem, vt ab aliis credatur, qui eſt finis iuramenti. Ita D. Thomas 2.2.*q*.89.*art*.1.*ad* 3. Clauis regia *lib*.5. *cap*.2. *num*.4. Nauar. *in Man*. *c*.12.*n*.1. Valent. *tom*.3. *diſp*.6.*q*.7.*punct*.2.*in fin*. Si tamen quis eſſet ita proteruus, & ſibi ipſi infeſtus, vt ex animo peruerſo, et ſeriò mala illa, & maledictiones verè à Deo imprecari intendat, tam contra ſeipſum, quàm contra alios, tunc duplex peccatum mortale committeret, vnum periurii, alterum execrationis, et maledictionis contra charitatem propriam, vel aliorum.

D. Tho. Clau. regia. Nauar. Valent.

4. Non eſt de eſſentia iuramenti, vt explicitè interponatur verbum, *iuro*, vel quid ſimile, quia quibuſcumque verbis, aut ſignis declaratur intentionem iurantis eſſe inuocare Deum in teſtimonium veritatis, iuramentum intelligitur eſſe factum. Vnde in ſacris litteris ſæpè ſæpius celebratur iuramentum illud, *viuit Dominus, viuit Deus*, Teſtis mihi eſt Deus, Deus ſcit quod nō mentior: Per Deum, ſiue per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum: Per Beatam Virginem, &c. In his enim aliiſque modis efficitur verum iuramentum, licet verbum iuro non proferatur. Et *in cap. etſi Chriſtus, de iureiur*. omnes iſti modi, et alii iurandi enumerantur tamquam vera iuramenta ab Innocentio Papa III. Ex quo infertur nulla verba præcisè neceſſaria eſſe ad ſubſtantiam iuramenti, eo quòd ſine vlla verborum prolatione Deus vocari poteſt in teſtem, vt v. g. cùm quis rogatus, ac iuſſus, manu crucem, aut librum Euangelii tangit, intendens & ſignificans ſe iurare. Ratio eſt, quia ibi eſt tacita Dei inuocatio, cuius veritas eſt in ſe ipſa ſcripturis. Ita Syluester *verb. Iuramentum* 1.*n*.2.*q*.1. Arragon 2.2.*q*.89.*art*.1.*notab*.*vlt*. *verſ*. *quinta*, & *ſexta*, Clauis regia *lib*.5. *cap*.1. *n*.7. & 8. Imo regulariter non eſt neceſſarium ad rationem iuramenti, quod fiat tactis Euangeliis, aut aliis diuinis Scripturis, aut ſuper aliqua re ſacra, v.g. ſacris reliquiis, Cruce, &c. Ratio eſt, quia ſufficit quod Deus tacitè, ſiue expreſsè quocumque modo inuocetur in teſtem aſſertionis, ſiue verbis, ſiue ſignis, ſiue nutibus ſignificantibus intentionem iurantis, vt tradunt Doctores citati, quibus adde Couar. *in cap. quamuis par*. 1. §.1.*n*.1. *de pactis in* 6.

Innoc. III.

Syluest. Arragon Clau. regia.

Couar.

Quandoq. tamen in ſoro externo neceſſariū eſſet fieri iuramentum tactis Euangeliis, alioquin vim vllam non habebit, quantum ad iuris effectum attinet: puta ſi lex in ſpecie ſanxerit iuramentum præſtandum fore ſuper Euangeliis, tunc neceſſariò fieri debet tactis Euangeliorum libris, aliàs iuramentum validum non erit, nec ſufficit quod tangatur quilibet alius liber ſacer. Ex *Clement. Multorum*, §. *Porrò*, & *ibi* Gloſſa *in verb. tacta de hæret. ex cap. hortamur* 3.*q*.9. & *cap. teſtimonium* 11.*q*.1.

Gloſſa.

5. Cùm in iuramento tria requirantur vt ſit licitum, nempe, *veritas, iuſtitia, & iudicium*. Imprimis veritas in illo tribus modis conſiderari poteſt. *Primò*, in re tantùm. *Secundò*, in mente tantùm, *Tertiò*, vtroque modo ſimul, in re videlicet, & in mente iurantis, & iſta tertia dicitur & eſt veritas perfecta, quando ſcilicet quis non ſolum iurat veritatem, ſed etiam eam in mente tenet. Ita per oppoſitum triplex poteſt eſſe falſitas in iuramentis: *Primò* in re tantùm, quando illud, quod mediante iuramento fuit affirmatum in veritate non exiſtebat, quamuis in mente iurantis pro vero exiſtimabatur. *Secundò*, quando quis iurat contra conſcientiam, exiſtimans ſe falſum iurare, quamuis talis res in veritate ita ſit. *Tertiò* modo, quando veritas non confirmatur, neque in re, neque in mente iurantis. Primo modo eſt iuramentum falſum, ſed ſine mendacio, cùm talis falſitas ſit præter intentionem iurantis, ex ignorantia facti; quæ excuſat à culpa. Secundo & tertio modo iuramentum ſemper eſt malum, & peccaminoſum ex duplici falſitate, vna in mente iurantis, altera in ipſa re, ideoque eſſet peſſimum periurium.

6. Iuramentum aſſertorium cui deeſt veritas, ſemper eſt peccatum mortale, in quacumque materia adhibeatur. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt, quia hoc quod eſt Deum afferre teſtem mendacij, abſtrahendo à quantitate materiæ, et omni alia mendacii conditione, eſt grauiſſima deformitas contra virtutem Religionis: nam Deus tunc efficitur quantum in homine eſt, ignorans vel mendax.

Iuramentum etiam promiſſorium ex defectu veritatis conſiſtentis in concordia vocis cum animo interiori faciendi quod promittitur, ſemper eſt peccatum mortale, ſiue res quæ promittitur ſit licita, ſiue illicita, ſiue parua, ſiue magna. Eſt etiam communis Doctorum. Ratio, quia etiam ex hac parte iuramentum promiſſorium, quod attinet ad veritatem requiſitam, conuenit cum aſſertorio, vt dictum eſt ſupra, vnde defectus huius veritatis in iuramento promiſſorio æquale peccatum eſt. Qui enim promittit, verbi gratia, daturum centum aureos, eo ipſo aſſerit, ſe iam habere animum id faciendi: atque ita reſpectu huius animi, & volūtatis eſt aſſertio rei præſentis; atque adeo iuramentum aſſertorium. Igitur non intendens adimplere promiſſum, prout verba teſtantur, mendax & periurus eſt, contra veritatem iuramenti, quod in omni caſu materia, & ob quemcumque finem eſt peccatum mortale, dummodo deliberatè fiat. Quod colligitur ex *cap*. 1. *cauſ*. 22. *quæſt*. 2. vbi dicitur *In dolo iurat, qui aliter acturus eſt, quam promittit, cum periurium ſit nequiter decipere credentem*, & ex D. Thoma 2. 2. *quæſt*. 89. *art*. 7. Caietano *ibidem*, Nauarro *in Man. cap*. 12. *num*. 13. Valentia *tom*. 3. *diſp*. 6.*q*.7.*punct*.3. Clau. regia *lib*.5. *cap*.4. *num*.27. et aliis.

D. Tho. Caiet. Nauar. Valent. Clau. regia.

7. Difficultas eſt, an ob defectum veritatis de futuro iuramentum promiſſorium de re licita, ſemper ſit peccatum mortale, quæcumque ſit materia promiſſionis, ſiue magna, ſiue parua, ſiue partialis, ſiue totalis; an verò ſit aliquando veniale tantùm, ratione paruitatis rei, ſeu materiæ promiſſæ? Tres ſententias retulimus ſupra *Iuramentum* 4. *num*. 3. Pro firmanda tamen probabiliori, & tutiori opinione aſſerente iuramentum promiſſorium de re licita ob defectum veritas de futuro, ſemper eſſe peccatum mortale, etiamſi materia promiſſa ſit parua, dicimus *Primò*, quod grauitas & leuitas materiæ, tunc ſolum pertinent ad leuitatem, aut grauitatem peccati, quando materia ipſa eſt immediatum, et veluti per ſe obiectum peccati, ſed materia ipſa promiſſionis, nō eſt immediatum obiectum, & per ſe irreuerentiæ commiſſæ in violatione iuramenti promiſſorij; ergo &c. Maior patet inductione. Nam in voti, v. g. violatione, propterea trāſgreſſio voti de re leui eſt tantum venialis; quia ex vi voti tenetur quis illam materiam adimplere, quatenus ex illa datur gloria Deo, & ob id illa materia eſt immediatum obiectum eius peccati, et irreuerentiæ, quæ committitur in tranſgreſſione voti. Minor probatur, quia deformitas violationis iuramenti in hoc præcisè conſiſtit, quòd quis non tuetur diuinum honorem efficiēdo verum id in cuius confirmationem (quantulumcumque id fuerit) teſtimonium Dei adduxit, ſed potius eſt cauſa, quantum in ſe eſt, vt Deus teſtatus fuerit falſum, quod eſt Deo ex natura rei valde ignominioſum. Confirmatur, quia ratio ob quam aliquando eſt peccatum mortale contra Religionem non adimplere iuramentum promiſſorium, ſemper eſt eadem, cum quis violat iuramentum promiſſorium de re licita in quacūque materia, quia, videlicet, Deus adducitur teſtis falſi, ergo ſi in materia graui violare iuramentum promiſſorium eſt mortale, etiam in materia leui erit: ratio enim falſitatis æquè reperitur in quacumque promiſſione non adimpleta, ſiue fuerit de re magna, ſiue de re parua: alioquin dicam etiā falſitatem iuramenti aſſertorii non inducere præcisè culpam mortalem, ſed tantum in materia graui: quod ſi dicas hanc culpam mortalem in iuramento aſſertorio abſtrahere à conditione materiæ: dicam etiam cur non etiam deformitas illa violationis iuramenti promiſſorii abſtrahat à conditione materiæ, cum eadem vtrobique ſit ratio.

Secundò, ratio peccati mortalis, non ſumitur ſimpliciter ex paruitate, vel ex magnitudine materiæ, ſed ex vi præcepti et debiti, eiuſque rationis, quæ ſi propriè ſit de re magna vel damno notabili, tranſgreſſio in minimo cēſetur præter intentionem præcipientis: at ſi tota vis præcepti ſit de minimo, tranſgreſſio eſt contra intentionem præcipientis, quæ ſi ſit obligare ad mortale, erit obligatio ad mortale. Sed præceptum de ſeruando iuramento

Digitized by Google

obligat ad mortale, & tota eius vis æquè reperitur in iuramento de re minima, ac de re magna, ſcilicet, ne Deus vnquam in teſtem falſi inuocetur.

Oppoſita tamen ſententia, quæ ſuſtinet non eſſe peccatum mortale, non implere promiſſionem iuratam in materia leui, eſt quidem probabilis, non tam propter rationes quibus fulcitur, quàm quia eſt plurimorum Doctorum.

8. Ex defectu iuſtitiæ mortaliter peccat contra Religionem qui iurat ſe commiſſurum aliquod peccatū mortale. Eſt communis Doctorum ratio, quia efficit quantum in ſe eſt, Deum cooperatorem eius rei, quæ eſt graue peccatum; confirmat enim ſe ad peccatum mortale perpetrandum auctoritate diuini teſtimonii. Deinde applicat iuramentum ad actum mortiferè vitioſum committendum, ac proinde neceſſariò poſtea omittendum, cùm ſit abſolutè contra charitatem: quare qui annim in ſe eſt, iurat mortiferè aliquid quod eſt ſuo modo falſum. Sic D. Thom. 2.2. *q.* 98. *art.* 3. Nauar. *in Man. cap.* 12. *num.* 15. Clauis regia *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 38. & alii apud ipſum.

Si quis autem iuret ſe facturum peccatum veniale, peccat tantum venialiter: quia non eſt tantum malum illud, cuius indirectè hic Deus efficitur cooperator, nec Deus adducitur, vt approbator mali propoſiti tamquam ei placeat, ſed vt teſtis quod tale propoſitum malum concipiatur. Similiter peccat tantùm venialiter, qui iurat ſe facturum aliquid contra conſilium diuinum, puta, ſe nō ſuſcepturum ſacros Ordines, aut ſe non fore religioſum, ſaltem eo caſu quod id eſſet conſilij non præcepti. Ratio eſt, quia leuis eſt tantum irreuerentia, vti diuino teſtimonio ad obſiſtendum diuinæ voluntati circa conſilia, cùm non adeò ſtrictè velit Deus ea executioni mandari; hæc

Sotus. Caiet. Nauar.

enim non præcipit. Ita Sotus *lib.* 8. *de iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 3. Caietanus 2.2 *quæſt.* 89. *art.* 7. Nauarrus *cap.* 12. *num.* 16. et alii.

9. Ex defectu iudicii in iuramento contingit peccatū. *Primò*, quando quis res veras ſine iuſta cauſa, & neceſſitate iuramento confirmat. Fieri enim non debet iuramentum, niſi ex cauſa neceſſaria & iuſta. Neceſſitas autem iurandi tunc eſt, quando illa veritatis, quæ iuramēto firmanda eſt, nequit alia via comprobari & iuratio neceſſaria eſt ad tuendam charitatem. Ex defectu tamen cauſæ neceſſariæ, iuramentum communiter ſolum eſt veniale peccatum: quia non eſt grauis irreuerentia adducere Deum in teſtem ſine cauſa ſufficienti, quando verum eſt, quod iuramento firmatur.

Secundò, ſi deſit iudicium ex parte inquiſitionis neceſſariæ ad videndum, an id quod iuramento aſſeritur, verum ſit necne, tunc defectus iudicii erit mortale, vel veniale peccatum, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. Ita vt ſi negligentia eſt notabilis & magna, id erit peccatum mortale: ſi autē parua, vt ſi quis adhibeat aliquam diligentiam, ſed non planè ſufficientem, tunc ſolum erit veniale. Ratio horum eſt, quia quando quis notabiliter eſt negligens in illa veritatis inquiſitione, cenſetur perfectè velle iurare falſum, ſi contingat id eſſe falſum, quod vult iurare, atq. adeo peccat mortaliter: ſi autē imperfectè fuit negligens, imperfectè etiã cenſetur velle iurare falſum, & ſic tantum venialiter peccat: eatenus enim iuramentum falſum in tali caſu, interpretatiuè cenſetur perfectè, aut imperfectè voluntarium, quatenus negligentia inquirendi eſt perfecta, aut imperfecta. Idemque dicendum eſt, quoties quis dubitat, an verum ſit, necne, quod pro certo iurat, aut leuiter & temerè putat verum, quod iurat: peccatum enim mortale, aut veniale erit, ratione negligentiæ, eo quòd non ſufficienter prouidet, vtrum falſum ſit, necne, id quod iuramento

D. Tho. D. Bonau. ſanchez. Nauar. Tolet. Clau. regia.

confirmat, vt communiter tradunt Doctores D. Thomas 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 3. D. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *n.* 16. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 6. *n.* 22. *& alibi*. Nauarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 3. *&* 7. Toletus *in ſum. lib.* 4. *cap.* 21. Clauis regia *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 32 et alii. Aduerte tamen prædicta eſſe intelligenda in caſu, quo quis aduertit ſe iurare id quod non ſufficienter diſcuſſit: nam ſi tantummodo lingua anteuertente iudicium iuret quis id quod non ſufficienter diſcuſſit, non aduertens ſe aliquid tale iurare, non peccat: ſicut etiam non peccat ille qui iurat falſum, non aduertens eſſe falſum & inſufficienter diſcuſſum: ſic enim iurare inaduertenter non eſt actus humanus, modo hæc inaduertentia non ſit voluntaria, nec procedens ex prauo habitu, & conſuetudine ita temerè iurandi.

10. Iuramentum per falſos Deos illicitum & peccatum mortale eſt, obligat tamen iurantem dummodo licitum ſit quod iuratur, ſic *cap. etſi Chriſtus verſ. & quamuis de iureiuran.* Ratio eſt, quia licet peccet iurando eo modo quo non debet, ſeruando tamen fidē in re licita benefacit quam ſi non ſeruaret, peccatum peccato adderet. Quod autem peccatum mortale ſit per Deos falſos iurare, ſiue verum, ſiue falſum, patet: quia iurare eſt actus latriæ, & religionis vni, ſoliq. Deo tribuendus, mediante quo Deū ſummam veritatem infallibilem confitemur: cum igitur ea, quæ ſoli Deo debentur, alijs tribuantur, maxima Deo fit iniuria, & eſt quaſi quædam impietas idololatriæ, & ſuperſtitionis. Quare non ſolum peccant mortaliter fideles ita iurantes: ſed etiam ipſi gentiles & pagani, ideoq. non licet Chriſtianis paganum inducere ad iurandum, quia eſſet illum inducere ad peccandum mortaliter. Licebit tamen iuramentum pagani quandoque acceptare, quando ipſe ſponte iurare vult, & ſe obligare ad veritatem dicendam mediante iuramento. Nefas tamen erit illum inducere ad tale faciendum iuramentum, quia aliàs fideles cooperatores paganorum in iniquitatibus efficerentur. Ita Sotus *de iuſtit. lib.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 3. Arragon 2.2. *q.* 89. *art.* 6. *dub.* 2. Clauis regia *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 16. *& cap.* 6. *num.* 1. Toletus *in ſum. lib.* 4. *cap.* 21. et alij communiter apud ipſos.

Sotus. Arragon Clau. regia. Tolet.

11. Iurare verum per falſos Deos grauius eſt peccatum, quàm iurare falſum per Deum verum. Ratio eſt, quia blaſphemia, ſeu idololatria grauius eſt peccatum, quàm periurium, eo quod illa opponitur confeſſioni fidei, quæ eſt totius Chriſtianitatis fundamentum, et idcirco eſt infidelitatis ſpecies, et conſequenter contra primum Decalogi præceptum, cum tamen periurium ſit contra ſecundum: peccatum autem quod primo præcepto opponitur, grauius eſt eo, quod ſecundo opponitur. Deinde qui huiuſmodi iuramentum facit, tribuit creaturæ honorem, qui ſoli Deo debetur, profitetur enim illam, nec fallere, nec falli poſſe, et conſequenter blaſphemus et idololatria eſt. Ita Couarruuias *in cap. quamuis par.* 1. §. 2. *num.* 10. *de pactis in* 6. Sotus *lib.* 8. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 3. Arragon 2.2. *q.* 89. *art.* 6. *dub.* 2. Graſſijs *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. *& cap.* 11. *num.* 5.

Couar. Sot. Arragon Graſſis.

12. Iuramentum promiſſorium non obligat ad ea, nec ad eos euentus, qui rationabili intentione iurantis, vel interpretatione iuris, cenſentur excepti. Ratio eſt, quia iuramentum non inducit obligationem vltra intentionem iurantis, vel ipſius iuris, ſecundum quod cenſetur fieri, vt ſi iuramento promittas rem aliquam et poſtea res illa fiat mala vel impoſſibilis, vel valide damnoſa, vel ſi conditio tacitè ſubintellecta non ſit ſeruata, v. g. iuraui tibi ſeruare promiſſa, videlicet ſi tu mihi ſerues: facta pace cum inimico iuraui illi me non nociturum, videlicet niſi nouæ inimicitiæ emergant: iuraui me caſtigaturum prolem vel famulum, intellige, niſi fortè inde ſequeretur turbatio vxoris vel familiæ, vel niſi deprecatus fuerit, vel niſi ob aliam cauſam contrarium expedierit. Sic iurans honoris cauſa ſe non præceſſurum intelligit, quantum in ſe erit, vel niſi alter ad aliud cogat: cum enim ſit in fauorem alterius, cenſetur ipſe relaxare, dum renuit prior ingredi: iuraui ducere Catharinam, videlicet niſi fornicata fuerit, vel in morbum incurabilem inciderit, vel niſi religionem ingreſſus fuero, vel caſtitatem vouero: iuraui tibi parere in omnibus, videlicet, ſi licita et honeſta præceperis: iuraui ſtare iudicio arbitri ſub certa pœna, ſed non obligor niſi diſiunctiuè ex interpretatione iuris, vel ad ſententiam amplectendam, vel ad pœnam ſoluendam. Denique iuramentum quo iuras te dicturum quidquid ſcis de cauſa, intelligendum eſt de ijs, quæ ſecundum ordinem iuris dicenda ſunt, non autem de occultis, aut ijs quæ ſine grauiſſimo tuo damno non potes aperire. De his vide Clauem regiam *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 15. *& ſequentibus*. Bonacinam *de iuramen. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 16.

Clau. regia. Bonac.

Lay-

Layman. Filliuc. Syluest.

Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 9.* Filliucium *tract. 25. num. 227. & ſeqq.* Syluestrum *v. Iuramentum 3.*

13. Quædam conditiones in omni iuramento promiſſorio ſimpliciter & abſolutè facto ſubintelligendæ ſunt ex iure communi ad hoc vt iuramentum obliget, quarum prima eſt, *Saluo iure, & auctoritate Superioris*. In omni enim iuramento ius ſuperioris intelligitur exceptum, ex *cap. venientes, de iureiuran.* & ideò in omni iuramento intelligitur niſi contrarium præcipiat, aut velit ſuperior, & hoc in eis rebus, quæ ſuperioris authoritati et diſpoſitioni ſubiectæ ſunt, v. g. ſi is iuramentum ſibi præiudicans irritare, aut ob cauſam iuſtam in eo diſpenſare, vel relaxare velit.

Reg. iuris.

Secunda conditio eſt, *obſeruatio fidei propter quam iuratur*, quia fidem nõ ſeruanti, fides ſeruanda non eſt. Argum. Regul. de Reg. iuris in 6. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitã ſeruare recuſat*, intelligitur enim conditio hæc iuramento promiſſorio, ſi mihi fidem ſeruaueris, vt habetur *in cap. peruenit 2. & cap. ſitue 3. de iureiur.* Hæc conditio habet locum tantum in promiſſione reciproca mutuò ſe reſpiciente, v. g. promiſi tibi certũ quid, quia tu promiſiſti mihi aliquid aliud; nunc ſi tu non adimpleas ex parte tua promiſſum, nec ego teneor adimplere ex parte mea. Quando autem promiſſio non eſt reciproca, nec mutuo ſe refertur ad inuicem, ſed ad diuerſa, puta promiſi ſimpliciter librum & iuraui, & tu etiam ſimpliciter promiſiſti mihi aliquid facere & iuraſti: Certè licet ego nõ adimpleam promiſſionem meam, tu tamen non euitas periurium, ſi nõ adimpleas promiſſionem tuam, quia ſimpliciter promiſiſti, & non ratione promiſſionis meæ, et de ſpecie ad ſpeciem non admittitur compenſatio iuxta notata *in cap. bona fides, de depoſito.* & docent Syluester *v. Iuramentum 4. q. 3.* Clauis regia *lib. 5. cap. 5. n. 17.* Panormitanus *in cap. peruenit 2. n. 3. & 4. de iureiur.* Angelus *v. Iuramentum 5. n. 17.* & alii. Contra Molinam *diſp. 272.* et Sanchez *lib. 3. mor. cap. 17. n. 16.*

Syluest. Clau. regia. Panorm. Angelus Molin. Sanchez.

Tertia cõditio, *Niſi is, in cuius gratiam, & vtilitatem iuratum eſt, obligationem remittat expreſſè, vel tacitè.*

Circa hanc conditionem eſt diſtinctio adhibenda; nam iuramentum promiſſorium interdum fit ſaltem ſecundariò in gratiam alicuius, qui talem obligationem expetit, ſed non directè in eius vtilitatem, puta ſi alicui iuramento promittas te religionem ingreſſurum; tunc ille cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem; quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo. Quando verò promiſſorium iuramentum principaliter fit homini, ſiuè in vtilitatem hominis, tunc homine remittente obligationem, ceſſat obligatio iuramenti, vt tradunt cõmuniter Doctores. Interdum autem promiſſorium iuramentum principaliter fit Deo, ſiuè ob honorem Dei, de præſtando aliquo opere Charitatis, vel miſericordiæ erga certum perſonam puta ſi votum iuratum edas te Catharinæ pauperi dotem daturum, tunc certum eſt, te iuramento abſolui, ſi illa beneficium reſpuat. Si autem beneficium non reſpuat, nolit tamen iurantem ad id obligari, ſed in gratiam eius obligationẽ remittat, verum hoc ſufficiat ad iuramenti relaxationem? eſt controuerſum. Affirmant Nauarrus *c. 22. n. 15.* Henriq. *lib. 11. cap. 14. n. 6.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 52. num. 6.* probabiliter. Nam Deus acceptat eiuſmodi votum, ac iuramentum in ordine ad hominẽ, in cuius vtilitatem cedit: quare ſi hominis voluntati ſatisfactum ſit, etiam obligationi erga Deum ſatisfactum cenſetur. Negant Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 39.* Syluester *v. Sponſalia q. 10. caſu 1.* Angelus *ibid. num. vlt.* et alii non improbabiliter: quia Deus eiuſmodi promiſſionem ſibi factam, non tantum acceptat ob vtilitatem hominis, ſed etiam ob proprium honorem, & cultum. Quare licet per remiſſionem illam ſatisfactum ſit homini: non tamen omninò ſatisfactum eſt Deo; quãdo opus miſericordiæ piè, & laudabiliter ob Dei honorem præſtari poteſt, homine illud acceptante, licet non exigente, ſed obligationem quatenus poteſt ex ſua parte remittente.

Nauar. Henriq. Sanchez

Suar. Syluest. Angel.

Quarta cõditio eſt; ſi res in eodem ſtatu permanſerint, ſiue notabiliter mutatæ non fuerint: quia notabilis mutatio quaſi aliud obiectum facit, ad quod veriſimili præſumptione, iurantis & promittentis intentio ſe non extendebat: vnde ſponſus poſt ſponſalia etiam iurata reſilire poteſt propter ſponſæ deformitatem grauem ſubſequentem, aut fornicationem, vt habetur *in cap. quemadmodum, de iureiur.* Vide Sanchez *lib. 4. moral. cap. 2. n. 20. 21. & 22.* Clauem regiam *lib. 5. cap. 5. n. 18.* Molinam *tom. 2 diſp. 272.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 9. num. 4.* apud quos plura exempla reperies.

Sanchez. Clau. regia. Molin. Layman

14. Qui iniquè & irrationabiliter ab altero adigitur ad iurandum, non peccat quocunque modo alterum decipiat circa ſenſum orationis de futuro quam confirmat iuramento, ſiue id faciat amphibologia, aut verborum artificio, ſiue aliqua conditione in mente ſubintellecta, quam ore non exprimit, nec tenetur illud adimplere iuxta mentem alterius; vt ſi ſic iures latroni per vim te ad iurandum adigenti, teſtor Deum me tibi daturum centũ, in animo tuo intelligens, ſi tibi debeo. Ratio eſt, quia in caſu quo quis alterum decipit per conditionem tacitè ſubintellectam, verum dicit, verumque iurat, licet non quidem illud verum quod alter voluiſſet. Ita Nauarrus *in cap. humanæ aures 22. q. 5.* Valentia, Toletus, & alii citati ſupra *Iuramentum 3. num. 10. verſ. Quamuis probabile ſit.*

Nauar. Valent. Tolet.

Dices, hic committit mendacium externum, quia ſignificat expreſſè ſe velle ſoluere, cùm tamen nolit in animo ſoluere; ergo &c. Reſp. negãdo antecedens: quod enim ille eloquitur exteriùs, non eſt contra eius mentem, ſed potius eius menti conſentaneum, licet totum conceptum mentis non repræſentet, ſed ſolùm partem; nec hoc eſt, inordinatum, quia iuſtam habet cauſam non totum aperiendi, ſed ſolùm partem: nec refert verum ea pars ſit conditionata, et ab alia dependens, an abſoluta: ſufficit enim vt cum reliqua parte orationis mentalis coniuncta, vera ſit.

Dices 2. hoc eſt fallere proximum, & falſum iudicium in generare? Reſp. eſt ſolùm permiſſiuè fallere: vtor enim iure meo tegendo intentionem meam: quod ſi inde alter cõcipiat aliam eſſe mentem meam, hoc ſuæ imprudentiæ, vel leuitati adſcribat, cum poſſit aduertere eas adeſſe circumſtantias, quibus poſſim hoc modo mẽtem meam non niſi ex parte, & inadæquatè pateſacere. Hæc dicta ſint iuxta probabilem prædictorum Doctorũ ſententiam contra quam inſurgunt *Caietanus, Sotus, Malderus, Syluius*, et alii plurimi, loco adducto citati. Et de hoc particulari caſu, an iuramentum præſtitum raptori, vel latroni ſit ſeruandum? Vide Dianam *par. 8. tr. 7. reſ. 57.* vbi ex vtroque *Molina, Suarez, Leſſius, Gutierrez* reſoluit tale iuramentum valere, et indigere relaxatione, *ex cap. ſi verò de iureiur.* quia obſeruari poteſt abſque diſpendio ſalutis æternæ.

Diana.

15. Grauis eſt inter Doctores controuerſia, an iuramentum latroni per metum præſtitum, de non denunciãdo illum iudici vel Eccleſiæ, valeat & obliget? Quidam enim cenſent id iuramentum non obligare; nam contra bonum publicum eſt, ab hac denunciatione abſtinere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad 3.* & ibi Caietan. *dub. vltimo, circa ſolutionem ad 3.* Syluius *ibid. quæſit. 1. ad 6.* et alii.

D. Thõ. Caiet. Syluiu.

Sed melius diſtingunt Sotus *lib. 8. de iuſtit. quæſit. 1. art. 7. ad 3.* Arragon, Rodriquez quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 3 mor. cap. 21. n. 12.* Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſp. 22. ſect. 8. n. 235.* Si caſus occurreret ſub præcepto obligans illum ad denunciandũ, quia latro ille tam nefarius eſt, vt id ad bonum commune expediat, tale iuramentum non obligaret, eo quòd ſit contra bonum publicum. Similiter nõ obligaret, ſi ille interrogaretur iuridicè. Et in his duobus caſibus tenet verum prædicta ſententia. Si autẽ ſecluſo eo iuramento, non eſſet obligatio illum denunciandi, iuramentum valeret, cum eſſet de re quæ ſine peccato impleri poteſt. Cæterum poſſet ille iurare cum æquiuocatione ad decipiendũ eum, non tamen poſſet promittere in ſenſu latronis, & multo minus deberet, aut poſſet illud poſtea implere, etiamſi licitè, vel illicitè ex animo iuraſſet, vt docet Sapientiſſimus Cardinalis Lugo *loco citato.*

Arragon Rodriq. Sanchez. Lugo.

16. Iuramentum homini præſtitum eſt ita perſonale ex parte iurantis, vt eius obligatio ex iuramenti ac

religionis vinculo minimè ad hæredes tranſeat, ac ſucceſſores ipſius iurantis: quare hi non adimplentes iuramentum defuncti minimè erunt periuri. Sed ſolùm tenentur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantum eius vires ſufficiunt ratione contractus defuncti, ſicut ad cætera eius debita, reliquosque eius contractus tenentur. Ratio eſt, quia iuramentum eſt vinculum perſonæ quod iurans voluntariè aſſumit, obligatio autem perſonæ non tranſit ad hæredes. Ita D. Thomas 2.2.q.98. art.2. ad 4. & ibi Caietanus, Suarez *lib. 2 de iurament. cap.31.* Layman *lib.4.tract.3.cap.10.* Filliucius *tract.25.num.224.* & alij communiter. Quod quidem verum eſt, etiamſi iurans non ſolùm iurauerit pro ſe, verum etiam pro ſuis ſucceſſoribus; nam obligatio iuramenti perſonalis eſt. Obligatio autem contractus, ſupra quem cadit iuramentum tranſmittitur ad hæredes, modò contractus ſit validus, vel ſaltem validus efficiatur, ſeu firmetur iuramento: quia hæc eſt obligatio realis, & ſecundùm omnes Doctores, obligatio realis tranſmittitur ad hæredes, *ex l. neceſſario, §. quod ſi pendente ff. de periculo, & commodo rei vendita.*

D. Tho. Caiet. Suar. Layman Filiuc.

Hinc deducitur hæredes illius, qui iurauit latroni, vel vſurario, vel alii, qui rem promiſſam iuramento tenetur reſtituere, non teneri ſoluere, nec id iuramentum implere, quamuis non impleuerit defunctus: quia nulla contractus ratio obligabat defunctum, ſed ſola iuramenti religio, quæ non transfertur in iurantis hæredes. Vt tradunt Couarruuias *de pactis 2. part. §. 1. num. 7. verſ. Quidquid ſit,* Sanchez *lib.3. moral. cap.13. num.5.* Molina *diſp.150.* & alii apud ipſos.

Couar. Sanchez. Molin.

17. Iuramentum non eſt perſonale ex parte eius, cui præſtatur, & ſic tranſit in hæredes ipſius. Exemplum ſit, iurat quis dare centum Petro, tenetur ex vi iuramenti, defuncto ante ſolutionem Petro, ſoluere ea centum hæredibus Petri. Ratio eſt, quia actiones defuncti tranſeunt ad hæredem. Cùm ergo defunctus habuerit actionem, vt ex vi iuramenti illa centum ſibi darentur, eadem et actio ad hæredem tranſibit. Idque probatur partim *ex l. ſi pactum ff. de probationibus*, in qua habetur pactum ſiuè promiſſionem tibi factam, ad hæredem quoq. extendi, licet expreſſum non fuerit: iuramentum autem ſuſcipit naturam & conditiones promiſſionis, cui apponitur: partim vero *ex cap. veritatis, de iureiurand.* in quo habetur, vaſſallum, qui iurauit Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandẽ etiam ſine nouo iuramento debere ſucceſſoribus: quamuis eorum expreſſa mentio facta non fuerit; quod intelligi debet, ſi iuramentum præſtitum eſt Prælato, vt Prælatus eſt, ſiuè ratione officii, ac dignitatis ſuæ, v. g. promitto, & iuro obedientiam Regi, Epiſcopo: Quamquam id non tam ex verbis, quibus perſona ipſa, vel dignitas, ſeu officium eius nominatum eſt: ſed potiùs ex materia ſubiecta cognoſcendum: num videlicet promiſſum ſit aliquid, quod ad publicum officium; an verò quod ad priuatam perſonam pertinet. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.27. num.2. & lib.3. moral. cap. 13. num.8. & 6.* Couarruuias *in cap. Requiſiti num. 2. de teſtam. & de pactis 2. part. §.5. num.4.* & alii.

Sanchez. Couar.

18. Iuramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto ratione illius dignitatis, non ampliùs, obligat eo ab illa dignitate remoto: quia cauſa eius obedientiæ ceſſat, *ex cap. venerabilem in fin. de elect.* Similiter, quando quis iurat ratione alicuius dignitatis, aut officii in ſua propria perſona exiſtentium, ceſſantibus illis ceſſat quoque obligatio iuramenti: quia ea iuramenta ſunt dignitati et officio annexa: vt ſi quis tamquam canonicus iuret ſtatuta ſuæ Eccleſiæ ſeruare, non tenetur relicto canonicatu ea ſeruare. Ita Abbas *in cap. veritatis num.3. de iureiurando.* Caietanus *2. 2. q.89. art.9. ad finem.* Sylueſter *verb. Iuramentum 4. quæſt. 2. & 3.* Sotus *lib.8. de iuſtit. quæſt.1. art.9. ad 2.* vt decernitur *in cap. ad Apoſtolicam de ſent. & re iudic. in 6.*

Abbas. Caiet. Sylueſt. Sotus.

19. Ex iuramento confirmatorio promiſſionis ab altero acceptatæ conceditur actio in externo foro tam ciuili, quàm canonico. Ratio eſt, quia hoc caſu iuramentum nõ tantum inducit obligationem religionis erga Deum; ſed etiam firmat obligationem naturalem fidelitatis, ac iuſtitiæ erga hominem. Si enim contractus per ſe ciuilem obligationem actionemque gignit, v. g. emptio & venditio, inter maiores natu celebratus, multo magis tamen obligandi vim habet ſi iuramentum acceſſerit. Ita Couarruuias *in cap. quamuis pactum part.1. §.2. & part. 2. §. 4.* Suarez *lib.2. de iuram. cap.25. n.7.* Si autem iuramentum non ſit confirmatoriũ promiſſionis, ſed per ſe ſtans, ideoque ſolum obligans ex virtute religionis erga Deum tunc nullam propriè actionem parit. Ratio eſt, quia actio eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, *§. 1. Inſtit. de action.* Sed in iuramento per ſe ſtante, nulla eſt obligatio, ſiuè debitum ex iuſtitia, ſed tantum ex virtute religionis erga Deum. Ergo non eſt locus propriè dictæ actioni. Nihilominus in foro externo Eccleſiaſtico, talis iurans iudicis officio compelletur ad ſeruandum iuramẽtum: quod iudicis officium is, in cuius vtilitatem iuratum fuit, eiusq. etiam hæres implorare poterit. Ita Suar. *lib.2. c.29. n.23.* Vaſq. *in tract. de teſtam. c.3. n.33.* & alii.

Couar. Suar.

Suar. Vaſquez

20. Laicus ratione iuramenti conueniri poteſt coram iudice Eccleſiaſtico, vt habetur *in cap. fin. de foro compet. in 6.* Ratio eſt, quia iuramentum eſt res quædam ſpiritualis pertinens ad religionem, et ob id dicitur vinculum ſpirituale. Conueniri etiam poteſt coram iudice laico, nam in dicto *cap. fin.* non extrahitur laicus à foro laico ratione iuramenti, ſed ſubiicitur etiam foro Eccleſiaſtico, nec ob iuramentum mutatur forum, ſed additur forũ foro, id eſt, ſi contractus iuramento confirmatus ſit poteſt quidem iurans ratione contractus politici, coram ſæculari Iudice conueniri, vt is totam litem definiat: ſed poteſt etiam conueniri coram iudice Eccleſiaſtico, ratione interpoſiti iuramenti, cuius obligatio per ſe ad forum Eccleſiaſticum ſpectat, quare in tali caſu materia iuramenti mixti fori eſt. Si tamen iuramentum ſit factum ſoli Deo, de eiuſmodi iuramento ſolus iudex Eccleſiaſticus cognoſcit: quia nullus adeſt contractus cum homine celebratus, ratione cuius competat foro ſæculari poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum adeſt ſpirituale vinculum, quo iurans ſpiritualiter deuinctus eſt, & ſoli Deo ius acquiſitum eſt. Quotieſcumque autem de viribus, ſeu valore iuramenti agitur, ſiuè in dubium probabile vertitur, vtrum licitum ſit, necne, obligatorium necne, huius rei cognitio ad ſolum Eccleſiaſticum Iudicem ſpectat, vt habetur expreſsè *in cap. venerabilem, §. verum vero, de elect.* & docent Gutierrez *de iuramento 3. par. cap.12.* Sanchez *lib. 1. de matrimon. diſput.22. num.18. & lib.3. moral. cap. 13. num.13. & ſeqq.* Layman *lib.4. tract.3. cap.11. num.10.* & alii.

Gutier. Sanchez. Layman

21. Iudex ſæcularis poteſt cogere laicos ad condonandam obligationem iuramenti, metu aut iniuria extorti, quando conſtat de recipientis turpitudine, & tenentur ipſum relaxare; ſi tamen dubium adſit, ſolus iudex Eccleſiaſticus erit competens. Nota etiam quod quando iudex laicus poteſt hoc efficere, poterit etiam iudex Eccleſiaſticus, et ideo iurans poterit relinquendo Iudicem laicum, adire Iudicem Eccleſiaſticum, vt compellat creditorem ad remittendum huiuſmodi iuramentum, vt habetur *in cap. 1. de iureiuran.* et docent Azorius *tom. 1. lib. 11. cap.9. q.6. in fin.* Molina *tract. 2. diſp. 149. verſ. aliud accipe,* Couarruuias *lib. 1. var. cap.4. num. 5.* et alii.

Azor. Molin. Couar.

22. Iuramentum contra ſimplicem promiſſionem non incipit obligare, ſi ceſſet obligatio ſimplicis promiſſionis. Vt colligitur *ex cap. placuit, & cap. quidam, de conuerſ. coniug.* Ratio autem eſt, quia obligatio non inducitur, quando non habet cauſam, per quam inducatur; vnde nec per iuramentum induci poteſt, niſi adſit iuramentum; in hoc autem caſu licet adſit iuramentũ materiali modo, non adeſt tamen ſecundum vim obligatiuã, quia cum non ſit validum, nec etiam habere poteſt vim obligatiuam, imo cum iuramentum ſit nullum, non eſt verum iuramentum; vnde nec etiam habere poteſt verum effectum. Et ideò cum non ſuccedat aliud iuramentum, quando ſimplex promiſſio ceſſat obligare, non conſurget ex vi prioris iuramenti aliqua obligatio. Et hic habet locũ regula vtriusque iuris; quod non fit validum tractu temporis, quod ab initio validum non fuit, vt habet regula, *Nõ firmatur, de reg. iur. in 6.* et regula *quod ab initio, ff. de reg. iur.* vnde ſi ſemel iuramentum eſt inualidum, non poteſt fieri validum, quando ceſſat obligare ſimplex promiſſio,

fieret

Digitized by Google

fieret autem validum ſi tunc inciperet obligare.

Secus eſt de iuramento valido ab initio, quod ceſſat obligare, ſi res, de qua eſt, fiat illicita: quia hoc eſt ſecũdùm ipſius naturam; nam de natura iuramenti eſt, vt obliget, quamdiu durat materia: ceſſante autem materia: ceſſat etiam obligatio. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 50. nu. 6. & lib. 3. moral. cap. 9. num. 26.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 19. num. 15.* Abbas *in cap. Placuit, numer. 4. de conuerſ. coniug.* vbi docet, quòd promiſſio facta tempore habili non obliget tempore inhabili. Contra Nauarram *in man. cap. 12. num. 89.* & Couarruuiam *4. Decret. 1. par. cap. 4. §. 1. num. 10.*

Sanch. Suarez. Abbas.

23. Iuramenti aſſertorii obligatio maior eſt, quàm voti. Ratio eſt, quia obligatio veritatis dicendæ, quam includit iuramentum aſſertorium, pertinet ad præceptum negatiuum, vt ex forma præcepti conſtat, *Non aſſumes in vanum nomen Dei tui*. Et ita obligat ad non irrogandam Deo grauiſſimam iniuriam, negando illi, quatenus eſt ex parte peierantis, eſſe ſummam veritatem, nec fallere, nec falli potentem. At obligatio voti pertinet ad præceptum affirmatiuum, *Redde Domino vota tua*. Et obligat ad ſeruandam Deo fidelitatem. At peius eſt iniuriam paſſiuam directam alicui irrogare, quàm eſſe illi infidelem deijciendo à fide data. Ruſſus ſi aliquid iuramento promittas Deo, certum eſt te magis obligari, quàm ſi ſolùm voueas Deo: quia illud iuramentum etiam continet votũ, vnde eſt duplex in eo vinculum. Nec refert vtrum expreſſè an tacitè promittas; vt ſi iures te daturum eleemoſynam; quia tale iuramentum ſoli Deo factum, cenſetur continere votum; continet enim tacitam promiſſionem ad ipſum directam. Ita Suarez *tr. de iuram. l. 3. c. 3. num. 5.* Leſſius *l. 2. cap. 42. dub. 11.* Sanch. *lib. 3. moral. cap. 9. num. 4.* & alij.

Suarez. Leſſius. Sanchez

Difficultas eſt inter Doctores, ſi nihil Deo promittas, ſed ſolùm homini; vtrum talis iuramenti maior ſit obligatio quàm voti, quo ſimile quid Deo voues? *Reſp.* multos ſuſtinere maiorem eſſe iuramenti obligationem, quorum ſententia improbabilis non eſt: ſed quia res hæc non multùm ad praxim confert, probabilius eſt maiorem eſſe voti obligationem. Ratio eſt, quia voti violatio pertinet ad perfidiam contra Deum: iuramenti autem violatio ſolùm ad irreuerentiam: Maius autem peccatum eſt, eſſe Deo infidelem, quam irreuerentem: nam hæc infidelitas irreuerentiam includit, non contra, irreuerentia infidelitatem. Præterea votum habet propinquiùs Deum pro obiecto, quàm iuramentum: Nam votum fit Deo, iuramentum homini, tametſi per Deum, vnde opus quod fit ex voto, eſt opus religionis, non autem opus quod fit ex iuramento, ergo maior eſt obligatio voti, quàm iuramenti. Ita docent D. Thomas *2. 2. q. 89. art. 8.* Caietanus, Syluius *ibid.* Sotus *l. 8. q. 1. art. 8.* Henriquez *lib. 7. cap. 30.* Malderus *tr. 10. cap. 6. dub. 8.* Suarez *l. 2. cap. 2. num. 7. & ſeq.* Sanchez *loco citato*.

Sotus. Henriq. Malder. Suarez. Sanch.

24. Iuramenta parentum, herorum aut dominorum, quibus iurant ſe punituros filios, famulos, aut ſeruos, communiter non obligant: quia communiter fiunt ex ira & paſſione, atque animo vindictæ ſumendæ, & ſic non ſunt de actu virtutis, quinimò promiſſio illa fit ſub ratione culpæ. Quod ſi aliquando ad debitam correctionem ordinantur, & ita obligant, at ſæpe tam melius committant abſtinendo ab ea punitione: eo quòd indicent melius eſſe non punire, ne placata iam domus fletibus conturbetur, vel ne puniti fiant deteriores cauſa ſupplicii, vel quando mutatur ſtatus rei, vt ſi ſeruus, vel filius veniam petat corrigi paratus vel ſi amicus veniam illis concedi petat. Ita docent Clauis regia *lib. 5. cap. 5. numer. 13.* Caietanus *in Sum. verb. Minuni, & verb. Periurium ad finem*. Valentia *2. 2. diſp. 6. quæſt. 7. punct. 3.* Toletus *l. 4. cap. 22. num. 7.* Tabiena *verb. iurare, quæſt. 10. n. 1.* Quoties autem iuſta excuſandi cauſa abeſt, tranſgreſsio horum iuramentorum excuſatur à mortali ratione paruitatis materiæ vt bene docet Sotus *l. 8. de iuſtit. q. 1. art. 7.* Ibidem dicendum eſt de iuramentis puerum leuiter iurantium ſe accuſatores alium puerorum coram parentibus vel magiſtro, excuſantur enim à mortali peccato ratione paruitatis materiæ.

Cla. reg. Caiet. Valent. Tolet. Tabiens

25. Iuramentum vrbanitatis gratia præſtare ſolitum in ingreſſu, vel egreſſu alicuius loci, non ingrediendi, aut egrediendi priùs, non eſt obligatorium. Quia eiuſmodi iuramenta imbibunt tacitam conditionem, nempe, quod ad me attinet, non præcedam, & ita non violat iuramentum, quando altero contendere præcedit. Quo pacto S. Petrus dixit Chriſti, *Non lauabis mihi pedes in æternum*, intendens, ſcilicet, quantum in ſe erat, & ſic nec faciendo oppoſitum deeſt iuramento veritas. Tum quia id iuramentum cedens in alterius honorem poteſt ab ipſo remitti, & re vera remittitur, quando alter iure ſuo cedens contendit vt alter tranſeat. Cæterum quamuis ſimilia iuramenta piè interpretanda ſint quantum eſt ex parte iurantis, a parte tamen rei indiſcreta ſunt iuramenta: ideò ſic iurans communiter peccat venialiter propter indiſcretionem, faciẽdo tamen contrarium periurus non eſt, quia non facit cõtra intentionem implicitam & communiter cognitam in huiuſmodi. Ita Caiet. *2. 2. quæſt. 89. art. 7. dub. 2. & in ſum. verb. Periurium §. 3.* Leſsius *l. 2. cap. 42. numero 22.* Clauis regia *l. 5. cap. 5. n. 14.* Suarez *tract. de iuram. lib. 3. c. 17. n. 9.* Tabiena, Toletus, & alii.

Caiet. Leſſius. Clauis reg. Suarez. Tabien. Tolet.

Similiter iuramenta inter emendum & vendendum vſurpari ſolita, non emendi auctiori pretio, aut non vendendi viliori, non ſunt obligatoria: quia neutrum ad Dei obſequium, aut hominis cui fit, vtilitatem pertinent, vt docet Sanchez *l. 3. moral. cap. 9. num. 15.*

26. Quidam cenſent promiſsionem prodigam iuramẽto firmatam ſolùm obligare quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas, non verò quoad incrementum; quia eſt promiſsio rei venialiter malæ quoad id incrementum. Ita Arragon. *2. 2. qu. 89. art. 7.* Suarez *lib. 2. cap. 23. in fine.* Sotus *lib. 8. quæſt. 1. art. 7. ad finem corporis* probabiliter. At non minus probabile eſt, integrè obligare: quia etſi in modo prodigè promittendi ſit culpa, non tamen eſt ex parte rei promiſſæ: & licet a principio promittendo liberè eam quantitatem ſit prodigalitas, at in executione ea non reperitur, nec aliqua culpa, ſed impletio debiti iam contracti: Sicut in promiſsione mercedis meretrici facta eſt culpa, quia eſt approbatio actus turpis, & ad eum inductio, at in ſolutione poſt actum turpem, nulla eſt culpa, ſed debiti ex iuſtitia ſolutio. Ita Molin. *tract. 2. diſp.* 271. Caiet. *2. 2. q. 32. art. 7.* Valent. *tom. 3. diſp. 5. q. 6. punct. 5.* & alii.

Sanch. Suarez. Sotus. Molina. Caietan. Valent.

27. Certiſsimum eſt apud omnes iuramentum ſoluendi vſuras, obligare, vt habetur expreſsè in *c. Debitores, de iureiurando*. Ratio eſt, quia ex iuramento facto homini duplex obligandi ratio poteſt conſurgere, altera homini ratione promiſsionis ipſi factæ & ex hac parte iuramentum per iniuriam extortum non obligat, homo enim per iniuriam nullum ius acquirit; altera vero Deo in teſtem adducto, & ex hac parte obligat iurantem reddere Deum teſtem veracem implendo promiſsionem teſtimonio ſui nominis confirmatam, quando promiſsio poteſt abſque peccato impleri. Huiuſmodi eſt autem ea ſolutio vſurarũ, etſi enim vſurarius peccet recipiendo, non tamen peccat iurans ſoluendo. Et ideo dicendum eſt eam ſolutionem ſuppoſita promiſsione eſſe actum virtutis magnæ veracitatis & fidelitatis, etiam quando promiſsio ex ſe non obligabat. Præterea ſolutio illa eſt valde vtilis vt petentibus mutuum, quo indigent, fides adhibeatur, ſi vſuras a ſe petitas promittant iuramento, & ſic mutuum illud inueniant. Quæ cauſæ ſatis ſunt ad eam ſolutionem cohoneſtandam, licet non ſufficiant, vt ea non iurata obliget. Ita D. Thom *2. 2. quæſt. 89. art. 7. ad 3.* ab omnibus receptus, vt deciditur in *c. Debitore. ſupra*, vbi habetur, *Debitores ad ſoluendas vſuras in quibus ſe obligauerint, cogi non debent. Si verò de ipſarum ſolutione iurauerint, cogendi ſunt domino reddere iuramentum.*

D. Tho.

28. Qui iurauit ſeruare ſtatuta reipublicæ, collegii, vniuerſitatis alicuius, confraternitatum, officii, &c. tenetur ea ſeruare, quæ ſunt maioris momenti, & ea quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in vſu, niſi aliter conſtet de mente iurantis ſeu niſi iurauerit non habito reſpectu ad ſtatutum, ſeu niſi iurans voluerit ſcienter ſe obligare ad rem illam ſtatuto contentam independenter à ſtatuto. Vnde ſi grauis momenti ſint ſtatuta & ita accipiãtur quaſi ſub mortali obligent, tunc iuramenti tranſgreſsio nouam mortalem ſacrilegii malitiam adiicit, ſi verò leuioris momenti ſtatuta ſint, vel ſi ita ea accipi ſoleant, vt ſub

venia-

Digitized by Google

veniali tantùm culpâ obligent vel ſolum ad pœnam ſubeundam; tunc iuramenti obligatio ſimiliter intelligi debet. Conſtat ex *Clement. 1. §. cum igitur in primis, verſ. Declaramus, de verb. ſignificat.* Ratio eſt, quod ille non iuret præciſe rem illam ſeruare in ſtatuto contentam, ſed prout continetur in ſtatuto, ſeu ſtatutum ipſum. Ergo obligatio iuramenti metienda eſt iuxta ſtatuti obligationem. Deinde iurantes aliqua præcepta ſub certa pœna non ſunt periuri tranſgrediendo, nec peccant mortaliter, ſed ſatis eſt pœnam ſoluere. Ita Medina *t. 2. q. 69. art. 4. uerſ. Ex his patet.* Filliucius *tract. 25. num. 229.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 9. num. 2.* Sanchez *lib. 3. moral. cap. 14. num. 2.* & alii penes ipſos. Materia autem ſtatuti iurati tunc cenſetur grauis, vt conſtituat periurium mortale, quando tanti momenti eſt, vt iuramento ſecluſo, ſtatutum, ſuæ materiæ ratione, ſufficiens eſſet ad obligationem ſub mortali.

Medina. Filliuc. Laym. Sanch.

29. Iuramentum de ſeruando ſecreto ſiue non reuelandis iis, quæ in capitulo Definitorio apud regulares, Concilio, &c. tractantur, intelligi debet, quatenus materia ſecretum poſtulat; & ita ſi magni momenti exiſtat, & valde interſit non euulgari, eius euulgato mortalem etiam culpam contra religionis virtutem, propter violatum iuramentum, continet. Ita habet communis ſententia Doctorum. Si autem leuis ſit, difficultas eſt, inter authores, quidam enim arbitrantur tranſgreſſionem iuramenti in re leui ſerio promiſſa eſſe mortalem: quia, qui confirmat promiſſionem iuramento quam non adimplet, facit quãtum in ſe eſt, vt Deus ſit adductus in teſtem falſitatum quia, veritas quæ principaliter requiritur in iuramento, eſt eiuſdem rationis in re parua & magna, vt docent Leſſius, Valentia, Reginaldus, Bonacina citati *Iuramentum IV. numer. 3. ſupra* quorum ſententia etſi tutior & probabilior ſit. Nihilominus probabilis etiam eſt opinio aſſerens abſolutè violantem iuramentum in re parua peccare ſolùm venialiter, ſiue res illa ſit totalis ſiue partialis materia iuramenti, quam ſuſtinent *Nauarrus, Suarez, Syluius, Sanchez, Diana* & alii, eodem verbo a nobis citati.

Leſſius. Valent. Regin.

30. Ad iudicandum, an promiſſiones humanæ obligent ad mortale, non ſpectandum eſt, qualis ſit materia promiſſa in ordine ad diuinum obſequium, ſed qualis ſit in ordine ad hominem, in cuius gratiam fit, & quãtum illius interſit promiſſionem illam impleri. Quia Deo nihil promiſſum eſt, nec eius intuitu, ſed ſoli homini in eius gratiã. Ergo ex hac hominis gratia, eiuſque fauore, obligatio promiſsionis metienda eſt; & ſi eius plurimum interſit promiſſionem impleri, tranſgreſſio erit mortalis. Quando autem parum intereſt, vt communiter contingit, tranſgreſſio erit venialis. Idem dicendum, etſi ea promiſsio iuramento firmata ſit, nullo habito intuitu ad Deum, ſed merè ad gratiam & beneuolentiam hominis, cui promiſsio fit. Et hæc dicta ſint, iuxta ſententiam Nauarri, Sanchez & aliorum ſupra.

34 In Eccleſia Dei eſt legitima ſpiritualis poteſtas vere relaxandi iuramenta, & non ſolùm declarandi ea in certo caſu non obligat. Quod quidem intelligitur de iuramento promiſſorio, nam in aſſertorium relaxatio nulla cadere poteſt: nemo enim diſpenſare poteſt, vt quis falsò iuret vt pote quod eſt intrinſecè malum, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 89. ar. 9.* communiter receptus. Vt autem hæc iuramenti relaxatio valida ſit, deſideratur iuſta cauſa, ſecundùm omnes: quia vinculum iuramenti non obligat ex iure humano, in quo diſpenſatio Pontificis abſque conceſſa valet, ſed obligat ex iure naturali diuino, in quo nec Pontifex validè diſpenſare poteſt abſque cauſa. Cauſæ autem quæ exiguntur, ac ſufficiunt ad diſpenſandum in votis, exiguntur quoque & ſufficiunt ad relaxanda iuramẽta Deo præſtita, quia voti rationem induunt. Et quando cauſa ad relaxandum non fuerit ſufficiens, debent partim relaxari & partim commutari, ſicut in voto, vide *ſupra iuramentum V. n. 9.* & 10.

D. Tho.

32. Aliqua ſunt iuramenta præter quinque communia, quorum relaxatio ſoli Romano Pontifici reſeruatur. Vt ſunt iuramenta, quibus confirmantur ſtatuta collegiorum, Academiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, modò hæc ſtatuta proueniant a Summo Pontifice. Item iuramenta, quibus ſe inſignes viri obſtringunt coram Pontifice vel eius locum tenente, cuiuſmodi ſunt Reges, Duces, Marchiones, Comites ſupremam præſertim in temporalibus iuriſdictionem habentes, Epiſcopi, Superiores Eccleſiarũ, Antiſtites, aliique Romano Pontifici proximè ſubiecti. Denique iuramenta, quæ in rebus dubiis & maximè arduis interponuntur. Ita Abbas *in c. quanto, n. 9. de iureiurand.* Sotus *l. 8. de inſt. q. 1. ar. 9. uerſ. Tertium membrum* & poſt illos Sanchez *l. 3. moral. c. 19. n. 7.* Suarez, Azorius, Reginaldus & alij.

Sotus. Sanch. Suar. Azor. Regin.

33. Irritatio iuramenti dupliciter poteſt fieri, primò directè, Secundò indirectè. *Directe* fit ratione materiæ, quę liberæ irritantis diſpoſitioni ſubditur. Et hoc modo Pontifex reſcindere poteſt iuramenta præſtita circa rerum Eccleſiaſticarum & officiorum Eccleſiaſticorum diſtributionum; circa augenda & minuenda beneficia, &c. Et hæc facultas comparatur poteſtati, quam habent parentes irritandi iuramenta filiorum & viri vxorum. *Indirecte* autem reſcindit Pontifex iuramenta, per naturam rationis conſequentis, quod accidit, quoties Epiſcopus vel Rex deponitur: nam eo ipſo iuramenti vinculo ſoluuntur, qui fuerant illis adſtricti ex *c. Ad Apoſtolica. de ſent. & re iudic. in 6.* Similiter quoties ſtatuta ciuitatis vel collegij reuocantur authoritate potentis reuocare reſcinditur eo ipſo indirectè iuſiurandum de ipſis ſeruandis præſtitum. Ita Caiet. *2. 2. q. 89. art. 9. circa ſolutionem ad 3.* Sotus *l. 8. de inſt. q. 1. art. 9. uerſ. eſt autem hic*, apprimè. Azorius *lib. 11. cap. 9. q. 4.* & alij apud Sanchez *moral c. 20. n. 1. & 2.* Ratio horum omnium eſt, quia hæc ita ſubſunt inferioribus poteſtatibus, vt Papa ſit magis potens ſuper hæc diſpenſanda, diſtribuenda, commutanda, iniubenda, quàm quæcumque inferior poteſtas, tam perſonalis, quam collegialis vt nulli iniuriam faciat vtendo iure ſuo. Imò in ipſo iuramento intelligitur ſemper ſuperioris ius exceptum vt patet *ex c. uenientes de iureiurando.*

Caiet. Sotus. Azor. Sanch.

34 Iuramentum & votum inter ſe differunt, primo, ex parte obiecti, eo quod votum fit ſoli Deo; iuramentum autem & Deo & homini fieri poteſt. *Secundo* ex parte materiæ, quia propria materia voti eſt opus ſupererogationis materia verò iuramenti cuiuſcumque opus virtutis, vt ius ſuum vnicuique tribuere, &c. *Tertio* ex parte diſpenſationis, quamuis enim Pontifex diſpenſare poſsit in voto, quod maius eſt, non inde inferre licet poſſe diſpenſare in iuramento, quod minus eſt, Nam relaxare non poteſt iuramentum alteri factum de ſoluendo ei certam pecuniæ ſummam, cùm nõ habeat facultatem tollendi alteri, quod ſuum eſt; quod tamen relaxare poteſt alter cui promiſsio illa facta eſt. E contra verò, qui votum fit Deo, cuius Papa Vicarius eſt, poteſt illud in aliquid aliud quod ſibi magis gratum eſt, commudare, imò ex cauſa iuſta illud omnino tollere, in quo tamen voto priuatus homo diſpẽſare nequit, cùm Dei Vicarius non ſit. *Quarto* ex parte diſpenſationis reſpectu materiæ, quod in commutatione & diſpenſatione votorum attendi debet id, quod Deo magis gratum eſt; In iuramentis verò relaxandis caueri debet, ne iniuria fiat tertię perſonę. Ita cõmuniter Doctores.

35. Ad irritationem iuramenti vel voti non eſt neceſſaria iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſed ſatis eſt, quod irritans habeat dominium ſuper rẽ iuramento vel voto promiſſam. Nec neceſſarius eſt conſenſus eius, qui iurauit, ſed irritari poteſt, ipſo inuito, atque renuente dummodo velit ille, penes quem eſt dominium eius rei quam iuramento iurans promiſit. Nec eſt neceſſaria cauſa, ſed ſufficit quòd ille ex cuius voluntate res promiſſa dependet, contradicat. Proinde iuramenta quæ irritari poſſunt, non ſunt firma iuramenta, ſed illorum obligatio ex nutu & voluntate eius pendet, qui habet dominium rei promiſſæ. Et in his nulla eſt difficultas inter Doctores.

36. Superior, qui conſenſit in iuramenta ſubditorum, aut pater in iuramenta filiorum, &c. non poteſt amplius ſine peccato abſque cauſa irritare, quia per licentiam vel approbationem conceſſam, iuramentum iam confirmationem obtinuit, ad cuius relaxationem requiritur iuriſdictio ſpiritualis, & cauſa; vnde pater, maritus, vxor, & dominus, illa amplius abſque peccato, niſi iuſta & rationabilis cauſa ſuperueniat, irritare non poſſunt, cùm iam conſenſerint: vnde laica ad Epiſcopum pro diſpenſatione recur-

recurrere debent, vt liberentur à tali iuramento, quando cauſa nulla irritationis adeſt. Qualis autem culpa ſit ſuperioris irritantis abſque iuſta cauſa iuramentum vel votum ex licentia ſua emiſſum. Roſella *verb. votum* 3. *num.* 2. dicit eſſe culpam venialem. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 4. *ad finem* dicit rarò eſſe lethalem, niſi vel ſcandalum vel contemptus grauis intercedat. Cæterum licet hoc ſit ſatis probabile, Sanchez tamen *l.* 4. *moral. cap.* 27. *n.* 32. cũ multis aliis à ſe citatis *n.* 28. ſuſtinet probabilius eſſe, culpã mortalem reperiri in ea irritatione, quæ reducitur ad ſacrilegium contra votum. Ratio eſt, ſicut ſuperior dans licentiam ſubdito promittendi aliquid homini, cooperatur illi obligationi, & quaſi offert rem illam ei homini, ita dãs licentiam promittendi Deo quantum eſt ex ſe, obtulit Deo materiam illius voti & ad illud cooperatus eſt. Ergo reuocans eſt iniurius illi voto & peccat in illud. Quæ ratio habet etiam locum iuramento. Tamen ſiue Superior irritando peccauit, ſiue non; ſubditus minimè peccabit ad iuramentum vel votum poſtea non exequendo: quia per talem conſenſum non ſoluitur in ſubdito ratio ſubiectionis etiam in illa re, quare in fauorem obedientiæ debet inferior obedire, & imputatur culpa ſuperiori: Nam ſuperior prætendere poteſt ſe non ſimpliciter conceſſiſſe, ſed ad tempus, vel ad vnum effectum & quod iam ceſſat illa ratio, & ad inferiorem non pertinet facta ſuperioris iudicare, atque adeò tota culpa præcipientis erit, non obedientis. De his vide Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 27. *n.* 9. Clauem regiam *l.* 5. *c.* 8. *n.* 6.

(Margin: Roſella. Suarez. Sanch. Sanch. Clauis reg.)

37. Quando iuramentum eſt & gratia & fauore alterius præſtitum, id eſt, quando cedit in obſequium lucrum, vel commodum illius, conſtat apud omnes obligationem ceſſare remiſſione partis, cui præſtitum eſt: quia ille homo in cuius gratiam fit iuramentum, remittit tanquam dominus materiæ promiſſæ. Quando autem iuramentum non eſt principaliter gratia alterius hominis, cui præſtatur, ſed principaliter in Dei honorem, in cuius obſequium res iuramento promiſſa cedit, non poteſt homo, cui iuratur huiuſmodi iuramentum remittere, vt ſi duo iuramento ſibi promittant, vel alter ſolus alteri religionis ingreſſum. Ratio eſt, quia etſi huiuſmodi promiſſio ſit partim gratia hominis facta, eo quòd iurans fidem ſuam illi homini aſtringit: at cùm principalis ſcopus iurantis ſit Deum reſpicere, ac in honorem eius, intuitu religionis id opus offerre; & quod principaliter intenditur, ſit ſemper ſpectandum: idcò ex principali intento iudicandum eſt id iuramentum non homini, ſed Deo ipſi præſtitum; ac proinde homo ille condonare non poterit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *artic.* 9. *ad* 2. Syluester *verb. Iuramentum* 5. *q.* 8. *&* 9. Sotus *de iuſtit. lib.* 8. *q.* 1. *art.* 9. *ad* 2. Syluius 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. Azorius *tom.* 1. *l.* 11. *c.* 9. *q.* 9. & alij.

(Margin: Dr Tho. Syluest. Sotus. Syluius. Azor.)

38. Quando iuramentum eſſet principaliter in Dei honorem præſtitum, at tota res promiſſa cedit in fauorem partis, Dubium eſt inter Doctores, an pars illa id iuramẽtum remittere poſſit; vt ſi quis intuitu pietatis iuret fœminæ pauperi ſe eam ducturum, aut ſe ei eleemoſynam daturum.

Duplex eſt enim ſententia. Prima negat, ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 89. *ar.* 9. *ad* 2. vbi ait eum cui aliquid promittitur intuitu pietatis non poſſe remittere: quia iuramentum factum Deo intuitu pietatis, voto æquiualet: in voto autem nihil poteſt priuata perſona, cum ſoli Deo ius acquiratur. Ita Roſella *verb. Sponſalia n.* 8. vbi Angelus *num.* 20. Syluester *quæſt.* 10. *caſu* 1. Sotus *loco citato*, quorum opinio eſt probabilis. Secunda probabilior, ait, mutuo conſenſu remitti poſſe: quia licet iuramentũ Deo præſtitum ſit, ipſe Deus recipit illud in partis vtilitatem, ergo pars cui debetur remittere poteſt ſicut alia debita condonare. Ita Sanchez *de matrim. l.* 1. *diſp.* 52 *num.* 7. *&* 8. & alii penes ipſum citati. Notandum tamen quòd prior opinio eſſet vera, quando ea eleemoſyna non eſſet determinato pauperi promiſſa; tunc enim nullus pauper poſſet remittere: quia id iuramentum rationem voti induit: nec tota res promiſſa cedit in fauorem huius pauperis, ſeu vage, huius, vel illius, ac proinde nullus particularis poterit remittere.

(Margin: D. Tho. Roſella. Angelus. Syluest. Sotus. Sanchez)

39. Quidam dicunt iuramentum de non petenda iuramenti facti latroni de danda illi certæ pecuniæ ſumma ad tuendam vitam, relaxatione, non eſſe validum, eo quòd bonos mores euertat. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. *q.* 6. Couarruuias *de pactis* 2 *par.* §. 3. *num.* 3. *verſ. Effectus autem*. Sed contrarium eſt dicendum, nempe peti debere priùs iuramenti huius poſterioris relaxationem, vtpote metu extorti, & deinde prioris. Ratio eſt, quia cùm abſque peccato poſſit iurans ille non petere relaxationem & ſit iuramentum homini præſtitum, obligabit. Cauendum tamen eſt, ne iuramentorum ſimilium relaxatio in Religionis Chriſtianæ contemptum cedat. Vt ſi captiuus iuraſset infidelibus, apud quos iniuſtè detinebatur, ſe in ſuæ redemptionis pretium daturum eis mille aureos, non eſſet relaxandum id iuramentum propter ſcandalum, & ne nomen Dei blaſphemetur apud illos. Et idem dicendum ſi captiuus ille iuraſſet ſe illuc rediturum: redeundum enim eſſet illi cum mortis periculo, ob eandem Religionis Chriſtianæ contemptus vitandi rationem. Ita Sotus *de iuſtit. lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *ad* 3. *in fine*, Syluius 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *quæſit.* 1. Caietanus *ibidem* & Arragon. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. Scandalum autem, vel iniuria Religionis Chriſtianæ continget, quod infideles vel hæretici putabunt, Religionem iuriſiurandi apud nos nullam eſſe, vel quod doceamus fidem hoſti datam, non eſſe ſeruandam

(Margin: Azor. Couar. Sotus. Syluius. Caiet. Arrago. Valent.)

40. Si quis relaxationem iuramenti metu extorti, aut ſoluendi vſurus petat, ad eum effectum vt à ſolutione rei iuramento promiſſæ ſit liber in vtroque foro, ſecundùm omnes, neceſſariò citanda eſt pars, alias relaxatio nullius fore momenti. Quia in quouis actu parti præiudiciali, pars ipſa citanda eſt, aliàs nihil valet, quod agitur, *l. nam ita diuus ff. de adoption. l. finali Cod. de legibus*. At hæc relaxatio extinguit omninò ius partis. Quando autem petitur relaxatio iuramenti pro ſolo conſcientiæ foro, nunquam eſt neceſſaria partis aduerſæ citatio. Quia in eo foro de ſola petentis relaxationem conſcientia agitur, ac proinde in eo foro dictis eius ſtatur. Ita Couarruuias *l.* 1. *variarum cap.* 4. *num.* 5. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 21. *num.* 28. & alii penè alios.

(Margin: Couar. Sanch.)

41. Directa relaxatio vinculi iuramenti, quæ fit per modum diſpenſationis, vel abſolutionis, ad Eccleſiaſticos tantùm Prælatos pertinet: quia in ea relaxatione agitur de ſpirituali quadam, ac diuina obligatione: cuius abſolutio ad eam ſolam poteſtatem pertinet, ad quam cura Religionis præcipuè ſpectat; quæ eſt poteſtas Eccleſiaſtica. Indirecta autem iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel ſupplendo vicem eius cui iuratum eſt, & qui remittere debeat, etiam ad ciuilem poteſtatem pertinere poteſt; dummodo materia temporalis ſit, & perſona cui remittitur ſubdita. Ratio eſt, quia quando ſubditus tenetur præſtare conſenſum alicui actui, & renuit, poteſt poteſtas ſæcularis ſupplere eius conſenſum, & eo inuito id efficere. Vt facit quando eſt opus venditione domus aut alterius rei, ad ſoluendum creditoribus: & iudice vendenti tenenit dominus de euictione, non aliter quàm ſi ipſemet vendidiſſet, *l. ſi ob cauſam* 13. *de euiction.* quia factum iudicis in hoc euentu reputatur factum partis. Ergo quando pars tenetur condonare iuramentum, quia per metum aut iniuriam extortum, poteſt iudex ſupplendo conſenſum eius, condonare nomine ipſius, ſi iniquè contradicat. Hanc autem condonationem poteſt poteſtas ſiue Eccleſiaſtica; ſiue ſæcularis facere reſpectu laici: quia ratione illius iuramenti contractus ille eſt miſti fori, & ſic apud vtrumque iudicem poteſt de hoc contractu diſceptari. Opus tamen hic eſt partis citatione: nam ea ſubſtantialiter requiritur, ſi actus iudicialis cedat in graue præiudicium partis, *l. de unoquoque, ff. de re iudic.* Ita docent Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 149. Suarez *lib.* 2. *de iuramen. cap.* 41. *num.* 16. Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 22. *nu.* 15 Guttierrez *in Authent. Sacramenta puberum nu.* 46. Bonacina *in decal. diſp.* 4. *q.* 1 *punct.* 17. *n.* 10. Filliucius *tr.* 25. *cap.* 9. *q.* 11.

(Margin: Molina. Suarez. Sanchez. Guttierez Bonacin. Filliuc.)

42. Princeps ſupremus & lex ciuilis, iuxta probabiliorem ſententiam, poſſunt irritum reddere iuramentum laici ſibi ſubditi in contractibus ad forum ſæculare ſpectantibus, impediendo vim illius antequam præſtetur, ne ex illo obligatio oriatur, quando id exigit finis politicus & bonum ſuæ reipublicæ. Ratio eſt, quia poteſtas ciuilis de-

bet

bet eſſe ſufficiens ad prohibendum & remouendum ea, quæ fini ſuo & bono communitatis noxia exiſtunt: cuiuſmodi ſunt quorumdam pactorum obligationes. Alioquin enim deluderetur publica poteſtas & iuſtitia, ſi perfidi homines, quod vna via ſiue obligatione pacti conſequi non poſſunt, alia via ſiue obligatione iuramenti conſequerentur. Proinde ſi laica poteſtas, iuſta lege lata executionem ſiue ſolutionem rei taliter promiſſæ prohibeat, illicitamque reddat, ad improborum hominum fraudes, & iniurias arcendas; tunc eiuſmodi iuramentum erit de obiecto illicito, ideoque non obligatorio.

Qua ratione prodigus, cui bonorum adminiſtratio a magiſtratu interdicta eſt, iuramento ſe obligare non poteſt ad alienandum & ſoluendũ. Quamuis enim poteſtas ſæcularis nequeat ſua lege iuramentum præſtandum irritare directè immediate, vt pote quod eſt vinculum ſpirituale: at poteſt indirectè & remotè, nempe irritando contractum humanum antequam ineatur, quo omninò deſtructo, deſtruitur & irritatur conſequenter iuramentũ
Molina. in ipſo fundatum. Ita Molin. *tom. 1. de iuſt. diſp. 149. verſ.*
Sanch. *Ex his collige*, Sanchez *l. 3. moral. cap. 22. n. 10.* Laym. *l. 4.*
Laym.
Bonac. *tract. 3. c. 6. n. 8.* Bonac. *in decal. diſp. 4. quæſt. 1. punct. 17. n. 1.*

Vide tom. 1. verb. Compenſatio *n. 3. & ſeqq* Compromiſſum *n. 12. & 13.* Contractus *n. 7. & ſeq.* Hæres *n. 8.* & hoc tomo Iubilæus *n. 13.* Ludus *n. 12. & 13.* Probatio *n. 13.* Reus *n. 13.* Solutio *n. 14.* Sponſalia *n. 19.* Teſtamentum *n. 13.* Votum 1 *n. 10.*

IVS IVSTITIA.

SVMMARIVM.

1 *Ius vnde deriuetur & quid ſit.*
2 *Ius aliud eſt æquale, aliud inæquale.*
3 *Ius æquale, aliud dicitur ius in re, aliud ius ad rem.*
4 *Ius diuiditur Primum in ius naturale, & poſitiuum. Secundum poſitiuum in diuinum & humanum. Tertium humanum, ius Gentium, ciuile & Canonicum.*
5 *Ius ciuile quid & quotuplex? Quos libros contineat? & quomodo citentur a Doctoribus.*
Quid ſit ius canonicum, & quos contineat libros. Et quibus notis citationes eius intelligantur.
7 *Iuſtitia vnde dicatur & quid ſit.*
8 *An iuſtitia differat à reliquis virtutibus moralibus.*
9 *An iuſtitia præſtantior ſit virtus inter virtutes Cardinales? & inferior virtutes Theologicis, &c.*
10 *Iuſtitia, alia eſt particularis, alia generalis.*
11 *An iuſtitia generalis ſeu legalis eſſentialiter differat à iuſtitia particulari.*
12 *An iuſtitia legalis differat à virtute pietatis erga patriam?* Refertur duplex ſententia.
13 *Iuſtitia legalis, alia eſt in Principe, alia in ſubditis.*
14 *Iuſtitia diſtributiua & commutatiua quid.*
15 *An hæ duæ ſpecies iuſtitiæ ita differant, ut una non includatur aliquando in altera.*
16 *An inter patrem & filium, dominum ac ſeruum, maritum ac uxorem, ſit obligatio iuſtitiæ.*
17 *An iuſtitia uindicatiua reducatur ad commutatiuam.*
18 *An erga ſeipſum ſit obligatio iuſtitiæ.*
19 *Vtrum aliquis poſſit pati iniuſtum volens.*
20 *An iuſtum faciens contra proximum ex ſuo genere mortaliter peccet.*

1 IVs deriuatur vel à iubendo, cuius participium facit, *iuſſum*; quare dempta vltima ſyllaba remanet, *Ius*, faciendo dictionem integram: reliqua verò pars dictionis facit, *Sum*, quaſi dicat, Ius, ſum, ſiue lex: nam ius idem eſt quod lex, ſiue regula præſcribens modum aliquem operandi cum quadam neceſſitate, vt ad finem aliquem perueniatur, & vitium, & pœna, aut incommodum aliquod vitetur.

Ius aliquando capitur pro eo quod dicitur *æquum & iuſtum*. Ideò enim dicitur ius, quia ſtatuit, & determinat, quod iuſtitia præcipit, quæ ius ſuum vnicuique tribuit: prout colligitur *ex l. Iuſtitia, ff. de iuſtit. & iure*.

Aliquando pro eo quod dicitur, *Poteſtas & actio moralis quam quis habet ad rem aliquam*. Prius membrum rurſus capi poteſt tripliciter. *Primò*, generaliſſimè pro omni eo quod legi eſt conſentaneum; eſtque idem in re quod honeſtum; & ſic omne opus virtutis dicitur iuſtum. *Secundò*, pro omni eo quod alteri ex quauis honeſtate, vel æquitate debetur: *Tertiò*, pro iuſto legali, quod ita debitum eſt alteri, vt ille ius verum & actionem ad illud exigendum habeat.

Dupliciter enim poteſt aliquid alteri eſſe debitum; debito ſcilicet morali ſeu honeſtatis, & debito legali, ſeu iuſtitiæ. *Debitum legale eſt*, ad quod habeo verum ius & actionem moralem, ratione cuius iuris, præcisè obligaris lege iuſtitiæ ad illud mihi reddendum: dicitur autem legale hoc debitum quia lege iuſtitiæ debetur, *Debitum morale eſt*, quod non fundatur in tali actione, ſeu iure, ſed ſolùm in honeſtate morali & debita rectitudine virtutis, quàm quiſque ſeruare tenetur in ſuis actionibus erga alterum; quiſque enim erga alios tenetur operari ſecundùm leges virtutis & dictamen rectæ rationis; eſto ipſi verum ius ad hoc non habeant: verbi gratia, Pauperi in neceſſitate debetur eleemoſyna debito morali, quia lex miſericordiæ ad hoc obligat, licet ius verum & actionem ille non habeat. Aliter autem venditori debetur pretium, & ei qui damnum accepit iniuſtè, damni compenſatio: quia ius & actionem ad hoc habent, ratione cuius ſolius lege iuſtitiæ teneor ad hoc debitum ſoluendum: iuſtitia enim reſpicit id quod æquale tanquam obiectum, & alteri ſtricto & legali iure eſt debitum.

Alterum membrum diuiſionis *eſt facultas, ſeu actio moralis eſt, &c.* hæc autem poteſt ſic definiri, vt ſic, *Facultas legitima aliquid faciendi, ſiue obtinendi, aut in eo inſiſtendi, vel aliquo alio modo ſe habendi, cui ſi ſine legitima cauſa contrauenіatur, iniuria ſit eam habenti.*

Dicitur *facultas*, id eſt, habitudo quædam, ſeu relatio perſonæ ad rem, in quàm habere ius dicitur. Dicitur, *legitima*, quia facultas, quæ ſecundùm legem non competit, non eſt ius, ſed iniquitas; ea autẽ lex, vel eſt naturalis, vel poſitiua: lege naturali ius habeo ad vtendum membris meis, & ad matrimoniũ; lege autẽ poſitiua, ad hæreditatis ſucceſſionem. Dicitur, *aliquid faciendi, vel aliquo modo ſe habendi*: quia hæc facultas aliquando ſe habet ad inſtar potẽtiæ actiuæ, vt omne ius ad aliquid agendũ, vel ad precipiendũ: aliquando vt potẽtia paſſiua, vt ius ſubditorũ, vt rectè gubernentur, aliquando vt potentia reſiſtendi, vt ius quod habeo ne quis per meum prædiũ tranſeat: aliquando vt potentia ad non agendum; quia nõ ſolùm ius habeo vt aliquid agã, & vt proximus aliquid agat, verbi gratia, vt mihi ſoluat, ſeruat, &c. ſed etiam vt non agat, vt me non lædat, non impediat vi vel fraude à conſecutione doni legalis. Dicitur, *obtinendi*, quod ſibi videlicet debetur, aut quia ſuum eſt, vt ſi illud commodauit, aut eſto non ſit ſuũ, ei tamen titulo emptionis, vel quouis alio debetur. Dicitur *inſiſtendi*, vt includatur facultas quam quis habet inſiſtendi & perſiſtendi in poſſeſſione rerum. Dicitur, *cui, ſi ſine legitima cauſa contrauenіatur, iniuria ſit eam habẽti*, quia contrauenire ex legitima cauſa facultati, quam ad aliquid horum aliquis habet, nõ facit vt illa facultas in ſe ſpectata, non ſit ius, de quo loquimur, verbi gratia, facultas quam is habet, qui enſem apud me depoſuit, vt ille ſibi reddatur, ius eſt de quo loquimur, quod autem ei non reddatur facto amenti vel furioſo, ne ſe vel alium interficiat, non tollit facultatem ſeu ius in ſe ſpectatum, quod habet ad ſuum gladium: nec illi ſit iniuria, eo quòd legitima de cauſa illi facultati contrauenіatur. Ex Claui regia *l. 9. c. 3. n. 1.* Moli- Clauis
na *tractatus 2.* Reg.
Molina.

2. Ius aliud eſt æquale, aliud inæquale: æquale eſt, illud quod reperitur inter illas perſonas, quæ adeò ſunt diſtinctæ inter ſe, vt vtraque cenſeatur eſſe ſui iuris, & cui poteſt ſatisfieri ad æqualitatem; vnde patet cur hoc ius dicatur æquale, quia videlicet vt tale eſt, eſt inter æquales, vt inter duos ciues: tum quia poſtular ſibi ad æqualitatem ſatisfieri. Ius inæquale eſt illud, quod eſt inter perſonas inæquales, & quarum altera eſt quid alterius, &

non

non perfectè ab ea diſtincta, vtpote, quæ eſt veluti pars alterius, vt filius reſpectu patris; hic enim eſt quaſi pars patris ab eo deciſa, vel vt inſtrumentum ad poſſeſſorem, vt ſeruus reſpectu domini, vel vt opus ad artificem, vt homo reſpectu Dei. Vnde hoc ius inæquale in deſpoticum, paternum & diuinum diuiditur.

3. Ius æquale eſt duplex, aliud dicitur ius in re, aliud ius ad rem. Ius ad rem eſt, quod non ita applicat & appropriat rem perſonæ, vt res ipſa per ſe ſit obligata, licet perſona debitoris poſſit eſſe obligata ad eam rem reddendam: vnde hoc ius non tribuit actionem in rem, ſed tantùm in perſonam: tale ius eſt, quod tibi competit per ſtipulationem, per donationem, per emptionem, alioſque contractus, ante traditionem. Tale etiam ius eſt quod habes per electionem, poſtulationem, preſentationem ad beneficiũ: imò tale etiam eſt, quod habes per collationem beneficij, ante acceptationem, &c.

Ius in re eſt illud quod quis habet circa rem, quaſi in actu, & non in potentia tantùm, vel quod quis habet circa rem, ita vt ratione illius ipſa ſit obligata & quodammodo addicta habenti tale ius. Proinde iura in re ſunt omnia illa iura, quę habemus circa res, quarum ſumus domini per emptionem & alios contractus, ſecuta rei traditione, vel quæ habentur per collationem beneficij, ſecuta acceptatione: per teſtamentum vel ſucceſſionem ab inteſtato, ſecuta acceptatione. Vnde ad comparandum ius in re non ſatis eſt habere titulum, qualis eſſet legitima emptio, vel donatio, ſed vlteriùs requiritur eamdem rem eſſe nobis traditam, genere aliquo traditionum, quæ requiritur & ſufficit ad poſſeſſionem comparandam, quæ tribus modis acquiritur, verbi gratia, *Apprehenſione vera, apprehenſione ficta*, vel *legis diſpoſitione*, vt diximus *t. 1. verb. Poſſeſſio, n. 5. 6. & 7.* ex communi.

Hinc eſt quòd ſi quis rem aliquam alicui vendat, nec tamen ei tradat, emptor ſolùm comparet ius ad rem illã, eſto pretium ſoluerit, non verò dominium ac ius in re acquirat. Vlteriùs ſequitur quod ſi idem venditor eamdem rem iterum, vendat, tradatque, ſecundus emptor, nihil priore emptione impediente, comparet dominium illius, nec eam teneatur tradere priori emptori. Denique eadem requiruntur ad acquirendum ius in re incorporea, ſicut in re corporea. Corporales ſunt quæ tangi poſſunt, vt veſtis, domus, aurum, argentum, &c. Incorporeæ dicuntur iura ad aliquid; licet enim ius ſæpe ſit ad aliquid corporale, ipſum tamen ius in ſe, quia tangi nequit, intellectu percipitur, dicitur incorporale; tale ius eſt hæreditas, ſeu ius ad bona defuncti, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, quis illi ſuccedat: talis etiam res incorporalis eſt vſusfructus, id eſt, ius fruendi re alterius, & vſus, id eſt, ius vtendi tantùm re alterius: talia etiam ſunt iura in prædio aliorum verbi gratia, ius viæ per agrum alienum, ius mittendi ſtillicidium alicuius domus, ſuper alienam domum aut aream.

Aduertendum tamen eſt, quòd ad comparandum ius in re circa res incorporeas, præter titulum non ſemper ſit neceſſaria traditio; quãdo videlicet id peculiariter aliquo iure ſancitum eſt. Vnde ad comparandũ ius in re in beneficio Eccleſiaſtico, ad penſiones annuas percipiendas, illudque ius efficiendum ſuum, neceſſaria non eſt traditio, ſed ſatis eſt, vt præcedat collatio, & ſequatur acceptio, ratave habeatur collatio; eo enim ipſo quod acceptatur, ratave habeatur collatio, efficitur beneficium acceptantis, comparatque proinde ius in re, cùm tamen ante acceptationem ſolùm haberet ius ad rem. Ita habetur in *cap. Si tibi abſenti, de præbendis, in 6.* Ad poſſeſſionem tamen beneficij neceſſaria eſt traditio, & quaſi apprehenſio illius, per actum aliquem coniunctum. Vide dicta *to. 1. verb. Poſſeſſio, n. 10. in fine*, & Molin. *tr. 2. diſp. 2.*

Molin. 4. Secundùm Theologos, ius tripliciter diuiditur, *Primo*, in ius naturale, & poſitiuum. *Secundo*, Poſitiuum in diuinum & humanum, *Tertio*, Humanum in ius Gentium, ciuile, & Canonicum.

Ius naturale dicitur illud, quod vbique eandem vim habet, cuius obligatio oritur ex natura rei, de qua eſt præceptum, & non ex arbitrio præcipientes. Ari-

Ariſt. ſtoteles 5. *Ethic. cap. 7.* conſequenter eandem vim habet apud omnes. *Ius verò poſitiuum* eſt illud, cuius obligatio oritur è præcepto, & voluntate præcipientis. Ad dignoſcendum autem, num aliquid ad ius naturale, an depoſitiuum pertineat? Regula generalis hæc eſt.

Si obligatio oritur à natura rei, quæ præcipitur aut prohibetur, quia videlicet in ſe eſt neceſſaria vt fiat, vt eſt ſubuenire extremè indigenti, vel quia in ſe eſt illicita & mala, vt furari, adulterari, mentiri, tunc præceptio aut prohibitio pertinet ad ius naturale. *Si* verò obligatio non oritur à natura rei quæ præcipitur, aut prohibetur, ſed à præcepto & voluntate præcipientis, eſto ex parte ſit congruitas & exigentia, vt præcipiatur, aut prohibeatur, pertinet ad ius poſitiuum. Eiuſmodi ſunt ieiunium Quadrageſimæ, confeſſio annua, ſuſceptio Baptiſmi, &c.

Ius poſitiuum diuinum eſt, quod à Deo, aut Chriſto, quatenus homo eſt ſimulque Deus, de iis, quæ ad naturale ius non ſpectant, latum eſt, idque ſiue miniſterio Angeli, ſiue alicuius alterius ſuorum ſeruorum, vt Moyſis, vel Apoſtolorum condiderit: quale eſt præceptum Baptiſmi, Confeſſionis, Euchariſtiæ & ſimilium.

Ius verò humanum ſunt reliqua pręcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo poteſtate, pro miniſterio & dignitate cuiuſque ad leges condendas. Sic leges latę ab hominibus tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, pertinent ad ius humanum: ſicut etiam præcepta, quæ Apoſtoli tulerunt tanquam Paſtores Eccleſiæ, pertinent ad ius humanum: Cuiuſmodi ſunt præcepta de ieiunio Quadrageſimæ, de obſeruatione diei Dominicæ, de bigamo non ordinando & ſimilia.

Ius gentium eſt ius humanũ, quo omnes, aut ferè omnes gentes vtuntur, vt habetur *in cap. Ius gentium, diſt. 1.* Sic rerum diuiſio, occupatio rerum domino carentium; Religio non violandorum legatorum, & ferè contractus omnes dicuntur de iure gentium.

5. *Ius ciuile* dicitur illud, quod eſt conditum per ſæculares poteſtates, & eſt duplex; commune, ſcilicet, quod cõtinetur in libris iuris ciuilis vel legum, ſeruaturque vbique; & ius particulare, quod continetur in legibus, Pragmaticis, atque conſtitutionibus vniuſcuiuſque Regni vel Prouinciæ. Commune autem ius hos maximè continet libros. *Inſtituta Imperatoris, Digeſtum vetus, Digeſtum nouum, infortiatum, librum Authenticorum & Codicem.*

Liber Inſtitutionum diuiditur in titulos, & non allegatur per capita vel libros, ſed Paragraphos, hoc modo, *vt habet text. in §. primo inſtit. de actionibus, §. primo Inſtit. de Accuſat. &c.*

In libros Codicis ſunt Authenticæ & leges, & ſic fit allegatio duplex. Primo modo allegatur, vel citatur ſic, *text. in l. 1. Cod. de iudiciis*, & tunc eſt in prima parte libri Codicis, quæ continet leges. Vel ſecundo modo allegatur vel citatur ſic, *text. in Authentica l. Cod. de teſtamentis*, & tunc eſt in ſecunda parte Codicis, & non allegatur lex.

Alia eſt in iure ciuili citatio, quæ ſupradictæ Authenticarum aſſimilatur, ſcilicet, quando eſt lex quæ habetur in libro Authenticorum, & tunc citatur lex hoc modo, *vt in Authentico, de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, l. Sancimus, &c.*

Libri Digeſtorum per duplicem litteram, *ff.* ſignificantur. Ponuntur autem duo ff. ſimul ad ſignificandos libros Digeſtorum: quia duo Imperatores quorum vnuſquiſque vocatus fuit Fredericus, pater, ſcilicet & filius, ex diuerſis mundi partibus Iuriſperitorum, reſponſa in his libris congregarunt, & ideò ad ſignificandum quod iſti duo libri Digeſtorum collecti fuerint, vt ſupra, ab illis duobus Fredericis, vt ita loquar, ponuntur duo ff. quorum vnum Fredericum patrem, aliud filium Fredericum ſignificat, & dicuntur hęc duo ff. Digeſtum, & allegantur leges in his libris contentę hoc modo, *text. in l. Gallus, ff. de liberis, & poſthumis.*

Notandũ tamen, quod licet omnes libri antiqui vtriuſque iuris & Doctores poſuerint pro Digeſtis in allegatione duo illa ff. hodie quidã moderni proprio iudicio ducti ponunt tantùm vnum, D, pro ff. vel literam Gręcam π.

6. *Ius canonicum*, eſt id, quod per Eccleſiam eiuſque miniſtros quatenus tales ſunt, traditum eſt, & continet quinque libros, *Decretum, Decretales, Sextum, Clementinas, & Extrauagant.*

De-

Digitized by Google

Gratian. Gregor. VIII.

Decretum ſeu Decretorum liber compilatus fuit Bononiæ anno Domini 1120. ſub Henrico Quarto à Magiſtro Gratiano, Monacho Sancti Benedicti, ex diuerſis Concilijs, ſanctorumque Patrum auctoritatibus, & hodie noniter à S.D.N. Gregorio Papa XIII. correctus, auctus innumeriſque additionibus illuſtratus eſt. Cuius tanta eſt auctoritas, quantæ is eſt, cuius eſt Canon, Epiſtola, vel dictum in eo poſitum. Vnde illa de fide cre dendа ſunt, quæ ibi à Concilio Generali tanquam Canone, vel à Papa tanquam Papa in materia fidei diffinita reperiuntur. Dicta autem Sanctorum maxima ſunt habenda veneratione ac reuerentia: licet de fide eſſe non cenſeantur.

Decretum diuiditur in tres partes, quarum *Prima* centum & vnam continet diſtinctiones tantùm. *Secunda* cõtinet cauſas, & vnaquæque cauſa in ſuas diuiditur quæſtiones. *Tertia* pars duos complectitur tractatus, quorum primus, ſeptem de pœnitentia; Alter, quinque de conſecratione continet diſtinctiones.

Et vt Decreti citationes intelligantur, aduerte, quod ſicut in dictas tres partes diuiditur, ita triplicem habet allegandi modũ. Primo modo allegatur, vel citatur ſic. *text. in c. Denique 4. diſtin.* & tunc eſt in prima parte Decreti. Secundo modo ſic, *cap. Nemo*, 11. *quæſt.* 3. ſignificat quod hoc capitulum eſt in cauſa vndecima, quęſtione tertia einſdem cauſæ: & tunc eſt in ſecunda parte Decreti. Tertio modo citatur ſic, nominando diſtinctionem, & tractatum vbi eſt, hoc modo, c. *Quam pœniset, de pœnitentia, diſt. Secunda.* & tunc hæc capitula ſunt in tertia parte Decreti.

Gregor. IX.

Secundus liber Canonici iuris vocatur, *Decretales*, videlicet, Epiſtolæ Decretales, quas diuerſi Summi Pontifices reſpondendo diuerſis quæſtionibus ſibi propoſitis in Concilijs, & extra, decernendo ſic eſſe faciendum, reſcripſerunt: & ideò dicuntur Decretales *à decernendo*, quas Gregorius IX. Pontifex maximus, in vnum tomum redegit. Quarum irrefragabilis eſt auctoritas, ideò minimè contradici, cauillarive poſſunt, ſed inuiolabiliter obſeruandæ, dummodo per contrariam deciſionem, vel conſuetudinem non ſint ſublatæ.

Allegatio huius libri fit ſimpliciter nominando tantùm principium capituli, & titulum, ſub quo eſt tale capitulum, nec eſt opus allegare librum hoc modo, *cap. Si diligenti. de foro competenti*, id eſt capitulum incipit; *Si diligenti*, ſub titulo, *de foro competenti*. Nec importat quicquam quod titulus anteponatur, verbi gratia *de celebratione Miſſarum, cap. 1. vel 2.*

Bonifac. VIII.

Tertius liber Canonici iuris, *Sextus liber Decretaliũ* dicitur, id eſt, alius Sextus liber adiũctus quinque alijs libris Decretalium Epiſtolarum: hic liber collectus fuit à Bonifacio VIII. Pontifice Maximo, & eoſdem quinque libros & titulos habet, ſicut liber Decretalium, & eodem modo citantur eius capitula, hoc addito, quod in fine ponitur, *l. 6 vel in 6.* verbi gratia, *cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.*

Clem. V.

Quartus dicitur *Clementinarum liber*. id eſt, liber Conſtitutionum, quas Clemens V. Pontifex Maxim. in Concilio Viennenſi & extra condidit; qui diuiditur in eoſdem quinque libros & titulos: ſicut ſupra dictum eſt. Eius allegatio non fit ſicut in ſupradictis: ſed hoc modo: *Clementina prima, de Summa Trinitate, Clement. Dudum, de ſepulturis.*

Quintus liber *Extrauagantium* Conſtitutionum in duas diuiditur partes, quædam dicuntur *Communes*, quæ eoſdem habent libros & titulos, ſicut alij libri ſupra, & allegantur in hunc modum: *text. in Extrauag. Pie, de præbendis*, & intelligitur, *in Communibus*, etiamſi non exprimatur.

Aliæ ſunt *Extrauagantes Ioannis XXII.* quæ tantùm ſunt numero 20. & tunc poſt allegationem ponitur *Ioannes XXII.* vt verbi gratia: *text. in Extrauag. Cum Sacroſanctæ, de ſentent. Excommun. Ioan. XXII.*

Omnia hæc iura canonica tã contenta in Decretalibus, quàm Sexto Clementinis, & Extrauagantibus auctoritatẽ habent irrefragabilem, dummodo per Conſtitutionem vel iuſtam conſuetudinem contrariam non ſint abolita.

Hæc in gratiam Theologiæ moralis nec non iuriſprudentiæ Candidatorum dicta ſint.

7. Iuſtitia ponitur inter virtutes Cardinales, quæ eſt virtus latiſſima, & verſatur in omnibus humanis negotijs, quibus homines inter ſe communicant; Cuius nomen deductum eſt a iure, ſiue à iuſto, a quo deinde per abſtractionem nominis iuſtitia dicta eſt.

Vlpian.

Iuſtitiæ nomen quamuis plurimis, varijſque modis à Doctoribus explicetur, & definita ſit, placet tamen definitio tradita ab Vlpiano *in l. Iuſtitia, ff. de iuſtitia & iure* quæ talis eſt, *Iuſtitia*, inquit, *eſt conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum cuique tribuendi.* Quam definitionem amplexi ſunt non ſolùm Iuriſperiti, verùm etiam Theologi & Canoniſtæ, vt D. Thom. 2. 2. q. 58 *art.* 1. Caietanus Syluius *ibidem*, Sotus *de iuſt. & iur. l. 3. q. 2. art.* 1. Molina *de iuſtit. & iur. tract.* 1. *diſputatione* 8. Leſſius *lib.* 2 *ſect.* 1. *cap.* 1. *d.* 6. 1.

D. Tho. Caiet. Syluius. Sotus. Molina. Leſsius.

Dicitur, *conſtans & perpetua voluntas*, id eſt, habitus inclinans ad actus voluntarios ex electione, non accipitur voluntas pro ipſa potentia volitiua, ſed pro actu ipſius voluntatis, vt docet D. Thomas Omnis enim virtus rectè definitur per ſuum actum ſiue officium, quod facit, vel certè pro habitu vel virtute iuſtitiæ, qua voluntas faciliter & promptè fertur ad tribuendum cuique quod ſuum eſt. Dicitur *perpetua*, quia ad perpetuò reddendum; cùm enim iuſtitia ſit virtus, & habitus voluntatis, dirigit hominem non ad tempus, ſed perpetuò & conſtanter, ac firmiter ad tribuendum ſeu reddendum cuique ius ſuum: qui enim ſemel tantùm aut bis, non autem ſemper & in omni euentu vellet cuique ſuum ius reddere, non eſſet verè iuſtus. Dicitur *ius ſuum, cuique tribuendi*. In hac particula *per ius* denotatur obiectum iuſtitiæ; *per ſuum* autem, ſignificatur id, quod cuique ſecundùm legem iuſtitiæ eſt debitum, ſiue ſit dominium rei, ſiue vſus iuridicus, ſiue vſusfructus, ſiue poſſeſſio, ſiue quodcumque aliud, quod alteri debetur, vel ex pacto, vel ex contractu, vel quaſi contractu, &c.

8. Iuſtitia differt a reliquis virtutibus moralibus: quia reliquæ virtutes verſantur circa paſſiones immediatè, illas videlicet frenando & moderando, ne iuſtitiæ operationes impediant, vt liberalitas reprimit inordinatam pecuniæ cupiditatem, manſuetudo reprimit iram, quæ cauſa eſſe ſolet percuſſionis iniuſtæ; temperantia, & fortitudo frenant paſsiones iraſcibilis & concupiſcibilis, quæ indomitæ ſæpe ſunt cauſa iniuriarum & damnorum in proximum. Iuſtitia verò verſatur circa actiones externas immediatè, & etiam circa res ipſas, quatenus illæ ſunt actionum externarum materiæ. Vnde officium iuſtitiæ tantum eſt, vt cuique præſtet quod debet, quare proxima materia illius, ſunt actiones externæ, quibus immediatè ordinamur ad alterum videlicet, redditio debiti, quam redditionem iuſtitia vult vt finem & obiectum proprium & proximum. Ita communiter Doctores.

9. Iuſtitia præſtantiſſima virtus eſt inter virtutes Cardinales, cuius ſubiectum eſt voluntas: nam comparando iuſtitiam cum fortitudine & temperantia, dignior et præſtantior eſt iuſtitia. Quia hæc eſt in nobiliori ſubiecto, ſcilicet in appetitu ſenſibili, qui longè inferior facultas eſt, quam appetitus rationalis ſeu voluntas. Quare iuſtitiæ officio omnis hominum ordo, pax et tranquillitas cõſeruatur, eo quòd iuſtitia eſt illa virtus, quę tribuit cuique, quod ſuum eſt: Deinde iuſtitiæ bonum eſt difficilius, et virtus in arduis et difficilibus relucet: Et nos magis propenſi ſumus ad bonum noſtrum quam aliorum: Inſuper iuſtitiæ bonũ magis eſt neceſſarium Reip. quam fortitudinis et temperantiæ bonum: non enim vlla ſocietas hominum ſine iuſtitia ſalua conſiſtere poteſt: Porrò opus iuſtitiæ vbique et ſemper neceſſarium eſt in omni tempore, in omni loco, in omni ætate, et in omni etiam iure iuſtitia indigemus. Quare præſtantiſſima virtus eſt inter reliquas virtutes Cardinales, cuius ſubiectum eſt voluntas ſeu appetitus rationalis. Ita D. Thom. 2. 2. q. 58. *art.* 12. Syluius *ibidem*, Azor. t. 3. l. 1. c. 9. q. 4 et alij.

D. Tho. Syluius. Azor.

Verum eſt tamen virtutem iuſtitiæ eſſe longè inferiorem tribus virtutibus Theologicis; quoniam hæ ſunt longè nobiliores et præſtantiores uirtutibus moralibus: quia illæ circa nobiliſsimum obiectum increatum nempe Deũ uerſantur. Neque iuſtitia nobilior eſt uirtus, quàm Sapientia et Prudentia, quæ uerſantur in potentia ratiocinatiua; nam prudentia, licet ſit uirtus moralis, eſt tamen

Digitized by Google

men Dux & magiſtra, moderatrix & directiua aliarum virtutum moralium. Sapientia autem eſt rerum altiſſimarum diuinarumque cognitio, &c. Item iuſtitia non eſt præſtantior virtute Religionis & Pietatis, eo quòd debitum erga Deum & Parentes, quorum vnum eſt obiectum Religionis, alterum Pietatis, eſt præſtantius debito erga alios homines, circa quos verſatur iuſtitia: vt tradunt communiter præcitati Doctores.

10. Iuſtitia, alia eſt particularis quæ videlicet conſiſtit in ordine ad alterum & habet pro obiecto iuſtum, ſeu ius propriè ſumptum ſeu æquale. Alia iuſtitia eſt generalis, quæ videlicet inclinat nos, quatenus partes Reip. ſumus, ad procurandum bonum commune reip. tanquam debitum: vt enim duplex eſt prudentia, tam in ciue, quàm in Principe, Prior ſolitaria ſeu perſonalis, quę præſcribit ſingulis vt priuatis quid faciendum ſit; poſterior politica, quę ſingulis, quatenus ſunt partes reipſa eiuſque fruuntur cõmodis, præſcribit ea quæ in bonum commune debent dirigi, vt optimè ſe habeat totũ cuius ſunt partes: ſic quoque in propoſito, actus cuiuſque virtutis moralis dupliciter ſpectari poteſt, *Primò*, vt quiuis quatenus priuatus, per prudentiam ſolitariam eo operatur conſonè ad rectam rationem; & hic actus ſic ſpectatus pertinet ad particularem aliquam virtutem, vt fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, &c. *Secundò*, vt qui eum elicit, bene eo ſeſe habet ad ſuum totum, bonumque commune; per prudentiamque politicam ab eo elicitur quatenus eſt pars reip. & ſic ſpectatus ille actus, ſortitur formalem rationem iuſtitiæ vniuerſalis, ſeu legalis, quæ omnibus virtutibus eſt communis, non quidem per eſſentiam, quaſi ſit de ratione intrinſeca cuiuſque earum, ſed quia comitatur actus omnium virtutum, in eiſque inuenitur, ſi illi dum fiunt, referantur in commune reipub. bonum. Vide Molinam *tom. 1. de iuſtit. & iur. tract. 1. diſput. 1.* Syluium 2. 2. *quæſt. 58. art. 5. & 6.*

Molin. Syluius.

11. Iuſtitia vniuerſalis ſeu legalis differt à iuſtitia particularis eſſentialiter. Ratio, quia ſi quis negligat bonum commune quando verſatur in periculo, vel præponat ei priuatum commodum, peccat contra iuſtitiam legalem, non autem contra iuſtitiam particularem, ac proinde non tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio ei incumbat huius boni conſeruatio, atque adeò ex iuſtitia particulari. Syluius 2. 2. *quæſt. 58. art. 5. & 6. quæſit. 2.*

Syluius.

12. Iuſtitia legalis non differt à virtute pietatis erga patriam: quia per pietatem præſtamus patriæ vel reip. in quo viuimus & cuius pars ſumus, debitum cultum & obſequium; iuſtitiæ autem legalis eſt procurare bonum reip. commune & cæteras virtutum functiones ad hoc deſtinare, quando opus eſt, v. g. ſi reſp. verſetur in periculo, iuſtitia legalis conatur omnibus modis eam tueri, imperat arti militari vt excogitet modos defenſionis; fortitudini vt contemnat pericula; liberalitati vt theſauros effundat; temperantiæ vt parciùs victitet ſi opus eſt, quo plus in commune conferat; atqui hæc omnia ſunt officia pietatis erga patriam vel rempublicam, ergo, &c. Quamuis probabile etiam ſit iuſtitiam legalem à pietate diſtingui, ſi nomine iuſtitiæ legalis intelligatur virtus, quæ ſpectat bonum publicum, quatenus debitum à parte toti: quia vbi diuerſa ratio debiti ibi ſunt diuerſæ virtutes, vt ex D. Thoma & alijs ſuſtinet Leſſius *lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 14.*

D. Tho. Leſsius.

13. Iuſtitia legalis, alia eſt in Principe, alia in ſubditis: quia in Principe eſt principaliter & quaſi architectonicè; in ſubditis autem ſecundario & minùs principaliter: quare Princeps dupliciter obligatur ad procurationem boni communis. *Primò*, quatenus eſt pars illius communitatis, & cùm ſit pars nobiliſſima, quæ etiam plus accipit commodi ab illo corpore, quàm alia quæuis, ideò legalis, ſeu pietas erga patriam maximè debet in illo reſplendeſcere: debet enim prælucere alijs in reipub. defenſione, taleſque ſuis legibus ciues efficere, quales bonum commune decuſque reipub. poſtulat, ad quod non ſatis eſt, ſi ciues iuſtitiam non tranſgrediantur, ſed fortitudinem eos ſeruare neceſſe eſt, non deſerendo locum ſuum in bello, & temperantiam, Sodomiæ vitium & alia quæ rempub. fœdant, fugiendo, moderatè in veſtitu, cultu et cibo ſe habendo, ne facultates inutiliter expendantur ac molles fiant. *Secundò*, ad eamdem boni communis procurationem obligatur Princeps, quatenus eſt Superior communitatis, cui ex officio, atque adeo ex perfecta iuſtitia incumbit rempublicam tueri: tunc enim non comparatur ad communitatem, vt pars ad totum, ſed vt pars ad partem: tota enim reſpub. ſe habet ad Principem, ſicut particularis perſona ad cuſtodem, tuendum. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 13.*

Leſsius.

14. In Republica triplex habitudo, ſeu ordo inuenitur: *Primus* eſt partis ad partem. *Secundus*, communitatis ad ſingulas partes. *Tertius*, ſingularum partium ad communitatem. Et quidem ea virtus quæ diſponit ſingulas partes ad bonum communitatis eſt pietas ſeu iuſtitia legalis: ea autem quæ diſponit ad partem eſt iuſtitia particularis. Duplex eſt autem ordo ad partem, v. g. communitatis ad partem, et partis ad partem, et quidem ea virtus quæ dirigit ordinem, quem pars habet ad partem ſtatuendo æqualitatem inter ciues dicitur iuſtitia commutatiua; ea autem quæ dirigit ordinem communitatis ad partes, temperando videlicet rerum, communium bonorum, et bonorum diſtributionem per ciues, iuxta proportionem inter ipſos repetitam, dicitur iuſtitia diſtributiua.

Iuſtitia diſtributiua eſt *iuſtitia particularis, cuius munus conſiſtit in conferendis officijs, dignitatibus & præmijs iuxta qualitates & merita perſonarum, quibus talia diſtribuenda ſunt*; ideoque viris virtutibus præditis, maiores dignitates et præmia debentur, quàm alijs habentibus minora merita: nam iuſtitia diſtributiua diſtribuit partibus reip. quæ iuxta geometricam proportionem (habita ratione conditionis, gradus, et dignitatis vnicuiſque) ſingulis ſunt diuidenda: Ex quo fit, vt ex vi iuſtitiæ, ſingulis partibus reip. non debeatur portio æqualis ſimpliciter, ſed æqualis proportione quadam, ita ſcilicet, vt qualis fuerit proportio conditionis ac dignitatis cuiuſque partis, alteram tamen ſit proportio partis communium bonorum, quæ debetur alteri parti.

Iuſtitia commutatiua eſt *iuſtitia particularis, qua vnicuique reddit æqualiter iuxta proportionem arithmeticam, quidquid propriè eſt ei debitum.* Dicitur *ſecundum proportionem arithmeticam*, talis enim proportio eſt æqualitas, v. g. inter duas quantitates bipedales; prior verò æqualitas, ſeu medium quod iuſtitia diſtributiua conſtituit, vocatur geometrica, quia eſt æqualitas non inter quantitates, ſed inter proportiones, atque adeò eſt proportio proportionum: quod autem debetur ex iuſtitia commutatiua, debetur ad æqualitatem, et per commenſurationem ſimpliciter, non quidem mathematicè, ſed moraliter; vt ſi ſurripui centum, totidem reſtituere cogor; ſi rem emi, teneor illi reddere æquale pretium iuxta id quod pacti ſumus. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 61. art. 1. & 2.* Syluius *ibidem.* Leſſius *lib. 1. cap. 1. dub. 4.*

D. Tho. Syluius. Leſsius.

15. Dubium eſt, an ita differant hæ duæ ſpecies iuſtitiæ, vt vna non includatur aliquando in altera? Reſpondetur primò, ſi iuſtitia diſtributiua generatim accipiatur pro virtute, quæ bona communitatis diſtribuit in ciues ſecundùm cuiuſque meritum et dignitatem, aliquando permiſcetur in iuſtitia commutatiua; vt ſi quis v. g. relinquat mille ducatos diſtribuendos pauperibus alicuius oppidi, pro cuiuſque inopia, obligans diſtributorem vt omnino pro ratione inopię diſtribuunt; tunc reſpectu ſingulorum, diſtributor obligatur ex iuſtitia commutatiua; licet teneatur reſpectu plurium ſeruare formam iuſtitiæ diſtributiuæ quatenus ea debet eſſe proportio eleemoſynæ ad eleemoſynam, quæ eſt inopiæ ad inopiam: vnde ſi alicui pauperiori minùs dederit quàm ditiori, tenebitur ex iuſtitia commutatiua ei reſtituere ad iuſtam proportionem, non ſecus ac ſi ei ſoli donator reliquiſſet decem aut quinque ducatos; hoc ipſo enim quo donator vult talem proportionem adeò ſtrictè ſeruari, ſingulis implicitè aſſignat certam ſummam, iuxta proportionem inopiæ. Reſpondetur ſecundò, ſi velis omnino diſtinguere iuſtitiam diſtributiuam à commutatiua, dicendum erit iuſtitiam commutatiuam reſpicere ius propriè dictum, quod tribuit actionem contra debitorem, & tale ius poteſt habere etiam priuatus in communitatem, licet tunc communitas ſubeat rationem priuatæ perſonæ; vnde cùm pauperum quiſque è communitate illius oppidi, habeat ius propriè dictum

adrem ita donatam, debetur illi ex iuſtitia commutatiua: iuſtitia autem diſtributiua reſpicit ius imperfectum, conſiſtens in quadam aptitudine & dignitate ad bona communia quæ quis diſtribuere tenetur; quo enim quis eſt dignior, eo maius quoddam ius habet ad bona illa communia, ſed hoc ius eſt imperfectum & remotum, nam ſi collator vel diſtributor non conferat ei; peccabit quidem contra iuſtitiam diſtributiuam, licet teneatur aliquando ad reſtitutionem reipublicæ vel Eccleſiæ. Vide Leſſium *loco cit. cap. 1. dub. 4 num. 23.*

Leſſius.

16. Inter patrem & filium, dominum ac ſeruum, maritum ac vxorem, nõ eſt iuſtitia ac iuſtum propriè ac ſimpliciter, ſed ſecundùm quid & per ſimilitudinem. Nam iuſtitia particularis tendit ad alterum, id eſt diuerſum ab operante: & iuſtum particulare verſatur inter partes quæ exequari poſſunt: Atque filius non eſt omninò diuerſus à patre, ſe aliquid patris, veluti fructus ac portio deciſa a patre, quare tum commoda, tum incommoda filii in patrem redundant, ac vice verſa. Seruus autem ſiue mancipium eſt poſſeſſio & veluti inſtrumentum domini ſui: quare quidquid acquirit, domino acquirit. Denique vxor in iis rebus, quæ ad coniugii ſocietatem, familiæque adminiſtrationem ſpectant, cenſetur veluti vnum corpus, ſiue vna caro cum marito. Nec obſtat, quod ſi filius occidat patrem, vel è contra pater filium, peccent contra iuſtitiam: hoc enim verum eſt, ſed non peccant contra iuſtitiam præciſè quatenus quilibet illorum facit contra debitum & ius parentum, quia vt ſic peccat contra virtutem pietatis faciendo peccatum parricidii, quod eſt peccatum maius & grauiſſimum in genere homicidii; ſed quatenus ſine legitima auctoritate hominem interficit, & realiter committit crimen homicidii. Quare in hoc facto duplex malitia inuenitur, vna contra iuſtitiam ratione ſubſtantiæ perſonæ, quæ læditur, altera contra pietatem ratione parentelæ perſonæ offenſæ in tali gradu, & vtraque circumſtantia eſt de neceſſitate confeſſionis.

Nihilominus quia inter patrem & filium, dominum & ſeruum intercedit verũ debitũ & aliqualis diuerſitas, ſcilicet ſuppoſitorũ; poteſtque alter alteri reddere æquiualẽs, non ſimpliciter, ſed aliquale nimirum proportionis: ideò inuenitur inter eos quoddam iuſtum, quod inter priores vocatur paternum, inter poſteriores herile ſiue dominatiuum; inter virum & exorem Oeconomicum, & dicitur iuſtum ſecundùm quid. Proinde Iuſtum paternum, herile, ac œconomicum propriè ſe tantùm extendunt ad ea bona, quæ filius patri, ſeruus domino; coniux coniugi debent, quatenus tales perſonæ ſunt: quod ad alia verò attinet bona, quæ inter ſe debent v. g. ex contractu aliquo intercedente inter patrem et filium emancipatum, vel etiam non emancipatum ex bonis eius caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus: item inter dominum et ſeruum ex proprio peculio; et inter maritum et vxorem ex bonis paraphernis, &c. conſiſtere poteſt iuſtum ſimpliciter: quia in iſtis ſe habent tanquam conciues, et partes diſtinctæ, quibus ſtatus ille patris ac filii; domini ac ſerui: vel coniugum, accidentarius, eſt. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 57. art. 4.* Sotus *de iuſtit. lib. 3. quæſt. 1. art. 4.* Molina *tract. 1. diſp. 7.* Leſsius *lib. 2. c. 1. num. 6.* Syluius 2. 2. *quæſt. 57. art. 4.* Banez, Salon *ibid.* et alii.

D. Tho. Sotus. Molina, Leſsius. Syluius. Baonez. Salon.

17. Iuſtitia vendicatiua, quatenus pars læſa, aut Reſp. competentem vindictam pro delicto ac iniuria exigit, atque aſſumit, eſt quidem valde affinis iuſtitiæ commutatiuæ, ad eamque reducitur, quatenus ad æqualitatem ſecundùm proportionem arithmeticam pœnam exigit ac imponit pro delicti, iniuriæque quantitate: nihilominus deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, quatenus pœna, quę pro iniuria et delicto ſumitur, damnum illatum non reſarcit, ſed ſolùm patitur reus, quantum iuſtum eſt ipſum pro delicto pati, cùm tamen damnum integrum perſeueret. Quia ergo deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, ſane nec ſub iuſtitia commutatiua comprehenditur, nec inter partes iuſtitiæ particulari ſubiectas, computatur, ſed ſolùm inter partes iuſtitiæ potentiales.

18. Si aliquis iniuriam ſibi ipſi faciat, non peccat contra iuſtitiam: nemo enim (per ſe loquendo) poteſt ſibi iniuriam facere: nam iniuria tendit in aliam perſonam diſtinctam, non ad ſe ipſum. Quare nemo dicitur iuſtus, aut iniuſtus, niſi ad alterum, quamuis aliquis poſsit ſibi eſſe carus, vel inuiſus, aut odioſus. Nec obſtat, quod ſi quis ſeipſum occidat, vel ſine legitima cauſa mutiler, videtur ſibi ipſi iniuriam facere & peccare contra iuſtitiam. Reſpondet Ariſtoteles *l. 5. Ethicor. cap. 11.* non ſibi iniuriam facere, ſed ciuitati, quia Rempublicam priuat duce, vel milite, vel artifice, vel denique miniſtro, & ciue: & ideò Reſp. punit eum, qui ſibi mortem intulit: nam ſepulturam debitam ipſis denegat, & bona eius ſibi ſumit. Præterea iniuriam facit Deo, cui ſeruum aufert, qui per ſe, vel per legem vetuit, ne quis ſibi mortem, aut malum infligat. Peccat etiam contra legem propriæ charitatis, quod eſt præceptum maioris obligationis. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 59. art. 3. ad 2. & quæſt. 64. art. 5. ad 1.* Azor. *part. 3. lib. 1. c. 8. q. 8.* Filliuc. *tract. 31. num. 37. cap. 2.* & alij.

Ariſtot.

D. Tho. Azor. Filliuc.

19. Sententia communis eſt, quod ſicut nullus poteſt facere iniuſtum per ſe & formaliter loquendo, niſi volens; ita nec vllus pati iniuſtum, niſi nolens; quamuis per accidens & quaſi materialiter loquendo poſſit quis iniuſtum vel nolens facere, vel volens pati. Prob. prima pars, quia illud ſolùm dicitur homo propriè & per ſe facere, quod ſciens & volens facit. Deinde facere iniuſtum formaliter eſt peccatum, nullus autem peccat, niſi volens. Prob. ſecunda pars, quia vnuſquiſque in ijs quæ ad ipſum pertinent, cedere poteſt iuri ſuo: hoc autẽ facit, qui ſciens & volens patitur: ergo vt habet Regula iuris *in 6. Scienti & volenti non fit iniuria;* quod intelligitur de illo, qui eſt omninò ſciens & volens, ita vt eius voluntarium non ſit admixtum inuoluntario, ſed prorſus liberum ac ſpontaneum, cuiuſmodi non eſt, quando quis conſentit ex ignorantia, vel per violentiam, aut ſimilem aliquam iniuſtitiã. Prob. tertia pars, quia ſi quis volens ad æqualitatem ſoluere, per ignorantiam minus ſoluat quàm debet, nolens facit iniuſtum materialiter. Si quis aduertat emptorem fraude vel dolo vti, atque ita pro mercibus quæ pluris valent, ſibi tanquam venditori minus iuſto ſoluere, volens patietur id quod eſt iniuſtum, ſed materialiter duntaxat. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 59. art. 3.* communiter receptus.

Reg. iur.

D. Tho.

. Ex dictis ſequitur fieri poſſe, vt quis iniuriam faciat, & tamen nemo ſit, qui iniuria afficiatur. Exempla ſunt, 1. de illo qui vendit rem cariùs ex intentione, quàm valeat volenti & conſentienti, facit enim iniuſtum & iniuriam. Is autem qui emit, non afficitur iniuria, quæ volenti et conſentienti non fit: 2. qui ſponte lucrum ex mutuo vſuratio dedit, hic iniuſtum facit recipiens lucrum ex mutuo ex vi mutui, et tenetur reſtituere, non facit tamen iniuriam mutuatario, quia hic ſponte dat non coactè, quia tamen non præſumitur donatio, cùm non liberè fiat, ideò iniuſta eſt acceptatio, et tenetur ad reſtitutionem. Plura exempla habes apud Azor. *part. 3. lib. 1. cap. 8. quæſt. 9.* ex mente *D. Thomæ* ſuprà.

Azor.

20. Quicumque aliquid iniuſtum facit contra proximum ſuum ex ſuo genere mortaliter peccat. Ratio quia quidquid eſt contra legem Dei eſt peccatum mortale, ſed quicumque facit aliquid contra iuſtitiam fecit contra legem Dei, ergo mortaliter peccat ex ſuo genere. Tum quia facere iniuſtum repugnat charitati; charitas enim mouet ad volendum bonum alterius, facere autem iniuſtum ſemper eſt cum alterius nocumento, quod voluntariè ipſi infertis, qui facit iniuſtum formaliter. Verùm tamen eſt, quod tale peccatum, quandoque poteſt eſſe veniale, vel ratione paruitatis materiæ: nam quando materia non eſt grauis, non fit nocumentum et iniuſtitia notabilis contra proximum, ſed ſecundùm quid, ideòque tale erit peccatum, qualis erit iniuſtitia, ſi grauis, graue, ſi leuis leue. Similiter veniale erit ratione inaduertentiæ inculpabilis, vel ignorantiæ facti; quia tunc talis actio non eſſet iniuſta per ſe, et formaliter, ſed per accidens, et materialiter tantùm. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 59. art. 4.* et communis. Tamen qui committeret iniuſtitiam in materia leui, quando dominus putatur valde ægrè laturus, peccaret mortaliter; non tamen peccato furti, quod penſandum eſt ex quantitate rei quæ aufertur, ſed peccato ſcandali; eſt enim cauſa grauis illius indignationis quam præuidet ex furto ſuo ſecuturam.

Vide tom. 1. verb. Ignorantia *n. 10. & 12.* Papa *n. 5.*

LEGA-

Digitized by Google

L.

LEGATVM.

SVMMARIVM.

1 *Legatum quid? Et an differat à fideicommiſſo particulari.*
2 *Legatum vt multis modis fiat.*
3 *Legatum cum conditione ſi non nupſerit, vel ſi religionem non intraueris, an ſit validum in vtroque foro?* refertur duplex ſententia.
4 *An legatum relictum pro virginibus maritandis, poſſit dari puellis religionem ingredientibus?*
5 *An legatum relictum fœminis in matrimonium collocandis, poſſit conferri viduis ſecundò nubentibus? Quid de legato pro maritanda certa aliqua puella.*
6 *An legatum amittatur per tranſitum ad ſecundas nuptias, ſi relictum ſit ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi?* refertur duplex ſententia.
7 *Legatum vſus fructus vel alimentorum relictum vxori à marito, quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, an amittatur per tranſitum ad ternas & vlteriores.*
8 *An legatum relictum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, perdatur vna vel altera fornicatione? vel per amplexus & tactus impudicos.*
9 *An legatum vxori relictum à viro quamdiu cum filijs legantis commoratus fuerit, amittatur ab vxore tranſeunte ad ſecundas nuptias, nolentibus filijs cum ea habitare?* refertur duplex ſententia.
10 *Quis legare & quibus legari poſſit.*
11 *An legata incerta ratione incertitudinis perſonæ, debeantur in vtroque foro.*
12 *An Fratribus Minoribus de Obſeruantia & Capucinis legata relinqui poſſint? Et an ea poſſint exigere in iudicio? Et an hæredes teneantur in conſcientia ſoluere dictis Fratribus legata, in caſu quo ij ſit illorum incapaces?* refertur duplex ſententia.
13 *An legata ſimpliciter relicta tranſmittantur ad hæredes legatarij?*
14 *A quonam legata peti debeant.*
15 *Vbi legatum peti poſſit.*
16 *Vbi ſoluendum.*
17 *An res aliena legari poſſit iuxta leges ciuiles & canonicas?*
18 *Quæ conditiones requirantur vt legatum dicatur pium?*
19 *An legata ad pias cauſas valeant & ſint præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit?*
20 *Multis priuilegijs gaudent legata pia, quibus non gaudent alia.*
21 *Quæ actiones competant legatario ratione legati ad conſequendum legatum?*
22 *Quando hæres liberetur à ſolutione legati?*
23 *An Princeps ſupremus derogare poſsit legato ad profanam cauſam? Et ſummus Pont. ad piam.*
24 *An Epiſcopus poſsit commutare defuncti voluntatem, ſeu legata?*

1. LEgatum eſt donatio quadam à defuncto relicta & ab hærede præſtanda. Ita definitur §. 1. *inſtitut. de legatis*, & *l. legatum, ff. de legatis* 2. In hac definitione donatio ſumitur latè pro omni gratuita dotione. Dicitur *quadam*, vt idem ſit, quod rei alicuius particularis, quæ hæreditatis rationem non habeat, nam alioquin tota definitio conueniet fideicommiſſo particulari, quod tamen diuerſam à legato naturam obtinet. Dicitur *à defuncto relicta*, vt diſtinguatur legatum à donatione inter viuos, quæ in vita donantis fit, firmaque & rata eo ipſo habetur: itemque à cauſa mortis quæ non ab hærede ſed viuente teſtatore præſtatur, tametſi ante teſtatoris mortem non confirmetur. Dicitur *& ab hærede præſtanda*, per quam particulam, reijcitur gratuita hæredis inſtitutio, nam hæreditas non ab alio quodam hærede; ſed ab ipſo teſtatore immediatè accipitur.

Hæc definitio ſic explicata conuenit etiam fideicommiſſo particulari: nam fideicommiſſum particulare ſolùm in hoc à legato preſſe ſumpto differt, quod quando verba teſtatoris diriguntur ad legatarium, vt ſi dicat, lego aut relinquo Titio hoc vel illud, dicitur legatum, quando verò teſtator dirigit ea verba ad hæredem, aut hæredes, vel etiam ad legatarium, quibus præcipit, vt hoc vel illud dent Titio, aut cuius alteri, dicitur particulare fideicommiſſum: In effectu autem legatum & fideicommiſſum particulare, omninò æquantur, vt habetur §. *ſed non vſque, inſtitut. de legatis* & *L. 1. ff. de legatis*, & docet Molina *tract. 2. diſp.* 193. Molina.

Notandum tamen ſi hoc verbum *lego* adijciatur vniuerſitati bonorum, nullo expreſſo hærede, ſignificat inſtitutionem hæredis, ſaltem ex præſumpta teſtatoris voluntate, vt ſi teſtator dicat: Lego omnia bona mea Titio: idem enim eſt ac ſi illum in omnibus hæredem inſtitueret. Ita Couar. *cap. Raynaldus* §. 1. *num.* 5. *de teſtament.* Molſeſius *in ſum. 2. part. tract.* 13. *cap.* 5. *num.* 25. & alij. Couar. Molſeſ.

2. Legatum multis modis fieri poteſt: *Primò*, purè id eſt abſque conditione, vel determinatione diei, & huiuſmodi legatum debetur legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris. *Secundò* ſub conditione, aut expreſſa, quia verbis expreſſis adijcitur: aut tacita, quia ex diſpoſitione iuris ſubintelligitur, ſeu ex voluntate teſtatoris. In priori caſu legatum non debetur niſi adueniente conditione, vt ſi dicatur lego centum Titio, ſi filius ei naſcatur. In ſecundo autem caſu, ſi dicatur, Relinquo tibi centum in ſingulos annos, intelligi debet conditio, ſi viuas, & conſequẽter illud legatum, mortuo legatario, nõ traſmittetur ad ipſius hæredes, *ex l. 4. ff. de annuis legatis.* Rurſus aut conditio eſt de præterito, aut de præſenti, aut de futuro. Denique conditio vel eſt neceſſaria, vel contingens, poſſibilis, vel impoſſibilis, honeſta aut turpis vt tom. 1. *v. Donatio, num* 34. *& ſequentibus*, & hoc tomo *verb. Matrimonium* 6. De his vide Syluestrum *verb. Legatum* 1. *num.* 2. Syluest.

3. Certum eſt legatum ſub conditione, v. g. ſi non nupſerit, vel ſi religionem non ingrediatur, eſſe validum in foro exteriori, etiamſi legatarius conditiones non adimpleat, quia conditiones illæ habentur pro non adiectis in *l. reprehendenda, C. de inſtit. & ſubſtit.* & *in l. quidam, ff. de condit. inſt.* Dubium tamen eſt, an in ſolo foro externo reijciantur hæ conditiones, vel etiam in foro conſcientiæ? Quidam ſuſtinent, ſi de teſtatoris voluntate certò conſtet non voluiſſe legare, niſi his conditionibus ſeruatis, legatarium, non ſeruantem conditionem, non poſſe in foro conſcientiæ legatum retinere, nec hæredem teneri illud ſoluere. Ratio eſt, quia leges innituntur præſumptioni præſumunt enim teſtatoris mentem non fuiſſe velle impleri eam conditionem, ſub legati miſſione, ſed forum conſcientiæ ſemper innititur veritati; aduerſus præſumptionem, ergo quando conſtat de teſtatoris voluntate, ea ſeruanda eſt aduerſus iuris diſpoſitionem. Ita docent Medina *Cod. de reſtitut. quæſt.* 23. §. *Ad tertium* Medina.
dicendum. Rebellus *de obligat. iuſtit. part.* 2. *lib.* 18. Rebellus
quæſt. 26. Lopez *inſtruct. confeſſ. part.* 2. *cap.* 18. *in* 1. *&* 2. Lopez.
concluſione. Caietanus, Nauarrus, Anglez apud eundem Caiet.
citati. Hæc ſententia eſt probabilis. Verior tamen opinio eſt, tam in foro conſcientiæ quàm exteriori poſſe prædictum legatum capi à legatario tuta conſcientia, etiamſi deficiant dictæ conditiones, & proinde leges has in vtroque foro ſeruandas eſſe, quamuis conſtet de contraria teſtatoris voluntate. Ratio eſt, quia cùm tales conditiones a iure meritò reprobentur, & pro non adiectis habeantur, non apparet cur legatarius in conſcientia ſecurus eſſe non poſſit, licet de contraria voluntate teſtatoris conſtet: quia regulanda eſt eius voluntas ſecundùm ius, nec poteſt facere vt leges iuſtæ in ſuo teſtamento non valeant; quia non ſunt pœnales, nec falſæ præſumptioni innituntur, ſed ſunt diſpoſitiuæ & aduerſus certiſſimam teſtatoris voluntatem, reiectis ijs conditionibus, ob commune reipublicæ bonum, legatum vel hæreditatem deferunt.

Couar. Molina. Sanchez Valer.

Ita Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 19. num. 10.* Molina *tract. 2. diſput. 207.* Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſput. 33. num. 2.* Valerus *in different. vtriuſque fori verb. legatum different. 4.* & alij.

4. Legatum relictum alicui perſonę determinatæ vt matrimonium ineat, debetur ſecundùm omnes, ſi religionem ingrediatur, vt patet ex *Authent. de Sanctiſs. Epiſc. collat. 9. §. Sed ex hoc præſenti.* Ratio huius deciſionis innititur præſumptioni voluntatis teſtatoris, vbi enim oppoſitum non declarauit præſumit ius fore, vt idem diſponeret, teſtator, ſi meminiſſet, caſu quo iuſſus matrimonium inire, religionem ingrederetur; & hoc religionis fauore.

Sed difficultas eſt, quando non certæ perſonæ matrimonio collocandę, ſed indefinitè pro virginibus maritandis legatum relinquitur, poſsit dari puellæ religionem ingredienti, Plurimi negatiuam ſententiam ſuſtinent; quia quando legatum relictum eſt certæ perſonæ ſub nuptiarum conditione, & illa Monaſterium ingreditur, non poteſt legatum in ſpecifica forma impleri, ſi aliæ fœminæ nupturæ tribuatur, quare non eſt mirum, ſi ius præſumat voluiſſe teſtatorem illi legare, etiam caſu, quo ingrederetur religionem, dum de contraria eius voluntate minimè conſtat. Verum quando legatur indefinitè pro puellis matrimonio collocandis, tale legatum poteſt omninò in vera & propria forma impleri, ſi matrimonium temporale cõtrahentibus detur, nec teſtator affectum habuit ſpecialem ad eam, quæ religionem ingreditur, ergo. Ita Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſput. 33. num. 32.* Molina *tr. 2. diſput. 207.* Menochius *de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 148.* Guttierez *tract. de ſponſal. cap. 20. num. 27.* & alij penes ipſos: qui limitant hanc ſententiam, niſi fortè aliter præſumatur de mente teſtatoris, ſicut ob affectum erga ſanguine iunctos præſumitur, quando legatum relictum eſt ad coniungendas neptes in matrimonium; ideò nepti religionem ingredienti ſoluendum eſt legatum relictum ad neptes in matrimonium coniungendas.

Sanchez Molina. Menoc. Gutier.

Verum contraria ſententia eſt etiam probabilis quam Baſilius Pontius *de matrimon. lib. 3. cap. 7. n. 11.* teſtatur ſuo tempore fuiſſe communem inter Theologos Salmaticenſes. Ratio eſt, quia cùm illa conſtitutio *in dict. Authent.* ſit inducta ex mero & pleno fauore Religionis, & non ex præſumptione aliqua, ſuadet etiam vt ex eadem ratione extendamus eam diſpoſitionem ad legata indefinitè relicta. Tum quia nulla commoda aſſignari poteſt ratio differentiæ inter legatum hoc & legatum relictum certæ perſonæ: quia voluntas præſumpta teſtatoris, quando nihil expreſsit, meritò cenſetur in vtroque caſu non excluſiſſe ſtatum religionis; & inſpicias diſpoſitionis poſitiuæ rationes, eadem militat in vtroque legato, ſcilicet, fauor religionis. Præter Pontium tuentur hanc ſententiam ex Iuriſconſultis Natta *conſ. 296. n. 4.* Boerius *deciſ. 3. n. 13.* & ſeruari in foro contentioſo teſtatur Ochagauia *de matrim. tract. 1. quæſt. 15. num. 17.*

Pontius. Natta. Bouer. Ochag.

5. Legatum relictum fœminis in matrimonium collocandis, regulariter loquendo non poteſt conferri viduis ſecundò nubentibus; quia ea teſtatoris verba de primis nuptiis intelliguntur. Tum quia nomine fœminæ in matrimonium collocandæ in hac materia intelligitur ea, quæ nulli nupſit, vel ſi nupſit, inualidè nupſit, aut matrimonium non conſummauit, quod probatur ex *l. Boues, §. hoc ſermone. ff. de verb. ſignific.* ibi. *Hoc ſermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ ſignificantur.* Aliquando tamen hoc legatum poſſet conferri viduis, v. g. ſi nullæ eſſent fœminæ nubiles ætate, quibus poſſet id legatum impertiri: tunc ne opus pium diutius differatur, ex veriſimili teſtatoris mente poteſt conferri viduis. Ita Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſput. 91. num. 55. & 57.* Naldus *verb. Legatum num. 42.* Baldus, Tiraquellus, Roſella apud eundem Sanchez, contra Gloſſam.

Sanchez Naldus. Baldus. Tiraq. Roſella.

Imo legatum factum pro maritandis puellis pauperibus, debetur etiam & procedit quoad viduas mulieres pauperes, vt ex alijs docet Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 29. verſ. quartò,* qui *verſ. Septimò,* ait, legatum pro dotandis puellis poteſt dari puellæ iam nuptæ ſine dote, vel cum modica dote, ſecus autem ſi legatum ſtat pro virginibus maritandis.

Diana.

Quando autem legatum factum fuit pro maritanda certa aliqua puella, nunc expectandum eſt, donec puella nubat, quia puella habet peculiare ius, vt ſibi legatum ſoluatur iuxta mentem teſtatoris, qui eam elegit & deſignauit, non relicta executoribus facultate eligendi, quam ipſi vellent. Tamen hoc legatum relictum certæ maritandæ, quæ ætate non eſt nubilis, peti nequit ante ætatem nuptijs aptam, hoc eſt, ſi duodecim annos nata. Ita Sanchez *loco citato num. 61. 62.* Baldus *l. Sancimus, final. Cod. de nuptijs,* & alij. Quinimo legatum in genere relictum fœminis maritandis, non poteſt tradi fœminæ quę nondum ad duodecimum annum peruenit; quia hæres eligere debet perſonam habilem, vt voluntas teſtatoris adimpleatur, non adimpletur autem teſtatoris voluntas, electa perſona nondum ætate nubili: vt tradunt prædicti Doctores.

Sanchez Baldus.

6. Controuerſia eſt inter Doctores, an legatum relictum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittatur per tranſitum ad ſecundas nuptias? Quidam enim ſuſtinent eam conditionem appoſitam à viro vxori excludere ſecundas nuptias, atque adeò per illas amitti legatum: ſecus ſi apponatur ab extraneo nullatenus coniuncto priori viro, aut à parentibus, alijſque conſanguineis ipſius viduę tranſeuntis ad ſecundas nuptias. Prob. prior pars, quia ex perſonis dicta penſanda ſunt; ergo cùm viris ſint odioſæ valde ſecundæ nuptiæ vxoris, meritò ea verba ex mente perſonæ proferentis accipienda ſunt de omnimoda caſtitate, & non de ſola illa, quæ ſecundis nuptijs ineſt. Poſteriorem partem probant, quod ſecundæ nuptiæ non ſunt in ſe impudicæ, ſed caſtæ & honeſtæ, ac proinde ex vi illorum verborum non excluduntur. Ita pluribus adductis probabiliter Sanchez *diſp. 91. n. 15. lib. 7. de matrim.* Alij tamen non minùs probabiliter docent vxorem conſequi id legatum, quamuis ſecundò nubat: quia nihil accipit cõtra voluntatem teſtatoris, cùm ſecundæ nuptiæ caſtæ ſint & honeſtæ; niſi aliter conijciatur de voluntate teſtatoris, nam ex illius voluntate legatum vim habet vt ſuſtinent Molina *tract. 2. diſp. 207.* Vaſquez *de teſtamentis cap. 7. §. 1. dub. 7.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. 45. verſ. tamen verior eſt.* & alij. Prima autem ſententia videtur verior: Sed in quantum habet non excludi nuptias ſecundas, per conditionem caſtè & honeſtè viuendi, quando apponitur à conſanguineis coniugis ad illas tranſeuntis, vel ab alio extraneo, intelligitur vt ſolæ ſecundæ nuptiæ non excludantur: quare coniux tranſiens ad tertias nuptias illud amitteret. Quia tertiæ & vlteriores nuptiæ à caſtitate deficiunt atque incontinentiæ ſignum ſunt. Ita bene Sylueſter *verb. Legatum 1. num. 9. quæſt. 5.*

Sanchez Molina. Vaſq. Lopez. Syluest.

7. Legatum vſus fructus vel alimentorum relictum vxori à viro, expreſſa conditione quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias non amittitur per tranſitum ad tertias & vlteriores. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 89. num. 54.* quia vir conſenſum præſtans ſecundis nuptijs, cenſetur iniuriam remittere ſibi inferendam ex alienis nuptijs, quę iniuria ſemel remiſſa perpetuò durat. *Ex l. Si non conuitij, Cod. de iniurijs.*

Sanchez

8. Quidam exiſtimarunt legatum relictum alicui, ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, minimè perdi vna vel altera fornicatione, ſed quando fœmina ita paſſim ſui corporis copiam facit, vt meritò dici poſſit inhoneſtè viuens. Prob. quia luxurioſè viuere opponitur caſtè & honeſtè viuere: atque ita illa fœmina dicetur non caſtè & honeſtè viuens, quæ luxurioſè viuit. At non dicitur luxurioſè viuere, quæ ſemel aut iterum fornicatur, ſed quæ fornicationis vitio aſſuefacta eſt. Id enim ſonat luxurioſè viuere, *l. Et mulieri 15. ff. de curatorib. furioſ.* vbi Gloſſa *verb. Et mulieri,* explicat, de meretricio more viuenti. Tum quia vnicus actus non denominat quempiam bonum vel malum: vnde in prouerbium abijt, *vna hirundo non facit ver.* Alijs verò placet eiuſmodi conditioni non parceri vnica fornicatione admiſſa, atque ita amitti in vtroque foro id legatum, quia nomina verbalia delictum importantia, vnico contenta ſunt actu. Vt præuaricator, calumniator, raptor, ſpoliator, fractor, *l. Athletas, §. præuaricator, ff. de his qui notantur infamia. Cap. penult. & cap. final. de raptor.* Ita Nauarr. *in cap. 23. num. 62.* Sylueſt. *verb. Legatum 2. in fine.* Caietanus *in Summ. verb.*

Nauar. Syluest. Caiet.

Menoc. *verb. pœna, ad finem*. Menochius *de præſumpt. lib. 4. præſumpt.* 187. *num.* 12. & alii.

Sed diſtinguendum videtur, ſi legatum relictum ſit a marito, vel eius filiis, aut filiis ipſius vxoris, aut alterutrius coniugis conſanguineis, vel arctiſſima familiaritate coniunctis, quorum intereſt viduam illam omnimodam caſtitatem ſeruare, & tunc ſatis eſt vnica fornicatio, vt id legatum perdatur. Et in hoc caſu vera eſt ſententia ſecunda: ſi ab extraneo relictum ſit, tunc enim deſideratur ea fornicationum frequentia, vt merito ac iure optimo poſſit dici eiuſmodi vita impudica & inhoneſta, vt probant rationes primæ ſententiæ. Ita Sanchez *de matrimon. lib.7. diſp.* 91. *num.* 33.
Sanch.

An autem legatum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittatur a fœmina amplexus virorum, aut tactus impudicos patienti? Quidam affirmant, eo quod non dicatur vita caſta huius mulieris: Alii negant amitti fracta caſtitate mente, verbo, vel alio actu laſciuo, præter copulam: quia cum hi actus, licet libidinoſi, non ſint actus conſummati in genere impudicitiæ, ſe inchoati & præuij, non denominant, fœminam ſimpliciter impudicam, ſed inchoatiuè. Ita Nauar. *in man. cap.* 23 *num.* 62. Sed meliùs dicendum id legatum non perdi per vnicum vel alium actū huiuſmodi laſciuum, ob rationem ſecundæ ſententiæ. Secus quando fœmina toties in hos tactus labitur, vt arbitrio boni viri poſſit ea fœmina dici impudica, ac inhoneſtè viuens, & in hoc caſu vera eſt prima ſententia: Secundùm *Ludouicum Lopez* quem ſequitur Sanchez *loco citato num.* 40.
Nauar.
Sanch.

9. Legatum vxori relictum à viro quamdiu cum filijs legantis cōmemorata fuerit, iuxta quoſdam amittitur ab vxore tranſeunte ad ſecundas nuptias, nolentibus filijs cū ea habitare; quia huiuſmodi legato interdictę videntur ſecundæ nuptiæ & filij iuſtam cauſam habent diuertendi à matre, quia ipſis ſuſpecta eſt. Idē ſentiunt de legato quod vxor fecit marito, quamdiu cum filijs commoratus fuerit; vir enim aduolans ad ſecundas nuptias, legatum amittit, quia filij iuſtam habent diſcedendi cauſam ob timorē odij nouercæ. Ita Baldus, Iaſon, Lupus, Gomez & alij quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.7. num.*48. probabiliter. Verum contraria videtur probabilior, nempe non amitti id legatum à coniuge ſuperſtite tranſeunte ad ſecundas nuptias & volente cum prædictis filijs habitare. Ratio eſt, quia legatum debetur legatario adimplenti conditionem, ſub qua relictum eſt ei legatum, ſed vxor aduolans ad ſecundas nuptias poteſt adimplere conditionem cum filiis prioris matrimonii perſiſtendo, ergo debetur ei legatum, ſi cum filiis habitare velit; quod ſi filii renuant cum ipſa habitare, ipſorum culpæ adſcribendum eſt; quia per legatarium non ſtat, ne adimpleatur conditio. Ita Imola *in l. cum tale, num.* 1. *ff. de condit. & demonſtrat.* Bartolus *ibidem*. Bonacina *de contract. diſput.* 3. *quæſt.* 17. *punct.*8. § 4. *num.* 14 & alii apud Sanchez ſuprà *n.*47. citati.
Sanch.
Imola
Bartolus
Bonac.
Sanch.

10. Omnis & ſolus ille, qui teſtari poteſt, poteſt legare: nam legatum non relinquitur, niſi in teſtamento, vel codicillo. Codicillum autem nemo facere poteſt, niſi qui & teſtari, *l. Diui* §. *Codicillos, ff. de iur. codicillorum*. Quibus autem legari poſſit? Dicendum eſt ex communi ſententia, omnes perſonas capaces bonorum, modò non ſint perſonæ omninò incertæ, eſſe etiam capaces legatorum. Ratio eſt, quia valor legati pendet à voluntate diſponentis, & à capacitate legatarii acceptantis. Quando verò perſonæ ſunt omninò incertæ, legatum illis fieri non poteſt: nam ignoratur quibuſnam fiat: conſequenter legatum redditur inutile, §. *incertis inſtitut. de legatis*. Secus dicendum, ſi perſonæ non ſint omninò incertæ, ſed aliqua ratione certificari ſeu dignoſci poſſint, tunc enim ſoluendum eſt legatum. Proinde validum eſt legatum, ſi dicatur, lego centum illi, qui matrimonium cum mea filia contraxerit, nam celebratione matrimonii innoteſcit perſona legatarii. Ita communiter Doctores.

11. Legata incerta ratione incertitudinis perſonæ, ex aliquo extrinſeco accidente, v. g. eiuſdem nominis & paris amicitiæ erga teſtatorem duo reperiuntur, non debentur in foro exteriori. Vt in caſu *l. in tempus*, §. 1. *ff. de hæred. inſtitut.* & *l. ſi quis ſeruum*, §. *ſi inter duos, ff. de leg.* Imò ſi alter eorum renunciet alteri ius, non tenebitur hæres ei legatum ſoluere. In foro autem conſcientiæ tenebitur hæres in tali caſu illud legatum inter eos diuidere, ſi ipſi conſentiant; nam debitor de debito quidem certus, incertus verò, vtrum Petri, vel Pauli, tenetur inter illos debiti quantitatem diſpartiri. Ita Molina *tom.* 1. *diſp.* 192. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 58. & alii. Notandum tamen eſt, ſi legatum fuit Eccleſiæ D. Mariæ, vel alterius Sancti, & in eo loco extent plures Eccleſiæ illius nominis, in dubio legatum ſoluendum eſt Parochiali, ſi tali nomine nuncupetur, alioquin cedet maiori, vel pauperiori. Si omnes Eccleſiæ ſint æquales, legatum ſoluendum eſt Epiſcopo, vt illud diſtribuat iuxta ſuum prudens arbitrium. Si vero ibi nullæ ſint Eccleſiæ illius nominis, legatum ſoluendum videtur Eccleſiæ Cathedrali. Ita Syluester *verb. Legatum* 2. *q.* 7. Tuſchus *verb. Legatum, concl.* 46. Molfeſius *in Sum.* 2 *p. tract.* 13. *c.* 5. *n.* 104. cum aliis penes ipſos.
Syluest.
Tuſchus
Molfeſ.

12. Quamuis Fratres Minores de Obſeruantia & Capucini, eorumque Monaſteria, aut Eccleſiæ hæredes inſtituti non poſſint, tamen legata ipſis relinqui poſſunt per modum piæ donationis, ſeu eleemoſynæ, iuxta *c. erit*, §. *ad hæc, quia Fratribus, de verborum ſignif. in* 6.

Limita *Primò*, niſi legatum tantæ quantitatis ſit, vt videatur relinqui in fraudem; ſiue ſub nomine ac forma legati hæreditas dari. *Clement. Exiui*, §. *cupientes, de verbor. ſignif.*

Limita *Secundò*, niſi Fratribus Minoribus dictis legetur domus, ſeu habitatio ſeiuncta ab eorum Monaſterio, talem enim poſſidere non poſſunt: veteres tamen domos inſtaurare & extendere poſſunt, ſi indigeant, & ad vſum domum contiguam ſibi legatam acceptare.

Limita *Tertiò*, niſi Fratribus legetur annuus reditus perpetuus, vel ad longum tempus pro eorum victu & veſtitu: talis enim legati Fratres omninò incapaces ſunt, vt conſtat ex *Clement. Exiui*, §. *Cumque annui reditus, de verbor. ſignif.* Non obſtat tamen annuos reditus ipſis legari pro luminibus, aut ornamentis Eccleſiæ, pro vino vel frumento ad quotidianum Sacrificium neceſſario; quia mendicitas Fratrum Minorum in eo verſatur, vt quotidie alimenta mendicent, quorum nomine ſola veniunt corpori neceſſaria, vt eſus, potus, habitatio, veſtes: quæ mendicitas hoc legato non tollitur, vtpote quod non in hæc cedere debeat, ſed in neceſſaria cultui diuino.

Limita *Quartò*, niſi legato rei, ſeu mobilis, ſeu immobilis adiiciatur modus, qui repugnet eorum profeſſioni, vt colligitur ex *cap. Exijt.* §. *ad hæc, quia fratribus, de verb. ſignificat. in* 6. Puta ſi legetur eis vinea, vt ipſi eam retineant, excolant, & fructus pro vino quotidiano colligant, aut aliis locent: quia hoc appropinquat reditibus, vel illorum poſſeſſioni ac vſui. Licet tamen Fratribus Minoribus habere hortos ex quibus olera victui neceſſaria colligant, dummodo nil fructuum inde perceptorum vendant, aut locent; vt habetur expreſsè *in Clement. Exiui*, §. *licet vero, de verb. ſignif.* Similiter ſi abſolutè legatus ſit fundus, valet legatum; cùm illud vendi poſsit ac debeat, & ex pretio neceſsitati Fratrum ſubueniri ex *cap. Exijt*. §. *ad hæc, ſupra*. Denique ſi pecunia legata ſit pro veſtitu Fratrum, & veſtimentis tunc non indigeant, valet legatum, idque in alias neceſsitates eorumdem, auctoritate Ordinarii conuertendum erit. De legatis his vide Sorbum noſtrum *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Legata*. Cordubam *in regul. S. Franciſci, cap.* 6. Rodriquez *tom.* 2. *qq. regul. quæſt.* 126. 127. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 26. *à num.* 9. Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. & 4.
Sorb.
Cordub.
Rodriq.
Sanch.
Laym.

Sed petes *Primò*, an Fratres Minores de Obſeruantia & Capucini poſsint exigere in iudicio legata ipſis relicta? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, tum quia id ipſis ſpecialiter prohibetur *in Clement. Exiui*, §. *cupientes, de verb. ſignificat.* Tum quia ad hoc vt legatum exigatur in iudicio, requiritur, vt legatarius ius proprium habeat ad illud; nullum autem ius, aut obligatio acquiritur Fratribus dictis ex legatis relictis, vt conſtat ex *cap. Exijt*, § *Cæterum, de verb. ſignif. in* 6. Hoc tamen non facit, quin conſuli poſsit Fratribus aduerſus hæredes, ne legatis, ad quæ hi tenentur, defraudentur: Et quidem *Primò*, vt ciuitas, ſeu ſyndicus illius id præſtet: cùm ius ad recuperanda legata pauperibus relicta, acquiratur Ciuitati ex *l. Ciuitatibus, ff. de legatis*.

Secundò, vt Iudex ex ſuo merè officio, nemine potente cogat hæredem adimplenda legata: quia intereſt Reipub. ne quis ſua re malè vtatur §. *Sed hoc tempore, Inſtit. de iis, qui ſui vel alier. iur. ſunt.* Iudex autem competens in hoc negotio poteſt eſſe Eccleſiaſticus vel ſæcularis, ex *cap. Exiit, §. ad hæc de verbor. ſignif. in 6.* Imò in hoc caſu poſſunt Fratres extra iudicium implorare officium Iudicis: quia illi id faciunt non quaſi habentes aliquid iuris circa legata relicta, ſed tantùm monendo iudicem extra iudicialiter, vt ille compellat ex officio ſuo hæredem vt ſuæ obligationi ſatisfaciat, Ita Rodriquez *tom. 2. quæſtionum regular. quæſt. 126. artic. 4.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 26. num. 62.*

Rodriq.
Sanchez

Petes *Secundò*, an hæredes teneantur in conſcientia ſoluere Fratribus Minoribus dictis legata ipſis relicta in caſu, quo ij ſint illorum incapaces? Reſpondeo: Probabile eſſe teneri. Probatur, quia hæredes præbentes eleemoſynas ex obligatione teſtamenti, non dant ex obligatione, aut iure quod ipſimet Religioſi acquiſierunt, ſiue in re, ſiue ad rem, nullum enim tale ius acquirunt, ſed ex obligatione, quam hæredes habent in ordine ad teſtatorem: nam non repugnat, quempiam nullum omninò ius habere ad aliquam rem, & conſequenter alterum non eſſe ei obligatum, & tamen hunc eſſe obligatum reſpectu alterius, vt patet in voto, quo quis ſe adſtringit dandi in perpetuum quotannis Fratribus Minoribus certam eleemoſynam: ſiquidem ipſe teneretur dare tale eleemoſynam, non obſtante quòd illi ſint incapaces habendi annuos reditus; cùm talis obligatio non ſit reſpectu illorum Fratrum, ſed reſpectu ſolius Dei, & ita Fratres poterunt accipere eam eleemoſynam, vt non ſibi debitam, ſed vt debitam Deo, Nec obſtat, quod *in Clement. Exivi, §. Cumque annui reditus, de verb. ſignif.* decidatur, quòd legatum annuorum redituum Minoribus relictum contineat expreſsè modum contrarium eorum regulæ & paupertati: ſiquidem hoc explicari poteſt de legatis annuis ſoluendis ex obligatione, ac iure acquiſitis per ipſos Fratres, non autem de ijs, quæ ſoluantur ex obligatione in Ordine ad teſtatorem, qui illam impoſuit. Hanc ſententiam pluribus probat & tenet Rodriquez *tom. quæſtionum regul. quæſt. 127. art. 4. edit. vltima.* Hieron. Rodriquez *in Compend. reſol. 88. num. 10.* Angelus *v. Legatum 1. num. 5.* Syluester *v. Legatum 2. q. 3. dict. 3.* Tabiena *verb. Legatum 1. quæſt. 4. num. 5.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tract. 18. diſp. 1. dub. 18. num. 311.* Diana *part. 10. tract. 14. reſol. 65. verſ. Sed plus addit.*

Rodriq.
H. Rodr.
Angelus
Sylueſt.
Dicaſtil.
Diana.

Cæterùm quamuis hæc doctrina de rigore iuris & ſpeculatiuè loquendo poſſit ſuſtineri vt probabilis; in praxi tamen non expedit quòd Fratres admittant eiuſmodi legata, ſaltem ad cauendam offenſionem puſillorum. Vnde ad tutiùs procedendum in hoc, expediret quòd Prælatus faceret proteſtationem iuridicam ei, qui implere tenetur teſtatoris voluntatem, quod nolunt Fratres eas eleemoſynas ex vi illius legati recipere. Si autem facta iſta proteſtatione legatarius vel hæres voluerit ex ſua mera voluntate dare eleemoſynas illas, poſſunt Fratres cum bona conſcientia recipere. Non poſſunt tamen Fratres ad ea legata recurrere, niſi per modum eleemoſynæ abſque alicuius debiti allegatione: quia apud multos, illud legatum cenſetur caducum & irritum.

13. Legatis ſimpliciter relictis id proprium eſt, vt tranſmittantur ad hæredes legatarij, licet is ante aditam hæreditatem decedat, tamen poſt mortem teſtatoris, *l. ſi poſt, ff. Quando dies legati.* Tamen eiuſmodi legata peti non poſſunt priuſquam hæreditas adita ſit. At verò ſtatim vt hæreditas adita eſt, legatarij dominium acquirunt rerum in ſpecie legatarum, vna cum fructibus, etiam ijs, qui ante hæreditatis aditionem poſt mortem teſtatoris percepti erant, vt habet communior ſententia apud Gomez *lib. 1. variar. c. 12.* Molinam *diſp. 194.* Notandum tamen, quod ſi nemo ex ſcriptis hæredibus hæreditatem adierit, legata vna cum teſtamento corruant, neque ab hæredibus ab inteſtato præſtanda ſunt, iuxta *l. ſi nemo, ff. de teſtament. tutel.* vide infra *num. 19.*

Gomez.
Molin.

14. Legata ab hæredibus peti debent; ab executoribus autem, quando ſunt inſtituti vniuerſales diſtributores bonorum omnium defuncti in pauperes, aut in alia pia opera: aut quando quis ſuam animam conſtituit hæredem, præcipiens vt bona ſua per executorem aliquem diſtribuantur in pia aliqua opera, eſto ſimul ſtatuat legata aliqua profana. Quando autem hæres aliquis eſſet conſtitutus, relictuſque ſimul eſſet aliquis alius, qui executor eſſet quorumdam legatorum, is petere teneretur ab hærede bona vnde legata impleret, & ad id illum cogere: propria autem auctoritate non poſſet legatarius quicquam accipere, niſi peculiariter ad id facta eſſet poteſtas per teſtatorem. Dato etiam curatore per iudicem bonis defuncti, quando mora hæredum, aut legitima alia cauſa id poſtularet, peti etiam poſſent legata, miniſterio talis curatoris iudiciſque auctoritate ſoluenda. Ita Anton. Gomez *tom. 1. variar. c. 12 num. 12.* Argum. textus *in l. ſi à pluribus, ff. de legat.* & aliorum iurium quæ citat. Gomez.

15. Legatum peti poteſt vniuerſim, vbi hæreditas, aut maior hæreditatis pars exiſtit, *l. vnica, Cod. vbi fideicommiſſum peti poſsit.* Item, vbi hæres habet domicilium, *l. ſi fideicommiſſum, §. penult. ff. de re iudic.* Quando autem legatum fuit res determinata in ſingulari, tunc ſiue actione reali, ſiue perſonali agatur, vltra illa duo loca, peti etiam poteſt vbi talis res exiſtit, *l. quod legatur, ff. de iudicijs*, & *l. cum res, §. ſed ſi res, ff. de legat.* daturque optio legatario, vbi ex his locis petere malit. Ita Gomez *loco citato c. 12. num. vltim.* & Doctores communiter. Gomez.

16. Quando de teſtatoris voluntate conſtat, vbi legatum ſoluendum ſit, ibi eſt ſoluendum, *l. quod legatur, §. præterea, ff. de iudicijs.* Quando autem aliter de teſtatoris voluntate non conſtat, ſi legetur res teſtatoris determinata in indiuiduo, quamuis alibi à legatario petatur, ibi tamen ſoluenda eſt, vbi illa exiſtit, neque tenetur hæres illam aſportare ac ſoluere in loco, vbi petitur, etiamſi legatarius dicat, ſe ſoluturum expenſas, vt ait Gloſſa 3. *l. quod legatur, ff. de iudicijs*, quemadmodum ſi legatarius petat; vt ſoluatur in loco vbi illa exiſtit, non poteſt hæres excipere, ſeu opponere, alibi eſſe maiorem partem hæreditatis, eaque ratione alibi eſſe ſoluendam, *l. cum res, §. 3. ſed ſi res, iuncta gloſſa ibi, ff. de legat. 1.* Gloſſa.

17. Legari non poteſt ſimpliciter res aliena, ſed ſolùm dum teſtator ſciebat rem illam alienam eſſe; tunc enim non legatur ſimpliciter res aliena, ſed grauatur hæres rem illam emere, ſi poteſt, vt illam, vel ipſius æſtimationem legatario tradat, *§. non ſolum, inſtitut. de legat.* Incumbit tamen legatario onus probandi, teſtatori notum fuiſſe rem eſſe alienam, alioquin hæres liber eſt à ſolutione legati: quia cùm conſtet rem alienam eſſe & rem alienam legari non poſſe, præſumptio ſtat pro hærede; tum quia ſic decernitur *in dict. §. non ſolum*, &c. Si verò teſtator ignorabat eſſe alienam, inualidum eſt legatum, niſi factum ſit fauore animæ, aut amico valde dilecto, aut perſonæ coniunctæ; tunc enim ſi teſtator ſciret rem alienam eſſe, adhuc relinqueret illud legatum, vel eius æſtimationem. Ita Couar. *in c. filius noſter, de teſtament. num. 2. & ſeq.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. num. 13.* Vaſquez & alii. Hæc præſumptio eſt iuxta leges ciuiles: aliter eſt dicendum iuxta leges Dei, quia *in cap. filius noſter, de teſtament.* habetur, legatum rei alienæ etiamſi fiat ad pias cauſas, inualidum eſse; vnde in foro conſcientiæ non obligatur hæres ad ſoluendum huiuſmodi legatum. Vide Molinam *tract. 2. diſt. 196. num 8.*

Couar.
Gomez.
Molina.

18. Vt legatum dicatur pium duæ conditiones requiruntur, *Prima eſt* pietas perſonæ, cui fit legatum; & ex defectu huius conditionis ille non dicitur legatum pium facere, qui legat aliquid diuiti, quamuis dicat ſe intuitu & amore Dei hoc facere; nam deficit pietas in perſona, cui fit legatum. *Secunda* conditio eſt, vt fiat cauſa pietatis: vnde ſi quis leget aliquid pauperi non intuitu pietatis, non dicitur legatum pium, cùm deficiat pietas in cauſa, quamuis adſit pietas in perſona; hinc qui conſanguineo pauperi aliquid legat, non præſumitur facere legatum pium, cùm deficiat pietas in cauſa; nam præſumitur præualere affectio ſanguinis, ſaltem quando in legato non primò fit mentio paupertatis. Secus ſi paupertatis primò fiat mentio, tunc enim cenſetur legatum pium. Ita Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 4. num. 9.* poſt Baldum *in l. illud, num. 1. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Vaſquez *de teſtament. cap. 8. §. dub. 1.* & alij.

Sanchez.
Baldus.
Vaſq.

19. Le-

19. Legata ad pias cauſas valent, & ſunt præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit, puta, quia ante illam aditam mortuus fuit hæres, vel quia hæreditatem repudiauit. Nam quòd legata non poſſint peti hæreditate non adita, eſt ſolemnitas iuris ciuilis *l. eam quam, Cod. de fideicommiſſ.* quæ ad pias cauſas ſe non extendi, vt ex communi docent Panorm. *in cap. Relatum 1. de teſtament. num.* 6. Couar. *in cap. Raynaldus, §. 3. num. 9. & ſeq.* & poſt illos Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tract. 19. diſput. 1. dub.* 10. Imo debentur legata relicta ad pias cauſas in teſtamento, etiamſi illud quoad hæredis inſtitutionem aliquo defectu laboret; & ideò ex teſtamento aliàs defectuoſo, legata ad pias cauſas relicta debentur, modò liberis teſtatoris legitima inſtitutionis titulo relicta fuerit, vt docent Clarus *lib. 3. recept. ſentent. §. teſtamentum. quæſt.* 6. *num.* 8. Tiraq. *tract. de priuileg. pia cauſa priuileg.* 17. & alij apud Dianam *part. 7. tract. 6. reſol.* 25.

Panorm. Couar. Dicaſtil. Clarus. Tiraq. Diana.

20. Multis priuilegijs gaudent legata pia, quibus non gaudent alia. *Primò*, legatum pium non requirit ſolemnitates iuris ciuilis, ſed ſufficit ſolemnitas iuris naturalis: quia pia cauſa non ſubijcitur laicæ poteſtati: vnde valida eſt diſpoſitio, qua relictum fuit aliquid piæ cauſæ in præſentia duorum teſtium, modò tamen liberè diſpoſuerit & ſufficienter expreſſerit hæredem, aut legatarium. *Secundò*, legatum pium non eſt caducum, ſed ſuſtinetur quouis modo ſuſtineri poſsit, etſi præſtari nequit illi, cui relinquitur, applicatur alteri pio loco. *Tertiò*, in legatis vel fideicommiſſis ad pias cauſas poteſt legatarius vel fideicommiſſarius capere legatum vel fideicommiſſum propria auctoritate. *Quartò*, à legatis non detrahitur falcidia vel Trebellianica, etiamſi teſtator non prohibuerit illam detrahi. *Authent. Similiter, Cod. ad l. falcid.* Falcidia autem nuncupatur quarta pars bonorum defuncti, detracto tamen priùs ære alieno, detractis etiam expenſis funeris, & expenſis factis in adeunda hæreditate. *Quintò*, cauſa pia, quæ relicta fuit hæres non tenetur vltra vires hæreditatis ad ſoluenda debita teſtatoris, etiamſi cauſa pia non fecerit inuentarium, dum adijt hæreditatem: quia lex iubens hæredem non conficientem inuentarium, teneri vltra vires hæreditatis, eſt lex ciuilis & fundatur in præſumptione fraudis, cauſa autem pia non ſubijcitur legi ciuili nec nititur præſumptione, dum conſtat de rei veritate. Plura priuilegia piæ cauſæ exſtant apud Tiraq. *de priuilegijs pia cauſa*, & Tuſchum *in verb. Legata ad pias cauſas*, quæ apud ipſos videri poſſunt.

Tiraq. Tuſchus

21. Tres actiones competunt legatario ratione legati ad conſequendum legatum. *Prima* eſt perſonalis: nam hæres adeundo hæreditatem videtur quaſi contractum cum legatarijs & alijs creditoribus defuncti facere, & ſe obligare ad perſoluenda defuncti debita, & conſequenter legatarius acquirit ius contra hæredem ad conſequendum legatum, quod defunctus ſibi reliquit: modò hæres adeat hæreditatem ex teſtamento: nam ſi alia ratione adeat, non competit legatario iſta actio, ſed datur illi actio prætoria in factum. *Secunda* eſt actio hypothecaria, nam ſi legatum factum ſit rei certæ res illa remanet hypothecata legatario: & ſi legatum non ſit ſpeciei, ſeu certæ rei, ſed quantitatis, legatarius habet ius hypothecæ in omnia bona teſtatoris. Ita decernitur *in l. 1. & 2. Cod. communia de legat. Tertia* eſt rei vendicatio, cum enim legatarius acquirat dominium rei legatæ à die mortis teſtatoris, ſequitur ipſi competere rei vendicationem contra hæredem & alios rei legatæ poſſeſſores, & conſequenter poſſe implorare officium iudicis, aut Saluianum interdictum intentare. Vide Molfeſium *in ſumma parte 2. tract. 13. cap. 5. num. 123. & ſequent.* Card. Tuſch. *verb. Legatarius concluſ.* 147. Manticam *de coniectur. vltim. volunt. lib. 7. num.* 10.

Molfeſ. Tuſchus Mantica

22. Ex multis cauſis hæres liberatur à ſolutione legati, quarum *Prima eſt*, quando legatum eſt inualidum, vel defectu voluntatis, aut poteſtatis in diſponente, vel defectu ſolemnitatis à iure præſcriptæ, vel ratione materię, vt quando legatur id quod legari non poteſt, aut quando aliquid ita in genere legatum eſt, vt legatum cenſeatur eluſorium, aut inutile, vel ratione perſonæ cui fit legatum. v. g. ſi ſit incapax, aut non exiſtat in rerum natura; aut defectu cauſæ finalis, ſeu conditionis ob quam factum fuit legatum.

Secunda eſt, reuocatio expreſſa vel tacita legati facta à teſtatore: quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Tamen legatum non præſumitur reuocatum, niſi probetur, quia reuocatio eſt quid facti, quod non præſumitur niſi probetur; vnde in dubio iudicandum in fauorem legati, *l. 3. §. ſi duobus, ff. de adimen. legat.*

Tertia cauſa eſt, dum res legata perempta eſt abſque culpa hæredis: quia res domino perit: legatarius autem à die mortis teſtatoris fit dominus rei legatæ, *l. à Titio, in fine, ff. de furtis*, modò ei legata fuerit certa ſpecies, non autem aliquid in genere vel quantitate, tunc enim ſi pereat perit hæredi, non legatario qui ante traditionem dominium illius non acquiſiuit. Ita decernitur *in §. ſi res legata, Inſtit. de legat.*

Quarta cauſa eſt, dum legatum efficitur caducum: quod contingit, quando legatarius moritur ante ipſum teſtatorem, tunc enim legatum accreſcit hæredi, modo legatum non ſit pium, vt dictum eſt ſuprà *l. vnica, Cod. de caduc. tollen.*

Quinta cauſa accidit, dum legatarius repudiat legatum: quia donatio cenſetur facta ſub conditione, ſi donatarius acceptet, legatum autem eſt donatio: tum quia beneficium non confertur in inuitum. Ita communiter Doctores.

23. Quamuis voluntas teſtatoris regulariter ſeruanda ſit tanquam lex, & alienum ſit à ratione; vt bona diſtrahantur & occupentur contra domini voluntatem, vt decernitur *in cap. vltima voluntas 13. quæſt. 2.* & *Authentic. de nupt. §. diſponat.* Nihilominus Princeps ſupremus non agnoſcens alium ſuperiorem in temporalibus derogare poteſt teſtamento & legato facto ad cauſam profanam, conuertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam, vel piam. Ratio eſt, quia huiuſmodi Princeps, ſicut poteſt ſubdito ex iuſta cauſa ſubtrahere bona; ita etiam à fortiori poteſt relicta in teſtamento, vel legato ad prophanum vſum, conuertere in alium profanum vel pium vſum. Quod poteſt princeps ſupremus in legatis profanis, hoc poteſt Summus Pontifex in pijs: quia ſummam in terris habet facultatem; nec minoris poteſtatis eſt, quàm ſit Princeps laicus, ex *Clement. quia contingit, de religioſis domibus*, & docent Couarruuias *in cap. nos quidem, de teſtament.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat.* 83. Vaſquez *de teſtament. cap. 8. num.* 103. & alij communiter. Inferior autem Summo Pontifice, vel ſupremo Principe non poteſt legatum commutare, licet in melius, contra domini voluntatem; quia huiuſmodi commutatio eſt actus ſupremæ iuriſdictionis: intellige, niſi de illorum licentia; quia hæc poteſtas delegabilis eſt.

Couar. Barboſa. Vaſq.

24. Epiſcopus, regulariter loquendo, non poteſt commutare defuncti voluntatem, ſeu legata: quia conſtitutus eſt Epiſcopus executor vltimarum voluntatum, non diſſipator: ob cauſam tamen iuſtam & conſentiente hærede, ſi ob id grauatur, & loco pio, cui res relicta fuerat, poteſt legatum pium relictum ad certum vſum, conuertere in alium pium vſum: quia tunc non fit iniuria hæredi vel loco pio, cùm cedant iuri ſuo conſentiendo, neque fit iniuria teſtatori, quia hoc eſt conforme rationabili eius voluntati, quia ſi adeſſet, vt hoc ipſum fieret rationabiliter reſponderet & hoc ipſum mandaret Epiſcopo, qui *cap. tua nos, de teſtamentis*, & in Trident. *ſeſſ. 22. cap. 8. de reform.* dicitur, *piarum diſpoſitionum executor*. Ex dictis ſequitur legatum factum in aliquem vſum, ſi commodè nequeat adimpleri, poſſe auctoritate Epiſcopi in alium commutari; adeſt enim tunc iuſta cauſa commutationis. Ita Couar. *in cap. tua, de teſtament. num. 7. & 9.* Rodriq. *tom. 1. quæſtionum regularium, quæſt. 27. artic.* 5. Vaſquez *de teſtament. cap. 8. §. 3. dub. 3. num.* 114. Boncina *de contract. diſp. 3. q. 17. punct. 8. §. 9. num.* 4. & alij communiter.

Concil. Trident. Couar. Rodriq. Bonac.

Plura de legatis poſſent adduci, quæ videri poſſunt apud Molinam *de iuſtit. tractatu ſecundo, à diſp. 193. vſque ad* 210. & alios Iuriſperitos hic citatos.

Molina.

Vide tom. 1. v. Actio *num.* 17. Donatio *num.* 31. & hoc tom. v. Teſtamentum *num.* 2.

LEGA-

Digitized by Google

LEGATVS.

SVMMARIVM.

1 *Legatus Summi Pontificis triplex eſt.*
2 *An omnes Legati Apoſtolicæ Sedis ſint iudices.*
3 *Quæ ſint priuilegia propria Legati a latere.*
4 *An legatus miſſus qui non eſt a latere, poſſit abſoluere percuſſores Clericorum.*
5 *An omnis Legatus poſſit in ſua Prouincia, ea omnia quæ poſſunt reliqui Ordinarij eiuſdem Prouinciæ.*
6 *Quid poſſint Legati iure antiquo & nouo Tridentini in cauſis quoad primam inſtantiam.*
7 *An ad Legatum quemcumque poſſit appellari ab Epiſcopo, prætermiſſo Archiepiſcopo.*
8 *An Legatus poſſint exercere ſuum munus in qualibet parte Prouinciæ.*
9 *An Legati poſſint condere ſtatuta, quæ perpetuò durent, etiam finita legatione.*
10 *Legatio legatorum quo modis finiatur.*
11 *An Legatus à latere poſſit dare facultatem regularibus exemptis, vt poſſint eligere Confeſſarium non approbatum à Prælato regulari.*
12 *An Legatus à latere poſſit in tota ſua Prouincia excipere Confeſſiones, abſoluere à reſeruatis per Ordinarios, alijſque id munus committere generaliter? Et an approbatione facta ab ipſo Legato reuocentur in generali reuocatione approbationum facta ab Epiſcopo.*
13 *An ſufficiat licentia Legati à latere ad prædicandum in ipſius Prouincia.*
14 *An regulares in edictis Legatorum à latere comprehendantur ſub nomine Cleri & Eccleſiaſticorum.*
15 *An regularis habens à Legato facultatem abſoluendi Religioſos Ordinis à reſeruatis in ipſo Ordine, poſſit ea vti extra Prouinciam ipſius Legati.*
16 *An delegatus a Legato de latere poſſit poteſtatem ſibi delegatam exercere etiam poſt finitam legationem legati delegantis, eiuſue mortem.*

1. LEgati Apoſtolicæ Sedis ſunt in triplici differentia: alii enim dicuntur Legati a latere, alij Legati miſſi, alij Legati nati. Legatus a latere debet eſſe vnus ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Dicitur autem Legatus a latere, quaſi è latere Romani Pontificis: nam Papa & Cardinales faciunt vnum corpus myſticum totius Eccleſiæ, cuius caput eſt Romanus Pontifex, reliqui autem Cardinales reputantur tanquam membra illius: ideòque talis Legatus dici ſolet a latere. Legatus miſſus dicitur ille, qui mittitur a Pontifice ad aliquam Prouinciam, ſiue Regnum, vt ibi loco ipſius iuriſdictionem exerceat: & talis poteſt eſſe quilibet Prælatus, etiamſi non ſit Cardinalis. Legatus natus nuncupatur ille, qui in dignitate eſt conſtitutus, quæ priuilegio Sedis Apoſtolicæ annexum habet munus legati Apoſtolici. Et vocatur natus, quoniam eo ipſo, quòd in ea dignitate conſtituitur, quaſi naſcitur Legatus Sedi Apoſtolicæ ſine alia noua conceſſione eius muneris, quæ illi poſtea adueniat. Talis eſt in Anglia Archiepiſcopus Cantuarienſis, vt conſtat ex *cap. 1. de officio legati.* Talis Archiepiſcopus Remenſis in Gallia, &c.

2. Ex legatis Apoſtolicæ Sedis, quidam non ſunt iudices, alij verò iudices ſunt. Qui enim a Sede Apoſtolica mittuntur ad aliquid cum aliquo Principe vel cum aliquo alio tractandum, vel ad aliquod aliud nudum miniſterium, abſque iuriſdictione aliqua, legati quidem ſunt Apoſtolicæ Sedis, non tamen ſunt iudices. Atque hi Nuntij Apoſtolici etiam dicuntur. Sunt tamen tam hi, quam reliqui legati aliorum Principum ac Rempublicarum, etiamſi hoſtium ſint legati, gentium iure immunes ſeruandi, vt nihil mali, aut iniuriæ accipiant, & vt audiantur, permittanturque exequi legationem ſuam, vt habetur *in cap. Ius gentium, diſt. 1.* vbi inter alia, quæ iuris gentium eſſe dicuntur, dicitur, *Legatorum non violandorum religio.* Habetur etiam *in l. vltim. ff. de legationibus,* vbi in pœnam lædens legatum hoſtium, hoſtibus traditur, vt de eo, quod voluerint, efficiant.

3. Legati a latere quædam priuilegia ſunt propria. *Primum*, quòd a die diſceſſus ab vrbe, vſque ad diem, qua reuerſus illam ingreditur, eſto legationem finierit, dummodo tamen illam non finierit per reuocationem legationis a Summo Pontifice, abſoluere poſſit percuſſores Clericorum, etiamſi percuſſio fuerit enormis, tam eos qui de Prouincia, ad quam miſſus ſit legatus, quam qui aliunde accedunt. Argum. *cap. Excommunicatio, de offic. legat.* vbi Gloſſa & Panorm. *num. 2.* cæterique Doctores communiter. Gloſſa. Panorm.

Secundum, quò beneficia Eccleſiaſtica Prouinciæ ad quam mittitur conferre poſſit, & in hoc concurrit cum Ordinatio, ita vt inter eos locus ſit præuentioni, iuxta *cap. Si à ſede, de præbend. in 6.* & *cap. 1. de officio legati in 6.* Quod verum eſt, etiamſi beneficia ſint de iure patronatus Eccleſiaſtici, ex *c. dilectus, de offic. legati,* & *c. cum dilectus, de iure patronatus.* Non item quæ ſunt iuris patronatus laicorum, niſi ea deuoluta ſunt ad Epiſcopum, propter negligentiam præſentatoris laici, ſicut docet Gloſſa *in Clement. per litteras verb. Apoſtolicis, de præbend.* & Garzias *part. 5. c. 3. num. 63.* Imo etiam ea confert beneficia, quæ ſpectant ad exemptorum collationem, quia in eos iuriſdictionem habet, iuxta *c. 1. de verbor. ſignif. in 6.* Denique confert etiam ea, quæ ad Papam deuoluta, ſed eidem reſeruata non ſunt, teſte Gloſſa communiter recepta *in cap. 2. de offic. legati in 6. verb. ampliori,* Sylueſt. *verb. Delegatus, num. 20. quæſt. 13.* Limitationes vero huius poteſtatis competentis Legato ad conferenda, aut reſeruanda beneficia, vide *in cap. præſenti, & cap. de liberatione, de offic. legati in 6.* Hæc tamen poteſtas non competit Nunciis, ſeu Legatis non a latere, ſiue ſpeciali mandato, vel niſi ſint Nuncij cum poteſtate Legati à latere, vt docent communiter Doctores poſt Garziam *loco cit. num. 81.* Gloſſa. Garzias. Gloſſa. Sylueſt. Garzias.

Tertium priuilegium eſt, quod in exemptos Prouinciæ iuriſdictionem exercere poſſit. Quare exempti, niſi velint, compelli non poſſunt, litigare coram aliis legatis. Vtrumque colligitur ex *cap 1. de verb. ſignific. in 6.* & ex *c. Si Abbatem, de elect. in 6.* in quo dicitur, quod Legatus à latere confirmare poſſit electiones Epiſcoporum & Abbatum exemptorum, quæ confirmatione Sedis Apoſtolicæ indigent; dareque licentiam Abbatibus exemptis in Epiſcopos electis, vt Abbatiam ſuam deſerant tranſeundo ad Epiſcopatum, ad quem ſunt electi: non tamen poteſt concedere, vt Epiſcopus vnus tranſeat ex Epiſcopatu vno ad alium, etiamſi in illum ſit electus: quia id concedere ſoli Summo Pontifici conuenit. Neque Diœceſes diuidere vel vnire, diſpenſare in matrimonii impedimentis, &c. ea enim Legato à latere iure communi non competunt, vt conſtat ex *c. niſi,* & *c. translationem, de offic. legati.* Quare ſi eiuſmodi poteſtatem ſibi à Summo Pontifice ſpecialiter conceſſam aſſerat, eius rei fidem per litteras authenticas facere debet, vt docet ex communi Molina *de iuſt. tract. 5. diſp. 6. num. 4.* Molina.

4. Legatus miſſus qui non eſt a latere, quamuis in Prouincia in qua eſt legatus, poſſit abſoluere percuſſores Clericorum, dummodo tamen aliunde non accedant cum ea excommunicatione ad eam Prouinciam, non tamen poteſt abſoluere extra eam Prouinciam, etiam eos, qui cum excommunicatione contracta in Prouincia, in qua eſt legatus, ad ipſum accedunt, niſi aliud ſpecialiter ei fuerit conceſſum. Ita habetur *in c. Excommunicatus de offic. legati.* Quod ſi cum poteſtate legati a latere accederet, id omne poſſet, quod Legatus a latere poſſet. Legatus verò natus non aliam facultatem habet abſoluendi percuſſores Clericorum, quàm eam, quam habet quatenus Epiſcopus eſt, niſi peculiari priuilegio aliud ei concedatur, vt habetur *in dict. c. Excommunicatis,* & docet Molina *tract. 3. diſp. 58.* poſt Syluest. *verb. Delegatus, num. 17. quæſt. 12.* Molina. Sylueſt.

5. Legatus, etiamſi non ſit a latere, cùm poſſit ea, quæ Summo Pontifici reſeruata non ſunt, poteſt regulariter in ſua Prouincia, aut in ſuis Prouinciis ea omnia, quæ poſſunt reliqui Ordinarii eiuſdem Prouinciæ, ſiue Epi-

ſcopi,

ſcopi, ſiue Archiepiſcopi, ſiue etiam Patriarchæ ſint, & aliquid amplius: eo quod cognoſcere poſsit de ipſorum criminibus, tametſi procedere non poſsit ad depoſitionem eorum, eſto tanta pœna digni ſint; quoniam id peculiariter eſt reſeruatum Summo Pontifici, vt notat Panorm. Panormit. *in c. 1. de offic. legati, num. 2. & 4. argument. cap. accuſatus, & quamuis licent 3. quæſt. 6* vbi depoſitio Epiſcopi Summo Pontifici reſeruatur. In aliquibus tamen reſtricta eſt eius poteſtas, vt circa collationem beneficiorum, provt continetur *in c. præſenti, & c. deliberatione, de offic. legati, in 6.*

6. Quamuis legati iudices ſint Ordinarii in Prouincia, aut Prouinciis, ad quas deſtinati ſunt à Sede Apoſtolica, & de tota Prouincia, aut de quauis Prouinciarum, poſsint actores vocare reos in prima inſtantia ad iudicium coram Legato, aut Nuncio, prætermiſso alio ſuo iudice Ordinario, vt patet ex *c. 1. de officio legati*, & notant Gloſſa. Paṅorm. Concil. Trident. Gloſsa, *ibi*, Panormitanus, & alii Doctores communiter. Hodie tamen in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 20. de reformat.* reſtricta eſt quoad hoc legatorum poteſtas, vbi ſtatuitur, *Cauſæ omnes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoſcantur, atque omnino, ſaltem infra biennium à die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores, alias tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent; nec antea alijs committantur, nec auocentur, neque appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per ſuperiores quoſcumque recipiantur, eorumve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi à definitiua, vel à definitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari nequeat, &c.* Et infrà: *Legati quoque, etiam de latere, Nuncij, Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alij quarumcumque facultatum vigore, non ſolùm Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum iuriſdictionem ijs præripere, aut turbare non præſumant; ſed nec etiam contra Clericos, aliaſve perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito, negligente, procedant: alias eorum proceſſus ordinationeſve nullius momenti ſint: atque ad damni ſatisfactionem, partibus illati, teneantur, &c. Non obſtantibus, quoad omnia ſupraſcripta, priuilegijs, indultis, concordijs, qui ſuos tantum teneant auctores, & alijs quibuſcumque conſuetudinibus.* Hæc Concilium.

7. Ad Legatum quemcumque poteſt appellari, prætermiſso medio, aut mediis, ut ſi appelletur ab Epiſcopo, poteſt immediatè appellari ad Legatum, prætermiſso Archiepiſcopo. Gloſſa. Panorm. Ita Gloſsa & Panorm. *in c. 1. de offic. legati*, atque Panorm. ita receptum eſse in praxi. Tamen Concil. Trident. in Concil. Trident. *ſeſſ. 22. c. 7. de reform.* ſic habetur. *Legati & Nuncij Apoſtolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani in appellationibus ad eos interpoſitis, in quibuſuis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus poſt appellationem, ſeruare teneantur formam & tenorem ſacrarum Conſtitutionum, & præſertim Innoc. IV. quæ incipit, Romana: quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo, vel priuilegio, in contrarium non obſtantibus; aliter inhibitiones & proceſſus & inde ſecuta quæcumque ſint ipſo iure nulla.* Hæc conſtitutio habetur *in c. Romana Eccleſ. de appellat. in 6.* Et quod cauſas criminales in eodem Concil. Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 3. de reform.* ita eſt ſtatutum. *Reus, ab Epiſcopo, aut eius Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram iudice, ad quem appellauit, acta primæ inſtantiæ omnino producat: & iudex, niſi illis viſis, ad abſolutionem eius minimè procedat. Is autem à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat, alioqui abſque illis cauſa appellationis huiuſmodi, prout iuſtitia ſuaſerit, terminetur.*

8. Sicut Epiſcopus in qualibet parte ſuæ Diœceſis, modo locus exemptus non ſit, poteſt pro tribunali ſedere, & cauſas audire per ſe uel per alium, carceri mancipare, & reliqua, quæ ad ſuum munus ſpectant, exequi, eo quod in tota ſua Diœceſi habeat iuriſdictionem, ut habetur *in c. cum Epiſcopus, de offic. Ordinar. in 6.* Ita Legatus audire poteſt cauſas & exercere ſuum munus in qualibet parte Prouinciæ, aut Prouinciarum, in quibus eſt legatus, etiam expediendo in uno loco cauſas alterius ſuæ Prouinciæ, et reliqua, quæ ad ſuum munus ſpectant, ut habetur *c. Nouit, de offic. legati*, et docent Nauar. *lib. 1. conſil. tit. 3. de offic. iudic. Ordinarij, conſil. 3.* et alii cõmuniter. Nauar.

9. Certi iuris eſt, Legatos in Conciliis Prouincialibus et extra Concilia poſse ſtatuta concedere, quæ perpetuo durent, etiam finita legatione: quia qui habent iuriſdictionem ordinariam, poſsunt ſtatuta concedere in perpetuum, et perpetua cenſentur, niſi ad tempus ponantur, circa ea omnia, quæ ad iuriſdictionem ipſorum ſpectant, uidelicet ad mores componendos, uitia corrigenda. Hoc enim etiam poſsunt Epiſcopi. At uerò nec Epiſcopi, neque Legati poſsunt quidquam ſtatuere contra ius commune ex toto, uel parte. Poſsunt tamen præter ius commune ſtatuere. Item contra non parentes iuri pœnam addere, ut ſinguli faciliùs ius commune ſeruent. Imo poteſt Legatus condere ſtatutum contra ſtatuta aliorum Legatorum: quia neque inferior, neque par potuit ei legem imponere, *c. Cum inferior, de maior. & obedient.* & *c. Inferior, diſt. 21.* Non tamen contra conſuetudinem Prouinciæ, nec contra priuilegia eidem à Summo Pontifice conceſſa, quæ infringere ac minuere non poteſt, niſi peculiariter eſſet ei conceſſum, vide de his Azor. *p. 2. lib. 5. cap. 32. q. 1. & ſeq.* Panorm. *in cap. vlt. de confirmat. vtil. vel inutil.* Molinam *tract. 5. diſp. 9. num. 5. & 11.* Azor. Panorm. Molin.

10. Legatio legati nati ſolùm expirat morte ipſius, aut amiſſione dignitatis, cui id legati munus eſt annexum, cõtinuatur tamen in ſucceſſorem in illa dignitate. Legatio verò aliorum legatorum multis modis finitur. *Primò*, ſi aliquis ad certum tẽpus conſtitutus fuit legatus, finito eo tempore, legatio quoque finitur. *Secundò*, per reuocationem legationis. *Tertiò*, per egreſſum legati à toto ambitu loci ſuæ legationis animo non regrediendi. Secus autẽ per egreſſum ab vna Prouincia ſuæ legationis, ſi in alia eſt adhuc intra limites ſuæ legationis: inde enim exercere ſuum munus poteſt, etiam circa aliam Prouinciã, vnde ſit egreſſus, vt habetur *in cap. Nouit. de offic. legati. Quartò*, morte legati. Non tamen morte legantis Pontificis finitur, qui munus legationis ei iniunxerat. Quòd ſi legatus aliquid delegauerat antequam in eo aliqua prędictorum omnium modorum legatio finiretur & res integra non ſit, quia delegatus, antequam legatio expiraret, citationem circa eã rem expediuerat, tunc ex eo, quòd legatio expiret in legato, non expirat in delegato iuriſdictio ei commiſſa, ſed progredi in ea cauſa poteſt, quouſque finem ei imponat. Si autem res integra ſit, quia delegatus nondum citationem expedierat, tunc in delegato expirat iuriſdictio vna cum legatione legati. Ita Gloſſa *c. Præſenti, de offic. legati, in 6.* Molina *tract. 5. diſp. 9. num. 14.* Syluester *verb. Delegatus, num. 31. q. 15.* & communiter Doctores. Gloſſa. Molina. Syluest.

11. Legatus à latere poteſt dare facultatem regularibus exemptis, vt poſsint eligere Confeſſarium non approbatum a Prelato regulari. Ratio eſt, quia Legatus in ſua Prouincia eſt iudex Ordinarius, ſeu proprius Epiſcopus Regularium, quamuis exemptorum, vt conſtat ex literis ipſius legationis: certum eſt autem poſſe quemlibet Ordinarium concedere ſuis ſubditis ſupradictã facultatem. Ita Naldus *verb. Legatus, n. 8.* Imò exiſtimant Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 26. num. 10.* Regulares poſſe vti tali facultate etiam extra Prouinciam Legati concedentis, eamque durare perpetuò, cùm ſit priuilegium perſonale, quod afficit perſonam, eamque comitatur, quocumque ierit, & habeat rationem gratiæ factæ, quæ non expirat, mortuo cõcedente, aut amoto ab officio, quod intelligendum eſt, ſi talis facultas ſit data indefinitè, & ſine limitatione. Ex *c. ſi ſuper gratia, de offic. delegat. in 6.* & dicemus *verb. Priuilegium 3. nu. 11.* & *Priuilegium 2. num. 8.* cum Doctoribus ibi citatis. Quibus addo Filliuc. *tract. 7. n. 238.* Pellizzar. *in manual. regular. tract. 8. cap. 2. num. 6.* Naldus. Suarez. Filliuc. Pellizz.

12. Cùm Legatus a latere in tota ſua Prouincia, non ſolùm concurrat cum omnibus Ordinarijs dictæ Prouinciæ, ſed etiã ſit maior illis, *c. 2. de offic. legati, in 6.* ac proinde ei competant quæcumque competunt Epiſcopis; idque ex natura & officio legationis, vt notãt *Ioannes, Andreas, Anchoranus, Sylueſter, Nauarrus*, & alij apud Naldum *verb. Legatus a latere, num. 8.* Hinc poteſt in tota ſua Prouincia Naldus.

Digitized by Google

uincia excipere confeſſiones, aliiſque id munus committere, abſoluere a reſeruatis per Ordinarios eiuſdem ſuæ Prouinciæ eorumque facultatem delegare, diſpenſare, aliaque præſtare, quæ ſinguli Ordinarii in ſuis Diœceſibus præſtant.

Sed petes, an Legatus a latere poſſit dare facultatem abſoluendi a reſeruatis Ordinario generalem & abſolutam? Reſpondeo poſse. Ratio eſt, quia ſicut Ordinarius quilibet in ſua Diœceſi poteſt committere vniuerſam ſuam facultatem abſoluendi a reſeruatis, & non ſolùm in caſibus occurrentibus; ita etiam dicendum eſt de Legato a latere quoad totam ſuam Prouinciam; cùm ratio, quæ militat in ſingulis Ordinariis reſpectu ſuæ Diœceſis, locũ habeat item in Legato a Latere reſpectu totius ſuę Prouinciæ, vt patet. Ceterùm licet Legati a latere poſſint pro tota ſua Prouincia abſolutè approbare ad confeſſiones, & committere facultatem reſeruatorum, non expedit tamen, vt id ſæpius faciant, quin potius in hoc debent procedere cum magna circumſpectione, præſertim in approbandis Confeſsariis, qood regulariter non deberent facere abſque præuio examine, niſi aliunde ipſis conſtet de ſufficientia doctrioæ, ac probitate approbandorum: alias hinc poſsent non leuiter offendi Ordinarii, videntes in ſua Diœceſi approbari Confeſsarios parum idoneos, ac negligi reſeruationem caſuum & cenſurarum ab ipſis factam ob nimiam facilitatem, qua eorum facultas aliis cõcederetur, præterquam quòd multa licent, quę non expediunt. Proinde non debent committere prædictam facultatem reſeruatorum quibuſcumque indiſcriminatim, ſed iis ſolùm, quibus attentis eorum doctrina, prudentia, probitate & aliis circumſtantiis iudicauerint expedire.

Eſt autem aduertendum, quod in generali reuocatione approbationum, quæ fit ab aliquo Epiſcopo, exiſtente intra Prouinciam Legato a latere, non reuocentur approbationes factæ ab ipſo Legato: quia inferior qualis eſt Epiſcopus reſpectu Legati a latere in propria Prouincia, non poteſt derogare iuri ſuperioris. Expediret tamen vt taliter approbati a Legatis in hoc caſu, ſe præſentarent Epiſcopo reuocanti approbationes in ſua Diœceſi; idque cauendam ipſorum Epiſcoporum offenſionem, vt rectè

Pelliz. monet Pellizzarius *in Manual. regular. tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 22. *&* 23.

13. Si regulares ſint prædicaturi in Diœceſibus exiſtentibus intra Legati a latere Prouinciam, ſufficit vt ab ipſo Legato ibi reſidente licentiam petant, vt docet Sor-

Sorbus. bus noſter *in Compend. priuileg. v. Prædicatores, n.*4. *&* 5. pateteque ex indulto Bullato ad id conceſso Fratribus Or-

Alex. IV. dinis Prædicatorum ac Minorum ab Alexandro IV. &

Cle. IV. confirmato a Clemente IV. quod ibi refert Sorbus. Tum quia Legatus in ſua Prouincia eſt Ordinarius, & concurrit cum quocumque Ordinario illius; ſicque poterit præſtare, quidquid præſtant alii Ordinarii, & conſequenter poterit dare licentiam prædicandi, cùm id ſpectet ad Ordinarios.

14. Regulares in edictis Legatorum a latere alias habentium ſuper eos iuriſdictionem, minimè comprehenduntur ſub nomine Eccleſiaſticorum: cùm ſint perſonæ ſpeciali nota dignæ, ac priuilegiatæ, adeoque in odioſis nõ veniant nomine Cleri, ſicque interdicto Clero interdicti non cenſeantur Regulares; quippe qui non conſtituunt cõmuniter vnum corpus cum Clericis ſæcularibus, quod vocetur nomine Cleri; cùm habeant planè diſtinctos fines, ac modos ſeipſos regendi. Vnde fit, vt non ſolùm Legati, ſed etiam Pontifices in ſuis Decretis, ac Conſtitutionibus expreſsam faciant mẽtionem de Regularibus, quotieſcumque intendunt eos in illis comprehendere. Quod

Nouar. confirmatur ex eo, quod docent Nouarius *in Lucerna*

Naldus. *regular. verb. Excommunicare, n.*7. Rodriguez apud illum, ad hoc vt regulares includantur ſub excommunicatione lata a legato de latere in communi, ſpecialiter in ea ſunt nominandi, ſicque fuit practicatum in regionibus Hiſpaniarum. Ita etiam Naldus *verb. Clericus*, Pellizzarius *in*

Naldus. Pelliz. *Manual. regul. tract.*8. *cap.*6. *n.*3. Vide dicta *verb. Interdictum* 2. *n.*26. vbi reperies quoſdam tenere nomine Eccleſiaſticorum venire etiam Religioſos, non tamen nomine Cleri.

15. Regularis a Legato habens facultatem abſoluendi Religioſos Ordinis a reſeruatis in ipſo Ordine, poteſt ea vti etiam extra Prouinciam ipſius Legati delegantis: cùm is poſſit præfatam exercere facultatem extra ſuam Prouinciam ex *cap. penult. de offic. Legat.* & Regularis in præſenti caſu ſubrogetur in eius locum, ſicque verificetur ſubrogatum ſapere naturam eius, pro quo ſubrogatur. Tum quia facultas, de qua hic agitur, pertinet ad iuriſdictionem voluntariam, quæ poteſt exerceri etiam extra proprium territoriũ, vt diximus *to.* 1. *verb. Confeſſarius* 1. *n.*10. & *verb. Abſolutio, n.*18. cum Doctoribus ibi citatis.

16. Cùm delegatio facta a Legato de latere non expiret eius morte, aut finito officio, niſi ſit facta ad beneplacitum perſonæ, aut officii, vt in terminis docent Sanchez Sanch.

*de matrim. diſp.*38. *n.*84. & alii a nobis citati *tom.* 1. *verb. Confeſſarius* 2. *num.*22. Conſequenter delegatus eam poteſtatem ſibi delegatam poteſt exercere, etiam poſt finitam legationem Legati delegantis, eiuſve mortem: quomodo approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones abſolutè, etiam eo amoto, vel mortuo, poteſt illas audire, vt tradunt Henriq.

Henriquez, Graffiis, Sanchez, Nauarrus, Bonacina a no- Graffijs.

bis citati *loco præfato num.* 23. Quia hæc delegatio non eſt Sanch.

penſanda per regulas iuſtitiæ, ſed gratiæ, quæ non ſolùm Nauar.

pœnitentibus, ſed etiam ipſis Sacerdotibus eſt maximè Bonac.

fauorabilis & nemini odioſa, ergo illi conuenit regula gratiarum factarum, quæ non expirant per mortem concedentis, *cap. ſi gratioſè, de reſcript. in* 6.

Vide tom. 1. v. Beneficium 3. *n.*9. *&* 19. Exemptio *n.*4. & hoc tom. v. Interdictum *n.*30. Lex 2. *n.*17. 18. Reſidentia *n.* 4. Viſitatio *n.* 2.

LEGITIMA PORTIO.

SVMMARIVM.

1 *Legitima quid & quotuplex.*
2 *Falcidia vnde dicta & quid ſit.*
3 *Trebellianica vnde dicatur & quid.*
4 *Quod ius habeat filius in legitimam viuente patre.*
5 *An legitima portio filiorum poſsit conſuetudine, ſtatuto uel lege ex toto adimi uel ex parte diminui.*
6 *An heredi inſtituto in minori quantitate, quàm eſſet debita legitima, permittatur actio ad ſupplementum uſque ad integram legitimam portionem.*
7 *An legitima debita deſcendentibus poſsit apponi aliquod grauamen, modus, conditio, aut dilatio à teſtatore.*
8 *An legitima debita iure naturæ per crimen patris in læſam maieſtatem, amittatur.*
9 *An filius debeat de iure parentibus legitimam & quantam.*
10 *Falcidia in quibus caſibus ceſſet.*
11 *Caſus in quibus Trebellianica ceſſet.*

1. LEgitima portio, *eſt pars hereditatis aliquibus à lege decreta.* Et eſt triplex. *Prima*, dicitur legitima, *l. omni modo, Cod. d. inoffic. teſtament.* dicitur etiam aliquando debita pars; vel debitum ſimpliciter; vel debitum bonorum ſubſidium; vel debita pars iure naturæ.

Hæc legitima quondam de iure communi deſcendentibus debita, ſolùm erat quarta pars bonorum teſtatoris, diuidendæ æqualiter inter filios maſculos ac fœminas, & in defectu filiorum inter alios deſcendentes, vt patet ex *l. Papinianus*, & *§. quoniam, §. quanta, ff. de inoffic. teſtament.* De reliquis verò tribus partibus diſponeret poterat teſtator ad libitum. Poſtea verò de iure authenticorum in hunc modum aucta fuit eadem legitima portio. Vt ſi teſtator quatuor, aut pauciores filios haberet, tertia pars bonorum ipſius inter ipſos æqualiter diuiderentur: ſi verò plures eſſent quam quatuor, diuideretur dimidium bonorum illius. Ita habetur *in authentica nouiſsima & in authentica, unde ſi pater, Cod. de inoffic. teſtament.*

Hæc legitima portia filiorum in variis regnis, varia eſt, nam in Luſitania ſunt duæ partes bonorum teſtatoris, ſimiliter inter eos æqualiter diuidendæ, de reliqua tertia

parte

parte poteſt teſtator ad libitum diſponere, vt colligitur ex *lib. 4. ordinat. tit. 70.*

In Regno Caſtellę legitima deſcendentium ſunt omnia bona teſtatoris, præter quintum, de quo diſponere poteſt ad libitum: certa tamen ſacrificia & aliæ impenſæ funeris de eiuſmodi quinto extrahi debent, & non de integro aceruo bonorum, vt habetur *lib. 30. Tauri, quaſt. 13. tit. 6. lib. 5. nonæ collectionis.* Ita Nauarrus *in Man. cap. 17. n. 158.* Molina *tract. 2. diſp. 158.* apud quem plura, de iure Caſtellæ. Nauar. Molina.

2. Secunda legitima portio dicitur *falcidia* à Falcidia auctore, quæ debetur iure inſtitutionis, & eſt quarta pars totius hæreditatis, quam inſtitutus hæres retinet & detrahit ſibi de ſingulis legatis, niſi ad pias cauſas, ſi hæreditas eſt exhauſta legatis, vt quia ſupra dodrantem in tres partes hæreditatis eſt aliquid legatum vel fideicommiſſum. *Authentic. Similiter, Cod. ad leg. falcid.* Vel vt alij volunt, falcidia eſt ea pars, quam detrahit hæres, cui debetur legitima, a legatis vel donatiooibus cauſa mortis factis, cùm teſtator tam multa fecit legata, vt non reliquerit illi integram legitimam, ſpectata ſingulorum pro portione, donec impleat legitimam. Si autem ſit hæres, cui iure non ſit debita legitima, detrahit ſolùm vſque ad quartam bonorum, quam ſibi poteſt ſeruare, ſicut in fideicommiſſis. Molin. Vide Molinam *tract. 2. diſp. 213.*

3. Tertia dicitur Trebellianica a Trebellio auctore, quæ debetur iure inſtitutionis, & quidem ſi hæres eſt inſtitutus io tota hæreditate, cum onere eam reſtituendi alteri, detrahere poteſt quartam totius: ſi in dimidia cum ſimili onere, detrahere poteſt quartam illius dimidij: ſi in decima, detrahat quartam illius decimæ: quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet, & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certum noo adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam. Ita patet ex §. *Sed quia ſtipulationis, Inſtit. de fideicommiſſarijs hæreditatibus*, & *l. 1. & ſeq. Cod. ad S.C. Trebellianum.* Idque ideò ſtatutum eſt, tum ne vana ſit hæredis inſtitutio, tum vt alijciatur ad acceptandum & præſtandum quod teſtator cupit impleri.

4. Filius in legitimam portionem viuente patre habet ius non in re, ſed ad rem: dum enim pater viuit, plenum habet ſuorum bonorum dominium, nec legitimam filio dare niſi in morte, iure ſcripto compellitur: quare parentibus adhuc viuis legitima filijs debita creſcere, ac decreſcere poteſt; quia parentes donec vixerit, lucrifacere & perdere queunt, & in eorum obitu maior minorve erit legitima portio filiorum, pro maiori minorive hæreditate, quæ tunc in filios teſtamento traſmittitur, alieno ære deducto, & funeris impenſa, & ſeruis libertate donatis, *lib. Papinianus, §. Quarta, ff. de inoffic. teſtam.*

5. Legitima portio filiorum poteſt iure, vel ex toto adimi, vel ex parte diminui conſuetudine, ſtatuto, lege, vel Panorm. ſcripto iure, Ita Panormitanus *in cap. Raynutius, de teſtament.* & alij communiter. Hoc autem locum habet, quando filijs aliunde ſuppetunt bona, vnde viuant. Hinc in quibuſdam Prouincijs & locis filio habenti aliunde victum neceſſarium, pater liberè poteſt legitimam portionem iure communi alioqui debitam, denegare. Eſt item alicubi, aut in more poſitum, aut peculiari ſtatuto, vel lege decretum, vt filius, qui abundè ſeipſum poteſt aliter etiam ex induſtria, labore vel arte, quæ ipſum non dedeceat, in vita tueri, legitima portione careat. Alicubi etiam eſt ſtatutum, quo decernitur, patrem minimè cogendum alere filium ſuum maiorem decem & octo annis, ſi viribus filius ipſe valeat, quibus poſſit commodum ſibi victum, & amictum parare. Imò alibi etiam more vel ſtatuto permittitur, vt parentes legitima iure communi debita excludant filios ſuos, qui ipſis inuitis, vel inſcijs & inconſultis vitæ conditionem elegerunt. Et ſuſceperunt ante 25. ætatis annum. Vide Syluestrum *verb. Legitima* Syluest. *portio, quaſt. 3.* vbi refert quoſdam contrarium dictis ſeotientes.

6. Quando is, qui hæres neceſſariò inſtituendus erat, inſtitutus quidem fuit, at in minori portione quàm eſſet legitima & debita, non ſolùm eſt validum teſtamentum, ſed neque ita inſtituto conceditur actio inofficioſi aduerſus illud: idque ſiue portio, in qua inſtitutus fuit, ſit quota hæreditatis, ſiue res aliqua certa: ſed tantùm permittitur illi actio ad ſupplementum vſque ad integram legitimam portionem. Ita *l. omni modo, C. de inoffic. teſtament.* Idem habetur, §. *ſed hæc, inſtit. eodem titulo*, & confirmat communis Doctorum ſententia, quam refert Antonius Go- Gomez. mez *1. tom. var. cap. 11. num. 23.* Actio autem ad complementum legitimæ competit aduerſus hæredes & legatarios, vt pro rata contribuant, vt cum *Bartolo* & alijs affirmat Gomez *loco citato.*

7. Legitimæ debitæ deſcendentibus nullum grauamen, modus, conditio, aut dilatio poteſt à teſtatore apponi, quòd ſi apponatur, licet hodie filio non concedatur querela inofficioſi ad annullandum tale teſtamentum, attamen grauamen illud, modus, conditio, aut dilatio, ſunt ipſo iure nulla, non ſecus ac ſi non eſſent appoſita. Ita habetur expreſsè *l. quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. teſtament.* Item dicendum eſt de legitima aſcendentibus in bonis deſcendentium debita, vt affirmat ex communi Gomez *loco citato num. 24.* Proinde ſi teſtator inſtituat Gomez. ſuum filium in omnibus ſuis bonis, eum tamen grauet, vt ſi diſceſſerit ſine liberis, illa reſtituat cuidam tertio, aut vinculo maioratus ſint eo ipſo affecta; tale grauamen nullum eſt, comparatione legitimę, poteritque proinde filius, de ea diſponere prov voluerit: imò verò ſi nihil diſponat, pertinebit ad ipſius hæredes ab inteſtato: validum eſt verò, quo ad incrementum vltra legitimam Ita communiter Doctores, quo refert & ſequitur Anton. Gomez Gomez. Azor. *tom. 1. variar. cap. 11. num. 24. & 25.* Azorius *p. 2. lib. 2. cap. 29. quaſt. 6.*

8. Difficultas eſt inter Doctores, an legitima debita iurę naturæ amittatur per crimen patris in læſam maieſtatem? Quidam enim ſuſtinent, quòd non, & proinde filios, qui audita condemnatione patris furtim ſurripiunt legitimam, non teneri ad reſtitutionem Principi, ſaltem in foro animæ, quia poſſunt tenere de iure naturæ, quod per ius poſitiuum tolli non poteſt: tum quia pater non poteſt priuare filium legitima, niſi in caſu iogratitudinis, *l. quoniam in prioribus, Cod. de inofficioſ. teſtament.* Ita Cardin. *in Clement. Paſtoralis, de re iudic.* Summa Angelica & alij. Contrarium tamen eſt verius: quia per cootractum poteſt tolli legitima, cùm debeatur deducto ære alieno. In delictis autem quaſi contrahimus: quia per quaſi contractum quis ſe obligat ad pœnam, *l. Imperatores, ff. de iur. fiſci*, tum quia legitima eſt quota bonorum, quam pater habet tempore mortis, nihil autem habet, quando ſunt confiſcata. Nec refert dicere, patrem alienare ooo poſſe titulo lucratiuo in præiudicium filij, verum eſt, ſponte ſua, quod non contingit hic, vbi cogitur, & præterea hic ipſe non alienat, ſed ius. Tum quia eſt ęs alienum, non ex ſublatione, ſed ex legis condemnatione; tum quia valet talis alienatio, quando eſt coacta, & à lege. Ita Sylueſter *verb. Legitima portio, num. 5. quaſt. 5.* & alij apud ip- Syluest. ſum citati.

9. Olim filius loco legitimæ parentibus ſolùm quartam ſuorum bonorum partem debebat, ita vt de tribus ſui patrimonij partibus liberè ſtatuere poſſet, quarta parte parentibus relicta. Poſteà verò iure Authenticarum Conſtitutionum, aucta creditur parentum legitima, ita vt tertia pars ex bonis filij, parentibus debeatur, vt habetur *in Authent. Nouiſſima, Cod. de inoffic. teſtament.* & docent Gloſſa, Bartolus *ibi* & alij communiter. Alicubi verò Gloſſa. vt in Hiſpania in regno Portugaliæ & Caſtellæ legitima Bartol. parentibus debita ex bonis filii ſunt duæ partes, ita vt filius legitimum patrem vel matrem habens, ſolùm liberè teſtari queat de tertia ſuorum bonorum parte.

10. Falcidia in multis caſibus ceſſat. *Primò*, in his, quæ ſic legantur, quòd alienari non poſſunt, vt perueniant ad ſucceſſores eius, cui relicta ſunt. *Secundò*, in his, quæ ad pias cauſas relinquuntur, Si tamen Eccleſia vel pius locus inſtitueretur hæres, tũc detraheretur falcidia de legatis factis alteri Eccleſiæ, vel pio loco, quia currit priuilegium cum priuilegio, & ſic concurrentibus priuilegiis vtuntur iure communi. *Tertiò*, ſi teſtator certus de quantitate ſui patrimonii prohibeat expreſsè deduci falcidiam. *Quartò*, ſi hæres non fecerit inuentarium ſecundùm modum & tempus ſtatutum à iure. *Quintò*, ſi hæres intra legitimum

tempus,

Digitized by Google

tempus, id eſt, intra annum a iuſſu iudicis computandum, voluntati teſtatoris non paruerit. *Sextò*, de legato dotis. *Septimò*, in libertate legata. *Octauò*, quando legatur inſtrumentum rei alterius. *Nonò*, quando occultauit, vel negauit res hæreditatis. Molina *de inſtit. tract.* 2. *diſp.* 213. Syluester *verb. Legitima, quæſt.* 9. cum alijs ab ipſis citatis. Molina. Syluest.

21. Quarta Trebellianica ſimiliter in multis caſibus ceſſat *Primò*, in legatis ad pias cauſas, *Secundò*, ſi teſtator prohibuit. *Tertiò*, quando ſubſtitutio euaneſcit, puta, quia reſtituere rogatus ſi decederet ſine liberis, vel non maritaretur & huiuſmodi, ingrederetur Religionem. *Quartò*, quando ſolo iudicis officio compulſus adiit hæreditatem: quia totum reſtituet. *Quintò*, in fideicommiſſo vniuerſali relicto ad pias cauſas, quod vniuerſale dicitur, quando tota hæreditas venit reſtituenda, ſicut dicitur particulare, quando reſtituenda veniunt ſolùm quædam particularia bona. *Sextò*, amittitur per negationem fideicommiſſi in qualitate vel quantitate facta, ſi ille, cui fideicommiſſum eſt factum probauerit qualitatem vel quantitatem fideicommiſſi. De his vide Molinam *tract.* 2. *de inſtit. diſp.* 187. apud quem plura, & Syluestrum *loco citato num.* 12. *quæſt.* 12. Molina. Syluest.

Hæc dicta ſint de iure communi Cæſareo, ſecluſis Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum & aliorum locorum legibus conſuetudinibus, quæ inibi ſeqnendæ ſunt.

Vide tom. 1. verb. Fiſcus *num.* 7. Hæres *num.* 5.

LEGITIMATIO.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio quid & quotuplex.*
2 *An Papa poſsit legitimare quoad temporalia extra terras ſibi temporaliter ſubiectas?* refertur duplex ſententia.
3 *An Summus Pontifex extra loca ſua temporalis iuriſdictionis, poſsit legitimare prolem quoad temporalia, ſi nata non fuit ex matrimonio irrito præcedenti.*
4 *An Pontifex poſsit legitimare prolem genitam quando matrimonium fuit irritum propter impedimentum iuris naturalis, aut diuini.*
5 *Quando cenſeatur Pontifex diſpenſare in radice matrimonij & legitimare quoad omnia, in terris ſibi temporaliter non ſubiectis.*
6 *An cenſeatur proles legitimata, quando Pontifex diſpenſat, vt matrimonium irritum denuò ineatur.*
7 *In quo differat legitimatio, à diſpenſatione.*
8 *Quid reſtitutio naturalium requirat, vt vim & locum habeat.*
9 *An requiratur conſenſus filij & patris, vt Princeps poſsit filium legitimare.*
10 *An filius naturalis vel ſpurius poſsit legitimari à Principe ex conſenſu patris, ſi legitimi filij non conſenſerint.*
11 *Ad quid conferat poteſtas legitimandi prolem conceſſa in diſpenſationibus Sac. Pœnitentiaria.*

1. LEgitimatio eſt *natalium reſtitutio quoad ea, quæ filijs illegitimis poſitiuo iure denegata ſunt.* Pro genere ponitur reſtitutio natalium. Loco differentiæ apponuntur cætera; per quæ excluditur omnis alia natalium reſtitutio, quæ legitimatio non eſt, nempe reſtitutio libertatis ei mancipio facta, quod ex matris ventre ſeruitutem contraxit, & aliæ ſimiles natalium reſtitutiones, vel abolitiones inhabilitatum, a natiuitate quidem prouenientium, at ex alio capite, quam quod ex legitimo matrimonio natus quis non ſit. Porrò in eadem definitione exprimitur, quod inhabilitates quæ legitimatione abolentur, ex iure poſitiuo habuerunt ortum.

Legitimatio eſt duplex; quædam iuris diſpoſitione; atque hæc ſolùm fit per ſubſequens matrimonium, neque comparatione omnium filiorum, vt dicetur infra. Eſt tamen pleniſſima; eo quòd Canonico iure & ciuili meritò ſtatuta ſit, idque abſque vlla inhabilitatis reſeruatione, quæ vtrouis iure introducta ſit. Ex *cap. tanta, & cap.* 1. *qui filij ſint legit. l. nuper, Cod. de natur. liber. & §. vlt. Inſtitut. de nuptijs.* Alia verò eſt per reſcriptum Principis, qui ſupra ius, quo inhabilitates illegitimorum introductæ ſunt, poteſtatem habet, aut alicuius alterius, qui a tali Principe ad id habet facultatem.

Rurſus legitimatio duplex eſt, vna ad Eccleſiaſtica iura, ordines, beneficia: quam ſolus Papa, tanquam ſupremus in Eccleſia Princeps, cuicumque voluerit illegitimo, iure proprio & Ordinario, conferre poteſt. Altera eſt legitimatio ad ciuilia iura, puta hæreditatum ſucceſſiones, officia, ac dignitates: quam quilibet Princeps in temporalibus, aut Reſpublica libera ſubditis ſuis, etiam proprijs liberis, quin & Clericorum filijs, etiamſi ipſi quoque Clerici ſint, arbitratu ſuo conferre poteſt, Ita ex communi docent Abbas *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, num* 13. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſputatione* 171. & 173. Couarruuias *in epit. p.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 16. & 18. Vaſquez *de teſtament. cap.* 5. *num.* 54. & alii. Quamuis Diana *part.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 112. Doceat Principem laicum non poſſe legitimare Clericum. Abbas. Molina. Couar. Vaſquez. Diana.

2. Difficultas eſt maxima inter Doctores, an Papa legitimare poſſit quoad ſucceſſionem hæreditariam & alia temporalia extra terras ſibi temporaliter ſubiectas? id eſt, an Pontifex diſpenſando in matrimonij irriti radice, quando impedimentum ob quod id matrimonium fuit irritum, eſt iure Pontificio inductum, poſſit legitimare filios ex eo ante matrimonii, diſpenſationem natos, & efficere vt diſpenſatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractum eſt, ita vt cenſeatur quaſi a principio fuiſſet validè initum? Et quidem pro parte negatiua faciunt, quòd Summus Pontifex non habet ad præteritum potentiam, vt validum matrimonium efficiat, quod validum reipſa non fuit, & vt non adfuerit impedimentum illud Canonicum, quod verè affuit tempore contracti illius matrimonii, eò quod in illo non fuerit diſpenſatum: quare diſpenſare iam non poterit, vt a principio non adfuerit, ac proinde vt non fuerit nullum matrimonium, quod nullum ob id impedimentum re ipſa fuit. Quo fit, vt ſine nouo contrahentium conſenſu, nouoque inter eos matrimonii contractu, poſt impedimentum ſublatum, non poſſit inter eos eſſe legitimum matrimonium, nec plures legitima generari. Et confirmatur, quia aut diſpenſare in radice matrimonii eſt efficere, vt matrimonium illud reddatur ab initio validum; & hoc non ſubeſt Pontificiæ poteſtati: aut eſt tollere effectus ex eo matrimonio irrito productos; & hoc non poteſt Summus Pontifex quoad effectus ciuiles extra propriæ iuriſdictionis temporalis loca; hoc enim eſſet directè legitimare prolem quoad ſæcularia. Et ideò huius ſententiæ ſunt Molina *tractatu ſecundo, diſputatione* 624. *num.* 3. Anton. *in cap. per venerabilem, num.* 10. *fin. qui filij ſint legitimi,* & alii iuriſperiti. Verior tamen & communior ſententia eſt, id poſſe Pontificem. Probatur, quia radix & origo, ex qua conſurgit vt proles ſit illegitima, ac ſubinde incurrat illegitimitatis damna, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſæcularia, eſt lex Eccleſiaſtica, qua ſtatutum eſt, vt id impedimentum in eo matrimonii contractu repertum, illud dirimat: ac ea non ſtante matrimonium fuiſſet validum, ac proles legitima, nec ea damna incurriſſet. At Pontifex poteſt ſuam legem irritare & reuocare quoad effectus iure humano ex ea ſecutos, & non tantùm quoad in poſterum incurrendos, efficiendo vt non incurrantur, ſed etiam quoad iam incurſos, abolendo illos, ac ſi ea lex edita nunquam fuiſſet, vt conſtat ex *Clement. vnic. de immunit. Eccleſ.* vbi Clemens V. reuocat quaſdam prędeceſſorem conſtitutiones, etiam quoad effectus antea productos. Nec hoc eſt directè diſpenſare in lege ciuili & effectibus eius, ſed indirectè & per quandam conſequentiam: quia, ſcilicet, lege ciuili incurruntur ea de damna a prole, ſuppoſita legis Eccleſiaſticæ firmitate irritantis prædictum matrimonium; ex qua ſubſecutū eſt vt matrimoniū ſit irritum, & ſubinde proles ex eo concepta illegitima, ac ſubdita omnibus illegitimitatis damnis iure ciuili ſtatutis. Cùm ergo Pontifex ſua diſpenſatione in ipſa matrimonii radice tollat dire- Molina. Anton. Clem. V.

ctè

ctè firmitatem illius legis Eccleſiaſticæ, eamque prorſus aboleat, perinde ac ſi lex illa nunquam prodiiſſet, efficiet indirectè & per quandam conſequentiam, vt ea omnia damna ceſſent, vtpote quæ ex legis Eccleſiaſticæ firmitate pendebant. Ita pluribus adductis rationibus docet Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 7. num. 4.* cum 38. Doctoribus ibi citatis; ſed quia quibuſdam Miniſtris Principum hæc opinio non placuit, curarunt hunc numerum ex opere P. Sanchez in pleriſque editionibus expungi, quod animaduertens Sacra Congregatio Indicis die 4. Februarii 1627. prohibuit & pro prohibito decreuit opus Sanchez, de matrimonio, vbi prædictus numerus quartus expunctus & deletus fuerat. Confirmat hanc ſententiam Diana *p. 8. tract. 1. reſol. 75.*

Sanch. S. Cong. Diana.

3. Non poteſt Pontifex legitimare prolem quoad temporalia & ſæcularia, extra loca ſuæ temporalis iuriſdictionis, quando nata fuit nullo præcedenti matrimonio irrito, ſed ex concubito omninò fornicatio; cùm nulla ſit matrimonii radix, in qua directè diſpenſando, legitimet indirectè & per quandam conſequentiam: id enim eſſet legitimare directè quoad temporalia, quod ſuæ poteſtatis minimè eſt. Quia ſicut princeps ſæcularis nequit legitimare quoad Eccleſiaſtica, eò quod careat iuriſdictione Eccleſiaſtica, cuius id eſt, ſic nec Pontifex extra loca poteſt quoad temporalia: niſi cauſa ardua accideret, in qua valida Religioni Chriſtiani expediret ea legitimatio: puta, quando ſæcularis Princeps, ad quem alioquin ea legitimatio ſpectat, eam efficere renueret, aut non tam cito vellet, aut poſſet, vt res poſtulat: quia in ordine ad bonum ſpirituale, integrum eſt Pontifici, ſæcularium Principum negligentiam ſupplere, vt communiter tradunt Doctores *in c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Couarruuias 4. *decret. 2. par. c. 8. n. 16. &* 18. Molina *tr. 2. diſp.* 173. *init.* & alter Molina *l. 2. de primogen. c. 2. n. 11.* Sanchez *loco citato n. 1. & 7.* cum aliis.

Couar. Molina; Sanch.

4. Quando impedimentum irritans matrimonium erat iuris diuini naturalis, non poteſt Pontifex prolem ex eo matrimonio genitam legitimare: quia radicem nullitatis illius matrimonij nequit Pontifex diſpenſando auferre. Proinde quando matrimonium fuit nullum defectu conſenſus in vtroque vel altero contrahente, non poteſt Pontifex diſpenſare in radice illius: quia eſt de iure naturali irritum: nec poteſt ius radicem tollere ſupplendo conſenſum, vt fatentur vniuerſi Doctores. Sed dubium eſt, quando proles genita eſt ex profeſſo, vel in ſacris conſtituto, an poſſit Pontifex ita diſpenſare in radice huius matrimonij, ac diſpenſat, quando ſolùm iuris Pontificij impedimentum adeſt: nam licet valeat Pontifex diſpenſare in impedimento voti profeſſionis ſolemnis, iuxta probabiliorem ſententiam, nequit tamen ita plene, atque quoad effectus præteritos, ac quando eſt de ſolo iure Pontificio impedimentum; quod autem votum ſolemne caſtitatis in profeſſione Religionis emiſſum dirimat iure diuino naturali matrimonium ſubſequens tenent D. Thom. 2. 2. *q. 88. ar. 11.* & alii multi probabiliter. Proinde ſecundùm hanc ſententiam dicendum eſſet, non poſſe Pontificem in hoc caſu diſpenſare in radice eius matrimonij. Sed quia etiam probabile eſt, ne dicam probabilius, votum profeſſi ſolo iure Pontificio dirimere matrimonium, etiam probabile erit id poſſe Pontificem, nec in hac re vllam impedimenti ſolùm impedientis iure naturali habendam eſſe rationem. Quia cùm ex ea parte non impeditus ſit matrimonii valor, non inde illegitimitas & cætera damna pullularunt. De voto autem Ordinis ſacri non eſt tantum dubium, quin poſſit Pontifex diſpenſare in radice illius matrimonij cum ordine initi, quia ferè eſt certum, ſolo iure Eccleſiaſtico dirime matrimonium. De his vide Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 7. num. 8. 9. &* 10.

D. Tho. Sanchez

5. Cenſetur Pontifex in matrimonii radice diſpenſare ac conſequenter legitimare prolem quoad omnia, etiam in terris ipſi temporaliter non ſubiectis, quando explicat ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, vt ex tunc, id eſt, vt ab initio contractus legitimum cenſeatur. Quia clarioribus verbis ſuam mentem diſpenſandi in matrimonii radice non poteſt explicare. Quare etſi Pontifex diſpenſet in matrimonio irrito, vt denuò celebretur, diſpenſet ſimpliciter cum prole ex eo matrimonio nata, non cenſetur tamen in matrimonij radice diſpenſare, ac omninò legitimare prolem, ſed tantùm legitimat eam quoad ſpiritualia, ſicut ſi extra matrimonium nata eſſet. Ratio eſt, quia cùm diſpenſatio ſit ſtricti iuris, non de omni legitimatione intelligenda eſt, ſed de ea, quæ iure proprio conuenit Papæ, vt Papa eſt. Et idem dicendum eſt, licet diſpenſatio ea eſſet erga perſonas ſubiectas temporali Papæ iuriſdictioni. Quia cùm has diſpenſationes Pōtifex vt talis expedit, non cenſetur vti iuriſdictione temporali ad legitimandum, niſi id exprimat. Tum quia Doctores petunt ipſummet matrimonium legitimari, vt proles in radice illius cenſeatur legitimata, vt pluribus adductis docet Sanchez *loco citato numer.* 20. 21. & 22.

Sanch.

6. Quando Papa diſpenſat vt matrimonium ſemel contractum inualidè ob impedimentum iure Pontificio dirimens, iterum ineatur, hæc diſpenſatio nullatenus ſeruit vt proles ante diſpenſationem nata aliquo modo legitimetur. Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris & non extenditur vltra expreſſa. Sed diſpenſatio ſolùm fuit ad matrimonium ineundum, nulla prolis mentione facta; nec poteſt dici eam prolem in conſequentiam matrimonij legitimari, cùm ſit ſpuria. Si tamen proles illa, quamuis ante diſpenſationem cōcepta, naſceretur poſt diſpenſationē cōcepta naſceretur poſt diſpenſationem expeditam ab Ordinario & ante matrimonium initum, eſſet naturalis & per conſequens legitimaretur quoad omnia per ſubſequens matrimonium, inter parentes illius contractum, iuxta *cap. Tanta qui filij ſint legit.* Ratio eſt, quia tempore, quo proles illa nata eſt, iam abolitum erat impedimentum, per præcedentem diſpenſationem; atque ita poterat inter eius parentes matrimonium conſiſtere abſque noua aliqua diſpenſatione. Vide Couarruuiam 4. *decret. 2. part. cap. 8. §. nu.* 13. Molinam *tr. 2. diſp. 624. n. 3. fin. & diſp. 172. verſ. Filius naturalis* Sanchez *loco cit. numer.* 8. & 19.

Couar. Molina. Sanchez

7. Legitimatio, ſeu natalium reſtitutio, à relaxatione, qua filius, qui alioqui legitimus non eſt, lege & iure ſoluitur, quàm relaxationem iuris diſpenſationem appellant; differt in hoc, quòd per legitimationem quis omnia legitimorum iura adipiſcitur. Vnde non fit ex parte tantùm legitimus, ſed ex toto. At per relaxationem non fit quis habilis ad omnia iura, quæ legitimis conueniunt, ſed ſolùm ad certa quædam iura. Vnde relaxatio ſtricti iuris eſt, nec ad plura trahi poteſt, quàm verba ſignificent. Ita ex communi Couarruuias *in epitome part. 2. cap. 8. §. 8. nu.* 1. Proinde quando quis priuilegio Principis eſt legitimus factus, habendus eſt pro legitimo, & tranſit in patriam poteſtatem, habetque ius dicendi nullum eſſe teſtamentū patris, vel eſſe inofficioſum, & ſuccedit parentibus ab inteſtato, & debetur ei legitima portio ex bonis parentum: quia ſimpliciter eſt legitimus: non enim poteſt quis partim eſſe legitimus, & partim non legitimus, vt ait Gloſſa *in cap. vlt. de clandeſt. deſponſat. in verb. Si ambo parentes*: quemadmodum nequit aliquis eſſe partim ſeruus & partim liber, *l. ſi duobus, ff. de ſtatu liber.* Et hanc opinionem teſte Couarruuia *loco citato n. 3.* & 4. eſſe communi conſenſu receptam, dicunt *Iaſon, Tiraquellus, Socinus & alij.*

Couar. Gloſſa. Couar.

8. Inter omnes conuenit, vt legitimatio vim & locum habeat, in eius petitione & impetratione, ne ſubreptitia iudicetur, id exprimi debere, quòd impediret omninò, quominus Princeps naturalem & ſpurium natalibus reſtitueret, vel ſaltem impediret, ne citò & facilè id concederet. *Ex c. Poſtulaſti, de reſcript.* Quo fit, vt exprimenda ſit ipſius filii qualitas & conditio; videlicet, an naturalis ſit, an natus ex inceſtu, ex adulterio, ex ſacrilegio. Item, ſi ex adulterio, an ex duplicato, ſiue geminato, id eſt, An ex Patre, & ex matre vxore aliena. Si ex inceſtu, an natus ſit ex ſorore, ex filio, ex nuru, matre, vel fratris vxore. Si item ex ſacrilegio, vtrum ex Sacerdote, vel clerico in ſacris Ordinibus conſtituto, an ex religioſo viro. Item vtrum ex Sacerdote & religioſo ſimul, & moniali Deo ſacrata. Item vtrum ex inceſtu ſimul, & adulterio, hoc eſt, ex conſanguinea vel affine vxore aliena: vel vtrum ex inceſtu pariter et ſacrilegio, vt ex religio-

ſo & moniali, conſanguineæ, vel affine. Ratio horum omnium eſt, quia hæ qualitates poſſunt Principem mouere ad denegandam natalium reſtitutionum ſeu legitimationem, vel certè ad concedendam eam difficulter. Couar. Ita ex communi Couarruuias *in epitom. p. 2. cap. 8. §. 9 nu. 1. 2. 3. & 4.*

9. Vt Princeps poſſit natalibus reſtituere ſeu legitimare filium, neceſſarius eſt ipſius filii conſenſus, qui legitimus fit: quia filius eo ipſo quod legitimus fit, tranſit in patriam poteſtatem & deſinit ſui iuris eſſe, ergo eius conſenſus poſtulandus eſt, *Authent. Quibus modis natural. efficiant legitim. §. Generaliter*. Imò neceſſarius eſt etiam patris conſenſus, ſi viuat. Mortuo verò patre, Princeps non poteſt filium facere legitimum, niſi vocentur ipſius patris inteſtati ſucceſſores. Ratio huius eſt, quia poſt obitum patris, ius ſuccedendi in boni eius eſt delatum cognatis, ſiue agnatis; vnde cùm ius ad illos peruenerit, vocandi ſunt, ne Princeps ipſorum iuri quæſito noceat; ſecus tamen eſt, ſi Princeps id faciat ex voluntate præterita Patris dum vixit. Quare Princeps non poteſt natalium reſtitutionem concedere, poſtquam hæreditas eſt adita a cognatis vel agnatis parentis, vt habet communis opinio Doctorum.

10. Filius naturalis vel ſpurius non poteſt auctoritate Principis fieri legitimus etiam viuente & annuente patre, ſi filii naturales & legitimi ipſius patris non conſenſerint. Ratio eſt, quia huiuſmodi natalium reſtitutio maximè nocet prædictis filiis: ſic enim legitima portio eis debita minueretur abſque eorum conſenſu: & ideò neceſſarius eſt eorum conſenſus, ne damno afficiantur. Quare neceſſe eſt, vt certior fiat Princeps de filii naturalibus & legitimis extantibus, alioquin ſubreptitia cenſetur natalium reſtitutio, ſi mentio illorum filiorum facta non ſit, Vt ex Baldo, Alexandro & aliis docet Couarruuias *loco citat. in num.* 7. apud quem plura de legitimatione filiorum.

Bald. Azor. couar.

11. Poteſtas legitimandi prolem conceſſa in diſpenſationibus ſacræ Pœnitentiariæ, confert ad hoc, vt proles ſuccedere poſſit vtrique parenti, accedere ad Ordines, recipere quodcumque beneficium, promoueri ad omnia officia ſpiritualia, & temporalia, pro ſolo tamen foro conſcientiæ. Vnde fit vt ſi taliter legitimato beneficium conferatur, & poſtea manifeſtetur impedimentum, ſpoliari poſſit beneficio obtento, quamquam ſi ex parte alterius coniugis extet bona fides, proles in vtroque foro ſit legitima, quo caſu in diſpenſatione apponitur clauſula decernens legitimam eſſe prolem, ſolùm ad tollendos ſcrupulos. Palaus. ſanch. Ita Caſtrus Palaus *tractat. 3. diſputat. 6. part.* 15. §. 1. *numer.* 14. Sanchez *de matrimon. diſp. 7. num. 16. l.* 8. Qui nouiſſimus bene aduertit prolem ſuſceptam, nam manere legitimam in caſu, quo diſpenſetur ad matrimonium validè contrahendum, niſi confeſſarius, qui expedit diſpenſationem, explicet ſe cum ea diſpenſare: quod non euenit in prole ſuſcipienda poſt matrimonium initum, cùm hæc ex natura rei ſit legitima, vtpote orta ex legitimo matrimonio. Quod ſi Confeſſarius diſpenſato impedimento matrimonij, omittat decernere prolem ſuſceptam legitimam, poteſt id poſtea præſtare, cum nondum plenè functus ſit officio ſuo omittens partem ſibi commiſſam: Imò quilibet alius confeſſarius approbatus poteſt id exequi, licet prior adiri poſſit: Cùm enim Confeſſarius ſit iudex in foro conſcientiæ, ex eo quo prior confeſſarius cœpit exercere iuriſdictionem in hoc caſu, non tollitur, quin alius poſſit adiri; cùm hæc duo peti poſſint conſultò à duobus: Sicut tempore Iubilæi concedentis commutationem votorum, & ſanch. abſolutionem reſeruatorum, licitum eſt pro abſolutione reſeruatorum adire vnum Confeſſarium, & alium pro votorum commutatione. Vt monet Sanchez *loco citato numer.* 17.

De legitimatione. Vide ſupra verb. Irregularitas 1 *num.* 14. & 15.

L E X I.

Quid ſit lex, & quotuplex, & qui poſſint legem ferre.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit lex?*
2 *De diuiſione legis in æternam, naturalem, humanam & diuinam, & primo de æterno.*
3 *Quid ſit lex naturalis ſit mutabilis?*
5 *An lex naturalis ſit indiſpenſabilis?*
6 *A quo lex ferri debeat? & præcipuè Eccleſiaſticæ?*
7 *Qui poſſint leges ciuiles ferre? & an poteſtas ferendi leges poſſit alteri delegari?*

1 SEcundùm D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. *& ſeq.* Valent. 1. 2. *d.* 7. *quæſt.* 1. *p.* 2. Clauis reg. *lib.* 2. *c.* 1. Azor. 1. *p. lib.* 5. *cap.* 2. *q.* 1. Tolet. *tract. de 7. peccatis cap.* 18. Bonacina *de legib. d.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. Syluius 1. 2. *quæſt.* 90. Becan. 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *qu.* 1. Caſpenſis *tom.* 1. *curſ. Theolog. tract.* 13. *diſp.* 1. *ſect.* 1. & eius diſcipulos *lex eſt ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*: ex hac definitione colligitur *Primo*, legem eſſe actum intellectus, habere tamen adiunctum voluntatis actum antecedentem, quatenus ſcilicet id legiſlator præcipit, quod fieri vult, lex autem non eſt qualiſcumque rationis ſeu intellectus, ſed tantùm rationis practicæ, non autem ſpeculatiuæ. *Secundo*, exprimitur finis legis, qui eſt bonum commune, non enim inſtitui debet lex in priuatum commodum alicuius, ſed in vtilitatem communem: & licet aliquæ leges immediatè ferantur ob bonum particularium perſonarum, vt ſunt leges conditæ in fauorem minorum, pupillorum, nihilominus cedunt etiam in bonum commune. *Tertio*, colligitur, legem debere ferri ab eo qui habet curam communitatis & obligandi poteſtatem, quia lex habere debet vim cogendi & inducendi ad præſtandum opus præſcriptum. *Quarto*, infertur, legem vim legis non habere, niſi ſufficienter promulgata ſit, voce, ſcilicet, aut ſcripto, iiſque innoteſcat; quibus inſtituitur; quia contra rationem eſt, vt quis obligari poſſit ad faciendum, aut vitandum id, quod nullo modo implere poteſt: nemo enim poteſt velle id quod prorſus ignorat, quia voluntas non fertur in incognitum.

D. Tho. Valent. Cla. reg. Azor. Tolet. Bonac. syluius. Becan. Caſpenſ.

2. *Communior* legis diuiſio illa eſt, qua lex in *Aeternam, Naturalem, Humanam, & Diuinam* diuiditur, prout illam tradunt D. Thom. *cit. quæſt.* 91. *art.* 1. Suarez *de legibus l.* 2. *cap.* 1. 2. & 3. & *lib.* 10. *cap.* 8. Azor. *c. cap.* 1. *q.* 5. Clauis reg. *c. cap.* 2. Valentia *cap. q.* 2. *punct.* 1. Syluius *cap. q.* 91. Becanus *cap. q.* 2. & alii communiter: *Lex æterna* latè accepta, eſt ipſa mens diuinam, quæ ab æterno omnia ordinauit: *ſtrictius* verò accepta, eſt mens & ratio Dei bona præcipiens, & mala prohibens; vnde peccatum definitur dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei æternam; lex Diuina eſt illa, quæ vim habet quatenus a Deo proficiſcitur, & hæc eſt duplex, *vetus* qualis erat Moſaica, & *noua* nemo lex Euangelica, qualis eſt lex Baptiſmi, &c. Subdiuidi poteſt lex Diuina, in *Diuinam naturalem & Diuinam poſitiuam Diuina naturalis* eſt illa, qua præcipitur idem, quod præcipitur à lege naturali *Diuina poſitiua* eſt illa, qua præcipitur aliquid quod lege naturali non eſt ſancitum; vt eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtię ab habente conſcientiam peccati mortalis. *Lex humana* eſt illa, quæ fertur auctoritate humana dependenter tamen à Deo: & hæc lex, *alia* eſt Eccleſiaſtica, *alia* ſæcularis *Eccleſiaſtica* eſt illa, quæ fertur Eccleſiaſtica poteſtate, vt à Papa, Concilio, &c. *Sæcularis* eſt illa, quæ poteſtate ſæcularium fertur, vt a Rege, vel Imperatore.

D. Tho. ſuar. Azor. Cla. reg. Valent. ſyluius. Becca.

3. *Lex naturalis* eſt lumen rationis humanæ, quod Deus naturæ conditor, vna cum natura mentibus hominum impreſſit, quo cognoſcunt aliquid faciendum, vel non faciendum: vel ſecundùm alios lex naturalis

eſt ip-

eſt ipſamet conuenientia, ſeu diſconuenientia rei cum recta ratione. *Duplex* verò eſt hæc lex naturalis: *Prima* dicitur per ſe nota & indemonſtrabilis, vt ſunt illa prima principia legis naturæ; bonum amplectendum, malum fugiendum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c. *Secunda* eſt illa quæ non eſt ita clara & per ſe nota, nam dari poteſt aliqua lex naturalis ita ignota & obſcura, vt aliquis ab ipſius tranſgreſſione ob inuincibilem ignorantiam excuſetur. Vide quæ diximus *v. Ignorantia* num. 7. Vaſq. 1.2. *diſp.* 150. *cap.* 3. Suarez *de leg. l.* 2. *cap.* 6. Clauis reg. *cap.* 2. *num.* 10. Sotus *de iuſt. l.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 4. Syluest. *c. q.* 94. *art.* 1. Becanus *c. cap.* 3. *q.* 1. & alii.

Vaſq. Suar. Cla. reg. Sotus. Syluest. Beca.

4. *Lex naturalis* non eſt mutabilis ſecundùm ſe, ſed ſemper obligat manentibus iiſdem circumſtantiis & non mutata materia, quia illa conſiſtit in rebus ipſis habentibus conuenientiam vel diſconuenientiam cum recta ratione, ſi ergo res ipſæ & circumſtantiæ rerum non mutentur, manet eadem conuenientia vel diſconuenientia: *poteſt* tamen in aliquo caſu particulari, & quoad aliquem hominem in particulari caſu mutari, propter aliquas circumſtantias & cauſas impedientes talium præceptorum obſeruantiam: verbi gratia, ſecundum legem naturalem depoſitum reddendum eſt petenti, tamen mutatis rebus & circumſtantiis contraria naſcitur veritas: ſi enim qui gladium depoſuit apud aliquem poſtea inſanus factus illum repetat, non debet reddi, ne malè vtatur. Medina 1. 2. *quæſt.* 94. *art.* 4. 6. Reginald. *lib.* 13. *num.* 43. Clauis reg. *c. cap.* 2. *num.* 11. Suarez *de legibus l.* 2. *c.* 15. Molina *tract.* 5. *de iuriſd. diſp.* 49. *n.* 3. Syluest. *c. quæſt.* 94. *art.* 5. Becanus *c. q.* 3. & alii.

Medina. Reginal. Cla. reg. Suarez. Molina. Syluest. Beca.

5. *Certum* eſt apud omnes legem naturalem eſſe indiſpenſabilem, Deus tamen diſpenſare, poteſt circa ius naturæ in iis, quæ ita à Deo ita dependent, & ita mutari poſſunt, vt poſita mutatione, licita videantur, vt Deus diſpenſauit cum Hebræis in pluralitate vxorum, quæ eſt contra ius naturæ; ex quo fit vt Deus diſpenſare nequeat in odio Dei aut in mendacio, aut in primis principiis iuris naturæ. Summus autem Pontifex poteſt iuſta de cauſa in aliquibus, quæ ſunt de iure naturæ vel diuino diſpenſare, vt in iis in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ; quia experientia docet concedi diſpenſationem in voto & iuramento, quæ ſunt adimplenda ex obligatione iuris naturæ & diuini: in primis verò principiis iuris naturæ, aut in iis quæ proximè deducuntur ex primis principiis, vt in præceptis decalogi, aut in iis quæ ſpectant ad ſubſtantiam Sacramentorum, aut in dogmatibus fidei, aut in ſacrificio, aut etiam in aliis, quæ ſunt inſtituta à Deo, diſpenſare nequit ſumus Pontifex, quia non adeſt ſufficiens cauſa propter quam diſpenſare poteſt in illis. Inferior enim ſine iuſta cauſa non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare, aliàs diſpenſatio eſt irrita. Azor. 1. *p. lib.* 6. *c.* 1. Sanchez *de matr. lib.* 8. *diſp.* 6. Bonac. *c. punct.* 2. *n.* 10. & 12. Valent. 2.2. *diſp.* 7. *q.* 4. *p.* 6. Clauis reg. *cap. num.* 12. Becanus *c. quæſt.* 4. & alii.

Azor. Sanch. Bonac. Valent. Cla. reg. Beca.

6. *Cum actus condendi legem* ſit vnus ex præcipuis actibus quo Reſpublica gubernatur, & illa gubernetur ab iis, qui iuriſdictionem & publicam poteſtatem habent, hinc lex ferri debet ab eo qui publicam poteſtatem, iuriſdictionem & vim cogendi habet; vnde leges Eccleſiaſticæ ferri poſſunt à Summo Pontifice in toto orbe; leges autem ciuiles ferre poteſt pro territorio ſibi ſubdito; imò ipſe *Papa* poſſet leges ciuiles & politicas ſaltem indirectè per ordinem ad finem ſpiritualem ferre etiam in alieno territorio, quoties id neceſſarium eſſe duxerit per ordinem ad ſalutem ſpiritualem. D. Thom. 1.2. *q.* 90 *art.* 3. Caſpenſis *tract. de leg. d.* 1. *ſect.* 3. *num.* 30. Suarez *de legib. l.* 3. *cap.* 6. *n.* 6. & 7. Syluius 1.2. *q.* 96. *art.* 5. *quæſt.* 5. Becanus 1.2. *tr.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 5. & alii. *Epiſcopi*, Patriarchę, Archiepiſcopi, poſſunt ferre leges pro ſua diœceſi, modo nihil ſtatuant contra ius commune, per Eccleſię tamen decreta impediuntur ne leges vel ſtatuta ferant in cauſis grauioribus, quia hæ ſummo Pontifici per regulam generalem reſeruatæ ſunt, Sanchez *de matr. l.* 8. *d.* 17. *num.* 36. Suarez *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 3. & *cap.* 4. *Cardinales* poſſunt in loco ſeu Eccleſia ſui tituli ferre leges obligantes ſuum territorium, *Cap. querelam, de elect.* Suarez *lib* 4. *cap.* 5. *num.* 4. leges verò vniuerſales condere non poſſunt. *Capitulum* Eccleſiæ cathedralis poteſt mortuo Epiſcopo leges vel ſtatuta facere duratura donec reuocentur ab Epiſcopo ſucceſſore. Bonacina *cap. p.* 3. *num.* 29. *Abbates* exempti, aliique ſimiles prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, qualem habent prælati qui iure ordinario poteſtatem habent excommunicandi, ſuſpẽdendi, &c. poſſunt leges condere in ſuis quaſi diœceſibus. Salas *de leg. d.* 8. *ſect.* 10. Suarez *c. l.* 4. *cap* 5. *num.* 4.

D. Tho. Caſpenſ. Suar. Syluius. Beca. Sanch. Suarez. Suar. Bonacin. Salas. suar.

7. *Leges ſimiles* ferre poſſunt Imperator legitimè electus in regna, & prouincias ſibi ſubditas non verò in orbem vniuerſum, quia Imperator poteſt ſolùm obligare ſubditos; *ſimiliter* Reges poſſunt pro ſuo regno leges ferre, ſicut & *Principes Supremi*, qui ſuperiorem in iuriſdictioni temporali non agnoſcunt D. Thom. *c. quæſt.* 90. *art.* 3. Valent. *c. d.* 7. *quæſt.* 5. *p.* 2. Suar. *c. l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. & 3. Vaſq. 1.2. *d.* 153. *cap.* 2 & 3. Imò Regina, cui dominium regni iure hæreditario vel alio titulo competit, contracto matrimonio poteſt & debet leges ferre, niſi vices ſuas marito committat; quia ad eum pertinet adminiſtratio & poteſtas condendi leges, ad quem pertinet ius & dominium regni. Salas *d* 7. *ſect.* 9. *num.* 63. Vaſquez *c. cap.* 3. Suarez *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. *Præterea* communitates perfectæ ſeu reſpublicæ, quæ per ſeipſas gubernantur, qualis eſt Veneta, Genuenſis, et ſimiles, poſſunt leges condere pro ſuis territoriis *L. omnes ff. de iuſt. & iur. l.* 3. *C. de legibus. Ciuitates* verò, quæ non habent poteſtatem ſupremæ reipublicæ, ſed poteſtatem in Principem tranſtulerunt, non poſſunt per ſe ſolas condere legem ex vi propriæ poteſtatis. *Porrò* facultas ferendi leges poteſt alteri delegari, vnde Legati Summi Pontificis ſeu Nũcii Apoſtolici poſſunt in ſua prouincia leges ſeu ſtatuta facere, quæ mortuo ipſo Legato perſeuerent, donec à Summo Pont. vel habente æqualem poteſtatem reuocentur, *Cap.* 2. *de offic. legati in* 6. Suarez *l* 4. *c.* 5. *n.* 4. *Item* Concilia generalia, ſi fiant auctoritate Summi Pontificis, poſſunt leges et ſtatuta generalia facere, iuxta facultatem ipſis conceſſam a Summo Pontifice Molina *de iuſt. tr.* 2. *d.* 21. Suarez *c. cap.* 6. *n.* 7.

D. Tho. Valent. suar. Vaſq. salas. Vaſq. suar. suarez. Molina. suar.

SVPPLEMENTVM.

De lege naturali. Veteri & Euangelica.

SVMMARIVM.

1 *Lex quid & vnde dicta.*
2 *An lex naturalis ſit propriè lex præcipiens, an ſolùm indicans quid agendum vel cauendum ſit?* Refertur duplex ſententia.
3 *An lege diuina naturali Deus diſpenſare poſſit.*
4 *An lex Moyſis fuerit bona, iuſta & ſancta.*
5 *An lex vetus fuerit lata ab ipſo Deo.*
6 *Quæ ſit dicenda lex vetus & in quibus libris Sacræ Scripturæ contineatur.*
7 *Præcepta legis veteris reducuntur ad* Moralia Cæremonialia, & Iudicialia, *& quot ſint.*
8 *An præcepta Moralia veteris legis nunc obligent Chriſtianos.*
9 *An lex Moſaica continens præcepta cæremonialia abrogata fuerit in ipſa morte Chriſti.*
10 *An præcepta iudicialia euacuata ſint per Chriſtum ſicut cæremonialia.*
11 *An ſtatim à morte Chriſti illicitum fuerit ſub mortali legem veterem ſeruare.*
12 *Lex Euangelica quibus nominibus denominari ſoleat à Doctoribus.*
13 *An lex Euangelica ſit propriè lex præceptiua.*
14 *An præcepta legis Euangelicæ diuidantur in præcepta moralia ſecundùm legem naturæ, & Sacramentorum & fidei.*
15 *Variæ differentiæ adducuntur, in quibus lex Euangelica differt a veteri.*

1 LEgis nomen multis modis a Doctoribus denominari ſolet, a Theologis enim et communiter lex

P 2 appel-

appellatur. A legiſtis vtriuſque iuris Doctoribus appellatur ius; à Græcis dicitur *νόμος*, ab Hebræis Thorab: à Caldæis Huraretha: quibus, aliiſque nominibus ſecundùm diuerſitatem idiomatum, licet idem ſignificetur, non tamen in nominis & vocis Ethymologia omnes conueniunt. Nam Cicero *l. 1. de leg.* legem a legendo actiuè interpretatur, ab eligendo, ſeu deligendo; eo quòd lex debet eſſe ſelecta, & magna cum prudentia & circumſpectione ferenda, vel quod vnicuique oſtendere debet, quid ei diligendum ſit.

Cicero.

Alii exiſtimauerunt legem fuiſſe dictam à legendo paſſiuè, vel quia ſcripta in tabulis, ſiue in paginis eſſe debet, vt ab omnibus legi poſſit. Ita D. Iſidorus *lib. 2. Ethymol. cap. 10. & lib. 5. c. 3.* vel ſecundùm alios, lex dicta eſt à legendo paſſiuè, quia quando lex ferebatur ab Imperatoribus, ſcribebatur in tabulis æreis, ſiue marmoreis, & in loco publico ponebatur, vt ab omnibus poſſet legi: vel dicitur a legendo, quia lex ſæpe legendo eſt in corde tenenda & meditanda, vt mentem inſtruat & illuminet. Hanc expoſitionem amplexus eſt Sotus *l. 1. de inſtit. & iur. q. 1. art. 1.* cum aliis.

D. Iſido.

Sotus.

Alij volunt, quòd lex, ſecundùm propriam nominis Ethymologism a ligando deriuetur, eo quòd proprius effectus legis eſt ligare, ſeu obligare ſubditos ad illam obſeruandam. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt. 90. art. 2.* & alij communiter Thomiſtæ, quibus addendus eſt Suarez *de leg. lib. 1. cap. 1. num. 9.* Salas *de leg. diſput. 1. ſect. 2. quæſt. 1.*

D. Tho. Suarez. Salas.

Ex quibus omnibus colligitur, quòd lex debet eſſe prudenter & cum maxima diligentia & matura conſideratione ſelecta & inſtituta: debet inſuper eſſe ſcripta, vt ab omnibus legi poſſit, vel ſaltem in cordibus hominum deſcripta: & debet eſſe obligatoria, adſtringens homines ad eam obſeruandam.

2. Conuertitur inter Theologos, an lex naturalis ſit lex diuina præceptius, & habeat rationem legis ex eo, quòd Deus voluit, & vult ad illam obligare rationalem creaturam ad ſeruanda ea quæ ſunt de dictamine rationis rectæ, & ad fugienda oppoſita: Siue potiùs ſi tantummodò lex indicatiua, quid agendum ſit, vel cauendum demonſtrans, per conſequens non ſit aliud niſi ipſum rectæ rationis dictamen præciſa quacumque Dei voluntate? Quidam ſentiunt legem naturalem eſſe veram & propriã legem diuinam præceptiuam, includentem actum diuinæ voluntatis. Ratio eſt, quia peccatum contra legem naturalem eſt offenſiuum Dei, continet enim virtualem contemptum legis ipſius Dei, ſed tranſgreſſio legis naturalis eſt verè peccatum, ergo eſt violstio diuini & cæleſtis mandati & conſequenter lex naturalis non eſt ſimpliciter lex indicatiua, ſed præceptiua: ideoque non conſiſtit præciſè in dictamine intellectus noſtri, quia ſic non haberet rationẽ veræ legis obligatoriæ ad peccatum, quia depoſito tali dictamine non eſſet amplius lex obligatoria, quod non eſt dicendum. Ita Suarez *de leg. lib. 2. cap. 6. num. 5.* cum ſuis aſseclis, dicentibus *D. Thomam* eſse huius opinionis, quamuis in rei veritate *D. Thomas* aliud ſentire videatur.

Suarez.

Verior tamen ſententia ſuſtinet, legem nsturalem non eſse propriè legem præcipientem, ſed indicantem, quid agendum, vel cauendum ſit, & quid ex natura rei ſit intrinſecè bonum vel malum; ideoque non eſse aliud, niſi dictamen rationis oſtendens, quid faciendum, aut fugiendum, ne Deus mediante tali actione offendatur. Probatur, quia ſit lex naturalis eſset ſimpliciter præceptiua, & non indicatiua, ſequeretur quòd non diſtingueretur à lege Diuina poſitiua: nam lex naturalis nihil aliud eſt, niſi ipſamet rationalis natura, cui tãquam regulę bonæ actiones conueniunt, & malæ diſconueniunt, & ideò dictamina conſcientiæ ſunt intrinſecè neceſſaria & independentia ab omni voluntate præcipientis etiam Diuina: quamuis enim Deus nihil præcepiſset, vel prohibuiſset adhuc mentiri, homicidium facere, Deum non colere, Mœchari, & furari, &c. eſsent opera mala peccaminoſa & cauenda: non enim ideò ſunt mala, quia prohibita, ſed ideò prohibita, quia ſunt mala. Patet hoc in Angelis, qui in illa prima morula, dum eſsent viatores, noluerunt Deum colere & adorare, & mortaliter peccauerunt, ideoque tanquam rebelles de cœli habitaculo eiecti, æternis ſupplicijs cruciandi ad gehennam fuerunt iuſtiſſimè condemnati, tanquam tranſgreſsores diuinæ legis naturalis faciendo contra dictamen veræ rationis, quod dictabat Deum creatorem eſse colendum & adorandum. Similiter patet in Cain filio Adæ, qui occidendo Abel fratrem ſuum peccauit mortaliter, licet adhuc non fuiſset publicata lex diuina poſitiua, non occidendi: eo quod ipſum conſcientiæ dictamen lumine naturali cognitum erat lex ſufficiens ad obligandam rationalem creaturam ad malum fugiendum bonumque ſectandum, mediante lumine naturali cognitum: quare iuſtiſsimè ab ipſo Deo fuit maledictus ſuper terram: nam qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Proinde hanc ſententiam amplectuntur Valquez *in 1. 2. quæſt. 97. cap. 3. n. 8.* Clauis Regia *l. 3. c. 2. n. 6.* Salas *de leg. tr. 14. diſp. 1. ſect. 6. & diſp. 5. ſect. 4.* Filliucius *tr. 21. n. 401.* & alii dicentes, hanc eſse expreſsam ſententiam D. Thomæ *in 1. 2. q. 93. art. 1.*

Vaſq. Cla. reg. Salas. Filliuc. D. Tho.

3. In lege diuina naturali ſunt aliqua præcepta, quæ ſemper & ad ſemper obligant, circumſcriptis quibuſcumque conditionibus & circumſtantiis, ideoque in illis nunquam ceſsat obligatio qualia ſunt illa præcepta, quæ prohibent malum abſolutè, quod eſt intrinſecè malum, vti eſt pernicioſum, mendacium, periurium, odium Dei, Idololatria & ſimilia, quæ in nullo caſu poſsunt fieri licita, quibuſcumque poſitis circumſtantiis, ideoque Deus in iſtis diſpenſare non poteſt, quia tunc faceret contra rectam rationem iuſtitiæ, & contra ſuam ipſius bonitatem & decretum ſuæ æternæ legis, quæ immutabilis eſt. Verum, ſunt aliqua præcepta etiam ſecundùm ius naturæ, quæ non obligant ita ſimpliciter, & abſolutè quoad ſempes, ſed ſolummodò permanentibus, quibuſdam circumſtantijs, quibus deficientibus & mutatis, non obligant ita rigorosè; ideoque in iſtis quandoque poteſt fieri aliqua diſpenſatio.

Proinde Deus diſpenſauit cum Abraham, vt poſset licitè occidere filium ſuum Iſaac, immolando illum ipſi Deo præcipienti talem actionem fieri ad tentandum obedientiam ipſius Abrahæ: & tunc Abraham non occidiſset filium ſuum priuata auctoritate ſed Dei. Homicidium autem non eſt ſimpliciter prohibitum ſecundùm ſe ſed, quando fit priuata auctoritate contra legem iuſtitiæ.

Similiter dicendum eſt de diſpẽſatione facta cum Oſea Propheta, non enim diſpenſauit Deus cum illo, vt poſset licitè eum muliere fornicari contra legem ipſius Dei, ſed præcepit Oſeę vt deduceret ſibi in vxorem mulierem fornicariam, & cognoſceret eam amore maritali, prout explicant Sancti Patres & Theologi communiter.

Idem dicendum de Iſraelitis, quibus conceſſit Deus tollere fraudulenter vaſa Aegyptiorum: In hoc enim caſu Iſraelitæ non commiſerunt furtum, quia non tulerunt res alienas, ſed ſuas, & ſibi debitas ex ſententia et donatione Dei, qui eſt vniuerſorum Dominus. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt. 100. artic. 8.* Syluius, Caietanus, Medina, *ibid.* Suarez *lib. 2. de leg. cap. 15.* Salas *de legibus tract. 14. diſp. 5. ſect. 9.* Tannerus *diſput. 5. quæſt. 2. dub. 4. in 1. 2.* & alij plures.

D. Tho. Sylu. Caiet. Medina. Suar. Salas. Tanner.

4. Certiſſimum eſt legem Moſaicam ſeu veteris teſtamenti, fuiſse bonam iuſtam, & ſanctam, vt definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Probatur autem *Primò*, ex Scriptura Pſal. 18. n. 8. dicitur de ea. *Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis.* Et Apoſtolus ad Romanos *c. 7. num. 12.* ait, *Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum, iuſtum & bonum*, Probatur, *Secundò*, ratione. Nam cauſa efficiens principalis vtriuſque legis, tam veteris quàm noui teſtamẽti fuit Deus optimus maximus, qui cùm ſit ſumma bonitas non potuit eſse inſtitutor niſi legis bonæ & ſanctæ. Tum quia lex illa erat rectæ rationi conſentanea & valde vtilis populo cui data erat; nam valebat vt filii Iſraelitæ recognoſcerent ſe eſſe peccatores, & proinde ſibi opus eſse Saluatore, et indigere gratia Dei mediante Chriſto venturo. Quod cùm cognouiſsent, cœperunt illum ſummo cum deſiderio expectare, ideoque homines mediante tali lege diſponebantur ad recipiendum ſaluatorem et redemptorem, iuxta illud ad Galatas 3: *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto.* Ita D. Thom.

Concil. Lat. Inno. III

1. 2. q.

Digitized by Google

D. Tho. Syluius. Valent. Salas.

1.2.q.98.*art.* 1. Syluius *ibidem* Valentia *tom.*2.*diſp.*7.*qu.*7.*punct.*1. Salas *de leg.tract.*14.*ſect.*1.*num.*2. & alii communiter.

Cæterum licet lex vetus fuerit bona, tamen erat imperfecta: quia nec ipſa, nec eius Sacramenta & ſacrificia poterant gratiam conferre, quæ eſt medium neceſſarium vt peruenire poſſit ad ſpiritualem & æternam fœlicitatem, quæ eſt finis diuinæ legis.

5. De fide eſt, totam legem veterem latam fuiſſe ab ipſo Deo, tanquam proprio & immediato legislatore, & eſſe legem diuinam propriè dictam. Vnde in Concilio Toletano I. Aſſertio fidei habet, *Si quis dixerit, vel crediderit alterum Deum eſſe priſcæ legis, alterum Euangeliorum, anathema ſit.* Et in Conc. Trid. *ſeſ.*4. dicitur, quod vtriuſque teſtamenti vnus Deus ſit auctor.

Conc. Tol. I. Con. Tri.

Et ideò tota lex ſcripta, quæ habetur in quinque libris Pentateuchi à Moyſe deſcriptis, eſt vera lex diuina propriè dicta, cuius Deus ipſe fuit proximus & principalis auctor. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ 1.2.q.98. *art.*2. Syluij, Medinæ *ibidem*, Suarez *de leg. lib.* 9.*c.*2. Becani 1.2.*tract.* 3.*cap.*4.*quæſt.*2.*concl.*1. Ratio eſt, nam eiuſdem eſt proponere finem & diſponere media ad finem, ſed lex Euangelica fuit finis legis Moſaicæ, ergo idem Deus, qui eſt auctor legis Euangelicæ, eſt etiam auctor Moſaicæ legis. Tum quia lex vetus erat figura earum rerum, quæ certò & infallibiliter futuræ erant, vt conſtat ex 1. Corinth. 10. Solus autem Deus potuit præceptis & factis præfigurare res futuras infallibiliter, præſertim ex ſola Dei voluntate pendentes: ergo ſolus ipſe potuit eſſe auctor veteris legis. Verumtamen licet Deus ſit verus legislator vtriuſque legis, nouæ videlicet & veteris, neutrã tamen immediatè per ſeipſum promulgauit, ſed veterem mediante Angelorum miniſterio dictauit Moyſi & per ipſum Moyſen promulgata fuit populo Iſraelitico. Noua verò lex per Chriſtum hominem propoſita fuit Apoſtolis, & per Apoſtolos vniuerſo orbi. Quare autem Deus noluit dare legem populo Iſraelitico, non per ſe immediatè, ſed mediante miniſterio Angelorum, rationem reddit D. Thomas *loco citato art.* 3. quia lex vetus erat imperfecta, & quaſi diſpoſitio quædam ad legem Euangelicam, ideoque conueniens fuit, vt lex noua daretur à Chriſto Domino, qui debebat eſſe mediator inter Deum & homines & redemptor totius generis humani. Vetus autem lex à miniſtris ipſius Dei, qui ſunt Cœleſtes ſpiritus ad miniſterium miſſi: ſicut in artibus, ſupremus artifex facit ipſum opus per ſe, antecedentia verò & diſpoſitiua ad illud, per inferiores: ergo decens fuit, quòd lex vetus tanquam diſpoſitio ad nouam, daretur per Dei miniſtros; & lex noua tanquam opus perfectum per ipſum Deum, iuxta illud Hebr. 1. *nouiſſimè locutus eſt nobis in filio*.

D. Tho. Syluius. Medina. Suar. Becca.

6. Ante legem Moyſi datam, nulla alia fuit tradita à Deo plura diuina præcepta continens; tempore enim illo regulabantur homines iuxta dictamen rationis ſecundùm diuinam legem naturalem. Si enim ante veterem legem fuiſſet alia lex diuina poſitiua propriè dicta, inſufficienter eſſet facta à Theologis diuiſio legis diuinæ poſitiuæ, in veterem & nouam. Hæc autem lex ſcripta, ſiue vetus eſt illa, quæ continetur in toto teſtamẽto veteri, tã in libris quinque Moyſis, qui appellantur Pentateuchon, quàm aliorum Prophetarum; quare tota illa Scriptura Sacra ſolet vt plurimum nomine legis ſcriptæ denominari à Theologis: Vnde D. Iſidorus *lib.* 1. *ſentent. cap.* 28. legem diuinam ſcriptam in tres diuidit partes, in præcepta, Hiſtorias & Prophetias. Ideò ipſemet Dominus IESVS Lucæ 24. dixit, *Hæc ſunt verba, quæ ſcripta ſunt in lege, & Pſalmis de me.* Vt docet Suarez *de leg. l.*9.*cap.* 1.*n.*3. & communis. Tamen eſt concedendum in ſtatu innocentiæ originalis, ante lapſum naturæ conditæ datum fuiſſe ab ipſo Deo immediatè præceptum particulare, tanquam lex diuina, obligans noſtros primos parentes cum ſuis poſteris ad eius obſeruantiam, quando præcepit eis, ne comederent de ligno ſcientiæ boni & mali, ſub pœna mortis incurrendæ.

D. Iſid.

Suar.

7. Quamuis legis veteris præcepta multa ſint ad tria tamen rectè reducuntur genera, ſcilicet ad *Moralia*, *Ceremonialia*, & *Iudicialia*, his verbis Deuteron. 5. ſignificata, *Loquar tibi mandata mea, & ceremonias, atque iudicia*. Et rurſus cap. 6. *Hæc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt docerem vos.* Præcepta *moralia* ſunt, quæ etiam circa vllam poſitiuam inſtitutionem, mores ſeu actiones humanas componunt iuxta præſcriptum rectæ rationis. Præcepta *Ceremonialia* dicuntur, quæ præſcribunt cæremonias, hoc eſt, opera quædam externa, quibus Deus peculiariter ſit colendus: quamuis enim legis naturalis ſit Deum colere, ſed legis poſitiuæ eſt determinare modos & opera externa, quibus eum colere oporteat: vt proptereà præcepta cæremonialia ſint quædam determinationes naturalis de colendo Deo. *Iudicialia* autem præcepta dicuntur, quæ præſcribunt certam formam pro conſeruanda iuſtitia inter homines, adeoque ſunt quædam determinationes eorum mandatorum Decalogi, quæ ad iuſtitiam inter homines conſeruandam ſpectant. Ita D. Th. 1.2.*q.*99.*ar.*1.2.3. & 4. & communis.

D. Tho.

Omnia autem præcepta legis, tam cæremonialia, quàm iudicialia fuerunt numero 613. (excluſis decẽ præceptis Decalogi) prout dicunt Abulenſis *in Deuteronom. cap.*27.*q.*1. & Guilielmus Pariſienſis *lib. de fide & lege*, inter quæ fuerunt præcepta negatiua 248. iuxta numerum oſſium humani corporis, reliqua verò affirmatiua fuerunt num. 365. iuxta numerum dierum anni ſolaris, prout obſeruauit Rabbi Moyſes referente Carthuſiano *Actione* 15. & Salas *de leg. tr.* 14. *diſp.*6. *ſect.*3.*n.*11. Ex quo ſequitur, præcepta legis veteris fuiſſe in magna copia, ideoque dixit Petrus Apoſtolus Act. 15. *Legem Moſaicam fuiſſe iugum graue, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuerunt.*

Abulenſ. Guil. Pariſ.

Cartuſ. Salas.

8. Præcepta moralia veteris legis non minùs nunc obligant Chriſtianos, quàm olim Iudæos, nec ſunt aliquo modo abrogata, neque abrogari poſſunt. Ratio eſt, quia hæc præcepta ex lege naturæ vim habebant, & eorum materia eadem eſt apud nos, quæ apud Iudæos, ergo ſimiliter nos obligant. Nam ratio naturalis iuris poſtulat, illa eſſe ſeruanda ab omnibus hominibus, quare deſcripta eſſe debent in eorum cordibus, quia in lege Euangelica derogata non fuerunt à Chriſto Domino, imò ab ipſo fuerunt confirmata Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, & vt ex contextu liquet, loquitur de mandatis in Decalogo contentis. Non tenemur tamen ad præceptorum illorum obſeruantiam, ex vi veteris legis, ſed tantùm ex vi legis naturæ & ex lege Euangelica; quia lex vetus etiam comprehenſo Decalogo, ſoli populo Iſraelitico data fuit: ergo ex vi iſtius legislationis ſolum eum populum obligabat: cùm lex ſolos eos populos obliget, quibus datur. Et confirmat, quia gentiles ad præcepta legis naturæ fuerunt obligati, non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ; ergo ſimiliter Chriſtiani ad ea obligantur, non ex vi legis veteris, ſed ex vi legis naturæ. Ita ſentiunt Sotus *de iuſt. l.*2.*q.*5.*ar.*4. Valentia 1.2 *diſp.*7.*q.*7. *punct.*7. Suarez *de leg. l.*9.*c.*11.*n.*22. Tannerus 1. 2. *diſp.*5. *q.*3.*dub.*4. & alij.

Sotus. Valent. Suarez. Tanner.

9. Lex Moſaica continens præcepta cæremonialia ceſſauit & abrogata fuit in ipſa morte Chriſti. Quia, *translato ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis translatio fiat.* Ad Hebræos 7. Sed ſacerdotium vetus fuit translatum in Morte Chriſti, quia tunc Chriſtus ſeipſum obtulit in cruce eiuſque ſacrificij memoriam nobis reliquit, inſtituendo ſacrificium Euchariſtiæ pridie quam pateretur, ergo tunc ceſſauit lex vetus. Huc etiam facit quod Daniel 9. dicitur. *In dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*. His ratio accedit. Tum quia adueniente veritate euaneſcit vmbra; lex autem ſi cæremonialia ſpectes, vmbra erat futurorum in noua lege, conſequens ergo eſt, quod ceſſare debuerunt noua lege publicata. Tum quia lex vetus per Chriſtum eſt impleta: ergo tum ipſa tum eius cæremoniæ debuerunt ceſſare. Tum quia omnia illa præcepta cæremonialia figurabant Chriſtum venturum, quæ figuræ modò per Chriſti Domini aduentum adimpletæ fuerunt, & ideò veniente luce vmbra iam ceſſauit. Ita communiter Theologi poſt D. Thomam 1. 2.*q.*103.*ar.*3. & Sancti Patres.

D. Tho.

10. Præcepta iudicialia euacuata ſunt per Chriſtum: quia mutato ſtatu populi, etiam leges populum concernentes mutandæ ſunt. Aliter tamen euacuata ſunt iudicia-

lia, quam cæremonialia: nam cæremonialia non ſolùm ſunt mortua, ſed etiam mortifera, ita vt nec ea ſeruare liceat, nec iubere vt ſeruentur. Ratio eſt, quia cæremonialia ſunt primò & per ſe inſtituta ad figurandum Chriſti myſteria vt futura, ideoque illorum obſeruatio præiudicaret fidei ſecundùm quam credimus illa eſſe completa. At iudicialia ſunt quidem mortua, cùm omnem ſuam vim ſiue obligatiuam ſiue aliam, perdiderint, non ſunt tamen mortifera, quia non ſunt primò & per ſe inſtituta ad figurandum aliquid futurum, ſed ad populum bene inter ſe ordinandum; & propterea horum obſeruatio legitimè præcepta, non præiudicat fidei, modò non ſit intentio ea ſeruandi tanquam ex obligatione legis: vnde ſi per legitimam auctoritatem inſtituantur huiuſmodi præcepta, neque inſtituens neque obſeruans peccabit. Ita D. Thom. 1. 2. q. 103. ar. 3. & alij communiter.

D. Tho.

11. Lex vetus non ſtatim à morte Chriſti fuit mortifera, ſic nimirum vt illicitum eſſet eam ſeruare: quia conſtat Apoſtolos interdum obſeruaſſe legalia, etiam poſt Pentecoſtem, vt quando Paulus circumcidit Timotheum, *Act.* 16. A quo autem tempore legalia cœperint eſſe mortifera; veriſimiliter loquuntur, qui dicunt hoc fuiſſe ex quo promulgatio Euangelii ſufficienter facta fuit per Apoſtolos. Probatur, quia tunc ceſſabat ratio, propter quam legalia conuenienter fuerunt tolerata ad aliquod tempus. Spiritus enim Sanctus noluit vt obſeruatio legalium ſtatim in primitiua Eccleſia inhiberetur his qui ex Iudæis côuertebantur, ſicut gentilitatis ritus inhibebatur his, qui ex gentibus conuertebantur, vt inter hos ritus oſtenderetur differentia. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tanquam omninò illicitus: Ritus autem legis ceſſabat, non tanquam ex ſe malus, cùm ſecundùm ſe eſſet bonus & à Deo inſtitutus, ſed tanquam impletus per Chriſti paſſionem. Et hoc ſenſu dici ſolet Synagogam ſepeliendam fuiſſe cum honore, id eſt, legem Moſaicam legaliumque obſeruationem non debuiſſe ſtatim ac mortua fuit, abiici, ſed aliquamdiu tolerari & ſeruari, vt paulatim deſineret, ſicque intelligeretur fuiſſe bonam, ſed ſolùm ad tempus impoſitam; Ita D. Auguſtinus *Epiſtola* 19. D. Thom. 1. 2. q. 103 *ar.* 4. & alij poſt ipſos.

D. Aug. D. Tho.

Ex quo ſequitur, quod illi, qui poſt Chriſti paſſionem ante Euangelii promulgationem illis cæremoniis vtebantur, eo quòd neſciebant verè cæremonias illas fuiſſe abrogatas, non ſolùm excuſabantur à peccato mortali, ſed etiã percipiebant inde talem fructum & vtilitatem, qualem ex aliis piis & honeſtis operibus animæ fidelium percipere ſolitæ erant. Ita Salas *de leg. tr.* 14. *diſp.* 23. *ſect.* 1. Sotus *de iuſt.* l. 2. q. 5. *art.* 4. Vaſq. *in* 1. 2. *diſp.* 181. *c.* 2. Et hæc de lege veteri dicta ſufficiant. Plura de illa D. Th. *in* 1. 2. *à q.* 98 *vſque ad q.* 105. *excluſiuè* & eius commentatores. Iam de lege diuina poſitiua Euangelica.

Salas. Sotus. Vaſq. D. Tho.

12. Lex Euangelica pluribus, variiſque nominibus denominari ſolet quare a D. Paulo ad Rom. cap. 3. appellata eſt *Lex fidei*, eo quòd in ea Myſteria noſtræ fidei ſpecialiter explicantur & præcipiuntur, & in cap. 8. dicta eſt *Lex ſpiritus vitæ, ſeu gratia* eo quòd gratia eſt ſpiritus vitæ noſtræ. Ideoque Ioan. Baptiſta dixit, Ioan. c. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & vita per Ieſum Chriſtum facta eſt*, & idem Apoſtolus ad Galat. 5. dixit. *Non eſtis amplius ſub lege, ſed ſub gratia*, quaſi diceret. Vos Chriſti fideles non eſtis amplius ſub iugo Moſaicæ legis, ſed ſub lege gratiæ, *cuius iugũ ſuaue eſt & leue*, prout dicit Dominus *Matt.* 11.

A Sanctis Patribus quãdoque dici ſolet *Lex amoris*, eo quòd tota lex Euangelica perficitur amore & charitate diligendo Deum ſuper omnia & proximum propter Deũ: nam ipſe ſpiritus gratia dicitur, & eſt ſpiritus amoris & dilectionis. *Lex Euangelica* dicitur, quia Chriſtus Euangelium annuncians, illam dedit. Quæ etiam vocatur lex *noui teſtamenti*, quia ſimul cum nouo teſtamento data eſt, eſtque res quædam per nouum teſtamentum legata. Dicitur & *lex noua*, partim quia nouiter data eſt, poſt legem ſcilicet Moſaicam, cui ſuccedit: partim quia ratione torũ quæ continet, homines renouat; per fidem enim, ſpem, & charitatem, quæ ſunt nouæ legis bona portio, homines renouantur. Euangelium autem iuxta vim nominis generaliter ſonat cuiuſuis rei proſperæ nunciationem. Sed communi vſu S. Scripturæ noui præſertim teſtamenti & Chriſtianorum, Euangelium eſt bonum lætumque nuncium de Chriſto quod aduenerit noſtramque ſalutem ſit operatus; & qui iſta annuntiauerunt propriè in ſacris litteris vocantur Euangeliſtæ, id eſt, nuntii tantæ ac tam optatæ rei etiamſi de ea re nihil deſcripſerint. Itaque huius Euangelij annunciator primus fuit Angelus, deinde ipſe Chriſtus poſtea Apoſtoli & diſcipuli.

13. Fide tenendum eſt Chriſti Domini legem, quæ dicitur Euangelica, eſſe veram legem præceptiuam & propriè dictam. Ipſe enim Chriſtus non ſolùm fuit humani generis ſeruator & redemptor, verum etiam proprius, veruſque legislator, ideoque verus inſtitutor nouæ legis eſt dicendus. Prob. prior pars. Ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 19. vbi dicitur, *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta neque prohibita, ſed libera, aut decẽ præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.* Vnde Iſaias c. 2. dixit. *Aſcendamus ad mõtem Domini, & ad domum Dei Iacob & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Certiſſimum eſt prophetiam illam de aduentu & prædicatione Chriſti miſſe, & ex Sion fuiſſe ad nos legẽ Chriſti miſſam, quam non Euangelicam vocamus. Prob. Secunda pars ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 21. vbi decernitur, *Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legiſlatorem cui obediant, Anathema ſit.* Et ex Iſaia c. 33. *Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos.* In quo loco Propheta, non loquitur de Deo tantùm, vt Deus eſt, ſed de Chriſto Domino venturo, ante enim dixerat, *Domine miſerere noſtri, te enim expectauimus*, vbi aperte declarat, Chriſtum non ſolùm venturum eſſe ad ſaluandum, ſed etiam ad ferendas leges, quapropter ipſum appellat legiſlatorem. Ita communiter Doctores apud Suar. *de leg. l.* 10. *c.* 1. Salas *de leg. tr.* 14. *diſp.* 24. *ſect.* 1. & alios.

Concil. Trid. Concil. Trid. Suarez. Salas.

14. Præcepta legis Euangelicæ tripliciter diuidi poſſunt; vel enim ſunt præcepta moralia ſecundùm legem naturalem; vel ſacramentorum, vel fidei. Quare D. Tho. *in quol.* 2. *ar.* 8. dixit. *In nouo teſtamento nullum diuinum præceptum eſſe datum, niſi ad Decalogum, & mores vel ad fidem, ſpem & charitatem vel ad Sacramenta à Chriſto inſtituta pertineant.* Præcepta autẽ tam iudicialia, quam cæremonialia, relicta fuerunt ſuperiorum diſpoſitioni, ſiue Eccleſiaſticorum, ſiue ſæcularium, quibus Dominus generaliter præcepit obedientiam eſſe præſtandã. Proinde lex noua ſeu Euãgelica dicitur lex libertatis: quia hęc lex non arctat nos niſi ad ea facienda vel vitanda, quæ aut ex natura rei, aut ex poſitiua Chriſti inſtitutione ſunt neceſſaria vel repugnantia ſaluti; & hæc ſunt valde pauca, nam ſupra Decalogum eiuſque explicationem, addidit pręcepta de ſuſcipiendo Baptiſmo, de ſumendo aliquando Euchariſtiam, de offerendo ſacrificio Miſſæ, de cõfeſſione ſacramentali peccatorũ facienda per eos qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauerint, de materiis et formis ſacramentorum; Denique de fide, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ideoque quicumque non crediderit condemnabitur, tanquam totius legis tranſgreſſor. Cùm autem Dominus Ieſus noua myſteria fidei in Euangelio hominibus reuelauerit, conſequenter eos ad illa credenda obligauit, vt myſterium Sanctiſsimę Trinitatis, Incarnationis Diuini verbi, Natiuitatis & Paſsionis, Mortis, ac Reſurrectionis ipſius Chriſti. Quod idem dicendũ eſt de pręceptis, ſpei & charitatis, quæ in pręcepto fidei continentur. Quapropter tota lex Euangelica magis plena eſt conſiliis, quam pręceptis, quia cùm ſit lex amoris et dilectionis data pro filiis, noluit Dominus Ieſus Chriſtianos, quos ipſe ſuo pretioſo ſanguine redemerat, pluribus pręceptis adſtringere, ſed ferè omnia dedit ſub conſilio, et hæc conſilia maximè nos conducunt ad perfectam obſeruantiam diuinę legis. De quibus Reginaldus *lib.* 13. *num.* 144. *& ſeq.*

D. Tho. Reginal.

15. Plurimę ac varię differentię a Doctoribus aſsignari ſolent, in quibus lex Euangelica differt a lege veteri ipſamque tanquam pręſtantior et perfectior excedit.

Prima eſt, quod veteris legis primarius miniſter ſeu

pro-

Digitized by Google

promulgator fuit Moyſes, nouæ autem Chriſtus, ideoq. longè præſtantior eſt à veteri, quantum melioris dignitatis, & conditionis fuit Chriſtus à Moyſe: hic enim erat purus homo: Chriſtus autem Deus pariter & homo.

Secunda, quod tempore veteris legis fidei myſteria obſcurè fuerunt declarata, et imperfectè cognita, tantummodo enim per ſpeculum in ænigmate præfigurabantur, mediantibus cæremonijs & ſacrificiis, quæ in tali lege præcipiebantur afferri ad præfigurandum Chriſtum venturum; In noua autem lege explicitè, & perfectiori modo de illis agitur, prout ipſe Dominus dixit Lucæ 8. *Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Dei*, quare lex noua cõtinebatur in veteri tamquam perfectum in inchoato, & tamquam arbor in radice, & tamquam fructus in ſemine.

Tertia, quòd lex vetus promittebat corporalia, et temporalia, noua autem promittit ſpiritualia, et æterna. Quare dicebat Dominus per Iſaiam cap. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos*. E contra Chriſtus Matth. 5. dicit: *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Quarta, quod lex noua habet vim ſanctificandi, ſeu iuſtificandi, quia caruit lex vetus, id eſt, lex noua habet ſacramenta, quæ gratiam continent & conferunt ex opere operato; vetus autem talia non habuit.

Quinta, lex noua dicitur lex amoris, quia ſubminiſtrat gratiam per quam ſumus amatores Dei & iuſtitiæ: lex autem vetus dicitur lex timoris, quia per minas terrebat, ſed non dabat gratiam per quam Deum, vel iuſtitiam amarent. Nam minabatur Deus Iudæis pœnas, et ſupplicia temporalia, puniendo, etiam peccata patrum in alios, &c. In lege autem noua non ſic: ſed promittitur venia faciliter obtinenda mediante peccatorum abſolutione virtute Sacramenti pœnitentiæ; ideoque data eſt poteſtas Sacerdotibus abſoluendi peccata.

Sexta, quod tempore legis ſcriptæ varia offerebantur ſacrificia, quæ omnia ferè in mactatione animalium perficiebantur, ſignificantia Chriſti Domini venturi paſſionem futuram, & tãtummodo habebant effectum ex opere operantis. Tempore autem legis nouæ vnum tantummodo offertur ſacrificium, in quo non carnes vitulorum, arietum, et auium immolantur, ſed Agnus Dei immaculatus in ſacro altari, ſacrificando corpus, et ſanguinem Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini. Qui quidem Agnus poſtquam eſt immolatus, integer perſeuerat & viuus, conferens gratiam ſanctificantem infallibiliter virtute operis operati, niſi ponatur obex ex parte ſuſcipientis.

Septima, quod lex noua cælum aperuit non lex vetus.

Octaua, quod vetus ſoli populo Iudæorum eſt data, eumque ſolum obligabat, at lex noua toti mundo data eſt, omneſquè obligat. Denique, lex vetus fuit vmbra et figura; lex autem noua eſt lux, et veritas. Et hæc de lege Euangelica dicta ſufficiant. Plura de his apud D. Thomam 1. 2. *quæſt.* 106. & 107. *art.* 1. Syluium *ibid.* Medinam et Caietanum, Suarez *de legib. lib.* 10. *cap.* 8. Azorium *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 59. Salas *de legib. tract.* 14. *diſp.* 24. *ſect.* 6. et alios.

D. Tho. Syluium Medin. Caiet. Suar. Azor. Salas.

L E X II.

De conditionibus, & materia legum.

S V M M A R I V M.

1 *Quæ conditiones requirantur ad condendam legem?*

2 *An promulgatio legum, quæ feruntur ab aliquo, verbi gratia, particulari, debeat in ſingulis oppidis, vel ciuitatibus fieri?*

3 *An leges latæ ab Imperatore, vel ab aliquo Rege; vel Principe habente plura regna, vel prouincias, promulgari debeant in ſingulis prouincijs?*

4 *An Romani Pontificis conſtitutiones, quæ in corpore iuris non continentur, requirant iure communi duorum menſium ſpatium, & promulgationem in ſingulis prouincijs?* Refertur duplex ſententia.

5 *De quinta conditione ad legem humanam requiſita, quæ eſt lapſus temporis, ſeu termini à legiſlatore præſcripti. Et an quando lex abſque vllius termini determinatione lata fuit à ſupremo Principe, ſtatim obliget poſt promulgationem?* refertur duplex ſententia.

6 *An lex vſu non recepta vi careat, quamuis ſit legitimè promulgata?*

7 *An lex condita à legitimo ſuperiore cum intentione obligandi populum, etiamſi non acceptet, valida ſit & obligationem inducat populo non acceptante?* refertur duplex ſententia.

8 *An lex acceptata quoad vnam partem, obliget ſimpliciter?*

9 *An à peccato excuſetur, qui abſque ſufficienti cauſa legem promulgatam non ſeruat, vel in cauſa eſt ne acceptetur? & an ſucceſſores peccent, legem negligendo ſecuti primos?*

10 *In dubio an lex promulgata fuerit acceptata, an præſumendum ſit fuiſſe acceptatam?*

11 *An ad ſubſtantiam, & rationem legis requiratur ſcriptura tamquam conditio neceſſaria?*

12 *Quæ ſit materia legis? & an actus quarumcumque virtutum poſſint eſſe materia legum?*

13 *An actus interni poſſint ab Eccleſia, vel à lege humana de facto præcipi, vel prohiberi?*

1 AD *condendam legem* ſex conditiones requiruntur. *Prima* eſt, vt feratur à legitimo ſuperiore. *Secunda*, vt feratur ob commune bonum, vt iam dictum eſt in præcedentibus. *Tertia*, vt ſit iuſta. *Quarta*, vt promulgetur. *Quinta*, lapſus temporis, ſeu termini à Legiſlatore præſcripti. *Sexta*, vt lex vſu ſit recepta, ſeu acceptata, *l. leges C. de legib.* Cùm ergo lex feratur ob commune bonum, debet idcirco intimari communitati, in cuius vtilitatem, et commodum fertur, hoc autem fit per publicationem. *Nomine* verò *publicationis* non ſolùm intelligitur publica propoſitio, ſeu denunciatio legis, quæ fit voce præconis, verùm etiam intelligi poteſt illa, quæ fit affigendo legem in loco publico, vel alio ſimili modo iuxta locorum conſuetudines, vel decreto: nec requiritur vt ſingulis intimetur lex et denuncietur, ſed ſufficit vt publicè promulgetur, ita vt ad aures ſingulorum proceſſu temporis peruenire poſſit: *hinc* ſequitur epiſtolas Pontificias non habere vim legis, niſi publicentur, eo modo quo publicari ſolent epiſtolæ: *item* legem reuocatoriam alterius legis antiquæ non obligare ante promulgationem, quia de ratione legis eſt promulgatio. *Item* interpretationem legis factam auctoritatiuè, non habere vim legis niſi promulgetur. Vide D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. Nauarra *cap.* 23. *num.* 44. Suarez *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 2. Molina *tract.* 5. *de iuriſdict. diſp.* 70. *num.* 1. & 2. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 3. *q.* 7. Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 11. Becanus 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 4. et alios.

D. Tho. Nauar. Suarez. Molin. Azor. Bonac. Becan.

2. *Promulgatio* legum quæ feruntur ab aliquo populo, vel à Ciuitate, vel Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, vel à Principe inferiore, facienda eſt in ipſo populo, vel ciuitate, vel curia Principis, vel Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, iuxta morem in ſingulis locis receptum, et inſtitutum: non autem opus eſt, vt ſingulis oppidis, vel ciuitatibus fiat promulgatio niſi aliter in ipſamet lege præſcribatur, vel aliter conſtet de mente Legiſlatoris, quia lex hoc modo lata, cenſetur ſufficienter promulgata, ergo facta huiuſmodi promulgatione, incipiet ſtatim obligare, Suarez *cit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 7. Clauis regia *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Syluester *verb. Lex q.* 6. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 2. et alij.

Suar. Clau. regia. Syluest. Azor.

3. *Leges latæ* ab Imperatore, vel ab aliquo Rege, vel Principe habente plura regna, vel prouincias, promulgari debent in ſingulis prouincijs, vnde ſubditi illius prouinciæ, in qua non eſt facta promulgatio, non obligantur

his

his legibus: quia quantum ad leges imperiales ita definitum eſt, in *Authen. vt nouæ conſtitutiones*. *Nota* tamen, quod Rex aliusve Princeps, qui non eſt ſubditus legibus imperij, poteſt de ſua poteſtate abſoluta, vnica publicatione in vno loco facta, obligare omnia ſua regna, vel prouincias, quia hoc non eſt contra ius naturæ. Valentia *diſp. 7. quæſt. 5. par. 5.* Sylueſter *verb. Lex q. 6.* Sotus *de iuſtit. lib. 1. quæſt. 1. art. 4.* Suarez *lib. 3. cap. 16. num.* 14 Syluius 1. 2. *q. 96. art. 4. q. 11. concl. 2.* & alii.

Valent.
Syluest.
Sotus.
Suarez.
Syluius.

4. Controuertitur inter Doctores, an Romani Pontificis conſtitutiones, quæ Bullæ Pontificiæ, aut diplomata vocantur, nec in corpore iuris continentur, requirant iure communi duorum menſium ſpatium, & promulgationem in ſingulis prouinciis: quidam enim docent iure communi non ſufficere promulgationem in curia Romana publicam & ſolemnem, niſi etiam in ſingulis prouinciis promulgentur: et propterea non ligare niſi poſt duos mẽſes exactos à promulgatione in prouinciis, quia ius ciuile, vbi iuri canonico non aduerſatur ſeruari ab Eccleſia ſolet, propterea eadem videtur eſſe ratio de Pontificijs, quæ eſt de Imperatorijs conſtitutionibus, ita ſentiunt multi Iuriſperiti apud *Azorium*, et inter Theologos Sotus *lib. 1. de iuſtitia quæſt. 1. art. 4.* Angel. *verb. Lex num.* 12. Medina 1. 2. *q. 90. art. 4.* Vvigers 1. 2. *q. 69. art. 4. à num. 84. ad 93.* Miranda *tom. 2. q. 25. art. 4.* Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 393.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 2.* Et hanc ſententiam probabilem putant *Syluius*, *Becanus*. Secunda opinio docet, iure ipſo communi ſufficere promulgationem in curia Romana publicam, niſi aliter in lege exprimatur. Hæc ſecunda ſententia eſt iam per cõſuetudinem vſu recepta, ac ita amplectenda: quia nuſquam Ius Canonicum ſtatuit, vt Pontificiæ conſtitutiones in ſingulis prouincijs promulgentur, nec iure ciuili Romani Pontifices tenentur; vnde Bulla Cœnæ Domini non ſolet niſi Romæ publicari, & tamen ſecundùm illam vbique iudiciales ſententiæ pronunciantur: & huius ſententiæ ſunt Vaſquez 1. 2. *diſp. 156. cap. 2.* Suarez *lib. 4. cap. 15. num. 3.* Reginaldus *lib. 13. num.* 155. Azor. 1. *par. lib. 5. cap. 3. q. 3.* Syluius 1. 2. *q. 96. art. 4. q. 11.* Diana *de legib. reſ. 8. & 9. par. 1.* Sylueſter *v. Lex q. 6.* et multi alij apud ipſum. Nihilominus (ſecundum Becanum 1. 2. *tract. 3. cap. 6. q. 6. num. 6.*) ſi quis habitet in aliqua prouincia, vbi eiuſmodi leges promulgatæ non ſint, poteſt eſſe liber in conſcientia, etiamſi illas leges non ſeruet, quia poteſt vti probabili opinione eorum Authorũ, qui defendunt eiuſmodi leges nõ obligare in ſingulis prouinciis, niſi ibi ſint promulgatæ, vel ſaltem conſuetudine receptæ. Communiter tamen ab omnibus receptum, & approbatum eſt, vt leges reuocatoriæ priuilegiorum, et indulgentiarum vim obligandi non habeant, quouſque promulgatæ ſint, non ſolùm in prouincia, ſed etiam in ciuitate, ac parochia. Ita Clauis regia *lib. 3. cap. 5. num. 13.* Valẽtia *diſp. 7. q. 5. dub. 2.* Sotus *lib. 1. quæſt. 1. art. 4.* Becanus *cit. cap. 6. q. 6. num. 7.* Caſpenſis *de legib. diſp. 1. ſect. 4. num. 60, 61.* contra *Suarez*, *Vaſquez*, & *Salas* apud Syluium 1. 2. *q. 96. art. 4. q. 3. conc. 1.* quod colligitur ex *cap. 1. de conceſs. præbend. in 6.*

Sotus.
Angel.
Medina.
Vvigers.
Miranda
Molina.
Laym.
Vaſq.
Suar.
Regin.
Azor.
Syiu.
Diana.
Sylueſter
Clau regia.
Sotus.
Becan.
Caſpen.

5. *Quinta conditio* ad legem humanam requiſita, eſt lapſus temporis, ſeu termini à Legiſlatore præſcripti: vnde ſi Legiſlator ſpatium duorum menſium appoſuit ad obligandum, ſubditi non obligantur nondum elapſis duobus menſibus, cùm lex non obliget vltra intentionem, et voluntatem legiſlatoris. Valentia *diſp. 7. q. 5. par. 5.* Quando autem nullius termini determinatio ad obligandum fuit appoſita, quidam Doctores vt Nauar. *cap. 23. num.* 44. Emanuel Sa *v. Lex num.* 8. Reginaldus *lib. 13. num.* 152. arbitrantur legem latam à ſupremo Principe, vt à Papa, Imperatore, aut Rege non obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione; probabilior tamen ſententia quæ eſt Suarez *lib. 4. cap. 15. num. 11.* Vaſquez *diſp. 156. cap. 3.* Molina *tract. 2. diſp. 393.* Azor. 1. *par. lib. 5. cap. 3. q. 8.* Bonacina *cit. punct. 4. num.* 25. et aliorum aſſerit, legem ſtatim poſt promulgationem obligare, quia lex eo ipſo quòd publicè lata eſt, vim & rationem habet imperii, ergo ſtatim obligat, niſi Legiſlator aliter exprimat: habet tamen locum prima ſententia in legibus ab Imperatore conditis, quia ſic habetur in *Authen. vt factæ nouæ conſtitutiones*.

Valentia
Nauar.
Sa.
Regin.
Suar.
Vaſq.
Molina.
Azor.
Bonac.

6. *Quoad ſextam conditionem* legis, cõmunis eſt Canonici, & iuris ciuilis interpretum opinio, legem vſu nõ receptam, vi carere, quamuis ſit auctoritate Principis conſtituta legitimè promulgata, quia perſpicuè *Gratianus* ait leges inſtituuntur cum promulgantur; approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur, & hoc videtur conforme benignæ Legiſlatorum voluntati, ne nimis ſuis ſubditis oneroſi videantur: lex autem dicitur vſu non recepta, quando populus, vel maior pars populi proſequitur facere, quod facere conſueuerat ante legis promulgationem, & hoc verum ſiue populus ſciat legẽ promulgatam eſſe, ſiue ignoret: dicitur verò lex vſu recepta & acceptata, quando non vnus, vel duo eam recipiunt; ſed maior pars communitatis eam recipit, faciendo quod lex præcipit, aut illam approbando verbo vel ſcripto, aut illam non reiiciendo. Ita Reginaldus *lib. 13. num.* 160. Nauarra *cap. 23. num. 41.* Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 6. art. 11.* Suarez *lib. 4. cap. 16. num. 9.* Azor. *lib. 5. cap. 4. quæſt. 1. & 2.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp. 1. ſect. 4. num.* 39. & alii.

Regin.
Nauar.
Rodriq.
Suar.
Azor.
Caſpen.

7. *Lex condita* à legitimo ſuperiore cum intentione obligandi populum, etiamſi non acceptet legem, valida eſt, et obligationem inducit populo illam non acceptante: quia Legiſlator videtur habere vim obligandi populum independenter ab ipſius conſenſu, alioquin maioris poteſtatis eſſet populus, quam Princeps, ita Suarez *lib. 3. cap. 19.* Reginaldus *lib. 13. num.* 161. Rodriquez *cit. q. 6. art. 1.* contra Nauarrum *cap. 23. num. 41.* et Valentiam *diſp. 7. q. 5. par. 5.* qui dicunt talem legem non eſſe validam, quia non eſt iuſta, nec lata in commune bonum.

Suar.
Regin.
Rodriq.
Nauarr.
Valent.

8. *Lex* acceptata quoad vnam partem, non obligat ſimpliciter, ſed ſolùm quoad eam partem, quæ acceptatur, et acceptata in vna prouincia, et non in alia, obligat ſolum in ea prouincia, in qua recepta eſt. Nauarrus *cit. num.* 62. Reginaldus *c. num.* 163. *Et quando* lex acceptata eſt à maiori parte communitatis, minor pars peccat legem non obſeruando, et pœnam legis incurrit; niſi fortè per inuincibilem ignorantiam excuſetur: quando verò maior pars communitatis legem non acceptauit, minor pars non peccat non obſeruando. Rodriquez *art.* 10. Bonacina *c. num.* 34.

Nauar.
Regin.
Rodriq.
Bonac.

9. *Communis* ſententia eſt, illum non excuſari a peccato, qui abſque ſufficienti cauſa legem promulgatam non ſeruat, vel in cauſa eſt ne acceptetur, contra *Sylueſtrum* & nonnullos alios exiſtimantes, per ſe loquendo, nõ peccare, niſi graue damnũ, aut incommodum Reipublicæ, et communitati inde proueniat. Suarez *lib. 3. cap. 10. num.* 10. Clauis regia *lib. 3. cap. 5. num.* 14. Reginaldus *c. num.* 162. *Hinc patet* quid diſcriminis ſit inter deſuetudinem ſiue non vſum legis, & conſuetudinem legi contrariam; nam in eo differt, quòd primi, qui conſuetudinem contra legem inducunt, delinquunt, niſi ex aliquo accidenti excuſentur; ſucceſſores tamen non peccant, quia bona fide poſſunt legem negligere ſecuti primos, qui contra legem fecerunt: at quando lex non eſt vſu recepta, etiam primi qui frangunt, non peccant, id ſciente legiſlatore, et non puniente cùm commodè poſſit. Bonacina *num.* 40. Azor. *lib. 5. cap. 4. q. 5.*

Suarez.
Clauis regia.
Regin.
Bonac.
Azor.

10. *Quando dubitatur*, an lex promulgata, fuerit acceptata, præſumendum eſt fuiſſe acceptatam; quia poſſeſſio ſtat pro lege, nam pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat legis præſumptio. Salas *diſp. 13. ſect. 5.* Bonacina *c. num.* 44. Vnde aſſerenti legem non eſſe acceptatam incumbit onus probandi non fuiſſe acceptatam; nec lex cenſetur non acceptata, ex eo quòd caſus legis per multos, etiam fortè per mille annos non accidit; quia deſuetudo, ſeu non vſus nihil facit contra legem quando caſus legis non accidit. Rodriquez *cit. art.* 12. Leſſius *lib. 2. cap. 22. dub.* 13. Azorius tamen 1. *par. lib. 2. cap. 19. q.* 12. et Diana *tr. 10. de legib. reſ. 3. par. 1.* probabile putant, in dubio an lex ſit vſu recepta necne, præſumendum eſſe non fuiſſe acceptatam, quia poſſeſſio ſtare videtur pro ſubditis ſuam libertatem poſſidentibus. De hac q. vide etiam Dianam *4. part. tract. 3. reſ. 14.*

Salas.
Bonac.
Rodriq.
Leſſius.
Azor.
Diana.

11. *Ad ſubſtantiam* & rationem legis, non requiritur ſcriptura tanquam conditio neceſſaria, quia lex poteſt pro-

Digitized by Google

promulgari, & acceptari etiamſi in ſcriptis non ſit expreſſa, et priuilegium eſt validum poſito conſenſu concedentis, & valida eſt in foro conſcientiæ quælibet facultas conceſſa à Summo Pontifice, ſtatim ac ſupplicationem admiſit ſubſcripto verbo, *placet* aut *fiat*: quamuis in foro externo iudicetur imperfecta, & inualida: vbi tamen contrarium eſt vſu receptum, aut ſancitum in aliquibus priuilegiis, ſeu caſibus, id obſeruandum, ſicut de facto decernitur in ſententiis, ad quas communiter requiritur ſcriptura. Suarez *lib.4. cap.14. num.2.* Reginaldus *lib.13. num.166.* Valentia *diſp.6. q.1. par.2.* Becanus *part.2. tract.3. cap.1. q.3. num.2.* et alii.

Suar. Regin. Valent. Becan.

12. *Materia legis* eſt illa circa quam verſatur lex, ſeu quæ præcipitur, vel prohibetur à lege; vnde actiones humanæ ſunt materia legum, quia circa illas verſatur lex, præcipiendo bonas & prohibendo malas; *hinc patet*, actus quarumcumque virtutum poſſe eſſe materiam legum, quia ſunt actus humani, imò actiones ex ſe indifferentes poſſunt eſſe materia legum, quia ſunt actiones humanæ. *Nota* tamen quòd lege humana præcipi non poſſint omnes actus virtutum ſimpliciter & collectiuè, quia difficillimum eſſet omnes actus virtutum collectiuè obſeruare: quantum verò ad vitia ſpectat, lex humana non omnia prohibet, ſed ea tantum, quæ reipubl. pacem & quietem deturbant, qualia ſunt ea, quæ iniuriam habent annexam, vt quæ ſunt contra iuſtitiam commutatiuam, aut quæ Deo, et Sanctis iniuriam inferunt: aliqua enim permitti, vt euitentur peiora, ſic meretricia impunè leges permittunt, vt adulterijs obuietur; & vſuras, vt caueantur furta. D. Thomas 1.2. *q.96. art.2. & 3.* Azor. *lib.5. cap.5. quæſt.2.* 3. Clauis regia *lib.3. cap.3. num.4. & 5.* Suarez *lib.4. cap.11. num.2. & 3.* Valentia *diſp.7. q.5. punct.7.* Becanus *cit. cap.1. q.3.* & alii.

D. Tho. Azor. Clau. regia. Suar. Valent.

13. *Actus interni*, ſecundùm ſe præciſè conſiderati, non poſſunt ab Eccleſia, nec à lege humana de facto præcipi, vel prohiberi, iuxta probabiliorem ſententiam, quia lex humana non poteſt leges ferre de eo, de quo non poteſt iudicium ferre, & pœnas ſumere; *Actus autem interni*, vt ſpectant ad complementum actus externi, vel quatenus ſunt neceſſarij ad eſſe phyſicum, aut morale actus externi, ſeu quatenus inuicem connexionem aliquam habent, ſeu dependentiam, poſſunt ab Eccleſia præcipi, vel prohiberi; quia ad rectam Eccleſiæ gubernationem pertinet, vt actus interni tali modo conſiderati, ab Eccleſia præcipi, vel prohiberi poſſint: ſic Eccleſia excommunicat eos qui ex odio, vel amore contra hæreticos nō procedunt, aut in eos inquirere omittunt. *Conſequenter* eſt dicendum, quando lex prohibet, vel præcipit aliquem actum externum, ſimul etiam prohibet vel præcipit actum internum illi reſpondentem, vt ſi prohibeat furtum, prohibet etiam voluntatem efficacem, aut propoſitum abſolutum furandi; vel ſi præcipiat recitationē Officii, præcipit etiam intentionem, ſeu voluntatem recitandi: quia actus externus eſt obiectum actus interni; actus autem ſpecificatur ab obiecto, ab eoque bonitatem & malitiam ſumit. D. Thomas 2. 2. *q.104. art.5.* Syluius *ibi.* Azor. *1. par. lib.5. cap.10.* Clauis regia *lib.3. cap.6. num.15.* Suarez *lib.4. cap.12. & 13.* Nauarrus *cap.27. n.87.* Valentia *diſp.7. q.5. p.7.* Reginaldus *lib.13. num.21.* Bonacina *de legib. diſp.1. q.1. punct.5. num.13.* Becanus *1.2. num.3. cap.6. q.5.* & alii.

D. Tho. Syluius. Azor. Clau. regia. Suarez. Nauar. Valent. Regin. Bonac.

Vide tom. 1. verb. *Conſuetudo* n. 3. & hoc tomo verb. *Præceptum* n. 3.

LEX III.

Qui teneantur legibus humanis.

SVMMARIVM.

1 *An homo ſubditus, capax rationis iuxta tenorem legis, ſit ſubiectum legis?*
2 *An Princeps ſuis legibus ex vi coactiua, vel directiua obligetur? & an pœnis in ſuis legibus contentis ſubijciatur?*
3 *An mortaliter peccet Princeps ſuas leges non obſeruans?*
4 *An Clerici teneantur legibus ciuilibus ex vi coactiua vel directiua? Et an regulares exempti teneantur obſeruare leges Synodales Epiſcoporum? Et an ſæculares intra Monaſteria regularium exemptorum exiſtentes, teneantur ad leges ſuæ Diœceſis?*
5 *An peregrini, ſeu viatores ligentur legibus generalibus latis a Summo Pontifice, & acceptatis in loco vbi reperiuntur? & an teneantur legibus, & conſuetudinibus locorum, in quibus reperiuntur?* refertur duplex ſententia.
6 *Qui caſus excipiantur, in quibus aduenæ & peregrini tenentur leges locorum particulares ſeruare, etiamſi non decreuerint in illis locis maiore anni parte commorari?*
7 *An vagi, & illi, qui prius domicilium relinquentes quærunt vbi ſe collocent, teneantur ad leges, & conſuetudines loci, in quo etiam obiter reperiuntur? Et in quos caſus reſeruatos incidant?*
8 *An peregrini, dum à proprio domicilio abſunt, teneantur ſeruare leges, & conſuetudines ſui domicilij, ſi in eo loco, in quo reperiuntur non obligent?* refertur duplex ſententia.
An liceat ad fugiendam obligationem legis tranſire ad locum vbi lex non obligat?

1 IVxta communem Doctorum ſententiam, *ſubiectum legis* eſt homo ſubditus, capax rationis, iuxta tenorem legis: ex quo patet, infidelem aut Cathecumenum non adſtringi legibus Eccleſiaſticis, quia infidelis aut Catechumenus non eſt ſubditus Eccleſiæ: propterea infideles non peccant, ſi comedant carnes in die ieiunii, nec miniſtrantes, aut porrigentes ipſis carnes ipſas: colligitur inſuper, pueros qui nondum ad rationis vſum peruenerunt, non adſtringi legibus humanis, quia nondum ſunt capaces vſus rationis; In dubio autem, an rationis vſum habeant, tenentur legibus Eccleſiaſticis, quoties conſtat completum eſſe ſeptennium, quia completo ſeptennio præſumitur adeſſe rationis vſus, nondum vero completo ſeptennio, non tenentur legibus Eccleſiaſticis, quia ante ſeptennium non præſumitur adeſſe vſus rationis: Amentes vero, dormientes, inuincibiliter ignorantes, ebrii, & abſentes tempore promulgationis, tenentur legibus, quia licet per accidens nequeant leges intelligere, illiſque parere, per ſe tamen loquendo leges intelligere, illiſque parere poſſunt, & ſunt ſubditi legiſlatori, & ſunt capaces vſus rationis, quamuis tunc temporis ratione non vtantur, & defectu aduertentiæ, ſeu vſus rationis, & conſenſus excuſentur à peccato, tempore amentiæ, ſomni, aut inuincibilis ignorantiæ. Ita Suarez *lib.4. de legib. cap.19.* Azorius *1. par. lib.7. cap.28. quæſt.3.* Sanchez *lib.1. mor. cap.12.* Emanuel Sà *v. Pueri.* Bonacina *cit. punct.6. num.4.* Henriquez *lib.13. cap.42. num.2.* Diana *tract.6. miſc. reſ.87. & 88. par.3.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp.4. ſect.3.*

Suar. Azor. Sanch. Sà. Bonac. Henriq. Dian. Caſpen.

2. *Princeps* per ſe directè vt plurimùm ſuis legibus ex vi coactiua non obligatur, *cap. cum omnes, de conſt.* quia vis legis humanæ eiuſque obligatio oritur ex poteſtate ferendi legem, de iure autem par in parem poteſtatem non habet, cùm actio & paſſio in eodem ſubiecto eſſe non poſſint, ergo multo minùs in ſeipſum: *præterea* Princeps pœnis in ſuis legibus contentis, & impoſitis non ſubiicitur, quia nullus in ſeipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat: vnde ſi Papa percutiat Clericum, non eſt excommunicatus, et ſi Rex violet legem ſuam, non incidit in infamiam, nec in pœnam periurii: Veruntamen etſi Princeps ſuis legibus quoad vim coactiuam, & pœnas in foro exteriori ſolutus ſit, ex iure tamen et æquitate naturali, ac diuina quoad vim directiuam, dicendum eſt illum teneri ad ſeruandas ſuas leges habentes rationem, et materiam de ſe vniuerſalem, et accommodatas non ſolùm ſubditis, verùm etiam Principi: ſic omnia iura, tum diuina, quam humana clamare videntur: et ratio ipſa ſuadet caput debere ſe conformare cæteris membris, quia Chriſtus reprehendit eos qui dicunt, et non faciunt: Tamen ſi leges non habent materia vniuerſalem, nec ſunt Principi accommodatæ, certum eſt Principem non teneri leges ſuas ſeruare;

re; vt ſi Princeps lege cauit ne arma noctu deferantur: ſecus ſi legem tulit præſcribentem ieiunium. D. Thomas 1.2.*quæſt.96.art.5.ad* 3. Azorius *lib.3.cap.*11.*q.*1. Suarez *lib.3.cap.*35. *num.*15. Clauis regia *lib.* 3. *cap.*4.*num.*3. *& ſeq.* Reginaldus *lib.*13.*num.*168. Syluius 1.2. *q.*96. *art.*5. *quæſit.* 2. Vaſquez *part.*2. *diſp.*167. *cap.*3. *num.* 33. Sotus *de iuſtit. lib.*1.*q.*6.*art.*7. Diana *de legib. reſ.*10.*par.*1. Becanus 1.2.*tract.*3.*cap.*6.*q.*12. et alii communiter. *Notandum* etiam hic eſt, quando Princeps non ſua authoritate, ſed cum populo legem condit, teneri illum ad obſeruantiam talis legis, nam caput ſeu præfectus communitatis toti communitati ſubditus eſt, licèt habeat ius conuocandi populum, & ferendi primum ſuffragium. Reginaldus *cit.* Azorius *cit. q.*2. Caſpenſis noſter *tract. de legib. diſp.*4.*ſect.*1.

D. Tho.
Azor.
Suar.
Clau. regia.
Regin.
Sylu.
Sotus.
Diana.

Regin.
Azor.
Caſpen.

3. *Princeps*, qui ſuas leges non obſeruat, non peccat mortaliter: niſi iuraſset eas ſeruare, quia lex non obligat vltra voluntatem legiſlatoris, legiſlator autem non præſumitur velle ſibi tantam obligationem imponere, cùm ſuis legibus tantùm teneatur ex honeſtate, & ex æquitate. Azorius *lib.*5.*cap.*11. *q.*1. Leſſius *lib.*2. *cap.* 35. *diſp.*5. Salas *diſp.*20. *ſect.*12. *num.*104. Diana *cit. reſ.*20. & alii. (Princeps tamen tenetur ſtare contractibus à ſe celebratis cum ſuis ſubditis, & aliter faciendo peccat mortaliter. Vt docent *Salas, Suarez, Reginaldus, Filliucius*, et alii apud Dianam *cit. reſ.* 10.) licet quidam exiſtiment grauiter peccare non obſeruando ſuas leges; quorum ſententia ſupponit legiſlatorem obligari directè ſuis legibus, quod non admittimus præciſo ſcandalo, & huius ſententiæ ſunt Clauis regia *lib.* 12. *cap.*9. *num.* 2. Vaſquez *diſp.* 167. *cap.*3. & alii.

Azor.
Leſſius.
Salas.

Clau. regia.
Vaſq.

4. *Clerici* aliique Eccleſiaſtici non tenentur legibus ciuilibus ex vi coactiua, ex vi verò directiua tenentur legibus ciuilibus vergentibus in commune bonum, et non repugnantibus libertati Eccleſiæ, ſacris Canonibus, & officio Clericali, quia Clerici non obſtante clericatu ciues ſunt, et membra reipub. politicæ, ſed reſpublica ciuilis non niſi legibus ciuilibus principum gubernatur, ideo eas etiam quatenus conducunt ad vtilitatem, et bonum publicum, Clerici ſeruare tenentur: *hinc* Clericus expendens pecuniam vltra taxam, ſeu valorem à Principe præſcriptum, aut vendens triticum maiori pretio, quàm ſit à Principe conſtitutum, peccat contra iuſtitiam, et tenetur ad reſtitutionem; quia licet Clericus directè non teneatur lege ciuili, nihilominus directè tenetur lege naturali iuſtitiæ prohibentis triticum vendi, aut aliquid aliud vltra taxam, ſeu pretium, quod communiter iuſtum æſtimatur. Suarez *lib.*3.*cap.*34. Clauis regia *cit. cap.*4.*lib.* 3.*num.* 16.*&* 17. Rodriquez 1. *part. cap.*193.*num.*2. Nauarrus *cap.*23. *num.*89. Syluius *cit. quæſit.*3. Azorius 1. *p. lib.*5.*cap.*12. Sà *verb. Lex num.*11. Diana *cit. reſol.*12. & alii. Inferunt tamen aliqui Doctores ſecluſo ſcandalo Clericos non peccare mortaliter, ſi leges Principum ſæcularium non obſeruent, poſito, quòd directè non teneantur ad illas. Ita Bonacina *de legib. diſp.*1.*q.*1.*punct.*6. *num.*53. Salas *de legib. diſp.*14.*ſect.*10.*num.*11.

Suar.
Clau. regia.
Rodriq.
Nauar.
Syluius.
Diana.

Bonac.
Salas.

Sed inquires, an regulares exempti teneantur obſeruare leges Synodales Epiſcoporum? Reſp. verius eſse non teneri, niſi tantùm ex decentia, & ratione ſcandali vitandi; ac proinde ſi ſcandalum ceſset, numquam peccare illas non obſeruando. Ratio eſt, quia Regulares nō ſolum à poteſtate Principis ſæcularis, ſed etiam Epiſcoporum ſunt exempti, & conſequenter ab omnibus ordinationibus Synodalibus, et Prouincialibus; ac proinde leges Epiſcoporum, et ieiunia ab illis impoſita non ligant Religioſos, ſecluſo ſcandalo, niſi quoad Feſtorum obſeruationes, interdicta, et alias cenſuras: quia iure communi ita ſancitum eſt. Ita Caſpenſis *de legib. diſput.*4. *ſect.*2. Suarez *de legib. lib.*4. *cap.* 20. Pontius *de matrim. lib* 5. *cap.*7. et plures alij, contra Vaſquez *diſp.*167. *cap.*4.*num.* 32. & alios aſserentes, Regulares iure naturæ obligari, ſaltem quoad vim directiuam, ad illas leges, quæ non derogant ſtatui Religioſo, et ſpectant ad communem obſeruantiam, et deuotionem totius populi. Vide ſupra verb. *Ieiunium* 2. *num.*5.

Caſpen.
Suarez.
Pontius.
Vaſq.

Sed maius dubium occurrit, an ſæculares intra Monaſteria regularium exemptorum exiſtentes teneantur leges ſuæ Diœceſis? Affirmant *Suarez, Coninch, Salas, Alterius*, et alii multi apud *Paſqualigum* infra citandum. Ratio illorum eſt, quia Monaſteria non ſunt plenè exempta a iuriſdictione Ordinarii, ſed tantùm quoad caſus in iure expreſsos, et ideo talis exemptio tamquam odioſa, quia derogat iuri Ordinariorum, non eſt extendenda ad caſus non expreſsos in iure, præſertim quia potiùs conuenit perſonis, quam loco. Oppoſitum tamen eſt ſatis probabile, nempe non teneri ad leges ſui Ordinarii. Et colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*25.*cap.*12.*de regul.* quod præcipit regularibus, vt ſeruent interdicta Ordinariorum, & Feſta: ergo ſecluſo præcepto non tenerentur ſeruare, vt dictum eſt. Tum quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, *cap. vt animarum, de conſtitut. in* 6. quia iuriſdictio non extenditur ad alienum territorium, et proinde non poteſt obligare ſubditum exiſtentem in alieno territorio. Locus autem exemptus cōparatur alieno territorio, ſi quidem licet ſit in territorio, ratione tamen exemptionis ſe habet vt territorium alienum; nam eximitur a iuriſdictione Ordinarii, ita vt non poſſit in ipſo aliquid iuriſdictionis exerceri, *cap. cum Epiſcopus, de officio ordinar. in* 6. Vnde exiſtentes intra Monaſteria non tenebuntur legibus Ordinariorum. Ita docent Henriquez *lib.*13. *cap.* 26. *num.* 2. Bonacina *tom.* 2. *diſp.*1.*de legib.q.*1.*punct.*6.*num.*66. ſpecialiter de ieiunio, Layman *lib.*1.*tract.*4.*cap.*11. *num.*5. Paſqualigus *in praxi ieiun. Eccleſ. deciſ.* 212.*&* 213. et alii.

Cōc. Tr.

Henriq.
Bonac.
Layni.
Paſqual.

5. *Peregrini*, ſeu *viatores* ligantur legibus generalibus latis a Summo Pontifice, et acceptatis in loco vbi peregrini reperiuntur: An autem hi teneantur legibus, vel conſuetudinibus locorum, in quibus reperiuntur? Iuxta probabiliorem, & communiorem ſententiam dicendum eſt, peregrinos et viatores, qui ad aliquem locum perueniunt abſque intentione ibi conſtituendi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte, non ligari legibus locorum, in quibus pro tempore reperiuntur. Ita Sanchez *de matrim. lib.*3.*diſp.*18.*& in ſum. lib* 1.*cap.*12.*num.*37. Clauis regia *lib.*3.*cap.*4.*num.*15. Reginaldus *lib.*13.*num.* 171. Azorius 1 *par. lib.*7. *cap.*19.*q.*4. Diana *tract.* 5. *miſc. reſ.*73.*par.*3. *& par.*1. *tract.*10. *reſ.* 13. 15. contra Suarez *lib.*3. *cap.* 33. *num.*3. Syluium 1.2. *q.*96. *art.*5. *quæſit.*4. et alios, contrariam ſententiam non improbabiliter tenentes. *Ratio* autem *prioris* ſententiæ eſt, quia ad obligandum requiritur iuriſdictio in obligante, et ſubiecto in eo, qui obligatur, per breuem autem moram præcisè nō acquiritur iuriſdictio et ſubiectio, vnde viator non ſortitur forum loci per quem tranſit; et Epiſcopus non poteſt Sacramenta conferre extraneo, excepto Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramento, in quo peculiaris extat conſuetudo. Vnde ex hac ſententia infertur poſse Germanum iter facientem per Italiam, ſi abſit ſcandalum, tempore ieiunii comedere oua, et lacticinia: quemadmodum & Mediolanenſem tranſeuntem per loca, vbi quatuor diebus ante Dominicam Quadrageſimæ ieiunatur, non ieiunare: et Caſtellanum iter facientem per Luſitaniam animalis extremitates, atque inteſtina die Sabbathi comedere. Ratio omnium eſt, quia non tenetur quis ſeruare leges, et conſuetudines loci, per quem tranſit, ſed poteſt vti priuilegio, et conſuetudine ſuæ patriæ: Et licet tale priuilegium videatur conceſſum loco, adhuc tamen eo vti poſſunt omnes, qui moraliter cenſentur loco præſentes, et qui vt præſentes in ipſo iure habentur, quales ſunt, qui mox in patriam, vbi proprium domicilium habent ſunt reuerſuri. Huic ſententiæ nouiſſimè ſubſcribit Amicus *tom.*5.*de iuſtit. diſp.*5. *ſect.*6. *num.*359. qui etiā aduertit, quod licet iter faciens non teneatur ad leges, et conſuetudines loci, per quem tranſit, poteſt tamen, maximè cum fauorabiles ſunt, eas acceptare.

Sanch.
Clau. regia.
Regin.
Azor.
Dian.
Suar.
Sylu.

Amicus.

6. *Quamuis aduenæ* et peregrini, iuxta dicta, non teneantur legibus locorum per quæ tranſeunt, excipiuntur tamen communiter a Doctoribus aliqui caſus, in quibus hi tenentur leges locorum particulares ſeruare, etiamſi non decreuerint in illis locis maiori anni parte commorari. *Primò* excipitur ſcandalum, ad quod euitandum certum eſt illos teneri ad leges locorum, Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.*12.*num.*25. Suarez *lib.*3.*cap.*33.*num.*6. *& ſeq.* *Secundò* excipitur contractus, qui ſecundum leges ciuiles cele-

Sanch.
Suar.

emnitate, et conditionibus
ur, excepto contractu dotis,
tenditur ſtatutum loci, in
ututum loci, in quo vir habet
udicys. Sanchez *de matrim.*
ea ratione rei ſitæ in loco le-
s, non quidem abſolutè. ſed
e in alieno extitit territorio,
Salas *diſp.* 14. *ſect.*4. *num.*53.
s, & conſuetudines obligant
ritur, verùm etiam in pro-
o, tunc tenetur has leges ſer-
ſus communis vnanimi fide-
ceptus. Sanchez *lib.* 1. *mo-*
is *c.num.*26. Suarez *lib.*2. *de*
nuis putet Fagundez *de prec.*
.20. ad neutras obligari, quia
i eſt ſubditus legislatori illius
uo præcepto; & qnia non
iæ; ergo &c. Vnde ſi feſtum,
tria, & in loco per quem
que Diœceſis Epiſcopi, tunc
rum obligari. Et ideo hanc
m, etiam quoad caſus reſer-
probabiliorem confirmet. Et
bſcribunt Sancius *in ſelectis*
r.1. *tract.*9 *reſol.* 18. Nec eſt
onueniens in illo caſu pere-
dum eſſe liberum; nam vagi,
n habent, nullis particulari-
æ vagantur vinciuntur, vt ſu-
3. cum aliis à ſe citatis. Nec
ligus *in prax.ieiun.deciſ.*206.
legibus, qui non eſt ſubiectus
l ſubiectus proprii domicilii
t extra territorium, vt decer-
ent. excommunicat. & in *cap.*
i. et tradunt communiter Do-
loci tenetur, quia hæ non
i ſunt de tali communitate
tem aduena non eſt incorpo-
o. Neque iuuat, inquit idem
im & vſum, quaſi communi
n, & vnanimi fidelium ſupe-
um: Nam de hac praxi, & vſu,
nſtat: imo ex iure oppoſitum
tunt leges, quod poſſit quis
lec poſſunt ſuperiores inter ſe
ubditi ligentur legibus alieni
in vtroque territorio, ſiue di-
ere iuriſdictionem extra pro-
m darent facultatem alteri ad
s extra territorium, quod ex
: non poſſunt. Vnde ex hoc
ſus, & praxis ſuperiorum
octorum ſupra citati *num.* 5.
er, vt ſpecialiter *Sanchez* ad-
*b.*5.*cap.*7. *num.* 12. Non enim
i teneantur legibus loci, in
r legibus talis loci, quando ex
i domicilio: quia cùm leges
m aliquam obligationem ex-
ieque etiam obligare poſſunt,
:, quando hæ aliàs non obli-
bſeruantia, ſeu violatio legum
trium illius loci, in quo adue-
ci leges ſeruare tenetur, quia
ibi commoretur cum damno
circa ſi Princeps ob cõmune
el frumentum à ſuo regno ex-
tantum temporis ibi commo-
legibus, Sanchez *cit. cap.* 12.
*I.num.*8.
um, ac conſtantem ſedem, ac
inc inde vagantur, & illi qui
ates, quærunt vbi ſe collocent,
*ib.*3.*diſp.*8. *num.* 15, Reginal-
dus *lib.* 13. *num.* 172. et alios tenentur ad leges, & con
ſuetudines loci, in quo etiam obiter reperiuntur; quia
alias viderentur exempti ab omnibus ſtatutis, & legibus
municipalibus, aut etiam decretis Epiſcoporum, quod
non videtur conſentaneum ipſorum ſaluti, et rectè gu-
bernationi, quocirca vagi poſſunt vbiq. & à quocumque
parocho recipere Sacramenta. *Clauis* tamen *regia*, *Leſ-
ſius*, *Layman* apud *Dianam cit.reſ.*16. docent tales vagos
nullis ſtatutis particularium locorum teneri; quia non
ſunt incolæ, aut inhabitantes. Et ſecundùm illos, hæc
ſententia ſatis probabilis eſt.

Verùm petes, an huic ſententiæ innitendo, vagi in ca-
ſus reſeruatos incidant: & in quos? Reſp. Vgolinus *de* Vgolin.
*offic.& poteſt. Epiſc.part.*2.*cap.*39.§ 3.*num.*4. in caſus Ro-
mano Pont. reſeruatos tantum incidere; non autem in
caſus ab alijs reſeruatos; nam aliorum inferiorum paro-
chiani non ſunt, ex quo domicilium in eorum diœceſibus
non habent: qua vna ratione parochianus alicui quis fit:
eſto igitur in caſum aliquem reſeruatum ab aliquo Epi-
ſcopo incidant, ipſi tamen reſeruatus non erit, cum eius
ſubditi non ſint. Et ſecundum hanc ſententiam ſolum
ad leges iuris communis. Nec ob id ſunt melioris con-
ditionis, ſed miſerabilioris, vtpote infelicis ſtatus, homi-
num, ſcilicet nullibi fixum domicilium habentium, qui
ſicut non potirentur fauorabilibus diſtributionibus loci,
ita oneribus non affici æquum erit. Vt docent Sancius Sancius.
*in ſelect.diſp.*54. *num.*34.

8. Quidam Doctores apud *Sanchez* docent, et ſatis
probabiliter peregrinos in alium locum per modum
tranſitus & hoſpitii confluentes, dum à proprio domici-
lio abſunt; teneri ſeruare leges et conſuetudines ſui do-
micilii, quamuis in eo loco, in quo reperiuntur non obli-
gent: Probabilior tamen et communior ſententia aſſerit
illos non teneri; quia ſicut agentia naturalia non agunt
vltra naturam ſuæ actiuitatis, ita Principes et Legiſlato-
res non extendunt ſuam iuriſdictionem vltra proprium
territorium, cum actiuitas iuriſdictionis cuiuſque legi-
ſlatoris in ferendis legibus; limitetur ad proprium cu-
iuſque territorium; et quamuis exiſtens in alieno terri-
torio ſemper maneat ſubditus ſuperiori proprii territo-
rii in babitu et radicabiliter, non tamen eſt actu ſubditus
legiſlatori per ordinem ad leges territorij: et hæc doctri-
na extenditur nõ ſolum ad leges municipales, et proprias
proprii territorij, verum etiam ad leges iuris communis,
quarum obſeruantia viget in proprio territorio, non ve-
ro in loco, in quo pro tempore reperitur: et ex hoc col-
ligunt Doctores multas illationes, et reſolutiones caſuũ,
pro obſeruantia ieiunii, feſtorum, et aliarum legum
etiam iure communi latarum: *Ampliari* poteſt hæc ſen-
tentia etiamſi ſuperior proprii territorii per ſtatutum in-
tendat exiſtentes extra proprium territorium obligare;
quia iuriſdictio, vt dictum eſt, non ſe extendit extra
proprium territorium. *Reſtringitur* tamen et limitatur
communiter hæc doctrina, ſcilicet, vt exiſtens in alieno
territorio non teneatur legibus ſui territorij, modo ipſe
et ſimul res, circa quam operatur, et operatio ipſa ſint
extra territorium: nam ſi perſona extra territorium
exiſtat, res vero circa quam agit, exiſtat intra territo-
rium, aſtringitur legibus et pœnis territorii, in quo res
exiſtit, nam delictum non cenſetur committi extra ter-
ritorium, ſed in territorio. Ita Sanchez *de matrim. lib.* Sanch.
3.*diſp.*18.*num.*17. 18. *& in ſumm. lib.* 1.*cap.*12. *num.*26. Suar.
Suarez *lib.*3.*cap.*32. *num.*3. Graffis *lib.*4 *deciſ.*1.8. *num.* Graffijs.
39. Reginaldus *lib.* 13.*num.* 170 Clauis regia *lib.*7.*cap.*3. Regin.
num. 11. Azorius 1.*par.lib.*7. *cap.*30. *quæſt.* 4 Bonacina Clau. regia.
*de legib.diſp.*1.*q.*1.*punct.*6.*num.*59. *& ſeq.* Diana *de legib.* Azor.
reſol. 14. *par.*1. *& tract.*5. *miſcel.reſ.* 74 *par.*3. Caſpenſis Bonac.
*tract.de legib.diſp.*4.*ſect.*5.*num.*40. Sancius *in ſelect. diſp.* Diana.
54.*num.*27. Paſqualigus *in prax.ieiun. Eccleſ. deciſ.* 211. Caſpenſ.
et alii hic citati. Sancius. Paſqual.

Sed dubium eſt, an liceat ob fugiendam obligationem
legis, tranſire ad locum, vbi lex non obligat? Negatiua
ſententia eſt Rodriquez *tom.* 1. *ſum. cap.* 122. Syluester Rodriq.
*v. Ieiun.q.*2. *in fin.* Layman *lib.*1. *tract.* 4 *cap.*11. *num.*9. Syluest.
Clauis regia *lib.*7.*cap.*7.*num.* 12. *in fin.* et aliorum. Fun- Laym.
damentum ipſorum eſt, quia quando fit ex intentione Clau regia.
non ſeruandi legem, fit fraus legi; fraus autem nemini
pa-

patrocinatur, *cap. Sedes. & cap. Ex tenore, de reſcriptis*. Deinde quia leges Eccleſiaſticæ, cùm promulgantur ob ſubditorum ſpiritualem vtilitatem, habent annexam conditionem quòd non liceat ſubterfugere obligationem ſine iuſta cauſa. Hæc ſententia eſt probabilis. Oppoſita tamen ſententia eſt tenenda. Ratio eſt, quia lex, ſeu præceptum non obligat extra locum, eo quòd iuriſdictio non ſe extendit extra territorium, vt vidimus; Et inſuper lex non obligat, niſi ad id, quod per ipſam præcipitur: vnde ſi præcipit ieiunium, non obligat niſi ad ieiunium intra locum; non obligat autem, quòd quis non exeat à loco. Quare quãdo quis exit à loco in die ieiunii, vtitur iure ſuo, quod habet, vt poſſit exire, & ſe ſubtrahere obligationi. Qui autem vtitur iure ſuo, non facit fraudem legi, etiamſi ſe ſubtrahat ab obligatione ipſius: quia *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur*. Reg. *Nullus, ff. de regulis iuris*. Vnde quando non interuenit malus animus, ſed intentio proprij commodi, non interuenit dolus, ſeu fraus, nã agitur de commodo: quod prouenit ex fuga obligationis præcepti. Gratis dicitur abſq. vllo fundamento, quòd leges Eccleſiaſticæ habeant annexam illam conditionem, quòd non liceat effugere obligationem abſque iuſta cauſa: nam non promulgantur cum tali conditione, neque talis conditio eſt ipſis annexa ex natura ſua; quia lex non obligat vltra id, quod præcipit; non præcipit autem, quòd non liceat effugere obligationem, ergo. Hanc ſententiam ſuſtinent Pontius *de matrimon. lib. 5. cap. 9. num. 4.* Sanchez *lib. 1. mor. cap. 12. num. 35.* Bonacina *de legib. tom. 2. diſp. 1 q. 1. punct. 6. num. 64.* Sancius *in ſelect. diſp. 54. n. 20.* Diana *par. 1. tract. 9. reſ. 19.* Hurtado *de Sacram. diſp. 5. de matr. diffic. 5. in fine*, & alii.

Pontius. Sanch. Bonac. Sancius. Diana. Hurtado

Vide tom. 1. verb. *Clericus* n. 5. 6. 7. & ſeq. *Communio Sacra* num. 17. *Confeſſio* 1. num. 4. et hoc tomo verb. *Ieiunium* 2. n. 11.

LEX IV.

De obligatione legis humanæ, & de lege pœnali.

SVMMARIVM.

1 *An lex humana tam ciuilis, quàm Eccleſiaſtica poſſit obligare in conſcientia?*

2 *Quomodo dignoſci poſſit, an lex humana obliget ad peccatum mortale, an ad veniale? & de regula prima quæ fundatur in intentione legiſlatoris?*

3 *De ſecunda regula, quæ deſumitur ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur: & quæ ſint illa verba præceptiua?*

4 *De quibuſdam alijs verbis præceptiuis, an contineant præceptum obligans ad mortale?* referuntur variæ ſententię.

5 *De tertia regula, quæ eſt grauitas materiæ, quæ præcipitur. Et vnde dignoſci poterit an materia eſt grauis, & quando leuis?*

6 *De quarta regula, quæ eſt, communis ſenſus Eccleſiæ, prudentum exiſtimatio, talem legem obligare ad mortale; quia conſuetudo eſt optima legum interpres.*

7 *De quinta regula, quando ſcilicet grauis pœna corporalis, aut temporalis alicuius legi iuſta apponitur, tunc lex illa obligat ſub mortali. An autem lex pœnalis pœnam continens obliget ſub mortali?* refertur duplex ſententia.

8 *An lex Eccleſiaſtica præcipiens, aut prohibens aliquid ſub graui aliqua cenſura, vel pœna Eccleſiaſtica, obliget ſub mortali?*

9 *An lex humana pœnalis obliget ad culpam?* refertur duplex ſententia.

10 *An leges, quæ non ſunt propriè pœnales, & præceptiuæ, ſed potius conuentionales, & conditionales obligent in conſcientia? Et an leges humanæ obligent cum periculo vitæ.*

11 *An præciſo ſcandalo, & perturbatione reipub. lex iniuſta obliget in conſcientia? & quot modis poſſit dici iniuſta, & an lex fundata in præſumptione facti obliget, ſi veritas ſit in contrarium?*

12 *An omnia quæ habẽtur in iure Canonico habeant vim legis? An declarationes Cardinalium ſint obligatoriæ?* Refertur duplex ſententia.

13 *An deciſiones Rotæ etiam Romanæ habeant vim legis?*

1 EX multis Scripturæ locis conſtat legem humanam, tam ciuilem, quam Eccleſiaſticam obligare poſſe in conſcientia, ita vt ipſius tranſgreſſio ad grauem culpam imputetur: certum eſt etiam ſecundùm communem & certam Doctorum ſententiam, non omnes leges humanas obligare in conſcientia, præſertim ſub mortali; quia quando legiſlator exprimit ſe nolle in conſcientia obligare, niſi ad pœnam, nam lex non obligat vltra mentem legiſlatoris à qua dependet. Ita Sanchez *lib. 3. mor. cap. 9. num. 34.* Suarez *lib. 4. cap. 17.* Clauis regia *lib. 3. cap. 7. num. 1.* Valentia 1. 2. *diſp. 7. q. 5. par. 6.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp. 3. ſect. 1.* et alii.

Sanchez. Suarez. Clauis regia. Valent. Caſpenſ.

2. *Regulæ*, quibus cognoſci poſſit, quando lex humana obliget ad peccatum mortale, quando vero ad veniale, hæ communiter à Doctoribus aſſignantur. *Prima* fundatur in intentione legiſlatoris: colligitur autem ipſius intentio tum ex grauitate materiæ, tum ex aliis coniecturis: quando autem lex abſolutè fertur, neque vllo modo verbo, aut ſigno declarat ſe non habere intentionem obligandi in conſcientia, tunc pro ratione materiæ magis, vel minus grauis iudicandum erit, legem ex parte legiſlatoris obligare in conſcientia ad culpam venialem, & mortalem: & quamuis in dubio lex interpretanda ſit potiùs quod obliget ad veniale, quàm ad mortale, quia tamen in dubiis pars tutior eligenda eſt, & peccatum fugiendum eſt, quoad nos in dubio ſeruare debemus legẽ, ac ſi ad mortale obligaret; at vero quoad iudicandum de alijs, qui in tali dubio legem tranſgreſſi ſunt, conuenit nonnunquam habita ratione rei, & perſonæ, interpretari de veniali, et ſi conſilium eis dandum ſit, ne exponant ſe periculo peccandi agendo contra legem. Suarez *cap. 18. lib. 4.* Reginaldus *lib. 15. num. 46.* Medina 1. 2. *q. 96. art. 4. d. 1.* Valentia *tom. 2. diſp. 7. q. 5. par. 6.* Clauis regia *cit. cap. 7. num. 29.* Nauarra *cap. 23. num. 37.* Syluius 1. 2. *q. 96. art. 4. quæſit. 5.* Becanus 1. 2. *tract. 3. cap. 6. q. 3. num. 5.* Caſpenſis *cit. ſect. 2. num. 11.*

Suar. Regia. Medin. Valent. Clauregia. Nauar. Syiu. Becan. Caſpenſ.

3. *Secunda regula* deſumitur ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur; modo aliud non conſtet de mente legiſlatoris, aut niſi materiæ leuitas non excuſet; quia per ſe, & ex natura ſua verba præceptiua non important obligationem ſub mortali, vt patet in legibus diuinis, in quibus verba præceptiua talem obligationem non arguunt, iuxta propriam vim & ſignificationem: vnde colligẽdum eſt legem præſertim Eccleſiaſticam ſub mortali obligare in materia graui, ſi ſub iſtis verbis feratur; *Iubemus, obligamus, præcipimus, præcipiendo mandamus, prohibemus, vetamus, interdicimus, debeant, teneantur, obligentur, non poteſt, neceſſe eſt, non liceat, &c.* niſi ex materiæ leuitate, vel aliunde contrarium conſtet. Nauarra *cit. num. 50.* Bonacina *cit. punct. 7. §. 4. num. 4.* Suarez *lib. 3. cap. 26. num. 6.* Syluester *verb. Præceptum q. 2.* Vaſquez *diſp. 158. cap. 3.* Becanus *c. num. 7.* Caſpenſis *cit. ſect. 2. num. 12.*

Nauar. Bonac. Suar. Syluest. Caſpenſ.

4. *Item* eſt obligatio ſub mortali, quando in lege adhibetur, verbum *iniungimus, mandamus*, vel præcipio vi voti, vel iuramenti, vel ſub pœna præſtiti iuramenti; aut præcipio in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſtrictè præcipio, aut arctè iubeo, aut mando ſub interminatione aut obteſtatione mortis æternæ, vel diuini iudicii, aut ſub indignatione Dei, aut Sanctorum Petri & Pauli, aut ſub maledictione æterna, ſeu diuina. Salas *diſ. 10. ſect. 9. n. 52.* Nauarra *cap. 23. n. 53.* Sà *v. Lex n. 3.* Vaſquez *diſp. 158. cap. 3.* et alii. *Quando* lex fertur adhibito verbo, *Oportet*, vel per verba communia modi imperatiui, vt ſi dicatur, caueant, audiant, faciant, dicant, facite, abſtinete, ſecundùm Nauarram *cap. 23. n. 53.* Armillam *v. Lex n. 4.* obligant ſub mortali in materia graui, Clauis regia *lib. 3. cap.*

Salas. Nauar. Sà. Vaſquez. Nauar. Armilla. Clau regia

Sà.

cap.7.n.26. Sà *v. Lex num.5.* negant, niſi aliud conſtet de mente legiſlatoris. Exemplum particulare eſt in regula Patris noſtri Franciſci, cùm prohibet Minoritis in itinere equitare, hoc enim prohibet verbis ſatis communibus, neque rigoroſis, videlicet, *& non debeant equitare, &c.* Vbi vides per verbum *non debeant* induci peccatum mortale iuxta declarationem Pontificum: quia videlicet aliàs materia prohibita eſt grauis reſpectu talis ſtatus pauperis, et humilis. Proinde prudentia viri timorati conſiderans verba legis, ſeu ſtatuti ſimul cum materia præcepta; vel ſola verba per ſe, vel ſolam materiam, iudicabit an obligent ad mortale, vel veniale.

Azor. Syluest.

Idem dicendum, ſi ſub iſta loquendi formula lex feratur, Sancimus, intendimus; volumus, innouamus, ſtatuimus, decernimus, ſtabilimus, ordinamus, quidam enim volunt talem legem obligare ſub mortali, Azor. *lib.5.cap.6.q.5.* Syluester *v. Præcept. q.2.* alij vero exiſtimant legem ſub huiuſmodi verbis conditam non continere grauem obligationem, niſi aliunde ex grauitate materiæ, aut ex detrimento boni communis, quod ex non obſeruatione ſequeretur, contrarium dicendum ſit. Vide Dianam *tr. 6. miſc. reſ. 74. par.4.* Clauem regiam *cit. num.* 28. Reginaldum *lib.15. num.*48. et alios.

Dian. Clau. regia. Regin.

5. *Tertia regula* eſt grauitas materiæ, quæ præcipitur: quia ex grauitate materiæ licet colligere grauem legis obligationem, ſicut etiam ex leuitate materiæ colligendũ eſt legem non obligare ſub mortali, & legiſlatorem non poſſe legem ferre obligantem ſub mortali in re quæ leuis eſt in ſe, & per ordinem ad finem, ſeu ſecundùm circumſtantias illi coniunctas: quia recta ratio dictat ad grauem & mortalem culpam, grauem materiam requiri, et leuis materia videtur incapax tantæ obligationis, imò Deus in materia leui non obligat ſub mortali, vt patet in furto leuis, et modicæ quantitatis. Si tamen poneretur præceptum ſub mortali in materia leui, quamuis non obliget nec obligare poſſit ſub mortali, obligaret ſaltem ſub veniali; quia actus qui non valet vt agitur, valet ſaltem eo meliori modo quo valere poteſt. Suarez *de legib. lib.3.cap.25. num.2.4.& ſeq.* Sanchez *lib. 1. mor. cap. 4. num.4.* Vaſquez *1.2. diſp.158. cap.4.& 6.* Salas *de legib. diſp. 10. ſect. 9. num.46. & ſect. 10. num.72.* Bonacina *de legib. punct. 7. §.4. num.13.& ſeq.* Reginald. *lib. 15. num. 43.* et alii.

Suar. Sanchez Vaſq. Salas. Bonac. Regin.

An vero ſuperior circa materiam grauem obligare poſſit ſub veniali? Negant Vaſq. *cit. cap.3.& 4.* Becanus *tom.2. tr.3. cap.6. q.3.* Salon *2.2. q.77. art. 1. contr. 8.* et alii: quia voluntas ſuperioris ſolùm requiritur ad imponendã obligationem, ſed poſtea qualis obligatio ſit, ex grauitate, vel leuitate rei, quæ præcipitur, ſumenda eſt. Contraria tamen ſententia tenenda eſt, quia obligatio legis ex voluntate legiſlatoris dependet, & vltra illius mentem nequit extendi. Ita Suarez *cit. cap.27. num.7.* Leſſius *lib. 2. cap.41. diſp.9. n.74.* Sanchez *lib.6. mor. cap.4. n.25.* Diana *tract.6. miſc. reſ.91. part.3.*

Vaſq. Becan. Salon. Suar. Leſſius. Sanch. Dian.

Vt autem poſſit cognoſci an materia ſit grauis, vel leuis, certa regula non poteſt præſcribi, ſed prudentis arbitrio relinquendum eſt: vir autem prudens in hac re iudicanda. *Primò* ſpectare debet finem quo legiſlator adductus eſt ad legem condendam; vnde ſi res præcepta valde conducat ad finem à legiſlatore intentum, ſeu valde non repugnet fini à legiſlatore intento, cẽſebitur materia grauis, ſecus ſi non multum conducat, aut fini grauiter non repugnet; vnde fit vt quæ cenſetur materia grauis reſpectu vnius præcepti, poſſit eſſe leuis reſpectu alterius. *Secundò* vir prudens debet ſpectare circumſtantias, quibus ductus eſt legiſlator ad ferendas leges, qualis eſt ratio vitandi ſcandali, aut damni communis, aut periculi violandi vota, nam materia quæ in ſe leuis eſt, & incapax obligationis ſub mortali, fieri poteſt capax tantæ obligationis reſpectu circumſtantiarum. Vnde nonnulli maximè decipiuntur exiſtimantes non obligare præceptum Prælati ſub mortali de ſeruando ſilentio, hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiendo, quod ex ſe non magni momenti appareat, quippe fieri poteſt, vt circumſtantia aliqua ei materiæ grauitatem addat: Crouſers *ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 14. fol.616.* Syluius *1.2. q.96. art.4. quæſit. 4.* Caramuel *in reg. S. Bened. n.43. & ſeq.* Caſpenſis *cit. ſect.* 2. *num.* 14. Hinc in iure humano difficile eſt ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali, cùm res, quæ leuis videtur, ac eſt talis in ſe conſiderata, ſit magni momenti; attentis circumſtantiis, quas ſuperior ſpectat, ac ſubditi ignorant. Ita Valentia *1.2. diſp.7. q.5. punct.6.* Caietanus *in ſumm. verb. Præceptum.* Diana *part. 3. tract. 5. reſol.* 47.

Crouſers. Sylu. Caram. Caſpenſ. Valent. Caiet. Dian.

6. *Quarta regula* eſt, quando lex aliqua ſub quibuſcũque verbis communi conſuetudine præſertim Eccleſiæ, aut prudentũ exiſtimatione intelligitur obligare ad mortale, verè obligat ad mortale, quia communis conſenſus Eccleſiæ, ſeu conſuetudo eſt optima legum interpres, maximè cùm ipſa per ſe vim legis habeat: vnde legiſlatores ipſi humani tacitè, et implicitè non intendunt obligare communitatem, niſi ipſa, vel maior illius pars legem illam tamquam obligatoriam acceptauerit: ſi ergo lex non recipiatur tamquam ad grauem culpam obligans, non eſt aſſerendum legem obligare ſub mortali, niſi legiſlator voluerit obligare ſub mortali independenter ab acceptatione. Nauarrus *cap. 23 num. 57.* Valentia *1. 2. diſp. 7. quæſt.8. part.6. dub. 3.* Toletus *de ſeptem peccatis mortal. cap.19.* Clauis regia *lib.3. cap.7. num.23.* & alij.

Nauar. Valent. Toler. Clau. regia.

7. *Quinta regula*, quando grauis pœna corporalis, aut temporalis alicui legi iuſtæ apponitur, quæ ex ſua natura præſupponit culpam mortalem, tunc lex illa, ſeu mandatum obligat ſub mortali. Suarez *lib.3. cap. 26. num.4.* Vaſquez *diſp. 159. cap. 3. n. 22.* Clauis regia *cap.6. num. 25.* Bonacina *cit. num.27.* Valentia *cit. dub 3.* & alii: quia lex iniqua eſſet, quæ pro re leui, tam graui pœna illius tranſgreſſorem puniret: hinc lex ciuilis lata ſub pęna capitis, ſeu mortis, mutilationis, ſeruitutis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiſcationis bonorum, aut amiſſionis multorum bonorum, vt centum, aut etiam quinquaginta aureorum, aut ſub pęna infamiæ, aut priuationis officii publici, aut ſub pœna exilii, obligat ſub mortali, hæc enim grauis pœna videtur. Nauarrus tamen *cap.23. num.57. & 58.* et Reginaldus *lib.15. num.50.* cum nonnullis alijs arbitrantur legem pœnalem continentem pœnam, etiam omiſſionis omnium bonorum, aut famæ, aut vitæ non inducere obligationem ſub mortali in lege humana; inducere verò obligationem ſub mortali ex lege naturali, quatenus ius naturæ dictat vitam propriam tueri, nec quiſquam poteſt vitam propriam prodigere: & hoc eſt ſatis probabile.

Suar. Vaſq. Clau. regia. Bonac. Valent. Nauar. Regin.

Eſt notandum tamen, etiam ſecundùm communem ſententiam, legem continentem grauem pœnam non obligare ſub mortali; quoties pęna in re leui imponitur tantummodo ad terrorem, quia ſuperior non intendit nec poteſt obligare, ſed tantummodo terrorem incutere, nec intendit talem pœnam exequi. Salas *diſp.10. ſect. 9. num.67.* Suarez *cit.*

Salas. Suarez.

8. *Lex Eccleſiaſtica* aliquid præcipiens, aut prohibens ſub graui aliqua cenſura, vel pœna Eccleſiaſtica, qualis eſt excommunicatio maior, aut grauis ſuſpenſio, irregularitas ex delicto, realis, aut verbalis depoſitio obligat ſub mortali, et hoc valet non ſolùm in cenſura ipſo iure lata, verum etiam in ferenda, vt docet communior ſententia. Nauarrus *cap. 23. num. 53.* Suarez *lib. 4. cap. 18.* Becanus *tractat. 6. cap. 6. quæſt. 3. num. 10.*

Nauar. Suar. Becan.

9. *Controuerſia* eſt grauis, & difficilis inter Doctores, an lex humana pœnam conſtituens conſcientiam ita adſtringat & teneat, vt eius violatio ſit peccatum: Doctores in tres ſententias abierunt. *Prima* in vniuerſum docet nullam legem ciuilem pęnam irrogantem, ita conſcientiam tenere, vt eius violatio culpæ tribuatur, quamuis pęna ſit grauis, & magna, vt amiſſionis bonorum, capitis, &c. modò aliundè non conſtet legiſlatorem velle ſub mortali culpa obligare, aut modo non adſit ſcandalum, vel contemptus, quia legiſlator apponens pęnam temporalem cenſetur excludere, nam qui vnum exprimit & aliud tacet, cenſetur excludere, quod tacet, *cap. nonnè de præſumptionibus*, huius ſententiæ ſunt Reginaldus *lib. 15. num. 50.* Nauarrus *in Man. cap. 23. num. 55. & in cap. Fraternitas 12. q.2. num. 23.* Imola *in cap. cum contingat de iureiuran.* Felinus *in c.1. de ſponſal.*

Regin. Nauar. Imola. Felin.

Valent. Miranda Caram.

Valentia *diſp.7. q.8. p.6.* Miranda *tom.2. q.25. art.18. concluſ.2.* Caramuel *in reg. S. Benedicti n.30.* et alii, quorum ſententiam probabilem exiſtimat *Valentia*. *Secunda opinio* diſtinguit. Aut lex pœnalis ſiuè ſit Eccleſiaſtica, ſiuè ciuilis, eſt abſolutè & ſimpliciter pœnalis, aut mixta; ſi mixta ſit, quæ ſcilicet primò aliquid fieri iubet, aut prohibet, et deinde pœnam non obtemperantibus conſtituit, ita conſcientiam tenet, vt qui contra facit, culpam contrahat, ſi verò ſit ſimpliciter pœnalis, quæ ſcilicet nihil præcipit aut vetat, ſed ſolùm pœnam irrogat eis, qui certum aliquid fecerint, violator talis legis nullam culpam incurrit, pœnam tamen à lege irrogatam meretur: ſic ſenſerunt Henricus *quodlib.3. q.22.* Angelus *verb. Inobedientia q. 1.* Alphonſus Caſtro *lib. 2. de lege pœnali cap.9.* Becanus, Malderus, Vaſquez apud Dianam *cit. reſ.20.* et alii. *Tertia opinio* in vniuerſum ait, omnem legem humanam pœnalem, ſiuè Eccleſiaſticam, ſiuè ciuilem, obligare ſub mortali, aut veniali, iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem, niſi aliunde conſtet de contraria legiſlatoris mente; quia lex quæ continet præceptum obligat in conſcientia, ſed lex pœnalis continet præceptum, ergo lex pœnalis obligat in conſcientia. Ita D. Thomas 1.2. *q.96. art.4.* Suarez *lib 3. cap.26. & lib.5. cap.3.* Toletus *de ſeptem peccatis cap.20.* Clauis regia *lib.3. cap.9. num.5. & ſeq.* Azorius *lib. 5. cap. 6. q.3. & 4.* Diana *tract. de legib. reſ.17.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp. 3. ſect.4. n.43.* & alii. Hæc tertia opinio eſt probabilior & communior. De hac materia fusè tractat Clauis regia *lib.3. cap.9.* Azorius citatus: primam ſententiam, tamquam vulgi ſententiam referunt Sotus *lib.1. q.6. art.5.* et Caſtro *lib.1. cap.8.* quia hic videtur vſus & communis interpretatio, maximè quoad leges ſæculares, de quarũ tranſgreſſione non conſueuit fieri ſcrupulus conſcientiæ, vel apud doctos, vel apud indoctos, niſi cum per eas etiam lex diuina naturalis, aut reuelata, aut canonica infringeretur.

Henric. Angel. Alphõſ. Caſtro. Diana.

D. Tho. Suar. Toler. Clau. regia. Azor. Diana. Caſpenſ.

10. *Leges* quæ non ſunt propriè pœnales & præceptiuæ, ſed potiùs conuentionales, et conditionales, aut modales, quibus legiſlator aliquid permittit ea conditione et modo, vt qui tale opus facere voluerit, vel in tali opere inuentus fuerit, tantum pecuniæ ſoluat, vel inſtrumenta, aut merces amittat, in conſcientia non obligant; quia legiſlator non intendit tales actus prohibere, ſed potiùs illos permittit adiecto grauamine & onere, vt illos exercens tantam pecuniæ ſummam ſoluat. Clauis regia *lib. 3. cap.9. n.11.* Salas *diſp.15. num.18.* Sotus *lib.1. q.6. art.5.* Bonacina *cit. punct.7. §.2. num.5.* et alii.

Clau. regia. Salas. Sotus. Bonac.

An autem leges humanæ obligent cum periculo vitæ? Certum eſt illas poſſe aliquando obligare. Ita Sotus *de iuſtit. lib.1. q.6. art.4.* Suarez *de legib. lib.3. cap.30. num.4.* Caſpenſis *cit. ſect.8. n.86.* Becanus 1.2. *tract.3. cap.6. q.4.* Vaſquez 1.2. *diſp.161. c. 2.* Layman *lib.1. tr.4. cap.14. n.6.* Bonac *tom.2. diſp.2. q.8. punct.2. n.6.* Diana *par.5. tract.3. reſ.39.* et alii; quia in Repub. debet eſſe ſufficiens poteſtas ad conſeruandum bonum commune: ſed aliquando bonũ commune poſtulat, vt aliquis exponat ſe periculo vitæ: ad diſcernendum vero an lex humana obliget cum periculo vitæ; hæc regula ſit. Quãdo obſeruatio legis humanæ plus confert communi bono reipub. aut communitatis, aut Religionis, quàm conſeruatio propriæ vitæ, tunc lex obligat cum periculo vitæ: Eodem modo quando violatio legis humanæ plus nocet bono communi, quàm amiſſio propriæ vitæ, tunc etiam obligat cum periculo vitæ: vnde ſequitur non paſſim, ſed raro fieri vt lex humana obliget cum periculo vitæ: quia raro fit vt obſeruatio legis plus proſit communi bono, quàm conſeruatio vitæ.

Sotus. Caſpenſ. Becan. Vaſq. Layman Bonac. Dian.

Ex his collige legem humanam obligare cum periculo vitæ. *Primò*, interueniente fidei, aut Chriſtianæ Religionis iniuria: vt ſi in odium, contemptumve Religionis, vel Eccleſiæ præciperet Tyrannus infringere præceptum: in quo caſu quælibet lex etiam leuiſſima, obligat cum mortis periculo. *Secundò*, interueniente ſcandalo: exẽplo *Eleazari*, qui mortem potiùs elegit, quàm ſimulare ſe carnes comediſſe lege prohibitas, ne adoleſcentes ſcãdalizarentur. *Tertiò*, Epiſcopus poteſt præcipere Parocho ſibi ſubdito, vt aſſiſtat in oppido ad adminiſtrandum Sacramenta, tempore peſtis, etiam cum probabili periculo mortis ipſius Parochi. Similiter tenetur miles non deſerere locum ſibi determinatum à Duce; quia bonum commune victoriæ, aut ſalus Reipub. maius bonum eſt, quam propria vita. Sed plura de his vide infra verb. *Prælatus num.13.*

Hic agendum eſſet de pœnis, quæ tranſgreſſoribus legum pœnalium imponuntur, an delinquentes teneantur eas perſoluere ante omnem iudicis ſententiam, ſed de his verb. *Pena.*

11. *Lex iniuſta* non obligat in conſcientia, nec peccat qui legem iniuſtam non obſeruat, præciſo ſcandalo, & perturbatione reipub. nam ratione vitandi ſcandali, aut perturbationis, et damni communis certum eſt homines teneri ad obſeruantiam legum, quoties eas ſine culpa ſeruare poſſunt: eſt tamen hic *Notandum* legem multis modis poſſe dici iniuſtam. *Primò* quando repugnat legi diuinæ, & tunc certum eſt legem humanam non obligare, quia vitium præcipi non poteſt, cùm ſit materia inepta præcepti affirmatiui. Suarez *de legibus lib. 1. cap. 9.* Molina *de iuriſdict. tract.5. q.73. num.1.* Clauis regia *lib. 3. cap.7. num.2.*

Suar. Molina. Clau. regia.

Secundò, quando aduerſatur bono communi; tamen iudicandum eſt legem reſpicere bonum commune, quoties non clarè conſtat oppoſitum, nam poſſeſſio ſtat pro lege, & in foro externo præſumitur in fauorem ſuperiorum facultatem habentium ad condendas leges. D. Thomas 1.2. *q.96. art.4.* Sylueſter *verb. Lex q. 5.* Tabiena *q. 24.* Angelus *num.4.*

D. Tho. Syluest. Tabien. Angelus.

Tertiò, dicitur lex iniuſta, quando tranſcendit, & excedit facultatem, & poteſtatem legiſlatoris, vt ſi præcipiatur actus merè internus. Clauis regia *cit. n. 3* Sylueſter *cit. q.5. & 9.* Caſtro *lib. 1. cap.5.*

Clau. regia. Syluest. Caſtro.

Quartò, quando ſubditis imponitur onus improportionatum cauſæ, vel quando ſubditis onus inæqualiter imponitur, non ſeruata debita proportione, vt ſi pauper ſine rationabili cauſa æquali, aut maiori onere ſoluendi grauetur, quam diues. Sotus *lib. 1. quæſt.6. art.4.* Suarez *lib. 1. cap.9. num.16.* Clauis regia *cit.* Sylu. Caſtr. Tabien. *cit.* & alii.

Sotus. Suar. Clau. regia.

Quintò, dicitur lex iniuſta materialiter, quando fundatur in falſa præſumptione contra rei veritatem notam illi, contra quem fertur lex; idem dicendum de ſententia; vnde qui in iudicio falſa præſumptione per ſententiam conuincitur debitor alterius, & cogitur ſoluere, non tenetur ſoluere; imo facta ſolutione, poteſt vti occulta compenſatione, ſeruatis regulis compenſationis, ex quo qui obtinuit iniuſtam ſententiam, tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, quidquid inde fuerit conſecutus. Nauarrus *cap. 23. num. 62.* Sà *verbo Lex, num.1.* Azorius *lib.5. cap.6. quæſt.4.* Clauis regia *cap. 7. num. 8.*

Nauar. Sà. Azor. Clau. regia.

Aduertendum eſt, duplicem eſſe præſumptionem, *vnam periculi*, ſeu potentiæ, quæ vt plurimùm ad actum reuocatur: *Alteram facti*: Quando lex fundatur ſolum in præſumptione periculi, ſeu potentiæ, obligatio legis non ideo ceſſat, quod factum in particulari ceſſet, vt in profeſſione ante legitimam ætatem, quæ irritatur à iure, non quia in caſu particulari deſit ſufficiens iudicium, ſed propter periculum defectus iudicii; quando autem lex fundatur in præſumptione facti, ſeu quando dicitur definitiua facti, obligatio legis ceſſat, ſi veritas facti ſit in contrarium, vnde hæres qui non fecit inuentarium, non tenetur in foro conſcientiæ ad ſoluendum creditoribus teſtatoris, vltra vires hæreditatis; quia lex cogens hæredem ad ſoluendum creditoribus vltra vires hæreditatis, non confecto inuentario, fundatur in præſumptione, præſumens hæredem bona defuncti ſurripuiſſe, lex autem quæ fundatur in præſumptione non obligat, ſi veritas ſit in oppoſitum. Sanchez *lib. 14. mor. cap.15. num.37.* Salas *de legib. diſput. 10. ſect. 4. num.19.* Suarez *lib.3. cap.23. num.9.* Bonacina *cit. q.1. punct.7 §.3. num.8.* Sylueſter *verb. Lex q.9.* Syluius 1.2. *quæſt.96. art.4.* Diana *par.1. tract. de legib. reſ.27. & par.3. tract.5. miſcel. reſ. 56.* & alii.

Sanch. Salas. Suar. Bonac. Syluest. Sylu. Dian.

12. Quæri hic etiam poſſet, an omnia quæ habentur in iure Canonico obligent & habeant vim legis? Reſponſio eſt negatiua apud Dianam *parte 3. tract. 6. miſc.*

miſc.reſ. 26. quia cùm in corpore iuris habeantur plura deſumpta ex Concilijs Prouincialibus, & alia ex Sanctis Patribus, ideo non omnia quæ in eo continentur obligant omnes, aut habent vim legis: nam ſolus Pontifex & Concilium Generale ab eo approbatum, habent vim obligandi vniuerſam Eccleſiam. Vide Rodriquez *tom.* 1.*qq.regul.quæſt.*6. *art.*2. & Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6.

Rodriq. Suar.

Similiter, An declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium habeant vim legis? Duodecim Doctores affirmant apud *Dianam* citati, non eſſe declarationes doctrinales ſicut latas à Doctoribus, & Iuriſperitis, ſed eſſe definitiuas, ſeu deciſiuas vim legis habentes, et vt leges recipiendas, vtpote latas ex commiſſione Papæ, & à perſonis habentibus interpretandi, et reſpondendi facultatem à Principe.

Nihilominus contrariam ſententiam, & meritò docent præſtantiſſimi Theologi. Ratio illorum eſt, quia vt lex obliget, neceſſe eſt vt promulgetur, ſed dictæ declarationes non promulgantur, ergo non obligant: licet maximi ſint ponderis, & ab ijs recedendum non ſit, ſine firmiſſimo fundamento. Ita Bonacina *de legib. diſp.* 1.*q.* 1.*punct.*8.*num.*4. Portel *in dub.reg.verb,Cardin.declaratio.* Sanchez *de matrim.lib.*8.*diſp.*2.*num.*10. Diana *part.* 1.*tract.de legib.reſ.*29. et multi alii.

Bonac. Portel. Sanch. Dian.

Proinde *Vrbanus VIII.* apud Barboſam *in collect. Bullar.verb.Congreg.* 6. ſub die 11. Augusti anni 1632. decreuit, vt nulla fides illis tamquam declarationibus Cardinalium adhibeatur, niſi ſint in Authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint, alias minimè. Verba autem Decreti ſunt hæc: *Cùm ad notitiam huius Sacræ Congregationis peruenerit, quamplures declarationes, decreta, ſeu deciſiones ſub nomine eiuſdem Sacræ Congregationes abſque illius authoritate impreſſas in libris, ſeu alijs operibus circumferri, & allegari, multaſque ex declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus iuxta contingentiam caſuum, illarumque qualitates, & circumſtantias, à ſe diuerſis temporibus factas, ſecundùm ea, quæ proponebantur fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan aliàs inuentas S. Congregationis nomine confectas, nulloque propterea authentico ſigillo munitas, illaſque per Tribunalia tam in vrbe, quàm per orbem circumferri, & allegari; conſiderans, eadem Sacra Congregatio Rituum quantum detrimenti recipi poſſe ſi aliqua fides illis adhibeatur, ex ſpeciali S.D.N.Vrbani VIII. iuſſu mandat, & præcipit huiuſmodi declarationibus, decretis, ſeu deciſionibus, tam impreſſis, quàm imprimendis, ac etiam manuſcriptis nullam fidem in iudicio, vel extra eſſe adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſ. Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munita fuerint. In quorum fidem hac propria manu ſubſcripſimus, & ſigilli proprij S. Rituum Congregationis impreſſione communiri, ac typis mandari iuſſimus. Datum Romæ die 15. Auguſti 1636. C. Epiſc.Port.Card.Pius. Locus † ſigilli. Iul. Roſpiglioſius Secret.*

De his declarationibus plura apud Lezanam *tom.* 3. *ſum. verb. Sacra Congregatio.*

13. Item deciſiones etiam Rotę Romanæ non habent vim legis. Ratio eſt, tum quia Auditores Rotæ non habent authoritatem condendi leges; vnde neque quod per ſuas deciſiones ſtatuunt, poteſt habere vim legis; tum quia innituntur tantùm rationibus probabilibus, & non euidentibus, et non continent aliquid neceſſarium, ſed tantum probabile: quamuis habeant maximam authoritatem, & proinde non ſit ab ipſis diſcedendum, niſi in contrarium obſtet vrgentiſſima ratio, aut ob rationes magis prægnantes, aut niſi ſaltem adſit probabilior ratio. Vide Suarez *de legib. lib.*7.*cap.*11.*circa finem.* Salas *de legib.diſp.*19.*ſect.*19. *num.* 109. Sanchez *de matrimon. lib.*8. *diſp.*2. *num.*10.

Suar. Salas. Sanch.

Vide tom. 1. verb. *Conſuetudo* n.7. *Dubium* n.2.& 3.

L E X V.

De cauſis, quibus ceſſat legis obligatio.

SVMMARIVM.

1 *De multis cauſis, quibus legis obligatio ceſſat, & id ſummariè, & remiſſiuè.*
2 *An lex antea recepta vim obligandi amittat per legem poſteriorem contrariam, ſeu per reuocationem, ſeu per reſtrictionem præcedentis legis?*
3 *An legis obligatio ceſſet ceſſante cauſa motiua, ſeu finali legis reſpectu totius communitatis, & quid iuris ſi cauſa ceſſet tantummodo reſpectu particularis perſonæ?*
4 *In dubio an cauſa ceſſauerit in totum, ſeu reſpectu totius communitatis, quid præſumendum ſit?*
5 *An lex poſſit abrogari per non vſum, ſeu deſuetudinem?*

1 Recenſeri poſſunt *multæ cauſæ*, quibus obligatio legis ceſſat, vt vis abſoluta, impoſſibilitas, inaduertentia, & ignorantia, metus, ſeu periculum grauis incommodi. Lex contraria, diſpenſatio, ceſſatio cauſæ finalis, & motiuæ, Epicheia, quatenus per epicheiam aliqui caſus cenſetur excepti. Conſuetudo contraria: de aliquibus his cauſis iã egimus ſuis titulis & locis, & agemus de quibuſdam v. *Peccatum*, modò autem de lege contraria, et ceſſatione cauſæ finalis.

2. *Lex* antea recepta vim obligandi amittit per legem poſteriorem contrariam, ſeu per reuocationem, ſeu per reſtrictionem præcedentis legis, iuxta correctionis, ſeu reſtrictionis qualitatem, quia poſterior voluntas Principis præfertur priori, etiamſi in poſteriori lege nulla prioris legis mentio fiat: *ſi tamen* prior lex fuerit firmata iuramento aſſertorio de præſenti, et de futuro, vt ſi legiſlator iuret ſe legem non reuocaturum, tunc lex prior non reuocatur per poſteriorem contrariam, niſi in ipſa fiat mentio prioris, quia non præſumitur legiſlatorem velle ſibi laqueum inijcere derogando legi, cui ſine periurio derogare nequit. Suarez *de legib. lib.*6. *cap.* 27. Azorius 1.*par.lib.*5. *cap.*16.20.& 21. Bonacina *c.punct.* 11 §.1. Sà *verb. Lex n.* 29. Caſpenſis *tr. de legib. diſp.*6.*n.*11. et alii. Similiter eſt dicendū quando lex prior eſt particulare ſtatutum alicuius loci; nam poſterior lex vniuerſalis, non cenſetur abrogare conſuetudines ſpeciales locorum, ſtatuta, & priuilegia. Ratio eſt, quia Princeps cenſetur ignorare conſuetudines ſpeciales; ergo non cenſetur eas abrogare velle, niſi earum mentionem fecerit, *cap.* 1. *de conſtit. in* 6.

Suarez. Azor. Bonac. Sà. Caſpenſ.

Aduertendum autem eſt, quod vt lex ceſſet per abrogationem duæ cōditiones ſeruandæ ſunt. *Prima*, vt ſit cauſa pertinens ad bonum commune; quoniam abrogare legem vtilem Reipublicæ, abſque legitima cauſa, eſſet abuti poteſtate et iuriſdictione, ac proinde Princeps, qui ſine iuſta cauſa legem abrogat, peccat; quamuis abrogatio ſemel facta valida ſit; quia cùm obligatio legis pendeat à voluntate legiſlatoris, ceſſante eius voluntate, procul dubio ceſſabit lex. *Secunda* conditio eſt, vt abrogatio legis promulgetur; ita vt aliquo modo ſubditis manifeſtetur illius reuocatio. Ratio eſt, quia lex ſemel publicata, ſemper viget, et ſubditi illa adſtringuntur, donec reuocatio illis inſinuetur.

3. *Legis obligatio* ceſſat, ceſſante cauſa motiua, ſeu finalis legis in totum, & reſpectu totius communitatis, etiamſi non adſit aliud decretum, Caſtro *lib.* 1. *de leg.pœnal. c.* 5. Couarruuias *cap. cum eſſet de teſt. num.*15. Rodriquez 1.*part.cap.*196. Clauis regia *lib.*3.*cap.*1.*n.*5.& 6. Nauarrus *cap.*23.*num.*43. Layman *lib.*1.*tr.*4.*cap.*21.*n.*3. Suarez *de legib.lib.*6.*cap.*8.*n.*1.& *cap.*9.*n.*2. Sà *v. Lex n.* 33. quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur: ſi tamen ob plures cauſas motiuas, ſeu finales lex condita ſit, et vna cauſa ceſſet, manentibus cæteris, non ceſſat legis obligatio; ſicut neque ceſſare videtur, ſi alia ſimilis cauſa ſuperueniat; deinde ſi cauſa ceſſet tantummodò reſpectu particularis perſonæ, ſeu in caſu particulari, non ceſſat legis obligatio, quia lex non reſpicit ſimpliciter ſingulares perſonas, ſed communitatem: quod intelligendum eſt, modo lex, ſeu motiuum legis

Caſtro. Couar. Rodriq. Clau. regia. Nauar. Laym. Suar. Sà.

Digitized by Google

e eſſet in caſu particulari ſolum negatiuè, non verò ſi ceſſet contrariè: tunc autem lex, ſeu legis motiuum contrariè ceſsat, quando turpe eſt legem ſeruare, ſeu quando materia legis facta eſt iniqua, ſeu cõtraria alteri præcepto magis obliganti, & tunc certum eſt legem non obligare, quamquam in dubio an cauſa legis ceſsauerit, præſumendum ſit non ceſsaſse; ſi verò ſubditus ſciat, vel probabiliter iudicet cauſam eſse iuſtam, vel eſt probabile cauſam eſse iuſtam, non peccat legem non ſeruando; quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem, & bona fides excuſat à peccato. Tunc ratio legis tantùm negatiuè ceſsat, ſi in tota materia legis iam non inueniatur ratio, ob quam lex poſita fuit, licet ea ſublata, adhuc materia per ſe mala non ſit, nec impoſſibilis, nec inutilis, aut iniuſta.

Diana tamen cum *Nauarro*, *Henriquez*, *Angelo*, & alijs citatis in ſuo tractatu de legibus *reſ.* 28. hanc diſtinctionem intelligere non poteſt, nempe legem non obligare, quando finis eius adæquatus ceſsat in generali; ſecus autem in particulari, quia lex non ſolùm obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali, ergo ſicut deficiente ratione apud omnes manent omnes deobligati, ita deficiente apud vnum manebit vnus deobligatus. Hæc ſententia eſt contra communem. De hac iterum queſtione, idem Diana *par. 5. tract. 14. reſ. 96. & par. 7. tract.* 10. *reſ.* 33. confirmans ſuam priorem ſententiam, vt probabilem ex authoritate doctiſſimi Ioannis Caramuel *in Comment. ad Regulam D. Benedicti diſp. 5. num.* 50. et Machadi. Verum ne quis circa præſentem opinionem erret eximendo ſe ab obligatione legum, & præceptorum obligantium ad mortale, obſeruandum eſt, quod lex ſæpe propter finem remotum præcipiat actiones alioquin de ſe etiam honeſtas, quæ ſublato ordine ad finem remotum habent ſpecialem honeſtatem, et ſunt materia virtutis, v. g. lex ieiunii habet finem compeſcentem motus turpes, et præcipit abſtinentiam: abſtinentia moderata eſt per ſe materia temperantiæ, et per ſe laudabilis, hinc ſi quis abſque periculo turpium motuum veſceretur contra legem ieiunii, adhuc peccaret; quia manet alius finis proximus legis, nempe exercitium temperantiæ: vnde carentia periculi luxuriæ non excuſat à ieiunio. Ex exemplo allato reſolue ſimiles caſus contingentes contra præcepta Superiorum. Vide Paſqualig. *in prax. ieiun. Eccl. deciſ.* 32. et ſupra verb. *Ieiunium 1. num. 2.*

4. *Ex dictis* colligere eſt, quando dubitatur vtrum cauſa ceſsauerit in totum, ſeu reſpectu totius communitatis, præſumendum eſse nõ ceſsaſse; quia in dubio præſumendum eſt in fauorem poſſidentis, lex autem poſſidet, quia conſtat legem latam eſse, et dubitatur de ipſius excuſatione: ſimiliter patet legem ſimpliciter non ceſsare, niſi cauſa generaliter ceſset: imò ſi cauſa generaliter ceſset pro aliquo ſolùm tempore, lex non dicitur abſolutè ceſsare, ſed potiùs eo tempore ſuſpendi: item legis obligatio ceſsat, quoties non eſt amplius commoda, & vtilis. Salas *de legib. diſp. 21. ſect. 10. num. 24.* Caietanus 2. 2. *q. 120. art. 1.* Suarez *lib. 6. cap. 9. n. 3. & ſeq.*

Salas. Caiet. Suar.

5. Lex non poteſt abrogari, per non vſum, ſeu deſuetudinem purè negatiuam, poteſt autem per eam, quæ inuoluit actus contrarios; Prior pars probatur, quia non eſt hic vllum ſignum mutatæ voluntatis in legiſlatore. Prob. poſterior pars, quia quando non vſus, implicat actum contrarium legi formaliter æquiualentem, paulatim receditur à lege, donec prorſus aboleatur, *C. Ioan. de cleric. coniug.* Nauar. *de conſuetudine conſil.* 2.

Vide tom. 1. verb. *Conſuetudo* n. 13. et ſeq. *Diſpenſatio*. *Epicheia*.

LEX VI.

De lege Humana.

SVMMARIVM.

1 *An conſtitutionem legis poſitiuæ humanæ tria neceſſariò concurrunt.*
2 *Quæ ſint proprietates, & conditiones legis?*
3 *An lex ſit rationis, an voluntatis?* refertur duplex ſententia.
4 *An ad ſubſtantiam legis ſit, vt liget conſcientiam?*
5 *An pater poſſit filijs legem ferre?*
6 *An Romanus Pontifex poſſit leges ferre, quæ obligent totam Eccleſiam?*
7 *An Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ ad ferendas leges, indigeant conſenſu ſuorum clericorum.*
8 *An poteſtas ferendi leges delegabilis ſit?*
9 *An omnia contenta in Decreto Gratiani, habeant vim legis?*
10 *An regulæ Cancellariæ ſint propriè leges? & quid de ſtylo curiæ?*
11 *An liceat ſupplicationem ſuper aliqua lege porrigere, & interim illam non ſeruare?*
12 *Vt lex per non vſum authoritate careat, requiritur certum tempus.*
13 *An leges Pontificiæ, & religionum ponentes priuationem ab officijs, &c. ipſo facto, obligent tranſgreſſores, vt facto delicto deponant officia, &c.*
14 *An lex antea non acceptata, poſſit ſubſequenti tempore acceptari, & obligationem parere? Et an liceat illis, qui legem non acceptauit, legi contrauenire ſecluſo ſcandalo?*
15 *An qui ignorat promulgatam eſſe legem reſciſſoriam contractus, validè celebret contractum?*
16 *An Summus Pontifex, vel Legatus, ipſius teneatur legibus Epiſcopi, dum in eius Diœceſi exiſtit?*
17 *An legati Principum ſint ſubiecti legibus ſpecialibus quibus Princeps, ad quem miſſi ſunt, regit ſuam communitatem?*
18 *An legati Principum teneantur legibus Ordinariorum, ſiue Synodi Diœceſanæ?*
19 *Quando dubium eſt, an lex obliget ſub veniali, vel ſub mortali peccato, dicendum ſit obligare tantùm ſub veniali?*
20 *Quæ ſit dicenda lex purè pœnalis, quæ mixta.*
21 *An lex pœnalis poſſit aliquando obligare in foro conſcientiæ ad ſuſtinendas pœnas, tam actiuas, quàm paſſiuas ante ſententiam iudicis.*
An pena confiſcationis bonorum poſita per legem ipſo facto, obliget ante ſententiam?
22 *An lex pœnalis obliget iudicem ad pœnam in lege præſcriptam infligendam reo iuxta acta, & probata?*
23 *Vt cognoſci poſſit, quando lex pœnalis contineat ſententiam ferendam, vel latam.*
24 *An leges humanæ, ſtatuta, ſeu decreta vniuerſaliter prolata, interpretationes, conditiones, & ciuiles intelligentias ſuſcipiant?*
25 *An lex tam Eccleſiaſtica, quàm ciuilis, poſſit perſonas quaſdam ad contrahendum inhabiles reddere, & contractum irritare?*
26 *Quid in legum interpretatione obſeruandum ſit?*
27 *Quid, quando verba legis plures habent ſenſus proprios?*
28 *An lex pœnalis ob paritatem rationis, extendatur ab vno caſu in alium, vel ab vna perſona ad aliam, vel ab vno crimine ad aliud?*
29 *An hæc extenſio facienda ſit, in lege fauorabili?* refertur duplex ſententia.
30 *Quibus modis cognoſci poſſit aliquem caſum in lege non comprehendi, etiamſi verba legis ad ipſum extendi videantur?*

1 AD conſtitutionem legis poſitiuæ humanæ, tria neceſſariò concurrunt. *Primum* eſt iudicium, ſiue concluſio practica rerum a communitate agendarum, in Principe, vel Magiſtratu reſidens: quamuis concluſiones practicæ Iuriſconſultorum prudentia fabricatæ de rebus agendis, accedente Principis voluntate & authoritate, vim legum etiam ſortiantur. *Secundum* eſt voluntas Principis, vel Magiſtratus præcipiendi, vel prohibendi aliquid communitatis. *Tertium* eſt actus externus intellectualis prudentiæ, qui dicitur imperium; & eſt oratio, per quam voluntas Superioris obligare volentis, ſubditis denunciatur. Proinde in Principum Conſtitu-

ſtitu-

ſtitutionibus hæ voces fermè ingeminantur, *Decernimus, volumus, præcipimus.* Ita D. Thomas *1.2.q.17.art.1. & q.90. art.1.* & alii communiter. [D. Tho.]

2. Ex D. Iſidoro proprietates legis, ſeu conditiones ſunt. *Prima*, lex debet eſſe *honeſta*: quæ conditio reſpicit materiam legis: quia ſecundùm illum lex erit, quod ratione conſtiterit, Religioni conueniat, diſciplinæ congruat quod ſaluti proficiat. Vt refertur *in cap. conſuetudo diſt. 1. Secunda*, lex debet eſſe *iuſta*; & hæc conditio reſpicit formam legis, quæ ſeruata æqualitate proportionis, ſubditis ſecundùm eorum vires & facultates, propoſita eſſe debet. Prout explicant Syluester *verb. Lex q.5.* Suarez *lib. 1. de legib. cap. 9. n. 14.* et alii. [Syluest. Suar.]

Tertia, lex debet eſſe *poſſibilis ſecundùm naturam, & ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco temporique conueniens.*

Quarta lex debet eſſe *neceſſaria, vel vtilis*: nam aliàs tamquam ſine ratione lata, ſuperuacanea cenſebitur.

Quinta, nulla priuato commodo, ſed pro communi ciuiũ vtilitate conſcripta. Quæ conditio duas partes continet. *Primè.* Quod oporteat legem latam eſſe ad communitatem. *Secundò.* Quod lex in commune, ſiuè reipublicæ commodum ferri debeat, vt docet etiam D. Thomas *1.2.q.90. art.2.* & communis. Ita D. Iſidorus *lib. 1. Ethymol. cap. 21.* relatus *diſtinct. 4. cap. 2.* Hæ conditiones ſunt adeo neceſſariæ ad legis eſſentiam, vt ſi aliqua earum deſit, lex non ſit. His tamen conditionibus poteſt addi ſexta, quòd eius obligatio conſtans & perpetua ſit: quia ad communitatem fertur, quæ perpetuo manet ob continuam ſucceſsionem. [D. Tho. D. Iſid.]

3. Dubium eſt inter Doctores, an lex ſit rationis, an voluntatis? Quorumdam opinio eſt, legem ad voluntatẽ pertinere, ita vt nihil aliud ſit niſi voluntas Principis ciuibus, et populis ſibi ſubiectis propoſita & denunciata: quia imperare eſt mouere & impellere ad agendum, ſed voluntas eſt, quæ mouet cæteras hominis vires, & facultates ad opus faciendum. Tũ quia *Inſtit. de iure naturali, Gentium & Ciuili, §. conſtat*, dicitur: *Principum placita & arbitria eſſe leges, & conſtitutiones.* Sic opinãtur D. Bonau. *3. diſt. 17. art. 1. q. 1. n. 12.* Scotus *in 3. diſt. 36. q. 1. ar. 2.* Durandus, Gabriel, Maior, & alii antiqui Theologi probabiliter. Verum probabilior ſententia meritò ſuſtinet, legem eſſe rationis. Ratio eſt, tum quia lex eſt regula ſecundum quam aliquis inducitur ad agendum, vel retrahitur ab agendo, regula autem humanorum actuum eſt actio. Tum quia legis eſt præſcribere, quid faciendũ, quid fugiendum: at ratio præſcribit, non voluntas: legis eſt cuncta ordinare, ſed ratio non voluntas ordinat: hæc itaque omnia rationi per ſe, non voluntati conueniunt. Cæterum, quamuis lex ſit eſſentialiter aliquid rationis; omnis tamen lex poſitiua, non ſolius rationis, ſed etiam voluntatis actum includit: nemo enim legem ponit niſi mediante imperio, quod eſt intellectus & ſuppoſita voluntate legem ferendi. Proinde requiritur vt voluntas id approbet, quod intellectus bonum iudicauit, ac etiam vt velit de illo ſtatutum, ſeu legem ferri per eum actum rationis, qui dicitur imperium. Ita docet D. Thomas *1.2.q. 90. art. 1.* quem ſequuntur *Syluius, Conradus, Medina, Valentia, Vaſquez, Tannerus*, et alii, ſcribentes in hunc articulum. [D. Bonauent. Scotus. D. Tho.]

4. Ad ſubſtantiam et rationem legis requiritur, vt teneat ac liget conſcientiam, vnde ſi lex neminem alliget, legis vim et naturam non habet, alioquin conſilia Chriſti Domini in Euangelio data, leges, et præcepta fuiſſent. Nec obſtant, quæ Iuriſperiti communi conſenſu tradunt in *l. legis virtus, ff. de legibus*, legis aliquando eſſe conſiliũ dare, et aliquę tum in iure Ciuili, tũ Canonico leges continentur, quæ tantùm nobis conſilium dant, et obligationem non inducunt. Reſpondeo legem vocari conſilium, quia legis ſimilitudinem et modum obtineat, non tamen quia pręcipiat aliquid aut iubeat: conſilium enim propriè dirigit & docet, quod eſt ipſi cum lege commune; non tamen imperat et ligat, quod eſt proprium legis.

5. Pater poteſt quidem præcepta filijs imponere per poteſtatem dominatiuam, ſeu œconomicam, non autem illis legem ferre, niſi publicam habeat poteſtatem. Ratio eſt, quia alia eſt poteſtas dominatiua, ſeu œconomica; alia politica, ſeu iuriſdictionis; quòd poteſtas iuriſdictionis per ſe primo reſpicit communitatem perfectã, cùm ad politicam gubernationem, quæ in tali communitate, vel repub. neceſſaria eſt dirigatur. Pater autem nullam talem poteſtatem habet in filium, niſi ſit Rex, vel aliquis ſimilis, ergo. At poteſtas dominatiua, vt plurimùm eſt circa priuatas perſonas, ſeu circa communitatem imperfectam, ſeu inter partes communitatis imperfectæ, et hæc poteſtas dominatiua aliquando acquiritur per contractum, vel quaſi contractum. vel pactum, qualis eſt illa domini in ſeruum ſibi venditum, aut Superioris in ſubditum, aut viri in vxorem quoad domus, & familiæ gubernationem: qualis etiam eſt ex vi propagationis humanæ poteſtas patris in filium. Et per hanc poteſtatem poteſt Dominus ſeruo, Superior ſubdito, vir vxori, pater filio præcepta imponere. Ita Suarez *lib. 1. de legib. cap. 8. num. 5.* Reginaldus *lib. 13. num. 24.* et alii. [Suar. Regin.]

6 Certa fide tenendum eſt Romanum Pontificem tanquam totius populi Chriſtiani Paſtorem, omniumque Eccleſiarum caput, inter Eccleſiaſticos legiſlatores primum, ac præcipuum locum tenere, ſicut paſſim omnia Concilia, et Patres profitentur. Proinde Romanus Pontifex poteſt licitè, et validè condere leges Canonicas obligantes totam Eccleſiam, omneſque Chriſti fideles vbique degentes ad earum obſeruantiam, etiam ſine conſenſu, et conſilio Cardinalium. Nam talis poteſtas condendi leges immediatè data eſt Chriſto ſuo Vicario electo, et non dependet à Cardinalium conſilio, & voto, niſi quoad electionem. Ex quo colligitur Romani Pontificis poteſtatem, ac iuriſdictionem non conferri à Clero Romano, vel Cardinalibus per electionem: *Nemo enim plus iuris poteſt in alium transferre, quam ſibi competere dignoſcatur*, vt habet Regula Iuris in 6. Tantùm igitur deſignant perſonam, cui ex vi promiſſionis, et inſtitutionis à Chriſto factæ Petro, eiuſque ſucceſſoribus, vniuerſalis plenitudo poteſtatis & ſuprema iuriſdictio à Deo confertur. Vt rectè Innocentius III. dixerit in *cap. Nouit, de iudicijs. Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo.* Ita Panormitanus *in cap. 2. de cleric. non reſident. num. 4* Felinus *in rubric. de conſtitut. num. 2.* Suarez *de legibus lib. 4. cap. 3. num. 14.* Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. num. 5.* et alii communiter. [Panorm. Felinus. Suarez. Bonac.]

7. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ ad ferendas leges pro ſua Diœceſi non indigent conſenſu ſuorum clericorum, vel capituli Eccleſiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ. Ratio eſt, quia iuriſdictio Epiſcopalis non dependet à clero, ſeu capitulo, quoniam non ab illis hanc iuriſdictionem habet Epiſcopus, ſed a Papa, et nullo iure probari poteſt hanc poteſtatem fuiſſe Epiſcopis limitatam, niſi in caſibus in iure expreſſis, vel in aliquibus rebus grauioribus, quæ ſpecialem rationem et neceſſitatem præ ſe ferant, vt ſi tales leges diſponant de rebus, quæ poſſunt cadere in præiudicium capituli, ſiue cleri, proportione ſeruata, vel ſit contra aliquod priuilegium illis a Superiore conceſſum. Tunc enim requiri videtur conſenſus Capituli tamquam collegarum, et conſortium in tali cauſa. Ita Suarez *de legib. lib. 4. cap. 5.* Salas *de legib. tract. 14. diſp. 8. ſect. 7. num. 42.* Bonacina *loco cit. num. 22.* Vnde hæc ſententia approbata fuit a Sacra Congreg. Eminentiſſimorum Cardinalium die 27. Aprilis 1592. teſte Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Synodus Diœceſana.* Aduerte tamen Archiepiſcopos, Patriarchas non poſſe extra Prouinciale Concilium leges ferre obligantes totam Prouinciam, cum nullus extra limites ſuæ iuriſdictionis leges ferre poſſit, exceptò fortè tempore viſitationis Prouinciæ, *cap. nullus Primas 9. q. 3. & cap. ſicut olim, de accuſationib.* Ita Suarez *loco cit.* et Salas *ſect. 9. num. 48.* [Suar. Salas. Bonac. Suar. Salas.]

8. Illi omnes, quibus competit poteſtas condendi leges per iuriſdictionem delegatam, poſſunt leges condere, quia poteſtas condendi leges delegabilis eſt, et eſt pars iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, *cap. grauem de ſentent. excommunicat.* Et probabile eſt, de poteſtate Summi Pontificis abſoluta, delegari poſſe fœminis facultatem condendi leges Eccleſiaſticas, et ſpirituales; quia nullum ius diuinum afferri poteſt, ex quo liceat inferre

inferre contrarium; cùm Summus Pontifex ex ſuprema ſua poteſtate poſſit iuriſdictionem conferre fœminæ ad ferendas cenſuras, vt diximus tom. 1. v. *Excommunicatio 2. n. 1.* Nō eſt tamen deleganda a Summo Pontifice facultas alicui ferendi leges in totam Eccleſiam independenter ab approbatione ipſius: quia cùm poteſtas obligādi totam Eccleſiam ſit infallibilis, & pendet ab ea, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non poteſt, hæc autem ſit propria Summi Pontificis, cui promiſſa eſt directio Spiritus ſancti, dicendum eſt hanc poteſtatem non eſſe delegabilem, ſicut neque delegabilis eſt poteſtas definiendi res fidei, vel ſaltem non eſſe delegandam, ne tota Eccleſia periculum ſubeat errandi in re magni momenti. Vt rectè docet Suarez *de legib. lib. 4. cap. 6. num. 22.* quamuis Salas *diſp. 8. ſect. 19. num. 93.* nullum abſurdum eſse dicat, ſi delegetur Concilio Generali.

Suar. Salas.

9. Non omnia, quæ in Decreto Gratiani continentur, habent vim legis, ſeu Decreti obligantis in foro conſcientiæ, niſi ex decretis Pontificijs, vel Concilijs generalibus deſumpta ſint. Hinc ſententiæ Sanctorum Patrum vim legis non habent, etiamſi ſint in Decreto inſertæ, niſi vſu & conſuetudine tamquam leges receptæ ſint, vel à Sede Apoſtolica fuerint canonizatæ, vt ſunt illæ, quæ inter Decretales aliquando reperiuntur. Ratio eſt, quia neque Gratianus habuit facultatem dandi illis vim legum, neque Summi Pontifices aliquando pro talibus illa approbauerunt. Negari tamen non poteſt ſententias Patrum poſſe vim legis habere, quatenus teſtantur de præcepto Diuino, vel Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico: tunc enim illorum dictis, tamquam à fide dignis teſtibus, fides præſtanda eſt, iuxta maiorem, vel minorem Patrum conſenſum in ea re. Proinde conſuetudo obtinuit vt in externo foro etiam illa ad cauſarum deciſionem inſeruiant. Ita Panormitanus *in cap. 2. de reſcript.* & Ioannes Andreas *ibi*. Valentia *2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 6.* Rodriquez *tom. 1. quæſtionum regul. quæſt. 6. art. 2.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 6. §. 3. num. 12.* Bonacina *loco cit. num. 37.* & alii.

Panorm. Io. Andr. Valent. Rodriq. Laym. Bonac.

10. Regulæ Cancellariæ, in rigore loquendo, non ſunt propriè leges, ſi iuxta morem & conſuetudinem in aliis legibus receptam non publicentur: quia de ratione legis eſt publicatio, tum quia morte Pontificis extinguntur, ſecundùm multorum ſententiam, lex autem non extinguitur morte eam ferentis. Tales tamen regulæ obligant tamquam præcepta impoſita eis, qui officiis Cancellariæ præſunt, proinde ſufficit, vt in Cancellaria publicentur, vel dic eas obligare per modum conſuetudinis receptæ ſciente Principe et conſentiente, & ſtylum Cancellariæ, et alios ſimiles eſſe iura quædam non ſcripta ex actibus iudiciariis orta contenta ſub conſuetudine. Vide Rebuffum *in praxi benefic. & in addit. ad regul. Cancell. in princ.* Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 18. q. 11. in fine.* Idem poteſt dici cum proportione de ſtylo Curiæ, quem multi Doctores dicunt efficere ius, nec ab eo recedendum eſse, *cap. Quam graui, de crimine falſi*. Quia Princeps ſciens talem ſtylum & conſuetudinem tribuit vim legis. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 21. num. 16.* Maſcardus *concluſ. 1317. n. 51.* & alii multi apud ipſum: quamuis Vaſquez *1. 2. diſp. 177. in fine*, cum aliis putet non omnem ſtylum ſimpliciter habere vim legis; quia qui poteſt vim legis tribuere, non ſemper vult tribuere, nec communitas illum ſeruat, tamquam obligatorium. Sed tantùm vim legis habet, quando datur formale præceptū Papæ.

Rebuff. Azor.

Sanch. Maſcar. Vaſq.

11. Ex communi Doctorum ſententia, licet ſupplicationem ſuper aliqua lege porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam non ſeruare. Ratio eſt, quia talis præſumitur rationabilis voluntas legiſlatoris; nam poſita aliqua cauſa iuſta videtur conſonum, vt ſubditi habeant aditum ad legiſlatorem pro reuocanda lege, & interim nō obligentur illam ſeruare, donec legiſlator mentem ſuam explicauerit; Proinde ſi Princeps audita communitatis ſupplicatione taceat, & non reſpondeat dictæ ſupplicationi, præſumitur conſentire & legis obligationem tollere, niſi aliter coniecturis conſtaret Principem ſupplicationi non reſpondere, vt ſuauiter & cum minori offenſione & damno reiiciat ſupplicationem, tunc non licebit amplius ſuſpendere legis executionem. Ita Malderus *in 1. 2. q. 90. art. 3. dub. 2.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 16. num. 6.* Salas *de legib. diſp. 13. ſect. 4. num. 20.* & alii contra Vaſquez *in 1. 2. diſp. 156. cap. 5. num. 43.* qui putat ſupplicationem iure quidem conceſſam eſſe contra ſententiam, at contra legem minimè. Qua de re vide Molinam *tract. 5. diſp. 69.*

Malder. Suar. Salas. Vaſq.

Molin.

12. Vt lex per non vſum auctoritate careat non requiritur certum tempus, ſed ſolùm repugnantia, per actus contrarios numero ſufficienti arbitrio prudentum. Ratio eſt, quia nullum eſt ius, quod præſcribat tempus decem annorum, vt volunt aliqui, neque ex natura rei eſt neceſſarium, & vſus videtur eſſe in contrariū: quia vt lex cenſeatur non acceptata, non ſolet expectari illud tempus, ſed ſolùm, quod pro maiori parte per conſuetudinem ſufficiētem repugnatum ſit; præſumitur enim tunc quod legiſlator non velit ſuam legem obligare contra conſuetudinem, vt docet Suarez *de legib. lib. 4. cap. 16. n. 12.* poſt Felinum *in c. 1. de tregua & pace*, & hæc ſententia in conſcientia & praxi videtur ſecura, vt dicit Diana *par. 1. tr. 10. reſ. 7.* Hoc tamen eſt intelligendum de lege quando in principio ſuæ promulgationis non recipitur, ſed illi contrauenitur. At poſtquam lex Eccleſiaſtica pacificè recepta eſt & inualuit, vt poſſit abrogari per contrariū vſum, requiruntur ad minus 40. anni; nam mirandum non eſt, plus temporis requiri ad abolendam via præſcriptionis legem Eccleſiaſticam maximè receptam, quam non receptam, quia illa plus, quàm hæc roboris & firmitatis obtinet, vt docent Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 4.* Portel *in dub. reg. verb. Lex non admiſſa, num. 1.* Vide dicta ſupra tom. 1. *verb. Conſuet. num. 7.*

Suar. Felin. Dian.

Laym. Portel.

13. Reges Pontificiæ, et Religionum ponentes priuationem ab officiis, & prælaturis actualibus ipſo facto, ſeu abſque vlla declaratione, non obligant tranſgreſſores, vt facto delicto deponāt officia per ſeipſos, ſed poſſunt procedere. Semper enim debet expectari declaratio Iudicis, non de pœna, ſed de crimine pro quo pœna eſt impoſita. Ratio eſt, quia idē non debet eſſe agens, & patiens; oportet ergo actionem Iudicis ſententiam ferentis adeſſe. Tum quia illa particula *ipſo facto*, ſolum importat, vt nō requiratur ſententia condemnans, ſeu pœnam ſtatuens, iam enim poſita eſt; at non tollit, quin requiratur ſententia declarans crimen. Hinc colligitur quid debeant facere religioſi quando in ſuis conſtitutionibus habent ſtatutum quo aliquis pro aliquo crimine ipſo facto, priuatur officio; tunc Prælatus probato ac declarato delicto, non habet neceſſe in ſententia exprimere pœnam priuationis; iam enim impoſita eſt, declarato delicto. Quando autem pœna priuationis officii non eſt impoſita a lege, vel ſtatuto, ſed delictum eſt dignum priuatione; tunc debet Prælatus declarare delictum, ac pœnam, et ad illam condemnare. Ita Rodriquez *tom. 1. qq. regul. q. 7. art. 16.* Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 30.* Henriquez *lib. 13. cap. 56.* Syluius *1. 2. quæſt. 96. art. 4. quæſit. 9.* et alii communiter apud Bonacinam *de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 2. num. 8.*

Rodriq. Sanch. Henriq. Sylu. Bonac.

14. Lex, quæ antea non fuit acceptata à maiori parte communitatis, poteſt ſubſequenti tempore acceptari, et conſequenter obligationem parere. Quia lex per non acceptationem extincta non fuit, ſed tantummodo ſuſpenſa: idem enim non eſt legem reuocari a legiſlatore, et legem non acceptari; nam lex quæ non fuit acceptata, poteſt acceptari, et obligationem inducere, quamuis iterum non feratur: lex verò quæ ſemel fuit reuocata, non obligat niſi iterum feratur a Principe, quia per reuocationem fuit extincta. Ita Suarez *de legib. lib. 4. cap. 16. num. 14. ad finem*. Reginaldus *lib. 13. num. 164. verſ. Quod ſi petes*, et alii.

Suarez. Regin.

Sed petes, ſi lex fuerit acceptata a maiori parte communitatis, ſi aliquis illam frangeret ſecluſo ſcandalo peccet mortaliter, ſi ſit ex numero eorum qui illam non acceptarunt? Videtur quod non, quia ille acceptauit legem in communi non in particulari; ad hoc enim ſufficit quod eam recipiant plures, ad illud opus eſt, vt ab ipſomet in indiuiduo recipiatur. Sed contrarium eſt dicendum, quia eo ipſo quòd lex a maiori parte communitatis fuerit vſu recepta, obligat omnes et ſingulos, vt communiter tradunt Doctores; ſicut è contra ſi de facto

maior

Digitized by Google

maior pars communitatis non ſeruaret legem poterunt alii ſine peccato maiori parti conformari & excuſari, quia talem legem ſupponitur non eſſe vtilem reipublicæ. Tum quia Princeps non obligat ſua lege minorem partem, dum maior pars non acceptat, cùm lex feratur communitati. Ita Nauarrus *conſil.1.de conſtit.q.5.n.24.* Rodriquez *t.1. quæſtionum regul.q.6.art.10.* Bonacina *de leg.diſp.1.qu.1. punct.4.n.34.* & alij.

Nauarr.
Rodriq.
Bonac.

15. Qui ignorat promulgatam eſſe legem reſciſſoriam alicuius contractus, licet non peccet ſi contractum aliquem ineat contra legem, donec lex ad ipſius aures aliqua ratione perueniat, ignorantia enim inuincibilis excuſat à culpa, vel etiam à pœna extrinſeca, vt eſt communis opinio; non tamen valide celebrat contractum, quia ignorantia non excuſat ab omni effectu vel damno legis, ſeu à pœna intrinſeca legis ſufficienter promulgatæ & acceptatæ; reſciſſio autem, ſeu annullatio actus, ſeu contractus non eſt propriè pœna, ſed effectus, ſeu damnum quod incurritur abſque conditione legis. Siquidem hoc proprium eſt legum irritantium actum, non in odium agentium, ſed ob defectum ſolemnitatis: quod poſtquam eiuſmodi leges vim obligandi conſecutæ ſunt, effectum irritationis conſequantur etiam erga ignorantes; exempli cauſa; Si quis ob inuincibilem ignorantiam clandeſtinum matrimonium contrahat; vel cum conſanguinea vel affine ſua, à culpa quidem excuſatur, ſed contractus non ſubſiſtit. Vt docent communiter Doctores *in c.2.de conſtit.* Sanch. *de matrim.l.3.diſp.17.& lib.9.diſp.32.* Suarez *l.3.de leg.c.17. & c.33.* Molina *t.2.diſp.395.* Clau.reg. *l.3.cap.5.num.12.* & alii.

Sanch.
Suarez.
Molina.
Cla.reg.

16. Summus Pontifex, dum in aliena Diœceſi exiſtit, non tenetur legibus illius, in cuius territorio, vel Regno; vel Epiſcopatu reperitur. Ratio eſt, quia Summus Pontifex eſt perſona adeò excellens, & eminens, vt non teneatur ſecum reliquis conformare in obſeruantia legum ab aliis conditarum. Item Legatus Papæ non afficitur legibus Epiſcopi, in cuius Diœceſi reperitur: quia Epiſcopus non eſt Superior legato. Item Imperator aliuſue Princeps non tenetur ſeruare leges municipales oppidorum ſeu Prouinciarum ſibi ſubditarum, quia non ſunt latæ à Superiore, ſed ab inferiore: limita, modo non ſint confirmatæ ab ipſomet Principe & modò Princeps non habeat primam habitationem in eo loco, pro quo fertur lex; tunc enim Princeps tenetur ſtare legibus illius loci. Idem dicendum eſt de aliis omnibus, qui ſunt Superiores in iuriſdictione, qualis eſt rex reſpectu Principis ſibi ſubditi: ſecus dicendum eſt de iis, qui non ſunt Superiores in iuriſdictione, licet maiori fulgeant dignitate, niſi ratione dignitatis, vel priuilegii ſint exempti; nam poſito priuilegio exemptionis, non tenentur vniformitatem cum cæteris obſeruare; quia priuilegium, ſeu iuſta diſpenſatio, ſeu exemptio ſufficienter aufert obligationem accommodandi ſe communitati. Ita Suarez *de leg. lib.3.capite 34. & 35.* Felinus *in cap.1.de conſtitutionibus num.30.* Salas, *de leg. diſputat.14. ſect.2. numero 23.* Bonac. *loco citato punct.6. numero 26.* Layman. *lib.1.tractat.4.cap.12.numero 2.*

Suarez.
Felinus.
Salas.
Bonac.
Laym.

17. Legati Principum non ſunt ſubiecti legibus ſpecialibus quibus Princeps, ad quem ſunt miſſi, regit ſuam cõmunitatem, extra ius naturale & gentium. Ratio eſt, quia leges feruntur pro communitate, & ratione communitatis deſcendunt ad ſingulos, vt ad partes illius communitatis, vt habetur *in l. Iura 2.ff. de legibus & cap. Duæ ſunt 19.qu.2.* Vnde lex eſt influxus quidam capitis in mẽbra corporis politici, quo mouentur ad terminum boni communis. Et ideò ſicut influxus capitis non ſe extendit extra membra corporis, ita nec lex extra membra corporis ciuilis. Legati autem non ſunt membra corporis politici & proinde nec pars communitatis, apud quam reſident, ſed alterius & ideò obligatio legum illius communitatis non ſe extendit ad ipſos. Deinde tota obligatio legis fundatur in ſubiectione, & proinde obligatio legis nõ extenditur extra territorium Principis; quia cùm extra ipſum non extendatur iuriſdictio, nõ reperit extra ipſum ſubiectionem. Vnde *capite 2. de conſtitutionibus in 6.* habetur, *Extra territorium ius dicenti non paretur impunè.* & idem habetur, *lib. vltim. ff. de iuriſdict. omn. iudicum*, & tradunt communiter Doctores. Legati autem non ſubiiciuntur Principi, apud quem reſident & proinde nec legibus ipſius: quia repræſentant perſonam alterius Principis; omninò exempti à iuriſdictione, & nomine ipſius reſident, atque agitur cum ipſis, tanquam ſi ageretur, cum perſonis mittentium, atque tanquam cum liberis & ab omni ſubiectione exemptis. Limitanda eſt tamen hæc doctrina, vt ſolum habeat locum, quando ex non obſeruantia legum, non ſequitur damnum communitati. Nam ſi ſequeretur damnum notabile, tunc teneretur leges ciuiles ſeruare, non vi coactiua ſed ex vi directiua, quam ex obligatione legis naturalis teneretur ſequi, vitando nempe damnum proximi, quantum fieri poteſt.

18. Cùm probabiliſſimum ſit aduenas non ſubiici legibus loci, in quo reperiuntur, ideò dicendum eſt Legatos, ſeu Oratores Principum non ſubiici legibus aut edictis Ordinariorum, ſiue etiam Synodi Diœceſani. Ratio eſt, quia legati ſe habent tanquam aduenæ, nec contrahunt domicilium, quamuis longo tempore permaneant in loco, vbi reſident: quia ad contrahendum domicilium, oportet quod contrahens fiat pars communitatis. Legati autem nunquam fiunt pars illius cõmunitatis apud quam reſident; tum quia degunt ibi nomine alterius communitatis repræſentantes caput ipſius; tum quia non poſſunt eſſe pars communitatis, niſi fiant membra corporis ciuilis, & non poſſunt eſſe membra, niſi ita in corpore ciuili compaginentur, vt fiant aliquid de poſſeſſione capitis, & teneantur ſequi motum & influxum illius. Quod non conuenit Legatis.

Si dicas, fieri partem communitatis ſpiritualis, licet nõ fiant communitatis ciuilis. Reſpondetur quod communitas ſpiritualis particularis Diœceſis fundatur in communitate ciuili; nam eſt communitas eorum, qui ſunt de tali loco in ordine ad ſpiritualia; & proinde communitates ſpirituales huiuſmodi habent ſuas diſtinctiones à locis; & aduenæ non fiant de communitate ſpirituali, quia non fiunt de ciuili.

Ex quibus fit, quòd Legati ſeu oratores nõ ſubiiciantur aliquibus legibus Diœceſanis, aut quibuſcumque decretis localibus, ſed tantum ſoli iuri communi.

Quod autem aduenæ non ſubiiciantur legibus tradunt Sanchez *de matrim.l.3.diſp.18.n.6. & l.1.moral c.12.nu.38.* Layman. *l.1.tract.4.c.12.n.4.* Clauia regia *lib.3.c.4.nu.15.* Bonac. *de legibus diſput.1.quaſt.1.punct.6.numer.48.* Paſqualigus *in deciſ.moral.deciſ.510.* & alii multi ab ipſis citati.

Sanch.
Laym.
Cla.reg.
Bonac.
Paſqual.

Ex dictis colligitur, poſſe dari caſum, vt quis non teneatur neque ad leges particulares patriæ, neque ad illas alterius loci: nam peregrinus nõ tenetur ſeruare feſtum vel ieiunium, quod ſeruatur tam in ſua patria, quàm in loco per quem tranſit ex præcepto particulari vtriuſque Epiſcopi. Ratio eſt, quia non tenetur ſeruare leges locales ſuæ patriæ dum eſt abſens; neque tenetur ſeruare leges alterius Diœceſis, cùm non ſit ſubditus Epiſcopo illius loci; igitur ad neutras tenetur: Neque eſt abſurdum, quòd tunc peregrini non teneantur legibus proprii loci. neque etiam legibus loci, vbi reperiuntur: nam non eſt abſurdum non teneri legibus, qui non eſt ſubiectus legibus, cùm ergo peregrini non ſint ſubiecti legibus proprij domicilii, quia iſtæ non ligant extra territorium, neque etiam legibus loci, vbi reperiuntur, quia non obligant niſi ſubditos & qui ſunt de tali communitate, ſequitur, vt ad neutras teneantur. Nec refert quòd peregrini in iis quæ pertinent ad gratiam, fauorem & honorem, poſſint gaudere & vti conſuetudine, ac legibus ſuæ patriæ, quamuis abſentes, ac etiam illius loci per quem tranſeunt; Ex hoc tamen non poteſt deduci, quòd etiam obligentur in iis, quæ ſpectant ad onera, ad odia & ad pœnas tam patriæ, quàm etiam illius loci, per quem tranſeunt. Nam nouitius vtitur priuilegiis conceſſis Religioni, cuius nouitius eſt, & tamen non tenetur ad onera & ſtatuta Religionis; ita ſimiliter peregrini vti poſſunt priuilegiis locorum, etiamſi ad onera non teneantur. Ita Sancius *in ſelect.diſp.54 nu.31.* Fagundez *in præcept.1.Eccleſ.l.1.c.7.n.20.* Diana *p.1.tr.9. reſol.18.* & alii.

Sancius.
Fagund.
Diana.

19. Quando dubitatur an lex obliget ſub mortali, vel tan-

Digitized by Google

tantummodo ſub veniali, probabile eſt obligare tantùm ſub veniali. Ratio eſt, quia in pœnis ſicut benignior pars accipienda eſt, ita etiam in culpa. Tum quia in Regulis Iuris in 6. dicitur, *in obſcuris, quod minimum eſt, ſequẽdum eſt*. Tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem; ergo quando dubitatur vtrum lex obliget ſub mortali, vel tantummodò ſub veniali, probabiliter iudicari poteſt obligari ſolùm ſub veniali, ſi adhibita ſufficienti diligentia ad aſſequendam de grauitate obligationis veritatem, dubium perſeueret: nam tunc libertas conſcientiæ poſſidet. Ita Nauarrus *in manual. cap. 23 n. 50.* Suarez *lib. 3. de leg. cap. 15. num.* 10. *ſub finem*. Coſmus Philiarchus *de offic. Sacerd. p. 2. lib. 3. cap. 2. in dubio quinto*. Sed quia in dubiis pars tutior eligenda eſt, & peccatum, quaſi à facie colubri fugiendum, nonnulli Doctores arbitrantur nos debere ſeruare legem, ac ſi ad mortale obligaret. At verò quoad iudicandum de aliis, qui in tali dubio legem tranſgreſſi ſunt, conuenire, nonnunquam habita ratione rei & perſonæ interpretari de venialis, quamuis ſi conſilium eis dandum ſit, monendi ſint, ne ſe exponant periculo peccandi, agendo contra legem. Ita Valentia *tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6. dub. 3. in fine*. Tolet. *l.* 8. *c.* 20. *dub. vlt.* Salas *de leg. diſp. 13. ſect. 1. n. 23. & diſp. 10. ſect. 2. num. 12. ad finem*, & alii. Cæterum in explicanda legis obligatione verbis obſcuris expreſſa, inſpiciendum eſt, quo pacto huiuſmodi verba vt plurimum accipi ſoleant in legibus, & penſatis omnibus coniecturis, quod veroſimilius eſt, iudicandum eſt.

Reg. Iur.
Nauar.
Suar.
Philiarc.
Valent.
Tolet.
Salas.

20. Quædam leges ſunt purè pœnales, quædam verò pœnales miſtæ. Lex purè pœnalis eſt illa, quæ nihil facere præcipit, aut prohibet, ſed tantùm imponit pœnam aliquid facienti, vel omittenti. Sic Leuit. 20. verſ. 10. multæ leges habentur, in quibus ex vi verborum nihil in eis Deus prohibet, ſed tantùm aſſignat pęnam, vt cùm dicitur, *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriatur & mœchus & adultera*. Item iure Canonico lex purè penalis eſt *in cap. Sacerdote, de conſecrat. diſtinct.* 1. vbi Concilium Carthaginenſe 4. ait *Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicatur*. Item iure ciuili multæ leges pœnales ſunt nullo appoſito præcepto, aut prohibitione adiuncta, vt *in l. Capitalium, ff. de pœnis*, vbi venenarii & graſſatores capite puniuntur, ſic etiam incendiarii. Et transfugæ ad hoſtes, vel renunciatores conſiliorum Principis viui exuruntur, aut furca ſuſpendi iubentur, &c.

Conc. Carth.

Lex pœnalis miſta eſt, quæ non ſolùm aliquid fieri pręcipit, aut prohibet, ſed etiam pęnam legis tranſgreſſori imponet, ſiue pœna hæc a lege præſcripta ſit, ſiue iudicis arbitrio commiſſa fuerit. Ex quo fit vt tota lex, quæ ex illis duabus partibus componitur, meritò lex pœnalis miſta dicatur.

Alij dicunt, quòd lex purè pœnalis eſt, cum legiſlator ad culpam obligare non intendit, ſed ad ſolam pœnam. Nam ſæpe ad animarum pericula cauenda, expedit in communitate conſcientiam non obligari ſub culpa, & nihilominus quaſdam conſtitutiones fieri boni publici cauſa, cum obligatione ad pœnam: quia ratione quarumdam Religionum leges poſitæ ſunt, quæ remotè continent aliquam obligationem in conſcientia, videlicet ad pœnam acceptandam, ſi ſententia ac præcepto Superioris, ſubdito legem pœnalem tranſgredienti imponatur.

Lex pœnalis miſta eſt, quæ tam ſub culpa, quam ſub pœna obligat: & tunc pœna legi adiecta culpam non deſtruit, ſed magis ſupponit, ac requirit. Culpa autem interdum ſtrictè ac propriè accipitur pro defectu coram Deo culpabili: interdum verò latè pro quouis defectu moris, ſeu Theologicè & coram Deo; ſeu ſaltem politicè, coram hominibus culpabili. Et ſic eſt certum, communis diſciplinæ gratia Magiſtratum ciuibus, Prælatum regularibus, Patremfamilias domeſticis ſuis, ob defectus & culpas ciuiles, regulares, domeſticas, pœnam irrogare poſſe, quamuis innoxiis coram Deo. Ita Alphonſus de Caſtro *l. 1. de lege pœnali cap.* 8. & 9. Couar. *in reg. Peccatum 2. part. §. 5. numer.* 4. Salas *de leg. tractat. 14. diſputat. 15. numer.* 8. & alij.

Caſtro.
Couar.
Salas.

21. Lex pœnalis poteſt aliquando obligare in foro conſcientiæ homines ad ſuſtinendas penas, tam actiuas, quam paſſiuas ante omnem ſententiam declaratiuam, quando in tali lege eſt appoſita particula illa, *Ipſo facto, ipſo iure, abſque alia iudicis declaratione, &c.* Si aliunde ſeruetur æqualitas. Exemplum habemus, *Primò*, in cenſuris Eccleſiaſticis, quæ dicuntur latæ ſententiæ *Secundo*, In irregularitate ob crimen. *Tertiò*, in Canonicis impedimentis matrimonij ex crimine contractis. *Quartò*, in inhabilitate acquirendi reditus beneficij, ob neglectum officium Canonicum *Quintò*, in inhabilitate acquirendi dominium bonorum incertorum, quæ ex furto, rapina, vſura poſſidentur, & propriis dominis reſtitui non poſſunt, ea enim pauperibus erogari debent ante omnem iudicis ſententiã: iuxta *c. Cùm tu de vſuris*. Ita ex communi Caietanus 2. 2. *q. 62. art.* 3. Nauarrus *in man. cap. 23. num.* 67. Molina *tr.* 2. *diſp* 96. Rodriquez *tom. 1. qq. reg. q 6. art.* 16. & alii. Cæterum, etſi poſſit Supremus Princeps ex plenitudine poteſtatis, ſubditos priuare ob crimen graue, dominio, vel iure iam acquiſito, ita vt ante iudicis ſentẽtiam, teneatur reus poſitiuam penalem actionem exercere, abdicando ſe dominio, ac titulo acquiſito, non tamen ſatis conſtar, tales leges, ſeu Imperatorias, ſeu etiam pontificias hactenus tanta ſeueritate latas, etiam vſu receptas. Eſto enim exprimatur, vt pęna priuationis, vacationis beneficii, aut officii ipſo iure ac facto incurratur: plerumque tamen benignior interpretatio adhiberi poteſt, criminoſum non ſtatim excidere dominio, ſiue iure retinendi officium, aut beneficium; ſed latam poſtea a iudice ſententiam idem operari, ob iuris diſpoſitionem, ac ſi tempore commiſsi criminis lata fuiſſet, vt docent Caietanus *ſupra* Nauarrus *in comment. de datis, & promiſſis, notab. 31. nu.* 44 Eman. Sa *v. pœna num.* 1. Sanchez Leſsius, Suarez & alii apud Layman. *l. 1 tract. 4. cap. 15. num.* 6. Dianam *part. 1. tract. 10. reſol.* 23.

Caiet.
Nauar.
Molina.
Rodriq.

Quæri poteſt an pęna confiſcationis bonorum impoſita per legem ipſo facto; obliget ante ſententiam? Reſp. criminoſum virtute talis legis priuari ipſo facto dominio ſuorum bonorum & fiſcum acquirere ius ante ſententiã declaratoriam, non tamen priuari ipſo facto iuſta poſſeſſione illorum nec teneri ante ſententiam ſpontè ſe ſpoliare bonis ſuis, & fiſco tradere, donec per ſententiam declaretur reus & condemnetur. Prob. prior pars, quia priuatio, dominii nullam requirit executionem, cum in ſola priuatione conſiſtat. Poſterior pars prob. quia priuatio poſſeſſionis requirit executionem ſententiæ, qua bona delinquentis, fiſco applicentur. Quare in iure conceditur hæreticis iuſta bonorum ſuorum poſſeſſio, donec à Iudice Eccleſiaſtico condemnati & declarati fuerint. Ita Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n.* 7. Vaſquez *1. 2. qu.* 170. *cap.* 3. Caiet. 2. 2. *qu. 62. art.* 3. & alii citati T. 1. *v. Fiſcus num.* 2.

Caiet.
Nauar.
Eman. Sa
Sanch.
Leſsius
Suar.
Layman.
Dian.

Sanchez
Vaſq.
Caiet.

22. Lex penalis obligat iudicem ad pęnam in lege præſcriptam infligendam reo iuxta tacta & probata. Ratio eſt, quia quandocumque lex pęnalis imponit pęnam ipſo facto contra delinquentem: tunc ad iudicem propriè non ſpectat imponere pęnam, ſed ſolummodo ſententiam ſuper delictum pronunciare, & executioni pęnæ taxatæ per legem incumbere, quare vtrumque iſtorum cadit ſub obligatione iudicis: eſt enim cuſtos & exequutor legum & quaſi animata lex. Ita D. Thomas *in 2. 2. q. 63. art.* 4. Clauis regia *l. 3. c. 8. num.* 13. Suarez *de leg. l. 5. cap. 11. numer.* 2.

D. Tho.
Cla. reg.
Suarez.

Poteſt tamen aliquando iudex diminuere taxatam pænam à lege contra tale delictum perpetrantes, quando interueniunt aliquæ circumſtantiæ, vel circa delicti qualitatem, vel circa perſonam peccantem quibus conſideratis poterit iudex minuere pęnas iuxta prudentis arbitriũ. Imò Supremus Princeps ſiue Rex, ſiue legiſlator vel eius ſucceſſor poterit pęnam ipſam in totum relaxare, remittendo delictum gratioſè, quando ita in Domino iudicauerit expedire. Nam author legis & Supremus Princeps poſſunt quandoque cum rationabili cauſa in ſuis legibus diſpenſare prout aduertunt D. Thom. 2. 2. q. 67. *ar.* 4. Clauis reg. *loc. cit. n.* 15. Felinus *in c. Qualiter & quando, §. ad corrigendos, de accuſat.* cum aliis.

D. Tho.
Cla. reg.
Felinus.

23. Qualiter cognoſci poſſit, quod lex pęnalis conti-

nent

Digitized by Google

neat ſententiam ferendam, vel latam, ſequentia notanda veniunt, ex communiori Doctorum opinione. *Primò*, lex pœnalis vtens verbo, aut participio ſignificante actionem futuri temporis, ſententiam à iudice ferendam continet, quia verbum futuri temporis ex ſua natura non ſignificat rem præſentem, aut præteritam, ſed futuram & quæ in poſterum fiet, & ideò ex ſe nunquam exprimet ſententiam a iure latam, ſed ſolùm ab homine ferendam. Sic Caſtro *l. 2. de lege pœnal. cap. 1. regula 2.* Felinus *in c. Rodulphus, de reſcript.* & alii.

Caſtro. Felinus.

Secundò, lex pœnalis vtens verbo imperatiui modi quãuis ſit temporis præſentis, ſententiam continet ferendã. Ratio eſt, quia natura modi imperatiui eſt vt ſemper ad aliquem alium reſpiciat, & imperat, vt pœnam imponat, exempli gratis, verba *Priuentur, Suſpendantur, adſcindatis, Arceatur, innodentur* & ſimilia ſententiam ferendam continent. Excipiuntur tamen ab hac doctrina duo caſus 1. quãdo ponitur verbum imperatiui modi, quod nullum ſignificat hominis miniſterium, neque aliquam exprimit hominis actionem ad pœnam infligendam, vt ſunt hæc verba, *Subiaceat, incidat, incurrat,* & alia ſimilia, quæ latã exprimunt ſententiam 2. Quando cum verbo imperatiui modi ponuntur aliquæ aliæ dictiones, quæ expreſsè ſignificant ſententiam latam, vt ſi lex dicat, ipſo iure excludatur, aut ipſo facto priuetur, &c.

Tertiò, Quoties lex pœnalis vtitur verbis ſolis comminatoriis, lex illa ſententiam ferendam continet: quia comminatio nunquam eſt, aut eſſe ſolet de re præterita, aut præſenti; ſed ſolùm de re futura: qualia ſunt verba illa, *Sub pœna, Sub interminatione. Sub interpoſitione excommunicationis*, &c. Sententia erit ferenda, non lata. Si tamen poſt huiuſmodi dictiones comminatorias addantur aliæ, quæ apertè ſententiam latam ſignificant, tunc verba comminatoria, propter dictiones ſequentes in ſententiæ ſignificationem transferuntur. Vt *cap. clerici* in ſecunda parte Canonis. *Ne clerici, vel monachi*, continet ſententiam latam, quia poſt interminationem anathematis, adduntur hæc verba, *Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat*, quæ verba ſententiam latam denotant.

Quartò, quoties lex pœnalis continet dictionem, de qua dubium eſt, an latam, vel ferendam exprimat ſententiam, in dubio dicendum, eſt continere ferendam ſententiam: quia *in pœnis benignior interpretatio facienda eſt*, de Reg. Iuris in 6. At vero ſententia ferenda a iudice, benignior & mitior cenſetur.

Reg. Iur.

E contra ſententia lata erit, quoties in lege pœnali apponuntur verba ſignificantia legis transgreſſorem incurrere pœnam appoſitam: ideoque quando dicitur *ipſo iure, ſiue ipſo facto, ex vi huius legis abſque alia declaratione, ſine ſententia, ſtatim, illico, ex tunc, continuo poſt, incontinenti, iſto momento, proximus mox ſubito è veſtigio*. Item quando ponuntur verba præſentis temporis modi indicatiui, v.g. quando lex dicit, *Condemnamus ad talem pœnam, excommunicamus, ſuſpendimus, interdicimus, Priuatus exiſtat*, &c. & ſimilia, tunc ſententiam latam lex continet, vt diximus de cenſuris, *1. verbo cenſura, num. 6. & 7.* vbi plura de hac materia cum Doctoribus ibi citatis quibus adde Suarez *de leg. lib. 5. cap. 6. n. 15.* Salam *de leg. diſput. 15. ſect. 6.* Clauem reg. *l. 3. c. 8. a n. 19. vſque ad* 28. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 73. & alios ab ipſis citatos.

Suarez. Salas. Clauis reg. Vaſq.

Vide dicenda a nobis *tom. 1. verbo, Pœna num. 7.* vbi inuenies probabilem ſententiam aſſerentem, quod non omnes ſententiæ priuatiuæ nullam iudicis executionem petentes, incurruntur ipſo facto abſque vlla ſententia, ſed id peculiare eſt ſolùm in tribus cenſuris.

24. Communis opinio Doctorum eſt, leges humanas, ſtatuta, ſeu decreta etiam vniuerſaliter prolata, nunquam ita generaliter & abſolutè intelligi debere, quin interpretationes, conditiones & ciuiles intelligentias ſuſcipiant prout æquitas, rectaque ratio ſuadet: Ait enim Iuriſconſultus Iulianus in L. neque leges, & in L. non poſſunt, & in L. Nulla, ff. de legibus: *Nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeueritatem*. Ratio eſt, quia cum leges humanæ de illis diſponant, quæ frequenter & vt plurimum fiunt, intendentes ſemper ad commune bonum, actus autem humani de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, qui multis, ac pene infinitis modis variari poſſunt, nec vllius hominis tanta ſapientia eſt, vt caſus omnes ſingulares excogitare & præuidere poſſit, inde eſt, quod ſi in caſu aliquo particulari contingat legis obſeruationem communi ſaluti & bono damnum & nocumentum afferre, impune & abſque peccato, præter verba legis ſubdito agere licebit prout iuſtitiæ ratio & communis vtilitas poſtulat: proinde non ſolùm legem violat, qui nimis rigidè legem obſeruare vult contra legislatoris intentionem, ſed etiam qui fraudolenter verba legis obſeruans, mentem legislatoris tranſgreditur. Hinc in *l. Non dubium, Cod. de legibus*, dicitur. *Non dubium eſt cum in legem committere, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem*. Vnde maritus, qui lege diuina & naturali tenetur debitum coniugale reddere vxori petenti, ſi tamen infirmetur, non tenetur: quia magis obligatur ad propriæ perſonæ conſeruationem, quam ad debitum reddendum. Lex ergo Diuina & naturalis in caſu illo particulari non obligat, nec ad literam erit obſeruanda, ſic tradunt ex communi D. Tho. 1. 2. *q. 96. ar. 6. &* 2. 2. 120. *ar.* 1. & ibidem Caietan. Syluius, Valen. *t. 2. diſp. 7. q. 5. pun. 9.* Barthol. Medina in 1. 2. *q. 96. ar. 6.* & alii citati *t. 1. verb. Epicheia num. 2.* vbi plura de hac virtute.

Iulian.

D. Tho. Caietan. Syluius. Valenc. Medina.

25. Certum eſt legem, tam Eccleſiaſticam, quam ciuilem, ob iuſtam cauſam ad bonum publicum pertinentem, poſſe perſonas quaſdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ ſecluſa tali lege, naturali iure ſpectato habiles eſſent. Item certum eſt poſſe legem contractum aliquem, iure alioquin naturali ſubſiſtentem iuſta de cauſa prohibere, vel etiam ceſſare, irritare, & infirmare.

Ad quarum intelligentiam notandum eſt, quinque modis accidere poſſe vt lex hominum contractum vel quemuis alium actum improbet. *Primò*, ſi lex contractũ nec prohibeat, nec infirmet, ei ve reſiſtat; ſed ſolùm non aſſiſtat, atque in foro externo nullam actionem tribuat; quia ratione pacto nudo leges nec aſſiſtunt, nec reſiſtunt. *Secundò*, Si lex prohibeat contractum, ſed non infirmet, neque a iudice infirmandum decernat: & tunc contractus dicitur validus, ſed non licitus: nam *multa fieri prohibentur, quaſi fuerint facta, obtinent firmitatem*, vt habetur *in cap. Ad Apoſtolicam, de regular.* vt matrimonium contractum poſt votum ſimplex cõtinentiæ illicitum eſt, ſed validum. Proinde ſi lex ſimpliciter prohibeat, nulla facta mentione infirmandi, non cenſetur infirmare ſeu irritare. *Tertiò*, Si lex actum vel contractum aliquem per ſeipſam non infirmet, ſed per ſententiam Iudicis irritandum decernat: vt ſi lex vtatur verbis ad iudicem propriè ſpectantibus: v.g. *reſcindatur, infirmetur, annulletur* &c. Quartò, ſi lex contractum, teſtamentum, aliumue actum ipſo facto & ante omnem iudicis ſententiam irritum reddat & iubeat iudici, vt talem etiam per ſententiam decernat & declaret. Notandum tamen eſt legem contractui duobus modis poſſe reſiſtere & infirmare, nimirum vel tantùm ciuiliter, vel etiam naturaliter. Tunc ciuiliter tãtùm reſiſtit & irritat, ſi relicta eius obligatione naturali, actionem tamen in externo foro non tribuit, imò per iudicis ſententiam contractum iuris quadam fictione, adeò infirmandum iubet, ac ſi ab initio nullus ſeu infectus fuiſſet, omni eius effectu, fructu quem contrahens inde perceperat reſciſſo. Sic ludus alearum infirmatur: ſic contractus cum pupillo celebratus, &c. Sic teſtamentum minus ſolemne. *Quintò*, ſi lex ciuilis vel Eccleſiaſtica contractum, vel quemuis alium actum ipſo facto & ante omnem iudicis ſententiam, tam ciuiliter, quàm naturaliter irritum reddat; vt nullus inde effectus vel obligatio, ne quidem in conſcientiæ foro, oriatur. Sic leges canonicæ infirmant matrimonium clandeſtinum, vel cum impedimento dirimente. Sic lex ciuilis infirmat contractum pupilli cum tutore celebratum, vt neque naturalis obligatio inde oriatur. De his videndus eſt Suarez *de leg. l. 5. c. 19.* & ſequentibus.

Suarez.

26. In legum interpretatione potius ſequenda eſt Mens

leg isla-

legiſlatoris, quàm verba. Ratio eſt, quia mens & voluntas legiſlatoris eſt veluti ſpiritus & anima legis, vnde omnis vis obligandi per verba, tanquam inſtrumentalia ſigna prouenit. Mens autem & voluntas legiſlatoris partim ex materia legis, partim ex circumſtantiis, præcipuè verò ex fine cauſa, ſiue ratione legis ferendæ intelligi poterit.

Syluest. Suarez.
Vide Syluestrum verb. *Lex quaſt.16.& 17.* Suarez *de leg. lib.6.cap.1.*

Suar.
Verba legis, alteriuſue diſpoſitionis, in dubio ſi nihil aliud obſtet, intelligenda ſunt ſecundùm communem vſum & acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda eſt, vt docent Legiſtæ & Canoniſtæ Suarez *loco citato cap. 1. n.9.* & alii. Deinde verò propria verborum ſignificatio anteponenda eſt impropriæ, iuxta *L. non aliter ff. de legatis. Et verba ad improprios ſenſus trahi non debent, niſi ratio vel neceſſitas cogat.*

Syluest.
Quatuor cauſæ cogunt recedere vel à communi & vſitata, vel propria verborum acceptatione. 1. Si de mente legiſlatoris aliunde certior coniectura accipi poſſit, vt dictum eſt ſupra, *Secundo*, Si ſignificatio verbi vſitata, vel propria, abſurditatem contineat. Sylueſter *verb. Lex, q.20.* *Tertio*. Si lex ſecundùm propriam verborum acceptationem, repugnaret ac derogaret antiquioribus iuribus, trahenda potius eſt ad ſignificationem impropriam, ſi ſignificatio impropria ſit etiam in communi, vel ſaltem iuridica vſurpatione, aliàs non videtur recedendum à communi & propria ſignificatione verbi, niſi ex legis abrogatione aliud abſurdum ſeu incommodum ſequatur. Ita

Suar.
Suarez *de leg. lib.6.cap.27.num.11.* & alii. *Quarto*. Si recepta conſuetudo aliter legem interpretetur, ea interpretatio præferenda erit: quia optima eſt legum interpres conſuetudo, *cap. cum dilectus de conſuetudine & l.23 ff. de legib.*

27. Quando verba legis plures habent ſenſus proprios, ſed non conſtat, quem ſenſum legiſlator intenderit, talis interpretatio facienda eſt, vt verba accipiantur iuxta ſenſum, qui magis conuenire poteſt rei, de qua agitur. Si verò vterque ſenſus æquè conueniat rei, nec conſtet de intentione legiſlatoris, adeundus eſt legiſlator, vel eius ſucceſſor, ſi pro legis interpretatione commodè adiri poteſt, *l. final. Cod. de legibus*, nam illius eſt legem interpretari, cuius eſt condere, *cap. cum veniſſent, de iudic.* Si verò legiſlator vel ipſius ſucceſſor commodè adiri nequeat, quãdo verba duplicem habent ſignificationem æquè propriam. In pœnis benignior & ſtrictior pars explicanda eſt, in fauorabilibus verò latior, *cap. in pœnis, & cap. odia, de Regulis Iuris in 6.* Ita Valent. *tom.2.diſp.7.quaſt.5.punct.6.* Becanus *tract.3.cap.6.quaſt.14.* Clauis reg. *l.3.c.8.* & alij communiter.

Valent. Becan. Cla. reg.

28. Lex pœnalis ob paritatem rationis, non extenditur ab vno caſu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna perſona ad aliam. Ratio eſt, quia pœna pendet à legiſlatoris voluntate verbis expreſſa, qui poteſt vnum crimen punire alio non punito, aut vnum punire vna pœna & aliud alia: & ideò in legis pœnalis interpretatione arguere non licet per argumentum a ſimili, aut a contrario ſenſu, niſi fortè talis extenſio per alias iuris regulas apertè & euidenter probari poſſet; vel niſi vnus caſus, ſeu vnũ crimen non ſit poſitum in lege tantummodo gratia exempli; nam ſi lex ſit generalis certum eſt generaliter intelligi debere de omnibus caſibus, ad quos verba legis extendi poſſunt, iuxta ſenſum & proprietatem verborum. Ratio autem cur argumentum a ſimili, aut ab identitate rationis valeat in aliis legibus, non autem in legibus pœnalibus eſt, quia aliæ leges adeò pendent ex ratione, vt ratio legis dicatur eſſe mens illius, & conſequenter vbicumque illa eadem inueniatur ratio, ibi etiam lex eadem habetur. Lex autem pœnalis non omninò pendet à ratione, ſed a voluntate legiſlatoris: quia licet pœnam aliquam ſine ratione non ſtatuat, nulla tamen recta ratio cogit, vt tale, aut illud crimen hac aut illa pœna puniatur, ſed hoc ex ſola voluntate legiſlatoris dependet. Ita Alphonſus a Caſtro *l.1. de poteſt. leg. penal. c.7 1. document.3.* Suar. *de leg. l. 6.cap.3.numero 5.& 9.* Clauis reg. *l.3.cap.8.* Salas *de leg. diſp.5.n.11.* & alii.

Caſtro. Suar. Cla. reg. Salas.

29. Dubium eſt inter Doctores, aut ſit facienda extenſio ab uno caſu ad alium, ſeu ab uno crimine ad aliud, ſeu ab vna perſona ad aliam ob paritatem rationis, in lege fauorabili? Quidam negant faciendam eſſe extenſionem ad ſimiles caſus, ſicut in lege pœnali, niſi ad ipſos extendantur verba legis iuxta proprietatem verborum naturalem vel ciuilem, niſi aliter cogat neceſſitas. Ratio eſt, quia legiſlator, poſita eadem ratione poteſt pro ſuo arbitrio vnũ velle & non aliud, vnum approbare, alterum reprobare, vnum præcipere, alterum prohibere; vnde expreſſio vnius, & taciturnitas, ſeu ſilentium alterius indicat legiſlatorem vnum voluiſſe, & non alterum, nam ſi alterum voluiſſet, expreſſiſſet: ergo non eſt facienda extenſio ad ſimiles caſus, &c. Ita probabiliter ſentiunt Suarez *de leg. l. 6.c.3.& 4. de leg. diſp.21.ſect.13.* & alij.

Suar. Salas.

Verum faciendam eſſe extenſionem ad ſimiles caſus, quos ob identitatem rationis adæquatæ credibile eſt legiſlatorem eos comprehendere voluiſſe, non improbabiliter exiſtimant multi. Ratio eſt, quia ſicut philoſophice loquendo impoſſibile eſt dari eãdem omnino cauſam, quin ſequatur idem effectus, ita iuridicè loquendo fieri nequit, vt detur eadem cauſa, quin detur eadem lex & obligatio, cùm ratio legis ſit cauſa legis & illius anima. Tamen ad talem extenſionem faciendam neceſſe eſt vt ratio, quę legiſlatorem mouit ad id quod in lege ſua expreſsit, ſtatuendum adæquatè ſiue per omnia etiã locum habeat in aliis caſibus per verba non expreſſis: nam ſi aliqua ratio diſparitatis aſſignari poſsit, cum legiſlator vnum caſum, vel perſonarum genus ſua lege comprehendere voluerit, atque idcircò verbis expreſſerit, non autem alios caſus vel perſonas, tunc extenſio fieret probabiliter vltra mentem legiſlatoris per verba expreſſam, ac limitatam, quod nunquam permiſſum eſt. Ita Panormitanus *in cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi*, Sylueſter *verb. Lex numero 15.* Layman *lib. 1. tractat.4. capit. 18. numero 9.* Couarruuias *in cap. Alma mater cap.2.§.4.numero 7.* Bartolus & alij.

Panorm. Syluest. Layman. Couar. Bartol.

30. Multis modis cognoſci poteſt aliquem caſum in lege non comprehendi, quamuis verba legis ad ipſum extendi uideantur. 1. quando caſus ſuperuenit, nimis difficilis & ſuperans poteſtatem legiſlatoris: quia ſicut ſine grauiſsima cauſa non poſſunt grauiſsima & ualde difficilia onera præcipi, ita neque caſus valde difficiles, ſeu moraliter impoſſibiles in lege comprehendi poſſunt: quia ad impoſſibile nemo tenetur. 2. quando caſus ſit perniciosus bono communi. 3. quando caſus ob ſuperuenientem aliquam circumſtantiam ſit illicitus: quia lex non obligat ad rem turpem, & materia legis eſt res honeſta. 4. quando caſus aliquis occurrit, qui ex circumſtantia non iudicatur à legiſlatore inuentus, & quem legiſlator excepiſſet, ſi eum præuidiſſet. De his caſibus Suarez *l.6. de leg. c.7.* Leſſius, *l.2.c.47.dub.9.* Sanchez *de matrim. lib.2.diſp.27.* Salas *de leg. diſp.1.ſect.9.n.55.* & alij.

Suarez. Leſsius. Sanch. Salas.

Vide tom.1. verb. Abbas *n.11.12.& 13.* Abbatiſſa *n.19.& 20.* Conſuetudo *n.10.& 11.* Ignorantia *nu.5.* & hoc tomo *v.* Legatus *n.9.* Metus *n.8.9.& 10.* Pœna *n.4.*

LOCATIO, ET CONDVCTIO I.

De ſubſtantialibus locationis.

SVMMARIVM

1 *Quid ſit locatio?*
2 *Quid ſit conductio?*
3 *Quæ res poſsint locari, & quæ non?*
4 *An pecunia poſsit locari?*
5 *An licitum ſit conductori rem quam ipſe conduxit alteri locare?*
6 *An qui famulatum habet emendi & vendendi poſsit contractum locationis & conductionis inire? & quibus vetitum ſit quædam conducere?*
7 *Quid faciendum quando duo vel plures habent domũ vel fundum communem, & vnus vult eũ locare, alter verò non vult, aut vnus vult locare ad vnum uſum, alter ad alterum?*

1 LOcatio eſt *contractus quo perſona, uel res aliqua, ad uſum uel fructum pretio conceditur*, ex quo fit, vt quis non ſolum rem ſuam, mobilem vel immobilem, ſed etiam ſeipſum, ſeruum ſuum & operam ſuam alteri locare poſſit ad vſum vel fructum: *quædam* enim locantur ſolùm ad vſum, vt ſeruus, equus, domus, & ſimilia, quorum fructus non eſt alius quam vſus ipſorum: *quædam* ad fructum, vt agri, paſcua, iura, reditus, vectigalia: dicitur in definitione, *pretio*, id eſt, pro pecunia, ſicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio; ad diſtinctionem precarij, & commodati, in quibus non interuenit pretium, ſed gratis celebrantur. Syluest. *v. locatio*. Filliuc. *tract.* 36. *cap.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 1. *n.* 1. & 2. Syluester 2. 2. *q.* 77. & alij. Sylueſt. Filliuc. Leſſius. Sylueſt.

2. Conductio eſt *contractus quo perſona uel res ad uſum uel fructum comparatur pretio*; ex quo fit vt conductor dicatur is, qui mercedem ſoluit pro vſu vel fructu rei acceptæ, locator verò, qui accipit mercedem pro vſu vel fructu rei traditæ. Reginald. *l.* 25. *n.* 483. Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 2. Regin. Bonac.

3. *Omnes res* quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi ſpecialis extet prohibitio, quia non plus requiritur ad locandum quàm ad vendendum. *Aliquæ* tamen prohibentur locari, vt ſeruitutes prædiales, viæ ſcilicet & ſubiectiones prædiorum, quamuis vendi poſſint, è contra aliquæ res locari poſſunt, ſed vendi prohibentur, vt res pupilli & minoris. *L.* 1. *§. locali aff. locat. L. locare ff. locati*. Filliuc. *c. cap.* 1. *q.* 6. item bona dotalia poſſunt à viro locari nō verò vendi. *Res* autē Eccleſiæ ad breue tempus locari poſſunt ab iis, qui præſunt Eccleſiæ; non verò ad longum tempus, id eſt, ad decennium, vt habet *Clementina* 1. *de rebus Eccleſ. non alien.* & in ſcis vbi Extrauagans. *Ambitioſæ*, eſt recepta, ſub grauiſſimis pœnis prohibitum eſt, ne de rebus Eccleſiæ, vt fundis, domibus, prædiis locatio fiat vltra triennium, alioquin eſt inualida locatio: vbi autem pœnæ illius extrauagantis *Ambitioſæ*, non ſunt receptæ, elocatio rerum Eccleſiæ poterit fieri ad nouem annos; non eſt tamen tolerabile, quod quibuſdam locis fit, vt beneficiarij prædia Eccleſiæ ad multos annos exigua penſione elocent, ea lege, vt ſtatim conductor ſoluat poculum vini, vt vocant mille florenorum, quo fraudant enim hoc modo ſucceſſores, ſi fortè intereà mori contingat, percipientes partem penſionis ſucceſſoribus debitam; vnde tenentur eorum hæredes ad reſtitutionem ex illa pecunia anticipata pro numero annorum, qui poſt mortem beneficiarii ſuperſunt. Couar. *lib.* 2. *uar. cap.* 16. *n.* 1. Leſſius *c. d.* 10. *n.* 67. Rodriq. 1. *p. cap.* 18. Sà *v. conduct. n.* 14 Nauar. *c.* 27. *n.* 150. Syluest. *v. alienatio q.* 13. Azor. 3. *p. de locatione c.* 4. & alii. Filliuc. Leſſius. Rodriq. Sà. Nauarr. Sylueſt. Azorius.

4. Non ſolùm ea, quæ ſunt pecunia æſtimabilia locari poſſunt, uerùm etiam ipſamet pecunia, ad pompam ſcilicet, accipientis, uel ad pignus; modò pecuniæ dominium perſeueret apud locatorem, & ſtet ipſius periculo, ita ut ſi pereat abſque lata uel leui culpa conductoris, pereat ipſi locatori, quoties enim aliquæ res perit abſque alterius culpa, domino perit. Rebell. *l.* 14. *q.* 4. *n.* 1. Regin. *cap. nn.* 489. Rodriq. *c. concl.* 3. & alii. Reginal. Molina. Filliuc.

5. Licitum eſt conductori rem quam ipſe conduxit alteri locare, modò aliter non ſit deductum in pactum cum primo locatore, & modò primus locator non patiatur damnum. *L. Nemo C. de locat.* hinc conductor non poteſt locare meretrici domum quam ipſe conduxit, nam hoc cederet in damnum & opprobrium primi locatoris: ſecùndus verò conductor, tenetur ſoluere penſionem ſecundo locatori, cum quo iniit contractum; tamen bona ipſius quæ reperiuntur in illa domo, remanet tacitè hypothecata pro penſione ſoluenda domino domus ex *L. ſolutum §. ſolutum ff. de pigneratitia actione*. Regin. *n.* 505. & 506. Mol. *t.* 2. *tr.* 2. *d.* 497. *n.* 7. Filliuc. *c. cap.* 1. *q.* 5. & alii.

6 Qui facultatem habet emendi & uendendi, poteſt cōtractum locationis & conductionis inire, niſi ſpecialiter prohibeatur. Filliuc. *c. cap.* 1. *q.* 3. excipiuntur autem aliquæ perſonæ, quibus vetitum eſt quædam conducere, quales ſunt curiales, & milites, quibus uetitum eſt prædia conducere ad colendum. *L. curiales C. eod. tit. L. Milites C. de loc.* Bonac. *c. p.* 1. *n.* 9. curiales dicuntur, qui ubſtricti & obligati ſunt curiæ; Item clericis & monachis prohibetur conducere prædia laicorum; præciſâ neceſſitate, quamuis poſſint ſuccedere conductori. *Cap multa ne Clerici uel monachi*.

7. Quando duo uel plures habent domum uel fundum commūne, & unus uult uni locare, alter verò non uult, aut unus uult locare ad unum uſum, alter ad alterum, aut unus locare uult perſonæ honeſtæ, alter inhoneſtæ, prævalet contractus illius, qui habet maius ius in re ſeu potiorem partem, uel qui uult locare perſonæ honeſtæ; quando uerò non eſt potior conditio unius quam alterius, mittendæ ſunt ſortes, aut recurrendum eſt ad iudicem pro concordia: imò ualidus eſt contractus locationis rei communis factus ab uno ſocio uel a pluribus, aliis diſſentientibus, ſi diſſentiant abſque iuſta cauſa. Filliuc. *c. cap.* 1. *n.* 16. & alii. Filliuc.

LOCATIO II.

Ad quos transeat locatio, quibus pereat, & ex qua culpa locator & conductor teneatur.

SVMMARIVM.

1 *An locatio tranſeat ad hæredem ſeu ſucceſſorem uniuerſalem?*
2 *An conductor teneatur ſoluere penſionem ſingulari ſucceſſori, & an uxor mortuo marito teneatur ſtare locationi factæ a marito durante matrimonio;*
3 *An minor uel pupillus teneatur finita tutela uel cura ſtare locationi factæ à ſuo tutore uel curatore; & an concedatur iure reſtitutio in integrum ſi læſus fuerit; & an Colonus qui agrum ſeminauit poſſit expelli ab emptore, ſi dominus agrum uendiderit.*
4 *An fiſcus teneatur ſtare locationi factæ per condemnatum ante patratum delictum.*
5 *An Prælatus uel beneficiarius teneatur ſtare locationi antea factæ ab anteceſſore.*
6 *An res locata pereat domino, ſi caſu fortuito pereat; an conductor teneatur ad penſionem ſi re conducta non utatur, aut eam non colat.*
7 *An conductor teneatur de dolo, de culpa lata, de leui leuiſſima, & de caſu fortuito.*

1 CVm hæres & ſucceſſor uniuerſalis, uicem gerat prædeceſſoris, illiuſque perſonam repræſentet & ſuccedat in ipſius iura & onera realia, hinc etiam locatio tranſit ad hæredem ſeu ſucceſſorem uniuerſalem, qui ſcilicet ſuccedit non ſolùm in re locata, uerùm etiam in aliis. *L. emptorem C. de locato*. ſucceſſor uerò ſingularis, qui ſcilicet ſuccedit in re particulari & non in aliis, qualis eſt emptor, donatarius, uel legatarius, non tenetur ſtare contractui locationis celebrato ab eo, cui ſuccedit in re particulari, niſi anteceſſor in alienatione aliter expreſsè uel tacitè conuenerit: aut niſi bona locatoris ſint hypothecata conductoti, & ratio eſt, quia ſingularis ſucceſſor non repræſentat perſonam locatoris, nec ipſius obligationes ſuſcipit Fill. *tr.* 36. *c.* 2. *q.* 1. & 2. Bon. *de contr. d.* 3. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 2. Filliuc. Bonac.

2. *Conductor*, non tenetur ſoluere penſionem ſingulari ſucceſſori, niſi anteceſſor locator ceſſerit illi ius ſuū: nec tenetur conductor ſtare contractui locationis, poſtquam res tranſiit ad ſingularem ſucceſſorem, nam ei nunquam ſe obligauit: *Maritus* autem, qui accepit in dotem aliquā rem locatam, quam ignorabat locatam eſſe, non tenetur ſtare locationi, ceſſetur enim ſucceſſor ſingularis, C. Tuſc. *to.* 5 *concl.* 418. & alii *Vxor* uerò mortuo marito uel ſoluto matrimonio tenetur ſtare locationi factæ a marito durāte matrimonio, quoad locationem bonorum paraphernalium, nam huiuſmodi locatio cenſetur facta a marito nomine uxoris, tanquam ab adminiſtratore et procuratore, *l. ſi filiofamilias, ff. ſol. matr.* non uerò tenetur ſtare locationi fundi dotalis, nam maritus cenſetur locaſſe nomine proprio, non uerò nomine communi: uxor tamen tenetur ad ſeruandum maritum indemnem, ne damnum ob id patiatur, Gom. 2. *uar. c.* 3. et alii. C. Tuſc. Gomez.

3. *Minor*

3. *Minor* vel pupillus tenetur finita tutela, vel curaſtare locationi factæ à ſuo tutore, vel curatore, *l. ſi tutela ff. de admin. tut.* quia quæ tutor, vel curator agit, non agit ſuo nomine, ſed nomine pupilli vel minoris, alioquin ſequerentur magna incommoda, diſſenſiones & lites in Repub. Minori tamen iure conceditur reſtitutio in integrum, ſi notabiliter compererit ſe læſum: idem dicendum de locationibus factis ab adminiſtratoribus, vel rectoribus colleglorum, hoſpitalium, ciuitatum, &c. *Colonus* autem qui agrum ſeminauit, non poteſt expelli ab emptore, ſi dominus agrum vendiderit, quia intempeſtiuè expelleretur cum damno fructuum; par autem non eſt, vt conductor damnum fructuum patiatur: imò ſi venditor accepiſſet omnès fructus, colonus poſſet agere contra venditorem, *l. nihil ſpeciale ff. de legatis*. Syluester *v. Locatio q.11 num.11.*

Syluest.

4. *Fiſcus* tenetur ſtare locationis factæ per cõdemnatum ante patratum delictum, ſi ipſe ſuccedat in omnibus bonis, vel in aliquota eorum parte, vt in dimidia, vel tertia, tunc enim fiſcus reputatur hęres, & ſucceſſor vniuerſalis; ſi verò fiſcus ſuccedat tantummodò in ea parte quæ confiſcatur, nõ tenetur ſtare locationi, quia cenſetur ſucceſſor ſingularis, & conſequenter poteſt expellere colonum. Imo fiſcus non tenetur ſtare locationi, quam delinquens celebrauit poſt patratum delictum, propter quod delinquentis bona ipſo iure publicantur, quia cùm fiſcus ante locationem acquiſierit ius, delinquens non potuit fiſco præiudicare. Reginaldus *lib. 25. num. 543.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 22. num. 53.* Filliucius *cit. cap. 2. q. 3.* Molina *diſp 491. n. 1. & 2.* & alii.

Regin. Sanch. Filliuc. Molina.

5. *Prælatus* ſucceſſor tenetur ſtare locationi antea factæ nomine ipſius Eccleſiæ de rebus non pertinẽtibus ad ipſam Eccleſiam, tamen competit ius reſtitutionis in integrum Eccleſiæ, ſi læſa inueniatur: *Præterea* Prælatus, vel beneficiarius non tenetur ſtare locationi factæ ab anteceſſore, nomine proprio in ſuam vtilitatem de rebus ſuæ dignitatis, vel beneficii deputatis, ad proprios prælati, vel beneficiarii reditus, & ſuſtentationem; quia ſucceſſor nõ dicitur hæres vniuerſalis, et locatio facta eſt à beneficiario nomine proprio, & de re, de qua non poterat paciſci, niſi pro tempore, quo ipſe retinebat beneficium: & hoc intelligi debet, modò alicubi non adſit conſuetudo legitima in contrarium; aut modò res ſit integra, & nondum inchoatus ſit annus, & conductor incepiſſet operas adhibere in re colenda, locatio non finitur pro eo anno, conſequenter locator non poteſt expellere conductores, nec conductor poteſt recedere inuito beneficiario, alioquin locatio intempeſtiuè finiretur. Sylueſter *v. Locatio quaſt. 11.* Molina *diſp. 492. num. 6.* Sà *v. Conductio n. 10.* Couarr. *2. variar. cap. 5.* Quatanta *v. Alienatio num. 19.* Riccius *v. Alienatio deciſ. 123.* et alii.

Syluest. Molina. Couarr. Riccius.

6. *Res locata* perit domino, ſi caſu fortuito pereat: vnde ſi perueniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ abſque culpa conductoris, ob quod merito deſerat, vel ea non vtatur, aut non colat, non tenetur ad penſionẽ pro illo tempore; quia conductor non cenſetur promittere penſionem, niſi quatenus re illa poterit vti, aut frui: ſi tamen illud impedimentum proueniat culpa conductoris, vel etiam ſine culpa, ab illa originem trahat, vt ſi ſui commodi cauſa, vel damni vitandi cogatur aliò proficiſci, & rem locatam deſerere, non poteſt conductor quidquam de penſione detrahere, niſi quatenus cum domino rei conductæ conuenerit: quod ſi res alteri non erat locanda æquè bene; in eo caſu non eſt ſummo iure agendũ, ſed res æquitate tranſigenda, ita vt non tota merces ſoluatur, ſed tamen aliquid arbitrio prudentis, prout conditio rei poſtulauerit: aduerte tamen, quando conductor re, vel opera conducta non eſt vſus, ſi ea res, vel opera alteri pro mercede aliqua elocata fuerit, tantumdem de pretio prioris conductionis detrahendum. Filliuc. *cit. cap. 2. q. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 24 dub. 2.* Nauar. *cap. 17. n. 187.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 13.* et alii.

Filliuc. Leſſ. Nauarr. Couarr.

7. *Conductor* tenetur de dolo, de culpa lata, & de leui, non autem de leuiſſima, nec de caſu fortuito, eo quod cõtractus ſit in commodum vtriuſque: conductor enim tenetur, ſi res quam conduxit ad ſuum vſum, vel ad fructũ ex ea capiendum, ipſius negligentia perijt, vel deterior facta: numquam tamen tenetur, niſi aliunde deductum ſit in pactum, ſi eam diligentiam & circumſpectionem in re cuſtodienda adhibuit, quæ communiter ab huiuſmodi conductoribus adhiberi ſolet: Locator vero tenetur conductori, ſi locet illi rem vitioſam, indeq. fiat vt conductor damnum capiat; requiritur tamen in hoc caſu aliqua negligentia, vel culpabilis ignorantia in conductore. Ita Filliuc *tract. 36. c. 2. in fin.* Leſſ. *lib. 2. cap. 24. dub. 6.*

Filliuc. Leſſius.

LOCATIO III.

De penſione ſoluenda, remittenda, vel augenda, & de reſtituenda re conducta.

SVMMARIVM.

1 *An iure communi penſio ſoluenda ſit in fine anni? & quando locator rei fructiferæ teneatur remittere totam penſionem, & quando partem tantum?*
2 *An locator poſſit penſionem augere, quando aliquo anno eſt extraordinaria vbertas?*
3 *Quot modis locatio finiatur?*
4 *An locator in quibuſdam caſibus poſſit rem locatam repetere nondum finito locationis tempore? & de primo, quando conductor per biennium continuum vltra terminum præfixum diſtulit ſolutionem penſionis.*
5 *De alijs cauſis ob quas expelli poteſt conductor ante tempus.*

1. IVre communi *penſio ſoluenda* eſt in fine anni, *L. ſolutum §. ſolutum, ff. de pigneratitia act. L. ex conducto, ff. locat.* Filliuc. *tract. 36. cap. 3. q. 1.* niſi aliter conuentum ſit, aut probet conſuetudo, & pro ea cenſentur obligati fructus in prædio ſeparati & res inductæ in prædium, animo vt ibi ſint quamdiu durauerit conductio, & ſi extrahantur, tacitè hypotecatæ cenſentur: *Locator* autem rei fructiferæ, remittere tenetur totam penſionem quando ſterilitas vel calamitas anni eſt tanta, vt conductor nihil ex re conducta perceperit, niſi aliter ſit conuentum; vt ſi eluuione, vel hoſtium incurſione, vel grandine vaſtentur ſegetes: *Si autem* calamitas vel ſterilitas non ſit tanta, vt nihil percipiatur, tamen reuera ſit magna; ſi facienda eſt remiſſio penſionis pro rata. *c. propter ſterilitatem, de locato & conducto.* Gom. *tract. 2. cap. 3. num. 18.* Couar. *pract. q. cap. 30.* Filliuc. *c. cap. 3. quaſt. 3.* quando autem cenſeri debet ſterilitas magna, ob quam ſit facienda remiſſio pro rata: dicendum eſt, illam eſſe magnam ſterilitatem, vel quam iudicium vulgi talem eſſe finierit; vel quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum quos dare conſueuit; vel quando detracto ſemine & expenſarum æſtimatione, non ſupereſt quod ſufficiat ſaltem dimidiæ penſionis ſolutioni, ſi autem id quod ſupereſt, ſufficiat dimidiæ penſioni, tunc nulla remiſſio eſt facienda. *Item* non tenetur locator quidquam remittere ſi inter ipſum & conductorem interceſſerit pactum de integra penſione ſoluenda in quouis euentu; *ſimiliter* non tenetur quidquam remittere penſionis, quando ipſe locator eſt partiarius, ſeu quando penſio conſiſtit in parte aliquota fructuum, vt in dimidia vel tertia, quia partiarius colonus quaſi ſocietatis iure & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur. Gom. *c. num. 19.* Nauar. *c. 17. num. 190.* Leſſ. *lib. 2. cap. 24. n. 13. 14.* *L. Si merces ff. locati.* *Denique* non tenetur quidquam remittere, quando præcedẽtium annorum fertilitas compenſat præſentem ſterilitatem; quod ſi præcedentes anni eam non compenſent, tamen ſi ſequentes id præſtent, tunc id quod remiſit annis præcedentibus, poteſt inde repetere; compenſatur autem ſterilitas per fertilitatem, ſi anni præcedentes, & ſequentes ſimul collati, tantum attulerint commodi colono ſupra conſuetum modum, quantum annus ſterilitatis damni. *L. ex conducto ff. locat. Cap. propter ſterilitatem, cit.* Gom. *cit.* Dian. *tract. 6. miſc. reſol. 17. par. 3.*

Gom. Couar. Filliuc.

Gom. Nauarr. Leſſius.

Gom. Dian.

2. Quando aliquo anno eſt *extraordinaria vbertas*, proueniens ex cœli clementia, vel caſu fortuito, non autem dumtaxat ex coloni induſtria, locator poteſt penſionem augere; & hoc probatur à paritate rationis, quia ſi penſioni aliquid eſt detrahendum ob ſterilitatem, etiam

poſtulat

Digitized by Google

poſtulat æquitas, vt ob inſolitam vbertatem aliquid ei addanır: modò iſtius vbertatis, non multùm minuatur pretium, ita vt longè maiorem pecuniam tunc poſſit conductor conflare, quàm ordinariè ſolet, & hæc ſeruanda ſunt ſecundùm ius cōmune, ſecluſis pactis in contrarium, proprijs legibus & cōſuetudinibus. *L. ſi merces §. vis maior. ff. locati.* Filliuc. *c. cap. 3. quæſt. 5.* Leſſius *c. d. 3. n. 21. 22.*

Filliuc.
Leſſius.

3. *Locatio* duobus modis finitur. *Primò*, lapſu termini conſtituti: non finitur autem locatio, ſed potùs cenſetur prorogata quando locator ſciens permittitur conductorē retinere rem ipſam locatam. *Secundò*, finitur mutuo contrahentium conſenſu; nam res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur, locatio verò facta ſub hac conditione vt duret donec locator voluerit, non ſolùm finitur locatore volente poſitiuè vt finiatur, verùm etiam ſola ipſius locatoris morte, quia voluntas finitur morte; his duobus modis *tertius* poſſet addi, quando ſcilicet, res locata perit, *L. nec cui licet. C. locat.* Molin. *diſp. 498. num. 9.* Rebell. *de locatione, quæſt. 12.* Gom. *de locatione cap. 3. n. 15.*

Molina.
Rebell.
Gomez.

4. *Locator* non poteſt rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore: quia non poteſt reſilire à contractu inuito conductore, qui per contractum locationis ius acquiſiuit ad certum vſque ad tempus: Doctores ex iure Cęſareo *L. Æde. ff. locati.* paſſim recenſent *quatuor cauſas*, ob quas licitum eſt conductorem expellere, vel priuare conducto, & approbantur iure *C. propter ſterilitatem §. verum, de locato.* Nauar. *cap. 17. n. 193.* Sà *v. conductio num. 7.* Filliuc. *tract. 36. cap. 3. q. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 24. dub. 7. num. 33.* Canonico, *Prima* eſt, quando conductor, cui res ad quinquennium vel ad plures annos fuit locata, per biennium continuum vltra terminum præfixum diſtulit ſolutionem penſionis debitæ pro re conducta; quia frangenti fidem fides ſeruanda non eſt, ſed conductor non ſeruat fidem ſoluendę penſionis termino conſtituto, ergo. Imò ſi res locata fuit ad pauciores annos, ſecundùm *Nauarrum* & multos alios, conductor videtur poſſe ſtatim expelli ſi non ſoluat: quamuis *Leſſio* videtur verius ſemper eſſe biennium expectandum, quando res vltra biennium eſt conducta.

Nauar.
Sà.
Filliuc.
Leſſius.

5. *Secunda cauſa*, ob quam expelli poteſt conductor ante tempus, eſt caſus improuiſus per quem domus, quam elocaſti, tibi incipit eſſe neceſſaria ad habitandū *L. Æde, qua, C. de locato* Bonac. *de contract. diſp. 3. q. 7. p. 2. num. 11. 12. & 13.* Filliuc. *c. cap. 3. quæſt. 8.* Leſſius *c. dub. 7. num. 34. & 36.* Gomez *tom. 2. cap. 3. num. 6.* & hæc cauſa tantùm locum habet in domibus cauſa habitandi neceſſariis, non autem in prædiis ruſticis, ſeu agris (vt ſi prior domus quam inhabitabas, corruat vel comburatur, vel cogaris migrare propter hoſtes) quia lex hoc concedens continet priuilegium quod non debet extendi. *Tertia cauſa* eſt, ſi domus vel alia res elocata neceſſariò egeat refectione vel inſtauratione, quæ non poteſt fieri inhabitante conductore; illa tamen peracta, domus eſt conductori reſtituenda. *Quarta* eſt, ſi conductor re conducta abutatur, ſiue damnum inferendo, ſiue infames perſonas introducendo, ſiue alia ratione cum ſcandalo vtendo. Prima & quarta cauſa habent locum non ſolùm in ædibus & prædiis vrbanis, ſed etiam in prædiis ruſticis, imò etiam in mobilibus. Vide Caramuel *lib. 2. Theolog. moral. num. 697. & ſequentibus.*

Bonac.
Filliuc.
Leſſius.

LOCATIO IV.

De obligationibus mutuis locatoris & conductoris.

SVMMARIVM.

1 *An locator teneatur aperire conductori vitium rei locatæ?*

2 *An teneatur locator ad reſarciendam expenſas neceſſarias factas à conductore, in reſarcienda re conducta; vel etiam vtiles, quæ duraturæ ſunt vltra conductionis tempus?*

3 *An locator teneatur ad onera & tributa impoſita pro re locata?*

4 *Quæ ſint obligationes locatoris & conductoris?*

1. SIcut venditor tenetur aperire vitium rei venditæ emptori, ita etiam locator tenetur aperire conductori vitium rei locatæ: vnde ille qui locauit alteri vaſa vitioſa, tenetur ad reſtitutionem damni, quod paſſus eſt conductor non admonitus de rei vitio, modò interceſſerit culpa locatoris lata vel leuis, ſimiliter qui equum aſſuetum ſeſe in aquam dimittere alteri locauit ad merces transferendas, tenetur ad reſtitutionem damni, quod inde paſſus eſt conductor non admonitus de vitio equi. Nauar. *c. 17. num. 196.* Syluest. *v. locatio quæſt. 18.* Filliuc. *tract. 36. c. 4. q. 1.* Bonac. *cap. p. 2. num. 2.* & alii.

Nauar.
Syluest.
Filliuc.
Bonac.

2. *Locator* tenetur nō ſolùm ad reſarciendas expenſas neceſſarias factas à conductore, in reſarcienda re conducta, verùm etiam ad reſarciendas expenſas vtiles, quæ duraturæ ſunt vltra conductionis tempus. *L. 1. C. Locat.* Molin. *tom. 2. tract. 2. diſp. 496. num. 3.* Regin *lib. 25. n. 508.* Gomez *2. var. c. 3. n. 20.* Filliuc. *c. cap. 4. n. 64.* quia qui ſentit commodum, par eſt vt ſentiant onus, ſed locator ſentit cōmodum ex melioramento & expenſis à cōductore factis: ergo, &c. quod intelligendum eſt modò conductor illas expenſas non fecerit ex præmiſſa conuentione meliorandi rem conductam ſuis expenſis, nam conuentio legem facit inter contrahentes: *Locator* tamen qui huiuſmodi onus adiecit conductori, tenetur aliquid conductori de penſione detrahere, vel alia ratione grauamen impoſitum compenſare, niſi conductor voluntariè remittat: *Notandum* autem hic eſt, quod ſi conductor aliquas fecit expenſas ad ſui vſum & temporale commodum, quod ex re conducta ſeparari poſſit abſque detrimento rei, non poteſt petere expenſas à locatore, cùm eas fecerit in ſui commodum, eaſque poſſit auferre.

3. *Locator* tenetur ad onera & tributa impoſita pro re locata, Azor. *3. p. l. 8. c. 8.* niſi aliter cōuenerit cū cōductore; vel niſi aliter poſtulet locorum conſuetudo; quia qui ſentit commodum, par eſt vt ſentiant onus. *Hinc patet* locatorē teneri ad taxam ſeu tributum, quod pro domo ſolui conſueuit, & inſuper teneri ad muniendam & reficiendam viam ante domum: Ad *onera* autem impoſita pro fructibus, non tenetur locator, ſed conductor, quia conductor percipit fructus & commodum ſentit, ergo ſentire debet onus pro fructibus impoſitum. *L. quod ille §. cuicumque ff. de via public.* Rebellus *l. 14. quæſt. 9.*

Azorius.
Rebellus

4. *Obligationes* ergo locatoris in ſumma quinque ſunt. *Prima*, vt det rem locatam conductori ad vſum et fructum. *Secunda*, vt vitium occultum patefaciat. *Tertia*, vt ſoluat impenſas neceſſarias. *Quarta*, vt reſarciat damna ſua culpa ſecuta. *Quinta*, ne repetat rem locatam ante tempus. *Porrò*, ſi quis operam duobus locauit, ſi neutri tradita eſt, præfertur prior; ſi vni tradita eſt, is præferendus. De conductione famulorum v. *Famulus.*

Obligationes conductoris eæ ſunt *Prima*, vt ſuo tempore penſionem ſoluat. *Secunda*, vt non vtatur re locata niſi prout conuentum. *Tertia*, vt reſtituat finito tempore. *Quarta*, ne deſerat abſque cauſa rem locatam ante tempus. *Quinta*, vt reddat integram ſicut accepit: de his obligationibus in particulari agunt Filliuc. *tract. 36. cap. 4. q. 1. & 5.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 7. punct. 3.*

Filliuc.
Bonac.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An res, quæ vnico actu conſumuntur poſſint locari? Et an pecunia poſſit locari quoad vſum retento illius dominio.*

2 *In quibus caſibus conductor ex caſu fortuito teneatur.*

3 *Conductor, qui euentibus omnibus fortuitis renunciauit etiam extraordinarijs, propter inſolitam vbertatem an teneatur augere penſionem.*

4 *An pacto ſtandum ſit, ſi inter locatorem & conductorem fuerit pactum, ut certum quoddam pretium ſoluatur.*

5 *Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapſo tempore conuento, ſciente & patiente locatore, an ſub eiſdem conditionibus cenſeatur contractus locationis renouatus.*

6 *An medicus, qui locauit operas ſuas pro tota familia determinata, licitè poſſit aucta familia exigere auctiorem mercedem, & an teneatur extenuare mercedem diminuta familia.*

7 *An dominus teneatur ſoluere mercedem famulo, qui abſque ulla mercede, ſed ſola ſpe alicuius beneficij uel officij obtinendi famulatur, ſi poſtea eam nullo beneficio afficiendum curauerit.*

8 *An qui locat oues & boues poſſit obligare conductorem ad reddendum ea animalia ſic locata aquè integra & ſana.*

Et an ſit licitum locare boues ea lege, ut conductor alios boues eiuſdem ætatis reddere teneatur.

9 *An res locari poſſit eo pacto, ut conductor eius periculum ſuſcipiat.*

10 *An conductor, qui non potuit uti re conducta, abſque ſua culpa, teneatur ſoluere penſionem.*

11 *Quæ ſit affinitas inter uenditionem & locationem & quæ differentia.*

12 *Si res aliena bona alicuius fide elocata, poſtea euicta fuerit, an debeat locator petere à domino rei, ut conductorem ſinat ſub eadem penſione re uti & frui.*

13 *Quando neſcitur, caſune, an culpa uel dolo conductoris aut cuſtodis res locata perierit, an conductor uel cuſtos obligetur ad utrumque oſtendendum.*

14 *Quæ actiones ex locatione naſcantur.*

15 *An finito tempore locationis poſſit inuitus conductor, uel eius hæres retineri? Et quot modis locatio finiatur.*

1. IVxta communem ſententiam, res quæ vnico actu conſumuntur, vt pecunia panis, vinum, oleum et ſimilia non poſſunt locari: quia eorum vſus retento ipſorum dominio concedi non poteſt ſine vſura, niſi fortè locentur ad oſtentationem et pompam, vt diximus *ſupra Locatio* 1. *numer.* 4. Et quidem quòd pecunia poſſit locari quoad vſum, retento illius dominio, Probari poteſt: quia materia locationis eſt res vtilis; et locatio ordinatur in eum finem, vt locatarius percipiat debitam vtilitatem ex re locata. Vnde per ſe primo de ratione locationis eſt, vt res locata conuertatur in vtilitatem locatarij. Quòd ſi dum conuertitur conſumitur, hoc per accidens ſe habet ad rationem locationis. Ex hoc autem fit, quòd ſolùm debeat reſtitui completo tempore locationis, eo modo, quo reſtitui poteſt, habita ratione quòd conuertatur in vtilitatem locatarij: vnde quando non poteſt reſtitui eadem, reſtituitur innouata; vt in hoc locatione prædij, in quo innouantur vites et ſementes: in locatione gregis ouium in qua non decem oues, ſed par numerus ex innouatis reſtituitur. Sic ergo in locatione pecuniæ, quia dum conuertitur in vtilitatem, conſumitur, debet reſtitui completa locatione iuxta ſuam capacitatem, hoc eſt, eadem ſecundùm quantitatem & valorem, quæ moraliter eſt eadem pecunia: ſicut eſt moraliter idem grex ouium, licet nulla ſuperſit ex primis. Deinde in rebus vſu conſumptibilibus vſus diſtinguitur à dominio vt communiter tradunt Doctores &
Nic. III. declaratur à Nicolao III. *Extrauag. Exijt, qui ſeminat,*
Clem.V. *de v. ſignific. in 6.* & Clemens V. *in Clement. Exiui de paradiſo eodem titul.* quia poteſt vſus conſumptibilium eſſe cum dependentia ab alio, atque adeò ſine dominio, vt in Fratribus Minoribus. Vnde & in pecunia poteſt concedi vſus & non dominium; & ideò ratione vſus eſt capax locationis. Ita ſuſtinent Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſion.* 184. *num.* 16. & 17.

2. Conductor in tribus caſibus ex caſu fortuito tenetur. *Primò*, quando euenit caſus fortuitus ex aliqua præcedente culpa quamuis leui: vt ſi aliquis equum ſibi ad Auguſtam Taurionorum locatum, duxit Mediolanum, illieque pertranſiens incidit in latrones, à quibus eo ſpoliatus eſt.

Secundò, quando res petijt in poteſtate cõductoris exiſtens propter moram, quam fecit in reddenda re domino ſuo, quod apud locantem non accidiſſet, vt ſi aliquis teneret domi equum locatum quo iam vſus eſt, & morante ipſo reddere, cecidit domus & equum occidit.

Tertiò, quando ab initio interuenit pactum de caſu fortuito quod licitè fieri poteſt: quia pactum iſtud de ſtando caſu fortuito in locato, non contra, ſed preter ſubſtantiam contractus eſt, verùm locator tunc debet aut penſionem minuere, aut pretium aliunde conductori ſoluere; quia periculum quod rei conductæ colonus in ſe ſuſpipit, eſt pecunia æſtimabile. Ita expreſsè habentur hi tres caſus *in cap.* 1. *de commodato & in cap. Bona fides, de depoſito.* & ibi Gloſſa, Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Panormitanus Lopez *de contract. lib.* 2. *cap.* 27. Azorius *part.* 3. *lib.* 6. *c.* 8. *quæſt.* 1. & alij. Hoſtien. Ioan. Andr. Panorm. Azorius.

Verùm aduertendum eſt, cum, qui ex pacto renunciat caſibus fortuitis in genere, non cenſeri renunciare rariſſimis & extraordinarijs, de quibus nullus omninò eſſe poterat timor. Ratio eſt quia contrahentium intentio ſub illis verbis generalibus, non videtur ſe extendere niſi ad caſus fortuitos conſuetos ac ſolitos, de quibus tunc cogitari poterat euenire poſſe. Tum quia pactum de eiuſmodi renunciatione, ſtricti iuris eſſe videtur, ergo ſi ea verificatur quoad euentus rarò contingentes, non videtur ad rariſſima contingentes & præter hominum cogitationem eorumque prouidentiam extendenda. Ita Menoch. *lib.* 2. Menoc.
de arbitr. centur. 2. *caſ.* 80. Molina *de contract. diſp.* 495. & Molina.
alij probabiliter. Quamuis contrarium, nempe, teneri quidam ſentiant ex eo, quòd qui genus promittit & de genere cogitat, cenſetur vtique etiam de ſingulis ſpeciebus eo genere contentis ſenſiſſe, cogitaſſe & promiſiſſe, cùm expreſſo genere, expreſſæ quoque cenſeantur ſpecies. At caſum fortuitum inſolitum, eſſe ſpeciem caſus fortuiti certum eſt. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 31. qui Diana.
pro ſua ſententia citat *Fachinaeum, Pinellum*, & alios.

4. Conuenit inter omnes Auctores conductorem, qui euentibus omnibus fortuitis renunciauit etiam extraordinarijs, propter inſolitam vbertatem non teneri augere penſionem. Ratio eſt, quia qui dicunt propter extraordinariam vbertatem, augendam eſſe penſionem, ea ratione id affirmant, quoniam ſicut locator propter extraordinariam ſterilitatem patitur damnum penſionis, ita propter extraordinariam vbertatem ſentire debet cõmodum augmenti penſionis; quia qui ſentit damnum, commodum etiam ſentire debet, & è contra, vt habet regula iuris. Quando autem conductor non renunciauit euentibus fortuitis, & extraordinaria fertilitas fructum ex ſumptibus, diligentia, induſtriaue conductoris prouenit, vt quia plus ſeminauit & diligentiùs coluit aut melioramenta fecit in re conducta, certum eſt etiam conductorem ad penſionem locationis augendam non teneri, quia id ſuæ induſtriæ debetur. Sicut non augetur merces ſi vbertas ex bonitate fundi locati contingat, quemadmodum nõ fieret remiſſio propter negligentiam vel ſi parum valerent fru- Lopez.
ctus. Ita Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 26. Sylueſter *verb.* Sylueſt.
Locatio num. 14. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap* 24. *dub.* 3. Leſſius.

Secus dicendum quando fertilitas fructuum ex cœli clementia, vel caſu fortuito vel inſolito prouenit, qui præuideri non ſolet, vt diximus *ſupra Locatio* 3. *numer.* 2. tunc enim locator poteſt penſionem augere, & conductor in foro conſcientiæ tenetur pro rata fertilitatis penſionem ſoluere. Quod tamen intelligitur, quando fructuum copia multò maior eſt conſueta & ordinaria, non autem quando fructus pluris æſtimantur & venduntur; ſicut nec minuitur penſio, ſi fructus hoc vel illo anno minoris ſit pretij. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 17. Nauar.
num. 191. Molina *de contract. diſput.* 495. & alij communiter. Molina.

Hæc doctrina vera eſt ſecundùm Ius Cæſareum & quando nihil aliud deductum eſt in pactum: verum hodie contrarium pleriſque in locis obſeruatur, ex conſuetudine inibi recepta, vt aduertit multis alijs citatis Rebellus *part.* 2. *de oblig. iuſtit. lib.* 14. *queſt.* 9.

4. Si

4. Si inter locatorem & conductorem fuerit pactum, vt certum quoddam pretium ſoluatur, pacto ſtandum eſt; quo ceſſante, illud pretium (ſi per legis taxam conſtitutũ non ſit) erit iuſtum, quod paſſim eo loco huiuſmodi rebus dari ſolet, ita vt non ſit minus infimo, nec maius ſummo, quod dari conſueuit: ſi verò res locari ſolita non ſit, ſeruanda eſt conſuetudo illius Prouinciæ vel populi. Quòd ſi nulla fuerit conſuetudo, boni viri arbitrio ſtipendium
Leſsius. Azorius. ſtatuendum eſt. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 24. dub. 4.* Azorius *part. 3. lib. 8. cap. 5. quæſt. 4. De locato.*

5. Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapſo tempore conuento, ſciente & patiente locatore, ſub eiſdem conditionibus cenſetur contractus locationis renouatus. Ratio, quia ex tali taciturnitate, vtriuſque, tam locatoris, quàm conductoris conſenſus inducitur, qui ad huiuſmodi renouationem præſumendam ſufficit. Vt ſi locauerim tibi agrum meum ad annum, & anno finito cùm in eodem agro permaneas, ego ſciens taceo, ipſo videor iterum locare ad annum. Habetur expreſsè *in l. Item quæritur. §. qui impleto, ff. locati, & l. qui ad certum, ff. eod. titulo.* Quod ſi finito ſequenti anno, iterum conductor perſeueret in eodem agro, ſciente & patiente locatore, cenſetur ſimiliter locationem prorogare in ſequentem annum, & ita conſequenter, quouſque finito aliquo anno eiuſmodi tacitæ prorogationis, diſceſſus fiat à contractu, deſerente conductore agrum, aut locatore expellente conductorem ab agro. Vide Molinam *de*
Molina. *contract. diſp.* 498. Quantum autem temporis requiratur, vt locator cenſeatur tacitè renouaſſe contractum in annum ſequentem? Iure communi non eſt definitum, ſed arbitrio Iudicis relinquitur definiendum pro foro iudiciali, ſicut pro foro conſcientiæ prudentis arbitrio determinandum erit, vt docet Gomez *variar. cap. 3. num. 16.*

Gomez. 6. Medicus, qui locauit operas ſuas pro tota familia determinata, puta pro quadraginta perſonis; tunc aucta familia, licitè poteſt exigere auctiorem mercedem, ſicut è contrario diminuta familia, diminuere mercedem tenetur: quando autem numerus familiæ erat indefinitus, vt accidit in Monaſterio Religioſorum, vbi aliquando ſunt plures, aliquando pauciores; tunc nec augebitur, neque minuetur ſalarium pro augmento Fratrum, aut diminutione. Si tamen ſic locans operas ſuas nimis grauetur, in foro conſcientiæ non tenebitur inſeruire tantæ multitudini, ſi tẽpore contractus non fuit præmiſſa; et è conuerſo nec Monaſterium ad pretium conuentum tenebitur, ſi eodem modo notabiliter numerus Religioſorum diminuatur. Ita in ſimili Rodriquez *p. 1. Summa Latina cap.*
Rodriq. Lopez. *21.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. 26.*

7. Famulo, qui abſque vlla mercede, ſed ſoli ſpe alicuius beneficij, vel Officij conſequendi, famulatur, mercedem non tenetur ſoluere dominus, ſi poſtea eum nullo beneficio afficiendum curauerit. Si tamen tacitè intenderet famulus dominum ſuum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium Eccleſiaſticum, eſſet ſimonia, dominus hanc intentionem aduertens, de iuſtitia teneretur ei iuſtam mercedem ſui ſeruitij erogare; non enim ille intendit ſeruire gratis, ſed cum onere, quod dominus non poteſt ſuſcipere. Si verò intenderet illum obligare ad procurandum Officium ſæculare, tunc dominus id aduertens, vel teneretur quantum in ſe eſt curare, vt id conſequatur modò ſit dignus, vel ſi hoc nollet, teneretur ei iuſtum ſtipendium rependere. Si autem dominus fecerit quantum in ſe eſt, vt ille Officium obtineret, & nihilominus non obtinuit, ad nihil teneretur: quia famulus non videtur ad aliud dominum voluiſſe obligare, niſi id ex-
Lopez. Molina. preſſerit. Ita Lopez *de contract. lib. 2. cap. 25.* Molina *de contract.* 506. & alij.

8. Qui locat oues & boues non poteſt obligare conductorem ad reddendum ea animalia ſic locata æquè integra & ſana, niſi tale onus locator iuſta mercede compenſet, cùm conductor id oneris gratuito ſubire recuſat. Ratio, quia natura contractus locationis exigit, vt res locata, ſi perit, locatori, qui dominus eius eſt, pereat, & non conductori, quando in culpa leui non fuit; ergo ſi locator velit obligare conductorem ad reddendum oues & boues ſic locatos, ſanos & integros vſuram committit; quia perinde eſt, ac ſi mutuaret decem, vt quindecim redderentur. Ita Medina *in ſua inſtruct. confeſſ. lib. 1. cap. 4. §. 27.* Medina.
Azorius *part. 3. lib. 8. cap. 12. quæſt. 1.* Azorius.

Similiter vſurarius eſt contractus, locare boues ad colenda prædia ſub certo pretio, hac tamen lege, vt conductor alios boues eiuſdem ætatis quam habebant iſti, qui conducti ſunt tempore conductionis, reddere teneatur, niſi locator minuat penſionẽ, vel aliunde cõpenſet onus, quod impoſuit conductori. Ratio, quia obligat ſibi conductorem ad reddendum boues æquè ſimiles, etiamſi boues abſque culpa cõductoris ſint facti deteriores. Boues enim laborando moderatè, locatori deberent perire, vel deteriorari, ſi periſſent, vel deteriores euaſiſſent, vnde id periculi appretiabile pretio locator conductorem facit ſubire. Idem enim eſt in hoc contractu, ac ſi quis dicat, Accipe hæc animalia mutuata, vt poſtea reddas mihi alia meliora & maioris valoris. Ita Rodriquez *part. 1. Summa* Rodriq.
Latina, cap. 19. n. 4. qui citat Sotum *de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1.* Sotus.
art. 4. Ioannem Medinam *Cod. de reſtit. quæſt. 38.* & alios. Medina.

9. Res locari poteſt eo pacto, vt conductor eius periculũ ſuſcipiat, hoc eſt, vt ſit periculo conductoris: & tunc conductor ratione talis oneris & periculi ſuſcepti poteſt iuſtam mercedem exigere, quia eam meretur, & debet locator mercedem rei locatæ minuere, vt compenſet onus, quod ſuſcipiat conductor. An autem ex tali pacto locatio tranſeat in venditionem, Sotus *lib. 6. de iuſtit.* Sotus.
quæſt. 6. art. 2. ad 3. affirmat; quia etiamſi res caſu perierit, conductor cogitur pretium & æſtimationem eius reddere. Sed hanc ſententiam meritò confutauit Nauarrus *in* Nauar.
Comment. de vſuris, num. 35. & ſeq. Tum quia ſuſcepto periculi non facit venditionem vel emptionem, quia eſt contractus omninò diſtinctus. Solum enim facit, vt qui rem ſuo periculo ſuſcipit, debeat rei pretium reſtituere, ſi perierit: alioquin ſi res ſalua manſerit, domini eſt, non eius qui periculum ſuſcepit: aliàs ſuſcipiens periculum nauis alienæ, eo ipſo nauem ſuam faceret. Tum quia rem locatam tametſi ſuo periculo conductor ſuſcipiat, eius dominium non acquirit. Si enim non pereat, debet eadem, non autem eius pretium reſtitui. At rei venditæ dominium ad emptorem tranſit.

10. Conductor, qui non potuit vti re conducta, aut fructus ex ea percipere propter aliquod impedimentum superueniens abſque ſua culpa, vt propter bellum, peſtem, &c. non tenetur ſoluere penſionem ad ratam temporis, quo non potuit vti re conducta. Ratio eſt, quia conductor non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad ſoluendam penſionem pro eo tempore; contractus autem non obligat vltra voluntatem & intentionem contrahentium, *lib. habitatores, §. vlt. & l. ſi fundus, ff. locati.* Si verò conductor non potuit vel frui re conducta ob caſum, vel impedimentum ſuperueniens ex parte conductoris, conductor adhuc tenetur ſoluere penſionem. Ratio, quia æquitas non patitur, vt locator damnum patiatur ob culpam, vel caſum, vel impedimentum ſuperueniens ex parte conductoris.

Hinc ſequitur, eum qui conduxit domum, quam non poteſt inhabitare, quia vexatur à ſpiritibus, non teneri pro tempore vexationis ſoluere penſionem; vel quia domus conducta adiudicatur fiſco propter delictum locatoris; vel quia ob peſtem ſuperuenientem, quæ vicina loca inuaſit, non poteſt eam inhabitare, at ſi fortè aliter conſuetudine receptum ſit. E contra conductorem teneri ad ſoluendam penſionem, dum non potuit domum habitare, eo quòd illi neceſſe fuerit tempore conductionis aliò pergere. Idem dicendum de illo, qui conducta domo aſſumptus fuit ad dignitatem, vel contraxit matrimonium, illique non ſufficit domus conducta, ſed indiget ampliore. Ratio priorum caſuum eſt, quia impedimentum non prouenit ex parte conductoris, ſed ex parte rei ſpectantis ad dominum domus, vel ex parte locatoris. Ratio autem poſteriorum, quia impedimentum prouenit ex parte conductoris. Ita Nauarrus *in Man. cap. 17.* Nauar.
num. 198. & 187. Filliucius *tract. 36. num. 30. & ſeq.* Regi- Filliuc. Regin.
naldus *lib. 25. num. 515. & ſeq.*

11. Magna eſt affinitas inter venditionem & locationem. *Primò*, ſicut ſubſtantia venditionis conſiſtit in tribus, nempe, conſenſu venditoris & emptoris, re & pretio: ſic etiam tria ad locationis ſubſtantiam ſpectant,

conſenſus locatoris & conductoris, res & merces. *Secundò*, ſicut venditio ſolo conſenſu ſine verbis illis, nutibus tamen vel ſignis expreſſo contrahitur, ſic etiam locatio. *Tertiò*, quemadmodum in venditione pretij definitio in arbitrium alterius poteſt conferri, non autem in voluntatem venditoris vel emptoris; ſic etiam merces taxari poteſt arbitratu alterius, non locatoris, vel conductoris. *Quartò*, ſicut emptio, ita etiam locatio poteſt ſub conditione contrahi. *Quintò*, ſicut emptio ex minimo pretio ſimulata & ficta iudicatur, & potiùs donatio cenſetur, ſic etiam locatio ob modicam mercedem pro ſimulata habetur. *Sextò*, ſicut emptor poteſt petere, vt ſibi res vendita tradatur, aut præſtetur id, quod ſua intereſt: ita etiam conductor iure petit, vt ſoluatur id, quod è re ſua eſt. Differunt tamen in duobus. *Primò*, quia emptio ac venditio tendit ad dominij tranſlationem: locatio autem ſolùm ad vſus vel fructus conceſſionem. *Secundò*, quia ſi res vendita ante traditionem ſine culpa venditoris pereat; emptor nihilominus pretium ſoluere debet. Si autem res locata ante traditionem intereat, contractus penitus diſſoluitur, & conductor liberatur.

12. Si res aliena bona alicuius fide elocata, poſtea euicta ſit, debet locator petere à domino rei, vt conductorem eadem penſione, re frui ſinat: ſi nolit, tenetur conductori aliam rem non minus commodam, verbi gratia, domum ad inhabitandum præſtare ſi poſſit, alioquin de penſione remittere cogitur, *l. ſi quis domum, & l. ſi fundus, ff. locati*. Sin verò culpa, vel dolo locatoris, res locata euicta fuerit, aliudve impedimentum acciderit, quominus conductor ea vti, frui potuerit; ille omninò præſtare cogitur, quanti huius intereſt. Vide Syluestrum *verb. Locatio, quæſt.* 12. Filliucium *tract.* 36. *num.* 35. Syluest. Filliuc.

13. Quando neſcitur, caſu ne, an culpa vel dolo conductoris, aut cuſtodis, res locata perierit, iuxta communem ſententiam Doctorum *in l. ſi quis argentarius, ff. de edendo*. Conductor, cuſtos, &c. obligantur ad vtrumque oſtendendum. Ratio eſt, partim quòd ea quæ facti ſunt, puta rem periſſe, furto ablatam eſſe, non creduntur; niſi oſtendantur: partim quòd talis obligatio conductori, cuſtodi, alijſque Officialibus, præſertim publicis, ex natura contractus veluti gentium iure imponitur, vt oſtendant rem ſibi commendatam abſque culpa ipſorum periſſe. Limita, niſi graues coniecturæ ſiue indicia pro hominis innocentia adſint: tunc iudex conſiderata qualitate perſonæ, interdum iuramentum in probationis ſupplementum deferre vel partibus compoſitionem ſuadere poterit; vel niſi conſuetum ſit eiuſmodi res perire, & quidem ſine culpa conductoris, vel cuſtodis: tunc præſumptio ſtat pro ipſo; vel ſaltem, delato ei iuramento liberatur. Ita Molina *diſputat.* 494. Gomez 2. *variar. reſol. cap.* 3. Molina. Gomez.

In dubio autem non præſumitur incendium ortum culpa conductoris, niſi locator culpam oſtendat: quamuis enim incendium inhabitantium plerumque culpa accidat, vt proinde in dubio contra illos præſumptio exiſtat *l.* 3. *§. cognoſcit. ff. de officio Præfecti vigilum*; non tamen ſemper patris familias, ſed ſæpenumero famulorum culpa, quam paterfamilias purgare non cogitur, ſicut conſtat ex *l. ſi vendita, ff. de peric. & commod. rei vendita*, & notauit Menoch. *de arbitr. caſu* 390. *num.* 4. Valtus. Diana.

14. Duæ actiones ex locatione naſcuntur, *Prima* dicitur actio ex locato, quæ datur locatori aduerſus conductorem, vt ſoluat mercedem, qood ſi non faciat, ſoluat etiam vſuras, hoc eſt, intereſſe locatoris, ex eo quòd merces ſoluta non ſit, *l. Præſes, Cod. de locato*.

Secundò dicitur actio ex condocto, quæ datur conductori contra locatorem, vt det rem locatam & quidquid intereſt conductori, ſi per locatorem ſteterit, quominus re locata vtatur & fruatur iuxta leges contractus.

15. Finito tempore locationis, non poteſt inuitus retineri conductor, nec hæredes illius, *l. Inuitos, Cod. de locato*. Neque è contra cogitur locator eidem vel alteri locare. Si autem conductor conduxerit prædia communitatis, aut fiſci, in his præfertur alijs conductoribus, modò ipſe velit ſoluere augmentum pretij, quod ab alijs offertur, *l. ne cui Cod. de locato*.

Finitur autem locatio tribus modis. *Primò*, mutuo conſenſu, nam res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *l. nihil tam naturale. ff. de reg. iuris*.

Secundò, lapſu temporis ad quod res locata eſt: locatio autem non finitur, ſed potiùs cenſetur prorogata, quando locator ſciens permittit conductorem retinere rem ipſi locatam, *vt diximus ſuprà num.* 5.

Tertiò, ſi res locata omninò pereat; nam abſque re locata conſiſtere locato non poteſt. Quòd ſi plures res locatæ fuerint, & vna ex eis perempta ſit, finietur tantùm ex parte, ſi etiam plures mercedes conſtitutæ ſint. Si vnica fuerit merces, quamvis plures res, vna pereunte, locatio ceſſat, quia omnes habentur pro vna locatione. Quando autem plures res locatæ fuerunt, & inter eas vna aliena eſt, ideoque euicta, finitur locatio; quia non cenſetur cōſenſiſſe in eam locationem, in qua res eſt aliena. Si verò locatio facta ſit ſub hac conditione, *vt duret, donec locator voluerit*, dicendum eſt finiri non ſolùm locatore volente poſitiuè vt finiatur, verum etiam ſola ipſius morte, nam voluntas finitur morte, *l. 4. ff. locati*. Et hæc de locatione addita ſufficiant.

Vide tom. 1. v. Actio *num.* 14. Emphyteuſis *num.* 2. & hoc tom. v. Mutuum *num.* 11. & 12. 31. Pignus *num.* 5. Simonia *num.* 3.

L V D V S I.

Quid ſit ludus? an licitus, & quomodo reddatur vitioſus?

S V M M A R I V M.

1 *Quid ſit ludus? & an quilibet colluſorum poſſit reſilire à contractu ludi quoties voluerit?*
2 *An ludus ex natura ſua licitus ſit? & ex quibus circumſtantijs poſſit fieri illicitus?*
3 *An ratione affectus lucri, vel ex circumſtantia loci ſacri, vel temporis, vel perſona, ludus peccatum mortale fieri poſſit?*
4 *An ludi hiſtrionum ſint liciti? & an Clerici facere poſſint ludos laruales?*

1. LVdus propriè accipitur pro dictis vel factis ad delectationem animi deſtinatis; hic vero accipitur *pro contractu, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, vt victori cedat quod vterque depoſuit*: vnde hic contractus poteſt dici pactum, vt victoris certaminis, res ab vtroque expoſita tribuatur: & quilibet colluſorum poteſt reſilire à contractu ludi quoties voluerit, re integra; quando vero res non eſt integra, id eſt, quando alea vel ſors iam incepta eſt; non licet à ludo facto reſilere, antequam ſors conſummetur, niſi alter conſentiat; ratio enim contractus poſtulat, ne alter ab eo reſiliat cum damno alterius contrahentis inuiti. D. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 1. Filliucius *tract.* 37. *c.* 40. Azor. 3. *part. lib.* 5. *c.* 24. & alij. Leſſius. Filliuc. Azorius.

2. *Ludus* ex natura ſua licitus eſt, & ex ſe res indifferens: ſi tamen ob honeſtos fines appetatur, bonus & honeſtus erit: fieri autem poteſt *illicitus* ex multis circumſtātiis. *Primò*, ex affectu ad malum, vt ſi ludens paratus ſit ratione ludi facere, vel omittere aliquid, cuius actus, vel omiſſio eſt peccatum mortale: vt quando ommittitur Sacrum in die feſto: qoando admiſcentur facta aut dicta praua, vt blaſphemiæ, conuicia; vel quando intercedont fraudes contra leges ludi; *leges* autem *ludi* dicuntur illæ, quæ ſeruantur in eo loco in quo luditur, vel quando alter dolo aut vi, aut metu pertrahitur ad ludum, vel quando interuenit irreuerentia contra Deum vel ratione periculi alicuius notabilis nocumenti; vel quando ludus exercetur cum eo, qui non poteſt pecuniam ludo exponere, vel donare, vel alienare: in his caſibus ludus eſt illicitus mortaliter, ſuppoſita rei grauitate. & magis patebit ex dicendis. D. Thomas *c. q.* 168. *art.* 2. Clauis regia *lib.* 11. *c.* 12. *n.* 2. Bonacina *de reſt. d.* 2. *q.* 3. *n.* 3. Filliucius *c. cap.* D. Thom. Bonac. Filliuc.

Digitized by Google

Valent. Sylu.

cap 4. *q* 3. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. *dub* 8. Sylu. 2. 2 *q.* 168. *art.* 3. Carnmuel *lib.* 2. *Theol. moral. diſp.* 15. & alii.

Nauar. Filliuc. Diana.

3. *Ludus* peccatum mortale non erit. *Primò*, ratione effectus lucri; intentio enim lucrandi non eſt ex ſe, mala, niſi aliunde deprauetur, actus otioſus tamen erit ſi non ordinetur ad alium finem honeſtum. Nauarrus *cap.* 20. *num.* 3. Filliuc. *c. cap.* 4. *num.* 55. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 1.

Secundò, ex circumſtantia perſonæ; nam Clerici & Monachi, imò etiam Prælati aliquãdo licitè ludunt etiam talis et chartis luſoriis ob honeſtam cauſam, modò abſit ſcandalum, et non violent aliquam legem obligantem ad mortale: quia prohibitio facta Clericis beneficiariis, vel in Sacris conſtitutis, nec non Religioſis ludendi ludo alearum ſub graui pœna depoſitionis, priuationis ab officio et beneficio in *Cap. inter dilectos, de exceſſibus prælat.* ſecundùm multos Doctores, videtur per contrariam conſuetudinem ſublata; modò raro ludant, abſque ſcandalo, recreationis cauſa; et modicam pecuniam ludo exponant iuxta ipſorum conditiones: nam Canones non videntur recepti cum tanto rigore. Clauis regia *c. num.* 4. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 385. Leſſius *c. dub.* 1. *num.* 5. Azorius 3. *part. lib.* 5. *c.* 27. *quæſ.* 2. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſ.* 183. & *part.* 7. *tract.* 9. *reſ.* 3. & 4. Portel. *de dub. reg. verb. Ludus, num.* 1.

Cla. reg. Regin. Leſſius. Diana.

Tertiò, ex circumſtantia loci ſacri, non eſt ludus peccatum mortale, niſi forte fiat cum ſcandalo, vel irreuerentia Dei, vel Eccleſiæ, aut niſi fortè ſit comœdia, quam in loco ſacro fieri non decet: imò aliquando licitè exercetur ludus in Eccleſia puta ad recreandum infirmum ibi exiſtentem, &c.

Quartò, ex circumſtantia temporis præcisè non eſt mortale peccatum, quia ludere in die feſto per ſe loquendo, non eſt mortale, niſi alia mortalis circumſtantia ſuperaddatur; ex dictis colligi poteſt quando ludus peccatum ſit mortale, vel veniala, aut nullum. Syluester *verb. Ludus num.* 2. Nauarrus *c.* Bonacina *c. num.* 14. Sylu. 2. 2. *quæſ.* 168. *art.* 3.

Sylueſt. Nauar. Syluius.

4. *Ludi hiſtrionum* ſunt liciti, modo honeſtè fiant, ſecus, ſi turpiter et inhoneſtè, aut cum repræſentatione turpium exerceantur. Sà *verb. Ludus, num.* 10. Clauis regia *c. num.* 4. *Notandum* tamen eſt Clericos non poſſe facere ludos laruales, dedecet enim perſonam Eccleſiaſticam fictam perſonam hoc modo repræſentare; propterea eos tanquam reos mortalis culpæ damnant. Angelus *verb. Ludus, num.* 2. Salon 2. 2. *quæſ.* 4. *de dominio art.* 6. *concluſ.* 2. et certè non videntur excuſandi, niſi fortè hoc raro facerent breui tempore et abſque ſcandalo.

Angelus Salon.

LVDVS II.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtitiam ludi.

SVMMARIVM.

1 *De prima conditione ex requiſitis ad iuſtitiam ludi, quæ eſt, vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt. Et an aliquis iſtorum qui ludere non poſſunt, lucrari ab eo qui poſſit ludere poteſt?*

2 *An vxor poſſit de bonis ſibi cum viro communibus & dotalibus ludere ſine licentia viri? & an Religioſus ludere poſſit, ſine conſenſu Prælati?*

3 *An ludens aliena pecunia faciat lucrum ſuum quod ludendo acquirit? hic agitur de ludo furis, vſurarij, famuli & depoſitarij?*

4 *De ſecunda conditione ad iuſtitiam ludi, ſcilicet, vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi?*

5 *An qui fingit ſe ignarum alicuius ludi, in quo eſt exercitatiſſimus, vt ea ratione trahat ad ludendum alium qui verè eſt ignarus, teneatur reſtituere quidquid ab eo tali fraude decepto, lucratus fuerit?*

6 *An qui actionem factam ab altero excluſore acceptauit, eo quòd à tertio inſpectore chartarum vtriuſque colludentis admonitus fuerit, vt eam acceptaret, teneatur ad reſtitutionem, ſi ante monitionem decreuerat non acceptare?*

7 *De tertia conditione ad iuſtitiam ludi videlicet, vt alter alterum per iniuriam v. g. minis, fraude, conuitijs ad ludum non pertraxerit, & an teneatur ad reſtitutionem pecuniæ ludo, acquiſitæ, qui alterum ſic pertraxit?* refertur duplex ſententia.

8 *De quarta conditione ad ludum neceſſaria, vt ſit æqualis conditio ludentium, & an quis plura lucrari poſſit, quam colluſor ab eo lucrari queat?*

1. PRima conditio ex requiſitis ad iuſtitiam huius contractus eſt, vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt: Leſſius *c. dub.* 2. *num.* 7. Filliucius *tract.* 37. *c.* 7. *quæſ.* 1. Bonacina *c. quæſ.* 3. *p.* 2. *num.* 10. non enim poſſunt res alienas, vel quas alienare non poſſunt periculo exponere, vel illius rei dominium in alterum transferre: vnde filius familias de bonis caſtrenſibus ludere poteſt abſque conſenſu patris, non de aduentitiis, niſi pater concedat vſumfructum; qui tamen lucratur, non tenetur reſtituere, vt nec ipſe filius ea alienas. De profectitiis neque ludere poteſt contra iuſtam patris voluntatem, cum conſenſu patris licitè ludit. Communis Doctorum opinio eſt, quòd ſi filius familias vel aliquis iſtorum, qui ludere non poſſunt, lucratus fuerit ab eo, qui ludere non poteſt, et colluſor potens perdere, bene nouit colludere cum eo, qui non poteſt alienare; non tenetur reſtituere quod lucratus eſt, quia ſcienti et volenti non fit iniuria; ſi autem colluſor ignoret eum cum quo ludit, talem eſſe, cui prohibetur alienatio, v. g. quod ſit filius familias, aut minor, et talis perſona ſic alienare prohibita, ab altero qui perdere poteſt lucretur aliquid, ad reſtitutionem eius quod lucratus ſit, obligatur, perinde ac alter illi; quia natura contractus hoc poſtulat, vt ſemper oporteat vtrumque ex contrahentibus eſſe ligatum aut nullum, ſicut igitur maior 25. annis non poteſt aliquid à minori lucrari, ita nec minor à maiori. Toletus *lib.* 5. *c.* 27. Rodriquez 1. *part. c.* 188. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſ.* 5. *art.* 2. Sylu. 2. 2. *quæſ.* 168. *art.* 3. *concl.* 1. Diana *de contract. reſol.* 67. *p.* 1. Clauis regia *lib.* 11. *c.* 22. *num.* 9. *Filius* tamen qui in curia aut in Academia centum ducatos quotannis expendit, ſi quatuor, aut quinque ludo diſpendat, veriſimile eſt patrem ſuum habere ratum, cum probè ſciant vix iuuenes non poſſe ſine illis diſpendiis viuere. Nauar. *cap.* 17. *num.* 12. Lopez *part.* 2. *c.* 33. *quæſ.* 3. Diana *tract.* 5. *miſcel. reſol.* 44. *p.* 3. Sylu. *c. concl.* 3.

Leſſius. Filliuc. Bonac.

Toletus. Rodriq. Valent. Sotus. Sylu. Diana. Cla. reg.

Nauar. Lopez. Diana. Sylu.

2. *Vxor* non poteſt de bonis ſibi cum viro communibus et dotalibus ludere ſine licentia viri niſi iuxta morem patriæ, ſaltem in notabili quantitate; de bonis verò paraphernalibus, quæ ſcilicet illi extra dotem, vel hæreditate, vel donatione, vel aliqua alia via aduenerunt, ludere poteſt. Clauis regia *c. num.* 7. Bonacina *c. p.* 2. *num* 10. *Religioſus* de conſenſu Prælati ludere aliquid poteſt; non ſi excedat, vel illicitus ſit ludus etiam laicis & ſæcolaribus: imò probabilis opinio eſt, quòd Religioſus aliquid ludere poſſit; quantùm verò, dubitatio eſt, de bonis Monaſterij non poſſet, niſi quantum intra terminos adminiſtrationis poſſet Prælatus in alios ſimiles contractus exponere; ſi excedat, irritus erit contractus; de aliis bonis paulò liberior eſſe poteſt Prælatus in concedenda licentia. Filliucius *tract.* 37. *num.* 133. & *ſeq.* Sotus *lib.* 4. *q.* 5. *art.* 2. Nauarrus *cap.* 20. *num.* 12. Clauis regia *c. num.* 15. & 16. Sylu. *c. art.* 3. *concl.* 3. *Religioſus* vero qui degit extra Monaſterium, ludere poteſt modicum quiddam, vt quatuor aut quinque in centum. Portel. *de dub. reg. verb. Ludus num.* 2. autem exiſtimat Religioſum poſſe ludere illam quantitatem, quam extra ludum licitè donare, vel alienare poteſt, iuxta ſuam regulam & conſtitutiones. Hæc enim regula certa eſt, & generalis: parum enim intereſt, ſi potens donare, vel alienare, donec aut alienet gratis, vel per ludũ ſibi aliàs licitũ.

Clo. reg. Bonac.

Filliuc. Sotus. Nauar. Cla. reg. Sylu.

3. *Ludens* aliena pecunia non facit lucrum ſuum quod ludendo acquirit, Filliucius *c. cap.* 6. *q.* 1. Bonacina

c, num. 15. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſ.* 19. vt accidit quando fur vel vſurarius vel famulus, vel depoſitarius pecuniam alienam ſuo nomine ludo exponit & vincit, & lucrum acquiſitum reſtituendum eſt colluſori perdenti, ſi fur non habeat aliud quod traderet perdenti ſi perdidiſſet; quia contractus ludi videtur inualidus, vtpote celebratus per dolum dantem illi cauſam; accepta autem per contractum iniuſtum & inualidum retineri non poſſunt: quod limitandum eſt, niſi aliter conſtet de intentione colluſoris: Molina *d.* 518 tamen & quidam alij putant, tale lucrum non eſſe reſtituendum, modò alter ſocius neſciret pecuniam alienam eſſe, quia in hoc caſu contractus ludi eſt validus, ſicut eſt valida venditio rei alienæ, quoad transferendum dominium pretij in venditorem, ergo ludens aliena pecunia facit lucrum ſuum; *An autem* fur poſſit ſibi retinere lucrum ludo acquiſitum; quando alter colludens qui pecuniam perdidit ſciebat rem quam fur ludo exponit, eſſe furto ſublatam. Molina *c. num.* 2. negat poſſe retinere, quia nihil acquiri poteſt contractu inualido. Bonacina *c. p.* 2. *num.* 17. affirmat poſſe retinere, quia ſicut venditor rei alienæ non tenetur emptori ſcienti rem alienam eſſe, reſtituere pretium; neque tenetur de euictione; ita neque tenetur fur reſtituere pretium colluſori. *E contra* qui lucratus eſt à fure vel vſurario, poteſt ſibi retinere rem ludo acquiſitam, ſi eius rei dominium ſpectabat ad vſurarium vel furem, vt accidit, fur ludendo vel negotiando pecunia furtiua comparauit ſibi alias pecunias vel res, iſtarum enim pecuniarum factus eſt Dominus: Si verò dominium illius rei non ſpectabat ad furem vel vſurarium, ludens cum fure, vel vſurario, non poteſt ſibi rem ludo acquiſitam retinere, poſtquam cognouit alienam eſſe, tenetur enim ratione rei acceptæ rem domino reſtituere, aut ipſi furti vt recuperet æquale. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 389. Molina *c. diſput.* 518.

Molina. Bonac.

Regin. Molin.

4. *Secunda conditio* ad iuſtitiam ludi eſt, vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi, alioquin tenetur tum ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus eſt, tum etiam ad reparationem damni, quod incurrit qui alioquin lucraturus erat: poſſunt tamen excuſari aliquando qui fraudes aliquas & aſtutias adhibent in ludendo, quas natura ludi patitur, cùm ludentes eò ipſo quo conueniunt ad ludum tacitè vel expreſsè conſentiunt in dolos, quos leges ludi admittunt; huiuſmodi enim non tam doli quàm cautelæ & artes ludentium dicendi ſunt, & vtrique ludentium communes & notæ, vt ſi quis videat ſocium errantem in numerandis ſignis, & non moneat, vel ſi quis aduertens ſe certò lucraturum, rogat aduerſarium velit ne deponere duplum, Leſſius *c. num.* 13. Filliucius *tract.* 37. *c.* 6. *quæſ.* 3. Azorius 3. *p. lib.* 5. *c.* 25. Valentia *tom.* 3. *d.* 5. *quæſ.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8.

Leſſius. Filliuc. Azorius. Valent.

5. *Qui* fingit *ſe ignarum* alicuius ludi, in quo eſt exercitatiſſimus, vt ea ratione trahat ad ludendum alium, qui verè eſt ignarus, tenetur reſtituere quidquid ab eo tali fraude decepto lucratur, quia cenſetur cauſa damni per fraudem: idem dicendum de illo qui ſinit vel permittit ſe vinci in primo vel ſecundo iactu, vt deinde faciliùs vincat. *Qui autem* ob ſuam peritiam moraliter certus erat ſe lucraturum ludendo vel ſpondendo, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, non poteſt ſibi lucrum retinere, ſi alter ſocius ignarus erat ipſius peritiæ longè maioris, quamuis nullam etiam fraudem, & ſimulationem adhibuerit, qua induceret alium ad ludendum: quia per errorem ſiue dolum dedit cauſam contractui ludi, quem ſi alter ſciuiſſet, non celebraſſet, ſecus dicendum eſt, ſi peritiam ipſius non ignorabat, quia ſcienti & volenti non fit iniuria. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 387. Filliucius *c. cap.* 8. *quæſ.* 7. Molina *diſp.* 517 *num.* 4. Clauis regia *l.* 11. *c.* 12. *num.* 18. Rodriquez 1. *part. c.* 188. Sà *v. Ludus num.* 8. Syluius 2. 2. *quæſ.* 168. *artic.* 3. *concluſ.* 1. & alij. An autem qui lucratur ob maiorem ludendi dexteritatem colludenti ignotam, teneatur ad integram lucri reſtitutionem, aut ſolùm ad partem, iuxta proportionem periculi cui ſe expoſuit: quidam volunt teneri ſolùm ad partem, alij verò ad integram, vtraque ſententia probabilis eſt. Vide Bonacinam *c. punct.* 2. *num.* 6. & Dianam *part.* 7. *art.* 9. *reſ.* 30.

Regin. Filliuc. Molina. Cla. reg. Rodriq. Syluius.

6. Qui auctionem factam ab altero colluſore acceperit, eò quòd à tertio inſpectore chartarum vtriuſque colludentis admonitus fuerit, vt eam acceptaret, tenetur ad reſtitutionem, ſi ante admonitionem decreuerat non acceptare, nam vtitur fraude alterius admonentis, ſicut autem qui admonuit, peccauit contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem in defectum illius quem admonuit, ita tenetur admonitus: ſi verò decreuerat ante admonitionem acceptare, ad nihil tenetur, ſi verò ante admonitionem dubius erat an acceptaret, videtur ſolùm obligandus ad partem. Clauis regia *lib.* 11. *c.* 12. *num.* 23. Molina *diſp.* 517. *num.* 3. Lopez *de contract. l.* 2. *c.* 22.

Cla. reg. Molin.

7. *Tertio conditio* ad iuſtitiam ludi eſt, vt alter alterum per iniuriam, minis, fraude, conuitijs ad ludum non pertraxerit, quia ſi ille ſic pertractus perdat, alter eſt ei cauſa damni per iniuriam, ac proinde tenetur ad reſtitutionem. Clauis regia *c. cap.* 13. *num.* 1. Toletus *lib.* 3. *c.* 27. Rodriquez 1. *part. cap.* 188. *concluſ.* 7. *Aduerte* tamen quoſdam Doctores putare eum, qui pertraxit alterum minis, conuitijs ad ludum, non teneri ad reſtitutionem pecuniæ ludo acquiſitæ, ſed ſolùm teneri arbitrio prudentis ad ſatisfactionem iniuriæ, modò qui per minas vel conuitia, vel timorem compellitur, potuerit æqualiter lucrari, ac perdere, ac proinde contractus fuerit iuſtus; nam deficiente æquali conditione ludentium: ſeu iuſtitia contractus, tenetur pertrahens ad reſtitutionem: Molina *diſput.* 316. Garzias *de contract. p.* 2. *c.* 19. Bonacina *de contract. d.* 2. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 9. & ratio illorum eſt, quia ſi ille ſic inductus vincat, poterit retinere lucrum, ergo etiam inductor poterit, ſi lucretur, debet enim eſſe par vtriuſque conditio: hæc ſententia eſt probabilis, contraria tamen quæ eſt communis, videtur verior. Vide Dianam *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 32.

Tolet. Rodriq.

Molin. Garzias. Bonac.

Diana.

8. *Quarta conditio* ad ludum neceſſaria eſt, vt, ſit æqualis conditio ludentium; vnde, per ſe loquendo, de ratione ludi eſt, vt quis lucrari non poſſit plura quàm colluſor ab eo lucrari queat, v. g. habens decem nummos non poteſt primo iactu lucrari quindecim aut viginti; quia æqualis eſſe debet vtriuſque conditio, hinc ſi colluſor poteſt lucrari tecum decem, tum tantummodò decem, poteris ab illo lucrari in ſingulas manus & vices: alioquin tamen fieri poteſt, vt vnus poſſit plus lucrari quàm perdere, vt quando alter colluſor nouit conditionem ſocij habentis minorem pecuniam, & cedit iuri ſuo; vel quando ludo exponit decem ludendo cum duobus, tunc enim poteſt lucrari viginti, quia in eo caſu ponit pecuniam ſuam duplo maiori periculo: Item in diuerſis manibus ſeu vicibus poteſt plus lucrari, vt ſi ludo exponat decem, & à ſocio lucretur alia decem, ſi omnes viginti nummos voluerit ludo exponere, poterit vna vice lucrari alios viginti, & ſic deinceps, quia in his caſibus nulla reperitur inæqualitas. Vide Molinam *d.* 510. *num.* 4. Valentiam *d.* 5. *quæſ.* 6. *p.* 5. *d.* 8. Nauarrum *cap.* 17. *num.* 12. Clauem regiam *lib.* 11. *c.* 12. *num.* 10. *& ſeq.* Sotum *lib.* 4. *quæſ.* 5. *art.* 2. Bannem 2. 2. *quæſ.* 32. *art.* 7. Dianam *de contract. lib. reſol.* 67. *p.* 1. Syluius 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *concl.* 2. & alios.

Molina. Valent. Nauar. Sotus. Bannez. Diana. Syluius.

LVDVS III.

De reſtitutione facienda acquiſitorum per ludum vetitum.

SVMMARIVM.

1 *An acquiſita per ludum vetitum ſine dolo, fraude, vi, ab eo qui alienare res ſuas potuit, tuta conſcientia retineri poſſint?* refertur duplex ſententia.

2 *An qui luſit ludo vetito intendens non ſoluere, aut ſolutum repetere, poſſit retinere quæ lucratus eſt eo ludo?*

3 *An qui ludo vetito pecuniam perdidit eamque ſoluit, poſſit propria authoritate recuperare perditum, aut illius compenſationem ſumere?*

4 *An quando luditur pecunia abſente in ludo vetito, præſtita*

præſtita fide de ſoluendo, transfertur dominium rei amiſſa in lucrantem, ita vt perdens eam in conſcientia ſoluere teneatur? refertur duplex ſententia.

D. Bona. laud.

1. QVidam antiqui Theologi vt D. Bonauentura 4. *diſt.* 15. *p.*2. *art.*2. *quaſ.* 1. Paludanus *ibi. quaſ.* 3. *art.* 5. Richardus *ibi. art.* 5. *quaſ.* 8. dicunt acquiſita per ludum vetitum, ſeu lege humana prohibitum (qualis eſt ludus aleæ, taxillorum, chartarum, &c. qui magis fundantur in ſorte & caſu, quàm in induſtria) de iure naturæ & diuino eſſe reſtituenda, vel pauperibus, ſi victus uictorem induxit ad luſum, uel ipſi uicto, ſi illum uictor induxit, quia per talem ludum non transfertur dominium, ſicut per contractum lege ciuili inualidum & nullum, ut habetur in *Authent. Alearum vſus, C. de relig. & ſump. funer.* Communis tamen & uera ſententia aſſerit, acquiſita per ludum ſine dolo, fraude, ui, ab eo, qui res ſuas alienare potuit, tuta conſcientia retineri poſse, etiamſi ludus ille lege prohibitus ſit, dummodo lex illa ſolùm ludum prohibeat & tranſlationem dominij rei non impediat, quia leges prohibentes ludum alearum & ſimilium, irritum non reddunt ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum, ſed ſolùm cōcedunt perdenti repetitionem in iudicio ſolo, ut per ſententiam iudicis recuperetur amiſſum, nec ſufficit ut repetitio priuatim fiat, aut etiam fiat in iudicio, niſi ſequatur condemnatio, qua uictor iubeatur reſtituere; ante hanc enim uictor non tenetur. Toletus *lib.* 5. c. 27. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. c. 26. *num.* 16. 17. Clauis regia *lib.* 11. *c.* 13. *num.* 7. & 8. Azorius 3. *p. lib.* 5. c. 24. Nauarrus *c.* 20. *num.* 19. Diana *tract.* 3. *miſc. reſ.* 8. *p.* 2. Sylu. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *concl.* 3. 4.

Toletu. Leſsius. Azorius. Nauar. Diana. Sylu.

2. Qui luſit ludo uetito intendens non ſoluere, aut intendens ſolutum repetere, non poteſt retinere quæ lucratus eſt ludo: quia dolus dat cauſam contractui, aliter enim colluſor non luderet, ſi ſciret ipſum nolle ſoluere, aut uelle repetere ſolutum, & ideo decipiens non poteſt retinere, quod per deceptionem obtinuit contractu inualido. Reginaldus c. *num.* 388. Leſſius c. *dub.* 5. *num.* 31. contra Dianam *part.* 7. *tract.* 9. *reſ.* 25. & alios qui arbitrantur talem non teneri reſtituere, quod ſic lucratus fuerit: quia ad ualorem contractus non requiritur in contrahente animus exequendi id, ad quod ſe obligat: ſed ſufficit animus obligandi ſe ea obligatione, cuius contractus eſt capax: ſic emptio eſt ualida, licet emptor non habeat animum ſoluendi pretium: ſic matrimonium eſt ualidum, licet coniux non habeat animum ſeruandi fidem coniugi. Ita etiam ſine tali animo contractus ludi fuit ualidus, & potuit ludens ius acquirere ad lucrum. Hæc ſententia eſt probabilis: quam ſuſtinent etiam *Hurtadus, Sanchez, & Lugo.*

3. Qui ludo uetito, pecuniam perdidit, eamque ſoluit, non poteſt propria authoritate recuperare perditum, nec illius compenſationem ſumere, quamuis illud ſe per iudicem recuperare deſperet; quia qui lucratus eſt ſine dolo, uiolentia, & ab eo qui alienare poteſt, & nihil aliud reperitur, niſi ſola legis prohibitio, iuſtè retinet pecuniam, eiuſque dominium habet, poſita pecunia & tradita lucranti, quouſque condemnetur per iudicis ſententiam, ita ſi ut alter non repetat, lucrans eam reſtituere non tenetur. Medina *de reſtit. quaſ.* 22. *coroll.* 3. Valentia *d.* 5. *q.* 6. *p.* 5. *d.* 8. Bannez 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *dub. penult.* Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 22. & alij.

Valent. Diana.

4. *Maximè controuerſum* eſt inter Doctores, an quando luditur pecuniam abſente, in ludo uetito, præſtita fide de ſoluendo, transferatur dominium rei amiſſæ in lucrantem, ita ut perdens eam in conſcientia ſoluere teneatur. Sanchez *in Sum. lib.* 2. c. 23. *num.* 144. Nauar. *c.* 20. *num.* 17. Leſsius c. *dub.* 4. *num.* 24. Bonacina c. *p.* 3. *num.* 2. Couar. *ad reg. peccatum p.* 2. § 4. *num.* 8. & alij, ſatis probabiliter docent ſtando in iure ciuili communi, *Authent. vt alearum, C. de rel. & ſumpt. funer.* illum qui ludo lege humana uetito perdidit, non teneri in conſcientia ſoluere quod perdidit credita pecunia, niſi fortè iurauerit ſe ſoluturum quod perderet: quia Cæſareo ſancitur, ut uictus non cogatur ſoluere, atqui parum eſt non cogi in foro externo, ſi interim cogitur in foro conſcientiæ. Valentia tamen c. Bannez c. Salon 2. 2. *q.* 11. *de dominio art.* 6. *dub.* 3. Clauis regia *lib.* 11. *c.* 13. *num.* 21. Azorius *c. cap.* 24. *quæſt.* 7. & alij, non minùs probabiliter aſſerunt, teneri in conſcientia pecuniam perditam in ludo & promiſſam ſoluere; quia ex vna parte promiſsio de re licita iure naturali ſeruanda eſt, et ex altera parte nulla eſt lex ciuilis communis quæ promiſsionem et contractum illum irritat et annullat; lex enim in Authentica ſolùm dat ius repetendi in iudicio, nec ullum facit inter ludentem pecunia credita uel præſenti diſtinctionem, ubi enim lex non diſtinguit, nec eos diſtinguere debemus. De hac controuerſia uide Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 8. & *p.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 21.

Sanch. Nauar. Bonac. Couar. Valent. Salon. Cla. reg. Azorius.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Ludi multiplex acceptio.*
2 *An ludus cum intentione lucrandi magnam quantitatem, ſit peccatum?*
3 *An ludus alearum, taxillorum & ſimiles iure Canonico prohibeantur Clericis ſub peccato?*
4 *An ſit peccatum mortale in Religioſis, ludere ludis iure prohibitis?*
5 *An Religioſus degens extra Monaſterium de conſenſu Prælati, poſſit aliquid impendere ludo prohibito, vel honeſto?*
6 *An teneantur ad reſtitutionem qui lucrantur à Religioſo expendente in vſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem illi à Prælato conceduntur?*
An Religioſus & alia perſona alienare prohibita poſſint plus lucrari, quàm perdere?
7 *An filius familias, qui vnico iactu ſolùm poteſt perdere quinque, poſſit ſingulis iactibus ab vno pluſquam quinque lucrari? Et an qui poteſt perdere quinque, ſi ſucceſsiuè lucretur quinquaginta, poſſit ea ludo exponere & perdere?* refertur duplex ſententia.
8 *Quando filius familias nihil alienare potens lucratur centum, an poſſit colluſor poſtea ab eodem tantumdem lucrari?*
9 *In quibus caſibus ludens cum muliere coniugata, poſſit ſibi retinere lucrum?*
10 *Quando lucrifaciens à ſeruo, poſſit ſibi acquiſitum retinere?*
11 *Qui à Minore per ludum aliquid acquiſiuit, an teneatur lucrans reſtituere?*
12 *An qui in ludo prohibito perdidit & promiſit liberaliter ſe non repetiturum, poſſit repetere, vel ſibi retinere quod perdidit?* refertur duplex ſententia.
Et quid de eo qui iurauit ſoluere, an poſſit poſt ſolutionem repetere?
13 *An iuramentum vel votum non ludendi ſit obligatorium?*
14 *An votum non ludendi ſub pœna certa peregrinationis, aut eleemoſynæ, an de ſola prima vice debeat intelligi.*
15 *Qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, an poſſit etiam diſpenſare in voto non ludendi.*
16 *An peccent mortaliter, qui aleatores in domo ſua recipiunt, adminiſtrando neceſſaria ad ludum mortaliter illicitum exercendum?*
17 *Laici, qui ſunt ſpectatores ludi mortaliter illiciti, quando peccent mortaliter, quando non? Et quando peccent Clerici, Beneficiati, aut in Sacris conſtituti & religioſi.*
18 *Si quis vtatur fraudibus contra leges ludi, an teneatur ad reſtitutionem lucri?*
An colluſor teneatur ex iuſtitia admonere alterum colluſorem errantem in numerandis punctis, & ob id perdentem? refertur duplex ſententia.
19 *An teneatur reſtituere lucrum, qui doloſè primam manum in ludo ſurripuit?*

Digitized by Google

20 *An liceat ludere pro Oratione Dominica vel Salutatione Angelica?*

1 LVdus variè accipitur, nam *Primò* poteſt ſumi vt eſt actus virtutis, nimirum, vt fit gratia reficiendi animum, & exercendi corpus. *Secundò*, vt eſt actus cupiditatis, nimirum ſi fiat gratia lucri & quæſtus comparandi. *Tertiò*, vt eſt quidam contractus inter colluſores, quo vnuſquiſque exponit periculo perdendi pecuniam, vel aliam rem quamcumque ſuam, ob ſpem lucrifaciendi pecuniam, vel rem alterius ludo expoſitam.

Ludus, alius eſt, qui arte, induſtria, & opera ludentium geritur: alius, qui caſu, ſorte, vel fortuna nititur. Alius verò eſt, qui partim caſu, vel ſorte, partim arte & induſtria regitur. Ludus autem aleæ eſt, qui caſu magis, quàm arte, vel induſtria, vel dexteritate gubernatur. Vnde ludus aleæ comprehendit ludum chartarum, taxillorum, tabularum & ſortium, & omnes ludos ſortitos, id eſt in quibus res permittitur caſui & fortunæ.

2. Sententia communis eſt, eum, qui ludit cum intentione lucrandi etiam magnam quantitatem, non peccare mortaliter. Ratio eſt, quia animus lucrandi etiam in materia notabili, niſi ex aliqua circumſtantia deprauetur non eſt ex ſe malus, ſed indifferens. Proinde ludens dum lucrum intendit, non concupiſcit damnum ſiue malum alterius, vt malum eius eſt, ſed lucrum proprium intendit tanquam ſibi debitum iure iuſtitiæ, per iuſtum ludi contractum, ſi alea ſibi fœliciter ſuccedat, vnde per accidens infertur damnum alteri. Ita Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſput.* 510. Rebellus *de oblig. iuſtit. p.* 2. *lib.* 12. *quæſ.* 1. Gaſpar Hurtado *de iuſtit. diſp.* 8. *diffic.* 2. Imò probabile eſt, ludum principaliter propter lucrum non eſſe peccatum etiam veniale; quia animus lucrandi non eſt ex ſe malus, niſi aliunde deprauetur, lucrum enim eſt ex ſe indifferens, vt ſuſtinet Eminentiſs. Card. Lugo *de iuſtit. tom.* 2. *diſp.* 31. *ſect.* 1. Sicut enim lucrum in alijs commutationibus & contractibus eſt conceſſum, ita etiam in ludo. Ex his igitur dicendum eſt, ludum etiam prohibitum alearum & taxillorum quamuis in magna quantitate per ſe laicis attenta lege naturali & humana poſitiua non eſſe nunc vllum peccatum: quia tam iura ciuilia, quàm Canonica prohibentia huiuſmodi ludos, iam per contrariam conſuetudinem ſunt abrogata: vt docent Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 2. Trullench. *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap* 27. *dub.* 1. & alij.

Molin. Rebellus Hurtado

Diana. Trullēc.

3. Ludus alearum & taxillorum & ſimiles, iure Canonico prohibentur etiam Clericis: nam *in cap. penult. de vita & honeſt. Clericorum*, ſic habetur, *Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſunt.* In *cap. Epiſcopus, diſtinct.* 35. damnari iubentur Epiſcopi vel Clerici, qui aleç deſeruiunt. Et *in cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælat.* iubentur deponi ab officio & beneficio Clerici deſeruientes aleæ; quæ omnia confirmauit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de reformat.* Circa quæ iura Doctores aduertunt Clericis tantùm eſſe prohibitam frequentiam in eo ludo: quia loquuntur de aleatoribus, nomen autem, aleator, frequentiam denotat: proinde niſi Clericus ſit publicus aleator, vel ludo prohibito nimium deditus, vel ſcandalum ſequatur non peccabit mortaliter: quia ſecluſo ſcandalo, ratione ſtatus perſonæ, nulla videtur ineſſe huic ludo malitia, ſaltem lethalis, imò nec venialis, ſi rarò & moderatè fiat, iuxta probabilem ſententiam, recreationis gratia. Proinde grauitas huius percepti & obligationis in Clericis, iudicanda eſt ex conſuetudine regionis, ex ſcandalo, ex frequentia, & quantitate pecuniæ ludo expoſitæ, & alijs ſimilibus circumſtantijs, quæ facilè variari poſſunt. Ita Cardin. Lugo *de iuſtit. tom.* 2. *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 11. Molina *tract. de iuſtit. diſp.* 512. *num.* 17. & alij. Ex quorum doctrina ſequitur ludum Clericorum, in quo lucrum eſt moderatum, ſi expoſita pecunia non excedat moderatam quantitatem, conſiderata qualitate, & facultate perſonæ ludentis cenſeri poſſe licitum, aſſumptum præcipuè pro recreatione animi, vt docent etiam Layman *lib.* 3. *tract* 4. *cap.* 21. *num.* 2. Amicus *tom.* 5. *de iuſtit. diſput.* 28. *ſect.* 1. *num.* 10. Ratio eſt, quia dicta iura hodie videntur à ſuo rigore ceſſaſſe, vt etiam annotauimus *ſupra verb. Ludus* 1. *num.* 3.

Concil. Trident.

Lugo. Molina.

Layman Amicus.

4. Ludere ludis prohibitis non eſt peccatum mortale Religioſis, in ijs Religionibus, in quibus eiuſmodi ludi iam vſu recepti videntur & permiſſi, dummodo Religioſus eam ſolùm pecuniam exponat, quam liberè poteſt in ſui commodum, vel recreationem expendere. In alijs Religionibus, vbi tam arctè regularis diſciplina viget, vt huiuſmodi ludi ſint penitus interdicti, graue peccatum foret viam & aditum eiuſmodi ludis etiam titulo recreationis aperire. Quare ſi quis auderet eiuſmodi ludum in Religionem inducere, tam ludens ipſe, quàm ſuperiores ſcientes & conuenientes, vix excuſarentur à peccato mortali. Ratio eſt, quia huiuſmodi ludi multum dedecent ſtatum Religioſorum, & longè magis his Religioſis ſcandaloſi, quam Clericis ſæcularibus, ex eo quod arctiorem vitam profitentur; & eò maius ſcandalum generant, quò magis in eis Religionibus regularis diſciplina viget, maiorque eſt opinio in populo de ipſorum obſeruantia & ſanctitate. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 18. *diſput.* 2. *dub.* 2. *num.* 21. Card. Lugo *de iuſtit. tom.* 2. *diſput.* 31. *ſect.* 1. *num.* 12. Molina *diſp.* 521. *in fine.* Diana *p.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 4.

Dicaſtil. Lugo. Molina.

5. Religioſus, qui extra Monaſterium de conſenſu ſuperioris in curia, vel vniuerſitate gratia addiſcendi literas moratur, non habet ius exponendi aliquid ludo prohibitio, aut indecenti Religioſo, qualis eſt ludus alearum, &c. Ratio eſt, quia in hoc, nec eſt tacita, vel præſumpta voluntas Superioris; non enim cenſetur Prælatus dare licentiam regulari alienandi pecuniam per ludum lege humana prohibitum, ſed ſolùm modo licito. Quando autem ludus eſt honeſtus & qui decet regularem, tunc ius habet Religioſus exponendi ludo aliquid modicum gratia reficiendi animum; quia tunc tacita ſubeſt Prælati voluntas: id tamen quod eſt notabilis quantitatis, nequit ludo exponere: quia non eſt tacita voluntas Prælati vt id exponat. Similiter, ſi ex his, quæ ſibi mittuntur ad congruam ſui ſuſtentationem, aliqua ſibi ſubtrahat parcè viuendo, poterit ea exponere ludo honeſto & licito: quia in hoc caſu videtur etiam ſubeſſe tacita Prælati voluntas. Ita Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 26. *in quæſt.* 8. *de ludo.* Fauſtus *in Speculo Confeſſar. diſput.* 32. *quæſt.* 21. *num.* 3. & 4. Si tamen à Superiore vel Conſtitutionibus ſuæ Religionis interdictus ſit ludus, tunc non habet locum præſumpta licentia, cùm obſtet expreſſa prohibitio contraria: vt docet Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 18. *diſp.* 4. *dub.* 6. *num.* 38.

Azorius. Fauſtus.

Dicaſtil.

6. Probabile eſt, quod licet Religioſus, qui expendit in vſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem ſibi à Prælato conceduntur, peccet mortaliter ſi materia eſt grauis, ij tamen qui ab illo talia lucrantur, ad nullam reſtitutionem tenentur. Ratio eſt, quia licet modus alienandi ſit contra voluntatem ſuperioris, non tamen ipſa alienatio ſecundùm ſe, ita vt eam inualidam eſſe velit. Ita Rebellus *de oblig. iuſtit. part.* 2. *lib.* 12. *quæſt.* 4. Cardin. Lugo *de iuſtit. & iure, tom.* 1. *diſput.* 3. *ſect.* 7. *numer.* 142. Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 22. & alij per ipſos. Vide dicenda à nobis *verb. Paupertas religioſa, num.* 11. *verſ. Sed quia.*

Rebellus Lugo. Diana.

Certum eſt tamen, quod ſi Religioſus, qui nihil poteſt alienare ludo propter prohibitionem ſuperioris, aliquid eſſet lucratus, reſtituere illud teneretur ei, à quo eſſet lucratus: quia tunc contractus fuiſſet ipſo iure nullus; ex contractu autem nullo, neuter contrahentium ipſo iure lucrari poteſt. Ita Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 5. Toletus *in Summ. lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 7. & alij communiter apud Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 19. *num.* 86. qui nihilominus *num.* 85. adducit quorumdam Doctorum opinionem ſuſtinentem probabiliter Religioſum & alias perſonas alienare prohibitas, poſſe abſque reſtituendi onere, plus lucrari, quàm poſſint perdere: quia contractus poteſt claudicare & non eſſe validus, reſpectu vnius, valere tamen reſpectu alterius, vt conſtat ex §. *pupillus, inſtitut. de inutilibus ſtipulat.* & ex *cap. Si qua de rebus,* 12. *quæſt.* 2. vbi decernitur, contractum cum pupillo vel Eccleſia abſque debita ſolemnitate initum, valere quidem in vtilitatem ipſorum, & præiudicium contrahentium cum ipſis, at eſſe irritum in præiudicium Eccleſiæ,

Valent. Tolet. Sanch.

vel

Digitized by Google

vel pupilli. Et præter Doctores à Sanchez, vbi ſupra citatos, nouiſſimè hanc ſententiam exiſtimant probabilem

Diana. Dicaſtil.

Diana *part.7.tract.9.reſol.*8. Dicaſtillus *de iuſt.lib.2.tract.* 18. *diſput.4. dub.* 2. *num* 13. modo colluſor ſciat ſe ludere cum eo, qui alienare non poteſt, & nihilominus vult ludere: in hoc enim caſu perinde eſt, ac ſi vellet quis ſe exponere periculo amittendi, aut dandi aliquid de propria pecunia.

7. Filiusfamilias, qui vnico iactu ſolùm poteſt perdere quinque, non poteſt ſingulis iactibus ab vno eodemque lucrari pluſquam quinque: quia colluſores debent eſſe conditiones pares, niſi ſciens conditionem ſocii cedat iuri ſuo. Si autem plures ſint in quos ludit, v. g. quatuor & ſinguli deponant quatuor, poterit lucrari ſexdecim, vtpote totidem ab vnoquoque ludentium, quot ipſe vnico iactu, ſeu manu perdere poterat, nempe quatuor, quia ſic ſemper eſt æqualis conditio ludi ex parte vniuſcuiuſque ludentium. Ita ex communi Molina *de contract. diſp.* 519. Rebellus *de oblig. iuſtit. part.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 4. & alii.

Molina. Rebellus.

Sed dubium eſt, an filiusfamilias, qui v.g. poteſt perdere quinque, ſi ſucceſſiuè lucretur triginta vel quinquaginta, poſſit ea ludo exponere & perdere? Quidam negant; quia vtriuſque ludentis æqua debet eſſe condirio; ſed in hoc caſu nulla eſt qualitas, ſi filius poteſt plus lucrari quam peredre. Ita Leſſius *lib.2. cap.26. dub.*5. Ioannes Medina *Cod de reb. inſtituend. quæſt.* 22. & alii.

Leſsius. Medina.

Omnes tamen fatenter id fieri poſſe, quando idem ludus perſeuerat, quia lucrum illud eſt ſolum, quod abſoluto ludo remanet: proinde poteſt in eodem ludo perdere non ſolùm id quod lucratus fuerat, ſed etiam id quod de ſuo perdere potuiſſet; quia colludentes in eodem ludo non debent deſtitui ſpe recuperandi amiſſum.

Quando autem ludus eſt alius, quia nempe filiusfamilias receſſit a ludo, domum ſe conferens, & altera die ad ludendum redit; quidam putant non poſſe integram illam quantitatem ludere, ſi notabilis ſit, quia eam filius non ſibi, ſed patri acquiſiuit, cùm non ex ſuis, ſed ex paternis bonis eam acquiſierit. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib.2.tract.*18. *diſputatione quarta, dub.* 3. *numero vigeſimotertio & vigeſimoquarto*, Armilla Gabriel & Roſella apud Sanchez *infra*. Dicendum tamen eſt, licet de ſubtilitate iuris non poſſit ludere totum quod lucratus eſt, quia patri acquirit; nihilominus de æquitate conſcientiæ, ſi ludat filiusfamilias cum eodem à quo lucratus eſt, & perdat, poſſe alterum compenſare id, quod perdiderat, & ſic non teneri reſtituere hoc, quod lucratus eſt. Ratio, tum quia pater volens filio ludum permittere, cenſetur licentiam dare, vt ludo exponat id, quod ludo lucratus fuerat, ne parum ciuilis reputetur ab eo, qui antea perdiderat, niſi fortè iam lucrum diſſipaſſet, & ſine vtilitate patris inſumpſiſſet. Tum quia licet lucrum computetur in bonis profectitiis, quorum dominium & adminiſtratio pertinet ad patrem, tamen pater videtur tacitè concedere filio eam adminiſtrationem, vt non cogatur cum ſuo dedecore & aliorum offenſione ſtatim a ludo abire, ſed poſſit pergere, ad ludendum totum lucrum. Ita Sanchez *in opuſcul. tom.* 1. *lib.*1. *cap.*8. *dub.* 8. *num.*2. & 3. Bannez *ſecunda ſecundæ quæſt* 32. *artic.7.* §. *reſpondetur*. Cardinalis Lugo *de iuſtit. tom.*2. *diſp.* 31. *ſect.*2 §. 1. *num.*24. Syluius 2. 2. *quæſt.*168. *art.*3. *concl.* 2. & alii.

Dicaſtil.

Sanch. Bannez. Lugo. Syluius.

8. Quando filiusfamilias nihil alienare potens lucratur centum, poteſt colluſor poſtea ab eodem tantumdem lucrari per alios ſequentes ludos, non ſolùm continuos vel ſimiles, ſed etiam tempore diſtantes, ac genere diuerſos, modo lucrum apud eundem filiusfamilias perſeueret & non ſit conſumptum, ſi enim iam conſumpſiſſet, aut aliquis alius legitimè ab eodem filio ſit id lucratus, & is filius non habeat iam quicquam, quod ludo poſſet legitimè perdere: tunc non haberet locum compenſatio. Ratio eſt, quia licet alter qui poterat alienare, habuerit animum donandi, quando cum filiofamilias luſit, ac perdidit, lex tamen ludi exigit, vt totum lucrum, hinc & inde acquiſitum ludo deſtinetur, ſiue continuetur, ſiue interrumpatur; quia non ita cenſendus eſt alter voluiſſe alienare quod perdidit, quin compenſationem poſtea licitè facere poſſet: vt docent Molina *tract.* 2. *diſput.* 519. *num.* 10. Rebellus *part.* 2. *lib.* 12. *quæſt.* 4. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 9. Caſpenſis *tom.* 2. *Curſ. Theolog. tract.* 18. *diſput.* 8. *ſect.*3. *num.* 21. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſput.* 32. *quæſt.* 19. & alij penes ipſos.

Molina. Diana. Caſpenſ. Fauſtus.

9. Qui cum muliere coniugata ludit, poteſt licitè ſibi retinere lucrum quod ab ea acquiſiuit, in ſeptem caſibus. *Primò*, quando vxor ludit ac perdit ludendo, eo more, quo cæteræ coniugatæ fœminæ eiuſdem conditionis & ſtatus ſolent ludere. Nec maritus poteſt id ei prohibere, quia ob dotem & ſocietatem honorum contractam, illi debetur congrua & competens ſuſtentatio, quæ ſanè comprehendit ſumptus omnes ad ea omnia, quæ mediocres fœminæ ſui ſtatus & conditionis ſolent inſumere, etiam ad competentem & honeſtam oblectationem. *Secundò*, quando vxor ſua priuata induſtria & labore acquirit & lucratur poſtquam muneri ſuo & curæ domeſticæ plenè ſatisfecit. *Tertiò*, quando vxor habet adminiſtrationem bonorum. *Quartò*, quando maritus ſcienter permittit, vt aliquid pecuniæ ludo exponat. *Quintò*, quando maritus aliquam pecuniæ ſummam vxori concedit vt ornatior & comptiùs ſeſe induat, & ipſa reſtrictiùs viuendo ex his aliquid ſubtrahit. *Sextò*, quando maritus expreſsè aliquas pecunias concedit vxori, vt eas pro libito expendat. *Septimò*, quando vxor vltra dotem habet bona paraphernalia, quorum dominium & adminiſtratio ad ipſam pertinet. De his vide Amicum *tom.*5. *de iuſtit. diſput.* 28. *ſect.*4. *num.*34. Molinam *tract.*2. *diſp.*520. Caſpenſem *tom.*2. *tract.*18. *diſput.*8. *ſect.* 3. *num.*20. Azorium *p.* 3. *lib.*3. *cap.*26. *quæſt.* 10.

Amicus. Molina. Caſpenſ. Azorius.

10. Quauis ſeruus, ſeu mancipium regulariter non poſſit in ludo alienare, ſeu perdere, quia regulariter caret bonis, in certis tamen caſibus lucriſaciens ab eo poteſt ſic acquiſitum ab eo iuſtè retinere. *Primò*, quando dominus mancipio concedit certam pecuniam in ſingulos dies, vt ex ea viuat, & ſeruus parcè viuendo abſque ſui domini detrimento, aliquid ſibi retinet, poteſt de iure illud per ludum alienare: quia tacita ſubeſt domini voluntas, vt illud ſibi ſeruus acquirat. *Secundò*, quando inter dominum & ſeruum eſt conuentum, vt ſeruus ſuo labore certam lucri portionem quotidie ſuo domino reddat, & reliquum ſibi retineat, tunc ſeruum reliquum poteſt ludo exponere. *Tertiò*, ſi dominus expreſsè vel tacitè velit, vt ſeruus aliquid habeat tanquam ſuum, & de eo pro ſuo arbitrio diſponat, ſiue illud habeat donatione domini, ſiue aliunde. *Quartò*, ſi ſeruo aliquid donetur, aut legetur ea conditione, aut eo modo, vt nullatenus pertineat ad dominum. *Quintò*, ſi aliquid ſeruo detur in ſatisfactionem pro iniuria ipſi illata in his quæ non ſubiacent dominis. *Sextò*, ſi bonis ſuis aliquid ludo, aut negotiatione, aut aliter lucretur abſque præiudicio obſequiorum, quæ domino debet. Extra hos caſus, qui ludit cum ſeruo & lucratur, tenetur reſtituere domino lucrum, quia quidquid mancipium acquirit vel habet, ad dominum eius attinet. Similiter ſi ſeruus ex bonis quæ furto accepit à proprio domino, aut ab alio, aliquid ludo ab alijs lucretur, reſtituere id illis tenetur. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 520. Hurtadus *de iuſtit. diſp.* 1. *diffic.* 18. & *de contract. diſp.* 8. *diffic.* 8. Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 26. *quæſt.* 9. *de ludo*. E contra, in caſibus, in quibus ſeruus, vt dictum eſt, poteſt iure aliquid ludo exponere, ſi lucrifecerit ludendo, licitè ſibi lucrum retinet, nec tenetur illud domino reſtituere: quia in hoc tacita videtur ſubeſſe domini voluntas; dummodo nihil ſurripuerit ex domini bonis ad ludendum.

Hurtad. Azorius.

11. Qui à minore per ludum aliquid acquiſiuit, ſi minor ſit pubes & curatores careat, non tenetur lucrans reſtituere, donec minore reſtitutionem petente, iudex lucrantem ad eam cogat. Ratio eſt, quia hic minor naturaliter & ciuiliter obligatur ex contractu cum beneficio reſtitutionis, ex *l. Si curatorem. Cod. de in integra reſtitut.* Si autem minor curatorem habeat vel ſi impubes pubertati tamen proximus (approximare autem pubertati in hac materia dicitur puer decem annos cum dimidio excedens, & fœmina cum excedit nouem & dimidium)

ſuſtinen-

ſuſtinendo opinionem probabilem aſſerentem hunc ſine curatoris auctoritate contrahentem non obligari naturaliter; conſequenter dicendum eſt; lucrantem teneri reſtituere: & in hoc caſu vera eſt ſententia D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 7. *ad* 2. Ioann. Medinæ *Cod. de reſtit. quæſt.* 22. §. *vtigitur.* Bannez, Arragon *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 7. & aliorum. Et cùm ſit valdè probabilis, poterit minor illi innitens non ſoluere pecuniam in ludo amiſſam. Sed retenta probabiliori ſententia, quòd impubes pubertati proximus & minor ſine tutoris, aut curatoris auctoritate contrahentes obligentur naturaliter, dicendum eſt lucrantem à minori vel pubertati proximo abſque curatoris auctoritate, non teneri reſtituere, interim dum minor vel tutor loco illius non repetit coram iudice, vtens de beneficio reſtitutionis. Quia licet minor, vel impubes ille eo contractu dominium non transtulerit, ac tenebatur naturaliter & in foro conſcientiæ ſtare contractui, dum non eliditur beneficio reſtitutionis; ergo lucrans non tenebitur reſtituere. Ita ſuſtinent Molina *tract.* 2. *diſput.* 224. §. *Ex dictis infero, & diſp.*519. §. *Quod dictum eſt.* Sanchez *de matrimon. lib.*6. *diſp.*38.*num.*20. *& ſeq.* Layman *lib.*3. *ſect.*5.*tract.*4.*cap.*9. *num* 7. Leſſius *lib.*2. *cap.*17. *dub.*8. *num.* 61. Diana *part.*7. *tract.* 5. *reſol.* 44. *& part.*7. *tract.*9. *reſolut.*13. qui nouiſſimus aſſerit in hoc caſu, quòd ſi minor noluit ſoluere, & ſi ſoluerit, colluſor nolit reſtituere, poteſt Confeſſarius probabiliter, neque minorem ad ſolutionem, neque colluſorem ad reſtitutionem obligare.

D. Tho.
Medina.
Bannez.
Molina.
Sanch.
Layman
Leſsius.
Diana.

12. Quidam cenſent, eum, qui in ludo prohibito perdidit, & promiſit liberaliter ſe nunquam repetiturum, non poſſe repetere vel ſibi retinere quod perdidit: quia ceſſit iuri ſuo, & lex quæ dat repetitionem, eſt facta in gratiam & beneficium perdentium, licet autem vnicuique iuri & facultati ſibi conceſſæ renunciare. Ita Sotus *de iuſtit. lib.*4. *quæſt.* 5. *art.*2. Azorius *part.* 3. *lib.*5. *cap.* 24. *quæſt.* 7. *verſ. Quæres.* Verius tamen eſt oppoſitum: nam ſi ſolùm renunciauit ſimplici verbo abſque iuramento, ſe non vſurum beneficio legis concedentis ei repetitionem, tunc in conſcientia poterit repetere, vel retinere ſibi pecuniam amiſſam, ſimplex enim ceſſio non priuat hominem iure, quod lex ei tribuit in fauorem Reipublicæ, alioquin facillimè omnis vis legis redderetur inanis & fruſtatoria, vt docent Rebellus *de obligat. iuſtit. part.*2. *lib.* 12. *quæſt.*2. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſput.* 32. *quæſt.* 14.

Sotus.
Azor.

Sed quid dicendum de eo qui iurauit ſoluere, an poſſit poſt ſolutionem repetere? Reſpondeo affirmatiuè, quia qui iurat ſoluere, renunciat quidem actioni, quam habet non ſoluendi, ſed non actioni, quam habet repetendi poſt ſolutionem, non enim iurauit ſe non repetiturum, ſed ſe ſoluturum. Qui autem iurauit ſoluere & non repetere, tenetur ad vtrumque ſeruandum; quia iuramentum de re licita alteri factum neceſſariò ſeruandum eſt, vt patet ex *cap. quamuis de pactis, in 6.*

An autem in hoc caſu poſſit ante ſolutionem petere relaxationem iuramenti ab Epiſcopo, & ſic non ſoluere, & ſi ſoluit, ſolutum repetere? non conueniunt Doctores. Quidam enim putant in hoc caſu iuramentum relaxari non poſſe ſine conſenſu eius, cui factum eſt, quia præſtitum eſt in eius commodum, abſque vi, fraude, vel iniuria, ac proinde acquiſitum eſt illi ius, quo inuitus ſpoliari non poteſt. Ita Molina *tractatu ſecundo, diſput.* 515. Leſſius *lib.*2.*cap.*26. *dub.*4. Rebellus *parte ſecunda, lib.*12. *quæſt.* 8. Probabile tamen videtur, quod poſſit etiam ante ſolutionem petere relaxationem iuramenti: nec hoc propriè cenſetur eſſe præiudiciũ tertij, quia ob tranſgreſſionem legis expoſitus eſt lucrans huic expoliationi, præſertim quia, cùm is qui iurauit, poſsit poſt impletum iuramentum repetere qui ſoluit, non cenſetur illi præiudicare, ſi per relaxationem iuramenti ab obligatione ſoluendi liberari procuret. Quod autem hoc licitè fieri poſsit. Probatur, quia relaxatio hæc in nullius præiudicium eſt: nam iuxta probabiliorem ſententiam, iuramentum cadens ſupra promiſsionem, aut contractum nullum, non facit contractum validum in materia iuſtitiæ, ac proinde is, cui factum eſt iuramentum, nullum ius acquiſiuit ad rem promiſſam. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib.*2. *tract.*18. *diſput.*3. *dub.*3. *num.*29. *& ſequent.* Salas *tract. de ludo, dub.* 26. *num.* 8. Diana *part.*7. *tract.*9. *reſol.* 26.

Molin.
Leſsius.
Rebellus
Dicaſtil.
Salas.
Diana.

13. Iuramentum vel votum non ludendi, quatenus includit ludum honeſtum, qui opus virtutis eſt, non obligat. Quia cùm ille ludus honeſtus ſit actus virtutis Eutrapeliæ, teſte D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 168. *articulo* 2. *in corpore*, iuramentum vel votum abſtinendi ab hoc ludo eſſent contra bonos mores: vnde illud votum vel iuramentum intelligi debet de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter conijciatur de iurantis, aut vouentis intentione. Ratio eſt, quia iuramentum reſtringendum eſt, vt quantum fieri poteſt minus obliget, nam vbi agitur de obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt, iuxta *cap.* 1. *de iureiur. in* 6. *& l. quidquid ad ſtringenda, ff. de verb. obligationibus.* Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 21. Rodriquez *in Summ. Latina*, 1. *part. cap.* 188. *numerò decimo.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib.*2. *tract.* 18. *diſput.* 1. *dub.* 1. *num.* 15.

Nauar.
Rodriq.
Dicaſtil.

Si autem iurans vel vouens intenderet per illud votum vel iuramentum ſe obligare ad abſtinendum à ludo licito, votum & iuramentum eſſent valida. Ratio eſt, quia quidam virtutis actus reperiuntur, quorum priuatio perfectius bonum continet, eo quòd includant acceſſum ad res terrenas, menſque circa eas euagetur. Inter hos numerantur ludus honeſtus, amicorum conuiuia, &c. quæ ad vrbanitatem & alias virtutes pertinent. Votum ergo, vel iuramentum emiſſa de abſtinendo ab huiuſmodi virtutis actibus eſt validum. Sicut valet votum de abſtinendo à matrimonio, quod tamen res bona & Sacramentum eſt. Quia priuatio boni, qualis eſt hæc, quæ includit bonum maius, non eſt mala, ſed melior, & ideò eſt legitima voti materia.

Quando autem non conſtat de expreſſa vouentis, ſeu iurantis intentione, ea ex ipſius ſine perpendenda eſt: nam ſi finis iurantis ſit vitare iacturam & prodigalitatem pecuniæ; tunc ex quantitate pecuniæ ludo expoſitæ, iudicanda eſt culpa ludi, an ſit venialis, aut mortalis: ſi autem iuramentum ſit de non ludendo cum certa & determinata perſona, vel in domo certa, vel determinato ludo, hæc iuramenta non obligant, cùm ſint de re indifferenti, niſi ex tali ludo, vel cum tali perſona, aut in tali loco, aliqua occaſio peccati vel amiſsionis maioris ſummæ pecuniæ, timeretur, tunc enim materia talium iuramentorum, iam non maneret indifferens. Ita Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 18. *num.* 2. *&* 3. Caſpenſis *tom.* 2. *tract.* 18. *diſp.* 8. *ſect.* 3. *num.* 26.

Sanch.
Caſpenſ.

14. Dubium eſt, an qui vouit non ludere ſub pœna certæ peregrinationis, aut eleemoſynæ, de ſola prima vice votum debeat intelligi? Negant Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.*22. *num.*21. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.*5. *num.*24. *concl.* 1. quia votum illud pœnale eſt acceſſorium voto non ludendi: ſed votum non ludendi non eſt de ſola prima vice; ergo neque illud votum pœnæ ſubeundæ debet eſſe. Ergo votum pœnæ non vnico ludo, ſed omnibus annexum eſt. Quando autem ſolùm eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi, non tamen eſt votum de ludo vitando, ſi ſpectatis omnibus circumſtantijs, de intentione vouentis conſtare non poſsit, ſed dubium maneat, de primo ludo, videtur probabiliter intelligendum. Ratio eſt, quia cùm de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio amplectenda eſt, ſalua verborum proprietate. Ergo ſi vouens de intentione ſua dubitet, hanc benigniorem partem, vtpote non abhorrentem à verborum proprietate & vſu, præferre poteſt. Et in hoc caſu poſset admitti doctrina Eman. Sà. *verb. Votum, num.* 26. dicens: *Vouens ſe aliquid acturum, ſi contingat fortè peccare, intelligitur de prima vice, niſi intendiſſet expreſsè quoties peccaſſet.* Conſentit Layman *cit. concl.* 2.

Sanch.
Layman
Sà.
Layman

Limitat tamen ſuam ſententiam Sanchez *loco cit.* ſi pœna per votum promiſſa grauiſsima ſit, quæque iterari non ſolet, qualis eſt Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, aut exorbitantis eleemoſynæ, tunc de prima vice tantùm votum intelligendum eſſe. Vide Dianam *p.*4. *tract.*4. *reſol.* 181. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *dub.*26. *num.* 10. *cap.* 2.

Diana.
Trullẽc.

15. Qui

15. Qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, poteſt etiam diſpenſare cum habente votum non ludendi, modò adſit iuſta cauſa, qualis videtur ſubtractio occaſionis peccandi mortaliter in eo, qui aſſuetus eſt mortaliter peccare ludendo contra votum. Non poteſt tamen huiuſmodi votum vel iuramentum diſpenſari hac ſola ratione, quia vouens vel iurans magnum deſiderium & tentationem patitur ludendi, quia iſta non cenſetur iuſta cauſa ad diſpenſationem concedendam. Proinde fertur Pium V. conſultum noluiſse ſuper voto non ludendi diſpenſare, quia nulla videtur cauſa diſpenſandi, & diſpenſatio iuramenti iuſti, vel voti de re graui, facta ſine iuſta cauſa eſt iure diuino irrita: vnde Superior vel alius habens auctoritatem ex priuilegio diſpenſandi & commutandi iuramenta & vota, melius faciet commutando illud votum vel iuramentum in rem meliorem, vel æquè bonam, ac Deo gratam. Ita Lopez *part. 2. inſtructor. cap. 35. q. 7.* Bonacina *de reſtit. diſp. 2. quaeſt. 3 punct. 1. num.* 20. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſput. 32. quaeſt. 16.* & alij.

Lopez. Bonac. Fauſtus.

16. Qui aleatores ad ludum mortaliter illicitum, aliter non futurum, menſę, chartas, candelas, aut alia in tali ludo neceſſaria adminiſtrando, in domo ſua recipiunt, peccant mortaliter. Ratio eſt, quia licet ludus ex ſe ſit res indifferens, moraliter tamen ſemper ibi deſtinatur domus ad prauum vſum, ſicut & alia: nam vel blaſphematur, vel dilapidantur bona, vel rixæ excitantur, vel ibi ludunt minores, vel furta committuntur, & rariſſimè abſque peccato mortali exercentur, & proinde peccant exponendo domum ſupradicto ludo. Nec obſtat licitum eſſe miniſtrare & vendere res indifferentes etiam cum cognitione praui vſus: ergo etiam erit licitum præbere inſtrumenta ludentibus, ſicut eſt licitum locare domum, vel vendere ornamenta meretrici.

Hoc enim non obſtat, quia licet ſit licitum miniſtrare indifferentia cum cognitione praui vſus, quando non miniſtrantur in ipſo exercitio, v. g. locare domum, ac vendere ornamenta meretrici; quia hæc non ita directè, immediatè & proximè ſunt adiumento illi ad peccandum. Contrarium tamen euenit in hoc caſu, vbi domus & inſtrumenta ad ludendum miniſtrantur in ipſo exercitio, & magis directè, immediatè, ac proximè ſit concurſus ad peccatum perpetrandum. Imò tales ſubminiſtrantes domum, chartas, aleas & cętera inſtrumenta non erunt immunes à reſtitutione rerum ibi perditarum, ſi perdantur ab illis, qui alienare non poſſunt, aut per fraudem, aut vim, quarum ipſi ſuſceptores ſunt conſcij, ſi taliter lucrantes non reſtituant: Ita Caſpenſis noſter *tom. 2. tract. 18. ſect. 3. diſp. 8. num.* 27. Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub.* 21. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. c. 27. dub.* 1. Fauſtus *in ſpecul. diſp. 32. quaeſt.* 28. & alij penes per ipſos: quibus adde Lopez *part. 2. inſtruct. cap.* 33.

Caſpenſ. Sanch. Trullēc. Fauſtus.

17. Laici, qui ſunt ſpectatores ludi mortaliter illiciti, non peccant mortaliter, quando ex contemplatione duntaxat ſucceſſus ludi, modique ludendi abſque alterius mali appetitione delectantur. Probatur, quia iſti non ſunt auctores, neque conſultores huiuſmodi ludorum, nec eorum deformitas eis placet, nec addunt animum exercentibus ſe in illis, ergo nullo modo conſentiunt peccato mortali, ac per conſequens, cùm nullo iure interdicantur laici huiuſmodi ludis intereſſe, non videtur mortalis hæc præſentia, ſi tantummodo ſumatur delectatio ex ludo, quatenus habet in ſe quid iocoſum, vel quid ridiculum, aut gratum ſenſibus: quoniam tunc non delectatur quis in re geſta, ſed in modo rei, qui eſt bonus in ſe. Proinde illi tantùm peccabunt mortaliter, quibus complacent ludus, vt eſt prohibitus, aut quibus complaceat aliquod peccatum mortale, quod in ludo ſit, verbi gratia, mors alicuius hominis, aut quibus imminet probabile periculum conſenſus in peccatum mortale, nimirum, quia aſpiciuntur homines ſeſe vulnerantes, aut videntur laſciui & libidinoſi actus, aut adiuncta laſciua verba, aut prouocantia ad libidinem, quæ ſit peccatum mortale. Rarò enim in aſpectu ſimilium rerum maximè obſcœnarum, deerit peccatum mortale propter hominum fragilitatem. Ita Sylueſt. *v. Curioſitas, q.* 3 *&* *v. Ludus, q.* 8. Azor. *p. 3. lib. 5. q.* 7.

Sylueſt. Azorius.

Clerici verò beneficiati, aut in Sacris conſtituti & Religioſi, ſi per multum tempus eiuſmodi ludis interſint, peccant mortaliter, quia hoc eſt ipſis interdictũ *in c. Clerici, el. 2. de vita & honeſtat. Clericor.* Et colligitur ex Extrauag. Pij V. vbi Clericis, tam regularibus, quàm ſæcularibus ſub excommunicationis pœna hoc interdicitur. Sed pœna excommunicationis non fertur niſi pro culpa mortali, ergo. Ita Nauarrus *in Man. cap. 20. num.* 14. Ludouic. Lopez *p. 2. inſtruct. cap. 31. concl.* 7. quamuis quidam doceant hos non peccare mortaliter, niſi ſint cauſa ludi, vel omittant corrigere, quando tenentur, vel niſi complaceant in ludo mortali; quia materia non videtur tam grauis, de quibus vide Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 29. & 30.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 1. num. 5. & 6.*

Sanch. Trullēc.

18. Si quis vtatur fraudibus contra leges ludi, tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus eſt: imò & ad reſtitutionem eius, quod alter iuſtè lucraturus erat, niſi fraude impeditus fuiſſet: quia damnum per iniuſtitiam ei infertur. Proinde iniuſta foret deceptio & ad reſtitutionem obligans in luſu chartarum, ſi quis ſuffuretur chartam, vnde contingit eum vincere. Item, ſi chartas ſignis notet, vt agnoſcat quando ſibi vel colluſori pars peior vel melior contingat. Item, ſi ita artificioſè chartas cum fraude componat, vt melior ludi pars ſibi contingat. Ita communiter tradunt Doctores.

Sed difficultas eſt, an ſi quis videat colluſorem non numerare omnia puncta quæ habet; quæ ſi numeraret lucraretur, teneatur ſi non admonet, lucrum reſtituere? Quidam putant teneri, quia accipit ab ignorante pecuniam, quam non amiſit. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 20. num.* 17. Lopez *part. 2. inſtructor. cap. 35. verſ. Deinde.* Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 25. q.* 3. Quod verum eſt loquendo ex natura rei, & inductione poteſt probari in omnibus aliis contractibus. Verùm contrariam ſententiam tenent multi. Ratio eſt, quia licet ludens teneatur alterum non defraudare, non tamen tenetur ex iuſtitia alterum de ſua negligentia vel errore admonere; hæc enim eſt lex ludi, præſertim vbi conſuetudine recepta eſt. Tum quia cùm vnuſquiſque ſuas agat partes in ludo, non tenetur alterius agere, neque tenetur colludenti prodeſſe, in eo quod per negligentiam non aduertit. Et confirmatur, quia in ludo chartarum eſt in vſu, quòd ſi aliquis eſt oblitus numerare vel apponere calculos, ſi recordetur poſtquam diſtributæ ſunt chartæ, non poſſit ſecundùm leges ludi numerare vel apponere. Hæc ſententia eſt probabilis, vbi adeſt conſuetudo ſic ludendi. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 26. num.* 15. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. diſp. 27. dub.* 2. Amicus *tom. 5. de iuſtit. diſp. 28. ſect. 4. num.* 30. Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub.* 14. & alii.

Nauar. Lopez. Azor.

Leſsius. Trullēc. Amicus. Sanch.

Notandum tamen illum, qui inſpicit ludentes in hoc caſu non peccare contra iuſtitiam, non admonens ludentem errare in computandis punctis, niſi id promiſerit, & ita non teneri reſtituere, licet interdum peccet contra charitatem, vt docent auctores vtriuſque ſententiæ.

19. Qui accipit primum locum, quem in ludo chartarum appellant manum, cùm tamen alteri colluſori deberetur, peccat, & ſi ob id aliquid lucratur, ad reſtitutionem tenetur, quia ſurripit ius aptius lucrandi colluſori, & tollit proximo ius ſuum, ſcilicet præire in ludo, quod maximè confert ad lucrum. Tamen ſi non conſtet præcisè ratione prioris loci liberatum fuiſſe, non tenebitur totum reſtituere quod lucratus eſt; ſed quantum ius illud prioris loci iudicabitur valere; quia fortè licet alter præiret, perderet, ergo non tenetur integrè reſtituere. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 20. num.* 17. Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub.* 15. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub.* 2. Verùm ſi contingat lucrari præcisè ratione ſolius prioris loci, quia habebant æqualia puncta, tunc tenebitur reſtituere non ſolùm totum quod lucratur; ſed inſuper tantumdem quod ipſe amiſſurus erat, quia in eo caſu fraus fuit cauſa totius illius damni. Ita Dicaſtill. *de iuſtit. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 3. num.* 24. Diana *p. 7. tract. 9. reſol.* 45.

Nauar. Sanch. Trullēc.

Dicaſtil. Diana.

20. Quidam improbare videntur, & irreuerentiæ notare, ludere pro Oratione Dominica, vel Salutatione

Digitized by Google

Angelica, eo quòd ſacra profanis miſceantur, imò etiam ſimoniæ, ſi ciuiliter ad eiuſmodi dicenda ſeſe colludentes obligare intendant. Ita Lopez *p.2.inſtruct.cap.32. quæſt.2.* Vega *in Sum. verb. Ludus, caſ. 14.* Lopez.

Rectius tamen docent alij id eſſe licitum, nec vlla irreuerentia apparet, ſi reuerenter dicantur, quandoquidem vbique orare liceat; nec quod pro præmio eiuſmodi preces proponantur in ludo præſertim licito & honeſto, vlla ſimonia ſubeſſe videtur. Sic Nauar. *in Man. cap. 20. num.7.* Rebel. *de oblig. iuſtit. p. 2. lib. 12. quæſt. 3.* Et hæc addita de ludo ſufficiant. Nauar. Rebelius

Vide tom. 1. v. Commendatarii *num.4.*

LVXVRIA.

Quid ſit luxuria, & de eius ſpeciebus.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit luxuria generatim & strictè ſumpta?*
2 *An luxuria ex genere ſuo ſit peccatum mortale & vitium capitale? & quæ ſunt eius filiæ?*
3 *Sex numerantur luxuriæ ſpecies, & quæ ſit ratio harum ſpecierum?*
4 *Vt dupliciter peccatum dicatur contra naturam, & vt quinque modis in materia luxuriæ peccatum poſſit eſſe contra naturam?*
5 *An mollities ſeu pollutio voluntaria ſit peccatum mortale?*
6 *Vt pollutio poſſit eſſe voluntaria in ſe, & in cauſa, & quæ requirantur vt aliquod peccatum ſit voluntarium in cauſa?*
7 *An ſit peccatum mortale quando pollutio ſequitur ex vi naturæ, vel ex aliqua cauſa quæ habet alium effectum, vel quæ aſſumitur propter vtilitatem vel bonum finem?*
8 *An excuſari poſſit pollutio à mortali præter intentionem ſubſecuta ex tactu licito, & in eo præuiſa, ſi tactus ille neceſſarius ſit, & ceſſet periculum conſenſus?*
9 *At ſit mortale illi actui operam dare ob pollutionem in ea præuiſam, quando neceſſitas, nec cauſa vtilitat adeſt, nec periculum conſenſus in illam ſubeſt?* refertur duplex ſententia.
10 *An ſit obligatio vitandi pollutionem in cauſis quæ per ſe & proximè non ordinantur ad illam? & quæ ſint illæ cauſæ per ſe turpes & ad luxuriam directè pertinentes, & quæ non ita proximè, ſed remotè venerem excuent?*
11 *An pollutio præuiſa in gula peccato mortali habeat ſpecialem pollutionis malitiam mortalem?*
12 *Quando actus habeat malitiam mortalem inter ſolutos, ſi ſit pollutionis præuiſa & non intentæ cauſa? Et an pollutio ſit mortalis quæ ſequitur ex rebus venialiter turpibus?*
13 *Qui dedit cauſam culpabilem pollutioni, & antequam illa ſubſequuta fuerit, pœnituit, an pollutio poſtea ſubſecuta culpa vacet?*
14 *An liceat aliquando deſiderare vt ſibi vel alteri eueniat pollutio vel de ea ſequuta gaudere?* refertur duplex ſententia.
15 *Quando pollutio nocturna ſit peccatum, quando non?*
16 *An propter ſanitatem aliquando liceat pollutionem directè procurare?*
17 *An fas ſit cooperari ad ſeminis iam è lumbis deciſi effuſionem?*
18 *An omnes pollutiones ſint eiuſdem ſpeciei?*
19 *An mortale ſit procurare magnam commotionem ſpirituum de ſeruientium generationi?*
20 *An voluntaria ſeminis emiſſio extra vas, aut is modus congrediendi ex quo illa ſequitur, inter coniugatos ſit peccatum mortale? Et an maritus poſſit deſiſtere à copula inchoata?*
21 *Quotuplex ſit Sodomia, & quæ eius pœna?*
22 *An aliquando Sodomia habeat aliam malitiam, v.g. ſacrilegij, iniuſtitiæ, adulterij, &c. & an explicanda ſit in confeſſione perſona cum qua perpetrata fuit? & an ſit differētia inter ſodomiticam copulam, & actum ſodomiticum?*
23 *Quid ſit beſtialitas, & an differat ſpecie pro diuerſitate belluarum cum quibus perpetratur?*
24 *An coniunctio naturalis facta modo indebito ſit peccatum mortale?*
25 *Quod ſit peccatum grauiſſimum in peccatis contra naturam?*
26 *Remedia contra luxuriam.*

1. L*Vxuria* à luxu dicitur, & generatim ſumpta ſignificat omnem exceſſum non ſolùm in re venerea, ſed etiam in veſtitu, epulis, vnctionibus & ſimilibus delitijs: strictè autem accipitur luxuria pro exceſſu in re venerea: nam luxurioſus dicitur quaſi luxatus & ſolutus in voluptates; maximè enim animum hominis diſſoluunt voluptates venereæ. D. Thom. 2.2.*quæſt.*153. *art.*1. Leſſius *lib.4.c.3.dub.5.num.39.* Sylu.2.2.*q.*153.*art.*1. Layman *lib.3. ſect.4. num.9.* & alij. D. Tho. Leſſius. Layman

2. *Luxuria*, ex ſuo genere peccatum eſt mortiferum, & præterea vitium capitale, vt conſtat ex Apoſtolo *ad Galatas* 5. recenſente luxuriam inter ea opera carnis, quæ qui exercent, regnum Dei non conſeqnentur. D. Thomas *c.art.4 & 5.* Clauis regia *lib.8.c.1.num.4.& ſeq.* quòd autem luxuria ſit vnum ex ſeptem vitijs capitalibus, docent D. Gregor. *lib.31. moral. c.31.* Syln. 2.2.*q.* 153.*art.*5. Iſidorus apud Leſſium *c.num.*44. D.Antonin. *p.2.tit.5.c.9.* Summa corona confeſſ. *p.1.c.1.de Luxuria.* Nider. *in decalog. præc.6. c.1. n.7.* & alij, quia multa alia ex illo oriuntur, tum propter vehementiam delectationis venereæ, tum etiam propter connaturalitatem huiuſmodi concupiſcentiæ. Luxuriæ enim finis, cùm ſit delectatio venerea, quæ maximè appetibilis eſt ex delectationis vehementia, quæ tanta eſt, vt ſenſus abſorbeat, & rationem impediat; ideo ad eam aſſequendam, & nutriendam, multa alia peccata homo committit: & ſicut delectatio venerea eſt maxima, ita paſſio & appetitus concupiſcibilis, circa ſuum obiectum delectabile eſt vehementiſſimus, ita vt vires ſuperiores taliter abſorbeat, id eſt intellectum, & voluntatem, vt circa ſuas operationes penitùs deordinentur. Numerantur autem communiter octo filiæ luxuriæ, nimirum *Cæcitas mentis*, ita vt luxurioſus non apprehendat bonum & malum vt ſunt, videmus enim huiuſmodi homines, bona temporalia diſſipare, viuendo luxurioſè, & honorem paruipendere, aut multa alia ſibi inconuenientia facere: vnde in eis per luxuriam impeditur primus actus rationis, videlicet *Simplex intelligentia*, quæ aliquem finem apprehendit vt bonum. D. Tho. Clau. r. D. Iſid. Leſſius

Secunda eſt *Præcipitatio*, quæ per concupiſcentiam luxuriæ impeditur ſecundus actus rationis, qui eſt *conſilium* de his, quæ propter finem agenda ſunt; nam qui amore capti ſunt, de rebus agendis ſibi conſulere non valent, vt eas dirigant ad debitum finem: hinc multoties in varia mala labuntur propter conſilij defectum.

Tertia eſt *Inconſideratio*, quia per luxuriam tertius rationis actus impeditur, ſcilicet, iudicium de agendis: qui enim hac pice maculantur, iudicium amittunt, multis enim periculis ſe exponentes, vt ſuam aſſequantur voluptatem.

Quarta eſt *Inconſtantia*, quia per luxuriam impeditur quartus rationis actus, qui eſt *præceptum* de agendis, in quantum homo ex impetu concupiſcentiæ impeditur, ne exequatur id, quod ratio faciendum eſſe decreuit: nam qui in rebus venereis implicatur, taliter ab impetu bullientis libidinis impeditur, vt ſæpe retractet, quod propoſuerat: Vnde in omnibus ſuis decretis inconſtans apparet.

Quinta eſt *Amor ſui*: nam cùm in delectatione rei venereæ concupitæ inebrietur, amat ſe inordinatè amore concupiſcentiæ, vt etiam propriam vxorem & filios contemnat, ſibi ſoli complacendo.

Sexta eſt, *Odium Dei*, in quantum prohibet delectationem concupitam: Nollet enim leges & præcepta hanc prohibentia inueniri, vt magis deſidioſè his vacaret.

Septima

Septima eſt, *affectus præſentis ſæculi*: quia luxuriari ſibi bonum eſſe videtur, & vt permaneat in his voluptatibus nunquam velle ſeneſcere, nec mori; & quia iam ſcit hoc non poſſe fieri, ſtatutum eſt enim homini ſemel mori, & poſt mortem ſequi noſtrarum malarum operationum iudicium ſequitur.

Octaua, *Horror futuri ſæculi*: quia dum nimis carnalibus delectationibus detinetur, contemnit & faſtidit ſpirituales: & quia nimia detentio & perſeuerantia in delectationibus carnalibus per viſcum amoris, & contemplatio grauitatis peccati cum terrore inferni, faciunt amittere ſpem gratiæ futuræ, non curando de ſpiritualibus bonis, incidit in *deſperationem*, quæ eſt nona & vltima filia. Ecce in quot laqueos incidunt, qui in hoc vitio habituantur. Itaque qui contemplationi addicti ſunt, & litteris dediti, venerem experiri fugiant, ne talibus implicati, à ſapientia diſtrahantur: fugiant item qui iudicant & regunt, ne iudicium peruertant: Luxuria namque vſu augetur, & fuga extinguitur.

Præter has luxuriæ filias, quæ internæ ſunt, ponuntur ab *Iſidoro* quatuor externæ ſcilicet, *Turpiloquia*, ſiue turpes & obſcœni ſermones. *Scurrilitas* ea qua in iocis & facetiis ita exceditur, vt admiſceantur laſciua ad riſum excitantia. *Ludicritas*, qua quis quaſi ludit & oblectatur verbis ludicris, ea in carnalem delectationem ordinando. *Stultiloquium*, quo quis fantas & ineptas fabulas loquitur ad obſcœnitatem pertinentes.

Gratian. D. Tho. Nauarr. Leſsius. Clauis. reg. Tolet. Valent. Filliuc. Sylueſt. Syluius.

3. Communiter à Doctoribus ex Gratiano 36. *q.* 1. *cap. lex illa*. D. Thom. 2.2. *q.* 154 *art.* 1. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 3. Leſſ. *c. dub.* 6. *num.* 45. Clauis reg. *c. num.* 6. Toler. *lib.* 5. *c.* 10. *num.* 4 Valent. *tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Filliuc. *tr.* 30. *c.* 2. Angel. Sylueſt. *verb. luxuria*. Sylu. *c. q.* 154. *art.* 1. & aliis numerantur ſex ſpecies luxuriæ; *Fornicatio*, *Adulterium*, *Inceſtus*, *Stuprum*, *Raptus*, *& vitium contra naturam*: cuius numeri *ratio* vt intelligatur, ſciendum eſt, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, eſſe ſeminationem, in quo dupliciter poteſt committi inordinario. *Primò*, quoad ſubſtantiam illius actus, vt cùm non fit in organo naturali, vel cum perſona legitima. *Secundò*, quoad modum vel aliàs circumſtantias; vt cùm inter coniuges in eo tantùm peccatur, quòd debitus modus in congreſſu, aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non ſeruetur: Luxuria generatim vtramque inordinationem complectitur, ſed hic accipitur & aſſignantur ei ſpecies, vt dicit inordinationem quoad ſubſtantiam actus: vnde ratio harum ſpecierum ſic accipi poteſt, vel enim eſt inordinatio circa actum principalem, quòd ita fiat, vt non poſſit ſequi generatio, & ſic eſt peccatum contra naturam; aut quia ita fit, vt non poſſit ſequi commoda inſtitutio & promotio prolis vſque ad ſtatum perfectum, & ita ſimplex fornicatio, quæ eſt ſoluti cum ſoluta: aut quia fit cum perſona incongrua, idque quadrupliciter: *Primò*, quia nimium propinqua, & ita eſt inceſtus. *Secundò*, quia alteri iuncta, & ſic eſt adulterium. *Tertiò*, quia ſub poteſtate parentis, & ita eſt ſtuprum. *Quartò*, quia non conſentit, & ſic eſt raptus. Sacrilegus autem concubitus refertur ad adulterium, quia perſonæ ſacræ, connubio quodam ſpirituali Deo ſunt coniunctæ; inordinario autem quæ in tactibus & oſculis impuris ſita eſt, & impudicitia dici ſolet, refertur ad illam ſpeciem, ad quam diſponit. Sed de his omnibus ſpeciebus in particulari ſuis locis, & titulis agitur, modò autem de vitio contra naturam. Ita Doctores citati.

4. *Peccatum* dupliciter dicitur eſſe contra naturam. *Primò* generatim, quia eſt contra dictamen rationis naturalis, & hoc modo etiam fornicatio, inceſtus, adulterium, &c. dicuntur eſse contra naturam. *Secundò* ſtrictè, quia eſt contra ordinem, quem natura etiam in cæteris animantibus requirit, ſeu quem natura illius actus poſtulat, vt poſſit ſequi conceptus: *Natura* autem *actus venerei*, vt ex eo poſſit conceptio fieri prolis eiuſdem ſpeciei; poſtulat quinque. *Primò*, coniunctionem duorum. *Secundò*, eandem in vtroque naturam. *Tertiò*, diuerſum ſexum. *Quartò*, organa ſeu vaſa congrua. *Quintò*, debitum modum. *Hinc* fit vt quinque modis poſſit eſſe peccatum contra naturam in hac materia. *Primò* quando ſemen emittitur & quæritur voluptas carnalis abſque coniunctione naturali per ſui corruptionem, & hoc peccatum vocatur *mollities*, vel *pollutio*. *Secundò*, ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, ſed alterius naturæ, vt cum bruto vel dæmone, & vocatur beſtialitas. *Tertiò*, quando non ſeruatur ſexus, vt quando maſculus congreditur cum maſculo, vel fœmina cum fœmina, & dicitur ſodomia. *Quartò*, ſi in diuerſo ſexu eiuſdem ſpeciei, ſed non in congruo vaſe vel inſtrumento, vt quando quis congreditur cum fœmina extra vas naturale, & hoc peccatum dicitur etiam ſodomia, ſed non eſt omninò propriè ſodomia. *Quintò*, ſi coniunctio quoad cætera ſit naturalis, ſed inordinatio fit in modo, vt ſi auerſè fiat, vel viro ſuccumbente, ita vt non poſſit ſequi generatio, de his omnibus modis in particulari nobis agendum eſt, in quibus reperitur peccatum contra naturam. Clauis regia *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. *&* 5. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 4. *part.* 10. *num.* 1. Filliucius *tr.* 30. *c.* 8. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 3. Sà *verb. luxuria*. Leſſius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 13. *num.* 89. Sylu. 1.2. *q.* 71. *art.* 2. & alii.

Cla. reg. Bonac. Filliuc. Nauar. Sà. Leſsius. Syluius.

5. Communis Doctorum ſententia eſt, *mollitiem* ſeu pollutionem, ſi plenè voluntaria ſit, eſſe peccatum mortale: ſi autem non ſit plenè voluntaria, ſolùm veniale, vel nullum: iuxta illud Apoſtoli, 1. ad Corinth. 6. Nauar. *cap.* 16. *n.* 6.8. D. Thom. 2.2. *q.* 154. *art.* 5 Valentia *diſp.* 9. *q.* 3. *p.* 3. *neque adulteri*, *neque molles regnum Dei poſſidebunt*: deinde pollutio eſt contra ordinem naturæ & contra naturam generationis: *hinc* ſequitur pollutionem in ſemi expergefacto non eſſe peccatum mortale, eò quòd non ſit ſufficienter voluntaria defectu pleni iudicij & aduertentiæ. Et hoc negari abſque errore in fide non poteſt, vt conſtat etiam *Geneſ.* 38. Vbi ſcriptura aſſerit, Deum occidiſſe Onam filium Iudæ, eò quòd in terram ſemen effunderet. Imò & peccatum *Her* fuiſſe etiam pollutionis *Geneſ.* 38. eſt communis ſententia: licet non animo inuido id fecerit, vt frater, ſed ne vxoris pulchritudinem læderet, ſi illa conciperet & pareret.

1. Cor. 6. Nauar. D. Tho. Valent.

6. *Pollutio* dupliciter poteſt eſſe voluntaria. *Primo* per ſe. *Secundò* in cauſa. *Per ſe* vt cùm directè eſt volita & procurata; quia vt actus dicatur voluntarius, non ſufficit eſſe volitum, ſed etiam requiritur vt ab illa voluntate procedat; & hoc modo pollutio eſt peccatum mortale; etſi non voluptatis, ſed ſolius ſanitatis, vel tentationis mitigandæ cauſa procuretur. *In cauſa*, voluntaria eſt pollutio, quando præuidetur ex aliqua cauſa ſecutura, & illam idcircò tenemur vitare, nec tamen vitamus. Leſſius *lib.* 4 *c.* 3. *dub.* 14. *num.* 95 *& ſeq.* Clauis regia *lib.* 8. *c.* 5. *num.* 7. Toler. *lib.* 5. *c.* 13. *Aduertendum* tamen eſt ſecundùm Sanch. *de matrim. lib.* 9. *d.* 45. *n.* 4. *& ſeq.* Graffiis 1. *part. lib.* 2 *c.* 87. Nauar. *cap.* 16. *num.* 7. Sà *v. luxuria*. Rodriq. *tom.* 1. *ſum. c.* 49. *n.* 2. Sylu. 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. *concl.* 1. & alios, tria requiri vt aliquod peccatum ſit voluntarium in cauſa. *Primò*, vt aliquo modo præuiſum ſit illud ſecuturum, quod enim nullo modo eſt cognitum, non poteſt cenſeri voluntarium ſeu liberum, ac proinde nec poteſt imputari ad culpam. *Secundò*, vt cauſam propter illum effectum tenearis vitare, ſi enim cauſam vitare non teneris, iam effectus ille non poteſt tibi imputari ad culpam, vnde non cenſebitur tibi voluntarius, ſed ſolùm permiſſus maioris boni cauſa; non teneor autem cauſam vitare, quando ipſa ſecundùm ſe eſt licita, præſertim ſi ſit conſentanea officio vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vel finem honeſtum, quod intelligendum eſt, modò abſit morale periculum conſenſus, vt cum quis ſe ſatis firmum credit, vt huiuſmodi illecebra non ſit voluntas rationalis permouenda; ſi autem ſubſit morale periculum, ita vt non confidat ſe fore ſatis firmum, tenetur cauſam vitare. *Tertiò* quod requiritur ad voluntarium in cauſa, eſt, vt cauſa non vitetur, ex dictis deciduntur caſus ſequentes.

Leſsius. Cla. reg. Toletus. Sanch. Graffiis. Nauar. Sà Rodriq. Sylu.

7. *Qui* expertus eſt ſe pollui ex æquitatione abſque conſenſus periculo, non tenetur pedeſter incedere ab illaque deſiſtere: quia eſt res vtilis, nec cauſa per ſe & ſuapte natura pollutionis: *ſimiliter* non committitur peccatum mortale, quando pollutio ſequitur ex vi naturæ, vel quando ſequitur ex aliqua cauſa, quæ habet alium

Sylueſt. Caiet. Dian. Sylueſt.

Sylueſt. *v. pollutio.* Caiet. 2. *quæſt.* 154 *art.* 5. Dian. *tract.* 1. *miſc. reſol.* 31. *p.* 2. Syluest. c. *concl.* 2. & alii.

12. Nullus actus habet malitiam mortalem inter ſolutos, eò quòd ſit pollutionis præuiſæ & non intentæ cauſa, niſi ſecluſo pollutionis periculo, eſſet mortalis contra ſextum decalogi præceptum, quia ſoli tales actus ſunt notabilis cauſa pollutionis: *hinc* infertur pollutionem non eſſe mortalem, quæ ſequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, ſiue illæ ſint veniales defectu plenæ aduertentiæ, vel ex ſuo genere, ſiue ex paruitate materiæ ſi hæc dari poſſit, modò ceſſet probabile conſenſus periculum: vt ſi ex tactu leui manus, viſu, verbis, lectione, aliquantum libidinoſis, & venialiter turpibus ſequatur pollutio. Et *ratio eſt*, quia huiuſmodi cauſæ leniter concurrunt ad pollutionem, ac proinde illa inde ſequens, non cenſetur ſufficienter volita, vt imputetur ad peccatum mortale. Ita Sanchez *c. num.* 24. Henriquez *l.* 11. *cap.* 16. *numer.* 6. Sà *v. luxur.* Bonac. c. *quæſt.* 4 *punct.* 10. *numer.* 9. Dian. *p.* 2. *tract.* 1. *miſc. reſ.* 31. Syluest. 2. 2. *quæſt.* 154. *ar.* 11. *concl.* 2. & alij.

Sanchez. Henriq. Sà. Bonac. Dian. Syluest. Sanc. ſalas.

Ioannes tamen Sanc. *in ſelect. diſp.* 21. *num.* 15. Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 18. *n.* 118. *q.* 74. cenſet verba impudica, cogitationem turpem, & tactus, quæ ſint crimina mortalia, etſi ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter in illam influentes eſſe, aliàs ferè nunquam apponerentur, quin ſequeretur pollutio. Contrarium tamen euenire teſtatur experientia. Quapropter cùm inefficaces cauſæ ſint pollutionis, non magis influũt in eã, quàm ſi eſſent per accidens cauſæ. Si tamen cogitatio turpis cõiungeretur cum magna commotione ſpirituum genitalium, efficaciter habebit influxum in pollutionem: tunc enim cùm illa commotio ſit cauſa per ſe efficaciter influens in pollutionem, & cogitatio turpis ſit cauſa illius commotionis, tenebitur homo auferre cauſam cauſæ pollutionis. Vnde cogitatio turpis ſola, tantùm eſt cauſa remotè influens in pollutionem, cauſas verò remotè influentes vitare non tenemur, ratione pollutionis; quatenus verò in ſe malæ ſunt, illas fugere ſemper obligamur. (Et concludit infrà) actus turpes de ſe non eſſe per ſe cauſas efficaciter influentes in pollutionem, ſed ratione commotionis ſpirituum genitalium. Ita ille ſubtiliter more ſuo contra *Sanchez* & alios hic citatos. Sed an probabiliter Dian. *p.* 2. *tract.* 2. *reſ.* 54. remittit iudicio aliorum: & meritò.

Dian.

13. Qui dedit cauſam culpabilem pollutioni, & antequam illa ſubſequuta fuerit, pœnituit legitimè cauſæ datæ, vacat culpa pollutio poſtea ſubſequuta: quia cum cauſa ſit interciſa, iam pollutio eſt omnino inuoluntaria, & quamuis de ſe non ſit ſatis fateri cauſam pollutioni datam, ſed etiam fatenda ſit ipſa pollutio, tamquam verè propriè peccatum; tamen ſi quis ante ſubſecutam pollutionem confiteatur cauſam datã, probabile eſt non teneri confiteri poſtea pollutionem ſubſecutam, quia iam nullã habet malitiam, & ſatis expreſſa eſt in ſua cauſa. Ita Henriq. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 5. Rodriq. *t.* 1. *c.* 210. Graffiis 1. *p. l.* 2. *c.* 87. *n.* 14. Sanch. *cap. n.* 30. & alij.

Henriq. Rodriq. Graffiis. ſanch.

14 *Quidam Doctores* negant ſatis probabiliter, licitum eſſe aliquando deſiderare, vt ſibi vel alteri eueniat pollutio, vel quod euenerit gaudere: quia quod licet deſiderare, fas etiam eſt procurare, vt fiat ſaltem per alios, atqui nullo modo poſſumus procurare vt fiat pollutio, quando non licet eam deſiderare. Ita Syluius 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. Valent. *tom.* 3. *d.* 9. *q.* 3. *p.* 3. Sotus 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 7. Lopez *p.* 1. *cap.* 74. & alii.

Syluius. Valent. ſotus. Lopez.

Contraria tamen ſententia videtur verior, ad cuius intelligentiam dicendum eſt nullo modo licitum eſſe pollutionem deſiderare, aut de ea iam facta gaudere cauſa voluptatis, etiamſi ſine culpa acciderit: conſenſus enim in illam delectationem eſt peccatum mortale; ſicut nec licet illam procurare, aut aliquo modo ad illam iuuare, aut aliquid eo fine, vt eueniat, facere, nec vlla ratione poteſt quis eam ſibi deſiderare, vt ex vi illius deſiderii diſponatur aut incitetur ad illam: vnde debet hoc deſiderium eſſe omnino inefficax. Clauis regia *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 14. Toletus *lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 4. Vaſq. *tom.* 2. *d.* 115. *cap.* 3. Nauar. *cap.* 16. *n.* 7. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 104. & 105. Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 17. Quamuis probabile ſit licitum eſſe illam deſiderari ſimplici affectu, cauſa alicuius boni effectus cum ea coniuncti, vt ſanitatis, cauſa ſedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animi, &c. quia id quod hic deſideratur, non eſt peccatum, ſed per ſe indifferens, deſideratur enim vt fiat via naturali per cauſas à natura conſtitutas, ſine omni libera cooperatione, *Ob eamdem* rationem probabile eſt de illa iam facta gaudere, quia quod licitum eſt deſiderari vt fiat, licitum etiam eſt gaudere de facto: hæc enim ſunt eiuſdem moris, infrequens enim non eſt, quòd ob honeſtum finem liceat deſiderare effectum aliquem per cauſas naturales euenire; & de eueniente gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret: & ideò ſi legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam adminiſtrat, licitum eſt boni communis cauſa optare ſimplici affectu, vt moriatur, ateo mortuo gaudere, cùm tamen mortem ipſi procurare non liceat. Ita Diana *tr.* 5. *miſc. reſ.* 22. & 87. *p.* 3. Sanch. *in ſelect. d.* 21. *n.* 35. Tannet. 1. 2. *diſp.* 4. *q.* 8. *num.* 145. Fernandes *p.* 4. *c.* 2. § 4. *n.* 3. De la Crux *in direct. p.* 1. *præcept.* 6. *art.* 8. *dub.* 10. *concl.* 2. & alij 22. Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez hic citatus.

Clauis. reg. Tolet. Vaſq. Nauar. ſanch.

Dian. ſanch. Tanner. Fernand. De la Cr.

15. *Pollutio nocturna* ſecundùm ſe, & in ſe, ſicut voluntaria non eſt, ita neque peccatum erit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 5. Toletus *l.* 5. *c.* 13. Nauar. *cap.* 16. *num.* 8. Sà *v. luxuria n.* 9. Syluius 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 5. *cap.* 1. 2. 3. & 4. Clauis reg. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 11. & *ſeq.* & alii, poteſt autem in ſomniis pollutio *tripliciter* accidere. *Primò*, ita vt tota ſit in ſomniis. *Secundò*, quando inchoatur in ſomniis & conſummatur in vigilia. *Tertiò*, quando emiſſio ſeminis partim ſit in ſomno, partim in vigilia. *Similiter* ſolent tres cauſæ pollutionis nocturnæ aſſignari: *vna* corporalis, ſcilicet ſuperabundantia humoris ſeminalis in corpore, cauſata ex nimia corporis calefactione, aut ex alia quacumque commotione. *Altera cauſa* eſt naturalis, interior ſcilicet, cum ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. *Tertia cauſa* eſt ſpiritualis, & extrinſeca, cùm ſcilicet ex operatione dæmonis commouentur phantaſmata dormientis ad talem actum prouocantia. His poſitis, *dicendum* eſt.

D. Tho. Tolet. Nauar. ſà. Syluius. Cla. reg.

Vt pollutio nocturna ſit peccatum mortale ex cauſa antecedente, requiritur vt cauſa ſit appoſita tempore vigiliæ ex intentione ad hunc finem, vel deliberatè quis in eam conſentiat, de eaque delectetur ob delectationem veneream inde ſecutam: aliàs ipſa pollutio excuſatur à mortali, imò & aliquando à veniali; ſi ex ſola dæmonis nequitia & malitia contingat. Filliuc. *tr.* 30 *nu.* 148. S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 6. *cap.* 5. Proinde bene aduertit Sancius *in ſelectis diſp.* 21. *num.* 13. & 17. Vaſq. 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 115. nullam dari cauſam intra genus luxuriæ, quæ efficax ſit ad pollutionem ſecutam in ſomnis. Nam ſi dum præſens eſt cauſa, influxum efficacem non habet, minùs multò illum habebit, dum abſens reperitur. Quapropter opus non erit fateri pollutionem præuiſam in omni cauſa, quæ ſit peccatum mortale intra genus luxuriæ, niſi quando cauſa fuiſſet appoſita eà intentione, quòd videlicet ſequeretur in ſomnis pollutio. Hæc ille: qui etiam putat ſatis eſſe cõfiteri cauſam pollutionis, & non eſſe neceſſarium ipſam pollutionem in ſomnis habitam explicare. Licet contrarium doceat Sanch. *de matr. l.* 9. *diſt.* 45. *n.* 30. aſſerens non eſſe ſatis cauſam pollutionis datam fateri, ſed etiam fatendam eſſe ipſam pollutionem.

S. Anton. Sancius. Vaſq.

ſanch.

16. Propter ſanitatem nunquam licet directè pollutionem procurare, nec medicus poteſt præbere medicinam, quæ nihil aliud operetur, quàm excitare naturam ad pollutionem, *Cap. cùm infirmitas. de pœnit. & remiſſ.* quia hoc eſt contra naturam generationis, quod prohibetur in citato, *cap. Cùm infirmitas*, per hæc verba. *Cæterum cùm anima ſit pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Vbi Doctores vniuerſi textũ intelligũt de crimine pollutionis: Licitũ tamen eſſet ſumere medicinã reſoluentem ſemen in ſanguinem, vel in alium humorem: imò licitum eſt fœminæ, quæ propter ſemen corruptum patitur accidentia venenoſa conari fricando vel adhibendo medicamenta ad expellendum ſemen corruptum, quod eſt noxium ſanitati, etiamſi inde ſequatur aliqua veri ſeminis emiſ-

emiſſio; nam illa emiſſio ſequitur per accidens ad expulſionem ſeminis corrupti; verùm vt hoc liceat, debet abeſſe periculum conſenſus in delectationem, vel in pollutionem, & conſtare ſemen illud eſſe corruptum: nam ſi tantummodo dubitetur ſine probabili opinione, an ſit corruptum, non licet conari ad illud expellendum, quia præſumendum eſt in fauorem ſeminis, quod ſit aptum ad generationem. Sà *v. luxuria num.* 11. Sanch. *de matr. lib.* 9. *d.* 17. *n.* 15. Bonac. *de matr. quæſt.* 4. *p.* 10. *num.* 12. Sancius *in ſelectis diſp.* 21. *n.* 29. 30. Diana *p* 2. *tract.* 2. *miſcel. reſol.* 54. & alij. Hanc tamen ſententiam non admittit Rebellus *p.* 2. *de obl. iuſtit. lib.* 3. *quæſt.* 19. *ſect.* 3. *in fine*. quia ſic admitti videretur pollutio tanquam licita ex cauſa ſalutis. Nec valet dicere, quòd ſimiliter fas ſit membrum abſcindere, cuius dominium non habemus, propter conſeruationem totius corporis, quia abſciſſio licita eſt, quando aliud remedium non reſtat: at pro medicando ſemine corrupto plura ſuppetunt remedia, quæ peti poſſunt, tum ab arte medicinæ ad corrigendos prauos humores, ex quibus fit ſeminis corruptio; tum à nuptiis contrahendis, & ab aliis cauſis. Alioquin leproſis, qui ſemen corruptum habent, & aliis ſimilibus licitæ forent pollutiones; quod nemo hucuſque dixit. Vnde qualiſcumque ſeminis effuſio ex intentione extra legitimum vas intrinſecè mala eſt, mortifera cenſeri debet; non ſunt autem facienda mala, vt eueniant bona. Ob has rationes & alias hanc ſententiam nouiſſimè amplectitur Diana *p.* 9. *tract.* 8. *reſolut.* 31.

Sà. Sanch. Bonac. Sancius. Diana.

Diana.

17. Non licet cooperari ad ſeminis iam è lumbis deciſi effuſionem, quamuis retentio ſaluti corporis graue detrimentum allatura ſit; quia verè eſt ſeminis adminiſtratio & fluxus illius procuratio, & non ſolùm pati; vbi tamen eſt in naturali fluxu pollutio, in ſomniſque cœpit, illam non impedire ob morbi periculum, ceſſante periculo conſenſus in delectationem, licet: quia non eſt procurare ſed pati emiſſionem ſeminis, quæ non impeditur à patiente, ne corruptus ille humor noceat: idem etiam dicendum eſt, vbi pollutio cœpit culpa patientis, ſi enim in ipſo fluxu præteritæ culpæ non pœniteat, non tenetur fluxum reprimere, quia iam pœnitentia interrupit actionem præcedentem: nunc autem ſolùm patitur. Sà *v. luxuria verſ. ceptam in ſomno*. Vega *to.* 2. *Sum. cap.* 67. *caſu* 1. Diana *tract.* 5. *miſcel. reſol.* 21. *p* 3. Fagundez *p.* 3. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 11. Corduba *l.* 1. *q.* 23. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 17. *nu.* 16. & alij.

Sà. Vega. Dian. Fagund. Corduba Sanch.

18. Pollutio ſiue ſit per contractationem membri abſque ſeminatione, vt in impubere, ſiue per ſolam cogitationem intenſam rerum venerearum ex propoſito, ſiue per externam procurationem, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, quoniam hæc omnia materialiter vel per accidens ſe habent ad voluntariam pollutionem abſque concubitu quocumque: quando autem cum alterius opera contingit, peccatum eſt grauius propter participationem in alterius peccato, non tamen ob id fit alterius ſpeciei, niſi copula ſodomitica accedat, aut fornicaria, per accidens tamen poſſunt eſſe pollutiones diuerſæ ſpeciei, ratione circumſtantiæ adiunctæ habentis diuerſam ſpecie malitiam. Si enim homo deſiderio, imaginatione ac moroſà delectatione, interim dum ſe polluit, cum altera perſona coire voluntate efficaci vellet, verè erit peccatum illius ſpeciei, cuius eſſet ſi verè coiret cum illa perſona, quam affectat, v. g. ſi affectat coniugatam, erit adulterium; ſi virginem, ſtuprum; ſi hominem ſodomia, & hæc circumſtantia in confeſſione explicanda erit. Filliuc. *tr.* 30. *cap.* 8. *qu.* 7. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. *dub.* 2. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 6. Azor. 3. *p. lib.* 3. *cap.* 23. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 13. Bonac. *cap. num.* 15. Clauis reg. *c. cap* 5. *num.* 7. Dian. *p.* 7. *tract.* 12. *reſol.* 15. & alii, quibus adde Caramuel *in reg. D. Bened. numer.* 983.

Caiet. Nauar. Azor. Tolet. Bonac. Cla. reg. Dian.

19. Procurare magnam commotionem ſpirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam diſtillationem per medias alias etiam licita, peccatum eſt mortale: quia talis alteratio & commotio eſt inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis conſummationem eſſentialiter ordinatur: ſecus vbi leuis quædam diſtillatio & ſpirituum commotio procuraretur, excuſaretur enim à mortali id procurans, ratione paruitatis materiæ, ceſſante omninò pollutionis periculo. Sanch. *cap. num.* 17. Bonac. *cap. quæſt.* 4. *punct.* 10. *num.* 13.

Sanch. Bonac.

Sed quoad praxim dubium eſt, quandonam cognoſcatur delectationem veneream ſeu commotionem eſſe modicam vel notabilem? Sanch. *de matr. lib.* 9. *diſp.* 46. *num.* 9. modicam videtur appellare illam: quæ ſecum non trahit periculum pollutionis, aut conſenſus in copulam carnalem. E contrario notabilis erit, quæ comes habuerit periculum pollutionis vel copulæ. Hæc tamen ratio etſi, frequenter vera ſit admittenda in pluribus caſibus, non tamen in omnibus, vt docet Sanc. *in ſelectis diſp.* 21. *num.* 22. nam in ſenibus, ægris vel conualeſcentibus, aut in defeſſis ex pluribus coitibus periculum pollutionis vel copulæ deficit, non tamen notabilis delectatio venerea. Rationem ergo vniuerſalem ad ferendum iudicium de grauitate vel leuitate delectationis affert ipſe *Sancius*, ab experimento illam ſentientis eſſe deſumendam. Si enim delectationem ferè turbantem rationem ſentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis & grauis iudicabitur; quæ circumſtantiæ ſi deficiant, leuis & modica reputari debebit. Niſi fortè quis dixerit, nunquam euenire delectationem venereā mentem turbare, niſi adſit pollutionis periculum. Quod ſi verum ſit, reincidit hæc, cum ſententia *Thomæ Sanchez*. De his plura verb. *Peccatum* 1. *n.* 7. *verſ. An autem*.

Sanci.

20. Inter coniugatos voluntaria ſeminis emiſsio extra vas, aut is modus congrediendi ex quo illa ſequatur, eſt manifeſtum ſcelus mortale contra naturam. Ita Sanch. *de matr. lib* 9. *d.* 17. *n.* 12. Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. Henriq. *lib* 11. *c.* 16. *num.* 7. Bonac. *c. num.* 16. & alii: quia aduerſatur fini generationis naturali, ad quam natura ipſa ſemen deſtinauit; vnde maritus non poteſt abſque peccato mortali deſiſtere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula, quia faceret iniuriam vxori, quæ habet ius petendi completam copulam: de conſenſu tamen ipſius vxoris non peccat maritus, retrahendo ſe à ſeminando, modò ipſa vxor non ſeminauerit, & non ſit periculum pollutionis extra copulam in vtroque vel ſaltem in altero coniuge. Imò poteſt ipſe maritus ex conſenſu vxoris ob morbi periculum, ſe retrahere ab inchoata copula, licet ex hoc aliquando ſequatur pollutio: quia non eſt peccatum dare operam rei licitæ, & actioni honeſtæ, quamuis præuideatur ſequutura pollutio, dummodo abſit periculum conſenſus; quia tunc pollutio non eſt in ſe volita, vt ſupponitur, neque dici poteſt volita in cauſa, quia non tenetur maritus illam actionem omittere, ne ſequatur pollutio, ſtante iuſta cauſa. Ita Præpoſitus 1. 2. *quæſt.* 74. *artic.* 10. *dub.* 1. Aduertit autem Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 37. non debere cauſam eſſe neceſſariam, aut valde vrgentem ad excuſandas pollutiones etiam à veniali, nam ſi requireretur cauſa valde vrgens vel neceſſaria, cùm ſint innumeræ actiones alioquin licitæ, ex quibus ſolent prouenire pollutiones, daretur locus perpetuis ſcrupulis, & nimiis anxietatibus, quod grauiſsimum foret. Si autem vxor iam ſeminauit, maritus non poteſt abſque peccato mortali deſiſtere à copula, quando ipſe non ſeminauit; quia ſi maritus deſiſteret, prodigeretur ſemen fœminæ, & fieret contra finem generationis: non eſſet tamen peccatum mortale, ſi fœmina ipſa ſe retraheret, vel conaretur non ſeminare, poſtquam maritus ſeminauit; quia iuxta communiorem ſententiam, ſemen fœminæ non eſt neceſſarium ad generationem, & ideò vxor ſe retrahens nulli facit grauem iniuriam, nec facit contra finem generationis in re graui. Sanchez *c. d.* 19. *num.* 4. Graff. 1. *p. lib.* 2. *c.* 82. *v. debitum coniugale*. & alij. *Notandum* tamen ex cauſa vrgentiſſima poſſe maritum relinquere imperfectam copulam etiamſi fœmina ſeminauerit, vt ſi graue periculum vitæ ſuperueniat perficiendo, vel ita exigat naturalis honeſtas aliis ſuperuenientibus. Sanch. *d.* 19. *n* 6. Bon. *c. n.* 16. Aliter dicendum eſt de fornicāte, hic enim poteſt, & tenetur deſiſtere ab inchoata copula, etiamſi fœmina renuat, & etiam ſeminauerit, aut ſit periculum emiſſionis ſeminis, aut alterius peccati in muliere: item debet fœmina fornicās ſe retrahere antequā vir ſeminet etiāſi ipſa ſeminarit; quia quilibet tenetur ſe retrahere à peccato. Vt dictum eſt ſupra v. *Fornicatio* n. 4. Sanch. *cap. n.* 7. Bon. *c. n.* 17. Dian. *p.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 31. *in fine*.

Sanch. Caiet. Henriq. Bonac.

Sanch. Graff. Sa.

Sanch. Bonac. Dian.

24 So-

21. *Sodomia* duplex eſt, *quædam* imperfectior, quà ſeruato debito ſexu, non ſeruatur debitum vas: eſt mortale peccatum, ſed per eam non incurruntur pœnæ Ciuili vel Canonico iure conſtitutę contra Sodomiam; & ideò peccatum eſt diſtinctæ ſpeciei: *Sodomia* verò propriè accepta eſt, qua ex affectu ad iodebitum ſexum vir concubit cum viro, vel fœmina cum fœmina, & hoc peccatum turpiſſimum & grauiſſimum eſt, iræ diuinæ prouocatiuum, vt patet ex Scripturis *Geneſ. 19. ad Roman.* 1. & propter hoc vitium Deus immittit bella, famem, peſtes, terræ motus, & ſimilia. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 8. *quæſt.* 9. & 10. Azor. 3. *p. lib.* 3. *quæſt.* 18. *cap.* 18. Caietanus 2. 2. *q.* 154. *art.* 2.

Filliuc. Azor. Caiet.

An autem in caſum reſeruatum Sodomiæ incidat fœmina cum fœmina congrediens ſi effuſio ſeminis intra vas naturale ſequatur; Negatiuè reſpondet Diana *part.* 7. *tract.* 12. *reſol.* 13. quia licet actus ille ad Sodomiam reducatur, cùm ſit inter perſonas eiuſdem ſexus: tamen non eſt verè & propriè Sodomia: quia licet non ſeruetur ſexus, ſeruatur tamen vas: Si autem caſus dari poſſet, vt intra vas præpoſterum alterius, femina ſemen emitteret, tunc ligaretur hac reſeruatione, quia tunc peccaretur contra vas debitum & contra ſexum.

Dian.

Rei huius nefandi criminis iure Ciuili ſunt infames & legibus municipalibus comburi ſolent. *L. Cum vir, C. de adult.* Iure canonico antiquo, *Cap. Clerici, de exceſſ. prel.* Clauis reg. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 16. clericus conuictus de hoc vitio detrudebatur in monaſterium. Iure autem nouo per Conſtit. *Pij V.* quæ incipit *Horrendum illud ſcelus* clericus exercens ſodomiam omni priuilegio clericali, officio, beneficio & dignitate priuatus degradatur & brachio ſæculari traditur. Non incurreret autem has pœnas clericus ſi ſolùm bis vel ter hoc deteſtabile crimen admiſit: quia non dicitur talis ſodomiam exercere, & ideò exercentes dicuntur, qui aliquid frequenti vſu & quaſi ex conſuetudine faciunt. Nauar. *cap.* 17. *nu.* 249. Suar. *de cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 22.

Clauis reg. Nauarr. Suarez.

Præterea ad incurrendas has pœnas neceſſarium eſt, vt peccatum ſit in ſua ſpecie conſummatum, non enim ſufficit quælibet pollutio vel immunditia cum aliquo, niſi intercedat coitus intra vas ordinarium illius delicti & ſeminatio Rodriq. 1. *p. c.* 209. Filliuc us Nauarrus *cap.* Diana *tract.* 7. *miſc. reſ.* 63. 65. *p.* 2. quia lex puniens delictum requirit vt delictum ſit conſummatum. Non tenetur tamen clericus in foro conſcientiæ cedere beneficio, officio & dignitati, aut reſtituere fructus ante ſententiam iudicis. Sanch. *in Sum. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 20. Gom. 3. *var. cap. vlt. n.* 3. Dian. *c. reſ.* 67. quia hæc eſt lex pœnalis ad cuius executionem requiritur actio iudicis, & hoc modo videtur recepta Bulla ſupradicta *Pij V.* Hinc ſecundùm probabilem Nauar. *cap. num.* 249 Rodriq. 1. *p. cap.* 219. Diana *p.* 2. *tract.* 3. *miſcel. reſol.* 68. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 1. & aliorum ſententiam, ſodomita, quamdiu delictum eſt occultum, non incurrit ſuſpenſionem vel irregularitatem, quia ſuſpenſio & irregularitas non incurruntur niſi in caſibus iure expreſſis.

Sanch. Gom. Dian. Nauarr. Rodriq. Dian. Henriq.

An autem copula ſodomitica cum fœmina comprehendatur ſub caſu reſeruato ſodomiæ; dic quòd non, ſecundùm Dianam *p.* 2. *tract.* 1. *miſc. reſol.* 29. Ratio eſt, quia in Sodomia propriè peccatur non ſolùm contra vas, ſed etiam contra ſexum; maſculus autem præpoſterè cognoſcens fœminam, licet non ſeruet vas, ſeruat tamen ſexum, ergo.

Sed quæres, an impuberes incidant in caſum reſeruatũ Sodomiæ, aliqui affirmant: tum quia Epiſcopi abſolutè loquuntur, ergo reſeruatio abſolutè eſt intelligenda. Tum quia impuberes obligantur ceteris legibus & cenſuris, & ſi poſſunt peccare mortaliter, conſequenter reſeruatione ligari poſſunt. Verius tamen eſt impuberes ligari quidem reſeruationibus adnexis ijs peccatis, quæ non ſunt carnalia, qualia ſunt homicidium, blaſphemia, &c. iis verò, quæ ſunt adnexæ peccatis carnalibus, non ligari, cùm regulariter loquendo non compleant. Tum quia peccata carnalia, quæ genitalibus fiunt non tribuuntur impuberibus ex *Cap.* 1. *de delictis puer.* & hoc procedit etiã quando impubes patitur à pubere, qui licet ligetur caſibus, non tamen impubes; quia ex eo quod miſcetur cum pubere non admittit impubertatem, ratione cuius eximitur à reſeruatione: Vide Dianam *p.* 7. *tr.* 12. *reſol.* 13.

An autem hæc Bulla *P. j V.* contra clericos ſodomitas, obliget in foro conſcientiæ, & ſit vſu recepta; affirmat Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 249. Contrarium docent *Graffijs, Bellochius, Auila, Henriquez, Quaranta, Filliucius* apud Dianam *tract.* 3. *miſcel. reſol.* 61. *p.* 2. vbi probant ſupradictam Extrauagantem tantùm pertinere ad forum exterius, & non eſſe in foro conſcientiæ vſu receptam.

22. *Sodomia* aliquando habet aliam malitiam, Clauis regia *cap num.* 20. Leſſius *lib.* 4. *cap. n.* 90 Bonacina *c. p.* 11. *num.* 7. Azor. 3. *p. lib.* 3. *cap.* 18. *q.* 5. vt ſacrilegij, quando committitur cum Religioſo, ſacerdote, aut habente votum caſtitatis; aut malitiam iniuſtitiæ, quando ſit cum violentia contra alium; aut adulterii, quando fit cum cõiugato; aut contra pietatem & reuerentiam debitam cognatis, quando perpetratur cum maſculo cognato intra primum vel ſecundum gradum, vnde in confeſsione explicanda eſt perſona cum qua ſodomia perpetrata fuit. Secundum probabiliorem ſententiam Syluius 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. & aliorum. Sed in ſententia illorum qui tenent circumſtantias aggrauantes intra camdem ſpeciem, non eſſe in confeſsione aperiendas, poſſet aliquis probabiliter in tali caſu ſe accuſare de actu ſodomitico tantùm cum conſanguineo vel affine, ſine explicatione gradus primi & ſecundi cum quibus habita fuit copula: quia ſecundùm illos inceſtus non differunt ſpecie. Ita Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol:* 101. & alii apud ipſum.

Cla. reg. Bonac. Azor. Syluius. Dian.

Imò vir coniugatus, iuxta Sanchez *de matr. d.* 17. *lib.* 9. *num.* 5. qui præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuã vxorem, ſed actum perficit & ſeminat in vaſe naturali peccat mortaliter contra Nauarrus *lib.* 5. *conſil. de pœnit. conſil.* 7. Angelus *v. debit. n.* 25. & *Angelum*, quia vtitur vaſe indebito & illegitimo à quo à natura ipſa abhorret. Tum quia ille actus nec ex tangentis intentione poteſt ad actum coniugalem referri: eo quod medium improportionatum & alterius ordinis luxuriæ ſit. Sicut eſſet mortale distinctæ ſpeciei inter ſolutos habere animum intra vas debitum conſummandi, vacando prædicto actui, Si dicas, quod, quidquid coniuges efficiunt ſeruato vaſe legitimo, non excedit veniale crimen; & vas ſeruari dicitur, quoties extra illud non effunditur ſemen; Reſp. non dici vas legitimum ſeruari, quando vſurpatur illegitimum, ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licet intra illud non conſumetur. *Porrò* differunt ſodomitica copula & actus ſodomiticus: *copula* namque *ſodomitica* fit maſculino coitu eiaculando ſemen intra pudenda poſteriora. *Actus* verò *ſodomiticus* etiam fit polluendo ſeipſum cum ſecunda perſona, quæ non ſolùm inter viros, ſed etiam inter fœminas eſſe poteſt. Benedict. *in ſum. lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. *n.* 4. Clauis reg. *cap. n.* 16.

Sanchez Angel. Benedic. Cla. reg.

Plura de hoc vitio tradit *Ignatius Lopez* in pract. Crimin Canon. *cap.* 86. quæ apud eum legi poſſunt.

23. *Beſtialitas* eſt coniunctio carnalis cum re alterius ſpeciei, vt cum bruto, vel cum dæmone; hoc peccatum cum bruto non differt ſpecie pro diuerſitate belluarum cum quibus perpetratur: diuerſitas enim bellarum infert tantummodò differentiam materialem: vnde non eſt neceſſarium in cõfeſsione exprimere belluam, cum qua fuit habita copula, ſuffi it enim dicere ſe congreſſum fuiſſe cum re alterius ſpeciei: hoc autem peccatum cum dæmone commiſſum, præter malitiam beſtialitatis habet malitiam ſuperſtitionis, quatenus includit ſocietatem cum dæmone, quæ circumſtantia explicanda eſt in confeſsione, quando pro dęmone haberetur is cum quo concumbitur. Ita Azor. 3. *p. lib.* 3. *cap.* 22. Sà *v. luxuria nu.* 6. Caiet. *c. quæſt.* 154. *art.* 11 *d.* 3. Chapeauill. *de caſib. reſ. caſu* 15. *q.* 1. Syluest. 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. & alii. Plura de hoc peccato vide tom. 1. verb. *Beſtialitas*.

Azorius. Caiet. Chapeauill. Syluest.

24. *Quinta ſpecies* peccati contra naturam, eſt coniunctio naturalis facta modo indebito, vt quando maſculus ſuccumbit fœminæ & fœmina ſupergreditur, vel quando copula fit præpoſterè retro accedendo ſed in vaſe naturali; vel quando copula fit ſedendo aut ſtando; hæc coniunctio inter coniuges eſt peccatum mortale, quoties interuenit tanta inordinatio, vt ſequi non poſsit generatio,

quia tamen generatio in prædictis caſibus rarò impediri poteſt, ratò etiam contingit peccatum mortale in prædicta coniunctione, niſi adſit aliqua parua intẽtio, ordinariè tamen non deeſt grauiſſimum peccatum veniale, niſi aliqua neceſſitas excuſet: Tolet. *lib. 5. cap. 13. in fin* Leſſ. *cap. dub. 13. num. 89* Sanchez *l. 9. d. 16. num. 3.* Filliuc. *tr. 30. c. 8. q. 8.* Reginal. *lib. 22. num. 37. & 38.* Syluius *in Suppl. q. 49. art. 6. cap. 8.* Pontius *de matr. lib. 10. c. 11.* & alii.

Toletus. Leſsius. Sanch. Regin. Syluius. Poncius.

25. In peccatis contra naturam, primum & grauiſſimum eſt beſtialitas & congreſſus cum dæmone: poſt hoc autem vitium ſodomiticum cum eodem ſexu: *Tertiò* cũ diuerſo ſexu. *Quartò*, modus contra naturam. *Quintò*, pollutio ſimplex, quæ in ſola omiſſione concubitus ad alterum conſiſtit. denique in his peccatis contra naturam, poſſunt etiam reperiri deformitates naturales luxuriæ. D. Tho. *2. 2. q. 154. ar. 12. ad 4.* Clauis reg. *c. cap. 5. nu. 23.* Leſſ. *cap. num. 92.* Filliuc. *c. cap. 8. in fin.* & alii.

D. Tho. Cla. reg. Leſsius. Filliuc.

26. Cùm luxuria ſit ignis quidam, ollam ſeminalium vaſorum calefaciens: oportet vt quis vel aquam frigidam in ignem proiiciat, & ligna ſubtrahat, vel ollam ab igne ſemoueat. Proinde primum remedium contra luxuriam eſt, vt ad aquam recurrat, lacrymis ſe rigando, vel aliquam aquam tribulationis ſibi intentando, vel faciendo diſciplinam, vel imaginando pœnas inferni, &c. Mirum enim non eſt, ſi quorundam animæ domus luxuriæ ignis concremat; qui aquam tribulationis aſſumere tardant.

Secundum remedium eſt, ſubtractio materiæ luxuriæ, vt eſt cibus & potus nociuus. Et ſicut deridendus foret, qui diceret ſibi diſplicere domum ſuam incinerari, qui accenſæ domui continuè faſciculos flammigeros iniiceret, ſic qui luxuria ardet, & carnes, vinum, & cætera ſuperflua non vitat.

Tertium eſt, elongatio ab igne luxuriæ, viſu, auditu, tactu & cohabitatione mulierum, quantum eſt poſſibile, quod iubet Apoſt. 1. *ad Corinth. 6.* dicens: *fugite fornicationem*. Cum aliis nempe vitiis poteſt expectari conflictus, hanc fugite, ne approximetis, quia non poteſt aliter meliùs vinci.

Quartum eſt, aſſidua inuocatio gratię Dei, per frequentem & deuotam Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptionem: per attẽtam cuſtodiam memoriæ; ne inimicus menti cogitationes luxurioſas inferat: & ſi immiſerit, ſtatim expellendus eſt conatu & oratione. Sic enim caput ſerpentis conteretur. Porrò contra hoc vitium multùm facit vitare otium & ſomnum ſiue frequentiorem, ſiue prolixiorem.

Vide tom. 1. v. *Communio ſacra* n. 47. *Diuortium* n. 4. *&* 5. *Adulterium. Fornicatio.* & t. 2. verb. *Raptus. Stuprum. Inceſtus, Sacrilegium 2. Beſtialitas, Virginitas.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Luxuria apud morales quid ſignificet, quo præcepto ſit prohibita.*

2 *An omnes delectationes moroſæ in peccato luxuriæ naturales & contra naturam, ſint eiuſdem ſpeciei.*

3 *An delectatio coniugati cum non ſua, includat ſpecialem iniuſtitiæ malitiam contra propriam vxorem in Confeſſione aperiendam.*

4 *An peccata contra naturam ſint vnius ſpeciei infimæ & non ſubalterna.*

5 *An omnes pollutiones voluntariæ ſint eiuſdem ſpeciei.* Refertur duplex ſententia.

6 *An peccans Sodomiticè cum virgine, teneatur in Confeſſione dicere illam eſſe Virginem; & an teneatur dicere ſodomiam commiſſam eſſe cum muliere.*

7 *An Clericus committens beſtialitatem incidat in pœnas Extrauag. Pij V. contra Sodomitas.*

8 *An ad incurrendas pœnas huius Extrauagantis requiratur ſententia iudicis declaratoria criminis.*

9 *An Clericus ſodomita occultus habens beneficium poſſit abſolui ſine noua prouiſione, & an ſit irregularis.*

10 *An beſtialitas ſit crimen grauiſſimum, & quæ ſint eius pœnæ.*

11 *An crimen beſtialitatis poſſit committi cum Dæmone in corpore aſſumpto.*

12 *An omnes beſtialitates ſint eiuſdem ſpeciei.*

13 *An peccata contra naturam poſſint concurrere cum peccatis luxuriæ naturalis.*

14 *Quodnam peccatum luxuriæ committat, habens copulam cum fœmina dormiente, ſi ante ſomnum fœmina in copulam non conſenſerit.*

1 LVxuria apud morales nihil aliud ſignificare videtur, quàm intemperantiam libidinis in re venerea, ideoque eſt vitium carnale laxans totum hominem præcipitanter cadere in omnes immunditias carnales. Eiuſque materia eſt libido virtuti caſtitatis & pudicitiæ & continentiæ oppoſita, quæ ſine peccato mortali extra legitimum matrimonium exerceri non poteſt. Quamuis enim actus venereus in ſe conſideratus naturalis ſit, imò neceſſarius pro conſeruatione ſpeciei, ſicut alimentum pro conſeruatione indiuidui; quoties tamen contra ordinem rationis fit, peccatum eſt, quod ſpeciali nomine luxuria dicitur. Tunc autem contra ordinem rationis erit, quando quis illo actu vtitur, non ſecundùm finem illum, ad quem a natura ordinatur, ac etiam modo debito & cõuenienti. Finis verò huius actus eſt procreatio prolis: modus autem debitus & conueniens eſt, vt fiat inter coniunctos legitimo matrimonio; ac proinde omnis coitus venereus cum non ſua vxore, quamuis ſit actus naturalis, & ad finem procreandæ prolis intentus, peccatum mortale erit.

Probatur hoc ex ſexto Decalogi præcepto Exod. cap. 20. num. 14. *Non mœchaberis*, quod licet tantummodo videatur prohibere adulterium verbis expreſſis: ſub tali tamen præcepto implicitè & conſequenter omnes ſpecies peccati luxuriæ, omneſque actus libidinoſi & laſciui extra vſum legitimi matrimonij cenſentur prohibiti: quemadmodum in aliis præceptis negatiuis ſecundæ tabulæ præceptorum Decalogi vnum principale explicitè diſertis verbis eſt prohibitum comprehendens omnia ſubſequentia & concomitantia ad tale vitium contra proximum reſultantia; quare in quinto præcepto *Non occides* non ſolùm prohibetur homicidium; ſed etiam omnes & quęcumque offenſiones contra perſonam & vitam proximi noſtri, vt communiter tradunt Sancti Patres, Diuus Ambroſius *l. 1. offic. c. 50.* Auguſtinus *l. 2. ſuper Exod. q. 71. ad cap. 19.* & refertur *in cap. Meretrices 32. q. 4.* D. Thom. *2. 2. q. 153. art. 3.* & alii.

2. Delectationes moroſæ, quæ ſunt peccata mortalia, non habent omnem malitiam operis externi ac proinde nec varias ſpecies ſortiuntur iuxta varietatem eorum, quæ in opere externo reperiuntur. Nam in moroſis delectationibus cum rapta, cum conſanguinea, vel vxore alterius, vel cum moniali, nulla eſt malitia mortalis contra aliam virtutem, quàm contra caſtitatem, ergo omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, & non habent malitiam, niſi ſolius ſimplicis fornicationis: quia qui de his moroſè delectatur, non delectatur de iniuria & irreuerentia, ſed ſolùm de ipſo actu fornicationis, nec allicitur à delectabili, quod eſt in iniuſtitia, aut impietate, aut ſacrilegio, ſed quod eſt in fornicatione; ergo non peccat contra iuſtitiam peccato adulteri, nec contra religionem, peccato ſacrilegii, nec contra pietatem peccato inceſtus, ſed ſolùm contra caſtitatem, peccato ſimplicis fornicationis. Secus dicendum eſt quoad delectationem de ſodomia, pollutione & beſtialitate, quæ peculiarem dicunt oppoſitionem cum caſtitate diſtinctam à malitia fornicationis: vnde ſi quis delectetur de copula ſodomitica, vel beſtiali, debebit has circumſtantias confiteri, quia diſtinctam ſpeciem malitiæ refundunt in delectationem ex ipſo motiuo deſumptam. Ita Vaſquez *in 1. 2. diſput. 112.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 10. §. 4. num. 4.* Salas *tract. 13. diſp. 6. num. 56. & 57.* et alii. A quorum ſententia recedit Arriaga *in curſu Theolog. tom. 3. diſp. 47. ſect. 4. num. 25.* negans in delectatione moroſa, circumſtantiam de copula ſodomitica eſſe in confeſſione aperiendam; quia non ſolùm cenſet cũ Vaſquez eas circumſtantias quæ conſtituunt obiectum con-

Vaſquez. Palaus. Salas. Arriaga

Digitized by Google

contra aliam virtutem, ſed & illas contra ipſam caſtitatem, non variare vllo modo ſpeciem peccati in delectationibus, v.g. quòd ſit contra naturam, quod ſit ſodomia, beſtialitas. Non eſt tamen diſcedendum ab affirmatiua ſententia, quia in delectationibus venereis ſumitur malitia non ſolùm à motiuo, ſed etiam à circumſtantiis, quæ dicunt ſpecialem oppoſitionem cum caſtitate, vt benè docet Diana *part.9. tr.6. reſ.3.* cum alijs, & dicetur infra.

Dian.

3. Dubii manent Doctores, an delectatio coniugati cum non ſua, includat ſpeciale iniuſtitiæ malitiam contra propriam vxorem in confeſſione aperiendam? Et quidem pro parte affirmatiua facit, quod matrimonii fides exigit ne habeat coniux delectationes erga aliam perſonam à ſe, ita eodem modo dicendum videtur, matrimonium excludere, ne alius habeat delectationes de propria vxore: vt enim coniux totum ſe tradit coniugi, ita totum ſe ſubtrahit cæteris: ergo ſicut ille peccat contra iuſtitiam debitam alteri coniugi, ſi de alia fœmina cogitet, ita reliqui peccabunt contra eamdem iuſtitiam, ſi cogitent de ipſo, vel ipſius fœmina: eodem plane modo, quo in ipſa actione exteriori, ſicut coniux peccando cum ſoluta facit contra ius vxoris, ita ipſa ſoluta peccans facit contra idem ius.

Pro parte negatiua eſt, quod delectatio coniugis cum non ſua, habet malitiam contra caſtitatem, ſed non contra iuſtitiam, quoniam à circumſtantia coniugii poteſt intellectus præſcindere, non ſolum quando copula cogitatur cum nupta, ſed etiam quando coniux cogitat copulam cum non ſua, poteſt enim ſeipſum conſiderare quaſi ſolutum: ergo circumſtantia coniugii quamuis ſe teneat ex parte delectantis, non tribuit malitiam delectationi: quia ea delectatio ex cogitatione deſumpta, non eſt vſus corporis. Affirmantem ſententiam ſuſtinet Bonacina *de matrim.q.4.punct.8. num.20. verſ.Primus caſus*, Vaſquez t.2.*diſp.112. in fine*, vbi ait hoc ſibi non eſſe admodum certum, Negantem tamen vt probabilem admittunt Diana *part.9. tract.6. reſ.4.* Boſſius, Arriaga, et alii apud eumdem Dianam citati. Mihi tamen affirmatiua magis placet tamquam probabilior, quam præter *Bonacinam*, tenent *Salas, Sanchez, Candidus, & Card. Lugo*, quos citat, et ſequitur Leander *de Sacram.tom.1. tract.5. diſp. 8.§.2. q. 24.*

Bonac. Vaſq. Diana. Boſſius. Arriaga. Leander.

Certum eſt autem apud omnes, habentem votum abſolutum caſtitatis peccare contra religionem & caſtitatem, ſi delectetur de re aliqua turpi, quia votum complectitur omnes internos affectus: Si verò quis votũ emiſerit abſtinendi ſe ſolùm ab opere externo, non peccaret contra religionem, ſed ſolùm contra caſtitatem quando interiùs delectatur abſque voluntate efficaci ad opus externum.

4. Quidam putant probabile, peccata contra naturã, nempe, mollitiem, ſodomiam, beſtialitatem, eſſe vnius ſpeciei infimæ, et non ſubalternæ. Ratio illorum eſt, tũ quia in omnibus vna, et eadem ſemper videtur eſſe malitia, nempe exercendi actum venereum modo ex quo non poſſit ſequi generatio: quod autem fiat hoc modo, vel illo eſt differentia tantum accidentalis. Tum quia D. Thomas *2.2.q.154. art.11.* ponit vitium contra naturam, tamquam determinatam ſpeciem nullam faciendo mentionem de ſpecifica diuerſitate. Sic explicat Armilla *verb. Luxuria num.5.* dicens, vitium contra naturam, licet ſit vna ſpecies, ſecundùm D.Thomam *art. 11.* multis tamen modis exercetur. Tum quia, ideo furari argentum, & furari armenta non ſunt peccata diſtincta ſpecie, quia tametſi animantes & metalla ſpecie, aut pluſquam ſpecie diſtinguantur; in his furtis duobus non dantur duę malitiæ ſpecie diſtinctæ, ſed tota ſpecifica illa diſtinctio ſe tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contranaturalibus euenit; ideo enim ſunt mala, aut interdicta, quia in abuſu conſiſtunt, ſemen extra vas naturale deciditur: atqui hoc eodem modo reperitur in mollitie, beſtialitate, & ſodomia, ergo ſunt peccata eiuſdem ſpeciei, omnia enim ſunt puræ pollutiones, quæ diuerſimodè procurantur: nam ſicut mollities manuum tactibus procurata non diſtinguitur ſpecie à procurata tactu veſtium tametſi manus & veſtes ſpecie diſtinguantur: ſic nec procurata cuiuſcumque corporis partis contactu, cuiuſcumque animalis, cuiuſcumque materiæ: vniuerſarũ enim harum immunditierum malitia in hoc ſolum formaliter conſiſtit, quod ſemen extra vas naturale effundatur. Ita philoſophatur Caramuel *lib.4. Theolog. mor. præcept.6. num.1607. & in reg. S. Benedicti diſp. 60. num. 983.* et probabilem vocant ſententiam Filliucius *tract.30. num. 141.* licet contrariam putet probabiliorem *n. 142.* Eſcobar *in Theol. moral tract.1. exam 8. cap 2. num. 77.* Trullench *in Decalog. tom.2. lib.6. cap.1. dub.8. num.8.*

D. Tho. Armilla. Caram. Filliuc. Eſcobar. Trullench.

Cæterum hæc ſententia eſt ſingularis, & in praxi non admittenda. Nam *D. Thomas, Armilla*, et alii intelligendi ſunt de ſpecie ſubalterna: quia nunquam trahendi ſunt Doctores ad ſingulares ſententias diſcrepantes à communi Doctorum conſenſu, quando iuxta hanc interpretationem patiuntur, et non niſi temerè in re grauiſſima propter verba vniuerſalia obiter, & non ſatis clarè prolata Doctorum auctoritatem quis poteſt ſibi fingere ad praxim ſimilium opinionum nitam in conſcientia iudicandam. Quis enim maiorem diſſonantiam non concipit in concubitu hominis cum beſtia, quàm in ſimplici pollutione, etiamſi vterque actus æquè generationi hominis apponatur? Quia peccata diſtinguuntur ſpecie propter diuerſas diſſonantias; ſed diuerſa diſſonantia eſt in concubitu rationalis cum irrationali, quam in ſimplici immunditia, ſeu pollutione, ergo diſtincta ſpecies. Sola minor indiget probatione, quam hominum apprehenſio negare non permittet; omnes enim longè magis horrent beſtialitatem, et ſodomiam, quàm pollutionem proprijs, vel alienis tactibus excitatam. Sit ergo firmum cum communi Doctorum ſententia, immunditiam, ſodomiam, & beſtialitatem ſpecie diſtingui. Ita ex Societate Ieſu Pater Ouiedo *in 1.2. D.Thom.tract.6. cõtrouerſ. 5.punct.3. §.7. num.54.* ex cuius doctrina Diana *part.9. tr. 8. reſol. 31.* opinionem Filliucij, Caramuelis, et aliorum omnino intolerabilem, improbabilem, & reijciendam putat. Quamuis antea *part. 3. tract.4. reſol.159. in fin.* vt probabilem admiſerit. Vide Caietanum *2. 2. q. 154. art. 11.* vbi contra primam ſententiam docet, quod ſpecies moralium vitiorum non ſemper ſumuntur penes ſpecies bonorum priuatorum, ſed etiam penes diuerſa motiua per ſe ſufficientia ad priuationem vnius, & eiuſdem boni; vbicumque enim occurrunt diuerſa motiua, quorum quodlibet eſt per ſe ſufficiens ad priuandum bonum alicuius virtutis moralis ibi diuerſa vitia ſecundum ſpeciem ponenda ſunt. Sed diuerſa conſtat eſſe motiua in his peccatis contra naturam, ita quod quodlibet motiuum eſt per ſe ſufficiens ad corruptionem naturalis ordinis actus venerei humani: Igitur diuerſæ ſunt ſpecies peccati contra naturam. Minor probatur. quia mollem mouet ſola expletio voluptatis venereæ: Sodomitam mouet perſona indebiti ſexus. Beſtialem mouet ſuppoſitum alienæ ſpeciei: Et quodlibet horum eſt per ſe ſufficiens motiuum ad corrumpendum naturalem ordinem ſtatutum in actu venereo humano.

Ouiedo. Diana. Caiet.

Nec obſtat, quod D. Thomas non fecerit mentionem de ſpecifica diuerſitate huius vitii, quoniam locus ab auctoritate negatiuè non valet, & plurali numero illam inſinuauit, cum in primo articulo quæſt. 154. numerando ſpecies luxuriæ dixit in numero plurali vitia contra naturam. Nec eſt verum, quod iſta peccata vna, & eadem ratione ſpecifica ſpecialiſſima, ſint mala moraliter, quãuis vnum ſolum bonum morale tollant, quoniam ſunt vnum genere penes priuationem generationis humanæ, & ſunt multa ſpecie penes diuerſa motiua per ſe ſufficiẽtia ad priuationem generationis humanæ. Ita Caietan. *ſupra dub. 1.* Caramuel autem ſuam priorem ſententiam reuocat in ſecunda parte Theologiæ moralis fundamentalis, in ſexto præcepto de peccatis contra naturam *num. 110.* dicens: *Hanc practicam concluſionem ſubſcribo. Diſtinguuntur ſpecie, quam vnicam doceo, & propugno.*

Caiet. Caram.

5. Cum vitium mollitiei venereæ conſtituatur ex voluntaria pollutione abſque concubitu quocumque, ſecundum Caietanum *2.2.q.154.art.11.* nulla apparet differentia formalis, quæ diſtinguat hanc ſpeciem.

Siue enim ſit procurata extrinſeco adminiculo proprio, vel alieno per quodcumque coniunctum, vel ſeparatum inſtrumentum, dummodo abſit concubitus:

ſiue

Digitized by Google

ſiue ſit procurata per ſolum interiorem actum poſitiuè, vel negatiuè; nulla efficitur diuerſitas ſpecifica, quoniam hæc omnia materialiter, vel per accidens ſe habent ad voluntariam ſeminationem abſque concubitu. Grauius tamen peccatum eſt ſi cũ alieno adminiculo ſit, ratione ſocietatis in peccato alterius. Ex cuius doctrina ſequitur, quod quotieſcumque quis habuit pollutionem, ſiuè per ſeipſum, ſine adminiculo alterius, tactibus, vel imaginatione tantùm excitatus, et qui eam habuit cum adminiculo quidem alterius, ſine tamen peccato illius, vt ſi illam habuiſſet tactu alterius dormientis, & nihil ſentientis, aut pueri nondum doli capacis, aut tactu beſtiæ citra concubitum, non videtur teneri in confeſſione dicere aliquid aliud, niſi quod habuerit pollutionem voluntariam: quia ſimiles circumſtantiæ ſpeciem peccati non mutant. Hanc ſententiam probabilem exiſtimat Dicaſtillus *de inſtit. lib. 1. diſp. 3. dub. 18. num. 282. & ſeq.* Azorius *par. 3. lib. 3. cap. 23. q. 3.* Caramuel *in regul. D. Bened. num.* 983. Cæterum vera ſententia docet circumſtantias eſſe ſpecie diuerſas, ſi quis pollutionem procuret propriis tactibus, quia ſi procuret tactibus alienis, & inter alienos diuerſam eſſe ſpeciem, ſi procuret tactibus fœminæ, quàm viri; non enim ſolum eſt maior grauitas, aut duplex, ratione peccati tum proprij, tum alterius, ſed etiam malitia diſtinctæ ſpeciei. Probatur, quia tactus impudici habiti cum fœmina, iuxta communem ſententiam, ſunt quaſi inchoata copula, præuii actus ex ſe ordinati ad illam, etiamſi ex intentione operantis ad id non ordinentur: quod non habent tactus, qui ſolùm habentur ab ipſo ſe polluente, ſine adminiculo alterius. Tum quia non minùs indebiti, et diſſoni naturæ, & generationi ſunt tactus cauſantes pollutionem adminiculo fœminæ, quàm tactus cauſantes pollutionem adminiculo viri. Ergo diuerſificantur ſpecie, propterea quod vnus ſit viri cum fœmina, et alter viri cum viro. Hæc ſententia eſt in praxi tenenda; vnde in confeſſione hæ circumſtantiæ tamquam mutantes ſpeciem, ſunt aperiendæ.

Dicaſtill. Azor. Caram.

6. Peccans cum virgine ſodomiticè, non tenetur in confeſſione dicere illam eſſe virginem. Ratio eſt, quia talis copula non habet ſpecialem malitiam ſtupri cùm non violetur integritas virginalis, nec redditur virgo minus habilis ad matrimonium. Ita Trullench *in Decal. to. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 2. num. 3.* Diana *par. 1. tract. 7. reſ. 11.* Dicaſtillus *de inſtit. lib. 1. diſp. 3. dub. 19. num.* 328. Imo probabile eſt, neque teneri exponere ſodomiam commiſiſſe cum muliere. Ratio eſt, quia ſodomia cum muliere, aut cum viro ſolùm differunt in genere entis, non in genere moris & malitiæ; ſicut furtum auri, panni, argenti, &c. diuinatio per terram, per aſtra, per aquam, non dicunt niſi vnam deformitatem formalem in genere moris, et propterea iſtæ ſpecies ſpecialiſſimæ, et circumſtantiæ materiales ex parte entis non ſunt neceſſariò cõfitendæ, ſed ſufficit dicere peccaui in ſodomia toties. Ita Diana *part. 1. tract. 7. reſ. 2. & par. 7. tract. 12. reſ. 23. poſt Caietanum* Caramuel *in reg. S. Bened. num.* 1113. Contrarium tamen docent Tannerus, & Zanardus apud Dianam.

Trullench. Dian. Dicaſtil. Diana. Caram. Tanner. Zanard.

7. Quorumdam ſententia eſt, clericum committentem vitium beſtialitatis, incurrere pœnas Extrauagantis Pij V. contra Sodomitas: quia lex pœnalis extenditur de caſu ad caſum, quando militat eadem ratio. Sed contrarium eſt dicendum, quia beſtialitas non eſt propriè ſodomia, contra quam edita fuit hæc Bulla; lex pœnalis non eſt extendenda ad caſum non expreſſum, etiamſi in illo eadem inueniatur ratio, maximè in foro conſcientiæ. Ita Barboſa *in ſuis collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. num.* 11. Garzias *de benefic. tom. 2. par. 11. cap. 10. § 2. num.* 205. et alii apud Dianam *par. 2. tract. 17. reſ. 66.* vide dicta ſupra *verb. Lex 2. num.* 18.

Pius V. Barboſa. Garzias. Dian.

8. Ad incurrendas pœnas ſupradictæ Bullæ, vbi eſt vſu recepta, requiritur ſententia iudicis, ita vt ante illam Clerici in conſcientia dictas pœnas non incurrant. Ratio eſt, quia lex pœnalis, quæ non poteſt executioni demandari abſque hominis actione, etiamſi ipſo iure, vel ipſo facto feratur, ante iudicis condemnationem non obligat: quia vſu & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, receptum eſt, vt nullus ſe priuet re antea obtenta, niſi declaratoria criminis ſententia à iudice feratur. Si enim talis lex obligaret ante iudicis ſententiam, eſſet nimis acerba, cogeret enim homines ad ſe prodendum, et ad exequendum in ſe duriſſimam pœnam, ad quod nulla lex obligat; quia leges humanæ faciles, & tolerabiles eſſe debent, et humanæ imbecillitati accommodatæ. Et hæc communis ſententia inter Theologos, & Iuriſperitos apud Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 2. num.* 38. Bonacinam *de matrim. q. 4. punct. 11. num. 2.* Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 4. num. 22.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 47. num. 28.* Sayrum *de cenſur. lib 7. cap. 12. num* 24. et aliis, vide dicta ſupra *verb. Lex* 2. *num.* 21.

Salas. Bonac. Suar. Sanch. Sayr.

9. Ex dictis numero præcedenti ſequitur, quod Clericus ſodomita occultus habens beneficium, dignitatem, vel officium, poſſit abſque noua prouiſione à Confeſſario abſolui ſi ſit contritus: quia non obligatur in foro conſcientiæ ad ferendam pœnam latam per Extrauagãtem Pij V. ſi non præcedat ſententia iudicis declaratoria. Et quamuis quidam Iuriſperiti ſuſtineant hunc Clericum eſſe ſuſpenſum ipſo iure ab executione Ordinum, & fieri irregulare, ſi peracta pœnitentia miniſtret, in qua irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt; hæc tamen ſententia ab omnibus reijcitur. Ratio eſt, quia nullum crimen, quantuus enorme, inducit irregularitatem, ſi non ſit notorium, præter homicidium: quod licet occultiſſimum ſit irregularitatem inducit, vt patet ex *cap. ex tenore de tempor. ordinat.* vbi dicitur, ex nullo crimine quantumcumque graui, etiam degradatione digno, inducitur ſuſpenſio, vel irregularitas in ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus. Et ex *cap. finali eod. tit.* vbi dicitur, quod propter grauiſſima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debet quis poteſt pœnitentiam ab vſu, vel ſuſceptione Ordinum impediri; niſi in iudicio comprobata, vel aliàs notoria fuerint: quia nulla irregularitas poteſt induci, niſi expreſſa in iure inueniatur, *cap. is qui, de ſent. excommun.* ſed nullum crimen, quantumuis enorme, inducit irregularitatem, niſi ſit notorium, ergo. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 5. num. 1. lit. F.* Auila *de cenſur. part. 7. diſp. 4. dub. 7. concl.* 8. Nauarrus *in Man. cap. 27. num.* 249. Conink *de Sacram. diſp. 18. dub. 7. num.* 56. & alii citati *tom. 1. verb. Irregularitas* 10. *num.* 5.

Henriq. Auila. Nauar. Conink.

10. Beſtialitas eſt grauiſſimum ſcelus inter omnia, quæ contra naturæ ordinem ab hominibus committuntur. Ratio eſt, quia in iſto turpiſſimo vitio totaliter peruertitur omnis naturæ ordo in copula carnali, quæ ſolum pro generatione prolis fuit inſtituta, ſecundùm debitum ſexum, et vas generationis in eadem ſpecie. Proinde in beſtialitate non ſolùm variatur ſexus, & inſtrumentum naturale generationis, verum etiam ipſa ſpecies, quod ipſa natura, ac etiam bruta animalia abhorrent.

Hoc ſcelus appellatur crimen peſſimum, prout colligitur ex *cap. 37. Geneſ.* Quando Ioſeph accuſauit Fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo, quod de peccato beſtialitatis intelligunt Gloſſa *ibid.* & D. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. *ad* 4. Enormitas autem huius ſceleris, ex ipſius nomine patet, quod denominatur beſtialitas, nam coeuntes cum beſtijs meritò nomen beſtiæ ſortiuntur: mediante enim copula venerea cum beſtia habita, homo vnum corpus cum ea efficitur, ſicut qui adhæret meretrici vnum corpus cum ea efficitur, ſicut dixit Apoſtolus 1. *Corint.* 6. ita qui adhæret beſtiæ, fit ſimilis beſtiæ, prout notatur *in cap. Miror 17. q. 4.* Ita Graffijs *de caſib. reſeru. lib. 1. cap. 12. de beſtialitate num.* 10. et alii communiter.

Gloſſa. D. Thò. Graffijs.

Hoc crimen punitur pœna mortis, & flammarum poſt mortem: imò grauiſſimi Doctores dicunt, quod in hoc crimine ob attrocitatem ipſius non requiritur conſummatio, et complementum perfectum delicti, ſed ſufficit ad pœnam mortis ſubeundam inceptio operis, quamuis opus non fuiſſet conſummatum per infuſionem ſeminis intra vas beſtiæ. Ita Iulius Clarus *in pract. crim. §. Fornicatio num.* 22. Menochius *de arbitrar. lib. 2. caſu* 186. *n.* 44. et alii Iuriſperiti apud ipſos.

Iul. Clar. Menoch.

11. Peccatum beſtialitatis illud eſt etiam quod committitur cum Dæmone in corpore aſſumpto. Licet enim dæmon non poſſit eſſe corporeus, cùm ſit ſpiritus; aliquando tamen aſſumit quoddam corpus phantaſticum

de-

deſumptum ex aere, vel quocumque alio elemento, & efformat quoddam corpus, ſiuè in forma bruti, ſiuè hominis incumbendo, vel ſuccumbendo cum hominibus. Hoc autem neſandiſſimum ſcelus beſtialitatis cum Dæmone in corpore aſſumpto eſt crimen omnium grauiſſimum, quæ committi poſſunt in ſpeciebus peccati luxuriæ contra naturam: nam eſt multò grauius peccato ſodomiæ, ac beſtialitatis ſimplicis cum bruto, eo quod diuerſitas ſpeciei, eo magis repugnat carnali congreſsui, quo ſpecies inter ſe magis diuerſæ ſunt. Nihil autem magis diuerſum eſſe poteſt, quàm corpus, & ſpiritus, & quàm corpus verum, & corpus phantaſticum, quod Dæmon aſſumit, tamquam cauſa mouens et aſſiſtens. Non enim poterat cor hominis & fœda libido altiùs aſcendere, quàm ad hoc fœdiſſimum Dæmoniacum cōcubitum deſcendere. Nam vltra malitiam peccati luxuriæ, adeſt etiā ibi in illo actu nefando crimen ſuperſtitionis & irreligioſitatis, quatenus includit ſocietatem cum Dæmone; quæ circumſtantia eſt de neceſſitate in Confeſsione explicanda, quando habens copulam cum illo corpore cognoſcit eſſe diabolum in corpore aſſumpto, & pro tali exiſtimat.

Caiet. Bonac. Filliuc.

Ita Caietanus 2. 2 *q.* 154. *art.* 11. *ad* 3. Bonacina *de matrimon. q. 4. punct.* 12. *num.* 3. Filliucius *tract.* 30. *num.* 162.

12. Omnes beſtialitates ſunt eiuſdem ſpeciei, quantum eſt ex natura actus, hoc eſt ipſius concubitus ſecundum ſe cum ſuppoſito non eiuſdem ſpeciei. Nam neque ſexus, aut vaſis diuerſitas in beſtia diuerſitatem motiui in ordine ad rationem habet, ſed ſub eadem mouendi ratione comprehenditur, qua beſtia ipſa mouet, ſcilicet, vt extraneum à ſpecie humana, ſicut omnis concubitus maſculi cum maſculo inter homines eſt eiuſdem ſpeciei, quia ſub eadem ratione mouet mas, & quælibet eius pars, marem ad actum venereum, et mulier mulierem. Et per hoc etiam dicitur, quod omnis concubitus cum dæmone eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, quia ſub vna ratione mouet vt ſuppoſitum non eiuſdem ſpeciei. Ex parte tamen affectus, vt puta ſi quis etiam beſtia affectu ſodomitico abutatur, aut cum dæmone per affectum ad delectationem ſodomiticam, vel cum conſanguineo, &c. coeat, peccatum vltra beſtialitatis vitium deformitatem ſodomiæ, vel adulterii, vel inceſtus, vel ſacrilegii, &c. induit.

Poteſt quoque ex parte affectus adiuncto quandoque patientis affectu, ſeu conſenſu, variari beſtiale peccatum mulieris cum dæmone, puta, ſi dæmon non confectum à ſeipſo ſemen, quod non eſt verum ſemen humanum, ſed quidam humor ſemini humano ſimilis, ſed verum ſemen humanum acceptum ab aliquo viro, concumbendo transfundat. Tale enim peccatum ex parte concubitus eſt beſtialitas, ex parte verò commiſtionis ſeminum, ad ſimplicem fornicationem reductiuè ſpectat, eo quod ſolam delectationem veneream in conſummatione vagi concubitus importat. Vnde ex tali concubitu generari poteſt homo filius illius viri à quo deciſum eſt ſemen nec obſtat ſi vir ille ſit pater illius mulieris, ſi iſta tantum hominis ſemen petierit, non patris proprii; quoniam ex intentione & propoſito peccata diſtinguuntur.

Caiet. Filliuc. Graff. Chapeauil. Clau. regia.

Ita Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *ad* 3. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 162. Graffijs *de caſib. reſeru. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. Ioannes Chapeauilla *de caſib. reſeru. caſu* 15. *q.* 1. Clauis regia *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 19. et alii.

13. Peccata contra naturam licet cōcurrere nequeant cum peccatis luxuriæ naturalis, in eadem ſpecie, et in eodem actu & concubitu, quia concubitus naturalis, et contra naturam ſunt oppoſiti inter ſe; ſi tamen conſideretur deformitas ex parte iniuriæ, vel irreuerentiæ, quæ determinat ſpecies luxuriæ naturalis, ſic nihil obſtat, quominus concurrere poſſint. Sic adulter eſt, qui abutitur coniugata contra naturam, & qui naturaliter, quia vtrobique ſit iniuria matrimonio, dum perſona, quæ eſt alterius quoad concubitum polluitur; licet ſit maior iniuria quando coniugata naturaliter cognoſcitur, tunc enim non ſolum polluitur perſona vxoris, quæ eſt mariti, ſed etiam vas, quod eſt mariti polluitur. Similiter grauius eſt ſacrilegium abuti contra naturam ſanctimoniali, quā naturaliter, quamuis vtrobique agatur contra caſtitatē, quæ perſonæ Deo conſecratæ debetur. Eodem modo dicendum eſt de inceſtu, et ſtupro.

Caietan.

Ita Caietanus 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. *dub.* 1. et Chapeauilla *loco cit. caſu* 15. *q.* 1. et alii.

Chapeauill.

14. Difficultas eſt, quodnam peccatum luxuriæ committat, habens copulam cum fœmina dormiente? Reſp. certum eſſe, ſi fœmina ante ſomnum conſenſerit in copulam eſſe eiuſdem ſpeciei, ac eſſet, ſi haberetur cum illa vigilante, ac ſponte conſentiente: quia talis copula equiparatur copulæ habitæ cum muliere ebria. Quod ſi mulier, cum qua dormiente habetur copula in eam non conſenſerit ante ſomnum, hic eſt difficultas: Si quidem videtur tunc copulam continere etiam malitiam raptus, quia fraus & dolus violentiæ æquipollent, *l. vnica*, § *Et ſi quidem*, *C. de raptu virginum*. Sed in hoc caſu adeſt fraus & dolus, quia copula illa habetur cum muliere inuita; ſi enim vigilaſſet non conſenſiſſet, ergo cùm ipſi per fraudem & dolum violentia adhibetur, raptus committitur. In contrarium poſſet aliquis dicere, quòd tunc adeſset fraus & dolus, quando mulier fuiſset aliquo medicamento ex induſtria conſopita, vt poſtea cum illa haberetur copula, ſed ſi copula habita fuiſset occaſionaliter, quia mulier inuenta eſt ſomno oppreſsa, et ideo concubitum non ſenſit, non videtur tunc adeſse tanta iniuria, et violentia, vt poſſit conſtituere rapinam formalem: quia vt raptus ſit peccatum luxuriæ diſtinctum à fornicatione ſimplici ſpecificè, opus eſt, vt fiat abductio mulieris, ſed in hoc caſu, dato quod ſit violentia, non adeſt abductio, ergo talis copula non poteſt inducere raptum formalem. Reſolutionem huius caſus doctiores dabunt, quamuis Pellizarius *in Man. Regular. tom.* 1. *tract* 4. *cap.* 3. *ſect* 4. *num.* 70. ſuſtineat eſse raptum formalem: cuius opinio mihi ſemper dura viſa eſt, quia ex ea ſequeretur talem incidiſse in pœnas à Sacris Canonibus contra raptores latas.

Pellizar.

Ipſe autem Pellizarius poſtea *in Man. Regular. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 83. *verſ. vnum hic*, reſpondens ad obiectiones Dianæ *part.* 9. *tract.* 9. *reſol.* 2. negantis ibi eſse malitiam formalem raptus, dicit, hanc copulam ſolum habere malitiam raptus per participationem, non autem in toto ſuo rigore, & ideo habens talem copulam non incurrit pœnas à Sacris Canonibus latas contra raptores.

Pellizar. Dian.

Vide tom. 1. verb Ignorantia *num.* 11. Beneficium 2. *num.* 5. Adulterium. Concubinarius. Fornicatio. Raptus.

M.

MAGIA.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex ſit magia?*

2 *An magia ſit peccatum mortale? & an poſſit eſſe veniale ex paruitate materiæ?*

3 *Quibus modis poſsit cognoſci an aliqua operatio ad magiam pertineat?*

4 *Quæ crimina ordinariè ſint magiæ adiuncta, de quibus à confeſſarijs, & iudicibus ipſi magi ſunt interrogandi?*

1 Magia duplex eſt, *naturalis*, ſcilicet & *ſuperſtitioſa*. *Naturalis* eſt *ratio quædam operandi mira per cauſas naturales abſque dæmonis opera*: hæc magia per ſe mala non eſt, licet ſit periculoſa; quia ſub ſpecie occultæ operationis naturæ, diabolus facilè ſe admiſcet, & ita occultæ virtuti cauſæ naturalis tribuitur, quod ipſius præſtigijs agitur: *Magia ſuperſtitioſa*, quæ à quibuſdam diabolica nominatur, *eſt ratio quædam operandi mira per ſigna ope dæmonum*: ſicut enim magia naturalis vtitur cauſis naturalibus, ita hæc vtitur ſignis, quæ ſunt cauſæ naturales, hæc autem ſigna & tota diſciplina primùm inſtituta ſunt à dæmonibus. Ita Filliucius *tract.* 24. *cap.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 1. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 5. *num.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 1. et alii.

Filliuc. Leſſius. Bonac. Laym.

2. *Magia* ex genere ſuo peccatum eſt mortale; quia continet tacitam, vel expreſſam dæmonis inuocationē, ac

Digitized by Google

ac proinde ſocietatem, & beneuolentiam erga illum: fieri tamen poteſt, vt aliqui actus magici excuſentur à peccato mortali, ratione ignorantiæ; vt ſi quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem. Cùm hæc ſæpè ſit valde occulta; ratione autem leuitatis materiæ, præciſè non videtur vnquam eſſe veniale: quia quod in re parua, vel lubicra dæmon inuocetur, per ſe non minus crimen eſt, quàm ſi id fieret in magna. Toletus *lib. 4. cap. 14. num. 12.* Filliucius *cit. num.* 179. Leſſius *cit. dub. 4. num. 26.* Diana *par. 5. tract. 5. reſ. 29.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 38. num. 18.* et alii.

Tolet. Filliuc. Leſſ. Diana. Sanch.

3. *Tribus modis* cognoſci poteſt an aliqua operatio ad magiam pertineat. *Primò*, ex conditione cauſarum, puta ſi expreſsè inuocetur diabolus, ſi preces adhibeantur, quibus falſa permixta ſunt, ſi verba exotica, ſi characteres, imagines, ſigilla, ſi ligaturæ, ſpecula, vnctiones, et ſimilia præter Eccleſiæ morem, cùm enim effectus ad quem diriguntur, non poſſit expectari ex virtute talium cauſarum, vt quæ nullam in ſe habeant, nec etiam à Deo, cùm nec ab ipſo nec ab Eccleſia, quæ ſpiritu Dei regitur, ſint inſtituta, imò ab ipſa Eccleſia reprobentur, ſequitur eum expectari à malignis ſpiritibus. *Secundò*, ex cõditione operationis, vt cum repentè curatur equus, vel homo abſque diuino miraculo, &c. *Tertiò*, ex conditione effectus, ſi hic induſtriam humanam ſuperet, quia magi circa elementa multa poſſunt, videlicet tempeſtates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos excitare, iiſque lædere & euertere arbores, ſegetes, animalia, ædificia, &c. circa corpora hominum, & animalium multa poſſunt; vt illa celerrimè transferre de loco ad locum, illa etiam transformare, non quidem intrinſecè figuram mutando, ſed extrinſecus ex vaporibus aliam circumponendo, poſſunt etiam morbos occultos inferre, qui nulla arte medica valeant curari; poſsunt etiam curare morbos omnes, qui naturalibus remedijs curari poſſunt, & omnes qui à dæmonis actuali nocumento pendent; poſsunt etiam eruere theſauros occultos, et opes maris abditas, licet id Deus rariſſimè permittat; poſsunt etiam magi aliquo modo ſe efficere inuiſibiles, idque vel efficiendo, vt ſubitò transferantur aliò, adſtantibus non aduertentibus, vel aliquod corpus inſtar veli interponendo, quod ſimile ſit corporibus adiacentibus, vel certè ſubtrahendo, aut impediendo ſpiritus viſorios; qua parte ad illius obiecti viſionem debent concurrere: poſsunt etiam magi mittere dæmones in hominem, & facere vt ab his obſideatur, Deo permittente. Circa autem animam humanam coniunctam corpori, omnia ea poſsunt magi opera dæmonum, quæ ex corporis diſpoſitione, et imaginatione pendent, vt inferre amentiam, incitare ad amorem, odium, libidinem erga hunc, vel illum. De his plura Leſſius *cit. dub.* 3. Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 12. p. 2.* Martinus Delrius *lib. 2. q. 8.* Azorius *tom. 1. lib. 9. cap.* 25. Sanchez *lib. 2. mor. cap.* 40. Suarez *de ſuperſt. lib. 2. cap.* 15. Toletus *lib. 4. cap.* 14. Filliucius *tract. 24. cap. 7. q. 5.* Clauis regia *lib. 4. cap. 6.* Layman *cit. cap. 4. num* 3. et alios.

Leſſius. Valent. Delrius. Sanch. Suarez. Tolet. Filliuc. Cla. reg. Laym.

4. *Magia ordinariè* alia crimina ſunt adiuncta, iuxta Filliuc. *tract. 24. cap. 7. in fin.* Leſſius *cit. dub. 4. num.* 27. de quibus à confeſsarijs, et iudicibus ipſi magi ſunt interrogandi, vt hæreſis: multi enim ex his non credunt diabolum ſubiturum pœnas æternas, aut eſse damnatum: aut eos qui ipſi adhærent, eſse damnando, vt Apoſtaſia; abnegant enim Chriſtum, et ſæpè renunciant baptiſmo & confirmationi. Vt idololatria, accipiunt enim diabolum loco Dei, eique ſacrificia offerunt alioſque deferunt honores. Vt blaſphemia, in Deum, in Chriſti humanitatem, in B. V. & Sanctos omnes. Vt ſacrilegium, ſæpè enim in ſuis incantationibus vtuntur rebus ſacris, & interdum ipſa Sanctiſsima Euchariſtia. Vt luxuria, et nefariæ cum dæmone commixtiones. Vt damna proximorum, vt verbi gratia homicidia præſertim infantiũ, mortes animalium, vaſtationes ſegetum, & ſimilia: in quibus patet magos, et ſagas dignos eſse morte, et omninò è Republ. exterminandos. De pœnis contra magos iure ciuili, aut canonico impoſitis, plura apud Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. cap.* 19. Reginaldus *lib. 17. num.* 191. Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 26. q. 3.*

Filliuc. Leſſ. Suar. Regin. Azor.

Vide verb. *Superſtitio* num. 5.

MALEFICIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit maleficium, & quotuplex?*
2 *Ad quot genera reuocentur omnia maleficia?*
3 *Quæ ſint remedia maleficij?*
Cur Deus ſinat nos affligi à maleficis?
An malefici etiam bonis nocere poſsint?
Cur diabolus noceat hominibus potius per homines quàm per ſeipſum?
Quare ſuadeat Dæmon abuti rebus ſacris?
4 *An aliquando licitum ſit maleficorum, & diuinatorum alias paratorum opera vti.*
5 *An petere liceat vt maleficus, aut alius vno maleficio diſſoluat aliud.*
6 *Quomodo maleficus poſsit cognoſci.*
7 *Quæ inquirenda ſint a confeſſario in audiendis confeſsionibus maleficorum, vel maleficium.*

1 MAleficium eſt *ars, ac poteſtas nocendi alijs ex pacto expreſso, vel tacito cum dæmone*: duplex eſt, *amatorium* ſcilicet ad excitandum amorem carnalem, & *veneficum* ad nocendum aliis. Amatorium quidem, vllius voluntatem cogere non poteſt ad amandum, obiectiuè tantùm mouet commouendo phantaſmata, quibus afficiatur voluntas ad rem amandam: quia licet ſint quędam rerum naturalium, vt herbarum, et lapidum vires, et facultates, quæ amoris, et concupiſcentiæ flammam poſsint accendere; nulla eſt tamen in rebus naturalibus facultas ingenita, quæ ſuaptè natura excitet alliciat, et accendat hominem ad amandum hunc, aut illum certum hominem, et quod quis excitetur ad amandum hunc, vel illum hominem, ex dæmonis facultate prouenit, qui hominem aliunde ad amandum in vniuerſum excitatum, allicit ad amorem erga hunc, vel illum.

Veneficium vero nocet alteri, vel in perſona propria eum lædendo, occidendo, aut ſterilem reddendo, etc. vel eidem nocendo in ſua ſubſtantia pecoribus, vineis, arboribus, etc. idque per pluuias, aut tonitrua, etc. Et in hoc etiam maleficio, dæmon ſolus operatur ad vocem malefici; cum enim is vult alicui malum inferre, aut prolem exſiccare, dæmon qui exactè rerum omnium naturalium vim et naturam tenet, clam applicat venena, inficit aerem, etc. Imo etiam ipſe ingreditur corpora, et torquet homines: ſi etiam maleficus velit rebus nocere dæmon excitat tempeſtates, portat nubes, agros inundat, pluit lapides, et grandines, deſtruit vineas, populatur ſata, diruit tecta, etc. Ita Clauis regia *lib. 4. cap. 6. num.* 23. Toletus *lib. 4. cap.* 16. Filliucius *tract. 24. cap. 8. q. 1. &* 2. Reginaldus *lib. 17. num.* 175. Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 26. q. 1.* et alii.

Cla. reg. Tolet. Filliuc. Regin. Azor.

2. *Maleficia* omnia ad quinque genera reuocantur. *Primò*, ad cognoſcendum occulta, et procul poſita; vt conſilia, & actiones perſonarum, quæ longè abſunt. *Secundò*, ad morbos mirabiliter inferendos, et cauſando homicidia, dolores, aut deſtruendo vineas, animalia, ſubuertendo domus, arbores, et huiuſmodi. *Tertiò*, ad inducendam ſanitatem. *Quartò*, ad falſas, et præſtigioſas apparitiones, et actiones. *Quintò*, ad motus, vel mutationes rerum, et effectus mirabiles, et communi hominum iudicio impoſsibiles. Vix enim aliquod maleficium reperiri poteſt, quod ſub vno horum non contineatur. Bonacina *tom. 2. diſp. 3. q. 5. punct. 5. num.* 3. Clauis regia *lib. 4. cap. 6. num.* 23. Sylueſter *v. Maleficium q. 5.*

Bonac. Cla. re. Sylueſt.

3. *Remedia* maleficij iuxta Sanchez *lib. 2. mor. cap. 41. num.* 25. Reginaldus *cit. num.* 183. Leſsius *lib. 2. cap. 44. d. 5.* Suarez *de relig. lib. 2. cap.* 17. Filliucius *cit. cap 8. q. 3.* Delrio *lib. 6. cap. 2. q. 3. sect.* 3. et alios: poſsunt eſse, vel *naturalia*, quæ plerumque paruam vim habent, quia diabolus facilè omnem illorum actionem eludit, ſi velit; tamen ſunt adhibenda: vel ſunt *ſupernaturalia*, quæ ſunt optima, vt magna fides, ſuſceptio baptiſmi, confeſsio peccatorum, ſumptio Euchariſtiæ, exorciſmi Eccleſiæ, aqua benedicta, reliquiæ Sanctorum, ſignum crucis, inuocatio nominis Ieſu, beatæ Virginis, et aliorum San-

Sanchez. Regin. Leſsius. Suar. Filliuc. Delrio

ctorum, cum ieiunio & oratione. Vel ſunt *moralia*, id eſt, quæ pertinent ad pactum cum dæmone diſſoluendũ, quando ex pacto nocet, quod fit amouendo ſigna magica ad quorum præſentiam nocumentum diabolus irrogat.

Sciendum tamen eſt, per hæc Eccleſiaſtica remedia non ſemper homines liberari, idque ob duas cauſas. *Primò*, quia obſtat peccatum, vel illius qui curat, vel illius, qui curandus eſt. *Secundò*, ob maius bonum illius qui patitur.

Petes *Primò*, cur Deus ſinat nos affligi à maleficis? Reſp. cauſam primam eſſe, vt Athæi, et Infideles confutentur, qui dicunt non eſſe Diabolum, nec vllum ſpiritum. 2. vt confundantur hæretici, dum è poſſeſſis hominibus per res benedictas, et ſacras Diaboli expelluntur. 3. vt ipſi magi conuertantur, quando vident ſe contra pios nihil poſſe: et ſic conuerſus fuit *S. Cyprianus* teſte *Greg. Nazianzeno*. 4. vt oſtendat Deus ſuam prouidentiam ſinens Diabolum vti libero arbitrio, & naturalem ſuam poteſtatem exercere. 5. vt Deus tentet nos, an illum ſincerè diligamus: qui enim illum verè non diligit, ad magos & Diabolum confugit. 6. vt exerceatur patientia, vt in Iob, vel humilitas. 7. vt puniantur peccata parentum & propria, &c.

Petes *Secundò*, an malefici etiam bonis nocere poſſint? Reſp. affirmatiuè, quando vtuntur cauſis naturalibus, vt venenis: eſſet enim miraculum, ſi cauſa naturalis vim ſuam non exerceret: quando verò ipſimet non agunt, ſed Diabolus, tunc rarò bonis nocent, quia in bonis non habent tam liberam poteſtatem; ſolent autem malefici maximè nocere infantibus, iiſque non baptizatis, ob peccatum originale, et aliquando etiam baptizatis, ſed tunc potius nocent parentibus; idque Deus permittit ob peccata parentum, vel ad probandam eorum fidem, vel quod infantes à nutricibus veneficis, Diabolo offerantur.

Petes *Tertiò*. Cur Diabolus noceat hominibus potius per homines, quàm per ſeipſum? Reſp. *Primò*, quia ſic pluribus nocet: multò enim plura damna infert per homines, quàm per ſeipſum, vt reſiſtere ſuperioribus, excitare hæreſes, abuti rebus ſacris, etc. *Secundò*, vt plures decipiat, quia naturaliter homines abhorrent conſortium Diaboli, non hominum. *Tertiò*, vt maiorem Deo iniuriam facit, cùm abutitur creatura rationali ad malum.

Petes *vltimò* cur ſuadeat Dæmon abuti rebus ſacris? Reſp. *Primò*, vt maleficorum peccata reddat grauiora; hoc enim pacto non tantùm ſunt malefici, ſed etiam ſacrilegi. *Secundò*, vt faciliùs decipiat, perſuadendo huiuſmodi effectus non fieri à Dæmone, ſed à Deo, vtpote per res ſacras effectos.

4. Nullo modo licitum eſt, etiam pro re graui, et vrgente bono publico, maleficorum, et diuinatorum aliàs paratorum opera vti; quia actio, quæ petitur, eſt intrinſecè mala, et conſequenter pro nullo bono conſequendo, aut malo vitando licitum eſt ita operari, et proinde nec petere, quia eſſet cooperari peccato alterius. Ita communiter ſentiunt Toletus *lib. 4. cap. 16.* Suarez *cit. lib. 2. cap. 18. num. 3.* Nauarrus *cap. 11. num. 29.* Sanchez *cit. lib. 41. num. 5.* contra *Angel. verb. Superſtitio* §. 13. Vnde conſulere magos, maleficos, vel diuinos, vel eorum ſpectaculis intereſſe, quæ fiunt arte diabolica, vel ad hoc cõferre pecunias, eſt peccatum mortale; vt patet *Deut. 18.* & in vtroque iure graues pœnæ conſtitutæ ſunt, tam contra magos, et alios ſuperſtitioſos, quàm contra eos, qui ipſos conſulunt: qui enim obſeruat Ariolos, haruſpices, vel incantatores, vel eorum philacterijs vtitur, ipſo facto excommunicatus, *C. ſi quis 26. q. 5.* et libri magici ſunt comburendi, ex Indice Conc. Trident. Multi tamen à mortali in hoc caſu excuſantur ob ignorantiam, quia neſciunt iſta à dæmone fieri, vt Nauar. *cap. 11. num. 31.* docet.

Tole. Suar. anch. Nauar.

5. Non licet petere vt maleficus, aut alius vno maleficio diſſoluat aliud: quia hoc eſſet maleficium, et habere pactum cum diabolo, ſeu conſentire ſaltem in illius pactum, quod non licet: rogari tamen poſſet maleficus, vt diſſoluat maleficium modo licito, faciendo ea, quæ præſtari poſſunt ſine ope dæmonis: imo quisque ius habet tollendi, & deſtruendi ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia ſigna malefica poſita a maleficis eo fine, vt diabolus deſinat nocere; etiamſi ex ablatione ſigni malefici aliquod damnum malefico, aut alteri ſequatur, eo quod dæmon ita pactum inierit cum ipſo malefico: quia ex parte tollentis hæc ſigna, nulla intercedit dæmonis inuocatio, vel cooperatio ad damnum malefici: quando autem dubitatur, an maleficus ſciat modum licitum diſſoluendi, præſumitur ſolùm ſcire modum ſuperſtitioſum, conſequenter ab eo peti non poteſt diſſolutio maleficii, ſed priùs interrogandus eſt, an neſciat modum licitum diſſoluendi maleficii: quia petere cum illo dubio, eſſet ſe exponere manifeſto periculo petendi rem illicitam, & ſic eſſet inducere ad nouum peccatum. Clauis regia *lib. 4. cap. 6. num. 27.* Sanchez *lib. 2. cap. 41.* Syluius *2. 2. q. 43. art. 4. quæſit. 2. concl. 2.* Syluester *cit. q. 8.* Toletus *lib. 4. cap. 16.* Leſſius *cit. dub. 6.* Nauarrus *cap. 11. num. 29.* Suarez *lib. c. 18.* Filliucius *tract. 24. cap. 8. q. 4. & 5.* Vide Sylu. 2. 2. q. 96. *art. 4.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 4. num. 9.* et alii.

Cla. reg. ſanch. ſyluius. ſylueſt. Tolet. Leſſius. Nauar. Filliuc. ſylu.

Si tamen petens certus ſcit, quod maleficus ſciat licitè, & illicitè ſoluere maleficium, tunc licitum eſt petere ab eo abſolutè, vt maleficium ſoluat, quamuis conſtet petenti fore, vt medio illicito vtatur. Ratio eſt, quia quod petitur à malefico poteſt ab illo benè, & malè fieri: ſcandalum autem paſſiuum accipit maleficus ex ſola malitia ſua, quia illa petitio, nec eſt mala, neque habet ſpeciem mali, ſed potiùs eſt bona, cùm præmoueatur petens vrgenti neceſſitate, & occaſione ad id petendum; & non tenetur abſtinere à tali petitione cum graui ſuo incommodo, et alieno, cuius occaſione alius ex malitia peccat. Tum quia omnes fatentur licitum eſſe petere ab vſurario mutuum, & ab infideli iuramentum, quando petens eis indiget, quamuis exploratum illi petenti ſit fore, vt ille ſub vſuris mutuet, & hic iuret per falſos Deos. Ita *Suarez, Leſſius, Filliucius*, et alii hoc numero citati, quibus adde iterum Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 95. num. 11.* & Diana *part. 5. tract. 7. reſ. 15.*

ſanch. Diana.

6. Maleficus poteſt quis cognoſci ex confeſſione propria, vel aliorum, qui eiuſdem delicti conſortes ſunt, vel ſi chirographum aliquod reperiatur penes aliquam perſonam manu eius, atque ab ea recognitum, quo ſe dæmoni volens dedicauit, aut ſi impreſſum gerat ſignum, aut ſtigma, quo maleficæ ſolent inſigniri: vel ſi penes aliquam reperiantur aliqua venena, hoſtiæ, bufones, membra humana, imagines ceræ acubus infixæ, vel ſi dæmonem inuocare ſolere conuincatur, ſi minata fuerit mulier alicui malum, et deinde quis reperiatur morbo, ac faſcinatione correptus: denique ſi teſtes aliqui ſunt cõtra aliquem teſtificantes, quod viderint eum veneno, aut vnguento aliquo linire animalia, quæ poſteà mortua reperta ſunt. Binsfeldius *de confeſſ. malefic.* Malleus *maleficarum p. 3.* Clauis regia *cit. num. 24.* et alii.

Binsfeld. Malleus.

7. *Confeſſarius* in audiendis confeſſionibus maleficorum, vel maleficarum, quinque præcipuè inquire debet. *Primum*, an interceſſerit pactum aliquod cum dæmone, in quo promittant ſe negaturos Christum; & fidem Chriſtianam abiuraturos; vel ſi diabolum adorarint, actionesque nefandas, ac ſacrilegas erga venerabile Euchariſtiæ Sacramentum exercuerint. Confeſſarius autẽ curare debet, vt maleficus diſſoluat pactum cum dæmone initum, peragendo pœnitentiam patrati criminis, et perſtingendo chirographum, ſi apud ſe habeat, vel eius exemplar. *Secundum*, an in tali peccato aliquam hæreſim habuerit credendo ſacramenta Eccleſiæ nihil valere, &c. *Tertium*, quomodo confecerit maleficium, an ſcilicet ex rebus ſacris aqua benedicta, oleo ſancto, cera benedicta, imo etiam ex ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, et an crediderit illis rebus talem virtutem ineſſe ad tales effectus: tunc et ſacrilegii et hæreſis reus eſſet. *Quartum*, circa damnum illatum, an perſonæ, vel rebus damnum intulerit: quia tenetur ad reſtitutionem omniũ damnorum, cùm ſit cauſa efficax damni, imo ſi conſtet pecuniam à dæmone traditam, alicui ſurreptam eſſe, Domino reſtituenda eſſet. *Quintum*, an expreſsè ſacrificauerit dæmoni, vel cum eo rem carnaliter habuerit, vt ſolent lamiæ, & ſtriges, etc. Vide Toletum *lib. 4. cap. 16.* Suarez *cit. lib. 2. cap. 17.* Sanchez *cit. cap. 40.* Clauis regia

Tolet. ſuar. ſanch. Cla. reg.

lib.

Digitized by Google

Bonac. *lib. 4. cap. 6. num. 25.* Bonacina *cit. quæſt. 5. punct. 5. num. 11.* & alios.

Quamuis difficile, non tamen impoſſibile eſt, è poteſtate diaboli eripere eos, quos ſibi deuinxit inito pacto: hinc Confeſſarius magnam operam adhibere debet. 1. Vt agnoſcere incipiant hoſtis infeſtiſſimi mēdacia, fraudes, & falſa promiſſa. 2. Vt abiurato diabolo, fidem, ac ſpem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad ſe inuitat, & reuerti volentes recipit: Eximenda enim ipſis eſt perſuaſio, quam multæ ſagæ habere ſolent, propter pactum initum, à dæmone liberari non poſſe. 3. Vt frequentes preces v. g. Litanias Sanctorum, & varias collectas ſpiritu fidei feruente pœnitens recitet, vel coram ipſo ab alio recitentur. 4. Vt crucis ſigno, ſacris imaginibus, & reliquijs Sanctorum, aqua benedicta, et ſimilibus vtatur. 5. Vt ſacramentum Confeſſionis frequenter apud eumdem Confeſſarium, qui ſtatum illius cognitum habet; vt congruas interrogationes formare, & apta remedia præſcribere poſſit. 6. Vt fidei Catholicæ profeſſionem ſæpius repetat, & Symbolum Apoſtolicum frequenter recitet.

Vide tom. 1. verb. *Exhæredatio* n. 1. *Homicidium* 1. n. 16. *Homicidium* 2. n. 2. & hoc tomo verb. *Matrimonium* 7. n. 79. 80. *Superſtitio* num. 3.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Magia apud Græcos accipitur pro Sapientia: cuius duæ ſunt ſpecies.*
2 *Quibus nominibus denominentur exercentes artem magiæ ſuperſtitioſæ.*
3 *Magia ſuperſtitioſa an contineat ſemper pactum explicitum, vel implicitum cum Dæmone.*
4 *An Dæmones poſſint realiter portare veneficas, & magas in loca remota breui temporis ſpatio.*
5 *An incantationes, & maleficia ſint ſpecies magiæ propriè ſumptæ.*
6 *An malefici poſſint ſuis maleficijs reddere homines vtriuſque ſexus impotentes ad copulam?*
7 *An magi habeant poteſtatem alligandi Dæmones in annulis, ſiuè vaſculis, vel expellendi illos è corporibus hominum?*
8 *An licitum ſit cogere maleficum minis, verberibus, vel etiam occidere, vt maleficium ſoluat alio maleficio.*
9 *An liceat interrogare maleficum, in quo maleficium conſiſtat, & illius ſcientia vti, vt ſignum deſtruatur.*
10 *Quomodo Confeſſarius cum ſagis vltrò ad ſacram Confeſſionem accedentibus ſe gerere debeat.*

1 MAgia apud Græcos pro ſapientia accipitur, rerumque naturalium exacta cognitione, quare Magi apud illos dicebantur ſapientes, cuius magiæ communiter dictæ duæ traduntur ſpecies, vna naturalis, altera ſuperſtitioſa & dæmoniaca, vt diximus *tom. 1. in hoc verb. n. 1.*

Magia ſuperſtitioſa, ſeu dæmoniaca omninò illicita eſt, et in iure prohibita: quare illa vtentes grauiſſimum peccatum mortale committunt inter peccata, quæ opponuntur Religioni Chriſtianæ, quæ eſt omnium moraliũ virtutum præſtantiſſima: eò enim grauius eſt peccatum, quò præſtantior eſt virtus, cui opponitur. Magnus enim quantum in ſe eſt aufert honorem, & cultum Deo debitum, illumque Diabolo tribuit; ſupponit enim pactum, ſiuè expreſſum, ſiuè tacitum cum Dæmone, quod eſt intrinſecè malum: nam pactum quod Diabolus facit cum Magis eſt, vt ipſum colant eique obediant, et Diabolus promittit illis facere ad ſua maleficia præſtanda, quæ omnia ſunt execranda contra primum Decalogi præceptum. Ita Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3 lib. 2. cap. 4. num.* 10. Fagundez *in 1. præc. Decal. cap. 41.* & alij communiter.

Suar.
Fagund.

2. Exercentes hanc diabolicam, & abominabilem artem magiæ, varijs nominibus denominari ſolent. Dicuntur enim magi, ſiuè magæ ab ipſa arte magiæ, quam exercent; dicuntur malefici, ſiuè maleficæ, ratione maleficiorum, quæ contra homines, et eorum res faciunt. Appellãtur venefici, vel veneficæ, quia inficiunt homines & animalia mediantibus venenoſis rebus, quibus vtuntur ad interficiendos homines, & animalia, virtute dæmonum. Fœminæ appellantur ſtriges ad auibus inauſpicatis huius nominis, quæ ſtridendo volant, et ſtridore alarum nimium ſunt infeſtæ, & importunæ, infantiumq. corpora nocturno tempore inuadunt, et ſanguinem illorum exugunt. Propterea ad ſimilitudinem dictarum auium, huiuſmodi nefariæ fœminæ nocturno tempore à dæmonibus per aerem aſportari ſolent, et tranſeuntes per domos arripiunt infantes in culla dormientes, illorum ſanguinem, et adipem accipiunt ad faciendum vnguentum diabolicum pro arte nefanda exercenda, & ideo meritò appellantur ſtriges. Similiter aliquando dicuntur Lamiæ, à quodam animali ita nominato. Lamia enim eſt quoddã animal moſtruoſum, et crudele ſpeciem quandam mulieris habens, corpus tamen beſtiale, quod paruulos rapit, et ſuffocat, illorumque ſanguinem ſugit; quare cùm maleficæ rapiant infantulos & occidant, rationabiliter etiam Lamiæ ſunt appellatæ. Nonnumquam tandem dicuntur à quibuſdam Sagæ, ſeu incantatrices, quæ quibuſdam incantationibus, & maleficiis, hominibus aliquid mali infligere ſolent: vel ideo dicuntur ſagæ à ſagiendo, eo quod multa ſcire deſiderant, quapropter ſe dæmonum conſortio immiſcere ſolent, vt ab ipſis artem magicam addiſcant, qua hominibus nocere poſſint. Ita Fagundez *in 1. præcept. Decal. cap. 41. lib. 1.* Vbertinus *de agnoſcend. Cathol. aſſert. q. 24.* et alii. Fagund. Vbertin.

3. Magia ſuperſtitioſa duplex eſt, vna per pactum, ſeu ſocietatem explicitam cum dæmone, quod contingit, quando aliquis vir, vel fœmina Diabolum inuocat, et dæmon illis apparet in forma viſibili, & cum ipſo pactum init pro maleficiis conficiendis, et tunc facto pacto promittit Diabolus facere quidquid voluerit magus, vel maga. Interdum autem hoc pactum fieri ſolet, quibuſdam cęremoniis interpoſitis, quæ vt plurimum hoc modo fiunt. Congregantur in quodam loco determinato, ſtatuto die maleficæ fieri cupientes, ibique Diabolus in aſpectu formæ humanæ, ſe ab illis videri facit, qui dum ſuper ſeruandam ſibi fidelitatem adhortatur, promittendo illis vitæ longitudinem & proſperitatem, cæteræ maleficæ mulieres, quæ ibi adſunt, talem nouitiam Diabolo commendant, et diabolus videndo talem nouitiam contentam eſſe fidem Catholicam, cultumque diuinum, ac patrocinium B. Mariæ Virginis, cæterorumque Sanctorum renunciare, ac denique Sacramenta Eccleſiæ abnegare, extendit manum, et vice verſa nouitia illa etiam ſtipulata manu, ſeruare illa nefaria promittit: et tunc diabolus homagium petit continens, quod talis et anima, et corpore illi æternaliter adhærebit, promittendo inuigilare quantùm potuerit, vt cæteri homines vtriuſque ſexus cum ipſo diabolo amicitiam ineant: et tunc promittit illi diabolus ſuis omnibus deſiderijs, et petitionibus ſatisfacturũ: quare deinde faciunt conuiuia et tripudia, aliaq. opera nefaria, et laſciua, plena immunditijs, et abominationibus. Hæc ex Malleo *maleficiorum par. 2. cap. 2.*

Altera eſt magia per pactum cum dæmone implicitũ. Nam quidquid præter Eccleſiæ conſuetudinem adhibetur ad operationem aliquam ſecuturam, quam efficiendi, vel tali modo, in tanta diſtantia, celeritate, vim naturalem non obtinet: id ad magiam ſuperſtitioſam, et tacitam cum dæmone ſpectat. Cùm enim talis res adhiberi non poſſit vt cauſa naturalis, ſequitur adhiberi vt ſignum; et non diuinum, vel ſacrum; cùm neque à Chriſto, neque ab Eccleſia inſtitutum ſit: ergo vt ſignum occulti pacti cum diabolo. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 96. art. 2.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 40. num. 44.* Nauar. *in Man. cap. 11. num. 31.* Toletus *in Summ. lib. 4. cap. 14. num. 11.* et alii communiter. D. Th. Sanch. Nauar. Tolet.

4. Certum eſt poſſe dæmones realiter quandoque aſportare huiuſmodi veneficas in loca remota etiam diſtã-

tiſſimi

Digitized by Google

tiſſima breuiſſimo temporis ſpatio, et iterum poſtea ad domum propriam eadem celeritate reducere. Ratio eſt, quia Dæmonibus omnia naturalia remanſerunt integra, ideoque naturali virtute, hæc multaque maiora, et ſimilia dæmones efficere poſſunt, niſi Deus aliquando impediat. Si enim Diabolus Chriſtus tranſtulit in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit illum ſupra pinnaculum templi, indeque etiam detulit in montem excelſum valdè, *Matthæi* 4. Cur non idem facere poterit de corporibus iſtarum magarum, & Lamiarum? Tamen verum eſt, Dæmones non ſemper hoc verè, & realiter facere, ſed quandoque per illuſiones decipere huiuſmodi magas ſolent, & extra proprias domos realiter non transferre. Quando autem realiter non feruntur, ita Diabolus illarum corpora ſubintrat, vt eas omnino ſenſu deſtituat, vt nihil omnino ſentiant. In terra enim tamquam mortuæ corruunt, & immediatè antequam ſurgant, illas eludit, taleſque ſpecies illis imprimit, vt falsò ſibi perſuadeant, ſe per aerem volitaſſe, domo egreſſas fuiſſe, domoſque alienas ingreſſas, ibique multa feciſſe, et vidiſſe ſibi perſuadeant. Ita Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 2. cap.* 16. Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num.* 8. & 9. Simanchas *de Cathol. inſtit. tit. 27. num.* 12.

Suar. Fagund. Simanchas.

5. Species magiæ diabolicè proprijſſimè ſumptæ ſunt incantationes, et maleficia: quæ ſemper fiunt mediante conſortio & auxilio Dæmonum, ſupponuntque ſemper pactum, ſaltem implicitum cum Diabolo initum, & vtraque talis peruerſa ars eſt damnata, ſacrilega, & abominabilis, illamque exercentes ſunt valdè de hæreſi ſuſpecti. Proinde incantatio eſt dictio compoſita ab in & canto, ſuſcipiturque ſemper in malam partem. Incantare enim nihil aliud eſt, quàm verbis quibuſdam ſuperſtitioſis, vel etiam actionibus quibuſdam verbis adiunctis, aliquid ſupra naturam moliri; et differt à maleficio ſolùm, quod incantatio fit verbis, maleficium autem factis, ſed ſemper in vtroque vitio adeſt inuocatio Dæmonis ſaltem implicita ex pacto facto cum illo tacito, vel expreſſo. Ex Caietan. *in Summa verb. Incantatio*, et aliis Summiſtis.

Caiet.

Maleficium autem deriuatur à verbo Malum & facio, ſemper enim ſignificat malum alicui inferre; ideoque à Theologis accipitur pro vi, et poteſtate nocendi aliis ex pacto facto cum Diabolo ſiuè explicito, ſiuè implicito. Proinde ſtriges, quæ ſuis maleficijs nocere ſolent in perſona, occidendo pueros, aut infirmitates, et dolores cauſando, faciendo aliquas imagines cereas, vt dum imaginum illarum partes, vel membra pungunt, tunc perſonæ maleficiatæ patiuntur in iſta parte, quæ pungitur in imagine; non eſt cenſendum, illud nocumentum imaginis peruenire ad perſonam, dum maleficus circa imaginem operatur, ſed Diabolus nocet illi perſonæ pungendo mēbra illius, vel paulatim conſumendo, vt ſeruet pactum initum cum illis, et verax inueniatur; ſi enim pactum non ſeruaret, nemo illi ſeruiret. Vt aduertunt Scotus, Gabriel *in 3. diſt.* 34. et omnes.

Scotus. Gabr.

6. Certum eſt iuxta Theologorum omnium ſententiam, et Iuris Pontificii profeſſorum, malefico, poſſe ſuis maleficiis reddere hominem impotentem ad copulam carnalem. Ratio eſt, quia cùm duo reddant virum ad venerem aptum, nempe, calor & ſpiritus, Dæmon poteſt calorem minuere, et ſpiritus impedire viā illis præcludens: quod quinque modis fieri poteſt. *Primò*, corpora impediendo ne ſibi etiam mutuo appropinquent, vel directè, vel indirectè ſe interponendo inter ea corpore aſſumpto. *Secundò*, ex eo quòd hominem inflammare poteſt ad actum illum, vel ab actu infrigidare, adhibēdo occultè virtutes rerum ad hoc validas. *Tertiò*, turbando imaginationem & æſtimatiuam facultatem, qua reddit mulierē exoſam viro, quando veneri vacare volunt. *Quartò*, prohibēdo rigorem membri, reddita viri virga flaccida, quando coire vult. *Quintò*, prohibendo miſsionem ſpirituum ad membra, in quibus eſt virtus motiua, quaſi intercludendo vias ſeminis, ne ad vaſa generationis deſcendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excidatur, vel ne emittatur. Porro non ſolùm viri, ſed etiam fœminæ poſſunt maleficiis impotentes ad copulam reddi: vnde communiter maleficiatur fœmina; per ſolam opinionem, ſeu phantaſiæ læſionem, vt ſi viro properante ad coitum, illa ſubito horret genitale viri, quaſi improportionatæ magnitudinis, et nulla ratione ſinit ſe cognoſci: ſolet tamen aliquando Dæmon arctare vas fœmineum, vt minimè à viro penetrari poſſit. Et ideo poteſtas maleficiorum permittitur Dæmonibus à Deo in actu generatiuæ potentiæ, magis quàm in aliis, quia per eam peccatum originale transfunditur. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3. par. q. 58. art.* 2. Paludanus *in 4. diſt. 34. quæſt. 2. art. 3. num.* 16. Delrius *lib. 3. diſquiſit. magic. part. 1. quæſt. 4. ſect.* 8. Sanchez *de matrim. lib 7. diſp.* 94. et alii.

D. Tho. Palud. Delrius. Sanch.

7. Magi non habent poteſtatem alligandi dæmones, quos vocant familiares, in annulis, ſpeculis, ſiue vaſculis, vel ad illos expellendos è corporibus hominum obſeſſorum. Ratio eſt, quia cùm homo ſit natura, et poteſtate longè dæmonibus inferior, non poteſt in eo eſſe virtus naturalis alligandi dæmones in aliquo certo, et determinato loco, iuxta illud Iob cap. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret*. Propterea ſi aliquando dicantur dæmones in certis locis alligari à magis, hoc fit poteſtate dæmonum Superiorum, cum quibus à magis pactum initum, vt minores dæmones includerent, & ligarent iuxta Magorum petitionem. Vel ipſi Dæmones ſpontè ſeipſos includunt et alligant, vt ſeruent pactum cum illis initum: Eodem poſſunt etiam Dæmones Superiores eijcere inferiores è corporibus hominum, et iterum introducere, prout tradunt Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 41. num.* 23. Filliucius *tract. 24 num.* 186. Azorius *part. 1. lib. 9. cap. 25. quæſt.* 2. et alii.

Fagund. Filliuc. Azor.

8. Non ſolùm eſt illicitum petere à malefico, precibus, ſed etiam minis eum cogere, vt maleficium alio maleficio ſoluat. Ratio eſt, quia minæ, aut pœnæ non poſſunt ſeparare malitiā intrinſecam ab actu intrinſecè malo et peccaminoſo: quare ſiue vi, et metu coactus, ſiue ſpontè id faciat ſemper illicitum actum facit, eo quod ſemper in his ſuperſtitioſis actionibus fit ſaltem tacita inuocatio Dæmonis, cui, mediante tali inuocatione, illi cultus præſtatur contra primum Decalogi præceptum. Proinde grauiter peccant, qui huiuſmodi maleficos, vel maleficas, vel verberibus contundunt, vt maleficia ſoluant; niſi fortè excuſentur à peccato ex eo, quod credant, modo licito poſſe maleficia ſoluere deſtruendo ſignum, ſiue quamcumque aliam figuram factam contra maleficiatā, vt illa deſtructa ceſſet Diabolus tali perſonæ nocere, dūmodo in tali deſtructione ſigni nullo modo explicitè, vel implicitè, inuocetur Diabolus, ſed ſimpliciter deſtruatur maleficium per amotionem facturæ, ſiue ſigni. Vide D. Thomam *in 4. diſt. 34. q. 1. art.* 3. Scotum *ibid.* Layman *lib. 4. tract.* 10. *cap. 4. n.* 9. Caietanum *in Sum. verb. Maleficium*. Clauem regiam *lib. 4. cap. 6. num.* 26. alios apud ipſos citatos, quibus adde Card. Lugo *de iuſt. tom. 1. diſt. 10. num.* 162.

D Tho. Laym. Caiet. Cla. reg. Lugo.

Nota tamen non licere ſagam, ſeu maleficam occidere ſi nolit maleficium tollere, etiamſi alia via non ſuppetat. Ratio eſt, quia cum occiſio permiſſa ſit ad auertendum malum, quod ab altero infertur, aliterque auerti non poteſt, tunc tantùm licebit occidere, quando per occiſionem auertitur. Sed per occiſionem maleficæ non auertitur malum, quod illa conſeruat, non tollendo, aut deſtruendo prius maleficium, pari enim ratione non tolletur ab illa poſt mortem: ergo mors non eſt medium ad illud maleficium tollendum. Poſſet tamen malefica cogi à iudice ad id ſignum deſtruendum; imo tenetur ex iuſtitia illam cogere ad damna reſarcienda. Vt docent Sanchez *lib. 2. moral. cap.* 41. *num.* 24. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 18. num.* 7. & 8.

Sanch. Suar.

9. Licitè poteſt interrogari alius maleficus, an norit, in quo maleficium cōſiſtat, vt ſignum deſtruatur: quod ſi ille ignoret, minimè induci poteſt ad id per ſuam artem inueſtigandum. Ratio eſt, quia id eſſet inducere ad maleficium, quo mediante, id à Dæmone addiſcendum eſſet. Quando autem maleficus per maleficia id à Dæmone didicit, licebit ea ſcientia vti ad deſtruendum maleficii ſignum: quia licet peccatum ſit notitiam alicuius rei à Dæmone procurare, at ea ſemel habita licet vti. Exempli gratia, ſi Dæmon eſſet pactus cum malefico ſe nociturū,

niſi maleficiatus poſtea ſe ſignet Cruce, aut lauet corpus: licebit huic ſe ſignare, aut lauare, non intentione ſanandi poſitiuè eo medio, aut opera Dæmonis, ſed ſolo animo tollendi ſigni, & pacti nocendi diſſoluendi. Nam intentio illa eſt bona, et medium eſt licitum, aut de ſe indifferens, ac ſuppoſita Dæmonis malitia eſt bonum: eſt enim ſolum incentiuum mali auferre: et parum refert ablationem ſigni fieri per actionem poſitiuam alterius rationis, ſiue non. Ita Suarez *loco cit. cap.* 17. *num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 41. *num.* 20. & 25. Ouandus *in* 4. *diſtinct.* 34. *diſt. vnic.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *num.* 45. Non liceret tamen ad ſoluendum maleficium remedijs ſuperſtitioſis vti: nam ſoluere maleficia mediantibus actionibus ſuperſtitioſis eſt intrinſecè malum, ſemper enim in ijs interuenire ſolent Dæmonum inuocationes, ſaltem implicitè factæ ex pacto inito cum Diabolo, ſiuè immediatè, ſiuè mediante alio mago. Vt docent Scotus *in* 4. *diſt.* 34. *quaſt. vnic. art.* 3. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 95. *num.* 7. Fagundez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 4. et alii communiter, *ex cap. Qui ſine Saluatore* 26. *q.* 2.

Suar.
Sanch.
Ouand.
Leſſius.
Scotus.
Sanch.
Fagund.

10. Quomodo Confeſſarius cum ſagis vltrò, ad ſacrã Confeſſionem accedentibus ſe gerere debeat. Dicendum eſt, plurimum expedire, vt diligenter, & exactè exquirat quo tempore, qua occaſione in tale crimen lapſa fuerit. Propterea examinet Confeſſam de modo, et qualitate ſuperſtitionis; vtrum ex animo fidei Chriſtianæ renunciarit? Diabolum adorauerit? ſalſa de Deo & æternitate ſenſerit? an rebus ſacris abuſa ſit? hominibus nocumentum intulerit in bonis fortunæ, aut corpore: num etiam læſerit perſonas valde coniunctas, vt maritum, parentes, liberos? Item an viros Principes, Clericos, Religioſos? idque propter cenſuram excommunicationis, &c. Vtrum alios ſeduxerit, & an hi in tali crimine perſiſtant? quia tenetur illos ad viam veritatis reducere, aut ſi conuerti nolint, Magiſtratui deferre: quia tamen denuntiandi obligatione non adſtringetur, ſi exinde probabile periculum immineat, in ſuſpicionem, atque capturam veniendi. Item quamdiu in hoc crimine hæſerint, an aliquando animo pœnituerint, &c propter volitiones eiuſdem criminis diuerſas, et earum interpolationes. Itẽ interrogandæ ſunt adhuc retineant libros, aut alia magica inſtrumenta: quia retentis illis abſolui nequeunt. Item curandum, vt occaſiones relabendi euitentur, et tollantur, v. gr. ſi habitat, vel verſatur inter maleficos, quando fieri poteſt, loci mutatio, et ſeparatio iniungenda, &c.

In contritione procuranda, hoc opus hic labor eſt, non ex parte Dei, ſed ex parte ipſius maleficæ, quam ordinariè duo impediunt, error, et metus. Error quidem, quia Diabolus perſuadet ipſi impoſſibile eſſe ad Deum conuerti, et veniam conſequi peccatorum, propter pactum ſecum initum, et Dei abnegationẽ, aliaque quibus ſe contaminauit ſcelera neſandiſſima. Hic in promptu Sacerdos habeat & Sacræ Scripturæ teſtimonia, & Patrum ſẽtentias, et exempla omnis æui, quibus clarè demonſtret Dæmonem mentiri; ſeriò conuerſos numquam à Deo reiici: nihil eorum, quæ pollicetur Diabolus, præſtare poſſe, neque ſi poſſet velle. Grauitatem quoque criminis poterit Confeſſarius proponere ex circumſtantiis hæreſis, idololatriæ, apoſtaſiæ, homicidii, parricidii, rapinæ, ſodomiæ, et ſacrilegii, &c.

Metus etiam duplex vrget maleficam, alter verborum et minarum à Dæmone, à quo non raro affligitur crudeliſſimè, alter humanæ infamiæ: contra vtrumque rationibus, exemplìſque armari à Confeſſario illam oportet.

De reſtitutionis obligatione, conſiderandum, ſitne damnum adhuc impendens; an vero iam fuerit illatum; ſi adhuc damnum pendet, vt ſi res adhuc ſit planè integra, vel venenum, vel aliud maleficium nondum cœperit lædere, ſed poſt aliquod tempus effectum ſuum exſeret; non eſt abſoluenda, donec quocumque modo licito conetur malis futuris obuiare, & veneno antidotum præbere, vel maleficium deſtruere: idque totum de conſilio Confeſſarii docti, et prudentis: cui attendendum, ne occultum crimen pendatur, et ne aliqua media illicita adhibeantur. Si vero aliqua iam damna fortunis perſonisve illata fuerint, illam non abſoluat Confeſſarius, ſine præuia ſatisfactione, aut ſi eam nequit malefica præſtare, ſine fideiuſſoria, vel ſaltem iuratoria cautione. Plura de his apud Martinum Delrium *lib.* 6. *diſquiſ. magic. ſect.* 3. §. *quoad interrogatoria*. Apud Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. §. *vnic.* quos in facti contingentia conſule.

Delrius.
Laym.

MALEDICTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit maledictio, & quotuplex?*
2 *An maledictio formalis ex genere ſuo ſit peccatum mortale? & quando poſſit eſſe veniale?*
3 *An maledictio materialis ex genere ſuo ſit tantum peccatum veniale? & quando poſſit eſſe mortale?*
4 *An maledictio materialis, qua quis imprecatur alteri malum ſub ratione boni, vel iuſti, vel vtilis, ſit aliquando licita?*
5 *Quando maledicere creaturis irrationabilibus ſit licitum, vel illicitum?*

1 MAledictio eſt *imprecatio, ſeu exoptatio mali alicui facta ſub ratione mali*, hoc eſt intendendo malum ipſum: *duplex* eſt maledictio, *formalis* nempe et *materialis*: *formalis* maledictio eſt, qua quis imprecando, vel imperando vult alicui malum euenire vt malum eſt: *Materialis* eſt, qua quis imprecando, vel imperando alicui euenire malum ſub ratione boni iuſti, aut vtilis, aut qua quis malum alicui optare videtur, ſine intentione tamen et deſiderio mali, quod ore profertur. D. Thomas 2. 2. *quaſt.* 76. Clauis regia *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. Filliucius *tract.* 40. *cap.* 5. *q.* 7 et alii.

D. Tho.
Cla. reg.
Filliuc.

2. *Maledictio formalis*, quæ fit cum animo, et intentione, vt alteri malum eueniat, ex genere ſuo peccatum mortale eſt. Ita D. Thomas *cit. art.* 3 Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 19. *p.* 1. Toletus *lib.* 4. *cap.* 13. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 6. *punct.* 3. *n.* 4. Filliucius *cit. cap.* 5. *n.* 147. Sotus *de iuſt lib.* 5 *q.* 12. *art.* 3. Fernandez *par.* 4. *cap.* 2. §. 5. *n.* 4. Sanctius *in ſelect. diſp.* 2. *n.* 2 et alii, quia procedit ex odio interiori, et indirectè charitati repugnat: et hæc maledictio formalis ad diuerſas peccati ſpecies pertinet, ſicut et odium interius à quo procedit; ſi enim imprecatur mortem, eſt homicida; ſi incendium domus optat, vel bonorum, eſt incendiarius; ſi bonorum ablationem deſiderat, eſt fur. Interdum autem maledictio formalis poteſt eſſe peccatum veniale ratione paruitatis materiæ, aut ex defectu deliberationis: vt ſi fiat primo motu, ex habitu quodam naturæ, aut ex alia paſſione: hac de cauſa parentes à mortali ſæpius excuſantur maledicta in filios conijciendo, quia deſinit conſenſus, et plena deliberatio, vt ait Azor. *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10. Diana *tract.* 6. *miſc. reſ.* 13. *par.* 3.

D. Tho.
Valent.
Tolet.
Bonac.
Filliuc.
Sotus.
Fernãd.
Sanc.
Azot.
Dian.

3. *Maledictio materialis*, qua quis intentione, et deſiderio mali, quod ore profertur, malũ aliquod nominat, ſolùm peccatum veniale eſt ex genere ſuo, quia grauitas mali penſanda eſt, vel ex intentione maledicentis, aut ex damno quod infertur; et in hoc caſu deeſt intentio, et inſuper nullum infertur damnum: imo fieri poteſt, vt hæc maledictio aliquando non ſit peccatum veniale, v. g. ſi ioco, & ludo fiat, et cauſa recreationis honeſtæ, vt quæ in conuiuiis, ludis, et comœdiis amico, et familiariter amico dici ſolet: ratione autem circumſtantiarum poſſet eſſe hæc maledictio grauiſſimum peccatum, vt ſi Prælatis, vel grauis perſona malum ſubditis precetur, aut filius parentibus, ſubditus ſuperioribus; opus enim illud non ſolùm ſcandaloſum eſt, ſed etiam genus quoddam contumeliæ continet, propter reuerentiam, quæ illis debetur. Clauis regia *cit. cap* 5 *lib.* 12. *num.* 16. Filliucius *cit. cap.* 5. *num.* 148. Sylu. 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. Caiet. Sylueſt. Nauarr. apud Fernandez *cit. num.* 4. & alii.

Cla reg.
Filliuc.
Sylu.

4. *Maledictio materialis*, qua quis imprecatur alteri malum

malum ſub ratione boni, vel iuſti, vel boni vtilis, non eſt peccatum; ſed licita in caſibus, in quibus licitum eſt illud malum velle, & tale bonum: quia quod licitum eſt deſiderare, licitum eſt precari, ſed licitum eſt cuique etiam priuato velle malum proximo, vel ratione iuſtitiæ, vel gloriæ Dei, vel ratione boni communis: hinc patet à mortali excuſari illum, qui filijs mortem imprecatur, ne in futurum delinquant, vel quid turpe faciant. D. Thomas *cit. q. 76. art.* 3. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 303. Leſſius *lib. 2. cap. 45. dub. 5. num.* 30. Filliucius *cit. cap.* 5. Sancius *in ſelect. diſp. 2. num. 7. & diſp. 6. num.* 1. & alii.

D. Tho. Regin. Leſſius. Filliuc. Sancius.

5. Maledicere creaturis irrationabilibus ſecundùm ſe conſideratis, vanum & otioſum eſt, Tolerus *lib. 4. cap.* 13. Clauis regia *cit. n.* 19. Filliucius *cit. cap. 5. q.* 10. Bonacina *cit. num. 4. &* 5. Leſſius *cit. dub. 5. n.* 29. et alii: quia creaturæ irrationales ſecundùm ſe non ſunt capaces mali, & boni in ordine ad fœlicitatem, vel infœlicitatem; ſi verò creaturæ naturales conſiderentur non ſecundùm ſe, ſed per ordinem ad creaturam rationalem, ſeu vt ſunt bona hominis, idem eſt, ac hominibus maledicere, ac proinde eadem ratione eſt licitum, vel illicitum eis maledicere, quia licitum, vel illicitum eſt maledicere ipſis hominibus: ſi quis autem maledicat creaturæ in ordine ad Deũ, quatenus eſt res Dei, committit blaſphemiam, quia videtur imprecari malum Deo in rebus ab eo factis. *Porrò in* confeſſione explicandæ ſunt omnes malorum ſpecies, quę quis alteri imprecatus eſt illi maledicendo. Clauis regia *cit. num.* 20. quia diuerſa erunt crimina ſi diſtinctam inferant iniuriã, & damnum in rem quæ maledicitur: vnde deprecari malam mortem temporalem alicui, & immediatè in eodem interuallo optare, & implorare quòd à Dæmone rapiatur, duo peccata neceſſario confitenda erunt. Vt etiam docet Sancius *in ſelectis diſp. 6. num.* 1.

Tolet. Cla. reg. Filliuc. Bonac. Leſſius. Cla. reg. Sanc.

De Maledictione vide tom. 1. verb. *Charitas* num. 23. *Contumelia, Detractio.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Vt maledictio ſit peccatum mortale, quæ requirantur?*
2 *Maledictio, an ſit actus odij, vel contumeliæ?*
3 *Quando dignoſcatur, quando maledictio eſt mortalis, vel venialis facta ex iræ impetu.*
4 *An qui maledicit toti domui, tot peccata committat, quot in ea ſint perſonæ? Et quale peccatum ſit, imprecari alteri, vt illum Diabolus rapiat, vel quid ſimile ſibi ex ira deſiderare.*

1 VT maledictio ſit peccatum mortale tria concurrere debent. *Primum*, vt ipſa imprecatio, ſeu maledictio ſit alicuius mali grauis, & ex animo facta & imprecata. *Secundum*, vt ſit facta cum plena deliberatione voluntatis. *Tertium*, quod malum, quod alteri quis imprecatur ſit malum, & ſub ratione mali, vt ex odio, vindicta, ſeu inuidia, &c. Quare deficiente aliqua ex his conditionibus maledictio non erit peccatum mortale, niſi ratione ſcandali. Proinde ruſtici, & muliones, qui ex quadam conſuetudine maledicere ſolent iumentis alijsque animalibus brutis ex quodam impetu iræ, ſiue impatientiæ, non peccant mortaliter, ſed venialiter, quia in talibus maledictionibus non eſt perfecta animi deliberatio & voluntas, vt talia mala imprecata illis aduenient, ſed proferuntur tantùm materialiter, et non formaliter, ſed ex primo motu iræ. Ita Azor. *part. 3. lib.* 13. *cap.* 10. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 8. cap. 8. dub.* 6. & alii.

Azor. Trullench.

2. Maledictio, ſiuè imprecatio mali non eſt actus odii elicitus, ſed imperatus: quia maledicere eſt malum alicui dicere; quod elicitiuè ad intellectum pertinet, non ad voluntatem. Verum, cum maledictio fiat per modum imprecandi, aliud non eſt, quàm expreſſio voluntatis auerſæ ab altero? ideoque ab odio imperatur. Cæterum quamuis maledicere proximo ſine iuſta cauſa charitati

repugnet, & ad peccatum odij pertineat, interdum tamen iuſtitiæ aduerſatur, & ad contumeliam ſpectat. Interdum ambæ reperiuntur in maledictione, vt ſi quis ex animo adeoque ex odio alicui homini maledicat in faciem, non ſine contumelia, ſiuè honoris iniuſta læſione, hic duplex peccatum commiſit; vnum contra charitatem, & alterum contra iuſtitiam, quorum vtrumque ex genere ſuo mortale eſt, in Confeſſione exprimendum. Interdum vero peccatur contra charitatem ſine contumelia: vt ſi quis alicui ſeriò, et ex animo maledicat, tamen abſenti, ſine detractione. Interdum vice verſa committitur peccatum contumeliæ contra iuſtitiam, vel pietatem, non item peccatum odii contra charitatem, v. g. ſi quis alicui in faciem maledicat, ſed non ex animo, quaſi id euenire optet. Porrò generaliter, omnes maledictio ad illam ſpeciem peccati pertinet, ad quam pertinet malum quod optatur: & ſi nullum malum exprimat is qui maledicit, ſed tamen in genere malum velit, eius maledictio pertinebit ad peccatum odii, quod pro obiecto habet malum abſolutè. Ex quibus ſequitur quòd maledictio formalis, non ſit ſpeciale peccatum diſtinctum ab alijs quibus contingit reipſa inferri malum proximo, ſed eiuſdem ſpeciei cum malo quod optatur. Proinde ſi quis vno furoris impetu, ſiuè diuerſis, imprecetur alicui mala diuerſa, vt bonorum ſpoliationem, infamiam, mortem; tot ſunt diuerſæ ſpeciei maledictiones, quot diuerſa mala imprecatur, & conſequenter in Confeſſione debet explicare, quot & quæ mala fuerit imprecatus. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt. 76. art.* 4. Sotus *de iuſtit. lib. 5. q. 12. art.* 3. Clauis regia *lib. 12. cap. 5. num.* 20. Syluius *2. 2. q. 76. art.* 3. Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 8. num.* 7. & alii.

Caiet. Sotus. Cla. reg. Sylu. Laym.

3. Ad diſcernendum quando maledictio ſit mortalis, vel venialis, quæ fit ex impetu iræ, vel paſſionis, ne quis fallatur, diſcerne hoc inter tempus paſſionis, et tempus quietis. Et ſcito quod ex hoc quod maledicens poſt tranſactam paſſionem doleret, ſi eueniret malum quod optauit, non propterea ſignum eſt, quod fuerit peccatum veniale maledictio, aut quod non ex intentione maledixerit: quoniam ſi tempore iræ, aut alterius paſſionis tantùm inualuit paſſio, vt portionem Superiorem ad conſenſum maledictionis flexerit, mortale peccatum eſt, ſicut cum paſſio concupiſcentiæ tantum exardeſcit, quod tradit ad conſenſum in actum venereum. Oportet ergo ad ipſum paſſionis tempus inſpicere, an tunc maledicens conſenſerit, hoc eſt, voluiſſet pro tunc quòd ſic eſſet vt dicebat, an non. Hoc enim tempus infallibiliter oſtendit, an mortale, an veniale fuerit. Tempus autẽ quietis poſt paſſionem, oſtendit quod non eſt perſiſtens animus erga malum: & quod non per modum habitus, ſed paſſionis tranſeuntis peccauit. Hæc eſt doctrina notanda, & ſequenda Caietani *in 2. 2. q. 76 art.* 1. quem ſequitur Syluius *ibid. art.* 3. & Molina *tract. 4. de iuſtit. diſp. 22. num.* 5. Iacobus Marchantius *in reſol. Paſtor par. 2. cap 3. quæſt.* 4.

Caiet. Sylu. Molina. Marchã.

4. Qui maledicit toti domui, non committit tot peccata, quot ſunt perſonæ maledictæ: quia licet iſtud nomen, domus, familia, &c. ſignificet plures, ſignificat tamen eos collectiuè, tamquam vnum corpus: vnde in ſententia illorum qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe in Confeſſione exprimendas, hoc ipſum teneretur explicare, & inſuper malum quod eis optauit, Vide Nauar. *in Man. cap. 6. num.* 18. Rodriquez *part.* 1. *Summ. Latinæ cap. 213. num.* 3.

Nauar. Rodrig.

Qui autem ex ira, vel obiurgationis cauſa, grauem alioquin maledictionem in alterum effundit, verbi gratia, vt Diabolus illum rapiat, ſed ſine animo, ac voluntate, vt id eueniat, atque ſine notabili contumelia, ſpectata perſonæ qualitate, alijsque circumſtantiis, non foret peccatum mortale. Quando vero aliquis ex ira ſeipſum Diabolo dederet, eſto ſine animo, vt ita eueniret, id faceret, non videtur excuſandus à culpa lethali ob fœditatẽ, horrorem, ac peruerſitatem rei: eaque de cauſa, quando id in Confeſſionibus deprehenditur, debet Confeſſarius numerum eorum peccatorum interrogare, acriterque vitium id paterno affectu reprehendere. Proinde officium Confeſſarii eſt conſulere pœnitentibus ſuis ne Dęmonem in ore accipiant, niſi ad ſpuendum in illum, & inſuper

monere eos, vt tanquam Chriſtiani loquantur verba, quæ ſapiant hominem Chriſtianum, & filium Chriſti, qui cum maledicetur, non maledicebat. Ita Molina *de iuſtit. tract. 4. diſp. 22. n. 4.* Rodriquez *loco cit. n. 5.*

Molina. Rodriq.

MANDATVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit mandatum?*

2 *An generale mandatum ad illicita ſe extendat? & an mandatarius poſſit recuſare mandatum nondum ſuſceptum?*

3 *Quæ ſint ſubſtantialia contractus mandati?*

4 *Quæ ſit obligatio mandatarij, qui mandatum accepit abſque vlla forma expreſſa?*

5 *Quot modis mandatum finiatur?*

6 *In quibus caſibus mandatum non finiatur morte mandatoris.*

7 *An præcepta Superiorum expirent illorum morte.*

1 MAndatum eſt *contractus innominatus, quo quis officium honeſtum gratuitò expreſſè, vel tacitè ſuſcipit exequendum, in gratiam alterius, l. 2. ff. mandati*, ex hac definitione colligitur *Primò*, mandatum debere eſſe de re bona, et honeſta: mandatũ enim de re mala, et cõtra leges non obligat, cum nullus obligari poſſit ad rem turpem. *Secundò*, mandatum debet fieri gratis, quia ſi merces pro eo ſumatur, tranſit in locationem: non autem ſi tantùm ſpes ſit remunerationis habendæ; imo etiam cum promiſſione remunerationis non tollitur ratio mandati: ſtipendium tamen pro executione debetur, ſi in pactum deductum fuerit, & mandatarius conſueuerit recipere mercedem, ex circumſtantijs id intelligendum erit. *Tertiò*, mandatum expreſsè, vel tacitè fieri poteſt. *Tacitè* fit, quando quis ſciens, et tacens patitur, vt alter ſuum negotium gerat. *Expreſsè* fit, quando committitur ſignis, vel verbis expreſſis. Azorius *3. par. lib. 9. cap. 1.* Filliucius *tract. 39. cap. 1.* Reginaldus *lib. 25. num. 607.* Molina *tract. 2. diſp. 548.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 26. n. 1. & 2.* & alii.

Azor. Filliuc. Regin. Molina. Laym.

2. *Generale mandatum* ad illicita non extenditur, de re illicita inualidum eſt, et damna ex iniquo mandato reſtituenda ſunt: mandans autem percuti, non occidi, ſi ſequatur occiſio, non punitur pœna ordinaria homicidii, ſed mitiori. Molina *diſp. 550.* Filliucius *cit. c. 1. q. 6.* *Mandatarius* verò poteſt recuſare mandatum nondum ſuſceptum; nam mandatum eſt contractus dependens ab vtriuſque contrahentis voluntate: ſuſceptum iam mandatum recuſare non poteſt, niſi iuſta ſuperueniat cauſa recuſandi, qualis eſt capitalis inimicitia interueniens inter mandantem & mandatarium, aut ſuſpicio qua mandatarius factus eſt ſuſpectus mandatori. Bonacina *de reſtit. diſp. 1. q. 2. punct. 6. num. 11.* Reginaldus *cit.* Azorius *cit. cap. 6.* & alii.

Molin. Filliuc. Bonac. Regin.

3. *Subſtantialia* contractus mandati, ſunt conſenſus vtriuſque, præceſſio obligationis alicuius, vt ſit de re bona, vt in eo dando mandans certam formam præſcribat, *l. diligenter ff. mandati.* Molina *cit. diſp. 552. n. 1.* Filliucius *cit. cap. 1. in fin.* vnde quæ mandatarius facit contra vel præter, vel citra formam mandati, non validè facit, quoties certa forma ſibi præſcripta fuit: nam qui mãdati fines egreditur, aliud agere videtur, quàm id quod ſibi mandatum eſt: hinc qui equum ab altero accepit vendendum centum nummis aureis, et tantùm vendit nonaginta, tenetur mandanti reddere centum, eo quod fines mãdati egreſſus ſit vendendo tantùm nonaginta.

Molina. Filliuc.

4. Quando mandatarius mandatum accepit abſque vlla forma expreſſa, debet diligenter, prudenter, & rationabiliter negotia præſtare, *l. præterea C. mandat.* Azor. *3. par. lib. 8. cap. 23. q. 8* quæ ſi hoc modo præſtiterit, valida erunt & rata habenda à mandatore: nam cenſetur facta iuxta rationabilem mandatoris voluntatem: propterea qui mandauit alteri, vt ſibi equum emeret nullo expreſſo pretio, validè emet quocunque pretio emat, modò pretium ſit iuſtum.

Azor.

5. *Mandatum* finitur multis modis. 1. Per lapſum termini conſtituti, contractus enim non durat vltra conuentionem, & intentionem contrahentium. 2. Per reuocationem mandati factam ab ipſo mandatore, *l. procuratorem ff. mandati*: hic enim poteſt mandatum reuocare, quamdiu res eſt integra, id eſt, quamdiu res mandata nõdum eſt inchoata, re autem inchoata, non poteſt mãdator reuocare mandatum cum damno mandatarii: poſt reuocationem autem mandati, geſta per mandatarium inualida ſunt, quoties mandatario innotuit reuocatio mandati: valida vero ſunt, ſi reuocatio mandati non innotuit mãdatario, excepto caſu matrimonii, quod conſtat non validè celebrari poſt reuocationem mandati, etiamſi procurator ignoret mandati reuocationem. Filliucius *tract. 39. cap. 2. q. 7.* Reginaldus *lib. 25. n. 608.* Molina *cit. diſp. 552. n. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 60.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 26. n. 6.* 3. Finitur mandatum per mortem mandatoris, vel mandatarii; modo res ſit adhuc integra, *Inſtit. de mandato, §. item ſi adhuc*: excipiuntur tamen ſequentes caſus.

Filliuc. Regin. Molin. Sanch. Laym.

6. *Mandatum* in his caſibus non finitur morte mandatoris. *Primò*, quando datum fuit mandatum de re aliqua exequenda poſt mortem mandatoris, *l. ſi vero §. vlt. ff. mandati*. *Secundò*, quando mandatum factum fuit in gratiam mandatarii, *l. ſi cum fundum ff. de pactis.* Sanchez *cit. lib. 8. diſ. 28. n. 27.* Sa *v. Gratia n. 4.* vnde Confeſſarii abſolutè delegati ab Epiſcopo non amittunt iuriſdictionẽ audiendi confeſſiones morte Epiſcopi; ſi vero non ſint abſolutè delegati, ſed illis conceſſa ſit iuriſdictio ad beneplacitum concedentis, amittunt iuriſdictionem morte concedentis, ſecus ſi conceſſa ſit ad beneplacitum ſedis, ſeu dignitatis: nam ſedes, ſeu dignitas perſeuerat mortua perſona. *Tertiò*, non finitur quando factum fuit gratia & fauore dotis, *l. ſi ego, ff. de iure dotium*. *Quartò*, quando delegata eſt alicui facultas, & iuriſdictio ſub nomine dignitatis, & non ſub nomine proprio illius, à quo fuit datum mandatum, dignitas enim non extinguitur, ſed perſona. Sanchez *de matrimon. lib. 8. diſp. 28. num. 49.* *Quintò*, quando mandans dicit ſe concedere iuriſdictionem, donec reuocauerit, ſed poſteà reipſa non reuocauit ante mortem, *cap. ſi delegatus de officio iudicis in 6.*

Sanchez Sa. Sanchez

7. Quando dicitur mandatum non expirare morte mandantis, quando res non eſt integra: intelligitur de mandato iuriſdictionis, id eſt, per quod committitur iuriſdictio. Nam præcepta Superiorum, ad aliquid faciendum vel non faciendum obligantia, ſi non emanent per modum conſtitutionis à potenti illam facere, ſed ſint mandata ab homine, ſemper expirant mandantis morte, quamuis res non integra ſit: Quia cùm ea præcepta minimè ſint conſtitutiones, non ſunt ex natura ſua perpetua, nec poſſunt ligare extincta præcipientis iuriſdictione per eius obitum, vel per eius amotionem ab officio: quia quoad hoc perinde habetur ac mortuus, cùm vtroque caſu extinguatur præcipientis iuriſdictio, à qua præcepta vim habent. Ita Syluester *verb. Delegatus q. 6. & verb. Mandatum quæſt. 6.* Corduba *in reg. S. Franciſc. cap. 10. q. 3. punct. 1.* Menoch. *de arbitrar. lib. 1. quæſt. 69. num. 4.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp. 1. ſect. 6. num. 80. & ſeq.* Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. num. 25. 26.* & alii communiter.

Syluest. Corduba Menoch. Caſpen. Bonac.

Vide verb. *Præceptum* num. 1. & 3.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint dare, & accipere mandatum.*

2 *An ſi mulier coniugata mandet alicui, vt pro ea fideiubeat, teneatur ille actione mandati.*

An valeat mandatum illius, cuius bona confiſcata

ſunt, ſi mandauerit alteri vt ea bona emat? Et an excommunicatus poſſit procurator conſtitui ad lites?

4 *An inter mandantem, & mandatarium debeat interuenire conuentio ſaltem tacita?*

5 *Quando mandatarius teneatur ex dolo, & lata culpa, & quando ex leui, vel leuiſſima?*

6 *An mandans teneatur mandatario ex caſu fortuito?*

7 *Quando mandatarius exceſſit mandati fines, an ratum ſit, & firmum quod facit?*

8 *An mandatarius, qui mandatum ſuſcepit, poſſit officium deſerere?*

9 *An poſt litem conteſtatam, ſi mandatum datum ſit ad lites, poſſit mandans procuratorem mutare?*

10 *Quænam ſint obſeruanda in mandato interpretando?*

11 *Quot actiones ex mandato deſcendant?*

12 *Sex genera mandatorum enumerantur.*

1 ILli poſſunt dare, & accipere mandatum, qui contrahere, niſi prohibiti ſint à mandato dando, vel accipiendo. Specialiter verò prohibentur: *Primò*, milites dare mandatum ad conducendum res, *l. milites, Cod. de locato*. *Secundò*, Curiales *Cod. eodem tit.* *Tertiò*, pupillus, et minor abſque tutore, vel curatore. Bartolus *in l. ſi verò, §. adoleſcens, ff. mandati*. *Quartò*, Monachus, vel Religioſus ſine conſenſu Superioris, *cap. Religioſus, de teſtam. in 6.* [Bartolus]

Filiusfamilias ſi habeat caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia bona, vel aduentitia, in quibus pater vſumfructum non habet, poteſt mandatum accipere ad ſoluendum pro alio, non tamen ſi talibus bonis careat. Idem dic ſi pater filio mandet, vt ſoluat Titio certam pecuniam; ſi enim illam habeat, contrahitur mandatum, ſecus ſi non habeat, *l. ſi quis mandauerit, ff. mandati*.

2. Mulier matrimonio coniuncta ſi mandet alicui, vt pro ea fideiubeat, ille tenetur actione mandati, *l. 2. Cod. ad S. C. Velleianum*: quia, vt in ea lege habetur, ſicut poteſt ſeipſam alteri principaliter obligare, cùm in rem ſuam ſe obſtringat, ſic etiam poteſt alteri mandatum dare, vt pro ea fideiubeat, et ſeipſam obliget creditori. Quid ſi mandet alteri vt fideiubeat pro alio, mandatum tunc non ſubſiſtit, quia obſtat Senatuſconſultum Velleianum, *l. ſi mulier hæreditatem, §. ſi mulier ne ipſa, ff. ad S. C. Velleianum*.

3. Is; cuius bona publicata ſunt, ſi mandauerit alteri vt ea bona emat, valet mandatum, *l. ſi mandauero, §. Is cuius bona, ff. mandati*, quia publicatis bonis, quidquid poſtea acquiritur non ſequitur fiſcum.

Excommunicatus non poteſt procurator conſtitui, mandato alterius ad lites ſiue iudicia. At ſi excommunicatus ſit reus, poteſt ſeipſum in iudicio defendere, et ad id procuratorem dare, *cap. intelleximus, de iudicijs*, tunc enim per alium debet in iudicio reſpondere, proinde cogitur procuratorem dare. Si autem nullum inueniret, qui procuratoris officium ſuſcipere vellet, aut non inueniret hominem ſibi fidelem, poſſet per ſeipſum reſpondere, excipere, & appellare, *cap. cum inter, de except.*

Porrò ſeruus poteſt procuratorem ad ſua peculiaria negotia dare, non autem ad lites, ſiue iudicia, *l. ſeruum, ff. de procurator.*

4. Inter mandantem, et mandatarium debet interuenire conuentio ſaltem tacita: nam ſi videas in tui gratiā aliquid à me fieri, v. g. fideiuberi, neque prohibeas, tacitè mandare cenſeris, ſicut habetur in *l. ſi remunerandi, §. paſſus, ff. mandati*. Ex hac conuentione obligatio reciproca oritur; videlicet, ex parte mandatarii, vt fideliter, et integrè mandatum exequatur, alioquin exiſtimationis ac famæ periculum ſuſtinebit, ſi de dolo conuictus, ac damnatus fuerit, iuxta *l. in re mandata, Cod. eod. tit.* Cōtra verò, mandans ratum habere debet, quod nomine eius à mandatario geſtum eſt.

5. Mandatarius regulariter tenetur ſolùm ex dolo, & lata culpa; quia ordinariè mandatum eſt in gratiam ſolius mandantis. Quando autem eſſet in gratiam vtriuſque vel vtilitatem, tunc mandatarius etiam ex leui culpa obligatur. Quando denique mandatarius expreſſè conueniſſet cum mandante etiam de leuiſſima culpa, tunc vtique etiam de ea teneretur, vel ſe obtuliſſet ad exequendum mandatum, cùm mandans alium vellet eligere, tunc enim tacitè videtur omnem ſuam diligentiam promiſiſſe. Ita Azorius *par. 3. lib. 9. cap. 6. q. 1. de mandato*. Molina *tract. 1. de iuſtit. diſp. 549. num. 6.* [Azor. Molina]

6. Mandans tenetur mandatario ex caſu fortuito, qui potuit initio à mandante cogitari, & præuideri, *l. Neſennius, ff. de negotijs geſtis*. Vnde mandatarius poteſt petere vt mandator reſarciat omnia damna, quæ veriſimiliter ventura præuideri poterant. At non obligatur mandator mandatario ex caſu fortuito, qui cogitari, & præuideri non potuit, *l. inter cauſas, §. non omnia, ff. mandati*. Præterea mandans mandatarium indemnem ſeruare debet; vt omnes expenſas, neceſſarias quas ille fecit gratia mandati explendi, iuxta *cap. cùm pro cauſa, de procurator.*

Aduerte tamen hæc non habere locum in iis, qui ſtipendio conducantur ad aliquid agendum, vt ſunt milites ſtipendijs adducti ad bellum gerendum, in quo damnum ſuſtinuerunt; quia mandatum eſt gratuitum, non mercenarium officium. Ita Abbas *in cap. ſicut, n. 17. de iureiur.* [Abbas.] Neque etiam in iis, qui gratia pietatis, vel conſanguinitatis negotium geſſerunt quia non cauſa mādati, ſed pietatis, vel cognationis rem geſſerunt: ſicut etiam non habent locum in his, qui id faciunt, quod debent, videlicet vt Deo magis, quàm hominibus obediant: iuxta id quod habetur *cap. ſi Dominus, & cap. Iulianus 11. q. 3.* Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 26. n. 3.* Azorius *loco cit. cap. 6. q. 2.* vt colligitur ex *l. Neſennius ſup.* [Laym. Azor.]

7 Si mandatarius exceſſerit mandati fines, ratum minimè eſt, et firmum quod facit, quia aliud agere videtur, qui mandati fines egreditur, *l. diligenter, ff. mandati*, & hoc locum habet non ſolùm quando facit contra præſcriptam mandati formulam, ſed etiam quando facit præter, aut citra eam. Panormitanus *in cap. vltim de reſtitut. ſpoliat.* Syluester *verb. Mandatum q. 7.* [Panorm. Syluest.] Hinc irrita eſt abſolutio mandati formula non ſeruata. Hinc ſi iuſſus à me equum vendere aureis 100. vendidiſti 90. aut iuſſus emere 100. emiſti 110. non cogor venditionem, vel emptionem ratam habere. Sin autem pluris res à te vendita fuerit, vel minoris empta, quàm mandaueram, non cenſeberis fines mandati tranſgreſſus: quandoquidem qui mandauerat aureis centum ſibi equum emi, aut centum aureis vendi; is mandaſſe intelligitur, vt, ſi fieri poſſet, etiam minoris emeretur, vel pluris venderetur. Iuxta *§. is qui, inſtit. de mandato, & l. diligenter ff. mandati*. Quapropter mandatarius debet reſtituere omne emolumentum quod ex mandato ſuſcepit, niſi probabiliter exiſtimet mandantem conſentire, vt ſuum faciat, præſertim in re parui momenti, *l. qui negotia ff. mandati, l. idemque §. ſi procures, l. ex mandato eod. tit.*

8. Mandatarius, qui mandatum ſuſcipit, non poteſt officium deſerere, *l. ſi quis alicui §. qui ſuſcepit ff. mandati*. Ex iuſtis tamen cauſis ab officio poteſt recedere, vt ſi capitales inimicitiæ inter ipſum & mandatorem interuenerint, vel ſi dignitatem aſſequutus fuerit, vel Reipublicæ cauſa abfuturus ſit, *l. filiusfamilias § vlt. ff. de procurat.* aut ſi ægritudinem, vel neceſſariam peregrinationem alleget, vel ſi hæreditas ſuperueniens eum occupet; vel ſi in vinculis, aut prædonum vel hoſtium poteſtate detentus ſit, vel ſi ſuſpectus mandatori eſſe cœperit; vel ſi in alia ſimili cauſa impeditus ſit, vt videre eſt in *tit. de procuratoribus, in Digeſtis, & cap. quamuis procurator, de procurator. in 6.*

9. Si mandatum quis dederit ad lites, ſiuè iudicia poſt litem, ſiuè iudicium inceptum, hoc eſt, poſt litem conteſtatam, ſiuè poſt citationem iudicis auctoritate factam, mandans nequit procuratorem mutare, niſi ipſe procurator conſentiat, *cap. quamuis, de procurat. in 6. & l. poſt litem, ff. de procurat.* niſi procurator inimicus factus eſſet, vel aduerſario affinitate coniunctus, vel aliā ſimili de cauſa. *Si* vero ad negotia quis dederit mandatum, non poteſt reuocare, poſtquam res mandata geri cœpit, niſi mandati reuocandi cauſa iuſta ſubſit. Denique cùm quis mandatum, ſiuè negotium dederit contemplatione mandatarii, reuocare non poteſt, *§. Rectè, inſtit. de mandato*. Et hæ ſunt obligationes mandantis erga mandatarium. Vide Azorium *part. 3. lib. 9. cap. 6. quæſt. 6.* [Azor.]

10. In mandato interpretando quædam ſunt obſeruanda.

Primum, mandatum proximum non derogat primo, niſi fecerit mandans de eo mentionem, *cap. grauc, de offic. iudic. ordinar.* Si tamen poſterius eſſet arctius, vel pertineret ad publicam vtilitatem, cùm primum reſpiceret tantum priuatam, valeret ſecundum. Abbas. Abbas *in cap. expoſuit nobis, de dilationibus, & cap. inter ustrum, de ſponſal.*

Secundum, ſi generale ſit mandatum, ſolum prohibet illicita: vnde mandatum de aliquo eligendo, intelligitur ſi ſit idoneus, *cap. cauſam quæ, de elect.*

Tertium, mandatum ſpeciale derogat generali, etiamſi eius nulla fiat mentio, *cap. paſtoralis, de reſcript.* niſi generale mandatum in ſpeciale tranſierit, *cap. ex parte, de offic. indic. delegat.*

Quartum, mandatum ſub conditione, vel modo datũ, duo mandata continet, vt ſi mandatum ſit, vt ſoluantur proximis Kalendis Maij centum Titio, duo mandata ſunt, vnum vt ſoluantur centum eo tempore; Alterum, vt niſi eo tempore ſoluantur, ſoluantur quamprimum, vt colligitur *ex cap. cum dilecti, de dolo & contumac.*

Quintum, mandatum non ſolum continet, quæ expreſſa ſunt, ſed etiam quæ mandato coniuncta ſunt, veluti ea ſine quibus ad mandatum peruenire non poſſumus, aut ſine quibus mandatum ad effectum perduci non poteſt. Gloſſa. Gloſſa *in cap. in cauſis, de elect.*

11. Duæ actiones ex mandato deſcendunt, vna, quæ dicitur directa, et conuenit mandanti aduerſus eum, qui mandatum ſcit, et non impleuit, vel cum dolo, aut culpa, aut damno mandantis executus eſt, *l. ſi mandauero, §. ult. ff. mandati*. Conuenit item hæc actio mandatori contra mandatarium, qui mandati fines exceſſit, *l. diligenter, ff. mandati*. Altera actio dicitur contraria, quæ conuenit mandatario contra mandantem. Nam ſi mandatum perfecit, ius habet petendi impenſas, quas neceſſariò, vel vtiliter fecit, gratia mandati, *l. ſi vero, §. ult. ff. mandati*. De Molina. his Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 549. num. 5.*

12. Porrò mandatorum ſunt ſex genera: *Primum* genus eſt, quando mandatum in vtilitatem ſolum eſt mandantis, vt cum alicui mandatur vt emat fundum pro eo, vel fideiuſſor exiſtat. *Secundum* eſt, quando mandatum cedit ſolum in vtilitatem cuiuſdam tertii, vt ſi mandetur vt emat fundum pro Titio, vel vt gerat negotia aliqua Petri. *Tertium*, quando mandatum in vtilitatem mandantis & cuiuſdam tertii, vt ſi mandetur vt emat fundum pro ambobus, vel gerat negotia vtriuſque. *Quartum*, ſi in vtilitatem mandantis & mandatarij, vt ſi Caius Titio mandet vt gerat negotia vtrique communia. *Quintum*, quando mandatum cederet in vtilitatem ſolius mandatarij, & cuiuſdam tertij, vt ſi Caius mãdet Titio vt gerat negotia communia ſibi & Sempronio, vel fideiuſſor exiſtat pro Sempronio in re, quam ſibi, & Sempronio conduxit. *Sextum*, quando aliquis mandat aliquid in ſuam vtilitatem, mandatarii & cuiuſdam tertii: Vt ſi Petrus mandaret Ioanni, vt fideiuſſor exiſteret Franciſco, pro re, quam Franciſcus ſibi & eidem Ioanni conduceret, aut emeret, vel vt negotia eidem Ioanni et Franciſco communia gereret. Hæc habentur *in l. 2. ff.* Gloſſa. *mandati, & Inſtitut. eodem titulo in princip.* Et in Gloſſa Molina. *ibid.* Referente Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 549. n. 1.*

Vide tom. 1. verb. Diſpenſatio *num.* 41. Excommunicatio 6. *num.* 8. & 9. et hoc tomo verb. Negotia geſta *num.* 18. Procurator *num.* 7. 8. & *ſeq.* Reſtitutio *num.* 15. 16. & *ſequent.*

MARTYRIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit martyrium?*
2 *An irrogatio mortis, uel eius acceptatio, & perpeſſio ſint opera uirtutis, uel impietatis?*
3 *Quæ conditiones requirantur ad martyrium? & de prima, quæ eſt in adultis voluntas illud ſuſcipiendi?*
4 *De ſecunda conditione, quæ eſt, vt mors inferatur odio Chriſti, vel religionis Chriſtianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis.*
5 *De tertia conditione, quæ eſt, ut non reſiſtat Tyranno.*
6 *De quarta, ſcilicet, vt fide ſupernaturali ueritatem illam credat, pro qua tuenda mortem eligit.*
7 *Vltimum requiſitum ad martyrium eſt, ut in adulto ſuſcepturo martyrium adſit attritio ſupernaturalis, ſi habeat peccatum mortale ſecundum quoſdam Doctores, & ſecundum alios debet eſſe contritus.*
8 *An ad martyrium requiratur dolor formalis peccatorum, uel uirtualis?*
9 *An martyrium ex opere operato habeat uim delendi omnem culpam, & pœnam?*
10 *An martyrium ſit Sacramentum? & quando ſuum effectum conferat?*
11 *An martyrium ſit in præcepto, & quando?*

1 MArtyrium idem eſt quod teſtimonium; paſſim apud Scriptores Eccleſiaſticos accipitur pro teſtimonio veritatis, fidei, vel alicuius virtutis per mortis tolerantiam; quod tripliciter fieri poteſt. *Primo*, cum aliquo actu, quo mors ipſa propter illum ſi non acceptetur, vt in adultis ratione vtentibus, & hoc eſt martyrium perfectum, et formale. *Secundò*, ſit abſque vllo actu, ſicut in paruulis propter Chriſtum occiſis, quos in honorem martyrum receptos veneratur Eccleſia, merito Chriſti ſupplente defectum propriæ voluntatis. D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 2. Suarez *tom. 3. diſp. 29. ſect. 1. & 2.* Leſſius *lib. 3. cap. 1. dub 2 num. 12.* et alii. D. Tho. Suar. Leſſius.

2. Cùm in martyrio tria conſiderari poſſint, nempe *irrogatio* mortis odio fidei & virtutis, *acceptatio & perpeſſio*: certum eſt primum non eſſe opus virtutis, ſed impietatis, et iniuſtitiæ; ſed acceptatio & perpeſſio mortis cauſa fidei, vel veræ virtutis ſunt actus eliciti à virtute fortitudinis et patientiæ, imperati ab aliis virtutibus, pro quibus obſeruandis martyrium ſubitur, præcipuè autem imperatur à charitate, cùm ſit actus magnæ dilectionis in Deum. D. Thomas *cit. art. 2. ad 3.* Henriquez *lib. 2. cap. 34. num. 1. lit. B* Leſſius *cit. num. 15. &* 18. et alii. D. Tho. Henriq. Leſſius.

3. *Ad martyrium* quinque conditiones requiruntur: *Prima* eſt, vt in adultis adſit voluntas ſuſcipiendi martyrium, quia ſicut in adulto baptizando requiritur libera acceptatio Baptiſmi, quæ non ſubſiſtit ſine intentione ſuſcipiendi Baptiſmum, ita etiam requiritur in adulto ſuſcepturo martyrium. D. Thomas *cit. quaſt.* 124 *art.* 1. D. Tho. Henriq. *cit. cap.* 36. *n.* 1. In infantibus verò vſu rationis Henriq. carentibus, non requiritur huiuſmodi voluntaria, et libera acceptatio. Toletus *lib. 2. cap. 22.* Sà *V. Martyr. n. 3.* Tolet. Dormiens autem ſi vir iuſtus ſit, & occidatur in odium Sà. Chriſti, dicitur martyr, quando martyrium præuidit, et in illud conſenſit; talis enim conſenſus ſufficit: qui autem occiditur inter dormiendum, & nihil antea cogitauit de martyrio, martyr non dicitur, non enim habuit voluntatem formalem, aut virtualem ſuſcipiendi martyrium. Suarez *diſp. 29. ſect. 2.* Conink *quaſt. 66. n. 136.* Infans vero adhuc in vtero matris exiſtens poteſt eſſe mar- Suar. Conink. tyr, ſi vna cum matre occidatur in odium fidei, quia cum proles reputetur vnum quid cum matre, par eſt, vt particeps ſit eiuſdem martyrii. Reginaldus *lib. 27. num.* 18. Regin. Toletus *cit. num. 7.* Tolet.

4. *Secunda conditio*, ad martyrium omninò perfectũ requiſita eſt, vt mors inferatur odio Chriſti, vel religionis Chriſtianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis: hinc Hæretici, etiamſi putent ſe pro doctrina Chriſti occidi; non ſunt martyres, quia mors illa non infertur illis odio doctrinæ Chriſti, ſed hæreſeos, quæ doctrinæ Chriſti repugnat. vnde *D. Auguſtinus* ait, martyrem non pœna, ſed cauſa facit, nec ſufficit ad martyrium propoſitum ſuſtinendæ mortis, niſi reipſa vulnus lethale recipiatur de ſe illatiuum mortis. Leſſius *cit. dub.* Leſſius. 3. *num.* 20 Bonacina *de Sacram. diſp. 2. q. 1. n.* 10. & 11. Bonac. Henriquez *cit. cap. 37. num.* 1. Conink *cit. dub. 2. n.* 135. Henriq.

5. *Tertia conditio eſt*, vt non reſiſtat tyranno; hinc Conink. milites quamuis pro fide Chriſti pugnent, et multùm mereantur, ſi pura intentione id faciunt, non ſunt tamen

tamen

Digitized by Google

men martyres, cum in bello occumbunt; quia martyr Chriſti debet in patiendo imitari Chriſtum, cuius paſſio eſt exemplar martyrij; vnde ſicut ille dedit teſtimonium veritati patiendo, non repugnando; ita omnes qui volunt eſſe martyres Chriſti, non debeant perſecutori armis repugnare, ſed ſinere ſe tranquillè occidi. Leſſius *lib. 3. cap. 1. dub. 3. num.* 36.

Leſsius.

6. *Quarta conditio* requiſita eſt, vt fide ſupernaturali veritatem illam credat, pro qua potiſſimum tuenda mortem eligit: quia ſi proprio iudicio illam teneat, ſicut Hæretici, non tam tuetur doctrinam & authoritatem Chriſti, quam ſuam: Leſſius *c. num.* 37.

7. *Vltima conditio* ad martyrium eſt, vt in adulto ſuſcepturo martyrium adſit attritio ſupernaturalis: ſi adultus habeat peccatum mortale: non tamen neceſſaria ex contritio aut dilectio Dei ſuper omnia; quia martyrium à Sanctis Patribus comparatur & anteponitur à Baptiſmo, ſed in Baptiſmo ſufficit attritio; ergo ſufficit etiam in martyrio: & ſecundùm hoc, ad martyrium non requiritur charitas antecedens imperans actum martyrij, ſed ſufficit charitas conſequens, quæ videlicet conſequatur martyriũ. Suar. *diſp. 29. ſect.* 3. Henriq. *cap. 34. num.* 3. Conink *c. dub. 2. n.* 140. Bonac. *c. p. 1. n.* 7 & alij.

Suar. Henriq. Bonac.

Cæterum quamuis probabile ſit attritionem ſufficere cum martyrio ad iuſtificationem, tamen non eſt certum, quia multi Doctores tenent in exiſtente in peccato mortali, vt martyrium ei proſit ad ſalutem, neceſſariam eſſe veram contritionem ex dilectione Dei ſuper omnia profectam; quia putant hi Doctores martyrium non conferre gratiam per ſe & vi ſua, ſed ſolùm ex opere & affectu patientis: quare ſicut peccator extra martyrium non poteſt iuſtificari ſine vera contritione, niſi ſacramentum Pœnitentiæ ſuppleat, ita nec in martyrio, ita ſentiunt Palud. 4. *d. 4. quaſt. 3. art.* 1. Hallenſis 4. *p. q* 22. *memb. 5. art.* 1. Canus *relect. de pœnit. p.* 3. Bannez 2. 2. *q.* 124. *art. 5. dub.* 1. *ad* 7. Leſsius *c. dub. 4. n.* 43. Sylu. 3. *p. q.* 66. *art.* 11. *q.* 3. & alij; vnde in illo extremo æternæ ſalutis diſcrimine homo non poteſt ſequi vias dubias relictis certis, ſed tenetur eligere certam, quantum fieri poteſt; alioquin ſine cauſa exponit ſe periculo damnationis; nam ſi prima opinio non ſit vera, eius probabilitas non ſupplebit defectum neceſſariæ diſpoſitionis, & ita martyr ille non ſaluabitur.

Palud. Bannez. Leſsius. Sylu.

8. Quamuis *voluntas patiendi* pro Chriſto per ſe ſufficiens ſit ad fructum martyrij in iuſtis, peccator tamen qui per obliuionem & inaduertentiam peccatorum non elicit actum attritionis, eò quòd tunc temporis totus detineatur in expellendo metu mortis, recipiet etiam fructum martyrii. Ita D. Thom. 3. *p. q. 66. art.* 12. Suar. *diſp. 29. ſect.* 3. Bellarmin. *de Baptiſm. lib. 1. c.* 6. Henriquez *c. cap.* 36. *num.* 1. & 2. Sotus *d. 6. ſect. 2. art.* 7. & alii: quia licet ad martyrium per ſe requiratur dolor formalis, nihilominus probabile eſt ex accidenti ſufficere virtualem, qui clauditur in voluntate ſuſcipiendi martyrium, nam ſi volenti mori pro Chriſto peccata occurrerent, illa deteſtaretur, & hæc voluntas dicitur actus contritionis virtualis, quia continet aliquo modo deteſtationem peccatorum, & amorem Dei: tutius tamen eſt, actus formalis pœnitentiæ elicere cum martyrio. Si autem peccator conſcius ſibi eſt peccati mortalis, tenetur excitare in ſe dolorem & petere veniam, vt Deo reconcilietur; pœnitentia enim eſt medium neceſſarium ad reconciliationem, quando homo aduertit ſe eſſe in peccato, vt docent Leſsius *c. num.* 46. Sylu. 3. *p. q. 66. art.* 11. *q.* 3.

D. Tho. Suar. Henriq. Sotus.

Leſsius. Syluius.

9. *Martyrium* ſeu externa perpeſsio pro fide ſuſcepta per ſe, & quaſi ex opere operato, habet vim delendi omnem culpam & conferendi gratiam iuſtificationis ſubiecto debitè diſpoſito, & tollendi omnem reatum pœnæ: D. Thom. 3. *p. q* 87. *art. 1. ad* 2. Suarez *c. d. 29. ſect. 2. concl.* 1. Valent. *tom. 4. d. 4. q. 3. punct. 4 concl.* 4. Henriq. *lib. 2. c.* 36. *num.* 3. Leſsius *c. dub. 5. n.* 56. Sylu. 3. *p. quaſt. 66. art.* 11. *q.* 4. & alii: quia ſi vis delendæ omnis culpæ & pœnæ collata eſt Baptiſmo, eò quòd ſit myſtica quædam configuratio mortis Domini, multò magis conuenit hanc vim tribui martyrio, quæ eſt realis conformatio cum Chriſto moriente; quod intelligendum eſt, modò aliquod peccatum actuale non committatur in ipſa martyrij ſuſceptione, vnde qui ſuſcipit martyrium cum peccato veniali actuali, puta ex vanagloria, non obtinet remiſsionem illius culpæ, aut pœnæ reſpondentis illi culpæ, quæ tunc committitur; quod idem accidit in Baptiſmo, qui non remittit omnem culpam, niſi tollatur obex omnis culpæ actualis. *Ex quo* patet non ſolùm ſacramenta, verùm etiam martyrium conferre gratiam ex opere operato ob ſpeciale priuilegium datum à Chriſto, Matth. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Ita D. Thom. *c. quaſt.* 68. *art.* 2.

D. Tho. Suarez. Valent. Leſsius.

D. Tho.

10. *Martyrium* non eſt ſacramentum, quamuis conferat gratiam ex opere operato: Regin. *l. 27. num.* 7. Suarez *d. 29. ſect.* 3. Henriq. *lib. 2. c. 34. n.* 1. Valent. *c. punct.* 4. quia martyrium non eſt cauſa phyſica inſtrumentalis gratiæ, ſicut eſt ſacramentum; & deinde ſacramentum eſt quædam cæremonia ſacra inſtituta ad Dei cultum; martyriũ verò ſeu cruciatus, quatenus prouenit à Tyranno, eſt actio praua & execranda, quæ fit in odium Dei, quamuis ex parte martyris ſit actus virtutis, cui Deus contulit priuilegium, vt ipſius intuitu gratia conferatur, et culpa et pœna deleatur. Secundùm probabilem multorum Doctorum ſententiam, martyrium ſuum effectum confert, quando martyr accepit cruciatum lethalem, ſeu vulnera de ſe naturaliter mortifera, ita vt mors nequeat ampliùs euitari, Suar. 3. *p. diſp. 19. ſect. 3. verſ fin.* Henriq. *l. 2. c.* 30. *nu.* 1. quia martyr poſtquam accepit huiuſmodi vulnera, dicitur mortuus in cauſa; & non poteſt aliud inſtans congruenter aſſignari in quo martyrium ſuum præſtet effectum: Quamuis aliqui dicant, Caietanum 2. 2. *q.* 124. *art. 4 ad* 2. Conink *q. 66. n.* 159. ſecuti, gratiam conferri in inſtanti vitæ terminatiuo; & quidem ſi illud momentum ponatur vitæ extrinſecum, poſſet anima mereri & accipere gratiæ augmentum iam ſeparata à corpore, quod eſt improbabile. Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinſecum, ita vt homo deſinat per vltimum ſui eſſe, ſic valde probabiliter dici etiam poteſt, martyrium conferre gratiam in illo inſtanti: quia idem inſtans eſt terminus intrinſecus martyrii: patet inſuper ex ratione primæ ſententiæ, illum qui recipit vulnera naturaliter illatiua mortis, non priuari fructu martyrij, ſi poſteà à morte naturaliter ineuitabili miraculosè à Deo liberetur, vt benè ait *Suarez* ſuprà. Bonacin. *de Sacrament. diſp. 2. q. 1. p. 3. n.* 2. Syluius 3. *p. q. 66. art.* 11. *q.* 5. D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *artic.* 4.

Reginal. Valent.

Suar. Henriq.

Caiet. Conink.

11. *Martyrium* rarò eſt in Præcepto, cùm ſæpe non ſe offerat neceſſitas propter quam teneamur martyrium ſubire; quando autem grauis neceſſitas & cauſa ſeſe offert, puta ad tuendam fidem tunc eſt in præcepto, quia bonum fidei & Reipub. Chriſtianę præponderat vitæ noſtræ: regulariter autem loquendo ſufficit martyrium in animi præparatione, id eſt, vt homo ita ſit affectus & animo paratus, vt mortem pateretur, ſi neceſſitas & occaſio ſeſe offerret, quamuis illam quærere non teneatur. D. Thomas *in 4. diſt. 49. q. 5. art.* 3. Henriquez *lib. 2. cap.* 39. *num.* 4.

D. Tho. Henriq.

De Martyrio vide tom. 1. *v. Baptiſmus* 1. num. 6.

MATRIMONIVM I.

Quid ſit matrimonium, & de eius eſſentia.

SVMMARIVM.

1 *Vnde matrimonij nomen deriuetur, & quæ ſint eius ſynonima?*
2 *Tripliciter matrimonium conſiderari poteſt.*
3 *In quo conſiſtat eſſentia matrimonij.*
4 *An matrimonium ſit in præcepto?*
5 *Ad quid matrimonium fuerit inſtitutum, & quando? An ſtatus coniugalis ſit inferior cœlibatui?*
6 *Diuiſio matrimonij in legitimum & ratum & conſummatum. In verum & præſumptum. In clandeſtinum & probabile.*
7 *Quænam ſint materia & forma Sacramenti matrimonij?*

Digitized by Google

trimonij? referuntur variæ ſententiæ.

8 *Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonij?*

9 *An matrimonium poſſit inter abſentes per litteras vel per procuratorem validè celebrari? & quæ conditiones deſiderentur vt procurator abſentis nomine validè contrahat?*

10 *An matrimonium contractum per litteras vel per procuratorem ſit ſacramentum?* refertur duplex ſententia.

11 *Aetas iure requiſita ad matrimonium. Et quando malitia poſſit ſupplere ætatem. Quale peccatum contrahere ante ætatem?*

1 MAtrimonij nomen deriuatur à matre, quia mulier nubit, vt mater efficiatur: appellatur alio nomine, nuptiæ, connubium: *Nuptia* autem & *connubium* nuncupantur ab obnubendo ſeu velando, quia quaſi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum benedicitur. Appellatur etiam *coniugium*, ab effectu, eò quòd duos, vt vna caro efficiantur, coniungit, & ſub eodem iugo perpetuo. Vaſquez *de matrim. diſp.* 1. *c.* 1. Filliuc. *tract.* 10. *c.* 1. Sylu. *in ſuppl. q.* 41. Pont. *de matr. l.* 1. *c.* 1. *n.* 2.

Vaſq. Filliuc. Syluius. Pontius.

2. *Matrimonium* tripliciter conſiderari poteſt. *Primò*, vt officium naturæ ad liberos procreandos; & definiri poteſt, *maritalis coniunctio viri & fœmina inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*. *Secundò*, conſiderari poteſt vt remedium concupiſcentiæ ad ſeruandum in voluptatibus modum. *Tertiò*, vt nouæ legis ſacramentum, ad onera matrimonij diuina gratia ſubleuanda; & definitur ſacrum ſignum gratiam conferens, qua & reprimere concupiſcentiam & fideliter cohabitare ad prolem educandam coniuges valeant. Sanchez *de matrim. l.* 2. *diſp.* 1. *num.* 1. Filliucius *c. q.* 2. Bonac. *de matrimon. q.* 2. *p.* 1. *n.* 1. Sylu. *c. q.* 44. *art.* 3. Pont. *c. cap.* 2. *num.* 10. & alii.

Sanch. Filliuc. Bonac. Sylu.

3. Cùm in matrimonio multa inueniantur, nempe mutuus conſenſus, externus contractus, mutua corporum traditio, quoddam vinculum ortum ex contractu, obligatio ad reddendum debitum, ius quod eſt in vnoquoque ad alterum, vſus & conſummatio matrimonii; quidditas tamen & eſſentia matrimonii conſiſtit in vinculo illo, quo formaliter ſunt coniuges vniti, quod oritur ex mutua traditione; vnde nec conſummatio matrimonii, nec conſenſus internus, nec externus contractus ſunt id, in quo matrimonii eſſentia conſiſtit, nec mutua corporum traditio, quia illa tranſit matrimonio permanente; nec mutua obligatio & ſubiectio ad reddendum debitum, quia hæc ceſſat, vel alterius adulterio, vel ingreſſu Religionis communi conſenſu, manente tamen vinculo matrimonij conſummati. D. Tho. 4. *diſt.* 27. *quaſt.* 1. *art.* 2 Victoria *de matr. n* 246. Henriq. *de matrim. l.* 11. *c.* 8. *n.* 2. Hurtado *de matr. diſp.* 3. *diffic.* 1. & alij.

D. Tho. Henriq. Hurtad.

4. Matrimonium olim, cùm pauci erant homines, erat in præcepto: quia homo tenetur conſeruare ſpeciem generatione, ſicut tenetur conſeruare ſuum indiuiduum per ſumptionem cibi, & ideò tunc obligabat ſingulos, nunc autem multiplicatis hominibus hoc præceptum obligat ſolùm rectores communitatum, vt hi neceſſitate occurrente compellant ſubditos ad matrimonia ineunda. D. Th. 4. *d.* 26. *q.* 1. *art* 2. Valentia *t.* 4. *d.* 10. *q.* 1. *p.* 4. Viuald. 1. *part. de matrim. num.* 9. Syluius *in ſupplem. q.* 41. *art.* 2. *concluſ.* 1. & 2. Henriquez *lib.* 11. *c.* 1. *num.* 5. Verùm iam non eſt neceſſe, vt ſint ſolliciti ea de re, cùm homines de ſe ſatis ſint procliues ad matrimonia, cùm hoc præceptum matrimonij naturale ſit, ideò obligat vrgente neceſſitate etiã Religioſos, Moniales, & alios habentes votum caſtitatis; quia votum quod vim habet à propria voluntate, non poteſt præiudicare præcepto naturali de conſeruanda ſpecie. Filliucius *c. cap.* 1. *num.* 8. Reginaldus *l.* 31. *num.* 3. Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 22. *Imò* extra caſum neceſſitatis conſeruandæ ſpeciei teneretur quis matrimonium inire ſub mortali, quando ſequerentur ſeditiones, & bella in Reipub. niſi Principis filius vxorem duceret, & tunc teneretur hic ad matrimonium ratione præcepti ſcandalum vitandi, & de impediendis Reipub. damnis Sanchez *l.* 2. *d.* 3. *num.* 4. Bonacina *c. p.* 3. *num.* 4. Diana *de Sacram. reſol.* 289. *p.* 3.

D. Tho. Valent. Syluius. Henriq. Reginal. Molina. Sanchez. Bonac. Dian.

5. Matrimonium ante Adami lapſum inſtitutum eſt in naturæ officium, eo autem ſecuto, in concupiſcentiæ remedium & tandem in noua lege eleuatum fuit à Chriſto vt eſſet ſacramentum. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 9. Viualdus *c. n.* 7. Sanch. *l.* 2. *d.* 4. Henriq. *l.* 11. *cap.* 2. Syluius *c. q.* 42. *art.* 2 *concl.* 1. 2. & 3. In lege naturæ, ſecundùm quoſdam, inſtitutum fuit ab Adamo in illis verbis, quæ Deo inſpirante protulit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*; Licet probabilius ſit inſtitutum eſſe ac præceptum à Deo illis verbis, quæ dixit Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*. In nouo autem Teſtamento eleuatum fuit in ſacramentum, ſecundùm veriorem ſententiam, quando Chriſtus dixit, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Matth. 19.

Reginal. Sanchez. Henriq. Sylu.

Sed rogabis, an ſtatus coniugalis ſit inferior cœlibatu? Reſp. affirmatiuè. Et eſt de fide definitum à Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 24. *canone* 10. contra hæreticos noſtri temporis, qui vel æquant matrimonium virginitati, vel etiam præferunt. Prob. 1. ad Corin. 7. 38. qui *matrimonio nõ iungit melius facit*. Ratio eſt, quia cœlibatus conſulitur à Chriſto Matth. 19. 12. *qui poteſt capere capiat*, &c. & eſt gratior Deo; habet plurima commoda ſpiritualia, quibus caret ſtatus coniugalis.

Dices matrimonium eſt ſacramentum, non autem votum continentiæ, ergo matrimonium eſt præſtantius? Reſpond. comparandum eſſe ſtatum cum ſtatu, non ſtatum cum ſacramento: ſtatus continentiæ altior eſt & maioris gratiæ & meriti, quàm ſtatus coniugalis: Sacramentum tamen ſemper auget gratiam in quocumque ſtatu ſuſcipiatur. Itaque matrimonium eſt præſtantius ſecundùm quid, neque id ex natura ſua, ſed ex benignitate Chriſti Domini, qui gratiam ſacramentalem ſuperaddit: quam tamen longè maiorem accipiunt; qui propter Chriſtum nuptias contempſerunt.

6. *Diuiditur* matrimonium in *legitimum*, *ratum*, *conſummatum*. *Legitimum* dicitur, quod legitimo conſenſu contrahitur, quale eſt apud infideles; poteſtque dici contractus quidam, quem infideles celebrando non peccant, cùm ſit in officium ſeu propagationem et cõſeruationem naturæ humanæ, atque in remedium concupiſcentiæ; non tamen eſt ſacramentum, quia infideles carent Baptiſmo, qui eſt ianua omnium ſacramentorum. Sanchez *l.* 2. *d.* 1. *num.* 9. Sotus 4. *d.* 26. *q.* 2 *art* 3. Veracrux 3. *part. art.* 35. Syluius *in ſupplem. q.* 59. *art* 5. *concl.* 2. Vnde matrimonium contractum ex diſpenſatione Pontificis à fideli cum Cathecumena, licet aliqui dicant eſſe ſacramentum ex parte ſolius fidelis, quia ille ſolus eſt ſacramenti capax; probabilius tamen eſt ex parte neutrius eſſe ſacramẽtum, quia matrimonium in vtroque coniuge eſt vnum numero ſacramentum, ſicut eſt vnum numero matrimonium: ergo ſi in vno eſt ſacramentum, nec erit in altero. Coninck *q.* 64. *art* 8. *d.* 3. Reginaldus *l.* 31. *n.* 2. Matrimonium autem infidelium fit ſacramentum et confert gratiam, cùm ambo baptizantur; quia ſtatim ac baptizantur, matrimonium illud repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia, efficiturque, ſaltem vt matrimonium fidelium ratum Sanchez *c. d.* 9. *num.* 5. *ſpeculum* 2. *p. q.* 26. Gutierez *de matrimon. c.* 42. *num.* 5. Multi tamen Doctores valde probabiliter docent matrimonium hoc effici ſacramentum, quando poſt Baptiſmum interueniunt noui conſenſus, vel præcedentes rati habentur, per aliqua ſigna externa, vt per verba, per nutus, aut per copulam maritalem, non tamen exigitur, vt hæc fiant coram Parocho et teſtibus. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. Bellarminus *de matrimon. lib.* 1. *c.* 5. Bonac. *c. quaſt.* 2. *p.* 2. *num.* 5. Alii denique aſſerunt, matrimonium contractum inter infideles, non poſſe fieri verum ſacramentum etiamſi poſteà baptizentur: quia matrimonium eſt eſſentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni poteſt. Ita *Pontius, Vaſquez, Coninck*, apud Dianam *tract. de Sacramentis, reſol.* 253 *part.* 3.

Sanchez. Sotus. Sylu. Conink. Reginal. Sanchez. Gutier. Henriq. Bonac.

Matrimonium ratum dicitur, quando eſt ſacramentum nondum tamen copula carnali conſummatum, quale fuit matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & Sanctum Ioſeph. *Conſummatum* verò *matrimonium* eſt, quando eſt iam copula carnali perfectum Sanch. *c. diſp.* 1. *n.* 9. Sotus 4. *d.* 26. *q.* 2. *art. vlt.*

Sanchez. Sotus.

An autem inter fideles poſſit eſſe matrimonium, quod

non

Digitized by Google

non ſit Sacramentum, *Sanchez, Layman, ConinK* & alij negant, quia ex Chriſti inſtitutione, inſeparabilis eſt ratio Sacramenti à contractu matrimonij. Contraria tamen ſententia Dianæ placet *p. 3. tr. de Sacramentis reſol.* 255. quam etiam amplexi ſunt *Vaſquez, Pontius, Rebellus*.

Diana.

Rurſus matrimonium, aliud eſt verum, aliud præceptum. Matrimonium verum eſt, vbi nihil eſſentiale deeſt. Præſumptum eſt, quod verum eſſe ab Eccleſia præſumitur, ſiue tale ſit, ſiue non, cùm enim Eccleſia ex ſignis externis iudicet illud habet pro vero matrimonio, quod legitimis argumentis tale probatur & contra præſumptionem eiuſmodi, inquit Pontifex *Cap. is qui, de ſponſal.* non eſt probatio admittenda.

Item aliud eſt, clandeſtinum, aliud probabile in iudicio, aliud publicum: vt colligitur ex *cap. 2. de clandeſt. deſponſat.* Clandeſtinum eſt, quod tam occultè contrahitur, vt exinde legitima probatio non appareat. Probabile eſt, quod licet in facie Eccleſiæ contractum non ſit, tamen per idoneos teſtes poteſt legitimè manifeſtari. Publicum eſt, quod vicinia ſciente in Eccleſia manifeſtè eſt celebratum, Cæterum poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. cap.* 1. nullum dari poteſt matrimonium verum (vbi Concilium eſt receptum) quod idem non ſit probabile, quia requiritur præſentia parochi & teſtium. Vnde omnia matrimonia quæ præſentiam parochi & teſtium non habent, cenſentur clandeſtina, atque adeo nulla, etiamſi factum per alios multos probari poſſet, vt dicetur infrà.

7. Quamuìm ad materiam & formam Sacramenti matrimonii, Doctores in varias ſententias abierunt, vt videre eſt apud *Sanch. quidam* enim exiſtimarunt materiam matrimonii eſſe conſenſum cõiugum expreſſum per verba, vel ſigna; formam verò eſſe verba Sacerdotis. Sic Canus *lib. 8. de locis topicis, cap. 5. Alij* putarunt materiam eſſe conſenſum, formam verò eſſe verba, quibus conſenſus exprimitur; ita Nauarrus *cap. 12. numero vigeſimo. Alij* docuerunt materiam eſſe verba, formam verò eſſe conſenſum, vt *in Maior 4. d. 26. q.* 1. opinati ſunt ipſos contrahentes eſſe materiam, verba verò eſſe formam: ita Vaſq. *de matr. d. 3. c. 5. Alij* putarunt materiam eſſe verba, quæ proferuntur à priore contrahente, formam verò illa quæ à poſteriori; ſic Henriq. *l. 11. c. 2. n. 5. & 6.* Verior tamen & amplectenda ſententia docet, verba ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimuntur eſſe ſibi inuicem materiam & formam, vnde traditio corporum ipſorum contrahẽtium eſt materia huius ſacramenti, forma verò eſt acceptatio eorumdem expreſſa per verba, vel ſigna, & ratio huius ſententię eſt, quia traditio illa corporum imperfecta eſt & inefficax, donec acceptetur, & accedente acceptatione perficitur & determinatur matrimonium: ergo vtraque verba ſunt materia quatenus important traditionem, & ſunt formam in quantùm important acceptationem, & ſic ſe inuicem determinant; iuxta communiorem ſententiam Theologorum. Ita Sanch. *l. 2. d. 5. num. 6.* Suar. *tom. 3. d.* 2. *ſect.* 1. Conink *diſp. 24. dub. 4. nu.* 33. Rodriq. *cap.* 215. Filliucius *tr. 10. cap. 1. quaſt. 7. & 8.* Diana *tr. de Sacram. reſol.* 251. *p.* 3. & alii.

Canus. Nauar. Vaſq. Henriq.

Sanchez. Suar. Conink. Rodriq. Filliuc. Dian.

8. *Miniſter* huius ſacramenti matrimonii ſecundùm Suar *cap. diſp. 16. ſect.* 1. Reginald. *lib. 31. num. 52.* Conink *d. 24. dub. 3. num.* 34. Sanch. *l. 2. d. 6.* & alios, numquam fuit ſacerdos, nec ante, nec poſt Concil. Trid. ſed ipſi contrahentes ſunt miniſtri cõficientes ſacramentum matrimonii, quia matrimonium clandeſtinum, quod ſine ſacerdote celebratur ante Tridentinum, erat verum matrim. & ſacramentum: Poſt autem Concil. verba parochi vel alterius ſacerdotis non ſunt de eſſentia matrimonii, ſed iis penitus omiſſis conſtat matrimonium.

Suar. Reginal. Conink. Sanch.

Poteſt tamen dici ſacerdos *miniſter accidentarius*, quãuis non ſit eſſentialis, quatenus ex officio iungit & benedicit contrahentibus, Suar. *c. ſect. 4.* Bonac. *c. p. 4. num. 6.* Henriq. *l. 11. cap. 2.* Diana *de Sacrament. reſol.* 199. Mercerus *in ſuppl. 3. p. quaſt. 42. dub. 3.* & propter hoc aſſiſtendo matrimonio & ſponſos benedicendo in peccato mortali, non peccat mortaliter; quia ipſe non miniſtrat nec conficit ſacramentum. Coniuges verò contrahentes in mortali, licet grauiter peccent quatenus recipiunt ſacramentum, quia ponunt obicem ad gratiam, non tamen peccant quatenus adminiſtrant, quia ipſi non ſunt miniſtri conſecrati ad id munus, ſed ſolùm illis conceſſum eſt neceſſitate quadam.

Suar. Bonac. Henriq. Diana. Mercer.

Non deſunt tamen Theologi præſtantiſſimi, qui aſſerunt ſacerdotem eſſe miniſtrum matrimonii, in quantum ſacramentum eſt, ita vt ante Tridentinum clandeſtinum matrimonium legitimum fuerit, non tamen ſacramentum: & ratio illorum eſt, quia actio ſacramentalis eſt ſacra, ergo miniſtrum ſacrum & formam ſacram petit, ne contractus purè ciuilis & profanus ſit. Huius ſententiæ eſt Melchior Canus *ſuprà*, quem ſequuntur nouiſſimè duo Doctiſſimi viri Gulielmus Eſtius *in 4. diſt. 26. §. 10.* & Franciſcus Syluius *3. p. q. 42. ſupplement. art. 1. q. 1.* Conſule illorum argumenta, & tunc iudicabis de probabilitate huius ſententiæ. Vide etiam Dian. *de Sacramentis reſol.* 254. *p.* 3.

Eſtius. Franciſc. Sylu.

9. Cùm natura contractus poſtulet, vt poſſit celebrari per litteras, vel procuratorem inter abſentes, *Cap. finali de procurat. in 6.* hinc matrim. quatenus contractus eleuãtus tamen in ſacramentum à Chriſto, poteſt etiam inter abſentes per litteras vel procuratorem celebrari, fuit ſemper validum matrim. contractum per procuratorem etiã ante Concil. Trid. *Quatuor* tamen conditiones deſiderãtur, vt procurator abſentis nomine validum ineat matrim. *Prima*, vt habeat ſpeciale mandatum ad matrimon. nec ſatis eſt generale ad omnia negotia. *Secunda*, vt ſit mandatum ad contrahendum cum certa perſona, nec ſufficeret generale ad contrahendum cum quacumque. *Tertia*, vt procurator per ſeipſum exequatur, non enim ſubſtituere poteſt niſi expreſsè hoc in mandato contineatur. Molina *de contr. diſp.* 51. Filliucius *tract. 10. cap. 1. q.* 10. Sanchez *lib. 2. d. 11. & 12* Henriq. *lib. 11. cap. 2. num.* 2. Conink *d. 24. dub. 9. num. 67. Quarta*, vt tempore quo procurator contrahit, non ſit reuocata poteſtas, ſi enim reuocata ſit, quamuis reuocatio lateat procuratorem & alterum coniugem, eſt irritum matrim. quamuis iuramentum de procuratore non reuocando præmiſſum ſit. Syluest. *v. matrim. 5. quaſt.* 11. Viuald. *de matr lib. 1. num.* 44. Si autẽ procuratore miſſo ad contrahendum mandans in amentiam incidat, & talis perſeuerat dum procurator nomine ſuo contrahit, ſecundùm *Sanchez, Bonacinam, Henriquez*, apud *Dianam* cit. reſol. 249. valeret matrimonium: licet inualidum putet *Pontius. Poſt Conc. Trid.* requiritur inſuper vt procurator celebret matrimonium coram parocho & teſtibus; alioquin inualidè celebrat, ſicut inualidum eſt etiam matrimonium contractum per litteras, quando illud non innoteſcit parocho & teſtibus, quando verò illis innoteſcit per litteras traditio & acceptatio vtriuſque contrahentis, eſt validum. Sanchez *cap. nu.* 20. *& diſput. 12 num.* 3. Gutierez *de matrim. cap.* 45. Henriq. *cap. num.* 6.

Molinã Filliuc. Sanchez. Henriq. Conink.

Syluest. Viuald.

Sanchez. Gutierez Henriq.

10. Quidam Theologi affirmant matrimonium contractum per litteras vel procuratorem eſſe quidem verum matrimonium, non tamen ſacramentum, quia perceptio, & confectio ſacramenti eſt actus perſonalis, & vt conſtat in omnibus aliis ſacramentis, requiritur, vt miniſter applicet formam ad materiam in ſubiecto præſenti: alioquin ſequeretur quod ſacramenta conferant gratiam abſenti & ſic occupato circa alia; Caiet. *tom. 1. opuſc. tract.* 12. Victor *de matrim. c. n.* 244. hæc ſententia valde probabilis eſt, quam tenent eximii DD. Eſtius *in 4. ſent. d. 26. §.* 10. Syluius *in ſuppl. quaſt. 42. art. 1. quaſt. 3. concl.* 2. Duacenæ Academiæ publici profeſſores: poſt *Caietanum Victoriam & Canum* apud Dianam *cit. reſol.* 250. Communior tamen ſententiam eſt eſſe ſacramentum, quia matrimonium inter præſentes eſt ſacramentum: ergo etiam celebratum inter abſentes; cùm tunc concurrant materia, forma, & intentio miniſtri, id eſt, contrahentium, intendentium recipere ſacramentum vel ſaltem facere quod intendit S. Mater Eccleſia. Rodriq. *c.* 215. Henriquez *lib. 11. cap. 2. num. 2. Notandum* autem *Primò*, quòd quando matrimonium fit per procuratorem, procurator ipſe non ſit miniſter, nec in ipſo recipiatur Sacramentum, nec verba ipſius ſint materia & forma Sacramenti, ſed ipſi principales contrahentes ſunt miniſtri & recipiunt in ſe Sacramentum, & expreſsiones conſenſuum ipſorum, quatenus inno-

Caiet. Victor. Eſtius. Syluius Diana.

Rodriq. Henriq.

Digitized by Google

innoteſcunt per procuratorem, ſunt materia & forma, procurator autem eſt conditio ſine qua non. Ledeſma *de matr. q. 42. art. 1. dub. 7.* Sanchez *c. diſp. 11. num.* 28. 30. & 31. *Secundò*, eſt aduertendum, mittentem procuratorem teneri ſub culpa lethali eſſe in gratia eo tempore, quo veriſimile eſt fore, vt procurator nomine ipſius contrahat, quia tunc recipit Sacramentum. Sotus 4. *d: 27. q. 1. art. 3.* Lopez *2. p. de matr. cap. 35.* Verùm ad tollendos ſcrupulos, qui per procuratorem contraxerunt, benefacient ſi poſtmodum ipſimet iterum matrimonium ineant, quia ſententia aſſirmans eſſe ſacramentum tale matrim. non eſt ita certa, vt tollat probabilitatem contrariæ ſententiæ, & ideò iteratur ne fortè prior conſenſus ſit reuocatus. Gutierez *cap. 43. num.* 23. Bonac. *q. 2. p. 5. num. 4.*

Ledeſma
ſanchez
Sotus.
Lopez.

11. Aetas iure requiſita ad matrimonium validè ineundem, eſt pubertas *C. Continebatur. C. Atteſtationes. C. Ex literis de deſponſat. impuberum.* D. Thom. *in ſupplem. q. 58. art. 5.* Syluius *ibi.* nempe, annus duodecimus in fœmina, in viro autem annus decimus quartus; hæc verò ætas tam in viro quàm in fœmina, debet eſſe completa: quamuis ſatis ſit vltima dies anni duodecimi in fœmina & 14. in viro; vt docent Sylueſt. *v. matrimon. 5. quæſt. 5.* & Tabiena *v. matr. 2. quæſt. 6.* Ideò enim hæc ætas à Canonibus definitur, quòd tunc præſumãtur habiles ad copulam, & ad conſenſum coniugalem. Vide Dian. *p. 3. tract. 4. reſ. 277. & p. 5. tract. 5. reſol. 16.*

D. Tho.
Sylu.
Sylueſt.
Tabiena.
Dian.

Ante dictam pubertatis ætatem in dubio, nec mas, nec fœmina præſumuntur generationi apti; vnde ante eam ætatem aſſerenti hanc aptitudinem incumbet onus probandi, quia præſumptionem contra ſe habet, vt docent Nauarr. *in Man. c. 22. num. 29.* Couarr. *4. decret. 2. p. cap. 5. num.* 3. Aliquando tamen malitia poteſt ſupplere ætatem, & validum eſſe matrimonium ante ætatem iure preſcriptam. initum, ſi tunc adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, vt expreſsè definitur in iuribus hic citatis, *C. de illis, el. 2. C. puberes, & C. final. de deſponſ. impub.*

Nauarr.
Couar.

Sed inquires, quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam ſuppleat; Sanchez *c. diſp.* 104. id relinquit arbitrio iudicis, quia nihil videtur iure præſcriptum. Hurtadus autem *de matr. diſp.* 22. *diffic.* 12. cenſet; eſſe tempus vnius integri anni, vt exprimitur in *cap. Continebatur, de deſp. imp.* ac proinde puellam habentem vndecim annos completos, & puerum habentem tredecim, eſſe proximos pubertati, vt malitia ſupplente ætatem, poſſint valide matrimonium contrahere.

Sanchez.

Dubium autem eſt, quale peccatum ſit matrimonium contrahere ante legitimam ætatem? Communior & probabilior ſententia aſſerit eſse peccatum mortale; quia textus *Cap. 2. de deſponſat. impub.* continet præceptum obligans ad mortale; dicit enim Pontifex, *Diſtrictius inhibemus*, in quibus verbis prohibitio eſt cõtinens præceptum: interueniente tamen iuſta cauſa, ex licentia Epiſcopi non eſſet mortale, ante legitimam ætatem matrimonium contrahere; vt habetur in dicto cap. 2. Ita multi antiqui apud Sanch. *de matrim. l. 1. diſt. 17. n. 5.* Et ex neotericis Guttierez *de matr. c. 2. n. 16.* Bonac. *de matrim. q. 1. p. 4. nu. 7.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. n. 259.* Pontius *de matrim. l. 7. c. 65. num. 3.* Henriq. *l. 11. cap. 13. n. 13.*

ſanchez.
Gutierez
Bonac.
Filliuc.
Pontius.
Henriq.

MATRIMONIVM II.

De indiſsolubilitate matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *De ſignificatione matrimonij rati & conſummati.*

2 *Quonam iure indiſſolubilitas matrimonij tam rati, quàm conſummati proueniat?* Referuntur variæ ſententiæ.

3 *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in matrimonio rato?* Refertur triplex ſententia.

4 *An per profeſsionem trium votorum ſolemnium in religione approbata dirimatur vinculum matrimonij rati? & quid dicendum de votis coadiutorum in Societate Ieſu: & quorumdam Tertiariorum D. Franciſci, Dominici, & Auguſtini.*

5 *Quandonam cenſeatur matrimonium eſse conſummatum & proinde indiſſolubile?* Referuntur variæ ſententiæ.

6 *An conſummetur matrimonium per copulam vi extortam intra bimeſtre à iure conceſſum ad deliberandum de religionis ingreſſu?* Refertur duplex ſententia.

7 *An bimeſtre illud ante conſummationem matrimonij, preſcriptum ſit ſponſis ad profitendum, vel ad deliberandum de religionis ingreſſu? & an Iudex poſsit illud reſtringere vel prorogare?*

8 *An tranſacto bimeſtri poſſit quilibet coniux ingredi religionem ſi matrimonium non ſit conſummatum.*

1 MAtrimonium ratum ſignificat vnionem diſſolubilem Chriſti cum anima exiſtenti in gratia: *conſummatum* autem ſignificat indiſsolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſsumptam. *cap. 2. de conuerſ. coniugato, & C. lex 27. q. 2.* D. Paulus *ad Epheſ. 5.* Filliuc. *tr. 10. cap. 2.* Sanch. *de matr. l. 2. diſp. 13. num. 1. & 2.* Bonac. *de matrim. q. 2. p. 11. n. 1. & ratio differentiæ* huius ſignificationis eſt, quia ſolùm per matrimonium conſummatum fiunt coniuges vna caro, quare ſolum matrimonium conſummatum ſignificat eam coniunctionem, per quàm Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia, per Incarnationis Myſterium: vnde ſecundùm omnium ſententiam, matrimonium conſummatum ſaltem iure diuino indiſſolubile eſt, vt patet Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, quod etiam habet locum in matrimonio conſummato in fidelium, lex enim Chriſti omnes obligat, licet ex diſpenſatione Chriſti explicata per D. Paulum *1. ad Cor. 7.* diſsoluatur, ſi alter tantùm conuertatur ad fidem: hæc indiſsolubilitas eſt vnum ex tribus præcipuis bonis matrimonij, & eſt de ſubſtantia illius.

D. Paul.
Filliuc.
ſanch.
Bonac.
D. Paul.

2. *Controuertitur* inter Doctores, an indiſsolubilitas matrimonij, tam rati, quàm conſummati, proueniat ex iure ipſo naturali, & ex matrimonij natura, vel tantùm ex iure diuino poſitiuo, ex ratione ipſa Sacramenti, vel ſignificationis, vel ex eccleſiaſtico: *multi* dicunt vtrumque matrimonium ex iure diuino naturali indiſsolubile eſse: quia ſi non eſset iure naturali indiſsolubile: diſsolui poſset cæterorum contractuum more per mutuum conſenſum: & huius ſententiæ ſunt D. Thom. *in ſupplem. q. 67. art. 1.* Syluius *ibid.* Sotus *4. d. 27. quæſt. 1. art. 4.* Couar. *4. decret. 2. part. c. 7. §. 5. numer.* 2. Corduba *lib. 1. quæſt. 25.* Alij docent, prouenire ex præcepto Dei poſitiuo, quia ſtatim poſt naturam lapſam fuit repudium licitum ſecundùm multos vſque ad legem Euangelicam, ſic Abulenſis *1. reg. cap. 8. quæſt. 97. 103. & 113.* Alij tenent indiſsolubilitatem matrimonii rati prouenire ex iure humano Pontificio: ſic quidam Iuriſperiti apud *Sanchez* cum Medina *l. 5. de ſacrorum hominum continentia cap. 89. & 73. Probabilior* tamen ſententia ait, aliqualem inſeparabilitatem eſse de natura matrimonij, & ita competere etiam matrimonio rato de iure diuino & naturali: omnimodam tamen indiſsolubilitatem non competere matrimonio ex iure naturæ, nec ex ratione Sacramenti, ſed ex ſignificatione, qua Chriſtus erexit illud ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſsumptam, & quia hæc ſignificatio tantùm conuenit in matrimonio conſummato, & ideò illud ſolum eſt omninò indiſsolubile. Filliuc. *c. cap. 2. num. 35.* Sanch. *l. 2. d. 13. num. 7.* Henriq. *l. 11. cap. 2. num. 3.* Syluius *in ſuppl. q. 61. art. 2: quæſit. 2.* & alii.

D. Tho.
Syluius.
Sotus.
Corduba
Abulenſ.
Medina.
Filliuc.
Sanchez.
Henriq.
Syluius.

3. *Solemnis controuerſia* eſt apud Doctores; tam Theologos, quàm Iuriſperitos, an in matrimonio rato diſpenſare poſſit Summus Pontifex, vt diſsoluatur. *Plurimi* docent id non poſse Pontificem: quia Pontifex nequit diſpenſare contra ius naturale & diuinum: ſed indiſsolubilitas matrimonii rati, eſt de iure naturali diuino, ergo. Hæc ſententia probabiliſſima eſt, quam tenent communiter Theologi Sotus *4. d. 31. q. 1. art. 4.* Rodriq. *cap. 238. num. 5.*

ſotus.

Artag.

Arrag. 2. 2. q. 88. art. 11. *Probabilior* tamen ſententia ait, poſſe Pontificem diſpenſare, quia in dubiis, ſententiæ ſuperiorum eſt ſtandum & maximè Pontificis: conſtat enim varios Pontifices de facto diſpenſaſſe; quia Summus Pontifex poteſt diuina authoritate diſpenſare in aliquibus, quę non deducuntur proximè ex principiis iuris naturæ, ſed remote, & quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iuſta & legitima cauſa; vt in voto ſolemni, iuramento, matrimonio rato. Nauar. c. 22. num. 21. Reginald. lib. 31. n. 38 Filliucius c. cap. 2. quæſt. 8. Conink d. 26. dub. 3. n. 33. Cauſa autem iuſta cenſetur notabilis in qualitate diſparitas, grauis timor ſcandali magni futuri, ex quo rixæ, graues & neces oriuntur, lepra alteri ſuperueniens; aut quando alter coniugum aſſerit ſe non habuiſſe animum contrahendi, aut vt vir efficiatur Epiſcopus Sanch. lib. 2. diſp. 16.

Nauar. Regin.al. Fillius. Conink. Sanchez

4. *Quamuis matrimonium ratum* per ſe, & ex ſua natura, dicatur perpetuum vnicum & indiſſolubile, ex priuilegio diuino dirimitur matrimonij rati vinculum per profeſſionem trium votorum ſolemnium, in approbata religione, vnde coniugatus qui ante conſummatum matrimonium, profeſſionem facit in approbata religione, remanet liber ab obligatione matrimonij, eò quòd ipſius matrimonium diſſoluatur per ſequentem profeſſionem: licitum eſt vxori in ſæculo manenti cum alio matrimonium contrahere, ita definitum fuit, tam in Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 6. Tridentino, tum ab aliis (Ioannes, 22. *antiqua de voto.*) Pontificibus. Leſſius *lib. 2. cap. 41. d. 8. numer. 69.* Sanchez *d. 18.* Syluius *in ſupplem. quæſt. 61. art. 2.* & alii.

Cõc. Tri. Leſsius. ſanch. Sylu.

Notandum tamen eſt matrimonium ratum non dirimi per vota ſimplicia, quæ emittuntur à quibuſdam Tertiariis, tum viris, tum fœminis beatorũ Dominici, Franciſci, & Auguſtini, qui collegialiter non viuunt, ſed in proprijs domibus, per vota tamen Tertiariorum vtriuſque ſexus, qui collegialiter viuunt ſub regimine Prælati ex vi ſuæ regulæ approbatæ, ſub qua emittunt vota illa, diſſoluitur matrimonium non conſummatum: Victor. *de matr. num.* 236. Sotus 4 *d. 27. q. 1. art. 4.* quia eorum vota abſoluta, & abſque reſtrictione ſunt profeſſio ſolemnis, vt reſpondit *Paulus III.* conſultus à Patribus Dominicanis. Imò Pontius *de matr. l. 9. c. 8.* affirmat idem de votis viuentium in propriis domibus ſub arbitrio & regimine Prælati, quia eo ipſo eorum vota ſunt profeſſio ſolemnis. Item per vota Equitum *S. Ioannis* diſſoluitur matrim. ratũ, quia profeſsio horum eſt ſolemnis, & in ea vouent caſtitatem abſolutam, abſque reſtrictione: ſecus dicendum de votis & profeſsione Equitum Calatrauæ, & Alcantaræ, & *S. Iacobi*, quamuis ſint verè religioſi. Ratio eſt, quia matrimonium antea factum eſt compatibile cum eorum votis, quia tantùm vouent caſtitatem coniugalem. Item per vota clericorum & monialium Ordinis militaris in clauſtro viuentium, diſſoluitur matrimonium non conſummatum, quia ſunt ſolemnia, & abſoluta. Vide Sanch. *de matr. lib. 2. diſp.* 18. Pontius *c. cap. 7.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 6. q.* 4. Non dirimitur per vota coadiutorum formatorum in Societate Ieſu emiſſa, ſunt enim ſimplicia, quamuis publicè emittantur. Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 7.* Sicut nec dirimitur per conſecrationem alterius coniugis in Epiſcopum, aut per ſuſceptionem ordinum ſacrorum, quia ius de ſola ſolemni profeſſione hoc ſtatuit, Sanchez *c. d. 18. num. 9.* Valent. *tom. 4. d. 10. quæſt. 3.* Sylueſter *c. quæſt. 1.*

Victor. ſotus. Pontius. ſanchez. Pontius. Azor. Hẽriq. ſanchez. Valent.

5. *Vt matrimonium* dicatur indiſſolubile, debet eſſe conſummatum, & tale cenſetur quacumque arte ſemen recipiatur intra vas naturale, ſiue penetratio vaſis fiat, ſiue non: & hoc verum, quamuis dæmonis miniſterio ſemen viri in vaſe debito recipiatur, quia ea copula ſufficiens eſt generationi, per eamque ſponſi vna caro efficiuntur. *C. extraordinaria* 35. *q.* 3. Henriq. *l. 11. cap. 8. n. 8.* Controuertitur tamen inter Doctores, an matrimonium cenſeatur conſummatum, dum ſponſus vas fœminæ penetrat, minimè tamen intra vas ſemen effundens? quidam enim aiunt ſufficere, vt vir penetret vas, licet intra non ſeminet, quia ſponſa non minus apta redditur matrimonio in hoc caſu, quàm ſi vir ſeminaſſet: & huius ſententiæ ſunt multi diſcipuli *D. Thomæ* Petr. Ledeſma *de matr. c. 28. dub.* 1. Medina *l. 5. cap. 76. & 79.* Rodriq. *1. p. c. 239. num. 2.* Sylueſt. *v. matr. 8. q. 15.* Verior tamen ſententia ait, id non ſat, eſſe ſed neceſſariò requiri, vt ſemẽ virile vas ſponſæ ſubintret: quia tunc debet dici matrimonium conſummari, cùm coniuges fiunt vna caro, quod fit, dum recipitur ſemen intra clauſtrum fœminæ. Filliuc. *tract. 10. cap. 2. nu.* 42. Sanch. *l. 2. d. 21. num. 5.* Henriq. *c. cap. 15. num. 3.* Vlterius inquirunt Doctores, an *matrimonium cenſeatur conſummatum*, ſi ſolum vir intra vas naturale ſeminet? & quamuis communis ſententia affirmet cenſeri conſummatum, eò quòd ſemen fœmineum ad generationem neceſſarium non ſit: D Thom. *3. p. quæſt. 31. art. 5. ad* 3. Sylueſt. *v. matrim. 8. quæſt. 15.* Probabile tamen eſt, non conſummari, niſi etiam fœmina ſeminet, quia multi ſatis probabiliter tenent ſemen fœmineum eſſe ad generationem neceſſarium, Hippocrates & Galenus & ex Theologis Abul. *paradoxo 1. cap.* 486. Caiet. 2. 2. *q. 154. art.* 12. Diana *4. p. tract. 2. reſol 41. & p. 5. tract. 13. reſol.* 54. ex quorum ſententia probabiliter dici poſſet, quòd ſi viro ſeminante fœmina non ſeminauerit, idque partibus conſtet, poſſent religionem ingredi & profiteri, & pars relicta in ſæculo aliud matrimonium inire: &, ſtante probabilitate huius ſententiæ, qui habuit copulam cum conſanguinea vel affine vxoris, ſi illa non ſeminauit, non contraxit vllum impedimentum, & ideò poteſt ſine alia diſpenſatione petere debitum, *Notandum* præterea eſt matrimonium non conſummari per copulam præcedentem, quia matrimonialis non eſt, ſed fornicaria. Henriq. *lib. 11. c 8.* Nauar. *cap. 22. n. 84.*

Lediſm. Rodriq. ſylueſt. Filliuc. ſanchez Henriq. D Tho. ſylueſt. Abulenſ. Caiet. Diana. Henriq. Nauarr.

6 Quidam Theologi cenſent nõ conſummari matrim. per copulam vi extortam, vt intra bimeſtre à iure conceſſum ad deliberandum de religionis ingreſſu, *C. ex publico, de conuerſ. coniug.* & ita profeſſione ſecuta vel obtenta Pontificia diſpenſatione matrimonii vinculum dirimi, quia per illam ſolam copulam matrim. conſummatur, quæ vnionem Chriſti cum Eccleſia repræſentare poteſt, ſed huiuſmodi eſt ſola copula voluntaria cùm vnio Chriſti voluntaria fuerit. Quamuis apud, quoſdam nempe Durand. *4. d. 27. q. 1. n. 14.* Palud *4. d. 27 q. 3. art. 2.* Sylueſt. *v diuortium q. 5.* hæc ſententia probabilis iudicetur; tamquam certum tamen tenendum eſt matrim. conſummari, & effici prorſus indiſſolubile; quia ex parte viri liberè fuit contractum matrim. & ideò ex parte eius eſt omninò indiſſolubile, quamuis ſponſa profiteatur, & cum matrimonii vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte ſponſæ. Henriq. *l. 11. cap. 8. n.* 10. Rodriquez *1. p. cap.* 238. Vict. *de matr. num.* 255. Sponſus tamen intra bimeſtre copulam extorquens vi vel timore graui, peccat lethaliter, quia aufert corporis integritatem, cùm nõ habeat ius, donec bimeſtre tranſierit, & ideò reputatur hæc grauis iniuria facta ſponſæ; Sanch. *lib. 2. d. 22. num.* 152. Sot. *4. d. 27. quæſt. 1. art. 4.* Filliuc. *tract. 10. cap. 2. num.* 47. Rodr. *c. num. 2.* Dian. *p. 3. tract. de Sacrament reſol.* 242. Pont. *de matr. lib. 9. cap. 10. num.* 3. quia licet ſecundùm probabilem ſententiam multorum Doctorum, poſſit talis ſponſa vi cognita adhuc religionem ingredi: quia viri culpa alterius bonum impedire non debet, probabiliſsima tamen eſt ſententia contraria, nempe ipſam non poſſe ingredi, & maximè ſi ex ea copula proles ſecutura ſit. Vide Syluium *in ſupplem. q 61. art. 1.*

Durand palud. ſylueſt Henriq. Rodriq. Victor. ſponſus. ſanchez. Sot. Filliuc. Rodriq. Diana. pont. Syluius.

7. Secundùm probabiliorem ſententiam, bimeſtre illud ante conſummationem matrimonii præſcriptum eſt ſponſis, non ad profitendum, ſed ad deliberandum de religionis ingreſſu; ad profitendum autem datur integer annus, qui annus à iudice coarctari nequit, ſine cauſa vrgenti, quia Tridentinum generaliter & per verba negatiua ſtatuens ne ante annum fiat profeſsio, eſt generaliter & in omni caſu intelligendum: lex enim vniuerſalis negatiua eſt vniuerſaliter intelligenda. Armilla *verb. diuortium numer. 5.* Sotus *4 diſt. 27. quæſt. 3. artic. 4.* Henriquez *lib. 12. cap. 5. numer.* 8. Rodriquez *cap. 238. num. 2. Illud autem* bimeſtre conceſſum ſponſis ad deliberandum de religionis ingreſſu, non eſt ita præciſum, quin iudex poſſit cauſà cognita illud reſtringere, vel prorogare, quia licet quãdo datur terminus à lege abſque Iudicis miniſterio, nequeat Iudex reſtringere, vel prorogare, cùm non ſit ſupra legem: ſecus tamen eſt, vbi datur miniſterio Iudicis; vt con-

Armilla. ſotus. Henriq. Rodriq.

Digitized by Google

contingit in *Cap. ex publico* citato, vbi non ſignatur bimeſtre, ſed mandatur indici vt deſignet: licet iudex ab eo bimeſtri facilè diſcedere non debeat cùm iuris terminus ſit. Nauar. *cap.16.num.24.* Sanchez *lib. 2.d 24 num.* 12. Rodriq. *p.1.cap.242.num.1.*

Nauarr. Sanchez. Rodriq.

8. Sed difficultas eſt, an tranſacto bimeſtri, poſſit quilibet coniux ingredi religionem, ſi matrimonium nondum ſit conſummatum? Reſponſio eſt affirmatiua, quamuis plures anni elapſi ſint à matrimonio inito, dum conſummatum non ſit, quamuis alter nolit, & antea interuenerit iniuſta debiti negatio: quia in dicto *cap. ex publico, de conuerſ. Coniugat.* abſolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante conſummatum matrimonium, & duo menſes tantum aſſignantur, vt intra eos nequeant coniuges cogi ad conſummandum, & vt eis tranſactis poſſint cogi vel ad conſummandum, vel ad religionem ingrediendum, & non vt poſtea nequeant ingredi.

MATRIMONIVM II.

De cauſa efficiente matrimonij quæ eſt conſenſus mutuus.

SVMMARIVM.

1 *An ad matrimonium neceſſarius ſit conſenſus mutuus?*

2 *An carnalis copula ſit de eſſentia matrimonij? & an conſenſus matrim. conſtituens, ſit explicitè in carnalem copulam? & quæ ſint matrimonij bona?*

3 *An contrahens matrimon. debeat implicitè intendere bonum Sacramenti, & alia duo matrimonij bona?*

4 *An ſit peccatum veniale matrim. contrahere propter copulam; & an ſit mortale contrahere expreſsa conditione excludendo matrimonij fines?*

5 *An ad matrimonium celebrandum ſufficiat conſenſus internus.*

6 *An ſit neceſſarium conſenſum vtriuſque coniugis ſimul tempore præſtari?* Refertur duplex ſententia.
Quæ diſtantia inter vtriuſque conſenſum obſtet valori huius contractus.

7 *An requiratur, vt vterque denuò conſentiant ad valorem matrimonij, quando conſenſus alterius coniugis fuit fictus vel metu extortus.* Refertur duplex ſententia. *An ſit neceſſarium ut qui iterum eſt conſenſurus conſcius fiat nullitatis matrimonij?* Refertur duplex ſententia.

8 *An quando matrimon. fuit inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis, uel propter metum utrique incuſſum, requiratur ut conſenſus aliquo ſigno externo manifeſtetur ad validandum matrimonium.*

9 *An validum ſit matrimonium, ſi ſubeſt aliquis error facti, uel iuris, & uterque conſentiat quantum in ipſis eſt?*

10 *An taciturnitas ſufficiat ad exprimendum conſenſum matrimonialem?*

11 *Quæ coniecturæ ſufficientes cenſeri debeant ficti conſenſus in matrimonium?*

1 AD matrimon. neceſſarius eſt *conſenſus mutuus*, quia in matrimonio eſt mutua traditio corporum, ſed quod eſt vnius non traditur alteri abſque proprio conſenſu; Conc. Florent. *de Sacram. matrimonij*, imò ſecundùm probabiliorem ſententiam, per nullam potentiam poteſt matrimonium conſtare abſque proprio conſenſu: quia conſenſus eſt de eſſentia matrimonii; res autem per nullam potentiam poteſt conſiſtere abſque ſua eſſentia: quòd ſi vinculum hoc conſiſtere nequit, de potentia Dei abſoluta, abſque contrahentium conſenſu, multò minus humanæ poteſtati hoc conceſſum erit; poterit tamen Princeps quando bono communi valdè expediret, aliquem compellere vt alicui nubat, ipſo tamen inuito matrim. conſtituere nequit. Ita Sanchez *l.2.d.26.* Filliuc. *tr.10.cap.3.quæſt.1.* Victoria *de matr. num.7* Henriq. *lib.11. cap.1 num.3.& cap.6. num.7.* Syluius *in ſupplem. quæſt.45. art.1. concl.4.* & alij.

Concil. Flor. Sanchez. Filliuc. Victor. Henriq. Syluius.

2 Cùm carnalis copula non ſit de matrimonij eſſentia; ſed eius effectus & operatio, perfectio autem eſſentialis conſiſtat in mutua corporum traditione ad copulam, hinc conſenſus matrimonium conſtituens non eſt explicitè in carnalem copulam, ſed in ius & poteſtatem ad talem copulam, implicitè autem & virtute ad copulam. D. Tho. *4.d.18.q.1.art.4.* Suarez *3.p.quæſt.29.art.2. ſect. 1.* Viuald. *de matr. num.50.* Henriquez *l.11.cap.15. num. 1.* Propterea Doctores *tria bona* conſtituerunt, quæ neceſſariò debent intendi à contrahentibus, vt matrimonium ſine peccato ineatur. *Primum* eſt, bonum ſacramenti, quod inuenitur in matrimonio, quo coniuges diligunt ſe ſicut Chriſtus Eccleſiam dilexit, gratiamque recipiunt, qua faciliùs vinculum perpetuum tolerent. *Secundum* bonum, eſt bonum prolis, quæ generatur & educatur ad diuinum obſequium, & licet non ſemper ea ſequatur, ſaluatur tamen ſemper in ipſo fine intrinſeco ad quem matrimon. dirigitur: *Tertium* bonum eſt fidei, id eſt, fidelitatis, quo coniuges ſibi mutuò obligantur ad reddendum debitum, negandumque corpus cuique alii. Filliuc. *tract.10.cap.3.qu.3.* Bonac. *quæſt.2.punct.10.num.4.* Sanchez *lib.2.d.29.n.4.* Tolet. *lib.7.cap.2.*

D. Tho. Suarez. Viuald. Henriq. Filliuc. Bonac. Sanchez. Toletus.

3. Contrahens matrim. debet ſaltem implicitè intendere bonum ſacramenti, quod euenit, quando non habet intentionem contrariam, quare ſi haberet animum etiam corde retentum aduerſum bono ſacramenti, intendens nō contrahere matrim. niſi ad tempus, non eſſet verum matrimonium. Non eſt tamen opus vt implicitè intendat alia duo matrimonij bona; imò quamuis haberet intentionem aduerſam aliis duobus matrimonij bonis corde ſolo retentam; nec in pactum deductam, matrimonium valeret: *ratio prioris* eſt, quia de ratione matrimonii eſt, vinculum eſſe perpetuum; intendens autem matrim. inire diſſolubile & ad tempus, verè non intendit matrim. *Ratio* autem *poſterioris* eſt, quia ea intentio nil attinens ad contractus ſubſtantiam aufert, quia poſito quòd velit quis contrahere, obligatur ex vi contractus, ad non agendum aliquid contra prædicta bona, non obſtante ſua intentione. D. Thom. *4.d.31.quæſt.1.art.3.corpore.* Filliuc. *c.cap.3.num.74.* Tabiena *v. matrim. 2. quæſt. 3.* Sanchez *lib.2.d.29.num. 11.* D. Antonin. *3.p. tit.1. cap.19.* & alii.

D. Tho. Filliuc. Tabiena. Sanch. D. Anto.

4. Cùm matrimonium primariò inſtitutum ſit à Deo in naturæ officium ad propagationem ſobolis; ſecundariò autem in remedium concupiſcentiæ & vitationem fornicationis, hinc cum matrimonium ordinatur ad copulam, eſt peccatum veniale, ſi non principaliter ad ſobolem vel concupiſcentiæ remedium ordinetur, ſed ad alios fines indifferentes, matrimonio tamen extraneos, vt pulchritudinem, diuitias: Caiet. *tr.12. de matr. quæſt.3.* Viuald. *1. p. de matrim. num.68.* Rodriq. *tom.1.cap.240.num 2.* Henriq. *lib.11.cap.4.num.2.* Si tamen fines indifferentes matrimonio extranei ſunt ſolùm cauſa ſecundaria & applicationis ad contrahendum, nulla eſt culpa, quia nulla eſt debiti finis inordinatio. Nauar. *c.22.num 79.* Angel. *v. matr. 3. num.25.26.* Couarr. *4. decret.2.p.cap.1.n.7.* Quando autem matrim. non contrahitur, ratione copulæ coniugalis tunc licitè contrahitur, ſcilicet, quamuis non intendatur ſoboles, nec concupiſcentiæ remedium, vt contigit matrim. B. V. Sanchez *d. 29. num. 20.* *Porrò* ſi contrahentes expreſſa conditione excludant matrimonii fines, peccant lethaliter, quia ſacrilegium eſt grauis iniuriæ ſacramentis illatæ, expreſsè excludere finem ad quem inſtituta ſunt. Henriq. *lib.21.cap.4.n. 2.* Tabien. *v. matr. 2. q.4. num.5.*

Caietan. Viuald. Rodriq. Henriq. Nauarr. Couar. Sanch. Henriq. Tabien.

5. Ad matrim. celebrandum non ſufficit conſenſus internus, niſi exprimatur verbis vel ſignis: quia matrimon. eſt ſacramentum, de ratione autem ſacramenti eſt, eſſe ſignum externum ſenſibile; non eſt tamen neceſſe, vt cōſenſus exprimatur per verba determinata, ſed ſufficit ſi per nutus & ſigna ſufficienter manifeſtetur, nullum enim extat præceptum obligans ſub mortali ad contrahendum

matrim.

matrim. verbis: quamuis ſit aliquod peccatum non exprimere conſenſum verbis, quando non ſubeſt iuſta cauſa contrahendi matrim. ſine verbis; non enim recedeodum eſt à communi vſu & à regula certa & ordinaria, abſque iuſta cauſa: quòd ſi nutibus ſolis contractum ſit, eſt nihilominus ſacramentum quia ſecundùm communẽ Theologorum ſententiam omne matrimon. fidelium eſt ſacramentum. Sanch. *l.2.diſp.*30.31. Conink *d.24 dub.8.num.* 63. Filliuc. *tract.*10.*cap.*3.*qu.*4. Gutierez *cap.*63. *num.* 23. Rodriq. *tom.*1.*cap.*216.*num.*5. D. Tho. *in ſuppl. quaſt.*45. *art* 2 Syluius *ibid.*

Sanchez. Conink. Filliuc. Gutierr. Rodriq. D. Tho. Syluius.

6. Non eſt neceſſarium conſenſum vtriuſque coniugis ſimul tempore præſtari, ſed ſatis eſt temporis mora intercedente; modò conſenſus prioris coniugis reuocatus non ſit, quia in omni contractu ſatis eſt conſenſus diuerſo tempore adhiberi, Sanch. *l.2.d.*32.*num.*3 Henriq. *lib.* 11. *cap.*3.*num.*6. Syluius *c.art.*2.*quæſit.*1. Rodriquez *cap.*216. *num.*8. & quamuis aliqui affirment ſatis eſſe, ſi alter præſtet conſenſum quocumque temporis ſpatio intercedenti, quia tamdiu dicitur prior in conſenſu perſiſtere, quamdiu non reuocat, ita Nauarr. *cap.*22.*num.*80. Nihilominus dicendum eſt exigi ſimultatem mortalem, ita vt non magnum interuallum inter vnius & alterius conſenſum diſtet, quia in aliis etiam contractibus, per longi temporis lapſum hæc voluntas non maneat virtute, ſed reuocatur. Filliuc. *tract.*10.*cap.*3. *quaſt.* 6. Vega *l.* 3. *ſum. caſu* 75. & alij.

Sanchez. Henriq. Syluius. Rodriq. Filliuc. Vega.

Quod autem interuallum & quæ diſtantia inter vtriuſque conſenſum obſtet valori huius contractus? non conueniunt Doctores. Sotus 4.*diſt* 27.*quæſt.*1.*art.*3. enim exiſtimat, diſtantiam ſeptennij obſtare. Henriquez *lib.* 11. *de matr. cap.* 3. diſtantiam biennij. Bart. Ledeſma *de matr. dub.*17. diſtantiam vnius anni. *Sanchez* verò taxationem diſtantiæ obſtantis remittit arbitrio prudentis, attentis peculiaribus circumſtantiis. Qui omnes ſupponunt, diſtantiam minorem ea, quæ ab ipſis aſſignatur, non obſtante valore matrimonii. Sententia tamen *Sanchez* eſt amplectenda: quia aliquando longum tempus cenſendum eſt à quolibet fuiſſe præſcriptum, etiam vbi Tridentinum viget, vt quando quis per Epiſtolam conſentit procul abſentem: & aliquando breue, aut breuiſſimum, vt quando quis conſentit in præſentem, à qua citò aut ſtatim expectat cõſenſum. Quoties verò quis conſentit, & non expreſſè in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum ſuo conſenſui præſcribit, cenſetur implicitè tempus aliquod limitatum ſuo conſenſui præſcribere: quia nullus eſt qui velit perpetuò conſenſum alterius expectare & quoad hoc ſuſpenſus manere. Hurtad. *de matr. diſp.* 3. *difficult.* 8. Diana *p.*3.*tract.* 4.*reſ* 292.

Sotus. Henriq. Bar. Led. Hurtad. Dian.

7. Quando conſenſus alterius coniugis fuit minùs legitimus, quia fuit fictus vel metus extortus, licet ſatis probabile ſit, vt incipiat valere matrim. requiri, vt vterque denuò conſentiat Pontius *de matr.lib.*4.*cap.*24.25. Ledeſma *de matr.dub.*19. Palatios 4.*d* 27.*diſput.* 1. & alii: quia cùm matrimon. claudicare non poſſit, deficiente vnius conſenſu, eſt prorſus irritum, vnde vt reualidetur, requiritur vtriuſque conſenſus. Probabilior tamen ſententia ait, ſatis eſſe, vt ille qui minùs legitimè conſenſit, denuò conſentiat, dum alter conſenſum non reuocarit: quia cùm conſenſus alterius validus de ſe fuerit & ſufficiens ad matrimonium, nec reuocatus fuerit, iam ex parte huius conſenſus illius, qui fictè aut metu conſenſit. Nauar. *cap.*22.*num.*80. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Sanch. *d.*52.*num.*9. Filliuc. *c.n.*84. Diana *tract.de Sacrament. reſolut.* 292. Syluester *in ſuppl. q.*45.*art.*2.*quaſit.*2. *concl.*1. & alii.

Pontius. Ledeſma Palat. Nauarr. Henriq. Sanchez. Filliuc.

An autem neceſſarium ſit in hoc caſu, eum, qui iterum eſt conſenſurus, eſſe aut fieri conſcium nullitatis; Caiet. *tom.*1.*opuſc.tract.*12.*quaſt.*2. Sotus 4. *diſt.* 28 *quaſt.*1.*art.*2. Sanchez *lib.*2.*de matr.diſp.*32.*num.* 10. & plures alij docent, omninò ignarum nullitatis, etiam abſque formidine nullitatis, poſſe ſufficienter conſentire, ad reualidandum contractum, ac proinde ſufficere, vt qui conſcius eſt nullitatis, inducat ignarum, vt maioris cauſa renouent conſenſum, id eſt, dicendo mutuo, *Ego te accipio in coniugem*, aut in ſignum conſenſus ſe amplexando imò habere copulam affectu maritali, quamuis alter nullitatem ignoret. Ratio prioris eſt, quia huic conſenſui nihil videtur deficere vt ſit ſufficiens, cùm ſit conſenſus perſonæ habilis, quo conſentit in traditionem corporis. Poſterioris autem eſt, quia copula videtur ſufficiens ſignum conſenſus coniugalis. Hæc ſententia eſt probabiliſſima: Contraria tamen eſt etiam probabilis, nempe, omninò ignarum nullitatis, non poſſe ſufficienter conſentire ad reualidandum matrim. nullum; ac proinde neceſſarium eſſe; fieri conſcium nullitatis: quia in eo, qui caret notitia nullitatis, ſed credit fuiſſe validum, nequit eſſe intentio de nouo tradendi dominium corporis, & ſe obligandi. Sufficeret tamen notitia formidoloſa, qua quis iudicet fortaſſe contractum fuiſſe nullum; quia hæc ſufficit, vt ſic formidoloſè iudicans intendat ſeriò tradere dominium ſui corporis, & ſe obligare ſub hac conditione, ſi fortè non eſt traditum, vel ſi fortè contractus fuit nullus Ita Nauar. *cap.* 22. *num.* 47. & 80. Couar. 4.*decretal.p.*2.*c.*4 *n.*5. Henriq *l.*11. *de matr. c.*3. Pontius *de matr.lib.*4.*c* 85. Diana *p* 5.*tract.*13.*reſol* 87.

Caiet. Sotus. Sanch. Nauar. Couar. Henriq. Pontius Dian.

8. Quando matrim. fuit inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis, vel propter metum vtrique incuſſum, tunc ad validandum matrimon. non ſufficit vt conſenſus internus ab vtroque præſtetur, ſed requiritur vt aliquo ſigno externo manifeſtetur: quia matrimonium inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis de nouo ita celebrandum eſt, ac ſi anteà non fuiſſet celebratum: non eſt tamen neceſſarium, vt de nouo contrahatur coram parocho & teſtibus, tum quia parochus & teſtes fuerunt præſentes externo contractui. Tum quia in Tridentino *ſeſſ.*24.*cap.*1. *de reform. matrimon.* vbi irritantur matrimonia facta abſque præſentia Parochi & aliorum teſtium, tantùm irritantur matrimonia clandeſtina, quæ antiquo iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incommoda & grauia peccata, maximè eorum qui clam cum vna contrahebant, eaque relicta aliud publicum matrimon. inhibant. cui malo nequibat Eccleſia mederi, cùm ipſi de priori matrimonio minimè conſtaret. Sed hæc ratio non ſe extendit ad hunc caſum, cùm prius matrimonium inualidum, in foro Eccleſiæ validum & publicum fuerit, (eius enim nullitas, & impedimentum occulta ſunt) & ſubinde ſi aliud matrim. inire vellent, impedirentur ab Eccleſia credenti matrimonium illud publicum, validum fuiſſe: ergo decretum Tridentini numquam hunc caſum comprehendit, nec illo obligauit, Ita Henriquez *lib.*11.*cap.*3.*num.*6. Bonacin. *q.* 2. *p.*9. *num.* 3. Nauarrus *cap.*22.*n.*80. Conink *diſp.*24.*dub.*10. Hurtadus *de matr.d.*3.*diffic.*11.& alii: qui nouiſsimus dicit ſic declaraſſe *Pium V.* & ſacrum pœnitentiariæ prætorium ea declaratione frequenter vti. Contra Pontius *de matr.lib.*5. *cap.*6. Gutierez *lib.* 1. *qq. can. cap.* 18. & alios ſuſtinentes matrim. debere denuò coram Parocho & aliis teſtibus celebrari.

Cõc. Tr. Henriq: Bonacin. Nauarr. ConinK. Hurtad.

Certum eſt tamen apud omnes, ad reualidandum matrimonium publicè, & plenè probabile nullum, quamuis coram Parocho & aliis teſtibus celebratum, neceſſarium eſſe illud iterum coram Parocho & aliis teſtibus celebrare: quia prior contractus fuit publicè nullus, & poſterior, vtpote factus abſque præſentia dictorum, non poſſet ab Eccleſia iudicari validus, ex defectu probationis requiſitæ à Tridentino faciendæ, teſtimonio videlicet Parochi & aliorum teſtium, ergo.

9. Validum eſt matrim. ſi ſubeſt aliquis error, ſiquidè ſit facti, vel iuris, & vterque cõſentiat quantùm in ipſis eſt: ſi verò contracto aliquo matrim. quod validum ex errore exiſtimetur, denuò conſentiatur in illud, non ideò conualidatur, ſed tantùm ratificatur contractum quod nullũ eſt. Sanch. *c.diſp.*33.34 Henriq. *l.*11.*c.*1.*n.*5. Fill.*tr.*10.*c.*3.*q.* 7. Cùm verò impetrata diſpẽſatione, vel ceſſante impedimento de nouo conſentiendum eſt in matrim. anteà ſcienter nullum, vtriuſque conſenſus requiritur, vt externè renouetur. Arrag. 2.2.*q.*33.*art.*6.*c.* 3. Nauar. *c.*22.*n.*47. *Quando* autem ratificandum eſt matrim. inualidum ob occultum impedimentum, coniux inſcius de priori nullitate, certior fieri debet, celata nullitatis cauſa, & renouandus conſenſus, at ſi ſcandalum timeretur, vel reſciſsio matrimonii cum infamia, ſatis eſset cautè inſcii conſenſum de nouo exquirere, diſsimulata nullitate. Coram parocho autem tunc renouandus eſt conſenſus quando anteà co-

Sanchez. Henriq. Filliuc. Arragon. Nauar.

tam ipſo matrim. contractum non eſſet, vel impedimentum ab aliquo ex aſſiſtentibus cognitum: quamuis in hoc caſu beneficio diſpenſationis poſſit etiam ſecreto inter cõtrahentes tantùm renouari. Vide Sanch. *c diſp.* 36. Bonac. *c.p.9.n.*6.7.10. Rodriq. *cap.*419.*n.*2. Nauar. *cap.* 22.*n.*70. Regin. *l.*31.*n.*183. Conink *d.*24.*dub.*10. *num.* 90. Syluius *c.concl.*2.*&* 3. & alios.

sanchez. Bonac. Rodriq. Nauar. Reginal. Conink.

10. Taciturnitas non ſufficit ad exprimendum regulariter conſenſum matrimonialem, quia taciturnitas non habetur pro expreſſione conſenſus: ius tamen aliquando accipit taciturnitatem pro expreſſione conſenſus, vt accidit quando quis promittit fœminæ, quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipſius gerente, & pater, vel mater, vel alius curam ipſius gerens pro ea repromittit, tunc enim validè matrim. contrahitur, ſi fœmina interiùs conſentiat de præſenti: quando tamen puella tacet, & nullus pro ea reſpondet quamuis ipſa interiùs conſentiat, non eſt validum matrimonium: neque quando aliquis promittit de præſenti puellæ tacenti, & extraneus pro ipſa reſpondet & repromittit. *Ratio diſparitatis* eſt, quia quæ parens vel tutor agit, cenſetur agere in gratiam & fauorem puellæ cuius curam gerit, & tunc valet regula iuris; *qui tacet conſentire videtur*; quando autem extraneus pro tacente reſpondet, puella non tenetur loqui, nec promiſſio alterius eſt illi ſimpliciter grata; vnde taciturnitas non accipitur, pro expreſſione conſenſus Couar. 2. *p. cap.* 4. *n.* 4. Nauar. *c.*22.*num.*58. Sanch. *l.*1. *diſp.*23. Conink *diſp.*21.*dub.*3. Gutier. *de matr.cap.*13.*n.*1. Vide Laym. *l.* 5.*tr.*10.*p.*1.*c.*2.*n.*13. Dian. *tract.de Sacrament. reſol.* 270. 271.272.*p.*3. & alij.

Couar. Nauar. sanchez. conin. Gutier. Layman. Dian.

11. Quamuis regulariter hoc loquendo iudicis arbitrio committatur, quæ ſufficiant coniecturæ, certitudinemque moralem faciant ficti conſenſus in matrimon. ſufficientes tamen hæ cenſeri debent, Sanch. *lib.*2.*d.*45.*num.* 5. *&* 6 Nauar. *c.*22.*num.*76. Syluest. *verb.matrim.*4.*quaſt.*9. *dict* 3. Victoria *de matr.num.*249. Sot. 4. *d.* 27. *q.* 1.*art.*3. *Primò*, ſi cùm vir protulit verba conſenſus incontinenti reuocat, poteſt enim præſumi per errorem verba protuliſſe. *Secundò*, ſi vir ſtatim ſe fictè conſenſiſſe aperiat aliudque matrimon. ineat, vel tranſeat ad religionem, aut ad ſacros ordines promoueatur. *Tertiò*, ſi vir, aſſerens ſe fictè conſenſiſſe, ſit longè diſpar, ita vt prudentis arbitrio vix credi poſſit eum illam duxiſſe; tamen hoc caſu viro non promoto ad ſtatum religionis, non eſt tutum fœminæ ad alias tranſire nuptias, cùm paſsim ſuppetant exempla virorum, qui cæco amore capti nuptias valde impares celebrant. *Quartò*, etſi non inueniatur ea diſparitas, fictus tamen conſenſus detegitur à viro, ſi id iuramento confirmet, & probabile ſit eum non peierare, & ſimul aliam vxorem ducat, vel religionem profiteatur, vel ordinem ſacrum aſſumat. Syluest. *c.* Nauarrus. *c.* Ledeſma 2. *par.* 4.*quaſt.* 47. *art.* 2. *Quintò*, ſi puella neget verum conſenſum ſe præſtitiſſe, veriſimilibus coniecturis metum patris comprobans, eſtque honeſtæ vitæ, & alii nubit. Sotus *c. propoſit.*1.

sanchez. Nauar. sylueſt. Victor. sotus. Nauar. Ledeſma sotus.

MATRIMONIVM IV.

De matrimonio clandeſtino.

SVMMARIVM.

1 *Quod dicatur matrimonium clandeſtinum? & an ſemper fuerit illicitum?*
An ignorantes legem Concilij validè contrahant ſine parocho & teſtibus?
2 *An peccatum mortale ſit matrim. contrahere non præmiſſis denunciationibus?*
3 *An ſit peccatum mortale, omittere vnam tantummodo denunciationem? & an aliquando liceat matrimonium contrahere ſine denunciationibus abſque facultatem Ordinarij.*
4 *Quis Epiſcopus uel Prælatus poſſit cum utroque contrahente diſpenſare in denunciationibus.*
5 *Quæ ſint cauſæ vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in denunciationibus?*
6 *An ſit peccatum mortale matrimonium conſummare non præmiſſis denunciationibus?*
7 *Vbi, quando, à quo fieri debeant denunciationes ex præſcripto Concilij Tridentini & Cardinalium declaratione?*
8 *An quilibet teneatur ſub culpa lethali manifeſtare impedimentum licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere, ſi illud non poſſit probare.*

1 M*Atrimonium clandeſtinum* dicitur, quod clam fit; quod duobus modis poteſt contingere. *Primò* quando fit ſine parocho & teſtibus. *Secundò*, quando celebratur omiſſis denuntiationibus: quando autem cæteræ ſolemnitates omittuntur, non clandeſtinum, ſed minùs ſolemne appellatur. Filliuc. *tr.* 10. *cap.* 5. *quaſt.* 1. Henriq. *l.*11.*cap.*5.*num.*1. Rodriq. 1. *tract.* *c.*217.*num.*1. *Matrim.* primò modo, hoc eſt ſine parocho & duobus vel tribus teſtibus eſt inualidum, quamuis ante Conc. Trident. validum fuerit, vnde copula animo maritali habita, abſente parocho & teſtibus, modò non ſufficit ad matrimonium, licet aliàs ſufficiens fuerit. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24.*c* 1. Valent. *tom.* 4. *d.* 10 *q.* 2.*punct.*4. *Matrim.* autem contrahentes ſine parocho & teſtibus peccant mortaliter, quia faciunt irritum matrim. & ſacramentum, & contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui. Conink *diſp.* 27. *dub.* 1. Ex declaratione autem Cardinalium, matrimon. non eſt clandeſtinum & inualidum, quod domi celebratur, modò præſentes ſint parochus & teſtes, vt refert Rebell. 2.*p.*2.*quaſt.*7.*num.* 11.

Filliuc. Henriq. Rodriq. Con. Tr. Valent. conink. Rebell.

Sed petes *Primò*, an matrimonium clandeſtinum, hoc eſt ſine parocho & teſtibus, ſemper fuerit illicitum; Reſponſio eſt affirmatiua, vt patet ex Tridentino *Cap.* 1. *de reform.matrim. ſeſſ.* 24. vbi habetur quod Eccleſia ſemper illud deteſtata fuerit & prohibuerit: & idem conſtat ex *Cap.Nullus*, 30.*q.*5. & *Cap. Cum inhibitio, de clandeſt. deſponſat.* Vnde peccabatur & contra bona matrimonij, & contra præceptum Eccleſiæ, quod cum eſſet de materia graui; eius tranſgreſſio erat mortalis, ob grauiſſima incommoda ex illo prouenientia: tamen cõcurrentibus quibuſdã legitimis cauſis poterat licitè fieri; de quibus videri poſſunt. Nauar. *in manual.c.*16.*n.*37. Sotus 4.*d.*28.*q.*1.*ar.*2.

Nauar. sot.

Petes *Secundò*, an qui inuincibiliter ignorant legem irritantem Concilij, validè contrahant ſine Parocho & teſtibus. Videtur quòd ſic; quia lex non obligat ignorantes inuincibiliter, quamuis irritatoria ſit, ſi irritatio & inhabilitas imponatur vt pœna, vt imponi videtur in dicta lege Tridentini: quia eo ipſo, quòd ignorantia inuincibilis excuſat à culpa, etiam excuſat à pœna, quæ tantùm infligitur ob culpam. Nihilominus Contrarium dicendum eſt ex communi ſententia. Ratio eſt, tum quia ignorantia, quamuis inuincibilis, non ſupplet ſolemnitatem ex lege requiſita ad valorem actus. Tum quia quamuis lex non afficiat ignorantes, quoad pœnam extrinſecam, bene tamẽ afficit quoad intrinſecam annullationis actus. Ita *Sotus, Medina, Nauarrus, Rodriquez, Angles* & alii apud Sanchez *de matrim.l.*3.*diſp.*17.*n.*9. 10. Nullitas autẽ, quæ à Tridentino dicta lege includitur, non inducitur in pœnam; quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandeſtinè, ſed tantùm in odium matrimonii clandeſtini ne valeat abſque dicta aſſiſtentia, ob incommoda & inconuenientia quæ ex eo oriri poſſunt.

sanchez.

2. Quamuis matrim. clandeſtinum quod contrahitur abſque præmiſſis denuntiationibus validum ſit, quia iure antiquo validum erat, & ab eo recedendum non eſt abſque manifeſto decreto irritanti: peccatum tamen mortale eſt ſic contrahere, quando denunciationes omittuntur ſine facultate aut legitima cauſa: quia violatur præceptum Eccleſiæ in re grauiſſima, cum grauia mala ſequi poſſint ex omiſſione denunciationum. Nauar. *cap.* 22.*n.*70. Regin. *l.* 31. *num.* 222. Rodriquez *cap.* 221. *num.* 2. Sanchez *lib.*3.*d.*5.*n.*6. Diana *de Sacram. reſ.* 241. *p.*3. Sylu. *in ſupplement.q.* 45. *art.* 5. *quaſit.* 9. Facultas autem diſpenſandi in denunciationibus ante & poſt matrimon. conſummationem, in Tridentino conceditur Ordinario; nomine verò *Ordinarij* intelligendus eſt Epiſcopus, aut alter

Nauar. Regin. Rodriq. sanchez Sylu.

Præ-

Digitized by Google

Bona. Filliuc. Dian.

Prælatus habens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, qui non ſit ſubditus Epiſcopo, aut etiam Vicario generali: non autem parochus aut alius inferior ſacerdos, Bonac. *q. 2. p. 6. num. 7.* Filliuc *c. cap 5. quæſt. 6.* Diana *de Sacr. reſ.* 237. *p.* 3. Quamuis Baſilius Pontius doceat *l. 5. de matrim. cap.* 13 *n.* 3. poteſtarem diſpenſandi in denunciationibus ſolis Epiſcopis iure Tridentino conceſſam, & non his, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent, vt Abbatibus & ſimilibus: & pro firmanda ſua ſententia adducit quamdam declarat Sacræ Congregat. de qua ſi conſtaret authenticè, eſſet illi ſtandum.

3. In Conc. generali Lateranenſi II. præceptum erat, vt denunciationes præmitterentur matrimonio, quod decretum innouauit Conc. Trident. iuſſitque vt matrimonio præmittantur denunciationes; ter à proprio contrahentium parocho, tribus cõtinuis diebus feſtiuis in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia publicè faciendæ. Conc. Lateran. 2. *cap.* 51. Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* Secundùm multos Doctores non eſſe mortale, ſi parochus omitteret vnam tantummodò denunciationem, & moraliter certus eſſet nullum ſubeſſe impedimentum. Sylueſt. *v. matr. 6. q. 7.* Diana *de Sacram. reſol. 236. p. 3.* Sanchez *l. 3. d. 5. n. 7.* imò aliquando matrim: poteſt ſine denunciationibus celebrari: etiamſi non adſit facultas Ordinarij, quando nempe periculum eſt in mora, ita vt non poſſit adiri Epiſcopus, & alioquin Epiſcopus teneretur diſpenſare ſi poſſet adiri. Regin. *lib. 31. n. 224. 236.* Gutier. *cap 56. n. 3.* Tenetur verò Epiſcopus diſpenſare, vt matrim. Celebretur ſine denunciationibus, quando alioquin ſequeretur aliquod damnum publicum, aut damnum notabile priuatum. Conink *diſp. 27. dub. 6. num. 59.* Sanch. *lib. 3. d. 10. num. 6.*

Conc. Later. Cõc. Tr. Syluest. Dian. Sanchez. Reginal. Gutierr. Cõnink. Sanchez.

4. *Epiſcopus* vel *Prælatus* alterius contrahentis poteſt cum vtroque diſpenſare in denunciationibus, ſicut poteſt alteruter prælatus ratione connexionis vtrumque copulare matrimonio. Sanch. *lib. 3. d. 7. num.* 7. Diana *cap. reſolut.* 239. Bonac. *quæſt. 2. p. 6. num. 7.* Et hoc maximè verũ de prælato in cuius diœceſi celebrandum eſt matrim. Et hanc facultatem diſpenſandi in denunciationis poteſt Epiſcopus delegare alteri, cùm illi competat iure ordinanario. Reginald. *cap. num.* 235. *Præterea* qui poſſunt in denunciationibus diſpenſare, poſſunt ſimiliter ex iuſta cauſa breuiare vel prolongare denunciationum tempus, & ne denunciationes diebus feſtiuis, ſed ferialibus fiant. Sanchez *d. 7. num. 5. & 6.* Vide Dianam *de ſacrament. reſol. 237. 238. p. 3.*

Sanchez. Dian. Bonaci. Regin. Sanch. Dian.

5. Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in denunciationibus, debet habere iuſtam cauſam: *multæ* autem *cauſæ* iuſtæ aſſignantur à Doctoribus. *Prima*, quando creditur matrim. iniuſtè impediendum, vt per maleficia, aut parentum, vel aliorum fraudes. *Secunda*, contrahentium pudor, vt quia ſunt diſpares ætate, &c. *Tertia*, quoties denũciationes fieri non poſſunt abſque detrimento, aut notabili incommodo in fama, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, vel abſque ſcandalo. *Quarta*, ſi vicinum ſit tempus, quo prohibitum eſt nuptiis benedici, vt tempus Quadrageſimæ vel Aduentus. *Quinta*, notabilis ſponſorum commoditas. *Sexta*, quando magnates contracturi ſunt. *Septima*, dum in mortis articulo conſtitutus vult concubinam ducere. Quando in his caſibus diſpenſat ordinarius, debet informari, an aliqua impedimenta ſubſint inter cõtrahentes. Henriq. *lib. 11. cap. 5.* Nauar. *cap. 22. num. 70.* Regin. *lib. 31. num. 235.* Filliuc. *c. cap. 5. q. 7.* Sanch. *lib. 3. d. 9.* Conink *d. 27. num. 57.*

Henriq. Nauarr. Reginal. Sanchez. Conink.

6. Sicut eſt peccatum mortale contrahere matrim. ante præmiſſas denunciationes, ita peccatum mortale erit illud conſummare, illis non præmiſſis, quia contrahentes exponunt ſe periculo fornicationis nõ adhibendo diligentiam ab Eccleſia præſcriptam; & hoc non tantùm prima vice, ſed etiam toties quoties habent copulam. Nauar. *c. 22. n. 83.* Reginal. *c. n. 237.* Sanchez *lib. 3. diſp. 11.* Conink *d. 27. num. 51. & 58.* quia eadem prorſus militat præcepti ratio imminet enim fornicationis periculum, cùm nondum adhibita ſit diligentia ab Eccleſia præſcripta, vt faciliùs impedimenta detegantur. Henriq. *lib. 11. cap. 16. n. 1.* Rodriq. *1. part. cap. 221.* & quidam alij negant mortaliter peccare, quando parochus & contrahentes adhibuerunt debitam diligentiam, ad inueſtigandum impedimentum & moraliter ſunt certi nullum ſubeſſe impedimentum. Et hæc opinio probabiliter ſuſtineri poſſet.

Nauarr. Regin. Sanch. Conink. Henriq. Rodriq.

7. Ex præſcripto Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrimon.* & Cardinalium declaratione, *Primò*, denunciationes faciendæ ſunt in propria parochia; & quando ſponſi ſunt diuerſarum parochiarum faciendæ ſunt in vtraque parochia; ſi verò contrahentes habeant plura domicilia ſeu parochias, faciendæ ſunt in parochia, in qua diutiùs habitant & principaliorem habent larem, vel potiùs in ea parochia ſponſorum, in qua veriſimilius eſt ſciri impedimenta, vt in parochia in qua fuit antiqua parentum habitatio. Dian. *de Sacrament. reſol.* 235. *p.* 3 Reginald. *cap. num.* 225. Henriquez *lib. 11. cap. 7. num.* 1. *Secundò*, faciendæ ſunt denunciationes à proprio contrahentium parocho, vel ab alio de licentia ipſius parochi. Conink *d. 27. dub. 5. num. 46.* Rodriq. *cap. 217. num. 6.* & parochus denunciationes omittens abſque legitima & iuſta cauſa, ſuſpendendus eſt ab officio per triennium *Cap. inhibitio de clandeſt. deſponſat. Tertiò*, debent fieri denunciationes tribus diebus feſtis continuis, non peccaret tamen parochus mortaliter ſi vno vel altero die feſto omittat ratione paruitatis materiæ, ſecùs ſi multos dies feſtos inter vnam & alteram denunciationem interponat. Sanchez, *lib. 3. d. 6. num.* 8. Regin. *cap. num.* 226. *Quartò*, faciendæ ſunt in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia: Doctores tamen dicunt poſſe fieri extra Eccleſiam in loco ad quem magna populi copia confluit, vt in prædicationibus: imò fieri poſſent alio die quàm feſto, quando ſcilicet ingens hominum multitudo ad Eccleſiam accedit. Bonacina *quæſt. 2. p. 6. num. 17. 18.* Sanchez *d. 6. numero 9. & 10* Regin. *numero* 227. Vide Dian. *de Sacramentis reſol.* 236. *part.* 3.

Cõn. Tr. Dian. Reginal. Henriq. sanchez. Reginal. sanchez. Dian.

8. Quilibet tenetur ſub culpa lethali manifeſtari impedimentum, licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere: quia quilibet tenetur ſaltem ſuperiore præcipiente, detegere peccatum inferens tertio damnum: non teneretur autem denunciare conſcius impedimenti cum graui ſuo incommodo; & ſi timeat probabiliter magnum ſcandalum ex denunciatione, quamuis mandatum denunciandi ſub excommunicationis pœna latum ſit; & modò illud ſciuerit in confeſſione. Rodriquez *cap. 216. num. 9.* Sanchez *libro 3. diſputatio* 13. Nauarr. *capite 22. num.* 83. Reginald. *lib. 31. n.* 228. Qui autem nouit impedimentum ex ſolo auditu, vt ſi audierit à perſona fide digna, tenetur ea non denunciante manifeſtare, quia dictum hominis fide digni facit fidem & veram notitiam; ſecus ſi audiuit à perſona nil certum ſciente, vel ſi non meminit à qua perſona audierit. Bonac. *cit. p. 6. num.* 20. Sanchez *cap. n. 7.* Rodriq. *cap. num.* 9. *Obſeruandum* tamen hic eſt, ſi impedimentum ortum habeat ex peccato occulto non ſtatim denunciandum eſſe, ſed laborans eo impedimento fraternè admonendus eſt, vt deſiſtat à matrimonio, ſi ſperetur vtilitas ex monitione, quòd ſi monitis non acquieſcat, denunciandus erit, Sanch. *c. nu.* 3. Conink *c. dub. 7. n. 61.*

Rodriq. sanchez. Nauar. Reginal. Bonacin. sanchez. Rodriq. sanchez. Conin.

An autem quis teneatur ex vi denunciationem denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non poteſt probare, affirmant communiter Doctores apud Dianam *de Sacramentis reſolut.* 221. *p.* 3. licet contrariam ſententiam teneat *Baſilius Pontius*.

Dian.

MATRIMONIVM V.

De miniſtro & ſolemnitatibus matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Quis ſit miniſter ſolemnitatis matrimonij? & an vbi Concilij Tridentini decretum non eſt acceptatum, validum ſit matrim. ſine parocho & teſtibus.*

2 *An in locis vbi Tridentinum obligat, exigatur neceſſitate Sacramenti aſſiſtentia proprij parochi, uel alterius ſacerdotis de eius licentia uel ordinarij;*

Digitized by Google

& quis ſacerdos debeat intereſſe matrimonio vagorum?

3 *An parochus alterius contrahentis poſſit validè aſſiſtere illius matrimonio in alterius contrahentis, qui ſibi ſubditus non eſt, parochia?* Refertur duplex ſententia.

4 *An Parochus aſſiſtens matrimonio debeat eſſe ſacerdos?* Refertur duplex ſententia.

5 *An matrimonium contractum coram parocho excommunicato, ſuſpenſo, vel irregulari non tolerato ſit validum? & an licentia quam dat parochus matrimonio aſſiſtendi ſit actus iuriſdictionis?* Refertur duplex ſententia.

6 *An Archiepiſcopus poſſit coniungere in matrimon. ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi? & quis præter parochum dare poſſit licentiam matrimonio aſſiſtendi? & qualis debeat eſſe licentia.*

An ſacerdos, qui delegatum habent authoritatem aſſiſtendi matrimonio, illam poſſit alteri ſacerdoti delegare?

7 *An licentia aſſiſtendi matrimonio extorta per metum vel dolum ſit valida?*

8 *An Parochus interdictus ſeu prohibitus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, adhuc validè aſſiſtat?*

9 *Quando parochus aſſiſtat matrimonio iniuſtum titulum beneficii habeat?*

10 *An geſta per illum qui abſque legitima authoritate intruſit ſe in officium iudicis, Parochi, vel confeſſarij ſint inualida in vtroque foro?*

11 *An ad validitatem matrimonij requiratur vt parochus vel alius ſacerdos aſſiſtens matrimon. vtatur aliquibus verbis in celebratione matrimonij?*

12 *An ad valorem matrimonij neceſſaria ſit præſentia duorum vel trium teſtium? Et an matr. contractum ſine parocho & teſtibus, tranſeat in ſponſalia de futuro. An ſponſalia tranſeant in matrimonium per copulam ſubſecutam:*

13 *Religioſi ſolemnizantes matrimonia ſine licentia parochorum, excommunicationem Clementina incurrunt, ſecundum aliquos; & inſuper ſuſpenſionem Tridentini. Qua pœna ſint puniendi contrahentes clandeſtinè?*

1 M*iniſter ſolemnitatis matrimonij eſt parochus & teſtes duo.* Filliucius *tract.10.c.6.* Conc. Triden. *ſeſſ.24.cap.1.ad fin.* Hi ſemper adeſſe debent etiamſi in mortis articulo contrahendum matrim. eſſet, nec in eo diſpenſare, quacumque exiſtente neceſſitate, Epiſcopus poteſt. In locis tamen, in quibus non eſt promulgatum Concil. Trid. vel in quibus non eſt acceptatum, ſaltem quoad hoc particulare decretum, validum eſt matrim. ſine parocho & teſtibus, quia lex non obligat niſi ſit promulgata & acceptata: vnde ſi incola vnius loci in quo promulgatam & acceptatum fuit Tridentinum, transferat ſe in locum vbi non fuit promulgatum Cõcilium, poteſt validè contrahere ſine præſentia parochi & teſtium, tum quia leges non cadunt abſolutè ſuper perſonas ſubditas, ſed ſuper perſonas exiſtentes in loco, vbi leges receptę ſunt; ergo: tum quia hoc eſt ſpeciale in contractu, vt celebretur iuxta ſolemnitates receptas in eo loco, vbi celebrandus eſt. Sanch. *lib.3.d.18.num.28.* Gutierez *c.cap.61. num.12.* Regin. *lib.31.num.176.* Henriq. *lib.11.cap.3.nu.8.* Pont. *de matr.lib.5 cap.9. E contra* ſi incola illius loci, in quo non eſt acceptatum Concil. Trident. diuertat ad eum locum, in quo eſt acceptatum, non poteſt contrahere abſque parocho & teſtibus, quia licet extraneus non teneatur legibus loci ad quem diuertit abſque intentione ibi manendi maiore anni parte, in contractibus tamen debet ſequi leges & conditiones præſcriptas in eo loco, in quo ille celebratur; ſed matrim. eſt verus contractus, ergo. Conink *d.27.dub.1. L. ſi fundus ff. de euict.* Scio quoſdam contrariam dictis ſententiam tenere, quando ſcilicet aliquis in fraudem legis Concilii Tridentini, & vt contrahat ſine parocho & teſtibus, eò proficiſcitur vbi Tridentinum non eſt acceptatum, non animo ibi habitandi, ſed cum voluntate matrimonium ibi contrahendi, ac

sanchez. Gutier. Reginal. Henriq. Pontius.

mox ad locum habitationis redeundi; tunc enim ſecũdùm illos, matrimonium eſſet inualidum, vtpote contractum contra decretum Conc. Trid. quod omnes parochianos loci vbi illud fuit publicatum reddit omninò inhabiles ad matrimonium contrahendum *aliter quam præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi ſeu ordinarij licentia, & duobus uel tribus teſtibus*. Non ſolùm in ſua parochia, vel in ſua prouincia vbi publicatio facta fuit, ſed etiam in aliena vbi non fuit publicatum. Facit pro hac ſententia reſpõſum Sacræ Congregationis factum Franciſco Zipæo ann. 1628. Decemb. 9. vt ipſe teſtatur *in conſultat. Canonicis lib.4.tit.de ſponſ. & matrim.conſul.6.* quo declaratur tale matrimonium, eſſe nullum. Sed quia de iſta declaratione nobis non conſtat authenticè, puto nõ eſſe recedendum à probabiliori & communiori noſtra ſententia; quamuis contraria ſit etiam probabilis, quam ſuſtinent Syluius *p.1.reſ.uariar. v. Matrimonium* 8. Diana *p.6.tract.7.reſ.29.* Rebellus *tract.de matr.l.2.q.7.n.16.* Rodriq. *tom.1 Sum.latinæ c.17.n.2.in fine Petrus & Bartholomeus Ledeſma* apud Sanchez hic citatum.

Sylu. Diana. Rebell. Rodriq.

Ad rationem autem aduerſariorum reſponderi poſſet, quòd quamuis dictæ perſonę decreto Trid. fuerint aſtrictæ & factæ inhabiles, non tamen vniuerſaliter, ſed tantùm pro locis in quibus habebant domicilium quando receptum fuit; quia prædicta inhabilitas non fuit abſolutè contracta, & quaſi perſonalis, ſed tantùm legalis ex lege inhabilitante, ac proinde ceſſat vbi & quando lex ceſſat.

Tamen aduertendum eſt ex Sacræ Cardinalium Congregationis declaratione 19. Ianuar. 1603. apud Syluium *ſupplem.q.43.art.5. queſt.4.* matrimonia contra formam Concilij Trident. contracta etiam in his duobus caſibus eſſe valida. *Primus* vbi conſtat decretum Concilii eſſe publicatum, vel aliquo tempore in parochia obſeruatum: ſed Parochialis Eccleſia (vt potè vacans) proprio Parocho caret; itidem Cathedralis caret Epiſcopo, atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium ſacerdotem ad id delegandi: nulluſque alius ibi eſt, qui vices Parochi vel Epiſcopi ſuppleat; matrimonium valet abſque præſentia Parochi: ſeruata tamen in eo, in quo poteſt, forma Concilij, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus. *Secundus*, ſi extent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbinam ſit: vel ſi eodem metu à Diœceſi adſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt matrimonium contractum abſque forma Concilij, adhibitis tamen duobus teſtibus. Conſule D. Syluium Henriq. *lib.11.cap.3.num.2.* Rodr. *c.219.num.5.* Conink *d.27.dub.2.n.18.* Sanch. *lib.3.d.19.num.4.* Filliuc. *tr.10.c.6.q.2.& 3.*

Henriq. Rodriq. Conink. sanchez. Filliuc.

Ex dictis colligitur *Primò* matrimonium publicè contractum, ſciente maiore viciniæ parte, eſſe inualidum, ſi Parochus deſit: quia Tridentinum ſtatuit formam ſubſtantialem pro matrimonio contrahendo, forma autem ſpecificè, & propriè, & non per æquipollens impleri debet. *Secundò* infideles inhabitantes Chriſtianorum loca, in quibus viget Decretum Tridentini, non teneri coram Parocho & teſtibus contrahere: quia hæc lex Cõcilij eſt merè Eccleſiaſtica, cui non ſubiiciuntur infideles, cùm extra Eccleſiam omninò ſint. *Tertiò*, fideles inhabitantes loca, vbi obligat decretum Tridentini, illud tamen inuincibiliter ignorantes, inualidè contrahere abſque Parocho & teſtibus. Ratio eſt, tum quia quamuis lex non afficiat ignorantes, quoad pœnam extrinſecam, vt dixi *uerb. Ignorantia num.20.* bene tamen afficit quoad intrinſecum annullationis actus. Tum quia quoties conſtitutio exprimit, à quo tempore debeat obligare, afficit ignorantes, quoad nullitatem actus, licet non afficiat quoad alias pœnas: ſed decretum Tridentini irritans clandeſtina matrimonia, aſſignat tempus à quo incipit obligare, nempe, tranſactis duobus menſibus à publicatione in qualibet parochia; ergo ab illo tempore obligat, quoad annullationem matrimonij, etiam ignorantes, Vide tom 1. *uerb. Actus num.2. & ſupra Matrimonium IV. num. 1.*

Vt valeat matrim. exigitur neceſſitate ſacramenti aſſiſtentia proprii parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, vel ordinarii in locis vbi Trident. obligat: ſufficit autem parochus alterius contrahentium, vt ſi in

pa-

parochia ſponſi matrim. celebretur, ſufficit parochus ipſius ſponſi, & ſi in parochia ſponſæ, parochus ſponſæ; licet enim quoad reliqua ſacramenta parochus alterius cōtrahentis, non ſit vtriuſque parochus, at quantùm ad matrim. parochus alterius, eſt vtriuſque, ratione connexionis, eò quod matrim. non niſi inter duos conſiſtere poteſt. Illos autem qui duplicem habent parochiam habitationis, vt quis hyeme habitant in vno loco, æſtate verò in alio, quilibet parochus ex duabus illis habitationibus poteſt cōiungere, quia vterque eſt illorum proprius parochus. Gutier. *cap.62.num.*4. Sanch. *c.d.24.num.*2. Conink *c.num.* 19. Matrimonio autem vagorum qui nullibi domicilium habent, poteſt quilibet parochus validè intereſſe, ſicut quilibet poteſt illorum cōfeſſiones audire & ſacramenta adminiſtrare. Cauere tamen debet parochus, ne illorum matrimoniis aſſiſtat, antequam adhibuerit debitam diligentiam in indagandis impedimentis, & antequam obtinuerit ab Ordinario licentiam aſſiſtendi illorum matrimonio, vt præſcribit Trident. *ſeſſ.24.cap.7.* Sanch. *c. diſp.* 25. Gutier. *c.65.n.6.*

Gutier. Sanchez. Conink.

Concil. Trid. Sanch. Gutier.

3. Quidam Doctores aiunt, parochum alterius contrahentis non poſſe validè aſſiſtere illius matrimonio, in alterius contrahentis, qui ſibi ſubditus non eſt, parochia, ſed in ſua tantùm; atque ita eum eſſe ſolum parochum legitimum, qui cum parochus ſit alterius cōtrahentis, in propria ipſius parochia matrimonio intereſt, ſic probant hanc ſententiam ex declarationibus Cardinalium. Nauar. *cap.25.in fine lib.4.conſil.tit.de ſponſal.conſ.*52. & quidam alij. *Tenendum* tamen prorſus eſt, ſufficere proprium alterius cōtrahentis parochum, etiamſi in parochia alterius ſibi non ſubditi, matrim. celebretur; Rodriq. *cap.* 219. *num.* 5. Henriq. *lib.* 11.*cap.*3.*num.*2. Sanchez *lib.* 3.*d.* 19. *num.* 11. Regin. *lib.*31.*num.*177. Gutier. *cap.* 26. *num.* 4. Dian. *tract.de Sacram.reſol.*232.*p.*3. quia aſſiſtere matrimonio reducitur ad iuriſdictionem voluntariam, cùm nō exigat cauſæ cognitionem, ergo validè extra parochiam exercetur: hinc infertur proprium parochum poſſe ſine peccato coniungere ſuos ſubditos in matrim. non ſolùm extra propriam parochiam, ſed etiam extra propriam diœceſim. Cùm enim ex decreto Concilii Tridentini *ſeſs.24.cap.1.de reform.* conſtet, formam ab eo præſcriptam & ſeruandam in celebrandis matrimonijs in eo intrinſecè & eſſentialiter ſitam eſſe, vt adſit Parochus, vel alius ſacerdos de licentia Parochi, ſiue Ordinarii, ac duo præterea treſve teſtes: ergo reliqua omnia extrinſeca ſunt & accidentaria, puta locus, tempus, & reliqua eiuſmodi: quamuis ordinariè in loco ſacro debeat fieri. Ex cauſa tamen parochus poſſet aſſiſtere in loco non ſacro, puta ſi malitioſè impediendum eſſet matrimonium, vel ſine periculo ad locum ſacrum acceſſus non pateret: vnde non eſſet mortale aſſiſtere domi, etiamſi non adeo graues cauſæ intercedant, ſi modò ſolemnitates poſtea in Eccleſia peragantur, puta benedictio & aliæ ceremoniæ in Rituali præſcriptæ; vt habetur & iniungitur in Rituali Romano.

Nauar.

Rodriq. Henriq. Sanchez. Regin. Gutier.

Cōc. Tr.

4. Quamuis probabile ſit parochum aſſiſtentium matrim. debere eſſe ſacerdotem: vt aiunt Rodriq. *cap.* 217. *n.*9. Sylu. *in ſuppl. quæſt.* 45.*art.*5.*q.* 7. Multò tamen probabilius eſt, non deſiderari, vt parochus ſit ſacerdos: atque validum erit matrim. contractum coram parochum, qui non eſt ſacerdos; quia parochus non ſacerdos exercere poteſt omnia quæ à poteſtate ordinis non dependent, ſed intereſſe matrimonio non eſt actus ordinis; & illius præſentia non requiritur in hoc caſu ad exercendam functionem ſacerdotalem; verùm quamuis parochus non ſacerdos validè poſsit aſsiſtere matrim. non tamen licitè, quia cùm debeat benedictionē dare, & ex præcepto Eccleſiæ dicere, *Ego vos coniungo*, hoc vt decēter fiat, à Sacerdote debet fieri. Itaque ſi contingeret Parochum non ſacerdotem aſsiſtere, non poteſt ſtola vti nec dare benedictionem. Vide Nauar. *lib.4.conſ.30.tit.cap.* Henriq. *l.*11. *cap.*3. Filliuc. *cap.6.n.*203. Regin. *cap.n.*177. & alios. *Alter* tamen qui de licentia parochi aſsiſtit, debet eſſe ſacerdos, vt ait Trid. vnde minimè poteſt cōferri hæc licentia non ſacerdoti, quare aſsiſtente diacono de licentia ordinarij vel parochi, matrim. erit irritum, ſecundùm omnes Theologos & Iuriſperitos. Sanch. *l.3.d.30. num.* 10. Gutier. *cap.62.n.16.17.* Bonac. *q.2.p.8.num.*16. Non requiritur autē vt ſacerdos, cui datur licentia à parocho aſsiſtendi matrimonio, ſit approbatus ab ordinario. Rodriq *c.*217. *n.*12. Henriq. *l.*11.*cap.*3.*n.*5. imò validè aſsiſtit, quamuis ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel irregularis, quia hæc aſsiſtentia non eſt actus iuriſdictionis, exerceríque poteſt per excommunicatum, vel irregularem, vel etiam degradatum, vt ait Sayr. *de cenſur.l.* 5.*c.* 22. *num.*26.

Rodriq. Syluest.

Nauarr. Henriq. Filliuc. Reginal.

Sanch. Gutier. Bona.

Sayr.

5. *Matrimonium* contractum coram parocho excommunicato, ſuſpenſo, vel irregulari non tolerato, eſt validum; quia excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis, dum parochia non priuatur, manet in poſseſsione, & verus parochus eſt, quia præſentia parochi requiritur in matrimonio: quaſi authoritatem præſtans illi, ſed authoritatem præſtare actui ſua præſentia, non eſt actus iuriſdictionis, ergo poteſt validè fieri ab excommunicato nō tolerato. Henriq. *lib.*11.*cap.*3. Syluest. *cap. q.* 7. Diana *p.* 5.*tract.9.reſ.*78. Reginald. *c.num.*177. Conink *dub.* 2. *n.* 24. Gutier. *cap.* 26. *num.* 23. Et licet quidam probabiliter ſuſtineant licentiam quam dat parochus matrimonio aſsiſtendi, eſse actum iuriſdictionis & proinde ſi detur ab excommunicato non tolerato parocho, inualidam eſſe, nec matrim. valere, quia dare licentiam alieno ſacerdoti audiendi confeſſiones ſubditorum parochi eſt actus iuriſdictionis, & ita inualidè conceditur ab excommunicato non tolerato. Victor. *de confeſs. num.* 152 Nauar. *lib* 4. *conſ.*47. Probabilior tamen ſententia ait, non eſse actum iuriſdictionis, ac proinde tam licentiam ſic concesſam, quàm matrimonium valere. Bonacin. *c.n.*22. Sanch. *lib* 3.*d.*21.*num.*7.

Henriq. Syluest. Dian. Reginal. conin. Gutierr.

Victoria Nauar.

Bonaci. Sanchez.

An autem peccet Parochus excommunicatus toleratus aſſiſtens matrimonio, negat *Sanchez* Sed *Vaſquez* & *Baſilius Pontius* putant eſse mortale. Vide Dian. *de Sacrament.reſol.233.p.3. & p.5.tract.9.reſol* 79.

Dian.

6. Archiepiſcopus non poteſt coniungere in matrim. ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi, quia ipſe non eſt ordinarius illorum, nec eſt eorum ſuperior, niſi in gradu appellationis: hanc autem licentiam præter parochum dare poteſt Epiſcopus, Vicarius eius generalis, prælatus habens authoritatem quaſi Epiſcopalem, vt ſunt Cardinales in Eccleſiis ſuorum titulorum, quidam Abbates in Eccleſia nulli Epiſcopo ſubiecta, Vicarius parochi habens facultatem adminiſtrandi ſacramenta & aſſiſtendi matrimoniis, ſiue ſit permanens, ſiue amouibilis ſit. Henriq. *lib.*11. *cap.*3. *num.* 4. Rodriq. *cap.*217.*nu.*16. Sanch. *lib.*3.*d.*28. Regin. *n.*178. Conink *cit. dub.*2.*num.*17. Secundùm multos Doctores, licentia hæc non debet eſſe tacita, qualis eſt illa, quæ oritur ex tolerantia vel ex ratihabitione, ſed debet eſſe expreſsa, qualis eſt licentia ad aſſiſtendum ſpecialiter matrimonio, vel ad exercenda omnia parochi officia, vel ad miniſtranda omnia ſacramenta. Licet. Sanch. *c.d.* 35. Conink dicant ſufficere tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præſenti.

Henriq. Rodriq. Sanchez. Regin. Conink.

Licentia tamen tacita ex ratihabitione de futuro, qua ſcilicet alienus ſacerdos probabiliter credit parochum ratihabiturum, non eſt ſufficiens vt ſit validum matrimonium, quia valor ſacramenti non poteſt eſse in pendenti, ſed ſtatim aut debet eſſe validum, aut irritum. Nota tamen hanc licentiam non debere dari in ſcriptis; quia Tridentinum hoc non exigit; & ſcriptura non eſt de eſſentia gratiæ & priuilegij.

Sed petes, an ſacerdos qui delegatam habet auctoritatem aſſiſtendi matrimonio, illam poſſit alteri ſacerdoti delegare? Reſponſio communis eſt negatiua, niſi ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum. Vnde deſeruitor, qui ad tempus vel per Epiſcopum, vel per Parochum conſtitutus eſt ad adminiſtrandam curam paſtoralem, alium ſubdelegare poteſt ad hunc effectum, eo quòd delegatus ſit ad omnia negotia Paſtoralia. Vicarius autem Paſtoris qui ſimul cum ipſo curam adminiſtrat, alium ſibi ſubſtituere non poteſt, eo quòd non cenſeatur delegatus ad vniuerſitatem cauſarum: multòque minus quilibet aliud ſacerdos, quem fortè Parochus in aliquo negotio ſibi adiutorem adhibuerit. Vide quæ diximus tom.1. verb. *Confeſ-*

Digitized by Google

ſarius 11. *num.* 7. 8. 9. & infra verb. *Vicarius num.* 2. *& ſeq.*

Quis autem dicatur proprius Parochus contrahentium verior ſententia eſt, illum eſſe proprium, qui habet poteſtatem ordinariam adminiſtrandi illis ſacramenta: vt idem ſic in Concil. Tridentin. *Proprius Parochus*, qui in *Cap. Omnis vtriuſque ſexus*, proprius Sacerdos. Ita Sanchez *de matr. l.* 3. *d.* 23. Syluester *in ſuppl. q.* 45. *art.* 5. sylueſt. *quaſit.* 5.

7. *Quando* licentia aſſiſtendi matrimonio extorta fuit per metum leuem aut grauem, matrimon. eſt validum: *quando* verò extorta fuit licentia per dolum & mendacia verſantia circa cauſam finalem eſt inualidum matrimon. ſecus autem *dicendum* quando licentia fuit extorta per dolum & mendacia verſantia tantummodò circa cauſam impulſiuam. Gutier. *cap.* 69. *num.* 14. Sanchez *l.* 3. *diſp.* 39. Regin. *c. num.* 182. & alii.

8. *Parochus* interdictus ſeu prohibitus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, adhuc validè aſſiſtit; quia poſito eo interdicto ſeu prohibitione, parochus adhuc retinet iuriſdictionem: idem dicendum quando huiuſmodi prohibitio Rodriq. facta fuit adiutori vel vicario parochi. Rodriqu. 1. *p. cap.* 217. Regin. *cap. num.* 179. Imò parochus cui vetitum fuit à ſuperiore adminiſtrare ſacramenta propter inſcitiam, valitè adhuc aſſiſtit matrimonio, quia huiuſmodi aſſiſtentia non eſt propriè adminiſtratio ſacramenti, modò parochus ſit compos ſui & externo ſenſu percipiat conſenſum contrahentium, ſiue per ſe immediatè, ſiue percipiat per interpretem, quod adeò verùm eſt, etiamſi ibi per vim detineatur. Sanch. *diſp.* 39. *n.* 1. Bonac. *q.* 2. *p.* 8. *n.* sanchez. Bonac. 19. Filliuc. *tr.* 10. *cap.* 6. & alii. Sic enim ſaluatur finis decreti Conc. Trid. qui eſt, vt tale matrimonium Eccleſiæ conſtare poſſit. A fortiori valebit, quando Parochus dolo vocatus intereſt matrimonio. Idem ſi caſu interſit, eſt enim eadem ratio. Peccabunt tamen mortaliter contrahentes ſi Parochum vi detineant, tum ratione iniuriæ, tum ratione contemptus Eccleſiæ, non enim eius authoritate contrahunt. Quod idem eadem ratione dicendum eſt, quando Parochus caſu tranſibat, vel dolo ad aliud vocatus acceſſit.

9. *Parochus* iniuſtum titulum beneficij habens: puta quia commiſit aliquod delictum, ratione cuius eſt ipſo iure priuatus beneficio, vel quia habet beneficium incompatibile, vel quia acceptauit beneficium in excommunicatione, validè aſſiſtit matrimonio, etiamſi ipſo iure ſit priuatus beneficio, modò in iudicio nondum fuerit illo legitimè ſpoliatus, quia adhuc eſt parochus cum titulo colorato & errore communi: Eſt tamen hìc *notandum* quod vt geſta valeant ab hoc parocho, tria concurrere debent. *Primò*, vt adſit titulus coloratus ſeu putatiuus, qui cenſetur adeſſe, quando ſuperior legitimus confert alicui dignitatem vel beneficium, ſed collatio eſt inualida ob occultum aliquod impedimentum recipientis collationem, vt ſi fiat excommunicato, titulus coloratus eſt, quando aliquis recipit dignitatem vel beneficium à legitimo ſuperiore, ſed poſtea committit delictum, ratione cuius eſt ipſo iure priuatus illa dignitate vel beneficio: vel quando ſuperior occultè reuocat dignitatem vel facultatem *Secundò*, requiritur vt adſit error communis, id eſt, error probabilis, quo aliquis communiter habeatur pro voto titulari beneficiario, parocho, &c. non ſufficeret autem error vnius vel duorum. *Tertiò*, vt nullum adſit impedimentum iuris diuini vel naturalis: his poſitis geſta per iudicem, prætorem, parochum, confeſſarium valida ſunt, quia ius humanum ſupplet defectum veri tisanchez. Henriq. Rodriq. Filliuc. Reginal. Conink. tuli, vt habetur *L. Barbarius ff. de efficio prætoris*. Sanch. *de matr. lib.* 3. *diſp.* 22. *n.* 60. 61. *& ſeq.* Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Rodriq. *cap.* 217. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 6. *quaſt.* 4. Regin. *lib.* 1. *n.* 97. Conink *d.* 27. *dub.* 2. *n.* 26. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *n.* 67. 68. Et huiuſmodi defectus ſuppletur etiam ab Eccleſia quando adeſt opinio probabilis, tunc enim cenſetur adeſſe error communis & titulus coloratus, vt accidit quando eſt opinio probabilis aliquem poſſe abſoluere à reſeruatis, aut cenſuris, aut poſſe aſſiſtere matrimonio, tunc enim ſequens opinionem probaCrouſer. bilem validè abſoluit, validè aſsiſtit matrim. Dian. 4. *p. tract.* 4. *reſolut.* 4. *& tract.* 1. *miſc. reſol.* 29. *p.* 2. Crouſers *ad cap.* 7. *reg. minor. lect.* 22. *f.* 701. Secus dicendum ſi cum titulo colorato & errore communi interueniat impedimentum iuris diuini, vel naturalis nam tunc prælatus vel Eccleſia non poteſt huiuſmodi defectum ſupplere, cùm non habeat poteſtatem in ſuperiorem, ſicut poteſt ſupplere & de facto ſupplet defectum iuris humani, ne aliàs ſequantur multa incommoda, multæ perplexitates, multa dubia, & multi ſcrupuli. Sed de his vide v. *Conſcientia n.* 10. Bonac. *q.* 2. *p.* 8. *n.* 25. Caiet. *v. confeſſ. iterat.* Palud. Bonac. Caiet. palud. 4. *d.* 17. *q.* 6. *art.* 1.

10 *Geſta* per illum, qui abſque legitima auctoritate intruſit ſe in officium iudicis, Parochi, vel confeſſarii, ſunt inualida in vtroque foro, quia intruſus non habet titulum verum vel coloratum, vnde ſi aliquis ſimplex capellanus vel ſacerdos conſtitueretur parochus à laico, inualidè aſsiſteret matrimonio & inualidè abſolueret, quamuis communiter haberetur pro vero parocho. Nauar. *cap.* 9. Nauar. Gutier. Conink. *n.* 9. Gutier. *cap.* 62. *n.* 26. Sanch. *lib.* 3. *d.* 22. *n.* 29. Conink *d.* 27. *dub.* 2. *n.* 26. & alij.

11. *Ad validitatem* matrimonii, non requiritur, vt parochus vel alius ſacerdos aſsiſtens matrimonio, vtatur aliquibus verbis in celebratione matrimonii, quia Tridentinum in clauſula irritante nō facit vllam mentionem verborum, tenetur tamen ſacerdos ex præcepto eiuſdem Tridentini vti his verbis, *Ego vos coniungo in nomine Patris &c.* vel ſaltem vti aliis verbis iuxta ritum & conſuetudinem patriæ: Regin. *lib.* 31. *n.* 175. Sanch. *l.* 3. *d.* 38. *n.* 47. Conink *c. dub.* 4. *n.* 45. An autem omiſsio horum verReginal. sanchez. conink. Henriq. sanchez. borum ſit peccatum mortale, alii affirmant, alii negant probabiliter: Henriq. *l.* 11. *c.* 2. Sanch. *d.* 38. *n.* 7. Vide *Dian. de ſacramentis reſol.* 256. *p.* 3.

12. *Præter parochum* ad valorem matrimonii, neceſſaria eſt præſentia duorum vel trium teſtium, quæ debet eſſe moralis & humano modo, vt ſcilicet aduertant & intelligant, quod agatur, & debet eſſe hæc præſentia teſtium ſimultanea, & non ſufficit ſucceſsiua: Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. Cōc. Tri. Filliuc. sanch. Gutier. Reginal. conink. sylueſt. *cap.* 1. *de reform. matr.* Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 6. *q.* 10. Bonac. *q.* 2. *p.* 8. *num.* 44. Sanch. *lib.* 3. *d.* 41. Gutier. *cap.* 55. *num.* 9. Regin. *lib.* 31. *num.* 183. Conink *dub.* 4. Sylueſt. *in ſuppl. q.* 45. *art.* 5. *q.* 9. hinc dormientes, amentes, ebrij, furioſi, quamdiu carent lucido interuallo, non ſunt teſtes idonei ad matrim. quia non poſſunt eſſe præſentes humano modo; aliæ autem perſonæ quæcumque illæ ſint, modò ſint doli capaces, poſſunt eſſe teſtes in matrimonio cuiuſcumque ætatis, conditionis, & ſtatus exiſtant; vnde impubere vſum rationis habentes, fœminæ, conſanguinei, pater vel mater, familiares, infideles, excommunicati admitti poſſunt in matrimonio, quamuis non admittantur tamquam teſtes idonei in aliis rebus: quia Tridentinum nullos teſtes excipit, & hi poſſunt eſſe præſentes moraliter; nec requiritur vt teſtes ſint rogati, nullo enim iure requiritur iſta ſolemnitas in matrimonio, imò validum eſſet matrim. quamuis teſtes præſentes ſint per violentiam, modò aduertant quod agitur. Nihil etiam obſtat quod tamquam alia de cauſa vocati ſint & teſtes & Parochus, atque inter conuiuandum v.g. coram illis res geretur etiam non præmonitis, modò tunc appareat contrahentes ipſorum præſentiam requirere, poſsintque ea quæ geruntur, cognoſcere: quòd ſi Parocho affectante de facto non intellexerit, iudicat Sacra Congregatio valori matrimonij non obſtare. Vnde non eſt neceſſarium, vt Parochus matrimonio adſit tamquam ex intentione exhibendi ſuam præſentiam auctoritatiuam in perſona Eccleſiæ, ſed omninò ſufficit quod præſens ſit & poſsit teſtari, appareatque quod ad illum actum adhibitus ſit. Idem dicendum de teſtibus: nam iſti dicuntur præſentes cum ſufficienter aduertant ad id, quod agitur, poſsintque de hoc ferre teſtimonium, nec vlla preſentia requiritur in Trident. Ita Sanchez *c. diſp.* 39. Gutierez *c. n.* 9. Regin. *c.* sanchez. Gutierez Reginal. *n.* 182. contra Bonac. *c. n.* 23. *&* 49.

An autem matrimonium cōtractum ſine præſentia Parochi & teſtium; tranſeat ſaltem in ſponſalia de futuro? affirmant *Henriq. Layman, Conink, Rebellus*. Negant *Gutierez, Ledeſma, Barboſa*, cùm *Diana de ſacramentis reſol.* 258. Vtraque ſententia probabilis eſt.

Maius dubium occurrit, an ſponſalia tranſeant in matrimonium per copulam ſubſecutam; Reſp. iure antiquo ex co-

Digitized by Google

ex copula habita poſt ſponſalia, tamquam ex prudenti iudicio piè præſumi ab Eccleſia matrim. *cap. veniens 15. cap. is qui fidem 30. & cap. final. de ſponſal.* quia Eccleſia præſumebat, ſponſos iam contraxiſſe matrim. ne præſumeret illos ad non proprium coniugem acceſſiſſe, quod etiam nunc præſumitur ab Eccleſia, vbi Trid. non viget; hoc tamen matrim. non erat verum, ſed tantùm præſumptum, non ſolùm quando copula fiebat animo fornicario, vt admittunt Doctores, ſed etiam quando fiebat affectu coniugali, vt docet Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 12.* Pontius.

Certum eſt, vbi Tridentinum viget, non tranſire, quãdo neque ſponſalia, neque copula fuerunt habita coram Parocho, & aliis teſtibus; quia abſque eorum præſentia matrimonium, neque validè contrahitur, neque præſumi poteſt ab Eccleſia, quæ iam ad valorem illius requirit prędictorum præſentiam. Certum etiam eſt, quando copula non fuiſſet habita coram illis, quamuis ſponſalia fuiſſent coram eis habita: imò id etiam eſt, quando ſponſalia non fuiſſent habita coram Parocho, & aliis teſtibus; quamuis copula fuiſset coram illis habita: quia tunc tantum poſſent teſtificari de copula, et non de ſponſalibus.

Quando autem ipſa ſponſalia, & copula habita ſunt coram Parocho & teſtibus, eſt difficultas, an tunc ſponſalia tranſeant in matrimonium, ſiue verum, ſiue pręſumptum vbi Tridentinum viget? Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 40. n. 7.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 3. n. 7.* & alii docent, tranſire in matrimonium (et ius antiquum manere illæſum) verum quidem, ſi animo coniugali, præſumptũ verò, quando fornicario haberetur copula: adeo vt probata copula, & ſponſalibus contra eodem Parocho et teſtibus, præſumeret Eccleſia matrimonium, cogeretque ad illud, ſicut ante Tridentinum cogebat. Verùm ſtante Declaratione Eminentiſſ. DD. Cardin. apud Rebellum *de ſponſal. lib. 4. in declarat. Sacr. Congr. ſect. 3. n. 41. 42.* dicendum eſt, non tranſire in matrimonium adhuc præſumptum. Tenor huius declarationis eſt: *Martha, qua contraxit ſponſalia de futuro, cum N. cum quo carnalis copula ſecuta eſt, potuit ingredi Monaſterium, & habitum religionis ſuſcipere, in eo permanere, & profiteri, & poſtquam profeſſionem emiſerit, tum ab Ordinario pronunciandum licere N. matrimonium libere contrahere cum alia muliere.*

Sanch. Henriq. Rbell.

Decretum hoc annullat ſolùm contractus matrimonij per verba de præſenti clandeſtinè factos; ſponſalia verò per verba de futuro relinquit in terminis iuris communis, præterquam quod per copulam præfatam ſponſalia in matrimonium non tranſibunt. Et ratio eſt, quia copula, adhuc præſuppoſitis ſponſalibus, non erat neque eſt verum ſignum conſenſus, ſed tantum erat prudens indicium contractus ante copulam facti; ergo quamuis ipſa & copula fiant coram Parocho, et aliis teſtibus, non tranſibunt in matrimonium: non ex defectu præſentiæ, ſed ex defectu ſigni exterioris, abſque quo nequit fieri contractus matrimonij poſt Tridentinum. Ita Conink *de Sacr. diſp. 21. num. 21.* Hurtadus *de matrim. diſp. 3. diffic. 14. n. 55.* et alii. Conink. Hurtad.

13. In Clementina *Religioſi, de priuilegijs*, excommunicatione reſeruata Pontifici afficiuntur Religioſi ſolemnizantes matrimonia, nõ habita ſuper his Presbyteri parochialis licentia ſpeciali. Sed notandum eſt, quòd ſolemnizare matrimonia, non ſit idem quod miniſtrare; nam ſicut hoc ſolis contrahentibus competit, ita per Religioſos fieri non poteſt. Neque ſolemnizare idem eſt, quod inſtar Parochi contrahentibus adeſſe; nam licet præſentia parochi iuxta Concilium Tridentinum dici poſſit quædã ſolemnitas matrimonii, non tamen eſt illa, de qua Canon præſens, qui ſolum de illa ſolemnitate loquitur, quæ conſiſtit in Sacerdotali benedictione, quam ſponſi, poſt matrimoniũ ritè contractũ, ſolemniter in Eccleſia recipiunt.

Præterea aſſiſtens matrimonio ſine licentia afficitur ſuſpenſione lata in Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. ſub finem*, vbi ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto interdictum eſt parocho, aliiſque Sacerdotibus, tam regularibus, quàm ſæcularibus, ne alterius parochiæ ſponſos ſine parochi licentia in matrimonium coniungere, aut benedicere audeant; alioquin ſuſpenſi maneant, donec abſoluatur ab Ordinario illius, qui matrimonio intereſſe, vel benedictionem conferre debebat. Concil. Trid.

Sed dubium eſt, an Religioſus ſolemnizans matrimonia hoc tempore ſine ſpeciali facultate, incurrat vtramq. cenſuram, excommunicationem ſcilicet & ſuſpenſionẽ? Reſp. Probabilius eſſe affici ſola ſuſpenſione Concilii Tridentini, in quam excommunicatio illius Clementinę, in hac parte commutata videtur. Tum quia ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio. Tum ne duplex pęna ob idem delictum incurratur. Ita Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 15. num. 2.* Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 4.* Bonacina *de matrim. q. 4. punct. 6 num. 3.* licet cõtrarium Nauarrus, Vgolinus, Sanchez, Alterius, Miranda, Barboſa apud Tamburinum *de iur. Abbat. tom. 2. diſp. 8. quæſt. 3.* Sayr. Suar. Bonac.

Porrò contrahentes abſque Parocho, et aliis teſtibus vbi Tridentinum viget, puniendi ſunt pœna graui arbitrio Ordinarii, vt ſtatuit Tridentinum. Et vbi Tridentinum non viget, contrahentes clandeſtinè abſque teſtibus, & forſan etiam abſque proprio Sacerdote, ſunt etiã puniendi pœna arbitraria, vt ſtatuitur in *cap. fin. de clandeſtina deſponſat.* Et in eodem cap. ſic contrahentes etiã puniuntur in eo quòd eorum proles ſit illegitima, quando contrahunt in gradu prohibito, quamuis ignoranter. In aliquibus diœceſibus excommunicãtur ipſo facto excommunicatione Synodali. In Caſtella illis imponitur pœna priuationis omnium bonorum, et exilii ab his regnis, et quod poſſint à parentibus exhæredari. De quibus Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 47.* Sanch.

MATRIMONIVM VI.

An matrimonium poſſit celebrari ſub conditione.

SVMMARIVM.

1 *De conditionibus quæ apponi poſſunt contractui matrimonij.*

2 *An matrimonium initum ſub neceſſaria conditione, ſit abſolutum, & validum, ante expectationem euentus conditionis, non ſolum in foro externo, ſed etiam in interno?*

3 *An matrimonium ſub aliqua conditione turpi celebratum, quæ tribus præcipuis bonis aduerſetur, ſit irritũ?*

4 *An conditio honeſta, licet contraria ſit bonis matrimonij, irritet illud?* refertur duplex ſententia.

5 *An conditio turpis, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ſicut & impoſſibilis, habeantur pro non adiecta.*

6 *An conditio honeſta, & poſſibilis de præſenti, vel de præterito, vel de futuro adiecta matrimonio, illud vitiet.*

7 *An matrimonium contractum inter habentes aliquod impedimentum ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, validum ſit, adimpleta conditione, ſeu adueniente diſpenſatione?* refertur duplex ſententia.

8 *An conditiones impertinentes habeantur pro non adiectis in matrimonio?* refertur duplex ſententia. *Et quid ſit conditio impertinens.*

9 *An ſtandum ſit in conſcientia foro intentioni contrahentis matrimonium ſub conditione, qualiſcumque conditio ſit?*

1 C*Onditiones*, quæ apponi poſſunt contractui matrimonij, aliæ ſunt neceſſariæ, *aliæ* turpes, *aliæ* impertinentes, *aliæ* impoſſibiles, *aliæ* honeſtæ, *aliæ* de præterito, *aliæ* de præſenti, & *aliæ* de futuro; & tandem ex turpibus *quædam* ſunt contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, & hæ quæ repugnant præcipuis bonis matrimonii, id eſt, fidei, ſeu fidelitati, & ſacramento, ſeu indiſſolubilitati matrimonii, vt contraho tecum, ſi generationẽ prolis euites, vel donec pulchriorem inueniam. *Aliæ* ſunt turpes, non contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, vt contraho tecum, ſi mecum concubueris. Inſuper eſt *aduertendum*, quòd matrimonium ipſum conditionem non recipiat; benè tamen eius conſenſus, hoc eſt, conſenſus

præ-

Digitized by Google

præſtitus ad matrimonium, poteſt ex conditione pendere, at matrimonium ipſum minimè, quia quamdiu conditio pendet, matrimonium non eſt. De quibus Sanchez *de matrim. lib. 5. diſp. 1. num. 3.* Bonacina *quaſt. 2. punct. 10. num. 3. & 4.* Filliucius *tract. 10. cap. 4. q. 11. & ſeq.* & alii.

Sanch. Bonac. Filliuc.

2. *Matrimonium* initum ſub neceſſaria conditione eſt abſolutum, & validum ante expectationem euentus conditionis, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in interno, modo contrahentes non habuerint intentionem ſuſpendendi conſenſum, vſque ad conditionis euentum: tunc enim matrimonium ſub neceſſaria conditione celebratum, non eſt validum de præſenti, cùm non adſit mutuus conſenſus de præſenti: ſicut neque eſt validum, ſi contrahens apponat conditionem neceſſariam, credens illam eſſe contingentem, quia non habet conſenſum de præſenti, cùm intendat tantummodò contrahere dependenter ab euentu illius conditionis. *Conditio* neceſſaria eſt, duco te in vxorem, ſi cras ſol oriatur, &c. Nauarrus *cap. 22. num. 67.* Conink *diſp. 29. dub. 1. num. 8.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 4.* Victoria *de matrim. num. 260.* Sanchez *lib. 5. diſp. 2. num. 2.* Syluius *in ſuppl. q. 43. art. 1. q. 1. concl. 5.* et alii.

Nauar. Conink. Henriq. Victoria Sanch. Sylu.

3. *Matrimonium* ſub aliqua conditione turpi celebratum, quæ ſit contra ſubſtantiam matrimonij, ſeu quæ tribus præcipuis bonis aduerſetur, irritum eſt, ſi conditio adiungatur, vt de futuro præſtanda; quia conditio contra ſubſtantiam contractus deſtruit contractum; ſi tamen huiuſmodi conditio adhibeatur, poſt contractum matrimonium non efficit illud inualidum, cum iam ſupponatur eſſe validè contractum, *cap. final. de condit. appoſit.* Idem *dicendum*, quando huiuſmodi conditio non adiungitur, vt de futuro præſtanda, ſed apponitur de præterito, vel de præſenti, vnde ſi quis dicat puellæ, contraho tecum ſi fornicationem commiſiſti, validè ſtatim matrimonium contrahit, ſi puella fornicata ſit: ſecus ſi fornicationem non commiſerit Gutierez *cap. 82. num. 4. & ſeq.* Conink *cit. dub. 3.* Sanchez *lib. 5. diſp. 9.* Couar. *2. par. Epit. cap. 3. §. 1. num. 9.* Sylu. *cit. concl. 3.* et alii.

Gutier. Conink. Sanch. Couarr. Sylu.

4. *Quidam Doctores* docent ſatis probabiliter, conditionem honeſtam, licet contrariam bonis matrimonii, non irritare illud, vt ſi contrahant hac lege, vt in perpetua caſtitate viuant, aut conſummato matrimonio Religionem profiteantur; quia copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonii, ergo conditio de non habenda, non illi aduerſatur, licet ſit contra bonum prolis, atque ideo nec illud irritat, ita Coninch *diſp. 24. dub. 4. num. 43.* Bonacina *q. 2. punct. 10. num. 13.* *Alij* tamen & meritò probabilius videtur eiuſmodi conditionem vitiare matrimonium, quia repugnat ſubſtantiæ matrimonii, eo quod matrimonium requirat conſenſum ſaltem tacitum in copulam, qui conſenſus non adeſt, quando matrimonium ſub dicta conditione celebratur, et huius ſententiæ ſunt Sanchez *lib. 5. diſp. 10. num. 2.* Henriquez *lib. 11. cap. 4. num. 1.* Viualdus *de matrim. num. 56.* Gutierez *cap. 82. num. 11.*

Conink. Bonac. Sanchez Henriq. Viuald. Gutier.

5. *Conditio turpis*, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonii, ſicut & impoſſibilis, adiecta matrimonio, habetur pro non appoſita, matrimoniumque manet validum; modò adſit conſenſus contrahentium abſolutus; ſecus *dicendum* ſi non adſit conſenſus abſolutus, & contrahentes non conſentiant, niſi ſub conditione turpi, vel impoſſibili; tunc enim non eſt validum matrimonium, eo quod non adſit conſenſus de præſenti, qui ad validitatem matrimonii neceſſarius eſt. Leſſius *lib. 2. cap. 18. num. 122.* Sanchez *lib. 5. diſp. 15.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 5. 6.* Valentia *tom. 4. d. 10. quaſt. 3. punct. 3.* et alii.

Leſſ. Sanchez Henriq. Valent.

Conditio honeſta, & poſſibilis de præſenti, vel præterito, adiecta matrimonio illud non vitiat, nec ſuſpendit; ſed ſi conditio tunc eſt vera, vt ſi pater tuus vult, vel voluit, eſt ſtatim validum matrimonium; ſi vero eſt falſa, eſt ſtatim irritum, quia nunc nihil deeſt ad matrimonii ſubſtantiam, cùm adſit conſenſus mutuus de præſenti, ſi conditio tunc eſt vera. Syluius *cit. concl. 8.* Gutierez *cap. 81.* Coninch *diſp. 29. dub. 1. num. 8.* Sanchez *lib. 5. diſp. 6. num. 1. & 2.* Diana *de Sacram. reſ. 291. par. 3.* *Matrimonium* tamen celebratum ſub conditione honeſta, & poſſibili de futuro, non eſt validum ante conditionis euentum: quia ea eſt natura conditionis de futuro, vt ſuſpendat valorem contractus ſub ea initi, in euentum conditionis. Nauar. *cap. 22. num. 65.* Bonacina *cit. num. 20.* Coninch *cit. n. 11.* An autem neceſſarium ſit in his caſibus, vt parochus, et teſtes ſimul aſſiſtant impletioni conditionis, vt matrimonium valeat? alii affirmant, alii negant probabiliter. Vide Gutierez *cap. 81. num. 7.* Sanchez *diſp. 8. num. 23. & 24.*

Sylu. Gutier. Conink. Sanch. Dian. Nauar. Bonac. Conin. Gutier. Sanch.

7. *Matrimonium* contractum inter conſanguineos, vel affines, vel inter alios habentes aliquod impedimentum ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, validum eſt, adimpleta conditione, ſeu adueniente diſpenſatione. Sanchez *diſp. 8. num. 10.* Coninch *diſp. 29. num. 18.* Couar. *2. par. cap. 3. num. 8.* Bonacina *cit. num. 23.* Sylu. *cit. concl. 10.* quia contrahentes ſub illa conditione non contrahunt pro tunc, ſed pro tempore futuro, videlicet, pro tempore conditionis adimpletæ, quo tempore ſunt habiles, & nihil obſtat quominus perficiatur matrimonium, ergo verè perficitur matrimonium tempore illius conditionis adimpletæ per diſpenſationem. Sanchez tamen *lib. 5. diſp. 5. num. 5.* & Diana *de Sacram. reſol. 290. par. 3.* referunt quoſdam Doctores contrarium aſſerentes probabiliter de ſponſalibus, talem nempe promiſſionem eſſe nullam; quia ea conditio tamquam impoſſibilis reijcitur: imo tales conſanguineos incurrere excommunicationem latam in *Clement. unica, de conſanguin.* docet Gutierez *qq. Canon. lib. 1. cap. 22. num. 17.* Mihi nihilominus dicendum videtur ſponſalia inter eos, qui habent aliquod impedimentum dirimens, etiam eſſe valida, appoſita conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, ita vt adueniente conditione diſpenſationis, incipiant obligare, non ſecus ac cæteri contractus conditionati adueniente conditione appoſita. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſponſalia reſpiciunt matrimonium licitum; quia licet de ſe ſit prohibitum, ex diſpenſatione tamen ſit licitum; & ſponſalia non ordinantur quomodocumque ad ipſum, ſed vt ſtat ſub diſpenſatione, atque adeo vt licitum. Et ratione conditionis ſuſpenditur obligatio, quam inducunt vſque ad tempus, quo impletur conditio; vnde ſponſalia prout inductiua obligationis, habeant tractum veluti ſucceſſiuum, quo durant quouſque ponitur conditio, atque adeo quouſque matrimonium ſit licitum. Ita Pontius *de matrim. lib. 3. cap. 15. num. 4.* Præpoſitus *de matrim. quaſt. 9. dub. 3. num. 25.* Mercerus *in ſupplem. 3. p. q. 43. art. 3.*

Sanch. Conin. Couar. Bonac. Sylu. Sanch. Dian. Pontius. Præpoſ. Mercer.

8. Aliqui cenſent *conditiones impertinentes* haberi pro non adiectis in matrimonio, ſed nullo iure, aut ratione id probant. Sotus *in 4. diſt. 29. q. 2. art. 3.* Quare dicendum eſt matrimonium contractum ſub conditione impertinenti de futuro non eſſe validum; antequam verificetur conditio, validum vero eſſe ea verificata, & adimpleta; quia omnis conditio, iure non improbata, poteſt apponi matrimonio, ſed hæ conditiones impertinentes nullo iure reprobantur, ergo poſſunt validè apponi. *Conditio impertinens* eſt, ſi quis dicat duco te in vxorem, ſi cognouero te bene morigeratam, vel pulchram ab aliis exiſtimari. Sanchez *lib. 5. diſp. 18.* Bonacina *cit. num. 24.* Gutierez *cap. 82. num. 33.* et alii.

Sanches Bonac. Gutier.

9. *In conſcientiæ foro* ſtandum eſt intentioni contrahentis matrimonium ſub conditione, qualiſcumque conditio ſit, hoc eſt, quamuis Eccleſia iudicet matrimonium, quando conditio eſt neceſſaria, turpis, aut impoſſibilis: præſumit enim minimè defuiſſe conſenſum; huiuſmodi conditionibus adiectis, vnde ſi contrahens noluit inire matrimonium niſi eueniente conditione, non erit matrimonium ante illius euentum, & ſi numquam euenire poſſit, quia impoſſibilis eſt, numquam erit matrimonium, quia matrimonium abſque conſenſu nullatenus eſſe poteſt; quando autem dubius eſt animus apponentis conditionem, ſtandum eſt præſumptioni fori externi, & reiecta conditione iudicandum erit matrimonium, quando Eccleſia ſic iudicat: In dubio autem pro vtroque foro, iudicandum eſt pro matrimonio. Filliucius *tract. 10. cap. 4. num. 136.* Syluester *verb. Matrimonium 3. q. 2.* Couar. *2. par. cap. 3. §. 2.* Sanchez *lib. 5. diſput. 1. num. 4.* Plura de conditionibus apud *Sanchez toto lib. 5.* vbi agit de conſenſu conditionato.

Filliuc. Syluest. Couar. Sanchez

SVPPLEMENTVM.

MATRIMONIVM I.

De natura, & proprietatibus matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium vnde dicatur.*
2 *Matrimonium quid ſit.*
3 *Quod ſit diſcrimen inter matrimonium fidelium, & paganorum.*
4 *An in Sacramento matrimonij ſint tria illa*, Sacramentum tantùm, res Sacramenti, & res ſimul & Sacramentum.
5 *An inter fideles poſſit eſſe matrimonium, quod non ſit Sacramentum?* refertur duplex ſententia.
6 *An matrimonium infidelium fiat Sacramentum, eiq. gratiam conferat, cum ambo baptizantur?* refertur duplex ſententia.
7 *An in procuratoribus ad matrimonium contrahendum inter abſentes requiratur diuerſitas ſexus.*
Quibus verbis procurator poſſit vti in matrimonio contrahendo nomine mandantis.
8 *Quomodo Eccleſia potuerit irritare matrimonia clandeſtina, quæ prius iure diuino erant valida.*
9 *Quæ ſint pœnæ matrimonij clandeſtini, & de prima, quæ eſt, vt filij ex eo matrimonio nati, ſint illegitimi, quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum dirimens, etiamſi parentes fuerint in bona fide.*
10 *De alijs tribus pœnis matrimonij clandeſtini.*
11 *Quæ ſint pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinum ſine Parocho, & teſtibus.*
12 *Qua pœna plectendus ſit Parochus, vel alius Sacerdos, qui matrimonio clandeſtino interfuit.*
13 *An poteſtas diſpenſandi in denunciationibus poſſit ab Epiſcopo delegari alteri.*
14 *An aliquando teneatur Epiſcopus in denunciationibus diſpenſare, vt prætermittantur.*
An quando adeſt cauſa diſpenſandi poſſit Epiſcopus imponere ei cum quo diſpenſatur, mulctam pecuniæ pijs operibus applicandam.
15 *An ab ordinario detur appellatio ad Superiorem, quādo ordinarius nō vult diſpenſare in denunciationibus.*
17 *Quomodo reualidandum ſit matrimonium inualidè cōtractum propter aliquod impedimentum dirimens.*
18 *Quid faciendum quando nullitas matrimonij eſt ignota alteri coniugi, nec poteſt ei manifeſtari abſque graui periculo.*
19 *An quando quis contraxit matrimonium cum duabus per verba de præſenti cum conditione de futuro contingenti, quænam erit vxor.*
20 *An Parochus permittere debeat, vt contrahentes dent mutuum conſenſum conditionatum.*
21 *An neceſſe ſit, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & teſtibus, qui præſentes fuerunt matrimonio celebrato ſub conditione honeſta de futuro.*
22 *An ſit contra ſubſtantiam matrimonij, & illud irritet conditio, vt alter coniux non teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet petere.*
23 *An matrimonium initum a filijs abſque conſenſu parentum ſit validum? An ſufficiat conſenſus parentū, ſi filij non conſentiant? Et an poſſint parentes cogere filios ad matrimonium?*
24 *Quando teneatur filius obedire parenti præcipienti, vt tale matrimonium ineat.*
25 *An peccet mortaliter filius inuitis parentibus matrimonium iniens?* refertur duplex ſententia.

1 MAtrimonium ſecundum Ethymologiam nominis, dicitur à matre, non quidem adhuc maternitate obtenta, ſed cum ſpe ſtatim adipiſcendi: ideo enim mulier viro coniungitur in matrimonium, vt mater fiat, & dicitur matrimonium, quaſi matris munium, id eſt officium, nam prolem concipere, parere, & educare potiùs matris munus eſt, quàm patris: mater enim magis laborat in vtero geſtando, lac præbendo, aliaque infantiliā continuè miniſtrando. Vel dicitur matrimoniū quaſi matrē muniens; vxor enim per matrimonium acquirit virū, a quo defendatur & muniatur. Ita D. Thom. *in ſupplem.* 3.p.q.44. *art.*1. Sanchez *de matrim. lib.*1. *in proœmio n.*4. D. Tho. Sanch.

2. Matrimonium (vt diximus tom. 1.) *eſt coniunctio maritalis ex mutuo conſenſu viri, & mulieris, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens, in qua confertur gratia ſanctificans.* Hæc definitio non ſolum conuenit matrimonio, vt eſt contractus, ſed etiam vt eſt Sacramentum: matrimonium enim fidelium nō ſolum eſt contractus, ſed etiam eſt Sacramentum, quia eſt ſignum ſacrum efficax gratiæ.

Dicitur *coniunctio* pro genere, in hoc enim conſiſtit eſſentia matrimonij, in ipſo videlicet vinculo. Dicitur *maritalis*, loco differentiæ, per quam indicatur fundamentum talis vnionis, quod eſt illa traditio mutua corporum coniugum: ad differentiam vinculi ſponſalium, quod fundatur tantùm in promiſſione, & ad excludendas etiam omnes alias coniunctiones inter marem & fœminam, quæ non ſunt maritales. Dicitur (*ex mutuo conſenſu*) quia in hoc conſiſtit forma partis Sacramenti.

Dicitur *viri, & mulieris*, vt explicetur ipſum ſubiectum & materia vinculi, & ad innuendum matrimonium inter vnum virum, & vnam fœminam eſſe debere. Dicitur, *inter legitimas perſonas*, hoc eſt non habentes impedimentum aliquod dirimens matrimonium. Dicitur, *indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*, vt explicetur mutua coniunctio, & indiſſolubilitas matrimonii rati: quia matrimonium ſemel contractum non poteſt diſſolui mutuo conſenſu ipſorum contrahentium, ſicut poſſunt diſſolui cæteri contractus. Dicitur, *in qua confertur gratia ſanctificans*, vt oſtendatur effectus matrimonii, vt Sacramentum eſt, gratia enim non ſolùm eſt effectus reliquorū Sacramentorum, ſed etiam eſt matrimonii. Ita Magiſter *in* 4. *diſt.* 27. & colligitur *ex cap. illud, de præſumpt.* Sanchez *de matrim. lib.*2. *diſp.*1. Nauar. *in Man. cap.*22. *n.* 19. Tolet. *in ſum. lib.*7. *cap.*5. et alii. Magiſt. Sanchez Nauarr. Tolet.

3. Triplex eſt diſcrimen inter matrimonium fidelium & paganorum: *Primum* eſt, quod matrimonium infidelium eſt purus contractus naturalis, non tamen eſt Sacramentum: imo in lege naturæ, & lege Moſaica erat ſolus contractus: at inter fideles in lege Euangelica eſt etiam Sacramentum à Chriſto inſtitutum, vt docet Conc. Trident. *ſeſſ.*7. *can.* 1. *Secundum*, quod extra Eccleſiam contractus hic matrimonii non dat gratiam contrahentibus ex opere operato; nec dabat illam in lege naturæ, aut veteri: at in lege Chriſti dat gratiam non ponentibus obicem, quia eſt Sacramentum. *Tertium* eſt, quod actus coniugalis extra Eccleſiam non eſt meritorius, ſed tantùm eſt licitus, infideles enim non peccant in copula carnali, ſi rectè matrimonium contraxerint: at vero fideles ſi ſint in gratia, & ob debitum finem actu hoc vtantur, merentur in ipſo actu, ſicut in alio bono opere. Ita Sanchez *de matrim. diſp.*7. *& lib.*9. *diſp.*1. Bellarminus *lib.*1. *de matrim. cap.* 5. *ad* 2. Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.*2. *num.*1. *& in comment. lit. V.* Sanch. Bellarm. Henriq.

4. In Sacramento matrimonii ſunt illa tria, quæ communiter a Theologis in quolibet Sacramento conſiderantur, videlicet, Sacramentum tantùm, Res Sacramenti, & Res ſimul & Sacramentum: Sacramentum tantùm, eſt ipſe actus contrahentium verbis, vel nutibus, aut ſignis expreſſus, conſtans ex materia, et forma partis, ex quibus fit tale ſignum ſenſibile. Res tantum, eſt illa gratia, quæ virtute Sacramenti confertur, quæ ſignificatur & non ſignificat, cùm gratia ſit res ſpiritualis, et inuiſibilis, et talis eſt effectus Sacramenti. Sacramentum autem & res Sacramenti, eſt illa vnio inſeparabilis inter virum, & vxorem ſignificans vnionem Chriſti cum Eccleſia, quæ ſignificat & ſignificatur. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.*26. *quæſt.*2. *art.*1. *ad* 5. quem ſequuntur alii Scholaſtici, Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.*10. *num.* 3. Pontius *de matrim. lib.* ... *cap* 7. *n.*18. Filliucius *tract.*10. *n.*13. et alii. D. Tho. Sanch. Pontius. Filliuc.

5. Nonnulli negant matrimonium eſſe Sacramentum inter

inter fideles initum; nec valere in ratione contractus, ſi contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium non tamquam rem Sacram, ſed tantùm vt contractum. Ratio illorum eſt, quia ex Chriſti inſtitutione inſeparabilis eſt ratio Sacramenti à contractu matrimonij, vnde intentio non conficiendi Sacramentum repugnat intentioni legitimæ conficiendi matrimonium quatenus eſt contractus; ſicut è contra qui intenderet facere Sacramentum & non contractum, nihil efficeret, quia ex Chriſti inſtitutione hæc duo ſunt inſeparabiliter coniuncta, & ſe mutuò ponunt, et deſtruunt. Ita probabiliter Sanchez *de matrim. lib.2. diſp.10. num.6.* Layman *lib.5. tract 10.par.2.cap.2.num.2.* Conink *de Sacram. diſp.24. dub.1. concl.4.* et alii. A quorum tamen ſententia recedunt Pontius *de matrim. lib.1. cap.9.* Vaſquez *tom. 2. in 3.par.diſp.138.cap.5.* Rebellus, Villalobos negantes hanc Chriſti inſtitutionem; cùm eam non explicent Concilia, neque inſinuent Sancti Patres, neque etiam vnanimis Doctorum opinio, quia plures Doctores docent, nempe Eſtius, Syluius, Caietanus, Victoria, & Canus *ſupra citati Matrimonium 1. num.10.* matrimonium inter abſentes, & per procuratorem eſſe firmum, atque legitimum, non tamen Sacramentum: & ideo ſequitur quod quando aliquis contraheret ſine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod facit Eccleſia, licet illud matrimonium non ſit Sacramentum, quia in miniſtro non adfuit intentio neceſſaria, tamen manet validum in ratione contractus, ita vt contrahens non poſſit deinde alteri nubere, vt ſuſtinent citati Doctores, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Sanch. Laym. Conink. Pontius. Vaſq. Canus.

6. Dubium eſt inter Doctores, an matrimonium infidelium cum ambo baptizantur, fiat Sacramentum, eiſque gratiam conferat? Quidam affirmant ſolam baptiſmi ſuſceptionem ſine alio nouo conſenſu efficere matrimonia infidelium verum Sacramentum: quia ſtatim ac baptizantur matrimonium illud repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia, cùm in Chriſti fide contractum, efficiturque indiſſolubile, ſaltem vt matrimonium ratum fidelium, ergo ſtatim ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Ita Sanchez *de matrim.lib.2.diſp.9.num.5.* Paludanus, Vega ab illo citati. Alii exiſtimant effici Sacramentum, gratiamque conferre, non ſtatim tamen ac baptizantur, ſeu cum habent nouum conſenſum, aut antiquũ verbis, vel nutibus, vel copula maritali approbant: quia non poteſt eſſe Sacramentum abſque noua materia, & forma; prior autem conſenſus, cùm tunc non eſſet Sacramentum, nec modo eſt, quia iam tranſijt, non poteſt eſſe materia matrimonii, quod Sacramentum eſſe debet. Ita Bellarminus *lib. 1. de matrimon. cap.5. in fine.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 8.* Rebellus *part. 2. lib.2. quaſt.7.* Hæ duæ opiniones ſunt probabiles. Placet tamen ſententia aſſerens nullo modo poſſe effici Sacramentum: quia ratio Sacramenti matrimonii annexa eſt ipſi contractui, non vinculo remanenti poſt contractum, conſiſtit enim hoc Sacramentum in actione, ſicut & alia omnia, excepta Euchariſtia, & in eo fieri contractus datur gratia, non poſtea: poſt ſemel autem contractum matrimonium validè, non poteſt denuò alius fieri eius contractus, vinculum enim matrimonii relictum in nullo penitus iam dependet à conſenſu eorum qui contraxerunt, quare cum etiamſi renouetur conſenſus, nihil efficiatur circa contractum antea validum, nec adhibeatur materia, et forma: cum ſolum verbo tenus renouetur conſenſus, et Sacramentum matrimonii tantum conſiſtat in fieri, nec poſſit eſſe, niſi reipſa fiat contractus, qui iam factus eſt, ergo non poteſt iam amplius fieri Sacramentum. Et confirm. quia matrimonium eſt eſſentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni poteſt; nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & iam nullo modo in ſe exiſtit, neque tales poſſunt de nouo matrimonium contrahere, quia non poſſunt ſibi mutuò corpora tradere; nemo enim poteſt alteri tradere, quod ſuum non eſt, quia neuter iam habet poteſtatem proprii corporis, vt docet Apoſtolus *1. Corinth.7.* ergo non poſſunt ea ſibi mutuo tradere. Ita docent Pontius *de matrim. lib.1. cap.9. num. 8.* Vaſquez *tom.2. in 3.par.diſp.138.cap.5. & tom.4. diſp.2. de matrim. cap. 10.* Coninch *de Sacram.diſput.24. dub. 2. concluſ.7.* & alii.

Sanch. Bellarm. Henriq. Rebellus. Pontius. Vaſq. Conink.

7. In procuratoribus ad matrimonium contrahendũ inter abſentes non requiritur diuerſitas ſexus; quia eſt res impertinens, & non facit ad rem, ſolum enim requiritur ſexuum diuerſitas in ipſis, qui matrimonio debent coniungi. Et ideò fœminæ, vel duo viri, vel alter vir, et altera fœmina poſſunt eſſe procuratores ad contrahendum matrimonium pro aliis, quia ſunt tantum inſtrumẽtum miniſtrans verba, quibus contrahitur matrimonium. Ita Sanchez *de matrimon. lib.2. diſp. 11. num. 15.* Bonacina *de matrim. quaſt. 2. punct. 5. num. 1.* Diana *part.3.tract.4.reſol.250. verſ. Notandum eſt*, qui citat Pontium, et Syluium.

Sanch. Bonac. Dian.

Verba autem quibus vti poterit procurator in contrahendo matrimonium nomine mandantis poſſunt eſſe iſta, aut ſimilia. *Talis conſentit in te, vel accipit te in virum, vel vxorem, me mediante.* Vel *recipio te in virũ, & vxorem, nomine talis perſonæ.* Hoc enim modo ſufficienter exprimitur conſenſus vtriuſque coniugis de præſenti mediante procuratore exprimente conſenſum alterius abſentis. Et tunc coniux præſens reſpondere poterit. *Et ego te mediante accipio talem in uirum meum, uel in uxorem meam.* Ita Sanchez *loco proximè citato num. 16.* Bonacina *cit. num.11.* Sylueſter *uerb. Matrimonium 5.q. 14.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.2. num.2.* et alii.

Sanch. Bonac. Syluest. Henriq.

8. Patres Concilij Tridentini attentè conſiderantes prohibitiones matrimonii clandeſtini propter incuriam, et inobedientiam hominum, in obliuionem abijſſe, & propter multa incommoda, multaque mala peccaminoſa, quæ ex iiſdem clandeſtinis coniugiis pullulare, et oriri poſſent, præſertim illorum, qui priore vxore, cum qua clandeſtinè contraxerant relicta, cum alia palam contrahere non verentur, et cum ipſa in perpetuo adulterio viuere cum manifeſto periculo æternæ damnationis vtriuſque. Quapropter Sacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. cap.1. de reform. matrim.* cupiens huic malo obuiare, declarauit & declarat matrimonia clandeſtina, quæ in poſterum à fidelibus ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de eius licentia, et ſaltem duorum aliorum teſtium celebrantur omninò nulla, et irrita.

Sed dubium eſt, quomodo potuerit Eccleſia per dictum Decretum matrimonia, quæ ante ex diuino iure naturali erant valida, facere, vt in poſterum eſſent nulla? Ratio dubitandi eſt, quia ſi matrimonium conſideretur, vt eſt contractus naturalis, ſolo conſenſu, etiam clam præſtito eſt validum: Eccleſia autem ius naturæ alterare nequit. Cauſa enim naturalis ſufficienter applicata, neceſſariò ſuum producit effectum, ſed mutuus conſenſus etiam occultus inter perſonas habiles, eſt cauſa naturalis matrimonii, ergo. Deinde ſi matrimonium conſideretur, vt eſt Sacramentum, Eccleſia nequit aliquid ſtatuere variando materiam, et formam Sacramentorum: ſed conſenſus mutuus licet clandeſtinus, erat olim materia, et forma ſacramenti matrimonii, ergo Eccleſia non potuit id variare. Ob his rationes aliqui Doctores circa hoc dubitauerunt, & Dominicus Sotus *in 4. diſt.28.q.1. art.1. in ſolut. ad 1.* quæſtionem propoſuit, et indeciſam reliquit, dicens ſe Eccleſiæ iudicio, et determinationi remittere. His tamen non obſtantibus.

Sotus.

Veritas Catholica eſt, Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina, & de facto irritat & annullat, vt patet ex verbis Concilii. *Qui aliter, quàm præſente Parocho, uel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus, uel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad ſic contrahendũ omnino inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.* Non enim præſupponi poteſt Eccleſiam Sanctam Dei in re tam grauiſſima contra fidelium ſalutem errare potuiſſe: ſi autem id non potuiſſet efficere, erraſſet in re maximè ad fidem, et vniuerſales Eccleſiæ mores conducenti.

Ex tenore prædicti Decreti, colligere eſt, matrimonia clandeſtina dupliciter irritari. *Primo*, directè annullando immediatè ipſum contractum. *Secundo*, indirectè, inhabilitando perſonas. Quod autem potuerit Eccleſia irritare

Digitized by Google

tare contractum, probatur, quia reſpublica ciuilis poteſt irritare contr..ctus ciuiles, & de facto aliquos irritauit, vt minorum abſque auctoritate curatorum, alienationem maioratuum, &c. Ergo idem potuit Eccleſia circa contr..ctum matrimonii.

Eſt autem irritare directè contractum matrimonii, impedire ne mutuus contrahentium conſenſus ſit ſufficiens clandeſtinè præſtitus, ad transferendum dominiū corporum inter coniuges; vnde non tollit Eccleſia obligationem iam ortam, ſed impedit, ne oriatur. Probatur verò poſſe Eccleſiam irritare matrimonium inhabilitando perſonas; quia in ijs, quæ ad bonum ſpirituale Eccleſiæ ſpectant, vt eſt matrimonium, fideles tamquam membra illi ſubduntur: ergo quando bono ſpirituali Eccleſiæ expedit, poteſt illos inhabiles reddere, ad certum modum ineundi matrimonium, ſicut reſpublica efficit inhabiles ad contrahendum, prodigos, minores abſque tutoribus, et vxores abſque viris. Et hoc modo Eccleſia irritauit matrimonia inter conſanguineos cognatos & affines, inhabilitando perſonas. Ita Sanchez *de matrim. lib.3. diſp.4. num.4.* Suarez *de Sacram. in genere q.60. art. 8. di. p. 2. ſect.6.* Pontius *de matrimon. lib. 5. cap.4.* & alii communiter.

Sanchez. Suarez. Pontius.

Ex quibus patet potuiſſe Eccleſiam de facto irritare matrimonium, vt eſt Sacramentum, non immediatè mutando materiam, & formam Sacramenti, ſed mediatè deſtruendo fundamentum, nempe contractum humanum; ex quo conſequenter remanet irritum Sacramentum, ſicut tollendo iuriſdictionem in Sacerdote, tollit conſequenter validitatem Sacramenti Pœnitentiæ. Plura de his apud Doctores hic citatos.

9. Pœnæ matrimonii clandeſtini præcipuè ſunt quatuor. *Prima*, filii nati ex eo, quando fuit nullum ob aliquod impedimentum, quodcunque illud ſit, ſint illegitimi, etiamſi parentes fuerint in bona fide, *ex cap. final. §. ſi quis verè, de clandeſt. deſponſat.* non enim bona fides admittitur, quando omittuntur requiſita ad aſſequendam veritatem ideoque ignorantia non excuſat eum, qui deficit in debita diligentia, modo ad illam cauſam nullitatis manifeſtandam denunciationes conferre poſſent. Ait enim textus, *Si quis verò clandeſtina coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur: de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cùm illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ uideantur.*

An autem ad hanc pœnam incurrendam requiratur Iudicis ſententia? Dicendum eſt quòd non, quia quando verbo futuri, iungitur particula aliqua ſuapte natura importans latam ſententiam, non eſt opus ſententia ferenda, ſed continet ſententiam latam, huiuſmodi autem eſt dictio, *Prorſus*, appoſita in dicto *cap. fin.* vt plurimis citatis docet Tiraquellus *in l. ſi unquam, uerb. reuertatur num. 75. Cod. de reuoc. donat.* Tum quia quando priuatio imponitur non vt delicti, pœna, ſed ob defectum conditionis requiſitæ ad gaudendum aliquo priuilegio, nulla deſideratur ſententia. Sic contingit in noſtro caſu, nam textus imponens eam illegitimitatem, verè non continet pœnam, ſed explicat deficere conditionem requiſitam, vt filii nati ex matrimonio putatiuo, ſint legitimi.

Sed hic petes quare nati ex fornicatione legitimentur per ſubſequens matrimonium putatiuum, iuxta probabilem multorum ſententiam, nati vero ex matrimonio putatiuo clandeſtino, non ſint legitimi? Dic, quia fornicatio non tendit in Eccleſiæ contemptum, nec ita eam ſcandalizat: matrimonium autem clandeſtinum valde offendit Eccleſiam, eamque contemnit: vnde non mirum ſi ei non faueat, ſuumque ei deneget auxilium. Ita Sanchez *lib.3. diſp.42. de matrim.*

Sanch.

10. *Secunda* pœna eſt, quod mulier ſpoliata à viro quaſi poſſeſſione maritali non reſtituitur ante omnia, ſicut reſtituenda eſſet, ſi matrimonium factum fuiſſet in facie Eccleſiæ. Ratio eſt, quia *ex cap. tranſmiſſa, de reſtitut. ſpoliat.* requiritur ad hanc reſtitutionem faciendam, vt matrimonium ſit contractum in facie Eccleſiæ; ergo quod non eſt ita contractum, non gaudebit hoc priuilegio. Tum quia matrimonia clandeſtina ſunt odioſa, ideoque pro eis imponenda eſt pœnitentia.

Tertia pœna eſt, ſi ignoranter intra gradus prohibitos matrimonium contractum ſit, neglectis denunciationibus, ſeparandum eſt, contrahentesque carere debent ſpe diſpenſationis obtinendæ. Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. matrim.* quæ pœna habet etiam locum, ſi quis contrahat cum aliquo alio impedimento dirimente; quia militat eadem prorſus ratio expreſſa in illo decreto Tridentini, ibi, *non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temere contempſit.*

Concil. Trid.

Quarta pœna ante Tridentinum erat, vt ſecundum matrimonium publicum præferretur priori clandeſtino comprobato vno integro teſte & fama. Sed quia hodie matrimonium validum neceſſario contrahendum eſt coram parocho, et duobus teſtibus, non poteſt euenire caſus, in quo ſecundum publicum præferratur. Vide Couar. *de matrim. 2. part. cap.6. num.11.* Sanchez *de matrimon. lib.3. diſp. 45.*

Couar. Sanch.

11. Pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinū ſine parocho & teſtibus, ſunt, prima eſt inhabilitas ad ſic contrahendum. Ex Conc. Tridentino *ſeſſ.24. cap.1. de reform. matrim.* vnde ſi velint iterum palam contrahere, nulla indigent diſpenſatione, vt declararunt Eminentiſſimi Cardinales: quia Tridentinum non dicit abſolutè illos eſſe inhabiles, ſed limitatè, ad ſic contrahendum, nempe clandeſtinè ſine parocho & teſtibus, vt tenent communiter Doctores: quidquid alii dicant incurrere perpetuam inhabilitatem. Ex quo infertur nec opus eſſe aliqua declaratione, vt diſſoluatur matrimonium abſque parocho et teſtibus initum, nec requiri Epiſcopi licentiā, vt contrahentes ab eo recedant, et nouum contrahatur, verum ſi id eſſet nimis publicum, ita vt veriſimiliter timeretur ſcandalum, quo id ſedaretur, tunc petenda eſſet Epiſcopi declaratio.

Concil. Trid. Sacr Cōgreg.

Secunda pœna eſt arbitraria: ſunt enim grauiter puniendi arbitrio Epiſcopi contrahentes clam abſque parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, aut minori teſtiū numero, quàm duorum, vt præcipitur in Tridentino ſupra, ideoque peccaret Ordinarius eos nō puniens. Quod ſi id matrimonium conſummarint, cùm grauius delictum ſit, rigidior debet eſſe pœna. Ita Rodriquez *1. part. Sum. Latina cap.220.* Filliucius *tract. 10. part. 1. cap.5. quæſt.11.* Sanchez *loco cit. diſp.46.*

Rodriq. Filliuc. Sanch.

In aliquibus Diœceſibus adiicitur tertia pœna contra huiuſmodi contrahentes clandeſtinè, ſcilicet, excommunicatio. Imo in Hiſpania, ſimiles poſſūt exhæredari, et tradendi ſunt cōſanguineis propinquioribus vxoris in perpetuam ſeruitutem. De quibus Sanchez *diſp.46. & 47.*

Sanch.

12. Parochus, vel quicumque alius Sacerdos regularis, vel ſæcularis, qui matrimonijs clandeſtinis interfuerit, per triennium ſuſpendendus eſt ab officio, & eadem pœna mulctandus eſt parochus quamuis non interſit, ſi ſciens talia matrimonia, non prohibuerit, vt habetur *in cap. fin. §. fin. de clandeſt. deſponſat.* quæ pœna eſt ſententiæ ferendæ, nō latæ, vt patet ex verbo, *ſuſpendatur*, quod reſpicit actum, & miniſterium iudicis futurum. Hæc autem pœna eſt correcta per Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* quando Parochus, vel alius Sacerdos aſſiſtit clandeſtino inualido defectu numeri teſtium, dicitur enim ibi eſſe grauiter puniendum, arbitrio Ordinarii. Cùm autem minor pœna imponitur noua lege pro eodem delicto, pro quo imponebatur grauior lege antiqua, ceſſat pœna legis antiquæ: ergo cùm per Tridentinum impoſita ſit mitior pęna, quandoquidem poſſit Ordinarius arbitrari ſuſpenſionem per breuius tempus, ceſſabit ſuſpenſio præciſa triennalis iure antiquo impoſita. Quod ſi matrimonium ſit clandeſtinum tantùm ob omiſſionem denunciationum, ſtandum erit pœnæ iuris antiqui. Quia Concilium Tridentinum in hoc nullam pęnam ſtatuit. Quod ſi alius Parochus, vel Sacerdos abſque licentia proprii aſſiſtat, non incurreret eam pęnam; quia id matrimonium defectu proprii Parochi præſentiæ, vel alterius Sacerdotis de eius licentia eſt, inualidum, & ita non habebunt locum in eo pęnæ clandeſtini, vt pluribus docet Sanchez *loco cit. diſp.48.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 2. punct.6. n.13.* Auerſa *de matrim. quæſt. 71. ſect. 3.* & alii.

Concil. Trid. Sanch. Bonac. Auerſa.

13. Epi-

Digitized by Google

13. Epiſcopus poteſt facultatem diſpenſandi in denũciationibus alicui viro fide digno committere, et delegare. Ratio eſt, quia Concil. Trid. talem facultatem conceſſit Epiſcopis iure Ordinario, tam præſentibus, quàm futuris, & ideo non eſt conceſſa perſonæ & officio: vnde poſſunt eam delegare. Imo hoc etiam poſset vicarius generalis Epiſcopi, non quidem generaliter, ſed in aliqua cauſa ſpeciali, prout docent Sanchez *lib.3. diſp.7. num.18. & ſeq.* Reginaldus *lib.31. n.234.* Gutierez *de matrim. cap. 56. n. 13.* Bonacina *loco cit. n.7.* cum aliis ab ipſis citatis.

Sanch. Regin. Gutier. Bonac.

14. Epiſcopus aliquando tenetur in denunciationibus diſpenſare, vt prætermittantur: vt quando ſequerentur ſcandala, ſiue alia mala non diſpenſando, vel eſſet probabilis præſumptio alicuius malitioſi, & iniuſti impedimenti, vel expediret valde ad bonum animæ contrahentium, & aliunde conſtaret nullum eſſe periculum alicuius impedimenti, ob cuius manifeſtationem faciendæ eſsent denunciationes. Ratio huius eſt, quia Epiſcopus ratione ſui muneris tenetur proſpicere ſubditorum neceſſitatibus ſpiritualibus, ergo cùm diſpenſatio valde ſaluti illi expedit, tenetur diſpenſare. Tum quia poteſtas diſpenſandi in Prælatis, eſt in ſubditorum bonum, ergo quoties recta ratio, & notabile illorum bonum expoſcit vt Prælatus ea vtatur, tenetur vti. Quando vero neceſſitas non eſt ita vrgens, & ineuitabilis, tunc Epiſcopus non tenebitur, ſed poterit gratioſè propter rationabiles cauſas ſibi cognitas diſpenſare, vel in totum, vel in partem, prout melius in domino iudicauerit expedire.

Quando autem adeſt legitima diſpenſandi cauſa, non poteſt ordinarius imponere ei cum quo diſpenſatur, aliquam pecuniæ mulctam fabricæ Eccleſiæ, aut pijs operibus applicandam: quia Trident. *ſeſſ.24. cap.1. de reform. matrim.* tantùm concedit facultatem remittendi denunciationes, non autem obligationem legis in aliam materiã commutandi, aliàs ſine iuſta cauſa poſſet Ordinarius remittere denunciationes in aliud pium opus commutando. Si tamen delictum præberet iuſtam diſpenſandi cauſam, vt concubinatus, vel virginis defloratio, tunc non ob diſpenſationem, ſed in delicti pœnitentiam poſſet aliquam mulctã imponere. Ita Sanchez *de matr. lib.3. diſp. 10. n.6.9. &* 10. Conink *diſp.27. dub.6. n.59.* Fillincius *tr. 10. n.179. & ſeq.* Reginaldus *lib.31. n.236.* et alii.

Sanch. Conin. Fillluc. Regin.

15. Quando ius ex aliqua cauſa præcipit diſpenſationem in denunciationibus, tunc ſi nolit iudex diſpenſare, poteſt appellari quoad effectum deuolutiuum, & ſuſpenſiuum: quia licet ille cum quo diſpenſandum eſt, actionem habet ex præcepto legis, vt ſecum diſpenſetur, & in hoc caſu tenetur ſuperior ad quem appellatum eſt, diſpenſare, vel cogere inferiorem vt diſpenſet. Si autem diſpẽſatio debita non ſit, ſed gratuita & Ordinarius diſpenſare nolit, non datur appellatio: poteſt tamen tunc officium ſuperioris implorari, vt ex officio, et miſericordia diſpenſet, aut faciat vt inferior diſpenſet. Ita Felinus *in cap. Exceptionem num. 6. de except. & cap. ſuper his, de accuſat. num. 13. verſ. Sextò limita.* Sanchez *loco cit. num. 20. & ſeq.* Filliucius *tract.10. num.181.* & alii.

Felin. Sanch. Filliuc.

16. Quando non patet aditus ad ſuperiorem, et interim vrget neceſſitas contrahendi matrimonium, & periculum eſſet in mora, et cauſa eſſet talis, ex qua deberet, & teneretur ſuperior diſpenſare: tunc, ſecundùm omnes, poteſt parochus ex officio prætermiſſis denũciationibus, vel in parte, vel in toto, prout neceſſitas poſtulabit aſſiſtere tali matrimonio, de benignitate iuris & interpretatione legis. Similiter ſi immineret aliquod notabile damnum ipſi parocho, niſi tali matrimonio aſſiſtat, v. g. ſi aſſiſtat mortis ſibi comminatæ timore, tunc non peccat: quia præcepta Eccleſiaſtica non eo rigore obligant, intellige, niſi in contemptum denunciationum Tyrannus mortem minaretur, tunc enim teneretur potiùs illam ſubire, vt in omnibus præceptis Eccleſiaſticis fatentur vniuerſi. Quando autem non eſt talis neceſſitas vrgens, ſemper requiritur diſpenſatio Ordinarii loci, vt habet praxis communiter recepta. Ex Sanchez *lib.3. diſp. 10. num. 31.* et alii.

Sanchez

17. Quando matrimonium inualidè contractum fuit reſpectu ligaminis, ſiue alterius impedimenti occulti alterius coniugis, tunc ceſſato impedimento ligaminis, vel obtenta diſpenſatione à Pontifice, vt poſſit de nouo coaleſcere, & fieri validum, neceſse eſt, quod de nouo vterque coniux iterum expreſsè conſentiant, habita prius cognitione inualiditatis præcedentis conſenſus. Ratio eſt, quia cõſenſus antea præſtitus fuit omnino nullus ex parte vtriuſque contrahentium, quia erant inhabiles ad contrahendum; quapropter debent iterum ne nouo, cauſa nullitatis cognita, de communi conſenſu præſtare inter eos nouum conſenſum, ſiuè verbis, ſiuè ſignis externis, declarantibus ipſorum mutuam voluntatem ad permanendum in vinculo matrimonij: quia hoc matrimonium in eſsentialibus deficit, quæ ſunt materia, & forma, quibus deficientibus nullum compoſitum fieri poteſt non ſolùm in naturalibus & artificialibus, verum etiam in moralibus, vt eſt communis Philoſophorum, ac Theologorum ſententia. Non eſt tamen neceſse, vt talis mutuus conſenſus præſtetur de nouo coram teſtibus & Parocho, quando tale impedimentum fuit occultum, eo quod tam parochus, quàm teſtes, iam fuerunt præſentes externo ipſorum contractui, vt ſupponitur, et iſtorum præſentia tantùm requiritur, quando matrimonium contrahitur à principio, ſecundùm omnes partes, non vero quando ſuppletur aliquis defectus occultus. Ita Nauarrus *in man. cap.22. num 30.* Coninch *de Sacram. diſput. 24. dub. 10.* Reginaldus *lib. 31. num. 183.* Henriquez *lib. 11. cap. 3. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib.2. diſp.35.* qui *diſput. 37. num. 10.* hoc intelligi debere, quando parochus & teſtes impedimentum illud ignorarent, ſi enim id noſsent, quãtumcumque aliàs eſset occultum, neceſsario repetendum eſset coram parocho & teſtibus: quia cùm ipſis conſtet in foro Eccleſiæ matrimonium eſse nullum, non ſunt teſtes valoris, ſed nullitatis matrimonii: & pro hac ſententia citat Henriquez *lib. 11. de matrim. cap.3. num.7.*

Nauar. Regin. Henriq. Sanchez

Henriq.

18. Quando nullitas matrimonij eſt omnino ignota alteri coniugi, nec poteſt ei manifeſtari abſque graui periculo, ne vllus conſenſus poteſt extorqueri à viro, vel quia hilaris non eſt, nec ſolet vxori ſuæ quicquam pacificè loqui eo quod ſemper ſit animo peruerſo, & inhumano verſus ſuam vxorem, & nihilominus petit ſemper debitum coniugale à ſua vxore, ipſa autem nequit negare abſque ſcandalo; Tunc poſt impetratam impedimenti diſpenſationem, aut poſt illius ceſsationem, poteſt mulier ſequi opinionem probabilem multorum Doctorum dicentium, in hoc caſu ſufficere, vt ipſa vxor reddat debitum animo, & affectu maritali ex parte ſua, ſic enim ipſa videtur conſentire, ſicut vir cenſetur conſentire, cùm habeat copulam affectu maritali, putans matrimonium eſse validum. Ratio eſt, quia talis error non eſt perſonæ, ſed ſolum facti, id eſt, inſcitiæ illius impedimenti, quod in caſu non poteſt ſine periculo ab altero coniuge manifeſtari: Et iuxta hanc opinionem probabilem, iuncto periculo & neceſſitate excuſabitur mulier à peccato in reddendo debitum coniugale. Ita Coninch *diſp. 24. dub. 10. num. 89.* Gutierez *de matrim. cap.47. num.4.* Bonacina *de matrim. quæſt.2. punct.9. num. 7.* Sanchez *lib.2. diſp.36. num.8. & 9.* Qui nouiſſimus benè notat, quod licet hæc opinio parum probabilis ſit, et ſecluſo eo periculo ad praxim deduci nequeat, non tamen eſt omnimoda probabilitate deſtituta, ſed aliqualem habet, cùm patronos grauiſſimos, et rationes aliquantulum probabiles habeat; & quod aliàs non iudicaretur probabile, facit tale eſse vrgens neceſſitas, et periculum quod ex oppoſito ſequeretur. Vide Dianam *par. 4. tract. 4. reſ. 49.* qui prædictæ ſententiæ adhæret, quando timetur ſcandalum, aut graue damnum, & coniux, neque ex aliquibus verbis generalibus poteſt à marito conſenſum extorquere; tunc ſufficit copula procedens ex affectu maritali, iuxta ſententiam *Caietani, Soti, Paludani, Lopez,* & vtriuſque *Ledeſma* penes ipſum. Quod verum putant *Henriquez, Villalobos*, quamuis altera pars, ſi ſciret matrimonium eſse nullum, nollet de nouo contrahere, modò tunc non habeat illum actum voluntatis.

Conin. Gutierez Bonac. Sanchez

19. Si quis contraxerit matrimonium per verba de præſenti cum duabus fœminis ſub conditione de futuro contingenti, dicendo vni, contraho tecum matrimonium, ſi pater tuus Romam venerit infra annũ, et alteri

dicat,

dicat, contraho tecum ſi frater tuus infra annum aſſignauerit mihi dotem promiſsam, tunc matrimonium erit contractum cum illa, cuius conditio appoſita priùs adimplebitur. Si verò contingat, vt vtriuſque conditio ſimul tempore adimpleatur, neutrum matrimonium valebit: quia incertitudo in hoc caſu vtriuſque cõſenſum deſtruit; non enim poſset intelligi prius de vno, quàm de altero, et quia nullo modo poteſt cum duabus ſimul contrahere, ſequitur nullum eſse contractum. Ita Sylueſter *verb. matrimonium 3. quæſt. 6. & 10.* Conin. *diſput. 26. dub. 1. num. 20.* Bonacina *quæſt. 2. punct. 10. num. 21.* Sanchez *lib. 5. diſp. 8. num. 15.* Prob. ex regula, *vbi repugnantia, de Regul. iuris*, ibi, *vbi repugnantia inter ſe in teſtamento reperirentur, neutrum ratum eſt*. Sed hoc matrimonium incertum eſt, quia cùm conditio trahat conſenſum ad tempus impletæ conditionis, quæ ſimul impletur, perinde eſt; ac ſi in eodem tempore ſimul cum duabus matrimonium contraheretur.

Sylueſt. Toletus. Bonac. Sanch.

20. Parochus non debet permittere, vt contrahentes dent mutuum conſenſum matrimonij conditionatum, ſe abſolutum, & liberum, aliàs enim multa inconuenientia, & perplexitates ſequerentur. Quare ſi aliqui nollent contrahere, niſi ſub aliqua conditione, ſuſpendenda eſt celebratio matrimonij coram parocho, vſquequo contrahentes certificentur de veritate facti, vt ſic liberè, & abſque conditione contrahant, vt monent Sanchez *de matrim. lib. 5. diſp. 1. n. 1.* Conin. *diſp. 29. dub. 1. n. 17.* & alij.

Sanch. Conink.

21. Quando matrimonium celebratum eſt ſub conditione de materia contingenti, iuxta probabiliorem ſententiam, neceſſe eſt poſt Concilium Tridentinum, ad hoc vt matrimonium ſit validum, vt verificata conditione notificetur Parocho, & teſtibus, qui fuerunt præſentes tali conſenſui tradito ſub conditione, ſiue de futuro ſiue de præterito, ſiue de præſenti. Ratio eſt, quia Tridentinum exigit vt parochus, & teſtes aſſiſtant vero matrimonio, quod tale eſt ſimpliciter, & inducit vinculum indiſſolubile, vt de illo teſtificari poſſint, ſed illud matrimonium conditionale, non eſt ſimpliciter matrimonium indiſſolubile, nec poſſint parochus, & teſtes teſtificari de matrimonio contracto, cùm illud pendeat à conditionis verificatione, nec huius verificationis teſtes ſint; ergo nullo modo eſt matrimonium. Ideò enim Tridentinum requirit præſentiam Parochi, & teſtium, vt poſſit Eccleſia impedire, ne aliud matrimonium cum altero coniuge contrahatur illo perſiſtente; ſed niſi Parocho & teſtibus conſtet de conditione appoſita adimpleta, non poſſent teſtari de validitate matrimonij contracti, neque ſecundum matrimonium impedire, ergo conditionis adimpletio neceſſariò illis conſtare debet. Ita Gutierez *de matrimon. cap. 81. num. 7.* Petr. Ledeſma *quæſt. 47. de matrim. art. 5. concl. 3.* Conin. *diſput. 29. dub. 1. num. 15. & dub. 2. num. 33.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 2. punct. 10. num. 22.* & alij. Non oportet tamen, vt præcisè ipſe parochus, & teſtes per ſe videant, vel iuridicè inquirant de conditione adimpleta, ſed ſufficit, ſi ipſimet contrahentes coram ipſis aſſerant, conditionem appoſitam eſſe adimpletam: & ſi tunc adhuc conditio non fuiſſet verè purificata, illa contrahentium aſſertio ſe haberet tanquam nouus conſenſus abſolutus, non dependens ampliùs à conditionis euentu. Quamuis Sanchez *de matrimon. lib. 5. diſput. 8. num. 24.* probabile putet, non eſſe neceſſarium vt parochus, & teſtes præſentes ſint verificationi conditionis, ob rationes à ſe adductas.

Gutierez. Ledeſm. Conink. Bonac. Sanch.

22. Conditio adiecta contractui matrimonij, vt alter coniux minimè teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere, eſt contra matrimonij ſubſtantiam, & illud inualidum reddit. Ratio eſt, quia per matrimonium acquiritur ius iuſtitiæ ad corpus alterius, quamuis exigens aliquando peccet contra religionem, vel temperantiam; vt ſi vir emiſerit votum caſtitatis, vel petat affectu fornicario, vel credat matrimonium non valere, vxore ſciente eſſe validum; Ergo conditio auferens hoc ius iuſtitiæ eſt contra matrimonij ſubſtantiam, atque ita illud vitiabit: talis autem eſt conditio non reddendi in ijs caſibus; quia tollit ius iuſtitiæ, quod alter coniux per matrimonium acquirere debeat, vt ſibi debitum petenti, ſoluatur. Aliàs ſi ex conditione poſita liceret tunc negare debitum; ſignum non eſt plenè tranſlatum eſſe corporis dominium; ac ſubinde matrimonium non valebit. Ita Sanchez *lib. 5. diſput. 11.* qui pro hac ſententia citat *Adrianum, Couarruuiam, Ludouic. Lopez, & Petr. de Ledeſma.*

Sanch.

23. Certa fide tenendum eſt, matrimonium initum à filijs, abſque parentum conſenſu eſse validum, nec poſse annullari, vt definitur *in c. cum virum, de regular.* & in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matr.* Similiter eſt certum, non ſatis eſse conſenſum parentum, ad ſponſalia vel matrimonium filiorum, niſi ipſi filij conſentiant. Vt expreſsè definitur *in cap. vnic. de deſponſat. in 6.* Proinde non poſsunt parentes cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, ſed liberè contrahere debent, vel alium ſtatum eligere. Ratio eſt, quia in matrimonio eſt quaſi ſeruitus quædam perpetua, & ideò cùm homo liberæ conditionis ſit, nequit à patre ad ſeruitutem hanc compelli, vt tradunt omnes Doctores cum D. Thom. *in 4. diſt. 29. quæſt. vnic. art. 4.* Hoc tamen intelligendum eſt, de metu cadente in conſtantem virum, nam poteſt pater increpatione paterna cogere filium ad certum matrimonium, vt docent Sotus *in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 4.* Bellarmin. *lib. 1. de matrimon. cap. 19. propoſit. 3.* vnde quando adeſt iuſta cauſa, vt quia matrimonium eſt indignum, non peccat Princeps aut pater impediens mediis ſuauibus abſque vi, & metu. Quia hoc non eſt cogere ad matrimonium, cùm metus grauis non inferatur, nec impediatur filius quin alium matrimonium dignum ineat. Ita Sanchez *de matrim. lib. 4. diſp. 22.* Bonacina *de matrim. quæſt. 4. punct. 17. num. 22. 23.* Gutierez *in quæſt. Canonic. lib. 1. cap. 20. num. 27.* Clauis reg. *lib. 7. cap. 5. num. 12. & 13.* & alii penes ipſos.

Concil. Trident. Sotus. Bellarm. Sanchez Bonac. Gutierez Clau. re.

24. Filius regulariter non tenetur implere ſponſalia, quæ abſque ſuo conſenſu pater promiſit: quia quoad contrahendum matrimonium, filius eſt liber & ſui iuris. Si tamen multum interſit parentum vt filius tale matrimonium ineat, tenetur filius ſub lethali culpa obedire parenti illud præcipienti, verbi gratia ad componendas lites, & inimicitias, quæ eſsent inter parentes, & conſanguineos eorum cum quibus eſt contrahendum matrimonium. Ratio eſt, quia ex virtute pietatis tenentur filii ſubuenire parentum neceſſitati, ergo quando parentes indigent tali matrimonio, tenebuntur filii obedire, in caſu quo eligat filius matrimonium inire; ſi enim alium ſtatum eligat, non poteſt pater ad ineundum matrimonium illum præcepto adſtringere: quia in ſtatu eligendo filius eſt ſui iuris. Si tamen iuſta cauſa ductus filius reſiſtat tali matrimonio, vt quia fide priorum ſponſalium cum altera aſtringebatur, non teneretur obedire: quia non tam ex præcepto paterno, quàm ex pietatis virtute, filium obligantis conſulere paternæ indigentiæ, tenebatur obedire. De his D. Thom. *in 4. diſtinct. 29. quæſt. vnic. art. 4.* D. Bonauentura *ibid. quæſt. 3.* Bellarminus *lib. 1. de matrimon. cap. 19. propoſit. 3.* Rodriquez *primo tom. Summa Hiſpana 2. edit. cap. 131.* Petrus Ledeſma *de matrimon. quæſt. 47. artic. 6. dub. 2. concluſ. 3.* & poſt illos Sanchez *lib. 4. diſp. 23. n. 3. & ſeq.*

D. Tho. D. Bona. Rodriq.

25. Dubium eſt inter Doctores, an ſecluſo caſu, quo filius tenetur obedire patri præcipienti aliquod matrimonium, peccet mortaliter inuitis parentibus matrimonium iniens. Et quidem pro affirmatiua faciunt, quòd iure gentium conſuetudine omnium nationum explicato, non eſt filiorum, & maximè filiarum, dum parentum curæ ſubſunt, quærere nuptias, ſed id parentum munus eſt. Quod ius gentium per ius Pontificum confirmatur *in cap. Aliter 30. q. 5.* vbi dicitur, *Aliter legitimum non fit coniugium, niſi ab his qui ſuper ipſam fæminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus ſponſetur.* Hic canon eſt Euariſti Papæ ſcribentis Epiſcopis Africæ epiſtola 1. Imò in ſacris literis, parentibus tribuitur hoc munus. Sapient. 7. *Da filiam tuam viro prudenti*, & D. Paulus 1. *Corinth. 7.* copioſè docet à parentibus tradendas eſse filias nuptiis. Quæ omnia teſtantur teneri filios in hoc obedire parentibus: & cùm res ſit grauis, erit culpa lethalis. Hęc ſententia eſt probabiliſſima, quam ſuſtinent Nauar. *in manual. cap. 14. num. 15.* Bellarminus *lib. 1. de matrimon. cap. 19.*

Nauar. Bellarm.

Rodr.

propoſit.3. Rodriqoez *tom*.1.*Sum.Latina. cap*.14. *num*.2. Sotus *in* 4. *d*. 28. *quaſt*.1. *art*.1. Henriquez, Salon, Petrus Ledeſma, & multi alii.

Cæterum probabilius eſt, teneri filios ſub culpa lethali conſilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud ſequi, & ita licitè poſſe inuitis ipſis, priùs tamen conſultis inire matrimonium quod volunt. Ratio prioris eſt, tum quia ius ipſius naturæ dictat, filium non debere matrimonium inire, non præmiſſo patris conſilio, alioquin facilè naſcerentur diſcordiæ inter patrem, & filium: tum quia pater poteſt multa ſignificare filio in vtilitatem ipſius filii, & familiæ, ita vt expediat filio voluntatem mutare, & patris conſilium ſequi. Poſterior pars probatur ex doctrina D. Thomæ 2.2.*quaſt*.104. *art*.5. *in corp*. vbi ait, in iis, quæ ab prolis generationem attinent, omnes homines eſſe pares, nec filios ſubiici parentibus: ergo non tenentur ſequi conſilium & voluntatem parentum: quia per matrimonium homo perpetuæ ſeruituti obligatur, & ideò recta ratio poſtulat, vt in illo contrahendo, liber ſit, & à nullius voluntate pendeat. Ita Couarruuias *de matrim*. 2.*part*. *cap*.3.§.8.*num*.1. Conin. *diſp*.28.*dub*.5.*num*.52. Reginald. *lib*.31.*num*.24. Victoria *in ſum. de matrim. num*. 269. Bonacina *de matrim. q*. 4. *punct*.17.*num*.24 & 25. Filliuc. *tract*.10.*part*.11.*num*.129. & 130. & alii. Hæc tamen intelligenda ſunt, niſi ratione ſcandali: quia vbi probabiliter noſſet filius grauiſſima inde ſcandala ſecutura, peccaret contra charitatem mortaliter ſic contrahendo, vt docet Victoria.

Couar. Conink. Regin. Bonac. Filliuc.

Vide tom.1. v. Beneficium 8. *n*.2 & *ſeq*. Parochia *n*.11. & hoc tomo v. Procurator *n*.6. Sertus *n*. 15. Teſtis *n*. 9. Vicarius *n*. 8. & 9.

MATRIMONIVM VII.

De impedimentis matrimonium dirimentibus, & quot ſint.

SVMMARIVM.

1 *An ſit de fide poſſe Eccleſiam impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere?*
2 *An deſideretur iuſta cauſa, vt Summus Pontifex ritè, & rectè valeat impedimenta matrimony indicere?*
3 *An Princeps ſæcularis poſſit impedimenta dirimentia fidelibus ſuis ſubditis ex iuſta cauſa ſuis legibus indicere, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ?*
4 *An conſuetudo legitimè præſcripta, & rationabilis poſſit inducere nouum impedimentum dirimens?*
5 *An culpa lethalis ſit matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti? & quid ſi contractus fiat ex metu graui?*
6 *Quot ſit impedimenta matrimonium dirimentia?*

Concil. Trident.

1. EX multis Pontificum, & Conciliorum decretis, & præcipuè ex Concilio Tridentino *ſeſſ*.24. *de matrimon. can*.3. & 4. conſtat, Fide Catholica tenendum eſſe, poſſe Eccleſiam impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, ac matrimonium aduerſus eam prohibitionem contractum, eſſe irritum; nec id eſt mutare eſſentiam aut variare materiam, & formam Sacramenti, ſed irritum facere contractum humanum, qui in Sacramento matrimonii prærequiritur: *dupliciter* autem poteſt Eccleſia contractus irritare. *Primò*, mediatè reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum matrimonium. *Secundò*, immediatè irritando contractum matrimonii: qua ratione poteſt etiam irritare matrimonia infidelium, modò illa irritet, non tanquam Princeps Eccleſiaſticus: quia Eccleſia non habet poteſtatem ſupra infideles, ſed tanquam Princeps ſæcularis erga ſubditos. Filliucius *tract*. 10. 2. *p*. *cap*. 1. *quaſ*. 1. Sanchez *de matrimon. lib*.7. *diſput*. 1. Bonacina *de matrimon. quaſ*. 3. *punct*. 1. Syluius *in ſupplem. quaſ*. 50. *artic*. 1. *quaſt*. 5. *concl*. 5.

Filliuc. Sanch. Bonac.

2. Vt Summus Pontifex ritè, & rectè valeat impedimenta matrimonii indicere, deſideratur iuſta cauſa; quia ipſius poteſtas non eſt ad diſſipandum, ſed ad rectam Eccleſiæ adminiſtrationem: & proinde non exiſtente iuſta cauſa, matrimonium aduerſus prohibitionem Pontificis initum, foret validum, culpaque vacaret; quia extra primum conſanguinitatis gradum inter aſcendentes, & deſcendentes matrimonium vinculum eſt iure naturali, et diuino interdictum, quod nequit ad libitum Pontifex interdicere. Filliucius *c.cap*.1. *quaſ*. 3. Victoria *de matrimon*. 1. *p*. *ſecunda partis*. Sanchez *c. diſput*. 1. Armilla *v. matrimon. num*.54. et alii. Epiſcopus autem poſset huiuſmodi impedimenta ſtatuere in ſua Diœceſi, ſi ius diuinum, et naturale attendatur, ex generali tamen Eccleſiæ conſuetudine, hæc poteſtas ſoli Pontifici reſeruata eſt. Vt docet Syluius *c. concl*. 5.

Filliuc. Victoria ſanchez. Armilla.

3. Secundùm probabiliorem, et veriorem ſententiam, Princeps ſæcularis ex genere, et natura ſuæ poteſtatis, poſset impedimenta dirimentia fidelibus ſibi ſubditis ex iuſta cauſa ſuis legibus indicere, niſi Summus Pontifex hanc ſibi poteſtatem reſeruaſset, quia iuxta D. Thom. 4. *diſput*.34. *art*.1. *ad* 4. matrimonium in quantum contractus ciuilis, eſt in officium communitatis inſtitutus, ſubiacet legis ciuili ordinationi: veruntamen iſta poteſtas ſupra matrimonium illis ablata eſt ab Eccleſia; quia matrimonium non tantùm eſt contractus; ſed etiam res ſpiritualis, et Sacramentum, ſupra quod non ſe extendit poteſtas ſæcularis; vnde cùm cauſa dotis, et matrimonium infidelium ſint nudi contractus, non tamen Sacramentum, nec res ſpiritualis, Principibus ſæcularibus relicta eſt poteſtas circa illa, et poteſt Princeps apponere aliqua impedimenta, per quæ dirimatur infidelium ſibi ſubiectorum matrimonium. Vide Henriquez *lib*. 12. *cap*. 1. *num*. 4. Conin. *diſput*. 30. *dub*. 1. *num*. 5. Bellarm. *de matrimon. lib*. 1. *cap*. 32. Valentia *tom*. 4. *diſp*. 30. *quaſt*. 5. *punct*. 1. Victoria *c.p*. 1. *ſect*. 1. Sanchez *c. diſput*.3. *num*.2. & 3. Sylu *c.q*.5. *concluſ*.1.2. & 4. Diana *p*. 5. *tract*. 1. *reſol*. 16. & *p*.7. *tract*. 1. *reſol*. 23.

Conink. Henriq. Bonac. Regin.

Henriq. Conink. Bellarm. Valent. Syluius. Diana.

4. Conſuetudo legitimè præſcripta, ac rationi conſona, qualis petitur ad legem ſtatuendam, et ſtatutam derogandam, vires habet inducendi nouum impedimentum dirimens, ac ſubinde matrimonium aduerſus eam conſuetudinem initum, erit nullum, idque ex vi ſolius conſuetudinis, etiam abſque ſcandalo, et adminiculo alterius iuris; nec ad eam inducendam deſideratur ſcientia Pontificis, ſed eo ignorante, poteſt talis conſuetudo legitimè præſcribi, ſuumque operari effectum, dummodo ſit conſuetudo mixta Clericorum, et laicorum; nam laici non poſsunt per ſe ſolos immutare aliquid ſpectans ad leges Eccleſiaſticas. Conin. *c.num*.13. Bonacina *c.num*.7. & 8. Filliucius *tract*. 10. 2. *p*. *c*. 1. *quaſ*.5. Sanchez *lib*.7. *diſput*.4. *num*. 11. Syluius *c. concl*. 7. et alij.

Conink. Bonac. Filliuc. Sanchez Sylu.

5. *Matrimonium* contrahere cum impedimento dirimente, iuxta omnium ſententiam, culpa lethalis eſt; quia contrauenitur præcepto iuris naturalis, ſi de iure naturæ ſit impedimentum, vel Eccleſiaſtici, ſi ſit de iure Eccleſiaſtico, idque in re magni momenti. Filliucius *c.cap*.1. *quaſ*.7. Sanchez *lib*.7. *diſput*. 5. *num*. 1. & 4. Syluius *c.quaſ*.4. *concluſ*. 1. Ex metu tamen graui cadente in conſtantem virum cum hoc impedimento contrahere, vacaret culpa lethali ex natura rei, et ceſsante alio ſcandalo, modò abſit animus conſummandi, et metus non incutiatur in odium fidei vel Religionis. Ita *Vaſquez, Suarez, Beccanus, Salas* apud Dianam *p*.3. *tract*.6. *miſcel. reſol*. 48. & 83.

Filliuc. ſanchez. Syluius.

Diana.

Dubium autem eſt, an cum impedimento dirimenti contrahere, ſit duplex peccatum mortale? Nonnulli affirmant: quia præter peccatum inobedientiæ contra ius naturale aut Eccleſiaſticum, quo impedimentum fuerit introductum, etiam reperitur peccatum ſacrilegii irritationis Sacramenti contra Religionem. Veriùs tamen eſt, tunc non reperiri peccatum ſacrilegii, ſeu irritationis Sacramenti, ſed tantùm vnum peccatum contra prohibitionem in impedimento incluſam: quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonii; quia non efficitur id cui ex inſtitutione Chriſti conuenit ratio Sacramenti, nempe contractus validus; ergo tunc tantùm peccatur

contra

Sanchez

contra prohibitionem, ant naturalem, aut poſitiuam in impedimento incluſam. Vide Sanchez *de matrimon. l.7. diſpm. 5.*

Toletus. Nauar. Filliuc.

6. *Impedimenta*, quæ non ſolùm impediunt matrimonium, ſed etiam dirimunt, ſecundùm ius antiquum, ſunt duodecim; ſecundùm verò ius nouum, ſunt quatuordecim. Toletus *lib.7.cap.7.* Nauarrus *cap.22.num.30.* Filliucius *tract. 10. 2. p. cap. 1. quæſ. 10.* Nam Concilium Tridentinum duo addit, ſcilicet raptum & defectum præſentiæ Parochi & teſtium, quæ omnia impedimenta his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Si parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hæc impedimenta dicuntur dirimere matrimonium, eò quòd inualidè contrahatur cum illis, quando autem iam contracto matrimonium ſuperueniunt, illud non dirimunt: quædam ex his impedimentis ſunt de iure naturali, alia de iure Eccleſiaſtico; *Alia* reddunt perſonam inhabilem abſolutè, & proinde reſpectu cuiuſcumque matrimonij; vt ſunt impotentia, ligamen, ordo, votum ſolemne. *Alia* verò non abſolutè, ſed reſpectu alicuius matrimonij cum certa perſona; vt cognatio, affinitas, publica honeſtas, cultus diſparitas, crimen: de quibus omnibus ſigillatim. Ita D. Thomas *d. 34. q. vnica art.1.* Valentia *tom.4. d.10.q.5. punct.2.* Sanchez *de matrim. l.7. diſput. 7. num. 4.*

D. Tho. Valent. Sanchez

De impedimento erroris.

SVMMARIVM.

7 *Quotuplex error poſſit concurrere in matrimonio? & quid iuris de errore antecedente circa ſubſtantiam perſonæ?*

8 *An error perſonæ concomitans reddat matrimonium inualidum?*

9 *An matrimonium celebratum cum errore qualitatis ſeu dolo antecedente, ſit validum, & quid ſi qualitas in qua erratur apponatur in ipſo contractu per modum conditionis?*

10 *Quomodo dignoſci poſſit quando error qualitatis redundet in errorem perſonæ?*

1. QVadruplex in matrimonio poteſt concurrere error. *Primus* eſt perſonæ, cùm vna perſona pro alia ſupponitur. *Secundus* eſt, conditionis ſeruilis, cùm contrahens liber, exiſtimat ſe contrahere cum libera, & eſt ancilla. *Tertius* eſt, qualitatis, cùm credit ſe contrahere cum pulchra, nobili, virgine, & eſt deformis, plebeia, corrupta. *Quartus* eſt, fortunæ, cùm putatur diues, & eſt pauper. Magiſter 4. *diſt.* 30. *c.* 1. D. Thomas 1. 2. *q. 6. art. 8. & in ſupplem. quæſ. 51. art.2.* Quilibet ex his erroribus vel eſt antecedens actum, nimirum cauſam actui faciendo præbens, ita vt eo non exiſtente actus nequaquam fieret; vel eſt concomitans actum, qui ſcilicet non inducit ad volendum, ſed ita concomitatur actum, vt eo non exiſtente actus fieret; quibus poſitis dicendum eſt: Certum eſſe apud omnes, matrimonium contractum cum errore antecedente, circa ſubſtantiam perſonæ, inualidum eſſe, non ſolùm iure humano, ſed etiam iure naturali, quia error libertatem, & conſenſum auſert; at matrimonium abſque conſenſu, eſt iure naturæ irritum; vnde non ſolùm inter fideles, ſed etiam inter infideles matrimonium initum cum errore perſonæ, inualidum eſt, quia iuri naturæ infideles ſubditi ſunt; nec poteſt Eccleſia ſtatuere, nec error perſonæ matrimonium dirimat. Sanchez *lib. 7. d. 18. num. 12.* Filliucius *c. cap. 2. num. 32.* Reginaldus *lib. 31. num. 92.* Gutierez *cap. 89. num. 2.* Conink *d. 31. dub. 1.* Syluius *in ſupplem. q. 51. art. 2.* & alij.

D. Tho. Sanchez. Filliuc. Regin. Gutierez Conink.

8. *Error perſonæ* concomitans, puta, quando quis contrahit cum Maria, exiſtimans eſſe Catharinam, ſed ita eſt diſpoſitus habitualiter in voluntate, vt cognitam Mariam æquè libenter aut libentiùs duceret, reddit matrimonium inualidum; quia vt validum ſit matrimonium neceſſarius eſt conſenſus & voluntas poſitiua, error autem concomitans, quamuis non efficiat actum eſſe inuoluntarium, efficit tamen non eſſe voluntarium. Ita Henriquez *lib. 11. c. 10. num. 1.* Conin. *c. dub. 1. num 9.* Bonacina *q. 3. p. 2. num. 4.* Sanchez *c. d. 18. num. 6.* Syluius *c. art. 2.* & alij.

Henriq. Conink. Sanchez.

9. *Matrimonium* celebratum cum errore qualitatis ſeu dolo antecedente, qui ineundo matrimonio cauſam præbet, aliàs non ineundo, non eſt inualidum: quia tale matrimonium eſt ſimpliciter voluntarium quoad naturam & ſubſtantiam rei, quamuis quoad accidentia, non ſit voluntarium: tamen ſi qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipſo contractu matrimoniali, ſiue verbis exprimatur, ſiue mente contrahentis retenta ſit, matrimonium inualidum eſſet; vt ſi quis dicat, duco te in vxorem, ſi diues ſis, vel nobilis, inualidè contrahit, ſi ipſa non eſt diues vel nobilis: præterea ſi error qualitatis in errorem perſonæ redundet, matrimonium foret inualidum defectu conſenſus abſoluti, cùm erretur circa perſonam. Toletus *l. 7. c. 3.* Nauarrus *cap. 22. num. 23.* Gutierez *cap. 89. num. 3. 6. & 7.* Conin. *c. num. 11.* Filliucius *c. cap. 2. q. 2.* Sanchez *l. 7. d. 18. num. 18. 21. & 23.* Syluius *c. art.* & alij.

Toletus. Nauar. Conink. Filliuc. Syluius.

10. *Ad cognoſcendum* quando error qualitatis redundet in errorem perſonæ, eſt aduertendum, quòd quando qualitas in qua erratur deſignat aliquam certam & determinatam perſonam diſtinctam ab ea quæ præſens eſt, tunc error circa qualitatem refunditur in perſonæ errorem, ac matrimonium dirimit. Vt ſi Maria contraxit matrimonium cum Petro qui ſe fingebat filium Regis Franciæ, cuius verè non erat filius, nihilominus Maria filium Regis ſibi in mente propoſuit, in illumque conſentire directè voluit; in hoc caſu error qualitatis dicitur redundare in errorem perſonæ; quoties autem qualitas, in qua erratur, non determinat indiuiduam perſonam, non eſt error perſonæ, ſed ſolius qualitatis, vt ſi quis ſe filium Regis fingat, minimè explicans cuius Regis filius ſit, vnde matrimonium cum tali errore contractum eſt validum, cùm adſit conſenſus abſolutus circa illam peſonam. Plura apud Reginaldus *l. 31. num. 95.* Nauarrus *cap. 22. num. 32.* Sanchez *c. diſp. 18. num. 26. & 27.* Conin. *c. num. 12.* Bonacina *c. q. 5. p. 2. num. 7.* & alios.

Nauar. Sanchez Conink.

De impedimento erroris conditionis ſeruilis.

SVMMARIVM.

11 *An error ſeruitutis reddat iure naturali irritum matrimonium, vel tantùm Eccleſiaſtico?* refertur duplex ſententia.

12 *An omnis error conditionis efficiat vt matrimonium ſit nullum?*

13 *An ex eo quòd Dominus ſeruum tradit liberæ, vel è contra in matrimonium neſcienti ſeruitutem hoc ipſo illum liberet à ſeruitute? & an validè ſeruus poſſit inuito Domino matrimonium contrahere cum ſerua?*

14 *An Dominus poſſit abſque peccato mortali vendere ſeruos in locis diſtantibus, in quibus non poterunt ſibi debitum reddere?*

15 *An vir & vxor poſt contractum matrimonium poſſint ſe vendere abſque mutuo conſenſu?*

11. SEruitus non præſtat naturale impedimentum matrimonio ineundo, ſicut naturalis impotentia ad copulam coniugalem; quia ſeruitus cognita non aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij, *C. 2. de coniug. ſeru.* Sanchez *d. 19. num. 13.* Vnde validum eſt matrimonium ſeruorum inter ſe, & matrimonium liberi cum ancilla, vel

Sylueſt. Ang.

liberæ cum ſeruo, non ignorata conditione ſeruitutis, Sylueſt. *verb. matrim* 8. *q.* 2. Ang. *verb. matrim.* 3. *imp.* 4. *num.* 5. An autem *error ſeruitutis* ita obſtet, vt iure naturali reddat irritum matrimonium initum cum libero ſic erranti? affirmant aliqui Doctores & ſatis probabiliter; licet probabilius ſit, ſolo iure Eccleſiaſtico id matrimonium irritari, quamuis id valde iuri naturali conſonum ſit. Filliuc *tract.* 10. 2. *p. c.* 2. *num.* 41. Henriq. *l.* 11. *cap.* 10. *num.* 3. Victoria *de matrim. num.* 270. & alij.

Filliuc. Henriq. Victoria

12. *Non omnis* error conditionis efficit vt matrimonium ſit nullum, ſed quando conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum ſerua, quam credebat liberam: quando autem perſona cum qua contrahitur, eſt æqualis, aut melioris conditionis, matrimonium non eſt inualidum, quia hoc impedimentum inductum fuit ab Eccleſia ad tollendam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri contrahenti: magna autem inæqualitas eſſet, ſi validum eſſet matrimonium, quando fit deterior conditio errantis, id eſt, quando liber contrahit cum ſerua, quam credebat eſſe liberam: ſi autem liber credit alterum ſeruum & ſit liber, ſiue ſit ipſe ſeruus ſiue liber, valebit matrimonium, quia errans inuenit digniorem conditionem, quam ipſe putabat, ſimiliter valebit, ſi ſeruus contrahat cum ancilla, credens eam eſſe liberam, eò quòd ſerui conditio non efficiatur deterior, ſed æqualem ſuæ conditionem reperiat. Toletus *l.* 7. *c.* 3. *num.* 4. Filliucius *c. cap.* 2. *num.* 44. Gutierez *c.* 90. *num.* 27. 28. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 33. Sanchez *c. num.* 23. Henriquez *c. cap.* 10. *num.* 4. Viualdus *de matrim. num.* 120 Syluius *in ſupplem. q.* 52. *art.* 1. *Notandum* tamen hic eſt, matrimonium fore validum, ſi liber contraheret cum ſerua, ſciens vel opinans vel probabiliter dubitans eſſe ſeruam, quia in hoc caſu non fieret illi iniuria, cum inæqualitas videatur eſſe voluntaria. Bonacina *q.* 3. *p.* 3. *num.* 4. Rebellus *l.* 3. *q.* 3. *ſect.* 2. *num.* 12.

Toletus. Filliuc. Gutierez Nauar. Sanch. Henriq. Sylu. Bonac. Rebellus

13. Quando dominus ſeruum tradit liberæ in matrim. neſcienti ſeruitutem, hoc ipſum illum liberat à ſeruitute: idem ſi tradat ancillam libero conſcio ſeruitutis, & ancillam per inſtrumentum dotet: fit enim illa hoc ipſo libera, & in vtroque caſu coniugium validum eſt, *Auth. ad hoc c. de latdiber.* Sanchez *l.* 17. *d.* 20. Filliuc. *c. cap.* 2. *num.* 45. Inuito autem domino, ſeruus validè poteſt contrahere matrimonium cum ſerua vel libera, modò ſeruitus ſit nota perſonæ libere. Gutierez *cap.* 92. Sanchez *diſp.* 21. Bonac. *c. num.* 7. Speculum 1. *part. art.* 30. Syluius *c. q.* 52. *art.* 2. cauere tamen debet ſeruus, ne dominum priuet debitis obſequijs, cùm per matrimonium non eximatur ab obligatione erga dominum; contracto autem matrimonio, ſeruo illi nempe, coniugi vel domino potiùs obſequendum eſt, cuius neceſſitas magis vrget, & ſi cætera paria ſint, coniugi potiùs eſt ſatisfaciendum.

Gutierez Sanch. Bonac. Sylu.

14. *Dominus* non poteſt abſque peccato mortali vendere ſeruos in locis diſtantibus, in quibus ſerui non poterunt ſibi debitum reddere, quando matrimonium de domini conſenſu contractum eſt: at quando ignorante aut inuito domino matrimonium contractum eſt, non debet dominus in parte remota illos vendere abſque neceſſitate, vt ſi inueniat iuſtum pretium in eodem loco, contrarium tamen facere, non eſt culpa lethalis. Henriquez *l.* 11. *c.* 10. *num.* 4 Toletus *lib.* 7. *c.* 7. *num.* 3. Nauarrus *c.* 22. *n.* 34. Sa *verb. matrim. de imped. num.* 1.

Henriq. Toletus. Nauar. Sa.

15. *Poſt contractum* matrimonium, vir in ſeruum poteſt ſe vendere, etiam vxore retinente, nõ ita vxor abſque conſenſu viri. Et quoad ſeruitutem vel libertatem, filii ſequuntur conditionem matris, niſi contrarium receptum ſit per conſuetudinem in aliquo loco; tamen quoad honores & nobilitatem, ſequuntur conditionem patris. Eſt autem aduertendum, ſi mater fiat libera, vel tempore conceptionis, vel partus, vel medio tempore, filius non remanet ſeruus: niſi quando mater grauida fit ſerua iure belli, quia in hoc caſu fœtus fit ſeruus cum matre, quamuis mater fuerit libera tempore conceptionis. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. c.* 2. *num.* 55. *& ſequent.* Sanchez *c. d.* 24 Bonacina *c. num.* 11. Gutierez *cap.* 93. Syluius *c. art.* 3. *&* 4.

Filliuc. Sanchez. Bonac. Gutierez Sylu.

De impedimento voti.

SVMMARIVM.

16 *An ſit de fide quod votum ſolemne caſtitatis emiſſum in profeſſione valida Religionis approbata, dirimat matrimonium etiam conſummatum factum poſt ipſam profeſſionem?*

17 *Quo iure matrimonium ſit irritum poſt ſolemnem profeſſionem?* refertur duplex ſententia.

16. CErtiſſima fide tenendum eſt, *votum ſolemne* caſtitatis emiſſum in profeſſione valida Religionis approbatæ, dirimere matrimonium etiam conſummatum factum poſt ipſam profeſſionem, & conſequenter Religioſum profeſſum, inualidè contrahere matrimonium; ſic enim definitur in Conciliis multis, & nouiſſimè hæc veritas definita eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 6. Eamdem vim dirimendi matrimonium ſubſequens *Gregorius XIII.* Summus Pontifex conceſſit tribus votis ſimplicibus, quod emittunt Patres Societatis Ieſu peracto biennio Nouitiatus, vt patet ex ipſius Bulla, quæ incipit: *Aſcendente Domino.* Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 26. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. Gutierez *cap.* 94. Syluius *in ſupplement. quaſ.* 53. *art.* 2.

Concil. Trident. Sanch. Valent. Gutierez Sylu.

17. *Magna controuerſia* eſt inter Doctores, tam Theologos, quàm Canoniſtas, quo iure matrimonium ſit irritum, poſt ſolemnem profeſſionem cõtractum? & in triplicem ſentẽtiam Auctores abierunt; *quidam* enim cenſent, votum ſolemne profeſſionis Religionis, ex vi ſua, ac iure naturali diuino, vim habere matrimonium poſtea initum irritandi, ſecluſo quocumque iure Eccleſiaſtico, quia iure naturæ res vni tradita, inualidè traditur alteri; nemo enim tranferre poteſt ius in alium, quod iam non habet; at per votum ſolemne Religioſi transfertur dominium perſonæ in Deum, ita vt non habeat iam Religioſus dominium ſui corporis ad vſus matrimonii, ergo iure naturæ eſt irrita tranſlatio dominii in coniugem per matrimonium, & hanc ſententiam ſequuntur pluribus ex antiquis Theologis, vt D. Thomas 4. *d.* 38. *quaſ.* 1. *art.* 3. *quaſ.* 3. D. Bonauent. *ibid. art.* 2. *quaſ.* 1. Durandus *quaſ.* 1. *in fin.* Maior *q.* 14. *concluſ.* 1. Sotus *de iuſtit. lib.* 7 *quaſ.* 2. *art.* 5. Henriq. *lib.* 12. *c.* 5. *num* 2. *&* 3. Valentia 2. 2. *d.* 6. *quaſ.* 6. *p.* 5. Syluius *c. art.* 2. & multi alii. *Secunda ſententia* ait, id non ex iure nanitali, ſed ex diuino poſitiuo conſurgere. Ita Almain. apud Sanchez *diſput.* 26. *num.* 3. in ſuo tractactu de poteſtate Eccleſiæ. *Tertia* denique *ſententia* quæ nunc eſt probabilior, & communior, & ideò amplectenda, docet, ſolo iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimi; quia votum ſimplex non dirimit matrimonium: ergo neque votum ſolemne, votũ enim ſolemne nihil habet ſupra votum ſimplex, ratione cuius magis dirimat matrimonium, quàm ſimplex, excepto decreto Eccleſiæ: ſicut enim in voto ſolemni traditur perſona Deo, ita etiam in ſimplici; & videtur hoc definitum à *Gregorio XIII.* in bulla citata, Ita Reginald, *lib.* 31. *n.* 123. Gutierez *cap.* 94. *num.* 6. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 68. Bellarm. *lib.* 2. *de monachis cap.* 34. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. cap.* 4. *num.* 118. *&* 119.

D. Thom. D. Bona. Durand. Sotus. Henriq. Valent. Sylu. Sanch. Regin. Gutierez Leſſius. Bellarm. Filliuc.

De impedimento cognationis carnalis.

SVMMARIVM.

18 *Quid ſit cognatio carnalis? & quomodo diſtinguatur per lineas, & gradus; & quotuplex ſit linea?*

19 *Quomodo computandi ſint gradus conſanguinitatis?*

20 *De prima regula, pro linea recta aſcendentium & deſcendentium.*

21 *De ſecunda regula, pro linea tranſuerſa æquali?*

22 *De tertia regula, pro perſonis conſanguineis in linea tranſuerſa æqualiter diſtantibus à communi ſtipite.*

23 *An*

23 *An matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ ſit ipſo iure naturæ irritum? & an eodem iure ſit irritum matrimon. contractum in quolibet gradu aſcendentium & deſcendentium?* refertur duplex ſententia.

24 *An iure naturæ matrimon. ſit vetitum in primo gradu æquali lineæ tranſuerſæ, vt inter Fratrem & ſororem?* refertur duplex ſententia.

25 *An matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, in vtraque linea, inualidum ſit? & quid iuris, ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent à ſtipite?*

18. COgnatio carnalis, quæ et conſanguinitatis dicitur eſt vinculum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. *Diſtinguitur* hæc cognatio per lineas et gradus: *Linea* dicitur ordinata collectio perſonarum ab vno ſtipite deſcendentium, diuerſos continens gradus, ſeu potiùs ipſæmet perſonæ tam aſcendentes, quàm deſcendentes collectiuè ſumptæ. *Gradus* eſt menſura perſonarum, qua cognoſcitur quanta ſit propinquitas conſanguinitatis, vel diſtantia inter ipſas, quæ in linea includuntur. *Linea* duplex eſt, *alia* dicitur recta, *alia* tranſuerſa ſeu collateralis. *Recta* eſt illa, ſecundùm quam multæ perſonæ ita deſcendunt ab vno ſtipite immediatè, vel mediatè, vt vna ſit genita ab altera, vt filius à patre, nepos à filio, &c. et hæc recta linea *quadam* eſt aſcendentium, in qua continentur perſonæ, à quibus origo deducitur, vt pater, auus, proauus, atauus; *alia* deſcendentium, quæ claudit perſonas originem ab eo ſtipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, &c. *Linea collateralis* eſt illa, ſecundùm quam multæ perſonæ ab vno ſtipite immediatè vel mediatè procedunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe inuicem non deſcendunt; vt ſunt fratres et eorum filij, patruus, amyta: ſtipes eſt perſona illa à qua omnes perſonæ de quarum coniunctione tractatur, deſcendunt et originem ducunt. Ita Gutierez *de matrimon. cap. 98. num.* 1. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. cap.* 5. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 140. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *diſputat.* 50. *numer.* 2. & 3. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 3. *part.* 5. §. 1. *num.* 3. 4. & 5. Valentia *tom.* 5. *diſpu.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Syluius *in ſupplement. quæſt.* 54. *artic.* 1. et alii.

Gutierez Filliuc. Regin. Sanch. Bonac. Valent. Sylu.

19. Ad computandos conſanguinitatis gradus, vt ſcilicet, cognoſcatur in quo gradu vnus conſanguineus exiſtat cum alio, *triplex* à D Thom. *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt.* 1. *artic.* 2. quem cæteri Doctores ſequuntur, regula aſſignatur.

D. Tho.

20. *Prima regula*, in linea recta aſcendentium et deſcendentium hæc eſt. *Tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ* dempta vna perſona, ſcilicet, ſtipite; propterea cùm pater, et filius ſint duæ perſonæ, ſi ſtipitem demas, id eſt, patrem, pater et filius erunt in primo gradu, eo quod dempto ſtipite remaneat vna perſona: ſimiliter pater et nepos ſunt in ſecundo gradu, eo quod tot ſint gradus, quot ſunt perſonæ, dempta vna; perſonæ autem in hoc caſu ſunt tres connumeratæ, videlicet, pater, filius, et nepos. Conin. *d.* 32. *dub.* 1. Regin. *c. num.* 141. 142. Sanch. *c. diſp.* 50. *num.* 4. Syluius *cap.* 1. 2. et alii.

Conink. Regin. Sanch. Syluius.

21. *Secunda regula.* Quando perſonæ quarum gradus quæruntur, ſunt linea tranſuerſa æquali, eodem gradu diſtant inter ſe, quo diſtant à communi vtriuſque ſtipite proximo; vt duo fratres diſtant inter ſe in primo gradu, quia in eo diſtant à primo ſtipite, in quo coniunguntur, qui eſt parens: filij duorum fratrum conſanguinei in ſecundo gradu, quia in eodem coniunguntur in communi vtriuſque ſtipite proximo, qui eſt auus. Bonac. *c. num.* 5. Couarruuias *in epitom. p.* 2. *cap.* 6. §. 6. Toletus *lib.* 7. *cap.* 9. Sylu. *c. art.* 2. et alii.

Couar. Toletus. Sylu.

22. *Tertia regula.* Quoties perſonæ conſanguineæ in linea tranſuerſa diſtant inæqualiter à communi ſtipite, eo gradu diſtant inter ſe; quo gradu alter magis remotus diſtat à communi ſtipite, vt patruus et filius ex fratre diſtant inæqualiter ab auo, in quo vniuntur, ille enim diſtat in primo gradu, hic verò in ſecundo, vtpote qui eſt eius nepos, alter verò eius filius, diſtabunt igitur inter ſe, in ſecundo conſanguinitatis gradu. Sanchez *c. num.* 5. & 6. Valentia *c. punct.* 3. Sylu. *c. art.* 2.

Sanch. Valent. Sylu.

23. *Matrimonium* in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, nempe inter parentes & filios, eſt ipſo iure naturæ irritum; D. Thom. 4. *d.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 3. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *p.* 3. quia omnes gentes bene inſtructæ, ſolo naturæ lumine edoctæ, nuptias inter hos nefandas exiſtimarunt; Imò plurimi Doctores exiſtimant, eodem iure naturali fore irritum matrimon. contractum in quolibet aſcendentium, & deſcendentium, gradu, quia cùm omnes aſcendentes habeant rationem principij & ſuperioris, ideò ob reuerentiam ſuperioribus debitam, inualidum erit matrimon. inter huiuſmodi perſonas celebratum, hæc ſententia eſt ſatis probabilis quam tenent Nauar. *cap.* 22. Reginald. *lib.* 31. *num.* 119. Conink *d.* 32. *dub.* 1. *num.* 16. Toletus *lib.* 7. *cap.* 9. Alijs tamen & meritò probabilius videtur matrimon. in linea recta eſſe irritum iure naturæ, in primo tantùm gradu; quia aſcendentes non habent rationem principij per ſe reſpectu omnium deſcendentium, ſed ſolùm reſpectu filiorum ab ipſis immediatè procedentium; reſpectu autem aliorum deſcendentium, habent rationem principij tantummodò per accidens. Et ſecundùm hanc ſententiam infertur, matrimon. contractum ab infidelibus in ſecundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ, validum eſſe, quia matrimon. in his gradibus non eſt irritum iure naturæ, vnde conuerſi ad fidem non ſunt ſeparandi, niſi cum patre & matre coniuncti ſint: ſic ſentiunt Sanchez *lib.* 7. *d.* 51. *num.* 19. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. cap.* 5. *num.* 180. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 8. Sà *v. matrimonij impedimenta, num.* 4. Sylu. *c. art.* 3.

D. Tho. Valent.

Nauar. Regin. Conink. Toletus

Sanch. Filliuc. Bonac. Sà. Sylu.

24. Quamuis quidam Doctores, vt Sanch. *de matrim. lib.* 7. *d.* 52. *num.* 10. *Præpoſit. in ſuppl.* 3. *p. q.* 7. *de impediment. dub.* 9. *num.* 73. Pont. *de matr. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 3. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 93. Hurt. *de matrim. diſp.* 17. *diffic.* 5. *num.* 12. & alij ab ipſis citati probabile putent, attento ſolo iure naturæ matrimonium eſſe validum in primo gradu æquali lineæ tranſuerſæ, vt inter fratrem & ſororem; quia cum frater & ſoror non ſint directè vna caro, vt ſunt pater, & filius, nec inter ipſos repugnet æqualitas, nec ſit mutua reuerentia debita; cùm neuter ſuperior ſit: non videtur matrimonium inter eos aduerſari ſubſtantiæ coniugij: ac proinde non erit iure naturæ irritum; vnde iuſta concurrente cauſa diſpenſare in eo poſſet Summus Pontifex, & hanc ſententiam clarè videtur tenere D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 9. *ad* 3. quamuis Sotus 4. *d.* 40. *q.* 1. *art.* 4. immeritò damnauerit illam tamquam erroneam. Sed quidquid ſit de probabilitate huius ſententiæ; Contrariæ tamen adhærendum eſt tamquam probabiliori, nempe inter fratres & ſorores, eſſe interdictum ac irritum iure naturæ matrimonium: tum quia inter fratrem & ſororem eſt maximus pudor naturalis, cui maximè aduerſatur actus coniugalis; tum quia Summus Pont. requiſitus ad diſpenſandum in primo gradu, nunquam voluit diſpenſare; ergo ſignum eſt ipſum non poſſe. Ita docent Sanch. *c. num.* 11. *Præpoſitus c.* Sylu. *in ſuppl. q.* 54. *art.* 3. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 3. *p.* 5. §. 1. *num.* 11. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *diſput.* 122. *num.* 7. Filliucius *c. num.* 182. & alij apud ipſos.

Pontius. Diana. Hurtad.

Sanch. Sylu. Bonac. Vaſquez Filliuc.

25. Iure eccleſiaſtico, matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, tam in linea recta, quàm in linea tranſuerſali, inualidum eſt; *Cap. Non debet de conſang.* Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrim. canone* 3. tamen ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent à ſtipite, vt ſi alter diſtet vltra quartum gradum, alter verò intra illum, poſſunt matrimonio copulari; quia tunc attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris à ſtipite, remotior autem à ſtipite diſtat vltra quartum gradum, ergo ambo erunt conſanguinei inter ſe vltra quartum. D. Thom. *in ſuppl. quæſt.* 54. *art.* 4. *cap. fin. de conſanguinitate.*

Concil. Trident.

D. Tho.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

SVMMARIVM.

26 *Quid ſit cognatio ſpiritualis? & quo iure hæc cognatio ſit inducta?*

27 *Quotuplex ſit cognatio ſpiritualis poſt Concilium Tridentinum.*

28 *An cognatio ſpiritualis contracta à viro in Baptiſmo vel confirmatione, transfundatur ad vxorem, & è contra?*

29 *Quæ requirantur ad contrahendam cognationem in baptiſmo uel confirmatione?*

30 *An omnes tangentes baptizatum contrahant cognationem, quando nulli deſignantur patrini?* refertur duplex ſententia.

31 *An qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem contrahat cognationem, an uerò procurator?* refertur duplex ſententia.

Gutierez. Filliuc. Regin. Sanch. Bonac.

26. COgnatio ſpiritualis *eſt propinquitas quædam perſonarum, ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens, propter collationem baptiſmi, uel confirmationis, uel ſuſceptionem recipientis hæc ſacramenta: C. de eo & c. ſi quis filiaſtram* 30. *quæſt.* 1. Gutier. *cap.* 100. Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. cap.* 5. *num.* 188. Reginald. *lib.* 31. *num.* 148. Sanch. *lib.* 7. *d.* 54. Bonac. *quæſt.* 3. *p.* 5. §. 2. hæc cognatio non eſt ex iure diuino naturali, aut ex diuino poſitiuo, ſed ex ſolo eccleſiaſtico, & ex alijs ſacramentis præter baptiſmum & confirmationem, minimè oritur, quæ matrim. aut dirimat aut impediat. Iſta autem cognatio, quæ ſuperuenit matrimonio, vt quia alter coniux fuit patrinus alterius in confirmatione, aut leuauit de ſacro fonte filium alterius, aut communem, matrimonium præcedens minimè diſſoluit: hoc verò impedimentum cognationis ſpiritualis eſt perpetuum, ac proinde non extinguitur morte perſonæ, qua mediante contracta eſt, vt in affinitate & reliquis impedimentis contingit.

Concil. Trident. Toletus Filliuc. Syluius.

27. Hodie attento nouo iure Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. Nauarrus *cap* 22. *num.* 40. Toletus *l.* 7. *cap.* 18. Filliucius *c. num.* 190. Syluius *in ſuppl. q.* 56. *art.* 4. *duplex* eſt tantùm *ſpecies* cognationis ſpiritualis, nempe, *paternitas & compaternitas*; *paternitas* contrahitur inter baptizantem cum baptizato, & inter patrinos cum ipſomet baptizato; & ſimiliter inter confirmantem cum confirmato; & inter patrinos confirmationis cum ipſomet confirmato; *Compaternitas* autem contrahitur inter baptizantem cum patre & matre baptizati, & inter hos parentes carnales baptizati cum patrinis baptiſmi; & ſimiliter inter hos parentes confirmati cum confirmante, & cum patrinis confirmationis. Hinc Parochi incidentes in tactum libidinoſum aut delectationem moroſam circa puellam à ſe baptizatam, vel circa fœminam cuius aliquam prolem baptizarint, non ſatisfaciunt ſi in confeſſione dicant, quod attigerint vel conſenſerint in puellam aliquam, vel in mulierem coniugatam, aut viduam, ſed etiam addendum eſt talem eſſe à ſe baptizatam, vel aliquam prolem illius mulieris baptizaſſe, Cùm enim ſit hic cognatio ſpiritualis, talis actus vel conſenſus ad inceſtum reducitur. Et hic caſus ſatis frequens eſſe poteſt, vbi Paſtores lubrici degunt, quia facile eſt cogitatione labi. Ita Sancius *in Selectis diſput.* 40. *num.* 25.

Pij V. Rodriq. Henriq. Sylu.

28. Ex declaratione Pij V. *in bulla, Cum illius uicem.* Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 225. Henriquez *lib* 12. *c.* 11. Sylu. *cap. artic.* 4. *cognatio ſpiritualis* contracta à viro in baptiſmo, vel confirmatione, non transfunditur ad vxorem & è contra; imò vir & vxor ſimul alienum puerum in baptiſmo iure communi ſuſcipere poſſunt, quia cognatio hæc non contrahitur inter ipſomet patrinos, vnde non priuantur iure exigendi debiti.

Gutierez. Bonac. Sanch. Gutierez.

29. *Ad contrahendam* cognationem in baptiſmo vel confirmatione: multa requiruntur. *Primò*, vt teneatur infans in baptiſmo, vnde quando puer eſt domi baptizatus, & in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum ſuſcipit in Eccleſia. Gutierez. *c.* 100. *num.* 7. Bonacina *cap.* §. 2. *num.* 9. *Secundò*, vt puer ſuſcipiatur, quando primò baptizatur, vnde ſi infans rebaptizetur non contrahitur cognatio; ſi verò dubium ſit de priori baptiſmo, & infans rebaptizaretur ſub conditione, præſumendum eſt contrahi cognationem. Sanchez *lib.* 7. *d.* 62. *num.* 5. Gutierez *cap.* 100. *num.* 9. *Tertiò*, requiritur, vt ſuſcipiens, puerum teneat, quando baptiſmus ſolemniter adminiſtratur; vnde qui ſuſcipit puerum in baptiſmo priuatim adminiſtrato, non contrahit cognationem; quamuis baptizans priuatim contrahat, ſiue vir fuerit, ſiue fœmina. Rodriquez *cap.* 225. *quæſt.* 6. *num.* 16. *lib.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 7. *Quartò*, requiritur contractus, ita vt ſuſpiciens ſeu tenens verè dicatur ſuſcipere ſeu tenere; præterea debet puer ſuſcipi de manibus baptizantis ſtatim ac baptizatus eſt. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 11. *num.* 3. Reginaldus *cap. num.* 151. *Quintò*, requiritur intentio expreſſa vel tacita præſtandi munus patrini, ſeu ſuſcipiendi de ſacro fonte, hinc vt quis ſit legitimus ſuſceptor & contrahat cognationem, debet habere vſum rationis. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 155. 157. Sanchez *d.* 58. 61. *Sextò*, requiritur ne adſit error perſonæ; quia intendens ſuſcipere filium Petri, & eſt filius Pauli, non contrahit, ſecus ſi intendat ſuſcipere præſentem, quicumque ille ſit Sylueſter *v. matrim.* 8. *quæſt.* 7. Reginaldus *num.* 155. *Septimò*, requiritur vt baptizans aut ſuſcipiens ſit baptizatus, alioquin non contrahit cognationem, Conink *d.* 32. *dub.* 2. *num.* 225. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 60. Valentia *d.* 4. *q.* 2. *p.* 3. Reginaldus *cap. num.* 157. vnde fidelis baptizans, vel confirmans, vel tenens filium infidelis, non contrahit cognationem cum patre vel matre infideli, quia infidelis illam non contrahit; hæreticus tamen ſuſcipiendo, vel baptizando, cognationem contrahit, quia eſt baptizatus, & ſubiectus Eccleſiæ; ſicut & religioſus contrahit cognationem ſuſcipiendo alios in baptiſmo, vel confirmatione, quamuis ſit illi prohibitum ſuſcipere *cap. non licet, de conſecratione, diſtinct.* 4. Similiter fidelis non confirmatus & tenens fœminam in confirmatione non contrahet cognationem ſpiritualem cum illa: quia quamuis habeat vitam ſpiritualem ratione baptiſmi, at non habet conditiones petitas ab Eccleſia, vt verus ſuſceptor ſit: vt conſtat ex *cap. In baptiſmate, de conſecrat. diſtinct.* 4 ibi. *In baptiſmate uel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe qui non eſt baptizatus, uel confirmatus.* Quod verbum, *poteſt*, præſuppoſita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum: vnde nec inceſtus labe inquinabitur iſte cognoſcens fœminam, cuius patrinus fuit in confirmatione: & hæc ſint dicta iuxta probabiliorem ſententiam: quia quidam docent non confirmatum contrahere cognationem, tenendo alium in confirmatione, vt dictum eſt tom. 1. *v. Confirmatio num.* 11.

Rodriq. Rebellus Henriq. Regin. Regin. Sanch. Sylueſt. Regin. Conink. Sanch. Valent. Regin.

30. *Quando* nulli deſignantur patrini, quidam Doctores valde probabiliter cenſent, omnes tangentes baptizatum contrahere cognationem, quia à iure antiquo recedendum non eſt, niſi quoad excepta in nouo; ita Nauar. *num.* 39. Henriquez *l.* 12. *cap.* 11. *num.* 3. Sà *v. matrimon. imped. num.* 5. Alij tamen vt Suarez 3. *p. q.* 67. *art.* 8. Sanchez *d.* 57. *num.* 12. probabilius exiſtimant in hoc caſu neminem contrahere hanc cognationem, ſiue tangat ſimul, ſiue ſucceſſiuè. *Quando* verò plures deſignati à parentibus vel ab alijs curam infantis habentibus tangunt; omnes contrahunt cognationem, modò tangant ſimul; ſi autem tangant ſucceſſiuè, ſolus primus, qui baptizatum ſuſcipit, vel ad ſummum duo, ſi fuerint maſculus & fœmina, cognationem contrahunt. Conink *c. num.* 35. Reginaldus *c. num.* 152. *Quando* autem plures deſignati ſunt à parentibus, ſed parochus admittit vnum tantùm, & vnam. cognatio contrahitur tantummodò ab ijs, qui fuerunt à parocho admiſſi: ſi verò nulli ſint deſignati à parentibus, cognationem contrahent deſignati à parocho. Bonac. *c. num.* 26. 29.

Nauar. Henriq. Sà. Suarez. Sanch. Conink. Regin. Bonac.

31. Iuxta probabiliorem ſententiam, qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem, ipſe contrahit cognationem, non autem procurator; quia quæ agit procurator non agit proprio nomine, ſed nomine mittentis; & mittens ipſe fuit deſignatus, non verò procurator; Conin. *c. num.* 40. Sà *c. num.* 5. Bonacina *c. num* 14. ſic fertur declaraſſe Cardinales. Sanchez *d.* 59. *num.* 4. Reginaldus *c. num.* 156. Toletus *lib.* 7. *cap.* 4. putant in hoc caſu cognationem non contrahi neque à mittente, neque à procuratore. *Toletus* verò & quidam alij exiſtimant contrahi à procuratore, modo ipſe intendat contrahere, non verò à mittente & hæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles. *Plura de hac cognatione apud Sanchez* citatum.

Conink. Sà. Sanch. Bonac. Toletus.

Vide etiam tom. 1. v. *Debitum coniugale* 1. n. 12. & 13.

De

Digitized by Google

De impedimento cognationis legalis.

SVMMARIVM.

32 *Quid ſit cognatio legalis? & quotuplex?*

33 *Quid ſit Adoptio? & quotuplex? Et an cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium?* refertur duplex ſententia.

34 *Quæ requirantur vt aliquis adoptare poſſit?*

35 *Inter quos cognatio legalis impediat, & dirimat matrimonium?*

36 *An filius adoptantis poſſit matrimonium contrahere cum filia adoptati, &c. & quo iure hoc impedimentum ſit interdictum?*

37 *An cognatio legalis matrimonio ſuperueniens impediat debiti petitionem?*

32. COgnatio legalis *eſt propinquitas quarumdam perſonarum ex adoptione proueniens?* & *triplex* communiter aſſignatur à Doctoribus cognationis legalis ſpecies. *Prima*, eſt linea recta inter adoptantem & deſcendentes adoptati. *Secunda*, eſt tranſuerſalis inter adoptatum & filios carnales adoptantis. *Tertia* eſt per modum cuiuſdam legalis affinitatis, ad ſimilitudinem affinitatis naturalis, quæ eſt inter adoptantem & vxorem adoptati & è contra inter adoptatum & vxorem adoptantis. D. Thom. 4. *d.* 42. *art.* 1. Gutierez 1. *lib.* 2. *cap* 102. *num.* 4. Reginald. *lib.* 31. *num.* 162. Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. cap.* 5. *num.* 198.

Di Tho. Gutierez Regin. Filliuc.

33. *Adoptio* autem eſt *legitima extraneæ perſonæ in filium vel nepotem aſſumptio*: & *duplex* eſt, *alia* perfecta, & *alia* imperfecta. *Perfecta* dicitur adoptio, qua adoptatus interueniente Principis auctoritate, tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit ipſius hæres neceſſarius, ſaltem in quarta bonorum, id eſt in legitima: *Imperfecta* autem in hoc à præcedente differt, quòd per eam non tranſit adoptatus in adoptantis poteſtatem, nec illi tamquam neceſſarius hæres ex teſtamento ſuccedit, ſed tantùm ab inteſtato. Sylu. *in ſuppl. quæſt.* 57. *art.* 1. Conin. *d.* 32. *dub.* 3. *num.* 42. Reginaldus *c. num.* 158. Bonacina *quæſt.* 3. *p.* 5. §. 3. Sanchez *lib.* 7. *d.* 63. *num.* 2. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 120.

Sylu. Conink. Regin. Bonac. Sanch. Diana.

An autem cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium? affirmant *Ponsius de matrimon. Rebellus*, *Prapoſitus*, quia iura abſolutè loquuntur: Nihilominus probabilior ſententia aſſerit contrarium, quia cùm Matrimonium ſit res fauorabilis, iura illud dirimentia ob adoptionem reſtringi debent ad perfectam. Ita *Sanchez*, *Syluius*, *Filliucius*, *Layman* apud *Dianam c. reſol.* 120.

34. Vt aliquis adoptare poſſit requiritur *Primò*, vt adoptans ſit ſui iuris & maior viginti quinque annis. *Secundò*, vt adoptãs non ſit fœmina. *Tertiò*, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum: qualem habent lecti gladio aut facti eunuchi per morbum, hi enim ſunt tantummodò impotentes ex accidenti non ex defectu. *Quartò*, vt adeo ſit prouectæ ætatis vt excedat adoptatum decem & octo annis, & poſſit eſſe pater carnalis adoptati. *Inſtitut. de adoption.* his poſitis quilibet adoptare, etiamſi ſit ſacerdos, & quilibet poteſt adoptari, modò ſit præſens. Sanchez *c. d.* 63. *num.* 3. Syluester *v. adoptio. num.* 2. Bonac. *c.* §. 3. *num.* 3.

Sanchez. Syluest. Bonac.

35. *Cognatio legalis* impedit & dirimit matrim. contractum. *Primò*, inter adoptantem & adoptatum & deſcendentes adoptati vſque ad quartum gradum. *Secundò*, inter vxorem adoptantis & adoptatum, inter vxorem adoptati & adoptantem. *Tertiò*, inter filios ſeu filias adoptantis & adoptatum ſeu adoptatam. *Cap. per adoptionem* 30. *q.* 3. *cap. ita diligere* 30. *quæſt.* 3. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 45. *Cap. fin. de adoptione* ex quo patet, hoc impedimentum non perpetuò durare, nam ſi filij adoptantis emanciparentur, vel ſi pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptata.

Nauar.

36. *Filius adoptantis* poteſt matrimon. contrahere cum filia adoptati, quia nulla intercedit cognatio inter has perſonas. *Item* quando plures adoptati ſunt ab vno & eodem, poſſunt adoptati inter ſe matimon. inire. *Præterea* adoptatus poteſt contrahere matrimon. cum filia illegitima adoptantis, ſicut adoptans poteſt contrahere cum filia filiæ adoptatæ: *Porrò*, hoc impedimentum eſt iure eccleſiaſtico inductum, vnde validum eſt matrim. contractum ab infideli in cognatione legali, quia infideles non ſunt ſubiecti legibus eccleſiaſticis. Reginaldus *cap.* 162. 163. Sà *c. num.* 6. Nauar. *c.* 22. *num.* 45. Sanchez *d.* 63. *num.* 35. 36. & 21. 22. & alij.

Regin. Sà. Nauar. Sanchez.

37. *Cognatio legalis* ſuperueniens matrimonio iam contracto, non impedit debiti petitionem, quia nullo iure conſtat, vbi debiti petitio in eo caſu interdicatur ſponſalibus autem de futuro ſuperueniens, illa dirimit. Roſella *v. Impedimentum num.* 16. Sanch. *c. num.* 19. 20.

Roſella. Sanchez.

De impedimento criminis.

SVMMARIVM.

38 *Quæ ſint crimina quæ matrimonium impediunt & dirimunt? & de primo, quod eſt occiſio coniugis alicuius cauſa contrahendi cum eius coniuge.*

39 *De altero crimine, quod eſt adulterari ſcienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium de facto vel dare fidem de contrahendo. Vbi deciduntur multi caſus.*

40 *Qui ſunt caſus in quibus non oritur impedimentum dirimens, quamuis quis occidat coniugem ſuam vel alterius.*

41 *An hoc impedimentum criminis contrahatur ab infidelibus? & ſit iure Eccleſiaſtico inductum?*

38. DVo ſunt *crimina*, quæ matrimonium iure impediunt, & dirimunt; *alterum* eſt, occiſio coniugis alicuius cauſa contrahendi cum eius coniuge, *Cap. ſignificaſti, de eo qui duxit. C. ſi quis viuente,* 31. *quæſt.* 1. quæ facta vtroque machinante perpetuò impedit, etiamſi alter infidelis eſſet, & ad eius conuerſionem procurandam patrata fuiſſet: facta vero tantùm machinante non ſufficit, niſi adulterium interueniat; vnde vt hoc crimen ſolius homicidij inducat impedimentum dirimens, hæc requiruntur. *Primò*, vt matrimon. contra quod machinatio facta eſt, verum ſit. *Secundò*, vt machinatio ſortiatur effectum, ſubſecutum videlicet morte alterius coniugis. *Tertiò*, vt homicidium ſit vxoris, ſi enim vir occiditur, ſecundùm aliquos non incurritur hoc impedimentum, ſed veriùs eſt etiam incurri, morte viri. *Quartò*, vt tam mortis machinatio, quàm adulterium interueniat, niſi vterque cooperatus ſit ad mortem, tunc enim adulterium non requiritur. *Quintò*, vt quando alter tantùm machinatus eſt mortem, adulterium commiſſum ſit vtrique notum. *Sextò*, vt homicium coniugis eo fine factum ſit, vt cum altero coniugum ineatur. Gutierez *de matrimon. cap.* 105. Conin. *diſputat.* 31. *num.* 62. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 46. Sanchez *lib.* 7. *d.* 78. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. num.* 253. Bonacina *quæſt.* 3. *punct.* 6. *num.* 4. & *ſeq.* *Notandum* tamen eſt *Primò*, eum, qui dedit mandatum occidendi, ſed poſtea reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis, non eſſe reum huius impedimenti, ſicut nec eſt reus ille, qui dedit conſilium quod nihil influxit, vel qui ratam habuit occiſionem coniugis. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *quæſt.* 5. *p.* 3. Sà *c. num.* 7. *Secundò*, Impedimentum hoc non reddit machinantem inhabilem ſimpliciter ad quodcumque aliud matrimon. ſed tantùm reſpectu adulterantis, vel eius, qui ſimul in coniugis mortem machinatus eſt ad ineundum inter ſe matrimonium. Sanchez *c. num.* 23. Conin. *c num.* 64.

Gutierez Conink. Nauar. Sanchez. Filliuc. Bonac. Valent. Sanchez. Conink.

39. *Alterum crimen* eſt adulterari ſcienter cũ coniuge alterius, et contrahere matrimon. de facto vel dare fidem de contrahendo. *C. relatum* 31. *q.* 1. *C. fin. de eo qui duxit*, deſiderantur tamen *aliquæ conditiones* ad hoc impedimentum incurrendum, *Prima*, eſt Adulterium cum ſeminis intra vas effuſione. *Secunda*, vt cum adultero concurrat promiſſio etiam ſimplex, ſiue adulterium præ-

cedat,

cedat, ſiue ſubſequatur. *Tertia*, vt promiſſio matrimonij ſit externa, quamuis ficta, fictione tamen non apparente exteriùs, licet probabile ſit ſecundùm *Layman*, *Dianam*, *Sà*, *Henriquez*, quòd promiſſio matrimonij ſeriò, & ex animo fiat, non fictè. *Quarta*, vt adulterium perpetratum ſit ſciente vtroque adultero alterius matrimonium. *Quinta*, vt promiſſio ab altero acceptata ſit, & repromittat, ſecundùm *Layman*. Taciturnitas autem eius, cui promiſſio fit, abſque alio acceptationis ſigno, nunquam ſufficit ad hoc impedimentum incurrendum. *Sexta*, vt matrimon. priùs contractum ſit validum, ſi enim eſſet reuera irritum, adulterium illud æſtimatum, cum futuri matrimonij promiſſione, nullum præſtaret impedimentum. Nauarrus *c. num.* 46. Toletus *lib.* 7. *cap.* 10. Filliucius *cap.* 8. *num.* 256. Diana *de ſacramentis reſol.* 198. Sanchez *lib.* 7. *d.* 79. Conin. *diſput.* 31. *dub.* 5. Bonacina *c. punct.* 6. *nu.* 8. *& ſeq.* Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 10. *num.* 4.

Nauar. Toletus. Filliuc. Diana. Sanchez Conink. Bonac. Layman.

Ex dictis reſoluuntur ſequentes caſus. Violat aliquis vxorem alterius, clauſtra quidem inuadens pudoris, ſed intra vas naturale ad generationem fabricatum, nihil effundit: eidem mulieri ſiue pactione, ſiue iurata ſponſione futurarum nuptiarum fidem aſtringit: Quærebatur an ob eam fidem & concubitum adulter matrimonij ſpe deiectus fuerit; quo poſt adulteræ virum defunctum, cum ea coniungi optaret? & num viua, ſeu etiam mortua adultera, matrimonium cum eius ſorore contrahere poſſet? Reſponſum fuit ad primum quæſitum, quòd adulter poſt mortem viri adulteræ, illam in matrimonio poſſet habere: quia intra naturale vas illam non polluit: vnde concubitus ille verum adulterium non fuit. Ad ſecundum dictum fuit, nuptiarum fœdus cum adulteræ ſorore fieri poſſe; quia ex illo concubitu nulla fuit contracta affinitas, quæ in fornicario coitu ſeminum commiſtionem requirit, vt docetur *infra num.* 70. Notandum tamen ſi aut fides, aut iurata pactio vim habuerint ſponſalium cum mutua fide contrahentium, ſororem eius quæ polluta eſt, ducere non poſſe, propter impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

Item Caius & Berta dant ſibi inuicem fidem, quod mortuis coniugibus ſuis matrimonium inter ſe contrahent: Caius autem mortua vxore ſua, ducit aliam, & poſtea adulteratur cum Berta; quærebatur an matrimonium irritetur. Reſponſum fuit negatiuè: quia non dirimitur matrimonium cum huiuſmodi Berta contractum, ob adulterium, in diuerſis matrimonijs cum fide data perpetratum à Caio cum eadem Berta.

Item matrimonium non dirimitur, ſi contrahitur per eum, qui quidem duxit ſed nec ante, nec poſt huiuſmodi contractum matrimonium, cognouit ductam eiuſmodi in vita prioris vxoris; ideò iſta mortua poterit poſtmodum validè contrahere cum illa, quam ſecundò duxerat. *Cap. final. de eo, qui duxit in matrim.*

40. *Non oritur* impedimentum dirimens quando aliquis occidit coniugem ſuam vel alterius, vt poſſit contrahere matrimonium cum alia, quæ non fuit particeps homicidij. *Nec quando* duo conſpirans in mortem alterius coniugis, vel quando adulter occidit alterum coniugem non intentione contrahendi matrimon. cum adultero, ſed ob alium finem, puta, liberiùs libidinem explere: *Nec quando* adulter occidit vxorem animo ducendi aliquam determinatam, modò non habeat intentionem ducendi illam, cum qua peccauit; *Nec quando* quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterii deprehenſam, aut quando alter occidit impunè per leges, niſi fortè per dolum dederit cauſam adulterii, vt eam poſſet occidere, & ea mortua poſſet contrahere cum alia complice talis machinationis ſeu proprii adulterii. Item nec orietur impedimentum per ratihabitionem occiſionis coniugis ſui perpetratæ ob finem contrahendi: in hoc enim caſu ratihabitio non æquiparatur mandato: ad quem ſanè effectum opus eſt præcedere priùs per machinationem, & tractatum, quod non eſt in prædicto caſu, in quo ratificatio ſubſequitur, & non præcedit occiſionem: vt in ſpecie notauit Syluester *verb. Conſenſus, in fine*. Ita Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 78. *num.* 15. 16. *& ſeq.* Gutierez *c. cap. num.* 20. 22. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 228.

Sanchez Gutierez Henriq. Rodriq.

Sà *v. matrim. imped. num.* 7.

Sà.

41. Hoc impedimentum criminis contrahitur tantummodò à fidelibus, quia inductum eſt ab Eccleſia, cui non ſunt ſubiecti infideles: & requiritur vt totum delictum contractum ſit poſt baptiſmum, vnde ſi infidelis contraxit matrimon. ante baptiſmum, & poſt baptiſmum commiſit adulterium, non incurrit hoc impedimentum; quia impedimentum criminis non incurritur ob vnum tantummodò delictum, ſed propter vtrumque, id eſt, propter adulterium cum matrimonio, vel cum promiſſione matrimonii, vel cum homicidio, vt dictum eſt. Gutierez *de matrim. cap.* 105. *num.* 6. Bonacina *c. num.* 20. 21. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 73. *num.* 49.

Gutierez Bonac.

De impedimento diſparitatis cultus.

SVMMARIVM:

42 *An matrimonium inter fidelem & infidelem, hæreticam, Apoſtatam vel excommunicatam ſit irritum? Et quid ſit periculum peruerſionis.*

43 *An matrimonium infidelium ſit ſacramentum? & in quantum contractus valeat?*

44 *An matrimonium fidelis cum infideli diſſolui poſſit; ſi hic cohabitare velit abſque iniuria creatoris?* refertur duplex ſententia. *Et an requiratur ad diſſolutionem matrimonij ſententia Iudicis? Quando diſſoluatur matrimonium?* refertur duplex ſententia.

45 *An licitum ſit fideli tranſire ad religionem vel ordines aut votum ſimplex caſtitatis emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit?*

46 *An proles doli capax cogenda ſit ad fidem quando alteruter parens ſolus fidelis eſt?*

42. MAtrimonium inter diſpares cultu, nempe inter fidelem & infidelem eſt irritum iure Eccleſiaſtico. Conc. Tolet. 3. *cap.* 14. imò inter perſonam baptizatam, & cathecumenam eſt irritum matrimonium: quia cathecumena baptiſmo caret, qui eſt ſacramentorum ianua, quamuis fidem teneat, & in gratia conſtituta eſſe poſſit; iure autem diuino vel naturali non eſt inualidum hoc matrimon. quamuis ſit illicitum propter periculum prolis. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 167. Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. num.* 225. 226. Gutierez *de matrim. cap.* 104. Conin. *d.* 31. *num.* 41. 43. Sanchez *c. d.* 71. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 48. Syluius *in ſuppl. quæſt.* 56. *art.* 1. *concl.* 1. 2. *&* 3. *Matrim.* verò inter fidelem & hæreticam, vel apoſtatam vel excommunicatam, validum eſt, cùm nullo iure irritetur, quia inter hos non eſt cultus diſparitas, cùm omnes ſint baptizati; tamen graue peccatum committitur, quando contrahitur cum hæretico, ſecluſa conſuetudine aliquorum locorum in contrarium. Vt in Germania, Gallia, Polonia: in iis enim ex conſuetudine recepta, & tolerata licent coniugia catholicæ perſonæ cum hæretica, dummodò catholica liberè permittatur, et abſque peruerſionis periculo in fide permanere. Quia ea coniugia, ineuntur inſtar aliorum contractuum ciuilium ob amicitiæ leges, et ad communem pacem, et Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæſt.* 5. Serar. *in opuſcul. de matrim. num.* 18 Bellarmin. *de matr. lib.* 2. *cap.* 23. Reginald. *c. num.* 169.

Regin. Filliuc. Gutierez Conink. Nauar. Syluius. Azorius. Serar. Bellarm. Regin.

Sed dubium eſt, an cum probabili periculo peruerſionis, dictum matrimonium ſit licitum ex magna aliqua et eximia cauſa, puta, vel augmenti et propagationis Eccleſiæ, tranquilli eius ſtatus, vel libertatis Catholicorum, qui ſub aliquo hæretico Principe, et conſiliariis hæreticis oppreſſi tenentur. Ratio dubitandi eſt, quia nunquam licere poteſt ſe exponere periculo peccandi, nam qui amat periculum, peribit in illo; et ſalutem ſuam ſpiritualem contemnere cenſetur, qui ſe obiicit tam probabili eius amittendæ periculo.

Nihilominus ad quęſitum affirmatiuè reſpondent Pontius *de matrim. in appendice*, *cap.* 6. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 269. Quia exponere ſe periculo ſalutis ſpiritualis amittendæ, quamuis peccatum ſit, non tamen ex his peccatis eſt, quæ quauis circumſtantia poſita vel detracta

Pontius. Diana.

ſuam

ſuam deformitatem retinens, ſed cuius malitia pendet ab his, aut illis circumſtantijs.

Quare ea expoſitio periculi culpa vacabit, quando ex magna ſit & vrgenti cauſa. Tunc enim non eſt amare periculum, ſed amare ingens, illud bonum, an quod ſine eo periculo perueniri non poteſt. Itaque periculum adit inuitus, non amans. Qui ergo eo modo periculum ſubit in tali coniugio, vt magnum Eccleſiæ, aut alteri Reipub. commodum ſequatur, non peccat; dum tamen contrahat cum firmo propoſito non labendi, fidenſque de diuina miſericordia, & gratia fore, vt eripiatur ab eo periculo ſine crimine; ſiquidē vrgente Dei cauſa illud periculum ſubire non recuſat. Confirmatur hæc ſententia, tum ex doctrina plurimorum Theologorum aſſerentium non eſſe peccatum exponere ſe periculo ſpiritualis ſalutis ex aliqua vrgente cauſa; inter quos referuntur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 9. Caietanus *in ſum. v. periculum.* Sanchez *lib. 1. moral. cap.* 8. *num.* 3. Armilla *v. periculum.* Nauarrus *in man. cap.* 3. *num.* 14. *& in c. negotia, de pœnit. diſt.* 5. *num.* 8. Graſſiis *in arbitrar. confeſſ. lib.* 2. *cap.* 49. *à num.* 5. Suarez 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 32. Sà *v. Abſolutio num.* 12. Vaſq. *opuſc. de reſtit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 6. *num.* 23. *&* 34. Tum exemplo *Iudith*, quo pro ſui populi ſalute publica, potuit ſe periculo caſtitatis amittendæ exponere, munita orationis præſidijs. Tum eſt coniugio *Eſther* cum *Aſſuero* pagano Ex quibus perſpicitur, offerre ſe periculo peccandi tunc eſſe peccatum, quando ſit ſine cauſa vigente, vel oeceſſitate ad id obligante, non vero ſi talis adſit cauſa.

D. Tho. Caiet. Sanch. Armilla. Graſſiis. Suarez. Sà. Vaſquez.

Proinde qui abſque vila ſpirituali vtilitate abſque vllo ſibi imminentis detrimenti grandis periculo, abſque vlla neceſſitate ex mera libertate connubia cum hæreticis iungunt, videant in quod ſatis periculum & peccatorum incentiuum ſe præcipitent. Periculum enim magnum eſt, ne vir illecebris mulieris; mulier violentia viri peruertatur. Periciculum eſt ſubuerſionis prolium quæ ab alterutro parente hæretico facilè infici poterunt, & prauis eius erroribus ac moribus informari, præualente in eas aut paterna poteſtate parentis hæretici, aut dulcedine hæreticæ matris earum animos demulcentis, ita vt cum lacte infidelitatem imbibant.

43. *Matrimonium* infidelium quamuis ſacramentum non ſit, eſt tamen contractus, & vt talis valet, vnde quando conuertuntur ad fidem non ſunt ſeparandi, niſi inter eos ſit aliquod impedimentum dirimens iure naturæ, vel niſi adſit aliqua cauſa ob quam diſſolui poſſit horum matrimonium, vel niſi contraxerint cum impepimento dirimente inducto ab eorum principe: *Notandum* tamen eſt, quando vnus infidelium conuertitur ad fidem altero perſiſtente in infidelitate, diſſolui poteſt matrimonium, quando infidelis non vult habitare cum fideli; aut ſi velit quidem habitare, ſed non abſque iniuria creatoris: quod contingit quando infidelis compellit fidelem ad peccatum, vel quando infidelis non vult nomen Dei aut Chriſti audire, niſi cum deſpectu, vel quando nomen Dei blaſphemat. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 13. Nauarrus *cit.* Sanchez *diſput.* 73. *num.* 3. Filliucius *c. num.* 230. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 1. *punct.* 7. D. Thom. *in ſuppl. quæſt.* 59. *art.* 2. *&* 5. Syluius *ibid.* & alij.

Henriq. Nauar. Sanchez. Filliuc. Valent. D. Tho. Syluius.

44. Quamuis probabile ſit *matrim. diſſolui* non poſſe, ſi infidelis conuerti renuat, ſed velit cohabitare abſque iniuria creatoris, ſecundùm ſententiam Nauar. *c. num.* 49. Toletus *lib.* 7. *cap.* 11. Valent. *cit.* & ita tunc obligari fidelem ad cohabitandum, tamen *probabilius* eſt etiam nunc diſſolui poſſe, quià prohibitum eſt ab Eccleſia fideli habitare cum infideli propter periculum peruerſionis, quod vt plurimùm accidere ſolet. Diana *de ſacram. reſ.* 252. *p.* 3. Sanchez *diſput.* 74. *num.* 8. 9. Bonac. *c. p.* 7. *num.* 6. Filliuc. *c. num.* 139. *Ad diſſoluendum* autem matrimonium in hoc caſu, non requiritur ſententia Iudicis, ſed ſola ſatis eſt admonitio infidelis facta à fideli, an conuerti velit, niſi aliunde conſtaret obſtinatio; *quando* verò diſſoluatur matrimonium non eſt certum apud Doctores, in tres ſententias abierunt: Rodriq. *tom.* 1. *cap.* 229. Rich. 4. *d.* 39. *art.* 2. dicunt ſtatim diſſolui non expectato tranſitu fidelis ad aliud matrimon. quando nempe infidelis admonitus recuſat legitimè habitare. Secundùm Hoſtienem *c. gaudemus* Ioan. Andr. *num.* 15. diſſoluitur, quando elapſus eſt terminus ab Eccleſia conſtitutus ad determinandum, an infidelis velit legitimè habitare, quamuis hæ ſententiæ ſint probabiles: *Probabilius* tamen eſt, non diſolui prius matrimon. donec fidelis ad alias nuptias tranſeat, ita vt generatio vnius ſit corruptio alterius; quare ſi fidelis nunquam mutet ſtatum, perſeuerabit prius matrimonij vinculum, & quotieſcumque infidelis conuerſus fuerit ad fidem tenebitur fidelis illum tamquam verum coniugem admittere. Sanchez *d.* 75. *num.* 2. 3. 4. Sà *c. num.* 8. Conink *diſput.* 26. *num.* 63. Nauar. *cap.* 22. *num.* 49. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *quæſt.* 1. *p.* 7.

Filliuc. Sanchez. Bonac. Filliuc.

Rodriq. Rich.

Sanchez. Sà. Conink. Nauar.

45. Certum eſt licere fideli tranſire ad religionem, vel ordines, aut votum caſtitatis ſimplex emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licet habitare velit abſque creatoris contumelia, & ſine petractione ad peccatum: ſanum tamen conſilium eſſet exiſtente probabili ſpe conuerſionis infidelis, vt coniux ad fidem conuerſus non tranſeat ad religionem, vel ordines, aut votum caſtitatis emittat. Et quidem per profeſſionem in religione, matrimonium etiam priùs conſummatum diſſoluitur, per ordines autem, aut ſimplex caſtitatis votum non ſoluitur. verum tamen eſt fidelē conuerſum, qui ſuſcepit ſacros ordines, noo eſſe reſtituendum alteri coniugi, qui conuertitur poſtquam fidelis initiatus eſt ordinibus, nam ille debet ſibi imputare quod tardē conuerſus ſit. D. Thom. 4. *d.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 4. Filliucius *c. num.* 244. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 8. Bonacina *c. p.* 7. *n.* 9. 10. Sanchez *c. diſp.* 76. Conin. *diſp.* 26. *n.* 66. & alij.

D. Tho. Filliuc. Henriq. Bonac. Sanchez. Conink.

46. Quando alteruter parens ſolus fidelis eſt, ſi proles ſit doli capax, non eſt cogenda ad fidem, ſed ſuæ libertati relinquenda; nullus autem ſui compos ad fidem cogendus eſt: ſi autem non ſit doli capax, eius conditionem ſequi debet, qui ad fidem conuertitur, quia eo ipſo quo alteruter coniux eſt fidelis, ius habet eccleſia compellendi ipſum, vt prolem doli minimè capacem baptizet. *Cap. Iudæi* 28. *quæſt.* 1. Conc. Tolet. 4. *cap.* 56. D. Thom. *c. art.* 4. *ad* 4. Sanchez *d.* 73. *num.* 16. In dubio autem an proles ſit capax doli, præſumendum eſt in fauorem fidei; ita Sot. 4. *d.* 39. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Sà *v. matrimon. imped. num.* 8.

Concil. Tolet. D. Tho. Sotus. Sà.

De impedimento violentiæ vel metus.

SVMMARIVM.

47 *An matrimonium per metum grauem celebratum ſit inualidum Quo iure ſit irritum?* refertur duplex ſententia. *Et an matrimon. per vim & metum grauem celebratum inter infideles ſit validum.*

48 *Quomodo metus incuti poſſit ab extrinſeco, id eſt, ab homine?*

49 *An, quando metus incutitur à cauſa libera, non tamen ad hunc finem vt matrimon. ineatur, ſed ob aliam cauſam, matrimon. cum tali metu celebratum ſit validum?*

50 *An, quando contrahens metu mortis cogitur contrahere & conſummare matrimonium, ſit inualidum?*

51 *An, vt metus grauis irritet matrimon. neceſſe ſit vt incutiatur ab altero contrahente?*

52 *An matrimonium celebratum cum metu graui adiuncto iuramento ſit validum?*

53 *De excommunicatione quæ lata eſt in Concil. Trident. contra impedientes, ne matrimonia liberè contrahantur.*

47. S*Eptimum impedimentum* Dirimens matrimon. eſt violentiæ vel metus, vnde matrimon. per metum grauem celebratum ſeu cadentem in conſtantem virum, iure Eccleſiaſtico eſt inualidum, modò metus iniuſtē ſit incuſſus à cauſa libera ad hoc, id eſt, ad extorquendum cōſenſum. *C. veniens* 2. *de diſpenſ. Cap.* 2. *de eo, qui duxit* Nauar. *cap.* 22. *num.* 50. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 12. Regin. *lib.* 31. *num.* 76. 78. ex quo patet per metum leuem non reddi matrimon. inualidum, quia in iure non habetur ratio metus leuis, niſi ille metus tollat omninò conſenſum; tunc enim irritum eſſet in conſcientia, quia ad validitatem eius, iure naturæ conſenſus requiritur. Cæterùm multi Docto-

Nauar. Toletus. Regin.

Digitized by Google

Doctores volunt etiam iure naturæ irritum eſſe matrimonium celebratum per metum grauem, quia ex matrimonio coacto ſequuntur grauiſſima incommoda aduerſa matrimon. fini; ergo debet iure naturæ irritum eſſe. Victoria *de matrim. num.*268. Couar. 2. *p. cap.*3.§.5.*num.*6. Alijs tamen doctoribus probabilius videtur ſolo iure eccleſiaſtico eſſe irritum matrimon. metu exortum, quia cęteri contractus celebrati cum metu graui non ſunt inualidi iure naturæ; ergo neque matrimon. videtur inualidum iure naturæ. Et ſecundum hoc matrimon. per vim & metum grauem celebratum, inter infideles validum eſt, quia non ſubſunt iuri eccleſiaſtico. Vide *Dianam de ſacramentis reſol.* 230. *p.* 3. Filliucius *tract.* 10. *p.* 1. *num.* 109. Sanch. *lib.*4. *d.* 14. *num.*213. Bonac. *q.*3. *p.*8. *num.*8.9.

Couar. Filliuc. Sanchez. Bonac.

48. Metus *dupliciter* incuti poteſt ab extrinſeco, id eſt, ab homine. *Primò*, iuſtè. *Secundò*, iniuſtè. Quando quis ſub graui pœna cogitur à iudice contrahere matrimon. & ſtare ſponſalibus antea celebratis, quæ ille recuſabat adimplere, *iuſtè* cogitur ad matrimon. & iure licito compelli poteſt cùm teneatur illud perficere, & ideò validum eſt matrimon. cum tali metu contractum. *Iniuſtè* incutitur, v. g. quando quis minatur accuſare ſurem de futuro, niſi talem mulierem ducat; hic minatur iniuſtè accuſationem per ordinem ad extorquendum conſenſum, conſequenter matrimon. cum huiuſmodi minis ſeu metu celebratum videtur inualidum. Conin. *d.*28 *n.*15. Henriq. *lib.*11. *cap.*9. *n.*2. Rodriq. 1. *p. cap.*230. Bonac. *c. n.*10. & 11. Reginald. 31. *num.* 70. & alij.

Conink. Henriq. Rodr. Bonac. Regin.

49. Quando metus incutitur à cauſa libera, non tamen ad hunc finem, vt matrimon. ineatur, ſed ob aliam cauſam, matrimon. cum tali metu celebratum eſt validum: quia licet matrimon. celebratum per metum incuſſum ad alium finem, quàm ad extorquendum conſenſum, ſit aliquo modo inuoluntarium; illud tamen inuoluntarium non cenſetur cauſa conſenſus, ſed tantùm occaſio, conſequenter non ſufficit ad reddendum irritum matrimon. vnde validum eſt matrimonium contractum à defloratore puellæ; quem pater vel ſratrer puellæ volebat occidere, ſed ipſe deflorator ſua ſponte obtulit ſe ad celebrandum matrimonium vt mortem euitaret. *Similiter* validum eſt matrimon. quod obſeſſus contraxit cum filia obſidentis, vt euaderet moleſtiam obſeſſionis, modò obſidens nõ obſederit ad hunc finem vt obſeſſus duceret propriam filiam. *Item* matrimonium foret validum contractum inter filiam medici, & ægrotum, quem medicus curare nolebat, niſi duceret propriam filiam, nam metus mortis nõ eſt incuſſus à medico, ſed à morbo. Sanh. *l.*4. *diſp.*12. Conin. *c. num.*9. Henriq. *c. num.* a. Reginald. *lib.*31. *num.*79. Bonacina *c. num.* 16. & *ſeq.* Sà *v. matrim. imped. num.* 9. Corduba *Summa q.* 171. *punct.* 1. & alij.

Sanch. Conink. Henriq. Regin. Bonac. Cordub.

50. Inualidum eſt matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur, non ſolùm contrahere matrimomonium, ſed etiam illud per copulam conſummare, quia non poteſt eſſe validum matrimonium niſi validus ſit conſenſus, ſed conſenſus per metum grauem extortus eſt inualidus, ergo. Deinde copula nihil operatur ad validitatem matrimonij, niſi adſit conſenſus validus, & liber. Gutier. *cap.*76. *num.*11. Conin. *c. dub.*4. *num.*42. Sanchez *lib.* 4. *d.* 18. *num.* 5.

Gutierez Conink. Sanch.

51. Vt *metus cadens* in conſtantem virum irritet matrimonium, non eſt neceſſe vt incutiatur ab altero contrahente, ſed ſatis eſt ſi incutiatur ab alio, abſque ſcientia & culpa contrahentis: quia ſiue metus per contrahentem, ſiue per alium inferatur, non minus tollit libertatem conſenſus, qui ad matrimonij validitatem requiritur. Gutier. *c.*76. *num.*12. Sanchez *lib.*4. *d.*12. *num.*19. Bonac. *quæſt.*3. *p.*8. *num.* 25.

Gutierez Sanch. Bonac.

52. Matrimonium celebratum cum metu cadente in conſtantem virum, adiuncto iuramento, non eſt validum: quia per iuramentum non ſuppletur defectus conſenſus requiſiti ad matrimonium: hinc iuxta communiorem ſententiam non eſt opus relaxatione iuramenti, quia vbi nullum eſt vinculum, nulla eſt obligatio, nec ideò illud matrimonium reſoluitur in ſponſalia, quia huiuſmodi cõtractus iure poſitiuo eſt irritus, & ſicut matrimonium requirit cõſenſum liberum, ita etiam ſponſalia. Sà *de imped. num.*9. Reginaldus *lib.*31. *num.*87. Gutier. *cap.*76. *num.*9. Sanchez *lib.*4. *d.*20. *num.*15. Rodriquez *cap.*131. *num.*4. Imò ſi quis iuraſset non contrauenire, ſeu ſtare matrimonio celebrato per metum grauem, non tenetur ſtare illi iuramento, quia nullus poteſt obligari ad peccatum; peccatum enim eſset vti matrimonio per metum grauem. Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 3. §. 5. Regin. *num.* 88.

Sà. Regin. Gutierez Sanchez Couar. Regin.

53. In Concilio Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*9. *de matrim.* lata excommunicatio contra Dominos temporales, magiſtratus, & alios cuiuſcumque gradus, qui ſubditos, vel alios quoſcumque directè vel indirectè cogunt ne matrimonia liberè contrahant, in hac tamen excommunicatione, non comprehenduntur Domini cogentes ſua mancipia matrimon. contrahere, ſicut neque comprehenduntur patres, qui prohibent vel cogunt filios inuitos ad matrimon. nec prohibent matrimon. contrahere; Concil. enim non loquitur de prohibentibus, ſed de cogentibus; multi tamen Doctores volunt etiam comprehendi prohibentes. Vide Sanchez *l.* 4. *d.* 22. Gutierez *cap.*79. *num.* 11. Henriquez *lib.*11. *c.* 6. *num.*5. Nauar. *cap.*27. *num.*150. & alios.

Concil. Trident. Sanchez. Gutierez Henriq. Nauar.

An autem ſponſalia metu graui contracta valida ſint, ſi iuramentum accedat, vel iuramentum ſaltem obſeruandum ſit; donec relaxetur: probabiliſſimum eſt illa non firmari iuramento, nec ratione illius obligare, aut relaxatione indigere; quidquid dicat *Henriquez* in contrarium, licet improbabiliter *lib.*11. *cap.* 9. *n.* 6. Ita Diana *de Sacram. reſol.* 278. *p.* 3. Sanch. *c. diſp.* 21. *num.*3.

Diana. Sanch.

De impedimento ordinis.

SVMMARIVM.

54 *Quo iure ordo ſacer validè ſuſceptus dirimat matrimonium ſubſequens? & an dirimatur matrimonium antea contractum per ſuſceptionem ordinis ſacri?*

55 *An vnquam fuerit promiſſum in Eccleſia ſiue Latina ſiue Græca ſacro ordine præditos matrimonium inire? & an permiſſum ſit modò Græcis coniugatis ſacros ordines ſuſcipere?*

56 *An clericus ordinis ſacri matrimonium contrahens peccet mortaliter, & ſit excommunicatus, incurratque irregularitatem etiam ante conſummationem?*

57 *An coniux poſsit ad ordines ſacros promoueri de conſenſu vxoris: vel quando poteſt facere diuortium quoad thorum, an poſsit etiam religionem intrare? Et an promotus ad ordines ſacros de conſenſu vxoris, poſsit petere vel reddere debitum? Et quid ſine conſenſu, an ſit irregularis?*

58 *An ordines minores impedimentũ matrimonio præſtẽt?*

54. O*Rdo ſacer* validè & ſine graui metu ſuſceptus, iure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium ſubſequens, id enim definitum eſt à multis Pontificibus, & nouiſſimè à Tridentino. *Cap.* 1. & 2. *qui cler. vel vouentes.* Conc. Trid. *ſeſſ.*24. *can.*9. Gutier. *cap.*94. *num.* 10. Filliuc. *tract.*10. 2. *p. num.*121. Ex hac propoſitione patet, *Primò*, ordines minores nec dirimere nec impedire matrimon. *Secundò*, ſi ordo ſit inualidè ſuſceptus propter aliquem defectum eſſentialem matrimon. validum eſſe, vt ſi quis ordinem ſuſcepit ab eo qui ſe finxit Epiſcopum, cùm non eſſet. *Tertiò*, patet ſacrum ordinem per metum grauem ſuſceptum non dirimere matrimon. ſi metus fuit incuſſus à cauſa libera. Conin. *diſp.*20. *num.*145. Henriquez *lib.*12. *cap.* 5. *num.* 9. Sanchez *lib.* 7. *d.* 29. *num.* 5. quia neque obſtat conſtitutio Eccleſiæ, neque votum ſolemne ordini ſacro annexum, cùm illud ſit inualidum, quamuis contrarium doceat *Baſilius*, *Pontius* apud Dian. *de ſacramentis reſol.*193. *p.*3. *Quartò*, infertur votum non dirimere matrim. iure naturali, ſed tantummodò impedire. Vnde ſi Summ. Pontifex diſpenſaret cum ſacerdote abſque legitima cauſa, validum eſſet matrim. quamuis illicitum, nam cenſeretur ablatum eſſe impedimentum dirimens, ab Eccleſia inductum. Bonac. *q.*3. *p.*9. *n.*114. Sanch. *lib.*7. *d.*28. *n.*11. Sylu. *in ſuppl. q.*53. *art.* 3. *q.* 1. *Quintò*, patet matrimon. antea contractum non dirimi per ſuſceptionem ordinis ſacri; & hæc eſt *differentia* inter maiores ordines, & profeſſionem, *quòd* profeſſio diſſoluit matrimon. non ſolùm

Concil. Trident. Gutierez Filliuc. Conink. Henriq. Sanch. Diana. Bonac. Sanch. Sylu.

ſequens,

Digitized by Google

ſequens, ſed etiam antecedens, modò non fuerit conſummatum; *ordines* verò maiores diſſoluunt ſolum modò ſequens. Ita *Ioan.* 22. *in Extrauag. Antiquatit.* 6. P. Ledeſm. *q.* 53. *art.* 4. D. Thom. *in ſuppl. q.* 53. *art.* 4. Sylu. *ibid. concl.* 1.

P. Ledeſ. D. Tho. Sylu.

55. Nunquam fuit permiſſum in Eccleſia, ſiue Latina, ſiue Græca, ſacro ordine præditos matrimonium inire: quia ab initio naſcentis Eccleſiæ id prohibitum fuit, vt conſtat ex *Canon. Apoſtol.* 17. Sanchez *lib* 7. *d.* 18. *num.* 3. Azorius *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 13 Sylu. *c. concl.* 1. *&* 4. Vnde ſi Græcus aliquis ſacerdos contraheret matrimonium, inualidè contraheret; permiſſum tamen eſt Græcis iam coniugatis ſacros ordines ſuſcipere, & vti matrimonio ante ſacros ordines celebrato, quia decretum Eccleſiæ decernens eſſe annexum ordinibus ſacris votum ſolemne caſtitatis, non eſt acceptatum à Græcis, & ſic minimè peccant vtendo matrimonio ante ordines inito. *Innoc.* 3. *Cap. cùm olim, de cler. coniug.*

Sanchez. Azorius. Sylu.

56. Initiatus *ordine ſacro* matrimon. contrahens peccat mortaliter, & eſt excommunicatus, *Clem.* 1. *de conſang.* incurritque irregularitatem etiam ante conſummatum matrimonium; ſecundùm Sanchez *lib.* 7. *d.* 48. Couarrus 2. *p. cap.* 6. §. 3. *num.* 1. & alios, licet Nauar. *cap.* 27. *num.* 195. & quidam alij negant incurrere ante conſummationem.

Sanch. Couar. § Nauar.

57. Quando coniugatus poteſt facere diuortium quoad thorum, & habitationem, aut religionem intrare, poteſt etiam inuita vxore ad ordines ſacros promoueri. Conin. *d.* 35. *dub.* 6. *num.* 32. Sanchez *e. d.* 39. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 52. Rodriquez 1. *p. cap.* 224. *concl.* 4. Gutierez *cap.* 96. Syluius *c. art.* 4. Præterea de conſenſu libero & legitimo vxoris licitè ſacros ordines ſuſcipere poteſt, modò vxor ingrediatur religionem, ſi iuuenis ſit, aut ſaltem vouerit caſtitatem, ſi ſit ſenex, qui autem ſacros ordines ſuſcepit de conſenſu vxoris, peccat mortaliter petendo, aut reddendo debitum; qui verò ordines ſuſcepit abſque conſenſu vxoris, non poteſt petere debitum; quia per votum caſtitatis ſacris ordinibus adnexum; obligauit ſe ad ſeruandam caſtitatem; poteſt tamen reddere vxori petenti, nam ipſa non fuit priuata ſuo iure, propter ordines ſuſceptos à viro abſque legitimo illius vxoris conſenſu. Imò talis coniugatus ad ordines promotus contra diſpoſitionem iuris & abſque legitimo vxoris conſenſu, irregularis erit. *Extraung. antiqua.* Sayrus *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 28.

Conink. Sanchez. Nauar. Rodriq. Gutierez Syluius.

Sayrus.

Vide infra verb. *Religio* 11. num. 2.

58. *Ordines minores* nullum prorſus impedimentum matrimonio præſtant, quia nullus eſt textus id interdicens; imò nec Eccleſiæ integrum eſt, ijs qui hactenus ad ordines minores prouecti ſunt, continentiæ legem indicere; nec peccat clericus ex iuſta cauſa recedens à clericatu, etiam ſi viduam ducat, aut bis matrimonium ineat, abſque cauſa autem venialis culpa eſſet. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 120. Sanchez *lib.* 7. *d.* 31. Toletus *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 4. Rodriquez *cap.* 224.

Nauar. Sanch. Rodriq.

De impedimento ligaminis.

SVMMARIVM.

59 *Quid ſit impedimentum ligaminis? & an habere plures vxores iure diuino ſit prohibitum? & an Summus Pontifex poſſit diſpenſare in vxorum pluralitate? An polygamia ſit intrinſecè mala?*

60 *An binæ, trinæ, quaternæ & vlteriores nuptiæ prioribus diſſolutis licitæ ſint ac verum ſacramentum? Et an benedictio ſit ſecundò nubentibus impertienda.*

61 *Quanta certitudo de morte alterius coniugis requiratur, vt coniux ſuperſtes poſſit ad alias nuptias tranſire? Et an vxor quæ ſecundò nupſit credens priorem virum eſſe mortuum, teneatur recedere à ſecundo, poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe? & quid ſi tantummodò dubitet, an poſſit petere vel reddere debitū.*

62 *An Iudicis prudentis arbitrio, ſpectatis circumſtantijs relinquatur, an probatio mortis prioris viri ſit ſufficiens, vt ſecundò nubat?*

59. PEr *impedimentum ligaminis*, ſignificatur vinculum prioris matrimonij, quo durante poſterius eſt irritum; & quidem plures habere vxores diuino iure in Euangelica lege prohibitum eſt, quia tamen contra priuatim matrimonij finem non eſt, qui prolis educatio, & generatio eſt, diſpenſatum à Deo fuit cum antiquis partibus, quorum exemplo etiam ad reliquos ex Iſraelitico populo propagata diſpenſatio eſt: Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrimon. can.* 2. D. Thomas 4. *d.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *d.* 8. *num.* 4. 5. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. num.* 161. Quare nullis fidelibus, nec infidelibus licita eſt hodie polygamia, & dum infideles baptiſma ſuſceperint, cogendi ſunt ad primam vxorem legitimam redire, ſeparandique ſunt ab alijs matrimonijs prima vxore ſuperſtite initis, tanquam ab omninò irritis. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 2. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 10. *q.* 1. *p.* 3. *colu.* 4. Summus Pontifex nullatenus poteſt in hac vxorum pluralitate diſpenſare, quòd tum lege naturali, tùm etiam lege Chriſti, ob veram ſacramenti ſignificationem interdicta, nec vlla conſuetudine effici poteſt licita hæc vxorum pluralitas: eò quòd conſuetudo præualere nequeat aduerſus ius naturale, & diuinum poſitiuum, ſed ſolùm contra humanum. Conink *d.* 26. *d.* 2. *num.* 20. Reginaldus *l.* 31. *num.* 4. Gutierez *de matrimon. cap.* 106.

Concil. Trident. D. Tho. Sanch. Filliuc.

Valent.

Conink. Regin. Gutierez

Sed exinde petes, an polygamia ſit intrinſecè mala? Reſp. Polygamiam mulieris eſſe contra ius naturæ, Polygamiam viri, eſſe præter ius naturæ, nec admittere diſpenſationem humanam, ſed tantùm diuinam, vt dictū eſt. Probatur prior pars, quia vt mulier habeat plures viros repugnat omnibus matrimonij finibus, vt notant Sotus 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 3. Bellar. *lib.* 1. *cap.* 10. *de matrimon.* Nam quatuor fines matrimonij conſtitui poſſunt, *Primus* ſuſceptio & educatio prolis; at mulier quæ multis miſcetur, redditur ſterilis, vt Philoſophi, & medici docent, & experientia in meretricibus oſtendit: vir autem prolem incertam non tam ſtudioſè educabit, cùm ſuſpicari poſſit ex alterius mariti ſemine procreatam. *Secundus*, communis vitæ ſocietas, familiæ adminiſtratio, & officiorum domeſticorum partitio: at hic finis per multitudinem virorum planè impeditur, perinde ac ſi in vno corpore eſſent plura capita; quod eſt contra illud Domini Matth. 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. *Tertius eſt*, remedium concupiſcentiæ; at hæc incitaretur potiùs, quàm mitigaretur, præterquam quòd iras, rixas, & diſcordias excitaret inter riuales; quas diſcordias vxor non poſſet commodè compeſcere; cùm illi conueniat ſubiici, & obedire, non præeſſe, & dominari. *Quartus*, vt ſit ſacramentum Chriſti, & Eccleſiæ; cui iſta polygamia planè repugnat: nam vnus Chriſtus eſt, cui Eccleſia iungi debet, nec ſine fornicatione plures Deos agnoſcere poteſt. Poſterior pars probatur ex inſtitutione matrimonij in paradiſo; nam quamuis opus eſſet propagatione generis humani, Deus tamen vnicam coſtam traxit ex Adamo, eamque ædificauit in mulierem, dicens, *erunt duo in carne vna*, vt oſtenderet monogamiam eſſe iuris naturalis. Vnde & *Adam* coactus eſt eſſe monogamus, quia nec filiam potuit ducere, nec neptem, aut proneptem. Deinde videtur iniquitas quædam & inæqualitas, vt vxor totam ſe viro tradat, vir autem non ſe totum vxori, cui etiam conſequens eſt, vt vna magis diligatur quàm alia, quod eſt fomentum rixarum & contentionum, etiam inter fœminas ſanctas, vt *Geneſis* 16. inter Saram & Agar. *Geneſis* 30. inter Liam & Rachelem. 1. *Regum* 1. inter Annam & Phenennam. Ita Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 80. Bellarm. *c. cap.* 11. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap* 7. §. 3. Hurtadus *de matrim. diſp.* 9. *diffic.* 1. & alii. Cæterùm, quamuis pluralitas maritorum ſimul cum vna vxore iure naturali ſemper fuerit illicita, & nulla, potuit tamē diuina conceſſione fieri valida & licita, vt contra *Bellar.* docent *Sanchez.* & alii: quia Deus eſt ſupremus Dominus corporum omnium.

Sotus. Bellarm.

Sanch. Bellarm. Henriq. Couar. Hurtad.

60. Quidam hæretici ſecundas, & vlteriores nuptias, etiam prioribus morte alterius coniugis diſſolutis, damnarunt, at veritas Catholica eſt, biennas; quaternas, & vlteriores nuptias prioribus diſſolutis licitas eſſe, ac

verum

Concil. Nicen. Gutierez Bonac. Filliuc. D. Tho.

verum ſacramentum. Concil. Nicen. *can.*8. Sanch. *lib.*7. *d.*81. Gutierez *cap.*106. *num.*10. Bonacina *de matrim.* *q.*3. *p.*10. *n.* 10. 11. Filliucius *tract.* 10. 2. *p. cap.*4. *in fine.* D. Thom. *in ſuppl. q.* 63. *art.* 1. Sylu. *ibi. ratio prioris* eſt, quia cùm primæ nuptiæ morte pœnitus diſſolutæ ſint, nullum poſſunt aliis legitimè ineundis impedimentum præſtare. *Ratio poſterioris* eſt, quia nihil deeſt, ratione cuius non ſit ſacramentum, cùm in illis reperiantur omnia, quæ pertinent ad ſacramentum matrimonii, nimirum perſonæ legitimæ, quæ ſunt debita materia, remota, expreſſiones conſenſuum, quæ ſunt materia propinqua, & forma. Tamen denegatur illis ſecundis nuptiis benedictio, quando ſaltem alteri coniugi in priori matrimonio impertita eſt, ne repetita in vilipendium eat, vt habetur in *Cap. vir, de ſecundis nuptijs.* Quamuis conſuetudine introductum ſit; vt ſemper cōferatur benedictio etiam in ſecundis nuptiis, quando alter coniux benedictionem non ſuſcepit, ſiue ſit vir, ſiue fœmina. Ratio eſt, quòd non cenſeatur iterari benedictio, cùm impenditur per ſe ratione coniugis non benedicti: per accidens autem etiam alteri confertur, quia non poteſt vni conferri, & non alteri. Ita Sanchez *l.* 7. *diſput.* 82. *num.* 23. Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 2. *num.* 3. *lit. G.* & alii.

Sanch. Henriq.

61. Vt *Coniux ſuperſtes* poſſit cum alio matrimonium inire, requiritur certitudo moralis tanta de morte alterius coniugis, quanta iudicio prudentis ſufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuum eſſe. Rodriq. *cap.* 232. Sanch. *lib.* 2. *d* 45. *num.* 6. Vxor tamen quæ contraxit matrimonium ſecundo, credens priorem virum eſſe mortuum, tenetur recedere à ſecundo poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe, alioquin exponit ſe periculo adulterii, & peccat mortaliter petendo vel reddendo debitum, poſt huiuſmodi notitiam, ſi verò non certò nouit priorem virum ſuperſtitem eſſe, ſed tantummodò dubitat, non poteſt exiſtente dubio debitum petere, tenetur tamen alteri coniugi petenti reddere, quia alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum eſſe matrimonium, niſi dubitans ita probet vt alter propter eius motiua, & probationes teneatur credere. Nauar. *cap.* 22. *num.* 53. Gutierez *de matrim. cap.* 50. Henriquez *l.* 11. *c.* 15. *num.* 13. Sanchez *lib.* 2. *d.* 41. *num.* 32.

Nauar. Gutierez Henriq.

62. *Probatio* mortis prioris viri, non omninò qualis eſſe debet, præſcribi poteſt, ſed iudicis prudentis arbitrio attentis circumſtantiis occurrentibus relinquitur: et illud eſt ſpeciale in morte probanda, vt teſtes non citata parte, ſed ex mero iudicis officio examinari poſſint: imo opinantur aliqui ſufficere teſtem vnum affirmātem coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire; ſed verius eſt, non ſufficere vnum teſtem; ſi tamen coniux obierit in loco diſtanti, ita vt non poſſint facilè haberi aliæ probationes, ſatis erit nuncius: longiſſima autem abſentia coniugis, non eſt probatio mortis illius, ſicut nec habetur per ſolam famam, niſi fortè tanta ſint indicia, vt nullus ſit amplius dubitandi locus de illius morte. Rodriq. *c. num.* 2. Gutierez *cap.* 51. *num.* 3 Sanchez *l.* 2. *d.* 46. Bonacina *c. num.* 13. Syluester *v. matrim.* 8. *quaſit.* 13. Diana *de ſacramentis reſol.* 214. *p.* 3.

Rodr. Gutierez Sanchez. Bonac. Diana.

De impedimento publica honeſtatis.

SVMMARIVM.

63 *Quid ſit honeſtas publica? & ad quem gradum conſanguinitatis ſe extendat poſt Concilium Tridentinum?*
64 *Quo iure ſit inductum hoc impedimentum?*
65 *An hoc impedimentum ſit perpetuum?*
66 *An ex ſponſalibus conditionalibus oriatur publica honeſtas ante conditionis euentum? & an ex matrimonio rato? & ad quem gradum extendatur?*
67 *An ex matrimonio rato irrito oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? & quid quando ſponſalia communi diſſoluuntur conſenſu?*

D. Tho. Regin. Filliuc. Gutierez

63. HOneſtas publica, ſecundùm D. Thom. 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *quaſt.* 4. Regin. *lib.* 31. *n.* 126. Filliuc. *tr.* 10. 2. *p. n.* 220. Gutier. *c.* 103. *n.* 5. *eſt propinquitas ex ſponſalibus validis, & certis proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter honeſtatem eius*: ex quo patet ex ſponſalibus inualidis, & cum perſona incerta non conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis; & attento iure antiquo, durabat hoc impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus conſurgens, vſque ad quartum gradum, hodie autem per Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de matr.* ad primùm ſolùm conſanguinitatis gradum extenditur; cū affinibus autem alterius ſponſi nō oritur, quia ius hoc impedimentū ſtatuens cū ſolis cōſanguineis interdicit nuptias.

Concil. Trident.

64. Hoc impedimentum publicæ honeſtatis non eſt inductum iure naturæ, vel diuino, ſed iure Eccleſiaſtico, vnde infidelis qui tempore infidelitatis contraxit ſponſalia cum Berta, poteſt validè matrimonium inire cum eius matre vel ſorore, non ſolùm ante baptiſmum, verùm etiam poſt ſuſceptum baptiſmum; quia infidelis non ſubditur legibus Eccleſiæ, qua eſt hoc impedimentum. Sanch. *lib.* 7. *d.* 68. *num.* 2. Bonac. *c. p.* 11. *num.* 6.

Sanch. Bonac.

65. Impedimentum hoc eſt perpetuum, ita vt nec morte alterius ſponſi extinguatur. *Cap. ſponſam, & Cap. ſi quis deſponſauerit* 27. *quaſt.* 2. multò minùs ceſſabit hoc impedimentum, quando ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium, tum quia impedimenta matrimonij non dependent à voluntate contrahentium: ſed ab Eccleſia, quæ conſtituit, vt impedimentum publicæ honeſtatis conſurgat ex ſponſalibus validis: Tum quia nulla maior ſponſalium diſſolutio accidere poteſt quam alterius ſponſi morte, ſed in tali caſu durat etiam impedimentum, ergo: Toletus *l.* 7. *cap* 13. *num.* 2. Sanchez *c. num.* 21. Verùm in contraria ſententia ſunt Pontius *lib.* 7. *cap.* 36. *n.* 9. Gutierez *cap.* 103. Rebellus *p.* 2. *lib.* 3. *q.* 14. *num.* 3. Sà *v. matrim. num.* 12. qui citant declarationem Cardinalium ſic aſſerentem. *Si ſponſalia ſoluuntur de conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe inualida.* Vnde ſi de hac declaratione conſtet Authenticè, dicendum eſſet, ex ſponſalibus mutuo conſenſu nullum naſci impedimentum. Proinde qui contraxit ſponſalia cum filia, & poſtea illis ex communi conſenſu diſſolutis, cum matre contrahere vult, nulla opus eſt diſpenſatione Pontificis, vt reſoluit Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 222. Hurtad. *de matrimon. diſp.* 21. *diſ.* 1. Ratio eſt, quia ſponſalia quæ mutuo conſenſu diſſoluuntur, euaneſcunt immediatè, & ratione ſui, & ſponſis viuentibus vnus deſiuit ad alterum pertinere, & è contrà, non verò quæ morte alterius diſſoluuntur; quia iſta mediatè tantùm, & ex defectu ſubiecti, & ipſis viuentibus ſemper vnus pertinuit ad alterum, & è contrà; ac proinde ex iſtis, vtpote perpetuis, & ſemper validis, oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Et ob eandem rationem non oritur ex ſponſalibus diſſolutis, quia vnus ob cauſam ſufficientem reſiliuit.

Toletus. Sanch. Pontius. Gutierez Rebel. Sà. Diana. Hurtad.

66. Ex *ſponſalibus conditionalibus* nulla oritur publica honeſtas ante conditionis euentum; quare valebit matrimonium initum cū ſorore eius ſponſæ, conditione nondū exiſtente: quia cum conditio ſuſpendat conſenſum vſque ad eius aduentum, antequam impleatur, ſponſalia non ſunt valida ex defectu conſenſus: quod intelligendum eſt, quando conditio eſt de futuro, ſi enim conditio ſit de præſenti, aut præterito; orietur ſtatim impedimentum publicæ honeſtatis, ſi conditiones verè extent. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 2. Rodriq. *cap.* 233. *n.* 3. Sotus 4. *d.* 41. *quaſt.* 1. *art.* 2. Sanchez *diſput.* 69. Sicut ex ſponſalibus de futuro conſurgit publica honeſtas matrimonium dirimens cum conſanguineis ſponſæ in primo gradu, à fortiori conſurget ex matrimonio rato, quod fortius vinculum eſt, & maiorem coniunctionem importat; & hoc impedimentum honeſtatis ex matrimonio rato extenditur vſque ad quartum gradum; vnde vir mortua vxore ante conſummatum matrimonium non poteſt ducere conſanguineam vxoris vſque ad quartum gradum. Sic declarauit *Pius V.* in motu proprio, *Ad Romanum ſpectat.* Reginaldus *lib.* 31. *n.* 128. Filliucius *c. cap.* 6. *num.* 223. Sanch. *c. d* 70. *num.* 16. Rodriq. *cap.* 234. Valentia *tom.* 4. *d.* 10. *quaſt.* 5. *p* 3.

Henriq. Rodriq. Sotus. Sanch. Regin. Filliuc. Sanch. Rodriq. Valent.

67. Oritur hoc *impedimentum publicæ honeſtatis* ex matrimonio rato irrito quacumque ex cauſa, modò non ſit ex defectu conſenſus; quia à iure antiquo recedendum non eſt, niſi quatenus aliter decernitur iure nouo, ſed iure antiquo conſurgebat hoc impedimentum ex matrimonio

monio

Digitized by Google

monio inualido, modo non eſſet inualidum defectu conſenſus, ergo: ſic etiam habetur ex declarationibus Cardinalium. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 2. Valentia *cit. punct.* 3. Bonacina *cit. punct.* 11. *num.* 11. Sanchez *diſp.* 70. *num.* 5. Tamen *aduertendum* eſt, ex matrim. rato inualido non induci impedimentum publicæ honeſtatis diſſoluens priora ſponſalia valida; publica enim honeſtas ſuperueniens ſponſalibus, non diſſoluit illa, ſicut dirimunt cætera impedimenta ſponſalibus ſuperuenientia. Nauar. *cap.* 22. *n.* 57. Sanchez *diſp.* 68. *n.* 24. Bonacina *cit. n.* 21.

Henriq. Valentia Bonac. Sanch.

Nauar. Sanchez Bonac.

Ex matrimonio autem rato conditionato, conditione de futuro ſuſpendente conſenſum, non oritur ante impletionem conditionis; quia ante eam neque habet vim matrimonii abſoluti, neque ſponſalium abſolutorum; iuſtitia autem publicæ honeſtatis non oritur niſi ex ſponſalibus dicto modo abſolutis, ac proinde neque ex matrimonio, niſi abſoluto, etiam conſuetudine deſumpta ab exemplo ſponſalium: oritur vero ex matrimonio conditionato poſt impletionem conditionis, vel quia tunc habet veram rationem matrimonii perfecti & abſoluti, vel quia habet rationem ſponſalium, vt aliqui opinantur.

De impedimento affinitatis.

S V M M A R I V M.

68 *Quid ſit affinitas? & quomodo menſurentur gradus inter affines? & an linea affinitatis ſit duplex?*

69 *An ad contrahendam affinitatem requiratur copula perfecta?*

70 *An contrahatur affinitas ex copula, in qua ſola fœmina, vel ſolus vir ſeminat? &c.*

71 *Vſque ad quem gradum affinitas contracta ex copula licita, uel illicita iure Eccleſiaſtico dirimat matrimonium?*

An ius antiquum quoad impedimentum affinitatis, cenſeatur ſublatum in prouincijs vbi Concil. Trid. non eſt publicatum.

72 *An affinitas ex matrimonio conſurgens dirimat iure naturæ matrimonium in aliquo gradu linea recta inter aſcendentes, & deſcendentes?* refertur duplex ſententia.

73 *Quot effectus pariat affinitas matrimonio contracto ſuperueniens?*

74 *An ſcienter contrahentes in gradibus affinitatis, vel conſanguinitatis ab Eccleſia prohibitis, ipſo facto excommunicationem incurrant?*

68 AFfinitas à Theologis & iuris vtriuſque profeſſoribus definitur, *propinquitas perſonarum proueniens ex carnali copula licita, vel illicita, omni carens parentela*: Eius gradus ita numerantur, ſicut dictum eſt in cōſanguinitate, nam quoto gradu quis conſanguineus eſt viri, vel fœminæ cognitæ, eodem eſt affinis fœminæ, vel viro; & menſurantur gradus inter affines iuxta gradus conſanguitatis; quare ſtipes in affinitate dicitur duplex illa perſona, quæ per carnis copulam commiſcetur, cum vtraque ſit origo, & radix huius affinitatis: Vnde *linea affinitatis* eſt duplex, ſicut & cōſanguinitatis, *quadam* eſt recta aſcendentium, & deſcendentium: aſcendentes ſunt ſocer, vitricus, nouerca: deſcendentes ſunt gener, nurus, priuignus, & priuigna. *Alia* vero eſt linea tranſuerſa collateralium: hi ſunt qui alterutri coniugi ſunt conſanguinei in linea tranſuerſa, nam alteri ſunt affines in eodē gradu lineæ tranſuerſæ. D. Th. 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. Filliucius *tract.* 10. 2. *par. num.* 206. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 145. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 64. Gutierez *de matrim. cap.* 99. Sylu. *in ſupplem. q.* 55. *art.* 3. 7. & 8. Nauar. *cap.* 22. *n.* 42. Couar. 2. *p. cap.* 6. §. 7. & alii.

D. Tho. Filliuc. Reginal. Sanchez Gutier. Sylu. Nauarr. Couar.

69. Ad *contrahendam affinitatem*, requiritur copula perfecta, in qua virile ſemen intra vas fœmineum recipiatur; ex ſola autem vaſis fœminei penetratione, non emiſſo intra virili ſemine non oritur affinitas: quia tota ratio ob quam ex copula oritur affinitas, eſt, quod per eā vir, et fœmina vna caro efficiantur; at non efficiuntur vna caro, niſi per copulam perfectam, ac ſufficientem ad prolis generationis, qualis eſt illa ſola in qua virile ſemen intra vas fœmineum recipitur, ſiue fiat matrice fœminea ſemen attrahente, ſiue dæmonis miniſterio, ſiue quacumque arte, ſiue caſu, ſiue ſponte, ſiue vi etiam abſque vaſis penetratione, quia id ad prolis generationem ſufficit, *cap. fraternitatis* 36. *q.* 10. Reginald. *lib.* 31. *num.* 147. Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. n.* 208. Gutierez *cap.* 87. *n.* 15. Sà *v. impedim. n.* 13. Nauar. *cap.* 22. *n.* 42. Sylu. *cit. art.* 3.

Reginal. Filliuc. Gutiere. Sà. Nauarr. Sylu.

Ab hac tamē doctrina recedit Baſilius Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 2. docens, quod ſi quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittens ſemen poſt extractum è vaſe naturali membrum, quamuis poſtmodum caſu illabatur ſemen naturale vas, nulla reſultat affinitas: ſicut nec ſi ſemen alicuius ope Dæmonis deferatur in vterum fœmineum: quia illi non ſunt facti vna caro, nec ſibi adhæſerunt. Sed circa hæc primam ſententiam tene.

70. *Non contrahitur* affinitas ex copula in qua ſola fœmina ſeminat, quia ea ſola non ſatis eſt ad prolis generationem; *neque* ex quacumque extra vas legitimum pollutione; neque ex congreſſu ſpadonum, quia ſemen prolificū non emittunt; *neque* ex copula ſodomitica, quia ex ea nō poteſt ſequi generatio; *neque* ex copula habita cū muliere mortua. Bonac. *q.* 3. *punct.* 12. *n.* 12. Sanch. *diſp.* 64. *n.* 10. Gutier. *c.* 54. An autem requiratur ad affinitatem cōtrahendam vtrumque coniugem ſemen emittere, & ſic ſeminum commixtionem fieri, quidam Doctores ſatis probabiliter affirmant id requiri, quia iuxta medicorum communem ſententiam vtrumq. ſemen ad generationē deſideratur, Graſſijs 1. *p. lib.* 2. *c.* 80. *n* 8. Viuald. *de matr. n.* 194. D. Th. 4. *d.* 41. *q.* 1. *art.* 1. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 43. & *tr.* 5. *miſc. reſ.* 19. *p.* 3. Communior tamen ſententia & probabilior ait nullatenus deſiderari ſemen fœminæ, ſed ſufficere ad affinitatem, ſi vir intra clauſtra pudoris fœminei ſeminet, quia iuxta veriorem ſententiam, ea eſt copula perfecta, et ſufficiens ad generationem, & ſubinde ad affinitatem. Rodriquez 1. *p. cap.* 227. *n.* 1. Sylueſt. *v. matrim.* 8. *q.* 15. Sylu. *cit. art.* 3. Sanchez *cit. num.* 21.

Bonac. Sanchez. Gutier.

Graſſ. Viuald. D. Tho. Dian.

Rodriq. Sylueſt. Sylu. Sanchez.

71. *Affinitas contracta* ex copula licita ſiue coniugali, ſaltem iure eccleſiaſtico dirimit matrimonium vſque ad quartum gradum: *ex illicita* vero copula dirimit tantummodo vſq. ad ſecundum gradum incluſiuè, vnde cōiuges nō poſſunt validè matrim. inire cū conſanguineis ſui cōiugis vſq. ad quartum gradum incluſiuè; ille autem qui fornicatus eſt cum aliqua, poteſt matrim. contrahere cū cōſanguinea illius in tertio, vel quarto gradu, ſic in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr. c.* 4. Rodr. *cit. c.* 227. *n.* 4. Regin. *cit. n.* 147. Filliuc. *cit. c.* 6. *q.* 3. Sylu. *cit. art.* 6. *concl.* 2. & 4. hæc affinitas reſtricta eſt. Iure autem antiquo *c. nulli, c. æqualiter* 35. *q.* 3. interdictum erat, ac irritum matrim. cum alterutrius coniugis conſanguineis, ſicut cum proprijs vſq. ad ſeptimum gradum, & ita vſque ad illum extendebatur affinitas. At reſtricta eſt per *cap. non debet, de conſang. & affinit.* ad quartum gradum. Sed difficultas eſt, an hoc ius antiquū quoad impedimentum affinitatis cenſeatur ſublatum in prouincijs vbi Conc. Trid. non eſt publicatum? Cenſent aliqui veriſimile eſſe, vbi lex Tridentini non eſt promulgata, adhuc perdurare hoc affinitatis impedimentum matrimonium dirimens vſque ad quartum gradum, ſiue affinitas ex matrimonio conſurgat, ſiue ex fornicatione. Sed contrarium aliis videtur verius. Ratio eſt, quia in lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis promulgatio nō ita ſolemnis, ſeu in ſingulis prouinciis requiritur, ſed regulariter ſufficit facta in curia, ſeu Concilio: nam promulgatio Romana, quæ ſola ad onera non fuit ſufficiens, ſufficiens fuit ad iuuamina, & ad tollenda onera: vnde dicendum eſt vbi Concilium Tridentinum non eſt publicatum, valida eſſe matrimonia contracta in tertio, aut quarto gradu affinitatis ex copula illicita. Hanc ſententiam docet Zypæus *in conſult. canon. lib.* 4. *tit. de cognat. ſpirit. conſult.* 1. *Canon.* & tamquam probabilem admittunt Præpoſitus 1. 2. *q.* 95. *diſp.* 1. *dub.* 7. Diana *par.* 6. *tract.* 8. *reſ.* 26. Malderus 1. 2. *q.* 90. *art* 4. *dub.* 2. qui nouiſſimus putat nihilominus eius reſolutionem petendam eſſe à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Concilii Tridentini.

Cōc. Tr. Rodriq. Regin. Filliuc. Sylu.

Zipæus. Præpoſ. Dian. Malder.

Ex dictis patet reſolutio cuiuſdam caſus, qui his temporibus accidit, & talis eſt. Duo conſanguinei vnus

Caius exiſtens in ſecundo, alter *Titius* in tertio gradu conſanguinitatis inter ſe, quandam Bertam in matrimonium ducendam ſunt frequentari, & vnus cum illa copulam fornicariam habuit, alter verò matrimonium de preſenti contraxit & cõſummauit: Dubiũ erat, an matrimonium illud fuerit validum. Reſponſum fuit affirmatiuè. Ratio eſt, quia ſecundum Conc. Trid. affinitas contracta ex illicita copula dirimit tantummodo matrim. vſque ad ſecundum gradum incluſiuè: & cùm iſti prædicti duo conſanguinei ſint inter ſe in tertio conſanguinitatis gradus, quia à remotiori a ſtipite ſit denominatio in iſtis gradibus; ſequitur quòd in eodem tertio gradu ſit affinis Bertæ illæ, qui matrim. de præſenti cum illa contraxit. Atqui Concilii Tridentini decretum reſtrinxit affinitatem matrimonium dirimentem ad ſecundum gradum ex culpa illicita, ſed ex licita vſque ad quartum incluſiuè: Dicendum eſt ergo prædictum matrimonium eſse ratum & indiſſolubile poſt conſummationem: quia nullum reperitur ibi affinitatis impedimentum dirimens in primo, & ſecundo gradu, ſed tantum in tertio, in quo non prohibetur matrimonium, quando affinitas ex illicita copula procedit. Aduertendum tamen eſt, illum, qui fornicariè copulatus eſt, non poſſe validè poſt mortem cognati Bertam viduam ducere, quia modo inter illos adeſt affinitatis impedimentum in tertio gradu, quod poſt Concilij Triden. decretum, matrimonium dirimit vſque ad quartum gradum incluſiuè, quando ex matrim. illa affinitas conſurgit. Et hanc ſententiam confirmauit eximius D. *Syluius* de hoc caſu conſultus.

72. *Controuerſia* eſt inter Doctores, an affinitas ex matrim. conſurgens dirimat iure naturæ matrim. in aliquo gradu lineæ rectæ inter aſcendentes, et deſcendentes: docent enim *quidam* in recta linea prohiberi iure naturæ matrim. in quocunque gradu in infinitum; quia eadem reuerentia debetur affinibus, ac conſanguineis, & eodem modo ab vtriſque abſtinẽdum eſt, Syluest. *v. Matrim.* 8. *q.* 15. *d.* 6. P. Soto *lect.* 10. *de matr. m.* Philiarch. *tr.* 1. *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *Alij* tenent in primo gradu affinitatis lineæ rectæ prohibitum, ac irritum eſſe matrim. iure naturæ, vt inter priuignam & vitricum, ſocerum & nurum, &c. quia omnes nationes ab huiuſmodi matrimon. videntur abhorrere, ſicut cum conſanguineis in primo gradu, ſic Sylu. *concl.* 3. Valentia *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *par.* 3. Vaſquez 3. *p. q.* 91. *art.* 1. *d.* 4. Conincb *diſp.* 32. *dub.* 4. *n.* 53. Couar. 2. *p. cap* 6. §. 7. *Probabilior* tamen ſententia negat affinitatem dirimere matrim. iure naturæ in vllo gradu etiam lineæ rectæ, quia non eſt tanta indecentia inter has perſonas, nec tanta turpitudo reperitur, quæ videatur ſufficiens ad irritandum matrim. iure naturæ vel diuino, ſicut inter conſanguineos in primo gradu; vnde dicendũ eſt ſolo iure eccleſiaſtico inualidum eſse matrim. etiam in primo gradu, Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 5. Gutierez *cap.* 99. *num.* 9. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 5. Bonacina *punct.* 12. *num.* 7. Sanchez *diſp.* 66. *num.* 7. Filliucius *cit. cap.* 9. *num.* 215. quia ex diſpenſatione Eccleſiæ aliquando fuerunt celebrata matrimonia cum nouercis, vt teſtatur Bonacina, et probat *Sanchez* id matrimoniũ non cenſeri apud omnes gentes interdictum. Nam Valer. Maximus *lib.* 5. *cap.* 7. & *Plutarchus in vita Demetrij* referunt, Seleucum tradidiſſe filio ſuo Antiocho in matrimonium Stratonicem propriam vxorem: ac id factum laudat ipſe Valer. Maximus. Et *Reg.* 2. Adonias filius Dauid petiit Abis, ac Sunamitidem in vxorem: & illa erat vxor Dauid, vt conſtat ex 3. *Reg.* 1. Signum ergo eſt, id matrim. non eſſe iure naturæ interdictum. Confirmatur autem hæc opinio ex eo quod Pontifices non rarò pro foro conſcientiæ diſpenſant in dicta affinitate orta ex copula fornicaria, et tamen eſt eiuſdem rationis cum ea, quæ oritur ex copula coniugali, quia fornicarii eodem modo fiunt vna caro per copulam, ac coniuges. Hanc ſententiã præter Doctores hic citatos tenent *D. Thomas, Præpoſitus, Hurtadus*, et alii citati à Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 93. Caramuel *in Theol. mor. lib.* 2. *num.* 551. & nouiſſimè me citato doctiſſimus *Caramuel* in ſua Theologia Morali. Deinde Concilia Agatenſe *can.* 61. Eupapenenſe *can.* 30. & Aurelianenſe III. *can.* 10. prohibentia expreſsè matrimonium cum priuigna, cum nouerca, cum relicta fratris, vel auunculi, præcipiunt, vt matrimonia ante illam prohibitionem contracta non diſſoluantur. Et Aurelianenſe decernit, non eſse diſſoluendum matrimonium inter prædictos contractum cum ignorantia legum Eccleſiaſticarum.

Syluest. P. Soto. Philiar. Sylu. Valent. Vaſquez Coninch Couar. Pontius. Gutier. Henriq. Bonac. Sanch. Filliuc. Maxim. Dian. Caram.

73. *Affinitas* matrimonio contracto ſuperueniens, vt accidit, quando quis poſt matrim. contractum, copulam habet cum conſanguinea ſuæ vxoris in primo, & ſecundo gradu, *duplicem* effectum parit *cap.* 1. *de eo qui cognouit.* Gutier. *cap.* 87. *n.* 2. 6. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 15. Sylu. *cit. art.* 6. *concl.* 1. Azor. 3. *p. lib.* 3. *c.* 20. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 294. *Primus* eſt, vt coniux qui commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius coniugis in primo, vel ſecundo gradu non poſſit ab ea debitum petere, priuatur enim iure petendi, licet teneatur reddere debitum alteri petenti, quia par non eſt, vt innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis. *Secundus* effectus eſt, vt coniux nocens nõ poſſit alium coniugem ducere, mortuo illo quem de preſenti habet: Ad hanc autem pœnam priuationis iuris debiti petendi, non requiritur ſententia Iudicis, ſed ipſo facto incurritur. Vide *V. Inceſtus n.* 6.

Gutier. Sanch. Sylu. Azor. Regin.

74. In iure, pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, conſtituta eſt contra eos, qui ſcienter audent contrahere in gradibus affinitatis, vel conſanguinitatis ab Eccleſia prohibitis, *Clement. unica de conſanguinit.* Sylu. *cit. q.* 55. *art.* 9. Sylu.

De impedimento impotentiæ.

SVMMARIVM.

75 *An impotentia perpetua coeundi ſit impedimentum dirimens matrimonium? & unde conſurgere poſſit hæc impotentia.*

76 *An impotentia perpetua coeundi iure naturæ dirimat matrimonium, ſi illud antecedat. Et quid iuris ſi impotentia ſit tantum temporalis. Et an cum impotentia perpetua, & cognita poſſint impotentes contrahere.* refertur duplex ſententia.

77 *Qualis impotentia ex parte fœminæ dirimat matrimonium.*

78 *An impotentia accidentalis, qualis eſt in ſenibus, matrimonio obſtet. Et quid iuris de matrimonio Eunuchorum, uel ſpadonum.*

79 *An impotentia ex maleficio conſurgens ſi illud ſit perpetuum, dirimat ſubſequens matrimonium.*

80 *In dubio an maleficium matrimonium præceſſerit, uel non, quid præſumendum.* Refertur duplex ſententia.

81 *An coniuges poſſint debitum petere, uel reddere, uel delectari, tangendo, oſculando, quando illis conſtat adeſſe impotentiam perpetuam. Et quid illis ius permittat, ſi dubitetur an impotentia ſit perpetua.*

82 *An impotẽtia matrimonio ſuperueniens illud dirimat, ſiue ratum, ſiue conſummatum fuerit. Et quid liceat illis coniugibus taliter impotentibus.*

83 *Quid iuris de matrimonio hermaphroditorum.*

84 *An ſterilitas obſtet ualori matrimonij: & quid iuris de coniugio fœminæ non potentis parere abſque manifeſto mortis periculo.*

75 VLtimum impedimentum dirimens matrim. eſt *impotentia coeundi*, ſcilicet, impedimentum perpetuum naturale, aut accidentale ad copulam naturalem perfectam, *cap. fraternitatis de frigid. & malefic.* illa verò dicitur *impotentia perpetua* coeundi, quæ nõ poteſt remoueri arte humana ſine probabili periculo animæ, aut corporis. Poteſt conſurgere hæc impotentia ex viri frigiditate, aut ex fęminæ arctitudine, tamquam ex cauſa intrinſeca, & naturali: Ex cauſa verò accidentali extrinſeca, conſurgit etiam hoc impedimentum, v. g. ſi ex maleficio, quod vtrique ſexui commune eſt, aut ex caſtratione quæ viris eſt peculiaris. *Rurſus* impotentia *quædam* eſt perpetua, *quædam* temporalis: tandem impotentia perpetua *quædam* eſt abſoluta reſpectu omnium, *quædam* vero reſpectiua reſpectu huius, vel alterius ſimilis. D. Thomas 4. *diſt.* 34. Nauar. *cap.* 22. *n.* 59. Sanchez *lib.* 7. *diſp.*

D. Tho. Nauar. Sanchez

Filliuc. Henriq. Syluẽ.

*diſp.92. num.*1. Filliucius *tract.* 10. 2. *par. num.*61. Henriquez *lib.*12. *cap.*7. Sylu. *in ſupplem. quæſt.*58. *art.*1. *quæſit.*1. & alii.

76. *Impotentia perpetua* coeundi antecedens matrimonium, dirimit illud, non ſolùm iure Eccleſiaſtico, verùm etiam iure naturæ, ex quacumque cauſa proueniat, *cap.*2. *de frigid. & malef.* quia ad valorem matrimonii requiritur, vt coniuges poſſint fieri vna caro, ſed cùm impotentia perpetua non poſſunt fieri vna caro, ergo. *Impotentia* verò *temporalis* matrimonium non dirimit, excepta impotentia ratione ætatis, quando nempe matrimonium celebratum fuit inter impuberes nondum aptos ad generationem: ius enim Eccleſiaſticum *cap. continebatur*, & *cap. ex literis, de deſponſ. impub.* matrimonium impuberũ irritat, quamuis impotentia eorũ temporalis ſit, quod in alia impotentia temporali minimè ſtatuit. *Impotentia* autem perpetua matrimonio ſuperueniens, ſiue rato, ſiue conſummato non dirimit illud. Gutierez *cap.* 112. *num.*2. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 99. Coninch *diſp.* 31. *num.* 77. Sanchez *diſp.*92. *num.*2. Bonacina *q.*3. *punct.*13. *num.*12. Sylu. *cit. quæſit.*2. et alii.

Gutier. Regin. Conink. Sanchez Sylu.

An autem impotens cum impotentia perpetua, & cognita poſſint inire verum matrimonium in ordine ad caſtè viuendum, communior & probabilior ſententia negat; quamuis Baſilius Pontius *de matr. lib.*7. *cap.*55. affirmatiuam ſententiam teneat, et probabiliter ad ſenſum Dianæ *par.*4. *tr.*4. *reſ.*75. qui etiam poſt *Sanchez* pro hac ſententia citat *Paludanum*, *D. Antonin. P. Soto, Medinam.* Ratio autem cur impotentia perpetua ſemper dirimat matrimonium, ſiuè ſit cognita, ſiuè ignorata, eſt: quia per hoc quod cognoſcatur, non deſinit eſſe contraria ſubſtantiæ matrimonii; quandoquidem non compatiatur ſecum traditionem corporis ad actum coniugalem, quæ eſt de intrinſeca ratione contractus matrimonii: deinde hanc ſententiam videtur apertè definire *Sixtus V.* in Bulla edita 1587. vbi declarat matrimonia cum ſpadonibus, vel eunuchis cum quibuſlibet mulieribus, ſeu defectum prædictum ignorantibus, ſeu ſcientibus, eſſe, ſemperque fuiſſe irrita. Vnde hanc ſententiam tenent Sanchez *cit. diſp.*97. *n.*2. Valentia *tom.*4. *diſp.* 10. *q.* 5. *punct.*3. Toletus *lib.*7. *cap.*16. Layman *lib.*5. *tract.*10. *par.*4. *cap.*11. Præpoſitus *in ſuppl. q.*7. *dub.*19. *num.* 166. Tannerus *tom.* 4. *diſp.*8. *q.*4. *dub.*8. *num.*136. Sylu. *in ſupplem. q.*58. *art.*1. *quæſit.*2. Diana citatus.

Pontius. Dian. Sanchez Valentia Tolet. Laym. Præpoſ. Tanner. Sylu.

77. *Impotentia* ex parte fœminæ vocatur *arctitudo*, quæ ſi tanta ſit, vt ſemen recipere intra vas non poſſit, irritat etiam matrimonium, & hæc impotentia poteſt eſſe perpetua reſpectu vnius, quæ non erit reſpectu alterius, vt quando fœmina eſt arcta vni, & non alteri, nec eſt vllum remedium quo reddatur lata, & apta aptiori: & quidem reſpectu huius, circa quem eſt impotentia perpetua dirimitur matrimonium; tunc autem perpetua cenſetur, quando nulla humana arte abſque corporali periculo, vel abſque peccato remoueri poteſt. Filliucius *cit. cap.*3. *num.*64. Sanchez *cit. diſp.*93. *n.*2. Bonacina *cit. n.*6. Pontius *lib.* 7. *cap.* 61. Nomine autem *periculi corporalis* non intelligitur mors ipſa, ita vt impedimentum, quod abſque morte tolli poteſt, non cenſeatur perpetuum, vt nonnulli Iuriſperiti immeritò affirmant (quia quamuis quod abſque morte tolli poteſt, non ſit phyſicè perpetuum, poteſt tamen eſſe moraliter tale) ſed intelligitur periculum mortis, vt deducitur ex dicto *cap. fraternitatis*, quia periculum mortis moraliter æquiualet morti. Imo quod auferri non poteſt abſque graui, et perpetuo morbo, cenſetur perpetuum: quia moraliter æquiualet morti phyſicæ, non minùs, imo magis, quàm periculum mortis, quia ad vitandum talem morbum, poteſt rationabiliter appeti periculum mortis, imo etiam mors ipſa.

Filliuc. Sanchez. Bonac. Pontius.

Quod autem poſſit dari impotentia reſpectu vnius, & non alterius, ex eo probatur, quia contingere poteſt, quòd vir ita ſit debilis, mulier ita arcta, aut membrum viri ſit ita groſſum, & os vaſis fœminei ita anguſtum, quod fœmina nulla humana induſtria poſſit, abſque vitæ periculo ei viro proportionari, vt ab eo cognoſcatur, & quod ſit proportionata alteri, aut poſſit proportionari abſque dicto periculo, vt poſſit ab eo cognoſci. Fœmina vero arcta, quæ Medicorum iudicio poteſt fieri apta proprio viro per inciſionem, iuxta communem ſententiam tenetur illam pati etiam cum graui dolore, quia hoc videtur neceſſarium ad copulam, cuius poteſtatem, & ius transtulit in maritum; non teneretur tamen inciſionem pati cum grauiſſimo morbi incommodo; matrimonium autem cum hac impotentia celebratum, eſt validum, cùm non ſit perpetua, fœmina enim illa poteſt arte humana fieri apta per inciſionem, quamuis ipſa nolit, aut non teneatur pati. Henriquez *lib.* 12. *cap.*7. *num.* 8. Sanchez *cit. num.* 32. Sà *verb. matrim. imped. num.* 14. Gutierez *cap.* 112. *num.* 31. & alii.

Henriq. Sanchez. Sà. Gutier.

Nihilominus in tali caſu tale impedimentum eſſe perpetuum, & matrimonium declarandum nullum, docet Baſilius Pontius *de matrim. lib.*7. *cap.*62. *n.*2. Vnde fœmina non tenetur pati inciſionem, vt facilior pateat aditus viro. Et hanc ſententiam eſſe probabilem docet Diana pluribus in locis *tr. de Sacramentis reſ.* 201. Et in *Additionibus ſecundariis reſ.*3. *par.*3. dicens dum defectus congrediendi cum fœmina non oritur ex nimia, & ſpeciali arctitudine fœminæ, ſed ex parte viri, ob extraordinariam debilitatem, aut quid ſimile, tunc non teneri fœminam ſciſſionem pati; imo ipſi viro incumbere, vt ſe ope medicinæ reddat habilem ad copulam. Quod ſi per triennium facto experimento non valeat coire, declarabitur per Eccleſiam nullum eſſe matrimonium. Vnde ſecundùm Hurtadum *de matrim. diſp.*22. *diffic.*3. *num.*8. impotentia ad penetrationem vaſis dirimit matrimonium, quamuis ſit potentia ad ſeminãdum extra vas, imo in ore vaſis; tum quia hæc ſeminatio per ſe non ſufficit vt per eam coniuges fiant vna caro (id eſt principium vnius carnis) etiamſi fortè, et per accidens aliquando ſufficiat, ſi fortè aliquando virtute naturali matricis intromittatur pars aliqua ſeminis ſufficiens ad generationem, & conſequenter ad affinitatem: tum etiam, quia potentia ad ſic ſeminandum eſt impotentia moralis ad ſeminandum, quia talis ſeminatio nequit fieri ordinariè abſque peccato, iuxta dicendum infra *num.* 81. & 82.

Pontius. Dian. Hurt.

78. Quando *impotentia accidentalis* tantùm eſt, vt ſi ex ſola ſenectute proueniat, matrimonio non obſtat; quia ſenex ſemper retinet intrinſecam potentiam ſuam ſeminandi, quæ tantùm per accidens per ſenectutem impeditur: poteſt enim aliquando aliqua arte iuuari ad conſummationem matrimonii. Filliucius *cit. cap.*3. *num.*74. Rodriquez *cap.* 234. *num.* 5. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 3.

Filliuc. Rod. Henr.

Quidam tamen Doctores matrimonium eſſe irritum docent contractum à ſene, ſi omnino impotens ſit ad copulam, hic enim laborat impotentia perpetua. Sanchez *diſp.*62. *num.*24. Gutierez *cap.* 112. *num.* 15. Quando teſtes abſciſſi ſunt matrimonio obeſt, & quidem ita, vt etiã irritet, ſi vterque teſtis abſciſſus eſt; ſecus ſi tantùm vnus: hinc matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, vel ſpadone, qui ſcilicet caret ſemine inualidum eſt, vt declarauit *Sixtus V.* Idem dicendum de illis, qui non ſunt Eunuchi perfecti, ſed nihilominus habent vtrumque teſtem ita contuſum, vt ſint inepti ad verum ſemen emittendum. Et probatur ex eo quod docent communiter Doctores, impotentiam ad ſeminandum, quamuis ſit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare ad matrimonium, quod ſignificari videtur in *cap.* 1. *de frigidis, & maleficiatis*, dum fœminæ, quia non potuit effici mater à viro quem accipit, conceditur licentia vt nubat alteri. Ex eo autem quod vir nequeat ſeminare, quamuis poſſit penetrare vas, non poteſt fœmina fieri mater per ſe ex defectu veri ſeminis, neque contrahentes poſſunt fieri vna caro, id eſt principium vnius carnis; ergo impotentia ad ſeminandum inhabilitat ad matrimonium, quamuis ſit potentia ad penetrationem vaſis: Hi enim Eunuchi nequeunt verum ſemen emittere, quamuis poſſint virgam erigere, & vas fœmineum penetrare, vt docent Reginaldus *lib.*32. *num.*102. Toletus *lib.*7. *cap.* 16. *num.*2. Filliucius *cit. cap.*3. *num.*76. & 77. Sanchez *cit. num.*17. Sylu. *cit. quæſit.*4.

Sanchez Gutier. Reginal. Tolet. Filliuc. Sanchez. Sylu.

Infirmi vero, exiſtentes in articulo mortis, quamuis iam non poſſint coire, habiles ſunt ad matrimonium, vt

docent communiter Doctores, & vſus Eccleſiæ probat, quia eorum impotentia non cenſetur perpetua, quia quamuis duret vſque ad mortem, id contingit per accidens ex defectu ſubiecti, quia ſi ſubiectum non moreretur, tandem potentia fieret expedita.

79. *Impotentia* ex maleficio conſurgens, ſi illud perpetuum ſit, dirimit ſubſequens matrimonium, *cap. final. de frigid.* Henriquez *lib.12.ca.8.* Bonacina *cit.n 9.* Sanchez *diſp.94.n.*8. Reginaldus *cit.n.*104. Filliucius *cit.cap.3.q.6.* Sylu. *cit. art.2.* Cenſetur autem *maleficium perpetuum*, ſi vel non niſi alio maleficio tolli poſſit, vel miraculo; puta, quia coniuges poſt experientiam triennalem, non potuerunt copulam habere, præmiſſis precibus & alijs remediis, pro maleficio amouendo. *Notandum* autem eſt, maleficium quandoque impedire potentiam abſolutè, & quoad omnes, quandoque tantum reſpectu vnius; at rarò contingit circa omnes, et communiter eſt erga vnam, vel alteram perſonam maleficium; et tunc cum perſona illa, ad quam eſt impotentia, dirimetur matrimonium, ſi illa perpetua ſit.

Henriq.
Bonac.
Sanch.
Filliuc.
Sylu.

80. Quando dubitatur, an maleficium matrimonium præceſſerit, vel factum fuerit poſt celebratum matrimonium? quidā Doctores ſatis probabiliter opinantur præſumi factum poſt matrimonium, conſequenter non eſſe impedimentum dirimens; quia impotentia matrimonium dirimens debet præcedere matrimonium, & non ſubſequi. Ita Sanchez *lib.7.diſp.*103.*n.*5. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 105. Gutierez *cap.*116. Aliis tamen probabilius videtur dicendum, in hoc caſu præſumi maleficium fuiſſe factum ante matrimonium, et conſequenter eſſe impedimentum dirimens matrimonium, quia in dubiis iudicandum eſt in fauorem matrimonii, quando matrimonium poteſt ſortiri ſuum effectum, id eſt, procreationem prolis, vel ſaltem fugam fornicationis. Ita Henriquez *lib.12.cap.8.n.3.* Bonacina *cit. punct. 13.num.11. Sa verb. matrim. imped. num.* 14.

Sanch.
Regin.
Gutier.
Henriq.
Bonac.
Sà.

81. Coniuges quibus conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, non poſſunt debitum petere, vel reddere, nec poſſunt delectari tangendo, oſculando; quia hi actus ſunt actus coniugales, qui non poſſunt exerceri exiſtente matrimonio inualido, Henriquez *lib.12.cap.7.n.7.* Sà *cit. n.* 14. Quando autem non conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, ſed tantummodo dubitatur, permittuntur coniuges ſimul cohabitare per triennium vt matrimonium conſummẽt, quo tempore ſi nequeant conſummare, facienda eſt ſeparatio propter periculum incontinentiæ. Gutierez *cit. cap.* 114. Conink *d.31.num.* 83. Sanchez *diſp.*97. ſecluſo vero incontinentiæ periculo, iura permittunt, vt vir habeat tanquam ſororem, quam non poteſt habere vxorem, vt conceditur in *c. conſultationi, & cap. laudabilem, de frigid. Triennium* autem experientiæ ad conſummandum, incipit à die copulæ attentatæ, quando impotentia prouenit ex frigiditate, vel maleficio, quando vero prouenit ex arctatione, incipit quando incipiunt remedia adhiberi. Reginaldus *cit. num.* 107. Sanchez *diſp.* 110. Non tamen opus erit, vt triennium iſtud ſit continuum mathematicè, ſed morali modo accipi debet prout vulgariter coniuges continuè cohabitare dici ſolent. Si tamen notabilis, & tota ſimul interpolatio facta fuiſſet, ſuppleri debebit, tantundem temporis ſuperaddendo; nam de paruulis interpolationibus, etiamſi tota eorum collectio notabile temporis ſpatium conflaret, non erit curandum. Itaque iudicio prudentis iudicis id definiendum erit.

Henriq.
Sà.
Gutier.
Conin.
Sanch.
Regin.
Sanchez

82. *Impotentia* matrimonio ſuperueniens illud non dirimit, ſiuè ratum, ſiuè conſummatum fuerit, et quidem quando eſt impotentia ſola veri ſeminis effundendi, vt quando vir vtroque teſticulo orbatur, ita vt coire queat, licet non ſit capax veri ſeminis emittendi, licet illi copula, & culpa vacat, ſiuè petat, ſiuè reddat; quia hic vtitur iure ſuo vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit; ſemen autem non emitti per accidens contingit, & ſic obtinetur finis matrimonii ſecundarius, nempe ardorem concupiſcentiæ ſedare; neque eſt ſimile de copula extra vas, quia illa non eſt coniugalis, nec iure matrimonii initur, ſicut illa quæ habetur intra vas. Valentia *to.4.diſp.10.q.5.par.3.* Toletus *lib.7.cap.16.num.4.* Rodriquez *1.par.cap.234.n 2.* Henriquez *lib.12.cap.8.n.* 3. Sanchez *lib.7.diſp.*102. Filliucius *tract. 10. par 2 num.* 103. Sylu. *in ſuppl. q.58. art.1. quæſit.* 5. Vnde quando vir poſt matrimonium in eam impotentiam incidit, vt intra vas fœmineū ſeminare nequeat; vel quia fœmina ita arcta facta eſt, vt ſemen recipere non valeat, vel ob viri imbecilitatem aliumve morbum, nequaquam licitus erit coniugatus acceſſus cum hoc periculo, quia copula coniugibus permiſsa eſt ſolùm intra vas legitimum; liciti tamen eſſent his coniugibus tactus, & oſcula, & amplexus, ſi pollutionis periculum abſit: vbi autem probabilis ſeminandi intra vas ſpes ſubeſſet, licitum eſſet ad id conari, quamuis per accidens, ac præter intentionem extra vas ſemen effundatur, quia coniux ille operam dat rei licitæ procurans copulam ſibi poſſibilem, ac permiſſam, & præter intentionem ſequitur externa illa effuſio. Caietanus *2.2. q.154. art.1.* Sotus *4. dd. d. 34. q.1.art.2* Henriquez *lib.11. cap. 15.num 4. & cap.10. num.* 7. Rodriquez *cap.* 242. *num.9* Nauarrus *cap.22. num.*60. Sanchez *lib. 9. diſp.17.num* 20. *& ſeq.* et alii.

Valentia
Tolet.
Rodriq.
Henriq.
Filliuc.
Sylu.
Caiet.
Sotus
Rodriq.
Nauar.
Sanchez

83. *Hermaphroditus*, in quo ſexus eſt æqualis, et neuter præualet, poteſt eligere quem ſexum ipſe voluerit, et ſecundùm illum contrahere matrimonium, quando autem præualet vnus ſexus, poteſt matrimonium inire iuxta ſexum, qui in ipſo præualet; vnde ſi præualet ſexus virilis, poteſt contrahere cum fœmina, ſi præualet ſexus fœmineus, poteſt contrahere cum viro: Ad Medicos autem pertinet indicare, vel ad matronas peritas, quinam ſexus præualeat; in dubio tamen iudicium ferendum eſt ex ipſius hermaphroditi aſſertione: *Notandum* autem eſt, hermaphroditum in quo vterque ſexus eſt æqualis, facta ſemel electione ſexus, & contracto ſemel iuxta illum ſexum matrimonio, non poſſe abſque graui peccato mortuo coniuge mutare electionem, & ſecundùm alium ſexum contrahere matrimonium; variaret enim electionem in re grauiſſima, quamuis ſi contraheret, validum eſſet matrimonium, quia illius potentia naturalis non aufertur per electionem, aut per iuramentū antea præſtitum non variandi electionem ſexus; *Parochus* vero non debet aſſiſtere matrimonio hermaphroditi, in quo vterque ſexus eſt æqualis, donec hermaphroditus coram iudice Eccleſiaſtico proteſtatus ſit cum iuramento, quem ſexum ſequi velit. Vide Filliucium *cit.cap.3.n.90.91.* Gutierez *cap.*119. Sanch. *lib.7.diſp.*106. Coninch *d. 31.n* 89. Bonacinam *cit. q.3. punct.12. n.26. & ſeq.* Henriq. *lib.14. cap.8.n.6.* Maiolus *lib.3.de irreg.cap.27.n.16.* et alios.

Filliuc.
Gutier.
Sanch.
Conin.
Bonac.
Maiol.

84. Sterilitas non obeſt valori matrimonij, quia etſi id matrimonium non ſortiatur primarium finem, qui eſt generatiò prolis; attamen ſortitur ſecundam, qui eſt ſatiſfactio concupiſcentiæ, intercedente vera copula. Ita D.Thomas *4. diſt. 34. q. unic.art.2.ad* 3. communiter receptis.

D.Th.

Sed dubium eſt, de coniugio fœminæ non potentis parere abſque manifeſto mortis propriæ periculo, cùm tamen apta copulæ ſit, an ea impotentia matrimonium dirimatur. Probabilis certè eſt ſatis ſententia affirmatiua, quia in *cap. fraternitatis, de frigid. & malefic.* decernitur mulierem arctam; quæ ſine vitæ periculo aptari nequit congreſſui virili, eſſe ineptam matrimonio, atque eam impotentiam cenſeri perpetuam: At fœmina non potens abſque vitæ periculo parere, nequit abſque eo reddere debitum, & cognoſci a viro: reddens enim exponitur periculo conceptionis, & partus. Ita Victoria *in ſuis prælectionibus.* Rodriquez *tom. 1. ſum.cap.234. num.6.* Petrus Ledeſma *de matrim.q.58. art.1.* & alii.

Victor.
Rodr.
Ledeſ.

Probabilior tamen eſt ſententia negatiua. Ratio eſt, quia reperitur in eo matrimonio obligatio, & traditio poteſtatis corporum ad perfectam copulam, & ſaltem tempore ſenectutis ceſſabit tale periculum; ideoque cum non ſit perpetua talis impotentia, non dirimet matrimonium. Impotentia enim patiendi abſque vitæ periculo tamquam quid poſterius ipſa matrimonii eſſentia, illud vitiare nequit. Henriquez *lib.12. de matrim. cap.7. n 8.* Filliucius *tract.10. p.2. num.65.* Sanchez *de matrim. lib. 7.diſp.92.num.27. &* 28. et alii.

Henr.
Filliuc.
Sanc.

Item habilis eſt matrimonio fœmina, quæ filios omnes pareret mortuos.

De

Digitized by Google

De impedimentis quæ poſuit Concilium Tridentinum agimus alibi: & quidem de primo vide Matrimonium V. & de ſecundo vide verb. Raptus.

SVPPLEMENTVM.

MATRIMONIVM II.

De impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *An matrimonium ex falſo errore impedimenti dirimentis, ſit validum?* refertur duplex ſententia.
2 *An Papa poſſit reddere inhabiles perſonas priuatas ad contrahendum matrimonium?*
3 *An requiratur iuſta cauſa, vt poſſit Pontifex impedimenta matrimonium dirimentia conſtituere?*
4 *An dum Pontifex interdicit ſuo præcepto matrimonium, eo ipſo reddatur irritum, contra prohibitionem initum?*
5 *An in Principe infideli ſupreme ſit, & ſemper fuerit poteſtas ſtatuendi impedimenta ſuis infidelibus? Et an hæc præcepta obligent etiam fideles in illis partibus commorantes?* refertur duplex ſententia.
6 *An Epiſcopi ex viſui muneris poſſint in ſuis diœceſibus impedimenta ſtatuere?* Refertur duplex ſententia.

§. I.

De impedimento erroris.

7 *An matrimonium contractum cum errore qualitatis perſonæ propter dolum, ſit validum?*
8 *An matrimonium liberi cum ſerua ex ignorantia ſeruitutis fiat validum, ſi eam cognoſcat affectu maritali?*
9 *Si dominus det nuptui ancillam ſuam libere celando ſeruitutem, an talis ancilla fiat libera, & tale matrimonium ſit validum?*
10 *Quando dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, an eo ipſo fiat libera?* Refertur duplex ſententia.

§. II.

De impedimento Voti.

11 *An matrimonium conſummatum per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem, dirimatur reluctante altero coniuge?*
12 *An vinculum matrimonij conſummati per profeſſionem Religionis ex mutuo conſenſu coniugum, ſoluatur?*

§. III.

De impedimento Ordinis.

13 *An obligatio qua tenentur Clerici ſacrorum Ordinum ad continentiam, ſit ex Conſtitutione Eccleſiæ, vel ex voto?* refertur duplex ſententia.
14 *An licitè, & validè poſſit contrahere matrimonium, recipiens ſacros Ordines voluntariè, cum intentione non ſe obligandi ad votum caſtitatis?*
15 *An ordinatus ſacris Ordinibus poſt annos diſcretionis, ſed ante 16. annum ætatis ſuæ completum, teneatur ad caſtitatem, & ſi Ordine vti nolit, poſſit licitè, & validè ad matrimonium tranſire?* refertur duplex ſententia.
16 *An votum Ordini ſacro annexum, ex natura ſua, & per ſe ſit ſolemne inſtar voti profeſſorum; an potius per accidens?* refertur duplex ſententia.

§. IV.

De impedimento conſanguinitatis.

17 *Conſanguinitas vnde deriuetur, & quid ſit.*
18 *Quæ ſit differentia in computatione graduum conſanguinitatis lineæ collateralis, quæ ſit iure ciuili, & quæ Canonico.*
19 *An omnes gradus conſanguinitatis Leuitici 18. expreſſi obligent in lege Euangelica?* refertur duplex ſententia.
20 *Olim Eccleſia coniugium indixerat vſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum: at hodie reſtricti ſunt gradus vſque ad quartum incluſiuè.*

§. V.

De impedimento cognationis Spiritualis.

21 *An conuenienter Eccleſia ſtatuerit in duobus tantum Sacramentis, nempe in Baptiſmo, & Confirmatione contrahi cognationem ſpiritualem matrimonium dirimentem.*
22 *Quotuplex erat iure antiquo cognationis ſpiritualis ſpecies.*
23 *Quot patrini in Baptiſmo, & Confirmatione poſſint, & debeant adhiberi iure antiquo, & nouo Tridentini.*
24 *An infidelis ſit capax ſpiritualis cognationis contrahendæ.*

§. VI.

De impedimento criminis.

25 *An quauis ignorantia coniugij alterius excuſet ab impedimento criminis incurrendo propter adulterium, & fidem datam.*
26 *An mortaliter peccet promittens matrimonium alteri, poſt mortem coniugis, & promiſſionem acceptans.*
An adulterium, & promiſſio matrimonij debeant fieri viuente coniuge, vt impedimentum incurratur.
27 *An taciturnitas inducat acceptationem promiſſionis externæ factæ ab adultero de matrimonio contrahendo, vt inducat impedimentum matrim. dirimens.* refertur duplex ſententia.
28 *An homicidium ab adultero, & adultera perpetratum cum intentione contrahendi matrimonij inter ſe, inducat impedimentum dirimens, ſi ea intentio exterius non manifeſtetur.*
29 *An occidendo vxorem animo ducendi incertam perſonam incidat in impedimentum dirimens.*

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

30 *An inter filios legales ſit impedimentum cognationis legalis.*
31 *Ad quotum gradum ſe extendat cognatio legalis impediens, & dirimens matrimonium.*

§. VIII.

De impedimento diſparitatis cultus.

32 *An infidelis habens plures uxores, conuerſus ad fidem ſeparandus ſit ab illis.*
33 *An infidelis conuerſus ad fidem poſſit, & teneatur non recedere ab infideli coniuge, ſi ſpes ſit eius cōuerſionis.*
34 *Quando infidelis eſt innocens, fidelis autem adulter, ſi ratione adulterij diuertat infidelis, an poſſit fidelis prius matrimonium diſſoluere.*
35 *An matrimonium conſummatum conuerſi cum infideli ante Baptiſmum, diſſoluatur per eius profeſſionem ſolemnem.*

An poſſit Pontifex matrimonium conſummatum infidelium ex iuſta cauſa diſſoluere, ſi ad fidem conuertantur? refertur duplex ſententia.

37 *An matrimonia contracta inter ipſos infideles ſint valida, & legitima?*

§. IX.

De impedimento ligaminis.

38 *An dubius de morte ſui coniugis validè denuò contrahat? Et quid ſi adſit tantum præſumptio veriſimilis, & probabilis de morte alterius? Et an in hoc caſu Iudex Eccleſiaſticus poſſit licentiam dare tranſeundi ad ſecundas nuptias?*

39 *An ſufficiat vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire?* refertur duplex ſententia.

40 *An mors coniugis ſufficienter probetur per famam? Et quæ conditiones deſiderentur, vt fama plenè probet.*

§. X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

41 *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum?* refertur duplex ſententia.

42 *An publica honeſtas oriatur ex matrimonio contracto clandeſtinè ſine Parocho, & teſtibus?* refertur duplex ſententia.

43 *Qui poſt ſponſalia de futuro cum aliqua, contrahit matrimonium de præſenti cum eius ſorore, an teneatur priori fidem ſponſalium præſtare? Et quid ſi matrimonium conſummarit?*

44 *Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro cum Maria, ineantur ſponſalia abſoluta cum eius ſorore, an hodie ex poſterioribus ſponſalibus impedimentum oriatur?*

45 *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex matrimonio celebrato inter impuberes.*

§. XI.

De impedimento affinitatis.

46 *An affinitas ex copula coniugali orta, ſit quid naturaliter inſtar conſanguinitatis?*

47 *An infidelis, qui cum vxore conſummauit matrimonium, poſt Baptiſmum poſſit ducere conſanguineam vxoris intra quartum?*

48 *An ex copula fornicaria iure naturæ oriatur aliquod vinculum?* refertur duplex ſententia.

49 *Affinitas vnde deriuetur, & quid ſignificet?*

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

50 *Quæ impotentia coeundi dicatur perpetua, vt matrimonium dirimat?*

51 *Ad valorem matrimonij, an ſatis ſit potentia vas fœmineum penetrandi?*

An valeat matrimonium quando mulier eſt incapax ad ſeminandum?

52 *An impotentia coeundi in viro poſſit conſurgere ex nimio calore?*

53 *An fœmina reſpectu vnius viri arcta, præſumatur talis reſpectu omnium? In dubio quid faciendum, an fœmina fuerit cognoſcibilis à priori viro, ſicut fuit à poſteriori?*

54 *An cenſeatur impedimentum perpetuum, quando vir eſt ita debilis, vt ad virginem ſit impotens, ſed ad corruptam potens, ſi virgo illa poſſit reddi apta tali viro abſque mortis periculo?*

55 *Quando matrimonium diſſoluitur ob alterius coniugis impedimentum perpetuum, an non impeditus poſſit ad alias nuptias tranſire?*

56 *Ex quibus ſignis dignoſcitur frigiditas in viro, vel maleficium matrimonium dirimens.*

57 *Quando maleficium cenſeatur perpetuum.*

58 *An diſſolutione facta legitimè matrimonij per Eccleſiam ratione maleficij; concedenda ſit licentia vtrique coniugi ad alias nuptias tranſeundi.*

1 Controuerſum eſt apud Doctores, quando ſponſi ſiue alter ſponſus in actu contrahendi ſub falſo errore exiſtimabat ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens, quod verè non ſuberat, ſciens matrimonium cum huiuſmodi impedimento celebratum, eſſe nullum, & tamen contrahit, an matrimonium ſit validum? Multi negant, quia in actu contrahendi requiritur voluntas abſoluta, & determinata: non poteſt autem humana voluntas efficaciter intendere id, quod ei repræſentatur impoſſibile. Sed quando contrahens exiſtimat ſe eſſe impeditum aliquo impedimento dirimente, iam exiſtimat ſe non poſſe validè contrahere, ergo non intendit, nec poteſt intendere verè contrahere, ſed ad ſummum facere actum illum externum contrahendi fictum, & ſimulatum, quod non ſufficit ad verum matrimonium contrahendi. Ita Pontius *de matrim. lib.4. cap.23.* Conink *diſp.24. dub.6. num.* 53. Sotus *in 4. diſt.37. quæſt. unic. art.* Syluester *verb. Matrimonium 8. quæſt.* 13. *verſ. Quintum,* & alii probabiliter. Verùm contraria à nonnullis ſuſtinetur vt probabilior, in caſu quo contrahentes intendant contrahere, quantùm in ipſis eſt. Probatur, quia matrimonium validè celebratur, quando contrahentes ſunt habiles, et habent ſufficientem conſenſum, ſed in hoc caſu contrahentes ſunt habiles, & habent ſufficientem conſenſum ad contrahendum, cùm intendant contrahere quantum poſſunt, ergo matrimonium validè celebratur. Confirmatur, quia ſtante tali exiſtimatione erronea, talis conſenſus conditionatus eſt poſſibilis, cum poſſint habere ſaltem intentionem conditionatam: vt ſi non adſit tale impedimentum validè omninò velint matrimonium perficere, quantum poſſunt: & ex hac intentione valebit matrimonium, dum reuera in facto eſſe non aderat tale impedimentum ex errore exiſtimatum. Ita Sanchez *de matrimon. lib. 2. diſp. 23. num.* 2. Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt.55. art.9.* Couarruuias *de matrimon. part.2. cap.3. §.7. num.* 2. Henriquez *lib. 11. cap. 11. num.* 5. Rodriquez *1. par. Summ. Latinæ cap. 232. n.* 3. et alii. Quamuis Nauarrus *in Man. cap. 22. num.* 56. putet non valere matrimonium, ſi dum contrahit, credit illud non fore validum; quia non conſentit legitimè in matrimonium: ſecus ſi credit matrimonium valere, licet credat contrahendo peccare mortaliter, vt rectè Syluester *loco cit.* explicuit, declarando conformes eſſe opiniones, quæ contrariæ videbantur.

Pontius. Conin. Sotus. Syluest.

Sanch. Ledeſ. Couar. Henriq. Rodriq. Nauar.

Syluest.

2. Sicut Papa ex iuſta cauſa poteſt reddere inhabiles ad matrimonium omnes perſonas certi generis, v.g. cõſanguineos vſque ad quartum gradum, ita licitè poteſt reddere inhabiles perſonas priuatas ex graui cauſa, puta ob cauſam vitandæ magnæ perturbationis Reipublicæ, aut grauium diſcordiarum, vel magnæ diſparitatis inter contrahentes. Ratio eſt, quia non eſt maior ratio totius Eccleſiæ, quàm aliquarum particularium perſonarum; & de facto huiuſmodi poteſtate vſum fuiſſe Summum Pontificem, teſtatur Additionator ad Nauarrum *lib. 4. tit. de matrim. contra interdictum Eccleſ. contractum conſil. 1. in 2.* quem ſequuntur *Hoſtienſis, Ancharanus, Felinus, Paludanus, D. Antoninus*, vt teſtatur Sanchez *de matrim. lib.7. diſp.1. num.7.* Imò probabile eſt in pœnam alicuius grauis delicti poſſe Papam reddere aliquam perſonam perpetuò inhabilem ad matrimonium, quæ aliàs iure naturæ habilis ſit; ſicut poſſet capite plectere, aut in ſeruitutem redigere, priuando libertate à natura conceſſa. Si enim Pontifex poteſt in pœnam delicti impedire perpetuò matrimonium, vt de facto impediuit propter inceſtum, & alia crimina, cur non poterit ita alicui interdicere matrimonium, vt contra prohibitionem initũ efficiatur inualidũ, vbi grauitas delicti id exegerit; quia poteſtas Pontificia nõ eſt arctata ad ſola impedimenta matrimonium impedienda ſtatuenda, ſed etiam ad dirimen-

Additionator ad Nauar.

Digitized by Google

rimentia extenditur. Ita ſuſtinet Sanchez *loco citato n.8.* ex auctoritate Calderini & Alexandri de Næuo. De quo tamen poteſt dubitari; maximè ſi matrimonium tali perſonæ eſſet neceſſarium in remedium concupiſcentiæ: hæc enim perſona ſic cogeretur ad perpetuam continentiam; cùm tamen ad illam nemo abſque proprio conſenſu aſtringi poſſit, ex *cap. integritas 22. qu. 1.* vide Conink *de Sacrament. diſp. 30. dub. 1. nu. 9.* Perez *de matrim. diſp. 21. ſect. 3. num. 8.*

Conink. Perez.

3. Cùm matrimonium ſit vinculum iure naturali & diuino inuentum, ac omnibus conceſſum, excepto ſaltem primo gradu conſanguinitatis inter aſcendentes, & deſcendentes, non poteſt Pontifex illud ad libitum interdicere, nec eius contrahendi ius adimere. Sed requiritur ad hoc iuſta cauſa, vt poſſit Pontifex impedimenta matrimonium dirimentia conſtituere, qua non exiſtente, probabile eſt, matrimonium contra eiuſdem prohibitionem initum valere. Nam licet Pontifex diſpenſando in iis, quæ ſunt de iure humano abſque cauſa, peccet, at valida ſit diſpenſatio. Secus tamen dicendum eſt, dum interdicit matrimonium in gradibus iure naturæ conceſſis, non exiſtente cauſa iuſta. Vnde olim dum Eccleſia interdixit matrimonium, vſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum, iuſtam habuit cauſam interdicendi: at poſt ſucceſſu temporis experientia docuit expedire gradus reſtringere, vt dicitur *in cap. non debet, de conſanguinit. & affinit.* & ita ibi reſtricti ſunt. Poſſet autem Pontifex etiam modo plures gradus prohibere, ſi iudicaretur adeſſe nouam cauſam plures interdicendi. Ita docent *Hoſtienſis, Henricus, Barthol. Ledeſma, Alexander de Neuo,* quos citat & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſp. 1. n. 6.* quibus adde Tannerum *t. 4. diſp. 8. quæſt. 4. dub. 1.*

Sanchez. Tanner.

4. Varij variè ſentiunt, an dum Pontifex interdicit ſuo præcepto, aut conſtitutione matrimonium, eo ipſo reddatur irritum, contra prohibitionem initum. Pro ſolutione tamen dicendum eſt, inſpiciendam eſſe vim & circumſtantias præcepti: ſi enim eſſet ſimplex prohibitio, non haberet vim irritandi. Ratio eſt, quia cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent, *cap. ad Apoſtolicam, de regular.* & prohibitio ſit nuda ac ſimplex, non eſt dicendum rem tam arduam ac tanti momenti, ac eſt matrimonium, tunc irritari, vt apertè deciditur *in cap. a. de matrim. contract. contr. Interd. Eccleſ. in fine*, ibi: *Licet enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conueniens, vt ob id ſolum, Sacramentum coniugij diſſoluatur, aliqua tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt.* Tum quia omnia impedimenta matrimonii impedientia ſolùm, prohibent matrimonium iniri, illud tamen cum eis initum minimè diſſoluunt, vt tradunt communiter Doctores.

Si verò adiiceretur præcepto decretum generale irritans non referens ſe ſpecificè ad matrimonium, vt ſi Pontifex interdicens matrimonium, addat, ſi quid contra geſtum ſit, fore irritum & inane, matrimonium erit validum quia cùm matrimonium ſit res ardua & grauiſſimum negotium ſit illud irritare, ſpecificam clauſulã poſſit. Proinde clauſula illa irritans debet intelligi, vt contra geſtum non valeat in præiudicium alicuius. Si autem clauſula decreti irritantis faciat ſpecificam matrimonii mentionem, id irritans ſi contra prohibitionem initum ſit, ſic haberet vim irritandi: quia cùm Papa id poſſit & ex decreto irritante appareat eam velle, vtique matrimonium irritabit, quando cauſa prohibitionis eſt perpetua; ſecus ſi cauſa interdicendi ſit temporalis, vt pluribus citatis docet Sanch. *lib. 7. diſp. 2.* quem ſequuntur Filliucius *tract. 10. p. 2. num. 11.* & alii.

Sanchez. Filliuc.

5. Certum eſt apud omnes, in Principe infideli ſupremo fuiſſe omni tempore & eſſe poteſtatem impedimenta ſtatuendi matrimonium dirimentia ex iuſta cauſa ſuis infidelibus: quia in iſtis Principibus eſt poteſtas ferendi leges ad tranquillitatem & bonum ſuæ Reipub. tuendum: ergo ſicut ad hunc finem poſſunt ſtatuere leges circa alios contractus ciuiles; ita etiam circa contractum matrimonij, qui eſt ciuilis, poſſunt condere leges tam impedientes, quàm illum irritantes: quia matrimonia infidelium non ſunt Sacramenta, nec infideles ſunt ſubiecti Eccleſiæ, ſed ſolis ſuis Principibus. Proinde matrimonium contractũ ab infidelibus contra leges à ſuis Principibus latas matrimonium dirimentes, nullum eſt vt notat D. Thomas *in 4. diſt. 39. quæſt. unic. art. 2.* quem omnes ſequuntur. Difficultas eſt, an Principes gentiles ſtatuentes impedimenta matrimonium dirimentia obligent etiam fideles in ſuis partibus commorantes, qui ciuiliter ſunt illis ſubiecti. Affirmant Conink *de Sacrament. diſp. 30. dub. 1. numer. 7.* Sanchez *lib. 7. diſp. 3. num. 7.* Becanus *de Sacrament. matrim. cap. 49. quæſt. 2.* & alij. Ratio eſt, quia Sacramenti ratio ſuperaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimentia, ſed ſola reſeruatio Pontificia, quæ ad Principes infideles extendi nequit. *Verum* contraria ſententia eſt probabilior, quæ probatur ex eo, quòd non excedat poteſtatem indirectam Eccleſiæ, omnes vbique terrarum degentes Chriſtianos eximere legibus ciuilibus & ſubiicere Eccleſiaſticis, quòd attinet ad matrimonij validitatem, aut inualiditatem; cùm plurimùm interſit propter Sacramenti dignitatem, in hac re vniformitatem inter omnes Chriſtianos exiſtere. Hinc fit, eundem Chriſtianum non ſubiacere impedimentis huius Principis infidelis, ſed ſolùm ſubiici ſtatutis ab Eccleſia: quia in eo non eſt ſubditus illius Principis, ſed ſolius Eccleſiæ, cùm matrimonium cõtrahendum eſt verè Sacramentum. Ita Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 1. num. 7.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 1.* Caſpenſ. *tom. 2. tract. 26. diſp. 9 ſect. 1.* & alij.

Conink. Sanchez. Becanus. Layman. Pontius. Caſpenſ.

6. Quidam putant Epiſcopos poſſe ex vi ſui muneris, ſi ſolùm ius diuinum & naturale inſpiciatur, in ſuis Diœceſibus impedimenta dirimentia ſtatuere, ſicut integrum eſt Summo Pontifici in vniuerſa Eccleſia. Ratio eſt, quia olim ab Epiſcopis conſtituta fuerunt multa impedimenta tantùm in ſuis Diœceſibus & Concilijs Prouincialibus, & nationalibus, quæ poſtea ab vniuerſali Eccleſia vel præcepta ſunt, vel approbata, vel partim recepta, ſeu approbata, & partim exploſa. Tum quia Epiſcopi habent plenam poteſtatem condendi leges in ſuis Diœceſibus & ſtatuendi quidquid ſaluti ſpirituali ſuorum ſubditorum expedit, ergo & ſtatuendi impedimenta matrimonii. Tum quia nullus eſt textus in iure Canonico, qui talem poteſtatem Epiſcopis adimat, & Summo Pontifici reſeruet. Ita ſuſtinent Sanchez *l. 7. diſp. 1. num. 9* Couarruuias *de matrim. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 16.* Gaſpar Hurtad. *de Sacram. diſp. 12. diffic. 2.* & alii. Contrarium apud alios videtur verius: nam per talia impedimenta matrimonium propriè & per ſe irritatur: quatenus eſt contractus merè ciuilis, & tantùm conſequenter, quatenus eſt Sacramentum: ergo dum Eccleſia ſibi hanc poteſtatem aſſumit, vtitur poteſtate illa indirecta, quàm habet circa res temporales, vt de iis diſponat, quatenus hoc expedit bono ſpirituali fidelium, quæ immediatè conceſſa eſt toti Eccleſiæ et eius capiti ſupremo; nullo verò modo ſingulis Epiſcopis; qui circa res ciuiles inuitis Principibus nihil poſſunt ſtatuere, tametſi ſaluti fidelium expediat, dummodo ſit eorum ſaluti omninò neceſſarium. At inducere noua impedimenta matrimonij, tametſi poſſet eſſe fidelibus expediens, ſed non eorum ſaluti omninò ac ſimpliciter neceſſarium, ergo non eſt talis facultas in Epiſcopis.

Sanchez. Couar. Hurtad.

Cæterum, quidquid ſit de his opinionibus, certum eſt hodie ex contraria & vniuerſali Eccleſię conſuetudine vim legis habente, poteſtatem inducendi matrimonii impedimenta Romano Pontifici reſeruatam eſſe, vt fatetur ipſemet Sanchez *loco citato*, Caſpenſis *tom. 2. tractat. 26. diſputat. 6. ſect. 1. numer. 1. numer. 7.* Layman *tract. 10. part. 4 cap. 1. numer. 4.* Pontius *lib. 6. cap. 1. numer. 21.* et omnes.

Sanchez. Caſpenſ. Leym. Pontius

§. I.

De impedimento erroris.

7 MAtrimonium contractum cum errore qualitatis perſonæ propter dolum eſt validum, v.g. ſi quis volens ducere in vxorem primogenitam Petri, vult priùs illam inſpicere ſit formoſa, ſibique placeat: ſed oſtenditur illi ſecundo genita, ſiue alia mulier pulchra, quæ illi for-

Digitized by Google

formoſa videtur & placet : poſtea verò iſte talis contrahit matrimonium cum primogenita ipſius Petri, quam ducere volebat in vxorem, non aduertens, an ſit illa, quæ ſibi priùs fuerat oſtenſa; validum eſt matrimonium cum tali dolo & errore contractum. Ratio eſt, quia tunc non adeſt error perſonæ; ſed tantùm qualitatis perſonæ, nam iſte verè contraxit & contrahit matrimonium, cum primogenita Petri, quam intendebat ducere in vxorem, quamuis errauerit in qualitate pulchritudinis alterius, quæ ſibi fuerat oſtenſa. Secus dicendum eſt, ſi tali ſponſo fuit promiſſa vna ex filiabus Petri indeterminatè abſque nota ſingulari, videlicet non denotando primam, vel ſecundam, vel tertiam: tunc ſi contingat caſus, vt ſponſo volenti videre ſponſam, an ſibi placeat, oſtendatur vna formoſa, ſed poſtea in contractu matrimonij ſupponatur alia filia, diſtincta ab illa, quæ fuerat oſtenſa, non eſt validum matrimonium: quia talis ſponſus credit ſe contrahere cum ea quam vidit, & ad quam dirigit intentionem ſuam in contractu matrimoniali, & propterea error eſt perſonæ ſubſtantialis & non accidentalis. Ita Tabiena *verb. Impedimentum, impedim. 1. quæſt. 4. num. 5.* Sanchez *lib. 7. diſp. 18. num. 35.* Conink *diſp. 31. dub. 1.* & alij. Ex dictis ſequitur, quando quis exiſtimat ducere in vxorem talem determinatam perſonam, ſed per errorem, ſiue dolum contrahit cum alia, matrimonium non tenet: ſecus quando error eſt ſolùm de nomine & non de perſona. Error enim ſimpliciter nominis alterius coniugis non vitiat conſenſum, cùm conſtet de corpore, *l. in venditionibus, ff de contrah. empt.*

Tabiena
Sanchez.
ConinK.

8. Matrimonium, quod liber contrahit cum ſerua, neſciens ſtatum ſeruitutis illius, ſi poſtea, cognita ſeruitute & nullitate contractus, habeat copulam cum ea affectu maritali, ſit validum, ſi adſit nouus mutuus conſenſus, ſiue verbis, ſiue ſignis. Siue autem huiuſmodi ſponſi non habeant cognitionem inualiditatis contractus, non exiſtimatur matrimonium nulliter contractum reualidari per copulam factam animo, & affectu maritali, eo quòd durãte ignorantia facti habent copulam exiſtimantes ſe verè eſſe coniuges & non intendunt de nouo conſentire ad validandum matrimonium nulliter factum per nouum conſenſum. Ita habetur expreſsè *in cap propoſuit, de coniug. ſeruor.* & docent Gutier. *cap. 90. num. 9.* Conink *diſp. 31. dub. 2. num. 25.* Bonac. *q. 3. punct. 3. num. 6.* & alii apud ipſos citati.

Gutierr.
Conink.
Bonacin.

9. Si dominus det nuptui ancillam ſuam alicui libero, celando ſeruitutem ancillę, tunc talis ancilla fit libera. Ratio eſt, quia dominus in hoc caſu celans conditionem ſeruilem ſuæ ancillæ eſt in culpa ob iniuriam, quæ fit per tale matrimonium alteri coniugi libero contrahenti inſcio illius ſeruitutis, ideòque tum in pœnam talis culpæ, tum in fauorem matrimonii ancilla conſequitur libertatem, quia conſentiens in aliquod principale, conſentit etiam in id, ſine quo illud perfici validè non poteſt. Ergo cùm dominus conſentit in contractum matrimonii ſuæ ancillæ cum libero, videtur etiam conſentire ad libertatem, ſine qua tale matrimonium validè perfici non poteſt. Ita habetur *in Authent. Ad hoc, Cod. de Latina libert.* Atque idem dicendum de ſeruo contrahente eodem modo cum libera.

Sed petes, an tale matrimonium ſit validum, & ratio dubitandi eſt, quia in hoc caſu videtur præcedere matrimonium ſaltem prioritate naturæ, & ſic in actu contrahendi matrimonium, adhuc erat impedimentum ſeruitutis, & ita ratione erroris talis conditionis matrimonium non fuit validè contractum. Reſpondeo hoc nõ obſtante, validum eſſe matrimonium. Ratio eſt, quia cùm ſtatim eodem momento, quo perficitur matrimonium maneat coniux ſeruilis conditionis, effectus liber, ſeruitus illa eſt nullius conſiderationis, nec obeſt matrimonij fini, nec affert incommoda, ob quæ ius Eccleſiaſticum irritauit matrimonium cum errore conditionis initum. Tum quia licet in tali caſu prioritate naturæ præcedat matrimoniũ libertatem in genere cauſæ efficientis, tamen in genere cauſæ materialis & formalis, præcedit libertas, quæ licet poſterior ſit, quàm matrimonium, ſatis eſt, quòd concurrant ſimul tempore: non enim Canones & leges ſunt metaphyſicè intelligenda, ſed moraliter. Ita Sanchez *lib. 7. diſput. 20. num. 1. & 14.* Pontius *de matrimon. lib. 7. cap. 44.* Filliuc. *tract. 10. p. 2. nu. 45. & 48.* Eman. Sà *verb. Matrimonium vbi de impedim. diriment. num. 1. verſ. Sà liber.* & alii penes ipſos.

Sanchez.
Pontius.
Filliuc.
Sà.

10. Controuerſia eſt inter Doctores, quando dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, eo ipſo an fiat libera; Reſpondeo nullum eſſe nec dari poſſe textum, qui eam libertatem decernat. Proinde partem negatiuam ſuſtinent plurimi Doctores, nempe Sanchez *loc. citat. num. 11.* & apud illum *Molina, Henriquez, Emanuel Sà, Couarruuias, Vinaldus.* Nihilominus abſolutè affirmant alii ſatis probabiliter. Quod probatur ex natura ipſa matrimonii: nam matrimonium ex natura rei talis virtutis eſt, vt ſi aliquis ducat vxorem illam, quam antea ſeruam & ancillam habebat, iam deinde illa ad dignitatem matrimonii euecta abſque alia lege & pacto, iure ipſo coniugii ſolùm, libera & ingenua permaneat. Ita enim arctum eſt matrimonii vinculum, vt duo ſub eodem thalamo commorentur, & eodem titulo & nomine gaudeant honoris, Regis, videlicet, Imperatoris, &c. Ita docent Pontius *de matrimon. lib. 7. cap. 44. num. 1.* Vaſquez *in 3. p. diſp. 81. c. 8. num. 41.* Syluester *verb. Seruitus, q. 4. in fine,* & probabilem vocat Filliucius *tract. 10. 2. p. num. 47.* Sed de his plura ipſa *verb. Seruitus.*

Sanchez.

Pontius.
Syluest.
Vasq.

§. II.

De impedimento voti.

11 CErtum eſt matrimonium cõſummatum per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem in Religione approbata non irritari nec dirimi reluctante altero cõiuge, prout deciſum eſt *in cap. Notificaſti 33. quæſt. 5. & cap. Veniens, & cap. Quidam, de conuerſ. coniug.* Ratio eſt quia profeſſio facta iniuſtè alterius coniugis non poteſt præiudicare iuri alterius acquiſito per matrimonium ratum & conſummatum: nam hoc vinculum ita aſtringit vtrumque coniugem, vt nullo modo diſſolui poſſit, niſi morte naturali intercedente alterius coniugis, quare non poterit aliquis eorum Religionem intrare, in eademque validè profiteri, ſine licentia alterius priùs obtenta, aut in cauſa liciti diuortii perpetui. Et hoc verum etiamſi matrimonium conſummatum fuerit per vim non ſolùm poſt bimeſtre, ſed etiam intra: iuxtà probabilem ſententiam, quia cõiuges per matrimonii cõſummationem facti ſunt vna caro, quæ non eſt ſeparanda, niſi per mortem alterius; iuxtà dictum Apoſtoli 1. Corinth. 7. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit,* prout dicunt Sanchez *lib. 12. diſp. 21.* Gutierez *cap. 54. num. 22.* Bonacin. *de matrim. q. 3. punct. 4. num. 7.* Reginald. *lib. 13. n. 39.* & alii communiter.

Sanch.
Gutier.
Bonac.
Reginal.

12. Matrimonii conſummati vinculum per profeſſionẽ Religionis ex mutuo conſenſum coniugum non ſoluitur, niſi per alterius coniugis mortem naturalem: quamuis quoad copulam & habitationem ſit impeditum, ob votum caſtitatis ab vtroque emiſſum. Quapropter ſi alter cõiux relictus in ſæculo aliud matrimonium inire præſumpſerit, tale matrimonium erit nullum & irritum; ac toties quoties peccato adulterii eſſet innodatus copulam exercendo cum altero: & inſuper ſacrilegium committet, ſi caſtitatem vouiſſet. Si autem aliquando inter ſe poſtea cum priori coniuge copulam habuerint, tunc peccabunt quidem peccato ſacrilegii contra votum caſtitatis emiſſum, non autem peccato adulterii, eo quòd adhuc matrimonii vinculum non ſit ſolutum quoad dominium corporum, licet quoad vſum ſit prohibitum ratione voti. De quibus Sanchez *l. 2. diſp. 21. & 22. & l. 9. diſp. 38. n. 7.* Bonacin. *q. 3. punct. 4. num. 13.*

§. III.

De impedimento Ordinis.

13 VErtitur in dubium apud Doctores, an obligatiõ qua tenentur Clerici ſacrorum Ordinum ad con-

Digitized by Google

continentiam ſeruandam, ſit ex mera conſtitutione Eccleſiæ præcipientis illis continentiam, vel ex voto, quod Eccleſia annexuit Ordini ſacro? Quidam docent eam obligationem non eſſe ex voto, ſed ex Eccleſiæ ſtatuto: atque ita votum iſtud annexum Ordini ſacro, quoad rem ipſam attinet, aliud non eſſe, quàm illam obligationem iure Eccleſiaſtico inductam ad non contrahendum matrimonium poſt ſacros Ordines ſuſceptos, & ad perpetuam continentiam deinceps ſeruandam; eamque obligationem appellari votum continentiæ implicitum, vocarique ſolemne; quia inſtar voti ſolemnis dirimit matrimonium ſubſequens. Ratio illorum eſt, quia cùm votum ſit lex priuata, quam quiſque ſua ſponte ſibimet imponit, non videtur qua ratione in Eccleſiæ poteſtate ſit, voto aliquē obligare, quamuis lege ſua poſſit illi continentiam indicere. Scotus. Valent. Ita ſentiunt Scotus *in 4. diſt. 37. quæſt. unic. §. Dico igitur.* Valentia *tom. 4. de Sacram. Ordin. diſp. 9. q. 5. punct. 5.* & multi alii Iuriſperiti probabiliter.

Cæterùm probabilius eſt, eam obligationem non conſurgere immediatè ex conſtitutione Eccleſiæ; ſed ex voto caſtitatis, quòd Eccleſia ſuo præcepto coniunxit Ordini ſacro, cogitque eos, qui ſuſcipiunt Ordinem ſactum, vt emittant votum caſtitatis non expreſsè, ſed tacitè & facto ipſo: quamuis enim non voce voueant, at facto & opere profitentur caſtitatem per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem. Probatur, quia quamuis Eccleſia neminem poſſit abſolutè cogere ad continentiam, eo quòd ſit res meri cōſilij. At in Ordine ſacro quem confert, poteſt apponere conditiones & leges iuſtas illi ſtatui conuenientes, qualis eſt, vt ad illum promotus, caſtitatem voueat. Et ſuppoſita hac lege, eo ipſo quòd quis vult ſacris initiari, vult ex conſequenti vouere & proinde id votum non eſt abſque propria voluntate. D. Thom. Azor. Bellarm. Sanchez. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. corp.* Scotus *de iuſt. l. 7. q. 4. art. 2.* Azorius *to. 1. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. & cap. 14. quæſt. 10.* Bellarm. *l. 1. de matrim. cap. 21.* Bannez, Arragon & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. l. 7. diſp. 27. num. 10.*

14. Recipiens ſacros Ordines voluntariè, cum intentione tamen poſitiua non ſe obligandi ad votum caſtitatis, tenetur nihilominus ad eam ſeruandam, nec licitè nec validè poteſt matrimonium contrahere. Ratio eſt, quia virtute ſacrorum Ordinum voluntariè ſuſceptorum, tenetur hic ad caſtitatem ſeruandam, non ratione voti præcisè, quia votum ſine intentione vouendi non ſubſiſtit, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici; cùm ergo talis voluntariè & validè receperit Ordines ſacros, ſequitur neceſſariò teneri ad caſtitatem ſeruandam, & ad abſtinendum à matrimonio. Principale enim ſequitur acceſſorium: electo autem principali, non poteſt excludere acceſſorium, & conſequenter, ſi matrimonium contraheret, eſſet omninò irritum. Idem dicendum eſt, quando quis recipit Ordinem ſacrum, neſciens in tali receptione Ordinis, annexum eſſe caſtitatis votum, nec poſſe validè matrimonium inire. Quia potuit Eccleſia iuſtiſſimam de cœlibatu Clericorum legem indicere, atque ea ligare quoſcumque in poſterum promouendos, ſiue ſcierint, ſiue ignorarint prædictam legem. Sicut quantumuis ignorarent, tenentur officium recitare, & alias ſtatus leges obſeruare: nam qui vult ſtatum aliquem, vult etiam ea, quæ ſunt ſtatui illi annexa. Sed ſtatui ſacrorum Ordinum eſt annexa obligatio perpetuæ caſtitatis ex inſtitutione Eccleſiæ, ergo. Sanchez. Vaſq. Bonac. Ita Sanchez *lib. 7 diſp. 27. n. 11. & 12.* Azor. *l. 13. tom. 1. cap. 14. q. 10.* Vaſquez *in 3. part. diſput. 247. num. 98.* Bonac. *de matrim. q. 3. punct. 9. n. 10. & 11.* cum aliis.

15. Quidam putant Ordinatum ſacris Ordinibus poſtquam peruenit ad annos diſcretionis, ſed ante decimum ſextum annum ſuæ ætati completum, non teneri ad caſtitatem ſeruandam, & ſi Ordine vti nolit, licitè & validè poſſe ad matrimonium tranſire. Ratio eſt, quia ſicut profeſſio facta ante decimum ſextum annum non obligat, ita neque videtur obligare votum caſtitatis annexum Ordinibus ſacris ſuſceptis ante annum 16. niſi completo anno ſexto decimo ſuæ ætatis votum ratificet, acceptando & Sanchez. Filliuc. exercendo Ordinem ſacrum ſuſceptum. Ita Sanchez *l. 7. diſp. 30. num. 8. & 9:* Filliucius *tr. 10. 2. p. n. 128.* & alij plures quos pro ſe citat Sanchez: quorum ſententia ſatis probabilis eſt. Sed probabilius mihi videtur huiuſmodi Ordinatum non poſſe validè matrimonium inire, ſed teneri ad caſtitatem ſeruandam, ac diuinum Officium perſoluendum. Ratio eſt, quia qui vult principale, vult etiam acceſſorium, ſed principale eſt ordo, acceſſorium eſt votum & aliæ obligationes conſequentes Ordinem; ergo adoleſcens, qui vult Ordines ſuſcipere ante 16. annum, vult etiam obligationes Ordini ſacro annexas acceptare; proinde nullo modo poterit matrimonium ſine Summi Pontificis diſpenſatione validè contrahere. Ita Caiet. ſentiunt Caietanus *2. 2. q. 88. art. 9.* Sotus *de iuſtit. l. 7. q. 2.* Sotus. *art. 5.* Clauis reg. *l. 6. cap 5 num. 9.* Conink *de Sacramen.* Cla. reg. Conink. *diſp. 20. dub. 14. num* 136 Bonac. *quæſt. 3. punct. 9. num. 16.* Bonac. & alii.

Nec obſtat ratio Sanchez, quia aliter ſancitum eſt de profeſſione, quàm de ſuſceptione ſacrorum Ordinum: nam iura, quæ irritant profeſſionem factam ante annum 16. expletum, nullam mentionem faciunt de obligatione annexa Ordinibus ſacris. Quapropter Concil. Tridentin. *ſeſſ. 23. cap. 12. de reformat.* decreuit, nullum in poſterum Con. Tr. ad Subdiaconatus Ordinem eſſe promouendum ante 22. annum, non autem dixit talem ordinationem eſſe irritam, ſed illicitam: proinde non valet argumentum ab vno diſparato ad aliud, vt docent præfati Doctores.

16. In voto ſolemni Ordinis ſacri non eſt vera traditio, per quam transfertur dominium corporis in Deum ad caſtitatem ſeruandam, vt in Religionis profeſſione; ſed aliqualis tantùm, & non ad caſtitatem, ſed ad miniſteria diuini cultus, ac per accidens adiungitur votum caſtitatis: vnde id votum ex natura ſua eſt ſimplex & per ſe, at extrinſecè & per accidens ſolemne, eo quòd voti ſolemnis effectum habeat ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ matrimonium ſubſequens dirimendo. Promotus enim ad Ordines ſacros, ſuapte natura non renunciat nuptiis, nec moritur ſæculo, quaſi ad aliam ſe transferens vitam, & ita non eſt cur dicatur illum alienationem ſui facere; ſed tantùm ob miniſteri ſacri decentiam adiungit Eccleſia votum caſtitatis, ſtatuens vt per illud inſtar voti ſolemnis dirimeretur matrimonium ſubſequens. Quæ omnia ſecus ſe habent in ſtatu Religionis, qui continet ſuapte natura caſtitatem, Caiet. & eſt perfecta mors ſpiritualis. Ita Caietanus *tom. 1. opuſ. tract. 27. q. unic. §. uidetur autem.* Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt. 5. art. 5. ad 2. uerſ. Sed inferes.* Arragon *2. 2. quæſt. 88. artic. 11. §. Secundo eſt adnotandum.* Valentia *in controuerſijs, lib. de cœlibatu cap. 2. & tom. 4. de Sacrament. Ordin. diſp. 9. quæſt. 5 punct. 3. §. 1.* Quamuis Sanchez *lib 7. diſput. 27. num.* 17. & alii ſuſtineant votum Ordini ſacro annexum per ſe & ſimpliciter eſſe ſolemne inſtar voti profeſſorum, atque ita vtrumque appellatur ſolemne, *in c. unico de uoto in 6.* Sotus. Arrag. Valent. Sanchez.

§. IV.

De impedimento conſanguinitatis.

27 CONſanguinitas ex nomine deriuatur à con, & ſanguine, quaſi ſignificans ſanguinis vnitatem, eo quòd conſanguinei ab eodem ſanguine originem ducant, & in eodem ſanguine vniantur: propterea conſanguinei propriè dicuntur illi, qui ſanguine parentum inter ſe connexi ſunt per generationem à priori capite, vſque ad certum gradum determinatum ab Eccleſia. Definitur autem à Theologis & Iuriſperitis hoc modo: Conſanguinitas *eſt uinculum perſonarum ab eodem propinquo deſcendentium, carnali propagationem contractum.* Dicitur *uinculum,* quia cōſanguinei communicant in eodem ſanguine, & in eo tanquam in vinculo conſtringuntur formaliter, vel cauſaliter, eo quòd tale vinculum cauſet affectum & amicitiam inter conſanguineos. Dicitur, *perſonarum,* id eſt hominum, & non belluarum, quę licet ab eodem ſtipite & ſanguine procedant, non dicuntur tamen conſanguineæ, nam ad amicitiæ vnitatem nōn coniungūtur; ſoli enim homines ſunt capaces veri amoris & amicitiæ, non autem belluæ. Dicitur, *ab eodem propinquo ſtipite;* nam ſi de remoto ſtipite rationem haberemus, omnes homines conſanguinei dicerentur, eo quòd omnes ab Adamo,

Digitized by Google

damo, tanquam à remoto ſtipite deſcendunt Dicitur, *Carnali propagatione contractum*, quia conſanguinitas non contrahitur niſi per copulam carnalem: propterea inter primos parentes non fuit conſanguinitas; quia licet Eua ex oſſe Adami formata fuerit, non tamen per carnalem propagationem fuit generata. Chriſtus autem eſt verè conſanguineus B. Mariæ Virginis, quia ex eius ſanguine puriſſimo quoad humanitatem eſt conceptus.

18. In computatione graduum conſanguinitatis in linea recta, Ius ciuile non diſcepat à iure Canonico. In linea autem collaterali, videtur diſcrepare. Nam ſecundùm Ius ciuile duo fratres, & ſorores, dicuntur eſſe in ſecundo gradu. Duo patrueles in quarto. Duo conſobrini in ſexto. Nam ius ciuile non numerat gradum, in quo altera perſona diſtat à ſtipite, ſed numerat gradus omnes vtriuſque perſonæ, & tot conſtituit gradus diſtantiæ inter illas, quot videtur eſſe diſtinctæ à ſtipite, numeratis vtriuſque perſonæ gradibus. *Exempli gratia*. Duo fratres diſtant à communi parente in primo gradu. Numerat Ius ciuile primum gradum, quo vterque diſtat à parente, tanquam per duplicem gradum, alterum in vno fratre, & alterum in altero; ideòque ſecundùm Ius ciuile dicuntur diſtare inter ſe in ſecundo gradu. Similiter filij duorum fratrum dicuntur diſtare in quarto gradu; quia quilibet diſtat à parente tanquam per duplicem gradum, alterum in vno fratre, & alterum in altero, prout colligitur ex *Authent. de hæred. ab inteſt. collat. 9* Ratio huius eſt, quia leges ciuiles attendunt gradus, vt hæreditas ab vna perſona ad alteram deferatur, ideòque in ſingulis perſonis ſingulos perficiunt gradus. Ius autem Canonicum ſolummodo computat gradus ad matrimonia legitimè contrahenda, & cum hæc niſi inter duas perſonas conſtare non poſſint, ideò duas perſonas in vno gradu conſtitui, prout explicant Sanchez *lib. 7. diſput. 50. numer. 7.* Alex. de Næuo *de conſanguinit. cap. final.* Couarruu. *de matrimon. 2. p. cap. 6. §. 6.* Filliuc. *tract. 10 2. par. n. 174.* & alii communiter.

Sanchez.
Alexan.
Couar.
Filliuc.

19. Quorumdam ſententia fuit, vt omnes gradus conſanguinitatis *Leuit. 18* expreſſi obligent in lege Euangelica, ac proinde in illis fuerit prohibitum iure ipſo naturæ matrimonium. Proinde ſecundùm illos erit prohibitus Iure naturæ primus gradus cõſanguinitatis in linea tranſuerſa æquali, vt inter fratres & ſorores: & ſecundus in eadem linea tranſuerſa inæquali, vt inter nepotem & amitam, vel materteram. Ratio illorum eſt, quia præcepta illa veteris legis non ſunt cæremonialia, nec etiam iudicialia; ſunt igitur moralia, ac proinde obligabunt in lege Euangelica. Et huius ſententiæ fuerunt D. Thom. *in 4. diſt. 39. q. vnic. art. 3. ad* 3. & ibi D. Bonauentura *art. 2. qu. 4.* Richardus *in 4. diſtinct. 40. art. vnic. q. 5.* vbi docent infideles coniunctos in gradibus illis *Leuitici* 18. prohibitis, conuerſos ad fidem ſeparandos eſſe. Idem tenent *Durandus, Paludanus, D. Antoninus, Viguerius, Petrus Soto*, & alii multi Theologi & Iuriſperiti. Cæterum veriſſima ſententia habet, non omnes illos gradus conſanguinitatis, vel affinitatis *Leuitici* 18. prohibitos eſſe de iure naturali irritanti matrimonium in illis initum, atque adeò non obligare omnes illos in lege Euangelica. Tum quia præcepta illa *Leuitici* 18. certos gradus in matrimoniis prohibentia, erant ſecundùm quid moralia, in quantùm decentiam aliquam naturalem præ ſe ferebat abſtinere ab illis matrimoniis, at reuera erat ſimpliciter iudicialia; quia ad iuſtitiam & rempublicam ſtabiliendam interdicebatur matrimonium conſanguineorum, & neceſſariò inter extraneos ineundum erat, vt per illorum coniunctionem pax dilataretur. Tum quia *Leuitici* 18. interdicitur matrimonium nepotis cum amita, vel matertera: cùm tamen non vetitur neptis cum patruo vel auunculo coniunctio, & tamen ſunt in eodem ſecundo gradu lineæ tranſuerſæ inæqualis, ergo ſignum eſt eam prohibitionem non eſſe iuris naturæ, ſed pertinere ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ. Ita Caietanus *ſecunda ſecundæ, qu. 154. art. 9. circa ſolut. ad* 3. Scotus *in 4. diſtinct. 40. quæſt. unic. art. 2.* Sotus *ibidem art. 3.* Bellarminus *lib. 1. de matrimon. cap.* 27. Valentia *tomo quarto, diſputatione 10. quæſtione 5. punct. 3.* Sanchez *lib. 7. diſput. 52. num. 6.* & alii penes ipſos. Tamen fatendum eſt matrimonia in illis gradibus inita aduerſari iuri naturali ſecundariò, licet non primæuo, ſi peculiaribus circumſtantiis nõ cohoneſtentur. Et ita intelligendi ſunt Sancti, dicentes hęc matrimonia eſſe iure naturali interdicta, vt notant Sanchez & alii Doctores citati *ibidem, n. 7.*

D. Tho.
D. Bona.

Caietan.
Sotus.
Bellarm.
Valent.
Sanchez.

20. Olim Eccleſia coniugium interdixerat vſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum, vt conſtat ex *cap. ad ſedem 35. quæſt. 5.* & ex *cap. nullum 35. quæſt. 3.* & aliis iuribus. Poſtea in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. reſtricti ſunt gradus conſanguinitatis vſque ad quartum incluſiuè, vt habetur *in cap. non debet, de conſanguinit.* Hæc autem reſtrictio intelligenda eſt non ſolùm in linea collateralium, ſeu tranſuerſa, ſed etiam in recta aſcendentium & deſcendentium linea: ita vt modò conſanguinei vltrà gradum quartum poſſint matrimonio iungi: intra autem minimè, ſine diſpenſatione papæ. Contra hanc prohibitionem Eccleſiæ inſurgunt noſtrę tempeſtatis Hæretici *Vuiclef, Lutherus, Bucerus, Philippus Melanchthon* & *Kemnitius*, dicentes, quod Chriſtus (cuius vices gerit Romanus Pontifex) venerit ad Verbum Dei annunciandum, non autem ad condendas leges politicas, quales ſunt matrimonia interdicentes: & quòd noua ſit ea prohibitio, ac olim incognita in Eccleſia. Hanc tamen Hæreticorum doctrinam latè impugnat Bellarm. *l. 1. de matrim. c. 25 & ſeq.* docens cõuenientiſſimam eſſe prohibitionem conſanguinitatis in gradibus ab Eccleſia interdictis: tum propter reuerentiam, quàm cognati ſibimet ipſis exhibere debent, cui reuerentiæ valde detrahit actus coniugalis, habetque turpitudinem quandam ipſi contrariam. Tum quia bonum publicum politicum petit conſanguineos & affines non iungi matrimonio, quia eo inito impeditur amicitiæ vincula protendi, quam eſſe maximum ciuitatis bonum, aſſerit Ariſtoteles *2. polit. cap. 2. ad fin.*

Bellarm.

Ariſtot.

§. V.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

21 Conuenientiſſimè Eccleſia ſtatuit in duobus tantùm Sacramentis, nempe in Baptiſmo & Confirmatione, contrahi, cognationem ſpiritualem, dirimentem matrimonium contrahendum, inter baptizantem & baptizatum, & inter ſuſceptores, ſiue patrinos & ipſum baptizatum, patrem & matrem ipſius baptizati ſiue confirmati, iuxta reſtrictionem & determinationem factam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim.* propter quandam congruentiam & ſimilitudinem generationis naturalis: ſicut enim per naturalem generationem contrahitur cognatio naturalis, ita per generationem ſpiritualem factam in his Sacramentis contrahitur cognatio ſpiritualis. Duplex namque eſt carnalis natiuitas, prima in vtero matris, & huic aſſimilatur regeneratio Baptiſmi, in quo regeneratur homo adhuc quaſi fouendus intra Eccleſiæ vterum: ſecunda eſt natiuitas ex vtero, & huic aſſimilatio Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad Confeſſionem nominis Chriſti. Propterea congruè per vtrumque iſtorum Sacramentorum effectum contrahitur ſpiritualis, cognatio, dirimens matrimonium contrahendum. Ita Diuus Thomas *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. artic. 2. ad primum*, & alii.

Con. Tr.

D. Tho.

22. Iure antiquo triplex erat cognationis ſpiritualis ſpecies, nimirum, paternitas, compaternitas, et fraternitas, vt habetur *cap. De eo 30. quæſt. 1. cap Veniens, & cap. Martinus, de cognat. ſpirit. & cap. 1. eodem titulo in 6.* Verùm cognatio hæc ſpiritualis partim ablata eſt et partim reſtricta per Tridentinum *loco citato*. Ablata eſt enim fraternitas inter filios baptizantis, vel confirmantis, vel ſuſcipientis, et inter baptizatum, vel confirmatum. Reſtricta eſt autem paternitas, ne transfundatur ad vxorem, nec ſimiliter compaternitas. Et ſimiliter reſtricta eſt compaternitas, vt non contrahatur inter baptizantem, vel confirmantem et patrinos. Quare hodie duplex ſola eſt huius cognationis ſpiritualis ſpecies, nempe, paternitas et compaternitas, vt diximus *tom. 1. verb. Matrimonium VII. n.*

27. et

Digitized by Google

27. & notant vniuerſi Doctores, poſt motum proprium Pij V. qui incipit, *Cum illius vicem*, editum anno 1566.

23. Iure antiquo præſcriptum erat, ne plures patrini in Baptiſmo vel Confirmatione adhiberentur, ſed vnus ſolus, ſiue vir, ſiue fœmina, vt conſtat ex *cap. Non plures de conſecrat. diſt.* 4. Similiter eodem iure antiquo quoquot baptizatum, vel confirmatum tangebant, dum hæc Sacramenta miniſtrabantur, quamuis præcepti huius trãſgreſſores eſſent, contrahebant cognationem ſpiritualem hanc impedientem & dirimentem matrimonium ſubſequens, vt deciditur *in cap. final. de cognat. ſpirituali in* 6. Hodie in

Trid.
Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap 2. de reform. matrim.* vtrumque correctum eſt. Nam *Primò*, ibi permittitur, vt poſſint ad ſummum eſſe duo patrini, vir ſcilicet & mulier: non duo viri vel duæ fœminæ: & ratio eſt congruentiſſima, vt generatio ſpiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur, ſed vnus pater & vna mater. *Secundò*, quoad contrahendam cognationem ſpiritualem eſt correctum ius antiquum *cap. final. de cognat. ſpirit. in* 6. in Trident. *loco citato*. Nam *Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eos vel eum tantum ad illum ſuſcipiendum admittat. Quod ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant*. Ita Concilium.

Ex quo conſtat illas ſolas perſonas baptizatum ſuſcipientes contrahere hanc cognationem, quæ ſunt ad hoc munus ſpecialiter deſignatæ per eos, ad quos eas eligere ſpectat, & per Parochum ad idem munus fuerint admiſſæ.

Sed petes, an ſtatuta in prædicto decreto Tridentini ſolum habeant locum in patrino Baptiſmi, & maneat adhuc ius antiquum in ſuo robore patrino Cõfirmationis: Reſp. hanc rem non eſſe claram in Concilio & difficultatem habere: quia cùm hoc decretum ſit correctorium iuris antiqui, debet reſtringi, nec ampliari poteſt vltra terminos, quibus loquitur; at de ſolo Baptiſmi patrino loquitur, ergo. At dicendum eſt idem voluiſſe Tridentinum quoad omnia ſtatuere in patrino Confirmationis: quia illius mens fuit eodem modo vtramque cognationem reſtringere, vt conſtat ex dicti decreti procemio, vti declarat velle

Nauarr.
Suar.
Sanchez.
ſe impedimentum cognationis reſtringere. Ita Nauar. *in Manual. cap. 22. num. 40. notab.* 3. Suarez 3. *p. q.* 72. *art.* 10. *ad fin.* Sanch. *lib. 7. diſp. 57. n.* 9.

24. Infidelis incapax eſt huius ſpiritualis cognationis contrahendæ. Ratio eſt, quia cùm hæc cognatio ſit ex mero Eccleſiæ inſtituto, nequit ab infidelibus contrahi, vtpote qui Eccleſiæ legibus minimè ſubduntur. Quapropter ſiue infidelis baptizet, ſiue ſuſceptor ſit in Baptiſmo, vel Cõfirmatione, minimè cõtrahet hãc cognationẽ. Similiter Cathecumenus eſt incapax huius cognationis. Quia non procedit ab eodem ſtipite, videlicet, Chriſto, per ſpiritualem regenerationem mediante viſibili Sacramento Baptiſmi; ſicut nec Sacramentum eſt capax: Et hoc verum, quamuis poſtea baptizentur; quia quod à principio nullum fuit, conualeſcere nequit. Vnde infidelis ille poſtea baptizatus, contrahere poteſt matrimonium cum perſona a ſe baptizata vel ſuſcepta, & cũ eius matre; eo quòd cum neutra contraxerit cognationem ſpiritualem, tanquam illius incapax. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 42. q. 1. art.* 3. Sotus *ibidem*. Eman: Sà *verb. Matrimonium, vbi de imped. diriment. num. 5. verſ. Cum non baptizato*. Nauar. *in Man. cap. 22. num. 36. & num. 40. verſ. Tertium*, & alii communiter apud Sanchez *lib. 7. diſput. 60 num. 7. & ſeqq.*

D. Tho.
Sà.
Nauar.
Sanchez.

Ex dictis infertur fidelem baptizantem, vel confirmantem, vel tenentem filium infidelis, non contrahere cognationem cum patre vel matre infideli, nam infidelis illam non contrahit, ergo neque illam contrahet fidelis. Ratio eſt, quia cùm cognatio ſpiritualis ſit quædam relatio, non poteſt ab altero contrahi, quin ab vtroque contrahatur. Relatio enim duo extrema neceſſariò petit. Cùm igitur infidelis incapax ſit cuiuſcumque cognationis ſpiritualis, nequibit fidelis cum infideli eam contrahere: hinc fidelis, qui baptizauit filium infidelis, poteſt cum ipſo infideli matrimonio iungi, poſtquam infidelis conuerſus fuerit ad fidem. Ita Sanchez *cit. num.* 15. Conink *de Sacrament. diſput. 32. dub.* 2. Bonac. *de matrimon. q. 3. punct. 3. §. 2. num.* 22. & alii.

Sanchez.
Conink.
Bonac.

§. VI.

De impedimento criminis.

25 DVbium eſt, an excuſet ab impedimento criminis incurrendo, propter adulterium cum fide data, quæuis ignorantia coniugii alterius, an potius ſola probabilis; Doctores communiter tradunt eam ignorantiam debere eſſe probabilem & iuſtam; quia iuſtum non eſt, ignorantiam minimè vacantem culpa excuſare: ſicut à nullius præcepti tranſgreſſione excuſat. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 22. nu.* 46. Sylueſter *verb. Matrimonium 8. quæſt.* 9. Valentia *tom. 4. diſputat. 10. quæſt. 5. punct.* 3. & alii communiter. Verum non eſt improbabile excuſare, etiam ignorantiam craſſam & ſupinam. Tum quia hæc ignorantia eſt facti, quæ excuſare ſolet, iuxta *reg. Ignorantia, de regul. iuris in* 6. Tum quia adulterium eſt neceſſarium, quod tamen abſque dolo non committi fatentur omnes. At vbi dolus exigitur, non ſatis eſt lata culpa. Quando autem dubitatur, an dum adulterium admiſſum eſt, vel fides data, ſuperſtes eſſet alter coniux, incurretur impedimentum criminis matrimonium dirimens, ſi verè tunc viuebat. Quia præſumitur eo viuente hæc contigiſſe, dum contrarium non conſtat, vt docet Nauarrus *lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſil. 17. num 3. edit* 2. Mors enim nõ præſumitur, niſi id tempus tranſactum ſit, ad quod vita humana moraliter non extenditur, vt centum annorum. Si verò eſt dubium an fides data eſſet, vel adulterium commiſſum, non eſſet locus huic impedimento: quia cùm ea ſint quid facti, non præſumuntur: & voluntas poſſeſſione ſuæ libertatis ad validè incundum matrimonium in dubio non eſt priuanda, vt bene Sanchez *l. 7. diſp. 79. num.* 36. 38. & 39.

Nauar.
Sylu.
Valent.
Nauar.
Sanchez.

26. Mortaliter peccat promittens matrimonium alteri poſt mortem coniugis, & ſimiliter acceptans huiuſmodi promiſſionem. Ratio eſt, quia datur anſa captandæ mortis coniugis, & ſic habetur *in c. final. de eo qui duxit*, &c. Imò talis promiſſio non ſolùm eſt illicita, verum etiam inualida: quia ius reſiſtit illi promiſſioni; ſi enim eſſet valida, obligaret promittentem ad illius impletionem, ſed eſt falſum, ipſum obligari ad impletionem illius promiſſionis quàm non poteſt adimplere, cùm ex huiuſmodi promiſſione cum adulterio conſurgat impedimentum dirimens matrimonium, ergo non eſt valida. Ita Sanchez *loco cit. num.* 40. Filliucius *tract. 10. q. 2. num.* 235. Abbas *in eo cap. final. num* 2.

Abbas.

Non contraheretur tamen impedimentum dirimens matrimonium, ſi quis haberet copulam cum coniugata viuente eius marito, & poſt mortem illius promitteret matrimonium: quia adulterium & promiſſio matrimonii debent fieri viuente coniuge illius qui eſt complex adulterii, vt habetur *in cap. final. de eo, qui duxit*, &c. Ex quo colligunt Doctores, requiri etiam vt vtrumque interceſſerit durante eodem matrimonio, & non ſufficere, vt interceſſerit in diuerſis coniugiis, ſeu matrimoniis. Proinde ſi Titius promiſit matrimonium Bertæ mortua ſua vxore, ſed mortua poſtea vxore contraxit cum Catharina, & viuente Catharina carnaliter cognouit Bertam abſque noua promiſſione, poterit mortua Catharina contrahere cum Berta, quia promiſſio & adulterium non interceſſerunt durante eodem matrimonio Ita Bonac. *de matrim. q. 3. punct. 6. num.* 12. & alij apud ipſum.

Bonac.

27. Cùm promiſſio de matrimonio contrahendo facta ab adultero, vt inducat impedimentum dirimens matrimonio debeat eſſe externa, & acceptata, dubitant Doctores, an taciturnitas inducat acceptationem; Negant Sanchez *loc. cit. num.* 25. Gutierez *de matrimon. c. 105. num.* 28. & alii. Quia ea promiſſio etiam liberaliter facta eſt nociua acceptanti; cùm per eam incurrat delictum & impedimentum dirimens, & inhabilis reddatur ad illud matrimonium contrahendum. Quare licet in aliis euentibus, in quibus id damnum non ſequitur, taciturnitas ſit ſufficiens acceptatio promiſſionis liberaliter factæ, ſecus in hoc,

Sanchez.
Gutier.

Digitized by Google

hoc, propter rationem dictam. Nihilominus affirmatiuam ſeotentiam ſuſtinent nonnulli valde etiam probabiliter: quia cùm adulteri ſe mutuò ament, cœco amore ducti, maximè appetuot illud matrimonium, tametſi non ignorent eſſe onus & impedimentum illius, vnde qui tacet, cenſetur acceptare id, quod ſibi iudicat fauorabilius, & quòd ipſe maximè appetere cenſetur. Ita Perez *de matrimon.diſp.33.ſect.5.num.4.* Dian. *part.9.tract.7.reſol.26.* citans *Pontium, ConinK, Rebellum, & Hurtadum.*

Perez. Dian.

28. Homicidium ab adultero & adultera perpetratum animo & intentione contrahendi matrimonium inter ſe, ſi ea intentio non ſignificetur exterius, non inducit impedimentum dirimens. Ratio eſt, quia occultum omnino & mentale delictum non ſubiacet Eccleſiæ iudicio, neque punitioni; quia lex humana humanam poſtulans obedientiam, eam ſolùm expoſcit in operibus exterioribus, quæ propria hominum ſunt, nec communia cum Angelis, ac proinde actus omninò interiores, nec prohibere, nec præcipere poteſt, quia in illis conformatio obedientiæ humanæ non exigitur. Ita Pont. *de matrim.l.7.c.45.n.4.* Hurtadus *de Sacrament.diſp.23.difficult.1.num.3.* Perez *de matrimon.diſp.13.ſect.1.num.7.* contra Caſtrum Palaum *tom.5.diſp.4.punct.12.num.5.*

Pontius. Hurtad. Perez. Palaus.

29. Quando vir vxorem occidit animo ducendi nõ certam & determinatam fœminam, ſed in certam, non eſt impedimentum dirimens: ſecus ſi animus eſſet ducendi hanc vel alteram, aut vnam ex pluribus, dummodò omnes illæ ſint expreſsè intentæ, & cum omnibus illis expreſsè intentis præceſſerit adulterium, tunc eſſet impedimentum dirimẽs cum quauis earum, quia omnes nuncupatim & expreſsè intentæ fuerunt. Ita Gutier. *de matrim. c.105.n.22.* Sanchez *diſp.78.num.18.* Perez *loco citato ſect.2.n.8.* Sed hæc opinio non caret difficultate, quia eſto ſiot omnes intentæ; tamen ſub indifferentia & indeterminatione ſunt intentæ, quæ cum matrimonio conſiſtere nequit, vt ait Caſtrus Palaus *loco citato.*

Gutier. Sanchez. Perez.

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

30 INter filios legales nullum eſt impedimentum cognationis legalis, cùm nullo iure ſtatuatur, eſto cerni poſſit ex conuictu aliquod periculum incontinentiæ & cùm rarò plures adoptari ſoleant, & ius de eo ſileat, non licet extendere, cùm hæc cognatio pendeat ex iure Eccleſiaſtico. Imò impedimentum cognationis legalis non procedit inter adoptiuum & filiam naturalem adoptantis, ſi ſit illegitima. Poſſunt igitur ſupradicti ſine vlla præuia diſpenſatione matrimonium inire cùm nullo humano iure matrimonium inter eos irritum ſit, quia iura quæ pronuntiant irritum fratris adoptiui cum adoptiua ſorore coniugium, loquuntur de adoptiua ſorore, quæ ſimul eſt patris adoptantis naturalis filia, vel ſi ſit adoptiua tãtùm, de fratre adoptiuo, qui ſit adoptantis naturalis filius. Ita Sanchez *de matrimon.lib.7.diſp.63.num.28.& 30.* Hurtadus *de matrimon.diſp.19.diffic.3.* Nauarrus *in man.cap.22.num.44.* Rebellus *par.2.lib.3.quaſt.7.concl.3.* & alii multi apud Sanchez.

Sanchez. Nauar. Rebellus

31 Quamuis quidam exiſtiment cognationem legalem impedientem ac dirimentem matrimonium ioter adoptantem & adoptatum, eiuſque deſcendentes protrahi in infinitum communis tamen ſententia eſt, dirimi ſolùm matrimonium vſque ad quartum gradum in linea recta, deſcendentium, id eſt, inter adoptantem, & adoptatam, eiuſque adoptatę poſteros vſque ad quartum gradum, non tamen aſcendentium, vt docent Nauarr. *in man.cap.22.num.45.* Toletus *l.7.ſum.cap.8.num.7.* Valent. *tom.4.diſput.10.quaſt.5.punct.3.* & alii. Nihilominus Leſſius *in 3.p. de Sacrament.matrim.cap.10.dub 9.n.176.* exiſtimat probabile eſſe poſt Concilium Tridentinum hoc impedimentum, ſolùm dirimere vſque ad ſecundum gradum incluſiuè, ſicut cognatio ſpiritualis. Ratio eſt, quia ſi cognatio ſpiritualis, quæ maius eſt vinculum & inſolubilius, dirimit ſolùm vſque ad ſecundum gradum; cur non dici poteſt de cognatione legali, quæ ſimilis eſt cognationi ſpirituali, prçſertim cùm non habeamus Canonem, quo contrarium exprimatur quàm ſententiam, nõn admittit Sanchez *l.7. diſp.63.n.33.* nec ego.

Nauar. Tolet. Valent. Leſsius. Sanchez.

§. VIII.

De impedimento diſparitatis cultus.

32 QVando infidelis conuerſus ad fidem habet plures vxores, ſeparandus eſt ab illis, dempta prima, quæ ſola eſt legitima vxor, vt deciditur *in cap. Gaudemus, de diuort.* quia plures habere vxore aduerſatur iuri naturæ. In caſu tamen quo legitima vxor monita noluerit ad fidem conuerti, ita vt liceat conuerſo priùs illud matrimonium dirimere, poſſet conuerſus quamcumque aliam quæ conuertitur ducere, ſicut poſſet quamuis aliam perſonam fidelem. Idem dicendum eſt de Iudæis: quia etſi olim vxorum multitudo eſſet illis permiſſa, iam id lege Euangelica eſt abolitum. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 39. q. unic.art.3.ad 4.* communiter receptus. Et ibi Sotus *q.unic. art.3.ad 5.*

D. Tho. Sotus.

33. Quamuis probabile ſit apud Indos noui orbis teneri conuerſum ad fidem præcepto correctionis fraternæ non recedere ab infideli coniuge, quando certa eſt ſpes eius cõuerſionis, maximè ſi cohabitatio fiat ex Epiſcopi diſpenſatione vbi crebrior eſt infidelium conuerſio & nullum ſubuerſionis periculum ſubeſſet, quia tunc ceſſaret ratio legis cohabitationem interdicentis. Sed quia caſus cum iſtis circumſtantiis eſt ita rarus, vt contrarium dicendum ſit. Si enim in hoc euentu non licet habitare fidelem cum infideli; vt volunt Sotus *in 4.diſt.39.quaſt. unic.art.3.in ſolut.ad 3.verſ. Quod ſi roges.* Barthol. à Ledeſma *de matrimon.dub.55.ad fin.* & alii, à fortiori non tenebitur. Et huic opinioni fauent Doctores dum dicunt fuiſſe tantùm cõſilium tempore Apoſtolorum habitare fidelem cum infideli, quando ſpes aliqua conuerſionis infidelis aderat. Nam ea ſpe deficiente præceptum erat fidelem recedere, vt docent D. Thom. *in 4.diſt.39.q.unic. art. 3.* & alii. Nec obſtat præceptum correctionis fraternæ: quia non obligat cum tanto coniugis fidelis detrimento, vt cogatur cum coniuge diuerſæ religionis habitare, & cedere priuilegio, quòd Chriſtus in fauorem fidei conceſſit, & ideò is caſus tam rarus, non eſt ab eo priuilegio excipiendus, vt ſuſtinet Sanchez *diſp.73.n.14.* quem ſequitur Filliucius *tr. 10 par.2.num. 234. & 235.* Notandum tamen eſt, vbi periculum vitæ vel grauis damni conuerſo immineret ex ſeparatione, poſſet abſque peccato ad tempus cohabitare, quia præceptum humanum non obligat cum tanto periculo, modo non adſit periculum peruerſionis, hoc enim ſi adeſſet, teneretur iure diuino diuertere, etiam cum vitæ periculo. Ita *Sotus, Petrus Ledeſma, Ludouic. Lopez, & Graſſijs*, apud Sanchez *loc.cit.n.15.*

Sotus. Ledeſma. Sanchez. Filliuc.

34. Si infidelis iuſtè ac iure ſuo vtens renuat habitare cum fideli, vt ſi infidelis ſit innocens: fidelis autem adulterii reus, aut tempore infidelitatis, aut poſt fidem receptã, nec adulterii illius iniuria ab innocente remiſſa ſit; tunc ſi ratione adulterii diuertat infidelis, non poterit fidelis prius matrimonium diſſoluere. Ratio eſt, quia tunc infidelis recedens non delinquit in matrimonij legem, imò ipſa concedente diuertit. Cùm ergo nulla fideli iniuria irrogetur, non concedetur ipſi priùs matrimonium dirimere. Si tamen poſtea infidelis in adulterium incidat, vel adulterii iniuriam fideli condonet, tunc licebit conuerſo ad aliàs nuptias tranſire: quia iam infidelis diſcedendi iure caret. Ita Abulenſis *1.reg.8.q.55.*

Sanchez. Abulenſ.

35. Matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante Baptiſmum, ſicut diſſoluitur per nouum matrimonium conuerſi: iuxta Sanchez *de matrimon. l. 7. diſp. 76. num. 9.* & alios ibi citatos, ita etiam diſſoluitur per eius profeſſionem ſolemnem: quia profeſſio religionis ſoluit matrimonium ratum fidelium, quod eſt vinculum fortius & efficacius, cùm ſit non ſolum contractus, ſed Sacramentum; ergo diſſoluet matrimonium conſummatum infidelium. Hæc ſententia quamuis ſit multorum, & illam ſequuti fuerimus *ſupra Matrimonium VII. numer. 45.* non caret tamen difficultate: quia diſſolutio matrimonii fieri non poteſt, niſi de diuina conceſſione. At nullibi inuenitur conceſſum profeſſione religionis dirimi matrimonium

Sanchez.

Digitized by Google

monium conſummatum infidelium. Nam eſto matrimonio contractu à fideli dirimatur, id prouenit, ne coniux conuerſus cogatur vel cœlibem vitam degere, vel habitare cum infideli obſtinato, & periculum peruerſionis inducente, reddaturque ei conuerſio onerosa. Quæ ratio omnino ceſſat religione aſſumpta, cùm iam ipſe liber aſſumat vitam cœlibem. Proinde non eſt cenſenda hæc diſſolutio conceſſa ex conceſſione diſſolutionis matrimonij rati fidelium; tum quia eſt caſus diuerſus & non militat eadem ratio: aliàs ſicut poteſt fidelis non obſtante matrimonio rato ad religionem tranſire, poterit etiam infidelis conuerſus poſt matrimonium conſummatum, tametſi alius conuertatur quod meritò ipſemet Sanchez *diſp. 76. num. 3. & 7.* negat. Non igitur ex priuilegio conceſſo dirimendi matrimonium, alio matrimonio aſſumpto, inferri poteſt dirimi religionis profeſſione. Ita Pontius *de matrimon. lib. 9. cap. 4. num. 19.* Conink *de Sacram. diſp. 26. dub. 5. num. 65.* Hurtad. *de matrimon. diſp. 8. diffic. 14.* quod tenuerat Abulenſis *1. Regum cap. 8. quæſt. 68. & 74.* quorum rationes maximè vrgent & faciunt hanc ſententiam probabiliſſimam, cùm pro contraria nullus adducatur textus.

Sanchez. Pontius. Conink. Hurtad.

36. Probabile eſt, poſſe Pontificem ex aliqua iuſta cauſa matrimonium conſummatum infidelium diſſoluere ſi ad fidem conuertantur: quia matrimonium infidelium etiam conſummatum, cùm Sacramentum non ſit, non habet eandem firmitatem, ac matrimonium ratum fidelium; cùm ergo poſſit Pontifex diſſoluere matrimonium ratum fidelium, iuxta probabilem ſententiam poterit, etiam matrimonium conſummatum infidelium. Ita Sanchez *lib. 2. de matrimon. diſp. 17.* qui pro hac ſententia citat Nauarrum. Sed contraria videtur probabilior. Ratio eſt, quia matrimonium ſolui non poteſt, niſi in caſibus à iure expreſſis: at nullum eſt ius expreſſum concedens matrimonium conſummatum fidelium ſolui poſſe: illud autem matrimonium quamuis in infidelitate fuerit contractum, iam eſt matrimonium fidelium & conſummatum, nulla ergo via ſolui poteſt. Nec obſtat, quod Sacramentum non ſit, nam eſto id admittatur, quod plures negant poſt vtriuſque conuerſionem; non inde efficitur ſolubile eſſe, cùm nullus iam adſit caſus in quo à Chriſto ſolutio concedatur: conceditur autem prædicto matrimonii caſu, quo coniux vnus ad fidem conuertatur alio renuente conuerti, in quo à matrimonio, quod eſt Sacramentum differt. Ita Pontius *de matrim. lib. 9. cap. 4. nu. 15.* Conink *diſp. 26. dub. 1. num. 66.* & alii.

Pontius. Conink.

37. Matrimonia contracta inter ipſos infideles ſunt valida & legitima in ratione contractus, niſi adſit aliquod impedimentum dirimens iure naturæ; vt in primo gradu conſanguinitatis ſaltem lineæ rectæ, vel apud ipſos dirimens, ſecundùm leges ſtatutas illarum religionum. Nam poſſunt Principes infidelium ſtatuere & inducere impedimenta impedientia & dirimentia matrimoniales contractus celebrandos inter illos contra talia ſtatuta. Proinde, ſi tales infideles coniugati conuertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi, ſed debent perſiſtere in matrimonio inter ipſos validè celebrato, etiam tempore infidelitatis, vt communiter tradunt Doctores.

§. IX.

De impedimento ligaminis.

38 Dubius de morte coniugis, contrahendo cum alio validè contrahit, ſi duo concurrant. *Primo*, vera mors coniugis. *Secundo*, vtriuſque partis verus conſenſus per verba de præſenti: quamuis enim grauiter peccet, tum contrahendo, tum petendo debitum, exhibet tamē omnia neceſſaria ad ſubſtantiam contractus & ſacramēti.

Maior difficultas eſt, an vti mulier poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, ſufficiat præſumptio veriſimilis & probabilis de morte viri; Communis ſententia eſt, requiri certum nuncium & famam de morte viri, vt docent Sanchez *lib. 2. diſp. 46. quæſtione 1.* Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 25.* Barboſa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 21. cap. 2.* & alii communiter. Nihilominus quorundam opinio eſt, quòd mulier in tali caſu nihil peccaret, ſi cum probabili perſuaſione, ac præſumptione, atque iuſtiſſima credendi cauſa, quòd prior maritus mortuus ſit, adeoque bona fide, ſi nemo ſe illi opponeret, ad ſecundas nuptias tranſiret. Quamobrem Confeſſarius in conſcientiæ foro ipſi permitteret; & iudex in foro externo, ſi poſt celebratas nuptias cauſam intelligeret, neque mulierem puniret, neque à ſecundo viro ſeparare deberet, donec cognitum eſſet priorem maritum adhuc viuere. Idque apertè ſumitur *ex cap. cum perbellicam 34. quæſtione 4.* Ratio eſt, quia in moralibus, in quibus plerumque certitudo omninò haberi non poteſt, homini ad inſtituendas actiones ſuas ſufficere debet probabiliſſima, licet non omninò certa opinio, ſeu præſumptio. Hanc ſententiam probabilem vocat. Layman *libro quinto tractatu decimo, parte tertia, capite tertio, numero ſecundo*, & apud illum Roſella *verbo, Impedimentum imped. 12.* D. Antoninus *3. p. tit. 1. capite nono, in fine.* Syluester *verbo, Matrimonium 8. quæſtione decimatertia, dicto 2. & 4.* Philiarcus *de offic. Sacerd. tomo primo, parte ſecunda, libro ſecundo capite nono.* Et in facti contingentia de hoc caſu conſultus Diana, ex doctrina prædicta conſuluit, nihil innouandum, donec magis veritas de morte viri eluceret, vt fatetur *p. 3. tract. 4. reſol. 214.* Et probabilem etiam vocat Sanchez *cit. num. 5.*

Sanchez. Pontius. Barboſa. Layman. Roſella. D. Anto. Sylueſt. Philiarc. Dian. Sanchez.

Notandum tamen quòd in tali caſu indiciorum & probabilis præſumptionis, non autem indubitatæ certitudinis Iudex Eccleſiaſticus non poſſit licentiam & poteſtatem dare tranſeundi ad ſecundas nuptias: quia ſacri Canones hanc partem negantem ſufficienter tradiderunt, videlicet *cap. dominus, de ſecundis nupt. & cap. In præſentia, deſponſ.* vbi præcipitur ordinario, vt ad ſecundas nuptias mulieres tranſire non permittat, niſi conſtet, ſeu certitudo habeatur de morte maritorum. Vbi autem nec teſtimonium vllum de ipſa morte, neque etiam indicia indubitata mortis proferri poſſunt, non adeſt certitudo. Adde, quod Iudex præſertim Eccleſiaſticus bonum publicum Eccleſię & reuerentiam Sacramentorum præferre debet priuato commodo. Si autem in tali caſu licentia ſecundi matrimonii denegetur, ſolùm timeri poteſt periculum incontinentiæ, quod tamen mulier cum Dei gratia vitare poteſt. Si autem licentia concedatur & publica Eccleſiæ approbatio, maius imminet periculum publici ſcandali, Sacramenti irreuerentiæ, &c. ſi prior maritus fortè adhuc viuat, vt his temporibus accidit.

39. Dubium item eſt, an ſufficiat vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire: Quidam affirmant, *ex c. in præſentia, deſponſal.* vbi dicitur, *Non permittas eos contrahere, donec certum nuncium de morte recipiant.* Si ergo ſatis eſt certus nuncius, ſufficiet vnus teſtis, qui arbitrio iudicis per verba veriſimilia deponat. Negant alii ſufficere vnum teſtem: quia quod voce vnius habetur, non poteſt dici nuncium certum cùm iura clament vocem vnius eſſe vocem nullius, *l. Iuris iurandi, verſ. Simili modo, C. de teſt.* Et *c. Veniens, in fine de teſtibus.* Tum quia ſi dictum vnius in cauſis pecuniariis inſufficiens eſt, à fortiori nō ſufficiet in cauſa ſecundi matrimonii contrahendi, in qua vertitur animæ periculū Sacramenti irritandi, maximè & dedecoris infamiæ fœminæ ſecundò nubentis, ſi fortè adhuc prior vir ſuperſtes eſſet. Priorem ſententiam amplectitur Abbas *in d. c. In præſent. n. 6.* Poſteriorem verò Bart. *in l. 2. §. ſi dubitetur, ff. Quemadmodum teſtam. aper. n. 1* Cui ſubſcribit Sanchez *diſp. 46. lib. 2. n. 11.* Cum aliis. Prima tamen ſententia poſſet admitti caſu quo coniux obierit in loco ita diſtanti, vt facilè nequeant aliæ probationes haberi; extra hunc caſum tamen integra & plena probatio deſideratur, vt ait ſecunda ſententia.

Abbas. Bartol. Sanchez.

40 An autem per famā ſufficienter probetur mors cōiugis; non cōueniunt Doctores. Quidam enim negant, alij affirmant; verior tamen ſententia eſt non ſufficere, niſi aliis adminiculis adiuuetur. Adminicula autem quibus debet adiuuari fama, ſunt longitudo abſentiæ & vniuerſalis fama vbi coniux commorabitur, mortem eius conteſtans, vel ſi mors contigit in loco valde remoto, ita vt aliæ probationes difficilè poſſint inueniri, & vir longo tempore abſuit, vel ſi vir ſenex erat, vel in acie fuit, & non rediit aliquando tempore expectatus puta per annum, vel ſi vir captus ſit ab hoſtibus & communis fama ipſum obiiſſe teſtetur, & diu vxor nihil contra-

P. Nauã. Bonac. Sanchez. Layman.

ritum audierit, vel litteras receperat à fide dignis. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 22. numero quinquageſimotertio*, Sylueſter *verb. Matrim. 8. quæſtione decimatertia dict. 4.* Maſcardus *de probat. concl. 1075. num. 4. & ſequent.* & alij quos citat & ſequitur Sanchez *loco cit. n. 15.*

Vt autem fama plenè probet, deſiderantur quædã conditiones, quare *Prima* eſt, vt duplici teſte probetur: id enim generale eſt vt non minùs quàm duo teſtes plenè probent, *cap. in omni negotio, & cap. licet, de teſtibus*. *Secunda* eſt, vt teſtes ſint omni exemptione maiores, & deponant ſe audiuiſſe à fide dignis: quia fama nihil probat & eſt vana vulgi vox, niſi oriatur à fide dignis, ex *cap. Qualiter, el 2. de accuſat.* *Tertia*, vt concurrat cauſa rationabilis, ex qua fama orta eſt, vt ſi is de cuius morte agitur, mare nauigarit, subortaque tempeſtate expectatus tempore congruo & per loca veriſimilia quæſitus non comparuerit, nec nauis, qua vehebatur, vel ſi prælium aggreſſus eſt, nec poſtea diligenter quæſitus inuentus eſt. *Quarta* eſt, vt teſtes deponant ſe audiuiſſe publicè à maiori parte populi, nec ſatis eſt deponere publicè audiuiſſe. *Quinta*, vt deponant teſtes à quibus perſonis fama ortum habuerit, & à quibus ipſi audierint. Fama enim debet oriri à prouidis & honeſtis & de quorum commodo minimè agitur, vt iudici conſtare poſſit, an perſonæ ſint fide dignæ. *Vltima* conditio eſt vt teſtes de fama deponentes, aſſerant credere rem ita ſe habere; quamuis id iuramento non confirment, quia ſine illo valet eorum dictum, quando de fama deponunt: vt pluribus citatis docent Maſcardus *de probationibus concluſ. 748. 749. & 1075.* Sanchez *loco citato, numero decimoſexto*, apud quem plura.

§. X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

41 QVidam ſentiunt impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum. Ratio eſt, quia ſtatutum eſt hoc impedimentum propter indecentiam, quam ſecus matrimonium cum conſanguinea trahit in primo gradu illius, qua cum ſponſalia contracta ſunt: hæc autem indecentia ſemper oritur, quoties creduntur publicè ſponſalia valida fuiſſe, quamuis de facto irrita ſint. Vnde cum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat. matrimon.* dicit ex ſponſalibus quacumque ratione valida non fuerint, non contrahi hoc impedimentum, intelligendum eſt verbum, *quacumque ratione*, quæ cognoſcitur, & ſcitur. Ita docent Sanchez *lib. 7. diſp. 68. n. 14.* Pontius *lib. 7. cap. 35. num. 10.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 9. n. 3.* & alii multi penes ipſos.

Con. Tr.

ſanchez. pontius. Layma.

Nihilominus negatiua ſententia eſt probabilis: quia Concilium generaliter dixit, ex ſponſalibus quacumque ratione inualida fuerint, nullum impedimentum contrahi. Ergo abſque fundamento reſtringitur ad ea, quæ ſunt publicè inualida. Aliàs neque ex ſponſalibus validis omninò occultis impedimentum hoc oriretur, quia nulla indecentia eſſet in tali contractu cum conſanguineis ſponſæ. Proinde non eſt ſpectanda indecentia publica, quæ apud homines oriatur, ſed quæ oritur ſpectato ipſo contractu. Ex qua opinione ſequitur, illum qui cum Berta validè contraxit ſponſalia, ſed poſtea celebrat alia cum ſorore Bertæ, non affici impedimento publicæ honeſtatis, ratione cuius non poſſit ampliùs cum Berta contrahere matrimonium: quia ſponſalia cum ſorore Bertæ ſunt inualida. Ita docent Nauarrus *cap. 22. num. 57.* Hurtadus *de matrimon. diſp. 21. diffic. 1.* Conink *diſp. 32. dub. 3. n. 69.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 3. punct. 11. num. 3. & 4.* & alij.

Nauarr. Hurtad. ConinK. Bonac.

42. Difficultas etiam eſt inter Doctores, an hoc impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex matrimonio cõtracto ſine Parocho & teſtibus, vbi Tridentinum eſt receptum; Negant Sanchez *lib. 7. diſp. 70. num. 13.* Præpoſitus *in tertia parte, quæſt. 7. de impediment. diriment. num. 123.* & alii. Ratio eſt, quia ſi tale matrimonium, ne quidem vim ſponſalium de futuro ſortiatur, non poteſt ex hoc capite impedimentum oriri. Non oritur etiam iure antiquo ex matrimonio inualido; cùm nullò Canone, vel conſuetudine, de qua conſtet, hoc impedimentum oriatur ex matrimonio irrito. Nec etiam oritur iure Tridentini, quia nullibi in Tridentino extat huiuſmodi conſtitutio. Contra tamen ſentiunt Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 35. ad finem.* Hurtadus *diſp. 21. diffic. 1. num. 7.* Bonac. *loco citato num. 18.* Caſtrus Pal. *tom. 5. diſput. 4. punct. 10.* & alii. Quia matrimonium clandeſtinum non eſt nullum abſolutè ex defectu conſenſus, ſed defectu ſolemnitatis ab Eccleſia præſcriptæ. At textus, *in cap. vnico de ſponſalibus in 6.* decidit, ex ſponſalibus vel matrimonio nullis ex quacumque cauſa præter defectum conſenſus, hoc impedimentum publicæ honeſtatis oriri. Ergo ex prædicto cõtractu nullo neceſſariò oritur. Quod confirmatur ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinal. quæ refertur à Farinacio, Barboſa & Rebello in hæc verba. *Præſuppoſita declaratione per conſtitutionem Pij V. ſuper hoc decreto (ſcilicet ſeſs. 24. cap. 3. de reformat. matrim.) cenſuit Congregatio oriri impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus per verba de præſenti etiam nulliter contractis, omiſſa forma Decreti Concilij ſeſſ. 24. cap. 1.* Ita Sacra Congregatio conſtat etiam ex *cap. Ad audientiam de ſponſal.* vbi exiſtente matrimonio nullo ob impedimentum conſanguinitatis oritur publica honeſtas: quia non eſt matrimonium nullum ex defectu conſenſus, ſicut eſt illud, quod factum eſt ex metu, aut ex errore perſonæ, aut in furia, in quo defecit omninò conſenſus planè voluntarius ac liber.

pontius. Hurtad. Bonac. Palaus.

43. Si poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona, contrahat ſponſus matrimonium de præſenti cum eius ſorore & non conſummarit, tenetur priori fidem ſponſalium præſtare, ineundo cum illa matrimonium: quia illud poſterius matrimonium irritum non inducit impedimentum publicæ honeſtatis derogans prioribus ſponſalibus. Sic enim expreſsè deciditur *in cap. vnic. de ſponſalib. in 6.* ibi, *Ex ſponſalibus puris & certis, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſoluendum, impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.* Quare cum priori validum erit matrimonium. Tamen ſi matrimonium cum poſteriori conſummaſſet, cum neutra poſſet validè illud inire. Non cum priori, ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ſorore habita. Non cum poſteriori, propter impedimentum publicè honeſtatis ex ſponſalibus validè contractis cum eius ſorore. Ita Nauarrus *in man. cap. 22. num. 57.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 3. punct. 11. num. 20.* Sanchez *diſp. 68 num. 24.* Layman *l. 5. tract. 10. p. 4. cap. 9. num. 6.* & alii.

Nauar. Bonacin. ſanchez. Laym.

Aduerte tamen quod quando priori ſorori data eſt fides, & poſtea cum poſteriori initum eſt matrimonium abſque conſummatione, inducitur impedimentum ad contrahendum validè matrimonium cum quacumque intra quartum gradum conſanguinea huius poſterioris, dempta illa cui fides data eſt. Quia ex matrimonio irrito perſeuerat nunc impedimentum dirimens vſque ad quartum gradum, & ſolùm textus qui ſupra, diſponit non oriri impedimentum ad præcedentia ſponſalia diſſoluenda.

44. Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro cum Maria, ineantur ſponſalia abſoluta cum eius ſorore: dicendum eſt hodie poſt Concil. Tridentin. ex poſterioribus ſponſalibus hoc impedimentum non induci: quia ſunt irrita vtpote, quæ ſunt contra priorem promiſſionem: nam tenebatur qui ſub conditione fidem dedit expectare eius euentum; at contra iuſtitiam eo non expectato reſiliit. Debet tamen hæc conditio de futuro eſſe contingens, ſi enim ſit neceſſaria, vt ſi ſol cras orietur, ducam te, non ſuſpendit, & ita ſtatim orietur impedimẽtum publicæ honeſtatis. Debet etiam conditio eſſe poſſibilis, & honeſta. Si enim ſit impoſſibilis aut turpis, taliter vt non ſit contra matrimonii ſubſtantiam, orietur ſtatim hoc impedimentum, quia ſponſalia manent omninò abſoluta cum ea conditio habeatur pro non adiecta. De his plura apud Sanchez *lib. 7. diſp. 69.* Porrò quando conditio eſt de præſenti aut præterito, orietur ſtatim impedimentum publicæ honeſtatis, ſi eæ conditiones verè extent.

ſanchez.

45 Non

45. Non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio celebrato inter impuberes, niſi malitia ſuppleat ætatem: quia matrimonium inter impuberes irritatur à iure eò quòd præſumatur non adeſſe iudicium & conſenſus ſufficiens ad contrahendum. Qui tamen dicunt matrimonium impuberum reſolui in ſponſalia, vt colligitur ex *c. Tua nobis, de ſponſat. impub.* dicent ex tali matrimonio conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis vſque ad primum gradum. Ita Nauarrus *in man. c. 22. num. 57.* Sanchez *diſp. 70. num. 8.* Valentia *tom. 4. diſp. 10. q. 5. punct. 3. §. Honeſtas* & alii.

Nauarr. Sanchez. Valent.

§. XI.

De impedimento affinitatis.

46 Affinitas ex copula coniugali orta non eſt Eccleſiæ inuentum, ſed quid naturale, inſtar conſanguinitatis. Sicut enim conſanguinitas eſt, quid naturale, qui naturalis cuiuſdam amicitiæ & coniunctionis fundamentum eſt, ita idem inuenitur in affinitate orta ex copula coniugali ob carnis vnitatem & coniunctionem ad generationem faciendam. Propterea coniuges de iure naturæ ſunt vna caro, vt dicitur Geneſ. 2. *Et erunt duo in carne vna*. Si vna caro, neceſſariò conſanguinei vnius eſſent conſanguinei alterius, ita quodam modo etiam iure naturæ conſanguinei vnius pertinent ad alterum, nempe per affinitatem. Deinde ob naturalem quandam amicitiam conciliatam ex matrimonio inter conſanguineos coniugum, ac ipſos coniuges, ſunt nomina impoſita ad ſignificandam hanc affinitatis coniunctionem, vt ſocer, ſocrus, priuignus, nurus, gener nouerca. Eſt ergo vinculum affinitatis quid naturale, vt docent D. Thom. *in 4. diſt. 41. q. vnic. art. 1. quæſt. 1. corp.* Victoria *in ſum. de matrim. n. 295.* Ouandus *4. diſt. 41. q. unic. propoſit. ult.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 65. n. 4.* & alij penes ipſum.

D. Tho. Victor. Ouand. Sanchez.

47. Infidelis, qui cum vxore conſummauit matrimonium tempore infidelitatis, non poteſt poſt Baptiſmum, validè contrahere cum conſanguinea illius vſque ad quartum gradum. Ratio eſt, quia cum talis affinitas ſit vinculum quoddam naturale, oritur tempore infidelitatis cum ſanguineis vxoris. Per Baptiſmum enim non tolluntur naturalia quæ ſunt eadem apud omnes, ſiue fideles, ſiue infideles: ſi ergo poſt Baptiſmum maneant ibi affines, & ſubdantur legibus Eccleſiaſticis matrimonium irritantibus intra quartum affinitatis gradum, non poterunt tunc validum inire matrimonium: quamuis validum fuiſſet, matrimonium, ſi ante Baptiſmum contraxiſſent: quia affinitas illa non dirimit iure naturali matrimonium, ſed ſolo Eccleſiaſtico, cui non ſubduntur. Idem dicendum, quamuis tempore infidelitatis ſit matrimonium, non tamen conſummatum: quia ex matrimonio rato oritur quoddam amicitiæ naturale vinculum, eo quòd per id coniuges mutuam poteſtatem ad prolis generationem ſibi tradant, cùm ergo ſit vinculum naturale propinquitatis, poſt Baptiſmum durabit, quo tempore coniuges ſubſunt legibus Eccleſiaſticis; Quod tamen intellige, quando matrimonium illud tempore infidelitatis initum fuit validum. Si enim fuiſſet irritum propter aliquod impedimentum iuris naturalis, vel contra leges eorum irritantes, nullum inde vinculum naturale orietur, quamuis ſit conſummatum. Copula enim illa fornicaria fuit, ex qua nullum vinculum naturale. Ita Fillincius *tr. 10. p. 2. n. 215.* Veracrux, vterque Ledeſma, apud Sanchez *loco cit. n. 5. & 6.*

Filliuc. Veracr. Ledeſm. Sanchez.

48. Probabile eſt ex copula fornicaria iura naturæ non oriri vllum vinculum: quia inter conſanguineos viri & fœminam fornicariè ab eo cognitam, non oritur vlla naturalis amicitia, ſed potiùs inimicitia & odium, & filius naturaliter non inclinatur ad exhibendam reuerentiam aliquam fœminæ cognitæ à ſuo patre. Ergo nullum naturale vinculum inde oritur. Ex quo ſequitur, ſi quis in infidelitate fornicatus fuerit cum Titio, quod poſſit poſt Baptiſmum ducere conſanguineum eius intra gradum prohibitum. Ratio eſt, quia cùm illa affinitas non ſit vinculum naturale, & ſubinde non contrahatur tempore infidelitatis, nihil eſt quod poſt Baptiſmum impediat matrimonium inter illum infidelem & conſanguineam mulieris ante Baptiſmum fornicariè cognitæ. Ita Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 1. num. 2. & cap. 3. num 4.* Sanchez *diſp. 65. num. 11.* Filliucius *loco cit. num. 216.* Quamuis nonnulli in contrariam ierint ſententiam: quia licet hæc affinitas non ſit naturalis, at ille poſt Baptiſmum ſubditur legibus Eccleſiæ irritantibus matrimonium in eo affinitatis gradu: Imò putant, ſpectato iure naturali, oriri affinitatem; quandam ex copula etiam fornicaria; vt proinde ſecluſo iure Eccleſiaſtico, indecens eſſe videatur, concubinam patris ſui in vxorem accipere: quod etiam prohibitum reperitur ab Alexandro Imperatore *in l. liberi, Cod. de nuptijs.* Ita docent D. Thomas *in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 1. quæſtiunc. 3.* Rebellus *lib. 3. de matrim. q. 15. concl. 2.* Conink *diſp. 35. dub. 4.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. num. 6* & nouiſſimè Diana *p. 3. in addit. reſolut. 21.* vtramque ſententiam probabilem eſſe putat.

Henriq. Sanchez. Filliuc. D. Tho. Rebellus Conink. Layma. Dian.

49. Affinitas, ſecundum Ethymologiam nominis dicitur, quaſi confinitas, ſeu finium propinquitas; Vnde affines teſte Cicerone dicuntur aliqui, quia vnus trahitur ad fines alterius: ſicut enim agri dicuntur fines; quia finis vnius eſt proximus fini alterius: ita affines ſunt conſanguinei alterius, coniugis alteri coniugi, eo quòd duæ cognationes inter ſe diuerſæ copulantur mediante carnali copula habita inter virum & mulierem, & altera ad alterius fines accedit, ſiue per actum matrimonialem, ſiue per copulam illicitam quomodocumque inter eos habitam, dummodò ſit completa per effuſionem ſeminis intra vas mulieris: Ratio huius eſt, quia cùm vir & fœmina, mediante copula, efficiãtur vna caro, ſanguis vnius dicitur alterius ſanguinẽ tangere, ac proinde conſanguinei vnius trahuntur ad quandã alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur. Ita Conink *de Sacr. diſp. 32. dub. 4. n. 45.* & alii. Hæc tamen affinitas poteſt etiam contrahi inter conſanguineos ipſos & cognatos, ſi nempe ipſe ſe carnaliter commiſcerent. Durat etiam tale uinculum poſt mortem eius, qui fuit origo affinitatis, ideoque mortuo altero coniuge, non ſoluitur affinitas inter conſanguineos eius & coniugem ſuperſtitem. Vt colligitur *ex cap. Fraternitatis veſtra 35. q. 10.* & tradunt communiter Sanctos Doctores.

Conink.

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

50 Impotentia cocundi dirimens matrimonium ſubſequens debet eſſe perpetua, ita vt non poſſit aliqua arte humana remoueri, ſine periculo vitæ patientis, vel ſine miraculo, vel ſine offenſa Dei. Dicitur, *vt non poſſit aliqua arte humana*, quia quando aliquibus remediis applicandis eſt ſpes auferendi talem impotentiam; tunc non dicetur impotentia perpetua, ſed temporalis, & ideò non reddet matrimonium irritum, quia impotentia temporalis non dirimit matrimonium, niſi quando illud celebratum fuit inter impuberes, nondum aptos ad generandum, vt expreſsè decernitur *in cap. continebatur, & in cap. Ex litteris, de deſponſat. impub.* Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 92. num. 4.* D. Thomas *in 4. diſt. 34. quæſt. vnic. art. 2.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 3. punct. 13. n. 12.* & alii. Dicitur, *ſine periculo vitæ*. Quapropter ſi fœmina ita arcta eſſet, vt non poſſit abſque vitæ periculo reddi apta ad copulam, dicetur habere impotentiam perpetuam; ſi verò poſſit aliqua arte, vel diligentia fieri apta ad copulam, non diceretur habere impotentiam perpetuam, ſed temporalem. An autem in hoc caſu teneatur mulier pati inciſionem cum dolore, vt facilior pateat additus viro. Affirmat Sanchez. Negat Baſilius Pontius, vt diximus *ſupra verb. Matrimonium VII. num. 77.* Diximus, *vel ſine miraculo*, quia quando impotentia auferri non poteſt mediante arte humana, ſed requiritur actus ſupernaturalis, mediante miraculo, tunc impotentia exiſtimatur perpetua. Dicitur, *vel ſine offenſa Dei*, quia quando impedimentum tolli non poteſt ſine peccato, tunc iudicatur eſſe perpetuum. Vnde quando quis maleficiatus eſſet factus impotens ad cocundum, non poteſt ſolui

D. Tho. Bonacin.

ſolui tale maleficium, mediante alio maleficio, ſiue per inuocationem Dæmonum, ſiue expreſſam ſiue tacitam. De his Sanchez *lib.7.diſp.93.* Nauar. *in man.cap.22.num.59.* Filliucius *tract. 10.par.2.n.68. & 69.* & alii communiter.

Sanchez. Nauarr. Filliuc.

Ex dictis ſequitur inualidum eſſe matrimonium contractum cum perpetuo impotente, ſed poſt matrimonium facto potente per miraculum: nam impotentia perpetua antecedens matrimonium, dirimit illud. Miraculum autem dicitur in hoc caſu id, quod fit modo extraordinario & inſueto: Maleficium autem, licet auferri non poſſit, niſi per orationes, & exorciſmos, non tamen dicitur auferri per miraculum, cùm auferatur modo conſueto. Proinde vt conualidetur prius matrimonium, opus eſt nouus conſenſus impedimento ſublato. Ita Sotus *in 4. diſp. 34. quæſt. vnic. art.* 3. Conink *diſp. 31. dub. 7. num.*85. Bonacina *de matrim.quæſt.3.punct.13.num.*4 & alij.

Sotus. Conink. Bonac.

51. Ad valorem matrimonii non ſatis eſt potentia vas fœmineum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud: quare potens coire, impotens tamen perpetuò ad ſemen emittendum intra vas, vel quia nullo modo ſeminat, vel quia præ nimio calore ita præproperè, vt vas expectare nequeat, eſt incapax matrimonii, ſi id vitium ita ſit perpetuum, vt nulla Medicinæ ope tolli poſſit. Ratio horum eſt, quia de ratione matrimonij eſt traditio poteſtatis corporis ad copulam coniugalem: at non reputatur copula coniugalis, cùm ſemen intra vas fœmineum non emittitur, & coniuges vna caro non efficiuntur. Vt patet *ex cap. Laudabilem, de frigidis & malefic.* Et docent Valentia, Toletus, Nauarr. Henriquez, Rodriquez, Syluester & alii apud Sanchez *lib.7.diſp.92.num.* 7. Tamen non cenſendum eſſet matrimonium nullum, ſi vir non totum poſſet ſemen intra vas fundere, ſed partem: quoniam ea ſeminis pars intra vas recepta ſufficiens eſt ad conſummandum matrimonium & vt coniuges fiant vna caro.

Sanchez.

Sed petes, an quando vir ſeminare poteſt intra vas, & fœmina capax eſt ſeminis virilis recipiendi, ſed eſt impotens ad ſeminandum, valeat matrimonium. Reſpond. ex communi ſententia validum eſſe: quia ſemen fœminæ non eſt præciſè neceſſarium ad generationem, quamuis valde conferat, vt docet Ariſtoteles *lib.2.de generat. cap.* 2. quem communis Theologorum ſchola ſequitur. Sed quia hoc non eſt ita certum, quin contrarium ſit etiam probabile; nempe ſemen fœmineum per ſe etiam requiri ad generationem, & quod mater etiam per ſuum ſemen actiuè concurrat ad generationem tanquam materiam; quare ſic ſentientes, dicent quoque eam fœminam eſſe matrimonii incapacem, ſicut eſt vir, qui ſemen non poteſt emittere.

Ariſtot.

52. Quamuis impotentia coeundi in viro frequenter ex frigiditate conſurgat, & rarò ex nimio calore: at aliquando poteſt etiam ex nimio calore procedere, & ſi id impedimentum ſit perpetuum, quod nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ ceſſat, dirimet matrimonium: quia eadem eſt prorſus ratio. Idem dicendum eſt, ſi impotentia in viro proueniat ex abominatione mulieris. Quidam enim viri ſunt, qui ad pulchram mouentur & non ad deformem; & contingit aliquando ita abominabilem fœminam apparere viro, vt nullatenus poſſit moueri ad coitum cum illa, nec excitare poſſit concupiſcentiam. Tunc idem cenſendum eſt, ac de impotentia ex maleficio prouenienti. Si enim mediis adhibitis ac experientia triennali præmiſſa non ceſſet, diſſoluetur matrimonium, Ita D. Thomas *in 4.diſt.34. quæſt. vnic. artic.* 2. Albertus Magnus *ibidem, art.4.& 6.* Syluester *verb. Matrimonium 8.quæſt.16.dict.*3. Angelus, Roſella, Tabiena & alii apud Sanchez *diſp.92.num.*13. In hoc autem caſu monenda eſt huiuſmodi fœmina, vt munditie, ornatu, affabilitate ſe amabilem viro exhibeat: ac ipſe vir monendus eſt, vt cauſas excogitet, quibus ad fœminæ amorem excitetur vt vel ſic abominatione illa ceſſante poſſit illam cognoſcere.

D. Tho. Syluest. Sanchez.

53. Quamuis fœmina reſpectu vnius viri arcta, præſumatur talis reſpectu omnium, & cognoſcibilis ab vno, præſumatur ab omnibus cognoſcibilis: Hæc tamen præſumptio non eſt iuris & de iure, ſed iuris tantùm; ac proinde recipit probationem in contrarium, ob vtriuſque viri diſſimilitudinem. Si enim diſſimiles ſint: quia prior vir erat ſenex, vel debilis, vel alium defectum in virili membro patiebatur: poſterior autem iuuenis, vel robuſtior, vel eo defectu membri virilis carebat; impedimentum perpetuum cenſebitur reſpectu prioris viri, non autem poſterioris. Probat *ex cap. Fraternitatis, de frigid.* Vbi textus non dixit abſolutè cognoſcibilem à poſteriori viro, eſſe quoque à priori; ſed quando poſterior vir eſt priori ſimilis, ibi, *Cuius ſimili commiſcetur.* Quæ verba accipi debent de ſimilitudine inſtrumenti generationis, ætatis & roboris. Hæc enim præſumptionem generant, vt ſicut cognoſci potuit à poſteriori, cognoſci quoque à priori potuerit. Quapropter non reſtaurabitur prius matrimonium ratione arctitudinis fœminæ diſſolutum, quando per concubitum proprii prioris viri nequit reddi apta copulæ cum illo, quamuis per concubitum cum altero apta ſit. Ita Durandus *in 4. diſt.34.art.2.q.2.n.* 8. Paludanus *ibid. concl.* 3. Syluester *verb. matrimonium 8.q.16.dict.*4. Sanchez *loc. cit. diſp. 93.n.* 12. & alii multi penes ipſum.

Durand. Paluda. Syluest. Sanchez.

In dubio autem an fœmina fuerit cognoſcibilis à priori viro, ſicut fuit à poſteriori, ſecundùm aliquos ſtandum eſt ea præſumptione iuris, vt præſumatur potuiſſe eam fœminam à priori viro cognoſci, ac proinde prius matrimonium iudicandum eſt validum & inſtaurandum, ſi iam diſſolutum eſt; quia in hoc dubio potiores ſunt prioris viri partes, vtpote, qui iuris præſumptionem pro ſe habet. Ita Roſella *verb. Diuortium num.* 3. & alij dicentes, ſi non conſtet de diſcrimine inter vtrumque virum, præſumi fœminam potuiſſe cognoſci à priori viro. Sed meliùs alii opinantur, qui dicunt oportere apertè conſtare de diſſimilitudine, ne præſumatur prius matrimonium validum ac reſtaurandum ſit, Ita Syluester *verb. matrimonium 8.quæſt.16.dict.4. & verb. Diuortium quæſt. 19. num.*22. Henriq.*lib.12.de matrim.cap.7.num.9.* Sanch. *loco cit.n.*14.

Sylu. Henriq. Sanchez.

54. Quando vir ita debilis eſt, aut ſenex vt virgineum vas penetrare nequeat, cùm poſſet corruptæ, ſi ope Medicinæ abſque mortis periculo poſsit ſubueniri fœminæ Virgini, vt apta reddatur congreſsui illius viri imbecillis, non cenſetur impedimentum perpetuum, ac proinde matrimonium cum tali virgine initum, eſt validum. Si tamen vir ad virginem impotens, non probet ſe potentem ad corruptam, ſuccumbet, & diſſoluetur matrimonium quia in dubio impotens ad vnam, præſumitur talis ad omnes ſuppoſito non intereſse maleficium. Proinde non licet viro impotenti ad virginem, potenti autem ad corruptam propria auctoritate inſtrumento aliquo ligneo aut ferreo, ad id apto, digitiſve clauſtra huiuſmodi virginis à ſe ductæ reſerare, vt vel ſic matrimonium conſummare poſsit; & ſi probabilis timor ſit fore vt id intentet, ſeparanda eſt mulier, ac in loco tuto conſtituenda donec lis decidatur, aut plena ſecuritas detur. Ita Sanchez *diſp. 93. numer. 25. & ſequent.* cum aliis à ſe citatis. Quamuis D. Thomas *in 4. diſtinct. 34. quæſt. vnic. art.2. ad* 5. ſentiat, *quòd ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſet clauſtra pudoris frangere & ei coniungi.* Hæc ſunt verba D. Thomæ; vbi notandum eſt illud verbum *Medicinaliter*, quaſi dicat, iuxta Medicorum præſcriptum, vel priùs conſultis Medicis, id fiat iuxta medicinæ leges, non propria auctoritate.

Sanchez

55. Quoties matrimonium diſſoluitur, ob vtriuſque coniugis perpetuum impedimentum, uterque non poteſt ad alias nuptias tranſire, quando verò ab alterius tantum impedimentum, non impeditus poteſt ſecundò licitè & validè nubere. Vt conſtat *ex cap. Laudabilem, de frigid.* vbi viro ratione frigiditatis ſeparato, conceditur fœminæ licentia nubendi alij, denegata ea viro. Et de impedimento fœminæ conſtat *ex cap. Ex litteris, eodem tit.* ubi fœminæ arctæ ſeparatæ interdicto alio coniugio, id non denegatur, ſed conceditur viro. Hæc tamen intelligenda ſunt, quando impotentia eſt abſoluta, ſi enim eſſet reſpectiua, datur vtrique coniugi licentia contrahendi cum alia perſona, erga quam non eſt ea impotentia non debet tamen coniux potens aliud inire matrimo-

trimo-

Henriq. Sotus. Sanchez. trimonium non exſpectata Eccleſiæ ſententia, aliàs peccaret, licet matrimonium eſſet validum. Ita Henriquez *lib. 12. de matrimon. cap. 7. in comment. lib. 2.* Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnic. art. 2. in fine corp.* Sanchez *loco cit. numer. 37.*

56. Cum impotentia perpetua ad copulam coniugalem matrimonium ſubſequens dirimat, & hæc poſſit ex duabus præſertim cauſis prouenire, nempe ex frigiditate viri, & ex maleficio, dicendum eſt *Primò*, ſigna frigiditatis in viro dignoſci poſſe, ex ipſa membri virilis externa apparentia, nimirum, ſi modicum membrum vir habeat, & quaſi in nihilum redactum, male compoſitum; corrugatum, & à calore debito degenerans. Ab effectu dignoſcitur, ſi vir nunquam virgam erigat, quantumuis pharmacis ad membri erectionem deſtinatis vtatur. Si enim aliquando erigat, frigidus non eſt: quia frigidus calore neceſſariò deſtituitur vt inflentur organa. Si vir polluatur in ſomnis, vel in vigilia, frigidus non eſt. Inſuper non mediocre ſignum frigiditatis eſt, quando vir venerea non appetit, nec ſtimulos carnis ſentit: id enim prouenit, quia frigidis deeſt calor excitans ad venerea.

Secundò, Maleficii ſignum eſt, quando coitum quis appetit & virgam erigit, ita vt ad copulam aptus ſit, & cùm ad vas fœmineum penetrandum appropinquat, relaxantur ac concidunt ſubito organa, nec poteſt complere: atque iterum rigent, & ſi iterum copulari nitatur denuò laxantur. Hoc enim ex radice naturali conſurgere nequit: quia ſemel organa rigentia non laxarentur, quouſque exſufflarentur vel conſumerentur ſpiritus in ea inflantes. Item maleficio tribuendum eſt, ſi vir appetens coitum, ſubitò accedere tentans exhorreſcat, nec accedere poſſit. Similiter ſi fœmina viri coitus auida, cùm vir accedit, ſubito illius horrore capiatur, erit ſignum maleficii. Denique ſi vir ad vnam ligatus ſit, potens autem ad alias, maleficium præſumitur, ſi ex parte fœminæ non detur arctitudinis aut virginitatis obſtaculum. De Sanchez. his plura apud Sanch. *de matr. l. 7. diſp. 94. num. 5. & 6.* & auctores ibi citatos. Confer quæ diximus ſupra *ver. Maleficium num. 6.*

57. Maleficium cenſetur perpetuum & dirimens matrimonium ſubſequens, ſi non poſſit auferri per opus humanum, niſi per aliud maleficium. Ratio eſt, quia impedimentum cenſetur perpetuum, quod abſque peccato auferri nequit, vt diximus *ſupra num.* 50. At maleficium maleficio tollere eſt grauiſſimum peccatum. Item cenſetur perpetuum quamuis tolli poſſit per diuinum miraculum, ſecus ſi per Eccleſiæ exorciſmos. Si autem à ſolo maleficij Auctore, etiam modo licito auferri poſſit, quidem ſuſtinent cenſeri perpetuum: quia non videtur poſſibilis remotio maleficii cùm pendeat ex voluntate vnius. Sed veriùs eſt tunc cenſendum maleficium eſſe temporale, nec per illud matrimonium dirimi; quia poteſt auferri per opus humanum licitum, & abſque diuino miraculo. In dubio autem perpetuumne ſit, an temporale maleficium, præſumetur perpetuum, ac diſſoluetur coniugium, quando triennio coniuges dederunt operam carnali copulæ, nec perficere potuerunt. Vt docent *D. Thomas, Scotus, D. Bonauentura, D. Antoninus, Victoria, Henriquez, Sotus* & alij quos citat & ſequitur Sanchez *loco proximè citato* Sanchez. *num. 8. ſequent.*

58. Diſſolutione matrimonii facta legitimè per Eccleſiam ratione maleficii, ſiue alterius ſiue vtriuſque coniugis, vt ſi lapſo triennio experientiæ & adhibitis legitimis probationibus, quas ius ad dicti matrimonii diſſolutionem petit, concedenda eſt vtrique coniugi licentia ad alias nuptias tranſeundi, quando maleficium eſt particulare reſpectu vnius, aut alterius tantùm: ac proinde eis ineuntibus aliud matrimonium, idque conſummantibus, nequaquam prius inſtaurandum eſt. Quia id intereſt inter frigidum & maleficiatum vt frigidus ſit impotens erga omnes; quare ſi ab inito matrimonio ſeparetur, quoties aliud conſummarit, aut fornicatus fuerit, reſtituendus eſt prioribus nuptiis: eo quod manifeſtè tunc conſtet eum non fuiſſe frigidum, atque ita Eccleſiam deceptam. At maleficiatus eſt regulariter impotens reſpectu vnius vel alterius tantùm, quare poteſt legitimo matrimonio iungi cum alia perſona, reſpectu cuius non eſt impotens ratione maleficij, & ideò ex hoc matrimonio inito, & conſummato, non probatur potentia reſpectu prioris coniugis. Quare prius matrimonium reſtaurandum non eſt. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 35. quæſt. vnic. art. 3.* Syluester *verb. matrimonium 8. quæſt. 16. d. 8.* Tolet. *in ſum. l. 7. c. 16. in fine.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap. 8. n. 2.* Sanchez *diſput. 99. à num. 20. ad 24.* & alii penes ipſos. Quando tamen maleficium eſſet generale reſpectu omnium, tunc ſi maleficiatur diſſoluto priori matrimonio per Eccleſiam ad aliud tranſiret, idque conſummaret, ſeparandus eſſet, & inſtaurandum prius matrimonium; idem dic, ſi maleficiatus ille reſpectu omnium fornicaretur cum aliqua, inſtaurandum etiam eſſet prius matrimonium: quia copula illa declarauit ceſſaſſe maleficium, & impotentiam fuiſſe temporalem. D. Tho. Syluest. Toletus. Hurtad. Sanchez.

Plura habes de hac impotentia apud Sanchez & alios citatos Doctores, quæ ſpectant Iudices fori Eccleſiaſtici, ſed hæc addita ſufficiant ad rem noſtram, de impedimentis impedientibus & dirimentibus matrimonium.

Vide verb. Legatum *num. 5. & ſequent.* Nouitius *n. 18.* Pœna *n. 5.*

MATRIMONIVM VIII.

De impedimentis non dirimentibus.

SVMMARIVM.

1 *De primo impedimento non dirimente, quod eſt interdictum iuris, tempus ſcilicet, Aduentus & Quadrageſimæ.*

2 *De ſecundo impedimento, quod eſt Catechiſmus. An autem hoc impedimentum Catechiſmi ſit ſublatum per Tridentinum?* Refertur duplex ſententia.

3 *De tertio impedimento, videlicet, ſponſalia prius celebrata cum alia perſona? & an peccet mortaliter qui ſine iuſta cauſa contrahit cum hoc impedimento?*

4 *De quarto impedimento, quod eſt votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendæ religionis, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines, vel non nubendi. Et an habens votum religionis ſeu caſtitatis peccet mortaliter contrahendo matrim. animo ingrediendæ religionis ante quam conſummet?* Refertur duplex ſententia.

5 *Quid reſpondendum aſtricto voto caſtitatis vel alio ſimili voto impediente contractum matrimonij, ſi roget an matrimon. validum ſit cum huiuſmodi impedimento?*

6 *De quinto impedimento matrimonium impediente, quod eſt crimen ſeptuplex.*

7 *An inceſtus, ſit crimen matrimonium impediens, cum quacumque alia? & qualis debeat eſſe iſte inceſtus?*

8 *An raptus alienæ ſponſæ ſiue de præſenti, ſiue de futuro impediat matrimonium cum rapta & cum quacumque alia?*

9 *An uxoricidium priuata authoritate factum matrim. impediat, & quid dicendum de homicidio viri ab uxore patrato?*

10 *An ſuſceptio proprij filij vel alterius coniugis in Baptiſmo vel Confirmatione, ſi fiat animo inſidiandi matrimonio, impedimentum præſtet cum alio contrahendi, mortuo coniuge?*

11 *De quinto crimine matrimon. impediente, quod eſt Presbytericidium.*

12 *Sextum impedimentum eſt ſolemnis pœnitentia.*

13 *Septimum crimen matrimonium impediens eſt matrimonium ſcienter cum Moniali contractum.*

14 *An peccet mortaliter, qui contrahit matrimon. cum dictis impedimentis non dirimentibus abſque diſpenſatione.*

15 *An Confeſſarius teneatur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia inuincibili vel vincibili matrimonium inualidè contraxit.*

16 *Modus cognoſcendi pro Confeſſario an aliquis laboret ignorantia inuincibili?*

17 *An laborantem ignorantia inuincibili teneatur Confeſſarius admonere ſi credat admonitionem non ſtatim profuturam, ſed futuram vt breui tempore proſit?*

18 *An poſſit Confeſſarius abſoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens, ſi nolit reddere debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam cauſam in iuſtam.*

1 Impedimenta non dirimentia matrimonium ſunt quinque. *Primum*, dicitur interdictum iuris, tempus ſcilicet feriatum, quale eſt, Aduentus, & Quadrageſimæ, in quo prohibitæ ſunt nuptiæ quoad benedictionem ſcilicet & ſolemnem traductionem ſponſæ in domo ſpōſi; nam matrimonii contractus, traductio ſponſæ in domum ſponſi, & conſummatio ipſa prohibita non ſunt, ſi abſque ſolemnitate fiant, niſi alicubi contraria vigeret conſuetudo: *Cap. non licet, C. nec vxorem* 33. *q.* 1. *Cap. Capellanus de ferijs*. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 10. An verò tempore Aduentus & Quadrageſimæ ſit peccatum mortale traducere ſponſam ſolemniter in domum ſponſi & conuiuia ſolemnia facere, negat Sanchez hic citatus, quem ſequitur Diana *tract. de Sacramentis, reſol.* 266. *p.* 3. licet contrariam ſententiam teneat Pontius non improbabiliter, *de matrimon. l.* 6. *cap.* 8. *num.* 10. Nomine verò *Interdicti* intelligitur etiam prohibitio Epiſcopi, aut Vicarij, aut Iudicis, aut Parochi interdicentis alicui ne matrimonium contrahat, donec aliqua cauſa vel impedimentum examinetur, vnde contrahens cum huiuſmodi interdicto vel prohibitione peccat mortaliter, facit enim contra prohibitionem ſuperioris in re graui. Reginaldus *d.* 31. *num.* 188. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 68. Sanch. *l.* 7. *diſp.* 7. Conink *d.* 30. *n.* 23. Syluius *in ſuppl. q.* 50. *art.* 10 & alii.

Regin. Nauar. ſanchez. Conink. Sylu.

2. *Secundum impedimentum* impediens matrimoniū, eſt *Catechiſmus*, imperfecta ſcilicet cognatio quędam ſpirituali orta ex eo quòd quis puerum baptizandum teneat in Catechiſmo, reſpondendo Sacerdotis interrogationibus, *cap. per Catechiſmum, de cognatione ſpirituali in* 6. hæc impedit matrimonium ſubſequens cum iiſdem perſonis cum quibus ſpiritualis cognatio impedit: Controuertitur tamen inter Doctores an id Catechiſmi impedimentum ſit omninò ſublatum per Tridentinum: multi enim aiunt adhuc manere, vt Nauarrus *c.* 22. *num.* 72. Toletus *l.* 7. *cap.* 18. *num.* 6. Vgolinus *de matrim. c.* 20. quorum ſententia valde probabilis eſt, licet communior modò opinio ſit; id impedimentum Catechiſmi eſſe omninò ſublatum per Tridentini decretum; quia Tridentinum omninò abſtulit cognationem Baptiſmi, præterquam inter tenentes in ipſo Baptiſmo, ergò cenſebitur ablata cognatio tenentium in Catechiſmo ſolo, quæ ſi primam originem attendamus à Baptiſmo procedit: Et ideò iam vſu receptum videtur, vt non petatur diſpenſatio ſuper hoc impedimento; quia vbi non eſt vinculum, non eſt opus diſpenſatione ſeu relaxatione. Gutierez *cap.* 84. *num.* 6. Reginaldus *c. num.* 190 Conink *c. num.* 24. Sanchez *d.* 10. *n* 11. *&* 12. Bonac. *q.* 3 *p.* 14. *n.* 6. Dian. *de Sacram. reſ.* 260. *p.* 3. Syluius *c. art.* 1. & alii.

Nauarr. Tolet. Vgolin.

Gutier. Reginal. Conink. Sanchez. Bonac. Dian. Syluius.

3. *Tertium impedimentum* non dirimens, ſunt ſponſalia priùs celebrata cum alia perſona, omnis enim qui poſt contracta ſponſalia cum vna, ſine iuſta cauſa contrahit cum alia matrimonium aut ſponſalia, peccat mortaliter ſecundùm omnes, quia omnis contractus obligat ex iuſtitia, ſed hic eſt contractus, facio vt facias, eſt enim mutua & reciproca obligatio, ergo obligat ex iuſtitia & ſub mortali. Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. c.* 9. *q.* 4. Nauar. *cap.* 22. *num.* 74. Reginald. *c. num.* 187. Conink *dub.* 3. *num.* 23. Syluius *c. art.* 1. & alii.

Filliuc. Nauar. Reginal. Conink.

4. *Quartum impedimentum*, eſt votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendæ religionis, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines vel non nubendi, *cap. de viduis, cap. ſi quis votum* 27. *q.* 1. *& c. unico de voto in* 6. quia huiuſmodi votum non importat corporis traditionem, ſed ſolam promiſſionem, atque adeò verum dominium manet apud vouentem; ea autem eſt natura promiſſionis, vt impediat licitam translationem dominij rei promiſſæ in alterum, vtpote quæ eſt aduerſus fidem præſtitam: non tamen illam irritam reddat, quippe quæ facta eſt à vero domino: quod dictum eſt de voto, idem dicendum eſt de iuramento facto, de his rebus vel de caſtitate ſeruanda, quia huiuſmodi vota vel iuramenta è diametro aduerſantur ſtatui matrimonii, ac proinde id impediunt, non tamen dirimunt. Ita Reginald. *l.* 31. *n.* 184. Toletus *l.* 7. *c.* 18. *n.* 3. Sanchez *lib.* 7. *d.* 11. *num.* 6. Gutierez *cap.* 85. *num.* 1. Syluius *in ſupplem. quaeſt.* 53. *artic.* 1. & alij.

Tolet. Sanchez. Gutier. Sylu.

An autem habens votum religionis, ſeu caſtitatis peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ religionis, antequam conſummet matrimonium: communis ſententia eſt affirmatiua, quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, cogeretur enim eius profeſſionem expectare. Sic Sanchez *l.* 1 *diſp.* 43. *n.* 7. *&* 18. Diana *de Sacram. reſol.* 281. Contraria tamen ſententia eſt probabilis, quam tenent *Angel. Caiet. Ledeſm.* & alii apud Dian: citatum & maximè in tribus caſibus. *Primus* eſt, quando id matrimonium neceſſarium eſſet ad vitandum magnum ſcandalum. *Secundus*, quando adeſſet notabilis metus, etſi non cadens in virum conſtantem, amittendæ vitæ, aut famæ, non inito matrim. *Tertius*, quando voto aſtrictus non poſſet aliter religionem ingredi, eò quòd incluſus retinetur. Ita Sanch. *c. n.* 8.

ſanchez. Dian.

5. Si aſtrictus voto caſtitatis, aut alio ſimili voto impediente contractū matrimonij, roget, an matrimoniū validum ſit cum huiuſmodi voto celebratum, præciſo periculo peccati in interrogante, veritas aperienda eſt; ſi verò periculum ſit, vt interrogans audita rei veritate contrahat matrimonium, reſpondendum eſt verbis ambiguis, vel cum æquiuocatione, ne detur occaſio ruinæ & ſcandali; ſi verò interrogans eludi non poſſit cauta reſponſione, nec cautè veritas celari poſſit; veritas aperiri poteſt, explicata tamen grauitate delicti, & ſacrilegij, quòd admittitur ab eo, qui cum huiuſmodi voto audet ad nuptias aduolare. Gutier. *c.* 85. *n.* 5. Regin. *l.* 31. *c.* 24. *n.* 186. Sanchez *l.* 7. *d.* 11 *num.* 12. Conin. *d.* 30 *n.* 32.

Gutier. Reginal. ſanchez. Conink.

6. *Quintum impedimentum* impediens matrimonium, eſt crimen ſeptuplex, quòd his verſibus comprehenditur, vt ex communi docet Sylu. *in ſuplem. q.* 50. *art.* 1.

ſylu.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulierbris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors Presbyteralis.
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat. Prohibent hæc coniugium ſociandum.

7. *Primum crimen* impediens matrimonium; eſt inceſtus, copula ſcilicet habita cum conſanguineis coniugis, vſque ad gradum prohibitum, hic enim impedit cum quacumque alia poſt inceſtum, & quamuis probabile ſit admiſſum tantùm intra ſecundum gradum impedire, probabilius tamen videtur etiam admiſſum intra quartum, vt olim impedimentum eſſe: *c.* 1. *&* 2. *& c. tranſmiſſæ, de eo qui cogn. conſang.* Filliuc. *tract.* 10. 2. *p. c.* 9. *q.* 6. Si copula habeatur cum conſanguineis ſponſi de futuro, etſi propriè inceſtus non ſit, oritur tamen impedimentum cum quacumque alia, dum complex delicti ſuperſtes eſt. Bonac. *c. p.* 14. *n.* 11. Gutierez *c.* 87. *n.* 7. Ex inceſtu autem cum propria conſanguinea probabilius eſt impedimentum vllum non oriri, quia iura videntur loqui tantummodò de inceſtu cum affine, iuxta Sanch. *l.* 7. *d.* 15. *num.* 16. Gutier. *c.* 87. *num.* 10. *&* 20. & alios contra Nauarr. *c.* 22. *n.* 74.

Filliuc. Gutierez sanchez. Gutier.

8. *Secundum crimen*, eſt raptus alienæ ſponſæ, ſiue de præſenti, vt omnes cenſent, ſiue de futuro, vt eſt probabile, impedit enim matrimonium cum rapta & cum quacumque alia. Ipſa enim ſponſa, quæ ſuum conſenſum præbuit raptori, impeditur, ne poſſit cum alio contrahere matrimonium, *c. ſtatutum* 37. *q.* 2. Nauarrus *c.* 22. *n.* 74. Henriq. *l.* 12. *c.* 22.

Nauar. Henriq.

9. *Tertium crimen*, eſt vxoricidium, *c. admonere*, 33. *q.* 2. ſi enim fiat priuata auctoritate, etiam in vindictam adulterij commiſſi, impedit matrimonium, cum quacumque alia, ſecundùm Sanch. *d.* 19. & Gutierez: hoc crimen ab aliquibus Doctoribus extenditur ad homicidium viri patratum ab vxore. Ita Nauar. *c. n.* 74. Henriq. *c. n.* 1. Gutier. *c.* 88. *n.* 4. probabilior tamen ſententia aſſerit contrarium; quia nullus textus loquitur de homicidio viri patrato ab vxore, vt aiunt Toletus *c.* 19. *l.* 7. *n.* 3. Filliuc. *c. cap.* 9. *n.* 288. & Sanchez *l.* 7. *d.* 16. *num.* 6.

Nauarr. Henriq. Gutier. Tolet. Filliuc. ſanchez.

Quar-

Digitized by Google

10. *Quartum crimen*, eſt ſuſceptio proprij filij, vel alterius coniugis, in Baptiſmo, vel Confirmatione, ſi fiat animo inſidiandi matrimonio, vt ſcilicet alter coniux priuetur debito coniugali ob impedimentum inde conſurgens ſpiritualis affinitatis; hic enim contrahit impedimentum, ne mortuo coniuge poſſit cum alio matrimonium inire, *can. de eo* 30. *q.* 1. Filliucius *cit. cap.* 9. *num.* 289. Bonacina *punct.* 10. *num.* 17. (Filliuc. Bonac.)

11. *Quintum crimen eſt*, Presbytericidium, modò homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio, Nauarr. *cap.* 22. *num.* 74. (Nauarr.)

12. *Sextum impedimentum* eſt ſolemnis pœnitentia, *can. de his* 33. *q.* 2. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 6. quamdiu enim quis facit publicam pœnitentiam, impeditur ne matrimonium contrahat: ſed hodie ſolemnes pœnitentiæ non ſunt in vſu. (Sanchez)

13. *Septimum impedimentum* eſt matrimonium ſcienter cum Moniali contractum; in hoc enim caſu contrahens non ſolùm inualidè contrahit matrimonium cum Moniali, verum etiam impeditur, ne poſſit cum alia contrahere, *can ſi quis* 27. *q.* 1. Nauar. *cap.* 22. *num.* 74. (Nauarr.)

14. Præciſa conſuetudine in contrarium, mortaliter peccat, qui contrahit matrimonium cum dictis impedimentis non dirimentibus abſque diſpenſatione, Gutierez *cap.* 87. *num.* 23. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 192. Bonacina *punct.* 14. *num.* 21. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 17. quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui; vbi autem conſuetudo viget, vt cum his impedimentis nulla petita diſpenſatione, matrim. ineant, prorſus culpa vacat illud inire; quia conſuetudo vires habet ad abrogandam legem Eccleſiaſticam: & hæc conſuetudo videtur iam legitimè præſcripta, vt affectus aliquo ex his impedimentis minimè petita diſpenſatione matrimon. ineat, excepto voto, ſponſalibus & interdicto. Sic teſtantur Doctores antiqui & neoterici, & præſertim Nauar. *cit. num.* 75. & 85. Diana *de Sacramentis reſ.* 259. Coninch *de Sacram. diſp.* 30. *dub.* 3. *num.* 35. Syluius *in ſupplem. q.* 50. *art* 1. *quæſit.* 1. (Gutierez. Reginal. Bonac. Sanchez. Nauarr. Diana. Coninch. Syluius.)

15. *Confeſſarius* tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili mortaliter matrimonium inualidè contraxit, quamuis admonitio non ſit profutura, & quodcumque ſcandalum pœnitentis ſequatur; quia ſi Confeſſor diſſimularet, conferret Sacramentum indigno, cùm lethali culpa pœnitens affectus ſit. *Quando* autem pœnitens inualidè contraxit ex ignorantia inuincibili iuris, vel facti, et nullus ſperatur fructus ex admonitione, ſed potiùs timetur ſcandalum, vel notabilis infamia, non tenetur nec poteſt Confeſſarius pœnitentem admonere, quia nulli debemus laqueum inijcere, ſed quando nullus ſperatur fructus, iniicimus laqueum admonendo, qui enim non peccabat ratione ignorantiæ, peccabit poſita admonitione: Si autem ſperetur admonitio profutura ſine graui ſcandalo, vel detrimento, tenetur Confeſſarius admonere, quia Confeſſarius ex officio tenetur inſtruere, et admonere pœnitentes. *Similiter* ſi immineret periculum damni communis, teneretur Confeſſarius admonere: etiamſi nullus ex admonitione ſperaretur fructus; vt accidit quando populus ſcit huiuſmodi impedimentum, et ſcandalum ſumi, quia illa ignorantia eſt contra bonum commune, ratione ſcandali, bonum autem commune præferendum eſt priuato. Arragon 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. Coninch *de pœnit. diſp.* 8. *num.* 136. Filliucius *tract.* 7. *cap.* 12. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 38. Reginaldus *lib.* 2. *num.* 45. Gutierez *cap.* 48. *num.* 3. Syluius *in ſupplement. quæſt.* 55. *art.* 9. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 80. & alii. (Arragon. Conin. Filliuc. Sanchez. Reginal. Gutier. Syluius. Dian.)

16. *Confeſſarius* poteſt cognoſcere, an aliquis laboret ignorantia inuincibili, prudenter curando intelligere, an pœnitens credat ſe eſſe in bono ſtatu, vel an habeat dubiam conſcientiam, quod prudenter faciendum eſt, ne ex interrogatis, aut interrogandi modo conſtituatur pœnitens in dubia fide, qui priùs illæſam conſcientiam habebat; poteſt enim contingere vt aliquando in mala fide fuerit, nunc autem in bona ſit, ſicut ignorantia quæ in vno vincibilis eſt, poteſt in alio inuincibilis eſſe. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 38. *num.* 3. Bonacina *q.* 3. *punct.* 16. *num.* 10. Sotus *4. diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Adrianus *quodlib.* 5. *art.* 2. et alii. *Quando* autem penitens dubius interrogat Confeſſariũ, vel alium de aliquo impedimento, tenentur hi aperire veritatem, quamuis credant ſe nihil profuturos; quia penitens non dicitur in eo caſu laborare ignorantia inuincibili, ſed potiùs vincibili, cùm dubitetur de impedimento, alioquin cenſeretur Confeſſarius errorem approbare, ſi veritatem non manifeſtaret. Suarez *de pœnit. diſp.* 32. *sect.* 4. *num.* 2. Vaſquez *de pœnit. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 9. *num.* 2. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 5. et alii. (Sanchez. Bonac. Sotus. Adrian. Suarez. Vaſq. Henriq.)

17. Quando *Confeſſarius* credit admonitionem non ſtatim profuturam, ſed futurum, vt breui tempore proſit, tenetur admonere penitentem laborantem ignorantia inuincibili impedimenti: tamen melius eſſet admonere pœnitentem poſt abſolutionem, quàm antè, ne turbetur, et ponat obicem ad gratiam: *Similiter* poteſt differri admonitio ad tempus opportunum, ſi putetur penitentem ægrè laturum admonitionem, illamque meliùs ſuſcepturum, ſi alia vice admoneatur. Gutierez *cap.* 48. *num.* 4. Medina *C. de confeſſ. q.* 19. *dub.* 2. *dicto* 3. Sanchez *cit. diſp.* 38. *num.* 16. (Gutier. Medina. Sanch.)

18. *Confeſſarius* non poteſt abſoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens matrimonium; quando coniux ita eſt actualiter affectus, vt nolit reddere debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam cauſam iniuſtam, ſi non ſperet fructum admonendo illum de inualiditate matrimonii; quia pœnitens eſt in ſtatu peccati, cùm credat ſe iniuſtè denegare debitum. Bonacina *de matrim. q.* 3. *punct. vlt. num* 5. Syluius *cit. q.* 55. *art.* 9. *An autem* in propoſito caſu poſſit Confeſſarius præcipere, vel monere vt reddat? Sotus 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 2. Bonacina *cit. num.* 6. et Syluius *cit. art.* 9. negant, quia nouit Confeſſarius non eſſe legitimum matrimonium, & ita reuera non teneri reddere, ergo præcipiens vt reddat, præcipit fornicationem, quæ intrinſecè mala eſt: vnde Confeſſarius in hoc caſu debet dicere in genere, coniuges teneri reddere debitum, Sanchez tamen *lib.* 2. *diſp.* 38. *num.* 8. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 5. Coninch *diſp.* 8. *dub.* 17. *num.* 139. dicunt, quandoquidem penitens relinquendus ſit in illa ignorantia, & peccet lethaliter ea ſuppoſita non reddendo, Confeſſarium teneri non abſoluere, niſi proponat ſe deinceps redditurum, & ita poſſe cogere vt reddat; quia Confeſſarius non præcipit rem malam, ſed debitam ſuppoſitis circumſtantijs occurrentibus. (Bonac. Sylu. Sotus. Bonac. Sylu. Sanch. Henriq. Coninch)

MATRIMONIVM IX.

De diſpenſationibus matrimonialibus.

SVMMARIVM.

1 *An Summus Pontifex poſſit in aliquo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente diſpenſare?*

2 *An ſolus Papa in omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis, tam dirimentibus, quàm non dirimentibus, poſſit diſpenſare? & quid poſſit in hac Legatus Pontificis?*

3 *An in aliquo caſu poſſit Epiſcopus in impedimentis dirimentibus diſpenſare poſt contractum matrimonium?*

4 *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem? Et an ex vrgentiſſima neceſſitate poſſit in impedimentis dirimentibus ante contractum matrimonium? Et quis diſpenſet in impedimentis non dirimentibus?*

An Religioſi mendicantes habeant aliquod priuilegium circa impedimenta tollenda matrimonio bona fide conſummato?

5 *Quæ ſint cauſa iuſta diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus?*

6 *Monitiones quædam pro Confeſſarijs, vt ritè diſpenſationes Sacræ Pœnitentiariæ exequi valeant.*

Secun-

1 SEcundùm communiſſimam Doctorum ſententiã, in nullo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimẽte, poteſt Summus Pontifex diſpenſare, excepto voto ſolemni Religioſorum, quia ſi hæc facultas relicta eſſet in Eccleſia, multa conſurgerent pericula fornicationum, vt inter fratres, & ſorores ſpe obtinendæ diſpenſationis ad contrahendum matrimonium. Hoc autem colligitur ex vſu Eccleſiæ, quæ in nullo euentu hactenus diſpenſauit, vt matrimonium parentum cum filijs, aut fratrum cum ſororibus ineatur. Gutierez *cap.* 122. Filliucius *tract.* 10. 2. *par. num.* 301. Nauar. *cap.* 22. *num.* 84. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 10. Rodriquez *cap.* 263. *num.* 1.

Gutierez Nauarr. ſanch. Rodriq.

2. In omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis, tam dirimentibus, quàm non dirimentibus, ſolius eſt Summi Pontificis diſpenſatio; quia illa omnia ſunt iure communi inducta, in quo, tanquam in lege ſuperioris, nequeunt inferiores ordinariè diſpenſare; vnde nec Legatus Pontificis poteſt in his impedimentis diſpenſare, niſi ſpecialiter hoc illi à Pontifice concedatur; quia Legatus etiam à latere, circa diſpenſationes ea ſolùm poteſt in prouincia ſibi commiſſa, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, Bonacina *quæſt.* 3. *punct.* 15. *num* 2. Couarruuias 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. Sanchez *cit. diſp.* 6. *num.* 14. & 15. Filliucius *cit. cap.* 10. *num.* 302. Syluius *in ſupplem. q.* 50. *art.* 1. *quæſit.* 2.

Bonac. Couarr. ſanchez. Filliuc. ſylu.

3. *Epiſcopus* poteſt aliquando diſpenſare in impedimentis dirimentibus, quæ iure naturali non dirimunt, quando, ſcilicet, poſt contractum matrimonium detegitur impedimentum dirimens illud: *requiritur* tamen, vt concurrant hæ circumſtantiæ, vt matrimonium ſit contractum bona fide ab vtroque, vel ab altero ex contrahentibus (quamuis quidam apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 18. putent probabile eſſe poſſe etiam Epiſcopum diſpenſare, licet matrimonium mala fide cum impedimento dirimenti contractum ſit) & impedimentum ſit occultum, matrimonium verò publicum, nec coniuges poſſint ſeparari abſque magno ſcandalo, nec ad Summũ Pontificem, vel ad eius nuncium pateat recurſus propter paupertatem, aut propter locorum diſtantiam, aut ob alia legitima impedimenta. Gutierez *cap* 49. *num.* 6. & *ſeq.* Valentia *tom.* 4. *d.* 10. *quæſt. punct.* 5. Nauarrus *cit. num.* 88. Sà *verb. Epiſcopus num.* 43. Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 40. *num.* 3. & *ſeq.* Bonacina *cit. punct.* 15. *num.* 4. Sylu. *in ſupplem. q.* 50. *art.* 1. *quæſit.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 17. & alii: quia quamuis regulariter nequeat Epiſcopus in lege Pontificis, aut Concil. diſpenſare, poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, quando ad Pontificem aditus non patet: nec credibile eſt velle Papam reſeruare ſibi diſpenſationem in caſu tantæ neceſſitatis; vnde præſumitur conceſſa facultas Epiſcopo diſpenſandi pro foro conſcientiæ. Proinde circa hæc eſt notanda doctrina Ioannis Sancij *in ſelectis diſp.* 43. *num.* 8. cuius hæc ſunt verba.

Gutierez Valent. Nauarr. Sà. Sanch. Bonac. Dian.

Licet ex principijs intrinſecis rear, inferiorem non poſſe ex epicheia diſpenſare in lege ſuperioris in caſu vrgentis neceſſitatis: tamen ex principijs extrinſecis ductus ob authoritatem videlicet Doctorum affirmantium, poſſe diſpenſare, non damnarem inferiorem diſpenſantem, imò quod magis eſt, ſi conſpicatus fuiſſem Epiſcopum trepidantem diſpenſare ſuper impedimentum occultum matrimonii in caſu vrgentis neceſſitatis, conſulerem id recta conſcientia agere poſſe ob authoritatem tantorum Doctorum illud poſſe fieri cenſentium, putantiumque tunc velle ſuperiorem, facultatem diſpenſandi inferiori tradere, ne pauperes, aut aliàs impediti ſine remedio remaneant, in periculo peccandi ſemper perſiſtentes.

4. Secundùm communem ſententiam, Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis, quæ matrimonio ſuperueniunt, & impediunt debiti petitionem, v. g. in cognatione ſpirituali, vel affinitate. Imò ex ſententia Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 12. quem ſequuti ſunt Baſilius Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 6. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 178. *cap.* 2. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 27. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 205. Bonacina *q.* 3. *punct.* 16. *num.* 6. Syluius *cit. quæſit.* 2. Barboſa *alleg.* 35. *num.* 5. Victorellus in Nau. *cap.* 22. *num.* 85. Diana *cit. reſol.* 17. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *num* 35. Caſpenſis *tract.* 26. *diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 5. probabile eſt, Epiſcopum poſſe ex vrgentiſſima neceſſitate in impedimentis dirimentibus diſpenſare per ſe, vel per alium delegatum, etiam antequam matrimonium ſit contractum, quando ſcilicet, non eſt tutus acceſſus ad Pontificem, vel ab eo denominatum, & omnibus mediis poſſibilibus tentatis, non poteſt aliter obuiari grauibus incommodis ſcandali, infamiæ, & aliis. Ratio eſt, quia impedimentum dirimens, de quo agitur, eſt iuris humani. Ergo ſicut Epiſcopus in eo diſpenſare poteſt in caſu neceſſitatis vrgentiſſimæ poſt cõtractum matrimonium, ita priuſquam contrahatur: præſumitur enim habere tacitam facultatem Summi Pontificis in vtroque caſu pro foro conſcientiæ: & quamuis Epiſcopus in lege Pontificis non poſſit ordinariè diſpenſare, hoc tamen poteſt in neceſſitate grauiſſima.

ſanchez. Pontius. Vaſquez ſalas. Regin. Bonac. ſyluius.

Dian. Molfeſ. Caſpenſ.

In impedimentis verò non dirimentibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, excepto voto caſtitatis perpetuæ, & religionis. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 85. P. Ledeſma *q.* 55. *art.* 6. Diana *tract. de Sacramentis reſ.* 259. Syluius *in ſuppl. q.* 50. *art.* 1. *quæſit.* 1 et alii: quia quamuis inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris, per ſe loquendo; conſuetudine tamen iam receptum eſt, vt diſpenſatio iſtorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto caſtitatis, & religionis.

Nauarr. Dian. ſylu.

Sed quæres, an Religioſi Mendicãtes habeant aliquod priuilegium circa impedimenta tollenda matrimonio bona fide conſummato? Reſp aliquos aſſerere Mendicantes habere priuilegium à Leone X. ad diſpenſandum cum iis, qui ſcienter, aut ignoranter contraxere matrimoniũ, cum impedimento affinitatis, modò id notorium non ſit, nec in iudicium deductum. Ita Roffenſis *in l. de cauſa matr. Regis Angliæ.* Veracruz 2 *p. ſpec. art.* 27. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 28. et Rodriquez *tom.* 3. *qq. regul. quæſt.* 2. *art.* 2. dicunt id priuilegium non eſſe in vſu, vel non eſſe conceſſum, niſi pro vnico ſolo actu: penes doctos ſit hoc iudicium.

Roffenſ. veracruz ſanchez. Rodriq.

Eſt aliud priuilegium Gregorii XIII. conceſſum Patribus Societatis Ieſu 24. Auguſti 1576. pro partibus vltramontanis, vt in ijs locis, et Parochiis, vbi Concilii Triden. decretum, de irritandis matrimoniis clandeſtinis, promulgatum eſt, & ab aliquibus non ſeruatum, qui induci non poſſunt, vt iterum ſeruata forma Conc. contrahant, poſſint ab eorum Confeſſariis abſolui: & ipſi Confeſſarii poſſint cum talibus diſpenſare in foro conſcientiæ, vt rurſus ſecretò inter ſe contrahant, non ſeruata Concilii forma: & vt poſtquam ſic contraxerint, proles ita ſuſceptæ ipſo facto legitimæ cenſeantur.

Idem conceſſit 2. Septembris 1580. vt poſſint diſpenſare cum iis, qui contraxerunt cum impedimento criminis, qui non putant eſſe illicitum dare fidem de matrimonio contrahendo poſt mortem coniugis, viuente altero coniuge: imò putant eſſe iuſtiſſimum, vbi interuenit copula. Hæ conceſſiones habentur in Appendice ad litt. Apoſtolicas pro Soc. Ieſu. Sed quia fuerunt tantùm viuæ vocis oraculo factæ, iam illis non licet vti, quia per Conſtit. Vrbani VIII. ſunt annullatæ. Vide infra verb. *Priuilegium* 1. *num.* 8.

5. *Cauſæ iuſtæ* diſpenſandi in impedimentis matrim. dirimentibus, hæ ſolent à Doctoribus communiter aſſignari. *Prima*, extinctio magnæ litis, & vt pax conſanguineorum componatur per matrimonium; & ad hanc cauſam reducitur euitatio ſcandalorum inter cognatos; item quando diſpenſatio eſt quaſi remedium neceſſariũ obuiandi alicui magno delicto. *Secunda*, quando ob loci anguſtiam, vel nimis propagatam fœminæ cognationem in loco inſigni quem inhabitat, non reperitur matrimonium æquale, præterquam cum conſanguineis, & affinibus. *Tertia*, defectus dotis competentis, vt fœmina nubat iuxta ſuam conditionem extraneo æquali. *Quarta*, conſeruatio diuitiarum in eadem cognatione quãdo ampliſſimæ ſunt. *Quinta*, illuſtris familiæ conſeruatio in eodem ſanguine. *Sexta*, excellentia meritorum, ſiue per diſpenſationem petentis, ſiue eius cui petitur. *Septima*, proles habita ex conſanguinea, quando bona fide ſuſcepta eſt; imo ſatis eſt prolem bona fide alterius tantũ n

con-

coniugis eſſe ſuſceptam. *Notandum* autem eſt quando cauſæ aliquæ ſingulæ non ſufficiunt, multas aggregatas adiuuari adinuicem, quia ſingula quæ non proſunt, ſimul collecta iuuant. Ita Nauarrus *cap. 22. num. vlt.* Filliucius *tract. 10. 2. p. num. 375.* Rodriquez *cap. 236. num. 2.* Graſſijs *1. p. lib. 2. cap. 81.* Sanchez *lib 8. diſp. 29.* Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 9.* Couarruuias *3. decret. 2. p. cap. 6. §. 9.* Syluius *cit. quæſit. 3.*

Nauarr. Filliuc. Rodriq. Sanchez Henriq. Couar. Syluest.

6. Et quia aliquando à *ſacra Pœnitentiaria* cõceditur Confeſſario facultas diſpenſandi cum aliquo in impedimentis matrimonii: monenda quædam pro Confeſſariis ponemus, vt has diſpenſationes ritè exequi valeant. *Primò*, Confeſſarius debet diligenter inquirere, num res ita ſit ſicut expoſita fuit Summo Pontifici, & hoc à pœnitente ipſo, cui fidem præſtare debet. *Secundò*, non eſt neceſſarium vt pœnitens, cui concedenda eſt diſpenſatio, præmittat confeſſionem. *Tertiò*, relinquitur prudentiæ Confeſſarii, vt iniungat pœnitentiam, quando pœnitentiæ nõ ſunt taxatæ à ſacra Pœnitentiaria. *Quartò*, delictum debet eſſe occultum in ratione delicti, dicitur autem occultum, quando non laborat publica infamia, aut quando non eſt deductum ad forum contentioſum. *Quintò*, huiuſmodi diſpenſatio prodeſt ſolùm in foro conſcientiæ. *Sextò*, pœnitens qui obtinuit facultatẽ vt poſsit à Confeſſario diſpenſari, poteſt vno Confeſsario negante diſpenſationem, adire alium confeſsarium. *Septimò*, matrimonium non eſt validum antequam Confeſsarius virtute mandati Summi Pont. vel Pœnitentiarii diſpenſet, aliud eſt enim mandatum, aliud diſpenſatio. *Octauò*, matrimonium inualidum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrandum eſt coram Parocho & teſtibus, quando ſemel celebratum fuit coram Parocho & teſtibus conſcijs illius impedimenti, aut quando impedimentum probari poteſt in iudicio; ſecus dicendum eſt, quando delictum eſt omninò occultum. Sanchez *de his in particulari lib. 8. diſp. 34. diſp. 27. num. 38. 39. 40. & diſp. 30. num. 12.* Bonacina *cit. punct. 15. num. 7.* Reginaldus *lib. 31. num. 219.* Filliucius *cit. cap. 10. num. 262. & ſeq.* Plura de diſpenſationibus his matrimonialibus poſsent adduci, ſed quia pleraque pertinent ad forum externum, ab his ſuperſedemus; de quibus videndi ſunt Sanchez *lib. 8. diſp. 35.* & Filliuc. *tract. 10. 2. p. cap. 10.*

Sanchez. Bonac. Reginal. Filliuc.

Sanchez. Filliuc.

SVPPLEMENTVM.

MATRIMONIVM III.

De diſpenſationibus impedimentorum matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſatio quid ſit? & vt differat ab interpretatione, irritatione, & abrogatione.*

2 *An Papa poſſit in matrimonio rato fidelium, non conſummato, diſpenſare?* refertur duplex ſententia.

3 *An Epiſcopus poſſit in omnibus impedimentis iure humano matrim. dirimentibus ante contractum matrimonium ex cauſa valdè vrgenti, diſpenſare, & hanc poteſtatem alteri delegare? Et quæ ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi.*

4 *An Summus Pontifex poſſit, & ſoleat diſpenſare in ſecundo conſanguinitatis gradu non ſolum inter magnos Principes, ſed etiam cum perſonis inferioris gradus? Et quæ ſint illæ cauſæ diſpenſandi.*

5 *An quo propinquior eſt gradus, eò vrgentior cauſa exigatur ad diſpenſandum? Et an cui conceditur poteſtas diſpenſandi in aliquo gradu, poſſit in eo diſpenſare, ſi mixtus ſit ex alio propinquiori.*

6 *An quando impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis concurrunt, ſatis ſit in diſpenſationis impetratione mentionem fieri affinitatis.*

7 *An diſpenſatio cenſeatur ſubreptitia, quando inter cõſanguineos, vel affines præceſſit copula, ſi eius copula nulla mentio facta eſt in precibus?* refertur duplex ſententia.

8 *Quando ſponſi habuerunt inter ſe copulam hac intentione facilius diſpenſationem impetrandi, an neceſſarium ſit exprimere hanc intentionem.*

9 *An diſpenſatio ſit valida obtenta ſuper publica honeſtate, cognatione ſpirituali, & legali, tacita copula inter impetrantes habita?* refertur duplex ſententia.

10 *In conſanguinitate, affinitate, vel publica honeſtate an neceſſarium ſit exprimere, vtrum graduum diſtantia ſit in linea recta?*

11 *Quando impedimentum eſt cognatio ſpiritualis, vtrum exprimendum ſit, an ſit filiatio ſpiritualis, vel compaternitas?*

12 *Quando eſt publica honeſtas conſurgens ex matrimonio rato in primo gradu, an debeat illud exprimi?*

13 *An vitietur diſpenſatio, quando contingit error in petitione diſpenſationis exprimendo maiorem, vel minorem gradum?*

14 *Quando adſunt plura impedimenta, an debeant exprimi ſimul in eadem petitione, vel diuerſis?* refertur duplex ſententia.

15 *An diſpenſatio irrita ſit, quando falsò pro cauſa allegata eſt copula, quæ tamen non præceſſit? Et an omnes cauſæ allegatæ debeant verificari?*

16 *An diſpenſatio in impedimentis matrimonij valida ſit, quando erratur in nomine perſonæ?*

17 *Quid, quando erratur in nomine Diœceſis?* refertur duplex ſententia.

18 *De prima clauſula litterarum Sacræ Pœnitentiariæ*, vt ſit Doctor in iure Canonico, vel Magiſter in Theologia, vel diſcretus vir Confeſsor ex approbatis ab Ordinario.

An Sacerdotes ex ordinibus Mendicantium approbati ab Ordinario poſsint exequi has diſpenſationes?

19 *An executio prædictarum litterarum fieri debeat in Sacramentali Confeſſione?* refertur duplex ſententia.

20 *Pœnitens, qui ſemel litteras Sacræ Pœnitentiariæ cuidam Confeſſario præſentauit, vt diſpenſet, ſi ille nolit, an poſsit alium adire?*

21 *Clauſula*, propter periculum incontinentiæ, *quando verificetur.*

22 *Clauſula, iniungens Confeſſario verificationem cauſæ indagare per diligentem oratoris examinationem, vt verificetur.*

23 *Clauſula continens monita, & conſilia danda à Confeſſore, an præceptum contineat?*

24 *Clauſula iniungens opera in quæ debent commutari vota caſtitatis, vel religionis, an liget Confeſſarium, ne pro arbitrio mutare ea poſsit?*

25 *Clauſula iubens dilaniari litteras poſt executionem diſpenſationis, quomodo verificetur?*

26 *Clauſula*, Dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit, *quomodo intelligenda.*

27 *Clauſula*, vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate, *an ſit de eſſentia diſpenſationis.*

28 *De clauſula*, Gratis vbique.

29 *Diſpenſatio communibus expenſis, an ſoluenda ſit, quando inter conſanguineos mutua præceſſit conuentio de matrimonio contrahendo? Quid ſi vna pars, altera inconſulta, diſpenſationem impetrauit?*

30 *An qui iniuſtè, vel iuſtè renuit matrimonium obtenta de communi conſenſu diſpenſatione, teneatur ad integras diſpenſationis expenſas? Et quid ſi doloſe contraxerit habens animum ingrediendi Religionem?*

31 *An ſponſa obtenta diſpenſatione committens fornicationem teneatur ad integras expenſas diſpenſationis? Et quid in eodem caſu dicendum de ſponſo?*

An ille, cuius culpa poſt matrimonij promiſſionem contrahitur impedimentum dirimens, teneatur proprijs expenſis diſpenſationem impetrare?

1 DIſpenſare ſecundùm ethymologiam vocis nihil aliud importare videtur, quàm aliud penſare, ſiue

ſiue aliud decernere circa aliquam legem inſtitutam: Gloſſa. quapropter communiter Doctores ſequendo Gloſsam receptam *in cap. Requiritis, §. niſi rigor. 1. quæſt. 7.* talem definitionem diſpenſationis aſſignare ſolent: Diſpenſatio *eſt iuris communis relaxatio facta cum cognitione cauſa ab eo, qui poteſt diſpenſare, ſeu relaxare*. Hæc definitio non tantùm præciſam diſpenſationis naturam explicat, ſed etiam requiſita, vt licitè fiat. Dicitur. *iuris relaxatio*, nam diſpenſatio differt ab interpretatione, irritatione, et abrogatione iuris. *Interpretari* enim eſt declarare talem legem vi obligandi carere in tali euentu propter aliquam cauſam. *Irritare* autem eſt legem impedire & caſsare, ne robur obligandi amplius conſequatur, quoad omnes. *Abrogare* vero eſt poſtquam obligandi vim talis lex eſt adepta, eam infirmare, adimere, ſeu diſſoluere. Sed *Diſpenſare* propriè eſt, aliquem à lege eximere, caſu quoad illam tenebatur, & ideo dicitur relaxatio iuris circa aliquam perſonam particularem, vt in tali euentu poſſit licitè, non obſtante iure communi agere. Dicitur *cum cognitione cauſa*. Nam ſi legiſlator in ſua lege diſpenſet abſque cauſæ cognitione, valida quidem erit diſpenſatio, ſed non licita. Dicitur, *ab eo, qui poteſt diſpenſare* vt explicetur cauſa efficiens diſpenſationis, ſcilicet Prælatus, in quo reſidet talis diſpenſandi validè poteſtas. Nauarr. Sanchez Rodriq. Graſſiis. Ita Nauarrus *in man. prælud. 9. num. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1. num. 1. & 2.* Rodriquez *tom. 3. qq. reg. q. 47. art. 1.* Graſſiis *1. par. lib. 2. cap. 32. num. 1.* & alii.

2. Certum eſt apud omnes matrimonium conſummatum baptizatorum non poſse ab Eccleſia, nec à Pontifice diſsolui, quia iure diuino, & naturali eſt indiſsolubile; nec in Eccleſia, nec in Pontifice agnoſcitur peculiaris aliqua facultas ad id conceſsa, abſque qua nequit diſsoluere, quod de iure diuino, & naturali eſt indiſsolubile. Et in hoc omnes conueniunt.

Difficultas eſt inter Doctores, an Pontifex poſſit in matrimonio rato fidelium, ſed non conſummato, diſpenſare, & illud diſsoluere? Pro parte negatiua faciunt, quod Chriſtus Dominus, dum dixit, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, non ſolum loquutus eſt de matrimonio conſummato, ſed etiam de ſolum rato. Tum quia matrimonium ratum eſt indiſsolubile, & vinculum perpetuum, ergo nequit per Pontificem diſsolui. *Tertiò*, quia ſi poſset diſpenſare in rato, poſset etiam in conſummato, cum tantum differant accidentaliter. Hanc ſententiam præter Doctores citatos ſupra *verb. Matrimonium 2. num. 3.* Sylvius. Pontius. Marat. Sylnius *in ſupplem. 3. p. D. Thom. quæſt. 61. art. 2.* Pontius *de matrimon. lib. 9. cap. 3.* Mæratius *de matrimon. diſp. 6. ſect. 7.* et alii multi apud Sanchez infra, ſatis probabiliter. Probabilior tamen ſententia ſuſtinet, & merito id poſse Pontificem ex iuſta & graui cauſa, v. g. pro pace ſeruanda, vel pro odio, & inimicitiis euertendis, ortis poſt contractum matrimonium, vel propter lepram ſuperuenientem, vel ob promouendum virum ad Epiſcopatum ratione maioris boni, vel vt permaneat in ſecundo matrimonio conſummato. Probatur hæc ſẽtentia, ex facto Pontificum, qui hanc diſpenſationem Henriq. conceſserunt. Nam Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 11. in comment. lit. F.* teſtatur Greg. XIII. vno die diſpenſaſse cum vndecim, & in textu dicit ſæpè idem feciſse Paulum IV. Martinum V. & Eugenium IV. Idem teſtantur D. Caiet. Antonin. *3. par. tit. 1. cap. 2.* Caietan. *tom. 1. opuſc. tract. 28. quæſt. 25.* Atqui non eſt vllo modo veriſimile Pontifices in re tanti momenti erraſse, cum eorum error grauiter Eccleſiæ nocuiſset, & fuiſset circa vnum ex præcipuis capitibus Religionis noſtræ, qui ſane eſset intolerabilis. Non enim minus repugnat Pontificem errare in motibus, quàm in fide: at diſsolutio matrimonii rati, eſt quidpiam ad mores pertinens, ergo. Deinde iidem Romani Pontifices declararunt non fuiſse de mente Chriſti *Matth. 5. & 19.* includere prædictum matrimonium ratum: cui interpretationi ſumma fides adhibenda eſt, *cap. hæc eſt fides 24. quæſt. 1.* Ex quibus conſtat non eſse de iure diuino, nec naturali, vinculum, ſeu prohibitionem ſeparationis talis matrimonii rati, et non conſummati, & conſequenter Papam poſse in eo diſpenſare, vt pluribus rationibus adductis ſuſtinent Sanchez. Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 14. num. 2.* & plures alii apud ipſum, Tannerus *to. 4. diſp. 8. q. 5. dub. 4. num. 62.* Diana *par. 8. tract. 1. reſ. 62.* Bonacina *de matrim. q. 2. punct. 11. num. 5.* Gutierez *de matrim. cap. 54. num. 3.* & alii. Tanner. Dian. Bonac. Gutierez.

Ad rationem autem primam contrariæ ſententiæ dicendum eſt illum locum Matthæi intelligendum eſse de matrimonio conſummato, vt explicuit Alexander Papa III. *in cap. Ex publico, de conuerſ. coniug.* Ad ſecundam Alex. 3. dic matrimonium ratum eſse indiſsolubile, quia nequit mutuo conſenſu contrahentium & ea facilitate, qua alii contractus diſsoluuntur, diſsolui; ſed ex diſpenſatione Papæ ſolui poteſt. Ad tertiam reſpondetur matrimoniũ ratum, & conſummatum, non accidentaliter, neque eſſentialiter, ſed ſolum integraliter: integratur enim matrimonium per copulam, ſicut venditio integratur per poſseſſionem rei venditæ.

3. Cum probabile ſit poſse Epiſcopum in impedimentis dirimentibus diſpenſare etiam ante contractum matrimonium ex cauſa maximè vrgente, vt ſi omnibus mediis tentatis, diſpenſatio indicetur neceſsaria ad vitãdam grauem infamiam, vel graue ſcandalum, cui aliter occurri non poteſt, & hoc ex tacita Summi Pontificis licentia, vt diximus ſupra *verb. Matrimonium 9. num. 4.* cum Doctoribus ibi citatis: & colligitur *ex cap. 2. de deſponſ. impuber.* vbi dicitur, *Diſtrictius inhibemus ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus determinatam non peruenerit, coniungatur. Niſi forte aliqua vrgentiſſima neceſſitate interueniente, vt pote pro bono pacis talis coniunctio toleretur*, vbi verbum *toleretur* accipiendum eſt, nõ permiſſiuè, ſed approbatiuè, vt aduertit Pontius *lib. 8. cap. 13. n. 6.* Si ergo ex vrgenti ne- Pontius. ceſſitate ante contractum matrimonium poteſt Epiſcopus in impedimento ætatis diſpenſare, eadem eſt ratio in aliis impedimentis; ergo in omnibus admitti debet hæc diſpẽſatio. Hinc Epiſcopus poteſt ſuo Vicario, & cuilibet alteri poteſtatem diſpenſandi in prædicto caſu in impedimentis ſpecialiter delegare. Ratio eſt, quia hæc poteſtas à Pontifice conceditur Epiſcopis, quatenus tales ſunt. At iuriſdictio alicui competens ex priuilegio Principis, quatenus talem dignitatem, vel officium retinet, non eſt delegata, ſed ordinaria, & iuriſdictionis ordinariæ iura habet: ergo hæc poteſtas perpetuo dignitati annexa delegari poteſt. Ita Sanchez *de marr. lib. 2. diſp. 40. à n. 15.* Couar. *lib. 3. var. cap. 20. à num. 6.* Gutierez *de marr. cap. 49. num. 21* Hurtadus *de matr. diſp. 16. diffic. 2.* et alii. Sanchez. Couar. Gutierez. Hurtad.

Cauſæ iuſtæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, hæ ſolent aſſignari, quarum *Prima* eſt, extinctio magnæ litis, ad quam reducitur pax cõſanguineorum, euitatio ſcandalorum inter cognatos, & quãdo diſpenſatio eſt quaſi remedium neceſſarium obuiandi alicui magno delicto.

Secunda cauſa eſt, quando ob loci anguſtiam, vel nimis propagatam fœminæ cognationem in loco inſigni quem inhabitat, non reperitur matrimonium æquale, præterquam cum conſanguineis, vel affinibus.

Tertia eſt, defectus dotis competentis, vt fœmina iuxta ſuam conditionem nubat extraneo æquali.

Quarta eſt, conſeruatio diuitiarum in eadem cognatione; ne cauſa dotis diſtribuantur ad aliam cognationis familiam, quando ex ampliſſimæ ſunt.

Quinta cauſa eſt, illuſtris familiæ conſeruatio in eodem ſanguine.

Sexta eſt, excellentia meritorum, ſiuè diſpenſationem petentis, ſiuè eius, cui petitur.

Septima eſt, proles habita ex conſanguinea, quando bona fide ſuſcepta eſt, ſecus autem ſi mala fide. De quibus Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 19. per totam.*

4. Quamuis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. matr.* velit, vt in ſecundo gradu conſanguinitatis Cõc. Tr. numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Vbi nomine magnorum Principũ, ait Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 19. num. 2.* intelligi magnates, ſeu nobiles, qui ſunt in aliquo potentatu, ſeu Baronia. Sanchez. Verum hoc non obſtante, ſolent Pontifices ex benignitate diſpenſare cum perſonis inferioris notæ, & licet non adſit cauſa publicum bonum, ſed priuatum. Huiuſmodi autem cauſæ ſunt. *Prima*, matrimonium eſſe

inter

Digitized by Google

inter hos iam initum ex ignorantia rigoris prohibitionis Tridentini. *Secunda*, proles iam habitat. *Tertia*, diuturnitas matrimonii malè contracti. *Quarta*, ſcandalum ex ſeparatione oriturum. *Vltima*, clementia Pontificis, quod puella pauper ſit, velitque patruelis ipſam ducere, ac honeſtè dotare. Ita Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 3. num 9.* Rodriquez *tom. 1. Sum. Latina cap. 236. concl. 2.* Coniuch *diſp. 33. dub. 3.* Aduerte tamen, quod iure optimo faciliùs diſpenſetur in matrimonii impedimentis cū diuitibus, & potentibus, nec in hoc reperitur perſonarum acceptio. Rationem reddit D. Thomas 2. 2. *q. 63. art. 2. ad 2.* dicens, *Quòd diſpenſatio matrimonij contrahendi principaliter fieri conſueuit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis eſt neceſſarium communi vtilitati circa perſonas excellentes; & ideò cum eis faciliùs diſpenſatur abſque peccato acceptionis perſonarum*. Ita Sanctus Doctor.

Henriq. Rodriq. Conınch. D. Tho.

5. Quo propinquior eſt gradus, eo vrgentior cauſa exigitur ad diſpenſandum, quia ſtrictius eſt impedimentū. Ob eamdem rationem vrgentior cauſa deſideratur ad diſpenſandum in conſanguinitatis gradu, quàm in eodem affinitatis, & maior vt diſpenſetur in linea recta, quàm in tranſuerſa. Inſuper maiorem cauſam petit diſpenſatio in cognatione ſpirituali, quam in carnali: quia cùm cognatio ſpiritualis à venerabiliori principio procedat, eſt magis veneratione digna; imo aliquid dicunt nunquam legi Eccleſiam Romanam diſpenſaſſe circa cognationem ſpiritualem, præſertim, filiationem, quæ eſt inter leuantem, ſeu tenentem, et leuatum, ſeu tentum. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 19. num. 7.* et alii.

Sanch.

Ex quibus colligitur *Primò*, difficiliorem eſſe diſpenſationem ſi diſtantia graduum conſanguinitatis, vel affinitatis in linea tranſuerſa ſit inæqualis, maximè ſi diſtantia vnius partis ſit primi gradus à ſtipite, & in hoc caſu talis propinquitas eſt explicanda puta, ſi vir ducere velit filiā aui, aut proaui ſui, vel defunctæ vxoris ſuæ, vel mulier nubere velit filio aui, aut proaui ſui, vel defuncti mariti ſui: Pius V. tamen in quodam motu proprio edito anno 1566. die 26. Auguſti incipienti, *Sanctiſſimus*, reuocauit motum proprium Pij IV. decidens non eſſe neceſſariam gradus propinquioris mentionem, ſed ſufficere remotioris, obtentis tamen poſtea litteris declaratoriis ſuper propinquiori. Ideò enim dantur eæ litteræ, vt caueatur, ſcādalum: quippe poterant aliqui ſcandali auſam ſumere, videlicet non eſſe diſpenſatum in gradu propinquiori; ac propterea exiſtimantes matrimonium eſſe irritum. Proinde petitio earum litterarum ſolum forum externū reſpicit, et ſoli ſcandalo vitando deſeruit; at ſi nullum ſcandali periculum immineret, nec res ad forum externum delata eſſet, qui ſic contraxerunt matrimonium, non tenerētur eas litteras declaratorias afferre. De quibus plura apud Sanchez *lib. 8. diſp. 24. n. 23. 24. & ſeq.* Qui auctor rectè annotat *num. 32.* quando propinquior gradus ſtipiti fuerit primus, nullatenus valere diſpenſationem, in qua ſolius remotioris mentio fit, vt declarauit Pius V. in dicto proprio motu.

Pius V. Pius IV. Sanchez Pius V.

Colligitur *Secundò*, eum, cui conceditur poteſtas diſpenſandi in aliquo gradu, poſſe in eo diſpenſare, quamuis mixtus ſit in alio propinquiori: quia is gradus verè non eſt mixtus, ſed ſimplex; cum is ſolus gradus impedimentum matrimonii præſtet, qui à ſtipite remotior eſt, *cap. fin. de conſanguin.* Limita tamen, niſi alter eorum diſtaret a ſtipite in primo gradu, propter verba motus proprii Pii V. dicentis, nunquam Pontificis mentem eſſe diſpenſare in eo caſu, niſi exprimatur. Ita Layman *lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 6. num. 9.*

Laym.

6. Quando impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis concurrunt, quidam ſuſtinent in diſpenſationis impetratione ſatis eſſe mentionem affinitatis fieri. Ratio eſt, quod mentio affinitatis facta abſolutè, intelligatur de orta ex copula coniugali, eo quòd in dubio nō debet præſumi delictum; ergo facta abſoluta affinitatis mentione, ſatis exprimitur vtrumque impedimentum, ac proinde valebit diſpenſatio, quia ſub hac affinitate neceſſariò cōprenditur publica honeſtas. Ita Felinus *in cap. poſtulaſti num. 13. de reſcript.* Couar. *de matrim. 2. p. cap. 6. §. 7. n. 5.* & alii probabiliter. Sed meliùs alii diſtingunt dicendo, ſi explicetur affinitas ex copula licita proueniens, vt petendo diſpenſationem ad conſanguineam vxoris ducendam, valebit diſpenſatio, etſi publica honeſtas taceatur, quia tacitè illius mentio fit, vtpote, quæ in tali affinitate neceſſariò includitur. Secus facta ſolius affinitatis in genere mentione. Quia nunc nec tacitè, nec expreſsè fit publicæ honeſtatis mentio. Cùm ea affinitas tam de licita, quę publicæ honeſtati coniungitur, quàm de illicita, quæ ſine illa eſt, poſſit intelligi. Ita Alexander de Neuo *verb. Diſpenſatio q. 5. num. 9.* Syluest. *verb. Matrimonium 8. q. 14. dict. 3.* Angelus *verb. Diſpenſatio num. 10.* et alii.

Felinus. Couar. Alexan. Syluest. Angel.

Ex quo deducitur, in poteſtate diſpenſandi in affinitate includi quoque publicam honeſtatem cum illa concurcurrentem. Ratio eſt, quia cùm poteſtas diſpenſandi in affinitate claudat quoque affinitatem ex copula coniugali cui neceſsario coniuncta eſt publica honeſtas, extendetur quoque ad publicam honeſtatem; imo extendetur, quamuis ſine affinitate ſit, vt ſi ex ſolo matrimonio rato, vel ex ſolis ſponſalibus orta ſit. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 24. num. 41.*

San. h.

7. Iuxta quorundam ſententiam, diſpenſatio obtenta à Pontifice poſtquam præceſſit copula inter conſanguineos, vel affines, prorſus nulla eſt, ſi eius copulæ nulla mentio fiat in petitione diſpenſationis. Probat, quia id quod ſtylus Curiæ Romanæ, & cōſuetudo Pontificis obſeruant in diſpenſationibus, neceſſario obſeruandum eſt, aliàs diſpēſatio erit ſubreptitia; ſed ſtylus Curiæ Romanæ requirit mentionem prædictæ copulæ, vt timore huius manifeſtationis faciendæ arceantur conſanguinei, & affines ab inceſtuoſa copula. Tum quia taciturnitas veri, quo expreſſo Pontifex non ſolet concedere diſpenſationē eo modo, quo conceſſit, ſed cum quibuſdam moderationibus, reddit eam ſubrepritiam. At manifeſtato inceſtu non ſolet Pontifex diſpenſare abſolutè in gradibus affinitatis, et conſanguinitatis, ſed cum quibuſdam moderationibus, vt exigendo maiorem quantitatem pecuniæ, imponendo aliquam pœnitentiam, & aliquod grauamen, vt ſcilicet, ſuperſtes eo matrimonio ſoluto ad aliud matrimonium migrare non poſſit. Ergo nec neceſſarium eſt facere mentionem copulæ præcedentis, vt diſpenſatio valida ſit. Ita probabiliter Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp 25. num. 8.* Gutierez *qq. Canonic. lib. 2. cap. 15. num. 133.* & alii penes ipſos. Qui id probant etiam ex declaratione Cardinalium. Nihilominus non deſunt Doctores contrarium ſuſtinentes, nempe, diſpenſationem non eſſe ſubreptitiam tacita copula. Ducuntur, quod ea copula nec ex natura rei, nec ex iure Eccleſiaſtico reddat diſpenſationem difficiliorem. Non ex natura rei, quia potiùs faciliorem reddit ob fœminæ infamiam, neptitudinem ad aliud matrimonium & ſcandala, quæ inde oriri ſolent. Non etiam ex iure *Eccleſiaſtico*, quia inceſtus habitus cum conſanguineis, non eſt impedimentum, dirimens matrimonium iuxta veriorem ſententiam, teſte Sanchez *loco cit.* Si ergo non eſt impedimentum, non eſt declarandum. Inceſtus autem cum affinibus, licet præſtet impedimentum, impediens cùm quacumque alia, eſt tamen abrogatum ob contrariam conſuetudinem, neque vlla eget diſpenſatione. Et eſto eſſet impedimentum, ſubeſt Epiſcopi diſpenſationi, vt probat idem Sanchez *lib. 7. diſp. 17. a num. 10.* Ergo non eſt facienda mentio copulæ cū propria conſanguinea, & ſine expreſſione illius, valet diſpenſatio: quia nullo iure cauetur, quod exprimatur copula inceſtuoſa. Imo in tali caſu non tenentur, qui diſpenſationem petunt, ad interrogationem Ordinarii de copula reſpondere, ſed poſſunt ſine peccato negare, reticendo in mente, vt tibi dicam. Et quamuis in reſcripto dicatur, *ſi copula non fuerit*, adhuc valet diſpenſatio quamuis negetur, ſi ea diſpenſatio ſit obtenta pro foro externo, dummodo ea copula non probetur in externo foro: quia illa clauſula intelligenda eſt iuxta naturam eius diſpenſationis. Ita Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 6. num. 32.* Nauarrus *conſil. 8. & duobus ſeqq. in 2. ed. tit. de conſanguinit. & affinit.* Rodriquez *par. 1. Sum.* [illegible] *cap. 237. concluſ. 5.* Diana *par. 1. tract. 10. reſ. 4.* Præpoſitus *in 3. part. quaſt. 8. de diſpenſat. matrimon.* [illegible] Hurtadus *de matrimon. diſput. 26. difficul. 5.* [illegible] & alii. Si autem diſpenſatio obtenta ſit pro foro [illegible]

Sanch. Gutierez Sanch. Pontius. Nauarr. Rodriq. Diana. Præpoſ. Hurtad.

con-

Digitized by Google

conſcietiæ & hoc præcipitur, quia committitur executio talis diſpenſationis Confeſſario cum illa clauſula, *Niſi copula fuiſſet inter eos habita*, tunc tenentur pœnitentes volentes validè contrahere fateri veritatem Confeſſario interroganti; quòd ſi ſecus fecerint, executio eſt nulla, et matrimonium irritum. Et hoc fortè voluerunt dicere Doctores prioris ſententiæ.

De ſtylo autem curie pro prima ſententia adducto dubitat valdè Ponnius, & Nauar. qui diu Romæ fuit, ibique ætatis ſuæ centeſimum impleuit annum, de tali Curiæ ſtylo, an fortè eſſet, non depoſuit. Ad declarationem autem Cardinalium, dicendum eſt, illam procedere quando inceſtus fuit publicus, ſecus quando eſt occultus.

8. Quando ſponſi habuerunt inter ſe copulam, hac ſpe & intentione facilius obtinendi diſpenſationem, neceſſarium eſt, non ſolum exprimere copulam, ſed etiã hanc ſpem, et intentionem. Ratio eſt, quia copula ex tali animo habita, tantùm abeſt, vt ſit cauſa facilioris diſpenſationis, quod potiùs eam reddat difficiliorem, & retrahat Pontificem ab ea concedenda: Et hoc verum, quando ex parte vtriusque fuit habita copula ex tali intentione: ſecus ſi ex parte vnius habita ſit ſolùm ex fragilitate, ſeu libidine, & non ex tali intentione & fraude, tunc non eſt neceſſarium exprimere animum, et dolum alterius. Et ideò, quando copula allegatur pro cauſa, debet exponi cum ſua vera qualitate, & qua intentione habita ſit, ne diſpenſatio euadat ſubreptitia, & irrita. Et hoc ipſum confirmatur ſtylo Curiæ, quando copula allegatur pro cauſa. Verùm ſi adſint aliæ ſufficientes cauſæ diſpenſationis, quæ ſolæ abſque allegatione copulæ valeant obtinere diſpenſationem; tunc neceſſe non erit exponere copulam, atque adeo nec eam intentionem qua habita eſt. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 25. num. 31.* Auerſa *de Sacr. matrim. quæſt. 19. ſect. 6.* Portel *in reſponſ. moral. tom. 3. caſu 49. num. 11.*

Sanchez. Auerſa. Portel.

9. Quidam ſentiunt diſpenſationem eſſe nullam obtentam ſuper impedimento publicæ honeſtatis, ſeu cognationis ſpiritualis, & legalis, tacita copula inter impetrantes habita; quia inceſtus eſt, non ſolùm cum conſanguineis, et affinibus, ſed etiam cum cognatis cognatione ſpirituali, & publica honeſtate. Ita Menoch. *de arbitr. centuria 6. caſu 502.* Garzias *de benefic. par. 8. cap. 3. num. 64.* Pellizzar. *in man. tract. 8. cap. 3. num. 243.* et alii apud ipſos.

Menoch. Garzias. Pelliza.

Contrarium tamen meritò alii ſuſtinent. Ratio eſt, quia non oritur impedimentum ex copula cum cognata legali, vel ſpirituali, cùm non ſit propriè inceſtus, nec ſit textus hoc impedimentum inducens, niſi quando eſt copula cum conſanguineis, ſeu affinibus. Ideo non quæcumque veri taciturnitas vitiat diſpenſationem, ſed illa, quam iura exprimi præcipiunt. Cum ergo copula inter cognatos ſpirituales non ſit verus inceſtus, non eſt cur eius taciturnitas reddat diſpenſationem ſubreptitiam. Ita Nauarrus *lib. 4. conſil. in 2. edit. conſil. 8. num. 8. & 9.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 15. num. 8.* & alii.

Nauar. Sanch.

10. In conſanguinitate, affinitate, vel publica honeſtate, vt diſpenſatio non ſit ſubreptitia; neceſſarium eſt exprimere: an diſtantia graduum ſit in linea recta. Ratio eſt, quia ſic vſu, et ſtylo Curiæ receptum videtur: tũ quia multò indecentius eſt, ac abſurdius huiuſmodi matrimonium, quàm vbi diſtantia graduum eſt in linea tranſuerſa: quamuis in affinitate ex copula fornicaria, non ſit neceſſarium exprimere. Cùm ex ea copula non oriatur notabiliter ſpecialius vinculum, aut notabiliter maior reuerentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quàm ex tranſuerſa. Ita Filliucius *tract. 16. par. 2. in num. 327. verſ. Tertiò.* Sanchez *lib. 8. diſp. 24. num. 14.* Guticrez *de matrim. cap. 123. num. 6.* et alii recentiores.

Filliuc. Sanchez Gutier.

11. Quando impedimentum eſt cognatio ſpiritualis, exprimendum eſt, an ſit filiatio ſpiritualis, vel compaternitas: quia indecentius eſt contrahere cum filia ſpirituali, quàm cum matre. Item, ſi baptizauit, vel tenuit, nam ex Baptiſmo collato fortius vinculum oritur, quàm ex ſuſceptione. Item, in confirmatione, ſi ſit cum perſona, quam tenuit, vel cum patre, aut matre. Nam cùm regeneratio hæc ſpiritualis, ex qua filiatio iſta conſurgit, aſſimiletur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur: ſicut indecentiſſimum eſt inter patres, & filios carnales matrimonium, ita ſuo modo, licet non æquali, inter patres, ac filios ſpirituales. Ita Sanchez *loco cit. num. 15.* Filliucius *num. 331.* Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 2. punct. 5. num. 6.* Gutierez *num. 7.* Similiter explicandũ eſt, an cognatio ſpiritualis eo duplici capite contracta ſit, vt ſi fuiſſet patrinus duorum filiorũ ſponſæ, vel vnius filij in duobus Sacramentis, in Baptiſmo videlicet & Confirmatione.

Sanch. Filliuc. Bonac. Gutierez

12. In impedimento publicæ honeſtatis conſurgentis ex matrimonio rato, non ſolum exprimendum eſt publicæ honeſtatis impedimentum eſse in primo gradu, verum etiam adeſſe ob matrimonium ratum: quia eſt multo arctius id vinculum, quàm ſi oriretur ex ſponſalibus: tum quia indecentius eſt contrahere matrimonium cum ſorore propriæ vxoris, quàm cum ſorore ſponſæ de futuro. Non eſt tamen id neceſſe exprimere, ſi honeſtas publica ſit in ſecundo, vel tertio, vel quarto gradu: quia conſtat impedimentum publicæ honeſtatis, excepto primo gradu; non aliunde conſurgere, quàm ex matrimonio rato; cum ex ſponſalibus non oriatur publica honeſtas vltra primum gradum. Ita Sanchez *lib. 8. diſput. 24.* Filliucius *tract. 10. part. 2. num. 330. in fine.* Gutierez *loco cit. num. 7.*

Sanchez Filliuc. Gutierez

13. Quando contingit error in petitione diſpenſationis, explicando maiorem gradum, vt tertium, cum tamen ſit minor, vt quartus, non vitiatur diſpenſatio: Secus ſi contra, vt ſi minor proponatur pro maiore, etiamſi ex ignorantia inculpabili. Ratio eſt, quia etſi in primo caſu non ſit conceſſa ſpecificè diſpẽſatio pro quarto gradu, eſt tamen conceſſa ſimpliciter pro conſanguinitatis impedimento, cum errore circa qualitatem accidentalem incluſam à fortiori in gradu ſuper quo diſpenſatur. In ſecundo autem caſu diſpenſatio eſt irrita, & ſubreptitia, quia error contingit circa diſpenſationis ſubſtantiã: & ita nullatenus in illo gradu ſuperiori diſpenſatur: quia non continetur maior in minori, nec diſpenſatio minoris continet diſpenſationem maioris.

Quando autem erratur circa ſpeciem impedimenti, quamuis impedimentum quod exprimitur, maius ſit, diſpenſatio eſt ſubreptitia, & irrita: vt ſi dicatur, contrahentes eſſe conſanguineos in tali gradu, cùm ſint affines. Ratio eſt, quia error non ſupplet intentionem concedentis, qui diſpenſare cenſetur in ſpecie ſibi expreſſa, non verò in alia, quæ non continetur. Ita Sanchez *loco cit. num. 17. 18. & 19.* Filliucius *tract. 10. par. 2. in num. 327.* Gutierez ex parte *loco cit. num. 10.* Salas *de legibus diſput. 20. ſect. 15.* Bonacina *de legib. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 7. num. 8. & 15.*

Sanchez. Filliuc. Gutierez Salas. Bonac.

14. Difficultas eſt, quando adſint plura impedimenta, an debeant omnia exprimi ſimul in eadem petitione, vel ſufficiat, quodlibet impedimentum per ſe in diuerſis petitionibus ſeparatis exponere, & de quolibet ſingulas diſpenſationes obtinere? Quidam enim valde probabiliter ſuſtinent, ſatis eſſe in diuerſis petitionibus ſingula impedimenta proponi, & quamlibet diſpenſationem illarum per ſe obtentam validam eſſe: vnde ſi qui ſint ſimul conſanguinei affines, poterunt in quibuſdam litteris conſanguinitatem proponere, tacita affinitate, et in alijs hanc, illa tacita, & vtraque diſpenſatio valebit, quoad ſuum impedimentum. Ratio eſt, quia nullum eſt ius, quod requirat & ſtatuat, vt in impetratione diſpenſationis vnius impedimenti, mentio de aliis impedimentis fiat. Ita Nauarrus *lib. 4. conſil. de conſanguinit. conſil. 4.* Amicus *tom. 5. diſput. 6. ſect. 8. num. 127.* Salas *de legib. diſp. 20. num. 122. ſect. 15.* Emanuel Sà *verb. Diſpenſatio num. 16.* et alii. Probabilius autem arbitrantur, qui dicunt omnia impedimenta coniunctim in eadem petitione eſſe explicanda. Ratio eſt, quia vnum impedimentum coniunctum cum alio magis ligat, et difficiliorem reddit diſpenſationem obtinendam, quàm ſi tantum vnicum eſſet impedimentum. Tum quia, vt diſpenſatio legitimè obtineatur, neceſſarium eſt proponi Pontifici totum vinculum diſſoluendum, ſecundum totam grauitatem, quæ intrinſecè poteſt diſpenſationem difficiliorem reddere: vnum autem impedimentum cenſetur moraliter habere maio-

Nauarr. Amicus Salas. Sà.

Digitized by Google

maiorem grauitatem in illo genere, quando eſt coniunctum alijs, quàm ſolitariè ſumptum, ergo ne diſpenſatio ſit ſubreptitia, omnia ſimul in eadem petitione ſunt explicanda, vt Pontifex plenè cognoſcat difficultatem ad diſpenſandum: difficilius enim diſpenſat in pluribus impedimentis ſimul, quàm in vno ſolo. Tum quia prima opinio eſt contra praxim, et vſum Romanæ Curiæ, ex quo infringitur eius probabilitas. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 23. num. 2.* Gutierez *de matrim. cap. 123. num. 21.* Diana *part. 1. tract. 10. reſol. 39. & part. 8. tract. 3. reſ. 25.* Suarez *de legat. lib. 6. cap. 24. num. 9.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 19.* et alij apud ipſos.

Sanchez. Gutierez. Diana. Suarez. Layman.

Tamen quando adeſſent duo impedimenta, vnum conſanguinitatis, affinitatis alterum contractæ ex copula illicita ſecreto habita cum conſanguinea in primo, vel ſecundo gradu alterius ſponſi, et ſine infamia mulieris petentis, explicari non poſſet in publica petitione: tunc permittitur, quod in vna petitione publicè petatur diſpenſatio illius impedimenti publici, et poſtea per viam Sacræ Pœnitentiæ obtineri poterit alia diſpenſatio ſecreta illius impedimenti ſecreti pro foro conſcientiæ, faciendo mentionem in iſta petione alterius impedimenti publici, de quo obtenta eſſet, vel obtinenda diſpenſatio à Summo Pontifice, et tunc valebit vtraque diſpenſatio. Vt aduertunt quidam Doctores ex proximè citatis. Quibus addo Pellizzarium *in man. reg. tract. 8. cap. 3. num. 244.*

Pelliz.

15. Quando petitur diſpenſatio ad contrahendum cum conſanguinea, et allegatur pro cauſa, quod copula præceſſerit, quæ tamen reuera non præceſsit, diſpenſatio nulla eſt: quia narratur vna tantùm cauſa, et illa eſt falſa. In omni enim diſpenſatione quam concedit Pontifex ſemper intelligitur hæc conditio, *ſi preces veritate nitantur*. Sed in hoc caſu narrata tantùm vna cauſa, et illa falſa preces non nituntur veritate, conſequenter diſpenſatio non eſt valida. Si verò petens diſpenſationem narret pro cauſa diſpenſationis copulam habitam, & periculum ſcandali, & infamiæ inde ſuborituræ; ſi verè dictum periculum ſubſit, licet copula habita non fuerit, valida eſt diſpenſatio: quia Pontifex tunc concedit diſpenſationem ob prædictum periculum, ob copulam, quæ in hoc caſu non dicitur habere connexionem cum materia diſpenſationis, & proinde preces veritate nituntur, licet illud de copula falſum fuerit: quia adhuc manet cauſa finalis mouens Pontificem ad diſpenſationem concedendam, quæ eſt ad conſulendum famæ mulieris, & ad vitanda ſcandala ex præſumpta copula ſecuta. Quando enim in ipſa petitione plures proponuntur cauſæ, non debent omnes, ad hoc vt diſpenſatio valida ſit, verificari: nam ſola expreſſio cauſæ finalis falſæ, quæ ſi exprimeretur, non concederetur diſpenſatio, irritat diſpenſationem. Reliquæ autem cauſæ, etiamſi falſæ ſint, diſpenſationem non irritant, eo quod adhuc illis explicatis, diſpenſatio conceſſa fuiſſet. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 21. num. 45.* Henriquez *lib. 12. de matrimon. cap. 3. num. 7.* Bonacina *de leg. diſput. 1. quaſt. 2. punct. 4. numer. 8.* Diana *part. 8. tract. 3. reſol. 65.* Portel *in reſponſ. moral. tom. 3. caſ. 49.* Amicus *tom. 5. diſput. 6. ſect. 8. num. 150.* vt iterum diximus tom. 1. verb. Diſpenſatio *num. 35.*

Sanchez. Henriq. Bonac. Diana. Portel. Amicus.

16. Diſpenſatio eſt valida in impedimentis matrimonij quando erratur in nomine perſonæ petentis diſpenſationem. Quod apertè colligitur ex *Inſtitut. de legatis, §. ſi quis in nomine*, ibi, *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij teſtator errauerit, ſi de perſona conſtat, nihilominus vilet legatum. Nomina enim ſignificandorum hominum gratia reperta ſunt, qui ſi alio quolibet modo intelligantur, nihil intereſt.* Vt diximus tom. 1. verb. Diſpenſatio, *num. 53.*

17. Difficultas eſt, an diſpenſatio irrita ſit, quando erratur in nomine Diœceſis cuius erat is, cui impetratur diſpenſatio, vt dictum eſt eum eſſe Diœceſis Leodienſis, cùm tamen eſſet Tornacenſis, ac proinde commiſſio facta eſt Officiali Leodienſi? Reſolutio huius difficultatis, habetur tom. 1. verb. Diſpenſatio, *num* 34.

18. Forma diſpenſationum, quæ in foro conſcientiæ à Sacra Pœnitentiaria expediuntur, varias clauſulas complectitur, quarum prima continet qualitates perſonæ quæ debet exequi diſpenſationem *vt ſit Doctor in iure Canonico, vel Magiſter in Theologia, vt diſcretus vir Confeſſor ex approbatis ab Ordinario*. Hinc notandum eſt *Primò*, nomine Magiſtri in Theologia, Doctor etiam in Theologia intelligitur, quia iſta nomina ſunt Synonyma, licet quædam vniuerſitates vno vtantur, aliæ alio. Non ſufficit eſse publicum profeſsorem Theologiæ vel Canonum, niſi in vniuerſitate approbata gradus iſtos acceperit: quia hi ſoli dicuntur Doctores, qui habent teſtimonium publicum Academiæ: quare non ſatis erit gradus Licentiati, nec Bacchalaureatus, ſed debet eſſe Doctor, vel Magiſter graduatus. Nec ſufficit eſse iuris ciuilis Doctorem, quia Doctores Cæſarei iuris non habent eam notitiam, quæ neceſsaria eſt ad diſpenſationem exequendam.

Notandum *Secundò*, debere eſse Confeſsorem approbatum ab ordinario; ſi autem occultè eſset eius approbatio reuocata, poteſt nihilominus eligi, ſi communiter ignoretur reuocatio, habet enim titulum coloratum. Si verò eſset approbatus cum limitatione, v.g. ad audiendas Confeſſiones virorum, non mulierum, vel è contra, quando ſimul eſset Doctor, vel Magiſter, ſecundùm Sanchez *lib. 8. diſput. 34. num. 16.* & alios, poteſt eligi ad expediendas has diſpenſationes, ſiue viris, ſiue fœminis conceſsas. Ratio eſt, quia in eis literis, dum petitur in expedituro approbatio Ordinarij vna cum gradu Doctoratus, ſpectatur potius ſcientia, ac rerum moralium peritia ad earum expeditionem. At hic vtrumque ſuę ſcientiæ teſtimonium habet, ergo. Sententiæ Sanchez ſubſcribit Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor aperiens literas Papæ, numero quinto*, Nihilominus dicendum eſt, non eſse exequi literas Maioris Pœnitentiarii niſi ad fauorem earum perſonarum, ad quarum Confeſſiones audiendas ab Ordinario admiſsus fuit. Ratio eſt, quia Maior Pęnitentiarius ſequitur ſimpliciter approbationem Ordinarii: ergo præſupponit in executore ſuarum literarum eam iuriſdictionem, quam Ordinarius illi tradidit ad Confeſſiones Sacramentales audiendas, ſed iuriſdictio fuit tradita cum limitatione, ergo præſupponit in dicto executore iuriſdictionem cum dicta limitatione; ergo, ſicut fuit excluſus per Ordinàrium ab audendis Confeſſionibus mulierum, vel è contra, ita etiam excluditur à maiori Pęnitentiario. Ita Suarez *tom. 4. de penitent. diſp. 27. ſect. 7. n. 3.* Filliuc. *tract. 10. part. 2. num. 352.* Petrus Ledeſma *in Summ. de Penitent. cap. 13. dub. 7.* Tamen vtramque ſententiam probabilem eſse putat Diana *part. 8. tract. 2. reſol. 103.*

Sanchez. Portel. Suarez. Filliuc. Ledeſm. Diana.

Notandum *Tertiò*, quod ex priuilegio bullato Gregor. XIII. poſsunt has diſpenſationes exequi Sacerdotes Societatis, modò ſint approbati ab Ordinario ante expeditionem vel executionem ipſarum. Eodem priuilegio gaudent alii Mendicantes. Debent tamen omnes ſpecialem habere facultatem ſuperiorum ad talem executionem, aliàs diſpenſatio erit nulla. Vt docent Rodriquez *tom. 1. quaſt. reg. q. 63. art. 8. in fine.* Salas *de legibus diſput. 20. ſect. 10. §. 8. num. 97.* & Sanchez *lib. 8. diſp. 34. num. 11.* Pellizarius *in man. regular. tract. 8. c. 3. num. 189.*

Gregor. XIII. Rodriq. Salas. Sanch. Pelliz.

19. Quorumdam ſententia eſt, prædictam executionem literarum non debere fieri in Sacramentali Confeſſione. Nam ſi Pęnitentiarius committens has diſpenſationes vellet præmittendam neceſsariò Confeſsionem Sacramentalem, id claris verbis explicaret. Nulla enim ſunt verba in expeditione literarum, quæ id exprimant per modũ conditionis, qualis eſt, *ſi dummodo*. Adde quòd ille ablatiuus abſolutus, *auditis Confeſsionibus* in bulla Gregorii XIII. poſitus, in qua id priuilegium conceditur, refertur ad abſolutionem Sacramentalem à peccatis, & non ad diſpenſationes: Et certè vix credi poteſt, vt facultas quam Sacra Pęnitentiaria concedit Doctori extra Confeſſionem, velit, vt coarctetur ad Confeſsionem reſpectu Religioſorum. Nam ſenſus, ac mens Pontificis eſt eadem facultatem, & eodem modo concedere Religioſis, quo Pęnitentiaria Sacra Doctori concedit, vt pluribus rationibus adductis conatur probare Sanchez *lib. 8. diſp. 34. num. 29. & 30.* cum aliis. Verùm, quia hodie in Breuibus quæ à Sacra Pęnitentiaria expediuntur,

apponi ſolent, hæc verba: *Quamuis audita Sacramentali Confeſſione, &c. vel in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis, nec aliter, nec alio modo.* Videtur ceſſare hæc difficultas, & prædicta opinio reprobari, vt obſeruant Lexana *tom. 4. Summa verb. litera Apoſtolica, num.* 20. Eſcobar *in Theolog. moral. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 4. *num.* 124. Pater Theſaurus *in praxi de pœnitent. part.* 1. *cap.* 22. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *n.* 12. Pellixxarius *in man. regul. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 194. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 71. & alij. Ratio eſt, tum quia omnia, quæ in prædictis literis continentur, indicant Sacramentalem Confeſſionem. Nã vtuntur verbo, *abſoluendi*, cuius nõ eſt vſus in diſpenſationibus. Aiunt etiam, *in forma Eccleſiæ conſueta*, quæ particula oſtendit idem Sacramentum. Requirunt quoque in executore eius diſpenſationis qualitatem Confeſſoris approbari ab Ordinario. Tum quia ſicut iudex non poteſt exercere ſuam iuriſdictionem extra ſuum territorium, ita neque Confeſſor delegatus poteſt exercere ſuam iuriſdictionem delegatam, extra Sacramentalem Confeſſionem, quæ eſt Confeſſoris præſcriptum, & limitatum territorium: ergo debet prius ingredi ſuum territorium, hoc eſt, audire Sacramentalem Oratoris Confeſſionem, & poſtea iuriſdictionem ſibi delegatam exercere.

Sanchez. Lezana. Eſcobar. Theſaur. Pontius. Pellizz. Diana.

Sed petes, an ſi Confeſſio, quæ requiritur ad validam expeditionem iſtarum literarum, ſit inualida, etiam inualida ſit ipſa expeditio? Reſp. non eſſe; ſi Confeſſio ſit inualida ex defectu doloris, aut integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur diſpenſatio: ſecus, ſi non ſit integra reſpectu eius, de quo quæritur diſpenſatio. Vt tradunt Suarez *de pœnit. diſput.* 31. *ſect.* 4. *num.* 9. Filliucius *tract.* 10. *num.* 355. Pellizzarius *loco cit. num.* 196.

Suarez. Filliuc. Pellizz.

20. Iuxta veriorem, & in praxi tenendam ſententiam pœnitens, vbi ſemel literas Sacræ Pœnitentiariæ cuidam Confeſſario præſentauit, illum eligens, vt diſpenſationem exequatur, ſi ille nolit diſpenſationem concedere, poteſt alium adire, & ab eo ipſam obtinere. Ratio eſt, quia cùm ea commiſſio facta ſit in foro conſcientiæ, ſequitur eius fori naturam, quæ eſt, vt non adſtringatur pœnitens acquieſcere ſententiæ vnius Confeſſarij, ſed poſſit alium adire, qui ex alia opinione probabili cum ipſo diſpenſabit. Imò ipſe Confeſſarius, qui in principio noluit hanc diſpenſationem exequi, poteſt mutata ſententia, id poſtea facere, cùm ſapientis ſit ex iuſta cauſa mutare conſilium. Ita Lezana *tom.* 4. *verb. litera Apoſtolica, num.* 19. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 40. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 104. & alij contra Nauarrum *lib.* 1. *conſil. de offic. delegat. conſil.* 8.

Lezana. Sanch. Diana. Nauar.

21. Secunda clauſula in reſcriptis Sacræ Pęnitentiariæ eſt, in qua continetur cauſa diſpenſationis, nempe, *propter periculum incontinentiæ.* Hæc clauſula vt verificetur, non ſufficiunt quæcumque carnis tentationis, nec quodcumque lapſus in eas periculum: nec ſat eſt timor vnius vel alterius lapſus; ſed exigitur maximum frequentis lapſus periculum: ita vt ea perſona poſſit dici viuere incõtinẽter, Hoc patet ex verbis clauſulę, ibi, *Continenter viuere poſſe non ſperas*, quæ ſonant habitum viuendi incõtinenter. Sufficiet tamen ad diſpenſandum ſi hoc grande periculum frequentis lapſus proueniat, vel ex fragillitate complexionis, vel ex prauo habitu acquiſito. Ita Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 19. Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor aperiens literas Papæ n.* 6. Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 353. Salas *de leg. diſp.* 20. *ſect.* 10. §. 3. *num.* 97.

Sanchez. Portel. Filliuc. Salas.

22. Tertia clauſula in qua mandatur Confeſſario verificationem cauſæ indagare per diligentem Oratoris examinationem, verificatur, dummodo Confeſſarius diligenter examinet veritatem precum etiam non vocatis narratio, & teſtibus, ſed ipſo ſolo cùm quo diſpenſaturus eſt, examinato. Quoniam cùm hæc diſpenſandi facultas committatur in ſolo ſecretiſsimo conſcientiæ ſoro, illius fori leges aptari debent, quæ ſunt, vt confeſsioni pęnitentis integra fides habeatur etiam ſine iuramento, quamuis contrarium dicat Pontius *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 16. Si tamen Confeſſarius aliunde ſciat, quàm in Confeſsione Sacramentali, preces allegatas in ea diſpenſatione eſſe falſas, aut tacitam eſſe veritatem neceſſariò explicandam, non debet diſpenſare, tametſi pęnitens eas veras eſſe aſſerat. Adde quòd examen iſtud aſsignetur pro forma executionis, & ideò ita neceſsarium videtur, vt eo non præmiſso, nulla eſset diſpenſatio, quamuis cauſæ veritas ſubſiſteret: quia in literis fit expreſsa mentio huius conditionis, nempe, ſi per diligentem examinationem inueneris ita eſse, vel preces veritate niti. Proinde ſi Confeſsor neque examinet, neque conſcius aliàs ſit de illa iuſta cauſa, & re vera eſt iuſta cauſa quam ille neque ſcit, neque examinat, & tamen diſpenſat diſpenſatio nulla erit, quia non ſeruauit formam ſubſtantialem illi præſcriptam, pro eo actu exercendo. Ita Sanchez *loco cit. num.* 21. & 26. Baſilius Pontius *ſupra*, Portel *loco cit. num.* 7. Gutierez *in quæſt. Canonic. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 112. & alij apud Salas *cit. diſp.* 20. *ſect.* 10. §. 3. *num.* 97.

Pontius. Sanchez. Pontius. Portel. Gutierez. Salas.

23. Quarta clauſula continens monita, & conſilia danda à confeſsore, verificatur, monendo eum cum quo diſpenſandum eſt, vt ſi ſincerè veritatem explicet ſignificando ei quantum illius interſit, ne diſpenſatio valore fruſtetur. Tamen ſi confeſsor talia conſilia, & monita omittat, ſeruando reliqua, diſpenſatio valida erit: quia huius clauſulæ verba non inducunt formam, ſed ſolam inſtructionem confeſsarij, qualiter ſe debeat habere, vt de veritate certior fiat. Nec Confeſsarius omittens ea præſtare, reus erit alicuius culpæ, ſi tamen in diligenti veritatis examine non deficiat: Quod ea verba præceptum non importent, ſed inſtructionem quandam ac monitionem. Ita Sanchez *loco cit. num.* 27. & alij.

Sanchez.

24. Quinta clauſula iniungens opera in quæ debent commutari votum caſtitatis vel Religionis, admixta partim diſpenſatione, ligat Confeſsarium, ne pro arbitrio ea mutare poſsit, ſed illa iniungere præcisè tenetur, ſecundùm quod in literis exprimitur, vt Confeſsionem menſtruam, & aliqua opera Pęnitentiæ perpetua, inter quę ſine aliqua quotidie exercẽda. Id enim clarè iniungitur in dictis literis: quia obligatio voti in cuius locum ſubrogantur, ea in ſe claudebat, & multò maiora vltra vota tria Religionis, quando eſset Religionis. Quando verò diſpenſandum eſt votum caſtitatis, iubet Summus Pęnitentiarius, vt imponantur aliqua opera pietatis quotidie implenda, vt pęnitens meminerit prioris voti, quæ opera pietatis poſsunt eſse quæcumque opera miſericordiæ, vt recitare quinquies Orationem Dominicam, & Angelicam pro animabus Purgatorii, vel pro viuis in peccato exiſtentibus, vel eleemoſyna quotidiana, vel quoduis opus miſericordiæ. Porrò ſi hæc difficilia pęnitens deinde experiatur, & frequentius labatur omittendo, tunc curet ea commutari: quia probabile eſt Confeſsarium electum poſse ea moderari, vt ſi menſtrua Confeſsio per totam vitam eſset difficilis, reducere ad ibimeſtrem, attento ſtatu pęnitentis occupati, diſtracti, & ſimiliter impediti. Si recitatio ſeptem Pſalmorum pœnitentialium, vel officii Beatæ Virginis quotidie grauior cenſeretur, reſtringat ad Pſalmum Miſerere vel ad alias preces.

Probatur hoc ex iis verbis, quæ in literis ponuntur, *prout iudicauerit expedire ſaluti eius, cum quo diſpenſatur, &c.* De quibus plura apud Sanchez *loco cit. num.* 40. & 41. Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor aperiens literas Papæ num.* 10. Perez *de matrim. diſp.* 48. *ſect.* 6. *à num.* 1. *vſque ad num.* 8.

Sanchez. Portel. Perez.

25. Sexta clauſula iubens dilaniari litteras per Confeſſorem vbi diſpenſationem expedierit, & ſi parti reddantur, nil illi ſuffragentur, verificantur, ſi poſtquam hæ literæ parti reſtitutæ fuerint, dilanientur aut comburantur, vel omninò amittantur ſine recuperandi ſpe, vel Confeſsor eas apud ſe retineat ad aliquem vſum materialem. Notandum tamen ſi ſecus fiat, non propterea diſpenſationem impenſam reddi inualidam, ſed tantùm auferuntur illę vires pro foro externo, vt nil in eo ſuffragentur. Et ideò hæ literæ iubentur dilaniari, ne delicta occulta in eis contenta detegantur. Ex Sanchez *loco cit. num.* 42. Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *num.* 357. Pellizzar. *loco cit. num.* 250.

Sanch. Filliuc. Pellizz.

26. Septima habetur in diſpenſationibus ad matrimonium contrahendum, vel inſtaurandum inualidè initum cum impedimento dirimente. *Dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit.* Circa hanc cauſulam eſt notandum, quod occultum in his Sacræ Pœnitentiariæ literis dicitur, quando non eſt publicum, quando videlicet

non

non ſcitur in maiori parte viciniæ, vel collegij, vel Parochiæ: quare etiamſi ſciatur ab aliquibus, ac proinde probari poſsit, adhuc eſt intra limites occulti, ſatis eſt enim, vt obuietur ſcandalo publico, quod petens diſpenſationem non laboret publica infamia, nam tunc requireretur diſpenſatio in foro externo. Dicetur adhuc hoc impedimentum occultum ſi verbi gratia, copula ipſa ſit publica in ratione copulæ, non verò in ratione impedimenti, id eſt, ſi ſciatur copula, at non ſciatur illud eſſe impedimentum dirimens matrimonium. Nam delictum publicum non dicitur, ſi tantùm actus illius materialiter ſit publicus niſi ſit publicus formaliter, id eſt, quatenus eſt delictum. Quando autem impedimentum iam eſt deductum ad forum contentioſum, non dicitur occultum, quia iam ſpectat ad forum externum, in quo caſu Papa non vult vt diſpenſatio concedatur, niſi pœnitens in eo foro fuerit ibi abſolutus, quia in tali caſu crimen dicetur adhuc occultum, etiamſi falſis teſtibus ſe defenderit pœnitens: quia hoc non tollit quin crimen maneat occultum, cùm non amiſerit famam, per ſententiam enim illam recuperauit. Ita Sanchez *lib. 8. diſput. 34. num. 55. & 56.* Lezana *in Summ. tom. 4. verb. litera Apoſtolica, n. 28.* Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor aperiens literas Papæ n. 13. & 14.* Si tamen contra ipſum fuerit ſemiplena probatio, iam non poteſt dici occultum, quia crimen poſitum in foro externo cum ſemiplena probatione, etiamſi abſoluatur, ex illo oritur infamia, vt docent Suarez *de cenſuris diſput. 41. ſect. 2. num. 6.* Portel *ſupra.* Imò ſi crimen ſit plenè vel ſemiplenè probatum, etiamſi non ſit intimatum reo, cenſetur publicum: quia tunc adeſt infamia ipſius; tum quia quæ iudicialiter fiunt coram iudice, perſonam publicam ſuſtinente, publica dici debent, vt docet Lezana *ſupra* citans Bonacinam; quamuis in his duobus caſibus Sanchez *ſupra numero quinquageſimo octauo*, putet cenſeri adhuc occulta. Vide quæ diximus ſuper his *tom. 1. verb. Abſolutio, num. 29.* & hoc tom. *verb. Irregularitas* 11. *num. 5.*

Sanch. Lezana. Portel. Suarez. Lezana. Bonac. Sanch.

27. Octaua clauſula quæ in literis Sacræ Pœnitentiariæ aliquando apponitur, eſt, *vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate*. Circa quam clauſulam eſt notandum, eam non eſſe de eſſentia diſpenſationis, & ſic non eſſe conditionem, ſed inſtructionem Confeſſarij, vt certior ſit poſterioris matrimonij contractus; cùm certa ferè opinio habeat neceſſarium eſſe ad eius valorem, vt alter coniux certior fiat de prioris conſenſus nullitate. Et certè ſi id eſſet neceſſarium, ſæpius fruſtarentur hæ diſpenſationes: cùm ſæpe contingat non poſſe detegi nullitatem abſque periculo detegendi delictum fœminæ, quæ fortè ante matrimonium habuit copulam cum fratre præſentis mariti, tunc vt hoc matrimonium denuò ineatur, non eſt manifeſtandum delictum huic viro putato marito, quod delictum fuit cauſa impedimenti, ſed dicendum eſt ſaltem remotè, & quaſi conditionaliter, vt ſi fortè antea matrimonium fuerit nullum, denuò conſentiat ad cautelam. Ita Portel *loco cit. num. 17.* & Sanchez *cit. num. 61. ex parte.* Pellizzarius *in Manual. reg. tract. 8. cap. 3. num. 248.* Et hæc de clauſulis iſtis ſatis, de quibus plura apud Doctores hic citatos.

Portel. Sanchez. Pelliza.

28. Demum à tergo literarum diſpenſationis Sacræ Pœnitentiariæ habentur hæc verba, *Gratis vbique*, quæ denotant nihil pro his accipi poſse, etiam per viam compenſationis, ſed eas gratias omninò gratis expediri: quod adeo verum eſt, vt neque Summus Pœnitentiarius has literas dans poſſit in ſignum gratitudinis aliquid etiam ſponte datum recipere, vt teſtatur Nauarrus *lib. 4. conſ. 50. de ſponſal.* Sanchez *loco cit. num. 64.* Quidam tamen Doctores concedunt poſse aliquid accipi, non per modum pretij, ſed ratione conſuetudinis, vbi illa viget. Quia illa verba non prohibent acceptionem munerum gratuitorum, ſed ſtipendiorum: quæ animum iudicis, corrumperent, quia non ſunt, quæ conſuetudine dantur. Deinde illa verba non derogant priuatæ conſuetudini ſufficiente præſcriptæ. Ita Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 10. §. 3. num. 99.* Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 84.* Pellizzarius *loco cit. num. 250.* quamuis alij hanc conſuetudinem damnent.

Nauar. Sanchez. Salas. Diana. Pelliz.

29. Quando inter conſanguineos mutua præceſſit promiſſio contrahendi matrimonium, ſi Papa diſpenſauerit, communibus expenſis diſpenſatio ſoluenda eſt: quia qui ſentit commodum, par eſt, vt ſentiat onus, ſed vterque ſentim commodum diſpenſationis: ergo par eſt, vt vterque ſentiat incommodum expenſarum, quæ in impetranda diſpenſatione fiunt: cùm in promiſſione contrahendi matrimonium cum conſanguinea includatur tacita conuentio, ſeu conſenſus petendæ diſpenſationis. Tamen ſi alter ratione alicuius legati vel ſucceſſionis in maiorum grauatus ſit ad id matrimonium, tunc totas diſpenſationis expenſas facere tenetur: quia eo ipſo quod ad aliquid exequendum grauatus eſt, cenſenit eo ipſo grauatus ad omnia illa, quæ ad executionem deſiderantur. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 36. num. 1. & 2.* Gutier. *de matrim. cap. 128. n. 23.* Filliucius *tract. 10. part. 2. n. 364.* Si verò alteruter deſiderans perſonæ conſanguineæ matrimonium, ipſa inconſulta diſpenſationem impetrauit, ſoli impetranti incumbet integras expenſas ſoluere: quia inſcius matrimonij futuri, non conſeſit tacitè vel expreſsè ad impetrandam diſpenſationem: & in hoc procedit non ſolùm ſi inſcius eo tempore, quo matrimonij contrahendi conuentionem fecit, conſcius erat diſpenſationis obtentæ vt vult Sanchez *ſupra num. 3.* verum etiam ſi ignorabat: nam qui diſpenſationem impetrauit præſumitur expenſas liberaliter feciſse, cedens iuri ſuo in obſequium ſuæ voluntatis, ſeque periculo exponens, vt diſpenſatio non ſortiatur effectum, ſi altera perſona in ipſius matrimonium conſentire noluerit. Ita Bonacina *de leg. diſp. 1. q. 2. punct. 11. num. 5.*

Sanchez. Gutierez. Filliuc. Sanch. Bonac.

30. Qui obtenta de communi conſenſu diſpenſatione, iniuſtè renuit matrimonium, tenetur ad integras diſpenſationes expenſas: quia par non eſt, vt alter damnum patiatur ob iniuſtam ipſius actionem. Si verò iuſtè renuat matrimonium contrahere, abſque alterius culpa: vt ſi Religionem ingrediatur, aut notabiliter deformis euadat, non tenetur illi partem expenſarum, quam ſoluit, refundere, ſed vtriuſque eſt ſuam partem ſoluere. Ratio eſt, quia vtitur iure ſuo, cum habeat iuſtam reſiliendi cauſam, & nullo iure probetur, iuſtè reſilientem à promiſſione matrimonij teneri ad expenſas integras diſpenſationis, vt docent Sanch. *lib. 5. diſp. 5. num. 33.* Petr. Ledeſma *de matrim. quæſt. 47. art. 5. dub. 2.* & alij. Si tamen alter doloſè contraxerit, qui nimirum habebat animum reſiliendi etiam licitè, vt ingrediendo Religionem, ſiue ante iuſtum matrimonium, ſiue ante illius conſummationem, tenetur ad integras expenſas, & alteri partem expenſarum, quam ſoluit, refundere. Ratio, quia licet ius habeat ingrediendi Religionem, non tamen ius habet cum damno alterius matrimonium promittere, vel matrimonium ratum celebrare animo capeſſendæ Religionis, vnde non habet ius decipiendi alterum efficiendo vt inanes expenſas faciat, niſi animum habeat ſeruandi alterum indemnem. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 36. num. 5.* Filliuc. *loco cit. num. 365.* Idem dicendum, quando dubius eſset tempore contractus, an ingreſſurus eſset Religionem, hocque non obſtante conuentionem fecit contrahendi matrimonium, ſeu petendæ diſpenſationis, non explicato alteri hoc dubio. Ratio eſt, quia tunc contractus non eſt æqualis, cùm alter firmum animum habeat ſtandi promiſsis; hic autem dubium. Et ſi alter huius dubii conſcius eſset, nullatenus ſe ad expenſas obligaſset, ſed in reſilientem onus expenſarum refudiſset. Ita poſt Sanchez *loco cit.* Bonacina *ſupra num. 8.*

Sanchez. Ledeſm. Sanchez. Filliuc. Bonac.

31. Qui alteri culpabilem reſiliendi cauſam præbet, ita vt reſiliens nequeat abſque damno proprio, & dedecore id matrimonium inire, tenetur qui in culpa fuit integras expenſas ſoluere: quia par non eſt, vt quis damnum patiatur ob alterius culpam: vnde fœmina, quæ obtenta diſpenſatione fornicatur, tenetur ad integras expenſas diſpenſationis: nam ſponſus ob culpam ſponſæ reſilit à promiſsione. Idem dicendum videtur de ſponſo fornicante poſt obtentam diſpenſationem, & ob ipſius fornicationem, ſponſa reſilit à promiſsione. Quia ob culpam ipſius viri, & ob actionem iniuſtam, & iniurioſam diſſoluuntur ſponſalia. Nam in promiſsione matrimonii ſicut ſubintelligitur hæc tacita conditio, *ducam te*, niſi culpabiliter dederis cauſam non ducendi; ita in conuentione diſpenſationis obtinendæ, ſubintelligi

videtur hæc conditio, conſeram eapenſatum partem, niſi culpabiliter in cauſa fueris, vt à promiſſione reſiliam. Ita Bonacina *loco citato num.* 9. contra Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 36. *num.* 6. qui putat in hoc poſteriori caſu ſponſum fornicantem tantummodo teneri ad dimidiam partem expenſarum.

Bonac. Sanch.

Certum eſt tamen neque ſponſum neque ſponſam fornicantes ante promiſſionem matrimonii, teneri ad integras expenſas diſpenſationis, ſi illa obtenta nolint inter ſe matrimonium contrahere: quia in hoc caſu ſponſam nullam eacercuit actionem iniuſtam, & iniuriam ſponſo; ſicut nec è contra ſponſus ſponſæ.

Denique ille, cuius culpa poſt matrimonii promiſſionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, ſi commodè poſſit, propriis expenſis diſpenſationem impetrare, vt ſponſalia perficiantur: quia par non eſt, vt ſponſos innocens damnom patiatur ob culpam alterius. Ita Petrus Ledeſma *de matrimon. quaſt.* 43. *art.* 3. Sanchez ea parte *loco cit. num.* 7. & alii. Sed de his plura apud Sanchez *à num.* 8. *vſque ad finem*.

Ledeſm. Sanch.

Hic agendum eſſet de clauſulis diſpenſationum, quæ circa matrimonii impedimenta Ordinariis in foro eaterno expediendæ committuntur, ſed quia non pertinent ad Confeſſarium, ideò ab illis ſuperſedemus, quæ videri poſſunt apud Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 35. Filliucius *tract.* to. *part.* 2. *num.* 363. Pellizaarius *in Manual. regul. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 258. & quæ diximus tom. 1. *verb. Clauſula num.* 19. *& ſequent.*

Sanch. Filliuc. Pellizz.

MENDACIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit mendacium? & an formaliter apponatur veritati?*
2 *Quomoda mendacium diuidatur?*
3 *An omne mendacium ſit peccatum?*
4 *An mendacium iocaſum, & afficioſum abſque iuramento prolatum ſit mortale aut veniale?*
5 *An mendacium pernicioſum ſit peccatum mortale?*
6 *An peccet mortaliter qui ſine graui damno proximi mendacium profert, etiamſi praferat in iudicia vel etiam in canfeſſione, &c.*

1. MEndacium, ſecundùm D. Auguſt. *lib.* 1. *contra mendacium*, eſt *falſa ſignificatio vocis cum intentione fallēdi ſeu falſum dicendi*; ex qua definitione colligitur tria ad mendacium requiri. *Primum* eſt, quòd falſum proferatur. *Secundum* eſt, quòd falſum credatur. *Tertium* eſt. quòd audiecs fallatur; vel deceptio intendatur; *hinc patet* mendacium formaliter, et directè opponi veritati, ac proinde falsū eſſe debet vel reipſa, vel ſaltē ex opinione dicentis, ideò enim mendacium dicitur, quia contra mentem dicitur; idemque eſt mentiri, quod contra mente ire. Licet mendacium ordinariè committi ſoleat verbis, quia verba principem locum tenent inter ſigna, quibus aliquis decipi poteſt; tamen etiam nutibus, ſignis, aut taciturnitate quandoque committi poteſt; formale autem mendacii in hoc conſiſtit, vt qui dicit mendacium, putet eſſe falſum quod aſſerit, nam qui aſſerit aliquid falſum quod putat eſſe verum, non committit mendacium formaliter, ſed ſolùm materialiter. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. Clauis reg. *l.* 12. *cap.* 2. *num.* 2. Filliucius *tract.* 40. *cap.* 2. *num.* 33. Leſſius *l.* 2. *c.* 47. *dub.* 6. *num.* 33. Sylu. 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. et alios.

D. Tho. Clau. re. Filliuc. Leſſius.

2. *Mendacium* dupliciter diuidi poteſt, *vno moda* ſecundùm propriam rationem ipſius ſeu per ſe, et ſic in quantum opponitur veritati, *diuiditur* in *mendacium* quod tranſcendit veritatem in malus, qood circa materiam determinatam pertinet ad iactantiam, et in *mendacium* quod deficit à veritate, in minus, quod pertinet ad ironiam. Si vero mendacium conſideretur ea parte finis, ob quem committi ſolet, diuiditur in *pernicioſum*, *officioſum*, *& iocoſum*, *Pernicioſum* dicitur, quod committitur intentione nocumenti alterius, *officioſum* eſt, dum intenditur bonum vtile alterius, vel fuga alicuius damni; *Iocoſum* appellatur quod cauſa voluntatis ſuæ vel alienæ dicitur. Nauarrus *c.* 18. *num.* 3. Toletus *de peccat. mortal. cap.* 54. Filliucius *c. cap.* 1. *num.* 34. Sylueſter *verb. mendacium q.* 1. Azorius 3. *p. l.* 13. *cap.* 1. D. Thom. *c. art.* 2. Sylu. *ibid* et alii.

Nauar. Toletus. Filliuc. Azorius. D. Tho.

3. Secundùm communem Doctorum ſententiam, omne mendacium eſt peccatum; qoia cùm voces naturaliter ſint ſigna intellectum, hoc eſt, rerum prout intellectæ ſunt; innaturale eſt, et indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente, vnde intrinſecè, et ex genere ſuo adeo malum eſt, vt nunquam licitum ſit, etiam ad vitandum ſcandalum, aut aliud quodcumque malum ſiue corporale ſiue ſpirituale, imo nec ad ſaluandam vitam hominis corporalem aut ſpiritualem animæ; non eſt tamen mendacium, cùm quis vtitur amphibologia vel reſtrictione tacita, quia non intendit dicere falſum, nec loqui contra mentem, ſed vel mentem ſuam aliter exprimere, quàm alter intelligit, vt in amphibologia, vel non totam exprimere, ſed ſolùm ex parte, altera parte orationis interiùs retenta. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. Leſſius *c. num.* 59. 35. Bonacina *de mendac. q. vnica p.* 3. *num.* 1. Clauis reg. *c. cap.* 2. *num.* 5. Tolet. *c. cap.* 54. Caiet. *verb. mendacium*. Syluius *c. art.* 3. et alii.

D. Tho. Leſſius. Bonac. Clau. re. Toletus. Caietan. Syluius.

4. *Mendacium iocoſum, & officioſum* abſque iuramēto prolatum, nec in perfectis, nec in imperfectis, ea natura actus, non eſt mortale, ſed tantùm veniale peccatum, ſecluſo graui ſcandalo, quia huiuſmodi mendacium nulli grauem iniuriam affert, et cenſetur materia leuis, imo qui aſſiduè committeret mendacia iocoſa, vel etiam officioſa, non peccaret mortaliter; quia licet iſta mendacia multiplicentur, ſemper tamen remanent leuia, et venialia præciſo ſcandalo, et iuramento. Nauarrus *c.* 18. *num.* 3. Leſſius *c. num.* 40. Clau. reg. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 18. Tolet. *c. cap.* 54. D. Thom. *c. art.* 4. Syluius *ibi.* et alii.

Nauar. Leſſius. Toletus. Syluius.

5. *Mendacium pernicioſum* ex genere ſuo cum deliberatione prolatum, eſt peccatum mortale, niſi aliunde ex materiæ leuitate excuſetur; quia contrariatur dilectioni Dei vel proximi, quæ autem opponuntur dilectioni Dei, et proximi, ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, quamuis aliquando fieri poſsint venialia, ratione paruitatis materiæ vel deliberationis. Nauar. *c. n.* 4. *&* 5. Caiet. 2. 2. *q.* 110. *art.* 4. Sylueſt. *verb. mendacium q.* 4. Filliuc. *tract.* 40. *c.* 2. *num.* 38. Azorius *c. cap.* 1. *dub.* 6. Clauis reg. *c. num.* 15. Syluius *c. art.* 4. *hinc* mentiri in re fidei, vel ſcripturæ, vel morum, ea ſua natura pernicioſiſsimum eſt: ſicut mortale eſt mentiri in doctrinis naturalibus, ſi pertineant ad praxim virtutis, et vitii, quamuis omne ſcandalum ſecludatur, aut contemptus: *hinc* Prædicator ſcienter prædicans falſa miracula, vel fingens vitam Sanctorum aliter quàm ſit, vel pronuncians falſas indulgentias, falſas reliquias, grauiter peccat: *ſimiliter* hypocrita, qui vitæ ſanctitatem fingit vt faciliùs ſeminet errores, vel vt ſibi vberiores eleemoſynæ erogentur, vel vt beneficium aſſequatur, quo eſt indignus, aut quando quis fingit probitatem, aut morbum, aut vulnera, aut paupertatem maiorem, vt ſibi maiores eleemoſynæ erogentur, quàm opus ſit ad vitam commodè ſubſtentandam, peccat mortaliter mendacio pernicioſo, poſita materiæ grauitate ſeu graui damno. D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 4. Bonacina *c. num.* 9. Nauarrus *c. num.* 8. Azorius *c. cap.* 4. *dub.* 1. *&* 2. et alii.

Nauar. Caietan. Sylueſt. Filliuc. Syluius. D. Tho. Nauar. Azorius.

6. *Non peccat* mortaliter, qui ſine graui damno proximi mēdacium profert, etiamſi proferat in iudicio vel etiā in Sacramento confeſsionis, modo mendacium non ſit coniunctum cum iuramento, et ſi fiat in confeſsione, non ſit circa materiam neceſſariam, vel circa totam materiam confeſsionis: *ſimiliter* non peccat verbo mendacii mutuatarius, qui recepit centum ab alio, et reddidit, ſed non poteſt probare, negare enim poteſt in iudicio ſe ea accepiſſe cum reſtrictione mentali, quæ nunc debeat: quia non mentitur qui vtitur amphibologia aut verbis æquiuocis. Leſsius *l.* 2. *c.* 31. *num.* 13. Filliucius *c. cap.* 2. *num.* 44. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 68. Suarez *tom.* 4. *d.* 22. *ſect.* 10. *num.* 7. Clauis reg. *lib.* 12. *c.* 2. *num.* 19. 21.

Leſsius. Filliuc. Regin. Suarez. Clau. re.

Item non peccat mortaliter, qui habitu, et veſtibus mentitur ſexum, vt ſi fœmina vtatur habitu viri, aut

vir

vir habitu fœmineo ; modò non adſit periculum grauis ſcandali, vel alia lex hoc ſpecialiter prohibens ſub peccato graui, quia non eſt mendacium pernicioſum: ſicut peccat tãtummodo venialiter, qui vtitur laruis in bacchanalibus Azorius. Diana. Tabiena ſecluſo malo fine, & periculo. Azorius 3. *p. l.* 13. *cap.* 4. *dub.* 6. Sylu. *verb. fœmina num.* 2. Tabiena *ibi, num.* 4. *Similiter* non eſt rea mendacij fœmina, dum bonis artibus, & medijs aliàs licitis, defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo matrimonium contrahit, quia cùm non intendat alterum decipere, ſed ius ſuum tueri, & ad illud tuendum vti poſſit verbis amphibologicis aut medijs aliàs licitis, non dicitur mentiri; Si tamen vxor probabiliter credat defectum viro detegendum, eoque detecto peſſimè cum ea acturum, vel ipſam interfecturum, aut vitam plenam diſcordijs tranſacturum, grauiter peccaret ſaltem contra charitatem, imò contra iuſtitiam, ſi vir graue damnam ob defectum non manifeſtatum patiatur, aut ſi vir in contractu matrimonij, vel in ſponſalibus expreſſerit ſe nolle cum ea contrahere niſi virgo ſit, tunc enim dicitur virum decipere, illique iniuriam irrogare. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſput.* 27. *num.* 8. Sanch. Nauar. Sotus. Nauarrus *cap. Inter verba concl.* 1. *corollar.* 6. *num.* 60. Sotus *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 2. *art.* 3.

Vide *Venditio* num. 13. *Iuramentum* 3. et tom. 1. verb. *Confeſſio* 4. num. 5.

SVPPLEMENTVM.

MENDACIVM.

SVMMARIVM.

1 *Mendacium vnde diriuetur? & de eius diuiſione in iudiciale, & extraiudiciale. In formale, & materiale. In iocoſum, & officioſum pernicioſum: in illud quod fit verbis, & quod factis.*

2 *An mendacia ſint ioci, locutiones tropicæ, hyperboles, amphibologia, &c.*

3 *An mendacium ſit ita intrinſecè malum, vt in nullo caſu liceat?*

4 *An poſſit dari ignorantia inuincibilis, quod mendacium iocoſum, & officioſum non ſint peccata?*

5 *An interdum ſit licitum celare veritatem alteri per verbi æquiuocationem, aut facti diſſimulationem?*

6 *An mendacium veniale in viris perfectis, Religioſis, & Prælatis, ſit mortale?*

7 *An ſit mortale mendacium dictum in prædicatione, ſi materia ſit leuis.*

8 *An qui centum mutuo accepit, & reddidit, poſſit in iudicio ſine mendacio negare actoris petitionem? Et quid ſi tantum quinquaginta ſoluit.*

1. MEndacium deriuatur à verbo mentior, quod falſum dicere ſignificat; ideoque mentiri nihil aliud importare videtur, iuxta nominis Ethymologiam, & vocis interpretationem, quàm contra mentem ire, & dicere aliquid contra rei veritaté ad decipiendas audientium mentes: vnde *mendacium* communiter definitur, *eſſe falſam ſignificationem vocis cum intentione fallendi,* D. Aug. D. Tho. *ſeu dicendi falſum.* Ex D. Auguſtino *lib.* 1. *contra mendacium, cap.* 42. & D. Thoma 2. 2. *q.* 110. *art.* 1.

Multipliciter mendacium diuiditur à Doctoribus, & *Primò*, in iudiciale, & extraiudiciale. Mendacium *iudiciale* eſt illud, quod fit in iudicio, deponendo falſum teſtimonium coram iudice, à teſtibus, ſiue interrogatis à iudice, ſiue ſponte deponentibus, & dicentibus falſitatem; ſub quo includitur omnis iniuſtitia contra veritatem, quæ fit à Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, alijſque Officialibus, & ab ipſo reo negante veritatem, vel confitente falſum. Mendacium *extraiudiciale* eſt omne illud, quod fit extra iudicium, per infamationem, detractionem, ſuſurrationem contra famam, & honorem proximi, illum offendendo conuitijs, & contumelijs infamatorijs, vel faciendo falſum iudicium, & temerarium contra illum, nullo ſufficienti fundamento.

Secundò, diuiditur mendacium in formale, & materiale. Mendacium in formale eſt, quod dicitur intentione, & animo dicendi falſum, in quo conſiſtit formalitas mendacij. Mendacium materiale eſt, quando quis dicit, aut affirmat aliquid quod in ſe falſum eſt, ipſe tamen exiſtimabat eſſe verum, & fuit mendacium per accidens ex ignorantia dictum, ideoque dicitur tantùm mendacium materialiter dictum, ſeu ſecundùm quid, & præter intentionem dicentis.

Mendacium formale duplex eſſe poteſt, vnum formaliter tantùm, & non materialiter, & eſt quando quis animo dicendi falſum aliquid dicit quod in ſe eſt verum, & tale dicitur mendacium formale, ſed imperfectum. Alterum dicitur mendacium perfectum ex vtraque malitia conſtans, quod contingit, quando profertur id, quod in ſe falſum eſt, & animo dicendi falſum.

Tertiò, diuidi poteſt ſecundùm rationem materiæ grauioris vel leuioris, vel ſecundùm rationem finis intenti, & ſic diuiditur in mendacium *Iocoſum*, *Officioſum*, & *Pernicioſum*.

Mendacium iocoſum eſt, quando cauſa voluptatis propriæ vel alienæ proferuntur mendacia, prout ſæpe ſæpius facere ſolent homines otioſi, & garruli nouarum rerum cupidi, qui ex loquacitate ſolent multa figmenta, & fabulas effingere.

Mendacium officioſum eſt, quando intenditur aliqua vtilitas, ſiue propria, ſiue aliena in rebus temporalibus: quod deinde ſubdiuiditur in illud, quod nulli nocet, & alteri prodeſt ad pecuniam ſeruandam, & in id, quod nulli obeſt, & alteri prodeſt ad corpus vel integritatem corporis ſeruandam.

Mendacium pernicioſum eſt illud, ex quo ſequitur, vel ſequi poterit nocumentum, & damnum alicuius, ſiue in perſona, ſiue in rebus, ſiue in honore, & fama, vel Dei offenſa contra diuinam legem. De quibus agunt D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. Syluius *ibid.* Syluester *verb. Mendacium*, q. 1. Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 3. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 2. & alij. D. Tho. Syluius. Sylueſt. Trullẽc. Clau. re.

Quartò, diuiditur in ratione ſigni, & modi, quibus quis ad decipiendum alios vtitur: nam ſi verbis decipiat, proprio nomine appellatur mendacium, Si verò factis, ſiue ſignis, tunc dicitur ſimulatio, quæ nihil aliud eſt, quàm mendacium in actionibus vitæ, quando videlicet quis per huiuſmodi ſimulationes intendit aliud ſignis facere, quàm interiùs in animo ſentit.

2. Mendacia non ſunt ioci, qui ita proferuntur vel aguntur, vt ex ipſo agendi vel pronunciandi modo ſatis intelligatur falſum eſſe, quod exteriùs enunciatur? quia deeſt animus fallendi, eſto quòd audiens ob ſimplicitatem, ſeu ſtupiditatem ſuam, ſeriò accepturus ſit. Bonacina *in* Bonac. *Decalog. diſp.* 10. *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. ex D. Auguſtino. Similiter mendacia non ſunt locutiones tropicæ, & figuratæ, ipſæque ironiæ, hyperbolæ, fabulæ, & parabolę: quia verum ſenſum continent, quem loquens etiam exprimere intendit, licet interdum animaduertat, eum ab audiente non ſtatim apprehendi, ſed alium falſum ſenſum opinionemque concipi, quod tamen ipſe non intendit, ſed permittit. Denique mendacia non ſunt amphibologiæ, ſeu locutiones ambiguæ, quæ duos ſenſus habent: quorum vnum, qui verus eſt, ſi enuntians animo ſuo intendat, non mentitur; eſto intelligat, audientem alterum ſenſum, qui falſus eſt, accepturum, & deceptum iri: quia illam deceptionem iſte ſua enunciatione non efficit, ſed permittit. Ita Azor. *p.* 3. *lib.* 14. *cap.* 3.

An autem à mendacio excuſari poſſit, qui ſcienter alteri enunciat, aut exhibet ſignum vocis, ſeu facti, quod ex ſe, & ſecundùm omnes circumſtantias ad vnum ſenſum cumque falſum, determinatum eſt, idcirco, quod mente ſua aliquid aliud concipiendo adiungat, per quod oratio vera efficiatur? Affirmant quidam, ſed alii probabilius negant, vt diximus *ſupra verb. Iuramentum* 3. *num.* 10.

3. Mendacium ita intrinſecè, & per ſe malum eſt, vt

nullo caſu licitè fieri poſſit. Probatur primò ex ſacra Scriptura, Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Sapient. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ad Epheſ 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Secundò probatur ratione. Tum quia omne mendacium ex veritate non eſt, vt dicitur 1. *Ioan.* 2. Atque nihil poteſt eſſe iuſtum ac licitum, quod non eſt ex veritate, cùm Deus, qui veritas eſt, ſit omnis boni auctor: nullum igitur mendacium poteſt eſſe licitum. Tum quia locutionis copia à Deo inſtituta eſt, vt non inuicem fallamus, ſed vt alter in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat: ergo abuſus, & peruerſio eſt omne mendacium, id eſt dictum contra mentem, alterius fallendi cauſa prolatum.

Si dicas, furtum eſt intrinſecè malum, & tamen licitum eſt in extrema neceſſitate rem alienam capere, ergo etiam licitum erit iuſta de cauſa, v. g. ob finem conſeruandæ vitæ propriæ, vel alterius mentiri, quamuis mendacium ſit intrinſecè malum. Propter hoc argumentum errarunt veteres quidam apud Caſſianum *collat.* 17. *c.* 17. Dorotheum *ſerm.* 9. *de mendacio.* Et alij apud Auguſt. *vtroque libro de mendacio*, dicentes in caſu neceſſitatis, ſeu vt magnum bonum promouendum licitum eſſe mentiri.

Caſſian. Doroth. D. Augu.

Ad argumentum autem neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia adueniente neceſſitate extrema omnia fiunt communia, nec dominus eſt rationabiliter inuitus. Sed ob finem, bonum non tollitur prauitas mendacij, ſicut neque tollitur prauitas furti, alioquin tolleretur prauitas omnium peccatorum ex intentione boni finis, quod eſt abſurdum, & à ratione omnino alienum.

Nec dictis etiam obſtant facta, & dicta quorumdam Sanctorum, qui in ſacris litteris commendati ſuot. Nam cùm Abraham Geneſ. 12. dixit Saram eſſe ſororem ſuam cùm eſſet vxor, non commiſit mendacium; quia loquutus eſt ambiguè accipiendo nomen ſororis pro conſanguinea. Similiter Iacob quando dixit patri ſuo ſe primogenitum illius eſſe, mentitus non eſt, ſed prophetico ſermone eſt locutus, indicando populum gentilem, qui minor erat, ſuſtinendum eſſe in locum primogeniti, in locum ſcilicet Iudæorum. Ita D. Auguſt. *lib. de mendacio, cap.* 10. D. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Syluius *ibidem.* Clau. reg. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 7. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap* 13. & alij communiter Theologi.

D. Tho. Sylu. Clau. re. Layman

Ex dictis infertur nunquam licitum eſſe mendacium, etiam ad vitandum malum, aut aliud quodcumque malum, ſiue corporale, ſiue ſpirituale, imò nec ad ſaluandam vitam hominis corporalem, aut ſpiritualem animæ: quia cum omne mendacium peccatum ſit, non eſt vnquam licitum: *Non enim facienda ſunt mala vt eueniant bona.* Rom. 3.

4. Dari poteſt ignorantia inuincibilis reſpectu mendacij officioſi, ita vt proferens mendacium officioſum, vel iocoſum excuſetur ab omni culpa. Ratio eſt, quia veritas iſta, quod mendacium nullo caſu licitum ſit, non ſemper cognita fuit, cùm neque Auguſtini tempore communiter recepta fuerit. Propterea licet admittatur Sanctos illos veteris Teſtamenti mentitos fuiſse, cùm non omnia ex Dei inſtinctu locuti ſint, ſed quædam propria etiam ſimplicitate addiderint, permittente Deo ob ipſorum imperfectiones; non tamen ſequitur eos peccaſse, quia inuincibili laboraotes ignorantia, exiſtimabant tali caſu fas eſse mentiendo decipere. Ita Bonac. *in Decalog. diſp.* 10. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. citans *D. Thomam, Caiet. Clau. reg. & Azor.*

Bonac.

Non eſt per ſe malum, ſed interdum licitum ſi ob iuſtam cauſam fiat, celare alteri veritatem aliquam per verbi æquiuocationem, aut facti diſsimulationem. Eſt communis Doctorum ſententia. Quia iuxta D. Auguſtinum *lib. contra mendacium cap.* 10. aliud eſt occultare veritatem, & aliud proferre mendacium, quamuis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum eſt; non tamen omnis qui vult, quod verum eſt, celare, mentitur. Tum quia ſimulatio mendacium eſt falſi, diſsimulatio autem eſt veri: ſed falſum ſcienter edicere per ſe eſt malum, quia repugnat naturali præcepto negatiuo, ne mentiaris. At quod verum eſt, interdum iuſtè ac licitè celatur, quia non ſemper obligat præceptum affirmatiuum manifeſtandæ veritatis, Imò interdum etiam eſt neceſsarium veritatem celare, aut diſsimulando verbo, aut apere ambiguo, permittere, vt alter falſam opinionem, ſeu errorem concipiat. Proinde in re militari licet vti inſidiis militaribus, & bellicis ſtratagematibus, quibus inuicem hoſtes ſeſe ſolent decipere, & ſunt inſidiæ vtrique parti belligeranti communes. Item ſimulatio eſt licita, quando nulli nocet, & plurimum nobis prodeſt, vel aliis, nimirum ad euitandam mortem, vel graue aliquod damnum, ſeu periculum famæ, honoris, vel bonorum temporalium. Sic Religioſus vel Clericus tranſiens per terras Hæreticorum, licitè ſimulat ſe ſæcularem, mercatorem, vel militem, & Chriſtianus iter habens per terras Turcarum, vel aliorum hoſtium Chriſtiani nominis, licitè ſimulat occultando ſe Chriſtianum, dummodo in verbis non mentiatur. Hæc eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. vbi ait: *Et ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatẽ occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*, vt Auguſtinus dicit *in lib. contra mendacium.* Syluius *in eodem art.* vbi ait habet. Sed neque mendacium eſt occultare verum, ſi ſic occultetur, vt nihil contra mentem dicatur, etiamſi præuideatur quod aliquis inde ſit decipiendus: quia non tenemur ſemper dicere id quod verum eſt, vel omnem in proximo errorem vitare; ſed quandoque tacendum, quandoque occultandum eſt verum; & ſi nunquam mentiendum. Ita etiam Azorius 3. *p. lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 3 & alii.

D. Tho. Syluius. Azorius.

Aduertendum tamen eſt, quòd ſi nulla iuſta cauſa ſit celandi veritatem, tunc, licitè æquiocè loqui, aut per ſimulationem agere non ſit mendacium, eſt tamen dolus malus, atque peccatum contra veritatis virtutem, ob affirmatiuum eius præceptum, quo obligamur, propter vinculum ſocietatis humanæ, & publicum bonum, vt quilibet eam ipſam veritatem loquatur, aut ſignificet proximo, de qua agitur, aut quis interrogatur: vt diximus *tom.* 1. *verb. Iuramentum* 3. *num.* 10. & 11. *edit.* 3. & videri poteſt Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 13. *punct.* 2. *prope finem.*

Valent.

6. Mendacium veniale abſque iuramento prolatum in viris perfectis ex natura actus non fit mortale. Ratio eſt, quia licet perfecti magis peccent aliquando quàm imperfecti mendacio, eo quòd ſanctiorem vitam profitentur, nulla tamen circumſtantia perſonæ ſecundùm ſe transfert in aliam ſpeciem, hoc eſt, ex peccato veniali conſtituit mortale. Quamuis ratione alicuius annexi, puta: ſi ſit contra votum ipſius, erit mortale, quod alioquin eſset veniale. Item per accidens in viris perfectis, Religioſis, Prælatis, & Prædicatoribus poteſt eſse peccatum mortale ratione ſcandali: quia imperfecti poſsunt magis ſcandalizari de mendacio perſonæ in ſtatu perfectionis acquirendæ conſtitutæ, vt ſunt Religioſi, vel perfectionis exercendæ, vt ſunt Prælati Eccleſiæ, & Prædicatores, quibus adhiberi ſolet fides tanquam conſeruatoribus veritatis, quàm alicuius perſonæ communis. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4. *ad* 5. Syluius *ibidem.* Nauarrus *in Manual. cap.* 18. *num.* 3. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 18. Azorius *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 8. & alii communiter.

D. Tho. Syluius. Nauar. Clau. re. Azorius.

7. Mendacium ex imperfecta animi deliberatione, ſecundùm omnes, eſt ſolùm peccatum veniale; quale poteſt eſſe illud, quod per obliuionem, vel incogitantiam etiam culpabilem leuiter committitur. Sed difficultas eſt, an ſit mortale mendacium in leui materia ſcienter dictum in his, quæ pertinent ad officium prædicationis? Quidam affirmant, quia quantumuis ſit leue mendacium facit tamen magnam iniuriam officio prædicandi, quod exercetur. Alij negant, quia cùm leue ſit mendacium, conſequenter ſequitur, vt iniuria ſit leuis. Sed mihi dicendum videtur tanquam certum non eſse peccatum mortale Prædicatori mentiri in eis, quæ non ſpectant ad doctrinam, puta, ſi quis prædicando alleget aliquid ſcienter vt dictum in certo capite Scripturæ, quod tamen alio capite continetur, vel ſi allegando ſcienter dicat eſſe teſtimonium Auguſtini, quod tamen eſt Hieronymi, vel alterius

rius

rius Patris. Ratio eſt, quia huiuſmodi mendacium, niſi ratione contemptus vel ſcandali in populo, non videntur eſſe de his, quæ pertinent ad officium Prædicatorinm, dummodo teſtimonia, quæ citantur, ſint reuera ex ſacra Scriptura: parum enim refert ad populi inſtructionem, ſint ex hoc libro Scripturæ, vel ex illo, item ſint ex hoc capite, vel ex illo, item ſi teſtimonium eſt Hieronymi, vel Caiet. Nauar. Syueſt. Clau. re. Auguſtini. Ita Caietanus *in 2.2.q.110.art.4.ad fin.* Nauar. *in Manual. cap.* 18. *num.* 4. Syueſter *verb. Mendacium, quæſt.* 4 Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 15. *verſ. Si quis tamen.*

8. Qui certum mutuo accepit, & reddit, poteſt, iniquè conuentus in iudicio ad ea centum ſoluenda, abſque vllo mendacio actioris petitionem negare. Ratio eſt, quia, qui verè centum ab actore petita ei ſoluit, iniquè ad iudicium trahitur, & iniuſtè interrogatur; ergo verſutiam interrogantis, & petentis iniquè, reſponſione quadam eludere poteſt, quæ interpretationem, aut intellectum verum habere poteſt. Vnde hic negando poſitionem, quæ mutui dationem obijcit, intelligit verè ſe non accepiſſe centum mutuo iam illi debita, atque adeò verè illa mutuatio, quæ præceſsit, ſolutione iam reſciſſa eſt, eiuſque obligatio ſoluta eſt. Cum igitur poſitio illa in ſenſu actoris falſa ſit, & reſponſio mutuarij in ſuo ſenſu vera ſit, licitè, & ſine mendacio poſitio actoris negari poteſt etiam eum iuramento. Eodem modo, ſi accepit centum, & ſoluit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum, poteſt ſine mendacio iurare ſe non accepiſse mutuo centum, quia quinquaginta iam ſoluit, ac reddidit. Hanc doctrinam breuiter complectitur Emanuel Sà *v. Men-* Sà.1 Azorius. *dacium, num.* 3. dicens: *Petenti qua ei reddidiſti, potes negare te accepiſſe, ſcilicet ſic vt ei debeat nunc: & petenti totum, cum ſolum partem debeat, negare te debere, ſcilicet quantum petit.* Ita etiam Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt.* 5. *regul.* 2. Si tamen hic in hoc poſteriori caſu neget cum iuramento ſe nihil omninò actori debere, mendacium, & periurium committit. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 21. & 22.

Vide v. Reſtrictio mentalis. Reus *n.* 1. & 2.

MERITVM.

SVMMARIVM.

1 *Meritum propriè quid, & quotuplex apud Theologes.*
2 *An homo poſſit aliquid verè mereri apud Deum, per gratiam operando.*
3 *An ad meritum premij apud Deum requiratur proprius, & poſitiuus actus voluntatis.*
4 *An homo poſſit mereri vitam æternam ſine gratia?*
5 *De prima conditione requiſita ad meritum de condigno, quæ eſt, vt ſit opus bonum.*
6 *De ſecunda, vt opus ſit liberè factum.*
7 *De tertia, vt opus aliquo modo in Dei obſequium referatur.*
8 *De quarta, vt opus fiat ex gratia, & in ſtatu gratia.*
9 *De quinta, quod operans ſit in ſtatu via, ſeu vt is qui meretur, ſit viator.*
10 *De ſexta, quod pracedat pactum, ſeu promiſſio de mercede ex parte Dei.*
11 *An quis poſſit ſibi mereri primam gratiam?*
12 *An purus homo iuſtus poſſit alijs mereri de condigno, vel ſaltem de congruo primam gratiam?*
13 *An homo iuſtus per bona opera mereatur augmentum gratia, & charitatis.*
14 *An iuſtus poſsit mereri de condigno perſeuerantiam in gratia? vel ſaltem de congruo.*
15 *Quando bona temporalia cadant in meritum de condigno, quando in meritum de congruo.*

1. MEritum propriè dictum, eſt opus cui ex iuſtitia debetur merces: ſicuti, & contra, merces dicitur id quod operi alicui debetur ex iuſtitia.

Apud Theologos tria ſunt genera meritorum: *Primum* vocatur, de rigore iuſtitiæ, opus ſcilicet quod ex ſe, & ex dignitate perſonę merẽtis tale, eſt vt ei ſecundùm perfectum iuſtitiæ rigorem debeatur merces: quale fuit Chriſti meritum. *Secundum*, dicitur de condigno, ſeu ex condignitate, opus nimirum illud cui propter eius dignitatem debetur merces ex iuſtitia, quamuis illa dignitas proueniat ex gratia perſonæ merenti collata. *Tertium* meritum appellatur, de congruo, quod eſt actus humanus bonus, factus ab aliquo extra gratiam exiſtente, cui de congruitate, & ſecundùm quid debetur aliqua merces, ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis, quæ merces declaratur per illa duo carmina,

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Meritum de congruo differt à merito de condigno in eo, quod meritum de congruo ſolum eſt meritum impropriè, & ſecundum quid, quia non habet æqualitatem ad id quod eius intuitu datur. Meritum autem de condigno eſt propriè, & ſimpliciter meritum, & innititur iuſtitiæ adeò vt ſic merenti debita ſit merces ex iuſtitia. Præterea meritum de congruo non requirit eam, tum perſonæ, tum operis dignitatem, quæ ad meritum de condigno eſt neceſſaria: debet tamen eſſe opus bonum eiuſdem ordinis cum ea re ad quam ordinatur, ac inſuper debet fieri in obſequium vel officium vtile, aut gratum ei apud quem eſt meritum. Ita communiter Doctores Teeologi.

2. Homo poteſt aliquid verè, & propriè ac ſimpliciter mereri apud Deum, ex gratia, ſeu per gratiam operando. Et hoc eſt fide certum. Probatur ex Scripturis Sapient. 5. *Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Et Chriſtus Dominus Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cęlis.* Apocalypſ. 22. *Merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Hæ locutiones Scripturæ non ſunt metaphoricæ, ſed de vero ac proprio merito ſunt intelligendæ. Et ideò merito Eccleſia ſemper in hoc ſenſu Scripturas has intellexit. Probatur ex Concilijs, Arauſicano *Can.* 18. dicente, Concil. Arauſ. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Idem tradit Concil. Lateranenſe Concil. Lateran. *in cap. Firmiter, de Summ. Trinitate*, & Florentinum Florent. in litteris vnionis, & expreſſiùs ac latiùs Tridentinum Concil. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. vbi ſpecialiter notanda ſunt illa verba, in Trident. quibus dicitur nihil deeſſe operibus iuſtorum, quæ in Deo ſunt facta, quominus vitam æternam verè promeruiſſe, cenſeantur. Ratio huius veritatis eſt, quia gratia facit homines dignos vita æterna: ergo opera, quæ ex illa procedunt, ratione illius, ſeu ex virtute illius, ſunt merita digna vitæ æternæ.

Præterea poteſt homo mereri apud Deum abſolutè loquendo, de condigno, & ſecundùm aliquam iuſtitiæ æquitatem.

Hæc tamen aſſertio non eſt de fide, quatenus exprimit meritum de condigno, quia ſub his terminis non eſt definita, nihilominus eſt ita certa, vt eius oppoſita ſit multum temeraria; quia licet Scripturæ vel Concilia non clarè affirment meritum cum his terminis, *de condigno*; rem tamen ipſam aſſerunt, & ideò aſſertio eſt Theologica ſatis certa, quam communiter approbant Theologi antiqui, & recentiores, à quibus temerarium eſſet recedere. Quamuis enim Concilium Tridentinum veritatem hanc non definiat, nec verbis digni, vel condigni vtatur, tamen non parum fauet huic ſententiæ *ſeſſ.* 6. *Canon.* 32. vtens illis verbis: *Verè mereri gratiæ augmentum*, quaſi ſignificans hoc meritum plus eſſe, quàm cuiuſdam congruitatis, & ideò dixit eſſe augmenti gratiæ, vt tacitè excluderet ſimile meritum reſpectu primæ gratiæ, quamuis in illa locum habeat meritum de congruo.

Tertiò non poteſt homò ſimpliciter à Deo aliquid mereri ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſeu ſecundùm perfectum rigorem iuſtitiæ: quia tale meritum inter eos ſolos poteſt inueniri, inter quos reperiri poteſt abſoluta æqualitas: ſed inter hominem, & Deum non poteſt reperiri abſoluta æqualitas, ergo nec meritum eiuſmodi rigoroſum. Ex quo patet differentia inter meritum de condigno, & illud quod vocari ſolet de rigore iuſtitiæ: quod

etſi

etſi vtrumque dicat aliquam æqualitatem ad mercedem vel præmium, diuerſimodè tamen: quia meritum de rigore iuſtitię dicit æqualitatem abſolutè, & ſine vlla gratia perſonæ merenti facta: at meritum de condigno dicit æqualitatem, ſuppoſita gratia perſonæ merenti data. Ita D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 14. *art.* 1. Syluius *ibidem concluſ.* 1. & 2. Suarez *de gratia, lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 5. & 10. Valentia 1. 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *punct.* 2. & alij.

D. Tho. Syluius. Suarez. Valent.

3. Ad meritum præmij apud Deum requiritur propriua, & poſitiuus actus voluntatis. Hæc eſt communis Theologorum doctrina, quam expreſsè tradit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 5. *ad* 1. & *in* 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 1. *ad* 2. Maior *in* 3. *diſt.* 38. *quæſ.* 1. & alij quos refert, & ſequitur Suarez *loco citato cap.* 2. *num.* 5. Hinc ſequitur quod in ſola carentia actus mali non poſſit meritum inueniri ſine actu. Ratio eſt, quia licet ad peccatum, ſeu demeritum ſufficere poſſit, non facere, quod quis tenetur, nihilominus ad meritum non ſatis eſt pura negatio actus mali, ſed neceſſaria eſt poſitiua voluntas qua quis velit, aut non agere, quod probibitum eſt, aut tentationi reſiſtere, quia ſine voluntate perfecta, & propria non poteſt eſſe meritum. Proinde ad demeritum ſufficere poteſt voluntarium indirectum, ſeu interpretatiuum: ad meritum autem, quod perfectius eſt, requiritur voluntarium perfectum, & directum, quod ſine actu voluntatis eſſe non poteſt: vt etiam breuiter annotauimus *tom.* 1. *verb. Actus humanus* 1. *num.* 23.

D. Tho. Maior.

4. Certum eſt hominem non poſſe mereri vitam æternam ſine gratia, ſiue homo conſideretur in ſtatu naturæ integræ, ſiue in ſtatu naturæ corruptæ. Ratio prioris eſt, quia meritum hominis pendet à præordinatione Dei; actus autem hominis ſine gratia, non ordinatur à Deo ad vitam æternam, quia actus vniuſcuiuſque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus, vita vero æterna ſuperexcedit proportionem naturæ creatæ. Ratio poſterioris eſt, quia homo in ſtatu naturæ corruptæ niſi fiat gratiæ particeps, eſt inimicus Dei per peccatum mortale cui ſubiacet. Non poteſt autem à Deo mereri vitam æternam, niſi ipſi reconcilietur, quod eſt per gratiam. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 2. Syluius *ibidem*, quæ doctrina non ſolùm intelligitur de gratia actuali, ſed etiam de habituali, hoc eſt, nemo poteſt mereri vitam æternam, niſi habeat gratiam, tam habitualem, quàm actualem. Quod clarè aſſeruit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. dicens, quòd *Chriſtus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.*

D. Tho. Syluius.

Concil. Trident.

5. Conditiones requiſitæ ad meritum de condigno, ex communi ſententia Theologorum, ſunt ſex, quarum *Primum* eſt, vt ſit opus bonum, quia malum opus non eſt præmio dignum, ſed pœna. Et ideò Scriptura docet, in iudicio diuino diſtinguendos eſſe homines ſecundùm opera, *vt vnuſquiſque referat, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum*, 2. ad Corinth. 5. Et Chriſtus Dominus ſatis diſtinctè id propoſuit Matth. 25. Et 2. Petri 1. dicitur, *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Ergo ſolum opus bonum eſt, quod poſſit eſſe præmio dignum, ſiue illud ſit de præcepto, ſiue conſilio. Ratio huius veritatis eſt, quia opus malum, vel etiam indifferens (ſi tale daretur in indiuiduo) non poteſt mereri bonum vitæ æternæ, eo quòd ad illud bonum nullam habet neque condignitatem, neque proportionem. Et certè ſi opus indifferens in indiuiduo admittatur, non eſt, cur potius ſit præmio, quam pœna dignum: nam ſi non meretur pœnam, quia caret malitia, etiam non meretur præmium, quia caret bonitate, imò rectè dici poteſt, eo ipſo, quod bonitate caret mereri carentiam præmij, quod potius eſt demereri, quàm mereri.

6. Secunda, vt opus ſit liberè factum, hoc eſt, ad meritum requiritur, libertas non tantùm à coactione, qualis eſt in brutis, dum multa ſponte, & non coactè agunt, ſed etiam à neceſſitate naturali. Et quamuis in opere meritorio ordinariè reperiatur ea libertas, qua poſſumus velle bonum, aut malum, hoc tamen non eſt neceſſarium, ſed ſufficere poteſt libertas ad diuerſa obiecta, quorum ſingula ſint bona: imò, & libertas contradictionis ſeu exercitij, qua voluntas poteſt vnum idemque obiectum velle, agere vel non agere, ſufficere poteſt, vt patet in Chriſto, qui quamuis eſset impeccabilis, maximè tamen meruit. Ratio his accedit, tum quia mala niſi liberè fiant, non merentur pœnam: ergo nec bona merentur mercedem, ſi non fiant liberè. Tum quia quæ neceſſariò fiunt, nec laudem merentur nec vituperium; ergo ad meritum neceſsaria eſt ex natura rei libertas. Nam ſi neceſſitas libertatis ad meritum non eſset intrinſeca ex natura rei, ſed ex inſtitutione, & acceptatione diuina, poſset facilè reſponderi, opera hominum eſse meritoria, non quia libera ſint, ſed quia Deus acceptare illa voluit; contrarium verò Sancti Patres ſupponunt, nimirum ideò bona opera hominum digna eſse poſse, vt acceptentur ad meritum, quia libera ſunt. Et ſine dubio fuit ſententia D. Thomæ *in* 1. 2. *quæſt.* 21. *artic.* 4. *ad* 2. dicentis: *Homo ſic mouetur à Deo, vt inſtrumentum, quod tamen non excludit quin moueat ſeipſum per liberum arbitrium, & ideò per ſuum actum meretur, vel demeretur apud Deum.* Ita etiam communiter Theologi *in* 3. *diſt.* 18. D. Bonauentura, Sotus, Alexand. Alenſis, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez *de gratia, lib.* 12. *cap.* 3.

D. Tho.

Suarez.

7. Tertia, vt opus bonum, & liberè factum aliquo modo in Dei obſequium referatur. Niſi enim opera iuſti aliquo modo fiant propter Deum, aut in eum actualiter vel virtualiter referantur tanquam auctorem gratiæ, non ſunt meritoria vitæ æternæ, ex hoc quod procedant ab eo qui iuſtus eſt. Ratio eſt, quia opera hominis iuſti, quæ ſolùm ſunt moraliter bona, & ex naturali ratione vel honeſtate facta, neque procedunt à gratia habituali, neque ſub actuali, ac per conſequens non ſunt effectus gratiæ operantis, nec cooperantis, ergo non ſunt meritoria vitæ æternæ de condigno. Neque refert quod inueniatur dignitas in perſona, quæ ponitur eſſe iuſta, & Deo grata: quia illa dignitas materialiter ſe habet ad iſta opera, nec videtur vllo modo illa afficere, ſeu dignificare, quandoquidem non fiant ſecundùm vim, aut ordinem gratiæ, ſed ſecundùm conditionem naturæ. Tum quia ad meritum de condigno non ſatis eſt dignitas perſonæ, ſed requiritur etiam dignitas operis; hæc verò prorſus deeſt, ſi opus non proficiſcatur à gratia, ſed ex ſolis naturæ viribus. Hæc eſt communior ſententia, quam amplexati ſumus *tom.* 1. *verb. Charitas num.* 4. cum Doctoribus ibi citatis.

8. Quarta conditio ad meritum de condigno, eſt, quod opus fiat ex gratia, & in ſtatu gratiæ. *Primum* conforme Concilio Tridentino aſserenti Chriſtum in iuſtificatos iugiter influere virtutem, quæ bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſse poſsunt, vt dictum eſt *ſupra num.* 4. *Secundum*, quod requiratur ſtatus gratiæ, patet ex eo, quod homo carens gratia eſt in peccato, ac proinde in odio Dei: non poteſt autem mereri de condigno remiſſionem peccati ſui, neque etiam poteſt ſimul mereri vitam æternam, & manere in peccato; ergo nullo modo poteſt mereri vitam æternam de condigno: Propterea pœnitentes necdum reconciliati, etſi mandata Dei cuſtodiant, atque ita ſe ad reconciliationem diſponant; per ea tamen opera non merentur de condigno apud Deum: quia in illis adhuc hæret peccati macula, & meritum damnationis. Adde quod Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. in ſolis iuſtificatis agnoſcit omnia ad meritum requiſita, & primum ac veluti fundamentum illorum eſse, quod ſint vniti Chriſto tanquam vites palmiti, quæ vnio per fidem viuam atque adeò per gratiam fit. Ita ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 114. *artic.* 2. Suarez *de gratia, lib.* 12. *cap.* 14. *numer.* 3. & communis.

Concil. Trident.

D. Tho. Suarez.

9. Quinta eſt, quod operans ſit in ſtatu viæ, ſeu vt is qui meretur, ſit viator. Et in hac conueniunt omnes ferè Theologi. Status autem viæ in præſenti dicitur totum tempus, in quo non eſt peruentum ad terminum. Viator autem eſt homo, qui viuit in corpore mortali, conditione mortali. Animæ verò quæ ſunt in Purgatorio licet

necdum

Digitized by Google

needum ſint aſsecutæ terminum, quem in intentione habuerunt, hoc eſt, beatitudinem; non tamen merentur, quia per mortem poſitæ fuerunt extra ſtatum meriti ac viæ: quia mors vniquique mortalium eſt finis merendi, et quidam vitæ noſtræ terminus.

Hæc doctrina eſt in ſacris literis fundata. Nam Eccleſiaſtici 14. dicitur, *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum*, et cap. 19. *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari*. Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*. Ratio horum eſt, quia connaturale eſt animæ humanæ, vt mediante corpore ſuam perfectionem acquirat, & illo plures occaſiones habet merendi, & pugnandi pro brauio beatitudinis compatãdo. Et hoc maximè cõfirmant teſtimonia Scripturę ſacrę, quæ dicunt in morte finiri tempus merendi, idemque confirmat exemplum de animabus

D. Tho. Purgatorij. Ita docent D. Thomas *1. p. quæſt. 62. art. 9. & 3. p. quæſt. 19. artic. 3.* & communiter Theologi *in 2. diſtinct. 18.* tractando de Chriſti merito, Suarez *loco cit. cap. 15.* & alij apud ipſum. Idem dicendum eſt de Angelis, quod ſolùm meruerint quando erant viatores, vt docet D. Thom. *1. p. quæſt. 62. art. 9.*

Suarez.

10. Sexta, & vltima conditio ad meritum de condigno eſt, quod præcedat pactum, ſeu promiſſio de mercede. Hæc eſt communior ac omnino probabilior ſententia; non ſic quidem quaſi illa opera iuſtorum valorem, ſeu dignitatem ſuam intrinſecam habeant ex huiuſmodi pacto; ſed quia vltra dignitatem quam totam ex gratia habent, neceſſarium ſit pactum, ſeu promiſſio de reddenda mercede ad hoc vt illi qui ex gratia ſunt bene operati, habeant ius ad vitam æternam tanquam ad mercedem. Probatur hæc opinio in Scriptura ſacra, nam Iacob. 1. dicitur, *quod qui ſuffert tentationem cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et ad Hebræos c. 10. *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Fundamentum autem huius ſententiæ eſt, quia meritum de condigno hominis apud Deum eſt meritum iuſtitiæ, ita vt iuſtus ratione operis ſui aliquod verum ius ad præmium acquirat: ſed hoc meritum vt tale ſit, intrinſecè requirit promiſſionem diuinam ſub conditione talis operis, ergo talis promiſſio ad tale meritum neceſſaria eſt. Fauet

Concil. Trident. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 16.* dicens, *iuſtis bene operantibus proponendam eſſe vitam æternam, tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddendam.* Vbi ad declarandam rationem mercedis promiſſionem interpoſuit, & ſtatim adiungit, *Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, &c.* Non enim debetur corona iuſtitiæ, niſi ea fuerit promiſſa. Et certè Deus non teneretur ex iuſtitia acceptare bona iuſtorum opera ad præmium eis reddendum, niſi ipſe liberali, & gratuita promiſsione ſua ſeſe ad hoc obligare voluiſſet: ergo vt iuſti bene operantes poſsint dici mereri ex condigno præmium, neceſſe eſt agnoſcere pactum, ſeu promiſ-

D. Tho. ſionem liberalem de mercede. Ita docent D. Thom. *1. 2. q. 114. art. 1. in corp. & in reſp. ad 3. & artic. 2. & lect. 3. in cap. 6. ad Hebr.* dicit, meritum condigni inniti iuſtitiæ, hæc autem ſine promiſsione intelligi in Deo non poteſt.

D. Bona. Bellarm. Suarez. Syluius. Idem ſentit D. Bonauentura *in 2. diſtinct. 27. artic. vltim.* Bellarminus *lib. 5. de iuſtific. cap. 14.* Suarez *lib. 12. de gratia, cap. 18.* Syluius *1. 2. quæſt. 114. art. 2. quæſt. 4.* & alij penes ipſos.

11. Prima gratia, id eſt, donum illud quo aliquis iuſtificatur, non cadit in meritum ex condigno; hoc eſt, nullus poteſt ſibi mereri primam gratiam. Ratio eſt, quia nec per opus aliquod iuſtificationem antecedens, neque per opus aliquod illam conſequens poteſt quis primam gratiam ex condigno ſibi mereri. Non per antecedens, quia illud non proficiſcitur ex gratia, quæ ex radix huius meriti, & cùm ſit opus inimici, non debet Deus pro eo ſecundùm iuſtitiam rependere amorem ſupernaturalem, per quem impertiam gratiam. Non etiam per opus iuſtificationem conſequens, quia illud meriti rationem ex condigno habet, quatenus ex gratia proficiſcitur. Vnde fit, vt eadem gratia nequeat eſſe præmium, quo ſecundùm iuſtitiam opus eiuſmodi compenſetur: quia prima gratia eſt principium huiuſmodi bonorum operum; id autem quod mereri poſſumus, eſt terminus, ſeu finis illorum. Deinde ſicut nemo ſperat, quod iam poſsidet, ita nemo meretur, quod iam poſsidet, ſibique ſimpliciter donatum eſt. Deus enim cui gratiam confert, abſolutè etiam donat, independenter à futuris eius operibus; & ideò qui illam priùs tempore habet, non poteſt illam iam mereri ſaltem quoad infuſionem, & donationem eius, D. Thom. *loco cit. art. 5.* Suarez *lib. 12. cap. 24.* D. Tho. Suarez.

Imò neque de congruo poteſt quis mereri primam gratiam actualem, quia aliàs ſequeretur illud in Pelagio damnatum, gratiam ſecundum merita noſtra dari, & quod per vires naturæ poſſemus nos ad gratiam præparare, & à peccato reſurgere, quod non eſt dicendum: quia opera naturę viribus facta ſunt diuerſi prorſus, ac inferioris Ordinis, quàm gratia, & ideo non poſſunt habere congruitatem ad illam; alias enim gratia nõ ſatis oſtenderetur eſſe gratia, ſeu gratuita, ſi homo per ſuas vires eam de cõgruo mereretur. Quamuis probabile ſit, quod fideles per opera ex auxilio gratiæ Dei facta, mereri poſsint de congruo primam gratiam habitualem. Ratio eſt, quia nihil eſt, quod huic merito de congruo obſtet, reſpectu talis beneficij; quia ſi quid obſtaret, maximè ſtatus peccati in perſona operante: ſed hoc non obſtat, ergo nihil eſt, quod obſtet. Ad hoc enim meritum non requiruntur illæ conditiones, quæ neceſſariæ ſunt ad meritum de condigno. Nam licet de ratione omnis meriti ſit, vt procedat à gratia, non tamen ſemper eſt neceſſaria gratia ſanctificans, ſed ſufficere poteſt auxilians, quando meritum eſt de congruo. Tum quia licet peccator incapax ſit apud Deum, vt ſit illi debitor ex iuſtitia, non tamen ex congruentia, & decentia, quæ non perſonæ conditionem, ſed actionis ſanctitatem, & proportionem, vt in ea fundetur, reſpiciat. Tum quia actus fidei, ſpei, pœnitentię, & dilectionis, qui per gratiam fiunt à fideli, licet nõ mereantur mercedem, quod eſt mereri de condigno, & ex iuſtitia, ſaltem merentur aliquod beneficium ex congruitate. Proinde iſtud meritum congrui agnoſcit D. Thom. *in 2. diſt. 27. art. 4. ad 4.* Bellarminus *lib. 1. de iuſtificat. cap. 21. & lib. 2. de penitent. cap. 12.* Syluius *1 2. quæſt. 114. artic. 5. concluſ. 4.* Suarez *de gratia, lib. 12. cap. 37.* & alij apud ipſos contra non paucos Theologos, qui contrariam ſententiam tenent. D. Tho. Bellarm. Syluius. Suarez.

Monet tamen Syluius non facilè prædicandum, nec ſine limitatione dicendum, quod pœnitens poſsit mereri gratiam iuſtificantem, aut peccatorum ſuorum veniam: cùm enim analogum per ſe poſitum ſtet pro famoſiori ſignificato, nomine meriti communiter intelligi ſolet meritum propriè dictum, ſiue de condigno: & ſic periculum foret, ne auditores inducerentur ad exiſtimandum quod tum gratia iuſtificans, tum remiſsio peccatorum non ſit gratuita, ſed quod ex titulo iuſtitiæ debeatur.

12. Nullus iuſtus, ſiue Angelus, ſiue purus homo poteſt alijs mereri de condigno primam gratiam. Ratio eſt, quia Deus non ordinauit, nec propoſuit aliqui vt præmium gloriam alterius, ſed tantùm propriam. Tum quia meritum cuiuſlibet iuſti finitum eſt, ideoque cuilibet operi eius definitum præmium gloriæ, & gratiæ reſpondet, ideoque non poſſet quis de condigno alteri gloriam mereri, quin ſimili gradu gratiæ, & gloriæ ſeipſum priuaret, quia fieri non poteſt, vt aliquis ſimul, & ſibi mercatur totam gloriam condignè reſpondentem operi ſuo, & aliam gloriam alteri, ſic enim præmium excederet proportionem operis. ergo, vt alteri poſſet mereri gloriam, deberet ſeipſum ſimili gloria priuare. Solus enim Chriſtus ad hoc gratiæ plenitudinem accepit, vt tanquam caput Eccleſiæ alijs gratiam mereatur. Iuxta illud Actor. 4. *Non eſt aliud nomen* (hoc eſt virtus, actoritas, & meritum) *ſub cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

Ex congruo tamen poteſt iuſtus alteri mereri primam gratiam, & alia dona. Probatur ex recto Eccleſiæ Catholicæ vſu in obſecrando Deo, gratiaque ab eo petenda propter merita etiam Sanctorum. Cui accedit ratio. Nam cùm homo in gratia Dei conſtitutus voluntatem Dei faciat, congruum videtur vt Deus viciſsim tanquam amicus, ſeſe hominis voluntati accommodet, atque adeò vt iuxta votum eius alterum exornet gratia; licet contingat aliquando ipſum propter ſuam culpam non accipere illam gratiam. Et ideò hoc meritum non ſemper habet effectum, ſed aliquando per Dei beneplacito. Cum enim ſit

tantùm

Digitized by Google

D. Tho. Syluius. Suarez. Valent.

tantùm meritum ex congruo, quod non aliqua certa lege, & promiſsione Dei nititur, impediri poteſt, vel propter aliquam rationem diuinæ prouidentiæ, vel propter impedimentum peccati. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 114. *art.* 5. Syluius *ibidem*, Suarez *de grat. lib.* 12. *cap.* 16. & 35. Valentia *tom.* 2. *diſput.* 8. *quæſt.* 6. *punct.* 5. & alii communiter.

Concil. Trident.

13. Certum eſt ex fide hominem iuſtum per bona opera, & per mandatorũ Dei obſeruantiam, mereri augmentum gratiæ, & charitatis, prout Patres Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. *can.* 32. contra Sectarios rectè definierunt, his verbis: *Siquis dixerit iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c. anathema ſit.* Et licet non addat de condigno, tamen id ſatis ſignificat in particula *verè*: quo vocabulo veri ad proprij nominis meritum ſignificatur. Et dum coniungit vitam æternam, & augmentum eius, ſatis aperte docet, non eſſe minus perfectum, & de condigno meritum hoc circa gratiæ augmentum, quàm circa vitam æternam eiuſque augmentum. Probatur illud ex Scriptura. Nam Matth. 25. dicitur, *Omni habenti, dabitur, & abundabit.* Apoc. vltim. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Idem Probatur ex D. Auguſt. tract. 74. in Ioan. *Reſtat vt intelligamus Spiritum ſanctum habere, qui diligit; & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat.* Quibus accedit ratio. Quia iuſtus meretur de condigno augmentum gloriæ, vt ex Concilio Tridentino ſumitur, gloria autem correſpondet gratiæ, & ad maiorem gloriam non acceptatur homo, niſi per maiorem gratiam, nam per gratiam fit intrinſecè dignus gloria, eique proportionatus, eademque ratione per maiorem gratiã proximè coaptatur maiori gloriȩ, ſi ergo iuſtus meretur augmentum gloriæ, ideo eſt, quia eodem merito creſuit in gratia. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *artic.* 8. Syluius *ibidem*, vbi expoſitores omnes, & alij Theologi *in* 3. *diſtinct.* 27. & 28. veritatem hanc tanquam certam, & indubitatam docent.

D. Tho. Syluius.

14. Iuſtus non poteſt mereri de condigno perſeuerantiam in gratia. Probatur, quia quod in meritum de condigno cadit, id Deus ita retribuit, vt tamen id quandoque neget, ſi videlicet homo ex ſua parte ponat peccati mortalis obicem: ſed perſeuerantia vſque ad mortem nunquam ita propter impedimentum peccati negatur, quaſi peccatum obſtet, quo minùs meritum perſeuerantiæ remuneretur. Ergo perſeuerantia non cadit eiuſmodi meritum: quia ſi iuſtus mereretur ex condigno perſeuerantiam, deberet Deus facere, vt non caderet in peccatum mortale. Cùm perſeuerare, ſit in bono permanere, & nullum peccatum mortale admittere. Tum quia nullus meretur de condigno mercedem, quam Deus non promiſit: non inuenitur autem vſquam promiſiſſe, quod bene operantibus dabit in hoc ſæculo perſeuerantiam, quin potiùs monentur omnes, *Seruite Domino in timore*, Pſalm. 2. *Et qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* 1. ad Corint. 10. D. Thom. *loco citato art.* 9.

D. Tho.

Cæterùm probabile eſt perſeuerantiam ipſam, acceptam pro continuatione bonorum operum vſque in finem, poſſe mereri iuſtos ex congruo per orationes, & alia pietatis ſtudia. Atque hæc videtur expreſſa ſententia D. Auguſtini lib. de dono perſeuerantiæ cap. 6. *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cum datum fuerit, admitti contumaciter non poteſt. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam quod poſſet amitti?* Ita Suar. *de gratia lib.* 12. *cap.* 38. Vega *quæſt.* 17. *de iuſtificat.* & *lib.* 12. *in Concil. Trident. cap. vltim.* Valentia *tom.* 2. *diſp.* 6. *punct.* 4. Syluius *in* 1. 2. *quæſt.* 114 *art.* 9. *concl.* 3.

Suarez. Vega. Valent. Syluius.

Si petas, quomodo poſſit quis de congruo mereri perſeuerantiam? Reſpondeo quod per inſtantes preces bonave opera ad hoc directa, nunc de congruo mereatur auxilium ad non cedendum tentationi; & poſt illam, iterum orando ac bona faciendo mereatur auxilium ad ſeruandum idem vel aliud præceptum occurrens; & ſic deinceps ſemper orando, & benefaciendo, nunquam deficiendo. Ita Doctores citati.

15. Bona temporalia, quatenus iuſtum ſuo modo etiam adiuuant, vt ad beatititudinem peruenire poſſit, cadunt in meritum de condigno. Ratio eſt, quia in bonis operibus ad bona temporalia ſic conſiderata comparatis reperiri poſſunt omnes conditiones requiſitæ ad meritum de condigno. Cùm enim ipſa ſint condigna reſpectu vitæ æternæ, etiam habent condignitatem ad ea media illi conſequendæ neceſſaria, ſeu valdè vtilia, quæ reſpectu illorum poſſunt habere rationem termini. Notandum tamen quod bona temporalia ſecundùm ſe ſpectata, non cadunt ſimpliciter ſub merito, nec vllus ea mereri poteſt de condigno. Non peccator, quia nullum poteſt eſſe meritum de condigno ſine ſtatu gratiæ. Non etiam iuſtus, quia ſub meritum condignum ea ſola cadunt, quæ conducunt ad ſalutem animæ, ſed eiuſmodi bona ſic ſpectata ad illam non conducunt; tum quia manifeſtum eſt Deum non ſemper iuſtioribus dare abundantiam temporalium maiorem quam impijs, ſed interdum longè minorem, prout nouit eis ad ſalutem expedire. Fatendum nihilominus eſt, non tantùm iuſtos, ſed etiam peccatores poſſe per opera moraliter bona de congruo mereri bona temporalia: quia attenta Dei bonitate, & liberalitate congruum videtur quòd operibus moraliter bonis, bonum aliquod reddat eiuſdem Ordinis. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 10. Syluius, Conradus, Medina, Valentia, Malderus, Granadus, *ibidem.* Et hæc de merito ſatis.

D. Tho.

Vide tom. 1. v. Fides 1. *num.* 14. & 15.

METVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit metus? vbi de metu intrinſeco, & extrinſeco.*
2 *De metu graui, & leui: & de quinque conditionibus ad conſtituendum metum grauem neceſſarijs.*
3 *Quis dicatur metus cadens in conſtantem virum?*
4 *An geſta ex metu mortis excuſentur à peccato.*

Vlpian. Sanch. Syluius.

1. MEtus ſecundùm Iuriſconſultum *eſt inſtantis periculi vel futuri cauſa mentis trepidatio* Vlpianus *l.* 1. *ff. de eo quod metus cauſa* Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 2. Syluius 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. Multas diuiſiones metus admittit. *Primò*, enim metus alius eſt intrinſecus: metus intrinſecus dicitur ille, qui à cauſa intrinſeca vel naturali infertur, qualis eſt metus grauis mortis prouenies ex periculoſa infirmitate, aut ex feris, & animalibus: hic metus dicitur intrinſecus ſeu à cauſa intrinſeca, vt diſtinguatur à metu extrinſeco, qui fit à cauſa extrinſeca libera, id eſt, ab homine.

2. *Secundò* metus quidam eſt cadens in virum conſtantem, & eſt timor magni mali, qui & iuſtus, probabilis, & grauis appellatur, quidam verò eſt metus cadens in virum inconſtantem, & vocatur timor iniuſtus, improbabilis, & vanus: Vt autem metus cadat in conſtantem virum, deſiderantur quinque conditiones. *Prima* eſt, vt malum quod timetur, graue ſit in ſe conſideratum. *Secunda*, vt æſtimatio mali quod timetur, ſit fortis. *Tertia*, vt metum incutiens potens ſit minas executioni mandare. *Quarta*, vt metum incutiens minas exequi ſolitus ſit in eodem genere mali comminati. *Quinta*, ne poſſit timens facile occurrere malis quæ timentur: *Notandum* tamen eſt vt timor grauis dicatur, non requiri realem, & veram pœnarum illationem, quia ſic non timor ſed damnum diceretur, vnde ſatis eſt timor probabilis proximæ illationis. Bonacina *de matrimon. q.* 3. *punct.* 8. *num.* 2. Sanchez *de matrimon. lib.* 4. *diſp.* 1. *num.* 9. 10. & *ſequent.* Sylueſter *verb. metus quæſt.* 1.

Bonac. Sanch. Sylueſt.

3. *Metus* cadens in conſtantem virum, eſt timor alicuius mali, quod viro conſtanti eſt formidabile: *Cod. de ijs quæ metus. Cap. cum dilectus, de ijs quæ vi. & leg. nec timorem, ff. quod metus cauſa.* Sanchez *de matrim. l.* 4. *d.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *d.* 6. *n* 35. qualis eſt metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, diuturni exilij, ſeruitutis, ſtupri in viro vel in fœmina, amiſſionis honorifici ſtatus, amiſſionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis, Infamiæ iuris vel etiã facti, quȩ difficulter poſſit abſter-

Sanchez Leſſius.

abſtergi. Excommuuicationis iniuſtè; ſecùs ſi iuſta ſit, hæc enim facilè poteſt caueri ſublata contumacia *Præterea* etiam metus grauis dicitur, ſi hæc mala liberis noſtris timeamus, vel parenti, vel vxori, vel fratri, ſorori, vel alteri arctiſſimo amicitiæ vinculo nobis copulato. *Ad metum* quoque grauem pertinet metus reuerentialis, quo filius timet offenſionem parentum pupillus tutorum, ſubditus principis, vxor viri, monachus Abbatis, clericus Epiſcopi: præſertim ſi metus ſit ingens, & coniunctæ ſint minæ, vel timor malæ tractationis, vel preces importunæ, vehementes ſcilicet; & ſæpius repetitæ. *Porrò* ad iudicandum quinam ſit metus cadens in conſtantem virum, & qui non cadens, relinquendum eſt arbitrio prudentis; nam metus non eſt pendendus, & metiendus ex cauſa, ex qua naſcitur, & ex natura rei, ſed potiùs ex perſona, cui incutitur: vnde metus dici poteſt reſpectiuè grauis qui eſt alicuius mali, quod etſi viro conſtanti non ſit formidabile, tamen fœminæ, vel ſeni, vel puero, vel homini meticuloſo formidandum meritò videtur. Reginald. *lib.* 31. *num.* 85. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 2. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. Bonacina *c. num.* 6. Conink *diſp.* 28. *dub.* 28. *dub.* 2. *num.* 33. Diana *tract.* 5. *miſc. reſol.* 20. *part.* 3.

Regin. Valent. Henriq. Bonac. Conink. Diana.

4. Geſta ex metu mortis excuſantur à peccato, modò non ſint ex obiecto, & intrinſecè mala, & in odium, & contemptum Religionis Chriſtianæ non imperentur.

Proinde licet metu mortis, ſecluſo homicidio in obſidione veſci carnibus humanis. Item licet celebrare miſſam ſine altari, calice, conſecrato, veſtibus ſacris, modò veſtes non ſint valde ſordidæ, nec vas immundum ſit. Item metu mortis licet matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, ſine intentione tamen conſummandi. Item metu mortis aut alterius nocumenti licet ſacerdoti porrigere Euchariſtiam peccatori occulto, in occulto tamen.

Item conficere ſacramenta in materia dubia. Item cum vitæ diſcrimine quis non tenetur Euchariſtiam, vel Baptiſmum ſuſcipere, quoties moraliter certus ſit de contritione. Plures caſus inuenies apud Dianam, *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 48. *&* 83. Sancium *in ſelectis diſp.* 35. *num.* 6. *& ſequent. diſp.* 44. *num.* 12.

Diana. Sancius.

De Metu. Vide tom. 1. v. *Actus humanus* 2. n. 5. *Contractus* n. 20. & ſeq. *Beneficium* 2. n. 6. 7. & 9.

SVPPLEMENTVM.

METVS.

SVMMARIVM.

1 *Quintuplex diuiſio metus in communi.*
2 *Quod dicendum ſit graue malum ad inducendum metum cadentem in virum conſtantem.*
3 *Metus cadens in conſtantem virum, an dicatur reſpectiuè, reſpectu vnius, & non alterius.*
4 *An metus mortis vel alterius mali grauis comminati meis conſanguineis, vel affinibus, ſufficiens ſit ad reſcindendum meum contractum.*
5 *An metus reuerentialis ſolus ſine minis, & verberibus, quo quis ducitur ad ineundum matrimonium, vel celebrandum contractum, ſit cadens in conſtantem virum, & ſufficiens ad reſciſſionem?* refertur duplex ſententia.
6 *In quibus perſonis detur metus reuerentialis, & circa quas perſonas.*
7 *An preces importunæ incutiant metum cadentem in conſtantem virum ſufficientem ad contractuum reſciſſionem?* refertur duplex ſententia.
8 *An metus, ſeu probabile periculum grauis damni excuſet à tranſgreſſione legis humanæ, & à peccato.*
9 *An metus gehennæ ſit malus, ſi ſit propriè, & principalis cauſa obſeruationis legum.*
10 *An excuſetur à peccato ille, qui metu mortis non ſeruat legem humanam ſtatuentem pœnam capitis tranſgreſſoribus.*
Quando quis in odium Religionis minatur alicui mortem niſi carnes humanas comedat, an licitum ſit eis veſci.
11 *Qui lege, aut voto abſtinentia à carnibus eſt obſtrictus an poſſit, aut etiam teneatur carnibus veſci, ſi alios cibos non habeat, ad tuendam vitam.*

1. PRæter dicta *ſupra* de metu, hæc annotanda veniunt. Quod metus in communi ſic diuidi poſſit. Alius eſt metus conceſſiuus, qualis eſt is, qui per minas infertur. Alius eſt, impreſſiuus, qui dicitur metus facti, vt cùm actu interueniunt, verbera, vel carcer. Tertius eſt ſuſpicionis non temerariæ, nec violentæ, ſed compulſiuus potentiæ, qui ita appellatur, quia metum incutiens eſt vir potens in republica. Quartus eſt, metus tacitus, & reuerentialis, vt filij erga patrem, vxoris erga virum. Quintus appellatur metus perfidiæ, quando ſcilicet, perfidiæ timore aliquid datur, vt ſi morbo laborans, prodigè largiatur medico, timens ne perfidè medeatur: vel clientulus cauſidico, eodem timore. Ita quidam Iuriſconſulti.

2. Cùm ex conditionibus requiſitis ad inducendum metum cadentem in virum conſtantem, communiter exigatur, vt malum quod timetur, graue ſit, ex *l. Metum la.* 1. *ff. de eo quod metus cauſa*. Dubium eſt, an magnitudo hæc mali attendatur ſimpliciter ex qualitate ipſius mali in ſe conſiderati, an potiùs comparatiuè ad minus malum? Quidam enim dicunt conſiderari per comparationem ad minus malum: ac proinde quicumque eligit minus malum, qualecumque illud ſit, vt vitet maius, verè moueri timore cadente in virum conſtantem. Quia hic timore operatur, & non cadente in virum inconſtantem, cùm conſtanter, & prudenter agat: ergo cadente in virum conſtantem: Ita Syluester *verb. Metus, quæſt.* 1. Veracrux 1. *part. ſpecul. art.* 8. *concluſ.* 3. & alij. Syluest. Veracr.

Verius tamen eſt, non ſatis eſſe, vt dicatur metus cadens in conſtantem virum, vt illud malum conſtanter caueat, ſed debere eſſe timorem grauis mali in ſe conſiderati. Ratio eſt, quia iura concedunt reſciſſionem cõtractus, ob timorem cadentem in virum conſtantem; quia is timor libertatem conſenſus impedit; ſed quando malum quod timetur, in ſe leue eſt, quamuis grauiori malo anteponatur, non impedit in viro forti libertatem conſenſus: ergo is timor non cadit in virum conſtantem. Ita Scotus *in diſtinct.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 2. *verſ. Secundo per accidens*, & poſt illam Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 1. *num.* 12. Scotus. Sanch.

3. Metus cadens in conſtantem virum dicitur reſpectiuè, & proinde, qui reſpectu vnius eſt cadens in virum conſtantem, non eſt talis ſæpe reſpectu alterius, qui fortior, & robuſtior eſt: vnde minor metus deſideratur in fœmina quàm in viro. Ratio eſt, quia licet fœmina habeat virtutem conſtantiæ, propter conſtitutionem tamen corporis illi ſexui naturalem, minus poteſt reſiſtere metui, quàm vir: ergo minor metus ſufficiet, vt opprimat cogatque fœminam conſtantem ſuccumbere, quàm virum eadem conſtantia præditum. Inſuper vt diſcernatur, quis ſit metus cadens in virum conſtantem, attendenda eſt ætas, vt ſi ſenex, vel puer ſit, cui metus incutitur: ſimiliter eius fortitudo, innataque animi magnitudo, aut paruitas, & fragilitas: nam maior metus exigitur in milite, & conſtante, quàm in puſillamini, & vili. Vide Sanchez *loco cit. diſp.* 3. & alios apud ipſum. Sanch.

4. Dubium eſt, an ſicut metus mortis, vel alterius mali grauis mihi comminati, vt contraham, eſt ex natura ſua ex parte obiecti cadens in conſtantem virum, & ſufficiens ad reſcindendum contractum, ita ſufficiens ſit, ſi idem malum comminatum ſit meis conſanguineis, licet non mihi, niſi contractum ineam? Reſpondeo hoc extendendum eſſe ad alias perſonas vltra filios, quare ſi ea mala timeantur in propria vxore, erit metus cadens in conſtantẽ virum, reſpectu viri. Quia reputantur inferri in perſona viri, cùm vir, & vxor ſint vna caro. *Secundò*: Idem dicendum, ſi timor inſeratur parentibus, vt filij contrahant, erit enim timor viri conſtantis, reſpectu filiorũ: quia pater, & filius cenſentur vna perſona. *Tertiò*: Idem dicendum de aſcen-

Digitized by Google

aſcendentibus, fratribus, & alijs conſanguineis vſque ad quartum gradum, imò & affinibus, quando affinitas prouenit ex matrimonio. Tandem erit metus cadens in conſtantem virum, quando malum eſſet comminatum perſonæ arctiſſima amicitia coniunctæ contrahenti: quia amicus eſt alter ego, vt teſtantur Ariſtoteles *lib.9.ethic.cap.4.* & D. Auguſt. *lib.4. Confeſſ. cap.6.* & Horatius *lib.1.ad* 3. appellat amicum, dimidium animæ amici. De quibus videndi ſunt D. Thom. *in diſt. 29. q. vnic. art. 2.* Sanchez *loco cit. diſp.4.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.9. num.5.* & alij penes ipſos.

Ariſto. D. Aug. Horat. D. Tho. Sanch. Henriq.

5. Controuerſia eſt magna inter Doctores, an metus reuerentialis, quo inferior reuerentia ſuperioris, vxor viri, filius patris, &c. ducitur ad ineundum matrimonium, vel celebrandum cõtractum, ſit cadens in conſtantem virum, ſufficienſque ad reſciſſionẽ, quando matrimonium, & reliqui contractus expreſſo conſenſu contrahentium celebrantur? Circa hanc difficultatem diximus *ſupra Metus, n.*3 ex veriori ſententia ſolum metum reuerentialem, niſi minæ, aut verbera, aut alius metus grauis illi adiungatur, non cadere in virum conſtantem. Fundamẽtum huius opinionis eſt, quia *in cap. Quamuis pactum, de pact. in 6.* diſponitur, quod renunciatio facta à filia in fauorem patris vallata iuramento eſt valida, niſi vi, aut dolo ſit adducta. Ergo cùm textus non excipiat reuerentiã, ſicut vim, & dolum, ſequitur metum reuerentialem minimè in conſtantem virum cadere, vt quampluribus Doctoribus adductis probat Sanch. *de matr. lib.4. diſp.6.n.7.*

Sanchez.

Nihilominus contrariam ſententiam non minus probabilem, & in praxi tutam exiſtimant multi, nempe metum reuerentialem cadere in virum conſtantẽ, modò indignatio nõ ſit leuis, & quæ facilè tranſeat, ſed grauis, & diuturna, licet non adfuerint minæ, & verbera: ſecus ſi metus reuerentialis dederit tantùm anſam, & occaſionem contractus, non verò cauſam. Poteſt etiam contingere, vt vxor, filius, &c. metu reuerentiali inducatur ad contrahendum, & tamen poſtea iam libens contrahat. Probari poteſt hæc opinio ex *regul.4.ff.de regul.iur.* ibi, *Velle non creditur, qui obſequitur Imperio patris, vel domini*: ergo, cùm omnis cõtractus conſenſu perficiatur, reſcindet illos metus obſequij, ſeu reuerentiæ. Ita Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 5.* Menochius *lib.1. conſil.491. & de arbitrar. lib.2.caſ.236.* & alij penes ipſos, & apud Sanch. *loco cit. n.4.* Ex quorum opinione poſſunt Confeſſarij ſine vllo ſcrupulo infinitos vxorum, & filiorumfamiliâs contractus reſcindere, nam vt plurimum ex metu reuerentiali fiunt, qui cadit in conſtantem virum, etiamſi ſit ſine minis, & verberibus, vt docet Diana *p. 3. tract.5. reſol.20.* Hinc infert idem actor cum Baſilio Pontio *de matrim. lib. 4. c. 11. n. 15. & 16.* contra Sanchez *loco cit. n. 18.* & alios, profeſſionem Religionis metu reuerentiali factam non valere, ideoque reſcindendam, & declarandam irritam. Item cum Rodriquez *tom. 2. qq. reg. c.52. art.10.* electionem factam metu reuerentialis eſſe nullam. Hæc dicta ſint modò ſecundum horum auctorum placitum.

Reg. iur. Diana. Pontius. Sanchez. Rodriq.

6. Metus reuerentialis, iuxta omnium ſententiam, datur in eo, qui iure aliquo ſubiectionis alteri ſubeſt. Vt in Clerico reſpectu Epiſcopi; in ſæculari reſpectu Magiſtratus cui ſubditur, in vxore reſpectu viri; in filio reſpectu Patris. Ratio eſt, quia cùm hi ſuperiores ſint, & alij ipſis ſubiecti, ſuapte natura quandam reuerentiam, & obſequium eis debent, quæ reuerentia timorem ac pudorem incutit, vt minùs audeant ipſorum voluntati contradicere. Item metus reuerentialis eſt, timor ſoceri: quia ſocer parentis locum obtinet. Item aui, patrui, & aliorũ aſcendentium, Curatoris, Tutoris, matris crudelis, & auſteræ, ſolitæque minas exequi. Item timor fratris maioris natu in ſorore, quando cum eo habitat, ab ipſoque gubernatur. Item in fratre minori reſpectu maioris, & in ſorore minore cohabitante cum ſorore maiori, à qua gubernatur. De quibus Sanchez *lib.4. diſp.6. à num.25. ad* 35.

Sanchez.

7. Potiſſima difficultas eſt, an preces importunæ, ſecluſa omni alia ratione timendi incutiant metum cadentem in conſtantem virum, ſufficientem ad cõtractuum reſciſſionem? Triplex eſt ſententia. Prima docet ſolas preces importunas incutere huiuſmodi metum. Quia importuna, & *ſæpe* repetita petitio virum prudentem, & fortem grauius torquet, quàm minę, & nihil eſt quod non efficiat, vt preces importunas, & moleſtas euitet. Tum quia paria ſunt aliquid violenter, & metu fieri, ac precibus importunis, prout dicunt multi Iuriſconſulti. Et ſuſtinent probabiliter Gloſſa *in cap. Tua fraternitatis, v. Importunitatem, de præbendis*, Pontius *de matrim. lib.4. cap.5. n.17. & 12. per totum*, Naldus *in ſumm. verb. Metus, num.4.* Diana *part. 3. tract 5. reſol.20.* Faciunt pro hac ſententia plurimi textus iuris ciuilis adducti à Sanchez *loco cit. diſp. 7. n. 4.* Secunda opinio eſt, preces importunas, quamuis metui reuerentiali coniunctæ ſint, non inferre metum viri conſtantis. Quia non videntur tantam vim habere, vt conſtantem virum meritò mouere debeant. Hanc tenet Abbas *in cap. Cùm inter, num.8. de elect.* dicens preces inſtantiſſimas Principum non inducere iuſtum metum, ad reſcindendum actum, niſi ſæuire ſoleant in ſibi non obtemperantes: ipſum ſequuntur Henriquez *lib.11. de matrim. cap.9. num.5.* Lopez a *part. inſtructor. de matrim. cap.40. §. Adde tamen.* Tertia ſententia aſſerit preces importunas vna cum metu reuerentiali, vt ſi ſit perſona cui debetur reuerentia, incutere metum cadentem in conſtantem virum. Hæc opinio admittitur vt probabilior à Sanchez *loco cit. num.7.* Quia cum vna ex parte importunitas cuiuſcumque ſit, valdè vrgeat, vexet, & opprimat, et ex altera parte reuerentia perſonæ petentis debita, puſillanimem ac timidum, nec audentem contradicere rogatum reddat, meritò vtraque metuendi cauſa coniuncta, prudentem ac conſtantem coget, ipſiuſque conſenſum extorquebit. Preces autem importunæ vocantur illæ, quæ ſunt inſtantiſſimæ, et ſæpius repetitæ, et inculcatæ, iuxta *l. 1. Cod. de petitione bonorum*, ibi, *inuerecunda petentium inhiatione*. Importunum enim dicitur quaſi ſine portu, et ſine quiete, iuxta Archidiac. *cap. final. num.2. de reſcript. in 6.* Hinc quando patres cum filijs, et viri cum vxoribus contractus ineunt in gratiam ipſorum, maximè ſi ſint contractus lucratiui, et qui à libertate proficiſcuntur, ſunt nulli ſimiles contractus, et reſcindendi; quia præter metum reuerentialem, qui ſolus ſufficeret, adhibent ſæpius etiam preces importunas. Ita docent Gutier. *lib. 1. quaſt. Canon. cap.37. num.17. & 18.* Garzias *de nobil. Gloſſa 17. num.15. & 23.* et alij, apud Sanchez *loco cit. num. 5.* apud Dianam *ſupra*.

Gloſſa. Pontius. Naldus. Diana. Sanchez. Abbas. Henriq. Lopez. Sanchez. Archid. Gutierez. Garzias. Sanch.

8. Regulariter loquendo metus, ſeu probabile periculum grauis damni, excuſat à traſgreſsione legis humanæ, et conſequenter à peccato. Probatur, quia credibile non eſt, legem humanam obligare cum tanto onere, aut ſtrictius obligare, quàm obliget lex naturalis, aut diuina; nam multæ leges naturales aut diuinæ, quæ non prohibent rem aliquam intrinſecè malam, non obligant ſub mortali in periculo grauis damni: vt patet in Confeſsione, quæ licet de iure diuino debeat eſſe materialiter integra, tamen non obligat ſimpliciter in omnibus caſibus. Patet in reſtitutione. quæ licet iure diuino, et naturali facienda ſit, tamen non obligat cum longè maiori proprio detrimento. Ergo metus, aut probabile periculum grauis damni excuſat à tranſgreſsione legis humanæ, et conſequenter à peccato lege humana prohibito. Deſumitur hæc propoſitio ex *cap. conſilium. de obſeruat. ieiunij*, ibi, *cùm nõ ſubiaceat legi neceſſitas*. Et Reg.6. in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, quod autem valdè difficile eſt, moraliter impoſsibile cenſetur. Nec obſtat, quòd nullus poteſt committere peccatum ſiue mortale, ſiue veniale, ad tuendam vitam, vel ad totius orbis conſeruationem, ergo nullus metus, ſeu periculum grauis damni excuſat à tranſgreſſione legis humanæ, et conſequenter à peccato? Reſpondeo negando conſequentiam, licet enim peccatum nunquam licitè poſsit committi, dicimus tamen inſtante graui mortis, vel alterius grauis damni periculo, obligationem legis ſuſpendi, et ipſius omiſsionem non effici culpabilem, et peccaminoſam. Diximus *Regulariter loquendo*; nam quotieſcumque ex legis, aut præcepti humani obſeruatione maius Reip. commodum ſperatur, aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quàm æſtimari debeat metus periculi vitæ, et grauis damni, tunc lex, aut præceptum etiam cum tanto periculo obligare poteſt, ſicut annotauimus *tom.1. v. Lex 4. num.10. verſ. An autem*, & hoc tom. *v. Prælatus, n.13.* cum Doctoribus ibi citatis.

Reg. iur.

9. Me-

9. Metus gehennæ malus eſt, ſi ſit propriè, ac principaliter finalis cauſa obſeruationis legum, quia in hoc caſu homo reatum pœnæ timet ſuper omne malum, conſequenter ſuam impunitatem, ac proprium commodum amat ſuper omne bonum, quod diuinæ charitati repugnat. At verò bonus & honeſtus eſt metus gehennæ, ſi ſit tantum cauſa impulſiua, ſeu finalis ſecundaria. Talis enim metus prouenire videtur ex habitu Spei Theolologicæ; quandoquidem eiuſdem virtutis eſt bonum ſuum proſequi, et oppoſitum eius fugere. Proinde ſi homo nolit ſeruire Deo, niſi dona & beneficia conferat, ob eãdem rationem talis eius affectio mala eſt: quia ſeipſum & propriam commoditatem plus diligit quàm Deum. Sin verò homo conſiderans, quòd Deus cultores ſuos, ac ſeruos varijs beneficijs remunerat, et exinde moueatur ad præcepta eius obſeruanda, bonum & honeſtum actum Spei exercet, qui etiam à charitatis virtute imperari poteſt; quandoquidem Deo gratum ſit, ſi bona tam naturalia, quàm ſupernaturalia, ab ipſo, vt auctore omnis Gerſon. boni, ſperemus & petamus. Ita Ioannes Gerſon *part. 2.* Vaſq. *operum, de regulis moral. § diligi poteſt Deus*, Vaſquez Suarez. *1.2. diſp.27. cap 2. num.9.* Et videri poteſt Suarez *de virtut. Theolog. tract.2. diſp. 1. ſect.4.*

10. Ex dictis infertur, illum excuſari à peccato, qui metu mortis non ſeruat legem humanam, etiamſi lex pœnam capitis transgreſſoribus præſcribat. Ratio eſt, quia lex humana non obligat cum tanto incommodo, ergo à peccato excuſatur, qui metu mortis legem humanam non ſeruat, etiamſi pœna capiti, imponatur violatoribus Sanch. illius legis. Ita Sanchez *lib. 1. mor. cap.18. num. 9.* qui pro Benzon. hac opinione citat Benzonium *tract. de fuga, lib. 1. diſp.* Sotus. *1. q.4. concl.6.* contra Sotum *lib. 1. de iuſtit. q. 6. art.4.* qui vult legem humanam ſtatuentem pœnam capitis tranſgreſſoribus, obligare cum vitæ periculo. Sed hoc fundamento caret aſſerere: quia iure optimo tranſgreſſor culpabilis poteſt pœna capitis plecti, vt alii ab eius tranſgreſſione arceantur: at non erit culpabile illam non obſeruare ad tuendam vitam.

Sed quæres, quando quis minatur alicuj mortem, niſi carnes humanas ederet, an ſit licitum eis veſci? Reſpondeo licere, quia nil refert, ſiue metus mortis ab intrinſeca neceſſitate conſurgat, ſiue ab extrinſeco inferatur, cum vtrobique eadem vitandæ mortis neceſſitas hunc eſum excuſet. Tum quia carnium humanarum comeſtio non videtur adeo intrinſecè mala, quin licita ſit in tanto vitæ Victor. periculo. Ita Victoria *relect. de temperantia, n.6.* Nauar- Nauarr. rus *in Man. cap. 23. n.122.* Emanuel Sà *v. Comedere*, & Sà. alii. Tamen non tenetur quis carnes humanas comedere ad tuendam vitam, ſed poteſt potiùs mortem pati. Quia poteſt licitè ſequi opinionem contrariam valde probabilem aſſerentem eſum huiuſmodi carnium eſſe intrinſecè malum. Tum quia non tenetur quis omnibus mediis licitis propriam vitam tueri. Tum quia poſſumus mortem noſtram iuſta de cauſa permittere, qualis cauſa eſt horror & abominatio ab huiuſmodi cibo; natura enim ita abhorret eſum carnium humanarum, vt non teneatur quis gratia propriæ vitæ tuendæ rem tam horrendam aggredi. Concedunt tamen omnes eſſe licitum, dum caro humana non ſumitur per modum cibi, ſed per modũ medicamenti: quia tunc non poteſt re vera carnis humanæ eſus appellari, ſed medicamenti liciti ſumptio. Ita Sanchez. Sanchez *lib. 1. mor. cap. 18. n.14. & 15.* Cui in vltimo caſu Valent. ſubſcribit Valentia *2.2. diſp. 9. q.3. punct. 1. verſ. Neque obſtat*. Confer quæ diximus *tom. 1. verb. Gula num. 4.*

11. Qui lege, aut voto abſtinentiæ à carnibus eſt obſtrictus, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur carnibus veſci, ſi non habeat alios cibos, & euidenter conſtet carnes illi neceſſarias eſſe ad tuendam vitam. Ratio eſt, quia in hoc caſu, neque lex, neq. votum obligat abſtinendi à carnibus tempore tantæ neceſſitatis, & ex alio capite quilibet tenetur vitæ propriæ conſulere, niſi aliud iuſta, & rationabilis cauſa exigat: quæ contingit, quando adeſt ſcandalum, quod alioquin aſtantes, aut alii ob id paterentur, tunc poſſet, aut etiam teneretur à carnibus abſtinere. Nam quilibet poteſt ſui necem permittere ex iuſta, & rationabili cauſa; et quilibet tenetur ſcandalum commune Maior. præferre vitæ propriæ. Ita Ioannes Maior *in 4. diſt. 38. q. 24.* Couarruuias *2. variar. cap. 2. n. 10.* Azorius *tom. 1 lib.* Couarr. *5. cap. 6. q. 7.* Salas *de leg. diſp. 11. ſect. 2.* et alii apud ipſos. Azorius. Nihilominus Carthuſiani laudabiliter in mortis periculo Salas. à carnibus abſtinent, quando alii cibi ſuppetunt, ita vt illis fas non ſit, cuiuſcumque ægritudinis occaſione carnibus veſci. Quia ſi alii cibi haberi poſſint carnium eſus non eſt medium abſolutè neceſſarium ad vitam ſeruandam: diutius autem vitam prorogare delicatiore viuendi modo nemo tenetur, ſi id à vitæ inſtituto alienum ſit, maiusque & publicum bonũ virtutis, ac regularis obſeruantiæ impediat vel imminuat: et ita laudabilis eiuſdem Ordinis conſuetudo regulam eorum interpretatur. Ita Victoria *relect. de temperantia num 8. & ſeq.* et alii. Victor.

Vide tom. 1. v. Contractus *num.6.* Diſpenſatio *num.38.* Iuramentum *num. 15.* et hoc tomo v. Religio *num. 11.* Sponſalia *num.10.* Votum 1. *num.2.3. & ſeq.*

MISSA I.

De ratione, & eſſentia ſacrificij Miſſæ.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Miſſa?*
2 *Quid nomine ſacrificij Miſſæ intelligatur?*
3 *Quæ ſint partes eſſentiales ſacrificij Miſſæ?*
4 *An requiratur iure diuino ad ſacrificium Miſſæ vtriuſque ſpeciei panis, & vini conſecratio?* refertur duplex ſententia.
5 *An oblatio ſit de eſſentia ſacrificij? & an contingat duplex oblatio in Miſſa?*
6 *An ad Miſſæ ſacrificium requiratur conſumptio, & immutatio victimæ oblatæ?* refertur duplex ſententia.
7 *An ſacrificium Miſſæ differat ab omnibus alijs ſacrificijs.*

1 MIſſæ nomen in iure canonico, Patribus item, atque Concilijs, accipitur pro miſſione, id eſt, dimiſſione catechumenorum; Olim namque in fine Miſſæ, quę dicebatur Catechumenorum, publica voce Diaconus clamabat: Ite Miſſa eſt, quibus verbis ab Eccleſia excludantur Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes, quibus fas non erat conſecrationi corporis & ſanguinis Domini intereſſe; hinc cœpit vulgarium hominum vſu integrum Miſſæ ſacrificium, Miſſa appellari, ſumpto vocabulo à publicis illis verbis, quæ ad omnium aſtantium aures perferebantur. Nunc verò nomine *Miſſa* intelligitur *actio illa ſacra, qua conficitur Chriſti corpus, quod Deo in Miſſa offertur à Sacerdote, & ſumitur per communionem*: dicitur autem *Miſſa* à Latinis, quia per conſecrationem Chriſtus ad nos mittitur à patre, et per oblationẽ, ac ſumptionem à nobis remittitur ad patrem. A Græcis dicitur *Liturgia*, id eſt, publicum munus & miniſterium ſacrificii cruenti Chriſti. Ab Hebræis dicitur *Mincha*, id eſt, oblatio: hinc patet Miſſam eſſe ſacrificium. D. Thomas D. Tho. *3. p. q. 83. art. 1.* Azorius *1. p. inſtit. moral. lib. 10. cap. 18.* Azor. *q. 1. & 2.* Durandus *lib. 2. cap. 1. num. 4. & 5. de ritibus*. Durand. Vaſquez *3. p. diſp. 221. cap. 1. num. 2.* Toletus *lib. 2. cap. 4.* Vaſquez Toletus. Syluius *3. p. q. 83. art. 1. quæſt. 18.* et alii. Syluius.

2. Nomine *ſacrificij Miſſæ*, intelligitur externa et ſenſibilis actio, qua res aliqua ita Dei offertur, vt legitimo, ac ſolemni ritu à publico miniſtro in honorem Dei aliquo modo immutetur. Eius *formalis* ratio in interna ſignificatione poſita eſt, tũ reſpectu Dei, ſupremæ videlicet eius excellentiæ, tum reſpectu hominis, ſubiectionis ad Deũ. *Materialis* verò duo continet. *Primò*, rem quæ offertur. *Secundò*, actionem per quam offertur; illa per ſacrificiũ immutari aliquo pacto debet, et hæc talis eſſe, vt per eam immutari, vel conſeruari illa poſſit. Suarez *de Euchar.* Suarez. *diſp. 72. ſect. 1. & 2.* Regin. *lib. 29. num. 145.* Filliuc. *tract. 5.* Reginal. Filliuc. *cap. 1. q. 5.* Bonacina *tom. 1. diſp. 4. q. vlt. punct. 1.* et alii. Bonac.

Cæterùm, quo modo in myſterio Euchariſtiæ ſit mutatio ad eſſentialem ſacrificii rationem neceſſaria; et omninò qualiter allata definitio illi conueniat, variè

Catholici aſſignant ſacrificalem hanc in Miſſa mutationem: ſed omiſſis ſententijs, probabilior exiſtimat ſubſtãtialem ſacrificij Miſſæ mutationem in eo potiſſimum ſitam eſſe, quòd Chriſtus Dominus, qui naturaliter homo viuus eſt, cibo potuique in idoneus, niſi occidatur, in hoc ſacramento quaſi iterum mortuum accipiat eſſe, in quo iam tamquam occiſus comedi, & ſanguis eius poſſit potari, quod ſacrificii veri rationem habet, quamuis non realis immolationis, quia immolatio ex vſu vocis dicit cruentam ſacrificationem. Sed plura de his vide apud Malder. Malderum 2.2.*tract.* 10.*cap.*3. *dub.*1.

3. *Partes eſſentiales* ſacrificii Miſſæ ſunt *conſecratio*, *oblatio*, *& conſumptio*; quod autem conſecratio ſit pars eſſentialis ex ipſo nomine ſacrificii patet, quod conſiſtit in re ſacra, ſeu rem ſacram efficit, alioquin ſi conſecratio nõ eſſet de eſſentia ſacrificii, ſequeretur quemlibet poſſe Miſſam celebrare & ſacrificare, cùm non ſolum ſacerdotes, verùm etiam alii offerant & ſumant Euchariſtiam. Hinc quoties Sacerdos frangit, et ſumit Hoſtiam pridie conſecratam, nec ipſe aliam conſecrat, non fit propriè ſacrificium, cùm non adſit noua Hoſtiæ conſecratio: ſicut fit ſacrificium quando vnus Sacerdos perficit Miſſam inchoatam ab altero, qui periit poſt conſecrationẽ, adeſt enim conſecratio, et actio præcedentis coniungitur cum actione alterius, ita vt integretur & perficiatur vnum ſacrificium; ſimiliter quando Sacerdos hoſtiam, quam in Miſſa conſecrauit, reponit in ſacrario, et ipſe ſumit hoſtiam ab alio conſecratam, fit ſacrificium, adeſt enim conſecratio, oblatio, & ſumptio. Vide Azorium *cit. lib.* 10. *cap.* 19. *q.* 1. Coninch *quaſt.* 83. *art.* 1. *num.* 36. Reginaldum *cit. num.* 146. Bonacinam *cit. punct.* 2. Henriquez *lib.* 9 *cap.* 9. *num.* 1. Syluium 3.*p.q.*83. *art.* 1. *quæſit.* 2. *concl.* 4. & alios.
Azor. Coninch Regin. Bonac. Henriq. Sylu.

4. *Duæ* ſunt *opiniones*, an iure diuino ad ſacrificium Miſſæ vtriuſque ſpeciei panis & vini conſecratio requiratur: *vna* affirmat, ac proinde ſimiliter docet authoritate Romani Pontificis fieri non poſſe, vt Sacerdos in ſola conſecratione panis ſine vino ſacrificet, ſic Sotus *in* 4.*diſt.*9.*q.*1.*art.*1. Syluest. *v. Euchariſt.* 1.*q.*5. Sylu. *cit. q.*3. Vaſquez 3.*p.diſp.*223.*cap.*3. et quidam alii opinantur. *Altera* ſententia ait, vini conſecrationem diuini iuris non eſſe, ſed canonici dumtaxat; & ex Chriſti præcepto ſolũ panis conſecrationẽ requiri; Et cùm Romanus Pontifex poſſit ius canonicum remittere & relaxare, conſequitur, inquiunt huius opinionis auctores, vt vbi vinũ haberi aut ſeruari nequit vllo modo, facultatem Pontifex, ius canonicum relaxando, concedere queat, vt in ſola cõſecratione panis ſacrificetur, & huius ſentẽtiæ ſunt. Maior 4.*diſt.* 9.*q.*3.*ad* 5. Adrianus 4.*diſt.*9.*q.*6. Henriquez *cit. num.* 10. Nugnus *quaſt.*84. *art.*1. Azorius *cit. quaſt.*2. vtraque ſententia eſt valdè probabilis, quia vtraq. multorum & magnorum Theologorum authoritate fulcitur. Prima tamẽ eſt tenenda. Vt diximus *tom.* 1. *v. Euchariſtia* 1. *num.* 8.
Sotus. Syluest. Sylu. Vaſquez. Maior. Adrian. Henriq. Nugn. Azor.

5. Quantùm ad *oblationem*, an ſit de eſſentia ſacrificii, non eſt dubitandum, quia non cenſetur ſacrificium donec res offeratur; & proinde ſi ſacerdos facta conſecratione moriatur, tenenir alius ſacerdos offerre & ſumere, vt integrum fiat ſacrificium; *aduertendum* tamen, duplicem oblationẽ in Miſſa contingere. *Prima* eſt, quãdo offertur panis vt fiat corpus Chriſti; & hæc oblatio nullo modo pertinet ad ſubſtantiam huius ſacrificii, neq. vt eſſentialis pars, neque vt integralis, ſed tantũ eſt ceremonialis quædam præparatio ab Eccleſia inſtituta, ad conciliandam deuotionem et reuerentiam, animosq. fideliũ excitandos ad myſterium ipſum peragendum. *Secunda* oblatio fit, quando poſt conſecrationem offertur ipſum Chriſti corpus; hæc ſecũdum probabiliorem ſententiam pertinet ad eſſentiam ſacrificii, vt docent Bonacina *cit. punct.* 2. *n.* 6. Henriq. Azor. Nugn. *cit.* & alii. Quidquid in contrarium dicant Suarez *tom.* 3. *diſp.* 75. *ſect.* 3. Coninch *q.* 83. *art.* 1. *n.* 96. Vide Sylu. *concl.* 4. et alii, quorum tamen ſententia eſt ſatis probabilis docens, oblationem eſſentialem in ipſa actione conſecrationis, ſiue immolationis compleri: quia illa dicitur eſſentialis oblatio, qua Chriſtus ipſe vſus eſt cum in vltima cœna conſecrauit: nulla autem alia reperitur oblatio à Chriſto facta, quàm illa quæ verbis illis, & operatiua, ac conſecratiua forma ſignificatur.
Bonac. Suarez. Coninch. Sylu.

6. Ad Miſſæ ſacrificium requiritur *ſacerdotalis ſumptio*, non quatenus eſt qualiſcumque vſus ſacramenti, ſed quatenus eſt perfecta conſumptio, et immutatio victimæ oblatæ; quia de ratione ſacrificii generatim eſt, vt Sacerdos ſacrificans de victima oblata participet; imo de eſſẽtia ſacrificij, et præſertim holocauſti eſt, vt tota victima conſumatur & realiter immutetur, ſed hoc non fit in hoc ſacrificio, niſi per ſumptionem Sacerdotis conſecrantis, vel alterius deficiente primo. Ita Gabriel *in can. lect.* 26. Sotus 4.*diſt.*13.*q.*1.*art.*4. Bellarm. *de Miſſa lib.*1.*cap.vlt.* Ledeſma 1.*p.q.*2.3.*art.*4. et alii. *Multi* tamen Doctores ſatis probabiliter opinantur ſumptionem ſacerdotalem ſacramenti Euchariſtiæ non eſſe de eſſentia ſacrificii, ſed eſſe quid poſterius, ſolumque pertinens ad perfectionem quaſi extrinſecam talis myſterii, totamque eſſentiam ſacrificii in conſecratione conſiſtere; quia conſecratio eſt ſufficiens actio ad ſacrificandum, et continet repræſentationem mortis Chriſti, eſt ergo ſufficiens mactatio myſtica, ergo in illa ſola conſiſtit eſſentia huius ſacrificii, vt dictum eſt. Suarez *diſp.*75.*ſect.*5. D. Bonau. 4.*diſt.*14.*art.* 1.*q.*4. Maior 4. *diſt.*9. Vaſq. 3.*p.diſp.*222. *cap.*5. Sylu. *cit. quæſit.*2. *concl.*3. et alii.
Gabr. Sotus. Bellarm. Ledeſma. Suar. D. Bonauent. Maior. Vaſquez. Sylu.

7. Hoc ſacrificium Miſſę differt toto genere ab omnibus ſacrificiis, tum legis naturæ, tũ Moſaicæ. Prob. quia alius eſt offerens, alia res oblata, alius modus offerendi, alius modus ſignificandi, et inter illa vetera, erat ſæpè diſtinctio ſpecifica, aut etiam generica, vt inter holocauſta, victimas pacificas, oblationem ſimilæ, libationes, &c. Sacrificiũ Miſſæ differt à ſacrificio crucis: quia ritus offerendi, in quo eſſentialiter conſiſtit ſacrificium eſt valdè diuerſus, vt patet: nam in cruce fuit per veram mortem, in Miſſa per conſecrationem, ibi cruentè, hic incruentè.

Miſſæ ſacrificiũ differt accidentaliter à ſacrificio quod Chriſtus poſt cœnam obtulit, non eſſentialiter. Quod non eſſentialiter probatur, quia conueniunt, non tantum in materia & termino oblationis, ac principali offerente, ſed etiam in ritu externo, conamur enim nunc maximè exprimere eum ritum, quem Chriſtus tunc ſeruauit. Quod autem differat accidentaliter. Prob. quia, ſecundum Philoſophos, actio quæ diuerſis temporibus, exercetur, numero ſaltem differt à præcedente, et conſequenter certis accidentibus; ſacrificium autem in actione conſiſtit, ergo. Tum quia differt in oblata, nam in cœna fuit Chriſtus mortalis, in Miſſa eſt immortalis. Tum quia illud cœnæ mortem Chriſti futuram, hoc autem præteritam. Hæ autem omnes differentiæ, vt patet, efficiunt tantum diſcrimen accidentale. Vide Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p.* *diſp.* 76. *ſect.* 1.

MISSA II.

De effectibus, & valore Miſſæ.

SVMMARIVM.

1 *An Euchariſtia ſacrificium ex opere operato primam gratiam, & remiſſionem mortalium per ſe conferat?*
2 *An ſacrificium Miſſæ per ſe, & ex opere operato ſine ſpeciali actu ſuſcipientis remittat culpam peccatorum venialium?* refertur duplex ſententia. *Et an idem ſacrificium ex opere operato conferat augmentum gratiæ?*
3 *An bona temporalia, per modum impetrationis poſſint aliquo modo eſſe effectus ſacrificij Miſſæ?*
4 *An Miſſæ ſacrificium ex ſua inſtitutione habeat vim ſatisfactiuam, & valeat ad remittendam ex opere operato pœnam temporalem peccatis debitam?*
5 *Quotuplex ſit fructus Miſſæ?*
6 *An valor ſacrificij Miſſæ quatenus offertur à Sacerdote ſit infinitus intenſiuè, vel extenſiuè?*
7 *An effectus ſacrificij Miſſæ reſpondens oblationi Sacerdotis, qui medius nuncupatur, ut ſic finitus ſit, & unus tantum? & an quoad impetrationem ſacrificium ſit valoris infiniti? &c.*

8 *An*

8 *An Miſſa vt ſacrificium eſt, valorem accipiat ex opere operato? & vt includit preces, & orationes, an ualor Miſſa reſpondens precibus ſit ex opere operantis?*
9 *Quibus fructus ſacrificij miſſa tribuatur?*
10 *An ad fructus miſſa recipiendos habitualis gratia requiratur? & an liceat ſacrificium offerre pro excommunicatis, pro infidelibus, paganis, & cathecumenis? & an proſit beatis, vel damnatis? & quid fiat de fructu ſacrificij, qui nulli applicatur, uel incapaci.*

1 EVcharistiæ ſacrificium, *primò* primam gratiam & remiſſionem mortalium, non quidem ex opere operato, ſed per modum impetrationis, & mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno, non ſemper efficaciter, ſed ſufficienter, ex parte ſua, et infallibiliter confert, præſertim ſi pro ſeipſo quis offerat. Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 12. *ex quo* patet ſacrificium Miſſæ, non conferre primam gratiam & remiſſionem peccatorum per ſe, & immediatè: quia ſequeretur confeſſionem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad tollendum peccatum mortale commiſſum poſt baptiſmum, et non dici ſecundam poſt naufragium tabulam: *deinde* etiam patet auxilium, quod per ſacrificium confertur ad eliciendum contritionis actum, non ſemper eſſe efficax, ſed tantùm ſufficiens; quia experientia conſtat peccatorem, pro quo ſacrificium offertur, aliquando non conuerti, neque ſpecialiter moueri ad conuerſionem, quamuis reſpectu eorum qui actualiter conuertuntur, & contritionis actum eliciunt, poſſit dici ſacrificium efficax. D. Thomas 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 2. Bonacina *diſp.* 4. *dub.* vii. *punct.* 3. Filliucius *tract.* 5. *num.* 59. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 14. Azorius 1. *p. lib.* 10. *cap.* 20. Miranda 1. *p. q.* 41. *art.* 8. et alii.

(Concil. Trid. — D. Tho. Bonac. Filliuc. Henriq. Azorius. Miranda)

2. *Sacrificium Miſſa*, ſecundum probabiliorem ſententiam Suarez *cit. diſput.* 79. *ſect.* 5. Coninch *quaſt* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *num.* 135. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 151. Bonacina *cit. punct.* 3. *num.* 5. Filliucius *cit. cap.* 3. *num.* 62. non remittit culpam, etiam peccatorum venialium per ſe, et ex opere operato, & ſine ſpeciali actu ſuſcipientis: quia licet remiſſio pœnæ fieri poſſit, per ſolam extrinſecam condonationem, non tamen remiſſio culpæ etiam venialis, & ſine infuſione alicuius doni habitualis, ſeu actualis, qua tollatur illa macula, quam peccatum veniale in anima delinquentis relinquit: vnde Miſſæ ſacrificium, nec etiam augmentum gratiæ confert ex opere operato, quia omnis effectus ex opere operato fundatur in aliqua Chriſti promiſſione, qua id ſtatuit, atque repromiſit, ſed nulla talis promiſſio in ſcripturis facta legitur, ergo. *Probabilis* tamen eſt ſententia Henriquez *lib.* 9. *cap.* 13. Corduba *lib.* 1. *q.* 3. *not.* 4. & aliorum aſſerentium, per ſacrificium deleri peccata venialia, non ſolùm mediatè, verùm etiam immediatè, ſicut per ſacramentalia.

(Suarez. Coninch Reginal. Filliuc. — Henriq. Cordub.)

3. *Bona temporalia* poſsunt etiam aliquo modo eſse effectus huius altiſſimi ſacrificij; non quòd Miſsæ ſacrificium præſtet prædicta bona ex opere operato, ſed tantum per modum impetrationis; & proinde ſacrificium appellatur impetratorium, quod patet ex vſu Eccleſiæ, quæ ſemper conſueuit offerre hoc ſacrificium, tam pro ſpiritualibus, quàm pro temporalibus bonis obtinendis. Azorius *cit. lib.* 10. *cap.* 21. *q.* 4. Suarez *cit. diſp.* 79. *ſect.* 7. Valentia *tom.* 4. *dub.* 6. *q.* 11. *punct.* 1. Filliucius *cit. cap.* 3. *num.* 71. et alii.

(Azorius. Suarez. Valent. Filliuc.)

4. *Miſſa ſacrificium* ex directa inſtitutione ſua habet vim ſatisfactiuam, & valet ad remittendam ex opere operato aliquam pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus, ſiue venialibus, & ob id dicitur ſatisfactorium, et in Concil. Trid. habetur hoc ſacrificium offerri pro viuorum peccatis & pœnis: ſed hoc intelligendum eſt, quod licet per hoc ſacrificium ex opere operato pœna remittatur, at non ſemper tota, ſed pauca quædam pro vniuſcuiuſque deuotione, & diſpoſitione: ille ergo reatus pœnæ, aut pœnarum, quæ remanet poſt prædictũ effectum, ex opere operato remitti etiam poteſt per hoc ſacrificium per modum impetrationis. D. Tho. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. Suarez *cit. diſput.* 79. *ſect.* 6. Vaſquez 3. *p. diſp.* 228. *cap.* 4. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 151. Bonacina *cit. punct.* 3, *num.* 7. & alii. Ratio horum eſt, quia ſacrificium crucis, quatenus erat actus externus offerebatur potiſſimùm in ſatisfactionem pro pœna peccatis noſtris debita: nam meritum, et compenſatio iniuriæ Deo allatæ, per internos actus principaliter fiebant, ergo ſimiliter noſtrum ſacrificium maximè reſpicit ſatisfactionem, cum ſit repræſentatiuum viſibilis, et externæ paſſionis Chriſti.

(D. Tho. Suarez. Vaſq. Reginal. Bonac.)

5. *Valor*, ſeu *fructus Miſſa* triplex eſt. *Primus* dicitur generalis, quem Eccleſia intendit applicari non ſolum omnibus omnino fidelibus viuis & defunctis, verum etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regi, Epiſcopo, et aliis fidelibus, quorum meminit Sacerdos in ſacrificio, ſiue ſint abſentes, ſiue etiam præſentes, quem fructum quiſque recipit maiorem, aut minorem iuxta Chriſti determinationem, intentionem Eccleſiæ, & propriam vniuſcuiuſque cooperationem ad ſacrificium. *Secundus fructus*, ſeu *valor* eſt *ſpecialis*, & eſt proprius ipſius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos non tenetur, nec etiam poteſt ex ſententia multorum Doctorum alteri applicare. *Tertius* eſt medius, quem alij appellant ſpecialem; & hic competit ijs pro quibus Sacerdos intendit ſacrificium ſpecialiter offerre, applicare iuxta praxim Eccleſiæ. Suarez *cit. diſp.* 79. *ſect.* 9. Valentia *tract.* 4. *dub.* 6. *quaſt.* 11. *punct.* 1. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 92. Vaſquez 3. *p. diſp.* 231. *cap.* 7. Miranda *q.* 41. *art.* 4. Azorius 1. *p. lib.* 10. *cap.* 20. *quaſt.* 9. Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. & alii.

(Suar. Valent. Nauarr. Vaſq. Miranda Azorius. Fagund.)

Rurſus triplex eſt ſacrificii miſſæ fructus: *Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius. Meritorius* dicitur; quo celebrans vel Miſsæ aſſiſtens gradum aliquem ſpecialem gratiæ, et gloriæ ſibi promeretur ex vi illius actionis Hic autem fructus eſt perſonalis, et celebranti, aut aſſiſtenti ſpeciali aſſiſtentia tantum cedit. *Impetratorius* fructus eſt; quo alicui bona ſalutaria impetrantur. *Satisfactorius* eſt; quo pœna peccatis debita, virtute huius ſacrificii cõpenſatur: et hi duo fructus poſteriores aliis applicantur iuxta intentionem Sacerdotis, qui pro aliquo, vel aliquibus in Miſsæ orat, vel portionem ſatisfactionum Chriſti in virtute oblationis corporis, & ſanguinis eius certo modo illis applicat.

6. *Valor* ſacrificij quatenus offertur à Sacerdote, non eſt infinitus intenſiuè; quia ſequeretur vno ſacrificio poſſe totum purgatorium exhauriri. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 12. Reginaldus *cit. num.* 152. ſi autem Miſsæ ſacrificium cõſideretur quatenus continet Chriſtum, certum eſt eſse infiniti valoris: *Valor* autem generalis Miſsæ eſt infinitus extenſiuè, id eſt, non tot prodeſt, quin poſſit prodeſse pluribus; quia ſequeretur quo plures ſunt aſtantes in Miſſa diminui valorem Miſsæ, & ſacrificium minus prodeſſe ſingulis, quod non videtur admittendum. *Præterea* ſequeretur Chriſtianos detrimentum pati ex generali applicatione ſacrificii creſcente Chriſtianorum numero, quibus Eccleſia intendit ſacrificium ſecundum ipſius generalem valorem applicari. Vaſquez 3. *p. tract.* 3. *diſp.* 230. *cap.* 3. *num.* 9. Toletus *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 157. Fagundez *cit. cap.* 6. *num.* 8. Bonauentura 4. *diſt.* 45. *art.* 2. *quaſt.* 3.

(Suar. Reginal. — Vaſquez Toletus. Regin. Fagund. Bonau.)

7. *Effectus ſacrificij Miſſa* reſpondens oblationi ſacerdotis, qui medius nuncupatur, vt ſic finitus eſt, et vnus tantum, vnde ſi pro multis offeratur, ſiue diuerſis intentionibus ſpecialibus, ſiue vna tantum communi, vt pro populo, & pro tota cõmunitate, fructus eius minuetur in ſingulis, tantoq. magis, quanto illi plures fuerint, ſuppoſita vniformi applicatione; quia ſi fructus, qui ſpeciali modo competit ſacerdoti, finitus eſt, ergo etiam videtur finitus fructus reſpondens oblationi vt ſic, qui ſpecialiter alteri offertur à ſacerdote: & probatur hoc ex praxi Eccleſiæ, quæ cum ſit interpres inſtitutionis Chriſti, offerre conſueuit multas Miſsas ad eamdem rem obtinendam, & per hoc ſatis indicat valorem Miſsæ finitum eſse. D. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. & *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *quaſtiunc.* 3. *ad* 2. Miranda *q.* 41. *art.* 20 Suarez *cit. ſect.* 12. Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 4. *Tamen* ſi ſpectemus ſacrificiũ quoad impetrationem, præciſo merito & ſatisfactione iã dicta, dicendum erit eſse valoris infiniti, ſecundum ſe, quatenus Deus intuitu ſacrificii poteſt plura, & plura bona concedere, non tam vni, quàm pluribus, cum

(D Tho. Miranda Suar. Bellarm.)

impetratio innitatur ſolùm diuinæ miſericordiæ. Præterea ſi conſideretur fructus, qui reſpondet offerentibus vt offerentes ſunt, dicendum etiam videtur ſacrificium eſſe valoris infiniti ſyncategorematicè & extenſiuè, ita vt non minuatur quatenus cum ſacerdote offerunt, et ſuo modo concurrunt ad oblationem, & ſacrificium.

Coninch. Suarez. Bonac. Filliuc.

Coninch *q.83.art.1.dub.* 10. *num.* 187. Suarez *cit. ſect.* 12. Bonacina *cit. punct.* 4. *num.* 6. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 3. *in fine num.* 91.

8. *Miſſa*, vt ſacrificium eſt, valorem accipit ex opere operato; quia alioquin Miſſæ ſacrificium non differret à ſacrificijs veteris legis, quæ producebant effectū ex opere operantis: ſi tamen Miſſa conſideretur quatenus includit preces orationes, valor Miſsæ reſpondens precibus & orationibus eſt ex opere operantis, quia confertur iuxta merita & diſpoſitionem recipientis.

Tolet. Vaſquez Graffijs. Coninch.

Toletus *lib.* 2. *cap.* 8. Vaſquez 3. *p. d.* 229. *cap.* 2. Graffijs 1. *p. lib.* 2 *cap.* 45. *num.* 9. Coninch *cit. dub.* 7. Vnde hoc ſacrificium prodeſt omnibus fidelibus ex opere operato, vltra illorum meritum, & diſpoſitionem non tamen omnes fideles æqualiter participant fructum ſacrificij, ſed inæqualiter iuxta maiorem diſpoſitionem illius pro quo offertur, et iuxta maiorem, vel minorem cooperationem ad ſacrificium.

Miranda. Valent. Sotus.

Miranda *q.* 41. *art.* 14. Valentia *cit. punct.* 1. §. 25. Sotus 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1.

9. *Fructus ſacrificij Miſſæ* tribuuntur. *Primò* miniſtris offerentibus. *Secundò* aliis fidelibus coopetantibus ad ſacrificium. *Tertiò* toti Eccleſiæ, vt probabile eſt. *Quartò* denique ijs pro quibus ſacrificium offertur, et ipſe quidem Sacerdos duplicem *fructum* refert, præcipuè ſatisfactionis, qui ex opere operato confertur; *alterum* vt publicus miniſter eſt, *alterum* vt priuatus offerens, quem tamen, niſi iuſtus ſit, haud recipit. *Is verò* pro quo offertur, vnum tantùm accipit, ſatisfactionis, quam Sacerdos, vt publicus miniſter eſt, ipſi confert.

Toletus. Filliuc.

Toletus *lib.* 2. *cap.* 7. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 3. *q.* 6. *Demum* priuati offerentes ſatisfactionum ſuarum partem offerre non poſſunt, quia perſonalis eſt, etſi probabile ſit ex charitate poſse ſicut alias ſatisfactiones proprias.

Cordub. Henriq.

Corduba *lib.* 1. *q.* 3. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 7.

10. Ad *fructus Miſſæ* recipiendos habitualis gratia requiritur, et viatoris ſtatus, qui tamen etiam exiſtentibus in purgatorio conuenit, cùm quoad pœnarum remiſſionem adhuc in via cenſeantur eſse; & patet ex vſu Eccleſiæ, quæ pro defunctis offerre conſueuit Miſsæ ſacrificium.

Filliuc. Bellarm. Suarez. Miranda.

Filliucius *cit. cap.* 3. *q.* 8. Bellarmin. *de Miſſ. lib.* 2. *cap.* 6. Suarez *diſp.* 78. *ſect.* 3. Miranda *cit. q.* 41. *art.* 18. *Prohibet* tamen Eccleſia ſacrificium offerre pro excommunicatis; *pro infidelibus* autem & paganis poteſt offerri vt conuertantur; ſicut & *pro Cathecumenis*.

Sà. Coninch.

Sà *v. Miſsa n.* 40. Coninch *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *Notandum* autem eſt, ſacrificium Miſſæ non prodeſse illi, cui applicatus fuit ſacrificii fructus, ſed illi non profuit propter obicem peccati, vel excommunicationis, ſublato obice; quia ſacrificium oblatum pro iuſto tunc temporis non indigente ſatisfactione non ſuſpenditur, nec conſeruatur donec indiguerit, ergo multò minùs ſuſpenditur, vel conſeruatur pro peccatore.

Bonac. Suarez.

Bonacina *cit. punct.* 5. *num.* 5. Suarez *tract.* 3. *diſp.* 79. *ſect.* 10.

Sed petes, quid fiat de fructu ſacrificii, qui nulli applicatur, vel incapaci? Reſp. reponi in theſauro Eccleſiæ, vt proſit fidelibus in communi; quamquam rarus eſt, qui non habeat virtualem intētionem ſibi, vel amicis, quibus deuinctus eſt, fructum illum applicandi: nam vnusquiſq; benè inſtructus cenſetur priùs velle ſatisfacere ſuis obligationibus, quibus tenetur. In praxi tamen tutius eſt, actualiter applicare, ac propterea cùm dubitamus, an is, pro quo offerimus ſit capax, conſultum eſt, vel nobis, vel alteri ſub conditione applicare, quam vocant miſsam ſecundæ, aut tertiæ intentionis, v. g. ſi Paulus capax non eſt, proſit Petro; ſi nec *is*, Ioanni, &c. Vide Suarez hic citatum *diſp.* 79. *ſect.* 10. *in fine*.

Beatis non prodeſt ſacrificium, niſi quatenus per ipsū coluntur & honorantur: Miſsa verò dicitur de aliquo Sancto, vt de S Petro, Paulo, vt inuocetur, colatur, et honoretur ſpecialiter, & ad gaudium quoddam accidentale, quatenus Sanctus gaudet honore, qui in ſui memoriam Deo exhibetur.

Regin. Suar. Henriq. Miranda.

Reginaldus *lib.* 29. *num.* 153. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 79. *ſect.* 10. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 14. *n.* 2. Miranda *quaſt.* 41. *art.* 5. *Similiter* damnatis in inferno exiſtentibus non prodeſt Miſsa, quia in inferno nulla eſt redemptio; vnde non eſt offerenda miſsa pro eo, quē conſtaret mortuum eſse in notorio peccato mortali.

Azor. Bellarm.

Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap.* 22. *q.* 7. Bellarmin. *lib.* 2. *de Miſsa cap.* 6. vnde probabilius eſt, friuolam eſse hiſtoriam de capite mortui, qui Sancto Machario locutus eſt, et de anima Traiani Imperatoris precibus S. Gregorii ex inferno liberata, vt ſentiunt Melchior Canus, Sotus, Bellarminus *lib.* 2. *de purgatorio cap.* 8. Baronius *tom.* 8. quamquam alii defendant tamquam aliquid extraordinarium.

Canus. Sotus. Bellarm. Baron.

Paruulis vero ex hac vita decedentibus cum ſolo peccato originali, ſacrificium Miſsæ etiam non prodeſt, neque etiam ſi decedunt ante rationis vſum poſt baptiſmum, nam ſtatìm euolant in cœlum.

SVPPLEMENTVM.

MISSA I.

An ſit ſacrificium, & quando inſtitutum, & pro quibus offerendum.

SVMMARIVM.

1 *An miſſa ſit ſacrificium? & quid ſit ſacrificium? & vt differat ab alijs oblationibus.*
2 *An vnum idemque ſit ſacrificium quod in miſsa offertur, atque illud, quod eſt olim in cruce immolatum.*
3 *An de fide ſit miſsam eſse inſtitutam à Chriſto, quoad ea quæ ſunt de ſubſtantia ſacrificij?*
4 *Quibus figuris ſignificatum, & quibus oraculis prophetarum vaticinatum in lege veteri miſsæ ſacrificium fuit.*
5 *An in miſsæ ſacrificio prius conſecretur panis, quàm vinum.*
6 *An vnum ſit ſacrificium miſsæ.*
7 *An ſicut Papa poteſt diſpenſare ex cauſa vrgenti, vt in altera tantùm ſpecie conſecretur, poſſit etiam diſpenſare vt miſsæ ſacrificium celebretur in conſecratione aqua loco uini.*
8 *An Sacerdos teneatur ſumere hoſtiam à ſe in miſsa conſecratam? & an poſſit celebrare cum minori hoſtia, ſi non habeat maiorem?*
9 *Quæ ſit res oblata in ſacrificio miſſæ.*
10 *Quæ ſit dignitas ſacrificij miſſæ.*
11 *An Sacerdos celebrans, & alij fideles poſſint pro ſe, & pro alijs ſacrificium offerre?*
12 *An hoc ſacrificium miſſæ debeat offerri pro vniuerſa Eccleſia militante? & poſſit pro Cathecumenis, pro infidelibus, pro excommunicatis non toleratis.*
13 *An pro excommunicato uitando ſacrificium offerre liceat, ſi pœniteat & per illum non ſtet, quin abſoluatur?* Refertur triplex ſententia.
14 *An miſſæ ſacrificium poſſit offerri pro animabus purgatorij, & illis proſit?*
15 *An pro Beatis, & Damnatis?*

1 MIſsa ſecundùm propriam rationem formalem eſt ſacrificium, vt habetur ex doctrina Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. & *can.* 1. Tum quia in miſsa continentur illa tria, quæ pertinent ad eſsentiam ſacrificii: videlicet, conſecratio, oblatio, et conſumptio. Cōc. T Tum quia lex naturalis dictat, dandum eſse aliquod ſacrificiū in Eccleſia, in quo Chriſtiani conueniant ad colendum, & placendum Deum. Non poteſt autem aliud aſſignari in ipſa Eccleſia præter miſsam, in qua repræſentatur ſacrificium illud cruentum, quo Chriſtus ſeipſum in ara crucis Deo Patri obtulit, moriendo pro nobis: et hæc eſt oblatio munda, quæ in omni loco ſacrificatur, et offertur ipſi Deo, iuxta teſtimonium Malachiæ *cap.* 1.

Ita

Ita communiter Doctores.

Sacrificium autem in communi, ita poteſt definiri.

Sacrificium eſt *oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei oblatæ in ſignum diuinæ excellentiæ legitimè inſtitutum.* Dicitur *oblatio*, pro genere: omne enim ſacrificium eſt in genere oblationis. Dicitur, *per immutationem alicuius*, nam in veteri teſtamento ſacrificii nomine ea propriè intelligebantur, in quibus res aliquæ immolabantur, & in Dei honorem immutabantur, ideò, propriè loquendo, ſacrificium intelligitur externa, & ſenſibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, & legitimo & ſolemni ritu à publico miniſtro in honorem ipſius Dei aliquo modo immutatur. Dicitur, *in ſignum diuinæ excellentiæ*, quia hæc eſt formalis ratio ſacrificij.

D. Tho. Differt autem ſacrificium ab aliis oblationibus, quæ Dei cauſa fiunt, vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. *& quæſt.* 85. *art.* 3. *ad* 3. quia ſacrificii materia aliquid in ſe patitur, ac proinde aliqua ſui mutatione ſacratur: aliarum vero oblationum materia nullam ſui mutationem patitur, ſed tantùm adhibitis ſub certa quadam præſcripta forma, verbis, precibus, ritibus, ac cæremoniis, Sacerdotis miniſterio conſecratur, vt rami oliuarum, palmarum, fructus arborum, panis, vinum, oleum, et quæ talia ſunt. Quo fit, vt ſacrificium ab oblatione diſtinguatur: hæc enim, tamquam genus, latiùs patet, quàm ſacrificium; nam omne ſacrificium eſt oblatio, non contra. Sylvius. Ita cum *D. Thoma* Syluius 2. 2. *quæſt.* 85. *vbi de ſacrificio.*

2. An autem vnum idemque ſit ſacrificiũ, quod quotidie in miſſa offertur, atque illud, quod eſt olim in cruce immolatum? Concil. Trid. Dicendum eſt ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap* 2. quod, *vna eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerẽdi ratione diuerſa.* Ex quibus infertur in miſſæ ſacrificio, & eſſe hoſtiam, quæ Deo offertur; et eum qui offert et actionem, qua hoſtia offertur à Sacerdote. Concilium docet Hoſtiam eſſe eandem, quia eſt corpus Domini. Offerentem principalem eſſe eundem, eo quod idem Chriſtus, qui tunc in cruce ſe obtulit, nunc quoque quotidie Patri ſe offert, eo quòd ipſius Chriſti Domini iuſſu, inſtitutione, authoritate, et nomine quotidie Sacerdotes offerant. Ipſe igitur eſt principalis Sacerdos, cæteri Sacerdotes veri ſunt ipſius miniſtri ad ſacrificium faciendum et offerendum, Eccleſiæ authoritate conſecrati, & poteſtate præditi. Actio vero inſtrumenti et miniſtri eſt eadem, quæ cauſæ principalis; ac proinde oblatio Sacerdotalis eadem eſt, quæ Chriſti ſe quotidiè incruentè per ſuos Sacerdotes Patri offerentis: Sed non eſt eadem, quæ fuit facta olim in cruce: nam oblatio in cruce, fuit facta ſemel, et in hac altera incruenta quotidie replicatur. In Cruce Chriſtus ſe ipſum reuera obtulit, nunc vero in Miſsæ ſacrificio non ſe per ipſum offert, ſed per Sacerdotes: quia ipſe Sacerdotes inſtituit Apoſtolos, et iuſſit ipſos, et ipſorum ſucceſſores ſacrificium facere et offerre. Syluius. Suarez. Filliuc. Ita Syluius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *quæſit.* 5. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 76. Filliucius *tract.* 5. *num.* 26. et alii communiter Theologi.

3. De fide eſt Miſſam eſſe inſtitutam à Chriſto, quoad ea quæ ſunt de ſubſtãtia ſacrificii. Prob. quia Chriſtus in vltima cœna obtulit hoc ſacrificiũ, et tulit legem de illo, vt perpetuò in Eccleſia perduraret, et congruè? quia ad Chriſtum, vt nouæ legis auctorem pertinebat ſubſtantialia inſtituere, cuiuſmodi eſt ſacrificium, ſicut et Sacerdotium; nam hæc duo neceſſario ſunt connexa, et de ſacerdotio ait D. Paulus transferri ſimul cum lege, aut ipſo translato, neceſſe eſt legem etiam tranſferri: quia Chriſtus abrogando legem veterem, eius ſacrificia abſtulit, ergo è contrario ſtabiliendo legem nouam, eius ſacrificium inſtituit. Miſſa autem quoad totam actionem vt includit omnes cæremonias eſt inſtituta ab Eccleſia Nã Canon Miſſæ non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, et eorum ſucceſſoribus traditus eſt, et compoſitus, vt Concil. Trid. Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 4. *&* 5. dicit, et idem eſt certum de aliis cæremonijs, et collectis, vt colligi poteſt ex S. Clemente, et aliis D. Iſid. Pontificibus, et ex Iſidoro *lib.* 2. *de officijs*, vbi dicit, ordinem Miſſæ, et orationum à S. Petro eſſe inſtitutum. Licet Apoſtolorum tempore paucæ cæremoniæ, et orationes adiunctæ ſint oblationi huius ſacrificij, quæ poſtea ſucceſſu temporis ab Eccleſia additæ ſunt. De qua re plura apud Suarez *tom.* 3. *diſp.* 74. *ſect.* 3. et alios. Suarez.

4. Miſſæ ſacrificium olim in lege veteri non vna, ſed pluribus figuris ſignificatum fuit propter illius excellentiam; res enim quæ vno nomine, ac vocabulo propter ſuã excellentiam ſignificari non poteſt, conuenientiſſimè multis Symbolis, nominibus & figuris declaratur, & ſic ſignificatum fuit in ſacrificio Melchiſedech *Geneſ.* 14. qui panem & vinum Deo obtulit in ſacrificium pro victoria Abrahã, et in Liturgia D. Iacobi oratur ſuſcipi hoc miſſæ ſacrificium ea deuotione, qua obtulit Abel, Noe, Aaron, Samuel, ac reliquorum Sanctorum ſacrificia, quia illorum ſacrificia fuerunt figuræ iſtius: *Omnia enim in figuris contingebant illis*, vt ait Apoſtol. 1. Cor. 10. Et quia in multis rebus fuit figuratum hoc diuinum Miſſæ ſacrificium, ideo dicit Concilium Triden. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *in fine.* Concil. Trid. Hanc oblationem eſſe, *quæ per varias ſacrificiorum, naturæ & legis tempore, ſimilitudines figurabatur; vtpote quæ bona omnia, per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio, & perfectio complectitur.* Nec fuit ſolum in ſacris literis figuratum hoc diuinum ſacrificium Miſſæ, ſed etiam vaticinatum multis Prophetarum oraculis, vt nemo de illius veritate dubitaret, qui Chriſtiano nomine gloriaretur. Vnde Propheta regius Pſal. 110. præclaro vaticinio ſacrificium hoc ſacrificium ſacrificiorũ, memoratiuumque ac completiuum omnium figurarum appellat, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors ac miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Præcipuè verò prænunciatum fuit hoc diuinæ Miſſæ ſacrificium perilluſtri vaticinio Malach. 1. *A Solis ortu vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quem locum intelligit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de ſacrificio Miſſæ*, et ita Concil. Trid. intelligunt antiqui, et noui Doctores. Contra Hæreticos, qui volunt hunc locum non intelligi de Miſſæ ſacrificio, ſed de prædicatione Euangelii, & de gentium conuerſione in omni loco, et de precibus, quæ fundendæ erũt apud Deum poſt illarum conuerſionem. Sed contra hoc opponitur Tridentinum *loco cit.* quod de ſolo ſacrificio Miſſæ hoc vaticinium, et intelligit, et intelligendum prædicat, dicens, *Et hac quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Ita Concilium.

5. Quorumdam antiquiſſimorum Theologorum, ſententia fuit, non priùs in Miſſa conſecrari panem, quàm vinum, vt colligitur ex epiſtola D. Bernardi 69. ad Guidonem Abbatem D. Bern. ratio ipſorum erat, quia Miſſæ ſacrificium eſt vnum: ergo etiam vna forma illius eſſe debet; ergo illa verba quibus panis conſecratur, non ſunt tota forma ſacrificii, ſed pars illius; ergo effectum ponendi Chriſtum in hoſtia conſecrata minimè ſortiuntur, quoad vſq. tota forma exiſtat conſecrato vino. Hæc autem antiquorum opinio, nec tuta, nec vera eſt, & ideò communiter à Doctoribus reprobatur, et ideò dicendum eſt verba conſecrationis panis ſtatim ſortiri ſuum effectum, & ponere vinum Chriſtum totum, non mutilum, cum ſanguine et oſſibus in hoſtia conſecrata, ante conſecrationem vini. Probatur, quia ſtatim, atque panis ſpecies eſt conſecrata, in altum tollitur, quam totus populus ſupplex veneratur, & colit; quod nequaquam fieri liceret, ſi in panis ſpecie nondum Chriſti corpus exiſteret. Præterea verba Sacerdotis faciunt, quod ſignificant, ergo ſtatim atque Sacerdos dicit, *Hoc eſt corpus meum*, panis in Chriſti corpus cõuertitur: neque horum verborum effectus in aliud tempus differtur, cùm ea ſtatim ſignificationem habeant. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 78. *art.* 6. Syluius & alii commentatores *ibid.* D. Bernardus *in citata epiſt.* 69. Innocentius *lib.* 4. *de offic. Miſſæ c.ap.* 17. et communiter Doctores *in* 4. *diſt.* 8. D. Tho. Syluius. D. Bern. Innoc.

Ad argumentum contrariæ opinionis dic, vnum eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, et vnum Miſſæ ſacrificium,

conſtare tamen duabus partibus, et duobus ſignis, videlicet conſecratione panis, & conſecratione vini; ac proinde ſicut quælibet pars ſeorſim per ſe ſuum ſignificatum habet, ita etiam ſuum effectum, vt in ſequenti reſolutione dicetur.

6. Conſtans eſt Theologorum opinio, vnum dumtaxat Miſsæ ſacrificium eſse. Ratio eſt, quia vna tantum eſt hoſtia, quæ immolatur & offertur; vnus finis, in quē totum ſacrificium dirigitur: vnus denique ſacrificii effectus. Nec refert, quod vna, duabusve conſecrationibus ſacrificium conſtet: quia ſicut duæ conſecrationes panis & vini, vnum ſacramentum conſtituunt, tamquam vnum quoddam diuinum epulum, atque conuiuium, quo anima ſpiritualiter reficitur, vt diximus *tom. 1. verb. Eucharistia 1. num. 5.* Sic etiam tamquam duæ partes in vnum ſacrificium conueniunt, quod in cibo, ac potu ſpirituali conſiſtens Deo quotidie immolatur. D. Aug. Ita D. Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. cap. 20. & lib. 17. cap. 20. & lib. 3. de Baptiſmo cap. vlt. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. & cap. 22.* ait, vnum eſse Chriſtianorum ſacrificium, quod eſt Miſsa. Sylu. Syluius *3. p. q. 83. art. 1. quæſ. 4.*

Sed petes, an ſaltem ſacrificium Miſsę vnum ſit dicendum, vel plura, tot ſcilicet, quot ſunt Sacerdotes ſacrificantes? Reſp. eſse vnum ſacrificium Miſsæ, non plura, nec multiplicari ſacrificia ad numerum Sacerdotum Miſsas celebrantium. Nam cum in omnibus Miſſis idem Chriſtus ſemper offeratur formaliter loquendo, vnum eſt ſacrificium Miſsæ in omnibus quod repetitur, & replicatur per multos Sacerdotes, ſicut ſi idem homo poneretur diuina virtute in diuerſis locis, nō eſsent plures homines, ſed idem, quamuis materialiter, ſeu potius vulgariter loquendo, plura ſacrificia & plures homines dicantur: et ideo Sancti Patres Græci, & Latini vnum ſacrificium D. Chryſoſt. ſemper appellant, non plura, vt D. Chryſoſtomus *homil. 17. in epiſt. ad Hebræos cap. 8.* D. Greg. Gregorius *hom. 37. in Euāgel.* D. Aug. Auguſtinus *lib. 20. contra Fauſtum cap. 18.* D. Amb. Ambroſius *ad Hebræos cap. 9.* & alii multi.

7. Poſita probabilitate ſententiæ aſserentis poſse Sūmum Pontificem ob publicam, et vrgentem neceſſitatem, & iuſtam cauſam diſpenſare, vt in altera tantum ſpecie panis, vel vini ſacrificium, & ſacramentum fiat verum & proprium, vt inſinuauimus *tom. 1. verb. Eucharistia 1. n. 10.* Tamen non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, vt Miſsæ ſacrificium celebretur in conſecratione aquæ loco vini. Ratio enim eſt diuerſa, quia in primo caſu ſolum diſpenſantur ex cauſa in præcepto diuino de integritate ſacrificii ſub vtraque ſpecie celebrandi; at in ſecundo ſacrificiū materia mutatur, quod facere Eccleſia non poteſt. Sicut enim non poteſt Summus Pontifex mutare materiam ſacramentorum, ita nec videtur poſse mutare materiam ſacrificii Miſsæ, quia id eſset deſtruere eſsentiam ſacrificii, ſicut etiam erit deſtruere eſsentiā ſacramentorum. Hoc autem Eccleſia facere non poteſt. Azorius. Ita Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 19. q. 2. verſ. Tertium.* Et Armilla. fortaſse hoc eſt, quod Armilla *verb. Eucharistia n. 10.* & Tabiena Tabina *eod. verb. Eucharistia 1. n. 20.* dicere voluerunt, quando dixerunt coram Alexandro VI. fuiſse diſputatum an Summ. Pontifex poſset diſpenſare vt in vna tantum ſpecie panis ſacrificium Miſsæ peragi poſset, & reſolutū fuiſse non poſse in ſolo pane ſine vino, hoc eſt, in ſola conſecratione panis & aquæ loco vini, vt aduertit Azo- Amicus, rius *loco cit.* De his vide Amicum *tom. 7. diſp. 16. ſect. 9. n.* Fagund. *158.* Fagundez *de præc. 1. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 15.* Diana. Dianam *par. 8. tract. 1. reſ. 23.* & alios penes ipſos.

8. Iure diuino tenetur Sacerdos ſumere corpus Domini conſecratum; non tamen opus eſt ſecundum quoſdam vt conſumat corpus Domini à ſe cōſecratum, multi enim Sacerdotes dum renouant Euchariſtiam conſumunt hoſtiam ab alio præconſecratam & eam, quam conſecrant, reponunt in ſacrario, et id licitè efficiunt, & fit vnum, & integrum ſacrificium, verum & propriū: quamuis enim eſsentia ſacrificii conſiſtat in conſecratione & conſumptione; tamen nō conſiſtit in conſecratione & conſumptione eiuſdem Sacerdotis, et eiuſdem hoſtiæ à ſe conſecratæ, ſed in conſecratione & conſumptione eiuſdem ſacrificii, in quo datur noua conſecratio panis & vini. Et ideo Eccleſia ſempr r ſollicitè curauit, vt Sacerdos ſacrificans ſuſcipiat, ac conſumat ſpecies, non tamen decreuit, vt ſemper ſint eædem, quas conſecrauit. Vt docent Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 9. n. 2.* Fagundez *de præc. 1. Eccl. lib. 3. cap. 4. n. 26.* & conſtat *in cap. Relatum, ex cap. comperimus, de conſecr. diſt. 2.* Henriq. Fagund. verum hanc ſententiam nullo modo probabilem eſse putat Ioannes Præpoſitus Præpoſ. *in 3. p. q. 83. art. 1. dub. 7. num. 50.* dicens, Sacerdotem celebrantem neceſſario debere ſumere hoſtiam, quam in eo ſacro conſecrauit, ſiue etiam aliam ſumat, ſiue non, quia ſumptione ſola Hoſtiæ in eo ſacro conſecratæ oſtendit ſe illi ſacrificio conſentire, nullo vero modo ſumendo hoſtiā præconſecratā quæ impertinenter ſe habet ad hoc ſacrificium. Adde quod cum iuxta Henriquez ſit pars eſsentialis ſacrificii ſumptio; talis nullo modo dici poteſt ſacrificare, quia nō cuiusvis hoſtiæ ſumptio pertinet ad quodlibet ſacrificium, ſed ſumptio hoſtiæ in eodem ſacro conſecratæ, hæc enim ſola ab illo ſacrificio reſpicitur: ad id quod dicit de quorundam Paſtorum praxi, inde non poteſt ſumi argumentum, cum procedat ex ignorantia, ſitq. omnino corrigenda. Vnde ſi quando Paſtores velint renouare hoſtiam, quæ eſt in remonſtrantia, debent duas hoſtias conſecrare, et vnam illarum ſumere, ſimiliter ſanguinem. deinde ſumere antiquam ante ablutionē. Et hanc ſententiam ſupponit eſse veram Syluius *in 3. p. q. 82.* Syluius. *art. 4. & q. 83. art. 1. quæſt. 2. concl. 4. ad ſeptimum argum.* Fauſtus, Fauſtus *de Sacram. Euchar. lib. 2. q. 29.* Gamachæus *in 3.* Gamachæus. *par. poſt quæſt. 79. in tract. de ſacrific. Miſſæ cap. 5.* et nouiſſimè Card. Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 19. ſect. 5.* Lugo. *num. 76.* qui neruosè hanc ſententiam docet, aſserens Henriquez, & Fagundez in hac quæſtione parum Theologicè loquutos fuiſse.

Ob eandem rationem, quando parochus nullam habens maiorem hoſtiam, minorem conſecrauet, ſi vereatur populi ſcandalum aliquod, aut murmur in oſtentatione, et eleuatione minoris Hoſtiæ, poteſt in eleuatione Sacramenti alteram quamdam maiorem Hoſtiam, quæ aſseruatur in pixide, vt exponeretur in diem ſolemni populo, oſtentare, modò illi Hoſtiæ altera parua conſecrata in illo ſacrificio ſit iuncta. Ratio eſt, quia in Miſſa debet populo exhiberi adoranda Hoſtia in ea conſecrata & oblata. Sic enim ſatisfiet cæremoniæ huic ſacræ, qua hoſtia ſacrificiū populo ad adorandum exhibenda præcipitur. Ita Iacobus Marchantius *in reſolutionibus paſtoral. tract. 4. cap. 5. q. 3. verſ. caſus.* Iac Marchant. Qui inibi idem Auctor docet in caſu neceſſitatis, ſi maior Hoſtia haberi non poſſit, licere adhibere vnam ex minoribus in Miſſa priuata & ſecreta, cùm non inueniatur pręceptum in contrarium, et gratius ſit Deo ſic celebrare, quàm abſtinere à ſacrificio, licèt nō ſit feſtus dies. Imo vrgente cauſa publicè id fieri nihil vetaret, monitis prius adſtantibus, ne ſcandalum ſequatur. Et hanc ſententiam approbat Diana *par. 5. tract. 13 reſ. 80. & par. 6. tract. 7. reſ. 17.* Diana.

9. Res oblata in ſacrificio Miſſę principaliter eſt Chriſtus Dominus, ſiue corpus & ſanguis eius, non vt in propria ſpecie, ſed vt ſub ſpeciebus panis, & vini exiſtentia. Panis autem et vinum pertinent ad rem quæ ſacrificatur, ac proinde ad ſacrificium, non vt ea quæ principaliter Deo ſacrificantur; ſed vt materia tranſiens ex qua corpus & ſanguis Domini conſecrantur. Prob. quia Chriſtus ſeipſum obtulit tum in cœna, tum in cruce. Atqui Sacerdotes id offerent in ſacrificio, quod Chriſtus obtulit in cœna, vt conſtat ex eo quod eadem, eſt Hoſtia ſacrificii incruenti, quæ cruenti, ergo. Proinde Concil. Trid. *ſeſſ.* Côc. Tr. *22. c. 2. In hoc ſacrificio idem ille Chriſtus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit.* Et c. 1. *Nouum inſtituit paſcha, ſeipſum ab Eccleſia, per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum.* Ita communiter Doctores. Panis et vinum offeruntur in hoc ſacrificio, etiam tamquam materia ex qua conficitur ſacrificium: quia conſtat ex locutionibus Eccleſiæ & Sanctorum, panem et vinum hic aliquo modo offerri, ſed non offeruntur tantùm quoad accidens, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ergo quoad vtrumque pertinent ad rem oblatam, ſed ſecundùm ſubſtantiam non ſunt res oblata, tamquam manens in termino ſacrificationis, ergo vt materia tranſiens. Ita Suarez *in 3. part. tom. 3.* Suarez. *diſp. 75. ſect. 1.* Syluius *3. p. q. 83. art. 1. quæſt. 7.* & alii. Sylu.

10. Miſ-

Digitized by Google

10. Miſſæ ſacrificium habet maximam dignitatem, & excellentiam, tum ratione rei oblatæ, quæ eſt infinitæ dignitatis; tum ratione modi offerendi in ſe, qui eſt maximè ſupernaturalis, ac diuinus: tum ratione ſignificati, eſt enim expreſſa quædam & viua imago paſſionis Chriſti & conſequenter Incarnationis & aliorum Chriſti myſteriorum. Tum denique ex virtutis honeſtate, cùm ſit ſacrificium honerarium, ſiue holocauſtum gratiarum actionis & laudis, propitiatorium & impetratorium. Vt tradit Concilium Trident. *ſeſs.22.cap.2.* Et hoc ſacrificium non minus dignitatis habet, quam ſacrificium cœnæ, cùm ſint eiuſdem rationis & conſequenter eiuſdem eſſentialis perfectionis, quamuis in accidentali aliquo modo differant, vt diximus *ſupra verb. Miſſa 1.num.7.* Item habet æqualem dignitatem cum ſacrificio cruento crucis, cùm idem in vtroque ſit principalis offerens, eademque res oblata. Item omnia ſacramenta à ſe realiter diſtincta, & omnia ſimul ſacrificia antiqua ſuperat in dignitate, tum in principali offerente & re oblata, tum in modo offerendi; tum denique in efficacia ex opere operato & in valore ad impetrandum propter realem Chriſti præſentiam & oblationem. Ita Suarez *tom. 3. diſp. 76.ſect. 2.* Filliucius *tract. 5. num.29.*

Con. Tr.

Suarez. Filliuc.

11. Sacerdos celebrans poteſt offerre ſacrificium pro ſe ipſo ſacrificante: nam cùm quilibet Sacerdos egeat impetratione & propitiatione, poteſt, & debet pro ſe ipſo offerre ſacrificium, & tunc duplicem habebit effectum ſacrificij; vnum vt agens, quia vt ſic proximè & immediatè participat effectum ſacrificii. Alterum, vt recipiens fructum oblationis. Iuxta dictum Apoſtol. ad Hebræos 5. *Propterea quemadmodum pro populo, ita & pro ſeipſo offerre debet ſacrificium pro peccatis; quia & ipſe circumdatus eſt infirmitate.*

Principalis tamen offerrens, qualis eſt Chriſtus non poteſt pro ſeipſo offerre ſacrificium, mediante Sacerdote offerente, *quia non habet vllam neceſſitatem, quemadmodum Sacerdotes.* Alii autem fideles, qui ſunt cooperatores ſacrificij Miſſæ poſſunt etiam ſuo modo pro ſeipſis offerre ſacrificium mediante Sacerdote offerente, quia etiam ipſi poſſunt egere impetratione, & propitiatione.

Item iuxta vſum Eccleſiæ poteſt & debet Sacerdos pro aliis hoc ſacrificium offerre: quia hoc eſt intrinſecè annexum muneri ſacerdotali vt pro aliis intercedat, *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum.* Ad Hebr.5. id eſt vt eorum cauſam agat apud Deum, eorumque ſit interpres & conciliator in iis quæ ſunt apud Deum agenda. Hæc eſt enim differentia Euchariſtiæ, quòd vt ſacramentum proſit ſoli ſumenti, vt ſacrificium, etiam aliis, iuxta illud Matth. 26, *qui pro vobis* ſcilicet ſumentibus; *& pro multis,* ſcilicet aliis, *effunditur.*

Denique non ſolùm Sacerdos, ſed quilibet alius non Sacerdos offerens poteſt pro alio ſacrificium offerre, eo modo quoad ipſum ſpectat: poteſt enim quilibet generaliter quæcumque opera pietatis alteri applicare, ſicut orare, & impetrare pro ipſis, ergo & ſacrificium impetratorium offerre. Ita Suarez *tom. 3. diſp.78.ſect.1.* Syluius *3. part.q.83.art.1.quæſit.7.* Filliucius *tract. 5.cap. 6.q.5. & 6.* & alii.

Suarez. Syluius. Filliuc.

12. Hoc ſacrificium debet offerri pro vniuerſa Eccleſia militante, & pro omnibus membris illi colligatis, id eſt, pro baptizatis viuentibus qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationē ſunt ab ea eiuſque communicatione ſeiuncti. Vt patet *ex cap. uiſum, de conſecrat. diſt. 1.* vbi habetur, *Nulla dies excipitur, in qua non pro uiuentibus Dominum deprecetur.* Et Concil. Trident. *ſeſſ.22.cap.2.& can.3.* Patet etiam ex Canone ipſius Miſſæ, vbi dicitur, *In primis pro Eccleſia tua Sancta,* &c.

Con. Tr.

Poteſt etiam offerri hoc ſacrificium pro Catechumenis fidelibus nondum baptizatis, ſunt enim vniti Eccleſiæ per fidem, licet non ſint per Baptiſmum regenerati. Huiuſmodi tamen oblatio non prodeſt illis quoad fructum ſatisfactionis ex opere operato, cum talis fructus ſint incapaces, ſed tantùm, illis prodeſt quoad fructum impetrationis, vt ſcilicet Deus inſpiret illius deſiderium regenerationis, & conuerſionis. Proinde pro Catechumenis, qui dicuntur competentes & Baptiſmum petunt & in merito æquales ſunt Chriſtianis, & per illos non ſtat quin Baptiſmum ſuſcipiant, ſi ante Baptiſmum moriantur, licitè poſſunt miſſarum officia & ſacrificia fieri & offerri. Prob. quia, vt ſupponitur, decedunt in charitate ergo Baptiſmum flaminis conſequenter habent, quamobrem non decedunt abſolutè extra Eccleſiam. Pro Catechumenis autem qui incompetentes dicuntur, vt ſunt illi, qui ex mera negligentia ſua & culpa graui non petunt Baptiſmum, ſi abſque Baptiſmo decedant, prohibet Eccleſia offerri Miſſas, quia præſumuntur deceſſiſſe in peccato mortali, ſicut prohibet offerri pro Chriſtianis qui decedunt in publico & notorio concubinatu, niſi ſigna pœnitentiæ præceſſerint. Ita Suarez *diſp.78.ſect.2.* Fagundez *de præcept.1.Eccleſ.lib.3.cap.12.n.28.29.& 30.* Henriquez *lib.9.de Miſſa cap.15.num.5.* Syluius *loco citato q.83. art.1.q.8.* & alii apud ipſos.

Suarez. Fagund. Henriq. sylu.

Item poteſt offerri hoc ſacrificium pro quibuſcumque infidelibus, quatenus eſt impetratorium, dummodo per Eccleſiam excommunicati non ſint. Prob. tum ex vſu veteris legis, in qua offerebantur ſacrificia pro gentibus, vt pro Dario 1. *Eſdr.6.* pro Spartiatis 1. *Machab.* 12. pro Heliodoro, &c. Tum vſu notæ apud Clement. 8. *Conſtitut. cap.* 18. Vt pro Regibus & exercitibus eorum, qui tunc infideles erant; tum ratione, quia ſacrificium crucis eſt oblatum pro omnibus etiam infidelibus: proinde hoc etiam poterit offerri pro illis, cùm ſit eiuſdem ſufficientiæ. Pro infidelibus autem maiore excommunicatione ligatis non toleratis offerre non licet, publicam perſonam agendo, quia id eſt prohibitum in iure *c. Sacris de ſentent. excom.* Hic enim eſt vnus effectus excommunicationis priuare excommunicatum participatione ſuffragiorum communium. Tamen poteſt Sacerdos in memento Miſſæ orare pro eis priuata oratione & intentione, cùm nulla ab Eccleſia ſit facta prohibitio. Ita Suarez *tom.3. diſputatio 78.ſect.2. per totam* Bellarminus *lib. 2. de Miſſa c.6. §. ſed quæret aliquis.* Fagundez *de præcept.1.Eccleſ.lib.3.cap.12.num.21.& 2.* Syluius *3. quæſt. 83. art. 1. quæſit. 8. & 9.* Nauarrus *in Man.cap 27. num. 18. & 36.* & eſt communis. Quare ſi excommunicati ſint vitandi iuxta Extrauag. Martini V. nullius ipſorum nomen publicè debet exprimi, adeò vt ſi rex vel Epiſcopus eſſet nominatim denunciatus excommunicatus, nominandus non eſſet, neque in Canone, neque in aliis Eccleſiæ publicis precibus; vt ſic confundantur & confuſi corrigantur. Si tamen non ſint excommunicati denunciati, licitè pro ei ſacrificia offerre poſſumus, & cum eis communicare, tam in diuinis, quàm in humanis, cùm in nullo teneamur illos vitare, poſt Extrauagant. *dict. Ad euitanda.* Ita docent hodie communiter Doctores, apud Dian. *part. 5. tract. 9. reſol.74.*

Suarez. Bellarm. Fagund. sylui. Nauar.

Diana.

13. Difficultas eſt inter Doctores, an ſi excommunicatus vitandus ſit in gratia, & verè pœniteat, & nondum ſit abſolutus, nec per eum, aut culpa illius fiat quod non abſoluatur, liceat pro eo offerre ſacrificia, communia Eccleſiæ ſuffragia: Tres ſunt hac de re opiniones: Prima docet, non licere & peccatum mortale eſſe, ea pro illis offerre, ſed ſacrificia oblata eis prodeſſe & fructuoſa eſſe ad remiſſionem pœnarum, quæ pro peccatis debentur, & ad augmentum nouæ gratiæ. Ratio huius opinionis eſt, quia ſicut peccat mortaliter ipſe Sacerdos nominatim denunciatus, ſi celebret pro non excommunicatis, & eis prodeſt ſacrificium ipſum quòd pro illis offert, ita prodeſt etiam ſacrificium Miſſæ applicatum à Sacerdote non excommunicato pro excommunicato verè pœnitenti emendato, & per quem non ſtat quo minus abſoluatur licet ipſe Sacerdos peccet mortaliter, quia violat prohibitionem Eccleſiæ in materia graui, applicando Miſſas & ſuffragia communia Eccleſiæ. Ita *Ledeſma, Henriquez, Richardus, D. Antoninus,* apud Azorium *par. 1. lib. 10. cap. 22. quæſit. 3. verſ. Sed contra aly.* Et apud Fagundez *de præcept.1 Eccleſ. lib. 3. cap. 12. num. 4.* Hæc ſententia eſt probabilis.

Azorius.

Fagund.

Secunda opinio ſuſtinet huiuſmodi excommunicatos verè pœnitentes, & per quos nō ſtat quominus abſoluantur participes eſſe cōmunium Eccleſiæ ſuffragiorum & licitum eſſe, ſecluſo ſcandalo pro eis ſacrificia offerre,

mo-

Digitized by Google

modo id non fiat publicè, nominando illos in ipſis Miſſis, ſed decreto & in intentione, propter ſcandalum. Ratio eſt quia cum in noſtro caſu ipſe excommunicatus per pœnitentiam innocens ſit, non eſt credendum velle Eccleſiam illum priuare ſuffragiis communibus, quibus intendit fauere, & non nocere innocentibus filiis. Ita Nauarr. *in Man.cap.*27.*num.*18. & 36. & poſt illum Fagundez *num.* 6. *loco cit.* & alij apud ipſos. Et hæc opinio eſt probabilis.

Nauarr. Fagund.

Tertia ſententia docet eſſe peccatum mortale Miſſæ ſacrificium & communia Eccleſiæ ſuffragia pro talibus verè pœnitentibus offerre, & eis non prodeſſe, ſi pro illis de facto offerantur: quia cenſura manens habet ſemper ſuum effectum, nam pœnitentia contumaciæ quidem culpam deleuit, excommunicationis tamen vinculum ab Eccleſia iniectum non ſuſtulit: & quia alioqui non eſt neceſſaria abſolutio à cenſura poſt peractam pęnitentiam. Et hęc mihi magis placet vt probabilior, quam tenent Sotus *in* 4. *diſt.*22.*q.*1.*art.*1. huius opinionis primus Auctor, quem ſequuntur *Suar. Filliuc. Laym. Turrian. Vaſq. ConinK, Prepoſit. Hurtad. Mercer.* apud Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *reſ.*75.76. & 77. apud quem plura.

Sotus. Dian.

14. Hæretici noſtri temporis omnes neruos cõtendunt vt defunctos apud ignem purgatorium exiſtẽtes, tam piis ſuffragiis priuent, & ideò omnes ſacrificia pro defunctis maximè deteſtantur; Concors tamen omnium Patrum, Conciliorum & Theologorum doctrina eſt, & certiſſima de fide ſententia, hoc ſacrificium Miſſæ poſſe offerri, etiam vt impetratorium, pro animabus purgatorii, & illis prodeſſe quoad pœnas, quæ per oblationem huius ſacrificij remitti poſſunt.

Probatur *Primò*, ex Teſtamenti veteris conſuetudine & ex ipſa Scripturæ auctoritate. Nam Iudas Machabæus iuſſit offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum: & Scriptura 2. *Machab.* 12. hoc factum laudans apertè dicit, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur.*

Probatur *Secundò*, ex conſuetudine Catholicæ Eccleſiæ vniuerſæ. Nam Eccleſia vniuerſa in ſacrificio Miſſæ pro defunctis orat, vt patet omnibus Liturgiis, & Conciliis omnium Prouinciarum, in quibus fit mentio ſacrificij pro defunctis tanquam recepti & vſitati.

Probatur *Tertiò*, ex Apoſtolica traditione. Conſtat enim hunc ritum ſacrificandi pro peccatis mortuorum ab Apoſtolis ad nos manaſſe. Nam in nullo Concilio inſtitutum, ſed ſemper ſeruatum fuiſſe, patet ex teſtimoniis antiquiſſimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præceſſerunt, vbi fit mentio de ſacrificiis pro defunctis.

Con. Tr.

Probatur *Quartò*, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*22. *Canon.* 3. vbi de fide definit Purgatorium eſſe, & animas ibi detentas piis Eccleſiæ ſuffragiis et Miſſarum iuuari, docens; *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti: neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit*, et in eadem *ſeſſ.*22.*c.*2. ita ait, *Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis ſatisfactionibus & alijs neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur.* Et in *ſeſſ.*25.*cap.*1. in Decreto de Purgatorio, ita docet idem Concilium; *Cum Catholica Eccleſia Spiritu ſancto edocta, ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Concilijs, & nouiſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit. Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragijs, potiſſimum verò acceptabili, altaris ſacrificio iuuari, præcipit Sancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam, à Sanctis Patribus & Sacris Concilijs traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari, diligenter ſtudeant.* Sed de his plura apud Bellarminum *l.*2.*de Miſſa,c.*7. Suarez *tom.*3.*diſput.*78.*ſect.*3.§. *Tertio loco*, Syluium *in ſupplem.*3.*part. quæſt.* 71. *art.* 2. & 6. & alios commentatores D. Thomæ ibi.

Suar. Syluius. D. Tho.

15. Miſſæ ſacrificium vt eſt propitiatorium, non poteſt pro Beatis offerri: quia liberi ſunt ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ: vnde cùm Sancti ac Patres dicunt ſacrificium offerri pro Apoſtolis et Martyribus, non intelligunt offerri pro eorum ſalute, ſed pro eorum honore; ſiquidem conſtat, non offerri ſacrificium ad expiationem delictorum, aut pœnarum remiſſionem, aut gratiæ vel gloriæ eſſentialis augmentum eorum Sanctorum, qui iam cum Chriſto regnant et ad immortalitatem ſunt recepti: et ideò cùm in Miſſa petimus, vt oblatio Sanctis proſit ad gloriam, non tam oramus pro Sanctis, quàm pro nobis: petimus enim à Deo gratiam ita ſanctè, piè, deuotè, rectè ſacrificium offerendi, vt inde ſancti meritò poſſint gaudere et gloria illis coram hominibus accedat. Tamen poteſt aliquo modo pro illis offerri, quatenus eſt laudis et gratiarum actionis, id eſt pro beneficiis in ipſos collatis, qui modus nõ dicitur propriè offerri pro aliquo; qvia reuera non applicatur ei fructus ſacrificij, quamuis hoc ſacrificio poſſit impetrari Beatis honor aliquis ex viatorum actionibus reſultans, id eſt gloria accidentalis. Ita Suarez *diſp.*78.*ſect.*3.§. *Secundò loco & ſequentib.* Fagundez *de præcept.*1.*Eccleſ.cap.*11.*numer.* 12. Bellarmin. *loco cit.cap.*8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10.*c.*22.*quæſt.*5. Syluius *in* 3.*p. quæſt.*83.*art.*1. *quæſit.* 10. & 11. Filliucius *tract.* 5.*cap.*2.*q.* 11. & alii.

Fagund. Bellarm. Azor. Syluius. Filliuc.

Cæterum id ab omnibus conceditur Sanctis non offerri ſacrificium Miſſæ, ſed ſoli Deo viuo et vero in cultum latriæ; Et ideò ſacrificium Miſſæ non eſt per ſe inſtitutum ad Sanctos honorandos et inuocandos, ſed ad Deum colendum et proprium reddendum; vnde Templa etiam et Altaria non fiunt immediatè, primariò et per ſe ad Sanctorum honorem, ſed ſecundariò; primariò enim et per ſe fiunt et extruuntur Templa ſub nomine alicuius Sancti et tutela illius in honorem Dei, vt ſcilicet Deus in Sanctis et per Sanctos ſuos honoretur, vt habetur expreſsè in Concil Tridentin. *ſeſſ.*22.*cap.*3. et apud D. Auguſt. *lib.* 8. *de ciuitate Dei cap.* 27. vbi ſic legitur: *Nos Martyribus non conſtituimus Templa, Sacerdotia, ſacra & ſacrificia*, id eſt, primariò in honorem illorum, ſed ſecundariò, quo enim ſenſu offerimus Sanctis Miſſas & ſacrificia eodem iis erigimus Templa & Altaria. Ita etiam Doctores proximè citati.

Con. Tr. D. Augu.

Porrò hoc ſacrificium non poteſt offerri pro damnatis et impiis defunctis, quando eos in peccato mortali mortuos eſſe conſtiterit, cùm iam non ſint membra Chriſti, quibus poſſit prodeſſe paſſio illius. Ita Soarez *tom.* 3. *diſp.* 78.*ſect.*3.§. *Primò igitur*, et communis. De hiſtoria autem animæ Traiani, quæ vt refertur à grauiſſimis Doctoribus, lachrymis et orationibus D. Gregorii Papæ à pœnis gehennæ liberata fuit, an ſit friuola vel vera. Vide Fagundez *de præcept.*1.*Eccleſ.lib.*3.*cap.*11.*num.*15. & *ſequentib.* vbi pro negatiua et affirmatiua ſententia refert Auctores et rationes, et tandem probabile putat veram eſſe hiſtoriam, et animam illam vltimam ſententiam particularis judicii non audiuiſſe, quoad vſque ad vitam rediiſſet et pœnitentiam egiſſet.

Suarez. Fagund.

MISSA III.

De miniſtro ſacrificij Miſſæ, & eius obligationibus.

SVMMARIVM.

1 *Quis ſit miniſter proprius ſacrificij Miſſæ? & an Miſſa Sacerdotis exiſtentis in peccato mortali tantum valeat, quantum probi & iuſti?*

2 *An Sacerdos qui ſtipendium accepit pro Miſſa celebratione, ſatisfaciat Miſſam celebrando in peccato mortali, vel in excommunicatione?*

3 *An proſit alijs Miſſa Sacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel ſuſpenſione, vel irregularitate: & an talis peccet mortaliter celebrando ad euitandam grauem infamiam, vel mortis periculum, &c.*

4 *An ſacerdos teneatur quotidie celebrare: & quando ad id teneatur Parochus, obligetur ad applicationem ſacri-*

Digitized by Google

ſacrificij pro populo? refertur duplex ſententia.

5 *An Sacerdos legitimè non impeditus mortaliter peccet, ſi nunquam celebret toto anno?* refertur duplex ſententia.

6 *An Beneficiarius ſeu Capellanus teneatur iuxta inſtitutionem Capellaniæ & intentionem fundatoris Miſſas celebrare? & an obligetur ad quotidie ſub mortali celebrandum, ſi Capellania inſtituta ſit ad celebrandum quotidie?*

7 *An in Eccleſijs Cathedralibus, Conuentualibus & Collegiatis ſit obligatio quotidie celebrandi? Et an Eccleſiæ regularium ſint collegiatæ.*

An feria quinta in cœna Domini, in die Paraſceues, & Sabbatho ſancto poſſint dici Miſſæ.

8 *An Capellanus qui tenetur Miſſas celebrare, poſſit per alium ſupplere? & an qui per ſeipſum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, poſſit Miſſas in aliud tempus differre ob impedimentum?*

9 *An Sacerdos accipiens a pluribus plura ſtipendia pro Miſſa celebratione, poſſit vnica Miſſa omnibus ſatisfacere? ſi ſtipendia ſimul ſumpta non excedant quantitatem neceſſariam ad ſtrictam ipſius Sacerdotis ſuſtentationem pro vnico die?* refertur duplex ſententia.

10 *An Sacerdos qui tenuem eleemoſynam accipit pro Miſſa vel Miſſis celebrandis, teneatur totum ſacrificij valorem reſpondentem tradentibus eleemoſynas applicare? & an poſſit numerum Miſſarum minuere?*

11 *An qui tenetur quotidie Miſſam celebrare ratione Capellaniæ aut eleemoſynæ aut Canonicatus ſatisfaciat ſuo oneri, dum Miſſam capitularem ſeu conuentualem cantat? Et an Miſſa conuentualis poſſit pro quocumque applicari per Prælatum?*

12 *An Capellanus teneatur quotidie Miſſam applicare fundatori, ſi conſtet de quotidiana obligatione? & an Sacerdos teneatur Miſſæ valorem applicare iuxta intentionem illius qui tradidit eleemoſynam?*

13 *An qui tenetur* Miſſam *quotidie celebrare, poſſit ſemel in hebdomada titulo honeſtatis a celebratione abſtinere? & an teneatur tunc per alium ſupplere?*

14 *An qui ex promiſſione vel ex fundatione tenetur celebrare certas & peculiares* Miſſas *v.g.* de Spiritu ſancto, de Beata, *vel* de Requiem, *peccet ſi aliam Miſſam ex iuſta cauſa celebret?*

Et an in Altari priuilegiato pro defunctis ſatisfaciat ſi quis celebret Miſſam, quæ non ſit de Requiem. *Adducuntur hic quadam Declarat. Sacra Congreg. circa* Miſſas.

An Sacerdos obligatus celebrare in Altari priuilegiato pro defunctis, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio Altari & applicando Indulgentiam plenariam quam aſſequitur in virtute Coronæ vel Medaliæ benedictæ?

15 *An Prælatus regularis præcipere poſſit ſuo Religioſo, vt ad intentionem ſuam* Miſſæ *ſacrificium applicet.*

Et an ſi Sacerdos regularis applicet Miſſas *contra intentionem Superioris valeat talis applicatio. Et quid ſi præcipiat Superior dici alias preces.*

1 **M***Iniſter proprius* ex officio ſacrificii Miſſæ eſt Sacerdos, *cap. Firmiter, de ſum. Trinit.* Suar. *d. 72. ſect. 4.* Reginald. *lib. 29. num. 56.* quia ille ſolus eſt miniſter conſecrationis, quæ vna eſt ex præcipuis partibus ſacrificij; hic autem Sacerdos vt ritè officio ſuo fungatur, debet habere intentionem celebrandi & præterea fidem & gratiam, cùm ſit miniſter conſecratus & deputatus ad hoc. Nihilominus ſi ſacrificium offeratur à Sacerdote exiſtente in peccato mortali; prodeſt & habet ſuum fructũ quatenus nomine Chriſti & Eccleſiæ offertur: quia fructus qui reſpondet ſacrificio ex inſtitutione Chriſti & meritis Eccleſiæ, non poteſt impediri, vel minui per improbitatem Sacerdotis cùm huiuſmodi fructus conferatur ex opere operato; ſi verò ſacrificium conſideretur ſecundùm merita ipſius Sacerdotis; minùs valet, ſi offeratur ab improbo, quàm probo & iuſto, nam Deus magis iuſtos, quàm improbos exaudit. D. Tho. 3. *p. q. 82. art. 6.* Nauar. *cap. 25. num. 79* Tolet. *l. 2. c. 8.*

Suarez. Reginal. D. Tho. Nauar. Tolet.

Notandum tamen hic eſt *primò*, quòd Chriſtus Dominus principaliter etiam nunc offert hoc ſacrificium. Probatur, tum quia conſtat ex ſcripturis ipſum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, & quidem in æternum: atqui non eſſet talis Sacerdos, niſi vſque ad finem ſæculi per ſuos miniſtros ſacrificaret ſub ſpeciebus panis & vini. Tum quia Apoſtolus *ad Hebræos 7.* hanc differentiam conſtituit inter vetus Teſtamentum & nouum, quòd in illo plures eſſent Sacerdotes, in hoc autem vnus tantum, ergo neceſſarium eſt, vt principaliter adhuc exerceat munus Sacerdotis, applicans fructum vnici illius ſacrificij, quod ſemel obtulit in cruce. Hinc Concil. Trident. *ſeſſ. 22. n. 2.* definit, quod *vna eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Et ſic patet, cur hoc ſacrificium ſemper ſit Deo acceptiſſimum, *Malachiæ 1.* etiamſi ab iniquo miniſtro offeratur.

Con. Tr.

Nota *Secundò*, quòd licet omnis & ſolus Sacerdos ritè ordinatus proprius miniſter Chriſti Domini ſit, tanquam inſtrumentum principaliter ſacrificantis, populus tamen Chriſtianus ſuo modo offert Miſſæ ſacrificium. Eſt ſententia communis, quæ probatur ex Canone, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis* Et infra: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*, &c. Ratio eſt, quia ſacrificium eſt cultus communis, & publicus conueniens aliquo modo toti populo, cùm ſit iuris naturalis, ergo populus ſaltem per Sacerdotem cenſebitur etiam ſacrificare, idque vel generali quadam denominatione, vel ſpeciali; generali, quia totum corpus Eccleſiæ, per Sacerdotem, tanquam per mẽbrum ſacrificat, ergo & quilibet qui eſt in Eccleſia, cenſebitur offerre, quia eſt membrum eius. Speciali, vel quia miniſtrat Sacerdoti præſertim ſolemniter, vel quia dat ſtipendium, vel quia aſſiſtit ſacrificio conformando ſuam intentionem, & deuotionem intentioni & præcibus Sacerdotis, &c. Sed de his plura apud Suarez *tom. 3. d. 77 ſect. 1. 2. & 3.* Filliucius *tract. 5. c. 2.* D. Thom *3. p. q. 83. art. 1. ad 3.*

Suarez. Filliuc. D. Tho.

2. *Sacerdos*, qui ſtipendium accepit pro Miſſæ celebratione, ſatisfacit Miſſam celebrando in peccato mortali; quia applicat illum fructum ſeu illam partialem portionem ſatisfactionis, quam tenetur tanquam miniſter publicus applicare; Miſſa tamen huius mali Sacerdotis pro ſe offerentis nullo modo ipſimet Sacerdoti prodeſt, quia ponit obicem ad fructum ſacrificii, ſibique iudicium manducat & bibit. D. Thomas *q. 82. art. 6.* Valentia *tom. 4. d. 6. q. 10. p. 5.* Azor. *1. p. l. 10. c. 21. q. 5.* *Si autem* Sacerdos offerens ſacrificium ſit excommunicatus, toleratus tamen, nec vitandus, ſacrificium prodeſt, non ſolùm quatenus fit nomine Chriſti, verùm etiam quatenus fit in perſona Eccleſiæ, licèt prædictus Sacerdos grauiter peccet ſpõtè ſe ingerendo diuinis: ſi verò Miſſæ ſacrificium fiat ab excommunicato vitando, non prodeſt quoad valorem, quem habet ſacrificium ex parte Eccleſiæ, cùm Eccleſia non toleret huiuſmodi Sacerdotem, nec velit per illum orare; quoad valorem verò quem habet ſacrificium ex virtute Chriſti, prodeſt, nam hic valor & fructus non impeditur per indignitatem miniſtri, cùm ab ipſo non proueniat, ſed à Chriſto. Henriquez *lib. 9. c. 6. num. 18.* Suarez *tom. 5. d. 12. ſect. 2. num. 11.* Azorius *c. cap. 21. q. 6.* Sotus *4. d. 13. q. 1. art. 7. & 8.* Bonacin. *d. 4. q. vlt. p. 6. num. 7.* & alij.

D. Tho. Valent. Azor. Henriq. Suarez. Azor. Sotus. Bonaci.

3. *Miſſa* Sacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel ſuſpenſione, vel irregularitate, non ſolùm prodeſt aliis, verùm etiam talis Sacerdos excuſari poteſt à peccato, quoties alioquin incurreret grauem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud graue detrimentum non celebrando vel non communicando, quia excommunicatus priuatur celebratione & ſumptione Sacramentorum ex præcepto Eccleſię, Eccleſia autem non videtur obligare cum tanto incommodo. Henriq. *l. 9. c. 18. n. 2.* Nauar. *c. 27. n. 239.* Azor. *1. p. l. 10. c. 31. q. 6.*

Henriq. Nauar. Azor.

4. *Nul-*

Filliuc. Nauarr. Vaſq. Dian.

4. *Nullus Sacerdos* tenetur quotidie celebrare, quia quotidiana celebratio in præcepto non eſt, ſed in conſilio, & ex ſe melior; aliquando tamen nedum abſque peccato, ſed etiam cum merito intermitti poteſt. *C. quotidie, de conſ. d.*2. Filliucius *tract.5.cap.4.q.3. Sacerdos* verò curam animarum habens tenetur vel per ſe vel per alium celebrare ſaltem ſingulis diebus, quibus populus tenetur Miſſam audire, vel diebus Feſtiuis & Dominicis. Nauar. *cap.* 25.*num.*135. Vaſquez 3.*p.*231.*c.*1.*num.* 1. Diana *de celeb. Miſs. reſ.*26.*p.*2. Tamen ſecundùm plurimorum Doctorum ſententiam, non videtur parochus obligandus ad applicationem ſacrificii pro populo ſingulis prædictis diebus, nam obligatio ad celebrandum & obligatio ad applicandum fructum ſacrificii, videntur obligationes diuerſæ; cùm aliquis obligari poſſit ad celebrationem, quamuis nõ obligetur ad applicationem. Ita Suarez *diſp.*86.*ſect.*1. Vaſquez *c.d.*234.*art.*6.*c.*4. Reginaldus *lib.*23. *num.*238. Conink *q.*83.*art.*1.*dub.*11. Syluius 3.*p. q.* 83. *art.*1.*quæſit.*17. Quamuis multi, quos tacito nomine refert Suarez, ſentiant Parochum teneri ſingulis diebus feſtis Miſſæ ſacrificium ſuis ouibus applicare: verùm in hac controuerſia dicendum videtur, Parochum præciſa alia conſtitutione teneri in præcipuis ſolemnitatibus Domini, & diebus Dominicis, aut ſaltem ſemel in hebdomada ſacrificium ſuo populo applicare. Vt docet Bonacina *de Miſſa ſacrif. d.* 4.*q.vlt.p.*7 *num.*5.

Vaſq. Regin. ConinK. Syluius. Bonaci.

D. Tho. Nauarr. Diana.

5. Secundùm probabiliorem & in praxi ſecuriorem Doctorum D. Thomæ 3.*p.q.*82 *art.*10. Filliuc. *tract.*5.*c.*4. *q.*1. Nauarr. *cap.*25.*num.*88. Mirand. 1. *p. q.*40.*art.*7. Vide Dian. *cit. reſ.*19. & aliorum ſententiam, *Sacerdos* legitimè non impeditus, mortaliter peccat, ſi nunquam celebret toto anno, quia quantum eſt ex parte ſua, facit vt in vanum receperit gratiam Dei, & dat occaſionem ſcandali & ruinæ, cùm ingerat ſuſpicionem prauæ conſcientiæ, & ſecundùm hoc vt ſimplex Sacerdos in peccatum mortale non incidat, debet aliquoties in anno celebrare, ſaltem diebus feſtis præcipuis, vt ter aut quater in anno, modò reliquis diebus feſtis Miſſam audiat: Nonnulli tamen Doctores opinantur Sacerdotem ſimplicem, nullo detentum impedimento, non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum vel contemptus. D. Bonauentura 4. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. Sancius *in ſelect. diſp.* 7. *num.* 16. Victoria *de miſſa* 94.

D. Bona. Sancius. Victor.

Sed prima ſententia eſt tenenda, quæ efficaciter probari poteſt ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.*22.*cap.*1. docens quod Chriſtus *Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hæc facite in meam commemorationem.* Dum igitur Concilium affirmat, per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem:* Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt hoc ſacrificium offerrent, comprehendit ſub hoc præcepto omnes etiam ſimplices Sacerdotes, cùm etiam ſimplices Sacerdotes, in munere & officio Sacerdotali ſuccedant Apoſtolis. Et in hoc ſenſu verba Concilii intellexit Catechiſmus Romanus. Imò Pius V. qui fuit immediatus executor Concilii Tridentini, in eodem ſenſu hæc verba Concilii intellexit, dum oppoſitam ſententiam Caietani abradi iuſſit ex commentariis D. Thomæ 3.*p.q.*82.*art.*10. Tum quia Sacerdos non legitimè impeditus omittens celebrare, quantum in ipſo eſt priuat Sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia peccatores venia, iuſtos ſpirituali ſubſidio & gratia, exiſtentes in purgatorio refrigerio, Eccleſiam ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina & remedio. Ita Beda, quem refert Gabriel *in can. lect.* 87. Et quamuis ex Sanctis aliqui à celebratione Miſſæ ſemper abſtinuerint ob reuerentiam Sacramenti, non ob id imitandi ſunt à Sacerdotibus; quia plurima Spiritus ſancti inſtinctu operati ſunt Sancti præter communem legem, qui ſi deficiat, lex communis ſequenda eſt, & non eſt fingendum facilè Spiritus ſancti inſtinctum pro nunquam celebrando adeſſe: è contra plures ex Sanctis quotidie celebrarunt, & nõ eſt maior ratio quare nõ celebrantes, quàm celebrantes ſunt imitandi.

Ex quibus infertur excuſari Authores, qui oppoſitam ſententiam ante Concilium docuerunt. Nam ante explicationem Concilii non poterat hoc præceptum obligare, cùm non expreſsè contineatur in verbis Chriſti, vnde neceſſaria fuit Concilii explicatio, vt tale præceptum obligaret. Mirum eſt, autem quòd aliqui Doctores, qui ſcripſerunt poſt Concilium, illudque videre atque expendere debuiſſet, oppoſitum mordaciùs doceant. Vt bene aduertit Amicus *tom.*7.*diſp.*33.*ſect.*9.

6. *Beneficiarius* ſeu Capellanus tenetur iuxta inſtitutionem Capellaniæ & inſtitutionem fundatoris Miſſas celebrare; vnde ſi capellania inſtituta ſit ad celebrandum quotidie, tenetur quotidie ſub mortali celebrare, niſi iuſta de cauſa vel ob legitimum impedimentum Miſſam omittant Rodriquez *cap.*249. Filliucius *tract.*5.*c.*6.*n.*173. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 166. Aliquando enim poteſt Miſſæ ſacrum prætermittere abſque peccato, puta ob infirmitatem, vel ob grauia negotia, aut ob honeſtatem & decentiã; nam onus celebrandi quotidie, intelligitur ſalua honeſtate, decentia & deuotione habita: Imò iam vſu receptum eſt vt Sacerdos qui tenetur onere Capellaniæ quotidianæ, poſſit ſemel in hebdomada ſacrum prætermittere ratione honeſtatis. Henriq. *lib.*9.*cap.*24 *num.*4. Nauar. *cap.* 25.*num.*135. Syluius *c. art.*2. Tamburinus *tom.*2.*diſp.*5.*q.* 9. Bonac. *c.p.*7.*num.*6. Diana *cit. reſol.*28.

Rodriq. Filliuc. Reginal.

Henriq. Nauarr. syluius. Bonacin. Dian.

7. In Eccleſiis Cathedralibus, Conuentualibus & Collegiatis, Eccleſiaſticum eſt præceptum, vt quotidie ſaltem vna Miſſa celebretur, dempta feria ſexta Paraſceues: quod tamen intelligendum eſt, ſi ſit conueniens numerus Sacerdotem: Aliàs enim ſi Conuentus ſit exiguus, aut numerus Sacerdotum, tum ſemel, aut iterum in hebdomada intermittere, vel nullum, vel ſaltem non mortale peccatum foret: vt docent Suar. *tom.*3.*diſp.*80.*ſect.* 2. Sotus *in* 4.*diſt.*13.*q.*2.*art.*2. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 43.*art.*14. Layman. *lib.*5.*c.*3.*n.*5. Diana *p.*2.*tract.*14.*reſol.*76. Fagundez *lib.*3.*præcep.*1.*c.*15.*num.*9. & alii. Hæc obligatio colligitur tam ex *cap. cum creatura, de celebrat. Miſſarum*: tum ex vſu Eccleſiæ habente vim legis: vnde ſi ommitteretur, fieret cum ſcandalo: & eius omiſſio erit mortalis, niſi adſit iuſta excuſationis cauſa. Per ſe autem hæc obligatio eſt Rectorum eiuſmodi Eccleſiarum, quia tenentur ſaltem curare, vt non deſit quotidianum ſacrificium, hoc enim eſt vnum ex muneribus, propter quòd à fidelibus aluntur.

Suarez. Sotus. Rodriq. Layman. Diana.

Sed rogabis, an aliquando in prædictis Eccleſiis ſit obligatio dicendi duas Miſſas, vnam de feſto, alteram de feria; Reſpondet Gauantus *in comment. ad rubric. Miſſalis tom.*1.*par.*3.*tit.*11.*num.*7. *&* 11. rubricam Miſſalis noui præſcribentis, vt in feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, ſi in eis occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, vel Octaua, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cantentur duæ Miſſæ, eſſe de re grauiſſima; & proinde obligatoriam ad mortale: & ita aſſerit declaraſſe ſacram rituum Congregationem: cuius declarationis verba refert Diana ſuprà citatus.

Dubium autem eſt, an Eccleſiæ regularium ſint Collegiatæ, & in prædicta Rubrica comprehendantur; Reſponſio eſt negatiua. Tum quia in odioſis nomine Eccleſiaſticorum, regulares minimè comprehenduntur, ita nomine Eccleſiarum Collegiatarum in hoc onere Monaſteria minimè veniunt. Tum quia Eccleſiæ Regularium appellantur propriè Conuentuales ab *Innocentio IV.* in Bulla *Cum tamquam veri, & fideles*: ad differentiam Collegiatarum, quæ ſunt propriè Canonicorum. Ita Rodriq. *tom.*1.*quæſt.reg.q.*43.*art.*12. Diana *p.*2.*tract.*14.*reſ.*76. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 28. *diffic.* 19. *num.* 2. quibus adde Gauantum *c.n.*12. Lezan. *tom.*4.*ſumm. verb. Miſſa num.* 49. qui nouiſſimus probabile putat ſufficere, quòd in Eccleſiis Regularium vna dictarum Miſſarum cantetur, & alia recitetur, quia nec Decreta S. Congregationis aliud petunt, nec id eſt in praxi receptum.

Rodriq. Diana. Lezana.

Feria quinta in cœna Domini vna tantùm Miſſa publicè à primario Sacerdote celebrari ſolet, & in hac Miſſa fit Communio Cleri, in memoriam, quòd Chriſtus communicauit Apoſtolos, *cap. in Cœna de conſecrat. diſt.*2. Priuatim tamen aliæ etiam Miſſæ dici poſſunt, matutino

tem-

tempore, vbi talis vigeret conſuetudo: & hoc antequam finiatur Miſſa ſolemnis & recondatur Chriſti corpus; quia immediatè poſt incipit dies Paraſceues. Ratio eſt, quia nulla lex id prohibet, vt ex communi docent Sotus 4. *diſt.* 13.*q.*2.*art.*2. Nauar.*c.*25.*n.*88. Suar. *diſ.*80.*ſect.*2. Syluius 3.*p.q.*83.*art.*2.*q.*3. Fagund. *precept.* 1.*l.*3.*c.*15.*n.*14.

Sot. Nauar. Suarez. Syluius. Fagund.

In die Paraſceues, hoc eſt, feria ſexta hebdomadæ ſanctæ, nullus Sacerdos veram & propriam Miſſam celebrare licitè poteſt faciendo nimirum conſecrationem, ſine qua nulla eſt propriè Miſſa. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 3.*p.q.*83.*art.*2.*ad* 2.*ex cap. Sabbato de conſecr. diſt.* 3. docent, addendo eſſe peccatum mortale, hanc antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem, in re tam graui violare. Ratio eſt, quia cum eo die per acta ſit paſſio Chriſti, ceſſare debet Miſſa, quæ eſt figura & memoriale paſſionis. Non eſt tamen prohibitum eo die communicare laicorum more, quia hæc prohibitio neque ex ſcripto iure, neque conſuetudine colligitur. Vti Suarez *d.*80.*ſect.*2. Layman *lib.*5.*tract.*5.*c.*5.*num.*7. Syluius *c. art.* 2. *quæſit.* 1. Azorius *tom.* 1.*l.*10.*c.*24.*q.*3. Filliucius *tract.* 5.*c.*4. *n.* 106. Sancius *in ſelect. diſp.*22.*n.*20. & alios.

Suarez. Layman. Azor. Filliuc. Sancius.

Sabbatho ſancto vna tantùm Miſſa publicè celebranda eſt: priuatim autem, quamuis probabile ſit, licitum eſſe cuiuis Sacerdoti Miſſam celebrare, idque practicè tutum ſit facere, maximè quando adeſt iuſta cauſa, & interuenit licentia Superioris, & poſt inchoatum ſaltem ſolemne ſacrificium Paſchalis officii: Conſultiùs tamen eſt omittere. Prior pars patet, tum ex authoritate Doctorum Suarez *d.*80.*ſect.*2.*in fine*. Syluius 3.*p.q.*83.*art.*2.*quæſit.*2. Layman *l.*5.*tra.* 5.*c.*4.*num.*8. Sotus 4.*d.* 13.*q.*2. *art.* 2. Conink *q.*83.*art.*2.*dub.*2. Gutier. *lib.* 1.*quæſt.canon.c.*30.*n.* 36. qui ita ſentiunt, & aliorum præterea Doctorum & proborum virorum, qui hoc in praxi obſeruant: tum quia id nullo iure prohibetur: Capitulum enim *Sabbatho diſt.* 3. *de conſecr.* prohibens omnem Miſſæ celebrationem ipſo die Sabbathi Sancti & Paraſceues, iam per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum quoad ſolemnem Miſſam in Sabbatho Sancto, vt eſt manifeſtum; & cùm non adducatur alia Eccleſiæ conſtitutio, quia ſolemnem Miſſam permitteras, inhibeat reliquas; nõ apparet quare ſit dicendum reliquas eſſe prohibitas. Secunda pars aſſertionis ex eo patet; quòd multi etiam docti viri etiam nunc contrarium ſentiant, & religioſè obſeruant, cum Nauarro *in man. c.* 25.*n.*88. Francolino *de horis canon.c.*30. Gauanto *Comm. in Rubr. Miſſal. par.* 4.*tit.*10.*n.*43. *& ſeq.* Azor. *tom.* 1.*l.*10. *c.*24. *q.* 4. quia non ſatis certò conſtat prædictum caput *Sabbatho*, per conſuetudinem quoad priuatas Miſſas fuiſſe & eſſe abrogatum; quandoquidem maxima pars Sacerdotum hactenus à priuatis Miſſis abſtinent. Non eſt ergo, ait Azorius cur vnus Sacerdos non conſentiat cum aliis, qui à ſacrificando ceſſant; non eſt cur conſuetudinem receptam non ſeruet; non eſt cur alios offendat.

Suarez. Layman. Conink. Gutier. Nauarr. Gauant.

8. *Capellanus* qui tenetur Miſſas celebrare, poteſt per alium ſupplere, quoties non conſtat, fundatorem voluiſſe obligare Capellanum ad Miſſæ celebrationem per ſeipſum & non per alium: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere cenſetur: Emanuel Sà *verb. Beneficium num.* 28. Imò qui per alium ſatisfecit cùm ipſe nõdùm eſſet Sacerdos, licet peccauerit recipiendo beneficium, cuius onus non poterat ipſe perſoluere, non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia tantum exhibuit per alium celebrando, quantum per ſeipſum exhibuiſſet: Azorius 1.*p.l.* 10.*c.*24. *quæſit.* 7. *Præterea* ille qui per ſeipſum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, ob impedimentum Miſſas differre poteſt in aliud tempus; poſſuntque Miſſæ à Titio celebrandæ, ab alio celebrari, Titio ignorante. Vide Dianam *cit. reſol.* 18. Petrum Nauar. *de reſtit. l.*2.*cap.*2. *n.*372. Rodriq. *c.*251.

Nauarr. Rodriq.

9. *Nonnulli Doctores* putant Sacerdotem accipientem à pluribus plura ſtipendia pro Miſſæ celebratione, poſſe vnica Miſſa omnibus ſatisfacere, ſaltem ſi ſtipendia ſimul ſumpta non excedant quantitatem neceſſariam ad ſtrictam ipſius Sacerdotis ſuſtentationem pro vnico die, quia qui Altari ſeruit de Altari viuere debet, ſed eleemoſyna ab vno accepta non ſufficit ad victum, ergo Sacerdos poteſt nouam eleemoſynam ab alio accipere, illique ſacrificium applicare. Ita Henriquez *lib.*9.*cap.*22.*n.*4. Rodriquez *c.*251.*num.*4. Sotus *lib.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 1. Angelus *verb. Miſſa num.*52. & multi alii. *Contrarium* tamen in praxi omninò ſuſtinendum videtur cum communi ſententia; quia non ſtat promiſſis, qui plures pro eadem Miſſa recipit ſtipes, inſciis offerentibus, facit enim contra voluntatem ipſorum offerentium: & qui contrariam ſequitur opinionem, non modicam animis hominum ingerit ſordidæ cupiditatis & auaritiæ ſuſpicionem, contrariamque opinionem ſcandalum inter populares excitaſſe teſtantur multi Doctores. Et modò prior ſententia corruit propter decretum ſacræ Congregationis in contrarium: vt videbitur infrà, *Miſſa VII.* Suarez *d.*86.*ſect.* 2.*&* 3. Miranda *q.*41.*art.*23. Vaſq. 3.*p.d.*234 *cap.*4. Tolet. *lib.*2. *cap.*8 *num.*3. Nauarrus *cap.* 25. *num.*2. Dian. *tract. de celebr. Miſſ. reſ.* 8.*p.*2.

Henriq. Rodriq. Angel.

Suarez. Nauarr. Tolet. Dian.

Si enim in mechanicis artibus & inter terrenarum rerum mercatores tota veritas & ſinceritas obſeruatur: & in legibus ciuilibus quæcumque fraus, & quodcumque præiudiciale mendacium punitur, quæ veritas in Chriſtiano Sacerdote requirenda, qui eſt magiſter Euangelicæ veritatis; Tum quia in re graui contra promiſſionem agere, eſt peccatum mortale; at non dicere tot Miſſas pro tot ſtipendiis, Miſſas exquirentibus promiſſas, eſt contra promiſſionem, fidem, iuſtitiam, & charitatem: quia Sacerdos pluribus Miſſis obligatus, & prætermiſſis, Deo honorem non defert & cultum; & eum, qui multis ſtipendiis datis Miſſas exquiſiuit iniuſtè priuat notabili fructu ſpirituali, ſatisfactionis videlicet, ac impetrationis, quem intendit ſibi, & aliis, præcipuè defunctis, qui grauiſſimis pœnis afficiuntur, procurare: maximè ſi is, cui facta eſt promiſſio, teſtamento, voto, pœnitentia, debebat eas Miſſas facere celebrari: ergo Sacerdos, qui pluribus Miſſis promiſſis, vna tantummodo Miſſa vult ſatisfacere, mortaliter peccat. De his plura apud Fraxinel. *de Sacerd. obligat. ſect.*4.*concluſ.* 3.*num.* 1. Petr. Nauar. *de reſtit. lib.* 2. *c.*2.*num.*381.

Fraxin. Nauarr.

10. *Sacerdos* qui tenuem eleemoſynam accipit, v.g. quinque aſſium pro Miſſa, vel Miſſis celebrandis, tenetur totum ſacrificii valorem reſpondentem tradentibus eleemoſinas applicare, nec poteſt numerum Miſſarum minuere, aut eleemoſynam ab aliis extorquere, ſaltem quando omninò voluntariè contentus fuit illo ſtipendio & expreſſè promiſit ſe Miſſam vel tot Miſſas celebraturum. Ita Suarez *d.*86.*ſect.*4. Conink *q.* 83.*art.*1.*d.*10. *num.*193. Henriq. *lib.*9.*c.* 22. *n.* 5. Vaſq. 3.*p.q.*83.*d.*234.*c.*3. Bonac. *c.p.* 7.§.2.*num.* 8. & alij: quia tenetur ſtare promiſſis & conuentioni; promiſit autem Miſſæ valorem, & non partem tantùm, Sacerdos autem debet ſibi ſuæque imprudentiæ incommodum imputare ob exiguam eleemoſynam, nam cenſetur ceſſiſſe iuri ſuo, quo poterat eleemoſynam exigere iuxta taxam. *Aliqui* tamen Doctores putant Sacerdotem, quando nihil promiſit nec expreſſit, poſſe à diuerſis tot parua ſtipendia exigere quæ reſpondeant debitæ eleemoſynæ, & vno ſacrificio omnibus ſatisfacere, aut poſſe minuere numerum Miſſarum. Ita Azor. 3.*p.lib.*12.*c.*6.*q.*4. Reginaldus *lib.*23.*num.*234. & hæc ſententia poſſet habere locum in loco vbi eſt aſſignatum ſtipendium pro celebranda Miſſa, & in caſu quo pauper Sacerdos nihil habet vnde viuat, niſi ex Miſſa. Ratio eſt, quia qui minùs taxati ſtipendij dat, & pro eo Miſſam celebrari pro ſe ſolo poſtulat, rem iniuſtam poſtulat, vnde Sacerdos paupertate coactus poteſt ſe indemnem ſeruare. Sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, poteſt damnum ſuum quò melius potuerit reſarcire, etiamſi in principio ob paupertatem coactus ſit paciſci pro iniuſto & inæquali ſtipendio: Et ſimiliter qui ob neceſſitatem cogitur triticum emere iniuſto pretio, poteſt ſine iniuſtitia alia via ſe indemnem ſeruare. Neque his videtur obſtare Decretum Sacr. Congregat. de celebrat. Miſſar. *infra verb. Miſſa VII.* Vbi Sacr. Congregat. ſub obteſtatione diuini iudicii mandat, vt tot Miſſæ dicantur, quot fuerunt præſcriptæ, quamuis recepta ſtipendia ſint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi quando Sacerdos omninò voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato ſtipendio & expreſſè promiſit ſe tot Miſſas integras dicturum; quo modo etiam limitauit ſuam ſen-

Suar. Conink. Henriq. Vaſq. Bonac.

Azor. Reginal.

Digitized by Google

ſententiam Suarez ſupra. Et tunc tenebitur magis ratione fidelitatis & præcepti, quàm iuſtitiæ: vide pro hac ſententia etiam Peyrinum *t.3. de priuileg. in addit. de conſtit. Pyrrhi cap.1.num.*36. Tamburinum *de iure Abbat. tom.* 2.*diſput.*5.*q.*9.*n.*7. Mirandam *in man.tom.*1.*q.*41.*artic.*23. *concluſ.*3.

Peyrin. Tambu. Mirand.

Ex dictis inferunt Doctores, citati, quòd quando Sacerdoti commendatæ ſunt centum Miſſæ promiſſo iuſto ſtipendio ſtatim poſt earum celebrationem, & iis celebratis, non potuit Sacerdos ſine lite & aliis incommodis lites comitantibus, ſtipendium recuperare; ſi ab eodem deinde qui primò commendauit dictas centum Miſſas, commendentur aliæ centum, poterit Sacerdos ſibi compenſare, minuendum has centum Miſſas, id quod conſumpſit in priori ſtipendio recuperando. Ratio eſt, nam ſicut Sacerdos, accepto ſtipendio tenetur ratione iuſtitiæ Miſſas celebrare, ita commendans Miſſas tenetur ratione iuſtitiæ in vtroque foro ſtipendium tribuere, vt aduertit etiam Suarez *loco citato ſect.*1. Sed in obligationibus iuſtitiæ datur cõpenſatio, ergo & hic Sacerdos poteſt ſibi damnum datum præcisè certum & liquidum, iuxta communem taxationem, quòd alia via recuperare non poteſt, compenſare, iuxta ſupra dicta verb. *Compenſatio num.*2. *Cæterum*

Con. Tr.

ex decreto Concilij Tridentini *ſeſs.*25.*cap.*4. *de reformat.* Rodriquez 1.*p. c.*251.*num.*13. pertinet ad Epiſcopus in Synodo Diœceſana, & ad generales ordinum in capitulis generalibus numerum Miſſarum minuere, quando ſtipendium eſt exiguum, conſtituta debita eleemoſyna. Hæc ſententia vſque modo probabiliter ſuſtineri poterat; ſed nunc contrariam opinionem docent & ſtatuunt Eminentiſſimi Cardinales in Decreto §.3. Diana *p.*2.*de celebratione miſſarum reſ.* 7. Vide etiam Sylu. 3.*p. q.* 83.*ar.*1.*quæſit.* 17. *Miſſa VII.*

Dian. Syluius.

11. *Sacerdos*, qui tenetur onere Miſſæ quotidianæ, ratione Capellaniæ aut eleemoſynæ acceptæ, aut Canonicatus, regulariter loquendo, dum miſſam Capitularem, ſeu Conuentualem cantat, non ſatisfacit oneri Capellaniæ, aut eleemoſynæ acceptæ, aut Canonicatus, *Cap. cum creatura de celebratione Miſſarum*; quia Canonicus per ſe loquendo tenetur Miſſam applicare pro capituli obligatione, nam miſſa conuentualis eſt intrinſeca ipſi capitulo & intima miſſæ capitulari: quando verò non conſtat, vtrum cãtans miſſam teneatur illam applicare, poteſt Sacerdos, ſiue ſit Canonicus, ſiue ſit Parochus, ſiue alius, Miſſam quàm ſolemni ritu cantat in Eccleſia collegiata vel parochiali ad libitum applicare; in dubiis enim melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Reginaldus *lib.*29.*num.*208. Suarez *d.*80 *ſect.*2. Poſſeuinus *cap.*2. *num.*25.

Reginal. Suarez. Peyrin. Diana.

Non eſt tamen improbabilis ſententia Peyrini *de priuil.tom.*3.*c.*1.*num.*20.*in addit.ad conſtit. Pyrrhi*. & Dianæ *p.*5. *tract.* 13.*reſol.* 51. ſecluſa conſuetudine in contrarium; aſſerens, miſſam conuentualem poſſe applicari pro quocumque voluerit Prælatus: quia non apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium, omnia enim ſunt conceſſa, quæ non inueniuntur prohibita. An autem miſſa conuentualis monialium ſit neceſſariò applicanda generaliter pro viuis, & defunctis; vt faciunt Fratres Minores; Reſp. Corduba negatiuè *ad Compend. priuil. Mendic. verb. Moniales*, & poſt illum Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.reg.q.* 6.*art.*8.

Cordub. Rodriq.

12. *Capellanus* tenetur quotidie miſſam applicare fundatori, ſi conſtet de quotidiana obligatione, quamuis nõ conſtet de fundatione Capellaniæ, cùm nulla reperiatur ſcriptura ſecus *dicendum* ſi clarè conſtet teſtatorem in inſtitutione Capellaniæ reſpexiſſe ſolùm Eccleſiæ vel Altaris cultum & venerationem: Syluester *verb. Miſſa* 1. *num.*7. Naldus *verb. Miſſa num.*13. *Similiter* Sacerdos tenetur miſſæ valorem applicare, iuxta intentionem illius, qui tradidit eleemoſynam, & ſimpliciter petiit miſſam pro ſe, vel pro defunctis, vel pro alia neceſſitate; vnde qui accepit eleemoſynam ad celebrãdam miſſam pro defuncto, & aliam eleemoſynam ab alio, non ſatisfacit ſuæ obligationi applicando fructum ſatisfactionis defuncto, reliquos verò fructus alteri; quia petens miſſam non cenſetur petere partem fructus, ſed integrum fructum pro ſe, vel pro ſuis. Bonacin. *punct.*7.*num.*13. *& ſequentibus.*

Syluester Naldus. Bonaci.

13. Quamuis qui tenetur miſſam quotidie celebrare, poſſit ſemel in hebdomada titulo honeſtatis à celebratione abſtinere, non poteſt tamen eodem die miſſam alibi, aut pro alia celebrare aut abſtinere à celebratione oblectationis vel itineris gratia, niſi aliter conſtet de mente fundatoris; quia à diuerſis non eſt facienda illatio, conſequenter ceſſatio conceſſa vno die cauſa honeſtatis, nõ eſt extendenda ad cauſam oblectationis, itineris. Syluius 3.*p. q.*83. *art.*2. Syluester *verb.miſſa* 1.*quæſt.*7. Azor. 3. *part.l.* 12.*cap.*6.*quæſt.*4. Fraxinellus *ſect.*4.*concl.*4.§.3. Tamen qui tenetur quotidie celebrare, ſi frequentem miſſæ celebrationem velit ſemel in hebdomada titulo honeſtatis, aut alia iuſta de cauſa intermittere, tenebitur eo die per alium supplere, ſi in fundatione Capellaniæ non fuit electa perſona, ſed ſolùm habita fuit ratio loci, aut miſſæ celebrandæ; vt ſi dicatur in fundatione, *Capellanus quotidie celebret per ſe, uel prouideat per alium*. Si verò electa ſit perſona, vt ſi dicatur, volo vt Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidie celebret, non tenetur Cappellanus, qui ſemel in hebdomada, iuſta de cauſa miſſam intermittit, per alium ſupplere, quia obligatio miſſæ quotidianæ impoſita Sacerdoti, intelligitur ſalua decentia, & honeſtate; alioquin videretur iniungi obligatio ad rem illicitam. Sà *verb. Miſſa num.*46. Henriquez *l.*9.*c.*24 *num.*4. Sotus *l.*9.*q.*2.*art.*1. Syluester *uerb.miſſa* 1.*q.*7. *Porrò* quoties Sacerdos duplici obligatione tenetur, nec poteſt vtrique ſatisfacere per ſe vel per alium, ſatisfaciendum eſt priori, quia in hoc caſu prima obligatio celebrandi præualet poſteriori. Azor. 1.*p.lib.*10.*c.*24.*q.*7.

Syluius. Azor. Fraxin. Sà. Henriq. Sotus. Sylu.

14 *Sacerdos*, qui ex promiſſione vel fundatione tenetur celebrare certas & peculiarea miſſas, vt puta de Spiritu ſancto, vel de Beata, vel de Requiem, per ſe loquendo, infideliter aget ſi alias celebret Miſſas, quia non ſtat promiſſis & fidem datam violat; fieri tamen poteſt vt non delinquat, ſi aliã miſſam ex iuſta cauſa celebret, vt ſi in eum diem incidat ſolemnitas alicuius Sancti, de quo celebretur Officium ſimplex, ſemiduplex, ſeu ſolemne: quia licet miſſa de Requiem, quam quis tenetur pro defuncto celebrare, magis proſit defuncto, quàm alia, ſi miſſa conſideretur ſecundùm præces ab Eccleſia impoſitas ad hunc finem; nihilominus, ſi conſideretur vt ſacrificium eſt, æqualiter prodeſt, & defectus Miſſæ petitæ ſuppleri poteſt & compenſari deuotione & interceſſione illius Sancti, cuius miſſa celebratur. Azor. 1.*p.lib.*10. c. 32. *q.* 6. Nauar. *cap.* 25.*num.* 134. Sà *uer. miſſa n.*48. Rodriquez *c.*248. *num.*9. Toletus *l.*2.*c.*8.*num.*2. Reginaldus *l.* 29. *num.* 208. Diana *tract.de celebr.miſſ.reſol.*31. *& tract.*6.*miſcel.reſol.*62 *p.*3. Tamburinus *de iure Abbat.tom.*2.*diſp.*5. *q.*9.*num.*27. *&* 30. Vnde qui ſuſcepit onus celebrandi triginta Miſſas Sancti Gregorii pro defunctis, non tenetur ſingulas de Requiem celebrare, iis præſertim diebus quibus officium ſolemniter celebratur, imò non eſt neceſſe Miſſas Sancti Gregorii ſine interruptione celebrare, quia interruptio nõ tollit Miſſarum effectum. Bonacin. *c.p.*7 §. *num.* 6. Diana *cit.reſ.*32. Hinc Panormitan. *in cap. Quidam laicorum, de celebrat. miſſar.* docet turpe eſſe Sacerdotibus ad laicorum petitionem relinquere miſſas cum officio concordantes propter peculiares ex deuotione. Et Syluest. *uerb. miſſa* 1.§.4. refert, nullam Miſſam eſſe defunctis ſalubriorem, quàm propriam diei currentis. Propterea in Miſſali Romano, in principio Rubricarum, ſic habetur: *miſſa dicatur ſecundum ordinem officij*. Et in Rubrica de miſſis votiuis, leguntur hæc verba: *Sequentes miſſæ uotiuæ, licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici poſſint per hebdomadam, quando Feſtum non occurrit, hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa, fieri non debet; ſed, quoad fieri poteſt, miſſa cum officio conueniat.* Tamen permittitur aliquando hæc permutatio miſſæ *de Requiem* promiſſæ, in aliam occurrentem, puta, ſi eſſet ſcandalum laicorum, vel mulierum. Si expreſſè promiſiſſet, animo ſe obligandi, aut iuramento firmaſſet promiſſionem. Porrò in die Obitus, & Anniuerſarij, miſſa *de Requiem* promiſſa, eſt celebranda, etiam occurrente feſto duplici, vel ſemiduplici.

Azor. Nauar. Rodriq. Tolet. Reginal. Dian. Bonacin. Dian.

Verùm, quia prædicta maximè confirmantur ex declaratio-

Digitized by Google

rationibus Sacræ Congregationis,& paſſim apud Authores non inueniuntur,ideò hic ſunt adducendæ quæ in doctrinam traditam deſeruire poſſunt.

Prima. *Miſſæ duæ ſunt celebrandæ in Eccleſia,in qua ex legato relicto præcipitur vt ſingulis Sabathis celebretur Miſſa de B. Maria,ſi in Sabbatho occurrat feſtum ſolenne alterius Sancti* S.Congreg. Rit. in Pampilonen. 1. Septembr. 1607. Barboſa *in collectan. Bullar. v. Miſſa* 1.

Barboſa.

Secunda. *Miſſæ votiuæ à teſtatoribus relictæ non ſunt acceptandæ de cætero, niſi in illis diebus, in quibus ſecundum regulas Miſſalis celebrari poſſunt: de Miſſis verò iam acceptatis, petenda eſt à Sanctiſſimo diſpenſatio pro transferendo in dies,in quibus liceat.* S.Congregat.Rit.in Turritana 1.& 3.Septembris 1612. & 19.Maij 1614. Barboſa *cit.*

Barboſa.

Tertia. *Miſſa Conuentualis in Quadrageſima, Aduentu, Quatuor temporibus, & ſimilibus etiam quod in dictis diebus occurrat feſtum duplex,non eſt omittenda, ſed vtraque Miſſa, nempe de Sancto, & de feria eſt celebranda.* S.Congregat.Rit.in Lunenſ.Sarzan.5. Martii 1633. Barboſa *ſuprà.*

Barboſa.

Quarta. *Miſſa defunctorum non eſt prætermittenda, ſi ex legato relicto ordinetur, vt celebretur ſingulis diebus, quæ de præcepto non ſeruantur, licet ſit feſtum duplex, quod de præcepto non ſeruatur, quo caſu duæ Miſſæ ſunt celebrandæ, una de feſto, altera Defunctorum, vt licitè lucrari poſſit eleemoſyna relicta.* S.Congreg.Rit.in Pampilonen. 1. Septembris 1607. Barboſa *c. v. Miſſa defunctorum V.*

Barboſa.

Quinta. *Miſſæ defunctorum non ſunt celebrandæ & cantandæ in diebus ſolemnibus.* S. Congregat. Rit. in Veronen. 23.Iunij 1607.Barboſa *c.*

Barboſa.

Sexta. *Miſſa pro defunctis ritu de Requiem celebrari poteſt in Dominicis & Feſtis in ſepulto, & in Eccleſia præſente corpore, ubi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi defunctos ſimul cum Miſſa* S. Congr.Rit. die 23.Maij 1603. Barboſa *ibid.* quod intelligitur de Miſſa principali.

Septima. *Miſſa celebrata in Altari priuilegiato pro defunctis non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit niſi ſit de Requiem, licet in indulto non exprimatur.* S.Congr.Rit. in Piſtorien. 1.Iunii 1601. & in Toletan. 13. Iulii 1601. Barboſa *ibidem.*

Octaua. *Miſſa de Requiem in Altari priuilegiato non poteſt dici in die feſto duplici, & de præcepto, qui incidit in diem aſſignatum pro dicto Altari priuilegiato.* S.Congreg. Rit.ſub die 24.Aprilis 1627.Barboſa *ibidem.*

Nona. *Miſſæ de Requiem tolerari poſſunt in feſto duplici quod non eſt de præcepto pro voluntate teſtatorum implenda.* S. Congr. Rit. ſub die 1. Sept.1607. & 20. Iunii 1626. Barboſa *ibidem.* Animaduertit autem Gauantus non dixiſſe S. Congreg. id licere ad arbitrium viuorum, ſed pro implenda voluntate defunctorum.

Decima. *Miſſæ de Requiem non poſſunt dici in illis diebus, quibus prohibetur fieri de feſto duplici, nimirum infra octauam Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, in hebdomada maiori, feria quarta Cinerum, & in vigilia Natiuitatis Domini & Pentecoſtes,* S. Congreg. Rit.28.Augusti 1626. Barboſa *ibid.* & ex deciſ. nouiſs. Rom.

Vndecima. *Miſſas, quæ circumferuntur à S.Congr. non approbatas, S. Gregorij, pro viuis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre Aeterno, exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantum, veluti Roſarij, Sanctæ Mariæ de monte Carmelo, & alias, ſicut etiam officia ab eodem non approbata, prohibuit, reiecit omninò, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, & damnatis habere voluit* S. Congreg. Rituum ſub die 7. Aprilis 1628. Barboſa *c. verb. Miſſa* 1.

Duodecima. *Miſſam peculiarem de Roſario celebrandi quando onus in legato pio imponitur, tunc loco Miſſæ de Roſario, celebratur Miſſa Votiua B. Virginis de tempore* S.Congr.Rit.in Polignam 31.Iulii 1632. Barboſa ibidem.

Sed quæres, an quando Sacerdos accipit ſtipendium pro celebranda Miſſa in Altari priuilegiato pro defunctis, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio Altari, & applicando Indulgentiam plenariam quam aſſequitur in virtute Coronæ, vel Medaliæ benedictæ?

Botati.

Negant Bonac. *tom.1.d.4.q.vlt.punct.7.§.4.num.5.* Gabaſſus Flor.Tom.II.Theolog. uantus *in rubric.Miſſalis tit.12 num.5.* Affirmant Megala *tom.2.variarum reſol.187.n.20.* Marchinus *de ord.tract. 3.p.2.c.24.num.8.* Sed circa hanc quæſtionem eſt dicẽdum quòd, quando ille, qui petit Miſſam in Altari priuilegiato, vniuerſaliter locutus eſt, & nullum Altare particulare determinabit, Sacerdos ſatisfacit obligationi alibi celebrandi cum calculo, vel Medalia liberante animam è purgatorio. Ratio eſt, quia non fraudat intentionem petentis Miſſam, quia ſoluit quod ipſe intendit; dum enim petit Miſſam in Altari priuilegiato, non aliud intendit, niſi quòd illud ſacrificium habeat annexam Indulgentiam liberantem de purgatorio; quod celebretur Miſſa in tali Altari, non eſt intuitu Altaris, ſed intuitu Indulgentiæ: vnde Altare materialiter ſe habet, nec cadit per ſe ſub intentionem; hoc autem priuilegium eſt etiam annexum calculo ſeu Medaliæ benedictæ, cum qua qui celebrat pro defunctis ex opere operato liberat animam de purgatorio vnde exhibet quod promiſerat. Nec poteſt dici quòd illa Indulgentia ſit minoris efficaciæ, & certitudinis: non primum, quia eſt ſimiliter plenaria per modum ſuffragii: non ſecundum, quia tunc Indulgentia eſt omninò certa, quando prouenit à poteſtate certa, qualis eſt illa, quæ eſt in Vicario Chriſti: ſiue ergo Pontifex concedat hanc Indulgentiam celebranti in tali Altari, vel celebranti cum Medalia benedicta, ſemper interuenit eadem poteſtas diſpenſandi, vnde Indulgentia quoque habet eandem certitudinem; vt doctè reſoluit Paſqualigus *deciſ.494.*

Gauant.
Megala.
Marchi.

Qui autem promiſit Miſſam in tali Altari priuilegiato determinato, non ſatisfacit obligationi celebrando in alio cum applicatione Indulgentiæ ſuæ Medaliæ. Ratio eſt, quia dum quis determinatè petit in tali Altari habet aliquem ſpecialem finem, nempe vel honorem Altaris, vel commodum populi: & maximè verum, ſi Miſſæ ſint ordinariæ pro ſtatutis diebus. Si autem Miſſæ ſint manuales, quæ in dies ſingulos ſolent exigi, etiamſi pluries ſimul ab vno aliquo exigantur in aliquo Altari determinato, ſacerdos ſatisfaciet celebrando in alio Altari & applicando Indulgentiam plenariam per modum ſuffragii: quia ſunt huiuſmodi Miſſæ aduentitiæ & non addictæ cultui alicuius ſpecialis loci. Ita Fraxinellus *de oblig. Sacerd. ſect.4.concluſ.4. §. 9. num. 2.* Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſar.p.3. num. 29.* Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ. 427.& 428.* Homobonus *in exam.p. 1. tract. 4.c.13.q.123.* Diana *p.4.tract.4.reſol. 40.& p.6.tract.6.reſol.12.* & alii penes ipſos.

Fraxin.
Alph. de Leone.
Paſqual.
Dian.

15. Dubium eſt an Priuatus regularis præcipere poſſit ſuo Religioſo, vt ad intentionem ſuam Miſſæ ſacrificium applicet? Reſp. Poſito quòd Prælatus poſſit præcipere ſuis ſubditis actus internos, quatenus ad actus exteriores pertinere poſſunt, & ſunt neceſſarii ad hoc, vt actus externi, in quibus quis Superiori ſubditur, rectè exerceantur, poteſt ſuis ſubditis præcipere, vt Miſſam celebrantes, habeant intentionem applicandi eius valorem ad ipſius Prælati intentionem. Ratio eſt, quia hoc non eſt diſponere de actu interno ſubditi, qui eſt applicatio medii valoris Miſſæ, ſed eſt diſponere de illo actu, quatenus connexus eſt cum exteriori actu celebrationis eiuſdem Miſſæ, qui rectè perfici nõ poteſt ſine applicatione actus interni: idcircò per neceſſariam connexionem bene poteſt Prælatus illum præcipere: & Religioſus non obediens peccabit contra obedientiæ votum in re graui. Ita Rodriq. *t.3.quæſt.reg.q.19 ar.2.* Miranda *t.1 q.26. art. 3.* Sanch. *l.6.moral.c.2.n.6.* Tambur. *de iure Abba. tom. 2.diſp.21.q.5.* Suar. *de leg.l.4.c.13.* Regin. *l.13.n.21.* Peyrin. *t.1.de ſubdito q.1.c.§.vnic.*

Rodriq.
Mirand.
ſanchez.
Reginal.
Peyrin.

Sed controuertitur, an ſi Sacerdos regularis applicet Miſſas contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio; Negatiuè reſpondet Scotus *quodl.20.* Corduba *l. 1. q.3.notab.5.* Ledeſm. *2.4.q.10.art.14.* Gauant. *in comment. rubr.p.3.tit.12.n.28.* March. *tr.3.p.2.c.33.* Ratio illorũ eſt, quia Religioſus non habet velle & nolle, nec propriam voluntatem, ſed eam totam retulit voluntatem Superioris ergo nec votum nec applicatio Miſſarũ valida erit cõtra voluntatem Superioris. Hæc opinio eſt ſatis probabilis.

Scotus.
Cordub.
Ledeſm.
Marchi.

Tamen probabilior opinio eſt, cui adhæreo, valere huiuſmodi applicationem contra obedientiam Prælati factam;

Digitized by Google

ctam; peccare tamen Religioſum contra votum. Fundamentum huius ſententiæ eſt; quia ſicut in Sacramentorum adminiſtratione Sacerdos operatur, vt Chriſti miniſter: ita & in oblatione ſacrificii Miſſæ, ergo ſicut in Sacramenti adminiſtratione debet eſſe intentio propria & perſonalis; ita in applicatione Miſſæ, in qua Sacerdos ita ſe gerit, vt habens a Chriſto poteſtatem immediatam, adeo vt intentio eius, & Chriſti, vna eſſe cenſeatur; ergo Sacerdotis intentio quoad hoc, neque Eccleſiæ, neque Prælato ſubditur, ita vt per illum irritari poſſit; licet ſubdatur quoad obligationem faciendi, vel non faciendi. Ita Suarez *3.p.tom.3.diſp.79.ſect.9.* Fagundez *prac.1.l.3.c.10.num.4.* Henriquez *l.9.c.21.n.6.* Diana *p.2.tract.14.reſ.72.* Syluester *v. Miſſa 1.n.12.* Tamburinus *t.2.diſp.5.quæſt.8.* Lezana *in ſumm. cap. 4. num.35.tom.1.* & omnes Doctores Salmanticenſes.

Suarez. Fagund. Henriq. Dian. Syluest. Lezana.

Si quæras, an idem dicendum ſit de aliis precibus, v.g. Officio Defunctorum, *Sanctæ Mariæ*, ſeptem Pſalmis, &c. præceptis a Prælato pro ſatisfactione alicuius ſignatæ perſonæ, & pro alia applicatis. Reſp. non eſſe parem caſum: nam ideò diximus, tunc valorem Miſſæ proficere, iuxta intentionem celebrantis, quia hic operatur, vt miniſter Chriſti, & ſacrificium illud ex meritis Chriſti operatur; vnde quoad iſtum valorem ex opere operato parum refert, ſit ne miniſter in gratia vel non; hoc tamen caſu totus valor operis pendet ex operante, qui cùm, vt ſupponimus ſibi inobediens, propter præceptum ſuperioris non obſeruatum, & per conſequens non ſit in gratia, opus illud nullum habebit valorem, cum ſit penitus demortuum, nec poterit proficere quoad ſatisfactionem, nec perſonæ operanti, vel cui ipſe dabit, nec perſonæ cui applicuit. *Superior*. Ita Suar. *tom.4 in 3 p.d.55.ſect.5.* & videri poteſt Miranda *tom.2.q.50.art 3.* ſi tamen opera eſſent ex illis à Chriſto vel Eccleſijs inſtitutis, vt Pater noſter, Horæ canonicæ, &c. ſecundùm aliquos operarentur etiam aliquid ex opere operato, ob virtutem eis inhærentem ex inſtitutione Dei, vel ipſius Eccleſiæ vniuerſalis, vt habet Nauar. *tract.de horis canon.c.19.nu.59.& 62.& cap.20.num.39.* vel etiam poſſumus dicere, quòd hæc opera valeant tanquam facta ab Eccleſiæ miniſtro. Vt Nauar. obſeruat.

Nauar.

MISSA IV.

Quo in loco, tempore, & qua hora, Miſsa ſit celebranda.

SVMMARIVM.

1 *An prohibitum ſit Sacerdoti ſacrificium facere in aliis locis, præterquam in locis Epiſcopi auctoritate conſecratis? Quanta debeat eſſe neceſſitas vt poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. Et an priuilegia Mendicantium celebrandi extra Eccleſiam ſint reuocata per Concil. Tridentinum?* refertur duplex ſententia.

An Epiſc. contradicente & prohibente poſſint priuilegiati celebrare in cellis particularibus, poſt Concil. Tridentinum? An in Altaribus virtute priuilegiorum erectis, poſſint Sacerdotes ſæculares Miſſam dicere? Quale ſit peccatum celebrare in Eccleſia violata? Et an celebrans fiat irregularis?

2 *An qui ex titulo vel ex conuentione tenetur in aliqua Eccleſia vel Altari celebrare, poſſit id in alia Eccleſia vel Altari abſque peccato mortali & obligatione ad reſtitutionem?* refertur duplex ſententia.

3 *An peccet mortaliter Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſſas pro iis à quibus vel pro quibus ſtipendium accepit?*

4 *An Sacerdos non habens eleemoſynam ſatisfaciat Miſſas anticipate dicendo?*

5 *An iure ordinario ſemel tantùm in die ſacrificare liceat? & an ob extraordinariam neceſſitatem liceat bis celebrare?*

6 *Qua hora temporis celebranda Miſſa regulariter incipiat & an liceat celebrare poſt meridiem? Et quid poſſint Religioſi circa hæc virtute ſuarum priuilegiorum.*

7 *An tres Miſſæ quæ in die Natiuitatis celebrantur poſſint noctu ante auroram celebrari.*

8 *An Sacerdos peccet mortaliter, qui celebrat Miſſam ante Matutinum recitatum;* refertur duplex ſententia.

9 *An Prælati in celebratione Miſſarum in diebus feſtiuis, mutare debeant ſuarum Eccleſiarum ritum, præcipiente Epiſcopo vel Ordinario loci feſtum aliquod obſeruari.*

1 IVre antiquo prohibetur *Sacerdos* ſacrificium facere in aliis locis, præterquam in locis Epiſcopi auctoritate conſecratis; & ante Concil. Tridentin. licebat Sacerdoti ex conſenſu Epiſcopi ſacra facere in priuatis domibus, quæ ſacræ non erant ſuper Altari ſacro portatili; *c. ſicut de conſecr.d.1.c.Clericos de conſecr.diſt.1.* nunc verò poſt Concil. Trident. *ſeſſ.22.* Azor. *1.p.l.10.cap.26.* Nauar. *cap.25.num.82.* Syluius *3.p.q.83.art.3.concluſ.4.* ſolus Romanus Pontifex id concedere poteſt; quia in Tridentino cautum eſt, ne Epiſcopi patiantur in priuatis domibus atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum cultum tantùm dedicata oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus aut regularibus quibuſcumque peragi; An autem quando oratorium priuatæ domus eſt tantùm diuino cultui dedicatum atque permanenter, poſſit Epiſcopus concedere licentiam, poſt Concilium Tridentinum, vt in ipſo Miſſa celebretur. Affirmant Zerola *in praxi Epiſc. p.1.v. Miſſa*, aſſerens Sacram Congregationem ita plures declaraſſe, Beja *part.4.caſ.conſc.caſ.33.* Rodriquez *tom.1.quæſt.reg.q.43 art.6.* Suarez *tom.3.diſput.81.ſect.3.* Gutier. *lib.1.quæſt.c.30.num.28.* Quaranta *verb. Miſſa*. Quod videtur habere fundamentum in ipſo Tridentino; nam ſolùm prohibet, ne Epiſcopi permittant celebrari extra Eccleſiam & extra Oratoria diuino tantùm cultui dicata ab ipſis Epiſcopis viſitanda; Huiuſmodi autem Oratoria ſunt ex illis, de quibus Concilium ait poſſe in ipſis celebrari; cùm ſint tantùm diuino cultui dicata, & ab Epiſcopis viſitentur.

Con Tr. Azor. Nauar. Syluius.

Zerola. Rodriq. Suarez. Gutier.

Oppoſitum tamen tradunt Nauarrus *cap.25.num.81.* Bonacina *diſp.4.q.vlt.p.9.num.11.* Miranda *tom.1.q.40.art.9.* Fagundez *prac.1.l.3.c.13.* Gauantus *in Rubr. miſs. p.1.tit.20.* Marchinus *de Ord. tract.3.p.3.c.9.num.7.* Lugo *diſp.20.de Euch.ſect.2.num.50.* quorum aliqui cenſent id prohiberi per Concilium Tridentinum: Alij verò ſolùm per Decretum Sacræ Congregationis editum iuſſu *Pauli V.* anno 1615. 10. Martij; per quod abſolutè prohibetur Epiſcopis, ne concedant huiuſmodi licentias, imò iubentur vt conceſſas reuocent.

Nauar. Bonac. Fagund. Lugo.

Quoad praxim autem dicendum eſt variam eſſe Epiſcoporum circa hanc licentiam dandam, etiam in noſtro Belgio; aliqui enim negant, alii concedunt, nixi authoritate prædictorum Doctorum; Cæterùm ſi Oratorium priuatæ domus ſit permanenter dicatum cultui diuino & habeat ingreſſum expoſitum, vt quilibet ingredi poſſit, Epiſcopus poſſet concedere licentiam, vt in ipſo celebretur. Ratio eſt, quia licet huiuſmodi Oratorium ſit erectum ex intentione commoditatis priuatæ, de ſe tamen publicum eſt; cùm habeat ingreſſum omnibus expoſitum, & ſit erectum auctoritate Epiſcopi, & ſubiaceat eiuſdem viſitationi: vnde in huiuſmodi Oratorio poſſet celebrari ianuis clauſis, ita vt accedant tantùm Domini, & illi quos ipſi voluerint admittere; quia ex præcepto habemus tantum quòd Miſſa celebretur in Eccleſia ſeu Oratorio publico: non autem quod publicè celebretur in ipſo. De his plura apud Paſqualigum *in deciſ. moralibus deciſ.165.& ſequent.* Miſsæ ſacrificium abſque peccato fieri poteſt, extra loca conſecrata, tempore neceſſitatis, Epiſcopi conſenſu, vbi commodè id peti & impetrari poteſt, aut etiam ſine eo, vbi commodè id peti non poteſt, quia Concilium Tridentin. ſolum abuſus voluit è medio tollere priuatæ celebrationis: qui cum orirentur tantùm ex continuatis

Paſqual.

licen.

licentiis extra caſum neceſſitatis, hanc tantùm facultatem abſtulit Epiſcopis, nimirum concedendi licentias permanentes & ſtabiles, extra caſum neceſſitatis Dian. *tr. de celebr. Miſſ. reſ.* 38. Sà *verb. Miſſa n.* 20.

Dian. Sà.

Sed petes, quanta debeat eſſe neceſſitas, vt poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata? Reſp. non poſſe vnquam interuenire abſolutam neceſſitatem celebrandi extra loca deputata; quia quando non poteſt celebrari in locis deputatis, ceſſat præceptum audiendi Miſsa. Itaque ſolùm poteſt interuenire quædam neceſſitas moralis fundata in exigentia deuotionis fidelium; quia videlicet indecens ſit quòd fidelium deuotio defraudetur non celebratione: aut quia ſit valde conueniens, quòd fruatur tali celebratione, aut quia celebratio cenſeatur neceſſaria ad conſeruandam deuotionem, quæ eſt ponderanda, habita ratione circumſtantiarum. Vnde generaliter tunc cenſenda eſt adeſſe neceſſitas, quando cultus diuinus notabiliter læditur, aut imminuitur, ſi non celebretur.

Hinc ratione neceſſitatis poteſt in caſtris militum in tentoriis, aut etiam ſub dio celebrari, & maximè diebus feſtis, & quando pugnandum eſt; tum quia tunc militum deuotio valde periclitaretur, niſi ſacrificio frueretur. Tum quia cùm in pugna milites ſe exponant euidenti periculo mortis, oportet vt poſſint ſe præparare per ſacram Euchariſtiam. Imò etiam diebus non feſtis habet locum neceſſitas, quoad Generales & alios primarios Ductores militum, vt poſſint facere celebrare in caſtris, in ſuis tentoriis.

Secundò, tunc adeſt neceſſitas celebrandi extra loca deſtinata quando quacumque ex cauſa confluit magna multitudo, ita vt non poſſit capi intra locum deſtinatum ad celebrandum, tunc enim poteſt extra ipſum erigi Altare, & ibi celebrari.

Tertiò, quando nauigantes appellunt ad aliquod littus, & per notabile tempus, puta per menſem, caruerunt ſacrificio Miſſæ; poteſt ibi celebrari, cum debita tamen reuerentia & decentia, & dummodò non adſit aliquod periculum. Item ſi appellant ad littus in aliqua ex ſolemnioribus feſtiuitatibus, poteſt adbuc ibi celebrari, quamuis per paucos dies caruerint ſacrificio, quia non eſt conueniens quòd in illa feſtiuitate ſacrificio fraudentur. Vnde Nauar. *in Man. cap.* 25. *num.* 82. Reginald. *lib.* 29. *num.* 178. Fauſtus *de Euch. lib.* 2 *q.* 170. Suar. 3. *p. tom.* 3. *diſp* 81. *ſect.* 3. Rodriq. *tom.* 1 *quæſt. reg. q.* 43. *art.* 6. Bonacin. *de Euchar. q. vlt. punct.* 9. Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ.* 167. Nugnum 3. *p. q.* 83. *art.* 3 & alios.

Nauar. Reginal. Fauſtus. Suarez. Rodriq. Bonaci. Paſqual.

Quarto, ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barboſam *p.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat.* 23. *num.* 8. *& 9.* poteſt Epiſcopus concedere talem licentiam, quando adeſt cauſa rationabilis, ob quàm non eſt licitus egreſſus è domo, ex quacumque cauſa id proueniat, dummodò talis cauſa per notabile tempus duret, aut coincidat cum aliqua principaliori ſolemnitate; quia tunc, cum ſit impeditus legitimè acceſſus ad Eccleſiam, rationabile eſt, vt pro aliqua vice concedatur huiuſmodi licentia, habita tamen ratione qualitatis perſonarum & circumſtantiarum: non debet enim hæc licentia cuicumque perſonæ concedi, ſed tantùm perſonis conſpicuis, quæ dignæ ſint vt tali honore, & fauore gaudeant.

Barboſ.

An autem priuilegia Mendicantium celebrandi, extra Eccleſiam ſint reuocata per Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 22. *in Decret. de obſeru. & euit.* Suarez 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. & Nauar. *in Man. cap.* 25. *nu.* 82. affirmant: ſed negatiua ſententia Ioanni Præpoſito *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *num.* 151. videtur verior: quia in decreto Concilii nulla eſt clauſula, quæ priuilegiis Regularium antea conceſſis deroget vel ea reuocet: vnde cenſet priuilegium datum Prædicatoribus & Minoribus *in cap in his, de priuileg.* nõ eſſe reuocatum per Trident. quod confirmat, quia Canon inſertus iuri communi non debet dici reuocari niſi ſufficienter conſtet de reuocatione, cùm ſit fauorabile ius commune remanere & eius reuocatio cenſetur odioſa, in præſenti autem non clarè conſtat reuocari, ergo: Hæc Præpoſitus. Et in eadem ſententia videtur eſſe Rodriquez *tom.* 1 *quæſt. reg. q.* 43. *art.* 5. dicens quod modo poſſimus vti dictis priuilegiis celebrandi in Altari portatili, in oratoriis, plateis, & in omni loco honeſto, quamdiu non contradicunt Epiſcopi. Aduertant tamen Religioſi, inquit Rodriquez, ne vtantur priuilegiis concedentibus vt Miſſæ poſſint celebrari in cameris ſæcularium, vbi ipſi dormiunt, & fœminis non ſolùm ſuis, ſed etiam fortè alienis coniunguntur. Indecentiſſimum enim eſt vti talibus priuilegiis, niſi aliqua vrgentiſſima neceſſitate inſtante. Hæc ille: Ita etiam Ioan. de la Cruz *de ſtat. relig. l.* 2. *c.* 5. *dub.* 7. *concl.* 3 *&* 4. Portel. *in dub. reg. verb. Altare n.* 1. Paſqualigus *in deciſ. mor. deciſ.* 54 & ego.

Con. Tr. Suar. Nauar. Præpoſ. Rodriq.

De la Cruz. Portel. paſqual.

Quod autem per Tridentinum non reuocentur priuilegia Regularium, patet ex eo, quòd Decretum Concilii Tridentini non eſt prohibitiuum actus, ſed conceſſiuum facultatis prohibendi; & dirigitur tantùm ad Epiſcopos, quos delegat vice Sedis Apoſtolicæ ad exercendum actũ prohibitionis etiam contra Regulares: ergo poſſunt Regulares id quod antea poterant, quouſque ab Epiſcopis prohibeantur: cùm ante talem prohibitionem, nulla alia ſit prohibitio, ſed tantùm facultas prohibendi.

Ad tollendum autem omne dubium extat priuilegium *Gregorii XIII.* conceſſum Societati IESV, quòd non obſtante Concilio Tridentino poſſint Presbyteri dictæ Societatis in miſſionibus, quæ à Superioribus fiunt, aliàs ſeruata forma conceſſionis *Pauli III.* videlicet, cum debita reuerentia, & honore ſacrificium Miſſæ cum Altari viatico celebrare vbique gentium, etiam in caſtris militum, modo loca, etſi communia & prophana, tamen tuta & honeſta ſint, & Præpoſitus Generalis, aut per eum Prouinciales Præpoſiti, eo tunc vtendum fore iudicauerint, poteruntque ibi ipſi Presbyteri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus ad illud ſumendum debitè præparatis.

Eſtque aliud priuilegium eidem Religioni conceſſum ab eodem Pontifice. Vt ſcilicet, in domibus ſuis in priuato Oratorio à Prouinciali approbato, poſſint Miſſæ dici ſine alia Epiſcopi approbatione, non obſtante Concilio Tridentin. Hæc priuilegia referunt Rodriquez *c. art.* 4. Henriquez *lib.* 9. *c.* 27. *num.* 2. *in comment. lit. S.* Naldus *in ſumma verb. Miſſa num.* 32. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 178. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſ.* 5. *quæſt.* 6. March. *de ord. tract.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *num.* 13. quæ participantur ab omnibus Regularibus communicationem cum prædicta Societate habentibus.

Rodriq. Henriq. Naldus. Reginal. Tamb. March.

Eſt & aliud priuilegium conceſſum à *Pio IV.* Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranenſis ſub die 18. Maij anno 1565. vt poſſint celebrare in cellis, ſeu cameris ſuorum infirmorum, nulla Ordinariorum licentia requiſita: vt habetur in priuilegiis eorumdem Canonicorum Lateranenſ. & refertur in Compend. *priuileg. Congreg. Sanctæ Mariæ Fulenſis. tit. infirm.* §. 5. & notant Marchinus *de Sacr. ordin. tract.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *num.* 12. Paſqualigus *in deciſ. mor. deciſ.* 176. Nec huic priuilegio obſtat decretum Tridentini: quia conceſſum fuit poſt ipſum Concilium, & cum ampliſſimis clauſulis derogatoriis etiam conſtitutionum editarum in Conciliis Generalibus. Non eſt autem neceſſe quòd infirmitas ſit magni momenti, ſed ſufficit quod ratione infirmitatis non poſſit infirmus exire à cubiculo, vt exprimitur in priuilegio.

Marchin.

Adnotant præterea Doctores hic citati, quòd ſi infirmi regulares gaudentes dicto priuilegio reperiantur extra clauſtra in domibus ſæcularium, poſſint nihilominus facere celebrare in ſuis cubiculis: quia priuilegium non eſt locale, ſed perſonale. proinde ſequitur perſonam, ita vt in quocumque loco ipſa ſit, illo vti poſſit. Cap. *Priuilegium, de regulis iuris in* 6.

Dubium eſt, an moniales ſubiectæ Regularibus communicantibus in priuilegiis gaudeant dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum? Reſpondeo cum *Paſqualigo* loco citato qui citat Palaus 1. *p. tract.* 3. *de priuil. diſput.* 4. *punct.* 2. §. 9. *n.* 1. participare etiã ipſas ex eo, quod participant regulares, quibus ipſæ ſubiectæ ſunt; quia cùm Moniales ſint veluti quid acceſſorium regularium & pars eiuſdem ordinis, priuilegium conceſſum regularibus extenditur ſecundariò etiam ad ipſas, quatenus illius capaces ſunt. Et hoc conſtat ex Bulla Sixti IV. *in bulla ſacri.* Peyrin. *t.* 1. *priuil. in conſtit.* 4. Sixti 4. §. 7. *n.* 30.

Sixtus. peyrin. Sixti.

Sed petes *Primò* an Epiſcopo contradicente & prohibente poſſint adhuc Regulares non obſtante Decreto Cõcilii Trident, celebrare in grangiis & cellis particularibus? Reſp. probabile eſſe quòd ſic cum altari portatili. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſs.22.* ſolùm concedit Epiſcopis ne permittant celebrare in priuatis domibus, aut omninò extra Eccleſiam. Hæc verò prædia, ſeu grangiæ, non ſunt priuatæ domus, quia non ſunt domus priuatarum perſonarum, aut ſæcularium, ſed monaſteriorum, & communitatum Religioſorum, nec ſunt omninò extra Eccleſiam, & bona ipſius. Ita Lezan. *in ſum. quæſt. Regul. tom. 3. verb. Altare num. 14.*

Lezana.

Petes *Secundò* an in prædictis altaribus virtute horum priuilegiorum erectis, poſſint Sacerdotes ſæculares Miſſam dicere. Reſpondet ad hoc dubium Suar. 3. *p. tom.* 3. *diſp. 71. ſect.* 3. Tambur. *de iur.* Abbat. *tom. 2. diſp. 5. q. 6. num.* 4. Marchin. *de ordin. tract. 3. p. 3. cap. 9. nu.* 13. Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 5. num.* 5. cui ex parte ſubſcribit, nempe in his priuilegiis valde conſiderandum eſſe, an dirigantur ad perſonas tantùm Religioſorum, vel ad loca ipſorum. Nam ſi priori modo conceſſa ſunt, non poſſunt ad ſæculares extendi. Tale eſt priuilegium primum *Gregorij XIII.* conceſſum Presbyteris Societatis; quo nõ licet vti Sacerdotibus ſecularibus. Si autem poſteriori modo ſint conceſſa, poterunt in huiuſmodi loco non ſolùm Religioſi; ſed etiam quilibet alii Sacerdotes celebrare: quia priuilegium dirigitur ad locum ſeu ad Prouincialem, cui communicatur illa Epiſcopi authoritas approbandi abſolutè locum illum ad ſacrum faciendum: & huiuſmodi eſt priuilegium poſtremum *Gregorij*.

Suarez. Tambu. Abbat. Marchi. Layman.

Petes *Tertiò*, quale ſit peccatum celebrare in Eccleſia violata. Reſp. eſſe per ſe peccatum mortale miſſam facere, aut horas canonicas publicè recitare, aut ſacramenta miniſtrare in polluta Eccleſia, antequam purificetur & reconcilietur. Ratio eſt, quia id cederet in magnam irreuerentiam Eccleſiæ & ſacramenti, & violaretur præceptum Eccleſiaſticum in materia graui *c. Propoſuiſti, de conſecr. diſt. 1.* & docent D. Thom. 3. *p. q. 83. art. 3. ad 2.* Nauar. *in man. cap. 25. num. 83.* Syluester *v. Conſecratio*. Poſſet tamen Epiſcopus ex cauſa dare facultatem, vt in polluta Eccleſia miſſa fiat, antequam reconcilietur, vt docet *D. Thomas* ſuprà, v. g. ſi Epiſcopus eſſet abſens, vel infirmus, nec eſſet in eo oppido alia Eccleſia, in qua poſſent ſacra celebrari: vnde, nec populus miſſam audire, nec ſacramenta recipere diu poſſet. Imò tanta poſſet eſſe neceſſitas, vt ſi Epiſcopus accerſiri non poſset, abſque alia eiuſdem licentia, adhuc ſacra licerent; quomodo excuſantur, qui in Anglia, Gallia, Germania, in violata Eccleſia propter ſepulturam hæretici miſsam celebrant. Ita Suarez *diſp. 81. ſect. 4.* Fagundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 14.* Similiter excuſatur ſacerdos celebrans in Eccleſia polluta, quoties pollutio contingeret poſt cœptum Canonem, imò tunc tenetur Miſsam proſequi vt ſacrificium perficiat, ſecùs ſi ante Canonem Miſsæ violatio accideret. Item excuſatur celebrans in Eccleſia polluta ad communicandum infirmum morti proximum: & quamuis in polluta Eccleſia Sacramenta miniſtrari non poſsint, ſi tamen Eccleſia ſit parochialis, licebit in ea baptizare, & ſeruare Euchariſtiã pro communicandis infirmis. Ita Vgolinus *de offic. Epiſc. cap. 29. § 7.* Sayrus *de cenſur. lib. 5. cap. 16. num. 29.* Nam hæc omnia permittuntur in quocumque interdicto, *Cap. final. de ſentent. excomm.* in Eccleſia autem violata propriè non eſt interdictum. Vnde

Suarez. Fagundi. Vgolin. Sayr.

Celebrans in Eccleſia polluta non incurrit irregularitatem aut aliam cenſuram. Colligitur manifeſtè ex *Cap. Is qui, de ſentent. excommun. in 6.* & docent Suar. *c. ſect. 4.* Laym. *lib. 5. tract. 5. c. 5.* licet quidam putent celebrantem ſcienter in Eccleſia polluta incurrere pœnam interdicti ab ingreſsu Eccleſiæ, cum quo ſi celebret, irregularitatem incurret. Sed hoc de iure non conſtat.

Suarez. Laym.

2. Qui ex titulo vel ex conuentione tenetur in aliqua Eccleſia vel altari celebrare, nõ poteſt in alia Eccleſia vel alteri abſque peccato mortali celebrare, niſi hoc faciat ex iuſta & rationabili cauſa; quia non adimplet voluntatem & intentionem teſtatoris, nec præſtat id ad quod fuit electus & aſsumptus: & hoc verum, etiamſi Sacerdos hoc faciat de conſenſu hæredum: ob legitimum tamen impedimentũ illud Sacerdoti liceret; imò ex iuſta cauſa concedere poteſt Epiſcopus, vt aliquãdo Miſsa in alia Eccleſia vel in alio alteri celebretur, ſi nequeat celebrari in loco conſtituto. Nauar. *c. 25. n. 134.* Azor. *1. p. l. 10. c. 24. q. 8.* Graſſiis *1. p. l. 2. cap. 53. n. 9.* Henriq. *l. 9. cap. 23. num. 5. &* 6. Dian. *de celebr. Miſsar. reſol. 29. p. 2.* Vnde aliqui Doctores docent Sacerdotem, quia abſque iuſta cauſa alibi contra fundatoris voluntatem celebrauit, non ſolùm peccaſse mortaliter, ſi ſæpius hoc fecerit, verùm etiam teneri ad aliquam reſtitutionem, vt compenſet ſacrificia alibi facta. Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæſt. 8.* Non videtur tamen improbabile non teneri ad reſtitutionem; quia non priuauit fundatorem fructu ſacrificii, quamuis peccauerit alibi celebrando. Poſseuin. *cap. 2. num. 25.* Bonacin. *c. p. 7. § 4. num. 5.* Vt docent *Diana* & alii hic citati.

Nauar. Azor. Graff. Henriq. Dian. Azor. Poſſeui. Bonac.

3. *Mortaliter peccat Sacerdos*, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſsas pro iis à quibus, vel pro quibus ſtipendium accepit; quia fieri poteſt vt dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum eſt Miſsæ ſacrificium, vt ſi tempus ſit elapſum ab obtinendum quod intendebatur ab eo qui tradidit eleemoſynam, vel tardiùs illud conſequatur. Reginal. *lib. 23. num. 236.* Henriq. *lib. 9. cap. 22. num. 8.* Syluest. *v. Miſſa 1. quæſt. 10.*

Reginal. Henriq. Syluest.

Imò fieri poteſt vt Sacerdos qui Miſsæ celebrationem diſtulit, obligandus ſit ad reſtitutionem ſtipendii accepti, vt ſi accepit eleemoſynam pro impetranda infirmi valetudine, & ipſe celebrationem Miſsæ diſtulit in tempus: quo infirmus obierat. Nauarra *lib. 2. cap. 2. num. 366.* Rodriq. *c. 252. num 7.* Vnde licet Sacerdotes mercenarii poſsint accipere aliqua ſtipẽdia pro aliquibus Miſſis, quas non poſsunt ſtatim perſoluere, modò ſit periculum defraudandi intentionem tradentium eleemoſynam; cauere tamen debent, ne multa ſtipendia congerant pro Miſsis ad longum tempus duraturis, alioquin exponerent ſe periculo defraudandi mentem tradentium eleemoſynas, & non perſoluendi Miſsas tempore opportuno, aut ſimpliciter morte ſuperueniente. Bonac. *c. § 5. n. 2.* Regin. *c.* P. Nauar. *c.* Rodriq. *c.* Dian. *tract. de celebr. Miſs. reſ. 25. p. 2.*

Nauar. Rodriq.

4. *Sacerdos* non habens eleemoſynam, an ſatisfaciat Miſsas anticipatè dicendo, hac intentione vt illarum Miſſarum valorem applicet pro eo, qui poſtea ſibi tradet eleemoſynam, modò non intendat effectum ſacrificij ſuſpendere ad illud vſque tempus, quo ſibi tradetur eleemoſyna. Affirmant Suar. *d. 79. ſect. 9.* Vaſquez *3. p. d. 234. cap. 3. num. 22.* Conink *quæſt. 83. art. 1 n. 168.* Poſſeuinus *cap. 2. num. 25.* Arragon. *de iuſtit. quæſt. 83 art. 3.* Reginaldus *lib. 23. num. 237.* & alii: & *ratio* illorum eſt, quia fructus ſacrificij anticipatè celebrari prodeſt certæ perſonæ traditurae eleemoſynam, cùm perſona ſit certa in mente Dei, & ſit capax fructus, & ſacerdos mentem ſuam in ipſam dirigat, & pro ipſa Miſsæ ſacrificium offerat. Verùm in praxi huiuſmodi conſuetudo non eſt approbãda & toleranda, quia redolet nimiam lucri cupiditatem, & etiam par eſt, vt qui tradit eleemoſynam, ſciat Miſſam pro ſe celebrãdam, vt melius ſe diſponat ad recipiendum ſacrificii fructum: vnde ex mandato *Clementis VIII.* ſub die 15. Nouemb. 1605. hæc ſententia ab Eminentiſsimis Cardinalibus, tamquam pluribus nominibus periculoſa fidelium ſcandalis & offenſionibus obnoxia, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimiùm abhorrens improbata & condemnata fuit, teſtibus Dian. *de celebrat. Miſsarum reſolutione 16.* Tamburino *de iure Abbat. tom. 2. diſput. 5. q. 9. numero 21.* Marchin. *de ordin. tractatu 3. parte 2. cap. 31. numero 6. & ſeq.* Nota tamen quòd hoc decretum licet emanauerit à *Clemente VIII.* Publicatio tamen illius non fuit facta per epiſtolam, niſi à Paulo V. eius ſucceſſore: eo quod decimaquinta die Nouembris anni 1605. quando id factum fuit, Pontifex erat *Paulus V.* Hinc prouenit diuerſitas apud Authores in citando Summo Pontifice, Lezan. *tom. 4. ſum. verb. Miſsa num. 52.* poſt *Gauantum*.

Suar. Vaſq. Conink. Poſſeu. Arrago. Reginal. Lezan.

Concedendum autem eſt, Sacerdotem, qui tenetur ſingulis hebdomadis aliquas Miſſas celebrare pro fundatore, vel pro aliquibus defunctis per ſe loquendo ſatisfacere illas in hebdomada antecedente celebrãdo; quia perſoluit

Digitized by Google

ſolnit anticipatè ad inſtar boni & ſolliciti debitoris: ſi tamen contrarium ſpecialiter exprimatur in fundatione capellaniæ, non poteſt capellanus Miſſas anticipatè perſoluere, mens enim fundatoris tamquam lex implenda eſt Rodriq. cap.251. concl. 8. P. Nauar. *lib. 2. cap. 2. num. 371.* Bonac. *c. §. 5. n. 4.* Reginald. *c. num. 237.* Dian. *tract. de celebr. Miſſ. reſol. 16. p. 3.* & alii.

Rodriq. Nauarr. Bonaci. Reginal. Diana.

5. *Iure ordinario* ſemel tantùm in die ſacrificare licet, ſi diem Dominici natalis excipias, in quo ter Miſſam celebrare licet *cap. conſuluiſti, de celebrat. Miſſarum*, multi tamen Doctores exiſtimant ob extraordinariam neceſſitatem, Sacerdotem poſſe bis in die celebrare, modò ſit ieiunus, nec ſe purificauerit in prima Miſſa. *Neceſſitas* eſt *Primò*, quando propter tenuiſſimum reditum Sacerdos habet duas parochias, & die feſto in vtraque eſt celebrandum. *Secundò*, quando pro infirmo communicando deficit Sacramentum, & non adeſt alius Sacerdos celebraturus; *Addunt* aliqui Doctores hoc idem licitum eſſe, quãdo die feſto adueniunt peregrini Miſſam audituri, aut quando ad Eccleſiam accedit vir illuſtris, putà Princeps aut Epiſcopus; verùm cum hæc abierint in deſuetudinem ob multiplicitatem Sacerdotum, ſtandum eſt legitimæ locorum conſuetudini. Vide D. Tho. 3. *p. 83. art.* 2. Toletus *l. 2. c. 3* Nauar. *c. 25. num. 87.* Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 37.* Bonac. *c. §. 5. n. 9.* Syluius 3 *p. q. 83. art. 2. ad* 5. Diana *c. reſo. 56* & alios.

D. Tho. Nauar. Marchi. Bonacin. ſyluius. Diana.

Notandum tamen hic eſt, quòd quamuis parochus habens duas parochias poſſit duas Miſſas celebrare, in die tamen Paraſceues non poteſt, nec tenetur duplex ſepulchrum erigere in vtraque Eccleſia, ſed poterit tantùm in principaliori. Prob. quia cùm debeat ſacerdos illo die particulam hoſtiæ præcedenti diæ conſecratæ, ſimul cum vino in Calice poſito ſumere, non poſſet iterum ieiunus communicare, cùm ieiunium naturale frangatur per ſumptionem illius vini non conſecrati, vt docent omnes. Quòd ſi fortè Parochus hanc futuram difficultatem non præuidens, in vtroque templo tumulum erexit; tunc vel in vno tantùm ſacramentum ſumat, & cæremoniã abſoluat, & in altero ſacramentum in ſecreto ac decenti loco recondat, vel certè in primo templo omittat illam cæremoniam ſumendi particulam Hoſtiæ conſecratæ cum vino, vt monet Suarez *3. p. tom. 3. diſp. 80. ſect. 3.* cùm talis cæremonia non cenſeatur eſſentialis. Hoc autem intelligitur, vbi ſeruatur Romana conſuetudo de conſumenda Hoſtia die Paraſceues, quæ præcedenti die Iouis expoſita fuit in ſepulchro.

Suarez.

6. *Hora ſeu tempus* celebrandæ Miſſæ regulariter incipit ab aurora vſque ad meridiem, *aurora* autem dicitur, quando aer incipit illuſtrari ſeu illuminari per primam ſolis irradiationem, vel paulò ante per quadrantem aut per dimidiam horam, nam in moralibus parum pro nihilo reputatur; vnde in neceſſitate, vt pro communicando infirmo, & ob honeſtam cauſam v.g. ob iter, officium ſolemne, longam concionem, non eſt punctualiter expectandum ipſum auroræ tempus. Habenda eſt prætetea ratio loci: nam in partibus Septentrionalibus, in quibus hyemales dies ſunt breuiſſimi, licitum eſt, citiùs Miſſam inchoare, alioqui nimis bene eſſet tempus, quod intercedit inter initium, quo inchoandæ, & finem, quo abſoluendæ ſunt miſſæ: *ſimiliter* ob eaſdem cauſas liceret poſt meridiem vna vel duabus horis celebrare conſuetudine id permittente, D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 2. Sylnius *ibid. quæſit.* 4. Suarez *diſput. 80. ſect.* 4. Rodriquez *cap.* 249. Victoria *de Euchar. n. 97.* Vaſquez 3. *p. d. 232. cap.* 3. Vide Dianam *p. 5. tract. 5. reſol.* 58. Hinc Nauarr. *cap.* 25. *n.* 87. Viuald. *de Euchariſt. n.* 50. quem ſequitur, putat Miſſam abſque vllo priuilegio celebrari poſſe vſque ad horam tertiam poſt meridiem; contrarium tamen in praxi obſeruãtur, & ſecundùm vſum communem, ſi quis per horam poſt meridiem non perficiat Miſſam, non videtur à mortali excuſandus in præciſa iuſta cauſa vt docet Bonac. *d. 4. q. ult. p 9. num. 6.* quamuis Azor. *tom. 1. lib. 10. cap 25. q. 6.* tertiam horæ partem ſufficere doceat vt ſacerdos dicatur grauiter peccare differendo Miſſæ celebrationem poſt meridiem. Cæterum minor cauſa requiritur ad ſacrum inchoandum poſt meridiem, quàm ante auroram; cùm maior indecentia ſit celebrare de nocte quàm aliquantò

D. Tho. ſylu. Suar. Rodriq. Victor. Dian. Nauar. Viu.

Bonaci. Azor.

poſt meridiem. Ad Rubricam autem ſeruandam, non eſt neceſſe Miſſam abſoluere in puncto ipſo meridiei, ſed ſufficit, ſi Miſſa in meridie inchoetur. In hoc autem Belgio & aliis vicinis Regionibus videtur quoad tempus illud matutinum, eſſe conſuetudine contraria præſcriptum contra ordinationem communem Eccleſiæ: Solent enim ſacerdotes vbique pluribus etiam horis ante auroram celebrare maximè in hyeme, cùm ſol tantùm circa Octauam oritur. Quoad meridiem tamen antiqua Ordinatio communiter ſeruatur. Religioſi tamen quibus ex priuilegio conceſſum eſt, per horam ante diem celebrare, poſſunt etiam per tres horas ante ortum ſolis Miſſas dicere & itidem per tres horas poſt meridiem. Ita Dian. *p. 2. tract. 14. reſ. 33. & 34.* citans *Suarez, Ioannem de la Cruz*. Imò ex priuilegio *Alexandri VI.* conceſſo Monachis S. Benedicti in Monaſterio de Monte Serrato, poſſunt celebrare Miſſas in ſuo Monaſterio duabus horis immediatè poſt mediam noctem, vt refert Rodriquez *in bullario bulla* 13. *Alexandri VI.* & eius compendiator Hieronymus Rodriquez *reſol. 25. num. 1. & 2.* Vide etiam Portel *uer. Miſſa numer. 3. & 4.*

Rodriq.

Portel.

Notandum autem quòd in caſu neceſſitatis ad dandum viaticum ægroto, aliàs abſque viatico morituro, poſſit Sacerdos tranſacta media nocte celebrare: nam maioris momenti videtur ſuccurrere ægroto periclitanti, quàm poſt mediam noctem ante auroram non celebrare.

7. An autem tres Miſſæ quæ in die Natiuitatis celebrãtur, poſſint noctu ante auroram celebrari, dicendum eſt vſu receptum eſſe, vt prima tantummodo Miſſa noctu celebrari poſſit. Nauarr. *cap. 25. num.* 87. Miranda *quæſt. 40. art.* 8. multis tamen in locis per conſuetudinem introductum eſt vt omnes Miſſæ noctu celebrentur: vnde Suarez *d. 80 ſect.* 4. Conink *quæſt. 83. art. 2. num.* 217. Rodriq. *cap.* 248. *num.* 5. Reginald. *lib.* 29. *num.* 174. exiſtimant poſſe omnes ante auroram celebrari; quia non poteſt, inquiunt ipſi, vlla ſufficiens ratio afferri cur vna & non omnes noctu celebrari poſſint. Ita etiam ſentit Dian. *c. reſol.* 35 Et confirmatur hæc ſententia, quia ſi quis vellet ea nocte poſt matutinum vnam tantùm Miſſam celebrare, & non adſtringeretur ad primam, ſed poſſet ſecundam, vel tertiam celebrare. Eſt igitur priuilegium illius noctis, quæ ab Eccleſia habetur tanquam dies, vt omnes tres Miſſæ de nocte poſſint celebrari. Nec obſtat, quòd in rubrica Miſſalis ſtatuitur. Nam illæ rubricæ intelligendæ ſunt de Miſſis Conuentualibus, & ſolemnibus, vt prima dicatur poſt mediam noctem. Secunda in aurora. Tertia in plena die.

Nauar. Mirand.

Suar. Conink. Rodriq. Reginal. Dian.

8. *Duplex* eſt ſententia Doctorum an peccet mortaliter, qui celebrat Miſſam ante matutinum recitatum: *quidam* enim valde probabiliter affirmant: Et huius ſententiæ fuerunt quidam antiqui Theologi; quos ſecuti ſunt aliqui recentiores: Azor. *1. p. lib. 10. cap. 28. quæſt.* 17. Graſſis *lib. 2. cap. 40. n. 6.* Henriq. *lib. 9. cap. 24. n. 7.* *Verior* tamen & communior modò opinio eſt negatiua per ſe loquendo; quia non videtur tanta connexio inter Miſſam & horas Canonicas, vt conuertens hunc ordinem reus lethalis culpæ conſtituendus ſit; & nulla lex ſancita eſt in toto iure Canonico obligans ad mortale celebrantem, nõ perſolutis horis matutinis. Hanc tenent Suar. *d. 82. ſect. 1.* Leſs. *lib. 2. cap 27. num. 81.* Filliucius *tr. 23. cap. 7. q. 6.* Bonac. *de horis can. d. 1. q. 3. p 4. n. 11.* Dian *cap. reſ.* 36. Sylu. *3. p. q 83. art. 2. quæſit. 4.* & multi alii, & dictum eſt *tom. 1. v. Hora Canonica 3. n. 3.*

Azor. Graſſ. Henriq.

Suarez. Leſsius. Filliuc. Bonaci. Dian. ſylnius.

9. An Prælati in celebratione Miſſarum in diebus feſtiuis, mutare debeant ſuarum Eccleſiarum ritum præcipiente Epiſcopo, & Ordinario loci feſtum aliquod obſeruari; Reſpond. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de regul. cap. 12.* ſtatuere quòd, *Dies Feſti, quos in Diœceſi ſua Epiſcopus ſeruandos præceperit ab exemptis omnibus, etiam regularibus ſeruentur*, quæ verba à Sacra Congregatione Concilii ſic interpretantur, vt referunt *Quaranta in ſum. Bullarij v. Priuilegia Regularium* Tamburin. *de iure Abbat. 1. 2: diſp. 5. q. 9. n. 39.*

Con. Tr.

Tambu. Abbat.

Congregatio Concilij cenſuit decretum cap. 12: verſu Dies etiam Feſti ſeſſ. 25. de Regul. ita eſſe intelligendum, ut regularium ritus illis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas, & cætera diuina officia; tam publicè, quam

priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda, nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe, quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verum quoad conciones & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Euangelijs, & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis vtitur illis diebus.

Et ſic reſolutum propoſitum dubium manet. Feſtum tamen patroni principalis loci tenentur Regulares cùm officio de eodem celebrare, non autem Octauam, ex decreto Sacr. Congreg 27. Maij 1628. apud Gauantum.

MISSA V.

De alijs requiſitis ad celebrationem Miſſæ.

SVMMARIVM.

1 *An ex præcepto iuris communis Miſſa celebranda ſit in Eccleſia conſecrata aut benedicta, & in altari lapideo conſecrato, non enormiter fracto? An autem poſſit Miſſa celebrari in mari vel flumine?* refertur duplex ſententia. *Et an aliquando ſine altari conſecrato?*

2 *Requiritur præterea ad Miſſam, Patena, Calix ex argento, vel auro, vel ſtanno: qui non poteſt tangi à laicis, ſi ſit conſecratus & chriſmate perunctus. Et an ſi in calice non conſecrato quis celebret bona fide, remaneat conſecratus?*

3 *Corporalia ad Miſſæ ſacrificium requiruntur, quæ debent eſſe conſecrata, confecta ex tela linea aut cannabea, munda: grauiter peccat adhibens corporalia immunda.*

4 *Duæ mappæ, vel ſaltem vna duplicata, alba, cingulum, amictus, manipulus, ſtola & planeta requiruntur ad Miſſam, & debent benedici ab habente poteſtatem: & an omiſſio harum veſtium ſit peccatum mortale?*

5 *Ad Miſſam deinde requiritur liber, Crux, Lumen ex cera: debet Sacerdos dicere preces dum ſe veſtit & harum omiſſio an ſit mortale? requiritur etiam miniſter, maſculus, non fœmina. Et an in neceſſitate liceat ſine miniſtro celebrare: An celebrare ſine tonſura ſit peccatum mortale.*

1 EX præcepto iuris communis *Cap. nullus Presbiter de conſecr. diſt.* 1. Regin. *lib.* 29. *num.* 176. *Miſſa celebranda* eſt in Eccleſia conſecrata ab Epiſcopo, aut ſaltem benedicta, & in altari lapideo conſecrato integro, & non enormiter fracto, vnde non poteſt Miſſa celebrari abſque graui peccato extra Eccleſiam, aut extra oratorium ab Epiſcopis deſignatum ſecluſo priuilegio, niſi adſit iuſta neceſſitas: & in caſu aliquo particulari iuſta occurrente cauſa, poteſt diſpenſare Epiſcopus, vt Miſſa extra Eccleſiam in loco honeſto celebretur: Suarez *d.* 81. *ſect.* 3. Sylu. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *cap.* 4. *In mari* autem vel in flumine, vbi periculum imminet effuſionis ſanguinis, non poteſt Miſſa celebrari; ſi verò periculum non adſit effuſionis ſanguinis, Sà, *v. Miſſa num.* 19. Graffiis *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 10. Henriquez *lib.* 9. *c.* 27. *num.* 2. putant, poſſe celebrari; ſed contrarium eſt ſuſtinendum, niſi aliter conſuetudine vel priuilegio conceſſum ſit. Prout conceſſerunt *Clemens VIII.* & *Paulus V.* re multùm, diuque perpenſa Patribus Societatis IESV nauigantibus in Indias quando mare eſt tranquillum & non adeſt periculum effuſionis ſanguinis: Quod autem dicitur de nauigantibus in Indias, intelligi debet etiam de aliis nauigantibus in longinquas partes; & non ſolùm quando adeſt neceſſitas exhibendi viaticum conſtitutis in articulo mortis, ſed etiam, quando eſt nutrienda deuotio nauigantium: vt eſſet in ſolemnioribus feſtiuitatibus, quia tunc cēſetur adeſſe neceſſitas moralis. Vide Dian. *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 40. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 3. Amic. *tom.* 7. *diſp.* 33. *num.* 346. *Præterea* non poteſt Miſſa celebrari ſine altari, tam firmo, quàm portatili conſecrato; altare autem portatile fieri nō poteſt ex duobus lapidibus inuicem colligatis, ſed ex vno tantùm; & quando alter firmum ſeu lapis integer qui tot altari ſuperimponitur eſt conſecratus non opus eſt altari portatili. Vt dictum eſt *tom.* 1. *v. Altare* & docent Vaſq. *d.* 233. *cap.* 4. Syueſt. *v. altare q.* 3. Sylu. *c. art.* 3. *quæſit.* 4. & alii.

Suarez. Syluius. Sà. Graff. Henriq. Dian. Lugo. Amic. Vaſq. Syueſt. Syluius.

Se petes, an liceat aliquando celebrare ſine altari conſecrato; Reſp. non licere. Nam Pontifex tametſi poſſit, numquam tamen ſolet diſpēſare: ſi quis tamen metu mortis adigeretur ad ſic ſacrificandum, ſine contemptu fidei, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, poſſet hoc modo ſibi conſulere: quia nulla lex humana, vt ſic, obligat ſub periculo vitæ; imò in hoc caſu liceret miſſam celebrare ſine altari, calice conſecrato, aut veſtibus ſacris. Vide Dianam *p.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 48. qui pro hac ſententia citat *Azorium*, *Vaſquez*, *Becanum*, *Valentiam*. Dian.

2. *Ad Miſſam* celebrandam præter Eccleſiam conſecratam vel benedictam, & præter altare conſecratum, *Primò* requiritur patena & calix conſecratus & chriſmate perunctus, confectus ex argento, vel auro, vel ſtanno: non autem ex aurichalco vel ære ne vomitum prouocet: per calicem ſignificatur ſepulchrum Chriſti per patenam verò ſignificatur lapis ſepulchro ſuperimpoſitus *Cap. vt Calix de conſecr. diſt.* 1. Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 7. Suarez.

Notandum autem eſt, Calicem, patenam, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Chriſti, vt eſt palla & corporalia, non poſſe tangi à laicis abſque peccato: peccatum tamen, per ſe loquendo, non videtur mortale, iccluſo ſcandalo & contemptu, quia non videtur materia grauis. *Cap. ſacratas diſt.* 23. Bonac. *punct.* 9. *num.* 20. Bonaci.

Sed petes, an ſi in calice non conſecrato quis celebret bona fide remaneat conſecratus; Reſp. probabile eſſe, quòd ſic. Ratio eſt, quia Eccleſia polluta non eget alia reconciliatione, ſi quis in ea bona fide celebrauit: Igitur etiam non egebit conſecratione, vel benedictione, poſtquam in illo celebratum eſt; Sacrificij enim dignitas, habet vt ſanctificet locum ſine alia reconciliatione; & ſicut Eccleſia ſanctificatur per ſacrificium; ita per contactum Sanguinis Chriſti ſanctificatur calix, vt ſit ſacer ſine alia conſecratione. Ita Henriq. *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 27. *num.* 6. Lezan. *tom.* 3. *ſum. v. Calix nu.* 8. Auila *de cenſur. p.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 3. *concl.* 1. Sà *v. Eccleſia num.* 19. Diana *p.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 69. & *p.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 60. & *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 28. Qui idem dicendum putant de veſtibus nondum benedictis, ſi alius Sacerdos bona fide cum ipſis Miſſam antea celebraſſet. Vide *tom.* 1. *v. Altare n.* 1. Henriq. Lezana. Auila. Sà. Dian.

3. *Secundò* requiruntur ad Miſſæ ſacrificium Corporalia, quæ debent eſſe conſecrata & confecta ex tela linea aut cannabea quoad eam partem, quæ continetur Calix; remanent autem conſecrata, quamdiu manent integra & non fracta notabiliter; vnde poſt lotionem, non ſunt iterum benedicenda: Adhibens verò corporalia immunda peccat, quidem grauiter, ſi valde notabiliter ſint immunda, facit enim contra reuerentiam tanto Sacramento debitam in re, quæ proximè attingit Corpus Chriſti. *Cap. conſulto, de conſec. diſtinct.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 10. Regin. *lib.* 29. *num.* 195. Filliuc.

4. *Tertiò*, requiruntur duæ mappæ, vel ſaltem vna duplicata, ex tela confecta & benedicta; quamuis non adeò neceſſe ſit, vt ſint benedictæ; *quia* in neceſſitate poſſunt adhiberi mappæ laicorum non benedictæ, quæ poſtea laicis reſtituuntur, vt aiunt Suar. *d.* 81. *ſect.* 6. Regin. *l.* 29. *n.* 194. Sà *v. Miſſa num.* 7. & alii. Suarez. Reginal. Sà.

Quartò, requiruntur veſtes Sacræ, id eſt, *alba cingulum, amictus, manipulus, ſtola & planeta*: hæ autem *veſtes* amittunt benedictionem & noua indigent benedictione, quando ita franguntur, vt non ſint aptæ ad vſum, ad quem fuerunt deſtinatæ, aut non amplius priorem retineant figuram: *Cingulum* verò indiget noua benedictione, ſi ita perfringatur, vt nulla ipſius pars ſufficiat ad cingendum: Rodriq. *cap.* 248. *n.* 12. Valent. *tom.* 4. *d.* 6. *quæſt.* 11. *p.* 3. Nauar. *cap.* 25. *num.* 84. *Omiſſio* harum veſtium præciſa inaduertentia & magna celebrandi neceſſitate inducit peccatum mortale, etiamſi vna tantùm omittatur: idem dicendum, ſi adhibeatur aliqua non benedicta, ſi autem adhibeatur immunda, committitur ſaltem peccatum venia- Rodriq. Valent. Nauar.

Digitized by Google

Diana. Bonac.

veniale. Diana *cit. reſ.* 57. Bonacina *cit. punct. 9. cap.* 26. *Cauendũ* prætcrea Sacerdoti eſt, ne cooperto capite celebret ſaltem tempore conſecrationis, niſi aliter cogat neceſſitas morbi, aut caluitiei: præciſo tamen ſcandalo, & petita ab Epiſcopo licentia. Graffijs *lib. 2. cap. 42. num. 2.* Angelus *v. Miſſa num.* 36. Rodriquez *cit. num.* 13. Diana *cit. reſ.* 58. *Ob honeſtatem* inſuper requiritur, vt Sacerdos ſit indutus calceis, quamuis hac de re non extet præceptum obligans ſub mortali. Sà *v. Miſſa num.* 15. Henriquez *lib. 9. cap. 26. num. 3.*

Graffijs. Angel. Rodriq. Dian. Sà. Henriq.

5. *Quintò*, ad Miſſam celebrandam requiritur *liber*, et Sacerdos recitans Miſſam ſine libro, qui ſaltem non contineat Canonem, mortaliter peccat, per ſe loquendo, cùm ſe exponat periculo grauiter errandi: ſi tamen in aliquo loco vbi non adeſſet Miſſale, aliquis Miſſam celebraret, quidam putant in tali caſu ſacerdotem non peccare, dummodo ſit ita inſtructus, & de ſua memoria confidens, vt moraliter nõ dubitet poſſe ſe omnia integrè dicere ſine Miſſali, quamuis non ſine alio libro loco Miſſalis; ne notam aliquam incurrat apud alios. Ita *Diana* citatus. *Crux* præterea requiritur, quamuis qui eam omittit, non videatur reus culpæ lethalis. Nauar. *cap. 25. num.* 83. Syluius *cit. quaſt.* 3. Coninch *quaſt. 83. num.* 251. Vaſquez *diſp. 233. cap. 3. num.* 26. Diana *reſol.* 46.

Nauar. Sylu. Coninch Vaſquez Diana.

Sextò, requiritur lumen, quod ex conſuetudine conficitur ex cera, quamuis in neceſſitate ſufficiat candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo: ex conſuetudine duæ ſaltem candelæ adhibentur, quamuis vna ſufficere videatur. Suarez *diſp. 83. ſect.* 6. Reginaldus *lib. 29. num.* 196. Toletus *lib. 2. cap.* 2. Diana *reſ.* 45. 67.

Suarez. Reginal. Tolet. Diana.

Septimò, requiritur vt Sacerdos, dum ſe veſtibus induit recitet preces ab Eccleſia præſcriptas, quarum omiſſionem putant peccatum mortale. Nauar. *lib. 3. conſ. de celebr. Miſſar. conſ.* 2. Sylu. *cit. art.* 6. Azor. *1. p. lib.* 10. *cap. 29. quaſt.* 5. et alii, licet probabilius contrarium aliis, & merito videatur; quia conſuetudo recitandi huiuſmodi preces, non videtur recepta cum tanto rigore, caueat tamen Sacerdos ne illas omittat. Henriquez *lib. 9. cap.* 24. Bonacina *punct. 9. num.* 31. Diana *cit. reſ.* 41.

Nauarr. Sylu. Azor. Henriq. Bonac. Dian.

Octauò, requiritur vt Sacerdos adhibeat aliquem maſculum ſibi miniſtrantem, non autem fœminam, quia iure cautum eſt, ne fœmina ad altaris myſterium adhibeatur, *cap. 1. §. fin. de cohabit. Cleric. & mulierum*. Suarez *diſp. 87. ſect.* 1. Coninch *cit. num.* 284. Reginaldus *cit. num.* 164. Vnde quando ſuperuenit neceſſitas celebrandi pro communicado infirmo, quidam volunt potiùs celebrandum eſſe ſine miniſtro, quàm fœminam adhibere: quamuis fœminæ poſſint remotè inſeruire & reſpondere Sacerdoti vt faciunt Moniales in choro. In neceſſitate quando non adeſt alius, Sacerdotem celebrantem cum fœmina non peccare mortaliter, docuit Syluius *cit. art.* 5. quia in hoc caſu fœmina non præſumit, ſed inſeruit ex commiſſione Sacerdotis, propter ſtantem neceſſitatem, cui ſubſcribit Nugnus *3. p. q. 83. art.* 6. habetur enim in capitulo de cohabitione cleric. & mulierum *Inhibendum quoque, ut nulla fœmina præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut inter cancellos ſtare, uel ſedere.* Vbi indicat, non debere mulieres admitti intra chorum. Quod eſt contra Domicellas eligentes ſibi locum propinquè ad altare, non ſine indecentia & diſtractione Sacerdotum. Cui rei Epiſcoporum, vel Prælatorum regularium reſpectiuè quoad ſuas Eccleſias auctoritas deberet obuiare, quandoquidem iure prohibeatur.

Suarez. Coninch Regin. Nugnus.

Sacerdos autem qui extra neceſſitatem ſine miniſtro celebrat, non poteſt excuſari à mortali: quia ſcit contra præſcriptum Eccleſiæ in re graui; licet aliqui excuſent celebrantem in die feſto, ne ipſe, vel populus Miſſa careat, aut moribundo ſit dandum viaticum. Vide Bonac. *cit. punct. 9. num.* 33. Suarez *cit.* Dian. *de celeb. Miſſ. reſ.* 43. *&* 44. Sylu. *3. p. q. 83. art.* 5. Caſpenſis *tract. 23. diſp. 3. ſect. 6. num.* 93. Sed dubium occurrit, an celebrare ſine tonſura, ſit peccatum mortale? Reſp. ſine rationabili cauſa frequenter abſque tonſura ad celebrandum accedere, etiamſi abſque contemptu fiat, à peccato mortali non excuſari: quia iura id ſeuerè præcipiunt ſub anathematis pœna, vt patet ex *cap. ſi quis, de vita & honeſt. Cleric.* & hoc præceptum ex obiecto ſuo obligat ad mortale, cùm ſit de re graui, vt notat Vaſquez infra citandus. Cum cauſa autem rationabili certum eſt aliquando licitum eſſe ſine tonſura celebrare; patet in Sacerdotibus inter hæreticos verſantibus, qui ne deprehendantur, ſine tonſura incedunt & celebrant. Quando verò cenſeatur peccare mortaliter Sacerdos intonſus celebrans, certò definiri non poteſt, niſi penſatis ſingulis circumſtantijs, perſonæ, loci, et temporis diuturnitate; penes quam maximè definienda eſt grauitas huius peccati. Ita Sylueſter *verb. Clericus 2. §. Pro intelligentia*, Vaſquez *3. part. diſp. 250. cap.* 3. Eadem quoque ratio eſt de habitu clericali, ſine quo ex aliqua rationabili cauſa aliquando celebrare, nullum erit peccatum, ſecus ſi frequenter, & ſine cauſa; quia vtrumque ſub grauiſſimis pœnis præcipitur in Bulla Sixti V. edita anno 1589. Ianuarij, quæ incipit, *Cum ſacroſanctam*.

Bonac. Suar. Diana. Sylu. Caſpenſ. Sylueſt. Vaſq.

MISSA VI.

De defectibus in Miſſa contingentibus, & corrigendis.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciendum Sacerdoti ſi defectus quidam contingat circa materiam conſecrandam?*

2 *Quid agendum, quando Sacerdos malitioſè noluit conſecrare Hoſtiam; vel ſi in ſuſcipiendo calice aduertit non eſſe ſpeciem vini, ſed aquam, aut acetum?*

3 *Quid, ſi animal, aut aranea decidit in calicem ante conſecrationem, vel poſt? & quid, ſi Sacerdos poſt ſumptionem aduertit, uel monitus fuit vinum fuiſſe ueneno infectum? & quid, ſi Hoſtia conſecrata, uel ſanguis in terram cadat?*

4 *Sacerdos aduertens ſe aliquid omiſiſſe ſpectans ad integritatem formæ, quomodo debeat ſupplere defectum? & quid, quando dubitat an habuerit intentionem conſecrandi? Quid, ſi ante conſecrationem aduertat non miſcuiſſe aquam uino, uel Hoſtiam eſſe notabiliter fractam? uel ſi Hoſtia cadat in calicem dum frãgitur; uel ſi ſpecies uini conſecrati congelentur?*

5 *Quid, ſi Sacerdos ante, uel poſt conſecrationem deficiat? uel dubitetur an conſecrauerit?*

6 *Quale peccatum ſit in Miſſa aliquid omittere? & an ſit obligatio repetendi poſtea quod omiſſum eſt?*

1 IN *Miſſa* vitandi ſunt defectus; quod ſi aliquis contingat circa ſubſtantialia, ſupplendus eſt, vt in Miſſali præſcribitur: & quidem ſi ſit circa materiam, vt ſi Sacerdos comperiat Hoſtiam non eſſe confectam ex tritico, aut loco vini poſitam eſſe aquam, vel acetum, vel alium liquorum, aut ſi aduertat materiam appoſitam non eſſe certam & indubitatam, ſed eam, de qua dubitatur inter Doctores, debet aliam materiam certam & aptã aſſumere, eamque conſecrare facta oblatione ſi commodè eam poſſit facere: quod ſi non adſit præſens vinũ, nec poſſit afferri ſine graui ſcandalo, Sacerdos poteſt ſacrificium perficere in vna tantùm ſpecie, nã præceptum affirmatiuum conſecrandi ſub vtraque ſpecie, non obligat in tali euentu: modus autem ſe gerendi in noua conſecratione, talis præſcribitur a Doctoribus, vt fiat ſine ſcandalo: Sacerdos debet accedere ad cornu altaris, ſimulando ſe velle purificationem accipere, deinde poſito vino in calice, accedat ad medium altaris ibique conſecret incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, & abſque eleuatione ſubiungat, *Vnde nos memores*, et ſtatim ſumat. Nec opus eſt in hoc caſu, vt nouam Hoſtiam Sacerdos conſecret. Vide Filliuc. *tract. 5. cap. 5. q.* 9. Tolet. *lib. 2. cap.* 9. Angel. *V. Miſſa, num.* 15. Sylueſt. *V. Euchar. cap. 2. num.* 14. Azor. *1. p. lib. 10. cap. 33. q. 5. &* 6. Regin. *lib. 29. num.* 213. Coninch *diſp. 83. num.* 276.

Filliuc. Toletus. Angel. Sylueſt. Azorius. Regin. Coninch

2. *Sacerdos*, qui malitioſè noluit conſecrare hoſtiam, & poſt ſumptionem calicis ipſum pœnitet erroris, non ſolùm poteſt, verùm etiam debet Hoſtiam conſecrare ob inte-

Digitized by Google

integritatem ſacrificij: ſi verò in neutra ſpecie conſecra-
Rodriq. uit, non eſt opus vllam materiam conſecrare. Rodriquez
cap. 250. *concl.* 2. Suar. Nauar. *citat.* *Qui* in ſuſcipiendo
calice aduertit non eſſe ſpeciem vini, ſed ſolùm aquam,
aut acetum, debet potiùs deglutire, cùm non videatur
poſse in calicem expuere abſque indecentia, & fortaſſe
non ſine ſcandalo adſtantium, quia præceprum celebran-
di cum ieiunio non videtur obligare cum tanta indecen-
Coninch tia, vel ſcandalo. Coninch *cit. num.* 280. Bonacina *citat.*
Bonac. *punct.* 10. *num.* 7.

3. Quando *animal*, aut *aranea* decidit in calicem ante
conſecrationem, alia materia ſumenda eſt, eaque offe-
renda, & conſecranda; ſi vero decidat poſt conſecratio-
nem, extrahendum eſt id quod eſt noxium, & ſpecies cõ-
ſecratæ ſumendæ ſunt, ſi vtrumque non incommodè fiat;
ſin minùs, extracto animalculo, vel veneno, illę ſpecies
vini linteo, aut ſtupa exſiccari debent, exſiccatæque cõ-
D. Tho. buri, et combuſtæ in ſacram piſcinam proijci. S. Thomas
Suarez. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 3. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. Azorius *lib.*
Azor. 10. *cap.* 33. *q.* 3. Sà *v. Miſſa num.* 34. *An autem* in hoc caſu
Sà. aliud vinum ſit de integro conſecrandum. S. Thomas *cit.*
D. Tho. Sylueſter *v. Euchar.* 2. *quæſt.* 9. Sotus 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 6.
Syluest. affirmat, cæteri vero negant, liberum eſt cuique quam
Sotus. malit ſententiam amplecti. *Quando* autem Sacerdos poſt
ſumptionem aduertit, vel admonitus fuit vinum fuiſſe
veneno infectum, poteſt ſpecies conſecratas euomere in
vas mundum, quia non videtur Sacerdos obligandus cũ
tanto ſuo incommodo ad eas retinendas, ſicut neque te-
Tabien. netur eas ſumere. Tabiena *v. Miſſa num.* 32. Bonacina
Bonac. *cit. punct.* 10. *num.* 11. *Species* vero, quas quis euomuit,
aſſeruandæ ſunt donec corrumpantur: ſicut etiam ſi ani-
mal comedit Euchariſtiam, extrahenda eſt Euchariſtia, ſi
poteſt, & conſeruanda donec corrumpatur, & poſt cor-
ruptionem comburenda, ſicut etiam ipſum animal com-
Azor. burendum eſt, & ipſius cineres mittendi ſunt in piſcinam.
Sà. Azorius *cit. cap.* 33. *quæſt.* 8. Sà *v. Miſſa num.* 34. Toletus
Tolet. *lib.* 2. *cap.* 9.

Si Hoſtia conſecrata in terram cadat, vel ſuper tape-
tem, Sacerdos radere debet, mundare ac lauare locum,
& puluerem proijcere in piſcinam; *ſi vero* ſanguis deci-
dat, debet abſorberi, ſi commodè abſorberi poſſit, dein-
de locus radi, et lauari ſi vero decidat ſuper barbam Sa-
Henriq. cerdotis, ſufficere videtur, ſi repetita lotione, barba pur-
Rodriq. getur, iuxta receptam conſuetudinem. Henriquez *lib.*
Graffijs. 9. *cap.* 37. *num.* 4. Rodriquez *cap.* 250. *num.* 3. Graffijs *lib.*
Bonac. 2. *cap.* 46. *num.* 4. Bonacina *cit. num.* 10.

4. *Quando* Sacerdos *aduertit* ſe aliquid ſpectans ad in-
tegritatem formæ omiſiſſe, debet defectum ſupplere, vt
validum efficiat Sacramentum, nec ſatisfacit repetendo
ſolùm verbum quod omiſit, ſed debet totam formam
repetere, ſi alia verba interiecta fuerunt; *idem dicendum*
eſt, quando aliquod verbum omiſſum eſt, de quo dubita-
tur inter Doctores, an ſit de integritate & eſſentia for-
D. Tho. mæ. D. Thomas *q.* 83. *art.* 6. *ad* 5. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1.
Suarez. Rodriquez *cap.* 250. *num.* 2. *Item* debet repetere verba
Rodriq. conſecrationis, quando dubitat an habuerit intentionem
conſecrandi formalem, aut virtualem, quia hic defectus
eſt ſubſtantialis; debet autem dubium eſſe probabile, &
in hac materia non oportet eſſe ſcrupuloſum, ne via dæ-
Reginal. moni aperiatur. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 213. Coninch
Coninch *q.* 83. *num.* 281. Henriquez *cit. cap.* 39. *Si verò* prætermiſ-
Henriq. ſum eſt aliquid quod non eſt de ſubſtantia ſacrificii, non
eſt ex neceſſitate poſtea ſupplendum cum perturbatione
Syluest. ordinis ab Eccleſia præſcripti. Sylueſter *v. Miſſa* 1. *q.* 5.
Similiter ſi Sacerdos ante conſecrationem aduertat ho-
ſtiam eſſe notabiliter fractam, aut non immiſcuiſſe aquã
vino, debet aliam Hoſtiam accipere, & aquam vino mi-
ſcere: poſt conſecrationem vero non debet aquam mi-
Graffijs. ſcere. Graffijs *lib.* 2. *cap.* 46. *num.* 1. Toletus *lib.* 2. *cap.* 9.
Tolet. Si Hoſtia cadat in calicem dum frangitur, poteſt perfici
Miſſa abſque alia iteratione, *ſi ſpecies* vini conſecratæ
congelentur, non eſt iterum facienda conſecratio, ſed ca-
lefaciendæ ſunt ſpecies congelatæ admonitis ad calicem
Azor. linteis calidis, vt per modum potus ſumantur. Azorius
Henriq. *cit. cap.* 33. *q.* 9. Henriquez *cit. cap.* 37. *num.* 5. Angelus *v.*
Angel. *Miſſa num.* 23.

5. *Quando* Sacerdos morte, vel graui infirmitate
ante conſecrationem impeditur, ne ſacrificium abſoluat,
non eſt per alium Sacerdotem perficiendum; ſi autem
poſt conſecrationem, alius Sacerdos ſupplere debet, mo-
do ſit in gratia, etiamſi ieiunus non ſit; incipiendo ab eo
loco vbi alter reliquit; ſi vero Sacerdos ſit in peccato
mortali, nec habeat copiam confeſſarii, debet elicito actu
contritionis ſacrificium perficere. D. Thomas *q.* 83. *art.* D. Tho.
6. *ad* 1. Azorius *cit. cap.* 33. *q.* 1. Toletus *lib* 2. *cap.* 9. Ro- Azorius.
driquez *cap.* 250. *num.* 4. *Si verò* moriatur Sacerdos poſt Tolet.
ſumptionem Hoſtiæ, non tenetur alter perficere, cum Rodriq.
eſſentia ſacrificii, iuxta probabilem nonnullorum ſenten-
tiam, ſaluari poſſit in ſumptione vnius tantùm ſpeciei.
Henriquez *cit. cap.* 40. & 41. Bonacina *cit. num.* 21. *Quã-* Henriq.
do autem dubitatur, an Sacerdos qui inter celebrandum Bonac.
defecit, Hoſtiam conſecrauerit. Sacerdos ſupplens de-
bet aliam Hoſtiam ſumere eamque conſecrare, ſimul cõ-
ſecrando ſub conditione, eam, de qua dubium eſt an ſit
conſecrata; vel poteſt nouam Hoſtiam conſecrare, eam
vero, de qua dubitatur an ſit conſecrata, ſumere poſt ſũ-
ptionem vtriuſque ſpeciei, antequam ſumat purificatio-
nem, D. Thomas 4. *diſt* 8. *q.* 1. Henriquez *cap.* 40. *num.* 4. D. Tho.
Syluius *v. Euchariſtia* 2. *num.* 12. Henriq.
Sylu.

6. Sacerdos in Miſſa nihil ex electione omittere de-
bet, & præcipuè in Canone, vbi facilius efficitur pecca-
tum mortale aliquid omittere: ex paruitate tamen ma-
teriæ, aliquando erit ſolùm peccatum veniale, talis omiſ-
ſio; puta vnius *Kyrie eleiſon*, vel *Credo*, vel *Gloria in
excelſis*, vel alicuius commemorationis: idem ſi quis
omittat in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore
Paſchali ea quæ interponuntur in *Communicantes*, aut
in actione, *Hanc igitur oblationem*, &c. Similiter non
eſt niſi veniale cæremonias aliquas, quæ inter principa-
les non adnumerantur, ſine contemptu prætermittere,
v. g. Crucem aliquam, manuum eleuationem pectoris
tunſionem, &c. Ratio eſt, quia non ſunt partes ſimplici-
ter neceſſariæ ad Miſſam, nec quid notabile ad integrita-
tem Miſſæ ſpectans, conſtituunt. Imo ſecundum *Dia-
nam*, non peccat mortaliter ſacerdos in Miſſa maiori, ſi
non legat ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium po-
ſtea Subdiacono, & Diacono canendum hoc ex leuitate
materiæ: illa autem lectio quæ omittitur, videtur eſſe
magis priuata, non tam pro populo, quàm pro ipſo ſacer-
dote. Et licet in ſe materia ſit grauis, ſi omnino omitta-
tur; poteſt tamen eſſe leuis, ſi non ab vtroque, ſed ab vno
ſolo cantetur, vel legatur. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* Filliuc.
5. *num.* 155. Marchant. *in reſ. Paſtor. de Sacram. tract.* 4. Marchãt.
cap. 5. *q.* 4. Dian. *par.* 2 *tract.* 14. *reſol.* 42. 49. 59. & *par.* 5. Diana.
tract. 5. *reſol.* 45. Caſpenſ. *tract.* 23. *diſput.* 3. *ſect.* 7. *num.* Caſpenſ.
95. & 96.

Sed rogabis, an qui per obliuionem, aut negligentiam
aliquid omiſit, teneatur id poſtea repetere v. g. Gloria,
Credo, aliquam collectam, vel ſi legit alienam Epiſto-
lam, aut Euangelium? Reſp. non teneri, niſi eſſet de ſub-
ſtantia conſecrationis, aut aliquid neceſſario requiſitum
ad ſubſequentes cæremonias, vt eſt fractio Hoſtiæ: nam
omnia quæ in miſſa dicuntur, ita ſunt diſpoſita, vt varia-
to ordine, & quaſi extra proprium locum conſtituta,
non rectè cohæreant, ac propterea conſilium eſt iis præ-
termiſſis ad ſubſequentia tranſire, vt notat D. Thomas D. Tho.
3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 5.

Præterea cùm celebrans teneatur ad omnia quæ præ-
ſcribuntur in Miſſali, ita vt nihil poſſit omittere; ita ni-
hil poteſt addere de ſuo ſine peccato: Nihilominus aliter
faciendo, aliquando eſt ſolum peccatum veniale; quan-
do ſcilicet parua aliqua oratio additur ex deuotione, &
non recitatur alta voce coram populo. Ratio eſt, quia
ſicut leuitas materiæ ſolet à peccato mortali excuſare,
non eſt ratio cur in præſenti non excuſet. Ita Syluius Syluius.
3. *p. q.* 83. *art.* 6. Diana *par.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 63. Diana.

Circa obligationem rubricarum Miſſalis, aduerten-
dum eſt ex Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 7. & 8. Fagund.
Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 85. *ſect.* 1. illas non obligare com- Suarez.
muniter ad mortale; & ideo qui aliquam, aut aliquas il-
larum ſcienter ſine cauſa omitteret, mortaliter non pec-
caret, niſi contineant eſſentiam, ſeu quaſi eſſentiam ſa-
crificii; vel non dimittat tantam illarum partem, vt no-
uum ritum in Eccleſiam non introducat. Ratio eſt, quia
regu-

regulæ Miſſalis deſupplendis defectibus, ad peccatum non obligant, illæ enim non ſunt præcepta, ſed doctrinales quædam inſtructiones, quæ tantam obligationem inducunt, quanta eſt doctrina in qua fundantur, & ſolum Summus Pontifex in eis intendit approbare tamquam bonam, ac probabilem eam doctrinam, quam continent.

Hinc grauius eſt, addere aliquem nouum ritum præſertim in Eccleſia inuſitatum, v. g. certum numerum candelarum, &c. quam aliquid ex præſcriptis omittere, & tamen in omiſſione poteſt interuenire peccatum mortale ex grauitate materiæ, v.g. ſi omittatur mixtio aquæ, ſi panis azymus, ſi fractio Hoſtiæ, ſi mixtio cum ſanguine, ſi eleuatio Hoſtiæ poſt conſecrationem, &c. ac propterea ſi præuidetur defectus ante conſecrationem, præſtat omittere miſſam, quam indebito modo ſacrificare. Poſſet tamen omiſſione aliorum ſacrorum Rituum ſacerdos peccare mortaliter. *Primò* ob contemptum & grauem incuriam in illis addiſcendis & practicandis: cēſebitur enim interpretatiuus contemptus ſacrorum, & ſacrarum inſtitutionum, ac irreuerentia notabilis, ſi notabiliter in illis ſit incurius. *Secundo* cùm non tantum negligit ſacras cæremonias, ſed hiſtrionum more pro libitu geſtus & modos ſibi fingit, vel ab aliis efflctos efformat: vt proh dolor! plurimos videmus, qui in ſancto ſacrificio hiſtriones magis apparent, quàm ſacerdotes, etiam cum ſcandalo videntium, & ſacrificij non mediocri irreuerentia.

MISSA VII.

De ſtipendio dando Sacerdoti pro celebranda Miſſa.

SVMMARIVM.

1 *An Sacerdos poſſit pro celebratione Miſſarum eleemoſynam, ſeu ſtipendium accipere, imò & exigere? An quando quis abſque ſtipendio promittit miſſam, teneatur illam offerre?*

2 *An Sacerdos obligatus ad quotidie celebrandum poſſit nouas eleemoſynas accipere pro celebratione Miſſarum, & omnibus vnica Miſſa ſatisfacere?*

3 *An qui plures collegit eleemoſynas, & vnicum applicauit Miſſæ ſacrificium, teneatur ad reſtitutionem?*

4 *An ſtipendium pro Miſſis celebrandis ab omnibus ſacerdotibus, tam diuitibus, quàm pauperibus ſumi poſſit? & quanta debeat eſſe eleemoſyna?*

5 *An peccet mortaliter ſacerdos & teneatur ad reſtitutionem, qui pro Miſſa celebratione accipit, & exigit importunè ab inuitis eleemoſynam ſupra taxam ab Epiſcopo præſcriptam, aut legitima conſuetudine receptam?*

6 *An titulo paupertatis poſſit ſacerdos ad vitæ ſuſtentationem ſupra taxam exigere?*

7 *An qui detentus infirmitate per 15. dies, & ampliùs non celebrauit, teneatur per alium ſupplere ad ratam temporis quo non celebrauit, ſi iuxta Capellaniæ inſtitutionem tenebatur ad onus quotidianæ celebrationis?*

8 *An ſacerdos qui plura colligit ſtipendia pro celebratione Miſſarum, poſſit per alios ſacerdotes ſatisfacere, retenta ſibi parte eleemoſynarum inſcio dante, & inſcijs ſacerdotibus?*

Decreta Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij, ſuper decretis eiuſdem Congregat. de celebratione Miſſarum.

9 *An ſacerdos ratione vnius Miſſæ poſſit plura ſtipendia recipere?*

An duplex ſtipendium poſſit ſacerdos pro vna Miſſa accipere, applicando partem ſolitam vni, & alteri ſuam partem propriam?

10 *An maius ſtipendium poſſit ſacerdos accipere, pro obligatione dicendi Miſſam ſummo mane, vel ad loca diſtantia, vel pro Miſſa ſolemni, vel in diebus feſtis, &c. Et an quando datur ſtipendium non pro applicatione ſacrificij, ſed vt populus Miſſam audiat, poſſit ſacerdos alteram eleemoſynam accipere pro applicatione ſacrificij?*

11 *Quamuis Epiſcopi, Abbates, & Generales Ordinum ex Conc. Trid. potuerint Miſſas Capellaniarum, & Anniuerſariorum ad minorem numerum reducere; hodie tamen talis facultas reuocata, & ablata illis eſt per Decretum ſacræ Congregationis.*

Refertur quædam conceſſio S.D.N. Vrbani VIII. facta Fratribus Ordinis Minimorum, & Minorum Conuentualium pro reducendis Miſſis.

1 CVm *operarius dignus ſit mercede ſua*, vt ait Chriſtus *Matthæi* 10. Hinc Sacerdos poteſt pro celebratione Miſſarum eleemoſynam, ſeu ſtipendium in ſui ſuſtentationem accipere: idque exigere poteſt abſque labe ſimoniæ per viam iuris, aut illud in pactum deducere, antequam Miſsæ ſacrum faciat: quia Sacerdos non recipit eleemoſynam tamquam pretium rei ſpiritualis, ſed pro ſua ſuſtentatione, aut pro labore extrinſeco, aut pro obligatione celebrandi in tali loco, vel tempore, aut quia priuat ſe facultate dandi operam aliis rebus, ex quibus licitè poſſet lucrum referre, vel aliquid aliud facere, quæ pretio æſtimabilia ſunt. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 5. Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 1. & 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *d.* 8. Azorius 3. *p. lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 1. Coninch *q.* 83. *art.* 1. *num.* 197. & alii. [D. Thó. Suarez. Leſſius. Azorius.]

Sed quæres, an quando quis abſque ſtipendio promittit alicui miſsam ſe pro illo oblaturum, teneatur eam offerre? Reſp. non ſemper teneri, nam ſæpè dicta promiſſio tātùm eſt ſimplex declaratio animi & propoſiti, quod tunc habet, ſine intentione ſe obligandi ad non mutandum illud, ſed omnino implendum, & tunc non manet rigoroſa obligatio, ſed ſolùm ex quadam decentia, vt ſine graui cauſa animus non mutetur. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *diſp.* 86. Portel *in dub. reg. verb. Miſſa num.* 10. Si autem promittendo habuit animum ſe obligandi, adhuc tenet Diana cum multis *par.* 1. *tract.* 17. *reſ.* 9. *in fin.* quòd non eſt mortale non obſeruare: nam omiſſio ſacri ex liberalitate promiſſi, non eſt in genere damnorum ſpiritualiū, quòd poſſit conſtituere peccatum mortale. Si tamen ſacerdos promittat ſacrum ad ſoluendum gratitudinis debitum, putant quidam, quòd celebrare teneatur: nam tunc iuſtitiæ & naturalis debiti eſt talis promiſſio non ſimplicis liberalitatis. [Suar. Portel. Diana.]

2. *Sacerdos* qui ex titulo, vel ex conuentione tenetur Miſsam quotidie celebrare, non poteſt nouas eleemoſynas accipere pro celebratione Miſsarum, et omnibus vnica, vel paucioribus Miſſis ſatisfacere, etiamſi plures collectas in celebratione Miſsarum adiungat, aut hoc faciat, ſciente & concedente ſuperiore. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 92. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 234. Coninch *q.* 83. *art.* 1. *num.* 192. *Secus* ſi hoc faciat ex priuilegio Sum. Pontificis, aut ſi offerentibus eleemoſynas conſtet ipſum ſacerdotem teneri Miſsæ ſacrificium aliis applicare: quia Summus Pontifex ſicut poteſt ex iuſta cauſa Miſsas reducere, ita etiam poteſt concedere, vt vnum, vel pauca Miſsæ ſacrificia offerantur, & quando offerentes nouam eleemoſynam conſcii ſunt prioris obligationis in ſacerdote, contenti eſse videntur de fructu quem poſsunt percipere, ſeque voluntariè periculo exponunt non recipiendi fructum integrum ſacrificii. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 23. Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 3. Syluester *verb. Miſſa* 1. *num.* 10. Reginaldus *cit. num.* 234. [Nauar. Regin. Coninch. Henriq. Suar. Syluest. Reginal.]

3. *Qui plures* collegit *eleemoſynas*, & vnicum applicauit Miſsæ ſacrificium, tenetur ad reſtitutionem, vel Miſsas promiſsas celebrando, vel curando vt per alios celebrentur, vel reſtituendo ſtipes acceptas, admonitis iis, qui eas dederunt, Miſsas non fuiſse celebratas: quia ex violatione iuſtitiæ cum damnō alterius, conſurgit obligatio reſtituendi. Rodriquez *cap.* 251. *concl.* 1. *cap.* 45. *num.* 17. Toletus *lib.* 2. *cap.* 8. [Rodriq. Toletus.]

4. Stipendium pro Miſſis celebrandis ad omnibus ſacer-

Digitized by Google

cerdotibus ſumi poteſt, ſiuè pauperes ſint, ſiuè diuites,
ſiuè abſque beneficio, ſiuè cum illo, modò obligationi-
bus ex co nihil detrahatur: imo parochi à recipiendis hu-
iuſmodi ſtipendiis non excluduntur, poſſint ijs diebus,
quibus pro ſuis ouibus ſacrificare non tenentur, offerre
ſacrificia pro alijs. Suarez *diſp.86. ſect.*3. Filliucius *tract.*
5.*cap.*6. *quæſt.*2. & 7. Rodriquez *cap.*252. *num.*4. Nauar.
*cap.*23. *num.* tot. *Tantam* vero eleemoſynam accipere
poteſt Sacerdos pro Miſſa celebranda, quanta præfixa
fuerit per Epiſcopum, vel per legitimam conſuetudinē,
aut etiam per arbitrium viri prudentis, deficiente con-
ſuetudine, aut taxa Epiſcoporum. Reginaldus *lib.* 23.
num. 232 Coninch q. 83. *d.* 10. *num.* 192. Bonacina *de*
*Miſſa punct.*8. *num.*9. & 10. Henriquez *lib.*9. *cap.*22. *n.*3.

Suarez. Filliuc. Rodriq. Nauar. Reginal. Coninch Bonac. Henriq.

Vnde Epiſcopus poteſt legem condere, vt tantum ſtipen-
dium tradatur, ita vt laici non dent minus, nec Sacerdo-
tes maius exigant: non eſt tamen liberum Epiſcopo ſta-
tuere, vt ſacerdotes non accipiant minorem pecuniam,
non occluderetur via liberalitati, charitati, & pietati il-
lorum. Tum quia poteſt Sacerdos cedens iuri ſuo, mi-
nori ſtipendio eſſe contentus, ſicut poteſt nullum accipe-
re ſtipendium. Neque enim lex ita fideles obligat ad dan-
dum iuſtum ſtipendium pro Miſſa, vt non poſſint con-
ſentiente Sacerdote, minus dare. Et certè maximè ex-
pediret, quòd Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſtipendia miſ-
ſarum determinarent, iuxta epickeiam & conſideratio-
nem rationabilem attentis Terrarum, Regionum, Per-
ſonarum, Occupationum, Modorum, et omnium, quæ
occurrunt, circumſtantijs, ad euitandam confuſionem
quæ ſingulis diebus oritur, tum ex auaritia fundatorum,
tum ex vtilitate ſacerdotum, & eorum ad quos res perti-
net, qui quaſlibet fundationes recipiunt in onus ſucceſ-
ſorum, vt ſibi vtiliter pauca corradant. Vnde in Decre-
to Sacræ Congreg. infra de celebr. Miſſar. prohibetur:
Ne ſæculares ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarij Genera-
lis in ſcriptis obtenta: Regulares verò ſine ſui Generalis,
vel Prouincialis ſimiliter facultate, onere perpetua Miſ-
ſarum deinceps recipiant; idque ſub grauiſſimis pœnis,
quæ ibidem inferuntur.

Aduertant igitur paciſcentes de ſtipendio, non poſſe
obligare ſuos ſucceſſores, & grauare iniuſtis ſtipendijs;
quia iſtud grauamen eſt contra iuſtitiam. Vnde ſucceſſo-
res, cognita iniuſtitia ſtipendii & grauaminis, ſtatim
poſſunt renunciare fundationi, quaſi facta non eſſet, niſi
ipſi fundatores, vel etiam hæredes ſtipendium augeant
iuxta temporis, & conſtitutionum ab Epiſcopis factarum
rationem.

5. *Sacerdos*, qui pro Miſſæ celebratione accipit ſtipem
& eleemoſynam ſupra taxam ab Epiſcopo præſcriptam,
aut legitima conſuetudine receptam, ſi illam exigat im-
portunè ab inuitis, peccat mortaliter poſita materia no-
tabili, & tenetur ad reſtitutionem exceſſus, quia facit cō-
tra iuſtitiam augendo pretium taxatum à ſuperiore.
Suarez *tom.*3. *diſp.* 86. *ſect.*2. Azorius 3.*p. lib.* 12. *cap.* 6.
Rodriquez 1.*p. cap.*251. *Non peccaret* autem Sacerdos ſi
ex liberalitate offerētis reciperet eleemoſynam pinguio-
rem ſupra taxam, quia exceſſus cenſetur donari. Regi-
naldus *lib.* 23. *num.*232. Poſſeuin. *de Miſſa cap.* 2. *num.*
25. *Sacerdotes* vero, qui ſordida quadam lucri cupiditate
deſerunt priorem Eccleſiam, in qua celebrare tenentur,
ſeque aliò conferunt ad ſacrum faciendum, ob pinguio-
rem eleemoſynam, faciunt contra propriam obligatio-
nem, & ſcandali præbent occaſionem, et ideo mulctari
punirique debent. Azorius 1.*p. lib.* 10. *cap.*24. *quæſt.*9.

Suarez. Azor. Rodriq. Regin. Poſſeu. Azor.

Sed circa prædicta eſt notandum, quod vbi ſtipendiū
non eſt taxatum lege ſuperioris, ſed priuata dumtaxat æ-
ſtimatione, et vſu fidelium: tunc ſicut in reliquis pretijs
rerum datur ſummum, infimum, et mediocre, eo quod
aliqui ſummo, aliqui infimo, mediocri alii pretio eandē
rem vendunt: ita in Miſſa dicenda triplex diſtingui po-
terit ſtipendium, ſupremum, infimum, et mediocre,
licitumque erit Sacerdoti vſque ad ſupremum ſtipendiū
pro miſſa, etiam ex pacto petere, non tamen vt pretium,
ſed vt honeſtam ſuæ perſonæ ſuſtentationem. Imo addit
Henriquez *lib.*9. *de ſacrifie. miſſa cap.*22. *num.* 2. poſſe ſa-
cerdotem in iudicio compellere, vt ex iuſtitia conſuetum
ſtipendium pro celebrata miſſa ſibi ſoluatur: quia ex pa-
cto mutuæ conuentionis oritur obligatio iuſtitiæ ex v-
traque parte. Et quidem mirum eſt, opificum & me-
chanicorum ſtipendia ſingulis diebus, conſiderata cala-
mitate temporum & caritate annonæ, augeri: Sacerdo-
tes autem Domini cogi diminuta ſtipe velut mendicare.

Henriq.

6. Non poteſt Sacerdos titulo paupertatis aliquid ſu-
pra taxam exigere ad vitæ ſuſtentationem, quia Miſſæ
ſacrificium non eſt inſtitutum ad ſuſtentandam Sacerdo-
tis vitam, cùm Sacerdos promoueri nequeat ad ordinem
ſacerdotalem, niſi conſtet habere bona, ſeu titulum ſuf-
ficientem ad vitæ ſuſtentationem. Nauar. *cap.* 25. *num.*
92. Toletus *lib.*2. *cap.*8. *num.*4. Miranda *tom.* 1. *q.* 41. *art.*
23. Suarez *cit. diſp.* 88. *ſect.* 4. Vnde Sacra Congregatio
in Decretis §. ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac
præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ à Sacerdotibus celebren-
tur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ
fuerint. Vide Dianam *tract. de celebr. Miſſarum reſol.*
8. *par.* 2.

Nauar. Tolet. Miranda Suarez. Diana.

7. *Sacerdos*, qui ob prauam valetudinem ad modicum
& breue tempus v. g. ſpatio 15. dierum non potuit onus
quotidianæ celebrationis iuxta Capellaniæ inſtitutionem
adimplere, non tenetur per alium ſupplere ad ratam
temporis, quo detentus fuit in infirmitate, quia non præ-
ſumitur fundatorem voluiſſe Sacerdoti tam ſtrictam
obligationem imponere; tamen ſi longior fuerit infir-
mitas ſacerdos non erit immunis ab obligatione celebra-
tionis per alium, aut ab onere reſtituendi mercedem hæ-
redibus, quam pro celebratione Miſſarum accepit. Ro-
driquez *cap.*251. *num.*3. Bonacina *de Miſſa diſp.*4. *quæſt.*
vlt. punct. 8. *num.*17. Syluius 3.*p.q.* 83. *art.*2. Quidam ta-
men non improbabiliter affirmant, quod ſi Capellanus
obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos
menſes, non teneri per alium celebrare, nec ipſe factus
ſanus relictas miſſas dicere, quia breue tempus intelligi-
tur ſpatium duorum menſium, et cùm fundator mentem
ſuam non explicuerit, ſe non intendere dare ſtipendium
niſi quotidie celebranti, quacumque cauſa excluſa, non
eſt credendum quòd voluerit tam ſtrictè obligare: vnde
enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet
præter ſtipendium miſſæ, ſi eo paruo tempore, quo plus
indiget, tenetur alteri ſtipendium elargiri. Ita Peyrinus
in priuileg. tom. 3. *cap.* 1. *num.* 24. Lugo *de Sacram. Eu-*
*char. diſp.*21. *ſect.*1. *num.*49. P. Nauar. *de reſtit. lib.*2. *cap.*
2. *num.*211. Naldus *in ſum. v. Miſſa num.* 11. Sed Hurta-
dus *de Miſſa diſp.* 4. *diffic.* 1. docet Capellanum non te-
neri compenſare miſſas omiſſas pro vno menſe, ſi infir-
mitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus
exiſtat, niſi conſtitutio aliqua aut nota conſuetudo ob-
ſtet. Prior tamen ſententia, vt probabilior & ſecurior eſt
amplectenda, vide Diana *par.*2. *tract.*14. *reſ.*27. & *par.*4.
*tract.*4. *reſ.*238. & *part.*5. *tract.*13. *reſ.*51. Caſpenſis *tract.*
23. *diſp.*3. *num.* 47. qui nouiſſimus extendit etiam ad in-
firmitatem duorum menſium, et colligit ex *cap. ſignifi-*
catum, de præbend. Sed caue, quod idem dicas de miſſis
manualibus; nam hæ debent omnes celebrari, ſicut pro-
miſſæ ſunt.

Rodriq. Bonac. Syluius. Peyrin. Lugo. P. Nau. Naldus Hurtad. Dian. Caſpenſ.

8. Secundùm probabilem Doctorum quorumdā ſen-
tentiam, qui plura colligit ſtipendia pro celebratione
Miſſarum, poterat olim per alios Sacerdotes ſatisfacere,
retenta ſibi parte eleemoſynarum, inſcio dante & inſciis
Sacerdotibus, per quos penſum Miſſarum perſoluitur,
modo ſacerdotibus celebrantibus tātam tradidiſſet elee-
moſynam, quantam fert communis taxa: quia ſacerdos
qui pecuniam accepit, vt Miſſæ ſacrificium per ſeipſum
celebraret, factus eſt Dominus pecuniæ cum obligatione
celebrandi Miſſam, nec eſt veluti ſimplex diſpenſator,
ergo poteſt partem illius pecuniæ ſibi retinere; retinet
enim quod ſuum eſt, nec vlli facit iniuriam. Suarez *diſp.*
86. *ſect.*3. Henriquez *lib.*9. *cap.*22. *num.*8. Filliucius *tract.*
5. *cap.*6. *q.* 9. Vaſquez 3.*p. diſp.*234. *cap.* 4.

Suarez Henriq. Filliuc. Vaſq.

Secus dicendum de Sacriſta, vel alio, qui ſtipes colli-
git, vt per alios curet Miſſas celebrari, hic enim non po-
teſt ſibi partem retinere, niſi hoc ei lege aliqua, vel con-
ſuetudine ratione officii permittatur. Nauarr *cap.* 25.
num. 92. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 240. Sà *v. Miſſa num.*
45. Poſſeuinus *cap.* 2. *num.*19. *Aduertendum* tamen eſt,
modo Sacr. Congregationem contrarium determinaſſe
in

Nauar. Regin. Sà. Poſſeu.

Digitized by Google

in §. 5. Decretorum, quæ hic per extenſum ad clariorem, & ſecuriorem dictorum intelligentiam ponimus. Et ad hoc deueniendum neceſſario erat; nam Sacerdos aliquis poſſet proceſſu temporis tot ſtipendia cumulare, vt etiam non celebrando Miſſas, efficeretur diues, quod turpis lucri ſpeciem ab Eccleſia prohibitam ſapit.

DECRETA

S. Congregationis Concilii, Sanctiſſimi D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, de celebratione Miſſarum.

CVm ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur, indeque fiat, vt depereant piè teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ij, qui Miſſas ſuprà vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui, ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quòd Eccleſijs, forte pecuniarum abſumpta plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque vllo emolumento; aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur: S. Congregatio Card. Concil. Trid. interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique ac iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare, Sanctiſſ. D. N. Vrbani, diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, & commutationes huiuſmodi, quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis pijs quibuſcumque, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, Sacra Congregatio ſub atteſtatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant: quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obſeruetur exactius Sacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tam ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcipit celebrandam, cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta: ſtatuit, atque decernit, vt pecunia, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs ad quos pertinent, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, à die realis acquiſitionis, ſtatim depoſi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quam primum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, vt ſuprà, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus iiſdem fructiferis, cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ab hac Sacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum: ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij; Regulares verò, ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſæcularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo; regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebat, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis, ita ſatisfecerint, vt noua quoq. onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa, Eleemoſyna pro miſſis, *vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.*

Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant, de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit illius ſacerdotes, tam noui oneris ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, vt reditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundùm morem cuiuſque ciuitatis, vel prouinciæ; intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſ. Patres, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cuiuſque Monaſterij, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacroſancti Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctiſſ. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac domorum Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & inſtitutionis exiſtentium intra fines Italiæ, & inſularum adiacentium, vt ſinguli ad quos pertinet, in qualibet prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regulæ ſui Ordinis, vel Congregationis, probatioribus,

ribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, reditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tam communes Monaſter. Conuentuum, & domorum eiuſdem prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem vſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere: eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congreg. generali, vel Prouinciali, coram tribus iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſuprà detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, alijsque neceſſarijs ſeruientibus, in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis, & proprij inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicamenta in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditiuum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis; cuiuſque familiæ Monaſterij, Conuentus, ac domus regularis in ſingula quaque prouincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores quid id præſtare debent, ſegnius, aut remiſſius quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant; Mandat Sacra Congregatio, vt infra annum, poſt proximum Capitulum generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia, Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſuprà præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſua religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſteriorum, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium, nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis, duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex reditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſuprà, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti fœlic. record. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſuprà ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint. Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne vllo vmquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, id eſt, feria ſecunda poſt Dominicam primam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium; Militarium etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius inſtituti, etiam neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam ſæcularium, quàm regularium locorum, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis, & ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus expreſſis habens, quibus, quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris. Sacra Congregatio, Sanctitatis ſuæ authoritate, & ſpecialiter & expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Et ne permiſſarum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præſentes ordinationes in valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Vtque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.

Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Coſmus Cardin. de Torres.

Locus ✠ ſigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

DECLARATIONES

Aliquot Sacr. Congreg. Concilij Sanctiſſ. D. N. Vrbani Papæ VIII. authoritate editæ, ſuper Decretis eiuſdem Congreg. de celebratione Miſſarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto, *de celebratione Miſſarum*, quo prohibetur ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quomodo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid ſi ligatum ſit ita tenue, vt non ſit qui velit onus illi iniunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione nneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit, pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis Decreto, quo canetur, vt celebrentur, tot Miſsæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa, *præſcriptę fuerin*, intelligenda

Digitized by Google

da ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cùm Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientis ſtipendium minus congruum, teneantur Miſſas ſibi ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarij; poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votiuis, aut defunctorum, recipere; & vnico Miſſæ ſacrificio vtriq. oneri ſatisſacere?

Quintò, poſito, quòd teſtator relinquat, vt celebrentur pro ſua anima centum Miſsæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ.

Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba *in futurum ſuſcipiendis* intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſsam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſsam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id eſt, an Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum benefici.

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Decimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: *Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.*

Quæritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quominùs accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis, non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Vndecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cùm primùm poterit?

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur, *Caſſe de morti?*

Decimoquartò, an adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatiſfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus' Congregationibus, nec non omnibus & ſingulis Eccleſiarum, & piorum locorum, tam ſæcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus ſit expreſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehẽdi videntur ſub clauſula generali, *& alijs ad quos pertinent*, ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſexto ſuper ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis reditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti ſanct. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redituum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda, necne?

Decimoſeptimò, an nouitii, ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in monaſteriis, in quibus habita, vt ſuprà præfixione numeri, commodè ali non poſſint?

Decimooctauò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſsarum recipere, vt ſunt Religiones Capucinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, an idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate ſibi à Sanctiſſimo D. N. attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

AD primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus, pro reductione oneris vt ſuprà impoſiti ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit; verumtamen ſi in ipſa beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſse validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſse intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſsarũ celebrandarum, non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſse eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſse ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſse intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittendum non eſse, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis miſsarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam, portionem retineant ratione expenſarũ, quas ſubeunt in miſsarum celebratione, niſi cùm Eccleſiæ, & loca ipſa aliàs non habent reditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc, quam proportionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm

Miſsæ ſacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſuprà deductis, abſolutè tot Miſsæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem ciuitatis, vel prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad decimum, reſpondit, non prohibere abſolutè, ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad vndecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur, vt pro iiſdem miſſis, iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua miſsarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumtertium, comprehendi.

Ad decimumquartum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſuprà in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimumquintum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumſextum, numeri præfixionem eſse iterum faciendum, ſeruata forma vltimi Decreti de hac re editi.

Ad decimumſeptimum, eſse admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſse collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimumoctauum, cenſuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Cardin. de Torres.

Locus ✠ ſigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

9. Ex his Decretis, & declarationibus concludi poteſt, nullum Sacerdotem, ratione vnius miſsæ plura ſtipendia, ſiue ab vno, ſiue à pluribus recipere poſſe. Ita etiam
Nauar. Nauar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 92. Suarez *diſp.* 86. *ſect.*
Suarez. 2. *concluſ.* 4. Vaſquez 3. *p. diſp.* 234. *cap.* 4. & contraria
Vaſq. ſententia à nullo tuta conſcientia ſuſtineri poteſt, cùm eam iniquam, & impiam, vtpotè inter populares ſcandala excitantem, & non modicam animis ſordidæ cupiditatis, & auaritiæ ſuſpicionem ingerētem vocitent Do-
Angles. ctores paſſim, Angles *in* 4. *de valore Miſſæ art.* 2. Barbo-
Barboſa. ſa *de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 24.

Sed dubium eſt, an Sacerdos poſſit duplex ſtipendium pro vna Miſsa accipere, applicando partem ſolitam vni, & alteri ſuam partem propriam?

Affirmatiuam ſententiam videtur docere Filliucius *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 181. ſed cum aliqua limitatione, aſſerens, ſacrificantem poſse partem ſacrificii ſibi debitam applicare illis, pro quibus teneretur; cùm autem ignoretur, quanta pars ſit illa, putat partē trium Miſsarū poſse ſuppleri vni, quæ dicenda eſset, & applicanda tota vni, quod ſeruare poterunt illi; qui cùm ſtipendia multa receperint, omnibus ſatisfacere non poſsunt. Hanc ſen-
Gauant. tentiam probabilem vocant Gauantus *in comment. Rub.*
Diana. *Miſſal. par.* 3. *tit.* 12. *num.* 29. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 14.
Tamb. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 9. *q.* 9. & alii ab ipſo citati. Sed hæc ſententia à Sacra Congregatione prædicta correcta eſt, per reſponſionem ad quartum: ex qua abſolutè, & ſine vlla diſtinctione videtur prohibere Sacerdotibus; ne pro vna Miſsa ſtipendium duplicatum accipiant.

10. Prædictis Decretis non obſtantibus, maius ſtipendium poſset Sacerdos accipere, pro obligatione dicendi Miſsam ſummo manè, vel ad loca diſtantia, quia maiori labore afficeretur: In Decreto enim Sacræ Congr. maius aliquod ſtipendium vnius miſsæ ex rationabili cauſa recipi non prohibetur, ſed ne plura ſtipendia pro vna miſsa celebranda ſumantur, mandat, et præcipit. Hinc pro miſsa ſolemni maior etiā eleemoſyna debet aſſignari, quàm pro miſsa priuata: Item quando imponitur ei miſsa cum officio deſunctorum, maius ſtipendium aſſignandum eſt, et in die Natiuitatis pro tribus miſſis tria ſtipendia ſecundùm proportionem aſſignanda ſunt. Ita Suar.
Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 2. Petrus Ledeſma *in ſum.* Ledeſm.
1. *p. de Euchar. cap.* 18. *concl.* 9. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* Bonac.
vlt. punct. 8. *num.* 13. Homobonus *de exam. Eccleſ. tom.* 1. Homob.
tract. 4. *q.* 120. & alii. Imò quidem addunt, quòd in diebus feſtis poteſt Sacerdos pro miſsæ celebratione duplum eleemoſynæ, quæ aliis diebus dari conſueuit, accipere.

Sed dubium eſt, an quando datur ſtipendium, non pro applicatione ſacrificii, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel commoditate populi, vt miſsam audiat, poſſit Sacerdos alienam eleemoſynam accipere pro applicatione ſacrificii, abſque peccato & obligatione reſtitutionis? Reſp. affirmatiuè, quia declaratio Sacræ Congregationis, dum ait; Sacerdotes quibus diebus tenentur miſsas celebrare ratione beneficii, Capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro aliis etiam miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſse eadem miſsa vtrique oneri ſatisfacere; intelligenda eſt, dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione: vnde non comprehendit noſtrum caſum, vt docent Bartholomæus à S. Fauſto *de* Fauſtus.
Iubilæo lib. 1. *q.* 81. Homobonus *in conſult. caſ. conſc. par.* Homob.
5. *reſp* 63. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 80. & *part.* 4. *tract.* 4. Diana.
reſol. 16. contra Gauantum *in commen. ad Rubr. Miſſal.* Gauant.
tom. 1. *part.* 3. *tit.* 12. *num.* 5.

11. Ex Concilio Tridentino Epiſcopi, Abbates, & Generales Ordinum poterant Miſsas Capellaniarū, & Anniuerſariorum iuſta de cauſa ad minorem numerum reducere, hi in Capitulis Generalibus, illi autem in Synodo Diœceſana: ſtante tamen Concilii Triden. Decreto, Prælati habentes auctoritatem diminuendi obligationes, non poſsunt reducere miſsas in fundatione aliqua appoſitas; quia verba Concilii ſunt de miſſis relictis, à defunctis. Similiter non poterunt reſtringere miſsas, quæ ex dotatione Eccleſiæ, vel Altaris celebrari debent, etiamſi beneficiorum fructus non ſufficiant pro oneribus ſuſtinendis, quia non poſsunt alterare mentem fundatorum. Nec etiam poſsunt diminuere miſsas particulares votiuas pro defunctis, vel ſimiles, quarum miſsarum ſtipendia à particularibus perſonis exiguntur, niſi conſenſus eorum, ad quos pertinent prædictæ miſsæ, habeatur. Nec etiam poterunt reſtringere miſsarum numerum, quæ ſtipendijs in futurum ſunt petendæ: nam in iis, in quibus poteſt aliquis diſpenſare, non poteſt in futurum ſtatuere, quia eſset occaſio peccandi, & fideles decipiendi.

Hodie talis facultas Epiſcopis, Abbatibus, & Generalibus à prædicto Concilio tradita, reuocata & ablata eis fuit per dictum Decretum Sacræ Congregationis ſub his verbis: *Primò diſtrictè prohibet, &c.* Et licet per Tridentinum tradita erat Prælatis auctoritas reducendi ad minorem numerum miſsas relictas ante ipſum Concilium tantùm; non autem poſt ipſum Concilium relictas: Per hoc tamen Decretum Sacræ Congregationis prohibentur fieri reductiones ad minorem numerum, tam de miſſis, & legatis poſt, quàm ante dictum Concilium relictis, vt patet ex illis verbis, *aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.*

Nihilominus Laurentius de Peyrinis *ad Conſtitut.* 5. Peyri.
Vrbani VIII. tom. 1. *priuileg. Ordinis Minimorum* refert quandam conceſſionem Vrbani Octaui factam anno 1626. die 13. Iulii Fratribus eiuſdem Ordinis

Cœno-

Digitized by Google

Cœnobij Ianuenſis, vt legata Miſſarum perpetua, exigua, et oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet Miſsa quotidiana reducerentur, decernitque per celebrationem Miſsarum ſic reductarum ſaluti animarum eorum, quorum intentione Miſsæ ſic reductæ fundatæ fuerunt, ſuffragari; perinde ac ſi illæ verè, & realiter, & cum effectu celebrarentur. Hoc autem priuilegio in pari cauſa per communicationem non modò aliæ eiuſdem Ordinis Domus; ſed etiam aliorum ordinum familiæ, quæ communicant in prædictis priuilegijs, perfruuntur, vt docet
Marchinus. Dian. Caſpenſ. Marchinus *de Ordine tract. 3. par. 2. cap. 20. num. 7.* Diana *par. 6. tract. 6. reſ. 11.* Caſpenſis *tract. 23. diſp. 3. num.* 106. Et hoc priuilegium eſt virtualis quædam & Apoſtolica Miſſarum reductio determinans certum earum ſtipendium, quod poſt dictum Decretum de celebratione Miſſarum emanauit, ſicque extra omnem controuerſiam valet.

Eſt præterea alia conceſſio Vrbani VIII. facta Minoribus Conuentualibus pridie nonis Auguſti anni 1639. vt in Conuentibus, in quibus Miſſarum reductio non erat facta, fieri poſſet in primo Capitulo, ad rationem ſexaginta ſcutorum. *In addit. ad Peyrin. conſt. 27.* Horum autẽ priuilegiorum communicationem non admittit. Lezana
Lezana. *tom. 4. ſum. verb. Miſſa num.* 31. pro alijs Ordinibus: quia ſecundùm praxim Religionum gratiæ conceſſæ per Breuia particularia à Summo Pontifice, vel Sede Apoſtolica alicui Domui, vel Conuentui, non ſolent communicari alijs, neque eiuſdem, neque diuerſæ Religionis domibus; aliàs magna confuſio & abſurda inde ſequerentur: ſed etiam quia Pontifex in dictis litteris non concedit facultatem reducendi talia onera Miſſarum, ſed ipſe ea reducit de conſilio Dominorum Cardinalium Congregationis Concilij. Si autem hoc factum Pontificis communicaretur alijs Religionibus habentibus communicationem cũ Minimis & Minoribus, procuIdubio nõ eſſet ipſis neceſſarium recurrere pro talium onerum reductione ad Sedem Apoſtolicam, ſed vti hac reductione, vel innumeris alijs, quæ quotidie fiunt ab eadem Sede, quod eſt abſurdum, et contra quotidianam experientiam, qua conſtat omnes Religiones ſolitas eſſe recurrere ad Sacram Congregationem ſingulis pro ſimilibus reductionibus. Vnde miratur hic Author Dianam & Caſpenſem ſequi hanc ſententiam Marchini. Verum ipſe Diana *par. 10. tract.*
Diana. 16. *reſ. 67.* nouiſſimè adhæret ſententiæ Lezanæ: quia nimis illum vrget ſtylus Curiæ Romanæ contra ſententiã adductam, & praxis demonſtrat regulares debere pro reductione Miſſarum ad Sanctam Sedem recurrere, & ideò cauendum à ſententia Marchini, & aliorum.

SVPPLEMENTVM.

MISSA II.

Vbi variæ quæſtiones de Miſſa proponuntur, & reſoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *An poſſit Sacerdos minores Hoſtias poſt conſecrationem ponere extra aram, & dare alteri diſtribuendas ante Communionem?*

2 *An ſacrificium incœptum poſt conſecrationem, ſit perficiendum ab altero Sacerdote, ſi celebrans moriatur, vel infirmetur? Et quid faciendum ſi Sacerdos moriatur, vel infirmetur poſt conſecrationem vnius ſpeciei? Et an teneatur alter in hoc caſu ſub peccato mortali perficere ſacrificium?*

3 *An in aliquibus caſibus poſſit Miſſæ ſacrificium interrumpi?*

4 *An Sacerdos poſſit Miſſam interrũpere, ſi cœpta Miſſa meminerit ſe non eſſe ieiunum, vel eſſe excommunicatum, interdictum, irregularem, in peccato mortali, aut ſe non fuiſſe ritè ordinatum, vel non eſſe Sacerdotem?*

5 *An liceat Sacerdoti celebranti ſumere reliquias Sacramenti Euchariſtiæ poſt ſumptam Calicis ablutionem dum eſt in Altari?* refertur duplex ſententia. *Et an idem licitum ſit poſt receſſionem ab Altari?*

6 *An ſemper ſit mortale Miſſam dicere, vel communicare, quando minima quantitas cibi, vel guttula aquæ per modum cibi, vel potus praæſumitur?*

7 *An offa panis in vino ſit materia vtriuſque, vel alterius conſecrationis?*

8 *Quando peccet mortaliter Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſſas pro ijs, a quibus ſtipendium accepit?*

9 *An requiratur intentio actualis, vel virtualis ſaltem in Sacerdote tempore Miſſæ ad applicandum fructum ſacrificij? Et an ſatis ſit habitualis?*

10 *Quandonam fructus Miſſæ a Sacerdote applicari debeat, vt effectus ſequatur?* refertur duplex ſententia.

11 *An fructus Miſſæ poſſit à Sacerdote applicari ſub conditione de futuro, præſenti vel præterito?*

12 *An Sacerdos offerens ſacrificium in perſona Eccleſiæ, poſſit licitè, & validè eius intentionem mutare?*

13 *Vt indulgentia proſit defunctis, an Sacerdos celebrans in Altari priuilegiato, debeat eſſe in gratia?*

14 *An Sacerdos Miſſam dicens in Altari priuilegiato, debeat non ſolum indulgentiam, ſed & ſacrificium applicare defuncto?*

15 *An Miſſa celebrata in Altari priuilegiato, quatenus priuilegiatum eſt, prodeſſe poſſit viuentibus?*
An ſit licitum viuentem ſibi Miſſam pro defunctis celebrari facere, & exequias dici, quaſi ipſe mortuus eſſet? refertur duplex ſententia.

16 *An melius ſit, vt fideles curent celebrari pro ſe Miſſas ante mortem, quam poſt?*

17 *An ſit peccatum mortale celebrare in Altari vbi non eſt Crux poſita?*

18 *An qui celebrat Miſſam ſine lumine peccet mortaliter?*
Et an ſit proſequenda Miſſa inchoata ſi lumen extinguatur?

19 *An celebrare ſine corporali lineo, & benedicto, ſit peccatum mortale?*

20 *An ſine ſtola, manipulo, aut cingulo Miſſam dicere, ſit peccatum mortale? Et an omnes veſtes ſacræ debeant eſſe benedictæ?*

21 *Quæ ſint myſticæ, & ſacræ ſignificationes ſacrarum veſtium, quibus vtitur Sacerdos in Miſſa?*

22 *An omiſſio harum veſtium, præciſa inaduertentia ſit ſemper peccatum mortale?*

23 *An liceat veſtes prophanas virorum, aut mulierum applicare ad Sacrum? Et an licitum ſit Sacerdoti Miſſam celebraturo, ire ad Altare cum baculo?*

1 VT rectè Sacerdos officio ſuo fungatur in Miſſa, non poteſt minores Hoſtias poſt conſecrationem ponere extra aram, & multò minùs dare alteri diſtribuẽdas, niſi poſt Communionem in Miſſa. Probatur prima pars, quia in Rubricis Miſſalis præcipitur, quod particulæ illæ ponuntur ſuper Corporale, vel ante Calicem, vel in aliquo Calice, vel vaſe mundo benedicto retro poſt Calicem: tum quia ara non tam requiritur ad ſuſtentandam Hoſtiam tempore conſecrationis, quàm tempore præcedenti & ſequenti, quando enim conſecratur, non eſt Hoſtia ſuper aram, ſed in manibus Sacerdotis, ergo magis requiritur ara ad tempus præcedens & ſubſequens. Probatur ſecunda pars, quia ſicut ex Hoſtia ſua maiori, Sacerdos non debet dare partem vſque ad finem ſacrificii, ſic nec de illis particulis, quæ ſunt etiam victima illius ſacrificii, & non minùs offeruntur, quàm Hoſtia maior, & ideò omnes orationes, oblationes & benedictiones ſequentes æquè ſpectant ad illas, nec ante ſumptionem à Sacerdote eſt victima perfectè, & integrè ſacrificata, minus etiam congruit, vt alius participet priùs de ſacrificio, quàm ipſe Sacerdos, qui eſt principaliter offerens & ſacrificans reſpectu aliorum;

Digitized by Google

vnde in omnibus Liturgijs, & Ritualibus, ac Regulis antiquis ſemper primo loco ponitur Communio Sacerdotis celebrantis, et poſtea Communio Cleri & populi, nec videtur ille ordo facilè peruertendus. Ita Ioannis de Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 20. ſect. 2. num. 69.* qui tamen in hac opinione ab aliquibus non admittitur, vt teſtatur Diana *par. 5. tract. 13. reſ. 72.*

2. Cùm integritas ſacrificii ſit de iure diuino, neceſſarium eſt, quod ſacrificium incœptum perficiatur, atque adeò quando non eſt poſſibile hoc fieri ab eodem Sacerdote, puta ſi moriatur Sacerdos poſt conſecrationem, debet fieri ab altero ſi adſit, etiamſi non ſit ieiunus, vel ſit excommunicatus, aut irregularis. Ita habet communis & probabilior ſententia: & tunc ſecũdus Sacerdos debet incipere ab illa parte Miſsæ, in qua alius finiuit, nihil repetendo ex ijs quæ à priori dicta ſunt. Proinde ſi Sacerdos mortuus eſt, vel infirmus factus in ipſa ſumptione Sacramenti debet ſecundus ſacerdos tantùm ſumere ſpecies ſacramentales remanentes. Quando verò contingit Sacerdotem mori, vel infirmari poſt conſecrationem vnius ſpeciei, eſt diuerſitas inter Auctores. Quidam enim dicunt, quod debeat ſecundus Sacerdos, non ſolùm conſecrare ſanguinem, ſed etiam prius alteram Hoſtiam, & poſtea ſuo tempore ſumere vtramque hoſtiam & ſanguinem. Ita Innocentius *lib. 4. de myſterijs Miſſa cap. 22* Innoc. D.Thomas *in 4. diſt. 8. quaeſt. 1. art. 4.* D. Tho. probabiliter, licet conſultius ſit non conſecrare alteram Hoſtiam, vt ex probabiliori ſententia docet Nugnus *in 3. part. q. 93. art. 6.* Nugn. cum alijs. An autem quando poſt conſecrationem deficit Sacerdos, teneatur alter, ſi adſit, ſub peccato mortali perficere ſacrificium? Negatiuam ſententiam probabilem putant quidam, quia in Concilio Toletano 7. relato *in cap. nihil 7. quaeſt. 1.* dicitur, *Cenſuimus conuenire, vt in eo caſu ſit liberum, alteri Epiſcopo, vel Presbytero conſecrationem exequi officij cœpti.* Loquitur autem Concilium de præſenti caſu, ſicque videtur indicare Sacerdotem quidem poſſe, ſi velit explere ſacrificium relictum imperfectum, non tamen teneri, vt ſentit Sotus Sotus. *in 4. diſt. 13. quaeſt. 2. art. 6.* Ludouic. de San Iuan *in Sum. quaeſt. 7. art. 17. diffic. 11.* Ludou. de San Iuan. Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 8. diffic. 31. num. 15.* & alii. Villalob. Hæc tamen ſententia intelligenda eſt, quando non ſequitur ſcandalum; quia ſi ex nõ perfectione ſacrificii illud ſequeretur, quod ferè ſemper dabitur ſi aliqui ſint præſentes, teneretur Sacerdos perficere: quia obligatio vitandi ſcandalum eſt de præcepto diuino & naturali.

3. Cùm Miſſæ ſacrificium vnum ſit, & vnum dicatur, totum proferri debet cum quadam morali continuatione, ſine magna interruptione. Et ideò poſtquam ſacra Miſſæ actio incepta eſt, debet ad exitum perduci per ſuas partes, et ſi Sacerdos voluntariè notabilem illius partem omittat mortaliter peccat. Dantur tamen aliqui caſus, in quibus ſolet, ac poteſt Miſſa interrumpi. *Primus* eſt, propter Verbi Diuini prædicationem, idque ſiuè ante Symbolum Nicænum, ſiuè poſt illud dictum vel decantatum, prout fert locorum conſuetudo, et docent paſſim Doctores. *Secundus* eſt, ſi aliqui ſint Euchariſtiã accepturi; facta enim conſumptione ſacrarum ſpecierũ ſolet ac poteſt Miſſæ ſacrificium interrumpi, & tamen peracta Euchariſtiæ miniſtratione, continuari moraliter cenſetur cum ſequentibus orationibus. *Tertius* eſt, dum Epiſcopus multos initiat ſacris Ordinibus, et hæc interruptio ad ſolemnitatem ipſius Miſſæ ſpectat, vt patet experientia, et conſuetudine. *Quartus*, propter Baptiſmum pueri, quẽ caſu fœmina moribundum peperit in Eccleſia. *Quintus*, ob ſuperuenientem grauem ventris neceſſitatem. *Sextus*, non ſolùm licet, ſed etiam tenetur Sacerdos Miſſam inchoatam interrumpere, ſi ante inceptum Canonem ſuperuenit interdictum ſpeciale, vel generale, vel ceſſatio à diuinis, & Sacerdos caret priuilegio dicendi Miſſam tempore interdicti ianuis clauſis; cœpto autem Canone poteſt Miſſam licitè continuare, quia iam cenſetur quaſi ſubſtantialiter incœpta. Canon verò incipit, *Te igitur clementiſſime Pater*, quia in Miſſali ab illis verbis titulus Canonis incipit. *Septimus*, tenetur Sacerdos Miſſam interrumpere etiam ante Canonem inceptum, ſi ingrediatur Eccleſiã homo nominatim denunciatus et momitus diſcedere non vult, nec Clerici decenter poſſunt illum expellere. Si autem Canon ſit incœptus poteſt Miſſam continuare, & proſequi quando non vult diſcedere: quia iam cenſetur ipſum Miſsę ſacrificium quaſi ſubſtantialiter incœptum. *Octauus*, ſi morbo repentino impediatur, aut alia graui neceſſitate. *Nonus*, ſi celebrans fortè inuaditur ab iniquo, poteſt pro neceſſaria ſui defenſione, dimiſſa celebratione fugere, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere inuaſorem: quod ſi moderamen non exceſſit, redire debet ad perficiendam Miſſam incœptam. Tamen ex eo quod puer, qui Miſſæ miniſtrabat, receſſit, et expectatus poſt moram non redit, non debet dimittere, ſed perficiat ſolus, et ſibi reſpondeat. Ita Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 30. num. 3 4 & 5.* Henriq. Fagundez *de præc. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 18.* Fagund. qui pro ſingulis his caſibus citant Auctores.

4. Sed rogabis, ſi cœpta Miſſa meminerit Sacerdos ſe non eſſe ieiunum, vel eſſe excommunicatum, interdictum, aut irregularem, in peccato mortali, aut ſe non fuiſſe ritè ordinatum, et non eſſe Sacerdotem, an in his caſibus poſſit Miſſam imperfectam relinquere? Reſp. & dico *Primo*, ſi Sacerdos poſt conſecrationem incœptam recordetur ſe non eſſe ieiunum, debet perficere ſacrificium: ſimiliter ſi meminerit ſe peccatum aliquod mortale commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito illud confitendi, et ſatisfaciendi, et ſic non indignè ſumet Sacramentum. Idem dicendum, ſi recordetur, ſe eſſe excommunicatũ, aut interdictum, aut irregularem: debet enim tunc habere propoſitum petendi abſolutionem, ac diſpenſationem. Ratio eſt, quia in hoc caſu fortius eſt præceptum diuinum, de integrando, & perficiendo ſubſtantialiter ſacrificio Miſsæ, quàm præceptum de communicando ieiunè, de non celebrando cum excommunicatione, irregularitate, aut ſuſpenſione, cùm ſint humana & Eccleſiaſtica. Sed quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, fortius eſt exequendum, minus forte relinquendum. Tum quia ſcandalum manifeſtum ſequetur, ſi ſic imperfectum ſacrificium Miſsæ relinquatur. Ita D. Thomas *3. p. q. 83. art. 6. ad 2.* D. Tho. Nauarrus *in man. cap. 25. num. 86.* Nauar. Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 6.* Sotus. et communis. Imò in hoc caſu non ſolùm poteſt, ac debet Sacerdos Miſsam abſoluere, ſed etiam tenetur, vt habet probabilior opinio: quia hæc vincula ſunt de iure humano, et non eſt credendum velle Summos Pontifices Sacerdotem obligare, ad relinquendam miſsam cum ſcandalo, quod neceſsariò ſequetur, ſi poſtquam ſubſtantialiter eſt incœpta relinquatur. Ita Suarez *in 3. part. tom. 3. diſput. 85. ſect. 1. verſ. Si denique.* Suar. Fagundez *loc. cit. lib. 3. cap. 18. num. 8.* Fagund. et alii penes ipſos.

Dico *Secundo*, ſi Sacerdos meminerit alicuius prædictorum impedimentorum Canone iam cœpto, tenetur ſub culpa mortali præhabita contritione, et propoſitio petendi abſolutionem, vel diſpenſationem irregularitatis, ſacrificium perficere & abſoluere; quia iam eſt quaſi ſubſtantialiter ſacrificium incœptum: & idem dicendum eſt, ſi meminit ſe non eſſe ieiunum. Ratio eſt, quia in hoc caſu non ceſsat ſcandalum, imo euidenter oritur, vt patet, cùm videant omnes ſacrificium quaſi ſubſtantialiter incœptum relinqui, et non videant cauſam ob quam citra culpam Sacerdotis mutilum, & imperfectum relinquatur. Et proinde præter prædictum ſcandalum oriuntur ſæpè alia plurima, quibus tenetur Sacerdos ſub mortali obuiam ire, v. g. quia deſiſtendo à ſacrificio ſe infamaret de graui peccato, et offendiculum eſset alijs temerariè iudicandi, et ſimilia, vt rectè docet Syluester Syluest. *verb. Euchariſtia 2. num. 10.* et colligitur ex doctrina Suarez *loc. cit. diſp. 81. ſect. 4. verſ. Secundo quaeret aliquis.* Suarez. Soti *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 6.* Sot. vbi docent debere Sacerdotem ſacrificantem Miſsam abſoluere, ſi contingat Eccleſiam pollui incœpto Canone, dum eſt in actu ſacrificii: quia iam cenſetur, quaſi ſubſtantialiter inchoatum ſacrificium; & ideò interrumpi non debet, propter Eccleſiaſticum loci impedimentum ſuperueniens. Ergo idem dicendum eſt ob paritatem rationis in noſtro caſu.

Dico *Tertio*, ſi Sacerdos ſolius peccati non confeſſi meminit in ſacrificio Miſsæ antequam Canonem inciperet, illam debet abſoluere, præhabita contritione

etiamſi

Digitized by Google

D. Tho. Palud. Syluest.

etiamſi ſecluſo ſcandalo eam poſſit dimittere, quod rariſſimè tamen eueniet. Ita colligitur ex D. Thoma 3. *part. q.83 art.2. & in 4.diſt.13. in littera.* Paludano *ibi*, & expreſsè tenet Sylueſter *verb. Euchariſtia 2. num. 9.* Si verò meminit impedimenti excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, aut ſe non eſſe ieiunum, tunc tutius eſt Miſſæ ſacrificium inchoatum dimittere, quando non ſequitur ſcandalum, ſecuto autem ſcandalo, perficiendum eſt, vt docet expreſsè D. Thomas 3. *part. q. 83. art.6. ad 2.* Nauar. *in man. cap.25. num.75. §.13.* Sylueſter *v. Euchariſtia 2. num.9.* & alii.

D. Tho. Nauar. Syluest.

Dico *Quartò*, ſi celebrans in Altari meminit ſe non eſſe Sacerdotem, aut non ritè ordinatum, tenetur Miſſam dimittere, ſiue ante, ſiue poſt Canonem, aut conſecrationem id meminerit, ſi conſcientiam deponere non poteſt: & tunc prætexat ſe morbo impediri ne proſequatur Miſſam. Notandum tamen quod ad dimittendam Miſſam requiratur clara notitia huius rei: quia aliunde poteſt huiuſmodi ſcrupulus eſſe argumentum timoratæ conſcientiæ, ac proinde irrationabilis: proinde ſi ſibi certò & prudentialiter non conſtet, ſe non eſſe Sacerdotem, deponat ſcrupulum, & perficiat ſacrificium. Ita D. Bonauen. *in 4. diſt. 13. in corpore litteræ.* Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 30. num. 5.* qui citat Tabienam. Et hæc ſententia eſt communis.

D. Bonauent. Henriq.

5. Dubiū eſt, an liceat Sacerdoti ſumere reliquias Sacramenti Euchariſtiæ, poſt ſumptam Calicis ablutionem? Quidam negant: quia ſumptio harum reliquiarū eſt vera Communio, ad quam propter reuerentiam Sacramenti, requiritur ieiunium naturale, illud autem ſoluitur ſumptione ablutionis Calicis, ergo non eſt licitum Sacerdoti has reliquias ſumere poſt ablutionem. Ita Scotus *in 4 diſt.8* Paludanus *in 4. diſt.6. q 1. in fin.* Roſella *v. Euchariſtia 3. §.13.* Nihilominus contrarium vt probabilius eſt ſuſtinendum. Ratio eſt, tum quia tota illa actio Sacerdotis, videlicet, ſumptio Euchariſtiæ & reliquiarum, eſt vna moralis actio integra ordinata ad conſumptionem ipſius Sacramenti, & fit per modum vnius, et quia ad totam illam acceſſit ieiunus, impleuit præceptum Eccleſiæ, nec poſtea frangit illud, etiamſi ablutionem ſumpſerit, priuſquam totum Sacramentum conſumat. Tum quia illa ſumptio reliquiarum ordinatur & eſt moraliter neceſſaria, ad perficiendam ſuam actionem, & miniſterium ſuum huic Sacramento debitum; & eſt ſumptio illa reliquiarum quaſi complementum actionis ſacrificandi, atque conuiuii ibi perfecti. Tum quia ſumptio Euchariſtiæ, reliquiarum, et ablutionis, eſt vnus conſummatus actus perfectione, videlicet Communio integra quæ his omnibus operationibus conſtat: & quamuis reliquiæ ſic ſumptæ, non ſpectent ad eundem numero actum Communionis, vt neceſſario requiſitæ ad integritatem illius (nam Communio ſacerdotis in Miſsa, perfecta eſt eſſentialiter ſumpta Hoſtia & Sanguine) ſpectant tamen vt partes materiæ. Et quia ablutio neceſſario miſcetur his partibus, ideò ſumptio ablutionis & partium huiuſmodi, pro vnico actu rationabiliter computantur. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Sylueſter *verb. Euchariſtia 3. q.8.* Sotus *in 4. diſt.12. q.1. art.8.* Caietanus *in opuſc. tom.2. tract. 3. de Miſſa celebrat.* Angelus *verb. Miſſa num.47.* Nauar. *in man. cap.25. num.89.* Suarez *tom.3. in 3.p. diſt.68. ſect.6.* & alii.

Scotus. Palud. Roſella. Syluest. Sotus. Caietan. Angel. Nauar. Suar.

Ad rationem autem primæ opinionis reſponderi poteſt verum quidem eſſe ſumendas eſſe has reliquias à ieiunis, quando reliquiæ ſumuntur per ſe, ac per modum Communionis integræ. Sed Doctores poſterioris opinionis intelligendi ſunt, quando ſumptio reliquiarum eſt quaſi complementum actionis ſacrificandi, atque conuiuii ibi peracti. Deinde ieiunium naturale debet præcedere totum actum ſumptionis Sacramenti, & non ſingulas eius partes, reputatur enim ieiunus totum ſumere (inquit Caietanus) qui ieiunus cœpit.

Maior difficultas eſt, quando reliquiæ fuerunt præcõſecratæ ab alio Sacerdote in alio ſacrificio, an licitum ſit eas ſumere ſtatim poſt ablutionem calicis? Negatiuam ſententiam tenent multi. Ratio illorum eſt, quia abſumptio harum reliquiarum in alia Miſſa præconſecratarum non eſt complementum conuiuii à celebrante parati, nec pertinet ad idem ſacrificium, ac proinde nec ad eandem actionem ſacrificandi, & ideò non poſsunt hæ reliquiæ per modum vnius cum Sacramento tunc conſecrato poſt ablutionem à Sacerdote ſumi, ſed in ſacrario reponi debent, ac ſeruari. Ita Suarez *tom.3. in 3. p. diſp. 68. ſect.6. caſu 2.* Filliucius *tract. 4. cap.8. num. 240.* Fagundez *in precept.3. Eccleſ. lib.3. cap.5. num.29.* Vaſquez, Reginaldus, Bonacina, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par.6. tract.6. reſol.23.*

Suarez. Filliuc. Fagund. Dian.

His tamen non obſtantibus non deſunt Doctores contrarium ſuſtinentes, nempe, non minus licere Sacerdoti poſt ſumptam ablutionem conſumere præconſecratas reliquias ab alio, quàm à ſeipſo, ſi in patena, vel calice reperiantur. Probant *Primò*, quia diuerſitas Miniſtri non videtur ad rem facere, cùm ſit circumſtantia accidentalis. *Secundò*, difficile eſt rectè ſcire, an illæ reliquiæ inuentæ poſt ablutionem ſint ex præconſecratis ab alio, vel à ſeipſo. *Tertiò*, in die Paraſceues poſt ſumptionem ablutionis, Sacerdos conſumit reliquias præconſecratas die præcedenti, ſi quæ in patena, vel in calice remaneant, ergo idem licebit omni tempore. Ita Marchinus *de Sacrament. Ordinis tract. 3. part. 3. cap 3. num. 19.* In cuius ſententiam nouiſſimè inclinat Caſtrus Palaus *tom. 1. tract.21. diſp. vnic. punct.13. num. 20* Nam reliquiarum conſecratio & conſumptio pertinet ad rationem ſacrificii accidentariam, cùm ſine earum conſecratione & conſumptione, perfectio ſacrificii conſiſtat, ſola vnica Hoſtia & Calice conſecratis, & ſumptis. Ergo ſi ob ſacrificij complementum poteſt Sacerdos poſt ſumptam ablutionem reliquias à ſe conſecratas ſumere; poterit ſimiliter, quæ ab aliis conſecratæ fuerunt; ſiquidem earum ſumptio æquè pertinet ad ſacrificium. Item ad Sacerdotem pertinet conſumere poſſe, non ſolùm formulas à ſe conſecratas, ſed etiam quæ ab aliis ſunt conſecratæ. Ergo vtraſque conſumere poterit, dum ab Altari non receſſit: quia dum eſt in Altari, non cenſetur moraliter finita conſumptio, ne conuiuium perfectum. Ita ille. Huic ſententiæ fauet Fagundez *in precept. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 18. num. 2.* vbi mouet dubium. An ſi Sacerdos Euchariſtiam miniſtret poſt ſumptam Communionem, et poſt purificatoriam digitorum ablutionem vini & aquæ, poſſit licitè reliquias à communicantibus relictas, vel ab alio Sacerdote, ſi fortè illas poſtea reperit in Altari, vel corporalibus ſumere? Affirmatiuè reſpondendum eſt, modo commodè ſeruari non poſſint in ſacrario. Quia dum Sacerdos manet in Altari, totum illud ſacrificium moraliter cenſetur vnum conuiuium, quod pro maiori parte ſumit ieiunus. Et infra. Tunc autem commodè in ſacrario ſeruari non poterunt, ſi aliquod periculum detur amiſſionis, quod propter exiguitaſem illarum ferè ſemper dabitur: nam præceptum ieiunii naturalis, eſt inductum ab Eccleſia propter reuerentiam tanti Sacramenti, vnde non debet eſſe hoc præceptum cauſa maioris irreuerentiæ, ne vnde honor oriri debebat, inde dedecus & iniuria oriatur. Ita Fagundez *ſup.* qui idem confirmat *in precept. 3. Eccleſ. lib.3. cap.5. num. 29.* dicens, ſi reliquiæ poſt ſumptionem ablutionis repertæ fuerint ex alio præcedente ſacrificio, & commodè in ſacrario recondi & ſeruari non poſſint, quia celebratur fortè in eremitorio, tunc conſumi etiam poſſunt ab ipſo Sacerdote ne pereant: quia tunc datur neceſſitas ex parte ipſius Sacramenti, ne irreuerenter tractetur, conculcetur, aut pereat. His conformia docet Petrus Marchantius *tom.2. Tribunalis tract.2. part.2. tit.4. quæſt.2. exam.4. Diſpoſitionis 3. caſu.* Ratio eſt, quia videntur aliquo modo ſpectare ad materiam ſacrificii, et eius participationem, vel ad congruam neceſſitatem ne depereant.

Marchinus. Palaus. Fagund. Fagund. March.

Dubium alterum occurrit, an poſſint ſumi iſtæ reliquię etiam poſt collectas et finita Miſſa, ſi aliquæ inueniantur in patena, vel calice? Reſp. non poſſe Sacerdotem, per ſe loquendo prædictas reliquias ſumere, poſtquam ab Altari receſſit: quia iam expleuit, perfecitque miniſterium ſuum: ſecus tamen eſſet ex accidenti, quando illæ non poſſent conſeruari ſine maiori irreuerentia, in ea enim circumſtantia non ſolùm reliquiæ præſentis ſacrificii, ſed etiam præteritorum conſumi poſſunt ab ipſo Sacerdote

non ieiuno, etiam poſtquam à multo tempore ab Altari receſſit. Proinde in Eccleſijs vbi plures ſucceſſiuè celebrantur Miſſæ, ſi Sacerdos in Sacriſtia inueniat in Calice aliquod fragmentum, tunc alius Sacerdos ieiunus exiens ad dicendam Miſsam, celebret in illo Calice, vt fragmentum illud ieiunus accipiat. Si vero accidat in Eccleſia, vbi vna Miſſa tantùm celebratur, & ibi non reſeruatur Sacramentum, tunc ſacerdos non ieiunus poteſt tale fragmentum accipere; quia illud reſeruari ſine maiori irreuerentia non poteſt. Ita in terminis Fagundez *in præc. 3. Eccleſ. lib. 3. cap. 5. num.* 30. Diana *par. 3. tract. 4. reſ.* 45. Layman, Coninch, Suarez, Villalobos, de la Cruz apud illum. Hæc eſt communior & in praxi ſequenda ſententia. Nihilominus nonnulli aſſerunt licere Sacerdoti in Sacriſtia, dum adhuc ſacris veſtibus eſt indutus ſumere reliquias Hoſtiæ inuentas in Calice: quia ſumptio illarum particularum pertinet ad integritatem ſacrificii, quæ diuino iure præcepta eſt ſacerdotibus; aliundè vero cùm non ſit abſolutè noua Communio, ſed perfectio præcedentis, videtur poſſe peragi ab eo, qui initio Communionis fuit ieiunus, et nondum depoſuit veſtes ſacerdotales. Ita Iacobus Granado *in 3. p. D. Thomæ de Sacrament. controuerſ. 6. tract.* 10 *diſp. 8. num.* 11. Ioannes Baptiſta de Fabris *in manuali ordinandor. cap.* 11. *num.* 142. Megalius *in promptuario tom. 2. verb. Eucharistiæ Sacramentum ſuſcipiens num.* 24. relati à Diana *par. 5. tract.* 14. *reſ.* 43. *& par. 6. tract. 6. reſol.* 17. quorum ſententiam non improbat, licet contrariæ adhæreat: quia nulla eſt ratio cur liceat eas ſumere priuſquam Sacerdos recedat ab Altari, et non liceat ſtatim poſtquam receſſit, cum non obſtante receſſu adhuc non ſit perfectè conſummatum ſacrificium ob prædictas inaduertenter relictas reliquias. Et certè reueretur Sacramentum, ſi ſtatim ſumantur reliquiæ etiam poſt receſsum ab Altari, quàm ſi relinquantur in patena, aut in calice, et maximè ſine lumine, & facilè poſſunt interim decurrere, & perire. Ita *Megalius*.

Fagund. Diana. Granad. Fabris. Megal.

Potrò licet Miſſale Pij V. vetet ablutionem capere antequam Sacerdos celebrans alios communicet. Tamen Gregorius XIII. diſpenſauit cum Religioſis Societatis Ieſu, vt teſtatur Henriquez *lib. 8. cap. 50. lit. L. in comment.* Ex qua diſpenſatione veriſimiliter videtur conſuetudine introductum apud eoſdem Religioſos, & alios Regulares, quod quando Ciborium eſt purgandum à reliquijs, celebrans relinquit vinum in calice, & facta cõmunione purgat pixidem, et conſumit omnia fragmenta hoſtiarum remanentia cum dicto vino antequam diſcedat ab Altari: & ratio eſt, quia non poſsunt hæ reliquiæ aliter commodè ſumi. Vt docet Præpoſitus *in 3. p. q. 8. art. 8. de Euchariſtia dub.* 2.

Henriq. Præpoſ.

Hæc in gratiam Sacerdotum paulò fuſiùs ſolito dicta ſint, quia ſimiles caſus quotidie illis occurrunt.

6. An ſemper de ſe ſit peccatum mortale communicare, vel Miſsam dicere, quando minima quantitas cibi, vel guttula aquæ per modum cibi, vel potus præaſſumitur, ſiue ſumatur aduertenter, ſiue inaduertenter, dummodo Euchariſtia ſumatur cum animaduerſione præaſſumptæ aquæ, vel cibi, dubium eſſe poteſt? Cum enim leuis ſit materia, cur mortale erit? Et cur in hoc præcepto ex leuitate materiæ non dabitur peccatum veniale, ſicut in aliis præceptis? Ob has rationes quidam exiſtimarunt tantum eſse peccatum veniale in caſu accedere ad ſumptionem Euchariſtiæ, & ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum; quia ieiunium ad eam prærequiſitum præcipitur ab Eccleſia, ergo eodem modo intelligendum eſt, quo Eccleſia intelligit ieiunium, quod pro diebus ieiunii præcipit. Hæc tamen opinio nõ poteſt eſse practicè probabilis, & ideò dicendum in caſu ſemper eſse peccatum mortale, niſi per modum ſaliuæ, aut reſpirationis ſumatur, vel attrahatur. Probatur, quia ita hoc præceptum interpretatur conſuetudo Eccleſiæ, & quia hic non prohibetur cibus, vel potus, ſed prohibetur Communio poſt cibum, vel potum, & ſic non datur leuitas materiæ in proprio actu in quem cadit prohibitio, ſed in alio actu: vnde violatur præceptum ſimpliciter, & abſolutè non in actu minimo, ſed in actu principali; datur enim Communio non ieiuno etiamſi ieiunium in parua materia ſolutum ſit, vt habetur *in cap. nihil contrà 7. quæſt.* 1 ibi: *Nullus poſt cibum, potumque quemlibet minimum ſumptum Miſſas facere præſumat.* Et docent communiter Doctores poſt D. Thomam 3. p. q. 80. *art.* 8. Ioannes de Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 15. ſect. 2. num.* 22. Suarez *tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. verſ. dico ſecundò.* Præpoſitus *in 3. p. q 80. art. 8. dub. 1. num.* 39. Sancius *in ſelectis diſp. 51. num.* 1. & alii penes ipſos.

D. Tho. Lugo. Suarez. Præpoſ. Sancius.

7. Difficultas eſt, an offa panis in vino, ſit materia vtriuſque, vel alterius conſecrationis? Ratio autem dubitandi eſt pro pane, quia adhuc perſeuerat in ratione panis & per modum cibi, ergo nihil deficit, vt poſſit conſecrari. Pro vino verò, quia etiamſi ſit intra potos, ſeu foramina panis, adhuc eſt vinum & quaſi in vaſculis, ſeu receptaculis. Ergo non apparet cur negandam ſit conſecrationem valere, ſi Sacerdos diceret verba conſecrationis vini cum ſufficienti intentione, & aliis requiſitis ad valorem. Proinde ſi Sacerdos ſupra materiam panis, & vini coniunctim dicat vtriuſque materiæ formam: *Hoc eſt Corpus meum, & Hic eſt Sanguis meus,* dirigendo intentionem priorum verborum ad panis, & poſteriorũ ad vini materiam, videtur quod valida ſit conſecratio, dummodo vtraque materia maneat ſenſibilis: quia ſi tã parua eſſet guttula vini, vt intra panem confunderetur, defectu ſenſibilitatis deſineret eſſe conſecrabilis. Propter has rationes, & alias Dicaſtillus *de Sacramentis tom.* 1. *tract 4. diſp. 2. dub. 5. num. 91. & 92* exiſtimat ſatis probabile eſſe, quod vtraque materia poſſit conſecrari validè, quamuis illicitè. Sed dicendum eſt, offam in vino non eſſe conſecrabilem quoad ſpecies ſanguinis; quia illud vinũ non poteſt tempore conſecrationis deſignari per pronomen *Hic*, quia illud vinum intra offam non continetur per modum potus, ſed per modum cibi, vnde diceretur quis manducare illam offam, non bibere. Ergo vinũ in ipſa contentum, non erit materia conſecrabilis, ſicut muſtum in vuis incluſum, non eſt conſecrabile, quia in vuis non continetur per modum potus, ſed per modum cibi. Ita docent Cardinalis de Lugo *de Euchar. diſp. 4. ſect. 5. num* 12. Molanus *in comment. Theolog. Pract. tract. 4. cap. 7. concluſ. 3. num.* 23. Cornejus *in 3. p. tract. 4. quæſt.* 75. *art. 5.* Amicus *tom. 7. diſp. 16. ſect. 3. num.* 36. Aueria *tract. de Sacram. Euchar. q. 2. ſect.* 5. apud Dianam *par. 9. tract. 8. reſ.* 65.

Dicaſtil. Lugo. Molan. Cornejus. Amicus. Aueria. Dian.

Admittimus tamen cum prædictis Auctoribus vinum imbibitum in offa panis antea conſecratum retinere tunc conſecrationem, quia ſpecies ſemel conſecratæ poſſunt retinere Chriſti Sanguinem; nam ad hoc non eſt neceſſe, quod poſſint deſignari per illud pronomen *Hic*, ſed ſufficit, ſi tantùm retineat ſpecies vini, etiamſi non retineat illas in forma potus. Vide quæ de hoc dubio breuiter diximus *tom. 1. verb. Euchariſtia 1. num. 13. verſ. De vino.*

8. Ex communi Doctorum ſententia peccat mortaliter Sacerdos qui eſt notabiliter in mora, celebrandi Miſſas pro ijs, à quibus vel pro quibus ſtipendium accepit, differẽdo celebrationem illarum ad longum tempus. Sed quod ſit longum tempus, vt mortale peccatum conſtituat, non explicant? Reſpondeo, quod ſuper Decretis de celebratione Miſſarum nuper à Sacra Congregatione emanatis, irrepſerunt quædam dubia, & ſuper quinto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: *Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.* Quæſitum fuit, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerant, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere? Reſponſum fuit à Sacra Congreg. *Ad decimum reſpondit, non prohibere abſolutè, at ſi propterea, & ſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.* Sed difficultas eſt, quid intelligatur per modicum tempus in hac Sacræ Congreg. Quidam enim dicunt arbitrarium eſſe, & remittendum iudi-

Digitized by Google

Peyrin.

indicis arbitrio conſiderantis circumſtantias loci, temporis, perſonarum, &c. Et ideò Peyrinus *de priuileg. tom.* 3. *Conſt.* 11. 9. *Vrban VIII.* hæc verba explanãs, per modicum tempus intelligit ſpatium trium annorum, cuius tamen ſententia communiter reiicitur vt improbabilis. Proinde verius arbitrantur illi, qui putant ſpatium 50. aut 60. dierum ad plurimum eſſe modicum tempus; & poſſe Sacerdotem ſimul ſe obligare ad 50. vel 60. Miſſas. Ita Lezana *tom.* 4. *verb. Miſſa, n.* 39. Hieronymus Garcia *in Summ. moral. tract.* 3. *difficult.* 10. *dub.* 8. *num.* 4. Villalobos & Ledeſma apud Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *reſolutione* 25. *& parte* 9. *tract.* 6. *reſol.* 55.

Lezana. Garzias. Diana.

9. Quidam requirunt intentionem actualem vel ſaltem virtualem in Sacerdote eodem tempore Miſſæ ad applicandum fructum ſacrificij, illi qui præbuit ſtipendium: Ducuntur quia non aliter prodeſt vel applicatur alicui fructus boni operis, aut ſacrificii, quàm offerendo illud pro tali perſona, ſed vt offeratur pro tali perſona, requiritur intentio ſaltem virtualis offerendi pro illa, & nõ ſatis eſt quod aliquando id quis voluerit, ergo vt alicui proſit bonum opus vel ſacrificium Miſſæ, neceſſaria eſt ſaltem virtualis intentio: tum quia ſola habitualis voluntas non ſufficit, vt ratione illius aliquid fiat, ſed perinde ſe habet, ac ſi non eſſet. Ita Vaſquez 3. *p. diſp.* 138. *cap.* 6. *num.* 76. Granado *in* 3. *part. controuerſ.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 14. Fraxinellus *de oblig. Sacerdot. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 7. & alii, quorum ſententia, vt tutior, in praxi eſt amplectenda, quia conformior rubricæ Miſſalis. Nihilominus contraria eſt etiam probabilis. Ratio eſt, quia quamuis intentio habitualis non ſufficiat ad efficiendum Sacramentum, neque ad efficiendum ſacrificium, quia ad id requiritur intentio factiua, quod conuenire nequit intentioni non perſeueranti actualiter in ſe, neque virtualiter in aliquo effectu ſui, ſufficit tamen ad applicandum valorem, aut fructum ſacrificij faciendi ex alia intentione actuali, aut virtuali: quia ex eo tantùm celebrans tunc quando fit ſacrificium aut antea, velit ſuum ſacrificium aut exiſtens aut poſtea futurum alicui prodeſſe, dicitur illi ſufficienter applicare valorem: ad id autem ſufficit intentio habitualis. Ex quibus apparet, quod ad applicandum ſacrificium non requiritur intentio, quæ virtualiter duret tempore ſacrificij ſicut requiritur ad conficiendum Sacramentum, vnde ſufficit, quod Sacerdos applicet abſolutè ſacrificium tali die offerendum, modò talis intentio non fuerit poſtea reuocata: Hinc poteſt quis hodie applicare alicui ſacrificium quod cras, vel infra dies aliquod celebrabit, manebitque ei applicatum, etſi de illo nihil amplius cogitet, modò non habeat voluntatem contrariam ante celebrationem. Ita ſuſtinent Suarez *tom.* 3. *tertia parte diſputatione* 13. *ſectione* 3. *verſ. Dico ſecundo*, Card. Lugo *de Sacrament. diſputatione* 8. *ſect.* 6. *num.* 93. Conink *de Sacrament. quæſt.* 64. *art.* 8. *dub* 2. Bonacina *de Sacrament. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 11. & alii.

Vaſquez. Granado. Fraxin.

Suar. Lugo. Conink. Bonac.

Nota tamen ſi talis non habuit voluntatem abſolutam ex tunc applicandi fructum ſacrificii, ſed ſolum habuit deſiderium vel propoſitum applicandi, non ſatisfacit, quia propoſitum applicandi non eſt applicatio, vt aducunt prædicti Auctores.

10. Sed ex dictis oritur dubium, quandonam fructus Miſſæ à Sacerdote debeat applicari, vt effectus ſequatur? Aliqui volunt debere applicari ante vel in ipſa conſecratione, nam alioquin fruſtra eum poſtea applicare conabitur. Sicut enim Sacramenta, puta Baptiſmus, Confirmatio, ita & ſacrificium effectum ſuum ex opere operato, producunt, dum conficiuntur & actu exiſtunt: quare non eſt in poteſtate miniſtri effectum ſuſpendere velle, & poſtea alicui applicare. Hæc ſententia ſuſtinetur ab illis, qui docent oblationem ſacrificii eſſentialem in ipſa actione conſecrationis, ſiue immolationis compleri. Vt docent Suarez, Conink & alii citati ſ. t. *verb. Miſſa* 1. *num.* 5. Sed qui tenent eſſentiam ſacrificij conſiſtere etiam in Sacerdotali ſumptione, tanquam complemento ſacrificii, vt *Gabriel, Sotus, Bellarminus*, ibidem citati, dicent, ſufficere ſi ante ſumptionem fructus applicetur. Ratio eſt, quia ſicut ante conſecrationem fit memoria viuorum, ſic poſt conſecrationem fit memoria defunctorum, quæ quidem memoriæ non ſunt puræ orationes, ſed ſunt applicationes vtriuſque fructus tum ſatisfactorii, tum impetratorii ipſius ſacrificii, ita vt ſi Sacerdos priùs ſatisfactorium fructum illi vel illis quibus obligatur, non applicauerit, tunc cenſeatur applicare, quamuis etiam poſtea vſque ad Communionem poſſit applicare. Suadendum tamen eſt, vt dum quis format ſibi intentionem celebrandi ante Miſſam, tunc etiam ad maiorem certitudinem conetur fructum eis applicare, ſpecificando perſonam aut perſonas vel nominatim, vel generali circumlocutione, ita tamen vt applicatio ad illas terminetur. Exempli gratia, offero tibi Domine Deus, hoc ſacrificium pro Petro, Iacobo, &c. Aut dignare Domine acceptare hoc ſacrificium pro illo vel illis, quibus teneor offerre ex iuſtitia fidelitate, vel obedientia. Et hæc vltima applicatio vtilis eſt pro Religioſis & aliis, qui ad intentionem ſiue ad applicationem ſuorum Superiorum celebrant.

Suarez. Conink.

11. Fructus ſacrificii Miſsæ non poteſt à Sacerdote alicui validè applicari ſub conditione in futurum contingente. Vt v.g. applico hanc Miſsam, cui poſtea Petrus applicuerint. Probatur ex communi doctrina, ad effectum nempe, non ſolùm Sacramentorum, ſed etiam ſacrificii requiri intentionem Miniſtri abſolutam & independentem ab euentu contingente in futurum. Ratio peti debet ex inſtitutione Chriſti, quàm communis Doctorum ſententia & Eccleſiæ praxis declarat. Accedit, quòd cum applicatio Sacerdotis fuerit quaſi conditionata & non inuenerit conditionem impletam, omninò inefficax redditur ſicut in conficiendo Sacramento per intentionem conditionatam, ſi conditio non eſt poſita in re, quando materia & forma conſummantur, nihil fit, quia talis intentio nihil ponit in eſse, & ideò inefficax redditur. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſputat.* 78. *ſect.* 9. *verſ. Ex dictis colligo*. Conink *de Sacrament. quæſt.* 83. *artic.* 1. *dub.* 9. *concluſione* 10. Layman *lib.* 5. *tractat.* 5. *capite* 2. *num.* 13.

Suarez. Conink. Layman.

Sed dicas cum Corduba *lib.* 1. *quæſtionarij quæſt.* 4. *dub.* 5. & aliis, iam Deo eſse præſentem futuram voluntatem alterius, & ideò fructum ſacrificii ſtatim applicari, cui Deus præuidet ab alio fore applicandum. Reſpond pari ratione dici poſse, Sacramentum datum ſub conditione de futuro, ſi Petro conſenſerit, ſtatim eſse validum, ſi Deus præuidet Petrum conſenſurum; quia reſpectu Dei intentio conditionata tranſit in abſolutam. Idem debere dici de hac applicatione: Offero ſacrificium pro eo cui craſtina die applicuero, vel pro eo, qui daturus eſt mihi eleemoſynam & de ſimilibus, quæ ſunt præter vſum Eccleſiæ, magnoſque abuſus parere poſsunt, ſi introducantur. Dicendum eſt ergo Deum non conferre effectus Sacramentorum aut ſacrificii, ex his quæ præuidet futura, ſed iuxta præſentem hominis intentionem & diſpoſitionem; & ideò ſi intentio, vt nunc eſt in homine, eſt conditionata, etiam quando conditio non eſt appoſita abſolutè & ſecundùm ſe eſt inefficax, & ſuſpendit effectum, donec conditio reipſa impleatur, ideoque nihil operatur, quicquid Deus præuideat.

Secus autem dicendum eſt, quando conditio præterito aut præſenti tempore impleta eſt: nam ſecundum eam Sacramentorum & ſacrificii effectus rectè ac fructuoſè alicui confertur, v.g Abſoluo te à peccatis tuis, ſi capax es. Vel offero ſacrificium pro ea perſona, quæ præterito tempore ex tali communitate mortua eſt. Vel offero pro illo qui hodie plurimum pecuniæ in gazophilacium miſit, &c.

12. Sacerdos orans & ſacrificium offerens in perſona Eccleſiæ, cuius ad Deum legatum agit, non poteſt, nec licitè, nec validè illius intentionem mutare, vt vel aliquem excludat, quem Eccleſia in ſua generali intentione includit, vel aliquem, puta excommunicatum vitãdum, includat, quem Eccleſia excluſum eſse vult. Ratio eſt, quia intentio Eccleſiæ principalis & directa eſt ſupplicandi Deo pro omnibus Chriſti fidelibus, tanquam membris ſuis. Nam Sacerdos ex proprio munere conſtitutus eſt interceſsor ad Deum pro populo ſuo, ſeu Eccleſia.

Sacerdos autem quatenus vt priuata perſona ſacrificium offert & Deum ſupplicat in Memento, ſic poteſt

fructum

fructum tum impetrationis, tum ſatisfactionis ex opere operantis, ſecundùm priuatam ſuam diſpoſitionem, proventurum, applicare cuicumque homini capaci, quamuis excommunicatus non toleratus ſit. Probat. quia cum talis oratio & oblatio ſit propria actio ipſius Sacerdotis, meritò eiuſdem arbitrio permittitur, neque ab Eccleſia prohibetur. At verò fructus aliquis ſacrificii, quatenus offertur in perſona Chriſti, ex opere operato ita prouenit Sacerdoti, vt aliis eum applicare non poſſit, propterea fructus ſpecialiſſimus appellari ſolet. Idemque dici poteſt de aliis concurrentibus ſeu offerentibus cum Sacerdote.

Suar. Nauarr. Layman.

De his videndi ſunt Suarez *diſp.78.ſect.2.in fine, & diſp.79.ſect.9 in fine, verſ. Supereſt dicendum.* Conink *tom. 2. diſp.14.dub* 6. Layman *l.5.tract.5.cap. 2.nu.* 16.17. & 18. & alii penes ipſos.

13. Sacerdos celebrans in Altari priuilegiato, vt Indulgentia proſit defunctis, non eſt opus vt ſit in gratia. Ratio eſt, quia pro Indulgentia applicanda defunctis gratia non requiritur, vt principium operis iniuncti; quia eſto opus pro ſe nec ſatisfactorium ſit nec meritorium, nec aptum eſſe poſſit ad Indulgentiæ conſecutionem, ſed requiritur, vt Sacerdos obicem tollat; At quando viuus Indulgentiam pro defuncto obtinet, exequendo opus iniunctu, Indulgentiam non ſuſcipit, ſed conditionem pro conſecutione Indulgentiæ exequitur; ergo ſtatus gratiæ non eſt in illo neceſſariò requiſitus. Proinde Indulgentia non inficitur ex malitia perſonæ operanti, ſicut nec ſacrificium Miſsæ, vel Sacramentum ex malitia perſonæ ſacrificantis, vel adminiſtrantis: eò quòd ſuum valorem non habent ex perſona proximè operante; ſed ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti. Et ex hoc patet diſcrimen inter ipſum operantem, & alios: nam operans, vt de facto lucretur Indulgentiam pro ſe, debet eſſe in gratia, per quam tollitur impedimentum peccati, at reſpectu aliorum non ita: idcirco gratia requiritur in ſuſcipiente Indulgentiam, non autem in applicante. Ita Doctores citati *t.1.verb.Indulgentia III.n.*3. quibus adde Amicum *t.8.*

Amicus. Granad.

*diſput.20.ſect.*8. Granadum *in 3.p. de Sacrament. controu. 12.tract.5.diſp.6.*

14. Quando Sacerdos dicit Miſſam in Altari priuilegiato, non ſolùm Indulgentiam, ſed & ſacrificium defuncto applicare debet: quia cùm Pontifex concedit Indulgentias ad liberandam animam è Purgatorio, dicendo Miſſam in tali Altari, vel Eccleſia, videtur conſequenter exigere, vt ſacrificium eidem animæ applicetur. In rigore tamen non videtur ſemper neceſſarium, niſi verba reſcripti ſeu priuilegii id ſonent. Ratio eſt, quia cùm in Indulgentiis requiritur opus aliquod, non neceſſariò exigitur vt ſatisfactorium, ſed vt pium vel conducens ad cultum Dei, quæ compleri poſſunt abſque eo quod fructus operis iniuncti applicetur ipſi defuncto, pro quo quis lu-

Suarez. palaus. puteus.

cratus Indulgentiam. Ita Suar. *tom.4 diſp.53.ſect.* 4. Caſtrus Palaus *tom.4.tract.24.diſp.unic.punct.*10.*num.*9. Puteus *de ſacrific.Miſsa lib.3.diſp.2.quæſt. 2. dub.* 5. & alii apud Dian. *part.9.tractat.2.reſolutione* 5. Vide dicta ſupra *verb. Indulgentia* 11.*num.*5.

15. Miſſa celebrata in Altari priuilegiato quatenus Altare priuilegiatum eſt, non quatenus Miſſa eſt ſacrificium & opus ſatisfactorium, prodeſſe non poteſt viuentibus. Ratio eſt, quia Indulgentiæ Altaris priuilegiati ſunt priuilegium perſonale pro animabus in Purgatorio exiſtentibus, vt ex forma & verbis huiuſmodi conceſſionum apparet: ergo viuentibus non poſſunt applicari, neque prodeſſe, niſi in indulto ſpecialiter & expreſſe id concedatur. Nam Indulgentiæ eis tantùm vtiles ſunt,

Megala. Fraxin. Diana.

ad quos directè referuntur. Ita Megala *tom.1.variar. reſol.in reſol.*19. Fraxinellus *de obligat. Sacerdot. ſect.3. pænot.4.§.3.num.*5. Bordonus *tom. 3. reſol.* 91.*q.2.num.*4. & alii apud Dianam *loco citat. reſolut.* 18. Poteſt tamen Summus Pontifex Altaria priuilegiata pro viuis concedere; cùm nullum inde ſequatur abſurdum; tamen hactenus conceſſa non videntur, nec concedi conſueuerunt.

Sed dubium eſt inter Doctores an ſit licitum aut laudabile viuentem ſibi Miſſam pro defunctis celebrari facere, & exequias celebrari, quia ipſe mortuus eſſet? Et certè plurimi ſuſtinent id licitè & ſalubriter fieri poſſe: ne forte poſtea hæredes, vt frequenter fit, & pigri ſint, & negligenter ſe gerant in huiuſmodi ſuffragiis faciendis, cum tanto diſpendio ac detrimento animarum ſuorum defunctorum. Ducuntur, quia credibile eſt ita inſtitutum eſſe à Chriſto hoc ſacrificium, & ab Eccleſia tale officium mortuorum, vt prodeſſe poſſint ei, cui applicantur pro quacumque neceſſitate & occaſione in qua futurus ſit capax effectus illorum, ita vt interim non maneat ſuſpenſus, ſed veluti reſeruatus in acceptatione diuina. Vnde hoc non eſt, ſimpliciter loquendo, applicare illa pro viuis, ſed applicare pro mortuis; ſiquidem applicatur viuis pro tempore, quo mortui fuerint, ad modum quo Theologi dicunt merita mortificata per peccatum, manere in Dei acceptatione retribuenda, dum homo capax illorum fuerit. Deinde conſtat ita egiſſe inſignes viros pietate & doctrina, ex Doctorum conſilio: quia id fauet non ſolùm pietati & deuotioni, ſed etiam humilitati & memoriæ mortis, quæ tam vtilia ſunt hominibus. Sed vt veritas ſalua perſiſtat in precibus, ſufficit ſi Eccleſia & Sacerdos oret pro viuo, & repræſentet cum Chriſto Domino, ac ſi vitam cum morte commutauerit & poſt eius mortem. Ita Fagundez *de præcept. 1. Eccleſ. l. 3. cap.* 10. *num.*13. Zerola *2.part.praxis Epiſcopal.verb. Miſſa* §.20. Lezana *in ſumm.tom.4.verb.Miſſa, num.* 54. Peyrinus *in priuileg. Minimor.tom.3.cap.3.num.*21. Fauſtus *de Sacrament. Euchariſt.l.2.quæſt.*148. & alii, quia modus anticipatè loquendi vſitatiſſimus eſt in Sacris Scripturis. Et hæc eſt communior ſententia. Tamen contra illam exurgit Layman *l. 5. tract. 5. cap.2.num.* 25. dicens talem conſuetudinem nullo modo introducendam eſſe, ſed potius tollendam, ſi introducta eſt, quia ritibus & ordinationi Eccleſiæ Romanæ conformis non eſt. Intentio enim Eccleſiæ eſt, vt Miſsæ quæ dicitur de requie, & officium funebre dicatur pro mortuis, nam ad eum finem collectæ & preces factæ ſunt, ergo inutiliter & infructuosè, ne dicam ſuperſtitiosè, dicuntur pro viuis. Accedit quod Sacerdos in his ſuffragiis propria ſua intentione, non poſſit mutare intentionem Eccleſiæ. Et huic ſententiæ adhæret Diana *part. 5. tractat. 13. reſolut. 2. & part. 9. tractat. 2. reſolut.* 18. citans pro hac opinione *Hieronymum, Garzias, Puteum, Fraxinellum, & Caſtrum Palaum*, quorum ſententia eſt etiam probabilis: Concedunt tamen prædicti Auctores fructum reſpondentem Miſsæ de requie & officio Defunctorum, poſſe in rigore applicari viuis æquè ac defunctis, cùm ſit fructus ſatisfactionis ex opere operato & operantis, cuius viui, ac defuncti ſunt capaces: id tamen eſt contra ordinationem Eccleſiæ, quæ diuerſas Miſsas & officia pro viuis & defunctis inſtituit.

Fagund. Lezana. peyrin. Fauſtus. Dian.

16. Secundùm Diuum Gregorium *lib. 4. Dialogo. cap.* 58. Tutior eſt via, vt bonum quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum viuit per ſe, beatiùs quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere. Ratio eſt, quia Miſsa applicata viuis non ſolùm eſt ſatisfactoria, ſed & propitiatoria pro peccatis conferendo varias gratias præuenientes, & impetratoria variorum beneficiorum; ſicque prodeſt non ſolùm in vita, ſed & poſt mortem: applicata verò defunctis, ſolùm ferè eſt ſatisfactoria, cùm defuncti aliorum fructuum non ſint capaces. Deinde qui in vita procurat dici pro ſe Miſsas non ſolùm recipit fructum illi à Sacerdote applicatum, ſed alium etiam ex opere operato correſpondentem propriæ cooperationi ad ſacrificium, iſque eſt maior vel minor ſecundùm maiorem vel minorem cooperationem. Porrò, qui dici iubet Miſsas in vita, maiorem habet certitudinem quòd actu dicantur & recipiat fructum; illæ verò quæ teſtamento poſt mortem dicendæ relinquuntur, ſæpiùs ob incuriam parentum, aut etiam ipſorum Sacerdotum inſolutæ manent: & ſic licet defunctus teſtamento Miſsas dicendas reliquerit, nihil ei proſunt, ſed per ſatisfactionem totum debitum in Purgatorio ſoluere debet. Hinc conſanguinei & Sacerdotes plurimum nocent animabus Purgatorii, diu nimis Miſsæ ſacrificia retardando, & fortè tunc ſolùm fiunt ſacrificia, cum debitam pœnam iam exoluerunt; non tamen ideò ſunt reprobandæ Miſ-

Digitized by Google

dæ Miſſæ dicendæ poſt mortem; quia quiſque vſque ad extremum vitæ contrahit nouas obligationes ad pœnas Purgatorii, quas bonum eſt per ſacrificia poſt mortem tollere. Proinde patet præſtare vt fideles curent celebrari pro ſe Miſſas ante mortem, quàm poſt, & plus valent pro defunctis Miſſæ ſimul & continuatè dictæ vno die, quàm ſi pluribus diebus dicantur; ob celeriorem liberationem animæ à pœnis Purgatorii. Ita communiter Doctores. Vide verb. ſuffragium *num.* 7

17. Nonnulli Authores affirmant requiri crucem in Altari, & peccatum eſſe mortale in eo Altari Miſſam dicere in quo crux aliqua non eſt ſaltem depicta in ipſamet Altaris tabella. Sed verius eſt contrarium, quia nullibi in iure aut conſuetudine conſtat de hoc præcepto. Et non ſunt multiplicanda præcepta & obligationes inducendæ, quando de illis non ſatis conſtat, quia res non videtur admodum grauis ſecluſo contemptu. Nec refert, quod in regulis Miſſalis & cæremoniis eius in Miſſa dicenda, vel ſupponatur vel præcipiatur crucem apponi in Altari, quia regulæ Miſſalis in particulari non obligant, niſi illæ, quæ continent eſſentiam, aut quaſi eſsentiam ſacrificij, reliquæ enim non ſunt præcepta, ſed inſtructiones quædam, & ita conſilium continent, & bonam doctrinam, non præcepta. Proinde hanc omiſſionem crucis indicant non
Suar. eſſe mortalem. Suarez *tom.* 3 *diſp.* 81. *ſect.* 6. §. *Quinto*
Reginal. *addere poſſumus*. Reginaldus *lib.* 2. *num.* 197 & alij. Ad ſummum indicant hi Auctores eſſe venialem; ſed cùm quælibet cauſa rationabilis excuſet à peccato veniali, videtur non peccare venialiter Sacerdotem abſque cruce ſacrificando: quia ſola ipſa Miſſæ celebratio cauſa ſufficiens ſit ad excuſandum ab hoc peccato veniali, ne ſcilicet tanto ſacrificio & tanta illius vtilitate Eccleſia priuetur.

18. Ex communi Doctorum ſententia celebrare ſine lumine in Altari eſt peccatum mortale. Et probatur *ex cap. vlt. de celebrat. Miſſarum*, vbi inter exceſſus graues cuiuſdam Presbyteri ponitur, quod ſine igne ſacrificabat, & confirmatur grauitas huius præcepti ex antiquiſſima conſuetudine Eccleſiæ, quæ colligitur ex Concilio Carthaginenſi IV. *Canon* 6. Ex qua verò materia conſtare debeat huiuſmodi lumen, non conſtat ex iure, quia in dicto *cap. final. de celebrat. Miſſarum*, ſolùm damnatur ille Presbyter, quia ſine igne ſacrificabat. Ex conſuetudine tamen Eccleſiæ requiritur, vt cerea candela accenſa ſit ſi haberi poſſit: ſin minus, in neceſſitate ſufficeret candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo, vt tradunt
Diana. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 45. & 67. cum aliis & poſt illos
Bonaci. Bonacina *tom.* 1. *diſput.* 4. *quæſt. vltim. punct.* 9. *num.* 31.
Suar. quamuis Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 6. & alij non admittant can-
Con. Tr. delam accenſam ex ſeuo. Cauendum eſt tamen in Miſſis ac ſacrificiis diuinis id quòd Concilium Tridentinum monet *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ*, ne certus aliquis numerus candelarum ex aliquo ſuperſtitioſo cultu adhibeatur.

Sed petes, ſi incœpto ſacro lumen extinguatur in tali Eccleſia ac loco, vbi aliud commodè inueniri non poſſit, puta ſi in ſacello aut eremitorio remoto à vicis & pagis Miſsa dicatur, an licitum ſit in eo caſu Miſsam proſequi ſine lumine, maximè ſi dies feſtus ſit, vel moribundus viatico indigeat? Reſpond. ante verba conſecrationis inchoata non eſse licitum miſsam perficere ſi lumen deficiat, etiamſi præceptum Eccleſiæ vrgeat audiendi ſacrum imò etiamſi præceptum diuinum communicandi inſtet per modum viatici. Ratio eſt, quia hæc præcepta non obligant, nec obligare poſsunt cum indecentia Sacramenti ac ſacrificii; negari enim non poteſt irreuerentiam eſse maximam huius ſacrificij, & Sacramenti, ſi ſine lumine fiat. Si verò conſecratio ſit cœpta, & lumen deficiat, poteſt & tenetur Sacerdos ſacrificium ſine lumine perficere: quia vrget præceptum diuinum integrandi ſacrificium, & maior irreuerentia erit tunc imperfectum relinquere, quàm ſi ſine lumine perficiatur.
Fagun. Ita Fagundez *in præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 19.
Lugo. Cardinal. Lugo *de Euchariſt. diſput.* 30. *ſect.* 2. *num.* 77. quorum ſententia approbat Diana *par.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 34.

19. Certum eſt apud omnes peccatum eſse mortale abſque corporali lineo & benedicto celebrare: quia huiuſmodi præceptum eſt valde graue & in re graui, & quæ multum ad reuerentiam tanti Sacramenti ſpectat. Corporale enim repræſentat ſyndonem, in qua Corpus Domini ſepultum fuit. Vt docet Diuus Thomas 3. *part.* D. Tho.
quæſt 83. *ad* 8. materia autem huius lintei linea eſse debet. Sed hoc intelligendum eſt, quoad interiorem partem eius, in qua Corpus Domini & Calix collocatur, ideò Miſſale Romanum dicit in medio non debere ſerico ornari, quia Corpus Domini Ieſu Chriſti in ſyndone linea & munda ſepultum fuit: In ora autem ſeu extremitate non eſt prohibitum, quod auro, vel ſerico ornetur. Forma verò huius eſt conſecratio Epiſcopalis, quæ cùm fiat per ſimplicem benedictionem atque Chriſmatis vnctione, ſimplicibus Sacerdotibus interdum committitur, & Superiores Religionum Mendicantium habent in hoc ſpecialia priuilegia, vt diximus *tom.* 1. *verb. Benedictio num.* 7. Durat autem hæc benedictio, quamdiu Corporale integrum maneat, per ruptionem autem, ſeu diuiſionem amittitur, dummodò notabilis ſit. Vt notant Suarez *diſpu.* 81.
ſect. 6. & Syluester *verb. Corporalia quæſt.* 2 & alii communiter. Suarez.

20. Extra caſum neceſſitatis fatentur omnes non poſse Sacerdotem celebrare ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, & illa omittere eſse peccatum mortale, *Ex cap. Veſtimenta, de conſecrat. diſt.* 1. Sed difficultas eſt in caſu neceſsitatis, vt quando Sacerdos in die alicuius feſti, eſset in loco vbi non inueniretur aliquod indumentum ex ſupradictis, vel in alio caſu grauis neceſsitatis liceat Sacerdoti miſſam dicere ſine illis; Affirmatiuè reſpondent Suarez *di-*
ſputat. 82. *ſect.* 3. *dub.* 1. *in fine*. Filliucius *tract.* 5. *num.* 149. Suarez.
Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 5. & alii. An autem omnes Filliuc. Diana.
veſtes ſacræ quibus induitur Sacerdos in celebranda Miſsa, Puta, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta debeant eſse benedictæ; Reſpondent communiter Doctores, omnes debere eſse benedictas, alioquin mortale peccatum incurri. Excipiunt tamen aliqui probabiliter Cingulum: quia vt teſtatur Scotus & Richardus *in* 4. *diſtinct.* 17. in aliquibus regionibus, mos non eſt, vt benedicatur; & paſsim videmus licet quandoque ſit benedictum, ſi tamen frangatur, ſolet vtraque pars connecti ſine alia benedictione: quod licitum eſse docent Emanuel Sà *verb. Miſsa num.* 12. Conink *de Sa-* Sà
crament. quæſt. 83. *art.* 3. *dub.* 3. & Diana *part.* 2. *tract.* 14. *re-* Conink.
ſolut. 57. *verſ. Nota tertio*. Proinde celebrare cum cingu- Diana.
lo non benedicto ex cauſa iuſta, non erit neque peccatum veniale, iuſta vero cauſa erit neceſſitas audiendi vel celebrandi miſſam ex præcepto alicuius feſtiuitatis, feruor magnæ deuotionis, &c. vt tradit probabiliter idem Author *loco cit. reſol* 68.

21. Veſtes ſacræ, quibus vtitur Sacerdos in miſsa, præter decenter ornatum, quem repræſentant, habeant etiam ſuas myſticas & ſacras ſignificationis, diuinis myſteriis plenas. Nam Amictus ſignificat fiduciam, ſeu ſpem, qua Sacerdos debet accedere ad offerendum Deo tantum ac tam admirabile ſacrificium, & ideò dum Sacerdos induitur Deum orat in hunc modum: *Impone Domini capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus*. Alba ſignificat puritatem & munditiam mentis & corporis cum ſplendore omnium virtutum, atque adeò totum hominem veſtit a capite vſque ad talos; ideoque quando alba induitur dicit Sacerdos, *Dealba me Domine & munda cor meum, ut in ſanguine Agni dealbatus, &c.* Cingulum ſignificat continentiam, vnde Sacerdos fortiter præcingit renes & reſtringit lumbos, ad denotandam virtutem temperantiæ mediante caſtitate. Vnde D. Gregorius ait, *Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Et proinde hoc petit Sacerdos dum ſe cingit dicens, *Præcinge me Domine cingulo puritatis, &c.* manipulus inſinuat interiorem pœnitentiam ac cordis compunctionem, qua Sacerdos ad ſacrificandum debet accedere, & ideò dum ſe induit, ita orat, *merear Domine portare manipulum fletus & doloris, &c.* Stola ſuper collum poſita denotat inobedientiam, quæ ſignificatur per Chriſti ſuaue iugum: hinc quando Sacerdos initiatur dum ei humeris imponitur, ita di-

Digitized by Google

ſta dicitur, *Accipe iugum Domini*, quia ſicut homo per inobedientiam à Deo ſeparatus eſt, & ſtatum gratiæ amiſit, ita per iugum obedientiæ & diuinæ legis obſeruantiam, in eum ſtatum, quem amiſit, reſtituendus eſt. Quapropter dicit Sacerdos, *Redde mihi Domine ſtolam immortalitatis, quam perdidi in preuaricatione primi parentis,&c.*

Caſula ſeu planeta ex omni parte rotunda & aperta, quam cunctis veſtibus ſuperinduit Sacerdos, eaſque protegit & ornat ſignificat veram perfectamque charitatem, quæ virtutibus omnibus ſupereminet, eaſque protegit, & quia vndique eſt integra ſignificat vnitatem & ideò dicitur, Iugum leue & ſuaue, non quod in ſe ſuaue ſit, ſed quod Chriſtus Dominus illud nobiſcum ferat ac portet. Quapropter dum Sacerdos eam ſibi induit, ita Deum orans, ait: *Domine, qui dixiſti Apoſtolis tuis, Iugum meum ſuaue eſt, & onus leue, fac vt iſtud ſic portare valeam, quod conſequar tuam gratiam.*

Si verò huiuſmodi veſtes ſacras ad Chriſtum referamus, amictus ſignificat linteum illud, quo Iudæi Chriſti faciem velabant, dum dicebant, *Quis eſt, qui te percuſſit*. Alba veſtem illam candidam, qua Herodes Chriſtum illuſit. Cingulum, funes illos, quibus Chriſtus in horto primum fuit alligatus. Manipulus pugnam eis pro iuſtitia & gloria. Stola obedientiam, qua crucem ſuſtinuit. Caſula indicant veſtem coccineam ſeu purpuream, qua Chriſtus dum à militibus illuderetur indutus eſt in prætorio Pilati. De his ſignificationibus plura apud Suarez *diſputat.82. ſect.2.* Durandum *in rational. offic. lib.5. capit.3.* Syluium *in 3. part. quaſt.83. artic.6. quaſt.3. in 3. edit.* & alios. Suarez. Syluius.

22. Omiſſio harum veſtium, præciſa inaduertentia, eſt peccatum mortale: tum propter præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſionem in re graui, tum propter magnam irreuerentiam quæ contra tantum Sacramentum committeretur, vt habetur *in cap. Eccleſias diſt.* 23. Quapropter in nulla neceſſitate licitum eſt ſine veſtibus ſacris & benedictis celebrare: quia ſi non ſint benedictæ, eſt ac ſi non eſſent, ideoque non minuitur peccatum, ſed eſſet eodem modo mortale, ac ſacrificare ſine veſtibus. Ratio eſt, quia præceptum Eccleſiaſticum de audienda Miſſa, & præceptum diuinum de ſumendo ſacro Viatico, non obligat, niſi Miſſa poſſit audiri vel celebrari ſecundùm Eccleſiæ conſtitutionem, vel pro illo tempore quo infirmus poteſt ſine indecentia vel irreuerentia illud habere. Imò aliquam iſtarum veſtium quamuis vnicam ſcienter omittere extra neceſsitatem Doctores communiter cenſent eſſe peccatum mortale: prætermittere autem vnam vel alteram ex minoribus, quando magna vrget celebrandi neceſſitas, licitum eſſet celebrare cum amictu, alba & caſula adhibito honeſto cingulo, ſi ſtola, manipulus vel cingulum benedictum haberi non poſsint: & licet tunc de longo manipulo ſtolam facere, & è conuerſo de breui ſtola manipulum vel cingulum. De his videndi ſunt Nauarrus *in manual. cap.25 num.84.* Suar. *diſp.82. ſect.3.* Rodriq. *c.248.* Layman *lib.5. tract.5. cap.6.* Bonacin. *diſp.4. q. vlt. punct.9. num.28.* & alii per ipſum citati. Nauarr. Suar. Rodriq. Layman. Bonac.

23. Ex communi Doctorum ſententia licet veſtes prophanas virorum aut mulierum illuſtrium applicare ad ſacrum vſum. Ratio eſt, quia prophana quæ in ſacrum vſum conuertuntur, ſanctificantur per Benedictionem Epiſcopalem ſeu eius qui facultatem habeat ea benedicendi; atque ita quidquid pollutionis aut profanationis contraxiſſe potuerat ex vſu prophano, per ſacram benedictionem tollitur. Tum quia conſuetudo quæ eſt optima legum interpres, ſic inualuit. Tum denique, quia vetus tabernaculum cum ſuis vtenſilibus factum eſt ex armillis, in auribus, annulis, dextrariolis aliiſque huiuſmodi, quæ viri cum mulieribus præbuerunt. Exod. 35. Ita Angelus *verb. veſtis*. Syluester *eodem verb. & verba corporalia*. Azor. *lib.10. cap.28. tom.1.* & alii communiter. Syluest. Azor.

Denique ex *cap. nullus, de conſecr. diſt.* 1. conſtat non eſſe licitum Sacerdoti Miſſam celebraturo, ire ad Altare cum baculo, etiamſi ſit debilis: ſed ſi poteſt ſtare ad Altare, & ſe iuxta cæremonias vertere ſine baculo; ibi ad latus Euangelij ſe induat; neque enim refert quomodo quando non eſt ſacris veſtibus indutus, ad Altare accedat. Ita Poſſeuinus *cap.2. numer.31.* Gloſſa *in dict. cap. nullus Epiſcopus*. Poſſeuin. Gloſſa.

Vide tom.1. v. Confeſsio *num.6.* Electio *num.2.* Hæreſ. *num.7.*

MISSA VIII.

De præcepto audiendi Miſſam diebus Feſtis & Dominicis.

SVMMARIVM.

1 *An quilibet fidelis poſt ſeptennium teneatur ex præcepto audire Miſſam diebus Feſtis & Dominicis? & quid intelligatur nomine auditionis Miſſæ? & an ſatisfaciat præcepto qui voluntariè vagatur circa aliqua negotia?* refertur duplex ſententia.

2 *Qualis præſentia corporis, & intentio requiratur, ad hoc præceptum implendum?*

3 *An mortaliter peccet qui Miſsam vel eius partem notabilem diebus Feſtis non audit? & quanam ſit dicenda pars notabilis?*

4 *An ſatisfaciat præcepto qui vnam partem Miſsæ audit ab vno Sacerdote, aliam ab alio? vel qui Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiret?*

5 *An cæcus, uel ſurdus qui Miſſæ intereſt, præcepto ſatiſfaciat? uel qui Miſsam audit per metum; uel neſciens eſſe diem feſtum, uel animo non ſatiſfaciendi præcepto?*

6 *An qui tempore Miſſæ confabulatur, uel dormitat, nugatur, uel ridet cum alijs notabiliter, &c. ſatisfaciat præcepto?*

7 *An qui toto tempore Miſsæ confitetur peccata ſua ſatiſfaciat præcepto de audienda Miſsa.*

8 *A quo Sacerdote ſit audienda Miſsa.*

9 *Quo in loco ſit audienda Miſſa? & quando peccet non audiens in propria Parochia.*

10 *An peregrinus teneatur audire Miſsam ſi perueniat ad aliquem locum in quo celebratur dies feſtus, qui non celebratur in proprio territorio: & an Parochianus in cuius Parochia celebratur dies feſtus, peccet mortaliter Miſsam non audiendo, ſi ante meridiem futurus ſit extra limites Parochiæ?*

1 EX *præcepto Eccleſiaſtico c. Miſsas, c. omnes fideles, de conſecr. diſt.1.* quilibet fidelis adultus baptizatus, completis ſeptem annis, tenetur diebus feſtis et Dominicis Miſsam audire, niſi legitimo detineatur impedimento; et hoc probatur tum ex iure Canonico, tum ex conſenſu omnium Doctorum, tum ex vſu et conſuetudine totius Eccleſiæ; nomine autem *auditionis Miſsæ* intelligitur illa actio, per quam quis intereſt Miſsæ humano modo, corpore ſcilicet et mente in tali diſtantia, vt poſſit ſaltem videre Sacerdotem et attendere ad illius miniſterium; vnde ebrij et amentes exiſtentes in Eccleſia dum Miſſæ ſacrum celebratur, non dicuntur Miſsam audire, quia nequeunt humano modo intereſſe. Suarez *d.88. ſect.2. & 3.* Sanchez *lib.3. moral. c.12. num.17.* Nauar. *cap.21. num.2.* Diana *p.5. tract.23. reſ.77.* Nomine autem Miſsæ, quæ præcipitur audiri intelligitur non Miſsa ſicca, qualis ſolet in mari dici, quia hæc non eſt vera Miſsa, ſed tantùm intelligitur Miſsa in qua vera ſit conſecratio quocumque ritu permiſſo à Romano Pontifice celebrata, ſiue Latinorum, ſiue Græcorum, ſiue Syriorum, ſiue Mozarabum; quia dicto præcepto tantùm præcipitur auditio veræ Miſsæ, et quæcumque non ſicca, ex dictis eſt vera Miſsa. Suar. Sanch. Nauar. Dian.

An autem ſatisfaciat præcepto de audienda Miſsa, qui exiſtens in Eccleſia voluntariè vagatur circa aliqua negotia? Secundùm probabilem aliquorum Doctorum ſententiam dicendum eſt hunc ſatisfacere, modò nō exerceat actionem externam incompoſsibilem cum intentione interna, et aſsiſtat ſacro cum externa reuerentia tum quia talis

Digitized by Google

talis hic & nunc dici poteſt actum externum Religionia exercere, quamuis non babear internam aliquam reuerentiam: tum quia talis moralis externa præſentia orta ex voluntate ſe præſentem ſacro ſiſtendi ad Deum colendũ, eſt obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis ſufficienter dicitur moraliter ſacro intereſſe & Miſſam audire. Ita

Conink. Medina. Angel. Diana. Caſpen.

Conink *q.83.num.*301. Syluester *verb. Miſsa* 2. *q.6.* Medina *de orat.q.16.& eod de pœnit.* Angel. Armil. *verb. Miſsa* Diana 4. *p. tract.* 4. *reſ.*107. & *p.2.tractat.* 12. *reſ.*2. Caſpenſis *tract.*23 *diſp.*4.*ſect.*3.*num.* 25. & alij. Probabilior tamen ſententia & ferè communis, ait, non ſatisfieri præcepto ab eo, qui voluntariè vagatur, ſi plenè aduertat ſe diſtractum eſſe, & alienis rapi mentis cogitationibus, quia Eccleſia præcipit auditionem Miſſæ, vt eſt actus humanus & religioſus, quomodo autem poteſt eſſe actus humanus & religioſus ſine attentione; Ita Suarez *c.d.*88.*ſect.*3. Bonacina *de Miſsa p.*11 *num.*4. & *de hor.can.d.*1*.q.*3*.p.*2. §.2.*num.*4. Syluius 2.2.*q.*122.*art.*4. *quæſit.*2. & alii ab ipſo citati.

Suar. Bonaci. Syluius.

2. *Ad hoc* præceptum implendum corporis præſentia requiritur moraliter ſumpta, vt nimirum percipere poſſit quid agatur: requiritur etiam intentio ſaltem virtualis audiendi Miſſam; nec obeſt alia praua intentio, vt aſpiciendi libidinosè fœminas, priori coniuncta, dummodò requiſita adſit attentio, vel ad res ſacras, vel ad ea quæ dictis aut ſactis ſignificantur, vel ad diuina: ſi inuoluntariè aliquando diſtrahatur, remanet virtualis attentio cum qua cœpit aſſiſtere: Pſalmi vel aliæ preces in Miſſa recitari poſſunt, etiam ex obligatione & impleri pœnitentia in confeſſione habita, modò etiam debita ſacris actionibus Miſſæ, vt haberi facilè poteſt, non deſit attentio Marchin. *de ordin.tract.* 3.*p.*3.*c.*17.*num.* 13. Suar. *diſp.*88.*ſect.*3. Nauar. *in cap.quando, notab.* 13.*num.*27. *in Manual.c.*21.*num.*180. Sà *verb. miſsa auditio num.*2. Bonac. *c.p.*11.*num.*25. *Porrò* ſecundùm Sotum 4.*d.*13. *q.*2.*ar.* 1. Nauar. *cap.*21. *num.* 8. Angel. *verb. feria num.* 42. minor attentio in Miſſa neceſſaria eſt, quàm in Horis Canonicis recitandis; quia oratio eſt actio magis rationalis, quàm illa moralis pręſentia, quæ neceſſaria eſt ad implendum præceptum de audienda Miſſa.

Marchi. Suar. Nauar. Sà. Bonacin. Sotus. Nauar.

3. *Mortaliter* peccat, ex ſuo genere, qui Miſſam, vel eius partem notabilem diebus feſtis non audit, quia omiſſio ſacri eſt res grauis, ex ſuo genere, & grauiter peccat tranſgrediens præcepta in re graui, quænam autem ſit dicenda pars notabilis Miſſæ, ad virum prudentem pertinet iudicare, conſenſu tamen omnium conſtat dimidiam Miſſam, aut etiam tertiam partem eſſe materiam notabilem, cuius omiſſio eſt peccatum mortale. Toletus *lib.*6.*c.*8. Nauarrus *cap.*21.*num.*1.& 2. Azor. 1.*p.lib.*7. *c.*3.*quæſt.*2. vnde ſecundùm Nauarrum *c. num.* 2. Rodriquez *cap.*123.*nu.*1. Toletum *lib.*6.*cap.* 7. Syluius *c. quæſt.* 3. Suarez *diſput.*88.*ſect.*2. ſi quis omittat vſque ad Epiſtolam excluſiuè, non dicitur omittere partem notabilem ſufficientem ad mortale, ſi verò omittat vſque ad Epiſtolam incluſiuè, mortaliter peccat; quamuis Syluester *verb. Miſsa* 2. *quæſt.* 1. Conink *quæſt.* 83. *num.* 285. Azorius *c.quæſt.*2. & alii putent non peccare mortaliter omittendo vſque ad Epiſtolam incluſiuè, niſi ſimul omittat Euangelium, quod ſatis probabile eſt, licet prior ſententia probabilior videatur: Imò ſatisfacit præcepto, qui prætermittit principium Miſſæ vſque ad Euangelium, ſi eam partem per ſeipſum legat, vel ab alio attentè audiat. Ita Sà *verb. Miſsa auditio num.*2. Henriquez *l.*9.*cap.*25.*num.* 7. *Addunt præterea* plurimi Doctores eum, qui primum Euangelium non audiuit, ſatisfacere præcepto Miſsæ, vltimum Euangelium audiendo, quia non eſt neceſſe Euangelium alicuius diei audire, aut audire duo Euangelia. Suarez *c. ſect.* 2. Azorius, Rodriquez citati. *Inſuper* ſatisfaciunt præcepto, qui dum inſeruiunt, recedunt à ſacrificio, vt deſerant vinum, aut Hoſtiam, aut thus, præſumuntur enim non abeſſe, dum hæc faciunt quæ ordinantur in ſolemnitatem eiuſdem officij; modò non recedant ab Eccleſia, quod ſi recedant, id fiat per breue tempus. Henriquez *cap.*25.*num.*8. Graffiis 1.*part.lib.*2.*cap.*25.*nu.* 11. Sà *c.num.*2. Vide Dian. *parte* 5.*tract.*5.*reſol.*44. & *tra.* 14.*reſolut.*70.

Toletus. Nauar. Azor. Rodriq. Syluest. ConinK. Azor. Sà. Henriq. Suarez. Henriq. Graff. Dian.

Sed nouum dubium occurrit, an ſatisfaciat præcepto de audienda Miſsa, qui egreditur ab Eccleſia, quando Sacerdos vult conſecrare, & finita conſecratione ſtatim regreditur: vel ſi ante ſumptionem diſcederet, & ſtatim rediret; Reſpond. in his partibus Miſsæ non tam eſſe conſiderandam moram, ſiue longitudinem, quàm dignitatem & propinquitatem, vel neceſſitatem ad ſubſtantiam ſacrificii, & ideò Doctores communiter faciliùs permittunt omitti ea quæ antecedunt, vel ſequuntur Canonem Miſsæ; in quo maximè neceſsaria ſunt quæ de conſecratione vſque ad ſumptionem continentur; & ideò cenſent eſſe certum non impleri hoc præceptum ab eo qui tempore conſecrationis & Communionis abſens eſt: ſed quia ſub lite eſt in quo eſsentia ſacrificii conſiſtat, an in conſecratione, an verò in ſumptione Sacerdotali; probabile eſt, illum, qui voluntariè & ſine neceſſitate exit ante conſecrationem, & vtraque ſacta reddit, peccare mortaliter; quia qui tunc non adeſt, præſens non eſt, neque aſſiſtit huic ſacrificio: non eſt enim iudicandum de abſentia Miſsæ iuxta menſuram temporis quod illi correſpondet: nam partes Miſsæ non ſunt homogeneæ, ſed heterogeneæ, & ideò illud breue tempus conſecrationis æquiualet longiori tempori aliarum partium; vt docent Cardinalis Lugo *de Euchariſtia, diſput.* 22 *ſect.* 1. *num.* 4. Iacobus Marchantius *in reſolut. Paſtor. de Sacrament. tract.* 4. *c.*6.*quæſt.*4. quamuis in contraria ſententia ſit Hurtadus in omiſſione ſolius conſecrationis.

Ex dictis aliud dubium oritur, an qui non poteſt Miſſam integram audire, quia venit v.g. in medio Miſsæ, teneatur ſaltem audire illam partem quæ reſtat? Negat Sancius *in ſelectis diſputat.* 15. *num.* 5. & ad mentem illius probabiliter, quia in illa parte præceptum de audiendo ſacro nequit impleri quoad ſubſtantiam. Cardinalis Lugo diſtinguit, nam vel aliquis poteſt adeſſe conſecrationi, vel non; Si poteſt tenetur illi adeſſe, quia illa eſt pars principalis, & reliqua pertinent ad eius complementum; ſi verò peracta ſit conſecratio, non tenetur reliquæ parti adeſſe, quia non adeſt tempore conſecrationis, non offert ſacrificium illud, niſi generali ratione, ſicut omnes alii fideles, ergo non obligatur ad aſſiſtendum aliis partibus. Ita ille *loco citato numer.*6. Sanchez verò *lib.* 1. *moral.cap.* 19. *num.* 6. citans *Suarez* ſuſtinet accedentem cauſa audiendi ſacri tempore, quo præfatio dicitur, ſi non ſit aliud, teneri audire: quia ea quæ à conſecratione vſque ad conſumptionem continentur, ſunt maximè neceſſaria, & per ſe primò intenta in præcepto audiendæ Miſsæ, vt pote in quibus ſacrificii ſubſtantia conſiſtit: reliqua autem ſunt accidentariò annexa ad eius perfectionem maioremque ſolemnitatem; vnde qui culpa ſua, aut abſque ea non poteſt integrè præceptum Miſsæ quoad accidentalia ſeruare, tenetur ad partem ſubſtantialem, quæ ab accidentali optimè diuidi poteſt. Hæc ſententia eſt tenenda.

4. *Satisfacit* præcepto Miſsæ audiendæ, qui Miſsam audit ſiue de Sancto, ſiue de mortuis, ſiue priuatam, ſiue ſolemnem, etiamſi ritu Græco vel Syriaco celebretur. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 204. Toletus *lib.* 6. *cap.* 7. Toletus.
Impletur etiam præceptum, dum quis vnam partem Miſſæ audit ab vno ſacerdote, aliam ab alio, quia hic dicitur Miſsam audire, cùm duæ medietates Miſsæ conſtituant vnam Miſsam, conſultiùs tamen eſset vnius integram Miſsam audire. Nauarr. *c. num.* 2. Conink *c. num.* 187. Nauarr.
Azor. *c.quæſt.* 3. Sed circa hanc reſolutionem eſt difficultas, an præcepto ſatisfaciat, qui priùs ab vno ſacerdote audit poſteriorem partem & deinde ab alio priorem; Quidam dicunt non eſſe graue peccatum hoc facere, quando non eſt magna interruptio temporis, quia ſolùm adeſt hic inuerſio temporis, quæ non videtur magna deformitas, ſicut dicunt Doctores de inuerſione ordinis in recitatione horarum canonicarum, & non audent damnare hanc ſententiam, ſed relinquunt iudicio Doctorum: vnde nec ego condemnabo. *Imò* ſecundùm quoſdam Doctores, ſatisfaceret præcepto Miſsæ, qui ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiret: verbi gratia, ſi quis audiret Miſsam vnius Sacerdotis vſque ad conſecrationem, & eodem tempore audiret Miſsam alterius Sacerdotis à conſecratione vſque ad finem. Sà *v. Miſsa auditio*

ConinK. Azor. Sà.

Digitized by Google

*tio num.*2. Graſſijs *lib.*2.*cap.*35.*num.*4. Rodriquez *c.* 123. *num.*1. Diana *tract.*3.*miſc.reſ.*18.*p.*2. & *p.* 5. *tract.*14.*reſ.* 52. Contrarium tamen in praxi conſulendum eſt, tum quia tutius & magis pietati conſentaneum eſt. Tum quia auditio Miſſæ in ſe ſucceſſiua eſt,& refertur ad integritatem illius quod natura ſua eſt ens ſucceſſiuum, cuius partes ſimul eſſe non poſſunt. Vnde hæ duæ partes Miſſæ, quæ ſimul celebrantur, vnius ſucceſſiui partes non ſunt, & conſequenter ad eamdem auditionem ſpectare non poſſunt. Conink *c.n.*288. Caſpenſis *tract.* 23.*diſp.* 4 *ſect.* 2.*num.*19.

Conink. Caſpen.

5. *Cæcus* qui Miſſæ intereſt cum deuotione, ſatisfacit præcepto,et iamſi longè diſtet à ſacerdote. Bonac. *c.p.* 11. *num.*192.

Bonac.

Similiter & ſurdus, & ille qui ſacerdotem ſubmiſſa voce celebrantem non audit, modò aſsiſtat cum deuotione. *Item* qui Miſſam audit per metum attentè tamen, aut animo inſpiciendi fœminas, ſatisfacit. Suarez *d.* 88. *ſect.*3.

Item qui Miſſam audiuit neſciens eſſe diem feſtum, non tenetur aliam Miſſam audire, quamuis poſtea nondum elapſo meridie intelligat eſse diem feſtum;nam reipſa Miſsam audiuit. Henriq. *cap* 25.*num.*6. *Item* qui Miſſam audiuit, animo non ſatisfaciendi præcepto, auditione illius Miſsæ, ſed cum intentione audiendi aliam, ſecundùm probabilem ſententiam non tenetur aliam reipſa audire; quia Eccleſia non præcipit Miſsam audiri animo adimplendi præceptum,& hic iam adimpleuit præceptum, cùm Miſsæ interſuit corporaliter, & mentaliter; tenetur tamen ille deſiſtere ab actuali intentione non ſatisfaciendi, cùm actualis affectus non obediendi Eccleſiæ præcepto ſit peccatum contra virtutem ad quam pertinet illud præceptum. Tum quia prior actus exterior voluntariè factus, quatenus fuit actus humanus & moralis, habuit totum id quod ad ſubſtantiam præcepti adimplendam ſufficit, tantùm defuit obedientia voluntatis, ergo ſi hæc poſtea adiungatur per ſubſequentem voluntatem, & moralem relationem, ſatis erit ad implendum præceptum per priorem actum ſic relatum. Rodriquez *cap.*123.*num.*2. Nauar. *cap.*21. *num.* 42. Conink *cit. num.* 309. Suarez *d.* 88. *ſect.* 3. Syluius tamen 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. docet talem non ſatisfacere præcepto, ideoque debere aliam Miſsam audire: & hæc ſententia eſt etiam probabilis. Vide infrà verb. *Præceptum* num.67.

Rodriq. Nauar. Conink. Suar.

Qui tempore Miſsæ notabiliter confabulatur, vel dormitat, nugatur, vel ridet cum aliis, pingit aut alios docet,&c. non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quia non intereſt mentaliter, cum exerceat actus, qui communiter excludunt attentionem. Nauar. *cap.* 21.*num.*6. Graffiis *cit.c.*35.*num.*8. Henriq. *cit. num.* 5. *Tamen qui* ita confabularetur,aut rideret vt non impediretur attentio requiſita ad Miſsæ ſacrificium audiendum, præcepto ſatisfaceret, quia talis diceretur habere ſufficientem attentionem, vt ait Sotus 4.*d.*13.*quæſt.*2.*art.*1.

Nauar. Graff. Henriq.

Sotus.

7. Non ſatisfacit præcepto de audienda Miſsa, qui toto tempore Miſsæ confitetur peccata ſua,ſi commodè poteſt confeſsionem in aliud tempus differre, nec adeſt neceſſitas præcepti confeſsionis; quia tunc lex de peccatis confitendis, non videtur eſse maioris ponderis ac momenti, quàm lex de Miſsa audienda: *ratio* autem *prioris* eſt, quia Eccleſia præcipit aſsiſtere miſsæ per modum orationis, qui autem peccata ſua confitetur tempore miſsæ non videtur aſsiſtere per modum orationis: *deinde* opus præcepti non eſt omittendum propter voluntariam confeſsionem,quæ eſt opus conſilij; nec obſtat vſus in contrarium, hic enim eſt corrigendus, niſi aliter ſuadeat neceſsitas; poſsunt autem aliqui excuſari ob neceſsitatem communicandi tempore miſsæ, vel propter intentionem audiendi eodem die illud miſsæ ſacrum, aut propter bonam fidem, aut ratione paruitatis materiæ, & ob eaſdem cauſas videtur poſse excuſari Confeſsarius, ſi tempore miſſæ confeſsiones audiat, modò ſimul intendat audire miſsam, ſi illam non velit vel non poſsit dicere. Poteſt enim confeſsiones audiendo, ſimul attendere ad ea, quæ ſacerdos dicit vel facit in miſsa, non vltra progrediendo,nec diſtinctè intelligendo,ſed ſolùm attendendo, vt ad rem quandam ſacram: & hæc attentio eſt ſufficiens; quia illa ſatis eſt, vt illa miſsę auditio,ſeu præſentia ſit humana moraliter,& ex obiecto religioſa. Vide Suar. *diſp.* 88. *ſect.*6.*verſ.ſeptimum caput.* Azur. 1.*p.lib.*7.*cap.*7.*quæſit* 8. Bonac.*c.p.*11. *num.*26. & alios.

Suarez. Azor. Bonac.

A fortiori, miſsa,quæ præcepto Eccleſiæ audiri debet, eſt ſacræ diuini verbi auditioni anteponenda,cùm ea quæ præcepta ſunt prætermitti non debeant, vt ea, de quibus tantùm eſt datum conſilium, obeamus atque pręſtemus; quidquid in contrarium dicat Angelus *verbo Feria num.* 45. Ita Suar. *c.* Azorius *c.quæſt.*10.

Azor.

8. *Miſsa* à quocumque ſacerdote licitè audiri poteſt, modò non ſit nominatim excommunicatus, ſuſpenſus vel interdictus,degradatus,vel publicus clerici percuſsor,publicus concubinarius & denunciatus, ab his enim non licet miſsam audire, quia præcepto Eccleſiæ prohibentur celebrare, & ideò in diuinis maximè vitandi ſunt. Tolet. *l.*6.*cap.*8: Nauar. *cap.*25.*num.*79.

Tolet. Nauar.

9. Quocumque in loco, miſsæ ſacrum audiatur, præceptum miſsæ audiendæ adimpletur, ſiue audiatur in propria parochia, ſiue in Eccleſiis religioſorum, ſiue in oratoriis priuatis, ſiue extra eccleſiam; fieri tamen poteſt vt aliunde quis peccet non audiendo miſsam in propria parochia, vt ſi quis nolit eam audire ex contemptu, aut quando parochus declarat ea, quæ parochiani ſcire tenentur. Azor. 1.*p lib.*7.*cap.*6. Suar. *d.*88.*ſect.*2.Rodriq. *cap.*123.*num.*6. Extat enim priuilegium Leo X. *apud* Nauar. *cap.*21.*n.*5. Azorium *c. quæſit.* 7. Syluium 2. 2. *quæſt.* 122.*art.*4.*quæſit.*6. *Leonis X*. cuius tenor eſt: *Auctoritate Apoſtolica declaramus & tenore præſentium notum facimus,omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui non contempto proprio ſacerdote parochiali,in Eccleſiis fratrum Ordinum Mendacium, Dominicis & aliis feſtiuis diebus miſſas audiunt ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec in labem aliquam peccati mortalis, pœnamve propterea incurrere.* Idem decernit etiam *Pius V.* in bulla *Et ſi Mendicantium Ordines.* Anno 1567. An autem his priuilegiis ſit derogatum per bullam *Gregorij XIII.* quæ incipit; *In tanta negotiorum mole*, apud *Nauarrum*, in fine manualis, Theophilus Parochialis *part.*4.*art.*7. reſpondet affirmatiuè, quia prædictus Gregorius reduxit illam Pianam Conſtitut. ad terminos iuris communis,& ad decreta Concil. Trident. & cùm Priuilegium *Leonis X*. ſit eiuſdem argumenti,& per conſequens illi derogatum eſse cenſet. Deinde per confirmationem priuilegiorum Ordinum mendicantium factam ab eodem Gregorio per Bullam *Ex benigna*, & à *Clemente VIII.* per Bullam *Ratio Paſtoralis*,& ab aliis Pontificibus ſemper apponitur clauſula; Dummodò ſacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non ſint contrariam. Per quam clauſulam, omnia mendicantium priuilegia ad eoſdem iuris communis antiqui & noui terminos reduxerunt, vno ore prædicti Pontifices. Et huius reductionis effectus hic eſt, vt quidquid priuilegii & gratiæ eſt, quod deprehenditur vel in vſu non eſse, vel contrariari iuri communi, ſacris Canonibus & decretis Concilii Tridentini, ipſo facto vim non habeat,ſit caſsum,derogatum, ſit nullum, non ſubſiſtat. Ita Theophilus *art.*7. & 8. vbi probat priuilegia ſupradicta *Pij V.* & *Leonis X*. eſse contraria iuri communi antiquo & ſacris Canonibus & decretis Sacri Concilii Tridentini. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quamuis contraria apud omnes fideles ſit in vſu: quia non ſatis cōſtat inter Doctores in prædicta Bulla Pij V. *Etſi mendicantium Ordines* fuerit reuocata per *Gregorium XIII.* multi enim affirmant Bullam, *In tanta negotiorum mole*: non fuiſse publicatam,inter quos eſt Doctiſſimus *Nauar.* teſtis occulatus, exiſtens Romæ, eodem tempore, qui in ſumma Latina impreſſa Anturpiæ anno 1504. in fine, ſubdit *Quia promiſimus inſerere Bullam* Gregorii XIII. *ſi exiret interea, quaquia non exiuit*, &c. in quibus verbis clarè innuit prædictam Bullam *Gregorij* fuiſſe quidem propoſitam in mente, & propoſito Papæ, vel etiam ſcriptam, ſed non exiuit, id eſt non fuit promulgata; & ex conſequentia nullum obligat,cùm ſit de eſsentia legis, vt promulgetur iuxta communem Doctorum ſententiam. Idem poſt *Nauar.* tenent, *Henriquez, Peyrinus, Thomas à Ieſu, Hieronymus, Llamas*, citati à Diana *p.*3.*tract.*2. *reſol.*

Azorius. Suar. Rodriq. Leo X. Nauar. Azor. Syluius.

107. Vn-

107. Vnde non poterit condemnari hodie ille, qui dixerit prædictam Bullam Pij V. & priuilegia in eadem Religioſis conceſſa. non eſſe reuocata, ſed in ſuo robore permanentia, vt benè aduertit Portel *in reſponſ. moral. par. 2. caſu 26.* Portel.

10. *Peregrinus* vel alius extraneus, qui peruenit, ad aliquem locum, in quo celebratur dies feſtus, qui non celebratur in proprio territorio, non tenetur per ſe loquendo, Miſſam audire in eo loco, ad quem peruenit, niſi habeat intentionem ibi manendi maiore anni parte, quia non eſt ſubditus legibus illius loci; *ſi autem* dies ille feſtus celebretur etiam in proprio territorio, aut ſit colendus & celebrandus ex iure communi, quamuis fortè ex conſuetudine non celebretur in proprio territorio, ſecundùm Suarez. Suarez *tract. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 23.* Henriquez Henriq. *lib. 9. cap. 25. num. 2.* & alios eſſet obligatio Miſſam audiẽdi; Sanchez quamuis Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 18. num. 21.* Rodriq. 19. Rodriquez *cap. 122. num. 1.* contrarium ſentiat. Hinc parochianus in cuius parochia celebratur dies feſtus, nõ peccat mortaliter Miſſam non audiendo, ſi ante meridiẽ futurus ſit extra limites parochiæ, in qua celebratur dies feſtus, nam iſte pro tempore quo reperitur extra terminos illius parochiæ, exemptus manet ab obligatione audiendi Miſſam, & gaudet priuilegio loci in quo reperi- Suarez. tur. Suarez *cit. num. 21.* Bonacina *cit. punct. 12. num. 5.* Bonac. Sanchez *cit. num. 21.* Henriquez *cit. num. 2.* & alij. Sanchez Henriq.

Vide Lex 3. num. 8. & tom. 1. verb. Feſtum 3. num. 6.

MISSA IX.

De cauſis excuſantibus ab audienda Miſsa.

SVMMARIVM.

1 *Qui excuſentur ab audienda Miſſa ob impotentiam corporalem?*
2 *Qui ob ſpiritualem?*
3 *Qui ob impotentiam moralem?*
4 *An teneatur Miſſam audire puella, quaſi domo exeat credit ſe ab adoleſcente laſciuo concupiſcendam?* refertur triplex ſententia.
5 *An qui non poteſt Miſſam audire teneatur alias orationes recitare, aut alio die Miſſam audire?*
6 *An inculpabilis ignorantia, rationalis obliuio, vel inconſideratiò, cenſura, excuſent fideles ab audienda Miſſa? & an tempore interdicti habens priuilegium Miſſæ audiendæ peccet non audiendo?*

1 VAriis de cauſis excuſatur quis ab audienda Miſſa die feſto, *Prima* eſt impotentia, quæ triplex eſſe poteſt, *corporalis* nimirum, *ſpiritualis*, & *moralis*. Ob impotentiam corporalem excuſantur *Primò*, illi, qui non poſſunt Miſſam audire abſque damno graui corporali, proprio vel alieno, vt ſunt infirmi; quando autem dubitatur de conualeſcente, an periculum morbi ſit incurſurus, exeundo domo ad Miſſam audiendam, medicus, vel ſuperior, vel parochus iudicabit, niſi ipſe ſit vir ſatis prudens, qui valeat iudicium ferre: ob id etiam excuſantur infirmarij, & illi omnes, qui adſcripti ſunt cuſtodiæ ægroti, ſi non poſſint audire Miſſam, & cuſtodire infirmum, & non habeant alium, quem ad cuſtodiam infirmi Suar. ſubſtituant. Suarez *diſp. 88. ſect. 6.* Toletus *lib. 6. cap. 9.* Tolet. Nauarrus *cap. 21. num. 3.* Henriquez *lib. 9. cap. 25. num.* Henriq. 10. Sylnius *2. 2. q. 122. art. 4. quæſit. 10.* Azorius *1. p. lib. 7.* Sylu. Azor. *cap. 7. q. 1.* Graffijs *lib. 2. cap. 36. num. 5.* & alij. *Secundò* Graffijs. nutrix, quæ non poteſt ſecum ferre puerum adhuc lactãtem, et quem non poteſt domi relinquere abſque probabili damni periculo, vel non poteſt ferre ad Eccleſiam abſque graui celebrantis, vel diſtantium perturbatione; Coninch idem dicendum de ea, cui cuſtodia paruulorum commiſſa eſt. Coninch *quæſt. 83. num. 286.* Nauar. *cit. num. 3.* Nauar.

2. *Ob impotentiam ſpiritualem* excuſatur ille, qui non poteſt Miſſam audire abſque graui detrimento ſpirituali proprio vel alieno: vnde excuſatur mater, quæ domi remanet ad cuſtodiendam filiam, cui probabile periculum timet, ſi eam ducat ad Eccleſiam, aut ſolam domi relinquat. Henriquez *cit. cap. 21. num. 12.* Nauarrus *cit. num.* Henriq. Nauarr. *9.* Bonacina *de Miſſa pun l. vlt. num. 2.* Bonac.

3. *Ex impotentia morali* excuſatur ille, qui nequit audire Miſſam abſque graui detrimento ſui, aut proximi, ſiue illud ſit animæ, ſiue corporis, ſiue famæ, ſiue honoris, ſiue lucri, ſiue alterius boni, et ob id excuſantur, qui habent graue negotium impediens. *Item* qui ratione officij prohibentur exire, vt cuſtodes artium. *Item* Domini & conſultores grauiter occupari in negotio moram non patiente. *Item* iter faciens, qui alioqui ſocios neceſſarios amitteret, quibus opus habet ad iter peragendum; excuſantur etiam curſores, vel nautæ, aut muliones, qui cogerentur magnas expenſas facere, ſi immorarentur in Miſſa audienda. *Item* ſæpè excuſantur paſtores ouium, qui non poſſunt ſine periculo gregis, aut grauis detrimenti Miſſam audire, cuſtodientes domum, vel præparantes cibos in oppidis, vbi vnica Miſsa celebratur, fœminæ honeſtæ quæ carent veſte conueniente ſuæ perſonæ, aut ſocia, aut pediſſequa. *Excuſantur* etiam illi, qui non poſſunt domo ſecuri exire. *Famuli* item aut vxores timentes rixas & verbera, ſi ad Miſſam accedant. *Excuſantur* præterea illi, qui ad Eccleſiam peruenerunt inchoata iam Miſsa, ſi non habeant copiam alterius Sacerdotis, aut non præuiderint fore, vt non peruenirent opportunè ad Eccleſiam. *Excuſantur* item qui longiùs diſtant ab Eccleſia, ſi commodè nequeant Miſsam audire. *Item* qui vinculis detinentur, aut quibus domus loco carceris conſtituta eſt, aut qui domi per vim detinentur, licet in ea habeant oratorium approbatum. *Excuſantur* etiam viduæ ob conſuetudinem certo tempore domi ſe continentes, & puellæ nobiles, quæ domo non conſueuerunt exire, ſecus dicendum. ſi ſoleant exire ad ludos, aut Azor. choreas, aut ſpectacula. Vide Azorium *cit. cap. 7. quæſt. 1.* Suarez. Suarez *diſp. 88. ſect. 6.* Nauar. *cap. 21. num 3. & 4.* Tolet. Nauarr. *lib. 6. cap. 9.* Bonac. *de Miſſa diſp. 4. quæſt. vlt. punct. vlt.* Tolet. Bonac. Rodriquez *in ſum. cap. 123.* Sà *verb. Miſſæ auditio num. 3.* Rodriq. Sà. Graffijs *1. p. lib. 2. cap. 36* & alios. Graffijs.

Sed petes, an qui præuidet in die feſto ſe non poſſe audire ſacrum ab hora nona, teneatur præuenire & audire hora ſeptima vel octaua? Reſponſio communis eſt affirmatiua: quia quoad horam in qua Miſsa eſt audienda, non eſt tempus omninò limitatum hac lege; ſed tantùm præcipitur vt ea die ſacrum audiatur quacumque hora, moraliter loquendo, id fieri poſſit, & ita ſi Miſsa non eſset dicenda niſi in principio diei, vel eſset differenda vſque ad meridiem, obligaret præceptum ad illam tunc audiendam, quia obligat ſimpliciter vt eo die impleatur.

4. *Puella* verò quæ credit ſe ab adoleſcente laſciuo & fragili concupiſcendam, ſi domo exeat, ſecundùm Na- Nauar. uar. *cap. 21. num. 3.* Henriquez *cit. cap. 25.* tenetur Miſ- Henriq. ſam audire, quia hoc damnum & ſcandalum per accidens ſequitur, Sotus *4. diſt. 13. q. 2. art. 1.* conſulit Miſsam re- Sotus. linquere, Sà *cit. num. 3.* verò putat eſse relinquere, ſed non teneri, quod eſt probabilius.

5. *Porrò*, qui non poteſt Miſsam ob aliquod impedimentum audire, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die Miſsam audire, quia præceptum affirmatiuum ſolùm obligat pro tempore deſignato, & pro materia præcepta ad certum tempus. Suarez *cit. ſect. 5. & 6.* Na- Suar. uarrus *cap. 21 num. 7.* Nauarr.

6. *Inculpabilis ignorantia*, rationalis obliuio, vel inconſideratio, excuſant fideles ab audienda Miſsa, ſicut & cenſura; cùm impoſſibile ſit aliquem obligari ad id, à quo per cenſuram tenetur abſtinere, & quod ſine peccato præſtare non poteſt: imò excommunicatus non peccat non audiendo Miſsam in die feſto, etiam ſi poſſit facilè abſolutionem excommunicationis obtinere. Suarez Suar. *diſp. 88. ſect. 6.* Nauarrus *cap. 21. num. 3.* Azorius *lib. 7.* Nauarr. *cap. 7. quæſt. 1.* *Qui* autem habet priuilegium Miſsæ au- Azor. diendæ tempore interdicti, peccat non audiendo Miſsã, nullum enim habet impedimentum, quo minùs poſſit Miſsam audire. Sà *cit. num. 4.* Nauar. *cap. 21. num. 3.* Sà. Nauar.

Vide tom. 1. verb. Excommunicatio 3. n. 10. & 11.

SVPPLEMENTVM.

MISSA III.

Quoad præceptum Eccleſiæ de illa audienda diebus Dominicis, & Feſtis.

SVMMARIVM.

1 *An detur in Eccleſia præceptum poſitiuum audiendi Miſſam diebus feſtis?*

2 *An præceptum hoc inducat grauem obligationem ſub peccato mortali?*

3 *An qui non poteſt die feſto Miſſam & concionem audire, ad quam harum teneatur?*

4 *An de ratione Miſſæ ex præcepto audiendæ ſit, vt fiat noua conſecratio?*

5 *In qua ætate pueri obligentur præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis.*

6 *Qui tempore Miſſæ animo diſtrahitur, vana audiendo, ſpectando, ſcribendo, &c. per notabilem Miſſæ partem, an impleat hoc præceptum? Et quotuplex ſit attentio.*

7 *An ſatisfaciant præcepto, qui ſecundùm externum habitum Miſſæ decenter interſunt, licet interna mente Deo, vel diuinis non intendant.*

8 *Si quis infirmus habeat licentiam, vt in Oratorio domus ſuæ Miſſa dici poſſit, an teneatur ibi Miſſam audire?*

9 *An præcepto Eccleſiæ fideles ſatisfaciant, audiendo Miſſam in priuato Oratorio?*

10 *An concurrente Feſto in Dominica, duplex peccatum committatur in omiſſione Miſſæ?* refertur duplex ſententia.

11 *An illius Sacerdotis Miſſa poſſit à fidelibus audiri, quando per iudicis ſententiam declaratur commiſiſſe crimen, cui adnexa erat excommunicatio?* refertur duplex ſententia.

12 *An licitum ſit Chriſti fidelibus ab excommunicatis toleratis Miſſas petere, vel illorum Miſſas audire?*

13 *Et quid dicendum de irregulari, qui talis factus eſt miniſtrando in excommunicatione? Et quid ſi per ſententiam iudicis fuit condemnatus de irregularitate ante denunciationem excommunicationis?*

14 *An peccent mortaliter, qui audiunt Miſſam ſuſpenſi ab officio, & Ordine per ſententiam iudicis?*

15 *An liceat audire Miſſam notorij concubinarij, vel ab eo illam petere?* refertur duplex ſententia.

16 *An omnes excommunicati etiam tolerati, & interdicti excuſentur ab obligatione audiendi Miſſam in diebus Feſtis.*

1 CErtum eſt dari in Eccleſia præceptum Eccleſiaſticum, ac poſitiuū audiendi Miſſam omnibus diebus Feſtis. Probatur *Primò* ex *cap. Omnes fideles de conſecr. diſt.* 1. vbi Canon Apoſtolorū, ſic ait: *Omnes fideles conueniant in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiā, & Scripturas Apoſtolorum & Euangeliſtarū audiant, qui autem non perſeuerant in oratione vſq. dum Miſſa peragatur, nec ſacram Communionem percipiunt, velut inquietudines in Eccleſia commouentes, conuenit Communione priuari.* Et in *cap. Miſſas de conſecr. diſt.* 1. ſic dicitur: *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audiri ſpeciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præſumat, quod ſi fecerit; ab Epiſcopo publicè confundatur.* In quibus decretis & præceptum datur, & per verbum præcipiendi expreſsè proponitur, quod ex vi, & proprietate ſua neceſſitatem inducit. *Secundò*, ex vſu & cōſuetudine Eccleſiæ: nam inter prima fidei rudimenta hoc præceptum tertio loco inter Eccleſiaſtica numeratur; & ita eſt communi ſenſu omnium Catholicorum receptū. *Tertiò*, ex communi Doctorum omnium conſenſu, tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Quibus accedit congruentia: nam dies Feſti instituti ſunt et aſſignati ad cultum diuinum, ergo ſicut illis diebus aliquod negatiuum fidelibus præcipitur, videlicet vt abſtineant ab operibus ſeruilibus, ita etiam oportuit, vt aliquod poſitiuum præciperetur quo ipſi fideles Deum colerent, ſed nihil accommodatius præcipi potuit, quàm vt Miſſæ ſacrificio aſſiſterent; ergo merito huiuſmodi præſentia & aſſiſtentia ab Eccleſia præcepta eſt. Ita D. Thomas 2.2. *q.* 122. *art.* 4. Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp.* 88. *ſect.* 1. Caietanus *in Summ. v. Feſtorum violatio*, Nauarrus *in cap. Quando de conſecrat. diſt. 1. & 2. & in Manual. cap.* 21. & alij communiter.

D. Tho. Suar. Caiet. Nauarr.

2. Præceptum hoc inducit grauem obligationem, ita vt illud tranſgredi omnino, vel vno tantùm die, pro quo obligat, ſine vlla legitima cauſa excuſante, peccatum mortale ſit. Probatur, quia materia præcepti eſt grauis, & ad materiam Religionis ſpectans. Nam ſi quis voto ſe obliget ad audiendam Miſſam vno die, & id omittat, peccaret mortaliter. Sed non minus obligat Eccleſiæ præceptum, quàm votum proprium: neque eſt minus grauis auditio Miſſæ reſpectu præcepti, quàm reſpectu promiſſionis. Et hic eſt communis fidelium conſenſus, omniumque Doctorum rectè ſententium iudicium. Propterea communiter reprobantur illi, qui cenſent ſolos illos peccare mortaliter, qui ex contemptu diebus Feſtis Miſſam non audiunt; non verò illos, qui voluntariè abſque vlla cauſa excuſante omittunt appellant autem contemptum, conſuetudinem & morem omittendi Miſſas abſque cauſa, vnde ſecundùm illos ſolum eſt peccatum veniale Miſſam non audire abſque cauſa ex ſola imbecillitate, negligentia & pigritia naturæ, dummodo abſit contemptus. Ita Gloſſa *in cap. Omnes fideles, de conſecr. diſt.* 1. Angelus *verb. Feria num.* 42. Roſella *verb. Miſſa num.* 18. Tabiena *verb. Miſſa* §. 43. Richardus *in quolib. 1. quæſt.* 19.

Gloſſa. Angel. Roſella. Tabien. Richar.

Ex dictis colligitur, Sacerdotem teneri celebrare ad effectum implendi præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa in diebus Feſtis, quando non adeſt alius Sacerdos, cuius Miſſam audiat, & ipſe ſine notabili incommodo celebrare poteſt. Probatur ex eo, quod qui vult finem, debet velle & media conſequentia ad finem non extraordinaria; non eſt autem medium extraordinarium, quòd quis ad implendum præceptum audiendæ Miſſæ celebret, ac proinde Sacerdos, qui tenetur obſeruare tale præceptum, debet adhibere eiuſmodi medium, & ſe diſponere ad celebrandum licet aliàs non eſſet celebraturus. Tum quia plurimi Doctores ſuſtinent ſimplicem Sacerdotem deficiente copia Confeſſarij, poſſe cum ſola contritione celebrare non præmiſſa Sacramentali Confeſſione peccati mortalis commiſſi, præcisè ad ſatisfaciendum præcepto audiendæ Miſſæ: quod eſt ſignum, ad obſeruantiam huius præcepti adhibendum eſſe aliquem conatum & conſequenter Sacerdotem aliàs non habentem copiā alterius Sacerdotis, teneri in die Feſto celebrare, vt ſic ſupradictum præceptum impleat. Vide Dianam *part. 2. tract. 14. reſol.* 63. Pellizzarium *in Manual, regul. tract. 5. cap. 9. num.* 8.

Dian. Pellizz.

3. Qui in die Feſto non poteſt concionem & Miſſam audire, per ſe loquendo, tenetur potiùs concionem, quàm Miſſam omittere; quia præcepta præferenda ſunt conſilijs, Miſſa autem eſt de præcepto, concio verò de conſilio. Tamen ex accidente, & ex aliqua circumſtantia graui poteſt contingere vt quis teneatur Miſſam omittere pro concione audienda, v. g. ſi in fide hæſitet, & non poſſit in fide inſtrui, aut ab hæreticis defendi, niſi audita concione, vel inſtructione alicuius Doctoris, aut concionatoris Catholici, tunc tenetur Miſſam relinquere, non concionem. Ratio eſt, quia in hoc caſu præceptum charitatis erga ſeipſum obligat; & propter hoc excuſatur ab obligatione præcepti audiendi ſacri, ſicut excuſaretur ob impotentiam & alias cauſas recenſitas ſuprà *tit. Miſſa IX*. Ita Suarez *diſput.* 88. *ſect.* 1. & poſt illum Fagundez *in præcept. 1. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. n.* 10.

Suarez. Fagund.

5. Miſſa ex præcepto Eccleſiæ audienda ſub peccato mortali in diebus Feſtis & Dominicis illa eſt, in qua fit noua conſecratio. Hinc ſi Sacerdos carens Hoſtia, quam conſecret, dicat Miſſam oſtendendo populo Hoſtiam ſacrarij pridie vel ante conſecratam, quamuis eam eleuet,

fran-

Digitized by Google

frangat ac ſumat etiam ſub vtraque ſpecie, ea intentione, vt populus audiat Miſſam in die Feſto, non eſt ſacrificium quod aliis proſit, & peccabit mortaliter niſi ignorantia excuſet. Ratio eſt, quia ad rationem veræ Miſſæ requiritur noua conſecratio, quia in hoc caſu non interuenit, & proinde tenebitur populus aliam Miſſam audire. Et proinde in die Paraſceues ſextæ feriæ maioris hebdomadæ nô fit verum ſacrificium, quamuis fiat noua conſumptio, & non tenetur populus audire illud ſacrificium, etiamſi illa feria ſexta incidat in diem Feſtum de præcepto: quia non fit noua conſecratio: ibi enim tantum conſumitur præconſecrata Hoſtia, & non conſecratur altera. Ita
Henriq. Henriquez *libro 9. de ſacrific. Miſſa, cap. 9 num. 2. in fine,*
Fagund. Fagundez *in 1. precept. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. num. 26. & 27.*
Diana. & alii communiter, apud Dianam *parte ſecunda, tract. 14. reſol. 62.* citans pro hac ſententia *Suarez, Bellarminum, Bonacinam, Naldum, Molfeſium, Sancium, Gauantum,* qui nouiſſimus reſtatur *in comment. Rubric. Miſſal. p. 3. tit. 29. num. 24.* ita declaraſſe Sacram Congregationem ſub die 16. Februarij 1622.

5. Quamuis communiter pueri incipiant habere vſum rationis, cùm ſeptennium attingunt, aut ſaltem explent, & in hac ætate præcepto audiendi Miſſam obligentur: tamen hac de re non poteſt certa regula tradi, cùm quidam citiùs, alii verò nec etiam in decimo ætatis anno perfectum rationis vſum habeant: & cùm de hoc nihil ſit iure præſcriptum, ideò regula generalis eſt eos incipere obligari; cùm ita poſſunt ratione vti, vt poſſint diſcernere inter bonum & malum, & ſunt capaces peccati mortalis, quia tunc iam ſunt capaces obligationis naturalis colendi Deum, & ita etiam poſſunt hac lege Eccleſiaſtica obligari: quo autem anno ætatis incipiant vſum habere rationis, non poteſt generali regula definiri, ſed ad parentum, Parochorum & Confeſſorum curam prudens iudicium hac de re ſpectat: quare nulla eſt ratio differendi obligationem huius præcepti, in pueris cùm primum in eis probabilia ſigna diſcretionis & rationis apparent. Ita
Suar. docet Suarez *diſputatione 88. ſectione 4. in fine,* Nauarrus
Nauarr. *in Manual. cap. 21. numero primo,* & alii communiter, loquentes de præcepto Confeſſionis annuæ, quia eadem eſt ratio de illo, atque de præcepto Eccleſiaſtico Miſſæ audiendæ. Probatur hoc ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion.* ibi, *Cùm ad annos diſcretionis peruenerit.* Accedit quod vnuſquiſque fidelis cùm ad annos diſcretionis peruenit, poteſt obligari aliis Eccleſiæ præceptis, & de facto illis obligatur, vt confiteri ſemel in anno; abſtinere à carnibus in diebus prohibitis per Eccleſiam, &c. ergo etiam hoc præcepto obligari neceſſe eſt. Proinde rectè monent Doctores, vt pueri à tenera ætate inducantur à parentibus, & mittantur ad Miſſam audiendam, vt ita paulatim aſſueſcant hanc Eccleſiaſticam legem obſeruare. Quare non eſt audiendus *Sotus* cum aliis, qui dicunt pueros non obligari hoc præcepto ante annos pubertatis: quia Eccleſia ante hanc ætatem non vult eos obligare ad ſuas leges & præcepta, & ſignum eſt, quia Eccleſia non obligat hos pueros ad pœnas, quas illi incurrant, qui præceptum annuæ Confeſſionis violant. Sed ad hæc poſſet reſponderi, negando nolle Eccleſiam pueros obligare ad ſua præcepta ante pubertatis annos; nam quod eos velit obligare ante annos pubertatis cùm incipiunt rationis eſſe compotes, conſtat ex textu *cap. Omnis vtriuſque ſexus citato.* Quod autem Eccleſia non obliget ad pœnas pueros violantes præceptum Confeſſionis annuæ; hoc facit tanquam pia mater, non quod illi non peccent mortaliter, ſed quod nolit eos ferire tam graui pœna, ex quadam indulgentiæ ætatis, vt patet ex *cap. Referente nobis, de delictis puerorum,* vt dicitur, *In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliys prouectioris ætatis humanæ leges dicunt ſeuerius puniendum.* Nam leges quæ excuſant à pœna, non excuſant à culpa. Et ita
Conink. præter Doctores citatos tenent hanc ſententiam Conink
Præpoſ. *de Sacram. quæſt. 83. art. 6. n. 286.* Præpoſitus *ibid. n. 197.*
Mercer. Mercerus *de Sacram. quæſt. 83. ar. 4. dub. 4.* Quorum ſen-
March. tentia Iacobo Marchantio *in reſol. Paſtoral. tract. 4. cap. 6. quæſt. 2.* videtur rigida. Quia Eccleſia pia mater non videtur velle obligare tam rigidè ſtatim ac poteſt. Tum quia practicè videmus maiorem partem puerorum, etiam decimum annum attingentium, in Eccleſia ſtare tempore Miſſæ, huc illuc circumſpiciendo, ſine attentione requiſita; aut etiam ſociis corridere, colloqui, nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Quis verò eos ſtatim peccati mortalis velit condemnare? Non quod velim (ait idem Auctor) dicere eos non eſſe capaces, peccati mortalis ob ætatem, nam ſi hoc ſit, non eſt difficultas. Sed quod licet in rigore loquendo ſufficientem ætatem & diſcretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videantur tamen Eccleſia tanta ſub obligatione, ſeu vinculo tam arcto eos velle ſtatim obſtringere, donec perfectiorem rationis vſum aſſequantur, qua diuina myſteria plenius apprehendant, & obligationem ac attentionem, qua illis intereſſe oportet, pleniùs intelligant. Quod ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere, ad Euchariſtiæ Sacramentum putarim contingere, quod ipſum Confeſſarii & Parochorũ prudenti iudicio venit expēdendum. Aliàs antea ſolùm venialiter exiſtimarim peccare, ob apprehenſionem imperfectam, tum myſteriorum, tum præcepti, ex imperfecto adhuc rationis vſu prouenientem: per quam fit vt facilè negligant attentionem requiſitam, & magis præſentes ibi ſint corpore, quàm mente. Ita ille. Cuius rationes ſunt à viris doctis expendendæ.

6. Qui ſponte tempore Miſſæ animo diſtrahitur, vana audiendo, fœminas, aut ludos ſpectando, ſcribendo, pingendo, dormitando, aut interiùs tantùm aliena cogitando per notabilem Miſſæ partem, non implet hoc præcēptum, ſecundùm communem Doctorum ſententiam. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit hic actum externum cultus diuini, ergo etiam præcipit omnes circumſtantias neceſſarias ad actum externum, vt ille actus verè cenſeatur actus externus Religionis: animi autem attentio videtur moraliter neceſſaria, vt cenſeatur quis tempore ſacri Deum colere. Hic notandum eſt ex D.
Thoma a. 2. *q. 83. artic. 13.* triplicem eſſe attentionem in D. Tho.
oratione, nempe, *ad verba; ad ſenſum verborum; & ad Deum,* quas hic etiam cum proportione ad Miſſam applica: alia enim eſt attentio ad ea quæ Sacerdos dicit, vel facit, non vltra progrediendo, nec diſtinctè intelligendo, ſed ſolùm attendendo, vt ad rem quandam ſacram, & hæc attentio eſt omnium infima, tamen ſufficiens, ſatis enim eſt, vt illa Miſſæ auditio, ſeu præſentia ſit humana, moralis, & ex obiecto religioſa.

Secunda attentio eſt ad ea, quæ illis verbis, vel factis ſignificantur, & hæc eſt melior, multumque accedit ad finem præcepti, qui eſt commemoratio beneficiorum Dei, & maximè Chriſti Paſſionis. Tertia, & vltima attentio eſt ad Deum, quæ eſt ſuprema & finis cæterarum, & ſub hac includitur omnis interior reuerentia, & cultus, omnis oratio & petitio. Vnde etiamſi quis dum Miſſam audit, ita eleuet mentem in Deum, vt totus à ſenſibili auditione, & ab omni myſteriorum Miſſa conſideratione abſtrahatur, totuſque in contemplationem Dei rapiatur, nihilominus perfectè implet hoc præceptum: quia perfectè aſſequitur finem præcepti, & ſponte ſe applicuit, & adhibuit præſentiam neceſſariam ad audiendam Miſſam, in eaque voluntare formaliter, vel virtualiter perſtitit cum attentione maximè intenta per ipſum præcēptum.

Hinc colligere eſt, quomodo neceſſarium ſit in aliqua ex his attentionibus toto tempore Miſſæ perſeuerare: eſt enim neceſſaria hæc actualis attentio, quantum eſt ex voluntate & intentione audientis Miſſam, non autem opus eſt, vt actu ſēper duret, ſufficit enim vt virtute perſeueret ratione prioris voluntatis non retractatæ. Quare requiritur vt quis ab initio accedat ad Miſſam audiendam animo & intentione attēdendi aliquo modo ex prædictis: ſi autem inuoluntariè diſtrahatur, etiamſi ad magnam Miſſæ partem actualiter non attendat, implet ſufficienter præceptum, ex vi prioris voluntatis non retractatæ, ratione cuius virtualis attentio manet. Dicitur autem inuoluntariè diſtrahi, quandiu non aduertit ſe non attendere ad rem diuinam, licet voluntariè de aliis rebus cogitet, tamen ſine reflexione & ſufficiente aduertentia, quod id faciat tempore Miſſæ. Hinc fit,

vt ſi quis audiendo Miſſam, voluntariè exerceat actiones aliquas exteriores repugnantes debitæ attentioni Miſſæ, peccat primò venialiter contra attentionem, & reuerentiam debitam rei ſacræ. Et deinde etiam mortaliter, ſi eo modo magnam Miſſę partem audiat, tales ſunt, qui volunt confabulari tota Miſſa, aut mercaturam tractare; qui enim vult cauſam, vult effectum intrinſecè cum illa coniunctum.

Si autem colloquia non ſint continua, ſed per paruam Miſsæ partem, licet ſæpius miſceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, vel certè ſi confabulatio non ſit de re ſeria, nec nimis attenta, quæ non omninò impedit attẽtionem ad Miſſam, ſed ſolùm remitti & extenuat illam, relinquit tamen ſufficientem, vt actio illa humano modo fiat, non committitur peccatum mortale, ſicut etiam recitando horas Canonicas, poteſt exerceri aliqua actio exterior, quando talis eſt, vt non omninò diuertat animum, nec omnem tollat attentionem; ergo idem poteſt eſſe in Miſſa, vt ſi quis ſe veſtiens, Miſſam audiat. Ratio eſt, quia minor attentio in Miſſa eſt neceſsaria, quàm in horis Canonicis recitandis, quia oratio eſt actio magis rationalis, quàm illa moralis præſentia, quæ neceſſaria eſt ad implendum præceptum de audienda Miſsa, vt docent Nauarrus *in Man. cap. 21. num. 8.* Sylueſter *v. Miſſa 2. quæſt. 6.* & alij.

Nauarr. Syluest.

Et his patet excuſari à peccato mortali multorum conſuetudinem grauiter alioqui culpandam, & quæ vt minimum eſt graue peccatum veniale, & facilè poteſt declinare in mortale, præſertim ſi confabulatio ſit admodum continua, & maximè ſi poteſt generare ſcandalum & impedire alios à Miſſa audienda. Ita Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. ad finem*, Bonac. *de Eucharist. diſp. 4. q. vlt. punct. 11. n. 24.* Graffiis *l. 2. cap. 35. num. 8. & 9.* Et de his videndi ſunt Suar. *diſp. 88. ſect. 3.* Fagundez *in præcept. 1. Eccleſ. l. 2. cap. 7. n. 5.* Layman *l. 4. tract. 7. cap. 3. num. 3. verſ. Secundum*. Hæ dicta ſint ſecundùm probabiliorem ſententiam Doctorum de attentione interna requiſita ad ſatisfaciendum præceptum Miſſæ audiendæ.

Sotus. Bonacin. Graff. Suarez. Layman.

7. Tamen contrariam ſententiam defendunt non improbabiliter graues Doctores, nempe illos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, qui ſecundùm externum habitum, Miſsæ decenter interſunt, licet interna mente Deo vel diuinis non intendant. Et ita docent omnes, qui tenent Clericos in ſacris cõſtitutos, vel beneficiarios ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de horis Canonicis recitandis, qui illas recitant animo vltrò diſtracto, modò nullum aliud opus externum incompoſſibile cum attentione interna efficiant inter recitandũ. Ratio illorũ pro attentione externa ad ſatisfaciendũ præcepto de horis Canonicis ſufficiẽti, eſt, quia non ſatis nobis conſtat verum Eccleſia tantam cum obligatione præcipere voluerit: cum ipſi ſufficere videatur, ſi pręcepto ſuo à miniſtris obtineat, vt in choro vel extra chorum publicas orationes decenter pſallant, vel pronuntient; de interna autem deuotione iudicium Deo committat. *Secundò*, quia Eccleſia non poteſt præcipere actus merè internos, ſed ſolùm externos, & internos, quatenus requiruntur ad externos, vt videlicet externi cenſeatur eſse actus virtutis exterioris, ſaltem ſpectatis omnibus circumſtantiis externis. Sed is qui curat vt verba ritè pronunciet in modum orantis, habet attentionem neceſsariam ad actum exteriorem orationis. Ergo, &c. *Tertiè* quia attentio ſpectata humana imbecillitate eſt valdè difficilis, ſi debeat eſse vna ex illis dictis *num. præcedenti*, tribus interioribus. *Quartò*, quia licet hæc oratio ornata tantùm attentione exteriore, non ſit vera oratio quatenus ab hoc Clerico, vel Sacerdote exteriùs tantùm orante præcedit, eſt tamen vera & impetratoria oratio quatenus fit ab illo, vt eſt miniſter Eccleſiæ, atque ab Eccleſia per hunc miniſtrum. Ob hac & multò plures rationes quas adducunt Doctores infrà citandi manet hæc ſententia ſatis probabilis. Ita ex veteribus D. Antoninus *3. p. tit. 13. cap. 4. §. 8.* Durandus *in 4. diſt. 15. quæſt. 12. nu. 6.* Paludanus *ibidem, quæſt. 5. art. 2.* Angelus *verb. Hora, nu. 17.* Sylueſter *verb. Hora, quæſt. 11.* & alii. Ex recentioribus autem probabilem illam dicunt omnes à nobis citati *tom. 1. verb. Hora Canonica II. num. 22.* Quibus nunc addo ex noſtris Caſpenſem *tom. 1. tract. 13. de legibus, diſp. 3. nu. 83.* & Geſualdum *p. 3. tract. 21. cap. 1. num. 9.* Leſſium *lib. 2. cap. 37. dub. 11. num. 63.* Valerium *in differẽt. vtriuſque fori, verb. Hora Canonica different. 1.* & aliis apud Dianam *part. 7. tract. 11. reſol. 30.* Hæc doctrina præcepto de audienda Miſsa etiam debet applicari, quia minor attentio requiri videtur in auditione Miſsæ, quàm in recitatione Officii Canonici, eo quòd hæc difficilior, magiſque rationalis actio ſit, perſonaliter orare, quàm oranti, & ſacrificanti ſtare, præſentem eſse, & conſentire, vt notant præcipitati Doctores.

D. Anto. Durand. Ang. Sylu.

Caſpenſ. Geſuald. Leſsium. Val. Diana.

8. Qui habet licentiam vt poſsit audire Miſsam in oratorio domus ſuæ, ſi ſit infirmus & non poſſit adire Eccleſiam non tenetur illam in diebus Feſtis audire. Ratio eſt, quia talis non tenetur vti ſuo priuilegio, nec quærere Sacerdotem, & dare ſtipendium vt ſibi Miſsam celebret, ſed ſolùm tenetur ex præcepto audire Miſsam. Imò hoc verum quidam exiſtimant, quamuis gratis inueniret Sacerdotem: quia dicere Miſsam in priuatis domibus & oratoris approbatis, de ſe eſt odioſum, & non tam decens ad reuerentiam debitam huic ſacrificio, & propter generales Canones Eccleſiæ vnde nulla eſt obligatio vtendi tali priuilegio ad ſatisfaciendum præcepto de audienda Miſsa, cùm longe melius ſit Miſsam non audire, etiamſi dies Feſtus ſit, quàm eam celebrare in domo, maximè ſi crebro fiat, nam præceptum hoc non eſt tanti momenti, quale eſse poteſt, vt ſacrificium in priuatis locis non fiat. Tum quia ob cauſas minùs graues & vrgentes, excuſatur quis interdum ab executione huius præcepti; ergo etiam poterit excuſari: alioqui gratia fieret oneroſa, & libera facultas in obligationem verteretur. Ita ſuſtinent Suarez *diſput. 88. ſect. 6. verſ. Secundum*. Ledeſma *in Summa part. 1. cap. 27. de Euchariſt. concl. 16.* Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 80.* Trullench *in expoſit. Bull. Cruciat. lib. 1. §. 3. dub. 6. num. 9.* Eſcobar *in Theol. moral. tract. 1. exam. 11. cap. 11. num. 97.* Pellizzarius *in man. regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. ſect. 2. num. 154.* & alii probabiliter. Non eſt tamen improbabilis ſententia illorum qui aſserunt habentem Bullam Cruciatæ tempore interdicti teneri Miſsam audire, vt docent Sancius *in Selectis diſp. 15.* Bonacina *de cenſur. diſp. 5. punct. 4.* Fernandez *in medull. part. 3. cap. 10. §. 3.*: & alii apud Dianam *part. 1. tract. 11. reſol. 2.* Eſto detur habentem priuilegium audiendi Miſsam tempore interdicti teneri illam audire; non inde ſequitur ad hoc idem teneri illum, qui habet indultum Oratorii priuati; quia celebrare in Oratorio priuato eſt priuilegium de ſe odioſum, ac derogatorium iuris communis; in caſu verò interdicto, ſi tollatur impedimentum, nulla petitur diſpenſatio in iure communi ad hoc vt poſſit celebrari; ſicque in his duobus caſibus interuenit magna diſparitas. Ergo non eſt eodem modo philoſophandum de vtroque, cùm à diuerſis non fiat illatio, vt docent *Suarez* & alii ſupra citati.

Ledeſm. Dian. Trullen. Eſcobar. Pellizza.

Sanch. Bonac. Dian.

9. Dubium eſt, an ſi quis audiat Miſsam diebus Dominicis & Feſtis in priuato Oratorio, præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat? Ratio dubitandi eſt, in intelligentia verborum quæ à Pontifice ponuntur in fine Breuis, concedentis vt in priuato Oratorio Miſsa poſſit celebrari: *Volumus autem, vt familiares ſeruitiis tuis non neceſsarij præter ſupradictos ibidem Miſsa intereſsentes ab obligatione audiendi Miſsam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur*. Quidam enim hæc verba interpretantur, vt non impleant præceptum Eccleſiæ de audienda Miſsa iuxta formam antiquã audiendi Miſsam in propria Parochia diebus Feſtis; quæ circumſtantia audiendi Miſſam in propria Parochia cùm ſit hodie cõtrario vſu abrogata, inferendum neceſsariò videtur implicare contradictionem, quòd audiens Miſsam in Oratorio priuato, modo nõ ſatisfaciat Præcepto Eccleſię, prout hodie extat: præſertim cùm Doctores, nempe, *Suarez, Toletus, Nauarrus, Rodriquez, Azorius, Conink, Graffiis*, & alii apud Bonac. *de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct. 12. n. 4.* & apud Fagundez *in præcept. 1. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. n. 8.* doceant, quocumque in loco, miſsa audiatur præceptum miſsæ audiendæ adimpleri, ſiue audiatur in propria Parochia, ſiue in Eccleſiis regularium, ſiue in oratoriis priuatis, ſiue extra Eccleſiam: nam præcipit Eccleſia Miſsæ auditionem & non præſcribit locum; cùm iam conſuetudo communiter

niter

Digitized by Google

niter recepta abſtulit obligationem audiendi Miſſam de præcepto in propria Parochia. Nihilominus, cùm verba Pontificis in breuibus, quæ ſolet expedire, ſint ſatis clara, contrarium eſt dicendum: nam iſti præcepto audiendi Miſſam in die Feſto minimè ſatisfaciunt, quia hoc priuilegium Pontificium illis non ſuffragatur. Ad quid enim Pontifices dictam clauſulam, eo ſenſu, quo ſupra aſſeritur, vellent in talibus indultis apponere, cùm apertè hodie omnibus pateat, præceptum audiendi Miſſam in propria Parochia non extare, cùm ſit per contrarium vſum abrogatum. Vnde prædicta interpretatio dictæ clauſulæ gratis dicitur, & contra praxim Romanæ Curiæ & contra mentem Pontificis. Addo extare decretum Sacræ Congregationis, quo cauetur, vt licentia celebrandi Miſſam in priuato Oratorio concedatur, cum hoc onere, vt ſolùm priuilegiarius & ipſius familiares ſatisfaciant præcepto, audiendi diebus Feſtis Miſſam in præfato Oratorio, alij verò non ſatisfaciant, teſte Quaranta *in Summ. Bullarij, verb. Miſſa, verſ. Quanta*, Malfeſio *tract. 3. cap. 17. num. 70.* Proinde hanc ſententiam tenent Marchinus *de Sacrament. Ordinis, tract. 3. part. 3. cap. 9. n.* 10. Riccius *in praxi tom. 1. reſol. 467. num. 23.* Diana *p. 9. tract. 1. reſol. 3.* Qui vltimus putat ſecus dicendum eſſe audientibus Miſſam in Oratoriis Epiſcoporum, Regularium, & in Oratoriis ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, nam in illis non adeſt limitatio apponi ſolita à Pontifice in licentiis pro Oratoriis priuatis, quas magnatibus particularibus concedit. Et de his Oratoriis intelligendi ſunt Doctores, quando dicunt ſatisfieri præcepto Miſſam audiendo in Oratoriis. Propterea in hac re conſideranda ſunt verba reſcripti, quæ ſi limitationem non contineant, cenſetur facultas conceſſa pro omnibus, vt in his Oratoriis Miſſam audiendo poſſint præcepto ſatisfacere, vt ex dictis colligitur.

Malf. March. Riccius. Diana.

10. Quorumdam ſententia eſt, concurrente duplici Feſto de præcepto Eccleſiæ, duplex peccatum committi in omiſſione Miſſæ, & violatione abſtinentiæ ab operibus ſeruilibus. Ratio illorum eſt, quia qui non audit Miſſam, quando aliquod Feſtum incidit in diem Dominicum, duplex præceptum violat, latum ob diſtinctas cauſas, & rationes, nam vnum præcipit auditionem Miſſæ in honorem diei Dominicæ, alterum in honorem Feſti in diem Dominicum cadentis, & vtraque ratio ſeorſim ſumpta eſt per ſe ſufficiens ad inducendam obligationem peccati mortalis; peccatum autem totuplex eſt, quotuplex eſt diuerſa ratio præcipiendi, & diuerſus finis ob quem actus ſub peccato vel præcipitur, vel prohibetur. Ita tenent Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. queſt. 6. dub. 2. num.* 24. Homobonus *de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 5. cap. 12. q. 76.* Lopez *1. p. Inſtructor. cap. 29. §. Dico tertio quod quando*, & alii citati *t. 1. verb. Circumſtantia, nu. 14. §. 111.* Hæc ſententia eſt probabilis.

Tanner. Homob. Lopez.

Tamen probabilius eſt vnicum tãtùm peccatum committere, qui duo præcepta de eodem Feſto colẽdo, aut de eadem Miſſa audienda violat: & ideò non eſſe hãc circũſtantiã duorum præceptorum neceſſariò in Confeſſione aperiendam. Ratio & fundamentum eſt, quia huiuſmodi præcepta & vincula ſunt eiuſdem ſpeciei, & vnum eundemque actum præcipiunt, & ſub eadem ratione formali obedientiæ, vt vnum actum temperantiæ, ſi concurrant duo præcepta ieiunii; vnum actum Religionis, ſi concurrant duo præcepta audiendi Miſſam: vnde quotieſcumque occurrentes præceptorum obligationes ſunt eiuſdem ſpeciei, & vnum actum præcipiunt, & ſub eadem ratione formali, nec diuerſa numero peccata inducunt, nec ſpecie. Ita Suarez *tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſect. 4. n. 22.* Sanchez *de matrim. lib. 9 diſp. 15. num. 6.* Eman. Sà *verb. Confeſſio, n. 29.* Diana *part. 1. tract. 7. reſolut. 22.* & alii multi penes ipſum, quibus adde *Vaſquez, P. Ledeſmam, Henriquez*, & alios à nobis citatos *tom. 1. loco citato*, & vide quæ diximus *verb. Peccatum IV. numer. 5.*

Suar. Sanch. Eman. Sà. Dian.

11. Quamuis Miſſa à quocumque Sacerdote audiri poſſit, vt impleatur præceptum Eccleſiæ, modò non ſit vitandus in humanis & diuinis, iuxta Extrauagant. Martini V. *Ad euitanda*, deſumptam ex Concilio Conſtantienſi; Dubitatur tamen, vtrum ſi aliquis per ſententiam iudicis declaretur commiſiſſe crimen, cui eſt adnexa excommunicatio, & non declaretur incurriſſe excommunicationem, vitandus ſit; ita vt licitè non poſſit à fidelibus, ſi eſt Sacerdos, eius Miſſa audiri? Affirmant communiter Doctores, quia tunc eò ipſo quòd talis Sacerdos in iudicio de tali crimine, v. g. de hæreſi nominatim condemnatur, cenſetur nominatim declarari & ideò vitandus erit in humanis & diuinis. Ita Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 9. ſect. 2. num.* 10. Auila *2. par cap. 6. diſp. 2. dub. 3. §. ſed eſt.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 5. num. 4.* Sanchez *lib. 2. moral. cap 9. num. 4.* Sotus, Gutierrez, & alii. Tamen fauorabilior eſt ſententia docens adhuc iuſtum non eſſe vitandum, quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus & denunciatus, donec expreſſè declaretur incurriſſe cenſuram, nam cùm ſolùm aliquis declaratur de crimine, cui eſt adnexa cenſura, non declaratur de ipſa cenſura expreſſè, ſed remotè et per quandam conſequentiam. Proinde cùm prædicta Extrauagans in animarum fauorem emanarit, potius eſt extendenda, vt requiratur expreſſa et formalis cenſuræ declaratio: quàm reſtringẽda, vt ſat ſit tacita: eo vel maximè, quòd cùm multi annexam illi crimine excommunicationem eſſe ignorent; eiſdem conſcientiæ periculis et ſubiis ſubiicientur, ſi ea ſolius criminis declaratio obliget ad illum vitandum. Ita Graffiis *1. p. deciſion. lib. 3. c. 11. n. 5.* Nauarr. *in Miſcellan. 47. de orat. n. 2.* Sanchez *loco citato*, qui licet probabiliſſimã primam opinionem putet, hanc tamen probabiliorem exiſtimat. Imò idem ſentit, etſi in ſententia declaretur illum eſſe hæreticum, aut alterius criminis reum, ac incurriſſe omnes illius pœnas: quia adhuc non eſt ſpecialiter et expreſſè denunciata excommunicatio et multi excommunicationem in eis comprehendi neſcirent.

Suar. Auila. Henriq. ſanchez. Sotus.

Graff. Nauar. ſanchez.

12. Probabilius eſt, non eſſe prohibitum Chriſti fidelibus, ex vi ſolius cenſuræ, dummodò nullum aliud detur impedimentum peccati in ipſis excommunicatis toleratis, Miſſas ab eis petere, vel illorum Miſſas audire, etiamſi alii Sacerdotes præſentes ſint, qui nullam habent excõmunicationem. Ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſe et Martinus V. in dicta Extrauag. *Ad euitanda ſcandala*, et pericula quæ in conſcientiis timoratis darentur, conceſſit Chriſti fidelibus, vt in nulla re teneantur vitare huiuſmodi excommunicatos toleratos, etiam in Sacramentorum adminiſtratione et receptione et in communicatione in diuinis. Quæ ſcandala et pericula nullo modo tollerentur, ſi ipſi Sacerdotes, ad petitionem fidelium ſacrificando, aut Sacramenta miniſtrando peccarent, imò maiora ſcandala pullularent, et nunquam timoratæ conſcientiæ ſedarentur.

Si dicas, illi peccant miniſtrando, cùm Extrauagans Martini V. non tollat ab eius excommunicationem, neque illis in aliquo faueat; ergo peccatum mortale erit eos inducere ad peccandum per petitionem Sacramenti, aut ſacrificii? Reſpondeo peccare illos mortaliter, quando Sacramenta miniſtrant, aut ſacrificant abſque petitione fidelium, et quando abſque ea petitione ſe ingerunt ad id faciendum, non verò quando præueniuntur et rogantur ab ipſis fidelibus. Ratio eſt, quia conceſſo vno correlatiuo, ordinariè aliud conceditur, et prohibito vno, etiam aliud prohibetur: vnde ſi ius concedit vt licitè fideles hoc poſſint petere ab excommunicatis toleratis, conſequenter concedit ipſis excommunicatis vt licitè id poſſint efficere. Ita loquens de Miſſa docet Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 11. ſect. 4. num.* 18. Et de petitione & receptione Sacramentorum Sotus *in 4. diſtinct. 22. queſt. 1. art. 4. verſ. At verò*, Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 9. num.* 8. Victoria *in Summ. de excommun. n.* 339. Quamuis enim Extrauagans Martini V. ab eis non tollat excommunicationem abſolutè, tollit tamen, ſeu potiùs ſuſpendit eius effectum, quando ab ipſis fidelibus præueniuntur: ſicut abſolutè non tollitur obligatio præcepti audiendi diebus Feſtis Miſſam, ſuſpenditur tamen eius obligatio, quando aliquis ægroto aſſiſtit indigenti illius ope. Cæterum non eſt improbabilis ſententia aſſerens Sacerdotem excommunicatum toleratum celebrando peccare mortaliter, licitum tamen eſſe fidelibus audire illius Miſſã, non autem licere id ab eo petere, ne illius peccato cooperentur, quod ex lege naturali charitatis tenẽtur vitare in proximo,

Suarez. Sotus. ſanchez. Victor.

Digitized by Google

Si tamen ille in altari ſit dicendo Miſſam, aut paratus, aut promptus ad miniſtrandum Sacramentum & dicendum Miſſam, licitum eſt id ab eo petere & aſſiſtere, cùm tunc illum abſolutè ad peccatum non inducant, ſiquidem iam paratus & promptus erat ad Sacramentum miniſtrandum, & ſacrificandum, & ſiue petant, ſiue non petant fideles, illud erat miniſtraturus & ſacrificaturus. Ita D. Thomas *in 4. d. 39. q. 1. art. 1. ad 5.* Caietanus *in Summa verb. Abſolutionis impedimenta*, Adrianus *in 4. q. 3. de Baptiſmo*, & alij. Et quamuis iſti Doctores loquantur de acceptatione & petitione Sacramentorum ab excommunicato tolerato, tamen eadem eſt ratio de auditione & petitione Miſſæ ipſius excommunicati, cùm vtraque ſit participatio & communicatio in diuinis cum ipſo excommunicato.

D. Tho. Caietan. Adrian.

13. Certum eſt apud omnes, licere fidelibus miſſam audire Sacerdotis, qui irregularis factus eſt miniſtrãdo in excommunicatione, ſi nullum aliud impedimentum ex parte illius obſtet, non tamen petere. Ratio prioris eſt, quia in hoc caſu non eſt vitandus, & irregularitas addita, non reddit illum vitandum, ſiue ſit ſecreta, ſiue publica, cùm non ſit cenſura, & ſolùm is effectus cenſuræ excommunicationis tribuatur. Ratio autem poſterioris eſt, quia cùm talis Sacerdos in ea circumſtantia mortaliter peccet celebrando ad petitionem alicuius, non quidem ratione cenſuræ, ſed ratione irregularitatis, quam incurrit, illa petitio tunc moraliter loquendo, inductio erit ad peccatum, ac proinde peccatum mortale, niſi ignorantia & bona fides excuſet.

Sed difficultas eſt, an quando quis per ſententiam iudicis fuit condemnatus de irregularitate, ante denunciationem excommunicationis incurſæ, ſi v.g. excommunicatus à iure vel ab homine celebret, & de irregularitate condemnetur; Communis ſententia eſt huiuſmodi irregularem vitandum eſſe in diuinis, ac proinde ex vi cenſuræ etiamſi nullum aliud impedimentum obſtet, nec Miſſæ, aut diuinis Officiis ſimul cum illo intereſſe licere, cùm pro excommunicato vitando ſit omninò reputãdus. Probatur autem hæc opinio, quia in eo caſu crimen irregularitatis ſupponit tonſuram excommunicationis, & excommunicatio eſt adnexa crimini, vnde ſufficit, vt quis vitandus ſit, quod per ſententiam iudicis de crimine condemnetur, nam illa condemnatio nominatæ perſonæ æquipollet declarationi cenſuræ incurſæ, vt in ſimili de crimine hæreſis dictum eſt *ſupra num. 11.* cum Doctoribus ibi citatis. Sed qui fauorabiliorem ſententiam ſequũtur, negant huiuſmodi irregularem condemnatum per ſententiam iudicis de irregularitate, vitandum eſſe, licet crimen irregularitatis adnexam habeat excommunicationem, & conſequenter docent licitum eſſe Miſsam audire huius irregularis: quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus excommunicatus, niſi expreſsè declaretur illum incurriſſe cenſuram: vt docent *Graffiis, Nauarrus, & Sanchez*, pro hac ſententia adducti *ſupra n. 11.* pro crimine hæreſis. Diximus *Miſſam audire*, non tamen illam ab eo petere; quia dum eſt irregularis, nunquam id licitè & abſque peccato mortali poterit efficere, quamuis paratus ſit ad dicendum Miſsam, quia eo petitio, moraliter loquendo, eſt quædam ad peccatum inductio.

14. Similis difficultas eſt de ſuſpenſo ab officio, & ordine per ſententiam iudicis; multi enim aſserunt huiuſmodi ſuſpenſos, in diuinis eſse vitandos, & peccare mortaliter eos, qui Miſsas illorum audiunt, & qui communicant cum illis in actu in quo ſunt ſuſpenſi: quia per hanc communicationem notabilis fit iniuria, non ſolùm ipſi cenſuræ ſuſpenſionis, ſed etiam iudici illam imponenti; dicendum tamen eſt licitum eſse miſsas illorum audire, modò ante ſuſpenſionem nullam excommunicationem incurrerint, de qua ſint declarati? numquam tamen licere ab eis Miſsas petere, durante illa ſuſpenſione. Probatur, quia licet ſuſpenſio ſit cenſura, nullibi tamen in iure huiuſmodi vitationis effectus in diuinis tribuitur ſuſpenſioni, ſed eſt proprius effectus ſolius excommunicationis, qui non eſt tribuendus ſuſpenſioni, & ideò per ſuſpenſionem declaratam à iudice, ſolùm prohibetur illa participatio & communicatio cum ſuſpenſis, quæ eſt cooperatio cum illis in malo vſu ſuſpenſionis, ſeu Ordinis & Officio à quo ſunt ſuſpenſi: nam hæc ſola communicatio cum illis eſt intrinſecè mala, ſuppoſita ſuſpenſione, imò potiùs dicenda eſt quædam inductio ad peccatum, quàm quædam participatio, aut communicatio, vt docent Abbas *in c. Intelleximus, de iudic. & in cap. Venerabilis, de ſent. excomm.* Sayrus *de cenſur. l. 4. c. 11. n. 7.* Auila *3. p. de cenſ. diſp. 2. dub. 4.* Henriquez *l. 13. de excommun. c. 5. n. 5.* Suarez *de cenſur. diſp. 26. ſect. 2. n. 7.* & alij.

Abbas. Sayr. Auila. Henriq. Suarez.

15. De notorio concubinario, aut fornicare ſimile eſt dubium, an licitum ſit miſsam illius audire & petere; Pro reſponſione dicendum eſt, duplicem eſse opinionem: prima docet notorios concubinarios eſſe ipſo iure ſuſpenſos & fieri irregulares, ſi in eadem ſuſpenſione celebrent. Hanc tenentur Toletus *in Summ. lib. 1. cap. 47. num. 1.* ex *cap. Quaſitum, ne cohabit. Cleric. & mulier.* Nauarrus *in man. c. 25. n. 76. & ſeq.* Maiolus, Viualdus, Rebuffus & alii, quorum ſententia eſt valdè probabilis & ferè communior, ex qua idem dicendum eſt de huiuſmodi Clericis notoriis concubinariis & fornicatoribus, quod de aliis ſuſpenſis declaratis, nempe, licitum eſse illorum miſsas audire, non tamen licitè poſse illas petere. *Secunda* probabilior ait, hos non eſse hodie ipſo iure ſuſpenſos, nec irregularitatem incurrere ſi celebrent in eo peccato, eſse tamen ſuſpendendos à iudice. Quod probatur efficaciter ex Concilio Tridentino *ſeſs. 25. cap. 14. de reform.* vbi loquens de Clericis concubinariis, ait quod præmiſsa monitione ſint ſuſpendendi: Et certè ſi aliqua ſuſpenſio antiquo iure fuerit contra tales lata non videtur hodie eſse in vſu; quia ſicut iura vſu confirmantur, ita contrario vſu antiquantur. Hanc ſequuntur Sayrus *de cenſur. l. 4. cap. 16. num. 24.* Garzias *de benefic. 7. part. cap. 14. n. 32.* Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 4. num. 10.* Auila *3. p. diſp. 5. dub. 2.* Sotus, Henriquez, Medina & alii. Ex quorum opinione licitum eſt illorum Miſsas audire, & Sacramenta omnia recipere, etiam pœnitentiæ, quia ſunt tolerati & in nullo ſunt vitandi, cùm nec à iure, nec à iudice ſint ſuſpenſi, nec irregularitatem incurrant celebrando, aut Sacramenta miniſtrando, ſed ſolùm mortaliter peccent, quod ſibi tribuere, aut imputare debent, cùm vel per Sacramentum pœnitentiæ, ſi copia Confeſsarii adeſt, vel per contritionem in gratiam redire cum Deo poſſint, ſi non adeſt copia Confeſsoris.

Toletus. Nauar. Con. Tr. Sayr. Garzias. Auila.

Denique pro regula generali dicendum eſt, vbi alterius copia Sacerdotis non adeſt, licitum eſse petere Miſsas ac audire, ſacramenta recipere, à Sacerdote publico, aut occulto peccatore: quia non eſt per ſe & intrinſecè malum petere, & recipere Sacramenta à miniſtro, qui poteſt licitè ea dare: ex malitia tamen ſua non eſt daturus niſi illicitè & cum peccato mortali, ſiue ille ſit Parochus, ſiue non, ſiue paratus, ſiue non. Fundamentum eſt, quia ex ſola generali obligatione vitandi ſcandalum, ſeu ruinam peccandi in proximo, non tenemur noſtro commodo tẽporali, aut ſpirituali carere ad vitandam malitiam illius. Tamen ſi præſentes ſint alii Sacerdotes, qui abſque peccato id præſtare poſſint, illicitum eſset hæc ab illo petere, quem moraliter ſcimus eſse in publico peccato mortali, vt expreſsè definitur *in cap. Veſtra, de cohabit. Cleric. & mulier.* vbi dicitur, *Sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis & Presbyteris, quanquam fornicarijs, quamdiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina myſteria audiantur & alia recipiantur Sacramenta Eccleſiaſtica.* Et *in cap. Sciſcitantibus, 15. quaſt. 8.* Nicolaus Papa loquens de adultero dicit, *Proinde qualiſcumque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt. Idcircò ab eo, vſquequo iudicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt.* Ita docent Sylueſter *verb. Clericus 2. q. 5.* Nauarrus *in man. cap. 14. num. 28.* Caietanus *2. 2. q. 78. art. 4. & p. 3. q. 64. art. 6.* Suarez *tom. 3. de Sacram. diſp. 18. ſect. 1. §. Dico ergo primo*, & alii citati à nobis *tom. 1. verb. Scandalum, num. 9. §. 2.*

Sylueſt. Nauarr. Caiet. Suar.

16. Ab obligatione audiendi Miſsam diebus Dominicis & Feſtis excuſantur omnes excommunicati etiam tolerati, & interdicti, tam generaliter, quàm ſpecialiter, ſiue interdictum ſit perſonale, ſiue ſit locale, licet per eos ſtet, quin abſoluantur, & abſolutionem procurare neglexerint: quamuis enim mortaliter peccent alio peccati genere, non tamen in omiſſione Miſsæ, quam, ſuppoſito

ſito

ſito tali impedimento, iure omittunt. Ratio eſt, quia non tenetur quis tam remotè, & longè, ſe diſponere ad miſſam audiendam: ergo ex vi huius præcepti non obligatur ad procurandam abſolutionem; vnde dum in hoc eſt negligens, non peccat contra hoc præceptum: neque etiam poſtea peccat, non audiendo cum excommunicationis, aut interdicti vinculo. Et ob eandem rationem infirmus, ſi ſit negligens in procuranda ſalute & viribus, vt poſſit miſſam audire, & qui eſt in vinculis, ſi ſit negligens in procuranda libertate, & ideo miſſam omittat, non peccat ſpecialiter contra hoc præceptum, quod non obligat ad tollenda impedimenta tam remotè, vt miſſa audiatur, ſed ſolùm obligat ſublato eo impedimento. Ita docent Toletus *in Summa lib. 6. cap. 91.* Nauarrus *in Man. cap. 21. num. 3.* Suarez *tom. 3. de Sacram. diſp. 88. ſect. 7.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 7. quæſt. 1.* Angelus, Syl-ueſter, & alii communiter.

Tolet. Nauarr. Suarez. Azorius. Angel. Syluest.

Aduerte autem quod excommunicati etiam tolerati excuſentur ab hoc præcepto audiendi miſſam: quia Extrauagans Martini V. *Ad euitanda*, in nullo illis fauet, & ſic ita ſe gerere debent, ac ſi eſſent nominatim denunciati, & ideo nec in ſacris, atque diuinis, nec in humanis communicare poſſunt cum hominibus, licitè poſſunt tamen fideles cum eis communicare. Hinc ſi huiuſmodi excommunicati communicent cum aliis in diuinis, ſemper peccant mortaliter: & ideo ad euitandum peccatum mortale excuſantur ab obligatione huius præcepti, vt notant Doctores citati.

Vide tom. 1. verb. Bellum n. 25. Concubinarius n. 8. Excommunicatio 2. n. 8. & 9. & hoc tomo v. Interdictum n. 21. Oratorium, Parochia n. 8. & 9.

MONS PIETATIS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Mons pietatis? & cum quibus conditionibus conſtituatur?*

2 *An conditionibus poſitis in monte pietatis committatur vſura? hic refertur decretum Leonis X. in Concilio Lateranenſi.*

3 *An homo priuatus poſſit huiuſmodi montem inſtituere?*

4 *An deponentes pecuniam apud Montem pietatis poſſint aliquid recipere vltra ſortem, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente?*

5 *Tituli ob quos lucrum euadit iuſtum ex depoſitis ſupra Montem pietatis.*

6 *An Mons pietatis poſſit exigere à mutuatarijs, non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro ſoluendis penſionibus, aut cenſibus, &c.*

7 *An poſſit Mons aliquid exigere à mutuatarijs ratione pecuniæ ſibi traditæ, etiamſi illa pecunia non pertineat ad montem?*

8 *An mons poſſit exigere expenſas pro miniſtris, quas exigit à cæteris, quando pignora non indigent labore, & cura, vt conſeruentur?*

9 *An Mons pietatis poſſit aliquid exigere à mutuatarijs in ſui augmentum?*

1 M*Ons pietatis* eſt ſumma pecuniæ, vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubueniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum: conſtituuntur autem hi Montes cum hiſce conditionibus. *Prima*, vt ex illis detur mutuum ad certam ſummam pauperibus, non autem diuitibus. *Secunda*, vt ad certum tempus, v. g. ad annũ vel paulò ampliùs id eis permittatur. *Tertia*, vt mutuatarũ dent pignus idoneum. *Quarta*, vt ſingulis menſibus aliquid minutum ſoluant pro ſumptibus neceſſariis ad montis conſeruationem, vt pro ſtipendio miniſtrorum, qui montem cuſtodiunt & adminiſtrant, ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ac pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda; pro conductione domus pro libris rationum, cæteriſque neceſſariis inſtrumentis. *Quinta*, ſi contingat mutuatarios non ſoluere termino præfixo, pignus vendatur ſub haſta, vt ex eo vendito ſatisfiat monti, & eius miniſtris, quod verò ſupereſt reſtituatur domino pignoris. Filliucius *tract. 34. p. 2. num. 165.* Toletus *lib. 5. cap. 38.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 12* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 23. num. 190.* Syluester *2. 2. q. 78. art. 4. quæſit. 1. concl. 1.* & alii.

Filliuc. Tolet. Bonac. Leſſius. Syluester

2. *His conditionibus* poſitis, in monte pietatis & hac ratione mutuandi, non eſt vſura, ſed potiùs pietas & iuſtitia, quidquid in contrarium dicant *Caietanus, & Sotus*, Leo enim X. in Concil. Lateranenſi approbat hoſce montes tanquam pios, & cupit eos erigi cum conditionibus expoſitis, ſic enim ait: *Declaramus, & definimus Montes pietatis, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem, abſque lucro eorumdem montium recipitur, nec mali ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Ratio autem cur hi montes liciti ſint, eſt quia nihil exigitur à mutuatariis, ratione mutuationis, ſed ſolùm ratione expenſarum, quæ neceſſariæ ſunt ad montis conſeruationem & adminiſtrationem, atqui licitum eſt aliquid pro his expenſis exigere, ergo quod in iſtis montibus datur, iuſtè exigitur; & nulla æquitas poſtulat, vt quis cùm damno ſuo mutuet, ergo tantum exigere poteſt quantum eſt neceſſariũ ad damnum vitandum. Reginaldus *lib. 25. num. 207.* Nauarrus *de vſur. num. 59.* Azorius *3. p. lib. 5. cap. 8.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. q. 23. p. 4.* Leſſius *cit. num. 191.* Filliucius *cit. cap. 9. num. 267.* Medina *de vſur. q. 10.* Toletus *cit. num. 5.* Syluius *cit. concl. 2.* et alii.

Reginal. Nauarr. Azor. Valent. Leſſius. Filliuc. Medina. Tolet.

3. *Homo priuatus* poteſt huiuſmodi montem inſtituere, etiamſi pecuniam illam ſub onere alicuius cenſus accepiſſet, & exigere à mutuatariis quantum opus eſt, vt ſe indemnem præſtet, etiamſi octo vel decem in centum ab illis ſoluenda eſſent. Negotiũ enim mutuatarii hic mons vtiliter gerit, exigendo octo vel decem in centum, cùm iam ſoluat 33. & in quibuſdam locis 44. vel 45. Verum tamen eſt prædictum montem fieri vſurarium, ſi aliquid accipiatur ad augendum montem, vel vt dominus montis aliquod lucrum referat, acciperetur enim aliquid ſupra ſortem in mutuo, abſque vllo titulo, vt lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Leſſius *cit. num. 194.* Bonacina *cit. num. 3.* Salas *de vſur. dub. 33. num. 3.* Molina *diſp. 325.* & alii.

Leſſius. Bonac. Salas. Molina.

4. Communis ſententia eſt, non poſſe deponentes pecuniam apud Montem pietatis, aliquid vltra ſortem recipere, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente, ſed ſi recipiant, eſſe manifeſtam vſuram. Ratio eſt, quia inter montem & tradentes pecunias, non poteſt eſſe alius cõtractus, quàm depoſiti, ſeu mutui; nam deponens pecuniam, dando facultatem depoſitario, vt illa vtatur, cenſetur mutuare: Ratione autem mutui non poteſt aliquid recipi, cùm hoc ſit contra præceptum naturale & diuinum: neque etiam ratione depoſiti, quia contractus depoſiti debet eſſe gratuitus. Ita Nauarrus *lib. 5. conſil. de vſur. conſil. 17.* Azorius *tom. 3. lib. 5. cap. 9. quæſt. 5.* Filliucius *tractat. 34. punct. 2. numer. 177. & 178.* & alii communiter. Verùm ex indulto Summorum Pontificum pluribus in locis oppoſitum eſt in vſu: nam deponentes pecunias apud Montes pietatis tuta conſcientia quatuor, vel quinque pro centum vltra ſortem annuatim recipiunt. Sic conceſſit Paulus III. conſeruatoribus, & Præſidentibus Montis pietatis Ferrariæ per Bullam quæ incipit, *Charitatis opera die* 10. *Iulij* 1549. *infra.* Vbi derogat conſtitutionibus in contrarium, etiam Concilii Lateranenſis. Proinde ſtante tali indulto, licitum eſt percipere illa quatuor, vel quinque pro centum ex pecuniis quæ ſupra Montibus pietatis collocantur: quia cenſentur dari ex liberalitate, & gratitudine montis, qui mutuum recipit. Ita Bonacina *tom. 2. de contract. diſp. 3. q. 3. punct. 12. num. 9.* vt hoc pacto alii alliciantur ad tradendam pecuniam, et pauperibus ſubueniatur. Proinde in hoc caſu Pontifex declarat legem prohibentem lucrum ex diſpoſitione ſupra Montem pietatis, non obligare: quia videlicet obſeruantia ipſius eſſet impeditiua maioris boni: pertinet enim ad bonum communitatis, quod ſub-

Nauarr. Azor. Filliuc. Bonac.

leuentur pauperes; non poſſet autem ſubleuare Mons pietatis, niſi apud ipſum depoſitarentur pecuniæ; quæ non depoſitarentur, niſi depoſitantes perciperent lucrũ aliquod: & ideo ſi ſeruaretur lex de non percipiendo lucro in hoc caſu, impediretur maius bonum. Sed plura de his apud Paſqualigum *in deciſionibus mor. deciſ.* 184. *&* 185.

Paſqual.

5. Tituli, ob quos lucrum iuſtum euadit depoſitis ſupra Montem pietatis, ſunt. *Primò*. Emolumentum magnum quod præſtat communitati, quid depoſitat ſuam pecuniam apud montem: prouidet nempe vnde poſſit ſubleuare egenos, quod redundat in maximam vtilitatem illius. Hoc autem emolumentum eſt pretio æſtimabile, quia totum id, eſt pretio æſtimabile: quod redundat in commodum temporale. Et ſicut pecunia præſens eſt magis æſtimabilis, quàm abſens; ita qui dat præſentem, vt tantumdem recipiat de abſenti, poteſt aliquod pretium in compenſationem accipere.

Secundò, euadit iuſtum prædictum lucrum, attendendo fidem ſubleuandi pauperes, nempe ratione obligationis, quam in ſe ſuſcipit mutuandi pauperibus pro tanta ſumma. Cùm enim ad communitatem ſpectet, quantùm fieri poteſt, ſubleuare egenos: vt habeat promptam pecuniam, vnde hoc præſtare poſſit, contrahit cum hoc, & illo, vt ſe obliget pro aliqua quantitate pecuniæ ad mutandum pauperibus, & pro tali obligatione ſoluit tot pro centum. Cùm autem omnis obligatio ſit pretio æſtimabilis, poteſt quoque annuatim aliquod pretium iuſtè accipi, vt docent Sotus *de iuſtit. lib.6.quæſt.*1. *art.*2. Molina *de contract. diſp.*308. *num.*4.

Sotus.
Molina.

Tertiò, poteſt euadere iuſtum huiuſmodi lucrum; ſi pecunia non cenſeatur mutuari, ſed accommodari, ita vt tranſeat in locatum. Quod fieri poteſt accedente declaratione Principis, & exigente bono publico. Quod virtualiter fit à Pontifice, quando concedit fructus poſſe percipi ex pecunia monti tradita. Cùm enim pecunia valde ſit, & poſſit, prout applicatur, magnos fructus cauſare, poteſt tamquam res vtilis & fructifera non ſecus, ac domus, et ager eſſe materia contractus locationi, ita vt ipſam quis alteri locet, vt inde percipiat illos fructus, quos poteſt cauſare; & tunc poteſt ex tali locatione percipere fructus: quia ſicut pecunia conſideratur, vt merx ratione commoditatis numerandi, deferendi, &c. ita etiam poteſt conſiderari vt res fructifera, cùm reuera ſit talis: vnde hic titulus interuenit ſecundùm ſubſtantiam, licet non exprimatur.

Quartò, probabile eſt huiuſmodi lucrum reddi iuſtum, ſi ſit intuitu translationis dominii, & priuationis eiuſdem, non autem intuitu mutui. Omne enim dominium rei vtilis qualis præſertim eſt pecunia, eſt pretio æſtimabile: ſicut etiam priuatio eiuſdem rei vtilis: vnde cùm quis ſe priuat facultate, & potentia conuertendi pecuniam in obuios vſus lucratiuos, vt eſſet cambium, mercatura, aut emptio rei fructiferæ, poteſt percipere lucrum, quod poſſet habere. Ita Medina *cit. de reſtit. quæſt.* 32. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 50. Petrus Ledeſma *in ſum. par.*2. *tract.*8. *cap.* 35. *concl.* 4. & hoc pacto ceſſant rationes, ob quas lucrum ex mutuo eſt iniuſtum. Denique licitum eſt percipere quinque pro centum ex pecunia depoſita apud Montem pietatis; quia percipitur ex taxatione Principis. Taxatio autem Principis iuſta eſt; quia ſicut habet poteſtatem taxandi valorem monetarum, ita etiam habet poteſtatem taxandi fructum, qui percipi poſſit ex depoſitione pecuniæ apud Montem pietatis. Atqui bonum communitatis exigit vt taxentur ad eam ſummam, quæ ſolet percipi, quando fundantur cenſus, vt adſit concurſus depoſitantium. Et hoc fuiſſe motiuum talis taxationis, conſtat ex Bulla Pauli III. ſupra citata.

Medina.
Dian.
Ledeſm.

6. Mons pietatis poteſt exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro ſoluendis penſionibus, ſeu cenſibus, aut quocumque alio titulo pecunijs debitis depoſitantibus. Ratio eſt, quia licitè poteſt Mons ſe ſeruare indemnem dum mutuatur, exigendo à mutuatarijs quidquid ipſe ſoluere tenetur intuitu illius commodi, quod paratum habet pro mutuatarijs, præſertim cùm non negotium proprium, ſed ipſorum gerat; qui autem alicui inſeruit cum proprio diſpendio poteſt licitè exigere, quo reſarciatur. Si igitur debet Mons ſeruari indemnis in expenſis pro miniſtris, vt decernit Leo X. ſuprà, debet etiam ſeruari indemnis in expenſis pro parandis pecuniis in commodum mutuatariorum: non enim æquum eſt, vt ipſi ſentiant commodum, et mons incommodum. Ita Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 12. *num.* 3. Azorius *tom.*3. *lib.*5. *cap.*9. *quæſt.*2. Reginaldus *lib.* 25. *n.* 209. Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 186. Imò ſecundum Leſſium *in appendice de Monte pietatis q.*2. quæ eſt poſt libros eiuſdem de iuſtit. & iure, poteſt exigere etiam quod eſt neceſſarium pro paranda & inſtruenda domo, in qua conſeruentur quæ pertinent ad montem; quia habere domum cum omni apparatu neceſſario pertinet ad montis conſeruationem, id eſt, ad conſeruandum montem indemnem.

Bonac.
Azor.
Reginal.
Paſqual.
Leſſ.

7. Quando Mons pietatis habet pecuniam ſibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore; ita vt non tranſeat in dominium montis, poteſt etiam tunc à mutuatariis aliquid exigere intuitu expenſarum, non ſecus, ac ſi pecunia eſſet propria montis. Ratio eſt, quia tales expenſæ fiunt non pro conſeruanda propria pecunia, ſed fiunt intuitu mutuandi; atque adeo in beneficium mutuatariorum, nullo enim pacto fierent, niſi adeſſet finis mutuandi; vnde ſpectat ad mutuatarios ſeruare indemnitatem quoad ipſas. Ita Salas *tract. de vſur. dub.* 33. *num.* 8. Molina *tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 325. contra Azorium *part.* 3. *lib.*5. *cap.*9. *q.* 4. qui docet ad pecuniæ dominum ſpectare, facere omnes expenſas, quæ ſunt neceſſariæ pro eiuſdem conſeruatione, & debere concurrere cum monte pro rata ad expenſas miniſtrorum domus, & aliarum rerum.

Salas.
Molina.
Azor.

8. Mons pietatis poteſt exigere expenſas pro miniſtris, quas exigit à cæteris, etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent labore & cura, vt conſeruentur, vt ſunt vaſa argentea, gemmæ, &c. Ratio eſt, quia quod exigitur à mutuatariis non eſt intuitu cõſeruandi pignora, ſed pro conſeruatione montis & expenſis quas facit. Neque enim poſſet mons mutuari, niſi haberet miniſtros, qui ipſi inſeruirent; & ideo debet ſeruari indemnis ab expenſis quas facit pro miniſtris; & mons adhuc in ordine ad ipſos habet miniſtros paratos, & per accidens eſt quòd non tradant pignora, quæ indigeant cura. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*20. *dub.*23. *num.*194. Salas *de vſur. dub.* 33. *num.* 8. Salon *tom.*2. *de iuſtit. quæſt.* 78. *art.* 2. *controuerſ.* 27.

Leſſius.
Salas.
Salon.

9. Ex communi ſententia Doctorum, Mons pietatis non poteſt aliquid accipere à mutuatariis in ſui ipſius augmentum: Ratio eſt, quia ſi mons aliquid exigeret ſupra expenſas, ratione mutui exigeret, atque ideo committeretur vſura. Medina *de vſur. quæſt.* 10. Leſſius *cit. num.*193. Arragon 2.2.*q.*77. *art.*4. et alii. Non eſt tamen improbabilis ſententia Villalob. *par.* 2. *ſum. tract.*22. *diff.* 14. Paſqualig. *in deciſ. moral. deciſ.* 204. docentis tunc poſſe montem augmentum capere ex mutuo, ſi omnes qui ſunt de loco, inter ſe conueniant, vt qui mutuum accipiunt à monte aliquid modicum tribuant monti, vt augmentum accipiat, vt ſubſiſtere poſſit contra fortuitos caſus. Ratio eſt, quia quod ſoluitur ſupra expenſas, non ſoluitur ratione mutui, per modum donationis ad augendum montem; poteſt autem mons licitè recipere omnes donationes: Non eſt autem opus, vt omnes & ſinguli ſe obligent ad hanc donationem; ſed ſufficit ſi obligentur ab iis, qui regunt communitatem, poſſunt enim obligare ſubditos ad ea omnia, quæ concernunt bonum communitatis.

Medina.
Leſſius.
Arragon.
Villalob.
Paſq.

Et hinc ſententiæ ſubſcribit *Paſqualigus*.

SVPPLEMENTVM.

MONS PIETATIS.

SVMMARIVM.

1 *An Mons pietatis plus exigere poſſit vltra ſortem ab ijs, qui diutius vtuntur mutuo.*

2 *An perſona priuata erigens montem, & retinens dominium pecuniæ expoſita ad mutuandum, poſſit exigere à mutuatarijs expenſas, quæ ſufficiant pro miniſtris, & conſeruatione montis?*

3 *Apud quem ſit dominium puri, & veri montis pietatis.* refertur duplex ſententia.

4 *Quando montes pietatis fundati pro pauperibus, poſſint mutuare diuitibus.*

5 *Mons pietatis mixtus quis dicendus, an licitus, vel vſurarius, tam ex parte pecunias ſibi deponentium, quàm ex parte ipſius montis?*

Hic refertur Bulla Pauli III. in fauorem montis Ferrarienſis.

6 *An licitus ſit mons, quem Princeps, vel Reſp. pecunijs indigens cauſa belli inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, ſoluendo illis quinque, vel ſex annuatim pro centum, &c.*

6 *Quæ ſit differentia inter montem pietatis, & vſurarium.*

1 MOns pietatis plus exigere poteſt vltra ſortem ab ijs, qui diutiùs vtuntur mutuo. Ratio, quia onera, quæ ſuſcipiuntur à monte, mutuandi cauſa conſiſtunt in eo, quòd alat miniſtros & omnia parata habeat, quæ neceſſaria ſunt pro manutenendo monte; hæc autem omnia perſeuerant in fauorem ipſius, quouſque durat mutuum: quia mutuum dependet à mutuante non ſolùm in fieri, ſed etiam in manuteneri, cùm ſit in poteſtate mutuantis protrahere, vel contrahere tempus mutuationis: & ideò dependet ab ijs omnibus, quæ neceſſaria ſunt ex parte mutuantis in ordine ad mutuandum; ex parte autem montis neceſſarii ſunt miniſtri, & alia multa in ordine ad mutuandum, ſine quibus non poſſet eſse paratus ad mutuandum, & ideò onera diutiùs durant, quò diutiùs durat mutuum; atque ex hoc capite poteſt plus exigi. Ita Molina *tom. 2. de iuſtit. diſp. 325.* Salas *tract. de vſur. dub. 33. num. 8.* Bonacina *de contractib. diſput. 3. q. 3. punct. 12. num. 6.* Filliucius *tract. 34. cap. 9. quæſt. 2.* Syluius *2. 2. quæſt. 78. art. 4. quæſit. 1. ad 1.* (Molina. Salas. Bonac. Filliuc. Sylu.)

2. Si perſona priuata erigat montem pietatis, et retineat dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, iuxta probabiliorem ſententiam, ſemper poteſt exigere expenſas à mutuatarijs, quæ ſufficiant pro miniſtris & conſeruatione montis, etiamſi fundator montis non ſe obligauerit ad mutuandum in perpetuum. Ratio eſt, quia mutuans non facit illas expenſas, quas requirit mons, in proprium commodum, neque obſeruandam propriam pecuniam, quippe non neceſſe erigere montem, vt illa ſeruet, ſed omnes ſunt propter mutuandum, atque adeò in gratiam mutuatariorum & propter ipſorum commodum: vnde poteſt ab ipſis ſe indemnem ſeruare exigendo à mutuatariis, vt eas ſoluant; non enim montem erigendo ſibi prodeſt, ſed mutuatariis, quorum negotium vtiliter gerit, dum eos liberat à maiori onere in inuenienda pecunia. Ita Salas *tractat. de vſur. dub. 33. in reſp. ad 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 23. num. 194.* Molina *loco citat. diſp. 325.* Contra *Arragon*, & *Azorium*, qui putant hoc non eſſe licitum, niſi dominium transferatur in communitatem pauperum: quia mutuans debet ſuſcipere onera mutuationis annexa. Contra *Bannem*, & *Lopez*, qui prædictam ſententiam tantùm admittunt, ſi dominium montis transferatur in pauperes, aut ſi fundator montis ſaltem ſe obliget ad mutuandum in perpetuum: quorum opiniones non ſunt improbabiles. Vide Sylu. *loc. cit. quæſit. 1. ad 2.* (Salas. Leſſius. Molina. Sylu.)

3. Dubium eſt inter Auctores apud quem ſit dominium veri montis pietatis? Quidam enim ſentiunt eſſe apud communitatem pauperum: quia dominium non eſt apud fundatorem, cùm illud à ſe abdicauerit: nec etiã apud Rempublicam, quia non poteſt ad libitum de bonis montis diſponere. Ita Lopez *2. p. inſtruct. cap. 59.* Salas *tract. de vſur. dub. 33. num. 9.* Azorius *3. part. lib. 5. cap. 8. in fine.* (Lopez. Salas. Azor.)

Alij docent dominium montis non eſſe apud aliquem, ſed ad Rempublicam pertinere tantùm adminiſtrationem. Ita Valentia *tom. 3. diſp. 5. q. 23. punct. 4. verſ. Ad primum reſpondeo*, Sotus *de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1. art. 6.* Alii denique dicunt dominium eſſe penes eum locum pium, cui applicata eſt ea pecunia, cuius deinde curam gerit communitas, vel Princeps. Ita Filliucius *tract. 34. p. 2. num. 174.* Hæ ſententiæ ſunt probabiles propter auctoritatem Doctorum. Non eſt tamen improbabile dominium non eſse apud communitatem pauperum: quia nõ habent pauperes aliud ius, niſi quod illis conuenit ratione fundationis eiuſdem montis, ius ſcilicet ad beneficiũ mutuationis: quia fundatur mons in hunc finem, vt pauperes inde habeant tale beneficium. Vnde dominium eſt potiùs apud Rempublicam, tamquam apud eam, ad quã ſpectat cura pauperum. Bona enim montis ſunt bona communia, quia quilibet de ipſis participare poteſt per beneficium mutui, poſita conditione paupertatis; bona autem communia ſunt ipſius communitatis. Nec obſtat, quòd Reſpublica non poſſit ad libitum diſponere de bonis montis, quia ſi ex hoc ſequeretur quòd non eſſet domina illius, eadem ratione neque communitas pauperum eſſet domina, quia neque ipſa poteſt ad libitum diſponere. Eſt ergo dominium ſupra montem dominium alligatum ad determinatum vſum rei, quia eſt translatum in Rempublicam cum hac conditione, vt non vtatur bonis ipſius, niſi in vſum mutuationis pro beneficio pauperum. (Valent. Sotus. Filliuc.)

4. Montes pietatis fundati pro pauperibus, non poſſunt mutuare diuitibus, ſi cedat in præiudicium pauperum, ſecus ſi non cedat. Ratio eſt, quia ſaluatur finis fundationis, etiamſi mutuetur diuitibus, quando non eſt cum præiudicio pauperum. Tunc enim mutuatio facta diuitibus eſt in præiudicium pauperum, quando mons ita exhauritur, vt non remaneat quid mutuandum omnibus pauperibus indigentibus. Nomine autem pauperum, quibus talis mons mutuare poteſt, non ſolùm intelliguntur ij, qui ſunt infimæ conditionis & egent; ſed etiam ij qui ſunt honeſtæ conditionis, & non habent ea, quæ requiruntur ad conſeruandam congruentiam ſui ſtatus, hi enim etiam nomine pauperum veniunt. Imo poteſt contingere quòd mons mutuare poſſit etiam diuitibus, quãdo ſcilicet conſtituuntur in talibus circumſtantiis & ſtatu, quamuis breui duraturo, in quo non habeant congruentia pro conſeruatione ſui ſtatus: quia tunc ſaltem per accidens comprehenduntur ſub nomine pauperum, & proinde vt pauperes poſſunt accipere mutuum. Ita Megala *in Sum. 2. 2. lib. c. 14. q. 2. num. 44.* Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ. 191.* (Megala. Paſqual.)

5. Mons pietatis mixtus eſt ſumma pecuniæ confecta partim ex eleemoſynis, & gratuita collatione, partim contributionibus perſonarum particularium, qui pecuniam deponunt in monte, vt pluribus indigentibus prodeſse poſſit, cum pacto, vt recipiant quatuor, vel quinque pro centum annuatim ab ipſo monte, & vt deponentes poſſint recipere capitale quando voluerint. Mutuatarius verò pro ſumma pecuniæ quam accipit, debet dare fideiuſſorem, vel pignora, & inſuper ſoluere quatuor, vel quinque pro centum tradenda deponentibus vltra id, quod ſoluendum eſt ab ipſis ad conſeruationem montis, ſuſtentationem ſcilicet miniſtrorum, conductionem vel ædificationem domus, emptionem librorum ad rationes dati & accepti, & cætera inſtrumenta neceſſaria.

Sed petes, *Primò*, an prædictus mons ſit licitus, an verò vſurarius ex parte deponentium? Reſp. Si inter deponentes & montem ſolus contractus depoſiti intercedat, certum eſt non poſſe deponentes quidquam recipere à monte pro tali depoſito, niſi alius titulus ſubſiſtat, ratione cuius deponentes aliquid recipiant licitè. Si autem

talis

talis contractus depoſiti tranſeat in mutuum, non poteſt vi mutui aliquid recipi vltra ſortem ſine labe vſuræ, ſed vi alterius tituli connexi cum ratione mutuandi, puta, ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis ipſis deponentibus, quia deponentes omittunt ex ea pecunia emere prædia, vel cenſus, vel deponere apud mercatores in cambijs, vnde quinque illa, vel eo etiam amplius reciperent. Hæc eſt communis doctrina.

Petes *Secundò*, an ſit vſurarius ex parte ipſius montis? Reſp. non eſſe vſurarium, ex parte expenſarum, ſi eæ moderatæ ſunt, nec ſuperent, quæ mons accipit, expenſas quas facit; nec ex parte eius, quod recipit à mutuatarijs: quia id non recipit ratione mutui, ſed ratione damni emergentis ipſi monti, niſi id acciperet, cùm enim ex pacto facto cum mutuantibus ipſi monti cogatur ſoluere quatuor vel quinque pro centum, poterit ſe indemnem ſeruare totidem exigendo à mutuatarijs. Tamen hic mons mixtus non poteſt aliquid recipere pro mutuatione, quæ fit ex pecunijs in eleemoſynam datis, præter expenſas illi correſpondentes & neceſſarias ad mutuationem. Hæc confirmantur ex Bulla Iulij III. cuius meminit Nauar. *conſil. 2. de vſuris.* Nauar.

Aliter eſt dicendum ex Bulla Pauli III. in fauorem Montis Pietatis Ferrarienſis, cuius tenor eſt.

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

CHaritatis opera, quæ Saluator noſter Ieſus Chriſtus, cuius licet immeritò, vices in terris gerimus, dum in hoc mundo maneret, ſæpius commendauit, & fieri præcipit, exercere deſiderantes, ea quæ pro eorumdem operum exercitio neceſſaria ſunt, libenter concedimus: & alias deſuper officij noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus expedire.

Cum itaque, ſicut dilecti filij Conſeruatores, & Præſidentes montis pietatis Ferrariæ nobis nuper exponi fecerunt, cùm licentia aliàs ipſis Conſeruatoribus, & Præſidentibus mutuandi pauperibus egenis ſub pignore, ad rationem vnius tantùm denarij pro libra Marcheſan. vltra ſortem quolibet menſe perſoluendi à Sede Apoſtolica conceſſa, adeò proficua fuerit, vt quamplurimos à voragine Hebræorum immenſis vſuris Chriſtianorum ſubſtantias omnes abſorbere ſolitorum, liberauerit: multique Chriſti fideles, attendentes propterea magnam ex hac re publicam prouenire vtilitatem, plura bona ipſi monti donauerint, & reliquerint; ex quibus quidem mons ita creuit, vt à certo tempore citra eiſdem pauperibus à viginti ſolidis Marcheſan. infra abſque vlla vltra ſortem ſolutione mutuetur, in maximum miſerabilium perſonarum ſubſidium: ijdem Conſeruatores & Præſidentes deſiderantes propterea dictu montem magis augeri, vt in maiori etiam ſumma pauperibus, quorum numerus ob malam temporum conditionem creuit, abſque vlla vltra ſortem ſolutionem mutuari poſſit, ac piè conſiderantes, multa in dicta ciuitate facta eſſe, & in dies fieri pecuniarum depoſita, tam penes campſores, quam alias diuerſas perſonas, partim pro reſtitutione dotium facienda, partim etiam vt in emptionem bonorum ſtabilium conuertantur, ac ob alias diuerſas, ex quibus interim nullum lucrum percipitur; multaſque etiam perſonas, vt pupillos, & viduas, ac alios mercatura exercenda inhabiles, aut illam ob periculum etiam animæ exercere nolentes, pecunias habere, quæ nihil vtilitatis afferunt, & ſi dictis Conſeruatoribus & Præſidentibus, vt de his, quæ ex dicto denario, qui pro libra vltra ſortem mutui ſoluitur, proueniunt, pecunias in dicto monte ponentibus, libras quinque Marcheſan. quolibet anno pro centenario vltra ſortem ſoluere, & his qui in dicto monte pecunias ſoluere vellent eut pro illis quinque libras Marcheſan. etiam pro centenario vltra ſortem, abſque conſcientiæ ſcrupulo percipere poſſent, prout & ſimili monti pietatis in Bononienſi & Mutinenſi ciuitatibus aliàs ab eadem Sede conceſſum extitit, concederetur, dicta, depoſita, ſeu illorum maior pars penes dictum montem fierent, dictæque perſonæ pecuniam habentes illas libentiùs in dicto monte, quàm in quouis alio exercitio ponerent; ex quo profectò ipſe mons tantum reciperet incrementum, vt non ſolùm à dictis viginti ſolidis infra, vt nunc fit, ſed etiam in maiori ſumma pecuniæ pauperibus, abſque vlla vltra ſortem ſolutione, mutuari poſſent, dictorumque pauperum ſubuentioni maximè conſuleretur. Quare pro parte ipſorum Conſeruatorum & Præſidentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eorum deſiderio, in huiuſmodi tam pio, tantoque opere annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Conſeruatoribus & Præſidentibus, alijſque Officialibus dicti montis nunc & pro tempore exiſtentibus, vt quaſcumque pecuniarum ſummas à quibuſcumque perſonis in depoſitum, ad effectum prædictum tantum, accipere, & pro illis eiſdem perſonis deponentibus vltra ſortem ad rationem quinque librarum Marcheſan. quolibet anno pro centenario ſoluere: ipſæque perſonæ deponentes pro pecunijs depoſitis, ſeu deponendis huiuſmodi vltra ſortem dictas quinque libras Marcheſan. pro centenario recipere liberè & licitè, ac abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, ſeu peccati reatu, & cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, poſſint & valeant perpetuò concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem impartimur.

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac etiam in quibuſuis tam Generalibus, quàm Synodalibus, & Lateranenſis Concilij editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 10. Iulij 1549. Pontificatus noſtri anno 15.

Communis ferè Doctorum ſententia eſt, quòd Summi Pontifices poſſint declarare, tum legem diuinam, tum etiam naturalem: quòd videlicet in aliquo peculiari caſu non obliget, ex mutatione facta in materia, dummodo tamen declaratio rationabilis ſit, hoc eſt, quod ex rationabili cauſa lex non obligat, atque adeò declaratio non ſit contra finem legis: & hanc declarationem nonnulli vocant diſpenſationem. Et de lege naturali hanc doctrinam tradunt Caiet. 2. 2. q. 120. *art.* 1, Salas *de legib. diſp.* 5. *ſect.* 10. Nauar. *de deſponſ. impub. conſil.* 4. *num.* 16. & 17. Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 6. conſentit Suarez quoad ſubſtantiam *lib.* 2. *de legib. cap.* 16. dum concedit interpretationem doctrinalem. Caiet. Salas. Nauar. Sanch.

De lege autem diuina idem docent Cano *de pœnit. par.* 5. *circa finem.* Sanchez *loco cit. num.* 6. Suarez *de legib. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 12. & conueniunt etiam cæteri Theologi, præſertim recentiores: ſumendo interpretationem pro quacumque declaratione, qua declaratur legem diuinam hic & nunc ex ſua inſtitutione non obligare. Et hæc interpretatio præcipuè locum habet, quando obſeruantia legis eſſet mala, aut impeditiua maioris boni. Proinde in præſenti caſu Pontifex declarat, legem prohibentem lucrum ex depoſitatione ſupra montem pietatis, non obligare, quia videlicet obſeruantia ipſius eſſet impeditiua maioris boni; quoniam ad bonum communitatis pertinet, quòd ſubleuentur pauperes; non poſſet autem mons ſubleuare, niſi apud ipſum depoſitarentur pecuniæ: & non depoſitarentur, niſi depoſitantes perciperent aliquod lucrum; & ideò ſi ſeruaretur lex de non percipiendo lucro in hoc caſu, impediretur maius bonum. Vnde ſicut votum non obligat, quando eſt impeditiuum maioris boni, etiamſi obſeruantia ipſius ſit de iure etiam naturali; & violatio ſit ita mala, vt nunquam poſſit eſſe bona, quamdiu permanet in eſſe violationis: ita etiam lex de non percipiendo lucro in hoc caſu ceſſat, vt impeditiua maioris boni: quia videlicet tale lucrum non cadit, ſub prohibitionem ipſius, vt pluribus docet Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 183. citans & alios, & Pelizzarius *in Manual. reg. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 87. vnde in multis locis Italiæ eſt in vſu ex indulto Summorum Pontificum, vt deponentes pecunias apud montes pietatis, poſſint tuta conſcientia quatuor vel quinque pro centum vltra ſortem recipere, ſecluſo etiam lucro ceſſante, & damno emergente. Titulos autem, ob quos lucrum iuſtum euadit ex depoſitis ſupra montem pietatis. Vide ſuprà *verb. Mons pietatis num.* 5. Cano. Sanchez. Suarez. Paſqual. Pellizz.

6. Licitum eſt mons, quem Princeps, vel Reſpublica pecu-

Digitized by Google

pecuniis indigens cauſa belli, aut alia de cauſa, inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, hac lege, vt donec illas reſtituat, ſoluat quinque vel ſex pro centum, reſeruata ſibi facultate reſtituendi ſingulis creditoribus ſortem principalem & relicta ipſiſmet creditoribus libertate vendendi ius, quod habent ad illam penſionem à Principe, vel Rep. exigendam. Ratio eſt, quia nihil eſt hic aliud, quàm cenſus fundatus in bonis, vel reditibus annuis antiquis, vel nouis ipſius communitatis, vel Principis: & per hoc differt à monte pietatis, quòd mons pietatis inſtitutus eſt ad ſubleuandam pauperum egeſtatem tradita mutuo pecunia: hic verò mons erigitur ad commune bonum, ſeu ad ſubueniendum neceſſitati, qua Princeps, vel Reſp. detinetur. Conditiones talium montium ſunt, quales requiruntur in cenſibus, de quibus vide Azorium *par. 3. lib. 10. cap. 24. de cenſibus*. Azor.

7. Differentia inter montem pietatis, & vſurarium hæc eſt, *Primò*, quod adminiſtratores montis nihil accipiunt ex mutuo, ſed ſolùm titulo partim locationis, partim intereſſe, ſeu damni emergentis. Impenſas quidem Miniſtri accipiunt titulo locationis ſuarum operum: res autem aliæ ad conſeruationem montis neceſſariæ accipiuntur titulo damni, quod alioquin montibus ipſis emergeret, vt nimirum illud vitetur, & montes ſeruentur indemnes. *Secundò*, quia montibus nullum vnquam accedit lucrum, vel augmentum: vſurario autem lucrum accedit, idque permagnum. *Tertiò*, quia dum venduntur pignora, hoc fit per publicam auctoritatem, totumque eorum pretium fideliter redditur dominis, deducto ſolùm mutuo, & eo quod miniſtris, ac indemnitati montis debetur. *Quartò*, quia montis adminiſtratores tenentur pauperibus iſtius loci mutuare vſque ad ſummam à Republica taxatam, ſi eam petant, & quidem ex iuſtitia: vſurarius autem nullam habet taxam, ad quam teneatur mutuare, ſed poteſt quando voluerit menſem fœnebrem claudere. Et quando pignora apud ſe relicta vendit, aut dominis propriis non reſtituit illorum pretia; aut ſi reſtituat, in ea tamen peccat quod aliquid retineat vltra ſortem vi mutui, nec dicere poteſt ſe id quod accipit vltra ſortem, non accipere ratione mutui, ſed ratione impenſarum & pro ſua indemnitate: quia manifeſtum eſt, quod non tantùm ſe indemnem ſeruet, neque ſolùm recipiat neceſſarias impenſas miniſtrorum, ſed proprium lucrũ, cùm inde diteſcat, & nullus ſit titulus illud recipiendi, præterquam mutui. Sed de his ſatis.

MVRMVRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Murmuratio quid ſit, & quot modis accipiatur.*
2 *Murmuratio mala eſt triplex, & de prima, quæ eſt contra Deum.*
Tripliciter murmuratur de Deo, nempe de nimia ſeueritate, de nimia benignitate, & de aeris inæqualitate.
3 *Murmuratio ſecunda fit contra Prælatos, & Superiores.*
4 *Murmuratio tertia eſt contra ſocium, ſeu proximum.*
5 *Murmurationis diuerſæ ſunt ſpecies.*
6 *Murmuratio an ſit graue peccatum?*
7 *De pœnis, quas Deus infert propter peccatum murmurationis.*
8 *Prælatus audiens aliquem detrahentem Religioſis ſubditis ſuis, & non reſiſtens, peccat mortaliter.*
9 *Superior patienter debet ferre ſubditorum murmurationes & detractiones: illos tamen tenetur debitis pœnis corripere, ad famam ſuam tuendam.*
10 *Murmurationes clauſtralium præcipuè ſunt tres.*
11 *Murmuratio oritur à ſeptem peccatis capitalibus, à malignitate, ab otio, &c.*

Sylueſt. Angel. 1 MVrmur, ſeu murmuratio dicitur *Primò*, iuxta Sylueſtrum *verb. Murmuratio*. Angelus *ibid.* omnis locutio ſubmiſſa, vel clanculoſa, aut ſecretè & ſubmiſsè, & clanculò facta, vnde & metaphoricè riuus aquæ dicitur murmurare; cuius ſtrepitus lenis eſt, & proinde audientibus gratus: ſed quoniam aquarum murmur ex repercuſſione illa eſt, qua ab aquis aquæ impelluntur ad curſum & agitationem, ideò quilibet ſtrepitus, ſiue ſonus ex aliqua preſſura auditus, murmur & quidem graue vocatur, iuxta illud Plinii 2. *hiſtor. natural. cap. 80.* dicentis de hiatibus terræ, *Præcedit comitaturque terribilis ſonus, aliàs murmur, ſimilis mugitibus, aut clamori humano, armorumque pulſantium fragori.* Plin. 2.

Secundò, murmuratio eſt querela cum impatientia in his, quæ homo debet patienter ferre. Et iſto modo murmur eſt in communi locutione, de quo dicitur in Pſalmo 105. *Murmurauerunt in tabernaculis ſuis, & non exaudierunt vocem Domini, & eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto.* Vbi tria demonſtrat Pſalmiſta. Et querelam de Deo inſinuat, ibi, *Murmurauerunt*. Et permanentiam in mali demonſtrat, ibi, *Non exaudierunt*. Et pœnam de vitio deſignat, ibi, *Et eleuauit*. Nota quòd populus ille antiquus ſignificans populum Chriſtianum, hoc egerit in tabernaculis ſuis, id eſt cùm eſſet otioſus. Non enim laborantibus, ſed otioſis hoc contingit, vt aduertit D. Antoninus 2. *par. tit. 7. cap. 2. §. 2.* Pſal. 105. D. Antonin.

Tertiò, murmuratio fit ex re iniuſta modo iniuſto ſicut Religioſus dicitur murmurare, quando aliquid iniuſtum quidem patitur, ſed tamen non exponit Prælato rationem ſuam, ſed alijs, quorum non eſt ei prouidere. Vnde murmuratio peccatum eſt coincidens cum detractione: quamuis minus ſignificetur murmurationis nomine; quia magis ſoni, quàm vocis peccatum ſignificat. Hinc ſonum querelæ, impatientiæ murmur vocant Doctores, quaſi multùm preſſus, aut pulſus homo ſonet. Et tamen ſecundùm rem detrahit illi contra quem murmuratur, tanquam iniuſtè, aut irrationabiliter, &c. ſe habuerit vel habeat, vt docet Caietanus *in ſumm. verb. Murmuratio*. Caiet.

2. Murmuratio mala triplex eſt, *prima* contra Deum. Vnde dicitur Exodi 16. 8. *Dabit vobis Dominus panes in ſaturitate, eo quòd audierit murmurationes veſtras, quibus murmuraſtis contra eum: nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Id eſt, iniquæ iſtæ, & improbæ querimoniæ contra Deum ſunt. Et Numer. 11. *Ortum eſt murmur quaſi dolentium pro labore contra Dominum.* Et Iudas Apoſtolus in ſua Canonica poſtquam dixiſſet: *Venit Dominus facere iudicium contra eos, qui locuti ſunt contra Deum:* ſubiunxit, *Hi ſunt murmuratores queruli*, Et ideo D. Paulus ad Philippen. 2. 14. ait: *Omnia facite ſine murmurationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei.* Vbi querelam murmurationi adiunxit, & vtramque ſimul relegauit. Exo. 16, 8. Numer. 11. ad Phil. 2.14.

Tripliciter murmuratur de Deo *primò*, de nimia ſeueritate. Murmurant enim aliqui & conqueruntur de Deo cùm multùm affliguntur, vel magna paupertate, vel infamia, vel perſecutione, vel infirmitate, aut tentatione dicentes, Deum eſſe crudelem erga ſe, vel alios tribulatos, & plus aduerſitatis eis dare quàm poſſint portare, & ſe à Deo eſſe derelictos. Sed ò quàm magnam falſitatem iſti loquuntur! Omnis doctrina ſana Gentilium, & Catholicorum clamat Deum piiſſimum, & clementiſſimum fore, omnem aduerſitatem ab eo procedere, & electos ſuos ſibi acceptiſſimos multipliciter hic flagellare, & tũc magis eis adeſſe. Ratio eſt, quia ipſe cum tribulatis, qui ſunt parati ad ſuſtinendum, portat onus Pſalm. 90. 15. *Cum ipſo ſum*, inquit per Pſalmiſtam, *in tribulatione, eripiam eum*, & citò quia breuiſſima & quaſi momentanea eſt vita noſtra, *& glorificabo eum.* Pſ. 90. 15

Secundò, murmurant aliqui de nimia benignitate Dei, vel quia recipit magis peccatores ad pœnitentiam, & dat eis magna dona, vel tolerat malè agentes tamdiu in malis ſuis, & non punit, vel quia dat impijs, & ſceleratis magnas proſperitates. Sic Scribæ & Phariſæi murmurabant contra Ieſum dicentes: *Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis*, Lucæ 15. & iterum Luc. 19. murmurabant quòd ad hominem peccatorem, ſcilicet *Zacheum diuertiſſet*. Quod autem Deus ſuſtineat peccatores magna benignitas, & patientia Dei eſt, non reprehendenda Luc. 15 2.

denda

denda, ſed dulciter amplexanda & veneranda. Quis enim ille tam innocens, qui velit ſubitò puniri de defectibus illis, certè nullus? Expectabat ergò diu, vt victi eius benignitate, homines reuertantur ad illum. Iſa 30. 18. Iſa. 30. 18. *Expectat vos Dominus, vt miſereatur veſtri, propterea exaltabitur parcens vobis.*

Tertiò, alij murmurant contra Deum ob aeris intemperiem, vt cùm eſt multa ſiccitas, vel cùm eſt nimia inundantia aquarum, vel cùm eſt intenſus calor, vel frigus perdurans, & huiuſmodi, quaſi Deus non benè diſponat Sap. 8. 1. iſta. Sed iniuſtè murmuratur. Nam vt dicitur Sap. 8. 1. *Sapientia Dei diſponit omnia ſuauiter.* Sed quia non agit ſecundùm velle noſtrum, ideò murmuramus quaſi ſimus ſapientiores Deo, & velimus eum inſtruere quomodo debeat mundum gubernare.

3. Secunda murmuratio fit communiter contra Prælatos & Superiores, & de illis crebrò inferiores queruntur: ideò murmurationis nomen ad incontinentiam linguæ contra Superiores ſuos querimonias iactantis tra-
Exod. 15. 24. ctum & deſumptum eſt, vti cùm Exod. 15. 24. ſcriptum legimus. *Murmuraut populus contra Moyſen dicens,*
Exod. 16. 2. *quid bibemus?* & Exod. 16. 2. *Murmurauit omnis congregatio contra Moyſen & Aaron in ſolitudine, & dixit ad eos; vtinam mortui eſſemus in Aegypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium: cur eduxiſti nos in deſertum?* Ideò improbæ iniquæ querimoniæ contra præfectos rationem murmuris habent, quoniam præfecti Dei funguntur officio, quatenus omnis poteſtas à Domino Deo eſt, & non eſt poteſtas niſi à Deo. *Hæc autem in figura fa-*
1. Corin. 10. *cta ſunt noſtri*, inquit D. Paulus 1. Cor. 10. Id eſt, propoſiti ſunt nobis Iſraelitæ in exemplum, non imitandum, ſed fugiendum; ideò ſubdit, *vt non ſimus concupiſcentes malorum, neque murmuremus.* Vel in figura facta ſunt noſtri, quia futurum erat, etiam in Euangelica lege, vt aliqui fierent murmuratores, & detractores: quorum peccatum ſicut in Iſraelitis figuratum eſt, ita non dubitent, ſupplicium pro peccato tanto ſibi debitum, iam multoties in veteri Teſtamento præfiguratũ varijs murmuratorum & detractorum ſupplicijs, in ſe reipſa implendum. Tolerabile autem malum eſſet, ſi hæc figura impleretur in illis tantùm, qui necdum liberati à ſeruitute peccati, in Aegypto huius ſæculi, vanitatibus varijs deſeruiunt, in vanitate ſenſus ſui. Verùm, quòd etiam apud illos eiuſmodi figura in malum videatur impleta, qui gloriantur in libertate filiorum Dei: ita, vt qui cùm eſſent in ſæculo, prorſus ignorarent, quid eſſet murmuratio: videantur in Monaſterio murmurando votum emiſiſſe: tam ſunt proni ad omnem murmurationem, & aſſidui in illa. Dolendum certè nimis eſt; vtinam, vtinam ſicut hoc malum grauiſſimum eſt, ita in plerisque Monaſterijs nõ eſſet frequentiſſimum. Sed proh dolor! tam familiare eſt factum, vt nuſquam ferè non reperiatur, nec de illo erubeſcatur: imò vt malum ferè nullum, vel exiguum cenſeatur. *Vbique*, inquit D. Bernardus *ſerm. 24. in Cantic. in choro adoleſcentularum*, id eſt animarum religioſarum, *tales inueniam, quæ acta ſponſa (Dei) curioſè obſeruent, derogandi, non imitandi cauſa. Torquentur in bonis ſeniorum ſuorum: malis paſcuntur. Videas ambulare ſeorſum, conuenire ſibi & ſedere pariter: moxque laxare procaces linguas, in deteſtandum ſuſurrium, vna vni coniungitur: nec ſpiraculum incedit in eis: tanta eſt libido detrahendi, audiendiue detrahentem. Ineunt familiaritates ad maledicendum concordes ad diſcordiam, conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias: & pari conſentanea malignitatis affectu, celebratur odioſa collatio*, multùm diſſimilis certè à collationibus Sanctorum Patrum, qui de rebus diuinis inter ſe conferebant, quotieſcumque conueniebant.

4. Tertia murmuratio fit contra ſocium, ſeu proximum, quia non ſeruit ſibi prout vellet: aliquando etiam murmurat quis, cùm videtur nimis grauari in obſequiis vel operibus, vt cùm pauperes, vel Religioſi petunt eleemoſynas, & hi à quibus petuntur murmurant dicentes: Iſti indiſcreti ſunt, & non faciunt niſi petere; & ſi dent, murmurando dant. Sed dicit D. Petrus 1. 4. 9. *Hoſpitales inuicem*, ſcilicet ad ſubueniendum, *ſine murmuratione.* Sic *Martha* murmurabat contra *Magdalenam*, quia non iuuabat eam ad miniſtrandum. Et *Iudas* de effuſione vnguenti dicens: Vt quid perditio hæc, &c.

5. Sunt diuerſæ ſpecies murmurationis: Alij enim nudè & irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomunt detractionis, ex quadam quaſi impotentia ad tacendum. De quibus Eccleſiaſtici 19. 11. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in corde ſtulti.* Familiare omninò improbis vitium, linguæ petulantia. Alij autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco, conceptam maliniã quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria; ſicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſupercilijs, et voce plangenti, egredi maledictionem: & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo eum, & nũquam potui eum de hac re corrigere. Et alius. Mihi quidem benè compertum fuerat de illo iſtud: ſed per me nunquam innotuiſſet. At quoniam per alterum patefacta res eſt, veritatem negare non poſſum: dolens dico, reuera ita eſt. Et addit: Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet: cæterum in hac parte (vt verum fateamur) excuſari non poteſt. Hæc paſſim D. Bernardus ſuprà. O os abundans malitia! O lingua concinnans dolos! Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum: imperceptibiliter diripiendo bonum nomen proximi.

6. Murmuratio eſt peccatum graue, vt docet D. Bernardus *ſerm. 47. de modo viuendi*, quia hoc vitium præcipuè charitatem, quæ Deus eſt, præ cæteris acriùs impugnare & perſequi cognoſcitur. Omnis enim qui murmurat vel detrahit, primùm quidem ſeipſum prodit vacuum charitate. Deinde, quid aliud murmurando vel detrahendo intendit, niſi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipſis apud quos detrahit: ferit ergo charitatem in omnibus, qui ſe audiunt, et quantum in ſe eſt, necat funditus & extinguit. Non ſolum autem, ſed & in abſentibus vniuerſis, ad quos volans verbum, fortè per eos qui præſentes ſunt, peruenire contigerit. O quàm citò ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo, tabe malitiæ huius, inficere poteſt. Vnus eſt qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert: & tamen illud vnum verbum, vno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Nemo ergo putet leue peccatum eſſe murmurare, quia vt ait D. Bernardus *ſerm. de triplici cuſtodia. Et dicimus, leuis eſt ſermo: tenera, mollis, & exigua caro lingua hominum, quis ſapiens magni pendat? Leuis quidem res ſermo, quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat: leuiter tranſit, ſed grauiter vrit, leuiter penetrat animũ, ſed non leuiter exit: profertur leuiter, ſed non leuiter reuocatur, facilè volat, atque ideò facilè charitatem violat.* Ille certè leue non eſt arbitratus, qui murmurantibus aiebat. Exod. 16. 8. *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum: Nos enim quid ſumus, qui muſſitaſtis contra nos.* Sed nec ille, qui dixit 1. ad Cor. 10. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*: illo nimirum, qui poſitus eſt, in hoc ipſum, vt à terminis beatæ illius ciuitatis arceat murmurantes. Vnde murmuratio mala ſemper eſt peccatum, veniale aut mortale, ſecundùm conditionem perſonarum, circumſtantiarum, animarum, quod generali regula difficilè eſt diffinire, vt docet Sylueſter *Verb. Murmuratio.* In Sylueſt.
Religioſis autem omnis murmuratio ſæpiſſimè eſt grauis, vtpote in Chriſtum. Chriſtum enim tentat (inquit D. Bernardus) *ſerm. 47. de modo viuendi*, qui pro cibo, vel potu, ſiue pro veſtimento murmurat. Sicut ſcriptum eſt: Tentauerunt Deum in cordibus ſuis. Contra Chriſtum facit, qui in Monaſterio pluſquam oportet requirit. Et Anacletus Papa apud Gratianum *cap. Alienus diſt.* 90. Gratian.
Sententia Chami damnantur, qui ſuorum Præpoſitorum culpas produnt: pudenda enim illorum operire, non autem denudare tenentur. Caueant ergo Religioſi à murmuratione & detractione, non ſolùm ore proferenda, ſed etiam auribus excipienda. Qui enim apud vos de proximo murmurat & detrahit, quantumuis vobis blan-

diri

Digitized by Google

diri videatur, ſit vobis ſemper ſuſpectus; cogitare, quòd ſicut apud vos de aliis, ita de vobis apud alios æquè facile murmurare poteſt.

7. Pœnæ, quas Deus infert pro vitio murmurationis multiplices in Scripturis enarrantur. Sanè contra eos qui aduerſus *Moyſen, & Aaron* è populo ſuo murmurauerunt, peſtilentiam comminatus eſt, dicens, Num. 14. 12. *Feriam eos peſtilentia, atque conſumam*. Et licet precibus *Moyſis* reuocauerit mulctam hanc, aliam ſubrogauit, inquiens: *Non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum*. Quæ ſanè ad exitum vſque perducta fuit. Et hoc figurat, quòd murmuratores non valent intrare in regnum cœlorum figuratu per terram illam. Quod & D. Greg. dicit, *Regnum cœlorum nullus qui murmurat, accipit*. Quod verum eſt, quando murmuratio eſt mortalis, ſcilicet, cum odio Dei, vel hominum, vel tanta diſplicentia quòd decidat à charitate Dei, vel proximi, vel cùm ex locutione murmuris ſequitur notabile ſcandalũ aliis; & ſicut tale vitium excludit à regno, ita conſequenter
D. Antonin. inducit ad æternum interitum, vt docet D. Antoninus *par. 2. tit. 7. cap. 2. §. 4.* Maria ſoror Moyſis eo quòd murmurauit contra illum, lepra repleta eſt, cadente ſupra eã quaſi nix. Cuius ſupplicii myſterium explicans D. Auguſtinus *tom. 10. ſerm. 26. ad Fratres in eremo*, ait, *Ideò murmuratricem ſororem lepra percuſſam fuiſſe, quia ſicut lepra totum corpus deuorat, & ſibi adhærentes inficit, ſic & murmurator non ſolum ſeipſum deſtruit, ſed etiam cunctos audientes interficit & occidit*. Inde eſt, quòd 8. Synodus generalis, ex Baſilio magno in conſtitutionibus Monaſticis, vt à Gratiano *cap. plerumque 2. q. 7.* refertur, conſtituit huiuſmodi murmuratores à Fratrum vnitate abijciendos, & illorum opera ablegauda. Quod etiam Auguſtinus ſupra iuſſit dicens; ò quàm peſtis miſera & mortalis! ò quàm venenoſa! Hæc enim eſt, quæ conuentus Clericorum, & ciuitates multas deſtruxit. Et quia grande periculum eſt inter murmuratores habitare, ideò expellendi ſunt, ne cæteri corrumpantur.

Porrò efficax remedium contra murmuratores, & detractores, ſi authoritate vales, eſt imitari Dauidem, *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*. Sin minùs, conſilium Prouerb. Salomonis 25. 23. eſt ſequendum: triſtem, ſcilicet, & moroſum murmuratori ſe exhibere. *Ventus enim Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem*.

8. Hic Prælatus, ſeu Superior audiens aliquem detrahentem Religioſis ſubditis ſuis, & non reſiſtens, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia non obſtans damno ſui proximi ad quem tenetur ex officio ſuo, peccat contra charitatem, & iuſtitiam; at Prælatus ex officio ſuo tenetur bona temporalia, & ſpiritualia ſuorum Religioſorum curare, & ſeruare; ergo tenetur famam, quæ eſt maximum bonum ſuo ſubdito conſeruare, & à detractoribus eam
D. Tho. Malder. Nald. redimere. Ita Diuus Thomas 2. 2. q. 73. *art.* 4. Malderus 2. 2. *tract. 7 de iuſtit. cap. 1. dub.* 15. Naldus *verb. Superior num.* 8. & alij. Qui Doctores forſitan hac D. Pauli mouentur ſententia, ad Rom. 1. *Suſurrones, & detractores digni ſunt morte, & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

9. Cæterum quia Superior debet exercere charitatis virtutum erga proximum, Fratres, filios, & ſubditos Religioſos, iuxta illud Auguſtini *cap. 25. Regula*, qui agens de Prælatorum regimine, ait, *Ipſe verò qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente, fœlicem*. Ex hac dilectione, & charitate hoc maximũ præcipuè ſequitur bonum, vt ipſe patienter ferat Religioſorum ſuorum murmurationes, & detractiones, eaſque ſtudioſè ſe oſtendat ignorare, admonente Eccleſiaſt. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras*. Et ſic adimpletur Pauli præceptum, 2. Corinth. 6. 4. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, per gloriam, ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam*. Imo recordetur Prælatus dum eſſet in minoribus, etiam alios conuitijs ſimilibus ſe affeciſſe, & animam propriam & conſcientiam, his Eccleſiaſt. 7. 22. verbis corroboret. *Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum tuum maledicentem tibi: ſcis enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti alijs*. Cogitet Prælatus in ſemetipſo forſitan aliquando reperiri maiora crimina, quàm illa, quæ per calumniam ei imputantur: & hanc auream Stoici meditetur ſententiam, nimirum: *Si quis ad te deferat, ille de te maledicit, ne excuſa quæ dicuntur, ſed reſponde, ignorat ille, & quæ mihi adſunt mala alia, alioquin non ſola hæc diceret*. Ex his non inferant Prælati ſubditos excuſari in re graui eiſdem detrahentes: quia cùm ex hac detractione malum oriatur exemplum, & Prælatorum fama erga ſubditos deperdatur, tenentur tunc Prælati debitis pœnis ſuam defendere exiſtimationem, ne graue introducatur ſcandalum, & ſub mortali propriam famam redimere obligentur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. *art.* D. Tho.
4. Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. num.* 125. & alii P. Nau.
communiter. Ratio redimendi famam habetur ex D. Gregorio in Ezech. homil. 9. ſub his verbis: *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, vt eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes benè viuere contemnant*. Studeant igitur Prælati bonam ſibi famam retinere, & ſuper omne huius vitæ bonum eamdem redimere conentur. Et ex dictis inferant iniuriam ſibi ipſis illatam per murmurationem & detractionem, ſub hac formalitate, quatenus Prælati ſunt, punire aſtrictos eſſe: dummodò detractio publica ſit, & Prælati exiſtimentur viri prudentes, & probi, non zelo vindictæ, ſed propter emendationem detrahentis, ad Dei maiorem gloriam, & honorem, & ad proximi ædificationem. Ita Gloſſa *in cap. ſi quis ab Epiſcopo* Gloſſa.
2. q. 7. Abbas *in cap. dilectus num. 3. de pœnis*. Graffijs 2. p. Abbas.
lib. 3. cap. 4. num. 6. & alii. Graffijs.

10. Murmurationes clauſtralium tres ſunt præcipuæ.

Prima eſt, quòd murmurant, taxando omnes actiones Prælati, malas augendo exaggeratione & ampliatione: bonas in malas retorquẽdo, vel diminuendo, vel tacendo, vel internos ſenſus nunquam imaginatos eliciendo: dubias in ſiniſtrũ interpretando. Aduerte peccatum eſſe, & aliquando mortale, manifeſtas Prælatorum culpas damnare, illas augendo, manifeſtando, notificando. Tum quia contra charitatem proximi eſt illius defectus manifeſtare: tum quia ex odio id prouenire ſolet: tum quia reſultat in infamiam illius, cuius culpæ reuelantur, vt diximus *tom. 1. verb. Detractio* 1. Qui autem bonas actiones in malas retorquet ſine dubio peccat mortaliter, & Diabolo ſimilis efficitur. Geneſ. 3. Quò verò ad actiones dubias, peccat etiam ſubditus, & mortaliter pro earum qualitate, & malitia eas in ſiniſtram partem interpretando, tum quia cùm ſit ars artium, ſcientia ſcientiarum hominem regere, cùm ſit moribus varius, virtute diuerſus, ſenſus Superioris facilè non intelligitur: præſtat enim aliquando cum diſcolo remiſsè ſe habere, ne eum omninò perdat, & cum diſciplinato auſterè vt eum retineat. Vnde D. Greg. 3. *part. paſtor. admonit.* 5. *Admonendi*, inquit, *ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorum vitam temerè iudicent ſi quid eos fortaſſe agere reprehenſibiliter vident, ne vnde mala rectè redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur*.

Secunda murmuratio Clauſtralium eſt, quando aliqui Fratres exaltantur, ipſis poſtpoſitis. Multi enim ſunt, qui eam de ſeipſis habent opinionem, vt putent, neminem vnquam reperiri poſſe aptiorem regimini, quàm ipſos: Natos ſe æſtimant ad imperandum: Maximam ſibi irrogari iudicant iniuriam, ſi quandoque ſine officijs relinquantur; quos audies in cœtu præſertim iuniorum, ſe, ſuaque magnificare, laudare, & extollere, ſi quid vnquam, dum aliquo munere fungerentur, gloriæ & honoris dignum exantlarint. Quibus rebus accenſos iuniores, vulpes iſtas non agnoſcentes, audies murmurare, blaterare contra Prælatos ipſorumque regimen; obſeruantiã diminui, relaxari, penitus deperdi; Religionem quamprimum ruituram, eo ſolùm quòd illius zelatores ad illam regendam & gubernandam non admittuntur. Recordentur tales ambitioſi Chriſti Domini, qui Ioan. 6. 15. *Cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus*. Conſiderentque iſti, qui honores, quaſi præmia ſuarum actio-

actionum, exquirunt, quòd qui eos hic recipiunt, æterna præmia perdunt; & ibi illis dicetur Luc. 16. 21. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Relinquant igitur mundanos iſtos, & onere verè plenos honores, vt illos æternos mereantur accipere, & quidquid à Superioribus factum fuerit, deſurſum prouenire exiſtiment, vt quietiùs in Religione viuant.

Tertiò, murmurant Clauſtrales, ſi eis magna, & pinguis & pretioſa pictantia non detur, omnia ſibi comedere Superiores blaterando, cibos omnes nauſeando, omnia ſtomachando, & faſtidiendo. De iſtis luculenter ait D. Bernardus *ſer. 30. in Cant. Legumina*, inquiunt, *ventoſa ſunt: Caſeus ſtomachum grauat: Lac capiti nocet: Potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, colera m porri accendunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non congruunt: quale hoc eſt, quòd in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijsque reperiri vix poſſit, quod comedas? Puta te, quæſo, Monachum eſſe, non Medicum. Parce, obſecro, primùm quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium; parce grauamini domus, parce conſcientiæ: conſcientiæ dico non tuæ, ſed alterius, illius videlicet, qui propè ſedens, & edens quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari ieiunio murmurat, &c.*

Qui de cibariis murmurant, ſunt in triplici differentia: Alij enim murmurant, niſi pretioſa cibaria illis tribuantur, & iſti planè ſunt ſuæ profeſſionis immemores; non enim recordantur ſe paupertatem fuiſſe profeſſos, & quòd pauperes Chriſti quandoque pane carent: vnde magna peruerſitas eſt, pretioſos quærere cibos, dum ſciunt, Dominum ſuum in pauperibus egere. Cum his loquitur D. Hieronymus ad Nepotianum, dicens: *Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix millio, & pane cribato rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam, & mel faſtidio.* Alij non quærunt quidem pretioſos cibos, ſed vilibus & communibus contenti, eos vellent ſtudiosè & accuratè præparari. Alij deniq. quantitatem ciborum depoſcunt, non curantes, an pretioſi ſint, vel optimè præparati, necne. Sed iſti non aduertunt, quòd exceſſus ciborum nocet, tum corpori, tum animæ, tum famæ & reputationi. Quibus tandem ſententiam vnam Hugonis *lib. 1. cap. 8. de clauſtr. anim.* proponere non grauabor: *Abundans eſt pauperi Religio, mediocri ſufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus miſericors, peruerſis ſeuera, bonis optima.*

11. Hoc flumen murmurationis, per totū fluens vniuerſum, ſuiſque aquis ſingulos penè homines proluēs, ex multis fontibus ortum ducit, videlicet ab vno quoque vitiorum capitalium. *A ſuperbia* Num. 12. 1. Tale murmur Aaronis & Mariæ; tale murmur Luc. 5. 30. Phariſæorum de Chriſto manducante cum Matthæo, & Luc. 7. 39. Simonis ſuper Magdalenam. *Ab inuidia.* Ita murmurabant Matth. 20. 11. operarij in vinea, quòd bonus ille Paterfamilias vltimò vocatos alijs pares feciſſet. *Ab ira.* Num. 16. 41. 42. *Sic omnis multitudo filiorum* Iſrael murmurabit contra Moyſen & Aaron, dicentes, quòd interfeciſſent populum Domini, ita vt cùm oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron ad tabernaculum fugere ſint coacti. *Ab acedia.* Num. 11. 1. vti *factum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore. Ab auaritia.* Vti Iudas de facto piæ iſtius peccatricis. *A luxuria.* De hominibus enim luxurioſis dici poteſt cum Propheta Iſaiæ 26. 16. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis*: eò quòd inuiti audiant, momentaneum eſſe quod delectat, æternum quod cruciat. *A gula.* Exod. 16. 2. Vti peruerſus ille populus, qui optabat mori in Aegypto, & illic ſedere ſuper ollas carnium.

Ex filiabus horum peccatorum capitalium oritur etiā murmur, 1. *Ex malignitate.* Vt notat D. Auguſtinus *lib. 50. homil. 1.* cùm ponderat ea verba Pſal. 49. *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*: quod ipſe alibi legit, ponebas detractionem. *Quod dixit*, ait Auguſtinus, *Sedens, oſtendere voluit, quòd non tranſitoriè detraxerit, nec ei ſurreptum ſit paſſione quadam ſubita, vt malum de proximo loqueretur, ſed ſedens, id eſt ex odio, & malignitate, quaſi ad hoc vacans, vt derogaret proximo ſuo.* 2. Oritur *ex otio.* Probatur ex eodem loco Pſalm. *Sedens, &c.* vt explicatur in *cap. ex merito 6. quæſt. 1.* Quare loquebaris, quia ſedens, quia otioſus eras. Propter hoc vitium Adam fuit expulſus è Paradiſo, in quo poſitus erat à Domino. Geneſ. 2. 15. *vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Et quia Eua otioſa aures ſerpenti præbuit, & Adam ſimiliter otioſus auſcultauit Euam, ideò facillimum fuit, illis tranſgreſſionem præcepti Dei perſuadere, quo tranſgreſſo, è Paradiſo eiecti ſunt. Ita etiam otium deijcit Monachum de Monaſterio, illum vagabundum reddit; omnia faſtidire facit, ſemper noua quærere, & vetera abhorrere ſuadet: Vnde D. Hieronymus *in epiſt. ad Ruſtic. Aliquid operis facito, vt te Diabolus ſemper inueniat occupatum.* 3. Murmuratio oritur *ex vilitate, & demiſſione animi.* Quid enim vilius murmuratore? Quid infirmius, & demiſſius? Ideò infames, & deteriores latronibus dicūtur, *cap. ex merito, cap. deteriores, & cap. infames 6. q. 1.* Quia viliſſimos, & nullo honore dignos videre eſt, de viris honoratis murmurare, ijs detrahere, eosq. deprimere, cùm enim talibus viris, ſimiles eſſe non poſſint, procurant totis viribus, & poſſe, ipſos fieri ſimiles ſibi. 4. Oritur *ex inconſideratione propriorum defectuum.* Vnde Chriſtus Matth. 7. 5. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et D. Auguſtinus in Pſal 94. *Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis, & conſtitue te coram te.*

Multa alia de hoc vitio, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, tum ex aliis ſcriptoribus Catholicis poſſent afferri; ſed hæc pro noſtro inſtituto ſatis. Hoc tantùm addendum eſt, rem eſſe mirabilem, quòd cùm omnes Authores linguas ſuas contra hoc vitium acuant: Ita pauci tamen repetiantur, qui illud penitùs euitent. Vnde D. Hieronymus in epiſt. ad Celant. *Pauci*, ait, *admodum ſunt, qui huic vitio renuncient, raroque inuenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam: tantaque huius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi in extremum Diaboli laqueum incidant.* Ad quod etiam facit Gloſſa ſuper illud Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis*, quæ ait, *hoc ſpecialiter vitio penè periclitatur totum genus humanum.* Plura de Murmuratione vide *tom. 1. verb. Detractio.*

Vtinam non inueniretur hæc iniquitas in hæreditate Iacob.

MVTVVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit mutuum, & quomodo differat à commodato, & permutatione?*
2 *De diuiſione mutui in expreſſum, ſeu formale, & in tacitum, ſeu implicitum, ac virtuale.*
3 *An omnes qui poſſunt contrahere iure naturæ obligentur ex mutuo, & an in certis caſibus priuilegio iuris poſitiui non obligentur filijfamilias, Eccleſia, Ciuitate, & Mulieres?*
4 *In quibus caſibus filius, ſeu filiafamilias teneatur ad reſtitutionem mutui accepti?*
5 *An quando aliquid mutuo traditum eſt Eccleſiæ, vel loco pio, vel oppido, Eccleſia, vel locus pius, vel oppidum teneatur ad reſtitutionem?*
6 *An ſi nomine pupilli tutor, vel curator, nomine minoris mutuum acceperit, teneatur ille poſtea maior factus ſoluere?*

1 MVtuum *eſt contractus, quo quis alteri rem ſuam tradit numero, pondere, vel menſura cōſtantem, vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, vt ſimilis ſpecie, & bonitate reſtituatur, l. 2. ff. ſi certum petat.* Ex hac definitione patet differentia huius contractus ab aliis: nam in hoc transfertur dominium rei in accipientem, vnde incrementum valoris rei mutuo datæ cedit mutuata-

mutatario, tanquam domino rei: *differt* autem à commodato & permutatione, quia in commodato eadẽ res reddenda eſt, in permutatione autem reddenda eſt res alterius ſpeciei, ſed in mutuo recipitur res ſimilis in ſpecie & bonitate: ex quo ſequitur, quando accipitur pecunia ad oſtentationem & pompam, non ad illam expendendam, non cenſeri celebratum contractum mutui, ſed commodati, nam cenſetur accepta pecunia cum obligatione reſtituendi eandem numero, in commodato enim dominium rei non transfertur in commodatarium. Ita
Filliuc. Leſſius. Reginal. Arragon. Caſpenſ. Filliucius *tract.* 34. *cap.* 10. *q.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 1. *num.* 3. 4. *&* 5. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 165. Arragon 2. 2. *q.* 78 *art.* 1. Caſpenſis *tract.* 19. *diſp.* 3. *ſect.* 1. & alii. *Præterea* patet mutuum celebrari tantùm de iis rebus, quæ recipiunt functionem, id eſt, quarum vna dari, & ſubſtitui poteſt loco alterius, vinum pro vino, pecunia pro pecunia, ita vt vna fungatur ſufficienter vice alterius. Gomez 2. *variar. cap.* 6. *num.* 1.

2. *Mutuum* multipliciter diuiditur, tum ex parte rei quæ traditur, in rem, quæ conſiſtit in numero, vel pondere, vel menſura; tum ex parte modi, & ſic diuidi poteſt in *expreſſum*, ſeu *formale*, & in *tacitum*, ſeu *plicitum*, ac *virtuale*: *expreſſum*, contingit quando quis mutuat alteri tradendo rem ipſo facto mutuatario: *tacitum* & virtuale dicitur illud, quod virtute includitur in aliis contractibus, & ob id mutuum palliatum nuncupatur, vt quando quis vendit alteri domum maiori pretio, conceſſa dilatione ad ſoluendum, cenſetur enim virtualiter mutuare pretium emptori vſque ad terminum illi conceſſum, &
Filliuc. Bonac. Molina. ad ſoluendum præfixum. Filliucius *tract.* 34. *cap.* 10. *q.* 5. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Molina *de contract. diſp.* 303.

3. Iure naturæ, ex mutuo obligantur omnes, qui poſſunt contrahere, niſi priuilegio iuris poſitiui eis conceſſum ſit, vt in certis caſibus non obligentur, vel certè obli-
Leſſius. Filliuc. gationem poſſint elidere exceptione. Leſſius *cap.* 2. *dub.* 2. Filliucius *cit. cap.* 10. *q.* 6. *&* 7. tale autem priuilegium cõceſſum eſt filiofamilias, Eccleſiæ, ciuitatibus, & minoribus, *l.* 1. *de S. C. Macedoniano*. Vnde ſi filiusfamilias abſque conſenſu patris acceperit mutuam pecuniam, non tenetur in effectu ad reſtitutionem, ne poſt mortem quidem patris; quia poteſt opponere mutuatori exceptionem Senatuſconſulti Macedoniani, quo conceſſum eſt ei, vt non teneatur ſoluere. Hæc autem exceptio cõpetit etiam filiæfamilias, & parentibus eorum, & hæredibus & fideiuſſoribus eorum, *l.* 7. *&* 9. *ff de S. C. Macedoniano*. Et quamuis verbis huius Senatuſconſulti ſolùm
Couar. Reginal. Molin. Leſſ. Sanchez. videatur tolli obligatio ciuilis ſecundùm Couarruuiam *ad reg peccatum par.* 2. § 3. *n.* 4. Reginal. *cit. n.* 155. & alios, tamen ſecundùm Molinam *diſp.* 301. Leſſ. *num* 8. Sanch. *de matr. lib.* 6. *diſp.* 39. *n.* 3. etiam tollitur obligatio naturalis, ita vt in foro conſcientiæ non teneatur vnquam tale mutuum reſtituere, ſi velit hoc priuilegio vti. Ius autem hoc decreuit ad euitanda & præcauenda incommoda, quæ occaſione mutui à filijs, vel filiabus familias accepti ſuboriebantur, filii enim ad perſoluendam pecuniam mutuo acceptã, occaſionem arripiebant inferendi mortem parentibus.

4. *Multi* tamen ſunt *caſus*, in quibus filius, ſeu filiafamilias tenetur ad reſtitutionem mutui accepti. *Primò*, ſi habet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. *Secundò*, quãdo accepit mutuum iuſſu, vel conſenſu patris. *Tertiò*, ſi pecunia verſa eſt in vtilitatem patris. *Quartò*, quando accepit mutuo pecuniam ad ea, ad quæ inſumenda erat pecunia à patre, vt ſi filius abſens cauſa ſtudiorum accipiat mutuum neceſſarium vt viuat, vt emat libros neceſſarios. *Quintò*, ſi publicè putabatur ſui iuris. *Sextò*, ſi filius iurauit ſe ſoluturum; in hoc tamen caſu poteſt filius qui iurauit, obtinere iuramenti relaxationem à Prælato; quia in fraudem legis appoſitum eſt, & aliàs lex facilè redderetur inutilis. Imò ſi filius poſt acceptam mutuo pecuniam viuente patre renunciaret huic priuilegio Macedoniano, adhuc non teneretur ſoluere, quia hoc priuilegium videtur principaliter conceſſum in fa-
Gomez. Bonac. Leſſius. uorem parentum, nullus autem cedere poteſt priuilegio in fauorem alterius conceſſo. Gomez *tom.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. Bonacina *cit. punct.* 1. *num.* 7. *&* 8. Leſſius *cit. n.* 9. *&* 11.

5. Quando aliquid mutuo traditum eſt Eccleſiæ, vel loco pio, vel oppido, Eccleſia, vel locus pius, vel oppidum non tenetur ad reſtitutionem, niſi mutuans probet pecuniam mutuatam conuerſam fuiſſe in vtilitatem Eccleſiæ, vel loci pii, vel oppidi. *l. Ciuitas ff. ſi certum petat. Authent. hoc ius porrectũ de ſacroſanct. Eccleſ. l.* 1. *C. de ſolutionibus*. Ita Reginaldus *cit. num.* 176. Leſſius *citat. num.* 12. Reginal. Leſſ.

6. Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris mutuum acceperit, non tenetur ille poſteà etiam maior factus ſoluere, niſi creditor probarit id in eius vtilitatem eſſe conuerſum: datur tamen actio aduerſus illum qui mutuum accepit nomine alterius, poteſt enim cogi ad ſeruandum indemnem eum, qui tradidit pecuniam: imò ſi minor mutuum acceperit, & inde ſe læſum deprehenderit, puta, quia pecuniam inutiliter conſumpſit, poteſt petere reſtitutionem in integrum, vt non teneatur, niſi quatenus inde factus eſt locupletior, vel ditior. Molina *cit. diſp.* 300. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 1. *ſect.* 3. Leſſius Molina. *cit. num.* 15. 16. *&* 17. Filliucius *cit. cap.* 10. *q.* 10. Gomez Rebell. Leſſius. *tom* 2. *cap.* 14. *num.* 2. & alii. Filliuc. Gomez.

De Mutuo vide tom. 1. verb. Commodatum n. 1. Eleemoſyna n. 7. & hoc tomo verb. Vſura 1. n. 1. & Vſura 2.

SVPPLEMENTVM.

MVTVVM, ET VSVRA.

SVMMARIVM.

1 *Mutuum quid ſit.*
2 *Mutui diuiſio ſecundùm iuris ciuilis interpretes.*
3 *Mutuum quando ſit in præcepto.*
4 *Mutuum quis dare poſſit.*
5 *An procurator alicuius mutuum dare poſſit.*
6 *Quæ pertineant ad rationem mutui.*
7 *Quæ ſint obligationes mutuantis.*
8 *Quæ mutuatarij.*
9 *An Princeps ſæcularis vſuram permittens, peccet? Et poſſit Iudæis dare licentiam exercendi vſuras abſque licentia Pontificis.*
10 *An pro nummis aureis mutuo datis, poſſit mutuatarius inuito mutuante argenteos, vel æreos ſoluere?* refertur duplex ſententia.
11 *An ſit contractus vſurarius pro pretio anticipato conducere operas mercenarij?*
12 *An vſurarius ſit, qui mutuat ea lege, vt mutuatarius coactè ratione mutui obligetur ſimiliter ad conducendum agrum mutuantis?*
13 *An vſuram committat, qui mutuat gratia recuperandi quod ſibi debetur ex iuſtitia, vel ex gratitudine.*
14 *An ſit vſura, dare dimidium mutui in pecunia, & dimidium in mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata?*
15 *An pro onere numerandi pecuniam aliquid ſupra ſortem accipere, vſurarium ſit?*
16 *An licitum ſit mutuare pecuniam acceptam ab vſurario, cum pacto vt mutuatarius ſoluat vſurario, quod mutuans ſoluturus erat?*
17 *Si in mutuo ſoluendo non eſt conſtitutus certus terminus, an ſit peccatum non repetere illud, niſi quando plus vendi poſſit.*
18 *Qui mutuat pecuniam auream, vel argenteam, an poſſit cum mutuatario paciſci, vt tantumdem in pecunia aurea, vel argentea ipſi reſtituatur? Et an mutuans in pecunia ærea, poſſit paciſci, vt argentea, vel aurea reſtituatur?*
19 *An contractus ſit vſurarius, mutuare* 100. *cum pacto, ut ſi mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſin autem ultra duos annos viuat, reddat duplum.*
20 *An vſuram committat, qui debet Caio centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit* 50. *hoc pacto, ut Caius expectet per biennium alios* 50. refertur

fertur duplex ſententia.

21 *Quando mutuatarius eſt in mora ſoluendi, ſi inde dãnum aliquod eueniat mutuanti, teneatur ad illius cõpenſationem, ſiue ille ſit pauper, ſiue non.*

22 *An vſurarius ſit, qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, illis non computatis in ſortem principalem?*

23 *An Gener vſurarius ſit, ſi Socer velit ei dotem ſoluere & ipſe renuat eam recipere, ſed poſtulet vt ſibi in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus colligat, ſalua ſorte principali?*

Quando Socer non ſoluit dotem Genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, an liceat Genero fructus illius percipere, non computando eos in dotem?

24 *Quando hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, an poſſit vidua percipere fructus pignoris, aut quantitatem pecuniarum, ſiue aliquod intereſſe incurrat, ſiue non ex dilatione ſolutionis.*

25 *An vſurarius ſit contractus vendere alieni fundum, vel domum & reſeruare ſibi fructus annuales, vel reditus, donec pretium ſoluatur?* refertur duplex ſententia.

26 *Quando accipiens aliquid ab vſurario titulo donationis, vel emptionis peccet, & teneatur ad reſtitutionem.*

27 *Quando vſurarius ſponte, vel in ductus donat, an qui accipit teneatur ad reſtitutionem?*

28 *An vxor, filij & ſerui vſurarij non habentis bona niſi fœneratitia, poſſint in extrema neceſſitate & extra illam de illis bonis victum, & veſtitum capere?*

29 *Quid ſi vxor ſi filij ſuo labore, ac induſtria tantum lucri afferunt, quantum ſumunt?*

Quid, ſi vſurarius præter bona vſuraria, habeat alia bona iuſtè acquiſita?

Quid, ſi vxor competentem attulit dotem? & quid ſi non attulerit?

30 *An bona vſu conſumptibilia per vſuram extorta ſint obligata pro vſuris ſoluendis obligatione reali, vel perſonali?*

31 *An famuli vſurariorum non habentium alia bona niſi reſtitutioni obnoxia, peccent & teneantur ad reſtitutionem, ſi ex ijs bonis viuant & ſtipendia ſumant?*

32 *An Notarius conficiens inſtrumentum vſurarium bona, vel mala fide, vel dubitans an tale ſit, peccet & teneatur ad reſtitutionem?*

33 *An teſtes, qui ſcienter interueniunt contractui vſurario teneantur ad reſtitutionem in ſolidum?*

34 *An crimen vſuræ ſit mixti fori, vbi conſtat contractum aliquem eſſe vſurarium? Et quid ſi dubitetur?*

1 MVtuum, cùm ſit fundamentum, & quaſi ſedes vſuræ, ordo ipſe ſcientiæ poſtulat vt priùs de mutuo, & poſtea de vſura loquamur. Sciendum eſt, quòd mutuum, prout habetur ex *l. mutuum, ff. de rebus creditis, §. appellata,* dicitur quaſi de meo fiat tuum, quia nimirũ mutuum fit accipientis, vnde poteſt definiri, quod *eſt datio, ſiue traditio rei in pondere, numero, vel menſura conſiſtentis, facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, ut poſtea tantumdem eiuſdem rationis, ac qualitatis reddatur.* Dicitur *datio, ſiue traditio,* quia mutuum perficitur traditione, ſicut donatio, commodatum, depoſitum, &c. Dicitur *rei in pondere, numero, vel menſura conſiſtentis,* quia mutui obligatio fit in his rebus. Res autem numeri eſt pecunia, quia numeratur, dum traditur. Res ponderis eſt aurum, argentum, & omne metalli genus, quia hæc ponderata dantur. Res menſuræ eſt oleum, vinum, triticum, mel, ſal, & alia liquida vel arida, quæ menſurata tradi ſolent. Hinc non eſt propriè mutuum, ſi quis alteri det ouem, vel equum recepturus aliam ouem vel equum. Quia hæc non conſiſtunt in pondere, numero, & menſura. Vnde non ſolemus dicere, mutua mihi vnam ouem, ſed potiùs eſt contractus innominatus. Do vt des. Conſiſtit ergo mutuum in his rebus, quæ functionem in ſuo genere recipiunt. Dicitur, *eo animo, ut ſtatim fiat accipientis,* hoc eſt eius cui mutuo datur: hinc ſi res mutuata fortuito caſu & ſine vlla mutuatarii culpa pereat, ipſi perit, non mutuanti, quia res ſuo domino perit. Dicitur, *cum obligatione,* quia hæc traditio non habet rationem mutui, niſi cum obligatione fiat. Dicitur, *ut poſtea,* quia de ratione mutui eſt, vt reſtitutio non fiat ſtatim, alioquin eſſet permutatio. Dicitur, *vt tantumdem eiuſdem rationis, ac qualitatis reddatur,* quia ſub ea ratione & obligatione res mutuo datur, vt non teneatur accipiens eandem numero reddere; benè tamen aliam eiuſdem naturæ, quantitatis, ac qualitatis, ſiue bonitatis. Ita Molina *de iuſtit. & iur. tract. 2. diſp. 299.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap.* Molina. Laym.
15. num. 1. & alii.

2. Iuris ciuilis interpretes mutuum diuidunt *Primò,* in naturale & ciuile. *Naturale* mutuũ eſt, cùm tibi reipſa numero pecuniam meam, vel aliud do, quod pondere menſurave conſtat. Nam ex ipſa numeratione pecuniæ vel traditione rei oritur naturale mutuum, quod parit obligationem. *Ciuile* verò ſic diuiditur: aut enim eſt ſimpliciter ciuile, aut eſt ciuile quidem, ſed cui iura natura ſuffragantur. Mutuum ſimpliciter ciuile eſt, quod ex ſola iuris ciuilis poteſtate vim habet: vt ſi depoſui centum aureos apud te, & permiſi, vt illis vteris, depoſitum tranſit in mutuum, quamuis non vt mutuum, ſed vt depoſitum ab initio numerauerim. Ius tamen fingit interceſſiſſe denuò numerationem, *l. certi condictio, §. depoſiti, & l. quod ſi eſt mutuo, ff. de rebus credit.* Mutuum ciuile, cui natura adſtipuletur eſt, quando quis promittit alteri per ſtipulationem dare centum mutuo, & ſtipulationem ipſam conſequitur ſtatim numeratio, vel proximè præceſſit, *l. ſi ita ſtipulatus fuero, §. Chryſogonus, ff. de verbor. oblig.* Stipulationem enim ius ciuile introduxit, at natura, ipſam numerationem.

Secundò, mutuum diuiditur ratione rei, quæ mutua datur: aut enim eſt rei, quæ conſiſtit in numero, vt pecunia, aut in pondere, vt in maſſa argenti, vel auri, aut in menſura, cuiuſmodi eſt vinum, triticum, vel oleum, & ſimilia.

Tertiò, mutuum diuiditur ratione temporis, aut enim mutuum datur ad certum tempus, vel ad incertũ, quamuis non perpetuum, vt ſi tibi dem mutuam pecuniam, qua poſſis librum tranſcribere, vel domum reficere, vel agrum colere.

Quartò, diuiditur ratione perſonæ; aut enim mutuum datur ſolùm ad vtilitatem & commodum eius, qui accipit, aut ſolùm in bonum eius, qui dat, aut gratia & cauſa vtriuſque. Denique mutuum diuiditur ratione modi: aut enim eſt, mutuum expreſſum, aut eſt tacitum & implicitum. De quo egimus ſuprà *verb. Mutuum, num. 2,* vide Bart.
Bartol. & alios *in l. 2. ff. de rebus creditis.*

3. Mutuum aliquando eſt in præcepto, quia mutuum eſt opus, & officium charitatis ad indigentium neceſſitatem ſubleuandam. Tum quia præceptum habemus elargiendi eleemoſynam, vt omnes Doctores tradunt, ergo & dandi mutuum: quia maius incommodum eſt eleemoſynaliter aliquid elargiri, quàm mutuare gratis. Hoc præceptum maximè obligat in duobus caſibus, iuxta Conradum *de contract. q. 19. concl. 2. & 4. Primò,* quando Conrad.
proximus extrema neceſſitate laborat, & petit à nobis mutuum. Ratio eſt, quia corde & opere tenemur diligere proximum, ſicut nos ipſos. *Secundò,* quando vehementer indiget, quia nimirum vita & ſalus, libertas vel honor eius maximè periclitatur, & mutuum petit: quia ſi eſſet abſolutè & ſimpliciter pauper, quia nec ibi, nec alibi haberet, nec vlla eſſet illi ſpes probabilis habendi aliquid in futurum, vnde mutuum ſolueret, & abſolutè peteret eleemoſynam, obligaremur ad dandum, nec mutuando impleremus præceptum dandi eleemoſynam. Ratio eſt, quia ita indigenti debita eſt iure naturæ ſuſtentatio, eo ſolùm quòd in articulum tantæ neceſſitatis incidit. Ergo iniuria fit illi, & contra charitatem eſt imponere onus reſtitutionis. Ita Suarez *de charitate diſp. 7. ſect. 5. num.* Suar.
2. & 5. Lorca *in 2. 2. diſp. 39. num. 54.* & alii citati *tom. 1.* Lorca.
verb. Eleemoſyna num. 7.

4. Mutuum dare poteſt is, qui non eſt lege prohibitus: ij autem lege prohibentur, quibus eſt interdicta libera ſuarum rerum adminiſtratio, cuiuſmodi ſunt furioſi, amentes, ebrij, prodigi, pupilli, minores,

& alii

Digitized by Google

& alii ſimiles.

Seruus poteſt dare & accipere mutuum, ſi dominus conceſſit adminiſtrationem peculii: tunc is, qui recipit, domino obligatur, non ſeruo, quia ex contractu ſerui ius domini acquirit, *l. nec ſeruus, ff. de peculio*. Alioquin dominus nullum contrahit obligationẽ, quamuis ſeruus maneat naturaliter obligatus, hoc eſt, ſi fuerit libertatem adeptus, mutuum reddere cogitur, aut ſi ſoluerit, repetere non poteſt, *l. quod attinet, ff. de reg. iur.*

5. Procurator alicuius generalis ſine libera poteſtate, vel ſpeciali mandato non poteſt mutuum dare, quia dominium rei transferre non poteſt. Secùs verò, ſi ſit procurator cum libera bonorum adminiſtratione: nam tunc poteſt omnia facere, quæ poteſt dominus, *l. Procurator cui, & l. mandato generali, ff. de procuratorib.*

6. Ad mutui rationem pertinet, *Primò*, vt mutuum ipſa rei quæ datur traditione contrahatur, ſine qua non perficitur, nec oritur obligatio ex mutuo, *Inſtit. quibus modis re contrahatur obligatio ex mutuo*, §. 2. *Secundò*, vt adſit in mutuo contrahentium conſenſus, quia contractus conſenſum hominum requirit. *Tertiò*, vt res ſit ex eorum numero, quæ mutuæ dari poſſunt. Nam res, aliæ commodantur, aliæ verò mutuæ dantur, & aliquæ poſſunt, vel mutuæ dari, vel apud aliquem deponi. Nam ſi pecunia numerata alicui tradita eſt, depoſitum eſt. Si verò data ſit, vt alter ea vtatur, mutuam accepit. Item, ſi pecuniam incluſam in ſacculo tibi tradidero, tunc eam tuæ fidei, & cuſtodiæ commiſſam apud te depono; non mutuo, at ſi tibi dixero, accipe in hoc ſacculo viginti aureos, quos à me petiſti, mutuum contrahi videtur, *l. certi condictio, §. depoſiti, & l. quod ſi ab initio, ff. de rebus credit.* *Quartò*, mutuum ſua natura eſt gratuitum, non mercenarium. Nam ſi pretium interueniat, eſt venditio. Si merces eſt locatio: ſi lucrum, eſt vſura & proinde peccatum. Ad probationem autem iudicialem mutui in foro externo, iura requirunt litteras, ſiue chirographa, ſiue inſtrumenta; vel teſtes, vt minimum duos. Porrò ad naturam mutui pertinet, vt reddatur res eiuſdem quidem generis, ſed numero diuerſa. Ita Bartolus, & Gloſſa *in l. 2. §. mutuum ff. de reb. cred.*

Bartol.
Gloſſa.

7. Obligationes mutuantis ſunt duæ. *Prima* eſt, admonendi mutuatarium de vitio rei mutuatæ, ſiue ſit in ſubſtantia, ſiue in quantitate, ſiue in qualitate, alioqui tenetur ad damna ſecuta in conſcientia. Vnde ſi quis mutuo det falſos nummos pro veris & mutuatarius etiã pro veris impenderit, tenetur mutuans ad damna tertii, quia dedit cauſam damni. Mutuatarius autem, ſi ſciuit nummos eſſe faſos, cùm mutuans putaret eſſe veros, tenetur veros nummos reddere, ſaltem in foro exteriori; quia hoc ipſo, quod accepit, & non eſt conqueſtus de falſitate, præſumitur eos bonos fuiſſe ac veros: non autem, quando mutuans ſciuit eſſe falſos, tunc enim etiamſi mutuatarius cogeretur in foro externo dare bonos nummos, tamen in conſcientia mutuans non poſſet eos accipere, hoc ipſo quòd ſciens dedit nummos falſos. Ita Pileus *quæſt.* 138. Azorius *part. 3. lib. 7. cap. 6.* vide à nobis dicta *tom. 1. verb. Cambium num. 8. & verb. Falſarius num. 2. verſ. An autem.*

Pileus.
Azor.

Secunda obligatio mutuantis eſt non repetendi mutuum ante tempus, ſi ad determinatum tempus factum eſt, niſi fortè premeretur mutuans pari neceſſitate. Quando autem datum eſt ſine vlla definitione temporis, tunc arbitrio Iudicis opus eſt definiendum, & quidem ſaltem quindecim dies debent eſſe elapſi. Vide Bartolum & Baldum *in l. ſi parum ff. de verb. obligat.* Panormitanum *in cap. precarium, num. 2. de precariis.* Menochium *de arbitrar. lib. 20. caſu 22.*

Bart.
Bald.
Panorm.
Menoch

Ex dictis ſequitur mutuum non poſſe repeti ſtatim, vt datum eſt, etiamſi is, qui dedit, dixerit: Do tibi mutuum, quoad mihi placuerit: quia aliàs mutuum eſſet inutile, vt docet Panormitanus *in cap. precarium n. 2. de precariis.*

8. Obligationes mutuatarii ſunt. *Prima*, reſtituendi rem ſuo tempore, alioqui tenebitur ad damna & intereſſe ſecuta ex mora. *Secunda*, reddendi rem eamdem in ſpecie, vt ſi accepit nummos, reddat nummos, ſi frumentum, frumentum, &c. vſus enim rei tantùm conceditur, & quia per vſum conſumitur res in particulari, ſupereſt vt ſaltem reddatur in ſpecie, *l. mutuum, ff. de reb. credit.* *Tertia* eſt reddendi rem mutuatam in eadem quantitate, in qua fuit accepta: vnde res quæ conſiſtunt in pondere & menſura reddi debent in eodem pondere vel menſura; hæc enim eſt earum quantitas. Quod ſi pondus, vel menſura variaretur, ſatis eſſet reddere in eo pondere vel menſura, qua fuit res mutuata. Idem dicendum de pecunia, cuius quantitas poſita eſt in numero & valore; vnde ſi tempore mutui aureus valebat 12. Iulios, deinde tempore reſtitutionis valeat 15. debet reſtitui iuxta valorem tempore mutui. *Quarta* eſt reddendi rem mutuatam æquè bonam; ideoque qui mutuant frumentum corruptum vel vinum acetoſum, vt deinde recuperent vinum & frumentum bonum, niſi compenſent id, in quo eſt exceſſus, peccant vſuræ peccato. *Quinta* obligatio eſt reddendi rem in omni euentu, quo ipſa periret, etiamſi caſu fortuito, *l. incendium, C. ſi certum petatur*, quia dominium eſt penes mutuatarium, & res domino perit. Hæc dicta ſint de mutuo nudo, in quo non ſpectatur æqualitas pretiorum, ſed bonitatis naturalis & menſuræ: quamuis ſi mutuans velit; poſſit etiam habere rationem pretii; ſed ſi non fecit, ſibi imputet. Quia in mutuo ita vſu receptum eſt, vt mutuarius non cenſeatur obligatus, niſi ad reddendam rem ſimilem ſpecie & parem bonitate & menſura, niſi ratione mutationis pretii aliter ſit conuentum: hæc eſt enim conditio puri mutui, cui nulla implicitè miſcetur emptio, aut venditio. De his videndi ſunt Sotus *de iuſtit. & iur. lib. 6. quæſt. 1. art. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. num. 150. & 151.* Azorius *part. 3. lib. 7. cap. 6.* & quæ dicta ſunt infrà *verb. Vſura II. num. 8. & ſeq.* Diana *part. 8. tract. 7. reſol.* 18.

Sotus.
Leſſius.
Azor.
Diana.

9. Princeps ſæcularis vſuram in Repub. permittens non peccat. Imò ſtando intra terminos iuris naturalis & diuini licitum eſſet condere legem vſurarum permiſſiuam, non quidem propter lucrum Principis, quod ab vſuris perciperet, hoc enim eſſet participare in crimine, quod ex genere ſuo malum eſt, ſed propter vitanda maiora mala, nimirum furta, latrocinia, ſicut licitum eſt condere leges meretricum permiſſiuas, propter vitanda adulteria, &c. Imò ſublato iure Canonico, poteſt Princeps ſæcularis denegare actionem repetendi vſuras iam ſolutas in iudicio, non ſecus, ac creditoribus negat actionem repetendi mutuum à filiofamilias, quod alioquin iure naturali creditori debetur. Tamen *in Clementina vnica de vſuris*, excommunicantur Iudices, Rectores & Officiales communitatum, qui per ſua ſtatuta compellunt ad vſuras ſoluendas, vel denegant actionem in iudicio ad repetendum. Ita Rebellus *de oblig. iuſtit. part 2. lib. 8. quæſt. 2. ſect. 2.* Arragon, Bannez *2. 2. q. 78. art. 1.* vnde vſuræ ob bonum Reipublicæ poſſunt permitti, ſicut & proſtibula, qua parte tamen ius Ciuile, *l. 1. 2. & aliis, Cod. de vſuris*, videtur eas approbare tanquam licitas, & cogit ad ſolutionem, eatenus eſt abrogatum per ius Canonicum.

Rebell.
Arrag.
Bannez.

Sed ex dictis oritur dubium, an Principes ſæculares poſſint ex iuſta cauſa dare Iudæis poſitiuam licentiam exercendi vſuras abſque Pontificis auctoritate? Affirmant Nauar. *conſ. 33. & 34. de vſur.* Vvadingus *tract. de contract. diſp. 6. dub.* 13. Ratio illorum eſt, quia permittere vſuras non eſt intrinſecè malum; alioquin Romanus Pontifex, nec in ſuo ſtatu poſſet eas permittere, nec aliis dare facultatem permittendi; ergo obſtat tantùm prohibitio Eccleſiæ, vel quod ſit contra Canones, qui non obligant Principes ſupremos cum magno Reipublicæ incommodo, nec hac in re poſſunt per Eccleſiam impediri, & talis eſt illa praxis generalis per totum ferè orbem. Nihilominus veriùs eſt contrarium, nempe hoc licitè non poſſe fieri abſque Pontificis auctoritate & diſpenſatione propter ius Canonicum illud prohibens. Ita docent Malderus *in 2. 2. tractat. 5. cap. 3. dub. 24. concluſ. 7.* Cardinalis Lugo *tom. 2. de iuſtit. diſput. 25. ſect. 11. num 219. & 220.* Vvigers *de iuſtit. tract. 5. cap. 6. dub. 23* & ante illos Syluester *verb Vſura 9. quæſt. 22.*

Nauar.
Vvading.
Malder.
Lugo.
Vvigers.
Syluest.

10. Controuerſum eſt inter Iuriſperitos, an pro num-

mis aureis mutuo datis, poſſit mutuatarius inuito mutuante alterius generis nummos argenteos æreosque ſoluere? Pro parte negante facit *Primo*, quòd naturalis conditio mutui hæc eſt, vt id quod mutuo datum eſt, in eodem genere & qualitate eadem reddatur, vt habetur *§. & quoniam, inſtit. quibus modis re contrah. oblig. & l. 2. & 3. ff. de reb. credit.* Atqui diuerſi generis ſunt, diuerſæ item qualitatis aurei nummi & nummi argentei, ergo non eſt cogendus creditor, vt argenteam pecuniam recipiat, qui auream certo numero credidit. Accedit ratio ex principijs naturæ petita, quod alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet, *l. non debet ff. de reg. iur.* Solutio autem alterius generis monetæ, minutæ maximè, non modica plerumque incommoda habet, non tantùm, quia minutæ pecuniæ ſumma magna ad geſtationē creditoris grauis eſt & onerosa, et maiori cum ſumptu & periculo peregrè tranſportatur, ſed etiam, quia non tam facilè commodè erogari poteſt pecunia minuta ſicut aurea, maximè ſi ad emendos annuos reditus expendere eam velit creditor, aut ſi mercator ſit, pro ea merces in nundinis comparare ſibi conſtituerit. Hæc opinio eſt certè iuri naturali valde conſentanea, quã ſuſtinent Henricus Bocerus *tract. de Regalibus cap. 2 num. 229.* Couarruuias *tom. 2. de veter. numiſ. collat. cap. 7.* et alii penes ipſos. Contraria tamen ſententia aliquibus magis placet. Quia pecuniæ bonitas, vis & ſubſtantia non conſiſtit in ipſa pecuniæ materia, ſicut vini bonitas eſt in ipſo vino: ſed aliunde ab arbitrio videlicet Magiſtratus, & Legislatoris dependet, adeò vt nummus nihil aliud ſit, quàm eius æſtimatio & valor ipſi à percutiente, ſeu Magiſtratus edicto impoſitus. Proinde qui certam monetæ ſpeciem accepit mutuam, non tam ſpeciem, quam valorem, atque æſtimationem iſtius ſpeciei accepit: neque etiam accepiſſe intelligitur in alia vnitate, quàm ea, quæ illa ipſa æſtimatione continetur. Accedit, quod nummi rebus incorporeis comparentur, adeoque æſtimatio nummorum magis, quàm corpora, credita exiſtimetur *l. ſi is cui 94. §. 1. ff. de ſolutionib.* Deinde ex eo ſatis liquet impoſitirium principaliter nummorum valorem, circa cōſiderationem materiæ ſpectandum eſſe, quia non ſolùm ex auro & argento, verum etiam ex plumbo, ferreo, ære, atque adeò ex corio cudi interdum nummi ſolent. Non ergo aurei nummi ab argenteis, alijsve genere differunt, ſi ſubſtantia illorum, non ex materia externa, ſed ex quantitate, valore, & poteſtate æſtimetur. Hanc ſententia tuentur Menoch. *conſ. 49. num. 38.* Fachin. *lib. 2. controu. iur. cap. 50.* et alii quos refert & ſequitur Diana *part. 8. tract. 7. reſ. 19.*

Bocerus. Couarr. Menoch. Fachin. Diana.

11. Contractus vſurarius eſt pro pretio anticipato cōducere operas mercenarii, ſi contractus fiat ſub ratione mutui, ita vt teneatur is, qui pecuniam accipit, reddere eam pecuniæ ſummam ei qui dedit. Ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans ex mutuo obligat mercenarium, ſeu agricolam ad colendum ſuum agrum, quæ quidem obligatio, cùm ſit ciuilis, eſt pecunia inæſtimabilis. Ita Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 220.* Sotus *de iuſtit. lib. 6. q. 1. art. 2.* Caiet. *in Summ. verb. Vſura exterior*, & alii communiter. Quando autem contractus celebratur ſub ratione locationis, ita vt pecuniam illam non recipiat tamquam mutuatam, ſed tamquam ſibi datam in ſtipendium laboris futuri, contractus non eſt vſurarius. Ratio, quia vſura eſt pretium rei mutuatæ, ſed in hoc caſu, qui dat pecuniam ruſtico, non recipit illius operas, neque illam obligationem pro vſu pecuniæ, ſed pecuniam illam confert, vt pretium illarum operarum, & illius obligationis, quæ omnia pretio æſtimantur, ergo ibi non eſt vſura. Differentia autem inter vtrumque contractum, eſt, quòd in mutuo mutuatarius tantùm remanet obligatus ad reddendum debitum, & veniendum ad colendum agrum. Sed in contractu locationis & conductionis, vterque manet obligatus, conductus nempe venire ad colendū, et conductor non poteſt eum expellere, ſed tenetur ſupplere pretium. Ita Bannez 2. 2. *q. 78. art. 1.* Molina *de contract. diſp. 309.* & omnes recentiores. Contra Sotum *loco cit.* qui putat in hoc etiam contractu eſſe vſuram palliatam.

Nauar. Sotus. Caiet. Bannez. Molina.

12. Qui mutuat ea lege, vt mutuatarius coactè ratione mutui obligetur ciuiliter ad conducendum agrum mutuantis, eſt vſurarius: quia talis obligatio cùm ſit debita ex iuſtitia, eſt pretio æſtimabilis: ſi tamen mutuatarius conducere vellet fundum, & quia id opere præſtare non poteſt, niſi mutuum ei detur ad ſumptus in illo colendo neceſſarios, tunc vſura non eſſet ei mutuare, vt fundum mutuantis conduceret: quia tunc conductio nō eſſet vt pretium mutui, ſed potiùs mutuum eſſet medium inordinatum, vt ille conducere poſſit fundū, ſicut optat.

Similiter vſurarius eſt, ſi mutuans in agri locatione, ratione mutui augeat pretium illius: quia illud pretii augmentum eſt pecunia æſtimabile. *Item* mutuans cenſetur vſurarius, etiamſi pretium non augeat in locatione in caſu quo pauci ſunt coloni, qui velint agrum conducere, qui dat autē mutuum, vt mutuatarius conducat agrū eodem pretio, quo tempore copiæ mercatorum locatus fuerat. Ratio, quia emptorum raritas iuſtè diminuit de pretio, ac ſubinde cùm in præſenti ſint pauci conductores agri, pretium iuſtè decreſcit: vſura ergo eſt manifeſta ratione mutui locare in eodem pretio. Tamen talis contractus poteſt iuſtificari, ſi mutuans ad iudicium boni viri diminuat aliquid de pretio propter talem obligationem, quàm à mutuatario ratione mutui extorquet. Ita Bannez 2. 2. *quæſt. 78. art. 2.* Fauſtus *in ſpeculo confeſſar. diſput. 16. quæſt. 24.* et alii.

Bannez. Fauſt.

13. Vſuram non committit, qui mutuat gratia recuperandi, quod ſibi liquido debetur ex iuſtitia, v. g. mutuo tibi centum, vt mihi ſoluas alia centum, quæ mihi ex iuſtitia debes, quia ea mihi ante ſurripuiſti. Ratio, quia tunc non exigo illa centum vi mutui, ſed vi iuſtitiæ. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 209.* Molina *diſp 309. de contract.* Qui verò mutuat gratia recuperandi debitum litigioſum eſt vſurarius. Ratio, quia mutuans recuperando tale debitum, ratione mutui multum lucratur, quia ſine expenſis & lite, et certò recuperat debitum, quòd aliàs ſine his, aut certò non erat recuperaturus. Qui autem mutuat gratia recuperandi id quod ſibi debetur lege charitatis, vel gratitudinis, eſt vſurarius. Ratio, quia tunc mutuans ratione mutui obligationem inducit legalem, ſeu ex iuſtitia ſuper mutuatarium, quæ pretio eſt æſtimabilis, et longè eſt maior, quàm obligatio ex ſola lege charitatis, vel gratitudinis, v. g. vſura eſſet, ſi ego morbo laborans mutuarem Medico, cum pacto vt mihi mederetur in caſu quo Medicus non tenetur me curare ex officio. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 209.* Azorius, Salas, Molina citati infrà *verb. Vſura 11. num. 6.*

Nauarr. Molina. Nauarr. Molina.

14. Vſura eſt manifeſta, ita mutuare, vt teneatur mutuatarius recipere dimidium mutui in pecunia, & dimidium in mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata. Ratio, quia obligatio illa ad emendas merces mutuantis, etiam credita pecunia, eſt pretio æſtimabilis. Tum quia cùm mutuatarius accipiat merces, quibus non indiget, ſed pecunia, compellitur illas ſtatim vendere vilius, quam valent. Hinc vſuram committunt mercatores, qui mutuo dant Regi ad ſoluenda ſtipendia militibus, ea lege, vt Rex accipiat mutuum in mercibus, quibus poſtea diuenditis à miniſtris Regis ſatisfaciant militibus. Ratio, quia vi mutui grauant Regem eas merces accipere quibus non indiget, & quas viliùs multò vendituruss eſt Rex alijs, vt ſibi comparet pecunias. Ita Bannez 2. 2. *q. 77. ar. 3.* Molina *de contract. diſp. 310.* Sotus *de iuſtit. & iur. lib. 6. quæſt. 1. art. 2.* Non eſſet tamen contractus vſurarius, ſi mutuans non obliget mutuatarium ad accipiendum in mercibus, ſed dicat petenti mutuum nolo tibi meam pecuniam mutuare, vendam tamen tibi merces iuſto pretio, quibus diuenditis poterit tibi ſubuenire. Probatur, quia hic nullum intercedit mutuum, ſed venditio iuſto pretio facta. Nec refert, quod emptor cogatur eaſdem merces minoris vendere, quàm emit, quia licet ſi fortè contra charitatem nolle mutuare, cùm poſſit mutuando liberare proximum à damno quod patietur vendendo viliùs, quæ prius carius emerat; contractus tamen ille non eſt iniquus vel vſurarius, ſi iuſto pretio expectata ſolutione merces eas vendidit.

Bannez. Molina. Sotus.

15. Vſura eſt, aliquid ſupra ſortem accipere pro onere numerandi pecuniam, quando pecuniæ ſumma eſt modica. Ratio, quia mutuans, ſuppoſito quod velit mutuare,

tuate, tenetur id facere gratis, & hunc modicum laborem numerandi mutuationi annexum gratis exhibere; quando autem egregia eſt ſumma pecuniæ numeranda, Nauarr. dubium eſt apud Auctores. Affirmat enim Nauarr. *in Manual. cap. 17. num. 209.* eo quòd non ex vi mutui, ſed pro labore numerandi, vel menſurandi, vel ponderandi accipiat iuſtam mercedem. Cuius ſententia maximè locum habet, vel quando mutuans in numerando magnam ſummam pecuniæ tantùm inſumit temporis, vt reuera pro eodem tempore, deſinat vacare negotijs alijs, quibus erat aliquid lucraturus; quia tunc ratione lucri ceſſantis poterit id licitè, poſt admonitionem, à mutuatario exigere, vel quando mutuans cogitur mittere pecuniam mutuatam longè abſenti, hoc enim non fit abſque periculis, laboribus & expenſis extrinſecè annexis mutuationi, quæ mutuans tenetur gratis ſubire.

Aliàs videtur verior ſententia negans id licere, quia hoc onus, & labor intrinſecus hærent ipſi mutuo, ergo ob hæc in mutuo dando nihil accipi poteſt, quia hoc onus eſt tam in bonum eius qui mutuat, quàm eius qui accipit, quia vtriuſque intereſt, vt mutuum numeretur, menſuretur, vel ponderetur, ne minus reddatur, quàm eſt acceptum. Secus autem dicendum eſſet de labore numerandi pecuniam, quem ſubit campſor, cùm enim huiuſmodi laborem hic in gratiam campſarij ſubeat, meritò ei compenſatur virtute intercedente contractu locationis operarum, vt diximus *tom. 1. verb. Cambium num. 6.* cum Azor. Doctoribus ibi citatis. Vide Azorium *part. 3. lib. 7. cap. 7. quæſt. 10. de mutuo.*

16. Non eſt abſolutè licitum mutuare pecuniam acceptam ab vſurario, cum pacto vt mutuatarius ſoluat vſurario quod mutuans ſoluturus erat. Ratio, quia in hoc caſu mutuans perinde facit cum mutuatario, ac fecit vſu- Nauarr. rarius cum ipſo. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 233.* Quod ſi mutuans, cùm ſit diues, habeat aliam pecuniam, quam ſine ſuo detrimento poſſet mutuare, vel acceptam ſub vſuris iam conſumpſit, ad petitionem tamen indigentis mutuat ea lege, vt eam mutuo petens, vſurario ſoluat vſuras, vſuram committit. Ratio eſt, quia qui cum tali pacto mutuat, vt alius vſuras, quas ipſe ſoluturus erat, ſoluat, contractum mutui in alium non transfert, ſed ipſe ſub vſuris mutuat. Si autem, cùm non habeat aliam ad mutuandum, mutuat pecuniam acceptam ſub vſuris, nondum tamen conſumptam, cum hoc pacto, vt mutuatarius ſoluat vſurario, quod ipſe cogitur ex mutuo ſoluere, non eſt vſurarius: quia in hoc caſu ſolùm ſe indemnem conſeruat, & pecuniam ſub vſuris à ſe acceptam, cum eodem onere ſoluendi vſurario vſuras, transfert.

17. Quando in mutuo ſoluendo non eſt cõſtitutus certus terminus, nullum eſt peccatum ex natura rei diſſimulare & non repetere mutuum, niſi tempore quo maiori pretio venditur. Probatur, tum quia mutuatarius ſibi imputare debet, quod non priùs ſoluerit, cùm commodè potuerit. Tum quia cùm non ſit ſignata certa dies, habet ius & facultatem repetendi rem mutuatam, ſaltem poſt quindenam, cùm primum ſibi placuerit, qui autem vtitur iure ſuo, nulli facit iniuriam. Mutuator tamen peccat contra iuſtitiam, qui operam dat ne mutuatarius quando ipſi vtile & commodum eſt, mutuum reſtituat, ſed eo ſolùm tempore, quo eius pretium augetur. Ratio eſt, quia cùm debitor illud tempus expectare non teneatur, mutuans prohibens, vel impediens ne tunc ſoluat, priuat illum iure ſuo, nocetque illi cum iniuria, ergo peccat contra iuſtitiam. Tum quia mutuans nolens ſibi mutuum reſtitui, vult lucrari impenſas, quas in cuſtodiendo faceret, inſuper & periculum amiſſionis euitare, Nauarr. ergo non caret iniuſtitia. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 225.*

18. Qui mutuat pecuniam auream, vel argenteam, poteſt cum mutuatario paciſci, vt tantumdem in pecunia aurea, argenteave ipſi reſtituatur. Ratio, quia pecunia aurea & argentea eſt commodior, quàm ærea, ergo mutuans poteſt mutuatarium obligare ad ſoluendum in ſimili pecunia; nemo enim cogitur cum ſuo incommodo Molina. alteri mutuare. Ita Molina *de contract. diſp. 299.* Syluest. Syluest. *verb. Solutio.* Qui verò mutuat in pecunia ærea non poteſt cum mutuatario paciſci, vt auream, vel argenteam pro ea ſibi reſtituat. Ratio, quia mutui natura & ſubſtantia exigit, vt tantumdem reddatur eiuſdem naturæ, quantitatis & qualitatis, ſiue bonitatis, ergo tale pactum apponere ſine mutuatarii conſenſu, eſt contra naturam mutui, & per conſequens illicitum. Tum quia velle reportare aliquid lucri ratione mutui non licet, ſicut nec aliquam obligationem ciuilem, vel onerosam alteri iniungere. Ergo non licet mutuare pecuniam æream, vt ſibi tantumdem reddat in pecunia aurea, vel argentea. Vſurarium autem eſt dare pecuniam argenteam pro aurea cum aliquo lucro, ſi ratione mutui illud lucrũ recipiatur: ſi vero ratione venditionis vel permutationis, hoc eſt vendendo vel permutando aurum pro argento illud lucrum recipiatur, non eſt vſura, quia aliquando contingit, vt pecunia aurea ob neceſſitatem argenti minus valeat, quàm pecunia argentea. Ita Nauarrus *in* Nauarr. *Manual. cap. 17. num. 226.*

19. Verius eſt contractum non eſſe vſurarium, ſed licitum, mutuare centum, cum pacto, vt ſi mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſin autem vltra duos annos viuat, reddat duplum. Ratio, quia illa centum accipit mutuans non vi mutui, ſed ratione periculi, quia poteſt perdere illa centum ſi moriatur mutuarius, & illa lucrifacere, ſi ſuperueniat. Tum quia hic non eſt contractus mutui, ſed contractus innominatus, ſcilicet do vt des. Mutuum enim in omnem euẽtum reſtitui debet, etiamſi fortuitò perierit; at ſi mutuarius obierit, centum aureos ſibi datos lucratur, ergo non in omnem euentum eos reſtituere cogitur, atque ex conſequenti ibi non eſt mutuum; vbi autem non eſt mutuum, ibi non eſt vſura. Ita Sotus *de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1.* Sotus. *art. 2. ad finem.* Nauarrus *lib. 5. de vſur. conſil. 25.* ſibi con- Nauarr. trarius, quia *in Manual. cap. 17. num. 222* docet eſſe vſuram, quia ex mutuo lucratur mutuator illam obligationem ſoluendi duplum, quamuis dubiam; ſecus ſi donet gratis, cum pacto amicitiæ.

20. Quamuis probabile ſit vſuram committi ab eo, qui debet Caio centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit quinquaginta hoc pacto, vt Caius expectet per biẽnium alios quinquaginta; quia hoc nihil aliud videtur, quàm implicitè mutuare cum onere, vt Caius remutuet in fine anni, vt docent Petrus Nauarra *de re-* P.Nau. *ſtitut. lib. 3. cap. 2. num. 290.* quem ſequitur Bonacina Bonac. *de contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3. num. 9.* Probabilius tamen eſt non eſſe ibi vſuram. Ratio, quia qui ſe obligat ad expectandam ſolutionem, non ſe obligat ad mutuandum, ſed ſtatim mutuat, quia prorogat terminum ſolutionis, quod eſt virtuale mutuum; vnde in hoc contractu, vnum mutuum datur pro alio, & ſic in illo contractu nulla adeſt vſura. Ita docent Malderus *in 2.2. tract. 5.* Malder. *cap. 3. dub. 4.* Salas *tract. de vſur. dub 9. num. 10.* Leſſius Salas. *lib. 2. cap. 20. num. 59.* quos refert & ſequitur Diana *part.* Leſſius. *1. tract. 8. reſ. 63.* quibus ſubſcribit Caramuel *in Theolog.* Dian. *moral. lib. 2. diſp. 14. num. 748.* dicens, Quis non videat Caram. hic hallucinationem ſubeſſe? ſoluere, non eſt implicitè mutuare, vt dicitur; tametſi fatear poſſe committi in ipſa ſolutione vſuram; nimirum, ſi Petrus ſoluat quod debet, quando debet, ſub onere, quod creditor faciat, quod non debet. Sed hoc impræſentiarum non accidit, nam ſi tibi debeat Franciſcus ſoluere poſt ſex menſes, & ſoluit nunc, fecit quod non debuit: ergo poterit viciſſim petere vt facias, quod non debes. Ergo ſi ipſe voluit pro te vnum grauamen ſubire, vt tu ſubires alterum, nulla cognoſcitur iniuria, nulla vſura. Hæc ille.

21. Ex communi Doctorum ſententia, quando mutuatarius eſt in mora culpabili, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur ad illius compenſationem: quia quando in contractibus conſtituitur terminus ſolutionis, vel rei exhibendæ, initur tacitum pactum, vt non ſoluens teneatur ad intereſſe, defectu ſolutionis obueniens. Tamen quando mutuatarius omninò & abſolutè eſt pauper, quia nec re, nec ſpe habet, vt ſibi ſubueniat, tunc non videtur obligandus ad intereſſe damni emergentis, ſi non ſoluat mutuum tempore conſtituto: quia in hoc caſu mutuans teneretur ex præcepto charitatis illi ſubuenire, non per contractum mutui, ſed per ſim-

plicem

plicem donationem,& eleemoſynam, vt dictum eſt *ſupra num.* 3. Si verò mutuatarius non eſt omninò pauper, quia ſolùm in loco, & tempore mutui indiget pecunia, in alio autem loco,& tempore habet vnde mutuum illud,& damna ex illo emergentia reſtituat,ad huiuſmodi damna compenſanda tenebitur: quia tunc non tenetur mutuans illi ſubuenire per eleemoſynam,ſed ſatis eſt ei mutuare ea lege, vt cùm potuerit vltra ſortem damna ſibi emergentia reſarciat. Si autem mutuatarius tempore mutui potens erat ad reddendum mutuum tempore conuẽto, deinde verò infortunio redditus ſit impotens ſolutionis,vt ſi incendio res eius ſint abſumptæ, vel inciderit in tantam paupertatem,vt non poſſit ſoluere, quin ſe coniiciat in extremam, vel grauem neceſſitatem, non tenetur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti emerſerunt, niſi à principio mutui ita conuenerint. Ratio; quia mutuatarius duplici tantùm titulo tenetur reficere damna ex mutuo emergẽtia,vel ratione pacti à principio contractus conſtituti, vel ratione moræ. In caſu autem poſito,nulla eſt talis conuentio,vt conſtat; mora verò in qua eſt,accidit abſq; vlla eius culpa,ergo mutuatarius hic ſolùm tenebitur ad reddendũ principale, minimè verò damna poſt moram ſine culpa eius ſubſequuta. Ita Leſſius *lib.2.c.20.dub.10.n.70.* Salon *2.2.qu.78.art.2.* Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar.diſp.16.qu.78.* & *79.* & alii apud Dianam, *p.2.tract.15.reſ.49.* nempe *Salas, Bonacina, Malderus, Rebellus*.

Leſſius. Salon. Fauſtus. Diana.

22. Qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi,illis non computatis in ſortem principalem, eſt vſurarius: quia qui ratione mutui accipit aliquid pecunia æſtimabile ſupra ſortem principalem,eſt vſurarius: atqui fructus pignoris ſunt pecunia æſtimabiles,ergo. Accedit quod res fructifera Domino ſuo debet fructificari, atqui pignus non eſt eius cui datum eſt,ſed illius qui dedit donec ſoluat, ergo debent fructus illius pignoris eſſe illius qui dedit, ac proinde ſi à retinente pignus accipiantur,deductis expenſis, & laboribus, in partem debiti computari debent, vt definitur *in c.1.* & *2. de vſuris*.

Sed quid de fructibus perceptis ex agro pro ſorte impignorato, quos mutuatarius non colligebat, nec colligere cogitabat? Reſpond. quòd ſi ager ille ſit omnino ſterilis ex natura terræ, induſtria verò,& diligentia pignoratarii aliquos fructus ferat,non tenetur illos referre in ſortem, ſed ſunt ipſius,cùm in hoc caſu ſoli induſtriæ ipſius fructus illi debeantur. Item qui tantùm expendit in pignore pro re ſibi debita tradito, quantùm vtilitatis ex eo percepit, non eſt vſurarius,etiamſi eam vtilitatem in ſortem mutuatam non computet. Si autem ille ager ſterilis quidem erat ex incuria,& ignorantia Domini,ex natura tamen fructifer, tunc pignoratarius non poteſt colens illum,ſi quos fructus ex eo colligit,facere ſuos,ſed tenetur deductis expenſis,& laboribus,deducere illos in ſortem, quia tunc non ſolùm induſtriæ ipſius, ſed fœcunditatis illius agri ſunt fructus, Ita Molina, *de contract. diſp.320.* Nauarrus, *in man.c.17.n.216.* Salon, *2.2.q.78.art.2.* Leſſius, *lib.2.c.20.dub.16.* & alii.

Molina. Nauarr. Salon.

Excipiuntur tamen duo caſus in quibus creditor non tenetur fructus pignoris in ſortem computare. *Prior eſt*, ſi feudatarius debeat aliquid Domino directo, eique in pignus tradat feudum: tunc enim Dominus directus feudi poteſt eius fructus percipere,ſorte manente integra,vt definitur ab Innocent. III. *in c.1. de feudis*, & ab Alexandro III. *in c. Conqueſtus, de vſuris*. Poſterior eſt,quando, Emphyteuta oppignerat Domino directo rem Emphyteuticam: tunc enim Dominus directus, etiamſi laicus ſit poteſt fructus rei illius percipere. Exiguntur tamen tres conditiones, vt licitè Dominus poſſit fructus iſtos percipere. *Primò*, quamdiu fructus percipit, non exigat obſequium, vel penſionem ſolitam. *Secundò*, vt non percipiat eos,quos prædium vel res producit,qua parte eſt melior effecta per induſtriam Emphyteutę. *Tertiò*, vt feudum, vel Emphyteuſis gratis,aut ferè gratis ſit conceſſa, & non ſit comparata magna pecuniæ ſumma, vel magis obſequiis antecedentibus: alias iniquum eſſet pactum illud de fructibus horum percipiendis. Ita Nauarrus, *in man.c.17.n.217.* & *218.* Couarruuias, *lib.3.var.c.1.* Conradus, *de contract.q.32.* Leſsius, *loc.c.dub.16.* & alii.

Innoc. III. Alex. III.

Nauarr. Couarr. Conrad. Leſsius.

23. Communis tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet,quòd ſi Socer velit ſoluere dotem, et Gener renuat eam recipere, ſed poſtulet vt ſit in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus percipiat,ſalua ſorte principali, eſt vſurarius. Ratio; quia tunc vult lucrum ex mutuo,quod eſt vſura; perinde enim ſe habet, ac ſi mutuaret ſocero pecuniam cum pacto aliquid recipiendi ſupra ſortem. *Similiter* vſura committitur à genero, qui accepta pecunia dotis, eadem mutuò tradit ſocero cum pacto, vt ſibi rem aliquam frugiferam tradat in pignus, non computando fructus in ſortem, et in ſolutionem principalis, niſi id faciat ratione lucri ceſſantis.

Quando autem Socer non ſoluit dotem Genero,ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, licet Genero fructus illius percipere non computando eos in dotem, vt illis ſuſtentet onera matrimonii. Sic enim definiuit Innocentius Tertius, *in c. Salubriter, de vſuris*, his verbis, *Sanè Generum, ad fructus poſſeſsionum, quæ ſibi à Socero ſunt pro numerata dote pignori obligata computandos in ſortem, non credimus compellendum: cùm frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.*

Innoc. III.

Ex quo textu ſequitur *Primò* Generum,cui dos fuit promiſſa,ſed non fuit traditum pignus frugiferum, poſſe cõuentionem facere cum Socero, vel aliis, ad quos pertinet dotem tradere, vt ſingulis annis aliquid tradant, donec perſoluta fuerit dos; licitum enim eſt aliquid exigere titulo lucri ceſſantis,aut ratione compenſationis debitæ pro ſuſtinendis oneribus matrimonii, donec dos perſoluatur. Ratio eſt,quia eſt natura contractus dotalis debet ſponſus recipere vel dotem,vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus ſuſtineat onera matrimonii, ergo quando nec dos,nec pignus aliquod fructiferum ei datur,ad illa leuanda, iure poteſt exigere aliquam penſionem annualẽ loco fructuum,quos ex dote,vel pignore erat recepturus. Vide Molinam, *de contract.diſp.321.* Bannem, Arragon, *in 2.2.q.78.art.1.*

Molina. Bann. Arragon.

Sequitur *Secundò*, Generum hos fructus poſſe ſeruare, etiamſi ex dilatione dotis nullum ei lucrum ceſſet, quia non conceduntur hi fructus ratione lucri ceſſantis, vt volunt plerique Doctores, ſed vi onera matrimonii, donec dos ſoluatur ſuſtententur; niſi de contraria ſoceri, vel alterius qui dotem dedit,intentione cõſtet. Ita Leſſius, *loc.cit. n.142.* citans Couarruuiam, *lib.3.var.c.1.n.3.* Si autem conſtet ſocerum pignus non dediſſe, niſi in ſecuritatem dotis, non poteſt gener fructus retinere, niſi ratione lucri ceſſantis: quia iſti fructus tunc pertinent ad ſocerum, neq; genero alia ratione ſunt debiti, vt ſupponitur.

Leſſius. Couar.

24. Quotieſcumque hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſequutam repetere,vt ſi propter moram recuperandi ſuam dotem vidua cogitur accipere pecuniam ſub vſuris, aut deſiſtit lucrari, quod aliàs ſua dote ſoluta lucrata fuiſſet. Ratio,quia non tenetur vidua etiam ditiſſima cum hoc ſuo detrimento expectare ſolutionem dotis.

Dubium tamen eſt,quando ex dilatione ſolutionis dotis vidua nullum intereſſe incurrit, an poſſit percipere fructus pignoris aut quantitatem ipſam pecuniarum? Quidã negant; quia fructus pignoris dotalis licitè percipiuntur ad leuanda onera matrimonii, ſed vidua ſoluto matrimonio non habet onera matrimonii, ergo. Tum quia tale pignus non ſolet dari niſi ad ſecuritatem. Ita Caietanus, *2.2. q.78.art.2.* Molina, *diſp.321.* Leſſius, *loc.cit.n.143.* Rectiùs docent alii poſſe, donec ſoluatur ei dos, ſicut poterat vir eius viuens durante matrimonio. Ratio eſt,quia maritus cum illo onere ſuſcepit dotem,aut pignus dotale, vt donec ei ſoluatur, alat vxorem,& eius familiam ſalua dote, ergo poteſt vidua ſoluto matrimonio vel ſeparata percipere illa alimenta pro ſe, & familia, quamdiu ſibi ſua dos non redditur: pignus enim dotale ſtat loco dotis, quamdiu illa non ſoluitur ergo poterit vidua percipere fructus illius pignoris non computando illos in dotem, ſicut percipiebat vir eius. Ita Nauarrus, *in comment. de vſuris, n.64.* Bannez, Salon, Arragon, *2.2.q.78.art.2.* quia vſque ad redditam dotem perſeuerat in marito onus ſuſtinendi onera coniugalia, ſalua dote. Vt tamen prædicta doctrina vera ſit, debent cõcurrere tres conditiones, quarum *Prima* eſt, vt vidua ſoluto matrimonio verè ſuſtineat onera matrimonii;

Caietan. Molina. Leſſius.

Nauarr. Bannez. Salon. Arragon.

quia

quia ſi fiat religioſa,vel reuertatur ad domum patris,& ab eo pro ratione ſui ſtatus exhibentur quæcumque ipſi,ſuęque familiæ cenſentur neceſſaria,non poteſt percipere fructus pignoris dotalis, quia ceſſat tunc cauſa propter quam poterat illos percipere. *Secunda*, ne ipſius culpa ſolutio differatur. *Tertia*, vt promiſſio dotis ſit abſolutè facta, quia ſi fiat ſub pacto vt fructus illius pignoris computentur in dotem,tunc nihil poteſt vltra dotem accipere.

25. Dubium eſt,an ſit vſurarius contractus vendere alicui fundum, vel domum, & reſeruare ſibi fructus annuales vel redditus donec ſoluatur pretium? Quorumdam affirmatiua ſententia eſt,quia dum transfertur dominium, res debet fructificare Domino ſuo,cuius periculo ſubſtat. Deinde in hoc caſu videtur aliquid accipi ratione dilatæ ſolutionis,quod vſurarium eſt. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis Nihilominus contraria in praxi eſt tuta. Ratio eſt, quia in hoc caſu vſuræ non dantur vt lucrum pretii non ſoluti,ſed in compenſationem,& vt ſeruetur æqualitas;cū enim venditor impleat contractum tradendo rem, debet emptor viciſſim implere tradendo pretium, vel implenti ſoluere fructus rei receptæ,ne ſequatur inæqualitas inter commutantes proprias res. Nam ſi emptor fructus percipit rei emptæ nondum ſoluto pretio, iuſtum eſt vt pretii vſuras vſque ad fructuum quantitatem venditori ſoluat, qui ei rem tradidit liberè, cùm ei tradere pretio non ſoluto minimè teneretur. Tum quia vſuræ recompenſatoriç omni iure admittuntur,cùm detur in recompenſam eius, quod iuſtè debitum erat eas recipiendi. Ita Sanchez, *in opuſc.tom.1.lib.1.c.7.dub.*21. Couarruuias,*lib.3.var.cap.4.* Diana,*p.4.tr.4.reſol.*139.& alii penes ipſos.

Couarr.
Dian.

26. Qui titulo donationis,vel emptionis accipit aliquid ab vſurario per vſuram extortum, tenetur,idem ſi ſit fructiferum cum ſuis fructibus reſtituere mutuatario, à quo vſurarius illud acquiſiuit per vſuram: quia vſurarius talis rei non habet dominium, & ideò non poteſt illud in alium transferre. Ita Bannez,Salon,2.2.*q.*78.*art.*3. Leſſius,*lib.*2.*c.*20.*dub.*19.*n.*165. Hoc tamen intelligendum eſt, quando inuito Domino hoc emeretur. Secus verò ſi ex conſenſu eius,ſaltem tacito, & præſumpto: vnde excuſandi videntur,qui emunt pignora & alia, quæ vſurarii paſſim in oppidis publicè vendunt; quia talia ſolent ſponte à mutuatariis relinqui per modum venditionis pro ſorte & vſuris,& ita dominium tranſit in vſurarium,quamuis teneatur pretium ſupplere.

Salon.
Leſſius.

Qui autem aliquo titulo gratuito, vel oneroſo accipit aliquid vſu conſumptibile,vt pecuniam,oleum,frumentū, & ſimilia per vſuras extorta ab vſurario habente alia bona;vnde reſtituat idem ſpecie,vel æquiualēs, peccat quidē mortaliter,vel venialiter iuxta maiorem,vel minorem moleſtiam, quæ ex eius receptione mutuatario infertur, ad reſtitutionem tamen illius non tenetur, quia in re vſu conſumptibili vſurarius quamuis non reddat eandem rem numero,ſatisfacit legibus iuſtitiæ reddendo eandem ſpecie, vel æquiualentem. Ita Bannez,Salon, *loco citato*, Valentia,*tom.3.diſp.5.q.21.punct.*3.& alii.

Qui titulo donationis,vel eleemoſynæ accipit aliquid vſu conſumptibile per vſuram extortum ab vſurario non habente alia bona vnde reſtituat,peccat contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem accepti obligatur:quia bona vſuraria, quando vſurarius non habet alia, quæ loco illorum reſtituat,ſunt omninò aliena,ergo,&c. Quando autem quis titulo gratuito,vel oneroſo accipit ab vſurario, vel fure aliquid eorum, quorum ipſe habet dominium, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: quia cùm talis res non ſit in ſe aliena,licet obnoxia ſit reſtitutioni,iniuria non infertur creditoribus, præſertim ſi huiuſmodi contractus vſurarium impotentem ad reſtituendum vſuram non efficiant. Porrò vſurarius non habeos bona niſi reſtitutioni obnoxia,poteſt validè emere domos,vel agros;in eorum pretium tradendo pecuniam,quam per vſuram extorſit: quia ex tali emptione poſſeſſionis, vel domus vſurarius non fit impotens ad ſoluendas vſuras. Tum quia contractus vſorarij ſunt validi,ſi exerceat negotiationem,in qua emendo, & vendendo lucratur; cùm per huiuſmodi contractus non efficiatur minus potens ad reſtituendum. Ita Sotus, *de iuſtit. lib.6.q.1.art.4.* Valentia,Bannez,Salon *locis citatis*, & alii communiter. Vide Bonacinam, *de contract. diſp.3. q.3. punct.14.n.3.* Sylnium, 2.2 *quæſt.78. art.3.q 2.*

27. Quando vſurarius non inductus, ſed ſpontè res ſuas etiam titulo gratuito alienat,qui accipit,non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiamſi ſciat ipſum per eiuſmodi contractus fieri impotentem ad ſoluendum: quia res illæ nemini ſunt reali obligatione obnoxiæ, ſed ſunt ipſius vſurarij, qui nullo iure eſt inhabilis ad transferendum earum dominium: ergo transfert reipſa,vt colligitur apertè *ex l.vlt.§.4.ff Quæ in fraudem creditorum*, & docent Molina, *diſp.* 327. & Petrus Nauarra, *lib.3.c.4.n.* 218 Arragon 2.2.*q.78.art.*3 Quando autem vſurarius inductus ad donandum,vel alienandum,donat, vel alienat, qui ab eo accipit, aduertens enim ſic reddi impotentem ad ſoluendum,tenetur ad reſtitutionem,ſi hæc impotentia ſit cauſa non ſoluendi. Ratio eſt,quia qui cauſam dat damni,damnum dediſſe videtur. Si tamen hæc impotentia non ſit cauſa,cur non ſoluat,non tenetur, vt ſi vſurarius ea eſſet induſtria,vt facilè poſſit tantumdem lucrifacere, & ſic reſtituere,tunc enim non impotentia,ſed negligentia eſſet cauſa non ſoluendi. Hic tamen qui prouocauit vſurarium ad dandum,vel alienandum, ſciens eum per hoc fortè impotentem, tenetur eſſe paratus ad reſtituendum quandocumque viderit illum velle ſoluere ſuis creditoribus, & per impotentiam, cuius ipſe ſua inductione eſt cauſa, impediri. Ratio eſt,quia in eo caſu ipſe eſt cauſa non ſoluendi,cùm ſit cauſa impotentiæ,propter quam vſurarius non ſoluit vſuras. Ita Leſſius, *lib.2.c.20.dub.19.num.*168.170. *&* 171.

Molina.
Nauarr.
Arragon

Leſſius

28. Vxor,filii,& ſerui vſurarii non habentis, niſi bona fœneratitia,& reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis vſurariis victum,& veſtitum capere,quia in tali neceſſitate aliena rapere licet. Extra caſum tamen extremæ neceſsitatis,vxor, & filij vſurarij, non poſſunt ex bonis permanentibus per vſuram extortis, quorum dominium in vſurarium non tranſit,qualia ſunt pignora fructifera,victum quærere. Quia cùm tam dominium,quàm fructus huiuſmodi bonorum ſemper maneant apud mutuatarium,recipere illa, vel fructus eorum ab vſurario,perinde eſt, ac recipere furtiua à latrone,quod extra extremam neceſsitatem nulli licet. Ita Nauarrus,*in man.c.17.n.*268. Rebellus,*de obligat.lib.8.q.16.ſect.*3. Bannez,2.2.*q.78.art.*3. & alii. Proinde filij vſurarij non habentis alia bona præter ea, quæ reſtitutioni ſunt obnoxia, ſi poſsint alijs ſeruiendo, vel proprio labore.& induſtria victum ſibi commodè, & honeſtè parare,non poſſunt illum quærere de bonis per vſuram acquiſitis: quia eos pater ſuſtentare non tenetur. Ita Rodriguez,*p.2.Summ. Latina,c.109.n.*8. Rebellus,*loco citato*.

Nauarr.
Rebell.

Rodrig.
Rebell.

29. Vxor,& filij vſurarij,qui ſuo labore, ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarem vſurarij impotentis ſoluere vſuras,vel alia debita quantùm inſumunt, licitè poſſunt de bonis vſurarii acquiſitis decenter viuere iuxta ſtatum patris vſurarii: quia ſi famuli ſeruitia conferentia ad tuenda,conſeruanda, vel augenda bona vſurarii vnde vſuræ ſunt reſtituendæ, impendentes, merentur victum,& mercedem, ergo vxor, & filij ſimilia ſeruitia vtilia exhibentes alimenta ſaltem merebuntur. Ita Molina, *de contract. diſp.*330. Rebellus,*lib.8.q.16.ſect.*3. Lopez,*lib.* 2.*c.*81.& alii.

Molina.
Rebell.
Lopez.

Quando vſurarius præter bona vſuraria habet alia iuſto aliquo titulo acquiſita,poſſunt vxor, & filii eius ex illis victum quærere: quia vſurarius iure naturæ tenetur illos alere,quando commodè poteſt abſque iniuria creditorum quod contingit; ſi habeat alia bona ſufficientia pro reſtituendis vſuris. Imò quando iuncta ſunt vſurarii bona per vſuram exorta,ſe incerta, quia eorum Domini facta diligenti inquiſitione ignorantur,poſſunt vxor, & filii tanquā pauperes ex illis etiam inconſulto Epiſcopo alimentari, vt docent Lopez,*loco citato*,Salon,2.2.*q.78.art.*3.& alii.

Lopez.
Salon.

Item vxor,quæ competentem attulit dotem,& ex bonis licitè acquiſitis ab vſurario, obnoxiis tamen reſtitutioni, licitè poteſt pro ſe, & ſuis filiis etiamſi non extremè indigeant neceſſaria alimenta ſuſcipere, ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno: quia ratione dotis acceptæ, vſurarius tantùm,vel magis obligatur ad alendam vxorē, & filios ſub ſua poteſtate conſtitutos, quàm ad perſoluendas vſuras. Ita Molina,*de contract.diſp.*330. Nauarrus, *in*

man.

Digitized by Google

man.c.17.n.268. & alii communiter. Et idem dicendum putat Nauarrus, quamuis dotem non admiſerit ob dictam rationem. Rectiùs tamen opinantur alii dicentes in hoc caſu vxorem, & filios, qui ſua induſtria, & labore non gerunt vtiliter negotium creditorum, non poſſe ex pecuniis vſurariis, ſi alia non ſuppetunt bona, ſibi victum capere, ſine obligatione reſtituendi ſic acceptum, cùm fuerint ſui iuris, & ad pinguiorem fortunam venerint: quia non eſt rationi conſentaneum de re aliena, cum iactura Domini, ſine intentione reſtituendi etiam in graui neceſſitate velle victum ſibi capere. Ita Bannez, *2.2.q.78.art.3.* Lopez, *lib.2.c.81.* Syluester, *v. Vſura, 8.n.3.* Tamen in hoc caſu non peccant mortaliter vxor, et filii de his bonis reſtitutioni obnoxiis, qui decenter viuunt iuxta ſuum ſtatum, ſi id faciant cum timore Domini, et non ſolùm pro neceſſitatis ſumant cum animo reſtituendi, quando poterunt: quia de hoc creditores debent eſſe rationabiliter contenti: et ideò tales non videntur vti re aliena inuito Domino ſecundũ ordinem rationis, vt docet Lopez, cum aliis.

Bannez. Lopez. Syluest.

30. Bona per vſuram extorta vſu conſumptibilia, non ſunt obligata pro vſuris ſoluendis obligatione reali, ſed perſonali tantùm, quando vſurarius habet aliunde bona iuſto titulo acquiſita ad ſatisfaciendum ſufficientia. Ratio; quia bona vſu conſumptibilia per vſuram extorta, cùm functionem recipiant, non ſunt eadem numero reſtituenda, ſed ſufficit, quòd alia ſimiliter æquiualentia reſtituantur, ergo non ſunt reſtitutioni obnoxia obligatione reali, ſed perſonali: quia obligatio realis ſemper comitatur eandẽ rem in indiuiduo, non autem in ſpecie. Si tamen vſurarius non habeat alia bona legitimè acquiſita, præter vſuraria, non poteſt illa conſumere, vel alienare pro ſua voluntate, ſed tenetur illa eadem reſtituere. Ratio; quia non habet alia, quæ loco illorum valeat reſtituere, ergo in tali caſu iſta bona ſunt etiam obnoxia reſtitutioni obligatione reali. Proinde de pecunia habita per vſuram, vel furtum, poteſt fieri eleemoſyna, ſi fur, vel vſurarius proponat reſtituere æquiualentem, et habeat vnde reſtituat, nec dando reddat ſe impotentem ad ſufficienter reſtituendum. Ratio; quia parum intereſt mutuatarii, an reſtituatur ſibi eadem res, vel alia, vel eius pretium. Ita Bannez, Arragon, Salon, *2.2.q.78.art.3.* Syluius, *ibidem, quæſit.3.*

Bann. Arragon Syluius.

31. Famuli, qui miniſtrando vſurariis alia bona non habentibus, ex quibus poſſint vſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantùm emolumenti afferunt bonis talium vſurariorum, quantùm pro victu, veſtitu, et ſtipendiis inſumunt, non peccant, nec ad reſtitutionem faciendam obligantur: quia ex eo vſurarii non efficiuntur impotentiores ad reſtituendum vſuras. Ita Toletus, *lib.5.c.35.n.5.* Rebellus, *p.2. de obligat. lib.8.q.16.sect.3.* Lopez, *lib.2. de contract. c.81.* et alii.

Toletus. Rebellus Lopez.

Famuli verò, qui inſeruiunt vſurariis, qui non habent alia bona, quàm vſuraria vel reſtitutioni obnoxia, et nihil eis per ſuum famulatum afferunt vtilitatis, aut commodi temporalis, quales ſunt qui eis ſolùm famulantur ad faſtum, et pompam, nihil poſſunt ab eis in pretium ſtipendii recipere, et ſi recipiant peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi acceptum, ſiquidem facilè intelligere poterant, vſurarios per talis ſtipendii ſolutionem, fieri impotentes ad ſoluendas vſuras. Ratio; quia cùm mala fide tale ſtipendium accipiant, non minùs peccant, et tenentur ad reſtitutionem, quàm accipientes à fure rem, quam norunt eſſe furtiuã. Ita Nauarrus, *c.17.n.270.* Rodriquez, *p.2 Summ. Latina, c.109. n.10.* Arragon. *2.2.q.78.art.3.* et alii.

Nauarr. Rodriq. Arragon

Qui ſciunt vſurarium non habere alia bona, quàm fœneratitia non poſſunt locare illi operas ſuas, nec artifices, vt ſutores, calcearii, ferrarii, et ſimiles poſſunt, aliquid ab eo accipere in pretium rerum ſuæ artis quibus non indiget extremè. Ratio, quia cùm vſurarius nullum habeat illorum bonorum dominium, neque alia, quæ loco illorum reſtituat nulla ratione poteſt in aliquem illorum vſum, et dominium transferre, ac proinde qui ex eis aliquid ab eo accipit, tenetur illud in conſcientia creditoribus reſtituere. Secus, dicendum de illis; qui bona fide locant operas ſuas, vel alium contractum cum eo ineunt, ignorantes impotentiam illius ad reſtituendum vſuras, hi enim licitè ab vſurario poſſunt recipere iuſtum ſtipendium etiamſi iſtam impotentiam poſt operas impenſas ante ſolutionem reſciant. Ratio; quia ſicut vſurarius eos à quibus vſuras extorſit creditores habet, ſic etiam prædictis debet miniſtris iuſta ſtipendia, ergo vt alii poterunt ab eo ſolutionem iuſti ſtipendii recipere, vt docent Molina *de contract. diſp.330.* Medina, *q.4. de vſura, ad tertium principale*, Rebellus, *p.2.lib.8. quæſit.16. sect.3.* & alii.

Molin. Medi. Rebe.

32. Notarius, qui bona fide conficit inſtrumentum ignorans illud eſſe vſurarium, quia iudicat iuxta ea, quæ in contrahentibus videt, eſſe iuſtum, & honeſtum, ſed reuera eſt iniquum, & vſurarium, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: quia Notarius tenetur ex officio præſtare fidem ſuam inſtrumentis, ad quæ vocatur, niſi videat illa eſſe iniqua, & vſuraria: In hoc autem caſu, cùm bona fide conficiat inſtrumentum, nullam agnoſcens iniquitatem, præſtat quod ſui muneris eſt ſine vlla fraude vel dolo, ergo. Ita Molina, *de contract. diſp.331.* Sotus, *de iuſtit. lib.6.q.1.art.4.* Bannez, Salon, *2.2.q.78.art.3.* Si tamen Notarius conficiens inſtrumentum ſuſpicetur ibi latere vſuram, vel aliam iniuſtitiam, tenetur illud indicare contrahentib. & ſi ex narratione partium probabiliter colligat, ibi nullam eſſe vſuram, deponat dubium conficiatque inſtrumẽtum. Quod ſi ex qualitate contrahentium, & modo contractus prudenter dubitet de inſtrumento, an ſit vſurarium, vel iniuſtum, non conficiat tale inſtrumentum, et quia in re adeò prudenter dubia, non tenetur Notarius exercere ſuũ officium in fauorem ciuium. *Si tamen* conficiat inſtrumentum vſurarium, in quo vſura non exprimitur, ſed palliatur in fauorem tantùm mutuatarii petentis mutuò pecunias, non videtur obligandus ad reſtitutionem, quamuis grauiter peccet contra iuramentum factũ in munere tabellionis ſuſcipiendo. Ratio eſt, quia tunc non eſt cooperator vſurarii, cùm non ſit inductus ab ipſo, nec negotium illius agat, ſed cooperator potiùs eſt mutuatarii, agens negotium eius, liberetur ab alia neceſſitate accedit, quòd ſcienti, & conſentienti ſine vlla vi, vel fraude non fit iniuria. *Secus* dicendum ſi tale inſtrumentum faceret inuito mutuatario, tunc enim teneretur ad reſtitutionem, ſi ob id mutuatarius cogatur ſoluere vſuras: quia Notarius ille ratione ſui inſtrumenti eſt cauſa moralis, cur vſura ſoluatur, vel ſoluta non repetatur. Et hæc dicta ſunt pro prouinciis, in quibus mutuatarii coguntur ſoluere vſuras. Ita Leſſius, *lib.2.c.20.dub.21.n.180.* Emanuel Sà, *v. Vſura, n.12.* Nauarrus, *in man.c.17.n.276.* Bannez, Arrag. *in 2.2.q.78.art.3.* Sotus, *de iuſtit. lib.6.q.1.art.4.* Molina, *de contract. diſp.331.* & alii apud Bonacinam, *de contract. diſp.3.q.3.punct.15.n.12.*

Molin. Soto. Sa. Nau. Bann. Arra. Soto. Moli. Bona.

33. Teſtes, qui ſcienter interueniunt contractui vſurario tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſicut dictum eſt de Notariis, cùm contractus huiuſmodi abſq; teſtibus non valeant. Limita, niſi hoc faciant bona fide, aut conſentientibus mutuatariis. Ita Nauarrus, *c.17.n.277.* & alii numero præcedenti citati.

Nau.

34. Crimen vſuræ iuxta quoſdam poteſt cognoſcere Iudex laicus, ſiue de iure, ſiue de facto quæratur; Sed verior, & communior Doctorum tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia docet vbi conſtat contractum aliquem vſurarium eſſe, huiuſmodi delictum eſſe mixti fori, ita vt ſit locus præuentioni, poſſeque huius delicti reũ, tam ex mandato Iudicis Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis cõpelli ad reſtitutionem vſurarum, ſi quas acceperit, & ratione illius delicti puniri. Si verò dubium fuerit, an contractus ſit vſurarius, pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum declarare, an contractus ille in Iudicium Eccleſiæ tanquã ſuſpectus de vſura vocatus vſurarius ſit, & reum, ſi in labem iniquitatis vſurariæ inciderit, ad reſtitutionem compellere, & punire. Quæ omnia communi vſu Tribunalium Eccleſiaſtici, & ſæcularis obſeruantur. Ita Salon *in 2.2.q.78.art.3.contr.vlt.* quem ſequuntur Bonacina, *de contract. diſp.3.q.3. punct.vlt.n.2.* Syluester, *v. vſura, 9.n.1.* Reginaldus, Azorius, & alii citati à Diana, *p.1.tr.2.reſ.78. & p.9.tr.9.reſ.15.* Qui nouiſſimus putat Iudicem Eccleſiaſticum poſſe præcipere iudici ſæculari ſub pœna excommunicationis, quod ſuperſedeat exequutioni contractus, donec decidatur, an ſit vſurarius, nec ne. Et hæc addita de mutuo, et vſura ſufficiant.

Salon. Bona. Sylue. Regi. Dian.

Digitized by Google

Vide tom. 1. v. Aſſecuratio, *n.* 4. Depoſitum, *n.* 9. Fideiuſſio, *n.* 5 et hoc tom v. Iuramentum, *n.* 27. Locatio, *n.* 8. Mendacium, *n.* 8. Mons pietatis, *n.* 4. Reſtitutio in integrum, *n.* 3. Scandalum, *n.* 3. & 4.

N

NEGOTIA GESTA.

SVMMARIVM.

1 *Quid negotia geſta? & negotiorum geſtor.*
2 *Negotium alienum vt quatuor modis geri poſſit.*
3 *Ex qua culpa teneatur negotiorum geſtor? & an ex caſu fortuito.*
4 *Quaſi obligatio ex parte negotia gerentis, & ex parte eius cuius negotium geſtum eſt? Quid quando quis putans ſe agere negotium vnius geſſit alterius.*
5 *Ad quid teneatur incipiens gerere negotium, & poſtea imperfectum relinquens.*
6 *Ad quas expenſas teneatur is, cuius negotium geſtum eſt.*
7 *An qui fecit expenſas alicui animo gratuito, & liberali, poſſit poſtea mutare propoſitum, & illas petere actione negotiorum geſtorum.*
8 *Quod diſcrimen ſit inter negotiorum geſtorem, & procuratorem, & mandatarium.*
9 *Ex quibus aliis quaſi contractibus oriatur actio negotiorum geſtorum.*
10 *Pupillus ad quas expenſas teneatur tutori, & extraneo actione negotiorum geſtorum.*

1. NEgotia geſta dicuntur, cùm abſque mandato formaliter aut virtute negotium alterius vtiliter geritur; ſi verò præcedat mandatum formaliter aut virtute, non erit contractus negotiorum, ſed mandati. Negotiorum geſtoris, dicitur, qui negotia alterius vtiliter gerit abſque eo quod de iis habeat ab illo mandatum formaliter aut virtute; quia tum res ipſa, tum bonum commune poſtulabat, ne res & negotia abſentia & minorum damnum paterentur, ideò ſtatutum eſt, vt vtrinque oriretur obligatio, ideoque exiſteret hic quaſi contractus negotiorum geſtorum. *Inſtitut. de obligat. quæ ex quaſi contractu naſcuntur.*

Requiritur autem in hoc quaſi contractu abſentia, nam ſi præſens fueris & permiſeris alium tua negotia gerere, eo ipſo videris mandare, & oritur contractus mandati, *l. ſi remunerandi, §. ſi paſſus, ff. Mandati.*

2. Negotium alienum quatuor modis geri poteſt. *Primo*, cura & officio, vt gerunt tutóres, curatores, procuratores, adminiſtratores. *Secundo*, reipſa, cùm in vtilitatem alterius aliquid impenditur, etiamſi eius intuitu factum non ſit. *Tertiò*, Ratihabitione, nempe, quando quòd tuo nomine geſſi, ratum habes, & niſi ratum haberes, nihil ad te pertingeret. *Quartò*, ipſa negotii geſti actione, vt ſi quis creditori alterius ſoluat eo abſente vel ignorante. Item in hoc quaſi contractu nihil refert, ſi aliquis gerat negotia alterius ſiue per ſe, ſiue per alium: poteſt enim qui negotia gerit, ſicut & procurator aliquem ſubſtituere ad negotia gerenda, ſuo tamen periculo, *l. Nam & ſeruius, §. final. ff. de negotiis geſtis.*

3. Qui gerit negotium alterius, tenetur ſolùm ex dolo & lata culpa, quando negotium geſtum in bonum ſolius abſentis eſt; ſi verò ſit in bonum vtriuſque, tunc etiam tenetur de culpa leui: ſic eſſe ſolet in procuratoribus, qui ſtipendio negotia aliorum gerunt, *Inſt. §. igitur, de obligat. quæ ex quaſi contractu naſcuntur.*

De caſu autem fortuito regulariter non tenetur, *l. Negotium, C. de negotiis geſtis*, niſi in ſex caſibus iuxta Gloſſam, *in l. ſi negotia, ff. de negotiis*, *Primò*, ſi geſſerit negotia pupili. *Secundo*, ſi acceſſerit animo deprædandi. *Tertiò*, ſi acceſſit ad negotia inſueta, quæ alius non eſt ſolitus gerere. *Quarto*, ſi caſum fortuitum in ſe recipit ſpecialiter. Gloſ.

Quinto, ſi culpa præceſſit caſum, *Sexto*, ſi fuerit in mora. De quibus Azorius, *p.* 3. *lib.* 11. *c.* 24. *dub.* 1. & 2. Azorius.

4. Ex parte negotia gerentis oritur obligatio ad reddendam rationem eorum, quæ geſſit, atque ad ſoluendum ſi aliquid peruenit ad ipſum ex negotio geſto, vt fructus rei adminiſtratæ, pecuniam receptam ab eius debitoribus, &c. Huic autem obligationi reſpondet in eo, cuius negotium geſtum eſt, actio directa aduerſus negotium geſtorē. Ex parte eius cuius negotium geſtum eſt, oritur obligatio ad ſoluendas expenſas in ipſius bonum factas. Nomine autem expenſarum etiam intelligitur valor induſtriæ & operarum appoſitarum. Cui obligationi reſpondet in geſtore negotiorum actio contraria aduerſus eum cuius negotium eſt. Ita colligitur *ex l. ſi remunerandi, §. 1. ff. mandati. & ex §. 1. inſtitut. de oblig. quæ ex quaſi contract.*

Quando quis putans ſe agere negotium vnius, geſſit negotium alterius, quia res illa ad alium pertinebat, & nō ad eum cuius intuitu negotium geſſit, reſultat nihilominus ex eo negotio geſto actio negotiorum geſtorum inter eum, cuius res illa erat, et negotii illius geſtorem, *l. ſi cum putaui, l. Liberto, §. 1. ff. de negot. geſt.* Item, ſi quis nomine alterius recipiat aliquid, ſiue ei, cuius nomine id recipit, eſſet debitum, ſiue non, ſi is, cuius nomine id eſt receptum poſtquam rem ſciuit, ratum id habeat, oritur inter recipientem et hunc actio negotiorum geſtorum, vt is cuius nomine eſt receptum, ſoluat expenſas, *l. ſi pupilli, §. item quæritur, ff. de negot. geſtis.*

5. Si quis habeat res multas, quæ adminiſtrentur, vel negotia multa, quæ gerantur; et aliquis gerat vnum eorū, et reliqua omittat quę à nullo gerantur, regulariter non tenetur de his quæ non geſſit: quia negotiorum geſtor habet libertatem incumbendi iis, quæ voluerit, et de aliis non curare, ſua enim ſponte negotia adminiſtrat. Non ſic Tutor, vel Curator, vel Mandatarius. Tamen in caſu quo alius geſturus erat negotia omnia abſentis, et quia ipſe quædam voluit et non alia, ille nullum voluit adminiſtrare; vtique ſi conſcius erat, quod adminiſtrando quædam, impedimento erat eo modo, ne omnia adminiſtrarentur, tenetur de non adminiſtratis. *l. ſi pupilli, §. videamus, ff. de negot. geſtis.* Hinc incipiens gerere negotium et deſiſtens ab eo antequam perficiatur, tenetur de damno ea de cauſa ſubſecuto: quia cenſetur initus quaſi contractus inter vtrumque de eo gerendo, et perficiendo, *l. in commodato, §. ſicut, ff. commodati.*

6. Quando his, cuius negotium geritur, expreſsè ſignificauit, ne alius ipſius negotium gereret, non tenetur ad expenſas factas poſt admonitionem, etiamſi vtiliter negotium geſſerit, ad factas ante tenetur, *l. final. Cod. de negotiis geſtis*. Si nulla præceſſit admonitio et negotium alioqui vtiliter geſtum eſt, tenetur expēſas ſoluere, *l. ſi ex duobus, ff. de negotiis geſtis.* Satis eſt autem fuiſſe negotium vtile à principio cùm geri ceptum eſt, quamuis poſtea per accidens caſu fortuito, aut alia ratione vtilitas effectum non fuerit ſortita. Vt ſi quis vtiliter domum abſentis reficiebat, quæ ruinam minabatur, et caſu, aut malitia alterius poſtea exuſta ſit, reſtituendæ ſunt expenſæ factæ in ea reficienda. Si autem negotium à principio vtiliter non fuit geſtum, vt quia maiores ſumptus fecit in re aliqua, quàm eſſet vtilitas, quæ ex eis ſumptibus eſſet ſperanda, tunc is, cuius erat tale negotium, non tenetur ad eos ſumptus, niſi iuxta valorem ſubſecutæ vtilitatis. Quando autem quis deceptus eſt putans ſe vtiliter gerere negotium alterius, et tamen reuera vtile non erat geri id negotium, non tenetur is cuius negotium eſt geſtum, ſoluere eas expenſas, *l. ſed an vltro, l. ſiue hæreditas, ff. de negotiis geſtis.* Ita Molina, *de contract. tract. 2. diſput. 554.* Azorius, *p. 3. lib. 11. cap. 24. dub. 3.* Molina, Azorius.

7. Quando aliquis gratis, animoque liberali expendit aliquid in alterius commodum, idque vel ex pietate, vel ex domeſtica affectione, vel denique quacumque alia ratione Dei intuitu, et eleemoſynæ, aut ex amicitia, non poteſt mutare animum poſt tale negotium liberaliter in bonum illius geſtum, et petere expenſas illas actione negotiorum geſtorum. Ita habetur, *lib. 1. l. Alimenta, l. ſi filius, l. ſi paterno, Cod. de negotiis geſtis.* Ratio eſt, quia eo ipſo eas donauit, et conſequenter non poteſt petere pretium. Si non fecit animo gratuito et liberali, ſed potiùs animo com-

Digitized by Google

compenſationem exigendi, tunc poteſt exigere id quod expendit, qnia tunc vtiliter quodammodo geſſit negotium illius. In dubio res iudicanda eſt circumſtantiis, ex quibus colligendus eſt animus negotium gerentis, qualis fuerit. Tamen qui habet animum gerendi negotium alterius gratis, poteſt antequam incipiat, mutare animum, & ſic poſtea perere mercedem negotiorum geſtorum. Si verò cœpit animo gerendi negotium gratis, & poſtea cùm nondum perfectum eſt, mutauit animum, poterit mercedem petere ab eo tempore, quo mutauit, non autem à primo tempore. Ita Azorius, *loco citato, dub.* 4. Vide Layman, *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 28. *n.* 3.

Azorius. Layman.

8. Diſcrimen inter negotiorum geſtorem, & procuratorem, eumve, qui ad id habet mandatum, hoc eſt, quòd negotiorum geſtor, neque dominium, neque poſſeſſionem ei comparat, cuius negotium gerit, ſed id pendet ex ratihabitione & acceptatione eius, cuius intuitu id negotium geſſit; eo quòd nunquam eum loco ſui in eo negotio conſtituerit: procurator verò, & vniuerſim, qui mandatum habebat, cùm conſtitutus ad id ſit voluntate eius, cuius negotium gerit, comparare illi poteſt poſſeſſionem, ac dominium. Ita Panormitanus, *in c. Accedens, de præbendis*.

Panorm.

9. Ex aliis quaſi contractibus, de quibus fit mentio, *in Inſtitutis de obligat. ex quaſi contract. §. Item ſi inter*, oritur actio negotiorum geſtorum. *Primo*, quando aliqui abſque ſocietate habent rem aliquam communem, vt ſi vtrique donata ſit. Si enim vnus eorum fructus ex ea percipiat, tenetur alteri actione directa ad dimidium deductis expenſis, non quidem ex contractu, cùm nullus contractus inter eos præceſſerit, ſed ex qnaſi contractus.

Secundò, Inſtitut. *loco citato, §. hæres quoque*, numeratur inter quaſi contractus, obligatio hæredis, qui eo ipſo quòd hæreditatem adit, tenetur legatarijs ad legata, & creditoribus ad debita defuncti, non quidem ex contractu, ſed quaſi, quia iuris diſpoſitione, eo ipſo, quòd hæreditatem adit, reſultat in eo obligatio ſoluendi legata, & debita defuncti, ſaltem iuxta vires hæreditatis.

Tertio, Inſtitut. *ibidem*, §. *item is*, ſubiungitur exemplum quaſi contractus in eo, qui errore ſoluit quod non debebat: nam in euentibus, in quibus repetitio illius tanquam minimè debiti ei conceditur, competit ſibi actio non ex contractu, quia nullus inter ipſum & accipientem interuenit, ſed ex quaſi contractu. Vide Molinam *diſp.* 555.

Molina.

16. Pupillus tenetur tutori actione negotiorum geſtorum pro expenſis neceſſarlis, quas fecit in ipſius negotiis. Nomine autem expenſarum neceſſariarum intelliguntur illæ, quæ ceptæ ſunt fieri ab initio in maiorem pupilli vtilitatem euidenter, etiamſi deinde fortuito incendio vel ſimili caſu effectus impeditus fuerit. Ad aliàs autem expenſas, quas tutor ex officio facere non tenebatur, pupillus non tenetur, niſi quatenus eſſet factus ex iis locupletior; quod tamen in iure non comparitur conceſſum Minoribus. Vnde ſi tertius aliquis negotium pupilli gerat, & faciat expenſas neceſſarias, tenebuntur ei tutor, & pupillus actione negotiorum geſtorum; ſi vtiles tantùm primo aſpectu, tutor tenetur ad eas integras; pupillus tantùm quatenus ex ijs factus eſſet ditior, *Inſtitut. de oblig. qua quaſi ex contract. §. tutores*, & *l. ſi pupilli, iuncta gloſſ. vlt. ff. de negot. geſt.* Molina, *de contract. diſp.* 555. & alii.

Molina.

NOTARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Quis creare poſſit notarium? & quomodo in illo neceſſaria ſint ſcientia, obligatio, veritas, fidelitas, & iuſtitia; & hic de primo.*

2 *Qua ſit obligatio Notarij.*

3 *In quo conſiſtat veritas, & fidelitas requiſita in Notario?*

4 *An iuſtitia requiſita in Notario conſiſtat in conficiendo inſtrumento, & in iuſto pretio exigendo.*

5 *An Notarius poſſit pretium iniuſtum, aut aliquid vltra taxam exigere? & inde peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem.*

1. NOtarius creari poteſt à Papa, Imperatore, Rege, & Republica non agnoſcente ſuperiorem, & Ducibus habentibus iura Principum, & ab Epiſcopis in Eccleſiaſticis per rotam diœceſim eorum. *Quinque* neceſſaria ſunt in Notario publico, *ſcientia*, *obligatio*, *veritas*, *fidelitas*, & *iuſtitia*. *Notarius*, qui aliàs vocatur tabellio, tabeliarius, tabularius, ſcriba, tenetur habere ſcientiam ſaltem mediocrem earum rerum, quæ ad officium pertinent, vnde ſi ex eius negligentia, vel ignorantia pars aliquod damnum patitur, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem; ſcire etiam debet clauſulas apponi ſolitas in contractibus, aliaſq; ſolemnitates, quæ ſeruari, & adhiberi debent & ſolent, vt Authenticum ſit inſtrumentum; vt ſunt inuocatio nominis Dei, Annus eiuſdem, Indictio, dies, menſis in quo celebrantur contractus, locus, in quo legitur inſtrumentum, teſtes, nomen, & ſignum tabellionis Clauis Regia, *lib* 12. *cap* 25. *num.* 1. & 2. Filliucius, *tract.* 40. *cap.* 10. *q.* 10. Toletus, *lib.* 5. *cap.* 61. Bonacina, *tom.* 2. *d.* 10. *quaſt.* 3. *p. vlt. n.* 1. Reginaldus, *l.* 25. *n.* 684. & alii.

Clauis regia. Filliuc. Toletus Bonacina Regin.

2. *Obligatio notarij* eſt conficere inſtrumenta & conſcribere acta de quibus rogatus fuerit, quia eſt perſona publica, quæ Regis ſeu Reipublicæ delegatione habet munus iſtud publica conſcribendi inſtrumenta: in principio enim ſui officij iurare ſolet, ſe confecturum inſtrumenta ſine diminutione veritatis & commiſſione falſitatis, quando requiſitus fuerit. Clauis regia, *cit. num.* 3. Filliucius, *cit. num.* 299.

Clauis regia. Filliuc.

3. *Veritas & fidelitas* requiſita in notario conſiſtit, *Primò*, vt caueat ab omni falſitate, falſitas eſt *mutatio veritatis cum dolo & malitia*; ne ſcilicet fingat ea, quæ inter partes acta non ſunt, & ne ex malitia aliquid addat, mutet, aut detrahat, quo inſtrumentum falſificetur: ſic enim vltra peccatum graue quod committit, tenetur ad reſtitutionem damni inde ſecuti. *Secundò*, debet obſeruare verba, & ea ſcribere ſecundùm quod partes dixiſſe & non intellexiſſe cognoſcit. Nauarrus, *cap.* 25. *num.* 53. Toletus, *lib.* 5. *cap.* 61. Clauis regia, *cit. num.* 7. & 8. *Tertio*, tenetur ſeruare apud ſe copiam & originale omnium inſtrumentorum, neque hoc aliqui dare, ſed petentibus ſolùm concedat tranſumptum, alioquin tenetur de damno illato. *Quartò*, non debet inſtrumenta occultare petentibus aut indigentibus, quibus illud implere incumbit, ſed vltrò illis etiam manifeſtare, vt illa impleant, maximè ſi contineant legata. *Quintò*, tenetur Notarius certiores facere partes de obſcuris, et præcipuè mulieres et perſonas ſimplices, alioqui eſt in dolo. *Sextò*, debet Notarius conficere acta de his, quę duobus ſenſibus percipiuntur, ſcilicet viſu et auditu; vnde ſi ſcribat in inſtrumento pecuniam fuiſſe numeratam, quę reuera non fuit, tenetur pœna falſi: quamquam non peccaret, ſi dum partes fateantur ſe pecuniam recepiſſe, ſcribat pecuniam acceptam fuiſſe, quamuis reipſa accepta non fuerit, nam perinde eſt, ac ſi pecunia accepta fuerit, cùm pers iuri ſuo cedat. Toletus, *cit.* Clauis regia, *c. n.* 9. Bonacina, *cit. n.* 3. Reginaldus, *cit. n.* 681.

Nauar. Toletus. Clauis regia. Toletus Clauis regia. Bonacin. Regin.

4. *Iuſtitia* requiſita in Notario, in duobus conſiſtit, *nimirum*, in conficiendo inſtrumento, et in iuſto pretio exigendo: *Circa primum* de conficiendo inſtrumento, cauere debet, ne faciat inſtrumenta illicita et iniuſta, neque inſtrumenta palliata, ſub nomine iuſti contractus, aut ſuper rem iniuſtam: ſic enim vltra peccatum tenetur ad reſtitutionem: *Item* ne faciat inſtrumenta prohibita, vt ſunt inſtrumenta vſuraria, vel prohibentia vſuras repeti: *Item* inſtrumenta contra libertatem, Eccleſiæ; Notarius enim tale inſtrumentum faciens, peccat mortaliter, et excommunicandus eſt. *Item* Notarius conficiens teſtamentum nuncupatiuum alicuius non ſanæ mentis peccat, et tenetur reſtituere legitimis hæredibus ſi hoc ſcienter faciat. Clauis regia, *cit. num.* 12. 13. & 14. Toletus, *lib.* 1. *ca.* 61. Nauarr. *c. n.* 54. Regin. *l.* 25. *n.* 691. Bonac. *c. n.* 4. & 5. et alii.

Clauis regia. Toletus Nauar. Bonac. Regin.

5. Notarius non poteſt pretium iniuſtum, aut aliquid vltra taxam exigere, dum pretium à lege taxatum eſt; et ſi aliquid vltra taxam in notabili quantitate accipiat, peccat mortaliter contra iuſtitiam, et tenetur ad reſtitutionem

excesſus,

exceſſus,niſi fortè exceſſus dono ſibi traditus ſit: quando autem lege ſancitum eſt, vt notarius aliquid vltra taxam non accipiat,etiamſi ſpontè offeratur,peccat quidem notarius ſi aliquid vltra præſcriptum accipiat occaſione ſui officii,ſeu ratione ſcripturæ, facit enim contra legem & contra iuramẽtum de ſeruanda lege pretii;niſi aliquid accipiat ob laborem & induſtriam extraordinariam: non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia lex tãtum vetat receptionem,non verò præcipit reſtitutionem rei acceptæ. Nauarr. Toletus. Regin. Clauis regia. Rodrig. Fernand. Nauarrus,*citato numero quinquageſimo quarto*, Toletus *citato numero ſexageſimo primo*, Reginaldus, *citato numer.* 694. Clauis regia, *libro decimo ſecundo, capite vigoſimo quinto, numero decimo octauo, & ſequenti*, Rodriguez, *quæſtione ſecunda, capite ſecundo*, Fernandez, *p.4.c.*13.§.2. & *alii*.

De Notario,vide hoc tom. verb. Simonia,3. *n.*5. Irregularitas,5.*n.*3.Vſura,6.*n.*5.

NOVATIO Et Delegatio.

SVMMARIVM.

1 *Nouatio vnde dicta & quid ſit.*
2 *Quomodo nouatio fiat.*
3 *Quomodo olim præſumebatur facta nouatio.*
4 *Delegare quid ſit, & quid in delegatione requiratur.*

1 NOuatio à verbo nouo eſt dicta, & à noua obligatione,quæ loco prioris ſuccedit, & ſic definitur Vulpian. ab Vlpiano, *eſt prioris debiti, ſeu obligationis in aliam obligationem,vel ciuilem,vel naturalem,transfuſio, atque tranſlatio,ita vt prior perimatur.* Neq; intereſt qualis obligatio præceſſerit,nũ naturalis tantùm,an ciuilis, & tum verbis,re aut conſenſu contracta, quoniam quæcumque nouari poteſt verbis,nempe ſtipulatione,*lib.*1.*ff.de nouationibus*.

2. Nouatio fit multipliciter,vel mutata perſona in ſecunda obligatione, vt ſi alius conſtituatur debitor eiuſdem quantitatis,ſiue hic eſſet debitor prioris debitoris,ſiue non. Vel adhibito aut remiſſo fideiuſſore; vel accepto,aut remiſſo pignore; vel facto augmento, aut decremento in quantitate debita;vel variato termino in priori obligatione conſtituto; vel appoſita conditione in poſteriori obligatione,cùm prior obligatio facta eſſet purè aut è contra; & denique factis his,aut aliis variationibus,animo tamen innouandi fit nouatio. Tamen quando conditio apponitur in poſteriori obligatione, cùm prior facta eſſet purè, idque animo nouandi, cenſetur tunc facta nouatio ſi conditio exiſtat: ſi enim deficiat, manet prior obligatio, ac proinde non cenſetur facta nouatio. Item ſi prior obligatio fuit ſub conditione, & ſecunda purè, non priùs cenſetur facta nouatio, quàm conditio prioris obligationis impleatur: ſi enim deficiat, euaneſcit poſterior obligatio, niſi contrarium in pactum deductum ſit.

3. Olim iuris diſpoſitione ex variationibus pleriſque dictis præſumebatur facta nouatio: quoniam præſumebantur factæ animo nouandi extinguendique priorem obligationem & commutandi illam in poſteriorem, Ita habetur *l.vlt.in princip.Cod.de nouat.* Hodie verò ſancitũ eſt,vt facta quacumque variatione in ſecunda obligatione,non cenſeatur facta nouatio,ac proinde nec cenſeatur extincta prior obligatio,niſi contrahentes explicant,ſe animo nouandi efficere ſecundam obligationem, ſed vt cum priori obligatione maneat ſecunda. Ita §. *præterea, verſic.adeo noſtra,Inſtitut.quibus modis toll.obligat.* Itaque ex vtraq; obligatione, aut inſtrumento reſultat obligatio comparatione creditoris; tamẽ ſi in poſteriori obligatione,aut pacto exprimatur aliquid minui de priori obligatione,ad id non tenebitur iam prior creditor.

4. Delegatio ſeu delegare *eſt vice ſua alium dare reum creditori,vel cui creditor iuſſerit.* Ita Vulpianus,*l.delegare, ff.de nouat.* quare ex communi ſententia,ad delegationem ſatis eſt, vt qui delegatur, de mandato delegantis ſe conſtituat reum,hoc eſt, debitorem creditoris delegantis pro delegante,ſuſcipiendo in ſe debitum delegantis,eſt o ipſe non eſſet debitor delegantis. Eſt autem delegatio ſpecies quædam nouationis; & fieri debet ſtipulatione, ſtipulatore creditore delegantis, & promittente delegante. De quibus plura apud Molinam, *tractatu ſecundo, diſputat.*559.

NOVITIATVS NOVITIVS.

SVMMARIVM.

1 *In quo loco nouitij educari debeant iuxta decreta Clementis Octaui, & Vrbani Octaui.*
2 *An ingrediens Religionem debeat mutare habitum? Et quotuplex ſit habitus Religioſorum.*
3 *Quæ ætas requiratur ad nouitiatum.*
4 *Parentes an poſſint filium impuberem Religioni offerre.*
5 *Amentes & furioſi an ad probationis habitum admitti poſſint.*
6 *Quando quis compos religionem ingreditur, & poſtea in amentiam incidit,an tempus amentiæ computetur in nouitiatus anno.*
7 *An coniux qui dedit alteri licentiam religionem ingrediendi, poſſit illam reuocare antequam alter profiteatur.*
8 *An ingreſſus vnius coniugis in Religionem factus ſine licentia alterius, poſſit poſtea ratus haberi per ſuperuenientem conſenſum illius.*
9 *Quando teneatur differre religionis ingreſſum ille, qui habet fratres vel ſorores in graui neceſſitate conſtitutos.*
10 *In quibus caſibus Conſtitutio Sixti V.* Cùm de omnibus *non habeat locum.*
11 *An liceat parentibus religionem ingredi,non prouidendo priùs qualiter filij educari valeant? Et an illorum profeſſio ſit valida,neglecta dicta cura.*
12 *Si quis promiſerit perſonam ſuam alicui, an poſſit promiſſione non completa religionem ingredi, ſi,cum iuramento ſe obligaſſet.*
13 *An vir, cuius culpa diuortium per ſententiam Iudicis eſt factum poſſit ingredi religionem ſine mulieris innocentis conſenſu?*
Refertur duplex ſententia.
14 *An hermaphroditus ſit inhabilis ad religionem, quicumque ſexus in eo præualeat.*
15 *An impotens ad ſeruanda religionis eſſentialia,& accidentalia præcepta & obſeruantias, inhabilis ſit ad religionis ingreſſum & profeſſionem.*
16 *An regularis tranſiens cum licentia ad aliam religionem,teneatur ibi integrum nouitiatus annum perficere?* Refertur duplex ſententia. *Et quid iuris, ſi tranſeat vt fiat Prælatus.*
17 *Quæ ſcientia regulæ requirat in nouitio, antequam admittatur ad profeſſionem.*
18 *An nouitius quamdiu religionis habitum retinet, poſſit licitè & validè matrimonium contrahere.*
19 *An continuitas anni nouitiatus & probationis debeat eſſe vſque ad profeſſionem ſine vllo interuallo temporis?*
Refertur duplex ſententia.
20 *An annus nouitiatus interrumpatur, quando nouitius de licentia ſui Superioris cauſa infirmitatis, à monaſterio exiret? Et quid ſi nouitius retento habitu per terriculos ſeueritate Superioris,occultè exeat.*
21 *An nouitius iure poſſit eligi ad aliquam prælaturam in ſua vel in alia religione? Et an poſſit ei conferri beneficium ſæculare.*
22 *An beneficium regulare poſſit obtinere nouitius iure antiquo, & nouo Tridentini.*
23 *Quæ ſolemnitates requirantur à Concilio Tridentino,*

vt renunciatio bonorum facta à Nouitio ſit valida.

24 *An nouitius poſſit beneficio renunciare, non ſeruata forma, & ſolemnitate Concilij Tridentini?* Refertur duplex ſententia.

25 *An nouitius poſſit donationem cum huiuſmodi ſolemnitate factam ante profeſſionem reuocare.*

26 *Vt donatio à nouitio facta cum dicta ſolemnitate ſit firma, an requiratur quod profeſſio ſit valida.*

27 *An ſub decreto Tridentini comprehendatur renunciatio patrimonij, ad quod nouitius fuit ordinatus? Et an habeat locum illud decretum in renunciatione officiorum publicorum temporalium.*

28 *An ſub dicto decreto comprehendantur eleemoſynæ paruæ, & quæ dantur Monaſterio, & Monialibus in ingreſſu in nouitiatum, vel in ipſa profeſſione.*

29 *An renūciatio facta à nouitio ante ingreſſum Religionis, intuitu tamen Religionis, valeat?* Refertur duplex ſententia.

30 *An nouitius poſſit condere teſtamentum ante vel poſt ingreſſum Religionis, non ſeruatis ſolemnitatibus Cōcilij Tridentini? Et an poſſit facere donationem inter viuos, & contractus magni momenti irreuocabiles? Et quid de donatione remuneratoria.*

31 *Quando profeſſio non ſequitur, quia moritur nouitius ante profeſſionem, an donatio ab illo facta habeat effectū?* Refertur duplex ſententia.

32 *An nouitius poſt profeſſionem poſſit prius teſtamentum à ſe conditum reuocare aut mutare? Et an poſſit profeſſus habens filios, inter eos diuidere bona, ſi ante profeſſionem nullam diſpoſitionem illorum præmiſit.*

33 *An poſſit nouitius poſt profeſſionem interpretationem dubia & obſcura ſuæ voluntatis teſtamento non ſatis explicata facere.*

34 *An teſtamentum nouitiorum requirat ſolemnitates iure communi petitas ad valorem teſtamentorum.*

An requirantur ſolemnitates iuris ciuilis, vel canonici? Et an poſſit nouitius minor diſponere ſine auctoritate tutoris & decreto Iudicis.

Clemens VIII.

1 CIrca locum, in quo nouitij educari debent, extant ſpecialia decreta Clementis Papæ Octaui, quorū primum eſt ſub data 12. Martij 1596. quod incipit, *Regularis diſciplinæ*, in quo ſtatuit, diſtricteque præcipit omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, cæteriſque Superioribus Conuentuum intra Italiæ, & inſularum adiacentium fines exiſtentium quibuſcumque, et quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem ſub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, niſi in Conuentibus auctoritate ſua propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis. Inſuper, ſanciuit, vt quoad eiuſmodi Conuentus, vt præfertur, qui per illum deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Nouitiorum ſiue ad profeſſionem omninò abſtineant: Superior verò, qui huius Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, ſe nouerit incurriſſe. Receptiones autem & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra huiuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas et irritas ex nunc decernit et declarat, priuilegiis, ſtatutis et conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus.

Sacr. Congr.

Hoc decretum poſtea fuit renouatum et ampliatum à Sacra Congregatione iuſſu prædicti Clementis Octaui die 20. menſis Iunii 1599. per aliud, quod incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*. Quia non obſtante tali prohibitione, cognouit S. Sanctitas nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, et licentiæ à Sanctitate ſua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos et admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum: vbi præcipitur omnib. Superioribus Conuentuum, Monaſteriorum, ac Domorum, quocumq; nomine appellentur, intra Italiā et Inſularum adiacentiū fines exiſtentium, quorumcūq; Ordinum Mendicantium, et non Mendicātium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori Obſeruantia, necnon Capucinorum S. Franciſci, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis, et Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Ieſu, S. Pauli Decollati, et aliorum de Somoſcha, Miniſtrorum infirmorum, reſpectiuè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis) ne ſub cuiuſuis licentiæ et facultatis impetratæ, vel impetrādæ obtentu, niſi per literas in forma Breuis dumtaxat, et non aliàs quemquam ad habitum regularem ſuſcipiendū recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere, niſi in conuētib. deſignādi, vt ſupra, vllo modo audeāt, ſub pœnis in primo decreto cōtra ſuperiores, et receptos, ſtatutis.

Hæc duo decreta extant apud Bartholomæum de Vecchis, *in praxi nouit. diſput. 11.* Vecc

Sed quia prædicta decreta pleriſque in locis Italiæ, et Inſularum adiacentium nō fuerunt ritè obſeruata, et ſic multæ profeſſiones eſſent irritæ, Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus Octauus huic malo proſpicere volens, Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Religioſos viros*, die 2. Aprilis 1631. per quam committit, et mandat omnibus Superioribus religioſorum, quatenus omnes, ſingulos religioſos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs Canonicè recepti annum probationis in Monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis minimè fecerunt, et profeſſionem nihilominus emiſerunt, ad profeſſionem denuò ſeruatis alias ſeruandis emittendam, quæ ſic emiſſa illis, et eorum cuilibet, tam in foro interiori, quàm ex exteriori ſuffragari debeat, abſque nouo probationis anno, auctoritate Apoſtolica recipiant et admittant, eóſque poſtquam profeſſionem denuò, vt præfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, ſi abinitio validè profeſſi eſſent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate reſtituant ac reſtitutos eo ipſo eſſe, et cenſeri declarent, etc. vt pleniùs continetur in dicta Conſtitutione, quæ ad longum refertur apud Tamburinum, *de iure Abbat. tom. 3. diſp. 6. poſt quæſit. 7.* Vrba. VIII. Tan

2. Religionem ingrediens debet mutare, habitum, illumque de ea Religione, quam ingreditur, per manus Prælati vel alterius de eius licentia ſuſcipere. Ratio eſt, tum quia qui mundi contemptum, et pœnitentiam profiteri deſiderat, debet habitu ſingulari aliquo modo pœnitentiæ, et contemptui conformi vti, vt oſtendat, ſe interiùs, et exteriùs à ſæculari ſtatu in religioſum mutatum. Tum quia vt ex tali habitu cogatur benè viuere, et perfectius cæteris hominibus vitam ducere. Tum quia Concilium Trident. *ſeſſ. 25. cap. 15. de regul.* decernit annum Nouitiatus numerandum eſſe à die ſuſceptionis habitus, tum quia in qualibet Religione conſuetudo ita obtinuit: Vt docent Gloſſa, *in c. Super eo, in fino, de regul.* Hoſtienſis, *in ſumm. tit. de regul. n. 1. in fine*, Azorius, *tom. 1. lib. 12. c. 2. q. 9.* Rodriguez, *tom. 3. q. 15. art. 9.* Miranda, *in man. to. 1. q. 22. art. 6.* et alii. Con Glo Hol Az Ro

Aduertendum autem eſt religioſorum habitum triplicem eſſe, vt docent Gloſſa communiter recepta, *in c. 1. 27. q. 1. in verb. apparuerint.* Archidiac. Ioan. Andræas, *in c. Conſtitutionem, de regular. in 6.* nimirum, Habitum probationis, conuerſionis, profeſſionis. Habitus probationis datur Nouitiis, de quo *in cap. ſtatuimus, de regular.* Habitu conuerſionis vtuntur ij, qui dicuntur conuerſi, de quo *in cap. Conſuluit, qui clerici, vel vouentes.* Habitus Profeſſionis eſt profeſſorum proprius, qui ſecundùm iura antiqua dicebatur habitus Religionis: nam olim in monaſteria ſolebant admitti nouitij ad probationem, toto probationis tempore priſtino vulgari habitu vtebantur: ideo iure antiquo Canonico ſuſcepto habitus monaſtici intelligebatur profeſſio religionis, quia habitus religionis non concedebatur niſi profeſſis. At verò temporis proceſſu, vſu, more, & inſtituto religioſorum introduci cœpit, vt Nouitii probationis tempore, priſtinam ac vulgarem veſtem deponerent, induti habitum Religionis in regula conſtitutum, ac ita cœpit habitus Religionis diſtingui in habitum Probationis, & Profeſſionis: qui aliquando eſt omninò diuerſus atque diſſimilis, aliquando verò diſtinctus non eſt. Proinde licet Nouitius debeat habitū deferre, quē Regula, & ſtatuta Religionis præ-

Digitized by Google

præcipiunt, non eſt tamen de ſubſtantia anni probationis debere nouitium induere babitum diſtinctum ab babitu Profeſſorum; ſed de ſubſtaotia probationis eſt præſertim vt nouitius ſæculari habitu ſpolietur, & induatur habitu regulari ſolito illius Religionis, ſiue ſit nouitiorum, ſiue profeſſorum illius Religionis, vt benè probat Suarez, *to. 3. de relig. lib. 5. c. 14. n. 10.*

Suarez.

3. Aetas legitima ad nouitiatū eſt pubertas completa, videlicet in viro 14. anni completi, in fęmina verò duodecim. Et quamuis ante ætatem hanc admitti quiſpiam ad religionem poſſit, at verè, & propriè oouitius non incipit eſſe, donec illam expleat. Ratio eſt, quia annus ille datur ad auſteritates Religionis experiendas, inter quas ſupremum locum obtinet caſtitatis obſeruantia: cuius difficultates impuberes experiri plenè nequeunt quod videtur ſupponi *in Clementina final. ſuſtla Gloſſ. verbo, Aetate, de regularib.* Syluester, *verb. Religio, 2. quæſt.* 12. Roſella, *verb. Nouitius, n. 9.* & ibi Angelus, *n. 1.* Azorius, *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 4.* & alii. Nec in hoc malitia ſupplet ætatem,

Syluester. Roſella. Angelus. Azorius.

Contra hanc aſſertiooem non obſtat Conſtitutio Sixti V. *Cùm de omnibus*, edita anno 1587. quia in ea Conſtit. non habetur talis prohibitio, vt voluit Sorbus noſter, *in compendio priuileg. verb. Nouitius, notab. 4.* ſed ſolùm vt fiat inquiſitio de vita & moribus eorum, qui veniunt ad Religionem expleto 16. ætatis anno.

Nec obſtat Trident. *ſeſſ 25. cap. 15. de regular.* decernēs emittendam non eſſe profeſſionem ante 16. annum expletum; quia ibi loquitur tantùm de profeſſione, nulla mentione facta de receptione ad probationē. Vnde hodie annus probationis perfici poteſt ante 16. annum completum, & virtute illius probationis fieri poteſt profeſſio expleto ſexto decimo anno. Ita Nauarrus, *lib. 3. conſil. titul. de regular. in 1. edit. conſil. 30. num. 1. & in 2. conſil. 20.* Miranda, *in man. tom. 1. quæſt. 22. art. 3.* Suarez, *tom. 3. de religion. lib. 5. c. 1. n. 6.* Reginaldus, *lib. 18. n. 385.* Rodriquez, Azorius, & alii communiter.

Nauarr. Miranda Suarez. Regin.

Ex quibus infertur, quod licet aliquis per plures annos in Religione fuerit, non cenſetur omninò expleuiſſe annum probationis, donec 16. ætatis annum impleat.

Dubium tamen eſt inter Doctores, an correctum ſit ius antiquum per Trident. *ſeſſ. 25. cap. 17. de regul.* quoad fœminas, vbi dicitur, *Sancta Synodus ſtatuit atque decernit, vt ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam explorauerit Epiſcopus Virginis voluntatem.* Quod decretum intelligit Azorius, *to. 1. lib. 12. c. 18. verſ. 55. & 56.* Naldus, *in Summ. Habitus, num. 6. & verb. Monialis, nu. 5.* Rodriquez, *tom. 3. qq. regul. q. 18. art. 2.* Vt duo in eo ſtatuaotur. Priùs eſt, ne puella duodecim annis minor poſſit ad habitum regularem ſuſcipiendum admitti. Poſterius eſt, ne aliqua profiteatur; antequam Epiſcopos eius voluntatem exploret, an coacta, & an ſeducta ſit, & an ſciat quid agat. Et huius ſententiæ fuerunt omnes Patres, qui ad Concilium Prouinciale Toletanum anno MDLXXXII. conuenerunt. Alii contra dicunt, ibi nihil de puellæ ad religionem admittendæ ætate decerni, ſed de examine voluntatis pręmittendo, quando ingrediens fuerit maior duodecim annis; & ita ſub conditione loqui Concilium *ſi maior duodecim annis fuerit*, quæ nihil ponit in eſſe: Imò id decretum clarè ſupponere minorem ea ætate admitti poſse. Ita Suarez, *tom. 2. de relig. lib. 5. c. 1. n. 9.* Miranda, *in tract. de Sacris monial. q. 8. art. 2.* Sanchez, *lib. 4. mor. c. 18. n. 34.* & alii. Hæc ſententia verior apparet; ſtando in verbis Concilii. Sed quia fertur Sacram Congregationem contrariam determinaſse, & declaraſse, non eſse voluntatem Congregationis, neque Concilii, vt ante duodecimum annum puella ad habitum ſuſcipiendum admittatur, ſi de ea declaratione conſtet authēticè, illi ſtandum eſset, & à prima ſententia noo recedendum. De his vide Hieronym. Rodrig. *in compend. reſ. 101. n. 23. & 24.* Diana, *p. 3. tr. 5 reſ. 47.*

Azorius. Naldus. Rodrig.

Suarez. Miranda Sanchez.

Rodrig. Diana

4. Attento iure antiquo, poſsunt parentes filium impuberem Religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat, vt expreſsè deciditur in Concilio Vvormatienſi capit. 22. & habetur, *in c. Addidiſtis, 20. q. 1.* Hoc autem intelligitur, niſi peculiari Religionis Conſtitutione caueatur, ne infans, aut impubes admittatur. Vt benè docent D. Antoninus, *3. part. tit. 16. cap. 2. §. 4.* Syluester, *verb. Religio, 2. q. 10.* Hæc autem oblatio operatur vt impubes ſic Monaſterio oblatus nequeat reſilire, donec pubertatē completam adipiſcatur, nempe puer 14. annos completos, puella verò duodecim completos. At ea ætate completa liberum ei perſeuerare, aut ad ſæculum redire, donec profeſſionem tacitam aut expreſsam faciat, vt habetur expreſsè, *in cap. Significatum, & cap. cùm ſimus, de reg.* Quando verò propria ſponte abſque prædicta oblatione impubes Religionem ingreditur, poteſt quandocūque exire, donec profiteatur, vt conſtat *ex eo cap. Significatum*, Si autem impuberes Religionem abſq; parentum, vel tutorum conſeoſu ingrediantur, poſsunt parentes, vel tutores id factum irritum facere, & impuberem reuocare, niſi anno & die id diſsimulando cōſenſerint, quo tempore tranſacto reuocare nequibunt, vt habetur expreſsè *cap. 2. de regul.* Et quamuis ibi dicatur ſi infra annum non reclamauerint, ſupplenda eſt tamen in eo textu dies, vt definitur *in cap. Puella 20. quæſt 2.* Hic verò annus computandus eſt a die ſcientiæ, ingreſſus impuberis habitæ per parentes aut tutores, vt tradunt Gloſſa *in dict. cap. Puella, verb. & ſi annum, in fine*, Hoſtienſis *in Summ. tit. de regul. nu. 10.* Syluester *verb. Religio 2. quæſt.* 11. Roſella *verb. Nouitius num. 1.* & alij. Plura dicenda eſſent de horum pupillorum receptione, quæ omitto & videri poſſunt apud Suar. *tom. 3. de relig lib. 5. cap. 12. & 3.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 18. a n. 12.* Tamburinum *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſit. 2.*

D. Ant. Syluester

Gloſſa. Hoſt. Syluester Roſella.

Suar. Sanch. Tam.

5. Amentes & furioſi ad probationis habitum admitti non poſsunt: quia cùm rationis vſu careant, iure naturali inhabiles omninò diiudicantur ad Religionis ingreſſum cauſa probatioois; eo quòd debet nunc nouitius incipere probationem in ordinem ad obligationem tempore profeſſionis præſtandam: & cum hæc probatio fieri non poſſit ſine vſu rationis, quia fit per experientiam, quæ rationis actus eſt, patet hanc probationem requirere conſeoſum; ergo hi amentes & furioſi ſunt omnino inhabiles ad Religionem. Vt colligitur expreſsè *ex cap. Sicut tenor, de regul.* & docent Miranda *to. 1. manual. q. 17. art. 5. concl. 2.* Syluester *verb. Religio 5. q. 2.* Angelus *verb. Nouitius n. 8.* et alij communiter. Proinde ſi quis tempore amentiæ receptus eſset, et poſtea vſum rationis recuperaret, annus probationis computandus non eſt a tempore receptionis, ſed à tempore, quo conſenſum mediante vſu recuperato præſtitiſset. Imò in caſo quo amens perpetuus admitteretur ad induendum Religionis habitum, et poſt plures annos rationis vſū recuperaret, non poſset ratione præterio temporis profeſſionem facere, aut nouitius reputari, etiamſi ratam habere vellet primam receptionem. Vt docet Suar. *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. nu. 4.* quamuis oppoſitum dixerit Hoſtienſis, et multi eum ſequantur: quia quod a principio nullum fuit, non poteſt tractu temporis firmari, vt habet regula, *Non firmatur, de reg. iuris in 6.* Adde actum illum ex intrinſeca repugnantia et incapacitate perſonæ eſse nullum, et ideò nullo modo fieri poſse, vt in eo fundetur verus nouitiatus, ſeu probatio Religionis, in quo ſolo ferè conſiſtit, quod ſi valida receptio.

Miranda Syluester Ang.

Suar.

6. Maius dubium eſt, quando quis ſui compos Religionem ingreditur, et anno nouitiatus in amentiam incidit, an tempus amentiæ computetur in nouitiatus anno, ita vt poſſit eo tranſacto, ſuique compos effectus validè profiteri; et quidem pars negans videtur inde probari, quia qui rationis compos non eſt, nequit experiri, et explorare mooaſticam diſciplinam, nec propriè eſt ſub obedientiæ iugo. Atque ita cum ad id concedatur annus nouitiatus, id tempus ineptum prorſus erit. Ita videtur ſentire Syluester *verb. Religio 5. quæſt. 2.* Vbi ait per furiam auferri Religionis probationem: ſicut per impubertatem, niſi quando expleto integro anno furia ſuperueniret. Tabiena *verb. Nouitius quæſt. 4.* ait, Nouitiatum inchoandum eſse ceſsante furore, ſicut et ceſsante impubertate Nihilominus mihi dicendum videtur, amentiam ſeu furorē citò tranſeuntem ex morbo ſuperuenientē et durātē octo aut quindecim dierum ſpatio, non impedire curſum

Syluester

Digitized by Google

anni nouitiatus, nec id tempus tranſacto anno ſupplendum, ſed in eo computandum, & eo finito legitimam fore profeſsionem, vt teſtatur praxis omnium religionum. Ratio eſt, quia iura annum nouitiatus poſcentia, minimè hoc tempus non computandum decernunt. Quando autem dementia eſſet extraordinaria, puta ſi duraret per menſem ſine vllo alio morbo, tunc impediretur curſus anni nouitiatus, & non eſſet id tempus in anno nouitiatus computandum, ſed tranſacta dementia ſupplendum, non tamen iterum inchoandus eſſet annus nouitiatus, quia eo medio amentiæ tempore non interrumpitur nouitiatus, cum amens ille maneat in religione, vel extra de Prælati licentia, nec à religione expulſus ſit; ſed tantùm dormit, ſeu ſuſpenditur nouitiatus; ſicut tradunt Doctores, præſcriptionem contra Eccleſiam non interrumpi, ſed dormire, ſeu ſuſpendi, dum ea vacat Prælato. Ita Sanchez, *lib.5.moral.c.4.n.55.* Quamuis Suarez, *loco citato, n.3. in fine* putet, ſi quis receptus ſit legitimè & poſtea durante nouitiatu in amentiam incidat, & in ea pro aliquo notabili tempore duret, priorem receptionem irritam reddi, quia pro eo tempore, pro quo amentia durauerit, perſona inhabilis ad probationem facta eſt.

Sanchez, Suarez.

Certum eſt tamen, quòd ſi poſt expletum probationis annum; & ante profeſſionis emiſsionem in amentiam incidat, ac poſtea mentis compos effectus rarã habeat probationem; poterit vtiq; ad profeſsionẽ admitti. Ita Syluest. *loco c.* Vecchis, *in praxi nouit. diſp.2. dub.7. in fine*, & alii.

Syluest. Vecchis.

7. Quamuis pater dans filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, non poſsit illam reuocare etiã ante profeſsionem, coniux tamen qui dedit alteri licẽtiam religionem ingrediẽdi, poteſt illam reuocare antequã alter coniux profiteatur. Nam ſecundùm omnes ferè DD. poteſt maritus reuocare licentiam datam vxori ad vouendũ ſi eam perueniat, priuſquam votum emittat; quia nõdum orta eſt obligatio ad Deum ex parte eius, cui data eſt licẽtia, nec qui illam dedit, ſtatim ſe priuauit dominio ſuo, vt illam reuocare non poſsit; quæ ratio in præſenti locũ habet. Nam is coniux qui ingreſſus eſt religionem, poteſt ſua ſpontè exire ante profeſsionem, & ad alterum redire, qui tenetur eum recipere & maritalẽ vitam cum illo agere; ergo & ipſe poteſt alterum reuocare, & ipſe parere tenetur: debent enim eſſe iura paria, & vterque intelligi debet eſſe pro eo anno quaſi in probatione, an ſibi expediat perpetuò ab alio ſeparari. Proinde non eſt ſimilis ratio de patre offerente filium impuberem quia ille quandam donationem facit, & ſuo iuri abſolutè cedit coniux verò ſolùm dat licentiam ad probandum, & tacitè ſibi ius ſimilis probationis reſeruat. Vnde etiamſi vterq; coniux ea mutua facultate religionem ingrediatur, ſi vnus non perſeuerat poteſt alterum reuocare: quia vterq; cenſetur probare cum dependentia ab alio. Ita loquens de voto docet D. Bonau. *in 4. diſt.32. in expoſit. literæ, n.4.* Rich. *ibi. art.2. quæſt.2. corpore,* Paludanus, *quæſt.2. art.2. n.18.* Roſella, *v. votum, 3. num.2.* Clauis regia, *lib.6. cap.10. num.12.* Sanchez, *lib.4. moral.27. num.1.*

D. Bon. Roſella. Clauis reg. Sanchez.

8. Ingreſſus vnius coniugis in Religionem à principio factus ſine licentia alterius poteſt poſtea confirmari, & ratus haberi per ſuperuenientem conſenſum illius. Ratio eſt, quia nullo iure, aut ratione probari poteſt ſufficienter illum ingreſſum ita fuiſſe inualidum, vt non poſsit ſuperueniente conſenſu coniugis ſufficere ad probationem validam faciendam. Iura enim ſolùm irritant profeſsionem factam ab vno coniuge ſine licentia alterius; de primo verò ingreſſu nihil ſpeciale ſtatuunt. Quocirca ſi vxor ſine licentia mariti Monaſterium ingrederetur, & per ſex menſes in nouitiatu maneret coniuge inuito, à quo tandem licentiam obtineret permanendi ſimpliciter, & profitendi, non oportet nouum annum nouitiatus inchoare, ſed poſt annum expletum, à primo ingreſſu poſſet profiteri: quia ibi interueniunt ad profeſsionem, quæ iura requirunt, ergo primus ingreſſus validus efficitur, quandocumque ante profeſsionem, conſenſus coniugis obtineat. Accedit, quod ſi vxor ingreſſa ſit religionem viro inuito, & nouitiatum in ea faciat, & contingat maritum mori; poteſt ſtatim poſt annum à primo ingreſſu profeſsionem emittere; quia iam eſt ſublatum impedimentum; ergo ſignum eſt primum ingreſſum non fuiſſe prorſus inualidum, ſed ſolùm dependentem ab alio coniuge; ergo validus eſſe incipiet, quoties maritus conſenſerit. Ita Sanchez, *libro ſeptimo, de matrim. diſputatione trigeſimaſeptima, à numero quadrageſimo ſexto, vſque ad ſeptuageſimum,* vbi multa circa hanc materiam diſputat. Idem videtur ſentire Azorius, *tomo primo, libro decimoſecundo, capite primo, quæſtione ſexta, §. ſi quæras,* vbi ait, quid ſi vxor dum vixit, virum non repetiuit, & mortua eſt, an vir in Religione perſeuerare cogatur? Reſpondent *Calderinus, Abbas, Angelus, Syluester, Roſella, Tabiena, Armilla,* debere in Religione permanere: quia cauſa, quæ ingreſſum eius in Religionem impediebat, ceſſauit. Vide etiam Leſsium, *libro ſecundo, capite quadrageſimo primo, dubio tertio, numero vigeſimoquinto, & vigeſimoſexto,* Suarez, *tomo tertio, de relig. lib.5. capit.4. num.9.* apud quem plura.

Leſsius. Suarez.

9. Qui habet fratres, vel ſorores in graui neceſsitate conſtitutos, non tenetur cauſa eis ſubueniendi ad differendum Religionis ingreſſum. Nam per ſe certum eſt fratrem non obligari ad alendum, vel educandum fratrem, etiam minorem, quia non eſt principium eius. Tamen ſi fratres ſint adhuc ſub cura parentis, & ſic cenſeantur augere neceſsitatem, et indigentiam eius, hac ratione parentis obligari quis poteſt etiam ad fratres ſuos, quia tunc conſiderantur vt pars eiuſdem parentis, puta, ſi mater vidua plures filias Virgines habens ſub cura, et obligatione ſua, haberet quidem neceſſaria ad ſuam ſuſtentationem, non tamen ad conuenientem educationem filiarum, & ad collocandas illas in decenti ſtatu, moraliter cenſetur eſſe in graui neceſſitate, in qua non poſſe licitè filio deſeri propter Religionis ingreſſum, ſi alioqui poſſet illi neceſſitati prouidere. Per ſe autem ſi fratres conſiderentur ſeparati à parentibus iam defunctis, non obſtante illorum graui neceſſitate, vnuſquiſque poteſt licitè Religionem ingredi; quia obligatio vnius fratris ad alium non eſt veluti ex iuſtitia ratione proprii iuris, vel naturalis ſubiectionis, quam vnus frater habeat in alium, ſicut eſt obligatio inter patrem, & filium; ſed eſt obligatio charitatis, maior quidem quàm ſit inter extraneos ratione maioris coniunctionis. Ex quo patet, ex hac obligatione, quæ eſt inter fratres, oriri non poſſe hoc Religionis impedimentum, niſi ad breue tempus, id eſt in caſu extremæ neceſſitatis. Ita Leſſius, *libro ſecundo, capite quadrageſimo primo, dubio tertio, numero trigeſimoquarto,* Azorius, *tomo primo, libro decimoſecundo, capite primo, quæſtione octaua,* Suarez, *tomo tertio, de relig. libro quinto, capite ſexto.* Sanchez, *libro quarto moral. capite vigeſimo, numero trigeſimo,* Vecchis, *in praxi nouitiorum, diſputatione ſecunda, dubio decimo,* & alii communiter. Proinde hæc neceſſitas ſufficiens cauſa cenſetur ad diſpenſandum cum eo, qui habet votum Religionis, & maximè ſi habeat ſorores, vel puerilis ætatis, vel nubiles, & ob eius diſceſſum, timeatur eas crimen impudicitiæ, aut eius periculum incurſuras. Vt bene notant Suarez, & Azorius, *loco citato.*

Leſſius. Azorius. Suarez. Sanchez. Vecchis.

10. Cùm ea Conſtitutione Sixti Quinti, quæ incipit, *Cum de omnibus,* edita anno MDLXXXVII. reddantur inhabiles, & ad receptionem, & ad profeſſionem, qui ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum ſunt grauati, & quoad illicitam eorum receptionem, & pœnas recipientium, in ſuo vigore adhuc maneat etiam poſt illius moderationem factam à Clemente Octauo, vt ſcilicet profeſſio illorum valeat. Dicendum eſt prædictam Conſtitutionem Sixtinam non habere locum *Primo* in Monialibus, vt ipſemet Pontifex declarauit in alio Motu propio, §. *Cæterum quæ à Nobis,* Nec in recipiendis ad Ordines Militares, Equitum: quia retinent ſua bona, & in ſæculo viuunt, & acquirunt bona. *Secundo,* nec in debitoribus, quando eorum facultates ſoluendo ſufficiunt, Nec etiam, quando debita non ſunt magni momenti. Nec in grauatis ære alieno incertorum dominorũ, ſi pauperib. nomine proprio reſtituãt. *Tertio,* non includuntur in ea conſtitut. qui debitis ſupra ſuas facultates ſunt onerati, ſi bona omnia creditorib. relinquant,

linquant, et nulla habetur ſpes, quòd manentes in ſæculo ſint ſoluendo. *Quartò*, nec comprehenduntur, qui ex ſola promiſsione liberati ſunt debitores; nec quando creditores conſentiunt in religionis ingreſſum nec ſimiliter, quando Monaſterium, aut alius eorum debita ſolueret. *Quintò*, non comprehenditur ſub hac conſtitutione damnatus ad pecuniæ pœnam ratione alicuius delicti, nec obligatus ad ſatisfactionem pecuniariam cauſa alicuius damni, vel iniuriæ illatæ. (Sanchez. Rodrig. Miranda) De quibus Sanchez, *lib. 19. num. 21. & ſequentibus*, Rodriguez, *tom. 3. quaſt. reg. q. 10. art. 9.* Miranda, *in man. tom. 1. quaſt. 17. art. 7.*

11. Non licet Parentibus religionem ingredi, non prouidendo priùs qualiter filii educari valeant. Ratio eſt, quia parentes habent rationem principii, et ideò per ſe conuenit illis filiorum cura, et ſubuenire illis, non tantùm ad tempus, ſed per totam vitam. Tum quia idem iudicium eſt de obligatione patris in filios, quod eſt filii in parentes, quantum ad propoſitum ſubueniendi neceſsitati alterius. Imò maior videtur eſſe obligatio patris ad filium, quàm filii ad patrem, propter rationem, quàm (D.Th.) affert D. Thomas, 2. 2. *quaſt. vlt. art. 6.* quia ſcilicet filius non per ſe, ſed per accidens, id eſt, ratione neceſsitatis tenetur ad alendum, honorandumque patrem: At pater non ex accidenti, ſed per ſe tenetur alere, et curã habere filii, eo quòd eſt principium eius. Quod ſatis explicuit D. Paulus, *2. ad Corinth. 12.* dicens parentum eſſe filiis theſaurizare, non filiorum parentibus. Ita etiam docent (Nauarr. Miranda Suarez. D.Ant.) Nauarrus, *commentar. 1. de regular. num. 8.* Miranda, *tom. 1. man. q. 17. art. vlt. concluſ. 3.* Suarez, *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 6.* D. Antoninus, *3. part. tit. 16. cap. 2. §. 1.* et alii.

Notandum tamen, quod prædicta doctrina intelligitur de obligatione erga filium nondum emancipatum; nam erga iam emancipatum eodem modo ſolùm tenetur ſubuenire; quo filius erga pares, vt rectè aduertit Suarez *loco citato, num. 2.* Filius enim emancipatus iam non eſt ſub cura parentis, ſed gerit ſe vt perſona omnino ſui iuris, et ideò iam non tenetur pater per ſe loquendo ipſum alere: ſed ſupponitur hoc ſufficienter feciſſe, quando illum emancipauit: Ex quo ſequitur per ſe non teneri patrem non ingredi religionem propter curam, vel ſollicitudinem alendi huiuſmodi filium. Limita tamen, modò talis filius parentis ſubſidio non egeat: quia ſi graui neceſsitate laboraret, eum parens deſerere non poſſet. Quia in hac neceſsitate obligatur parens ſuccurrere filio emancipato eadem obligatione, qua ipſe filius tenetur ſubuenire parenti in ſimili neceſsitate conſtituto. Nam pater tenetur alere filium emancipatum, ſi egeat; quia hæc alendi obligatio non ex iure patriæ poteſtatis, ſed ex ſanguinis charitate oritur, vt probat textus, *in l. ſi quis à liberis, §. 1. ff. de liber. agnoſcend.* ac proinde emancipatio non tollit naturalem filii obligationem erga patrem, nec iura ſanguinis, *l. iura ſanguinis ff. de orig. iur.* et docet (Surdus.) Surdus, *de alimentis, titul. 1. quaſt. 1. numer. 23. & 24.* cum aliis.

Notandum *Secundò*, quòd ſi pater relictis filiis abſque prædicta cura iniquè ad religionem tranſeat et in ea profiteatur, valida erit profeſsio: quia nullo iure talis profeſsio irritatur. Imò nec iam profeſſus tenetur egredi ad ſubueniendum graui eorum neceſsitati, vel ad curandum de illius, ſed tantùm tenetur iuxta ſuum ſtatum, et ſalua regulari obſeruantia illis proſpicere, vt docet Sanchez, *lib. 4. moral. cap. 20. num. 38.*

12. Si quis promiſerit perſonam ſuam alicui, vel etiam communitati, v. g. docturum alios ad tempus, vel aliquid ſcripturum, vel adminiſtraturum rempublicam, vel quid ſimile facturum, poteſt promiſsione non impleta religionem ingredi, etiamſi medio iuramento ſe obligaſſet. Ratio eſt, quia huic obligationi tacitè conditio ineſt, niſi tranſitus ad religionem placeat: nam ſi in promiſsione matrimonii per ſponſalia iurata includitur tacitè hæc conditio, ſeu exceptio, multò magis in quocumque alio (D.Ant. Azorius. Regin.) pacto humano ſubintelligenda eſt. Ita Diuus Antoninus *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 1. & part. 3. tit. 16. cap. 2. §. 3.* Azorius, *tom. 1. lib. 11. cap. 5. quaſt. 4. & lib. 12. cap. 1. quaſt. 4.* Reginaldus, *libr. 18. numer. 378.* et alii apud Sanchez, *lib. 4. moral. cap. 19. num. 31.* Hæc tamen aſſertio non procedit in eo, qui vltra promiſsionem iuramento firmatam, aliã obligationem iuſtitiæ habet, qua reſtituere aliquid, vel ratione iniuriæ, vel damni illati, cogitur: tunc enim de eo iudicandum erit perinde ac de adſtricto aliis debitis, (Azorius. Suarez. Croulers) vt notant Azorius, *loco citato.* Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. num. 13.* et noſter Crouſers, *in cap. 2. reg. S. Franciſ. ſect. 2. fol. 75.* et alii. An autem hic ingrediens religionem teneatur de damno ſequuto ex eo quòd fides ſeruata non fuit? Quidam obligant hunc bona habentem ad ſoluendam rei promiſſæ æſtimationem et Monaſterium in eius bona ſuccedens; et ſi res promiſſa poſsit per alium perfici, teneri ad id, niſi induſtria perſonæ electa ſit. Cæterum probabilius cenſetur contrarium, nempe hunc nõ teneri perficere per alium, nec ad æſtimationem, nec ad damna. Ratio eſt, tum quia huic contractui tacitè ſubintellecta fuit conditio, niſi ad religionem fiat tranſitus. Tùm quia in hoc caſu promittens nullam culpam committit ingrediendo in religionem, niſi expreſsè obligauerit ſe ad promiſsionis adimpletionem, non obſtante ingreſſu in religionem, tunc enim teneretur adimplere promiſsionem, cùm ſit de re licita. Ita expreſsè docent ingredientem religionem in dicto caſu non teneri ad reſarcienda damna ex non adimpleta conditione, Paludanus, Diuus Antoninus, quos citat et ſequitur Sanchez (Sanchez. Bonacin.) *loco citato, num. 34.* Bonacina, *de reſtitut. diſput. 1. quæſt. vltim. punct. 2. §. 2. num. 5.*

Tamen qui aliquod obſequium homini promiſerat, ſi exeat tempore nouitiatus, tenebitur illud exequi; quia non deficit conditio, nempe ſi tranſitus ad religionem non placuerit. Non enim placuit cum effectu, et verba cum effectu ſunt intelligenda, *cap. relatum, de Cleric. non reſident.* Secus verò ſi poſt profeſsionem expelleretur: eo quòd iam effectu defecerat illa conditio, et conſequenter extincta erat obligatio, vt amplius non poſsit reuiuiſcere. Ita Sanchez, *loco citato, num. 34.* (Sanchez.)

(Bonacin.) Quamuis Bonacina, *loco citato, num. 6.* putet talem nouitium non ſolùm teneri promiſsionem adimplere, ſi exeat, vel eiiciatur ante, vel poſt profeſsionem, ſed etiamſi perſeueret in religione, modo adimpletio promiſsionis ſit actus compatibilis cum religione; nam iudicio prudentis in promiſsione cenſetur appoſita ſolùm conditio, cuius executio non eſt compatibilis cum ſtatu religionis, et pro hac opinione eitat Nauarrum, *in commentar. 2. de regul. n. 42.* (Nauarr.)

13. Difficultas eſt inter Doctores, an vir cuius culpa diuortium per ſententiam Iudicis factum eſt, admitti poſsit in religionem, et eam ingredi ſine mulieris innocentis conſenſu? Affirmant quidam: quia ſententia illa non ſolùm innocentem, ſed etiam adulterum ipſum à coniugalis ſeruitutis obligatione eximit: quæ ſola obſtaculo eſt, ne coniuges ſtatum mutare poſſint: tum quia innocens perſiſtens vſque ad diuortij ſententiam, illique conniuens, videtur adultero facultatem ingrediendi religionem & profitendi concedere, & quoad hoc iuri ſuo cedere. Ita Sotus, *in 4. diſt. 36. quaſt. vnic. art. 5. ad 3.* Nauarrus, *lib. 4. conſil. in 2. edit. conſil. 4.* & alii probabiliter. (Sotus. Nauarr.)

Veriùs tamen eſt, non permitti coniugi adultero tranſire ad religionem inuito innocenti etiam lata diuortii ſententia, & ſi ingrediatur, poſſe poſt profeſſionem reuocari. Ratio eſt, quia cùm teneatur adulter reconciliari innocenti id petenti: ſi eo volenti reconciliationem renuat adulter, & ipſo inuito profiteatur, non poteſt ea profeſſio iuri coniugis innocentis præiudicare, vt docent (D.Th. D.Bon. G.alii.) D. Thomas, *in 4. diſt. 35. quaſt. 1. art. 6. ad 3.* D. Bonauentura, *ibibem, artic. vnic. quaſt. 5. ad ſecundum.* Roſella, *verb. Diuortium, num. 11.* Syluester, *ibid. q. 10.* Graffis, *part. 1. lib. 2. cap. 84. num. 14.* & alii. Tamen validè mutat ſtatum adulter poſt diuortii ſententiam, ſi id ſciat innocens, nec contradicat cùm poſſit; quia ſatis videtur data licentia. (D.Ant. Syluest.) Sic D. Antoninus, *3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6.* Syluester, *verb. Matrim. 9. quaſt. 11.*

Duo autem hic ſunt obſeruanda, *Primum* eſt, quod quando innocens dat licentiam ingrediendi religionem adultero, non eſt neceſſarium, vt ipſa etiam ad religionem tranſeat, vel votum caſtitatis emittat, ſed poteſt manere in ſæculo abſque voto aliquo. Quia textus, *cap. Sane, cap. Cum ſis, c. Significauit, de conuerſ. coniug.* prohibentes

tes mutationem ſtatus alterius coniugis, altero in ſæculo manente, ſaltem abſque caſtitatis voto, loquuntur, vbi matrimonium eſt integrum & illæſum perſeuerat, ſecus vbi adeſt diuortium.

Secundum, quod quando vxor innocens poſt diuortiũ recuſat reconciliari marito, tunc dicatur eidem licentiam transeundi ad Religionem concedere. Et licet conſenſum neget, talis tamen negatio eſt irrationabilis: quia tenetur, vel eum ſibi reconciliare, vel Religionis ingreſſum permittere. Nam innocens lata diuortii ſententia, non habet ius omninò in adulterum, vt ipſum quaſi ligatum habeat, ne ſibi poſſit conſulere ſtatum eligendo, ſi ad reconciliationem non admittatur; ſolùm enim habet ius reconciliandi, & reuocandi ad priſtinum matrimonii vſum: proinde hac reconciliatione denegata, poterit adulter, non obſtante mulieris reclamatione, ſtatum Religionis ſuſcipere, dummodo ſit emendatus, atque mulier de hoc pluries certior facta ſit, vt colligitur ex *cap. Gaudemus, de conuerſ. coniug.* & pluribus Doctori-
Sanchez Vecchis. bus adductis probat Sanchez, *de matrimon. lib. 10. cap. 10. num. 16.* quem ſequitur noſter Vecchis, *in praxi nouit. diſputat. 3. dub. 3 num. 10. & 11.*

14. Hermaphroditus inhabilis eſt ad ingreſſum Religionis, quicumque ſexus in eo præualeat: & ſi talis taceat ſuum defectum in ingreſſu Religionis, eo cognito poſtea, Prælatus eum expellere debet & habitu ſpoliare etiam poſt profeſſionem. Ratio eſt, quia hermaphroditus, ſecundùm iura, eſt infamis: infames autem non ſunt admittendi ad Religionem; & propter hanc rationem debent iidem hermaphroditi excludi etiam ab Ordinibus & beneficiis. Ita Portel, *in dub. reg. verb. Nouitij*
Portel. Vecchis. *qualit. num. 25.* Vecchis, *in praxi Nouit. diſp. 5. num. 3.* Vt autem poſſit expelli hermaphroditus iam profeſſus non requiritur licentia Papæ, ſi in eo dominetur æqualiter ſexus: quia ſemper adeſt incentiuum peccati, fomes ſcandali, & vix ſciri poteſt, quo ſexu ſit validior, vt docet
Fauſtus. Peyrinus. Bartholom. à S. Fauſto, *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt.* 230. Peyrinus, *tom. 2. de Prælat. quæſt. 3. cap. 1. num.* 59. & alii.

15. Impotens ad ſeruanda Religionis eſſentialia, & etiam accidentalia præcepta & obſeruantias, vt ſenectute, vel alio morbo laborans, inhabilis eſt ad Religionis ingreſſum & profeſſionem; proinde tam receptus, quàm Prælatus recipiens mortaliter peccant: quia recipiens grauiter lædit propriam Religionem, eiq; maximum affert detrimentum; receptus verò, qui ſe impotentem cognoſcit, mendaciter promittit in re tam graui ſe obſeruaturum auſteritates Religionis. Nihilominus profeſſio emiſſa ab huiuſmodi nouitio valida eſt. Ratio eſt, quia obligatio ad Religionis ſubſtantialia, nempe, paupertatē, caſtitatem, & obedientiam, nullis corporis viribus eget, ſed ſolo voluntatis affectu. Tum quia non deſideratur ad nouitiatum experientia omnium in ſpecie, ſiue in indiuiduo aſperitatum Religionis; ſed ſatis eſt eas in genere experiri, viuendo ſub obedientia integro nouitiatus anno. Proinde nouitius, qui toto anno ſui nouitiatus fuit infirmus, poteſt ad profeſſionem recipi: quia annum proba-
Suarez. Fauſtus. Rodriq. tionis legitimè expleuit, in quantum in ſe erat. Ita Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 4. num. 19.* Sanchez, *lib. 5. moral. cap. 4. num. 52.* Vecchis, *in praxi nouit. diſp. 12. dub. 8. & 9.* Fauſtus, *in theſaur. Relig. lib. 5. q. 249.* Rodriquez, *tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 12. art. 3.*

Vnde Nouitius in Ordine Minimorum toto nouitiatus anno infirmus, ac proinde carnibus, ac lacticiniis vtens validè profitetur, licet rigidiſſimum illius Religionis onus nempe abſtinentiam ab his non experiatur, vt docet Sanchez, *loco cit. n. 28.*

16. Quorumdam ſententia eſt, Regularem tranſeuntem cum licentia ad aliam Religionem, non teneri ibi integrum annum nouitiatus perficere. Probant ex eo, quòd nullum talis nouitiatus tempus à Concilio aliquo eſt determinatum; nec debemus obligationes graues aſſerere, neque operantes grauis peccati arguere, ſi ius non fuerit
Cõc. Tr. valdè clarum: quia in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 25. de regul. cap.* 15. non fit expreſſa mentio eorum, qui ad Ordinem alium transferuntur. Concilium enim ibi annullans & irritans profeſſiones eorum, qui non fuerunt nouitij integro anno, loquitur de profeſſione ſubſtantiali, non verò de accidentali, quæ fit hominibus, qualis illa eſt, quæ fit in ſecunda Religione: nam Religioſus, qui tranſit ad aliam Religionem, non poteſt non obligari ad ſubſtantialia, licet illa non voueat, iam enim vouerat in priori Religione. Vnde aliud eſt ingredi Religionem, aliud mutare.

Accedit, quòd in ſecunda Religione probatio non inſtituitur de re eſſentiali, ſed ſolùm de accidentalibus. Ergo ex natura rei hæc probatio non poſtulat tantùm temporis, quantum prior: nec Concilium Tridentinum de illa quidpiam determinauit, verùm id committendum eſt conuentioni contrahentium. Ergo tempus illud venit à communitate determinandum, acceptandumque ab illo, qui mutat Religionem, aut è contrario. Deinde, ſi Concilium Tridentinum omnes profeſſiones comprehenderet, etiam complecteretur profeſſiones Ordinum Militarium; atqui declaratum eſt in Rota 11. Decembr. 1570. Militarium profeſſiones in hoc capite non comprehendi. Ergo non debet hoc caput Tridentini vniuerſaliter intelligi. Hanc ſuſtinent Caramuel, *in reg. D. Benedicti, diſp. 45. num. 544.* Henriquez, *lib. 13. cap. 40. nu. 2. in* Henriq. Sorbus.
Comment. lit. O. Sorbus noſter, *in Compend. priuileg. verb. Nouitius, poſt 2. notabile, verſ. Sed an requiratur.* Huius etiam opinionis fuit P. Bobadilla Ordinis Minorum, vt refert Miranda ſtatim citandus.

Nihilominus communis ſententia & praxis eſt in contrarium, quia quotidie videmus Regulares tranſeuntes ad aliam Religionem, ſi velint ante annum nouitiatus expletum, profiteri, impetrare diſpenſationem à Summo Pontifice. Ratio autem eſt, quia cùm Tridentinum non diſtinguat inter ſæculares, & Religioſos, ſed indiſtinctè requirat annum probationis expletum, nec nos diſtinguere debemus. Cùm enim hic in illa alia Religione profiteri denuo debeat, ſequitur præmittendum eſſe nouũ nouitiatum vnius anni, ad validam profeſſionem, prout requirit Tridentinum. Nec implicat eundem eſſe veteranum in vna Religione, & tyronem in alia: quia in diuerſa Religione hic profitetur. Ergo antea illius aſperitates experturus eſt, & Religio eius mores. Cùm paſſim contingat aptiſsimum vni religioni eſſe ineptiſsimum alteri. Ita docent Nauarrus, *lib. 3. conſil. 61. & conſil. 66. de manual* [illegible] Nauar. Sà.
in 2. edit. Em[illegible] *verb. Religio, num. 35.* Rodriquez, Rodriq. Sanchez Leſsius
tom. 3. qq. regul. quæſt. 1. art. 11. Miranda, *in Manual. tom. 1. quæſt. 22. art. 11. concluſ. 3.* Sanchez, *de matrim. lib. 7. diſput. 37. num. 47.* & *lib. 5. moral. cap. 4. num. 12.* Leſsius, *lib. 2. cap. 41. n. 101.* & alij communiter.

Notandum tamen eſt, quòd ſi dictus religioſus tranſeat vt ſit Prælatus, ſufficit profeſsio tacita, non requiritur annus probationis, etiamſi tranſitus fiat ad ſtrictiorem religionem: imò non videtur requiri profeſsio noua, quia ſubſtantialia ſunt eadem, & ad cæteras obſeruantias ſatis cenſetur obligari ea lege, & conſuetudine, qua Prælati regulares ſe communi regulæ, & ſtatutis loco conformare tenentur. Ita allegato Federico de Senis, *conſil.* Senis. Nauarr. Azorius Leſsius
5. docet Nauarrus, *lib. 3. conſil. 60. in fine, de regular. in 2. edit.* Azorius, *tom. 1. lib. 12. cap. 14. quæſt* 13. Leſsius, *loco cit.* Miranda, *tom. 1. quæſt. 31. art. 22. concluſ. 1.*

17. Cùm quiſque teneatur ſcire ea, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, nimirum, leges vniuerſales ſui ſtatus, & ſui officii, quod aſsumere intendit, vt communiter tradunt Doctores poſt Diuum Thomam, *1. 2. quæſt. 76. art. 2.* D. Th.
Hinc nouitius intendens aſsumere ſtatum religionis, tenetur ad ſcientiam ſuæ regulæ; quæ quidem ſcientia intelligitur ſecundùm ſubſtantiam, & ſignificationem generalem regulæ, non verò ſecundum declarationes Pontificias, neque ſecundùm difficultates, & ſubtilitates ipſius regulæ. Itaque nouitius antequam admittatur ad profeſsionem, tenetur ſcire ſubſtantiam obligationis ſuæ regulæ; & tunc dicitur huiuſmodi ſufficientem intelligentiam regulæ obligationum habere quoad earum ſubſtantiam, quando agnoſcit, ſe mediante voto profeſsionis obligari ad obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, & etiam ad alia præcepta contenta in regula. Quamquam in plerіſque religionibus, coguntur nouitij antequam ad profeſsionem admittantur, regulam vel ſaltem illius præcepta memoriter diſcere. Magiſter tamen Nouitiorum præter hanc intelligentiam vniuerſalem Re-

gulæ,

gulæ, debet ſæpè eis proponere obligationes regulares, obſeruationes religioſas, & auſteritates, & alia ſimilia, quæ pro pura obſeruantia regulæ ſuſtineri ſolent. Ita Vecchis *diſp. 11. dub. 15.*

18. Nouitius quamdiu Religionis habitum retinet, nō poteſt licitè matrimonium contrahere, quamuis ſi de facto contrahat, matrimonium ſit validum. Ita habetur in *cap. Conſuluit, de regular.* ſic enim Pontifex ait: *Sicut votum ſimplex matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit iam contractum, ita habitus ſine profeſſione ſuſceptus ne contrahatur impedit, ſed contractum nequaquam diſſoluit.* Ex quo textu intelligitur, quamuis hoc impedimentum expreſsè non numeretur inter impedimenta, ad votum tamen caſtitatis ſimplex reduci. Eccleſia in reuerentiam habitus religioſi meritò hoc præcepit, ad vitandas fraudes, & ſcandala. Quia verò tale matrimonium validum eſt, ſi quis illud contrahat, tenebitur ſtatim ad dimittendam Religionem, quam primùm commodè potuerit, quia iam faceret illi iniuriam fictè in ea manendo, cùm ſit iam matrimonio ligatus, & non poſſit in ea profiteri, ac proinde tenetur reſtituere quidquid poſtea conſumeret, maximè ſi matrimonium conſummatum fuerit, quia tunc perſona eſt omnino inhabilis ad profeſſionem. Si vero matrimonium tantùm eſſet ratum, & nouitius vellet perſeuerare in nouitiatu cum animo profitendi, non peccabit perſeuerando, ſed potiùs rectè faciet: quia vtitur nouitiatu ad aliquem finem, propter quem inſtitutus eſt.

19. Cùm annus nouitiatus, & probationis debeat eſſe continuus, iuxta communiſſimam Doctorum ſententiā, vt diximus infrà *verb. Religio 3. num. 5.* Difficultas tamen eſt, an hæc continuitas probationis, debeat eſſe vſque ad profeſſionem, vel ſufficiat annum ipſum eſſe integrum, etiamſi proximè non ſequatur profeſſio; & conſequenter ſi expleto anno probationis, nouitius nolit profiteri, ſed Monaſterio egrediatur, & poſtea iterum redeat, an prior annus probationis ſufficiat ad profeſſionem emittendam? Affirmatiuam ſententiam ſuſtinent Sanchez
Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 34.* qui pro hac ſententia citat *D. Antoninum, Angelum, Syluestrum, Tabienam, Armillam, Rodriquez*, & alios, & eam ſequuti ſumus *tom. 1. loc. cit. num. 6.* quia ille annus probationis verè fuit integer & continuus, & nullum eſt ius, quod poſtulet continuari etiam cum profeſſione, aut quod vetet profeſſionem fieri, ſi inter nouitiatum, & illam tempus aliquod ſecularis vitæ intercedat; niſi conditio & circumſtantia perſonæ, aut Religionis adeo mutata fuerint, vt nouitius onera, & aſperitates Religionis ſufficienter expertus nō cenſeatur: quia tunc perinde eſt, ac ſi peractus in ea Religione nouitiatus non fuiſſet. Hæc ſententia eſt probabilis ob auctoritatem Doctorum eam tuentium. Sed quia ex illa nonnulla quædam abſurda ſequi videntur modo probabiliorem cenſeo contrarium. Nam ex illa ſequitur *Primò*, poſſe nunc inchoari annum probationis decimo quarto ætatis, & finiri initio decimiquinti, & poſtea redire ad ſæculum vſque ad complementum ætatis ſexdecim annorum, & tunc regredi ad Monaſterium, & ſine alia probatione profiteri. *Secundò* ſequitur, potuiſſe quem ante Concilium Tridentinum probationem facere duodecimo anno ætatis, et poſtea ſimili modo profeſſionem facere, quia nullum erat ius deſignans, in qua ætate nouitiatus eſſet peragendus. *Tertiò* ſequitur, licet quis redierit ad ſæculum per decennium poſt integrum annum probationis factum, poſſe cum illo anno poſtea profiteri, quod planè abſurdum eſt, & contra omne prudens iudicium.

Dicendum eſt ergo eadem iura quæ ſtatuunt, vt annus probationis præcedat, conſequenter velle, vt finito anno ſtatim de perſona iudicium feratur, & ad profeſſionem admittatur, ſi admittenda ſit, vel ſaltem in eodem ſtatu probationis vſque ad profeſſionem perſeueret, nam ſi illum mutet, moraliter mutat fundamentum iudicii.
Concil. Trid. Probatur hoc ex verbis Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15. de regul.* ibi, per *annum poſt ſuſceptum habitum*, quibus indicatur non debere ante profeſſionem plures receptiones antecedere. Facit etiam quod *cap. 16.* monet Religionum Prælatos, vt finito anno probationis, aut nouitios ad profeſſionem admittant, aut eos eijciant, quis autem dicat, ſi ſemel eos eijciant anno expleto, poſſe iterū illos recipere & validè ad profeſſionem admittere cum eadem probatione. Ita docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. num. 8. & 9.* Vecch. *in prax. nouit. diſput. 11. num. 5.* Peyrinus *tom. 2. de Prælato quæſt. 3. cap. 1. num. 99.* Tamburinus *de iur. Abbat. tom. 3. diſput. 6 quæſit. 7. num. 12. & 15.* et alii penes ipſos. Suarez. Vecch. Peyrin. Tābur.

20. Annus nouitiatus non interrumpitur, vt affirmāt ferè communiter Doctores, quando nouitius tempore probationis de licentia ſui Superioris, cauſa infirmitatis ad ſe curandum in parentum domo, vel conſanguineorum, vel ad viſitanda loca ſancta per aliquod tempus, puta duos vel tres menſes, à Monaſterio exiret. Ratio eſt, quia Religioſus cenſetur eſſe in Monaſterio, quando de licentia ſui Prælati foris eſt. Et explicatur in hunc modum à Panormitano *in cap. Cum illorum, de ſent. excommun.* vbi dicit, vbicumque fuerit Monachus, ſi ſit ſub obedientia Abbatis, ſemper fingi eſſe in clauſtro. Tū Panorm. quia ſi nouitius à Superiore ſuo mittatur alicubi, licet per multos menſes ibi degat ſub obedientia eius, verè eſt in probatione, quæ enim maior probatio, quàm obedire? aut quomodo poteſt quis iure dici probationem fugere, cùm non deſerat obedientiam, et ſubordinationem ad Prælatum ſuum? Et ita fertur declaraſſe Sacram Cōgregationem Cardinalium, his verbis: *Hoc anno probationis durante, ſi nouitia, curandæ valetudinis cauſa de licentia Superiorum Monaſterio exierit, & poſtea reuertatur, eodem tempore profeſſionem emittere poſſet perinde, ac ſi nunquam egreſſa fuiſſet.* Et hoc verum, licet illicitè & ſine rationabili cauſa conceſſa fuiſſet à Superiore nouitio licentia manendi extra Monaſterium. Nam in tali caſu licet Superior illicitè præſtans licentiam peccet: ex hoc tamen non ſequitur quòd annus nouitiatus interrumpatur; fieri enim poteſt, vt licet Superior peccet dando licentiam, ipſe tamen nouitius nihil peccet exeundo. Ita tradunt Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 14. num. 13. & 14.* Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 84.* Vecchis *in prax. nouit. diſp. 11. dub. 3. num. 11. 12. & 13.* Miranda *in Man. tom. 1. quæſt. 22. art. 5. in concl.* & alii communiter contra Nauarrum requirentem iam cauſam. Hoc idem docet Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 28.* etiamſi nouitius per maiorem anni partem cauſa morbi curandi extra Monaſterium commoratus fuerit, de licentia Prælati. Et Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 8.* idem ſuſtinet de nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum demoratus eſt, cum licentia Superioris. Suar. Diana. Vecch. Miranda Sanchez Azor.

Similiter non interrumpitur annus nouitiatus, ſi nouitius retento habitu perterritus ſeueritate, vel iracundia Superioris, vel magiſtri Monaſterium occultè exeat cauſa ſe celandi, dummodo animum habeat redeundi: quia nouitius in hoc caſu Religionem non deſerit, ſed ſe occultat, donec Superioris iracundia, ſeu ſeueritas ceſſet: nec dici poteſt fugitiuus à Religione, quia vt talis cenſeatur, debet fugiſſe prauo animo ſe perpetuo celandi & ampliùs non reuertendi. Ita Tamburinus *loco cit. num. 18.* & Diana *hic, verſ. Nota etiam*, qui citat Gualuanum *conſil. 12. num. 8.* Vecchis *loc. cit. num. 15.* Tambur. Diana Gualuan Vecchis.

21. Certum eſt in iure non poſſe nouitium eligi ad vllam Abbatiam, ſeu Prælaturam in ſua, vel in alia Religione, vt ſtatuitur *in cap. Nullus, de elect.* vbi ſic dicitur: *Nullus Religioſus ad Abbatiam, ſeu Prælaturam ſuæ, vel alterius Religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit Ordinem regularem expreſsè profeſſus; quod ſi ſecus actū fuerit, eo ipſo irritum habeatur*, vbi non ſolùm nouitii excluduntur à Prælaturis, ſed etiam illi qui non expreſsè, ſed ſolùm tacitè profeſſi ſunt, & merito, quia is, qui in Prælatum eligitur, debet eſſe omni exceptione maior, et ideo eius profeſſio debet eſſe extra omnem ambiguitatem & controuerſiam. At vero quoad dignitates extra Religionem, in eodem *cap. Nullus*, dicitur nouitium poſſe ad Epiſcopatum eligi. Ratio autem eſt, quia Epiſcopatus eſt ſtatus maioris perfectionis, & ad commune bonum, Eccleſiæ maximè neceſſarius, & ideo ſi nouitius aliquis dignus ſit, & Eccleſiæ opportunus, ſtatim promoueri poteſt ad Epiſcopatum, non expectata profeſſione: poteſt tamen poſt electionem profiteri, ſi velit & po-

ſtea

ſtea Epiſcopus conſecrari. Ita communiter Doctores.

Difficultas eſt de aliis beneficijs ſæcularibus; quidam enim cenſent ea nō licitè conferri nouitio: quia anſa daretur illi, vt occaſione fruendi beneficio Religionem deſereret. Sed verius eſt, ea poſſe conferri nouitio: quia adhuc eſt ſui iuris, & proprii habendi capax, nec alicubi reperitur interdicta huiuſmodi collatio. Tum quia cùm nouitius verè & realiter nondum mutauerit ſtatum, ſed ſit tantùm in probatione, pendeatque ab eius libera & abſoluta voluntate redire ad ſæculum, conſtat interim capacem eſſe iuris etiam ſæcularis, ſi illud ipſe acceptare velit; & quamuis beneficium ſæculare ſimplex ſtare non poſſit cum ſtatu profeſſi, vacabit vtique per profeſſionem: at interim non eſt cur in nouitiatu perſeuerans illud retinere nequeat, vt ſi egrediatur, poſſideat illud in perpetuum; ſi autem profiteatur vacet ſtatim. Ita Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæſt. 1.* Garzias *de benefic. part. 7. cap. 10. num. 5.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 4. num. 22.* Vecchis *diſp. 11. dub. 9.* Francus *in cap. beneficium, de regul. in 6.*

Azor. Garzias. Sanch. Vecchis. Francus.

22. Nouitius beneficii regularis eſt incapax, vt quod ſolis profeſſis eſt conferendum, & hoc verum iure antiquiori *Clement. quia regulas, de ſupplend. negligent. Prælat. & Clement. ne in agro, §. ſanè Prioratus, de ſtatu Monachor.* At iuxta Tridentinum *ſeſſ. 14. de reform. cap. 10.* poteſt dari beneficium regulare nondum profeſſis, imò his qui habitum nondum ſuſceperunt, modò habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur. Sic enim habet textus: *Regularia beneficia in titulum regularibus profeſſis prouideri conſueta, cùm per obitum, aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentes, vacare contigerit, Religioſis tantùm illius Ordinis, vel ijs, qui habitum omninò ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur, & non alijs, ne veſtem lino lanaque contextam induant, conferantur.* Itaque beneficia illa debent dari conuentione facta, vt beneficiarii illi, ſi ſæculares ſunt, teneantur intra certum tempus ad Religionem tranſire, ſicut & beneficia curata habent eam conditionem tacitam, quando dantur non Sacerdotibus, vt intra annum teneantur ad Sacerdotium promoueri, ex *cap. Licet Canon, de elect. in 6.*

Concil. Trid.

23. Modus renunciationis bonorum à nouitio adhibendus continetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 16. de regular.* his verbis: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſa pia valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter verò facta, etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione, etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus.*

Concil. Trid.

Circa quod Decretum hæc notanda veniunt. *Primum*: Duplex ſolemnitas petitur à Concilio, vt renunciatio bonorum à nouitio facta ſit valida. Prior eſt, vt licentia Epiſcopi, ſeu eius Vicarij Ordinarij, non foranei interueniat. Eandem facultatem dare poſſunt etiam Epiſcopus confirmatus, licet non conſecratus; Capitulum Sede vacante, & eius Vicarius, nec non Abbates & Prælati iuriſdictionem habentes Epiſcopalem, nullique Epiſcopo ſubiecti in ſuis diœceſibus, & eorum Vicarii; quæ licentia debet eſſe obtenta ante renunciationem, & non tantùm petita: ſufficit autem quod viua voce concedatur. Ita Rodriquez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 48. art. 14.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 64. & ſeq.* Miranda *in Man. quæſt. 23. art. 6.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 194.* Vecchis *diſp. 8. dub. 9.* & alii.

Rodriq. Sanchez Miranda Fauſtus. Vecchis.

Prælati tamen regulares, etiam maiores, aliàs iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes, nequeunt præfatam licentiam impertiri, niſi conſuetudo præſcripta inualuerit, hanc peti licentiam non ab Epiſcopo, ſed à Religionis Prælato. Proinde affirmant quidam in aliis Religionibus abijſſe in deſuetudinem petere hanc licentiam ab Epiſcopo, & ideò in illis non eſſe neceſſarium. Ita Rodriquez *tom. 2. ſumma Latina cap. 7. num. 1. in fine.* Vega *tom. 2. ſum. cap. 50. caſu 2.*

Rodriq. Vega.

Nihilominus tutiùs ſemper erit, ne renunciationis valor litigio exponatur, & incumbat Religioſis probare hanc legitimæ conſuetudinis præſcriptionem, exigere licentiam Epiſcopi, vel aliorum de iure hanc poteſtatem habentium, vt monet Sanchez *loc. cit. num. 75.* & Vecchis *loco cit. num. 2. in fine.*

Sanch. Vecchis.

Poſterior ſolemnitas eſt, vt renunciatio fiat intra bimeſtre ante profeſſionem: quæ fieri integro bimeſtri ante profeſſionem, non eſt neceſſaria; ſed ſatis eſt, vt toto eo bimeſtri fiat etiam immediatè ante profeſſionem. Finis enim illius decreti eſt, vt maiori cum deliberatione talis renunciatio fiat: at eò conſultior & maturior deliberatio erit, ſi longiorem temporis curſum nouitius adhibuerit ad eiuſmodi renunciationem faciendam, quo ad profeſſionem magis acceſſerit. Nonnulli exiſtimant, ſuo valore non carere renunciationem factam ante modicam hujus bimeſtris diſtantiam; eo quòd ea diſtantia non mathematico, ſed morali modo accipienda eſt. Sed verius eſt computandos eſſe hos duos menſes de momēto ad momentum, & ſecundùm quod occurrit menſis in Kalendario, & quod ex illo menſe deficit, accipitur de ſequenti, & ita habebit ille menſis triginta dies, vel triginta vnum vel viginti octo, vt in Kalendario occurrerit.

24. Secundum notabile eſt, quod nouitius non poſſit beneficio renunciare, niſi ſeruata forma & ſolemnitate decreti dicti Concilii: quia illud vniuerſaliter de renunciatione agit: & eius finis in hac, prout in bonorum renunciatione locorum habet, ne videlicet nouitius à Religione diſcedere cupiens, ab egreſſu retardetur, videns ſe non obtinere bona priùs poſſeſſa. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 38.* Miranda *in Man. tom. 1. quæſt. 23. art. 5.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 12.* Vecchis *diſp. 8. dub. 7. num. 4.* & alii, quamuis contrarium ſuſtinent Garzias *de benefic. part. 11. cap. 9. num. 12.* & Rodriquez *tom. 2. ſum. Latin. cap. 7. num. 2.* Ad quorum fundamentum reſponderi poteſt, nihil abſurdi eſſe, ſi renunciatio beneficii à nouitio facta intra id bimeſtre habeat tacitam conditionem ex præſcripto huius decreti Tridētini, ſi profeſſio ſequatur, & ex hac conditione pendere eam eſſe perpetuam. Et quamuis Epiſcopus non debeat conferre id beneficium ante profeſſionem, at ſi collatum ſit, reddendum eſt nouitio egredienti, qui conditio profeſſionis ſub qua renunciatio facta eſt, defecit. Ita Flaminius *de reſignat. benefic. lib. 3. quæſt. 13. num. 5. 6. & 7.* & Sanchez *loco cit.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 7. num. 6.* & alii.

Sanchez Miranda Suar. Vecchis. Garzias. Rodriq. Flamin. Sanch. Layman

25. Tertium eſt, non poteſt nouitius donationem cum huiuſmodi ſolemnitate factam ante profeſſionem reuocare. Ratio eſt, quia ſi ea donatio eſſet reuocabilis vſque ad profeſſionem, poſſet quocumque tempore nouitiatus fieri nulla illius decreti ſolemnitate poſita, & ideò petit Tridentinum eas ſolemnitates, quia ſtatim eſt donatio irreuocabilis, niſi deficiat conditio. Tum quia donatio cum conditione non poteſt, ea pendente reuocari; nam ex contractu conditionali nōn minus oritur obligatio in ſpe, hoc eſt, in euentum conditionis, quàm ex contractu abſoluto & puro obligatio abſoluta, & in re, cùm vterque contractus ſit in ſuo ordine & gradu perfectus. Ita Molina *tom. 2. de iuſtit. diſp. 285.* Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 14. num. 16.* Vecchis *diſp. 8. dub. 9. num. 9.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 184* et alii apud Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 58.*

Molina. Couar. Vecchis. Fauſtus. Sanch.

25. Quartum notabile eſt, quod vt donatio à nouitio cum ſolemnitate dicti decreti facta ſit firma, requiritur vt profeſſio ſit valida. Quia Tridentinum petit ſequi profeſſionem, & verba ſunt intelligenda cum effectu; & perinde eſt actum non fieri, et eſſe nullum. Accedit, quod Tridentinum conſulere voluit liberè, ac licito egreſſui Religionis nouitiorum: at dum profeſſio eſt irrita, profitens eſt verè nouitius, & licitè egredi poteſt; ergo non ſunt firmæ & donatio et renunciatio. Ita Rodriquez *tom. 2. Summ. cap. 7. num. 6.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. 39.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 39. num. 11. in fin.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 10. num. 6.* et alii.

Rodriq. Lopez. Barboſa. Tambur

27. Quintum eſt, quod ſub hoc decreto comprehenditur patrimonium, cuius titulo ordinatus eſt nouitius. Ratio eſt, quia habet tacitam conditionem ea renunciatio, ſi profeſſio ſequatur, et ea non ſecuta, reddatur nouitio;

Digitized by Google

Miranda. Vecchius.

uitio; dummodo fiat mentio eius titulo initiatum eſſe nouitium. Ita Miranda *tom. 1. quæſt. 23. art. 5.* Vecchis *diſp. 8. dub. 7. num. 6.*

Sanchez

Item locum habet Concilii decretum in renunciatione Officiorum publicorum temporalium, quando fit renunciatio Officii, vt ſtatim transferatur in eum, in cuius fauorem fit renunciatio: nam tunc ſeruandæ ſunt in ea renunciatione ſolemnitates huius decreti, & non debet admitti renunciatio, vt abſolutè ſortiatur effectum, niſi cum conditione, quam Concilium requirit, ſcilicet, vt ſequatur profeſſio. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 43.* & alii.

Sanch. Suarez. Tamburin.

28. Sub præfato Concilii Tridentini decreto non comprehenduntur eleemoſynæ paruæ per nouitios factæ, attentis illorum facultatibus, quæ libertati egreſſus minimè obſtare poſſunt; nec victus & veſtitus, quem pro ſe tribuunt nouitij Monaſterio, vt expreſsè habetur in dicto decreto; nec quæ dantur Monaſterio, vel Monialibus in ingreſſu in nouitiatum, vel in ipſa profeſsione, non pro ipſa, ſed pro ſuſtentatione nouitiæ & Monialium & pro ſolemnitate & feſtiuitate profeſsionis iuxta conſuetum morem. Multo minùs comprehenduntur in decreto donationes, vel oblationes factæ Monaſterio, ſeu Religioſis, à tutoribus, curatoribus, ac conſanguineis nouitiorum ex propriis bonis, non ex bonis nouitiorum, de quibus Sanchez *loco cit. cap. 5. num. 22. & 23.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 9. num. 16.* Tamburinus *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſit. 10. num. 17. & ſeq.* apud quos plura.

Miranda. Rodriq. Leſſius. Nauarr. Molina.

29. Difficultas eſt inter Doctores, an renunciatio facta à nouitio ante ingreſſum Religionis, intuitu tamen Monaſterii, vel Religionis, valeat? Duplex eſt ſententia. Prima probabiliter ſuſtinet, hanc renunciationem comprehendi in hoc decreto Tridentini, ac proinde eſſe irritam, ſi fiat contra formam, & ſolemnitatem à Concilio petitam. Ratio eſt, quia Concilium in vniuerſum loquitur de renunciatione facta ante profeſsionem, non reſtringendo ad factam tempore nouitiatus, finiſque illius decreti, ne videlicet impediatur libertas egreſſus nouitii, æquè habet vim in hoc caſu, ac in renunciatione facta nouitiatus tempore. Ita Miranda *in Manual. tom. 1. q. 23. art. 2.* Rodriquez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 48. art. 8.* Leſſius *cap. 41. dub. 4.* Nauarrus *lib. 3. conſil. de donat. conſ. 7.* Molina *tom. 1. diſp. 139.* & alii.

Portel. Fauſtus. Vecchis. Azor. Sanchez. Tamburin.

Poſterior, quæ eſt probabilior, aſſeri non comprehendi illo decreto, & ſic eſſe validam. Ratio eſt, quia in dubio textus eſt intelligendus iuxta rubricam ſub qua conſtituitur, cùm ergo intelligentia huius textus dubia ſit, & conſtituatur ſub rubrica & titulo, qui eſt de regularibus, non ergo intelligitur de merè ſæcularibus, quales ſunt, qui in nouitiatum nondum ingreſsi ſunt. Tum quia decretum hoc eſt iuris communis correctorium, maximè dum vires iuramenti infirmat, auferteque liberam de proprijs bonis diſponendi facultatem omni iure competentem; non ergo debet extendi de vno tẽpore ad aliud. Tum quia ſic declarauit Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium die 18. Martij 1598. his verbis: *Congregatio Concilij cenſuit Decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 16. de regular. non vendicare ſibi locum in donationibus, vel renunciationibus ante habitus ſuſceptionem, etiam animo & propoſito Religionem ingrediendi factis.* Ita Portel *in dub. regul. verb. Nouitius, num. 41.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 183.* Vecchis *in prax. nouit. diſp. 8. dub. 8. num. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 6.* Sanchez *lib. 7. mor. cap. 5. num. 4.* Tamburinus *tom. 3. diſp. 6. quæſit. 10. num. 10.* & alij penes ipſos.

Nauar. Sanch.

30. Nouitius poteſt quocumque tempore condere teſtamentum ante, vel poſt Religionis ingreſſum non ſeruatis ſolemnitatibus Concilii Tridentini, quia hoc nullo iure prohibetur: tum quia nomine renunciationis, non intelligitur teſtamentum, neque donatio cauſa mortis: tum quia Tridentinum de ſolis renunciationibus, & obligationibus loquitur; & teſtamentum, nec renunciatio, nec obligatio dicitur. Et ita fertur declaraſſe Sacram Congregationem anno 1598. die 22. Ianuarii. Et hoc abſque vlla licentia Superioris, vt docent Nauar. *Comment. 2. de regular. num. 49.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. num. 3.* Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 139. verſ. His ita conſtitutis.* Vecchis *diſp. 8. dub. 10. num. 3.* & alii communiter, vt conſtat ex *Authen. nunc autem, C. de Epiſc. & Cleric. & cap. ſi qua mulier 19. quæſt. 3.* Ratio eſt, quia nouitius ſimpliciter eſt adhuc ſui iuris cum libera exeundi poteſtate; & ſi alicuius licentia exigeretur, minus verum eſſet dicere poſſe illos teſtari. Molina. Vecchis.

Nauarr. Rodriq. Miranda. Sanch.

Et hoc teſtamentum cenſetur confirmari profeſsione, ac ſi confirmatum eſſet morte, & ſic poſt profeſsionem non poterit reuocari, vt docent Nauarrus *Comment. 2. de regular. num. 53.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 16. art. 3.* Miranda *tom. 1. quæſt. 23. art. 10.* Sanchez *lib. 7. mor. cap. 3. num. 34.* Qui nouiſsimus hanc ſententiam dicit eſſe veram *num. 35.* quamuis in eo teſtamento nihil ſit relictum Monaſterio, cùm enim non habeatur loco filij, nulla ratio cogit, vt opus ſit illi aliquid relinquere, ne teſtamentum rumpatur, citans *Imolam*, *Felinum*, *Iulium Clarum*, et alios.

Menoch. Gratian. Dian. Fagund.

Nouitius tamen non poteſt facere donationem inter viuos, nec contractus magni momenti irreuocabiles, cõſiderata qualitate perſonæ & bonorum, quia decretum Tridentini non ſolùm comprehendit renunciationes, & obligationes, ſed etiam donationes inter viuos, cùm donatio & renunciatio ambulent pari paſſu, & quod de vna dicitur, in alia etiam procedat, vt dicunt Menochius *conſ. 990. num. 11.* Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 409. num. 18.* alii. Excipitur donatio remuneratoria, quæ fieri poteſt à nouitio, non obſtante decreto Concilii Tridentini: quia ſub verbis Concilii veniunt tantùm donationes liberales, ſed donatio remuneratoria dici non poteſt verè & propriè donatio liberalis, ergo &c. Ita Diana *part. 8. tract. 6 reſ. 121.* & pro hac ſententia citat Fagundez *de contract. lib 4. cap. 6. num. 5.*

Rodriq. Fauſtus.

Ex dictis colligitur donationem factam à nouitio poſt ſuſceptionem habitus cauſa mortis, abſque forma in decreto Tridentini præſcripta validam eſſe: quia Concilium tantùm loquitur de donationibus inter viuos, quæ cùm irreuocabiles ſint, poſſent cauſare, vt nouitius videns ſe ſuis facultatibus denudatum, cogatur profeſſionem emittere, quod non contingit in teſtamentis & donationibus factis cauſa mortis, quæ à nouitio reuocari poſſunt. Ita Rodriquez *tom. 1. Sum. cap. 90. num. 4.* & Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 189.* vbi fatetur de communi.

Suarez.

31. Dubium eſt, an ſi profeſſio non ſequatur, quia moritur nouitius ante profeſſionem, donatio facta ab illo habeat effectum? Affirmant Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 11.* ſi expreſsè non reuocauerit priorem donationem, ſiue fuerit moderata, ſiue copioſa, atque etiam de omnibus bonis. Ratio ipſius eſt, quia licet talis nouitius habuerit ſubintellectam conditionem perſeuerantiæ, ſatis tamen perſeuerauit, qui in Religione mortuus eſt, etiamſi ob temporis defectum profeſſionem emittere non potuerit. Vnde licet illa donatio facta fuerit cauſa mortis ciuilis, quæ in profeſſione eſſe intelligitur, tamen ſatis cenſetur compleri per anticipationem mortis naturalis, quæ multò magis perſeuerantiam, atq; adeò perpetuitatem donationis complet: præſertim quia dum nouitius moriendo tacet, donationem factam confirmare videtur. Nihilominus donationem irritam eſſe & nullam ſuſtinent Nauarrus *lib. 3. conſil. de ſtatu Monachor. conſ. 1.* Rodriquez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 48. art. 12.* Emanuel Sà *verb. Religio, num. 7.* Vega *tom. 1. Sum. cap. 91. caſu 4.* Paſſarellus *in priuileg. Minor. cap. 37.* vbi affirmat, Sacram Congregationem Cardinalium ſic ſibi reſpondiſſe. Ratio autem eſt, quia licet antiquo iure probabile eſſet, talem donationem validam eſſe; tamen ſtante decreto prædicto Concilii Tridentini dicendum eſt abſolutè talem donationem eſſe irritam, licet Suarez contrarium dicat. Nauarr. Rodriq. Sà. Vega. Paſſarel.

32. Certum eſt in iure nouitium poſt profeſſionem non poſſe teſtamentum prius à ſe conditum reuocare, aut mutare. Quia eadem poteſtas exigitur in diſſoluendo actum, quæ in ipſum conſtituendo, *l. ſi vt proponis in fin. C. de nuptijs.* Cùm ergo Religioſus teſtari non poſſit, vt ſuſtinent communiter Doctores, etiamſi extra Clauſtrum habitet, ſequitur eum etiam non poſſe prius teſtamentum

condi-

Nauar. Miranda. Molina. Azor.

conditum reuocare, vt docent Nauarrus *Comment. 2. de regul. n. 53.* Miranda *in Man. tom. 1. quæſt. 23. art. 10. concl. 3.* Molina *tom. 1. diſput. 140. verſ. Virum verò Religioſus.* Azor. *tom. 1. lib 12. cap. 6. q. 4.* & alij. Conceditur tamen Religioſo, qui habebat filios, & ante profeſſionem nullã bonorum ſuorum præmiſit diſpoſitionem, poſſe inter eos diuidere bona, iuxta *Auth. ſi qua mulier, C. de ſacroſanct. Eccl.* & refertur *in cap. ſi qua mulier 19. q. 3. & Authen. nunc autem, C. de Epiſc. & Cleric.* Huiuſmodi autem diuiſio non eſt teſtamentum, ſed fit à profeſſo, non tanquã à domino, ſed vt ab adminiſtratore à iure conſtituto ad hunc effectum: quia rationi conſonum eſt, ne profeſſis facultas teſtandi concedatur, vtpote quæ maiorem præ ſe fert dominij imaginem, quàm nuda illa diſtributio; ſtatque hæc abſque teſtandi facultate: nam etiam Iudex arbiter diuidit, non tamen teſtatur. Ita explicat Nauarr. *Comment. 2. de regul. num. 45.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. n. 82.* Sanchez *lib. 7. mor. cap 9. num. 10.* & alij.

Nauar. Leſſius. Sanch.

Tamen extra hunc caſum in dictis legibus memoratum, non licet Religioſis de ſuis bonis diſponere, quia ob paupertatis votum carent dominio & adminiſtratione illorum. Hæc autem iuris diſpoſitio non procedit in Fratribus Minoribus, qui regulam ſecundùm ſuam puritatem obſeruare ſe profitentur: quia à die profeſſionis reputantur quoad hoc tanquam naturaliter mortui, vt docent Bart. Iaſon, Ancharan. apud Vecchis *diſp. 8 dub. 11. num. 3.*

Vecchis.

33. Nouitius poſt profeſſionem poteſt interpretationẽ dubiæ & obſcuræ ſuæ voluntatis in teſtamento non ſatis explicatæ facere, iuxta textum *l. hæredes palam 21. §. ſi quid poſt, C. de teſtam.* vbi deciditur nihil poſſe ex priori teſtamento immutari abſque debita ſolemnitate, & ſubditur eam nõ exigi, quoties eſt ſola prioris voluntatis declaratio. Hinc Doctores dicunt, declarantem non diſponere, ſed quod actum ſit in præteritum oſtendere, & aperire. Cùm ergo declarans nihil de nouo faciat, poterit nouitius iam profeſſus priſtinam ſuam voluntatem dubiam declarare; quia hac declaratione nihil de nouo diſponit, ſed diſpoſitionem iam perfectam, & apud ſe certam, licet apud nos obſcuram, aperit: & ſi non aperiret, communiter arbitrio Iudicis, vel viri prudentis deberet fieri declaratio. Ita Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 69. art. 3.* Reginaldus *lib. 18. cap. 27. num. 397.* Molina *tom. 1. diſp. 139. in fin.* & alii, vt tamen prædicta doctrina habeat locum, debet teſtamentum dubiæ & obſcuræ voluntatis interpretatione indigere: quia interpretationi non eſt locus vbi verba non ſunt dubia, ſeu ambigua, ſed clara: vnde ſi Religioſus rem claram & certam ſui teſtamenti vellet declarare, talis interpretatio ei omninò eſſet illicita; quia hoc non eſſet veterem diſpoſitionem declarare, ſed nouam inducere, quod profeſſo eſt interdictum. Debet inſuper declaratio Religioſi verbis ipſius teſtamenti conuenire, eiſque commodè poſſe aptari, ſecundùm propriam ſignificationem, quia quando ab eis recedit, non eſſet declaratio, ſed noua diſpoſitio, quam ipſe facere nequit, vt colligitur ex *cap. 1. de teſtam. in 6.* ibi: *Dummodo eorum verbis conueniat,* & tradunt Tiraquellus *l. ſi vnquam, C. de reuoc. donat.* & Sanchez *lib. 7. moral. cap. 11. num. 17. & 18.* apud quem plura de hac materia teſtamẽtorum, toto libro ſeptimo, Hieronymus Rodriquez *in compend. reſol. 101. num. 50.* Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 75.*

Rodriq. Regin. Molina.

Tiraq. Sanch.

34. Controuertitur inter Doctores, quas ſolemnitates requirat teſtamentum à nouitio, vel volente Religionem ingredi confectum? Quidam enim putant in hoc teſtamento minimè requiri ſolemnitates iure communi petitas, ſed eas tantùm ſufficere, quæ in teſtamento militis ſatis ſunt. Ratio illorum eſt, quia rationi diſſonat minori priuilegio gaudere milites cœleſtis pugnæ, quales ſunt Nouitii, quàm milites terreſtris. Ita Iulius Clarus *lib. 3. ſentent. §. Teſtamentum, q. 28. num. 2.* Emanuel Sà *verb. Teſtamentum, n. 21.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 15.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 69. artic. 11. fine,* & alii. Hæc ſententia eſt probabilis. Sed multò probabilius eſt teſtamentum nouitij & volentis ingredi Religionem indigere ſolemnitatibus iuris communis. Quia nullibi in iure reperitur id priuilegium nouitiis conceſſum. Non enim miles dicitur, niſi poſt profeſſionem, quando iam teſtari nequit, & ſi proximè accingendus haberetur in hac re pro accincto iudicaretur ille nouitius tamquam profeſſus, & ſic teſtari nequiret.

Iul. Clar. Sà. Azor. Rodriq.

Sed eſt alia difficultas, an ſolemnitates petitæ in nouitiorum teſtamento, ſint eæ, quas ius ciuile inducit, vel eæ ſolæ, quas ius Eccleſiaſticum *cap. relatum de teſtamentis*? Nonnulli exiſtimant eas ſolas requiri, quas ius Eccleſiaſticum requirit, quia nouitii inter perſonas Eccleſiaſticas computantur: verius tamen eſt neceſſarias eſſe ſolemnitates iuris ciuilis. Quoniam contractus horum nouitiorum neceſſariò celebrandi ſunt cum ſolemnitatibus iure ciuili petitis; quia eadem eſt ratio de teſtamentis, & à contractibus ad teſtamenta validè ducitur argumentum. Tum quia, licet Clerici non ſubdantur pœnis legis ciuilis, ſubduntur tamen legibus ciuilibus irritantibus contractus & teſtamenta, niſi tali ſolemnitate & modo fiant. Nam hæ irritationes non ſunt pœnæ, ſed diſpoſitiones legum ad irritandos contractus, & conſulendum communi Reipubl. bono, ac paci, & vt litibus obuiam eatur. Tum quia nulli Eccleſiaſtici exempti ſunt ab his legibus ciuilibus, quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed ad bonam Reipubl. adminiſtrationem ſunt inſtitutæ. Ita Vaſquez *1. 2. diſp. 96. art. 1. diſput. 167. fine.* Molina *tom. 1. diſp. 31. concl. 6.* citans *Sotum, Victoriam, & Sylueſtrum.* Sanch. *lib. 7. mor. cap. 3. n. 16. vſque ad 23.*

Vaſq. Molina. Sanch.

Sed ex dictis oritur aliud dubium, an quando nouitius eſt minor, poſſit diſponere de ſuis bonis ſine ſolemnitate iuris ciuilis, hoc eſt ſine auctoritate Curatoris, & decreto Iudicis, ſi bona ſint immobilia? Reſp. Diſpoſitionem factam à minori intuitu ingreſſus in Religionem, etiamſi fiat in fauorem perſonæ priuatæ validam eſſe, quamuis in ea non obſeruentur ſolemnitates dictæ à iure requiſitæ, in diſpoſitione Minorum. Probatur, quia *in Authen. §. illud quoque, de Monachis,* conceditur volentibus ingredi Religionem, quo voluerint modo vti bonis; quæ verba ſolemnitatem legis remouent, *l. 1. ff. de militari teſtam. & l. 1. C. de Sacroſanct. Eccl.* nec reſtringuntur ea verba ad donationem, quæ fit Monaſterio, nec ad teſtamentum, verbum enim, *vti,* generale eſt ad omnem diſpoſitionem etiam inter viuos. Et hoc quidem verum eſt, non ſolùm quando nouitius iam effectus diſponit, ſed etiam quando antea intuitu ingrediendi Religionem. Tum quia Doctores infra citandi communiter aiunt abſolutè minorem intrando Religionem poſſe teſtari, vel aliter de rebus ſuis diſponere, abſque Curatoris auctoritate, & decreto Iudicis, quia mori fingitur. Ita Abbas in *cap. in præſentia, num. 34. de probat.* Sylueſter *verb. Minor fine.* Angelus *ibid. num. 2.* & ibi Tabiena *quæſt. 2. num. 3.* Armilla, Lopez *lib. 2. de contract. cap. 39. quæſt. 3. notab. 5.* Sed de his ſatis.

Abbas. Syluest. Angel. Tabiena. Armilla. Lopez.

Vide tom. 1. verb. Alimenta n. 8. Apoſtaſia n. 5. Beneficium 1. n. 4. Electio n. 18. Excommunic. 6. n. 25. Horæ Canonicæ 2. num. 12.

O

OBEDIENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit obedientia, & inobedientia?*
Obedientia, & inobedientia, alia eſt materialis, alia formalis.
2 *Quod ſit obiectum obedientiæ, & inobedientiæ?*
3 *An obedientia formalis ſit ſub præcepto?*
4 *An inobedientia formalis ſit peccatum mortale? Et quale peccatum ſit inobedientia materialis.*
5 *Conditiones obedientiæ religioſæ vt ſit Deo grata: & de prima, vt fiat ſine mora.*
6 *Secunda conditio, vt fiat ſine querela, & murmuratione.*
7 *Tertia conditio, vt fiat gratanter & hilariter.*
8 *Quarta, vt fiat fortiter & perſeueranter.*

9 *An inobedientia ſit origo omnium malorum?*
10 *An obedientia virtutum præcipuum inter omnia vota eſſentialia?*
11 *An vt Religioſus teneatur ſuo Prælato obedire, ſatis ſit, vt ipſius voluntas ei innoteſcat?*
12 *An ſubditus dubitans, an id quod præcipitur ſit licitum, teneatur Superiori obedire?*
An ſubditi ad bellum à Principe vocati poſſint & debeant obedire, ſi de iuſtitia belli illis non conſtet?
13 *An poſſit & debeat ſubditus obedire, ſi certus ſit Superiorem dubitare, an id quod iubetur ſit licitum?*
14 *An Religioſi ex voto obedientiæ teneantur omnia quæ continentur in regula, ſub mortali obſeruare?*
15 *An Religioſus violans paſſim ſtatuta ſuæ religionis ad culpam non obligantia, peccet mortaliter?* refertur duplex ſententia.
16 *An Religioſus habens propoſitum faciendi contra omnes, vel præcipuas ſuæ religionis regulas etiam ad culpam non obligantes, peccet mortaliter?*
17 *An Religioſus teneatur eſſe perfectus?*
18 *An teneatur Religioſus tendere ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera?*
Quando Religioſi peccent contra præceptum tendendi ad perfectionem, referuntur variæ ſententiæ.
19 *An contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem peccet Religioſus, ſi ſeruans regulam & vota, intendat non attingere ad perfectionem?*
20 *An peccet ſæcularis, ſi proponeret ſe conſilia non ſeruaturum, non ex eorum contemptu?*
21 *Obedientia exaltatur.*

D. Tho. Syluius. Fauſtus. Sanchez. Nauarr. 1 EX doctrina D. Thomæ 2.2.q.104.*art.*2. *ad* 1. Syluius *ibid.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 6. *quæſt.* 35. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 1. Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 35. & communiter recepta, obedientia dupliciter vſurpatur: nam alia dicitur obedientia materialis, ſeu generalis, quæ nihil aliud eſt, quàm omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etſi non ea intentione expreſsè fiat: E contrà inobedientia eſt omiſſio eiuſdem actus præcepti: Et hæc obedientia eſt ſpecialis virtus, ſed generalis, & inobedientia vitium generale; quiuis enim actus virtutis obligans eſt obedientia, nam homo credit per fidem, diligit per charitatem, ſuffert tribulationes per patientiam, &c. & ſic exercet actũ obedientiæ materialiter & vniuerſaliter ſumptæ. Altera autem eſt formalis, ſeu ſpecialis, & eſt illa, qua quis aliquid facit ea expreſſa intentione, quia Superior, ſiue ille ſit Deus, ſiue alij inferiores ab ipſo, ita mandat, ac vult. Et hæc eſt ſpecialis virtus, inter cæteras virtutes morales. Inobedientia verò formalis eſt vitium inclinans ad omittenda præcepta eo quod præcepta ſunt, & hæc inobedientia eſt vitium ſpeciale. Vnde ad peccatum inobedientiæ formalis neceſſariò duo debent concurrere, nimirum tranſgreſſio præcepti, & contemptus præcipientis, vt diximus *tom.* 1. *verb. Contemptus, num.* 5.

D. Tho. Rurſus obedientia, alia eſt perfectionis, & alia neceſſitatis, quam ſufficientem appellat. D. Thomas *quodlib.* 1. *art.* 15. Perfectionis eſt illa, quæ obedit in omnibus, quæ contra Deum non ſunt, de qua D. Bernardus *de diſpenſ. & præcept. in principio. Perfecta obedientia legem neſcit, non arctatur, neque contenta anguſtijs profeſſionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis; & ad omne quod iniungitur, ſpontanea, uigore liberalis alacrisque animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur.*

Obedientia verò neceſſitatis eſt illa, quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur, de qua idem Bernardus loco citato: *Is, qui profitetur, ſpondet quidem obedientiã; non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundum regulam, nec aliam quam S. Benedicti; vt oporteat eum, qui præeſt, non frena ſuæ laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram; & ſic demum ſua imperia moderari, circa id ſolum, quod rectum eſſe cõſtiterit, nec quodlibet rectum, ſed id tantum, quod prædictus Pater inſtituit, aut certè, quod ſit ſecundum quod inſtituit.* Ratio autem neceſſitatis obedientiæ peti poteſt ex mala inclinatione noſtræ voluntatis, quæ cùm prona ſit ad malum ab adoleſcentia ſua, quaſi phrenetica præcipitem ſe daret, niſi detineretur; vnde ſicut phrenetico cuſtodia, & lex eſt imponenda, ita & noſtræ voluntati, quod fit per Superiorum præcepta, & obedientiam, vt benè docet B. Laurentius Iuſtinianus *in ligno vitæ, tract. de obedient. cap.* 1.

2. Obiectum obedientiæ, & inobedientiæ eſt ſolũ præceptum ad culpam obligans; quia cùm ea quæ ſolùm ſunt ſub conſilio ad nihil obligent, nec eorum executio eſt verè & propriè obedientia, ſed plus quàm obedientia. Tamen quando aliquis exequitur id quod nouit ſuperiorem deſiderare vt faciat, nolle tamen præcipere, poteſt eſſe obedientia propriè accepta, ſi tale Superioris deſiderium accipiat pro aliquo, ſaltem interpretatiuo, ſiue tacito præcepto; alioquin autem erit generalis quædam obedientia, cuius ratio conſiſtit in hoc, quòd quis accommodet ſe voluntati Superioris, ſiue præcipiat, ſiue non præcipiat. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *in fine corporis.* Leſſius *lib.* 2 *cap.* 46. *dub.* 4. *num.* 23. Valentia 2. 2. *diſp.* 7. *q.* 3. *punct.* 1. D. Tho. Leſſius. Valent.

3. Obedientia formalis non eſt ſub præcepto, nec Prælatus poteſt iubere Religioſo, vt hoc modo operetur. Ratio prioris eſt, quia non eſt neceſſarium vt faciamus opus bonum ſub ea formali ratione, qua eſt præceptum: ſufficit enim vt illud faciamus propter intrinſecam ipſius bonitatem, aut vt Deo placeamus: ſic enim abundè ſatisfacimus præcepto. Probatur autem ſecunda pars, tum quia iſte modus operandi non eſt neceſſarius vt illud opus ſit actus virtutis: poteſt enim eſſe actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia ex affectu charitatis, aut religionis, abſque intuitu præcepti. Tum quia actus internus non poteſt ab homine præcipi, niſi quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum externum in aliqua virtutis ſpecie. Ita Syluius 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *concluſ.* 3. Vaſquez *ibid. num.* 5. Leſſius *cit. dub.* 6. *num.* 42. & 43. Sanchez *lib.* 1. *mor. cap.* 13. *n.* 9. & alij citati infra *verb. Præceptum, n.* 5. Sylu. Vaſq. Leſſius. Sanch.

4. Inobedientia formalis eſt peccatum mortale ex genere ſuo grauiſſimum: quia ob illam Angelus cœlum, Adam paradiſum, Saul regnum, Salomon amorem diuinum perdidit. Vnde D. Bernardus *ſerm.* 46. *in Cant.* loquens de Chriſto. *Non dabit*, inquit, *inobedienti copiã ſui tantus amator obedientiæ, ut potius mori, quam non obedire maluerit.* Poteſt tamen hæc inobedientia interdum eſſe peccatum veniale, aut propter imperfectioné actus, cùm ſcilicet deeſt deliberatio plena, aut propter defectũ iudicii. Sed quia inobedientia formalis non poteſt accidere abſque actuali præcepti contemptu, nolle enim obedire præcepto eo quòd præceptum ſit, eſt illud contemnere, ideò duplex hæc malitia ſpecie diuerſa, eſt in confeſſione aperienda, vt diximus *tom.* 1. *verb. Contemptus num.* 6. & docent Leſſius *cit. dub.* 6. *num.* 45. Caietanus *in ſumm. verb. inobedientia.* Lopez 1. *par. cap.* 55. *in fin.* Syluius 2.2.q.105.*art.* 1. Leſſ. Caietan. Lopez. Sylu.

Inobedientia verò materialis, ſiue ſit contra præceptum diuinum, ſiue contra humanum, aliquando eſt veniale, aliquando mortale peccatum; prout fuerit vel peccantis intentio, vel præcepti materia, vel ſcandalum quod aliis datur.

5. Vt obedientia præſertim religioſa ſit Deo grata & meritoria, quædam conditiones requiruntur: quarum *prima eſt*, vt fiat ſine mora, iuxta illud Pſal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, nempe vt non expectet ſtrictum præceptum, non differat, non tergiuerſetur, non excuſet, non lentè & cum torpore ad opus accedat. Hanc promptitudinem commendat D. Bernardus, dicens: *Verus obediens moras neſcit, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præcipientem præuenit, oculos parat uiſui, aures auditui, linguam uoci, manus operi, pedes itineri, & totum ſe colligit, ut imperantis impleat uoluntatem.* Hæc tamen promptitudo obediendi non in omnibus exhibenda eſt; ſed in iis tantùm, quæ ad Religionis exercitia, vel regularem diſciplinam, aut mortificationem pertinent: Non enim ordinariè laudabile eſt, ſe promptum & alacrem exhibere in acceptandis Prælaturis, præſertim extra ordinem, ſed potiùs expedit modeſtè deprecari, & expectare etiam præceptum, vt doctiſſimi & ſanctiſſimi fecerunt. Ratio eſt, quia tam multæ dotes requiruntur

vt

vt quis ſit idoneus ad Prælaturam, præſertim ad Epiſcopatum, vt arrogantiæ ſit, putare ſe omnibus illis præditum, vt benè monet D.Gregorius *lib. vlt. moral. c.13.*

6. Secunda conditio, vt fiat ſine querela, & murmuratione, iuxta illud Pauli ad Philippenſes 2. 14. *Omnia facite ſine murmurationibus*. Hinc ſecundùm D. Bernardum, *Multos vidimus*, inquit, *poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones, cur, quare, quamobrem, ſæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, vnde hoc venit, & quis inuenit hoc conſilium? Inde murmuratio, excuſatio, ſimulatio impoſſibilitatis, aduocatio amicorum: tales ſanè non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam*. Vnde obedientia debet eſſe cæca ad rationes præcepti ſcrutandas; nempe vt non velit ſcire cauſas, cur quid præcipiatur; ſed ſatis ei ſit præcipi, vel proponi ab eo, qui locum Dei tenet, nec conſtet per ſe eſſe illicitum: hanc conditionem maximè commendant ſancti Patres, D. Bernardus *lib. de præcepto & diſpenſatione. Siue Deus, ſiue homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contrarium non præcipit homo*. Et infra: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omninò accipiendũ eſt, quàm ſi præcipiat Deus: quid enim intereſt, vtrùm per ſe, an per ſuos miniſtros, ſiue homines, ſiue Angelos, hominibus innoteſcat ſuum placitum Deus?* D.Gregorius *lib.2. cap.4. in 1. Reg. Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta ſcrutatur, quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur: neſcit enim iudicare quiſquis perfectè didicerit obedire*. Cæſarius *ad Monachos homil.8. Quidquid tibi à ſenioribus fuerit imperatum accipe tamquam de cœlo, ſicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil diſſentias, in nullo penitus murmurare præſumas: quia in Monaſterio ſeruire veniſti, non imperare: potiùs obedire, quàm iubere: totum ſanctum, totum iuſtum vtile iudica quidquid tibi à Prælato videris imperari*. Et certè ſine tali modo obedientiæ vix poteſt conſtare pax & bona adminiſtratio in Congregatione Religioſa: erunt enim aſſiduæ diſputationes & altercationes inter ſubditos & Superiores: velle enim à Superioribus rationes exigere mandatorum, eſt contra humilitatem & modeſtiam religioſam: quia hoc non eſt ſe gerere vt ſubditum, ſed vt parem; neque facere opus quia præcipitur, ſed quia iudicatur expediens. Porrò obedientia debet eſſe cæca ad imperfectiones & vitia Superioris, vt hæc non conſideret, nec ob hæc minùs ad obediendum parata ſit; ſed ſolùm conſideret eum, cuius locum tenet, ſcilicet Chriſtum.

7. Tertia conditio obedientiæ eſt, vt gratanter & hilariter fiat, iuxta illud Eccleſiaſt. 35. *In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum*. Vnde D. Bernardus *ſermone ad Fratres de Monte Dei. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermonibus, multùm colorant obedientiam obſequentis. Nubiloſa corporis compoſitio facies triſtitia tenebris obfuſcata deuotionem ab anima receſſiſſe ſignificant*. Vide

Tambur Tamburinum *tom. 2. diſp.21. quæſit.4.*

8. Quarta, & vltima conditio obedientiæ, vt fiat fortiter, & perſeueranter; vt non detrectet exequi difficilia, & poſtquam inceperit, non reſiliat ob difficultates occurrentes, iuxta illud Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem Crucis*, ad Phillippen. 3. Vnde D.Bernardus *in lib. ad Milites Templi, cap.13. Manum tuam miſiſti ad fortia, agendum eſt inſtanter, conſtanter obediendum: nec inter verborum, ſeu verberum aſperitatem, tam regalis eſt ſemita relinquenda*. Et iterùm: *Mementote fratres, Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Obediendum eſt igitur perſeueranter, quia nihil prodeſt currere, & ante curſus metam deficere*. Hæc obedientia dictis conditionibus exornata Deo eſt acceptabilis. Cùm enim omnis poteſtas à Domino Deo ſit, & cum illo ſit ſemper, conſequens eſt, vt ſicut qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ſic qui poteſtati paret, Dei ordinationi ſubſeruiat. Ratio autem eſt, quia vt habet

D. Tho. D.Thomas *2.2.q.104. art.1.* ſicut in rebus naturalibus ſuperiora mouent inferiora ad ſuas actiones propter excellentiam virtutis collatæ diuinitus, ſic in rebus humanis oportet quòd ſuperiores moueant inferiores per ſuã voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ. Mouere autem per rationem & voluntatem eſt præcipere. Porrò tam excellens eſt obedientia, quòd per eam ſæpiùs meritoria reddantur, non ſolùm quæ nobis conſtat eſſe indifferentia; ſed etiam, quæ ſine peccato aliàs vix poſſent fieri; vt patet, quando dubium eſt, vtrum aliquid ſit peccatum, necne: etiamſi, ſemota obedientia, licitum non eſſet id facere: accedente tamen illum, per præceptum Prælati, licitum redditur. Propterea obedientem meritò aliqui aſſimilant nauiganti, qui ſiue bibat, ſiue dormiat, ſiue ſtet, ſiue ambulet, ſemper proficit in via.

9. Sicut obedientia omnium bonorũ genitrix & promotrix eſt: ita & inobedientia omnium origo malorum. Sicut enim in Chriſtianis ſignum eſt præuium & certiſſimum ad hæreſim & apoſtaſiam à fide prorumpentis, diſſentire à capite, vicario Eccleſiæ, nolleque ipſi obedire: ita argumentum magnum eſt apoſtaſiæ à religione in proximo futuræ, quando Religioſus aliquis malè ſentit, obloquitur de Prælatis, nec ipſis vult parere; quantumuis prætendat ipſos indiſcretos. Currus ritè in axibus perunctus non ſtridet ſub onere: ita qui in anima habet gratiæ vnctionem. Quapropter ſicut ſtridor currus arguit vnctionis defectum: ita murmur Religioſi, etiam exequentis præceptum, arguit gratiæ carentiam in illo. Nec dicat aliquis, leuia ſunt, in quibus non obedio: quia in hoc magis reprehenſibilis es, quod in leuibus & facillimis nõ obſequeris, poteſtque dici tibi id quod ſerui Naaman Domino ſuo dixerunt, 4. Reg. 5. *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi: lauare, & mundaberis*. Vtinam non eſſent plures, quibus Prælatos oporteat dicere, ſi velint obedientiam ab eis ſibi præſtari. Luc. 18. *Quid tibi vis faciam*, vel *præcipiam?* qui tamen dicere tenentur Prælatis idem quod D. Paulus Act. 9. *Domine quid me vis facere?* O quanta peruerſitas, reſumere rem Deo ſacratam! Grande malum propria voluntas, quam ſolam Deus odit, & punit, quæ bona opera etiam inficit. Hinc D. Paulus ad Hebr. 13. ad promptam Prælatis obedientiam exhibendam exhortans ſubditos, *Vt cum gaudio*, inquit, *& non gementes inuigilent curæ animarum veſtrarum: hoc enim non expedit vobis*. Heu! quàm multis Religioſis, rectificatis in ingreſſu religionis per ſimplicitatem obedientiæ, non inquirendo quid, quare, vel quomodo (quæ omnia ſunt quæſita Diabolica) circa præcepta Prælatorum, ſed ſimpliciter illa exequentibus, dici poterat & poteſt: Fecit Dominus hos homines rectos, at illi infinitis ſe immiſcuerunt quæſtionibus. O miſeri, & cæci! quid quæſo, per tot quæſtiones quæritis? mementote quid initio ſuſcepti ordinis religioſi ſtatueritis? Quomodo à ſancto propoſito reſiliſtis? Et certè ſicut primi parentes in Paradiſo per inobedientiam ſuam, ſtatum rectitudinis amiſerunt: ita & plures Religioſi, per obedientiæ profeſſionem rectitudinis ſtatui reſtituti, ab eo ſemper deiecti fuere, per minùs ſimplicem ad obedientiam animum.

10. Obedientiæ votum eſt præcipuum inter omnia eſſentialia vota. D. Thomas *2.2.q.186. art.8.* Syluius *ibi.* D. Tho. Sylu.
Ratio eſt, quia tanto aliquod votum eſt maius, quantò per ipſum Deo aliquid præſtantius offertur, ſed per votum obedientiæ offertur Deo propria voluntas, quæ eſt maior & præſtantior, quàm corpus proprium quod offert Deo homo per caſtitatem, & quàm bona fortunæ quæ per votum paupertatis offeruntur, ergo. Vnde D. Gregorius *lib.4. ſuper lib.1. Reg. c.5.* ait, *Cæteris virtutibus Dæmones impugnamus: per obedientiam vincimus*. Confirmatur autem concluſio, nam votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota caſtitatis & paupertatis, & non è contra. Nam etſi Religioſus teneatur ex vi voti ſeruare caſtitatem & paupertatem, hæc etiam cadunt ſub voto obedientiæ, & vt obediatur diuinæ voluntati. Ioannes autem XXII. Pont. Maximi *Extrauag. Quorumdam, de verbor. ſignif.* dicit: *Magna eſt paupertas, ſed maior continentia, maxima autem obedientia, ſi cuſtodiatur illæſa*. Quorum reddens rationem, ait, quòd prima rebus, ſecunda carni, tertia verò menti dominatur.

11. Etſi

Digitized by Google

11. Etſi Religioſus teneatur de congruo ſe conformare in omnibus voluntati ſui Prælati, non tamen peccat, id nõ faciendo, niſi ſibi de re aliqua ponatur expreſſè, vel tacitè formale præceptum. Imò nec tenetur Religioſus obedire, etiamſi norit actum intellectus Superioris imperantis, niſi eſſet voce expreſſus. Ratio eſt, quia homines ſolùm ligantur imperio modo humano explicato, & intellecto. D. Thomas 2.2. *q.* 104 *art.* 1. Toletus *de 7. pecc. mort. cap.* 15. *num.* 10. Vaſquez 1.2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *diſput.* 155. & alij. Ex quo ſequitur, quòd Prælatus rogans ſubditum vt faciat, vel non faciat aliquid, quod alioquin facere non tenetur; non obtemperando, non erit inobediens, vt dicitur in *cap. denique, diſt.* 40. & ratio eſt, quia preces non obligant precatum ad obſequendum ex debito iuſtitiæ, ſed ex humanitate. Si dicas, quòd preces ſuperiorum ſunt præcepta, vt communiter dicitur. *Reſp.* non eſſe præcepta neceſſariò exequenda, ita vt non exequens poſſit inobediens dici, & tamquam talis puniri, ſed dicuntur præcepta largo modo, & ex humanitate & reuerentia, & de perfectione obligantia: indiſcretus enim eſſet, & inurbanus ſubditus, qui ad ſui Superioris preces non faceret, quidquid ipſum cupere intelligeret.

D. Tho. Tolet. Vaſquez

Idem dicendum eſt, ſi Prælatus conſulat, non enim tenetur ſubditus facere quod conſulitur, vt habetur *cap. Quiſquis*, 14. *quæſt.* 1. Ratio eſt, quia conſulens non imperat, nec vult obligare ad obſeruationem conſulti, alioquin nihil differret a præcipiente.

12. Quando ſubditus dubitat, an id quod præcipitur ſit licitum, necne, quidam docent non teneri, nec poſſe ſubditum in hoc caſu obedire Superiori. Quia tunc faceret contra conſcientiam, quod non licet. Ita Rodriquez *par.* 2. *ſumm. cap.* 9. *num.* 4. Vaſquez 1.2. *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 66. *num.* 51. At pro certo tenendum eſt ſubditum in re dubia teneri obedire Superiori. Tum quia in dubio an res ſit licita, necne, melior eſt conditio poſſidentis. Atqui Superior eſt in poſſeſſione iuris imperandi, ergo in dubio poteſt illo ſuo iure vti, & per conſequens ſubditus tenetur in tali dubio Superiori obedire. Nec dici poteſt etiam ſubditum eſſe in poſſeſſione ſuæ libertatis, quia pro illo eſt vera poſſeſſio, pro quo eſt præſumptio iuris, & in alterum contra quem eſt ea præſumptio, transfertur onus probandæ exemptionis ſuæ. At præceptum Superioris in dubio præſumitur iuſtum, vtpotè cui ſubditus vice Dei gubernandum ſe tradidit. Tum quia, aliàs ſequeretur, quòd Superior quoties aliquid fieri præciperet, teneretur ſubditis rationem reddere eorum quæ iubet, quod in graue vergeret detrimentum religionis. Ita D. Thomas 4. *diſt.* 19. *q.* 4. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 37. Caietanus *in ſumm. verb. Bellum*. Bannez 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 1. Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 6. *quæſt.* 59. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 19. *q.* 9. & alij. Definita eſt hæc concluſio in *cap. Quid culpatur, in fine* 23. *quæſt.* 1. vbi ſic dicitur: *Vir iuſtus ſi fortè etiam ſub Rege, & homine ſacrilego militet, rectè poteſt illo iubente bellare, ſi quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt; vel vtrum ſit, certum non eſt, ita vt fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentẽ autem militem oſtendat ordo ſeruiendi.* Ex quo cap. ſequitur, quod vt ſubditus poſſit, & teneatur obedire Superiori, non eſt neceſſarium, vt ipſe ſubditus videat eſſe bonum quod præcipitur, ſed ſatis eſt, ac ſufficit, vt ipſe non intelligat euidenter eſſe malum. Imo nec tenetur ſubditus priuſquam obediat, inueſtigare, an licitum ſit: quia vt rectè aduertit Diuus Thomas *de veritate quæſt.* 17. *art.* 5. *ad* 4. ad officium ſubditi non pertinet inquirere, atque inueſtigare ſit ne bonum & expediens, quod præcipitur, ſed rem præceptam exequi, dum ei euidenter non conſtat, eſſe malam, & examen illud valde perfectioni obedientiæ repugnat, quæ, vt ſancti Doctores tradunt, debet eſſe cœca.

Rodriq. Vaſq.

D. Tho. Nauarr. Caiet. Bannez. Fauſt. Azorius.

Hinc etiam ſubditi ad bellum à Principe vocati, quoties non conſtat illis de iniuſtitia belli, poſſunt, & tenentur obedire ſuo Principi, vt habetur in *cap. Quid culpatur citato*; quia tenentur de Superiore meliora cogitare, & niſi euidens ſit iniuſtitia, non diiudicare Principem, & licet reipſa poſtea conſtaret eis de iniuſtitia belli, propter obedientiam tamen non peccarent, nec reſtituere tenerentur: quia ipſi cauſas & rationes belli examinare non tenentur. Ita *Molina*, *Diana*, *Malderus*, & alii citati *verb. Bellum num.* 3. §. *Porrò milites*. Nomine autem ſubditorum hoc loco intelliguntur etiam alienigenæ, qui ſub continuis ſtipendiis Regis alicuius degunt tam pacis, quàm belli tempore. Hi enim ſtipendiati tamquam famuli cenſentur, qui ſimiliter in dubio tenentur obedire Dominis ſuis. Secùs de illis, qui tunc temporis conducuntur. Ita Caietanus 2.2. *q.* 169. *art.* 2. Nauarrus *in Manual. cap.* 15. *num.* 15. Valentia 2.2. *diſp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 7. & alii. An autem idem dicendũ ſit de militibus exteris, ſtipendio ad bellum conductis? Reſponſio communis eſt negatiua, vt teſtantur Doctores proximè citati. Nihilominus tamen, ſi de iure belli dubitent, & aliunde ſciunt Principem à quo ſunt ſtipendio conducti, virum eſſe Catholicum & pium, & qui bellum niſi iuſtum ſuſcipere non ſolet, tunc milites illi tuta conſcientia poſſunt probabiliter exiſtimare bellum illud eſſe iuſtum. Vide P. Nauar. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *n.* 261. & 266. Fauſtum *in theſaur. Relig. lib.* 6. *q.* 61. & alios citatos *verb. Bellum num.* 3.

Caiet. Nauarr. Valent. Diana.

Nauar. Fauſt.

13. Subditus non tenetur nec poteſt licitè obedire; ſi ipſe certus ſit Superiorem præcipientem dubitare quoque, an id quod iubetur ſit licitum. Ratio eſt, quia tota cauſa, ob quam in dubio ſubditus poteſt & tenetur obedire, eſt, quia Superior eſt in poſſeſſione iuris imperandi, & quando Superior eſt dubius, an res præcepta ab ipſo ſit licita, non ei fauet poſſeſſio, vtpote, quæ eſt præcipiendi ea ſola, quæ licita eſſe credit: ergo ſubditus non tenetur, nec poteſt licitè obedire. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 21. Salas 1.2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſput. vnic. ſect.* 26. *num.* 275. Si autem Superior dubitet, aut credat id quod iubet eſſe illicitum, aut excedens ſuam poteſtatem, & ſubditus non dubitet, ſed credat illud eſſe licitum, tenetur tunc ſubditus obedire: ſicut ſi ego ex errore putem rem à te poſſeſſam non eſſe meam, & malè petam mihi reddi tamquam meam; tu qui ſcis rem illam eſſe meam, teneris in conſcientia mihi reddere.

Sanchez. Salas.

14. Ex voto obedientiæ Religioſi non ita tenentur regulas ſeruare, vt tranſgreſſio cuiusvis ſit culpa mortalis, aut venialis, ſed obligantur ad res in regula contentas eo modo quo in ipſa continentur: nempe, ſi continentur tamquam præcepta obligantia ſub mortali, tenentur ſub mortali; ſi ſolùm vt obligantia ſub veniali, tenentur ſub veniali; ſi ſolùm vt conſilia ſub nulla culpa obligantia, ad nullam quoque culpam obligabuntur. Ratio eſt, quia Religioſus promittens ſeruare regulam, vel obedientiam ſecundum regulam, non promittit ſingula in particulari, & collectiuè; ſed ſolùm mores ſuos iuxta regulæ præſcriptum componere, ſeu obedire ſecundùm regulam. Ergo eodem modo intelligitur obligari, quo regula præſcribit & obligat. Aliàs periculoſiſſimus eſſet, ac multis paſſim peccandi ruinis expoſitus religionis ſtatus, cùm multa minutiora in regulis præſcribantur quæ facillimum eſt trãſgredi. Ita expreſſè diffinitur de nobis Fratribus Minoribus, qui non vtcumque promittimus obedientiam, ſed expreſſè promittimus ſeruare regulam Diui Francilci, *cap. Exijt qui ſeminat, de verb. ſignificat. in* 6. §. *in primis, & Clementin. exiui de paradiſo*, §. *cum igitur in primis, de verbor. ſignificat.* Atque ita docent D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.* 186. *art.* 9. Sylueſter *verb. Religio* 1. *quæſt.* 8. *dict.* 1. & *quæſt.* 11. *dict.* 5. Vaſquez 1.2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſput.* 162. *cap.* 4. Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 6. *q.* 121. Angelus *verb. Religioſus n.* 28. Syluius 2.2. *q.* 186. *art.* 9. & alij communiter. Quod veriſſimum eſt, etiamſi profitens intenderet ſe obligare ſub mortali, aut veniali ad ſingula in regula contenta, putans ex errore ita velle inſtitutorem regulæ. Quia reuera intendit profiteri vt conſuetum erat in tali religione, & maior obligatio eſt inuoluntaria, vtpote quæ ex errore proceſſit.

D. Tho. Sylueſt. Vaſq. Fauſtus. Angel. Syluius.

15. Quidam volunt Religioſum, qui paſſim ſtatuta ſua religionis, etiam ad culpam non obligantia, violat, peccare mortaliter: quia talis conſuetudo eſt quidam legis contemptus. Ita Angelus *verb. Inobedientia in fine*.

Digitized by Google

Vaſquez. Vaſquez 1.2.q. 96 *art.4. diſp.158. cap.6 n.60.* At veriſſima & communis ſententia eſt in contrarium. Nam actus replicati ſunt eiuſdem ſpeciei cum primo, ac proinde eiuſdem malitiæ: ſi ergo primus venialis eſt, & cæteri veniales erunt. Tum quia nullus ex his actibus in conſuetudinem ductis, aſſignari poteſt, qui culpam lethalem cõſtituat; nec illi actus vniuntur, vt cõtingit in minimis furtis. Nec praua conſuetudo faciendi contra legem, dicitur
D. Tho. eius contemptus, vt rectè docet D. Thomas 2.2.q.86. *art. 9. ad* 3. & notauimus *tom. 1. verb. Contemptus, num.* 5. cum Sanchez & Suarez ibi citatis. Quia contemptus in ſolo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob ſolam externi operis multiplicationem, contemptus induci nequit. Et hoc verum per ſe, & ex ſola venialis natura. Interdum tamen ob venialium frequentiã (quando ſtatuta obligant ad ſolam venialem culpam) conſurgit mortalis culpa, non quidem ratione frequentiæ, ſed ratione periculi proximi tranſgreſſionis votorum, grauiſque offenſionis aliorum. Erit quoque mortale ſtatuta religionis ad ſolam pœnam obligantia ideò violare, vt Religioſus impediat quantùm in ſe eſt, finem illorum. Ratio eſt, quia hic tranſgreſſor proportionaliter ſe habet ad finem præcepti, ſicut qui tranſgreditur ex contemptu, ſe habet ad præceptum ipſum, ſeu præcipientem: nam iſte reſpuit finem, ſicut ille reſpuit præceptum. Exemplum ſit; non ſolùm peccat mortaliter, qui non vult ieiunare, quando ad id tenetur, quia non vult ſubijci præcepto; ſed etiam, ſi ideò omittit ieiunare, quia non vult domare carnem, ad quod eſt inſtitutum ieiunium.
Caiet. Armilla. Fauſtus Valentia Sanch. Ita Caietanus *in ſumm. verb. Præcepti tranſgreſſio.* Armilla *verb. Præceptum num.*4. Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.*6. *q.*152. & 153. Valentia 1.2. *diſp. 7. quæſt. 5. punct.*6. Sanchez *lib.6. moral. cap.4. n.21. &* 22. & alii.

16. Religioſus habens propoſitum faciendi contra omnes, vel præcipuas ſuæ religionis regulas, etiam ad culpam non obligantes, peccat mortaliter. Ratio eſt, tum quia hic probabiliſſimo contemnendi regulas periculo ſe exponit. Tum quia Religioſus tenetur ſub mortali ſic viuere, vt non ſit notabiliter aliis ſcandalo, & offenſioni, cauſaque ruinæ religionis; inducendo alios ſuo prauo exemplo ad nimis relaxatam vitam; ſed hæc damna inferret habens huiuſmodi propoſitum, ergo.
Corduba Sotus. Sanch. Syluest. Valentia Ita Corduba *in reg. D. Franciſc. cap.1. q.3. poſt 3. dictum.* Sotus *in 4. diſt.* 15. *q.2. art.*1. Sanchez *lib.6. mor. cap.4. num.*18. Quamuis Syluester *verb. Religio* 1. *q.* 12. Valentia 2.2. *diſp.*10. *q.* 4. *punct.* 5. putent Religioſum non eſſe in ſtatu damnationis, ſi ipſe vellet ſeruare vnum ex præcipuis ſtatutum, etiamſi nollet ſeruare alia, ſi per illud vna cum ſuis votis niteretur ad perfectionem tendere. Ad quam rationem poſſet reſponderi, quod obſeruantia vnius ſtatuti etiam principalis non impediret grauem Religionis ruinam, graueque periculum ſpernendi regulam, & tranſgrediendi vota: & licet non teneatur Religioſus ad perfectionem currere, tamen ſub mortali, tenetur ita ſuos mores corrigere, vt aliis Religioſis ſcandalum nõ præbeat, quod non vitatur per obſeruantiam vnius, vel alterius ſtatuti. Ob eandem rationem eſſet peccatum mortale, ſi Religioſus haberet animum non ſeruandi præceptum Superioris, niſi quando ſub mortali obligat. Vt dicemus infrà *verb. Peccatum* 1. *num.*8. *in fine.*

17. Religioſus non tenetur eſſe perfectus & ſubiendo omnia illa exequi, quibus charitatis perfectio continetur: tenetur tamen ad id tendere & operam dare, vt perfectionem charitatis comparet, eaque exequatur, quæ ad illam comparandam neceſſaria ſunt: quia ſtatus Religionis non eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſed eſt ſchola, & veluti progreſſus ad perfectionem acquirendam. Ergo illum profitens non tenetur eſſe perfectus, ſed niti progredi ad perfectionem; quippe operanti ad finem non conuenit ex neceſſitate, vt finem iam comparauerit, ſed vt aliqua via ad ipſum tendere conetur. Ergo non eſt mendax & ſimulator facto ipſo, ſi poſt ſtatum religionis aſſumptum, perfectionem non conſequatur, ſed ſi illam conſequi non intendat; ac proinde non peccabit non conſequendo, ſed non intendo.
D. Tho. Syluius. D. Ant. Nauarr. Ita D. Thomas 2.2. *q.*184. *art.* 5. *ad* 2. & *q.* 186. *art.* 2. & 9. Syluius *ibi.* D. Antoninus 3. *p. tit.*16. *cap.*1. §. 1. Nauarrus *comment.* 1. *de regul. num.*10. *dict.*10.
Viguer. Bannez. Rodriq. Corduba Viguèrius *lib. inſtit. cap.*17. §. 1. *verſ.* 12. Bannez 2.2. *q.*33. *concluſ.*3. Rodriquez *tom.*3. *qq. regul. quæſt.*48. *art.*1. *ad finem.* Corduba *in reg. D. Franc. cap.*1. *q.*3. *dict.* 2. & alii. Hæc concluſio ſecundùm Nauarrum citatum eſt terribilis multis Religioſis, qui neque actu, ſeu actualiter, nec virtute, ſeu virtualiter habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi, neque curant pluſquam boni Clerici ſæculares, vel laici ad eam tendere.

18. Non tenetur Religioſus niti ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera ad illam acquirendam valentia, ſed per illa quæ ſunt præſcripta ſecũdùm vniuſcuiuſque religionis regulas ad acquirendam charitatis perfectionem. Ratio eſt, quia neque Deus, neque Eccleſia, neque vota in religione emiſſa aliquid amplius ab eo petunt, quàm vt agat vitam regularem iuxta ſuum inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum. Ita Doctores numero præcedenti citati.

Sed petes, quando delinquatur contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem? Reſp. huic præcepto tunc temporis contrauenire, quando eſt contemptus conſiliorum, quibus peruenitur ad perfectionem: ille autem contemptus tunc contingit, quando Religioſus ideò regulas tranſgreditur, quòd nolit illis ſubijci.
D. Th. Caiet. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*186. *art.*2. *in fin. corp. & art.* 9. Caietanus *eod. art.* 2. *circa ſolut. ad* 2. & alii licet quidam dicant tunc accidere hunc mortalem contra præceptum tendendi ad perfectionem contemptum, quando Religioſus apud ſe ſtatueret tantummodò omnia peccata mortalia cauere, præceptis omnibus ſui inſtituti, & voti ſeruatis, & conſilia omnia prætermittere. Et hanc eſſe mentem *D. Thomæ* contendunt; nuſquam enim dixit exigi, quòd Religioſus ſit huius præcepti reus, vt ex perfectionis contemptu peccet, ſed tantùm, vt perfectionem contemnat; vnde hæc opinio dicit aliud eſſe contemnere perfectionem & conſilia, quibus ad illam peruenitur, & aliud peccare ex illorum contemptu: quia peccare ex illorum contemptu, eſt illa omittere, eo quod omittens ſubijci illis, vt à Deo traditis, nolit. At contemnere eſt non æſtimare, quare dicunt eum Religioſum perfectionem contemnere, qui animum habet non tendendi ad illam, ſeu in animo habet ad perfectionem progreſſum & gradum non facere; etſi talis non peccet ex contemptu, ſed ex negligentia, vel cupiditate, vel ex alia cauſa.
Syluest. Tabien. Corduba Ita Syluester *verb. Religio* 1. *quæſt.* 3. Tabiena *verb. Religio quæſt.* 4. *num.* 5. Corduba *in regula D. Franciſci cap.* 1. *quæſt.* *dict.* 3. Cæterum non eſt improbabilis ſententia docens Religioſum non peccare mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem, ſi firmiter proponat exequi quidquid vouit, & omnia præcepta regulæ, & Superiorum obligantia ſub mortali; at reliqua conſilia, quæ ſic non obligant, omittere; ſed tantùm peccabit venialiter tunc contra id præceptum. Probatur prima pars, quia nulla ratio vrget ad damnandum id ſimplex propoſitum tamquam mortale, contra præceptum tendendi ad perfectionem, nam eo ipſo quod vult omnia vota, & ſibi in regula, & à ſuperioribus præcepta exequi, vult ad vitæ perfectionem progredi, & cõſilia multa Euangelica ſeruare; & ſic non notabiliter, ſed leuiter à perfectionis propoſito deficit, dum cætera, quæ in regulis à Superioribus præſcripta non ſunt, proponit non ſeruare abſque eorum contemptu. Talis tamen religioſus alio ex capite mortaliter peccabit ob periculum tranſgreſſionis votorum, & defectus perſeuerantiæ, vt diximus ſupra *num.* 16. Secunda pars probatur, quòd contemptus ille poteſt eſſe venialis, & mortalis. Mortalis erit, quando eſt ſimplex contemptus, eo quod conſilia omittere religioſus intendit, quia eis ſubijci non vult, vt à Deo traditis. Venialis autem quando eſt nonnullus & imperfectus contemptus, eo quod nouit ea conſilia ſibi non præcipi.
Sanch. Azor. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 5. *num.* 9. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Azorius *tomo primo lib.* 11. *cap. vltim. quæſt.* 11. etſi non ita clarè loquatur, nec explicet qualis culpa ſit id propoſitum, quando non eſt ex contemptu conſiliorum. Tota hæc controuerſia nota eſt inter Doctores propter verba D. Thomæ *citat. artic.* 2. in ſolutione ſecundi argumenti, vbi ſic ait:

Sic

Digitized by Google

Sic etiam religioſus, ſeruatis ijs, quæ debet, non peccat, ſi reliqua omittat, modò non contemnat illa, quæ diuerſimodè à Doctoribus explicantur.

19. Contra hoc præceptum tendendi ad perfectionẽ peccat etiam mortaliter religioſus, ſi ſeruans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religioſæ, neque finem per illa intentum; quia licet non teneatur attingere, tenetur tamen non habere actum contrarium, ſcilicet, propoſitum non attingendi per talia media; alioquin fruſtra apponeret media cum intentione repugnanti fini, ad quem talia media ordinantur. Ita Corduba *in reg. D. Franc. cap. 1. quæſt. 3. poſt 3. dict.* Sanchez *cit. num.* 10.

Cordub. Sanchez

20. Peccat venialiter ſæcularis, ſi ſola præceptorum obſeruatione contentus, proponeret ſe conſilia non ſeruaturum, non ex eorum contemptu, ſed quia ſibi præcepta non ſunt; quod peccatum non conſiſtit in omiſſione conſiliorum, ſed in ea firma animi deliberatione contra conſilia; quippe etſi liceat omittere conſilia, at fas non eſt animum deliberata actione, & propoſito contra conſilia firmare, ne aditus Spiritui ſancto ſemper ad meliora promoueri obſtruatur. Quod autem non ſit mortale, patet ex eo quòd res non eſt ita grauis, cùm conſilia non obligent, niſi vt non contemnantur. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 2. Azorius *cit. quæſt.* 11. Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *punct.* 4. Corduba *cit. dub. vlt.*

Caiet. Azorius. Valentia Corduba

21. Porrò de obedientia multa ſcripſerunt Sancti Patres notatu digniſſima; hæc eſt illa, vt aſſerit Auguſtinus, quæ concordiam conſeruat in Angelis, pacem nutrit in Monachis, tranquillitatem generat in ciuibus. Hæc eſt illa, ſine qua Reſpublica ſtare non poteſt, ſine qua familia aliqua regi non poteſt; quàm enorme vitium, quod obedientiæ contrarium fuit; per hoc Diabolus cœlum perdidit, per hoc homo paradiſum amiſit, per hoc Saul regnum, per hoc Salomon amorem diuinum. O Sancta Dei ſponſa Obedientia, tu perfecta ſcala, qua in cœlum aſcenditur, tu quadriga, qua Elias vectus eſt in Paradiſum, tu porta Paradiſi fidelium, & clauſura reorum inferni; ò ſancta Obedientia! tu patientiam probas, tu manſuetudinem examinas.

Plura de Obedientia vide tom. 1. verb. Conſcientia num. 21. § *Peres ſextò* 30. *&* 37. Denunciatio n. 7. 9. & 11. Famulus n. 9. Filius n. 5. Confeſſarius 4. n. 14. Abbatiſſa n. 4. & hoc tomo verb. Ieiunium 11. n. 20. Præceptum Prælatus. Religio 4. num. 9. Religio 6. num. 8. Reus num. 13. Schiſma.

OBSERVATIO VANA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicatur obſeruatio vana? Et eius differentia à diuinatione.*
2 *Quot ſint eius ſpecies? & de prima quæ dicitur Ars notoria.*
3 *De ſecunda ſpecie vanæ obſeruationis, quæ eſt obſeruatio ſanitatum.*
4 *Quot regulæ aſſignentur ad cognoſcendum effectum ſuperſtitioſum?*
5 *An ſint damnandi de ſuperſtitione homines, ſeu familia aliqua, quæ dant operam medendis quibuſdam morbis, vt rabido morſui canis?*
6 *De tertia ſpecie obſeruationis vanæ, quæ eſt obſeruantia euentuum.*

1 OBſeruatio vana dicitur, cùm aliqua fiunt, vel adhibentur ad aliquem effectum ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent, vt cùm ex conſideratione alicuius euentus fortuiti, conijcit quis aliquid proſperi, vel aduerſi, & inde actiones ſuas moderatur.

Superſtitio vanæ obſeruationis hoc à ſuperſtitioſa diuinatione differt, quòd diuinatio referatur tota ad cognitionem ſingularium rerum occultarum indebito modo conſequendam: Obſeruatio verò ſuperſtitioſa refe-

ratur vlteriùs ad obtinendas alias commoditates, ſiue animi, ſiue corporis, puta ad potiendum nuptijs alicuius puellæ, ad ſanitatem, vitæ prorogationem, cognitionem linguarum, artem aliquam difficilem ex tempore addiſcendam, ad conſequendam miram in diſputando ſubtilitatem ſine exercitio; non tamen diabolus verè ipſis ſcientiam infuſam confert, ſed ipſe loquitur in illis, & mouendo eorum imaginationem perſuadet illis, quid loquantur, cuius ſignum eſt, quòd quando conuertuntur, & renunciant diabolo, ad priſtinam ignorantiam & ruditatem redeunt: vnde hæc obſeruatio vana mediis inutilibus minimè à diuina prouidentia conſtitutis, procurat commoditates prædictas, & varias corporum immutationes, & vt à dæmone opera noſtra dirigantur, vt quando adhibentur preces, vel voce, vel ſcripto, vel appenſæ collo, concurrentibus varijs aliquibus circumſtantijs, ex quibus appareat illas preces minimè ad Deum referri, quæ ab illo expectetur effectus, ſed ad dæmonem ſaltem tacitè & implicitè inuocatum. Ita paſſim Doctores hic citati. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 1. *& ſeq.* Sylvius *ibi*. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 40. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 62. Filliucius *tract.* 24. *cap.* 6. *quæſt.* 1. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 13. *punct.* 2. Azorius 1. *p. lib.* 9. *cap.* 22. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 4. Clauis regia *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. Nauarrus *cap.* 11. *n.* 31. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 6. & alii.

D. Tho. Sylvius. Leſſius. Filliuc. Valentia Azor. Cla. reg. Nauarr. Laym.

2. *Obſeruationis vanæ* tres ſunt ſpecies, ad quas reduci poſſunt omnes: *Ars notoria, obſeruantia ſanitatum, & obſeruantia euentuum*, ſiue fiant cum expreſſa, ſiue cum tacita dæmonis inuocatione. *Ars notoria* eſt ſuperſtitio, qua quis credit ſe conſecuturum ſcientiam abſque labore per quædam ieiunia, orationes, inſpectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, & alia ſimilia vana & inefficacia: & hæc ſuperſtitio eſt peccatum mortale, ex ſuo genere: quia ſaltem tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur poteſtas infundendi animæ ſubitò habitus ſcientiarum, quod ſolius eſt Dei. Filliucius *tract.* 24. *cap.* 6. *q.* 8. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 13. *punct.* 1. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 186. Clauis regia *cit. num.* 2. Leſſius *cit. num.* 62. Licitum tamen eſt, vti ſcientia ope dæmonis acquiſita, modò conſeruatio, aut vſus illius ſcientiæ non pendeat à dæmone; quia cognitio, ſeu ſcientia ex ſe bona eſt; & peccatum, quo parta & acquiſita eſt, pertranſijt, vt docent Suarez *de ſuperſt. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 1. *&* 2. Sanchez *cit. lib.* 2. *cap.* 41. *&* 42. Layman *cit. num.* 9. & alii.

Filliuc. Valentia Regin. Cla. reg. Leſſius Suarez. Sanch. Laym.

3. *Obſeruatio ſanitatum* eſt, quando adhibentur aliqua verba, vel alia ſigna, aut cæremoniæ inanes ad hominũ, vel aliorum animalium curandos morbos, ſiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores; ad conſeruandam vitam, vel valetudinem; ad ſe præſtandum immunem contra læſiones hoſtium, vel caſus fortuitos & ſimilia. *Huc* etiam pertinent ſuperſtitioſi illi effectus, qui ſuperant actiuitatem cauſæ naturalis applicatæ, & qui fiunt ſine motu locali, & quando ſtatim euaneſcunt, & non permanent. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 7. Leſſius *cit. n.* 63. Filliucius *cit. cap.* 6. *n.* 157. In dubio autem, an effectus ſint à cauſa naturali, an verò excedant vires cauſæ naturalis, præſumẽdum eſt prouenire à cauſa naturali, quia dubium explicandum eſt in mitiorem partẽ. Suarez *cit. cap.* 15. Clauis regia *lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 4. Layman *c. num.* 6. Sanchez *cap.* 40. *num.* 44. *Eodem* etiam pertinẽt omnia periammata, amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba ſacra, preces deſcriptæ, quæ geſtantur à quibuſdã ne poſſint lædi, aut ne effluat ſanguis, aut ob alios ſimiles fines, ſi contineant aliquas circumſtantias paregas tanquam neceſſarias. Sylvius 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Nauarrus *cap.* 11. *num.* 34.

Bonac. Leſſius, Filliuc. Suar. Cla. reg. Layman Sanch. Sylvius. Nauar.

4. *Tres regulæ* ſolent aſſignari à Doctoribus ad cognoſcendum effectum ſuperſtitioſum. *Prima* eſt, quando media inutilia adhibentur, tanquam neceſſaria ad illum effectum, vt ſi tot Cruces adhibeantur tanquam neceſſariæ. *Secunda*, colligitur ex modo operandi, præſertim ex diſtantia loci. *Tertia*, quando effectus ſuperat exigentiam & actiuitatem cauſarum naturalium, ſeu quando conſtat effectum non poſſe aliunde prouenire, quàm à ſolo bono, vel malo ſpiritu, & ex his regulis colligunt

Digitized by Google

Delrius. Suarez. Toletus. Sanch. Cla. reg.

Doctores multa caſuum deciſiones, Delrius *lib. 2. cap. 5. & 6.* Suarez *cit. cap. 15. num. 14.* Toletus *lib. 4. cap. 14.* Sanchez *lib. 2. cap. 40. n. 43* Clauis regia *lib. 4. cap. 6. num. 6.* Porrò in his, & ſimilibus obſeruantiis, eſt ſuperſtitio mortalis, ex genere ſuo, ſi animus ſit adhibendi huiuſmodi circumſtantias, tanquam per ſe efficaces ad effectum impetrandum à Deo, ſcilicet, ſanitatem & incolumitatem rerum ſuarum. Dupliciter tamen poteſt accidere, vt hæc vana obſeruatio ſit tantùm peccatum veniale. *Primò*, propter ignorantiam vincibilem, non craſſam. *Secundo*, ſi his vanitatibus des operam, non quaſi efficacibus, ſed tantùm vanis ex leuitate quadam. Nauarrus *in Manual. cap. 11. num. 36. 24.* Leſſius *citat. num. 64.* Sanchez *lib. 2. cap. 40. num. 43.* D. Antoninus *2. par. tit. 12. cap. 1. §. 13.* Filliucius *tract. 24. cap. 6. quaſt. 11. num. 161.*

Nauarr. Leſſius. Sanchez D. Ant. Filliuc.

Ex paruitate autem materiæ, non eſt in huiuſmodi peccatum veniale. Bonacina *cit. num. 23.* Reginaldus *lib. 17. num. 170.* nam deformitas huius peccati conſiſtit in hoc, quod quis ſibi, vel dæmoni tribuit effectum propriũ Dei, quando cauſa adhibita non eſt ad eum ſufficiens: deinde expreſsè, aut tacitè initur commercium cum dæmone; quælibet autem iſtarum deformitatum, ſecundùm ſe abſtrahendo à quantitate materiæ eſt valde grauis, ergo. Valentia *cit. diſp. 6. quaſt. 13. punct. 3.* tamen putat dari poſſe paruitatem materiæ excuſantem à mortali, quoties non interuenit pactum expreſſum cum dæmone, vt ſi quis ſemel ioco & ad experiendum effectum, cauſa curioſitatis, faciat mouere annulum ſuper filum; quod etiam admittunt Sanchez *cit. num. 13. & 25.* Filliucius *cit. num. 161.*

Bonac. Reginal. Valentia Sanch. Filliuc.

5. Non ſunt ſimpliciter damnandi de ſuperſtitione homines, ſeu familiæ aliquæ, quæ dant operam medendis quibuſdam morbis, vt rabido morſui canis; quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt horum officiorum eſſe ſuperſtitioſum, quamquam tales perſonæ ab Ordinariis diligenter examinandæ ſint, antequam hoc munus exercere permittantur, inſpiciendum enim eſt, an hoc faciant remediis naturalibus, vel ex gratia gratis data, vel ex pacto cum dæmone, nam in his facilè contingere poteſt dæmonis deceptio; confeſſarii autem debent magnam adhibere circumſpectionem & cautionem in abſoluendis iis, qui ad ſanandos morbos remediis externis vtuntur naturalem non habentibus ad eos curandos, quamuis publicè tolerentur & permittantur. Delrius *lib. 4. cap. 3. q. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 40. num. 44. & 47.* Azorius *1. p. lib. 9. cap. 25. quaſt. 2.* Suarez *cit. cap. 15. num. 25.* Nauarrus *cap. 11. num. 36.* & alii.

Delrius. Sanchez Azorius. Suarez. Nauarr.

6. *Obſeruantia euentuum* eſt, quando fortuitò aliquid occurrit, vel accidit homini, ex quo ſibi vel alteri aliquid aduerſi, vel læti conijcitat, & inde actiones ſuas moderatur, obſeruans loca, verba, audita, tempora, vel occurſus hominum, aut animalium; vt ſi domo egredienti occurrat vulpes, aut canis, aut cadauer, &c. indeque occaſionem ſumat credendi, negotium aut diem ſibi futurum infauſtum & infortunatum. Filliucius *tract. 24. c. 6. quaſt. 8.* Bonacina *cit. num. 21. 22. & 23.* Leſſius *cit. n. 65. 66.* Clauis regia *lib. 4. cap. 6. num. 5.*

Filliuc. Bonac. Leſſius. Cla. reg.

ODIVM.

SVMMARIVM.

1 *Odium quid ſit, & quotuplex.*
2 *Odium repugnat charitati, & eſt omnium peccatorum grauiſſimum.*
3 *Quando odium eſt peccatum mortale, quando veniale.*
4 *An omnia odia proximi ſint eiuſdem ſpeciei*, refertur duplex ſententia.

1 ODium eſt *alienatio, ſeu auerſio voluntatis ab eo quod æſtimatur vt malum*: aduerſatur amori directè, ac proinde ſicut duo ſunt amorum genera, amicitiæ, & concupiſcentiæ, ita eſt, odium inimicitiæ, quo volumus alicui malum, vt ipſi malè ſit, & eſt odium abominationis, quo fugimus aliquid, vt nobis incommodũ. Vtrumque rurſum duplex: aut enim tendit in Deum, aut in proximum, eſtque intimè permixtum omnibus peccatis, adeò vt omne peccatum mortale, ſecundùm prudentem æſtimationem, ſit odium quoddam Dei, omniſque iniuria in proximum, participet odium proximi. D. Thomas *1. 2. q. 29. art. 1. & 2. 2. q. 34. art. 1.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. quaſt. 4. punct. vlt. §. 1.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 8. n. 1.* Filliucius *tract. 28. cap. 8. num. 167.* Syluius *2. 2. quaſt. 34. art. 1.* & alij.

D. Tho. Bonac. Layman Filliuc. Syluius.

2. Si ſumatur odium, vt eſt ſpeciale peccatum directè repugnans charitati, eſt omnium peccatorum grauiſſimum, ſiue quæ in Deum, ſiue quæ in proximum committuntur, reſpectiuè tamen ſi præciſè conſiderentur; nam quædam peccata odium Dei includunt, & ſuperaddunt alias deformitates, vt blaſphemia completa, apoſtaſia, &c. quædam peccata in proximum, præter odium inferunt graue nocumentum, vt homicidium, detractio, &c. vnde odium inimicitiæ, tum erga Deum, tum erga proximum, per ſe & intrinſecè malum eſt, & ex genere ſuo mortale. D. Thomas *2. 2. q. 34. art. 2. & 4.* Syluius *ibi.* Valentia *ibid. punct. 2.* Malderus, Turrian. *ibid.* Toletus *lib. 4. cap. 9. num. 1.* Layman *cit. num. 3.* Filliucius *cit. num. 175. 176.* & alii.

D. Tho. Syluius. Valentia Malder. Turrian. Toletus Layman Filliuc.

3. Cùm Deus infinitè bonus ſit, & in eum nulla malitia, ſiue defectus intrinſecè, vel extrinſecè cadere poſſit, ob quem abominatione, atque odio dignus ſit, hinc odium abominationis erga Deũ per ſe & intrinſecè malum eſt, & ex genere ſuo mortale peccatum. Layman *cit. cap. 8. num. 5.* Fieri tamen poteſt, vt odium inimicitiæ erga proximum, ſit tantùm peccatum veniale, aut nullum. *Primò*, ex actus imperfectione, ſeu indeliberatione. *Secundo*, ex paruitate materiæ, quando leue aliquod malũ proximo imprecamur. *Tertio*, quando non fertur immediatè in ipſum hominem, ſed in vitium. *Quartò*, ſi feratur quidem in naturam, ſeu hominem ipſum, non tamen ibi ſiſtat, ſed deſideret hoc vt medium ad emendationem. Turrianus *2. 2. diſp. 91. dub. 1.* Bonacina *cit. §. 1. num. 6.* Toletus *de 7. pecc. mort. cap. 70.* Reginaldus *lib. 17. num. 114.* Layman *cit. num. 4.* Syluius *cit. quaſt. 34. art. 6. quaſit. 4.*

Turrian. Bonac. Toletus. Reginal. Layman Syluius.

An autem peccatum odij in Deum poſſit eſſe veniale ob paruitatem materiæ; dicendum eſt quòd non, quia quodlibet odium Dei maximè repugnat ſummæ bonitati Dei, qui ſummè bonus eſt, nec in ipſum vlla ratio mali cadere poteſt. Vide *verb. Peccatum 1. n. 7.* Layman *cit. n. 4.* Bonacinam *cit. num. 3.* Syluius *cit. quaſt. 4.*

Layman Bonac. Syluius.

4. Probabile eſt omnia odia proximi eſſe eiuſdem ſpeciei, ſi conſiderentur formaliter vt odia ſunt, hoc eſt, vt pro obiecto habent malum proximi, quatenus malum eius eſt, quia ſic ſpectata, habent vnam rationem formalem obiecti, ſcilicet malum proximi, vt malum proximi eſt; vnde ſecundùm hanc opinionem ſufficit, vt pœnitens dicat ſe toties odiſſe proximum, & non opus eſt explicare, an illud odium verſaretur circa famã, diuitias & perſonam. Caietan. *2. 2. q. 34. art. 6.* Valentia *2. 2. diſp. 9. quaſt. 3. punct. 2.* Bannez *2. 2. q. 34. art. 6. dub. 2.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 1. num. 10.* Diana *de circumſt. reſ. 31. punct. 1.* Contrarium tamen probabilius putant Suarez *tract. de charit. diſp. 6. ſect. 2. num. 2. & 3.* Syluius *2. 2. q. 34. art. 6. quaſit. 2.* quibus ego aſſentior: nam afficere proximum iniuria in vita, vel in fama, ſunt peccata diuerſa ſpecie contra iuſtitiam, propter materiæ diuerſitatem: ergo pari modo efficient diuerſitatem in odio: vnde quoad mores, talis diuerſitas eſt aperienda in confeſſione, quia ſicut diuerſum ſpecie peccatum eſt, ex odio inimicum occidere, ſpoliare, vel infamare, ità etiam ſpecie diuerſum erit, ſi ex illa velit; cum eiuſdem virtutis, aut vitii ſit velle quippiam, & hoc ipſum facere.

Caietan. Valentia Bannez. Bonac. Diana. Suar. Syluius.

De Odio vide verb. Ita num. 4. Luxuria num. 2. Peccatum 4. num. 2. & tomo primo verb. Confeſſio 4. num. 20.

Digitized by Google

ORATIO.

SVMMARIVM

1 *Oratio quid ſit.*
2 *Oratio triplex eſt, & eſt in præcepto.*
4 *Oratio Dominica comprehendit ſummam petendorum.*
5 *Orare conuenit ſoli naturæ rationali.*
6 *An Sancti ſint noſtris precibus inuocandi.*
7 *Pro quibus ſit orandum.*

1 ORatio eſt *decentium rerum petitio à Deo, ſiue ad ipſum Deum dirigatur, ſiue ad alios propter ipſum Deum.* In oratione *tres actus* ſpectari poſſunt; *Primus*, eſt deſiderium noſtrum, quo bonum aliquod nobis, alijsve conferri, aut malum auerti deſideramus. *Secundus*, huius deſiderii practica quædam explicatio, quæ nihil aliud eſt, quàm petitio quædam. *Tertius*, collatio boni deſiderati, vnde patet orationem eſſe immediatè actum rationis practicæ, ſicut & Religionis. D. Thom. 2.2.q.83.*art.*1.2. Filliucius *tract.*23.*cap.*2.*quaſt.*1. Azorius 1.*par.lib.*9.*cap.*29.*quaſt.*4. Suarez *tom.*2.*de relig.lib.*1.*cap.*29. Syluius 2.2.*quaſt.*83. & alii.

D.Tho. Filliuc. Azorius. Suarez. Sylu.

2. *Oratio* triplex eſt, *vna* publica, vel priuata. *Secunda*, mentalis aut vocalis. *Tertia*, obſecratio vel oratio, vel poſtulatio, vel actio gratiarum. Neceſſaria eſt adultis ad ſalutem ex præcepto Religionis, & conſequenter diuino obligans indeterminatè ad mentalem, aut vocalem; quia oratio eſt medium quoddam ſine quo auxilium ad ſalutem neceſſarium obtineri nequit; non tamen eſt illa ſufficiens, quia requiritur præterea Baptiſmus & mandatorum obſeruatio, & in lapſis pœnitentia. Filliucius *cit.cap.*2.*num.*38. Leſſius *lib.*2.*cap.*37.*dub.*3.

Filliuc. Leſſius.

3. *Oratio* eſt in præcepto, *Primo*, quando peccator ſe ad gratiam diſponere tenetur, vt quando ipſe ſacramentum aliquod adminiſtrare, vel ſuſcipere debet. *Secundo*, in euidenti periculo mortis, præſertim ſi quis ſit in peccato mortali. *Tertio*, in vehementi tentatione, cui alia ratione putat ſe non poſſe reſiſtere: *Notandum* tamen eſt in caſibus, quibus oratio ad aliquod malum aduertendum videtur neceſſaria, omiſſionem eius non eſſe peccatum, niſi quis aliquo modo aduertat ſuam obligationem; alioquin omiſſio non cenſebitur voluntaria, vt eſt contra præceptum, vnde nec ad culpam imputabitur: quando autem eſt culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam diſtinctam ab illo peccato, nam ſolùm eſt mala, quia eſt interpretatiua volitio illius peccati, Medina *C.de orat.q.*11. Nauarrus *de orat.cap.*3. Filliucius *cit.cap.*2,*quaſt.*3. Leſſius *cit.dub.*3.*num.*12. Diana *par.*3.*tract.*5.*miſc.reſ.*16. Syluius *cit.q.*83.*art.*2. Becanus 2.2.*q.*83.*art.*2. & alii.

Medina. Nauarr. Filliuc. Leſſius. Diana. Syluius. Becan.

4. Summa petendorum breuiter comprehenſa eſt oratione Dominica; quæ licet omnia diſertè non contineat, ſed præcipua tantùm, quæ maximè nobis præ oculis habenda, ad ea tamen reliqua facilè reduci poſſunt: vnde ſecundùm D. Thomam *cit.art.*5.& 9. Filliucium *cit.cap.*2.*quaſt.*5. Leſſium *cit.dub.*4. Azorium *cit.cap.*34. Beccanum *cit. quaſt.* 4. & alios inter ea quæ à Deo peti poſſunt quædam abſolutè petenda ſunt, vt ferè ſunt ea quæ oratione Dominica continentur, alia ſolùm ſub conditione tacita vel expreſſa, ſi nobis ſint ſutura ſalutaria, vt ſunt diuitię, honores, longa vita, opulenta matrimonia, vxor ſpecioſa, pulchræ proles, & ſimilia.

D. Tho. Filliuc. Leſſ. Azor. Becan.

5. Soli naturæ rationali ſuperiorem agnoſcenti orare conuenit, à quo aliquid boni ſibi, vel alteri expectare poſſit: vnde conuenit Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis, qui ſunt in purgatorio; damnatis autem oratio propriè non competit, quia carent pio affectu, ex quo oratio procedere debet, vt ſit actus virtutis; Chriſto etiam ſecundùm humanam naturam in cœlo conuenit, quia ſecundùm veriorem ſententiam, Chriſti anima etiam modò rogat diuinitatem pro hominibus; quia id non dedecet ipſam, cùm in via ſæpiſſimè id fecerit, & ſtatui beatitudinis non repugnet. D. Thomas *cit. artic.* 10. Azorius *cit. cap.* 29. Alexander de Ales *part.* 4. *quaſt.*26.*memb.*3.*art.*4 Leſſius *cit.dub.*5. Becanus *citat. quaſt.*5. Syluius *cit.art.*10.

D. Tho. Azorius. Alexan. Leſſius. Becan. Syluius.

6. Certiſſima eſt Catholicorum ſententia, ſanctos eſſe noſtris precibus inuocandos, non tamquam primarios authores vitæ & ſalutis noſtræ, quaſi ſua ipſi authoritate & poteſtate poſſint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, id enim eſſet aperta idololatria, ſed tanquam amicos Dei chariſſimos, vt pro nobis orent, ſuamque nobis opem porrigant; & hoc veterum Patrum confirmat authoritas, & Concliorum decreta, generalis demum totius Eccleſiæ conſuetudo. *Theologi in* 4.*diſt.*45. Conc. Trid. *ſeſſ.*25. *de inuocat. Sanctorum.* Leſſius *cit.dub.*6. D. Thomas *quaſt.*83.*art.*4. Syluius *ibi.* Becanus *cit.quaſt.*6.

Cõc. Tr. Leſſius. D. Tho. Syluius. Becan.

7. Pro omnibus orandum eſt, qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris; quia omnibus ſalutem deſiderare & quantùm commodè poſſumus, procurare debemus: non tamen ita intelligendum eſt, quaſi orare debeamus, vt abſolutè omnes ſalui fiant & nemo damnetur, hoc enim fruſtra & ſtultè oraretur: vnde etiam pro paganis, ſchiſmaticis, & hæreticis, excommunicatis, improbis & ſceleratis eſt orandum, vt reſipiſcant & ad ſaniorem mentem, melioremque vitæ frugem renocentur: orandum etiam eſt pro pijs & iuſtis, ne ſuperbia efferantur, & intelligant ſe inferiorum etiam ſuffragijs indigere. D. Thomas *cit. art.* 7. & 8. Azorius 1.*p. lib.*9.*cap.*31. Leſſius *cit.dub.*7. Filliucius *tract.*23.*cap.*2.*quaſt.*10. Syluius *cit.art.*7.& 8. Becanus *cit. quaſt.*7. & alii.

D. Tho. Azorius. Leſſius. Filliuc. Syluius. Becan.

Plura de oratione vide Suffragium, Satiſfactio num.5. Simonia 3.n.6. Pœnitentia 4.n.7. Iubilæus.

SVPPLEMENTVM.

ORATORIVM.

SVMMARIVM.

1 *Oratorium quid, & quotuplex?*
An in Oratorijs priuatis poſſit celebrari ſine licentia Summi Pontificis? Refertur Decretum Sacræ Congregationis iuſſu Pauli V. editum, & Breue eiuſdem Pauli, & Vrbani VIII.
2 *An non obſtante Cõcilio Tridentino, & Breuibus Pauli V. & Vrbani VIII. poſſint Epiſcopi hodie in aliquo caſu particulari diſpenſare, vt in Oratorijs priuatis Miſſa celebretur?*
3 *De conditionibus quas ponit Summus Pontifex in ſuis Breuibus, dum concedit licentiam celebrandi in Oratorijs priuatis.*
4 *An qui habet licentiam celebrandi in Oratorio priuato domus ſuæ in aliqua ciuitate, ſi domicilium transferat in aliam, poſſit hoc priuilegio vti.*
5 *Habens indultum Oratorij priuati in domo ſua, vt ibi Miſſam audire poſſit, an etiam in villa illud erigere poſſit.*
6 *An Epiſcopus, dum eſt in aliena Diœceſi, poſſit erigere altare priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio priuato, abſque licentia Ordinarij loci illius.*

1 ORatorium propriè eſt locus aptus ad orandum, & eſt duplex, publicum, ſcilicet & priuatum. Publicum dicitur, quod omnibus inſeruit & patet. Priuatum eſt, quod in priuatis domibus, in angulis earum erigitur, in quo oratur, & non habet campanam, neque Oſtium patens in via publica; & ad nutum Domini huiuſmodi domus ad prophanos vſus redire poteſt.

In his Oratoriis priuatis Miſſa celebranda non eſt, niſi de licentia Summi Pontificis, vt Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum reſpondit Archiepiſcopo Bononienſi ſub die 10. Martii 1615. his verbis.

Perilluſtris, ac Reuerendiſſime Domine vti Frater.

Hh 3 Ta-

Digitized by Google

Tametſi Sacra Cardinalium Congregatio Concilij Tridentini Interpretum optimis innixa rationibus ſæpiſſimè reſponderit, celebrandi licentias in priuatis Oratorijs non niſi à Sede Apoſtolica eſſe concedendas; compertum eſt tamen per plures Antiſtites, eiuſdem Cōcilij verba in alium ſenſum detorquentes, paſſim illas, ac nullo propè delectu impertiri. Quia quidem facultate nedum ipſi Pontificiam ſibi auctoritatem adſciſcunt, aliarumque Eccleſiarum, & frequentiam minuunt, & dignitatem; verum etiam (quod ſummè dolendum eſt) tremendum illud myſterium, quo nullum aliud opus adeo ſanctum, atque diuinum à Chriſti fidelibus tractari poteſt, intra domeſticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil ferè inter prophanam & diuinā domum intereſſe videatur. Quod ſanè teterrimum exemplum, vt de Chriſtiana Republica euellant Illuſtriſſimi Patres, Amplitudini tuæ cæteriſque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis vniuerſis, Sanctiſſimi Domini noſtri iuſſu ſignificandum duxerunt, facultatem huiuſmodi licentias dandi ipſius Concilij Decreto vnicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſeruatam, proindeque Amplitudini tuæ abſtinendum eſſe ab illis vtcumque tribuendis, ac ſi quas hactenus, vel à tuis Anteceſſoribus, aut alias quoquomodo, quam ab ipſo Summo Pontifice conceſſas repereris, nullas, atque irritas eſſe quamprimum decernas, atque enixè curandum, ne vlla illarum ratio impoſterum habeatur. Quam quidem ſacræ Congregationis, atque adeò Sanctitatis ſuæ voluntatem libenter Amplitudo tua perficiet, harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad ſingulos iſtius Prouinciæ Epiſcopos, &c. Romæ die 10. Martij 1615.

Circa hoc decretum eſt aduertendum *Primò*, quod editum eſt & intimatum iuſſu Pontificis; vnde non ſolùm habet vim interpretandi Concilij Tridentini decretum, ſed etiam legem condendi; atque adeò obligandi ad ita accipiendum Tridentini decretum. *Secundò*, quod loquitur non ſolùm de licentijs celebrandi in priuatis domibus, ſed etiam in priuatis Oratorijs. Concilium enim prohibet Epiſcopis, ne patiantur celebrari extra Eccleſias, & Oratoria diuino tantùm cultui dicata, & viſitanda ab Epiſcopis ipſis. Per hæc autem Oratoria non poſſunt intelligi Oratoria priuata: quia hæc non ſubſunt viſitationi Epiſcopali, qualia debent eſſe, quæ permittit Tridentinum: nam licet viſitentur, quando primò conceditur licentia, non tamen continuat iuriſdictio Epiſcopi ad illa viſitanda, cùm priuata ſint; vnde de facto non viſitantur. Accedit quod Oratorium non cenſeatur dicatum diuino cultui, niſi ſit publicum; quia cultus diuinus ex natura ſua eſt publicus & communis omnibus. *Tertiò*, quòd intendit corrigere abuſus ortos ex huiuſmodi licentijs. *Quartò*, quòd facultas dandi has licentias eſt ſolius Summi Pontificis per decretum ipſius Tridentini. *Quintò*, quòd licentiæ per Epiſcopos conceſſæ, ſint nullæ, atque irritæ; & proinde quod malè fuerit interpretatum Tridentinum, dum opinabantur hanc facultatem non fuiſſe ademptam Epiſcopis.

Huius decreti, & harum litterarum Cardinalis Lancelloti nomine Pauli V. datarum plures grauiſſimi Auctores meminere, vt Riccius *in praxi fori Eccleſ. deciſ.* 538. Molfeſius *in ſumm. tract. 3. cap. 17. num. 70.* Gauantus *Comment. in Rubr. Miſſal. par. 1. tit. 28. litt. M.* Fagundez *de præcep. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 13. num. 12.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 23. dub. 3. ſect. 3. num. 66.* Trullench *in Bulla Cruciata lib. 1. §. 3. dub. 5. num. 5.* qui nouiſſimus licet afferat, quod poſt dictum Decretum Pauli V. Poſtea anno 1618. die 30. Iulij, idem Paulus conceſſerit Epiſcopis tāquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, facultatem viſitandi, deſignandi, & approbandi Oratoria, & licentiam celebrandi in dictis Oratorijs cum his limitationibus. *Prima*, vt huiuſmodi licentia celebrandi in Oratorio priuato, ſolùm concedatur perſonis nobilibus, ſenio, & infirmitate impeditis, durante tantùm impedimento. *Secunda*, quòd dicta licentia non ſuffragetur niſi miniſtris omninò neceſſarijs, ita vt alii præcepto Eccleſiæ minimè ſatisfacere cenſeantur. *Tertia*, quòd in ſingulis Oratoriis vna tantùm dicatur Miſſa. *Quarta*, quod ab hac licentia excipiantur dies Paſchæ, Natiuitatis, Pentecoſtes, & alia feſta ſolemnia, niſi talis eſſet perſona, quæ ob iuſtum impedimentum nullo modo poſſet adire Eccleſiam. *Quinta*, quod in eadem domo duo Oratoria minimè concedantur. *Sexta*, quod hæc licentia ſolùm duret per ſex annos.

Riccius. Molfeſ. Gauant. Fagund. Caſpenſ. Trullen. Paul. V.

Poſtea tamen Vrbanus VIII. abſolutè abſtulit ab Epiſcopis talem licentiam & ſolùm Papæ reſeruauit, teſte Portel *in reſponſ. regul. tom. 1. par. 3. caſu* 20. vbi ait, Addi poteſt ad hoc, quòd ego vidi meis oculis anno 1626. in aula cuiuſdam Domini tunc Collectoris iſtius regni publicari edictum Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. in quo prohibebat, ne Epiſcopus aliquis, vel ſimilis Prælatus licentiā dare poſſet alicui celebrandi, vel celebrare faciendi in Oratorijs priuatis, & ſcirent omnes talem licentiā concedere eſſe reſeruatam ſoli Summo Pontifici. Ita Portel. Proinde dicendum eſt hodie non poſſe Epiſcopos etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos dare facultatem, vt quis poſſit in domo ſua priuatum Oratorium habere, & ibi audire Miſſam, cùm talis facultas ad ſolum Pontificem pertineat. Ita Diana *par. 9. tract. 1. reſol. 42.* qui citat Hieronymum Garzias *in Summ. Theol. moral. tract. 3. difficul. 8. dub. 2. punct. 2. num. 15. & 18.*

Vrban. VIII. Portel. Diana. Garzias.

2. Non obſtante Concilio Triden. ac Breuibus Pauli V. & Vrbani VIII. Epiſcopi poſſunt hodie in aliquo caſu particulari ex iuſta cauſa diſpenſare vt celebretur extra Eccleſiam in Oratorijs priuatis cū altari portatili. Licet enim in Concilio Tridentino, & in decreto Pauli V. fuerit ſublata Epiſcopis facultas concedendi licentias abſolutè celebrandi in priuatis Oratoriis, & domibus ſæcularium, non tamen fuit eis ſublata poteſtas diſpenſandi ex iuſta cauſa in aliquo caſu. Pontifex enim & Concilium voluerunt tollere abuſus, & abuſus ſolùm ex licentiis cōtinuis & ordinarijs oriri poterunt, non autem ex diſpenſatione pro vna, aut altera vice ex iuſta rationabili cauſa. Ita ſuſtinent Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 3. par. 3. cap. 9. n. 11.* Garzias *loc. cit. n. 18.* qui pro hac ſententia citat *Cardinalem de Lugo, Ledeſmam, Fagundez, Rodriquez, Layman*, & alios. Caſtrus Palaus *tom. 4. tract. 22. diſp. vnic. punct. 8. num. 6.* Gaſpar Hurtadus *de ſacrific. Miſſæ, diſput. 4. difficul. 6.* & alii quos refert & ſequitur Diana *pars. 9. tract. 1. reſol. 43.* vide dicta ſuprà *verb. Miſſa 4. num. 1.*

Marchin. Garzias. Palaus. Hurtad. Diana.

3. Ex ſtylo Curiæ, dum Pontifex concedit licentiam celebrandi in Oratoriis priuatis, ſolent apponi quædam conditiones, vt patet ex Breuibus. *Prima*, vt Oratorium ad hoc decenter extructum & ornatū exiſtat, ac ab omnibus domeſticis actibus liberum, ab Ordinario loci etiā viſitandum & approbandum. *Secunda*, vt Miſſa celebrari poſſit per quemcumque Sacerdotem ſæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia, Regularem. *Tertia*, vt dicta conceſſio intelligatur, ſine tamen iurium Parochialium præiudicio, ac exceptis diebus Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, Aſſumptionis B. Mariæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. *Quarta*, vt alij, præter familiares illius perſonæ, cuius contemplatione dicta licentia datur, ibidem Miſſæ intereſſentes diebus Feſtis de præcepto, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia, minimè liberi cenſeantur.

Circa primam conditionem eſt notandum, quòd vt Oratorium ſecundùm mentem Pontificis, cenſeatur decenter ornatum, ſunt neceſſaria, quæ in Rubricis Miſſalis Romani deſiderantur ad Miſſæ celebrationem, vt videre eſt ſuprà *verb. Miſſa 5.*

Circa ſecundam, eſt dicendum, quod ſufficit licentia tacita, vel præſumpta Superioris, vt regularis in priuato Oratorio celebret. Imò ſufficit approbatio generalis celebrandi Miſſam; nec requiritur ſpecialis approbatio ad celebrandum in Oratorio priuato. Ratio eſt, quia vbi agitur de obligatione, ſtricta fieri debet interpretatio. Proinde cùm hic requiratur approbatio Ordinarii ad celebrandum in Oratorio, & verba relata Breuis commodè poſſint explicari de approbatione generali, ea non debent ampliari ad approbationem ſpecialem, & hoc procedit de Sacerdote, tam ſæculari, quàm regulari.

Circa tertiam eſt aduertendum, quod clauſula, ſine tamen iurium Parochialium præiudicio, ſignificat, quod

in

in Oratorio priuato non exerceatur vllum munus Parochiale,cuiuſmodi ſunt,miniſtrare Sacramenta,facere ſolitam eleemoſynam, dare pacem, denunciare feſta, ieiunia,ac matrimonia, & ſimilia, quæ per ſe ſpectant ad Parochos,ideoque ab aliis extra Parochiales Eccleſias obiri nequeunt,ſine ipſorum Parochorum præiudicio.

Nomine autem Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes,intelligend. ſunt tantùm primi dies harum feſtiuitatum: quia reſtrictio indulti,ſeu gratiæ ſapit odium, & ſic ſtrictè interpretanda.

Circa quartam eſt dicendum peccare mortaliter extraneos,qui non ſunt de familia illius,cui tale priuilegium conceſſum eſt,ſi die feſto in d. Oratorio Miſſæ interſint, nec aliam audiant:quia illi præcepto audiendi Miſſam in die Feſto non ſatisfaciunt,nam hoc priuilegium Pontificium minimè illis ſuffragatur. Secus dicendum ſi quis audiat Miſſam in Oratorijs Epiſcoporum,vel regularium vel in Oratoriis ex priuilegio Bullæ Cruciatæ,nam in illis non adeſt limitatio apponi ſolita a Pontifice in licentiis pro Oratoriis priuatis. De his videntur Bonacina, *de Sacram.diſp.4. q.vlt.punct.12. n 4.* Marchinus, *de Sacram. Ord.tr.3.p.3.c.1.n.10.* Pellizzarius, *in Man.reg.tom.2. tr. 8.c.2 ſect.2 n.147* Diana, *p.9.tr.1.reſ.3.11.13.15.& 16.*

Bonacin.
Pelliz.
Diana.

Sed petes,qui dicuntur familiares in his Breuibus Apoſtolicis? Reſp.familiares intelligi omnes commenſales, qui ſunt de eadem menſa,ac familia ipſius principalis,cui conceditur talis licentia, & quotquot deputati ſunt pro eiuſdem perſonæ ſeruitio Si verò in Breui Apoſtolico, in quo conceditur alicui auditio Miſſæ in priuato oratorio, contineatur clauſula; *Nec non hoſpitum tuorum præſentia.* Sub nomine Hoſpitum non poſſunt venire habitantes in eodem loco, etiamſi forſitan a domino illius oratorii inuitarentur ad prandium,eaq;occaſione ibi vellent Miſſam audire. Ratio eſt,tum quia hoc priuilegium,cùm diſponat contra ius commune, diſtrictè & non amplè eſt interpretãdum: vnde ſoli extera hoſpitantes in domo magnatis habentis priuilegium comprehenduntur:quia alias mens Pontificis eluſoria remaneret. Ita Diana, *p.9.tr.1. r.1.6.& p.4 tr.4.reſ.208.*

Diana.

4. Qui habuit licentiam celebrandi in oratorio domus ſuæ in aliqua ciuitate, ſi tranſ.erat domicilium in aliam, poteſt hoc priuilegio vti Probatur,quia hoc eſt priuilegiũ perſonale & ſequitur perſonam: quando enim nomen & cognomen priuilegiati in indulto nominatur,& exprimitur,ſicut in hoc accidit,hoc omnino perſonale eſt, & cũ eadem perſona perſeuerat & extinguitur, vt habet communis ſententia Doctorum & conſtat ex *c. Priuilegium, de reg.iuris, in 6.* Proinde in quocumq; loco talis habitauerit,poterit ſibi facere Miſſam celebrare,cum licentia tamen ordinarii loci,& ſeruatis ſeruandis in conceſſione. Tum quia ſi locale eſset priuilegium & non perſonale ſequeretur, quòd in domo eius prioris ciuitatis poſset ſemper celebrari,ſiue nobilis, ſiue ignobilis,ſiue ſanus, ſiue infirmus habitarent in ea; quod abſurdiſſimum eſt, & contra communem praxim. Tum quia cauſa conceſſionis talis priuilegii fuit generis nobilitas & valetudo infirma,vt exprimit indultum, non autem habitatio in tali ciuitate,ergo etiam ceſsante hac,illa non ceſsabit. Ita Azorius, *p.1.lib.5.c.22 q.6.* Salas, *de leg.diſp.20.ſect.17.n.124.* Menochius, *conſ.123.n.2.* Barboſa, *de iur.Eccleſ.lib.2.c.8. n.16.* Diana, *p.4.tr.4.reſ.208.* & *p.6.tr.8.reſ.11.* & alii penes ipſos.

Azorius.
Salas.
Menoch.
Diana.

5. Habens indultum Oratorii priuati in domo ſua, vt ibi Miſſam audire poſſit,non poteſt illud erigere etiam in villa. Ratio eſt,quia Summ.Pontifex numquam per vnũ Breue concedit facultatem, vt poſſit celebrari Miſſa in pluribus Oratoriis priuatis,ſed in vno tantùm, vt conſtat ex ſtylo Curiæ. Accedit, quod priuilegium celebrandi Miſſam in Oratoriis priuatis exiſtentibus in domib. laicorum,eſt potiùs odioſum,quàm fauorabile; quia eſt minus decens reuerentiæ debitæ huic ſacrificio, ergo non eſt ampliandum,ſed reſtringendum.

Si dicas, quod hoc priuilegium eſt perſonale, & ideò ſequitur perſonam, ergo in quocumq;loco priuilegiatus poteſt eo vti? ſicut numero præcedenti dictum eſt. Reſp. eſſe diſparem rationem inter vtrumq;caſum; nam in primo caſu,quando quis deſinit habitare in aliqua Ciuitate, & transfert ſe in aliam, vnum tantùm Oratorium habet, ſcilicet in loco domicilii. Sed in hoc caſu, quando Dominus eſt in villa non deſinit habere Oratorium in Ciuitate & ſic haberet ſimul, & in eodem tempore duo oratoria, in quibus poſſet vti priuilegio,quod eſt contra mentem Pontificis & praxim Curiæ. Ita Diana, *p.9.tract.1.reſ.22.* Epiſcopis tamen non eſt ablata facultas habendi tale Oratorium ad celebrandum in proprio palatio, & etiam in domo rurali,quia non cenſetur domus priuata. Ita Portel. *in reſp.regul.tom.1.p.3. caſu 20 n.6.* Cardinalis Lugo, *de Euchariſt.diſp.20.ſect.9.n.49.* Marchinus, *de Ordine,p. 3.tr.3.c.9.n.11.* Paſqualigus, *in deciſ.moral.deciſ.55.* et alii.

Portel.
Lugo.
March.
Paſqual.

6. Epiſcopus dum eſt in aliena diœceſi poteſt eligere altare priuatum,vt in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio priuato, abſq;licentia Ordinarii loci illius,dummodo non ſit in vrbe Roma. Ratio eſt,tum quia priuilegium Epiſcoporum celebrandi in altari portatili, abſolutè, atq;adeò tam in propria, quàm in aliena Diœceſi, eſt inſertum in corpore iuris, nempe *in c.fin.de priuileg.in 6.* vnde habet vim legis ſtatuentis quod conuenit Epiſcopis ratione ſtatus,& dignitatis; & decretum Tridentini poteſt habere ſuum effectum abſq;derogatione huius priuilegii. Vnde cum de ipſo non fiat ſpecialis mentio, non cẽſetur derogatum iuxta regulam, Quod priuilegia inſerta in corpore iuris non derogantur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio,vt docent communiter Doctores, Suarez, *lib. 8.de leg.c.38.n.12.* Miranda, *to.1. Man.q.45.art.6.* Palaus, *p.1.tr.3.diſp.4.de priuil.punct.2.§.4.n.5* & omnes Iuriſperiti, *in Auth. Quo verb.Omni priuilegio, C.vbi de crimine agi oportet,* & habetur ex *l. Eius militis, §. Militia, de teſtam.milit.* Tum quia Epiſcopus celebrans Miſſam in Oratorio priuato dum in aliena Diœceſi moratur,nõ exercet iuriſdictionem contentioſam,vt patet,ſed voluntariam hanc verò voluntariam iuriſdictionem,ſeu potiùs priuilegium perſonale poteſt exercere in aliena Diœceſi, ergo. Tum quia Concilium Tridentinum non prohibet Epiſcopis,celebrare in altari portatili: ſed quòd non permittant celebrari, ſiue à ſæcularibus, ſiue à regularibus: nec item,quòd vnus Epiſcopus non permittat celebrari ab alio Epiſcopo,quando exiſtit in ſua Diœceſi. Non enim Epiſcopi veniunt nomine ſæcularium,ob dignitatem, qua præcellunt, & proinde debuiſsent ſpecialiter nominari,ſi eos comprehẽdere voluiſset Manet ergo firma Epiſcopos,non obſtante Conc.Trid.& decreto Pauli V. & Vrbani VIII.poſse,etiamſi non ſint infirmi,portare ſecũ altare viaticum,& in itinere non ſolùm in ſua, ſed etiam in aliena Diœceſi,non tamen Romæ Miſsam celebrare, & celebrari facere. Ita Gauantus, *in enchirid. Epiſc.v.Epiſcopus,n.8.& 9.* Barboſa, *de offic.& poteſt.Epiſc.p.2.alleg. 23.* Vgolinus, *lib.1.de offic.& poteſt.Epiſc.p.1.c.2.§.* Portel. *p.3.in reſp.regul.caſu 20.n.7.* Diana, *p.4 tr.4.reſ.15.* & alii apud ipſos citati. Romæ autem non permittitur, vt Epiſcopi poſſint habere oratorium priuatum & ibi Miſsam celebrare,vel audire, propter reuerentiam Summo Pontifici debitam,vt notant Riccius, *p.4.deciſ.78* Alzedus, *in praxi,p.1.c.13.n.6.* Venetus, *in exam.Epiſc.lib.4.c.17.n.4.* & alii apud Dianam, *loc.cit.* & *p.9.tr.1.reſ.39.* qui *reſ.47. eiuſdem partis, & tractatus,* cum Doctoribus ibi citatis, docet Epiſcopum titularem extra Vrbem Romæ poſse in ſuo Palatio habere oratorium priuatum, vt ibi celebret, vel Miſsam audiat;quia in rigore iuris Epiſcopi titulares, qui ordinantur pro Eccleſiis in partibus infidelium, ſunt verè & propriè Epiſcopi;ergo gaudent eodem priuilegio quo gaudent cęteri Epiſcopi. Tamen ſi adeſset praxis & conſuetudo in contrarium,non eſset ab illa recedendum. Plura de his poſsent adduci,quæ videri poſsunt apud eũdem Dianam, *p.9.tr.1.per tot.* Vide dicta ſupra, *v. Miſſa,3. n.8.& 9.& tom.1.v.Miſſa,4.n.1.*

Gauant.
Barboſa.
Vgolin.
Portel.
Diana.
Riccius.
Alzedus.
Venetus.
Diana.
Diana.

ORDO I.

De eſſentia, inſtitutione, ac numero Sacramento Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Ordo quid ſit. Et vt aptiſſimè hoc Sacramentum vocabulo Ordinis fuerit appellatum.*

2 *Quando*

Digitized by Google

2 *Quando hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.*
3 *Quot ſint Ordines. Et an Epiſcopatus, Cardinalatus Papatus, Prima tonſura ſint Ordines.*
4 *An ſinguli Ordines ſint vera ſacramenta* : vbi refe-runtur variæ ſententiæ Doctorum.

1 ORdo per quem in Eccleſia quidam quaſi gradus officii dignitatiſq; confertur, *Sacramentum eſt, quo ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam in Miſſæ ſacrificio traditur.* Conc. Trident. *ſeſſ.23.can.3.* Dicitur *Sacramentum*, quia habet illa tria, quæ requiruntur ad ratione͂ Sacramenti, nempe *Primò*, ſignum externum, quod eſt impoſitio manuum. *Secundò*, promiſſionem gratiæ, *Tertiò* mandatum. Dicitur quo *ſpiritualis poteſtas traditur*, ſic enim ſignificatur, per formam quæ ſolet proferri: *Accipe poteſtatem.* &c. & ita ab illa exteriorum verborum forma diuina virtute profluit character Ordinis, tanquam proxima actiua potentia, per quam ordinatus exercet ea, quæ ſunt ſui ordinis: dicitur *Circa Euchariſtiam*, intellige mediatè vel immediatè. Poteſtas immediata eſt illa, quà directè confici poteſt Euchariſtia, & hæc confertur in ordine ſacerdotali: Poteſtas verò mediata eſt illa, per quam exercetur aliquod miniſterium, quod dirigitur & ordinatur ad Euchariſtiam tanquam ad finem, quod miniſterium in ſingulis ordinibus reperitur. Ita D. Thom. *in ſuppl.q.34. art.2. & 3.* Syluius, *ibid.* Valentia, *tom.4.diſp.9.q.1 p.2.* Peſantius, *in ſuppl.q.40.diſp.1.* Marchinus, *de ſacram.Ordinis tr.1.p.1.c.4* Vaſquez, *tom.3.in 3.p diſp.235.c.2.* & alii.

Conc. tr.
D. Th. Syluius Valentia March. Vaſquez

Aptiſſimè, et ſapientiſſimè hoc ſacramentum vocabulo Ordinis fuit appellatum: cùm enim ordo iuxta D. Auguſt. *lib.19.de Ciuit c.13.* ſit parium, diſpariumq; rerum ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio: et in Eccleſia Dei ſint varii miniſtri, gradus multi, variaq; ac diuerſa munera, inferiora, media, et ſuperiora, rectà ratione collocata; ideò hæc Clericorum claſſis, veluti terribilis caſtrorum acies ordinata, vocabulo Ordinis congruẽter recenſetur.

D. Aug.

2. Sacramentum Ordinis creditur inſtitutum a Chriſto in vltima cœna, cùm Apoſtolis ſuo corpore, ſanguineque refectis, illa adiunxit verba. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc.22. quibus verbis Chriſtus contulit Apoſtolis auctoritatem ſacerdotalem, eiſq; ac eorum ſucceſſoribus in ſacerdotio dedit præceptum conſecrandi, vt patet ex Trident. *ſeſs.22.c.1.* et conſentiunt D. Thom. *c. art.4* Henriq. *in ſumm.lib.10.c.3.* Reginald. *lib.30.n.3.tr.1.* Bonac. *de ſacram.diſ.8. q. vnic.punct.1.* et alii. Contulit autem Chriſtus per excellentię poteſtatem Apoſtolis omnes Ordines ſimul; nam ſub principali, quod eſt ſacerdotium, cæteri omnes comprehenduntur, tanquam participantes, licet imperfectè, poteſtatem aliquam circa corpus Chriſti miniſtrandum, et inſeruiendum Sacerdoti.

D. Tho. Henriq. Regin. Bona.

3. Hæretici noſtri temporis tres tantùm Eccleſiaſticos ordines cõcedunt: nempe, Epiſcopatum, Presbyteratum, et Diaconatum; reliquos Ordines humanum inuentum fuiſſe dicunt: Caluinus, *lib.4.inſtit.c.4.& 19.* Kemnitius, *in Exam.Trid ſeſs.23.* Catholica tamen veritas eſt, 7. ſaltè Eccleſiaſticos Ordines ſemper in Eccleſia fuiſse; nẽpe, *Oſtiariatum, Lectoratũ, Exorciſtatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum,* & *Presbyterium.* Probatur hoc ex Conciliis generalibus, Romano ſub Sylueſtro, *c.3.* Laodicenſi, Chalcedonenſi, Carthaginenſi, IV. *c.3.* cui interfuit *S. Auguſtinus.* Florentino in inſtructione Armenorum, et denique in Tridentino, *ſeſs.23.can.2.*

Caluinus Kemnit.

Controuertitur inter Doctores Catholicos, an Epiſcopatus ſit ordo à Presbyterio diſtinctus? Quidam enim affirmant eſſe verum ordinem, verumq; Sacramentum à Presbyterio aliquo modo, diſtinctumq; imprimere characterem. Probatur autem hæc opinio, quod vbi eſt diſtincta materia et diſtincta forma, ibi eſt diſtinctum Sacramẽtum: ſed Ordinatio Epiſcopi habet diſtinctam formam à forma ſacerdotali, habet item diſtinctam materiã, quæ vel erit ſacra capitis vnctio, vt aliqui volunt, vel manuum impoſitio. Deinde Epiſcopus in ſui conſecratione accipit veram, et reale poteſtatem indelebilem ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, et conferendi Sacramentum Confirmationis, quam poteſtatem priùs non habebat: ſed character nihil aliud eſt, quàm poteſtas ſpiritualis indelebilis animæ impreſſa, ergo. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quam ex antiquis tenent Scotus, *in 4.diſt.24.art.2.* Durãdus, *q.6.* Altiſiodor. *lib.4.ſum.c.de ord.* Petr. Sotus, *lect.4.de ſacram.Ord.* Bellarm. *lib.1.de ſacram.Ord.c.5.* Vaſquez, *3 p.tom.3.diſp.240.c.4.* Valentia, *tom.4.diſp.6.q.1 punct.4.* Conink, *de ſacram.diſp.20.dub.2.* Layman, *lib.5.tr.9.c.7. & 4.* et alii.

Scotus. Altiſiod. Sotus. Bellarm. Vaſquez Valentia Coninch Layman

Probabilior tamen opinio negat Epiſcopatum eſſe ordinem, loquendo propriè de ordine, per quem confertur peculiaris poteſtas ad conficiendum Chriſti corpus, et ad ſacrificandum, quamuis per Epiſcopi conſecrationem acquiratur poteſtas quædam indelebilis, reſpectu quarumdam actionum ſacrarum, quæ ſacerdoti non conueniunt; Tum quia character Epiſcopatus, et character ſacerdotalis propriè non dicuntur duo ordines, ſed vnus qui dicitur extendi et perfici in vtrumq; integrum ac perfectum ordinem cõſtituit. Aliàs ſequeretur eſſe octo ordines, quod videtur eſſe contra communem ſententiam: vnde Epiſcopatus non poteſt validè conferri alicui non ſacerdoti, vel infanti, quia Epiſcopatus non eſt ordo diſtinctus ab ordine ſacerdotali. Tum quia ſi Epiſcopatus eſſet ordo diſtinctus à Presbyterio; ergo eſſet diſtinctum Sacramẽtum, ergo in Eccleſia Dei eſſẽt plus quàm ſeptem ſacramenta, quod repugnat. Tum quia Tridentinum. *ſeſſ.23.c.1. & 2.* enumerãs omnes ordines, ſiluit Epiſcopatum, ergo ſignum eſt Patres Concilij fuiſſe in ſententia negante Epiſcopatum eſſe ordinẽ à Presbyteratu diſtinctum. Ita D. Thom. *in ſuppl.3.p.q.40.art.5.* D. Bonau. *in 4.diſt.24.q.2. art.3.* Alenſis, *4.p.q.20.memb.8 art.1.* Couarr. *lib.1.var.c.10.n.15.& 16* Filliuc. *tr.9.c.1.n.12.* Regin. *lib.30.n.5.* Sotus *de iuſtit.lib.10.q.1.art.2.* Henriq. *lib.10.c.2.* Bonac. *c.num.3.* et alii.

D. Tho. D. Bon. alenſis Couarr. Filliuc. Reginal. ſotus. Henriq. Bonacin.

Item magna eſt cõtrouerſia inter Canoniſtas, et Theologos, an prima tonſura ſit ordo: iſti enim affirmant; quia prima tonſura initiati gaudent clericorum priuilegiis: ſunt enim capaces beneficiorum, quorum ſunt incapaces laici: et fruuntur priuilegio Canonis, *Si quis ſuadente.* Cũ ergo tonſura habeat priuilegia aliorum ordinum, meritò ordo dici debet. Ita Angelus, *v.Ordi,n.1.* Nauar. *in Man. c.22.n 18.* Couarr. *in Cap.Quia nos,n.4.de teſtam.* Barboſ. *de poteſt.Epiſc.alleg.2.n.16.& 17.* et alii communiter.

Multò tamen verior, et Concil. Trident. conformior eſt Theologorum ſententia, aſſerens primam tonſuram non eſſe Ordinem. Ratio eſt, quià licet tonſuratus habeat ex deputatione Eccleſiæ, et priuilegio, gradum quemdam inter clericos, et ſit capax iuriſdictionis Eccleſiæ et beneficiorum: tamen eiuſmodi priuilegium non pertinet ad vllam rationem aut partem ſacramenti, nec habet vllum officium adnexum circa miniſterium altaris, ſed tantùm eſt præparatio quædam ad ordines, ſicut catechiſmus ad Baptiſmum. Tum quia licet Conc. Trident. hanc litem dirimere noluerit, ſi quis tamen attentè verba Concilii conſideret, ſanè inſpiciet ipſum Theologorum opinioni valdè fauere, *ſeſs.23.c.2.& c.6.* et nullibi Cõcilium primã tonſuram, Ordinem vocat. D. Thom. *in 4.d.24. q.4.art.2.* D. Bonau. Albert. Palud, *ibid.* Sayr. *de cenſur.lib.4.c.4.n.7.* Bonacina, *c.punct.1.n.6.* Fernand. *p.3.c.11.§.1.n.4.* Laymã, *lib.5.tr.9.c.3.n.3.* Suar. *de Sacram.diſp.1.ſect.2.* et alii.

D. Tho. D. Bon. albert. Paludan Sayrus. Layman Suarez.

Cardinalatus autem non eſt ordo ſacer, nec imprimit characterem, nec fuit à Chriſto Domino inſtitutus; quod probatur, quia non habet conſecrationem aliquam, nec materiam, nec formam, ergo neq; erit ordo. Proinde Sancti Patres, Concilia generalia, ſummiq; Pontifices enumerantes omnes ordines ſacros, de gradu Cardinalatus nullam fecerunt mentionem. Cardinalatus ergo eſt tantùm dignitas Eccleſiaſtica eminẽtiſſima à Põtificibus antiquitus inducta, vt ſibi in regimine Eccleſiæ Aceeſſores, et Conſiliarios haberet, eo modo, quo Moyſes ſeptuaginta ſeniores ſibi adſciuit: Proinde poteſt à Papa extingui, conſequenter non erit de iure diuino, neque erit Sacramentum ordinis. Ita Bellarm. *lib.1.de Clericis,c.16.contr.5.* Sotus. *in 4.d.24.q.2.art.4.* Azorius, *p.2.lib.4.c.1.q.3.* et alios.

Bellarm. Sotus. azorius.

De Papatu verò, certum eſt apud omnes Theologos, illum non conſtituere ordinem diſtinctum ab Epiſcopatu, neque imprimere diſtinctum characterem. Tum quia ordo, vt dictum eſt, eſt ſacramentum conſtans ex materia et forma, ſed Papatus, nec habet materiam, neque formã

pecu-

Digitized by Google

peculiarem; ergo Papatus non eſt Ordo. Tum quia, etſi Papa habeat maiorem poteſtatem iuriſdictionis, quàm habeat Epiſcopus; tamen in poteſtate conficiendi Corpus Chriſti, conſecrandi Epiſcopos, confirmandi, & ordinandi ſunt æquales, ſed in huiuſmodi poteſtate conſiſtit character Ordinis, ergo. Ita D. Thom. *lib. 4. contra Gentes, c. 76.* Sotus, *c. art. 4. concl. 5.* Bonacina, *de ſacram. diſp. 7. q. vn. p. 1. n. 5.* & alii communiter.

D. Tho. Sotus. Bonacin.

4. Magna controuerſia eſt inter Doctores, an ſinguli Ordines ſint verè Sacramenta: extra controuerſiam autem eſt Ordinem ſacerdotalem eſſe verè, ac propriè Sacramentum. Quod conſtat ex Tridentino, *ſeſſ. 23. c. 2. & can. 1. Si quis*, inquit, *dixerit, non eſſe in nouo teſtamento ſacerdotium viſibile externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum, & nudum miniſterium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, non eſſe Sacerdotes anathema ſit.* Quibus verbis omnes Hæreticorum impoſturas breui oratione repellit. Et certè ſi alicui ordinationi conuenit eſſe ſacramentum nouæ legis, maximè ordinationi Presbyteri: quia per eam confertur Presbytero poteſtas conſecrandi, & poteſtas abſoluendi à peccatis; quæ ſunt maximæ, & excellentiſſimæ omnium, & ad quarum exercitium gratia ſacramentalis non eſt parum vtilis. Hanc veritatem docent omnes Theologi, *in 4. diſt. 24.* & Canoniſtæ, *in c. Ad abolendam, de Hæreticis*, quæ ex diuinis literis, Sanctis Patribus, Conciliis, & rationib. probatur à Marchin. *de ordin. tr. 1. p. 1. c. 10.* Valentia, *diſp. 9. q. 1. punct. 4.* & aliis.

March. Valentia

Epiſcopatus ſecundùm communiorem ſententiam, eſt etiam ſacramentum: quia in ordinatione Epiſcopi abſolutè, & ſimpliciter confertur Spiritus Sanctus, ergo in ea confertur gratia ſanctificans & poteſtas dandi duo ſacramenta, confirmationem & ordinem; ergo eſt ſacramentum: licet ſit tantùm vnus ordo cum ſacerdotio, non quidem ſpecie, ſed genere; vt docet Bellarm. *l. 1. de ſacr. Ord. c. 5.* Filliuc. *tr. 9. c. 1. n. 24.* & alii.

Bellarm. Filliuc. Durand. Caietan.

Præcipua difficultas eſt, an reliqui ordines ſint ſacramenta. Durandus, *in 4. diſt. 24. q. 2.* Caietan. *tom. 1. opuſc. tr. 11.* Medina, *de ſacror. hom. continent. c. 26.* Sotus, *in 4. d. 24. q. 1. art. 1.* & alii contendunt præter ſacerdotium nullum alium ordinem, verum ſacramẽtum eſſe. Tum quia actus aliorum ordinum exerceri poſſunt à non ordinatis, ergo alii ordines non ſunt ſacramenta. Tum quia omnes ordines ad Euchariſtiam conficiendam vel miniſtrandam ordinantur: hanc autem ſolum Presbyterium attingit, reliqui ordines ſolùm diſponunt, quidem remotiùs, alii propinquiùs, ergo ſolum Presbyterium erit verum ſacramentum, cæteri verò ordines erunt ſacramentalia.

Nauarr. Vaſquez. Sotus. Layman.

Nauarrus, *in Man. c. 22. n. 18.* Vaſquez. *to. 3. in 3. p. diſp. 237. c. 2.* Sotus, *in 4. d. 24. q. 1. art. 4.* Layman, *lib. 5. tr. 9. c. 4.* & alii aſſerunt tres ordines maiores eſſe ſacramenta, minores verò eſſe ſacramentalia, quia ſi eſſent ſacramenta, ſequeretur eos peccare, qui accedunt ad eos ſuſcipiendos cum conſcientia peccati mortalis, aut qui illos exercent in tali ſtatu, quod videtur nimis durum. D. Thom. *in 4. d. 24. art. 2. & in ſuppl. 3. p. q. 37. art. 2.* D. Bonau. *ibid.* Conink, *diſp. 20. n. 47.* Filliuc. *c. n. 26. 27. & 28.* Marchin. *de ordin. tr. 1. p. 1. c. 8. & 9.* Hurtado, *tr. de ord. offic. 8. & 9.* Syluius, *in ſuppl. 3. p. q. 37. art. 2. q. 1. 2. 3. & 4.* Bonacin. *c. punct. 2. n. 2.* & multi alii, quorum ſententia eſt communior, docent omnes ordines eſſe ſacramenta, omnes enim vnum ſacramentum efficiunt, cùm ad vnum proximum finem referantur, nempe ad Euchariſtiæ ſacramentum dignè miniſtrandum; vnde ſingulis ſua munera, officiaq; tributa ſunt, & ideò ſingulis ratio ſacramenti conuenit, cùm in ipſis etiam reperiatur forma, & materia. Et hæc ſatis inſinuat *Eugenius IV.* in ſuo decreto, dum poſtquam definiuit Ordinem eſſe ſacramentum, & materiam illius eſſe illud per cuius traditionem confertur Ordo, & aſſignauit materiã Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, addit, *& ſimiliter de aliis per rerum ad ſua miniſteria pertinentium aſſignationem*; quo abſque dubio ſupponit etiam minores ordinationes eſſe ſacramentum, & rationem Sacramenti genericam participare.

D. Tho. D. Bon. ConinK. March. Hurtad. Syluius. Bonacin.

Cõc. Tr.

Nec minus ſuffragatur Concil. Trident, *ſeſſ. 23.* in qua, cùm omnes ordines, *c. 2.* enumeraſſet, poſteà *c. 3. & can. 3.* ſacram ordinationem determinat eſſe ſacramentum: ſed propoſitio indefinita in materia doctrinali, æquipollet propoſitioni vniuerſali, ergo ex his Conciliis colligitur, ſingulos ordines, etiam minores, eſſe vera ſacramenta, & non ſolùm ſacramentalia.

Porrò etiamſi ſint tot ordines, omnes tamen rectè dicuntur vnum ſacramentum Ordinis. Et hæc vnitas eſt integralis, quatenus, ſicut ex pluribus membris habentibus diuerſa officia, accidentia, & operationes, vnum corpus integratur, ita ex pluribus ordinibus, vnus ordo integratur, ex qua integritate completè & perfectè ſacramentũ Ordinis conſtituitur. Vel dicere poſſumus, Ordines eſſe vnum ſacramentum, vnitate finis, ad quem omnes vltimatè ordinantur, qui eſt dignè offerre ſacrificium Euchariſtiæ, aut miniſtrare in eo. Ita Filliucius, *tr. 9. c. 1. n. 15.* Marchinus, *c. tr. 1. p. 1. c. 15. n. 14.*

Filliucius March.

Vide t. 1. v. Apoſtaſia, *n. 8.* in hoc t. v Matrimoniũ, *7. n. 54*

ORDO II.

De Materia, et Forma Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſit materia remota & proxima huius Sacramenti. Et an inſtrumenta, quæ ordinando traduntur, debeant immediatè ab Epiſcopo porrigi.*
2 *An contactus materiæ ſit de eſſentia ſacramenti. Et an debeat eſſe ſimultaneus cum prolatione verborum.*
3 *Quæ ſint materia remota & proxima ſacerdotalis Ordinis.*
4 *De materia Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus.*
5 *Quæ ſit forma ſacramenti Ordinis.*
6 *Quæ ſint officia Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris.*

1. CVm in omni ſacramento reperiatur materia remota, & proxima: ideò materia remota ſacramẽti Ordinis eſt inſtrumentum aliquod, quod ordinibus initiandis traditur, in ſignum poteſtatis ſpiritualis, quam recipiunt, vt inſtrumento ſuum ordinem exequantur.

Proxima verò materia eſt eiuſmodi inſtrumenti traditio ab ordinante, & eiuſdem acceptatio ab ordinando. Non eſt opus eam materiam eſſe conſecratam, propter quod Chriſtus ſuo contactu vſuque Calicis, ad quem tamquam ad finem cæteræ reuocantur, conſecrauit. Ita Bonacina *de Sacram. d. 1. q. 2. p. 1.* Filliuc. *tract. 9. n. 29. & 30.* Marchin. *c. tract. 1. p. 1. cap. 16. num. 25.* Syluius *in ſupplem. q. 37. art. 2. q. 2.* Vaſq. *diſp. 236. c. 3.* Regin. *lib. 30. n. 7.*

Bona. Filliuc. March. Sylu. Vaſq. Reg.

Sed dubitari poſſet, an inſtrumenta, quæ ordinando tangenda traduntur, debeãt immediatè ab Epiſcopo porrigi, an verò per alium tangenda tradi poſſunt? Reſpondet *Marchinus*, quòd ſi Epiſcopus porrigeret, & purus ſacerdos verba proferret, ordinatio nulla eſſet; quia ſimplex ſacerdos non eſt ordinis miniſter. Si verò Epiſcopus proferat verba, & purus ſacerdos materiam tangendam ordinando porrigat, & hic ordinatur ad Ordines maiores, ordinatio valida non erit, iuxta *C. Subdiaconos d. 23.* Si ad minores, ordinatio tenet, iuxta *C. Acolytus diſt. 23.* & docet D. Thom. *in 4. d. 25. q. 1. art. 1. ad 2. & in ſuppl. 3. p. q. 38. art. 1. ad 2.*

D. Tho.

2. Secũdùm communem & tenendam doctorum ſententiam, contactus materiæ, eſt de eſſentia ſacramenti, ita vt non cenſeatur ordinatus, qui materiam realiter, & phyſice non contigit. Tum quia in omnibus aliis ſacramentis, ſi non ſit phyſicus contactus, ſacramentum nullũ eſt, vt patet in Baptiſmo, Confirmatione, Extrema Vnctione; ergo ſimili modo idem ſatendum erit in hoc Ordinis ſacramento. Tum quia oportet ad valorem ſacramenti veritatem formæ eius adimpleri: dicitur enim, *Accipe hoc, aut illud*; quibus verbis imperatur cõtactus corporalis: ſi ergo contactus non fiat, veritas formæ non imple-

implebitur,& ita nullum erit ſacramentum: Tum quia ſicut porrectio actiua inſtrumentorum, quæ ſunt materia ordinis, ab Epiſcopo facta præ requiritur ad valorem huius ſacramenti; ergo & acceptio paſſiua corporalis, quæ fit mediante contactu, ad idem ſacramentum validandum exigetur. Tum quia *Gregor.IX.* in *Cap.Presbyter.de Sacram.non iterand.* Apoſtolica traditione tactum corporalem in ordinationibus neceſſarium eſſe adſtruit. Ita D.Thom.*in 4.diſt.24.q.1.art.1.quaſt.5.ad* 3. Palud *q.1.art.*1.Viguer.c.16.§6.Valent.*diſp.9.q 1.punct.*5.Coninck *diſp.20.dub.7 n.*70.March.*de ord.tr.1.p.1.c.16.n.*5.Bonacina *c.punct.1.n.*10.Fernandez *p.3.cap.*11.§.6.& alij.

D. Tho. Palud. Vig. Valent. Conin. Mar. Bon.

Non eſt tamen ita hoc intelligendum eſt,vt in ſacerdotio neceſſe ſit hoſtiam,& vinum immediatè attingere, ſed ſufficit attingere calicem & patenam, nam qui calicem attingit, moraliter cenſetur attingere vinum in eo contentum,& qui attingit patenam,cenſetur etiam attingere Hoſtiam in eo contentam; quamuis tutiùs ſit attingere patenam, & hoſtiam immediatè iuxta ritum Eccleſiæ, ne ordinandus periculo ſe exponat non recipiendi ordinem. Ita Sotus *in 4.diſt.24.q.1.art.*2.Diana,*p.2.tr.16.reſ.3.& p.3.tr.4.reſ.*185.Nug.*in ſuppl.3.p.q* 34.*ar.*5.& alii.

Sotus. Diana. Nugn.

Ad tollendos tamen ſcrupulos, qui in hac materia poſſent contingere, nonnulli Doctores putant eſſe probabile,non eſſe neceſſarium,vt ordinandus, neceſſitate ſacramenti,tangat phyſice materiam,ſed ſufficere,ſi extenſione manuum, vel alio ſigno ſenſibili æquipollente ſignificet, ſe talem materiam illi ab Epiſcopo oblatam acceptare.Ratio huius ſententiæ eſt,quia traditio inſtrumentorũ tantùm deſeruit ad determinandam poteſtatem, quæ datur. Sed ad hoc non requiritur contactus, ſed oſtenſio præſens cum ſigno acceptatiuo:quia non eſt eadem ratio quæ in Baptiſmo,Confirmatione,& Vnctione:non enim dicitur quis lauari, vel vngi,niſi aqua vel oleum attingat eius corpus. Ita Albertus,*in 4 d.*24. Henriquez, *lib.10.c.10.lit.B.*Vaſquez,*diſp.246.c.2.n.19.&* 20.Layman,*lib.5.tr.9.c.5.n.*4.Hurtadus,*tr.de ord.diffic.*15. Diana, c. Reginaldus,*lib.30.n.8.& ſeq.*Fillincius,*tr.9.n.*34.& alii:quamuis hi omnes fateantur contactum materiæ eſſe de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici: vnde ſi ordinandus, vel Epiſcopus ſcienter illum omittant, vterque lethaliter peccabit:quia eſſet tranſgreſſio in materia graui contra Pontificalium omnium Rubricam.

albert. Henriq. Vaſquez Layman Hurtad. Diana Reginal Filliuc.

Sed petes,an talis cõtactus ita cũ verborũ prolatione ſimul eſſe debeat,vt ſi ſimul nõ ſit, nullũ ſit ſacramentum? Reſponſio probabilis eſt,neq;ad ſubſtantiam huius ſacramenti,imò neq;ad præceptum implendum,debere talem contactum ſimul eſſe in eodem inſtanti mathematico cũ prolatione verborum;ſed ſufficere,ſi ſimul ſit moraliter, id eſt,ſine mora interpoſita: quia cum ſimultate morali ſubſiſtit ſignificatio ſacramentorum: ſiue ergo prolatio verborum,ante vel poſt contactum fiat,nihil refert. Vide Henriq.*lib.1.c.9.n.*10.Layman,*lib.5.tr.2.c.7.n.*8. Victor. *de baptiſ.n.vlt.* Diana,*p.3.tr.4.reſ.6.& p.5.tr.5.reſ.40.& tr.13.reſ.*48.& infrà,*v.ſacramentum,1.n.9.*

Henriq. Layman Victoria Diana

3. Materia remota ſacerdotalis ordinis, eſt calix cum vino, & patena cum Hoſtia, materia verò proxima, eſt traditio calicis cum vino vitis & patenæ cum Hoſtia ex frumento: qua traditione ſecuta, ſi moriatur Epiſcopus antequam illa verba proferat; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis*, &c. remanet quidem ſacerdos initiatus ordine ſacerdotali ad conſecrandum Corpus, & Sanguinem Chriſti, quamuis his verbis prætermiſſis, imperfecta ſit ſacerdotalis poteſtas, cùm ſacerdos à peccatis nequeat abſolutionem impendere. Proinde duplex materia ſacerdotii aſſignatur: *prima eſt*,traditio calicis cum vino,& patenæ cum Hoſtia, quæ eſt poteſtas offerendi ſacrificium,&c.*Secunda eſt*,impoſitio manuum vnà cum verbis; *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. Vtraq; autem eſt de eſſentia, quia confertur diſtincta poteſtas, vt dictum eſt. Hinc ordinatio Sacerdotis conſtat duabus partialibus materiis ad perfectam ipſius ordinationem eſſentialiter requiſitis,& per vnamquamque confertur noua poteſtas ſupernaturalis.

Probatur autem hæc duplex poteſtas ex Euangelio, ex quo conſtat Chriſtum diuerſis temporibus has duas poteſtates Apoſtolis tradidiſſe: nam poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in vltima cœna tradidit; poteſtatem autem remittẽdi peccata poſt Reſurrectionem, *Ioannis* 20. At ſi poteſtatem remittendi peccata,accepiſſent in ipſa poteſtate offerendi ſacrificium,vt quid Chriſtus tam expreſſis verbis poſt Reſurrectonem de nouo illam eis cõtuliſſet, ſi antea iam contulerat. Ergo etiam Epiſcopus diuerſis temporibus has poteſtates ſacerdotibus tribuit.

Deinde Concilium Tridentinum agens de Sacramento Extremæ-vnctionis, *ſeſſ.*4.c.13. definit, *Miniſtrum huius ſacramenti ſolum eſſe ſacerdotem ab Epiſcopo per impoſitionem manuum Presbyterij ritè ordinatum.* Quibus verbis declarat manuum impoſitionem eſſe partem eſſentialem ſacerdotalis conſecrationis. Ita Scotus, *in 4.d.24.q.vnic.*Paludanus,*d.25.q.*1. Bellarminus,*de ord.lib.1.c.*9.Syluius,*in ſuppl.3.p.q.37.art.2.quaſit.*4.Marchinus, *de ord.tr.2.p.8.c.5.propoſ.*1.2 & 3. Vaſquez, *tom.1.in 3.p.diſp.239.c.*3.Fernandez,*p.3.c.11.§.*5.Filliucius,*tr.9.n.*42. Bonacina,*c.punct.3.n.*3.Viguerius,*in inſtit.c.16.§.*6.Hurtadus,*tr.de ord.diffic.*11.& alii penes ipſos. Contra quoſdam recentiores Theologos aſſerentes ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione materiæ ſuæ; & impoſitionem manuum cum verbis ſecundæ formæ, non eſſe de eſſentia et ſubſtantia ordinis ſacerdotalis, ſed eſſe ſacramentalia adhibenda ratione præcepti. Vide Valentiam,*tom.4.diſp.9.q.1.punct.*5.Nugnum,*in ſupp.3.p.q.37.art.*5.Dian.*p.3.tr.4.reſ.*187.

Scotus. Paludan. Bellarm. Syluius March. Vaſquez Fernand Filliuc. Bonacin. Viguer. Hurtad.

Sed quid faciendum, ſi quis ſolo pane et calice vacuo ex obliuione initiaretur, an talis ordinatio eſſet nulla et repetenda? Reſp.Probabile eſſe conferri ordinem ſacerdotalem,nec eſſe neceſſariò iterandum: Ratio eſt,quia poteſtas conſecrandi vtramq; ſpeciem non traditur diuiſim, vnde qui poteſt vnam ſpeciem conſecrare, poteſt et aliam,cùm Chriſti Corpus coniunctum ſit cum Sanguine,et è conta. Henriquez,*lib.10.c.6.n.*1. Diana, *p.3.tr.4.reſ.*186.Bonacina,*c.punct.3.n.*3.Homob.*tr.4.c.9.q.*75.

Henriq. Diana Bonacin.

Verùm cùm hoc ſit tantùm probabile, et non certum, tutius foret repetendam ordinationem ſub conditione, ſi non es ordinatus; et hoc ad vitandum ſpirituale fidelium detrimentum:quia ſi ille clericus ſic ordinatus, non eſſet coram Deo verè Sacerdos, neque verè Corpus Chriſti conficeret,neque peccata verè abſolueret:ergo præceptũ charitatis erga proximum ſequi partem tutiorem tunc obligabit,vt benè aduertunt Turrianus,*in ſelect.p.1.diſp.21.dub.*2. Tannerus,*tom.4.diſp.7.q.8.dub.4.tract.4.n.*99. Diana,*p.4.tr.4.reſ.*119. Marchinus,*de ord.tr.2.p.8.cap.5.propoſ.2.n.*4.

Turr. Tanner. Diana March.

4. Materia Diaconatus eſt liber Euangeliorum cum impoſitione manus: vnde verior eſt ſententia illorum qui in hac ordinatione Diaconi agnoſcunt duas partiales materias,et duas partiales formas, quæ ambæ ſimul iunctę conſtituunt vnum integrum ſacramentum diaconalis ordinationis. Nam de impoſitione manus, non videtur dubitari poſſe, cùm ex ſcripturis non alia materia colligatur. De traditione autem libri Euangeliorum eſt Concilium Florentinum, aſſignans illum pro materia. Ergo vtraque erit de eſſentia Diaconatus. Nec refert,quòd initio Eccleſiæ Diaconi fuerint ordinati per ſolam manus impoſitionem, cùm Euangelia nondum erant ſcripta; hoc diuina diſpoſitione factum, probant DD. vt ad exhibitionem principalis partis materiæ,tota Diaconalis ordinis poteſtas conferretur. Bellarminus, *de ord.lib.1.c.*9. Victoria,*de ſacr.n.*227.Syluius,*in ſupp.3.p.q* 37.*art.2.quaſit.*3.Layman,*lib.5.tr.9.c.5.n.*2.Marchinus,*c.p.7.c.*2. Hẽriquez,*lib.10.c.8.n.*3.Diana,*p.3.tr.4.reſ.*188.

Bellarm. Victori. ſyluius Layman Henriq. Diana

Materia Ordinis Subdiaconatus eſt traditio calicis vacui et patenæ vacuæ: vt definitum eſt in tribus Conciliis, Carthaginenſi,IV.*c.*5. Toletano,IV.*can.*27.et in Concilio Florentino, *ſub Eugenio IV. in decreto fidei, poſt vltimam ſeſſionem.*

Sed dubium eſt inter Catholicos, an traditio libri Epiſtolarum ſit partialis materia huius Ordinis?

Quidam enim affirmant? quia per vtramque traditionem, et per verba vtrique correſpondentia denotatur et traditur poteſtas ad duas actiones,quæ ſunt propriè Subdiaconi,nempe ad miniſtrandum Sacerdoti vaſa Corporis,et Sanguinis Chriſti, et ad legendum Epiſtolas publicè cum manipulo. Ergo negari nequit, vtramque traditionem,

Digitized by Google

tionem, & verba vtriq; correſpondentia, ad ordinationẽ Subdiaconi pertinere tanquam materiam, & formam. Ita Filliuc. c. n. 45. Fornar. *de ordinib. c.* 2. Tanner. *diſp.* 7. *qu.* 2. *dub.* 3. Medina, *lib* 1. *de commen. c.* 43. Et hanc ſententiam amplectuntur ordinariè examinatores.

Filliucius. Fornar. Tanner. Medina.

Nihilominus negatiua ſententia à pluribus ſatis probabiliter ſuſtinetur; quia in prædictis Cóciliis de libro Epiſtolarum, ſeu de poteſtate legendi ſolemniter Epiſtolas, nulla fit mentio: Quod confirmatur ex eo, quòd ab exordio naſcentis Eccleſiæ liber Epiſtolarum noui teſtamenti non extaret; cùm Epiſtolæ Pauli, & aliorum Apoſtolorum ſucceſſiuè poſt Eccleſiæ primordia conſcriptæ fuerint. Ita Syluius, *c. q.* 37. *ar.* 2 *quæſit.* 3. Layman, *c. cap.* 5. *n.* 3. Conink, *diſp.* 20. *n.* 69. Vaſq. *diſp.* 238. *c.* 5. Valentia, *diſp.* 9. *q.* 1. *punct.* 5. Diana, *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 189. & alii.

Layman. ConinK. Vaſquez. Valentia. Diana.

Materia *Acolytatus* remota duplex eſt, nempe candelabrum cum cereo extincto & vrceolus vacuus; proxima eſt porrectio horum inſtrumentorum, quæ in hoc ordine duplicantur, ad ſignificandum duplicem poteſtatem: Per traditionem enim primi inſtrumenti recipit poteſtatem ceroferarii: Secundi verò poteſtatem miniſtrandi propinquiùs ad altare. Vtriuſq; autem materiæ meminit Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 6. Ita Viguetius, *in inſtit. c.* 16. § 6. Vaſquez, *diſp.* 237. *n.* 35. Marchinus, *tr.* 2. *p.* 5. *c.* 2. Hurt. *tr. de ord. diffic.* 14. Tannerus, *diſp.* 7. *q.* 2. *dub.* 3.

Viguer. Vaſq. March. Hurtad. Tanner.

Materia remota ordinis *Exorciſtatus*, liber eſt exorciſmorum, proxima, traditio eiuſdem libri: meminit huius materiæ Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 7. Romanũ Pontificale, nec non Romanus Catechiſmus.

Lectoratus materia remota eſt liber continens prophetias veteris, & noui Teſtamenti: proxima eſt traditio eiuſdem libri.

Materia *Oſtiariatus* ſunt claues Eccleſiæ. Cymbalum autem quod etiam ordinando in receptione huius ordinis porrigitur, vel non eſt materia oſtiariatus, ſed ſola quædã cæremonia, ſignificans munus eſſe Oſtiarii, etiam campanas pulſare: vel illud erit materia minùs principalis. Et quamuis de huiuſmodi materiis nihil habeatur in ſcriptura, ſufficit tamen traditio Apoſtolorum, quæ colligitur ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, & vſu: nec non ex communi Thologorum ſententia.

5. Forma Sacramenti ordinis ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur: adhibetur autem forma huius ſacramenti modo imperatiuo, vt oſtendatur ordinatum debere fungi munere ſuſcepto, ne videatur illud inutiliter ſuſcepiſſe, et quidem de eſſentia formæ ſunt omnia illa verba quibus poteſtas exprimitur; prout habetur in Pontificali, et docent D. Thom. *in ſuppl. q.* 34. *art.* 4. Vaſquez, *diſp.* 240. *c.* 5. *n.* 58. Henriquez, *lib.* 10. *c.* 5. *lit. B.*

D. Tho. Vaſquez. Henriq.

Notandum verò eſt, Epiſcopum, qui profert formam, debere etiam exhibere materiam tangendam: licet valida eſſet ordinatio, quando plures initiantur ordine ſacerdotali, ſi Epiſcopus prolata ſemel vnica forma in plurali præbeat materiam pluribus ſucceſſiuè tangendam, non repetita forma; licet notabile temporis ſpatium, puta etiam quartę horæ dimidium, inter iſtorum contactum, et verborum prolationem elabatur; tamen moraliter eſſe ſimul cenſentur, dummodò continuatione quadam talis contactus peragatur, Suar. *tom.* 5. *diſp.* 42. *ſect.* 3. *n.* 12. Bonacina, *de ordin. punct.* 3. *n.* 16. Marchinus, *de ordin. tr.* 1. *p.* 1. *c.* 16. Et ita hanc ordinationem eſſe validam, declaratum fuit Romæ in quadam congregatione, teſte Fornario, *de ſacr. Ord.* apud Toletum, *c.* 2. *n.* 5.

Suarez. Bonacin. March. Fornar. Toletus.

6. Sacerdotis officium eſt, conficere ſacramentum Euchariſtiæ, adminiſtrare Sacramenta, excepta confirmatione, et ordine, prædicare verbum Dei, et populum benedicere. Hìc tamen cauendum eſt ab errore ſectariorum dicentium, munus prædicandi ita Sacerdoti eſſe proprium, vt qui concionibus habendis aptus non ſit, minimè verus ſit Sacerdos: quorum delirium, ex indelebili Sacerdotis charactere, ex Sacerdotis tymologia, ex munere concionandi etiam ſolis Diaconis conceſſo, ex Eccleſiæ vſu et antiqua traditione ſatis reprobatur. Syluius, *in ſuppl.* 3. *p. q.* 37. *art.* 2. *quæſit.* 2. 3. & 5. Vaſquez, *diſp.* 236. *c.* 10. Reginaldus, *lib.* 30. *c.* 3. *n.* 11. & *ſeq.* Henriquez, *lib.* 10. *c.* 8. & 9. Bonacina, *de ſacr. punct.* 3. *n.* 17. Valentia, *to.* 4. *diſp.* 9. *q.* 1. *punct.* 3. Marchinus, *de ordin. tr.* 2. *p.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Filiucius, *tr.* 9. *c.* 2. Hurtadus, *tr. de ord. diffic.* 11. & *ſeq.*

Syluius. Vaſquez. Reg. Henriq. Bona. Valentia. March. Filliuc. Hurtad.

Ad Diaconum pertinet publicè, et cum ſtola Euangeliũ legere in Eccleſia: aſſiſtere ſacerdoti ſacrificanti, eiq; panem, et vinum à ſubdiacono accepta porrigere, vel altari imponere, Sacerdoti ſubſeruire in ſacramentis adminiſtrandis. Olim præcipuum Diaconi miniſterium erat Euchariſtiam fidelibus diſpenſare, quo munere fungebantur illi ſeptem Diaconi ab Apoſtolis electi *Actor.* 2. Sed hæc poteſtas ob aliqua incommoda inde ſecuta à Niceno Concilio Diaconis abrogata fuit. In neceſſitate tamen non eſt illis ſublata facultas deferendi infirmis Euchariſtiam, abſente Presbytero, illamque morte vrgente pro viatico ſuppeditare. Quinimò ſi adſit Sacerdos qui infirmo animam agenti ſacram ſynaxim miniſtrare nollet, ſed illum defereret; tunc abſque alia illius licentia et ipſo etiam inuito, liceret Diacono viaticum illi diſpenſare, vt diximus ſuprà tom. 1. v. *Euchariſtia*, 2. *n.* 4. poſt Doctores ibi citatos. A fortiori poteſt Diaconus deferre Pyxidem, in qua Corpus Dominicum repoſitum ſit, ab vno altari ad aliud, vel ab vno loco ad alium: quia Diaconus iure diuino habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti contentum in vaſis ſacris, vt docet D. Thomas, 3. *p. q.* 82. *art.* 3. *ad* 1. Propterea olim Diaconi miniſterium erat Sanguinem Chriſti populo ſub vtraque ſpecie communicanti propinare Item in neceſſitate poteſt Diaconus etiam ſolemniter baptizare in abſentia Epiſcopi, et Presbyteri: quamuis nunc ob ſacerdotum numerum vſus iſte in Eccleſia Dei fuit ſublatus. *Porro* officium Diaconi eſt, in doctrinæ, et prædicationis officio aſſiſtere Epiſcopo vel Presbytero: quamuis ad ipſum non pertineat prædicare ex cathedra, ſed ſolùm recitare Euangelium, et ipſum, aut fidei articulos, catechiſmi forma exponere, niſi ob neceſſitatem aliud ei permittatur.

Subdiacono competit aquam ad miniſterium altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas altaris, et corporalia abluere, Calicem et patenam in vſum ſacrificii eidem offerre, Panem conſecrandum pro populo in altari ponere, Crucem in ſupplicationibus geſtare, Epiſtolam in ſolemni Miſſa cum propriis ornamentis illius ordinis canere.

Acolyti officium eſt porrigere ſubdiacono vrceolos cum vino, et aqua præparare lumina ad ſacrificium, et trasferre cereum accenſum ad altare.

Ad Exorciſtam pertinet imponere manus ſuper energumenos, illiſque exorciſmos legere ad fugandos dæmones; et id non ſolùm corporaliter, ſed et ſpiritualiter Catechumenos obſidẽtes, ante ipſam Baptiſmi ſuſceptionẽ.

Lectoris eſt legere prophetias et ſcripturas in Eccleſia.

Porrò ad Oſtiarium pertinet claudere, aperire, et cuſtodire Eccleſiam, admittendo dignos ad ſacrà, et excludendo indignos. De his videndus *Syluius, Vaſquez, Reginaldus, Henriquez, Bonacina, &c.*

ORDO III.

De Miniſtro, & Subiecto Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarius Miniſter huius ſacramenti, ſolus eſt Epiſcopus, quamuis excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus.*

An Angelus, & diabolus poſſint eſſe miniſtri huius ſacramenti.

An Cardinales Preſbyteri, Abbates, poſſint conferre primam tonſuram, & Minores ordines. Et quid poſſint quidam Abbates circa Subdiaconatum, Diaconatum ex priuilegio.

An conſecratio Epiſcopi debeat à tribus Epiſcopis fieri, vel ab vno tantum.

2 *An Epiſcopus poſſit ſubditis alterius, ſine licentia proprij Epiſcopi, ordines vel primam tonſuram conferre. Et quis ſit dicendus proprius Epiſcopus originis domicilij, vel beneficij.*

3 *Epi-*

3 *Epiſcopus electus & confirmatus, licet non conſecratus poteſt literas dimiſſorias dare ſubditis, vt ab alieno Epiſcopo ordinentur.*

Capitulum ſede vacante non poteſt dare dimiſſorias niſi in certis caſibus.

4 *Ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine literis dimiſſorijs, remanent ſuſpenſus ab executione ordinis ſuſcepti.*

An conferens primam tonſuram non ſubdito, ſine literis dimiſſorijs, ſuſpenſionem incurrat? Refertur duplex ſententia.

An liceat Epiſcopo ordinare non ſuum, ſub ſpe ratihabitionis.

Vltramontani non poſſunt in Italia ordinari, niſi illorũ literæ dimiſſoriæ à Nuncis Apoſt. examinentur. Ex conſtit. Vrbani III. *in hac tamen Conſt. non comprehenduntur Regulares.*

Prælati regulares an poſſint ſuis ſubditis dare dimiſſorias, vt à quolibet Epiſcopo ordinentur.

Si regularis ordinetur ſine literis dimiſſorijs ſui Prælati, an in aliquas pœnas incidat,

Quid iuris, ſi regularis laicus aſcendat ad clericatum extra obedientiam Prælatorum Ordinis.

An literæ dimiſſoriæ expirent per mortem concedentis.

5 *Qui iure diuino ſint inhabiles ad ordines.*

6 *Qui iure naturæ non ſint apti ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis.*

7 *Requiſita iure Eccleſiaſtico, vt ritè & canonicè quis ad ordines promoueatur.*

8 *An pœnam ſuſpenſionis incurrat ille, qui promouetur ad ſacros Ordines ſine titulo vel patrimonio, nullo præmiſſo pacto cum vlla perſona:*

Refertur duplex ſententia.

1 ORdinarius huius ſacramenti miniſter, ſolus Epiſcopus eſt, & quidem proprius, vt patet ex Conc. Trid. *ſeſſ.23.c.4.& can.7* & docent D.Thom. *in ſuppl.3.p. q.38.art.1.* Syluius, *ibid.* Marchinus, *de ord.tr.1.p.2.c.1.& 2.* & alii communiter. Contra hæreticos noſtri temporis, qui volunt poteſtatem conferendi ordines eſſe in tota multitudine fidelium & Clero. Et ratio eſt, quia ſolus Epiſcopus eſt Chriſtianæ Reipub. præfectus & ſacrorum Princeps. Ad ſolum verò Principem & præfectum pertinet officia & miniſteria diſtribuere: ergo.

Conc.Tr. D. Tho. Syluius.

Et cum hæc poteſtas fundetur in charactere Epiſcopali, qui indelebilis eſt, ideò illam non amittunt Epiſcopi licet ſint excommunicati, vel interdicti, vel ſuſpenſi, aut priuati Epiſcopatu, & validè hoc ſacramentum conferũt, ſi ritè adhibeant materiam, & formam eius & cætera requiſita: quamuis ſuam poteſtatem illicitè exerceãt in excommunicatione, ſuſpenſione, &c. & ordinatus ab excõmunicato vitando incurrat ſuſpenſionem; vt habetur in *c.1.& 2.de Schiſmaticis;* & docent Sotus, *4.d.25.q.1.art.1.* Henriquez, *lib.10.c.21.* Vaſquez, *diſp.243.c.1.* ex communi.

Sotus. Henriq. Vaſquez.

Quamuis Angelus ordinarius Sacramentorum miniſter eſſe non poſſit; quia ad ſacramenti eſſentiam, ſicut exigitur verum & naturale elementum, ita etiam verum & naturale verbum ſenſibile: atqui Angelus, etiam aſſumpto corpore, non dicitur propriè loqui, cùm eius locutio non ſit vitalis: Nihilominus diuina diſpenſatione, & extraordinaria Dei lege poſſet Angelus ordines conferre ſicut contigit S. *Amphilochio*, qui fuit ab Angelis ordinatus Iconii Epiſcopus, quæ ordinatio ab Epiſcopis illius prouinciæ fuit approbata. Ita D. Thom. *3.p.q.64.ar.7.* Syluius, *ibid.* Marchinus, *de ord.tr.1.p.2.c.7.* quia Deus potẽtiam ſuam non alligauit miniſtris.

D. Tho. Syluius March.

Si quis tamen ordinaretur à Diabolo, nulla foret talis Ordinatio; quia illi nec per ſe ordinandi poteſtas competit, neque eam ex diuina diſpenſatione habere præſumendum eſt.

Ex facultate Summi Pontificis ordines minores conferri poſſunt à Cardinalibus Presbyteris; imò & à quolibet ſimplici ſacerdote: nulla enim aſſerri poteſt ſufficiens ratio, cur hoc à Sede Apoſtolica concedi nequeat. Ita Victoria, *n.234.* Valentia, *diſp.9.q.3.p.1.* Conink, *diſp.20.dub.11.77.* & alii communiter.

Victoria Valent. Conin.

Item Abbates Presbyteri, ius mitræ, & baculi habẽtes, benedicti ab Epiſcopis, poſſunt conferre primam tonſuram, & ordines minores ſuis ſubditis regularibus; vt habetur in *c.quoniam, diſt.69.c.cum contingat, de ætate, & qualit.c. Abbates, de priuileg.in 6.* in Concilio Tridentino, *ſeſſ.23.c.10.de refor.* & diximus *v. Abbas, n.6.* vbi adnotauimus ex declaratione Cardinalium apud Quarantam, *v.Ordo, §. Abbatibus,* Sorbus, *v.Ordines ſacri, n.5.* Suarez, *tom.4.de relig.tr.8.lib.2.c.29.n.20.* Vaſquez, *diſp.243.n.33.* Tamburinum, *de iure Abbat.tom.2 diſp.2.q.7.* Caram *in re.S.Bened.1633.* Marchinum, *de ord.tr.1.p.2.c.10.* Dianam, *p.5.tr.13.reſ.93.* Præpoſitum, *3.p.q.vnic.de ord.dub.13.n.127.* & alios ab ipſis citatos, etiam poſſe Abbates tonſuram & ordines minores ſæcularibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubiectis conferre, dummodò ipſius Epiſcopi conſenſus acceſſerit, & ab eo quiſq; dimiſſoriales literas impetrauerit; ita tamen vt non ſufficiat ad generatim Epiſcopum cõceſſiſſe; ſed hæc conceſſio ſemper ſingulis ordinandis ſit neceſſaria.

Quarant. Suarez Vaſquez Tambur. Caram. Marchi. Diana præpoſit.

Similiter declarauit Sacra Congregatio poſſe ſupradictos Abbates conferre prædictos Ordines aliis regularibus, qui dimiſſorias literas ſpeciales ſuorum Superiorum habuerint, necnon ſpecialem aſſenſum Epiſcopi loci illius in quo huiuſmodi Ordines ſunt conferendi: Ideò in pacifica poſſeſſione adhuc perſeuerant plerique Abbates conferendi Ordines minores tam Clericis ſæcularibus, quã regularibus, modo prædicto, vt aſſerit Tamburinus citat.

Porrò Abbates, qui prædictos ordines conferre poſsũt id etiam validè efficiunt, etiamſi excommunicati, hæretici, ſuſpenſi & interdicti ſint: tales enim validè Sacramenta adminiſtrant, iuxta dicenda, *v. Sacramentum, 3.n.6.* Licet ſic facientes irregularitatem incurrant, propterea quòd actum Ordinis, qualis eſt ordinare, tempore cenſuræ exercuerint, iuxta dicta ſupra *v. Irregularitas, 9.* Similiter ſi prædicti fuerint notorii, ſeu vitandi, qui recipiunt tales Ordines ab ipſis ſuſpenduntur ab illorum executione, *c.1.& 2.de ſchiſmatic.*

Locus autẽ, in quo tales ordines cõferre poſsũt Abbates, eſt proprium Monaſterium tantùm. Ita enim habetur ex *c.quoniam, diſt.69. & c.cum contingat, de ætate & qualit.* Si tamen Abbas rogetur à Prælato alterius Monaſterii exempti, poteſt etiam ibi tales Ordines ſuis ſubditis regularibus conferre. Lezana, *tom.4.ſumm.v.Ordines ſacri, n.8.* qui citat Sanchez.

Lezana.

Sed dubium eſt, an Abbates poſſint ordinare ſuos Nouitios, ante profeſſionem? Reſponſio communis eſt negatiua. Sayrus, *de cenſur.lib.4.c.13.n.5.* Rodriquez, *tom.3.qq.reg.q.23.art.2.* Miranda, *tom.1.q.38.art.3.concl.2.* Vecchis, *tr.de nouit.diſp.11.dub.8.n.4.* Marchinus, *de ord.tr.1.p.2.c.10.n.10.* Tamburinus, *tom.2.diſp.2.q.10.n.3.* Ratio eſt manifeſta ex textu Tridentini, requirente in ordinando ab Abbate, quòd ſit Regularis, & ſubditus Abbati ordinanti. Cùm ergo Nouitius non poſſit ſtrictè appellari regularis, neque abſolutè & plenè ſubditus ſit Prælato Regulari quoad Ordines recipiendos, ſed ſolùm quoad munus probationis, vnde non poſſunt Prælati regulares Nouitiis ſuis dimiſſorias concedere, quia non adhuc perfectè ſubiacent iuriſdictioni Prælatorum Regularium; ſed hoc munus ſpectat ad Epiſcopum loci Nouitiatus. Nec obſtat priuilegium *Iulij II.* relatum à Suarez, *tom.4. de Relig.tr.8.lib.2.c.29.n.12.* cuius vigore poterant olim Abbates perpetui Ciſtercienſes clericali charactere inſignire etiam Nouitios: quia cùm Nouitii non ſint in hoc ſubditi Superiori religionis, tale priuilegium à Tridentino eſt ſublatum; vt clarè conſtat ex verbis illis: *Non obſtantibus quibuſvis priuilegijs,* &c.

Sayrus Rodrig. Miranda Vecchis. Mar. Tambur. Suarez

Quæres tamen, ſi Nouitius ordinandus ſit, à quonam Epiſcopo ordinari debeat: vtrum ab illo, in cuius Diœceſi exiſtit Monaſterium probationis, an verò ab Epiſcopo in cuius Diœceſi commorabatur Nouitius, antequam Nouitiatum ingrederetur? Quidam tenent hoc ſpectare ad Epiſcopum in cuius Diœceſi reperitur Nouitius in probatione. Alii putant pertinere ad Epiſcopum, in cuius Diœceſi Nouitius domicilium habebat, quando ingreſſum eſt Religionem, & vtramque ſententiam exiſtimat probabilem noſter Vecchis, *diſp.11.dub.8.n.1.* Tamen probabilior eſt prima ſententia. Ratio eſt, quia Nouitius ex parte ſua animum perpetuò habitãdi habet, quo

Vecchis

quidem

quidem animo affecti, omnes ingrediuntur quamuis in Nouitiatu ſint ad experiendam Religionis auſteritatem, & ſi ferre non potuerint, liberum ſit egredi. Tum quia dedicatio Nouitii pura eſt, & non conditionalis, quamuis mutabilis, & reſoluenda in euentum conditionis, ſi Religio non placuerit; ergo per hanc Nouitii dedicationem acquirinur domicilium. Ita Barboſa, *de iur. Eccl. lib.* 1.*c.* 33 *num.* 65. Sanchez, *lib.* 6. *moral. c.* 10. *num.* 21. & aliis ab ipſis citatis: quibus adde Lezanam, *to.* 1. *c.* 24. *numer.* 6. Vide infra de eadem queſt. *verb. Religio III. num.* 14. Barboſ. Lezan.

Sacri verò Ordines, iuxta communem Theologorum ſententiam, non videntur poſſe à ſimplici Sacerdote etiam de conſenſu Papę, vel ab alio, quàm ab Epiſcopo conferri. Tum quia iure diuino videtur determinatus ſacri Ordinis miniſter: tum quia Concilium Tridentinum ſtatuit, ne Abbates conferant minores Ordines aliis quàm ſuis Monachis, ſignificando non debere conferre ſacros Ordines, etiam ſine ipſis. Ita D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 25. *qu.* 1. *artic.* 1. *ad* 3. Bellarminus, *de ordin. cap.* 7. Couarruuias, *lib.* 1. *variar. cap.* 10. *num.* 10. Rodriq. *in Summ. part.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. & alii. Couarr. Rodriq.

Verùm ſi fides adhibenda ſit priuilegio ab *Innocentio Octauo* conceſſo *Ioanni* Abbati Ciſterti conſecrandi, & ordinandi ſuos Monachos Subdiaconos, & Diaconos: aliter eſſet dicendum; vide Tamburinum, *tom.* 2. *diſp.* 3. *quaeſt.* 5. & 6. Marchinum, *c. p.* 2. *c.* 13. & Lezanam, *tom.* 2. *ſumm. c.* 2. *num.* 37. qui poſt Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg. quaeſt.* 18. *art.* 4. docet hoc priuilegium eſſe reuocatum à Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12 *de reformat.* quatenus ſtatuit, vt neque Regulares ſine diligenti examine Epiſcoporum ordinentur, derogando priuilegia omnia contraria. In quo loco, duo videntur ſtatui, primum eſt, quòd Regulares debent ſacris Ordinibus ab Epiſcopo initiari. Alterum eſt, quòd id debent facere præmiſſa diligenti examinatione, quod videtur contrarium eſſe priuilegio conceſſo alicui Abbati, ad ordinandos ſuos ſubditos ſacris Ordinibus. Nec obſtat quod dicto priuilegio modò dicti Abbates vtantur. Reſpondet Rodriquez, quòd ideò fortè illo vſi ſunt modò, quia in partibus, vbi eorum ſunt Monaſteria, non ſunt recepta decreta Concilii: non enim in tota Gallia fuerunt recepta. Tamb. Lezan. Rodriq.

Apud omnes Catholicos certum eſt, ex decreto & conſtitutione Eccleſiæ in *cap. Cum prouinciales, diſt.* 74. & in *cap. Ordinationes, diſt.* 64. ordinationem Epiſcopi, non poſſe niſi à tribus Epiſcopis fieri: An autem conſecratio ab vno ſolo facta extra Pontificis diſpenſationem, ſit valida, non conueniunt Doctores, aliis negantibus, aliis affirmantibus: Sed tu tene negatiuam, quam docent Gloſſa, Bellarmin. Vaſq. Marchinus, *c. cap.* 12. *num.* 4. Coninck, & Hurtado, *de ord. diffic.* 19. quos conſule. March. Hurtad.

2. Epiſcopus non poteſt ſubditis alterius ſine licentia proprii Epiſcopi, ordines, vel primam tonſuram conferre, *c. eos qui, & c. cum nullus, de tempor. ordinat. in* 6. quia ordinandus à ſolo ſuo Epiſcopo cui ſubiicitur, debet ordines recipere, & non ab alio. Proinde nec Archiepiſcopus ſubditos ſui ſuffraganei, ſine eiuſdem licentia, tam quam extra eiuſdem Diœceſi licitè poteſt ordinare, *cap. Saluo, 9 quaeſt.* 3.

Ille autem appellatur proprius Epiſcopus, qui eſt Epiſcopus *originis*, vel *domicilij*, vel *beneficij*, Epiſcopus originis eſt, Epiſcopus loci, in cuius Diœceſi natus eſt, is qui ordinandus eſt, & in quo parentes habent domicilium, non autem dum parentes ibi eſſent cauſa itineris, vel negotii, hinc mulier pregnans, ſi extra Diœceſim ſuum filium parit, filius alibi natus originem ibi traxit, vbi parentes domicilium habebant, *c. Rodulph. de reſcriptis.* Sanchez, *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 23. *num.* 3. Sanchez.

Difficultas eſt, an etiam dicatur Epiſcopus originis, in cuius Diœceſi natus eſt pater Clerici ordinandi? Reſpondeo originem Patris ſufficere, vt filius etiam alibi ſemper commoratus, poſſit ab Epiſcopo, cui pater erat ſubditus, ad ordines aſſumi. Ita Barboſa, *de poteſt. Epiſc.* 2. *allegat.* 4. *num.* 7. Bonacina, *de Sacr. diſp.* 8. *q. vnic. part.* 4. *num.* 13. Molfeſius, *in Sum. tract.* 2. *c.* 2. *num.* 7. Diana, *p.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 148. Marchin. *de ord. tract.* 1. *part.* 1. *c.* 6. *num.* 6. Et id eò Sacra Congregatio Concilii *die* 16. *Decembris* 1599. & 12. *Auguſti* 1628. & 7. *Aprilis* 1629. declarauit, quod quis ordinari poteſt ab Epiſcopo originis paternæ, tametſi pater tempore natiuitatis illius filij ad aliam Diœceſim iam tranſtulerat domicilium. Barboſ. Bonac. Molfeſ. Diana.

Epiſcopus *domicilij*, dicitur Epiſcopus loci in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ibi ſemper manendi. Quid autem requiratur ad domicilium, vide ſupra *t.* 1. *verb. Domicilium*, & *Confeſſarius* 1. *num.* 12. & *ſeq.* Obſerua tamen Epiſcopum ratione domicilii tantummodò poſſe aliquem prima tonſura, vel minoribus Ordinibus initiare; non verò aliis Ordinibus, vbi Epiſcopus originis eundem ordinaſſet, ad titulum beneficij requirentis reſidentiam, vel ad titulum patrimonij pro neceſſitate, & vtilitate ſuæ Eccleſię, tunc enim, etſi dictus Clericus domicilium ad alium Epiſcopatum transferret, non poſſet ab eo Epiſcopo ratione domicilii contracti promoueri ad Diaconatum, & Presbyteratum; quia tunc remitti debet ad priorem Epiſcopum, vt inſeruiat Eccleſiæ, cui priùs fuit adſcriptus, ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 16. & docent Quaranta, *in Sum. Bullar. verb. Ordo, verſ. Circa tertium.* Marchinus, *tract.* 1. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 14. qui benè etiam adnotat ex Barboſa, *de poteſtat. Epiſc. alleg.* 4. *num.* 32. Barones, ſiue Feudatarios, poſſe ad Ordines ab eo Epiſcopo promoueri, in cuius Diœceſi obtinent feudum, etiamſi ibi non habitent, & alibi domicilium retineant; idem dicendum de eorum filijs. Concil. Trid. Quarãt. March. Barboſa

Epiſcopus *beneficij* eſt Epiſcopus loci, in quo quis habet beneficium præſertim reſidentiale, quamuis tenue, licet fortè non reſideat ex diſpenſatione: dixi *præſertim reſidentiale*, vt volunt Abbas, Angelus, & alij. Verùm communis ſententia Doctorum ex textu, *cap. Cùm nullus, de tempor. Ordinationum in* 6. eſt, non requiri, quod tale beneficium reſidentiam habeat annexam: quia illud *Cap. generaliter* loquitur de quocumque beneficio abſolutè accepto, ratione cuius poteſt quis ordinari.

Proinde ſi quis duo diuerſa beneficia, ſub diuerſis Epiſcopatibus locata haberet; à quolibet Epiſcoporum licebit Ordines recipere: quia vtriuſque eſt ſubditus, non ſecus ac qui ſub diuerſis parochiis æquè habitaret, poſſet à ſingulis Parochis Sacramenta recipere. Vide Garziam *de benefic. p.* 2. *c.* 4. *nu.* 9. & 15. Quarantam, *verb. Ordo, verſ. Circa ſecundum*, Henriq. *lib.* 10. *cap.* 22. §. 1. Barboſam, *de poteſt. Epiſc. alleg.* 4. *num.* 46. Rubeum, *verſ. Ordo, num.* 7. Dianam, *p.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 51. & *p.* 6. *tract.* 8. *reſ.* 24. & alios. Garzias. Quarant. Henriq. Barboſa Diana

3. Epiſcopus non ſolùm poteſt per ſe ipſum Ordines conferre, verùm etiam poſt alteri Epiſcopo dare facultatem conferendi Ordines ſuis ſubditis, concedendo literas dimiſſorias, & commendatitias: dummodo ſit electus, & confirmatus, quamuis nondum conſecratus; quia ea, quæ ſunt iuriſdictionis, poſſunt etiam ab Epiſcopo non conſecrato exerceri. Ita Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 23. *c.* 8. & 10.

Capitulum ſede vacante, non poteſt dimiſſorias concedere intra annum à morte Epiſcopi, vt ſtatuit Tridentinum; quod ſi ſecùs fecerit, Eccleſiaſtico interdicto punitur, & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudent: ſecuta tamen priùs deſuper Iudicis Eccleſiaſtici declaratione: vt nouiſſimè declarauit *Vrbanus Octauus*, in conſtitut. aduerſus malè promotos, *die* 11. *Decembris* 1624. quæ incipit *Secretis æternæ prouidentiæ*. In maioribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ſunt ipſo iure ſuſpenſi.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus poteſt Capitulum ſede vacante dimiſſorias concedere, *Primus* eſt, quando Epiſcopatus vacauit per annum. *Secundus*, quando quis eſt ita arctatus vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum, ſi, tunc temporis non promoueretur ad Ordines. Imo poſſet Capitulum ſede vacante infra annum literas teſtimoniales de vita, & moribus ordinandi tradere, vbi quis per Pontificium diploma impetraſſet ab alieno Epiſcopo extra ſuam Diœceſim ordinari. Hæc ex Tridentino locis hic citatis.

4. Qui Ordines accepit ab alieno Epiſcopo abſque Summi Pontificis auctoritate, vel abſque literis dimiſſoriis ſui Ordinarij, incapax eſt beneficii, remanet ſuſpenſus, & caret priuilegio Ordinis, & ordinatio eſt irrita, non quoad ſubſtantiã, ſed quoad executionem ordinis: Concil.

Digitized by Google

Trid. *ſeſſ.6.cap.5. & ſeſſ.23.cap.8 de reformat.* hæc tamen ſuſpenſio nunc poteſt ab Epiſcopo auferri, modò delictum ſit occultum, ex conceſſione eiuſdem Tridentini, *ſeſſ.24. cap.6.* quæ à *Sixto V.* fuerat Romano Pontifici reſeruata, in quadam Conſtitutione incipiente, *Sanctum & ſalutare.* Sed eam moderatus eſt *Clemens VIII.* per aliam Bullam quæ incipit: *Romanum Pontificem decet*, & ad ius Tridentini & *Pij II.* redacta eſt præcedens Sixtina. Et quia *Pius II.* vtitur verbo *Præſumpſerit*, quod magnam ſignificat temeritatem; ideò comprehendit ſolùm eos, qui data opera, aut cum ignorantia affectata ab alieno Epiſcopo Ordines recipiunt. Vnde ab hac ſuſpenſione excuſat ignorantia, etiam vincibilis, dummodo non ſit affectata: pœna enim non imponitur, niſi propter culpam, ſed ignorantia excuſat à culpa; ergo & à pœna. Ita Nauarrus, *in Man.c.27.n.252.* Toletus, *lib.1.Sum.c.48.*

Nauarr. Toletus.

Sed difficultas eſt, an conferens primam tonſuram non ſibi ſubdito, ſuſpenſionem incurrat? Toletus, *lib.1. c.49. num.4.* Zerola, *p.1.prax.verb. Dimiſſoriæ*. Molfeſius, *in Summ.tract.2.c.2.num.15.* & alii, negant; tum quia hæc ſuſpenſio eſt a Tridentino lata contra ordinantes non ſuum, ſed prima tonſura non eſt Ordo: ergo. Tum quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio ab vno caſu ad alium. Sed in contrariam ſententiam, & meritò tranſierunt. Rebuffus, *de literis dimiſſor.num.5.* Leſſius, *lib.2.c.44.dub.19.num.91.* Bonacina, *de Sacr.diſp.8.q.4.p.4.num.26.* Azorius, *p.2.lib.3.c.49.n.4.* Diana, *p.3.tract.4. reſ.194.* & alii. Tum quia hic caſus habetur expreſsè *cap. finali, de tempor. ordinat. in 6.* Tum quia Tridentinum eſt interpretandum iuxta regulas ſacrorum Canonũ, et modum loquendi eorum; ſed in iure Canonico ſub nomine Ordinis etiam prima tonſura comprehenditur, *capit. Cum contingat, de ætate & qualitate.* Ergo.

Toletus. Zerola Molfeſ. Rebuff. Leſſius. Bonacin. Azorius. Diana

Maius dubium eſt, an liceat Epiſcopo ordinare non ſuum ſub ſpe ratihabitionis? Reſpondeo, quod ratione bonæ fidei, in foro conſcientiæ poſt factum excuſarentur, tam ordinans, quam ordinatus, *cap. Lugdunenſis, 9.quæſt.2* Ratihabitio enim retrotrahitur, et mandato comparatur, *regula iuris 10. in 6.* Deinde ad incurrendam hanc ſuſpenſionem requiritur præſumptio, quam excuſat bona fides, ſaltem in foro interno: et ideò licitam eſſe hanc ordinationem ſub ſpe ratihabitionis, ſuſtinent Suarez, *de cenſur. diſput. 31. ſect.1. num.17.* Molfeſius, *tract.2. c.2. num. 14.* Fornarius, *de ord.c.5.num.4* Marchinus, *de ord.tract. 1. part.5.c.11.* Diana, *p.3. tract.4. reſ.191.* Quamuis ante factum non tam facilè id permittatur, nam in iis quæ ſunt contra ius, et tangunt alterius iuriſdictionem, non eſt facile præſumenda ratihabitio: cùm aliàs conſenſus proprii Prælati per literas haberi poſsit. Quaranta, *verb. Ordo*, Bonacina, *q.vanct.4.num.28.*

Suarez. Molfeſ. Fornar. March. Diana. Quaranta Bonacin.

Porro duo ſtatuit nouiſsimè *Vrbanus Octauus* in Conſtitutione ſua, *Secretis æternæ*, primum quod Vltramontanos, ne ſcilicet ab vllo Epiſcopo, in Italia exiſtente, ad vllum Ordinem, tam maiorem, quàm minorem, immo neque ad primam tonſuram promoueri poſsint, etiamſi habeant literas ſuorum Prælatorum dimiſſorias, niſi illæ eædem è Nunciis Apoſtolicis, vel à Collectore in illis partibus commorante, deinde à Vicario Papæ in alma Vrbe in ſpiritualibus Generali examinatæ, et probatæ fuerint: aliter ordinantibus per annum ab exercitio Pontificalium ordinatis vero ſuſpenſionis pœnam perpetuam indiſpenſabilem impoſuit.

Quoad Italos verè ordinatos ad primam tonſuram, vel ad alium Ordinem maiorem, vel minorem cum falſis dimiſſoriis, priuat priuilegio fori, et ſæculari poteſtati, ſecuta Iudicis declaratione, eoſdem ſubmittit.

Regulares Vltramontani non comprehenduntur ſub hoc decreto, tum quia in illo nulla fit Regularium mentio, tum quia conceſsio dimiſſoriarum quoad regulares, non pertinet ad Epiſcopum ſub cuius Diœceſi morantur, ſed pertinet ad Generalem, vel Prouincialem illius Ordinis. Proinde Regulares Vltramontani habentes dimiſſorias à ſuis Prælatis, a quocumque Epiſcopo Italo ordinari poterunt.

Prælati regulares ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, apud Quarantam, *verbo Ordo, in fine*, & Dianam, *p.2.tract.16.reſ.13 p.3.tract.2.reſ.7.& p.4.tract.4. reſ.7.* & ex priuilegio *Clementis Octaui* conceſſo Congregationi S.Benedicti Valliſoleti *anno 1590.2. Auguſti*, poſſunt ſuis ſubditis dare dimiſſorias, eoſque mittere ordinandos ad quemlibet Epiſcopum: quod à multis Doctoribus extenditur etiam ad Nouitios, vt obſeruant Suarez, *de relig.tom.3.lib.5.cap.16.num.17.* Marchinus, *de ord.tr. 1.p.6.c.4.* Vecchis, *in praxi, diſp.11.dub.3.num.3.* Diana, *locis citatis*, Tamburr. *tom.2.diſp.2.q.25.& 27.* Caramuel, *in reg.S.Bened.num.1634.* quoad Ordines minores. Verùm cùm a Superioribus regularibus, Epiſcopo Diœceſani abſente, vel nõ habente ordinationes, dimiſſoriales literæ dabuntur, in eis cauſa huiuſmodi abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimenda eſt: vt decreuit Sacra Congregatio 15. *Maij* 1596. ex mandato *S.D.N. Clementis Octaui*. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, et paſſiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiuſdem Sanctiſsimi D.N. Papæ reſeruatas penas incurrent.

Suarez March. Vecchis. Diana Tamb. Caram.

Poſsunt etiam Abbates, et alii Prælati exempti habentes Diœceſim cum iuriſdictione Epiſcopali, concedere huiuſmodi dimiſsorias etiam ſuis ſubditis ſæcularibus. Ex deciſione Rotæ in vna Salmantina Iuriſdictionis die nona Maij 1544. cum Seraphino, vt tradit Lezana, *to.3.Sum. verb. Dimiſsoriæ, num.3.* et *to.4.verb. Ordines Sacri, n.13.* qui etiam probabile putat Prælatos poſse dare dimiſsorias ad Ordines ſuſcipiendos oblatis, ſeu Commiſsis ſuorum Ordinum tria vota non emittentibus, aliàs capacibus et habilibus. Sunt enim illi aliquo modo ipſis ſubditi, Religionum membra, et ſub earum obedientia degentes, et multis Religioſorum priuilegiis fruentes.

Lezana

Sed dubium eſt, an ſi quis Regularis ordinetur ſine literis dimiſsorialibus ſui Prælati, in aliquas pœnas incidat? Suarez, *de cenſur.diſput.31 ſect.1.num.14.* et Henriquez, *lib. 33. c.38. §.1.* dicunt; quod per Extrauagantem Pij II. *Cum ex ſacrorum*, remanet perpetuò ſuſpenſus. Sed dicendum eſt per Concilium Tridentinum, *ſeſs.23.cap.8. de reformat.* non remanere ſuſpenſum, niſi quandiu ſuo Superiori videbitur expedire, quod habetur ex *cap. Salonitanæ, diſt.63 cap.1.* iuncta Gloſs. *verb. Ordinatio, diſt.73.* Ita Gutierrez, *can.q.lib.1.c.26.n.24.* Sotus, *in 4. diſt.25.qu.1.art.3.* Riccius, *3.p.prax.reſ.216.* Nauarr. *in Man.c.27.num.155.*

Suarez. Henriq. Gloſſ. Gutierr. Sotus Nauarr.

Hæc autem ſuſpenſio non incurritur, niſi propter ſuſceptionem Ordinum ſacrorum ſine licentia, vt conſtat ex Bulla relata *Pij II.* vnde qui minores Ordines ſuſciperet, ſine dictis dimiſſorialibus, non remaneret ſuſpenſus, nec miniſtrando in iis Ordinibus fieret irregularis; peccaret tamen mortaliter, niſi Prælatus dictam ſuſceptionem ratam haberet.

Eſt inſuper hìc adnotandum, quòd ſi regularis aliquis laicus ad Clericatum aſcendat extra obedientiam Prælatorum Ordinis, etiamſi vſque ad Sacerdotium fuerit promotus, poſtquam reuerſus fuerit, omni honore Clericali priuari debet, nec permitti, vt Canonicum perſoluat officium, ſed reduci debet ad priſtinum omninò ſtatum. Ita conceſſit Leo X. vt referunt Rodriq. *tom.1. quæſt. reg. quæſt.42.art.19.* Portel. *in dub.reg. verb. Hora can.num.4.* *Compend.priuil.verb.Laici Fratris nu.4. & verb.Ordines ſacri, num.4.* & *Compend. priuil. Mendic.*

Rodriq. Portel.

Petes an literæ dimiſſoriæ expirent per mortem, vel ceſſationem Prælati, qui eas conceſſit? Reſpond. literas dimiſſorias ſemel conceſſas ſemper valere, nec morte, vel ceſſatione officii concedentis expirare, niſi per ſucceſsorem reuocetur. Ratio eſt, quia gratia, vel fauor non ceſſat ob mortem concedentis, per text. *in cap. ſi ſuper gratiam, de offic. Iudic. deleg. in 6.* & docent Nauarrus, *in c.placuit, de pœnit.diſt.6.n.34.& 163.* Barboſa, *de poteſt. Epiſc.alleg.7.num.23.* Henriquez, *lib.10.c.22.§.final.* Marchinus, *tract.1.p.6.c.6.* & alii communiter.

Nauarr. Barboſa Henriq. March.

5. Quamuis ſolus homo recipiendi Ordinis capax ſit, non tamen omnis legitimè illum recipit: Diuus Thomas *in ſuppl.3.p.q.39.art.1.* Syluius, *ibid.* & primò quidem, iure diuino inhabiles ſunt ad Ordines, fœminæ, *cap. Nouæ, de pœnit. & remiſſion.* non baptizati ex *cap. Veniens, de Presbyteris non baptizatis*. Hermaphroditus, ſi æquè aut magis partic.per fœmineum quàm virilem ſexum, *l. Quæritur, 10.ff. de ſtatu hominum*. Quod ſi ſexus virilis præualeat, tunc poſsit validè ordinari; quia, vt vir eſt

D. Thom. Syluius

cenſen-

Digitized by Google

cenſendus, opus tamen eſset tunc Pontificis diſpenſatione, cùm Hermaphroditus ſit irregularis. Iuxta Sayrum, *de cenſur. lib. 6. c. 8. num. 25.* Nauarrum, *cap. 27. numer. 203.* Suarez, *de cenſur. diſput. 51. ſect. 2.* quamuis Toletus, *libr. 1. cap. 63. num. 6.* et Fornarius, *de ord. cap 3. num. 1.* arbitrentur non eſse irregularem, modo res non ſit notoria, vnde ceſsante ſcandalo et monſtruoſitate corporis, prævalenteque ſexu virili, poſset etiam licitè ordinari, licet tutiùs eſset à Papa diſpenſationem petere; vt monet Marchinus, *de Ordin. tract. 1. part. 4. cap. 2.*

Sayrus. Nauarr. Suarez. Toletus

Denique iure diuino inhabiles ſunt inuiti; nam in adultis requiritur intentio: Et quidem ſi abſolutè ſint inuiti nō tenet ordo, ex *c. Presbyteros diſt. 50. C. maiores, de Baptiſmo* Sylueſter, *verb. Ord. 4. num. 1. & 2.* Henriquez, *e. cap. 14. §. 3. lit. V.* et communis.

Sylueſt. Henriq.

Qui vero per metum ordinaretur, validè quidem reciperet Ordines, cùm ſubſiſtat intentio ſufficiens ad ordines cum inuoluntario mixto, ſicut ſufficit ad ſeruanda præcepta: voto tamen caſtitatis non adſtringitur, nec ad recitandum Diuinum Officium tenetur, modo non ratificauerit ſpontè ordinationem verbis aut facto, aut ſemel, vel pluries liberè vtendo Ordine ſuſcepto: vnde taliter ordinatus matrimonium contrahere poſset abſque diſpenſatione. Bonacina, *de Ord. q. vnic. p. 5. n. 40. & de matrim. q. 3. p. 9. n. 1. a.* Sanchez. *de matr. diſp. 29. lib. 7.* Conink, *diſp. 20. n. 150.* Marchin. *de ord. tract. 2. p. 6. c. 8. diffic. 9.* et alii. Ratio eſt, quia nullum votum iure naturæ obligat, niſi acceptetur à Deo: ſed Deus non acceptat votum perpetuæ continentiæ graui et iniurioſo metu extortum, ergo. Quamuis in contraria ſententia ſint. Pontius *de matr. lib. 7. c. 29. n. 3.* et alii, quorum opinionem probabilem exiſtimat Diana, *p. 3. tract. 4. reſ. 193.*

Bonac. Sanchez Conin K March.

Pontius. Diana

Certum eſt tamen, ſi vis, vel metus ſit iuſtè incuſsus, quia Prælatus vrgente neceſsitate aliquem ad ſacros Ordines præcepto compelleret, cui ipſe conſenſiſset; tunc compulſum lege continentiæ adſtringi, et ſi poſtea nubat, matrimonium eſse irritum. Ratio eſt, quia iſte irrationabiliter eſt inuitus; nec patitur iniuriam, ſi ad ſacros ordines ob publicam vtilitatem compellatur.

Infantes, furioſi perpetuo, et amentes ordinandi non ſunt: ſi tamen ordinibus initiantur, characterem recipiunt Ratio eſt, tum quia iure naturæ non ſunt inhabiles ad illos, tum quia puer ante vſum rationis poteſt validè baptizari, confirmari, et Euchariſtiam ſumere, ergo poterit etiam validè ordinari. Tum quia omnis potentia eſt prior ſuo actu; et ideo aliquis poteſt habere potentiam in aliquo ſtatu, et tempore, cuius non habeat pro eo ſtatu & tempore actum. Ergo puer poterit per ordinationem characterem recipere, licet illum in ſtatu pueritiæ nequeat exercere. Ita D. Thomas, *in 4. diſt. 25. art. 1. q. 2. & in ſuppl. qu. 39. artic. 2.* D. Bonauent. *diſt. 25. artic. 2. quaſt. 2.* Vaſquez, *diſp. 246.* Marchinus, *de ord. tract. 1. part. 4. cap. 4.* Bonacina, *cit. punct. 5. nu. 3.* Molfeſius, *in Sum. tr. 2. c. 12. & 16.* Reginaldus, *lib 39. num. 30.* & alii. Tum quia in duobus Sacramentis tantum vſus rationis perfectus requiritur ad valorem Sacramenti, nempe in pœnitentia, cuius materia ſunt actus pœnitentis per proprium conſenſum, & in Sacramento matrimonii, quod includit pro materiali humanum contractum, qui mutuo contrahentium conſenſu perficitur.

D. Th. D. Bon. Vaſquez Bonac. Molfeſ.

Notandum tamen eſt, quòd illis qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam, ſecundùm communiorem ſententiam, non validè conferuntur Ordines, ſi illos nullo modo priùs expetierunt: cenſetur enim habitualiter nolle Ordines ſuſcipere. Ita Sotus, *in 4. diſt. 25. quaſt. 21. art. 2.* Suarez, *de Sacr. diſt. 14. ſect. 2.* Coninck, *diſp. 20. n. 100.* & alii, quamuis contrarium ſentire videatur Valentia, *diſp. 9. q. 4. p. 1.* Reginaldus, *c. n. 30.*

Sotus. Suarez Conin K Valentia

6. Iure naturæ ad miniſtrandum in Ordinibus ſuſceptis, apti non ſunt perpetuò amentes, omninò cęci, muti priuati manibus & ſimilies, qui natura ipſa ita ſunt impediti ad vſum ordinum, vt neque cum iis diſpenſari poſſit, aut non ſoleat ordinariè.

Iure autem Eccleſiaſtico inhabiles ſunt omnes irregulares, hoc ſenſu, vt recipiendo peccent, & ab eorum vſu ſuſpenſi maneant, quamuis charatherem recipiant.

7 Controuerſia eſt grauis inter Theologos, an pęnā ſuſpenſionis à iure cōmuni impoſitam, incurrat ille, qui promouetur ad ſacros ordines ſine titulo, vel patrimonio nullo premiſſo pacto cū vlla pſona? hęc difficultas prouenit ex intelligentia textus Conc. Trid. *ſeſſ 21. c. 2. de ref.* vbi hanc ſuſpenſionem cōtra ordinatos ſine titulo videtur innouare in illis poſtremis verbis: *Antiquorū canonū pœnas ſuper his innouando*; nam aliqui volūt, innouaſſe pœnam ſuſpenſionis; eò quòd appellatione, antiquitatis venit id, quod eſt antiquius, ſed pœna ſuſpenſionis contra ordinatos ſine titulò lata in *c. Neminē, & in c. Sanctorum, d. 70.* eſt multò antiquior ea, quę fuit lata in *c. Cùm ſecundum Apoſtolum*; ergo Trident. innouans antiquos Canones, innouauit antiquiorem ſuſpenſionem latam contra ordinatos ſine titulo. Hęc ſententia eſt probabilis, quam tenent Suar. *diſp. 31. ſe. 1. n. 33.* Nauarr. *in Man. c. 27. n. 158.* Regin *l. 32. n. 72. tr. 2.* Sanch. *de matr. l. 6. diſp. 32.* Rodr. *p. 2. Sum. c. 15. n. 1.* Fagund. *prae. 1. l. 3. n. 7.* Bonac *de Ordin. punct. 5. n. 24.* Filliuc. *tr. 17. n. 89.* & alii permulti.

Suarez. Nauarr. Regin. Sanchez Rodrig. Bonac Filliuc.

Nihilominus apud me contraria videtur verior, & probabilior, nempe Tridentinum his verbis non innouaſse pęnam ſuſpenſionis, ſed onus alimentorum Epiſcopis impoſitum: Et ſic ſępè fuit reſolutum per ſacram Congregationem, de ann. præſertim 1583. his verbis: *Ordinatus contra formam huius decreti ſine beneficio, vel patrimonio, non eſt per hoc ſuſpenſus, nec aliquam pęnam incurrit, ſed cogēdus eſt Ordinarius illi prouidere, iuxta c. Cùm ſecundum Apoſtolum, de prabendis, qui ſolus Canon, non alij, à Concilio innouatur.* Hæc declaratio extat apud Barboſam, *de poteſt. Epiſcop. alleg. 20. n. 27.* Molfeſ. *c.* Homob. *p. 2. tract. 11. c. 10. 22.* Garz. *de benefic. p. 2. c. 5. n. 28 29.* & alios, qui etiam teſtantur, hunc eſse ſacræ Pęnitentiariæ vſum, vt ordinatos ſine titulo non habeat pro ſuſpenſis Tum quia veriſimile non eſt Tridentinum voluiſse eas pęnas innouare, quæ iam per *Innocentium III.* correctæ erant, nulla facta huius rei mentione. Ita etiam Toletus, *lib. 1. c. 48. num. 18.* Henriq. *li. 10. c. 37. §. 2.* Sayr. *de cenſur. lib. 4. c. 14. n. 16.* Diana, *p. 2. tr. 16. reſ. 5.* Sed plura de his apud citatos Authores.

Barboſa. Molfeſ. Garzias.

Toletus. Henriq. Sayrus. Diana

De veſtib. autem quib. indui debet Sacerdos ad ſacram ordinationem, aut dum Miſsę ſacrum facit, & quam ſignificationem ſingulæ veſtes habeant, conſulendi ſunt Tolet. *lib. 2. c. 2.* & alii ſummiſtæ. Bonac. citat. *punct. 5. n. 43. & ſeq.* Marchinus, *de ordine tract. 4.* & videnda ſunt, quæ ſuprà diximus in ſupplemento *verb. Miſsa*, 11. n. 21.

ORDO IV.

De effectibus Ordinis, & quo tempore conferendus ſit.

SVMMARIVM.

1 *De primo effectu Ordinis, qui eſt gratia.*
2 *Secundus effectus Ordinis eſt character.*
3 *Cælibatus onus adiunctum habent Ordines ex iure Eccleſiaſtico, non diuino.*
An ſacri miniſtri Eccleſia ad continentiam obligentur ex pracepto Eccleſiaſtico, an verò ex proprio voto.
4 *Quibus temporibus Ordines ſint conferendi.*
5 *An Religioſi poſſint extra tempora ordinari virtute ſuorum priuilegiorum.*

1 SAcramētum Ordinis duplicē effectū habet. Primus eſt, duplicem gratiam conferre habitualem, nempe in quantum eſt ſacramentū, ſeu iuſtificantē, augendo ipſā ex opere operato, & propriā, qua dignè, qui recipitur Ordo à ſuſcipiente miniſtretur. Concil. Trid. *ſeſſ. 23. c. 3.* Hoc Catholica fides docet contra Hæreticos noſtri tēporis, qui dicunt ſacramenta non eſſe cauſas gratiæ, ſed ſolum inſtar picturę cōmonefacere, & excitare fidē. Cōtra quos Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can. 8.* Rationē reddunt D. Th. *in ſupp. 3. p. q. 35. ar. 1.* & eius diſcipuli Sylu. *ibi.* March. *tr. 1. p. 3. c. 1.* Bon. *de ord. punct. 6. n. 3.* Fill. *tr. 9. c. 5. n. 52. 53.* Cùm opera Dei ſint perfectiſſima, ideò nunquam alicui Deus aliquod munus confert, quin etiā illi tribuat media neceſſaria ad tale munus rectè exercēdum. Sicut igitur in Baptiſmo datur gratia ad reliqua ſacramēta dignè recipiēda, ita in ordinatione datur gratia iuſtificans, qua ſanctè, & religiosè eadem Sacramenta poſſint adminiſtrari.

D. Th. Sylvius Bonac. Filliuc.

2. Secundus effectus Ordinis eſt character, qui imprimitus tam in maiorib. quā in minorib. Ordinib. & integrè cōfertur. cùm integra materies, & forma cōpletur in ſingulis

Digitized by Google

Th m Vaſq Reginal.

D.Th.c.a.2.Savr.da ſacr.lib.5.c.1.q.vn.a.2.Vaſq to 2.in 3.p.diſp.243.& 244.Reg.lib.30.n.3.& 16.& cõmunis. Ratio eſt,quia per quẽlibet Ordinẽ aliquis cõſtituitur ſupra plebẽ,in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad ſacramentorum diſpenſationẽ:deinde omnes Ordines ſemel ſuſcepti perpetuò manent,nec vnquam iterantur,vt probat totius Eccleſiæ perpetuus conſenſus, Proinde Conc.Trid, damnãs Hæreticorum dogma,ſentientium miniſtros noui teſtam. temporaliam ſolũ poteſtatẽ habere,ſemelq;ordinatos poſſe iterũ fieri laicos,definiuit ſub anathemate,in ſacramento Ordinis charactetẽ imprimi,*ſeſſ.7.cã 9 & ſeſſ.23.can.4.*

3 Propriũ eſt ſacrorũ Ordinũ, vt cęlibatus Eccleſiaſtico iure onus adiunctũ habeant,nõ iure diuino; & vtrũq;probatur ex Trid.*ſeſſ.24.cã.9.*cuius hęc ſunt verba: *Si quis dixerit,Clericos in ſacris conſtitutos,vel regulares ſolemniter caſtitatem profeſſos poſſe matrimoniũ cõtrahere,contr actũq; validũ eſſe,non obſtante lege Eccleſiaſtica,vel voto anathema ſit;*quib.verbis cęlibatum ſacrorũ virorum,nõ in diuinum aliquod pręceptum,ſed in legem Eccleſiaſticã quoad Clericos,& in ſolẽne votum quoad profeſſos, Patres Cõcilii retulere: ergo manifeſtũ eſt prędictorũ cęlibatũ, nõ à iure diuino,ſed ab Eccleſia ortũ habuiſſe. Quod etiã probatur ex cõmuni,& vera ſententia.D.Thomę,2.2.q.98.a.11,Peſant.*in ſupp.3.p.q.40.diſp.3.* Bellar.*lib.1.de cler.c.18,& 19,*Caiet.*to.1.opuſ.tr.27.*Laym.*li.5.tr.9.c.11.n.1,* March,*de ord.tr.2.p.6.c.8.diffic.1.*Hurt.*tr.de ord.diffic.24.*& aliorũ quia talis lex diuina poſitiua,neq;ex ſcriptura ſacra, neq; Patrũ traditione colligitur.Proinde in Eccleſia Græca nõ prohibetur vſus matrimonii ſacerdoti, ita Rom.Pontifice permittẽte, ergo ſignum eſt contrarium de iure diuino nõ eſſe;ſed tantùm de iure Eccleſiaſtico, vt rem magis cõuenientem.Sed dubium eſt,an ſacri Eccleſiæ miniſtri ad cõtinẽtiam immediatẽ obligentur ex pręcepto Eccleſiaſtico, an verò ex proprio voto.Reſpõſio probabilior eſt,obligationem illam cõtinentię immediatẽ oriri ex proprio voto, quod ſecundùm Eccleſię, *c.Cum olim, de cler.con.c.vnic. de voto & voti redẽpt.in 6.* legẽ ipſo facto, ſeu ſuſceptione ſacri ordinis emittere debent. Si verò accidat,aliquem nõ vouere,ſeu ob ignorantiam,ſeu ob malitiã, nihilominus p Eccleſiaſticã legẽ ad cõtinentiã cõpelletur adeò vt,ad matrimoniũ contrahendũ inhabilis exiſtat, & in hoc caſu talis nõ ex proprio voto,ſed immediate ex lege Eccleſiaſtica ad ſeruandã continentiã obligabitur,quę etiã inuitos conſtringere,& ignorantes ad aliquẽ actum inhabiles reddere poteſt. Et ſic,ex hac ſentẽtia,ſequitur illũ,qui ordinatur intendendo nõ vouere cõtinentiã,nõ tantũ peccare pro tunc quãdo ordinatur nõ vouẽdo,ſed etiã pro tẽpore ſequenti, quouſq;aut explicitẽ,aut implicitẽ voueat; quia ad eã vouendã tenetur tãquã ad aliquid annexum ſtatui quem ſuſcepit. Proinde actus venereus exterior ſacris initiati, qui ſaltem implicitẽ vouit, eſt triplex peccatum diſtinctę ſpeciei.nempe vnum luxuriæ cõtra caſtitatem,& aliud ſacrilegii cõtra religionem,ex qua obligat votum,& aliud quaſi ſacrilegii cõtra duliã ſacrã ratione legis Eccleſiaſticæ id prohibenti,intuitu reuerentiæ ſtatui Eccleſiaſtico debitæ. Actus verè interior voluntatis,& appetitus,de quo nõ poteſt Eccleſia iudicare,nõ erit peccatum contra duliam ſacrã,quia nõ eſt cõtra d.legem Eccleſiaſticam, quia Eccleſia nequit illum prohibere. Ita Vaſq.*diſp.247.*Med.*li.5.de cont.c.2.*Caiet.*c.tr.27.*Sanch.*de mat.l.7.diſp.27.n.10.& 12.* Laym.*c.c.11.*Marchin.*tr.2.p.6.c.8.diffic.6.*Hurt.*c.diffic.26.* Pont.*de matr.l.7.c.27.n.7.*Certum eſt,nec licita,nec valida apud Gręcos fuiſſe coniugia poſt ſacerdotiũ ſuſceptum & id ſemper in omnib.Catholicis Eccleſiis etiã orientalib. obſeruatum fuiſſe cõſtat; ita vt nullo ex omnib.ſęculis deſumpto exemplo,Hæretici noſtri temporis oſtendere poſſint,Sacerdotem,ideſt,Epiſcopum,vel Presbyterum cum approbatione Eccleſię orientalis aut occidentalis,vxorem duxiſſe. Ideò probabile eſt iure diuino prohiberi Sacerdotem à cõtrahendo nouo matrimonio. Ratio eſt,quia licet id in Euangelio nõ exprimatur,tamen videtur ſeruatum à tempore Apoſtolorum,quod indicat Chriſti ordinationem quia ſtatuti huius principium ignoratur. Quãuis Pontifex authoritate Chriſti ex graui cauſa poſſit cum vno,aut alio ſacerdote diſpenſare vt vxorem ducat. Vide Bellar.*l.1.de cler.c.18.*Maior,*in diſt.24.q.2.*Couarr.*de matr.p.2.c.6.§.3.* Azor.*p.1.l.13 c.14.q.7.*Henriq.*l.10.c.14.n.5.*Fill.*tr.9.n.66.* Sanch.*de matr.l.7.diſp.28.*& alios.

D. Tho. Caietan. Layman. March. Hurtad.

Vaſquez Caietan. Sanchez Layman. March.

Bellarm. Couarr. azorius Henriq. Fillius. Sanchez.

Quibuſdam tamen in locis permiſſum fuiſſe Diaconis vxores ducere, ſi in ſuſceptione ordinis continentiam non promiſerant,colligi videtur ex Concil. Ancyrano,*c.10.* de Subdiaconis verò ex Greg.*lib.1.Ep.42.ad Pet.Diaconum.*

4 Ex generali conſuetudine Eccleſiæ prima tõſura quouis tempore,quocumq;die, & feriata,conferri poteſt. Ita DD.*c.pen.de tẽpor.ordin.*Minores ordines quibuſcumque dieb.Dominicis,& feſtis ſolẽnib.modò nõ ſint tot ordinãdi, vt generalis ordinatio videatur, quæ ſolis præſcriptis temporib.etiam quoad minores,eſt peragenda,Ex iuſta tamen cauſa minores tradi poſſunt in ieiunio Quatuor temporum ante Sabbatum,& hoc plurib.in locis cõſuetudine introductum eſt,ne quis in eod. die Sabbati ſimul recipiat ordines minores, & Subdiaconatum, quamuis id non ſit prohibitum.Quinimò in rigore iuris,nec videtur vetitum quacumq;die Minores conferre,*c.Quando,diſt.75.*

Ordines ſacri ſolis præſcriptis temporib.generalium ordinationum tradi poſſunt, videlicet,in Sabbato Quatuor temporum anni,& in Sabbato ante Dominicam Paſſionis & in Sabbato ſancto ante Dominicam Reſurrectionis, vt habetur in *c.de eo autẽ,de tẽpor.ord.* Quamuis propter reuerentiam, & honeſtatem, ordines ſiue minores ſiue maiores cõferri deb.eãt ab Epiſcopo inter miſſarum ſolemnia & ieiuno, vt cõſulit Trid. *de ref.ſeſſ.23.c.8,* ſi tamen ſecùs fiat, ordinatio tenet, nec vllam ſuſpenſionem incurrit ordinans, vel ordinatus, dummodò ſeruetur vera forma, & materia ordinationis,vt benè aduertit March.*de ord.to.1. p.7.c.5.n.17.18.* Sed petes an liceat Epiſcopo aliquando ex iuſta cauſa conferre maiores ordines die Dominica?Reſpõdent affirmatiuè Henriq.*l.10.c.12.n 2.*Syluest.*v.Ordo,2.q.6.*Villalob.*in ſum.to.1.tr.11.d.13.*March.*c.n.9.*Dian.*p.2.tr.16,reſ.28.*nempe mane diei Dominicę immediatè ſequentis generalem ordinationẽ,ſi in Sabbato ob ordinandorum numerum ordinationes expediri non potuerint,& dummodò cõtinuetur ieiunium Eccleſiaſticum,tam ab ordinante,quàm ab ordinato, *cap. Quod a Patrib. d.75.*nam in eo caſu fictione canonica manè diei ſequentis trahitur ad veſperam Sabbati præcedentis,& ſic conferri dicuntur ordines in Sabbato. Ordinatus extra tempora legitima, abſq;ſpeciali Sum.Pontificis diſpenſatione incurrit ſuſpẽſionem ab ordinis executione,vt habetur in Extrauag.Pii II.*Cum ex ſacrorũ,*& hęc ſuſpenſio eſt perpetua,à ſolo Papa diſpenſabilis, vt docent Barboſ.*de poteſt.Epiſc.alleg.17. n.14.*Bonac.*de cenſ.diſp.5.q.6. punct.5.* et ſi occulta ſit, Epiſcopi ex Trid *ſeſs.24.c.6.de ref.*ab ea abſoluere poſſint.

Heniq. Villalob. March. Diana

Barboſ. Bonac.

Porrò Epiſcopatus nõ poteſt conferri, niſi in die Dominica,vt conſtat ex antiqua praxi Eccleſiæ, & tradit Leo I, *Ep.79.c.1.*& refertur in c.*Quod die,diſt.75.*

5. Religioſi poſſunt extra tempora ordines recipere, cum in hoc habeant multa priuilegia, et maximè priuilegium *Greg.XIII.*pro Societate Ieſu,quo præcipit ordinariis, vt iſtos Religioſos cum licentia ſuorum Superiorum ordinent etiam extra tempora, in trib. feſtis continuis,et non ſeruatis interſtitis, et abſque vlla ordinum functione, nec eos inquirãt de cantu,de officiis,et cęremoniis Eccleſiaſticis.Et quamuis idem Gregor.prohibuerit hoc priuilegium cõmunicari aliis ordinib. priuilegia Societatis participantib.et ob hanc cauſam Suar.*de ll.l.8.c.17.n.8.*Vaſq.*to.3.in 3.p.d.246.c.5.n.50.*Hurt.*de ord.diffic.23.* Dian.*p.5.tr.13.reſ.57.* Cęleſt.*in comp.tr.8.c.4.q.4.*ſcriptum reliquerint, hoc priuilegium ita Societati eſſe proprium, vt aliis Regularib.nõ cõmunicetur,etiamſi in priuilegiis eiuſdem participent;nihilominus his non obſtantib.multi alii ordines,vt Theatini,et Barnabitæ,hoc priuilegio perfruuntur, quia alii Pontifices poſt *Greg. XIII.* priuilegia Societatis dictis ordinib.abſq;vlla limitatione conceſſerint, vt aſſerit March.*de ord.tr.1.p.7.c.7.*Nulla etiam poteſt eſse dubitatio quoad nos Fratres Minores,et eos,qui noſtris fruuntur priuilegiis conceſſis,et cõcedendis cùm S. *N. D.Papa Clemens VIII.* & *Paulus V.* priuilegia Fratrum Minorum confirmauerint,ex certa ſcientia,motu proprio,et de plenitudine poteſtatis. Prętereà idem priuilegium conceſſit Monachis *S.Hieronymi*, & *S.Benedicti, Alexand.VI.* & *Eugenn.IV.*quod non eſſe à Trid.reuocatum,docet Rodr.*to.1.qq.reg.q.55.a.17.& to.3.q.23.art.5.*Barboſ.*de poteſt.Epiſc.alleg.17.n.6.p.1.*Deniq;teſtatur Port.*de dub.reg. v.Ordines ſacri.n.4.*Dian.*p.3.tr.2.reſ.31.& 112.*de ſimili priuilegio conceſſo ordini, ſiue Congregationi Sancti Ioannis Euan-

Suarez. Vaſquez Hurtad Diana

Rodrig. Barbo

Euangeliſtæ in Portugalia à *Clemente VIII. die 23. Nouembris anno MDLXXXXVI.* vt ſcilicet, poſsint ordinari extra tempora, et per quemcumque Epiſcopum tribus Dominicis vel feſtis continuis, vel interpolatis non ſeruatis interſtitiis à Concilio Tridentino deſignatis.

De aliis obligationibus Clericorum, vide t. 1. *v. Clericus.*

De ordine, vide t. 1. v. Apoſtaſia, *n.* 8. et hoc t. v. Matrimonium, 7. *n.* 54, et t. 1. v. Domicilium, *n.* 4. et hoc t. v. Interdictũ, 2. *n.* 9, Simonia, 6. *n.* 1. Suſpenſio, 2. *n.* 10. Irregularitas, 8. *n.* 5. Votum, 1. *n.* 6. et t. 1. v. Charačter, Beneficium, 3. *num.* 4. & 5.

SVPPLEMENTVM.

Ordinis Sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *An Eccleſia poſſit irritare collationem primæ tonſuræ, & ordinum minorum factam ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, &c.* Refertur duplex ſententia.

2 *An probabile ſit Chriſtum in particulari non determinaſſe materiam, & formam Sacramenti Ordinis, ſed ſolum generice.*

3 *An qui veſperi attigit annum iure requiſitum pro Ordine aliquo ſuſcipiendo, poſſit mane præcedenti illum ſumere?* Refertur duplex ſententia.

An in ſuppntanda ætate ad Ordines numerandus ſit dies biſſextilis, vel omittendus?

4 *An Epiſcopus poſſit in aliena Diœceſi conferre poſſit primam tonſuram ſuis ſubditis ſine licentia Ordinarij loci?* Refertur duplex ſententia.

An Epiſcopus conferens Ordines in aliqua Diœceſi de licentia Ordinarij, poſſit Clericos aliarum Diœceſum ordinare, ſi dimiſſorias literas oſtendant? Refertur duplex ſententia.

5 *Dum Prælatus Religionis, vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, an cenſeatur etiam eum vices ſuas committere Epiſcopo vt diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut obliuio?* Refertur duplex ſententia.

6 *An regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſorijs ſuorum Prælatorum, ipſo facto ſint ſuſpenſi.*

7 *An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat ſuſpenſionem? Et an adueniente mala fide, ſi ſic ordinatus celebret, irregularis ſit.*

8 *An cum ordinato per ſaltum poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & vt in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad Superiores aſcendat, ſi delictum ſit publicum.*

An ordinatus per ſaltum ſit tantùm ſuſpenſus ab eo in Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit.

9 *An in aliquibus caſibus Epiſcopus excuſari poſſit à cenſura ſuſpenſionis, ordinans ſubditum alienum ex ratihabitione proprij Epiſcopi.*

10 *An Prælatus regularis poſſit diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, vt prætermiſſos Ordines ſuſcipiat in malè ſuſcepto miniſtret, & ad Superiores aſcendat, ſi in Ordine ſuſcepto non miniſtrauerit.*

Et quid dicendum ſi miniſtrauerit.

11 *An Epiſcopus poſſit conferre minores Ordines, Subdiaconatum, vel Diaconatum, ſi illos non recipit?* Refertur duplex ſententia.

12 *An quis ad Ordines promoueri poſſit, in patria vbi natus eſt? Et quando quis habet duo domicilia in diuerſis Diœceſibus, à quo Epiſcopo ordinandus ſit? Et quid dicendum de ſtudioſis, qui per multos annos in vniuerſitatibus commorantur.*

13 *An poſſit Epiſcopus ordinare aliquem ad titulum beneficij, ſi illud ſit tenue.*

14 *An Epiſcopus titularis poſſit ſuo familiari triennali Ordines conferre.*

Vt familiaris Epiſcopi poſſit ab eo ordinari, an requiratur vt in ſeruitute permanſerit per trienniũ continuatum completũ? Et an ſufficiat ſeruitium triennale eſſe inceptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum.

An Epiſcopus ordinans ſuum familiarem triennalem debeat ei ſtatim beneficium congruum conferre.

1 POſito probabile eſſe Minores Ordines non eſſe Sacramenta, vt ſuſtinent Magiſter, *in 4. diſtinct. 24.* Sotus, *ibidem, quæſt. 1. art. 4.* Vaſquez, *in 3. part. diſput. 237. cap. 2.* & alii, quia non ſunt à Chriſto inſtituti, ſed ab Eccleſia, conſequenter ſecundùm illos, dicendum eſt poſſe Eccleſiam irritare, & habere inualidam illorum collationem factam ab Hæretico, excommunicato, ſuſpenſo, etc. Sed quia de facto Eccleſia nunquam irritauit ordines minoris ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, etc. demonſtrat per hoc ordines minores eſſe verè Sacramentum, et quod irritari non potuerint; quia Epiſcopus quocumque modo ſit ab Eccleſia præciſus, validè poteſt ordines conferre, cuius poteſtas fundatur in charactere Epiſcopali, qui indelebilis eſt, nec amittitur excommunicationem, ſuſpenſionem, aut degradationem, vt ex communi docent Sotus, Henriquez, Vaſquez ſupra citati, *verb. Ordo III. num. 1. verſ. Et cum hæc poteſtas.* Sotus. Vaſquez. Secus dicendum de collatione primæ tonſuræ; hæc enim ab Eccleſia poteſt irritari, quia non eſt ordo, et proinde nec Sacramentum, vt docent communiter Theologi, contra Canoniſtas, vt diximus ſupra *verb. Ordo I. nu. 3. verſ. Item magna eſt.* Vide Dianam, *part. 8. tract. 1. reſol. 41* Diana

2. Probabile eſt materiam, et formam Sacramenti ordinis eo modo, quo Chriſtus illas inſtituit, vbique terrarum eaſdem eſſe; Chriſtum tamen in particulari non determinaſſe materiam, et formam materialiter ſumptas, ſed genericè ſolùm ſtatuendo ac iubendo, vt in collatione horum, et illorum ordinum in quibus *ipſe* ita volebat, adhiberetur manus impoſitio, ac inſuper porrigerentur inſtrumenta, vel ſymbola alia externa, per quę vniuſcuiuſque ordinis poteſtas; et officium deſignaretur: quodnam verò ſymbolum eſſet huius, et illius ordinis collationi adhibendum, reliquiſſe determinationi Eccleſiæ. Proinde Eccleſia vtens hac poteſtate ſibi conceſſa pro diuerſis temporibus, aut Eccleſiis diuerſa ſigna determinauit, ſiue diuerſam materiam, et formam ordinationis materialiter ſumptam.

Hinc Sacerdotium & Diaconatus conferebantur olim per ſolam manuum impoſitionem, vt habetur in Concilio Carthaginenſi IV. *Can. 3. & 4.* Et *in cap. Presbyter, de Sacram. non iterand.* docet Innocentius IV. communiter receptus Apoſtolorum tempore ritum ordinationis fuiſſe ſolam manuum impoſitionem. Quem ritum in Eccleſia Græca non ſolùm Epiſcopi Schiſmatici, ſed etiam Catholici, & qui Romæ degunt, ſeruant nunc, ſciente atque conſentiente Summo Pontifice; dum enim Græcos Presbyteros ordinant, non per Calicis & Patenæ cũ vino & Hoſtia porrectionem id faciunt, ſicut Latini, ſed per manus impoſitionem ſuper caput ordinandi, dicente Epiſcopo; *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt, ſupplet, creat, ſeu promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter ordinant ſuos Diaconos ſine traditione libri, vel Calicis per ſolam manuum impoſitionem, cum his verbis; *Diuina gratia promouet hunc Diaconum, &c.* Cùm ergo Eccleſia pro diuerſis tẽporibus diuerſa ſigna particularia determinauerit in ordinatione, potuit pro Græcis & Latinis determinare diuerſa; ita tamen vt vtraque Eccleſia Græca & Latina conferat ordinationem per ſenſibile ſignum, & verba rectè ſignificantia traditionem poteſtatis, & per conſequens vtraque validum Sacramentum efficiat: quia ſeruat, formaliter loquendo, materiam & formam inſtitutam à Chriſto, licet materialiter vtatur ſignis diuerſis; Græci enim magis confusè ſignificant poteſtatem Diaconi, vel Sacerdotis ſolo nomine Diaconi, vel Presbyteri. Latini verò magis explicitè, quatenus in Diacono duplicem exprimunt poteſtatem, legendi ſcilicet Euangelium, & miniſtrandi ſolemni ſacrificio: in Sacerdote pariter poteſtatem ſacrificandi, et abſoluendi à peccatis diſtinctè ſignificant. Ita Franciſcus de Lugo *de Sacr. in genere* Lugo.

Amicus. Arcudius. Præpoſ.

nere, cap. 1. *quæſt.* 7. *num.* 70. & 73. Amicus, *tom.* 7. *diſputat.* 2. *ſect.* 4. apud quem plura de hac quæſtione. Arcudius, *de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis, lib.* 6. *cap.* 4. Præpoſitus, *in tertia parte, quæſt. vnic. de Sacrament. Ordin. dub.* 10. *num.* 109. Cardinalis Lugo, *de Sacrament. tom.* 1. *diſputat.* 2. *ſection.* 5. Quorum ſententiam probabilem dicit Syluius, *in ſupplement. tertiæ partis, quæſt.* 37. *artic.* 2. *quæſit.* 3. *verſic. vbi obſeruandum, in edit.* 3. vbi pro hac opinione citat *Bellarminum, Coninch, Layman, Mercerum,* & alios, quibus addo Dianam, *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 42. & *part.* 10. *tractat.* 11. *reſolut.* 65. dicens hodie inter Theologos recentiores hanc ſententiam eſſe communem, adducens plures alios.

Lugo. Syluius. Dian.

3. Ad licitè ſuſcipiendos Ordines requiritur ætas legitima ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de reformat.* & communi Doctorum ſententia: nam ad primam tonſuram & minores Ordines requiruntur ſaltem ſeptem anni completi; ad ſubdiaconatum viginti duo inchoati; ad Diaconatum viginti tres, & ad Sacerdotium viginti quinque.

Sed dubium eſt, an qui veſperi attigit annum iure requiſitum pro aliquo Ordine ſuſcipiendo, poſſit manè præcedenti illum ſumere? Affirmatiuam ſententiam tenet P. de Ledeſma, *in ſumm. tom.* 1. *tractat. de ſacrament. Ordin.* & probabilem eſſe putat Trullench, *de ſacrament. lib.* 6. *c. vnic. dub.* 10. *n.* 4. Marchinus, *de ſacrament. Ordin. tractat.* 1. *part.* 7. *c.* 2. *n.* 7. Diana, *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 27. quia in hoc caſu veſpera diei trahitur ad mane, cùm ex vtroq; vna dies fiat, vnde morali cõtinuatione, qui ſic ordinatur, dicitur ordinari in anno vigeſimo ſecundo, tertio, aut quinto conſtitutus. Cæterùm probabilior eſt opinio contraria, quia talis nondum peruenit ad ætatem iure requiſitam ad Ordines ſuſcipiendos. Nec obſtat, quòd parum pro nihilo reputatur, quia id eſt verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti. Nec etiam hic locum habet illa regula, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, ſicut neque in aliis, in quibus ius tempus præfinitum exigit, vt in ætate ad Ordines, ſi .n. vel vnus dies, aut hora deſideretur, vitiat factum, vt docet ex communiori ſententia Pontius, *de matrimon. lib.* 7. *cap.* 65.

Ledeſm. Trullen. Dian.

Pontius.

Sed alterum dubium occurrit, an in ſupputanda ætate ad Ordines enumerandus ſit dies Biſſextilis, vel omittendus? Reſponden ſemper diem Biſſextilem eſſe includendam in ſupputanda ætate ordinandorum. Ratio eſt, quia in iure vterque dies Biſſextilis pro vnica habetur, *l.* 3. §. *Minorum, ff. de Minor. l. cum biſſextus, ff. de verbor. ſignificat.* & *cap. Quæſiuit, eodem titulo*; ergo neceſſariò computanda, ne neceſſaria ad perfectam ætatem dies deſideretur. Tum quia in complendo anno probationis dies Biſſextilis eſt neceſſariũ includendus, aliàs profeſſio eſſet nulla ob non ſeruatam formam Tridentini, *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de regul.* vt ſuſtinent Miranda, *in Manual. to.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 3. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 59. Sanchez, *de matrimon. lib.* 2. *diſt.* 24. *num.* 22. & *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *n.* 4. Vecchis, *in praxi nouit. diſputat.* 11. *dub.* 4. *num* 5. & alii. Quamuis nonnulli contrarium doceant dicentes diem Biſſextilem non eſſe neceſſariò computandum, tam in ordinationibus, quàm in ſupputando anno Nouitiatus integro. Quia annus a iure determinatus conſtat ex diebus 365. qui eſt annus ordinarius, quem per ſe leges intendunt, quod ſi eo anno contingat ſuperaddi his 365. diebus diem aliam Biſſextilem, tanquam de rebus per accidens, laborandum minimè videtur. Ita Barboſa *de poteſtate Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 191. *num.* 13. & alii apud ipſum, Panormitanus, *in cap. quærenti, de offic. deleg.* docet, quod vbi è iure datur annus, intelligitur 365. diebus continuis: nec curandum eſt, quod illo anno currat Biſſextus, per textum *l. cum hæres*, §. *ſtichus, ff. de ſtatu lib.* Quam opinionem amplectitur Sylueſter, *verb. Ætas, quæſt.* 3. in odioſis, non autem in fauorabilibus, quia tunc duo dies computantur pro vno. Proinde vtramque ſententiam probabilem eſſe putat Diana, *parte decima, tractat.* 11. *reſolution.* 67. poſt Leandrum, *de Sacrament. tom.* 2. *tract.* 6. *diſputat.* 6. *quæſt.* 20.

Concil. Trid. Mirand. Syluius. Sanch. Vecchis.

Barboſa. panorm.

Dian. Leandr. Concil. Trid.

4. In Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *de reformat.* habetur: *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tãtum. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinat ab executione Ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi.* Circa quod decretum eſt difficultas prima: An Epiſcopus in aliena Diœceſi ſine licentia poſſit conferre ſuis ſubditis primam tonſuram? Negant Barboſa, *de poteſtate Epiſcop. parte ſecunda, allegat.* 6. *num.* 16. Sanchez, *in opuſculo, tom.* 2. *lib.* 7. *capit.* 1. *dub.* 50. *numer.* 2. quia in Concilii Tridentini decreto prohibetur Epiſcopis in aliena Diœceſi Pontificalia exercere abſque Ordinarii loci licentia. Affirmatiuam tamen ſententiam meritò ſuſtinent Bonacina, *de ſacrament. diſput.* 3. *quæſt. vnic. punct.* 2. *num.* 12. Fornarius, *de ſacrament. Ordinis cap.* 5. §. 4. *notab.* 4. Molfeſius, *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 15. & alii, quia Concilium loquitur de Epiſcopo conferente Ordines, ſed prima tonſura non eſt ordo, cùm conferri poſſit domi priuatim ſine Pontificalibus, ergo.

Barb. ſanch.

Bonac. Fornar. Moll.

Difficultas ſecunda, an Epiſcopus conferens Ordines in aliqua Diœceſi, de licentia Diœceſani, ordinare poſſit non ſolùm perſonas eidem Ordinario ſubiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœceſum, legitimas licentias, atque dimiſſorias portantes? Quidam dicunt, quod ſic, modò de eorum ordinandorum idoneitate, ſufficientia atque legitima facultate ad ordines ſuſcipiendos, conſtet ipſi Ordinario, in cuius Diœceſi ordinationes fiunt. Nam Concilij verba, *& in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum*, ſunt intelligenda, quòd prædicti Epiſcopi ordinare non poſſunt eos, Epiſcopo Diœceſano non ſunt ſubiecti, niſi etiam ipſi à ſuis propriis Ordinariis literas dimiſſorias habeant legitimas, ad recipiendos Ordines, illaſque præſentent ante Epiſcopum Ordinarium. Ita tradunt Miranda, *in Manual Prælat. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 3. *concluſ. vnic.* Barboſa, *de poteſtat. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 4. *num.* 64. Sed alii aſſerunt non requiri in hoc caſu nouam & expreſſam licentiam Ordinarii loci petere, vt Epiſcopus poſſit Clericos ſibi ſubditos, vel aliarũ Diœceſium ordinare ſi literas dimiſſorias ſuorum ordinariorum attulerint; ſed ſufficere generalem, quam habet. Ad locum autem Tridentini poteſt dici, quòd loquitur de Epiſcopo ordinante in aliena Diœceſi ratione priuilegii ſibi dati à Summo Pontifice ad conferendos Ordines in aliena Diœceſi; nam tunc ſine licentia Ordinarii, & niſi Clericos illi ordinario ſubiectos ordinare non poterit; ſecus autem in caſu noſtro, quando Epiſcopus eſt inuitatus ab alio Epiſcopo ad celebrandos ordines generales in ſua Diœceſi. Ita Martinus Fornarius, *de Sacram. Ordinis, cap.* 5. *num.* 5. dicens, ſic ſacram Congregationem interpretaſſe dictum decretum Concili: qui etiam citat Toletum, *lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 1. Mauritius Alzedo, *in praxi Epiſc. part.* 2. *c.* 5. *n.* 30.

Miran. Barboſa.

Fornar.

Tolet. alzedo.

5. Quorumdam ſententia eſt, dum Prælatus Religionis, vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, cenſeri etiam eum vices ſuas committere Epiſcopo, vt diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo poteſt proprius Prelatus diſpẽſare: quia conceſſo aliquo cenſentur ſubinde conceſſa ea, ſine quibus id expediri nequit, *cap. Præterea, de offic. delegat.* & *l.* 2. *de iuriſdict. omn. Iudic.* Tum quia diſpenſatio in principali extenditur ad acceſſorium, ſine quo conſiſtere nequit: at promotio ad Ordines fieri nequit, eo impedimento non ſublato: Ergo. Ita docent Auila *de cenſur. part.* 7. *diſput.* 10. *dub.* 6. *verſ. Notandum tertio.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 17. *num.* 4. Angelus *verb. Irregularitas, nu.* 34. Sylueſter *ibidem, quæſit.* 9. *in fine.* Nihilominus contrarium eſt verius. Ratio eſt, quia ſublato vno impedimento non cenſetur alterum diſtinctum ſublatum, *cap. Ex tuarum, de vſu & auctorit. pallij.* At in hoc euentu duplex impedimentum concurrit, alterum defectus ſubiectionis ad Ordines; alterum irregularitatis. Sublato ergo priori per initiandi licentiam, non aufertur poſterius. Tum quia diſpenſatio non extenditur ad connexa ſine quibus poteſt conſiſtere. At poteſtas initiandi poteſt conſiſtere abſque poteſtate reddendi initiandum habilem ad Ordines; vtpote, quæ intelligitur, ſi ille alias habilis ſit, vel à legitimo Superiore impetret diſpenſationem in ea inhabilitate. Ita Sanchez *de matrim. lib.*

Auila. Rodrig. Angel. Syluest.

Sanch.

Nauar. Rodriq. *lib.8.diſp.1.n.25.* ex doctrina Nauar. *lib.1.conſil.de temp. ordinat.conſ.12.& 13.in 2.edit.* Rodriquez *tom.2.ſum.c.14.concl.10* qui ſuſtinent Epiſcopum, cui Tridentinum *ſeſſ.23.cap.9. de reform.* concedit poſſe ordinare ſuum familiarem triennalem, non poſſe cum eo diſpenſare in interſtitiis, nec in defectu natalium ad Ordines minores, vt poteſt proprius Epiſcopus.

6. Regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſoriis ſuorum Superiorum ipſo facto ſunt ſuſpenſi per Extrauag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, & tam ſæculares, quàm regulares Clericos comprehendit, idque Sixtus V. in ſua Cõſtitutione contra malè promotos ſatis expreſsè & clarè extendit ad regulares, quos etiam voce actiua & paſſiua priuat. Ita Rodriquez *tom.3. q.23. art.8.* Miranda *tom.1. q.39.art.6.* Barboſa *de poteſt.Epiſc.alleg.16.n.24.* & communis. Contra Sanctorium *in Comment.ad Conſtit. Minor.cap.2.glo.57.concl.5.* qui vult probabile eſſe, quod in Extrauag. Pij II. non includantur regulares, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odioſis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares. Nec obſtat etiã, inquit ille Auctor, quòd Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expreſsè ad regulares extendit, quia illa Bulla fuit reuocata in omnibus, & redacta ad terminos iuris & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita ceſſauit extenſio, ſicuti & cenſuræ. In contrarium tamen eſt praxis ſacræ Pœnitentiariæ, & propterea opinio Sanctorii non ſequenda, quia regulares ſunt Clerici, & materia Ordinum eſt communis.

Rodr. Miranda Barboſa. Sanctor.

7. Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit ſuſpenſionem: quia hæc cenſura appoſita per Pium II. tantum eſt contra præſumentes; qui verò bona fide facit non dicitur præſumere, quia verbũ præſumere dolum atque malitiam deſignat, quo fit, vt qui bona fide & probabili, ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus minimè ſit. Ita Portel *in dub. reg. verb. Ordines Sacri n.13.* Suarez *de cenſur.diſp.31.ſect.1. num.26.* Miranda *tom.1. man.q.39.art.6.in fine.*

Portel. Suarez Miranda

Sed petes, an adueniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, irregularis ſit? Dicendũ eſt quòd non: quia cùm à principio non inciderit in ſuſpenſionem, non eſt cur irregularitatem incurrat, ſi celebret adueniente mala fide, quia nulla hic cenſura violatur per exercitium Ordinis ſacri.

8. Quamuis ordinatus per ſaltum ſit impeditus ad Superiores Ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentũ non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus, & cum ſic promoto diſpenſare, vt prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & vt in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad Superiores aſcendat, quamuis delictum ſit publicum, dummodo talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtrauerit ante diſpenſationem: quia tunc fieret irregularis. Ducor, quia Tridentinum *ſeſſ.23. cap.14. de reform.* ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis, dicens: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Et docent Sayrus *de cenſur.lib.5.cap.14.n.26.& 27.lib.7. cap.10.n.40.* Suarez *de cenſur.diſput.31. ſect.1.n.51.* Rodriquez *tom.2. ſum.cap.17. n.9.* Auila *de cenſur.p.7.diſp. 9. ſect.1. dub.2.* & alii communiter. Proinde ex verbis Concilij conſtat manifeſtè non eſſe licitum Epiſcopo diſpenſare quando ipſe ſic ordinatus per ſaltum miniſtrauerit, nec in dicto Concilio fit diſtinctio de eo qui adminiſtrat ſcienter, aut ignoranter, & ſic attento hoc decreto poteſt teneri, de iure, quod ordinatus per ſaltum celebrans de facto, ſiue id fiat ignoranter, ſiue ſcienter, ſemper eget diſpenſatione Summi Pontificis: quia nunquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, vbi talis fuit adminiſtratio, quæ irregularitatem induxerit. Ita Doctores citati, quibus addo Dianam *par.5.tract.10.reſ.27.*

Sayr. Suarez. Rodriq. Auila. Dian.

Aduertendum tamen eſt, ordinatum per ſaltum eſſe tantùm ſuſpenſum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autẽ ab vſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit, vt docent Suarez *loco cit. n.42.* Bonacina *tom.3.diſp.3. q.1. punct.2. n.10.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia nullo iure ſufficienter probatur hunc remanere ſuſpenſum ab Ordinibus ritè ſuſceptis, & cùm iura, quæ iſtius ſuſpenſionis meminerunt, obſcurè loquantur, non eſt facienda extenſio, ſed mitior interpretatio.

Suar. Bonac.

9 Probabile eſt in aliquibus caſibus Epiſcopum excuſari à cenſura ſuſpenſionis, ordinantem ſubditum alienũ ex ratihabitione proprij. Primus eſt, quando proprius Epiſcopus eſt ſuſpenſus ob ordinatum alienum, tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, iuxta *cap.eos qui, §. fin.de temp.ordin. in 6.* Secundus eſt, quando quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni; hic enim illum poteſt promouere, dummodo ſtatim det ei beneficium, ex Tridentino *ſeſſ.23. c.9. de refor.* Hoc autẽ intelligitur de Epiſcopo ordinario, quia ei, qui tantum eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *ſeſſ. 14. c.2. de reform.* Tertius eſt, quando vnus Epiſcopus ordinat ſubditum alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili eiuſdẽ ratihabitionis, maximè ſi ratihabitio ſit de præterito, vel de præſenti, vt notat Auila *de cenſur. p.3. diſp.5. dub.7. §. dico quinto.* Reginaldus *lib.32.tract.2.cap.24.ſect.3 n.69.* Diana *p.3.tract.4.reſ.191. & p.5.tract.10.reſ.38.* & alii citati à nobis ſupra *Verb. Ordo 3.n.4. uerſ. Maius dubiũ eſt.*

Auila. Reginal. Diana.

10. Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui Ordinem per ſaltum, ſiue ignoranter, ſiue etiã ſcienter (modo in Ordine ſuſcepto non miniſtrauerit) vt prætermiſſos Ordines recipiat, in malè recepto miniſtret, & ad Superiores, ſi qui deſint recipiendi, aſcendat. Probatur primò, quia Superiores regulares eandem habent auctoritatem in ſubditos ſibi regulares, ac Epiſcopi in ſuos ſæculares, ſed cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt communiter aſſerunt Doctores, ergo & Prælati, etiamſi ſuſpenſio ſit publica. Nec huic opinioni videtur derogatum per Concilium Tridentinum *ſeſſ.23.cap.12.de reform.* quia Concilium ibi ſolùm reuocat priuilegia ne regulares ante ibi præſcriptam ætatem ordinentur, non verò reuocat priuilegia, quæ aliàs Superiores regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt abſoluendi ſuos ſubditos, vt ex verbis ipſius Concilij clarè colligitur, dicitur enim in textu *priuilegijs quoad hoc excluſis*, videlicet, ne in poſterum ante præſcriptã ætatem ordinentur, prout de hoc ipſo tantùm in dicto cap. fit mentio. Ita Portel *in dub. regul.uerb.Ordines Sacri, n.14.* Hieronymus Rodriquez *in compendio reſol.106. n.26.* Diana *par.3.tract.2.reſol.85.* Contra *Sorbum, & Sayrum*, qui volunt priuilegia regularium quoad hoc eſſe reuocata per Concilium Trid.

Portel. Rodriq. Diana.

Nec obſtat, quod Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſic malè promotos reuocauerit priuilegia regularium ad abſoluendũ huiuſmodi promotos ſubditos, quia poſt Sixtum Clemens VIII. confirmauit priuilegia Minorum ex certa ſcientia, & Paulus V. confirmauit vtens verbo *innouamus*, quæ forma Confirmationis reualidat inualida & reuocata per anteriores Pontifices, vt tradunt communiter Doctores, teſtibus Suarez *de legib. lib. 8. n. 19.* Sigiſmundo à Bononia *de elect. part.2. cap.4. dub.76. n.6.* & Doctoribus citatis.

Suarez. Sigiſm. à Bonon.

Sed quæres, an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtrauit in Ordine? Reſp. ex Trid. quòd ſi delictum eſt occultum, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter miniſtrauerit, poterit Prælatus regularis cum tali Ordinato diſpenſare, vt prætermiſſum Ordinem recipiat, & in malè ſuſcepto miniſtret & vt ad altiorem aſcendat: quia talis poteſtas eſt data Epiſcopis à Cõcilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap.6. de reform.* quam poteſtatem habent etiam Prælati regulares, vt diximus *tom. 1. verb. Abbas num.8.§.1.*

Cõc. Tri.

Si autem delictum ſit publicum, ex vi Tridentini non poſſet, quia Concilium ait Epiſcopum non poſſe. An autem id poſſit virtute priuilegiorum? Affirmat Portel *loco cit. n.14. ad finem.*

11. Iuxta quorundam ſententiam Epiſcopus, qui non recepit minores Ordines, aut certè Subdiaconatum, vel Diaconatum, non poteſt aliis conferre illum Ordinem, quem non recepit. Ita Emanuel Sà *verb. Ordo, num.23.* Henriquez *de Ordine cap.5.§.2.lit.H.* Sylueſter, D. Antoninus, & alii. Sed quia ab his auctoribus nullum affertur firmum fundamentum ad hoc aſſerendum, ideò ab eorum opinione puto recedendum, dicendo, Epiſcopũ, etiamſi

Sà. Henriq.

etiamſi

Digitized by Google

etiamſi careat aliquibus Ordinibus, validè eos conferre poſſe; quia licet his careat, eſſe poteſt verus Sacerdos, & Epiſcopus reipſa; poteſtas autem conferendi Ordines eſt ſolùm Epiſcopalis, alij autem Ordines hanc poteſtatem non tribuunt: Tum quia Epiſcopus, qui non recepit Ordines inferiores, poteſt ordinare Sacerdotes, ergo etiam Diaconos & Subdiaconos, reliquoſque inferiores Miniſtros; quia Epiſcopus eſt verè Sacerdos & conſequenter poteſt alijs conferre Ordinem Sacerdotalem; & eo ipſo, quòd ordinat Sacerdotes, confert illis poteſtatem exercendi munera Diaconi & Subdiaconi; ergo etiam poteſt conferre Ordinem Diaconatus & Subdiaconatus. Confirmatur autem hæc ſententia, quia poteſtas conferendi omnes Ordines validè tribuitur Epiſcopo ratione characteris Sacerdotalis & Epiſcopalis; ſed etiamſi non receperit Ordines inferiores, verè habet characterem Epiſcopalem, ergo habet poteſtatem omnes Ordines conferendi. Ita Vaſquez *in 3.p. diſp.243.cap.2.n.26.* Layman *lib.5.tract.9.cap.9.num.8.* Præpoſitus *in 3.p. de Sacram. Ordin. quæſt. vnic. dub.12. num.114.* Hurtadus *de Sacr. Ordin. diffic.17.* & alij.

Vaſquez. Laym. Præpoſ. Hurtad.

12. Quamuis quis ſortiatur domicilium in ea patria vbi natus eſt ipſe, qui ad Ordines promoueri deſiderat, ex *cap. cum nullus, de temp. ordin. in 6.* Hoc tamen debet intelligi, quando parentes habent domicilium in eo loco, vbi filius ipſe natus eſt; nam qui naſcitur caſu & fortuito ex parentibus alibi pergentibus, vel ad tempus moram trahentibus in aliquo loco, vbi natus eſt, proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius Diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius Diœceſis, vbi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Ita ex communi Præpoſitus *loco cit. dub.14. num.130.* Sanchez *de matrimon. lib.3. diſput.23. num.3.* Zypæus *in Anal. iur. Pontific. lib.1. tit. de Ordinandis num.4.* & alij.

Præpoſ. Sanch. Zypæus.

Qui verò habet duo domicilia, & in diuerſis Diœceſibus, poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad Ordines promoueri, quia ratione vtriuſque domicilij fit ſingulis ſubditus. Filius verò illius debet recipere Ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt, cùm parens ibidem haberet domicilium: quia ibi non eſt natus fortuitò, vtpote in domicilio patris, & Epiſcopus loci verè Epiſcopus originis. Si tamen alibi fortuitò natus ſit, tunc vterque Epiſcopus poteſt cenſeri Epiſcopus originis ratione domicilij paterni, cùm non ſit potior ratio vnius, quam alterius.

Sed quid dicendum de ſcholaribus & ſtudioſis, qui per multos annos in vniuerſitatibus commorantur? Reſp. Tales non contrahere ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam redeundi, ſed eorum domicilium cenſeri eſſe in patria, proinde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt vniuerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum, cùm hi cenſeantur habere idem domicilium cum parentibus, quamdiu peculiarem ſibi ſedem nondum præfixerunt. Hinc filij eorum qui in vniuerſitate vxorem duxerunt animum in patriam redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, intra cuius terminos ſita eſt vniuerſitas, quia ſicut reſpectu patris non dicitur Epiſcopus domicilij, ita reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus originis: Ordinandus ergo eſt ab Epiſcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus. Ita Præpoſitus *in 3.par. de Sacram. Ordin. quæſt. vnic. dub.14. 132. 139. & 135.* Marchinus *de Ordine tract.1. par.5. cap.9. n.20.* & alij. Filius verò ſuſceptus ex fornicatione matre certo loco domicilium habente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certiùs procedit: vnde ſi talis velit tonſuram & Ordines, ſiue minores, ſiue ſacros ex diſpenſatione Epiſcopus domicilij materni in quo natus eſt, vel cenſetur natus, poteſt illum ordinare. Ita Diana *p.8. tract.2. reſ.18.*

Præpoſ. March.

Dian.

13. Quidam putant non poſſe Epiſcopum ordinare aliquem ratione beneficij, ſi illud ſit tenue: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.21. cap.2. de refor.* poſtulat, vt beneficium ſit ſufficiens ad victum honeſtè, vt poſſit quis ſacris Ordinibus inſigniri. Sed contrarium eſt tenendum; quia *cap. cum nullus, de temp. ordin. in 6.* ſimpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem & quantitatem. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit beneficium duorum ducatorum eſſe ſufficiens ad gaudendum priuilegio fori, ergo etiam ad ſumendos Ordines, ex quibus oritur priuilegium fori. Ita ſuſtinent Barboſa *de iure Pontificio lib.1. cap.33. num.38.* Henriquez *lib.10. cap.22. §.1. litt. L. & c.17. litt. Q.* Garzias *de benefic. tom.1. par.4. cap.4. num.8.* Diana *p.8. tract.2. reſ.20.* Nec huic opinioni obſtat decretum Tridentini quòd non loquitur quoad hunc ſubiectionis effectum, ſed quoad alium effectum congruæ ſuſtentationis, eius, qui vult ad maiores Ordines promoueri. Non enim aſſerit, quòd ſi ordinandus beneficio tenui patrimonium ſufficiens ad victum adiungat, non poſſe ordinari ab Epiſcopo. Quare dicendum eſt, ſi tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita vt conflatum ex vtroque ſufficeret ad ſuſtentationem, ſicut requirit Tridentinum, tunc poſſet ab Epiſcopo beneficij ordinari. Aliud enim eſt quærere, num beneficium ſufficiat pro titulo, aliud ſi ſufficiat vt tamquam ſubditus ratione beneficii poſſit promoueri ad Ordines.

Barboſa. Henriq. Garzias. Diana.

14. Concilium Tridentinum *ſeſſ.23. cap.9. de reform.* ſtatuit, quod, *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat: conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.* Circa quod Decretum ſequentia notanda veniunt.

Concil. Trid.

Primum, Epiſcopos titulares non gaudere hoc priuilegio, vt patet ex eodem Tridentino *ſeſſ.14. cap.2. de refor.* & contrarium facientes, ab exercitio Pontificalium per annum ipſo iure ſunt ſuſpenſi.

Secundum, vt Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, debet ille in ſeruitute per triennium continuatum completum perſeueraſſe, nec ſufficeret annum tertium fuiſſe cœptum. Quia in odioſis annus cœptus, & dies inchoata pro completa non habetur. Ita Marchinus *de Ordine tract.1. par.5. cap.9. num.2.* Præpoſitus *loco cit. num.142.* At odioſum eſt Epiſcopis quibus talis familiaris ratione domicilij, vel loci originis eſt de iure ſubditus, à propria eximi iuriſdictione.

March. Præpoſ.

Tertium, quod ſufficiat ſeruitium triennale eſſe inceptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatũ, quia vbi lex nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed Concilium non diſtinguit de ſeruitio antè, vel poſt Epiſcopatum, ergo abſolutè intelligendum eſt. Garzias *de benefic. tom.1. par.2. cap.5. num.83.* Præpoſitus *loco cit.* Non poſſet tamen Epiſcopus ordinare familiarem in regione remota morantem, quamuis expenſis Epiſcopi vixerit: nam abſens propriè familiaris non dicitur, neque Epiſcopus poteſt eius mores noſſe; quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum, ad hoc principaliter ſuffragatur, vt mores & vita ab Epiſcopo cognoſcantur: quare inhærendo verbis Concilij, hoc tantùm procedit in illis familiaribus, qui cum Epiſcopo commorantur, & qui ſunt præſentes, illiuſque obſequiis aſſiſtunt, ſiue intra, ſiue extra domum eius Epiſcopi expenſis alantur. Ita Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.7. cap.1. dub.20. n.20. & 23.* Imò ſub verbis Concilij intelliguntur quoque famuli & familiares eorumdem familiarium, qui inſeruiunt Epiſcopo, eiuſque impenſis aluntur, modo per triennium familiari Epiſcopi inſeruierint, vt tradunt Eſcobar *in Theol. mor. tract.7. exam.8. cap.4. num.73.* & Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.2. alleg.5. num.7.* & alij.

Garzias. Præpoſ.

Sanchez

Eſcobar

Quartum, quod hæc facultas Epiſcopo conceſſa ordinandi ſuum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere cõferendi ſtatim ordinato congruum beneficium. Quid autem intelligatur per verbum *ſtatim*, non conueniunt Doctores; Quidam enim interpretantur, quamprimùm beneficium aliquod vacauerit, teneri Epiſcopum illud illi conferre. Ita Vaſquez *3. p. tom.3. diſp.243. n.49.* Hurtadus *de Sacram. Ordinis diffic.17.* Præpoſitus *in 3. p. de Sacr. Ordin. quæſt. vnic. dub.14. num.142.* Tannerus *tom.4. diſp.7. q.3. dub.2. num.38.* Sed hæc expoſitio eſt nimis ampla & voluntaria, nam Sacra Congregatio declarauit, fuiſſe contra hanc Tridentini formam, quandam beneficij collationem triennali familiari factam intra annum, etiam in menſe vndecimo à die ordinationis; hæc declaratio facta eſt die 22. Maij 1586. teſtantur Fla-

Vaſq. Hurtad. Præpoſ. Tanne.

minius

Digitized by Google

Parisius Garzias. minimus Pariſius *de reſign. benefic.lib.4. q.2. num.92.* Garzias *de benefic. part.1. cap.5. num.85.* Proinde verbum *ſtatim*, non excedere decem dies, Marchinus *de Sacram. Ordin.tract.1.p.5.cap.9.num.5.& ſeq.* Diana *part.8. tract.2.reſ.33.* tradunt, cum multis aliis ibi citatis. Hæc omnia hoc numero dicta, videri poſſunt apud Dianam *loco cit. à reſol.27. & ſeqq.* Sed de his ſatis.

De Ordine vide tom.1. verb. Abbas num.6.7.& 8. Capitulum num.2.& 9. & hoc tomo verb. Irregularitas 2.n.38. & ſeq. Matrimonium 2.n.13.& ſeqq. Suſpenſio,

P

PACTVM.

SVMMARIVM.

1 *Pactum quid ſit, Et eius diuiſio in nudum, & veſtitum.*
2 *An pactum nudum, vel veſtitum pariat obligationem in vtroque foro?*
3 *Quid ſit pactum legis commiſſoria?*
4 *Quid ſit pactum adiectionis in diem?*

1 PActum, eſt *duorum conſenſus atque conuentio* videlicet, *ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum L.3.ff. de pollicit. C. pactum, de verb. ſignific.* dicitur autem *pactum* à pace, eo quòd per pacta pax fieri ſoleat; *dupliciter* pactum diuiditur, in pactum, nempe, *nudum & veſtitum*. *Nudum* dicitur, quod tantùm conſiſtit in conuentione, & caret omni alio firmamento, vt donatio, mutuum, antequam re perficiatur, & omnis innominatus contractus antequam impletus ſit ex altera parte. *Veſtitum* dicitur, quod habet aliquid amplius, vnde iure ciuili firmetur, de quibus vide to.1. verb. *Contractus*. Layman *lib.3. tract. 4. cap.5. & 2.* Filliucius *tract.33.cap.1.num.15.* (Laym. Filliuc.)

2. *Pactum veſtitum* parit obligationem in vtroque foro; *pactum* autem *nudum* non parit obligationem in foro ciuili, ne multiplicentur lites. Sylueſter *verb. pactum, l. iuris gentium ff. de pact.* Filliuc. *cit. num.88.* vnde permittit ius ciuile illud reſcindi cauſa pœnitentiæ, etiam alia parte nolente, modò non ſit ex vtraque parte impletum; vel ſi ex altera tantùm liberum eſt illi qui impleuit, vel pœnitere, vel cogere partem ad complendum: cæterùm, quamuis pactum nudum non pariat obligationem in foro ciuili, niſi confirmetur iuramento, habet tamen alios effectus, nempe, quòd pariat exceptionem, impediat ſoluti repetitionem, item quòd tribuat ius compenſandi in foro conſcientiæ, & ſi accedat fideiuſſor efficaciter obligetur, & vt poſſit pignus retineri. In foro autem eccleſiaſtico pactum nudum obligationem parit; quia ius eccleſiaſticum reſpicit obligationem naturalem & conſcientiæ, quod ad ſalutem animæ inſtitutum eſt, & hoc verum, modò pactum initum ſit cum expreſſione cauſæ. Leſſius *lib.2. cap.17. d.4.* Layman *cit. cap.2. num.3.* Sylueſter *verb. Pactum q.3.* (Syluest. Filliuc. Leſſius. Laym. Syluest.)

3. *Pactum legis commiſſoria* illud eſt, quod apponitur venditioni, ita vt ſi intra certum tempus emptor non ſoluerit pretium, res non ſit empta; & quia apponitur in fauorem ſolius venditoris, hinc fit vt non impleto pacto, ſit in ipſius poteſtate, vel reſcindere contractum, vel cogere emptorem, vt pretium ſoluat, quod ſi eligat alterū illorum ſemel, non poteſt alterum eligere, ſed tenetur ſtare, ſi autem res periret, antequam diſſoluatur contractus, perit emptori. Emptor verò tenetur tempore ſtatuto pretium offerre etiamſi non interpelletur à venditore; quando autem non ſtaret per emptorem quo minus pretium offerret; ſed per venditorem, quia videlicet abfuit; non incidit emptor in legem commiſſoriam. Sylueſter *verb. Pactum q.14.* Filliucius *tract.35.cap.7.n.165. 166. l.2.3.& 4.ff.de leg.commiſſ.* (Syluest. Filliuc.)

4. *Pactum adiectionis* in diem eſt, quando aliquid venditur ea ratione, vt ſi alius intra tempus definitum, maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res non ſit vendita, *l.1.ff. de in diem adiect.* Sylueſter *verb. Pactum num.2.* Filliucius *tract.35.cap.7.num.168.169.* Leſſius *lib.2.cap.21.dub.15.num.125.126.* apponitur autem in fauorem ſolius venditoris, ideo ipſe eligit diſſoluere contractum, vel cogere ad pretium ſoluendum; ſi eiuſmodi pactum fuit conceptum verbis directis, tunc dominium redit ad venditorem, etiam antequam res fuerit ei reddita ab emptore, ſi indirectis, non redit ante traditionem. Ita Sylueſter, Filliucius, & Leſſius. (Syluest. Filliuc. Leſſius.)

De Pacto vide tom.1. verb. Cenſus n.20. & ſeq. Contractus n.6. 10. & hoc tomo verb. Vſura 2. Vſura 4. num.3. Venditio num.2.3. Emptio.

SVPPLEMENTVM.

PACTVM.

SVMMARIVM.

1 *Pactum diuiditur in expreſſum, & tacitum: in perſonale & reale: in nudum & veſtitum; quod veſtitur ſex modis.*
2 *An pactum generalius ſit nomen, quàm contractus.*
3 *An pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conuentio, & promiſſio inter ſe diſtinguantur.*
4 *An effectus proprius cuiuſque pacti ſit naturalis obligatio, & correſpondeat huic petitio & actio? Quid ſit actio perſonalis, quid realis.*
5 *An pactum legis commiſſoria apponi poſſit in pignoribus & venditionibus.*
6 *An pacta, & conuentiones, quæ fiunt inter Superiores locales Ordinum Mendicantium, & Prælatos Eccleſiarum, & Rectores ſuper iuribus Parochialibus ſint valida, ſine conſenſu Generalium, & Prouincialium.*
7 *An ex pacto religioſi cum ſuo Prælato, oriatur in eo obligatio naturalis erga ſubditum?* refertur duplex ſententia.
8 *De quibuſdam pactis quæ iure irritantur, quæ ſunt contra bonos mores, vel moribus præiudicium afferre poſſunt.*
9 *In quibus conueniant pacta legis Commiſſoria, & pacta adiectionis in diem.*

1 PActum multipliciter diuiditur. *Primò*, in conuentum, ſeu expreſſum, & in tacitum. Expreſſum dicitur, cùm partes inter ſe expreſsè paciſcuntur. Tacitum vero, quod ratione alicuius legis interuenit, quantumcumque partes non paciſcantur inter ſe, vt cùm tutor eligitur, pupilli quorum curam accipit, habent ex iuris diſpoſitione tacitam hypothecam in illius bonis; ſic etiam vxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundo diuiditur in perſonale & reale; illud eſt quod ad aliam perſonam, nempe ad hæredem non tranſit: hoc vero, quod tranſit ad hæredem; vt ſi paciſcor tecum, ne petas à me, & poſſis petere à meo hærede: vel paciſcor, ne petam à te, & hæres meus poſſit à te petere.

Tertiò diuiditur quod aliud fit in rem, & aliud in perſonam. In rem autem eſſe dicitur, quoties generaliter paciſcor, ne petam rem. In perſonam vero, quoties paciſcor, ne à perſona petam.

Quartò diuiditur in nudum & veſtitum. Veſtitum dicitur pactum ſex modis, 1. re, 2. verbis ſcilicet in ſtipulando, 3. litteris, vt quãdo in litteris confitetur ſe aliquid recepiſſe, etiamſi non receperit, 4. conſenſu, vt in ſocietate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur ſcriptura vel præſentia, ſed ſufficit conſentire per ſe, vel per nuncium, aut ſcripturam, 5. cohærentia contractus, puta vendidit quis domum cum pacto vt moretur in ea per annum; veſtitur enim illud pactum cohærentia contractus, ſcilicet venditionis, aliàs eſſet nudum, 6. interuentu rei: puta, promiſi dare tibi aliquid, vt faceres mihi vel dares aliud; vnde ſtatim cùm dedero tibi promiſſum, veſtitur pactum ex parte mea;

ideoque

Digitized by Google

ideoque interuentu eius obligaris mihi ad promiſſum. Hæc omnia probantur *ex inſtitutis, de verb. oblig.* Nudũ vero pactum non veſtitur aliquo prædictorum, ſed tantum conſiſtit in meris & puris finibus conuentionis, & caret omni alio firmamento, v. g. promiſi tibi dare centum ſine aliqua interrogatione præcedenti, vel chirographo & huiuſmodi, & conſentis. De quibus Syluest. *verb. Pactum, q.2.* Reginaldus *lib. 25. cap.6. num. 71. & 72.* & alii citati *tom.1. verb. Contractus, n. 6.* Syluest. Regin.

2. Pactum, cùm ſit duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſus, *lib. 1 ff. de pactis*. Tamen pactum generalius eſt nomen, quam contractus: quia pactum dicitur de omnibus, quæ inter eos, qui contrahunt, aguntur cauſa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Proinde pactum eſt de non petendo debito, vel damno per iniuriam illato. Pactum etiam eſt in tranſactionibus, quę fiunt gratia litis dubiæ finiendæ. Pacta quoque fiunt pacis, belli, induciarum. Imò in vno contractu aliquando interueniunt duo, vel plura pacta. Vnde contractus generali nomine pactum dicitur, ſed tamen cùm habemus ſpecificum nomen, eo nominamus contractum, vt dicendo, venditio, locatio, & huiuſmodi: cùm verò non habemus generali nomine pactum appellamus.

3. Pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conuentio, & promiſſio inter ſe differunt & diſtinguuntur, quòd promiſſio ſi ſumatur largè, eſt affirmatio, vel negatio, qua quis ſe aliquid dicturum, vel facturum affirmat, aut negat, & eſt quid commune ad omnia prædicta. Sed propriè *promiſſio* eſt, cùm quis præcedente rogatione, ſeu petitione, vel interpellatione alterius, ſpondet ſe aliquid daturum, vel facturum, vt ſi rogem te, vt mihi mutuo des centum, & ſpondes te daturum. *Pollicitatio* verò eſt ſolius offerentis promiſſio, cùm quis ſponte ſua nõ rogatus ab alio, promittit aliquid alteri, & hoc eſt quod ſignificatur *in l. pactum, ff. de pollicitationib.* & fit ſine interrogatione præcedente. Hinc fit, neque promiſſionem, neque pollicitationem eſſe inter duos, quorum vnus ſit debitor, & alter creditor, ſed tantùm eſſe ſponſionem vnius, qua ſe obligat alteri, cum ipſius conſenſu. *Pactum* verò propriè eſt, quando verba præmittuntur à promittente, & confeſtim ſequuntur verba in admittente, vt v. g. dabo tibi centum, vt mihi vendas equum, & tu ſtatim reſpondeas, mihi placet. Vnde de ratione pacti ſunt tria: *Primò*, quòd iſte actus generatur inter plures. *Secundò*, quòd partes ſint præſentes per ſe, vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant. *Tertiò*, quòd verba præmittantur à ſpondente. *Stipulatio* autem propriè eſt, verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, reſpondet ſe daturum, aut facturum illud, quod interrogatus eſt, vt, promittis te mihi daturum centum? tu ſtatim reſpondes, promitto; ſtipulatio eſt. *Conuentio* verò eſt aliquid generalius pacto: quia & ſcholares in ſcholis, & religioſi in capitulo conueniunt, *l.1. §. conuentionis verbum, ff. de pollicitat.* & propriè videtur in iure paſſiuè ſumi pro citatione, actiuè verò pro pacto. Ita *Syluester*, & alii.

4. Effectus proprius cuiuſque pacti eſt naturalis obligatio, iuxta regulam 84. ff. *Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus.* Ex in lib. 1. ff. de pactis. *Quid enim tam congruum fides humana, quàm ea, quæ inter eos placuerunt ſeruare?* Obligatio autem definitur, Inſtitut. de oblig. *Iuris vinculum quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ, vel faciendæ.* Huic obligationi, ac debito ex altera paciſcentium parte correſpondet petitio, et actio, id eſt, ius proſequendi, quod ſibi debetur.

Quoad obligationem hoc diſcrimen notatur inter promiſſionem & pactum; quod ex promiſſione iam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis; quia ea fit gratis, nec ei cui fit quidquam imponitur. At ex pacto naſcitur obligatio ex parte vtriuſque paciſcentis: eo quod fiat, tam promittente, quàm admittente, ſe ad aliquid dandum, vel faciendum, vel præſtandum adſtringente.

Porrò actio eſt duplex, vna quæ dicitur perſonalis, altera realis. Actio perſonalis eſt, qua agimus aduerſus eũ, qui nobis eſt obligatus ex aliqua cauſa ad faciendum, aut dandum aliquid; & ideo ſemper naſcitur proximè ex contractu, vel quaſi contractu, quo quis nobiſcum contraxit: ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis in nos deliquit, vel quaſi deliquit. Realis actio eſt, per quam rem noſtrã, quæ poſſidebatur ab alio petimus: & ideo ſemper eſt aduerſus eum, qui rem noſtram, poſſidet, etiamſi nihil nobiſcum contraxerit; aut contra nos nihil deliquerit. Proinde actio realis ſemper naſcitur ex dominio, vel quaſi dominio, ſiue ex iure ex re, ſiue ex iure in rem: & hæc actio non eſt in perſonam, quę ex aliqua cauſa nobis fuerit obligata, ſed in rem, quam poſſidet, cùm tamen nobis debeatur, *l. in rem, ff. de rei vindic.* & tradunt communiter Doctores.

5. Omne pactum turpe, vel quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur. Proinde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, eſt pactum legis commiſſoriæ, quando creditor cum debitore paciſcitur, vt ſi ad tempus conſtitutum, debitum non ſoluerit, aut non ſatisfecerit creditori, pignus cedat in ius & dominium ipſius creditoris. Dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitum non ſoluto: & ex inſtar pacti, quod in venditione & emptione conſueuerunt aliqui apponere, vt ſi intra certum tempus emptor non ſoluerit pretium, res non ſit empta; quod pacti genus in venditione, & emptione eſt iure ciuili approbatum, vt patet *ex tit. ff. de lege commiſſoria.* At vero idem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, vtroque iure ciuili, & Canonico damnatur, *l. vlt. Cod. de pactis pignorum, & cap. ſignificante, de pignorib.* Quare autem hoc pactum in emptione permittatur, & non in pignoribus? Reſpondent Doctores, quia venditor emptorem iniuria, vel damno non afficit, ſi rem ſuam emptori vendat ea lege, vt ſi pretium tempore præſtituto non ſoluerit, pro non empta habeatur, & ad ipſum redeat. Sed pignus ſolet eſſe maioris æſtimationis & pretii, quàm ſit debitum. Ergo pactum, vt fiat pignus creditoris pro debito eſt cũ damno debitoris, quia cogitur plus ſoluere, quàm debeat, & minoris vendere rem ſuam. Ita Io. Andreas, Panormitanus *in d. cap. ſignificante*, & Gloſſa *in l. vlt. Cod. de pactis pignor.* Sylueſter *verb. Pactum q. 14.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 324.* Qui nouiſſimus obſeruat ex Panormitano *in cap. ſignificante, num. 7.* ſi pactum ſit, quod debitore intra terminum non ſoluente, pignus ſit venditũ, non certo aliquo & determinato pretio, ſed pretio iuſto arbitrio boni viri, validum eſſe tale pactum. Io. And. Panorm. Molin.

5. Ex iure communi pactum initum per Prælatos Religionum Mendicantium, puta Priores, Guardianos, &c. cum Rectoribus, vel perſonis Eccleſiarum vbi habitant, ſuper iuribus Parochialibus, vel aliis quibuſcumque, debet perpetuò ſeruari, ſi factum eſt cum aſſenſu ſuorum conuentuum, vel locorum, licet non interuenerit aſſenſus Magiſtri, vel Miniſtri Prouincialis, aut Generalis, vel Sedes Apoſtolica, quoad Fratres Minores authoritatem non præſtiterit. Ita ſancitum eſt *in cap. quia ex eo, de pactis in 6.* Bonifacius VIII. ſic loquitur, *Præſenti decreto ſancimus, compoſitiones, & pacta huiuſmodi cum Prælatis, capitulis, & rectoribus, & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum Conuentualibus Prioribus, ſeu Guardianis facta, vel approbata de ſuorum Conuentuum conſilio, & aſſenſu (dum tamen aliàs ſint licita, & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis in quibus fuerunt facta, perpetuò inuiolabiliter obſeruari: non obſtante, quod Magiſtri, vel Miniſtri, aut Priores Generalium, ſeu Prouincialium prædictorum non interuenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum Generalibus, vel Prouincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quòd Sedes Apoſtolica in iis quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerunt, authoritatem ſuam non præſtiterit, vel aſſenſum.* Nec huic iuri obſtat Bulla Alexandri Papæ IV. apud Bullarium Rodriquez *Bulla 25.* eiuſdem Pontificis, qua conceſſit Generali Minorũ, ac Prouincialibus, vt pacta illa quæ facerent Guardiani, Cuſtodes, & alii Fratres abſque licentia Generalis, vel Prouincialis eſſent irrita, neque ad illa Fratres obligarentur, quia Emanuel Rodriguez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 39. art. 8.* citans iſtam conceſſionem, dicit eſſe reuocatã, per prædictum decretum Bonifacii VIII. qui vixit poſt Alexandrum. Portel verò *in dub. regul. verb. Pactum in addit.* Bonif. 8. Alex. 4. Rodrig. Portel.

a ldit. num. 1. credit, non eſſe reuocatam, niſi fortè in parte, videlicet, quoad pactum à Guardiano ſuper Canonica quarta parte, de qua *loco cit.* agit Rodriquez. Hęc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt etiamſi fiant abſque cõſenſu Prouincialis, vel Generalis. Bonif. 8. Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super iuribus Parochialibus*. Alex. 4. At Alex. IV. non loquitur vllo modo de iuribus Parochialibus, ſed in genere dicit: *Super locis ad dictum Ordinem pertinentibus eorumque cęmeterio.* Quæ verba nõ agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant, neque item ſignificant, iura Parochialia, ac proinde videtur conceſſio nimis diuerſa, & non reuocata per dictũ Bonifacium VIII. Ita *Portel*. Cõc. Lat. Leo X. In Concilio Generali Lateranenſi Leo X. Bulla, *Dum intra num.* 8 ſtatuit, quod *Pacta, & conuentiones inter eoſdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita, valeant: niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale, vel Prouinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.* Miranda. Miranda autem *tom. 2. quæſt. 48. art. 12. concl.* 1. docet, in caſu quo Eccleſia non damnificatur, valere eiuſmodi pacta conuentiones, etiam factas ſine auctoritate Superioris. Ratio in promptu eſt, quia non niſi ob vehementes cauſas, maximi iudicis debet auctoritas vocari, & priuilegia in contrarium ſunt reuocata.

7. Iure naturali poteſt Prælatus obligari Religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito: ſicut inter ſeruum & Dominum poteſt interuenire ſimile pactum obligans ipſum Dominum, *l. natur aliter, l. ſi quod Dominus, ff. de condict. indebiti*. Proinde non poterit tale pactum reuocari per Prælatum concedentem aliquod peculium dicto Religioſo cum pacto, & lege aliquid operis adimplendi, in quo fecit impenſas ſua induſtria quæſitas; quia etſi nõ ciuiliter, obligatur tamen naturaliter Prælatus ſua promiſſione Religioſo ſubdito, ſicut Dominus ſeruo: vnde Prælatus reuocans huiuſmodi pactum abſque iuſta cauſa peccabit, licet reuocatio ſit valida. Rodrig. Nauar. Ita Rodriquez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 29. art. 9.* Nauarrus *lib. 3. conſil. in 1. edit. tit. de regularib. conſil. 20. in 2. tit. de ſtatu Monach. conſil.* 14. Sanch. probabiliter. Sanchez tamen *lib. 7. moral cap. 29 n.* 125. quamuis fateatur ex pacto Abbatis cum Monacho oriri obligationem naturalem; at in prædicto caſu negat eam oriri poſſe, quia ea promiſſio, ſeu pactum tamquam iuri communi contrarium, diſponenti nihil concedendum religioſo, quod reuocari nequeat ad nutum Superioris, eſt omnino irritum. Et hanc ſententiam dicit eſſe communem, pro qua citat multos, nempe *Angelum*, *Roſellam*, *Sylueſter*, *Tabienam*, *Azorium*, & alios Iuriſperitos.

8. Pacta & promiſſiones, quibus vnus alteri concedit, vt non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum cõmiſerit, aut vt id exigi ab eo non poſſit, ipſo iure nullæ ſunt & irritæ, quia contra bonos mores; vt ſi quis aliquẽ in negotiorum ſuorum geſtorem ſumpſerit, pacto inito cum eo, vt is non teneatur de dolo, aut furto, quod in ea adminiſtratione commiſerit: tale enim pactum præberet manifeſtam ruinæ occaſionem tali adminiſtratori, neque id in vlla benè inſtituta republica permitti vlla ratione debet. Tamen ſi poſtquam furtum, aut dolus in adminiſtratione ſunt commiſſa, remittantur ab eo cuius erant illa bona, aut iura, tunc valida eſt talis remiſſio; quia non præbet ruinæ occaſionem, ſed ſolum condonat debita contracta, aut delicta antea commiſſa.

Similiter inualidum eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, vt non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit: Secus autem, ſi condonetur iniuria antea illata, aut ſi tutori, aut curatori teſtator concedat, vt non teneatur de dolo, quod commiſerit in adminiſtratione bonorum, filiorum ſuorum. Hæc habẽtur *l. ſi vnus §. illud, & §. pacta ff. de pactis, l. pacta quæ, C. de pactis, l. quidam decedens in princip. iuncta Gloſſ. ibi verb. ius publicum, ff. de adminiſtrat. tutor.*

Nulla ſunt etiam pacta, quæ idcirco ſunt contra bonos mores, quod vel manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, facileve afferre poſſunt moribus, quos eſſe expedit in benè inſtituta republica. Proinde nullum eſt pactum, ſi quis promittat ſe non reuocaturum teſtamentum, aut ſe diſceſſurum ab inteſtato. Item ſi quis ita ſtipuletur ab aliquo: tantumne mihi dare ſpondes, ſi me hæredem non inſtituas, & alius ei promittat, nulla eſt talis promiſſio, vt habetur *l. ſtipulatio hoc modo, ff. de verbor. oblig.* Item pactum pœnæ appoſitæ nõ ſtanti ſponſalibus eſt etiam nullum, vt habetur *in cap. gemma, de ſponſ.* Ratio horum eſt, quia ex illis pactis præiudicium tacitè oriri poteſt aduerſus bonos mores, vel aduerſus id quod expedit, vt in benè inſtituta republica, ad commune bonum ſeruetur, eaque de cauſa iure humano irrita redduntur.

9. Cùm pacta legis commiſſoriæ, & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris fauorem ſint appoſita, conueniunt hæc pacta, vt non impleto pacto, in poteſtate venditoris ſit, vel diſſoluere contractum, vel eum non diſſoluere, ſed cogere emptorem, vt pretium ſoluat, prout venditor maluerit. Si tamen dicat, ſe velle diſſoluere contractum, deinceps cogere non poteſt emptorem ſoluere pretium. Si idem ſemel pretium petat, aut partem illius, non poterit deinceps contractum diſſoluere. Poterit verò emptor ſtatim, pacto non impleto, vel non impleta lege contractui appoſita, cogere venditorem, vt dicat, quid eorum potiùs eligat. Præterea, ſi res pereat antequam venditor diſſoluat contractum, perit emptori, & non venditori. Hæc habentur, quoad pactum legis cõmiſſoriæ attinet, *l. 2. 3. & 4. §. eleganter, & l. 6. & 7. ff. de leg. commiſſor.* Quod vero attinet ad pactum adiectionis in diem habentur, *l. 2. & 3. & l. eum qui, in princip. & l. Sabinus, ff. de in diem adiect.*

Conueniunt deinde pacta legis commiſſoriæ, & adiectionis in diem; quia ſi cõtractus ex eiuſmodi pactis diſſoluatur, fructus medio tempore percepti pertinent ad venditorem. Tenetur præterea emptor, ſi res illa culpa ipſius deterior eſt reddita, ſoluere venditori æſtimationem damni talis rei, vt habetur *l. ſi fundus, in princip. ff. de leg. commiſſor.*

In pacto verò adiectionis in diem, quando res primo emptori conceditur, nõ quod venditor priorem emptionem eligat, ſed quod offerente alio meliorem emptionẽ, primus emptor auget ſupra pretium ab hoc alio oblatũ, neque eſt, qui plus deinceps offerat, fructus medii temporis pertinent ad venditorem, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu. Ratio huius eſt, quia eo ipſo, quod alius plus obtulit, ſignificatumque eſt primo emptori, reſciſſa fuit prima emptio, & ab ea fuit receſſum. Ita *l. item quod, §. ult. iunctis duabus legibus ſequent. ff. de in diem adiect.*

Porrò conueniunt pactum legis commiſſoriæ & adiectionis in diem, quòd ſequuta venditione, ex qua venditio reſcinditur, eo ipſo abſque alia traditione dominium rei illius tranſit, in primum venditorem, competitque ei rei vendicatio ad cuiuſcumque poteſtatem res illa deuenerit. Ita quoad pactum adiectionis in diem, colligitur *ex l. ſi quis hac in princ. ff. de rei vendic. & ex l. ſi ex duobus, §. ſed & Marcellus. ff. de in diem actione*. Idem quo ad pactum legis commiſſoriæ colligitur *ex l. commiſſoria C. de pact. inter emptor. & venditor.* & docent ex communi Couarruuias 3. *variar. cap. 8. num.* 1. & Antonius Gomez *tom. 2. variar. 2. cap. 2. num.* 30. Couar. Gomez.

Vide tom. 1. verb. Donatio n. 2. & ſeq. Emptio n. 33. & hoc tomo verb. Locatio n. 2. & ſeq. Pignus num. 11. Superſtitio.

PALLIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Pallium? & quando illo vtuntur Papa, Patriarcha, & Archiepiſcopus.*

1 PAllium eſt ornamentum ad modum ſtolæ ſacerdotalis crucibus nigris intextum ſuper alia ornamenta delatum, humeros ad inſtar coronæ pectusque circundans, antè dependens, ſignificans plenitudinem

Pon-

Digitized by Google

Sylueſt. Sa. Sanchez. Marcb. Hoſtien. Pontificalis officij, *cap. pallium d.* 100. Sylueſter *verb. Pallium*. Emanuel Sà *verb. Pallium*. Sanchez *lib. 4. moral. cap. 38. num. 9.* Marchinus *de Ordine tract. 4. cap. 9.* Hoſtienſis *in ſum. lib. 1. tit. de Authorit. palli*, illo vtitur Papa ſemper & vbique: Patriarcha autem & Archiepiſcopus ſolùm infra Miſſarum ſolemnia, in Eccleſijs ſuæ prouinciæ, non autem extra Eccleſiam, puta in proceſſione: Debet hodie peti à Papa intra tres menſes à tempore cõſecrationis, vel confirmationis, ſi ante fuit conſecratus. Ante eius receptionem non poteſt quis ſe Archiepiſcopũ nominare, ſed poſt: nec conuocare concilium, nec conficere chriſma, nec dedicare baſilicas, nec ordinare clericos, nec Epiſcopos conſecrare: Non poteſt autem Archiepiſcopus pallium ſuum alteri commodare; imò debet cum eo ſepeliri, quia perſonam eius non tranſit. Plura pallio apud *Marchinum* citatum.

PAPA.

SVMMARIVM.

1 *Papa vnde dictus? & an ſit totius Chriſtiani populi paſtor?*
2 *An Papæ iuriſdictio à Chriſto proueniat?*
3 *An Papa errare poſſit in decretis fidei vniuerſalibus, quæ toti Eccleſiæ proponit?*
4 *An in dijudicandis particularibus quæſtionibus, Papa, etiam vt publica perſona errare poſſit?*

1 PApa dictus eſt, quaſi admirabilis, à Pape! interiectione admirantis, eò quòd vicarius ſit Chriſti & Dei, cuius eſt terra & plenitudo eius. Eſt totius Chriſtiani populi paſtor, omnium Eccleſiarum caput, & Epiſcopus Epiſcoporum, ex Chriſti inſtitutione. Clement. Clemen. Sylueſt. *Romani, de iureiuran.* Sylueſt. *verb. Papa n. 1.*

2. Iuriſdictio Papæ non confertur à Cardinalibus per electionem, ſed poſtquam ij perſonam deſignarunt, à Chriſto prouenit, vi promiſſionis factæ Sancto Petro *Matthæi* 6. vnde obſeruatum ſemper fuit, vt Summus Pontifex à nemine iudicari, aut deponi poſſit, niſi in hæreſim notoriam labatur, ſaltem poſtquam ab Eccleſia declarata eſt. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 6. §. 1. num. 6. 7.* Laym. Suarez. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 7.*

3. Quamuis Papa quoad ſuam perſonam in hæreſim etiam notoriam incidere poſſit, tamen ob Dei prouidentiam errare non poteſt in decretis fidei vniuerſalibus, ſeu quæ toti Eccleſiæ proponit, quamuis ſine Epiſcoporum Concilio; neque in præceptis morum verſantibus, circa res ad ſalutem neceſſarias, vel quæ per ſe bonæ, aut malæ ſunt; quia ſi Papa in his fidei, aut morum decretis erraret, tunc tota Eccleſia in errorem contra fidem, aut doctrinam Chriſtianam induci poſſet, quod impoſſibile eſt. Azor. Bannez. Layman Azorius *tom. 2. lib. 5. cap* 5. Bannez 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 2. Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 7. num. 1. &* 2. & alii.

4. Errare poteſt Papa, etiam vt publica perſona, in iudicandis particularibus quæſtionibus, quæ plerumque de facto ſunt; quia aſſiſtentia & directio Sancti Spiritus promiſſa eſt Petro, & ſucceſſoribus eius in ordine ad Eccleſiam, ne eam in errorem inducant; cuius rei periculum nullum eſt in decretis particularibus non pertinentibus ad vniuerſam Eccleſiam. Bannez *cit. dub. 6. concl. 4.* Bannez. Bellarm. Corduba Bellarminus *lib. 4. de Pontifice cap.* 2. Corduba *lib. 4. q. 1. prop.* 10.

De poteſtate Papæ, vide to. 1. verb. Beneficium 5. n. 1. 3. Bigamia n. 11. Bona incerta n. 9. Caſus reſeruatus n. 1. Cenſura n. 9. & 18. Confeſſarius 1. n. 19. Confeſſarius 2. n. 5. & 11. Diſpenſatio n. 3. & ſeq. Euchariſtia 1. n. 10. Feſtum 1. n. 3. Feſtum 3. n. 7. Feudum n. 3. Gabella n. 2. Horæ canonicæ 6. n. 6. & hoc tomo verb. Indulgentia 1. Indulgentia 3. n. 1. & 2. Interdictum 4. n. 1. Irregularitas 1. n. 4. Irregularitas 2. n. 16. Irregularitas 11. n. 4. Lex 1. n. 6. Matrimonium 2. n. 3. Matrimonium 7. n. 1. 2. Matrimonium 9. n. 1. 2. Simonia 1. n. 6. Religio 1. n. 8. Votum 5. n. 2. & 3. Votum 5. n. 5. Votum 7. n. 3. Ordo 1. n. 3.

SVPPLEMENTVM.

PAPA.

SVMMARIVM.

1 *Quibus nominibus Romanus Pontifex decoretur.*
2 *An Papa ſit S. Petri ſucceſſor in vicariatu Chriſti.*
3 *An Papa poſſit ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare ea quæ ſunt iuris diuini?* refertur duplex ſententia.
4 *An poſſit abrogare, vel mutare ea quæ iure naturali præcipiuntur, vel prohibentur.*
5 *Quid poſſit Papa circa iura ciuilia Principum, & Regum.*
6 *Quomodo habeat Papa plenitudinem poteſtatis.*
7 *An Papa poſſit conſtitutionem condere de forma eligendi futurum Romanum Pontificem?*
8 *An Papa poſsit ſibi eligere ſucceſſorem?* refertur duplex ſententia.
9 *An in canonizatione Sanctorũ Papa errare non poſsit?*
10 *An Papa poſsit errare in fide, & in hæreſis crimen incidere?* refertur duplex ſententia.
11 *Qua fide credendum ſit, hunc vel illum, qui nunc clauum Eccleſiæ tenet, eſſe verè Summum Pontificem, Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium in terris.*
12 *Quid poſsit Papa circa regimen Eccleſiæ?*

1 ROmanus Pontifex varijs titulis eſt decoratus, cõmuniter enim vocatur *Papa*, ſiue ab interiectione admiratiua Papè, (admirabilis eſt enim potentia, dignitasque Romani Pontificis) ſiue à Græco πάππας, quod Patrem & Nutricium deſignat (eſt enim verè Pater & Nutricius Eccleſiæ, & omnium fidelium) ſiue à πάππος, quod Auum indicat, deriuatio ſumatur. Eſt enim Auus & Pater Patrum totius Eccleſiæ.

Vocatur etiam Epiſcopus Epiſcoporum, & Pontifex Maximus à Tertulliano *lib. 1. de pudicitia*, recitante Tertul. Edictum à Victore I. Papa, de lapſis ad pœnitentiam recipiendis, emanatum. Vocatur & à Conſtantino in 6. Synodo Conſtantinopolitana Act. 18. *Sanctiſsimus, ac Beatiſsimus Archiepiſcopus Vrbis Romæ, & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Epiſcopo Rauennate in Lateranenſi Synodo, *Dominus Sanctus, merito Beatiſsimus, totoque orbe vniuerſalis Pontifex.*

Patres VI. Concilii Generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant, *Summum Apoſtolorum verticem*. Patres IV. Concilii Generalis, quod eſt Chalcedonenſe *Actione* 1. Leonem Papam vocant, *Apoſtolicam Sanctitatem.* In Epheſino Concilio Generali, *Act.* 1. Cęleſtinus Papa, *vir Apoſtolicus*; & in ſubſcriptione, *Papa Apoſtolicus* appellatur.

Quamuis enim Romani Põtifices abhorrere ſoliti ſint à nomine Oecumenici, ſeu Epiſcopi vniuerſalis; partim propter Conſtantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen ſuperbè ſibi arrogare auſi ſunt, vt videre eſt in Epiſtola Pelagii II. ad vniuerſos Epiſcopos, quæ incipit, *Manifeſto*. Gregorii I. *lib. 4. indict. 13. Epiſt.* 38. ad Ioannem Pelagii II. Greg. I. Conſtantinopolitanum: Tum quia nomen illud ambiguum ſenſum habere poteſt eo quòd iſte terminus *Epiſcopus*, aut *Pontifex vniuerſalis*, videretur auctoritatem aliorum Epiſcoporum excludere; quaſi verò qui ſe vniuerſalem, ſeu vniuerſum Epiſcopum appellat, ſolus Epiſcopus eſſe velit, quaſi totus orbis vnam Diœceſim conſtitueret. At verò titulus, quo Romani Pontifices inſigniri voluerunt, eſt *vniuerſalis*, ſeu *vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopus*, aut *Paſtor*. Ex quo enim Pontifex in vniuerſum orbem poteſtatem eminentem exercet, verè *vniuerſalis*, ab antiquiſſimis dictus eſt, & modò etiam ſic appellari conuenit.

2. Papa, ſeu Romanus Pontifex eſt S. Petri ſucceſſor in Vicariatu Chriſti. Probatur, quia ille in Vicariatu Petri ſuccedit, qui in Cathedram, quam pro vniuerſi Eccleſia Petrus fundauit, tenuit, & in cuius adminiſtratione mortuus eſt, ſuccedit: ſed Romanus Pontifex in

Ca-

Cathedram Romanam quam Petrus pro vniuerſali Chriſti Eccleſia fundauit, tenuit, & in cuius adminiſtratione mortuus eſt, ſuccedit, ergo Pontifex Romanus in Vicariatu Petri ſuccedit. Hanc veritatem agnouit ſemper vniuerſalis Eccleſia, & Patres. Quod probatur ſufficienter ex Canone 39. Concilii Nicæni primi, vbi, de Patriarchis loquens, Sedi Romanæ ſupremum ſuper omnes Patriarchatum decernit. *Eſt*, inquit, *Patriarcha loco Patris, ſub cuius dominatu, ac Poteſtate ſunt filij eius, ſicque præeſt Patriarcha omnibus, qui ſub poteſtate ei s ſunt; ſicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum: Quandoquidem ipſe eſt primus ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam, & quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Iterùm *Veneramur ſecundum Scripturas & Canonum Definitionem Sanctiſſimum Romanæ antiquæque Eccleſiæ Epiſcopum, Primum & Maximum omnium Epiſcoporum: vt autem cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha, & leges incidit, & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius Religioni, Eccleſijs cæteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus præfectus, Principum Chriſtianorum, Prouinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cuius Principatus Romæ eſt. Petro ſimilis & auctoritate par Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet: Huic Sanctioni ſi quis repugnauerit & obſiſtere auſus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati ſubijcitur.* Præterea Patres Concilii Florentini ſic aſſerunt. *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & in ipſo B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Quod ſubinde probari poteſt, quod Primatus Petri non fuit perſonalis, ſed in ſucceſſores vſque ad finem mundi deriuatur. Fundamentum enim ſuper quod Eccleſia viſibilis fundata eſt, eſt Petrus & Petri primatus, ergo quamdiu corpus Eccleſiæ viſibile in terris manet, tamdiu Petrus perſeuerat: non perſeuerat autem in perſona ſua ſingulari, ergo perſeuerat in ſucceſſoribus ſuis: Nō enim ſtructura ſine fundamento, Regnum ſine Principatu, Ouile ſine Paſtore, Corpus abſque capite viuum ſtare poteſt ordinaria poteſtate. Tum quia poteſtas ſumma penes vnū Principem ſpiritualem, Paſtoremque vniuerſalem eſſe debet, cui oues ſuas & agnos Chriſtus Dominus paſcendos, regendoſque ſublimi auctoritate conceſſit. Hunc verò Paſtorem Oecumenicum Monarchicumque Principem alium à Sancto Petro, & ſucceſſoribus eius legitimis Apoſtolicæ Sedis hæredibus à Chriſto Domino fuiſſe creatum, quis mentiendo audebit impudenter aſſerere, niſi quem Dæmonum præſtigiis dementatum nefanda impiaque hæreticorum dogmata fefellerunt? De his videndi ſunt Bellarminus *lib. 1. de Roman. Pontif. cap.* 16. Duuallius *de Roman. Pontif. part. 1. q. 3. & 4.* Michael Mauclerus *de Monarch. Eccleſ. tom. 1. part. 2. lib. 1. cap. 1.* & alii.

Concil. Nic. — Concil. Flor. — Bellarm. — Duuall. — Maucler

3. Canonici iuris interpretes communiter docent poſſe Papam ius diuinum declarare, interpretari, reſtringere, remittere, amplificare, augere, & mutare. Probant id exemplis; nam diuini iuris eſt Sabbathum colere; diebus Feſtis à veſpera in veſperam feriari; decimam partem ex perceptis fructibus ſoluere Eccleſiæ; votare debere, quod iureiurando promiſimus, præſtare, & implere; Et tamen Eccleſia Sabbathi cultum in diem Dominicam mutauit, nec vbique in diebus feſtis à veſpera in veſperam à laborando ceſſamus: nec vbique perſonalis, aut prædialis decima ſoluitur, & votum, ac iuramentum ſæpè Papæ auctoritate relaxatur; ergo &c. Ita Abbas & alii *in cap. vlt. de conſuetudine*, vt teſtatur Couarruuias *de matrim. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 2. & 3.*

Abbas. Couar.

Theologorum tamen opinio communis eſt *in 3. diſt. 37. & in 1. 2. quæſt. 10. art. 8.* nihil eorum quæ ſunt iuris diuini, poſſe Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamuis ex iuſta cauſa poſſit hunc, vel illum à iuris diuini rigore eximere: quia non idem eſt, ius diuinum ex toto, vel ex parte tollere, quod rigorem illius iuris ex iuſta cauſa relaxare, hoc eſt aliquem à iuris diuini rigore ſoluere. Hæ tamen opiniones conciliantur, dicendo, quòd Iuris Canonici interpretes ius diuinum latiùs, ac fuſiùs interdum accipiunt, quam Theologi. Nam quidquid in veteri Teſtamento imperatur, aut vetatur, vel etiam continetur, & quidquid in nouo decernitur ac traditur, ius diuinum appellant Canoniſtæ. Sed Theologi preſſiùs, & ſtrictiùs ius diuinum accipiunt, videlicet id quod Deus, ſiue Chriſtus Dominus fieri iuſſit, aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice abrogari, vel mutari non poſſe: quia inferior auctoritas, nihil contra Superiorem poteſt. Certum eſt tamen apud omnes Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi, quæ ſunt obſcura, vel ambigua in iure diuino. Eccleſia enim poteſt declarare quæ ſunt obſcura, vel dubia in ſacris litteris, vel regulis fidei.

Ex quibus infertur non eſſe in Romano Pontifice poteſtatem determinandi tempus præcepti diuini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur: quia præcepto diuino determinatum eſt hoc tempus, nempe cùm primùm commodè poſſint, quamuis quando occurrit dubium, an cauſa aliqua ſit ſufficiens ad dilationem Baptiſmi, id poſſit interpretari Eccleſia, non minus quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs. Ita *Vaſquez*, & *Suarez*, quos citat & ſequitur Hurtadus *de Sacram. Baptiſm. diſput. 1. diffic. 17.* & communis. Solùm autem Eccleſia poteſt definire tempus, in quo parentes Chriſtiani debeant ſuos infantes baptizare ratione iuriſdictionis quam in parentes habet, qui regere debent paruulos. De quibus Diana *par. 8. tract. 1. reſ. 2.* qui benè aduertit aliquando potuiſſe Eccleſiam determinare tempus, in quo miniſtris Eccleſiæ, & non in alio, deberent exhibere Baptiſmum adultis petentibus, ſcilicet Vigiliam Reſurrectionis, & Vigiliam Pentecoſtes, vt habetur *in cap. Non ratione, de conſecr. diſt. 4. & cap. duo tempora, & cap. propriè, ead. diſtinct.* Illa tamen conſuetudo ſolùm dictis temporibus baptizādi adultos, ferè in tota Eccleſia abrogata eſt per contrariam conſuetudinem, vt docet Rupertus *lib. 4. diuinor. officior. cap.* 18. cum aliis.

Hurtad. — Diana. — Rupert.

4. Certa eſt omnium ſententia non poſſe Papam quicquam abrogare, vel mutare eorum quæ iure naturali præcipiuntur vel prohibentur. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt, vel per ſe bona, vel mala abrogare, vel mutare nequit; nam quæ iure naturali imperantur, aut vetantur, mutari non poſſunt, niſi natura eorum variata & mutata. Tum quia lex naturalis quantùm ad prima principia legis naturæ eſt immutabilis, ita vt fieri non poſſit quod aliqua eiuſmodi quæ priùs erant leges naturales, vel ampliùs non ſint leges, vel deſinant obligare: eò quod iſta principia contineant vniuerſales regulas benè viuendi, & habeant veritatem prorſus neceſſariam, ſic vt impoſſibile ſit ea eſſe aliquando falſa. Ita D. Thomas 1. 2. q. 94. *art. 5.* & communis. Vide Azorium *tom. 1. lib. 6. cap. 1. q. 4. & 5.* Suarez *de legib. cap. 14. num.* 8 Syluium 1. 2. q. 94. *art. 5.* Syluestrum *verb. Papa q. 16.*

D. Tho. — Azor. — Suarez. — Sylu. — Syluest.

5. Iura ciuilia, quæ ſunt per ſe bona vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare, nō quia ius ciuile ea prohibeat, vel imperet; ſed quia ius ipſum naturæ ea præcipit, vel vetat. Si verò ſint bona vel mala, ea tantum ratione, quia iure ciuili imperantur, vel prohibentur, & hęc vel omninò vel ex parte à iure Canonico diſſentiunt; vel aliqua ratione iuri naturali, ac diuino aduerſantur, vt ſi lex ciuilis ſtatuat vſuram eſſe licitam, vel vt liceat alicui duas vxores ſimul habere, vel vt poſſeſſor malæ fidei præſcribat, vt nihil iuri diuino, naturali, vel canonico repugnant. Si nihil repugnant, non ſolet, nec poteſt abſque iuſta cauſa Papa tollere, abrogare, mutare, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. Si verò pugnant, poteſt Romanus Pontifex ea iura relaxare, mutare, & abolere: quia laici non poſſunt ſtatuta, vel leges condere, vel ferre contra ius diuinum, vel naturale, vel canonicum. Ita Syluestrum *verb. Papa quæſtione* 14. qui ſuſtinet, quod de plenitudine poteſtatis ex cauſa rationabili poteſt Papa omnes leges ciuiles euertere, & alias condere, niſi inquantum ſpectant ad ius naturale, aut

Syluest.

diuinum: Nec Imperator cum omnibus Regibus & populis Chriſtianis poſſent contra eius voluntatem quicquā ſtatuere. Nec quæ allegant Canoniſtæ contra hoc, aliquid concludunt, niſi ceſſante cauſa, & ex poteſtate iuridica, quæ, ſcilicet, eſt ſecundùm iura, quibus Papa ex neceſſitate non ſubditur.

Dictis conformia docet Bellarminus *controuerſia 3. Generali de Romano Pontifice lib. 5. cap. 6.* dicens. Quantùm ad leges, non poteſt Papa ordinariè condere legem ciuilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non eſt ipſe Princeps Eccleſiæ politicus: tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex ciuilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut ſi alia ſit noxia animarum ſaluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Itaque optima regula eſt, quam tradit Gloſſa *ad cap. Profeſſor, de regul. iur. in 6* quæ talis eſt, Quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur *cap. fin. de præſcriptionibus*, abrogauit legem Imperatoriam, quæ habetur *in Cod. de præſcriptionibus 30. vel 40. annorum*, etiam cum mala fide, quia non poterat ſeruari ſine mortali peccato. At quando materia legis eſt res temporalis, non concernens animarum periculum, non poteſt lex pontificia abrogare legem imperatoriam, ſed vtraque ſeruanda eſt, illa in foro Eccleſiaſtico, iſta in foro ciuili.

Gloſſa.

6. Papa ſi conferatur, cum Chriſto, non habet plenitudinem poteſtatis, ſed tantùm ſuam quandam portionem ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Chriſtus enim regit omnem Eccleſiam, quæ eſt in cœlo, in purgatorio, in terris; & quæ fuit ab initio mundi, erit vſque ad finem; ac propterea pro arbitrio poteſt leges condere, Sacramenta inſtituere, gratiam tribuere, etiam ſine Sacramentis. At Papa ſolùm regit eam Eccleſiæ partem quæ eſt in terris, dum ipſe viuit, nec poteſt leges Chriſti mutare, aut Sacramenta inſtituere, aut peccata ſine Sacramento remittere. Si tamen Summus Pontifex cum Epiſcopis cæteris comparetur; meritò dicitur habere plenitudinem poteſtatis: quia cæteri definitas habent regiones, quibus præſint, definitam etiam poteſtatem: ipſe verò toti orbi Chriſtiano præpoſitus eſt, & totam, ac plenam habet eam poteſtatem, quàm Chriſtus ad Eccleſiæ vtilitatem in terris reliquit.

7. Ex communi omnium ſententia *in cap. licet, de elect.* poteſt Papa conſtitutionem condere de formula & ratione eligendi futurum Romanum Pontificem: quia talis formula non eſt iure diuino conſtituta, ſed Canonico; at ius Canonicum Papæ poteſtati ſubijcitur; ergo ea formula electionis Pontificię, poteſt Romani Pontificis Cōſtitutione mutari, minui, & reſtringi; proinde hactenus varia, & diuerſa circa Pontificis electionem decreta fuerunt conſtituta, vt oſtendit *cap. in nomine, diſtinct. 23. & cap. licet, de elect. & cap. Vbi periculum, de elect. in 6.* Clement. *ne Romani, de elect.* & tandem à Iulio II. Paulo IV. & Pio VI. ſunt de eadem re conditæ variæ Conſtitutiones.

Iulio 2. Paulus 4. Pius 4.

8. Difficultas magna eſt inter Doctores, an Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem? Pro ſententia affirmatiua facit, quòd ad Papam ſpectat definire modum, quo Cardinales vti debent in electione ſucceſſoris, ex quo ſequitur hoc ius primariò eſſe in Summo Pontifice, vt ipſe eligere ſibi poſſit ſucceſſorem: nam, ſi non poſſet Papa ſucceſſorem ſibi eligere, neque etiam ſua lege poſitiua aliis præſcribere poſſet modum electionis, ſicut reuera præſcripſit & Cardinalibus tribuit; quare enim non ſibi tribuere poſſet, quod aliis poteſt? Imò poſſet legem ferre, vt viuens Pontifex eligeret ſucceſſorem, & iſta lex videtur Futura conuenientiſſima ad tollenda ſchiſmata, & ambitiones. Tum quia fertur S. Petrum elegiſſe ſibi Clementem, vt in Pontificatu ſuccederet, teſte Ioanne III. in Epiſtola vnica, quæ eſt ad Germanoræ & Galliæ Epiſcopos, capito primo. Vt habetur *in cap. Si Petrus, & cap. Vnde 8. quæſt. 1.* Nec dici poteſt cum fundamento, hoc fuiſſe Petro conceſſum ex peculari priuilegio, vt ſibi ſucceſſorem eligere poſſet, fecit enim hoc ex ordinaria

Ioan. 3.

poteſtate, ergo dubitandum non eſt, aliis etiam Pontificibus hanc poteſtatem reipſa Deum tribuiſſe. Proinde hanc opinionem ſuſtinent Vaſquez *in 3. part. tom. 3. diſp. 244. cap. 3. num 26.* Victoria *in relect. Vndecima de poteſt. Eccleſiaſt. q. 2. propoſit. 10. num. 23.* Andreas Duuallius *de poteſtat. Roman. Pontific. part. 3. quæſt. 6.* Bonacina *tractatu de elect. Pontific. quæſt. 6. punct. 4. propoſit. 2.* & alii.

Vaſq. Victoria Duuall. Bonac.

Pro negatiua autem eſt, quia id eſſet in perniciem Eccleſiæ. Si enim ſucceſſio futuri Pontificis in libero Papæ viuentis eſſet arbitrio, iure ſanguinis, non ratione morum & vitæ ſucceſſor eligeretur, ex quo multa in Eccleſia incommoda, & mala naſcerentur. Tum quia effectus huiuſmodi electionis refertur ad tempus, in quo non eſt futurus Papa. Tum quia Bonifacius II tentauit ordinare ſibi ſucceſſorem Virgilium Diaconum, facta tamen iterum Synodo, ipſemet reum ſe cōfeſſus eſt Maieſtatis, quod ſibi ſucceſſorem conſtituiſſet; & decretum ſua ſubſcriptione munitum, in præſentia omnium Sacerdotum & cleri & Senatus incendio conſumpſit, vt refert Baronius *tom. 7. anno 571.* & hanc ſententiam eſſe communem inter Doctores teſtatur Panormitanus *in cap. licet de vitanda, de elect. num. 2.* quem ſequuntur *Caietanus, Vincentius Candidus Sacri Palatij Magiſter, Turrianus, Azorius, Comitolus*, & alii iuriſperiti citati à Diana *part. 10. tract. 5. reſol. 2.* quibus adhæret *reſol. 4.* Quorum aliqui ex citatis Auctoribus volunt id quidem iure diuino, & Chriſti inſtitutione non eſſe interdictum, ſed ipſo iure naturali videri eſſe cautum; nam eo ipſo quo Chriſtus Petrum ſuum Vicarium creauit, & voluit in eadem poteſtate Romanum Pontificem ſuccedere; liberum Eccleſiæ reliquit, vt hoc aut alio modo Pontifex eligeretur. Hac tamen libera poteſtate à Chriſto relicta, conſequitur, vt ipſa naturalis ratio præcipiat, ne Romanus Pontifex ſucceſſorem eligat; cùm illa dictet, innumera penè mala in Eccleſiam oritura, ſi Papa id fecerit.

Boniſ. 2.

Baron. Panorm.

Diana

Proinde ſupradictas opiniones admittunt vt probabiles, Suarez *lib. de fide, ſpe, & charitate diſput. 10. ſect. 4. num. 16.* Amicus *tom. 4. diſp. 6. ſect. 6. n. 204. & ſeq.* Prior enim nec concedit dictam poteſtatem Pontifici ſimpliciter, nec negat: concedit in raro caſu, vrgente aperta Eccleſiæ neceſſitate, & in eius ædificationem, non autem in deſtructionem. Negat autem ſi Papa tentaret prædictū eligendi modum tanquam ordinarium præſcribere, quia planè vergeret in perniciem Eccleſiæ vnde apertam contineret iniuſtitiam. Poſterior verò firmat Summum Pontificem poſſe ſibi ſucceſſorem poſt mortem deſignare, & ſic deſignatum, validè electum fore; modò talis electio apertam non contineat iniuſtitiam; quod contingeret ſi hoc faceret, quaſi ex teſtamento dignitatis ſuæ hæredem ſubſtitueret: tunc enim inualida eſſet electio, tanquam vſurpati iuris non ſui.

Suar. Amicus.

9. Piè credendum eſt Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum. Ratio eſt, quia honor & cultus publicus, quem Sanctis poſt canonizationem impendimus, eſt quædam fidei profeſſio, qua Sanctorum Gloriam credimus, & Summus Pontifex non poteſt errare in rebus fidei decernendis. Ita D. Thomas *quodlib. 9. q. 7. art. 16.* D. Antoninus *part. 3. tit. 12. cap. 8. §. 2.* Syluester *verb. Canonizatione q. 3.* Azorius *part. 2. lib. 5. capit. 6. quæſt. 5.*

D. Tho. D. Ant. Syluest. Azor.

Si dicas, canonizatio Sanctorum nititur teſtimoniis hominum, qui & fallere & falli poſſunt? Reſp. cùm Papa auctoritate Apoſtolica definit aliquem inter Sanctos habendum, errare non poteſt, quia eius definitio non nititur teſtimoniis hominum, ſed diuinæ promiſſioni, qua Chriſtus pro Petro rogauit, ne deficeret fides eius, Lucæ 22. ſupponit tamen hominum teſtimonia. Ergo fuiſſent huiuſmodi teſtimonia falſa, omneſque falſæ informationes, vt reuera eſſe poſſunt, non enim tenetur Deus hominibus aſſiſtere ne teſtando errent, neque in ſacris litteris talis aſſiſtentiæ promiſſio vnquam inuenitur. Reſp. Deum quidem non aſſiſtere hominibus de vitę ſanctitate & miraculis atteſtantibus, ſeu aſſiſtere Romano Pontifici ne in definiendo erret; & ideo licet demus teſtimonia & informationes fuiſſe falſas, non

tamen

Digitized by Google

tamen ideò ſequitur definitionem illam eſſe falſam, Deus enim Pontifici aſſiſtet, ne deficiat: nam cum promiſerit nunquam defecturam Petri fidem, diuinæ eſt prouidentiæ tunc ſuæ Eccleſiæ oſtendere & patefacere, ea teſtimonia eſſe falſa, ne Petri ſucceſſor definiat credendum, id quod falſum eſt.

10. Dubium eſt inter Doctores, an Papa poſſit errare in fide, & in hæreſis crimen incidere? Pro ſolutione dicendum eſt, Papam poſſe tanquam priuatum Doctorem ex ignorantia in rebus fidei falli & errare. Ratio eſt, quia non conſtat hoc ei priuilegium collatum eſſe, vt tanquam priuatus Doctor errare nequeat ex ignorantia, præſertim cùm Summi Pontifices non ſemper æquè docti ſint, & contrarias aliquando habeant opiniones.

Tamen hinc non ſequitur ipſum eſſe hæreticum, quia hæreſis ſupponit contumaciam. Proinde dicendum eſt, ſecundùm probabiliorem ſententiam, Papam non poſſe eſſe hæreticum, neque vt Summum Pontificem, neque vt priuatum Doctorem, & conſequenter non poſſe in controuerſijs fidei & motum errare, aut in hæreſim labi. Ratio eſt, quia Papa eſt ſucceſſor S. Petri, ergo debet habere eandem auctoritatem, poteſtatem & dignitatem, quam habebat S. Petrus; alioquin non diceretur S. Petri ſucceſſor: Petro autem collata fuit infallibilitas rerum fidei, Lucæ 22. *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Qua enim certitudine Petrus confirmabit fratres ſuos, quos expetiuit Satan vt cribraret vt triticum, ſi ſeipſum confirmare non poſſit? Quomodo portæ inferi non poterunt aduerſus Eccleſiam præualere, ſi aduerſus Petram, ſuper quam fundata eſt, per hæreſim præualeant? Ita Suarez *tract. de Fide diſput.* 10. *ſect.* 6. *dub.* 4. *num.* 11. Simanchas *de Cathol. inſtitut. tit.* 12. *num.* 14. Petrus Marchantius *in Tribunal. Sacrament. tom.* 3. *tract.* 3. *tit.* 4. *quæſt.* 3. *propoſit.* 3. Probabilis tamen eſt ſententia illorum, qui exiſtimant, Papam, vt priuatum hominem, poſſe in hæreſim incidere. Nam ſicut aliud eſt in Petro, quod ſpectat ad priuatam hominis excellentiam, aliud quod pertinet ad communem Eccleſiæ vtilitatem; quòd Petrus Chriſti ſe eſſe diſcipulum negauerit, hominis erat; quod confirmaret fratres ſuos in fide, ipſius erat tanquam in Eccleſia capitis: ſic etiam quòd Papa erret in fide, priuati hominis eſt, non capitis Eccleſiæ: eſt Papa hæres priuilegiorum, quæ data ſunt Petro, tanquam capiti Eccleſiæ, non eorum, quæ fuerunt Petri, tanquam hominis. Fides Romani Pontificis interior, non eſt neceſſaria Eccleſiæ, nec illius occultus, & priuatus mentis error in fide Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. Proinde non eſt neceſſe, vt in interioris fidei conſeruatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat: quod dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed diuina manu teneantur ne errent, id Eccleſiæ bonum eſt. Hanc ſententiam ſequuntur *Bannez, Caietanus, Valentia, Turrianus, Canus, Sotus,* Syluius 2.2. *quæſt.* 39. *art.* 1. & alii: quorum ſententiam vt probabilem ſequuti ſumus ſuprà *verb. Papa num.* 3.

Tamen Doctores prioris ſententiæ ſuſtinent, nullum Pontificem hactenus in hæreſim lapſum fuiſſe: ſi enim apud aliquos aliqua reperiantur ab ijs dicta, quæ errorem ſapiant, prout plures errores illis impoſitos, & ab aliis allegatos enumerant Bellarminus *lib.* 4. *de Romano Pontif. cap.* 8. *& ſeq.* Azorius *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. illos quidem Pontifices de Cathedra errores docuiſſe nemo affirmare poteſt. Nemo æquus Scriptorum arbiter etiam vt particulares Doctores articulum tunc actu damnatum illos docuiſſe monſtrabit. Bellarminus *de Roman. Pont. lib.* 4. *cap.* 6.

An autem Papa, vt perſona particularis, poſſit fieri ſchiſmaticus? Reſpondent affirmatiuè Auctores poſterioris ſententiæ. Ratio illorum eſt, quia poteſt accidere quod Pontifex nolit amplius eſſe Pontifex, neque tamen velit ſubeſſe illi qui poſtea eligetur, ſed conferat ſe ad hæreticorum, aut ſchiſmaticorum conuenticula: Atqui hoc eſt eſſe ſchiſmaticum; ergo Pontifex poteſt eſſe ſchiſmaticus. Tum quia poteſt fieri quod Papa ſeipſum ſeparet à communione Catholicorum Epiſcoporum, aliorumque fidelium; & vel ſolùm communicet cum quibuſdam ſibi adhærentibus, vel tantùm viuat ſicut Dominus temporalis. Item quod Eccleſia volente ritus, & conſuetudines Apoſtolicas retinere, ipſe nolit, atque ita ſe ab illis ſeparet. Tamen probabile eſt, quod Spiritus Sanctus qui Eccleſiam regit, nunquam ſit permiſſurus vt Papa legitimus in ſchiſma incidat.

11. Secundùm probabiliorem ſententiam, fide diuina credimus, hunc vel illum, qui nunc clauum Eccleſiæ tenet, eſſe verè & propriè Summum Pontificē, Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium in terris. Ratio eſt, quia tota Eccleſia credit, docet ac tenet hunc eſſe talem: ergo ſi fide humana tantùm crederet, falli poſſet in re tam graui. Tum quia non videtur credibile, fide diuina non credere nos, Pontifices, qui B. Petro hactenus ſucceſſerunt, fuiſſe verè Summos Pontifices, & beati Petri ſucceſſores. At proinde magnus error fuiſſet & eſſet Eccleſiæ, qui credit & credidit hactenus ſemper tot Pontifices fuiſſe verè Petri ſucceſſores. Tū quia definitio fidei Papæ auctoritate facta, tandem reſoluitur in auctoritatem Papæ tanquam certi iudicis in definiendis, & declarandis rebus fidei: ergo tale iudicium Papæ, eſt fide diuina certum ac firmum: At ſi ſolùm humana fide crederemus, hunc vel illum eſſe Summum Pontificem, non poſſet eius iudicium in rebus fidei eſſe fide diuina certum ac verum. Accedit, cùm hic, vel ille Pontifex aliquid in fide, & moribus definit, vel declarat, eo ipſo obligat totam Eccleſiam ad id fide diuina credendum: at ſi fide diuina certum non eſſet, eum eſſe Summum Pontificem, non obligaretur Eccleſia ad credendum fide diuina iudicium & ſententiam huius Pontificis, de quo ſolùm conſtat fide humana, eſſe B. Petri ſucceſſorem.

Si obijcias, fieri poſſe, vt Papa non ſit ritè, & legitimè electus, vtpote inhabilis iure naturali & diuino ad Summum Pontificatum? Reſp. Spiritum Sanctum Eccleſiæ aſſiſtere, & nunquam permiſſurum, neque permiſiſſe, vt inhabilis ad Summum Pontificatum eligeretur, vel eligatur, quin prius oſtendat, & declaret eum eſſe inhabilem. Proinde ſi baptizatus non fuerit, aut non fuerit vir, diuinæ eſt prouidentiæ declarare priùs, & oſtendere Eccleſiæ, eum non eſſe baptizatum, aut virum.

Ex dictis probabiliter ſuſtineri poteſt, illum eſſe hæreticum, qui negaret hunc Summum Pontificem Innocentium X. eſſe verum Papam & caput Eccleſiæ, poſtquam ſufficienter proponitur, ſeu poſtquam conſtat ipſum eſſe ritè & Canonicè electum, vel dum moraliter conſtat illum eſſe acceptatum à tota Eccleſia, & pacificè poſſidere primatum, atque adeò poſſe obligare omnes fideles ad credendum quidquid definierit. Ratio præter dictas eſt, quia dum hæretici Eccleſiæ reconciliantur ex conſtitutione Martini V. interrogari debent, an credant Pontificem pro tempore eſſe verum Pontificem, ſucceſſorem B. Petri & Chriſtum Vicarium; ergo ſignū eſt hunc eſſe fidei articulum. Tum quia qui Canonicè electus eſt in Papam, eſt verus Papa, ſed hic Canonicè electus eſt; ergo eſt verus Papa. Nam ſi fide non conſtaret hunc eſſe verum Papam, neque conſtare poſſet hoc eſſe verū Concilium: cùm verum Concilium formaliter includat verum Papā, ſed negans hoc eſſe verum Concilium eſt hæreticus, nō minùs, ac ſi negaret vera eſſe quatuor Euangelia, teſte Gregorio Magno; ergo &c. Nec obſtat, quod negans hunc eſſe verum Papam, non puniatur tanquam hæreticus; ergo reipſa non videtur hæreticus? Reſp. negando conſequentiam ſecundùm hanc ſententiam: quia non punitur tanquam hæreticus, quia hæc opinio non eſt explicitè definita ab Eccleſia, & multos habet contrarios. Tamen ſecundùm omnes dicendum eſt, quod ille, qui negat hunc eſſe verum Papam, illique obedientiam negligit præſtare, ſchiſmaticus eſt, & ſchiſmaticorum pœnis ſubiicitur. Ita Suarez *in tract. de Fide diſput.* 10. *ſect.* 5. Azorius *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *quæſt.* 4. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 9. & alii recentiores Societatis. Contra Caietanum 2.2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in reſponſ. ad* 4. Bannem 2.2. *quæſt.* 1. *art.* 10. Cordubam *lib.* 1. *quæſt.* 17. §. 2. & alios penes ipſos citatos.

12. Papa ex communi SS. Patrum & Doctorum ſententia, *Primò*, eſt iudex controuerſiarum fidei: Scriptu-

rarum Sacrarum declarator & approbator, omnis falſæ, apocryphæ & temerariæ doctrinæ cenſor. *Secundò*, Sacramentorum materiam, formam, ritus declarat; Sacramentalia inſtituit; Officia Sacra & Diuina, omniaque ad cultum Dei neceſſaria pleniſſima auctoritate decernit. *Tertiò*, Leges ſancit, Canones condit, conſtitutiones, decreta, mandata ad Eccleſiæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ decorem & conſecrationem edit. *Quartò*, Magiſtratum omnem Eccleſiaſticũ inſtituit, Cardinales creat, Legatos in vniuerſum orbem mittit, Archiepiſcopos, Patriarchas, Primates, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos alioſq. Eccleſiæ Miniſtros neceſſarios ordinat, & ad omnes mundi plagas operarios & Prędicatores deſtinat, Cõcilia & Synodo conuocat & approbat. *Quintò*, Peccantes cenſuris corrigit, rebelles & corrigibiles variis pœnis plectit, excommunicat, ſuſpendit, interdicit, deponit, degradat, &c. Denique Pontifex Romanus poteſtate à Chriſto mediante Petro, cui ſuccedit, ſibi collata poteſt quidquid ordinatè pertinet & refertur ad Eccleſiæ bonum, & animarum Chriſtianarum ſalutem. Ratio eſt, quia credendum eſt Chriſtum in nullo Eccleſiæ ſuæ, aut animarum ſaluti defuiſſe; defuiſſet autem, ſi poteſtatem in neceſſariis ad ſalutem, vel Eccleſiæ bonum defectuoſam dediſſet.

Vide tom. 1. verb. Abbas num. 18. Abbatiſſa num. 20. Baptiſmus 3. num. 21. Bellum num. 15. Beneficium 5. n. 15. Commendationes Eccleſiarum n. 6. Communio n. 6. Concilium num. 8. & 9. Confeſſio n. 9. et 10. Decimæ n. 3. et 4. Dominium n. 7. Excommunicatio 1. n. 4. et 7. Excommunicatio 2. n. 26. Excommunicatio 3. n. 1 Emptio n. 2. et hoc tomo verb. Indulgentia 1. n. 9. et 10. Irregularitas 3. n. 7. Iuramentum n. 32. Legatum n. 23. Legitimatio n. 1. et ſeq. Lex 2. n. 6. et 16. Matrimonium 2. n. 2. et ſeq. Matrimonium 3. n. 2 et 4. Miſſa 1. n. 7 Paupertas n. 7. Religio n. 18. Simonia n. 20. et ſeq. Viſitatio num. 3. Votum 2. n. 11.

PARENTES.

SVMMARIVM.

1 *Qui Parentum nomine intelligantur?*
2 *Quæ ſint obligationes parentum erga filios?*
3 *In quibus caſibus parentes negare poſſint filijs alimenta?*
4 *Ad quæ præcipuè teneatur Pater?*
5 *Quæ teneantur famuli præſtare heris ſuis? & quæ viciſſim Dominus ſeruo?*
6 *Ad quæ teneantur clerici erga Prælatos? & beneficiarij erga Epiſcopos, vel alios Superiores?*
7 *Erga ſubditos ad quæ teneantur Epiſcopi? & de ipſorum reſidentia: & quæ iuſtæ cauſæ abſentiæ eſſe poſſunt?*
8 *Quæ ſint virtutes Principis Laici, & quæ eius peccata?*
9 *De obligationibus viri erga uxorem ſuam.*
10 *De obligationibus vxoris erga uirum ſuum.*
11 *De diſcipulorum debito erga magiſtros.*
12 *De obligationibus Magiſtrorum erga diſcipulos.*

1 P*Arentum* nomine, quos in honore habendos eſſe ſtatuitur in quarto præcepto Decalogi, præcipuè intelligi debent ij: qui carnaliter nos genuerunt; tamen etiam alii ſuperiores comprehenduntur, vt Domini reſpectu ſeruorum; Prælati erga ſubditos ſuos. Principes laici comparatione ſuorum ſubditorum; denique viri reſpectu vxorum; Magiſtri & alii huiuſmodi, diſcipulorum & ſibi ſubditorum reſpectu. Graffijs *lib. 2. decis. cap. 55. num. 3.* De obligatione filiorum erga parentes dictum eſt *tom. 1. uerb. Filius.* Graffijs.

2. *Obligationes* parentum erga filios ad ſex capita reuocari poſſunt. *Primum*, ſubminiſtrare filiis neceſſaria ad vitam, ſi poſſunt, & contra facientes peccant mortaliter. *Secundum*, non tranſmittere filios ad domus hoſpitalium, vel eos exponere in publicis, vel priuatis, niſi in neceſſitate extrema, vel graui. *Tertium*, inſtituere bonis moribus per ſe, vel per alios, conſequenter eos corrigere. *Quartum*, non vendere illos abſque iuſta cauſa, qualis eſſet ad euitandam propriam mortem, aut filiorum, aut in caſu, in quo ipſimet parentes ſeipſos licitè vendere poſſunt. *Quintum*, liberare à ſeruitute, vel quia capti fuerint in bello, vel quia geniti ſint à Patre ex aliqua ſerua. *Sextum*, prouidere filiis ſtudere volentibus, ſi modò parentes poſſint, ſi ſtudium ſit conueniens eorum ſtatui, ſi in eo progreſſum faciant. Vide Nauarrus *in manual. cap. 14. num. 17.* Filliucius *tract. 28. part. 2. cap. 2. num. 21. & ſeq.* Toletus *lib. 5. cap. 1.* Tabiena *verb. Filius* §. 19. Nauarr. Filliuc. Toletus. Tabien. Vnde peccant parentes ſi abſque cauſa rationabili filios à progreſſu in bono reuocent & impediant, v. g. ſi reuocant vota filiorum, quæ bona eorum venia fecerunt; ſi ab ingreſſu religionis abſque iuſta cauſa impediunt; ſi filios poſt emiſſa vota continentiæ in ætate deliberandi vi, aut dolo ab eorum impletione retrahant, vel conſulant, aut cogant eos tunc ad matrimonium.

Item qui ſine iuſta cauſa inuitos filios, aut filias matrimonio iungunt. Item qui dolis, aut minis inuitas filias, niſi in caſibus à iure permiſſis ad ingreſſum Monaſterii, vel ſuſceptionem habitus, vel profeſſionem faciendam cogunt, in quo vltimo caſu per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de reg. cap.* 18. excommunicantur. Cõc. Tr. Item ſi patiantur filias ſuas amatores habere ob malum finem, vel eas à conſortio malo non ſeparent.

3. *Parentes* negare poſſunt alimenta filiis in quinque caſibus. *Primò*, ſi Patrem accuſent extra caſus iure conceſſos. *Secundò*, ſi ipſimet alimentis egerent ad ſuſtentandam propriã perſonam. *Tertiò*, ſi fuiſſent ingrati. *Quartò*, ſi artem habeant, aut aliquid aliud quo ſuſtentari poſſint ſecundùm ſtatum ſuum. *Quintò*, ſi aliquid facerent eorum, ob quæ poſſunt à parẽtibus exhæredari legitimè. Syluester *verb. Filius* §. 24. Angelus *verb. Filius* §. 21. Filliucius *tract. 28. p. 2. cap. 2. num. 25.* & alii. Syluest. Angel. Filliuc.

4. Ad *tria* præcipuè & generaliter tenetur pater; *Primum* eſt, prouidere filiis in futurum, quantùm honeſtè poteſt, habita ratione circumſtantiarum particularium. *Secundum* eſt, non poteſt exhæredare filios ſine iuſta cauſa. *Tertium* eſt, tenetur dotare filias, etiam ſpurias, quia dos eſt loco alimentorum; ſi pater ob paupertatem non poſſet, teneretur mater. D. Thomas 2. 2. q. 101. *art.* 2. Nauarrus *cap. 14. num. 17.* D. Tho. Nauar.

5. *Tria* præſtare tenentur famuli heris ſuis, honorẽ, reuerentiam, & obſequium; Dominus viciſſim *tria* debet ſeruo, honeſtam ſuſtentationem quoad victum & veſtitum & habitationem. *Secundo*, inſtitutionem in rebus fidei, & Chriſtianæ Religionis, ſi Chriſtianus ſit. *Tertiò*, correptionem fraternam, ne vitioſus euadat, de quibus plura verbo & apud *Summiſtas v. Familia.* Syluester, Angel. Armilla. Azorius *tom. 2. lib. 2. cap. 38. q. 1.* Azor.

6. *Clerici* erga prælatos ad multa tenentur; in actibus tamen internis obedire non tenentur, neque in malis etiã venialiter; in dubio de peccato, præcipienti prælato tenentur obedire, debet autem eius voluntas illis denunciata eſſe; tenentur autem obedire in pertinentibus ad clericos, ſeu ad ſtatum clericalem; in quibus nolle obedire, ſi res eſt grauis, eſt peccatũ mortale. D. Thomas 2. 2. q. 104. *art.* 5. Filliucius *cit. cap. 5. n. 94.* D. Tho. Filliuc. Si autem Epiſcopus clerico præcipiat, vt reſignet alteri ſuum beneficium, non tenetur obedire; niſi eſſet aliqua cauſa, vt quia eſſet ineptus, & Epiſcopus vult dare idoneo. *Præterea* beneficiarii tenentur ad ſubſidium charitatiuum, contributionem, videlicet, quandam in pecunia, vel re æquiualenti à beneficiariis factam in quibuſdã caſibus erga Epiſcopos, vel alios ſuperiores. Et quamuis dicatur charitatiuum, poteſt tamen ſubditos Epiſcopus compellere ad illud ſoluendum: licet enim à principio petebatur ex charitate; poſtea adiuuante iure, ex certis cauſis etiam peti poteſt ex iuſtitia. Cauſæ iuſtæ illud exigendi, ſunt 1. Solutio debitorum, quæ contraxit Epiſcopus pro tuendo iure Eccleſiæ ſuæ. 2. ſi magnas fecerit expenſas in negotiis totius diœceſis. 3. emptio rei alicuius magni momenti ad conſeruandam Eccleſiam ſuam. 4. iter factum ad Papã, vel Imperatorem, vel Regem ob Eccleſiæ ſuæ neceſſitates, &c. de quibus Azorius *cit. lib. 9. cap. 14.* Filliucius *cit. num.* Azor. Filliuc.

Digitized by Google

*num.*95.*& ſeq.* De obligationibus autem parochorum erga Epiſcopum & parochianos ſuos, & religioſorum erga ſuperiores, ſuis locis dicetur.

7. *Epiſcopi* viciſſim ad multa tenentur erga ſubditos, & in primis ad reſidentiam, ad quam probabilius eſt teneri iure diuino, ad breue tempus tamen cum cauſa abeſſe poſſunt: *Iuſtæ* autem cauſæ abſentiæ ſunt, Chriſtiana charitas, id eſt, proximorum vtilitas. *Secunda*, vrgens neceſſitas vitæ, ſcilicet corporalis, vel morbi periculoſi. *Tertia*, eſt debita obedientia. *Quarta*, eſt Eccleſiæ vtilitas vel propriæ vel vniuerſalis. *Quinta*, eſt vtilitas Reipublicæ; vnde in reſidentia Epiſcoporum ex cauſa iuſta poteſt diſpenſari à Romano Pont. vel Metropolitano. Valentia *tom.*3.*diſp.*10.*q.*3.*punct* 5. Sotus *de iuſtit. lib.*10. *q.*3.*art.*4. Filliucius *cit. num.*106. *&* 107. Plura de obligationibus Epiſcoporum vide tom. 1. verb. *Epiſcopus*.

Valentia. Sotus. Filliuc.

8. *De obligatione* inhabitorum erga Principem laicum in ordine ad ſoluendas gabellas, dictum eſt *tom. 1. verb. Gabella*. Superiores temporales viciſſim tenētur in multis erga ſubditos ſuos, vnde *virtutes* Principis laici propriæ numerantur octo, ſcilicet, *Religio in Deum*, *Clementia & manſuetudo*, *Liberalitas*, *Iuſtitia*, *Fortitudo præſertim bellica*, *Prudentia rerum agendarum*, *Magnificentia in extruendis templis, erigendis academiis, &c. & Magnanimitas*. Azorius *tom.*2. *lib.* 11. *cap.*5. Filliucius *cit. n.*124. *Peccata* verò Principum, quamuis multiplicia eſſe poſſint, ad decem tamen reduci poſſunt. Nauar. *in man. cap.*25.*n.*1. Filliucius *cit. n.*125. Azorius *cit. cap.*6. *Primo* igitur peccant in immodica regnandi libidine; in indicendo bellum iniuſtum; in ſocordia & negligentia in muniendis arcibus regni, vnde populi ſecuritas & pax pendet; in non reficiendis publicis vijs & cuſtodiendis, vnde ſalus viatorū periclitetur; in non ſubueniendis pauperibus & miſerabilibus perſonis egeſtatem patientibus; in non tollendis prauis conſuetudinibus vſurarum, contractuum lege naturali, vel Eccleſiaſtica prohibitorum, ludorum aut ſpectaculorum, cum morali periculo peccatorum mortalium; in imponendo iniqua tributa, vel antiqua ſine cauſa augendo, vel cogendo ſubditos ad extruēdas ſuas domos, non adhibita mercede; ſi iniquas leges condant, ſi eccleſiaſtica iura ſibi abrogent, ſi cogant per vim, vel fraudem ſubditos facere ſibi donationes, & tunc tenentur ad reſtitutionem. Si leges condant in ſuum priuatum commodum. Si cogant ſubditos ad certa matrimonia contrahenda, vel impediant a contrahendo.

Azor. Filliuc. Nauar. Filliuc. Azor.

9. *De obligationibus* viri erga vxorem ſuam, dicendum eſt *Primo*, virum vxorem ſuam in diuinis præceptis impedire non poſſe, in humanis autem poſſe iuſta de cauſa. *Secundo*, vir vxorem ſuam grauiter & multò minus atrociter percutere non poteſt, quia non eſt ſerua, ſed ſocia; at moderatè caſtigare iuxta culpam habita ratione perſonæ, conditionis, & ſtatus matrimonij, iure poteſt. *Tertio*, tenetur non afficere illam iniuria, ſed poteſt tantùm moderatè illam corrigere verbis, non tamen contumelioſis. *Quarto*, tenetur attendere domus gubernationi quantùm ad rem & mores. *Quinto*, tenetur cohabitare cum illa, nec poteſt abſque iuſta cauſa longo tempore abeſſe, iuſta autem cauſa eſſet negotium alicuius momenti, obedientia ſuperioris, inimicitiæ, exilium ad breue tempus. Nauarrus *cap.*14. *num.*19. Clauis regia *lib.* 7. *cap.*7.*num.*7. *& ſeq.* Toletus *lib.*5. *cap.*2. Filliucius *tract.* 28.*par.* 1. *num.* 139. *& ſeq.* Layman *lib.*5. *tract.* 10. *par.*3. *cap.*2. *num.*6.

Nauarr. Cla. reg. Tolet. Filliuc. Laym.

10. *Vxor* ad aliqua tenetur etiam erga virum ſuum, *Primo* propter obedientiam debitam in redditione actus coniugalis, tenetur etiam vxor obedire in his quæ pertinent ad bonos mores, & familiæ gubernationem; ita vt nolle obedire viro præcipienti in materia graui, aut velle gubernare ſpreto viro ſit peccatum mortale. *Secundò*, in rixis cum viro peccare poteſt, ſi ſua moroſitate & rixis virum in blaſphemias prorumpere faciat, vel ſi ex cōtemptu non præſtet ei obedientiam debitam in iuſto præcepto. *Tertio*, tenetur vxor ſequi virum, quò hic velit eā ducere, vt ſimul cohabitent exceptis hiſce caſibus. *Primo*, ſi mortis periculum imminet. *Secundò*, ſi periculum peccati mortalis. *Tertio*, ſi ipſa eſſet ancilla. *Quartò*, ſi vir vagus eſſet, & ita factus poſt matrimonium. *Quinto*, ſi in matrimonio pactum interueniſſet non mutandi locum; ſi tamen contingeret caſus vrgens mutandi, teneretur non obſtante pacto. Toletus *cit. cap.* 2. Nauarrus *cap.*14.*n.*20. Clauis regia *cit. n.*10. Filliucius *cit. n.*144.*& ſeq.* Syluester *verb. Vxor*, § 8.

Tolet. Nauar. Cla. reg. Filliuc. Syluest.

11. *Diſcipuli* erga magiſtros honorem & reuerentiā debent. *Secundò*, in rebus pertinentibus ad bonos mores eis obedire tenentur, ſicut parentibus. *Tertiò*, debent diligenter vacare ſtudiis, in quo poſſunt aliquando grauiter errare ratione damni ex hoc illati familiæ. *Quartò*, pecuniam à parentibus traditam debent expendere ſecūdùm voluntatem magiſtrorum, quorum curæ commiſſi ſunt, in res ſcilicet honeſtas: vnde in his peccare poſſunt, puta, ſi ſtudeant ob finem mortalem, vel ſine iuſta cauſa. Academiæ ſtatuta obligantia ad mort. non ſeruent. Si ſuffragentur indigno, aut curent alium ſuffragari, vt talis fiat prælector, vel rector Academiæ. Si ſcientias vetitas, aut ſuperſtitioſas ediſcant Si contra veritatem à ſe cognitam altercentur non diſputandi gratia, & maximè ſi hoc fiat cum ſcandalo. Porrò ſi ſtipendium præceptori debitum non ſoluant cùm poſſint. Filliucius *tract.* 28. *par.* 2. *cap.*10.*n.*149.*&* 150. Nauarrus *cap.*25. *n* 59.

Filliuc. Nauarr.

12. *Obligationes* magiſtrorum erga diſcipulos ſunt, vt non diſſimulent eorum peccata, ſed reprehēdant & corrigant vbi opus fuerit. *Secundò*, debent promouere in litteris. *Tertiò*, curam eorum gerere in rebus pertinentibus ad mores & honeſtam educationem: vnde magiſtri cauere debent ne doceant animæ noxia, quæ eſſent contra fidem, aut bonos mores, aut ne doceant falſa, vt vera ex induſtria, quia hoc eſſet mortale; ſicut etiamſi auerterent ſcholaſticos auditores ab aliis Doctoribus cū iniuria eorum, vel damno auditorum; item ne ſtipendia maiora iuſto exigant, & ne ſe exponant ad docendum, ſi idonei non ſint; debent propterea ſe accommodare captui diſcipulorum; & vt non denegent doctoratus inſignia dignis, vel tribuant indignis, peccarent enim mortaliter præſertim in Theologia, iure Canonico, Ciuili, & Medicina. *Porrò* caueant magiſtri ne admittant ſcholaſtico imbutos malis moribus quoad fieri poteſt. Filliucius *cit. n.*151. *& ſeq.* Nauarrus *cap.*25 *n.*55. *& ſeq.* Caietanus *in ſum. verb. Magiſtrorum peccata*.

Filliuc. Nauar. Caiet.

Vide tom. 1. verb. Alimenta. Charitas n. 10. Communio ſacra n. 18. Correptio n. 18. Dos. & hoc tomo verb. Religio 2. num. 8.

SVPPLEMENTVM.

PARENTES.

SVMMARIVM.

1 *An Præceptum quartum decalogi de honorandis parentibus ad virtutem pietatis pertineat.*

2 *Circa curam filiorum, ut peccent parentes in ſpiritualibus.*

3 *An teneatur parentes de iure natura filijs alimenta præſtare.*

4 *An peccet mortaliter filius accuſans parentes ciuiliter, aut criminaliter.*

An liceat filio parentem publicè proſcriptum à patria occidere.

5 *An maritus teneatur uxori honorem & amorem, imò & obedientiam exhibere.*

6 *An peccet mortaliter maritus impediens ne uxor adimpleat præcepta Iuris naturalis, uel diuini, uel Eccleſiaſtici.*

7 *An uxor teneatur amorem, honorem, & obedientiam marito exhibere in ijs, in quibus ei ſubiecta eſt.*

An aliquando poſſit uxor abſque peccato ſe ingerere in adminiſtrationem domus.

8 *Qui dicantur ſerui, qui famuli, qui operarij? & qualem obedientiam debeant Dominis:*

9 *An Domini teneantur famulorum curam habere? & de peccatis quæ contingere poſſunt in ipſorum cura.*

10 *An Dominus famulo debeat alimenta, uel pretium*

Conuentum loco alimenti? Et, ad quas expenſas teneatur Dominus, ſi famulus ægrotet.

1 PRæceptum quartum Decalogi de honorandis parentibus, primariò & directè ad virtutem pietatis pertinet, vt docent communiter Doctores cum Diuo Thoma 2. 2. *q.* 101. Pietas enim eſt virtus, quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos, patriam, & amicos, tanquam quędam ſecundaria principia, quibus ſubſiſtimus & conſeruamur. Nam Parentes ſunt principium noſtri eſſe & conſeruari. Deinde ad hoc præceptum reuocantur ea virtutis officia, qua venerationem, honorem, & obſequium debemus his, qui ſunt in aliqua dignitate, poteſtate, auctoritate, magiſtratu, & honore, meritò conſtituti, quique publico munere & officio funguntur, quam D. Thomas obſeruantiam appellat, de quo agit *quæſt.* 102. Item & ea officia virtutis qua parere debemus iis, qui ſunt nobis aliqua poteſtate, & auctoritate præfecti; quæ virtus dicitur obedientia, de qua idem S. Thomas *quæſt.* 104. *&* 105. Denique omnia officia charitatis in proximum ad hoc præceptum reuocari poſſunt, vt dilectio proximi, & opera miſericordiæ in illum. D. Tho.

2. Ex eadem virtute pietatis parentes tenentur curam habere filiorum. Si enim cæteri curam aliorum domeſticorum habere tenentur, ex D. Paulo 1. Timoth. 5 à fortiori parentes; hæc autem cura in duobus præcipuè conſiſtit, nempe, vt filiis in ſpiritualibus, & temporalibus prouideant de neceſſariis. Et quantum ad ſpiritualia, peccant *Primò*, parentes mortaliter pro grauitate materiæ, ſi filios abſque rationabili cauſa à bono reuocent, & impediant, puta ſi ab ingreſſu Religionis ſine iuſta cauſa impediant, aut ſi cogant eos tunc ad matrimonium eligendum, ex Nauarro *cap.* 14. *num.* 17. Nauar.

Secundò, Si quantum in ſe eſt, non curent, vt filii moribus bonis imbuantur, doctrinam Chriſtianam, ſeu fidei rudimenta addiſcant; ſi patiantur, vt ſcholas hæreticorum adeant; ſi non curent, vt prauorum conſortia deuitent, & quantum in ſe eſt, ſi non ſtudeant, vt mandata Dei obſeruent, Sacramenta frequentent, & ab omni peccato mortali abſtineant, & virtutem complectantur. Nam Deus punit parentum negligentiam in filiis inſtruendis, vt videre eſt 1. *Reg.* 2. 3. *&* 4. Proinde non ſolùm tenetur pater curare, vt filius addiſcat ea, quæ pertinent ad ſalutem ſpiritualem, verum etiam tenetur facere ſumptus & expenſas, vt filius litteris operam det, niſi aliunde filius in ſtudio litterarum ſuſtentare ſe poſſit. Appellatione verò litterarum intelliguntur ea, quibus ceteri more patrio paris conditionis filii erudiri & informari ſolent. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 17. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 41. Filliucius *tract.* 28. *cap.* 2. *part.* 2. *num.* 24. & alii. Azor. Regin. Filliuc.

Tertiò, Parentes grauiter peccant, qui peccatorum mortalium occaſiones à filiis non aduertunt, vt ſi filiabus permittant amatorem ob malum finem, aut ſi permittant tactus impudicos inter ſponſum & ſponſam de futuro, vel eos in loco ſuſpecto habere. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 6. *q.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 4. & alii. Bonac. Trullen.

Quartò, peccant grauiter parentes deprauando filios malo exemplo, aut prauis conſiliis; non iurgando eos nec caſtigando, dum neceſſaria eſt caſtigatio, vel obiurgatio ad eorum ſalutem. Cauere tamen debent parentes ne modum in verberibus inferendis excedant; nam mortaliter peccarent, qui immoderatè verberarent, vt ſi filius notabilem læſionem patiatur ex ea percuſſione. Vt docent Sotus *de iuſtit. lib.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 2. Syluester *verb. Percuſſio*. Reginaldus *loco citato, num.* 42. & alii communiter. Sotus. Syluest. Reginal.

3. Quoad temporalem curam parentum erga filios ſpectat, tenentur parentes de iure naturæ filiis alimenta præbere. Ratio eſt, quia ex ipſa naturæ propenſione, quæ eſt homini communis cum belluis oritur hæc obligatio: Nam feræ etiam alioqui ſæuæ & immanes filios nutriunt. Quare quamdiu filii infantes, ac teneri ſunt, aut pueri, omninò ali debent à parentibus, donec adoleuerint; & etiam poſtquam fuerint adulti, ſi inepti ſint prorſus & inhabiles ad ſe ſuſtentandum, puta ſi mente, vel membris capti ſint, vel aliquo modo impediti; nam tunc perinde ſe habent, ac ſi eſſent infantes. At ſi filii adulti ſint, & per ſe ipſos ſuſtentare ſe poſſunt, vel aliunde per alios quoſlibet, tunc parentes non tam arcto, & ſtricto iure naturæ eis alimenta debent; ſed tantùm ex æquitate naturali, & iure communi ſcripto, tum ciuili, tum Canonico. Ita ex communi Couarruuias *in epitom. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 2. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 1. Filliucius *tract.* 28. *par.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *&* 5. & alii. Vide dicta *tom.* 1. *verbo Alimenta*. Couar. Azor. Filliuc.

Hoc ius naturæ dandi alimenta filiis adeò ſtrictè obligat parentes, vt non ſolùm legitimis, ſed etiam illegitimis & ſpuriis ex quocumque damnato concubitu ea dare teneantur: quod præcepit ius Canonicum *in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem, quam polluit, & cap. per venerabilem, qui filij ſunt legitimi*, licet ius ciuile in *Authent. Ex complexu Cod. de inceſt. nupt.* & alibi huiuſmodi filiis alimenta detrahat; Iuri tamen Canonico ſtandum eſt, quia æquitati naturali conformius eſt, vt docent Couarruuias *de matrim.* 2. *par. cap.* 8. §. 6. *num.* 7. *&* 8. Pontanus *tract. de aliment. cap.* 1. *num.* 11. *&* 12. Proinde dicendum eſt, ius ciuile ſolùm adimere filiis ſpuriis alimenta cum poſſunt aliunde ali, præterquam à patre. Ius verò Canonicum voluit etiam tunc, vt parentes filiis alimenta præberent, & in foro iudiciali ius Canonicum non ciuile, eſt in hac parte ſeruandum, vt ex communi tradit Couar. Alioquin non ſolùm contra æquitatem, ſed contra ius naturæ decreuiſſet ius ciuile, vt multis allegatis tradit Couarruuias *loco cit. num.* 3. quibus adde Villalobos 2. *p. tract.* 41. *diffic.* 7. *num.* 1. Couar. Pontan. Couar. Villalob.

Nec dictis obſtat Pium V. anno Domini 1570. in Conſtitut. quæ incipit, *Quæ Ordini*, prohibere Clericis ne poſſint in teſtamento, vel donatione cauſa mortis, relinquere bona ſua ex ſtuctibus beneficii acquiſita filiis ſpuriis: & in altera Conſtitut. quæ incipit, *Ad Romanum ſpectat* hoc extendat ad bona etiam patrimonialia Clericorum. Tamen hæ conſtitutiones viris doctis nō videntur vſu receptæ; ſed verius eſt illas ſolùm auferre Clericis facultatem teſtandi, non autem eſſe derogatum iuri communi, per quod conſtat alimenta præberi poſſe filio ſpurio: quare conſtitutiones non prohibent alimenta, ſed tantùm hæreditates, donationes, &c. vltra alimenta: Proinde Clerici non habentes alia bona, poſſunt ex fructibus beneficii, filiis ſpuriis alimenta relinquere; non tantùm ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed etiam ea quæ ex naturali æquitate debentur; ſicque poteſt Clericus filiam ſpuriam ex fructibus beneficii & intuitu Eccleſiæ acquiſitis, dotare: quia dos ſuccedit alimentis, quæ iure Canonico debita ſunt. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 7. Fillincius *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 5. Nauarrus *de ſpol. clericor.* §. *vlt. num.* 9. *& conſil.* 3. *de teſtam.* Azor. Filliuc. Nauar.

De his autem in quibus filii parentes honorare tenentur, ſeu in quibus honor parentum & obligatio filiorum erga ipſos conſiſtit, diximus *tom.* 1. *verb. Filius*, quibus hæc addo.

4. Si parentes de aliquo crimine accuſet filius, ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter, mortaliter peccat, etiamſi crimen verum ſit: quia omni lege prohibitum eſt filiis accuſare parentes, vel contra eos teſtificari, niſi in tribus caſibus. *Primò*, licet filio agere contra parentem ſibi alimenta denegantem. *Secundò*, licet filio patrem accuſare, quando pater intentat Reipublicæ traditionem, & coniurationem, antequam crimen ſit factum, & nulla ſit via mali impediendi. Patrato tamen delicto non licet, niſi rogetur à Iudice iuridicè, & non ſunt alii teſtes. Nauarrus *in man. cap.* 14. *num.* 12. *verſ. Septimò*. Nauar.

Tertiò, ſi pater ſit Hæreticus occultus, quando ſunt alii qui commodè poſſint teſtificari, aut denunciare: quia ſi exiſtant, durum videtur exigere teſtimonium filii contra patrem in re adeò atroci, cùm tunc neceſſarium non ſit, ſed ex aliis commodè res haberi poſſit. Ita Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 25. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 13. Sanchez *in conſilijs par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 19. Salon 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *contro.* 2. *concl.* 2. Trullench *in Decal. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 11. & alii penes ipſos. Cla. reg. Azorius. Sanch. Salon. Trullen.

Sed quæres, caſu quo pater publicè proſcriptus eſſet

Digitized by Google

ſet à patria, & à Principe data facultas eſſet, vt impunè poſſet occidi, an liceat tunc filio parentem occidere? Reſpondeo duplicem eſſe ſententiam, quidam affirmant quia Reſpublica, vel Principes quoslibet priuatos necis Miniſtros conſtituit. Tum quia tales publicè proſcripti habentur tanquam hoſtes patriæ. Ita Bartolus, *in leg. ſi adulterium cum inceſtu*, §. *Liberto*, *ff. de adulter.* Gomez, *in inſtitut. de action.* §. *Rurſus*, *numer.22.* & alii. Verior tamen eſt opinio negans. Ratio eſt, quia tametſi fuerint publicè proſcripti, non ſunt tamen patriæ hoſtes, cùm in eam arma non capiant, nec ſunt Reipublicæ proditores: & quamuis Reſpublica, vel Princeps cuilibet facultatem dederit eos occidendi, veriſimile eſt in conceſſione generali excipi filium reſpectu patris; quia id pugnare videtur cum pietate, & charitate parentibus debita. Ita ſentiunt Couarruuias, *de matrimon part.2.cap.7.* §.*7 num.5.* Decius, *in cap. Quæ in Eccleſiarum*, *num.4. de Conſtitut.* Filliucius, *tract. 28. ſecunda parte*, *numer.19.* Azorius, *part.2.lib.2.cap.2.quaſt.15.* & alii.

Bartolus. Gomez. Couarr. Filliuc. Azorius.

5. Cùm in hoc quarto Decalogi præcepto non ſolùm præcipiatur honor erga parentes, ſed etiam mutua obligatio, & amor viri & vxoris; Hinc maritus tenetur vxori, non ſolùm actibus internis verùm etiam externis honorem, & amorem, imò etiam obedientiam in iis, in quibus eſt vxori ſubiectus, exhibere. Amorem debet, quia quilibet tenetur ſeipſum, & proximum diligere; vxor autem eſt valdè proxima marito, imò ſunt duo in carne vna. Honorem debet, quia honor debetur ratione ſuperioritatis, & excellentiæ; vxor autem aliqualem habet in virum ſuperioritatem, & propriam excellentiam. Denique obedientiam aliquando tenetur præſtare vxori, eo quod alter alteri debitum petenti reddere tenetur. Hinc grauiter peccat maritus verba infamatoria proferens contra vxorem, etiamſi in ea ſine animo infamandi prolabatur, & quamuis non ſequatur infamia, vt ſi dicat eſſe adulteram, modò tamen plena & ſufficiens aduertentia adſit: nam qui alterum iniuriis afficit, non dicitur eum diligere, & honorare. Non videtur tamen illicitum aliquando correctionis cauſa aliquid in vxorem proferre, modò cum ea diſcretione, & moderatione proferatur, vt vxor notę infamiam non incurrat, nec infamiæ periculum ſubeat, ſicut eam licet moderatè verberare; licitum enim eſt vti medijs ad emendationem fructuum neceſsarijs. Ita Clauis regia, *lib.7.cap.7.num.9.* Nauarrus, *in Man.cap.14 num 19. verſ. vigeſimoſexto*, Reginaldus, *lib.20.num.47.* Trullench. *in decalog.to.1.lib.4.cap.1.dub.4.num.4.* & alij.

Clauis regia. Nauarr. Regin. Trullẽc.

6. Peccat etiam mortaliter maritus impediens, ne vxor adimpleat præcepta iuris naturalis, vel diuini: quia vix occurrere poſſunt cauſæ, quem probabilem excuſationem dent marito ad eorum impletionem. Similiter peccat mortaliter, ſi abſque iuſta cauſa vir impediat vxorem ab adimpletione præcepti Eccleſiaſtici, quia vir tenetur vxorem diligere; at impediens ne præcepta ſeruet, eam potiùs odio, quàm amore proſequitur, vt ſi impediat abſque legitima cauſa, ne audiat Miſsam, aut ieiunet tempore pręcepti: ex iuſta tamen cauſa poſset impedire eorum obligationem, vt ſi ex ieiunio nimis imbecillis, & deformis reddatur: et ex egreſsu è domo ad Miſsam, damnum notabile timeatur in ſalute. Vt diximus *ſuprà verb. Ieiunium II. num.10.* & *verb. Miſſa IX. num.2.* Si autem maritus impedimentum afferat ſolùm circa ea, quæ non ſunt ex præcepto debita, vt plurimum non eſt reus lethalis culpę; quia vxori non infert grauem iniuriam, aut notabile damnum. Ita Bonacina, *tom.2.diſputat.6.quaſt.vnic.punct.7.num.2.verſ.Secundo.* Filliucius, *tractat.28.part.2.num.139.* et alij.

Bonac. Filliuc.

Item tenetur maritus domus, et vxoris curam, et adminiſtrationem habere; quod ei competit ex ratione capitis quam gerit reſpectu vxoris; ſicque tenetur prouidere res neceſsarias victui, et veſtitui, malos mores vxoris corrigere, et peccatorum occaſiones auertere, et ſi in re graui negligens ſit, mortaliter peccabit. Filliucius, *loco citato, num.142.*

7. Similiter vxor tenetur amorem, honorem, et obedientiam marito exhibere in ijs, in quibus ei ſubiecta eſt: quia vir eſt Superior, et Caput mulieris, Superiori autem, et Capiti quilibet debitum amorem, honorem, et obedientiam in ijs, in quibus ſubiectus eſt, præſtare debet: Hinc grauiter peccat vxor, dum notabiliter inobediens eſt circa ea, quæ ad bonos mores, et familiæ gubernationem pertinent, in quibus viro ſubiecta eſt; vnde ſi illa vellet gubernare, ſpreto viro, peccatum mortale committeret: nam alienam poteſtatem vſurparet: In duobus tamen caſibus poſset vxor abſque peccato ſe ingerere in adminiſtrationem domus. *Primò*, ſi vir moroſus eſset, et nollet ea concedere, quæ poſtea in bono ſtatu aduertens recipit, eique placent, præcipuè ſi id ceſsurum eſset in vtilitatem vir, et familiæ. *Secundò*, ſi vir prodigus eſset, et dilapidaret bona familiæ: poſset enim tunc vxor prudenter ſecluſo ſcandalo, perturbatione pacis ſurripere occultè pecunias, ne diſpendantur, vt diximus *tom.1. verb Furtum, 2. num.5.* cum Doctoribus ibi citatis. Imò ſi maritus eſt amens, vel fatuus, vel abſens, tunc adminiſtratio ad eam deuoluitur, niſi aliter à Magiſtratu ſit prouiſum, vel à marito abſente. In his enim caſibus non ſolùm poteſt dare id tantùm, quod maritus præſens, vel compos mentis ſolitus erat dare, ſed poteſt dare provt ratio dictabit: nam poteſt ſecundùm ſuam prudentiam adminiſtrare. Vt etiam diximus *tom.1. verb. Donatio, num.4. verſ. Sextò*, poſt Doctores ibi citatos; quibus addo Trullench, *in decalog. tom.1.lib.4.cap.1.dub.4.num.18.* & *tom.2.lib.7.cap.5.dub.8.num.16.*

Trullẽc.

De alimentis debitis vxori à marito. Vide ſuprà *tom.1. verb. Alimenta, num.10.* & *ſeqq.*

8. De obligationibus ſeruorum, et famulorum erga dominos, ſequentia dicenda veniunt. *Primò*, quòd ſerui dicuntur illi, qui non ſunt iuris ſui, ſed emi ſolent è dominis, aut iuſto bello capiuntur. Famuli vero dicuntur illi, qui ſtipendio, et mercede locant ſeipſos ad tempus in obſequium Domini, et differunt ab operariis: nam operarij locant operas ſuas ad certum genus operis, famuli vero locant ſeipſos ad ſeruiendum, et obſequium præſtandum, provt opus fuerit; et conuenicns ſtatui famulorum; quamuis nomen ſerui accipiatur aliquando pro famulo. Ita Azorius, *2.part.2.lib 2 c.39. quaſt.1.* Reginaldus, *lib.20.num.57.* Filliucius, *tractat.28.cap.3.*

Azorius. Regin. Filliuc.

Secundò, debent deferre honorem debitum dominis, aliàs grauiter peccant, ſi eos contemnant, irrideant, vel negligant, et præſtare obedientiam in rebus in quibus dominis ſubijciuntur; non tamen tenentur, nec poſsunt obedire in ijs, quæ per ſe mala ſunt, vt quę ſunt contra ius naturale, vel ius gentium, et in ijs, quæ ſunt contraria diuinis pręceptis. In ijs vero, quæ Eccleſiæ, et legibus ciuilibus Principum ſunt contraria, conſiderandum eſt, an arctiùs obliget Eccleſiæ, vel Principis præceptum, quam domini; & tunc etiam ipſi potius Eccleſiæ, quàm domino parendum eſt: quòd ſi Principis præceptum, vel Eccleſiæ non ita arctè, vt velit anteponi præcepto domini, tunc poterit ſeruus tuta conſcientia parere domino; quia in tali caſu non obligat Eccleſiæ, vel Principis præceptum. Si autem res ſit indifferens, nec bona, nec mala ex ſe, obediendum eſt domino; & è fortiori multò magis, quando eſſent opera bona, & legibus conformia. Ita Azorius, *loco citato, cap.38. quaſt.10.* Filliucius, *tractat.28.part.2. num.64.* & alij. Ex quibus infertur, ſeruos grauiter peccare, dum non obediunt domino in rebus magni momenti, aut ſi graue damnum inferunt aut non impediunt, ne dominus damnum patiatur. Ita Clauis regia, *lib.7.cap.7.num.12* Nauarrus, *in Manual. cap.14.num.22.* & alij. Porrò quæ dicta ſunt de ſeruis, proportionabiliter accommodari poſſunt famulis, ac proinde, in iis Doctores promiſcuè loquuntur de ſeruis, ac famulis, vt videre eſt apud Bonacinam, *tom. 2. diſputat. 6. quaſt. vnic. punct.8. num.14.* Sed de his plura; *tom.1. verb. Famulus.*

Azorius. Filliuc. Nauarr. Bonac.

9. Domini, & Superiores tenentur famulorum, & aliorum ſibi ſubditorum curam habere; quia ſunt ipſorum caput, & parentum vices gerunt. Proinde domini, & Superiores, qui curam, & ſalutem ſibi ſubditorum negligentes notabiliter ſunt, grauiter delinquunt, vt habetur 1. ad Thimoth. 5. *Si quis ſacrum maximè domeſticorum curam non habet infidelis eſt, & infideli deterior.* Quod contingit præcipuè in his caſibus, *Primò*, ſi ſint negligen-

tes in

Digitized by Google

tes in procurandis iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem famulorum, vt eſt ſuſceptio Sacramentorum ſuo tempore. Miſſæ auditio, & alia huiuſmodi. *Secundo*, ſi ſint negligentes in corrigendis eorum peccatis. *Tertiò*, ſi iubeant aliqua, quæ ſerui facere non poſſunt ſine peccato mortali. *Quartò*, ſi eos onerent laboribus intolerabilibus. *Quintò*, cùm eos afficiunt contumeliis, vt vocando ſeruos Chriſtianos, canes. *Sextò*, ſi grauiter verberent ex leui cauſa. *Septimò*, ſi fraudent operarios ſuos mercede, vel differant abſque rationabili cauſa. *Octauo*, ſi non expellant ſeruum malum, vel ſubtrahant ex alimento conſueto, vnde probabiliter credatur an ſanitatem mentis rediturus; tenetur enim dominus cohibere quantùm poteſt, ne famuli, ſeruique ſui ſint blaſphemi, vel periuri, vel aliquod peccatum graue publicè committant, ideoque tenetur dominus bis, aut ter famulum de mala vita, et maximè de concubinatu corrigere, quem ſi emendare ſe noluerit, tenetur domo expellere; at ſi veriſimile eſſet domo expulſum deteriorem fore, poſſet domi retineri adhibitis remediis, quæ poſſunt adhiberi, dummodo concubinam ſerui in domo ſua dominus nõ retineat; quia hoc eſſet quodammodo fouere peccatum ſerui; ſi tamen concubina alibi ſit, et ſciat ſeruum vti conſortio eius, non tenetur eum expellere, niſi propter ſcandalum; maximè ſi id faciat cauſa aliàs vitandi grauis damni, ne defraudetur ſeruo ſuo, aut ne deterior fiat fugiendo. Hæc colliguntur ex Nauarro, *in Manual. capit.* 14. *numer.* 21. Diuo
Nauarr. D Ant. Sà. Clauis regia Trullēc. Azorius.
Antonino, 2. *part. titul.* 5. *caput* 9 §. 2. Emanueli Sà, *verb. Dominus*, *num.* 2. Clau. reg *lib.* 7. *capit.* 7. *num.* 11. Geſualdo, *part.* 3. *tractat* 10. *numer.* 15. Trullench, *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *capit.* 1. *dub.* 6. *numer.* 2. Azorio, *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 39 *q.* 13. et aliis apud illos citatis.

10. Dominus, ſeu herus tenetur proſpicere ſaluti, ac vitæ famuli, tum corporis, tum animæ dum eſt id eius famulatu: vnde debet ei alimenta ad eius famulatum congruentia; dignus eſt enim operarius cibo ſuo, quia in locatione operarum conductor tenetur dare alimenta operario, vel pretium conuentum loco alimenti. Quod ſi famulus ægrotet, debentur illi impenſæ, quas dominus alioqui faceret, ſi valeret. Non tamen cogitur herus eas impenſas ſoluere, quæ immodicæ ſunt, et ingentes ob morbi magnitudinem, et grauitatem. Si autem morbus leuis ſit, eſt domi retinendus impenſis domini: ita enim ipſe obligationem interpretatus eſt. Præterea ſi impenſæ abſolutè, et ſimpliciter vitæ humanæ ſint neceſſariæ, eas illi debet dominus, non quatenus famulo, ſed quatenus homini ad extremam egeſtatem redacto. Ex quo fit, vt ſi famulus habeat aliunde, vel probabiliter habiturus creditur, vnde curari poſſit, non debeat dominus ex ſuo eas impenſas facere, niſi ex humanitate, et benignitate ſua. Quare ſi morbus grauis ſit, ita vt indigeat magnis ſumptibus, et cura particulari, non peccat dominus tranſmittendo ægrotum famulum ad hoſpitalem domum: non enim peccat contra iuſtitiam, cùm non obligauerit ſe ad expenſas pro tempore, quo famulus praua vtitur valetudine: neque peccat contra charitatem, cùm ex charitate ſolùm teneatur ſuccurrere, dum non eſt
Azorius. Filliuc. Bonac. Regin. Trullēc.
alius, qui ſubueniat; in hoc autem caſu adeſt hoſpitalis domus. Ita Azorius, *part.* 2. *lib.* 2. *capit.* 39. *quæſt.* 3. & 4. Filliucius, *tractat.* 28. *part.* 2. *numer.* 82. & 83. Bonacina, *tom.* 2. *diſput.* 6. *quæſt. vnic. punct.* 8. *numer.* 7. Reginaldus, *lib.* 21. *numer.* 60. Trullench, *loco citato*, *numer.* 9.

Vide v. Iuramentum, *num.* 24. Nouitiatus, *num.* 4. 7. 11. Votum, 1. *num.* 15.

PAROCHVS.

Parochia.

SVMMARIVM.

1 *Parochus debet eſſe legitimus, viginti quinque annorum; intra annum a collatione beneficij debet fieri Sacerdos, &c.*

2 *Ad quæ teneatur Parochus ex officio ſuo?*

3 *Qualiter ſe gerere debeat Parochus, auditurus confeſſiones eorum qui peſte infecti ſunt.*

1 PArochus, ſecundùm iura, debet eſſe legitimus, et qui illegitimè natus beneficium habet curatum abſque Papæ diſpenſatione, nec poteſt reditus percipere, nec beneficium retinere, inſuper debet agere annum vigeſimum quintum, et poſt collactionem beneficii curati intra annum Sacerdos fieri debet, aliter perdit titulum ipſo facto: *præterea* debet eſſe idoneus miniſterio, et officio quod aſſumit, vnde cui ſcientia neceſſaria deeſt, nec animum habet diſcendi, vel non cognoſcit ſe aptum ad diſcendum, vel qui peccator eſt publicus, nec de emendatione cogitat, peccat mortaliter ſuſcipiendo beneficium curatum; *cap. Cùm in cunctis, de elect. & c. licet canon, de elect. in* 6. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *capit.* 3. Toletus, *lib.* 5. *capit.* 5. Concil. Trid. Toletus.

2. *Parochus* ex officio ſuo ad multa tenetur. *Primò*, ſi aliquid ei deeſt ad officium neceſſarium tenetur in quantum poteſt curam adhibere, vt diſcat ſi ignorans ſit, et ſe corrigat, ſi ſit malæ vitæ. *Secundo*, tenetur reſidere. *Tertiò*, debet celebrare Dominicis, et Feſtis diebus, et aliquot etiam ex diebus aliis, ſecundùm loci conſuetudinem. *Quartò*, tenetur populo prædicare, et docere populum neceſſaria ad ſalutem, puta Symbolum, Decalogum, Pater noſter, et peccata communia, generaleſque virtutes, ſignanter myſterium Trinitatis, et Incarnationis, et negligentia magna in his docendis mortalis eſt. *Quintò*, tenetur miniſtrare Sacramenta, non ſolùm tempore obligationis, ſed etiam cum ſuſcipiuntur ex deuotione. *Sextò*, tenetur inquirere in Parochia ſua peccatores publicos, et vitia publica, et corrigere per ſe, vel Epiſcopo manifeſtare. *Septimò*, debet infirmos ſuæ Parochiæ viſitare, et ſcire, an Sacramentis indigeant. *Octauò*, ſepelire etiam pauperes ſuæ Parochię, licet inde nullam eleemoſynam ſperet, et illorum animas Deo commendare. Layman, *lib.* 5. *tractat.* 6. *capit.* 13. *numer.* 1. & 2. Toletus, *cit capit.* 5. Emanuel Sa, *verb. Parochus*, *num.* 4. & 5. Filliucius, *tractat.* 22. *capit.* 2. *numer.* 46. & 47. Nauarrus, *in Manual. capit.* 25. *numer.* 131. Bonacina, *tom.* 2. *diſputat.* 6. *quæſt. vnic. punct.* 8. *numer.* 4.
Layman. Toletus. Sà. Filliuc. Nauarr. bonacin.

Proinde Parocho notanda eſt ſpecialis doctrina circa hæc Ioannis Sancii, *in Selectis*, *diſputat.* 47. *numer.* 17. & 18. Si defunctus pauper ſit (Paroche) noſcas tibi non licere pretium exigere: quòd ſi tibi onus videatur, ſubit idem etiam corporalis medicus, aduocatus, et alii: potiùs ergo tu qui munere ſuperas: Nec fidas hoc in totum à vicecurato agendum: iſte enim quia pauper ſtrictiùs fortè pauperem, et viduam premet: per temetipſum ſi feceris, exemplum dabis; nec iuſſiſſe fas eſſe putes, quia nullus Superiorum exemplo efficacior. Cupiditatem, radicem omnium malorum eſſe minimè ignores, id eſt, auaritiam. Illud itaque malum tu prodis dum ſepelire mortuos non vis, niſi emolumenta perceperis, vel ſaltem pignora tecum habueris. Scandalum ex hoc Parocho generas, laicos detractores inuenies, ſat tibi ſit poſt laborem mercedem recipere. *Nonò*, tenetur Parochus promiſſum ſacrificium abſque mora implere: quia iniuria grauis eſt animam in Purgatorio ob eius culpam detineri, vel conſecutionem rei poſtulatæ differri. Et in *capit. qui oblationes* cum ſequentibus 13. *quæſt.* 2. appellantur defunctorum necatores, retinentes illorum oblationes, & à fortiori Miſſas. *Decimò*, tenetur cęremonias ſui muneris rectè ſcire, quia aliàs periculo errandi ſe committet. *Vndecimò*, nimiam cum Parochianis familiaritatem euitare debet; quia homo eſt, defectus habens, quos minùs conuerſando celabit; loca ſuſpecta, velut horrida fugere debet; non ruſticus tamen, nec auſterus ſit.

Duodecimò, tenetur diſcordias inter parochianos componere; quia obligatur damna ſui gregis vitare. Denique tenetur Parochus curam habere de munditia ſuæ Eccleſię, Altarium, Purificatoriorum, & maximè Corporalium: quia in *capit. Relinqui nolumus*, de cuſtodia Euchariſtiæ hoc præcipitur. *Nimis enim videtur abſurdum*

in ſacris

Digitized by Google

in ſacris ſordes negligere, quæ deducerent etiam in profanis.

Ab immundis in menſa quidem abhorres, ò Paroche, & eadem cultui admines diuino? aranearum telis cernis Eccleſiam coopertam; pudeat tam vilibus adornari ſacrata.

Porrò Parochus vitam ſuam ita inſtituere debet orationis frequentia, cibi, ac potus temperantia corporis caſtitate, locutionis modeſtia, in pauperes miſericordia, erga omnes humanitate, & charitate, vt quod verbis in Eccleſia populum edocet; ipſe opere confirmet, ac veluti in imagine oſtendat: proinde per vicos, & oppida non diſcurrat, ſed domi ſuæ ſe contineat, vt ſtatim vbi neceſſe fuerit, ad viſitandos infirmos accedere, eoſque opportunis remedijs iuuare poſſit. Verùm doctrinam ſua, quamuis ſana parum effecturus eſt, niſi etiam vitę exemplo præeat, & quod alijs, tanquam ad ſalutem neceſſarium, aut vtile ſuadet, idem conſilium ſibi det, exequatur. Si enim propriam animam ſibi coniunctiſſimam non curat, quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, rerum cœleſtium deſiderium, ſi ipſemet eo igne cęleſti priuatus ſit? quomodo alios exhortabitur ad temperantię, caſtitatis virtutem, ſi ipſemet vino deditus, & impurus exiſtat?

3. *Parochus* auditurus confeſſiones eorum, qui peſte, vel ſimili morbo contagioſo infecti ſunt, ante omnia curare debet, vt ſi fieri poſſit, in loco ipſo libero, ſeu aere non infecto conſtitutus ſit; vnde ipſi infirmi obligati ſunt vt è cubiculo, aut domo ad confitendum egrediantur, vel ad feneſtram, Parocho foris ſtante, portentur, ſi id ſine graui eorum incommodo fieri poſſit: Si autem infirmus egredi, vel loco ſuo moueri non poſſit, neque etiam tam alta voce confiteri, vt è loco diſtante audiri queat, ſeu propter ſuam infirmitatem, ſeu propter ſimul decumbentes; tunc Parochus, communiter loquendo accedere debet, & pœnitentes in ſecreto audire: ſi tamen timeat periculum contagionis, vt non audeat cum pœnitentibus diu morari, poterit eos rogare, vt ſtatim dicant quædam grauiora, aliis omiſſis, quæ propter moralem impoſſibilitatem audi nequeant; quia ſicuti pœnitens excuſatur quominus integram peccatorum confeſſionem facere teneatur, ſi ex ea mortis periculum ipſi immineat; ita etiam excuſari videtur Confeſſarius, quominus integram confeſsionem audire teneatur, ex qua ſibi mortem probabiliter timet. Vide Dianam, *part. 5.*
Layman *tractat. 3. reſolut. 53. 74.* Ita Layman, *lib. 5. tractat. 6. cap.*
Capeau. 13. *numer. 4.* Capeauilla, *capit. 1. quæſt. 9. & capit. 3. quæſt.*
Zambr. 29. Zambr. *capit. 4. dub. 6. num. 12.*

De Parocho, vide t. 1. verb. Beneficium, 3. *numer.* 4. Cenſura, *numer.* 9. Confeſſarius 1. *numer.* 9. Confeſsarius 2. *numer.* 5. 8. 12. Confeſsarius 3. *numer.* 2. 10. Confeſsarius 5. *numer.* 1. 3. Euchariſtia, *numer.* 7. Extrema Vnctio 2. *numer.* 3. Horæ Canonicæ 4. *numer.* 4. & hoc t. verb. Interdictum 5. *numer.* 5. Matrimonium 5. t. 1. verb. Beneficium 7. *numer.* 3. & hoc t. verb. Reſidentia. Reſtitutio 3. *numer.* 8. Votum 7. *numer.* 24. Religio 1. *numer.* 9. & t. 1. verb. Caſus reſeruatus, *numer.* 6.

SVPPLEMENTVM.

Parochia. Parochus.

SVMMARIVM.

1 *Parochia vnde originem ducat, & quid ſit? & qualiter Eccleſia Parochialis dignoſcatur.*
2 *Parochia largè an ſumatur pro tota Diœceſi?*
3 *Parochus vnde dicatur? Et quibus nominibus in iure decernetur?*
4 *In quibus conſiſtat ſummariè ius Parochiæ, ſeu Parochi.*
5 *De primo iure Parochiæ, quod eſt Baptiſmum conferre Parochianis.*
6 *De ſecundo, quod Parochiani ſemel in anno debeant proprio Parocho confiteri: hic adducitur Bulla Clementis Octaui in fauorem Religioſorum, deſtinata ad Nuncium Apoſtolicum in Belgio degendum.*
7 *De tertio iure, vt Parochiani teneantur in Paſchate in Parochia propria communicare.*
8 *De quarto, quo Parochiani audiant Miſſam Parochialem diebus Dominicis, & Feſtis.*
9 *An Epiſcopus poſſit cogere populum, vt diebus Dominicis, & ſolemnioribus Feſtis, ad propriam Parochiam accedat?*
Refertur duplex ſententia.
10 *De quinto iure Parochi, quod eſt miniſtrare ſuis Parochianis Sacramentum Extremæ-Vnctionis.*
11 *De ſexto, quod matrimonia debeant in propria Parochia, & a proprio Parocho celebrari.*
12 *De ſeptimo, quod eſt ſuos Parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare. Referuntur ibi priuilegia Ordinum Mendicantium quoad hanc ſepulturam.*
13 *De octauo iure Parochi, quod eſt percipere decimas.*
14 *An Parochia, quæ de nouo aliquot agros intra terminos alterius Parochiæ acquirit, ei teneatur decimas ſoluere de agris acquiſitis?*
Refertur duplex ſententia.
15 *De nono, quod eſt primitiarum perceptio.*
16 *De decimo iure Parochi, quod eſt oblationes fidelium recipere.*
An de iure teneantur Parochiani Dominicis, & Feſtis diebus aliquas oblationes offerre ſuis Parochis tempore Miſſæ?
Refertur duplex ſententia.
17 *An omnes oblationes, quæ fiunt in ſacellis intra Parochiam ſitis, de iure ad Parochum pertineant?*
Et an laici ius aliquod in oblationes acquirere poſſint?
18 *Quarum perſonarum, & quarum rerum oblationes Eccleſia non recipiat.*
19 *De vndecimo iure Parochi, quod eſt accipere Canonicam portionem funeralem.*
20 *An Canonica portio debita Eccleſiæ parochiali poſſit conſuetudine, vel præſcriptione præſcribi.*
21 *An Canonica portio ſemper debeatur Eccleſiæ parochiali, etiamſi alibi quis caſu moriatur, vel eligat ſepulturam?*
Et quid iuris quando aliquis æqualiter in diuerſis parochiis habitat, & in tertio loco ſepulturam eligit.
22 *A quibus ſit ſoluenda Canonica portio parochialis.*
23 *An de iure communi ſoluenda ſit hæc portio Canonica etiam a Religioſis?*
Et quid illis concesserint priuilegia Pontificum circa hanc portionem.
24 *Quid ſtatuerit Concilium Tridentinum pro Religioſis circa quartam funeralem.*
25 *De vltimo iure Eccleſiæ parochialis, vt ſolùm habeat vnum Rectorem, ſeu Parochum.*
Quæ idoneitas requiratur in eligendo ad parochialem Eccleſiam regendam.
27 *Quæ ſint præeminentia Eccleſiæ parochialis, eiuſque Parochi.*

1 PArochia originem ducit à Gręco nomine παροικία quod incolatus, & viciniam ſignificat. Sic ſeptuaginta Interpretes, *Pſalm.* 119. parochiam dixerunt, Latina verò tranſlatio incolatum, ſignificat ergo parochia accolarum conuentus ſacramque viciniam. Secundùm Panormitanum, *in rubrica de parochis, numero* Panorm. *primo*, Barboſam, *de officio, & poteſtate parochi, capite* Barboſa. *primo, numer. 16.* & alios, parochia dicitur partitio curę, nam populi cura partita fuit inter Eccleſias parochiales. Hinc parochia, aut parochialis Eccleſia eſt locus in quo Presbyter ab Epiſcopo eſt deputatus ad Sacramenta, & alia ſpiritualia populo miniſtranda, ſicque vni Presbytero regenda, & curanda illa Eccleſia particularis committitur, *capite primo, & alijs de parochijs,*
&

Digitized by Google

& Clement. Dudum, de ſepultur.

Eccleſia autem parochialis dignoſcitur ex eo, quod habeat populum certis limitibus ac finibus diſtinctum; non tamen ſi ſacri Baptiſmatis fontem habeat; nec item ſi cœmeterium, vbi aliqui ſepultur æ ius habeant: quia hæc duo Eccleſia quæ non eſt parochialis, poteſt habere, vel conſuetudine, vel priuilegio, vel auctoritate Superioris Antiſtitis. Quare Eccleſia, quæ dicitur parochialis, eo ipſo eſt baptiſmalis. Sed baptiſmalis non continuò eſt

Federic. Gomez. Rebuff. Azorius. parochialis. Ita Federicus *in conſil.* 135. Gomez *in Regula de Idiomate, quæſt.* 11. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de diſpenſat. ratione ætatis, verſic. etiamſi curam habeant.* Azor. *part.*2. *lib.*3.*c.*12.*q.*3. & communis.

2. Parochia largè aliquando ſumitur pro tota Epiſcopi Diœceſi, vt patet, ex *cap. Si quis ord natus*, & duobus ſequentibus capitibus, *diſtinct.*92. *& cap.*1. *de raptoribus*, & alijs, vbi promiſcuè parochia pro Diœceſi, & è contra olim vſurpabatur, quia parochiæ diſtinctæ non erant, ſed Epiſcopi omnes dicebantur totius Diœceſis animarum curam habere, quod durauit vſque ad Dionyſium Papam, hic enim Pontifex ſingulas Eccleſias, ſingulis Presbyteris deſignauit in parochias, vt vnuſquiſque ius proprium haberet, nec vnus alterius parochiæ terminos inuaderet, vt patet ex *cap. Eccleſias* 13. *quæſt.* 1. & hanc parochiarum diuiſionem, quæ aliqua ex parte abierat in diſſuedinem à tempore Dionyſij, renouauit Vrbanus II.

Nauar. Barboſa. vt docet Nauarr. *in cap. placuit, de pænit. diſtinct.* 36. *num.*4. §. *reſponderi*, vide Barboſam *de offic. & poteſt. parochi, cap.*1. *num.*18.

3. Hoc nomen parochus originem trahit à nomine Græco παρόχος, id eſt præbens; olim enim parochi dicti fuerunt illi, qui Legatis publicè Romam miſſis ſaltem, & ligna præparabant, hoc eſt, qui omnium rerum copiam Legatis Regum, Principum, ac populorum hoſpitio receptis ſuppeditabant: vnde ad horum ſimilitudinem Presbyteri, qui ab Epiſcopis alicui Eccleſiæ præficiuntur, ad Verbum diuinum, Sacramenta, & alia ſpiritualia ſubminiſtranda fidelibus, parochi dicti ſunt. Sed melius, & propriùs exiſtimant alij, parochum dictum quaſi parœcum, hoc eſt ab accolendo, & iuxta habitando. Parœcus autem Græcis eſt incola, ſiue habitator in loco, ac proinde non parochus, ſed parœcus eſt dicendus Presbyter Eccleſiæ parochiali ab Epiſcopo deputatus ad verbum diuinum Sacramenta, & ſepulturam fidelibus miniſtranda, quamuis vulgò dicatur parochus. Ita

Barboſa. Trullench. Azorius. Barboſa *de offic. & poteſt. parochi, cap.*1. *num.*3. Trullench *tract. de iure parochi, cap.*1. *num.*1. Azorius *part.*2. *lib.*3. *cap.*12. *quæſt.*1.

Adnotandum hic eſt Parochum, ſeu parœcum in iure vocari Rectorem illius Eccleſiæ populi cui præficitur, vt *in cap. Sicut in vnaquaque* 21. *q.*3. Et *in cap. vt quiſque* 3. *de vita, & honeſt. Cleric.* Ideoque Doctores in rubric. de parochis communiter Presbyterum Eccleſiæ parochialis vocant populi Rectorem. *Secundò*, vocati ſunt etiam olim parochi Presbyteri Cardinales, id eſt principales. Romæ enim antiquitus in ſingulis titulis, ſeu parochijs cùm plures reperirentur Presbyteri, ijs præficiebatur vnus, qui idcircò diceretur Presbyter Cardinalis, id eſt principalis. *Tertiò*, vocantur plebani *in cap. cum olim, de præſumpt.* Denique vocantur Curiones, ſiue Curati a cura, quam in ſuas oues exercere debent. Vide Barboſam *de offic. & poteſt. parochi, cap.*1. *à num.*4. *vſque ad num.* 16.

4. Ius parochiale parochum, & parochiam conſtituens, ſitum eſt in ijs quæ ſequuntur. Primum eſt, vt populus ipſi ſubiectus in ea Baptiſmum à ſuo parocho ſuſcipiat. Secundum, vt quiſque in ea ſemel in anno ſacram faciat ſuorum peccatorum Confeſſionem. Tertium, vt ſanctiſſimum Chriſti corpus quotannis in Paſchate in ſua parochia, & a ſuo parocho recipiat, *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* Quartum, vt iuſto ac debito tempore extremam ſacri olei vnctionem ab ea petat, *Clement. vnic.* §. *dudum, de ſepultur.* Quintum, vt eorum qui matrimonio iunguntur nuptiæ in ea ſolemni ritu celebrentur, *cap. Cùm inhibitio, de clandeſt. deſponſat. & cap. Aliter* 30. *quæſt.* 5. Sextum, vt in ea mortui ſepeliantur, *Clement. Dudum*, §. *verum, de ſepultur.* Septimum, vt ibidem diebus Feſtis populus rem diuinam audiat, *c. vt dominicis, de parochijs.* Octauum, vt ei decimam fructuum partem quotannis ſoluat, ac reddat, *cap. Quicunque* 16. *quæſt.*7. Nonum, vt primitias itidem fructuum, & alias quæ de more fiunt, oblationes pendat, ac præſtet, *cap. Omnis, de conſecrat. diſtinct.* 1. Decimum, oblationes omnes, quæ populus intra parochiæ ambitum offert, & deuotat, ad propriam parochiam, & illius Parochum ſpectant, *cap. Quia Sacerdotes* 10. *quæſt.*1. *& cap. Sanctorum, & cap. ſequenti.* Vndecimum eſt, ius percipiendi Canonicam portionem, quam vulgò quartam appellamus, ex *cap.*1. *&* 2. *& cap. de his, de ſepultur.* Duodecimum eſt, quod parochialis Eccleſia vnum tantùm habeat Sacerdotem, qui eam regat, & gubernet, *cap. Sicut in vnaquaque* 12. *quæſt.*2. Hæc ſunt quæ parochiam conſtituunt, & ad illam pertinent, iuxta Ab- Abbas.
batem *in rubric. de parochijs*, & Hoſtienſem *in Summ. tit. de parochijs*, §. 2. Et quamuis omnes illæ conditiones ordinariè, & ferè naturaliter in Eccleſia parochiali inueniantur; tamen omnes non ſunt ita de illius eſſentia, quin poſſit abſque aliquibus Eccleſia parochialis conſiſtere: nam quidam volunt, de eſſentia Eccleſiæ parochialis ſolum eſſe quatuor. *Primò*, poteſtas fori pœnitentialis, hoc eſt, poteſtas ligandi, & ſoluendi in foro pœnitentiali, quæ non cadit niſi in Sacerdotem. *Secundò*, quod ſit certa parochia, ſeu locus certis limitibus, et finibus conſtitutus. *Tertiò*, vt obtinens Eccleſiam parochialem exerceat curam nomine ſuo, et non alieno. *Quartò*, vt vnus tantùm Presbyter, Rector, ſeu parochus parochiali Eccleſiæ præficiatur. Fons autem baptiſmalis, ſepultura, ac decimarum exactio, quamuis maximè conducant ad Eccleſiam parochialem, non tamen ſunt de illius eſſentia, cùm ſine illis parochialis Eccleſia conſiſtere poſſit. Ita Gomez *in reg. de Idiomate, quæſt.* 11. *à num.* 4. Gomez.
Gonzales *gloſſ. ſuper* 8. *reg. Cancellar. à num.* 34. *vſque* Gonzal.
*ad num.*58. Cæterum etſi illæ duodecim conditiones non ſint omnes de eſſentia parochialis Eccleſiæ, quia tamen ordinariè omnes illæ in parochiali Eccleſia reperiuntur, ideo de ſingulis breuiter agendum.

5. Primum ius parochiæ, & parocho competens eſt, vt ad ſolum parochum pertineat ſuis ouibus Sacramentum Baptiſmi miniſtrare; ita tamen, vt ſi alius Sacerdos extra neceſſitatem abſque Epiſcopi, vel parochi licentia ſaltem tacita, & interpretatiua illud ſolemniter miniſtret, peccet mortaliter. Ratio eſt, quia vſurparet ſibi iuriſdictionem, & munus alterius, cùm paſcere animas, quod maximè fit verbo, & Sacramentis, pertineat ad Paſtores, qualis eſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, aut parochus in ſua parochia. Si vero baptizet in neceſſitate, quando parochus abeſt, nec facilè haberi poteſt, non peccat; quia quilibet Sacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter ad hoc Sacramentum, & habet poteſtatem illud adminiſtrandi, quatenus habet poteſtatem Ordinis: non tamen quilibet Sacerdos poteſt baptizare abſque licentia Epiſcopi vel parochi, quando parochus adeſt, vel facilè haberi poteſt, nam deeſt illa iuriſdictio. Ita Valen- Valent.
tia *tom.* 4 *diſp.*4. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p.* Suarez.
*diſp.*23. *ſect.*2. §. *Tertiò dicendum eſt, & ſequent.* Eman. Sà Sà.
*verb. Baptiſmus, n.*6. Nugnus 3. *p.q.*67. *art.*2. & cõmunis. Nugnus.

6. Secundum ius parochi eſt, vt populus parocho ſubiectus ſemel in anno eidem parocho ſuorum peccatorum ſactam faciat confeſſionem: vnde ex iure communi habet ius parochus, vt ipſius oues, cum eo ſaltem ſemel in anno confiteantur, vel cum alio, de licentia tamen ipſius parochi. Probatur hoc *Primò*, ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pænitent. & remiſſ.* vbi Innocentius III. Inno. III
in Concilio generali Lateranenſi præcipit, vt *omnis* Côc. La.
vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti; & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere. Et infra: *Si quis autẽ alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote: cum aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare.* Vbi Pontifex duo diſponit, et quod Confeſſio ſit facienda proprio, et quod facta alieno ſine proprij licentia ſit inualida.

Pro-

Digitized by Google

Probatur *Secundò ex Extrauag. 2. in communibus, de treuga, & pace*, vbi Sixtus Quartus ad concordiam
IV. reducendo Religioſos, & Epiſcopos ac Parochos, inter alia ponit hanc clauſulam. Quod etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare; quod parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti, quia tenetur de iure parochianus ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti.

Quis autem dicatur in his Canonibus proprius Sacerdos diximus, *tomo primo, verbo Confeſſarius I. numer. 12. edition. 3.* Ex priuilegijs tamen Summorum Pontificum, quæ modo ſunt in vſu ferè per totum orbem, non obſtante iure communi prædicto, parochiani etiam tempore Paſchalis præcepti, cum alieno confiteri poſſunt tale priuilegium habent Religioſi Mendicantes, ita vt per confeſſionem ei factam ſatisfaciant præcepto, etiā ſi proprij Sacerdotis licentia non adſit, vt nouiſſimè definiuit Clemens Octauus Pontifex Maximus in ſua Bulla Anno MDLXXXXII. Vigeſima ſecunda Decembris, quam ad Nuncium ſuum in Belgio degentem executioni mandandam miſit, vt eam referunt Coninch,
[Coni]nK. *disputat. 8. de miniſtro pœnitentia, dubio nono, numer. 66.*
[The]oph. & Auctor Theophyli Parochialis, *parte quarta, articu-*
[Par]och. *lo vndecimo.*

Hæc Bulla edita eſt occaſione ortæ cuiuſdam commotionis Duaci Anno MDLXXXXII. duobus ibidem parochis doctiſſimis debita parochialia ſuo populo, in parochia ſua publicè intimantibus: nimirum auditionis Miſſæ parochialis diebus Dominicis, & Feſtis, Confeſſionis item Paſchalis, parocho faciendæ, iuxta ſtatuta Synodalia, & Prouincialia, iuxtaque conſuetudinem patriæ immemorialem: denique iuxta Canonem, *Omnis vtriuſque ſexus*, &c. Quem Canonem, cùm iuxta præceptum Concilij Lateranenſis etiam publicaſſent; quidam ad ſonitum horum verborum Canonis, *Alioquin, & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*; putantes illam comminatoriam excommunicationis, expaueſcendæque pœnæ clauſulam referri ad Miſſas, ſicut & ad Confeſſionem, & Communionem Paſchalem, ſcrupulo acti, inconſulto parocho, ad Religioſos Mendicantes priuilegiatos repente concurrerunt; & illi inconſultis etiam parochis præfatis, iſtis querulis deferentes, cœperunt prædicare ea, quæ Bulla narrat, & ſubinde recurrere inſcijs Epiſcopis, & Parochis, ad Nuncium Apoſtolicum Belgij. Item ad tribunal laicale regium; item ad Clementem Octauum tunc ſedentem, qui illicò Bullam, ſeu decretum confecit, & Nuncio ſuo miſit, tenor ſic habet.

Significatum fuit nobis nuper, non ſine graui animi noſtri moleſtia, in Oppido Duacenſi Attrebatenſis Diœceſis nonnullos Parochos maximo cum fidelium ſcandalo, tum docendo, & concionando, tum omnes reprehenſionibus, & cenſurarum Eccleſiaſticarum comminationibus perterrendo Chriſti fideles auertere, ne Feſtis diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinis Mendicantium, atque Collegij Societatis IESV pro Miſſis audiendis accedere: & ne etiam quadrageſimali, & Paſchali tempore Fratribus dictorum Ordinum, ac Presbyteris Societatis IESV peccata ſua confiteri poſſint, auſos fuiſſe; Affirmantes ipſis fidelibus, tam de iure, quam de conſuetudine prohibitum eſſe in alijs, quàm parochialibus Eccleſijs Miſſas diebus Feſtis audire, nec licere illis Quadrageſimali, & Paſchali tempore, alijs præterquam proprijs parochis peccata ſua confiteri. Vnde maximam in fideli populo exortam fuiſſe animorum perturbationem accepimus. Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum, & Conuentualium, ac Presbyteri dictæ Societatis priuilegijs Apoſtolicis ſuffulti, tum priuatim, tum publicè in concionibus contrarium vſum in Eccleſia Dei receptum, & permiſſum, ac à Sanctis Patribus OEcumeniciſque Concilijs approbatum defendere conati fuerunt. Rem autem eo pertractam intelleximus, vt graues inde diſſenſiones, inter Parochos, & Presbyteros Societatis IESV ſubortæ fuerint. Quod autem nos grauius affecit, illud imprimis fuit, quod Venerabiles Fratres Archiepiſcopus Cameracenſis, & Epiſcopus Attrebatenſis inconſulta Sede Apoſtolica negotium in diſceptationem, tum etiam in iudicium fortaſſis apud ſecularem Curiam deduxerant. At nos ea grauiora ſcandala ſaborientur paternè conſulere, & celeri remedio conſulere volentes; cauſam, & cauſas huiuſcemodi, ſi quæ coram quocumque Iudice introducta reperiantur, ad nos harum ſerie auocantes, illaſque penitus extinguentes, ac perpetuum deſuper, tum Parochis, tum alijs prædictis ſilentium imponentes, præſenti noſtro Decreto ſancimus licere ſecularibus vniuerſis liberè Miſſas diebus Dominicis, & alijs maioribus Feſtis audire in Eccleſiis, tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegij Societatis IESV iuxta illorum priuilegia, & antiquas conſuetudines: dummodo id in contemptum parochialium Eccleſiarum non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam alijs priuilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis peccata ſua etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quouis alio tempore confiteri poſſe. Dummodo tamen idem Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ die Feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant. Proinde tibi per præſentes committimus, & mandamus, vt præſens noſtrum Decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi, & Epiſcopo Attrebatenſi notum facias, iiſdemque auctoritate noſtra Apoſtolica mandes, vt illud in prædicto Oppido Duacenſi, & vbicumque opus fuerit publicari, & obſeruari faciant: vtque Parochus in eorum officio contineant: illoſque ab auocatione populi ab Eccleſijs priuilegiatorum, ac etiam a propoſitionibus, quibus tollitur populo libertas audiendi Miſſas in Eccleſijs priuilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata ſua etiam in Paſchate ipſis priuilegiatis abſtinere faciant. Ipſis verò priuilegiatis eadem auctoritate præcipias, vt in Concionibus, & Catechiſmis populum ipſum, tum ad frequentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas præſertim Dominicis, & alijs ſolemnibus Feſtis diebus audiendas: tum ad decimas, reſque alijs Eccleſijs debitas ſoluendas frequenter moneant, & adhortentur. Ac denique omnem huiuſmodi controuerſiæ occaſionem præcindere, ac tollere, & Chriſti fidelium animos ad vnionem, & quietem traducere cures: omniaque præmiſſa publicari, & exequi, adiectis etiam cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis tibi bene viſis pœnis, opportuniſque omnibus iuris, & facti remedijs adhibitis, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo, Decembris vigeſimo ſecundo.

Circa hanc Bullam Clementis Octaui eſt dubium, an deroget conſuetudini Belgicæ immemorabili audiendi Miſſam parochialem, & confitendi Parocho in Paſchate? Theoph. Paroch.
Reſpondet Auctor Theophyli Parochialis, *parte quarta, artic. 17.* quòd non: quia hæc conſuetudo eſt in hac inferiori Germania legitimè proſcripta imò, & immemorabilis, & habet vim legis, & obligat in conſcientia. Conſuetudo (inquit Suarez, *de legibus, libro ſeptimo,* Suarez.
capit. 16. numero ſecundo) obligat in conſcientia cùm ſit vera lex. Et ſi exiſtat lex de eadem re, de qua eſt conſuetudo; hæc iſtius interpres eſt optima. Si nulla lex, aut Canon ſit de eadem re: tunc ipſa conſuetudo inſtar legis eſt, & vocatur lex, ſiue ius non ſcriptum. Denique ſi exiſtat lex contraria, & derogat conſuetudo: adeò vt ſi Papa legem ferat particulari conſuetudini rationabili, præſcriptæ, aut immemoriali contrariam: ei non deroget, niſi id expreſsè indicet, vt patet ex *capit. licet Romanus, de conſtitution. in ſexto*, vnde colligitur argumento dicti capitis, quod etiamſi Regulares haberent aliquam legem Canonicam in contrarium: nihilominus dicta conſuetudo Miſſæ parochialis, & confitendi in Paſchate Parocho vetuſtiſſima harum Belgicarum Prouinciarum, & efficaciter derogaret: è contra verò Canon, aut Conſtitutio (minus priuilegium) ſuperueniens derogare iſtiuſmodi conſuetudini non poteſt: etiāſi hæc conſuetudo ſit, tantùm prouincialis, aliter localis, vt latiſſime liquidum ſit dicto *capit. 1. de conſtitution. in 6.*

Hanc

Digitized by Google

Bonac. Suarez.

Hanc aſſertionem ſuam ille Auctor confirmat ex doctrina Martini Bonacinæ, *tom. 2. diſputat. 1. quæſtione prima, puncto vltimo, §. 3. propoſit. 2. number. 38. & ſequentibus*, Suarez, *de legibus, libro ſeptimo, capit. 20. numero ſexto*, quam applicat ad probandum Conſtitutionem prædictam Clementis, non derogare conſuetudini immemoriali huius Belgij, qua parochiani obligantur audire Miſſam parochialem dictis diebus, & confiteri in Paſchate parocho ſuo: aut alij cum illius licentia. Nihilominus conſuetudo illa antiqua noſtri Belgij à tempore editæ prędictæ Clementinæ ita per contrarium vſum fidelium diminuta eſt, vt modò vix quiſquam de non frequentatione parochiæ, quo ad Miſſam, & Confeſſionem ſibi ſcrupulum faciat, videntibus, & annuentibus Epiſcopis modernis, quamuis olim cùm vigeret antiqua illa conſuetudo, Epiſcopi nunc temporis maximè curauerint per ſua ſtatuta Synodalia eam in viridi obſeruantia teneri.

Dicendum eſt ergo ſpectato iure communi omnes fideles teneri confiteri cum ſuis parochis, vel aliis de illorum licentia. Ex priuilegiis autem Fratribus Mendicantibus conceſsis, poſsunt etiam apud illos confeſsionem ſuorum peccatorum facere, etiam parochis contradicentibus, vt conceſſerunt Alexander Quartus, vt refertur in compendio priuilegiorum, *verb. Abſolutio quoad ſaeculares* 1. §. 1. & alij Pontifices, vt tradunt Rodriquez, *tomo primo, quæſtionum regularium, quæſtion. 60. articulo quarto*, Miranda, *in Manual. tomo primo, q. 45. art. 14. concluſione ſecunda*, Barboſa, *de officio, & poteſtate parochi, capit. 19. number. 22.* & alii: qui omnes addunt, hoc procedere licet Epiſcopi in licentiis regularibus conceſſis, dicant, quod Parocho renuente, eis non vtantur: quia ipſi Ordinarii non poſſunt in hac re priuilegia à Pontifice conceſſa tollere, aut limitare, modo regulares ſint ab Ordinario approbari ad audiendas confeſſiones ſæcularium; & ſic confeſſi parochiani præcepto Eccleſię ſatisfaciunt, vt habet modò communis ſententia Doctorum, & probat communis conſuetudo vſu recepta. Vide à nobis dicta *tomo primo, verb. Confeſſarius 2. number. 19. verſ. Sed potes.*

Rodriq. Mirand. Barboſa.

7. Tertium ius parochiæ, & parochi eſt, vt parochiani teneantur Sacramentum Euchariſtiæ in parochia, ſaltem in Paſchate de manu parochi, vel alterius Sacerdotis de illius licentia, ſuſcipere. Quamuis enim cuiuis Sacerdoti ratione Ordinis competat aliqua ratione diſtributio huius Sacramenti, non tamen poteſt licitè quiuis cuilibet Euchariſtiam miniſtrare, ſed hoc ſoli parocho, in ſua parochia, Epiſcopo in ſua Diœceſi, & Papæ in tota Eccleſia competit de iure communi. Ratio eſt, tum quia ad illud miniſtrandum requiritur iuriſdictio. Tum quia miniſtrario Sacramentorum, & gregem Chriſti paſcere munus eſt non cuiuſcumque, ſed proprii Paſtoris; & pabulum præcipuum eſt Sacroſancta Euchariſtia, ac proinde, qui ſine licentia ſaltem tacitè, aut priuilegio, ſiue in Paſchate, ſiue extra, etiam in articulo mortis ſacram Euchariſtiam miniſtrat, peccat mortaliter; quia in re graui alienum officium vſurpat, vt docet Nauarrus, *in Manual. capit. 21. number. 52* Barboſa, *de officio, & poteſtate parochi, capit. 20. number. 2.* Reginaldus, *lib. 20. number. 90.* Trullench, *tractat. de iure Parochi, capit. 5. number. 4.* Bonacina, *tomo primo, diſputation. 4. quæſtion. 5. puncto primo, numero ſexto, in fine*, & alii penes ipſos. Si autem credatur fore vt parochus hoc ſciens approbaturus ſit, & daturus licentiam, Sacerdos adminiſtrans non peccat mortaliter, quia non dicitur alienam iuriſdictionem, inuito proprio parocho, vſurpare. Vide quę diximus *tomo primo, verb. Communio ſacra, number. 8. & 9. & ſequent.* ne hic eadem bis repetantur, & *verb. Euchariſtia, 2. number.* 3. vbi multa habentur de priuilegiis Ordinibus Mendicantibus conceſſis, vt poſſint eorum Religioſi ſacram Euchariſtiam miniſtrare fidelibus.

Nauarr. Barboſa. Regin. Trullẽc. Bonac.

Ex his colligere eſt, ſumentem Euchariſtiam de manu alterius, quàm proprii parochi, abſque eius licentia non ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico de Paſchali Communione, habetur expreſsè *in capit. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion.* & probat communis fidelium conſuetudo, qui tunc temporis Euchariſtiam accipiunt in propria parochia, & ſi alibi ſumant, à parocho licentiam petunt: vnde qui in Paſchate ſine licentia proprii parochi in aliena parochia communicauit, tenetur quam primum poterit in propria communicare; limita, niſi ſit viator; nam ſi in aliena repertus commodè ad ſuam redire nequeat, ibi poterit huic præcepto ſatisfacere, imò in Eccleſia Regularium priuilegiatorum, ſi velit, vt diximus, *tomo primo, verb. Communio Sacra, numer. 11.* cum Doctoribus ibi citatis.

8. Quartum ius parochi eſt, quòd parochiani diebus Dominicis, & Feſtis in propria parochia Miſſam parochialem audiant. Et certè Sanctiſſimi Chriſti Apoſtoli, vt auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, iam ab initio naſcentis Eccleſiæ, formatis paulatim parochiis deuotiſſimè celebrarent; curarunt vt populus fidelium die Dominica diuinis intereſſet. Proinde Sanctus Clemens Petri in Romana ſede ſucceſſor libro tertio Conſtitutionum Apoſtolicarum, capit. 63. ſic ſtatuit, *Verum in die Dominico diligentius conuenite, laudem Deo laturi, qui per Ieſum cuncta condidit, & illum ad nos miſit, atque mori permiſit, & à mortuis excitauit. Nam quam excuſationem afferre poteſt Deo, qui in hoc die non conuenit ad audiendum ſalutarem de Reſurrectione ſermonem? in quo tres orationes, ſtantes concipimus, in memoriam illius, qui tertia die reſurrexit: in quo Prophetarum lectio habetur; & Euangelij prædicatio; & ſacrificij oblatio; atque ſacri cibi diſpenſatio.*

Imò nunc à Sanctiſſimis Apoſtolis, Canone decimo, ſeuerè, cautum eſt ita ad parochiæ miſſam audiendam obligari, vt ne quidem parochianis liceret, ante finem egredi, ſub pęna excommunicationis, vt habetur *in capit. Omnes, dę conſecrat. diſtinct. 1.* his verbis: *Omnes fideles, qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam: & Scripturas, & Euangelium audiant. Qui autem non perſeuerant in oratione, vſque dum Miſſa peragatur, nec Sanctam Communionem percipiunt: velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, conuenit Communione priuari.*

Deſcendit eadem diſciplina Apoſtolica audiendæ parochianæ Miſſæ vſque ad ſæculum quintum, ſub Anno CCCCXXXV. id eſt, ad tempora Concilii Agatenſis, vt refertur de conſecratione, diſtinctione prima, capit. 35. *Si quis etiam extra parochias, in quibus eſt legitimus ordinariuſque Conuentus, Oratorium in agro habere voluerit reliquis feſtiuitatibus, vt ibi Miſſas audiat, propter fatigationem familia iuſta ordinatione permittimus. Paſcha verò, Natali Domini, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, & Natali Sancti Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur; non niſi in Ciuitatibus, aut Parochijs audiant*, vbi notandæ ſunt voces, *Legitimus, & Ordinarius*, nam inde colligitur ſolas parochiales Eccleſias, eſſe ordinaria legitimaque loca audiendæ Miſſæ, diebus Dominicis, & feſtiuis, alia autem loca quantumuis ſacra, eſſe non ordinaria, & proinde non legitima.

Concilium ſextum vniuerſale Conſtantinopolitanum circa annum Domini DCLXXXI. ſub Sancto Agathone, & ſubinde ſub Leone Secundo Canone 80. oſtendit quanti faceret Sanctiſſimum Concilii Sardicenſis, in ſæculo quarto, formatum de Miſſa parochiali audienda decretum; quandoquidem illud ipſum repetat prout ſequitur. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero enumerantur, vel laicus, nullam habet neceſſitatem grauiorem, vel negotium difficile, vt à ſua Eccleſia abſit diutiſſimè: ſed in Ciuitate agens, tribus diebus Dominicis per tres ſeptimanas vna non conueniat, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.*

In Concilio Nannetenſi Eccleſia hanc audiendæ Miſſæ parochialis obligationem fouere, & roborare magis ac magis ſollicita, hanc ſanctionem edidit in corpus iuris relatam capit. 2. extra de parochijs: *Vt Dominicis vel Feſtiuis diebus Presbyteri antequam Miſſam celebrent plebem interrogent, ſi alterius parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi velit Miſſam audire; quem ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia*

Digitized by Google

Eccleſia abijciant, & ad ſuam parochiam redire compellant.

Præterea cucurrit hic legitimus ad Miſſam, ordinariuſque parochianorum conuentus vſque ad annum 1243 (Azorius.) vbi referente Azorio, *tomo primo, lib. 13. capite primo*, præcipit Innocentius Quartus ne Mendicantes admitterent ſeculares ad diuina audienda Dominicis, & feſtis. Ne item Concinnes haberent ad populum in ſuis templis donec omnia in ſingulis parochiis Miſſarum ſacrificia eſſent facta. Itaque hactenus à temporibus Apoſtolorum, ius Miſſæ parochialis audiendæ miſit inuiolatum, & quidem eo rigore, vt per 1300. annos vix licuerit parochianis à dictis Miſſis per tres Dominicas continuas abeſſe ſine periculo excommunicationis, niſi eos iuſta cauſa excuſaret.

Inſuper tempore Sixti Quarti Papæ olim Ordinis Minorum Miniſtri Generalis orta eſt controuerſia in Germania inter Mendicantes, & parochos de Miſſa: hi ſuſtinebant parochianos ſuos teneri audire Miſſam diebus feſtiuis, & Dominicis in ſua parochia, iſti negabant: res deducta eſt in iudicium coram Pontifice, qui duobus Cardinalibus, & totidem Epiſcopis, ad cognoſcendum, & componendum inter partes delegatis, ſtatu controuerſiæ exactè diſcuſſo, de partium libero vtriuſque conſenſu, tandem concordiam iniri fecit, inita eſt, & à Pontifice ſupremo Eccleſiæ Iudice definitiuè concluſa, per Extrauagantem *vices illius de treuga, & pace*, quæ prout facit, hęc habet: *Quod Fratres Mendicantes non prædicent populos Parochiano non teneri audire Miſſam in eorum Parochijs, diebus Feſtiuis, & Dominicis: Cum iure cautum ſit, illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia: niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.* Deinde prohibetur iiſdem Mendicantibus, *ne populos à ſuarum Eccleſiarum Parochialium frequenter, & acceſſu abſtrahant ſiue retrahant quoque modo.*

(Concil. Trid.) Porrò obligatio Miſſæ parochialis currit vſque ad Concilium Tridentinum, & ab illo conſeruatur. Hinc *ſeſſion 22.* in decreto de obſeruandis, & vitandis, in celebratione Miſſæ, poſtquam dixit: *Doceant populum quis ſit, & à quo potiſſimum proueniat Sanctiſſimi huius ſacrificij, tam pretioſus, ac cœleſtis fructus*; ſtatim ſubdit, *Moneant etiam eumdem populum, vt frequenter ad ſuas Parochias; ſaltem diebus Dominicis, & maioribus Feſtis accedant.* Si perſonæ tantæ dignitatis, nimirum Epiſcopi, tenentur ex obligatione populum de hoc ſeriò monere, & frequenter; certè argumento eſt, illum debere etiam ex ſua parte, id quod monetur implere. Et *ſeſſion. 24. capite quarto, de reformation.* ſic ait: *Moneat Epiſcopus diligenter populum, teneri vnumquemq; Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.* Si ergo populus tenetur audire parochum multa de Chriſto abſenti prædicantem, multò magis tenebitur Chriſtum præſentem in tremendis miſſæ myſteriis à Paſtore ſuo celebratis adorare, & venerari. Si parochus diebus Feſtis tenetur ſacrum facere, vt populus miſſam audiat, ergo tenetur populus audire miſſam parochialem, vnde fit, vt par ſit etiam obligatio vtriuſque: & ſi populus non tenetur ſacrificio parochi adeſſe, nec viciſſim tenebitur parochus ſacrum populi ſui cauſa facere.

(Concil. Trid.) Deinde idem Concilium Tridentinum, *ſeſſion. 22. capite octauo*, his verbis vtitur: *Mandat Sancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios ex ijs, qui in Miſſa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera Sanctiſſimi huius ſacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis, & Feſtis.* Si ergo Paſtores tenentur inter miſſarum ſolemnia populum docere, tenetur ergo populus audire miſſam parochialem, vt audiat parochum ſuum docentem. Itaque par ratio obligationis vtroſque conſtringit, aut pari facilitate ab omni illo onere ſoluentur.

Hoc idem ſtatutum fuit ante, & poſt Concilium Tridentinum in Germania, Gallia, & Belgio in diuerſis (Filesac.) Conciliis, & Synodis, vt videre eſt apud Ioannem Fileſacum, *in ſuo tractatu de origine Patriarcharum, capit. 5. 6. & 7.* apud Auctorem Theophyli Parochialis, *parte ſecunda, articulo octauo*, (Theoph. Paroch.) quorum doctrina pietate plena eſt, & veterem, fugitiuamque auorum noſtrorum conſuetudinem firmis argumentis retrahere, id eſt multorum pia vota implere conatur. Nec fruſtra fortaſſis eſſet, ſi homines tam calidè, quæ ſunt Ieſu Chriſti, quàm ſe, & ſua diligerent. Concludit Fileſacus ſupra, *capite ſeptimo, §. ii rius circa finem*, (Fileſac.) hæc in tantis fluctuantium animorum procellis ſecuritas, vt dum in Eccleſias parochiales ad ſacrum audiendum parocho faciente, frequenter legitimo, et ordinario Conuentu, vt ait Concilium Agathenſe concurrimus, nos in arca Noe, hoc eſt in Eccleſia Chriſti Catholica, & Romana certò eſſe ſciamus, cum hierarchico Ordine, cuius vertex eſt Pontifex Romanus noſtris Maioribus Apoſtolicus dictus, religiosè, & ſincerè adhæremus.

9. Dubium eſt inter Doctores, an Epiſcopus poſſit cogere, vt populus in diebus Dominicis, aut ſolemnioribus Feſtis, ad propriam parochiam conueniat? Duplex eſt opinio. Prima eſt affirmatiua, & eſt praxis multorum Epiſcoporum, tum in antiquo iure, tum etiam in nouo Concilii Tridentini fundata, nec non in ratione. Tridentinum enim *ſeſſion. 22. in decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ*, (Conc. Tr.) cùm multa inſinuaſſet, ac hoc etiam quod dictum eſt, ſcilicet monendum eſſe populum, vt frequenter ad parochias conueniat, immediatè ſubiungit: *Hæc igitur omnia, quæ ſummatim numerata ſunt, omnium locorum Ordinarijs ita proponuntur, vt non ſolum ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à Sacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam, vt delegati Sedis Apoſtolicæ; prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda cenſuris Eccleſiaſticis alijſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant: non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.*

Ergo vbi populus ad hanc monitionem de frequentanda parochia negligens cerneretur, opportunis remedijs poteſt Epiſcopus prouidere, etiam ſub pœnis præcipiendo. Hinc in Diœceſi Leodienſi tale extat Decretum. Parochianos omnes monemus, & eis mandamus, vt in ſuis parochialibus Eccleſiis diligentes ſint, ad Verbum Dei, aliaque Diuina audienda; alioquin ſi eos ad tres continuas ſeptimanas diebus Dominicis, & feſtiuis abſque legitima cauſa, vel ſui Paſtoris licentia, contigerit; volumus contra eos ad pœnas Canonicas, & ſtatutarias antiquas hujus Diœceſis, aliaſque arbitrarias procedi. Ita Synodus, *titulo decimo, capite quarto*. Simile decretum habetur in Synodo Namurcenſi, *titulo quarto, capit.* 14. In Synodo Cameracenſi Anno MDLVI. *titulo ſeptimo*. In Synodo Tornacenſi Anno circiter 1570. In Synodo Attrebatenſi Anno MDLXXIV. Et denique in Cōcilio Prouinciali Cameracenſi Anno MDLXXXVI. *titulo nono*, vbi ſic habetur: *Studioſè obſeruent Paſtores eos, qui diebus Dominicis, & Feſtis, vel omninò Miſſam non audiunt: vel ad Miſſam parochialem non conueniunt. Ac primum priuatim, & paternè ſui officij commoneant. Quod ſi poſt admonitiones non emendentur, ad Ordinarios deferant.* Quis verò hæc audeat condemnare, & Patres Synodi, & Concilij, inter quos multi doctiſſimi Theologi? Ita Iacobus Marchantius, *in reſolution. Paſtoral. tractatu quarto, capit. 7. §. 6.* (March. Theoph. Paroch.) Theophylus Parochialis, *parte ſecunda, artic.* 16. & cum ipſis plures in Gallia, & in Belgio.

Secunda opinio eſt negatiua, quam tenent communiter regulares priuilegiati, dicentes Epiſcopos non poſſe ſtatuere, vt fideles diebus Feſtis ſaltem aliquibus Miſſam parochialem audiant; atque adeò, ſi ferant excommunicationem in eos, qui non audiunt Miſſam in parochia, eam eſſe nullam, tum quia non poſſunt quidquam ſtatuere contra priuilegia à Pontificibus conceſſa, tum quia non poſſunt etiam vniuerſales conſuetudines abrogare. Tum quia Domini Cardinales Concilii Tridentini interpretes (vt refertur à quibuſdam) hanc declarationem ediderunt: *Ordinarius non poteſt per hoc Concilium mulctis, & pœnis, etiam in cauſa notabilis negligentia cogere populum*

Digitized by Google

pulum ad audiendam Miſſam, & ſacram Concionem in Eccleſia parochiali, nec pueros ad addiſcendam doctrinam Chriſtianam, etiamſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra ciuitatem. Ita Stephanus Bau- Baunius. ni, *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 8. de præcept. audiendi* Præpoſ. *Miſſam, quæſt. 5.* Præpoſitus, *in 3 p. quæſt. 83. art. 6. dub.* Diana *4.* Diana, *part. 10. tract. 13. reſol. 25.* Reginaldus, *lib. 19.* Regin. *num. 22.* Dicaſtillus, *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 5.* Dicaſtil. *dub 4. num. 59.* Fagundez, Azorius, & alii, qui omnes Fagund. ſequuntur Nauarrum, *in Man. cap. 21. num. 5.* ſecurè Azorius. ſibi perſuadentem decretum Tridentini de Miſſa non continere, aut ſupponere præceptum in conſcientia obligatiuum, quia non ait, vt Epiſcopi iubeant, ſed tantùm vt moneant: ſed poſtea aduertens verbum iubendi, ſeu mandandi in §. *Hæc igitur omnia* ſupra, poſitum, quo Synodus vult Epiſcopos vti in parochianos, ad parochiæ Miſſam adigendos facit ſibi de hoc §. obiectionem: *Obſtat tamen*, inquit, *fortior, quod ibi ſubditur, poſſe ſcilicet Epiſcopum authoritate Apoſtolica iubere circa hoc opportuna. Niſi reſpondeatur non videri debere opportunum, vt cum ſcandalo tot laicorum, & Monachorum tam generalis conſuetudo, quam etiam in vrbe ſeruari videmus tollatur.*

Sed illa conſuetudo quam ſibi fingit Nauarrus cum alijs toto orbe generalem, putatiua tantùm fuit, nam in Belgio tunc temporis talis conſuetudo non erat, vt neruosè probat auctor Theophyli Parochialis, *parte ſecun-* Theoph. *da, articul. 22. & 23.* quamuis à quadraginta annis hæc Paroch. conſuetudo, in plerisque ciuitatibus huius Belgij ſit valdè diminuta, & contraria ferè introducta videntibus, & tacentibus Epiſcopis, ideò non ſunt cenſendi peccato obnoxij fideles, qui parochialem Miſſam diebus Dominicis, & feſtis non audiunt, modò hoc fiat ſine contemptu parochi.

Certè negari non poteſt vtiliſſimum, & ipſis parochianis maximè neceſſarium, vt quiſque propriam parochiam conueniat: ibi enim audit parochum feſta indicentem, & ieiunia, & monetur populus aliorum in hebdomada occurrentium: cognoſcitque quæ ad parochiæ ornatum, & ad diuinum cultum ritè peragendum ſunt neceſſaria. Patiuntur enim parochiæ maxima detrimenta in ſupellectilibus, & ornamentis ex ipſa parochianorum abſentia. Sed plura de his apud Theophylum, *tota parte ſecunda.*

10. Quintum ius parochi eſt miniſtrare ſuis parochianis Sacramentum Extremæ Vnctionis. Quamuis enim omnis Sacerdos hoc Sacramentum validè adminiſtrare valeat, cùm eius miniſtratio non ſit actus iuriſdictionis, ſicut eſt abſolutio à peccatis; non tamen omnis Sacerdos licitè, & ſine peccato illud conferre poteſt, ſed ſolus proprius, vt Papa, Epiſcopus, aut parochus, aut alius de parochi licentia, quia conferre Sacramenta eſt munus paſtoris. Ex *Clementina, de priuilegijs*. Proinde alienus Sacerdos, qui ſine licentia paſtoris hoc Sacramentum miniſtrat, peccat mortaliter, quia alienum ius inuadit, & vſurpat, vt docent communiter Doctores. Barboſa, Barboſa. *de officio, & poteſtate parochi, capit. 22. numer. 2.* Bona- Conin. cina, *tom. 1. diſputat. 7. quæſt. vnica, punct. 4. numer. 3.* Trull. Coninch, *de Sacrament. diſputat. 19. dub. 9. numer. 28.* Trullench, *tractat. de iure parochi, cap. 7.* cum licentia autem parochi, poterit quilibet Sacerdos, etiam regularis, vt expreſsè habetur *in dicta Clementina prima, de priuilegijs*. Hanc autem licentiam poterit concedere parochus, etiam denuntiatus: quia huius Sacramenti miniſtratio non ad iuriſdictionis, ſed ad Ordinis poteſta- Henriq. tem pertinet, vt cum multis tenet Henriquez, *lib. 3. de Sacrament. vnct. capit. vltim. § 3. lit. Q.* vide dicta à nobis *tom. 1. verb. Extrema Vnctio à numer. 1. 2. 3. & 8.*

11. Sextum ius parochi eſt, quod matrimonia debeant in propria parochia, & à proprio parocho celebrari, vt colligitur apertè, ex *Clementina prima de priuilegijs*, & decreuit nouiſſimè Tridentinum, *ſeſſ. 24. capite primo, de reformation. matrimon.* Quare ius parochi circa hoc Sacramentum conſiſtit in eo, vt nemo præter ipſum, vel de eius licentia, aut Superioris ipſius poſſit ſuas oues matrimonio coniungere, aut benedicere, vbi Concilium Tridentinum eſt receptum. Ex quo fit, ſi qui Sacerdos abſque proprii licentia alienos matrimonio coniungere auſus fuerit, peccat mortaliter, quia alieni officium vſurpat, & matrimonium eſt omninò irritum, vt pluribus diximus *ſupra verb. Matrimonium V.*

12. Septimum ius Parochi eſt ſuos parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare: quia ius ſepeliendi mortuorum corpora de iure communi competit Eccleſiæ parochiali, eiuſque Rectori reſpectu ſuorum parochianorum; nam eodem iure competit ſoli Eccleſiæ parochiali habere proprium Cœmeterium ab alia parochiali diſtinctum, ne vnus alterius ius inuadat, ſed ſit vnuſquiſque ſuis terminis contentus, vt habetur *in capite Eccleſias 13. quæſtione prima*. Ergo ex diſpoſitione iuris vnaquæque Eccleſia ſolùm habet ius ſepeliendi ſuos parochianos, & parochus ſepeliens alienum parochianum inuadit ius alterius, & grauiter peccat. Deinde ius ſepeliendi de iure communi competit Eccleſiæ, quæ habet populum, ſed de iure communi ſola Eccleſia parochialis habet populum, ergo illi ſolum competit ius ſepeliendi: ipſa enim ſola habet cœmeterium; ergo & ius funerandi. Ita Rodriquez, *tomo tertio quæſtionum regu-* Rodriq. *larium, quæſtion. 38. articulo tertio*, Aſtenſis, *libro nono,* Aſtenſ. *titul. 31. de ſepulturis, articulo primo*, Riccius, *in ſua pra-* Riccius. *xi deciſion. 659.* Angelus, Sylueſter, *verb. Sepultu-* Angelus. *ra.* Syluest.

Religioſis Ordinis Minorum, & Prædicatorum, & per communicationem aliis etiam Religioſis Mendicantibus conceſſit Clemens Quintus, *in Clementina* Clem. V. *Dudum, de ſepulturis*, ius ſepeliendi, & inſerendi in ſua ſepulchra laicorum, & ſæcularium cadauera, qui in ipſorum cœmeteriis, ſeu Eccleſijs ſepulturam elegerint, his verbis: *Huiuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus adijcimus, vt Fratres dictorum Ordinum in Eccleſijs, vel locis ſuis vbilibet conſtitutis liberam (vt ſequitur) habeãt ſepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis.* Idem priuilegium iiſdem Religioſis conceſſit Cle- Clem. IV. mens Quartus, & Sixtus Quartus, ſalua tamen iuſtitia Sixt. IV. Eccleſiarum parochialium, id eſt, portione, ſeu quarta Canonica, vt habetur in Compendio priuileg. Mendicantium, *verb. Sepultura*, de qua dicetur infra. Plura de ſepultura adducentur infra proprio loco, *verb. Sepultura.*

13. Octauum ius parochi eſt, percipere decimas: vnde decimæ ſunt ſoluendæ illi Eccleſiæ parochiali, in qua ſuſcipi debent Sacramenta. Ratio eſt, tum quia decimæ ſoluendæ ſunt in ſuſtentationem eorum, qui Sacramenta miniſtrant, nam qui Altari ſeruit de Altari viuere debet, nec vllus ſuis ſtipendiis militat, & par eſt, vt qui ſpiritualia ſeminat metat temporalia ad ſui ſuſtentationem. Tum quia ſic habetur *capit. ſignificauit, capit. Cum ſint*, & *cap. ad Apoſtolica, de decimis.*

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliter conſuetudine receptum ſit, quia multis in locis conſuetudo inualuit, vt decimæ perſonales non ſoluantur, ſicut etiam alicubi decimæ prædiales, vel mixtæ non ſoluuntur in totum vel in partem, quia miniſtris Eccleſię aliunde prouiſum eſt. Ita docent Suarez, *tomo primo, de Religion.* Suarez. *tractat. 2. libro primo, cap. 21. 28. & 29.* Filliucius, *tractat.* Filliuc. *27. numer. 152. & 156.* Layman, *lib. 4. tractat. 6. capit. 3. nu-* Layman. *mer. 2.* & alij communiter.

De iure tamen ordinario decimæ prædiales illi parochiæ debentur, in cuius diſtrictu ſunt prædia. Ratio eſt, quia poſt parochiarum diuiſionem inſtitutum eſt, vt prædia omnia, ac terræ ſitæ in territorio, ac diſtrictu cuiuſque parochiæ ipſi parochię quoad decimas applicarẽtur, ad ſuſtẽtationem miniſtrorum Dei. Hinc fit, vt ſicut illæ terræ, ac prædia immutabiliter manent in illo territorio, ita etiam ius illius parochiæ ad tales decimas immutabile ſit, ex vi iuris communis, quamuis dominus illorum mutet domicilium in aliam parochiam; nam onus ſoluendi decimas prædiales impoſitum eſt ipſis prædiis, non perſonis, ac proinde eſt onus reale, & non perſonale; in ſoluendo autem debito reali non conſideratur perſona, ſed res ipſa, cui eſt impoſitum, iuxta *leg. Imperatores, ff. de publican. & vectigal.* vt docent communiter Theologi poſt Diuum Thomam, *ſecunda ſecundæ, quæſt.*

quæſt.87. art.3. & Canoniſtæ *in cap. Cum contingat.* & *in cap. Cum in tua, de decimis.* Quod verum eſt, etiamſi illa Eccleſia non ſit matrix, ſeu baptiſmalis, habens alias ſibi ſubordinatas, recognoſcentes illam quoad ſuſceptionem Baptiſmi. Ratio eſt, quia illa prædia cenſentur applicata tali Eccleſiæ, etiamſi Baptiſmalis non ſit: tum quia decima perſonalis ſoluenda eſt Eccleſiæ parochiali, etiam ſi non ſit Baptiſmalis, & in ea non fuerit ſuſceptus Baptiſmus, nam huiuſmodi decima ſoluenda eſt illi, qui plura Sacramenta, & permanenter confert, ergo etiam prædialis ſoluenda eſt Eccleſiæ parochiali, etiamſi Baptiſmalis non ſit. Ita tradunt Suarez, *loco citato, cap. 24. numer. 9.* Fillincius, *tractat. 27. num. 193. 194. part. 2. & 205.* cum alijs.

Suarez. Fillinc.

De quibus autem rebus ſint ſoluendæ decimæ, attendenda eſt potius loci conſuetudo, & parochiæ, quàm ius ſcriptum, poteſt enim mutari, ac variari ipſa conſuetudo pro mutatione, ac varietate loci, ac regionis. Interea vide dict. *tomo primo, verb. Decima,* & ſupra addita eodem verbo.

14. Dubium eſt inter Doctores, an parochia, quæ de nouo aliquot agros, vel proprietatem intra terminos alterius parochiæ venditione, vel teſtamento, aut donatione acquirit, ei teneatur decimas ſoluere de agris acquiſitis? Quidam enim aſſerunt non teneri illam parochiam, quæ acquirit poſſeſſionem aliquam decimas ſoluere priori Eccleſiæ, in qua ſunt prædictæ poſſeſſiones, ſed deberi illi parochiæ, quę de nouo eas poſſeſſiones titulo aliquo quocumque, vel gratioſo, vel oneroſo acquirit, modo ob eam cauſam prior Eccleſia, in qua exiſtunt prædia non magnum recipiat detrimentum. Ratio illorum eſt, quia fundus eo ipſo quod ſit Eccleſiæ efficitur Eccleſiaſticus, titulo ſpirituali poſſidetur; ergo alteri Eccleſiæ, ſeu parochiæ non manet obnoxius ad ſoluendas decimas, nec dici poteſt, quod non poſſit de nouo emancipari alteri Eccleſiæ cum iniuria prioris Eccleſiæ: quia ibi nulla datur iniuria, niſi prioris Eccleſiæ miniſtri notabiliter defraudentur conuenientibus alimentis, cum res hæc Eccleſiaſtica in Eccleſia maneat, & extra illam non egrediatur. Ita docent D. Thomas, *ſecunda ſecundæ, quæſtion. 87. articulo quarto ad primum,* Caietanus, Syluius, Arragon, *ibidem,* Suarez, *tomo primo, de Relig. libro primo, de diuino cultu, capite decimo ſeptimo, numero trigeſimo primo,* vbi dicit opinionem Diui Thomæ vſu, & conſuetudine eſſe receptam. Nihilominus, ſtando in iure communi contrarium eſt dicendum, quamuis præcedens opinio ſit ſatis probabilis. Ratio eſt, quia res tranſeunt cum ſuo onere, ſed prædia exiſtentia in terminis alicuius parochię habent hoc onus vt illi pendant decimas; ergo cum illo onere debent tranſire, etiamſi alijs parochiis donentur, vel vendantur, vel ab illis nouo titulo acquirantur. Tum quia aliàs monaſterium emens, vel colens prædia in alicuius parochiæ terminis exiſtentia, non teneretur ex illis prędiis decimas ſoluere antiquæ parochiæ, qui iam efficiuntur Eccleſiaſtica huiuſmodi prædia; quod eſt contra *cap. Commiſſum,* & *cap. Nuper, de decimis,* in quibus iubentur decimæ ſolui priori parochię, etiamſi bona veniant nouis titulis ad Monaſteria, ne parochię grauiter lędantur, & iniuriam patiantur. Proinde niſi Monaſteria habeant ſpeciale priuilegium teneantur decimas ſoluere de prędiis acquiſitis illis antiquis parochis in quarum diſtrictu ſunt prędia acquiſita. Hęc ſententia magnum fundamentum habet ex *cap. Eccleſia 16. quæſt. 1.* vbi ſic dicitur: *Eccleſia antiquitus conſtita, nec decimis, nec vlla poſſeſſione priuentur, ita vt nouis Oratorijs tribuantur.* Et idipſum ſtatuitur, *in cap. Quicumque 16. quæſt. 1* Hanc ſententiam tuentur Rebuffus *tractat. de decimis, quæſt. 5. num. 19.* Couarruuias, *lib. 1. variar. cap. 17. numero octauo,* §. 2. Leſſius, *libro ſecundo, capit. 39. dubio quinto, numer. 23.* Emanuel Sà, *verb. Decima, numero tertio,* Gutierrez, *libro primo quæſtionum Canonicarum, cap. 21. num. 54.* Fagundez, *in quinto præcept. Eccleſ. lib. 1. cap. 7.* & alii.

D. Th. Caietan. Syluius. Arrag. Suarez.

Rebuff. 2 Couarr. Leſſius. dį. Gutierr. Fagund.

15. Nonum ius parochiale eſt primitiarum perceptio. Primitię autem dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, vt colligitur ex *cap. 18. Numer.* vbi eiuſmodi primitiæ Aaroni, & filijs eius aſſignantur; *Omnem medullam olei, & vini, & frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi: Vniuerſa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vſus tuos.* Simile erat præceptum offerendi, & ſanctificandi Domino omne primogenitum, tam de hominibus, quàm de iumentis. *Exod. 13.* Hoc autem Moſaycæ legis preceptum de primitiis, fuit cæremoniale; quamuis valdè conſentaneum legi naturali; ſaltem vt aliquid ex fructibus Dei beneficio prouenientibus ipſi in recognitionem, & gratiarum actionem offeratur. Quamobrem etiam nouæ legis Eccleſia decentiſſimum hunc modum offerendi fructuum primitias Deo ſaltem mediatè, atque in miniſtris ſuis, imitata olim fuit, atque fidelibus præcipit, vt colligitur ex *capite Præter, diſtinct. 32* & *capite Reuertimini 16. quæſtione prima,* & notauit Gloſſa, *in capite primo, de decimis, verb. in primitijs,* Diuus Thomas, *ſecunda ſecundæ, quæſtion. 86. articulo quarto.* Hodie tamen pleriſque in locis primitiarum oblatio per deſuetudinem abolita eſt: cùm enim iure ſolùm Eccleſiaſtico principaliter propter conuenientem miniſtrorum ſuſtentationem conſtituta fuerit: ideò ſi ipſis aliunde, videlicet ex decimis aliiſue fidelium oblationibus, neceſſaria non deſinit, nihil obſtat, primitiarum præſtationem abrogari. Imò nullo iure obligari fideles ad primitiarum ſolutionem, quidam exiſtimant, quia nullum ius afferri poteſt in noua lege obligans ad primitias ſoluendas, vel ſi aliqua lex, aut præceptum aliàs extitit, contraria cõſuetudine abrogatum fuit, de quibus videndum Suarez, *tomo ſecundo, de Relig. libro primo, de diuino cultu, capit. 5. numero ſecundo,* & *capite octauo,* Bonacina, *tomo ſecundo, diſputatio vltima, quæſtione quinta, puncto vltimo, numero ſecundo,* Fillincius, *tractat. 27. capite ſeptimo, quæſito ſecundo, & quinto,* Leſſius, *libro ſecundo, capit. 39. dubio ſexto,* & alij.

Gloſſa D. Th.

Suarez. Bonac. Fillinc. Leſſius.

16. Decimum ius parochi eſt oblationes fidelium recipere. Nomine autem oblationum in iure, veniunt omnia, quæ Deo, & Eccleſiæ à piis, ac fidelibus Chriſtianis offeruntur, ſiue res ſint immobiles, ſiue mobiles, *capit. qui oblationes, capit. Clerici 13. quæſtione ſecunda.* Tamen vſu & conſuetudine eſt receptum, vt ſolùm oblationes ſpecialiter dicantur illę, quæ inter Miſſarum ſolemnia, ab his qui Miſſæ ſacrificio adſunt Altari offeruntur.

Sed petes, an de iure teneantur ſinguli parochiani Dominicis & Feſtis diebus aliquas oblationes offerre ſuis parochis dum Miſſæ ſacrificio adſunt; Affirmant nonnulli eos iure diuino poſitiuo, non tamen naturali, teneri, & etiam iure Canonico. Quod probat ex illo Exodi 16. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Et ex *capite Omnis Chriſtianus, de conſecratione, diſtinctione prima,* vbi Gregorius Papa VII. ait, *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia Deo aliquid offerre, & ducere ad memoriã illius, quod Deus ad Moyſen dixit: Non apparebis coram me vacuus.* Et ex *capite Præter hoc, diſtinction. 32.* vbi Alexander II. dicit: *Præcipientes ſtatuimus, vt decimæ, primitiæ, ſeu oblationes viuorum, & mortuorum Eccleſijs Dei fideliter reddantur à laicis.* Et ex *capit. Statuimus 16. quæſtione prima,* vbi habetur: *Statuimus vt ſi quis ad oblationes Eccleſiæ, quas populus dare debet, non teneri contenderit, Communione priuetur.* Proinde ex his iuribus dicunt poſſe parochianos auctoritate ſuorum Prælatorum cogi cenſuris Eccleſiaſticis ad aliquid offerẽdum ſingulis diebus feſtis inter Miſſarum ſolemnia. Ita Gloſſa, *in dicto capite Omnis Chriſtianus,* & *in cap. Statuimus citat.* Hoſtienſis, *in Rubric. de parochijs,* §. 2. Lappus, *allegat. 58. numer. 1. & 7.* & alii, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Gloſſa Hoſtien. Lappus

Nihilominus ex communi Theologorum, & iuris Canonici interpretum ſententia dicendum eſt, nullum extare præceptum diuinum, nec Eccleſiaſticum de oblationibus in Eccleſia faciendis tempore Miſſæ parochialis, nec poſſe parochianos ad id cogi, aut obligari cenſuris, vel aliis pœnis Eccleſiaſticis, poſſe tamen longa conſuetudine oblationes introduci. Ratio illorum eſt, quia oblationis nomine id ſignificatur, quod quiſque ſua ſpontè, & voluntate gratis, & liberaliter offert. Et in Concilio Cabilonẽſi, ſub Carolo Magno *capite ſexto,* ſic habe-

Digitized by Google

Azorius. Gabriel. D. Ant. Abbas Anchar. Angel. Sylueſt. D. Tho.

tur: Animarum ſalutem inquirere Sacerdos non lucra terrena debet: quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque circumueniendi: oblatio namque ſpontanea eſſe debet, iuxta id quod ait ſcriptura: *Voluntariè ſacrificabo tibi*. Pſalm. 53. Et illud *Omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino*. Exod 35. Ita docent Azorius, *tom.1.lib.7.cap.7. quæſt.11.* Gabriel, *in Canonem Miſſæ,lect.6.* Diuus Antoninus, *part. 3. tit. 12. cap.12.* Abbas,& Ancharanus,*in Rubric.de parochijs*, Angelus,Sylueſter,*verb.Oblatio*. Proinde Diuus Thomas, *ſecunda ſecundæ,quæſt.86.artic.1.* quem omnes alii ſequũtur,docet neminem teneri offerre,niſi quatuor de cauſis, quarum *Prima* eſt, cùm quis ratione cenſus, penſionis, aut conuentionis antea factæ aliquid Eccleſiæ, dare debet. *Secunda*,cùm quis teſtamento, vel donatione inter viuos eſt obligatus. *Tertia*,cùm Sacerdos indiget: nam miniſter Eccleſiæ ali,& ſuſtentari debet.*Quarta*,cùm alicubi eſt conſuetudine introductum,vt in diebus Dominicis, & Feſtis aliquid offeratur. Siue id accidat, quia populus longo tempore, videlicet annis decem, oblationes in certis ſolemnitatibus frequenter, quaſi ex obligatione, ſine intentione obligationis contrahendę fauentibus Prælatis; ſiue ipſi Eccleſiarum Rectores longo tempore a parochianis oblationes quaſi debitas bona fide exigant ideòque per modum præſcriptionis ius ſibi acquirant.

Quando autem iura citata ſtatuunt, vt communione priuentur illi,qui oblationes quas debent,negare contenderint, intelligenda ſunt, modo aliquo ex prædictis quatuor modis a Diuo Thoma aſſignatis oblationes debeantur, *capit. verò Omnis Chriſtianus*, conſilium continet, non præceptum, ſicut, & illa verba Exodi, *non apparebis*, &c.

Abbas Sylueſt. Armilla. Fagund. Bonac.

17. Oblationes, quę iure debentur, Clerico Eccleſię ſeu parocho ſunt afferendæ, ad quem ius decimarum ſpectat. Hinc fit, vt ſi aliquid offeratur in certo ſacello, aut Eremitorio, quod ſitum ſit intra parochiam, Presbytero parochię Rectori debeatur. Idem iuris eſt,cùm offertur quippiam in cultum, & honorem alicuius imaginis in parochia, vel ſacello ſitæ. Ratio eſt, quia ſiue votum fiat abſolutè propter Deum, ſiue intuitu alicuius parochiæ, ſemper Eccleſia parochialis poſt diuiſionem parochiarum fundatam, habet ſuam actionem de iure communi ſuper omnibus oblationibus factis intra diſtrictum ſuum. Ita Abbas, *in Rubric.de parochijs,& in capit.paſtoralis, de his, quę fiunt à Prælatis*. Sylueſter,*verb. Decima*, §.2. Armilla, *verb Oblatio*, *numer.2.* Azorius, *tom.1.lib.7.cap.27.quæſt.13.* Fagundez, *in quinto præcept. Eccleſ.capit. vltim lib.4 numer.1.* Limitatur prædicta doctrina à Bonacina. *tom.2. de præcept. Eccleſ. diſputat. vltim quæſt.5.punct.vlt.num.5.* niſi dictæ oblationes offerantur hac intentione, vt in honorem, vel ornatum imaginis, vel ſacelli inſumantur; quia ſicut legatum perſoluendum eſt iuxta mentem diſponentis, ita oblationes iuxta mentem offerentis. Cæterum quamuis dicta vera ſint de iure communi, tamen in aliquibus locis aliter vſu receptum eſt per contrariam conſuetudinem, vel præſcriptionem, quæ hac in re ſeruanda eſt: quia conſuetudo vim legis habet, & præſcriptio legitima ius confert. Vide Suarez, *tom.1.de Relig.tractat. 2. cap. 7.* Filliucium, *tract.27.part.2.num.133.* Marianum Socinũ, *de oblationibus*.

Suarez. Filliuc. Socinus.

Præterea ſi quid offeratur Clerico priuato rem diuinam facienti in aliqua parochia, de iure, & conſuetudine ferè communiter recepta ad parochum pertinet, vel ad alium Sacerdotem, ad cuius iuriſdictionem altare ſpectat: modo non tradatur Sacerdoti tanquam ſtipendium ſui laboris; tunc enim ad illum Sacerdotem pertinet, Reginaldus, *lib. 19. num.85.* Azorius, *loco citato, quæſt.13.* Porrò, quæ offeruntur à fidelibus in Monaſterijs Religioſorum, & eorum ſacellis intra certam parochiam conſtitutis, ipſius parochiæ Rectori iure debentur, niſi Pontificis priuilegio ipſis Religioſis attributæ fuerint eiuſmodi oblationes, & niſi contra Eccleſiæ Rectorem religioſi præſcripſerint, vt notant Azorius, & Fagundez, *locis citatis*.

Notandum tamen hic eſt, quod laici nunquam poſſunt, ſicuti & primitiæ, & decimæ res ſacræ, & diuinæ ſint, quæ in laicos cadere iure proprio non poſſunt: & ideò laici, qui huiuſmodi oblationes ſua propria auctoritate volunt accipere, ſacrilegii pœnis ſeſe obſtringunt, vt colligitur ex *cap.Decimas 16.quæſt.7.* & patet etiam ex *cap.Hanc conſuetudinem, 10. quæſt. 1.* vbi ita dicitur: *Hanc conſuetudinem, quæ contra Sanctam Eccleſiam Catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, vt nullo modo vnquam, vllo tempore oblationes, quæ intra Sanctam Eccleſiam offeruntur; ſub dominio laicorum deriuentur: ſed tantummodo Sacerdotibus, qui quotidie Domino ſeruare videntur, illis ſolis licet comedere & bibere*, &c. Ita Rebuffus, *tractat. de decimis, quæſtione decima tertia, numer.64.* Azorius, *loco citato, quæſtion.15.* & alij.

Rebuff. Azorius.

18. Non omnium perſonarum, nec omnium rerum oblationes recipit Eccleſia: nam offerentes debent eſſe Chriſtiani,& ab Eccleſia non præciſi, ſeu excommunicati: quia offerre munera præſertim in Eccleſia, vel ad altare, eademque accipere, eſt quædam Eccleſiaſtica, & ſpiritualis communicatio;cuius ſoli fideles, ſeu Chriſtiani,ijque ab Eccleſia non ſeparati,participes eſſe debent,vt colligitur ex Concilio Eliberitano,c.28.tom.1.Conc. *Epiſcopos, placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*,& ex communi docent Armilla, *v.Oblatio*,Suarez,& alii.Inſuper Eccleſia non recipit oblationes fratrum diſſidentium,ſi notorii ſint, *cap.Oblationes, diſt. 90.* Nec raptorum hominum, *cap.Super eo,de raptoribus*, nec vſurariorum,*c.Quia in omnibus,de vſur.* nec ſacrilegorum,*c.De viro,12.quæſt.2* nec eorum, qui per vim extrahunt ſeruos ſuos ad ſacras ædes confugientes,*cap. Miror,16.quæſt.3.* nec meretricem,ne Eccleſia videatur fauere peccato, ſi de mercede peccati oblationem acciperet, & hoc ad vitandum ſcandalum. Hæc omnia iura intelligi debent de dictis peccatis notoriis,ac manifeſtis. Nota tamen ſi meretricum pœnitentia,et emendatio publicè nota ſit,nihil obſtare, quo minus Eccleſia, oblationes accipiat ex iis,quæ inhoneſtè,ſed non iniuſtè acquiſita fuerũt, cùm id nullo iure poſitiuo prohibitum reperiatur. Ita D. Thomas,*2.2.quæſt.87.art.2.ad 2.* quia tunc ratio ſcandali ceſſat.

D. Tho.

Item oblationes nec faciendæ, nec accipiendæ ſunt ex iis, quæ iniuſtè acquiſita, et reſtitutioni obnoxia ſunt: quia *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*, Eccleſiaſtic.34.n.21.nec de iis bonis, quæ iuſtè quidem acquiſita, ſed ex lege iuſtitiæ, pietatis, vel charitatis,potiori iure aliis ſunt debita,ſcilicet creditoribus, filiis, vel parentibus graui neceſſitate preſſis, vel denique pauperibus graui inopia laborantibus.Ita D.Thomas,*2.2.q.86.art.3.in corpore*,et communis.

D. Tho.

19. Vndecimum ius parochi,eſt ius accipiendi Canonicam portionem. Hęc autem canonica portio eſt certa quotitas: quæ Epiſcopo, parocho ratione funeris præſtatur, à ſacris Canonibus approbata, et iure decretorum debita. Dicitur autem Canonica portio, quia à Canone, et lege eſt introducta, et ne Eccleſiarum parochialium Rectores, quibus animarum cura incumbit, debitis fraudentur ſubſidiis, ſtatutum fuit *in capite primo, de ſepulturis*, et *Clementina Dudum, eodem titulo*, vt Eccleſia illa, in qua quis relicta propria, fuerit ſepultus, teneatur partem eorum, quæ defunctus pro anima ſua eidem Eccleſiæ reliquit parochiali Eccleſiæ tradere, in qua defunctus domicilium habebat. Canonica ergo portio parochialis eſt illa, quæ parochiali Eccleſiæ: ſeu eius parocho debetur, ex relictis à parochiano, vel obuenientibus ratione funeris loci illi, in quo eligit ſepulturam. Ita Barboſa, *de officio,& poteſtate parochi, cap. 25.* Rodriguez, *tomo primo quæſtionum regularium,quæſt.39.art.1.* Miranda, *in Man.tom.2.quæſt. 48.art.1.*

Barboſa Rodrig. Mirand.

Hæc Canonica portio parochialis quoad quantitatem, & quotam in qua ſoluitur Parochis, varia eſt, ſecundùm varia iura, & diuerſas conſuetudines; nam aliquando eſt quarta, aliquando tertia, aliquando verò media, vt patet ex *capit.1.& 2.& capit Certificari,de ſepultur.* Propterea quantitas hæc determinanda eſt iuxta conſuetudinem loci,quæ conſuetudo debet eſſe rationabilis, & præſcripta

ſcripta ſpatio quadraginta dierum, quod intelligendum eſt de quarta non expreſſa à iure: nam de expreſſa ſufficit Mirand. conſuetudo etiam non præſcripta. Ita Miranda, *loco citato, articulo quinto, concluſione prima*, vbi ſentit cum aliis à ſe citatis, neceſſarium eſſe illud tempus quadraginta annorum ad hoc vt valeat conſuetudo, quod detur Epiſcopo, vel Eccleſiæ parochiali vltra dimidiam partem, puta quod dentur duæ partes ex tribus, vel quod detur citra quartam partem, id eſt minus quam quarta pars: at verò ad hac vt detur infra dimidiam, vel quartam partem, non eſt neceſſe, quòd eiuſmodi conſuetudo ſit præſcripta ſpatio quadraginta annorum, ſed ſufficit numerus decem annorum. Ratio eſt, quia conſuetudo dandi infra dimidiam, & quartam partem, non eſt contra ius, ſed præter ius, & ideò non requiritur, quòd ſit præſcripta, at conſuetudo dandi vltra dimidiam, & citra quartam partem, eſt contra ius, quia nullo iure cauetur, vt habeatur minus quarta, vel vltra dimidiam partem, vnde eiuſmodi conſuetudo, ad hoc vt valeat, neceſſe eſt, quod legitimo quadraginta annorum ſpatio ſit præſcripta, aliàs non valebit, vt docet etiam Panormitanus, *in cap. Certificari de* Panorm. Sylueſter Trullen. *ſepultur. num. 4.* Sylueſter, *verb. Canonica portio, quæſt. 1.* Barboſa, *loco citato, numero ſecundo*, Trullench, *tractato de iure Parochi, cap. 13. dubio primo, numero quarto, & quinto*, & alij.

20. Canonica portio debita Eccleſiæ parochiali, non ſolùm in parte, ſed etiam in totum poteſt conſuetudine, vel præſcriptione præſcribi: tamen ad præſcribendum in huiuſmodi, ſi conſuetudo ſit cum titulo, ſufficit tempus quadraginta annorum, ſi verò ſit ſine titulo, requiritur tempus, cuius in contrarium initij non ſit memoria. Nam cùm ius commune ſit pro Eccleſia parochiali, & conſequenter præſumptio ſit contra poſſidentem, qui ſoluere renuerit, oportet, vt titulum alleget, per Sylueſter Panorm. Mirand. quem talis præſumptio tollatur. Ita Sylueſter, *verb. Canonica portio, numero tertio*, Panormitanus, *loco citato*, Miranda, *loco citato, concluſione ſecunda*.

21. Cùm Canonica portio debeatur Eccleſiæ parochiali, in qua quis audit diuina, & Eccleſiaſtica percepit Sacramenta, in compenſationem laborum, quos præſtat parochus in celebrando diuina, & adminiſtrando Gloſſa. Sacramenta, vt docet Gloſſa, *in capite Cum quis, de ſepulturis in ſexto*. Hinc ſi quis deceſſit è loco domicilij ad aliquem locum animo redeundi, vel recreandi gratia, & ibi moritur, ſi alibi eligat ſepulturam, canonica portio, ſeu quarta funeralis debetur parochiæ domicilij. Similiter ſi quis dimiſsa Eccleſia, in qua conſueuerat ſepeliri eorum maiores eligat ſepulturam in alia Eccleſia dimiſſa etiam parochiali, in qua recipiebat Sacramēta, quarta Mirand. Barboſa ſoluenda eſt, non Eccleſiæ ſuorum maiorum, ſed illi in qua recipiebat Sacramenta, & habebat domicilium. Ex *c. Cum quis, de ſepult. in 6.* Miranda, *loco cit. ar. 9. concl. 2. & 4.* Barboſa, *de offic. & poteſt. parochi, c. 25. nu. 26. & 29.* Idem dicendum ſi quis in ægritudine conſtitutus ingrediatur Religionem, ſi habitu non aſſumpto ex eadem infirmitate deceſſerit, & ibi elegerit ſepulturam, ſoluenda erit portio canonica in Eccleſia parochiali: ſecus quando quis ſanum in Monaſterium ſe transfert, ibique intra annum nouitiatus decedit: tunc enim non debetur canonica Rodriq. Miranda portio funeralis, vt expreſsè deciditur *in capite De ijs, de ſepultur.* & docent Hieronymus Rodriguez, *in compend. reſolut. 18. numer. 15.* & Miranda, *loco citato, artic. 9. concluſ. 3.*

Porrò ſi quis æqualiter habeat domicilium in diuerſis Sylueſter parochiis, & in tertio loco eligat ſepulturam, quidam exiſtimant diuidendam eſſe inter illas duas parochias canonicam portionem, ita Sylueſter, *loco citato, quæſt. 13.* citans Hoſtienſem, & Innocentium, ſed veriùs eſt id non eſſe neceſſarium, ſed illi deberi, in qua deceſſit, nam ibi erat ſepeliendus, ſi non elegiſſet ſepulturam, & ibi Sacramenta percipiebat. Sed quid dicendum ſi in vna parochia ſolitus fuerit audire diuina, & in alia recipere Sacramenta, & eligit ſepulturam in tertio loco, aut Sylueſter Eccleſia? Verius eſt quartam dandam eſſe Eccleſiæ, in qua percipit Sacramenta. Ita Sylueſter, *loco citato, quæſt. 14.* quia hæc quarta danda eſt Eccleſiæ parochiali, quæ propriè illa dicitur, in qua recipit Sacramenta.

22. Canonica portio Parochialis ſolummodo debetur ab Eccleſijs, vbi aliquis ſepelitur, vel ad quam tranſit ſe conuertendo, ſeu alio modo, & non ab alijs Eccleſijs, vel perſonis. Siue Eccleſia illa in qua ſepelitur ſit ſecularium, ſiue regularium, ſiue exempta ſit, ſiue non, nam quoad hoc non eſt exempta. Ita Innocentius, *in* Innoc. *capite Requiſiuiſti, de teſtam.* vnde hæc quarta non eſt ſoluenda, iure communi, & hæredibus defuncti, ſed ab Eccleſijs, vbi ſepelitur relicta propria, de omnibus, quę obueniunt ratione funeris, ſcilicet in die funeris, ſeu de omnibus oblationibus, & commodis funeris, quæ offeruntur in die funeris, prout declarauit Pius Quintus in Pius V. Conſtitutione, quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines*.

Funeralia autem in hoc caſu dicuntur ea, quæ cum funere deducutur ſiue antequam ſit in terra conditum, ſiue poſt, & vſque ad trigeſimum diem, & quamdiu ſit memoria de funere, modo occaſione funeris proueniant vel ſi poſt diem funeris obſequiæ fiāt cum maxima pompa, eo quod die obitus propter peſtem, aut aliam cauſam non potuit ſolemniter tumulari. De his vide Barboſam, Barboſa. *de offic. & poteſtat. parochi, cap. 25. num. 26. & 27.* Azo- Azorius. rium, *part. 2. lib. 9. cap. 13. verſ. Funeralia*, Trullench, Trull. *de iure parochi, cap. 13. dub. 5.* Petrum de Vbaldis *de Canonica parochial. cap. 4. num. 16.* Vbald.

Ex declaratione autem ſacræ Congregat. die 3. Auguſti S. Cong. 1621. teſte Barboſa, *vbi ſupra num. 28.* quando in die Barboſa. funeris data fuit parocho ſolita facium cereorum, aut intortitiorum quarta, ſi die ſequenti ſolemniori pompa, in alia Eccleſia vbi mortuus ſepulturæ mandatus fuerat, die heſterna, pro eius anima Miſſa ſolemnis cantatur cum diſtributione candelarum, & intortitiorum in maiori quantitate diei præcedentis, debetur ex his quoque parocho quarta: quia hæc omnia cenſentur funeralia, & obuẽtiones occaſione funeris prouenientes, licet actus funerales ſint diſtincti, quãdo tamen nõ ſũt in fraudẽ Parochi.

23. Iure communi ſtatutum eſt *in Clementina Dudum de ſepulturis, § Verum*, vt religioſi etiam teneantur ad huiuſmodi quartam funeralem ſoluendam: ibi enim Cle- Clem. V. mens Quintus his verbis vtitur: *Auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & ordinamus eadem, vt dictorum Ordinũ Fratres de obuentionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuſcumque, & quomodocumque relictis diſtinctè, vel indiſtinctè ad quoſcumque certos, vel determinatos vſus, de quibus etiam quarta, ſiue Canonica portio dari, ſiue exigi non conſueuit, vel non debet de iure: nec non de datis, vel qualitercumque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocumque directè, vel indirectè fratribus ipſis, vel alijs pro eiſdem, quartam partem (quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus) parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integrè teneantur.* Et infra, *vniuerſa priuilegia, gratias, indulgentias, verbo, ſeu ſcripto, ſub quacumque forma, vel expreſſione, ſeu conceſſione verborum à ſe, vel prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus cuicumque Ordinum prædictorum conceſſa, necnon conſuetudines, conuentiones, ſtatuta, & pacta in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus reuocat, euacuat, caſſat, & irritat.*

Huius Clementinæ declaratio extat apud Sylueſtrum, *v. Canonica portio, q. 19.* Sed quia parum eſt in vſu, & fermè in totum reuocata per Pontificum priuilegia, ideò dicendum quod nunc religioſi iuxta ſua priuilegia non tenentur ſoluere Epiſcopo, vel Parocho dictam portionem ſeu quartam, nec de funeralibus, oblationibus, ſepulturis, legatis, vltimis voluntaribus, nec de aliis pro victu ornamentis aut aliis quomodolibet largitis. Ita enim conceſſit poſt dictam Clementinam Eugenius IV. Bulla 12. pro Be- Eug. IV. nedictinis, Sixtus IV. Bulla 14. pro Fratribus Minoribus, Sixt. IV. & Bulla 37. pro Carmelitis Clemens VIII. Carmelitas di- Clem. viij. ſcalceatos poſt contradictorium iudicium, & cauſa ventilata, à ſolutione quartę funeralis liberauit. Ita De la crux De la cr. *de ſtatu Religionis, lib. 2. c. 9. dub. 5.* Rodriguez, *tom. 1. qq.* Rodrig. *reg. q. 39. art. 2.* Miranda, *in Man. tom. 2. q. 48. art. 6.* vbi alio- Miranda rum Pontificum referunt priuilegia, & nouiſſimè Tam- Tamb. bur. *tom. 1. de iur. Abb. diſp. 15. quæſt. 17.*

Verum vt regulares per ſua priuilegia exempti ſint à

ſolutione quartæ funeralis, requiritur quod per priuilegium fuerit ſpecialiter derogatum dictę *Clement. Dudum, de ſepulturis.* Cùm ſit diſpoſitio Conciliaris, & ideò ſuccedit regula, quod non cenſeatur derogatum Concilii generalis decretis, niſi expreſſa mentio ſit, his verbis, non obſtante aliqua lege, aut Conſtitutione in Concilio generali edita, vel æquipollentibus, vt colligitur ex *cap. ex parte, & capit. vltim. de Capell. Monachor.* & pluribus tradunt Barboſa, *de officio, & poteſtate parochi, cap. 25. nu. 8.* Sanchez, *de matrimon. lib. 3. diſp. 26. num. 7.* Rodriguez, *tom. 3. quæſt. 39. artic. 4.* & alij.

Barboſa. Sanch. z. Rodrig.

Si tamen in priuilegio adſit expreſſa exemptio à ſolutione quartæ funeralis, cum ſpecifica derogatione *Clementin. Dudum, de ſepulturis,* & ſimul adſit clauſula, *ſalua iuſtitia Eccleſiarum parochialium*, dicta clauſula intelligi debet de aliis, quàm de expreſsis, vel de materiis compatibilibus cum expreſsis in priuilegio; non autem vt tollat expreſsè conceſſa, vt reſoluit Barboſa, *loco citato, num. 10.* cum aliis.

Conc. tr.

24. Concilium Tridentinum, *ſeſſione 25. cap. 13. de reformatione*, circa hanc canonicam portionem ſic ſtatuit: *Decernit Sancta Synodus, quibuſcumque in locis, iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut parochiali, Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocumque priuilegio, alijs Monaſterijs, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis pijs conceſſa, eadem poſt hac integro iure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratijs, priuilegijs, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.*

Sed quia circa hoc decretum oriebantur in dies multæ controuerſię inter regulares, & Epiſcopos, vel parochos, recurrendum fuit ad Sacram Congregationem Concilii, quæ declarauit, vt infra: *Congregatio Concilij cenſuit Monaſteria ædificata quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium huiuſmodi; præſuppoſito, quod huiuſmodi Monaſteria ſint eius Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, vt quartam funeralem non debeant ſoluere Epiſcopo.* Hæc declaratio habetur authentica, ſigno atque ſigillo Illuſtriſsimi olim Cardinalis Caraſæ, & fuit auctorizata, vt fidem faceret in iudicio, & extra iudicium per Doctorem Chriſtophorum de Meſa S. Cordub. Eccleſiæ Canonicum, & illius Epiſcopatus Vicarium generalem, Cordubæ 4. Iulij Anno Domini

Miranda

1592. Teſte Miranda, *tom. 2. quæſt. 48. art. 7.* Quam approbauit, & canonizauit Paulus Quintus in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, apud Rodriguez in Pauli Quinti Conſtitutionem eius quartam, & apud Tamburinum, *tomo primo, de iure Abbatum, diſputat. 15. quæſit. 17. numer. 16.* pro religioſis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Vide Barboſam, *de officio, & poteſtate, parochi, capit. 25. numer. 12. 13. 14. & 15.* vbi reſoluit, Monaſteria fundata ante annos quadraginta ante Concilium Tridentinum, confirmationem, quæ quartam ſoluebant, etiam nunc eam ſoluere tenentur, ſecus ſi tunc eam ſoluebant. Ita verò, quæ poſt Tridentinum ſunt conſtructa à ſolutione quartæ eſse libera. Sed de his ſatis.

Paulus V. Tamb. Barboſa.

Portell. Trullěch Hieron. Rodrig. Syluest. Azorius.

Plura habent de hac Canonica portione Portel, *verb. Canonica portio*, Miranda, *tomo ſecundo, quæſt. 48. per totam*, Trullonch, *tractat. de iure parochi, capit. 13.* Hieronymus Rodriguez, *in compendio, reſolution. 18.* Syluester, *verb. Canonica portio*, & alii apud Azorium *parte ſecunda, libro nono, capit. 12.*

25. Vltimum ius, ſeu qualitas conſtituens Eccleſiam parochialem eſt, quod ſolum habeat vnum Paſtorem, ſeu Parochum Presbyterum, quæ qualitas non ſolum neceſſaria, ſed omninò eſſentialis eſt, vnde ſi duo præficiantur, iam non erit Eccleſia Parochialis, vt apertè colligitur ex *capit. Sicut in vnaquaque 21. quæſtione ſecunda*, vbi ita habetur, *Sicut in vnaquaque Eccleſia vnus Presbyter debet eſſe, ita ipſa, quæ ſponſa vel vxor eius dicitur, non poteſt diuidi inter plures Presbyteros: ſed vnum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam caſtè, & ſinceré regat.*

Innoc. III.

Proinde Innocentius Secundus in Synodo Romana, capite decimo, ait, *Præcipimus etiam, ne conductitijs Presbyteris Eccleſiæ committantur: & vnaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem*, vt refertur, *cauſa 21. quæſtion. 2. capit. 5.* Ita Barboſa, *de officio, & poteſtate parochi, capit. 1 num. 43.* Gonzalez, *ſuper 8 Cancellar. gloſ. 6. num. 42. & ſequentibus*, & alii communiter. Ex quo fit, quod quando Eccleſia collegiata habet curam animarum, talis cura non poſsit ſpectare ad ſingulos Canonicos illius, ſed ad totum Collegium, ſeu Capitulum, vnam perſonam Rectoris repræſentans; & ob id Concilium Tridentinum, *ſeſsion. 24. capit. 13.* ita decreuit: *In iis quoque Ciuitatibus, ac locis, vbi parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, ſed promiſcuè petentibus, Sacramenta adminiſtrant; mandat Sancta Synodus Epiſcopis, pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, vt, diſtincto populo in certas propriaſque parochias, vnicuique ſuum perpetuum, peculiaremque parochum aſsignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant.* quamquam in aliquibus locis non obſeruetur vbi in vna parochiali Eccleſia duo ſunt Parochi cum æquali iure.

Barboſa. Gonzal.

Conc. tr.

Adnotandum autem hic eſt, quod *in capite tertio, de vita, & honeſtate Clericorum*, ſic ſtatuitur, *Vt quiſque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui ſecum cantet, & Epiſtolam, & lectionem legat, & qui poſſit tenere ſcholas, & admonere ſuos parochianos, vt filios ſuos ad fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam: quos ipſe cum omni charitate erudiat.* Proinde iure cautum eſt, ne Eccleſia ab Epiſcopo conſecretur, niſi ad minus pro duobus Clericis ſuſtentandis ſufficiat, vt habetur *in cap. placuit 1. quæſtion. 2.* his verbis: *Hoc tamen vnuſquiſque Epiſcoporum meminerit, vt non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatam accipiat. Nam non leuis culpa eſt iſta temeritas, vt ſine luminariis, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſeruituri ſunt, tanquam domus priuata conſecretur Eccleſia.*

Conc. tr.

Denique nouiſsimè per Concilium Tridentinum, *ſeſsion. 21. ca. 4. de reform.* ita ſtatutum eſt: *Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, in omnibus Eccleſiis parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus populus, ita numeroſus ſit, vt vnus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum.* Ex quo textu colligi poteſt parochos propria auctoritate poſse ſibi aſsumere Vicarios temporales, dummodo ſint ab Ordinario approbati.

26. Cùm idoneitas eligendi ad parochialem Eccleſiam conſiſtat in Ordine ad regimen animarum, & Eccleſiæ ſibi committendæ, maximè ſunt attendendi mores, & prudentia, & ſic grauitas morum in miniſtro Eccleſiæ relucere debet *cap. cùm in cunctis, de elect.* Igitur eligendus in parochialem bonis moribus debet eſse ordinatus, & malis nullo modo infectus.

Cumque bonos mores, hoc eſt virtutes morales regat prudentia, ſine qua nulla eſt vera virtus, debet etiam vigere prudentia. Quare huius prudentiæ defectus, omnimodam grauitatem morum, quæ neceſsaria eſt fugat, & excludit, vt notat Nauarrus, *in cap. Si quando, de reſcript.* Qui bene addit quod quamuis quis habeat prudentiam bene agendi coram Deo, non ſequitur habere illam ſe, & Eccleſiam gubernandi.

Nauar.

Ex quo fit quod non eo quod quis ſit ſanctior coram Deo, illico eſt magis idoneus, & ſi enim qui ſanctior eſt bonos mores habeat in Ordine finem charitatis, tamen non ideo habet bonos mores in Ordine ad bonam politicam gubernationem Eccleſiæ, quæ magis attendenda eſt in prouiſione Miniſtrorum.

27. Parochialis Eccleſia, eiuſque parochus maximam habet præeminentiam. *Prima eſt*, vt nomine beneficiorum beneficia curata non veniant, *c. cùm in illis, de prebend. in 6.* Hinc fit quòd ſi in impetratione beneficii

non

Digitized by Google

non fiat mentio, quòd ſit curatum, gratia eſt ipſo iure nulla, Felinus *in cap. In noſtra, corollar.* 10. *de reſcript.* Gonzalez *ſuper* 8. *reg. Cancellar. gloſſ.* 6.

Felin. Gonzal.

Secunda præeminentia eſt, iuxta quorumdam ſententiam, Parochus in ſua propria Eccleſia, ex *cap. in apibus* 7. *q.* 1. dicitur Prælatus, in qua habet Prælatus cum Capitulo in Eccleſia Collegiata, vt colligitur ex *cap. Tua nos, de Cleric. ægrotant.* & ex *cap. Cum ab Eccleſiarum, de offic. iud. ordinar.* vt notauit Abbas *in cap.* 1. *ſub num.* 28. *verſ. Si verò in Eccleſia, de dolo.* Parochi enim non ſecus, atque Epiſcopi in Conciliis ſaltem Prouincialibus conſiderant, & nonnunquam ſubſcripſerunt proprio nomine, quod ex variis Conciliis confirmat Archidiaconus *in cap. Animarum, de conſtit. in* 6. Tamen in rigore Prælati non ſunt: nam *in Clement. Dudum de ſepult. in Eccleſiis,* Rector & Prælatus ſeparatim ponuntur. Ita Sylueſter *verb. Prælatus, num.* 1. Azorius *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25.

Abbas. Archid. Sylueſt. Azor.

Tertia eſt, quod Parochus intra propriam Eccleſiam debet præcedere omnes alios maiores, & ſuperiores in dicendis Miſſis ſolemnibus, & aliis quibuſcumque præeminentiis concernentibus ipſius parochi officium. Nam parochus in ſua propria Eccleſia, inſpecto iure communi, præferendus eſt Decano, & omnibus Capitularibus Collegiatę ad eam Eccleſiam proceſſionaliter certis diebus, ex antiqua conſuetudine, accedentibus, vt fuit deciſum in Rota, teſte Gonzalez *ſup. num.* 105.

Rota. Gonzal.

Vide tom. 1. verb. Beneficium 6. num. 2. Beneficium 8. num. 6. Cardinalis num. 7. Commendationes Eccleſiaſticæ num. 2. Communio num. 3. Horæ Canonicæ 3. n. 8. & hoc tomo verb. Iubilæus num. 11. Matrimonium 1. n. 20. Miſſa 1. num. 8. Prædicatio n. 3. Regulares n. 9. Reſidentia n. 6. 8. 9. & 13. Votum 1. num. 19.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit paupertas regularis? & an religioſus retineat dominium, ſeu ius honoris, ac famæ ſuæ, &c.*

2 *An contra paupertatis votum peccet religioſus, ſi rem quampiam, ſine ſuperioris ſui conſenſu accipiat, retineat, occultet, abſumat, permutet, aut alteri donet? An ad conſenſum præſumptum ſuperioris ſufficiat eius taciturnitas?*

An vt licentia ſuperioris excuſet ſubditum à vitio proprietatis, requiratur, vt voluntariè ſit conceſſa?

An conſenſus præſumptus ſuperioris liberet à vitio proprietatis, etiamſi ſuperior facilè adiri poſſit, vel res differri?

Quomodo poſſit conijci conſenſus approbatiuus, & tacitus Superioris?

3 *An accipiens tantùm comeſtibilia abſque Prælati licentia contra paupertatis votum religioſus peccet? & quæ quantitas horum eſculentorum, ſeu poculentorum requiratur ad conſtituendum peccatum mortale? An peccet mortaliter religioſus appropriians ſibi vnum denarium?*

4 *An vſus rerum non conſumptibilium, v. g. librorum abſque ſuperioris licentia poſſit excuſari à peccato mortali?*

5 *An violet paupertatis votum religioſus, ſi pecuniam, vel aliam rem ſibi à Prælato deſtinatam ad certum vſum, contra eiuſdem voluntatem in alium vſum expendat? vel ſi res ipſi ad vſum conceſſas per culpam amittat, deſtruat?*

6 *An paupertas religioſa violetur à religioſo, ſi quę ab aliis ipſi donata ſunt accipiat, ac retineat ſine Prælati conſenſu? Et an monaſterium obligetur ex contractu, vel delicto religioſi?*

7 *An peccet contra paupertatem religioſus aliqua abſcondens ne ſuperior ſciat, nolens permittere libera eius diſpoſitioni, &c.*

8 *An tranſgreſſores ſint voti paupertatis procuratores, Oeconomi, & ſimiles Monaſterij adminiſtratores, ſi rem quamcumque aliter largiantur, aut expendant, quàm ordinis regula, aut ſuperiorum voluntas poſtulet. In aliquibus caſibus poteſt religioſus dare inconſulto Superiore?*

9 *An attento iure communi antiquiori poſſit religionum Prælatus concedere religioſis peculium?* Refertur duplex ſententia.

10 *An poſt decretum Concilij Tridentini liceant quoque peculia, ſi Monaſterium pauper ſit?* Refertur duplex ſententia.

11 *An religioſo habenti peculium ex licentia ſuperioris, liceat id pro libito ſuo in quouis vſus expendere?*

An religioſus malè expendens peculium ex ſuperioris licentia, ſit proprietarius? & an teneatur accipiens ad reſtitutionem? Refertur duplex ſententia.

An dicendus ſit religioſus proprietarius, qui de ſuperioris licentia poſſidet multa ſuperflua reſpectu ſui ſtatus?

Quid dici debeat neceſſarium, quid verò ſuperfluum religioſis?

An religioſus quoad mobilium ſuperfluitatem, vel conuenientiam tuta conſcientia poſſit ſtare arbitrio prudentis Superioris?

12 *Quæ ſit cauſa iuſta concedendi peculij Monacho?*

13 *An peccet mortaliter Prælatus religionis non miniſtrãs neceſſaria ſubditis, cùm commodè præbere poteſt, & ſic peculij cauſam præbens?*

14 *An religioſus contra paupertatis votum peccet, ſi ſine ſuperioris expreſſa, aut rationabiliter præſumpta licentia, à diuite pecuniam, vel alia dona accipiat non pro ſe, ſed vt det pauperibus, vel conſanguineis, nomine diuitis?*

15 *An in votum paupertatis peccet religioſus, ſi rem donatam, vel ſecundum ſe, vel ſecundum liberam eius diſpoſitionem, abſque ſuperioris licentia accipiat, quamuis in fauorem alterius?*

16 *An religioſi omnia bona, de quibus ipſi antea non diſpoſuit per profeſſionem, iure communi tranſeant in Monaſterium, ſi habeat ius ſucceſſionis?*

17 *An religioſus beneficiatus: interim dum beneficium Eccleſiaſticum obtinet, habeat adminiſtrationem redituum ſui beneficij?*

18 *Cui acquirat religioſus habens beneficium extra ſuum monaſterium, vel ordinem?*

19 *An Prælatus poſſit religioſo alicuius rei vſum irreuocabilem concedere? & an id poſſit Summus Pontifex?*

20 *Quæ ſint pœna iure Canonico decreta Religioſo proprietario.*

Circa caput Secundum Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regularibus, adducuntur quædam Declarationes Eminen. DD. Cardin.

1 PAupertas *regularis* eſt votum ſolemne, quo quis profitetur ſe nihil habere, nec habere poſſe; vnde hoc voto religioſi omnes & ſinguli impediuntur, ne proprium quid habeant, hoc eſt, religioſo prohibetur, etiam canonico regulari, habere ſibi, ſeu ſuo nomine ciuium, dominium directum, vel vtile, aut poſſeſſionem in pecunia, ſeu re pecunia æſtimabili, tam mobili, quàm immobili: *Interim* verò religioſus retinet dominium, ſeu ius honoris, ac famæ ſuæ, ſicut ius eligendi, præſentandi, conferendi; item regulare beneficium, atque iuriſdictionem ſpiritualem habere, atque ad talia iura acquirenda, retinenda, recuperanda ſuo nomine agere non prohibetur. Rodriquez *tom.* 33. *qq. quæſt.* 29. *art.* 3. & 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 78. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 18. *num.* 25. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 28. *art.* 1. Fauſtus *in theſaur. lib.* 8. *quæſt.* 12.

Rodriq. Leſſ. Sanch. Miranda Fauſt.

2. Contra *paupertatis votum* peccat religioſus, ſi rem quampiam, ſeu domi ſuæ, ſeu foris, etiam ex ijs, quæ ad victum, veſtitum, &c. pertinent, ſine ſuperioris ſui conſenſu expreſſo, tacito, aut præſumpto, accipiat, retineat, occultet, abſumat, permutet, alteri donet? *Verùm* ſi in aliqua religione conſuetudo vigeat recipiendi aliqua, aut expendendi, non petita ſuperioris licentia, excuſarentur religioſi per tacitam licentiam prælati, quam tolerando con-

Digitized by Google

Azor. Valentia. Sanchez. Leſſius.

conſuetudinem rationabiliter declarat. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. Valentia *tom.* 3. *d.* 10. *quæſt.* 4. *punct.* 3. Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 7. Leſſius *cit. num.* 78. *Conſenſus* verò præſumptus eſt, quando iuſtam ob cauſam mihi perſuadeo, ſi prælatus ſciret me talem rem habere, accipere, abſumere, expendere, contentum fore: *Quando* autem prælatus inuitus eſt, quòd clam, aut eo non rogato accipiatur, abſumatur, ſi tamen inuitus non ſit, quoad rem ipſam, quia rogatus facilè concederet & conſentiret; committitur quidem peccatum ſaltem veniale, ſed non contra paupertatis votum. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Artag. *ibid.* Diana *de paup. reſol.* 31. *par.* 1. Layman *lib* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. Sanchez *cit. num.* 15.

D. Tho. Artag. Diana. Laym. Sanch.

Sed inquires *Primò*, an ad conſenſum præſumptum ſufficiat taciturnitas ſuperioris videntis religioſum aliquid accipere, vel expendere, & non cōtradicentis? Reſp. Si ea taciturnitas ſit ſola quædam permiſſio ſuperioris, non excuſat religioſum. Tum quia cùm variis ex cauſis poſſit ſuperior tacere, non eſt, cur ex ea taciturnitate præſumatur illius conſenſus tacitus: tum quia etiam ipſius Dei permiſſio, qua quempiam in multa peccata labi permittit, non excuſat à peccato labentem. Si autem taciturnitas illa non ſit pura permiſſio, ſed ſit approbatio quædam, eſt conſenſus tacitus, ſufficienſque ad liberandum à culpa religioſum. Quod ſi petas, quandonam taciturnitas illa ſit pura permiſſio, & quando ſit approbatio? Reſp. quod in ſimili materia, nempe furto, explicant Doctores. Si Dominus videat rem ſuam ſubripi, taceatque præ verecundia, aut timore, eſt pura permiſſio, non excuſans a furto ſubripientem; ſecus quando hæc ceſſarunt & potuit commodè prohibere, tunc enim eſt approbatio. Vide Rodriquez *tom.* 3. *qq. regul q.* 29. *art.* 11. Nauarrus *comment.* 2. *de reg. num.* 22. *coroll.* 9. Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 8. *q.* 113.

Rodriq. Nauarr. Fauſt.

Petes *Secundo*, an, vt licentia ſuperioris excuſet religioſum à tranſgreſsione voti paupertatis, requiratur, vt illa ſit voluntariè conceſsa? Reſp. affirmatiuè, quare ſi precibus valde importunis concedat Superior aliquid accipere, vel retinere, non excuſatur religioſus à tranſgreſſione voti paupertatis, quando reuera ſuperior inuoluntariè, & vt importunitatem repellat, conſentit aliter omninò repugnaturus; tum quia ea non eſt licentia, ſed violentia. Tum quia preces importunæ efficiunt mixtum inuoluntarium, conditionalem nolitionem, quoties illis ceſſantibus rogatus id non efficeret, ſed importunitate quaſi victus, & vt eam repellat, id facit: Secus quando importunè rogatus, poſtea libentiſsimè exequitur. Similiter, ſi metu, aut dolo licentia illa extorqueatur, non excuſat religioſum à vitio proprietatis, quia ea non eſt voluntaria. Item non excuſatur religioſus, quando aliquid retinet ex licentia Superioris, non liberè, ſed quaſi coactè concedentis, eo quod timet religioſum illum, qui Prælato nō permittente magnas fundit querelas, & murmurat, tanquam iniuria affectus: quia licentia hæc non eſt voluntaria, ſed permiſsio coacta ad vitandum maius malum. Plura de his apud Nauarr. *cit. num.* 21. *coroll.* 7. Rodriquez *cit. art.* 12. Corduba *in ſum. quæſt.* 54. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 25.

Nauarr. Rodriq. Cordub. Leſſius.

Petes *Tertiò*, an conſenſus præſumptus ſuperioris liberet regulares à vitio proprietatis, etiamſi Superior adiri facilè poſsit, vel res differri? Reſpon. quamuis longè meliùs & ſecuriùs ſit operari in hac materia cum expreſſa Superioris licentia, ſufficere tamen licentiam tacitam, ſeu probabiliter præſumptam, etiam in caſu quo poſſet licentia poſtulari: ſed ob aliquem humanum reſpectum, vel pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem non poſtulatur: quia quando rationabiliter præſumitur Superiorem id velle, etſi expreſſus illius conſenſus non habeatur, tamen non dicitur res fieri abſque eius licentia; tum quia tacitum & expreſſum regulariter æquiparantur, Gloſſ. *in l. expreſsè. ff. de reg. iur.* & docent D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Tamburinus *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 22. *q.* 8. & alii ab ipſo citati. Licet contrarium teneat noſter Crouſers *ad regul. S. Franciſci cap.* 14. *fol.* 613.

Gloſſ. D. Tho. Tambur. Crouſers.

Petes *Quartò*, ex quibus principiis, vel circumſtantiis poſsit conijci conſenſus approbatiuus, & tacitus Prælati? Reſp. 1. Ex conſuetudine, & vſu religionis, in qua religioſi timoratæ conſcientiæ ſoliti ſunt in caſibus occurrentibus præſumere conſenſum approbatiuum. 2. Ex qualitate ſuperioris, ſi v. g. ſit dulcis, & valde procliuis ad condeſcendendum ſubditis, nec ſimiles diſpenſationes ſoleat reprehendere, cùm facilè poſſit. 3. Ex qualitate ſubditi, vt ſi ſuperiori ſit valde dilectus, vel vir grauis, & optimis moribus exornatus. 4. Ex rebus, ſi ſint leuiores & penè nullius momenti. 5. Ex facto ipſo, vt ſi talis diſpenſatio in commodum & vtilitatem Monaſterii cedat. Ita Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 8 *quæſt.* 162. qui in *quæſt.* 164. aduertit, ſecundùm varias religionum conſuetudines, & varios Prælatorum mores, maiora, vel minora eſſe in religioſis motiua, vt huiuſmodi tacita licentia præſumatur. Ex quo fit, vt in vna religione ſit proprietatis vitium, quod in alia eſt actus virtutis: imò inter monaſteria eiuſdem religionis, quod in vno licet, in alio non licet, non alia de cauſa quàm ob diuerſas conſuetudines, Prælatorum conditiones, maiorem, vel minorem ſuis ſubditis licentiam concedentium, ob cuius rei ignorantiam multi hallucinati ſunt, volentes ex conſuetudinibus aliarum religionum, vel monaſteriorum regulam vniuerſalem ſtatuere, putantes id ſibi in ſua religione eſſe licitum, quod in aliis religionibus licentia tacita permittitur, non animaduertentes, quòd quamuis paupertatis votum apud omnes religioſos ſit idem, ratione tamen tacitæ licentiæ hic, & non illic præſumptæ, extendi etiam in religioſis magis, aut minus hanc diſpenſandi facultatem.

3. *In particulari* contra paupertatis votum peccat religioſus, etſi tantùm comeſtibilia abſque Prælati licentia accipiat & abſumat: quia ſolum etiam vſum, ſeu abſumptionem rei, abſque Prælati licentia attentare, repugnat voto, imo eſt etiam furti ſpecies, ſi res inuito Prælato ex bonis communibus monaſterii vſurpetur, ſin verò ab exteris accipiatur & abſumatur, eſt ſolùm contra paupertatem. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 79. *verſ. ſeptimò.* Azorius *cit. lib.* 12. *cap.* 12. Layman *cit. num.* 4. Clauis regia *lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 20. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 21. *n.* 33. *Notandum* tamen eſt, maiorem quantitatem horum eſculentorum, ſeu poculentorum requiri ad conſtituendum peccatum mortale, ſeu furti, ſeu præuaricationis voti, quàm in rebus aliis; partim quia talium rerum acceptio, & abſumptio propter naturæ neceſſitatem faciliùs excuſatur, partim quia earum dominium non vendicatur, aut retinetur, ſed merus vſus appropriatur per quem res mox abſumitur. Vnde Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 41. de iſtis eſculentis & poculentis, ſi tantùm ad propriū vſum actualem, & tranſitorium à religioſis aliquid ſumantur, regulariter non admittit eſſe peccatum mortale, niſi damnificatio religionis eſſet nimia, & in re extraordinaria & pretioſiore; extra enim huiuſmodi cauſam, res huiuſmodi reputantur leuioris conditionis; & quamuis Prælatis hoc diſpliceat, non tamen ita ſunt inuoluntarii, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem, ſed ſolùm in ordine ad decentiam & perfectionem religionis. Hinc Tannerus 2. 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *dub.* 4. *num.* 106. ait, *Nulla etiam Prælati ſeueritas, eiuſmodi acceptiones quoad ſubſtantiam rei accepta, iniquas reddere poteſt.*

Leſſius. Azor. Laym. Cla. reg. Sanch. Suarez. Tanner.

Sententiæ *Suarez* ſubſcribit Caramuel *in reg. S. Benedicti diſp.* 60. *num.* 888. *& ſeq.* dicens: Religioſus, qui ex cibis ordinariis Monaſterii ſolet clandeſtinè aliquid ſumere, & hoc frequentiſſimè, vt conſumat in actualem vſum, ſui, aut alterius Confratris, non frangit votum paupertatis. Clandeſtina ciborum ſumptio non eſt Prælato inuoluntaria, quà ſubreptio eſt, ſed quà clandeſtina: Atqui iſte modus non eſt contra paupertatem; ergo talis ſumptio non eſt contra Prælati voluntatem. Sed illud quod fit, permittente Prælato, in hoc genere eſt licitum: ergo hæc ciborum ſubreptio eſt in conſcientia licita. Prælatis non diſplicere hanc ciborum ſubreptionem quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum, conſtat; quia Monachi tractandi ſunt vt filii, & commune eſt filiis à ſuis parentibus clanculò cibos ſubripere, quod ſub terminis noſtræ reſolutionis, à nemine cenſetur eſſe graue.

Caram.

Hæ tamen ampliationes *Suarez*, *Tanneri*, *& Caramuel*

Digitized by Google

mnel locum habere poſſunt in monaſteriis diuitibus & opulentis: Aliter enim eſſet philoſophandum, ſi ordinum ſuperiores, in quibus viget altiſſimæ paupertatis vſus, expreſsè prohiberent iſtas clandeſtinas acceptiones, ſeu receptiones eſculentorum, & poculentorum ſub pœna proprietatis; tunc enim, cùm ipſis diſpliceant non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, poſita materia graui, poſſet eſſe peccatum mortale proprietatis, vel furti. Vide Bartholomæus à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 8. quæſt.* 110. Clauis regia *lib. 9. cap. 16. n. 20. & 21.* [Fauſt. Cla. reg.]

Quæ autem quantitas in cibis ſimul ſumptis ſufficiat ad peccatum mortale, non determinant *Suarez*, Diana *par. 1. de paupert. reſol.* 30. nec ego, quia debet conſiderari rei quantitas, valor, finis: & hæc quantitas non poteſt in omnibus rebus, & in omni euentu præſcribi; quia attenta rerum qualitate & circumſtantiis aliis, res hæc variatur, vt ſi ſint res, quæ ſolent accuratè cuſtodiri ad peculiares neceſſitates, nec communiter cum omnibus expenduntur, vt ſunt ſaccaro condita, quæ vulgò Conſeruas appellant, minor quantitas ſufficit ad mortale, quàm in aliis eſculentis ad communem vſum deſtinatis. Inſuper in his communibus eſculentis maior quantitas exigitur, quando illorum eſt abundantia, eo quòd ex Conuentus fundo percipiuntur, quam ſi eſſet penuria, eo quòd emerentur. Similiter ſi religioſus accipiat ab externis comeſtibilia ex licentia Domini, non tamen ſui ſuperioris quantitas exigitur, vt ſimul accepta ſit peccatum mortale, quàm quando accipitur ex monaſterii bonis, quia hoc cedit in vtilitatem monaſterii; minus enim hic ex bonis illius inſumet: quæ omnia debet conſcientiæ cõſultor ſedulò examinare, & neminem condemnare ſine euidenti ratione; ad condemnationem enim in foro interiori, opinio probabilis non ſufficit, cùm licita ſint quæ fuerint probabilia. Hæc ex doctrina doctiſſimi *D. Ioannis Caramuel* loco citato, & aliorum. Hæc de comeſtibilibus. [Diana.]

An autem peccet mortaliter religioſus, qui inuito Prælato ſibi appropiat denarium vnum, vel plures non facientes materiam notabilem? Plurimi cenſent cuiuſcumque rei etiam minimæ vſurpationem ſine Prælati conſenſu factam eſſe peccatum mortale. Hanc opinionem videntur tenuiſſe Sancti Patres *DD. Benedictus, Hieronymus, Bonauentura, Antoninus, Caſſianus*, & plerique alii, qui ſtrictiſſimè de hac materia loquuti ſunt, prout refert Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 8. quæſt.* 187. At communis & veriſſima ſententia negat eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia lex religioſorum de nihil ſibi appropriando, non eſt fortior, quam lex Dei de nihil furando; At tranſgreſſio legis diuinæ de non furando excuſatur à culpa mortali propter rei exiguitatem, vt docent communiter Doctores, D. Thom. 2. 2. *quæſt. 59. art. 4. ad 2. & quæſt. 66. art. 6. ad* 3. & alii poſt ipſum, ergo. Nec obſtant dicta Sanctorum Patrum: Non enim ſic intelligendi ſũt, quaſi is religioſus, qui rem ſibi vſurpat, vel diſpenſat abſq. licentia Prælati, ſtatim peccatum mortale incurrat, ſed ſolùm quòd committat peccatum, quod ex genere ſuo eſt proprietatis, etſi ratione modicitatis materiæ ſit veniale peccatum. [Fauſt. D. Tho.]

Summa ergo pecuniæ requiſita ad conſtituendum peccatum mortale contra votum paupertatis, illa eſt quę ſufficit ad furtum mortale in ſæcularibus, vt diximus *tom. 1. verb. Furtum* 11. *num. 6. & verb. Caſus reſeruatus num.* 40. §. 4. quod tamen intelligendum eſt de materia ſufficienti per ſe ad furtum mortale, ſecluſis perſonæ, vel loci, aut temporis circumſtantiis, v. g. furari acum a ſartore non habente aliam, eſt quandoque peccatum mortale ratione damni & lucri ceſſantis. At id acus furtum, quod commiſſum à religioſo eſſet in genere furti peccatum mortale, non eſſet tamen tale in genere proprietatis & ſic reſeruato proprietatis vitio, non cenſeretur hoc reſeruatum; & è contra ſi in genere furti furari vnum aureum à Rege, eſſet veniale, vt quidam volunt, at in genere peccati proprietatis eſſet mortale. Ratio eſt, quia furti malitia pendet ex damno, quod infertur proximo, at peccatum proprietatis ſolam voti violationem reſpicit, qua inuito ſuperiore aliquid ſibi Religioſus appropriat. Nota etiam quod non ſemper ſumma per ſe notabilis abſque Superioris licentia accepta, ſatis eſt ad cõſtituendum peccatum mortale proprietatis. Quia res magnæ æſtimationis poteſt ad ſolum breuiſſimi temporis vſum modici valoris vſurpari, reponendo ſtatim in eodem loco: & ideò erit ſolùm peccatum veniale contra votum, vt ſtatim dicetur. Vide Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 8. quæſt.* 193. [Fauſtus.]

4. Quamuis voto paupertatis repugnet, vſum rerum non conſumptibilium, vt librorum, ſibi abſque Superioris licentia vſurpare, aut alteri, ſeu domeſtico, ſiue externo concedere, ſeu commodare; ſæpe tamen excuſatur à mortali Religioſus ob materiæ paruitatem, quia vſus libri non perpetuus, ſed temporalis tanti non æſtimatur, vt mortalis peccati materia ſit. Leſſius *cit. num. 79. verſ. quinto.* Sanchez *lib. 7. cap. 20. num.* 6. Layman *cit. num.* 4 & alii. Niſi accedat præceptum Superioris hoc prohibens ſub mortali. [Leſſ. Sanch. Layma]

5. *Votum paupertatis* violat Religioſus, ſi pecuniam, vel aliam rem ſibi à Prælato deſtinatam ad certum vſum, contra eiuſdem voluntatem in alium vſum expendat: *Item* ſi res ipſi ad vſum conceſſas per culpam, ſeu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, deſtruat, quia is actus, eſt proprius dominii, qui Religioſo interdictus eſt: quod ſi Religioſus peculium habeat ſuæ adminiſtrationi commiſſum, debet ex eo reſtitutionem facere Monaſterio, cui ex tali deſtructione, vel quacumque inutili alienatione damnum illatum fuit. Leſſius *cita. verſ.* 10. Layman *cit.* Sanchez *cit. cap. 19. num.* 125. Fauſtus *in theſ. relig. lib. 8. q.* 101. [Leſſius. Laym. Sanchez Fauſt.]

6. *Paupertas religioſa* violatur à Religioſo, ſi quæ ab aliis ipſi data, vel donata ſunt, accipiat, ac retineat ſine Prælati conſenſu: quia quidquid Religioſus donatione, legato, hæreditaria ſucceſſione, vel contractu acquirit; non ſibi ipſi, ſed Ordini, vel Monaſterio acquirit, ſi capax ſit, perinde ac ſeruus domino ſuo acquirit, *cap. ad monaſterium de ſtatu Monach.* Molina *tom. 1. cap. 2. diſp.* 140. Contra verò Monaſterium non obligatur ex contractu, vel delicto Religioſi ſui, niſi quatenus conſenſum præbuit, vel exinde aliquid commodi accepit; ſi tamen promiſſioni, vel contractui Religioſi celebrato abſque Prælati conſenſu, fideiuſſor acceſſerit, vel pignus ab altero datum ſit, videtur obligatio naſci, *cap. quod quibuſdam, de fideiuſſ.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 11. quæſt.* 11. [Molina. Azor]

7. *Voti paupertatis* religioſæ tranſgreſſor eſt Religioſus, ſi aliqua abſcondat ne Superior ſciat, nolens permittere liberæ eius diſpoſitioni, aut ſi tanquam iniuria affectus ſit, murmuret, dum ei à Prælato adimuntur: *Similiter* ſi quæ etiam cum Prælati licentia acceperat Religioſus, poſteà abſcondat, ne Prælatus volens ea reuocare, propoſitum ſuum exequi poſſit: & *ratio* eſt, tum quia tales actus ſunt actus dominii independentis, ſiue iuris proprietarii, qui voto paupertatis religioſæ repugnant, tum quia, qui non habet animum promptum ad reddendum id quod habet, eſt proprietarius: at qui Prælato abſcondit quod ad ſuum vſum deputatum habet, ne ſibi auferatur a Prælato, non eſt paratus ad reddendum, vt conſtat, ergo eſt proprietarius. Hinc ſi Prælatus alicui Religioſo facultatem conceſſerit retinendi rem aliquam, & ipſe eam recludit, vel apud familiares, vel conſanguineos deponit, ne ſequens Prælatus, videndo illam auferat, eſt proprietarius. Ratio eſt, quia eo ipſo retinet rem independenter à voluntate Superioris, ac proinde eſt proprietarius. Nec obſtat, quòd hic à primo licentiam obtinuerit, vt occultè illam retineret. Quia ea non obſtante poteſt idem Superior, vel alius ad libitum reuocare, teneturque Religioſus ex vi voti eam liberam reuocationem non impedire; impedit autem, quando rem celat, ne auferatur. Hinc Religioſus, qui dicit ſe animo eſſe paratum ad nutum Superioris relinquere quod habet cum licentia, & tamen de Prælato conqueritur, vel murmurat, vel aliis modis nititur, ne ſibi id quod habet per Prælatũ auferatur, non eſt tutus in conſcientia; quia peccat lethaliter non ſolum ob ſcandalum, verum etiam ob votum paupertatis violatum, cùm conſtet, licentiam illam eſſe coactam, magiſque permiſſiuam, quam conceſſiuam, ſicut multa mala fieri permittuntur, ne maiora committantur,

Digitized by Google

Leſſius. Sanch. Syluest. Laym. Fauſt.

tantur, vt dictum eſt ſuprà num. 2. Ita Leſſius *cit. num.* 79. Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 60. Syluester *verb. Religio* 6 *quæſt.* 7. Layman *cit. cap.* 7. *num.* 8. Fauſtus *in theſ. Relig. lib.* 8. *quæſt.* 126. & alii. Ex quibus colligitur ratio, quare clauium vſus ſemper fuerit à Patribus condemnatus, quia, ſi dicet; ex illo ſequitur ſæpe Religioſos contra ſolemne votum paupertatis multa Superioribus occultare.

8. *Procuratores*, Oeconomi, & ſimiles bonorum Monaſterii adminiſtratores, tranſgreſſores ſunt voti paupertatis, ſi rem quamcumque, ſeu domeſtico, ſeu externo largiantur, aut expendant aliter; quàm ordinis regula, vel conſuetudo, aut Superiorum voluntas poſtulat: vnde qui ab eiuſmodi œconomis aliquid vltra quam ipſorum poteſtas ſe extendit, acceperit, furti particeps ſit; & ſi Religioſus eſt, etiam voti præuaricator. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 8. Nauarrus *comment.* 2. *de regul. num.* 9. Molina *tom.* 2. *diſp.* 276. Syluius 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 8. Similiter paupertatis votum violant Prælati religionum & contra iuſtitiam delinquunt, ſi bona Conuentus aliter expendant, vel donent quam ordinis ſui regula, vel conſuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas ipſis permittit, & talis donatio, aut alienatio irrita eſt, & reſtitutioni obnoxia, poſita materia graui, & notabili, *cap. Fraternitatem, de donat.* Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 30. Graſſijs *par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 133.

D. Tho. Nauarr. Molina. Syluius. Sanch. Graſſ.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus licet Religioſo, inconſulto Superiore aliquid dare in eleemoſynam. *Primus* eſt, cùm pauper eget extremè, nec aditus patet ad Superiorem: Quia hic adeſt tacitus præcepto naturali diuino debitus Superioris conſenſus. Nauarrus *in man. cap.* 17. *num.* 105. Rodriquez *tom.* 2. *qq. reg. quæſt.* 57. *art.* 2. *Secundus* eſt, quando pauper graui neceſſitate laborat, nec facilè patet recurſus ad Superiorem, tunc enim adeſt præſumpta Superioris licentia, vt illi ſubueniat. D. Thomas 4. *diſt.* 15 *quæſt.* 2. *art.* 5. *q.* 4. Nauarrus *cit. num.* 105. Toletus *de* 7. *pecc. mort. cap.* 28. *Tertius*, quando Religioſus cum debita Superioris licentia moratur extra Monaſterium, ſtudiorum, aut alterius honeſti negotii cauſa, tunc de ſuo viatico, & ex his, quæ ſibi ſunt in propriam ſuſtentationem aſſignata, poteſt eas eleemoſynas largiri, quas alij eiuſdem ordinis, & conditionis erogare ſolent. Quia pietas, & licentia ſe ſuſtentandi, ad id etiam videtur ſe extendere de licentia tacita, ſiue præſumpta Prælati. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 85. Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *punct.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *art.* 10. *quæſt.* 3. & alii. *Quartus* caſus eſt, quando Religioſus habet adminiſtrationem alicuius villæ, ea lege, vt quotannis certam quandam penſionem Monaſterio ſoluat, & cætera vſui ſuo cedant: hic ſoluta penſione, de reliquo poterit exponere in eleemoſynam, & alia opera pia, abſque proprietatis nota, quia id expreſsè, vel tacitè videtur contineri in tali adminiſtratione. Idem dicendum de Religioſo, qui ex iuſta licentia viuit extra Monaſterium, nec ab eo recipit aliquid, ſed de ſuo labore & induſtria, ac eleemoſynis victum comparat. Nauarrus *comment.* 2. *de reg. n.* 8. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 276. Rodriquez *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 29. *art.* 10. Valentia *cit. punct.* 3. & alii. *Quintus*, quando Religioſus aliquid ſibi ſubtrahit de his, quæ ad ſuum victum, & veſtitum illi tradunt, v. g. ſi certa ſumma pecuniæ illi aſſignetur ad ſui ſuſtentationem, eo pacto, vt nihil ampliùs teneatur Monaſterium ei dare, nec ipſe rationem reddere, ſed vt ſuo damno, vel commodo eam expendat; poteſt enim id in eleemoſynas erogare. Nauarrus, & Molina *cit.* Arrag. 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 8.

Nauarr. Rodriq. D. Tho. Nauarr. Tolet. Leſſius. Valentia. Azor. Nauarr. Molina. Rodriq. Valent. Arrág.

Circa hoc caſus eſt obſeruandum, quòd in nullo illorum, excepto primo, poteſt Religioſus eas eleemoſynas largiri, renitente Superiore. Ratio eſt, quia ſolus extremæ neceſſitatis caſus dat ius Religioſo faciendi eleemoſynam inuito Superiore. Vt rectè monet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 8. *ad* 1. In cæteris autem requiritur licentia ſaltem probabiliter præſumpta.

D. Tho.

9. *Quidam* Doctores negant, attento iure communi antiquiori, integrum eſſe religionum Prælatis, concedere Religioſis peculium, id eſt, reditus annuos ad nutum Superiorum reuocabiles, ad ſolos vſus honeſtos & pios, ex cauſaque legitima. Molanus *par.* 5. *cap.* 20. *concl.* 3. & 4. Theodoret. Carth. apud Sanchez *cap.* 22. *num.* 4. quia Religioſis interdicitur paupertatis voto habere proprium; at huiuſmodi eſt peculium, eſt enim peculiare vſui religioſi illius, & ſic non commune, ſed proprium: *Probabilior* tamen ſententia affirmat, huiuſmodi peculium iure communi antiquo permiſſum eſſe ex licentia Superioris; quia in paupertatis votum non delinquit, qui rem aliquam ex licentia Superioris, & ad eius nutum reuocabili poſſidet, & talis non vtitur rebus tanquam ſuis, ſed vt alienis, cum alieno Superioris arbitrio ducatur. Rodriquez 1. 2. *cap.* 33. *num.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9 *quæſt.* 1. Sanchez *cit. num.* 5. Nauarrus *comment.* 2. *de reg.*

Molan. Sanch. Rodriq. Azor. Sanch. Nauarr.

10. *Maximè* controuertitur inter Doctores, an eiuſmodi peculium, quod attento iure antiquo religioſo poteſt concedi, poſſit quoque attento nouo Conc. Tridentino decreto *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regul.* atque ita ius commune maneat incorrectum; plurimi enim ſuſtinent id iam non eſſe licitum, atque adeò correctum ius commune, quia id videtur clarè interdici in eo decreto, atque huius ſententiæ ſunt Rodriquez *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 29. *art.* 10. & 12. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 30. Molina *tom.* 2. *diſput.* 276. & multi alii apud Sanchez temperat hanc ſententiam Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *punct.* 3. niſi Monaſterium ita pauper ſit, vt ex communibus reditibus nequeat Religioſis ſatis prouidere, tunc enim licebunt peculia. Altera tamen ſententia ſuſtinet in decreto Trid. nihil noui iuris induci, ſed ſolùm declarari ius, quo ſemper prohibitum erat, tum ne ſuperflua Religioſis aſſignarentur, tum ne ea conditione aliqua relinquerentur, vt independenter à Prælati voluntate, ſeu irreuocabiliter retineri poſſent; & ideò ſecundùm hanc ſententiam, licitum erit hodie peculium, ex iuſta cauſa Religioſis conceſſum ad vſus licitos & honeſtos & reuocabile ad Superioris nutum, ſicut iure antiquo id licitum erat, ita ſentiunt Nauarrus *comment.* 2. *num.* 15. & 18. *de reg.* multis in locis. Sà *verb. Religio num.* 48. Graſſijs 1. *par. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 53. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 11. Diana *tract. de paup. reſ.* 32. *par.* 1. & multi alii apud ipſum.

Cōc. Tr. Rodriq. Leſſius. Molina. Valent. Nauarr. Sà. Graſſ. Sanchez Diana.

Nonnullas tamen conditiones ſtatuunt Doctores huius ſententiæ, vt licitè abſque proprietatis nota, Religioſi poſſint habere reditus vitalitios.

Prima eſt, vt non illos habeant quoad dominium tanquam ſuos proprios, ſed ſolùm quoad ſimplicem vſum facti congruentis pro ſuis particularibus neceſſitatibus.

Secunda, vt eos habeant ex expreſſa, aut ſaltem tacita ſuorum Superiorum licentia.

Tertia, vt huiuſmodi reditus ſint moderati.

Quarta, vt prædicti reditus, vel aliæ quæuis res illis conceſſæ, ſint incorporatæ communibus bonis Monaſterii.

Quinta, vt ſint reuocabiles ad nutum Superioris.

Sexta, vt non malè vtantur, expendendo illos in vſus illicitos, & prophanos.

Septima, vt non vagè, & ad vſus indeterminatos illis relinquatur diſpoſitio prædictorum bonorum, ſed ſolum ad certos vſus determinatos, pios, licitos, neceſſarios, & à Superiore cognitos.

Octaua, vt id fiat ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa.

Nona, vt prædictos reditus illis conceſſos, non habeant penes ſe, ſed in manu publici officialis per Superiorem aſſignati.

Decima & vltima conditio eſt, vt ſubditus quando ab officiali neceſſaria petit, exponat in particulari ſuas neceſſitates; nam aliàs tantùm eſſet officialis materialiter, & ſubditus eſſet diſpenſator, cùm illa bona ipſe pro libito acciperet & diſtribueret, quod eſt contra mentem Concilii.

His poſitis, Doctores huius opinionis cenſent ſaluandam eſſe conſuetudinem, non obſtante diſpoſitione dicti Conc. Trid. Ratio eſt, quia cum ſint in poteſtate publici officialis, vel procuratoris, in Superioris poteſtate eſſe dicuntur, cùm officialis locum habeat Superioris: adeò vt ſi quando Monaſterium egeat in communi, ex illis pecuniis, ac bonis, prouideantur neceſſaria Monaſterii. Quod certè non rarò Superiores tentare deberent, vt diſcerent ſubditi, non proprietatem, ſed vſum, & eum ad nutum Superioris ſe habere. Proinde Religioſus, qui

tenet

tenet peculium apud Depoſitarium, tanquam rem propriam, & computat minutatim quidquid per ipſum Depoſitarium expenditur, nec patitur, vt Prælatus poſſit de eo ad libitum diſponere, mortale peccatum committit contra votum paupertatis,

Nec obſtat dicere mentem Romani Pontificis eſſe, vt prædictum peculium remaneat depoſitatum, ac deſignatum pro eius indigentiis, ac proinde Prælatum non poſſe de eo abſque ipſius conſenſu diſponere. Quia depoſitum ad hoc inuentum eſt, vt auferatur à Religioſis vſusfructus & adminiſtratio peculii, & incorporetur, ſaltem quoad proprietatem & vſumfructum cum bonis Monaſterii, licet quoad vſum ſimplicem facti remaneat deſignatum ad ſubleuandas eorum indigentias; adminiſtratio verò eius reſideat penes prædictum Depoſitarium, & hoc de licentia Prælati, & amouibiliter, & non vt præfati regulares habeant eius proprietatem, vel vſum irreuocabiliter, ita vt Prælatus non poſsit de eo ad libitum diſponere, quia hoc eſſet in proprio diſpenſare. Ita eruditè ſatis Bartholomæus à Sancto Fauſto *in theſ. Relig. lib.8. quæſt.*30.

21. Non licet Religioſo habenti ex legitima Superioris licentia peculium, id pro libito ſuo in quoſuis vſus expendere; ſed tenetur in vſus honeſtos: imo Prælatus nec ſolus, nec cum capitulo permittere poteſt Religioſo, vt bona, ex quacunque cauſa, aut titulo prouenientia, in vſus quoslibet etiam vanos, aut illicitos expendat, aut ſuperflua, vel pretioſa, quæ ſtatum regularem dedecent penes ſe habeat, ſed vterque, tum Prælatus licentiam dans, tum ſubditus ea vtens, voti paupertatis præuaricator exiſtit; quin & donatio talis, ſeu alienatio irrita eſt, ac reſtitutioni obnoxia; nam Prælatus ſubdito maiorem facultatem conferre non poteſt, quàm ipſe habet.

Miranda. Rodriq. Cla. reg. Nauarr. Sanch. Fauſtus.

Miranda *tom.1. quæſt.* 28. *art.*9. Rodriquez *tom.*2. *qq. regul. quæſt.*126. *art.*6. Clauis regia *lib.*9. *cap.*16. Nauarrus *comment.* 2. *num.* 23. Sanchez *lib.*7. *cap.* 19. *num.* 30. 31. *& ſeq.* Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 8. *quæſt.* 10. & alii. Tum quia Prælatus non poteſt pro ſuo arbitrio & libera voluntate in quos voluerit vſus bona Monaſterii expendere; quamuis enim apud ipſum præcipua adminiſtratio proxima bonorum Conuentus reperiatur, *cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* tamen certum eſt illum non eſſe proprium dominum, ſed adminiſtratorem, cuius curæ omnia illa commiſſa ſunt, non vt diſponat de iis ad libitum in vſus vanos, ſuperfluos, ac illicitos, vt dominus. Tum quia ipſe Prælatus votum paupertatis emiſit, & eſt incapax dominii: quia Monaſterium non tranſtulit in illum dominium bonorum, quod eſt penes ſe, ergo non poteſt, vt dominus illa diſpenſare, ſed tenetur diſtribuere in illos vſus, in quos deſtinata ſunt.

Notandum tamen eſt, Religioſum malè expendentem peculium ex Superioris licentia, non incurrere pœnas proprietatis, quia eæ ſtatutæ ſunt contra Religioſos abſque omni Superioris licentia peculium tenentes, & conſequenter etiam dicendum eſt, nec ipſum Prælatum ſic ſuperfluè pendentem incurrere prædictas pœnas: quia ſi licentia ab ipſo conceſſa ſubditis eſt valida ad eum effectum, vt liberentur à proprietarii pœnis, liberabitur quoque ipſe ſic expendens; quia eadem licentia vti poteſt, quam ipſe ſubditis concedere valet. Vide Nauarr. *comment.*2. *de regul. num.*21.

Nauarr.

Sed quia Confeſſarii omnes opiniones ſcire debent, vt poſtea ſecundum prudentiam illis vtantur, & ſi aliter fieri non poteſt, onera non imponant ferre non valentibus, vel nolentibus, quando probabiliter fieri poteſt, ideo contra communem doctrinam hoc numero relatam, nonnulli recentiores admittunt vt probabilem opinionem illam, quæ docet, Religioſum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vſus, qui ſibi placuerint, aut in ſuas honeſtas recreationes, ſi in vſus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipientem in tali caſu non teneri reſtituere. Citantur pro hac ſententia Bañez, Lopez, Rebellus, Ioan. Franciſc. Suarez, Card. Lugo, Ioannes Machadus, à Diana *part.*3. *tract.* 2. *reſol.*65. §. *Nota tertio, & reſol.* 98. quam confirmat nouiſſimè vt probabilem *part.*7. *tract.*11. *reſol.*

22. Rationem autem huius ſententiæ reddunt citati Authores: Quia in aliis materiis licentia generaliter conceſſa nō intelligitur limitari ad ſolos vſus, vel caſus aliunde non turpes, nec illicitos, ſed in iis etiam aufert malitiam, quàm poſſet habere ex defectu talis licentiæ, quamuis remaneat turpido & malitia ex alio capite; ergo cùm Prælatus vniuerſaliter concedit licentiam expendendi pro libito, non eſt cur præſumatur limitare licentiam ad actus ſolùm aliunde non illicitos, ſed potiùs velle auferre impedimentum ex parte ſua quantum poteſt. Verum amice lector ne recedas à communi ſententia, quia ipſemet Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 54. fatetur ſe quaſi coactum hanc opinionem retuliſſe, dicens: *Scripſi hæc*, inquit, *in re tam graui, quaſi coactus, & Deus ſcit ſi cum magna, & intima cordis triſtitia, vt fragilibus conſcientiis aliquod remedium exhiberem: nam ſi contraria ſententia in praxi omnino amplectenda eſſet, vt olim mordicus conſulebam, mille laquei reſtitutionis penè innumeri tenerentur, & nemo teneretur.* Hæc ille. Bordonus etiam *in conſil. regul. reſ.*43. *quæſt.*17. ſuſtinet licentiam expreſſam expendendi pecunias in vſus illicitos, & turpes excuſare à vitio proprietatis, & ab obligatione reſtituendi, licet aliàs peccet mortaliter Religioſus taliter expendēs; quia licentia hæc quamuis ſit illicita, ac proinde non excuſet à peccato infidelis adminiſtrationis, excuſat tamen à peccato iniuſtitiæ, & à pœna reſtitutionis & proprietatis; ſed an probabiliter, penes doctiores ſit iudicium. Bordon.

Ex dictis oriuntur dubia breuiter reſoluenda, de hac materia. Primum. An Religioſus ſit dicendus proprietarius, qui de Superioris licentia poſſidet multa ſuperflua reſpectu ſui ſtatus? Reſp. conuenire inter Doctores, hunc Religioſum mortaliter peccare, qui de licentia Superioris quantitatem notabilem expendit in vſus ſuperfluos, aut vanos, aut tenet multa ſuperflua, & Superiorem etiam mortiferè delinquere, cùm facultatem concedit Religioſo, vt plus habeat ad vſus quotidianos quàm par ſit. Ratio eſt, quia ſecundum iura ex bonis communibus apud Religioſos, nec dari, nec accipi plus debet, quàm neceſſarius cuiuſque vſus, ac indigentia poſtulet. Vnde in Concilio Tridentino *ſeſſ.*25. *cap.*2. *de regul.* decernitur, ne ſuperfluum Religioſis concedatur, ſed quæ ſtatum Religioſum deceant. Et hoc idem ſtatuit Sacra Congregatio apud Quaranta *in ſum. Bullar. verb. Caſus reſeruati*. Deinde probatur ex Clementina, vbi ſtrictè prohibetur Monachis Sancti Benedicti, quælibet pretioſitas, ſuperfluitas in ſuis vſibus. Quam probibitionem ad omnes Religioſos pertinere affirmat Nauarrus *comment.* 4. *de regul. num.*27. Cōc. Tr. Quarãt. Nauarr.

Sed dubiæ eſt quæſtionis, an talis Religioſus peccet peccato proprietatis? quidam exiſtimant hunc non peccare peccato proprietatis, ſed auaritiæ, quia nihil vſurpat abſque Superioris licentia, & eſt paratus ad nutum Superioris omnia relinquere. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.* 41. *dub.*9. Azorius *tom.*1. *lib.* 12. *cap.* 12. *q.* 5. Nauar *cap. non dicatis num.*21. & alii. Verius tamen eſt huiuſmodi Religioſum contra votiuam paupertatem peccare. Ratio eſt, quia hic ex omnium communi ſententia peccat mortaliter, ſed non apparet quale illud peccatum ſit, niſi proprietatis, ergo. Tum quia vtitur rebus ſuperfluis contra voluntatem Summi Pontificis, qui eſt ſupremus omnium Religioſorum Prælatus, nam in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.*2. *de reg.* decernitur, vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat, nihilque ſuperflui in ea ſit. Ita Maior *in* 4. *diſt.*39. *quæſt.*9. Nauarrus *lib.*3. *de reſtit. cap.*1. *dub.*1. *num.*168. Graffiis 2. *par. lib.* 3. *cap.* 19. *num.*15. & alii. Leſſius. Azor. Nauarr. Maior. Nauarr. Graffiis.

Sed petes, quid dici debeat neceſſarium, quid verò ſuperfluum Religioſis? Reſp. quod neceſſarium dicitur nō ſolum quod abſolutè eſt neceſſarium, ita vt ſine illo res nullo modo poſſit conſiſtere, quod & neceſſarium ſimpliciter dicitur. Sed & illud dicitur neceſſarium, ſine quo res non poteſt decenter & congruenter conſeruari, quod à Philoſophis dicitur neceſſarium ſecundùm quid.

Superfluum dicitur, quod penſatis omnibus circumſtantiis religionis, perſonæ, loci, temporis, officii, &c.

ne que

Digitized by Google

neque ad vitam, neque ad decentiam ſtatus religioſorum eſt neceſſarium. Vnde quod in vna religione iudicatur moderatus vſus, in altera vt ſuperfluus meritò reijcitur, & quod in eodem Monaſterio vni eſt neceſſarium, reſpectu alterius cenſetur ſuperfluum, & quod alicui tempore infirmitatis eſt opportunum, id recuperata ſanitate eidem eſt inconueniens.

Ex quibus infertur primò, quòd Religioſus, qui de licentia Superioris vtitur rebus ita abundanter, vt reliqui Religioſi patiantur neceſſitatem, peccet, quia ita faciendo facit iniuriam alijs, cùm bona Monaſterii pro indigentibus communia ſint, & tantus poteſt eſſe exceſſus vt peccet mortaliter contra votum paupertatis, tam diſpenſans Superior, quàm diſpenſatus: quia ex officio tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter diſpenſare bona Monaſterii. Ita Lopez *2. par. inſtruct. cap. 6.* Rodriquez *p. 2. ſum. latin. cap. 33.* Fauſtus *in theſ. relig. lib. 8. q. 96.*

Lopez. Rodriq. Fauſtus.

Infertur ſecundò, quòd Religioſus qui recipit, vel in cubiculo ſuo retinet arma, vt ſclopetum, lanceam, thoracem, & his ſimilia: vel qui in cellis ampliſſima ſupellectili, paramentis, picturis, imaginibus aureis, aut argenteis, alioque rerum vario & multiplici ornatu, diuitum ſæculi more abundare non veretur, contra votum paupertatis peccat.

Infertur tertiò, quòd Superiores, qui ſuperflua ædificia, aut nimis curioſa conſtruunt, dummodo illa excedant ſtatum paupertatis, aut decentiam ſui ſtatus, peccant mortaliter, & ſunt proprietarii. De quo abuſu loquens D. Bernardus *in apolog. ad Guilliel. Abb. & in ep. ad Fratres de Monte Dei*, ſic ait: *Iam enim ſubintrauit de ære alieno ſumptuoſa, & (quantùm ſinit pudor) ambitioſa cellularum ædificatio, & abiecta ſancta ſimplicitate, & ruſticitate, quaſi religioſas quaſdam nobis creamus habitationum honeſtates. Dimiſſam enim nobis à patribus noſtris iure hæreditario formam paupertatis, & ſanctæ ſimplicitatis ſpeciem, verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & cellis noſtris, per manus artificum exquiſitorum, cellas non tam eremiticas, quàm aromaticas ædificamus nobis de eleemoſynis pauperum.* Et poſt pauca: *Ergo obſecro in peregrinatione huius ſæculi, in malitia hac ſuper terram ædificemus nobis non domos ad habitandum, ſed tabernacula ad deferendum: vtpote citò inde vocandi, & migraturi in patriam.* Hæc D. Bernardus.

D. Bern.

Porro quoad mobilium ſuperfluitatem, vel conuenientiam, poteſt religioſus tuta conſcientia ſtare arbitrio prudentis Superioris; niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit, habita, nempe, ratione perſonæ, officii, & Regulæ, ſtatuſque paupertatis quam profeſſus eſt, & cæterarum itidem qualitatum. Ita Fauſtus *in theſaur. Relig. lib. 8. quæſt. 98.* Cæterum magna abuſio eſt, vt in loco paupertatis, vbi diuites penuriam incurrunt, pauperes ſuperfluitatem quærant: in loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines ruſticani res delicatas affectent. Vnde idem D. Bernardus *in ſerm. 4. de aduentu. Videmus autem*, inquit, *pauperes aliquos, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeò puſillanimes inuenirentur, & triſtes, vtpote Reges, & Reges cœli, ſed hi ſunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* Ingemiſcamus ergo nos Religioſi, qui nudam crucem, nudi ſequi debemus, & clamemus cum eodem D. Bernardo ad Guillielmum Abbatem. *Miror*, inquit, *vnde inter Monachos tanta intemperantia in comeſſationibus, potationibus, in veſtimentis, & lectiſternijs, & equitaturis, & conſtruendis ædificijs inoleſcere potuit, & quod deterius eſt, vbi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. Et contra remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities veſtimentorum, & equorum faſtus honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Iſta charitas deſtruit charitatem, hæc diſcretio, diſcretionem confundit, talis miſericordia, crudelitate plena eſt, quæ videlicet ita corpori ſeruitur, vt anima negligetur. Quæ enim charitas eſt, carnem diligere & ſpiritum negligere? Quæve diſcretio totum dare corpori, & animæ nihil, &c.* Et infra idem Bernard. 1. Timoth. 6 *Habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Nobis autem pro victu ſatietas, nec veſtitum appetimus, ſed ornatum. Quæritur ad induendum, non quod vilius, ſed quod ſubtilius inuenitur, non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat, non denique* (iuxta Regulam) *quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, imò vanius oſtentari. Heu me miſerum qualemcumque Monachum. Cur adhuc viuo videre ad id deueniſſe ordinem noſtrum, &c.* Et infra. *Miror autem cùm Regula dicat, ad magiſtrum reſpicere, quidquid à diſcipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, ſanguinem in peccato morientium de manu Paſtorum requirendum eſſe minetur, quomodo Abbates noſtri patiuntur fieri talia, niſi forte (ſi audeam dicere) nemo fidenter reprendit, in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit.* Nec dicant quidam ex dictis Religioſis, quòd talia ſuperflua teneant de licentia Prælatorum? Ad quos poſſet reſponderi, quòd Prælati non poſſint cum talibus, vt habeant, & vtantur ſuperfluis, diſpenſare; quia iſtud, non eſt diſpenſare, ſed diſſipare. Cùm enim quilibet Religioſus victu & veſtitu debet eſſe contentus 1. Timoth. 6. quomodo contra tot iura, & eorum regulas poteſt cum talibus in tali ſuperfluitate diſpenſari.

Fauſtus.

12. *Cauſa iuſta* peculii concedendo Monacho duplex eſt, nempe *neceſſitas*, aut *vtilitas grauis*, *priuata*, aut *publica*. Graffijs *2. par. deciſ. lib. 3. cap. 18. num. 28.* Layman *cit. cap. 7. num. 14.* Sanchez *lib. 7. cap. 22. num. 20.* *Priuata* eſt, vt pro victu, vel veſtitu Religioſi, quando Monaſterium neceſſaria illi non ſuppeditat, vel ad emendos libros ſpirituales, vel quibus diſcat, aut animus recreetur honeſtè: *publica* autem, vt ad libros emendos ad docendum & concionandum. Nauarrus *comment. 2. de regul. num. 24. & 25.* autem putat arbitrio prudentis relinqui, quæ ſit iuſta cauſa, nam conſideranda ſunt, perſona, locus, finis, in quem conceditur, tempus, & quantitas rei conceſſæ, & id genus alia.

Graffijs. Laym. Sanchez. Nauar.

13. Prælatus Religionis non miniſtrans neceſſaria ſubditis cum commodè præbere poteſt, & ſic peculiis cauſam præbens, peccat mortaliter; quia ſecundum D. Antoninum *3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11.* Syluest. *verb. Religio 6. quæſt. 7. fin.* Sanchez *cit. cap. 22. num. 26. & 27.* Leſſium *lib. 2. cap. 41. dub. 5.* Valentiam *2. 2. diſput. 10. quæſt. 4. punct. 2.* & alios, non ſunt Prælati in tuto ſtatu, non adhibentes diligentiam debitam vt in communi vita tranſigatur, quando id commodè & ſine magno ſcandalo fieri poteſt: Similiter peccant mortaliter ſubditi peculiis cauſam reſiſtendo vitæ communi, cum illis neceſſaria miniſtrentur, & ſimiliter grauiter murmurando & magnas querelas fundendo. Item peccat mortaliter cõtra votum paupertatis Prælatus, qui recipit plures Religioſos, quàm reditibus, vel eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint. Quia facit contra præceptũ Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 3.* & hoc in re graui, & valdè neceſſaria ad conſeruandum ſtatus Religioſi bonum progreſſum: ibi enim ſic dicitur: *In monaſterijs tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex reditibus proprijs monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.* Ita Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 8. quæſt. 32. & 151.* Nec valet contra prædicta, excuſatio quorumdam religioſorum dicentium, quòd quando ipſi profeſſionem fecerunt, non intenderunt ad alium modum viuendi ſe obligare, quàm qui tunc temporis viget in religione, & votum non obligat vltra intentionem vouentis. Quia quamuis verum ſit quòd votum non obligat niſi ſecundùm intentionem vouentis, hoc tamen intelligitur, quando in poteſtate vouentis eſt ſic, vel ſic vouere: ſed quando eſt eis præſcripta forma, & modus viuendi, ſicut fit in ſolemni profeſſione, id minimè eſt verum. Vnde iſti non poſſunt in vouendo mutare formam profeſſionis per intentionem contrariam ei, quod verba ſonare videntur. Tum quia quando iſti fecerunt profeſſionem, ſe obligauerunt ad obſeruantiam regulæ, & non ad abuſum eius, ex negligentia, vel malitia inobſeruantium introducta. Nec valet etiam dicere, quòd prædictus viuendi modus toleretur à pleriſque religioſorum Prælatis, qui ſubditos non cogunt

D. Ant. Syluest. Sanchez. Leſſ. Valent. Fauſt.

ad

ad vitam communem. Quia ſi id aliquo modo videantur tolerare ſuperiores, eorum tolerantia potiùs dicenda eſt permiſſiua, quàm approbatiua. Sola autem tolerantia permiſſiua, & non approbatiua non ſufficit ad eximendum tranſgreſſorem à peccato.

Ea eſt igitur laudabilis vitæ religioſæ conſuetudo, qua veſtes in communi loco aſſeruantur; & inde in ſingulas hebdomadas, menſes, & annos, in vſum cuiuſque diſtribuuntur. Quibus quidam præficiuntur, vt eas cuſtodiant, excutiant, purgent, reſarciant, ac renouent. Vbi nullus apud ſe habet veſtes, præter eas, quæ ad quotidianum vſum neceſſariæ ſunt; nullus apud ſe pecuniam tenet, præter officiales, quibus bonorum monaſterii adminiſtratio, & cura committitur. Ac denique communis eſt omnium victus, communis menſa, communis veſtitus in communi loco ſolitus aſſeruari. Contra verò, ea improbanda eſt conſuetudo, vbi religioſorum quiſque aliquid apud ſe habet, vnde viuat, quod in communẽ locum non affert; vbi ſinguli plus habent, quam quod ſibi
D. Baſil. ſit neceſſarium ad vitam tuendam. Vnde D. Baſilius *in conſtit. monaſticis c. 9.* ait: *Perfectiſſimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria & priuata cuiuslibet rei poſſeſsio excluſa eſt, à qua omnis abeſt diſſentio, omnis perturbatio, & rixa, ſed omnia ſunt communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus neceſſario ad cultum, & victum vitur. Huic vitæ inſtituto quid eſt tandem, quod iure æquiparari poſsit, quid beatius dici? quid hac coniun-*
D. Chryſoſt. *ctione, vnitate, & neceſsitudine aptius?* D. Chryſoſtomus *in homil. 58. ad popul. Antiochen.* laudans in Religioſis hanc communem vitam, & æqualem, ait: *Vna menſa, & miniſtrantibus, & ſuſcipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita, non eſt ibi* (meum) *ac* (tuum) *ſed hoc verbum penitus eliminatum eſt, multorum cauſa malorum.*

14. *Religioſus* contra paupertatis votum non peccat, ſi ſine Superioris expreſſa, aut rationabiliter præſumpta licentia à diuite pecuniam, vel alia dona accipiat; non pro ſe, ſed vt aliis det, puta pauperibus vel conſanguineis; modò donationem nullo modo acceptet, neque quoad ipſam rem, neque quoad diſpoſitionem de re; quia hoc caſu diues nullum omninò ius pretio æſtimabi-
Sanchez Laym. Caram. Dian. Fagund. Suar. le à ſe in Religioſum transfert. Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 4. num. 7. & lib. 7. moral. cap. 130. num. 4.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 16.* Caramuel *in reg. S. Benedicti num.* 887. Diana *de paup. reſ. 8. & 29.* Fagundez *de præc. 2. lib. 8. cap. 6. num. 18.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 11. num. 45. Conſequenter* Religioſus, cùm nihil iuris ſibi vendicet contra votum paupertatis, non delinquit, ſed habet ſe vt merus interceſſor, vel vt eleemoſynarius, cui à diuite pecunia committitur, vt eam nomine illius pauperibus ipſe diſtribuat, qui exiſtimauerit eſſe magis indigentes. Item ſi Religioſus acciperet ab alio pecuniam tantùm in cuſtodiam, vt eam reddat, quoties Dominus voluerit, per ſe non eſſet contra paupertatem, licet poſſit eſſe contra obedientiam, & contra decentiam religioſam ſi occultè fiat. Ita *Suarez* citatus hic. Hinc qui ex improuiſo mortuus inuentus eſt in cella cum marſupio denariorum, non eſt priuandus Eccleſiaſtica ſepultura: quia iura non priuant officio altaris talem Monachum viuentem cum peculio, niſi quando priùs monitus noluit dimittere: ergo ſic mortuum non priuabunt ſepultura Eccleſiaſtica: deinde talis mortuus poterat ſe purgare, quòd denarii eſſent ſui amici, conſanguinei, vel ſibi depoſiti, vel concrediti, vt alteri deferret loco eleemoſynæ, vel reſtitutionis: ſed hoc limitandum eſt dummodo talis Religioſus non ſit Minorita, ob ſtrictiorẽ regulæ prohibitionem erga pecuniam recipiendam, niſi circumſtan-
Portel. Rodriq. tiæ probabiles occurrerent in contrarium. Ita Portel *v. Sepultura num.* 11. Hieron. Rodriquez *in compend. reſol.* 128. *num.* 12.

15. *In votum paupertatis* peccat Religioſus, ſi rem donatam, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm liberam eius diſpoſitionem, abſque ſuperioris licentia acceptat, quãuis in fauorem alterius; quod pluribus modis fieri poteſt. *Primò*, ſi diuite pecuniam ipſi donare volente expreſsè, vel tacitè acceptet donationem, petat tamen vt detur conſanguineo. *Secundò*, ſi religioſus in donationem ſibi factam conſentiat & rem donatam accipiat, proteſtetur tamen, ſe non ſeruaturum, ſed conſanguineo ſuo donaturum. *Tertiò*, ſi religioſus pecuniam accipiat ad diſtribuendum liberè pauperibus, quibus ipſe voluerit independenter à voluntate dantis; quia in his caſibus ius pretio æſtimabile in religioſum transfertur, quod pau- Turrian.
pertatis voto repugnat. Turrianus 2. 2. *diſp. 84. dub. 3.* Layman
Layman *cit. num.* 16. Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ.* Fauſt.
relig. lib. 8. quæſt. 117.

16. Religioſi omnia bona, de quibus ipſe antea non diſpoſuit, per profeſſionem iure communi tranſeunt in monaſteriũ, modò habeat ius ſucceſſionis. *Auth. ſi qua mulier, C. de Epiſc. & cler. cap. Quia ingredientibus, &*
cap. Si quæ mulier 19. q. 3. Nauar. *comment. 2. de reg. n. 44.* Nauarr.
& ſeq. Leſſius *lib. 2. cap. 41. n. 81.* ius autem ſuccedendi Leſſius.
habent omnia monaſteria regularium, præter domos, & collegia Societatis Ieſu, Minorum de Obſeruantia, & Capucinorum; cæteris omnibus Ordinibus virorum, &
mulierum etiam Mendicantibus conceſſit Conc. Trid. Cõc. Tr.
ſeſſ. 25. de reg. c. 3. vt bona immobilia poſſidere poſſint, vnde etiam vt in eis ſuccedant: & quidem Societas per ſuas conſtitutiones hoc iure caret, non ſolum in domibus profeſsis, ſed etiam in Collegiis, vt docet *Leſsius*.

Sed notandum eſt, quòd religioſi Societatis ſunt in triplici gradu. Primò enim ſunt coadiutores formati cum voto ſimplici obediendi manibus Prælati, per quod non poſſunt profiteri in alia religione (excepta Carthuſienſi) votum verò paupertatis illos facit bonorum incapaces. Votum autem ſimplici continentiæ, efficiuntur incapaces ad matrimonium. In ſecundo gradu ſunt quidam, qui tanquam ſcholares approbati coarctantur, quorum vota Prælatus non acceptat niſi implicitè, poſt ſcrutinium probationis biennii. Differt tamen ſcholaris à coadiutore formato in paupertate, quia ſcholaris cum licentia Prælati poteſt ad tempus retinere dominium bonorum, ſed ſine vſu, & adminiſtratione. In tertio gradu ſunt profeſsi quatuor votorum, qui ſoli ius habent ſuffragii in congregatione generali. Et hi in ſecunda eorum congregatione generali coacta anno 1565. totius Societatis nomine renunciauerunt cuicumque iuri prouenienti ex conceſsione Concilii Tridentini hic citati, ad habenda bona immobilia in communi in domibus profeſſorum, vel eorum Eccleſijs. Quod ſtatutum poſtea approbauit Gregorius XIII. Pontifex Maximus anno 158.. in *Extrauag. Aſcendente Domino* vbi totum Societatis inſtitutum retulit, & confirmauit, decidens, coadiutores formatos Societatis Ieſu per ſimplex paupertatis votum, & per ſolemne profeſſos reddi incapaces omnis hæreditariæ ſucceſſionis, & cuiuſcumque proprii habendi, & domos profeſſas Societatis nullos reditus habere poſſe.
Sed plura de his apud Sanchez *lib. 6. moral. cap. 18. num.* Sanchez
11. & ſeq.

Verùm licet monaſteria iure Canonico, & ciuili habeant ius ſuccedendi, vt dictum eſt, poteſt tamen contraria conſuetudine legitimè præſcripta derogari huic iuri ſuccedendi in profeſsi bona: vnde apud Gallos & Hiſpanos ex more abrogatæ ſunt huiuſmodi leges & Canones, apud quos vniuerſa bona profitentium religionem, niſi ex pacto Monaſterio reſeruentur, ad conſanguineos propinquiores perueniunt: talis etiam cõſuetudo viget apud
Belgas, vt experientia ipſa conſtat. Vide Couarruuiam Couar.
de teſtam. cap. 1. num. 21. ad finem.

17. Ex facultate Iuris Canonici, religioſus beneficiatus, interim dum beneficium Eccleſiaſticum obtinet, redituum adminiſtrationem habet, quos proinde, tam ad ſui ſuſtentationem, tum ad alias cauſas pias expendere poteſt, & hoc verum, licet beneficium manuale ſit, ita vt beneficiarius arbitratu Prælati (modò ex cauſa iuſta) reuocari poſsit. Rodr. *tom. 1. qq. reg. q. 34. art. 7.* Leſſ. *c. n.* 94. Nauar. *c. n.* 10. 11. Sà *v. Religio n.* 46. Laym. *c. n.* 17. Sylu. *p. 1. reſ. v. religioſus* 1. quia pro tempore quo beneficium manuale, ſeu reuocabile iuſtè obtinet, fructuum adminiſtrationem ſibi ex Clem. 2. *de vita & honeſt. §. Sed & tales.* Clem. 1. *de ſupplem. neglig. Præl.* Canonum conſtitutione depoſcit: habet etiam locum hæc aſſertio; ſi beneficium regulare ſit, verbi gratia prioratus, habens proprios reditus: tamen in hac re attendendum eſt ad cuiuſque

ordinis regulam, & legitimè introductam conſuetudinem. Reditus verò Parochiarum, quæ monaſteriis incorporatæ ſunt, ad monaſteria pertinent, non ad vicarios regulares obedientiarios, niſi quantum ex Prælati regularis voluntate ad victum, & ſuſtentationem eiſdem deſignatur, cum dependentia ab eodem.

18. Religioſus habens beneficium extra ſuum monaſterium vel ordinem, acquirit non monaſterio, ſed beneficio: vnde reditus beneficii, qui poſt amotionem, aut mortem beneficiarii ſuperſunt, ad Eccleſiam eam vel beneficium, cui ſeruiuit, & cuius intuitu acquiſiti fuerunt

Azor. Sanch. Fauſt. Nauar. pertinere debent, *cap. Statutum* 18. *q.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæſt.* 6. Leſſius *cit. num.* 91. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 76. Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. relig. lib.* 8. *q.* 55. Nauar. *tom.* 4. *de regul. num.* 69. quæ autem religioſus beneficiarius extra monaſterium aliunde acquirit, videlicet ex eleemoſynis, hæreditate, legato, propria arte, vel etiam ex penſione ipſi conſtituta, ea monaſterio ſaltem poſt mortem beneficiarii acquiruntur, ſi id bonorum in commune capax ſit. Hæc tamen intelligenda ſunt de beneficiis, quæ non ſunt de menſa ipſorum Prælatorum, ſeu ipſorum monaſteriorum, vt expreſsè declaratur in *Clement. vnic. de ſupplend. Prælat.* quia ſi eſſent ſic monaſterijs vnita ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto, tunc id non procederet: vnde nec ob mortem prouiſi vacare dicerentur per text. *in cap. vnico, verſ. Quidam etiam, de exceſſ. Prælat. in* 6. quia monaſterium, ad quod tales fructus ſpectant, numquam moritur. Quo caſu beneficiarius non dicitur acquirere, ſed tribuere monaſterio, quod ſuum eſt, ex ſpeciali applicatione ei facta. Verùm quãuis beneficia pleno iure ad monaſterium, ſeu ad eius Abbatem ſpectarent; ſi tamen eorum reditus, & prouentus menſæ Abbatiali, ſiue monaſterio applicati non eſſent: tunc regularis beneficiarius ſuæ Eccleſiæ, non monaſterio acquireret, vt patet in dicta Clementina, & docet

Suarez. Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 9.

19. Non poteſt *Prælatus* religioſo alicuius rei vſum irreuocabilem concedere; quia Prælatus nihil religioſo concedere poteſt, quod voto paupertatis repugnat; habere autem vſum alicuius rei non dependentem, ſeu non reuocabilem à Prælato, voto paupertatis repugnat: imò nec Pontifex concedere hoc poſſet monacho ſic manenti, niſi eum à voto paupertatis abſoluendo; quando autẽ ſuperior conceſſit religioſo vſum illius rei, promittens ſe non reuocaturum; certum eſt tenere reuocationem, quamuis ſit ſtatutum editum à Prælato cum conuentu iuramento ſtabilitum; erit tamen periurus in reuocando, quando ſtatutum illud non tenderet in detrimentum

Sanchez Syluest. Angel. Graff. Cordub. Nauar. ſalutis æternæ. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 17. *num.* 28. Sylueſter *v. Abbas q.* 3. Angelus *ibid.* §. 17. Graffijs *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 27. Corduba *q.* 54. *not.* 2. Nauar. *lib.* 3. *conſil.* 20. *num* 12. *de regul.*

Sed petes primò, an ſubſiſtat legatum relictum religioſo, vel moniali, ea lege, vt ad ipſos, non autem ad monaſterium pertineat? Reſp. Legatum ſub prædicta conditione relictum, eſſe benignè interpretandum, & voluntatem teſtatoris explicari debere eo modo, quo ſubſiſtere, & ſeruari poſſit, nempe, vt vſus, ſeu commoditas ad Religioſum, vel Monialem pertinere debeat, cum dependẽtia à Prælati, vel Abbatiſſæ conſenſu, qui cùm primum conſenſum denegauerit, corruet legatum, ſeu inſtitutio: ſin verò conſenſum præbuerit, interim iuris dominium Monaſterio acquiſitum ſit. Ratio eſt, tum quia verba in diſpoſitionibus intelligi debent ſecundùm conditionem perſonæ, ad quam diriguntur, cùm igitur hæc verba dirigantur ad religioſum, vel monialem, qui proprietatis ſunt protſus incapaces, & ſolum vſum poſſunt habere, & hunc quidem ex conſenſu Superioris, & ab eo dependenter, verba diſpoſitionis intelligi debent, vt id legatum obtineat religioſus, vel monialis eo modo, quo habere poteſt, nempe, quoad vſum permittente ſuperiore. Ita habetur in *l. plenum* §. *equitij, ff. de vſu, & habitatione.* Tum quia oportet diſpoſitionem quamcumque ita interpretari potiùs vt valeat, quàm vt pereat, vti docent Doctores in *l. in contrahenda, ff. de regulis.* Tum quia verborum perplexitas interpretanda eſt ex præſumpta diſponentis voluntate, *l. qui quadringenta, ff. ad legem* *falcidiam.* Huius ſententiæ ſunt Rodriquez *tom.* 2. *qq. reg. quæſt.* 125. *art.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 3. Graffijs 1. *par. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 41. Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 140. Sylueſter *verb. Religio* 8. *q.* 5. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 34. Angelus *verb. Monaſterium num.* 2. Tabiena *verb. Monachus, q.* 14. *num.* 15. Hieron. Rodriquez *in compend. reſol.* 88. *n.* 4. Nauar. *lib.* 3. *conſil. de regul. conſ.* 75. *anb.* 18. & alii. Qui etiam adnotant hoc eſſe verum, quamuis teſtator in ea conditione exprimeret, vt nihil iuris afferens commoditatem, ſeu quoad vſum adquiratur Monaſterio, ſecus autem quoad dominium. Aduertendum tamen, quòd licet integrum ſit Religioſo, ſeu Moniali acquirere legatum hoc ex Superioris permiſſu, intelligendum eſt ad ſolos vſus Religioſis permiſſos, vt in vſus pios, & in proprias neceſſitates ſubleuandas, quod & in Monaſterii vtilitatem redundat, vtpote quod liberatur onere proſpiciendi neceſſitatibus illis. Rodriq. Azor. Graff. Molina. Sylueſt. Diana. Angel. Tabiena Rodriq. Nauar.

Idem dicendum, etſi teſtator diceret, *cum conditione vt expendat in vſus, quos voluerit.* Intelligendum enim eſt de vſibus Religioſo licitis, vt verba accommodentur perſonæ, ad quam diriguntur, & vt actus teneat. Atque hæc omnia ſimili ratione locum habent in donatione facta Religioſo, ſeu Moniali, ſimili conditione adiecta.

His verò addendum, tametſi corruat legatum, ſi Prælatus, ſeu Abbatiſſa conſentire nolit, vt vſus, & commoditas rei ad Religioſum, ſeu Monialem pertineat; quia non eſt impleta conditio, ſub qua diſpoſitio facta fuit: ſi tamen Prælatus ex ſua parte conſentiat, Religioſus verò ſeu Monialis vſum & commoditatem ſibi competentem, Monaſterio reſignet, validam fore reſignationem; quia conditio illa à teſtatore adiecta, erat in gratiam & fauorem Religioſi, vel Monialis; quiuis autem fauori ſuo renunciare poteſt. Plura de his apud Doctores hic citatos.

Petes ſecundò, an corruat legatum cum expreſſa conditione, quòd omnino quoad dominium pertineat ad Religioſum, ſeu Monialem, & nullo modo ad Monaſterium? Reſpondeo affirmatiuè: quia in vltimis voluntatibus, ſicuti in omni alia diſpoſitione, primum locum voluntas teſtatoris obtinet, eaque regit conditione: ſi ergo clarè appareat, noluiſſe teſtatorẽ aliter relinquere, niſi cũ conditione, quæ impleri non poteſt, corruere delictum. Ita docent *Sylueſter, Molina, Rodriquez* ſupra citati.

Petes tertiò, an Religioſis, vel Monialibus aliquid poſſit legari cum conditione, quòd Prælatus, vel Abbatiſſa in tali legato ſe intromittere non poſſit, & caſu quo Superior ſe intromittat legatum pertineat ad quemdam extraneum? Reſpondet ad hoc dubium Rodriquez *tom.* 2. *qq. regular. quæſt.* 125. *art.* 3. Religioſos viros, ſeu Moniales, qui propter Deum abnegauerunt ſuas proprias voluntates, non debere acceptare legata hoc modo relicta, niſi conditio in ipſis appoſita omnino tollatur, ita vt apud eorum Prælatos libera maneat adminiſtratio: Et confirmat hoc exemplo cuiuſdam *Arſenij* nobilis Monachi in Ægypto commorantis; cùm enim ipſi quoddam teſtamentum fuiſſet delatum, in quo illi quoddam legatum relinquebatur, noluit teſtamentum videre dicens, priùs ipſum, quàm teſtatorem è vita diſceſſiſſe, & per conſequens tale legatum ipſi relinquere minimè potuiſſe. Hæc ille. Rodriq.

Deinde hæc conditio admodum turpis foret, ſi Superior obligari debeat ad dandam licentiam continuò vtendi dicto legato per Religioſum iſtum ſub periculo nullitatis & ceſſationis legati ipſo facto; ita vt in alios vſus dictum legatum applicari non poſſit, hæc enim eſt ſpecies proprietatis, & vix intelligi poteſt, quomodo ille vſus dependeat à voluntate Superioris, qui cum tenetur huic perſonæ concedere ſub tali periculo, atque ita arctatur ad conſentiendum dicto vſui. Sed hoc intelligendum eſt, modò aliunde conſuleretur neceſſitati Religioſi, ſeu Monialis, iuxta moderationem, quam ſtatus religioſus permittit.

Maximè facit ad hoc decretum Clementis VIII. editum 25. Iulii 1599. confirmatum per Vrbanum VIII. 26. Octobris 1624. cuius decreti hic tenor eſt.

Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto *cuſto-*

Digitized by Google

cuſtodiendo fideliùs obſeruentur; Præcipitur, vt nullus ex Fratribus etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, cenſus, eleemoſynas, ſiue ex concionibus, ſiue ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quam vbicumque celebrandis, aliove ipſorum iuſto labore & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere poſſit, ſed ea omnia Superiori tradantur, & conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

Ex quibus non apparet ipſum legatum ſola negatione licentiæ Superioris illo vtendi, ipſo facto redire ad extraneum ſubſtitutum, & expirare abſque alia vlla iuris ſolemnitate, propter ius acquiſitum Monaſterio ratione dominii, & proprietatis dicti legati per illam incorporationem; vnde Monaſterium ſubleuatur, iuuatur & exoneratur fitque locupletius, quo iure priuari non poteſt ad libitum ſubſtituti eo grauati, per negationem dictæ licentiæ.

Concludendum eſt ergo cum eodem Rodriquez *cit. quæſt.* 125. *art.* 6. Prælatum poſſe ad libitum etiam inuito ſubdito, diſponere de tali legato in vtilitatem Conuentus, & ſolùm teneri ipſi Religioſo in neceſſarijs ſubuenire ſicut aliis ſubditis, iuxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regular.* nam relicta Monacho poſſidenti in communi, ſtatim Monaſterio acquiruntur, contra quod ius teſtator nihil valuit diſponere: quia adiectio pœnæ actui interdicto, eſt ipſo iure nulla.

Quod ſi legatum fuit relictum Fratri Minori de danda certa quantitate pecuniæ, cùm eius ordo incapax ſit dominij talis rei, expendi debet iuxta dantis voluntatem in neceſſitates præſentes, vel imminentes ipſius Religioſi, quibus ſatisfactis, vel ceſſantibus, reſiduum poterit à Prælato conuerti in vtilitatem Conuentus. Si verò res legata eſt talis ſpeciei, quòd illa poſſit licitè vti Conuentus, cùm eius dominium ſtatim tranſeat in ſedem Apoſtolicam. Prælatus tanquam adminiſtrator rerum pertinentium ad eandem ſedem, poterit de ea diſponere, nec fratri legatario quidquam dare tenebitur, ſed tantum neceſſaria, ſicut aliis ſubditis ei ſubminiſtrare. Ita Rodriquez, & ego contra quoſdam alios aliter opinantes. Saluo &c.

20. *Pœna* iure Canonico decretæ Religioſo proprietario, ſeu proprium retinenti ſunt tres: *Prima*, Religioſus proprium habens tempore mortis inuentus, nec illud abiecerat, in loco ſacro ſepeliri non poteſt, ſed in ſterquilinio cum pecunia per eum poſſeſſa, & ſi in loco ſacro ſepultus fuerit, eſt extrahendus, ſi abſque magno ſcandalo id fieri poteſt, *cap. Monachi, de ſtatu Monachorum*. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 11. *Secunda* pœna eſt, vt Monachus habens proprium à Monaſterio expellatur: ſed hodie huic pœnæ locus non eſt, ſed vt ad pœnitentiam agendam in carcerem detrudatur intra Monaſterii ſepta, ne vagandi occaſio præbeatur, *cap. cum ad monaſterium, de ſtatu Monach.* Sanchez *cit. num.* 12. *Tertia* pœna eſt, vt ſi Religioſus proprium habens deprehenſus fuerit, aut conuictus, priuatus ſit biennio voce actiua & paſſiua, atque iuxta ſui Ordinis conſtitutiones puniendus, Concil. Tridẽt. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de regularib.* Layman *cit. cap.* 7. *num.* 22. Fauſtus *in theſaur. Relig. lib.* 8. *quæſt.* 198. hæc pœna non incurritur ante ſententiam Iudicis, nec à dantibus aliquid abſque Superioris licentia, quamuis hi peccent in paupertatis votum, ſed à retinentibus. Hinc Religioſus ex eo quia dedit, vel expendit aliquid abſque Superioris licentia, non poteſt dici quòd moriatur proprietarius, ad effectum vt prædictas pœnas incurrat. Quia textus citati clarè de poſſidentibus proprium loquuntur: vnde etiam Religioſus, qui moritur cum parua quantitate pecuniæ, non poteſt dici quòd moriatur proprietarius, vt denegetur ei ſepultura Eccleſiaſtica, vt colligitur ex iure illi ſolum debent priuari ſepultura, qui cognoſcuntur euidenter mori in peccato mortali, vt cum Nauar. reſoluitur Rodriquez 1. *par. Sum. latin. cap.* 149. *num.* 1.

Circa caput ſecundum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de regularibus*, fuerunt propoſita quædam dubia Sacræ Congregationi Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Interpretum, quæ ita reſoluta ſunt. *Primò*, quæſitum fuit, an ex diſpenſatione inferiorum Summo Pontifice liceat Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos reditus, aliaque bona immobilia videlicet, & mobilia ſuperflua, non obſtante decreto Concilii Tridentini *ſeſſ* 25. *de regular. cap.* 2.

Secundò, an propter talem diſpenſationem, ſeu ſcientiam Superiorum poſſidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia ſuperflua, à culpa, vel à pœna excuſentur?

Tertiò, an Superioribus aſſeuerantibus huiuſmodi ſe licentias poſſe concedere, fides adhibenda ſit?

Quartò, an Superiorum arbitrio, & præfinitioni ſtare debeant Regulares, quoad mobilium ſuperfluitatem, & conuenientiam?

Quintò, an Superiore quantumuis requiſita neceſſaria ſuis Regularibus negante, vel ſubtrahente, liceat ipſis clam, vel inuito eo illa ſibi comparare, ſeu retinere?

Sextò, & quatenus liceat: an itidem cùm neceſſaria ideò negantur, vel ſubtrahuntur, quia Monaſterii facultates non ſuppetunt?

Septimò, an dicti Superiores Regulares dictum caput ſecundum declarare, & interpretari poſſint?

Ad primum Congregatio Concilii reſpondet, non licere.

Ad ſecundum, non excuſari neque à culpa, neque à pœna ipſo facto incurrenda.

Ad tertium, minimè adhibendum.

Ad quartum, niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit, vtique ſtare debere, habita videlicet ratione perſonæ, officii, & Regulæ, ſtatuſque paupertatis, quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad quintum, non licere.

Ad ſextum licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad indiuidui ſuſtentationem, cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, vſque adeò, vt ſi quid priuatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primùm ſuccurrat eius neceſſitati, cuius intuitu illud obuenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate vltra communem premaatur, reliquum Conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.

Ad ſeptimum & vltimum, non poſſe.

Hieronymus Card. Matthæus.

Plura apud Sanchez de paupertate Religioſorum, *toto libro ſeptimo operis moralis*. Et apud Dianam *tract. de paupertate religioſa*. Fauſtum *in theſaur. lib.* 8.

De paupertate, vide tom. 1. verb. Dominium 1. num. 8. 9. & 10. Fideiuſſio num. 7. & hoc tomo verb. Religio 4. num. 12.

SVPPLEMENTVM.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis religioſæ quatuor ſunt gradus: & an paupertas per abdicationem proprietatis ſemper fuerit in Eccleſia vſitata?* Refertur duplex ſententia.

2 *An certum ſit de fide laudabile eſſe illorum Religioſorum inſtitutum, qui paupertatem tam in particulari, quàm in communi profitentur.*

3 *Quænam paupertas ſit omnium præſtantiſſima inter eas quæ a Religioſis communitatibus obſeruatur?*

Digitized by Google

Refertur duplex ſententia.

4 *Paupertas alia dicitur profeſſionis, alia paupertas vſus, & alia paupertas effectus, ſeu voluntatis.*

5 *An Religioſus poſt ſolemnem paupertatis profeſſionem poſſit habere proprium? & quid nomine proprij intelligatur?*

6 *Quo iure votum paupertatis facit Religioſum incapacem dominij retinendi, vel in poſterum acquirendi?* refertur duplex ſententia.

7 *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, ita vt Religioſus poſſit habere proprium?* refertur duplex ſententia.

An Religioſus factus Epiſcopus à voto paupertatis ſit abſolutus? Remiſſiuè.

8 *An Religioſi poſſint ex eleemoſynis emendicatis viuere, & quando non?*

9 *An Prælatus poſſit pro ſuo arbitrio bona Monaſterij in quos voluerit vſus expendere?*

10 *An licita ſit conſuetudo Religionum, in quibus ex Superiorum licentia certi annui reditus Religioſis conceduntur pro victu, & veſtitu?*

An Monialis, cui externus centum aureos ad ſuum libitum expendendos, conceſſit, poſſit ex Superioris licentia ſæculari eos tradere, vt cenſum ſibi vitalitium ſoluat?

11 *An Religioſus beneficiatus ſit Dominus fructuum ſui beneficij, & donationes illius in vſus prophanos ſint validæ?* refertur duplex ſententia.

12 *An Religioſus peccet mortaliter, ſi mutuò det, vel commodet res ad ſuum vſum deſtinatas ſine licentia Superioris?*

13 *Ex quibus excuſetur Religioſus à mortali peccato proprietatis.*

An Religioſus iter agens ex licentia Superioris, poſſit ex pecunijs ſibi pro viatico conceſſis aliquid dare, parcius viuendo?

14 *An Religioſus peccet mortaliter dicendo aliquid eſſe ſuum?*

15 *An ſit dicendus proprietarius Religioſus, qui contra ſuas conſtitutiones recipit iuſtum ſtipendium pro Miſſis, Prædicationibus, Confeſſionibus, &c.* refertur duplex ſententia. *Et an teneatur reſtituere?*

16 *An peccet contra paupertatis votum Religioſus, qui ſine licentia Superioris promittit Miſſas alicui, vt pecunia pro illis detur ſuo conſanguineo pauperi, vel alteri indigenti?*

17 *An Prælatus regularis poſſit concedere ſuo Religioſo profeſſo peculium ad quoſcumque vſus indeterminatè?*

Quæ ſint cauſæ, vt Superior poſſit licitè concedere ſuis ſubditis peculium.

18 *An licentia habendi peculium ab vno Superiore conceſſa, ſit ſemper à Superioribus ſucceſſoribus renouanda?* refertur duplex ſententia.

1 PAupertatis religioſæ quatuor ſunt gradus. *Primus* eſt eius Religioſi, qui nec licitè, nec validè habere poteſt dominium alicuius rei, neque illa tanquam propria vti; quem gradum paupertatis, nunc ſeruant omnes, qui emittunt votum ſolemne paupertatis. *Secundus* gradus erit eius, qui non poſſit licitè habere proprium dominium alicuius rei, neque etiam vlla re tanquam propria vti, quamuis non ſit incapax dominii, qualis eſſet paupertas per votum omninò abſolutum & integrum paupertatis, ſi non eſſet per Eccleſiam ſolemnizatum. *Tertius* gradus eſt, ſi quis, nec ſit incapax dominii, nec ex voto teneatur ſtatim illo priuari, ſed ſolum nulla re, vt propria vti: qui gradus paupertatis inuenitur in Religioſis ſcholaribus approbatis Societatis Ieſu. *Quartus* gradus erit, ſi quis ex voto non obligetur ad carentiam dominii, vel omnis vſus rei, vt propriæ; ſed ſolum ad non habendum, nec quærendum temporalia bona vltra certam menſuram ſufficientem ad ſuſtentationem vitæ, iuxta aliquem honeſtum, vel perfectum finem ſibi præſcriptum; hoc enim votum & honeſtum & poſſibile eſſe per ſe notum videtur. Probabile eſt ſtatum religioſum aliquando fuiſſe cum ſola paupertate quarti generis, atque adeò illam eſſe ſufficientem ad ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtituendum; quod probari poteſt ex Religioſis antiquis, vitam omninò ſolitariam agentibus; vel ita priuatam, vt non eſſent partes alicuius communitatis, nam in illis non videtur habere potuiſſe locum alius modus paupertatis. Nihilominus probabilius eſt ſemper fuiſſe in Eccleſia vſitatum, vt in ſtatu perfectionis paupertas eſſet per abdicationem proprietatis, ſaltem quantum ad vſum, atque id eſt moraliter neceſſarium ad proprium ſtatum perfectionis. Ratio eſt, quia paupertas excludens aliquam propriationem omnium bonorum temporalium eſt magis conſentanea conſiliis Chriſti, *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet*, & exemplis Apoſtolicis, *Ecce nos reliquimus omnia*: & conſuetudini primitiuæ Eccleſiæ, quando erant illis omnia communia. Tum quia iuxta D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 188. *artic.* 7. paupertas non ſolùm eſt neceſſaria ad perfectionem propter minuendam ſolicitudinem & affectionem ad bona temporalia, ſed etiam propter perficiendam illam, ſi quæ fuerit neceſſaria, id eſt, vt non ex amore priuato, ac temporali, ſed ex charitate adhibeatur; ſed ad hunc finem maximè confert paupertas, quæ proprietatem aliquo modo excludat; nam quamdiu res poſſidetur, & tractatur vt propria, etiam amatur vt propria, & conſequenter fit, vt amor non ſit adeo moderatus & independens, ſicut in viro perfecto, vel tendente ad perfectionem eſſe debet. D. Th.

Paupertas tamen quæ reddit Religioſum incapacem dominii non fuit à principio vſitata in Eccleſia in aliquo ſtatu religioſo, ſed poſtea iuſtis de cauſis introducta eſt vniuerſaliter à temporibus Iuſtiniani Imperatoris, vt conſtat ex Authenticis eiuſdem Iuſtiniani in collat. 9. tit. 15. de Sanctiſſimis Epiſcopis, cap. 38. *Si quæ mulier*, & collat. 1. tit. 5. de Monachis, cap. 6. quod incipit, *Illud quoque*, ex quibus ſumptæ ſunt, *lex ſi quæ mulier*, & *lex ſi ingreſſi*, *Cod. de Sacroſanctis Eccleſijs*, vbi decernit per profeſſionem Monachi omnes res eius fieri Monaſterii, etiamſi expreſsè non donentur. Conſtat etiam ex *cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 2. de regular.* & iuxta hoc ius intelligendi ſunt iuris interpretes, quoties dicunt votum paupertatis neceſſarium ad profeſſionem, vel ad ſtatum Religionis, excludere & proprium & capacitatem proprii, vt videre eſt in Hoſtienſi, Innocentio, Panormitano, & aliis in *dict. cap. Cum ad Monaſterium*. Nauarru *Comment. 1. de regular. num. 15. verſ. Decimum octauum*, & *num. 18. verſ. Vigeſimum tertium*. Vbi etiam hoc votum requirit, ad conſtituendum ſtatum religioſum, loquitur tamen iuxta commune ius, non ſecundum intrinſecam neceſſitatem ſtatus religioſi, vt pluribus probat Suarez *de relig. tom. 3. lib. 8. cap. 7. aſſert. vltima*. Concil. Trid. Nauar. Suarez.

2. Quidam hæretici dixerunt non eſſe licitum profiteri Religionem, quæ paupertatem in communi profiteatur. Intentio illorum hæreticorum præcipua erat damnare illam paupertatem voluntariam, quæ vſque ad mendicitatem deſcendit, ſeu in qua vult quis ſuſtentari ex alienis bonis, relictis propriis, & ſine vllo labore proprio. Hunc errorem ſequuti ſunt Ioannes Vvicleſ, & poſtea Lutherus, Caluinus, & eorum ſequaces, vt refert Bellarminus *lib. 2. de Monachis, cap. 45.* Bellarm.

Nihilominus certum eſt de fide, laudabile eſſe illorum Religioſorum inſtitutum, qui paupertatem tam in particulari, quàm in communi profitentes quoad carentiam poſſeſſionum, ac certorum redituum, non ex ſolis eleemoſynis, ſed ex proprio labore manuum aluntur. Probari poteſt hoc ex multis Scripturæ locis, in quibus Diuus Paulus ſæpè profitetur ſe manibus ſuis laboraſſe ad ſe ſuſtentandum; nam Actorum 20. ait, *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Et prima ad Corinthios nono, dicit ſe potuiſſe ex

Euan-

Euangelio viuere, vt autem omnem offenſionem tolleret, noluiſſe, ſed proprijs manibus laborare.

Imo laudabile eſt religioſum inſtitutum, in quo paupertas etiam in communi, quoad carentiam redituum, & bonorum ſtabilium ſeruatur, & non ea labore manuum, ſed ex ſolis eleemoſynis, vel ſponte oblatis, vel etiam mendicando petitis viuitur. Et hæc veritas eſt etiam fide certa, quam Eccleſiaſtica traditio, Pontificũ auctoritas, & vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus ſatis probant. Nã traditio oſtendi poteſt exemplo Chriſti & Apoſtolorum; Chriſtus enim Dominus pauperem vitam profeſſus eſt, & ea eleemoſynis vixit iuxta illud Luc.8 *Mulieres multa miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Similiter & Apoſtoli ex eleemoſynis vixerunt, nam cùm Chriſtus eos ad prædicandum mitteret, dixit eis Matth. 10 *Noliſe poſſidere aurum, neque argentum, &c.* Et Lucæ 10. *Noli e portare ſacculum, neque peram; edentes & bibentes quæ apud illos ſunt; manducate quæ apponuntur vobis.* Et veriſimile eſt illos viuente Chriſto & poſt eius aſcenſionem mendicaſſe, quando per mundum peregrinabantur. Inſuper hoc genus paupertatis poſt Apoſtolos, profeſſi ſunt Apoſtolici viri, qui ipſos imitati ſunt, ſicut in munere Euan-
Euſeb. gelizandi, ita etiam in modo viuendi, vt refert Euſebius *lib.3. hiſtor. cap.31.*

Ad veritatem hanc de fide confirmandam, ſufficit, quod à Pontificibus & Concilijs Generalibus approbata ſit. Patet hoc ex Ioanne XXII. *in Extrauag. Quia quorumdam, de verbor. ſignificat.* vbi refert Honorium III. Gregorium IX. Innocentium IV. Alexandrum IV. & Nicolaum III. inſtitutionem B. P. Franciſci, atque adeo profeſſionem paupertatis eius confirmaſſe; quod idem poſtea multi Pontifices fecerunt: Concilium Lugdunenſe, vt refert Nicolaus III. *in cap. Exijt, de verbor ſignificat. in 6.* & Concilium Viennenſe ſub Clemente V. *in Clementina Exiui, de verb. ſignific.* Denique Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 3. de regular.* hanc etiam B. P. Franciſci paupertatem approbauit, imo integram ſeruari voluit, cùm præbendo alijs regionibus facultatem habendi bona in communi, etiamſi aliàs illis eſſet prohibitum, Religionem Fratrum Minorum de Obſeruantia, & Capucinorum S. Franciſci excepit.

Denique ad hoc probandum accedit vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, à tempore inſtitutionis huius vſque ad præſens, qui ſolus ad omnem certitudinem ſufficeret, tum quia Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis, tum etiam quia Spiritus Sanctus non permitteret, tã vniuerſalem, tamque diuturnum errorem in Eccleſia circa rem adeo grauem, & ad bonos mores fidelium per-
Suar. tinentem. De quibus latè Suarez *loco cit. cap.8.*

3. Controuertitur inter Theologos, quænam paupertas, inter eas, quæ religioſis communitatibus obſeruatur, ſit omnium præſtantiſſima; Priuſquam ad quæſitum reſpondeamus, diſtinguendi ſunt tres fines Religionum. Quædam enim ſunt principaliter actiuæ, circa opera corporalia, vt hoſpitalitatis, militiæ, &c. Aliæ verò ſunt Religiones, quæ ad vitam tantùm contemplatiuam ordinantur. Aliæ denique ſunt Religiones, quæ non ſolùm ad contemplandum, ſed etiam ad contemplata alijs tra-
D. Tho. dendum inſtitutæ ſunt. His poſitis, docet D. Thomas 2.2. *quæſt. 188. art. 7.* paupertatem illam ſimpliciter eſſe præferendam, quæ fuerit magis accommodata fini Religionis; nam cùm paupertas non propter ſe ſpectetur, ſed præcisè vt medium ad finem perfectionis, non ſemper illa paupertas eſt melior, quæ eſt maior, ſed quæ eſt magis proportionata ad finem, nam in hoc conſiſtit perfectio eius. Quare in Religionibus, quæ vacant principaliter vitæ actiuæ, ait melius eſſe habere in communi bona etiam copioſa, quia ad illum finem neceſſaria ſunt. In Religionibus vero quæ ordinantur ad vitam contemplatiuam tantùm, conueniens eſſe habere poſſeſſiones in communi moderatas, quia illo modo ſufficienter tollitur ſolicitudo temporalium rerum, quatenus ad illum finem neceſſarium eſt. Denique, in religionibus, quæ non ſolum ad contemplandum, ſed etiam ad contemplata aliis tradendum ſunt inſtitutæ, paupertatem, tam in particulari, quam in communi eſſe præferendam: quia ille ſtatus indiget minima ſolicitudine temporali; hoc autem paupertatis genus minimam ſolicitudinem relinquit; omnino enim illam auferre huius vitæ ſtatus non permittit.

Secunda opinio eſt, illorum, qui cenſent eſſe melius ſecundum genus paupertatis, hoc eſt, ſecundùm præſentem ſtatum conuenientiùs eſſe habere poſſeſſiones in communi, etiam his Religionibus, quæ ad contemplandum, & ad contemplata alijs cõmunicanda ordinantur. Ratio illorũ eſt, quia hac tempeſtate frigeſcente in hominibus charitate, & Religionibus, quæ paupertatem voluntariam ſectantur, multiplicatis, non poſſunt religioſi ab aliis ſuſtentationem vitæ acquirere, niſi cum magna ſolicitudine & mentis diſtractione, qua à ſpiritualium contemplatione eos retrahi neceſſe eſt; idcirco conuenientius eſt, vt habeant in communi, vnde vitæ neceſſaria habere poſſint, quàm vt mendicitati dent operam. Hanc opinionem ſuſtinent Ferrarienſis 3. *contra gentes* Ferrar.
cap.133. Sotus *de iuſtit. & iur. lib.3. quæſt.5. art.3. concl.3.* Sotus.
Viguerius *in Summ. cap.17. §. 1. verſ 16.* & alii. Vigu. r.

Tertia opinio probabilior aſſerit perfectiorem eſſe paupertatem tam in particulari, quàm in communi, quo ad ſtabiles reditus vel poſſeſſiones, per ſe loquendo, & ex
vi ſtatus. Probatur, quia Nicolao III. *in cap. Exijt qui ſeminat, de verb. ſignific. in 6.* apertè docet ſanctiorem & Nicol 3.
fructuoſiorem eſſe paupertatem, qua nos rerũ dominio etiam in commune abdicamus: & Chriſtum Dominum vtriuſque paupertatis exemplum reliquiſſe, vt perfectos, & imperfectos verbo, & facto doceret. Ait enim Pontifex: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali, quam etiam in communi propter Deum, meritoria eſt, & ſancta: quam & Chriſtus viã perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit; quamque primi fundatores militantis Eccleſia, prout ab ipſo fonte hauſerant volentes perfectè viuere, per doctrinæ ac vitæ ipſorũ alueos in eos deriuarunt. Nec his quiſquam patet obſiſtere, quod interdum dicitur, Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cuius perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret. Sic infirmorum perſonam Chriſtus accepit in loculis, ſic in nonnullis alijs infirma humana carnis aſſumens (prout Euangelica teſtatur hiſtoria) non tantum carne, ſed & mente condeſcendit infirmis. Sic enim humanã naturam aſſumpſit, quod in ſuis operibus perfectus exiſtens, in noſtris factus humilis, in proprijs permanſit excelſus. Sic & ſumma charitatis dignatione ad actus quoſdam noſtræ imperfectioni cõformes inducitur, quod à ſumma perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Chriſtus & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, ſicut interdum & in fuga patet & loculis: ſed vtrumque perfectè perfectus exiſtens, vt perfectis & imperfectis ſe viam ſalutis oſtenderet, qui vtroſque ſaluare venerat, qui tandem mori voluit pro vtriſque.* Hæc ibi Pontifex. Conſtat apertè Chriſtum loculos habuiſſe, vt imperfectorum perſonam ſuſtineret; & nihilominus alia perfectionis opera præſtitiſſe. Nam aliquando nihil eum priuatim, neque communiter habuiſſe Sacra Euangelia teſtantur. Nam Matth.8. clarè dicitur: *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Certè negari non poteſt, quin paupertas ſit maior, ſeuerior & arctior, qua nihil communiter, aut priuatim habetur, quam ea, quæ rerum dominium priuatim reſpuit & abiicit, non communiter; quia hic modus viuendi de ſe liberior eſt à cura, & ſolicitudine temporalium rerum. Hanc opinionem ſuſtinent D. Thomas *in opuſc. 17. & ſeq.* D. D. Tho.
Bonauentura *tom. 1. opuſculorum, opuſc. 17. de Chriſti* D Bona.
paupertate, §. Quæritur de mendicatione, Suarez *de religione tom. 3. lib. 8. cap. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 24.* Suar. Azor.
quæſt. 8. & lib. 12. cap. 24. quæſt. 12. Rodriquez *tom. 3. qq.* Rodriq.
regul. quæſt. 30. art. 1.

4. Paupertas religioſa triplicem gradum habet, vna dicitur paupertas profeſſionis. Secunda dicitur paupertas vſus; & tertia paupertas effectus, ſiue voluntatis. Paupertas profeſſionis eſt illa mediante qua nihil poſſidetur à religioſis realiter in effectu, quamuis quandoque teneant affectũ ad res temporales, quæ quidem paupertas eſt nimis imperfecta, et non gaudet nomine veræ paupertatis

tatis ſpiritus, ſed tantummodo eſt quædam paupertas externa non tamen interna, quæ grata eſt Deo, quare illi religioſi, qui poſt profeſſionem factam, & renunciationem rerum temporalium, habent affectum ad illa, non poſſunt dici pauperes ſpiritu, quorum eſt regnum cœlorum; nam Deus magis reſpicit affectum, quam effectum ſine affectu.

Secunda paupertas dicitur vſus, qualis eſt illorum, qui non ſolùm nolunt aliquid poſſidere in hac vita, ſed etiam contenti ſunt de ſimplici vſu illarum rerum, quæ neceſſariæ ſunt pro ſuſtentatione vitæ, quantum ſufficit pro moderato victu & veſtitu, alijsque rebus neceſſariis pro moderato vſu. Si tamen huiuſmodi res appetant cum magna ſollicitudine & auiditate volentes vt nihil illis deſit, tales pauperes ſunt valde imperfecti: quia licet religioſis concedatur vſus rerum pro eorum ſuſtentatione, non tamen debent habere affectum inordinatum ad illas, ne meritum paupertatis amittant.

Tertia paupertas appellatur affectionis, & talis eſt vera paupertas ſpiritus, quam debent habere religioſi, vt talis virtus ſit grata Deo & meritoria mediante qua religioſus non ſolum renunciat bonis temporalibus in effectu, ſed etiam in affectu, & tantummodo vtitur illis pro ſimplici neceſſitate naturæ quantum ſufficit, & tales ſunt veri pauperes ſpiritu, de quibus dicitur in Euangelio: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum*. Ita docent *D. Bonau. Piſan. Serena Conſcientia, A Polutio*, & alii expoſitores regulæ S. P. Franciſci, quibus ſubſcribit Alphonſus Rodriquez *lib. 3. de perfect relig tract. 2. cap. 16. de voto paupertatis*, alii communiter Theologi qui de illa ſcripſerunt.

5. Nullus religioſus poſt ſolemnem paupertatis profeſſionem poteſt habere proprium, vt patet *ex cap. cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* vbi ſic habetur, *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis regularis proprium aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti reſignet*. Et poſtea ſubiungit
Innoc. 3. Pontifex Innoc. III. *Nec exiſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſsit cum aliquo Monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt adnexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſsit licentiam indulgere*.
Cõc. Tr. Hoc idem definitur in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 2. de regul.* vbi ſic habetur: *Nemini regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus, poſsidere vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, conuentuique incorporentur*.

Obſeruandum hic eſt, quod proprii appellatione, non ſolùm intelligatur dominium & proprietas rei, ſed etiam vſus, & vſusfructus, poſſeſſio & adminiſtratio, prout ſunt iuris, non facti.

Dominium autem ſeu proprietas eſt ius perpetuò diſponendi de re in ſuum commodum, niſi lege prohibeatur.

Vſus eſt ius vtendi re aliena, ſalua eius ſubſtantia.

Vſusfructus eſt ius vtendi, ac fruendi aliena, ſalua tamen eiuſdem rei ſubſtantia.

Poſſeſſio eſt ius inſiſtendi rei corporali, à qua poſſidenda non prohibemur.

Adminiſtratio eſt ius, quo quis apud iudices poteſt agere & conuenire alium de re aliqua, & de ea extra iudicium ſtatuere: ita vt ſit libera, & legitima poteſtas, ſiue facultas agendi.

Religioſus igitur, iuxta ſacros Canones, caret omni bonorum temporalium dominio, proprietate, vſu, vſufructu, vel poſſeſſione, quæ omnia ſunt iuris. Ratio eſt, quia per votum ſolemne paupertatis, omnibus his iam quæſitis & quærendis, imo & capacitati quærendi, vel habendi renunciauit, vt tradunt communiter Theologi, & Canoniſtæ
D. Tho. D. Thomas 2. 2. *quæſt. 186. art. 3. & 6.*
Nauarr. Nauarrus *Commentar. 2. de regular. num. 15.*
Truſlen. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 9. num. 1. & 2.*
Molina. Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 687.*
Bonac. Bonacina *de reſtit. diſp. 2. q. 10. punct. 3. num. 2.*
Geſual. Geſualdus *par. 3. tract. 25. cap. 3. num. 15.* & alii.

6. Dubium eſt inter Doctores, quo iure votum paupertatis faciat religioſum incapacem dominij retinendi, vel in poſterum acquirendi? Multi affirmant ſolemne votum paupertatis, vi ac natura ſua hanc inhabilitatem inducere. Alii cenſent eiuſmodi votum non vi ſua, nec iure Canonico, ſed diuino vim habere faciendi religioſum incapacem dominii. Rectius tamen docent, qui dicunt ſola Eccleſiæ Conſtitutione religioſum eſſe inhabilem ad dominium retinendum, vel in poſterum acquirendum. Probatur, nam in *cap. quod votum, de voto & voti redempt. in 6.* generatim dicitur, ſolemnitatem eſſe ſola Eccleſiæ conſtitutione. Vnde ſicut Eccleſiæ decreto religioſus profeſſus eſt inhabilis ad matrimonium contrahendum, ſic etiam eiuſdem Eccleſiæ decreto eſt incapax dominii acquirendi. Hæc opinio cum ipſo iure ciuili, auctoritate Canonis comprobato magis conuenire videtur. *Authent. de ſanctiſſ. Epiſcopis, collat. 9. §. Si qua mulier*, & docent Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 6. q. 4.* Azorius.
Nauarrus *comment. 2. de regul. num. 51.* Nauarr.
Couarruuias *de teſtamen. cap. 2. num. 5.* Couar.
Vaſquez 1. 2. *diſp. 65. cap. 6.* Vaſq.
Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 8. num. 71.* Leſſius.
Garzias *de benefic. 7. part. cap. 10. num. 64.* & alii. Garzias.

Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia traditionem ſui in ius Ordinis, decretum Eccleſiæ profeſſioni annexum, non ſolum confirmat, ita vt religioſus non poſſit veluti manumitti, aut emancipari ſicut ſeruus, vel filius, aut ſui iuris effici; ſed etiam illum directè incapacem dominii acquirendi facit, ſicut eiuſdem Eccleſiæ decretum reddit profitentem inhabilem ad matrimonium. Non enim apparet ratio, qua quis ſeipſum ſua auctoritate inhabilem & incapacem facere poſſit, nam quantumuis quis promittat, voueat aut iuret, ſe numquam matrimonium cum hac, vel illa contracturum, aut rem aliquam comparaturum, non ideo efficitur inhabilis, ita vt ſi contrafaciat, ſit irritum. Idem dicendum de dominii abdicatione: debet igitur hæc res ex lege & poteſtate Superioris prouenire, ſicut irregularitas & inhabilitas ad beneficia, vel officia, quam nemo ſine Eccleſiæ conſtitutione ſibi irrogare poteſt. Proinde hanc ſententiam ſuſtinet etiam Suarez *de relig. tom. 3. lib. 2. cap. 12. num. 11.* Suarez.

7. Nonnulli arbitrantur Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, ita vt religioſus poſſit habere propriũ, ſicut cæteri ſæculares. Ratio illorum eſt, quia votum paupertatis ſtatui religioſo eſt eſſentialiter annexum, vel potius innexum & intrinſecè incluſum. Tum quia *in cap. Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* habetur, quod *abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ Monachali, vt contra eam neque etiam Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Hanc ſententiam docent D. Thomas *2. 2. quæſt. 88. art. 11.* D. Tho.
Sylvius, Sylu.
Arragon *ibidem*. Arrag.
Syluester *verb. Votum 4. quæſt. 5.* & multi alii ex Thomiſtis, probabiliter. Syluest.

At verior eſt ſententia poſſe Pontificem diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, quando occurrit iuſta cauſa diſpenſandi. Probatur, quia Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, vt ferè omnes fatentur, ergo etiam poterit diſpenſare in voto ſolemni paupertatis: quia cùm vtrumque ſit ſolemne, non eſt maior ratio de vno quàm de alio. Tum quia Summus Pontifex poteſt relaxare votum ſimplex paupertatis perpetuæ, vt omnes Doctores affirmant, ergo & ſolemne: quia ſolemnitas voti ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt introducta, vt expreſsè habetur *in cap. Quod votum, de voto & voti redempt. in 6.* Si ſolemnitas eſt ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, ergo poteſt ipſe in ea diſpenſare, quia poteſt relaxare ſuam Conſtitutionem. Dixi, *quando occurrit iuſta cauſa diſpenſandi*, quia Nauarrus *comment. 2. de regular. num. 17.* Nauarr.
putat non poſſe iuſtam cauſam ſubeſſe, vt diſpenſatio in voto paupertatis ſolemnis detur: nam ſufficit vt concedatur plena adminiſtratio abſque dominio, quæ tamen ſit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim eſt ſufficiens ad omnes actus neceſſarios, vt ad donandum, ad acquirendum, ad contrahendum, ad condendum teſtamentum.

Sed verius eſt, poſſe iuſtam cauſam ſubeſſe; vt ſi diſpenſetur vt Monachus fiat Rex, vel Princeps ſæcularis

& du-

Digitized by Google

& ducat vxorem: tunc enim eſt ſufficiens cauſa vt votum paupertatis ei omnino relaxetur. Ratio eſt, quia eſto per adminiſtrationem liberam poſſit ſatisfieri aliquo modo illi neceſſitati, non tamen ſine magno grauamine, & Regis, & Regni illius, quia vix poſſet aliquis ſine ſcrupulo donare, & neceſſario infinitis dubiis inuolueretur: quia ſemper penderet Rex à Papa in illa facultate adminiſtrandi bona Regni, quamdiu enim habet votum paupertatis, facultas adminiſtrandi à Superioris voluntate pendet: ergo ad tollenda hæc onera eſſet prudens diſpenſatio. Tum quia in eis caſibus, in quibus de facto legitur Papam diſpenſaſſe in matrimonio religioſi, aut monialis ſignificatur ſemper diſpenſaſſe in omnibus votis: quia reuera ipſa translatio à ſtatuto religioſo ad ſæcularem, eſt ſufficiens ratio diſpenſandi in votis, quæ ſolùm facta erant, vt annexa ſtatui regulari. Ita Scotus, *in 4. diſt.30.quaſt.3.* Caietanus, 2.2. *quaſt.88. art.* 11. Couarruuias, *de teſtament. cap.2. num.*10. Sanchez, *lib 5. moral. cap.2.num.9.* Leſſius, *lib.2. cap.40. dub.14. num.*112. Suarez, *de relig.tom.3.lib.8.cap.18.num.*15. Azorius, *tomo primo,lib.12.cap.7.quaſt.2.* Vaſquez, 1.2. *diſp.165.c.9. n.*104. & alij.

Scotus. Caietan. Couarr. Sanchez Leſſius. Suarez. Azorius. Vaſquez.

Ad rationem autem contrariæ ſententiæ poſſet reſpōderi, verum eſſe, quod votum paupertatis ſit eſſentiale Religioni, nec ab ea poſſit ſeparari; poteſt tamen efficere Summus Pontifex ex rationabili cauſa, vt qui antea erat religioſus, non ſit, & ſic habeat proprium, & vxorem ducat, & ex matrimonio filios procreet.

Ad *cap.cum ad Monaſterium, &c.* dico ex communi ſententia, Pontificem loquutum fuiſſe in ſenſu compoſito, manente ſcilicet integro, & immutato Monachali ſtatu quoad ea omnia, quæ illi ſecundum ſpecialem rationem ſuam ſubſtantialia ſunt. Proinde ſenſus textus, *Quia abdicatio proprietatis, &c.* eſt. Monachum, quamdiu talis eſt, voto paupertatis teneri, nec fieri poſſe, vt exiſtente Monachatu, non ſit voti ita paupertate aſtrictus quia implicat contradictionem, quod quis teneatur voto ſolemni integro paupertatis, & quod fiat Dominus alicuius rei. Opinio autem poſterior, & uerior contendit auctoritate Pontificia ex monacho poſſe fieri non mochum, & ſic exemptum à religione, vxorem ducere, & proprium habere.

An autem religioſus Epiſcopus creatus, eo ipſo è voto paupertatis ſit abſolutus, dicemus *infra verb. Religio* 1.*n.* 8. & tom.1.v.Cardinalis.*num* 9.

8. Sanctè, & laudabiliter religioſi ex eleemoſynis emendicatis viuunt, vt eſt definitum in Concilio Conſtātienſi ſeſs.8. & in Bulla Martini Quinti, & à Leone Decimo contra articulos Lutheri, & à Nicolao Tertio, *cap. Exijt, qui ſeminat, de verbor. ſignificat. in* 6. vbi aſſerit mēdicitatem Apoſtolorum exemplo confirmatā eſſe. Quod eruditè probant Caſtro *contra hæreſes, verb. mendicitas,* et Thomas Vvaldenſis, *lib.4. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 3. & 4.* Per accidens tamen quandoque eſt illicitus vſus eleemoſynarum Religioſis, nempe ſi ab actibus religioſos deſiſterent, vellentque ſua culpa in Religione otioſam vitam, ac inutilem tranſigere: quia eæ eleemoſynæ à fidelibus conferuntur, vt Religioſi liberiùs inſiſtant Religioſis actibus, et ſpe eorum bona opera participandi; at hoc fine, et ſpe defraudant prædicti Religioſi ſuos benefactores. Et ratio eſt, quia Religioſi eleemoſynas accipere debent animo benefactoribus gratificandi, faciendi illos bonorum ſuorum operum participes. Proinde cùm otioſam, et Religioſis actibus deſtitutam agunt, peccant eas vſurpando, et defraudando benefactores ea ſpe, et beneficio. Ita docent D.Thomas, 2. 2. *quaſt.187. art.4. in corp.* Syluius, *ibidem*, et Caietanus, *dub.2.* Valentia, 2.2. *diſp.10. quaſt.5. punct.3.* et alii.

Caſtro. Vvaldēſ.

D. Th. Syluius. Caietan. Valent. Caietan. Corduba

Sed petes quale ſit peccatum hoc in Religioſo? Reſpōdent Caietanus, *loco citato*, et Corduba *in reg. D. Franciſci, cap.6. quaſt.13.* in duplici caſu eſſe mortalem ingratitudinem. *Primò*, ſi religioſus ab eis actibus deſiſtat ex formali beneficii eleemoſynarum contemptu. *Secundò*, quando quis circa contemptum ab actibus Religioſis ſub culpa lethali obligantibus abſtinet. Prior caſus ab omnibus recipitur, quia tunc grauis eſt deformitas, & ingratitudinis mortalis peccatum committitur, vt teſtatur D. Thom, 2.2.q.107.*art.*3. cōmuniter receptus. De poſteriori autem iudicat Sanchez, *lib.7. moral. cap.24. num.9.* non eſſe ingratitudinem mortalem, ſed tantùm venialem, etiamſi Religioſos ille benefactorū ſemper immemor eſſet, ac in obſeruantiis regularibus ita negligens, vt vix vllam curaret, quia non datur ſpeciale gratitudinis præceptum ad ea ſub mortali obligans, ſed ſub ſolo veniali.

D. Th. Sanchez.

Hi tamen religioſi non tenentur reſtituere, quæ ex eleemoſynis in proprios vſus conſumunt: tum quia non peccant contra iuſtitiam: tum quia intentio conferentiū eleemoſynas non eſt ingratis nihil donare, vt docent auctores citati, Valentia, Caietanus, & alii.

9. Prælatus non poteſt pro ſuo arbitrio, & libera volūtate bona Monaſterii in quos voluerit vſus expendere. Ratio eſt, quia licet apud eum præcipua adminiſtratio proxima bonorum Monaſterii reperiatur, *ex cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*: tamen certum eſt illum non eſſe proprium dominium, ſed adminiſtratorem ſeu procuratorem, cuius curæ omnia illa commiſſa ſunt, vt conſtat *ex cap. Fraternitatem. de donat.* Ratio eſt, quia ipſe Prælatus etiam votum paupertatis emiſit, & ſic non eſt capax dominii: tum etiam, quia Monaſterium non tranſtulit in illum dominium bonorum, quod eſt penes ſe; ergo non poteſt, vt Dominus illa diſpenſare, ſed tenetur diſtribuere, in illos vſus in quos deſtinata ſunt. Imò nec abſolutè loquendo ſupremus adminiſtrator eſt, ſed iuxta regulam ſibi præſcriptam; nam iuxta varios Religionum ritus in grauioribus ſolus non poteſt diſponere, ſed vel cum conſenſu Conuentus, ſed independenter à Prouinciali, aut alio Superiore maiori, in his verò, quæ per ſe ſolum poteſt, prudentiæ, & charitati rationem habere debet. Quia verò Prælati regulariter non habent alium, per quem proximè reguntur, recurrere debent ſemper ad præſumptam voluntatem, vel maioris Prælati, vel ipſius Religionis, quia nunquam expendunt, vt domini, ſed vt miniſtri. Ex quo fit, vt in donationibus merè profanis, id eſt, non piis, neque vllo iuſto titulo debitis, & à fortiori turpibus, nunquam poteſt præſumi talis voluntate, idoque, & iniquæ ſunt, & inualidæ, argum. *cap. Fraternitatem, de donationibus*. In aliis vero, quæ habent rationabilem cauſam, particulares circumſtantiæ conſiderandæ ſunt, nempe conſuetudo, & rei quantitas, ad iudicandum an ſit licita donatio, vt habetur *cap Cæterum, de donationibus*, & docent Nauarrus, *comment.2. de regular. num.*21. *& comment.3. numer.*27. Sanchez, *lib 7. moral. cap.19. num.22.* Suarez, *de relig. tom.3. lib.8. cap.15. num.10. &* 11. Rodriquez, *tom.3. quaſtion. regular. quaſt.29. articul.*10. Peyrinus, *tom.1. de ſubdito, quaſt.2. cap.2. §.1. verſ. ex dictis colligitur*, & alii penes ipſos.

Nauarr. Sanchez. Suarez. Rodriq. Peyrin.

10. Licita eſt conſuetudo quarumdam Religionum, in quibus ex Superiorum licentia regularibus certi annui reditus taxantur pro victu, & veſtitu, ita vt ſi aliquid deeſt, ipſi quærant, & ſuperfluum piis, & honeſtis vſibus impendant dummodo Religioſi facultatis ſibi traditæ terminos non excedant, & reformationi à Superioribus legitimè faciendæ obtemperare ſint parati. Nec obſtat huic conſuetudini Concilium Tridentinum, *ſeſſ.25. c. 1. de regularib.* dum ſtatuit, vt omnes regulares ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant. At omnes regulæ omnium Religionum, etiam earum, quæ laxiſſimæ ſunt, præſcribunt, vt regulares viuant regulariter abſque proprio, non ſolùm quoad dominium, ſed etiam quoad vſum peculiarem, & omnia habeant communia; quia reſpondetur, eam conſuetudinem, & ſtatutum quamuis ſint ante Tridentinum introducta, non eſſe reproba iudicanda, quouſque per Superiores reformentur, & ad priſtinum regulæ obſeruantiam reducantur; quia vera illa Concilii, *vitam ſuam inſtituant, & componant*, ſignificant priùs eſſe vitam inſtituendam, & componendam, quam teneantur priuati religioſi obſeruare: tum quia vitam inſtituere, & componere, non ad ſingulos, ſed ad Prælatos, & capitula pertinet, & ideo ſinguli excuſarentur à peccato donec illa inſtitutio, & compoſitio fieret, nec per eos impediretur. Ita Nauarrus, *comment.3. de regular. num.* 26.27.31. & 36. Rodriquez, *tom.2. Summ. Latinæ, capit.33. concluſ.2.*

Nauarr. Rodriq.

Sanchez,

Digitized by Google

Sanchez. Graffiis. Sanchez, *lib.7.moral.cap.22.num.14.* Graffiis, *part.1.lib.3 cap.5 num.55.* & ab ipſis citati. Addunt autem præcitati Doctores, peccare Prælatos non reformantes ex negligentia, & magis ſubditos contrauenientes reformare volentibus, quia contraueniunt menti, et verbis Concilii. Legitima autem reformatio tunc eſset, quando Prælatus non vnum, aut alterum reformare vellet, ſed omnibus, et ſingulis religioſis opportunè præciperet, vt abſtineant à portionibus priuilegiatis percipiendis, et communiter ſine vllo proprio viuant: ſi enim ex abrupto præciperet, antequam inſtitueret officia, et inſtrumenta vitæ communi neceſsaria, non opportunè præciperet, et iuſtum, legitimumque reformandi modum excederent, et integrum eſset religioſis appellare adiecta excelsas modi debiti reformationis cauſa. Ideo Prælati tenentur reformare ſuas religiones zelo, et prudentia debita, conſiderantes, quod ſicut in itinere cœlorum non ambulamus volantes; ſed terreſtri itinere procedentes aduerſus carnem, et ſanguinem, ſic reformatio non poteſt fieri niſi paulatim; quia difficile eſt reducere religioſos ex ampliſſimo mari relaxationis in ſtrictum modum viuendi reformationis.

Sed quæres an Monialis, cui externus centum aureos ad ſuum libitum expendendos conceſſit, poſſit ex Superioris licentia ſæculari eos tradere, vt cenſum ſibi quotannis ſoluat, dum vixerit, atque ea defuncta centum illos aureos ſibi retineat? Respond. cum distinctione. Si enim conceſſi ſunt centum illi aurei, vt concedens noluerit dominium in Monaſterium transferri, ſed omnino cedere in Monialis vſum, et eadem monialis acceptantis mens fuerit, licitum eſt ex Superioris licentia eos tradere modo prædicto ſæculari illi, quia nullatenus ſunt monaſterii: Si autem ita dati ſunt, vt dominium in monaſterium tranſierit, nequit monaſterium abſque conſenſu Prouincialis, aut Generalis abſque Conuentus conſenſu id efficere. Ratio eſt, quia iam hæc ſumma tranſiit quoad dominium in monaſterium, vnde non poteſt alienari ſine eius conſenſu, ſi enim fieret contrarium, irrogaretur ei magna iniuria niſi ſæcularis ille de monaſterio bene meritus eſset, tunc enim cum donatio illa non gratioſa, ſed remuneratoria ſit, ac conſequenter in Monaſterii vtilitatem cedat, poterit ex Prouincialis licentia fieri, cùm ratio naturalis dictet, vt beneficium remuneretur. Sic docent Corduba, *in Summa, quæſt.54. dub. vltim.* Ludouicus Lopez *lib.2.de contract.cap.40.* Vega
Corduba Lopez Vegas Rodriq.
tom.2.Summ.cap.32.caſu 19. Rodriquez, *in quæſt.regular. tom.2.quæſt.47.artic.15.* & *tom.1.Summ.Latina, capit.90. num.8.& 9.* Quamuis hi duo vltimi Auctores dicant hodie attento Tridentino non licere Moniali iis reditibus frui, quia putant ius commune correctum eſſe per id decretum; at ſuſtinendo non eſſe correctum, dicendum eſt hodie id etiam licere, vt annotauimus ſupra *verb. Paupertas, num.10.lit.D.*

11. Cum religioſus per votum paupertatis, aut diſpoſitionem iuris non abdicet à ſe dominium rerum ſpiritualium, aut ius ad illas: hinc religioſus habet dominium
Nauarr. quaſi beneficii, & agit (ſecundum Nauarrum, *quæſt.1.de reditibus, monito 9.*) non Monaſterij, ſed ſuo nomine ad illud poſſidendum, retinendum, recuperandum, &c. & illud non Eccleſiæ, ſed ſibi acquirit, & idem dicendum de aliis aliquibus iuribus ſpiritualibus, etiamſi habeant coniuncta emolumenta temporalia. Quæ cùm ita ſint, communis ſententia tamen eſt talem regularem non eſſe dominum fructuum beneficii, ſed liberum adminiſtratorem. Ex quo oritur dubium, an donationes regularis beneficiarii in vſus prophanos ſint validæ? Reſpondeo probabile eſſe regularem dum adminiſtrat beneficium, validè expendere fructus illius in quoſcumque vſus, quia hoc eſt praxi conforme. Quia non videmus Epiſcopos, aut Pontificem quoad diſpoſitionem fructuū eſſe magis ſollicitos de regularibus, quam de ſæcularibus, nec reſcindere diſpoſitiones ab illis illicitè factas.
Vvading Ita Vvadingus, *tractat. de contractib. diſputatione ſecunda, dub.3.§.2.num.11.* Ex quo fit, quod etiam probabile ſit, accipientem ab illo non teneri reſtituere, ſicut nec tenetur reſtituere accipiens à religioſo eiecto, vel à religioſo Epiſcopo. Ratio eſt, quia commoditas tota, et vſus, & diſpoſitio illorum bonorum, interim dum viuit religioſus eiectus, perinde ad ipſum ſpectat, ac ſi religioſus non eſſet, neque habet iam tunc, cui in ea parte pareat, & cuius ductum, & voluntatem, in ea parte ſequi teneatur, ſed perinde quoad adminiſtrationem, acquiſitionem, & alienationem eorum bonorum ſe habet, ac ſi dominium illorum haberet, ac ſui iuris omninò eſſet: quod quidem vſus ita comprobat, nam Monaſterium nullam penitus curam habet de horum bonorum adminiſtratione. Ratio autem cur Epiſcopus regularis prodigè, & ſupervacaneè conſumens non teneatur reſtituere, nec ab eo accipiens, eſt, quia probabile eſt Epiſcopum religioſum eſſe verum redituum Eccleſiaſticorum ſibi obuenientium dominum, inſtar Epiſcopi ſæcularis. quia *in capite vnico,* 18 *quæſt.1.* de religioſo Epiſcopo ſic dicitur, *velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habet.* Si ergo ſibi acquirit, vendicatque, verum dominium habet. Vendicare enim, & ſibi acquirere, ſolis veris dominis competit, *l.in rem, ff.de rei vendicat.* quæ ratio etiam in beneficiato regulari videtur procedere, vt docent Sanchez eſſe Sanchez.
probabile, *lib.6.moral.cap.6.num.13 & cap.7.numer.47.* Molina.
Molina, *de iuſtitia, tract.1.cap.276.verſ quod ad cæteros.* Diana
Diana, *part.8.tractat.7.reſolut.133.* quamuis communis ſententia aſſerat, hunc regularem beneficiatum peccare contra iuſtitiam, & accipientes non poſſe tuta conſcientia retinere, quæ acceperunt indebitè à tali religioſo, quia dominio caret.

12. Quamuis religioſus ſit proprietarius, & peccet contra paupertatis votum, ſi donatione, vel alio modo, abſque expreſſa, aut tacita Superioris licentia aliquid alienet, quia eſt actus dominii: quod habet verum, etiamſi donet aliquid ex his, quæ ad proprios vſus ſibi à Prælatis collata ſunt, quia iam vſurparet rem independenter à Prælati voluntate, eo vel maximè, quòd religioſus ſolum facti vſum habeat; & vſuarius nequeat vſum rei alteri concedere, quia hoc non eſt vſuarii, ſed vſufructuarii, *Inſtitut.de vſu, & habit.§.1.& 2.* vt tradunt com- Syluester
muniter Doctores, Syluester, *verb. Religio 6.quæſt 7.diſtinct.2.* Rodriquez, *tom.3.quæſtionum regularium, quæſt. 29.articul.10.concluſ.3.* Valentia, *ſecunda ſecundæ, diſp. 10.quæſt 4.punct.3.concluſ.5.* Leſſius, *lib.2.cap.41.dub.9. num.79.verſic.5.* qui idem dicendum putant, ſi mutuo, vel commodato quidquam ex iis, quæ ipſi ad vſum permiſſa ſunt, daret alteri abſque Superioris licentia. Rodriq. Valentia. Leſſius.

Nonnulli tamen Doctores putant non fore mortale, ſic commodare res ad proprium vſum deſtinatas, quando religioſus commodans eſſet ſecurus de reſtitutione illarum, ac conſeruatione, quia videtur parua materia. Sanchez.
Ita Sanchez, *libro ſeptimo moral. capit.19.numer.65.* Imò Ledeſma
hoc extendunt Petrus de Ledeſma, *in addit.ad Summ.* Peyrin.
tomo ſecundo, capite quarto, dubio ſecundo, Peyrinus, *de* Diana
relig.ſubdit.tomo primo, capite ſecundo, quæſtione ſecunda, §.5. Diana, *parte primæ, tractatu ſexto, reſolution. 37.* etiamſi commodaret, & mutuò daret pecunias: quam ſententiam, vt probabilem dicit Diana docere multos viros doctos ex ſua religione, & Societate I E S V de hac re à ſe conſultos. De his vide Fagundez, *de præcepto ſecundo Eccleſiæ, libro octauo, capite ſexto, numero quarto, quinto, & ſexto,* Hieronymus Llamas, *in tertia parte Methodi, §.12.* Fagund. Llamas.

13. Vt religioſus excuſetur à peccato mortali proprietatis, & ſic non peccet contra votum paupertatis mortaliter, dando, vel accipiendo hæc adnotanda veniunt.

Primum eſt, in quibus rebus, & quouſque in vnaquaque religione, & Monaſterio cenſeatur conceſſa facultas, vel vſus communis, ac generalis ad aliquid dandum, vel accipiendum; hoc enim ſufficit, vt non peccent religioſi in voto paupertatis, ſi ſecundum vſum communem dent, vel accipiant.

Secundum eſt, non cenſeri culpam lethalem, quando ſubditus ſciret, vel bona fide crederet, eum erga ſe eſſe Superioris affectum, eamque voluntatem, vt libenter ſibi concederet, ſi ſciret illum tali re indigere, aut tale aliquid deſiderare, dono dare, tunc enim cenſetur habere licentiam ſaltem virtualem, in eo affecto Superioris erga ſeipſum latentem, peccat tamen venialiter, quia

etſi

Digitized by Google

etſi rem illam quodammodo, vel accipiat, vel donet externis ex volutate Superioris interpretatiua, & virtuali, modus tamen dandi, & accipiendi eſt, abſolutè loquendo, contra voluntatem illius. Ita Leſſius, *libro ſecundo, capit. 41. dubio nono, numer. 90.* Nauarrus, *in Manual. c. 17. numer.* 138. loquens de furto. Hieronymus Llamas, *tertia parte Methodi, capite nono, §. 12.* Rebellus, *de oblig. iuſtit. prima parte, libro tertio, quæſt. 15. ſectione tertia, numer.* 14. & alii. *Tertium* eſt Epicheia, quæ eſt voluntas quædam præſumptiua Superioris, qua rationabiliter poſſumus præſumere Superiores, hic & nunc licentiam conceſſuros, etiamſi voluntas non ſit ita propenſa erga ſubditum. Ad Epicheiam tamen duo requiruntur. *Primò*, quòd res vrgeat. *Secundò*, quod Superior non ſit præſens, vel præſtò. Sic poterit religioſus iter faciens de pecuniis Religionis dare eleemoſynas aliquantulo maiores, ſi neceſſitas occurrat, adeſt enim tunc conſenſus Superioris interpretatiuus, qui non adeſt, quando res facilè differri poteſt, Diuus Thomas, *ſecunda ſecunda, quæſt. 32. articulo octauo ad primum*, Nauarrus, *in cap. Non dicatis, 12. quæſtione prima, numer.* 40. Leſſius, *loco citato, numer.* 50.

Leſſius. Nauarr. Rebellus. — D. Tho. Nauarr. Leſſius.

Ex dictis infertur poſſe religioſum iter agentem, ſi illud de licentia ſui Prælati agat, dare ex iis, quæ ſibi pro expenſis itineris, pecuniis à Prælato dantur, quicquid ſubtraxerit, vel parciùs comedendo, vel quia à ſæcularibus inuitatur, ea tamen conditione, vt ſi ea pecunia defecerit, non teneatur religio eam ſoluere, nec ipſi rationem de illis reddere, ſed quod ipſe ſuo commodo, vel incommodo id quod ſibi pro itinere donatur expendat. Ratio eſt, quia licentia iter faciendi aſſignato certo viatici ſtipendio ad hoc quoque ſe videtur extendere. Imò religioſus iter agens de licentia poſſet acceptare pecuniam etiam aliquatenus ampliorem pro expenſis itineris à ſæcularibus in itinere datam, & quod ſuperfuerit, donare pauperibus, & acceptare etiam veſtitum, imagines, ac tabellas à potentibus datas. Ratio eſt, quia ille religioſus acquirit nomine Monaſterii, & nullibi prohibetur acquirere, quoad vſum cuius eſt capax. & in abſentia Prælati habet interpretatiuam lientiam illius ad acceptandum, et acquirendum, quia nulli prudenti Prælato id poteſt diſplicere, quod ſi diſpliceat erit inordinata diſplicentia perſonæ, non officii ſui. Ita Nauarrus *loco citato*, et Hieronymus Llamas, *parte tertia Methodi, cap. 13. §. 16.*

Nauarr. Llamas.

14. Quidam arbitrantur religioſum peccare mortaliter dicendo aliquid ſuum, vt ſi dicat, hic liber eſt meus: hæc tunica eſt mea, etc. Ratio illorum eſt, quia facit contra *capit. Non dicatis 12. quæſtione prima*, vbi ſic habetur, *non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia*, eſtque conforme Eccleſiæ primitiuæ, de qua dicitur Actor. 4. *Nec quidquam eorum, quæ poſſidebat ſuum quiſpiam eſſe dicebat*. Tum quia videtur proprietatis actus, nam meum, et tuum proprietatem ſonant.

Cæterùm mihi videtur diſtinctione vtendum. Si enim Religioſus dicat hoc eſſe ſuum, et intendat dicere ſe eſſe dominum eius, vel poſſeſſorem nomine proprio, peccat venialiter, quia eſt mendacium officioſum, niſi dicat id volendo illud eſſe ſuum, quoad verum dominiũ et proprietatem complacendo eo quòd ſit ſuum, tunc enim eſſet mortale, niſi paruitas materiæ excuſaret. Ita Graffius, *ſecunda parte, lib. 3. capit. 18. numero octauo*, et alii apud ipſum. Si autem dicat intendens actu, vel virtute, vt communiter dici ſolet, rem illam eſſe ſuam quoad vſum, adminiſtrationem, vel ſimplicem detentionem facti, et non quoad dominium, nec quoad veram poſſeſſionem, non peccat: quia non mentitur; imò eſt actus virtutis, quo ſe pauperem dominio carentem profitetur: melius tamen diceret, hæc eſt noſtra veſtis, hic liber eſt noſter, &c. Ita Fauſtus, *in ſpeculo confeſſarior. diſputat. 34. quæſt. 11.* Nauarrus, *comment. 2. de regular. numer. 1.* Sanchez, *libro ſeptimo, moral. capit. 19. num. 59.* & alii.

Fauſtus. Nauarr. Sanchez.

15. Dubium eſt, an Religioſus ſit dicendus proprietarius, qui contra ſuas conſtitutiones, recipit iuſtum ſtipendium pro prædicationibus, Confeſſionibus, aut Miſſis, &c. Videri enim poteſt quòd non, ſuppoſito quòd in religione illa Conſtitutiones non obligent ad culpam; tum quòd id ſtipendium recipere non aduerſetur ex ſe paupertati, nec ex vi voti comprehendatur ſub voto paupertatis, cùm cæteræ religiones, quæ talem conſtitutionem non habent, paupertatem voueant, & licitè id ſtipendium recipiant; nec etiam ex vi conſtitutionis comprehendatur ſub voto paupertatis, quia hæc intentio non apparet. Vt ſupponitur. Cæterùm multò verius eſt, & probabilius hunc religioſum eſſe proprietarium, & paupertatem hanc comprehendi ſub voto, & ideò eſſe mortalem voti illius tranſgreſſionem, accipiendo ſtipendium pro rebus his ſpiritualibus, in quantitate notabili ad peccatum mortale conſtituendum. Ratio huius eſt, tum quia ex quo in profeſſione promiſit talis religioſus viuere ſine proprio, capiens dictum ſtipendium inuito Superiore committit actum proprietatis, quod verum eſt, etiamſi talis licentiam habeat quid accipiendi, & diſponendi ad vſus pios. Tum quia non ſolùm ad votum paupertatis pertinet, quod ſubditus non habeat pecuniam, aut aliquid pecunia æſtimabile, ſed etiam quod hoc, vel illo modo in ſuis conſtitutionibus prohibito non acquirat. Vnde religioſus dum vouet paupertatem iuxta ſuas conſtitutiones; eodem actu vouet, non modo à pecunia accipienda, ſed etiam ab hoc genere accipiendi abſtinere. Et cùm Prælatus diſpenſat cum eo vt habeat pecuniam pro ſuis neceſſitatibus, non eſt cenſendus diſpenſare in modo acquirendi; qui eſt contrarius non ſolum obedientiæ, ſed etiam latitudini voti paupertatis eiuſdem religionis. Ita docent Molina *de iuſtitia, tractatu ſecundo, diſputat. 687. numero tertio*, Sanchez, *libro ſeptimo moral. capit. 28. numero ſexto*, Rodriquez, *tomo tertio, quæſtionum regularium, quæſt. 29. articul. 13. & in Summ. Latina, parte ſecunda, capite tertio, numero octauo*, Petrus Nauarra, *libro tertio de reſtitut. capite primo, parte tertia, dubio ſecundo, in noua editione, numer.* 170. & alii.

Molina Rodriq. Nauarr.

An autem hic religioſus accipiens ſtipendium pro Miſſis dicendis teneatur reſtituere? Reſpondeo, ex communiori ſententia non teneri, ſed poſſe expendere in proprios vſus, ſi licentiam Superioris habeat ad aliqua ſic expendenda: quod ſi ea licentia careat, teneri ea Superiori tradere, ſicut alia per ipſum acquiſita. Ratio eſt, quia acceptio hæc non opponitur iuſtitiæ, ex cuius ſola violatione conſurgit reſtituendi obligatio, cùm Miſſæ illæ à religioſo dictæ id ſtipendium mereantur: ſed ſola eſt obligatio voti, cuius violatio peccatum mortale eſt, at non obligat ad reſtituendum. Tenetur autem, quando licentiam expendendi non habet, tradere Superiori, non lege iuſtitiæ, ſed voti, quo aſtringitur ad nihil retinendum, vel expendendum abſque Superioris licentia. Sic Petrus Nauarra, *loco citato, numer. 179. & 180.* Henriquez, *in Summ. libro nono, capit. 22. numero tertio, in comment lit. P.* & alii. Sanchez autem, *loco citato, numer.* 11. putat teneri reddere danti, non ex lege iuſtitiæ, & via reſtitutionis. ſed ex voti obligatione, quod adhuc impleri poteſt; reddito enim pretio danti, Miſſæ dicentur gratis, ſicut votum obligat. Fauſtus verò *in ſpeculo Confeſſar. diſputat. 34. quæſt. 16.* docet non teneri acceptum reſtituere ei, qui dedit, cùm illi non fecerit iniuriam, & citat pro hac ſententia Rodriquez, *in Summ. loco citato, numero octauo*.

Nauarr. Henriq. Sanchez.

16. Contra votum paupertatis peccat religioſus promittens Miſſas ſine Superioris licentia, vt eleemoſyna pro illis Miſſis celebratis detur ſuo conſanguineo indigenti, vel cuicumque alteri. Ratio eſt, quia cùm talis conuentio, & promiſſio celebrationis Miſſarum facta ſit cum obligatione, & pacto, vt detur ſuo conſanguineo, ſeu alteri talis eleemoſyna pro Miſſis ab ipſo religioſo celebratis, vel celebrandis, facit actum proprietatis; tum quia reuera pecunias illas Miſſis ſibi acquirit, & dat pauperi illi, tum quia tales pecuniæ largiendæ ſunt Monaſterio, & non aliis, & ideo peccat mortaliter contra ſuam profeſſionem; nam talis miſſarum celebratio cum tali conuentione habet rationem quandam contractus, & obligationem iuſtitiæ commutatiuæ dantis, & recipientis. Si tamen huiuſmodi religioſus promittat alicui dicere triginta miſſas, & ille det triginta argenteos, ſine vllo pacto tacito, vel expreſſo ſtipendii, ſed ſolùm

gra-

Digitized by Google

gratitudinis cauſa non peccabit. Præterea non peccaret religioſus contra votum paupertatis promittens pauperi Sacerdoti ex mera charitate ſe celebraturum pro illo certum numerum miſſarum, vt liberet eum à tali onere dum ipſe non haberet alias obligationes ſatisfaciendi aliis miſſis, vel ratione promiſſionis, vel obedientiæ. Ratio eſt, quia talis religioſus nihil ſibi appropriat, nec acquirit non ſolùm formaliter, ſed nec virtualiter, nec dominium pecuniæ alteri dat, & transfert, ſed ſolummodo facit illum actum charitatis, vt liberet talem Sacerdotem pauperem à tali onere, cui ſatisfacere non poteſt propter aliquam impotentiam. Ita Petrus Nauarra, *de reſtitut. libro tertio, capite primo, numer.* 182. Sanchez, *libro ſeptimo moral. capit.* 28. *numer.* 15. & 18. Fagundez, *in decalogo, tomo ſecundo, libro ſeptimo, capite ſeptimo, numer.* 7. & 15. Geſoaldus, *parte tertia, tractat.* 25. *capite tertio, numer.* 21. & 22. & alii.

Nauarr. Sanchez Fagund.

17. Prælatus regularis poteſt concedere religioſo profeſſo peculium ad quoſcumque vſus indeterminatè, ita vt poſſit in vita donare, & diſponere quiduis in eos vſus & eo modo in quos, & quomodo ipſe Prælatus poſſet diſponere. Probatur *Primò*, cùm ſuperior in quoslibet vſus poſſit expendere ea, quæ illi donantur, idem poterit ſubditus ex conſenſu Superioris, & illius licentia ex iuſta cauſa conceſſa, quæ quantum eſt de ſe intelligitur ad vſus licitos, & qui non ſunt peccata, ad hæc enim Superior non poteſt expendere, ita nec facultatem concedere, cùm non ſit miniſtrator, ita nec ſubditus. Probatur *Secundò*, ex praxi communi, quæ vbique ſeruatur, tam in monialibus, quàm in multis religioſorum Conuentibus, in quibus peculium poſſident religioſi profeſſi ex Superioris licentia, quod expendunt in vſus ſibi neceſſarios, auctoritate propria, ſed Superioris ad cuius nutum tale peculium amoueri poteſt. Ita Petrus Nauarra, *libro tertio de reſtitutione, capite primo, parte tertia, dubitatione prima, numer.* 166. & 167. Peyrinus, *tomo primo de ſubdito, quæſtione ſecunda de paupertate, capite ſecundo,* §. 1. Leſſius, *libro ſecundo, capite quarto, numer.* 33. Sanchez, *libro ſeptimo moral. capit.* 12. *numer.* 12.

Nauarr. Peyrin. Leſſius. Sanchez.

Sed petes, quæ ſint cauſæ, vt Superior poſſit licitè concedere ſuis ſubditis peculium? Reſpondeo ex communi multiplicem poſſe eſſe. *Prima* eſt, quando Conuentus præ paupertate non poteſt religioſo neceſſaria ſuppeditare, tunc poteſt concedi peculium ad victum, veſtitum, libros ſpirituales pro ſua conſolatione, & alios maioris momenti ad docendum, & prædicandum, emendos. Item ſi religioſus multa ſua arte comparauit monaſterio, aut multa bona in illud contulit; qua ratione æquum eſt, vt plura ſibi concedantur in eleemoſynas & alios honeſtos vſus faciendos. Item ſi religioſus ſuis ſtudiis, & fama publica nomen glorioſum acquiſierit in religionis honorem. Ita Nauarrus, *Commentar.* 2. *de regularibus, numer.* 24. *Secunda* cauſa eſt, quando religioſus eſt extra monaſterium iuſto titulo, vel ad inſeruiendum Reipublicæ ſua doctrina, vel ad ſuſtentandum parentes, aut ſorores, &c. *Tertia* eſt, ſi ſit Officialis publicus poteſt illi ſalarium aſſignari, quod ſit loco peculii à Superiore amouibile. *Quarta* eſt vtilitas monaſterii, vt ſi fœmina, aut vir diuitiis abundantes nolint religionem profiteri, ſibi aliquo peculio, vt habetur *in capit. Inſinuante, qui clerici, vel vouentes*, & feciſſe Pium Quintum ait Nauarrus, *ſupra numer.* 16. *Quinta* cauſa eſt conſuetudo religionis introducta, quod qui illam profitentur annuos reditus ſibi reſeruent pro ſuis neceſſitatibus, & honeſtis vſibus, qui ſine tali peculio miſerrimam vitam ducerent.

Aduertendum tamen eſt, maiorem cauſam deſiderari ad concedendum peculium ex Monaſterii rebus, aut proprio labore comparatis, quæ ſubinde Monaſterio acquiruntur, quàm in rebus conceſſis à ſæcularibus alicui, quia in prioribus plus læditur Monaſterium. Maior etiam cauſa exigitur ad concedendum peculium cum facultate ſubueniendi amicis, famulis, vel cognatis pauperibus, quàm ſine hac facultate, quia in priori euentu amplior diſtributio conceditur. Vt benè docet Sanchez, *libro ſeptimo moral. cap.* 22. *num.* 20. 21. 22. 23. & 24. Graſſis, *parte ſecunda, libro tertio, capit.* 18. *numer.* 28. & 29. Thomas Hurtado, *in reſolutione moral. parte ſecunda, tractatu octauo, numer* 841. Paſſarellus, *in compendio priuileg. Minimorum, capit.* 43. *titul. de proprietate abdicanda paulò ante finem*, Peyrinus, *tomo primo de ſubdito relig. quæſtione ſecunda de paupertate, capite ſecundo,* §. 2.

Sanchez Graſſis

Hurtad. Peyrin.

18. Dubium eſt, an licentia habendi peculium ab vno Superiore conceſſa, ſit ſemper à Superioribus ſucceſſoribus renouanda? Et quidem ſi concedatur ad tempus, certum eſt illa tranſactio licentiam eſſe renouandam, nec de hoc poteſt eſſe dubium, ſed an quando Superior tribuit ſubdito abſolutè licentiam liberè adminiſtrandi quidquid accepit ab amicis, parentibus, vel titulo ſpecialis eleemoſynæ, ſibi expreſsè conceſſæ. Sanchez, *loco citato, numer.* 25. poſt Rodriquez, *in quæſt. regular. tomo ſecundo, quæſt.* 125. *articul.* 5. reſpondet cum diſtinctione. Si id peculium ad vitam religioſo conceſſum eſſet quaſi vnum legatum, ſat eſt prioris Superioris licentia ad expendendum per totam vitam, niſi à ſucceſſore reuocetur. Quia cùm ſit vnum, ſatis eſt initio conceſſionis adfuiſſe poteſtatem in concedente. Si autem ſint quaſi plura legata, eſt neceſſario petenda à ſucceſſoribus confirmatio prioris licentiæ: quia quolibet anno eſt diuerſum legatum.

Sanchez. Rodriq.

Hæc opinio eſt valdè probabilis. Non eſt tamen improbabilem talem licentiam perſeuerare, quouſque reuocetur, & ſic non eſſe neceſſarium licentiam renouare, quia prior ſemper manet, vt habetur *in capit. Si ſuper gratia, de officio delegati in ſexto*. Et quidem quod licentia alicui conceſſa non expiret per mortem concedentis, tenent Naldus, *in Summ. verb. Licentia, numero ſexto.* Gutierrez, *libro ſecundo quæſtionum Canonicarum, capit.* 17. *numero ſeptimo*, Sayrus, *tomo primo Theſaur. libro ſeptimo, capit.* 14. *numero ſeptimo*, & alii citati, *infra verb. Priuilegium* 3. *numer.* 13.

Naldus Gutierr. Sayrus.

Vide tom. 1. v. Commendatarii, *numero ſecundo, & tertio*.

PECCATVM I.

Quid ſit peccatum, & de eius diuiſione, & diſtinctione.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit peccatum, & quid lex æterna?*
2 *De diuiſionibus peccatorum.*
3 *Quare peccatum dicatur mortale, quare veniale?*
4 *Quotuplex ſit veniale peccatum?*
5 *Vnde dignoſci poſſit, quando peccatum mortale ex genere, an veniale ſit?*
6 *An quodcumque peccatum ex genere ſuo lethale, & in quacumque materia, poſſit fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu?*
7 *An peccatum mortale ex genere in veniale tranſeat ratione paruitatis materiæ, ſi hæc paruitas in eo reperiatur? & quæ ſint peccata, in quibus non reperitur paruitas materiæ excuſans à mortali? Et an in rebus venereis detur paruitas materiæ à mortali?*
*Refertur duplex ſententia.
8 *An veniale tranſeat in mortale, ob duplex præceptum, ob vſum, & conſuetudinem committendi venialia? ob periculum in mortale incidendi? ob multiplicationem venialium? ob peccantis dignitatem, aut ſanctitatē? & quale peccatum ſit propoſitum committendi omnia venialia?*
9 *Quæ ſit regula ad cognoſcēdum an plures materiæ paruæ ita in vnam coniungantur, & coaleſcant, vt materia grauis euadat, & materia ſufficiens ad peccatum mortale?*
10 *An in materia iniuſtitiæ, ex parua materiæ multiplicatione magna conſurgat, ac ſufficiens ad mortale? An in materia intemperantiæ, feſtorum obſeruatione, multiplicatione præceptorum, & in materia de voto.*
11 *An quantitas materiæ, quæ ſufficit ad peccatum mortale, abſolutè ſpectāda ſit; an verò cauſa, ratione totius*
12 *Peccatum veniale ex genere ſuo tranſit in mortale. Ratione finis mortalis adiuncti.*

Ratione

Digitized by Google

Ratione ſpecialis contemptus, vel inobedientia.
Ratione vltimi finis impoſitus.
Ratione ſcandali,
Ratione periculi proximi in mortale incidendi,
Ratione conſcientia erronea.
An idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris poſſit fieri mortale, & è contra.

13 *An poſſit quis peccare venialiter, qui non poſſit mortaliter*, Refertur duplex ſententia.

14 *An peccatum veniale conſiſtere poſſit cum ſolo originali*, Refertur duplex ſententia.

D.Tho. Ariſtot. Fernand. Syluius.

1 PEccatum generaliter ſumptum, eſt defectus perfectionis debitæ in eſſe, in ordine ad aliquem finem. D. Thomas, 1.*p.q.*63.*art.*1. vnde & Monſtra dicuntur ab Ariſtotele Philoſopho, 2.*phyſic.* Fernandez, *p.*4.*c.*1.*§.*1 *n.* 1, Syluius, 1.2.*q.*71.*art.*6. peccata naturæ, quia in illis natura fruſtratur ſuo fine: item Grammaticus, cum vitioſè loquitur, & Medicus cum imperitè curat, dicuntur peccare, quia à regulis artis deficiunt, quæ præſcribunt modum perueniendi ad certum finem: hic autem ſumimus peccatum ſtrictiùs, pro eo ſolo defectu, qui auertit, vel impedit hominem ab vltimo fine, qui eſt æterna beatitudo. Notandum autem eſt illam differentiam eſſe inter vitium et peccatum, quæ eſt inter habitum, et actum; nam vitiũ eſt principium peccati, inclinans hominem ad exorbitandum à ſua regula; peccatum autem eſt actus carens rectitudine debita, aut omiſſio actus neceſſarij ad finem peius tamen eſt peccatum quàm vitium, ſicut actus virtutis melior eſt ipſa virtute; quia actus ſunt formaliter liberi, laudantur, aut vituperantur, merentur præmium, aut pœnam, habitus autem nihil horum habent, niſi quatenus à liberis actibus generantur. Syluius, 1.2.*q.*71.*art.* 1. Malderus, 1.2.*q.*71.*art.*3.

Syluius. Malder.

Peccatum aliud eſt *actuale* & aliud *habituale*: *habituale* dicitur, quod poſt actuale, per modum habitualis defectus, permanet, donec deleatur, & emundetur. Et licet actuale peccatum variè definiatur, tum à Patribus, tum à Doctoribus, conuenienter tamen à D. Thoma, 1.2.*q.* 71.*art.vlt.* & aliis poſt D. Auguſtinum, *l.*22.*contra Fauſt.* c.27. Syluium, 1.2.*q.*71.*art.*6. Fernandez, *c.n.*1. Sanchez. *l.* 1.*mor.c.*1.*num.*1. Layman, *lib.*1.*tract.*1.*c.*1. Filliucium, *tr.* 21.*num.*228, Becanum, *tom.*2.*tract.*2.*c.*1.*n.*1. Clauem regiam, *lib.*1.*c.*5.*n.*4. Bonacinam, *to.*2.*diſp.*2.*q.*2.*p.*1.*num.* 1. Caſpenſem, *tom.*1.*tract.de peccat.diſp.*1.*ſect.*3. Malderũ, 1.2.*q.*71.*art.*6. definitur, *Dictum factum, concupitum contra legem æternam*. Et quamuis hæc definitio propriè cõueniat peccato commiſſionis, accommodatur tamen etiam peccato omiſſionis, quod non eſt dictum, non factum, &c. iuxta legem æternam: vnde nomine dicti, vel facti, vel concupiti, comprehenduntur vniuerſa oris, operis, ac cordis peccata; & ſumuntur pro ipſis dicendi, faciendi, ac concupiſcendi actibus. Actus autem hic latè ſumitur, vt comprehendat etiam omiſſionem actus debiti ex præcepto. *Lex* autem *æterna* accipitur hic, pro ratione, & voluntate diuina, qua Deus vult vt nihil fiat inhoneſtum: hinc vniuerſa peccata, ſiue contra ius naturale, ſiue contra humanum, ſunt contra legem Dei, non quia propriè, & directè aduerſentur iuri diuino, ſed quia Deus iuri naturali, & humano parere iubet.

D.Tho. D.Aug. Sanchez. Filliuc. Becanus. Bonacin. Malder.

2. Cùm peccatum ſit priuatio rectitudinis, quæ eſt in virtute, & vna ac eadem rectitudo diuerſiſſimis modis poſſit violari, fit vt magna ſit diuerſitas peccatorum, quæ à Confeſſario diligenter pernoſcenda eſt, cùm ſit Iudex in foro diuino, debeatque cauſam pœnitentis plenè cognoſcere, vt ex bono, & æquo iudicat inter partes: poſſunt tamen hæ diuiſiones ad ſeptem capita reuocari.

Prima diuiſio in *originale*, & *actuale*. Originale eſt, quod omnes homines contrahunt ex Adam per naturalem propagationem: & definitur *priuatio iuſtitiæ, & ſanctitatis debita ineſſe ſingulis ex pacto facto à Deo cum Adamo*. Nomine autem iuſtitiæ originalis, intelligunt Doctores directè gratiam ſanctificantem, cum qua reliqua dona, Adamo non peccante, coniuncta fuiſſent, & in poſteros tranſmitterentur. Hoc peccatum veram rationem peccati habet, & dicitur voluntarium in nobis, non voluntate propria, ſed voluntate aliena, id eſt, Adami quatenus cenſemur conſenſiſſe in pactum Adami cum Deo factum in noſtrum commodum, & vtilitatem de transmittenda in nos iuſtitia originali, Adamo ſeruante pactum. Vnde Apoſtolus ad Roman 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita, in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*. Quem locum accipiendum eſſe de peccato originali affirmat Tridentinum, *ſeſſ.* 25. Actuale eſt, dictum, factum, &c. Vt ſupra. Ita D. Thomas, 1.2.*quæſt.*82. *art.*3. Syluius, *ibid.concluſ.*2. & *quæſt.*81.*art.*1.*quæſ.*4. & 5. Vaſquez, 1.2.*diſp.*132.*c.*8.*num.*33. Azorius, 1.*p.lib.*4.*c.*26. & 29. Becanus, *tom.*2.*tract.*2.*c.*9.*q.*6. Bonacina, *c.p.*2.*num.* 4. & 10. Valentia, *tom.*2.*diſp.*6.*q.*11.

D.Tho. Syluius. Vaſquez. Azorius. Valentia.

Secunda diuiſio, eſt actualis peccati in mortale, & veniale. De qua infrà.

Tertia eſt in peccatum commiſſionis, & omiſſionis, vt dicetur inferiùs.

Quarta. Peccatum aliud eſt *cordis*, aliud *oris*, aliud *operis*. Hæc autem diuiſio quatuor modis intelligi poteſt. *Primò*, vt ſint ſpecies peccatorum completæ, quorum quædam conſummantur corde, ſeu cogitatione, vt hæreſis, odium Dei, inuidia proximi, &c. quædam ore, ſiue ſermone, vt blaſphemia, periurium, detractio, &c. Quædam opere, vt homicidium, adulterium, furtum. *Secundò*, vt ſint tres gradus vnius, & eiuſdem peccati, vt cùm quis vult fornicari, inuitat mulierem, & fornicatur: hic enim eſt vnum peccatum, conſtans variis partibus hæterogeneis, quarum prima eſt propter ſecundam, & ſecunda propter tertiam, ac propterea ſufficit in confeſſione peccatum ipſum vnico verbo exprimere, quando hæc moraliter ſimul contigerunt. *Tertiò*, vt ſint tres ſpecies peccatorum, ſed imperfectæ, & inchoatæ ex intentione operantis; vt cum vnus delectatur cogitatione fornicationis, nolens loqui aut facere turpia. Alius delectatur, & loquitur, nolens opus perpetrare. Tertius delectatur, loquitur, et conſummat opus; etſi enim hi tres gradus ſint ſubordinati, poſſunt tamen ex operantis intentione ſeparari. *Quartò*, vt ſint tres imperfectæ ſpecies conſenſus interni, ſine vlla manifeſtatione exterior', vt cum aliquis conſentit in delectationem fornicationis, alter in verba turpia, tertius in ipſum opus. Aliam deformitatem habet cogitare turpia, aliam loqui turpia, aliam turpia perpetrare. De his D. Thomas, 1.2.*quæſt.*72.*art.*7. Syluius, *ibid.* Bonacina, *c.diſp.*2.*q.*4.*p.*5 *num.*6. Clauis regia, *lib.*2.*c.*6. *num.*4. Reginaldus, *lib.*15.*c.*1.*num.*7. Caſpenſis, *tom.*1.*tr. de peccat.diſp.*2.*ſect.*1. Malderus, 1.2.*q.*72.*art.*7. et alii.

D Tho. Bonacin. Clauis regia. Regin. Caſpenſ.

Quinta diuiſio. Peccata alia contra *Deum*, alia ſunt contra *proximum*, alia contra *ſeipſum*: quia quamuis omnia peccata fiat contra Deum, et contra ipſum peccantem, et quædam tamen ratione obiectorum, et ratione virtutum contrariarum, peculiariter ſunt contra Deum, vt quæ repugnant virtutibus Theologicis, religioni, pœnitentiæ, etc. quædam peculiariter contra proximum, vt immiſericordia, iniuſtitia, etc. quędam peculiariter contra ipſum peccantem, vt quæ repugnant fortitudini, et temperantiæ. D. Thomas, 1.2.*q.*74.*art.*4 Syluius, Malderus, *ibid.* Filliucius, *tract.*21.*num.*240. Clauis regia, *lib.*2. *c.*6.*num.*2. Layman, *lib.*1.*tract.*3.*c.*4.*n.*5. et alii.

D.Tho. Filliuc. Layman.

Sexta. Peccata alia ſunt per *exceſſum*, alia per *defectum*: Ratio eſt, quia virtus conſiſtit in medio, habetque certam menſuram, et modum, quem poſſumus excedere, aut non attingere: vt contra fidem nimis leuiter quiduis credendo, et nimis dubitando poſt ſufficientem fidei propoſitionem: contra ſpem, deſperatione, et præſumptione: contra charitatem, non amando, quando oportet, et zelando pro Deo non ſecundum ſcientiam. Hæ porrò ſpecies ſunt eſſentialiter diſtinctæ, nam ſunt contrariæ, et deſtruunt diuerſas rectitudines vnius, et eiuſdem virtutis. D. Thom. *cit.art.*8. Filliucius, *c.num.*240. Syluius, *ibid.* Azorius, 1.*p.* *lib.*4.*c.*7.*q.*3. et alii.

D.Tho. Filliuc. Syluius.

Septima diuiſio. Peccata alia ſunt *carnalia*, alia *ſpiritualia*: Ex ſeptem vitiis capitalibus, duo docet eſſe carnalia, quinque ſpiritualia. Carnalia ſunt, quæ in carne conſummantur, vel quorum obiectum eſt aliqua delectatio carnalis, vt ſunt Gula, et Luxuria. Spiritualia, quæ habent obiectum eleuatum ſupra carnem, etiamſi pertineat ad appetitum ſenſitiuum, vt ira, et auaritia, maximè autem

tem

Digitized by Google

D. Tho. clauis regia. Filliuc.

tem ſuperbia, inuidia, acidia. Ita D. Gregorius, *lib.* 31. *moral.cap.*31. D. Thomas, 1.2.*quaeſt.*72.*art.*2. Syluius, *ibid.* Clauis regia, *c.n.*3. Layman, *c.num.*6. Filliucius, *c.n.*240. Malderus, 1.2.*q.*72.*art.*2.

3. Rectè diuiditur peccatum actuale, in *mortale*, & *veniale*: In materia morali notitia huius diſcriminis fundamentalis eſt, & primaria: nam ſicut Theologi ſpeculatiui potiſſimæ partes ſunt definire, quæ propoſitio ſit fide tenenda, & quæ non: Ita Theologus Caſuiſta nullus erit, niſi norit diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale, vnde hæc materia de peccatis illi debet eſſe familiariſſima; nam maximè conſcientiam attingit, & latiùs funditur quàm materia virtutum, cùm bonum ſit finiti, malum autem infiniti.

Peccatum mortale vocamus, quod mortem animæ adfert; iuxta illud Ezechielis 18. *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*. Veniale eſt, quod facilè veniam conſequitur ex natura ſua; ipſum tamen mortale peccatum aliquando vocatur veniale *ex euentu*, quando videlicet remittitur aliquando *ex cauſa*, quando nimirum ex paſſione, vel ex ignorantia commiſſum eſt: nam tunc videtur magis venia dignum, quàm ſi ex malitia committatur. Hæretici noſtri temporis cum Pelagianis, nullum agnoſcunt peccatum veniale ex natura ſua, ſed omnia peccata, volunt mortem æternam mereri; nam peccata mortalia vocant ea omnia, quæ non condonantur; venialia, quæ iuſtis propter fidem in Chriſtum non imputantur. Sanchez, *lib* 1. *moral.cap.*1.*num* 1. Azorius, 1.*p.lib.*4.*cap.*8. *quaeſ.*1.& 2. Bonacina, *tom.*2.*diſput.*2.*quaeſt.*3.*p* 1. Clauis regia, *lib.*2. *cap.*6.*num.*1.& *c.*14. Becanus, 1.2.*tract.*2.*cap.*2.*quaeſt.*2. D. Thomas, 2.2.*q.*88.*art.*2. Nauarrus, *in man.prael.*9.*n.*7. Caſpenſis, *tom* 1.*tract.de peccat.diſp.*3.*sect.*1.& alii.

Sanchez. Azorius. Bonacin. clauis regia. Nauarr. caſpenſis

Sed fide tenendum eſt, eſſe quædam peccata, ſuapte natura venialia, quæ nec iuſtitiam excutiant, nec mortem æternam mereantur; vt conſtat ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, & doctrina omnium Catholicorum; & ratio ipſa docet verbum otioſum, riſum immoderatum, &c. nō mereri pœnas gehennæ, aut reſciſſionem diuinę amicitię Vide Bellarminum, *de amiſſione gratiæ, lib.*1.*c.*9. Valentiam, 1.2.*diſput.*6.*quaeſ.*18.*punct.*1.& noſtrum Ludouicum Caſpenſem, *c.d.*5.*sect.*1.

Bellarm. Valentia caſpenſis

Malitia peccati mortalis conſiſtit in contemptu amicitiæ diuinæ, & in auerſione ab vltimo fine: Ratio eſt, quia amicitia, ſeu gratia diuina eſt vita animæ noſtræ, quam ſtatim amittit, qui amici graue præceptum non obſeruat; graue autem præceptum eſt, quod eſt regula neceſſaria ad vltimum finem; vnde etiam fit, vt talis cenſeatur collocare finem vltimum in creatura, quod eſt frui vtendis, & vti fruendis: quandocumque enim offertur homini occaſio mortaliter peccandi, ſtatim Deus proponit illi hanc conditionem, aut ſupera tentationem hanc, quod potes per meam gratiam, aut alioquin amicitia noſtra vertetur in odium. Quare ſi homo propriam voluntatem prætulerit voluntati diuinæ, meritò cenſetur amicitiam ipſius contemnere, & auerti ab vltimo ſuo fine; cumque conſtituere in creatura, atque adeò plus diligere creaturam, quàm Creatorem: licet enim qui ob delectationem tranſgreditur vnum præceptum, & reliqua ſeruat, vel qui peccat ſpe veniæ, & pœnitentiæ, aliàs non peccaturus, expreſsè nolit renunciare amicitiæ diuinæ, facit tamen id interpretatiuè, & imputatiuè, nam conuincitur pluris facere ſuam oblectationem, quàm legem Dei; quæ neceſſaria eſt ad conſequendum vltimum finem: neque enim refert, quòd directè nolit recedere ab amico, quia voluntas directa ſæpè repugnat voluntati interpretatiuæ.

Malitia peccati venialis conſiſtit in repugnantia cum recta ratione, ſalua amicitia diuina. Ratio eſt, quia peccatum veniale, eſt quid imperfectum in genere peccati, & offenſionis, vnde quamuis mereatur aliquam indignationem amici, & pęnam temporalem, non tamen reſcindit amicitiam, & conſequenter, non incurrit pœnam ęternā, quę cum amicitia conſiſtere non poteſt.

Quanta autem ſit vtriuſque peccati malitia? dicendum eſt, malitiam peccati mortalis, eſſe moraliter infinitam; quia ſecundùm legem iuſtitiæ non potuit, niſi infinito prętio expiari: phyſicè tamen non eſt infinita, cùm nullus actus creaturæ, poſſit habere infinitam intenſionem; & vnum peccatum mortale ſit altero grauiùs. Eſt igitur infinita dupliciter. *Primò*, obiectiuè, quia contra infinitam maieſtatem. *Secundò*, comparatiuè idque vel reſpectu peccatorum venialium, quamuis enim darentur infinita peccata venialia, nec dum attingerent malitiam vnius peccati mortalis; vel reſpectu bonorum operum; quia Deus magis odit vnicum peccatum mortale, quàm amet omnes virtutes ſanctorum, cuius ſignum eſt, quod ſi quis haberet omnia merita omnium Sanctorum, & Angelorum, admiſſo tamen vno peccato mortali, ſtatim excideret gratia Dei, & vt eſt apud *Ezechielem, c.*18. *Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur*. Vnde etiam nulla pura creatura potuit nos ex condigno liberare à ſeruitute peccati. Malitia autem peccati venialis, eſt quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis: habet tamen ſuam quandam infinitatem. Probatur prior pars, quia eſt alterius ordinis, neque continet in contemptum Dei, ac propterea nunquam adæquabit malitiam peccati mortalis, etiamſi creſcat in infinitum. Probatur ſecunda pars, quia omne malum culpæ altioris eſt ordinis, quàm malum pœnæ, & conſequenter magis vitandum, quàm quæuis pœna, ſiue illa ſit negatiua, ſiue poſitiua; hinc bonitas finis nunquam poteſt abſtergere malitiam, quæ eſt in medio intrinſecè malo, quia ſemper repugnat rectæ rationi, huiuſmodi medium adhibere, ac propterea continet quandam infinitatem malitiæ. Vide Bonacinam, *tom.*2.*diſp.*2.*q.*2.*punct.*5.

4. Communis ſententia eſt, triplex eſſe peccatum veniale, *ex genere, ex paruitate materiæ, ex indeliberatione*. Peccatum veniale *ex genere* eſt, quod verſatur circa obiectum malum non repugnans amicitiæ diuinæ, nec auertens ab vltimo fine, vt eſt verbum otioſum, riſus immoderatus, mendacium officioſum, aut iocoſum: vnde quāuis deliberatè fiant circa totum ſuum obiectum non continent culpam mortalem, niſi fortè ex diſpoſitione peccātis, vt ſi quis ita affectus eſſet ad inanes fabulas, vt propter eas omitteret præceptum diuinum, aut humanum, vel eas referret ad graue aliquod peccatum, verbi gratia, ad adulterium perpetrandum. Peccatum veniale *ex paruitate materiæ* eſt illud, quod cùm ex genere ſuo ſit mortale, excuſatur tamen à tam grandi culpa, quia obiectum circa quod verſatur, non cenſetur tanti momenti, vt reducat actum in ſuam ſpeciem, verbi gratia, furtum eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia contra iuſtitiam; at ſi quis à diuite furetur quatuor, aut quinque aſſes, non videtur eſſe tantæ æſtimationis, vt propterea diſſoluenda ſit amicitia: ſi verò à paupere, poterit videri iuſta cauſa hoſtilitatis, propter notabile nocumentum. Simile eſt recitatione horarum, in auditione ſacri, in ieiunio: at in multis aliis peccatis nullam eſt inuenire materiæ paruitatem excuſantem à mortali, vt in infidelitate, periurio aſſertorio, odio Dei, fornicatione, &c. nam in his omnibus etiam minus quod ſit, conſtituit peccatum mortale. Peccatum veniale *ex indeliberatione* eſt, quod cùm ſit mortale ex ſuo genere, & habeat materiam ſufficientem ex diſpoſitione peccātis, excuſatur à grauiori culpa, quia nimirum ex parte ratio fuit præuēta, vt ſolet fieri in motibus ſubitis infidelitatis, blaſphęmiæ, libidinis, &c. qui propterea vocari ſolent. *Secundò primi*. Nullum autem eſt peccatum tam graue, quin hoc titulo poſſit fieri veniale, quando, videlicet, aduertentia rationis fuit imperfecta, & ſemiplena, vt ſi quis ſubitò moueatur ad odium Dei, ad blaſphemiam, &c. et ratio non ita aduigilet ſicut oportet, ſed tamē reiiciat ante plenam facti cognitionem et conſenſum, excuſabitur à peccato mortali, propter incompletam actus libertatem. D. Thomas, 1.2.*quaeſt.*74. *art.*10.& *quaeſt.*88.*art.*2.& 6. Clauis regia, *lib.*2.*cap.*14.*n.* 8 9.& 10. Azorius, 1.*p.lib.*4.*cap.*9.*quaeſt.*7. Bonacina, *tom.* 2.*diſp.*2.*quaeſt.*3.*p.*3. Sanchez, *lib.*1.*mor.cap.*1.*num.*4. Becanus, *cit.capit.*2.*q.*1.*num.*6. Layman, *lib.*1.*tract.*3.*cap.*5. *num.*4.5. Toletus, *lib.*8.*cap.*2. Nauarrus, *in man.prael* 9.*nu.* 11.12. Reginaldus, *lib.*15.*num* 30.31. Filliucius, *tract.*21. *num.*250. Syluius, 1.2.*quaeſt.*88.*art.*2.*concluſ.*3. Caſpenſis, *c.diſp.*3.*tract.de peccat.num.*5. et alios.

D. Tho. clauis regia. Azorius Bonacin. Sanchez Becanus Layman Toletus Nauarr. Filliuc. Syluius caſpenſis

5. Quamuis ex teſtimonio Diui Auguſtini, *de Ciuit. Dei, lib.*21.*c.vlt.* valdè difficile ſit regulas tradere, quibus diſcerni poſſit peccatum mortale à veniali, atque in hoc

D. Au

fateatur

Digitized by Google

fateatur ſuam ignorantiam; ex communi tamen Theologorum ſententia, tres regulæ ſolent aſſignari, tum de aliquibus certum, tum de multis probabile, vt poſſit formari iudicium. Prima eſt *ſcriptura diuina*, ex qua diſcimus eſſe quædam peccata quæ merentur iram diuinam, quæ dicuntur eſſe abominabilia, execranda, Deo exoſa, vel excludere à regno Dei, eſſe digna morte, aut quibus dicitur væ; pro certo ſunt mortalia: cùm verò ſcriptura leuioribus verbis aliquid reprehendit; ſignum eſt peccati venialis. Secunda regula, eſt *ſenſus, vel conſenſus fidelium*, qui ex libris Sanctorum Patrum, ac Doctorum Scholaſticorum, & ex vſu Catholicorum deprehenditur; cùm enim Eccleſiæ, & ipſius Doctoribus præſtanda ſit fides, iure optimo ſequitur, illa habenda eſſe tamquam mortalia, aut venialia, quæ communi Doctorum conſenſu, & Eccleſiæ traditione mortalia, aut venialia iudicantur. Sic cognoſcimus eſſe peccatum mortale communicare ſine præuia confeſſione peccati mortalis, quo quis ſentit ſe grauari; violare ieiunium, omittere horas canonicas, &c. non autem eſſe huiuſmodi omittere concionem, aut veſperas, facere quædam opera in die feſto, &c. Tertia regula eſt, *ratio humana*, quæ propoſito præcepto geminæ charitatis, conſiderat actum de quo quæritur, vtrum illi conſentiat, an repugnet, nam ſi aduerſatur charitati, nullum eſt peccatum; ſi aduerſatur leuiter, erit peccatum veniale; ſi grauiter, erit mortale: vnde peccata contra virtutes Theologicas, vel Religionis virtutem, vel iuſtitiam, & quæ ad luxuriam pertinent, ſunt ex genere ſuo mortalia: quæ autem quiſpiam contra ſolum bonum proprium perpetrat, ſunt ex genere ſuo venialia. Et ad hoc melius diſcernendum, notandum eſt in lege naturali ſemper eſſe inſpiciendam materiam: nam grauitas obligationis, huic ſemper adæquatur: in lege autem poſitiua inquirendum eſſe mentem legislatoris, vtrum pro qualitate materię, voluerit ſubditos obligare, an verò laxius, aut ſtrictiùs: proinde attendenda eſt qualitas, ac tenor verborum præcepti, an ſeuerè præcipiat, an grauem pęnam ſtatuat in tranſgreſſores. Conſiderandum eſt præterea, an peccatum commiſſum ſit deliberatè, an indeliberatè, vtrum ex malitia, an ex infirmitate, vel ignorantia excuſante à mortali, vel non: an paruitas materiæ poſſit peccantem liberare à mortali, &c. Conſulantur Doctores hìc citati. Andreas Vega, *lib.*4. Syluius, 1.2.*quæſt.*88.*art.*2. Bonacina, *tom.*2.*diſp.*2.*quæſt.*3.*par.*3.*num.*5. Azorius, 1.*p.lib.*4.*cap.*9.*quæſt.*8. Sanchez, *lib.*1.*mor.cap.*1.*num.*4. Filliucius, *tract.*21.*n.*246. Becanus, 2.*p.tract.*2.*cap.*2.*quæſt.*8. Clauis regia, *lib.*x.*cap.*14.*ad fin.* Valentia *tom.*x.*diſp* 6.*q.*18.*p.*3. Reginaldus, *lib.*5.*n.*34.37.*&* 38. Caſpenſis, *cit.tract.de peccat.diſp.*3.*ſect.*2.

Andreas Vega. Syluius. Bonacin. Azorius. Sanchez. Filiuc. Becan. clauis regia. Valentia Regin. caſpenſis

6. Secundùm communem Doctorum ſententiam, quodcumq; peccatum ex genere ſuo lethale (vt dictum eſt ſupra) & in quacumque materia poteſt fieri veniale, ex perfectæ deliberationis defectu: quia cùm ad mortale peccatum plena aduertentia, & deliberatio requiratur, non eſt credibile Deum velle pœnis æternis eum addicere, qui cum imperfecta aduertentia, & deliberatione aliquid peccaminoſum facit. Vnde quamdiu cogitatio, aut dubium circa obiecti malitiam intellectui non ſe offert, quantumuis cogitatio, & conſultatio circa illius vtilitatem, ac delectationem ſint, non eſt principium ſufficiens in intellectu, vt de morali eius malitia deliberare queat. Hæc verò inaduertẽtia, quæ à peccato mortali excuſat, ex his ferè radicibus conſurgit; ſcilicet, Ignorantia inculpata: Obliuione naturali: diſtractione humana: Improuiſione ſimiliter inculpata: Turbatione animi: Præcipitantia: Præuentione: Violentia: Dolo, vel impedimentis ſimilibus. D. Thomas, 2.2.*quæſt.*35.*art.*3.*&* *quæſt.*162.*art.*5. Syluius, *ibid.&* 1.2.*quæſt.*88.*art.*6. Nauarrus, *in manual.præl ud.*9.*num.*11. Clauis regia, Fernandus, *p.*4.*cap.*1.§.1.*n.*18. Caſpenſis, *cit.tract.de peccat.diſp.*3 *ſect.*3.

D. Tho. ſyluius. clauis regia. Nauarr. fernand. caſpenſis

Plena autem conſideratio ad lethalem culpam petita, ſic ab imperfecta, & ſemiplena ad ſolam venialem ſufficienti ſecernitur; quod hæc contingat, quoties homo ita aliquid eſſe malum aduertit, ſicut illi qui nondum plenè à ſomno excitati pollutionis illis contingentis malitiam aduertunt. Illa verò, quando homo plenè aduertit, inſtar perfectè à ſomno excitatorum. Caietanus *in ſumm. v. delectatio.* Vaſquez, 1.2.*d.*107.*cap.*4. *Præterea* vltra plenam intellectus cõſiderationem, ſicut ad mortale requiritur conſenſus voluntatis plenus, ac perfectus, & vt ratio ſuperior attendat rationibus æternis, quales ſunt, diuina prohibitio illius actus, promiſſio pœnæ æternæ, &c. Ad peccatum tamen veniale ſufficit imperfectus conſenſus, ac tepiditatis quædam in quacumque cuiuſuis criminis ſuggeſtione expellenda. Vt docent D. Thomas, 1.2.*quæſt.*15.*art.*4. Caietanus, Syluius, *ibid.* Sanchez, *lib.*1 *mor.cap.*1.*n.*12.*&* 13. Bonacina, *tom.*2.*diſp.*2.*quæſt.*3.*part.*5.*n.*5. communiter recepti.

Caietan. Vaſquez

D. Thom. caietan. Syluius. ſanchez. Bonacin.

7. Peccatum item mortale ex genere in veniale tranſit ratione paruitatis materiæ (vt ſuperiùs patet) ſi hæc paruitas in eo reperiatur: quia vbi materiæ paruitas eſt, modica offenſio reperitur, ac proinde non excedit culpam venialem. In quibuſdam tamen peccatis, hæc paruitas minimè reperitur, & ideò hac ratione venialia reddi nequeunt, quod contingit quoties integra irreuerentiæ, & offenſionis ratio, in materia parua inuenitur huiuſmodi ſunt illa quæ immediatè, & directè circa Deum verſantur, vt odium Dei, contemptus ipſius, infidelitas vera, & formalis blaſphemia, periurium aſſertorum; & ſimonia, per quam res reuera ſpiritualis venditur; quantumcumque enim rei minimæ Deus adducatur in teſtẽ, adducitur vt teſtis falſus; eique mendacium tribuitur: ſimiliter quantumuis modica res ſpiritualis vendatur, & quantumuis modicum ſit pretium, eſt mortale, eò quod planè rei ſpirituali irrogetur iniuria, eam pretio æſtimando. Sylu. 1.x.*quæſt.*88.*art.*6.*concl.*2. Filliucius *tract.*x1.*n.*250. Nauarrus *in man.præl.*9.*n.*12. Layman *lib.*1.*tr.*3.*cap.*5.*nu.*6. Suarez *tom.*1.*de relig.lib.*4.*cap.*3.*nu.*5. Bonacina *c.punct.*3.*num.* 10.*&* 11. Hugol. *de ſimonia tab.*1.*cap.*17.*num.*3. Fernandus *cit.num.*18 Diana *p.*5.*tract.*5.*reſ.*28.*&* 1. Caſpenſis *tract.de peccat.diſp.*3.*ſect.*4. Quomodo autem poſſimus cognoſcere peccatum eſſe veniale ratione paruitatis materiæ? Notandum eſt peccatum eſſe veniale, quando res quæ præcipitur, vel prohibetur eſt parua, non ſolùm ſecundum ſe, verum etiam per ordinem ad finem, vel circumſtantias, propter quas talis res præcipitur vel prohibetur. Quando vero ſecundum ſe quidẽ parua eſt, ſed efficitur grauis ratione finis, vel circumſtantiæ, tũc peccatum eſt mortale, quia materia grauis effecta eſt: vnde grauitas vel leuitas materiæ in præceptis poſitiuis penſanda eſt, ex qualitate finis eiuſmodi præceptorum; an ſcilicet eiuſmodi finis ſit valde neceſſarius, necne; & ex conducibilitate ad eumdem finem, ſiue, an tanta materia multum vel parum conferat ad talem finem; quia ſi finis ſit valde neceſſarius, tanta vero materia notabiliter iudicio prudentis conferre videatur ad illud conſequendum, tunc materia erit grauis: ſi vero alterum deſit, erit materia leuis. Porro etiamſi quantitas materiæ ſit magna, ſi tamen notabiliter non officit fini etiam neceſſario, leuis tamen eſt cenſenda; è contra ſi materia præcepti in ſe ſit leuis, multum tamen conferat ad finem præcepti, aliàs neceſſarium, grauis obligationis poteſt eſſe capax: vt cum propter ſcandalum vitandum prohibetur quis intrare aliquam domum. Sanchez *libr.*1.*moral.cap.*4.*num.*2. Valentia 1.2.*diſp.*7.*quæſt.*5.*punct.*6. Clauis regia *lib.*3.*cap.*7.*num.*14. Suarez *tom.*5.*in* 3 *p.diſp.*4.*ſect.*6.*num.*16.*&* 17. Arbitratur tamen noſter Crouſ. *ad cap.*7.*reg.S.Franciſci lect.*14. Azorius *tom.*1.*lib.*5.*ca.*6.*quæſt.*5. Caſtro *lib.*1.*de leg.pęnal.cap.*5.*docum.*2. Diana *p.*5.*tract.*5.*reſ.*1. ex ſolo fine, quem intendit præcipiens, quantumuis ſit neceſſarius, conſurgere non poſſe obligationem grauem, niſi materia ipſa ad talem finem multũ conferat, vel multùm officiat.

Syluius. Filiuc. Nauarr. Layman ſuarez Bonacin. Hugol. Fernand. caſpenſis

Sanchez. Valentia clauis regia. ſuarez. crouſers. Azorius. caſtro Diana

An autem in rebus venereis detur paruitas materiæ excuſans à mortali? affirmant Sanchez, *de mat.lib.*9.*diſput.*46.*n.*9. Nauarrus, *præl ud.*9.*n.*12. Sancius, *in ſelect.diſput.*11.*num.*22 Clauis regia, *lib.*8.*cap.*6.*num.*1. Salas, 1.2.*diſp.*6.*ſect.*12.*n.*149. Vaſquez, 1.2.*diſp.*108.*num.*3. P. Soto *de doctr.fol.*26.& hanc ſententiam probabilem ſpeculatiuè docet Malderus, 1.2.*quæſt.*74.*art.*10. quia ſi in cæteris præceptis datur materiæ paruitas, cur nõ in hoc? Admittit etiam leuitatem materiæ in motibus carnis, qui facilè ſubrepũt. & à quibus homo vix eiuſmodi liber eſſe poteſt Petrus Marchantius, in ſuo Tribunali, *tom.*2.*tractat.*7.*tit.*1.

Sanchez Nauarr. Sancius clauis regia. Salas. P. Soto. Malder. P. Marc.

tit.1.quæſt.2.reſol.2. & leuitatem non attendit in ipſis tactibus ſi aliàs ſint impudici & ad libidinem tendant, ſed leuitatem in motu carnis leui & ſubreptitio, ratione cuius tactus non infligitur, vel qui ex tactu alias non inhoneſto conſurgit.

Aduertit item Sancius loco hic citato, quòd licèt manum, brachium vel pedem fœminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mamillas tangere, & ſimilia, peccata venialia ſint intra genus luxuriæ, ob paruitatem materiæ: dummodo abſit finis mortalis, vel pollutionis periculum & conſenſus in eius delectationem: Hæc tamen ſi fiant tempore Sacramenti miniſtrandi, vel immediatè ante vel poſt, erunt mortalia & damnanda ob grauem iniuriam illatam Sacramento. Quamuis enim intra genus caſtitatis leuia illa ſint, intra Religionis tamen genus grauia reputantur. Quidquid ſit de ſpeculatiua probabilitate huius ſententiæ; Negatiua ſententia eſt ſuſtinenda, vt communior & tutior in praxi, cum contraria periculis non careat. Probat autem hanc ſententiam Rebellus *part 2.lib.3 quæſt.19.ſect.3.* quia cum nulla ſit tam exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale, & delectatio ſortiatur morem actus, videtur omnis delectatio moroſa in illa materia eſſe mortalis. Deinde omnis delectatio venerea & carnis commotio, eſt ſuapte natura ordinatum medium ad externam pollutionem, imò inchoatio quædam pollutionis eſt mortalis, ita etiam quæcumque eiuſmodi delectatio quæ fit ex motu humoris ſeroſi, qui eſt ſubſtantia & materia ſeminis: cum per venas & arterias ſpermaticas, per modum hedaræ ſiue capreolorum protenſas, à renibus ad vaſa pudenda deſcendere incipit, & per commotionem ſpirituum genitiuorum incaleſcit, tamquam per cauſam efficientem inſtrumentariam. Et huius ſententiæ ſunt Tannerus 1.2. *diſp.4.quæſt.8.dub.6.n.*109. Leſſius *lib.4.cap.3.num.* 109. Pontius *de matr. lib.* 10.*cap.*16 §.2.*num.*8. Filliucius *tract.*30.*nu.* 166. Layman *lib.4.tract.5.cap.8.num.2.* Diana *part. 3.tract. 5.reſ.* 1.& *part.7.tract.11.reſ.*28. Sanchez *lib.5.moral cap.6 num 12.* de contraria ſententia ſe retractans, quia, inquit, in quauis venerea delectatione deliberate admiſſa apertum eſt periculum incidendi in maiorem aliam delectationem, manifeſtè mortalem. Quare nec audeo, nec vmquam auius ſum excuſare à confeſſionis huiuſmodi delectationum quantumuis modicarum declarationem. Ita ille, & ipſemet Diana putat periculoſum eſſe aſſerere dari in re venerea paruam & leuem quantitatem.

Rebell.

Tanner. Leſſius Pontius Filliuc. Layman Diana Sanchez

Sanè pro maiori huius quæſtionis elucidatione non grauabor hic apponere verba Docti D. Ioannis Caramuel, *in comm.ad reg.S.Bened.diſp* 69.& 70. Leuis tactus manuum fœminæ, habet duas malitias diſtinctas, alteram intrinſecam, alteram extrinſecam. Intrinſeca eſt malitia leuis, vtpote quæ ſumitur ab actus quantitate, quæ reuera eſt leuis: extrinſeca eſt grauis, quoniam ſumitur à periculo, quod ſupponitur euidens, & graue. *Euidens* dixi; non enim eſt proximum, ſi ſit probabile; quoniam ſi illud probabiliter ſubſit, probabiliter etiam non ſubeſt. Periculum enim, vt cenſeatur proximum; debet eſſe euidens phyſicè aut moraliter; ſi enim tantùm ſit probabile, periculum morale non eſt; nam probabiliter etiam cenſeri poteris, periculum nullum ſubeſſe. Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant: ſi ſint merè probabiles mentem non cogunt, ſed opinio eligenda committitur optioni voluntatis. Deinde ad proximum periculum inducendum, materia debet eſſe grauis, nulla enim euidentia poteſt dari phyſica, aut moralis, ſi materia ſit leuis. Ratio eſt, quia materia leuis nunquam tam tyrannicè prædominatur voluntati. Ideò fur faciliùs abſtinebit à furto vnius quadrantis, quàm à furto millium ſcutorum. Et, paulò ſuperiùs fatetur hic idem Auctor, periculoſum eſſe aſſerere dari materiam paruam: quia (inquit) qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem, eſſe leuem dum illam elicit, ſæpè ſe exponit periculo vlteriori: vnde ſi hoc ſit alterius rei etiam leuis, erit remotum; non enim datur proximum, ſi materia ſit parua: ſi periculum ſit euidens, & rei grauis erit peccatum mortale; ideò doctiſſime Malderus docet, ſpeculatiuè poſſe admitti materiam paruam, practicè autem (hoc eſt ratione periculi frequenter imminentis) non poſſe; nam actio ex natura leuis, poterit eſſe peccaminoſa grauiter, ſi grauiter ſit periculoſa.

D. Ioan. Caram.

Et ſic vtraque ſententia poteſt inter ſe conciliari, dicendo; quòd omnis delectatio venerea ſit pollutionis inchoatio remota, vel proxima; ſi actus pollutionis grauiter ſit inchoatus, erit peccatum mortale; non autem qui fuerit inchoatus leuiter. Hæc ille paſſim, Cui ſubſcribit nouiſſimè noſter Caſpenſis ex parte *tom.1.Curſus Theolog.tract.de peccat diſp.3.n.*36. Caſpenſ.

8. Peccatum veniale non tranſit in mortale, ex eo quòd nouum ſuperioris, aut diuinum naturale illud prohibens accedat ſed erit duplex ſola venialis culpa: Nam is actus ex leuitate materiæ, venialis tantum eſt culpa: accedente autem nouo Dei mandato, vel humano imperio, materia minimè mutatur, ergo leuis ſemper cenſetur: & ob id non lethalem; ſed duplicem venialis delicti habere poterit deformitatem. Sanchez, *libro primo moralium, capite quinto, numero primo,* Azorius, *tomo primo libro quarto, capite nono, numero decimo.* Sanchez. Azorius.

Nec veniale tranſit in mortale ratione vſus, & conſuetudinis committendi venialia, quia actus replicati ſunt eiuſdem ſpeciei cum primo, ac proinde eiuſdem deformitatis; frequens enim legis tranſgreſſio, non dicitur eius contemptus, vt docent D. Thomas, *2.2.quæſt.186.art.9. ad.3* Scotus, *3.diſp.29.quæſt.1.* Azorius, *c.quæſt.11.* Syluius *1.2.quæſt 88.art.4.in concl.4.ſub finem,* Caſpenſis, *c.tract. de peccat.diſp.3.ſect.6.* & alii licet afferat ſecum, & creet interdum periculum contemptus: Vnde aliquando venialia multiplicata in mortale tranſeunt, non ratione frequentiæ, ſed periculi in mortale incidendi: Sicuti ex multis venialibus conſurgit aliquando vnum mortale, non quod venialia in mortale tranſeant, ſed quia erant venialia ex materiæ paruitate, atque modicæ illæ materiæ continuantur vt vnam grauem efficiant. D. Tho. Scotus. Azorius. ſyluius Caſpenſ.

Nec veniale fit mortale ex peccantis dignitate, aut ſanctitate: quia dignitas, vel ſanctitas eius, qui peccat, auget quidem peccati grauitatem, non tamen adeo, vt quod veniale eſt, in lethale tranſire faciat, cùm materia, & obiectum ſint leuia. Azorius, *c.quæſt.*14. Sanches, *lib.1.mor.c. 5.num.*5. Malderus, *1.2.q.73.articul.*10.& alii. Azorius. ſanchez. Malder.

An autem peccet mortaliter habens voluntatem committendi omnia peccata venialia, ſolaque mortalia vitādi duplex eſt ſententia. Affirmant Caſpenſis noſter *tract. 12.diſp.3 num.*53 Sanchez, *citat.num.4* Suarez, *tom.2.de relig.lib.5.c.5.in fine,* Layman, *lib.1.tractat.3.cap.5.numer.7.* Ratio eſt, quia qui vult ſe exponere periculo peccati mortalis, peccat mortaliter; ſed qui vult committere omnia peccata venialia, vult ſe exponere proximo periculo peccati mortalis. Ergo, &c. Negat Diana, *part.3. tract.6.reſol.*24. poſt Iacobum Granabo, *1.2. contr.6.tract. 2.diſp.2.ſect.*7. quia malitia interni actus voluntatis deſumitur ab obiecto, prout proponitur à ratione; ſed obiectū huius internæ voluntatis, ſunt omnia venialia, & nulla maior malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem. Ergo interna voluntas committendi omnia venialia, non poteſt eſſe culpa mortalis. Caſpenſ. Sanchez. ſuarez. Layman. Diana Granabo

Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles, ſed prima mihi videtur probabilior, maximè quando voluntas illa eſt in materia periculoſa, puta luxuriæ; apertum enim eſſet mortalis libidinis periculum: ob fragilitatem naturę, propoſitum admittendi confabulationes, aſpectus tactus quoties ſolum venialia fuerint. Præterea idem Sanchez, *lib.6.mor.cap.4.num.*20. docet in Religioſo eſſe peccatum mortale, decretum numquam ſe continendi ab vllo actu: propterea quod prohibeatur in regula, aut à Prælato, niſi prohibeatur ſub mortali. Vnde neceſſariò dicendum eſt, inter ea ſtatuta, ad quorum ſingula determinatè non tenetur Religioſus ſub mortali, teneri ad aliqua vagè ſub mortali: quæ obligatio naſcitur ex præcipua votorum obligatione, quæ obligat ad perſeuerandum in religione abſque notabili detrimento, & ruina illius, & periculo tranſgreſſionis votorum. ſanchez.

9. Ad cognoſcendum, an plures materiæ paruæ ita in vnam coniungantur, & coaleſcant, vt materia grauis euadat, ac ſi peccati mortalis ſufficiens materia conſtituatur, hæc regula conſtituenda eſt. *Quoties parua* poſtremi venialis materia nequit cum præcedentiū materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus

Digitized by Google

ctus relicti continuari moraliter poſſunt, multiplicatio tranſgreſſionis præcepti in materia parua non conſtituit materiam grauem, ac culpam lethalem. Exempla ſunt. Si quis in Quadrageſima quotidie bolum panis extra ſtatuta tempora comedat: ſi opifex omnibus diebus feſtis horæ quadrantem operi ſeruili inſiſtat, ſecluſo ſcandalo, & contemptu: ſi clericus quotidie aliqua verba in officio recitando per negligentiam omittat. Ratio eſt. Quia cùm omnes ex materiæ diuerſæ ſint, nec in vnam coaleſcant: nec effectus ab eis producti, nequit ex illis grauis materia conflari, ſed ſingulæ diuiſę manebunt, & ita paruæ: *Si autem* plurium tranſgreſsionum paruæ materiæ inter ſe moraliter vniantur, & coaleſcant, ſiue ſecūdū ſeipſa, ſiue ſecundū effectum ab ipſis productum, tunc cōpletur malitia mortalis in vltima trāſgreſſione, cuius materia, ſiue obiectum, licet præcisè ſpectatum, paruū ſit; tamen propter moralem connexionem cum antecedentibus, grande reputabitur, & notabilis materia euadet. Vaſquez, 1. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 4. *diſp.* 146. *cap.* 2. *num.* 3. & 4. Suarez, *tom.* 2. *de relig. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. & *ſeq.* Sanchez, *lib.* 1. *moral. cap.* 4 *num.* 9. Layman, *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. Bonacina, *tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 5. *num.* 23. Crouſers, *ad cap.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 14. *fol.* 619. Filliucius, *tractat.* 21. *numer.* 254. Diana, *part.* 5. *tractat.* 5. *reſolut.* 52. Vt patebit in caſibus ſubſequentibus.

Vaſq. Suarez ſanchez. Layman Bonacin. crouſers. Filliuc. Diana

10. In materia iniuſtitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione magna conſurgit, ac ſufficiens ad mortale. Id patet in furtis repetitis minimarum rerum, quorum ſingula, cùm obligationem ex damno illato poſt ſe relinquunt, certum eſt damnum in tantum ea repetitione crescere poſſe, quod notabile fiat; furtum verò per quod notabile ſit, mortale ſit: quod tamen, ſi ex aliis furtis propter damnum permanens, nulla rem inſiſſet obligatio, leue, & veniale tantùm eſſet. Et vt annotat rectè noſter Crouſers communiter circa materiam iuſtitiæ commutatiuæ ex multis leuibus conſurgere poteſt graue damnum, & grauis obligatio; non ſic verò circa materiam iuſtitiæ diſtributiuæ, ex cuius leſione, cum nulla relinquatur ex damno illato obligatio, fit vt multa leuia damna pluribus leuibus materiis illata non conſtituant aliquod notabile; quia nullam illæ leues iuſtitiæ diſtributiuæ læſiones poſt ſe obligationem relinquunt, etiamſi circa eamdem perſonam eſſent factæ. Medina, 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 4. Syluius, 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *quæſit.* 3. *cap.* 2. Bonacina, *citat. num.* 24. Crouſers, *lect.* 14. *fol.* 620. Vaſquez, *de reſtitut. cap.* 9. *dub.* 5. §. 1. Layman, *citat. numer* 7. Sanchez, *citat. num.* 10. Azorius, *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 13. Diana, *part.* 5. *tract.* 5 *reſ.* 52. Caſpenſis, *tract.* 12. *diſp.* 3. *num.* 56. & alii.

Medina. ſyluius. Bonacin. crouſers. Vaſquez Layman ſanchez. Azorius. Diana caſpenſis

Item hac continuatio conſurgit materia intemperantiæ, ac proinde vltimum, quod ratione paruitatis materiæ eſſet veniale, efficitur mortale ratione præcedentium; propter moralem effectus relicti continuationem, vt accidit in eo, qui ſæpius exiguum quid eodem ieiunii die comedit, modò ea, quæ deguſtantur, efficiant materiam notabilem. Secus dicendum de eo, qui diuerſis ieiunii diebus pauca quædam comedit; hic enim à mortali excuſatur, quia comeſtiones non continuantur, ita vt vnam, & eamdem materiam moraliter conſtituere videantur, cùm obligatio ieiunii ceſſet lapſu dierum. Clauis regia, *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 20. Sanchez, *citat. num.* 11. Bonacina, *citat. num.* 27. Crouſers, *cit.* Vaſquez, 1. 2. *diſp.* 158. *cap* 6. *num.* 60. Diana, *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 43. & *part.* 5. *tract.* 5 *reſolut.* 52. Caſpenſis, *citat. num.* 57. 58. & alii.

clauis regia. ſanchez Bonacin. Vaſquez Diana caſpenſis

Idem euenit in feſtorum obſeruatione: ſi enim multa opera ſeruilia diuerſis vicibus fiant eodem feſto, ita vt ſimul ſumpta perueniant ad quantitatem temporis notabilem, videntur moraliter continuari, conſequenter integram materiam notabilem, & ſufficientem ad peccatum mortale: ſecus dicendum, ſi quis diuerſis diebus feſtis ſeruilia exerceat. Nauarrus, *in manual. cap.* 13. *n.* 6. Reginaldus, *lib.* 19. *numer.* 53. Azorius, 2. *p. lib.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 5. Sanchez, *citat. num.* 12. Diana *cit. reſ.* 52. & alii.

Nauarr. Regin. Azorius ſanchez. Diana

An autem paruæ materiæ diuerſorum præceptorum coaleſcant in vnum, & faciant quantitatem notabilem mortaliter peccaminoſam; vt ſi in die feſto incidat ieiunium, & exinde quis teneatur ad ieiunandum, ad audiendam Miſſam, ad non laborandum: an ſi ex ſingulis his obligationibus modicum quid omittat, ita vt omnia illa modica quantitatem notabilem efficiant, peccet mortaliter? Reſponſio eſt negatiua. Quia talis nullum pręceptum in materia graui tranſgreditur, ſed multa, ſingula tamen in leui materia, & hoc verum, ſiue quis obligetur ad hæc ex voto, ſiue ex præcepto Eccleſiaſtico: quia non eſt differentia inter tranſgreſſionem voti, & præcepti Eccleſiaſtici, de eadem re. Vt notant Valentia, *tom.* 3. *diſputat.* 6. *quæſt.* 6. *part.* 4. Corduba, *in ſumm. quæſt.* 188. Arragonius, 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 2. *concluſ.* 3. Nauarra, *cap.* 12 *num.* 65.

Valentia corduba. Arragon Nauarr.

In materia de voto, ex leui materia tranſgreſſionis ſępiùs repetitæ circa leuem materiam, coaleſcere, & conſurgere poteſt aliquid notabile, in quo fundari poſſit ratio mortalis peccati: vt patet in eo, qui ſæpius pręter mittit orationem Angelicam, aut leuem eleemoſynam ſingulis diebus ex voto faciendam, dum enim talis peruenit ad talem omiſſionem, quæ continuata cum præcedentibus, cenſetur notabilis, quamuis ſingulæ prædictæ omiſſiones ſint tantummodo peccata venialia, nec ſufficiant ad mortale peccatum, tamen ſimul ſumptæ integrant, & conſtituunt materiam grauem ſufficientem ad mortale peccatum: ſecus dicendum ſi votum talis Orationis, vel leuis eleemoſynæ factum ſit in honorem & ſolemnitatem certi temporis, ſeu diei; tunc enim omiſſiones non continuantur, nec integrant vnum peccatum mortale: quia obligatio reſpiciens honorem certi temporis, ceſſat lapſu temporis: & ſic in votis perſonalibus ita ſemper eſt intelligendum, dum aliud conſtat. Rodriquez, *in ſum.* 2. *part. cap.* 101. Sanchez, *libr.* 1. *moral. cap.* 4. *num.* 14. Crouſers, *c. lect.* 14. *ſub finem*, Suarez, *de legib. lib.* 3. *c.* 28. *num.* 11. Clauis regia, *cit. num.* 20. & 21. Valentia, *c. p.* 4. Diana, *p.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 53. & alii.

Rodrig. ſanchez. crouſers. ſuarez. clauis regia. Valentia Diana

11. Quamuis regula vna generalis aſſignari non poſſit, an quantitas materiæ, quæ ſufficit ad mortale peccatum, abſolutè ſpectanda ſit; an verò comparatione totius? docent Suarez, *tom.* 2 *de relig. li.* 4. *cap.* 25. *num.* 16. & *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 2. Sanchez, *lib.* 1. *mor. cap.* 4. *num.* 17. Layman, *lib.* 1. *tract.* 3 *cap.* 5. *num.* 10. & alii: magnum & paruum non omninò abſolutè, ſed etiam cum comparatione ad totum, cuius pars eſt, prudentis viri morali iudicio, ęſtimandum eſſe, vt intelligatur, ſit ne ſufficiens mortalis peccati materia: quia quod abſolutè magnum eſt: comparatione totius, à quo multoties ſuperatur, paruum quandoque cenſetur, & moraliter non valdè æſtimabile: vnde qui vouit in piam cauſam ſe erogaturum ter mille aureos, & omnes ſoluit præter tres, quos non ſoluere proponit, talis voti pręuaricatio non eſt mortalis, cùm non cenſeatur notabilis: quia qui totum votum reale exoluit; pręter partē eius milleſimam, is ferme expleuiſſe exiſtimatur.

ſuarez. ſanchez. Layman.

12. Peccatum veniale ex genere ſuo tranſit in mortale, in ſequentibus caſibus. *Primò.* Ratione finis mortalis adiuncti: vt ſi quis leue mendacium proferat, vt fornicetur affectus enim ad peccatum continet culpam illius ſpeciei cuius eſt peccatum ad quod eſt affectus: deinde omnis actus, etiam de ſe bonus ob finem mortalem, eſt peccatum mortale, actus enim à fine iudicatur. D. Thom. 1. 2. *qu* 88. *art.* 2 & 4. Sylu. Medina, *ibid* Nauarr. *in man. prælud.* 9. 18. Regin. *lib.* 15. *c.* 3. Sanch. *lib.* 1. *mor. c.* 5. *n.* 7. Aduerte tamē mortale ex genere non fieri veniale ratione venialis intētionis: quia malum per bonam intentionem non efficitur bonum; quia hoc eſt ex integra cauſa, malū verò ex quocumq; defectu. Vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *ar.* 4. *ad* 3. poſt Dionyſ. *de diuinis, n. c.* 4. *Secundò.* Ratione ſpecialis contemptus vel inobedientiæ: puta, quando aliquid fit in cōtemptum, vel conſilii diuini, vel regulæ, & legis etiam nō obligantis ad mortale, vel ſuperioris vt ſuperior eſt, vel quia non vult ſubiici legi, ſeu præcepto, vel ſuperiori pręcipienti, de quo plura, tom. 1. v. *Contemptus.* D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Nauarr. *in prælud.* 9. *n.* 17. & *c* 23. *n.* 42. Clauis regia, *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 15. Sylu. 2. 2. *quæſt.* 186. *num.* 9.

D. Tho. ſyluius Medina. Nauarr. Regin. ſanchez.

D. Tho. Dionyſ.

D. Tho. Nauarr. clauis regia. ſyluius.

Tertiò, Si ponatur in eo vltimus finis, quia ſcilicet eo affectu committatur, vt non dubitet ad id committendum tranſgredi præceptum ſub mortali: Ratio eſt, quia conſtituere vltimū finē in aliquo actu, eſt colere illū tanquā Deum, vt ſi quis dicat nolo aliā beatitudinem, niſi

D. Tho. Syluius. Suarez. Regin.

iocoſè mentiri. D. Thomas, *1.2. quæſt. 88. art. 4.* Syluius, *ibid. concl. 3.* Suares, *de pænit. diſp. 22. ſect. 4. numer. 11.* Reginaldus *lib. 15. num. 32.* *Obſerua* tamen ad incurrendum peccatum mortale propter affectum, quem quis habet ad illud, non ſufficere affectum habitualem, quo quis ſcilicet eſt ita diſpoſitus, vt adueniente occaſione committeret peccatum mortale, ſed requiri affectum actualem: habitibus enim non meremur, neq; demeremur; ſed actibus. Sanchez, *cit. cap. 5. num. 14.* Bonacina, *tom. 2. diſput. 2. qu. 3. part. 5. num. 3.* Molina, *tom. 1. de iuſtit. diſp. 114.*

Sanchez. Bonacin. Molina.

Quarto, Ratione ſcandali. Si enim actus ex ſe bonus, vel indifferens poteſt effici peccaminoſus mortaliter ratione ſcandali, multò magis peccatum veniale fieri poteſt mortale ratione ſcandali, verbi gratia, Ornatus mulierum, aut hominum, quamuis ex ſe non excedat rationem peccati venialis, ſi tamen probabiliter credi poteſt per eum, proximum mortaliter peccaturum, ob ſcandalum erit mortalis: quia quilibet cauere tenetur quantum poteſt proximi peccatum, & non abſtinendo ab illo veniali, cenſetur ruinam proximi ſaltem indirectè velle, & cooperari damno ſeu peccato ipſius, & conſequenter peccare peccato generali ſcandali, eo videlicet peccato cuius dat alteri cauſam directam, vel indirectam. Nauarrus, *in manuali prælud. 9. num. 18.* Summa Corona, *part. 1. capit. 1. num. 23.* Clauis regia, *citat. num. 16.* Bonacina, *citat. numer. 19.* Sanchez, *lib. 1. moral. capit. 6. verb. Scandalum.*

Nauarr. Summa Corona. Clauis regia. Bonacin. Sanchez.

Quinto, Ratione periculi proximi in mortale incidendi: tunc autem contingit hæc moralis proxima occaſio, vel hoc morale proximum periculum, quando ex ſuo genere occaſio talis eſt, vt frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento conſtet in hoc homine talem effectum habere. Ratio eſt quia ſalutem ſpiritualem temnere conuincitur, ſe tam probabilis eius amittendæ periculo obiiciens: ſi tamen ita mutatæ ſint res, aut ea cautio adhibeatur, vt ceſſet periculum; vel ſi cauſa grauis ei ſe periculo exponere vrgeat, non erit mortale: Ratio prioris eſt: quia cum tota ratio peccati ex periculo conſurgat, qualitercumque id ceſſet; ceſſabit quoque peccatum: Poſterius probatur, quia tunc periculum illud non eſt moraliter voluntarium, cùm moraliter loquendo, ſine graui periculo vitari nequeat: & ideo non tam quid dicitur illud amare, quàm inuitus ſubire, D. Bonauentura, *in 4. diſp. 17. part. 3. artic. 2. quæſt. 1.* Nauarrus, *capit. 3. numer. 14.* Bonacina, *cita. punct. 5. numer. 17.* Suarez, *tom. 4. in 3. part. diſput. 32. ſect. 2.* Corduba, *in ſumm. quæſt. 4.* Alcozer, *ſumma cap. 7.* Caſpenſis, *citat. tract. de peccat. diſp. 3. num. 12.* *Porro in hoc* probabili peccandi mortaliter periculo, fatendæ ſunt circumſtantiæ illius peccati, cuius periculo ſe quis expoſuit; quia in moralibus, inquit Suarez, *tom. 5. in 3 part. diſp. 18. ſect. 3. numer. 16.* eiuſdem malitiæ eſt conſtituere ſe in morali periculo admittendi alicuius criminis, atque illud admittere: nam eodem præcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum.

D. Bon. Nauarr. Bonacin. Suarez. Corduba Alcozer. Caſpenſ.

Suarez.

Sexto, veniale fit mortale, ratione conſcientiæ erroneæ v.g. ſi fiat contra conſcientiam erroneam dictantem id eſſe mortale, vel de eo dubitantem: vt dicere verbum iocoſum ſine proximi offenſione, eſt de ſe veniale: ſi tamen hoc dicendo quis crederet aut dubitaret eſſe mortale, peccaret mortaliter, propter conſcientiam, quam habet. Vide tom. 1. v. *Conſcientia, numer. 33 & ſequentibus.* Ita Nauarrus, *in manual. prælud. 9. num. 9.* Medina, *1.2. quæſt. 88. articulo quarto*, Bonacina, *cit. numer. 18.*

Nauarr. Medina. Bonacin.

Aduertendum autem hìc eſt ex D. Thoma, *1.2. quæſt. 88. artic. 4.* Syluio, *ibid. con. luſ. 2.* Medina, *1.2. quæſt. 19. artic. 1.* Claue regia, *libro ſecundo, cap. 13. numer. 20.* Valentia *tom. 2. diſput. 6. quæſt. 19. part. 2.* & aliis idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris, non poſſe fieri mortale, nec è contra, quia non dicitur vnus actus numero ſecundùm eſſe morale, ſi voluntas aliquo modo mutetur: ſed non poteſt fieri de veniali mortale, niſi volũtas mutetur, ergo ſemper eſt alius numero actus, ſecundũ eſſe morale, quando de veniali fit mortale: tamen ſecundum eſſe naturæ, idem actus poteſt eſſe venialis, & mortalis: nam cum indeliberatione inchoatus, poteſt continuari, & perſeuerare adueniente plena, & perfecta deliberatione.

D. Tho. Syluius. clauis regia. Valentia.

13. An autem poſſit quis peccare venialiter, qui non poſſit mortaliter? hoc eſt, poſſit ne aliquis habere, vſum rationis ſufficientem ad peccãdum venialiter, qui tamen non habeat ſufficientem ad peccandum mortaliter? duplex eſt ſententia; prior eſt affirmatiua, & probabilis, quia vſus rationis acquiritur ſucceſſiuè: ergo poteſt quiſpiam priùs habere vſum rationis imperfectum, qualis ad peccatum veniale ſufficit, & poſtea perfectum, qualis ad peccatum mortale requiritur; & vix negari poteſt id ad tempus ſaltem accidere in ſemidormientibus, ſemiebriis, ſemiamentibus, &c. & huius ſententiæ ſunt Valentia *citat. quæſt. 19 part. 5.* Nauarrus, *in man. prælud. 9. num. 11.* Salas *1.2. diſp. 18. ſect. 8. num. 44.* Maior, *in 3. diſt. 37. quæſt. 14.* Tannerus, *1.2. diſp. 4. quæſt. 5 dub. 4. num. 76.* Altera ſententia, quam puto probabiliorem, eſt negatiua D. Thomæ *1.2. quæſt. 89. art. 6.* Syluii, *ibid.* Capreoli, *in 4. diſt. 16. qu. 1. artic. 3.* Victoriæ, *relect. 13. part. 2.* Caietani, Conradi, Malderi, *in 1.2. quæſt. 89. art. 6.* & aliorum. Ratio eſt. Quia materia peccatorum mortalium notior eſt, quàm venialium; nam notius eſt, quod homicidium, & periurium ſint mala, quam mendacium, & verbum otioſum, ergo non poteſt quis ita eſſe diſpoſitus, vt poſſit cognoſcere venialia peccata, & nullum mortale: Deinde qui poteſt honeſtum à turpi diſcernere, is conſequenter poteſt mereri, & demereri; adeoque etiam peccare mortaliter: ſed omnis venialiter peccat id poteſt. Ergo, &c. *Nihilominus* fatetur quidam Neotericus, illum, qui laborat inuincibili ignorantia diuinitatis, poſſe peccare venialiter, v.g. occidendo, adulterando, furando, &c. quia contra dictamen rectæ rationis, non tamen mortaliter, quia nec agnoſcit amicitiam diuinam, nec ſupremum illum legislatorem, nec vltimum ſuum finem. Ita Tannerus, *citat. num. 75.* Sed an probabiliter? iudicent viri docti.

Nauarr. Salas. Maior. Tanner. D. Tho. Syluius. Capreol. Caietan. Conrad. Malder.

Tanner.

14. An cum ſolo originali poſſit conſiſtere peccatum veniale? videtur non poſſe, quia puer non baptizatus, ſimul ac ad vſum rationis peruenerit, tenetur deliberare de ſe ipſo, & conuertere ſe ad Dominũ Deum: quod ſi fecerit, liberabitur à peccato originali, quia Deus iuſtificabit illum; ſi non fecerit peccabit mortaliter: nam lex naturalis, in illo inſtanti ipſi proponitur, & innoteſcit, ac proinde debet eam acceptare, lex, inquam, de inſtituenda vita in ordine ad vltimum finem. Hæc ſententia velut probabilis ſuſtineri poteſt, & eam docent D. Thomas, *1.2. quæſt. 89. art. 6.* Diuus Antoninus, *part. 1. tit. 10. capit. 1. §. 1.* Sotus, *lib. 2. quæſt. 3. art. 10.* Nauarrus, *cap. 11. numer. 8.* Syluius, *1.2. quæſt. 89. art. 6.* Bannes, *2.2. quæſt. 10. art. 1.* Victoria, *relect. 13.* & alii Thomiſtæ. Sed quia paulò durior eſt, dicendum eſt cum communiori ſententia hoc tempore extra ſcholam D. Thomæ, peccatum veniale poſſe conſiſtere cum ſolo originali: nam pueri in primis illis cogitationibus, mouentur naturaliter à ſenſibilibus, & ſi peccant, id fit communiter in materia leui, vt in paruis furtis, in ira, gula, mendaciis, &c. tum quia moraliter impoſſibile eſt, vt homo præſertim ab infidelibus parentibus natus, qui nihil hactenus de Deo audiuit, aut intellexit, in primo ſtatim inſtanti vſus rationis, Deum agnoſcat, ac in eum fide ſupernaturali credat, ſine qua charitatis actus elici nullo modo poteſt. Tum quia nuſquam extat præceptum conuertendi ſe ad Deum in primo inſtanti vſus rationis, nec in Scripturis diuinis, nec in lege naturali, vnde traditio tale præceptum non agnoſcit Suarez, *tom. 4. d. 11. ſect. 2.* Caſpenſis, *tract. 12. diſput. 3. ſect. 7.* D. Bonauentura, *in 4. d. 21. art. 1. q. 1.* Valentia, *1.2. diſp. 6. q. 19. p. 3.* Vaſquez, *1.2. diſp. 149. cap. 2.* Bonacina, *tom. 2. d. 2. q. 1. p. 3. num. 3.* Azorius, *tom. 1. lib. 4. cap. 10. q. 2.* Quamuis probabile ſit, poſtquam incipit Deum clarius cognoſcere, & ſuam dependentiam ab illo, tum in eſſe gratiæ, tum in eſſe naturæ, teneri illum non diu differre ſuam in Deum conuerſionem, per amorem, & generale propoſitum bonæ vitæ: quia ipſum quoque charitatis præceptum, aliquoties in vita obligare probabilius eſt: nunquam tamen videtur mihi peccare mortaliter niſi aliquo modo aduertat, hanc ſuam eſſe grauem obligationem. Tannerus, *1.2. diſt. 4. qu. 5. numer. 86.* Salas, *1.2. diſp. 18. ſect. 3. num. 10.*

D. Tho. D. Ant. Sotus. Nauarr. Syluius. Bannez. Victoria.

Suarez. Caſpenſis. D. Bon. Valentia. Vaſquez. Bonacin. Azorius.

Tanner. Salas.

Vide

Vide tom. 1. Actus humanus, 1. *num.* 24. Confeſsio, 3. Dubium, *num.* 7. Charitas, *num.* 9.

PECCATVM II.

De peccato commiſſionis, & omiſſionis.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit peccatum commiſſionis, & omiſſionis?*
2 *An differat peccatum commiſſionis, & omiſſionis.*
3 *An peccatũ commiſſionis grauius ſit peccato omiſſionis?*
4 *An omiſsio culpabilis, vel inculpabilis poſsit eſſe ſine aliquo actu?* Refertur duplex ſententia.
5 *An actiones quæ cauſa ſunt opus debitum omittendi malæ ſint, & peccata, etiamſi alias bonæ ſint? Et vt cognoſcatur, quæ actio ſit cauſa peccati omiſsionis, quæ verò ſit tantum comes.*
6 *Quando tota malitia peccati omiſsionis contrahatur?* Refertur duplex ſententia.

1 EX communi ſententia, peccatum commiſſionis eſt quod aduerſatur præcepto negatiuo, omiſsionis vero quod affirmatiuo. Præceptum negatiuum eſt, quod vetat aliquam actionem realem: Affirmatiuum, quod iubet actionem: Vnde patet aliqua præcepta nomine eſſe affirmatiua, quæ reipſa ſunt negatiua, vt *ieiuna, reſtitue*: nam tantumdem valent, ac ſi dicas, *ne comedas bis, ne detineas alienum*: Et contra, aliqua eſſe reipſa affirmatiua, quæ videntur negatiua, vt *ne omittas ſacrum*; nam duæ negationes affirmant. Ratio horum omnium eſt, quia affirmatio per ſe opponitur negationi, commiſſio autem, eſt veluti affirmatio practica, nam conſiſtit in actu poſitiuo, ergo propriè opponitur præcepto neganti. Omiſsio autem cum conſiſtat in non agendo, eſt veluti negatio, ac proinde opponitur præcepto affirmanti. Præterea præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper, ac proinde nunquam licet facere actionem realem, quæ prohibetur, niſi extinguatur obligatio legis. Affirmatiuum autem obligat ſemper, non ad ſemper, eaque de cauſa ſæpè licet omittere actionem realem, quæ præcipitur: vnde non tenemur Deum ſemper actu diligere, Sacrum ſemper audire, &c. ſed ſufficit, ſi tempore, & loco id faciamus. Syluius, 1. 2. *qu.* 72. *art.* 6. Layman, *lib.* 1. *tr.* 3. *cap.* 4. *num.* 1. Becanus, 1. 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *qu.* 1. Filliucius, *tract.* 21. *cap.* 7. *n.* 255. *& ſeq.* Clauis regia, *lib* 2. *cap.* 6. *n.* 5. D. Thomas, 2. 2. *qu.* 33. *art.* 2 *& qu.* 79. *art.* 3. & alii.

Syluius. Layman. Becanus. Filliuc. clauis regia. D. Tho.

2. Peccatum commiſsionis differt à peccato omiſsionis: quia omiſsio conſiſtit in priuatione actus præcepti, vt non audiendi ſacrum: commiſsio vero in faciendo actu, qui contrarius eſt præcepto vt ſurandi contra præceptum, Non furaberis: Sed quia omiſsio fundatur aliquando in aliqua commiſsione, vt omiſsio reſtitutionis in ablatione alieni fundatur, omiſsio ſatisfaciendi in illatione damni, vel iniuriæ factæ; ideo peccatum commiſsionis, & omiſsionis, differunt ſpecie materialiter tantum, ſed non formaliter. Materialiter, hoc eſt, conſiderando eſſe naturale vtriuſque: formaliter autem idem eſt, quod conſiderando vtrumque ſecundum propriam rationem peccati. D. Thomas, 1. 2. *quæſt.* 72 *articul.* 6. Syluius, *ibid.* Azorius, *lib.* 4. *tom.* 1. *cap.* 3. *qu.* 1. *&* 2. Quamuis Bonacina, *tom.* 2. *d.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 1. Valentia, 1. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 2 *p.* 2. cum Claue regia, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. doceant illa peccata differre ſpecie, etiamſi conſiderentur formaliter ſecundum inordinationem, & propriam malitiam: quia aliud peccatum eſt omittere Miſſam, quod eſt peccatum omiſſionis, aliud irreuerenter, & iniurioſè tractare Miſsã verbis obſcęnis, & blaſphemis, quod eſt peccatũ cõmiſsionis.

D. Tho. Syluius. Azorius.

3. Peccatum commiſsionis grauius peccato omiſsionis. Filliucius *tract.* 21. *cap.* 7. *num.* 260. Bonacina, *c. p. tract.* 4. *num* 2. tum quia plus recedit à virtute, vt qui odit plus recedit à virtute charitatis, quàm qui non amat: tum quia peccatum commiſsionis immediatè priuat bonitate debita actui: peccatum vero omiſsionis mediatè tantum priuat bonitate, cum huiuſmodi peccatum immediatè cõſiſtat in priuatione actus mediatè in priuatione bonitatis, quæ deberet ineſſe actui: Peccata autem omiſsionis inter ſe diſtinguuntur in grauitate, & leuitate, ex inæqualitate operis debiti, quia videlicet vnum ſit perfectius altero, vel imperfectius, vt omiſsio amoris Dei, maius peccatum eſt quàm omiſsio ſacri. Grauitas porro peccati omiſsionis, per ſe, ac cæteris paribus, æſtimanda eſt, ex qualitate operis præcepti quod omittitur: per accidens tamen, vel propter diſparitatem neceſsitatis, aut aliarum circumſtantiarum actus, æſtimãda eſt ex maiori obligatione, vel neceſſitate: item ex cauſa magis, vel minus excuſante: item ex difficultate, quæ operi eſſet adiũcta, vel ex perfectone voluntarii. Vide Azorium *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 3 *quæſ.* 8. Syluium, 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. *quæſ.* 3. & Filliucium.

Filliuc. Bonacin. Azorius. Syluius.

4. Dubium eſt inter DD. an peccatum omiſsionis abſolutè poſsit eſſe ſine omni actu, qui ſit cauſa, vel occaſio illius, aut ſaltem alioqui incompoſsibilis cum executione præcepti: Quod ad primum attinet, loquendo nimirum de actu, qui ſit cauſa, vel occaſio illius. D. Thomas, 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. videtur abſolutè aſserere, neceſsario in peccato omiſsionis interuenire actum aliquẽ, qui ſit cauſa, vel occaſio illius, ſeu coniuncta omiſſioni, ſeu ipſam præcedens: Eamdem ſententiam ita etiam abſolutè tuentur Caiet. & Conrad. *ibid.* Magiſt. *in* 2. *d.* 35. *c.* 1. D. Bonau. *ibid. dub.* 1. & alii, quos ſequitur Vaſq. 1. 2. *diſp.* 93. *c.* 2. Gabr. *in d.* 41. *q.* 1. *art.* 5. qui nomine actus in propoſito notat intelligi, non tantùm operationem alicuius facultatis, vt ambulare, audire, videre; ſed etiam id quod ſe habet per modum actus, qui præcepto aliquo poteſt prohiberi, aut imperari, vt armatũ eſſe, quieſcere, ſtare, iacere: Hæc .n. & ſimilia ſi fiãt liberè, poſſunt eſſe capacia virtutis, ac vitii. Huius autem ſententiæ rationẽ præcipuè petunt ab experientia, & cõditione animi noſtri, qui nunquam planè ſolet eſſe otioſus. Alii doctrinã D. Thomæ ſic explicant, vt mens eius fuerit docere, quod moraliter loquendo, neceſſe ſit in peccato omiſſionis reperiri aliquem actũ, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi, quamuis ſimpliciter, ac phyſicè ſecũdum poſſibilitatem logicam aliter fieri poſſit: Ita Medina, 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. Valent. 1. 2. *diſp.* 6. *q.* 5. *p.* 4. Tann. 1. 2 *diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 1. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 3. *q.* 3. Bonacin. *to.* 2. *diſp.* 2. *q.* 4. *p.* 4. *n.* 12. Quorum ſententia mihi verior videtur, maxime in omiſſione culpabili, & moraliter loquendo: quia inculpabilis omiſſio eſſe poteſt per ſolam negationem actus, vt omiſſionẽ ſacri die feriato, vel die feſto, ſi quis naturaliter obliuiſcatur diei feſti; hæ enim omiſsiones inculpabiles eſſent. Quòd autem phyſicè, & abſolutè loquendo omiſſio reperiri poſsit ſine vllo actu, qui ſit propriè actus, patet; vt ſi quis tempore, quo præceptum contritionis obligat, ſuſpendat actum contritionis, nullum actum exercet incõpoſsibilem cum actu contritionis, cùm negatiuè ſe habeat, vt ſupponitur. Porrò actus ille, ſine quo omiſsio eſſe non poteſt, (moraliter loquendo) dicitur cauſa illius per ſe, vel per accidens: quia non ſemper neceſſe eſt actum illum, qui iungitur cum omiſsione, eſſe directè intentum à voluntate, ſatis eſt, quòd ſit indirectè volitus.

Magiſt. D. Bon. Vaſquez. Gabriel. Medina. Valentia. Tanner. Azorius. Bonacin.

5. Actiones, quæ cauſa ſunt opus debitum omittendi, malæ ſunt, & peccata, etiamſi aliàs bonæ eſſent: tum quia illa actio eſt mala, quæ eſt cauſa peccati; ſed actio, quæ eſt cauſa omiſsionis, eſt cauſa peccati, ergo eſt mala; tum quia inter circumſtantias requiſitas ad opus bonum, vna eſt, vt effectus, qui ex illa ſequitur, non ſit malus: cum ergo ex tali actu ſequatur omiſsio peccaminoſa, eaq; ſit vel pręcogitata, vel per ſe, aut vt in pluribus conſequens talem actũ non poteſt non addere iſti actui malitiam: vnde ita incautè iacere ſagittam, quòd ex hoc ſequatur homicidium, eſt peccatum etiamſi iactus ſagittæ non ſit ſecundum ſe malus. Illæ autem actiones, quæ neq; ſunt cauſæ omiſsionis pręcepti, neq; ſunt talis occaſio, vt ex ea cum affectu pręceptum omittatur, neq; etiam adimunt facultatem illud implendi, ſed ipſam omiſsionem nudè comitantur, ſi aliũdè non ſint malæ, non ſunt peccata, etiamſi ſint incompoſſibiles cum executione pręcepti. Vnde qui ſtatuit die feſto non audire ſacrum ex pigritia, vel quia eſt frigidum, & ne interea ſit otioſus applicat ſe ad ſua ſtudia: tale ſtudium non eſt peccatum; nam ex ſe bonum eſt, & ratione omiſsionis non habet vllam circum-

ſtantiam malam, cùm neque ſit cauſa illius, nec occaſio: deinde fieri poteſt, vt tale ſtudium ſit præceptu m, verbi gratia, ſi vouiſſet ſtudere omni tempore, quo domo non egrederetur. Et confirmatur hæc ſententia; quia alioqui quis neceſſariò peccaret, quidquid demum faceret, dum Sacrum omittit. Vide D. Thomam, 1.2 *quæſt.71.art.5. & quæſ.2 de malo, art.1.*

Ad dignoſcendum autem quæ actio ſit cauſa peccati omiſſionis, quæ verò ſit tantùm comes, hoc ſtatuendum eſt. *Actio*, quæ per primò eligitur, & ſecundùm ſe ſola conſiſtere non poteſt cum obſeruatione præcepti, quod omittitur, etiamſi eligatur poſt voluntatem, dicitur cauſa illius, & eſt mala. Illa verò actio, quæ ſecundariò eligitur cum priores comes tantùm eſt, ideò non mala; quidquid in contrarium aſſerat Valentia, 1.2. *diſp.6.quæſt.1.punct.4.* putans talem actum eſſe cauſam omiſſionis: ſed noſtræ ſententiæ ſubſcribunt Medina, 1.2. *q.71. art.5.* Azorius, *tom.1.lib.4.c.3.q.5.* Syluius, 1.2 *q.71.art.5.quæſ.1.concluſ. 1.2. & 3.* Tannerus, 1.2. *diſp.4.q.4.dub.2.* Filliucius, *tract. 21.cap.7.q.6. & 7.* Diana, *p.3.tract 6.reſ.8.* Clauis regia, *lib. 2.c.6.num.13.* Bonacina, *tom.2.diſp 2.q.4.punct.4.num.13. & ſeq.* Vaſquez, 1.2. *diſp.93.c.2.* Layman, *lib.1.tract.3 c.4. n.2.* Caſpenſis, *tom.1.tract. de peccat. diſp.1.ſect.7.* & alii penes ipſos. Pro praxi tamen admittendum eſt, actus qui ſunt cauſa, vel occaſio omiſſionis, ſeu ex quorum affectu omittitur opus præceptum, non eſſe peccata diſtincta à ſubſecuta omiſſione, ſi alioquin non ſunt ex ſe mali, ideoque ſufficere in ſacramentali confeſſione accuſare omiſſionem, etiamſi illi actus, qui fuerunt cauſa omiſſionis, non exprimantur: quia tales actus cùm non ſint ex ſe mali, non habent malitiam diſtinctam à malitia omiſſionis, neque opponuntur alteri virtuti, quàm illi, cui omiſſio ipſa opponitur: ſecus dicendum, ſi actus in ſe ſint peccata; retinebunt enim ſuam malitiam: vt ſi quis omittat Sacrum, vt furetur, fornicetur, &c.

Valentia. Medina. Syluius. Tanner. Filliuc. Diana. Bonacin. Vaſquez. Layman. Caſpenſ.

6. Dubium eſt inter Doctores, an peccatum omiſſionis tunc ſolùm accidat, cum cauſa culpabilis omiſſioni datur; an verò eo tempore, quo actus præceptus executioni eſſet mandandus, præcipua autem difficultas eſt in eo caſu, quo ipſa omiſſio tempore præcepti, non eſt amplius in libera poteſtate omittentis: puta ſi tunc dormiat, vel ſit ebrius, aut per aliquem alium actum ſe culpabiliter fecit impotentem. Qua de re ſunt duæ opiniones oppoſitæ. *Prima ait*, in hoc caſu, tunc ſolùm peccari, quando cauſa culpabilis omiſſioni datur, ipſam verò omiſſionem actualem propriè peccatum non eſſe, quia pro tempore quo præceptum obligabat, ſub libera poteſtate omittentis non eſt. Ita Alenſis, *2.p.q.113. memb.7.* Richardus, *in 4.d.9.art.2.q.3.* Vaſquez, *d.94.c.2.* Azorius, *tom.1.lib.4.c.3.q.4.* & alii. Secunda ſententia eſt aliorum, qui cēſent eo ſolùm tempore peccari, quo præceptum eſt exequendum: etiamſi tunc nullus ſit vſus rationis, quia tunc præceptum pro illo duntaxat tempore obligat. Ita D. Thomas, *2.2.q.79.art.3.ad.3.* Sanchez, *lib.1.moral.c. 17.num.9.* Filliucius, *tract.22.c.7.q.8.*

Alenſis. Richard. Azorius. D.Tho. Sanchez. Filliuc.

Pro ſolutione tamen huius dubii, mihi dicendum venit vtroque tempore peccari peccato omiſſionis quādo cauſa omiſſionis potuit, ac debuit vitari, & cum cauſa voluntaria omiſſioni datur, & cum accidit ipſa omiſſio, modò tamen hæc in ſua cauſa maneat voluntaria: Prima pars eſt certa, quia tunc aliquis peccat, quando eſt cauſa peccati voluntaria, & docetur etiam à D. Thoma, *2.2.q.150. art.4.* Secunda pars probatur: quia tunc temporis, licet omiſſio actualiter non ſit amplius voluntaria, nec in ſe, nec in ſua cauſa, eſt tamen voluntaria in ſua cauſa virtualiter, quatenus ex vi præcedentis voluntatis, qua quis voluit cauſam nondum per contrariam violationem retractatam: Huius concluſionis ſententiam tradunt Medina *1.2.quæſt 71.artic.5.* Valentia, *1.2.diſp.6.quæſ.1. punct.4.* Tannerus, *1.2.d.4.quæſt.4.dub.3.* Syluius, *1.2.quæſ.71.art. 5.quæſ.2.concl.1. & 2.* & eſt communis Thomiſtarum recentiorum, vt teſtatur Vaſquez, ſuprà citatus, ipſa tamen omiſſio peccatum non eſt, ſi pro tempore, quo accidit, nō ſit in poteſtate omittentis, nec etiam in ſe, vel in ſua cauſa ſit voluntaria, vt quia ante tempus executionis præcepti, hominem de cauſa data pœnituit: aut quia homo, vel non potuit, vel non debuit cauere ſecuturam omiſſionē.

Miranda. Valentia. Tanner. Syluius.

Porro ipſum externum omiſſionis peccatum tunc exiſtit, quando occurrit articulus pręcepti. Ratio eſt, quia omiſſio exterior, eſt priuatio actus præcepti: ergo tunc exiſtit, quando actus deberet fieri. Et licet peccatum omiſſionis quaſi inchoatiuè, ſiue ſecundum propoſitum, dici poſsit fieri eo tempore, quo ipſius cauſa culpabiliter ponitur; conſummatiuè tamen, vel executiuè, atque ſimpliciter tunc demum, quando adeſt tempus operis implendi. Hoc autem diligenter obſeruandum eſt, tum propter cenſuras Eccleſiaſticas, tum propter reſtitutiones, tum propter integritatem Confeſsionis, omiſsio enim exterior accedens ad voluntatem omittendi, quamuis ſit tantùm denominatiuè peccatum, neceſſariò tamen exprimenda eſt, quia eſt peccati pars materialis.

PECCATVM III.

De cauſis peccatorum.

SVMMARIVM.

1 *In omni peccato reperiuntur duo, actus, vel omiſſio, & priuatio rectitudinis debitæ in eſſe.*

2 *Cauſa interna peccatorum ſunt voluntas, intellectus, imaginatio, & appetitus.*

Cauſæ peccatorum externa ſunt illecebræ mundi, & carnis, Diabolus, & homo.

3 *Cauſa interna peccatorum ſunt quatuor. Ignorantia intellectus, paſſio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati.*

Quod ſit peccatum ex ignorantia.

Ex paſſione, ſeu infirmitate.

Ex malitia.

4 *Inter hæc peccata, grauiſſimum eſt peccatum ex malitia.*

5 *Quomodo vnum peccatum poſſit eſſe cauſa alterius.*

6 *Homo, obiecta ſenſibilia, quomodo ſint potius occaſio peccati, quàm cauſa.*

7 *Deus nullo modo eſt cauſa, vel author peccati.*

Quamuis ſit cauſa actus ſecundum genus naturæ conſiderati, ſeu in quantum eſt ens, & actus.

1 IN omni peccato ſunt duo: 1. actus, vel omiſſio: 2. priuatio rectitudinis debitæ in eſſe, illud eſt materiale peccati, hoc formale, & in quo ratio eius conſiſtit. Certum eſt ex Diuo Thoma, *1.2.qu.75.art.1.* Syluio, *ibid.* Claui regiæ, *lib.2.cap.8.* & communi ſententia peccatum habere aliquam cauſam: quia de nouo incipit, cum antea non eſſet: ergo debuit ſuo modo produci, ab aliqua cauſa. Peccatum ſecundùm materiale, cauſatur à voluntate creata: quia materia peccati eſt actus liber, vel omiſſio eius. Peccatum vero ſecundùm formale, non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. Ratio eſt; quia effectus priuatiui cauſa, per ſe debet eſſe priuata, quamuis per accidens cauſa poſitiua adeſſe poſſit. Itaq; integrum principium peccati, eſt voluntas creata, deficiens à ſua regula, in operationib. liberis. Vt docet D. Thomas.

D.Tho. Syluius. Clauis regia.

2. Peccatum habet varias cauſas tum internas, tum externas. Ratio eſt, quia licet nihil ſit, quod cogat, aut neceſſitet voluntatem ad peccandum, tamen multa ſunt, tum intra hominem, tum extra, quæ ipſum alliciant, & inclinent ad proſequendum aliquod bonum contra regulam legis æternæ.

Intra hominem ſunt *Primò*, voluntas, quæ eſt directa, & integra cauſa peccati, actum malum eliciens, & in ſe ſuſcipiens: D. Thomas, *cit. artic.2.* Syluius, *ibid.* Azorius, *tom.1.lib 4.capit.22.* Bonacina, *tom.2.diſp.2.quæſt.5.punct. 1.* Clauis regia, *cit.num.1.* Tannerus, *1.2.diſp.4.quæſ.9.* quia vt dicit Auguſtinus, nulla alia re fit anima hominis ſerua libidinis: niſi propria voluntate; Sicq; rectè dicitur, prima, principalis, & immediata cauſa peccati; licet enim aliæ potentiæ concurrere poſſint ad peccandum, earum tamen actus, ſicut tantùm denominātur liberi à libertate volun-

D.Tho. Syluius. Azorius. Bonacin. clauis regia. Tanner.

Digitized by Google

voluntatis, quæ eſſentialiter eſt libera; ſic etiam deordinati & culpabiles ſiue peccata, à deordinatione voluntatis, in qua eſt primum immediatum principium peccandi. Voluntas tamen per ſe non eſt cauſa peccati, ſed per accidens, quatenus eſt per ſe cauſa actus, in quo eſt defectus perfectionis debitæ. *Secundò*. Intellectus, vt proponens voluntati bonum commutabile, nec attendens ad regulam ſibi præſcriptam. *Tertiò*. Imaginatio, & appetitus, vt inclinantes voluntatem ad conſenſum peccati. Vnde duplex cauſa peccati interior recenſeri poteſt: Mediata, ſeu remota, & immediata, ſeu propinqua. Remota eſt apprehenſio ſenſitiuæ partis, & appetitus ſenſitiuus: Proxima eſt intellectus & voluntas. Et licet hæ omnes cauſæ deordinatè concurrant, ad vnum & idem peccatum, v. g. dum primò ſenſus proponit obiectum delectabile appetitui; deinde appetitus, dum in illud inclinatur, quodammodo trahit, ſeu allicit rationem, vt ipſa probet id cui ipſe afficitur; tum ratio ceſſans à conſideratione regulæ debitæ, illud approbat, ac voluntati præſentat: voluntas verò conſentiendo perficit, ſeu complet rationem peccati; Non tamen iſta ſemper concurrunt neceſſariò ad omne peccatum: nihil enim repugnat quin aliquando peccatum committatur contra inclinationem appetitus ſenſitiui, aut contra ſcientiam intellectus. Vide Syluium 1.2.*quæſt*.77.*art*.2.

Extra hominem ſunt peccatorum cauſæ. *Primò*, illecebræ mundi & carnis, vt ſunt obiecta delectabilia, honorifica, vtilia, &c. *Secundò*, Diabolus. *Tertiò*, Homo. Hi tamen vtuntur obiectis externis, vt alios trahant ad peccatum. D. Thomas 1.2. *quæſt*.75. *art*. 3. Alenſis *par*.2. *ſum*.*quæſt*.94. *memb*. 3. *art*.4. Clauis regia *lib*. 2. *cap*.8.*n*. 5. Syluius 1.2.*quæſt*.75. *art*.3.

D. Tho. Alenſ. Cla reg. Sylu.

Porrò cùm peccatum prouenit ex defectu intellectus, dicitur peccatum ex ignorantia, cum autem ex defectu, aut deordinatione appetitus ſenſitiui, dicitur peccatum ex infirmitate, cùm autem ex deordinatione voluntatis, dicitur peccatum ex malitia. Ratio eſt, quia deordinatio intellectus contingit per ignorantiam, appetitus ſenſitiui per paſſiones, ſeu ægritudines animæ, voluntatis verò per malitiam, ſicque denominantur peccata à ſua cauſa: quibus poſitis & præmiſſis, dico.

3. Peccatorum cauſæ internæ potiſſimùm ſunt quatuor, ignorantia intellectus, paſſio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati.

Peccatum ex ignorantia, ſeu imperitia eſt, quod à vincibilia ignorantia voluntarium diminuente, tanquam à cauſa per accidens procedit: vt patet ex dictis tom 1. *v. Actus humanus* 2.*num*.8 9.10. & *ſuprà verb. ignorantia*. Notandum tamen hic eſt excludi ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem; nam quamuis hæc poſſit eſſe occaſio peccati, nunquam tamen cauſa: vt ſi quis voluntariè ſe ſe inebriet, inuincibiliter ignorans ſe fornicaturũ, & non potaturus ſi præſciuiſſet: nam quamuis hæc ignorantia occaſionem dederit ebrietati, ipſa tamen ebrietas non eſt peccatum ex ignorantia; fornicatio verò nullam habet rationem peccati. Dixi *inculpabilem*, quia poteſt dari ignorantia inuincibilis, quæ tamen ſit culpabilis, vt eſt illa, quæ ex culpa originali eſt orta, & eſt cauſa cur homo delinquat, vbi non delinqueret, ſi inſtructus eſſet ſcientia illi oppoſita; ſicut concupiſcentia ſæpe facit nos velle, quæ illa non monente, non vellemus. Vide quæ diximus *ſuprà verb. Ignorantia num*. 7. ad mentem D. Auguſtini, & inſuper D. Thomam 1.2.*quæſt*.76. *art*.1. Syluium *ibi*. Angles *in Flor*.2. *ſent*.*diſp*.22. *quæſt*.2. *art*.2. *diff*.*c*.1. Bonacinam *tom*. 2. *diſp*.2. *quæſt*.5. *punct*. 1. Filliucium *tract*.21. *cap*.10. *q*. 5. Clauem regiam *lib*.2. *cap*.9.*n*. 31. Layman *lib*.1. *tract*.3. *cap*.7. *num*. 1. Tannerum 1.2. *diſp*.4.*q*.9. *dub*.1. Caſpenſ. *tract*.12.*diſp*.5.*ſect*.1 & alios.

D. Tho. Sylu. Angles. Bonac. Filliuc. Cla. reg. Layman Tanner. Caſpen.

Excluditur *ſecundò*, ignorantia affectata: nam quod ex illa fit, cenſetur fieri ex malitia, vt inſinuant Sancti Patres. Excluditur *tertiò*, inconſideratio: nam cum inconſideratione poteſt peccari, & ex igoorantia, & ex paſſione, & ex malitia. Vt inſinuat D. Thomas 1.2.*q*.78.*art*. 1.*ad* 1.

Peccatum ex paſſione, ſeu infirmitate eſt, quod fit ex motu appetitus ſenſitiui minuente libertatem voluntarii. Talia ſunt peccata ex vehementi ira, triſtitia, libidine, &c. Dico *vehementi*, quia leuis paſſio non minuit libertatem, nec item illa quæ excitatur à voluntate quæ ſecundùm D. Thomam *cit*. *quæſt*. 77. Syluium *ibid*. Bonacinam *cit*. *num*. 1. Layman *cit*. *num*. 1. Azorium *tom*. 1. *lib*.4.*cap*.2 *quæſt*.8. Clauem regiam *cit*.*cap*.10. Filliucium *cit*. *num*. 377. vocatur conſequens; nec item ea, quæ eſt ex praua conſuetudine, ſiue malè agendi, ſiue non reſiſtendi ſuis paſſionibus. Vnde Ariſt. Philoſophus *lib*. 7. *Ethic*. *cap*. 8. eleganter dicit intemperantem peccare ex malitia, incontinentem ex infirmitate: ſi tamen per pœnitentiam habitus ille malus factus ſit inuoluntarius, peccatum ſequens, cenſebitur eſſe ex paſſione. Sed de hoc plura noſter Caſpenſis *tract*.12. *diſp*. 5. *ſect*.4. & D. Thomas cum aliis.

D. Tho. Syluius. Bonac. Azor. Cla. reg. Filliuc.

Peccatum ex malitia eſt, quod ex plena libertate committitur: quia libertas voluntatis minuitur dupliciter; *Primò*, ab intellectu per ignorantiam. *Secundò*, ab appetitu per paſſionem, ergo quando ignorantia abeſt & paſſio, dicimur peccare ex pura libertate, quæ denominatione quadam extrinſeca vocatur malitia. Vbi tamen notandum eſt, peccatum ex malitia, ſtrictiùs aliquando ſumi pro peccato ex contemptu: vt cùm quis peccat, vt Deum offendat; vt ſe contumacem & inobedientem oſtendat, &c. hic autem ſumitur latè: nam omne peccatum quod non fit ex ignorantia, vel ex paſsione, cenſetur hic fieri ex malitia. D. Thomas *cit*. *quæſt*. 78. *art*. 1. Syluius, Caietanus, Conradus, Medina *ibi*. Valentia 1. 2. *diſp*. 6. *q* 8. *punct*. 1. Clauis regia *cit*. *cap*. 11. Layman *cit*. *num*. 1. Tannerus *cit*. *quæſt*.9. *num*. 50. 51. Filliucius *cit*. *num*.380. & alii.

D. Tho. Valentia Cla. reg. Layman Tann. r. Filliuc.

4. Inter hæc tria peccatorum genera, grauiſſimum eſt peccatum ex malitia; quia plena libertate fit, & cum aliquo contemptu, vnde magis voluntarium eſt. Deinde ſequitur peccatum ex paſſione; nam quamuis minuat liberum, auget tamen voluntarium, & facilius vitari poteſt, quam peccatum ex ignorantia, quod minuit liberum & voluntarium ſimul. Hinc ſecundùm D. Gregorium *lib*.25.*moral*. *cap*.16. *Grauius quidem peccatur infirmitate quam ignorantia, ſed multo grauius ſtudio, quam infirmitate*. Ita etiam D. Thomas 1.2. *q*.78.*art*.4. Syluius *ibi*. Becanus 1 2. *tract*. 2. *cap*.4. Nauarrus *in cap*. *ſciendum n*. 5.*diſt*.2. *de pœn*. Tannerus *cit*. *num*.52. & alii.

D. Tho. Syluius. Becan. Nauar. Tanner.

5. Vnum peccatum poteſt & ſæpè ſolet eſſe cauſa alterius peccati: idque ſecundùm omnia quatuor cauſarũ genera, vt præclarè D. Thomas iuxta illud Gregorii homilia 11 in Ezechielem: *Peccatum quod per pœnitentiam non tergitur, ſuo pondere ad aliud trahit*. Dicitur autem peccatum eſſe cauſa alterius quatenus tollit gratiam, & charitatem, verecundiam, & timorem, quibus retrahebatur quis à peccando; ſeu quatenus per vnum peccatum accipit homo diſpoſitionem, qua inclinatur voluntas ad alterum præſertim eiuſdem ſpeciei, vel quod ſaltem cum eo affinitatem & dependentiam quandam habet, v. g. per actum libidinis, vel per exceſſum gulæ, redditur homo procliuior ad alios luxuriæ, & intemperantiæ actus. Vnde hæc quarta cauſa conſtituit peccata capitalia quæ nihil aliud ſunt, quàm capita, fontes, radices; cauſæ, & matres aliorum peccatorum: vt ſunt illa ſeptem vulgatiſſima, *Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, ira, Acidia*.

Inter hæc autem præcipua ſunt, ſuperbia & cupiditas: ratio prioris eſt, non ſolùm quia primum peccatum Angelorum fuit ſuperbia, aut quia Adam peccauit ex ſuperbia, verùm etiam quia ex peccato ſuperbiæ reliqua originem trahunt, quatenus ſuperbus non veretur præ ſuperbia in alia peccata incidere. Ratio poſterioris eſt. Quia auarus audet quodlibet ſcelus committere ad congregandum pecuniam: vnde dicitur Eccleſiaſt. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius*. Et 1. ad Timoth. vlt. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. Ita D. Thomas 1. 2. *q*. 75. *art*. 4. Syluius *ibi*. Bonacina *cit*. *num*. 1. Tannerus *cit*. *quæſt*. 9. *dub*.6.*num*. 109. & *ſeq*. Clauis regia *lib*.2. *cap* 12. *num*.4. 5. & 6. Vaſquez 1.2. *diſp*.136. Medina 1.2.*quæſt*.84. *art*.2. Caſpenſis *tract*. 12. *diſp*.5. *ſect*.8. & alii.

D. Tho. Bonac. Tanner. Cla. reg. Vaſquez Medina. Caſpen.

6. Certum eſt ex ſacris litteris, dari cauſas exteriores peccati; ſed illæ obiectiuè tantùm poſſunt cauſare peccatum, per ſpeciem boni, quam ingerunt ſenſibus, vnde ſunt potiùs occaſio peccati, quam cauſa. Tales ſunt,

Homo,

Digitized by Google

Homo, Diabolus, Obiecta ſenſibilia. D. Thomas 1. 2. q. 75. *art*. 3. Syluius *ibi*.

D. Tho. Syluius. Tanner. Bonac. Vaſquez. Azor.

Et quidem de homine, res eſt ſatis aperta, quòd poſſit ſuaſu, & conſilio ſuo, aliiſque modis & vijs alterum ad peccatum inducere, adeòque poſſe eſſe cauſa peccandi impulſiua. D. Thomas 1. 2. *quæſt*. 81. *art*. 1. *& ſeq*. Syluius *ibi*. Tannerus 1. 2. *diſp*. 4. *quæſt*. 9. *dub*. 6. *num*. 108. Bonacina *tom*. 2. *diſp*. 2. *quæſt*. 5. *punct*. 1. *& quæſt*. 1. *punct*. 3. Vaſquez 1. 2. *diſp*. 130. *&* 132. Azorius *tom*. 1. *lib*. 4. *cap*. 30. *q*. 9. Habet tamen homo peculiarem rationem cauſandi peccatum in poſteros per naturalem propagationem: ſed hoc tantùm conuenit in primum noſtrum parentum, in cuius voluntate omnium noſtrum voluntates, etiam Beatæ Virginis, decreto diuino poſitæ fuerunt, hac lege & conditione, vt ſi de ligno vetito non comediſſet, toti poſteritati, gratiam acceptam conſeruaret, ſin autem toti poſteritati amitteret, & generaret filios iræ, obnoxioſque peccato, quod vocamus originale. Hoc autem peccatum, origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione, tranſfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, nec per naturæ vires, vel per aliud remedium tolli poteſt, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis, quàm paruulis applicatur, vt definit Concilium Tridentinum *ſeſſ*. 5. *c*. 3. ſtatim igitur atq. quis naturali via concipitur, ex vi ſuæ conceptionis, peccatum hoc contrahit, per efficientiam quandam moralem, ab Adamo manantem, qui omnes ſuos poſteros ad eum ferè modum infecit, quo peccator in ſe relinquit habitualem quandam maculam, actu peccati iam tranſacto, à qua formaliter denominatur peccator.

Cæterùm quamuis Beatiſsima Virgo Maria, quatenus peccauit in Adamo, habuerit obligationem, ſeu neceſsitatem contrahendi peccatum originale, de facto tamen præſeruata fuit, ne cum peccato originali conciperetur & naſceretur: & licet hæc ſententia non ſit quidem certa, ſed adeò eſt probabilis vt oppoſitæ meritò præferatur: quæ potiſsimùm probatur Eccleſiæ auctoritate & vſu multis modis huic ſententiæ fauentis; vt patet ex Conſtitutionibus Sixti IV. *Cum præexcelſa, & graue nimis*. Pij V. *Speculum Domini*, anno 1570. Pauli V. *Sanctiſſimus Dominus noſter*, die 31. Auguſti 1617. Vbi prohibet, vt nullus in concione ad populum, vel actibus publicis, intellige, lectionibus, concluſionibus, diſputationibus teneat, vel defendat opinionem D. Thomæ, dicendo B. Virg. conceptam cum originali, idque propter ſcandalum fidelium. Tamen prohibet ne in actibus publicis Prædicatores, vel Lectores dicant opinionem D. Thomæ eſſe peccaminoſam, vel hæreticam, ſicut Sixtus IV. & Pius V. antea decreuerant. Imò iubet Paulus V. quòd in publico opinionem D. Thom. non impugnent, nec de illa aliquo modo agant, ſeu tractent. Et concedit Epiſcopis, & Inquiſitoribus vt procedant contra oppoſitum facientes. Tandem S. D. N. Gregorius XV. anno Domini 1622. 2. Iunii, vt patet ex eius Bulla 29. tom. 4. Bullarii ſub excommunicationis pœna, & aliis pœnis præcepit, ne opinio D. Thomæ, etiam in priuatis colloquiis, vel ſcriptis prædicetur, vel defendatur. Poſtea tamen idem Pontifex 28. Iulii eiuſdem anni 1622. conceſsit omnibus & ſingulis Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuſcumque priuatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis, inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia eiuſdem Conceptionis B. Mariæ Virginis diſſerere, & tractare, abſque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu liberè, & licitè poſsint, & valeant. Vaſquez *tom*. 2. *ad* 3. *p*. *diſp*. 116. *&* 1. 2. *diſput*. 130. Suarez 3. *p*. *tom* 2. *diſp*. 3. *ſect*. 5. *&* 6. Syluius 1. 2. *q*. 81. *art*. 3. *concluſ*. 2. Tannerus 1. 2. *diſp*. 4. *quæſt*. 7. *dub*. 2. Bonacina *tom*. 2. *quæſt*. 1. *punct*. 3. Rodriquez *tom*. 1. *qq*. *reg*. *quæſt*. 57. Portel *in dub*. *reg*. *verb*. *Conceptio Deiparæ num*. 9. *& verb*. *Prædicatores num*. 6. Hieron. Rodriquez *in compend*. *reſol*. 30. et alii.

Vaſquez. Suar. Syluius. Tanner. Bonac. Rodriq. Portel.

Fauet ad hæc ſupradicta Conc. Trid. *ſeſſ*. 5. vbi Beatam Mariam Virginem vocat immaculatam; & idem comprobat authoritas Sanctorum Patrum, communiſq. Doctorum, & Academiarum huius ætatis conſenſus.

Diabolus eſt author omnium peccatorum occaſionaliter, plurimorum cauſaliter. Probatur prima pars, quia primis noſtris parentibus peccatum perſuaſit, quod fuit origo omnium peccatorum ſubſequentium. Probatur ſecunda pars, quia cùm hominem ſuperauerit in Paradiſo, ius quidem in illum acquiſiuit, ac propterea illum tentat, inſtigat, impellit ad malum, non quidem cogendo, aut neceſſitando liberum arbitrium, ſed per externam ſuggeſtionem, proponendo obiecta quædam ſenſibus grata, quæ poſſint trahere ad conſenſum: item per ſuggeſtionem internam, commouendo ſpiritus & humores, atque adeò imaginationem & appetitum ſenſitiuum ad varios motus impellendo, quibus homo inclinetur ad peccandum. Non tamen omnia, & ſingula peccata ex diaboli ſuggeſtione accidunt, niſi remotè; quatenus nimirum ipſa quoque naturæ corruptio, quæ ſubinde nobis eſt cauſa peccandi, ex ipſa quoque ſerpentis, ac diaboli ſuggeſtione, ſeu tentatione prodijt. Ratio eſt, quia mundus & caro noſtra, etiam per ſe ſola ſatis ad nos tentandos virium habent. D. Thomas 1. 2. *quæſt*. 80. Syluius *ibi*. Clauis regia *lib*. 2. *cap*. 12. *num*. 2. Tannerus 1. 2. *diſp*. 4. *quæſt*. 9. *dub*. 6. *num*. 102. *& ſeq*. Malderus 1. 2. *q*. 80. *art*. 2. Filliucius *tract*. 21. *cap*. 10. *quæſt*. 12. Caſpenſis *tract*. 12. *diſp*. 5. *ſect*. 7. & alij.

D. Tho. Syluius. Cla. reg. Tanner. Malder. Filliuc. Caſpenſ.

Obiecta ſenſibilia, ſeu res exteriores cauſæ nonnunquam peccati eſſe ſolent; nam experientia docet ſenſibilia exteriora hæc mouere appetitum ſenſitiuum, vnde fit, vt inducatur homo ad peccandum: non tamen mouent eum ex neceſſitate, niſi fortè aliquo modo diſpoſitum, id eſt, niſi fortè contingat appetitum ſic eſſe diſpoſitum, vt à rebus exterioribus poſſit de neceſſitate moueri; ſicut eſt quando iſte appetitus ſubeſt vehementibus paſſionibus, vſum rationis tollentibus: tunc enim idem eſt iudicium ſicut de animalibus brutis, quia ſcilicet appetitus neceſſariò ſequitur impetum paſſionis. Nihil ergo immediatè mouere poteſt voluntatem ad cauſationem peccati, quæ tamen ſola proximè peccat, & ideò ipſa ſola eſt cauſa ſufficiens peccati & complens ipſum. D. Thomas 1. 2. *quæſt*. 75. *art*. 3. Syluius *ibi*. Clauis regia *lib*. 2. *cap*. 12. *num*. 3. & alii.

D. Tho. Sylu. Cla. reg.

7. Orthodoxa ſententia eſt Deum verè, ac propriè loquendo, nullo modo eſſe cauſam, vel authoritatem peccati, Conc. Trid. *ſeſſ*. 6. *can*. 17. & hæc veritas poteſt confirmari ex Scripturis, Patribus, & Conciliis, contra Hæreticos, qui docent Deum eſſe authorem peccati, & cauſam cur homo peccet, ipſumque ſicut bona, ita mala operari, voluntate creata, vel merè paſſiuè ſe habente, vel ſaltem ſponte ſolùm & non liberè agente; & conſequenter addentes hominem neceſſitati ad peccandum, tum à Deo, tum ab eius prouidentia, & ordinatione. Quæ quidem omnia magnam continent in Deum blaſphemiam, & communiter damnantur à Catholicis Doctoribus: tùm quia Deus non poteſt id velle, quod ipſius naturæ aduerſatur; peccatum autem aduerſatur naturæ diuinæ, cùm Deus ſit ſummum bonum, culpa verò ſummum malum, ergo Deus non eſt cauſa peccati; non directè, quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum; Deus autem cùm omnia ordinet in ſeipſum, ſicut in vltimum finem, non poteſt eſſe, neque ſibi, neque aliis cauſa recedendi ab ordine, qui eſt in ipſum: Non etiam indirectè, quia is qui non præbet alicui auxilium ad euitandum peccatum, ſi hoc faciat ſecundùm ordinem ſapientiæ & iuſtitiæ, non eſt cauſa peccati, ne quidem indirectè. Quando autem Deus non præbet aliquibus auxilium ad euitandum peccatum, hoc facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & iuſtitiæ, cùm ipſe ſit ſapientia & iuſtitia: ergo non eſt cauſa peccati, ne quidem indirecta: nam vt aliquis non impediendo, ſit cauſa indirecta peccati, requiritur, vt is non ſolùm potuerit, ſed etiam debuerit illud impedire. Quod tamen de Deo dici non poteſt, quandoquidem ipſe tanquam cauſa vniuerſalis, & generalis totius vniuerſi rector, nec tenetur impedire modum agendi cauſarum particularium, nec etiam omnibus dare gratiam efficacem, qua reipſa vitentur omnia peccata. Sic D. Thomas 1. 2. *quæſt*. 79. *art*. 1. Syluius *ibi*. Tannerus 1. 2. *diſp*. 4. *quæſt*. 9. *dub*. 4. Bellarminus *lib*. 2. *de ſtatu peccati cap*. 18. Becanus *part*. 2. *tract*. 2. *cap*. 6. *quæſt*. 1. Bonacina *tom*. 2. *diſp*. 2. *quæſt*. 5. *punct*. 2. Caſpenſis *tract*. 12. *diſp*.

D. Th. Syluius. Tanner. Bellarm. Becan. Bonac. Caſpenſ.

Digitized by Google

diſp. 5. *ſect.* 5. & communis Theologorum ſchola.

An autem Deus ſaltem ſit cauſa actus peccaminoſi, nō formaliter, ſeu ſecundùm eam rationem qua eſt peccatum; ſed materialiter, ſecundùm ſubſtantiam, ſeu entitatem conſiderati, qui ſubſternitur malitiæ peccati? Vera & certiſſima eſt reſponſio D.Thomæ *cit.art.*2. Syluii *ibi.* Becani *cit.quæſt.*2. *num.*3.*&* 4. Deum eſſe cauſam omnis actus ſecundùm genus naturæ conſiderati, ſiue in quantum eſt ens & actus, atque adeo etiam eſſe cauſam actus peccati, ſeu actus peccato ſubſtrati, tametſi non ſit cauſa actus peccati formaliter, ſiue ſecundum quod eſt peccatum. Quare autem homo dicendus ſit peccare, & non Deus, etiamſi Deus operetur eumdem actum quem homo? Quidam, vt Suarez *opuſcul. de auxilijs lib.* 1. *cap.* 6. Molina *in concordia q.* 14. *art.*13. *diſp.* 31. Tannerus *cit. dub.*5. Bonacina *cit.punct.*2. *num.*1. hanc rationem adferunt, quia Deus præbet homini concurſum, ſeu influxum, qui eſt indifferens, quique determinatur ad malum ab hominis voluntate, non autem a Deo. Verùm huic reſponſioni obſtat, quod ſi concurſus Dei foret ex ſe indifferens ad bonum & malum, ergo voluntas hominis perinde poſſet illum determinare ad bonum, ſicut ad malum, ac per conſequens poſſet vnus ſe diſcernere ab alio, quod eſt contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 4. dicentem: *Quis te diſcernit?* Denique concurſus, vel influxus Dei, quo actualiter operatur cum cauſis ſecundis, non eſt aliquid extra ipſas cauſas poſitum, quod ab illis accipi poſſit, vt eo deinde vtantur, applicantes illud, vel ad bonum, vel ad malum prout voluerint, ſed eſt, vel ipſa actualis operatio Dei, vel actio cauſæ ſecundæ vt pendens ſiue in quantum fit à Deo per illam: non eſt igitur vnde influxus Dei dicatur eſſe indifferens, quando actualiter eum tribuit. Ita doctiſſimè & ſubtiliter Syluius *t.* 2. *diſp.*79. *ad* 2. *in reſp.ad* 3. Potius ergo dicendum videtur, idcirco Deum non eſſe cauſam, vel concauſam peccati, ſed hominem; quia Deus illam actionem operatur, eiuſque cauſa eſt ſolum vt eſt actio: homo autem ea operatur nō tantum vt eſt actio, ſed etiam vt eſt defectuoſa, ſiue in quantum eſt priuata bono ordinis quem deberet habere. Sed hæc ſatis Theologo morali.

Suar. Molina. Tanner. Bonac. Syluius.

PECCATVM IV.

De diſtinctione ſpecifica, & numerica peccatorum cordis, oris, & operis.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicantur peccata cordis, oris, & operis? & an differant ſpecie inter ſe?*
2 *An peccata ſint paria, & neceſſario connexa.*
3 *An inæqualitas peccatorum ſpecifica, & principalis deſumatur à diuerſitate obiectorum, ſeu finium intrinſecorum?*
Grauitas peccati attenditur ex dignitate, & perfectione virtutis, cui opponitur.
Et ſecundùm eius cauſas, ſeu diuerſas rationes voluntarij.
Item aggrauatur peccatum ex circumſtantijs.
Ex conditione perſonæ peccantis, vel in quam peccatur.
Ex nocumento quod peccans ſibi, aut alteri infert.
4 *An peccata ſpecie diſtinguantur ſecundum obiecta, aut per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur ſpecie diuerſas?* refertur duplex ſententia.
5 *An diuerſitas præceptorum materialis ſola, indicat diuerſitatem ſpecificam peccatorum?*
6 *An diſtinctio numerica peccatorum internorum, deſumenda ſit ex diſtinctis numero malitijs, ſeu contrarietatibus ad rationem.*
Quando actus voluntatis moraliter cenſeatur interruptus.
7 *An in eodem actu poſſint dari plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ, & in confeſſione aperienda?* refertur duplex ſententia.
8 *Quando peccata quæ ſermone complentur, multiplicentur ſpecie, & augeantur numero.*
9 *Peccata quæ opere conſummantur, an ſpecie multiplicentur ex obiectis ſpecie diſtinctis; ex fine, & ex circumſtantijs mutantibus ſpeciem.*
10 *Peccata operis numero multiplicantur ex multiplicatione operis interrupti moraliter, & ex multiplicatione obiectorum, quæ numero diſtinguantur.*
11 *An actus præcedentes, concomitantes, & ſubſequentes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem, ſint peccata numero diſtincta, & in confeſſione neceſſario explicanda.*

1 PEccata cordis propriè loquendo, dicuntur illa, quæ complentur in ſola ratione & voluntate, vt odium Dei, vel proximi, hæreſis, inuidia, ira, ſuperbia, iudicium temerarium & ſimilia, vnde hæc peccata cordis, vt plurimum aut pertinent ad delectationes, aut ad deſideria. Peccata oris ſunt illa, quæ conſummantur in ore, vt detractio, mendacium, periurium, &c. Peccata operis ſunt illa, quæ opere ipſo perficiuntur, vt eſt furtum, homicidium. Vnde hæc peccata ex ſe ſunt completa & perfecta. Aliquando tamen conſiderari poſſunt vt incompleta & per ordinem ad illud, quatenus ſunt via, principiū, origo, diſpoſitio ad peccatum operis; peccatum enim operis aliquando trahit originem à corde, & aliquando ab ore. Imò in vno eodemque peccato, hæc tria inueniri poſſunt, ita vt vnum ſit quaſi gradus, diſpoſitio, & præparatio alterum. Quamobrem luxurioſus primò meditatur de fornicatione admittenda, ſecundò ſollicitat verbis mulierem, & tertiò actum committit, quæ omnia vnum peccatum perfectum reputantur.

Quibus poſitis dicendum eſt cum S.Thoma 1.2. *quæſt.* 72.*art.*7. Magiſtro *in d.*42. Bonacina *tom.*2. *diſp.*2. *quæſt.* 4. *punct.* 5. Syluio 1. 2.*quæſt.* 74. *art.* 7. Claue regia *lib.*2. *cap.*6. *num.*4. Tannero *t.*2.*diſp.*4.*quæſt.*2.*dub.*1. *num.* 33. *&* 34. Filliucio *tract.* 21. *cap.* 8. *num.*274. Reginaldo *lib.* 15.*cap.*1.*num.*7. Valentia 1.2.*diſp.*6.*punct.*2. & aliis, peccata quæ complentur in corde, ac voluntate, differre ſpecie à peccatis, quæ perficiuntur & conſummantur in ore, vel opere. Quia habent diuerſa obiecta, vt odium Dei, detractio, et furtum. Si verò peccata cordis, et oris conſiderentur vt ſunt origo et principium, ſeu diſpoſitio ad peccatum operis, non differunt ſpecie: quia opponuntur eidem virtuti, et priuationem perfectionis, et bonitatis eiuſdem ſpeciei includunt: Interdum tamen differūt numero, ſicut quando non ſimul perpetrantur, ſed per diuerſa temporis interualla.

D. Tho. Magiſt. Bonac. Sylu. Cla. reg. Tanner. Filliuc. Reginal. Valentia

2. Peccata neque ſunt paria, neque neceſſariò connexa. Prior pars eſt de fide contra hæreſim Iouiniani, vt conſtat ex D. Hieronymo libro 2. contra Iouinianum. Et probatur ex ſcripturis Ioannis 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Ieremiæ 7. verſ. 26. *Peius operati ſunt quam patres eorum.* Ratio autem eſt, quia peccatum eſt quidem receſſus ab ordine rationis: atqui peccata nō tollunt totum ordinem rationis, ſed aliquid eius: ergo ſecundum quod plus, vel minus de iſto ordine tollunt, eò ſunt maiora, vel minora: iuxta etiam quòd plus, vel minus voluntarii, aduertentiæ, deliberationis, affectus, aut iuxta virtutum inæquales perfectiones, à quibus deuiatur, maior vel minor eſt receſſus à recto rationis ordine. Fundamentum Iouiniani erat, quòd omne peccatum conſiſteret in priuatione, ſed vna priuatio non eſt maior alia, nullus enim magis moritur quàm alter, cùm mors conſiſtat in priuatione vitæ, ergo vnum peccatum non eſt maius alio, ergo omnia ſunt paria. Ad quod reſpond. in primis peccata non eſſe priuationes puras, quia peccatum eſt actus debito ordine priuatus: deinde quædam ſunt priuationes, quæ ſuſcipiunt magis et minus, illæ nimirum quæ aliquid relinquunt de habitu oppoſito. Peccatum verò eſt de numero talium priuationum, cum ſemper aliquid relinquat deordinationis, vt declarat D. Th.1.2.*quæſt.*73.*art.*1.*&* 2.Syluius *ibi.* Vaſquez 1.2. *diſp.* 99.*c.*7. Valentia *tom.*2.*diſp.* 6. *q.*3. *punct.*1.*&* 2 Bonacina *tom.*2.*diſp.*2.*quæſt.*4. *punct.*1. *n.*1. *&* 4. Azorius *tom.*1.*lib.* 4.*cap.*19. *quæſt.* 1. *&* 2. Tannerus *t.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 3. *dub.* 1. Clauis regia *lib.*2. *cap.*7. *num.* 1.2. *&* 3. Malderus

D. Tho. Syluius. Vaſquez Valentia Bonac. Azor. Tanner. Cla. reg. Malder.

1.2.

1. 2. *quæſt.73. art. 1. & 2.*

Poſterior pars probatur ex illo Iacobi 2. *Quod ſi non mœchaberis, occidas autem, factus tranſgreſſor legis.* Supponitur enim hic poſſe quempiam eſſe homicidam; qui non ſit mœchus. Ratio autem eſt. Quia tum peccata, tum vitia, ſæpè inter ſe pugnant vt prodigalitas & auaritia, gula & nimia abſtinentia, &c. et quamuis non pugnarent, tamen non ſtatim qui furatur eſt adulter, aut homicida. Poſſunt tamen peccata dici aliquo modo connexa, quatenus vnum eſt via & diſpoſitio ad aliud: & hoc pacto intelligendi ſunt Patres, cùm aſſerunt peccata eſſe inter ſe connexa.

3. Inæqualitas peccatorum ſpecifica & principalis, hoc eſt, magis intrinſeca & inſeparabilis, deſumitur à diuerſitate obiectorum, ſeu finium intrinſecorum; prout vnum obiectum, magis quàm alterum rationi repugnat, ſeu actus prauus circa vnum potiùs obiectum quàm circa alterum deteriori priuatione deformatur. D. Thomas 1.2.*quæſt.73. art.* 3. Syluius *ibi*. Clauis regia *lib. 7. cap. 7. num.*5. Tannerus 1.2.*diſp.4 quæſt.3.dub.2.* Ratio eſt, quia grauitas peccati attendenda eſt ex eo, vnde habet ſpeciem; peccata autem habent ſpeciem ex obiectis. Et hinc eſt, quod aliquorum peccatorum vnum ſit grauius altero, ſecundùm ſuam ſpeciem, vt homicidium furto.

D. Tho. Syluius. Cla reg. Tanner.

Ex quo collige, cæteris paribus, ſecundùm ſe, grauiora eſſe peccata quæ committuntur in Deum, vt infidelitas, blaſphemia, odium Dei, hæreſis, &c. eis, quæ in creatura perficiuntur: Inter ea quæ in proximum diriguntur, maiora ſunt, quæ animæ ſaluti aduerſantur, eis, quæ corpori inferuntur. Item peccata ſpiritualia eſſe grauiora peccatis carnalibus, quia ſpiritualia turbant ordinem rationis in materia ſublimiori.

Secundo, grauitas peccati attenditur ex dignitate & perfectione virtutis, cui opponitur; quia quò peccatum opponitur virtuti nobiliori, eò verſatur circa præſtantius obiectum: ſicut autem virtus & vitium ſpecificantur ex obiectis, ita virtutis dignitas & vitii grauitas attenditur ex obiectis. Confirmatur, quia in hac ipſa diuerſa priuatione, ſeu oppoſitione ad diuerſam rectitudinem virtutis, conſiſtit peccatorum inæqualitas: Intellige hanc doctrinam, modò omnia ſint paria: quia alioquin, poteſt aliquod peccatum contra charitatem Dei, vel proximi eſſe minus graue, quàm peccatum aliquod contra iuſtitiam aut temperantiam, quando ex hoc acciperetur aliquod maximum in genere ſuo, & ex altero acciperetur aliquod leuius in genere ſuo. D. Thomas 1.2.*quæſt.73.art.* 4. Syluius *ibi. concluſ.* 1. & 2. Tannerus *cit. dub.2. num.* 31. Clauis regia *cit. num.* 6. Azorius *cit. cap.19. quæſt.* 4. Bonacina *cit. quæſt.4. punct.* 1. *num.* 5. & alii.

D. Tho. Syluius. Tanner. Cla reg. Azor. Bonac.

Tertiò. Grauitas peccati attenditur ſecundùm eius cauſas, ſeu diuerſas rationes voluntarii: quia voluntas quæ eſt cauſa peccati per ſe, quò maior eſt & vehementior, eò peccatum grauius eſt: item finis qui dicitur cauſa peccati, per accidens, quò peior eſt, eò peccatum eſt grauius. Vt dictum eſt ſupra. D. Thomas *cit. art.6.* Syluius *ibi*. Bonacina *cit. quæſt.4. punct.* 1. *num.6.* Tannerus *cit. num.*33. & alii.

D. Tho. Sylu. Bonac. Tanner.

Quartò. Aggrauatur peccatum ex circumſtantiis: vt quæ non ſolùm in eadem ſpecie augere poſſint, vt fit per quantitatem maiorem obiecti, v. g. furti: itemque per maiorem intenſionem eiuſdem actus, ſed etiam in diuerſam, ac grauiorem ſpeciem transferre, aut nouam ei ſuperaddere. D. Thomas *cit. art.7.* Syluius *ibi*. Clauis regia *cit. num.*13.

D. Th. Syluius. Cla. reg.

Quintò, ex conditione perſonæ peccantis, vel in quam peccatur. Ratio prioris eſt, quia quò quis plura beneficia à Deo accepit, eò exhibet ſe magis ingratum, deliberatè peccando. Item quò quis ſcientia, vel virtute, vel ſtatu maior eſt, eò magis poteſt, vel debet abſtinere à peccatis, & ipſorum peccata ſolent eſſe magis ſcandaloſa & conſequenter grauiora. Ratio poſterioris eſt, quia perſona in quam peccatur, eſt quodammodo obiectum peccati: grauitas autem peccati ex obiecto attenditur. D. Thom. *cit. art.* 9. & 20. Syluius *ibi*. Bonacina *cit. n.* 6. Syluester *verb. Religio* 6. *num.*14 Tanner. *cit. n.*34. & 35. et alii.

D. Th. Syluius. Bonac. Syluest. Tanner.

An autem conditio perſonæ in quam peccatur ſit exprimenda in confeſſione? Vide *tom.1. verb. Circumſtantia num.* 6.

Sextò. Peccati grauitas attenditur ex nocumento ſiue corporali, ſiue temporali, ſiue ſpirituali, quod peccans ſibi, aut alteri infert: & quidem ſi nocumentum ex peccato proueniens ſit præuiſum & intentum, eius quantitas directè auget grauitatem peccati; quia tunc illud nocumentum eſt per ſe obiectum voluntatis eius qui peccat: ſi autem præuiſum ſit, ſed non intentum, auget peccatum indirectè; quia non eſt per ſe ac directè voluntarium, neque vt finis neque vt medium: Si verò neque præuiſum, neque intentum ſit, ſed per ſe ſequatur ex actu peccati, directè illud aggrauat: ſi autem ſequatur ſolùm per accidens, non aggrauat illud directè. Ratio D. Thomæ eſt, et communiter recepta: quia quæcumque per ſe conſequuntur ad peccatum, quodammodo pertinent ad ipſam peccati ſpeciem, & virtualiter, ſeu implicitè voluntaria ſunt, hoc ipſo quo actus peccati eſt voluntarius. Per ſe autem ſequi cenſetur illud, quod vel ſemper, vel vt plurimùm comitatur.

Porrò ab iis omnibus totalis malitia peccatorum deſumenda: quia quanto magis humana actio conſentanea eſt rationi, tanto perfectior eſt; & à contrario, quanto minùs accedit ad lumen rationis, tanto imperfectior eſt & deterior; peccatum autem minùs accedit ad lumen rationis quo perfectiori fini repugnat, & in imperfectius obiectum fertur, cum peiori fine, ac peioribus circumſtantiis rectæ rationi repugnantibus; vnde ſecundum hæc omnia, variatur peccatorum grauitas. Ita communiter Doctores. Vide D. Thomam *cit. art.8.* Syluium *ibi. concluſ.* 1. 2. & 3. Bonacinam *cit. num.* 6. Tannerum *cit. quæſt.* 3. Clauem regiam *lib* 2. *cap.7. num.* 13. Filliucium *tract.21.cap.9.quæſt.9.* Vaſquez 1.2. *diſp.* 102. et alios.

D. Th. Sylu. Bonac. Tanner. Cla. reg. Filliuc. Vaſquez

4. Peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundùm obiecta, quia peccatum eſt actus humanus; Actus autem humani diſtinguuntur ſpecie ſecundùm obiecta, ergo. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæſt.72. art.* 1. Syluius *ibid.* Vaſquez 1. 2. *quæſt. 72. in comm. n.* 2. quod idem eſt dicere, peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundùm oppoſitas virtutes, ac per conſequens ſecundùm priuationes rectitudinis virtutum oppoſitarum, vt volunt Becanus *to.2.tract.1.cap.5. quæſt.* 2. Bonacina *tom.* 2. *diſput* 2.*quæſt.4. punct.3. num.* 1. & 2. quia nihil aliud eſt diſtingui ſecundùm obiecta formaliter ſumpta, quatenus ſcilicet oppoſitionem habent ſpecialem, quàm diſtingui penes diuerſas perfectiones, quibus peccata priuant; peccatum enim proximè conſiſtit in priuatione perfectionis, ſeu rectitudinis, et honeſtatis debitæ actui: ſed honeſtas & rectitudo deſumitur ex obiecto, & per ipſum diſtinguitur; ergo peccatum diſtinguitur penes obiecta. Quamuis nonnulli Doctores putent peccata diſtingui ſpecie per ordinē ad virtutes, quibus opponitur, ſpecie diuerſas. Ratio eſt, quia peccatum natura ſua in recti priuatione conſiſtit, ergo peccata ſpecie ab ſe inuicem diſtant, cùm ſint priuationes boni & recti ſpecie diuerſi, nimirum, quia carent diuerſis circumſtantiis rectæ rationi debitis: Exempli gratia, furtum idcirco ſpecie diſtinguitur à blaſphemia, quia illud eſt oppoſitum iuſtitiæ, hæc religioni, quæ ſpecie differunt. Ita Scotus *in 2.diſt.35. quæſt.1.* Gabriel *diſt. 37. quæſt.1. art.3.* Tannerus 1.2.*diſp. 4. quæſt.2.dub.1.* quorum ſententia eſt ſatis probabilis, in quantùm concedit peccata diuerſis virtutibus oppoſita eſſe ſpecie diuerſa; tamen non eſſet admittenda, in quantùm ſuſtinet ex oppoſitione ſolùm ad virtutes ſpecie diuerſas colligi diſtinctionem ſpecificam peccatorum: quia eidem virtuti opponi poſſunt peccata ſpecie diuerſa, vt ſunt peccata rapinæ, furti, adulterii, &c. quæ virtuti iuſtitiæ opponuntur, & ſunt peccata ſpecie diſtincta. Ita Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 2. quæſt.* 3. Layman *lib.1.tract.3. cap.2. num.2.*

D. Tho. Sylu. Vaſquez

Becan. Bonac.

Scotus. Gabriel. Tanner.

Azor. Layman

5. Diuerſitas præceptorum materialis ſola, non inducit diuerſitatem ſpecificam peccatorum: puta ſi idem eodem modo & ratione, diuerſo ſolùm tempore, vel à diuerſis præcipientibus præceptum aut prohibitum ſit, vel ſi vnum præceptum ſit diuinum, alterum humanum. Ratio eſt, quia peccata non ſortiuntur differentiam ſpecificam ex eo, quod opponantur entitati materiali præceptorum, vel eidem aut pluribus præceptis ſæpius repetitis; cùm talia præcepta eſſe poſſint, vbi nulla omnino

eſt

eſt ſpecifica diuerſitas obiectorum formalium; ſed quia opponuntur præceptis formaliter & ex parte obiecti ſpectatis: Aliàs in omni violatione humani præcepti, ineſſet duplex malitia, vna contra humanum, altera contra diuinum præceptum. Sic furtum eſt vnius ſpeciei peccatum, quamuis prohibitum ſit lege naturali & poſitiua, tum diuina, tum humana.

Secus dicendum, quando præcepta ſunt diuerſa formaliter & ex parte obiecti ſpecie diſtincti, etiam in materia eiuſdem virtutis: tunc enim cùm ſpecialem ac diſtinctam habeant repugnantiam cum recta ratione, & actum qui præcipitur, transferant ad virtutem ſpecie diuerſam; peccata quæ illis præceptis opponuntur, ſunt diuerſæ ſpeciei: vnde adulterium Religioſi eſt peccatum in triplici ſpecie conſtitutum, nempe contra caſtitatem, quia accedit ad non ſuam, contra iuſtitiam, quia cognoſcit alienam, & contra religionem, ſeu votum, quod ad virtutum religionis pertinet. Sic Religioſus, qui ex voto tenetur ieiunare die Veneris, duplex ſpecie peccatum non ieiunando committit, ſi in eum diem etiam præceptum Eccleſiæ ieiunium concurrat: quia ipſe facit contra plura præcepta diuerſæ rationis, ſiue (vt alii loquuntur) ex diuerſo motiuo impoſita, ſcilicet contra votum, quod ad religionis virtutem ſpectat; & contra præceptũ Eccleſiæ, quod pertinet ad temperantiam. Igitur qui plura præcepta eiuſdem rationis, ſiue ex eodem motiuo lata tranſgreditur, vnum ſimplex peccatum committit; qui verò plura diuerſæ rationis, ſeu ex diuerſo motiuo poſita, duplex vel etiam triplex committit peccatum, ſecundùm quod duo, vel tria ſunt diſtincta motiua transferentia actum præceptum ad duas, vel tres diuerſas virtutes. D. Thomas 1.2. *quæſt.* 72. *art.* 6. *ad* 2. Sylius *ibid. art.* 6. *concl.* 1. & 2. Caietanus, Conradus, & Medina *ibid. art.* 6. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Suarez 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 22. *ſect.* 4. Sanchez *lib.* 1 *moral. cap.* 14. *num.* 9. & 10. Tannerus 1.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *dub.* 2. Vaſquez 1.2. *diſp.* 98. *cap.* 2. & 3. Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 5. Clauis regia *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 14. & 15. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 6. Caſpenſis *tom.* 1. *tractat. de peccat. diſput.* 2. *ſect.* 3.

D. Tho. Sylius. Valentia Suar. Sanchez Tanner. Vaſquez Laym. Bonac. Cla. reg. Azor. Caſpen.

6. Diſtinctio numerica peccatorum internorum deſumenda eſt ex diſtinctis numero malitiis, ſeu contrarietatibus ad rationem; quia vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 39. *art.* 3. *in corp.* ſingularitas & pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundùm formam ſignificatam per nomen. Tot itaque erunt diſtincta numero peccata intra eandem ſpeciem quot erunt actus voluntatis moraliter interrupti circa idem obiectum peccati. Ratio eſt, quia interrupto moraliter actu voluntatis circa obiectum peccati, ceſſat continuatio, & completa eſt perfectiſſimè malitia iſtius peccati; vnde ſi poſt interruptionem moralem eliciatur nouus actus, priori non ſubordinabitur, & diſtinctam numero habebit malitiam, & conſequenter diſtinctum erit peccatum.

Cenſetur autem actus voluntatis moraliter interruptus, quoties nec formaliter, nec virtualiter perſeuerat, quod fit *primò*, quando voluntas prior eſt, vel per veram pœnitentiam, vel per contrariam voluntatem, reuocata: ſi enim tunc redeatur ad priorem voluntatem, actus ille poſterior non poteſt cenſeri continuari cum priori; cùm neque ab inuicem dependeant, neque in vno aliquo coniungantur: vnde quando quis habuit voluntatem fornicandi, & poſtea illam retractauit, ſi iterum vult fornicari, prior voluntas fuit interrupta, & ſecunda quam habet ad fornicãdum, eſt diſtinctum numero peccatum à priori. *Secundò*, per voluntariam ceſſationem ab actu, per quam fit, vt illa interruptio ſit perfectè voluntaria & cõſequenter moralis: vnde ſi poſtea ad idem obiectum cogitatione quis redeat, multiplicabitur actus: quare ſi quis viſa fœmina moroſè delectetur, eamque delectationem voluntariè deſerat, ſtatim autem vel altera, vel eadem conſpecta rurſum delectetur, bis peccabit, quia ſunt duo actus mali, quorum vnus ad alterum, nullum ordinem, nullamque connexionem habet. Ita D. Thomas 2. *ſent. diſt.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 1. Sylius 1.2. *quæſt.* 72. *art.* 9. *in concluſ.* 2. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *num.* 5. Suarez *lib.* 5. *de voto cap.* 6. *num.* 10. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 4. Filliucius *tract.* 21. *cap.* 8. *num.* 314. & 315. Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Nauarrus *in Man. cap.* 6 *num.* 16. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. §. 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 21. Tannerus 1.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *dub.* 4. Graffiis *lib.* 1. *cap.* 20. *à num.* 10. & alii.

D. Tho. Sylius. Bonac. Suar. Azor. Filliuc. Laym. Nauar. Henriq. Leſſius. Tanner. Graff.

Nonnulli recentiores poſt Vaſquez *lib.* 2. *diſput.* 75. *cap.* 2. Bonacina *cit. num.* 13. Caſpenſis *cit. ſect.* 9 *num.* 76. & 77. addunt tertium modum per inuoluntariam ceſſationem, ſiue id accidat per naturalem inaduertentiam & diſtractionem ad alia, ſiue per ſomnum, in quo ceſſante vſu rationis, & deliberationis, non videtur actus voluntatis, liber poſſe continuari, ideoque interrumpetur: verùm de hoc tertio modo eſt valde dubitandum; etſi enim concedi poſſit per eiuſmodi interruptionem phyſicè multiplicari actus, non tamen videtur moraliter; quia cùm diſtrahitur animus inuoluntariè ad alia, prior voluntas interpretatiuè remanet, cùm non ſit retractata, per contrarium propoſitum, vel per ceſſationem voluntariam. In ordine autem ad confeſſionem, illi tantùm actus multiplicantur numero; qui moraliter multi ſunt, non autem, qui tantùm phyſicè: quia hæc multiplicatio tantùm inſeruit in ordine ad iudicium ſalutare ferendum à confeſſario.

Vaſquez Bonac. Caſpen.

7. Controuertitur inter Doctores, an in eodem actu poſſint dari plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ, & in confeſſione aperiendæ? Duplex eſt ſententia; quæ licet in ſpeculatiua diſtinctione diſcrepet, quod ad praxim tamen attinet, non multùm in re differt. Affirmatiuam ſententiam docent Vaſquez 3. *part. tom.* 4. *quæſt* 91. *art.* 1. *dub.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 3. Sylius 1.2. *quæſt.* 72. *art.* 9. *concl.* 1. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 29. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 164. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. Clauis regia *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 14 & alii penes ipſos. Ratio illorum eſt, quia malitia peccati conſiſtit in reſpectu contrarietatis ad rectam rationem, cùm autem actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per ſe prouenit contrarietas ad rationem, ſequitur eſſe plures malitias numero diſtinctas, et ideo plura numero peccata explicanda in confeſſione.

Vaſq. Azorius. Sylu. Diana. Henriq. Cla. reg.

Hæc ſententia eſt probabiliſſima, quando vnus actus ſimul verſatur circa plura obiecta, eiuſdem quidem rationis, ſed qui non habent ſe per modum vnius, is enim eſt virtute multiplex in genere moris, continetque tot malitias numero totalia & integra: Vt qui vno ictu occideret decem homines, faceret vnum peccatum phyſicè, ratione vnius actionis, in quo eſſent decem malitiæ morales numero diſtinctæ.

Si autem vnus actus verſetur circa plura obiecta per modum vnius, ita ſcilicet vt vel vnum ſit pars alterius, vel omnia tanquam plures partes conſtituant vnum totum; eſt tantùm vnus, vnumque peccatum: vt furtum Bibliothecæ in qua ſunt multi libri, quorum ſinguli fortè poſſunt facere materiam grauem furti, & tamen vnum tãtum peccatum eſt illius furtum, quia libri illi ſunt obiecta partialia, & conſtituunt integram bibliothecam. Ob has rationes hæc ſententia mihi modò maximè arridet, quamuis in prima huius operis editione; contrariæ nunquam probabiliori adhærendum eſſe inſinuauerim Nauarrus *in man. cap.* 6. *num.* 18. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *num.* 1.

Nauar. Bonac.

Nihilominus negatiua ſententia eſt etiam probabilis, quam tenent Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 33. Filliucius *tract.* 21. *cap* 8. *num.* 320. 322. Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Ratio eſt, quia licet actus tendat in plura obiecta materialiter diſtincta, non tamen tendit in illa per modum plurium, ſed per modum vnius: vnde eiuſmodi obiecta diuerſa numero materialiter & phyſicè, faciunt tantum actum peccati grauiorem, & ſunt vnũ obiectum formaliter & moraliter. Sed quia hæc opinio docet omnino declarandum eſſe in confeſſione; quot homines quiſpiam odio habuerit vno actu, vel percuſſerit, vel occidere voluerit: parum differt hæc ſententia à priori; ſiue enim ſint decem peccata odiſſe decem homines, ſiue vnum habens malitiam decem peccatorum, perinde eſt: hoc enim vnum æquiualet illis decem.

Suar. Filliuc. Layman

Aduertendum tamen eſt hic, quando circa duo, vel

plura

plura obiecta diſtincta, duo, vel plures actus ſucceſſiuè verſantur, non vnum tantummodo peccatum committi, ſed plura: vnde ſi quis percutiat Petrum, ſtatimque nulla interpoſita mora percutiat Paulum, non vnum tantummodo peccatum committit, ſed duo: quia non ſolùm phyſicè, verùm etiam moraliter reputantur duo actus completè diſtincti. Vt notat Bonacina *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2. num. 3.* quia diuerſitas numerica peccatorum, deſumenda videtur ex diuerſitate obiectorum, ſeu perſonarum, circa quas diuerſi actus verſantur.

Bonac.

Ex dictis hoc numero & præcedenti, deciduntur multi caſus in praxi ſæpius occurrentes; quos cernere licebit in Authoribus hic citatis, & breuitatis gratia prætermittimus. Vide *tom. 1. verb. Cenſura num.* 25. 26.

8. Peccata quæ ſermone complentur, multiplicantur ſpecie, & augentur numero, quando verbum, ſeu ſermo dirigitur, & refertur ad obiecta ſpecie diuerſa; vt ſi quis alium vocet hæreticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliæ committit ſpecie diſtincta: vnde quando multiplicantur peccata oris ſpecificè, multiplicantur etiam numericè quoad malitiam moralem, & in confeſſione neceſſariò explicanda: quia omnes ſpecies peccatorum aperiendæ ſunt in confeſſione: & eiuſmodi multiplicatio peccatorum oris, eſt ſpecifica; quæ autem ſpecies diſtinguuntur, etiam diſtinguuntur numero, ergo etiam erunt diſtinctè in confeſſione manifeſtanda. Secus dicendum de illo, qui ex eodem impetu odii, vel iræ, eadem conuitia repetit, appellando quempiam quater, vel quinques furem, vnum enim peccatum committit, ſaltem quantùm ad neceſſitatem confitendi; quia prior voluntas perſeuerat, & prius peccatum continuatur ſaltem moraliter; ita vt omnes illi actus vnam rixam conſtituant tanquam eius partes. Nauarrus *in man. cap. 6. num.* 18. Henriquez *lib. 5. cap. 8. num.* 3. Tannerus 1. 2. *diſp 4. quæſt. 2 dub 4. num.* 55. Syluius 1. 2. *quæſt. 72. art. 9. in fin.* Caſpenſis *tom. 1. tract. de peccat. diſp. 2. ſect. 8. num.* 68. & alii.

Nauarr. Henriq. Tanner. Syluius. Caſpenſ.

Verumtamen non eſt reticendum, probabiliſſimam eſſe ſententiam illorum Caietanus 2. 2. *quæſt. 72. art.* 1. Molina *tom. 5. tract. 4. diſp. 19. num.* 3. Azorius 3. *part. lib. 13. cap. 5. dub.* 1. Diana *part. 1. tract. 7. reſol.* 28. 30. 50. 51. Reginaldus *lib. 24. cap. 5. num.* 102 Sanchez *in ſelect. diſput. 6. num.* 2. Doctorum, qui docent omnes contumelias eſſe eiuſdem ſpeciei. Vt etiam diximus *tom. 1. verb. Contumelia num.* 4. tum quia conueniunt in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri ſuum honorem & ſatis eſſe in confeſſione dicere, toties contumelia affeci meum proximum, nec requiri, vt dicatur, illum vocaui ebrium, latronem, adulterum &c. tum quia in his ſpecifica, et indiuidualis ratio peccati potiùs petenda eſt ex motiuo, quàm ex materiali obiecto, cùm alteri tantum velimus iſta mala, vel proferamus, tales vel tales iniurias, contumelias, detractiones, quia eum odio habemus, aut quia nobis diſplicet, aut quia ei intendimus auferre ſuum honorem. Et ſecundùm hanc ſententiam, quandoquidem hæc peccata ſpecificè non multiplicentur, nec numero multiplicabuntur. Hæc opinio in praxi eſt ſatis tuta; inde ſiquidem pœnitentes à multis ſcrupulis & confeſſarii ab interrogationibus immunes erunt. Bonacina *tom. 1. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2 pun. 2. §. 2. diffic. 3. num. 17. & tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 2. num.* 13. Caſpenſis *cit. num.* 69.

Caiet. Molina. Azorius. Diana. Reginal. Sanch.

Bonac. Caſpenſ.

9. Peccata, quæ opere conſummantur, ſpecie multiplicantur. *Primò*, ex obiectis ſpecie diſtinctis, vt ſunt furtum, homicidium, fornicatio, & ſimilia: hæc enim obiecta ſpecie diſtinguuntur, & ideo etiam actiones, quæ verſantur circa illa. *Secundò*, ex fine, v.g. in homicidio ſimplici, et eo quod fieret ex intentione furandi, vel adulterandi; hoc enim ſecundum ſpecie diſtinguitur à primo ex fine. *Tertiò*, ex circumſtantiis mutantibus ſpeciem: vt furtum rei ſacræ ſpecie diſtinguitur à ſimplici furto, ratione circumſtantiæ ſpecie diſtinctæ. Porrò quocumque modo ex dictis multiplicentur peccata operis ſpecificè, multiplicantur etiam numericè, quoad malitiam moralem in confeſſione explicandam. D. Thom. 1 2. *quæſt. 72. art. 9.* Syluius *ibid.* Suarez *tom. 4. diſp. 22. ſect.* 5. Azorius *1. p. lib. 4. cap. 4. quæſt. 6.* Bonacina *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2. num.* 14. Caſpenſis *tom. 1. tract. de peccat. diſp. 2. num.* 72.

D. Tho. Syluius. Suar. Azorius. Bonac. Caſpenſ.

10. Peccata operis numero multiplicantur duobus modis. *Primò*, ex multiplicatione operis interrupti moraliter, vt ſi quis ter eamdem fœminam cognoſcat diuerſis temporibus, vel eodem tempore, vnam copulam ſubinde complendo poſt aliam, ſunt enim tres copulæ numero diſtinctæ, tres videlicet motus humoris ſpermatici, qui ter incaleſcit & emittitur. *Secundò*, ex multiplicatione obiectorum, quæ numero diſtinguuntur, vt ſi quis vno ictu tres cõficiat ex intentione: quando autem opera externa multiplicantur ex intentione ad vnum finem, ſi non habeant opera illa diuerſam malitiam à fine intento, conſtituunt vnum peccatum, vt qui mane proficiſcitur ad interficiendum ſuum inimicum, & in itinere ſæpius eam voluntatem iterat, nunc de ea nunc de aliis rebus cogitando: emit gladium, inſtruit equum. In ordine ad confeſſionem, peccata numero diſtincta altero ex duobus modis declaratis, etiam diſtinctè manifeſtanda ſunt quantum fieri poteſt; quæ verò efficiunt vnum peccatum moraliter, vt dictum eſt, nonniſi tanquam vnum exprimenda ſunt. Nauarrus *in man. cap. 6 num.* 16. 17. Layman *lib. 1. tract. 3. cap 3. num. 4.* Azorius *cit. quæſt. 6.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 75. cap.* 3. Tannerus 1. 2. *diſp. 4. quæſt. 2. dub. 4. num.* 54. Bonacina *cit num.* 14. Caſpenſis *cit. num.* 73. & alii.

Nauarr. Layma. Azorius. Vaſq. Tanner. Bonac. caſpenſ.

11. Vſus totius Eccleſiæ habet, actus præcedentes & concomitantes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem, non eſſe numero diſtincta peccata, nec in confeſſione eſſe neceſſariò explicanda, ſed ſufficere dicere actum principalem. Nauarrus *cap. Conſideret, de pœn. diſt. 5. num.* 48. Syluius 1. 2. *quæſt. 72. art. 9. in concl.* 2. quia ſic habetur ſufficiens cognitio ſtatus pœnitentis, ad ſalutare iudicium de illo ferendum in foro pœnitentiæ. Ita communiter Doctores. Exemplum ſit, de eo, qui intendit fornicari cum aliqua muliere, & ad eum finem cum ea loquitur, eam oſculatur, amplexatur, tandemque fornicatur; ſatis ſatisfacit, ſi ſe accuſet de fornicatione commiſſa, etiamſi actus illos qui paulò antè fornicationem tanquam eius diſpoſitio proxima præceſſerunt, non exprimat; quia omnes illi actus cum fornicatione, ad quam ordinantur, coniuncti, vnum peccatum totale conſtituunt; & ſatis intelliguntur in principali quod exprimitur. Bonacina *tom. 1. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 2. num. 12. & tom. 2 diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2. num.* 7. Reginaldus *lib. 6. num.* 119. Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 11. punct. 1. aſſert.* 4. Caſpenſis *cit. n.* 55. Sancius *in ſelect. diſp. 6. num.* 5.

Nauarr. Sylu.

Bonac. Reginal. Valentia caſpenſ. Sancius.

An autem qui fornicatus eſt, teneatur etiam confiteri oſcula, tactus, amplexus, &c. qui copulam ſubſequuntur? affirmant Vaſquez *3. p. tom. 4. quæſt. 91. art. 1. dub. 5. num.* 35. Suarez *3. par. tom. 4. diſp. 22. ſect. 5. num.* 26. Conich *de pœnit. diſput. 7. dub. 7. num.* 59. Syluius *cit. art.* 9. quia cùm illa non ordinentur ad copulam præcedentem, ſed ad ſequentem, non poſſunt cum illa eumdem actum moralem conſtituere; Subſequentes enim actus, neque ſunt partes copulæ, quæ iam præceſſit, & conſummata eſt, neque ex natura rei iam ſequuntur, ſed ex malitia tantùm operantis. et ideò pertinent tanquam diſpoſitiones ad nouam fornicationem: ergo in confeſſione explicandi. Hæc ſententia ſine dubio eſt probabiliſſima, & mihi maximè probatur.

Vaſquez Suarez. coninch. Sylu.

Quamuis contraria in praxi communiter obſeruetur, quam docent Nauarrus *in man. cap. 6. num.* 7. Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 7. & cap. 8. num.* 3. Azorius *part. 1. lib. 4. cap. 4. ad finem.* Diana *part. 1. tract. 7. reſol.* 42. Fillitucius *tract. 21. cap. 9. num.* 335. Caramuel *in reg. S. Benedicti num.* 1020. Caſpenſis *citat. num.* 55. Sancius *in ſelect. diſput. 6. num.* 3. & alii. Ratio eſt, quia talia oſcula, & tactus cum actu, & affectu principali coniunguntur, & cum eo conſtituunt vnum numero peccatum, vnde explicato actu principali, etiã cenſentur huiuſmodi actiones explicatæ. Et ſecundùm hanc ſententiam, qui poſt copulam adhuc loquitur de re turpi, aut poſt peccatum commiſſum gaudet, vel loquitur de peccato commiſſo & eius acceſſorijs, tangit vel oſculatur meretricem ad maiorem delectationem, non tenetur has circumſtantias

Nauarr. Henriq. Azor. Diana. Filliuc. caram. caſpenſ. Sancius.

tias

Digitized by Google

tias exprimere, modo ad alia negotia agenda non diuerterit, ſed in eodem ſitu, & ſtatu quo peccauit perſeueret, retinens fœminam penes ſe: & hæc non fecerit ad iterandum fornicationem. *Aduerte tamen* ſi actus qui præcedunt vel comitantur, habeant malitiam diſtinctam ab actu principali, diſtinguuntur numero, & ſunt diſtinctè exprimendi confeſſione: quia ſunt actus & peccata ſpecie diſtincta, quoad malitiam moralem. Nauarrus *cit. num.* 17. Azorius *cit. quæſt.* 5. *&* 6. Exemplum in eo qui pergit ad homicidium, et in via, peierat, blaſphemat, furatur, &c. Similiter quando tactus, oſcula, vel amplexus non fiunt ex affectu fornicationis, ſed tantùm ob libidinem in ipſis repertam; ſi fornicatio poſtea fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum diſtinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam ex affectu operantis, vt benè aduertit Hurtado *de Sacramen. diſput.* 9. *de pœnit. diffic.* 6.

Nauarr. Azor. Hurtad.

PECCATVM V.

De ſubiecto peccati.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum formaliter ſumptum, eſt in ſola voluntate, denominatiuè verò in intellectu, imaginatione & appetitu ſenſitiuo, in ore, & opere.*

2 *An in ſenſualitate ſit peccatum? Et vt ipſius motus culpabiles ſint, an requiratur aduertentia ex parte intellectus, & conſenſus ex parte voluntatis.*
Et an motus ſenſualitatis primò primi, ſecundò primi, & ſecundò ſecundi ſint peccata & qualia.

3 *An omnes motus appetitus ex cauſa voluntaria, ſint peccata.*

1 PEccatum formaliter ſumptum eſt in ſola voluntate; quia peccatum formaliter debet eſſe liberum, ergo in ea potentia quæ formaliter habet libertatem: deinde actus virtuoſus vt ſic, eſt in ſola voluntate, ergo & actus vitioſus.

Peccatum verò denominatiuè poteſt eſſe in intellectu ſeu ratione, in imaginatione, & appetitu ſenſitiuo, in ore & opere. Probatur, quia quædam ſunt peccata, quæ nata ſunt conſummari in intellectu, vt ignorantia culpabilis, error, hæreſis; quædam in phantaſia & appetitu, vt peccatum moroſæ delectationis &c. quædam in ore, vt periurium, blaſphemia: quædam in opere, vt homicidium, furtum: hæc tamen omnia ſunt peccata denominatiuè, ſeu per denominationem extrinſecam; nam tota culpa eſt in voluntate, quæ potuit ac debuit, ope & auxilio rationis, has inordinationes comprimere & impedire, cùm omnes iſtæ potentiæ & inſtrumenta neceſſariò agant, nec habeant libertatem, niſi à voluntate communicatam. D. Thomas 1. 2. *q.* 74. *art.* 1. *&* 2. Caietanus Syluius *ibid.* Vaſquez 1. 2. *diſp.* 103. *cap.* 2. *&* 4. Becanus 1. 2. *tract.* 2. *cap.* 5. *q.* 1. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt. punct. vnic.* Filliucius *tract.* 21. *cap.* 10. *quæſt.* 1. *& ſeq.* Tannerus 1. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 1. et alii.

D. Th. Caietan. Syluius. Vaſq. Becan. Bonac. Filliuc. Tanner.

Nota tamen rationem ſæpè vſurpari, pro tota portione rationali, vt includat etiam voluntatem, & ſic D. Auguſtinus *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 12. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 74 *art.* 7. *& quæſt.* 15. *art.* 4. omne peccatum tribuunt rationi, eamque diuidunt in ſuperiorem & inferiorem. Ratio ſuperior eſt, quæ rationibus æternis conſpiciendis vel conſulendis adhæret. Inferior, quæ per rationes temporales iudicat de agendis.

D. Aug. D. Tho.

Quamuis igitur peccata, quæ verſantur in materia ſpirituali, vt infidelitas: odium Dei &c. tribuantur rationi ſuperiori, & quæ verſantur in materia corporali, tribuantur rationi inferiori; præſertim ſi venialia ſint, verbi gratia peccatum gulæ: tamen hoc per quandam appropriationem, ſeu accommodationem intelligendum eſt: nam nullum eſt peccatum, quod ad rationem ſuperiorem non pertineat vel directè, vel imputatiuè, quia ipſius eſt, omnes vires inferiores gubernare, & in vltimum finem dirigere.

2. In ſenſualitate nullum eſt peccatum, ſine ordine ad voluntatem: quia nullus hominis actus vel motus, poteſt eſſe verum, ac propriè dictum peccatum, niſi homo ſit eius cauſa, vel principium, in quantum eſt homo; ſed eorum motuum, qui in ſenſualitate exurgunt independenter à voluntate, homo non eſt cauſa, vel principium in quantum eſt homo: ergo tales motus non poſſunt eſſe peccata. Cum dependentia tamen à voluntate, poteſt eſſe peccatum in ſenſualitate, hoc eſt, in appetitu ſenſitiuo, qui eſt virtus quædam appetitiua naturæ ſenſitiuæ, complectiturque concupiſcibilem & iraſcibilem. D. Thomas *cit. artic.* 3. Syluius *ibid. concl.* 1. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 104. *cap.* 1 Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 11. *&* 12. Filliucius *tract.* 21. 350. 351. Becanus *cit. quæſt.* 4 *&* 5. Caſpenſis *tract.* 12. *diſput.* 4. *num.* 7. *& ſeq.* & alii.

D. Tho. Sylu. Vaſquez Laym. Filiuc. Becan. Caſpenſ.

Ad hoc autem vt ipſius motus culpabiles ſint, ex parte libertatis duo requiruntur; *Primum*, aduertentia ex parte intellectus, qua motus prædicti præuideantur futuri ex cauſa libera, aut ſentiantur præſentes & conſiderentur ſecundùm aliquam rationem mali moraliter; *Secundum*, ex parte voluntatis conſenſus: vel directus, vel indirectus, hoc eſt, in cauſa voluntaria; requiritur præterea grauitas ipſorum motuum, et malitia obiectiua; nam ſi motus ipſi leues ſint, erunt tantùm peccata venialia. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 116. Bonacina *tom.* 1. *de matrim. quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 6. 7. 8. Tannerus 1. 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 13. *dub.* 2.

Leſſius. Bonac. Tanner.

Hinc ſecundùm communem Doctorum ſententiam, motus ſenſualitatis *primò primi*, id eſt, præuenientes rationem & voluntatem, non ſunt peccata mortalia. Bellarminus *lib.* 5. *de emiſſione gratiæ cap.* 5. Tannerus 1. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 3. Syluius 1. 2. *q.* 74. *art.* 3. *concl.* 2. *&* 3. Bonacina *de matr. cit punct.* 7. *num.* 3. Valentia 1. 2. *diſp.* 6. *q.* 4 *punct.* 2. Et eſt de fide contra Lutherum & Caluinum, vt patet in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *de peccato originali canone vltimo*, vbi anathemate feriuntur, dicentes, non tolli per baptiſmum in renatis *totum id, quod verè, ac propriè habet peccati rationem*. Ratio eſt, quia nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, ſed hos motus, homini lapſo euitare impoſſibile eſt, etiamſi ſit iuſtificatus, vt conſtat ad Romanos 7. & 8. et ex ipſa experientia; ergo &c. Confirmatur argumento D. Auguſtini *lib.* 1. *de Ciuit. Dei cap.* 15.

Bellarm. Tanner. Sylu. Bonac. Valentia

Motus concupiſcentiæ in corpore dormientis non eſt peccatum, ergo nec in corpore non conſentientis, quia non plus hic cooperatur, quàm ille; imò minùs aliquando, cùm fortiter reſiſtit.

Motus ſenſualitatis primò primi, non ſunt peccata venialia. Eſt contra Caietanum 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 4. cuius ſententia cenſetur erronea: quia omne peccatum eſt voluntarium, ſed quod præuenit voluntatem, non eſt voluntarium, ergo. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 3. Syluius *ibid.* Azorius 1. *par. lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 3. Becanus 2. *part. tract.* 2. *cap* 5. *quæſt.* 4. *&* 5. Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 23. *dub.* 9. Clauis regia *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 8. Et hoc valet non ſolùm in primis motibus ſenſualitatis; verùm etiam in primis motibus voluntatis, & intellectus, vt accidit quando aliquis ſubitò malè ſuſpicatur de proximo. Vt docet Azorius *cit. quæſt.* 4.

D. Th. Syluius. Azorius. Becan. Corduba Cla. reg.

Motus ſecundò primi ſunt peccata venialia, vt plurimum. Et patet ex ipſo nomine; nam vocantur ſecundò primi: quia partim ſequuntur rationem, partim præueniunt; *Sequuntur*, quia ratio aliquando aduertit turpitudinem alicuius cogitationis, ſed imperfectè, et agnoſcit aliquo modo eſſe contra legem Dei, ſed quaſi per tranſennam, et ſic aliquantulùm reſiſtit. *Præueniunt*, quia ratio non plenè iudicat, an ſit materia peccati mortalis, et an ſit tanti momenti, vt ſtatim debeat diſcuti, propter negligentiam aliquam quam admittit; & ſic non excuſatur quidem ab omni culpa, non tamen facit hominem reum violatæ amicitiæ & tranſgreſſionis mortalis. D. Thomas *cit. art.* 3. Syluius *ibid. art.* 3. *in concl.* 4. *fol.* 380. Clauis regia *cit. num.* 10. Azorius *cit. quæſt.* 3. Nauarrus *in manual. prælud.* 9. *num.* 11. *& cap.* 11. *num.* 4. Layman

D. Tho. Syluius. Cla. reg. Azorius. Nauarr. Laym.

lib. 1. tract. 3. cap. 5. num. 12.

Motus ſecundò ſecundi, id eſt, perfectè deliberati, ſunt peccata pro ratione materiæ, venialia vel mortalia, loquimur autem de peccatis denominatiuè: nam conſenſus voluntatis in hos motus, eſt formaliter ipſum peccatum. Quia actus accipit malitiam ab obiecto; tales autem motus, ſunt obiectum noſtri conſenſus, ac proinde qui voluntariè triſtatur de aliquo bono proximi leuis momenti, contra rationem peccat venialiter; qui autem triſtatur de notabili bono proximi, peccat mortaliter, nam committit peccatum inuidiæ in materia graui. Clauis regia *cit. num.* 10. Becanus 2. *p. tract.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 5. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 4. *punct.* 7. *numer.* 8. Tannerus 1. 2. *diſput.* 4. *quæſtione* 8. *dub.* 4. & alii.

Cla. reg. Becan. Bonac. Tanner.

3. Non omnes motus appetitus ex cauſa voluntaria ſunt peccata, etiamſi expreſsè voliti & in ſeipſis eſſent peccata mortalia. Sed duo requiruntur. *Primum*, vt quis expertus ſit ſe non incurrere probabiliter periculum conſentiendi per voluntatem in tales motus. *Secundum*, vt cauſa voluntaria quæ adhibetur, habeat vel honeſtatem, vel vtilitatem, vel neceſſitatem aliquam, ratione cuius curandum non ſit de motibus contingentibus. Talis cauſa eſt, audiendi confeſſiones, vel legendi libros tractantes de his rebus, alioqui vtiles, vel equitandi: vel ſi conſuetudo eſſet in patria oſculandi, amplexandi, vel tangendi manus &c. Quod cauſa ſi voluntaria talis non eſſet, quia cùm quis dedit cauſam iocoſis verbis, vel aſpectui immoderato, vel curioſa lectione, vel denique aliqua alia cauſa ſecundùm ſe mala venialiter, ſi fuit motus præuiſus & caueri potuit, etiamſi mortale peccatum non ſit, erit veniale: quod autem veniale ſit patet, nam ſi cauſa venialis fuit & inde videbatur futurus, aliqua erat obligatio euitandi: At verò non eſſe mortale peccatum talem delectationem, quoties animus non trahitur intentione turpis delectationis ad immoderatum aſpectum &c. manifeſtum eſt, quia alioqui difficillimum eſſet, in humano conuictu, à mortali peccato abſtinere, præſertim verò ex aſpectu.

Neque obſtat, quòd voluntarium in cauſa ſufficiat ad peccatum mortale homicidii, vel alterius damni, quod alteri infertur; nam propter ſummam facilitatem qua hi motus ſequuntur, maius voluntarium requiritur, ex cauſa rei, ad mortale, quàm ad homicidium, aut ſimile aliud peccatum, non quidem tanquam fundamentum generis moris & malitiæ, ad hoc enim ſufficit quoduis voluntarium, ſed vt circumſtantia neceſſaria ad mortale, quia alioqui motus ille cenſetur venialis culpa, infirmitas enim noſtræ naturæ multum excuſat, quæ in homicidio, et aliis huiuſmodi locum non habet. Et certè conſonum videtur fragilitati humanæ, vt homo non teneatur ſub peccato mortali vitare omnem actionem leuem, ex qua eſt periculum ne exurgat aliquis motus naturalis diſſonus rectæ rationi; alioqui vix poſſemus quippiam vel loqui, vel audire, vel videre ſine periculo peccati mortali. Et cùm hi motus facillimè exurgant, vt cenſeantur mortales; videtur requiri maius voluntarium, quàm ſit id quod ſolùm eſt voluntarium aliquo modo in cauſa, quæ ſit tantùm venialis. Hæc doctrina colligitur ex Doctoribus hic citatis, Syluius 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *quæſit.* 1. *concl.* 1. 2. & 3. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 6. Tannerus 1. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 4. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 106. 107. & 108. & *in opuſc. de reſtitut. cap.* 3. § 2. *dub.* 6. *num.* 24. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 4 *punct.* 7. *num.* 5. Suarez 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 7. Becanus 2. *part. tract.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 6. Caſpenſis *tract.* 12. *diſp.* 4. *num.* 21. 24. & *ſeq.* Sanchez *in ſelect. diſput.* 21. *num.* 3. Marchinus *in reſol. paſtor. cap.* 6. & aliis.

Sylu. Henriq. Tanner. Vaſquez Bonac. Suar. Becan. Caſpenſ. Sanchez March.

PECCATVM VI.

De effectibus Peccatorum.

SVMMARIVM.

1 *Primus effectus peccati eſt corruptio naturæ.*
2 *Macula in anima poſt peccatum relicta, eſt ſecundus effectus peccati. Et an hæc macula, ſit aliquid phyſicum, an morale.* Refertur duplex ſententia.
3 *Reatus pœnæ eſt tertius effectus peccati.*
4 *Peccatum veniale meretur pœnam temporalem, tam damni, quàm ſenſus.*
Et an per accidens peccatum veniale aliquando puniatur à Deo pœna æterna. Refertur triplex ſententia.

1 PEccatorum effectus potiſſimi, ſecundùm D. Thomam 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 1. 2. 3. & *ſeq.* Syluium *ibid. art.* 1. Clauem regiam *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. et communè ſententiam Theologorum, ſunt tres: *Corruptio naturæ, Macula animæ, Reatus pœnæ.* Quomodo autem peccatum corrumpat naturam? Notandum eſt, bonum naturæ dici tripliciter. *Primò*, ipſa naturæ principia, vt ſunt anima & corpus; item proprietates conſequentes, vt intellectus, voluntas, et cæteræ potentiæ. *Secundò*, propenſionem ad virtutem, et honeſtatem. *Tertiò*, donum iuſtitiæ originalis.

D. Tho. Syluius. cla. reg.

Peccatum corrumpit naturam; eſt de fide contra Pelagianos, vt conſtat ex ſacris Litteris, ex Patribus, & Conc. Trid. *ſeſſ.* 5. *can.* 2. *Si quis non confitetur totum Adamum, per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe; Anathema ſit.* Hæc autem corruptio mouit Philoſophos, vt quoniam veram huius mali originem ignorabant, accuſabant naturam, tanquam nouercam, quæ hominem omnium animalium longè nobiliſſimum, tot miſeriis circumuallaſſet. Modus autem huius corruptionis talis eſt Tannerus 1. 2. *diſp.* 4. *q.* 10. *dub.* 1. *num.* 5.

Tanner.

Peccatum neque tollit, neque minuit principia naturæ, aut eius proprietates naturales. Eſt contra *Lutherum*, qui vult donum iuſtitiæ originalis fuiſſe homini naturale. Et contra *Caluinum*, qui docet per peccatum amiſſum eſſe liberum arbitrium. Ratio autem concluſionis eſt, quia homo per peccatum non deſinit eſſe homo, ergo nihil amittit eorum, quæ ad veritatem humanæ naturæ pertinent, quale eſt imprimis liberum arbitrium: Tamen natura & liberum arbitrium, dicitur vulneratū, quia amiſit quędam ſupernaturalia bona, quibus etiam in ordine naturæ perficiebatur. D. Thomas *cit. art.* 1. *ad* 1. Syluius *ibid. concl.* 1. Tannerus *cit. num.* 9. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 15. *punct.* 1. Caietanus, Conradus *in* 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. Clauis regia *cit. num.* 1. et alii.

D. Tho. Syluius. Tanner. Valentia caietan. conrad. clau reg.

Vnde peccatum tollit harmoniam animæ, per quam ſenſualitas rationi, et ratio plene ſubiiciebatur Deo, Item corporis impaſſibilitatem & immortalitatem: quia iuſtulit ſupernaturale donum iuſtitiæ originalis, cuius beneficio hæc harmonia, et immortalitas conſtabant: & ſic manſit homo in ſua nuditate culpabili, ſubiectus morti, & reliquis miſeriis huius vitæ, habens intellectum obſcuratum, voluntatem pronam ad malum, appetitum cōcupiſcibilem, effrenem, & indomitum, iraſcibilem valde debilem, quæ ſunt quatuor animæ vulnera. D. Thom. *cit. art.* 3. Tannerus *cit. num.* 12.

D. Th. Tanner.

Porro peccatum includit inclinationem ad bonum, non tollit, Syluius *cit. concluſ.* 2. Vaſquez 1. 2. *tom.* 1. *d.* 127. Clauis regia *cit. n.* 2. Sotus *lib.* 1. *de natura & gratia c.* 53. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 7. *p.* 1. Valentia *cit. q.* 15. *p.* 1. Salas 1. 2. *diſp.* 13. *ſect.* 2. et alii. Prob. prior pars, quia in voluntate eſt propenſio quædam ad bonum honeſtum, cuius vſus et executio difficilis redditur per peccatum; nam & aufert gratiam Dei, & gignit habitum virtuti cōtrarium, et reddit hominem ineptiorem ad ſeruandum ordi-

Syluius. Vaſquez clau reg. Sotus. Bonac. Valentia Salas.

Digitized by Google

ordinem rectæ rationis: quod maximè patet in nationibus quibuſdam barbaris, quæ omnem humanitatem exuiſſe videntur. Prob. ſecunda pars, quia hæc propenſio realiter eſt ipſamet voluntas, quatenus habet eſſentialem ordinem ad bonum honeſtum, ac proinde in feris illis nationibus, ſemper manent aliqua generalia naturalis legis principia, v. g. Deum eſſe colendum, nemini faciendam
D. Tho. iniuriam, vt docet D. Thomas 1.2. *q.*86. *art.*1.

2. Secundus effectus peccati eſt *macula* in anima poſt peccatum relicta, quæ non niſi gratia abluente, & animæ inhærente, tolli poteſt. Sed magna difficultas eſt, in quo formaliter conſiſtat hæc macula, vtrum ſit aliquid phy-
Scotus. ſicum, an morale; vtrum reale, an rationis? Scotus *in* 4. *diſt.*14. *quæſt.* 1. §. *dico ergo*, exiſtimat peccati maculam ex qua peccator quis dicitur, poſt commiſſum peccatum, non eſſe aliud, quàm relationem rationis, hoc eſt, obligationem & reatum ad pœnam, quatenus anima poſt actum peccati, eſt obiectum iræ diuinæ, & intellectus, & voluntatis Dei deſtinantis hominem ad debitam pœnam.

D. Tho. Sed mihi dicendum videtur cum D. Thoma 1.2. *quæſt.*
Sylu. 86. *art.*1. *&* 2. *& quæſt.* 10. *art.* 7. *& quæſt.* 89. *art.* 1. *&* 4.
Valentia Syluio t. 2. *quæſt.*86. *art.* 1. *concl.*4. Caietano, Conrado,
Cla. reg. Medina *ibidem*. Valentia *tom.*2. *diſput.*6. *quæſt.* 16. *pun.* 1.
Azor. Summa Corona *par.*1. *cap.* 1. *num.* 10. Claue regia *lib.*2.
Tanner. *cap.* 13. Azorio t. *p. lib.*4. *cap.* 24. *quæſt.* 1. *&* 3. Tannero
Caſpenſ. 1.2. *diſp.*4. *q.* 10. *dub.*2. *num.*31. *&* 38. Caſpenſ. *tract.*12. *diſp.*6. *ſect.* 2. & communiori ſententia, maculam peccati, non eſſe reatum, ſeu obligationem ad pœnam; quia obligatio ad pœnam, eſt poſterior quàm macula: ergo non poteſt eſſe idem cum ea: ſed defectum, ſeu priuationem nitoris animæ. Cùm autem animæ nitor, ſeu pulchritudo & decor ſit duplex; vnus ex reſulgentia luminis rationis naturalis, per quam in ſuis actibus dirigitur ad Deum, vt authorem naturæ. Alius ex reſulgentia luminis ſupernaturalis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quã perficitur in ordine ad Deum, tanquã finẽ ſupernaturalem; Peccati macula priuationem dicit iſtius vtriuſque nitoris, eò quòd peccatum ſit deſtructiuum ordinis, non ſolùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis. Hinc licet priuatio nitoris gratiæ, quæ ob diuerſa peccata ſequitur, eadem ſit, cauſæ tamen huius priuationis cum ſint diuerſæ & inæquales, conſequenter ex parte cauſæ, diuerſæ & inæquales maculæ erunt; ſicut etiam diuerſæ dicuntur vmbræ ob diuerſitatem corporum, quæ inter lumen ſolis & terram interponuntur, tametſi omnes vmbræ eiuſdem luminis priuationes ſint.

Cæterùm quamuis peccata venialia non eandem maculam inſerant, quàm mortalia, & non denominent hominem ſimpliciter maculatum, ſed ex parte, neceſſariò dicendum eſt, etiam ex peccato veniali contrahi maculã; quia à peccatis venialibus verè iuſtificamur, et emundamur. Hæc tamen macula quam infert peccatum veniale, eſt priuatio illius nitoris, qui feruenti charitatis vſu, quem peccata venialia impediunt, continetur: vnde qui habet ſolum peccatum veniale, eo ipſo quòd in gratia exiſtit, meritò ſimpliciter dicitur mundus, etſi ſecundùm
D. Tho. quid maculatus dici poſſit. D. Thomas 1.2. *quæſt.*89. *art*
Alenſis. 1. Alenſis *part.* 2. *quæſt.* 107. *memb.*1. *art.*1. *p.* 4. Vaſquez
Vaſq. 1.2. *quæſt.*139. *cap.*5. Valentia *citat. quæſt.* 16. *punct.*1. Bo-
Valentia nacina *tom.*1. *quæſt.*2. *punct.*2. *num.*2. Tannerus *cit. n.* 33.
Bonac. Tanner. *& ſeq.* et alii.

3. Tertius effectus peccati eſt *reatus pœnæ*: hic autem reatus pœnæ non eſt aliud, quàm quòd homo per peccatum dignus ſit pœna, atque adeò ad pœnam luendam diuinitus ordinatur. Ratio eſt, quia peccatum peruertit ordinem rerum inſtitutum à Deo, ergo debet aliquid adhiberi, quod ordinem illum reſtituat, ſubdendo peccatorem eius poteſtati, quem offendit; illumque deprimendo, quemadmodum ſe inordinatè erexit: hoc autem fit per pœnam; nam pœna eſt incommodum poſitiuum, aut priuatiuum naturæ, aut voluntati contrarium à ſuperiore inflictum, aut ordinatum, ad ſeruandum æqualitatem iuſtitiæ.

Dico *Ordinatum*, propter pœnas voluntarias, quas aſſumunt pœnitentes in vindictam ſuorum peccatorum. Vbi nota, aliud eſſe culpam, aliud pœnam, aliud reatum pœnæ, aliud debitum pœnæ. Culpa eſt ipſa peccati malitia actualis, vel habitualis. Pœna eſt incommodum ad puniendam culpam inflictum. Reatus pœnæ eſt obli- D. Tho.
gatio ad luendam pœnam pro culpa propria; Debitum; Sylu.
etiam pro aliena. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 87. *art.* 1. Syluius Valentia
ibid. Valentia *cit. q.* 17. *punct.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.*4. *cap.* Azor.
24. *quæſt.*3. Tannerus t. 2. *diſp.* 4. *q.* 10. *dub.* 3. *num.*45. Bo- Tanner.
nacina *tom.*2. *diſp.*2. *q.* 7. *punct.*1. Clauis regia *lib.*2. *cap.*13. Bonac.
*num.*7. Becanus 2. *p. tract.*2. *cap.*8. *q.*1. Caſpenſis *tract.*12. Cla. reg.
diſp. 6. *ſect.* 4. & alii. Becan. Caſpenſ.

4. Peccatum mortale perſonale, meretur pœnam æ- D. Tho.
ternam, tum damni, tum ſenſus. Ita D. Thomas 1. 2. Sylu.
*quæſt.*87. *art.*3. Syluius *ibidem*. Conc. Tridentinum *ſeſſ.*6. Cõc. Tr.
cap. 14. *& can.* 25. *& ſeſſ.* 14. *can.* 5. Clauis regia *lib.* 2. Cla. reg.
*cap.*13. *num.*8. Tannerus 1.2. *diſp.*4. *q.* 10. *dub.*3. *num.*47. Tanner.
Becanus *cit. cap.*8. *quæſt.*5. et alii communiter. Eſt de fi- Becan.
de quoad vtramque pœnam. Contra Origenem eiuſque ſequaces; qui ſentiebant damnationem non fore planè æternam, ſed tum dæmones, tum etiam animas perpetua quandam viciſſitudine damnationis & beatitudinis vſuras; ita vt poſt aliquod ſæcula à damnatione liberati, ad beatitudinem redeant; & ex hac rurſum poſt multa ſæcula tædio contemplationis excidant. Probatur aſſertio apertè ex ſcriptura, Matthæi 25. *Ite in ignem æternum*. Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Ratio eſt, quia duo ſunt in omni peccato mortali, auerſio à bono incommutabili, et huic reſpondet pœna damni, id eſt, priuatio beatitudinis: nam *tolletur impius, ne videat gloriam Dei*, Iſaiæ 26. et conuerſio ad bonum cõmutabile, et huic reſpondet pœna ſenſus, vt qui ſe glorificauit, et in deliciis fuit, experiatur nunc tormentum et luctum.

Quare autem peccatum mortale, licet breuiſſimo tempore committatur, et voluptas eius citò tranſeat, debeat puniri in æternum? Rationes ſunt: *Prima*, quia peccator nunquam poteſt ſatisfacere Deo, pro irrogata iniuria, ergo ſemper poteſt iuſtè puniri, quia ante ſatisfactionem ſemper manet reatus & dignitas pœnæ. *Secunda*, peccator ita diſpoſitus eſt, vt manentibus iiſdem circumſtantiis, ſemper vellet peccare, atqui voluntas ſemper peccandi, iuſtè ſemper punitur, vt ait D. Greg. *iuſtum eſt enim, vt qui in ſuo æterno peccauit contra Deũ, in Dei æterno puniatur*. Et communis eſt ſententia Theologorum, peccatum mortale puniri citra condignum, hoc eſt, Deũ ab æterno decreuiſſe, mitiorem pœnam infligere peccatis, quàm ex rigore iuſtitiæ mererentur. Vt refert Becanus *cit. quæſt.*6.

5. Peccatum veniale meretur pœnam temporalem, tam damni, quam ſenſus. D. Thomas *1.2. q.87. art.5.* Pœna damni conſiſtit in dilatione viſionis Dei, poſt egreſſum animæ: pœna ſenſus conſiſtit in doloribus, quos ani-
mæ perpetiuntur in purgatorio. Vt habetur in Concil. Cõc. Tr.
Trid. *ſeſſ.*6. *can.*30. *& ſeſſ.*22. *c.*2. *& can.*3. Valentia *tom.* Valentia
4. *diſp.*11. *q.* 1. *punct.*1. §. 6. Bellarminus *lib.*2. *de Purgato-* Bellarm.
*rio cap.*11. Ratio eſt, quia in peccato veniali, eſt ſuo quodam modo auerſio & conuerſio, ac propterea meretur pœnam vtique deformitati accommodatam. Et quamuis non ſit de fide, animas in purgatorio, vero & corporeo igne torqueri, vt notauit *Bellarminus*, eſt tamen ita certum, vt abſque temeritate non videatur negari poſſe.

Dubitari hîc poſſet, an ſaltem per accidens, nonnunquam peccatum veniale à Deo puniatur pœna æterna: puta, ſi quis diſcederet ex hac vita, habens peccatum veniale coniunctum peccato mortali: vel ſi quis vnà cum peccato mortali ex hac vita ſecum ferat reatum alicuius pœnæ temporalis, remanentem poſt remiſſum peccatum, ſeu mortale, ſeu veniale: De qua re ſunt tres ſententiæ, prima eſt *Scoti, Gabrielis, Nauarri, Medinæ* apud *Azorium, & Tannerum* infra, in vniuerſum aſſerentium, etiã apud inferos peccatum veniale dimitti; quia veniali per ſe, pœna ſolùm temporaria debetur; qua perſoluta tollitur culpa. Secunda, eſt veterum Scholaſticorum, *Alenſis, Alberti, Durandi*, qui de pœna temporali, remanente poſt remiſſum peccatum, ſeu veniale, ſeu mortale affirmant; de peccato autem veniali negant. Tutior tamen & probabilior eſt ſententia docens, peccatum

veniale coniunctum mortali perſonali, in inferno puniri æterna pœna: item nec pœnam peccatis remiſſis debitam finiri in damnatis: quia omnis remiſſio tam culpæ, quàm pœnæ, nititur meritis Chriſti; quorum fructus damnatis non poteſt applicari. Ita ex communi docent
D. Tho. Sylvius. Valentia. Suar. Tanner. Azor. D. Thomas *cit. art. 5. ad 2.* Sylvius *ibid.* Valentia *quæſt. 17. punct. 4. tom. 2.* Suarez *3. p. tom. 4. diſp. 11. ſect. 2. num. 11.* Tannerus *cit. quæſt. 10. dub. 4 num. 75. & 80.* Azorius *cit. lib. 4. cap. 10. quæſt. 5.* & alii penes ipſos.

Plura docent de hac materia peccatorum Scholaſtici; ſed quæ adduximus, ex quæſtionibus D. Thomæ deſumpta ſunt, quæ conſcientias tractanti & gubernanti, maximè neceſſaria ſunt; ac proinde hæc materia Theologo Morali, ſeu Caſiſtæ debet eſſe familiariſſima; nam maximè conſcientiam attingit, & latiùs funditur quàm materia virtutum; cùm bonum ſit finiti, malum autem infiniti, vt diximus ſuprà.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quod ſit diſcrimen inter vitium, peccatum, & culpam.*
2 *Virtus alia eſt vera, alia viua, alia perfecta, & quomodo excludat peccatum.*
3 *An peccatum, aut vitium ſit contra naturam.*
4 *Vnde grauitas peccati omiſſionis ſpecifica, vel indiuidualis ſit æſtimanda.*
5 *Quæ requirantur vt omiſſio quæpiam ſit voluntaria, & culpabilis.*
6 *An actus qui eſt cauſa omiſſionis præcepti, ſit vnum numero peccatum cum ipſa omiſſione.*
7 *An ad peccatum mortale requiratur plena, & perfecta aduertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, vel expreſſa dubitatio, ſeu ſcrupulus peccati? Et quo modo ſit intelligendum illud axioma,* Scire & debere ſcire, paria ſunt.
An ad peccatum mortale requiratur plena aduertentia malitiæ, quatenus malitia eſt mortalis, vel ſufficiat conſideratio malitiæ ſimpliciter? Refertur duplex ſententia.
8 *Tres regulæ ponuntur ad diſcernendum in dubiis perfectum conſenſum, vel imperfectum; ſufficientem, vel inſufficientem ad conſtituendum peccatum mortale.*
9 *An peccatum ſit facere contra conſcientiam errantem non actu, ſed habitu?* Refertur duplex ſententia.

1 Diſcrimen eſt inter vitium, peccatum & culpam. Nam vitium à peccato, & culpa diſtinguitur in eo, quod vitium, eſt in habitibus & in actibus virtuti contrariis; at peccatum & culpa ſolùm in actibus conſiſtunt. Deinde inter peccatum & culpam hoc intereſt; quod peccatum latiùs patet, quàm culpa. Peccatum enim eſt tum in actibus naturæ & artis, tum in actibus rationis & moris. Actus enim qui à iuſta & debita regula diſſentit, ac deficit, peccatum eſt. Denique in iis, quæ natura conſtant operibus, regula eſt natura: in iis, quæ arte efficiuntur, ars: in moribus verò, eſt ratio. At verò culpa, ſolùm in actibus moris & rationis, voluntariis & liberis, eſt: qui quidem, eo quod contra rectam rationem voluntariè & liberè fiunt, culpæ tribuuntur & pœnæ. In præſenti peccatum accipimus vt eſt in actibus rationis & moris. Ex quo fit, vt omnis culpa ſit peccatum, omne peccatum vitium: non autem è contra, omne vitium peccatum; nec omne peccatum culpa; quare vitium eſt, quia habitus eſt, vel actus virtuti contrarius. Peccatum verò, quia actus à regula recta diſcrepans; culpa autem, actus voluntarius & liber à recta ratione diſſentiens. Ita communiter Theologi *in 1. 2. quæſt. 71. art. 1.*

2. Virtus habet tres gradus: nam alia eſt vera, alia viua, alia perfecta. Vera eſt inclinatio in bonum honeſtum, quatenus honeſtum. Viua eſt virtus vera in homine iuſto, ſeu habente charitatem, quæ eſt vita animæ & omnium virtutum. Perfecta eſt virtus viua in homine, cui nihil deeſt ad integram iuſtitiam. Itaque virtus vera conſiſtit cum peccato mortali & veniali, et originali. Virtus viua excludit peccatum mortale, ſed conſiſtit cum peccato veniali, vt definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6.* Virtus perfecta excludit omne peccatum, ac propterea omnibus reſeruatur in patria; vnica excepta matre Dei, quæ ſingulari priuilegio, etiam in via perfectionem iuſtitiæ conſecuta eſt: quamuis autem Sancti Patres in ſolis iuſtis agnoſcant veras virtutes, cauendum tamen eſt ab hoc modo loquendi: nam à duobus Pontificibus, damnata eſt hæc propoſitio: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*, nempe à Pio Quinto, & Gregorio XIII. in Bulla *Prouidiens noſtra*, data Romæ apud Sanctum Petrum, anno 1579. quarto Kalendas Februarii, Pontificatus Gregorii XIII. anno octauo. Et in Bulla Pii V. quæ incipit, *Ex omnibus afflictionibus*, data anno 1561. Octobris. Vt refert Vrbanus VIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit, *In eminenti*, data anno 1642. pridie Nonas Martii. Aduertendum autem eſt peccatum paulatim expellere virtutes acquiſitas, quia ſi frequentetur generat habitum contrarium virtuti; quod non tantùm in peccato mortali contingit, ſed etiam in veniali, vt patet in virtute temperantiæ, liberalitatis, affabilitatis, & aliis. quæ non videntur tam neceſſariæ ad vltimum finem. Habent enim obiectum ex variis partibus heterogeneis conflatum, circa quas varij defectus poſſunt admitti, vt cùm quis aſſueſcit nimium comedere, vel nimis delicate, vel non ſuo tempore, vel nimia auiditate, vnde fieri poſſet vt tota aliqua virtus ſolis peccatis venialibus deſtrueretur, in generato vitio contrario. De his vide Sylvium 1. 2. *quæſt. 71. artic. 4.* & alios Commentatores ibi. Sylu.

3. Iuxta communem Theologorum ſententiam peccatum, aut vitium eſt contra naturam, quemadmodum ſæpe docet Diuus Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio D. Aug.
cap. 13. *Omne vitium eo ipſo quo vitium eſt, contra naturam eſt. Si enim naturæ non nocet, nec vitium eſt; ſi autem quia nocet, ideo vitium eſt, ideò vitium eſt, quia contra naturam eſt.* Et rurſum lib. 12. de ciuitate capite 1. *Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt.* Omnis enim virtus non ſolùm naturalis, & acquiſita, ſed etiam ſupernaturalis et infuſa, eſt naturæ hominis valdè conueniens, vtpotè illam exornans et perficiens, hoc ſolùm diſcrimine, quòd homo non habeat naturalem inclinationem ad virtutes infuſas et ſupernaturales, ſicut ad acquiſitas et naturales. Proinde cùm dicitur, peccatum eſſe contra naturam, perinde eſt, ac ſi dicatur, peccatum eſſe contra rectam rationem: nam recta ratio eſt natura hominis, Angeli et ſubſtantiæ intelligentia prædita; et omnis virtus, quæcumque ſit ea, dicitur eſſe ſecundùm naturam, non quod naturaliter eam ratio præſcribat, ſed quòd ſit rectæ rationi conſentanea. Tamen ſi ſpectemus in vitio, et peccato quoddam bonum delectabile, ſic aliquo modo ſunt conſentanea voluntati, quæ per inferiorem ſui portionem, fertur in huiuſmodi bona. Porrò reſpectu appetitus ſenſitiui, peccata partim ſunt conſentanea naturæ humanæ, partim diſſentanea, partim non conſentanea. Conſentanea, quatenus tendunt in bonum ſenſibile, in quod ipſe quoque appetitus naturaliter propendet. Diſſentanea, quatenus appetitus obedire debet rationi. Non conſentanea quatenus turpitudo & malitia peccati non cognoſcitur à portione ſenſitiua; vnde ab appetitu, nec amari poteſt, nec repudiari. Hinc facile eſt aduertere, quare quædam peccata dicantur peculiariter eſſe contra naturam, vt ſodomia, pollutio, &c. & omnes actus venerei ex quibus non poteſt ſequi generatio ſecundùm communem ſpeciem actus: quoniam peccata quæ in huiuſmodi actibus conſiſtunt: non ſolùm repugnant naturæ hominis vt homo eſt, ſeu rectæ rationi, ſed etiam naturæ naturalique illi ordini, quem cum brutis animalibus homo habet communem: & propterea ſunt contra naturam, non ſpeciei dumtaxat, nimirum hominis, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam generis, hoc eſt, animalis; & ſic vocantur contra naturam, per quandam in malo excellentiam & enormitatem. Ita D. Thomas 1.2. *quæſt.* 71. *art.* 2. & 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Syluius *ibid.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Trullench *in Decalog. lib.* 6. *cap. vnic. dub.* 8. §. 1. 2. & 3. & alii apud Bonacinam *diſp.* 2. *tom.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 6.

D. Tho. Syluius. Azor. Trullen. Bonac.

4. Grauitas peccati omiſſionis ſpecifica æſtimanda eſt ex obligatione legis. Probatur, quia omiſſio eſt priuatio actus præcepti, ergo tam grauis erit omiſſio, quàm grauis eſt obligatio legis: nam ratio priuationis ſumenda eſt ex forma qua priuat, itaque peius eſt omittere correctionem fraternam: quàm eleemoſynam, & communionem in Paſchate, quàm confeſſionem. Nota tamen diſcrimen inter legem naturalem & poſitiuam, nam illius obligatio ſemper adęquatur materiæ, ſeu obiectio, huius autem voluntati legiſlatoris, qui aliquando ea quæ ſunt minoris momenti, ſeueriùs prohibet, vt patet in lege poſita Adamo, de ligno ſcientiæ boni & mali, et in multis præceptis veteris Teſtamenti. Quare hoc erit animaduertendum in iudicio de grauitate omiſſionis. Grauitas autem indiuidualis peccati omiſſionis æſtimari debet ex modo peccandi in indiuiduo: quia cùm actus verſetur in ſingularibus, prout hic & nunc fit, æſtimandus erit ex cauſis & circumſtantijs, quæ hic & nunc ab omittente adhibentur, vel cenſentur adhiberi: has autem circumſtantias intelligimus per modum peccandi: grauius itaque peccat, qui omittit Sacrum in die feſto ob furtum, quàm qui ob ludum, et qui ob ludum, quàm qui ob ſtudium, et qui directè, quàm qui interpretatiuè, quæ interpretatiua omiſſio, varios etiam habet gradus. Ita Syluius in 1. 2. *quæſt.* 51. *art.* 5. *quæſit.* 3. Qui etiam grauitatem æſtimandam eſse putat ex difficultate, quæ operi eſset adiuncta: ideò minus peccaret qui fraternam correctionem prætermitteret iuſto metu mortis, vel tormentorum, quàm qui omitteret timens alium contriſtare.

Syluius.

5. Vt omiſſio quæpiam ſit voluntaria & culpabilis, requiruntur tria. *Primum* eſt, quod quis potuerit agere. *Secundum*, quod debuerit agere. *Tertium*, quod nõ egerit. Si enim non potuerit agere, non poteſt ipſi imputari quod non egerit, cum nemo peccet in eo quod vitare nõ potuit. Et ſimiliter ſi potuit quidem agere, ſed non debuerit, non poteſt etiam illi eſſe culpabile, non agere: quia nullum eſt peccatum, quod non ſit contra aliquam legem; omiſſio autem eius quod quiſpiam potuit quidem facere, ſed nullatenus obligabatur, contra nullam legem eſt. Similiter, vt opus ſeu effectus omiſſionem conſequens, ſit voluntarius, atque adeò imputetur illi, qui quippiam omittit, hæc tria requiruntur. *Primum*, quod effectum iſtum impedire potuerit. *Secundum*, quod eundem impedire debuerit. *Tertium*, quod non impedierit. Id enim quod ſequitur ad defectum actionis, hoc eſt, ad omiſſionem, tunc ſolùm reducitur in omittentẽ, ſicut in cauſam, quando poteſt & debet agere, et non tamen agit. Vnde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 75. *artic.* 3. docet omiſſionem, id eſt, omiſſionis peccatum importare prætermiſſionem boni, non cuiuſcumque, ſed debiti.

D.Th.

Ex quibus reſoluuntur ſequentes caſus. Si video duos gladijs ſe impetentes, quorum, litem poſſum dirimere magno cum diſcrimine, et non facio, hoc non eſt mihi voluntarium, quia non teneor cum tanto periculo; erit tamen voluntarium reſpectu Prætoris, qui ad id ex officio tenetur, ſi ſit præſens. Similiter cùm Princeps vel Magiſtratus non impedit quædam peccata, quæ impedire poſſet, ſed ob cauſas rationabiles, non expedit quod impediat; voluntariè quidem omittit impedire, illa tamen peccata non poſſunt in eum ſicut in cauſam referri, vel ei imputari, quia impedire non tenetur: quando autem non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur ea impedire, nec tamen impedit; rectè ipſi imputantur, quia eſt eorum cauſa voluntaria. Item, ſi ſint duo homines in extrema neceſſitate conſtituti; & ego non poſſim vtrique ſubuenire, ſed vni tantummodo, vnde neceſſum ſit alterum mori, illius mors mihi voluntaria non erit, ideòque nec mihi ad peccatum imputabitur, cùm in mea facultate poſitum non fuerit illum à morte liberare.

Item ſi nauta & alijs ludentibus, nauis ſubmergatur, tametſi quilibet illorum potuerit nauem gubernare, ſolus tamen nauta cui nauis gubernatio commiſſa fuit, directè nauem ſubmerſiſſe cenſetur, eique ad culpam imputatur, quia ipſe ſolus non modò potuit, ſed etiam debuit nauem gubernare. Ex his reſolue ſimiles caſus, ex doctrina D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 3. Caietani, Syluii *ibidem*, & aliorum Commentatorum ſuper hunc articulum. D. Tho.

6. Quando cauſa, ſeu occaſio omiſſionis, non fuit actus aliàs malus, et prohibitus, eſt vnum numero peccatum, quod reuocatur ad peccatum omiſſionis. Probatur, tum quia talis actio non habet malitiam, niſi quia eſt cauſa omiſſionis, et fit cum illo vnum numero peccatum. Tum quia actio quæ eſt cauſa omiſſionis, opponitur præcepto affirmatiuo, quo præcipitur actio, et remotio impedimentorum ad talem actionem, ergo habet malitiam peccati omiſſionis. Proinde ſatis erit dicere in confeſſione, verbi gratia, ſe non audiuiſſe Miſſam in die feſto, abſque eo quod confiteatur eius cauſam, puta quod ex nimio & inordinato amore ſtudii Miſſam omiſerit. Secus dicendum quando cauſa omiſſionis fuit actus alioquin malus & prohibitus, puta ſi ex culpabili ebrietate dormierit, vnde Miſſam poſtea non audierit, aut ſi quis ob furtum omitteret Miſſam, tunc enim actus ille qui eſt cauſa omiſſionis, quia habet diſtinctam malitiam ex ſe, præter hanc qua etiam eſt cauſa omiſſionis præcepti, peccatum eſt numero diſtinctum à peccato omiſſionis, & vt peccatum diſtinctum in confeſſione eſt neceſſariò explicandum. Ratio eſt, quia aliud eſt ſe inebriare, vel furari, & aliud omittere præceptum audiendi Miſſam, vnde cùm tales actiones habeant adnexam malitiam ſpecie diuerſam, quæ non explicatur explicato peccato omiſſionis, cuius fuerunt cauſa; omnia hæc peccata aperienda ſunt in confeſſione quoad numerum, et quoad ſpecies. Ita ex communi docent Clauis regia *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Bonacina *tom. ſecundo, diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 26. & 27. Azorius *tomo primo, libro quarto, cap.* 3. *quæſt.* 7. Valentia *tom. ſecundo diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *dub.* 2. Layman *lib. primo tractat.* 3. *cap.* 4. *num.* 4.

Cla. reg. Bonac. Azor. Valentia Laym.

7. Vt quis peccati mortalis ſit reus, et peccet mortaliter, requiritur plena et perfecta cogitatio, ſeu expreſſa aduertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, ſeu ſcrupulus peccati. Ratio eſt, quia quamdiu cogitatio, aut dubium, aut ſcrupulus circa obiecti malitiam intellectui non ſe offert, quantumuis cogitatio et conſultatio circa illius vtilitatem ac delectationem ſint, non eſt principium ſufficiens in intellectu, vt de morali eius malitia deliberare queat.

Tum quia ad culpam deſideratur libertas, quæ ſine aduertentia & rationis deliberatione eſſe nequit; Nec debet eſſe qualiſcumque libertas, ſed circa moralem obiecti malitiam, in ea enim amplectenda peccatum conſiſtit. Tum quia non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium, non poteſt autem eſſe voluntarium ſine aduertentia, cùm voluntas non feratur in incognitum: vnde non ſufficit ad peccatum aduertentia ad ipſum actum abſque aduertentia malitiæ, aut peccati, vel ſine dubio, aut cogitatione peccati; Imò non ſatis eſt, ad vnius generis malitiam aduertere, ad malitiam quoque alterius generis contrahendam: ſed oportet ad hanc quoque aduertere. Hinc ſi quis in die ieiunii nil de præcepto cogitans cœnet lautè, & opiparè regulas temperantiæ excedens, aduertit quidem ad cœnam quatenus ſibi vtilem, & delectabilem, ac de hoc ſecum deliberat, ac conſultat, nil tamen de morali eius malitia contra præceptum deliberat, nec conſultat: Ille peccabit contra naturalis temperantiæ præceptum, quod aduertit, non autem contra ieiunii legem: quia peccatum non eſt volitum ſecundùm malitiam ignoratam. Ita Vaſquez 1. 2. *diſput.* 107. *cap.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 4. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt* 2. *punct.* 3. *num.* 3. & 9. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *num.* 8. & *cap.* 16. *num.* 22.

Vaſquez. Azor. Bonac. Sanch.

Ex his deducitur, ad peccatum mortale non ſufficere, vt aliquis potuerit ſimpliciter, vel debuerit malitiam conſiderare, ſed requiritur expreſſa conſideratio

malitiæ, vel ipſius periculi, vel expreſſa dubitatio, ſeu ſuſpicio aliqua malitiæ vel periculi; alioquin inaduertentia, ſeu obliuio cenſetur inuincibilis, & inculpabilis: quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, non eſt in noſtra poteſtate proxima expellere eam ignorantiam & inconſiderationem, aut non eſt plenè ita vt ad mortale ſufficiat. Nam voluntati imputari non poteſt id, cuius nulla præceſſit cognitio & aduertentia, cùm voluntas ſit cœca, & non feratur in incognitum. Sic tradunt Vaſquez 1.2. *diſp* 107. *cap.* 3. *à num.* 6. *& diſp.* 123. *cap.* 2. *num.* 6. *& diſput.* 124. *cap.* 2. *num.* 5. Suarez *de cenſur. diſput.* 4. *ſect.* 8. *num.* 18. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 21. & alii.

Vaſq. Suarez. Sanch.

Et hæc ſententia eſt probabilior. Proinde ſano modo intelligenda ſunt iura & Doctores quidam, dum æquiparant ſcire & debere ſcire, paſſimque dicunt, eſſe directè voluntaria & ignorantiam & inaduertentiam, cùm quis vel ſciuit, aduertitve aut debebat ſcire & aduertere, iuxta illud axioma: *Scire & debere ſcire, paria ſunt*. Dicendum enim eſt debere ſcire æquiparari ſcientiæ, modò præceſſerit cognitio, ſeu cogitatio malitiæ, vel eius periculi, ſeu dubium aut ſaltem ſcrupulus. Quia homo non poteſt hic & nunc aduertere, nec proximè tenetur aduertere ad malitiam cuius nulla præceſſit cogitatio, cùm nullus teneatur ad impoſſibile; ſine enim cogitatione moraliter impoſſibile eſt aliquid ſcire, vel aduertere, aut velle, cùm vſus noſtræ voluntatis, et libertatis nitatur cognitione tanquam radice. Ita Suarez *loco citato*. Sanchez *loco cit. num.* 24. & alii recentiores, contra Nauarrum *in man. prælud.* 1. *num.* 17. Valentiam 1.2. *quæſt.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 7. *verſ. Tertium quod*, & alios.

Suar. Sanch. Nauarr. Valent.

Sed rogabis, an ad peccatum mortale requiratur plena aduertentia malitiæ, quatenus malitia eſt mortalis, vel ſufficiat conſideratio, ſeu cognitio malitiæ ſimpliciter? Reſpondent quidam, ſi intellectus de peccato mortali, eiusque periculo nihil omnino cogitauit; non condemnandum hominem peccati mortalis, ſed præſumendum ex qualitate obiecti, virtualiter iudicaſſe eſſe tantum peccatum veniale; quia præſumendum eſt, hominem apprehendentem obiectum vt peccaminoſum, ita ſaltem virtualiter & implicitè de eo iudicare, ſicut illud reipſa ſe habet; vel ſaltem non nimis ab eius qualitate aberrare; licet diſtinctè non ſatis cognoſcere videatur: alioquin hominibus ſimplicibus & indoctis ſcrupulorum materia ſuminiſtrabitur. Ita Layman *lib.* 1. *tractat.* 2. *cap.* 4. *num.* 7 Nauarrus *in manual. prælud.* 9. *num.* 9. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 70. & alii probabiliter. Sed probabiliter ſententia aſſerit ſatis eſſe, vt homo aduertat ad malitiam; nã poſita malitiæ aduertentia poteſt & tenetur inquirere; an malitia ſit grauis, vel leuis, & cauere debet periculum grauiter peccandi, niſi enim huiuſmodi cautio & inquiſitio adhibeatur, cenſetur velle opus quauis malitia affectum, ſeque periculo exponit patrandi delictum graue; qui autem ſe periculo exponit grauiter peccandi, ſe coinquinat peccato, cuius periculo ſe exponit. Sic Vaſquez 1.2. *diſp.* 107. *cap.* 3. *in fine*. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 1. *num.* 9. Zumel 1. 2. *quæſt.* 74. *artic.* 8. *diſp.* 1. et alii a nobis citati *tom.* 1. *verb. Conſcientia num.* 39. *lit. P.*

Laym. Nauarr. Reginal.

Vaſq. Sanch. Zumel.

8. Cùm ad peccatum mortale requiratur voluntati conſenſus, et in dubijs difficile ſit diſcernere conſenſum perfectum & ſufficientem ad mortale, vel imperfectum & inſufficientem, ideò ſequentes regulas ad id diſcernendum ponunt Doctores, quarum *prima* eſt. Quando homo rei prauæ appetitum aduertens, ſe ita diſpoſitum ſentit, vt quamuis facilè rem exequi poſſet, non exequeretur, vt plurimum iudicandum eſt, aut nullum, aut imperfectum conſenſum adfuiſſe. Ratio eſt, quia cùm potentia executrix voluntati omninò obtemperet, dum in ea diſpoſitione exiſtit, non leue indicium eſt voluntatem non plenè conſenſiſſe; dum homo aduertit ſe non præſtitiſſe conſenſum poſita tali diſpoſitione & animi affectione.

Secunda regula eſt, quando dubitans eſt vir bonus, et bonis moribus imbutus, timidæque conſcientiæ, et peccatis diſſentire ſolet, credendum eſt eum non perfectè conſenſiſſe, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiſerit. Ratio eſt, quia ex conſuetis fortiſſima præſumptio, & probabilitas deſumitur: ſi enim peccato conſenſiſſet, facilè cognoſceret ſe conſenſum præſtitiſſe, cùm a peccato mortali valde abhorreat. Secus dicendum de viro deſidioſo, qui conflictatur quotidie cum ſuis paſſionibus, & ſæpe numero cadit, hic enim in dubio putandus eſt conſenſiſſe: quia cùm ſuæ ſalutis modicam & leuem curam gerat, nullum in eo dubium ſuboritetur, ſe minimè conſenſiſſe.

Tertia eſt, quando quis dubitat, an dormiens, vel vigilans, an ſui compos, an potius ebrietate, aut phreneſi captus, aliquid voluerit aut fecerit, non leue indicium eſt, leuem deliberationem conſenſum defuiſſe, quia plena vigilia, plenusque rationis vſus homines de ſuis actibus certiores reddunt, et liberam permittunt homini de ſuis actibus cognitionem, niſi forte mora temporis aliquam induxerit obliuionem.

Non eſt tamen ſignum ſufficiens ad probandum conſenſum ſola delectationis perſeuerantia poſt plenam aduertentiam, quia corporis partes, quæ ſubduntur potentiæ motiuæ plenè ſubiacent imperio voluntatis; at appetitus ſenſitiuus rebellis eſt. Ita Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *num.* 17. *& ſeqq.* Reginaldus *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 51. *& lib.* 15. *num* 76. Clauis regia *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 6. Medina 1.2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *ad finem*. Filliucius *tract.* 21. *n.* 251. Vide *tom.* 1. *verb. Delectatio num.* 9.

Sanchez. Reginal. Clareg. Medina. Fillius.

9. Quidam dicunt ad operis malitiam contra conſcientiam errantem, nec deſiderari actu adeſſe, nec ſufficere habitu: ſed opus eſſe id iudicium virtute perſeuerare. Vt ſi quis errauit putans in hac hebdomada nullum eſſe diem feſtiuum, vel ieiunij, cùm tamen ſit, adueniente autem die feſto vel ieiunij, Miſſam, vel ieiunium omittit, nullum autem dubium tunc occurrit de die feſto vel ieiunii, talis peccat contra conſcientiam errantem. Similiter ſi quis antea iudicaſset eſſe peccatum ius Canonicum, vel phyſicum audire; ex huiuſmodi errore phyſicam audit, immemor conſcientiæ errantis, & dictantis eſſe peccatum, tunc dicunt id iudicium erroneum virtute perſeuerare, & proinde peccatum eſſe contra illud agere. Ita Medina 1.2. *quæſt.* 19. *art.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *Summ. Latina cap.* 61. *num.* 2. & alii. Sed verius eſt opus eſſe vt id iudicium actu perſeueret, dum opus contra conſcientiam errantem fit, vt peccato, ſeu culpæ imputetur: & proinde talis in phyſica audienda, vel in omiſſione Sacri, aut ieiunii non peccabit actu, niſi actu ſit conſcientia dictans eſſe peccatum, vel actu dubitet de eius obligatione. Ratio eſt, quia opera illa externa nequaquam poſſunt oriri a voluntate, & iudicio præterito; cùm neque illa voluntas, neque iudicium præteritum adſint, neque aliquis effectus ab illis productus, qui opera externa cauſet. Tum quia ſi actus cenſetur manere moraliter & denominare opera ſubſequutiua, dum non retractatur; ergo infidelis ſemel exiſtimans ad operis bonitatem opus eſſe, vt id ad idolum referatur; peccabit in omnibus operibus etiam ex obiecto bonis, quæ illius iudicii immemor efficit, quod abſurdiſſimum eſt. Ita ſuſtinent Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *num.* 8. Præpoſitus *in* 1.2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 2. Vaſquez 1.2. *diſput.* 60. *cap.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 12. & alii, quos ſequitur Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 28.

Medina. Rodriq.

Sanchez. Præpoſ. Vaſquez. Azor. Bonac.

Vide verb. Iudex n. 8. Pœnitentia. Votum 1. n 7. 8. & 9.

PENSIO.

SVMMARIVM.

1 *Penſio quid ſit, & quomodo differat à beneficio?*
2 *Quotuplex ſit penſio.*
3 *An ſolus Papa poſsit imponere penſiones de iure. Et an in certis caſibus ex conſuetudine, id etiam poſsit Epiſcopi.*
An Abbates penſionibus grauari queant à Principe, ſine beneplacito Papæ.

4 nA

4 *An Legati à latere ex iuſta cauſa poſſint etiam penſiones imponere?*

5 *An Summus Pontifex poſſit penſiones conferre omnibus, etiam inhabilibus ad ſtatum clericalem?*

6 *Quæ ſint obligationes Penſionarij?*

7 *An iuſtitia, iniquitas, ſimonia, & confidentia ſint peccata, quæ committi poſſunt in materia penſionis? & primo, vt contra iuſtitiam peccare poſſit Titularis?*

8 *Quomodo Penſionarius peccet contra æquitatem?*

9 *An poſt Conſtitutiones Pij, & Sixti V. ſimoniacè peccari poſſit in materia penſionum? Et an hæc ſimonia aliquas pœnas inducat?*

10 *An penſio quæ datur ad officium aliquod ſpirituale poſſit pretio vendi abſque vitio ſimoniæ? Et an reliquas penſiones mixtas liceat redimere ſine authoritate Papæ?* refertur duplex ſententia.

11 *An non habens facultatem transferendi, poſſit de penſione ipſa, quoad ius ipſum exigendi fructus contrahere illam vendendo, permutando, &c.*

12 *An qui poteſt transferre penſionem, poſſit id facere accepto pretio ſine ſimonia?*

13 *An committatur ſimoniaca confidentia prohibita, & vitioſa, quando penſio ceditur, transfertur, interueniēto pacto de exactione omnium vel partis fructuum, in fauorem conferentis vel alterius?*

14 *An penſio debeat eſſe moderata? & an ex conſuetudine tertia pars redituum ex beneficio extrahi poſſit?*

1 PEnſio eſt *ius certa penſionis ad tempus exigenda, aut ſoluenda, ex determinato beneficio, aut a beneficiario Eccleſiaſtica beneficia poſſidente.* Differt autem penſio à beneficio potiſſimùm in duobus. *Primò*, quòd penſio ſit pars quædam iuris beneficialium redituum alteri conſtituta, & deſignata. *Secundo*, beneficium in perpetnum miniſtrorum vſum ſuapte natura conſtituitur quamobtem morte, vel renunciatione beneficiati vacat, & alteri conferri debet; penſio autem ad tempus decernitur; ita vt vel renunciatione, vel morte penſionarii omnino finiatur, ſicuti vſusfructus morte vſufructuarii. Vide Azorium, *tom. 2. lib. 8. cap. 5. quæſt. 1.* Filliucium, *tractat. 42. cap. 1. num. 2.* Leſſium, *lib. 2. cap. 34. dub. 37.* & Syluium, 2. 2. *quæſt. 100. art. 4. concluſ. 2.*

Azor. Filliuc. Syluius.

2. Penſio duplex eſt, laica, & clericalis. Penſio laica, ſeu temporalis dicitur, quæ ob temporalem aliquam cauſam conſtituta, laico etiam competere poteſt; vt quæ datur Eccleſiæ Oeconomo, Cantori, Patrono, aut defenſori. Penſio vero clericalis appellatur, quę in ſolos clericos cadit. Ea iterum duplex eſt, vna ſimpliciter ſpiritualis, quæ clerico ob ſpirituale miniſterium datur, vt Concionatori, Parochi, Vicario, &c. Altera media, ſiue mixta, quæ in clericali quidem ſtatu fundatur, tamen non propter ſpirituale miniſterium confertur, ſed ob aliam cauſam, eamque vel lucroſam, vt quę clerico pauperi, vel parocho ſeni loco alimentorum aſſignatur, vel oneroſam, vt quia aliquis lite beneficiaria cedit, vel quia beneficium alteri reſeruat, ſeruata ſibi, cum Epiſcopi auctoritate, penſione, vel quia beneficium ſuum cum altero tenuiore permutat. Layman, *libr. 4. tract. 2. cap. 18. num. 2.* Toletus, *lib 5 cap. 82.* Azorius, *cit. quæſt. 3.* Filliucius, *cit. cap. 1. num. 5. & 6.* Syluius, *cit. concl. 1.* Bonacina, *de ſimonia, diſp. 1. quæſt. 4. §. 13. numer. 1. & 2.* & alii.

Layman Tolet. ſylu. Bonac.

3. *De iure communi* nullus poteſt penſiones imponere niſi Summus Pontifex: in certis tamen caſibus, conſuetudine iam præſcripta, & ex iuſta cauſa penſionem conſtituere poſſunt Epiſcopi. *Primò*, ſi aſſignetur ſeni Parocho non valenti ampliùs deſeruire, vt alatur. *Secundo*, ſi cauſa tranſactionis in lite. *Tertiò*, ſi cauſa permutationis, ob inæqualitatem fructuum: In cauſa vero ſimplicis reſignationis, Doctores Epiſcopo id non concedunt, niſi reſignans eſſet ſenex, & ad pręſtandum officium ineptus, vel niſi aliqua rationabilis cauſa interueniret, in his autem caſibus non poteſt eam conſtituere; niſi ad vitam eius, cui aſſignatur, & in tali caſu obligatio penſionis ſoluendæ ad ſucceſſorem tranſit, quamdiu penſionarius viuit. Sà, *verb. penſio, num. 5.* Suarez, *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 24. num. 37.* Filliucius, *cit. cap. 2. num. 3.* Layman, *cit. num. 3.* Nauarrus, *lib. 5. conſil. 22. num. 4. de ſimon.* Syluius, *cit. concluſ. 4.* & alii.

Sà. ſuar. Laym. Nauarr. ſylu.

Sed petes, an Abbates penſionibus grauari queant à Principe, ſi eiuſmodi penſiones perſonis Eccleſiaſticis pauperioribus reſeruentur? Ad hoc dubium reſpondet Franciſcus Zypæus Canonicus, & Officialis Antuerpienſis *in Analytica enarrat. iuris Pontif. lib. 3. tit. Vt Eccl. benef. ſine diminut. confer. controuerſ. 5.* his verbis. Quantùm ad poteſtatem Principis (ſepoſitis priuilegiis, & indultis ſuæ Celſitudini fortè conceſſis) ſi de iure communi loquamur, videntur ſæculares Principes, etiamſi pro patronis, & defenſoribus Eccleſiarum ſuæ ditioni ſubiacientium haberentur etiam earum ad quarum fundationem, vel dotationem eos contuliſſe non conſtant, non poſſunt tamen vel penſiones imponere, vel de ijs aliter auctoritate propria quoquomodo diſponere, ſed tantùm hoc Pontificem rogare. Patronis enim ſolummodo liberum eſt, in fundatione pēſionibus onerare beneficium, vel quid aliud inſtituere, non autem poſt illam, *cap quanto, extra de cenſibus.*

Propterea de iure non poteſt Princeps ſine conſenſu Pontificis, eiuſdem grauaminibus Abbates onerare: niſi ſub beneplacito Papæ: quod antequam interueniat, nullas vires habet vlla promiſſio, aut affectum obligatio, *cap. ſuper eo, cap. verum, ext. de cond. app. cap. ſi pro ſe. de reſcript. in 6* adeò quidem, vt non excuſetur à pœna ſimoniæ, qui ante dicti beneplaciti interuentum, vtitur effectu talis reſeruationis, exigendo, ſcilicet, aut recipiendo penſionis ſolutionem. Et expreſsè ſatis traditur, in Bullis à *Pio Quarto, & Quinto* ſuper confidentiis editis: vbi inter cætera etiam ſtatuitur, vt ſi quis inciderit in contrauentionem (vt eſt recipere penſionem ante confirmationem Papæ) vt ſtatim penſio ceſſet, ac extincta ſit, teneaturque recipiens ad reſtitutionem. Ita ille, qui pro hac ſententia citat Flaminium Pariſium, Nauarrum, Couarruuiam, & alios.

4. Eodem modo quo Epiſcopi, poſſunt etiam Legati à latere penſiones imponere, ad quam ponendam, non ſemper requiritur iuſta cauſa, hoc eſt, qua ſit ex debito iuſtitiæ, requiritur tamen ſemper iuſta, id eſt, æqua, & rationabilis in ipſo ponente: quinimò vt inferior Papa valide penſiones imponat, debet ſemper interuenire cauſa iuſta, id eſt, legitima, qualem ſcilicet leges præſcribunt, quæ in Pontifice, cum ſit ſupra legem, non requiritur; requiritur tamen in eo iuſta, id eſt, rationabilis, ne peccet in imponendo: vnde conſtans ſententia eſt: penſionem ex falſa cauſa, & non ſubſiſtente conceſſam, nullam eſſe, ſi cauſa fuit motiua, & principalis, ſecus ſi impulſiua tantum, & merè acceſſoria. Filliucius *cit. cap. 2. num. 6. 7. & ſeq.* Azorius, *tom. 2. libr. 8. capite ſexto, quæſ. 2.* Filliuc. Azor.

5. Reſpectu Papæ non datur exceptio perſonarum non habilium ad penſiones, ſed omnibus perſonis, tam veris, quàm fictis, poſſunt ab illo conferri, vt fœminis, infantibus, irregularibus, &c. regulariter tamen inhabiles ſunt ad eas obtinendas præſertim clericales, quicumque ſunt inhabiles, vel abſolutè, vel durante impedimento ad ſtatum clericalem, & qui ſunt inhabiles ad officium recitandum: à penſione vero laicali, nulla perſona lege poſitiua excipitur: imo ſecundum probabiliorem ſententiam, excommunicatus capax eſt penſionis de nouo obtinendæ, contra Suarez citatum, Flamin. *de confid. quæſt. 3. & quæſt. 27. num. 167.* Azor. *cap. 7. quæſt. 12.* Garz. *part. 1. cap. 5. num. 134.* Suar. *tom. 5. diſt. 3. ſect. 1. num. 9.* & alii.

ſuar. Azor. Garzias. ſuar.

6. Obligationes penſionarii hæ ſunt: Penſionarius ſine cauſa penſionem exigens, tutus eſt in conſcientia, ſi penſio impoſita ſit à Papa: ſi vero penſio impoſita fuit ab inferioribus, nec poterit illam exigere. Tenetur penſionarius tantum ad officium paruum Beatæ Virginis, quod ſi illud omittat, fructus ſuos non facit, & tenetur ad reſtituendum. Filliucius, *tractat. 42. cap. 7. numer. 1. & 2.* Pręterea tenetur pro rata penſionis, ad ſoluenda onera ſuperuenientia fructibus beneficii, ab eo, qui poteſt imponere, niſi penſio ſit reſeruata libera, &

ab omni

ab omni onere exempta: tunc enim ad illa tenebitur tantùm titularis *Conſtitut. Pij Quinti*. Tenetur quoque penſionarius ad tonſuram, & habitum clericalem, ex Conſtitutione *Sixti Quinti*, ſi penſionem exigit, & penſio excedat ſexaginta. Ita Nauarrus, *cap.* 25. *num.* 122. Garzias, *part.*1.*cap.*5.*num.*14.

Nauarr. Garzias.

7. *Peccata* quæ in materia penſionis committi poſſunt ad quatuor reduci poſſunt, *iniuſtitiam* nempe, *iniquitatem*, *ſimoniam*, & *confidentiam*. Igitur contra iuſtitiam poteſt *titularis* peccata omnia committere, quæ poteſt in ſolutione debiti debitor, quæ ad duo capita reducuntur, calumnioſam negationem debiti, & moroſam illius ſolutionem: *Penſionarius* verò contra iuſtitiam peccat, ſi exigat ſine iuſto titulo, vel ſi non verificata cauſa propter quam data fuit penſio, vel ſi non verificata conditione narrata, & id in præiudicium titularis, vt cùm narratur beneficium grauatum, maioris valoris eſſe, quàm verè ſit. Filliucius, *tractat.*42.*cap.*9.*num.*1.*&* 2.

8. Contra æquitatem peccat *penſionarius*, ſi beneficiario omnino grauato, vel exiguos fructus colligente, integram penſionem velit exigere, quòd ſit in omni caſu integrè reſeruata: peccat quoque, ſi ſuper quotidianis diſtributionibus penſionem conſtitutam pergat integram exigere, licet beneficiarius nullos alios fructus ex aliquo caſu percipiat, quàm quos ſolutioni penſionis impendit. Filliucius, *cit.num.*2.

9. Certum eſt, poſt Conſtitutiones *Pij, & Sixti Quinti* ſimoniacè peccari poſſe in materia penſionum contra eos, qui putant penſionem eſſe quid merè temporale, ac proinde circa eam ſimoniam non poſſe interuenire. Sayrus, *de cenſur.cap.*5.*num.*15. Arragonius, 2.2.*quæſt.*100.*art.*4. Simonia autem hæc interueniens in penſionibus illicita eſt, quia prohibita, non è contra, per Papam enim poteſt auferri; quod non eſſet, ſi prohibita eſſet, quia illicita. Diuus Thomas, 2.2.*quæſt.*100. *art.*4. Verùm ſimonia hæc commiſſa in penſionibus nullas pęnas inducit, quoties ſimonia purè committitur contra penſiones; nam pęnæ impoſitæ ſimoniacis loquuntur de ſimonia circa beneficia; vnde cùm penſio mixta eſt, & ſimul interuenit vitium contra beneficium, tunc præter peccatum, etiam incurritur pœna, non ratione ſimoniæ penſionalis, ſed beneficiariæ. Tunc autem ſimonia purè committitur circa penſiones, non circa beneficia, quoties de illis paciſcitur ſine vlla relatione ad beneficia; non purè verò, & beneficialis erit, cùm vt pretium beneficii, vel vt merces pro beneficio in pactum deducitur Nauarrus, *cap.*23.*num.*111. Corduba, *lib.*1.*quæſ.*21. Filliucius, *cit.cap.*9.*num.*6.*&* 7.

D. Tho.

Nauarr. Corduba Filliuc.

10. *Penſio* quæ datur ad officium aliquod ſpirituale, non poteſt pretio vendi abſque vitio ſimoniæ, nec etiam poteſt redimi; talis eſt penſio, quæ datur Concionatori vel adiutori Epiſcopi. *Penſio*, autem illa, quæ fundatur in titulo mere temporali, poteſt redimi, & etiam ſine ſimonia vendi pretio, quia nec in titulo ſpirituali fundatur, nec refertur ad functionem ſpiritualem. Bonacina *cit.num.*3.*&* 4. Leſſius, *lib.*2.*cap.*35.*dub.*22. *num.*122. *& ſeq.* Victoria, *relect.*1.*de ſimonia*, *num.*4.*&* 5. Sylnius, *cit. concluſ.*2. Quantùm autem ad reliquas penſiones mixtas, vt quæ datur parocho ſeni, aut pauperi clerico ad ſuſtentationem, aut quæ ad litem componendam, aut quę datur reſignanti in fauorem, vel commutanti cum altero, quidam putant non licere eas redimere ſine authoritate Papæ, qui ſtylus Curiæ, qui facit legem communiter, habet, vt tales redemptiones ſine authoritate factæ reprobentur, & nullæ, & inualidæ cenſeantur, licet propter illas excommunicatio non incurratur; ſic Nauarrus, *conſil.*63.*de ſimon.* Flaminius, *quæſ.*13.*de confid.* Garzias, *part.*1.*cap.*5.*num.*20. Layman, *lib.*4.*tract.*10.*cap.vlt.* §.5.*num.*48. & multi alii apud ipſum. Sententia tamen affirmans redemptionem hanc licitam eſſe, ſtando ſoli rationi probabilior eſt, quia redimere non continet vllius rei ſpiritualis, vel annexæ conditionem, aut acceptionem pro re temporali; non eſt ergo id illicitum, nec ſimoniacum. Leſſius, *cit.num.*124. Toletus, *lib.*5.*cap.*92. Valentia, *tom.*3.*diſt.*6.*quæſt.*16.*punct.*3. Filliucius, *cit.num.*9.10.*&* 11. Diana, 4.*part.tract.*4.*reſ.*153. Tum quia ſi quis ciuis pecunia præſenti liberaret ſe ab obligatione ſoluendi decimas; nihil ſpirituale, vel ſpirituali adnexum cenſeretur per pecuniam acquirere, eſto, illæ decimæ recipiendæ erant à parocho propter titulum ſpiritualem, ſed tantùm diceretur acquirere libertatem, ſiue immunitatem quandam, quæ per ſe eſt quid temporale; ergo ſimiliter hic ille qui pecunia ſe liberat ab obligatione ſoluendi penſionem, ſuo beneficio impoſitam, nihil ſpirituale, aut ſpirituali adnexum acquirit, eſto penſio erat recipienda ab altero ob cauſam aliquam ſpiritualem. tum quia etſi hæc immunitas pendendi portionem fructuum beneficii, ſit in clerico redemptore coniuncta cum ſpirituali officio, ac titulo beneficii, & vtrumque aliquem reſpectum ad eum habeat, quatenus ea libertate obtenta, vtile erit clerico beneficium quoad omnes partes fructuum; hoc tamen non ſufficit, vt illa immunitas ſit materia ſimoniæ: materia enim ſimoniæ debet eſſe quid ſpirituale ſecundùm ſe, vel certè debet in ſuo conceptu includere ordinem ad ſpirituale, ſicut ius beneficii includit; conſtat autem immunitatem illam per ſe optimè poſſe intelligi abſque tali ordine, illa enim nihil aliud eſt, quàm iam hanc perſonam non debere pendere quotannis quinque, vel decem ex fructibus, qui ſecundùm ſe temporales ſunt.

Bonacin. Leſſius. Victoria Sylnius.

Nauarr. Flamin. Layman

Leſſius. Toletus. Valentia Diana

Aduertunt tamen Caietanus, *tom.*1 *opuſc.tract.*31.*reſponſ.*10. *Toletus*, *Leſſius citati*, dum quis reſignat beneficium ſub onere penſionis, non poſſe fieri pactum, vt conſtituta penſio redimatur; id enim apertam continet ſimoniam, quia iſtud onus eſt pretio æſtimabile. Pari modo ſimonia eſt, ſi penſionem redimas reſignando, vel conferendo beneficium; quia datur beneficium pro re temporali: einſdem enim rationis eſt, extinguere aliquod debitum, ſeu onus temporale, & tantumdem acquirere.

Huiuſmodi autem penſiones mixtæ ex praxi receptæ ſolent redimi ſeu extingui, cõſentiente penſionario, quinque annatis. Neque ad hoc opus eſt alia facultate, vt docent *Toletus*, & *Leſſius*; quia redimere talem penſionem, non eſt emere aliquod ius ſpirituale, ſed extinguere onus temporale; ſcilicet debitum ſoluendi quotannis certam ſummam.

11. Non habens facultatem transferendi, non poteſt vllo modo de penſione ipſa, quoad ius ipſum exigendi fructus, contrahere, illam vendendo, permutando, &c. vnde qui ſic transferret, peccaret contra iuſtitiam & contra religionem; at commoditas, quæ oritur ex penſione. poteſt vendi; & aliter in commerciũ deduci, neque enim hæc commoditas eſt ſpiritualis, eò quòd ſit annexa ſpirituali penſioni; nam penſio non eſt ſpiritualis in ſe, ſed quia annexa ſpirituali, acceſſorium enim acceſſorij non ſequitur naturam principalis, ſed tantùm acceſſorium principalis. Leſſ.*c.dub.*22. Nauar. *conſil.*6.*de ſimon.* Flam. *de confid.q.*24 Fill.*c.n.*13.14.

Leſſius Nauarr. Flamin. Filliuc.

12. Qui poteſt transferre penſionem, non poteſt id facere, accepto pretio ſine ſimonia, quia verè dat aliquid ſpirituale, pro temporali recipiendo; vnde peccat qui transfert penſionem, reſeruata ſibi dum viuit omnium fructuum exactione, aut qui transfert penſionem accepta quacumque pecunia in pretium, & ex pacto, ſiue pro ſe, ſiue pro alijs. Tolet.*c.*81.*&* 92. Valent.*c.pun.*3. Leſſ.*c.dub.*22. Bonac.*c.n.*5. Laym.*l.*4.*tr.*10.*c.*8.*n.*47.

Toletus. Valentia Leſſius. Bonacin. Layman

13. Quando *penſio* ceditur, transfertur, confertur cum confidentia vitioſa, interueniẽte pacto de exactione omnium, vel partis fructuum in fauorem conferentis vel alterius, non committitur confidentia ſimoniaca prohibita conſtitutionibus *Pij IV. & V.* cùm tantùm illæ loquantur de confidentia beneficiali: quando autẽ penſio cõſtituitur in caput vnius, ad fauorem & commodum alterius, ad illum ſpectat obligatio vitæ clericalis & officii recitandi, qui verè eſt penſionarius, nempe qui habet ius penſionis, & non commodũ. Fill.*tr.*42.*c.*9.*q.*12.*&* 13. Flam. *de confid.q.*23.24. Leſſ.*dub.*12.

Filliuc. Flamin. Leſſius.

14. *Penſio*, ſecundum communem Doctorum ſententiam, debet eſſe moderata, vt tantum maneat beneficiario, præſertim Eccleſiæ rectori, vt commodè ſe ſuſtentare, officiumque miſericordiæ erga pauperes, & hoſpitalitatis erga peregrinos exercere poſſit, ſicut & alia ſibi incumbentia onera præſtare. Conſuetudine autem

ſibi

Corduba. Leſſius. Syluius. Layman. iam ferè introductum eſt, vt nomine penſionis ex beneficio tertia redituum pars extrahatur. Corduba, *libr.1.q.21.diſt.2* Leſſius, *lib.2.cap.34.numer.206.* Layman, *lib.4.tractat.2.cap.18.num.5.* Syluius, *cit.conclnſ.5.*

De penſione vide tom.1.verb.Emphyteuſis. *numer.4.* Excommunicatio 3.*num.16.17.*& hoc tom. v.Locatio 2.*n.2.*Locatio 3.Simonia 4.*n.7.9.*& t.1. Horæ canonicæ 1.*num.20.*Horæ canonicæ 5.*num.12.*

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An penſio ſit ius aliquod rei ſpirituali annexum an verò temporale, & profanum?*
Refertur duplex ſententia.

2 *An penſio poſſit conſtitui, aut transferri intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium ſoluatur.*

3 *An penſionarius liberè poſſit cedere penſioni priuata auctoritate.*

4 *An quis poſſit vendere alteri, vel donare fructus penſionis durante propria vita?*
Refertur duplex ſententia.

5 *Ex quibus cauſis concedatur penſio in Gallia, Italia, & Hiſpania.*

6 *An Epiſcopi, vel alij locorum Ordinarij poſſint de iure ſuper beneficio penſionem imponere, & ſuper beneficiario.*

7 *Quaſim cauſa lucratiua, vel oneroſa imponenda penſionis.*

8 *Quibus beneficijs poſſit, vel non poſſit penſio imponi.*

9 *An penſiones extinguantur per matrimonium contractum à penſionario.*

10 *An per profeſſionem Religionis ſolemnem? Et an per vota ſimplicia ſoluta omitti in Societate Ieſu poſt biennium.*

11 *An penſionarius effectus miles penſionem amittat?*
Refertur duplex ſententia.

12 *An regularis ſit incapax penſionis ſuper beneficio ſæculari, vel regulari abſque diſpenſatione Summi Pontificis.*

13 *An Prælatus regularis conferens Monacho beneficium regulare, poſſit illi ex iuſta cauſa penſionem imponere ſoluendum alteri Monacho eiuſdem Monaſterij.*

14 *An penſionarius teneatur ſub mortali ad horas Beatæ Virginis, ex vi Conſtitutionis Pij Quinti.* Ex proximo, &c.

15 *Quando penſio reſeruata fuit in capite, ſeu perſona vnius, ſeu in commodum, & vtilitatem alterius, quis eorum teneatur dicere officium B.Virginis?*
Refertur duplex ſententia.

16 *An Penſionarius, qui conſentit penſionem redimi, teneatur adhuc ad officium B.Virginis? Et quid ſi ceſſit penſioni tantùm in parte.*

17 *Si clericus penſionarius nomen dedit in Ordinem militarem cum facultate retinendi penſionem, an ſatisfaciat ſuæ obligationi, recitando Orationes Dominicales, & Angelicas à Religione præſcriptas loco horarum.*

18 *An penſionarius recipiens fructus, & officium omittens, teneatur omnes fructus reſtituere fabricæ, vel pauperibus.*

1 DVbium eſt inter Doctores, an penſio ſit ius aliquod rei ſpirituali annexum, an verò temporale, & profanum? Communis iuris Canonici interpretum ſententia eſt, penſionem non eſſe ius aliquod ſpirituale, aut rei ſpirituali annexum, ſed commodum quoddam temporale, ſeu ius quoddam profanum per ſe à beneficio diſtinctum, & ſeiunctum; eo quòd beneficium Eccleſiaſticum non ſit, nec conferatur iure: & ratione miniſterij ſpiritualis, ſed in vitæ ſubſidium. Ita Ancharanus Cardinalis, *Clementin.I. de ſupplend.negligent.Prælator.*& alii; quia ius penſionis eſt omnino temporale nihil habens ſpiritualitatis; cum ſit tantum obligatio in beneficiario, vt ſoluat tale onus, & reſpiciat tantum fructus beneficii. Anchar. Cardin. Imola

Sed verius eſt penſionem non eſſe rem ſine ius profanum, vt ſæpè reſponſum eſſe in Rota, tradit Flaminius, *de reſignat.Beneficior.lib.6. quæſt.4. num.54.* Item eſſe ius ſpirituali rei annexum, vt conſequens, ait Nauarrus, *in manual.cap.23.num.111.* Hoc autem intelligi debet de penſione Clericali, quæ datur titulo Eccleſiaſtico, hoc eſt, ex eo quod perſona eſt intra Ordinem Eccleſiaſticum conſtituta per clericalem tonſuram. Ratio autem hæc eſt. Quia licet penſio non det ius ad beneficium, ſed tantum ad fructus beneficii: adhuc tamen hoc ius eſt ſpirituale: quia eſt ius receptum ſpirituali modo: nam recipitur à Clerico, quatenus perſona Eccleſiaſtica habente ius ad participandum in bonis Eccleſiæ, vnde ſi non adſit dignitas Clericalis, aut ſi Clericus ſit excommunicatus, aut interdictus, aut ſuſpenſus, penſio collata eſt nulla, vnde tale ius nedum eſt annexum rei ſpirituali, nempe Clericali dignitati, ſed etiam ſuo modo ſpiritualizatur, quia ſit proprium perſonæ ſpiritualis intra Ordinem ſpiritualem: & ſicut recipiens ius per modum perſonæ ſpiritualis recipit: ita etiam ipſum ius per modum ſpiritualis recipitur; atque hæc ſententia videtur communi conſenſu recepta. Hanc ſententiam ſuſtinent, qui docent penſionem non poſſe vendi, aut redimi, ſi ſit Clericalis, vt Rebuffus, *de pacifica poſſeſſ.num.134.* Couarruuias, *part. 2. cap.3. §.3. num.3.* Rodriguez, *tom.2. ſumm. Latina, cap.67 num.1.& 2.* Garzias, *de benefic.par.1.cap.5.num.20.* Leſſius, *lib.2.cap.35.dub.22. num.122.* & alii apud Paſqualigum, *in deciſionibus moral. deciſ.107. num.4.* Prima tamen ſententia eſt probabilis: quia tamen penſio eſt portio quædam ex beneficii fructibus detracta ideo voluerunt Pontifices, & vſus, ac conſuetudo recepit, vt non detur niſi Clericis, nec abſque Romani Pōtificis authoritate conferatur, redimatur, aut transferatur, & vt per matrimonium contractum extinguatur: denique vt habeat multa cum beneficio communia. Rota. Flamin. Nauarr. Rebuff. Couarr. Rodrig. Garzias Leſſius Paſqual.

2. Penſio neque poteſt conſtitui, neque transferri intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium ſoluatur pro tranſlatione, aut conſtitutione penſionis. Ita ex communi ſententia, Nauarrus, *lib.3. conſil. tit. de præbend. conſil. 54.* Sanchez, *tom.1.conſil moral.lib.2.cap.3.dub.46. num 18.* Ratio ſpecialis eſt, quia tunc pecunia reſpicit actionem fundandi, & transferendi penſionem; hęc autem actio eſt annexa rei ſpirituali, nempe auctoritati ſpirituali fundandi, & transferendi penſionem, & licet pactum non fiat cum Pontifice, ſed cum eo, qui poſſidet beneficium, adhuc tamen, qui ſic paciſcuntur, paciſcuntur de obtinenda illa actione à Pontifice; atque adeò ipſa quoque cadit ſub pactum. Nauarr. Sanchez

3. Penſionarius liberè poteſt cedere penſioni priuata auctoritate. Ratio eſt, tum quia hoc vergit in vtilitatem, & commodum beneficiarij, qui gratis ab onere penſionis liberatur. Tum quia quilibet iuri ſuo cedere poteſt, niſi lege prohibeatur, ſed in hac re nulla extat prohibitio. Ita communiter Doctores. Imo penſio poteſt ad limitatam portionem redigi abſque licentia Superioris: quia ſi poſſit in totum remitti, ergo etiam in partem. Quæ enim ratio eſt totius ad totum, eadem eſt partis ad partem, *l.qua de tota, ff. de rei vendicat.* Si tamen penſionarius remittens penſionem ſit ordinatus ſacris Ordinibus ad titulum penſionis, tunc remittere non poteſt penſionem, niſi de licentia Epiſcopi, & niſi beneficium obtinuerit, aut aliunde habeat vnde viuere poſſit, vt ſtatuit Concilium Tridentinum, *ſeſſ.21.cap.2.de reformat.*& docent Suarez, *tom.1.de Relig. lib.4.de ſimon.cap. 26.num.17.* Garzias, *1.part.cap.2.num.46.& 2.part.cap.5. num.79.*& alij communiter. Concil. Trid. Suarez. Garzias.

4. Difficultas eſt, an pro certa ſumma pecuniæ poſſit quis cedere penſionem, durante propria vita, alteri, nullo iure ſibi reſeruato, ad habendum, tenendum, & liberè diſponendum; vel donare alteri fructus penſionis. Negant nonnulli recentiores; quia in huiuſmodi ceſſione transfertur totum ius: vnde etiam transfertur illud

ſpirituale,

Digitized by Google

ſpirituale, quod eſt fundamentum fructuum penſionis. Tum quia, qui vnum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum invenditum derelinquit, *ap. ſi quis obiecerit 1. quæſt. 3.* ſed fructus penſionis non proueniunt penſionario ſine titulo ſpirituali; ergo qui fructus penſionis vendit, cenſetur etiam titulum ſpiritualem vendere, & conſequenter ſimoniam committit. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 35. dub. 22. num. 122.* Nauarrus, *conſil. 11. de rebus Eccleſiæ non alienandis*, Garzias, *de benefic. part. 2. cap. 1. num. 37.*

Leſſius. Nauarr. Garzias.

His tamen non obſtantibus, ſuſtinent alii, & meritò poſſe fieri huiuſmodi ceſſionem abſque vlla ſimonia: quia in ea non ceditur ius penſionis, ſed tantùm fructus, quod ex eo patet, quia alter exigit fructus nomine penſionis remanet apud penſionarium. Accedit, quòd penſionarius cedit penſionem durante propria vita; vnde penſio ſtat in vigore iuxta vitam penſionarii: hoc autem clarè indicat ius penſionis, non obſtante hac ceſſione, remanere apud penſionarium, & conſequenter cedere tantùm fructus. Porrò, quòd quis conſtituatur irreuocabilis Procurator, non operatur niſi ſecundùm naturam penſionis: & nihil aliud eſt, niſi concedere facultatem exigendi fructus, quamdiu poterit exigi à penſionario. Ergo primarium ius exigendi fructus remanet apud penſionarium, & ſi in ipſo extinguitur, in procuratore etiam extinguetur, quod ſignum eſt non fuiſſe tranſlatum. Hinc ſequitur penſionarium poſſe alteri donare fructus ſuæ penſionis ad totam vitam ſuam, retento tamen ſibi titulo penſionis, & conſequenter etiam onere Officii Beatæ Virginis recitandi. Quod etiam habet locum in venditione illorum fructuum; & ideò ſi beneficiarius ipſe, qui fructus emerat à penſionario moriatur, ſucceſſor tenebitur penſionem ſoluere; quia beneficium tranſit cum ſuo onere. Ita Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 26. num. 9. & 17.* Naldus, *in ſumm. verb. Penſio, num. 10.* Zerola, *in praxi Epiſcop. verb. Alienatio, §. 3. concluſ. 10.* Filliucius, *tract. 42. cap. 9. quæſt. 8. num. 14. & quæſt. 14. num. 20.* Bonacina, *de ſimonia, quæſt. 4. §. 13. num. 13.* & alii.

Suarez. Naldus. Zerola. Filliuc. Bonacin.

Ad primam autem rationem contrariæ ſententiæ poſſet reſponderi, totum ius quidem transferri ſupra fructus, quod ſingulis vicibus acquirit penſionarius, quibus ſoluitur penſio: ſed tenetur ſinere penſionem currere eo modo, quo currit: hoc autem ius non eſt ius penſionis ſpirituale, ſed ius temporale acquiſitum ſupra fructus per contractum emptionis, & conſurgit ex contractu materiali, & ciuili, & refertur ad fructus, qui ſecundùm ſe ſunt aliquid temporale.

Nec obſtat etiam, *cap. ſi quis obiecerit 1. quæſt. 3.* quia non ſumus in caſu: licet enim fructus non proueniant penſionario ſine titulo penſionis, proueniunt tamen ſine titulo penſionis illi, cui ceditur commoditas penſionis: quia exigit fructus tanquam procurator penſionarij; atque adeo non iure proprio, ſed iure illius; & ſolùm poſtquam ſunt exacti, & ſub dominio penſionarij, ſunt procuratoris in virtute præcedentis contractus. Vnde in illo contractu duo interueniunt, conſtitutio Procuratoris ad exigendos fructus, & ceſſio ipſorum fructuum iam exactorum.

5. In Gallia tribus tantùm ex cauſis penſio conceditur, quæ iure communi ſunt approbatæ. *Primò*, ad litem de beneficio dirimendam, *cap. niſi, de præbend.* *Secundò*, ne reſignans nimio detrimento afficiatur, *cap. ſuper hoc, de Renunciat.* *Tertiò*, in permutatione, quia quis ſuum beneficium cum altero minus pingui commutat, *cap. Ad quæſtiones, de rerum permut.* Ita Rebuffus, *in praxi benefic. part. 1. tit. de reſeruationibus, num. 22.* In Hiſpania verò, & in Italia admittuntur etiam penſiones, quas non ius commune, ſed Curiæ Romanæ vſus induxit, & approbauit, quales ſunt, quæ ſolent reſeruari alicui ob litteraturam, hoſpitalitatem, præmium, amorem, vitæ, & morum honeſtatem, & alia merita, & obſequia laudabiliter in Eccleſiæ bonum exhibita. Ita Azorius, *part. 2. lib. 8. cap. 5. quæſt. 7.* Filliucius, *tract. 42. cap. 2. num. 3.* Garzias, *part. 1. cap. 5. num. 270. & ſequentibus.*

Rebuff.

Azor. Filliuc. Garzias.

6. Aliud eſt penſionem imponere ipſi beneficiario, aliud vero in ipſo beneficio: nam quæ perſonæ beneficiarij imponitur, ad ſucceſſorem in beneficio non tranſit, ſed ipſius beneficiarij, cui imponitur, morte finitur. Sed penſio, quæ in ipſo beneficio imponitur ad ſucceſſorem tranſmittitur; quia eſt onus in ipſo beneficio conſtitutum, & ſeruitus ipſi inhærens, & proinde vna cum ipſo beneficio ad ſucceſſorem transfertur. At prior illa penſio eſt onus perſonæ beneficiarij, non ipſi beneficio impoſitum, ac idem ipſe non ſucceſſor, eam ſoluere compellitur. Quare Epiſcopi, vel alij locorum Ordinarij nequeunt penſiones in beneficijs conſtituere: quia iure communi cautum eſt ne beneficia cum diminutione conferantur, *cap. cùm ſecundùm*, & *cap. vlt. de præbendis*, & *in toto tit. vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*. Cùm ergo penſio ſit diminutio, & detractio quædam ex fructibus beneficij, non poterunt illam imponere quicumque iure communi tenentur integra beneficia, & ſine diminutione conferre, quia quod iure communi prohibetur, ligat omnes, præter ipſum Summum Pontificem, qui ſolus eſt ſupra ius omne poſitiuum: quamuis ex conſuetudine iam præſcripta, penſionem conſtituere poſſint Epiſcopi, in caſibus numero præcedenti relatis, vt diximus ſupra *verb. Penſio, num. 3.* cum Doctoribus ibi citatis.

De iure tamen poſſunt Epiſcopi perſonis beneficiariorum penſiones imponere? nam *in cap. niſi eſſent, de præbendis, ad finem*, apertè dicitur: *Vt ad præſtationem 40. librarum non dignitas Prioratus, ſed perſona Prioris maneat onerata: ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta ſectio Prioratus. Ita quod ipſo Priore defuncto, ſucceſſor ipſius ad præſtationem 40. librarum minimè teneatur.* Hinc penſio per Epiſcopum conſtituta, ad ſucceſſorem in beneficio non tranſit, cum beneficium non ſit tali penſione obligatum alteri, ſed beneficiarius. Sic Ancharanus Cardinalis Imola, *in dict. cap. Niſi eſſent.* De his vide Rebuffum, *de pacifica poſſeſſione, num. 104.* & Garziam, *part. 1. cap. 5. §. 2. num. 277.* & dicta ſupra *verb. Penſio, numero tertio*.

Anchar. Cardin. Imola Rebuff. Garzias.

7. Cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis, vel ſunt lucratiuæ, vel oneroſæ. Lucratiuæ ſunt, *Prima* cauſa alimentorum, quæ dicitur pia, cùm pauperi Clerico, vt ſuſtentetur, penſio confertur, quæ cauſa iuſtiſſima eſt, & ad eam probandam ſufficit ægrè ſine penſione penſionarium ſuſtentari. *Secunda* cauſa eſt commodioris ſuſtentationis, non ſolùm in alimentis habendis, ſed in ſtatu ſuæ conditioni debito retinendo. Tales ſunt penſiones Cardinalibus, & alijs ſimilibus conceſſæ; & ad has duas cauſas lucratiuas omnes aliæ reduci debent. De quibus Gigas, *de penſionibus, quæſt. 3.* Flaminius, *lib. 6. quæſt. 2. num. 7. de reſignat.*

Gigas Flamin.

Cauſæ oneroſæ ſunt. *Prima* eſt ceſſationis litis pro bono pacis obtinendæ. *Secunda*, tranſactionis. *Tertia*, reſignationis. *Quarta*, priuationis, cùm quis priuatus beneficio non habet vnde viuat. De quibus Garzias, *part. 1. cap. 5. §. 2.* Flaminius, *loco citato*, & alij.

Garzias Flamin.

8. Regulariter loquendo beneficium ſimplex cuiuſcumque valoris id ſit, capax eſt penſionis. Beneficium Parochiale minoris valoris, quàm 100. aureorum, non eſt capax penſionis, regulariter loquendo. Epiſcopatus, cuius reditus mille aureos non attingit, penſionem non admittit. Ex Concilio Tridentino, *ſeſſ. 24. cap. 13. de reformat.* Proinde prouiſio penſionis ſuper Parochiali, vel Cathedrali Eccleſia valorem prædictum non excedente, nulla eſt, niſi ſpecialiter à ſummo Pontifice decreto Concilii derogetur, vt obſeruat Puteus, *lib. 2. deciſ. 494.* Quare cùm Parochus talem Eccleſiam Parochialem reſignat, in ea nulla impenſio imponitur, ſed in alio beneficio reſignatarii, aut etiam in beneficio tertij, vt notat Flaminius, *lib. 6. quæſt. 2. num. 23.* In beneficio cum dignitate, vt Canonicatu, non imponitur penſio, niſi reditus ſint vltra 100. vt *ibidem*, Flaminius, *num. 27.* Porro, in beneficio cui reditus conſiſtit in quotidianis diſtributionibus, pro præſentibus, & ſeruientibus, iure antiquo penſio non conſtituebatur: quia penſio conſtituitur de fructibus, diſtributiones autem non ſunt fructus, Decius, *conſil. 280.* Iure autem nouo etiam in diſtributionibus penſione conſtituuntur: quod tamen nunquam intelligitur, niſi exprimatur, appoſita clau-

Concil. Trid. Puteus. Flamin Decius

ſula,

Azorius. Filliuc. Mandoſ.

ſola, *etiamſi in ſolis diſtributionibus*, &c. Ita Azotius, *part.2.lib.8.cap.8.quæſt.17.* Fillіucius, *tract.42.cap.5.quæſt.2.* Mandoſius, *de ſignatur. & iuſtitia tit. Penſiones, verſ. Clauſula præmiſſa*.

Gigas.

9. Quando penſio datur laico pro miniſterio merè temporali, vt pro pulſandis campanis, & organis, non vacant per matrimonium penſiones ſic conſtitutæ. Ratio eſt, quia ſicut ſtatus laici non eſt cum ipſis incompatibilis, ita nec ſtatus coniugati. Ita Gigas, *de penſion. quæſt.54.* Ex quo fit, quod quando Pontifex concedit penſionem laico pro re in defenſionem Eccleſiæ viriliter gerenda, aut geſta, illa non vacat per matrimonium; quia conceſſa fuit pro miniſterio temporali. Idem dicendum, ſi penſio conſtituta eſſet Clerico in Minoribus, aut in ſacris conſtituto pro miniſterio merè temporali, vt quia eſt Aduocatus Eccleſiæ, ſacriſta, aut pulſat organa: quia ea penſio datur tamquã laico pro re merè tẽporali, & ideo eadem eſt ratio, ac ſi conferretur laico, vt non vacet per matrimonium iure contractum, ſi Clericus ſit in minoribus? vel ſolo facto, ſi ſit in ſacris. Ita Sanchez, *de matrim.lib.7.diſp.44 num.2.3. & 4.* & alii apud ipſum citati.

Sanchez.

Penſio alicui collata titulo clericali, vt loco beneficii, quod, vel cuius ius ad rem reſignauit, ex ſtylo Curiæ vacat prorſus eodem modo per matrimonium, quo per illud vacaret beneficium, Ratio eſt, quia cùm detur titulo clericali huiuſmodi penſio, per aſſumptionem ſtatus coniugalis, & incompatibilis cum beneficio, cenſetur illi renunciari, ſicut & beneficiis. Ita Flaminius, *libro primo, de reſignatione beneficiorum, quæſtione prima, numer.15.* & *libro ſexto, quæſtione ſecunda, numer.115.* Emanuel Sa, *verb. Penſio, numero quarto*, Azorius, *parte ſecunda, libro octauo, capite decimo, quæſtione prima*, Nauarrus, *de oration. capit.21.* Saytus, *de cenſuris, libro ſecundo, capite quinto, numer.15.* & alij.

Flamin. Em. Sa. Azorius. Nauarr. Saytus.

Tamen non eſt de iure, vt penſio eodem modo amittatur, quo beneficia; quia cùm illa beneficium non ſit, contra ius eſt, vt quod generaliter in beneficiis ſtatuitur de penſionibus intelligatur, quaſi debeant iuxta beneficia regulari penſiones, ſed id prouenit ex noua prouiſione per aliquam Conſtitutione facta, vel tacitè per conſuetudinem Curiæ approbata, cui in praxi eſt ſtandum. Propterea Conſtitutio Sixti Quinti præcipit penſionariis, vt tonſuram, & habitum clericalem deferant.

Sixtus V.

Ex quibus infertur Clericum coniugatum incapacem eſſe veræ penſionis, quæ titulo clericali conferri ſolet. Si enim antea habitam verè perdit ob ſtatum incompatibilem: à fortiori erit incapax nouæ acquirendæ, niſi ex diſpenſatione Pontificis, qui illam iuſtè concedere poteſt coniugato, vel ob miniſteria præſtita Eccleſiæ, vel ratione paupertatis, aut alia iuſta cauſa concurrente, vt docet Nauarrus, *libro primo conſiliorum, titul. de tempor. Ordinar. conſil.13. numero ſecundo, editione ſecunda*, & poſt illum Sanchez, *loco citato, numero nono*.

Nauarr. Sanchez.

10. Dubium eſt, an penſiones extinguantur profeſſione Religionis? Quidam docent non extingui, ſed Monaſterium gaudere illis, dum Monachus ille naturaliter vixerit, ſicut nec vſusfructus antea à Monacho habitus extinguitur profeſſione. Ita Rebuffus, *de pacificis poſſeſſoribus, numer.237. verſiculo vltima concluſio*. Sed Gigas, *de penſionibus, quæſtion.57.* docet extingui penſionem, liberumque manere beneficium illa grauatum ab onere illius ſoluendæ. Ratio eſt, tum quia dum *in capite Beneficium, de regularibus, in ſexto*, dicitur beneficia vacare per profeſſionem, beneficium accipiat largè: at latè ſumpto beneficij vocabulo, venit nomine illius penſio. Tum quia beneficia vacant per contractum matrimonij, quaſi aſſumpto ſtatu incompatibili. Et hæc ſententia eſt tenenda in ijs caſibus, in quibus penſiones extinguuntur per contractum matrimonij, vt dictum eſt numero præcedenti, nempe, quando penſiones collatæ ſunt titulo clericali, vt loco beneficij, &c. In ijs autem caſibus, in quibus non extinguntur penſiones, ſuccedit Monaſterium ſuccedendi capax in eas, dum Monachus naturaliter viuit. Si autem ſit ſuccedendi incapax, exiſtimat Sanchez, *libro ſeptimo moralium, capit. 29. numero octauo*, penſiones has non extingui, ſed pertinere, dum religioſus ille viuit, ad heredes ab ipſo inſtitutos, & nullis inſtitutis, ad hæredes ab inteſtato, ad quos pertinent reliqua illius bona. Ratio illius eſt, quia huiuſmodi penſiones ſunt quaſi cenſus ad vitam illius conſtituti in ſtipendium rei illius temporalis geſtæ: at cenſus ad vitam alicuius conſtituti non ceſſant profeſſione in Ordine capaci, ſed ſola morte naturali.

Rebuff. Gigas. Sanchez.

Sed quia hæc de ſolemni profeſſione Religionis procedunt, difficultas eſt, an penſiones extinguantur per vota biennij in Societate IESV emitti ſolita, quæ tantùm ſimplicia ſunt? Reſpondet Sanchez, *loco citato, numer.12.* non extingui, ſed durare, donec religioſus ille, vel profeſſionem ſolemnem, vel votum coadiutorum formatorum emittat, per quæ redditur incapax cuiuſcumque iuris acquirendi, aut retinendi, quod non contingit in votis biennij. Et quamuis Pontifex Gregorius Decimustertius, in Bulla *Aſcendente Domino*, expreſsè tantùm loquatur de bonis temporalibus per ſcholares eiuſmodi Societatis retinendis, neque ſecundum rigorem æquiparandum ſit ius penſionis clericalis, iuri, ac dominio rerum temporalium. Societas tamen ſic videtur Bullam Pontificis intellexiſſe, vt quemadmodum religioſi Societatis non redduntur per vota biennij incapaces retinendi bona, iuxta Societatis Conſtitutiones, ita non vacent eorum beneficia. Cæterum quamuis ea non vacent, tamen in Congregatione quinta generali eiuſdem Societatis Canon.5. ſtatutum eſt, vt ea ante biennii vota reſignentur. Ex quibus infert Sanchez, *libro ſeptimo moralium, capite quarto, numer.7. & 13.* quod talium beneficio non vacarent, ſi ea reſignatio non fieret. Et ſicut non vacarent beneficia, ita nec penſiones vacarent. Nam in Societate vacant penſiones eis temporibus, in quibus vacant beneficia, vt ex Sanchez, *loco citato*, docet Syluius, *parte ſecunda reſolutionum, verb. Penſio II.* vbi reſpondens ad quæſtionem ſibi propoſitam; Titius Clericus habens penſionem 300. florenorum ſuper fructibus beneficii Caii, poſt ingreſſum eius in Societatem, & poſt vota biennii emiſſa, quamuis ſimplicia, num Caius adhuc obligetur ad præſtandam penſionem. Reſoluit dicendo, Caium non amplius obligari ad præſtandam penſionem, niſi Titius doceat ſe illam non abdicaſſe antequam vota bienn. emitteret: cum enim ſtatutum quintæ Congregationis generalis, de beneficiis (idemque iudicium eſt de penſionibus clericalibus) tam ſeriò præcipiat, vt reſignent, præſumi debet illud à Titio fuiſſe obſeruatum, niſi doceatur de oppoſito: & ſi hoc non doceatur, conſequenter dicendum foret Titium teneri ad reſtitutionem eorum, quæ percepit ab emiſſis votis biennii. Si autem illo ſtatuto non obſtante Titius non abdicauit penſionem, ſed vota biennii emiſit ſine vlla eius abdicatione, validè illam recepit, ac etiam num validè recipiet; ideoque Caius ad eam præſtandam tenetur, nec Titius obligatur quicquam reſtituere.

Sanchez. Greg. xiij. Sanchez. Syluius.

11. Penſionarius, qui mutato clericali habitu, militarem induit, & efficitur miles, iuxta quoſdam, ſi monitus, militiam non derelinquat, ſicut beneficium amittit, ita etiam penſionem; quia tunc priuilegio Clericorum priuatur, eo quod beneficium, & Eccleſiam pro derelictis habuiſſe videatur. Tum quia Sixtus Quintus in Bulla anno 1589. Clericos penſionarios, qui habitum clericalem, & tonſuram non deferunt, declarauit ipſo facto, ſine vlla monitione priuatos ſuis penſionibus, caſque penſiones caſſatas eſſe, & extinctas. Ita Gigas, *de penſionibus, quæſt.55.* Azorius, *part.1.lib.7.cap.10. quæſt.4.* Probabilior tamen ſententia ſuſtinet, talem penſionarium ipſo facto non amiſiſſe ſuam penſionem. Ratio eſt, quia Clericus ſi per homicidium, aut aliter in irregularitatẽ, vel etiam excommunicationem incidat, non priuatur ipſo facto beneficiis, quæ antea habuerat: ergo nec priuatur etiam penſione, quæ nec eſt beneficium, nec plura requirit ad hoc vt aliquis ſit ad eam retinendam habilis, quàm vt poſſit retinere beneficium. Ita Nauarrus, *libro tertio, de vita, & honeſtate Clericorum conſilio tertio*, Syluius, *parte prima reſolutionum, verb. Penſio I.* qui nouiſſimus docet Sixtum Quintum, illam ſuam Conſtitutionem ita fuiſſe poſtea moderatam in Bulla *Paſtoralis*, vt Clerici, qui penſiones habent ſummam ſexaginta du-

Gigas. Azorius. Nauarr. Syluius. Sixtus V.

Digitized by Google

ta ducatorum auri de Camera non excedentes, in tonſura, & habitu Clericali incedere minimè teneantur.

12. Regularis eſt incapax penſionis ſuper beneficio ſæculari, ſiue ſimplici, ſiue Curato obtinendæ, abſque diſpenſatione Summi Pontificis: quia, qui eſt incapax beneficii, eſt etiam incapax penſionis: ſed regularis eſt incapax beneficii ſæcularis ſimplicis: ergo erit incapax penſionis, ſuper dicto beneficio poſitæ.

Sed dices, eſt capax beneficii ſæcularis Curati, ergo ſaltem poterit ſine diſpenſatione obtinere penſionem ſuper beneficio Curato? Reſpondeo, quod regularis eſt capax beneficii Curati ſæcularis ex indulgentia iuris, propter fauorem curæ animarum, *capit. in nona actione, 16. quæſtione ſeptima, & capit. Monachus, 16. quæſtione prima*, qui quidem fauor, cùm non reperiatur in penſione conſtituenda, non erit capax penſionis ſuper beneficio

Zerola. Curato. Ita Zerola, *in praxi Epiſcopali, parte prima, verb. Beneficium, verſiculo quinto*.

Imò regularis nec capax ex penſionis ſuper beneficio regulari ſui Monaſterii conſtitutæ abſque Pontificis diſpenſatione, quod probatur ex *Clementin. vnica, de ſupplend. neglig. Prælat.* vbi decernitur, beneficia regularia non poſſe ab Abbatibus ſuis beneficiis vniri, nec nouis penſionibus onerari: quod etiam probatur ex eo, quod non poſſit Abbas penſionem imponere ſuper Priotatu habente bona diſtincta à bonis Monaſterii, vel habente

Sanchez. Tamb. ius ſpirituale annexum. Ita Sanchez, *lib. 7. moral. capit. 29. numer. 94. & 95.* Tamburinus, *de iur. Abbat. to. 3. diſp. 9. quæſt. 25. num. 5. & 6.*

13. Prælatus regularis conferens Monacho beneficium regulare, poteſt imponere illi ex iuſta cauſa penſionem ſoluendam alteri Monacho eiuſdem Monaſterii ad nutum ſuum reuocabilem; aliud enim eſt ipſi beneficiario penſionem imponere, aliud verò ipſi beneficio, vt diximus *ſupra numero ſexto*. Si enim Epiſcopus de iure poſſit penſionem imponere beneficiario, ergo ſimiliter id poterit Abbas conferens, beneficium regulare ſuo religioſo. Quia, cùm religioſus ille maneat ſub Abbatis obedientia, atque ex licentia tacita ipſius, expendat eius beneficii fructus, poteſt Prælatus ex iuſta cauſa illi imponere, vt partem fructuum det Monaſterio, aut alio re-

Sanchez. Leſſius. ligioſo. Ita Sanchez, *loco citato, numer. 99.* Et hoc idem vt probabile, & rationi ſatis conſonum admittit Leſſius, *libro ſecundo, capit. 41. dub. 11. numer. 94.*

Pij V. 14. Nonnulli arbitrantur Conſtitutionem Pii V. quæ incipit, *Ex proximo*, obligantem Clericos penſionarios ad Officium B. Virginis, pluribus in locis non eſſe receptam, quia à pluribus ignoratur, vel, etſi ſciatur, non eſt in praxim vnquam deducta. Ita ſentit Leſſius, *libro ſe-*

Leſſius. M. Vidal. *cundo, capit. 35. dub. 22. num. 129.* cui ſubſcribit quidam modernus Marcus Vidal, *in arca Theolog. moral. titul. de iudice, Inquiſit. 5. numer. 45.* dicens eandem Conſtitutionem non obligare ad ſui obſeruantiam ſub mortali, quia nullum verbum præceptiuum continet, & in pęnis ſemper benignior interpretatio eſt facienda. Sed hæc ſententia eſt contra praxim communiter receptam, contra ſtylum Curiæ Romanę, contra omnes Doctores, & contra verba apertiſſima Conſtitutionis prædictæ, vbi habetur: *At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Ex quo textu colligunt communiter Doctores hanc conſtitutionem obligare penſionarios ſub mortali ad dicendum Officium Beatæ Virginis, eo modo, quo obligantur beneficiarii perſoluere horas Canonicas, & ſub iiſdem pœnis.

Aduertendum tamen circa illam Conſtitutionem, non omnes penſionarius ſub illa comprehendi, ſed ſolùm eos, qui vt Clerici penſionem accipiunt, vt patet ex Bulla: dicuntur autem vt Clerici accipere, non illi, qui clericali Officium exercent, alias ad Officium diuinum tenerentur, ſed illi, in quibus ſtatus clericalis requiritur, vt ſint talis penſionis capaces; quare ſi penſio detur ſine hac conditione, non inducit obligationem recitandi Officium Beatæ Virginis, etiamſi detur perſonæ regulari laicæ, vt militi Sancti Ioannis: etiamſi aliquo modo ratione profeſsionis perſona ſit Eccleſiaſtica, & licet illi, vt regulari detur, quia nihilominus non datur illi, vt Clerico. Regularis enim propriè, & ſtrictè loquendo, non eſt Clericus. Ita docent Trulleuch, *in decalogo tomo primo, libro primo capite ſeptimo, dub. 12. §. 3. num. 6. & 7.* Candidus, *tomo primo, diſquiſit. 18. articul. 23. dubio ſecundo*, Sanchez, *tomo primo conſil. moral. libro ſecundo, capite ſecundo, dub. 63. numero quarto*, Vvigers, *de iuſtitia, tractatu ſeptimo, cap. 4. dub. 15. num. 93.* Azorius, *part. 2. lib. 8. cap. 12. qu. 2.* Syluius, *2. 2. quæſt. 100. artic. 4. concluſ. 3.* Malderus, *de iuſtitia, tractatu nono, capite tertio, dub. 13.* Diana, *part. 10. tract. 16. reſol. 94.* & alii quamplures apud ipſos, qui omnes vno ore, & conſenſu dicunt penſionarium vt ſupra, teneri ſub mortali ad horas Beatæ Virginis, ſupponunt enim prædictam Conſtitutionem Pij V. eſſe vbique vſu receptam, quo ad hanc obligationem inducendam, quandoquidem hi Doctores in diuerſis orbis partibus ſcripſerint, & ſua ſcripta nobis tradiderint. Sed ex dictis occurrunt quædam dubia circa obligationem penſionarii ad recitandum Officium B. Virginis.

Trullẽc. Candid. Sanchez. Vvigers. Azorius. Syluius. Malder. Diana

15. Dubium primum. Quando penſio reſeruata fuit in capite, ſeu perſona vnius, ſed incommodum, & vtilitatem alterius; vt contigit in Hiſpania, vbi pragmaticę, & leges regni non permittunt beneficia, & penſiones conferri, niſi Hiſpanis, proinde inductum eſt, vt penſio imponatur in capite, aut perſona alicuius Hiſpani, & penes illum verè reſideat ius penſionis; ſed tota vtilitas, totumque commodum pertineat ad aliquem Italum, cui Papa ſpecialiter, & directè intendit facere gratiam, vter ex his duobus teneatur dicere Officium B. Virginis? Reſpondeo duplicem eſſe Doctorum ſententiam. Prima ſuſtinet illum teneri in cuius commodum aſsignata eſt penſio, non autem illum, in cuius capite eſt aſsignata. Ratio eſt, quia hic propriè percipit penſionem vt Clericus, & illius emolumento fruitur, non verò ille, in cuius capite poſita fuit penſio. Ergo is, cuius intuitu penſio impoſita eſt, tenetur onere Officii: iuxta regulam iuris in 6. Qui ſentit commodum, par eſt, vt ſentiat incommodum. Ita Trullench, *loco citato, num. 6.* Bonacina, *de hor. Canonic. diſp. 1. q. 2. punct. 4. num. 8.* Baldellus, *in Theol. moral. tom. 2. lib. 3. diſp. 29. num. 9.* Trullẽc. Bonacin. Baldell.

Altera ſententia docet illum teneri ad horas B. Virginis, qui verè eſt penſionarius, nempe qui habet ius penſionis, & non commodum, quod ius immediatè eſt annexum ſpeciali ſtatui, & officio, non commoditas, quæ ex illo iure naſcitur. Propterea obſeruatur, vt huiuſmodi penſione, conſtituantur in capite, & perſona iam in vita clericali conſtituta, vt minus grauetur aliunde ad officium obligatus, & vitam clericalem. Ita Filliucius, *tractat. 42. capite nono, numer. 19.* Garzias, *prima part. capit. 51. num. 161.* Leſsius, *libro ſecundo, capit. 36. dub. 22.* Eſcobar à Corro, *de hor. canonic. quæſt. 3. §. 5. nu. 15.* vtraq; ſententia eſt probabilis. Filliuc. Garzias. Eſcobar.

16. Dubium ſecundum. An penſionarius, qui conſenſit penſionem redimi, accepta nonnullorum annorum anticipata ſolutione, teneatur adhuc ad Officium Beatæ Virginis? Et quidem pro affirmatiua poſsit dici quod talis teneatur, quia recipiens anticipatas ſolutiones videtur recipere ſtipendium, quod Clerico fuit conſtitutum pro onere Officii, ergo tenetur adhuc ad hoc Officium. Probabiliter tamen dici poteſt, non teneri: quia hic non habet amplius titulum penſionis, quæ extincta eſt, nec dicitur penſionarius, conſequenter non tenetur ad onera, quæ penſionem conſequuntur, & ad quæ tenetur Clericus, qui penſionem titulo clericali percipit. Ita Bonacina, *loco citato, num. 11.* Trullench, *in decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 8.* Eſcobar, *loco citato, num. 18.* & alii. Quia non magis ob gratuitam, quàm ob oneroſam penſionis alienationem ab onere dicti Officii quis eximi debet, niſi aliud in Bullis exprimatur. Tamen qui ceſſit penſioni ſolùm in partem, non remanet immunis, & exemptus ab obligatione huius Officii; quia dicitur adhuc penſionem titulo clericali poſsidere. Secus ſi liberaliter ceſsit penſioni in totum, cùm enim non dicatur penſionem habere, neque dicendus eſt onere penſionarij Bonacin. Trullẽc.

grauati

Digitized by Google

grauari, iuxta dictam Pij IV. conſtitutionem. Ita Bonacina, Trullench *locis citatis*.

17. Dubium tertium. An ſi Clericus penſionarius nomen dedit in ordinem militarem cum facultate retinendi penſionem, teneatur ad horas B. Virginis? Videtur quod ſic, quia ſi Clericus beneficiatus admitteretur in ordinem militarem cum facultate retinendi beneficiũ, non propterea eſſet liber à perſoluendis horis Canonicis, neque beneficium Eccleſiaſticum mutaretur in purum ſtipendium militare; ita & Clericus penſionarius non propterea, quod ſit miles & penſionem clericalem retineat, eſt liber ab Officio B. Virginis; neque illam mutat in militarem: quia hæc obligatio, quæ comitatur penſionem clericalem, poteſt benè impleri etiam in ordine militari. Propter has rationes hanc opinionem ſequitur Baldellus *in Theol. mor. tom. 2. lib. 3. diſp. 29. num. 7.* Baldell. Verùm his non obſtantibus communis ſententia meritò aſſerit, hunc non teneri ad Officium B. Virginis, ſed ſatiſfacere recitando Orationes Dominicales, & Angelicas à Religione præſcriptas, quia loco Horarum recitantur. Tum quia Pius V. obligauit ad Officium eos, qui ad alias orationes non erant adſtricti. Ita Trullench *loco citato num. 7.* Bonacina *loco cit. num.* 10. Rodriquez *tom. 1. Summa Latina cap. 140. num. 5.* Nauar. *conſ. 22. de celebr. Miſſarum.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 17. diſp. 2. punct. 1. §. 2. n. 6.* et alii penes ipſos. Trullen. Bonac. Rodriq. Nauarr. Palaus. Aduerte tamen cum Sanchez *in conſil. mor. part. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 63.* quod ſi fiat miles Lauretanus & nubat, obligatur retenta penſione & virtute illius militiæ ad Officium paruum: quia non mutatur natura penſionis, ſed eſt tantum priuilegium retinendi cum matrimonio: idem dicit, ſi matrimonio inito obtineat penſionem titulo clericali, virtute illius Officij: eſt enim diſpenſatio quædam ad retinendum, vel obtinendum.

18. Penſionarius, qui tanquam Clericus recipit fructus, & paruum Beatæ Virginis Officium omiſit, tenetur ad reſtitutionem, eo modo quo beneficiatius. Patet ex Bulla Pii V. in qua Summus Pontifex eandem ei obligationem imponit. Ita communiter Doctores.

Sed petes, an teneatur reſtituere omnes fructus? Reſpondeo quoſdam affirmatiuæ ſententiæ adhærere, iuxta formam à Pio V. aſſignatam; ſi nullum aliud onus ei cõperit præter recitationem Officii B. Virginis. Ratio eſt, quia non poteſt alia ratione fructus recipere, quàm Officii perſoluendi; cùm ergo non perſoluat Officium nullum habet titulum cur aliquos fructus recipiat. Ita Nauarrus, Aragon, Leſſius apud Bonacinam *de hor. Canon. diſput. 1. quæſt. 5. punct. 3. num. 2. verſ. Hinc colligi.* Bonac. Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 7. num. 9.* Palaus. quos ſecuti ſumus *tom. 1. verb. Hora Canonica 5. num. 10.* Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens teneri tantùm reſtituere tertiam partẽ fructuum. Probatur, quia penſionarius quoad obligationem & modum recitandi Officium B. Virginis, æquiparatur beneficiario; ſed beneficiarius ſecundum probabilem opinionem, non tenetur ex omiſſione horarum Canonicarum reſtituere niſi tertiam partem, ergo & penſionarius. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 13. §. 2.* Sanchez *in opuſcul. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 84. num. 9.* Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 95. verſ. Quæro anima.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. num.* 208. Trullench *in decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 25. num. 3.* Henriq. Sanchez Diana. Pelliz. Trullen.

Hinc colligitur, penſionarium, qui Officium B. Virginis omiſit, teneri reſtituere fabricæ, vel pauperibus. Conſtat id ex Bulla Pii V. vbi dicitur penſionarium teneri reſtituere eo modo, quo beneficiarius tenetur. Vnde beneficiarius, qui nouit ſuum penſionarium non recitaſſe ſuum Officium, non poteſt fructus denegare penſionario vt eos ſibi retineat: nam reſtitutio illorum fabricæ vel pauperibus fieri debet, non verò ipſi beneficiario, vt patet ex praxi, qua receptum eſt, vt penſionarius compoſitionem à Papa ob omiſſam Officii recitationem obtineat, quam Papa concedere non poſſet, ſi dicti fructus deberentur beneficiario, non enim conceditur compoſitio de reſtitutione rei, quæ certæ perſonæ facienda eſt. Ita Garzias *3. part. cap. 1. num.* 37. Bonacina *de hor. Canon. diſput. 1. quæſt. 5. punct. 4. num. 5. & 6.* & alii apud ipſum quibus adde Trullench *loco citato dub. 26. num. 5.* Garz. Bonac. Trullen.

Penſionarius tamen poteſt, iuxta probabilem ſententiam, compenſare reſtitutionem debitam pro omiſſione Officii B. Virginis cum eleemoſynis, quas dedit medio illo tempore, quo non recitauit Officium paruum: ſicut dicitur de beneficiario, qui non recitauit Officium magnum. Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 12. num. 9.* & Layman alii a nobis citati *tom. 1. verb. Hora Canonica 5. num. 13.* Sed de his ſatis.

Vide tomo 1. verb. Emphyteuſis num. 4. & ſeq. Horæ Canonicæ 1. num. 5. & 7. & hoc tomo verb. Lucatio num. 10.

PIGNVS, ET HYPOTHECA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſint Pignus, & Hypotheca? & an in iure hæc nomina ſynonima ſint?*
2 *An pignoris obligatio triplici ex cauſa naſcatur, & de pignore Prætorio & Conuentionali?*
3 *Quid ſit legitimum pignus, ſeu hypotheca? & vt diuidatur in vniuerſalem, & particularem?*
4 *An non ſolum res corporales quæ exiſtunt, ſed etiam quæ futuræ ſperantur, ſubijci poſſint pignori?*
5 *An illa quæ non poſſunt vendi, poſſint eſſe pignori?*
6 *Quis poſſit pignori dare?*
7 *Quæ peccata circa pignora contingere poſſint?*

1 Pignus latè ſumptum, *res eſt ſubiecta, vel obligata pro debito, vt ſi aliter ſatisfactum non fuerit, inde ſatisfieri poſſit*: *ſtrictè* ſumptum addit traditionem eius creditori, vel alteri loco illius, *l. Contrahitur, l. Creditor, ff. de pignor. hypotheca* latè ſumpta, idem eſt quod pignus latè ſumptum; *ſtrictè* verò ſumpta hypotheca, eſt res ſubiecta modo dicto, non facta traditione rei ita obligatæ. In iure tamen hæc nomina idem valent; vnde deinceps pignus & hypothecam pro ſynonimis vſurpabimus. Leſſius *lib. 2. cap. 28. d. 5.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 30. num. 1.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 10. punct. 1. num. 2. & 3.* Leſſiu Laym. Bon

2. *Pignoris obligatio* triplici ex cauſa naſcitur, *vel* ex Prætoris iuriſdictione, quod dicitur pignus Prætorium, *vel* ex partium conuentione, quod dicitur pignus conuentionale, *vel* ex iuris conſtitutione, quod dicitur pignus legitimum: *Prætorium* pignus ſubdiuiditur in *iudiciale*, & quod *propriè prætorium* dicitur: *Iudiciale pignus* eſt, quod in executionem ſententiæ iudicis auctoritate conſtituitur; mittendo creditorem in poſſeſſionem bonorum debitoris poſteaquam is in ſoluendo contumax extitit. *Prætorium* verò *pignus* eſt, quod ante latam ſententiam à magiſtratu conſtituitur, mittendo actorem in poſſeſſionem, vel retentionem bonorum, quatenus ipſi cautum ſit. Syluester *verb. Pignus*. Azotius *3. par. lib. 7. cap. 2.* Filliucius *tract. 38. cap. 9. num. 169. & ſeq.* Layman *cit. num.* 2. Leſſius *cit. dub.* 6. Bonacina *cit. punct. 2. num. 1. & 2.* Syluest. Azor. Filliuc. Laym. Leſſius. Bonac. *Conuentionale pignus* eſt, quod partes contrahentes expreſsè conſtituunt, ſiue rei interuentu, ſiue ſolo conſenſu; & hoc *duplex* eſt, vnum *generale*, quod ad omnia bona ſe extendit, non ſolùm præſentia, ſed etiam futura; verùm in huiuſmodi pignore, ſeu hypotheca, quæ non cenſentur ea comprehenſa, quæ nemo prudens in ſpecie facilè obligaret, vt quotidiana veſtis & ſupellex, artificum inſtrumenta, &c. *Particularis* verò hypotheca eſt vnius, vel plurium rerum in ſpecie obligatio. Reginaldus *lib. 25. num. 582.* Molina *diſp. 528. num. 14. & 15.* Regin. Molin.

3. *Legitimum pignus*, ſeu hypotheca eſt, quæ neque iudicis præcepto, neque partium conuentione, ſed legis diſpoſitione conſtituitur, vnde etiam tacita hypotheca vocari ſolet, quæ etiam ſubdiuiditur in *vniuerſalem*, & *particularẽ*; vniuerſalis illa eſt, qua omnia bona ex legis diſpoſitione obligantur, qualis eſt illa, quam *Primò*, habet vxor in bonis omnibus mariti, pro ſolutione dotis, in qua comprehenduntur bona omnia præſentia & fu-

tuta. *Secundò*, Fiſcus in bonis cuiuſcumque debitoris ſui. *Tertiò*, Bona omnia tutoris vel curatoris, ſicut & adminiſtratoris Eccleſiæ, vel Hoſpitalis tacitè obligata ſunt pro adminiſtratione. *Quartò*, Liberi habent tacitam hypothecam in bonis patris, pro adminiſtratione aduentitiorum. *Quintò*, Res empta ex pecunia pupilli obligata ipſi eſt, donec pretium accipiat. *Sextò*, quæ à conductore in prædium vrbanum illata ſunt, obligata cenſentur pro penſione & damno rei. Azorius *cit. cap.* 3. Molina *de contract. diſp.* 526. Leſſius *dub.* 6. Layman *cit. num.* 3. Syluester *verb. Pignus, q.* 1. Bonacina *cit. punct.* 2. *n.* 1.

Azor. Molina. Leſſius. Layman. Syluest. Bonac.

4. Inter *res corporales*, quæ ſubijci poſſunt pignori, non ſolùm comprehenduntur illæ quæ iam exiguntur, verùm etiam quæ erunt & futuræ ſperantur; tales ſunt fructus pendentes, pecorū fœtus, ancillarum partus, etiamſi nondum concepti ſint; Ex rebus incorporalibus ſubijci poſſunt hypothecæ iura, nomina debitorum, ſeu debita quæ debentur vni; vſusfructus, emphyteuſis ſine præiudicio tamen proprietatis, item cenſus, vectigalia, iuriſdictio. Molina *diſp.* 529. *num.* 2. *& ſeq.* Layman *cit. num.* 4. Leſſius *cit. dub.* 7. Bonacina *cit. punct.* 1. *num.* 5.

Molina. Laym. Leſſ. Bonac.

5. *Illa* non poſſunt eſſe pignori, quæ non poſſunt vendi, vt Eccleſia, cœmeterium, ſepulchrum, ius patronatus, mobilia pretioſa cultui diuino dicata, vt calices, caſulæ; res publicæ, vt plateæ, & alia deputata vſui communi, item liber homo, niſi in caſibus quibus in ſeruitutem legitimè redigeretur, poteſt tamen dari obſes, præſertim in cauſa belli, vt ſtetur pactis; cæteræ res oppignorari poſſunt ab iis, qui earum liberam habent adminiſtrationem, ſiue ſint mobiles, ſiue immobiles. Filliucius *tract.* 38. *cap.* 9. *quæſt.* 5. Azorius *cit. cap.* 6. Layman *cit. num.* 4. *&* 5. Leſſius *cit. dub.* 7. Bonacina *cit. num.* 5. Rodriquez 2. *p. cap.* 26. *num.* 1.

Filliuc. Azorius. Layman. Leſſius. Bonac. Rodr.

6. *Quicumque* habet liberam ſuarum rerum, vel alienorum bonorum adminiſtrationem, poteſt pignori dare, *l. Solum* §. *vlt. ff. de pign.* Azorius 3. *par. lib.* 7. *cap.* 5. Filliucius *tract.* 38. *num.* 176. Bonacina *cit. num.* 4. hinc *pupilus* non poteſt abſque decreto iudicis rem ſuam loco pignoris obligare auctoritate tutoris, quod locum habet in obligatione voluntaria, non neceſſaria: item *ſeruus* non poteſt aliquid loco pignoris obligare; nec *defunctus* bona hæredis, niſi hæres ratam habeat obligationem; nec *Prælatus* poteſt ſubijcere res Eccleſię hypothecæ ſpeciali; poteſt tamen in contractibus iure permiſſis, obligare generaliter bona Eccleſiæ, ſine traditione illorum, *cap. Nulli de reb. Eccleſ. non alienan.* nec *ſocius* poteſt pignori dare rem ſibi cum ſocio communem, *l. Nemo ex ſocijs, ff. pro ſocio.* *Procurator* autem, vel qui negotia alterius gerit, poteſt aliquid pignori dare, quando ſpeciale mandatum habet, vel ſi habeat vniuerſam bonorum adminiſtrationem cum libera poteſtate, *l. Solutum*, §. *vlt. ff. de pign.*

Azorius. Filliuc. Bonac.

7. *Peccata*, quæ circa pignora contingunt, ſecundum Nauarrum *cap.* 17. *num.* 203. *&* 204. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 38. *&* 39. Layman *cit. num.* 6. *& ſeq.* Filliucium *cit. quæſt.* 9. *&* 10. Azorium *cit. cap.* 10. & alios ſunt: *Si creditor* inſcio domino vtitur pignore, admittit furtum; *ſi ſciente* & volente, admittit vſuram, niſi ſit vſus, qui gratis inter amicos conceditur, vt eſt libri alicuius: *item* ſi ſua culpa graui, vel dolo pignus periret & non vult ſoluere pignus, peccat; *item* paciſcens cum debitore, quòd ſi ad certum tempus non redimat pignus cedat creditori, niſi fiat in pœnam domini, ita vt pro vendito iuſto pretio habeatur: *item* ſi tranſacto tempore pignus vendat antequam dominum admoneat, niſi ſit pactum in contrarium. *Creditor* autem poteſt pignus retinere, donec debitor omnia ſoluat vſque ad minimum quadrantem: poteſt etiam poſt tempus alteri pignorare; fructus tamen ex pignore fructifero perceptos debet ſoluere, ſed impenſæ debent refici quæ circa pignus factæ ſunt. Plura apud Azorium *de pignore, & hypotheca toto lib.* 7. *tertiæ partis*, & apud Filliucium *tract.* 38. *cap.* 10. Bonacinam *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 10.

Nauarr. Graff. Laym. Filliuc. Azor.

Vide tom. 1. verb. Cenſus num. 7. 10. & hoc tomo ver. Vſura 4. num. 3. & 4.

SVPPLEMENTVM.

PIGNVS, ET HYPOTHECA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſint obligationes debitoris ex pignore.*
2 *Quæ creditoris.*
3 *An creditor computare debeat in ſortem fructus agri ſterilis, ſibi dati in pignus, quem non colebat dominus.*
4 *An ſolum fructus, quos pignus iam attulit, ſed etiam quos tuliſſet, tamen negligentia creditoris non tulit teneatur creditor in ſortem computare.*
5 *An qui domum inhabitat ſibi à debitore datam in pignus, debeat pretium vſus domus computare in ſortem.*
6 *An qui pignus ab aliquo accepit, poſſit illud alteri oppignorare, non ſolum ſemel, aut bis, ſed centies.*
7 *An pignus conuentionale poſſit vendi à creditore, ſi debitor ſit in mora ſoluendi.*
8. *Quæ de iure ſeruanda ſint in venditione pignoris iudicialis & Prætorij.*
9 *Qui ſint caſus, in quibus creditor, ſeu pignoratarius non cogatur ex iure fructus pignoris in ſortem computare.*
10. *Dum res oppignorata, ſeu hypothecata variatur, an res ipſa ſic variata remaneat adhuc ſubiecta pignori.*
11 *An in pignoribus liceat pactum legis commiſſoriæ.*
12. *Quibus modis obligatio pignoris, ſeu hypotheca ſoluatur.*
13. *Quæ actiones oriantur ex pignore.*

1 OBligationes ex pignore duæ oriuntur. Aliæ pertinent ad debitorem, qui rem oppignerauit: aliæ ad creditorem, qui pignus ſuſcepit.

Prima obligatio debitoris eſt, ne rem quam vni contulit in pignus, alteri quoque creditori ſimiliter offerat: quia eſſet in fraudem & damnum poſterioris creditoris, cum in illo pignore anterior eſſet præferendus, quando pignus illud vni tantum debito ſufficeret: ſi tamen eius valoris eſſet, vt vterque creditor poſſet ex illo vendito ſolutionem ſuorum debitorum ſufficienter recipere, poſſet debitor illud vtrique offerre. Ratio cur eadem res non poſſit pluribus tradi in pignus, quando non eſt ſufficiens ad ſoluendum omnibus, eſt, quia res ideò ſubiicitur pignori, ſeu hypothecæ, vt ſi debitor non ſoluat, creditores ſolutionem capiant ex re hypothecata & oppignerata, cum autem omnes creditores non poſſint ſolutionem capere ex re, quæ non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum omnibus, ſequitur, non poſſe eandem rem pluribus hypothecari, ſeu oppignerari, quando non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum omnibus. Ita communiter Doctores.

Secunda obligatio debitoris eſt, vt ſoluat omnes impenſas neceſſarias, quas creditor fecit in pignore accepto conſeruando & tuendo, ne periret, neve deterius redderetur: vt ſi pignus erat ager, expenſas quas in eum colendo, ſi erat animal, in eo paſcendo fecit. Ratio eſt, quia pignus quamdiu pignus eſt, pertinet ad dominium debitoris, at vnaquæque res expenſis domini ſui conſeruanda eſt, *l. ſi ſeruos, ff. de pignor. action.* At verò impenſas voluntarias à creditore in pignore factas debitor nullo iure ſoluere compellitur. Vtiles autem expenſas, quibus pignus effectum eſt melius & pretioſius ſoluere tenetur, dummodo non ſint exceſſiuæ, quas videlicet debitor, quia pauper eſt, ſoluere nequeat. Ratio eſt, quia pignus eſt contractus quidam gratia creditoris, & debitoris; ergo emolumenta pignoris non ſolum fiunt gratia creditoris, ſed etiam debitoris. Tum quia pignus eo ipſo quo effectum

eſt

Digitized by Google

Trullen. Molina. Lopez. Bonac. Syluest.

eſt melius, vtilius eſt debitori. Ita Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 26. dub. 4. num.* 23. Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 535. Lopez *de contract. lib.* 2. *cap.* 19. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 1. *num.* 11. Syluester *verb. Pignus, quæſt.* 13. & alii.

Tertia obligatio debitoris eſt, vt pignus repetere non poſſit, quouſque integrum debitum ſoluat. Nec ſufficit ſi ſoluerit ex maiori parte: poteſt enim creditor retinere pignus pro minima etiam parte ſortis, *l. quamdiu, C. de diſtract. pign.* At verò tam magna poſſet eſſe res in pignus data, & tam paruum reſiduum debitum, vt contra charitatem eſſet ea ratione pignus inuito debitore vendere, vt rectè docet Syluester *verb. Pignus, quæſt.* 5.

2. Ex parte creditoris obligationes ſunt quinque. *Prima*, vt creditor curet ne pignus pereat, aut deterius fiat, nam ſi dolo, vel culpa ipſius lata, vel leui, illud in toto, vel ex parte periret, teneretur ad omne damnum illud reficiendum & compenſandum debitori. Secus ſi periret culpa tantùm leuiſſima creditoris.

Secunda, non poteſt creditor vti pignore accepto in ſecuritatem, niſi adſit debitoris conſenſus tacitus, vel expreſſus, alioqui furti actiooe tenetur, *l. ſi ſignif. ff. de furtis*: Tamen in aliquibus caſibus vſus pignoris creditori permittitur. *Primò*, quando vtitur creditor pignore in gratiam debitoris, ne videlicet ex toto, vel ex parte pereat, vel deterius fiat; ſic creditor poteſt vti equo ſibi tradito in pignus, ne otio torpeat. *Secundò*, quando vſus rei nullo incommodo afficit pignus, nec eſt creditori expreſsè interdictus. *Tertiò*, quando vſus pignoris talis eſt, vt gratis & liberaliter inter amicos concedi ſoleat, qualis eſt lectura alicuius libri per aliquot dies ſine eius detrimento: tunc enim debitor probabiliter creditur eiuſmodi vſum ratum habiturus, vt docent D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 6. Nauarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 203. Syluester *verb. Pignus, quæſt.* 7. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 1. *num.* 10. Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 26. *dub.* 4. *num.* 22. & alii.

D. Tho. Nauarr. Syluest. Bonac. Trullen.

Tertia, creditoris obligatio eſt, vt reſarciat damna pignoris quo vſus eſt, vt ſi res oppignoratas malè tractauit, ſi ancillam proſtituit, vel aliud improbatum opus facere coegit.

Quarta, vt computet in ſortem, hoc eſt, in partem ſolutionis debiti, omnes fructus, quos ex pignore percepit & conſumpſit, deductis tamen ſumptibus ac expenſis, quas fecit in illis colligendis & habendis: quia vſus pignoris eſt veluti fructus, & eſt aliquod pretio æſtimabile. Quod verum videtur non ſolùm de fructibus perceptis, verùm etiam de illis, quos ex ſua negligentia, id eſt, culpa lata, & leui, creditor non percepit, vt dicetur infra. Ita Molina *diſp.* 533. *num.* 5. *& diſp.* 535. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 593. Bonacina *loco cit.* Trullench *loco cit.* Filliucius *tract.* 38. *num.* 180. & alii.

Molina. Reginal. Bonac. Trullen. Filliuc.

Quinta eſt obligatio creditoris, vt integrè ſibi ſoluto debito pignus debitori reſtituat. Pignus enim datum eſt creditori, vt id ſibi retineret, donec debitum integrum ſolueretur.

3. Creditor computare debet in ſortem fructus agri ſterilis ſibi dari in pignus, quem non colebat dominus antea, quia ſterilis reputabatur. Ratio eſt, quia fundus eſt res propria debitoris, domino autem proprio cedunt fructus poſſeſſionis fructificantis, ſicut vſus equi priùs indomiti, & induſtria pignoratitii domeſticati & vtilis facti cederet domino equi & non pignoratario: poteſt tamen pignoratarius, ſeu creditor ſibi retinere tantumdem, quantum eius induſtria & diligentia meretur. Nec obſtat debitorem eos fructus fuiſſe minimè percepturum: quia ſaltem ſunt fructus rei quæ ſi fructificet, domino debet fructificare nec etiam refert debitorem nullo damno affici, quippe qui nullos fructus ex ſuo fundo percepiſſet: quoniam hæc obligatio, qua creditor tenetur huiuſmodi fructus in partem ſolutionis deducere, ex ipſa re deſcendit, quæ cùm ſit debitoris, ipſi ſunt attribuendi. Tainen In caſu quo fructus ex agro percepti eſſent modici, & labores in colendo agro ſterili eſſent tam magni momenti, vt pignoratario non remaneret, niſi modicum fructus, tunc pro nihilo reputatur, aut quod ſuæ induſtriæ tantum debetur. Ita Nauarrus *in Man.* *cap.* 16. *num.* 216. Trullench *loco cit. num.* 22. Molina *diſp.* 535. Syluester *verb. Pignus, num.* 11. Filliucius *tractat.* 38. *num.* 187. Bonacina *loco cit. num.* 10. *verſ. Hinc ſequitur*, & alii, contra Sotum, & Emanuel Sà *verb. Pignus, num.* 9.

Nauarr. Trullen. Molina. Syluest. Filliuc. Bonac.

4. Non ſolùm fructus, quos pignus iam attulit, verùm etiam quos tuliſſet, negligentia tamen ipſius creditoris non tulit, tenetur creditor in ſortem computare. Ita definitum eſt *in l. creditor, Cod. de pignor. action.* Ratio huius eſt, quia cùm contractus pignoris in bonum tam creditoris, quam debitoris celebretur, meritò ſancitum, eſt vt creditor computare debeat in partem ſolutionis debiti etiam fructus quos percipere potuit, ſed inertia ſua non percepit. Quinam autem ſint huiuſmodi fructus computandi? Certum eſt apud omnes debere creditorem in ſortem deducere fructus, quos pignus dolo, vel lata culpa ſua non tulit. Difficultas eſt de leui culpa. Quidam negant: ita Hoſtienſis *tit. de pignor. num.* 9. Rebellus *part.* 2. *de obligat. lib.* 16. *quæſt. vnica*. Communis tamen ſententia habet eos etiam eſſe deducendos, quia creditor non ſolùm tenetur ex dolo, & lata culpa, ſed etiam ex leui; quamuis ex leuiſſima, vel caſu fortuito: tum quia contractus pignoris eſt gratia vtriuſque, creditoris ſcilicet & debitoris.

Hoſtien. Rebell.

5. Qui domum inhabitat ſibi a debitore datam in pignus, debet pretium vſus domus computare in ſortem: nam vſus domus eſt veluti fructus domus: quantitas autem pretii computandi in ſortem ob vſum domus, non eſt metienda ex quantitate penſionis quam creditor ſoluiſſet pro conductione alterius domus, ſed ex quantitate penſionis, qua illa domus locari conſueuit, ſeu quam Dominus percepiſſet, ſi alteri locaſſet: & hoc verum eſt, etiamſi creditor domum propriam habeat, & aliam non conduxiſſet, ſed pro ſuo arbitrio habitare voluit domum ſibi pignori datam, adhuc enim tantùm penſionis in ſortem computare tenetur, quantum percepiſſet, ſi alteri locaſſet. Ratio eſt, quia creditor non eſt deterioris conditionis, quàm quilibet alius conductor, vode ſufficit, ſi ſoluat eam penſionem, quæ ſolet ab aliis conductoribus ſolui. Si tamen nullus adſit, qui velit eam domum pignori obligatam conducere, & ipſe creditor domum inhabitet, ne deformetur abſque habitatore relicta; nihil tunc temporis pro habitatione debet: quoniam beneficium præſtat domino domus, illam inhabitando, neque ipſe inde fit locupletior. Si verò libenter ipſe aliquid dediſſet pro habitatione eius domus ſplendidæ, tunc id dumtaxat tenebitur in ſortem computare. Ita Molina *diſp.* 535. Syluester *verb. Pignus, quæſt.* 12. Angelus *ibid. num.* 13. Azorius *part.* 3. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæſt.* 3. *de pignore*. Bonacina *loco citato, verſ. Secundò creditorem*.

Molina. Syluest. Angel. Azor. Bonac.

6. Qui pignus ab aliquo accepit, poteſt illud alteri oppignorare, non ſolùm ſemel, aut bis, ſed etiam centies. Ratio eſt, quia ius acquiſitum à creditore ſuper pignus, eſt reale & tranſitorium de perſona in perſonam in centum vel mille manus, dummodo ſolum det, & obliget in tanta pecuniarum quantitate, quantum ipſe primo debitori credidit, & ſi primus debitor liberam facultatem dederit diſtrahendi, poteſt ipſe eandem concedere ſuo creditori, eo tamen ipſo quòd primus debitor ſoluit integrè, quod ſub eo pignore debebat, diſſoluitur ſecundum pignus, eaque de cauſa debitor primus vendicare poteſt ſuum pignus: quia ſoluto priore iure, cui ius poſterius pignoris nitebatur, reſoluitur ius ſecundum: creditor tamen ſecundus exigere poteſt à primo creditore, vt vel ſibi ſoluat ſtatim ſuum debitum, vel ſi tradat pignus aliud æquè bonum. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 205. Rebellus *part.* 2. *de obligat. iuſtit. lib.* 16 *quæſt. vnic. num.* 8. Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 59. Bonacina *de contract. lib. diſput.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 9. *num.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 44. Azorius *par.* 3. *lib.* 7. *de pignoribus cap.* 6. *quæſt.* 3. & patet ex *l. pignus, Cod. ſi pignus pignori datum ſit, & l. Grege, §. cum pignori, ff. de pignorib.*

Nauarr. Rebell. Lopez. Bonac. Leſſ. Azor.

7. Pignus conuentionale, ſi debitor ſit in mora ſoluendi, vendi poteſt à creditore, dum inter creditorem & debitorem conuentum erat, vt illud vendere poſſit:

Digitized by Google

quia pignus ideò traditur creditori, vt ſatisfactionem ex illo ſibi comparare valeat. Imò ſecundùm quoſdam non eſt opus, vt creditor denunciet debitori ſe velle pignus vendere, quia id deductum non fuit in pactum, ſed abſolutè data fuit facultas alienandi. Ita Gloſſa in *l. creditor hypothecas, Cod. de diſtract. pignor.* Nauarrus *in Manual. cap.17. num.* 204. Reginaldus *lib. 25. num.* 605.

Gloſſa. Nauarr. Reginal.

Si nihil eſt conuentum, hoc eſt, neque conceſſa, neque interdicta facultas vendendi pignus, tunc præter moram requiritur denunciatio facta debitori, et hoc ex iure Codicis, vt ait prædicta Gloſſa.

Si pactio fuerit ne pignus vendatur, intelligitur, ne vendatur abſque denunciatione ter facta debitori: quia abſolutè nequit eſſe pactum, vt creditor non poſſit pignus vendere, ergo intelligitur pactio, ne ſcilicet vendatur abſque denunciatione, quam ius commune poſtulat *in l. conuenerit 1. ff. de pignor action.* alioquin ſi pignus vendat ante trinam admonitionem, reus furti conſtituitur.

Huiuſmodi autem tres denunciationes fieri ita debent, vt ſi commodè res patiatur, triduum intercedat à qualibet denunciatione; alioquin vt minimum, debet intercedere ſpatium vnius diei naturalis.

Si nihil conuenerit inter creditorem & debitorem, denunciandum eſt debitori, completo ſolutionis tempore, vt ſoluat debitum, quòd ſi intra biennium debitum non ſoluat, ac pignus non liberet, tunc creditor poteſt pignus vendere; et nullo emptore inuento, adibit Iudicem, & denunciabit debitori: quo non veniente, certum tempus ſtatuetur à Iudice, intra quod tempus debitore minimè apparente, creditor habet ius petendi à Iudice, vt pignus ſit ipſius creditoris: quamquam ſi debitor intra aliud biennium poſtea compareat, & creditori ſatiſfaciat, recuperabit pignus; qui ſi non venerit elapſo eo biennio, creditor plenum dominium pignoris conſequetur: ita tamen, vt ſi quid reſiduum ſit vltra debitum reſtituat, & ſi quid deſit, illud iure queat à creditore exigere. Hæc omnia ſumuntur ex *l. final. §. ſin autem, C. de iure dominij impetrandi.* Ita Bonacina *de contract. lib. diſp.3. quaſt.10. punct.1. num.*12. Trullench *in Decal. lib. 7. cap.26. dub.4. num.*24. Molina *diſp.*538. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſ. diſp.13. quaſt.*18. Azorius *par.3. lib.7. cap.11. quaſt.3. de pignorib.*

Bonac. Trullen. Molina. Fauſtus. Azor.

8. In venditione pignoris iudicialis expectandi ſunt quatuor menſes poſt latam ſententiam, antequam ad pignus capiendum procedatur. Deinde poſt pignus apprehenſum, ad alios duos menſes debitor ex expectandus, antequam pignus vendatur: vt tandem venditio pignoris auctoritate & decreto iudicis fiat. Præterea dum pignus iudiciale venditur, ſi nullus emptor inuenitur, aut ſi inuenitur quidem, iuſtum tamen pretium non offert, poteſt creditor ad licitandum admitti, & poteſt ei iuſtum pretium offerenti, vendi pignus tanquam extraneo, *l. Cùm in cauſa, Cod. ſi in cauſa iudicati pignus captum ſit.*

In pignore prætorio diſtrahendo, nihil eſt iure communi definitum, ſed relinquitur arbitrio iudicis, cuius auctoritate pignus vendi debet.

Hæc omnia dicta de iure communi ſeruanda ſunt in pignore diſtrahendo: variæ tamen ſunt regionum, prouinciarum, locorum, & populorum conſuetudines, & diuerſæ Principum leges, & ſtatuta municipalia, quibus pignora diſtrahuntur, quæ in praxi illis in locis ſeruanda ſunt, relicto iure communi.

9. In iure Canonico aſſignantur tres cauſæ, in quibus creditor, ſeu pignoratarius minimè cogitur fructus pignoris in ſortem computare. *Prima* eſt, quando maritus pro dote vxoris ſibi promiſſa & non ſoluta recipit pignus, vt ex eo fructus colligat, verbi gratia, prædiũ, fundum, domum, vel aliam rem, donec promiſſam ſibi dotem accipiat: huiuſmodi fructus facit ſuos maritus, nec cogitur eos in ſolutionem debiti computare: quia ſalua ſorte, ex eius fructibus tenetur onera matrimonii portare. Ita definitum eſt *in cap. Salubriter, de vſuris.* Hoc tamen intelligendum eſt, modò maritus non conceſſerit ſocero dilationem ſoluendæ dotis, & conſenſerit nihil interim accipere loco dotis; tunc enim fructus pignoris computandi ſunt in ſortem, nam gener fructus pignoris non facit ſuos, eo quòd ſua ſponte conſentit, vt dotis ſolutio ad tempus differatur, & ſuo iure cedit: nam ſicut liberum marito erat vxorem ducere ſine dote; ita etiam accipere conceſſa dilatione ad ſoluendam dotem. Ita Panormitanus *in dicto cap. Salubriter.* Azorius *part. 3. lib. 7. cap.9. verſ. Secundò.* Angelus & Syluester apud ipſum citati. Inſuper vt prædicta cauſa habeat locum, neceſſarium eſt vt maritus alimenta vxori præbeat, et alia matrimonii onera ferat: alioqui fructus pignoris ſibi non lucratur, vt tradit communis opinio Doctorum. Denique neceſſe eſt, vt fructus, quos gener percipit ex pignore, non ſint maiores quam poſtulent onera matrimonii & alimenta vxori debita, quod enim ſupereſt, computandum in ſortem, quia non adeſt titulus, ob quem retineri queat, niſi fortè gener præſumat exceſſum tacitè donari, ſicut præſumendum eſſe teſtatur Rebellus *lib. 8. quaſt. 12. num.* 5. Bonacina *de contract. lib. diſput. 3. quaſt. 3. punct. 9. num. 1. verſ. Aduertendum,* citans Reginaldum, & alios contra Syluestrum, Angelum, Tabienam.

Panorm. Azor.

Rebell. Bonac.

Secunda cauſa eſt, quando Titius dat Caio fundum nomine & iure feudi, quem deinde ipſe Titius loco pignoris accepit à Caio, qui in feudum ſuſceperat fundum, tunc fructus illius pignoris Titius facit ſuos, nec cogitur eos computare in ſortem debiti, donec ei integrum debitum ſoluatur. Ratio eſt, tum quia dominium vtile conſolidatur cum directo; & conſequenter fructus pertinent ad dominium directum, cui feudum datur in pignus. Tum quia feudum cenſetur feudatario conceſſum ſub hac conditione, vt ſi pignori detur domino directo, fructus ad dominum directum pertineant. Sed cùm Titius ſit dominus directus, eo ipſo quo in pignus debiti recipit fundum feudalem, cenſendus eſt, ipſo iure ſic interpretante, reſtitutus eſſe in dominium vtile illius fundi, ac per conſequens vt de re iam omninò effecta ſua, illos iam percipere fructus non computando in ſortem. Ita habetur *in cap. 1. de feudis, & cap. Conqueſtus, de vſuris.* Vide à nobis dicta ſuprà *verb. Mutuum & Vſura, numer. 22. & 23.*

Tertia cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis eius, cui datur, verbi gratia, vi vel furto fuit equus tibi ſublatus, quem fur alteri vendidit, & ille poſtea tibi impignorauit pro pecunia, quam mutuam à te accepit, nullo iure cogeris reſtituere fructus ex eo perceptos, quia ex re tua cepiſti, *cap. 1. de vſuris,* tum quia res domino fructificat. De his videndus Bonacina *de contract. lib. diſp. 3. quaſt. 10. punct. 1. num. 10. verſ. Quæ dixi.* Azorius *p. 3. lib. 7. cap. 9. de pignorib.*

Bonac. Azor.

10. Dum res oppignorata, ſeu hypothecata variata, vt ſi terra inculta conuertatur in vineam, aut ſi vinea deuaſtetur, aut ſi domus incendatur, aut corruat, res ipſa ita variata remanet ſubiecta pignori, hoc eſt ſolum ipſum: quia pignus, ſeu hypotheca etiam in ſolo fundabatur, *l. domo, ff. de pignor. action.*

Item, quando ſylua ſubiecta pignori, vel hypothecæ cæditur, ſolum remanet ſubiectum: imò etiam ligna ipſa inciſa remanent ſubiecta pignori, ſeu hypothecæ, quia ſunt pars & fructus pignoris. Tamen ſi nauis inde, vel aliud arte factum ſit, ligna non remanent amplius pignori vel hypothecæ ſubiecta. Ex *l. ſi conuenerit 2. §. ſi quis, ff. de pignor. action.* Ratio eſt, quia materia videtur commutata in aliam, conſequenter amiſit rationem pignoris vel hypothecæ, cui antea ſubiecta erat, niſi aliter inter partes conuentum ſit.

Quando autem res ſubiecta hypothecæ melior redditur, et augmentum accipit, vt quando ager ſterilis vertitur in vineam, ſolum ipſum & ipſummet augmentum remanet ſubiectum hypothecæ: quia acceſſorium cedit principali, et vnum cum illo efficit. Verùm ſi augmentum factum ſit induſtria & expenſis tertii, non tenetur tertius poſſeſſor rem illam tradere, vt inde ſoluatur debitum, pro quo res illa obligata erat, niſi priùs ſoluatur ſibi, quod expendit, & quo plus valet ratione ſuæ induſtriæ, et expenſarum, *l. Paulus, ff. de pign. action.* Ita Molina *de contract. diſp.*533. Filliucius *tract. 38. cap.9. num.* 177. & a ii.

Molina. Filliuc.

11. In

11. In pignoribus prohibetur omne pactum turpe, quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum ſit, inter quæ eſt pactum legis commiſſoriæ, quo creditor paciſcatur cum debitore, vt ſi ad tempus conſtitutum debitum non ſoluerit, pignus cadat in ius, et dominium creditoris. Hoc patet, tum ex iure Canonico *in cap. ſignificante, de pignoribus*. Tum ex iure Cæſareo, *l. 1. & vlt. C. de pactis pignorum*. Hoc pactum licet in emptione, non in pignore: quia venditor nullum damnum infert emptori, ſi rem ſuam ea lege vendat, vt ſi tempore definito pretium non ſoluerit, ſit inempta, et ad ſe redeat. At creditor inferret damnum, quia pignus ſolet eſſe maioris æſtimationis & pretii, quàm ſit debitum. Tale tamen pactum foret licitum, ſi hoc modo concipiatur. Do tibi fundum pignori eo pacto, vt ſi non ſoluero debito tempore, habeas tanquam emptum, vel tanquam tuum iuſto pretio, ſiue tanti, ſiue quanti arbitrio boni viri æſtimabitur, *l. ſi fundus, ff. de pignoribus*. Ratio eſt, quia huiuſmodi pactum apponitur à creditore, vt ſeipſum ſeruet indemnem; conſtat autem creditorem poſſe pactum apponere, quo ſeipſum indemnem ſeruet. Ita Couar. 3. *variar. cap.* 2. Nauar. *in Man. cap. 17. num.* 217. Molina *tract.* 2 *diſp.* 324. Salon *tom. 2. de contract. pignorit, n.* 10. Vaſquez *in opuſc. de pign. & hypothec. cap.* 4. *num.* 8. Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 8. num.* 1. & alii penes ipſos.

Couar. Nauarr. Molina. Vaſquez Bonac.

12. Obligatio pignoris, vel hypothecæ multis modis ſoluitur. *Primò*, data ſatisfactione creditori, cui datum erat pignus: quod contingit dum ſoluitur debitum ipſi creditori, ſeu dum creditor remittit, ſeu condonat obligationem, vel pignus, *l. item liberatur, ff. quibus modis pign. vel hypothec. ſoluitur.*

Secundò, ſoluitur alienatione pignoris, vel rei ſubiectæ hypothecæ de conſenſu creditoris, *l. ſi debito, ff. de eodem*. Item, ſi poſt alienationem, ratam eam habeat creditor, vel ſi creditor conſentiat vt obligetur poſteriori creditori, cenſetur remittere ius pignoris.

Tertiò, ſoluitur lapſu temporis, ad quod vſque datum fuerat pignus in ſecuritatem debiti. Idem militat dum pignus datum fuit ſub conditione, & conditio impleta non fuit, *l. Solutum, §. ſi fuit, ff. de pignor. action.*

Quartò, ſi creditor ſubſcribat ſe chirographo debitoris, aut alteri inſtrumento, quo profiteatur eam rem non eſſe ſibi pignori ſubiectam, cenſetur hoc ipſo remittere ius hypothecæ, *l. Titius, §. vltim. ff. quibus modis, &c.*

Quintò, ſi creditor tradat debitori inſtrumentum, quo ſibi aliquid debebatur ſub pignore, cenſetur remiſſum, tum debitum contentum eo inſtrumento, tum ius pignoris, vel hypothecæ, *l. Labeo, ff. de pactis*. Idem ſi creditor rumpat, aut deleat inſtrumentum, vel illi illud leget.

Sextò, emptione pignoris, dum ſcilicet ipſe creditor emit pignus à ſuo creditore, *l. Titius ſup.*

Septimò, ſoluitur pignus ſententia Iudicis declarantis debitorem liberum eſſe ab huiuſmodi obligatione, *l. ſi deferente, ff. quibus modis, &c.*

Octauò, ſoluitur, dum debitor offert creditori debitam pecuniam, ſed creditore nolente illam accipere, debitor coram teſtibus fide dignis deponit illam in marſupio obſignato apud hominem fidelem, vel religioſum locum, *l. Nec creditores, C. de pign. action.*

Nonò, ſi pro aliquo debito ſubiectum erat aliquid pignori, & facta eſt nouatio voluntaria, quia videlicet extincta priori obligatione ſuccedit alia, in quam prior cõmutatur, tunc niſi in poſteriori fiat repetitio eiuſdem pignoris, extinguitur obligatio prior, *l. Nouatio, ff. de nouat.* vnde omnis obligatio, quæcumque ſit illa, poteſt nouari, dummodo ſecunda, in quam transfunditur, valeat ciuiliter, vel naturaliter, & dummodo ita expreſsè agatur, vt fiat nouatio: alioqui ſecunda obligatio, non erit nouatio, ſed erunt duæ obligationes, quarum vna accedit ad alteram, *l. Omnis res, ff. de nouation.* De his Molina *de contract. diſp.* 537. Azorius *par. 3. lib. 7. cap. 14. de pignore*. Bonacina *de contract. diſput. 3. quæſt. 10. punct. 2. propoſ.* 3. et alii.

Molina. Azor. Bonac.

13. Ex pignore duæ actiones oriuntur: vna dicitur pignoratitia, & eſt actio perſonalis: quia oritur ex contractu pignoris; omnis enim actio proueniens ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto, vel quaſi delicto, eſt perſonalis, & proinde primò eſt in perſonam, & deinde in rem ratione perſonæ, quæ contraxit vel deliquit. Altera eſt hypothecaria, ſiue ſeruiana, quæ eſt actio realis; quia naſcitur ex iure ad rem, & hæc competit creditori ad poſſidendum pignus, vel ad illud recuperandum, ſi fuerit ablatum; quia eſt ſibi iure obligatum. *Inſtitut. de action. §. item Seruiana*, et hæc actio non ſolùm competit creditori erga debitorem, vel eius hæredes, vel tertium poſſeſſorem, penes quem pignus eſſe contingit, verum etiam competit hæredibus creditoris contra debitorem, vel eius hæredes, *l. perſecutione, Cod. de pignor. & hypothec. & l. 1. C. ſi vnus ex pluribus hæredibus creditoris, vel debitoris.*

Pignoratitia actio duplex eſt, vna directa, quæ competit debitori in creditorem ad repetendum pignus ſuũ, & quod ſua intereſt, poſt præſtitam ſatisfactionem creditori, vel alteri ipſius voluntate. Altera contraria, quæ competit creditori ad exigendas expenſas neceſſarias factas in pignore conſeruando, tuendo, retinendo, vel ad recipiendum bonum pignus, ſi per deceptionem vnam rem, accepit loco pignoris pro alia, *l. ſi neceſſarias, ff. de pignorat. action. l. ſi quis in pignore, ff. eod. tit.* Ita Azorius *loc. cit. cap.* 15. Filliucius *tract. 38. num.* 198. *& ſeqq.*

Azor. Filliuc.

Vide tom. 1. verb. Alienatio n. 5. Debitor num. 2.

POENA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit pœna Iuridica?*
2 *Quotuplex apud Theologos ſit pęna?*
3 *De diuiſione pęnæ à Iuriſperitis?*
4 *An ex parte cauſa pœnam inferentis triplex pœna poſſit conſtitui?*
5 *An pęna impoſita à iure in vno caſu cenſeatur impoſita in alio, ſi illa duo in iure æquiparentur?*
6 *An pœna impoſita à iure in aliquo delicto, locum habeat in actu vicino ipſi delicto?*
7 *An pœna poſitiua, & priuatiua incurrantur ſine ſententia iudicis, & executione per ipſum, ſiue imponatur ipſo iure, ſiue facto?*
8 *An pœna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſo lucri ceſſantis, aut damni emergentis?* refertur duplex ſententia.

1 POena eſt id, quod pro culpa infertur, quia dicitur à puniendo, & eſt quæ punit & vindicat, quod quiſque commiſit: & nomine pœnæ loquendo iuridicè, & non Theologicè, ſtrictè & propriè venit ſolùm corporalis, id eſt, afflictiua corporis; largè tamen ſumitur pro omni quod minuit de patrimonio, vel priuat aliquo legitimo. *De pœnit. diſt. 3. pœnitentia.* Syluester *verb. Pęna quæſt.* 1. Syluest.

2. *Pęna* in genere, à Theologis *duplex* ponitur; *Prima* ſcilicet *priuatiua*, quæ dicitur pœna damni, *largè* eſt, qua pro culpa aliquid auſertur, & infertur priuatio; *propriè* verò eſt, qua pro culpa auſertur perfectio & infertur priuatio, non repugnans appetitui ſemper: cuiuſmodi eſt carentia diuinæ viſionis, quæ etſi fortè repugnet appetitui in damnatis, non in pueris decedentibus ſine baptiſmo. *Secunda* dicitur *poſitiua*, quæ dicitur pęna ſenſus, id eſt, afflictiua appetitus, ſiue ſuperioris, ſiue inferioris, & propriè pęna ſenſus eſt, qua auſertur perfectio, & infertur priuatio afflictiua appetitus, ſemper ſaltem naturaliter. Toletus *lib. 3. cap.* 3. Syluester *cit. quæſt.* 1. Vaſquez 1. 2. *diſp. 100. cap. 1. num.* 3. Caſpenſis *tom. 1. curſ. Theolog. tract. de leg. diſp. 5. ſect. 1. num.* 1.

Toletus. Syluest. Vaſq. Caſpenſ.

3. A Iuriſperitis *pęna* diuiditur *dupliciter*, ſcilicet, *ſecũdum ſe*, & *ex parte* cauſæ pęnã inferentis. *Diuidendo* ergo eam ſecundùm ſe in genere eſt triplex. *Primum* enim *genus* eſt ſpiritualis pęnæ, vt increpatio, cenſura Eccleſia-

ſtica, verbi gratia excommunicatio, interdictum, & ſuſpenſio; ita infamia, depoſitio. *Secundum genus* eſt corporalis, puta, ieiunij, vel abſtinentiæ, verberum, ſeruitutis, publicationis bonorum, exilii, mortis, detruncationis, vel etiam deportationis. *Tertium genus* eſt pœnæ pecuniariæ, quæ aliquando infertur pro iniuria illata perſonæ, vel loco, aliquando pro ſatisfactione illati damni infertur etiam ad punitionem criminis, quod in nullius eſt iniuriã, niſi Dei ſaltem per modum eleemoſynæ, Sylueſter, *c.q.* 2. Filliucius, *tr.* 21. *c.* 11. *n.* 421. *&* 422.

Syluest. Filliuc.

4. Ex parte cauſæ pœnam inferentis, *triplex* poteſt pœna conſtitui, *Vna* eſt legalis, quæ lege decernitur propter crimen, ſeu culpam; *Altera* iudicialis, quam in particulari cauſa Iudex imperat. *Tertia*, conuentionalis, quę partium contrahentium conſenſu ſtatuitur, ſoluenda ab eo, qui à contractu receſſerit, vel in mora culpabili fuerit reſtituendi debiti. Inter quę pœnarum genera, diſcrimen hoc eſt, quod ſtrictioris interpretationis ſit pœna legalis, quàm conuentionalis, & iudicialis. Sanchez, *lib.* 4. *moral. cap.* 22. *num.* 25. Layman, *lib.* 3. *ſect.* 4. *tractat.* 4. *cap.* 16. *num.* 12.

Sanchez. Layman.

5. Quamuis in fauorabilibus, pęna impoſita à iure in vno caſu videatur impoſita in alio, quando illa duo iure æquiparantur: ſed in pęnalibus contrarium eſt dicendum quia quando aliqua duo in iure ſunt parificata communiter, & eſt eadem ratio expreſſa, vel indubitatè præſumpta, tunc ſtatutum in vno, extenditur ad aliud, etiam in pœnalibus, ſed quando non ſunt communiter parificata, ſed ſolùm in aliquibus caſibus, tunc non extenditur, ſimiliter licet ratio ſit eadem, tamen non extenditur pęna, ſed ſola prohibitio; quia tunc extenditur etiam quoad pęnam. Emanuel Sa, *v. pęna, n.* 8. Syluius, *c. n.* 4. Diana, *de leg. reſ.* 36 *p.* 1. Portel. *in addit. ad dub. reg. v. Lex, n.* 13. Bonacina, *de ll. d.* 1. *q.* 1. *p.* 8. *num.* 23.

Em. Sà. Syluest. Diana Portel. Bonacin.

6 Pœna impoſita à iure in aliquo delicto, locum non habet in actu vicino ipſi delicto, niſi quis actum perficiat, licet talis aliter ſit puniendus iudicis arbitrio: idem dicendum in pęna impoſita per ſtatutum, quia verba ſtatuti exigunt actum perfectum, vnde non ſufficeret inchoaſſe: ſecus autem de pęna, quæ venit imponenda per decretum Iudicis, quia talis ſic punitur, ac ſi perfeciſſet, ex quo peruenit ad actum propinquum. Et ideo in legib. pęnalibus diligenter conſiderare oportet, qualiſnam ſit res, aut operatio, quę per talem legem prohibetur, & propter quam pęna a lege imponitur. Si enim pęna feratur ob aliquem actum, intelligitur de actu conſummato Ratio eſt, quia ſtatutũ & maximè pęnale, eſt ſtrictiſſimè interpretandum. Id quod intelligitur, niſi conſtitutio puniat attentatum. Quare licet peccet is, qui conſuluit delictum, non tamen incidit in pęnam contra delicti patratorem ipſo iure impoſitam, niſi ipſa lex vtrumque in eadem pęna comprehenderet, ſcilicet conſulentem, & facientem, Sanchez, *de matr. l.* 20. *diſp.* 4. *n.* 12. Syluius, *c. q.* 5. Sà, *v. pęna, n.* 12.

Sanchez. Syluius

7. Secundùm communem Theologorum, ac Iuriſperitorum ſententiam, pœnæ poſitiuæ, quæ ad ſui executioné aliqua actione indigent, ſiue imponãtur ipſo iure, ſiue facto, non incurruntur ſine ſententia iudicis, & executione per ipſum: cùm enim idem non debeat eſſe agens, & patiens; oportet actionem iudicis ſententiam ferentis adeſſe qua in illas incidatur, Sanchez, *de matr. l.* 9. *d.* 30. *num.* 1. *&* 2. Sà, *v. pęna, num.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. Diana, *tract.* 7 *miſc. reſ.* 79. *part.* 3. Sylu 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *quæſ.* 9. Molina, *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 6. In pęnis autem priuatiuis, quæ nullam actionem ad ſui executionem deſiderant, ſed ſecum trahunt executionem, vt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictũ, irregularitas, aut ſi lex dicat; Sit incapax, aut inhabilis, tunc nulla opus erit ad huiuſmodi pęnas incurrẽdas iudicis ſententia. Quamuis in his duobus caſib. contrariũ doceant *Sotus, Molina.* Sanchez, lib. 2. mor. c. 39. num. 31. *Nauarrus, Portel.* v. Inhabilitas: quorum ſententia habet rationes ſatis probabiles, vt ait Diana, *4 p. tract.* 4. *reſ.* 26. Tum quia inhabilitas eſt pęna valde acerba, & ita per Epicheiam excipienda eſt à regula pęnarum priuatiuarũ: maximè cum pęna priuationis officiorum ob ſui etiam acerbitatem expectet Iudicis ſententiam. Tum quia non omnes ſententiæ priuatiuæ nullam Iudicis executionem petentes, incurruntur ipſo facto abſque vlla ſententia, ſed id peculiare eſt ſolum in tribus cenſuris: & hoc patet in particulari circa priuationem bonorum temporalium, quibus priuatur hæreticus, quæ imponitur ipſo facto, & tamen iuxta Doctores communiter, imò & iuxta praxim expectatur ſententia Iudicis. Tum quia illa particula, *eo ipſo*, ſolùm importat, vt non requiratur ſententia condẽnans, ſeu penam ſtatuens, iam enim poſita eſt; at non tollit, quin requiratur ſententia declarans crimen. Ex qua ſententia ſatis probabiliter ſuſtineri poteſt, quòd ſi delinquens non incurrit inhabilitatem antequam declaretur per ſententiam iudicis, poterit talis quandiu eſt occultus ferre ſuffragium electionibus, vt docet Sotus, *lib.* 4. *de iuſtit. q.* 6. *art* 3. *ad finem.* Poteritque acceptare officium, vel beneficium antequam declaretur inhabilis per ſententiã: & maximè ſi ex non ſuffragando in electionibus, vel ex renunciando officiis ipſi reſultaret grauis infamia. Huic etiam ſententiæ adhæret Villalobos, *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 2. *diffic.* 25. *num.* 3. Caſpenſis noſter, *tract. de legibus, diſput.* 5. *num.* 23. *&* ſeq.

Sanchez. Em. Sà. Caietan. Diana Molina.

8. *Magna controuerſia* eſt, inter Doctores, vtrum pęna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis; in tres ſententias Doctores abierunt. *Prima* enim ſententia ait, pęnam conuentionalem debitam eſſe in foro conſcientiæ: quia perinde eſt, ac ſi condemnatio interueniſſet, cùm pacto ſe obligarint contrahentes ad ſoluendam pęnam illam, & ſit tam naturale ſit ac pacta ſeruari. P. Nauarrus, *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 2. *dub.* 10. *nu.* 336. Paludanus, 4. *d.* 27. *q.* 12. *art.* 2. *Secunda ſententia* ait, non teneri reſilientem ſoluere pœnam conuentionalem, donec alius contrahens eam petat, illo tamen petente, ſtatim teneri, nulla iudicis ſententia expectata; quia petitio illa in pęna conuentionali, vices habet ſententiæ iudicis in pęna legali, quare ſicut in hac deſideratur ſententia iudicis, ita in illa creditoris petitio. Sà, *v. pęna, num.* 2. Molina, *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp* 97. *Cæterum* quamuis hæ duæ ſententiæ ſint ſatis probabiles, probabilius tamen eſt, non deberi pœnam conuentionalem ante iudicis ſententiam; quia intentio contrahentium, & eas pęnas conſtituentiũ, niſi aliud verbis exprimatur, ea eſt, vt per tales pęnas cõpelli poſſint ad fidem ſeruandam, & teneantur ad eas ſecuta condemnatione. Præterea, quia has pęnas ſæpè moderatur index, qui debet iudicare, an ſint exorbitantes, necne; ergo neceſſe eſt, vt, ad earum obligationem inducendam, ipſius ſententia accedat. Sanchez, *de matr. libr.* 1. *diſp.* 37. *num.* 4. Nauarrus, *cap.* 23. *n.* 67. Gutierrez, *qq. can. lib.* 2. *cap.* 20 *n.* 13. Diana, *tract. de contract. reſ.* 29. *p.* 1.

Nauarr. paludan. Em. Sà. Molina. Sanchez. Nauarr. Gutierr. Diana

Vide tom. 1. verb. Adulterium, *num.* 2. Blaſphemia, *n.* 9. Concubinatus, *num.* 4. 6. Decimæ, *num.* 15. Falſarius, *n.* 3. Hæreſis, *n* 8 & hoc. tom. Iuramentum 6. *num.* 1. Ignorantia, *num.* 17. Immunitas, *num.* 1. Inceſtus. *n.* 6. 7. Indulgentia 1. Interdictum 3. *n.* 2. *&* ſeq. Irregularitas 1. *num.* 7. Iudicium publicum, *num.* 20. Lex 4. *num.* 7. *&* ſeq. Paupertas religioſa *n.* 20. Schiſma, *num.* 5. Simonia, 6. Reus, *n.* 17. Raptus, *n.* 4. 5. 6. *&* ſeq. Religio 5. *n.* 5. Vſura 4. Vſura. 5.

SVPPLEMENTVM.

POENA.

SVMMARIVM.

1 *An pena à teſtatore adiecta ſtatim incurratur in foro conſcientia nulla expectata iudicis ſententia, aut executione.*

2 *An pœna amiſsionis beneficii ipſo iure, aut facto, debeatur ante latam ſententiam declaratoriam criminis:*

Quam vim habeant Conſtitutiones Pontificiæ, quibus aliquis priuatur ipſo iure Officio, vel beneficio.

3 *An ſi is, cuius bona ob crimen ſunt iuſte conſiſcanda, hoc fraude, aut mendacijs impediat, teneatur ad reſtitutionem?*

Digitized by Google

ſtitutionem? refertur duplex ſententia.

Hic multi caſus deciduntur, in quibus non eſt obligationem reſtituendi pœnam.

4 *An lex pœnalis poſſit per conſuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem culpam.*

An conſuetudo poſſit legem abrogare quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam.

5 *An poſſit licitè, & validè imponi pœna de non contrahendo matrimonium cum tali perſona determinata; ſiue cum alia quacumque.*

6 *An Ordinarius poſſit pœnam ſtatutam à lege pro aliquo crimine, commutare, minuere, vel augere?*

1 QVamuis regulare ſit pœnam impoſitam ipſo iure, vel facto non incurri ſine ſententia Iudicis, id tamen fallit in pœna à teſtatore adiecta, debetur enim ſtatim ac incurritur in foro conſcientiæ, nulla expectata Iudicis ſententia, aut executione. Ratio eſt, quia voluntas teſtatoris omninò implenda eſt: quare ſicut in alijs à teſtatore diſpoſitis non deſideratur Iudicis ſententia, vt executioni mandentur; ita neque ad pœnam ſuſtinendam, Tum quia inter hæredem teſtamentarium, vel legatarium ac teſtatorem, quidam initur contractus, Do vt des; vel do vt facias, qui firmus redditur hærede, vel obligatario acceptante relicta: ac proinde ſicut acquirunt dominium, et ius in illa per acceptationem: ita ſuo ſe conſenſu obligarunt ad pœnam illam ſuſtinendam. Tum quia ea nec verè, nec propriè pœnæ rationem habeat, ſed conditio eſt, ſub qua & non aliàs teſtator legare voluit. Ex quo fit, quod ſi aliquis donaſſet, aut reliquiſſet aliquid vxori, vel alicui alteri ſub conditione, ſi caſtitatem ſeruaret, aut ſub alia ſimili conditione, tunc non ſeruata conditione, ſtatim in foro conſcientiæ tenetur illud reſtituere, nulla expectata ſententia; quia non eſt pœna, ſed donatio, legatum, aut inſtitutio hæredis ſub conditione, quia non exiſtente, vim omninò non habet, vt colligitur expreſsè ex *Authent. Cui relictum, C. de indicta viduit.* Ita docent Nauarrus *in Man. cap. 23. num. 62.* Caietanus *in Sum. verb. Pœna*, Molina *tract. 2. diſp. 96.* Couarruuias *in epit. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 17.* Rodriquez *tom. 1. Sum. Latin. cap. 96. num. 4.* Emanuel Sa *verb. Pœna, num. 1* & alii communiter.

Nauarr. Caiet. Molina. Couar. Rodriq. Sâ.

2. Certum eſt apud omnes, & manifeſtum ex ipſo Eccleſiæ vſu & praxi, pœnas excommunicationis ſuſpenſionis, et interdicti, nulla expectata iudicis ſententia incurri, commiſſo crimine pro quo ſunt impoſitæ, quando ipſo iure, aut ipſo facto, alijsque æquipollentibus verbis ſunt impoſitæ.

Pœna autem amiſſionis beneficii ipſo iure, aut ipſo facto, quæ paſſim habetur in iure, non debetur ante latam ſententiam declaratoriam criminis. Tum propter eius pœnæ maximam acerbitatem, tum etiam, quia pœnæ graues, quæ executionem exigunt ipſius delinquentis, vt eſſet relinquere beneficium, aut Officium iam obtentum, non debentur ante latam ſententiam, eſto ſint ſtatutæ ipſo iure, aut ipſo facto. Limita, niſi clarè appareat talē eſſe legiſlatoris intentionem, vt abſque vlla ſententia, commiſſo crimine; amittatur beneficium vel Officium, quale videtur eſſe illud Pauli II. *in Extrauag Ambitioſè*, vbi ait, *Clericus, qui bona Eccleſiæ alienauerit, ipſo facto priuatus exiſtat beneficiorum Eccleſiaſticorum, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur.* Igitur vt Eccleſiaſtici plus abſtineret à rebus Eccleſiæ alienandis addidit Summus Pontifex, vt in hoc euentu nulla eſſet neceſſaria declaratoria ſententia, ſanè manifeſtè innuit, quod niſi id addidiſſet, nequaquam id operaretur verbum illud, *ipſo facto*, quod præmiſerat. Verùm hæc Extrauagans non videtur in illo rigore vſu recepta, vt teneatur reus ſponte ſe beneficio priuare & ſpoliare. Quia commune axioma Doctorum eſt, pœnam non deberi ante iudicis ſententiam, ſaltem declaratoriā criminis, imò quamuis textus dicat incurri abſque vlla declaratione, intelligi debet de declaratione pœnæ; vnde adhuc deſiderabitur declaratio criminis facti. Ita cum probabiliori ſententia Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63.* Sotus *lib. 1. de iuſtit. quæſt. 6. art. 6.* Couarruuias *de matrim. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 9. & 13.* Trullench *in Decalog. lib. 8. tom. 2. cap. 1. dub. 10. num. 1.* Diana *p. 1. tract. 10. reſ. 23.* qui citat Layman, & Malderum.

Paul. II. Leſſ. Sotus. Couar. Trullen. Diana. Laym. Malder.

Sed ex dictis forſitan rogabis, quam vim habeant Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus aliquis ipſo iure priuatur officio, vel beneficio? Reſp. hoc efficere, vt ſtatim amittat titulum ipſum, ita vt non ſit amplius dominus beneficii, retinet tamen poſſeſſionem, qua priuari non poteſt, niſi cauſa cognita, vt docet Gloſſa *cap. Licet Epiſcopus, de præben. in 6.* Quæ poſſeſſio ſi ei ius non reſiſtat, ſed permittit, dicitur *poſſeſſio iuris*: ſi verò reſiſtat obſtringens ad illam defendendam, dicitur *poſſeſſio facti*. Simili modo quando bona ipſo iure confiſcantur, vt in crimine hæreſis, ſtatim amittitur proprietas rerum, quæ confiſcantur & acquiritur fiſco. Ex *cap. Cum ſecundum leges, de hæret. in 6.* Permittitur tamen poſſeſſio & vſus, donec ſecuta ſententia declaratoria, hæc quoque amittantur. Hinc fit vt executio retrotrahatur vſque ad tempus commiſſi criminis: nam ex illo tempore, dominium, ſeu proprietas in fiſcum tranſlata eſt, et conſequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipſum ſpectant. Ita Syluius *1. 2. quæſt. 96. art. 4. quæſit. 9. concluſ. 2. & 4.* Trullench *loco cit. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. num. 63.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 57. num. 228.* et alii.

Syluius. Trullen. Leſſius. Barboſa.

3. Dubium eſt apud Doctores, an pœna legis ſit ſoluenda, iudice non condemnante reum: puta, an ſi is cuius bona ob crimen iuſtè ſunt confiſcanda, ſi hæc fraude, aut mendaciis impediat, teneatur ad reſtitutionem? Affirmant quidam quia iniuſtè impedit pœnam fiſco, vel aliis applicandam, & debitam per ſententiam. Tum quia in hoc caſu directè agitur ad pœnam ſoluendam, cuius iam reus factus eſt, qui crimen admiſit; ac proinde ius iudicis lædit, ſi falſis allegationibus, ſeu mendaciis mulctam ſecundùm legis decretum ponendam ſibi effugiat: Tum quia iniuſtè impediens vi, vel fraude, aut mendaciis rem non debitam, vt legatum, quod teſtator vellet alteri relinquere, tenetur reſtituere; ergo magis tenebitur, quando res eſt debita, vt eſt in caſu. Ita Molina *tract. 2. diſp. 95. num. 36.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 4.* Sotus *de iuſtit. lib. 1. quæſt. 6. art. 6.* & alii. Sed tanquam probabilius eſt dicendum non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia iniuſtè impediens tunc tenetur reſtituere, quando contra iuſtitiam commutatiuam delinquit in ordine ad illum, cui ipſo non impediente, erat lucrum deferendum; vt contingit in eo, qui vi, aut dolo impedit legatum alicui relinquendum. At reus negans iniuſtè delictum, non delinquit in commutatiuam iuſtitiam in ordine ad eum, cui erat pœna applicanda: nec vllam ei iniuriam irrogat, vtpote qui illius emolumentum non impedit directè. Quoniam non adſtringitur ad veritatem fatendam ob vtilitatem illius, cui pœna eſt applicanda, ſed ſolum propter publicam iuſtitiam, quæ ad criminum punitionem attendit. Et ſubinde ſolam iuſtitiam reipublicæ, & iudici debitam violat: iudicium enim eſt inſtitutum ad hoc, et non ad ditandos alios ex pœnis impoſitis, ſed hoc per accidens ſe habet. Tum quia hæc confiſcatio bonorum conſtituta eſt in pœnam criminis, ſed pœna non debetur ante ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis: imò non eſt ſoluenda ante ſententiam conſtituentem pœnæ, qua ipſa pœna iubeatur ſolui. Ergo ſententia non ſecuta, non debenit pœna. Ita docent Vaſquez *1. 2. quæſt. 96. art. 5. diſp. 175. cap. 12. num. 13. & 14.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæſt. 5.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 7. dub. 2. num. 76.* Nauarrus *in Man. cap. 18. num. 49.* Bannez, Arragon, & Salon *in 2. 2. quæſt. 62. contron. 2. art. 3.* et alii apud Sanchez *de matrim. lib. 10. diſp. 8. num. 14.*

Molina. Laym. Sotus. Vaſq. Azorius. Tanner. Nauar. Bannez Arrag. Salon. Sanchez

Ex quorum Doctorum doctrina multi caſus deciduntur, in quibus non eſt obligatio reſtituendi pœnam. *Primo*, Hæreticus qui fraude, mendaciis & falſis teſtibus ſe defendit, & impediuit ſententiam, aut confiſcationem bonorum, non tenetur ad reſtitutionem. *Secundo*, adultera non tenetur dotem reſtituere, quæ falſis teſtibus ſe defendit, ideoque non fuit condemnata, aut quæ à ſententia iuſta ſe interpellauit. *Tertio*, nec iudex tenetur reſtituere pœnam pecuniariam, ſi negligens non condemnat

Digitized by Google

natreum. Nec Procurator fiſcalis, ſi non accuſat; quia ante ſententiam non eſt ius acquiſitum fiſco, aut parti quoad mulctam. *Quartò*, nec cuſtodes ciuitatum, ſyluarum, & fluminum, licet transgreſſores ad Magiſtratus deferre negligant, tenentur ad ſoluendam pœnam pecuniariam à tranſgreſſoribus ſoluendam. *Quintò*, nec tenentur reſtituere, ob non ſolutum vectigal, pœnam eis impoſitam ante Iudicis ſententiam. *Sextò*, nec teſti, qui falſo teſtimonio impediuit ſententiam & conſequenter confiſcationem, vel mulctam pecuniariam fiſco, vel alijs applicandam, tenetur eam reſtituere ante iudicis ſententiam: non enim ſicut principalis auctor, aut mandans tenetur ad reſtitutionem. Ratio horum eſt, quia pœna non eſt reſtituenda ante iudicis condemnationem. De quibus egimus tomo primo ſuis locis, & *infra verb. Reſtitutio, num. 26.*

4. Lex pœnalis poteſt per conſuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam. Ratio eſt, quia poteſt aliquando rationabiliter auferri obligatio ad pœnam aliàs ipſo facto incurrendam, etiamſi lex maneat; nam ita Pontifices aliquando etiam expreſſis conſtitutionibus ordinarunt. Nihil ergo obſtat, quominùs illud fieri poſſit per aliquam conſuetudinem & conſenſum tacitum ſuperioris, ſiue perſonalem, ſiue legalem: neque dicendum eſt hoc fieri vt delicta maneant impunita, ſed vt aliis medijs & pœnis magis opportunis pro ratione temporis & perſonarum cohibeantur & caſtigentur. Proinde in multis Conſtitutionibus Pontificijs variæ pœnæ ſunt impoſitæ, quæ tamen iam vſu ceſſarunt, manente legis obligatione ad culpam. Vnde Extrauag. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.* quibuſdam in locis in nihilo eſt recepta, alibi quoad ſolam irritationem contractus, vix vſpiam quoad pœnam excommunicationis. Quomodo autem poſſit introduci conſuetudo, qua lex non recipiatur quoad pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, cùm ſemper ea pœna incurratur, quomodocunque fiat legis tranſgreſſio? Dicendum eſt introduci poſſe per hoc quod eiuſmodi pœna, licet à nonnullis tranſgreſſoribus, fuerit aliquando incurſa, experientia tamen cognitum eſt, quod neque ſeruetur, neque eius ratio habeatur, non magis quam ſi nulla pœna eſſet decreta: veluti cùm ſuperiores non curant eam ſeruari, aut cùm viri docti affirmant eam pœnam abiiſſe in deſuetudinem, nec ſolere haberi eius rationem. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 149. & 150.* Suarez *de leg. lib. 7. cap. 19.* Vvigers *in 2.2. quæſt. 97. art. 3. num. 35.* Præpoſitus *ibidem dub. 2. num. 11.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 3. punct. 4. §. 2. num. 11.* & alii communiter ſcribentes ſuper dictam *q. 97. art. 3.* D. Thomæ.

Nauar. Suar. Vvigers. præpoſ. palaus.

E contra poteſt conſuetudo abrogare legem quoad culpam, manente obligatione quod pœnam. Ratio eſt, quia poteſt huiuſmodi conſuetudo aliquando eſſe rationabilis, qua luatur mulcta, & pœna ab illis, qui faciunt id, quod fuit lege prohibitum, etiamſi abſoluta prohibitio iam non ſubſit, ſed quæ erat lex pęnalis copulatiua tranſierit in pęnam diſiunctiuam. Et ſic fortaſſe multæ leges ciuiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari; vel aliquid ex regno aſportare, licet ab initio directiuæ fuerint, potuerunt vſu fieri merè pęnales, & quaſi naturam mutare, quia non aliter ſunt obſeruatæ; vnde eo vſque etiam tantummodo contra illas præſcriptum eſt. Aduerte tamen quando pęna ſupponit intrinſecè culpam, non poteſt lex abrogari quoad obligationem directionis, quin etiam derogetur quoad huiuſmodi pęnam: tales ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ: vnde lex prohibens aliquid ſub pęna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, non poteſt abrogari, quoad prius, quin etiam abrogetur, quoad incurſionem talis pęnæ: quia hæc pęna intrinſecè ſupponit culpam & inobedientiam, quæ locum, non habebunt, ſi lex non obliget ad ſimpliciter abſtinendum ab eo quod vetat: non ſunt autem omnes aliæ pęnæ generaliter ſaltem dictæ talis naturæ. Ita Vvigers *loco citato num. 37. & 38.* Suarez *loco citato num. 21. & 22.* Salas *de leg. diſp. 19. cap. 9. num. 97.* Gordonus *in ſumm. tom. 1. lib. 2. quæſt. 14. cap. 6. num. 23.* & alii penes ipſos.

Vvigers. Suar. Salas. Gordon.

5. Non poteſt licitè neque validè imponi pęna negatiua de non contrahendo matrimonium cum tali perſona, ſiue cum alia quacumque in communi. Ratio eſt, quia per talem impoſitionem pęnæ auertitur libertas matrimonii contrahendi: nam in tali caſu hæc perſona cogeretur ad non contrahendum matrimonium licitum cum tali perſona metu ſoluendi dictam pęnam quod eſt contra libertatem matrimonii. Similiter non valet vt pena impoſita de matrimonio nō diſſoluendo, vt ſi quis dicat, Promitto me non diſſoluturum matrimonium per ingreſſum Religionis, caſu quo poſſem, vel ob aliam cauſam: quia ius deſiderat in matrimoniis omnimodam libertatem: & talis impoſitio pœnæ eſſet contra rationem, & libertatem matrimonii. Ita Sanchez *diſput. 30. num. 8. & 9.* Guttierrez *de matrim. cap. 17. num. 7.* Bonacina, et alii.

Sanch. Guttier. Bonac.

6. Iudex ordinarius regularis, vel alius non poteſt commutare, minuere, vel augere pęnam ſtatutam à lege pro aliquo crimine, ex *cap. licet de pœnis*. Iudex tamen ſupremus bene poteſt, vt generalis potens diſpenſare in lege. Secus dicendum ſi pęna legis ſit poſita in arbitrio iudicis, vel ſi proceſſum ſit via accuſationis: & pars læſa conſentit, vt pęna poſt ſententiam relaxetur. Ita Vmbertinus *in pract. inquiſit. verb. Iudex*, qui *num. 55.* addit poſſe iudicem augere pęnam ordinariam, quando crimen eſt extraordinarium, vel habet particulares circumſtantias aggrauantes, per textum *in l. hodie, ff. de pœnis*, idque ex cauſa iuſta priùs diligenter ventilata, non verò ex capite, ſeu ad libitum, vt expreſsè ex D. Gregorio, deciditur *in cap. Summopere 11. quæſt. 3.* et tradunt etiam Suarez *de legib. lib. 6. cap. 11. num. 9.* Rodriquez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 42. art. 5.* Poteſt etiam iudex diminuere pęnam à legibus impoſitam, iuſta ad id cauſa ſuadente, per textum *in l. quid ergo §. pœna grauior, ff. de his qui notantur infamia*. Iuſta cauſa erit, quando probatur delinquentem ignorantem deliquiſſe, vel ſi reus ſit ſenex, vel puer, vel iuuenis, vel ſi ſit nimis litteratus, vel in aliqua arte inſignis, quæ tamen cauſa non habet locum in Religionibus, vel quando probatur reum, aut eius progenitores de Religione eſſe ſatis benemeritos, vel propter ſuorum progenitorum merita in rempublicam. Sed hæc attendi poſſunt antequam ſententia feratur, non autem poſtea, vt docent Vmbertinus *ſupra verb. Pœna, §. Quæ autem ſint*, Portel *in dub. regul. verb. Correctio Fratrum, num. 54. 56.* Rodriquez *loco cit.* Nauarrus *in rubric. de iudicijs, num. 99.*

Vmbert. D. Greg. Suarez. Rodriq. Vmbert. portel. Rodriq. Nauarr.

Quæ verò pęna imponi debeat reis pro particularibus delictis, ſi ſint religioſi, recurrendum eſt ad ſtatuta Ordinis, ſed illis deficientibus, ſtare debet iudex iuri Canonico. Hoc autem deficiente recurrat ad ius ciuile, vel cæſareum, vel illius regni in quo viuit. De his videndus Rodriquez *tom. 7. qq. reg. à quæſt. 27. vſque ad 38.* incluſiuè, & eius compendiator Hieronymus Rodriquez *reſol. 48. à num. 11. vſque ad finem*. Portel *in dub. regul. verb. Pœna à num. 6.* Paulinus Berti *in praxi crimin. regul. tit. 28. de pœnis*.

Em. Rodriq. Hieron. Rodr. portel. Berti.

De pęna vide tom. 1. verb. Aborſus num. 3. & ſeq. Adulterium n. 14. & ſeq. Blaſphemia n. 11. Concubinarius n. 9. Contritio n. 10. Emphyteuſis n. 7. Excommunicatio 2. n. 30. Fides 2. n. 11. et hoc tomo verb. Ignorantia n. 7. 8 & 12. Interdictum n. 32. Lex a. n. 33. Matrimonium 1 n. 9. & ſeq. Pęnitentia n. 8. Raptus n. 3. & 4. Sponſalia n. 6. et ſeq. Teſtamentum n. 21. Votum 1. n. 25. et ſeq.

POENITENTIA I.

De Pœnitentia, vt eſt virtus.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicta ſit Pœnitentia? & quid ſit?*
2 *In quibus conueniat Pœnitentia, vt virtus eſt, cum ea, quæ eſt ſacramentum?*

3 *In*

Digitized by Google

3 *In quibus differant virtus, & ſacramentum pœnitentiæ?*
4 *An Pœnitentia ſit virtus Theologica, an moralis, infuſa tamen dono Dei in animam?*
5 *Quod ſit obiectum materiale & formale pœnitentiæ?*
6 *Qui ſint actus pœnitentiæ interni & externi?*
7 *Quæ requirantur ad veram pœnitentiam interiorem?*
8 *Quot ſint ſpecies pœnitentiæ exterioris?*

1 POenitentia à pœna dicta eſt, vt idem ſit pœnitere quod pœnam tenere, & pœnitentia ſit quaſi pęnæ tenentia. D. Auguſtinus *lib. de vera & falſa pœnit. cap.* 19. vnde *pœnitentia* ſumpta pro virtute, nihil aliud eſt, quàm *dolor animi ſeipſum affligentis, vel punientis ob male commiſſa, vel omiſſa*: hæc autem vox, pœnitentia, quatenus eſt virtus, dupliciter ſumitur, *aut ſine dolore* vt in beatis, quos ſine dolore pœnitet ſuorum peccatorum, *vel cum dolore* vt in viatoribus, qui non tantùm nolunt, ſed etiam dolent peccaſſe. Secundùm D. Thomam 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 1. 2. & 3. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 1. Nauarrum *in man. prælud.* 10. *Candelab. aureum de Sacrament. pœnit. tit.* 4. Syluium 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 2. pœnitentia eſt *virtus inclinans hominem ad deteſtationem peccati cum efficaci voluntate ſatisfaciendi Dei per illud offenſo*, & hæc virtus pœnitentiæ, de iure naturali incœpit ab ipſo primo omnium parente.

D. Aug.

D. Tho.
Laym.
Nauarr.
Sylu.

2. *Pœnitentia*, vt virtus eſt, conuenit in quinque cum ea quæ eſt ſacramentum. *Primò*, quia vtraque eſt medicina vtilis ad delendum peccatum actuale, & neceſſaria, ſi peccatum mortale ſit. *Secundò*, vtraque dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, ita vt prima quidem nauis ſit innocentia ad conſequendam ſalutem, quòd ſi frangatur per peccatum mortale, ab eo liberat ſola pœnitentia. *Tertiò*, vtraque verſatur circa eandem materiam nempe peccatum actuale. *Quartò*, vtraque requirit idem ſubiectum, nempe hominem adultum, virtus quidem etiam non baptizatum, ſacramentum ſolùm baptizatum. *Quintò*, vtraque poteſt iterari, non modò circa idem peccatum, ſæpius videlicet deteſtando illud, vel aperiendo in confeſſione, verùm etiam circa diuerſa, quæ poſt pœnitentiam, & confeſſionem committuntur. Suarez *tom.* 4. *diſput.* 1. *ſect.* 1. Filliucius *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 3.

Suar.
Filliuc.

3. In alijs *quinque* differunt virtus & ſacramentum pœnitentiæ. *Primò*, quia virtus ponitur ſub genere habitus vel actus, ſacramentum ſub ſigno ſacro. *Secundò*, virtus eſt actus internus, ita vt in eo ſolo ſaluetur ratio virtutis, etſi prodeat in externum; at ſacramentum eſt actio externa propriè. *Tertiò*, virtus eſt pars quædam ſacramenti per ſuum actum, nempe per dolorem, Sacramentum eſt ipſum totum quod præter dolorem & alios actus, dicit etiam abſolutionem. *Quartò*, virtus eſt cauſa gratiæ per modum diſpoſitionis, ſacramentum per modum cauſæ efficientis; & ex opere operato. *Quintò*, virtus eſt de iure diuino naturali, ſi peccatum commiſſum ſit; at ſacramentum eſt de iure diuino poſitiuo, nempe inſtitutione Chriſti, vnde virtus ſemper fuit neceſſaria in omni ſtatu, ſacramentum verò tantùm in ſtatu gratiæ. Plura apud Suarez *cit. ſect.* 2. Filliucius *num.* 4. Bonacina *tract.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2.

Suar.
Filliuc.
Bonac.

4. Pœnitentia non eſt virtus Theologica, quia hæc habet pro obiecto Deum, at pœnitentia habet ſatisfactionem pro offenſa, & ſi aliquo modo reſpicit Deum, reſpicit in obliquo tanquam finem cui, ſicut religio cultum Dei: Eſt autem virtus moralis per ſe infuſa & ſupernaturalis; non poteſt autem acquiri pœnitentia per actus frequentatos, ſicut aliæ virtutes morales, ſed infunditur ſpeciali dono Dei in animam, vnde coniungitur ſemper cum charitate. Poteſt tamen reduci pœnitentia ad iuſtitiam virtutem Cardinalem, tanquam partem illius potentialem, tum quia eſt ad alium, tum quia per pœnam reddimus Deo aliquam compenſationem. D. Thomas 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 3. Filliucius *num.* 15. 16. 17. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 3. Suarez *tract.* 4. *diſp.* 7. *ſect.* 1. Syluius 3. *p. q.* 85. *art.* 5. & *art.* 2. *quæſit.* 1.

D. Tho.
Layman
Suarez.
Sylu.

5. *Obiectum materiale* pœnitentiæ vt fugiendum, eſt malum culpæ: deteſtatio enim peccati eſt actus ad quem inclinat pœnitentia, actus autem verſatur circa materiam virtutis: *Aliquo* tamen *modo* obiectum materiale pœnitentiæ poteſt dici malum pœnæ, non vt fugiendum; ſed vt amplectendum, tanquam medium ad deſtruendum peccatum. *Obiectum* verò *materiale* pœnitentiæ, vt amplectendum, eſt aliquod opus bonum, quia ſunt duæ partes iuſtitiæ, declinare à malo & facere bonum. *Obiectum formale* pœnitentiæ (formale obiectum voco proximum & intrinſecum) eſt reſarcire diuinam iniuriam, et velle ſatisfacere pro pœna. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 2. *ſect.* 1. & 3. Filliucius *cap.* 1. *quæſt.* 4. & 5. Layman *cit. num.* 3.

Suarez.
Filliuc.
Layman

6. *Actus pœnitentiæ interni* ſunt, qui procedunt à voluntate ſuppoſito actu intellectus ſibi proportionato, et habent regulariter coniunctum etiam actum appetitus ſenſitiui, tanquam conſequentem actum internum voluntatis: *Actus* verò *pœnitentiæ externi* propria ratione ſumpti, ſunt ij, qui per facultates exteriores exercentur & à pęnitentia ſunt imperati: eiuſmodi ſunt actus, quibus expiatur peccatum commiſſum, vt contritio, confeſſio, ſatisfactio, ieiunium, eleemoſyna, oratio, &c. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 4. Suarez *cit. diſput.* 3. *ſect.* 1. Filliucius *cit. quæſt.* 8. & 10.

Tho. D.
Suar.
Filliuc.

7. Ad *veram pœnitentiam* interiorem ſex partes requiruntur. *Prima*, eſt deteſtatio peccati. *Secunda*, propoſitum ampliùs non peccandi. *Tertia*, pęna voluntaria. *Quarta*, intentio remouendi ſequelam. *Quinta*, quòd ſit propter Deum. *Sexta*, quòd cum ſpe veniæ: & hæc virtus pęnitentiæ primo noſtro Parenti Adamo, aliiſque omnibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinarunt, ſemper neceſſaria fuit ad ſalutem, vt patet in Conc. Trid. Catechiſmus Romanus *p.* 290. Viguerius *de pœnit.* §. 4. Sotus 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 1. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 14. & *ſeſſ.* 14. *c.* 1.

Cat. Ro.
Viguer.
Sotus.
Cōc. Tr.

8. *Pœnitentiæ exterioris* tres ſunt ſpecies: *vna* dicitur ſolemnis, *altera* publica, *tertia* ſecreta ſacramentalis; *Pœnitentia ſolemnis* eſt illa, quæ olim ſolita erat imponi in primitiua Eccleſia, cuius forma illa erat; Sacerdotes & alii clerici portabant ad portam Eccleſiæ magnos peccatores populi in prima die quadrageſimæ, & erant ibi coram omni populi, & aſpergebant cinerem ſuper capita eorum, induebanturque ſaccis benedictis ad agendam pęnitentiam, &c. Per hanc pęnitentiam ſolemnem, efficitur pęnitens infamis, ſi eſt laicus fit etiam irregularis ad ordines ſuſcipiendos: ſi verò clericus ad maiores ordines ſuſcipiendos: ſed hodie hæc ſolemnis pęnitentia non eſt ampliùs in vſu. *Pœnitentia publica* duplex eſt. *Prima* iudicialis. *Secunda* ſacramentalis. *Iudicialis* eſt illa, quæ à iudice Eccleſiaſtico in foro Eccleſiaſtico imponitur, vt quando præcipitur alicui ſæculari, eſſe in Eccleſia ſine calceis cum candela accenſa in manu. *Sacramentalis* eſt illa, quæ imponitur à confeſſore in foro pęnitentiali, Syluester *verb. Pœnit.* 1. Armilla, Tabiena *ibidem.* D. Thomas 4. *diſt.* 14. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 74. *Candelab. aureum de pœnit. ſolemni & publica.*

Syluest.
Armilla.
Tabiena
D. Th.
Nauarr.

POENITENTIA II.

De pœnitentia vt eſt Sacramentum, de eius inſtitutione, neceſſitate, & præcepto.

SVMMARIVM.

1 *An pœnitentia ſit ſacramentum? & quando inſtitutum? & quæ ſint de fide credenda circa huius ſacramenti inſtitutionem?*
2. *An actus pœnitentis, contritio, & confeſſio, ſacerdotiſque abſolutio, intelligi debeant nomine ſacramenti pœnitentiæ?*
3 *An in ſacramento pœnitentiæ diſtinguantur tria, ſcilicet, res tantum, ſacramentum tantùm, & res, ac ſacramentum ſimul?*
4 *An ſacramentum pœnitentiæ in lege noua ſit neceſſariũ medium ad ſalutem, in re, vel in voto ſuſceptum?*

5 Quo-

Digitized by Google

5 *Quomodo peccatum mortale remittatur per ſacramentum pœnitentiæ in voto?*

6 *An iure diuino teneatur quis peccatum illud confiteri & recipere abſolutionem, à quo, contritione iuſtificatus eſt?*

1 POEnitentia eſt Sacramentum nouæ legis à Chriſto inſtitutum *Ioan.* 20. cùm inſufflauit & dixit eis: *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt*. Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 1. & *ſeſſ.* 7. *can.* 1. his enim verbis habemus tum externam cæremoniam, ſeu ſenſibile ſignum abſolutionis; tum etiam promiſſionem gratiæ, ſeu remiſſionis peccatorum legitimæ abſolutioni infallibiliter annexam; vnde *tria* tanquam de fide credenda ſunt circa ſacramenti huius inſtitutionem. *Primum*, relictum eſſe à Chriſto in Eccleſia ſacramentum ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſſa. *Secundum*, Sacramentum hoc eſſe diſtinctum à Sacramento baptiſmi. *Tertium*, ſecundùm ritum eſſentialem fuiſſe à Chriſto inſtitutum. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 17. *ſect.* 1. Layman *lib.* 6. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. Filliucius *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 31. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 2. *punct.* 4. Syluius 3. *p. q.* 84. *art.* 1. & 7.

Cōc. Tr. Suarez. Layman Filliuc. Bonac. Syluius.

2. *Nomine Sacramenti pœnitentiæ*, intelligi debent partes eius eſſentiales, actus ſcilicet pœnitentis, qui ſunt Contritio, et Confeſſio, et ſacerdotis abſolutio per modum vnius aggregati moralis ad modum entium naturalium: hinc pœnitentia definiri poteſt, *Sacramentum reconciliationis poſt lapſum, in actibus pœnitentibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis conſiſtens*. Vide Suarez *cit. diſp.* 18. *ſect.* 2. Filliuc. *num.* 35. Bonacin. *cit. punct.* 2. *n.* 1. Nauarr. *in man. cap.* 22. *num.* 11.

Suarez. Filliuc. Bonac. Nauarr.

3. Cum in *Sacramentis* diſtinguant Theologi *tria*, ſcilicet, *rem tantum*, id eſt, effectum vltimum ſacramenti: quia per illud fit et ſignificatur, nihil autem facit aut ſignificat, et *Sacramentum tantum*, quod ſignificat et facit gratiæ effectum, non autem fit nec ſignificatur, et *rem ac ſacramentum* ſimul, quod et aliquid ſignificat et cauſat et ab exteriori ſacramento ſignificatur et cauſatur, et ideò vtriuſque ſcilicet rei et ſacramenti rationem et denominationem participat. In ſacramento pœnitentiæ *Sacramentum tantum* ſunt actus externi pœnitentis et miniſtri, quia ſignificant gratiam, et ſunt cauſa non autem ſignificantur: *remiſſio* autem peccatorum et gratia quæ ad hunc effectum præſtatur, eſt res tantùm, quia eſt proprius effectus huius Sacramenti. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 1. *ad* 3. Syluius *ibid.* Suarez *cit. diſp.* 18. *ſect.* 5. Filliucius *cit. num.* 42.

D. Tho. Syluius. Suarez. Filliuc.

4. *Sacramentum pœnitentiæ* in lege noua neceſſarium medium eſt ad ſalutem, non abſolutè ſicuti baptiſmus, ſed ex hypotheſi, ſi homo baptizatus in mortale peccatum lapſus ſit. Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. D. Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 4. Filliucius *cit. num.* 44. 45. 46. & *ſeq.* Layman *lib.* 5 *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 2. Suarez *diſp.* 17. *ſect.* 2. & 3. Syluius 3. *par. quæſt.* 84. *num.* 5. Bonacina *cit. quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 1. hoc tamen ſacramentum in re ſumptum, non eſt ſemper medium neceſſarium ad iuſtificationem, vel remiſſionem peccati, ſed ſufficit in re, vel in voto, vt ait communis Theologorum ſententia, quia veræ conuerſioni in Deum per contritionem promiſſa eſt remiſſio peccati; & cùm ſacramentum non poſſit ſtatim adhiberi, propoſitum eius ſufficit ſaltem implicitum iuxta communiorem ſententiam; quale includitur ex natura rei in amore Dei ſuper omnia, & propoſito ſeruandi omnia mandata ſuppoſita inſtitutione & neceſſitate huius ſacramenti, vt ait D. Thomas 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 5.

Cōc. Tr. D. Tho. Filliuc. Laym. Suarez. Sylu. Bonac.

5. *Peccatum mortale* remittitur per ſacramentum pœnitentiæ in voto ſuſceptum, ad eum modum quo in emptione alicuius rei ante ſolutum integrum pretium dominium & poſſeſſio rei confertur, quamuis tunc abſolutè detur, tamen id fit cum ordine ad futuram ſolutionem, vnde quando hæc poſtea fit, licet non acquiratur nouum aut maius dominium talis rei; ſoluitur tamen, & prior contractus in ſuo ordine completur: ſic per contritionē datur remiſſio peccati in ordine ad futuram confeſſionē, quaſi ad futuram ſolutionem; vnde cùm poſtea fit confeſſio, completur contractus prior, quantùm ex parte noſtra poteſt, & debitum eſt. Suarez *diſp.* 27. *ſect.* 3. *num.* 6. Filliucius *cit. num.* 47. 48. Reginaldus *lib.* 28. *num.* 42. Vaſquez 3. *p. q.* 85. *art.* 5. Bonacina *cit. num.* 3.

Suar. Filliuc. Reginal. Vaſq. Bonac.

6. Qui contritione iuſtificatus eſt à peccato mortali, iure diuino teneatur peccatum illud confiteri, & recipere abſolutionem, quamuis non ſtatim primo quoque tempore, ſed quando inſtat obligatio; vnde ſi quis deliberatè nollet peccata ſua in hoc ſacramento detegere, non iuſtificaretur per contritionem, & peccaret mortaliter. Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. Conc. Conſtant. *ſeſſ.* 8 Bonacina *cit. num.* 6. Filliucius *cit. num.* 51. ſed de hoc plura vide *tom.* 1. *verb. Confeſſio*.

Cōc. Tr. Cōc. Cōſtanc. Bonac. Filliuc.

De materia autem & forma Sacramenti Pœnitentiæ abundè dictum eſt *in to.* 1. *verb. Abſolutio*, & *v. Confeſſio*.

POENITENTIA III.

De effectibus primarijs Sacramenti Pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Quot ſint effectus primarij ſacramenti pœnitentiæ? & de primo, qui eſt remiſſio culpæ mortalis.*

2 *An aliquando poſsit remiſſio peccati mortalis obtineri ſine formali actu pœnitentiæ?*

3 *An ſit de fide quod vnum peccatum mortale non poſsit remitti ſine alio?*

4 *An commutatio pœnæ æternæ in temporalem ſit ſecundus effectus ſacramenti pœnitentiæ?*

5 *An gratia ſacramentalis ſit tertius effectus ſacramenti pœnitentiæ?*

6 *An ablatio reliquiarum peccatorum ſit quartus effectus pœnitentiæ?*

1 EFfectus primarij ſacramenti pœnitentiæ, quatuor ſunt, *remiſſio* peccati mortalis, *commutatio* pœnæ æternæ in temporalem, *Sacramentalis gratia*, *ablatio reliquiarum peccatorum*. Quoad primum, certum eſt quòd pœnitentia ſit ſufficiens ad tollendum peccatum mortale, non modò ſi ſemel, ſed & quoties homo peccauerit; & quòd nullum ſit peccatum adeò graue, nec tam multa vt non poſſint deleri per veram pœnitentiam in hac vita, vt patet Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiã, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor*. Hinc patet Deum nemini conſtituiſſe, neque certum numerum, neque certum genus peccatorum, quibus poſitis deneget auxilium ad pœnitentiam: quòd ſi aliquando dicuntur aliqua peccata irremiſſibilia, vt peccata in Spiritum ſanctum, ſenſus eſt, eſſe difficilè remiſſibilia, & requiri magnam gratiam, vt ait Henriquez *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. non quòd Deus gratiam pœnitenti dare paratus non ſit, ſed quia homo directè diuinam gratiam oppugnat, qua ſola liberari à ſuo peccato poterat. Vnde nulla eſt peccatorum magnitudo, aut multitudo, quæ per veram pœnitentiam aboleri non poſſit. Ratio eſt, quia noſtra pœnitentia nititur meritis & paſſione Chriſti, vt docet Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 1. & 8. cuius ſanguis emundat nos ab omni peccato, 1. *Ioan.* 1. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi; quibus verbis ſignificatur infinita quædam vis paſſionis Chriſti ad exhaurienda omnia peccata poſſibilia. Ex quo ſequitur per minimum gradum pœnitentiæ veræ, innumera peccata quantumuis grauiſſima momento temporis poſſe deleri, non quidem efficienter, nec formaliter, ſed diſpoſitiuè. D. Thomas 3. *par. q.* 86. *art.* 4. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 8. *ſect.* 1. & 2. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 14. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 30. & 31. Syluius 3. *par. q.* 86. *art.* 1. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 1. *punct.* 2. Bellarminus *de pœnit. cap.* 15. Coninch *diſput.* 2. *de pœnit. dub.* 1. *num.* 7.

D. Th. Cōc. Tr. Henriq. Sylu. Bonac. Bellarm. Coninch

2. Quamuis pœnitentia, per ſe loquendo, neceſſaria ſit ſecundùm proprium & formalem actum doloris, ſeu deteſtationis ad conſequendā remiſſionem peccati mortalis: nihilominus aliquando poteſt remiſſio peccati mortalis

talis obtineri ſine formali actu pœnitentiæ; quia ſi quis peccata obliuiſcatur, vel ea non conſideret inculpabiliter, & habeat actum dilectionis Dei ſuper omnia, vt poteſt, quia cum naturali inconſideratione, vel obliuione peccatorum poteſt eſſe actualis conſideratio diuinæ bonitatis, et alicuius motiui, quod inducat ad diligendum Deum ſuper omnia, conſequenter etiam in voluntate erit amor Dei, & per conſequens iuſtificabitur: Extra igitur caſum naturalis obliuionis, vel inconſiderationis, nunquam remittitur peccatum ſine formali actu pœnitentiæ: quando autem deeſt pœnitentia formalis, eſt neceſſaria virtualis cum voto ipſius formali, ideòque neceſſarius amor Dei ſuper omnia; vnde ſine ex altero ex his duobus actibus peccatum mortale non remittitur ſecluſo ſacramento, quia in hoc ſatis eſt attritio, & ſecluſo priuilegio Martyrii, in quo poteſt eſſe ſatis voluntas ſola moriendi pro Chriſto; quæ eſt virtualis pœnitentia, vt dictũ eſt ſupra *verb. Martyrium*. Vide D. Thomas *cit. art.* 2. Nauarrus *cap.* 1. *num.* 10. Medinam *tract.* 1. *de pœnit. q.* 2. *ad* 3. Suarez *cit. diſp.* 9. *tota ſect.* 1. Filliucius *tract.* 6. *cap.* 4. *quæſt.* 3. Syluius *cit. art.* 2. *quæſit.* 1.

D. Tho. Nauarr. Medin. Suar. Filluc. Syluius.

3. Secundùm communem Theologorum ſententiam, de potentia ordinaria Dei & de facto, vnum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio, & hoc eſt de fide. D. Thomas *cit. quæſt.* 86. *art.* 3. Suarez *cit. diſp.* 10. *ſect.* 1. Filliucius *cit. quæſt.* 4. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 7. & *ſeſſ.* 5. *can.* 5. Syluius *cap.* 3. *art.* 3. & ratio in primis eſt connexio, quam habent omnia peccata mortalia in ordine ad veram contritionem, quia non poteſt dici vera contritio vnius peccati mortalis: quin ſit omnium: & idem eſt de connexione in amore ſuper omnia, nam cum illo non poteſt eſſe aliquod peccatum mortale, *qui enim in vno offendit, factus eſt omnium reus*, quantum ad priuationem amoris. Vnde licet pœnitentia per ſe, & directè tantùm deleat peccata confeſſa, quia abſolutio & ſententia iudicialis tantum cadit in accuſationem factam, per accidens tamen & indirectè ratione gratiæ, quæ vi ſacramenti infunditur, etiam deleutur oblita, & omiſſa ex cauſa excuſante, ſed ſemper remanet obligatio illa ſubijciendi clauibus, vt deleantur directè, & per ſe. Henriquez *cap.* 13. *lib.* 4. §. 8. Nauarrus *cap.* 26. *num.* 11. Syluius *verb. Confeſſio* 1. *num.* 12.

D. Tho. Suarez. Filluc. Cõc. Tr. Syluius.

Henriq. Nauarr. Syluius.

4. *Secundus effectus Sacramenti pœnitentiæ* eſt, vt remiſſa culpa mortali de facto, & ſecundùm legem ordinariam remittat pœnam æternam, & illam commutet in temporalem. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 14. hæc verò temporalis pœna non ſemper tota remittitur; neque pars eius certa, ſed iuxta contritionis proportionem; quando autem tota pœna non eſt ſublata per primum actum pœnitentiæ, quod ſupereſt pœnæ per alios ſubſequentes actus & per reliquarum opera virtutum tolli poteſt. D. Thomas *cit. art.* 4. Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 3. Henriquez *lib.* 4. *c.* 14. *num.* 1. Syluius *cit. art.* 4. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 1. *punct.* 4. *num.* 1. & 2.

Cõc. Tr.

D. Tho. Suarez. Henriq. Sylu. Bonac.

5. *Tertius effectus* huius ſacramenti eſt gratia ſacramentalis, id eſt, ſpeciale auxilium diuinæ aſſiſtentiæ in eum finem, vt præſeruet à peccatis, & facilius homo perſeueret in iuſtitia: fit etiam per eiuſmodi gratiam pœnitens humilior & cautior, et dictis auxiliis roborantur potentiæ eius ad victoriam reportandam à dæmone, qui maximè per hæreticos hoc ſacramentũ impugnat, ſciens quidquid eſt pietatis & Religionis in Eccleſia, magna ex parte eo prouenire. D. Thomas 3 *p. quæſt.* 62. *art.* 2. Sotus *d.* 1. *q.* 3. *ad* 7. Filliucius *cit. quæſt.* 9. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 3. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *q* 4. *punct.* 5.

D. Tho. Sotus. Filluc. Henriq. Bonac.

6. *Quartus effectus* pœnitentiæ eſt tollere reliquias peccatorum ex parte, vt propenſiones in parua obiecta relictas ex variis, et dat vigorem contra tædium, & fatigationem animi & corporis ex peccato relictam & tepiditatem ſpiritualem: inter effectus etiam connumeratur, quod pœnitentia ante communionem ex præcepto diuino neceſſaria confert veſtẽ nuptialem, quia diſponitur homo ad cœleſte conuiuiũ, ne repulſam patiatur: interdum etiã in viris piis, qui deuotè confitentur, affert pacem & tranquillitatem. D. Th. *cit. q.* 86. *art.* 5. Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. Sotus *d.* 15. *q.* 1. *art.* 5. Henriquez *cit. n.* 3. & 4. Filliucius *cit. q.* 10. Syluius *cit. art.* 5. et alii.

D. Tho. Cõc. Tr. Sotus. Henriq. Filluc. Sylu.

POENITENTIA IV.

De effectibus ſecundarijs pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Quot ſint effectus ſecundarij ſacramenti pœnitentiæ? de primo, qui eſt remiſſio venialium.*

2 *An peccatum veniale dimitti poſſit cum de eo voluntas actu, vel virtute ſibi complacet? & an ad remiſſionem venialium requiratur formalis pœnitentia, aut virtualis?*

3 *An contritio, vel attritio tollat omnia peccata venialia?*

4 *Quomodo, & quando remittantur peccata venialia, cum quibus homo iuſtus decedit è vita?*

5 *An veniale coniunctum cum mortali remittatur per ſacramenta? & an venialia remittantur ex opere operato per ſe, & per ſacramenta in homine iuſto?*

6 *An per ſacramentalia remittantur peccata venialia ex opere operato ad modum Sacramentorum?* refertur duplex ſententia.

7 *Quot ſint ſacramentalia?*

8 *An viuificatio operis ſacramenti fictè ſuſcepti, ſit effectus ſecundarius pœnitentiæ? & an pœnitentia viuificet aliam alia opera?*

9 *An reſtitutio in priſtinam dignitatem, & merita ſit tertius effectus minus præcipuus pœnitentiæ?*

Quænam opera reuiuiſcant per pœnitentiam?

An homo ita per pœnitentiam reſtituatur in integrum, perinde ac ſi non peccaſſet.

1 TRes *ſunt effectus* ſecundarii ſacramenti Pœnitentiæ. *Primus*, eſt remiſſio venialium. *Secundus*, viuificatio operis ſacramenti fictè ſuſcepti. *Tertius*, reſtitutio in priſtinam dignitatem & merita. Quoad primum certum eſt, remiſſionem peccati venialis eſſe beneficium gratiæ, nec poſſe viribus naturæ comparari, ſine auxilio Dei gratuito; in ſubiecto enim remiſſio venialis ſupponit gratiam ſanctificantem, quæ ſiue tunc fiat, vt cùm per ſacramenta quis iuſtificatur, vel extra illa vi contritionis, ſiue quæ præceſſerit & adhuc maneat quando remittuntur: & quamuis peccata venialia de facto nunquam abſque gratiæ infuſione remittantur, vel eius augmento, per ſe tamen eam non requirunt; quia gratia habitualis, etiamſi ſit valde intenſa, non pugnat cum veniali culpa; ergo non expellit eam ſicut mortale. Ita D. Thomas *quæſt.* 87. *art.* 2. Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 1. & 2. Sotus *d.* 16. *quæſt.* 2. *art.* 4 Syluius *cit. quæſt.* 87. *art.* 2. *quæſit.* 1. Filliucius *tract.* 6. *cap* 5. *quæſt.* 1. & 2. Vaſquez *quæſt.* 87. *art.* 3. *dub.* 2. & 3. Bonacina *cit. ſect.* 2. *punct.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 3.

D. Tho. Suarez. Sotus. Syluius. Filluc. Vaſquez Bonac. Henriq.

2. Nullum veniale dimitti poteſt, cùm de eo voluntas actu, vel virtute ſibi complacet, tunc enim peccat venialiter, quando autem peccatum committitur, illud remitti non poteſt: formalis autem contritio de peccatis venialibus, licet ſit ſufficiens ad illa tollenda, non tamen eſt neceſſaria, ſed ſufficit virtualis pœnitentia, quia per hanc reuocamus volũtatem moraliter auerſam per peccatum veniale: nomine autem *virtualis pœnitentiæ* intelligitur ille actus, qui eſt erga Deum, ac diuina, vt ob eius excellentiam, ac bonitatem tanquam condignam diſpoſitionem, vel omnia, vel aliqua deleat ex ſuæ diſpoſitione ſapientiæ: Talis eſt actus amoris Dei ſuper omnia, et quilibet meritorius, ſi ab operante referatur ad effectum, vt per eum venialis remiſſio obtineatur, ſi autem actus amoris, licet intenſus & feruens, non tamen extendatur ad omnia, ſed ad quædam tantum venialia grauiora, tunc enim illa tantum delebuntur non alia, quia eodem modo reſpectu eorum tunc erit proportionata diſpoſitio. D. Thomas *quæſt.* 87. *art.* 2. D. Bonauentura *d.* 21. *art.* 1. *quæſt.* 2. Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 3. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 12. 13. Coninch *diſp.* 2. *dub.* 24.

D. Tho. D. Bona. Suarez. Layman Coninch.

Syluius

Sylu. Bonac. Vaſquez Henriq.

Sylnius *quæſt.87.art.1. concl.2.* Bonacina *cit punct.3 num. 1.& 5.* Vaſquez *diſp.87.art.1.dub.1.* Henriquez *cit. n.6.*

3. Quæcumque *contritio* tollit reſpectiuè omnia peccata venialia, id eſt, illa de quibus habetur; vnde ſi ſit vniuerſalis de omnibus omnia tollet: *Attritio* autem in peccatore non eſt ſufficiens ad delenda venialia: at in iuſto probabile eſt venialia peccata tolli per ſolam attritionem, imò & per contrarium propoſitum, vel per actũ virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato, & excludentem complacentiam illius. D. Thomas *4.diſt.16. quæſt.2.art.2. quæſtiunc.4. ad 3.* Suarez *diſp. 11. ſect. 3. n. 11.* D. Bonauentura *4.diſt.21.art.1. quæſt.2.* Filliucius *cit. num. 116.* Quamuis probabile etiam ſit per attritionem non deleri peccata venialia: quia attritio non eſt actus charitatis, nec debitam habet cum peccatis venialibus oppoſitionem. Ita Bonacina *cit. punct.3.num.8.* poſt Vaſquez *diſp.87.art.1.dub.1. num.6.*

D. Th. Suarez. D. Bona. Filliuc. Bonac. Vaſquez

4. Omnia peccata venialia, cum quibus homo iuſtus decedit, remittuntur quoad culpam in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore, per actum veræ dilectionis & contritionis, cùm enim anima decedat in charitate, habet perfectiſſimam cognitionem ſui ſtatus, & quia videt habere ſe etiam venialia, habet actum formalem deteſtationis illorum, & ſic remittuntur. D. Thomas *quæſt.7. de malo art. 11.* Richardus Paludanus apud Suarez *diſp. 11. ſect. 4.* Filliucius *cit. num. 123.* Vaſquez *cit. dub.2.n.11.* Ita etiam Sylnius *cit. art.1 quæſit.2.*

D. Tho. Richar. Palud. Suarez. Filliuc. Vaſq.

5. Peccatum veniale cõiunctum cum mortali remittitur per ſacramenta: imò veniale etiam per ſe ſolùm in homine iuſto remittitur per ſacramenta ex opere operato: vnde ſacramenta remittunt venialia etiam abſque motu voluntatis per ſe ſufficiente, quia ſic etiam tollunt mortale; ad id tamen neceſſe eſt, vt homo non ponat obicem, id eſt, vt accedat ſine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate recipiendi ſacramentum & effectum eius, in quo continetur quædam virtualis retractatio peccati venialis. Suarez *diſp. 12. ſect. 1.* Henriquez *lib. 4. cap. 15.* Filliucius *cit. num. 124. & ſeq.* Bonacina *cit. ſect. 2. punct. 1.* Vaſquez *cit art. 3. dub. 2. & 3.* D. Thom. *3 p. q. 87. art. 3.*

Suarez. Henriq. Filliuc. Bonac. Vaſquez D. Th.

6. Ex communi ſententia Doctorum, certum eſt per ſacramentalia remitti peccata venialia, ſicut habet traditio antiqua & communis fidelium vſus: ſed dubium eſt quomodo remittantur; *quidam* enim *Doctores* dicunt ex opere operato, vel immediatè ad modum ſacramentorum ſuppoſita diſpoſitione, quod ſcilicet, non ſit complacentia contraria, & homo vtatur piè, ac religioſè huiuſmodi rebus, vel mediatè excitando actum ſufficientem, vt attritionem, vel alium bonum motum; hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quia videtur magis pia, & conformior decretis Patrum, & hanc tenent Victor. *de pœnit. num. 110.* Sotus *4. diſt.15. quæſt.2. art.3.* Ledeſma *1. p. quæſt.28. art. 2.* *Alij* verò generaliter negant ſacramentalibus efficaciam ex opere operato, quia Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi cauſam, quæ poſſit hunc effectum ex opere operato conferre, vel quia etiamſi habeat, non conſtat de tali inſtitutione, hæc ſententia eſt etiam probabilis & tutior, quam tenent D. Thomas *4. diſt. 16. quæſt.2. art.2.* Alenſis *4. par. quæſt.65. memb.3. art.4.* Suarez *diſp. 12. ſect.2* Filliucius *tract. 6. num. 129.* Layman *lib.5. tract. 6. cap.4. num. 17.* Sylnius *cit. art.3.* Bonacina *cit. ſect.2. punct.2. num. 4.* & multi alii apud ipſos. Vide dicta in ſupplemento *verb. Sacramentalia num. 1.*

Victor. Sotus. Ledeſm. D. Tho. Alenſis. Suar. Filliuc. Laym. Sylnius. Bonac.

7. *Sacramentalia* nihil aliud ſunt, quàm remedia quædam ab Eccleſia inſtituta, quibus ſolet attribui effectus remiſſionis venialium; numerantur autem nouem. *Primò*, aqua benedicta, quæ habet eximios effectus. *Secundò*, panis benedictus. *Tertiò*, vnctio quædam ſacra, vt quæ fit ante baptiſmum, & dum conſecrantur manus Sacerdotis, caput Epiſcopi, aut Regis vncti. *Quartò*, benedictio Epiſcopalis, vel Abbatis conſecrati. *Quintò*, confeſſio generalis, & tunſio pectoris. *Sextò*, ingreſſus in Eccleſiam conſecratam, vel oratio facta in illa. *Septimò*, oratio Dominica. *Octauò*, auditio Miſſæ. *Nonò*, audire concionem ſacram. D. Thomas *quæſt. 87. art. 3.* Sotus *4. diſt. 15. quæſt.2. art.3.* Henriquez *lib. 4. cap. 15. num. 8* Filliucius *cit. num. 127.* Suarez *diſput. 12. ſect. 2.*

D. Tho. Sotus. Henriq. Filliuc. Suarez.

Reginaldus *lib. 5. num 43.* Bonacina *num. 1.*

Regin. Bonac.

8. *Secundus effectus* ſecundarius pœnitentiæ eſt, quod viuificat opus ſacramenti fictè ſuſcepti: verbi gratia, ſi baptiſmus, vel confirmatio, vel alia ſacramenta, excepta Euchariſtia, fictè recepta ſint, cùm remouetur fictio per pœnitentiam, tunc ſacramenta operantur effectum ſuum, & ita viuificant opus ſacramenti: vnde tunc *duplex gratia* homini confertur, *altera* vi ſacramenti præcedentis fictè, vel informiter ſuſcepti, *altera* ratione præſentis pœnitentiæ. Henriquez *lib. 4. cap. 16. num. 1. & 2.* Bonacina *tom. 1. diſp. 1. quæſt.6. punct.5. num. 3.* Suarez *tom. 3. diſp. 28. ſect. 6.* Coninch *quæſt.62. art.1. dub.6. num. 92.* *Præterea* pœnitentia viuificat etiam alia opera, ea nimirum quæ ſunt ſpeciali ratione opera Chriſti; vt eſt *Primò* pœnitentia à confeſſario iniuncta, *Secundò* ſatisfactio Miſſarum, vel in offerentibus, vel in ijs pro quibus offertur. *Tertiò* indulgentia: hæc enim opera omnia, licet fiant in peccato mortali, ſunt tamen valida ad ſatisfaciendum, & obtinent proprium effectum pro remiſſione pœnæ temporalis, non autem tunc illum obtinent, quando quis eſt in peccato mortali, ſed dicitur reuiuiſcere, quando per pœnitentiam homo reſurgit. Nauarrus *cap.3. num.5.* Filliucius *cit num. 131. 132.* Henriquez *lib. 1. de pœnit. cap.16. §. 2.* Bonacina *tom. 1. diſp. 5. quæſt.5. ſect.1. punct.4. num. 17. 18. & diſp.6. quæſt. 1. punct. 5. num. 13.* Hæc opinio eſt probabilis, ſed non certa. Vide *Bonacinam cit.*

Henriq. Bonac. Suarez Coninc. Nauar. Filliuc. Henriq. Bonac.

9. *Tertius effectus* minùs præcipuus pœnitentiæ eſt, in primam virtutum dignitatem reſtituere. D. Thomas *3. part. quæſt.89.* Suarez *ibid. & opuſcul. de reuiuiſ. merit. diſput.1. & 2. ſect. 3.* Henriquez *lib.4. cap.16. num.5.* Filliucius *tract.6. cap.6. per totum num.21.* Vaſquez *1.2. diſp. 221. cap. 5. & 6.* Bonacina *tom. 1. diſput.5. quæſt.6. ſect.4. punct.2.* Scotus *d.22. art.2. quæſt.1.* Medina *de pœnit. q. 8.* Sylnius *3. par. quæſt. 89. art. 2.* & primò quidem virtutes infuſas reſtituit, hæ enim gratiam conſequuntur, deinde opera bona, per peccatum mortale mortificata reuiuiſcunt, non ex ſola miſericordia vel iuſtitia, ſed ex vtraque virtute ſimul: viuificantur autem non ad ſolum accidentale præmium, ſed ad proprium, & vt vocant, eſſentiale: redeunt verò ſecundùm totum primum valorem, ſiue per intenſiorem, ſiue per remiſſiorem contritionem quis reſurgat, ſiue in ſacramento, ſiue extra illud. Neque verò eiuſmodi gratia meritis mortificatis debita, ſummam diſpoſitionem expectare debet vt tribuatur, ſed in ipſo viuificationis inſtanti, ſiue diſpoſitio ſit intenſa, ſiue remiſſa, tota confertur: Vnde fit vt ſemper ad maiorem gratiam homo reſurgat, nam & prioris gratiæ cumulum accipit, & nouum eius gradum diſpoſitioni cum qua reſurgit proportionatum. Non ita peccata ſemel dimiſſa (quæ Dei benignitas eſt) redeunt, cùm denuò quis peccat, ſed tantùm imperfecto quodam modo redire dicuntur, quatenus eadem gratiæ priuatio redit, & pœna ob accepti beneficii ingratitudinem maior, & hanc opinionem probabilem vocat *Sylnius cit.* quamuis illa, quam tradit D. Thomas *quæſt. 89. art. 2.* nequaquam vt improbabilis reijcienda ſit, ſed velut probabilis ſuſtineri poſſit, dicendo quòd homo poſt pœnitentiam non ſemper reſurgit in æquali gratia & virtute. Sed probatur ſuperior aſſertio ex ſcripturis Ezechiel 18 *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor*: atqui ſi Deus auferret præmium eſſentiale, vel minueret in æternum peccata priſtina puniret, & ſic videretur maximè recordari. Deinde Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua*: atqui plurimum noceret, ſi vel multum, vel parum detraheret priſtinis meritis. Ioel 2. *Conuertimini ad me, &c. & reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*, hoc eſt reſtituam vbertatem meritorum veſtrorum, vt exponit ibi Gloſſa.

D. Tho. Suarez. Henriq. Filliuc. Vaſquez Bonac. Scotus. Medina Sylnius.

Petes *primò*, quænam opera reuiuiſcant? Reſp. omnia & ſola quæ aliquando vixerunt, nempe opera ſupernaturalia iuſtorum, quibus Deus promiſit vitam æternam. Itaque opera ſolis naturæ viribus facta, aut opera peccatorum ſupernaturalia, v. g. fides, ſpes, attritio, ieiunia, eleemoſynæ, &c. quamuis multas habeant ſpirituales

vti-

vtilitates, nihil tamen faciunt ad meritum, aut ſatisſactionem apud Deum, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Dices, ſatisſactio à confeſſario iniuncta, ſi expleatur in peccato mortali, poſtea reuiuiſcit, ergo opus mortuum poteſt reuiuiſcere. Reſp. antecedens eſſe dubium, ſed eo admiſſo negatur conſequentia; quia in opere ſatisſactorio duæ conſiderantur actiones, vna Chriſti quatenus ſatisſactio eſt pars ſacramenti, altera hominis, qui eam perficit in peccato mortali, hæc non reuiuiſcit, quia nunquam habuit vitam, illa reuiuiſcit, quia tantùm fuit impedita ex hominis indiſpoſitione.

Petes *Secundo*, an homo ita per pœnitentiam reſtituatur in integrum, perinde ac ſi non peccaſſet? Reſpond. ita videri apud Deum, excepta innocentia, & virginitate: nam virginitas requirit inexperientiam libidinis; innocentia conſiſtit in nõ peccaſſe, quæ cùm facta ſunt, infecta fieri non poſſunt. In Eccleſia verò non ſemper reſtituitur homo in priſtinam dignitatẽ, vt conſtat ex multis Canonibus apud D. Thomam 3. *p. q.* 89. *art.* 3.

SVPPLEMENTVM.

POENITENTIA.

SVMMARIVM.

1 *An pœnitentia vt eſt virtus ſpecialis, ſit diſtincta virtus à reliquis virtutibus?*
2 *An pœnitentia reducatur ad iuſtitiam?*
3 *An actus virtutis pœnitentiæ ſit ſimpliciter neceſſarius lapſis ad iuſtificationem?*
4 *An ſit de fide in noua lege, ſeu gratia dari verum Pœnitentiæ Sacramentum? Et an in lege veteri fuerit tale Sacramentum?*
5 *An omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis debeat neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum illud non committendi?*
6 *An peccata venialia deleantur per quodlibet opus meritorium hominis iuſti?* Refertur duplex ſententia.
7 *An peccatum veniale poſſit remitti abſque mortali?*
8 *An peccata ſemel remiſſa redeant quoad culpam, & pœnam per peccatum de nouo commiſſum?*

1 POenitentia vt eſt virtus ſpecialis, eſt diſtincta virtus à reliquis virtutibus. Probatur, quia virtus diſtinguitur penes diſtincta obiecta formalia: obiectum autem formale virtutis pœnitentiæ eſt ſatisfacere Deo pro iniuria & offenſa, quod eſt obiectum diſtinctum ab obiectis aliarum virtutum: nulla enim virtus deteſtatur peccatum ea ratione, qua pœnitentia deteſtatur: etenim etſi temperantia, verbi gratia, deteſtetur ebrietatem, non tamen quatenus eſt contra ius diuinum, ſed quatenus eſt contra motiuum, & obiectum temperantiæ. Item, charitas non deteſtatur peccata, vt ſunt iniuria & offenſa Dei, ſed vt ſunt contra Deum ſummè dilectum, & ſic de cæteris virtutibus. Virtus verò pœnitentiæ deteſtatur peccata, quatenus ſunt iniuria Dei. Ita ex communi Nugnus *in* 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 2. *dub.* 1. *verſic. Pro intelligentia.* Trullench *tom.* 3. *in praxi Sacrament. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 5. Vaſquez *de pœnitent. quæſt.* 85. *artic.* 2. *dub. vnic.* & alij.

[margin: Nugn. Trullen. alq.]

2. Pœnitentia non eſt verè & propriè ſpecies iuſtitiæ propriè dictæ: nam inter Deum & nos non eſt perfecta iuſtitia, cùm non detur æqualitas hominis ad Deum. Cõtinetur tamen ſub iuſtitia analogicè, & per quandam ſimilitudinem, tanquam pars illius poteſtatiua, ſicut religio in Deum, pietas in parentes & obedientia, etiam reducuntur ad iuſtitiam tanquam ſpecies imperfectæ. Vnde ſequitur penitentiam eſſe partem iuſtitiæ potentialem, & ad eam reduci, ſicut imperfectum ad perfectum. Ratio eſt, quia ſicut per iuſtitiam reddimus debitum alteri; ſimiliter per hanc virtutem debitum peccati diſſoluimus & per pœnitentiam reddimus Deo aliquam compenſationem ad ſimilitudinem iuſtitiæ commutatiuæ, & quia non æqualiter, cùm propter excellentiam perſonæ offenſæ non poſſimus rependere æquale, ideò non eſt propriè iuſtitia, ſed qualis conſtitui poteſt inter patrem & filium, dominum & ſeruum. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 85. *artic.* 3. & communiter Doctores.

[margin: D Th.]

3. Actus virtutis pœnitentiæ eſt ſimpliciter neceſſarius lapſis ad iuſtificationem expreſsè, aut ſaltem implicitè, & virtualiter, ſeu æquiualenter. Ratio eſt, quia ad iuſtificationem neceſſe eſt vt homo odio habeat peccatum, illud deteſtetur, illique diſpliceat, velitque pro offenſa & iniuria Deo illata ſatisfacere, qui actus ſunt virtutis pœnitentiæ. Dicitur, *Saltem implicitè*, nam aliquando ſufficit actus pœnitentiæ implicitus, id eſt, actus dilectionis Dei, & contritionis; in quibus æquiualenter continetur actus pœnitentiæ, nempe velle ſatisfacere Deo, & recompenſare iniuriam illi illatam. Nec recipiens Sacramentum Pœnitentiæ poteſt iuſtificari abſque aliquo actu virtutis pœnitentiæ; nam qui vult recipere Sacramentum, vult etiam dolere de offenſa & iniuria Dei, vultque Deo ſatisfacere, & inæqualitatem per peccatum poſitam inter Deum & hominem reſarcire, qui ſunt actus virtutis pœnitentiæ. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 7. Coninch 3. *part. diſput.* 1. *de pœnitent. dub.* 4. *num.* 16. Bonacina *tom.* 1. *diſput.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Trullench *tom.* 3. *in praxi Sacrament. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 12. & alii recentiores.

[margin: Henriq. Coninch Bonac. Trullen.]

Aduertendum tamen eſt, quod actus virtutis pœnitentiæ, ſicut & actus aliarum virtutum, vt fidei, ſpei, Religionis, &c. quamuis ſit diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam, non tamen eſt vltima diſpoſitio, ſed ſolus actus cõtritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia eſt vltima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum, vt tradunt communiter Doctores poſt D. Thomam 3. *part. q.* 84. *art.* 10. vnde qui cupit extra Pœnitentiæ Sacramentum iuſtificari, non ſolùm debet velle Deo ſatisfacere pro iniuria illata, qui eſt actus pœnitentiæ, ſed etiam huic actui debet actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia coniungere. Ita citati Doctores.

4. De fide eſt in noua lege, ſeu gratiæ, dari verum Sacramentum Pœnitentiæ, vt definitum eſt in Cõcilio Florentino *in decreto Eugenij.* & Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 1. vbi inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, enumerat hoc Sacramentum, & expreſsè hoc definit *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 2. Ratio eſſe poteſt, quia dantur certi actus pœnitentis & Sacerdotis, quibus conuenit definitio Sacramenti; nã ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ à Chriſto eleuata, per quæ remittuntur peccata & confertur gratia; iuxta illud Ioannis 30. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* nam ſi quæ peccata ſoluenda ſunt, & alia retinenda, neceſſe eſt vt ex parte pœnitentis explicentur Sacerdoti tanquam iudici, quod ſine ſigno ſenſibili non poteſt fieri, & ex parte iudicis, etiam opus eſt aliquod ſignum quo pœnitentes intelligant ſe conſecutos eſſe, vel non, remiſſionem peccatorum: atque ita in penitente ſigna ſenſibilia erunt actus ipſius, in iudice abſolutio verbis prolata.

[margin: Concil. Flor. & Trid.]

In lege autem naturæ, & in lege veteri ſcripta non fuit Sacramentum Pœnitentiæ. Quia ſi hoc Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto Domino Ioannis 20. illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* conſtat ante eius aduentum non extitiſſe, vt expreſsè definit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. per hæc verba: *Porrò nec ante aduentum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentũ, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum.* Quando ergo in ſacris Scripturis mentio fit pœnitentiæ, cui Deus promiſit remiſſionem peccatorum, intelligitur de interna pœnitentia, quæ eſt virtus, ſeu contritio peccatorum, quæ quidem pœnitentia fuit neceſſaria ſemper in omni ſtatu, etiam ante aduentum Chriſti. De his vide Vaſquez 3. *part. tom.* 2. *diſp.* 135. Sayrum *de Sacram. in genere lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 1. *ſect.* 2. Trullench *tom.* 3. *in praxi Sacram. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 2. & 4.

[margin: Vaſq. Sayr. Suarez. Trullen.]

5. Omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, debet neceſſariò includere ſaltem vir-

tuale propoſitum illud non committendi, ſine qua non poteſt conſiſtere vera pœnitentia; quia non poſſum deteſtari ea peccata, à quibus nolo in poſterum abſtinere. Non eſt tamen neceſſe, vt hoc propoſitum excludat omnem habitualem inclinationem ad peccatum, ſed ſufficit, vt excludat omnem actualem affectum. Differt autē hoc propoſitum à propoſito vitandi mortalia: quia propoſitum de vitādis mortalibus debet ſe extendere ad omnia, eo quòd vnum ſine alio remitti non poſſit: hoc autem minimè, quia vnum veniale ſine alio remitti poteſt. Tum quia non requiritur quod hoc propoſitum ſit tam efficax, ac illud vitandi mortalia: quia non tenemur ita vitare occaſiones peccandi venialiter, ſicut occaſiones peccandi mortaliter: vnde faciliùs abſolui poſſunt relabentes in
Coninch venialia, quàm in mortalia. Ita Coninch *diſp. 2. dub. 14. num.* 130.

6. Probabile eſt, per quemcumque actum meritoriū habentem oppoſitionem cum venialibus, vel relatum à merente ad eorum remiſſionem remitti etiam venialia. Sic remittuntur. *Primò*, per actum orationis, quo quis petit veniam de venialibus. *Secundò*, per propoſitum formale non committendi tale peccatum: quia hæc indicant ſufficientem mutationem voluntatis, & alioquin opus eſt meritorium. *Tertiò*, per actum virtutis oppoſitum alicui peccato veniali: quia ibi eſt repugnātia & meritum. *Quartò*, per quemcumque actum pietatis & miſericordiæ, vel aliud meritorium, ſi referantur ad huiuſmodi effectum conſequendum; quia ſic videntur ij actus includere virtualem diſplicentiam peccatorum venialiū, & alioquin opus eſt meritorium. Non tamen quilibet actus virtutis eſt ſufficiens ad tollendum quodcumque peccatum veniale, ſed ille tantùm cui repugnat, & cuius eſt formalis, vel virtualis diſplicentia; nam reſpectu eius eſt proportionata diſpoſitio, non verò reſpectu aliorum.
Suar. Ita Suarez *de pœnit. diſp.* 11. *ſect.* 3. Filliucius *tract. 6. cap.*
Filliuc. 5. *q.* 7. Quamuis quidam putent non improbabiliter etiam peccata venialia non deleri per quodlibet opus meritorium hominis iuſti. Tum quia non quodlibet opus meritorium habet ſufficientem cum peccatis venialibus oppoſitionem, cùm opus meritorium ſimul fieri poſſit, dum committitur aliquod peccatum veniale, vt quando vir iuſtus orando, ſeu celebrando committit peccatum veniale ambitionis; nam ipſius actio meritoria eſt, quamuis ei peccatum veniale adiungatur. Tum quia ſequeretur cō-
Cōc. Tr. tra Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. per Sacramentum pœnitentiæ ſuſceptum ab homine iuſto nunquam deleri peccata venialia, ſed iam ſupponerentur deleta per opera bona, quæ requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum, nam huiuſmodi opera ab homine iuſto facto ſunt meritoria. Tum quia per nullos alios actus peccata venialia remittuntur extra Sacramentum, quàm per actus
P. Soto. contritionis, & dilectionis Dei. Ita Petrus Soto *de pœnit.*
Valentia *lect.* 18. Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 4. punct. 1. verſ. Contra eſt*,
Vaſq. & alij apud Vaſquez 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *dub.* 1.

7. De potentia Dei ordinaria non poteſt remitti peccatum veniale abſque mortali. Ratio eſt, quia opera exiſtentis in mortali ſunt Deo odioſa & procedentia ab eius inimico & filio iræ, quæ ſuppoſito tali ſtatu, Deo non placent; ergo quamdiu manet peccator à Deo auerſus, non poteſt dici congruè diſpoſitus, vt ab eo veniam impetret; nam peccatum veniale præter reatum pœnæ continet quandam offenſam auctoritatis & amicitiæ Diuinæ, pro qua peccator nequit vllo modo ſatisfacere; cùm ad hoc requiratur, vel attritio charitate informata, vel contritio, ſiue actus charitatis, hoc autem poſito ſtatim remittitur peccatum mortale; ergo veniale non poteſt remitti abſq. mortali. De potentia autem Dei abſoluta poſſunt peccata venialia remitti ſine remiſſione mortalium: quia Deus poſſet peccatori elicienti actum contritionis incompoſſibilem cum venialibus denegare gratiam, per quem actum delerentur venialia, vtpote incompoſſibilia cum tali actu, non verò delerentur mortalia, cum formaliter deleantur per gratiam, quæ ſupponitur denegari, & ſine
D. Tho. qua peccata mortalia deleri non poſſunt, quandoquidem
Syluius. omnis priuatio excludi debeat per formam oppoſitam.
Nugnus. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 87. *art.* 4. Syluius, Nugnus *ibidem*,
Pelant. Suar. Pelantius 3. *p. q.* 87. *art.* 4. *diſput. vnic.* Suarez *de pœnit. diſput.* 11. *ſect.* 2. Coninch 3. *p. diſput.* 2. *dub.* 15. *num.* 135. Coninch
Trullench *tom.* 3. *in praxi Sacram. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *n.* Trullench
3. & 4. & alij.

8. Peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiā, non redeunt, nec vlla potentia redire poſſunt per peccatum de nouo commiſſum. Ratio eſt, quia per pœnitentiam & gratiam fuerunt omninò extincta: quod autem extinctum eſt, nō poteſt naturaliter reuiuiſcere, imò nec ſupernaturaliter poſſunt peccata reuiuiſcere quoad culpam; quia cùm miraculoſa opera principaliter fiant à Deo, illique principaliter tribuantur, ſequeretur reuiuiſcentiam peccatorum principaliter tribuendam eſſe Deo, & conſequenter Deus eſſet auctor illius peccati quoad culpam, quod aſſerere impium eſt & abſurdum. Deus enim odio habet impium & impietatem eius, & intentator malorum eſt, vt ait D. Iacobus *in Epiſt. cap.* 1. Hoc patet *ex cap. vlt. de pœnitentia diſt.* 4. vbi habetur, diuinam clementiam non D. Tho.
pati peccata ſemel dimiſſa iterum redire. Et docent D. Syluius
Thomas 3. *p. q.* 88. *art.* 1. Syluius *ibid.* Nugnus *diffic.* 1. & Nugnus
2. Suarez *tom. 4. diſp. 13. ſect.* 1. Vaſquez 3. *p. diſp.* 88. *art.* 1. Suarez
dub. vnic. & alij communiter. Vaſq.

Similiter peccata ſemel remiſſa non redeunt, nec etiā redire poſſunt propriè & formaliter de potentia Dei ordinaria quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum. Ratio eſt, quia reatus pœnæ ſequitur culpam, ſed culpa non redit in ſe, & formaliter, ergo nec pœna. Tum quia debitum abſolutè extinctum non poteſt iterum reuiuiſcere per ſolam creditoris voluntatem, reatus autem pœnæ eſt quoddam debitum, quod abſolutè & ſimpliciter aufertur à Deo: ergo reatus pœnæ æternæ non redit per D. Th.
ſubſequens peccatum. Ita D. Thomas *q.* 88. *art.* 3. Suarez Suar.
diſp. 13. ſect. 2. Henriquez *lib. 4. cap. 32. num.* 8. Henriq.

De potentia tamen Dei abſoluta reatus peccatorum præcedentium redire poteſt per ſubſequens peccatum: quia peccata poſſunt remitti ſub conditione, vt ſi peccator de nouo peccet, redeat idem pœnæ reatus, ac ſi peccata non eſſent remiſſa; hoc enim non implicat, vt tradunt Doctores citati.

Notandum autem eſt peccata præterita dimiſſa aliquo modo & quaſi per accidens redire ratione ingratitudinis, conſequenter rationis maioris deformitatis, quæ in peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſorum continetur. Ratio eſt, quia peccatum de nouo commiſſum poſt remiſſionem aliorū, & quo maiora ſunt auxilia, & dona à Deo recepta grauius eſt, nam videtur Deus aliqua ratione virtualiter contemni, cùm de nouo offenditur poſt tanti beneficij collationem. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 88. *art.* D. Th.
2. Suarez *diſp. 13. ſect.* 3. Coninch *diſput.* 1. *dub.* 19. *num.* Suar.
131. Syluius 3. *p. q.* 88. *art.* 1. qui nouiſſimus docet peccata Coninch
ſemel dimiſſa redire ſecundùm quid, eſſe peccatum ſequens fieri grauius propter præcedentia, eiuſque maculam eſſe turpiorem, ac reatum maiorem; Ex hoc probat iudicium vlus acerbiùs punientium eum, qui poſt punitionem in furtum relapſus eſt. Syluius

Ex quo fit eum, qui poſt obtentam præcedentium peccatorum remiſſionem, lapſus eſt in aliquod peccatum mortale, grauiùs puniendum fore in inferno ob huiuſmodi peccatum ratione ingratitudinis, quam alioquin puniendus fuiſſet, præciſa ingratitudinis circumſtantia, modò pro illo in hac vita non ſatisfecerit.

PONTIFICALIVM VSVS.

SVMMARIVM.

1 *An Epiſcopi poſſint in Eccleſijs exemptis Pontificalia exercere, non habita Prælatorum licentia?*
Et an poſſint in eiſdem Eccleſijs vti Pontificalibus inſignijs, abſque aliquo exercitio iuriſdictionis?
2 *An in locis exemptis poſſint Epiſcopi Ordines conferre, vel confirmationem; calices conſecrare; benedicere corporalia; degradare; indulgentias concedere, &c.*
3 *Quæ dicantur Pontificalia inſignia & ornamenta.*

Digitized by Google

An Epiſcopus exiſtens in aliena Diœceſi, aut loco alterius iuriſdictionis extra ſuam Diœceſim, poſſit Miſſam in Pontificalibus celebrare, ſine Ordinarij loci licentia? refertur duplex ſententia.

1 Epiſcopi nullo modo poſſunt in Eccleſijs Abbatialibus ſuarum Diœceſum, quæ exemptæ ſunt, Pontificalia exercere, niſi priùs habita Abbatum licentia. Ratio eſt, quia Epiſcopi extra ſuum Diœceſim non poſſunt Pontificalia exercere, abſque Epiſcopi Diœceſani licentia, aliàs ab eorum exercitio ſuſpenderentur ex diſ-

Cõc Tr.

poſitione Coocilii Tridentini *ſeſſ. 6. cap vlt. de reform. & ſeſſ. 14. cap. 2. de reform.* At locus exemptus, & locus extra Diœceſim iudicantur à pari, vt tradunt Doctores *in cap. 1. de Conſtitutionibus*, ergo Epiſcopi non poterunt in Eccleſiis Abbatialibus exemptis abſque Prælatorum

Abbas. Innoc. Roland.

earum licentia, Pontificalia exercere, Abbas *in cap. Significaſti, de foro competent.* Innocentius *in cap. ex ore, de priuileg.* Rolandus à Valle *conſ. 32. à num. 23. lib. 3.* & alii.

Poſſunt tamen Epiſcopi in Eccleſiis Abbatialibos, ac aliis locis exemptis, vti Pontificalibus inſigniis abſque aliquo exercitio iuriſdictionis, vt ipſis conceditur *in cap. Archiepiſcopo, de priuil. in 6.* abſque Abbatum & aliorũ Prælatorum licentia. Nec obſtat Cōciliũ Tridentinum *locis citatis*, quia loquitur de vſu Pontificalium cum ali-

Nauarr.

quo exercitio, vt colligitur expreſsè ex Nauarro *conſ. 69. de ſentent. excommunicat. in antiq. & conſil. 21. de cle-*

Quarãta

rico excõmunic. Miniſtrant. in nouis. Quaraota *in Summa Bullar. verb. Archiepiſcopi auctoritas, auctoritate 32. verſ. Præterea.* Vbi docet Archiepiſcopum in quolibet loco ſuæ Prouinciæ etiam exempto, non obſtante quocumque priuilegio contrario poſſe facere ante ſe liberè portari Crucem, benedicere ſolemniter populo, & audire publicè, vel priuatim diuina officia, & in Pontificalibus celebrare, & coram ſe facere celebrari ſine Pontificalibus tamen, *ex dict. Clemen. Archiepiſcopo, de priuilegijs.* Cuius diſpoſitioni, cùm ſit Concilii Generalis Viennenſis, non cenſetur derogatum per clauſulam generalem, niſi expreſſa mentio fiat Concilii Generalis dicendo: *Non obſtante quauis Conſtitutione, ſeu lege in Concilio Generali edita* per textum *cap. ex parte, de capell. Mona-*

Couar. Quarãta Sanch.

chor. Vt docent Couarruuias *in Epitom. part. 2. cap. 8. §. 9. num. 6.* Quaranta *loco cit.* Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 16. num. 7. & lib. 8. diſp. 35. num. 17.* & alii communiter

Barboſa. Cokier.

apud ipſos. De his conſulendi ſunt Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 80.* Eraſmus Cokier *de iuriſdict. Ordinar. in exempt. par. 1. quæſt. 45. verſ. 25. & 26. num.*

Tamb.

34. & verſ. 62. num. 69. & alii apud Tamburinum *tom. 1. diſp. 15. quæſt. 15.*

2. Ex dictis infertur Epiſcopos in locis exemptis non poſſe ordinationes celebrare, quia eſt iuriſdictionis: neq. confirmationis Sacramentũ miniſtrare; quia habet mixturam iuriſdictionis & officii Epiſcopalis. Neq. Calices conſecrare & corporalia benedicere. Neque degradare, neque facere proceſſiones ſolemnes, & generales: quia eſt potius officii quàm honoris Epiſcopalis. Neque in prædictis locis celebrantes, vel cõcionantes indulgentias concedere, quia hoc eſt iuriſdictionis & dignitatis Epiſcopalis. Imò nec poſſunt concedere, vt exempti eorum nomine largiantur, & ſi dant, non proſunt, niſi quoad ſibi ſubditos. Neque poſſunt ab aliis ante ſe in Pontificalibus celebrari facere; quia id eſſet auctoritatiuè demandare & iuriſdictionem exercere. Neque ſedere pro tribunali,

Anchar. Imola. Vitalin. Tamb.

nec cathedram iudicialem collocare. Ita Ancharanus, Cardinalis Imola, Vitalinus *in d. Clement. Archiepiſcopo, de priuil. in 6.* quos citat & ſequitur Tamburinus *loco cit.* Poteſt tamen Epiſcopus in Eccleſiis exemptis Pontificalia exercens, baldachinum erigere, vt decreuit Sacra

S. Cõgr.

Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita, tempore Cle-

Quarãta

mentis Papæ VIII. die 10. Ionij 1603. teſtibus Quaranta *in Summa Bullarij verb. Priuilegia Regularium pag. 515.*

Barboſa.

edit Lugdunen. anno 1622. Barboſa *loc. cit. alleg. 80. n. 17.*

3. Controuerſia eſt magna inter Doctores, an Epiſcopus in aliena Diœceſi, aut loco alterius iuriſdictionis extra ſuam Diœceſim, poſſit Miſſam ſolemnem in Pontificalibus celebrare. Priuſquam ad quæſtionem reſpondeamus, ſupponendum eſt, Pontificalia inſignia & ornamẽta eſſe Mitram, Baculum Paſtoralem, Annulum, Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirotecas, & Cruceio

Durand.

pectoralem, ex Durando *in rational. diuin. offic. lib. 3. cap. 13.* his poſitis. Dicendum eſt in prædicto dubio duplicem eſſe ſententiam. Prima eſt negatiua, quia Mitra & Baculus non ſolùm ſunt ornamenta Pontificalia, ſed etiam ſigna ſuperioritatis. Proinde in cæremoniali Epi-

Cærem. Epiſc.

ſcoporum *lib. 1. cap. 17.* dicitur, *Vtitur Epiſcopus baculo Paſtorali in ſua tantum ciuitate, vel Diœceſi, & etiam alibi vbi conſecrationes, aut benedictiones perſonales facere ei Apoſtolica auctoritate conceditur.* Hinc in cæremonia conſecrationis Epiſcopi, conſecrans tradendo baculum conſecrando ſic ait: *Accipe Baculum Paſtoralis officij, vt ſis in corrigendis vitijs piè ſæuiens, in tranquillitate ſeueritatis cenſuram non deſerens, &c.* Et in libello qui Ordo Romanus inſcribitur, ſic dicitur: *Accipe Baculum Paſtoralis officij, poteſtatem ligandi atque ſoluendi, vt ſis in corrigendis vitijs perſeuerans.* Ex quibus apparet baculum non ſolùm eſſe ornamentum, ſed ſignum iuriſdictionis & Superioritatis; ergo nullo modo licitus erit eius

Diana. Barboſa Cokier. Gauant. Sanchez

vſus in aliena Diœceſi, ſine licentia ordinarii. Ita Diana *p. 3. tract. 6. reſ. 36. & p. 4. tract. 3. reſ. 143.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 80. num. 14.* Cokier *de iuriſd. p. 2. q. 1. n. 8.* Gauantus *in enchir. Epiſcopor. verb vnctiones Epiſcopales, n. 11.* Sanchez *tom. 2. conſil. lib. 7. cap 1. dub. 50.*

His tamen non obſtantibus affirmatiuam ſententiam defendunt multi Auctores, qui poſt Concilium ſcripſerunt, ſcilicet Epiſcopos poſſe vbique celebrare indumentis Pooti icalibus indutos, Miſſam Pontificalem faciendo, tam de iure antiquo, quàm de iure nouo Conc. Trid. Probatur *Primo*, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi in locis exemptis poteſt ſine liceotia Prælati Miſſam Pontificalẽ celebrare, vt conſtat *ex Clemen. fin. de priuil. in 6.* tamen non poteſt exercere Pontificalia Ordinando, Chriſmando, &c. ergo diuerſum eſt Miſſam in Pontificalibus dicere, & exercere Pontificalia. *Secundo*, quia de iure antiquo poterant id facere Epiſcopi, vt eſt certum ferè apud omnes Doctores, ergo etiam hodie. Conſequentia patet, quia Concilium Tridentinum ſolùm prohibet Epiſcopo Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa liceotia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm, quæ verba ſolùm denotant actum Ordinis Epiſcopalis, aut iuriſdictionis contentioſæ ſedendo pro tribunali: quia verbum exercere non videtur complecti vſum tantùm Pontificalium, ſed etiam exercitium ſuper alios, idque magis confirmant ſubſequentia verba, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas. Et hanc eſſe veram expoſitionem verborum Con-

Toletus. Henriq. Laym.

cilii docent Toletus *in Sum. lib. 1. cap. 49.* Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 5. num. 5. & in qq. canonic. cap. 17. num. 224.* ſecluſa conſuetudine in con-

Alzedo. Couar. Hurtad.

trarium. Alzedo *in praxi Epiſc. par. 1. cap. 1. n. 88.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 20. num. 9.* & nouiſſimè Thomas Hurtado *in reſol. mor. tract. 2. cap. 6. reſ. 22.* qui hanc ſententiã non ſolùm probabilem exiſtimat ſpeculatiuè loquendo, ſed etiam in praxi tutam, qui plures alios citat.

Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ poſſet reſponderi Epiſcopum in aliena Diœceſi non poſſe vti inſigniis Pontificalibus ad exercenda Pontificalia, hoc eſt, actus Ordinis ad denotandam iuriſdictionem quam exerceat: benè tamen dum celebrat poteſt vti Mitra, Baculo, Chirotecis, Sandaliis, ſicut ſemper vtitur annulo, etiam in aliena ciuitate, quorum vſus non eſt ad denotandam aliquam poteſtatem, aut iuriſdictionem, aut paſtoritium munus circa oues alienas, ſed ſolùm ad notandam eius auctoritatem & dignitatem, & quod celebrans non eſt ſimplex Sacerdos, ſed Epiſcopus & Pontifex. Tameo ſi alicubi ſit conſuetudo contraria introducta, ea obſeruanda eſt.

Quibus in locis poſſit Abbas vti Põtificalibus inſigniis & ſolemnem benedictionem dare & quando, vt dictum eſt *in tom. 1. verb. Abbas num. 25. & ſeq.*

Vide tom. 1. verb Archiepiſcopus num. 3. & hoc tomo verb. Vicarius num. 7.

POSSESSIO, *Poſſeſſor.*

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit poſſeſſio, & quotuplex?*
2 *Quid ſit poſſeſſio facti?*
3 *Quid poſſeſſio Iuris?*
4 *Triplex poſſeſsio recenſetur, Naturalis, Ciuilis, & Mixta.*
5 *Quot modis acquiratur poſſeſsio?*
6 *An iuris fictione acquiratur aliquando poſſeſsio ſine apprehenſione corporali?*
7 *An legum diſpoſitione interdum transferatur poſſeſsio, abſque vlla apprehenſione?*
8 *Quomodo poſſeſsio iurium, & ſeruitutum acquiratur?*
9 *Quot modis poſſeſsio amittatur?*
10 *Qui ſint effectus poſſeſsionis? Et per quem debeat dari poſſeſsio beneficy?*

1 POſſeſsio dicitur à pedum poſitione, nam per pedum poſitionem ſupra bona immobilia, quæ ſunt potiſſima, vt ſuper agrum, vel fundum ſolet acquiri poſſeſſio, *l. 1. ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ.* tribuitur autem hoc nomen interdum ipſis rebus poſſeſſis, quo pacto dicuntur poſſeſſiones: ſed modò accipimus pro *actu*, vel *iure poſsidendi*: vnde *actus poſsidendi* dicitur *poſſeſsio facti*, *ius* autem *poſsidendi*, dicitur *poſſeſsio iuris*. Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 1. cap. 7. num. 1.* Becanus *tract. de iuſtit. cap. 2. quæſt. 15.* (Layman. Becan.)

2. Poſſeſſio facti eſt *detentio rei corporalis, vel apprehenſio, adminiculo corporis & animi, & iuris*; ex qua definitione patet. *Primò*, quòd ad poſſeſſiones requiratur ordinariè *apprehenſio*, quæ eſt inceptio poſſeſſionis, *detentio* deinde eſt continuatio. *Secundò*, dicitur *rei corporalis*, quia huius propriè dicitur poſſeſſio, rei autem incorporeæ, vt iurium, beneficiorum & huiuſmodi dicitur quaſi poſſeſſio. *Tertiò*, dicitur *adminiculo corporis*, quia vt rem aliquam incipias poſſidere, debes eam aliquo modo corporaliter apprehendere, vel manibus, vel pedibus, vel oculis, ſiuè per teipſum, ſiuè per procuratorum, filium, ſeruum. *Quartò*, dicitur *adminiculo animi*; quia debet eam apprehendere animo poſſidendi: vnde depoſitarius non dicitur poſſidere depoſitum, quia non detinet illud animo retinendi. *Quintò*, dicitur *& iuris*, quia ius facit vt talis detentio ſufficiens ſit ad conſtituendam poſſeſsionem, nec impedit quo minùs cenſeatur poſſeſſio, ſicut impedit ne detentio rei ſacræ à laico, dicatur poſſeſsio. De quibus Syluester *verb. Dominium, quæſt. 2.* Molina *de iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſp. 12.* Couar. *ad regul. Poſſeſſor p. 2. initio, num. 2.* Leſsius *lib. 2. cap. 9. dub. 9. n. 40.* Layman *cit. num. 2. 3. & 4.* Becanus *cit. concl. 2.* Malderus *de iuſtit. & iur. tract. 1. cap. 3. dub. 6.* (Sylueſt. Molina. Couar. Leſsius. Layman. Becan. Malder.)

3. Poſſeſsio iuris eſt *ius inſiſtendi alicui rei, tanquam ſuæ, nõ prohibita poſsideri.* Dicitur *ius*, vt excludatur poſſeſsio facti, quæ formaliter eſt ipſa occupatio & detentio, vnde hoc ius oritur, ſi iuſta fuerit. Quòd ſi illa detentio fuerit iniuſta, non oritur ex ea ius in conſcientia, ſed tantùm in foro ciuili. Secundò dicitur, *inſiſtendi rei*, vt excludatur dominium, quod per ſe & formaliter eſt ius perfectè diſponendi de re. Hoc verò ius in eo ſitum eſt, quòd poſſeſſor poſsit rem pacificè tenere, & iuris remediis, & interdum etiam armis tueri aduerſus perturbantes. Tertiò dicitur, *tanquam ſuæ*, quia ſi quis inſiſtat rei alterius, alter poſſeſſor erit. Vnde tutor non eſt poſſeſſor bonorũ pupilli, nam pupillus poſsidet per tutorem; ſic etiam poſsum aliquid poſsidere per filium, procuratorem, ſeruum. Vt autem poſsideam per alium, requiritur vt ille habeat animum rem detinendi pro me: ſi enim intendat pro ſe detinere, id eſt, tanquam ſuam, non poſsideo per alium, quia non meo nomine retinet; excipio tamen ſeruum & filium nondum emancipatum. Hi enim cùm ſint eius conditionis, vt non acquirant ſibi, acquirunt patri & domino, etſi hunc animum non habeant. Quartò dicitur, *non prohibita poſsideri*, quia nemo poteſt habere ius poſsidendi contra iuris diſpoſitionem, v. g. poſsidendi res ſacras, locum publicum, ius decimarum, ſi laicus ſit. Bartolus *in l. 1. ff. de acquirenda poſſeſsione.* Couar. *cit. num. 3.* Filliucius *tract. 31. cap. 3. num. 83.* Leſsius *cit. num. 41. & 42.* Becanus *de iuſt. & iur. cap. 2. q. 15.* (Bartolus. Couar. Filliuc. Becan.)

4. Etſi variis modis diuidi poſsit poſſeſsio, nimirum vel pro diuerſitate titulorum (quo pacto dicimus rem aliquam poſsideri pro empta, pro donata, pro legata, id eſt, titulo emptionis, donationis, aut legati) vel ratione bonæ & malæ fidei; vſitatiſsima tamen eſt ea diuiſio, qua in *ciuilem, naturalem*, & *mixtam* diuiditur. *Ciuilis* eſt, quæ ſolo animo retinetur. Quamuis enim initio, vt incipias poſsidere, requiratur adminiculum animi & corporis, tamen, vt poſteà retineas & continues poſſeſsionem, ſufficit animus retinendi rem, nec deſiſtendi à poſſeſsione: hoc modo poſsidet is qui abeſt à rebus ſuis. *Naturalis* eſt, quæ corpore ſimul & animo poſsidetur, vt quando quis occupat rem vt ſuam, poteſt hæc naturalis coniungi cum ciuili, vt quando quis per ſe, vel per alium eſt præſens rebus, quas ciuiliter poſsidet; tunc enim dicitur ciuiliter & naturaliter poſsidere. *Mixta* eſt, cùm quis corpore & animo iuſtè & accommodatè iuri ciuili rem habet. Azorius *3. p. lib. 3. cap. 31. quæſt. 3.* Filliucius *cit. num. 84.* Leſsius *cit. dub. 10.* Becanus *cit. q. 16.* Malderus *cit. dub. 7.* (Azorius. Filliuc. Leſsius. Becan. Malder.)

5. Poſſeſsio tribus modis requiritur. *Primò, Apprehenſione vera, apprehenſione ficta, legis diſpoſitione.* Apprehenſio vera eſt, quæ fit manibus, vel pedibus: hæc eſt neceſſaria, quando acquirenda eſt poſſeſsio earum rerũ quæ dominum non habent, vt ferarum, gemmarum, theſaurorum, inſularum, fluminum, hæreditatis relictæ; vel quando quis etiam clam, vel vi poſsidere vult, vel denique ſi alius rem poſsideat, qui tibi nolit poſſeſsionem tradere, debes eam verè apprehendere, vt poſsideas. Niſi fortè authoritate Iudicis ea tibi eminus oſtendatur & ficto animo tradatur. Gomezius *in legem 45. Tauri num. 55. l. 3. ff. de acquir. poſſeſſ.* Becanus *cit. quæſt. 17.* Filliucius *cit. num. 85.* Malderus *cit. dub. 8.* (Gomez. Becan. Filliuc. Malder.)

6. *Iuris* verò *fictione* acquiritur ſine apprehenſione corporali, multis modis; & hæc apprehenſio ficta locum habet, quando res habet poſſeſſorem, à quo tradatur; vel quando loco poſſeſſoris authoritate iudicis traditur. *Primò*, ſi antiquus poſſeſſor tradat alteri, cui vult poſſeſsionem cedere, claues domus, in qua ſunt merces tradendæ. *Secundò*, ſi tradat alteri ſcripturam, vel inſtrumentum, vt conſtet de titulo, quo rem poſsidet. *Tertiò*, ſi antiquus poſſeſſor è loco remoto, vel propinquo oſtendat prædium, dicatque ſe illius poſſeſsionem tradere, alius autem acceptet, tunc enim dicitur oculis apprehendere ſucceſsionem. Azorius *cit. cap. 32.* Gomezius *cit. num. 55.* Leſsius *cit. dub. 11.* Molina *cit. diſp. 13.* Plures modos vide apud Azorium, Leſsium, & Becanum. (Azor. Gomez. Leſsius. Molina.)

7. *Legum diſpoſitione* interdum transfertur poſſeſsio, abſque vlla vera, vel ficta apprehenſione, ſi leges ita ſtatuant; quia modus acquirendæ & amittendæ poſſeſsionis, iuri humano ſubiacet, quod poteſt ſtatuere varios modos, prout magis videtur expedire Reip. pro diuerſitate rerum & prouinciarum, & hæc dici ſolet à Doctoribus ciuiliſsima poſſeſsio, quæ fit ſola legis ciuilis diſpoſitione, abſque vllo animi, vel corporis adminiculo, etiam neſciente eo, qui incipit poſsidere. Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 5. num. 6.* Leſsius *cit. num. 48.* Filliucius *cit. num. 87.* (Couar. Leſſ. Filliuc.)

8. *Poſſeſsio iurium, & ſeruitutum* duobus modis acquiritur: *Primò*, vſu iuris tanquam ad ſe pertinentis, ſciente & ferente eo, ad quem pertinebat concedere, vel prohibere. *Secundò*, miſsione in agrum, in quo quis ſeruitutem vult conſtituere, & alterius profectione eodem animo; verùm in his omnibus ſpectandæ ſunt conſuetudines regnorum & prouinciarum, quæ admodum ſunt variæ. Couar. *reg. poſſeſſor 2. p. initio à §. 8.* Leſsius *cit. num. 49.* Filliucius *cit. num. 88.* Becanus *cit. concl. 4.* (Couar. Leſsius. Filliuc. Becan.)

9. Poſſeſsio rerum mobilium, tum ciuilis, tum naturalis,

Digitized by Google

raſis amittitur. *Primò*, ſola voluntate poſſeſſoris nolentis eam amplius poſſidere. *Secundò*, per furtum, aut rapinam alterius. *Tertiò*, ſi alterius cuſtodiæ ſubſit, qui cã incipiat detinere tanquam ſuam. *Quartò*, per ſugam, ſi ſint animalia, vel per amiſſionem rei, v. g. burſæ, annuli: poſſeſſio tamen ſerui & ancillæ non amittitur per ipſorum fugam. *Quintò*, ſi ſit rerum immobilium, non amittitur poſſeſſio, niſi poſita ſcientia & patientia prioris poſſeſſoris, *l. poſſideri, ff. de acquir. poſſeſſ. l. Pomponius, ff. ibidem*. Multos alios modos recenſent Becanus *citat. quæſt.* 18. Leſſius *cit. dub.* 12. Azorius *cit. cap.* 34. quos conſule.

Becan. Leſſius. Azor.

10. Priuilegia poſſeſſionis bonæ fidei, hæc ſunt, *l. 3. ff. de vi, & vi armata, l. 1. C. vnde vi, & cap. olim, de reſtit. ſpoliat.* Layman *cit. num.* 8. Filliucius *cit. num.* 90. Molina *cit. diſp.* 16. Becanus *cit. q.* 19. Malderus *cit. dub.* 9. *Primò*, parit præſcriptionem, & facit vt res, quæ non eſt tua, elapſo tempore certo fiat tua, & omnes fructus præcepti. *Secundò*, in iudicio parit præſumptionem dominii. *Tertiò*, poſſeſſor poteſt armis ſuam poſſeſſionem, non ſolùm naturalem, ſed etiam ciuilem tueri. *Quartò*, poſſeſſor expulſus poteſt armis ſuam poſſeſſionem repetere, modò id fiat confeſtim & non ex interuallo. *Quintò*, poteſt quis acrius ſuam poſſeſſionem tueri vim vi repellendo. *Sextò*, ſi dominus rei iniuſtè expellat poſſeſſorem à poſſeſſione, amittit dominium & applicatur expulſo: ſi autem non ſit dominus, tenetur reddere poſſeſſionem expulſo & inſuper æſtimationem eius. Ita *l. Si quis in tantam, Cod. vnde vi*, quæ videtur non eſſe ampliùs in vſu, vt docet Couarruuias.

Layman. Filliuc. Molina. Becan. Malder.

Sed petes *Primò*, per quem debeat dari poſſeſſio beneficii? Reſp. de iure pertinere ad Archidiaconum *cap. ad hæc, de offic. Archidiac.* vel ad Decanum *cap. poſt elect. de conceſſ. præbend.* tamen hodie per quemcumque capitur, ſiue Notarium Apoſtolicum, ſiue Regium, vel per Notarium ab Epiſcopo creatum; imò etiam per Clericum, vel Sacerdotem. Rebuffus *in For. dimiſſ. in poſſeſſ. num.* 11. & 13.

Secundò, an quis per ſeipſum poſſit eam capere? Reſponſio eſt negatiua. Ratio poteſt eſſe, quia inter agens & patiens debet eſſe differentia. Rebuffus *de requiſit. in lit. col. num.* 22.

Tertiò, an requiratur inſtrumentum, vel ſufficiat ſcriptura priuata, & teſtium depoſitio? Reſp. quod non, ſed ſufficit ſcriptura priuata, trino teſte ſignata, quæ æquiualet inſtrumento: imò etiam per teſtes. Rebuffus *cit. num.* 4.

Quartò, quomodo probetur poſſeſſio? Reſp. probari per inſtrumenta, ſcripturam priuatam tribus teſtibus munitam, & per teſtes.

Quintò, quid fieri debet ab accipiente poſſeſſionem? Reſp. per ingreſſum Eccleſiæ, aquæ benedictæ aſperſionem, oſculum Altaris maioris, ſonum campanæ. Rebuffus *cit. num.* 17.

De Poſſeſſione, vide tomo 1. verb. Beneficium 7. num. 3. Dubium, Fructus, & hoc tomo verb. Precarium num. 2. Præſcriptio num. 2. & 3. Reſtitutio 2. Reſtitutio 4. n. 5. 6. & ſequent.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An poſſeſſionem, vel tentionem efficiat apprehenſio in re corporea, ſi non fiat animo habendi eam vt ſuam.*

2 *Quæ ſit dicenda poſſeſſio bona, vel malæ fidei.*

3 *An ex ignorantia iuris ſiue naturalis, ſiue humani conſurgat bona fides.*

4 *An dubia fides, qua quis poſſidet rem dubitans, an ſit ſua, ſit cenſenda bona, an mala fides.*

5 *An fides, quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicatur bona, vel mala,* ciuiliter, *nempe &* Canonicè.

1 POſſeſſionem non efficit, ſed tentionem apprehenſio & inſiſtentia in re corporea, ſi aliquo alio animo fiat, quàm habendi eam vt ſuam: vnde hæc apprehenſio pro varietate animi, quo res apprehenditur & tenetur, & tituli, aut contractus præcedentis ſortitur varias appellationes. Vt colonus dicitur tenere rem conductam, commodatarius rem commodatam, depoſitarius rem in depoſitum, & qui aliquid accipit in pignus, dicitur tenere rem in pignus, & ita de cæteris: Nullus tamen horum dicitur eas res poſſidere, ſed legitimus earum poſſeſſor eſt is, qui illas vt ſuas, ita tenendas eis tradidit. Vnde non ſufficit ſola corporalis apprehenſio, vt poſſeſſio reſultet, niſi adſit etiam animus ea apprehenſione poſſidendi, habendiue rem apprehenſam vt ſuam: quia cum apprehenſio multis aliis de cauſis fieri poſſit, ſæpeque reipſa fiat, neceſſe fuit, vt per animum ea poſſidendi determinaretur & contraheretur ad integram & perfectam cauſam, vnde poſſeſſio reſultaret. Ita habetur *in l. 3. ff. de acquiren. poſſeſſ.* & docet Abbas *in cap. ſi diligenti, num. 6. de præſcript.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 1. cap. 7. num.* 3. Molina *tract. 2. de iuſtit. diſp.* 12. & communis.

Abbas. Layman. Molina.

2. Poſſeſſio eſt, aut cum bona fide, aut cum mala fide. Cum bona fide poſſeſſio eſt, quando quis iuſto errore ductus rem habet cognitione & opinioni domini, cùm non ſit dominus: Cum mala fide poſſeſſio eſt, quando quis ſciens ſe non eſſe dominum, perinde ſe gerit, ac ſi dominus rei eſſet. Hinc bona, vel mala fides eſt quid facti, non verò quid iuris, cùm nihil aliud ſit quàm bona, vel mala conſcientia, vt colligitur *ex cap. fin. de præſcript.* ibi, *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, id eſt, *ex conſcientia*, vt explicat ibi Gloſſa. Et ſic bona, vel mala conſcientia. Vnde poſſeſſor malæ fidei, idem eſt quod poſſeſſor malæ conſcientiæ, id eſt, conſcientiæ læſæ. Poſſeſſor verò bonæ fidei eſt poſſeſſor bonæ conſcientiæ, id eſt, integræ & non læſæ. Proinde bona fides nihil aliud eſt, quàm iuſta credulitas rei alienæ: & ſic poſſeſſor bonæ fidei dicitur is, qui iuſtè credit rem quam poſſidet ad ſe pertinere, & poſſeſſor malæ fidei is erit qui credit rem quam poſſidet ad ſe non pertinere. Ita Doctores *ad l. bona fidei, ff. de verb. ſignif.* Couar. *reg. Poſſeſſ. 2. p. §. 7. num.* 6. & alii.

Couar.

Ex quo deducitur, non eſſe bonam fidem, quando ex craſſa, aut ſupina facti ignorantia oritur, vt quoties quis hac ignorantia putat rem eſſe ſuam; quippe tunc nulla adeſt probabilis ratio ad exiſtimandam iuſtam poſſeſſionem. Similiter non conſurget bona fides, quando ex temeraria fatuitate poſſidens non aduertit rem eſſe alienam, quia eadem eſt ratio: proinde vt ignorantia bonam fidem producat, debet eſſe inuincibilis, quæ à culpa Theologica excuſet. Ita Molina *de iuſtit. diſput.* 720 *& diſput.* 723. Rebellus *de obligat. iuſtit. part. 1. lib. 2. quæſt.* 4. & 5 Bannez 2. 2. *quæſt. 40. artic. 1. dub. 7. concluſ.* 2. 3. 4. Nauarrus *in Manual. cap. 17. num.* 84. Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 2. num.* 2. Toletus *lib. 5. c. 26. num. vlt.* & alii.

Molina. Rebell. Bannez. Nauarr. Cla. reg. Toletus.

3. Certum eſt apud omnes ex ignorantia iuris naturalis non conſurgere bonam fidem ad acquirendos fructus, vt ſi quis norit rem eſſe furtiuam, ignoret tamen ſibi non licere eam emere, concordant Doctores eam eſſe craſſam nec excuſare. Ratio eſt, quia cùm rem eſſe alienam norit, nullum eius rei retinendæ, aut pretii à vero domino ius habet, vt habetur expreſſè *l. 2. Cod. de furtis*.

At difficultas eſt de iuris humani ignorantia: Quidam negant hinc oriri bonam fidem ad fructus acquirendos, niſi ignorans ſit ruſticus, aut mulier, aut minor, aut ius ſit ita dubium, vt varias interpretationes patiatur. Quia iura clamant ignorantiam facti, non iuris excuſare, *de regulis iuris in 6.* At dicendum eſt, inuincibilem iuris ignorantiam ſatis eſſe ad producendam bonam fidem ad huiuſmodi effectum. Quia nullus eſt textus decidens hac ignorantia excludi bonam fidem ad acquirendos fructus: Imò eam ſatis eſſe deciditur expreſſè *l. Sed etſi lege* 28. *§. ſcire, ff. de petit. hæred.* ibi: *Et non puto hunc eſſe prædonem qui dolo caret, etſi in iure errauit*. Præterea, quia quando ius voluit hanc ignorantiam non prodeſſe, vt quoad vſucapionem, id explicuit, *l. ſi fur* 32. *§. ſi quis id,*

Digitized by Google

ff. de vſucap. ibi: *In iure erranti non procedat vſucapio.* Ita docent Couar. *lib. 1. variar. cap. 3. num.* 8. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 630. Syluester *verb. Ignorantia quæſt.* 8. *num.* 20. Toletus *lib.* 5. *cap.* 26. *num.* 5. *lt.* et alij communiter Iuriſperiti.

Couar. Menoch. Syluest. Toletus.

4. Controuerſia eſt inter Auctores, an dubia fides qua quiſpiam poſſidet rem dubitans, an ſit ſua, ſit cenſenda bona, an mala fides? Quidam ſuſtinent eſſe malam fidē: quia bona fides exigit, vt poſſeſſor exiſtimet rem eſſe ſuam: at dubitans noo exiſtimat rem eſſe ſuam, vtpote qui neutrius partis aſſenſum habeat. Ita Sotus *de iuſtit. lib.* 4. *quæſt.* 5. *art. vlt.* Arragon 2. 2. *quæſt.* 62. *ante art.* 1. *tract. de dominio, verſ. Tertio eſt aduertendum*, & alii.

Sotus. Arrag.

Nonnulli aſtruunt eſſe bonam fidem *ex cap. Si Virgo* 34. *q.* 2. vbi dicitur, *Tamdiu quiſquam poſſeſſor bonæ fidei rectiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum.* Sed dubitans, an res ſit ſua, ignorat an ſit aliena. Accedit, cùm dubia fides medium ſit inter bonam & malam, non eſt cur potius malæ accedat; & proinde ſuperueniens nec bonam, nec malam fidem auſert, ſed cæteris paribus fauendum eſt priùs exiſtenti; cùm in dubio ſit potior poſſidentis conditio: & proinde veniens res in dubio an ſint ſuæ non eſt in mala fide, & proinde potitur priuilegijs bonæ fidei. Ita Roſella *verb. Reſtitutio* 7. *num.* 19. Syluester *verb. Præſcriptio* 1. *q* 3. *dict.* 3.

Roſella. Syluest.

Reſolutionem huius dubii habes *infra verb. Præſcript. num.* 3. Vbi diximus dubitantem, noo cenſeri habere bonam fidem ad inchoandam poſſeſſionem, quamdiu manet dubitatio. Vide ibi Doctores citatos, quibus nunc addo Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 25. *num.* 273. *& ſeq.*

Sanchez.

Non tamen eſt negandum dari medium inter malam & bonam fidem, ſi hæc ſpeculatiuè conſiderentur, dubitans enim ſpeculatiuè, an res ſit ſua, cùm neutrius partis aſſenſum generet, nec bonam, nec malam fidem habet; quia nec credit poſitiuè rem eſſe ſuam, nec alienam, ſed hæret in medio. At ſi hæc practicè ſpectentur, nequit inter vtramque medium dari, ſed ſemper poſſeſſor io eo dubio habebit bonam, aot malam fidem practicam; bonam quidem, ſi poſſeſſionem bona fide cœptam continet, ſuperuenienti eo dubio; malam autem, ſi dubium illud præcedat poſſeſſionem. Ita Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſput.* 63. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. Sanchez *loco cit. num.* 181.

Molina. Leſſ. Sanchez.

5. Fides, quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicitur bona, vel mala, nempe, *ciuiliter* & *Canonicè.* Fides mala ciuiliter eſt illa, quæ eſt contra diſpoſitionem legis ciuilis & contra iura. Sic expreſsè habetur *l. quemadmodum, C. de agricolis & cenſitis*, ibi, *Malæ fidei poſſeſſorem eſſe nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.*

Fides mala canonicè dicitur illa, quæ inoluit peccatum mortale, ſic *cap. vigilanti, cap. quoniam omne de præſcript.* Vnde ille qui ciuiliter habet bonam fidem, hoc eſt conſcientiam conformem legibus ciuilibus, ſi in ea eſt læſio peccati, eſt abſolutè mala fides, nec qui ſic poſſidet poteſt tanta conſcientia rem præſcriptam poſſidere, etiamſi longiſſimi ſit temporis, et immemorabilis, etiāſi tranſierit ad hæredes ſuos, vel non ſuos, ſi iſti ſciant primum poſſidentem cum peccato iniuſtæ acceptionis, aut detentionis poſſediſſe. Ex quo fit, quod bona fides ciuilis & bona fides Canonica ſe habeant ſicut regimen ciuile & Canonicum, ex quibus leges quibus conformantur manant; atque ita ſicut regimen Canonicum damnat ciuile in eo quod opponitur animæ, ita bona fides Canonica in eodem excludit ciuilem; quod ſi bona fides ciuilis ſit ſine peccato, eam non damnat, nec damnare poteſt ex Eccleſiaſtica, cùm Pontifex ad regimen ciuile per ſe non extendatur. Similiter ſi ſit mala fides ciuilis abſque peccato mortali eam in foro animæ non damnat lex Canonica, quæ capitibus citatis præſcriptionem malæ fidei vniuerſaliter damnat, ſumens malam fidem pro mala conſcientia, quæ abſolutè dicitur bona, vel mala, quatenus eſt ſine peccato, aut cum illo. Quare poſſeſſor malæ fidei ciuilis, vt præſcribat præſuppoiiit bonam fidem Canonicam, hoc eſt, conſcientiam non læſam peccato mortali iniuſtæ acceptionis, vel detentionis. Vnde eo ipſo quòd lex ciuilis concedat poſſeſſori malæ fidei ciuilis præſcriptionem intra ſpatium definiti temporis, eo elapſo iam non eſt poſſeſſor malæ fidei, ſed bonæ, tam ciuiliter, quàm Canonicè, vt conſtat *ex l. iuſtè poſſidet, ff. de acquir. poſſeſſ.*

Hanc diſtinctionem malæ fidei Canonicæ & ciuilis, et quòd mala fides ciuilis ſimul cum bona fide Canonica ſat ſit ad præſcribendum in foro conſcientiæ, ponit nouiſſimè Thomas Hurtado *in reſolutionib. moral. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. §. 5 cui ſuffragatur Couarruuias *in regul. Poſſeſſor part.* 2. §. 7 *num.* 8. *verſ. Ergo ſatis erit circa medium*, Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 64. *num.* 7. Sed plura de his occurrent dicenda infra *verb. Præſcriptio.*

Hurtad. Couar. Molina.

Vide tomo 1. verb. Cardinali num. 6. Dubium num. 3. et ſeq. Fructus num. 4. & ſeq. et hoc tomo verb. Præſcriptio. Probatio num. 2.

PRÆCEPTUM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit præceptum, & an differat à mandato, & conſilio?*
2 *Quotuplex præceptum fuerit in lege veteri, & modo in Euangelica?*
3 *An ſit differentia inter præceptum, & legem?*
4 *An per ſolum actum humanum, & liberum impleri poſſit præceptum, tam diuinum, quam humanum?*
5 *Qualis intentio exigatur ad ſatisfaciendum præceptis? Et an obligationi iuſtitiæ ſatisfiat abſque animo illi ſatisfaciendi?*
6 *An ſatisfiat præcepto quando expreſſim adeſt voluntas, & intentio non ſatisfaciendi præcepto per illud opus?* refertur duplex ſententia.
7 *An peccet mortaliter, qui intentionem habet non ſatisfaciendi præcepto, per opus alias à ſe præſtitum?*
8 *An poſſit ſatisfieri præceptis per actus, qui peccata ſunt?* refertur duplex ſententia.
9 *An vnico actu poſſit diuerſis præceptis ſatisfieri?*
10 *An tranſgreſſio operis duplici præcepto iniuncti ſit duplex culpa, aut contineat circumſtantiam in confeſſione explicandam?*
11 *An poſſit vno, & eodem tempore diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfieri?*
12 *An quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, violandum ſit quod minus obligat?*
13 *Quid faciendum quando attentis omnibus circumſtantiis, vis maior neutrius præcepti incompatibilis non conſtiterit?*
14 *An præcepta Decalogi ſint iuris naturalis?*
15 *An præceptum ſuperioris de re leui obliget ad mortale?*
16 *An modus operis præcepti, cadat ſub præcepto?*

1 PRæceptum de mente S. Thomæ, eſt *motio ſuperioris, aut legis imperatiua alicuius faciendi, vel omittendi ex debito*, id eſt, *ex neceſſitate ſalutis*; vnde *differt à mandato*, quia illud eſt motio ad aliquid melius, ſed non ſub neceſſitate ſalutis; deinde propriè præceptū per ſe facit præcipiens; *mandatum* verò per aliud: *differt* etiam à conſilio, *tum* quia conſilium ad præceptum vt ad finem ordinatur, *tum* quia conſilium non eſt de oeceſſariis ad ſalutem, niſi ſecundùm præparationem animi, ſi oportet, *tum* quia præceptum eſt motio imperatiua, conſilium verò ſuaſoria. Tum quia præceptum ſemper eſt ſuperioris. Conſilium verò non tantùm ſuperioris, ſed etiam paris, aut inferioris. Tum quia præceptum obſeruatum habet præmiom, non obſeruatom habet pœnam. Conſilium autem ſi non ſeruetur nullam habet pœnam, & ſi ſeruetur maius habet præmium. D. Thomas 1. 2. *q.* 99. *art.* 1. *& q.* 100. *art.* 9. *&* 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. Syluester *verb. Præceptum*. Syluius 1. 2. *q.* 99. *art.* 5.

D. Th. Syluest. Sylu.

2. *Præceptum* in lege veteri fuit triplex, ſcilicet, *morale, iudiciale, & ceremoniale*; de quibus diffusè & pulcherrimè D. Thomas. *Morale* autem in genere eſt duplex, ſcilicet *affirmatiuum*, quod mouet ad aliquid faciendum,

Digitized by Google

du.n, vt honora parrem, & ſemper obligat ad illud faciendum, ſed non ad faciendum ſemper, ſed in tempore, ac loco determinato. Et *negatiuum*, quod ſcilicet monet ad aliquid non faciendum, vt non furaberis, quod obligat ſemper, & ad ſemper omittendum. D. Thomas 1.2. *quæſt.* 99 *& ſeq.* Syluius *cit. quæſt.* 1. Toletus *lib.* 4. *cap.* 9. Filliucius *tract.* 21. *cap* 7. *num.* 257.

D. Th. Syluius, Toletus, Filliuc.

Præceptum item duplex eſt, diuinum & humanum. Diuinum illud eſt, quod à Deo immediatè factum eſt; qualia ſunt præcepta Moſaica, et Euangelica: & diuiditur in naturale, & poſitiuum. Præceptum naturale eſt, quod ſic à Deo eſt, quod naturæ hominis ſit inſertum, ita vt ratio hominis illud attinget. Huiuſmodi ſunt decem præcepta decalogi. Præceptum verò diuinum poſitiuum eſt, quod datum eſt à Deo, ſed ratio hominis illud non attingit, niſi priùs per reuelationem aliquam ei manifeſtetur. Huiuſmodi fuerunt in veteri Teſtamento præcepta cæremonialia & iudicialia; & in Euangelio ſunt præcepta fidei, & ſacramentorum. Præceptum humanum eſt, quod ab homine per poteſtatem ſibi à Deo datam, proficiſcitur,

Et eſt duplex, Eccleſiaſticum, & ſæculare. Eccleſiaſticum eſt, quod à poteſtate Eccleſiaſtica fit, nimirum à Papa, Concilio, Epiſcopo, vel aliquo Eccleſiaſtico Prælato. Et dicitur canonicum à Canone, qui ſignificat regulam. Sæculare autem ſeu ciuile eſt, quod à poteſtate ſæculari eſt factum, nimirum ab Imperatore, vel Rege, vel Duce, vel alio Principe, aut Republica, aut Communitate, aut aliquo alio ſuperiore. Rurſus præceptum humanum eſt duplex, pœnale, & non pœnale, ſeu purum. Pœnale eſt, quod pœnam præcepti tranſgreſſori conſtituit. Non pœnale, ſeu purum, quod ſolùm præcipit, aut vetat. Præceptum pœnale iterum eſt duplex, purè pœnale, et mixtum. Præceptum purè pœnale eſt illud, quod nec præcipit, aut vetat, ſed ſolùm pœnam irrogat his, qui certum aliquid faciunt, vel omittunt. Præceptum verò mixtum eſt, quod non ſolùm aliquid fieri iubet, aut prohibet, ſed etiam pœnam tranſgreſſori irrogat. Ita Authores citati ſupra *verb. Lex* 1. *num.* 2.

3. Quodcumque præceptum de ſingulari bono non habet rationem legis, niſi ſecundùm ordinem ad bonum commune, hoc eſt quando omnibus commune eſt: hinc præcepta patrisfamilias in aliqua domo, non habent vim legis, ſed præcepti tantùm; quia non habent vim in totam ciuitatem & communitatem. Quid autem referat legem eſſe commune præceptum, non particulare; eſt maxima obſeruāda *differentia*, quia *mandatum*, aut præceptum finitur morte præcipientis: *lex* autem donec à ſucceſſore, vel conſuetudine abrogetur, perſeuerat: *ratio* verò *diſcriminis* ex natura ipſius præcepti & legis ſumpta videtur; nam lex fertur à Principe nomine totius Reipub. ſemper permanentis, & ideo ipſa etiam manere debet; cùm autem alicui imponitur præceptum ſingulare à Principe, vel à Superiore, ipſe Princeps illud imponere videtur, non tam ipſius Reipub. nomine, quam ſuo, vt curam illius gerat; cumque talis cura Principis ceſſet ipſa morte, præceptum illius etiam ceſſat. De quibus D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 2. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 151. *cap.* 3. *num.* 15. 16. *&* 17. Sylueſter *verb. Mandatum*, q. 3. Angelus, Armilla *ibid.* Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. Syluius 1. 2. q. 90. *art.* 2. *concl.* 1.

D. Tho. Vaſq. Sylueſt. Layman Sylu.

4. *Nullum præceptum*, ſiue diuinum, ſiue naturale, ſiue humanum impleri poteſt, niſi per actum humanum & liberum, quo quis velit efficere id, quod præceptum iniungit, verbi gratia, eſt opus velle audire Sacrum in die feſto, &c. quia cùm præceptum hominibus imponatur, non brutorum more, ſed humano modo implendum eſt: atque idem exigi dicendum eſt, ad implenda vota, iuramenta, pœnitentiam ſacramentalem, quia de his omnibus eadem eſt ratio. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. *num.* 2. 3. *&* 8. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 6. *Hinc* deducitur, recitando Horas licet attentiſſimè, ſola legendi, vel addiſcendi voluntate, non ſatisfacere præcepto, quia id non eſt orare, cùm voluntas orandi defuerit. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 67. Arragon 2. 2. q. 83. *art.* 13. *Similiter* ſi quis non ſui compos, ſed ebrius, aut dormiens recitaret, aut Sacro intereſſet, non ſatisfaceret; quòd non audierit, vel recitauerit actu humano. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 13. *num.* 4. Vaſquez *cit. num.* 8. *Item* qui omninò inuitus Sacro intereſſet, vel ieiunaret, non impleret præceptum, quia vbi eſt ea coactio, deficit voluntas audiendi Sacri. Suarez *tom.* 3. *diſput.* 88. *sect.* 3. *Qui autem* metu quantumuis graui impleret præcepta, illi ſatisfaceret, quamuis enim peccet voluntatem non implendi habens, ſi in ſua omnimoda libertate eſſet, at cùm metus non tollat, ſed ſolùm minuat libertatem, illa impletio eſt actus humanus & liber, ac proinde illa ſatisfit præcepto. Azorius *lib.* 10 *cap.* 12 *quæſt.* 9. Sotus *lib.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 9. *concl.* 3. Syluius 1. 2. *quæſt.* 100. *art* 9. *concl.* 3. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num* 9. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 10.

Vaſq. Leſſius. Arragon.

Sanchez Vaſq.

Suarez.

Azor. Sotus. Sylu. Layman Bonac.

5. Licet ad præcepti impletionem exigatur intentio & voluntas operis præcepto iniuncti exequendi, verbi gratia, audiendi Sacri; at non exigitur intentio ſatisfaciendi præcepto per id opus; quare qui præcepti immemor, aut ignorans eſſe diem feſtum, Sacro intereſſet, verè id præceptum impleret: imò ſecundum Suarez non eſt neceſſarium, vt poſtea cùm diem feſtum eſſe nouit, ſatisfacere per Miſſam auditam velit: quia præcepta id ſolum iniungunt, vt ſponte & voluntariè actu humano opus per ea iniunctum exequamur; non autem vt quis peculiari alio voluntatis actu, & in actu ſignato velit etiam præcepto ſatisfacere, cùm nullibi ea obligatio inueniatur; præcepta enim non obligant ad obedientiam formalem, ſed materialem, nempe, vt fiat quod præcipitur, quamuis non fiat propterea quod præcipitur; Præcepta negatiua tamen impleri poſſunt ſecundum omnes, ſine vlla intentione, & voluntate: quia cùm hæc præcepta non requirant aliquam actionem, procul dubio impleri poſſunt abſque vlla intentione: nam eo ipſo quòd quis furtum non committit, implet præceptum non furandi. Præcepta vero affirmatiua cum requirant actionem liberam, impleri non poſſunt abſque voluntate. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt* 2. *punct. vlt.* Rodriquez *tom.* 1. *Summ. cap.* 123. Suarez *cit. diſp.* 88. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 6. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap* 2. *quæſt.* 6. Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 14. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. *num.* 5. Diana *tract.* 6. *miſcel. reſol.* 68. *part.* 3. Syluius 1. 2. q. 100. *art.* 9. *concl.* 3.

Valentia Rodr. Suarez. Henriq. Azor. Fagund. Vaſq. Diana. Sylu.

Sed inquires, an qui fecit pœnitentiam impoſitam à Confeſſario abſque intentione illam adimplendi, imo cū intentione contraria, teneatur illam denuo facere? Affirmat Vaſquez *in opuſc. de beneficijs cap.* 4. §. 1. *art.* 3. *dub.* 7. *d.* 117. quia ſatisfactio eſt pars Sacramenti, ſed omnia Sacramenta exigunt in adulto, vt valide recipiantur, intentionem & voluntatem recipiendi: ergo cum ſatisfactio ſit pars Sacramenti, non poteſt habere valorem in ſubiecto non ſolum non conſentiente, ſed diſſentiente et reſiſtente poſitiue, vel per voluntatem contrariam. Verius tamen eſt talem non teneri denuo facere pœnitentiam. Tum quia cum pœnitentia ex quodam Confeſſoris præcepto debeatur, idem de illa, quod de aliis præceptis ſentiendum eſt. Tum quia non ſemper requiritur intentio in ſuſcipiente Sacramentum eo tempore quo fiunt omnia, quæ componunt Sacramentum; vnde dolor qui eſt pars Sacramenti, poteſt haberi abſque memoria præcedente recipiendi Sacramentum. Sic etiam dici poteſt de ſatisfactione: nam illa poſtea non fit à pœnitente tanquam à Miniſtro operante nomine Chriſti; ſed ſolum fit ex obligatione & debito propter ſententiam & præceptum præcedens Confeſſarii: ad hoc autem vt fiat aliquid ex debito & obligatione, non requiritur, vt fiat ex animo ſatisfaciendi illi debito: vndelicet pœnitens in ieiunio non recordetur pœnitentiæ impoſitæ, adhuc ſatisfaciet ieiunando ex deuotione; nec opus erit, vt mutetur ea intentio, ſed ſatis eſt ſcire per illud opus impletam eſſe pœnitentiam. Ita Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 13. *num.* 17. Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 43. Lugo *de pœnit. diſput.* 25. *sect.* 3. *num.* 37. & alii infra citati *num.* 6.

Sanchez Dian. Lugo.

Sed dubium eſt, an obligationi iuſtitiæ ſatisfiat, abſque animo illi ſatisfaciendi, hoc eſt, an qui titulo donationis, vel eleemoſynæ aliquid alicui tradit, non daturus eo titulo; ſed titulo iuſtitiæ ad extinguendum debitum, ſi debitum cognouiſſet, ſatisfaciat obligationi iuſtitiæ, qua tene-

Digitized by Google

tenebatur. *Reſp.* Secundùm probabiliorem ſententiam negatiuè. Ratio eſt, quia obligationes iuſtitiæ, neque contrahuntur, neque tolluntur, niſi dependenter à voluntate contrahentium, quæ in hoc caſu ratione obliuionis & incogitantiæ ponitur non fuiſſe: iuſtitia enim obligat ad ſeruandam æqualitatem, æqualitas autem non ſeruatur, dum res traditur, non vt debita, ſed animo donandi. Ita Ludouicus Lopez *de contract. cap. vlt.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 13. num. 11.* Salas *de legib. diſp. 9. ſect. 2. num. 35.* Bonacina *de legib. diſp. 1. quaſt. 1. punct. 10. num. 13.* His tamen non obſtantibus contrarium admittitur tanquam probabile à Diana *par. 5. tract. 13. reſol. 94. & par. 7. tract. 10. reſ. 19.* ex doctrina Nicolai Baldelli docentis *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 1. diſp. 25. num. 18.* Negari enim, inquit, non poteſt quin etiam in materia iuſtitiæ poſſit ſufficere ad illius obligationes tollendas intentio generalis & implicita, quæ de facto habetur ab vnoquoque ſatisfaciendi omnibus ſuis obligationibus, quibus abſolutè poteſt ſatisfacere per vnamquamque ſuam actionem. Neque obliuio & incogitantia huius, vel illius obligationis ſpecialis poteſt tollere, aut impedire voluntatem generalem, & implicitam ſatisfaciendi omnibus, quę habentur, ſed ſolùm tollit, aut impedit voluntatem ſpecialem, & explicitam ſatisfaciendi huic, aut illi obligationi in ſpecie, vt ex ſe patet; & ideò in caſibus poſitis obligationes iuſtitiæ dicendæ ſunt verè tolli dependenter à voluntate eorum, qui per illas ſunt obligati &c. Ita ille. Cuius ſententiæ ſubſcribit Paſqualigus *deciſ. 455. in deciſ. moralib.*

Lopez. Sanchez Salas. Bonac. Diana. Baldell.

Et ſecundùm hanc ſententiam intentio implendi quamcumque obligationem, ſemper videtur haberi, ſaltem generaliter, & ſemper poteſt præſumi ab vnoquoque, quando non conſtat de intentione contraria: ad cauſandum enim voluntarium ſufficit voluntas interpretatiua: quamuis tutius ſit explicitè animum habere omnibus obligationibus ſatisfaciendi.

6. *Magna controuerſia* eſt inter Doctores, quando expreſſim adeſt voluntas & intentio non ſatisfaciendi præcepto per illud opus, an adhuc ſatisfiat; vt ſi quis ex deuotione in die feſto Sacrum audiat, expreſsè intendens non ſatisfacere obligationi per id Sacrum, verè impleat præceptum. *Communis ſententia* negat hunc ſatisfacere, & ait teneri aliud Sacrum audire, qui actus non operantur vltra agentium intentionem; & debens centum non ſatisfaciet totidem donans; & huius ſententiæ ſunt Azorius *lib. 7. cap. 2. quaſt. 6. & lib. 10. cap. 8. quaſt. 7.* Rodriquez *cit. cap. 124. num. 2.* Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 6.* Syluius *cit. art. 9. concluſ. 3.* & alii multi apud Sanchez. *Quamuis* hæc ſententia ſit valde probabilis; *contraria* tamen, nempe hunc implere præceptum, ab aliis meritò probabilior videtur; quia nullus præceptum tranſgreditur, eò quòd nolit id ad quod præceptum non obligat, ſed præcepta non obligant ad habendam intentionem illis ſatisfaciendi; non ergo violantur habita contraria intentione, ſcilicet, non ſatisfaciendi: *præterea* regula illa à contrariis citata, vera eſt, quando ex agentis intentione pendet implere per illum actum, cuius contrarium hic contingit: *deinde* per donationem acceptatam vt donationem, non ſatisfit debito iuſtitiæ, ſecus ſi tanquam debiti ſolutio acceptaretur, intendendo, vt alter obligatione iuſtitiæ liberaretur. Suarez tamen *tom. 3. diſp. 88. ſect. 3.* Arragon *2. 2. quaſt. 83. art. 13.* Vaſquez *1. 2. quaſt. 100. art. 9.* & Leſſius *lib. 2. cap. 37. num. 59. & cap. 46. dub. 6. num. 42* Sanchez *lib. 1. cap. 13. num. 13. & 14.* Diana *par. 3. tract. 6. miſc. reſol. 68. & 77.* Fagundez *præc. 1. lib. 2. cap. 7. num. 14.* Bonacina *de legib. diſp. 1. quaſt. 1. punct. 10. num. 19.* Caſpenſis *tract. de legib. diſp. 3. ſect. 5. num. 62. & ſeq.* temperant, vt intelligatur hæc ſententia dummodò exequens id opus cum intentione non ſatisfaciendi præcepto, non perſiſtat in ea intentione, ſed voluntatem mutet tempore opportuno, id eſt, intra obligationis præcepti tempus, & velit per opus præcedẽs ſatisfacere præcepto; verùm iure optimo alii Neoterici hanc voluntatis mutationem non deſiderari affirmant, vt præceptum impleatur, ſed ſufficit ſi illam conſcientiam deponat erroneam, ſciens ſe ſatisfeciſſe.

Azor. Rodriq. Henriq. Sylu. Suar. Arrag. Vaſquez Leſſius. Sanchez Diana. Fagund. Bonac. Caſpenſ.

7. Quamuis iuxta prædictam ſententiam præcepto ſatisfaciat, qui intentionem non habet ſatisfaciendi, peccat tamen mortaliter ſecundùm Sanchez *cit. num. 15.* & Bonacina *cit. num. 20.* non contra illud præceptum ſpeciale, illud enim tantùm obligat ad exercendum actu humano opus iniunctum, ſed contra præceptum naturale diuinum, quo tenetur quiſque ſubiectus eſſe legi & legiſlatori; vnde virtute dicti generalis præcepti, tenetur non perſiſtere in ea praua voluntate, etſi tranſactum ſit tempus illius præcepti implendi. Quamuis Suarez *tom. 3. de Sacram. diſp. 88. ſect. 3.* & Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 4.* putent talem affectum ad peccatum, eſſe peccatum eiuſdem ſpeciei, cum ipſo peccato actualiter commiſſo. Vide eundem Suarez *lib. 3. de legib. cap. 13. & tom. 2. de relig. cap. 26. num. 12.*

Sanchez Bonac. Suarez. Layman Suarez.

8. Quidam Doctores negant per actus, qui peccata ſunt, ſatisfieri præceptis, vt ſi quis ob vanam gloriam, vel ob mulierem concupiſcendam Miſſæ interſit. Adrianus, Maior, D. Antoninus apud Sanchez *cap. 14. num. 1.* At tanquam certum tenendum eſt, ſatisfieri, quia leges præcipiunt ſubſtantiam actus, non modum, niſi modus ſit de intrinſeca actus ratione ſecundùm ſe, aut prout ſub lege cadit; vt attentio aliqua eſt de orationis eſſentia: quantumcumque ergo finis ſit malus, impletur ſubſtantia actus præcepti, etſi contra aliud peccetur, cui malus ille finis opponitur: idem dicendum de pœnitentia ſacramentali voto & iuramento facto Deo, quod de reliquis præceptis. Ita etiam Caſpenſis noſter *cit. ſect. 6.* & D. Thomas *1. 2. quaſt. 100. art. 9. & 10.* Nauarrus *cap. 21. num. 7.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 6. quaſt. 1.* Suarez *tom. 4. diſput. 38. ſect. 8.* Syluius *1. 2. q. 100. art. 9. concl. 3.*

Caſpenſ. D. Tho. Nauarr. Azor. Suarez. Sylu.

9. Res eſt certa apud Doctores, poſſe vnico actu diuerſis præceptis ſatisfieri; vt vnico ieiunio poteſt ſatisfieri voto & pœnitentiæ ſacramentali, & præcepto ieiunij, ſi ieiunium alicuius vigiliæ voueatur, ac imponatur in pœnitentiam obligato aliàs ad ieiunandum: *Ratio* autem *differentiæ* inter realia iuſtitiæ commutatiuæ debita, & legalia, vt voti, legis, pœnitentiæ iniunctæ, eſt, quòd in illis æqualitas rei ad rem attendatur, & ideò cùm vnũ debitum nequeat pluribus ſatisfactionibus eſſe æquale, nequit vnica ſolutione pluribus debitis ſatisfieri. Hæc autem ex legiſlatoris intentione pendent, intentio autem legis, voti, pœnitentiæ poſſunt in vnum & idem opus tendere. Medina *Cod. de ſatisf. q. 4. & 7.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 14. num. 5. & 6.* Diana *tract. 6. miſcel. reſol. 86. part. 3.* *Notandum* tamen eſt, quando aliquid alicui imponitur pro pœnitentia ſacramentali, quando aliud ex mente Confeſſoris non colligitur, minimè ſatisfacturum pœnitentem per opus aliàs debitum, ſed intelligitur de voluntario. Clauis regia *lib. 6. cap. 3. num. 22.* Azorius *lib. 11. cap. 14. quaſt. 1. tom. 1.* Nauarrus *cap. 26. num. 23.* Henriquez *lib. 5. cap. 19. num. 5.* quia mens Confeſſarii in ſatisfactionem opera imponentis, in dubio interpretanda eſt de operibus voluntariis, quando opus non eſt alligatum diei, in qua aliud præceptum concurrit, & niſi ex circumſtantiis rationabiliter credatur noluiſſe Confeſſorem adeò grauare pœnitentem, tunc enim meritò credi poteſt fuiſſe intentionem, vt per opera aliàs debita ſatiſfacere, vt ait Suarez *tom. 4. diſp. 37. ſect. 6. num. 5.* Henriquez *lib. 5. cap. 19. num. 5.*

Medina. Sanchez Dian. Cla. reg. Azor. Nauarr. Henriq. Suarez. Henriq.

10. Quamuis idem opus duplici præcepto iniunctum ſit, non ſubinde erit duplex culpa, aut continebit circumſtantiam in confeſſione neceſſariò explicandam eius trãſgreſſio, vt ſi Miſſa omittatur in die feſto incidenti in Dominica; quia præcepta hæc ſunt de eadem materia, & ob idem virtutis motiuum, ſed tunc erit duplex culpa quando de eadem materia ſunt, & ad diuerſas pertinent virtutes, vt ſi omittatur Miſſa debita ex die feſto & pœnitentia iniuncta; vel ex eadem virtute ob diuerſum eius motiuum, vt ſi ſit debita ratione feſti & voti, vel ratione voti & iuramenti. Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 2. quaſt. 6.* Clauis regia *lib. 2. cap. 5. num. 14. & 15.* Vaſquez *1. 2. diſput. 98. num 8.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 6.* Diana *de circumſt. reſol. 22. par. 1.* Sancius *diſp. 11. num. 17. in ſelect.* Imò nec multiplicatio eiuſdem vinculi efficit, vt tranſgreſſio ſit duplex culpa, aut circumſtantiam neceſſariò cõfitendam habeat, vt voti multiplicatio. Sanchez *cit. cap. 14. num. 10. lib. 1. moral.* Vide

Azor. Vaſq. Henriq. Diana. Sancius. Sanchez

tom.

*tom.*1. *verb.Circumſtantia n.*14.§.3. & in hoc tomo *verb. Peccatum* 4. *num.*5.

11. Poteſt vno & eodem tempore, diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfieri, quando vnum non impedit aliud; quòd nullibi temporum diuerſitas præcipiatur: vnde ſecundùm vniuerſos ferè Doctores, poteſt quiſpiam tempore quo Miſsam in feſto præceptam audit, recitare Horas Canonicas, vel quaſcumque alias preces, ad quas ratione ordinis, voti, aut pœnitentiæ iniunctæ tenetur: ſimiliter qui duplicem Miſsam audire tenetur, poteſt eas ſimul audire, dum eæ ſimul in duplici Altari celebrantur; quia poteſt vtrique corpore eſse præſens, & vnica attentione ad Deum habita ſatisfacere. Nauarrus *cap.* 21. *n.*8. Caſpenſis *tom.* 1. *tract. de peccat. diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 18. Suarez *tom.*4. *diſp.* 38. *ſect.*6. *num.*5. Valentia 2.2. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *punct. vltim.* Sanchez *cit. num.* 11. & 12. Diana 4.*p. tract.*4 *reſol.* 107. & alii.

Nauarr. Caſpenſ. Suarez. Valentia Sanch. Diana.

12. Quando *duo præcepta* incompatibilia concurrunt, eſt violandum quod minus obligat, & ſic minus malum eſt eligendum, ſi malum dici poteſt, quia in hoc euentu non eſt malum, ſed bonum id præceptum tranſgredi, regulariter autem omne præceptum naturale diuinum, & diuinum poſitiuum obligat magis, quam humanum, cùm ſit Superioris præceptum; inſuper naturale diuinum plus, quàm diuinum poſitiuum: inſuper præcepta primę tabulæ, plus quam præcepta ſecundæ, & negatiua plus, quàm affirmatiua, & præcepta altioris virtutis, pluſquam inferioris; tamen poſset euenire ob materiæ vnius præcepti paruitatem & alterius magnitudinem, vel propter maius boni communis periculum, quod ex inferioris pręcepti tranſgreſsione imminet, vt hoc magis obliget. Vaſquez 1.2. *diſp.*66. *cap.*1. & *cap* 4. *num.*21. Azorius *tom.*1. *lib.*2. *cap.* 18. *quæſt.*4. Medina 1.2. *quæſt.*19. *art.*6. *quæſt.*4. *concluſ.*4. Sanchez *lib.*1. *cap.*10. *num.* 16.17. & 18. Diana *par.*4. *tract.*3. *reſ.*70. Granado 1.2. *controu.*2. *tract.* 12. *diſp.* 6. *num.*8.

Vaſq. Azor. Medina. Sanchez Diana Granado

13. *Quando* attentis omnibus circumſtantijs, vis maior neutrius pręcepti incompatibilis conſtiterit, vtrumuis eligi poteſt; quia vtrumque impleri nequit, & neutrius maior eſt ratio, vt alteri præponatur: *idem dicendum* eſt, quando minus graue, eſt certius, nec apparet an ea certitudo maiori alterius grauitati præponderet: *Si autem* exiguus inter illa duo præcepta exceſsus reperiatur, ſola venialis culpa erit, leuius ſeruare, omiſso grauiori; quia ea materiæ paruitas a mortali excuſat. Medina *cit. concluſ.*4. Corduba *in qq. lib.*3. *quæſt.* 5. *poſt* 2. *propoſit.* Granado *cit. diſp.*6. *num.*8.

Medina. Cordub. Granado

14. *Præcepta decalogi*, ſecundùm communem Theologorum ſententiam, ſunt iuris naturalis; vnde quamuis eiuſmodi præcepta in veteri lege ſint tradita, ſemper tamen manent; non enim morte Chriſti ſublata ſunt: ſed non manent vt præcepta veteris legis, ſed quatenus ſunt præcepta legis naturalis. *Sciendum* tamen eſt tertium decalogi præceptum de Sabbatho colendo, partim cum cæteris conuenire, partim differre: *differt* quidem, quia reliqua præcepta naturalia ſunt & ideò perpetua, nec mutari, nec tolli vlla ratione poſſunt; *at præceptum* de Sabbathi cultu, ſi ſtatutum tempus ſpectetur, non fixum & conſtans eſt, ſed mutabile, quia non ad mores iuris naturalis, ſed ad cæremonias diuinitus in veteri lege inſtitutas pertinet; hinc diem Sabbathi in diem Dominicum Apoſtoli mutarunt: Conuenit idem præceptum cum reliquis præceptis decalogi nō ritu & cæremoniis, ſed quia aliquid habet, quod ad naturæ mores & ius attinet, Dei enim cultus, qui hoc præcepto continetur, à naturæ iure exiſtit. Ita Theologi *in* 3. *diſt.* 37. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.*1. Azorius 3. *p. lib.*1. *cap.*3. *quæſit.*3. Filliucius *tr.* 27. *cap.*1. *num.*1.2. & 3. Syluius 2.2. *q.*122. *art.*4.

D. Tho. Azor. Filliuc. Sylu.

15. *Præceptum Superioris* de re leui non obligat ad mortale, etiam qui præcipit id velit & iubeat in virtute ſanctæ obedientiæ: quia quando materia exigua eſt, attentis omnibus circumſtantijs, illius obligationis eſt incapax, & voluntas Superioris taliter præcipientis rationi diſſona eſt, nec refert ſiue materia præcepti ſit partialis, ſiuè totalis, quando enim totalis eſt, ſi adhuc ſit parua, non obligabit ad mortale. Valentia 1. 2. *diſp.*7. *quæſt.* 5. *punct.*6. Sà *verb. Præceptum, num.*1. Clauis regia *lib.*3. *cap.*7. *num.*4. Azorius *tom.*1. *lib.*5. *cap.*6. *quæſt.*5 Syluius 1.2. *quæſt.* 96. *art.*4. *quæſit.* 3. *concl.* 3. Caramuel *in reg. S. Benedicti num.*94. Quæ autem dicenda ſit materia leuis, quæ grauis. Item an Superior circa materiam grauem obligare tantùm poſſit ſub veniali? Vide verb. *Lex* 4. *num.* 5.

Valentia Sà Clau. reg. Azor. Sylu. Caram.

16. Dubitari hic poſſet, an modus operis præcepti, cadat ſub obligationem? aduertendum eſt, primò aliud eſſe implere legem, ſeu præceptum, quoad ſubſtantiam operis, aliud quoad modum: nam qui ſemel in die comedit cibos non prohibitos, præſtat id quod præcipitur, lege ieiunii Eccleſiaſtici, etiamſi alioquin ſe inebriet, aut cibum intemperanter ſumat; at verò modum non ſeruat, qui in actu virtutis requiritur, nempe vt fiat cum omnibus circumſtantiis requiſitis ad actus honeſtatem. Vnde pro reſponſione ad dubium, dicendum eſt, finem & habitum non cadere ſub legis obligationem, vt habet communis ſententia: ratio prioris eſt, quia præcepta non dantur de fine, ſed de mediis; neq; enim Imperator præcipit militibus victoriam, ſed pugnam in ordine ad victoriam: vnde eſt illud vulgatum, *finis præcepti non cadit ſub præceptum*. Poſterior pars probatur, quia habitus comparatur ex actibus multiplicatis, qui ordinariè requirunt diuturnitatem temporis, vnde impoſſibile eſt ab initio operari ex habitu acquiſito. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 29. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.*14. *num.* 1. Salas *de legib. diſp.*9. *ſect.*2. *num.*35. Layman *lib.* 1. *tract.*4. *cap.* 4. Nauarrus *in Manual. cap.* 2. *num.* 27. & alii.

D. Tho. Suar. Sanch. Salas. Layman Nauarr.

De præcepto vide tom. 1. verb. Abbas n.10. Abbatiſsa n.4. & hoc tomo verb. Lex per totum.

SVPPLEMENTVM.

PRÆCEPTVM.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum quid ſit.*
2 *Præceptum diuiditur in generale, & ſpeciale ex parte materiæ.*
3 *Præceptum ex fine diuiditur in mortale, cæremoniale, & iudiciale.*
4 *An præcepta Decalogi ſint tantùm decem, & quare.*
5 *An præcepta omnia moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta Decalogi.*
6 *An præcepta moralia Decalogo ſuperaddita diſtinguantur à præcepto principali, & faciant diuerſa præcepta.*
7 *Præcepta moralia diuinæ legis an ſint de omnibus actibus virtutum.*
8 *Quomodo ſeptem peccata capitalia mortalia ad Decalogum reducantur.*
9 *An tranſgreſſio diuinorum præceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter ſit mortalis.*

1 PRæceptum, cùm nihil aliud ſit, quàm *motio Superioris imperatoria ad aliquid agendum, vel fugiendum ex neceſſitate*, vt docet D. Thomas variis in locis ſuæ Summæ, vt ſub hoc verbo diximus *tom.* 1. *num.* 1. Ideò ſingulæ partes eius definitionis breuiter explicandæ ſunt. Dicitur *Motio*, ad ſignificandum quod præceptum in Superiore eſt actus rationis & voluntatis. Dicitur *Superioris*, quia præceptum denotat in præcipiente Superioritatem, & in exequente ſubiectionem. Dicitur, *ad aliquid faciendum, vel fugiendum*, vt oſtendatur præcepti materiam eſſe actum virtutis & vitij, quorum primus eſt complectendus & agendus, ſecundus verò fugiendus. Dicitur *ex neceſſitate*, vt intelligatur præceptum imponere neceſſitatem obediendi, ita vt peccatum ſit, ſi non id quod præcipitur; per quod diſtinguitur à cōſilio, quod nullam inducit neceſſitatem & obligationem, ſed eſt in arbitrio & voluntate facientis, vt dicitur *in cap. Quiſquis* 14. *quæſt.* 1. *Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur ne-*

neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet. Et infra. *Vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt, vbi præceptum neceſſitas eſt ſeruientis.*

2. Præceptum ex parte materiæ diuiditur in generale & ſpeciale. Generale præcipit bonum & prohibet malum in genere, vt eſt illud Pſalm. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum*, vel in genere præcipit obſeruantiam mandatorum, vt datum eſt Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Speciale eſt, quod certæ virtutis actum præcipit, vel ſpecialis vitii actum prohibet. Circa quæ eſt notandum, quod peccatum commiſſum contra ſpeciale præceptum contentum ſub generali, tantùm eſſe vnum, v. g. homicidium Ioannis, quod eſt contra præceptum ſpeciale de non occidendo, & contra generale de obediendo Deo in omnibus quæ præcipit, non eſt niſi vnicum peccatum: quia hæc in ſe ſunt connexa & vnum ad aliud ordinatur. At peccatum commiſſum contra plura ſpecialia præcepta, quorum vnum in alio non continetur, non vnum, ſed plura ſunt; quia cùm plures diſtinctas obligationes imponant, tranſgreſſorem conſtituunt diſtinctarum culparum reum. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 11. *num.*4. Reginaldus *lib.* 16. *num.* 35. *&* 38. & alii communiter.

Nauarr. Reginal.

Hinc colligitur multa eſſe peccata, quæ, cùm non ſint contra rectam rationem, generali tantùm præcepto, non autem ſpeciali, repugnare cenſentur, vt intentio peccandi in communi, eſt contra ſynderesim, quæ in genere dictat malum eſſe fugiendum; & ſeipſum interficere, eſt contra rectam rationem, quæ id vetat; quamuis fiat ſine alterius iniuria, ſiuè priuata, ſiuè etiam communi Reipublicæ, vt ſi quis eſſet Reipub. omninò inutilis, vel etiam pernicioſus.

3. Præceptum diuiditur ex fine in morale, quod ad rectam morum inſtitutionem; cæremoniale, quod ad Dei cultum, & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. Quæ tria genera in omni lege fuerunt, tam naturali, quàm Moſaica & Euangelica: ſed ita vt duo poſteriora diuerſa eſſent in diuerſis legibus, & primum idem eſſet in omnibus. Ratio aut huius triplicis generis hæc eſt, quia de ratione legis diuinæ eſt, ordinare homines ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum; bonitas autem omnis eſt virtus, quæ bonum habentem facit; vnde oportuit præcepta de actibus virtutum dari, qualia ſunt præcepta legis moralia, ſeu Decalogi, quæ legem naturalem in ſe continent. Decalogus enim eſt ſumma & breuis epitome legis naturalis & diuinæ, decem moralibus præceptis comprehenſa. Quia verò homo actiones ſuas ad Deum referre debet non ſolùm per actus interiores mentis, puta per fidem, ſpem, & charitatem, ſed etiam per exteriora quædam opera, quibus homo diuinam ſeruitutem profitetur, talia opera ad Dei cultum magis propriè pertinere dicuntur, qui cultus cæremonia vocatur. Et quamuis colere Deum ſit actus virtutis, & ſic ad morale præceptum pertineat, huius tamen præcepti determinatio, vt ſcilicet taliter colatur, ad præceptum cæremoniale pertinet. At verò, vt homo ad proximum modo debito & conuenienti ordinaretur, inſtituta ſunt præcepta iudicialia; nam ad iuſtitiam pertinet, homines rectè inter ſeipſos ordinare. Quamuis enim actus iuſtitiæ in generali ad præcepta moralia pertineat, determinatio tamen eius in ſpeciali pertinet ad præcepta iudicialia, vt latiùs oſtendit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 99. Syluius *ibid.* Clauis regia *lib.*4. *cap.*1. Trullench *in Decalog. prælud* 1. *num.*4. Reginaldus *loco cit. num.*36.

D. Tho. Sylu. Cla. reg. Trullen. Reginal.

4. Præcepta Decalogi tantùm ſunt decem, prout nomen ipſum teſtatur: Sortitur enim Decalogus hoc nomen, ex numero decem præceptorum, quibus conſtat. Nam Exodi 34. verſ. 28. dicitur, *quod Moyſes ſcripſit in tabulis verba fœderis decem*. Ratio autem denarii numeri præceptorum Decalogi non poteſt reddi meliorà priori, quàm diuina voluntas, quæ apertè conſtat ex cap. 20. Exod. vbi tantùm decem proponuntur. Et cap. 4. Deuteronom. hæc verba habentur, verſ. 13. *Et oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.* Quia tamen ipſa voluntas diuina ſemper eſt rationi conſentanea; illam vt accommodatam ad captum noſtrum adferunt Theologi poſt D. Thomam 1. 2. *quæſt.*100. *art.* 5. Præcepta legis ordinant hominem, vt benè ſe habeat cum communitate & capite illius, quod eſt Deus; vt autem benè ſe habeat cum communitate, priùs benè ſe debet habere erga illius Principem, & ſecundo erga Conciues. Principi ergo communitas tria debet præſtare. *Primò*, fidelitatem. *Secundò*, reuerentiam. *Tertiò*, ſeruitutem & famulatum: & ita cùm Deus ſit caput totius vniuerſi, debetur illi fidelitas non recognoſcendi aliud caput præter ipſum, & ſic ponitur primum præceptum, nempe vt honor Deo debitus ad alios non transferatur dicendo, *Non habebis Deos alienos coram me*. Secundò præcipitur reuerentia ad Deum, ne videlicet eius nomen aſſumatur in vanum. Tertiò præcipitur famulatus, vt homo vacet cultui Dei, memento vt diem Sabbathi ſanctifices.

D Th.

Vt autem quis ſe benè habeat erga conciues, prius ſe debet benè habere erga illos, quibus ſpecialiter aliquid debet, vt ſunt parentes, & ſic ponitur præceptum de honoratione parentum. Quantum ad omnes homines, vt nulli nocumentum inferat; neque opere, vel quantum ad perſonam propriam, vel quantum ad aliam ei coniunctam, vel quantum ad bona, quæ poſſidentur: & hac ratione ponuntur præcepta, *Non occides, Non mœchaberis, non furtum facies*. Neque ore, & ideò dicitur, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Neque corde, & ideò prohibetur concupiſcentia vxoris alienæ, ac deinde cuiuslibet rei alterius. Ita Clauis regia *lib.* 4. *cap.*2. *num.* 9. Syluius 1.2. *quæſt.*100. *art.*5. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 44. Trullench *in Decalog. prælud.* 1. *num.*9. & alii.

Cla. reg. Syluus. Regin. Trullen.

5. Præcepta omnia moralia veteris legis reducuntur ad decem præcepta Decalogi. Sed aliqua pertinent ad Decalogum antecedenter, vt ſunt illa generalia & prima principia iuris naturalis, nempe bonum faciendum, malum verò fugiendum, & quod tibi vis fieri alteri fac, quod tibi non vis alteri non facias. Alia conſequenter, vt ſunt illa quæ ex Decalogo à ſapientibus diligenti ſtudio colliguntur: cùm autem ad illa colligenda ſtudium diligens requiratur: proinde in Decalogo expreſsè non proponuntur; includuntur tamen virtualiter in ipſo Decalogo tanquam concluſiones in ſuis principiis. Alia in ipſo Decalogo formaliter & expreſsè continentur, vt ſunt decem præcepta moralia legis naturæ. Alia denique ſe habent ad Decalogum tanquam quid præuium & præambulum, vt ſunt præcepta fidei, & charitatis. Dicuntur autem præambula, quia ſine illis Decalogus conſtare non poteſt: nam prior eſt ſubiectio ad legislatorem, quàm vt proponantur leges & præcepta à legislatore. Vt autem quis alteri tanquam legislatori ſe ſubiiciat, debet illum cognoſcere, ab ipſo præmium, ſeu pœnam ſperare, & illum aliquo modo amare. Cùm ergo per fidem Deum legislatorem cognoſcamus, per ſpem ab ipſo præmium ſperemus, & per charitatem eum diligamus, proinde accommodatiſſimè hæc tria præcepta, præuia & præambula ad Decalogum appellantur, quia ſine illis, nec legislatori ſubiectio, nec Decalogus conſtare poteſt. Non continentur autem hæc tria in Decalogo, nam ſolo lumine naturali non cognoſcuntur: ad Decalogum enim pertinent illa præcepta, quorum notitiam habet homo per ſeipſum à Deo, illa ſcilicet, quæ ratio naturalis ſtatim cuilibet homini diiudicat facienda, vel non facienda. Vide D.Thom. 1.2. *quæſt.*100. *art.*3. *&* 2.2. *quæſt.*16. *art.* 1. *& quæſt.*22. *art.* 1. Syluium 1.2. *quæſt.* 100. *art.*3. Clauem regiam *lib.*4. *cap.* 2. *num.* 1. *&* 2. Ex his concludi poteſt, quod Decalogus fons ſit omnium legum, tam Eccleſiaſticarum, quam ciuilium; cùm ex illo deducantur quæcumque vſpiam legitimè præcipiuntur, vt pluribus tradunt Sayrus in Claui regia *loco cit. num.*4. Trullench *loco cit. num.*18. & alii Theologi, Geſualdus *in Theolog. mor. par.*3. *tract.*2. *cap.*2. *num.* 13.

D. Th. Syln. Cla. reg. Sayr. Cla reg. Trullen.

6. Præcepta moralia, quæ conſequenter ſe habent, & Decalogo ſunt ſuperaddita, non diſtinguuntur à præcepto principali, nec faciunt diuerſa præcepta Decalogi: quia omnia hæc præcepta ſubordinantur principali, & omnia ad vnum finem tendunt, v. g. hæc duo præcepta non habebis Deos alienos, non facies tibi ſculptile, non diſtinguuntur ab hoc principali, vnum cole Deum: quod

videtur

Digitized by Google

videtur inſinuare D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 2. dum docet præcepta negatiua orta ab affirmatiuis, vel è contra, non diſtingui ab ipſis à quibus oriuntur, eò quòd mutuo includantur. Siquidem primum tabulæ primæ præceptum, quod D. Auguſtinus numerat triplex, ſcilicet, vnum affirmatiuum morale, *Ego ſum Dominus*, id eſt, colas me pro Deo. Alterum morale item, ſed negatiuum, ſcilicet, *Non habebis Deos alienos*. Tertium cæremoniale, *Non facies tibi ſculptibile*, ad venerandum illud pro Deo. Quæ tria præcepta non ſunt ſeparatim numeranda, ſed ſecundùm ſubordinationem vnum ſunt cũ illo, *Non habebis Deos alienos coram me*: quia eo tendebant hæc omnia, vt coleretur rectè vnus Deus & periculum ſuperſtitionis, & idololatriæ penitus remoueretur. Cla. reg. Trullen. Ita Clauis regia *loco cit. num.* 8. & Trullench *loco cit. num.* 19. & alii.

7. Præcepta moralia diuinæ legis ſunt de omnibus actibus virtutum, ſeu lex diuina proponit præcepta moralia de actibus omnium virtutum. Ratio eſt, quia finis diuinæ legis eſt coniungere homines cum Deo; ergo ad eam pertinet proponere præcepta de omnibus illis, per quæ homines benè ordinantur ad coniunctionem cum Deo, hæc coniunctio fit per actus omnium virtutum: nã virtutes intellectuales ordinant benè actus rationis in ſeipſis: virtutes verò morales ordinant benè actus rationis circa interiores paſſiones, & exteriores operationes. Quare manifeſtum eſt, quod hæc lex diuina proponat præcepta de omnium virtutum actibus: ita tamen quod quædam, ſine quibus ordo virtutis, qui eſt ordo rationis, obſeruari non poteſt, cadant ſub præcepti obligatione; quædam verò, quæ pertinent ad benè eſſe virtutis, cadant ſub admonitione conſilij, vt viuere in caſtitate, ſine proprio, &c. Proinde hæc lex diuina ab humana differt, quod humana ordinat hominem ad communitatem ciuilem, quæ eſt hominum ad inuicem, homines autem ordinantur ad inuicem per actus exteriores, qui ſunt virtutis iuſtitiæ, per quam ſcilicet, vnicuique quod ſuum eſt tribuitur, non alia præcepta proponit, quam quæ ad iuſtitiam pertinent: Et ſi aliquando lex humana pręcipit actus aliarum virtutum, hoc eſt per accidens, in quantum ſcilicet rationem iuſtitiæ inuoluunt; vt ſi lex humana præcipiat temperantiæ moderamen, non tamen prohibet, ne quis, aut ſecum, aut cum ſua vxore ſit intemperans; ſed tantùm prohibet, ne adulterii iniuſtitia committatur. Lex autem diuina cùm homines ad Deum ordinet, vel in pręſenti vita, vel in futura, & homo non ſolùm iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum actibus internis, & externis cũ Deo coniungatur, conſequenter de virtutum omnium D. Tho. Sylu. Cla. reg. actibus præcepta proponit. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. Syluius, & alii Commentatores *ibid.* Clauis regia *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 2.

8. Quomodo ſeptem capitalia peccata, quæ communiter mortalia appellantur, ad Decalogum reducantur, & quo præcepto prohibeantur, ſequentia notanda ſunt.

Primò, Superbia reducitur ad primum præceptum, in quantum ſcilicet ſuperbus aliquid Deo detrahere conatur, vt cum Deum non adorat, vel vult æquari cũ Deo, vel id quod à Deo habet, negat habere, vel exiſtimat ſibi ob ſua merita deberi. Poterit etiam quandoque reduci ad quartum præceptum, in quantum ſcilicet, per ſuperbiam proximus contemnitur.

Secundò, Auaritia, quæ eſt inordinatus appetitus habendi, reducitur ad ſeptimum & decimum præceptum, in quibus furtum, detentio, & concupiſcentia bonorum proximi prohibetur, ideòque mediante auaritia fiunt rapinæ, iniuſtitiæ, vſuræ, fraudes, compoſitiones, &c.

Tertiò, Luxuria, quæ conſiſtit in operationibus carnalibus immundis, quæ fiunt extra ſtatum coniugalem, reducitur ad ſextum præceptum, in quo dicitur, *Non Mœchaberis*.

Quartò, Ira quę eſt inordinatus appetitus vindictę, & inuidia, quę eſt triſtitia de bono alieno, reducuntur ad quintum præceptum, in quo dicitur, *Non occides*.

Quintò, Gula, quæ eſt inordinatus appetitus cibi & potus, ad tertium præceptum reducitur, nam quietem mentis ad Deum impedit, quæ tertio præcepto præcipitur. Prohibetur etiam Gula ſexto præcepto, eo quod maximè ad luxuriam diſponit.

Sextò, Acedia, quæ eſt triſtitia de bono ſpirituali, vt ad ipſum hominem ſpectat reducitur ad tertium præceptũ, in quo præcipitur Sabbathi ſanctificatio; nam homo mediante Acedia relinquit ſæpe ſæpius audire Sacrum in diebus feſtiuis, vel recitationem diuini Officii, vel voti & iuramenti adimpletionem contra ſecundùm Decalogi præceptum, prout explicat Fabius Incarnatus *in ſuo ſcrutinio par.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *in fine*, & poſt illum Trullench Fab. Incarn. Trullen. *in Decal. prælud.* 3. *num.* 20.

9. Tranſgreſſio diuinorum pręceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter eſt peccatum mortale: quia omnia præcepta illa obligant ſub pœna peccati mortiferi, niſi paruitas materiæ, inaduertentia, aut mentis ſubreptio aliquando excuſet à culpa mortali, prout docent D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 5. Nauarrus *in Man.* D. Th. Nauarr. Toletus. Cla. reg. *cap.* 11. *num.* 4 Toletus *in Summ. lib.* 4. *cap.* 12. Clauis regia *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. & alii communiter. Probatur, peccatum mortale eſt illud, quod auertit ab vltimo fine, & deſtruit charitatem; ſed omnia peccata contra Decalogi præcepta auertunt ab vltimo fine, & deſtruunt vitam animæ, nempe charitatem; quia vita animæ eſt iuſtitia & charitas, & omnia Decalogi præcepta pertinent ad iuſtitiam & charitatem, ergo peccata contra Decalogum commiſſa deſtruunt charitatem, & per conſequens regulariter & ex ſe ſunt mortalia.

Grauitas autem peccatorum, quæ contra præcepta Decalogi committuntur, conſideranda eſt intra qualitatem pręcepti, contra quod fit tranſgreſſio. Quare grauiora ſunt peccata, quæ committuntur contra præcepta primæ tabulæ, quàm illa, quæ committuntur contra precepta ſecundæ tabulæ. Ratio eſt, quia illa ſunt directè contra Deum, vel eius cultum; hæc autem ſunt contra charitatem proximis debitam. In illis autem contra præcepta primæ tabulæ, grauiſſimum peccatum eſt illud, quod committitur contra primum præceptum, & minus contra ſecundum, & non adeo graue contra tertium: nam in primo offenditur fidelitas debita vni Deo, adorando creaturas pro creatore. In ſecundo fit irreuerentia debita ſuo nomini, & in tertio non præſtatur debitus cultus diebus feſtiuis.

Similiter etiam in præceptis ſecundæ tabulæ ſeruatur ordo grauitatis, grauius enim & magis rationi repugnãs eſt peccare opere, quàm ore, & grauius eſt peccare ore, quàm corde contra proximum. Et inter peccata operis, grauius eſt homicidium, quàm adulterium: Et adulteriũ grauius eſt furto, quo auferuntur bona externa temporalia, quæ ſunt minoris exiſtimationis, quàm honor & vita, &c. De quibus vide D. Thomam 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* D. Tho. Regin. Gelald. Trullen. 5. Reginaldum *lib.* 6. *num.* 46. Geſualdum *in Theol. mor. par.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 30. *& ſeq.* Trullench *in Decalog. tom.* 1. *prælud.* 1. *num.* 16.

Vide tom. 1. verb. Debitum Coniugale 1. num. 2. Dubium num. 13. Eleemoſyna num. 11. Humilitas num. 7. & hoc tomo verb. Lex 1. num. 6. & ſeq. Miſſa 3. num. 3. Mutuum num. 3. Reſtitutio num. 2. & 3. Scandalum n. 6. Spes num. 6. & 8.

PRÆDICATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit prædicatio, & prædicator?*
2 *Qui poſſint prædicare?*
3 *An Religioſi in Eccleſijs ſui Ordinis, & in Parochijs, vel alijs Eccleſijs poſſint prædicare?*
4 *An ſit mortale prædicare ſine legitima licentia?*
5 *An peccet mortaliter prædicans in ſtatu peccati mortalis?*
6 *An prædicare ſit actus ordinis ſacri, aut officium diuinum?*
7 *An Religioſi Mendicantes debeant examinari ab Epiſcopis ad prædicandum in alienis Eccleſijs?*

Digitized by Google

1 PRædicatio propriè eſt ſermo publicus quantùm ad locum, & generalis quantùm ad intentionem ex conſuetudine habentis certam formam; puta, quod prædicans habeat gradum diſtinctum, quoad locum; vt ſumat thema, inuocet Spiritum Sanctum, & huiuſmodi: vnde exhortatio facta in ſcholis diſciplinatorum, & Eccleſijs Monialium, clauſis ianuis, & ſermones qui fiunt in refectoriis Religioſorum, vel ad clerum, & qui fiunt litteraliter, vel quocumque alio modo ex intentione dirigantur, determinatè ad certum genus perſonarum, etiam in loco publico, prædicationes non dicuntur. *Prædicator* autem dicitur, qui iure communi, vel priuilegio prædicationis officium proſequitur. Syluester *verb. Prædicatio*.

2. *Prædicare* poſſunt, *Primò*, Papa, & quilibet cui ipſe commiſerit. *Secundò*, Epiſcopus etiam in alterius Diœceſi, niſi prohibeatur à Diœceſano: ex commiſſione autem Epiſcopi poſſunt Archidiaconi & Diaconi. *Tertiò*, omnes Prælati Eccleſiaſtici, ſi ſunt Diaconi, quantùm ad ſubditos ſuos, non autem alijs, niſi approbante, aut priuilegiante Epiſcopo, & ſub nomine Prælati intelligitur etiam Curatus Sacerdos. *Quartò*, ex commiſſione poſſunt omnes Clerici tam ſæculares, quàm regulares, modò ſint Diaconi. Non licet verò prædicare laico, nec mulieribus publicè, etiamſi ſit Abbatiſſa, licitè tamen adhortantur; nec Religioſis quantùm ad infideles, niſi de licentia Superioris, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ; imò nec quoad fideles, niſi quantùm ad hoc ſint priuilegiati, quia hoc officium eſt curæ. Syluester *cit. quæſt.* 1.

Sylueſt.

Ex commiſſione tamen Pauli III. facta Patribus Societatis in Bulla, *Cùm inter cunctas*, anni 1545. quilibet ex Societate, qui ad hoc idoneus repertus fuerit, & per Præpoſitum deputatus, etiamſi ſacris Ordinibus non ſit initiatus, gaudet facultate prædicandi Verbum Dei; munus enim concionandi, non eſt ita annexum aliquo iure diuino, vel humano ordini Diaconatus, vt propterea limitanda ſint vniuerſalia verba Pauli III. ad ſolos Diaconos, quia prædicandi munus propriè non eſt actus alicuius ordinis. Ita ex Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 11. & 12. hic citato.

Suarez.

3. Religioſi cuiuſcumque Ordinis ſint, de licentia ſuorum Prælatorum & petita benedictione ab Epiſcopo, licet non obtenta, poſſunt prædicare in ſuis Eccleſiis, ac in plateis & communibus locis, niſi ipſemet Epiſcopus velit ibidem, vel in ſuis Eccleſiis prædicare, aut coram ſe prædicari facere: In Parochiis verò, & aliis Eccleſiis, requiritur expreſſa ſui Superioris, & Epiſcopi licentia. Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.* Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 32. *art.* 1. & 5. *Compend. priuileg. Mendic. tit. abſolutio quoad ſacul. Capucin.* Quidam tamen viri docti tenent, Parochum poſſe dare licentiam Religioſo notoriè docto concionandi bis, terve in ſua Parochia ſine Epiſcopi approbatione, & Patres Societatis, nec non communicantes eorum priuilegiis, approbati ab vno Epiſcopo habent dum itinerantur, facultatem vbique prædicandi, non contradicente parocho proprio, niſi adſit ibi Epiſcopus loci, à quo tunc licentia petenda eſſet, ex conceſſione Gregorii XIII. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 22. Portel *verb. Prædicatores num.* 2. Peyrin. *tom.* 1. *quæſt.* 1. & 22. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 141.

Cōc. Tr. Rodr. Diana. Portel. Peyrin. Nauarr.

4. *Mortale* quidam putant, prædicare ſine legitima licētia, & huius ſententiæ eſt Caietanus *in Summa verb. Prædicatorum peccata*. Certum verò eſt, mortale eſſe, ſi quis prædicet valde inutilia, aut ſcienter falſa in fidei doctrina, vel morum, vel miraculis, aut vita Sanctorum, & ſi quis detrahat Prælatis, vel Sacerdotibus, eos nominando, vel æquiualenter dicendo, præſertim quò laicis placeat: *non eſſet autem mortale* prædicare ob vanam gloriam, aut pecuniam principaliter; niſi gloria, aut lucrum ſit vltimus finis. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 141. & 142. Sa *verb. Prædicare*. Non eſt autem dubitandum de regularibus ſine licentia Superiorum ſuorũ prædicantibus, quin peccent mortaliter. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. præcipit, quòd regulares niſi à Superioribus de vita, & moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum prædicare non poſſint. Tum quia in Bulla Leonis X. in Concilio Lateranenſi relata à Quaranta *in Summa Bullarij verb. Prædicatores*. Excommunicantur excommunicatione Papali ipſo facto prædicantes ſine licentia ſuorum Prælaturum: cùm autem excommunicatio ſupponat peccatum mortale, ſequitur, Regulares abſque ſuorum Superiorum licentia in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicantes, peccare mortaliter; præterquam quod faciunt contra votum Obedientiæ in re graui. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 130. Zerola *in praxi verb. Prædicatio num.* 2. *part.* 2.

Nauarr. Sà. Quarāta. Reginal. Zerola.

De ſæcularibus verò prædicantibus ſine licentia Epiſcopi communior ſententia eſt illos peccare mortaliter: quia prædicantes ſine licentia poſſunt excommunicari, ex *cap. excommunicamus*, §. *qui a verò*, *de hæret.* Excommunicatio autem ſecundùm communem ſententiam ſupponit peccatum mortale, ergo iſti peccant mortaliter. Vnde immeritò pro contraria ſententia citatur nouiſſimè à Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 21.

Nota etiam poſſe regulares, aliàs habentes licentiam prædicandi, rationabili exiſtente cauſa à ſuis Superioribus ſuſpendi à dicto munere, pendent enim à voluntate ipſorum ratione obedientiæ. Sic tamen ſuſpenſi, ſi nihilominus prædicauerint, licet mortaliter peccent, propter tranſgreſſionem præcepti Superiorum in graui materia, non fiunt irregulares, quia prædicatio non eſt alicuius Ordinis.

5. Prædicator qui fungitur officio ſuo in peccato mortali occulto, ſecundùm communem ſententiam, non peccat mortaliter: quia nullum eſt præceptum diuinum, aut humanum, quo quis teneatur concionari in gratia, & quamuis hoc munus maximè pertineat ad paſtores animarum, quia ratione officii & iuriſdictionis ex diuino præcepto habent hanc curam & obligationem, vt ſignificat Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* non tamen eſt propriè actus alicuius ordinis, ſed actio quædam honeſta, quæ ex ſuo genere pertinere poteſt ad charitatem, ſeu miſericordiam, ac proinde exerceri poteſt à peccatore ſine nouo peccato mortali; quia actus prædicandi non eſt peculiariter conſecratus, nec aſſumitur à Deo, vt ſit inſtrumentum noſtræ ſanctificationis. Suarez *tom.* 3. *diſput.* 16. *ſect.* 3. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Syluius 3. *par. quæſt.* 64. *art.* 6. *quæſit.* 1. *concluſ.* 9. Sotus *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 6. Caietanus *in Sum. verb. prædicator. peccata*. Diana *de Sacram. reſol.* 197. Nota tamen hæc eſſe intelligenda per ſe: nam per accidens, fieri poteſt, vt prædicator peccet mortaliter: *Primò*, ratione ſcandali, ſi peccatum eius eſt publicum: nam ſic Verbum Dei fit quodammodo contemptibile & inefficax. *Secundò*, propter contemptum, vt ſi quis paruifaciens Verbum Dei, & fructum eius, pro nihilo ducat, in eo ſtatu prædicare. *Tertiò*, ex modo prædicandi, ſi abutatur verbo Dei, tanquam profana declamatione. Et in his caſibus poſſet habere locum ſententia D. Thomæ 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *artic.* 2. Caietani 2. 2. *quæſt.* 187. *artic.* 3. Nauarri *cap.* 21. *num.* 241. Angel. *verb. Prædicator num.* 7. & aliorum aſſerentium eſſe mortale, prædicare in peccato mortali.

Suarez. Valentia. Sylu. Sotus. Caietan. Diana. D. Tho. Caiet. Nauarr. Angel.

6. *Cùm prædicare* non ſit actus ordinis ſacri, nec Officium diuinum prohibitum interdicto, aut ſuſpenſo à diuinis, vnde excommunicati poſſunt audire concionem, & lectionem ſacram: poſſunt etiam legere ſacras lectiones, *cap. reſponſo, de ſentent. excommunic.* Nauar. *cap.* 27. *num.* 176. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 1. Ita etiam Syluius *cit. concl.* 9.

Nauarr. Caiet. Sylu.

7. Dubium eſt, an ex vi Trident. Epiſcopus debeat examinare regulares, ſi prædicare velint in alienis Eccleſiis? Reſponſio eſt negatiua, quia hoc examen in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. non committitur Epiſcopo loci, ſed Superioribus Ordinum quibuslibet reſpectu ſuorum; nec, vt regulares prædicare poſſint in Eccleſiis Diœceſanorum, præter examen, & approbationem Superiorum, examen, aut approbationem ipſius Diœceſani requirit; ſed ſolam eiſdem licentiam, quam gratis concedere iubetur. Quapropter ſicut regulares non tenentur ſe ſubiicere examini Epiſcopi, neque etiam Epiſcopus iure id exigere poteſt à regularibus, & contra diſpoſitionem Concilii Tridentini facit, ſi tantùm, quia

Fratres

Fratres nolent ſe eius examini ſubijcere, non vult eis dare licentiam prædicandi in ſua Diœceſi. Ita noſter Crouſers *ad cap. 9. reg. S. Franc. lect. 1.* Miranda *in man. tom. 1. quæſt. 50. art. 2.* Diana *par. 3. tract. 2. miſc. 111.* Peyrinus *de priuileg. tom. 3. in addit. ad conſt. Sixti IV. cap. 2. num. 10.* & alij. Praxis tamen DD. Epiſcoporum eſt in contrarium, & ita declaraſſe Sacram Congregationem die 22. Ianuarii 1628. teſtatur Barboſa in Conc. Triden. *ſeſſ. 5. cap. 2. num. 20.* De qua declaratione ſi conſtet authenticè, non eſt ab ea recedendum.

Crouſers. Miranda. Diana. Peyrin.

Verùm aduertere debent Prælati regulares ſe peccatũ mortale commiſſuros, ſi Religioſos ſuos abſque examine de vita, moribus, & ſcientia, imò ſcientes idoneos nõ eſſe, approbent ad prædicandum verbum Dei, etiamſi dicant, ſe illos approbare gratia honoris, vel vt eorum precibus importunis ſatisfaciant: licet enim tales nec hæreſes, nec errores, neque doctrinas falſas prædicent, ſed optimas, populum tamen aliquando ad riſum prouocant, vel propter nimiam obliuionem, vel inordinatam recitationem, abſque fructu currentes ab extremo ad extremũ, ſcripturas falſificant, peruertunt hiſtorias, nomina mutant, & peiora præſtant; quæ omnia mala Prælatis perperam licentiam concedentibus tribui poſſunt, vt monet Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 11. quæſt. 2.*

Tamb.

Religioſi Mendicantes, ex conceſſione Pii V. ſemel examinati in vna Diœceſi ad prædicandum, non poſſunt in ea ampliùs examinari; quod ſi ſint graduati in Theologia, aut Lectores, non egent examine Epiſcopi: Ex declaratione autem Cardinalium non poteſt Epiſcopus ſine cauſa rationabili ſuſpendere à prædicatione. Pius V. *in Conſt. etſi mendicantis ordines. Compen. priuil. Mendic. verb. prædicatores.* Sà *verb. prædicare, n. 6. & 7.*

Pius V. Comp. Priuil. Sa.

Vide tom. 1. verb. Epiſcopus n. 8. Fœmina n. 1. & hoc tomo verb. Mendacium n. 5. Suſpenſio 2. n. 11.

SVPPLEMENTVM.

PRÆDICATIO.

SVMMARIVM.

1 *Qui teneatur ex officio ad prædicationem verbi Dei, & quibus diebus.*

2 *An obligentur fideles diebus Dominicis, & Feſtis ad audiendam concionem in Parochia?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Parochi qui rarò, aut nunquam prædicationem ad populum habent, à peccato mortali excuſentur?*

4 *An prædicatio verbi Dei, ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, vel ex inſtituto poſſit Religioſis conuenire?*

5 *An regularis poſſit abſque præſentatione coram Epiſcopo, & petitione benedictionis ab eodem in Eccleſijs proprijs, & plateis communibus prædicare?*

6 *An regulares in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare poſſint?*

7 *In tribus caſibus Prædicator à prædicatione eſt ſuſpenſus, ex Concilio Lateranenſi; Et ſuſpendendus ex Concilio Tridentino.*

An Epiſcopus poſſit regularem exemptum à prædicatione ſuſpendere, aut ſuſpenſum declarare? Refertur duplex ſententia.

8 *Quas qualitates debeat habere Prædicator verbi Dei.*

9 *Qualis debeat eſſe Prædicatorum doctrina, & à quibus debeant in prædicatione abſtinere.*

Concil. Trid.

1 EX decreto Concili Tridentini *ſeſſ. 5. cap. 2. de reform.* omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & omnes alii Eccleſiarum Prælati tenentur per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint ad prædicandum Sanctum IESV Chriſti Euangelium.

Si verò contigerit Epiſcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento; iuxta formam Generalis Concilii (nempe Concilio Lateranen. ſub Innoc. III. cap. 10.) viros idoneos aſſumere teneantur ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendũ. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat vltioni: Archipresbyteri quoque, Plebani & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant, &c. Ita *Concilium.* Ex quo colligitur, *Primò* quòd vniuerſi Præpoſiti curam animarum gentes oues ſuas in his, quæ Dei ſunt, ac eorum inſtituta concernunt inſtruere, ac eorum ſcelera eis annunciare, ac eas verbi Dei prædicatione paſcere debeant, adeò vt niſi legitimo impedimento detenti, per ſeipſos tale munus exercere teneantur, etiamſi alia miniſteria aliis committant. Rationem huius reddit D. Paulus, cùm Act. 20 ait, *Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis,* indicans, quòd ſi verbum Dei illis annunciare ſubterfugiſſet, reus eſſet eorum mortis. Quippe quia omnium illorum, qui ob doctrinæ penuriam defeciſſent, interitus ſibi eſſent adſcribendi, vt adſcribitur medico mors ægri, quem curare neglexit, & mors ſame pereuntis ei, qui cùm poſſet, ac conſequenter teneretur, paſcere noluit.

Colligitur *Secundò*, quòd ad idem munus prædicationis teneantur Archipresbyteri, & Eccleſiarum Rectores animarum curam gerentes, qui ſimiliter per ſe, vel per alios, ſi legitimè fuerint impediti, & in diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus animas ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſcere, eas docendo quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Colligitur *Tertiò*, ex ijs quæ ſequuntur *in dicto cap. Tridentini*, quod in Eccleſijs Parochialibus, quæ monaſteriis ſubiectæ ſunt, & nullius ſunt Diœceſis, Prælati eorumdem Monaſteriorum ad id preſtandum poſſunt compelli à Metropolitanis, in quorum Prouinciis Parochiæ ſupradictæ ſitæ ſunt. Ordinarii verò locorum, & Abbates Diœceſim habentes, in Parochiis, vbi Parochi prædicare non valent, alios idoneos deputent impenſis eorum qui tenentur, vel ſolent. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* Cõc. Tr.

2. Ex dictis oritur difficultas, an obligentur fideles diebus Dominicis & Feſtis ad audiendam concionem in Parochia? Et quidẽ pro parte affirmatiua facit, *Primò* quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* dicit, *Moneat Epiſcopus populum diligenter, vnumquemque teneri Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.* Nec verbum *Teneri* importat verum præceptum. Si præceptum importat; ergo & obligationem in conſcientia. Nam vt benè ait Suarez *de legib. lib. 3. cap. 26. n. 7.* talis obligatio eſt effectus quaſi naturalis ipſius legis. Nam præceptum & obligatio mutuò ſeſe inſerunt, quia ſunt conuertibilia, ac reciproca, tanquam cauſa & effectu immediatus & reciprocus, ergo omne præceptum eſt in conſcientia obligatiuum; & è contra omne in conſcientia obligatiuum eſt præceptum; quorum vtrumque voce *Teneri* veriſſimè importatur. Suarez.

Secundò, iuxta Suarez *lib. 3. de legib. cap. 26. num. 5.* tria requiruntur ad obligationem ſub mortali. *Primò*, eſt legiſlatoris intentio obligandi. *Secundò*, grauitas materiæ præceptæ, vel prohibitæ. *Tertiò*, verbum idoneum ad ſufficienter iudicandum obligationem ſub mortali: quale verbũ eſt præcipimus, vel æquiualens, prout habetur ex Clementina *Exiui, de verb. ſignific.* Et *ex cap. Exijt, eod. tit. in 6.* At verò in illis iuribus habetur, quod verbum *Teneantur* ſi æquiualens verbo præcipiendi. Dictæ autem tres cõditiones videntur conuenire huic legi Canonicæ Tridentini. Nam hæc illius verba, *Teneri vnumquemque*, ſufficienter indicant intentionem obligandi legiſlatoris, nec contraria Concilii intentio aliunde conſtare poteſt. Secunda conditio, quæ eſt grauitas materiæ Suarez.

præceptæ hic locum habet; quia nemo eſt qui rationabiliter non iudicet materiam eſſe noſtræ Religionis importantiſſimam, eoque de ſe vehementer grauem, populum Chriſtianum, dictis ſanctis diebus, in Sacta Dei domo, quæ eorum eſt parochialis Eccleſia, conuentum Religioſis habere, ibique recipere ſpiritualia animarum ſuarum pabula, cœleſteſque verbi diuini doctrinas ab ore propriorum Directorum & Paſtorum. Sed & inſuper valde etiam grauis eſt reſpectiuè, id eſt, ſub ratione medii ordinati ad deſtinatū finem, qui quoque eſt grauis. Nam hic finis, non eſt vnum aliquod ſimplex bonum, ſed plura; nam quædam ſe tenent ex parte Parochiani cuiuſque; qualia ſunt peculiaris ac paterna inſtructio myſteriorum fidei noſtræ: neceſſaria quædam notitia peccatorum, ad eo vitanda: virtutum, ad eas exercendas; pœnarum etiam interni, ad eas apprehendendas; æternæ item gloriæ, ad eò aſpirandum; publicationem denique Epiſcopalium, ac Paſtoralium, ſiuè ieiuniorum, ſiuè bannorum, ſiuè Feſtorum, &c. Alia inſuper bona ſe tenent ex parte ipſiuſmet Eccleſiæ Parochialis, qualia ſunt honor quem habet, ex eo quod à ſuis viſitetur & frequentetur: deinde emolumenta quæ inde illi proueniunt, vt ſunt oblationes, quas de iure & conſuetudine antiqua Parochiani facere ſolebant: Eleemoſynarum collectæ nominantur. Alia denique bona ſe tenent ex parte totius communitatis gregatim ſumptæ: Alia ex parte Reuerendiſſimorum DD. Epiſcoporum, & Paſtorum, quæ fusè

Theoph. Paroch. proſequitur Auctor Theophyli Parochialis *part. 1. art. 9.* ex quorum complexu reſultat vnus quidam totalis atque integer dicti Decreti Tridentini finis valde grauis, & proinde res iſto Canone præcepta, eſt conſequenter materia ex parte finis valde grauis.

Tertia etiam conditio conuenit noſtro Canoni Tridentino: nam continet verbum *Teneri* æquiualens verbo præcipiendi, quod ipſum verbum Suarez dicit eſſe ſufficiens, ad indicandam rigoroſam obligationem. Idem

Azor. Rodriq. Nauar. quod Suarez ſentit Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 6. dub. 5.* Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 6. art. 13.* Nauarrus *in man. cap. 23. num. 50. & 52.*

Accedit inſuper, quòd ius ipſum naturæ, ratioque naturalis obligationem iſtam à Parochianis exigat. Si enim Parochus tam ſtrictè illis diebus ad prædicandum obli-

Concil. Trid. gatur, vt vidimus ſupra ex Trident. *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24 cap. 4. de reform.* reuera, omninò ſecundùm rationē, plebem ex aduerſo ad audientiā illis ipſis diebus Conciliū obligauit. Parochus enim & Parochianus correlatiua ſunt; vt manifeſtum eſt, ſicut ouis & paſtor: plebs & plebanus, paſcendus & paſcens; quorum natura poſtulat obligationes reciprocas: vt proinde rectè concludatur, Parochianorum obligationem ad conciones Parochianas Dominicales audiendas, fundatam eſſe in naturali iure, rectèque inferri ex correlatiua Paſtorum obligatione. Hæc ſunt quæ faciunt pro parte affirmante Parochianos teneri ad cōcionem diebus Dominicis, vbi commodè poſſunt.

Suar. Bonac. Palaus. Filliuc. Trullen. Graſſ. Azorius. His tamen non obſtantibus Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 16. num. 6. & ad 3. part. D. Thom. diſput. 88. ſect. 2. tom. 3.* & cum eo Bonacina *tom. 2. diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 2. num. 27.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 9. diſp. 1. punct. 4. num. 5. & 6.* Filliucius *tract. 27. num. 152. & ſeq.* Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 3. dub. 4. num. 4.* Graffijs *1. par. lib. 2. cap. 34. num. 8.* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 3. quæſt. 7.* ad quæſtionem reſpondent negatiuè. Ratio illorū eſt, quia nullibi extat præceptum, & communis ſenſus fidelium, & vſus id confirmat. Quamuis enim quilibet ex vi charitatis, qua obligatur animæ ſuæ conſulere, teneatur ediſcere præcepta, & alia, quæ ad animæ ſuæ ſalutem ſpectant; non tamen hinc ſequitur ipſum teneri ſub mortali feſtis diebus concionem audire, cum poſſit aliis diebus concioni intereſſe, & aliunde ediſcere neceſſaria ad ſalutem, aut alia, quæ ſcire tenetur. Tum etiam, quia fideles communiter non ſoleat ſe in confeſſione tanquam reos mortalis culpæ accuſare de prædicatione in die feſto non audita; ergo ſignum eſt non extare rigoroſam obligationem, qua fideles teneantur diebus feſtis concionem audire. Tum quia illa publicatio, ſi in rigore ſumatur pro obligatione præcepti, non eſt abſoluta, ſed ſuppoſita commoditate, vt Concilium loquitur, & doctrinæ neceſſitate: ſine qua, præceptum affirmatiuum non ſolet obligare, quando lex ipſa tempus non determinat. Ad audiendam enim concionem nullum hactenus eſt tempus lege præſcriptum, vt docent Suarez, Filliucius, & alii. Nam multi ex religioſis Monachis, qui ſolitariam vitam agunt, concionem non audiunt: Inter eos etiam, qui ſunt in oppidis, & ciuitatibus, plerique nunquam prædicationi, ſeu concioni interſunt, nec tamen cenſentur propterea eſſe in peccato mortali. Ex quibus colligitur, non eſſe tale præceptum pro omnibus, ſed ad Summum pro cuiuſque neceſſitate, & obligatione: proinde hæc obligatio eſt perſonalis iuxta cuiuſque neceſſitatem; non habet tamen certam temporis determinationem, ſicut habet obligatio audiendi Miſſam.

Ad locum autem Tridentini *ſeſſ. 24 cap. 4. de reform.* vbi dicitur, *Moneat Epiſcopus, &c.* reſpondet Suarez *loco cit. cap. 16. num. 10.* Filliucius *ſup. num. 134.* ibi tantùm iudicari obligationē ex charitate, qua tenetur quiſq. curam gerere ſalutis ſuæ, non tamen ex Eccleſiæ præcepto ad audiendam concionem in die Feſto. Cōc. Tr. Suar. Filliuc.

Nec etiam obſtat quod idem Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* præcipiat Epiſcopis, aliiſque Paſtoribus, ſeu Parochis, vt Dominicis diebus, & ſolemnibus diebus prædicent per ſeipſos, vel per alios, ſi legitimè impediti fuerint. Reſpondent Suarez, Bonacina, Trullench *ſup. Primò*, Curatores animarum teneri quidem oues ſuas paſcere prædicatione verbi diuini, non tamen ita rigoroſè tenere, vt grauiter peccent, niſi ſingulis diebus Feſtis concionem ad populum habeant; quia non videtur hoc tam rigoroſè præcipi, vt ipſa conſuetudo interpretatur, quin liceat abſque lethali culpa interdum omittere; præſertim cùm in Concilio decernatur, vt puniantur ſolùm, ſi hoc munere trium menſium ſpatio fungi noluerint. Reſpondent *Secundò*, etiamſi admittatur Paſtores animarum teneri ſingulis Dominicis, aliiſque ſolemnibus Feſtis concionem audire; fieri enim poteſt, vt Parochus frequentiùs teneatur prædicare, quàm ſinguli fideles prædicationem audire; nam obligatio & munus Parochi, dirigitur ad ſubueniendum neceſſitati totius populi, qui cùm ferè ſemper indigeat verbo Dei, ſubleuari & ſubueniri debet frequenti prædicatione Verbi Diuini; obligatio verò fidelium eſt particularis, & reſpicit proprium bonum; cùm autem non omnes fideles ſigillatim ſumpti indigeant concione ſingulis diebus Feſtis, dicendum eſt fideles non teneri ſimpliciter diebus Feſtis concionibus intereſſe, quantum ad ius & præceptum Eccleſiæ: Non negant tamen prædicti Auctores, ex lege charitatis & propriæ vtilitatis, immò & neceſſitatis his temporibus maximè obligari fideles ad Diuini Verbi prædicationem audiendam, propter maximam ignorantiam, quæ etiam in ipſis fidei rudimentis, ſeu principiis, & aliis ad ſalutem, æternam omninò neceſſariis communiter inter fideles reperitur. Ita illi. Cōc. Tr. Suarez. Bonac. Trullen.

Sed quia in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* habetur, *teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi id cōmodè fieri poſſit ad audiendum Verbum Dei*, vbi ſolus impedimenti caſus excipitur, caſu quo aliquis allegaret ſe habere ſufficientem doctrinam, non exinde deobligaretur, tum quia caſus ſcientiæ, non eſt hic exceptus. Tum quia Sacta Prædicatio, tam à Concilio commendata, non eſt inſtituta ſolùm ad erudiendum, ac docendum; (ne alioqui confundatur Eccleſia cum Academia) ſed inſuper, & quidem præcipuè, ad conuertendum, terrendum, conſolandum, confortandum, animādum, inflammandum; ad peccatores ab inferni facibus reuocandos, electos ad maiora merita & æterna prēmia concitandos. Neceſsitas autem prædicationis pro iſta parte, locum minùs non habet in ſpeculatiuè ſciolis, quā in idiotis. Satis vtique, immò nimis obuium eſt, quod multi mala ſciunt, non ideò tamen ſanctiùs viuunt. Et vnde hæreſes tam multæ? certè non ex defectu ſcientiæ, ſed humilis ad Eccleſiam Chriſti obedientiæ. Proinde Parochiani non ſolùm videntur obligati ad audiendum verbum Dei ob neceſsitatem doctrinæ, ſed etiam ob alias multas neceſsitates; nempe ad peccata fugienda, Cōc. Tr.

& vir-

Digitized by Google

& virtutes omnes pro cuiuſque ſtatu exercendas: quò ſpecialem vim & incitamentum habet verbum Dei pungens & igniens.

Reſtat modò inquirendum, caſu quo fideles tendantur concionem audire, an tunc teneantur illam in propria Parochia audire; an verò ſatisfaciant vbicunque prædicationem audiendo? Reſp. ex verbis Concilii ſupra poſſe colligi obligationem audiendi concionem in ſua Parochia, dum commodè fieri poterit, & cum hac limitatione cenſet

Truller.

Trullench *in decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 4. num. 11.* talem obligationem eſſe ex præcepto Nihilominus tamen cùm obligatio audiendi Miſſam in propria Parochia ferè ſublata ſit per contrariam conſuetudinem, etiam in hoc Belgio, vt diximus ſuprà *verb. Parochia n. 9.* Ita ſimiliter obligationi audiendi verbum diuinum in propria Parochia per conſuetudinem derogatum eſt; quia videmus viros pios & doctos alibi audire verbum Dei, non in Parochia, ex eo fortaſſis, quod eis plus ſatisfacit

Zerola.

vnus, quàm alter Prædicator, vt ait Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Prædicatio.* Hæc paulò fuſiùs præter ſolitum dicta ſint in gratiam lectoris.

3. Dubium eſt, an Parochi, qui rarò, aut nunquam prædicationem habent ad populum, excuſentur, & à peccato mortali ſint immunes? Reſp. & dico *Primò*, Contra præceptum diuinum peccare toties Parochos mortaliter verbi diuini prædicationem prætermittentes, quoties populus grauiter indiget prædicatione; nam ex Dei mandato tenentur oues ſuas verbi diuini prædicatione paſcere,

Côc. Tr.

vt tradit Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* ergo maximè tenentur, dum populus grauiter indiget.

Dico *Secundò*, Præciſa graui populi neceſſitate non peccant grauiter Parochi, ſi interdum, vel ſæpius non prædicent; quia Tridentinum non vtitur verbis ita rigoroſam obligationem indicantibus, vt Paſtores animarum culpam grauem incurrere cenſeantur, quoties prædica-

Suar.

tionem prætermittunt. Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2.*

Bonac.

cap. 16. num. 7. Quandonam grauiter peccent, non explicat Suarez. Sed Bonacina *tom. 2. diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 2. num. 31.* putat peccare, ſi duobus, vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionentur. Ratio eſt, tū quia hæc videtur materia grauis non ſolùm ſecundùm ſe, verum etiam reſpectiuè. Tum quia Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2. de reform.* decernit Parochos alioſque curam animarum habentes, ſi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, cogendos eſſe per cenſuras, & aliàs pœnas; ſupponit ergo Trident. ſaltem triū menſium ſpatium eſſe notabile, & grauem culpam mortaliter peccantibus.

Dico *Tertiò*, Quando in eadem vrbe, vel Parochia nō deſunt concionatores docentes ea, quæ populus ſcire tenetur, excuſantur Parochi: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Tum quia populus nullum ſalutis detrimentum patitur, & illius neceſſitati ſufficienter occurritur alio prædicationem habente, & ea videtur eſſe mens Concilii.

Tamen ſi deſint alii prædicatores, qui id munus præſtent, certum eſt teneri Parochos docere ſuas oues ea,

Tolet.
Trullen.
Poſſeu.

quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, vt doctrinam Chriſtianam. Ita Toletus *in Summ. lib. 5. cap. 5. num. 4.* Trullench *in decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 4. num. 13.* Poſſeuinus *de offic. Curati cap. 3. quæſt. 2.* apud quem plura toto hoc capite tertio de hac materia prædicationis, quæ Parochos tangit.

4. Quamuis prædicatio verbi Dei ſit proprium Epiſcoporum munus, nec non Prælatorum inferiorum Epiſcopo, & aliorum habentium curam animarum, vt patet ex Tridentino locis ſupra memoratis, ex commiſſione tamen Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ex proprio inſtituto poteſt idipſum religioſis conuenire. Proinde à diuerſis Pōtificibus facultas eſt abſolutè conceſſa regularibus prædi-

Innocen.
III.

candi. Probatur hoc ex conceſſione Innocentii III. qua B. P. noſtro Franciſco & ſociis eius, prædicandi, ac verbi Dei ſemen in omnem terram ſpargendi licentia con-

Comp.
Priuil.

ceſſa eſt per Bullam, vt habetur *in Compend. Priuil. Attendicaus. §. 1. verb. Prædicatores.* Huic conceſſioni acceſ-

Clemen.
IV.

ſit Clemens IV. Bulla cuius initium eſt, *Quidam temerè*, qua fit facultas Ordinis Minorum Prouincialibus, vnà cum ſuis Diffinitoribus in Capitulis Prouincialibus congregatis, committendi facultatem prædicandi ſuis ſubditis, vt habetur in eodem Compendio loco citato §. 6. atque eadem facultas facta fuit Carmelitis, & Auguſtinianis, vt eodem paragrapho continetur. Denique omiſſis aliorum Ordinum quoad hoc munus conceſſionibus

Paulus
III.

indultum eſt Patribus Societatis Ieſu à Paulo Papa III. in Bulla quæ incipit, *Cùm inter cunctas*, his verbis, *Vobis & cuilibet veſtrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per veſtræ Societatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit, in quibuſuis Eccleſijs, & locis, ac plateis communibus, ſeu publicis, & alias vbique locorum, clero & populo Verbum Dei prædicandi, ac eos viam veritatis edocendi; & ad benè beatèque viuendum, itaut in vobis verbo & exemplo pariter ædificentur, in Domino hortandi & admonendi, plenam & liberam facultatem auctoritatis Apoſtolicæ beneplacito concedimus.* Quæ conceſſio

Gregor.
XIII.

licet à Tridentino reuocata videatur, poſtea tamē à Gregorio XIII. fuit conualidata in Bulla quæ incipit, *Vigore priuilegij*, cum clauſula reuocatoria cuiuslibet Generalis Concilii his verbis, *Vigore priuilegij veſtræ Societati à fœlic. record. Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro conceſſi, vt veſtrum quiſque idoneus, & à Præpoſito pro tempore exiſtenti eiuſdem Societatis deputatus, Verbum Dei publicè prædicare, &c.* Quod priuilegium poſtea confirmat, & prohibet Ordinariis, ne illius poſſeſſione huiuſmodi regulares moleſtent: *Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Generalibus, & Prouincialibus Concilijs editis, Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.* Ex quibus manifeſtè conſtat tum dictos regulares, tum cæteros, qui eorumdem priuilegiis gaudent, habere à Sede Apoſtolica facultatem prædicandi, & Prædicatores è ſuo Ordine eligendi & conſtituendi. Nec Romanus Pontifex vllam iniuriam facit Epiſcopo, quando aliis, quam Epiſcopo facultatem prædicandi concedit, quia vtitur iure ſuo: & ſicut illi iniuriam non facit, cùm Archidiacono & Parocho eam concedit; ſic nec quando aliis quibuſdam idoneis eam impertitur. Alioquin iniuriam etiam faceret Parocho Epiſcopus, dum Prædicatorem in illius Parochiam ad prædicandum mittit: quod nemo ſanæ mentis affirmabit.

Rodr.
de la
Cruz.
Caietan.

De his videndus Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 31. art. 4. ad 2. argum.* de la Cruz *de ſtat. relig. lib. 1. cap. 7. dub. 2.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 187. art. 1.*

5. Dubium eſt, an regularis poſſit abſque præſentatione coram Epiſcopo, & petitione benedictionis ab eodem in Eccleſijs proprijs, ac plateis communibus prædicare?

Bened.
XI.

Ratio dubitandi eſt, quia Benedictus Papa XI. Extrauag. *Inter cunctas, de priuil.* facultatem concedit abſolutè regulari in ſuis Eccleſijs & plateis prædicandi: nulla facta mentione præſentationis coram Epiſcopo, petitionis benedictionis, aut ad Epiſcopum recurſus. Et excipit ibi Pontifex duos caſus, in quibus Epiſcopi conſenſus eſt requiſitus, his verbis: *Caueant tamen omnino, ne hora in qua Diœceſani prædicti prædicarent, vel facerent coram ſe prædicari, prædicent ipſi fratres, niſi forſan hoc facerent de voluntate Diœceſanorum, &c.*

Clem. V.
Bonifac.
VIII.

Quod ius per Clementem V. renouantem conſtitutionem Bonifacii VIII. in Concilio Generali Viennenſi *in Clement. Dudum de ſepult.* non derogatur, imò confirmatur, vt ſequentia verba oſtendunt: *De ipſorum Fratrū Conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, vt dictorum Ordinum Fratres in Eccleſijs, ac locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant clero, & populo prædicare, ac proponere Verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari in qua prædicare ceſſabunt, præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali.* Ex quo patet ius illud prædicandi à Benedicto conceſſum augeri per illud aduerbium *Solemniter*: itaut, ſi Epiſcopus non faciat coram ſe ſolemniter prædicare, poſſit regularis ſine præſentatione coram eo, ac ſine eius benedictione, & licentia in dictis locis prædicare. Accedit, quod Boni-

Bonifac.
IX.

facius IX. longè poſt Clementem V. Fratribus Prædicatoribus indulſit, vt de ſola Pontificis Romani facultate

poſſent in dictis locis prædicare, cuiuſcumque inferioris Summo Pontifici ſuper hoc licentia minimè requiſita, vt habetur *in Compend. Priuileg. mendic. verb. Prædicatores* §.13. ex quibus apparet iure antiquo huiuſmodi præſentationem & petitionem benedictionis non requiri.

Compend. Priuil.

Côc. Tr. Sed dices, obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ.5. cap.2. de reform.* vbi decernit, quod *Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint; ac de eorum licentia etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.*

Côc. Tr. Quod Decretum confirmauit idem Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 24. de reformat.* dicens, *Nullus autem ſæcularis, ſiue regularis, in etiam Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat: in reliquis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.* Ergo tenetur regularis ſe Epiſcopo repræſentare, & ab illo benedictionem petere antequam in ſua Diœceſi prædicare poſſit. Ad hæc

Pius V. reſponderi poſſet, Pium V. in Bulla, *Etſi mendicantium Ordines*, interpretando præfatum decretum *ſeſſ.24.* & ex conſequenti illud *ſeſſ. 5.* in eodem incluſum, declarare, regulares Mendicantes ſub illo non comprehendi; & vult quòd Fratres Ordinum mendicantium in ſuis Eccleſijs, quando eis placuerit, licitè, & abſque vllo impedimento, vel contradictione etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicauerit, prædicare poſſint: Quibus poſitis. Totum hoc dubium reſoluendum venit, An hæc Bulla Pii V. quæ incipit, *Etſi mendicantium Ordines*, fuerit reuocata per

Gregor. XIII. Bullam Gregorii XIII. quæ incipit, *In tanta negotiorum mole*? Negant multi, quia Bulla Gregorii non fuit promulgata, nec intimata, vt docent Peyrinus *in priuileg. Minimor. tom. 2. Conſtitut. 7. Pij V.* §. 1. *num.* 2. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 24. num.* 8. Nauarrus *in Man. cap. 27. in fin.* Llamas *in method. part. 1. cap. 7.* §. 6. Rodriquez *in addit. ad Summ. tom. 4. cap.* 105. Portel *part. 2. caſ. 26. num.* 6. Cokier & alii. Communis tamen ſententia eſt in contrarium, dicens hanc Pianam Conſtitutionem reductam à Gregorio XIII. ad terminos iuris communis, & Concilii Tridentini.

Peyrin. Henriq. Nauarr. Llamas. Rodr. Portel. Cokier.

Sed quidquid ſit de hoc, licet hæc Bulla Gregorii fuerit promulgata & vim habuerit reuocandi dictam Bullã, illa tamen non reuocaret in multis articulis: quia hæc Bulla Pii continet Nouas Conſtitutiones contrarias Cõcilio Tridentino & iuri communi, & deinde dicti Concilii declarationes: prioribus derogaret, poſterioribus minimè, cùm de his nullã penitus mentionem faciat Gregorius; ergo cùm huiuſmodi declarationes Pii non faciant contra Tridentinum, cùm declarans nihil noui agat, iuxta *Clementinam Exiui, de verborum ſignificat.*

Gloſſa. & Gloſſam *in cap. per tuas verb. Noua, de donat.* & qui declarat legem, non mutat naturam, aut eſſentiam diſpoſitionis, proculdubio declarationes illæ in dicta Bulla Pii V. contentæ per Bullam Gregorii non reuocantur, ſed ſunt in viridi obſeruantia, ſi Concilio Trident. non ſint contrariæ. Proinde Bulla dicta Gregorii cadit ſupra priuilegia non à prædicto Pio conceſſa: declaratio autem verborum Concilii, non eſt priuilegium, ſed lex, cùm Pa-

Suar. Portel. pæ declaratio faciat legem, vt docent Suarez *de leg. lib. 6. cap. 1. n. 6. & ſeq.* Portel *p. 2. caſ. 26. n. 4.* Ergo declaratio illa Pii V. qua declarat Canonem *ſeſſ. 24. cap. 4.* Concilii non comprehendere, nec afficere Fratres Ordinum Mendicantium, à Gregorio non eſt reuocata.

Eſto tamen quòd ſub illo decreto Tridentini Mendicantes cõprehenderentur, non propterea neceſſaria eſſet acceptio benedictionis, licet recuſata fuerit: nam in iure petita benedictio & iniuſtè negata, cenſetur conceſſa, vt

S. Côgr. declarauit Sacra Congreg. Eminent. Cardinalium anno 1597. his verbis: *Sacra Congregatio cenſuit, quòd regulares in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Epiſcopo licentiam obtinere. Sed tantum à ſuis Superioribus examinati perſonaliter Epiſcopo ſe præſentare, ab eoque petere benedictionem; tametſi eam minime obtinuerint.* Ex quibus patet, quòd poſito, quòd præſentatio & benedictionis petitio requireretur in regulari, poſſet tamen illa non obtenta in ſuis Eccleſiis prædicare.

6. Maior difficultas eſt, an Prædicatores regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum, inuito & contradicente Epiſcopo prædicare poſſint, ſi debitè præſentati & ab eodẽ approbati fuerint? Difficultas ſumitur ex textu Concilii *ſeſſ. 5. cap. 2. de reformat.* vbi concedit, quòd in Eccleſiis ſuorum Ordinum poſſint regulares prædicare cùm ſola Epiſcoporum benedictione, etiam non obtenta ipſorum licentia ſpeciali; poſtea verò *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* præcipit, vt non præſumant prædicare etiã in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, quæ videntur ſibi contraria. Ne ergo cogamur aſſerere Concilium prædictum ſibi contradicere, & vt Canonum correctio euitetur, & iura iuribus concordentur, dicendum eſt hæc duo decreta eſſe inter ſe concilianda per ius commune *Clement. Dudum* §. *nos vero, de ſepult.* & per *Extrauag.* Bonifacii VIII. quæ incipit, *Super Cathedram, de ſepult.* & per Extrauag. *inter cunctas, de priuil.* in quibus iuribus dicitur, quod Fratres Prædicatores & Minores poſſint in Eccleſiis, ac locis ſuis, ac plateis communibus liberè populo & Clero Verbum Dei proponere; hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari. Ex quibus concluditur, quòd illa duo decreta proximè memorata non ſunt contraria, cùm vnum alteri non deroget; & vt contraria non ſint, neceſſe eſt gloſſare illud *ſeſſ. 24. cap. 4.* iuxta commune decretum prædictarum iuris communis conſtitutionum: videlicet quod regularis non poſſit prædicare illa hora, qua Epiſcopus prædicare voluerit, aut coram ſe prædicare mandauerit. Atque ita illud debere intelligi affirmant Rodriquez *tom. 3. qq. regul. q. 32. art. 5.* Miranda *in man. Prælat. tom. 1. q. 50. art. 3. concl. 1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 76. n. 20.* Tamburin. *tom. 2. de iure Abbat. diſp. 11. q. 2. n. 4. & 5.* Accedit quod decreta Conciliorum Generaliũ non cenſentur reuocata per alias leges nouas, etiam contrarias, ſine derogatione, quæ faciat expreſſam de eiſdem Conciliis mentionem, vt habet cõmunis ſententia Doctorum collecta *ex cap. vlt. de capell. Monach.* Sed præcitatum decretum Trid. non habet clauſulam derogatoriam Conciliorum Viennenſis & Lateranenſis, ergo illa non reuocat: maximè cùm diſpoſitiones illorum quoad Prædicatorem regularem non ſint contrariæ diſpoſitioni Tridentini. Ergo inter ſe ſunt conciliandæ, vt euitetur correctio iurium.

Côc. Tr. Boniface. VIII. Rodr. Miranda Barboſa. Tamb.

7. Prædicator regularis, ſiue ſæcularis ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. ipſo facto in tribus caſibus à prædicatione eſt ſuſpenſus. *Primus* eſt, ſi prædicet miracula falſa, aut incerta. *Secundus*, ſi prædicet prophetias, quæ in S. Scriptura fundamentum non habent, aut à Sede Apoſtolica non ſunt approbatæ; aut ſaltem ab Ordinario ad hoc trium, aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, ſi tempus ad dictam Sedem accedere non permiſerit. *Tertius* eſt, ſi prædicando de Epiſcopis, vel de ſuis Prælatis detrahat, qui etiam caſus habetur in Clementina *Religioſi*, §. *Quibus etiam de priuileg. & exceſſ. priuil.* Super quo Gloſſa ſic loquitur intelligo autem hanc literam, cùm nominatim detrahunt, vel per circumlocutionem, quæ vim habeat proprii nominis, aliàs in genere benè liceret prædicatori tangere vitia Prælatorum.

Côc. Lat. Leo X. Gloſſa.

Ex Concilio Trid. *ſeſſ. 5. cap. 2. de reform.* ſunt tres alii caſus, in quibus regularis ab Epiſcopo tanquam à Sedis Apoſtolicæ delegato ſuſpendi poteſt, licet de facto non ſit ſuſpenſus. *Primus* eſt, ſi prædicet propoſitiones erroneas. *Secundus*, ſi prædicet propoſitiones ſcandaloſas. *Tertius*, ſi prædicet propoſitiones hæreticas. Ibi enim dicitur, *Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet; Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicauerit; contra eũ, ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat; etiamſi Prædicator ipſe Generali, vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. Quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſè vexetur, iuſtamve de eis conquerendi occaſionem habeat.*

Sed

Digitized by Google

Sed ex his peres, an Epiſcopus poſſit Prædicatorem regularem exemptum in caſibus à iure expreſſis, à prædicatione ſuſpendere, aut ſuſpenſum declarare? Videtur quòd non, quia non poteſt Epiſcopus citare proceſſum contra talem regularem facere, etiã ratione delicti extra Monaſterium commiſſi: ergo illum regularem nõ poteſt pœna ſuſpenſionis caſtigare, vel declarare, quòd dictam pœnam incurrerit, nam hoc agendum, citatio & proceſſus cõfectio (quæ duo ſunt actus iuriſdictionis, qua caret Epiſcopus) requiruntur. Si dicas, ergo Decretum Tridentini erit ſuperuacaneum, & abſque effectu, quod hanc pœnam ab Epiſcopo imponendam relinquit? Reſp. non eſſe tale, cùm ſuo effectu potiatur in regularem non mẽdicantem, ſi priuilegiis mendicantium nõ participet: in mendicantẽ verò nullum effectum ſortiri poteſt ex Conſtitutione Pij V. *Etſi mendicantium Ordines*. (Pius V.) Ibi enim Pontifex Tridentinum interpretatus, Epiſcopis prohibuit de cætero prædicta attentare: ſed ea omnia ſuis ſuperioribus facienda relinquant, adhibita clauſula non obſtante dicti Tridentini, aliorumque Conciliorum Generalium & Prouincialium. Ex quibus videtur huiuſmodi regulares per Tridentinum declarante Pio V. Pontifice à correctione, & punitione Epiſcopi, in quauis occaſione & cauſa, eximi. Et huius opinionis in ſimili materia ex eiſdem terminis proximè poſitis ſunt Suarez *in 3. p. tom. 5. ſect. 5. num.* 12. & Franciſcus à S. Ioſepho *de auctoritate Guardianor. ad diſpenſandum, num. 5.* (Suarez. Franc. à Ioſepho.)

Sed hanc opinionem Epiſcopi in praxi non admittunt: nam aſſerunt habere auctoritatem ſuſpendendi regulares à munere Prædicationis, etiam non explicata cauſa, ſtante declaratione ſacræ Congregationis, quam affert Barboſa *in collect. Declar. verb. Prædicatores, num. vlt. & de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 16. *num.* 27. Franciſcus Leo *in Theſauri fori Eccleſ. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 9. & alii. (Barboſa. Franciſc. Leo. Rodrig.) Rationem dat Eman. Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. quæſt.* 32. *art.* 6. quia Prædicatores in Ordine Minorum, & Prædicatorum non habent immediatè à Papa poteſtatem, ſeu iuriſdictionem ad prædicandum ex *Clement. Dudum, de ſepult.* ſed tantùm quandam approbationem, quam ſemper ab Epiſcopis mendicari (apud quos reſidet munus prædicandi ex Tridentino Concilio) Pontifices voluerunt. Vnde ſicut ab ipſis Epiſcopis dimanat talis poteſtas, ita poteſt ex cauſa legitima ab eiſdem reuocari, vel ſuſpendi. (Portel.) Proinde Portel *in dub. regul. verb. Prædicatores n.* 8. circa hoc refert quandam declarationem Cardinalium, quæ talis eſt, (S. Cõgr.) *Congregatio cenſuit, hos & quoſcumque alios (intellige Prædicatores) ab anteceſſore ſuo approbatos à Prædicatione poterit ſuſpendere Epiſcopus. Attendant tamen Epiſcopi, propter quas cauſas id imperent, volumus namque quòd ſi illicitè iuſſerint, ad ius lis deferatur, & interim ceſſent.* Et licet olim regulares abſque licentia Epiſcopi prædicantes in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, à ſuis ſuperioribus regularibus, non verò ab Epiſcopo puniendi eſſent, ex declaratione ſacræ Congregationis, (S. Cõgr.) ſub his verbis, *Congregatio Concilij cenſuit regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi Decreto eiuſdem Concilij ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *contradixerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm à ſuis ſuperioribus.* (Gregor. XV.) Sed ſtante Conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei prouidentia*, data Nonis Februarii 1622. Regulares prædicantes ſine Epiſcopi licentia & benedictione in ſuis Eccleſijs, puniri poſſunt ab Epiſcopo, vt patet ex textu huius Bullæ. *Ac demum habeat Epiſcopus tanquam dictæ Sedis Delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tam ſæculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint.*

Ex dictis patet, quid ſit reſolutiuè dicendum hodie circa quæſtionem propoſitam, de qua videndus Diana *part.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 30. & 25. & *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 111. Gauantus *in Man. Epiſc. verb. Concio Sacra, num.* 17. Lezana *in ſumma tom.* 1. *cap.* 20. *num.* 3. Peyrinus *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Conſtitut.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 21. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 76. *num.* 24. Hieronymus Rodriquez *in compend. reſol.* 112. *num.* 12. & 14. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæſt.* 50. *art.* 7. (Diana. Gauant. Lezana. Peyrin. Barboſa. Rodr. Miranda.) Qui omnes agnoſcunt in Epiſcopo poteſtatem ſuſpendendi regulares & ſuſpenſos declarare, non obſtante Bulla Pii V. *Etſi mendicantium Ordines*, quam putant quidam ex illis eſſe reuocatam per Gregorium XIII. & ad terminos iuris communis & Concilii Tridentini redactam. (Pius V. Gregor. XIII.)

8. Ex mente D. Petri, Prædicatores Verbi Dei, debent eſſe docti, apprimè eruditi, vita irreprehenſibiles, moribus maturi, corde impauidi, ſpiritu feruidi, debent quoq. gratiam docendi habere, vt potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere, vt habetur *in cap. Oportet* 8. *q.* 1. quod eſt D. Petri. Sed deſumptũ eſt ex epiſt. 1. Clementis ad Iacobum, & colligitur etiam ex *cap. ſit Rector, diſt.* 43. quod eſt D. Gregorii *in* 2. *part. ſui Paſtoralis, cap.* 4. Vnde in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. dicitur, ad hoc munus prædicationis ſunt eligendi viri nonniſi idonei, ætate, doctrina, & probitate, ac morum honeſtate præditi, exemplo & aliis, ſed maximè prudentia ſummopere commendati, vt ingenio diſcentium ſeipſos accommodent, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigant, ne ſecreta myſteria, quę vulgi captum ſuperant & excedunt, coram ineptis, ſeu non intelligentibus, referant. Quia *in cap. Diſpenſatio, diſt.* 43. dicitur, quod *qui docet ea, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, ſed ad ſui oſtentationem facit.* Super omnia autem Prædicatorum vita irreprehenſibilis eſſe debet, vt ipſa doctrinæ correſpondeat, & ædificare valeant fidei doctrina, & morum diſciplina. Quia D. Io. Chryſoſt. *homil.* 1. & 3. *in Actib. Apoſt.* (D. Chry.) dicit, nihil eſſe frigidius Doctore, qui verbis dumtaxat philoſophatur, & quod hoc non ſit Doctoris, ſed hiſtrionis, & hypocritæ: multum enim nocet, qui quod docet, non facit. Hæc omnia confirmantur ex eo quod dicit D. Iſidorus *lib.* 2. *de Summo bono, cap.* 36. (D. Iſid.) agendo de prædicatoribus. *Tam doctrina, quam vita clarere debet Eccleſiaſticus Doctor, non doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita autem ſine doctrina inutilem facit.* Et ſubdit: *Auctoritate Magiſterij caret, qui quod docet non facit, & Doctoris vitio, etiam ipſa vera doctrina uileſcit, quia dum nõ viuit Prædicator, ſicut docet, ipſam, quam prædicat veritatem, contemptibilem facit. Qui benè docet, & malè viuit, tanquam æs, aut cymbalum tinniens, ſonum facit alijs, ipſe tamen ſibi manet inſenſualis: & qui benè docet & malè viuit, æquatur cereo, qui dum bonam quidem lucem alijs præſtat, ſemetipſum in malis ſuis conſumit, atque extinguit.* Efficacius eſt enim vitæ, quàm linguæ teſtimonium, habent enim operam ſuam linguam, habent & ſuam facundiam, etiam tacente lingua, ait D. Cyprian. *lib. de duplici martyrio*. (D. Cypr.) Porrò, validiora ſunt exempla, quàm verba, & melius eſt docere opere, quàm voce, vt tradit D. Leo magnus *in ſermone de S. Laurentio*. (D. Leo.)

9. Qualis debeat eſſe prædicatorem doctrina, & à quibus quàm maximè debeant abſtinere, habetur in Conc. Lateranenſi, ſub Leone X. ſeſſ. 11. (Concil. Lat. Leo X.) *Inhibemus*, inquit, *omnibus, & ſingulis Clericis ſæcularibus, vel regularibus, cæteriſque cuiuſcumque ſtatus, gradus, & Ordinis, exiſtant, qui onus prædicationis aſſument, ne de cætero in ſermonibus ſuis, futura ex literis ſacris conſtanter prædicent, nec illa à Spiritu Sancto, vel diuina reuelatione ſe habuiſſe, affirment; alienas inaneſque diuinationes non aſſeuerent, aut aliquo modo tractandas aſſumant, ſed ex diuina vocis oraculo, & præcepto Euangelium omni creaturæ prædicent, ipſumque cum vitiorum deteſtatione, & virtutum cõmendatione enucleent, atque declarent, &c.* Idem Leo Prædicatoribus ſtrictè mandat, *Vt Euangelicam veritatem, & ſacram Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem & explicationem Doctorum, quos Eccleſia, vel diuturnus vſus approbauit, legendoſque hactenus recepit, aut in poſterum recipiet, & prædicent & explanent, neque quidquam eius proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adijciãt, ſed illis ſemper inſiſtãt, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ verbis ritè, ac ſanè & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non diſcordent. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichriſti aduentum, aut certũ diem iudicij, prædicare, vel aſſerere nequaquam præſumant, cùm veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora,*

Digitized by Google

vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Sed no-
Cōc. Tr. uiſſimè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2. de reform.* hac de re agens dicit, quod *Prædicatores fideles pro ſua capacitate paſcant, ſalutaribus verbis docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem annunciando eis cum breuitate & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant*. Et *ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat.* loquendo de eiſdem dicit; *Sacram ſolummodo Scripturam, diuinamque legem, in concionibus eſſe annunciandam & prædicandam*.

Denique Prædicatorum omnium doctrina, debet eſſe ſana, & Catholica, examinata & caſta, nullo modo laſciua, aut impudica, ſeu quæ leuitatis, ſiue vanitatis ſaporem habeat, vt colligitur ex D. Paulo ad Titum cap. 2. *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam: ſenes, vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia, &c.* Hæc de Prædicatoribus ſatis.

Vide tom. 1. verb. Archiepiſcopus num. 6. Excommunicatio 2. num. 7. Hæreſis num. 5. & hoc tomo verb. Legatus num. 13. Mendacium num. 7. Miſſa 3. num. 3. Paupertas num. 15. Simonia num. 10.

PRÆLATVS.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſint dicendi Prælati? An in cauſis criminalibus, regulares non exempti à Prælato ſui Ordinis, an ab Epiſcopo iudicari debeant?*
2 *In Prælatis regularibus duplex eſt poteſtas, dominatiua, nempe, & politica.*
3 *Prælatorum poteſtas in ſubditos eſt ordinaria.*
4 *An Prælatus regularis poſſit obligare ſubditum in conſcientia, per legem & præcepta?*
5 *An Prælatus poſſit ſuis ſubditis actum purè internum præcipere?*
6 *An contra regulam religionis poſſit aliquid Prælatus præcipere?*
7 *Quando poſſit Prælatus aliquid præcipere ſuis ſubditis, quod eſt ſupra illorum regulam?*
8 *An poſſit Prælatus ea, quæ ſunt præter Regulam, ſubditis iniungere?*
9 *Prælato præcipienti quæ ſunt ſecundùm regulam, tenetur religioſus obedire.*
Et an Fratres Minores teneantur obedire in his quæ ſunt ſupra eorum regulam? refertur duplex ſententia.
10 *An Prælatus Generalis cum maiori parte Capituli Generalis poſſit noua ſtatuta edere, inuitis alijs arctantia ſingulos religioſos ad vitam auſteriorem non promiſſam?* refertur duplex ſententia.
Sixtus IV. *Fratrum Minorum ſtatuta reuocauit & annullauit obligantia ad mortale extra regulam.*
11 *An Prælati Fratrum Minorum poſſint præcipere, vel prohibere aliquid ſub pœna peccati mortalis, vel excommunicationis, non obſtante dicta conſtitutione* Sixti IV.
Et an poſſint ſibi reſeruare abſolutionem excommunicationis à ſe latæ? remiſſiuè.
12 *Prælati non debent eſſe faciles ad ferenda præcepta obligantia ſubditos ſub peccato mortali.*
13 *Præceptum Prælati ordinariè non obligat, vbi adeſt probabile vitæ periculum.*
An poſſit Prælatus regularis præcipere ſubditis aliquid cum eorum vitæ periculo? refertur duplex ſententia.
14 *An Generalis alicuius religionis poſſit præcipere ſuis ſubditis, vt ad Indos, & infideles tendant, cauſa eorum conuerſionis.*
15 *Quando irrita ſit renunciatio Prælaturæ regularis, & quando valida.*
16 *An Prælati religionum poſſint ad libitum ſine cauſa ſpoliare Prælatos manuales ſuis Prælaturis, vel eorum poteſtatem reſtringere.*
17 *Quæ ſint virtutes requiſitæ in Prælatis.*
18 *Prælaturæ munus eſt valde durum.*
19 *Quæ obſeruanda ſint à Prælato pro bono regimine ſubditorum.*
20 *Prælati munia ſunt ſex præcipua.*

1 PRælatus dicitur quaſi antè latus ſiue poſitus. Dupliciter accipitur. *Primo*, largè ab alluſione vocabuli, quilibet habens curam, vt comprehendantur & Rectores Eccleſiarum parochialium, qui præſunt parochianis in foro animæ. *Secundo*, ſtrictè & propriè, vt is ſolus, qui habet aliquam iuriſdictionem ordinariam fori contentioſi, etiam ex iure ſpeciali, puta præſcriptione, vel priuilegio; hinc Prælatus propriè dicitur, qui Eccleſiæ collegiatæ, ſæculari vel regulari, præficitur.

Inter religioſos ſunt Prælati, Abbates, Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Rectores, Commiſſarii, Viſitatores, Præpoſiti, &c. non autem Subprior, Priore nec mortuo, nec amoto, nec Vicarius Guardiani, quia non habet iuriſdictionem ordinariam: Sed Priore mortuo vel amoto, Subprior videtur Prælatus, quia habet iuriſdictionem ordinariam, ſcilicet iure ſpeciali, & idem videtur de Vicario conuentus; quia non fit niſi Priore mortuo, vel amoto. Ita Panormitanus *in cap. cum ab Eccl. de offic. ordin.* Angel. Syluest. Sà *verb. Prælat.* Zerola *in praxi Epiſc. p. 1. verb. Prælat.* Tamburin. *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 1. q. 1. num. 7. & 8.* Panorm. Angel. Syluest. Sà. Zerol. Tamb.

Sæculares Prælati, alii dicuntur Priores, alii Præpoſiti, alii Decani, alii Archidiaconi, alii Archipresbyteri, & alii ſimiles habentes iuriſdictionem fundatam in priuilegio, aut conſuetudine.

Prælati Ordinum alii exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcoporum, v. g. Prælati Mendicantium, qui proinde Summo Pontifici immediatè ſubiecti, quaſi Epiſcopalem in ſuos regulares iuriſdictionem habent. Alii ſunt Prælati non exempti, qui nihilominus ordinarii iudices ſuorum regularium exiſtunt, ſaltem in cauſis pertinentibus ad regularia ſtatuta & diſciplinam. Quamobrem illos punire, incarcerare, excommunicare poſſunt: ita vt Epiſcopus in tali cauſa ſe immiſcere non debeat, niſi ob negligentiam Prælati regularis, vel ſi Regularis à Prælato ſuo multum diſtet, vt notauit Abbas *in cap. cum contingat num. 24. de foro compet.*

Sed rogabis, an in cauſis criminalibus, puta furti, adulterii, homicidii, &c. regulares non exempti à Prælato ſui Ordinis, an ab Epiſcopo iudicari debeant? Reſp. De iure communi, cognitionem iudicialem eiuſmodi criminum ad ſolum Epiſcopum pertinere; quia in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* decernitur cauſas criminales Epiſcopi tantùm cognitioni & examini relinquendas eſſe. De conſuetudine tamen teſtatur Nauarrus *lib. 3. conſ. de regul. conſ. 58.* ſe nullum vidiſſe Monaſterium, in quo non Abbas de criminibus ſuorum regularium cognoſcat & puniat, etiam in forma iudicii; exceptis iis, quæ depoſitione digna ſunt, præſertim notoria & ſcandaloſa: horum enim cognitio Epiſcopo reſeruata eſſe ſolet, vt docet Abbas *in cap. licet, num. 2. de offic. Ordin. & cap. cum contingat, num. 21. de foro compet.* De alijs verò criminibus iudicare Prælatis Ordinum permiſſum eſt, non priuatiuè, ſed cumulatiuè, vt ait Nauarrus locis citatis, id eſt, vt læſus etiam ius habeat Regularem, ſi velit, coram Epiſcopo accuſandi, præſertim ſi Prælatus Ordinis negligat, quia vt docet idem Abbas *in cap. vlt. num. 1. de ſtatu Monach.* Correctio Monachorum primo loco ad Abbatem ſpectat, in defectum verò Abbatis, ad Epiſcopum. In his tamen attendenda eſt conſuetudo, quæ iuriſdictionem dat & aufert, iuxta *cap. duo ſimul, de offic. Ordinarij.*

2. In Prælatis regularibus duplex eſt poteſtas, vna dicitur dominatiua, ſeu œconomica; altera politica, ſeu iuriſdictionis. Per dominatiuam intelligitur ius acquiſitu religioni, atque eius Prælatis ad imperandum religioſis, eorumque operibus vtendum, prout conuenienter iudicauerint: eò enim ipſo quòd quis in aliqua religione profeſſionem emittit, per obedientiæ votum priuat ſe dominio in ſeipſum, & transfert illud in Prælatum Religionis, vnde oritur in eis poteſtas dominatiua ſingulorum religioſorum ita ſe tradentium, quæ eſt diſtincta à poteſtate iuriſ-

iuriſdictionis & ab ea ſeparabilis. Per poteſtatem iuriſdictionis, intelligitur poteſtas ſpiritualis, ad claues Eccleſiæ pertinens, à Chriſto Domino tradita, vel deriuata mediò Summo Pontifice eius Vicario, vel aliis Epiſ-
Suar. copis. Vide Suarez *de relig. tom. 3. lib. 2. cap. 18. num. 6. & ſeq.*

3. Poteſtas Prælatorum in ſubditos eſt ordinaria. Ratio eſt, quia iuriſdictio competens alicui ex commiſſione perpetua, non temporali, dicitur Ordinaria, ſed Prælati poteſtas ex perpetua commiſſione illi datur, niſi à Summo Pontifice auferatur, ergo eſt Ordinaria, vt colligitur ex Bartolo, & Panormitano *in l. 1. §. ſi plures, ff. de exercit. act.* Panorm. *in cap quoniam de offic. deleg. §. certum.* Nauar. *in Comment. 2. de regul. num. 63.* & aliis: deinde iuriſdictio quæ conuenit ratione officii, vel dignitatis, vel conſuetudinis, eſt Ordinaria, ſed Prælatis prædictis competit iuriſdictione ratione officii, & dignitatis, & etiam immemorabilis conſuetudinis, ergo. Confirmatur inſuper hæc iuriſdictio Prælatorum regularium quamplurimis priuilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, vt videre eſt *tom. 1. verb. Abbas num. 8.* ſed iuriſdictio ex priuilegio competens non perſonæ, ſed dignitati, & officio, eſt Ordinaria, & omnia iura poteſtatis Ordinariæ habet.

4. Certum & commune eſt apud Doctores, Prælatũ regularem poſſe obligare ſubditum in conſcientia, per legem & præcepta, ſuppoſito conſenſu vniuerſali Eccleſiæ, ac vera religioſi ſtatus inſtitutione & approbatione. Talis autem poteſtatis duplex eſt titulus: primus eſt, votum obedientiæ, quo ſubditus obligatur ex hoc voto: comparantur enim ſubditus & ſuperior in hoc caſu, ſicut actio & paſſio; quia non poteſt ſubiectum pati, niſi poteſtas ſit in agente; ita non poſſet ſubditus obligari, niſi eſſet poteſtas in Prælato ad obligandum. Aliter titulus huius obligationis eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica Prælatis neceſſaria, & de facto communicata ſufficienter ad hunc actum; vt patet ex vſu Eccleſiæ, & ex priuilegiis ſingu-
Sanchez Suarez. larium Religionum. De quibus plura apud Sanchez *lib. 5. moral. cap. 1. num. 20.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 8.*

5. Prælatus non poteſt ſuis ſubditis actum purè internum ſecundùm ſe præcipere; nec conſequenter ſubditi tenentur ad ipſi ita præcipienti obtemperandum. Ratio eſt, quia illa poteſt quis præcipere, de quibus poteſt iudicare, & pœnas ſumere, ſed de actibus merè internis nemo, niſi ſolus Deus, iudicare, & punire poteſt; occulta enim Deo reſeruantur.

Actus tamen internos, quatenus ſpectant ad complementum actuum externorum, vel ſunt neceſſarii ad eſſe phyſicum, aut morale actuum externorum, vel quatenus inuicem connexionem, vel dependentiam aliquam habent, poteſt Prælatus præcipere, & prohibere indirectè, ſeu conſequenter, nẽpe prout habent annexos actus externos, ex ipſis actibus interioribus procedentes. Sic in *Clement. 1. quia verò, de ſtat. Monach.* prohibetur monachis ſub pœna excommunicationis, ne ad curias Principum, animo nocendi ſuis Prælatis, aut monaſteriis, ſe conferre præſumant: prohibetur autem animus nocendi, non prout eſt actus mentis interior, ſecundùm ſe,
D. Tho. ſed prout eſt tali acceſſui coniunctus. Vide D. Thomam
Caietan. *2. 2. q. 104. art. 5.* Caietanum, Syluium *ibid.* Sanchez *lib.*
Sylu. Sanch *6. moral. cap. 2. num. 5.* Suarez *de leg. lib. 4. cap. 13. num. 6.*
Suarez. Rodriq. Rodriquez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 19. art. 2.* Mirandam *tom. 1. q. 26. art. 3.*

Miranda 6. Prælatus regularis non poteſt quidquam præcipere, quod certò conſtat eſſe contra Regulam religionis: Ratio eſt, quia tale præceptum non eſt validum, excedit enim limites poteſtatis præcipientis, quę non eſt ad deſtructionem, ſed ad ędificationem ſecundùm talem ſtatum. Si tamen Superior poſſit ſuper ea parte regulare diſpenſare, & iuſta de cauſa ad ita præcipiendum moueatur, ſubditus tunc parere debet, quia etſi opus illud iniunctum ex regula illicitum ſit, tamen ex rationabili Pręlati diſpenſatione fit licitum, & non cenſetur amplius eſſe cõtra regulam, ſed ſecundùm illam, cùm per diſpenſationem legitima de cauſa à Prælato factam, tollatur eiuſ-
D. Th. dem regulę vinculum. Ita D. Thomas *2. 2. q. 104. art. 5.* Miranda *cit. art. 8.* Nauarrus *in Man. cap. 23 num. 39* Miranda Nauarr.
Suarez *de relig. tom. 3. tract. 7. lib. 10. cap. 8.* Sanchez *lib.* Suarez.
6. moral. cap. 3. num. 8. Fauſtus *in Theſaur. relig. lib. 6.* Sanchez
quæſt. 83. Fauſt.

7. Prælatus regularis non poteſt ſubditos obligare ad ea, quæ ſunt omninò ſupra regulam. Ratio eſt, quia Pręlatus non eſt Dominus, ſed cuſtos & miniſter regulæ, eiusque poteſtas non ſe extendit vltra ipſius Regulæ terminos, ergo non poteſt eius terminos excedere in ſuis præceptis, iuxta illud D. Bernardi: *Prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat, quàm promiſi, vota mea nec augeat, ſine voluntate mea, nec minuat ſine certa neceſſitate.* Supra regulam ſunt ea, quæ ipſius regulæ limites excedunt, vt ire ad infideles, vbi adeſt magnum mortis, vel ſeruitutis periculum; ieiunium, vel aliæ ſimiles auſteritates, quas Regula non præſcribit. Ita D. Tho- D. Tho.
mas *cit. & quodl. 10. art 10.* Caietanus *2. 2. q. 88. art. 8.* D. Caiet.
Bernardus *lib. de præcept. & diſpenſ.* Sylueſter *verb. Re-* D. Bern.
lig. 6. q. 6. Nauarrus *cit. & comment. 4. de regul. num. 23.* Nauarr.
Rodriquez *p. 2. cap. 9. num. 1.* Rodriq.

In tribus tamen caſibus poteſt Prælatus aliquid præcipere ſubdito, quod ſit ſupra ipſius regulam. *Primò*, in pœnam alicuius criminis admiſſi. *Secundò*, ſi putetur neceſſarium ad ſeruanda vota. Sic præcipitur clauſura monialibus arctiſſima, etiam ſi talem ante non vouerint, quia hæc eſt neceſſaria ad cuſtodiam caſtitatis, quam vouerint. *Tertiò*, ob aliquam publicam neceſſitatem, poteſt Prælatus quædam auſteriora ad tempus omnibus imponere, puta pro impetranda pluuia, aut pro belli, aut plagæ remotione, quia hæc omnia indirectè ad regulam pertinent. Sic Eccleſia præcipit ieiunia & vigilias. Si tamen Prælatus vni ſoli, abſque aliqua peculiari cauſa hæc auſteriora iniungeret, non teneretur ſubditus ei obedire, quia id non eſſet regulæ conſentaneum, ſed ſupra
regulam. Ita Corduba *ſuper Regul. D. Franciſci cap. 10.* Corduba
quæſt. 2. Reginaldus *lib. 18. num. 395.* Angel. *verb. Relig.* Regin. Angel.
num. 30. Miranda *cit. quæſt. 26. art. 10.* Fauſtus *in Theſaur.* Miranda
Relig. lib. 6. q. 85. Sylueſter *cit. q. 6.* Fauſt. Syluest.

8. Non poteſt Prælatus ea, quæ ſunt præter Regulã, ſubditis iniungere, nec tenentur ſubditi Prælato præter regulam aliquid præcipienti obedire, dummodo ad regulam quoquomodo non reducantur. Ratio prioris eſt, quia religioſus obedientiam in religione promittens, intendit ſe obligare iuxta ipſius regulas; at Prælatus non poteſt obligare ſubditum, niſi ad ea, quæ per ſuam promiſſionem promiſſit: vnde Prælato præcipienti ſpuere in parietem, leuare feſtucam, aſpicere aues volantes, & ſimilia fatua & irriſoria, non tenetur ſubditus obedire. Ratio poſterioris eſt, quia ad regulam pertinent non ſolum ea, quæ in ipſa expreſsè continentur, verùm etiam illa, quæ in ea continentur implicitè, & quæ ad ipſam quoquomodo poſſunt ordinari, vt ſi Prælatus alicui ſubdito præcipiat, vt ſe reficiat, recreet, &c. tenetur ille obedire, cùm expediat vt quandoque religioſus recreetur, & à religionis auſteritatibus abſtineat, ne indiſcretè ex nimio feruore deficiat in vita religioſa. Ita D. Thomas *in* D. Tho.
2. diſt. 44. quæſt. 2. art. 3. D. Antoninus *3. par. tit. 16. cap. 1.* D. Anton.
§. 9. Corduba *in cap. 10. reg. q 2. num. 4. & 5.* Reginaldus Corduba Regin.
lib. 18. num. 395. Crouſers *ad cap. 10. reg. S. Franciſci* Crouſers
lect. 2.

Porrò Prælato aliquid præcipienti infra regulam non tenetur religioſus obedire, niſi adſit iuſta cauſa ita præcipiendi. Infra regulam dicuntur ea, quæ ſunt laxiora, quàm Regula præſcribat. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub.* Leſſ.
9. num. 76. Nauarrus *in comment. 4. de regul. num. 21.* Nauarr.
& alij.

9. Religioſus tenetur ad parendum Prælato præcipiẽti, quæ ſunt ſecundùm Regulam ſuæ religionis, & non obediendo peccat mortaliter, ſi tale præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale: puta, ſi eſſet in materia graui, & intentio Prælati foret obligandi ſub mortali. Ratio eſt, quia qui tunc illud omitteret, violaret votum obedientiæ, ex quo tenentur religioſi adimplere, quidquid à Superiore præcipitur. Ad regulam autem ſpectant illa *primò* quæ in Regulæ ſtatutis continentur. *Secundò* ea,

quæ

quæ etſi in illa non exprimantur, tamen, ſaltem in vniuerſum continentur in ea, tanquam neceſſaria ad regulam obſeruandam, vt ſunt mutua obſequia, ſine quibus bonus religionis ſtatus conſeruari nequit; & ea, quæ ſpectant ad pœnas tranſgreſſionis regularium. Ita D. Thom. *quodl.* 10. *art* 10. Syluester *v. relig. 6. queſt 6.* Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 49. Sanchez *l. 6. mor. cap. 2. num.* 8. & alij.

D. Tho. Sylu. Nauarr. Sanchez

Sed circa prædicta eſt obſeruandum *primò*, quòd non tantùm tenetur religioſus ex vtero obedientiæ obedire Prælato iubenti quæ peculiaria religionis ſunt, ſed etiam iubenti præcepta omnibus Chriſtianis communia, vt ſi iubeat audire Miſſam, vel ieiunare diebus, quibus id Eccleſia præcipit: nam hæc pertinent indirectè ad regulam, tanquam præambula neceſſaria. Ita Caietan. 2. 2. *q.* 186. *art. 5. circa ſolut. ad* 1. Sanch. *c. n.* 10. & alij.

Caietan. Sanch. D. Bonauent. Sanchez

Secundò obſeruandum eſt, ex D. Bonauent. *in c. 1. regul. S. Franc. l. 6. mor. 6. cap. 2. n.* 16. regulas & conſtitutiones in diuerſis religionibus eſſe varias, ac proinde poteſtatem præcipiendi, & obligationem obtemperandi eſſe variam, & ad plura, vel pauciora, provt regula diſponit, extendi: nam in regula noſtra S. Franciſci *c.* 10 præcipitur, *vt fratres obediant ſuis miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & regulæ.*

Sed dubitat hìc aliquis, an teneantur fratres, virtute prædicti præcepti, obedire in his quę ſunt ſupra regulam? Reſp. duplicem eſſe ſententiam inter Doctores Ordinis. Prima docet, non teneri obedire, niſi in illis, quæ in regula præcipiuntur, vel ad eorum obſeruantiam referuntur, quæque ad regularem vitam rationabiliter ordinari aut reduci poſſunt, vt ſunt omnia pertinentia ad mutua obſequia fraternæ Societatis; ſine quibus ordo eſſe non poteſt: vt ſunt, miniſtrare infirmis, cibos parare, & coquere, hortum colere, ſacriſtiam curare, & alia eiuſmodi.

Secunda ſententia non alios fines obedientiæ Fratrum Minorum præſcribit, quàm quos regula ſimpliciter intellecta ponere videtur, dicens. *In omnibus quæ promiſerunt &c. & non ſunt contraria. &c.* Fulcitur hæc ſententia multis auctoritatibus apud Cordubam *in c. 10. reg. S. Franc. q.* 2 & præcipuè *S. Bernardini* in 3. opere ſerm. de obedientia art. 3. in Reſponſ. ad 12. argum. in quodam Dialogo ſuper materia obedientiæ, vbi ait: *Obedientia Euangelica Fratrum minorum triplicem tantum habet limitem, ſcilicet manifeſtum peccatum, manifeſtum periculum, manifeſtum contagium, id eſt impuritatem regulæ,* & maximè mihi placet hæc opinio, tanquam probabilior.

Corduba

Verùm ex hac non poterunt Miniſtri ad mortalem culpam ſubditos obligare, niſi ea quæ præcipiunt ſint valde neceſſaria ad conſeruandam regularem obſeruantiam quæ ſi talia non fuerint, putat noſter Crouſers *c. 10. regul. S. Franciſc. leg.* 3. non eſſe materiam capacem grauis obligationis ſed leuis, aut certè nullius: intellige præciſè quantum eſt ex vi præcepti: niſi aliunde ratione ſcandali, vel quia quod præcipitur in pœnam peccati imponitur, vel aliquid eiuſmodi aggrauet materiam de ſe leuem: ſicque conciliari poſſunt oppoſitæ ſententiæ.

Crouſers

10. Quidam ſuſtinent Prælatum Generalem cum capituli generalis maiori parte, inuitis alijs, poſſe noua ſtatuta edere arctantia ſingulos religioſos ad nouam vitam auſteriorem non promiſſam. Ratio eſt, quia religioſi propriam voluntatem omninò in ſuperiores tranſtulerunt. Ita multi Iuriſperiti apud Sanchez *lib. 6. moral. c. 2. num.* 17.

Nihilominus dicendum eſt id fieri non poſſe. Tum quia Pontifex non conceſſit Capitulo Generali facultatem ad auſteriorem vitam inducendam, ſed ad edenda ſtatuta regulæ conformia, ad illam illæſam conſeruandam. Tum quia noua illa auſteritas, cùm concernat religioſos vt ſingulos, & non quatenus vnum corpus conſtituunt, debet ab omnibus approbari, vt omnes obliget. *Reg. quod omnes 29. de regul. iur. in 6.* Tum quia non plus poteſt Prælatus cum maiori parte capituli in præcipiendo perpetuò & omnibus per ſtatutum, quàm in præcipiendo ad horam, huic vel illi oretenus. Tum quia religioſi non tranſtulerunt omninò ſuam voluntatem in ſuperiorem, vt poſſit quæcunque iubere, ſed vt poſſit ea ſola quæ ad regulam directè, vel indirectè pertinent. Imò nec hoc non tantùm poſſet Generalis cum maiori Capituli parte, ſed nec conſentientibus omnibus capitularibus: quia cùm reliqui iam profeſſi non conſentiant, & ſint ſtatuta rigidiorem vitam inducentia, non poſſunt abſque nouo conſenſu eis obligari. Corduba *in c. 10. reg. S. Franc. q. 2. in pun. 1. 6.* Syluest. *v. relig. 6 q. 6.* Angelus *v. relig. n. 29.* Vaſq. *1. 2. q. 95. art. 2. diſp 154. c. 4. n. 25.* Felinus *in Cap. cùm omnes de conſtit.*

Corduba Syluest. Angel. Vaſq. Felyn.

Sed quia in ordine Fratrum Minorum erant nonnulla ſtatuta & ordinationes ab ipſorum Capitulo Generali facta, per quæ aliqua eiſdem fratribus prohibeantur obligatoriæ extra regulam, & quædam alia præcipiebantur ſub excommunicationis pęna, vel alijs cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu alijs pęnis, quas contra facientes ipſo facto incurrebant, a Sede Apoſtolica petierunt, vt cenſuræ & pęnæ prædictæ in contra facientes ipſo facto latæ, in comminatorias & infligendas, & temporales pęnas mutarentur & ſic ſaluti plurimorum conſuleretur. Ideò *Sixtus IV.* Romanus Pontifex petitioni illorum Fratrum annuens, in bulla quæ incipit, *Circumſpecta Apoſtolica Sedis benignitas*, edita anno 1480. kalend. Decembris Pontificatus ſui anno decimo ſic decreuit.

Nos igitur qui fidelium animarum diſpendijs libenter obuiamus, eorumque ſalutem ſinceris deſiderijs exoptamus huiuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica tenore præſentem ſtatuimus, atque decernimus quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & Fratres dicti ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint, ex ſtatutis ſeu conſuetudinibus vel declarationibus dicti ordinis præter regulam quomodolibet, & à quibuſcunque editis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, illis contra faciendo nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant, nec cenſuras, nec pænas ſeu mortale peccatum huiuſmodi incurrant: niſi tales eſſent caſus, vel exceſſus qui diuina lege, ſeu præcepto Romanæ Eccleſiæ meritò inducerent ad mortale; cenſuras & pœnas taliter latas harum ſerie reuocantes & annullantes, illaſque ad vim comminationis pœnarum comminatoriarum & ferendarum, ſeu corporales & temporales pœnas prædictas per Generalem Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos & alios Prælatos ipſius ordinis ferendas & infligendas reducentes. Quodque Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & alij ipſius Ordinis Prælati prædicti, temporales ſeu alias pœnas pro non obſeruatione dictorum ſtatutorum, ſecundum qualitatem perſonarum, locorum, & temporum, & alias provt videbitur ſaluti animarum fratrum eorundem in Domino expedire, ferre & promulgare, ac delinquentes ab illis abſoluere valeant. Non obſtantibus ſtatutis, ordinationibus & declarationibus præmiſſis; quibus quoad hoc expreſsè derogamus, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis: nec non alijs ſtatutis & conſuetudinibus dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quamuis alia firmitate roboratis contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat, &c. Ita Sixtus IV.

11. Circa prædictam conſtitutionem notandum eſt *primò*, illam non prohibere Prælatis, ne præcipiant aut prohibeant ſuis ſubditis aliquid ſub pęna excommunicationis, aut alterius cenſuræ aut ſub pęna peccati mortalis, ſed quod ſub his pęnis ſtatutum permanens non edant; & declarat Fratres non teneri his ſtatutis in conſcientia, nec obligari.

Non obſtante ergo prædicta Conſtitutione, Prælatus regularis ex Ordine Minorum, in occaſione graui poteſt præceptum ſubditis imponere obligans ad mortale, & ſub pęna excommunicationis. Ratio eſt, quia in eos habet Eccleſiaſticam iuriſdictionem in foro exteriori & interiori; at excommunicare, & cenſuras ferre ad talem iuriſdictionem ſpectat, ergo. Nec requiritur quod in ſcriptis feratur hęc excommunicatio, iuxta formam *Cap. ſacro, de ſententia excommunicationis in 6.* quia Prælatis Ordinis Minorum conceſſit *Leo X.* vt cùm aliquem fratrem propter Apoſtaſiam, vel aliam cauſam excommunicant, in Capitulo fratrum, vel communitate, non teneantur proferre ſententiam excommunicationis in

ſcriptis,

ſctiptis, provt ſub pena ſuſpenſionis præcipitur in iure: Nec obſtat etiam quòd talis excommunicatio non ſit lata præuia trina monitione, ſicut requiritur ad excommunicationem ab homine latam: quia hæc non haber locum in excommunicatione, quæ fertur à Prælatis regularibus, per modum præcepti, ſatis enim monet Iudex eo ipſo, quòd iuſtè aliquid præcipit, aut prohibet, & ſufficit ſi ſubditus contumax, qui agnoſceos præceptum, cui annexa eſt excommunicatio latæ ſeotentiæ, illud nihilominus tranſgreditur, ac proinde tali cenſura ligatur. Ita Compend. Priuileg. Mendicant. *v. abſolutio ordinaria quoad Fratres* §.26. Savrus *de cenſur.l.1.cap.*12. *num* 21. Suarez *de cenſur.diſp.*7.*ſect.*13.*& diſp.*3.*ſect.*8. Auila *p.*2. *de cenſ.c.*5.*diſp.*1.*dub.*10.& alij.

Sayrus. Suar. Auila.

An autem Prælati regulares poſſint ſibi reſeruare abſolutiouem ab excommunicatione à ſe lata? probabilius eſt, quòd non; vt diximus *to.*1.*v. Caſus reſeruatus n.*43.

Notandum eſt *ſecundò*, omnia ſtatuta religionis Minorum obligantia ad culpam vſque ad tempora *Sixti IV.* per eundem eſſe ſublata et reuocata: et redacta, vt ſolummodo obligent ad penam. Tamen quia Pontifices præcedentes nequeunt ligare manus ſuorum ſuccedentium, tenebuntur fratres ad ſtatuta poſtea, et de cætero facienda auctoritate Apoſtolica: Ad quod etiam eſt quędam declaratio *Pij V.* apud bullarium Rodriquez, inter viuæ vocis oracula, vbi ait: *Per quacumque ſtatuta, etiam Apoſtolica, non obligantur fratres ad aliquas cenſuras ſeu pœnas Eccleſiaſticas, vel ad peccatum mortale, ſed tantùm ad pœnas, ſeu pœnitentias per Prælatos iungendas, non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis, ſeu regulæ declarationibus, dummodò non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ.* Ex quò fit, quod ſtatuta facta auctoritate Apoſtolica, poſt *Pium V.* ſub dictis penis obligant in conſcientia. Sed de his plura apud Rodriquez *to.*1.*qq.reg.q.*10. *art.*8. Mirandam *in Manuali Prælat. tom:* 2.*q.*29.*art.*10. Portel. *in dub.regul. v. ſtatutum num.*12. *& ſeq.* *Compendium priuileg. Mendicant. v. ſtatuta ordinis.* Cordubam *ibid.*

Rodriq. Miranda Portel. Corduba

12. Prelati regulares non debent eſſe faciles ad ferenda præcepta obligantia ſubditos, ſub peccato mortali: cùm experientia rerum magiſtra demonſtret, eorum frequentiam magis contemni, quàm formidari, et infęlices exitus, in perniciem animarum ſubditorum, inde ſubſequi: vnde Prælati a multitudine præceptorum, et ordinationum abſtineant, ne laqueum ſubditorum animabus iniiciant, nec propter defectum vnius, vel paucorum, quos non audent corripere, communitatem inuoluant. Fauet his Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. *Quamuis*, inquit, *excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobriè tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt, cùm experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm ſalutem.*

13. Regulariter loquendo, Prælatus religioſus Præceptis ſuis non intendit obligare ſubditos, vbi adeſt probabile vitæ periculum, ſi illud noo eſt per ſe materię præceptæ annexum, nec à Superiore præuiſum, aut excogitatum. Ratio eſt, quia præceptum humanum non poteſt ſtrictiùs quàm præceptum naturale aut diuinum obligare: multa autem præcepta diuina, et naturalia alioquin ad mortale obligantia non adſtringunt cum periculo vitæ, verùm nec cum maximo detrimento proprio. Deinde nemo obedientiæ votum emittens habet intentionem, ſe adſtringendi eum huiuſmodi periculo; imò ſi hoc intenderet, talis intentio, tanquam temeraria, et imprudens cenſenda eſſet inſufficiens ad inducendam obligationem in conſcientia. Ita Suarez *de relig.tom.*3.*l.*10.*c.*4. *n.*15.*& tom.*4.*tr.*8.*l.*2.*c.*8.*n.*29. Azorius *p.*1.*l.*1.*c.*11. *q.*1. Sanchez *l.*1.*mor.c.*18.*n.*4.

Suarez. Azor. Sanchez

Dubium autem eſt, an poſſit Prælatus regularis præcipere aliquid ſubditis cum eorum vitæ periculo? Quidam negant id poſſe Prælatum: tum quia tota hæc obligatio radicaliter fundatur in voto obedientiæ, et conſequenter in intentione vouentis: nullus autem intendit ſe obligare ad parendum in huiuſmodi euentu. Tum quia tantum obligatur religioſus ad obediendum ſecundùm regulam; Regula autem non præcipit res adeò difficiles, nec cum tanto diſcrimine, ergo. Ita Tabiena *v. Epiſc.* §.5. *conſ.*5. Armilla *v. Obed. n.*5.

Tabiena. Armilla.

Nihilominus dicendum eſt, hunc modum præcipiendi non excedere poteſtatem Prælati religioſi: & proinde ſi velit obligare in caſu particulari non obſtante mortis periculo, eius præceptum tenere, ac ſeruandum eſſe, quando dirigitur ad conſeruationem communis boni religionis: Ratio eſt, quia Prælatus religionis eſt verè ſuperior, habens poteſtatem ad omnia, quæ ad perfectam gubernationem inter homines neceſſaria eſſe poſſunt: hic autem modus obligationis ſæpe neceſſarius eſt. Proinde tempore peſtis poteſt Prælatus ſubditis præcipere, vt religioſis eodem morbo contagioſo ægrotantibus, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus cum vitæ periculo miniſtrent: hoc enim eſt neceſſarium ad conuenientem monaſterij gubernationem, & ad conſeruationem ſtatus religioſi, & propterea ad eius commune bonum. Caiet. *tom.*3.*opuſc.tract.*9. Suarez *de leg.l.*3. *cap.*30. *num.*3. *&* 4. Bonacina *de leg.diſp.*2. *q.*8. *punct.*2. *num.*11. Monent tamen Rodriquez *tom.*3.*qq.reg.q.*31.*art.*3. Sanchez *l.*6.*moral.cap.*2.*num.*56. non debere Prælatum valde infirmos, & debiles, vel inſignis conditionis viros, quorum vita communi religionis bono eſſet valde vtilis, vel neceſſaria, ad miniſtrandum fratribus peſte laborantibus deſtinare, præſertim ſi adeſſent alij, qui hoc munus rectè pręſtare poſſent.

Caiet. Suarez. Bonac. Rodrig. Sanchez

Noo poſſet tamen Prælatus ſuis religioſis præcipere, vt externis peſtilentiæ morbo laborantibus, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus inſeruiant; & ſi ita præciperet, ſubditi non tenerentur obedire: imò licitè poſſent à loco, vbi epidimiæ morbus graſſatur ad vitam ſaluandam aufugere; quod maximè locum habet in religioſis; qui ex inſtituto ſuæ regulæ, ſoli contemplatiuæ vitæ vacant, non habentes pro obiecto exercitium operum pietatis: hi namque nunquam ad id aſtringi poſſunt, quidquid eis præcipiatur; cùm tale præceptum nec ad obſeruantiam regulæ, nec ad generale communitatis bonum ſpectet: ſed illi tantùm ad illam tenentur, qui ex officio, vel ex toto ſuæ profeſſionis miniſtrant infirmis; hi enim non ſolùm ex debito charitatis, ſed etiam ex iuſtitia tempore peſtis obligantur aſſiſtere, & huiuſmodi miniſterium extra monaſterium exercere.

Religioſi Mendicantes, quorum inſtitutum eſt ſpirituali proximorum ſaluti incumbere tanquam Epiſcoporum coadiutores, tempore peſtis, deficientibus Parochis, vel non ſufficientibus numero ob multitudinem populi, & quando non eſſent alij ſacerdotes, qui Epiſcopi temporibus vellent parochis auxilio eſſe, moniti ab Epiſcopo tenentur iuſſu Prælati regularis infirmis miniſtrare ſacramenta, & tenetur Prælatus id præcipere; quia hoc non eſt ſupra eorum regulam, ſed ſecundùm illam; cum eorum munus ſit, eſſe Epiſcoporum, & Parochorum coadiutores in ſalute ſpirituali proximorum adiuuanda: & ob id eleemoſynis fidelium ſuſtentantur. Ita D. Thomas 2.2.*q.*186.*art.*2.*&* 9.*& q.*187. *art.*1. *ad* 3. *& q.*188. *art.*4. *ad* 2.*&* 5. Rodriquez *cit. quæſt.*31. *art.*4. Sanchez *l.*6.*moral.cap.*2.*num* 60.*& ſeq.* Bannez 2.2. *quæſt.*13.*art.*3.*dub.*3.& alij.

D. Th. Rodriq. Sanch. Bannez.

14. Generalis alicuius religionis non poteſt præcipere religioſis ſubditis ſuis vt ad indos, infideles, vbi imminet periculum martyrij, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos, cauſa eorum conuerſionis procurandæ tendant. Ratio eſt, quia res eſt difficillima, multiſque animæ, & corporis periculis expoſita: atque ita regulæ præſcriptum excipit. Excipiuntur tamen religioſi Societatis Ieſu, qui ſpeciali voto ad hoc ſe obligant: hos enim poteſt Generalis obligare ad omnes has partes, & alias quantumuis remotas tendere ad ſeminandum Euangelium, quia præceptum hoc non excedit eorum inſtitutum, ſed illi conforme eſt. Sed cùm Pontifici Summo cura vniuerſalis boni communis incumbat, ille ſolus poſſet etiam præcipere alijs religioſis modo quo alijs clericis ſæcularibus, vt ad Indos conuertendos pergerent, in caſu quo neceſſitas boni communis id poſtularet; vide Rodriquez *tom.*3.*qq.reg.q.*19.*art.*7.*&* 8.*& tom.*2. *Sum. c.*9. *n.*5. Lopez 1. *part. in-*

Rodriq. Lopez.

Corduba. Leſſ.

part. inſtract. cap. 56. Cordub. *in reg. S. Franc. q. 2.* Leſs. *l. 2. c. 41. dub. 9. num. 75.*

15. Prælatus regularis renuncians Prælaturæ coram alio quàm legitimo Superiore ſuo, irrita eſt renunciatio in ordine ad Eccleſiam: valida tamen aliquo modo eſt in ordine ad ipſum renunciantem, ita vt ſuperior renunciationem factam ratam habere, & renuntiantem ad dimittendum beneficium cogere poſſit: niſi dum res integra eſſet pœnitentia ductus reuocarit. Hæc colliguntur ex iuribus hic citatis. *Cap. Admonet, & C. penult. & vlt. de renunciat. Cap. non oportet 19. cauſa 6. q. 1.*

16. Quamuis Superiores religionum poſſint amouere & ſpoliare Prælatus manuales de ſuis Prælaturis manualibus quomodocumque, & quandocumque ipſis placuerit, etiam ſine cauſa, nec ipſi Prælati manuales poſſint conqueri, ſiue agere quidquam contra ſpoliatores: quia Superiores illos à dictis Prælaturis amouendo, vtuntur iure ſuo, nec illis iniuriam faciunt: *Cap. Cum ad monaſterium § fin. iuncta gloſs. verb. perpetuò de ſtatu monach.* In vno tamen caſu id non erit licitum, nempe pendente accuſatione, vel inquiſitione contra aliquem. Ratio eſt, quia dum Superior cœpit accuſationem, vel inquiſitionem contra ſubditum, ad effectum ſpoliandi eum Prælatura, tum ipſa ſpoliatio ſuperueniens non conſiderabitur, vt ius ſimplex, & imperium Superioris in ſubditum, ſed vt pœna illius delicti, de quo ipſe iam cępit accuſationem, ſeu inquiſitionem: ſed talis pęna non poteſt imponi, niſi priùs probato delicto. Ergo, &c. Ita noſter Sigiſmundus à Bononia *tract. de elect. p. 1. c. 7. dub. 47. num. 7. & ſeq.* Riccius *in praxi tom. 4. reſol. 51.* Diana *part. 3. tract. 2. reſ. 117.* Paſqualigus *in dec. mor. deciſ. 461.* & alij: vide *v. Correptio Fraterna num. 13. verſ. Notandum.* Sed rogabis, An poteſtas Prælatorum Regularium poſſit reſtringi, & coarctari à ſuis Prælatis maioribus? Reſpond. cum Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 17. art. 1.* quòd poteſtas iuriſdictionis, ſeu gubernationis, quæ data eſt præfectis regularibus non eſt independens, ſed dependens à Superioribus omnibus. Nam ordine Hierarchico data eſt illis poteſtas. Et ſic Superiores religionum Prælati poſſunt iuſta exiſtente cauſa reſtringere & coarctare authoritatem inferiorum Pręlatorum; quia licet vtriſque data ſit poteſtas memorata iure diuino, conceſſa tamen eſt ordine Hierarchico, vt minores pendeant à maioribus. Verum tamen eſt, quòd nequeunt maiores prælati reſtringere poteſtatem inferiorum Prælatorum ordinariorum ſine iuſta cauſa. Quare ſi ſecus fecerint, peccabunt, licet factum teneat; & poſſunt tempore viſitationis de ea re conueniri & puniri: quia ex eo quòd Prælati omnes regulares memorati, ſunt ordinarij, & non delegati, habent ſuam authoritatem beneficio legis, non ſolùm humanæ, ſed etiam diuinæ. Et ideò ſi ad libitum reſtringantur ſine iuſta cauſa, iniuria illis irrogatur.

Sigiſm. Riccius. Dian. Paſqual.

17. Virtutes requiſitæ in Prælatis ſunt. *Primò*, tenentur bonum commune religionis ſemper affectare, proprio commodo poſtpoſito, pro regulari obſeruantia vitam, ſi opus fuerit, in periculo conſtituentes, & iuſtitiam ſemper præ oculis habentes; ipſa enim eſt pax religionis, tutamentum obſeruantiæ regularis, immunitas communitatis, nutrimentum ſpirituale religioſorum, gaudium, ſilentium & ſecuritas in pulchritudine pacis.

Secundò, in Prælatis maximè eſt neceſſaria fortitudinis virtus, iuſtitia enim ſine fortitudine, terga nonnunquam vertit, atque eos deſerit, quos tueri deberet; ſicut fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis fomes eſt. Ad quam pertinet virtute, & valore irrumpere iniquitates nõ extimeſcendo faciem potentum, innocentes contra malignantes validos protegere; cum aliquibus reis aliquando diſſimulare: cùm enim ſi ab ea prudentia omnium ſit virtutum moralium forma, ſeparetur fortitudo, rem & nomen fortitudinis perdet, & ad vitam temeritatis accedet: prudenter enim quandoque diſſimulantur peccata, ne inde maiora incommoda, grauioraque mala ſuſcitentur.

Tertiò, ineſſe debet in Prælatis pietas & miſericordia, non nimia tamen, ſicut nec nimia iuſtitia & ſeueritas, ſed miſcenda eſt lenitas miſericordiæ cum ſeueritate iuſtitiæ, & rigor iuſtitiæ cum oleo miſericordiæ, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum; vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimia benignitate ſoluantur; quamuis in plurimum debeant Prælati eſſe procliniores in pietatem & benignitatem, maximè in paruis, & vulgaribus culpis, non enim conducit & quaslibet & omnes ſimpliciter punire.

Porrò Prælatorum munus eſt ſuam congregationem à vitijs, & peccatis expurgare, vt boni quietè ad opus ſuum exire, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam mortis, & beatam illam ſpem conſequi valeant, & ne morbidæ, & ſcabioſæ oues inficiant ſanas. Priùs tamen correptio fraterna commendata in Concil. Tridentin. *ſeſſione 13. cap. 1. de reformat.* præcedere debet, à qua dolor & verecundia peccatorum aliquando originatur, quę à ſacris Canonibus pro non parua pœna reputatur. Ita prudenter & piè docet Rodriquez *tom. 3. qq. reg. q. 34. 5. 6. 7. & 9.*

18. Proinde Prælaturæ munus durum valde eſt, vt conſtat ex Concil. Tridentino *ſeſſ. 6 cap. 1. de reformat.* Eccleſiarum regimen, *inquit*, eſt onus Angelicis humeris formidandum. Tam graue eſt Prælatorum officium his temporibus, quibus quiſque ferè ſibi licere putat quodlibet, vt miſerrima Prælatorum vita, non ſolùm malorum, ſed meliorum: dum enim manum ad depellenda crimina adijcere volunt, impiorum ſeueriſſimè excandeſcit ira, oderunt enim dum metuunt, & qui timetur, timeat oportet, vel à factis, vel à calumniis ſaltem. Ex tot ſunt cauillationes, maledicentiæ, detractiones, calumniæ, impertinentiæ ſubditorum, vt Prælatos etiam ſapientes, & rectos connirbent; & qui bona intentione Prælaturam receperunt, boniſque artibus eam exercere ſtuduerunt, victi ſubditorum inſolentiis, quibus manna de cęlo deſcendens nauſeat aliquando, in illos ſæuire coguntur. Quare cogitur quidam Sapientiſsimus Prælatus ſub ſarcina prælaturæ gemens exclamare. O captiuitatem domeſticam, ò ſplendidam ſeruitutem, ò oneroſum honorem, ò ſecretam paſſionum domatricem, ò afflictionum pelagus, ò mortificationum oceanum, ò tribulationum radicem, ò ingratitudinum mare, ò inquietudinum matrem, ò męſtarum cogitationum nutricem, ò animarum corporumque perditionem infęlicem dignitatem? Quo infortunio ad tuas vnquam deueni manus? Pereat illa dies, in qua dictum eſt mihi, Prælatus creatus es. Lugenda dies, & nigro ſignanda lapillo, tanquam origo omnium miſeriarum; dies, quæ fuit finis quietis, & principium tribulationum. Audite iuuenes ſenem non animo, neque ætate, ſed corpore, rectum iter ſerò cognitum monſtrantem cum Seneca epiſt. 8. Quaſi à facie colubri dignitates fugite, habent enim decoras facies, ſed deformes ſunt intus. Dulce accidens, amara ſubſtantia, medicina videntur malorum prima facie, ſed venenum ſunt bonorum in progreſſu. Elongate & fugite. Vita baiulorum eſt vita Pręlati, ſcopus maledicarum linguarum ſubditorum. Ah Deus immortalis, quàm bene dicebat ille, *Si fuiſſem de numero Prælatorum, non fuiſſem de numero electorum.* Et quidam è Senioribus noſtris Deum quotidie rogabat, ne in Prælatura decederet. Hoc vnum reperi in tot moleſtijs ſolatium, quòd alijs communicare non grauor, & puto ſimpliciter bonis Prælatis neceſſarium, mentalem eſſe nimirum orationem. Hæc enim pabulum eſt mentis & corporis. Nam corpus & mens tot curis fatigata, niſi ſemel in die ad minus, ijs depoſitis, recreentur, quod in dicta fit oratione & non alibi, ſuccumbant neceſſe eſt.

19. Demum pro prudenti ſubditorum regimine, quędam à Prælatis obſeruanda ſunt. *Primum* Nullum negotium aggrediendum, niſi omnibus, quę illud circumſtant, diligenter conſideratis: *Qui enim feſtinus eſt, pedibus offendet.* Prouerb. 19. & D. Gregorius homil. 37. in Euangel. *Omne, quod agimus, præuenire per ſtudium conſiderationis debemus.* Quia multis malorum cauſa feſtinatio eſt. Et notæ ſunt illæ illuſtrium virorum ſententiæ *Feſtina lentò.* Item *Periculoſa eſt præpropera prudentia.*

Secundum, Conſilium aliquando mutandum, ſi negotium exigat. Quare omninò imprudens exiſtimandum eſt, & procul ab officiis arcendum illud hominum genus, qui quod ſemel apprehendunt, nunquam dimittunt. Facilita-

cilitate autem, & flexibilitate nihil eſt in homine melius rationi parere, ratione flecti, ratione duci hominis ſapientis eſt. Vnde Seneca epiſt. 27. *Vis tibi omnia ſubijcere, ſubijce te rationi*, & D Greg. li. 8. regiſt. epiſt. 12. *Illa Præpoſitorum ſollicitudo vtilis, in qua totum ratio agit.*

Tertium, Non facilè credendum. Eſt hic neruus, atq; artus imperij. Iuxta illud Eccleſiaſt. 19. 4 Sapientis. *Qui citò credit, leuis eſt corde. Non omni verbo credas.* Et D. Bernardus lib. 2. de conſiderat. cap. vltim. *Eſt vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes, quos noui, ex his, qui cathedras aſcenderunt, ſedebis ſolitarius, &c. Facilitas credulitatis hæc eſt, cuius callidiſſima vulpecula magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo ira multa; inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes.* Multò minùs credere debet Prælatus inimicis reconciliatis de nouo, id eſt, ijs, qui ex inimicitia formali amici recenter facti, deinde reconciliati ſunt: illa enim inimicitia, ſeu rixa, eſt quaſi renouatio amicitiæ. Quare caueat Prælatus prudens, ne facilè credat huiuſmodi diſcordatis, nam, cùm concordauerint, poſtea ſibi inuicem referent, quidquid ſinguli ab eo audierint. Sed curabit, vt dicti reconcilientur.

Quartum, Nihil ſine conſilio faciendum. Eccleſiaſt. 32. 24. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*. Prouerb. 1. *Audiens Sapiens ſapientior erit*. Tamen à Conſiliario cauendum, Eccl. 379. *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas*, id eſt, vide ne cui temerè, re non ſatis conſiderata, fidas. Probanda priùs & experienda fidelitas, tentanda ſenſim mens eius, rebus adhuc integris. Vide quibus indigeat, an intereſse ducatur, an conſilio tibi dato, proprio, an tuo commodo ſtudeat, nam tunc eius verbis ſtandum non eſt, iuxta illud Gregor lib 1. regiſt. in d. 9. ep. 33. *Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quàm qui non tua; ſed te diligit.* Et Ariſt. 8. & hic c. 4. *Qui ſunt ob vtilitatem amici, hi ſimul cum vtilitate diſſoluuntur; non enim hi ſeſe mutuò, ſed vtilitatem amabant.* Bonus autem conſiliarius debet eſſe ſenex, quocum creuerit virtus & ætas. Iob 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Debet eſſe expertus in ea re, de qua ab eo petitur conſilium. Eccleſiaſt. 38. 35. *Vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt.*

Quintum, Lingua cohibenda, verba enim Prælati notantur attentè, & circumferuntur velociter, & multam faciunt in animis ſubditorum impreſſionem. Vnde Laurentius Iuſtin. tract. de prud. c. 4. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt: Diu igitur conſiderandum eſt, quid loquendum ſit, & adhuc tacite prouidendum, ne quid dixiſſe pæniteat.* Nec aliter cognoſcitur ab imprudente prudens quàm ab ore. Quod ita verum eſt, vt ſi ſtultus tacere ſciat, prudens iudicetur. Prouerb. 17. 28. *Stultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.*

Sextum, Delatores non audiendi. Prouerb. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Et D. Bernardus lib. 4. de conſiderat. *c. 6. Clandeſtinas & ſuſurratas delationes non recipias, & hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quod in ore locutus eſt, ſuſpectum habeas Quod ſi, te iudicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem iudices, non accuſatorem.* Per delatorem intelligitur ille, qui falſis delationibus cum aliqua mixtione veritatis Superioris gratiam aucupatur, aures ſemper illius pulſans, de quibuſcumque etiam minutiſſimis rebus monens: nam eos, qui zelo charitatis ducti, de malefactis Superiorem monent, vt prouideat, eſſe audiendos nemo negat, quando id bono communi eſt neceſſarium. His tamen, quantumuis grauibus, Prælatus non debet plenam adhibere fidem nec iudicium firmare, ſed ſolùm cautus reddi.

Septimum, Subditorum nimia familiaritas vitanda; parit enim ea contemptum, vt habet text. in *l. Obſeruandum. ff. de offic. Præſid.* Et Apuleius de Deo Socr. *Parit conuerſatio contemptum, raritas conciliat ipſa rebus admirationem.* Continuus enim aſpectus minùs verecundos homines ipſa ſatietate facit. Non debet itaque Prælatus ſe contemni pati, ſed debet habere curam ſuæ dignitatis conſeruandæ, *l. 1 ff de poſtuland.* & ſcire, quòd omni familiaritati eſt dignitas præferenda. Illi igitur grauitate vtendum, id eſt conſtantia, quatenus à leuitate contradiſtinguitur, ita vt non quacumque re leui moueatur ad ridendum, loquendum, murmurandum, currendum. Et de hac loquitur Apoſtolus ad Titum 2. 7. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.*

Octauum, Liberalitas in ſubditos exercenda. Hæc enim amorem conciliat. corda rapit ſubditorum, defectus, ſi quos habet Prælatus, extinguit: hæc Prælatum firmat & ſecurum in ſtatu tuetur: hæc inimicos amicos reddit, inuidos quietat, & ſeditioſos pacificat: hæc facit vt Prælatus ametur a ſubditis, & grauitas, vt timeatur.

Nonum & vltimum, Conſeruatio pacis inter ſubditos, iuxta illud Pſalm. 132. *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Ad quem locum ait D. Baſil. *Quemadmodum à capite vſque ad barbam, & ſummitatem indumenti, ſacrum vnguentum decurrens, Sacerdotem bona fragrantia replebat, ita & a Principe vſque ad ſubditos concordia vtilitas deſcendit.* Vnde in iure, cuius cuſtodes debent eſſe ſuperiores, habentur tituli de pace ſeruanda inter ſubditos. *l. 2. feud. tit. 53. & tit. 27.* Hinc Auguſt. ſerm. 2. ad Fratr. in erem. *O Monache vix poteris inuenire in præſenti vnum, quod ſit bonum & iucundum, cupis tamen illud inuenire? Perſequere pacem, & amplectere eam; hæc eſt enim ſola virtus, quæ habet bonum & iucundum: hæc eſt illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo, vt ſimul viuere, ſimulque mori ſemper optemus. O pax, tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis conſortium? Hæc eſt illa ſumma felicitas, quæ bella compeſcit, iras comprimit diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis places, à cunctis optatur: beatus, qui te habet: maledictus, qui te odit, & frangis inter homines, quoniam Antichriſtus eſt & filius perditionis.* Vnde meritò odientes pacem diſſipari optabat Dauid Pſalm. 67. 11. dicens: *Diſſipa gentes, quæ bella volunt.* Et D. Gregor. 3. p. paſtor. admon. 23. *Diſcordes namque admonendi ſunt, vt certiſſimè ſciant, quia quantislibet virtutibus polleant, ſpirituales fieri nullatenus poſſunt, ſi vniri per concordiam proximis negligunt.* Quare deploranda eſt miſeria illorum Conuentuum, Prouinciarum, ſeu Religionum, ſi quæ reperiantur, in quibus inuenta illa Dæmonum, factiones ſcilicet, reperiuntur, & vigent, in quibus nullum bonum poteſt reperiri, vt ait Gregor. loco citato. *Penſemus*, inquit, *quanta ſint mala diſcordia, quæ niſi extincta funditus fuerint, bonum ſubſequi non permittunt.* Odio enim ſe inuicem habent factionarij, de ſe inuicem continuè murmurant; alter alterius notat actiones, inueſtigat, ſocios interrogat, ſpeculatur, in Calendario ſcribit, ne obliuiſcatur, & ſociis nunciat, vt ſuo tempore Superioribus propalet, interim diuulgat, curat adhibere teſtes, ſi non fuerint, nec deſunt qui ſe offerant, etiamſi nihil viderint; ſemper alter in alterum machinatur, irridet, ſubſannat; actiones, & quidquid à quocumque factionis contrariæ factum fuerit, culpat, maculat. Suos vnumquodque factionis caput defendit, eorum occultat, vitia, protegit, ne puniantur, imò fouet ſecundùm inclinationes, quas nouerit, ne ab eo reſiliant, & ad aduerſarium tranſeant. Vnde ambitioſos ſpe dignitatum nutrit, ſuperbos blandiendo inflat, incontinentes excuſat, culpam in humanam fragilitatem proijciendo, exemplo aliorum cooperiendo, &c. Hinc regularis diſciplina eneruatur, funditus deſtruitur, imò ne nominatur quidem: Nouitios enim nondum habitum religionis indutos & iuniores profeſſos conatur vnuſquiſque in ſuam factionem trahere, extraordinarijs diligentijs tractos fouet, nutrit, etc. Audiamus D. Bernardum Epiſtol. 116. *O ſtulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam.* Reſonat illud Pauli ad Corinthios 1. 12. *Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* O factionum capita! Væ vobis, qui peccare facitis populum Dei. Væ qui trahitis iniquitatem

tatem

tatem in funicolis vanitatis, ambitionis, ſuperbiæ et inuidiæ, quibus quaſi loris aſtricti plauſtrum peccatum trahitis, &c. His malis religionum Prelati occurrere debent, capita talium factionum euellendo, has in malo congregatas ſocietates diſſipando, diſpergendo, annihilando, vt pacem veram, concordiam ſanctam, charitatem perfectam ſuis Conuentibus, Prouincijs & religioni reſtituant.

Reſtituetur ſine dubio illa vera pax, ſi capitibus amputatis tria vitia extirpare Prælati curent. 1. eſt Inuidia, propter quam filij Iacob, Geneſ. 37. 4 Ioſeph fratri ſuo non poterant pacificè loqui. Hoc vitium licet ferè inſanabile ſit, poteſt tamen aliquantò deliniri humilitate, fraterna charitate, contemptu terrenarum rerum, amore æternæ beatitudinis. Sed melius, ſi diſtribuantur honores ſecundùm merita, & pœnæ ſecundùm demerita. 2. eſt Superbia, vnde Prouerb. 23. 10. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt*. Hoc vitium falce ſolùm humilitatis præſcinditur, & vilipendio perſonæ. 3. eſt Cupiditas habendi; vnde dici ſolet, quòd quietiſſimè viuerent homines, ſi hæc duo pronomina tollerentur, *Meum* & *Tuum*. Hoc vitium tollitur per ſtrictam obſeruantiam voti paupertatis: per æqualem diſtributionem bonorum Monaſterij. Quibus extirpatis, redibunt Saturnia regna, & bonis pacis perfruentur omnes cum gaudio. Et quod ad Prælatos ſpectet, pacem religionis procurare, conuincunt, *cap. Diſſidentes, cap. Studendum, cap. Placuit, cap. Præcipimus, diſt. 90.*

Alia prudentiæ monita & præcepta vide apud Cornel. à Lapide in *c. 4. epiſt. Pet. verſ.* Peyrinum *tom. 2. de Prælato, q. 2. c. 2. §. 10. & ſeq.*

20. Niſi Dominus ſupponat manum ſuam, importabile eſt Prælaturæ onus. Quod conſiderans Gedeon aiebat. *Non dominabor veſtri, ſed dominabitur veſtri Dominus.* Et D. Nazianz. orat. 1. num. 21. *Difficile eſt ſcire parere, ſed multò difficilius ſcire imperare, præſertim in imperio, quod in lege diuina ſitum eſt, & ad Deum ducit.* Hæc difficultas oritur tum ex parte Prælati, cuius eſt non ſolùm corpora, ſed animas regere. Tum ex parte ſubditorum quorum aliqui bonæ, alij malæ indolis & inclinationis ſunt, alii melancholici, alii hilares, alii docti, alij ignari, alij ſeditioſi, alij pacifici, alij murmuratores, alij quieti, alii celliotæ, alii curſores, & denique alii boni, alii mali. Oſtenditur autem hæc difficultas Prælatorum in regendis ſubditis per D. Petrum 1. Apoſtolorum principem *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo* Ex quo colliguntur ſed Prælati munia. 1. quòd debet eſſe paſtor: bonus autem paſtor eſt, ait D. Thom. *lib. 3 de regim. c. 11.* qui principaliter bonum ſubditorum intendat; qui per ſe ſufficiens reperitur, quique in omnibus bonis ſuperexcellit, & qui curam habet ſubditorum. Et D. Bernard. in ſentent. *Boni paſtoris eſt vigilare ſuper gregem propter tria neceſſaria, videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces. Ad diſciplinam, propter morum correctionem, ne grex commiſſus propria moleſtia deficiat. Ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem, ne hoſtili ſeducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum inſtantiam, ne vincatur à puſillanimitate. In diſciplina rigor iuſtitiæ. In cuſtodia ſpiritus conſilij. In prece affectus compaſſionis. Secundum* Prælati munus eſt, vt non coactè, ſed ſponte paſcat; id eſt, non ambitione, vel auaritia, aut alterius terrenæ rei amore gregem paſcat, ſed ſolùm intuitu ſupernæ mercedis. *Tertium* Prælati munus eſt, vt ſubditos regat ſecundùm Deum, ſcilicet, alacriter procurans munus impoſitum ſecundùm Dei voluntatem obire: ſoli Deo placere cupiens, illius ſolius gloriam quærens, & ad eum ſolum oues dirigens. *Quartum* munus eſt, vt hoc non fiat turpis lucri gratia. Audiamus D. Hieron. ad Nep. *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quàm fuerint ſæculares; & Clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere quas ſub locuplete & fallace Diabolo non habuerant, vt ſuſpirent eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Quintum* munus eſt, vt Prelatus non ſit imperioſus, nec imperioſè vexet ſubditos, ſed *morum conſuetudo*, vt ait D. Baſil. reg 43. ex fuſ. diſp. *& humilitas cordis, hæc præcipua Antiſtitis inſignia ſunto. Talis enim fuit Chriſtus, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Sextum* munus eſt, vt Prælatus ſit forma, & exemplar gregi ſuo. Iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate.* Et D. Nazianz. orat. 1. num. 26. *Neque enim ab eo, qui hanc curam ſuſcepit, hoc ſolum requiritur vt malus non ſit (malum enim eſſe plerique etiam è vulgo turpiſſimum cenſent) verum etiam vt virtute præſtet, iuxta illud ſcripturæ præceptum, quo declinare à malo & bonum facere iubemur.*

Denique his ritè à bono Prælato obſeruatis, Deus, qui bonorum operum remunerator eſt eidem pro tot laboribus toleratis intus & foris, bona tribuet, & in hac vita, et in futura. In hac vita tribuet illi Deus tria bonorum genera, de quibus D. Thomas *l. 1. de regim. Princip. c. 10.* Primum quòd illius dominium perpetuum facit; intellige, quatenus eſt ex parte ſubditorum. 2. Tribuit Deus communitati, cui præeſt, abundantiam bonorum temporalium. 3. Tribuit bono Prælato bonum nomen etiam poſt mortem. In futura autem præmium alterius vitæ, iuxta illud D. Petri. *Et cum apparuerit Princeps paſtorum percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Et cùm vltra coronam gloriæ eſſentialem, conſtituant Theologi alias coronas accidentales, quas Aureolas vocant, vna ex iſtis aureolis debetur Prælatis, vt docet D. Thomas citatus c. 9. & de iſta aureola loquitur D. Petrus, quando dicit, quod Paſtores percipient *immarceſſibilem coronam gloriæ.* Vnde quò maior Prælati fuerit charitas, zelus & labor, eò pariter illius maior erit gloria & laurea. Sed de Prælato ſatis.

Plura de Prælatis, vide tom. 1. verb. Apoſtaſia *num.* 10. Benedictio *num.* 7. 10. Beneficium 7. *num.* 3. Bigamia *num.* 12. Abbas, Cenſura *num.* 3. Confeſſarius 2. *num.* 11. Clauſura *num.* 11. Correptio Fraterna *num.* 6. Donatio *num.* 6. Feudum *num.* 4. & hoc tom. verb. Immunitas *num.* 6. Interdictum 4. *num.* 1. Irregularitas 5. *num.* 7. Irregularitas 11. *num.* 6. 9. Iuramentum 5 *num.* 8. Locatio 2. *num.* 5. Ludus 1. *num.* 3. Matrimonium 4. *num.* 4. Paupertas religioſa *num.* 9. 10. 13. 19. Pignus *num.* 6. Votum 7. *num.* 3. 11. Ordo 3. Priuilegium 4. *num.* 11. Priuilegium 6. *num.* 5. Præceptum, Obedientia.

PRÆSCRIPTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit præſcriptio? & vt tripliciter accipiatur apud Iuriſtas.*
2 *Quæ requirantur ad legitimam præſcriptionem?*
3 *An ad præſcriptionem requiratur poſſeſſio?*
4 *De ſecunda conditione ad præſcriptionem, quæ eſt bona fides.*
5 *An qui dubitat, an res ſit ſua, habeat bonam fidem, ſi inchoet poſſeſſionem cum eo dubio?*
6 *An ignorantia iuris clari etiam inculpabilis, proſit ad præſcribendum? & quid dicendum de errore vel ignorantia iuris dubij, vel facti.*
7 *An mala fides authoris noceat ſucceſſori vniuerſali uel particulari ſeu hæredi mediato.*
8 *An qui titulo legati, donati, empti rem bona fide accepit ab authore malæ fidei, poſſit eam præſcribere.*
9 *De tertia conditione ad præſcriptionem, quæ eſt titulus probabiliter præſumptus.*
10 *An ad præſcriptionem ſit magis neceſſaria bona fides quàm titulus.*
11 *De quarta conditione ad præſcriptionem, quæ eſt, continuatio poſſeſſionis tempore legibus definito, Et quæ ſint tempora à iure præfixa ad præſcriptionem rerum immobilium, tam inter præſentes, quàm abſentes?*
12 *Quo tempore præſcribantur bona Principis.*

13 *Quot*

Digitized by Google

13 *Q[u]ot annis aduerſus legem canonicam vel ciuilem præſcribatur.*
14 *Qualiter præſcribantur ſeruitutes?*
15 *An qui legitimè præſcripſit rem aliquam, teneatur ad reſtitutionem, ſi termino præſcriptionis elapſo conſtet fuiſſe alienam?* Refertur duplex ſententia.
16 *Quæ res non poſſint præſcribi?*
17 *Quando præſcriptio dicatur procedere, dormire, vel interrumpi?*
18 *An contra præſcriptionem detur reſtitutio in integrum?*

1 PRæſcriptio apud Iuriſtas, & pleroſque Theologos tripliciter accipitur. *Primò*, generatim, vt idem ſit quod exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore: vnde cum exceptio ſit vel dilatoria (vt cùm opponis iudicem non eſſe competentem) vel peremptoria (vt ſi opponas te ſoluiſſe quod petitur) etiam præſcriptio erit vel dilatoria vel peremptoria. *Secundò*, accipitur ſpecialiùs pro exceptione peremptoria prouenientе ex eo, quòd tempore legis definito rem aliquam poſſedimus, vel iure aliquo vſi ſumus, vel quod alius tali tempore ab vſu alicuius iuris ceſſauerit. *Tertiò* accipitur pro dominij acquiſitione, vel iuris alieni eliſione ex tempore legibus definito proueniente, & ſic præſcribitur domus, ager, vinea, &c. & hoc modo ſumpta à Iuriſperitis plerumque accipitur pro vſucapione. Couar. *ad reg. poſſeſſ. in princip. part. 1. §. vnic. n. 4.* Filliucius *tract. 31. num. 182.* Laym. *lib. 3. tract. 1. c. 8. num. 1. 2. & 3.* Leſſius *lib. 2. c. 6. dub. 1. n. 2.* Sylu. *2. 2. quæſt. 66. art. 2. quæſit. 6.*

Couar. Filliuc. Laym. Leſſius. Sylu.

2. Ex communi Doctorum ſententia, ordinariè ad legitimam præſcriptionem requiruntur quatuor. *Primò*, poſſeſſio. *Secundò* bona fides. *Tertiò*, titulus præſumptus. *Quartò* continuatio poſſeſſionis cum bona fide per tempus lege præſcriptum. Syluest. *verb. præſcript. 1. num. 1.* Sà *verb. præſcriptio.*

Syluest. Sà.

3. Sine *poſſeſſione* non datur præſcriptio. *Reg. Iuris in 6.* debet autem eſſe hæc poſſeſſio. *Primò* propria, quia ſcilicet quis nomine ſuo poſſidet, non alieno, ideò tutor & curator non præſcribunt res pupilli & minoris. *Secundò* debet eſſe vel *ciuilis tantùm*, qua ſcilicet ſolo animo rei noſtræ etiam abſentes inſiſtimus; vel *ciuilis & naturalis* ſimul, qua videlicet corpore & animo res poſſideatur, naturalis autem ſola non ſufficit: hinc habens rem alienam apud ſe depoſitam vel commodatam vel conductam, non poteſt eam præſcribere, ſicut nec colonus, procurator, & qui habet vſumfructum alicuius rei non poteſt præſcribere proprietatem: ſed ſolummodò vſumfructum; idem dici poteſt de re indiuiſa communi pluribus, hæc enim non poteſt ab aliquo eorum, quorum eſt communis, præſcribi, tùm poſſideatur nomine alieno: defectu huius conditionis non poſſunt præſcribi loca ſacra, & ius decimarum à laico, cùm ſit incapax poſſeſſionis ciuilis talium, regulariter qui non eſt capax poſſeſſionis, non poteſt præſcribere, vt Religioſus: ideò requiritur capacitas actiua reſpectu poſſidentis, & capacitas paſſiua reſpectu rei, quæ poſſidetur. Couar. *cit. num. 7.* Filliuc. *cit. num. 185. & 208* Leſſius *cit. num. 6.* Reginald. *lib. 10. n. 292.* Sà *cit. n. 2.* Bonac. *de reſtit. d. 1. qu. vlt. p. 2. §. 2. n. 5.* Azor. *3. p. lib. 1. c. 18.* Clauis regia *lib. 9. cap. 12.* Sylu. *cit.* & alij.

Couar. Filliuc. Leſſius. Regin. Bonac. Azor. Cla. reg.

Secunda conditio ad præſcriptionem eſt, *bona fides*, quia iuxta regulam iuris, *Poſſeſſor* malæ fidei vllo tempore non præſcribit, *Reg. iuris 2. in 6. c. vigilanti, & c. vlt. de præſcript.* Leſs. *cit. num. 9.* Reginald. *cit. num. 293.* & iure canonico derogatum eſt omni conſuetudini aut legibus ciuilibus aſſerentibus, dari poſſe præſcriptionem abſque bona fide: *bona* autem *fides* in propoſito eſt credulitas, qua quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit eſſe alienam, modò ignorantia non ſit craſſa vel affectata. *Hinc* debitor qui iam triginta annis elapſis non ſoluit debitum, non poteſt illud præſcribere, quia non dicitur habere bonam fidem; ſi tamen bona fide triginta annis poſſederit ius non ſoluendi, vel exiſtimauerit ſe nihil debere; vel debitum ſolutum aut condonatum eſſet, poſſet præſcribere. Prior pars prob. quia cum ea ſcientia retineri non poteſt debitum, toto tempore ad præſcribendum neceſſario abſque peccato: & ob id retentio & poſſeſſio illa cum mala fide practica, cùm ergo poſſeſſor malæ fidei practicæ vllo tempore non præſcribat, & omnis præſcriptio, quæ abſque peccato confici nequit, ſit iure canonico reuocata, non poterit eiuſmodi debitum præſcribi. Clauis regia *lib. 9. c. 12. num. 12.* Filliucius *cit. num. 192.* Nota hic, quod etſi per accidens quis toto tempore ad præſcribendum neceſſario, excuſetur aliquando à culpa non reſtituendi, quia tunc non eſt ſoluendo, &c. nihilominus præſcribere nequit. Ratio eſt, quia ſi eo tempore rationabiliter differt ſolutionem, ſolùm id poteſt eo animo, vt poſtea ſoluat; nec ſane vlla ratio poſtulat, vt hoc caſu ius humanum in alterius damnum, præſcriptionem concedat. Poſterior pars prob. quia tunc retentio & poſſeſſio eſſet cum bona fide, tam practica, quàm ſpeculatiua; vnde optimè ſufficeret ad præſcriptionem, tum debiti, tum actionis ad illud. *Similiter* non præſcribit qui bona fide incepit poſſidere, ſed nondum finito tempore ad præſcriptionem requiſito, malam fidem habuit. Sà *cit. num. 2.* Clauis reg. *cit. num. 12.* Couar. *reg. poſſeſſ. §. 7. num. 3.* Sylu. *cit.* Si poſteà tamen mala fides iterum deponatur, eò quòd comperiatur re vera non fuiſſe malam fidem, ſed errorem, præſcriptio continuaretur, & non interrumperetur.

Cla. reg. Filliuc. Sà. Cla. reg. Couar. Sylu.

5. *Dubitans* an res ſit ſua, non habet bonam fidem, ſi inchoat poſſeſſionem cum eo dubio, quia ad hoc vt incipiam facere rem meam quæ anteà non erat, requiritur, vt determinatè iudicem, vel rem eſſe nullius, & ſic fieri meam per occupationem, vel eſſe meam quamuis anteà non aduerterim: quod ſi dubitem an ſit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans, cùm non ſit melior mea conditio, quàm alterius: in hoc caſu ſi dubium verſetur inter duos, quorum neuter bona fide poſſidebat, res eſt diuidenda, quia par eſt ius vtriuſque. Clauis regia *lib. 9. cap. 12. num. 14.* Azor. *cit. c. 18.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 5.* *Quando* verò dubium ſuboritur poſt inchoatam bona fide poſſeſſionem, dubitans poteſt rem, de qua dubium oritur, præſcribere adhibita priùs diligentia ad inquirendum, an res ſit aliena: quia cùm rem poſſideat bona iam fide, dubitando, erit melior eius conditio, iuxta regulam iuris. Regin. *cit. num. 298.* Filliuc. *cit. num. 187. n. 188.* Laym. *cit. n. 10.* *Secus dicendum* de eo qui dubitat rem ſuam eſſe & ſimul dubitat, an poſſit illam retinere; hic mala fide continuat poſſeſſionem, vnde non procedit ei præſcriptio. Couar. *reg. poſſeſſ. p. 2. §. 7.* Leſs. *cit. dub. 4.* *Hinc* ſequitur, non dari medium practicè inter bonam & malam fidem nam ſi dubitet quis in principio, habet malam fidem, ſi verò dubitet cùm eſt in progreſſu, habet bonam: ſpeculatiuè tamen qui dubitat, nec bonam nec malam fidem habet. Filliucius *cit. numer. 187.* & Leſſius *cit. numer. 12.*

Cla. reg. Azor. Leſſius. Filliuc. Layman. Filliuc. Leſſius.

6. *Ignorantia iuris clari* etiam inculpabilis, non prodeſt ad præſcribendum; vnde qui aliquid acquiſiuit contractu vſurario, ignorans contractum eſſe iniuſtum; eo quòd crediderit aliquas vſuras exigi poſſe, non poteſt acceptum per huiuſmodi contractum præſcribere: iuris tamen *clari ignorantia* ſeu error inculpatus, ſufficit ad præſcribendos fructus ex illa re perceptos: quia ignorantia circa fructus videtur ignorantia facti, quæ prodeſt ad præſcribendum, *l. iuris & facti ignorant.* Syluest. *verb. præſcript. 1. num. 4.* Nauar. *lib. 1. conſil. 6. tit. de offic. ind. Iuris* autem *dubij* valdè, & etiam verè dubij error vel ignorantia, id eſt, de quo ſunt variæ Doctorum opiniones, ſufficit ad præſcriptionem; quia quando ius aliquod eſt verè dubium, poſſunt adeſſe opiniones vtrimque probabiles circa illud ius: quilibet autem ſequi poteſt opinionem probabilem, & qui ſequitur opinionem probabilem, non dicitur habere malam fidem. Leſſius *cit. n. 16.* Filliucius *cit. n. 189.* Molina *diſp. 64.* Vnde qui aliquid accepit per contractum de quo dubitatur, an ſit licitus, poteſt acceptum retinere, & conſequenter præſcribere, ſi vtrimque adſint opiniones probabiles de iuſtitia illius contractus: Clauis regia *cit. numer. 23.* Couar. *cit. numer. 12. §.*
7. Porrò *ignorantia facti* prodeſt ad præſcribendum concurrentibus alijs conditionibus: *Hinc* ſi rem acceperis à iure neſciens eſſe furem, tenes illam bona fide orta ex

Sylu. Nauarr. Leſſius. Filliuc. Molin. Cla. reg. Couar.

errore facti, *l. nunquam, ff. de vſucapionibus*.

7. Iuxta probabiliorem ſententiam, mala fides auctoris nocet ſucceſſori vniuerſali, non particulari; hoc eſt, qui accepit rem vt hæres immediatus, qualis eſt filius, nullo tempore poteſt eam præſcribere, etiamſi bona fide acceperit, quia hæres, defuncti perſonam repræſentat, ita vt fictione iuris cenſeatur vna eadem perſona; non videtur tamen omninò improbabile hæredem poſſe vſucapere ſpatio triginta annorum: *Hæres* autem *mediatus*, id eſt, hæres huius hæredis poteſt eam tempore ordinario præſcribere, ſi bona fide hæres prior poſſederit; *ſimiliter* ſucceſſor in re particulari vt donatarius, emptor & legatarius, &c. valide præſcribit modò bonam fidem habeat; & *ratio eſt*, quia perſonam ſui auctoris non repræſentat: ſed tempus computandum eſt à die obitus defuncti, non ante; *l. ſi mala fides C. communia de vſucapionibus*. Filliucius *cit. n.* 191. Leſſius *cit. d.* 13. *n.* 42. & 33. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 23. *n.* 154. Clauis reg. *cit. n.* 38. Rodriq. 2. *p. c.* 23. *n.* 2.

Filliuc. Leſs. Sanchez clauis reg. Rodriq.

Sed quæres, ſi quis in beneficio aut alia dignitate Eccleſiaſtica, ſuccedit alicui defuncto mala fide poſſidenti aduerſus alium, ad quem tale beneficium vel dignitas pertinebat, an poſſit illud cum bona fide præſcribere, non computando tempus poſſeſſionis malæ fidei prædeceſſoris? Reſp. affirmatiuè. quia hic non poſſidet titulo hæredis illius (eſto fortè aliquando hæres illius ſit) ſed ex conceſſione, aut collatione eius, ad quem ſpectabat beneficium aut dignitatem conferre.

8. Qui bona fide accepit rem alio titulo (vt legati, donati, empti) ab auctore malæ fidei, poteſt eam præſcribere tempore ordinario; præterquam in duobus caſibus. *Primus* eſt, ſi res ſit immobilis & is contra quem præſcribitur, ignoret eam ab alio poſſideri. *Secundus* eſt, ſi illa res ſit furtiua vel vi poſſeſſa, tunc enim requiruntur triginta anni, *l. ꝯ vitium, ff. de diuerſis tempor. præſcr.* Leſs. *c. num.* 43.

9. *Tertio conditio* ad præſcribendum eſt *titulus probabiliter præſumptus, l.* 1. *ff. de vſucapionibus*, id eſt, qui bona fide putetur validus; vt donationis, teſtamenti, vel ſucceſſionis ab inteſtato, emptionis, permutationis, &c. non eſt autem neceſſarium, vt ille titulus ſit verus, id eſt validus, nam hic ſufficit ſine præſcriptione ad transferendum dominium; ſed ſatis eſt vt probabiliter putetur verus, quamuis re vera inualidus ſit, vt quia venditor non habuit poteſtatem vendendi, tunc enim ius facit, vt res aliena exacto tempore definito fiat tua: *Aduertendum* autem eſt, non ſemper requiri titulum ad præſcriptionem, quia ſæpè fit vt tituli obliuiſcamur, requiritur tamen vt breuiore vel ordinario tempore fiat præſcriptio. Bonacina *cit.* §. 2. *n.* 22. Filliucius *cit. n.* 193. Layman *c. n.* 12. Couar. *reg. peccatum p.* 2. §. 8. Sylu. *cit. art.* 2. *quæſt.* 6. & alij.

Bonac. Filliuc. Layman Couart. Silu.

10. *Ad præſcriptionem* magis neceſſaria eſt bona fides quàm titulus, nam ſine bona fide nunquam currit præſcriptio; currit verò aliquando ſine titulo; nam titulus requiritur ad præſcribendum tempore definito & ordinario, non verò ad præſcribendum tempore longiori; vnde ſi ad aliquid præſcribendum ordinariè cum titulo requirantur decem, aut viginti anni, ad præſcribendum ſine titulo ſufficiet ſpatium triginta, vel quadraginta annorũ, iuxta qualitatem materiæ, quæ præſcribitur, modò adſit bona fides, *C. ſi diligenti, de præſcript.* Menochius *li.* 3. *præſumpt.* 131. *n.* 32. Hinc priuatus, qui aliquid præſcripſit contra aliquam Eccleſiam tempore quadraginta annorum, aut contra Eccleſiam Romanam centum annorum non tenetur probare vel allegare titulum, modò ius commune non repugnet præſcribenti, tunc enim allegandus eſſet vel probandus titulus, vel deficiente titulo, oſtendendum eſſet tempus immemoriale, quo res poſſidetur, id eſt, cuius initij non extat memoria etiam apud ſeniores. Syluefter *verb. præſcript.* 1. *n.* 2. Sà *verb. præſcript. n.* 3. Molina *diſp.* 76. Reginaldus *cit. n.* 293.

Syluest. Sà. Molina. Regin.

11. *Quarta & vltima conditio* ad præſcriptionem, eſt *continuatio poſſeſſionis tempore legibus definito*: quare res mobiles corporales (quales ſunt veſtis, animalia, nauis, debitum rerum mobilium, vel actio ad obtinenda debita rerum mobilium) priuati hominis vel etiam cuiuſvis Eccleſiæ etiam Romanæ, præſcribuntur poſſeſſione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præſentes, inter abſentes verò requiritur ſpatium quatuor annorum cum titulo & bona fide. Ad vſucapionem verò rerum mobilium ſine titulo, requiruntur anni triginta, ſiue priuati eæ ſint, ſiue Eccleſiæ, *l. vnica, C. de vſucap. & inſtit. de vſucap* §. 1. *Authent. quas actiones, C. de ſacroſanct. Eccleſijs*. Filliucius *cit. n.* 196. Leſsius *cit. n.* 22. Syluius *cit.*

Filliuc. Leſſius Sylu.

Ad præſcriptionem rerum immobilium, vt ſunt ager, domus, & res incorporeæ, vt iura, debita, actiones, ſeruitutes, requiritur contra priuatos ſpatium decem annorum inter præſentes cum titulo, inter abſentes verò requiritur ſpatium viginti annorum, *C. ſanctorum de præſcript.* Layman *cit. n.* 13. Leſsius *cit. num.* 23 Filliucius *cit. num.* 197. Contra autem rem immobilem Eccleſiæ (modò non ſit Eccleſia Romana) vel loci pij, vt Hoſpitalis, Collegij Canonicorum, Epiſcopi, vt Epiſcopus eſt, iure communi requiritur ſpatium quadraginta annorum tam cum titulo, quàm ſine titulo, tam inter præſentes, quàm inter abſentes, ſiue is qui præſcribit ſit priuatus, ſiue ſit vna Eccleſia contra aliam. *Authent. quas actiones cit.* Leſsius *cit. num.* 25. Bonac. *cit. num.* 18 Molina *d.* 17. *Aduerte* autem *Primo*, præſentes dici eos, qui ſunt in eadem ciuitate vel territorio eius vel parte regni, ſiue res præſcribenda ibi ſit ſiue alibi. Abſentes verò, qui in diuerſis ciuitatibus, vel regni partibus ſeu territorijs commorantur. Leſsius *cit. num.* 23. Filliucius *cit. num.* 197. Molina *cit. d.* 69. *Secundò, nota* contra Eccleſiam Romanam, id eſt, contra Papam, vel patrimonium eius vel bona Eccleſiæ Lateranenſis, requiritur decurſus centum annorum; quod ex priuilegio Eugenij IV. & Pij V. extenditur ad Monaſteria. Rodriquez *tom.* 1. *qq.* 36. *art.* 3. *tom.* 3. *q.* 35. *art.* 2.

Laym. Leſſius Filliuc. Leſſius Bonac. Mona. Rodriq.

12. *Bona Principis* tanquam priuati, eodem tempore, quo priuati bona, præſcribuntur: collectæ pro publica neceſsitate quadraginta annis. Ius imponendi vectigalia quadraginta annis cum titulo, ſine titulo tempore immemoriali. Quæ verò debentur Principi in recognitionem ſupremæ poteſtatis, nullo tempore præſcribi poſſunt. Leſsius *cit. dub.* 12. Filliuc. *cit. num.* 200 Couar. *cit.* §. 2. *num.* 7.

Leſſius. Filliuc. Couar.

13. Contra leges ciuiles præſcribitur conſuetudine decem annorum, quando alias non putatur Princeps conſenſiſſe in eam conſuetudinem: aduerſus autem legem canonicam requiruntur quadraginta, ſi conſuetudo ſit aliquo modo contra ius Eccleſiæ: probabile tamen eſt ſufficere etiam decem, vt in ciuili, quando obligatio ſubditorum ad ſeruandam legem, non cenſetur præiudicare alicui Eccleſię. Angelus *verb. conſuetudo, n.* 8. Syluest. *ibid. n.* 6. Filliuc. *cit. n.* 201. Leſsius *cit. n.* 44.

Angel. Syluest. Leſs.

14. *Seruitus perſonalis* præſcribitur ſpatio decem annorum cum titulo inter præſentes, inter abſentes ſpatio viginti annorum cum titulo; ſine titulo verò ſpatio triginta annorum. *Seruitus realis* ſi continua aut quaſi continua ſit, præſcribitur ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti verò in abſentes. *Seruitus* verò *diſcontinua* non præſcribitur, niſi tempore immemorabili, quia poſſeſsio in huiuſmodi ſeruitute non poteſt eſſe continua. Couar. 1. *var. cap.* 17. *num.* 11 Azor. 3. *p. lib.* 1. *cap.* 22. *q.* 10. Leſsius *cit. dub.* 9. Filliuc. *cit. n.* 198. Porrò de tempore quo iura, aquæ ductus, ſtillicidia, actiones, hypothecæ, fideicommiſſa præſcribuntur. Videri poſſunt Azor. Molin. *d.* 70 & deinceps.

Couar. Azor.

15. Multi Doctores putant, illum qui legitimè præſcripſit rẽ aliquam, ſi termino præſcriptionis elapſo conſtet fuiſſe alienam, teneri ad reſtitutionem, niſi interceſſerit negligentia domini in re ſua inquirenda; eo quòd leges præſcriptionis videantur ſolùm inſtitutæ in pœnam negligentiæ domini. Ita Adrianus 4. *quæſ.* 2. *de præſcript.* Medina *Cod. de reſt. q.* 18. Scotus 4. *d.* 15. *quæſt.* 2. Verùm communis ſententia aſſerit, præſcriptionem transferre dominium in poſſeſſorem bonæ fidei legitimo tempore, etiamſi abſit negligentia in eo contra quem præſcribitur; quare legitima præſcriptio excuſat à reſtitutione non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ; nam poſſidens rem bona fide, facit illam ſuam per continuationem temporis à lege conſtituti: hoc enim à iure ſancitum fuit, vt lites vitarentur,

& ne

Digitized by Google

& ne diu, & ferè ſemper incerta eſſent dominia rerum. Tum quia in Principe eſt plena poteſtas, tam in ſubditos quàm in eorum bona, quatenus commune bonum & vtilitas publica poſtulat: atqui hæc poſtulat vt bonæ fidei poſſeſſor interuenientibus certis quibuſdam conditionibus, tranſactoque certo tempore, rem quam poſsidet præſcribat, dominiumque illius conſequatur, quod antiquus dominus, eſto nulla interuenerit ipſius negligentia, amittat, ergo iuſtè Principes legem ſtatuerunt, quæ vim habeat etiam in foro conſcientiæ, & cuius virtute dominium rei præſcriptæ in præſcribentem transferatur. Leſſius *cit. num.* 50. Filliucius *cit. n.* 202. Clauis regia *cit. n.* 34. Lopez 1. *p. c.* 133. Diana *part.* 6. *tract.* 7. *reſ.* 12.

Leſsius. Clau. reg. Lopez. Diana.

Nec refert quod fundamentum præſcriptionis eſt bona fides, ergo, cùm bona fides tunc ceſſet, cùm cognoſcitur res fuiſſe alterius, tenebitur tunc præſcribens rem ſuo domino iam cognito reſtituere. Reſp. bonam fidem toto tempore ad præſcribendum dato, antequam dominium via præſcriptionis cõparetur, eſſe fundamentum præſcriptionis, cognitio verò ſuperueniens poſt rem præſcriptam & dominiũ illius comparatum, quod res illa ante præſcriptionem fuerit alterius, nihil impedit præſcriptionem iam peractam, nec illam reuocat.

16. Nullo modo præſcribi poſſunt, *Primò*, exemptio ab obedientia Superioris. *Secundò*, res vſibus publicis deputatæ, vt forum, via publica, pons, &c. *Tertiò*, ius decimarum à laicis poſt Concilium magnum Lateranenſe præſcribi nequit. *Quartò*, limites Prouinciarum, Epiſcopatuum & Parochiarum, ſi de his conſtet, ſi autem non conſtet, præſcribi poſſunt. *Quintò*, res indiuiſa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo illorum præſcribi poteſt. Vide Dianam *tract.* 5. *miſc. reſol.* 77. *par.* 3. Sylueſtrum *verb. præſcript.* 2. *quæſ.* 12. Molinam *diſput.* 79. Leſsium *cit. num.* 48.

17. *Præſcriptio* tunc dicitur procedere, quando poſt inchoationem eius bona fide, legitimè continuatur, tunc autem non procedit, quando non incipit, vel quia deeſt poſſeſsio ciuilis, vel titulus in ea, in qua is requiritur, vel bona fides, vel quia res non poteſt alienari lege reſiſtente, vt fundus dotalis, bona aduentitia filij familias, &c. *Dormire* dicitur præſcriptio, quando poſtquam eſt inchoata, ceſſat aliquo tempore, ita tamen, vt illo præterito, ruſum continuari poſsit cum priore. *Interrumpitur* autem vel naturaliter, vel ciuiliter; *Naturaliter* quando incipit deeſſe bona fides, vel titulus, vel poſſeſsio: *Ciuiliter* verò quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis conteſtationem, citationem, &c. Ita Syluester *verb. præſcript.* 1. *n.* 7. Leſsius *cit. n.* 49. Filliuc. *cit. n.* 208. Molina *diſp.* 78. Couar. *reg. poſſeſſor. p.* 2. §. 12. & alij.

Syluest. Filliuc. Molina. Couar.

18. Contra præſcriptionem datur *reſtitutio in integrum*, quæ nihil aliud eſt, quàm quoddam remedium, quod finita præſcriptione relinquitur priori domino, qui rem ſuam amiſit, nempe, vt authoritate Iudicis poſsit reſtitui in dominium & poſſeſsionem rei amiſsæ: hoc remedium conceditur. *Primò*, minoribus ætate, id eſt, qui nondum viginti quinque annos expleuerunt. *Secundò*, pijs locis & Eccleſijs etiamſi præſcriptio ſit quadraginta annorum, Eccleſiæ enim conceſſum eſt priuilegium minorum, eſtque ipſa inſtar minoris, vel etiam pupilli. *Tertiò*, maioribus ætate conceditur in præſcriptione decem & viginti annorum; modò tamen probent, cum iuſta & probabili ignorantia ſua, aut omninò ſine negligentia præſcriptionem fuiſſe peractam: habent hi quatuor annos à notitia completæ præſcriptionis. Molina *diſp.* 80. Filliuc. *cit. num.* 209. Leſsius *cit. dub.* 18. Reginald. *lib.* 10. *num.* 301. Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *c.* 8. *num.* 20. 21. & alij.

Molin. Regin. Laym.

De præſcriptione vide tom. 1. verb. *Feudum* n. 4. & hoc tom. verb. *Reſtitutio* 5. num. 15.

∴

SVPPLEMENTVM.

PRÆSCRIPTIO.

SVMMARIVM.

1 *Præſcriptionis beneficium quare introductum? Et an ementes rem furtiuam bona fide, ſi per 30. annos illam poſsideat, teneatur illam reſtituere, ſi poſtea ſciat fuiſſe alterius.*

2 *Qui ſint tituli, quibus res vſucapi poſsit? Quæ ſit dicenda bona vel mala fides ad præſcriptionem?* Remiſsiuè.

3 *Si quis aliquo titulo bono, vt* pro emptore, pro donato *habeat rem, quam ſcit eſſe alterius, tamen ob rationes ſibi iuſtas non tradit vero domino, an iſte ita ſit poſſeſſor malæ fidei quod in foro conſcientia nullo tempore præſcribat:* Refertur duplex ſententia.

4 *Præſcriptio alia eſt propria & rigoroſa, alia eſt impropria.*

5 *An præſcribi poſſint in conſcientia bona quæ per ſententiam ſunt applicata fiſco, ſi non petantur.*

6 *Quando quis bona naufragantium poſſit vſucapere & præſcribere.*

7 *An ſit probabile poſſe eſſe cum mala fide ciuili gabellarum præſcriptionem in vtroque foro.*

8 *Quando hæres poſſit præſcribere legatum contra legatarium.*

1 PRæſcriptionis beneficium, duabus de cauſis ob bonum publicum introductum eſt. *Primò*, ne diu & ferè ſemper quarumdam rerum dominia incerta eſſent, *l.* 1. *ff. de vſurpat. & vſucap.* Et vt aliquis litium finis eſſet, *l. vltim. ff. pro ſuo.* Ac denique ne poſſeſſores propè immortali timore teneantur, *l. cum notiſſimi, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

Secunda cauſa, vt hac ratione ſegnities, ac deſidia hominum, res ac iura ſua actione proſequi intermittentium, acuatur, iuxta *l. vt perfectius, C. de annali except.* & *cap. vigilanti, de præſcript.* Et licet quidam Doctores dicant, quòd leges de vſucapione in conſcientiæ foro locum non habeant, niſi vbi culpabilis negligentia priſtini poſſeſſoris interuenit, communis tamen Iuriſperitorum & Theologorum ferè ſententia eſt, bonæ fidei poſſeſſorem, poſt legitimi temporis decurſum, directum ac plenum rei, quam vſucapit, dominium omni iure ſibi comparare, & eam poſtea à quouis poſſeſſore tanquam dominum vendicare poſſe, iuxta *l.* 3. & 23. *ff. de vſucap.* & *l. ſi quis emptionis, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Ita Abbas *in cap. vigilanti, n.* 6. *de præſcript.* & ibi Gloſſa *verb. Noueris.* Couarruuias *reg. poſſeſſor, p.* 3. §. 3. Syluest. *verb. Præſcriptio* 1. *q.* 13. & alij. Ex quò fit quòd neque in conſcientiæ foro teneatur reſtituere rem præſcriptam, ſi completa præſcriptione incipit habere malam fidem, cognoſcendo eam fuiſſe alienam. Ratio eſt, quia lex poteſt aliquem pro peccato & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare & concedere, vt docent Scotus *in* 4. *diſtinct.* 15. D. Thomas *quodlibet* 12. *art.* 25. Tum quia tenetur quis ſoluere pœnam iudicialem, ad quam condemnatur à Iudice, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. & conſequenter ille cui applicatur, eam in conſcientia poteſt retinere, & conſequenter licitum eſt tenere eam, quam infligit legiſlator, cuiuſmodi eſt præſcriptio, quæ inducta eſt principaliter in pęnam negligentium & ob alias cauſas ad bonum publicum ſpectantes. Ita etiam Salon 2. 2. *quæſt.* 5. *artic.* 7. *concluſ.* 2. Menochius *de retinend. poſſeſ. remed.* 5. *n.* 84. Bonacina *de reſtit. diſput.* 1. *quæſt. vlt. punct.* 2. §. 2. *n.* 33. Geſualdus *in Theolog. moral. p.* 3. *tr.* 14. *c.* 5. *n.* 3. Trullench *in decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 4. *dub.* 15. *n.* 1. & alij penes ipſos.

Abbas. Gloſſa. Couar. Syluest.

Salon. Bonac. Trullench.

Ex quibus infertur ementem rem furtiuam bona fide, ſi per triginta annos illam poſsideat, quamuis poſtea ſciat fuiſſe alterius, non teneri ad reſtitutionem, ex *l. ſi*

aliena,ff.de vſucap. Idem dicendum de quocumque poſſidente & præſcribente quocumque iuſto titulo. Nam non ſubuertitur bona fides, quando conſtiterit eſſe alienam; quia tunc iam eſt ſua, cum tempore requiſito ad præſcriptionem bona fide poſſederit. Ita Clauis regia *lib.* 9. c. 12 *n.*38. Leſſius *lib.*2.*cap.*6.*n.*51. Clauis reg. L.is.

2. Ad vſucapiendum, ſeu præſcribendum cauſa aliqua poſſeſſionis requiritur. Vnde *lib.*41. digeſtorum poſt titulum de vſucapione, ponuntur quidam tituli, quibus res vſucapi poteſt, videlicet *pro ſoluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro ſuo, pro tranſacto, pro iudicato, pro permutato, pro ſocio.*

Pro ſoluto vſucapit, qui rem debiti cauſa recipit, & non tantum quod debetur, ſed & quodlibet pro debito ſolutum, vſucapi poteſt, v. g. ſi cùm deberes mihi certam pecuniam, & loco pecuniæ ſolueres mihi rem non tuam, ſed quam tuam eſſe credebas, poſſum vſucapere titulo & cauſa pro ſoluto, *l.*1.*ff.pro ſoluto.*

Secundus titulus dicitur *pro emptore*, ſi emas rem à furioſo, quem putabas ſanæ mentis. *l.*2.§.*ſi à pupillo,ff.pro emptore.* Item pro emptore poſſidere dicitur is, qui quaſi emptor, & cauſa emptionis, vel ex negotio emptionis proximo rem nactus eſt: requiritur tamen bona fides, non ſolum in accipiente, ſed etiam in tradente.

Tertius eſt, *pro hærede*, vt cùm quis verè eſt hæres, aut bona fide ſe hæredem putat, *l.non ſolum.ff.de vſucap.* & *l. pro hærede,ff.de petit.hæred.*

Quartus eſt, *pro donato*, vt cùm quis bona fide donauit rem alienam ignoranti, *l.*2.*ff. pro donato.* Quæ lex intelligitur quando donatio non eſt inualida ex inhabilitate perſonæ, vt Religioſi, pupilli, vxoris reſpectu mariti, aut è contrà, vt habetur *l.*1. *ff. eodem titul.* Qui tamen emit à coniuge quod ſic donatum nouit, poteſt illud vſucapere, quia cum conſenſu coniugis præſumitur venditum, vt habetur *l.ſi id quod, ff.pro derelicto.*

Quintus eſt, *pro derelicto*, vnde ſi res pro derelicto habita ſit, ſtatim noſtra eſſe deſinit, & occupantis ſtatim fit: quia iiſdem modis res deſinunt eſſe noſtræ, quibus acquiruntur, *l.*1.*ff. pro derelicto.* Ex quo fit, vt pro derelicto non habeatur aliquid, niſi dominus id poſſidere deſierit. Poteſt tamen quis habere malam fidem, etiam Canonicam ex aliquo titulo & habere lapſu temporis bonam fidem ex hoc titulo pro derelicto, credens probabiliter ex aliquibus circumſtantiis rem alienam, quam apud ſe habet eſſe derelictam à vero domino, & ſic ipſe incipere poteſt cum bona fide vſucapionem.

Sextus eſt, *pro legato*, vt ſi teſtator credebatur ſanæ mentis, cùm non eſſet, ſi ignoratur legatum ſublatum eſſe per codicillum. In hoc tamen titulo requiritur vt is, cui legatum eſt, ſit capax legati, ita vt poſſit capere ex teſtamento, *l. Nemo poteſt*, & *l. pro legato* a. *eodem titul.* Hinc ſi impubes condiderit teſtamentum & legauerit rem Titio, ſi Titius credidit teſtatorem eſſe puberem, qui poſſet teſtari, vſucapiet. Item ſi quis legauerit mihi rem, & deinde eam mihi codicillo ademerit, ego verò ignorans eſſe mihi ademptam, cœpi poſſidere, vſucapere poſſum, *l. pro legato* 1. & 2. *ff. eodem tit.*

Septimus eſt, *pro dote*, id eſt, pro dote poſſidet, qui ex cauſa dotis ſibi habet, ſeu cui res aliena inæſtimata dotis nomine, poſt iuſtas nuptias tradita eſt, *l.*1.*ff. pro dote.* Inæſtimata dicitur, quia æſtimata res pro emptore vſucapitur, *l. Quoties, ff. de iure dotium*, & *l.*1.*Cod.pro dote.*

Octauus titulus eſt, *pro ſuo*. Hic titulus vſucapionis locum habet, quando alius titulus deeſt & propriè pro ſuo poſſidere dicitur is, qui falsò, ſed iuſto & probabili errore harum cauſarum, nimirum occupationis, alluuionis, partus emptæ, vel hæreditariæ ancillæ, fructus rei emptæ, aut donatæ, aut in hæreditate repertæ poſſidet, *l.* 1.2.3.& 4.*ff.pro ſuo.*

Nonus eſt, *pro tranſacto*. Vt cùm aliquid bona fide eſt traditum & acceptum cauſa tranſactionis, vt à lite recedatur, *l.cum ex cauſa, C. pro tranſacto.*

Decimus eſt titulus, *pro iudicato*, vt cùm res eſt iudicata, & ſpatio decem dierum non eſt appellatum.

Vndecimus eſt, *pro permutato*, vt ſi permutatione ego rem alienam acquiſierim, cum qua permutaui rem meam, quam Titius quidem poſſidebat, ſed eius dominus non erat, putabatur verò bona fide dominus, ac proinde eam ego vſucapere poſſum.

Duodecimus eſt, *pro ſocio*, vt ſi finita, vel ſoluta ſocietate, pars rei alienæ mihi obtigerit, putanti bona fide eam rem communem eſſe ſociorum, cùm tamen eſſet aliena, vſucapere poſſum.

His omnibus titulis præſcribere, aut vſucapere licet, modo adſit bona fides, hanc enim iura exigunt ad vſucapionem, aut præſcriptionem ordinariam triennalem decennalem, aut viginti annorum. De his plura apud Azorium *parte tertia lib.*3. *cap.*21. Syluester *verb. Vſucapio.* Azor. Syluest.

Quæ autem ſit dicenda bona vel mala fides ad præſcriptionem, dictum eſt ſuprà *verb. Poſſeſſio, n.*5.

3. Difficultas eſt, ſi quis aliquo titulo bono, vt *pro emptore, pro donato*, &c. habeat rem, quam ſcit eſſe alterius, tamen ob rationes ſibi iuſtas non tradit vero domino, an iſte ita ſit poſſeſſor malæ fidei, quod nullo tempore præſcribat in foro conſcientiæ? Prima opinio affirmat talem nunquam præſcribere, & eſſe poſſeſſorem malæ fidei, de quo agitur *in cap. vltim. de præſumptionibus.* Et eſt communis inter Theologos & iuris vtriuſque peritos. Fundamentum eſt regula iuris, *Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit, de regul. iur. in* 6. & *in cap. Vigilanti, de præſumpt.* Pontifex damnat poſſeſſorem malæ fidei, & dicit nunquam præſcribere, ſiue creditor agnoſcat, ſiue ignoret debita. Ratio eſt, quia eo ipſo quod poſſeſſor agnoſcat rem alienam, agnoſcit ſe eam alteri debere; ergo ſi non det, ſemper habet conſcientiam rei alienæ, & ſi non reſtituat, peccat, atque ita ex peccato ſuo commodum præſcriptionis, accipere nequit.

Secunda opinio diſtinguit inter actiones reales & perſonales, & ſuſtinet quod poſſeſſor malæ fidei præſcribit debita manantia ex actionibus perſonalibus: ſecus verò ex actionibus realibus. Ita Bartolus *in l.ſequitur,* §. *ſi viam ff. de vſucap.* Hoſtienſis *in Summ. de præſcript. rerum immobil.* § *Quare, verſ. actiones perſonales.* Carolus Molinæus ad Alexand. *conſil.* 99. *lib.*4. qui dicit eam ſententiam eſſe veriorem & in praxi ſeruari. Ratio eſt, quia cauſa finalis, quare Pontifices decreuerunt leges ciuiles concedentes præſcriptionem cum mala fide eſſe damnandas, eſt, quia ſeruari non poſſunt ſine peccato mortali, vt habetur *in cap. final. de præſcript.* ergo in his caſibus, in quibus non interuenit talis culpa, Pontifex non poteſt eas leges abrogare, niſi in terris in quibus habet dominium temporale, vnde ſi peccatum mortale abſit, leges ciuiles in ſua vi manent, nec abrogantur Canonibus Pontificiis, ſed derogantur ſolùm quatenus mala fides et poſſeſſio ciuilis poteſt eſſe cum peccato mortali. Quod confirmatur, quia debitor non ſoluens pecuniam quam ſcit creditori debitam, non habet malam fidem, quam excludunt Canones, quia iſti requirunt peccatum, quale non committit iſte debitor, non enim debitum negat, nec in ſolutione tergiuerſatur, ſed ob iuſtas rationes eam non offert: quod ſi creditor negligens ſit in petenda pecunia, ab eius negligentia incipit præſcriptio debitoris, nam præſcribendis actionibus perſonalibus ſolùm requiritur negligentia creditoris non petentis, in cuius pœnam legiſlator ſtatuit, quod amittat ius, quod ex tali actione illi debebatur. Secus tamen eſt in actionibus realibus ex quibus acquiritur ius in re, contra quod vt præſcribatur, præſcriptio incipit à poſſeſſione, quæ debet eſſe iuſta, ſaltem in opinione poſſidentis; debet enim neceſſariò in præſcribendis his actionibus realibus factum præſcribentis iuſtum eſſe. Bartol. Mont.

Tertia opinio eſt aſſerentium, quod poſſeſſor malæ fidei tempore immemorabili præſcribit, tam in realibus quàm in perſonalibus actionibus. Hæc ſententia ſi intelligatur, quod mala fides ſit mala conſcientia mortaliter peccaminoſa, ſuſtineri non poteſt, quia à ſacris Canonibus leges ciuiles in hac parte ſunt derogatæ, *cap. Vigilanti, & cap. finali, de præſcriptionibus*, & tenent

omnes

Digitized by Google

omnes Canoniſtæ, quorum plures refert Couar. *reg. Poſſeſſor p. 2. § 8. num. 5.* & indubitatum eſt inter Theologos. Si verò intelligatur, quod mala fides ſit non mala conſcientia rei alienæ, ſed ſcientia rei alienæ quæ ſit abſque peccato mortali, ſuſtinetur ab aliquibus Iuriſperitis, nempe Saliceto *l. 2. num. 8. Cod. de ſeruit. & aqua.* Decio *conſil. 496 num. 9. & conſil. 638.* Boetio *deciſ. 39. num. 7.* quibus adhæret Adrianus *in 4. loquent de reſtitut. pag. 165. in paruis*, & eam defendit vt probabiliorem in foro conſcientiæ multis argumentis nouiſſimè Thomas Hurtado *in ſuis reſolution. moral. part. 2. tract. 8. cap. 1. reſol. 1. § 7. & 8* dicens, quod ſcientia rei alienæ mala fides eſt in phraſi ciuili, etſi non Canonica, quia iſta requirit ſcientiam rei alienæ peccaminoſam; at cum ſcientia rei alienæ ciuili compatitur præſcriptio, vt conſtat ex Canonibus, ergo poſſeſſor malæ fidei ciuilis aliquando præſcribit. Sic enim Pontifex in vniuerſali Eccleſia poteſt conſtituere quod ſtante rationabili cauſa quis præſcribat, etiamſi ſit poſſeſſor malæ fidei, vt docent Felinus, Panormitanus, Baldus, Gloſſa *in cap. inter hoc 32. quæſt. 2.*

Hurtado

Gloſſ.

Sed iſta mala fides de qua loquuntur iſti Authores intelligi debet mala fides ciuilis, non Canonica, quia eſt cum peccato. Ita Princeps ſecularis ſubſiſtente rationabili cauſa & motiuo, poteſt lege ſua ſtatuere, quatenus ad bonum publicum conducit, vt quis abſque peccato mortali cum ſcientia rei alienæ aliquid alienum poſſideat, tanto, vel tanto tempore illud faciat ſuum. Et quidem ſi hoc non poſſet facere Princeps; nec poſſet lege ſua impedire quòd tranſacto tanto, vel tanto tempore, via executiua non concedatur à iudice: conſequens autem falſum eſt, ergo, &c.

Hæc dicta ſunt intra mentem illorum Doctorum.

4. Præſcriptio alia eſt propria & rigoroſa, & eſt illa quæ à iure Cæſareo & Canonico approbatur, quæ non ſolùm in foro externo, verum etiam in interiori confert ius, dummodo intercedat bona fides in præſcribente. Alia eſt impropria, quæ potiùs negatio actionis repetendi coram iudice appellatur; vt contingit quando lex aliqua ſtatuit intra certum terminum repetendam rem eſſe coram iudice à vero domino: quod ſi non repetatur, denegatur actio repetendi, quantumcumque notum ſit iudici malam fidem habuiſſe debitorem in non ſoluendo. Quæ ſanè præſcriptio impropria non tribuit ius in foro conſcientiæ ad rem ſibi retinendam, ſed ſemper durabit obligatio eam reddendi vero domino. Vt ergo cognoſcatur quando lex confert dominium rei præſcriptæ, & conſequenter ius in conſcientiæ foro, vel quando denegat tantùm actionem repetendi, verbis ipſius legis conſtare debebit. Proinde quando in lege ſolùm dicitur non petentem ſibi debitum intra certum terminum, non poſſe tranſacto termino illud repetere, actio repetitionis coram iudice denegatur tantùm, nec ob id obligatio naturalis reſtituendi rem alienam vero domino adimitur. Quando autem legis verba expreſsè dominium præſcribenti acquiri decernunt, tunc in foro conſcientiæ non tenetur rem reſtituere bona fide præſcribens, vt conſtat ex *l. 1. de vſucapien.* & ex *c. Sanctorum, de præſcript.* Et hoc eſt bene notandum ad intelligentiam materiæ de præſcriptionibus, vt tradunt communiter Doctores.

5. Præſcribi poſſunt in conſcientia bona quæ per ſententiam ſunt applicata fiſco, & quæ tenetur reus tradere ſi petantur, etiamſi habeat malam fidem ciuilem, quatenus agnoſcit illa bona non eſſe ſua, ſed fiſci, & quod ex vi ſententiæ tenetur ſe negatiuè habere, quando auferentur ab habente poteſtatem. Ratio eſt, quia reus non habet malam fidem canonicam, cùm abſque peccato mortali talia bona retineat, etiam poſt latam ſententiam ergo poteſt præſcribere, ſi non petantur. Tum quia eo ipſo quòd pœna, quæ petit actionem in ſui executione non debet tradi debitori ab ipſo reo qui ſolùm ſe negatiuè habere debet, ſt ex ipſo bona ſua auferantur: ergo ſi ab illo, cui applicata eſt non petatur intra tempus determinatum à lege in conſcientia præſcribi & vſucapi poteſt. Ita Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 66.* Bannez 2. 2. *q. 62. art. 3.* Couarruuias *lib. 1. de matrimon. p. 2. c. 6. § 8. n. 21. & 22.* Leſſius *lib. 2. c. 6. dub. 6. n. 20. verſ. Obijcitur Primo.*

Molin.

Couarr.
Leſſius.

6. Quando quis bona naufragantium accipit ſuadens ſibi ea eſſe derelicta à proprijs dominis, non peccans in eorum retentione, aut ablatione, poteſt ea vſucapere & præſcribere. Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd quis prudenter iudicet aliquid eſſe pro derelicto, quia ſcit eſſe naufragantium & tempeſtas ad litus proiecit, ignorans dominum, quia alio diuertit, habet bonam fidem Canonicam ad vſucapiendum, quia non peccat, & bonam fidem habet ciuilem cum titulo pro derelicto, ex *l. ſi id quod, ff. pro derelicto.* Tamen ſi quis imprudenter & falsò iudicat rem pro derelicto habitam talis non vſucapit; cùm enim titulus iſte falſus ſit, et culpabilis, non poteſt fundare vſucapionem, iuxta ea quæ Summi Pontifices determinarunt.

Si dicas bona incerti dominij, quæ quis inuenit, non eſſe habita pro derelictis, ſed iuxta magis receptam ſententiam debent reſtitui pauperibus, aut in pias cauſas diſpendi, niſi adſit lex, aut ſtatutum quo Princeps aliquibus ea applicet. Ergò cùm naufragans ſuas merces proijciat ad nauim ſubleuandam, vt vita conſeruetur, ſi illa conſeruari poſſit non videtur eas habere pro derelictis, vt expreſsè dicitur *§. penult. inſtitut. de rer. diuiſione.* Quia cùm proiectio iſta non ſit perfectè voluntaria, et nec earum rerum amittatur dominium, ſequitur quod ita accipiēs non facit ſuas aliquanto tempore, nec earum poſſeſſio fundat vſucapionem, ſed eas tenetur reſtituere, ſicut cætera inuenta in pauperes vel in pias cauſas. Reſpondeo concedendo, quòd non eo ipſo quod res ſit incerti et ignoti domini habetur pro derelicta, ſed dico facta ſufficienti diligentia, vt dominus inueniatur, poſſe ea ſibi retinere in conſcientia; quia in iure eadem reputantur ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum, ſed quando res nullum habent dominum, efficiuntur primi occupantis, ergo bona inuenta naufragantium poteſt ſibi quis retinere & bona fide Canonica vſucapere & præſcribere, ita vt tranſacto tempore, etiam comparente domino non teneatur reſtituere. Hæc dicta ſunt iuxta probabilem quorumdam recentiorem ſententiam docentium inuentorem bonorum incertorum habentium dominum, ſed incertum, poſſe ea ſibi retinere. Ita Sarmiento *lib. 6. ſelectar. cap. 10. numer. 3.* Arragon 2. 2. *quæſt. 62. artic. 5.* Thomas Hurtado *part. 2. tractat. 8. cap. 2. reſolut. 5.* Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 3. art. 3.* Petrus Nauarra *lib. 4. capit. 2. numer. 75.* Diana *part. 2. tract. 17. reſolut. 5.* Leſſius *lib. 2. cap 14. num 48.* qui tamen nouiſſimus *num. 50.* docet nullo modo tolerabilem eſſe conſuetudinem, quæ in quibuſdam locis dicitur eſſe, vt bona naufragorum in litus eiecta, habeantur tanquam adeſpota, & occupentur à Gubernatore loci, & ita eſt; verum Azot. *part. 3. lib. 1. cap. 13. quæſt. 5. verſic. Quinti generis*, docet, quæ longo temporis curſu, naufragio amiſſæ res, vel iactatæ in fundo maris iacent, & inde caſu aliquo vel arte, vel extrahuntur vel reperiuntur in littore, ſtatim fiunt capientium, quia pro derelictis habentur.

Arrag.
Sotus
Nauarr.
Diana.
Leſſius.

7. Poſito probabile eſſe, quòd quis in conſcientia non teneatur ſoluere gabellas etiam iuſtas, niſi ab exactore per ſe, vel per ſuos miniſtros exigantur, vt ſuſtinent Sotus *lib. 3. de iuſtit. quæſt. 6. art. 7. in fine, & lib. 4. quæſt. 6. artic. 4. verſ. de illo autem.* Bannez 2. 2. *quæſt. 62. artic. 3. concluſ. 2.* Toletus *lib. 5. ſumm. cap. 75. numer. 7.* Tabiena *verb. Pedagium, num. 9.* Sanchez *lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 10. num. 5.* quia tributa & vectigalia, ſeu gabellæ & alia huiuſmodi quantumuis iuſta ſic recipiuntur à Republica, vt exacta & poſtulata ſoluantur, duriſſimum enim iugum eſſet venditores & emptores obligare quærere exactores & publicanos, vt illis ante eorum petitionem exſoluantur; vnde iam vſus recepit, & conſuetudo inualuit, vt hæ gabellæ non ſoluantur, niſi petantur, ad quarum exactionem tot miniſtri publici ſunt inſtituti. Quæ cum ita ſint, probabile etiam eſt poſſe eſſe cum mala fide ciuili gabellarum præſcriptionem in vtroque foro. Ratio eſt, quia debitor alicuius quantitatis non obligatus ad illam offerendam

Sotus.
Bannez.
Toletus.
Sanchez.

donec petatur, præſcribit; ſi tempore ſignato à lege ad id petendum, non fuerit petita, ſed non tenetur quis ſoluere gabellas donec petantur à publicano: ergo ſi publicanus non petat tempore a lege deſtinato præſcribentur gabellæ. Ita Sanchez *loco citato dub. 11. concl. 1.* Thomas Hurtado *loco citato tract. 8. cap. 1. reſol 9. & 10.* Panormitanus *in cap. final. de præſcript.* Medina *Cod. de reſtitut. quæſt. 16. verſ. Verum.* Corduba *lib. 1. Summa quæſt. 36.* & multi alii recentiores, quibus adde Vaſquez *in opuſc. de reſtitut. cap 6. §. 3. dub. 6.* Aduerte tamen, ſi ante elapſum tempus petatur vel inſinuetur, aut notificetur debitum non præſcribit in conſcientia.

Panorm. Medina. Corduba Vaſq.

8. Hæres poteſt præſcribere legatum contra legatarium ſi ipſe legatarius intra triginta annorum ſpatium, quod taxatum eſt lege ad præſcribendas actiones perſonales, non petat legatum, ita vt tranſacto illo tempore tutus erit hæres in conſcientia, ſi non ſoluat legatum, etiam ſi ſciat legatum ad legatarium pertinere, illiuſque eſſe verum dominum Ratio eſt, quia hæres non tenetur reddere antequam petatur legatum, & à legatario acceptetur, & ſic quouſque petatur & acceptetur, hæres non eſt in mala fide Canonica, quæ peccatum inuoluat, ſi ipſe non fuit in mora culpabili. Ita Ancharanus, Bartolus, Socinus, Decius, Francus & alij quos citat Couar. *lib. 1. variar. cap. 9. num. 7.* & latè probat Tiraquel. *ad l. ſi vnquam. ff. de reuocand. donat. verb. reuertatur, numer. 390.* citans Panormitanum, Corneum, Felinum: cuius rationem reddit *num. 391.* Si per acceptationem alicui competit actio, poteſt interim contra eum præſcribi, dum non acceptauerit: ergo ſi legatarius non ignorans, legatum non acceptauerit, contra ipſum in foro poli præſcribitur, cùm hæres non ſit in mala fide Canonica, non enim peccat, ſi non portet legatum legatario.

Couar.

Vide tom. 1. verb. Conſuetudo *num. 7.* Fructus *num. 14.* Gabella *n. 10.* & hoc tom. verb. Priuilegium *n. 14.* Reſtitutio in integrum, *n. 13.* Seruus *n. 17.* Viſitatio *n. 18.*

PRÆSVMPTIO.

SVMMARIVM.

1 *Præſumptio alia eſt hominis, alia iuris, alia iuris & de iure.*

2 *Præſumptio, indicium, coniectura, ſignum, ſuſpicia & adminiculum, vt inter ſe differant.*

3 *Quæ ſint præſumptiones & indicia ſufficientia ad inquiſitionem generalem & ſpecialem.*

4 *Quæ ſufficiant ad torturam, & de primo, quod oritur quando vnus teſtis omni exceptione maior teſtatur de viſu ipſius geſti actus & commiſſi delicti.*

An confeſſio extraiudicialis accuſati ſufficiens ſit ad torturam.

5 *An ſufficiens præſumptio ad torturam ariatur ex fama.*

6 *An ex fuga.*

7 *An ex teſtimonio ſocij criminis.*

8 *An ſententia ferri poſſit, quando præſumptio eſt hominis iuris, vel iuris & de iure.*

9 *Præſumptio quid ſit, vt refertur ad voluntatem? & an ſit ſpeciale peccatum? Et cui virtuti opponatur? Et quale peccatum.*

10 *Præſumptio, quatenus opponitur virtuti ſpei, quid ſit? Et de varijs huius præſumptionis modis.*

1 PRæſumptio eſt triplex: vna dicitur hominis, quæ eſt coniectatio in animo iudicis, vel cuiuſcumque hominis ex varijs coniecturis concepta. Alia eſt iuris, quæ eſt probabilis coniectura ex certo ſigno proueniens iure præſcripto, quæ contrario non probato, pro veritate habetur, ac onus probandi in aduerſarium transfert. Alia eſt iuris & de iure, quam lex tanquam firmum ius inducit, ita vt aduerſus illam nulla admittatur probatio. Tamen vt dicatur præſumptio iuris & de iure, ad id non deſideratur iure exprimi ne admittatur probatio in contrarium; ſed ſatis eſt, vt ſua præſumptione ita innitatur, vt ex ea certum quid ſtatuat, vt apertè colligitur ex *Authentic. Sed iam neceſſe, Cod. de donat. ante nuptias,* & docent Menochius *de præſumpt. lib. 1. q. 2. num. 11.* Maſcard. *de probat. concl. 1218. num. 4.* Couar 4. *decret. 1. p. c. 4. §. 1. n. 2.* & alij.

Menoch Maſcard Couar.

Cæterum quamuis contra præſumptionem iuris & de iure non admittatur probatio directa, quæ ad eneruandam ipſam præſumptionem tendat: admittitur tamen indirecta, qua probatur, qualitates ad eam præſumptionem requiſitas minimè reperiri: vt contra præſumptionem iuris & de iure matrimonij initi per copulam ſponſalia ſubſequentem, admittitur probatio concludens non interuenisse copulam, aut ſponſalia, aut priùs ea diſſoluta eſſe. Ratio eſt, quia cùm lex conſtituat certas qualitates ad hanc præſumptionem inducendam, neceſſarium eſt admitti probationes concludentes aliquam ex qualitatibus petitis deficere, vt tradunt Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 37. n. 33.* Maſcardus *de probat. in princ. q. 10. n. 65.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q 65. num 1. & ſeq.* cum aliis.

2. Præſumptio dicta eſt à dictione præ, id eſt ante & ſumptio, hoc eſt ante ſumptio: quia ante legitimas probationes aliquid ſumit pro vero. Differunt autem inter ſe *præſumptio, indicium, coniectura, ſignum, ſuſpicio, & adminiculum.* Nam præſumptio illa eſt, quæ interdum oritur à probabilibus, & tunc appellatur præſumptio iuris, vel hominis. Interdum oritur à neceſſarijs, & tunc appellatur præſumptio iuris & de iure. Ita Simancas *lib. catholic. inſtit. tit. 50. de præſumpt. n. 4.*

Indicium dictum eſt ab indico, indicas demonſtrans argumentum veritatis habendæ: vnde indicium eſt nota quædam & demonſtratio rei geſtæ. Et eſt duplex iuxta Baldum *in l. ea quidem, num. 8. Cod. de accuſat.* Semiplenum, ſeu dubitatiuum, & plenum ſiue indubitatum.

Indicium ſemiplenum eſt præſumptio fortiter mouens animum ad aliquid credendum, vel diſcredendum, *l. cum probatio, ff. de probat.* Plenum vero indicium eſt demonſtratio rei per ſigna differentia, per quæ animus in aliquo tanquam exiſtente quieſcit, & plus inueſtigare non curat *l. indicia. C. de rei uendicat.*

Coniectura propriè dicitur, quæ non à neceſſarlis, ſed à probabilibus oritur. Nam ſi à neceſſarijs oriretur, non dubia, ſed certa res eſſet; cùm tamen coniectura ſit de re dubia. Eſt enim coniectura rei latentis indicium. Et eſt id, quod per rationes & ſigna & tempora, & huiuſmodi coniicit id eſt, cogitat, & colligit. Et dicta eſt coniectura à coniecto, coniectas frequentatiuo, quod idem eſt quod exiſtimo, diuino, atque ita à ſcientia differt. Proinde Baldus *in l. ea quidem, n. 10. de accuſat.* coniecturam ſic deſcribit, *Eſt acceptio, ſeu reputatio veri ex aliquo alio ſic veriſimiliter ordinato.*

Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quidam ſignificat, quod ex ipſo profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum: & tamen indiget teſtimoniis maioris confirmationis: Vt cruor, fuga, pallor, puluis & quæ his ſunt ſimilia. Hæc igitur omnia quæ à ſenſibus ducuntur argumenta vocantur ſigna. Quod docet D. Auguſtinus relatus *in cap. ſignum, de conſecrat. diſtinct.* 2. dicens: Signum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud faciens ex ſe in cognitionem venire. Hinc ſignorum quædam ſunt naturalia, quæ quaſi naturaliter aliquid ſignant, vt nubes naturaliter ſignificant pluuiam, & fumus ignem. Quædam ſunt data, hoc eſt quæ ſunt inſtituta ad aliquid ſignificandum, vt circulus eſt inſtitutus ad ſignificandum vinum venale. Et voces ſunt ſigna eorum, quæ in animo ſunt. Ita Turrecremata *in cap. ſignum, in fin. de conſecrat. diſtinct.* 2. Notandum tamen eſt, quod inter ſe differant veriſimile & ſignum. Nullum autem veriſimile tantum, argumentum eſt neceſſarium. Fit enim veriſimile argumentum ex rebus probabilibus, & quæ plerumque ita fiunt: & hoc veriſimile à præſumptione iuris vel hominis non differt. Signum aliquando neceſſarium eſt, vt ſi mulier lac habeat, neceſſarium eſt vt pepererit; & hoc ſignum nil differt à præſumptione iuris, & de iure, quæ & ne-

ceſſaria

ceſſaria inartificialis probatio dicitur. Signa tamen aliqua dantur, quæ nullam in ſe neceſſitatem habent, & hęc a præſumptione iuris, vel hominis non diſtant.

Suſpicio eſt, quæ animum iudicis aliquo leui argumẽto in aliquam partem inclinat, etſi non omnem excludit dubitationem. Ita Bartolus *in l. admonendi num. 21. ff. de iureiuran.* Hæc ſuſpicio tres habet gradus ſecundùm D. Thomam 2. 2. *quæſt. 60. art. 3.* (D. Tho.) Primus eſt, cùm homo ex leuibus indicijs dubitare incipit: cùm enim nulla adeſt ratio, nullaque cauſa, qua Iudex magis in vnam partem, quam in alteram inclinet, eum dubitare dicimus. Quod ſi poſt dubitationem Iudex leui aliquo indicio animum in alteram partem flectit, neque tamen à ſe dubitationẽ remouet, hoc ipſum ſuſpicio appellatur: quod ſi indicia illa leuia admodum ſunt, ſuſpicio quæ inde cauſatur, temeraria dicitur, & reijcienda omninò venit: non enim tunc aliquem probationis gradum facit, ſicut nec præſumptio temeraria. *Secundus* gradus ſuſpicionis eſt, cùm iudici fortiora argumenta apparent, & incipit opinari & vni parti adhærere, aliquod tamen dubium modicum adhuc remanet. Hæc veriſimilis ſuſpicio, ſeu vehemens à præſumptione differt: nam ex multis ſuſpicionibus cõficitur atque cauſatur præſumptio, vt tradunt Baldus & Salicetus *in authent. ſi quis ei, in fin. C. de adulter.* Tertius eſt ſuſpicionis gradus, quando iudici; poſt à ſe conceptã opinionem, alia vrgentiora ita ſuperueniunt argumenta, vt conſtanter & ſine dubio vni parti adhæreat, tunc violenta ſuſpicio appellatur, & credulitatem fidemque cauſat, *authen. ſi quis ei, C. ad leg. Iuliam, de adulter. cap. litteras, de præſumpt.*

Adminiculum eſt duplex, vehemens & nõ vehemens: vehemens eſt ſuppletio defectus probationis per ſe ſolum non operans, ſed cum alia cooperatione cooperans. Non vehemens adminiculum eſt aliqualis confirmatio rei probabilis, *l. 2. §. 1. ff. de excuſat. tut. & cap. vlt. de ſucceſſ. ab inteſtat.* & docet Baldus *in l. ea quidem, num. 9. verſic. adminiculum, Cod. de accuſat.* De his plura apud Menochium *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 7.* Simancam *lib. catholic. inſtit. tit. 30. de præſumptionib.* (Menoch. Simanc.)

3. Pręſumptio & indicia ad inquirendum & torquendum paria eſſe non oportet. Nam etſi præſumptiones & indicia vt prehenſioni locus eſſe poſſit, paria ſint cum illis, quæ ad generaliter inquirendum ſufficiunt. Attamen his vrgentiores præſumptiones eſſe debent illæ quæ requiruntur, vt de delicto ſpecialiter poſſit inquiri: & multò vrgentiores eſſe debent vt torqueri, ac tandem multò vrgentiores vt poſſit condemnari, vt ex communi docet Iulius Clarus *in pract. criminal. quæſt. 20.* Ad inquirendum itaque leuiora ſufficiunt indicia, quàm ad torquendum & damnandum. Cæterùm inquiſitio altero de duobus modis fieri ſolet, vna eſt generalis, altera verò ſpecialis. Generalis ſolùm fit pro Inſtructione Iudicis, vt perquirere & indagare poſſit, quis delictum illud perpetrauerit; vt deinde habita aliqua cognitione & ſcientia delinquentis inquiri is poſſit in ſpecie. Ita Bartolus *in l. 2. §. de publico, ff. ad leg. Iuliam de adulter.* Itaque ad faciendam generalem illam inquiſitionem, ſufficiunt indicia leuia, modò aliquem colorem habeant. Illa verò quæ ad inquirendum ſpecialiter requiruntur, paulò illis vrgentiora eſſe debent.

Primum indicium ad generaliter inquirendum, oritur ex teſtimonio cuiuslibet teſtis. Et ob id teſtimonium etiam inimici, vel banniti, qui alioqui aliàs teſtificari nõ poteſt, ſufficit. Ita Baldus *in l. ſeruos, Cod. de teſtib.*

Secundum indicium ſufficiens ad generalem inquiſitionem oritur ex aſſertione vulnerati ſuperuiuentis, ſi enim decederet, indicium ad ſpecialem inquiſitionem faceret; imò hoc indicium etiam ſufficeret ad capturam & prehenſionem. Ita Clarus *in pract. crimin. quæſt. 20. verſ. ad inquirendum, & quæſt. 21. verſ. aſſertio vulnerati.* (Clarus.) Ant. Gomez *tom. 3. variar. cap. 3. num. 16.* (Gomez.)

Tertium indicium aptum ad inquiſitionem generalem naſcitur ex fama. Ita *cap. qualiter & quando, il 2. de accuſat.* Tamen Clarus *loco cit. quæſt. 20.* ſuſtinet famam ſufficere etiam ad inquiſitionem ſpecialem, imò & ad prehenſionem & torturam.

Quartum indicium ſufficiens ad inquirendum generaliter, deſcendit ex graui inimicitia. Ita Iulius Clarus *loco cit. & quæſt. 21. verſ. inimicitia,* qui etiam aſſerit ſufficere ad ſpecialem inquiſitionem, & ad prehenſionem, & capturam.

Quintum indicium ſufficiens exoritur ex teſtimonio propinquorum illius vulnerati, vel occiſi. Ita Blancus *in pract. crim. in princ. num. 13. & 28.* Hoc autem indicium ſufficit pariter ad prehenſionem, & capturam huius ſuſpecti.

Porrò ad inquiſitionem ſpecialem præter famam, & grauem inimicitiam connumerantur inter indicia, fuga rei, teſtimonium ſocij criminis, aliquibus tamen in caſibus, aſſertio offenſi exiſtentis in articulo mortis, denunciatio ſyndici, vel alterius officialis præpoſiti ad deferendum crimina. De quibus Iulius Clarus *in pract. crimin. quæſt. 20. verſ. ad formandum in fin.* Alciatus *de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 10.* Blancus *in tract. de indicijs, & tortura num. 396.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 88.* (Clar. Alciat. Blanc. Menoch.)

4. Quamuis ex recepta Doctorũ ſententia, iudicis arbitrio relinquatur, quæ dici poſſint præſumptiones & indicia ſufficientia ad quæſtiones, quas torturam vocant Iuriſperiti, nihilominus ex infra dicendis oriuntur talia, vt eiuſmodi ſint, quibus locus ſit quæſtioni, & torturæ.

Primum oritur indicium ad torturam & quæſtiones ſufficiens, quando vnus teſtis omni exceptione maior atteſtatus eſt de viſu ipſius geſti actus, & commiſſi delicti. Probatur ex *l. 3. Cod. ad leg. Iul. maieſt.* ea ratione, quia teſtis vnus de viſu, non ſolùm facit indicium, ſed etiam ſemiplenam probationem, ſi ſit omni exceptione maior, vt probant *l. 1. §. idem Cornelio. & l. maritus, ff. de quæſtion.* vbi Bartolus & cæteri. Verùm vt locus ſit huic indicio, requiritur quòd aliæ circumſtantiæ, ſeu coniecturæ non reſiſtant, vt tradunt Blancus *in tract. de indicijs, num. 324.* Baldus *in l. 5. Cod. quorum appell. non recip.* (Blanc. Baldus.) Puta ſi reus ſit bonæ famæ, tunc alia præterea indicia neceſſaria ſunt. Diana *par. 4. tract. 6. reſ. 6.* & alij. (Diana.)

Secunda præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam eſt, quod oritur ex confeſſione extraiudiciali accuſati: Ratio eſt, quia non eſt credendum aliquem ſibi falsò crimen imponere; tum quia confeſſio extraiudicialis facit ſemiplenam probationem; multò ergo magis facit indicium, quod eſt quid minus ipſa ſemiplena probatione. Vt tamen huic indicio & præſumption ſit locus, quatuor ſunt neceſſaria. *Primò*, quòd confeſſio iſta debet eſſe veriſimilis, atque ita debet habere cauſam præexiſtentem, nam ſi nulla ſubeſſet cauſa, qua ita factum dici poſſet, indicium ſumi non poſſet. *Secundò*, quòd hæc confeſſio facta fuerit ſeriò, non autem iocosè, nec calore iracundiæ. *Tertiò*, quòd ſit confeſſio ſpecialis, non autem generalis, & quo loco, & quo tempore fuerit facta. *Quartò*, quod hæc confeſſio ſit probata teſtimonio duorum, & licet hoc requiſitum ſit commune cum alijs indicijs remotis, habet tamen neſcio quid plus, cùm maiori quadam diligentia ij teſtificari debeant. Ita Menochius *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 89. num. 17. & ſeq.* Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæſt. 21. num. 113.* Ioſeph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. § 8.* Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæſt. 26. art. 7. concl. 1.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 8.* & alij. (Menoch. Baiard. Iol. de S. Maria. Miranda Sanch.)

5. Tertia præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam oritur ex fama, modò aliqua alia adminicula concurrant; ſola enim fama non eſt ſufficiens indicium ad torturam: igitur vt quis propter famam torqueri queat, hæc omnia requiruntur, quod reus vilis, & infamatus ſit, quod fama non ſit orta à maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis & fide dignis, & poſtremò quod per teſtes idoneos probata ſit, nec ſat eſt, quòd teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant, quæ id neceſſariò concludant. Ratio autem cur fama ſola non ſit ſufficiens ad torturam, eſt, quia fama vim non habet teſtimonij, ſi ſit nuda, ſed tantùm vices accuſatoris obtinet *cap. qualiter & quando, il 2. de accuſat.*

Et præterea ij, qui de fama teſtificantur, de auditu loquuntur & inimicitorum voces audiunt, quibus quidem iniuria affectis, nulla adhibetur fides. Accedit quòd fama

ſulet

Simanc. I. Clarus. Sanch. Miranda Pegna.

ſolet plus mali quàm boni nunciare. Nunquam enim ad liquidum fama perducitur, ſed falſis mixta omnia illa tradentem maiora ſunt vero. Ita Simancas *inſtitut. Catholicar. tit. 65. num. 36. 37. & ſeq.* Iulius Clarus *in practic. crimin. §. final. quaeſt. 21. verſ. fama*. Sanchez *in opuſcul. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 19.* Miranda *de ordin. iudic. tom. 2. quaeſt. 26. art. 5. concl. 1. & 2.* Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment. 110.* & alii communiter. Hæc tamen ſententia locum non habet quando fama eſſet vehemens, nam tunc ipſa ſola abſque aliis adminiculis eſſet ſufficiens ad torturam. Sed vt ſit vehemens, animaduertere debet iudex aliquas regulas, quod fama non dicitur vehemens quando illa ortum habuit à perſonis inhoneſtis & non fide dignis, & numerus teſtium minimè ſupplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Deinde attendenda eſt cauſa originis ipſius famæ, non autem numerus perſonarum, vnde dicendum eſt teſtes deponentes de fama ad minus duos eſſe debere, & hos ſpectatæ vitæ, & omni exceptione maiores. Ita Miranda *loco cit. concluſ. 2.* Menochius *conſ. 788. num. 27.* Farinacius *quaeſt. 47. num. 28.* & alii apud Dianam *part. 4. tractat. 6. reſol. 13.*

Miranda Menoch Farinac. Diana.

6. Quarta præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam oritur ex fuga. Proinde qui poſt commiſſum crimen fugit, antequam accuſetur, poterit ob eam cauſam torqueri, quia vt plerique putant, fuga illa ſemiplenam probationem facit. Boſſius *in tract. cauſar. criminal. tit. de indiciis num. 49.* Iulius Clarus *loco cit. quaeſt. 21. in verſ. fuga*, qui communem eſſe ſententiam teſtatur. Nam non abs re contra ipſum præſumitur, quod delictum commiſerit, eſtque vehemens & vrgentiſſimum indicium ad torturam ſufficiens. Hic tamen caſus non procedit, quando talis qui fugit, fuit accuſatus & vocatus ad iudicium, & venit: nam tunc illa fuga nullum facit indicium, vt ait Bartolus *in l. quod fugitiuus, § ſcienti, ff. de adil. edict.* Iulius Clarus *loco cit. in fin.* Nec procedit, quando aliqua iuſta, vel colorata cauſa ſubeſſe poteſt, vt hic abeſſe cœperit, nam tunc illa fuga, vel verius abſentia eum ſuſpectum non facit, nec indicium contra ſe ad torturam, nec habet vim ſemiplenæ probationis: puta, ſi aufugit exiſtens innocens de morte alicuius, timens ne ipſe occidatur, vel falsò ab aduerſæ factionis viris accuſetur, vel ne de facto prehenderetur & carceri includeretur: vel timens ſæuitiam iudicis, quia ita ſæuire in homines conſueuit: vel ſi abſens ſit ab vrbe ex cauſa negotiationum, vel ob ſimilem cauſam. In his caſibus fuga, vel abſentia indicium aliquod non facit. Ita Baldus *in l. in bona fides, Cod. de vreiur.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. quaeſt. 89. num. 36. 37. & 38.* Simancas *in Cathol. inſtit. tit. 65. num. 18.* Farinacius *quaeſt. 48. num. 1. & ſeq.* Ioſeph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. § 9.* Miranda *loco cit. art. 8.* & alii.

Boſſius. I. Clarus. Bartol. I. clarus. Baldus. Menoch. Simanc. Farinac. Iol. à S. Maria. Miranda

Aduertendum tamen eſt, quando iam propoſita querela & carcere mancipatus aufugit, etſi non fracto carcere, fuga hæc indicium facit, ad torturam, ſi iuſtè erat incarceratus, & receſſit è carcere animo non redeundi. Quãdo autem fugit fracto carcere, vel ruptis cõpedibus; tunc hæc fuga non ſolùm facit indicium ad torturam, verum etiam plenam probationem quoad condemnationem: modò fuga hæc fuerit facta cum conſpiratione. Ita probat *l. in eos, ff. de carcer.* vbi Bartolus & Albericus. Felinus *in cap. nullus*, & ibi Decius *num. 7. de præſumpt.* Iulius Clarus *in pract. crimin. § fin. quaeſt. 21. verſ. Tertio autem modo*, & alii. In aliquibus tamen caſibus ſola ipſa fuga abſque conſpiratione plenam probationem criminis facit, vt *Primò*, in crimine hæreſis; quia fugiens è carcere illo effracto, dicitur relapſus. Felinus *in cap. excommunicamus ll 1. num. 7. de hæret.* Idem dicendum in fuga, quam facit Magiſtratus tempore ſyndicatus. Nã illa fuga infert præſumptionem violentam, quod in officio deliquerit, ita probat *l. Conſiliarios, Cod. de acceſſor.* & tradit Franciſcus Brunus *tract. de indiciis, & torturis part. 1. quaeſt. 3. num. 11.*

Decius. I. clarus. Felin. Franciſc. Brun.

7. Quinta præſumptio, ſeu indicium ad torturam ſufficiens oritur ex teſtimonio ſocii criminis, modò concurrat alia præſumptio, vel adminiculum, aut indicium. Ratio eſt, quia quis non poteſt torqueri, ſi non adſit ſaltem ſemiplena probatio, quam efficit dictum vnius teſtis omni exceptione maioris, ſed ſocius criminis, vt patet non eſt teſtis omni exceptione maior, ergo. Ita Menochius *de arbitrariis iudicum, lib. 2. caſu 474. num. 43.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 7.* Sylueſter *verb. Indicium num. 5.* Armilla *num. 6.* Angelus *num. 5.* Delrius *in diſquiſ. magic. append. 2. lib. 5. quaeſt. 1.* Ioſeph à S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 5.* & alii. Adminicula autem in quibus cum ſocii criminis teſtimonio datur tortura, ſunt, *Primò*, quando ſimul concurrunt teſtes de auditu. *Secundo*, quando concurrit fama. *Tertiò*, quando concurrit fuga. *Quartò*, ſpecialis & ſtricta amicitia nominati cum tali ſocio. *Quintò*, ſi concurrit ſecreta allocutio & conuerſatio inter nominatum & ſocium. Ita Souſa *in aphoriſm. inquiſit. lib. 2. cap. 25. n. 24.* & alii.

Menoch Sanch. Sylueſt. Armilla. Angelus. Delrius. Iol. à S. Maria. Souſa.

Depoſitio tamen duorum ſociorum criminis ſufficit ad torturam. Clarus *in practic. crimin. §. final. quaeſt. 21.* Becanus *2. 2. quaeſt. 07. de iniuſtit. iudic. quaeſt. 10. num. 10.* Filliucius *tract. 40. cap. 7. num. 37.* Et hoc verum licet ſint ſingulares, vt docet Souſa *loco cit. cap. 39. num. 55.* qui citat Farinacium *quaeſt. 43. num. 37. & 38.* & Clarum *loco citato*.

Clarus. Becan. Filiuc.

Prædicta tamen doctrina licet regulariter vera ſit, limitanda eſt, in caſu quando eſt tanta vis bonæ famæ propter magnam perſonarum inæqualitatem; vt ſi Princeps denunciaretur à ſuis ſubditis, tunc enim tot denunciationes requirerentur, quot poſſint præponderare; & idem dicendum de Religioſo, qui apud ſæculares publicæ haberetur eximiæ ſanctitatis, nam plurimi facienda ſunt vitæ præcedentis merita, vt patet ex *l. 3. §. ſed ſi ex improuiſo, & l. non omnes, §. a barbaris, ff. de re milit.* & notat Delrius *de magia in append. 2. lib. 5. quaeſt. 6.* & poſt illum Dianam *p. 4. tract. 6. reſol. 7. in fin.*

Delrius. Dian.

8. Quando præſumptio eſt iuris & de iure, ſententia ferri poteſt, cùm hæc dicatur vera, & propria probatio. Si autem præſumptio eſt iuris tantum, quæ tamen contraria probatione non fuit improbata, etiam ſententia ferri poteſt. Quandoquidem & hæc dicitur liquida & manifeſta probatio, ex quo lex eam ſic approbauit. Quando autem præſumptio eſt hominis tantùm, quæ quidem à lege expreſſim approbata non reperitur, hæc pendet à Iudicis arbitrio, qui iudicare habet an eiuſmodi ſit præſumptio, vt ferre ſententiam poſſit. Et quidem quando præſumptio eſt violenta, ferri ſententia poteſt in eum contra quem illa extat. Præſumptio autem violenta eſt, quãdo ſcilicet apparet coniectura mali, & non boni; & cùm omnia ſigna ſunt mali & nulla boni. Sicuti fuit illa quam fecit Salomon, vt habetur *lib. 3. Regum cap. 3.* relata *in cap. afferte, de præſumptionib.* dum adiudicauit filium illi mulieri, quæ lachrymis rogauerat, ne puer interficeretur, iudicans illam eſſe matrem. E contra mulierem illã, quæ petierat puerum diuidi, & dicebat, nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur: non eſſe matrem iudicauit Salomon violenta hac præſumptione: cùm in ea omnia ſigna mali, nempe aduerſus humanam & naturalem pietatem.

Quando præſumptio eſt probabilis, ferri ſententia non debet contra eum, cui illa obſtat, ſed ſolùm indicenda eſt purgatio, vt habetur *in cap. 1. & 2. de purgat. Canon.* Præſumptio autem probabilis dicitur illa quæ ſumitur ex multis ſignis malis; & parua ac exigua ſunt ſigna boni: qualis eſt illa, quæ ſumitur à falſis Prophetis: nam a fructibus eorum cognoſcimus eos.

Quando præſumptio eſt leuis, ferri ſententia non debet: ſed in hoc dubio, in meliorem partem ſunt interpretanda: Præſumptio leuis eſt, ſi vir bonæ famæ, videatur ſemel alloqui mulierem in loco ſuſpecto.

Quando præſumptio eſt temeraria, nulla pariter ferri debet ſententia in eum, aduerſus quem ſumpta eſt præſumptio iſta: ſed damnãdus potiùs eſt ille ita præſumens; nam & contra illum ſtat illud Lucæ cap. 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Ita Alexander Alenſis *in Summ. part. 3. quaeſt. 45. memb. 7.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q. 94.* & alii.

Alenſi. Meno.

Plura hic de præſumptionibus poſſent adduci, ſed, quia hæc materia eſt potius Iuriſperitorum, quàm Theologorum, ideò ab his ſuperſedemus, quæ videri poſſunt apud illos, qui ex profeſſo de his tractauerunt: proinde hæc

pauca

pauca ſufficiant Theologo morali. Nunc ad præſumptionem, quæ eſt virtuti ſpei, & magnanimitati contraria, deueniamus.

9. Præſumptio vt refertur ad voluntatem, in genere ſignificat quendam animi motum ad aliquid agendum, quod excedit agentis facultatem, & quidem ſi exceſſus ſit non reſpectu poteſtatis quaſi executiuæ, ſed reſpectu legis, & iuris debiti, præſumptio conſiſtit in hoc, quod quis cognita voluntate Superioris, vel cognita lege, eam tranſgredi præſumit: quomodo dicitur ſæpè in iure, *Si quis hoc præſumpſerit facere, &c.* Hæc præſumptio nõ eſt ſpeciale vitium & peccatum, ſed circumſtantia quædam generalis ad legis contemptum pertinens, quam quis ſciens & videns ſine metu, aut vi tranſgreditur, quæ ſignificatio notanda eſt ad intelligenda multa iura.

Alio modo præſumptio dicitur motus, quo aliquis aggreditur id, quod ſuperat vires ſuas, & hæc per materias diuerſarum virtutum vagatur; vt cum quis aggreditur maiora pericula, quàm poſſit ſuperare; cùm vult ampliùs ieiunare quàm vires ferant; cùm maiores honores maioraue beneficia quærit, quàm ei conueniant. Hæc præſumptio licet quantum ad materiam, ita vagetur; quia tamen in omnibus iſtis materiis verſatur ſub vna ratione, quæ virtuti magnanimitatis opponitur, ideò & ipſa tali virtuti aduerſatur. Vnde huiuſmodi præſumptio eſt quædam præfidentia, ſeu nimia confidentia ſuarum virium; ſuas vires intelligendo quas quis, vel in ſe, vel in aliis habet paratas. Conſiſtit enim non tam in expectando aliquid inordinatè à Deo, quam in aggrediendo ea opera quæ ſuperant hominis facultatem, tum eam quam ex ſe, ſeu ex natura habet, tum eam quam meritò confidit ſe ab alio accepturum. De qua D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 130. *art.* 2. & alii Commentatores ibi. D. Tho.

Grauitas huius præſumptionis plerumque eſt venialis, in tribus tamen caſibus eſt mortalis. *Primò*, quando prouenit ex errore contra fidem, vel ei eſt coniuncta, niſi ſit error inuincibilis. *Secundò*, quando eſt coniuncta cum notabili damno, vel notabilis damni corporalis periculo. *Tertiò*, quando eius ratione homo ſe, vel alium exponit periculo peccandi mortaliter. Ita peccant ignari Confeſſarii, Medici, Aduocati; & qui experti ſe plerumque labi in peccatum mortale ex alicuius mulieris conſortio, illud nihilominus deſiderant abſque cauſa rationabilia. Ita Toletus *in Summ. lib.* 8. *cap.* 22. Nauarrus *in Manual. cap.* 23. *num.* 14. Sylnius 2.2. *quæſt.* 130. *art.* 2. Fernandez *part* 4. *cap.* 1. §. 2. *num.* 19. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *punct.* 2. & alii. Toletus. Nauarr. Sylu. Fernan. Valentia

Ex dictis ſequitur hoc vitium in intellectu ſupponere opinionem falſam de ſuis viribus, ex culpabili ignorantia, vel inconſideratione ortam. In voluntate verò requirere affectum, vel abſolutè exequendi tale opus, vel ſub conditione, ſi nimirum res ad ſe pertineret, ſi tempus & locus poſceret, &c.

10. Præſumptio, quatenus opponitur virtuti ſpei per exceſſum, eſt affectus quo ſperamus aliquid à Deo, inordinatè tamen & huius præſumptionis varii ſunt modi. *Primus* eſt, quo quis inordinatè innititur propriæ virtuti, v. g. ſi ſperet conſequi beatitudinem, & remiſſionem peccatorum propriis viribus, eſt præſumptio Pelagiana, & committi non poteſt ſine illa hæreſi. *Secundus* eſt, quo quis inordinatè innititur diuinæ miſericordiæ & potentiæ, vt ſi ſperet, ſe obtinere poſſe à Deo remiſſionem peccati ſine pœnitentia, aut beatitudinem ſine bonis operibus; quod faciunt illi, qui perſeuerant in ſuis peccatis, & nihilominus ſperant ſe poſſe ſaluari per infinitam Dei bonitatem & miſericordiam, & hæc eſt Lutherana præſumptio, quæ vix poteſt committi grauiter ſine tali hæreſi. Nam hic iudicat falſò de Deo, poſſe ab eo beatitudinem comparare abſque mediis, à diuina prouidentia & iuſtitia ſtatutis; atque grauiſſimè vtrumque Dei attributum læditur: & ſpei apertè repugnat, ad quam ſpectat non ſolùm digna, ſed etiam dignè ſperare de Deo. Hæc præſumptio ſemper eſt mortalis, nec paruitas materiæ excuſare poteſt, ſed ſolus plenæ deliberationis defectus, vt docent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 33. *num.* 7. Bannez 2.2. *quæſt.* 21. *art.* 2. *dub.* 2. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 6. & alii. *Tertius* eſt, cùm quis ſpe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in ſeneſtutem, aut finem vitæ. Ita Bannez *loco cit. art.* 2. *in fine.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 7. Quod peccatum eſſe mortale, ait Medina *lib.* 1. *Summ. cap.* 14. §. 1. Sed verius eſt non eſſe ſemper mortale, niſi tempus occurrat, quo præceptum pœnitentiæ obligat: quare qui pœnitentiam ſpe veniæ differt, ſolùm peccat contra pœnitentiæ præceptum, ſi animum habeat eam differendi vltra tempus, quo id obligat: vnde hoc peccatum propriè non eſt præſumptionis & contra ſpem; quia non ſperatur beatitudo abſque pœnitentia & Dei adiutorio. Ita Sanchez *loco cit. num.* 7. Azorius *ſup.* Villalobos 2. *p. tract.* 2. *diffic.* 3. *num.* 4.

Sanchez. Bannez. Valentia. Trullen. Bannez. Azor. Medina. Sanchez Villalob.

Vide tom. 1. verb. Adulterium num. 18. & ſeq. & hoc tomo verb. Ignorantia num. 8. Probatio num. 3. 4. & ſeq. Spes num. 15. 16. & ſeq.

PRECARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit precarium?*
2 *Quæ requirantur ad ſubſtantiam contractus precarij, & quæ ſit differentia inter commodatum & precarium?*
3 *Ex qua culpa teneatur qui precario accepit & habet?*
4 *Quot modis precarium finiatur?*
5 *An precarium finiatur concedentis morte, vel conceſſum non ad tempus finitum, reputetur conceſſum quouſque non reuocetur?*
6 *An ex precario conceſſo ſimpliciter & abſolutè oriatur ciuilis actio qua repetatur?*
7 *An precarium differat à precaria & precariis?*

1 PRecarium ſecundùm Iuriſconſultum, *l.* 1. *ff. de precario, eſt quod precibus petenti vtendum conceditur, tamdiu, quamdiu is qui conceſſit, patitur, id eſt, non reuocauerit*: conſiſtit hic contractus in iiſdem rebus, in quibus commodatum, poteſt enim precario concedi res mobilis, res ſe mouens, & res immobilis: Iura item ſeruitutis, tum vrbanæ, tum ruſticæ, precario dari poſſunt. Ita Azorius 3. *part. lib.* 7. *de precario cap.* 1. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 1. *num.* 4. Caramuel *lib.* 2. *Theolog. moral. num.* 685. Azor. Layman Leſſius. Caram.

2. *Ad ſubſtantiam* contractus precarii pertinet, *Primò*, conſenſus dantis & recipientis. *Secundò*, traditio, ita ea enim perficitur. *Tertiò*, vt is qui dat precario, poſsit repoſcere rem datam quando voluerit; & in hoc *differt* à commodato, nam *commodatum* datur ad certum vſum & ad certum tempus expreſſum vel tacitum, *precarium* non ita; precarium tamen non poteſt ſtatim reuocari niſi ſuperueniat aliqua rationabilis cauſa, alioquin præſumeretur dolus in concedente: imò pactum ne is qui dedit poſsit repetere ante certum tempus, eſt nullum, quia eſt contra ſubſtantiam & naturam precarii, nec contraria conſuetudo quidquam poteſt efficere. Filliucius *tract.* 34. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 197. & 198. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 182. Bonacina *de contract. diſput.* 3. *quæſt.* 13. Leſsius *cit. num.* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 480. Molina *de contract. diſp.* 298. Azorius *cit. cap.* 2. *quæſt.* 2. *Poſſeſſio* autem *ciuilis* rei precariò datæ, manet apud dominum illius, *naturalis* verò eſt penes accipientem; *Porrò* precarium poteſt conſtitui etiam inter abſentes, dummodò res tradatur, *l.* & *habet*, §. *cum quis*, *ff. de precar.* & *l. precaria*, *ff. de precario.* Filliuc. Nauarr. Bonac. Leſſius. Reginal. Molina. Azor.

3. Qui precariò accepit & habet, ſolùm tenetur ex dolo & lata culpa, non autem ex leui, vel leuiſsima culpa: quia licet in contractibus, qui ſolùm fiunt cauſa recipientis, obligetur is qui accipit ex leuiſsima etiam culpa, ab hac tamen regula generali excipitur precarium, quoniã etſi ſolùm ſit ad vtilitatem accipientis, reuocari tamen poteſt ad nutum eius qui dedit, *l. contractus*, *ff. de regul. iuris.* Syluester *verb. precarium quæſt.* 2. Azorius *cit. cap.* 2. Layman *cit. num.* 5. Syluest. Azor. Layman

4. *Precarium* quatuor modis ſoluitur, ſeu finitur. *Primo,*

mò, obitu eius cui datum eſt: eſt enim beneficium in perſonam eius, qui accipit, collatum, ac proinde cum perſona extinguitur. *Secundò*, voluntate eius qui conceſſit. *Tertiò*, finito tempore ad quod res eſt precario data. *Quartò*, quando is qui precarium conceſſit, rem precario datam alienauit; tunc enim niſi voluntate noui domini res eadem maneat penes eum, qui ab initio precario
Couar. rio poſſidebat, finitur & tollitur precarium. Couarruuias
Molina. *lib.* 3. *variar. cap.* 15. *num.* 1. 2. & 3. Molina *cit. diſp.* 298.
Azor. Azorius *cit. cap.* 3. Bonacina *cit. num.* 5. Layman *ibidem*.
Bonac. Layman Quidam tamen volunt precarium nec morte concedentis, nec pura morte recipientis ſolui, ſed mera voluntate concedentis: vnde quando recipiens moritur, ſi concedens non repetat, videtur illud concedere hæredi: & ſi concedens moriatur, & hæres non repetat, videtur illud iteratò concedere. Ipſe enim concedens moraliter ſumptus non moritur; nam in hærede moraliter viuit, hoc eſt, ita ſe habet ac ſi realiter viueret. Hanc ſententiam
Caram. ſolidè probat Caramuel *lib.* 2. *Theol. moral. num.* 688. & *ſeq.* cuius rationes ſunt à Iuriſperitis expendendæ.

5. Quando *precarium* conceditur non ad tempus finitum, reputatur conceſſum quouſque non reuocetur, aut pœniteat concedentem; vnde ad hoc vt finiatur, neceſſe eſt reuocari per contrarium actum concedentis; *quando* autem ad tempus certum neceſſarius eſt idem actus contrarius, vt ceſſet ante id tempus, *l.* 2. §. 1. *ff. de precar. l.* 4.
Couar. *ff. locat.* Couar. *cit. num.* 2. Filliucius *cit. num.* 202. & 203.
Filliuc. *Quando* verò conceditur aliquid ad beneplacitum concedentis, vel interim dum concedens voluerit, tunc finitur morte concedentis: *abſolutè* tamen loquendo precarium non finitur concedentis morte, quia precarium datur vt eo vtatur is qui accipit, donec voluntatem reuocauerit, qui conceſſit, ſed voluntas morte reuocata non cenſetur,
Azor. *l.* 1. & 2. *ff. de precar.* Azorius *cit. cap.* 3. Molina *cit. num.*
Molin. 8. Bonacina *cit. num.* 5.
Bonac. 6. Ex precario conceſſo ſimpliciter & abſolutè, nulla oritur ciuilis actio, qua repetatur, ſed tantùm repoſcitur interdicto de precario: ex precario autem dato, expreſſa conditione vt redderetur, quando repeteret is qui dedit, oritur actio quæ dicitur (*præſcriptis verbis*) quæ ciuilis eſt, ſed innominata: quod ſi datum ſit ex ſtipulatione, tunc reperitur actione ciuili quæ dicitur (*ex ſtipulatu*,) *l. interdum ff. de precar. l. & habet*, §. *cum qui*, *ff. de precar.*
Azor. Azorius *cit. quæſt.* 2.

7. *Precarium* differt à precaria, & precariis; *precaria* enim ſunt res precibus petentium datæ ad vſum, ſed quinto quoque anno repetuntur, ſeu reuocantur, niſi earum traditio renouetur. *Precaria* eſt res precariò data ad vſum alicuius donec moriatur. *Precarium* eſt res cõceſſa alicui ad vſum, quæ repeti poteſt ab eo qui conceſ-
Hoſtien. ſit, quando voluerit. Hoſtienſis *in Summa tit. de preca-*
Azor. *ryi*. Azorius *cit. quæſt.* 3. Filliucius *cit. num.* 205.
Filliuc. De Precario vide verb. Locatio 1. num. 1.

SVPPLEMENTVM.

PRECARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui precario dare, & accipere poſſint.*
2 *An precarium differat à cæteris contractibus?*
3 *An qui precarium dedit poſſit ſuo arbitratu etiam ſine vlla cauſa illud reuocare?*

1 OMnes qui contrahere poſſunt, etiam precariò dare & accipere queunt: quia precarium eſt contractus. Proinde neceſſe eſt, vt ſint rationis compotes & doli capaces: quia abſque contrahentium conſenſu contractus nullã vim habet; quare ſicut filii familias & ſerui commodare & commodatum accipere poſſunt, ſic & precarium dare & accipere queunt, vt patet ex *l. ſi ſeruus, ff. de precario*.

2. Precarium differt à mutuo, quod in mutuo transfertur dominium, non item in precario: & ob id differt etiã à venditione, quod venditio eſt contractus oneroſus, nõ verò precarium; quia ad preces eius, qui id petit, ſolet concedi. Differt à Depoſito, quod Depoſitum ordinariè fit in fauorem deponentis. Precarium verò in fauorem accipientis. Deinde precarium conceditur ad aliquẽ vſum, depoſitum verò ordinariè conceditur ad cuſtodiam, licet vtrumque repeti poſſit ad libitum concedentis. Differt à locatione quòd locatio fit in vtriuſque contrahentis vtilitatem, precarium verò in vtilitatem ſolius accipientis. Porrò differt à commodato, quòd precarium reuocari, vel repeti poſſit ante vſum; commodatum verò non item: quia precarium tamdiu retineri poteſt ad vſum
accipientis, quamdiu placuerit ei qui dedit. Ita Leſſius Leſſius.
lib. 2. *cap.* 27. *dub.* 1. *num.* 4. Nauarrus *in man. cap.* 17. *num.* Nauarr.
181. Syluester *verb. Precarium*. Filliucius *tract.* 34. *num.* Syluest.
195. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 472. & alii communiter. Filliuc. Reginal.

3. Qui precarium dedit poteſt ſuo arbitratu etiam ſine vlla cauſa illud reuocare. Ratio eſt, quia precarium ex libera dantis voluntate exiſtit & pendet. Id tamen facere non debet cũ magno damno precatarii abſque rationabili cauſa, nam obſtaret exceptio doli, cùm negari nequeat, quin precarium ſit beneficium, quo iuuari, & non decipi accipiens debet. Quare doli exceptione cogetur concedens, quia ſine iuſta cauſa illud ſtatim ac conceſſum eſt voluerit reuocare: proinde arbitrio prudentis iudicis tẽpus aliquod accipienti concedendum, quod re precario acceptа, vti poſſit. Hæc tamen repetitio precarii ſine cauſa, & cum magno damno precatarii, tantùm eſt contra charitatem, & non contra debitum iuſtitiæ. Ita Couarruuias Couar.
lib. 3. *variar. cap.* 15. *num.* 6. Nauarrus *in man. cap.* 17. Nauarr.
num. 182. Molina *tract.* 2. *diſp.* 298. Lopez *lib.* 2. *de con-* Molina.
tract. cap. 34. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſp.* 15. *quæſt.* Lopez.
5. & 6. & alii. Fauſt.

PRIVILEGIVM I.

Quid & quotuplex, A quo & cui concedendum in priuilegium.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit priuilegium? & de eius diuiſione in reale, & perſonale.*
2 *De triplici priuilegio perſonali.*
3 *An in dubio priuilegium iudicandum ſit reale?*
4 *De aliis diuiſionibus priuilegii, nempe de gratioſo, remuneratorio conuentionali, &c.*
5 *Priuilegium aliud eſt quod proprio motu Principis confertur, aliud vero in gratiam petentis. Et quod ſit inter ea diſcrimen.*
6 *Quis poſſit priuilegium conferre?*
7 *An ſubditis tantum priuilegium concedi poſſit?*
8 *An bullatio, ſeu ſcriptura ſit de eſſentia priuilegii?*
Omnia priuilegia viuæ vocis oraculo regularibus conceſſa a Summis Pontificibus, reuocata ſunt ab Vrbano VIII. & Gregorio XV.
Quid ſit viuæ vocis oraculum?
An per conſtitutiones dictorum Pontificum reuocentur viuæ vocis oracula, quæ per bullam poſtea fuerunt cõfirmata? refertur duplex ſententia.
An ſub hac reuocatione veniant priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum, ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, aut ſtatutorum religionis?
An priuilegium per Bullam vni religioni conceſſum, & viuæ vocis oraculo alteri communicatum, cenſeatur his conſtitutionibus reuocatum?
An ſublata ſint indulgentiæ viuæ vocis oraculo conceſſa?
9 *Priuilegium conceditur Motu proprio, vel ad inſtantiam partis?*

Priui-

Digitized by Google

1 PRiuilegium eſt veluti priuata lex, in alicuius fauorem data, *cap. Abbate de verbor. ſignific.* quia in priuilegio aliquis fauor conceditur, qui iure communi non conceditur, aliàs priuilegium fruſtratorium eſſet & inutile. *Diuiditur* multipliciter priuilegium. *Primò*, in reale ac perſonale. *Priuilegium reale* eſt quod proximè, ac directè alicui conceditur, reſpectu rei, loci, muneris dignitatis, puta prædii, monaſterii, Eccleſiæ, Epiſcopatus. *Perſonale* eſt quod conceditur immediatè perſonæ ſui: *diſcrimen* autem eſt inter priuilegium perſonale & reale, quod priuilegium perſonale perſonam ſequitur & cum ea extinguitur; priuilegium verò reale cohæret rei & cum eadem expirat. Suarez *de legib. lib.8. cap.1.* Layman *lib.1. tract.4. cap.23.* Azorius *1. part. lib.5. cap.22.* Bonacina *tom.2. diſp.1. quæſt.3. punct.1. num.6.* Rodriquez *tom.1. qq. reg. q.7. art.1. & 2.* Portel *de dub. regul. verb. Priuilegium num. 1. & 4.*

Suarez. Layman. Azor. Bonac. Rodriq. Portel.

2. *Priuilegium perſonale* triplex conſtituitur. *Primum* propriè ac ſingulariter perſonale, quod vni tantùm conceditur per ſe, per accidens tamen familia & domeſtici de eo participant, vt eſt priuilegium alicui conceſſum audiendi, vel celebrandi Miſſam tempore interdicti generalis. *Secundum* eſt priuilegium communiter perſonale, quod certo perſonarum generi conceditur, puta minoribus 25. annis priuilegium reſtitutionis in integrum; & hoc priuilegium tranſmittitur etiam ad hæredes, quia non merè reſpectu perſonæ, ſed etiam ratione rei, videlicet, interuenientis læſionis conceſſum eſt. *Tertium* priuilegium corporale, quod corpori ſiue communitati confertur, vel ea conditione vt ſinguli è communitate priuilegio frui poſſint, vel vt communiter tantùm & collectiuè; & hoc priuilegium non extinguitur cum perſonis ſingularibus, ſed continuatur in perſonis perpetuò ſuccedentibus. Syluester *verb. Priuileg. quæſt. 1.* Layman *cit. num.3. & 4.* Bonacina *cit. num. 10.* Rodriquez *cit. art. 2.* Hieronymus Rodriquez *reſ.116.* Miranda *in manual. Prælat. tom.2. quæſt.41. art. 2.* & alii.

Syluest. Layman. Bonac. Rodriq. Hier. Rodriq. Miranda.

3. In dubio priuilegium iudicandum eſt reale, quando eſt fauorabile, ſeu purum beneficium; quia beneficiũ Principis latè explicandum eſt, & decet eſſe manſurum: quando verò priuilegium eſt contra ius commune, vel præiudicat tertio, in dubio, per ſe loquendo, iudicandum eſt tanquam perſonale: cùm huiuſmodi priuilegium ſit odioſum, & odia ſint reſtringenda: ratione tamen alterius circumſtantiæ, vt poſſeſſionis, vel maioris probabilitatis in alterutram partem, iudicandum eſt in fauorem illius partis quæ poſſidet, vel pro qua ſtat maior probabilitas. Suarez *lib.8. cap.3. à num.14. vſque ad 19.* Salas *de legib. diſp.7. ſect.6.* Portel *cit. num.5.* Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 18. §. 1. num.7.* Diana *part.4. tract. 3. reſol. 41.* & alii.

Suar. Salas. Portel. Pontius. Diana.

4. Priuilegium *aliud* dicitur gratioſum, quod ſcilicet gratis conceditur, nulla habita ratione meritorum illius, cui conceditur, vel aliorum. *Aliud* remuneratorium, quod conceditur alicui ratione meritorum ipſius, vel alterius. *Aliud* eſt conuentionale, quod conceditur interueniente pacto, ſeu conuentione. *Aliud* purum, quod abſolutè conceditur. *Aliud* eſt ob bonum commune. *Aliud* immediatè & proximè ob bonum priuatũ. *Aliud* eſt purè fauorabile, quod confert fauorem & commodũ, nullique affert incommodum & præiudicium. *Aliud* eſt odioſum, quod vni confert fauorem & alteri præiudicium, vt dum quis eximitur ab onere decimarum. Suarez *cit. cap.6.* Azorius *1. part. lib.5. cap.23.* Bonacina *cit. num. 8. 9. 10. & 11.* Portel *cit. num.6.*

Suarez. Azor. Bonac. Portel.

5. Priuilegium *aliud* eſt, quod proprio motu Principis confertur, *aliud* verò in gratiam petentis: diſcrimina inter ea ſunt: *Primò*, quod illud, ſi cætera paria ſunt, fauorabilius eſſe ſoleat, hoc verò magis odioſum, præſertim ſi gratia inſolita ſit. *Secundò*, priuilegium quod motu proprio conceditur, excludit præſumptionem ſubreptionis; ſecus ſi ad inſtantiam petentis. *Tertiò*, priuilegium quod proprio motu confertur, ordinariè ſuum effectum non ante conſequitur, quàm priuilegiato innotuit, excepto illo, quod non per modum ſpecialis reſcripti, ſed generali lege, ſeu ſtatuto conceditur, ad remunerandum aliquem de republica benemeritum. Illud autem quod in gratiam petentis, per procuratorem datur, ſtatim ſuum effectum ſortitur, cùm ferens annuit, vel voluntatem ſuam ſignificauit, etiam adhuc ignorante eo qui poſtulauit. Sanchez *de matrim. lib.1. diſp.6 num.29. & lib.3. diſp.36.* Suarez *cit. lib.8. cap. 25. num. 10. & ſeq.* Azorius *cit. cap. 3. quæſt 5. & cap. 23. quæſt. vlt.* Syluester *quæſt. vlt.*

Sanchez. Suarez. Azorius. Syluest.

Item aliud priuilegium eſt inſertum in corpore iuris Canonici, aliud verò eſt extra corpus iuris. Et licet vtrũque coram Deo æqualem vim habeat, differunt tamen, *Primò*, quia priuilegium inſertum in corpore iuris, eſt quaſi lex publica, & obligat omnes ad ſui obſeruationẽ, ſeu conſeruationem. Priuilegium verò extra corpus iuris, contentum ſcilicet in aliqua bulla particulari, non ita promulgatur, neque ita obligat, niſi poſt exhibitionem authenticam, & iuſtificatam. *Secundò*, differunt, quia priuilegia contenta in corpore iuris non reuocantur, niſi de illis fiat ſpecialis mentio, vel dicatur quòd reuocantur etiam priuilegia in iure communi contenta, & ſic non ſufficit reuocatio quantumcunque generalis: priuilegia verò poſita extra corpus iuris reuocantur per quamcomque reuocationem generalem, vt dicetur infra *verb. Priuilegium 2. num. 3.* & docent Miranda *in man. tom.2. quæſt.43. art. 2. concl.5* Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 3. punct.8. §. 3. num. 15.* Portel *in dub. regul. verb. Priuilegÿ ceſſatio num.67.* Diana *par.5. tract.13. reſol.93.* & alii communiter.

Miranda. Bonac. Portel. Diana.

6. Omnis & ſolus ille, qui legem condere, etiam priuilegium conferre poteſt; quia priuilegium non cuiuſuis hominis beneficium dicitur, ſed quod publica poteſtate alicui confertur, ad faciendum aliquid vel omittendum, hinc Summus Pontifex poteſt directè in ſpiritualibus priuilegia concedere omnibus & vbique, aut etiam in temporalibus, in proprijs legibus & territorijs. In alienis verò legibus temporalibus poteſt indirectè omnibus priuilegia concedere, quatenus opus fuerit per ordinem ad ſpiritualia. Epiſcopus poteſt in propriis ſtatutis priuilegiis conferre ſuis ſubditis. Imperator verò, Rex, Princeps ſupremus, poſſunt priuilegia exiſtentibus in ſua ditione concedere in legibus à ſe latis. Syluester *verb. Priuilegium quæſt.2.* Suarez *lib. 8. cap. 9. & 10.* Reginaldus *lib. 13. num.234.* Layman *cit. num.14.* Azorius *cit. lib.5. cap. 22. quæſt. 4.* Salas *cit. diſput. 17. ſect. 3. num.27.* Miranda *tom.2 quæſt.41. art.3.*

Syluest. Suar. Reginal. Layman. Azor. Salas. Miranda.

7. *Priuilegium* propriè & ſtrictè acceptum quod eſt contra ius, ſeu quo quis directè ab obligatione legis eximitur, illis tantummodo concedi poteſt, qui aliquo modo ſunt ſubditi; quia per priuilegium homo eximitur à lege; eximi poſſunt, quidem aliquomodo ſubditi, ergo. *Priuilegium* verò, quod eſt præter ius, ſeu quo quis non directè eximitur ab obligatione legis, quodque propriè non eſt actus iuriſdictionis, ſed quaſi donationis & dominii illius rei, vel iuris, quod per priuilegium datur, cõcedi poteſt perſonis quæ non ſunt ſubditæ; vnde clerici & religioſi licet non ſint propriè & directè ſubditi principibus ſæcularibus, nihilominus ſi Princeps ſæcularis cõdat legem ciuilem purè fauorabilem, poſſunt illam recipere, & illius fauore frui. Layman *lib. 1. tract.4. cit. cap. 23. num.15.* Suarez *cit. cap.9. num.4.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 5.*

Layman. Suar. Bonac.

8. Ex ſententia communi Canoniſtarum ſcriptura, ſeu Bullatio non eſt de eſſentia priuilegii: vt ſumitur ex *cap. Inſtitutionis, 25. quæſt. 2.* vbi notat gloſſa, & ex *Clement. dudum, de ſepult.* quia tamen ſine litteris authenticis non poteſt priuilegium probari, ideò ad faciendam fidem in iudicio, neceſſaria eſt omninò ſcriptura, ſeu Bullatio: & ad euertenda quamplurima inconuenientia, & abſurda, quæ ex contrario facto poſſent exoriri. Propterea *Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, vt poſſint in foro conſcientiæ vti omnibus conceſſis à Sede Apoſtolica, ſiue per bullas, aut breuia, aut viuæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac ſi omnia ſpecificè fuiſſent tunc expreſſa, quæ omnia pro maiori conſcientiarum ſecuritate de nouo conceſſit.* Item idem Leo X. conceſſit, *quòd non ſint minoris efficaciæ, & valoris viuæ vocis oracula, quàm ſi per bullam, aut breue, ad perpetuam rei memoriã eſſent conceſſa, & hoc in foro conſcientiæ tantùm.*

Eſt

Digitized by Google

Eſt & aliud priuilegium Iulij II. conceſſum Fratribus Eremitis S. Auguſtini, prout in eorum monumentis continetur, *quo conceſſit eiſdem, quod omnia priuilegia, facta Ordinibus Mendicantium, & illis qui ſuis priuilegijs gaudent per ſe, ſiue per communicationem, ſiue ſint facta in forma Breuis, ſiue per ſupplicationem expedita, in quibus placuit, vt ſignatura ſola ſufficeret, eandem omnino vim, & efficaciam habeant, tam in iudicio, quàm extra iudicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent conſignata.* Vide Tamburinum *tom. 1. diſput. 16. quæſt. 2. de iure Abbatum.*

Verùm poſt has conceſſiones Gregorius XV. in Bulla *Romanus Pontifex in Specula, &c.* die 2. Iulii 1622. reuocauit omnia & ſingula priuilegia, gratias & conceſſiones quaſcumque viuæ vocis oraculo factas quibuſuis Ordinibus, exceptis oraculis factis S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis. Hanc Conſtitutionem Gregorii extendit S. D. N. Vrbanus VIII. per Bullam ſuam quæ incipit, *Aliàs fœlicis, &c.* 20. Decembris 1631. ad conceſſiones & gratias viuæ vocis oraculo, etiã à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas. Vt videre eſt infra in Supplemento.

Circa quas Conſtitutiones nonnulla dubia ſuborta breuiter ſunt reſoluenda, ſecundùm doctrinam Auctorum, qui poſt illas ſcripſerunt: vt certa ab incertis diſtinguantur.

Dubium primum. Quid ſit oraculum viuæ vocis? Reſp. Oraculum viuæ eſt vocis conceſſio, ſeu gratia oretenus facta ſine ſcriptura à Summo Pontifice. Vnde non ſolùm conceſſiones factæ per Bullam, aut Breue, non dicuntur oracula viuæ vocis, ſed etiam illæ, quæ fiunt per ſignaturã Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni propria manu ſubſcribit, vel ſolùm ſubſcribendo *fiat*, quia tales conceſſiones non fiunt oretenus, ſed etiam manu. Ita Portel *in dub. reg. verb. Viua vocis oracula n. 1.* Bordonus *reſ. 31. quæſt. 1.* Lezana *tom. 4. ſumm. verb. Oracula viua vocis.*

Portel. Bordon. Lezana.

Dubium ſecundum. An per dictas Conſtitutiones reuocata etiam ſint viuæ vocis Oracula, quæ etſi primitus verbotenus conceſſa ſint, poſtea tamen per bullam, vel breue fuerunt confirmata ex certa ſcientia, ſeu plenitudine poteſtatis? Reſp. Probabilem eſſe ſententiam affirmatiuam *Bordoni loco cit. quæſt. 5.* Ratio eſt, quia adhuc remanent oracula, ac conſequenter ſubiecta reuocationi, aliud eſt enim, aliquod priuilegium confirmari, & innouari, ſi alias non ſubſiſtebat, quod fit per conſummationem *ex certa ſcientia, ſeu ex plenitudine poteſtatis*, aliud tranſire in naturam, & conditionem Bullæ exuendo nomen Oraculi; priori enim modo Oraculum innouatum adhuc remanet oraculum, in quo ſenſu, cùm ea priuilegia fuerint confirmata vt oracula, à dictis Pontificibus concluditur reuocata fuiſſe. Poſteriori autem modo, ſi quæ ſunt ſic confirmata & innouata, nulla mentione de ipſis facta vt oraculis in actu ſignato, non ampliùs oracula ſunt, ſed priuilegia per Bullas, aut Conſtitutiones conceſſa, ac proinde in hoc ſenſu non intelliguntur reuocata, eò quòd nunc nulla ratione ſunt oracula. Nihilominus non eſt improbabilis ſententia Peyrinus *tom. 3. de priuil. cap. 12. Conſtit. 18. aliàs 28. Vrb. VIII. num. 2.* Lezana *tom. 4. ſup. cit. num. 7.* nempe non eſſe reuocata, non ſolùm quando prædicta viuæ vocis Oracula nominatim & expreſsè referuntur in bulla, ſeu Breui, ſed etiam quando in genere, aut in communi ſub nomine viuæ vocis Oraculi innouantur, aut confirmantur, ex certa ſcientia, ſeu cum illa clauſula, *Quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, &c.* Vnde inferunt prædicti Authores viuæ vocis Oracula cõceſſa Religionibus Mendicantibus ante Pium V. & Gregorium XIII. non reuocari per dictas Conſtitutiones, quia ipſe Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium Ordines*, & Gregorius XIII. in Conſtitut. *Ex benigna*, confirmant omnia priuilegia etiam viuæ vocis Oraculo conceſſa Mendicantibus, & iam deſinunt eſſe conceſſa per viuæ vocis Oraculum, ſed ſunt conceſſa per nouas dictorum Pontificum Conſtitutiones. An autem hæc doctrina practicari poſſit, aut ſit cõformis menti Pontificũ, docti videant: proinde vt in his tutiùs agatur, inquirendum eſt, quid ſtylus Romanæ curiæ ſentiat, aut ſeruet.

Peyrin. Lezana.

Dubium tertium. An ſub hac reuocatione veniant priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, aut ſtatutorum Religionis? Reſp. non venire: quia huiuſmodi declaratiua non ſunt in detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſed multùm conducunt ad conſeruationem Religioſorum in regulari obſeruantia. Ita Lezana *tom. 1. ſumm. cap. 3. num. 21.* Peyrinus *tom. 2 priuil. in Conſtit. 5. Pauli. V.* Dummodo prædicta viuæ vocis Oracula declaratiua non contineant aliquam gratiam, priuilegium aut indultum. De hoc dubio vide Dianam *part. 8. tract. 7. reſ. 58.* vbi refert Santorium à Melſi *in comment. ad conſtitut. Minor. ſtat. 2. dub. 3.* docentem, etiam poſt bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. licere Regularibus in priuata recitatione horarum, illas perſoluere mentaliter, ex declaratione Leonis X. facta Minoribus viuæ vocis oraculo: quæ cõceſſio ad mentem illius, non eſt gratia, ſed gratiæ declaratio; vnde infert quòd priuilegium recitandi mentaliter horas eſt declaratio iuris communis, *cap. dolentes, de celebrat. Miſſar.* Sed an hæc ſententia probabiliter in praxi admittenda ſit, ipſe Diana remittit iudicio aliorum: vnde contrarium docuimus in *tom. 1. verb. Hora Canonica 12. num. 15.*

Lezana. Peyrin.

Dubium quartum. An priuilegium per Bullam vni religioni conceſſum, & viuæ vocis oraculo alteri communicatum, cenſeatur his conſtitutionibus reuocatum? Reſp. non eſſe: quia gratia conceſſa per viuæ vocis oraculum hoc modo, intelligitur omninò ſicut Apoſtolicum diploma: communicare enim vni religioni priuilegia alterius, idem eſt, ac illi eadem concedere, ſicut conceſſa fuerant priori Religioni. Bordonus *cit. quæſt. 6.* Peyrinus *ſuper hanc bullam Vrb. VIII. num. 2.*

Bordon. Peyrin.

Dubium quintum. An ſublatæ ſint indulgentiæ viuæ vocis oraculo conceſſæ? Reſp. probabile eſſe quod non. Tum quia de his nulla ſit expreſſa mentio, nec venire commodè poſſunt nomine priuilegiorum, aut gratiarũ, ſed ſunt omninò diuerſa, & à diuerſis non fit illatio præſertim in odioſis, qualis eſt hæc Conſtitutio, cùm ſit reuocatoria tot priuilegiorum. Tum quia id videtur colligi ex Nauarro dum dicit eas non venire ſub nomine indultorum & gratiarum, quas ſolent reuocare Summi Pontifices initio ſuæ aſſumptionis per regulas Cancellariæ. Ita Peyrinus *tom. 3. ad hanc Conſtit. Vrb. VIII cap. 12. n. 1. ad finem.* Bordonus *cit. quæſt. 4.* Lezana *tom. 4. verb. Oracula num. 5.* Nauarr. *conſ. 17. de pœnit. num. 3.* qui vltimus contrarium probabile etiam cenſet.

Peyrin. Bordon. Lezana. Nauarr.

Dubium ſextum. An viuæ vocis oracula, quæ ſuum ſunt ſortita effectum ante prædictas conſtitutiones hoc tempore adhuc valeant? Reſp. per Conſtitutionem Gregorii XV. illa non reuocari, vt patet ex ipſius contextu: & declarauit Sacra Congreg. die 2. Aprilis 1625. Per Cõſtitutionem tamen Vrbani VIII. cùm nihil tale dicatur, videntur reuocari, ſaltem quatenus reſpiciunt effectum pro futuro tempore. Licet contrarium quidam ſentiant; cùm id non exprimatur in Conſtit. Vrbani. *Si enim ipſe* in hoc coarctare Conſtitutionem Gregorii voluiſſet, debebat illud declarare. Et certè videmus quoſdam religioſos poſt Vrbanam Conſtitutionem adhuc vti Oraculo viuæ vocis celebrandi officium quolibet die Sabbati non impedito, de Immaculata Conceptione B. M. Virginis, nulla noua conceſſione facta: quod ſignum, illud adhuc vigere, cùm id fiat publicè vidente & non contradicente Pontifice. Vide Lezanam *tom. 1. ſum. cap. 3. num. 21.* & Santorium *loco cit. ſup.*

Plura de his apud Authores hic citatos. Quæ autem, & qualia ſint huiuſmodi viuæ vocis Oracula Religionibus conceſſa, conſtat ex Compendijs priuilegiorum ipſarũ. Multa ipſorum habet *Caſſarubius* in ſuo mendicantium, & non mendican. Priuileg. Compendio. vbi ea quæ ſunt authentica notat (O) magno, quæ verò authentica non ſunt (o) paruo. *Rodriquez* etiam in ſuo Bullario plura refert circa ſingulos Pontifices, qui illa conceſſerunt.

9. Priuilegium duobus modis præcipuè ſolet concedi. Primò ex *motu proprio*, quando ſcilicet Princeps ad illud concedendum, non mouetur precibus alicuius, ſed ex ſua ſola liberalitate. Secundo modo datur vt

plu-

plurimùm *ad inſtantiam partis*. In multis tamen diſferunt, quòd conceſſum ad inſtantiam partis, nō eſt adeò voluntarium, & liberale, ſicut eſt conceſſum ex motu proprio. Et proinde priuilegium cum clauſula ex *motu proprio* ampliat priuilegium, quantùm patitur proprietas verborum; quod non habet priuilegium conceſſum ad inſtantiam partis. *Secundò* differunt, quia aliquando qui petijt priuilegium, cogitur vti priuilegio petito: ſi verò fuit illi conceſſum ex motu proprio, nunquam poteſt cogi vt illo vtatur. *Tertiò* differunt, quia priuilegium ſubreptitiè impetratum ad inſtantiam partis non valet, quia clauſula *motus proprij* tollit omnem ſubreptionem. Ita Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 12. Miranda *in man. tom.* 2. *q.* 45. *art.* 1. *concl.* 2.

Suarez. Miranda

PRIVILEGIVM II.

De multis priuilegij facultatibus.

SVMMARIVM.

1 *An priuilegium validè poſſit obtineri abſque mandato, vel ſcientia illius in cuius fauorem obtinetur? vel etiam an ipſo inuito?*

2 *An priuilegium habeat vim ante acceptationem eius, cui conceditur, vel ipſius nuncij, aut procuratoris, qui vicem ipſius gerit?*

3 *An priuilegium poſſit à concedente reuocari antequam à priuilegiario acceptetur?*

4 *An reuocatio iuriſdictionis valeat, antequam reuocatio intimetur ab ipſo reuocante, illi, cui conceſſa fuerat?*

5 *Qualis debeat eſſe materia priuilegij? & an priuilegiatus teneatur vti ſuo priuilegio?*

6 *An forma ſubſtantialis contenta in priuilegio ſeruari debeat, vt valeant actus facti virtute priuilegij?*

7 *An priuilegiarius poſſit priuilegio vti in quolibet territorio concedentis, ſi abſque loci determinatione conceſſum ſit?*

8 *An priuilegiarius vbique, etiam extra territorium concedentis, poſſit vti ſuo priuilegio perſonali?*

9 *An in priuilegijs explicandis ſeruanda ſit verborum proprietas, iuxta vſum communem, & an priuilegium odioſum ſtrictè explicandum ſit.*

10 *An priuilegium quod eſt contra ius, aut quod alteri damnum infert, ſtrictè ſit explicandum.*

11 *An diſpenſatio, vel priuilegium contentum in corpore iuris latè ſit explicandum.*

12 *An poteſtas concedendi priuilegium, vel diſpenſationem, latè ſit interpretanda ſeruata verborum proprietate.*

13 *An poteſtas diſpenſandi extendatur quoties vergit in præiudicium tertij.*

14 *Quomodo explicandum ſit priuilegium conceſſum ad inſtar alterius priuilegij.*

15 *An priuilegium cenſeatur ſolummodo conceſſum ijs perſonis, vel rebus, quæ ſunt in priuilegio expreſſa, vel quæ in eo comprehenduntur propter ſignificationem vocis, &c.*

1 PRiuilegium vel diſpenſatio validè poteſt obtineri abſque mandato, vel ſcientia illius, in cuius fauorem obtinetur: vnde valet diſpenſatio obtenta à Titio ad contrahendum cum affine, vel conſanguinea; quamuis ipſa non ſit conſcia diſpenſationis: imò validè poteſt obtineri diſpenſatio pro inuito & nolente, & ſuperior habens talem facultatem pro iſtis diſpenſare poteſt, quia ſicut lex ferri poteſt in inuitum, ita etiam exemptio à lege, ſeu diſpenſatio. Sanchez *de matr. lib* 8. *diſp.* 26. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Salas *de leg. diſp.* 20. *ſect.* 14. *num.* 13.

Sanch. Henriq. Salas.

2. *Priuilegium* non habet vim, donec acceptetur ab eo cui conceditur, aut ab ipſius nuncio, vel procuratore, qui vicem ipſius gerat; vnde valida ſunt geſta quæ priuilegiarius facit poſtquam per nuncium, vel procuratorē acceptauit priuilegium vel diſpenſationem, etiamſi priuilegiarius priuilegij conceſſionem nondum cognouerit; ex hoc valida eſt confeſſio facta ſacerdoti ignaro cōceſſionis ſibi ab Epiſcopo factæ ad excipiendas cōfeſſiones, ſi conceſſio acceptata fuerit ab ipſius procuratore: *ſecus dicendum*, ſi licentiam ſibi conceſſam cognouit per aliū quàm per nuncium; neque poteſt priuilegiarius vti priuilegio, antequam ab ipſo, vel à procuratore acceptetur. Miranda *in man. tom.* 2. *quæſt.* 41. *art.* 6. Layman *lib* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 9. & 28. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 104. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 48. *num.* 7. Suarez *de legib. lib.* 8 *cap.* 25. *num.* 25.

Miranda. Laym. Reginal. Sanchez. Suarez.

3. Prætereа priuilegium alicui conceſſum poteſt à concedente reuocari antequam à priuilegiario acceptetur, quia ſicut liberum eſt priuilegiario non acceptare, ita ſuperiori priuilegium reuocare: quod intelligendum eſt de priuilegio ex mera concedentis liberalitate conceſſo. Sanchez *de matr. lib.* 3. *diſp.* 36. *num.* 4. Salas *de legib. diſp.* 17. *ſect.* 5.

Sanchez. Salas.

4. Non valet reuocatio iuriſdictionis, antequam innoteſcat illi, cui conceſſa fuerat: imò iuxta valdè probabilem nonnullorum ſententiam non ſufficit quælibet notitia reuocationis, ſed opus eſt vt reuocatio intimetur ab ipſo reuocante, vel per eius epiſtolam, aut alium ipſius nomine, vt per procuratorem aut nuncium ab ipſo ad id deſtinatum; quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdē diſſoluitur; ſed iuriſdictio acquiritur vnione voluntatum ſuperioris concedentis, & alterius acceptantis per ſe, vel per alium ad id deſtinatum. Sanchez *de matr. lib.* 3. *diſp.* 30. *num.* 11. & *ſeq.* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 1. Layman *cit. num.* 28. & alii.

Sanchez. Henriq. Layman

5. *Materia priuilegij* debet eſſe honeſta, rationabilis, fauorabilis, & debet conſiſtere in aliqua facultate ad agēdum aliquid vel non agendum, ad recipiendum vel non recipiendum: Effectus autem priuilegij reſpectu priuilegiarij cōſiſtit in facultate aliquid faciendi vel omittendi: Priuilegiarius tamen, per ſe loquendo, non tenetur vti ſuo priuilegio, nam quod in alicuius fauorem conceſſum eſt, non debet in ipſius incommodum, vel grauamen retorqueri. Suarez *lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 1. Salas *diſp.* 17. *ſect.* 4. *num.* 29. In *duobus* tamen *caſibus* priuilegiatus tenetur vti ſuo priuilegio. *Primò*, quando ex omiſſione vſus priuilegij ſequitur aliorum præiudicium. *Secundo*, quando actus qui aliàs erat illicitus, efficitur licitus per priuilegium, ſi ille idem actus legi ſubijciatur vt ſi alicui concedatur priuilegium audiendi Miſſam tempore interdicti. Rodriquez *tom.* 1. *qq. reg. quæſt.* 61. *art.* 15. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 4. §. 1.

Suarez. Salas. Rodriq. Bonac.

6. Vt validi ſint actus facti virtute priuilegij, requiritur vt ſeruetur forma ſubſtantialis contenta in priuilegio; quia actus ſine forma ſubſtantiali celebratus non eſt validus. Bonacina *cit.* §. 2.

Bonac.

7. Quando priuilegium fuit abſolutè & abſque loci determinatione conceſſum, priuilegiarius poteſt tali priuilegio vti in quolibet territorio concedentis; quia vbi ius non diſtinguit, aut limitat, neque nos diſtinguere, aut limitare debemus: niſi aliter conſtet de mente concedentis: mens autem legiſlatoris colligi poteſt, tum ex verbis, tum ex ſupplicatione, tum ex re quæ petitur, tum ex antecedentibus, tum ex conſequentibus, tum ex ratione motiua, & finali ob quam priuilegium conceditur. Suarez *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 4. Bonacina *cit. punct.* 5. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 16.

Suarez. Bonac. Laym.

8. Cùm priuilegium perſonale perſonam afficiat illique inhæreat, quocumque pergat, hinc priuilegiarius, per ſe loquendo, poteſt vbique etiam extra territorium concedentis vti priuilegio perſonali ſibi conceſſo abſque determinatione loci, modò in alieno territorio non extet ſpecialis aliqua prohibitio; per accidens tamen ratione ſcandali, vel alterius circumſtantiæ fieri poteſt, vt priuilegiarius priuilegio ſibi conceſſo nequeat vti extra territorium concedentis, aut etiam intra concedentis territorium. Hinc qui generalem habet facultatem audiendi confeſſiones in aliqua diœceſi, poteſt quorumcumque illius diœceſis confeſſione audire etiam extra diœceſim. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 31. *num.* 17.

Sanchez.

Suarez. Azor. Layman

Suarez *de leg. lib. 8. cap. 26 num. 16.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 23. q. 6.* Layman *cit. num. 16.*

9. In priuilegijs explicandis ſeruanda eſt verborum proprietas, iuxta vſitatam verborum ſignificationem, vel vſum communem, qui ſeruari conſueuit in eo foro à quo conceditur; quod intelligendum eſt, modò nihil abſurdi ſequatur ex verbis prædicto modo acceptis. Sylueſter *v. Priuileg. quæſt. 3.* Azorius *cit. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2.* Vnde priuilegium purè fauorabile latè explicandum eſt, quantùm rationabiliter iudicatum fuerit ſeruata verborum proprietate, quia odia reſtringi, fauores autem conuenit ampliari; & beneficium Principis latè explicandum eſt. Suarez *lib. 8. cap. 28. n. 19.* Salas *diſp. 17. ſect. 6. num. 43.* E contra priuilegium odioſum regulariter loquendo, ſtrictè explicandum eſt; quia Princeps in odioſis cenſetur ſolùm voluiſſe derogare quatenus expreſsè per verba declarauit. Bonacina *cit. punct. 7. num. 5.*

(Margin: Syluest. Azor. Suarez. Salas. Bonac.)

10. Priuilegium quod eſt contra ius, aut quod alteri damnum infert, ſtrictè explicandum eſt, niſi aliter cogat neceſſitas, vel grauis aliqua cauſa, tunc ampliari poteſt prout recta ratio & prudentia dictat, vt ſi diſpẽſatio alioquin redderetur inutilis & illuſoria, aut ſi hoc exigat materia neceſſariò & inſeparabiliter connexa. Nauarrus *cap. 21. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1. num. 19.* Suarez *lib. 8. cap. 27. num. 5.*

(Margin: Nauarr. Sanchez. Suarez.)

11. *Priuilegium* contentum in corpore iuris, non eſt ſtrictè explicandum, cùm cenſeatur vim legis & iuris cõmunis habere: *idem* dicendũ de diſpenſatione, quæ continetur in corpore iuris, ſeu quæ per legem, vel canonem conceditur; hæc enim eſt quaſi lex, conſequenter latè interpretanda. Suarez *cit. cap. 27. n. 8.* Salas *diſp. 20. n. 90.* *Item* priuilegium irregulari conceſſum ad beneficia, cenſetur ſolùm conceſſum ad beneficia ſimplicia non ad dignitates & beneficia curata. Azorius *lib. 5. cap. 23. q. 2.* *Item* priuilegium conceſſum illegitimo ad ordines; intelligitur conceſſum ad ordines minores, quia hæc diſpenſatio eſt contra ius commune. Sanchez *cit. num. 26.* *Item* priuilegium ad lites conceſſum ſtrictè accipi debet, quatenus occaſionem litigandi & alios vexandi præbet: *ſimiliter* illud quod vergit in præiudicium tertij, contra ius tertio quæſitum, reſtringendum eſt, quantùm verba patiuntur. Salas, Azorius, Suarez *cit.*

(Margin: Suarez. Salas. Azor. Sanchez. Sales. Azorius. Suarez.)

12. Quamuis priuilegium contra ius, ſeu diſpenſatio ſtrictè explicanda ſit, quantùm proprietas & ſignificatio verborum patitur: Ipſa tamen poteſtas concedendi priuilegium, vel diſpenſationem, latè eſt interpretanda, ſeruata verborum proprietate; quia hæc poteſtas non repugnat vlli iuri, vtilis eſt enim ad commune bonum, ſi moderatè & prudenter exerceatur, nec vlli notabile præiudicium affert, licet præiudicet ipſi Principi, qui voluntariè cedit iuri ſuo: hæc autem poteſtas licet non extendatur ad caſus non comprehenſos ſublata verborum ſignificatione, extenditur tamen ad caſus adaptabiles caſibus in poteſtate expreſſis; & ſecundùm extenditur ad conſecutiua etiam ſeparabilia, in quibus eadem vel maior ratio eſt. Sà *verb. Diſpenſatio num. 7.* Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 2.* Molina *tract. 2. diſp. 173.* Hinc priuilegia & facultates bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi latè ſunt explicandæ, cùm ſint res fauorabilis, vtilis ad commune bonum, ordinata ad ſubueniendum neceſsitati publicæ Eccleſiæ, nec dici videntur vniuerſaliter priuilegia contra ius, nec conceduntur in fauorem aliquarum perſonarum expreſſarum: idem dicendum de facultate abſoluendi à reſeruatis confeſſario conceſſa. Henriquez *lib. 2. cap. 30.* Suarez *tom. 4. diſput. 56. ſect. 2. num. 8.* Nugnus *de indulgentijs quæſt. 27 art. 4. difficul. 3.* Bonacina *cit. punct. 7. §. 1. num. 18.*

(Margin: Sà. Sanch. Molina. Henriq. Suarez. Nugnus. Bonac.)

13. *Poteſtas diſpenſandi* non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertii, vel quando præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad diſpenſandum; quia ſuperior non præſumitur velle alteri notabile præiudicium afferre, vel quoties adeſt conſuetudo in contrarium: *Item* non extenditur ad ea, in quibus ipſe ſuperior non poteſt diſpenſare, vel quæ ſunt ſpecialiſſimè reſeruata ipſi Summo Pontifici, vt diſpenſatio in matrimonio rato, voto caſtitatis, aut religionis: vel quoties dirigitur ad diſpenſandum cum perſonis expreſſis, & quoties facultas conceditur ad inſtantiam & petitionem illarum perſonarum, cum quibus diſpenſandum eſt. Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 2. num. 3. 4. 5. & 6.* Sylueſter *verb. Diſpenſatio q. 5. num. 9.* Couar. *4. decret. 2. p. cap. 8. §. 8.*

(Margin: Sanchez. Syluest. Couar.)

14. Priuilegium quod dicitur ad inſtar, eſt illud, quod alicui datur per ſimilitudinem, vel æquiparationem ad aliud conceſſum alteri, vt ſi dicat Pontifex, concedo ordini Prædicatorum priuilegium ad inſtar, id eſt, ad ſimilitudinem priuilegij Minorum: ſecundum priuilegium dicitur ad inſtar, & priuilegium Minorum dicitur exemplar. Hoc priuilegium conceſſum ad inſtar alterius priuilegii, ita explicandum eſt, vt per ipſum conceſſus cenſeatur omnis fauor & gratia cum eadem extenſione & limitatione, quæ continetur in alio ad inſtar cuius priuilegium eſt conceſſum. Ratio eſt, quia in hoc conſiſtit æquiparatio vel imitatio, quam ſignificat priuilegium, ſeu verbum ad inſtar, ſeu ad ſimilitudinem. Aduertendum tamen eſt, quòd aucto priuilegio exemplari, ſeu primo, non augetur priuilegium ad inſtar, quia dans priuilegiũ ſecundum, ſeu ad inſtar, ſolùm reſpicit ad ſtatum quem tunc habebat exemplar, & non ad ſtatum futurum. Neque è contra ſi augeatur priuilegium ad inſtar, non augetur exemplar, non enim habent hæc duo quoad hæc dependentiam. Imò ille cui communicata ſunt priuilegia aliorum, poteſt illis vti, etiamſi alij quibus conceſſa fuerant, illis priuentur vel non vtantur. Ratio eſt, tum quia priuilegium ad inſtar eſt diſtinctum, & factum eſt proprium illius, cui ſecundo conceſſum eſt: tum quia communicatio priuilegij eſt noua conceſſio & priuilegium vnius, non pendet à duratione alterius. Ita Suarez *de legib. lib. 8. cap. 15. & 17.* Miranda *in man. tom. 2. quæſt. 42. art. 5.* Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 9. art. 9.* Portel *in dub. reg. verb. Priuilegium num. 15. 16.* Hieronymus Rodriquez *reſ. 116. num. 3.* & alii.

(Margin: Suarez. Miranda. Rodr. Portel. Hieron. Rodriq.)

15. *Priuilegium* cenſetur ſolummodò conceſſum ijs perſonis vel rebus, quæ ſunt in priuilegio expreſſæ, vel quæ in eo comprehenduntur, propter ſignificationem vocis, aut propter materiæ, aut actionis connexionẽ, vel propter iuris diſpoſitionem: *unde* priuilegium conceſsũ religioſis extenditur etiam ad moniales; conceſſum filijs extenditur ad filias, fratribus ad ſorores: *Item* priuilegium conceſsum bonis mariti, extenditur etiam ad bona vxoris communia cum bonis mariti: *Item* priuilegium conceſsum ſacerdoti vt poſſit celebrare tempore interdicti, extenditur ad alterum qui inſeruiat ſacerdoti: *Vxor* præterea gaudet priuilegijs nobilitatis obtentis à viro, ſed non priuilegiis clericatus: *Item* priuilegium audiendi officia diuina tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares & domeſticos: Filius verò non gaudet priuilegijs patris, excepta nobilitate, aut alia conceſſione à iure facta. Suarez *de legib. lib. 8. cap. 10. num. 7.* Rodriquez *tom. 1. qq. q. 3. art. 22.* Bonacina *cit. punct. 7. §. 2. n. 2. & ſeq.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 47.* *Porrò* in diſpenſationibus non eſt argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, modo minus non includatur in maiori, tunc enim diſpenſatio, ſeu priuilegium extendi videtur ad minus, quia qui concedit totum, cenſetur etiam concedere partes. Molina *tom. 3. diſp. 191. n. 2.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 7.* Salas *diſp. 20. ſect. 10. num. 96.*

(Margin: Suarez. Rodriq. Bonac. Sanch. Molina. Henriq. Salas.)

PRIVILEGIVM III.

Quibus modis priuilegium finiatur.

SVMMARIVM.

1 *Septem præcipuè modis priuilegium amittitur.*

2 *An priuilegium gratioſum contra ius, vel præter ius conceſſum, extinguatur per reuocationem concedentis, vel ſucceſſoris, vel eius ſuperioris? & quid ſi priuilegium datum ſit per contractum oneroſum?*

3 *Quotuplex ſit reuocatio priuilegij? & an per clauſulam generalem,* Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, *cenſeantur reuocari priuilegia in corpore iuris*

Digitized by Google

iuris contenta, vel quæ conceſſa ſunt per modum contractus?

An quando priuilegium, vel decretum continetur in Concilio Generali moderno, quale eſt Tridentinum, neceſſaria ſit mentio Tridentini, vt cenſeatur illi derogatum?

4 *An tacita reuocatio priuilegij fiat per actum Principis priuilegio contrarium? & an priuilegium quod non continetur in corpore iuris reuocetur per legem poſteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium?*

5 *An requiratur publicatio reuocationis, vt priuilegij reuocatio facta per legem habeat ſuum effectum? Et an in generali reuocatione priuilegiorum, cenſeantur reuocata priuilegia regularium. An per Bullam Cruciatæ reuocentur, vel ſuſpendantur priuilegia regularium?*

6 *An priuilegium, quod in ſolius priuilegiarij fauorem conceſſum eſt, amittatur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiario, & acceptatam à concedente?*

7 *An finiatur & amittatur priuilegium lapſu temporis præſcripti, ſeu ceſſatione conditionis ſub qua conceſſum fuerat?*

8 *An priuilegium amittatur per vſum materialiter & formaliter priuilegio contrarium?*

9 *An priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum præciſa proteſtatione, amittatur in vtroque foro per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium priuilegio?*

10 *An priuilegium perſonale & reale extinguantur per mortem illius, cui conceſſum fuerat? & an in dubijs priuilegium cenſeatur perſonale?*

11 *An gratia facta, ſeu priuilegium ritè obtentum ceſſet morte concedentis, ſi conceſſum ſit ſimpliciter ſine aliqua conditione? & quæ dicatur gratia facta, & quæ facienda?*

12 *An commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ in foro externo ordinarijs cõmittuntur, in interno autem confeſſoribus, expirent morte cõcedentis re integra?* refertur duplex ſentẽtia.

13 *Quod dicatur priuilegium ritè obtentum, ſeu gratia facta?*

14 *An ceſſante tota priuilegij cauſa, amittatur & finiatur priuilegium, quod eſt contra leges, vel ius alterius?*

15 *An per abuſum priuilegium amittatur?*

16 *An priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum, amittatur per non vſum? Et quo tempore ceſſet priuilegium conceſſum Eccleſiæ, monaſterijs, &c. per non vſum?*

1 P*Riuilegium* multis modis amittitur & præcipuè ſeptem. *Primò*, per reuocationem & renunciationem. *Secundò*, per lapſum temporis. *Tertiò*, per contrarium vſum. *Quartò*, per mortem illius cui conceditur, aut per mortem concedentis. *Quintò*, per ceſſationem cauſæ finalis. *Sextò*, per abuſum. *Septimo*, per non vſum, de quibus ſigillatim.

2. *Priuilegium* quod merè gratioſè ad operandum aliquid contra ius, vel potiùs præter ius ſubdito conceſſum eſt, extinguitur per reuocationem concedentis, vel ſucceſſoris, vel eius ſuperioris: quia ſicut ſuperior poteſt aliquem ab obligatione legis eximere; ita poteſt ad eandem legis obligationem reducere & reuocare. Suarez *de leg. lib. 8. cap. 37.* Miranda *tom. 2. quæſt. 43. art. 2. concl. 5.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 24.* *Priuilegium* tamen quod datur in remunerationem, vel præuia pecunia, vel per contractum oneroſum, qualis eſt diſpenſatio data in foro externo, non poteſt reuocari; quia ſuperior non poteſt alterum rebus ſuis, vel ei debitis priuare ſine graui neceſſitate, vel iuſta cauſa ſpectante ad bonũ commune, quæ ſufficiat vt alter priuetur rebus. Reginaldus *lib. 9. num. 381.* Leſſius *lib. 2. cap. 33. num. 35.*

Suarez. Miranda Layman

Reginal. Leſſius.

Aduertendum autem eſt *Primò*, quòd in reuocatione priuilegii oneroſi tenetur reuocans compenſationem facere, cùm alterum re ſua priuare non poſſit abſque compenſatione: in reuocatione autem priuilegii gratuiti non tenetur. *Secundò*, priuilegium datum non ſubdito, ab eoque acceptatum, regulariter loquendo reuocari non poſſe, niſi tanta rerum mutatio ſuperueniat, vt priuilegium cenſeatur grauiter pernicioſum Regi vel regno, & tunc huiuſmodi priuilegium datum etiam per contractum, reuocari poteſt, ob communem vtilitatem, quæ priuatæ eſt præferenda. Bonacina *tom. 2. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 3. num. 3. & 4.* Suarez *cit. num. 2. & 9.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 18.* Diana *par. 4. tract. 1. reſ. 82.* Tamburinus *tom. 1. diſp. 16. q. 13.*

Bonac. Suarez. Salas. Diana. Tamb.

3. *Reuocatio priuilegij* duplex eſt, *una* expreſſa, & *altera* tacita. *Expreſſa*, vel fit in ſpecie, vel per clauſulam generalem, *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs*, per quam tamen clauſulam non cenſentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continentur, niſi eorum quoque clauſula derogatoria exprimatur; cùm enim correctio iuris vitanda non facilè præſumenda ſit, ideò ius generale poſterius non tollit prius ſpeciale, ſi ob ſpecialem aliquam rationem exceptum videri poſſit. Layman *cit. num. 26.* Salas *diſp. 17. ſect. 14. num. 77* Portel *in dub. reg. verb. Priuilegium num. 66. 67.* De la Cruz *de ſtatu relig. lib. 2. & 6. cap. 2.*

Laym. Salas. Portel. De la Cruz.

Imò per hanc clauſulam generalẽ non reuocantur priuilegia in corpore iuris non cõtenta, quibus inſertũ eſt, quòd ſublata cenſeri non debeant, niſi ſpecialis eorum mentio fiat reuocata tamen etiam iſta cenſebuntur ſi pleniſſima derogatio fiat, per quam voluntas derogantis ſufficienter ſignificetur. Sylueſter *v. Priuileg. q. 10.* Suarez *lib. 8. cap. 28. n. 2.* Bonacina *cit. §. 3. num. 15. & 16.* *Porrò* reuocatio facta per huiuſmodi clauſulam generalem nõ extenditur ad priuilegium conceſſum per modum contractus, niſi exprimatur, neque ad bullam Cruciatã, cùm priuilegia illius conceſſa ſint cũ onere & per modum cõtractus: neque ad priuilegia contenta in Conciliis generalibus. Azorius *1. p. lib. 5. cap. 22. q. 12.* imò ſi priuilegiũ, vel decretum cõtineatur in Concilio generali moderno, quale eſt Tridentinum, ſecundùm Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 33. n. 8. & 10. & diſp. 35. n. 10.* Henriquez *lib. 7. cap. 26. n. 3.* Molina *tr. 2. diſp. 173.* neceſſaria eſt mentio Tridentini, & non ſufficit generalis mentio Conciliorum: niſi aliter conſtet de mente concedentis, aut niſi priuilegium irritum redderetur, tunc enim derogatio hæc generica haberi debet pro expreſſa & ſpecifica.

Sylueſt. Suarez. Bonac. Azor. Sanchez. Henriq. Molina.

4. *Tacita reuocatio* priuilegii fit per actum Principis contrarium, qui non poſſit ſubſiſtere abſque derogatione priuilegij; vt ſi Princeps iubeat exigi tributum ab eo quẽ exemerat à tributis: dummodò præſumi poſſit eum ſcire & recordari ante conceſſi priuilegii; vnde, ſecundùm communem ſententiam, priuilegium quod non continetur in corpore iuris, non reuocatur per legem poſteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium: niſi in ea expreſſa mentio fiat priuilegiorum, quia Princeps nõ præſumitur ſcire facta particularia, quæ non continentur in corpore iuris. Item neque per particulare mandatum, ſeu præceptum, ſeu reſcriptum Principis. Layman *cit. num. 17.* Salas *cit. num. 72. & 73.* Suarez *lib. 8. cap. 39. num. 2.* Bonacina *cit. num. 14. & ſeq.* Portel *in dub. reg. v. Priuilegium n. 68.* Reuocatur tamen per ſententiam contra priuilegium latam ab eo, qui poteſt priuilegium auferre: quia huiuſmodi ſententia comparatur iuri contrario ipſi priuilegio: modò iudex conſcius ſit priuilegii. Azorius *cit. quæſt. 9.* Suarez *cap. 39. num. 4.*

Laym. Salas. Suarez. Bonac. Portel. Azor. Suar.

5. Vt *priuilegij reuocatio* facta per legem habeat ſuum effectum, requiritur publicatio reuocationis; facta verò publicatione, priuilegium manet reuocatum, ita vt acta non valeant, etiamſi ignoranter & abſque culpa fiant: excipiũtur tamen actus publici facti cum errore communi & titulo colorato; nam iſti validi ſunt. Suarez *lib. 8. c. 40.* Salas *diſp. 17. ſect. 17. n. 80. l. Barbar. ff. de offic. præt.* Sufficit autem quod reuocatio priuilegii conceſſi communitati, vel collegio, vel ordini, vel dignitati, vel prouinciæ, vel parochiæ, denuncietur communitati, ſeu corpori communitatis, vel ordini, vel collegio, vel dignitati; cui conceſſum fuerat, & non eſt neceſſe vt innoteſcat ſingulis: imò ſatis eſt vt reuocatio publicetur in loco cui conceſſum fuerat. Azorius *cap. 22. quæſt. 7.* Bonacina *cit. num. 24.* Portel *cit. num. 67. 70.* Hinc confeſſarius, cui conceſſa fuerat facultas abſoluendi à reſeruatis, validè ab-

Suarez. Salas. Azorius. Bonac. Portel.

ſoluit pœnitentes poſt reuocationem facultatis factam priuatim & ſibi ignotam; ſecùs dicendum eſt, ſi reuocatio facta fuit per legem. Azorius *cit. quæſt.* 7. Salas *cit. n.* 82. Portel *in dub. reg. verb. Licentia in addit. num.* 1. Vide quæ diximus ſupra *v. Priuilegium* 2. *num.* 4.

Azor. Salas. portel.

Aduertere tamen oportet, ſecundùm Rodriquez *to.* 1. *qq. reg. quæſt.* 9. *art.* 6. quòd in reuocatione generali priuilegiorum non cenſentur reuocata priuilegia regularium, & præcipuè mendicantium, quia ſunt ob merita conceſſa; quæ priuilegia ob merita nunquam in dubio reuocari cenſentur, etiam per reuocationis verba quantumuis generalia & geminata. Imò multi Iuriſperiti apud Tamburinum *tom.* 1. *de iure Abbat. diſp.* 16. *quæſt.* 12 *num.* 9. docent in genere, quòd priuilegia conceſſa, vel data ob remunerationem ſint irreuocabilia, vti habita titulo oneroſo: idque multis auctoritatibus probat Surdus *conſ* 540. *num.* 39. & *conſ.* 419. *num.* 51.

Rodr. Tamb. Surd.

Sed petes, an priuilegia regularium reuocentur, vel ſuſpēdantur per bullam Cruciatæ, vbi illa publicatur? Reſp. negatiuè ſecundùm probabiliorem ſententiam, quæ hodie in praxi obſeruatur. Ratio eſt, tum quia talis bulla ſolum reuocat indulgentias, & non priuilegia: ſunt enim valde inter ſe diſtincta priuilegium & indulgentia; ac proinde poſſunt religioſi ſtante bulla Cruciatæ abſoluere pœnitentes ab omnibus ſibi conceſſis per ſua priuilegia propria & communicata, ac ſi bulla non extaret. Tum quia cùm hæc priuilegia ſint fauorabilia, non ſpeciali monaſterio conceſſa, ſed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium, non ſuſpenduntur per verba generalia, ſi de illis ſpecifica mentio non efficiatur. Ita De la Cruz *de ſtatu relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 7. *conc.* 3. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 7. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 54. *n.* 62. Diana *p.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 100. Imò probabile eſt, ſecundùm hos Doctores, neque per Iubilæum anni Sancti dicta priuilegia ſuſpendi. Subſcribunt his Doctoribus Tamburinus *tom.* 1. *de iur. Abbat. diſp.* 16. *quæſit.* 16. Miranda *in man. tom.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 11.

De la Cruz. Henriq. Sanchez. Diana. Tamb. Miranda.

6. *Priuilegium*, quod in ſolius priuilegiarij fauorem conceſſum eſt, amittitur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiario, & acceptatam à concedente; non autem amittitur per renunciationem factam per dolum, vel metum; quod intelligendum eſt, de priuilegio quod habet tractum ſucceſſiuum & conſiſtit in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurū, qualis eſt facultas audiendi confeſſiones, non ſoluendi tributa, &c. non autem de illo quod habet effectum momentaneum, quod ſcilicet operatur ſtatim ac obtentum eſt, vt diſpenſatio in irregularitate, hoc enim renunciari non poteſt. Layman *cit. num.* 20 Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 33. Suarez *lib* 8. *cap.* 33.

Layman sanchez. Suarez.

An autem Prælati, cæterique religioſi poſſint renunciare priuilegijs ſui ordinis, ſeu religioni conceſſis? Reſpondendum eſt negatiuè: quia renunciatio eſt abdicatio illius quod cuique proprium eſt: at priuilegium totius Ordinis non eſt proprium vnius religioſi, neque vnius Prouinciæ, & proinde ſolum Capitulum generale poteſt renunciare huic priuilegio. Ita Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp* 16. *quæſit.* 15. Portel *in dub. reg. v. Priuilegium num.* 52. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 87.

Tamb. Portel. Dian.

7. *Secundo* priuilegium amittitur & finitur lapſu temporis præſcripti, ſeu ceſſatione conditionis ſub qua conceſſum fuerat; quia priuilegium non durat vltra intentionem concedentis: hinc priuilegium datum ad vnum actum, ceſſat tali actu finito; priuilegium verò ſimpliciter & indeterminatè conceſſum non finitur vno actu, ſed eſt perpetuum, *l. quoties de precibus imperatori offerendis*. Sanchez *cit. lib.* 8. *diſput.* 28. Suarez *lib.* 8. *cap.* 5. 29. & 32.

sanchez. Suarez.

8. *Tertio* amittitur priuilegium per vſum materialiter & formaliter contrarium priuilegio; *vſus* autem *materialiter* ſolùm contrarius priuilegio illud non tolleret: requiritur inſuper vt actus fiat ab eo, qui poteſt priuilegio explicitè renunciare, nam qui poteſt explicitè renunciare, neque poteſt implicitè, amiſſio enim priuilegij per contrarium vſum contingit ob tacitam renunciationem; priuilegio autem principaliter conceſſo in vtilitatem priuatam is poteſt renunciare in cuius fauorem conceſſum eſt: ſed quando priuilegium conceſſum eſt intuitu boni communis, non poteſt perſona priuata illi renunciare, etiamſi redundet in bonum illius perſonæ priuatæ, modò bonum priuatum non ſit ſeparabile à communi; vnde nullus clericus poteſt priuilegio Canonis, aut fori conceſſo clericis renunciare. Vide Sylueſtrum *ver. Priuileg. quæſt.* 10. Suarez *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 5. & 24. *cap. ad Apoſtolicam de regul. cap. ſi diligenti de foro compet.* Azor. 1. *p. lib.* 5. *cap.* 22. *quæſt.* 10. De la Cruz *de ſtatu relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 3

Sylueſt. Suarez. Azor. De la Cruz.

9. *Priuilegium* quod habet tractum ſucceſſiuum, præciſa proteſtatione, amittitur ſecundùm quid in vtroque foro quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium priuilegio, modò fiat ab eo, qui poteſt priuilegio cedere, vel de ipſius conſenſu & voluntate; ſecus dicendum de priuilegio quod reſpicit vnum actum, ſeu quod fit in continenti; hoc enim ſimpliciter tollitur per vnum actum contrarium præciſa proteſtatione; quia renunciatio quoad vnum actum in tali euentu cenſetur renunciatio ſimpliciter. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 6. *num.* 14. 16. Suarez *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 17. Tamburin. *tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 14. *num.* 20.

Bonac. suarez. Tamb.

10 *Quarto* extinguitur priuilegiū perſonale per mortem illius cui conceſſum fuerat, quia cenſetur perſonæ inhærere, ergo corrupta perſona, priuilegium etiam corrumpitur: cenſetur autem priuilegium perſonale, quod extinguitur morte perſonæ, quādo in conceſſione ſolùm exprimitur nomen illius cui cōceditur; niſi aliter ex circumſtantijs appareat: *Priuilegium* verò *reale* non extinguitur morte illius cui conceſſum fuerat, ſequitur enim rem ipſam & ſucceſſiuè tranſmittitur ad illos, qui rem ipſam acquirunt; vnde quando committitur priuilegiū, ſeu facultas expreſſo ſolo nomine dignitatis, priuilegium conceſſum dignitati, conſequenter non extinguitur morte illius, qui tale priuilegium executioni mandandum acceperat, ſed tranſmittitur ad ſucceſſorem in dignitate, ſiue res non ſit integra, ſiue ſit integra; modò aliunde ex circumſtantijs, aut verbis, vel ex ſubiecta materia non colligatur priuilegium eſſe perſonale: *Porrò* quando facultas alicui committitur expreſſo perſonæ & dignitatis nomine, priuilegium cenſetur perſonale, ſiue præponatur nomen delegati, ſiue nomen dignitatis; quia nomen dignitatis contrahitur & limitatur à nomine perſonæ tanquam genus à ſpecie. *In dubijs* autem in hac materia, priuilegium cenſetur perſonale & præſumptio reſpiciens perſonam præualet præſumptioni reſpicienti dignitatem, ex his regulis multæ caſuum deciſiones ſumuntur apud Authores. Vide Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 27. Azor. 1. *p. lib* 5. *cap.* 22. *quæſt* 6. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 17. *num.* 124. Filliuc. *tract.* 10. *n.* 342. 343. Couar. 3. *var. cap.* 15. *num.* 2. Gutier. *de matr. cap.* 125. *num.* 1. & 9. Bonac. *cit. punct.* 8. §. 1. *num.* 2. & *ſeq.* Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. diſp.* 16. *quæſit.* 31.

sanch. Azor. salas. Filliuc. Couar. Gutier. Bonac. Tamb.

11. *Gratia iam facta*, ſeu priuilegium ritè obtentum, nō ceſſat morte cōcedentis, modò cōceſſum ſit ſimpliciter ſine aliqua conditione, ſeu particula reſtringente vſque ad mortem concedentis, *cap. ſi ſuper gratia de offic. deleg. in* 6. quia priuilegium eſt veluti quædam donatio, quæ non ceſſat morte concedentis: & illud verum, ſiue priuilegium ſit purè fauorabile, ſiue ſit contra ius commune, ſiue contra ius alterius, ſiue priuilegiarius inceperit vti priuilegio ante mortem concedentis, ſiue nondum vſus ſit: *Quando* autem priuilegium datur cum aliqua limitatione reſtringente priuilegium vſque ad mortem, finitur morte concedentis: vt ſi dicatur, vſque ad beneplacitum noſtrum, vel donec voluero, &c. dicitur verò in propoſito *gratia facta*, quando perfectè conceditur ei in cuius gratiam datur, ac independenter ab alio cui facienda committatur: alia eſt *gratia facienda*, quando non conceditur ei abſolutè in cuius fauorem datur, ſed dependenter ab alio cui facienda committitur; & hæc gratia extinguitur morte concedentis re integra: id eſt, ſi nondum priuilegiarius inceperit vti priuilegio. Plura apud Sanchez *cit. diſput.* 28. *num.* 64. Suarez *lib.* 8. *cap.* 31. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 10. *quæſt.* 10. Sà *verb. gratia num.* 1. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 17. & 18. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 153. Crouſers *ad c.* 7. *reg.* Mi-

sanchez. suarez. Filliuc. Layman. Nauar. Crous.

Minor. lect. 22. *fol.* 705. 706.

12. *Magna diſſenſio* eſt inter Doctores, an commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrim. alijſque rebus quæ in foro externo Ordinarijs committuntur, in interno autem confeſſoribus, expirent morte concedentis re integra? *Quidam* enim expirare eas affirmant, quia non ſunt gratiæ factæ, cùm dentur ad diſpenſandum in fauorem tertiæ perſonæ determinatæ; & hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quàm tenent Nauarrus *cap.* 29. *num.* 253. Sayrus *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 9. & alij. *Probabilior* tamen ſententia ait, huiuſmodi conceſſiones gratiam eſſe factam & conſequenter non expirare morte concedentis; quia quando in litteris gratiæ in alicuius fauorem conceſſis, miniſter executurus eſt voluntarius, vtpotè cui non præcipitur vt exequatur, ſed ſola exequẽdi facultas conceditur non fauore ipſius, ſed eius cui gratia eſt concedenda, tunc eſt gratia facienda, ac proinde expirat morte concedentis re integra: at quando eſt executor neceſſarius, vtpotè qui exequi iubetur, ſi preces veritate nitantur, tunc eſt gratia facta, ac proinde non perit morte concedentis re integra; in primo enim caſu, nullum ius eſt acquiſitum, cùm liberum ſit delegato expedire & non expedire: in ſecundo verò acquiſitum eſt ius illi, in cuius fauorem gratia conceſſa eſt. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 87. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 5. Filliucius *tract.* 10. *num.* 347. Rodriquez *cap.* 235. *num.* 3. Suarez *de cenſ. diſp.* 41. *ſect.* 2.

Nauarr. Sayrus. Sanch. Henriq. Filliuc. Rodriq. Suar.

13. *Priuilegium rite obtentum*, ſeu *gratia facta* ſunt: Iuriſdictio, ſeu facultas abſque determinatione temporis alicui conceſſa ab Epiſcopo, vel à quouis alio Ordinario ad confeſſiones audiendas, vel ad abſoluendum à reſeruatis. *Item* licentia alicui facta non ieiunandi, vel celebrãdi in Oratorio priuato, vel liberandi in die feſto, vel eligendi ſibi confeſſarium, vel exigendi decimas, vel recipiendi ordines à quocumque Epiſcopo per littaras dimiſſorias; & quæcumque licentiæ alicui conceſſæ abſolutè & abſque temporis determinatione non expirant per mortem concedentis, iure communi canonico. Sanchez *n.* 72. *& ſeq.* Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 22. *n.* 18. Sà *v. Gratia n.* 4. Gutierez *de matr. cap.* 125. *n.* 24. & alij: licet in quibuſdam religionibus contrarium practicetur, vt, ſcilicet, licentiæ datæ à Prouinciali, vel Generali ceſſent & expirent ipſo mortuo, vel amoto ab officio; proinde videnda ſunt ſtatuta cuiuſque religionis, vt benè annotauit Portel *in dub. reg. verb. Licentia.* Secus dicendum de iuriſdictione contentioſa delegata, aut de litteris iuſtitiæ facultate commiſſa confeſſario ad diſpenſandum cum aliqua perſona deſignata in voto, vel impedimento, vel ad abſoluendum Titium à reſeruatis vel cenſuris, hæc enim expirant morte concedentis, aut per remotionem eius ab officio; modò res adhuc ſit integra. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 17. *n.* 125. Sanchez *cit. num.* 30. 57. 73. *&* 94. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 31. *num.* 5.

Sanchez. Laym. Sà. Gutier. Salas. Sanchez. Suarez.

14. *Quintò* amittitur & finitur priuilegium, quod eſt contra leges, vel ius alterius, ceſſante tota ipſius cauſa, modò priuilegium nondum mandatum ſit executioni; vel niſi ſuperior ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat ad diſpenſationem perpetuam concedendam, abſolutè diſpenſet: alias non eſt credibile, Principem velle conſeruare priuilegium, ſeu voluiſſe concedere, vt priuilegium contra legem duret, ceſſante eius cauſa, & iniqua videretur eius conceſſio, cùm paria ſint à principio non habuiſſe cauſam, & cauſam iam finitã eſſe. Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.* 30. *num.* 10. Azorius *lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 14. Bonacina *cit. punct.* 8. §. 2. aſſerunt priuilegium ſolùm ceſſare, dum ipſius cauſa contrariè ceſſat, vel dum adimpletio, ſeu executio, ſeu vſus priuilegij factus eſt iniuſtus aut iniquus, vel cùm priuilegium redditur inutile, aut dum priuilegium incipit eſſe pernicioſum illi, in cuius fauorem conceſſum fuerat, nam quod alicui conceditur ob gratiam, non eſt retorquendum in eius diſpendium. Suarez *cit. lib.* 8 *cap.* 30. Syluester *verb. Priuileg. quæſt.* 10. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 57. Hæc ſententia ob Authorum eius authoritatem non eſt improbabilis.

Sanchez. Azor. Bonac. Suarez. Syluest. Salas.

15. *Sextè* amittitur priuilegium per abuſum, cùm quis ex priuilegio peccandi occaſionem ſumit, aut fini, ob quem priuilegium conceſſum eſt, directè repugnat: *Plerumque* tamen non amittitur ex ipſa rei natura; ſed vel iuris conſtitutione, quo pacto in iure ſtatuitur, vt qui in Eccleſia, vel cœmeterio delinquunt, Eccleſiaſtica immunitate non gaudeant; vel per iudicis ſententiam: *Interdum* tamen amiſſio priuilegij per ſe, & ex natura rei conſequitur, cùm ratio & fundamentum priuilegij per abuſum tollitur; ſed de hoc plura apud Sanchez *de leg. lib.* 8. *cap.* 36. *num.* 1. *&* 7. Salas *diſput.* 17. *ſect.* 13. *num.* 67. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 24. Bonacina *cit.* §. 7. Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. diſp.* 4. *num.* 23. & alios.

Sanchez. Salas. Laym. Bonac. Tamb.

16. *Septimè* priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum amittitur, per non vſum ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti autem inter abſentes, id eſt, illi in quorum grauamen cedit priuilegium, præſcribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum, *l.* 1. *ff. de nundinis*; & *ratio eſt*, quia omnes obligationes, ac ſeruitutes, tam reales, quàm perſonales ita extinguuntur; ſi altero iure ſuo pro temporum occaſione nunquam vtente, res obligata legitimi temporis decurſu, vt libera poſſideatur, ac denique vſucapiatur. Reliqua autem priuilegia, quæ abſolutè gratiæ ſunt, in nullius grauamen cedentes, vt abſoluendi à caſibus reſeruatis, celebrandi ante auroram, regulariter loquendo nullo tempore etiã longiſſimo, amittuntur per non vſum modò priuilegia conceſſa ſint abſque temporis determinatione: In iure tamen excipitur priuilegium nundinarum, quod amittitur per non vſum ſpatio ab ipſo iure præſcripto. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 34. *num.* 15. Layman *cit. num.* 21. *&* 22. Bonacina *cit.* §. 5. Rodriquez *tom.* 1. *qq. quæſt.* 8. *art.* 4.

Suarez. Layman Bonac. Rodriq.

Similiter priuilegium conceſſum Eccleſiæ, ceſſat per non vſum quadraginta annorum, & contra Eccleſiam Romanam eſt neceſſaria præſcriptio, ſeu non vſus centũ annorum. Contra monaſteria, loca, perſonas, vel alia bona religioſorum non currit præſcriptio non vſus, niſi poſt 60. annos, imò poſt centum annos; ex conceſſione Eugenij IV. facta Benedictinis bulla 17. Aduertendum autem vt currat præſcriptio requiritur, quòd habeatur notitia talis priuilegij & voluntas non vtendi illo: & quod occurrat caſus de quo loquitur priuilegium, infra tempus talis præſcriptionis; aliàs ſi non occurrat, non amittitur priuilegium, *cap. de quarta, de præſcript. cap.* 1. *eodem tit. in* 6. *cap. prima actione*, *& cap. nemo* 16. *quæſt.* 3. Rodriquez *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 35. *art.* 2. De la Cruz *de ſtatu relig. lib.* 2. *cap.* 3. *diſp.* 2. Tamburinus *tom.* 1. *diſput.* 16. *quæſt.* 14. *num.* 7. Portel *verb. Priuilegium in addit. ad addit.* Porrò, quando Papa confirmat aliqua priuilegia hoc tenore, ſcilicet, quatenus ſunt in vſu, hoc eſt, quæ adhuc ſunt in vſu, per iſta verba fit, quod ſi ſint aliqui anni tranſacti pro præſcriptione contra talia priuilegia, incipiant de nouo priuilegia ex inſtanti talis confirmationis; ac ſi tunc de nouo concederentur, & ſic anni trãſacti nil deſeruiunt præſcriptioni. Ita annotauit Corduba *in addit. ad compend. priuil. verb. Abſolutio quoad ſeculares* 1. *verſ. quoad* §. 19. quod præcipuè locum habet, ſi confirmatio facta ſit *ex certa ſcientia*, nam hæc clauſula habet vim reſtituendi priuilegia reuocata, non ſolùm priuata auctoritate, id eſt à ſolo Summo Pontifice, ſed etiam reuocata à iure communi, vt docet Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 29. *num.* 4. *&* 5.

Rodr. De la Cruz. Tamb. Portel. Corduba

PRIVILEGIVM IV.

De confirmatione, innouatione, & vſu Priuilegiorum perſonarum regularium.

SVMMARIVM.

1 *Duobus modis confirmantur priuilegia* in forma communi, *ſcilicet*, *&* ex certa ſcientia, &c.

2 *Multi Romani Pontifices confirmarunt priuilegia Fratrum Minorum* ex certa ſcientia, &c.

3 *An confirmatis priuilegijs alicuius religionis* ex certa

Digitized by Google

ſcientia, *cenſeantur etiam confirmata priuilegia ad illius inſtar, alteri religioni conceſſa? Et quid iuris, ſi priuilegia confirmentur in forma communi.*

4 *An confirmatio* ex certa ſcientia *confirmet priuilegium, quod à principio fuit nullum, falſum, ſeu ſubreptitium.*

5 *In confirmationibus priuilegiorum, quid operetur clauſula*, Quatenus ſunt in vſu.

6 *Quid iuris de clauſula*, Et ſacris Canonibus.

7 *Quid de clauſula*, Et decretis ſacri Concilii Tridentini non aduerſantur.

8 *An regulares poſſint in foro conſcientia uti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſſè reuocata per Concilium Tridentinum*. Refertur duplex ſententia.

9 *De clauſula*, vt non cenſeantur reuocata priuilegia, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat.

10 *Innouatio priuilegij quid ſit, & quid importet?*

11 *An Generales Ordinum, Capitula Generalia, & Prouincialia poſſint tollere, limitare, ſeu reſtringere ſibi ſubditis, vſum quorumcumque priuilegiorum Apoſtolicorum.*

12 *An priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, priuilegio gaudeat.*

1 PRiuilegia duobus modis ſolent confirmari. *Primò*, confirmantur in forma communi, id eſt, in côluſo ſicut iacent, ſine examine, & hæc dicitur confirmatio in forma communi. *Secundò*, confirmantur priuilegia *ex certa ſcientia*, vel *ex plenitudine poteſtatis*, vel cum clauſula, *non obſtante lege diſponente in contrarium*. Supponit enim tunc Pontifex habere ſe notitiam claram illorum priuilegiorum, idque facere præuio examine, & inquiſitione, *cap. quia diuerſitatem, de prabend. cap. poſtulaſti, de reſcript.*

Confirmatio priuilegii in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, ſi erat inualidum, & ita non poteſt dici conceſſio priuilegii, ſed pura roboratio. Ratio eſt, quia confirmare non eſt de nouo facere, ſed roborare factum; confirmatio autem in forma communi ſolùm ſignificat in Principe animum confirmandi, ergo nec valorem, nec ius confert de nouo ex vi talis confirmationis. Proinde ſi hæc confirmatio cadat ſupra actum incapacem, ſeu nullum, nihil confert: Si verò conferatur à ſuperiore, & actus ſit confirmabilis, additur robur præcedenti priuilegio, *cap. examinata, de confirmat. vtil.*

Confirmatio priuilegii ex certa ſcientia habet vim nouæ conceſſionis talis priuilegii. Ratio eſt, quia confirmatio ex certa ſcientia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum, ergo habet vim conceſſionis priuilegii; validare enim actum, ſeu priuilegium, quod antea erat nullum, planè idem eſt, quod denuò illud concedere. Tamen ſi Pontifex confirmans, ex certa ſcientia ponat aliquam clauſulam per quã dicat ſe nolle confirmare priuilegium aliàs nullum, vt ſi dicat, quatenus ſunt in vſu: tunc ſi aliquod priuilegium ſit iam nullum, quia non eſt in vſu, non confirmantur ibi priuilegia ex certa ſententia, *cap. 1. de tranſact. cap. ſi Apoſtolica, de prabend. in 6.* Plura de his apud Suarez *de legib. lib. 8. cap.* 18. Tamburinum *tom. 1. de iure Abbat. diſp.18. quaſt. 1. & 5.* Vecchis *diſp. 9. dub. 13.*

Suarez. Tamb. Vecchis.

2. Priuilegia Fratrum Minorum, ad hunc vſque diem fuerunt à variis Pontificibus confirmata, *ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis*: Habentur bullæ confirmatoriæ horum Pontificum in Bullario *Rodriquez.*

Primus eſt Paulus II. qui cum clauſula *ex certa ſcientia*, tantùm confirmat. Secundus eſt Sixtus IV. qui vltra clauſolam, *Ex certa ſcientia*, addit etiam, *ex motu proprio*, innouatque omnia, & ſingula Ordinis priuilegia. Tertius eſt, Leo X. qui etiam *Motu proprio, & ex certa ſcientia*, confirmat & innouat, ac communicat dictis Fratribus omnia priuilegia aliorum ordinum Mendicantium. Quartus eſt Clemens VII. qui vltra clauſulas, *motu proprio, & ex certa ſcientia*, addit *ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine*. Quintus eſt Iulius III. qui omnia priuilegia, etiam per viam communicationis, & extenſionis aliis ordinibus conceſſa pro ordine Minorum confirmat, innouat; ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſed limitat, dicens: *Quatenus ſunt in viridi vſu*. Sextus eſt Paulus IV. dicens: *Ex certa ſcientia, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine approbamus, & innouamus, etiam per modum communicationis, & extenſionis*. Septimus eſt Pius IV, qui eaſdem ſimiliter clauſulas, *Ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis* exprimit, addens etiam *per modum communicationis, &c.* Octauus eſt Gregorius XIII. ponens eaſdem omninò clauſulas, ſed limitat, *Quatenus ſunt in vſu, & ſacris Canonibus, ac decretis Tridentini Concilij non aduerſantur*. Nonus eſt Sixtus V. qui ſimiliter etiam confirmat, ſubiicet tamen illa verba, *Quatenus ſunt in vſu*. Decimus eſt Clemens VIII. qui ponit clauſulam, *Ex certa ſcientia* tantum, & limitat, *In omnibus, in quibus decretis Tridentini Concilij non aduerſantur, & ſaluis etiam decretis in fauorem Fratrum reformatorum conceſſis*. Tandem Paulus V. eadem priuilegia confirmauit anno Domini 1609. per quandam ſuam bullam, quæ incipit, *Iniuncti nobis Paſtoralis*. Sed expreſsè non poſuit clauſulam, *Ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis*, dicit tamen ſe confirmare cum eiſdem clauſulis, decretis, declarationibus, & formis contentis in bulla confirmatoria Clemens VIII. ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo ibi infererentur: vna autem ex principalibus clauſulis dicti Clementis eſt confirmare *ex certa ſcientia*, abſtinuit tamen Paulus V. à clauſula, *quatenus ſunt in vſu*.

Ex his vides priuilegia Minorum eſſe confirmata à tot annis, abſque clauſula, *quatenus ſunt in vſu*. Et à tot annis eſſe confirmata *ex certa ſcientia*: nec refert quòd vltimus D. Paulus V. non confirmauerit *ex certa ſcientia*. Hæc enim taciturnitas non reuocat certam ſcientiam anteceſſorum illius, qui vſque ad Clementem VIII. priuilegia confirmarunt *ex certa ſcientia*. Has confirmationes priuilegiorum referunt etiam Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſp.* 18. *quaſt.* 3. & Miranda *tom. 2. quaſt.* 42. *art.* 1. Sed quia aliarum religionum bullas confirmatorias ſuorum priuilegiorum prolixum eſſet ad longum recenſere, ideò ab illis ſuperſedemus, quæ videri poſſunt apud eundem *Rodriquez*, & ſummatim apud *Tamburinum*, & *Mirandam locis citatis*.

Tamb. Miranda

3. Ad horum priuilegiorum maiorem intelligentiam ſcire oportet, quòd confirmatis priuilegiis alicuius Religionis *ex certa ſcientia* cenſentur etiam confirmata priuilegia ad illius inſtar alteri religioni conceſſa, ſi talis religio participans habet communicationem priuilegiorum aliis conceſſorum, & concedendorum: tunc enim huiuſmodi confirmatio cenſetur quaſi noua conceſſio. Ita Bartolus *in l. more maiorum, ff. de iuriſdiction.* Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quaſt. 8. art. 2.* Miranda *tom. 2. quaſt.* 42 *art. 5.* Portel *in dub. reg. verb. Priuilegia num.* 34.

Bart. Rodriq. Miranda portel.

An autem idem dicendum ſit, ſi priuilegia confirmentur in forma communi? Negatiuè reſpondent *Rodriquez, Miranda* citati: & ratio eſt, quia ſicut per reuocationem priuilegiorum alicuius religionis, non cenſentur reuocata priuilegia ad inſtar; ita per confirmationem priuilegiorum alicuius religionis, non cenſentur confirmata eius priuilegia ad inſtar; cùm contrariorum eadem ſit diſciplina, & pariformis ratio. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 19. *num* 10. Laurentius de Peyrinis *in declarat. Conſtit. 4. Iulij II. num. 12. tom. 1.* cenſent id etiam valere, etſi confirmatio ſit in forma communi. Ratio eſt, quia etiam confirmatio in forma communi, gratia, & priuilegium eſt: vtraque ſententia probabilis eſt, ſed prima mihi magis placet.

Suarez. Peyrin.

Notandum tamen eſt, ſi Papa confirmet *ex certa ſcientia* priuilegia vnius Ordinis, non cenſere etiam confirmare *ex certa ſcientia* priuilegia propria alterius Ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis. Ratio eſt, quia Papa non intendit confirmare *ex certa ſcientia* niſi tantùm priuilegia v. g. Minorum, & non Minimorum, ſeu priuilegia ſpecialia Minorum: ergo non confirmat *ex certa ſcientia* priuilegia ſpecialia Minimorum, aliàs plura confirmaret quàm intenderet. Ita Suarez

Digitized by Google

rez citatus *cap.19.num.12.& 13.*

4. Confirmatio *ex certa ſcientia* non confirmat priuilegium, quòd à principio fuit nullum, falſum, ſeu ſubreptitium: quia non eſt mens Principis concedere niſi quod antea verè conceſſum fuit: id verò quod nullum fuit, nunquam fuit conceſſum: Tamen reualidaret hæc talis confirmatio priuilegium à prædeceſſore reuocatum per ſpecialem Bullam, ſeu ſpecialem reuocationem. Secus verò quando præcedens priuilegium fuit reuocatum per ius commune, vt per Concilium Tridentinum & alia iura, in hoc ſecundo caſu non confirmantur *ex certa ſcientia* priuilegia reuocata per ius commune. Ita Rodriquez *tom.1.q.reg.q.8.art.3.& 4.* Rozella *verb. Abſolutio 2. n.183.* Suar.*cit.c.19.n.4* Corduba *ad comp.verb. Abſolutio quoad ſeculares 2.ad §.16.* Lezana *tom.3.ſum.verb.clauſula n.29.*& alij.

Rodriq. Suar. Cordub.

5. Clauſula in confirmationibus priuilegiorum poſita *Quatenus ſunt in uſu*, confirmat tantùm priuilegia illa, quæ ſunt in obſeruantia ſuumque valorem retinent; non autem ea, quæ inualida, & amiſſa ſunt per non vſum, vel per contrarium vſum: ſecus autem ſi ſunt in vſu, quamuis inualida per quamcumque aliam cauſam; quia tunc & eo caſu per confirmationem *ex certa ſcientia* reualidantur, & innouantur. Ita De la Crux *de ſtatu relig.lib.2.cap.3.dub.2.concl.6.* Rodriquez *cit.art.3.& 4.* Suarez *cit. cap.18.num.16.& 17.* Mandoſius *tract. de priuileg. ad inſtar. gloſ.25.* Panormitanus *in c. cum ſuper de cauſa poſs. & propriet.* Hieron. Rodriq.*reſ.136.num.11.* Portel *verb. Præſcriptio num.2.& verb. Priuileg. in addit. num.4.* Barboſa *in collect.ad cap. cum dilecta de confirm. util.* Miranda *to.2.q.42.artic.4.concluſ.2.* Diana *part.3.tract.2.reſ.88.*& alij qui bene aduertunt circa hanc clauſulam, quod ſcilicet non extendatur ad abrogata per contrarium vſum ſpatio ſexaginta annorum præſcriptum iuxta priuilegium Eugenij IV. apud Rodriquez in Bullario Bulla 17. eiuſdem Eugenij. Imò idem Eugenius in alio priuilegio conceſſo Congregationi S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti apud Bullarium Bulla 11. ſine reſtrictione temporis prædicti concedit, vt poſſint vti ſuis priuilegijs etiamſi contra illa habuerint contrarium vſum ignoranter, vel ſcienter obſeruatum, ſed illa in ſuo vigore, ac robore permanere vult, & declarat. Dicta autem priuilegia modò innouata ſunt quoad nos Minores per Sixtum V. & Clementem VIII. confirmantes, & innouantes noſtra priuilegia, etiam per modum communicationis, & extenſionis conceſſa cum clauſula, *Ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis* abſtinentes ſe à dicta clauſula limitante, *Quatenus ſunt in uſu.* Plura apud Doctores hic citatos.

Rodriq. Suar. Panorm. Barboſa. Diana.

6. Circa clauſulam, *Et Sacris Canonibus*, eſt obſeruandum, quòd ſacri Canones, de quibus Gregorius XIII. in ſua priuilegiorum confirmatione, non intelliguntur illi, qui in corpore iuris communis inſerti ſunt, atque illud conſtituunt; quia cùm omnia ferè priuilegia ſint contra ius commune, huiuſmodi confirmationes parum: aut nihil operarentur, ſed ſunt Canones inſerti in Concilio Tridentino; quod oſtendit dictio illa, *Et*, quæ eſt coniunctiua, & coniungit Canones Concilij cum ipſius Decretis. Qua propter Sixtus V. ad tollendum omne dubium ſuſtulit dicta verba, *Sacris Canonibus*, in confirmatione priuilegiorum Ordinis Minorum, & idem fecit Gregorius XIV. quoad Ciſtercienſes: quo poſſunt per communicationem frui Mendicantes, & aliæ Religiones communicantes. Ita Sorbus noſter *in compend.verb. Priuilegia.* Rodriquez *cit. q.8. art.3.* Laurentius de Peyrinis *tom.2.ſuper Conſtit.1.Gregor. XIII.§.3.n.2* Portel *verb. Priuilegium n.65.* Diana *p.3.tr.2.reſ.59.* Lezan.*tom.3.ſum. verb.clauſula n.27.* & alij.

Peyrin. Dian. Lezana

7. Sed difficultas eſt, an per clauſulam, *Et Decretis Sacri Concilij Tridentini non aduerſantur*, ſint abrogata, & reuocata priuilegia omnia, quæ continent aliquid contra aliqua decreta prædicti Concilij Tridentini? Reſpond. hac de re eſſe duas extremas opiniones: Sed non adhæremus ſententiæ, quæ docet, per hanc clauſulam non reuocari omnia priuilegia quouis modo contraria ipſi Concilio, ſed tantùm ea, quæ expreſsè in illo reuocantur per clauſulam, *Non obſtantibus*, &c. quæ clauſula in eiuſdem Concilij decretis aliquando apponitur, aliquando verò non, vt patet obſeruantibus; aliud eſt enim quòd priuilegia ſint Tridentino contraria, aliud quòd ſint ab eo reuocata: ea enim ſunt ſimpliciter Concilio contraria, quæ ab illo reuocantur; at quæ non reuocantur tacitè admittuntur, & à Papa confirmantur, etiam ponente illam clauſulam.

Nec obſtat quod ipſum Concilium *ſeſſ.25. de regular. cap.22.* omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſeruari præcipiat, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, &c. nam intendit ea tantùm reuocare, quæ aduerſantur decretis eiuſdem *ſeſſ.25. de regular.* non autem illa, quæ ſunt contra decreta aliarum ſeſſionum. Exemplum ſit, Ordinari extra tempora eſt contra Tridentinum *ſeſſ.23.cap.8.* quia tamen ibi Concilium non reuocat priuilegia Regularium, quæ ipſi habent in contrarium: eadem priuilegia manent integra, licet ipſi Concilio ſint contraria, quia ibi quoad illud non ſunt derogata. Ita Suarez *de leg.lib.8.c.18. num.17. ad finem.* Nauar. *in man.cap.27.num.190.* Rodriquez *tom.1.qq.reg.q.8.art.8.* De la Crux *de ſtatu relig.lib.2.cap.3.dub.6.* Portel *in dub.reg.verb.Priuilegium,num.31.* Lezana *cit.num.26.*& probabile putat Miranda *tom.2.q.42.art.3.§. ſed alij*, dicens hanc reſolutionem eſſe habitam olim à multis grauiſſimis Doctoribus Iuriſperitis, & Theologis, Eccleſiaſticis, & Regularibus: quamuis Laurentius de Peyrinis *cit.num.3.* dicat, ſenſum communem iſtius clauſulæ, modò obtinere in praxi, vt per eam cenſeantur derogata priuilegia, non ſolùm quæ à Concilio per clauſulam, *Non obſtantibus*, derogantur, ſed etiam ea, quæ ſunt eidem Concilio ſimpliciter contraria.

Nauar. Rodriq. Portel. Lezana.

De priuilegijs autem ſpecialiter, & expreſsè reuocatis in Tridentino, videndi ſunt Rodriq.citatus *quaſ.8. art.7.* & Ioannes de la Crux *cit.dub.6.*

8. Maius dubium eſt, an Regulares poſſint in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum? Affirmant Henriquez *lib.7.cap.24.num.8.lit.K.* Rodriquez *tom.1.quaſt.regul.q.8.art.9.* Sanchez *lib.5.moral.cap.4.num.10.* Sorb. *in compend.priuilegi fol.85. edit. Neapolit. Compendium Societ. Ieſu verb.Concilium Tridentinum §.3.*& alij. Ratio illorum eſt, quia in foro conſcientiæ ſunt reualidata priuilegia Regularium per Pium V. viuæ vocis oraculo facta Fratribus Minoribus apud Bullarium Rodriquez, etiamſi ſint contra Concilium Tridentinum, quod poſtea fuit reuocatum per Gregorium XIII. in ſua generali reuocatione priuilegiorum Mendicantium contra idem Concilium à Pio V. conceſſorum, quia ea tantùm reuocauit in foro exteriori ad vitandas lites & diſcordias, vel reuocauit ſolùm conſtitutiones ſcriptas, non verò oracula viuæ vocis, quæ non ſunt conſtitutiones.

Nihilominus negatiua ſententia eſt certa. Miranda *in man.tom.1.q.39. art.1.concluſ. unic.* Diana *p.3.tractat.2.reſ.59.* De la Crux *de ſtatu relig.lib.2.cap.3.dub.6.concluſ.3.* Portel *in dub.reg.verb.Priuilegium num.64.* Tum quia Greg. XIII. non tantùm reuocat priuilegia ſcripta & litteras, ſed etiam reliqua indulta, etiam ſine litteris expedita, dum dicit in Bulla (*in tanta rerum & negotiorum mole.*) *Quinetiam abrogamus omnia vrinamia, & alia decreta, & quæcumque alia ipſis litteris, & conſtitutionibus appoſita; & alias eorum occaſione, vel cauſa facta, his noſtris ſtatutis ordinationi, & reductioni aduerſantia, &c.* Tum quia Gregorius in dicta Bulla etiam meminit confeſſionum audiendarum, pœnitentiarum iniungendarum à Religioſis, quæ pertinent ad forum conſcientiæ: quæ etiam non poſſunt ita fieri ſecretè, quin factum in publicum prodeat, & ad aures Epiſcoporum deueniat, ex quo oriuntur turbationes & lites. Tum quia modò ſunt reuocata omnia viuæ vocis oracula per Conſtit. Vrbani VIII. vt dictum eſt ſuprà *verb. Priuilegium 1. numer.8.*

Miran. Diana. Portel.

An autem hæc Bulla Gregorij XIII. *In tanta, &c.* fuerit publicata vide ſuprà v. *Miſſa VIII. num.9.*

9. Priuilegia, in quibus eſt clauſula, *vt non cenſeantur reuocata, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat*; vt reuocata intelligantur, debet in ſecundo priuilegio apponi clauſula, *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, etiamſi de verbo ad verbum de illis mentio expreſſa*

fieri

Digitized by Google

fieri deberet. Ratio eſt, quia Summus Pontifex hoc loquendi modo ſatis indicat, velle priuilegium reuocare; at priuilegium vim habet ab ipſius Summi Pontificis voluntate. Secùs dicendum eſſet, de reuocatione facta ſolummodò per clauſulam generalem reuocatoriam; ea enim non extenditur, quia Papa per clauſulam generalem non ſufficienter indicat velle huiuſmodi priuilegia reuocare.

Cenſetur tamen ſufficienter derogatum huiuſmodi priuilegijs per clauſulam, *Quorum tenores*, per hanc enim ex obſeruantia Curiæ derogatur quibuſcumque priuilegijs habentibus derogatoriarum derogatorias. Ita ex *Compendio priuilegiorum Mendicantium verb. priuilegia Fratrum*. §. 23. Syluestro *verb. priuilegium q.* 10. Mirand. *in Manual. tom.* 2. *qu.* 45. *art.* 6. Rodriq. *tom.* 1 *quæſt. reg. quæſt.* 9. *art.* 6. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 36. *n.* 30. & alij.

Syluest. Mirand. Rodriq.

Solent in priuilegiorum confirmationibus apponi multæ aliæ clauſulæ: qualiter autem declarandæ & interpretandæ veniant, & ſub quibus regulis interpretatio hæc fieri debeat, videndi ſunt Auguſt. Barboſa *de clauſul. vſufrequent.* Rodr. *tom.* 1. *quæſt. reg. qu.* 8. *art.* 12. 13. 14. *& ſeq.* Miranda *in man. Prælat. tom.* 2. *q.* 45. Tamburin. *de iure Abb. tom.* 2. *diſp.* 18. *quæſ.* 6.

10. Innouatio priuilegij iuxta duplicem acceptationem poteſt intelligi, ſicut & nomen priuilegij æquiuocè poteſt ſumi: vno modo pro ipſo iure vel gratia per Principem conceſſa: alio modo pro inſtrumento authentico, in quo talis conceſſio, & fidea ſeu probatio eius continetur. Hinc ergo innouatio priuilegij interdum refertur ad ſolùm inſtrumentum, quia vetuſtate fortè conſumitur, & ideò innouatio eius conceditur. Aliquando verò poteſt referri ad rem ipſam, vt ius antiquitus conceſſum poſtea innouetur, *Cap. cùm dilecta de confirm. vtil. L. non figura, ff. de actionibus*.

Innouatio priuilegij priori modo non confert ius nouum. Ratio eſt, quia huiuſmodi innouatio ſolùm fit ad faciliorem probationem eius, quod in priuilegio continebatur, & iuxta tenorem eius eſt facienda; nihil omninò addito, vel etiam tracto: ac ſubinde intentio Principis, hanc innouationem fieri concedentis, non eſt quidquam de nouo tribuere, vel conceſſionem extendere, aut nouum robur adijcere; ſed ſolùm tenorem eius, quod antea erat conceſſum in ſcripturam redigere ad faciliorem probationem vel diuturniorem. Imò talis innouatio ius in priuilegio contentum non confirmat ſecundùm ſe, quia illi robur aut valorem non addit: quoad nos verò quodammodo confirmat, quia facilior vel diuturnior fit probatio.

Quando verò agitur de innouatione ipſius gratiæ, ſeu priuilegij, quatenus importat formalem ipſam conceſſionem: ipſa innouatio regulanda eſt ad inſtar confirmationis, vt dictum eſt ſupra: & ita ſi innouatio fiat in forma communi, dicitur innouare actum prout eſt, & nihil mutat in eo ſtatu, in quo antea erat: hic modus innouandi priuilegia non eſt in vſu. Innouatio autem priuilegij ex certa ſcientia confert ius nouum de ſe, & æquiualet conceſſioni, ideoque reſtituere poteſt priuilegium perditum, & à fortiori omnem vetuſtatem eius tollere, & in priſtinum ſtatum illud reſtituere. Verbum enim *Renouandi* licet poſſit dici de re præexiſtente, tamen cùm proprietate etiam poteſt cadere in rem, quæ iam perijt, & iterum excitatur, ſicut reſurrectio dici poteſt quædam renouatio.

Proinde per talem innouationem fit, vt ad præſcribendum contra tale priuilegium, neceſſarium ſit computari tempus à tempore talis renouationis: quia licet per aliquot annos priùs fuerit inchoata præſcriptio contra illud priuilegium, ſi non fuit conſummata, poſtea non poterit computari ad reuocationem priuilegij conſummandam, ſed oportebit de nouo inchoari: quia innouatio eſt quædam reſtitutio rei ad priſtinum ſtatum. Sed his plura apud Surdum *conſil.* 144. *num.* 13. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 8. *art.* 2. Suar. *de leg. lib.* 8. *c.* 30. Cordubam *in compend. priuil. Mend. verb. Abſolutio quoad ſæculares* 2. §. 19. Caſarub. *in compend. verb. Priuilegia Fratrum* §. 15. Panorm. & Felinum *in cap. inter dilectos, de fide inſtrument.* De la Crux *lib.* 2. *de ſtatu relig. c.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 6. & alios

Surd. Rodriq. Suar. Cordub. Panorm. Felin.

11. Superiores Prælati, & maximè Generales Ordinum, Capitula Generalia & Prouincialia poſſunt tollere, limitare, ſeu reſtringere ſibi ſubditis, vſum quorumcumque priuilegiorum Apoſtolicorum: vt patet ex nonnullis priuilegijs ad hoc à Sede Apoſtolica religionibus conceſſis: & primò Leo X. conceſſit quod Generalis Ordinis fratrum Minorum in ſuo Capitulo Generali, & quilibet Prouincialis in ſuo Capitulo Prouinciali, de conſenſu eiuſdem Capituli, vel maioris partis, declarare poſſit & valeat, vtrum ab vſu alicuius conceſſionis, viuæ vocis oracolo factæ, abſtineri debeat. Et prædictæ determinationi ſtare debent omnes tam Fratres, quàm Moniales Ordinis. Habetur in ſupplemento & refertur in Compendio priuileg. Mendicant. *verb. Priuilegia Fratrum*, §. 26. Hæc conceſſio eſt viuæ vocis oraculum. Vide Portel. *in dub. regul. verb. Priuileg. num.* 78. Hieron. Rodriq. *reſ.* 116. *n.* 26. Mirand. *in man. tom.* 2. *q.* 43. *art.* 4. Rodriquez *to.* 1. *qq. reg. q.* 9. *art.* 2. Tamburinum *to.* 1. *de iur. Abbat. diſp.* 16. *quæſ.* 9. Dian. *p.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 87. Peyrin. *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Conſt* 2. *Iulij* 2. §. 3. *n.* 9.

Portel. Rodriq. Mirand. Tamb. Diana. Peyrin.

Similem conceſſionem habent Ciſtercienſes à Clemente IV. prout refertur in illorum Compendio *verb. priuilegium* §. 6. & apud Mirand. *in man. Prælat. tom.* 2. *q.* 33. *art.* 4.

Mirand.

Nouiſsimè Gregorius XIII. apud Compendium Societatis *tit. Gratiarum vſus* §. 2. conceſsit, ac decreuit, *ne perſona Societatis Ieſu, abſque expreſſa Superiorum eorumdem licentia, vti poſſint facultatibus in Iubilæis, aut Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut alijs quibuſcumque Apoſtolicis Indulgentijs quomodocumque hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis; & declarauit præterea, poſſe Superiorem, dum huiuſmodi licentiam concedit, limitare eam ad vſum vnius, aut alterius facultatis, & prohibere vſum reliquorum etiam in eadem Bulla, aut indulto contentorum*. Quibus quidem indultis, ac priuilegijs poſſunt vti & frui quicumque alij Ordines priuilegium habentes communicationis.

Supradicti tamen Generales, vel Prouinciales Prælati, & Capitula Generalia, vel Prouincialia nequeunt virtute prædictarum conceſſionum, tollere aliquid, quod ſit contra vſum ſacrorum Canonum; nam quæ de iure ſtatuta ſunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam, iuxta iuris diſpoſitionem, quæ obligatio in totum à Prælatis tolli nequit.

Proinde ſi aliqua religio per ſuas conſtitutiones prohibeat Superioribus confiteri extero Sacerdoti, & hæ conſtitutiones ſint confirmatæ à Summo Pontifice tantùm in forma communi, adhuc inualida remanet confirmatio, ſicut conſtitutio illa eſt inualida, cùm non adeſt facultas condendi leges contrarias Sacris Canonibus. Ratio eſt, quia talis confirmatio non dat valorem, ſed tantùm roborat, ſi reperit; nam confirmare non eſt de nouo facere, ſed factum roborare, vt deſumitur ex *cap. Examinata, de confirmat. vtil. vel inutil.* & *ex c. Dudum, de decimis*.

Secus dicendum ſi confirmatio ſit in forma ſpeciali, nempe ex certa ſcientia; tunc enim validatur illa conſtitutio, atque adeo per ipſam derogatur priuilegio quoad eos qui ſubſunt tali conſtitutioni: quia confirmatio ex certa ſcientia reddit validum, quod alias erat inualidum, id eſt, validat conſtitutionem aliàs inualidam contrariam Canoni; ſequitur etiam quòd deroget priuilegio. Ita Caſt. Palaus *p.* 1. *tract.* 3. *de priuil. diſp.* 4. *punct.* 2. §. 10. *num.* 3. Suarez *de leg. lib.* 8. *c.* 28. *num.* 12. *& c.* 33. *à num.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 1. quod deſumitur ex *c. ſi Apoſtolica*, vbi Gloſs. *verbo confirmamus, de præbend. in* 6.

Palaus. Suarez. Diana.

13. Conſtitutiſſimum eſt in iure, quòd priuilegiatus, contra pariter priuilegiatum, non gaudet priuilegio. *Authent. de Sanctiſs. Episc.* §. *ſed hac præſenti. L. verum, ff. de muneribus*. Quæ quidem generalis regula intelligenda eſt, & verum habet, quando priuilegiatus vterque priuilegio gaudet, quod eſt dicere, quando duo concurrunt ſimul, qui priuilegium habent, & ſunt in caſu, quo vtrumque priuilegium valet; qui quidem caſus non dabitur de facili, nam regulariter loquendo, is præferendus eſt alteri, qui

priui-

Digitized by Google

priuilegium actu habet, & practicè in ea re & ſpecie, de qua agitur. *L. vltima, ff. quibus ex cauſis maiores*. Exemplum eſt, habet Dux militum priuilegium à Rege vt obliget quemcumque plebanum recipere hoſpitem militem. Habet è contra plebanus Minorum confrater, eò quòd recipiat in ſua domo Fratres Minores, priuilegium à Rege ne cogatur ad recipiendos tales, vel hoſpitales ſæculares: in tali caſu Dux priuilegiarus non poteſt agere contra talem plebanum priuilegiatum, ſunt enim priui-
Rodriq. Portel. Rodriq. legia mutuò pugnantia & habentia oppoſitionem reſpectiuam. Vide Rodriquez *tom. 1. qq. reg. q. 9. art. 11*. Portel. *in dub. reg. verb. Priuilegium n. 25*. Hieron. Rodriquez *reſ. 116. n. 36*. & alios.

PRIVILEGIVM V.

De communicatione priuilegiorum.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſit efficacia communicationis priuilegiorum apud Regulares.*
2 *Religioſi mendicantes habent inter ſe communicationem priuilegiorum.*
3 *Pro ordine Prædicatorum extat Bulla Leonis X.*
4 *Ordini Minorum communicationem priuilegiorum concesserunt Alexander V I. Leo X. Clemens V II. Paulus IV. & alij.*
Fratres Capucini gaudent priuilegijs Monachorum Camaldulenſium, & Fratrum Minorum, ex conceſſione Clementis V II.
5 *Aliæ religionis mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia.*
6 *Religiones Monachales & alij non mendicantes communicant etiam in priuilegijs.*
7 *Moniales etiam gaudent priuilegijs religionis quam profitentur.*
An tertiarij vtriuſque ſexus gaudeant priuilegijs Ordinis Minorum.
8 *Monialibus Ordinis Prædicatorum conceſſit Leo X. omnia priuilegia Ordinum Mendicantium.*
9 *Priuilegia odioſa & pœnalia non communicantur.*
10 *An communicato priuilegio, etiam reſtrictio eius communicetur.*
11 *In communicatione priuilegiorum, an communicetur vſus vel non vſus.*
12 *An priuilegia conceſſa vni Monaſterio, vel Prouinciæ alicuius Ordinis, concedatur etiam omnibus Monaſterijs vel Prouincijs eiuſdem religionis.*
13 *An religio cõmunicans in priuilegijs cum alijs Ordinibus, poſſit vti dictis priuilegijs contra illum Ordinem, cui primùm fuerunt conceſſa.*
14 *An communicatio priuilegiorum intelligenda ſit non ſolùm de priuilegijs conceſſis tunc temporis, ſed etiam de poſtmodum concedendis.*
An Fratres Mendicantes vti poſſint priuilegijs Societatis Ieſu.

1 EFficacia communicationis priuilegiorum apud religiones in hoc conſiſtit, quod ius vni conceſſum per aliquod priuilegium, alteri etiam conceditur per quandam extenſionem, vel certa per quandam multiplicationem talis priuilegij: vt nomine communicationis ſignificari videtur. Ad intelligendum autem, qualis, & quanta ſit hæc communicatio, verba induiti attentè penſanda ſunt; tum ex parte illius, cuius priuilegium communicatur, tum ex parte eius, qui communicatur, tum denique ex parte modi, quo communicatur.

2. Religioſi mendicantes habent inter ſe communicationem priuilegiorum, vt declaratum eſt per Iulium II. Bulla 8. 9. & 18. apud Rodriq. in Bullario Per Leonem X. Bulla 2. & 3. Iulium 3. Bulla 1. Paulum I V. Bulla 1. Pium V. Bulla 22. Præcipuè inter Fratres Prædicatores & Minores eſt ampliſſima priuilegiorum communicatio, de quibus omnes ferè citati Pontifices in ſuis Bullis ſermonem faciunt.

3. Pro ordine Prædicatorum extat quædam ſpecialis Bulla Leonis X. in qua illi communicat ampliſſimè motu proprio, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes gratias, indulgentias, & alia quæcumque priuilegia, & indulta, conceſſa, & concedenda in alijs Ordinibus Mendicantibus. Rodriquez in Bullario, Bulla 33. Leonis X.

4. Pro ordine Minorum eſt alia ſimilis, ſed non tam ampla communicatio priuilegiorum conceſſorum Ordinibus Mendicantibus facta per Alexandrum V I Bulla 9. & alia per Leonem X. Bulla 8. & alia ampliſſima per Clemente V I I. Bulla 2. in qua motu proprio, & ex certa ſcientia, tribus Ordinibus S. Franciſci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias & alia quæcumque priuilegia conceſſa, & concedenda alijs quibuſcumque Ordinibus, tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, decernens etiam regulam Fratrum Minorum eſſe obſeruabilem, meritoriam, ac fundatam in Euangelio. Quæ Bulla confirmata eſt à Paulo I V. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & alijs Pontificibus.

Sed quoad nos Fratres Capucinos gaudemus omnibus priuilegijs Monachorum Camaldulenſium, & Fratrum Minorum ex ſpeciali conceſſione Clementis VII. in Bulla, quæ incipit: *Religionis zelus*, edita anno Domini 1529. 5. nonas Iulij, ſub dat. Viterbij, vt videre ex apud Laert. Cherub. *Bullar. Conſtit. 2. dicti Clementis*, §. 3. ſub his verbis.

Nec non omnibus, & ſingulis priuilegijs, indultis, & gratijs Ordinis Fratrum Minorum huiuſmodi, ac Eremo Camalduneuſ. B. Romualdi, illiuſque Eremitis, in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus ipſi quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti & potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, plenam & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

Monachi autem Congregationis Eremi Camaldulenſ. participant omnia priuilegia, gratias, conceſſiones, & indulgentias, quibuſcumque Regularibus elargitas, ac in poſterum elargiendas, tam directè, quam per viam communicationis, ex indulto Gregorij X I V. eis impartito, anno Domini 1591. die 24. Septembris, Pontificatus ſui anno 1. vt patet ex eius Conſtitutione, quæ incipit: *Ex iniuncto nobis*, quæ eſt 18. in ordine in Bullario nouo.

5. Aliæ etiam Religiones mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia: ita conceſſit Auguſtinianis Alexander V I. Bulla 12. & Carmelitis Sixtus I V. Bulla 37. 38. & Minimis Pius V. Bulla 22. vbi numerat illos inter Mendicantes. Et idem ſtatuit ibi de Ordine Seruorum B. Mariæ, & de Ordine Ieſuatorum B Hieronymi, ac de Ordine Societatis Ieſu. Hos enim quatuor Ordines facit Mendicantes Pius V. ibi: & ſic gaudent priuilegijs aliorum mendicantium. Et pro Minimis adeſt recens communicatio, Vrbani VIII. apud Tambur. *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 17. quæſ. 1. n. 37.*

6. Religiones etiam Monachales, alij non mendicantes habent etiam ſimilia priuilegia communicationis: ita conceſſit Benedictinis Eugenius I V. Bulla 7. & Ciſtercienſibus Gregorius X I I I. Bulla 10. & Carthuſienſibus Gregorius XI. & Pius I I. vt referunt Rodriq. *tom 1. quæſt. reg. quæſ. 55. art. 8.* & Tamburin. *cit. quæſ. 1. num. 22.* Hi duo Rodriq. Tamb.
Auctores referunt alia priuilegia communicationis pro alijs Religionibus etiam militaribus.

7. Porrò dubitari poteſt, vtrum Moniales etiam gaudeant priuilegijs Religionis, quam profitentur? Reſpond. Sixtum I V. ſtatuiſſe (vt habetur *in lib. Minor. Ordin.*) quòd Monaſteria & loca Monialium Sanctæ Claræ, & S. Dominici, eorumque Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriuſque ſexus Tertij Ordinis de Pœnitentia nuncupatæ perſonæ prædictæ, eiſdem priuilegijs, & immunitatibus, indultis ſpiritualibus & temporalibus Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus, & illorum profeſſoribus, domibus, locis, ac Procuratoribus, & Syndicis, & Oblatis, & Conuerſis, ſeu alijs quomodolibet per Prædeceſſores ſuos aut per ipſummet Sixtum hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis,

quauis

quauis auctoritate (quatenus earum ſexui, & ſtatui, non contradicant) liberè, & licitè vti poſsint & debeant in omnibus, & per omnia prorſus, & ſine vlla differentia, ac ſi eiuſdem Monaſterijs, locis, et perſonis prædictis nominatim conceſſa forent, et concederentur expreſsè. Ita Miranda *in man. tom. 2. q. 46. art. 2.* Rodriquez *cit. art. 13.* Lezana *tom. 5. ſum. in mare magnum Carmelit. n. 385. & in Bullam auream* §. 4. n. 7.

[Miand. Rodr. Lezana.]

Item Boniſacius VIII. provt habetur in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Moniales §. 4. ſtatuit quòd ſi quæcumque Moniales commiſſæ fuerint gubernationi Fratrum Minorum, virtute alicuius indulti Apoſtolici Moniales ſic commiſſæ gaudeant priuilegijs conceſſis et concedendis prædictis Fratribus: et certum eſt Moniales Sanctæ Claræ, virtute Indulti Apoſtolici, commiſsas fuiſſe gubernationi Fratrum Minorum.

Moniales ſanctæ et immaculatæ Conceptionis priuilegium habent communicationis, per indultum Leonis X. apud Rodriquez *cit. art. 15.* et Mirandam *cit. art. 2.*

Moniales Tertiariæ gaudent priuilegijs Ordinis Minorum, provt habetur in ſupplemento, ex conceſſione Leonis X. qui conceſſit, quòd poſſint gaudere et potiri omnibus, et ſingulis priuilegijs, gratijs, prærogatiuis, exemptionibus, et indultis, ſub quibuſcumque verborum formis, conceſſis et concedendis, Monialibus Sanctæ Claræ ſuper quo dat conſeruatores. Ita Miranda *cit. art. 2. & Compend. priuileg. mend. verb. communicat priuileg.* §. 17.

Aduertendum tamen eſt, quod multa inueniuntur conceſſa Tertiarijs ſub obedientia Fratrum Minorum viuentibus, provt videre eſt ex literis Apoſtolicis ſuper hoc emanatis, de quibus non eſt ambigendum, quòd gaudeat etiam poſtquam ab obedientia obſeruantiæ ſunt ſeparati: vt ſunt Moniales Tertij Ordinis, quæ poſt Pium V. ſe Ordinarijs ſubdiderunt, & ab obedientia Prælatorum Ordinis Minorum ſe abſtraxerunt, quæ non obſtante receſſu à tali obedientia gaudent dictis priuilegijs; cum nulla ſit differentia inter obedientiam Prælatorum Minorum, & obedientiam Ordinariorum; de ſimilibus enim ſine connexis idem eſt iudicium. *Cap. inter cæteras, de reſcript. Cap. translato, de conſtit.* Facit etiam ad hoc quod Sixtus IV. ſupra concedens Monialibus S. Claræ & S. Dominici, nec non vtriuſque ſexus Tertiarijs priuilegia eorumdem Fratrum, non diſtinguit, ſi viuant ſub cura, & regimine eorumdem Fratrum, ſed concedit abſolutè Monialibus S. Dominici, & S. Franciſci. Vide Portel *p. 2. reſponſ. moral. caſu 14* Lezanam *tom. 5. ſum. in mare magnum Carmelit. n. 385.*

[Portel. Lezana.]

An autem Prælati regulares poſſint Moniales ſibi ſubiectas renunciare, & Epiſcoporum iuriſdictioni ſubijcere? Probabile eſt quod non. Ratio eſt, quia huiuſmodi Moniales exemptæ à iuriſdictione Epiſcoporum, ſunt immediatè ſub iuriſdictione Summi Pontificis. Ex hoc enim infertur contra ius Papæ eſſe dictas Moniales relinquere, ac iuriſdictioni immediatæ Epiſcoporum ſubmittere, vt pluribus docet Lezana *tom. 5. ſumm. in mare magnum Carmelitarum* §. 33. *num.* 264.

Sed quia Tertiarij vtriuſque ſexus in præſenti, ſunt in triplici differentia, provt Leo X. in Concilio Lateranenſi diſtinxit, & habetur in ſupplemento Ordinis conc. 84. & 87. Primi enim ſunt viuentes collegialiter, & iſti gaudent priuilegijs, ſicut Fratres Mendicantes, abſque alia differentia, in quantùm eorum capacitas permittit.

In ſecundo gradu ſunt mulieres continentiam virginalem, aut vidualem promittentes, et habitum Tertiariorum geſtantes: & hæ pariformiter gaudent, vt primi, niſi in his, quibus expreſsè diceret Papa, quòd ſolùm concedit pro viuentibus in Congregatione.

Vltimi ſunt coniugati, aut qualitercumque à præfatis duabus ſpeciebus diſtincti. Et iſti de omnibus priuilegijs Mendicantium habent illa, quæ per Concilium Lateranenſe, non fuerunt ſibi ſublata. Et iſtos in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. declaratum fuit eſſe verè ſæculares, & quòd ad onera laicis debita tenerentur, & quod deberent conueniri coram ſuis iudicibus, & quòd ſolùm quoad Sacramentum pęnitentiæ exemptione fruerentur. Ex quo ſequitur quòd poſsint frui omnibus gratijs ſpiritualibus ad Sacramentum pęnitentiæ pertinentibus, quibus fruuntur ipſi fratres, vt ait Caſarubius *in compend. verb. Tertiarij Fratres, verb. Aliter breuius.* Non poſſunt autem Fratres, quorum Tertiarij ſunt, eis ægrotantibus in proprijs domibus Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis miniſtrare. Neque ſi moriantur, corpora eorum abſque Parochorum licentia leuare, quia merè ſæculares ſunt, & ſolùm gaudent priuilegijs, quoad Sacramentum pęnitentiæ vt dictum eſt. Confeſſores verò regulares dictorum confeſsiones audientes, debent eſſe ab ordinarijs approbati iuxta Decretum Sacræ Congregationis datum 20. Decembris 1616. apud Peyrin *de priuileg. tom. 1. ad Conſtit. 4. Sixti IV* §. 7. *num.* 39.

8. Monialibus Ordinis Prædicatorum Leo X. conceſſit omnia priuilegia conceſſa, & concedenda Ordinibus Prædicatorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Seruorum Beatæ Mariæ, ac Minorum Fratrum Ordinibus, vt refert Rodriquez *tom. 1. quæſt. reg. quæſ. 55. art. 1. & 13.*

9. Priuilegia odioſa, & pœnalia, in quibus aliquæ ſunt pęnæ conſtitutæ, non veniunt ſub prædicta priuilegiorum communicatione. Ratio eſt, quia huiuſmodi conceſſiones, in quibus penæ ſunt conſtitutæ, dici debent potiùs ſtatuta, quàm priuilegia, ſtatuta autem non communicantur. Deinde non eſt præſumendum, Summos Pontifices, concedendo priuilegiorum communicationem, vòluiſſe alijs Religionibus, ipſis inuitis, concedere id, quod eiſdem onus potiùs, quàm fauorem allaturum eſſet; tum quia odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. Imò neque poſſent Prælati, vt huiuſmodi priuilegia pęnalia & odioſa, in quibus pęnæ conſtitutæ ſunt, in ſuis Conuentibus, vel Congregationibus obſeruentur, efficere per ſolam priuilegiorum communicationem, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſsione. Nam ex ſtylo curiæ, eorumdemque Pontificum præſumpta intentione quando communicantur priuilegia, & conceduntur gratiæ, non communicantur pęnæ, ſed ſolummodò ea, quæ ſunt fauorabilia Religionum cuilibet, & quæ earumdem ſtatui, communique modo viuendi nullatenus contrariantur.

Multa enim ſunt laxioribus Religionibus conceſſa priuilegia, quæ ſtrictioribus, ſine magno earum incommodo atque diſpendio, communicari non poſſent aut deberent, id enim ſi fieret, totus earum decor ac pulchritudo periret, deficerentque à ſua vera obſeruantia, quod per dictam communicationis gratiam, non eſt præſumendum Pontifices intendiſſe.

Propterea, etſi in indulto communicationis talis limitatio non apponatur, adhuc tamen debet ſemper intelligi, ne quod in fauorem, ſeu commodum Congregationis alicuius eſt conceſſum, contra ipſam, ſeu in ipſius incommodum, & odium retorqueatur, contra iuris reg. *c. quod ob gratiam, de regul. iuris in 6.* Vide Rodriquez *cit. art. 7.* & alios citatos infrà *v. Religio 2. num. 10.* & præterea Dianam *part. 10. tract. 12. reſol. 55.* [Diana. Rodriq.]

10. Dubium eſt, an communicato priuilegio etiam reſtrictio eius communicetur? hoc eſt, an priuilegium alicui conceſſum cum certa reſtrictione, & poſtea communicatum alteri, intelligatur communicatum cum eadem reſtrictione, etiamſi illa non exprimatur, ſi abſolutè dicatur, communicari huic priuilegium, quod alter habet?

Reſponſio eſt negatiua: Ratio eſt, quia reſtrictio addita in prima conceſſione, reſpectu eius cui facta eſt non ſemper æquè aut bene accommodatur alteri, cui tale priuilegium per communicationem conceſſum eſt, ergo reſtrictio non communicatur.

Conceduntur v. g. Societatis Ieſu ſua priuilegia cum hac reſtrictione, vt ſinguli Religioſi illis vti non poſſint, niſi à Præpoſito Generali, vel ab alio per ipſum deputato eis communicentur: quando ergo hæc priuilegia alijs religionibus communicantur, reſtrictio illa non communicatur; quia priuilegia ipſa priùs fuerunt abſolutè conceſſa Societati, poſteà verò addita fuit reſtrictio per ſpecialem declarationem, quæ non reſtringit modum vtendi priuilegio, niſi quoad Societatem ipſam; communicatio autem alijs Religionibus poſtea facta eſt de ſolis priuilegijs,

Digitized by Google

gijs,& gratijs,non de huiuſmodi declarationibus.

Similiter conceduntur Societati aliqua priuilegia cum hac reſtrictione,vt aliæ religiones illis vti non poſſint per viam communicationis; aliæ verò religiones habent priuilegia communicandi in omnibus cum cæteris alijs religionibus,& ſpeciatim cum Societate, vt conceſſit Gregorius XIV. Ciſtercienſibus & Crucifigeris;ergo illa reſtrictio non poterit alijs religionibus nocere,cùm abſolutè concedantur & communicentur omnia priuilegia Societatis. Ita Ioannes de la Crux *de ſtatu relig. lib 2. cap.4. concluſ.*3. Portel. *in dub.reg. reg. verb. priuileg. communicatio,n.*23. Rodriquez *cit.art.*17. Diana *p.5.tract.*13. *reſol.* 46. Miranda *tom.2.q.46.art.5.concl.2.*

J. de la Cur. Portel. Rodriq. Diana.

11. In communicatione priuilegiorum non communicatur vſus vel non vſus priuilegijs, ſed ius vtendi priuilegio: & ſic licet vnus non vtatur priuilegio multis conceſſo, non præiudicat illis vtentibus illo. Proinde cùm Religionum priuilegia, eo ipſo quòd communicantur, fiant communia & propria earumdem religionum, quibus communicantur, tamen per non vſum alicuius religionis cuiuſpiam priuilegij, non amittitur aut deperditur ius, quod aliæ Religiones habent ad ipſum. Hoc colligitur ex citatis priuilegijs,quibus dicitur,quòd per ipſa,eorumque communicationem, aliarum Religionum priuilegia,ex æquo fiunt ſibi propria, ac ſi ſpecialiter ſibi fuiſſent conceſſa,ſed ſi ſpecialiter fuiſſent ſibi conceſſa, nullatenus amitterentur,nec deperderetur ipſorum vſus,per quemlibet aliarum religionum non vſum, nec verò per non proprium vſum,niſi legitimo, ad minus,quadraginta annorum tempore fuerit præſcriptum, iuxta ante dicta. Ita Rodriquez *to.1.qq.reg.q.55 art.*19. Syluester *verb. Priuilegium q.*11. Suar. *de leg.lib.8.c.16.n.*17. De la Crux *de ſtatu rel.lib.2.c.4.concl.*3.& alij.

Rodriq. Sylueſt. Suar.

12. Priuilegia conceſſa vni Monaſterio vnius Ordinis cenſentur etiam conceſſa omnibus Monaſterijs eiuſdem Ordinis. Sic conceſſit Pius IV. Patribus Sancti Hieronymi in Hiſpania,& poſtea Clemens VIII. ad inſtantiam Regis Catholici Philippi II. Et ante hæc Iulius II. apud Rodriquez Bulla 26. conceſſa vni Monaſterio Minimorum, toti Ordini communicauerat: conſequenter aliæ Religiones per priuilegia communicationis eodem gaudent extenſionis indulto ac ſi eis ſpecialiter concederetur.

Priuilegium tamen conceſſum vni Religioſo tantùm, non conceditur alijs Religioſis eiuſdem Ordinis: hic enim militat diuerſa ratio, quæ enim vni Religioſo congruunt, alteri Religioſo erunt indecentia: quod non contingit in priuilegio conceſſo vni Monaſterio reſpectu aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis.

Si autem vnum priuilegium ſit conceſſum Prælato vnius Conuentus ratione officij, vel Fratribus in communi alicuius Conuentus, illud participabunt omnes Prælati Conuentuales, & omnes Fratres illius Ordinis: imò & Prælati Conuentuales, & Fratres aliorum Ordinum communicantium Rodriquez *cit.art.*18.

Sed dubitatio eſt, an priuilegium conceſſum vni Prouinciæ alicuius Religionis, extendatur etiam ad alias Prouincias eiuſdem Religionis? Reſpondeo, quòd ſi priuilegium concedatur determinato loco,vtpotè pro tali prouincia,tunc priuilegium valet pro illa ſola, & non pro alijs,vt tradunt omnes Iuriſtæ, quos refert Suarez *de leg. l.8. c.26.* dicens ſeruandum eſſe tenorem priuilegij, præſertim ſi priuilegium,ex parte materiæ & obiecti,ſtatuat determinatum locum. Facit ad hoc textus valde notabilis in *Cap. cum capella, de priuileg.* vbi diſponitur, quòd priuilegium conceſſum vni Eccleſiæ,vel Prouinciæ ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, ſiue Prouinciam,vel locum.

13. Religio communicans in priuilegijs cum alijs Ordinibus, ac ſi illi ſpecialiter conceſſa fuiſſent, poteſt vti dictis priuilegijs contra illum Ordinem,cui primùm fuerunt conceſſa, & per quorum communicationem ipſa participat, quia iam facta ſunt propria ipſius religionis communicantis, eademque habet independenter ab alijs, ac ſi illi ſpecialiter conceſſa fuiſſent. Exemplum ſit, Ordini Fratrum Minorum conceſſum eſt priuilegium, ne iuxta ſuum Monaſterium, poſſit ædificari aliud Monaſterium Prædicatorum,Carmelitarum, & Sancti Auguſtini, aliorumque Ordinum in paupertate viuentium infra ſpatium trecentarum cannarum menſurandarum per aerem, etiam vbi alias rectè menſurari loci diſpoſitio non permittit. Ita Clemens IV. in Compendio priuileg. Mendicant. v. *Aedificare* §.1. Et vnamquamque iſtarum cannarum voluit octo palmos in longitudine habere.

Huic priuilegio communicant Prædicatores: Poſtea Minoritæ volunt ædificare Conuentum prope Prædicatores intra idem ſpatium,poſſunt Prædicatores ſe defendere contra Minores per illud priuilegium conceſſum primò Minoribus: quia hoc priuilegium iam factum eſt proprium Prædicatorum per communicationem. Ita Rodriquez *to.1.qq.reg.q.55.art.*21.

14. Communicatio priuilegiorum intelligenda eſt non ſolùm de priuilegijs conceſſis, tempore quo facta eſt gratia prædictæ communicationis, verum etiam de poſtmodum concedendis: Imò non ſolùm extenditur ad priuilegia Fratrum Mendicantium, verùm etiam & non Mendicantium. Probantur hæc expreſsè ex conceſſionibus factis Fratribus Minoribus per Clementem VII. Prædicatoribus verò per Leonem X. vtriſque verò per Sixtum IV. vt dictum eſt ſuprà *num.*2.3. *&* 4. *& ſeq.*

Sed difficultas eſt,an Fratres Mendicantes vti & potiri poſſint priuilegijs conceſſis Societati Ieſu? Ratio dubitandi eſt,quia prædictus Clemens VII. alijque Pontifices, qui prædictis Fratribus Mendicantibus facultatem fecerunt, vt quarumcumque Religionum priuilegijs vti & frui poſſent conceſſis & concedendis, ſolummodò loquuti ſunt, & vt videtur, loqui intenderunt, de Religionibus eo tempore per Sedem Apoſtolicam approbatis; ſed prædicta religio Societatis multo poſt tempore, per eamdem Sedem Apoſtolicam approbata eſt: ergo eiuſdem priuilegijs vti non poſſunt Fratres Mendicantes, virtute dictarum conceſſionum. Nihilominus dicendum eſt hanc difficultatem nullam eſſe,quia poſtea Paulus IV. Bulla 1. apud Rodriquez pro Minoribus,& Pius IV. Bulla 2. pro eiſdem: & Pius Bulla 7. pro Mendicantibus: & Gregorius XIII. Bulla 1. pro Minoribus, & Bulla 10. pro Ciſtercienſibus: & Bulla 13.14.& 15. pro alijs Ordinibus: & Sixtus V. Bulla 14.18. & 20. approbarunt & de nouo conceſſerunt priuilegia dictorum Religioſorum, quando iam ordo Societatis erat fundatus: & poſt hæc Gregorius XIV. Bulla 3. determinauit ordinem Ciſtercienſem frui poſſe priuilegijs Societatis: dum ei concedit communicationem omnium priuilegiorum omnium Ordinum. Idem Gregorius XIV. ſpecialiter conceſſit Ordini Crucifigerorum,vt fruantur priuilegijs Societatis. Et ſic aliæ religiones gaudent iſta conceſſione, cùm communicent in priuilegijs Ciſtercienſium & Crucifigerorum. Vide Rodriquez *to.1.qq.*11. *reg. q.55. art.*11.12. *&* 17.

PRIVILEGIVM VI.

De interpretatione priuilegiorum Regularibus conceſſorum.

SVMMARIVM.

1 *Interpretatio iudicialis priuilegiorum de iure ſpectat ad Romanum Pontificem. Magiſtralis verò & Doctrinalis bene fieri poteſt à religionem Prælatis.*
Ex priuilegio autem Iulij II. etiam iuridicè poſſunt Prælati Generales eorum priuilegia interpretari.
2 *Prælati Eccleſiæ non poſſunt priuilegia regularium interpretari.*
3 *An regularium priuilegia, in quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi & abſoluendi, poſſint extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio.*

4 *An*

4 *An priuilegia conceſſa communitati alicuius religionis, ad ſingulos poſſit extendi.*

5 *Priuilegia ſingularibus perſonis religionis conceſſa, an extendantur ad Prouinciales & Generales eiuſdem.*

6 *Priuilegia ſecundùm conſuetudinem ſunt declaranda & interpretanda.*

7 *Regulæ ſpeciales pro interpretatione priuilegiorum.*

1 QVamuis regulariter interpretatio priuilegiorum ſpectet ad Principem concedentem; quia *eius eſt interpretari, cuius eſt concedere*, vt habet vulgata Regula; tamen hoc eſt intelligendum de interpretatione, & declaratione iudiciali, quæ de iure ad ſolùm Summum Pontificem ſpectat. De qua generali & iuridica interpretatione iudiciali intelligi debent verba appoſita in conſtitutionibus Summorum Pontificum, quando dicitur quòd nemini liceat ipſas aliter interpretari: vel quòd ſit ſublata poteſtas aliter definiendi, interpretandi & determinandi; non autem de interpretatione, & declaratione doctrinali, & magiſtrali, quæ bene fieri poteſt à Religionum Prælatis: & interpretationi, ſeu explicationi huiuſmodi factæ à Prælatis, poſſunt eorum ſubditi tuta conſcientia ſtare. Ratio eſt, quia huiuſmodi magiſtralem & doctrinalem explicationem, ſiue interpretationem facere poſſunt etiam quilibet Iuriſperiti, ac Theologi: ergo poterunt etiam Regulares Prælati.

Verùm ex priuilegio non ſolùm magiſtraliter, & doctrinaliter, ſed etiam iuridicè eorum priuilegia, Prælati Generales interpretari poſſunt: vt conceſſit Iulius II. Generali Ordinis Prædicatorum, per Bullam, quæ incipit *Conſiderantes, quòd multa*, apud Laurentium de Peyrinis *to.* 1. *priuil. ſui Ordinis Conſt.* 13. *dicti Pōtificis*. Proinde Religioſi tenentur declarationibus & interpretationibus factis à Generali in ambiguis circa Conſtitutiones, Priuilegia, exéptiones, &c. ſtare in his, quæ ad ſuarũ cōſciētiarũ ſerenitatē ſpectāt. Tamen ſi res eſſet clara, Prælati interpretatio non requireretur; in claris enim non eſt opus coniecturis. Ideò ſi priuilegium, vel ſtatutum aliquod clarum ſit, & Generalis contrarium declaret, ſubditus eius declarationi ſtare non tenetur ſed ſimpliciter, priuilegium, aut ſtatutum obſeruare: cùm priuilegium non in deſtructionem, ſed in ædificationem, nec ad relaxandas, & confundendas, ſed pacandas, & ſerenandas ſubditorum conſcientias traditum ſit. Rodriquez *tom.* 1. *qq. reg. q.* 11. *art.* 5. De la Crux *de ſtat. relig. lib.* 2. *dub.* 2. Mirand. *in man. tom.* 2. *quaſ.* 44. *art.* 2. *concluſ.* 1. & 2. Barboſa *in collect. ad caput cum veniſſent, n.* 4.

Rodriq. I. de la crux. Barboſa.

2. Paulus III. conceſſit Societati Ieſu, vt Prælati Eccleſiæ non poſſint ſua priuilegia interpretari, ſiue clara ſint, ſiue dubia, prout conceſſerat antea Clemens IV. Prædicatoribus, & Minoribus. Imò potiùs, quod cùm dubium extiterit in priuilegio aliquo inter Iuriſperitos, & Iudices, in fauorem Societatis fiat interpretatio. Ita Collector Compend. Societ. *tit. priuilegium* §. 2. & 4. Compendium priuil. Mendicant. verb. *priuilegium*, § 5. Et iure optimo in fauorem regularium fuit conceſſum, ne Prælati Eccleſiaſtici poſſint eorum priuilegia interpretari, quia in dubio, an iuriſdictio contra Regulares pertineat ad Epiſcopum & ad Iudices Eccleſiaſticos, non poſſunt ipſi cognoſcere de cauſa, ne ſint Iudices in cauſa propria: iuxta legem, *qui Iuriſdictioni, ff. de iuriſd. omn. Iudicum*, & pluribus tradit Rodriquez *tom.* 2. *quæſtionum reg. qu.* 63. *art.* 7.

3. Regularium priuilegia, quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi, poſſunt extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio: licet enim regula iuris ſit, *l. pupillorum* §. *ſi prætor. ff. de rebus eorum, quæ ſub tutela, vel cura ſunt*; quòd priuilegia non recipiunt extenſionem ex ſimilitudine rationis, neque ex maioritate rationis, ſitque id regulariter verum; at non procedit, in priuilegijs cauſa fauorabili conceſſis, vt ſunt priuilegia & facultates diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi; hæc enim cùm contineant beneficium & fauorem Principis, amplè ſunt interpretanda, locumque in eis habet ſimilitudo rationis, quia ex materia ſubiecta datur intelligi eam eſſe mentem Legiſlatoris. Proinde priuilegia concedentia votorum commutationem, extenduntur ad ſimilia iuramenta commutanda, dummodo non vergant in præiudicium tertij, propter ſimilitudinem rationis. Vide Nauar. *de redit. Eccleſ. qu.* 1. *monit. num.* 10.

4. Quando priuilegia, niſi per ſingulares perſonas exerceri & practicari nequeunt, vt ſunt apud Religiones conceſſa pro Prædicationibus, Confeſſionibus, Sacramentorum adminiſtratione, Indulgentiarum lucratione, & ſimilibus, quorum exercitium non ad communitatem, ſed ad ſingulares perſonas pertinet, conceſſa corpori, ſeu communitati, quorum ipſa communitas collegialiter ſumpta non eſt capax, ad ſingulos protrahi, & extendi ea præſumpta concedentis mente interpretatur: quia aliàs priuilegium fruſtratorium redderetur. De quo Dinus Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quaſ.* 2. Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum reg. quaſ.* 51. *artic.* 10. Gomez *in regula de idiomat. q.* 2. *num.* 4. D. Th. Rodriq. Gomez.

5. Priuilegia ſingularibus perſonis Religionis conceſſa, ad Prouinciales, Generales eiuſdem, etiam ſi à concedente non exprimatur, extendi certiſſimum eſt, niſi aliud ex mente eiuſdem concedentis conijciatur: quia extat receptiſſima, atque apud omnes probata diſtinctio, vt in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas veniat appellatione Monachorum; in materia tamen non proportionabili & odioſa, ſecus: Dicti enim Prælati per adeptionem ſuorum officiorum, non deſinunt eſſe Religioſi, nec debent eſſe deterioris conditionis, quàm alij ſibi ſubditi; cùm dignitatis & ſupereminentiæ proprium ſit augere; non autem ſtatum priorem ab eo in quem dignitas cecidit, in ipſius præiudicium auferre. Vide Tamburinum *tom.* 1. *de iure Abbat. diſp.* 1. *quaſt.* 7. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *numer.* 84. & 85. Rodriquez *tom.* 3. *quaſt.* 51. *artic.* 11. Armillam *verb. Abbas*. Tamb. ſanchez. Rodriq.

6. Priuilegia ſecundùm conſuetudinem ſunt declaranda, atque interpretari debent. Si enim conſuetudinis ea eſt vis, tantùmque roboris habet, vt vim legis quandoque obtineat, legemque ipſam poſitiuam, atque perceptiuam interdum tollere & abrogare poſſit, ipſamque interpretari, quando ad peccatum obliget, quando non liquidum profectò ſit, quod etiam ipſa priuilegia debeat & poſſit interpretari & declarare, quodque ſecundùm illum ea ſint interpretanda, & declaranda. Ita eſt communis omnium Doct. & Iuriſperitorum ſententia.

7. Regulæ ſpeciales pro interpretatione priuilegiorum ſunt, Prima: In interpretatione priuilegiorum atque declaratione, quàm maximè debet attendi verborum tenor, ſed nihilominus intentioni potiùs, quàm verbis eſt inſiſtendum; ſemper aduertendo, quòd priuilegiorum Papalium interpretatio fiat ſecundùm Canones, non verò ſecundùm leges.

Secunda. Recipiunt priuilegia interpretationem à ſupplicatis; cum mente enim ſupplicantis præſumitur ſe conformare concedens. Ita *in cap. inter dilectos* §. *cæterum, de fide inſtrumentorum*.

Tertia. Statuta regularium non ita rigoroſè interpretentur, vt apices iuris ſeruentur, ſed ampliari debent ex bono & æquo: hoc eſt ſecundùm naturalem æquitatem, non ad libitum, ſed ſecundùm terminos iuris naturalis & gentium. Baldus *in Rubric. Cod. de conſtit. pecul.*

Quarta. Priuilegia dubia regularium, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & Iuriſtarum interpretatione, in fauorem regularium ſunt intelligenda, vt dictum eſt ſuprà *num.* 2. Priuilegiorum enim prædictorum interpretatio non eſt ita ſtrictè facienda, vt nihil omninò operentur, nam priuilegia ſemper debent aliquid operari, vt habet communis omnium Iuriſperitorum reſolutio. Et hæc de priuilegijs breuiter dicta ſufficiant. Mirand. Rodriq.

Plura apud Mirandam *in manual. Prælat. tom.* 1. *quaſt.* 41. *vſque ad q.* 47. Rodriquez *tom.* 1. *quaſt. regul. quaſt.* 7. 8. 9. 11. 55. & *to.* 3. *quaſt.* 51. Hieronym. Rodriquez *reſ.* 116. De la Crux *lib.* 2. *de ſtatu relig.* Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. diſp.* 16. 17. & 18. Portel. *in dubijs reg. verb. Priuileg.* Azor. *to.* 1. *lib.* 5. *c.* 22. & 23. Reginald. *lib.* 13. *n.* 231. & ſequen- Hieron. Rodr. de la crux. Tamb. Portel. Azor. Regin.

Digitized by Google

ſequentibus. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. Compendium priuileg. mendic. verb. *Communicatio priuil. & verb. Priuilegia fratrum.* Cordubam & Sorbum *ibidem.*

SVPPLEMENTVM.

PRIVILEGIVM.

SVMMARIVM.

1 *An priuilegium fori poſſit per poteſtatem ciuilem integrè reuocari, limitari, aut reſtringi.*

2 *An priuilegium retrotrahatur ad validandum actum præteritum, qui ſine eo fieri non poterat.*

3 *An priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi, quatenus continent poteſtatem diſpenſandi, ſint ſtrictè interpretanda?* Refertur duplex ſententia.

4 *An priuilegia Bullæ vel Iubilæi prout continent actualem iuris diſpenſationem, ſint extendenda vltra propriam verborum ſignificationem & naturam.*

5 *Quid ſit priuilegium ſtrictè & largè ſumptum.*

6 *An de ratione priuilegij ſit, vt aliquem effectum habeat in priuilegiato.*

7 *Priuilegium aliud dicitur ſcriptum, aliud non ſcriptum. Quantum temporis requiratur ad priuilegium per conſuetudinem introducendam.*

8 *Adducitur tenor Bullæ Vrbani VIII reuocatoria priuilegiorum viuæ vocis oraculo conceſſorum.*

An conſuetudo præſcripta tempore legitimo requiſito à iure & inducta ex vi viuæ vocis oraculorum, reuocetur per hanc Bullam Vrbani.

An viuæ vocis oraculorum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis & ſigillo ipſius Officij ſignatum cenſeatur reuocatum per hanc Bullam.

An hac reuocatio Vrbani comprehendat viuæ vocis oracula communicantia priuilegium alicui Religioni aliàs conceſſum per Apoſtolicum diploma.

An Bulla hæc Vrbani VIII. ſolùm reuocet ea viuæ vocis oracula quæ non ſunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa ſcientia.

An poſito quod omnia viuæ vocis oracula ſint reuocata per hanc Bullam, poſſint adhuc hodie Confeſſarij regulares approbati diſpenſare cum inceſtuoſis ad petendum debitum.

9 *An priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum vel effectum momentaneum renunciari poſſit ab ipſo priuilegiario.*

10 *Religioſi Mendicantes gaudent priuilegijs Mendicantium, & non Mendicantium conceſſis & concedendis. Et qui ſint illi Ordines Mendicantes.*

11 *Qui Ordines non Mendicantes priuilegijs Mendicantium communicent? Et qui non Mendicantes priuilegijs non Mendicantium.*

12 *An priuilegiorum communicatio non ſolùm intelligatur de priuilegijs Ordinum, qui tunc extabant, quando priuilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum.*

13 *An priuilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones & approbationes, & alia huiuſmodi non ſint iam ſimpliciter priuilegia, ſed iura quæſita.*

14 *Priuilegia regularium an non amittantur per non vſum, niſi legitimo tempore ad præſcriptionem requiſito? Et quantum temporis ad hoc requiratur.*

15 *An priuilegia regularium ſola reuocatione vel ſententia Pontificis amittantur.*

16 *In reuocatione generali priuilegiorum an cenſeantur reuocata priuilegia regularium & præcipuè Mendicantium? Et in dubio, an cenſeatur priuilegium reuocatum.*

17 *An Bullæ, quibus priuilegium aliquod conceditur regularibus, debeant neceſſariè publicè promulgari.*

Quænam probatio vel notitia requiritur in priuatis priuilegijs, vt inferiores Prælati, aut Iudices, aut aliæ perſonæ, ad quas pertinere poteſt teneantur illis parere, vel eis non contrauenire.

18 *An priuilegium habeat ſuum effectum ſtatim ac perfectè conceſſum eſt, etiamſi ab eo, cui conceditur, ignoretur?* Refertur duplex ſententia.

19 *Ex dictis numero præcedenti reſoluuntur quatuor caſus circa acceptationem priuilegij per nuntium.*

1 PRiuilegium fori conceſſum Eccleſiaſticis, non poteſt per poteſtatem ciuilem integrè reuocari, neque ex parte diminui, vel limitari, aut reſtringi; imò nec reſtrictè declarari cum legis auctoritate poteſt virtute ſolius ciuilis poteſtatis. Ratio eſt, quia circa bona & iura Eccleſiaſtica, nulla eſt laicis tributa poteſtas; ergo ſimiliter circa priuilegium Eccleſiaſticum, vel iuriſdictionem ſemel in Eccleſiam translatam, nihil poteſt ſæcularis poteſtas; ergo nec diminuere, nec reſtringere, nec legem aliquam, quæ in præiudicium illius cedat, ferre poteſt. Tum quia nullus etiamſi ſit Rex ſupremus, poteſt minuere vel aliquid diſponere de priuilegijs, vel iuribus alterius Regis, vel cuiuſcumque perſonæ non ſubditæ, à quocumque vel quocumque iuſto titulo illa habuerit ac poſſideat: ergo maiori ratione, non poſſunt Principes temporales circa priuilegium fori aliquid diſponere, quod in illius præiudicium cedat. Talis eſt autem cuiuſcumque legis editio, priuilegij conceſſio, iuriſdictionis delegatio, ſeu commiſſio, aut executionis iuſſio, quibus Eccleſiaſtica libertas minuatur, aut reſtringatur, & ideò omnes huiuſmodi actiones, vel diſpoſitiones, non ſolùm illicitæ, ſed etiam irritæ ſunt, & inanes, quia ſine legitima poteſtate fiunt. Et tales declarantur *in Authentica Caſſa, C. de ſacroſanct. Eccleſ. & cap. Nouerit, & cap. Grauamen, de ſentent. excommunicat.* & docent Abbas *in cap. Super eo 2. num 4. de appellat.* Felinus *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, numer. 97. de Conſtit. & in cap. Nouit, de iudicijs, numer. 6.* Cardinalis Lugo *de iuſtit. tom. 1. diſputat. 36. ſect. 7. numero 101.* Amicus *tom. 5. de iuſtit. diſputat. 9. ſect. 5. numer. 140.* Salas *de leg. diſput. 14. ſect. 11. num. 121.* Baldellus *in Theolog. moral. lib. 5. diſp. 35. n. 17.* & alij. Lugo. Salas. Baldel.

2. Priuilegium vel facultas conceſſa retrotrahitur ad validandum actum præteritum, qui ſine ea facultate fieri non poterat: vnde licentia, ſeu priuilegium teſtandi conceſſa Epiſcopo vel Monacho, facit conualeſcere teſtamentum antea factum: quia id non eſt extendere priuilegium, ſed id intelligere ſecundum terminos iuris, quod ad valorem teſtamenti, etiam antea facti, ſolùm petit adeſſe facultatem teſtandi tempore mortis, à quo robur ſumit. Ex *l. ſi quis filio exhæredato, §. irritum, ff. de iniuſto rapto teſtament.* Atque ita docent Bartolus *in dict. l. ſi quis.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1. n. 9.* Baldus *in l. ſi quando, Cod. de inoffic. teſtamento.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 10. n. 89.*

Ex quo fit quod priuilegium, ſeu diſpenſatio Pontificis ad obtinendum duo vel tria beneficia incompatibilia facit, vt poſſet priuilegiatus, ſeu diſpenſatus eius virtute etiam obtenta iam retinere: quia ſicut poteſt aſſequi in poſterum de nouo, ita iam aſſequuta retinere; quia, cui permittitur aliquid de nouo facere, multò fortius iam factum conſummare. Ita Diana *p. 8 tract. 3. reſ. 99. verſ. Cui doctrinæ,* & alij apud ipſum.

3. Quorundam ſententia eſt, priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi, quatenus continent poteſtatem diſpenſandi, eſſe ſtrictè interpretanda: quia non ſunt priuilegia actiua, ſeu beneficium ipſius diſpenſantis, ſed paſſiua ipſius perſonæ Bullam accipientis, vel Iubilæum obtinentis, & ideò cùm contineant iuris communis relaxationem tanquam odioſa reſtringenda ſunt. Ita Sanchez *de matrimonio, libro octauo, diſputatione ſecunda, numero ſeptimo.* Coninck *de Sacrament. diſputatione 33. dub 2. numero 14.* Salas *de leg. diſputatione 20. ſectione 11. numero 100.* & alij. Contrarium tamen eſt verius. Ratio eſt, quia hæc poteſtas diſpenſandi, & abſoluendi ordinatur ad lucrandum efficaciùs indulgen- Sanchez. Coninck Salas.

tiam, & remiſſionem peccatorum conceſſam; Indulgentia autem, & remiſſio cùm ſit Principis beneficium, nemini nocens, nec iuri communi aduerſum latè eſt explicandum. ergo etiam & hæc poteſtas. vnde hæc priuilegia extendi poſſunt ad caſus quoquomodo adaptabiles caſibus in poteſtate expreſſis. quia non ordinantur ad bonum priuatum, ſed ad publicum totius Eccleſiæ, ad ſubueniendum publicæ eius neceſſitati. Et licet ex vi rationis adductæ pro ſententia contraria hæc facultas eſſet ſtrictè interpretanda: at ob fines & circumſtantias huius conceſſionis latè explicanda eſt: nam finis præcipuus horum priuilegiorum, non eſt aliquod priuatum commodum ſumentis Bullam & obtinentis Iubilæum, ſed eſt commune bonum Eccleſiæ, & ſubuentio illius in aliqua publica neceſſitate: ergo ex hac parte latam accipiunt interpretationem, ſublata verborum ſignificatione. Ita
Suarez. Diana.
Suarez *in relig. tom. 2 libro ſexto, cap 16. num. 3.* Raphael de la Torre *in ſecunda ſecunda, tom. 2. quæſtione 88. artic. 12. diſputat. vltim. num. 2.* Diana *part. 1. tractat. 11. reſolut. 98.* Hinc fit priuilegium, ſeu poteſtatem diſpenſandi, aut commutandi vota poſſe extendi ad ſimiles caſus, vbi eſt eadem, aut maior ratio, aut etiam minor, & ad acceſſoria, ſine quibus principale definiri non poteſt, vt docent Henriquez *lib. 7. cap. 30. numero decimo.* Trullench *in Bull. Cruciat. in proœmio, dub. 4. numero 4.* niſi talis extenſio cederet in præiudicium tertij, vt docet Sanchez *loco citato, diſputat. 2. numero 3.* eo quod Princeps cenſeatur velle quam minimum poſſit damnum tertio inferre.

Hinc etiam ſequitur, eum qui per Bullam, vel Iubilæum poteſtatem habet commutandi vota, poſſe etiam & iuramenta commutare, quæ in Dei honorem & non proximi vtilitatem emiſſa ſunt, vt ex communi docet Sanch.
Sanchez. Diana.
loco citato, num. 17. cum alijs. Quibus adde Dianam *p. 8. tr. 3. reſol. 46.*

4. Priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi prout continent actualem iuris diſpenſationem, ſunt ſtrictè interpretanda, & non extendenda vltra propriam verborum ſignificationem & naturam. Ratio eſt, quia actualis diſpenſatio exorbitat à iure communi: lex autem quæ omnibus eſt æqua, ſi ius commune lædat ipſum corrigens, eſt odioſa, & valde reſtringenda, vt habet regula, *Quæ à iure, de reg. iur. in 6.* Proinde cùm conceſſio & diſpenſatio particularis, ſeu in actu exercito, ipſum ius violet, erit odioſa, & per conſequens ſtrictè intelligenda. Igitur cùm priuilegia Bullæ exorbitent à iure communi & ſint contra illud, in actuali & particulari diſpenſatione erunt ſtrictè interpretanda. Priuilegium enim iuri communi derogans eſt reſtringendum potius, quàm extendendum; quia tale priuilegium includit diſpenſationem iuris communis: diſpenſatio autem quoad actum, ſtricti iuris eſt reſtringenda, ergo & priuilegium contra ius commune, vel in præiudicium tertij. De his apud
Suarez. Sanchez. Bonac. Palaus.
Suarez *lib. 8. de legibus, c. 29. num. 5.* Sanchez *de matrim. lib 8. diſp. 1. n. 1.* Bonacina *diſput. 1. quæſt. 3. punct. 7. §. 1. numer. 5.* Caſtrus Palaus *tractatu 3. diſputatione 4. par 10. num. 2.*

5. Priuilegium ſtrictè ſumptum eſt ſingulare ius contra ius commune inductum, *cap. Abbate, de verbor. ſignificat.* Priuilegium largè ſumptum vſurpatur pro quacumque conceſſione præter ius facta: imò ad hoc priuilegium ſatis eſt, quod tribuat clarius, & facilius idem ius, quod ius commune concedit, quod interdum fit ad tollendas ſcrupulos. Si priuilegium ſumatur ſtrictè, non differt à diſpenſatione: nam diſpenſatio propriè eſt iuris relaxatio ab habente poteſtatem facta: quod fit dum quis manente quoad alios, ipſe à legis obligatione eximitur. Ex quo fit, quod ſicut ad diſpenſandum requiritur iuſta cauſa, ita ad concedendum priuilegium contra ius commune, in quo diſpenſati & priuilegium conuenerint. Quod ſi priuilegium ſumatur largius, vt comprehendit conceſſionem præter ius, aut idem ius, clarius tamen & facilius explicatum; non requiritur cauſa ad eius conceſſionem, & hoc modo differt à diſpenſatione, vt ſi Princeps concedat aliquid de ijs, quæ ſibi competunt, vt poteſtatem diſpenſandi, legitimandi, non erit propriè contra, ſed præter ius, ac ideò priuilegium hoc modo conceſſum, non exigit cauſam: at diſpenſatio ſemper exigit cauſam, ſaltem vt licitè fiat, quia ſemper eſt contra ius. Ita Syluester *verb. Priuilegium, quæſtione 1.* Trullench *in Bullam Cruciat. in proœmio, dub. 4. num. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſputat. 1. num. 1.*
Syluest. Trullẽch. Sanchez.

6. De ratione priuilegij eſt vt aliquem effectum habeat in priuilegiato; quia alias eſſet inutile, & quaſi otioſus actus, quod de beneficio pontificis præſumendum non eſt. Proinde quando verba conceſſionis priuilegij continent illud ipſum, quod clarè in iure communi conceſſum eſt, vel non eſt prohibitum, & nullum alium effectum diſtinctum in ſua proprietate ſignificare poſſunt; tunc tale priuilegium licet nequeat habere effectum ſubſtantialiter diſtinctum ab effectu iuris communis, habet tamen illum ipſum nouo modo, id eſt, nouo & ſpeciali titulo, & ſpeciali iure. Qui effectus non eſt omninò fruſtra, nam per ſe ad hoc confert, vt quamuis poſtea per ius commune contrarium ſtatuatur, nihilominus actus liceat ratione priuilegij, quia per ſubſequens ius commune non reuocatur, niſi exprimatur. Simul etiam confert certitudinem in tali actu, quæ magna eſt vtilitas: & ideò talia priuilegia frequentiora ſunt ad maiorem ſecuritatem; non enim ſemper ad rationem priuilegij requiritur, vt nouum ius concedat, aut aliquid præter ius commune tribuat, ſed ſufficit ad hoc vt ſit verum priuilegium, vt clarius & facilius tribuat ius quàm illud quod ius commune concedebat, & ſic priuilegia continentia ius commune, contra ius commune operantur. Hæc colliguntur ex *cap. Abbate, de verb. ſignific. verſ. contra quos facis,* ibi: *Cùm priuilegium ſit lex priuata, nec eſſet priuata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret.* Et docent Rodriquez *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 7. art. 1.* Ioannes de la Crux *lib. 2. de priuileg. cap. 1. dub. 1. concluſ. 1.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſputatione 26. numer. 6.* Trullench *in Bullam Cruciatæ, lib. 1. § 7. cap. 3. dub. 3. num. 10.* & alij communiter, quibus adde Suarez *de leg. lib. 8. c. 22. n. 3.* quod probat ex *cap. in his, de priuileg. & c. Si Papa de priuileg. in 6.* ibi, *Cùm verba aliquid operari debeant,* quia aliàs eſſent ſuperflua, quod in lege vitandum eſt.
Rodriq. Sanchez. Trullẽch. Suarez.

7. Priuilegium aliud dicitur ſcriptum, aliud non ſcriptum. Scriptum dicitur illud, quod non ſolùm ore pronunciatur à concedente, verum etiam ſcriptura exprimitur: licet enim ſcriptura non ſit de ſubſtantia priuilegij, poteſt tamen multum referre, quod priuilegium ſcriptum ſit. Quia ſcriptura eſt ſignum expreſſum & durabile, quod continere ſolet, ac debet modum gratiæ: & ideò vtiliſſimum eſt, priuilegium eſſe ſcriptum, vt illo meliùs ac certius conſtare poſſit. Atque ita illud eſt maximè vſitatum in priuilegijs, quæ ab homine conceduntur. Scriptura autem debet eſſe authentica, ita vt fidem faciat. Pro foro autem conſcientiæ ſatis eſt, quod faciat fidem priuatam probabilem: pro externo verò oportet, vt faciat fidem publicam, alias oportebit, vt veritas ſcripturæ alio modo per teſtes, vel alia inſtrumenta probetur.

Priuilegium non ſcriptum dicitur illud, quod conceditur abſque ſcriptura, & in Pontificis conceſſionibus ſolet hoc vocari viuæ vocis oraculum, & cum proportione poteſt nomen accommodari ad gratias aliorum Principum. Huiuſmodi priuilegium per accidens eſt non ſcriptum, licet à Principe expreſſè conceſſum ſit & ore prolatum & ſufficienter dictatum, vt ſcribi poſſit; per accidens autem contigit, vt non fuerit ſcriptum, vel certè non literis authenticis.

Præterea Bullatum priuilegium dignoſcitur à priuilegio, quod eſt conceſſum viuæ vocis oraculo, ex ipſa forma loquendi, qua illa exprimuntur, ſi quidem in priuilegio Bullato loquitur ipſe Papa; in oraculis verò loquitur alia perſona referens, & atteſtans, quid Papa conceſſerit, Addo tamen, ad hoc vt priuilegium dici poſſit Bullatum, id eſt conceſſum per Bullam, non requiri, vt in fine Bullæ exter atteſtatio affixionis; ſeu promulgationis illius: nam ad priuilegium non requiritur promulgatio, vt dicitur *infra numer. 17.*

Bul-

Bullatum item cenſetur priuilegium, in quo ponitur clauſula, *Non obſtantibus, &c.* quæ non ſolet apponi conceſſionibus viuæ vocis oraculo factis, ſed ſolùm Bullatis. Porrò indultum cum clauſula, Datum Romæ, indicat illud eſſe Bullatum. Ita Pellizzarius *in Man. reg. tract. 8. c. 2. n. 96. & c. 7. n. 32.*

Eſt & aliud priuilegium per ſe non ſcriptum, quod à nemine ita eſt expreſsè conceſſum, vt ſcribi poſſit, ſed vſu quodam, & tacita conniuentia Principis comparatum eſt, & huiuſmodi erit priuilegium conſuetudine introductum: ſicut enim per conſuetudinem acquiritur ius ad tributa & iuriſdictio, *cap. Cum contingat, de foro compet.* ita per conſuetudinem acquiri poſſunt priuilegia, quorum homo, media præſcriptione, capax eſt, & quæ per conſuetudinem acquiruntur, quatenus Superior media conſuetudine, talia priuilegia confert. Ita communis Iuriſtarum ſententia dicentium conſuetudinem ſufficere ad priuilegium conferendum, ſeu conſuetudinem priuilegio æquiparari. Ita docet Gloſſa *in cap. Nonit, verb.*
Gloſ. *Conſuetudinem*, per textum illum dicentem, *Niſi fortè iuri communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem, aliqua ſit detractum.* Vbi Innocentius III. illa duo æquiparat, in detrahendo aliquid iuri communi. Ratio horum eſt, quia quando conſuetudo talis eſt, vt ratione illius liceat, quod liceret per priuilegium, tunc inducit verum & proprium priuilegium, & ſub abſoluta priuilegij appellatione comprehenditur, quod probatur ab effectu: nam ſi talis conſuetudo ſit contra legem, verè & non fictè, vel præſumptiuè derogat illi, ſeu diſpenſat in illa, ſeu tollit in particulari obligationem eius: ſi verò ſit vltra legem, verè dat ius, vel facultatem operandi, aut iuriſdictionem; aut quid ſimile: ſed in hoc conſiſtit veritas & ſubſtantia priuilegij, ergo talis conſuetudo dat verum priuilegium, & priuilegium conſuetudine introductum eſt verum priuilegium, & conſequenter ſub generali nomine priuilegij venit prædicta conſuetudo in ijs, quæ pertinent ad fauorem & libertatem. In ijs verò, quæ pertinent ad reuocationem priuilegiorum, & ad alia odioſa, conſuetudo non venit nomine priuilegij. Proinde quando reuocantur conſuetudines, non cenſentur reuocari priuilegia, etiam per conſuetudines acquiſita, niſi fiat mentio priuilegiorum, nam reuocatio priuilegiorum eſt res odioſa, conſequenter non eſt amplianda, nec extendenda.

Sed rogabis, quantum temporis requirat ad priuilegium per conſuetudinem introducendum? Reſpondeo, ſi introducatur priuilegium contra ius, tantum temporis requiri, quantum requiritur ad abrogandam legem per conſuetudinem. Si introducatur priuilegium vltra, aut præter ius, dicendum eſt illud obtineri per modum præſcriptionis, & ideò iuxta exigentiam materiæ maius vel minus tempus poſtulare: nam quædam iura breuiori tempore præſcribuntur, quàm alia, & contra quaſdam perſonas, vel communitates citius, quàm contra alias, & Ita applicandæ ſunt hic regulæ communes præſcriptionum. Ita Suarez *de legibus, lib. 8. c. 7.* & poſt
Suarez. Bonac. illum Bonacina *de leg. diſput. 1. q. 3. punct. 1. numer. 3. & 4.* cum alijs.

8. Sed quia in præcedenti propoſitione mentionem fecimus priuilegiorum non ſcriptorum, quæ viuæ vocis oracula dicuntur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ea fuerint reuocata per Conſtitutionem Vrbani Papæ VIII. ideò vt quamplurimi ſedentur ſcrupuli, & ad quietem fidelium & Religioſorum, operæ pretium duxi, hic apponere per extenſum hanc Conſtitutionem, cuius tenor eſt.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, vt ſubnaſcentibus iugiter varijs difficultatibus, & abuſibus ex priuilegijs à Sede Apoſtolica viuæ vocis oraculo ſæpe numero conceſſis obuiam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequenti videlicet, GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ diuina prouidentia conſtitutus, gratias & indulta à ſe, & Prædeceſſoribus ſuis conceſſa iuſtis interdum ſuadentibus cauſis, iuxta creditum ſibi Paſtoralis Officij debitum moderatur, aut reuocat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in domino ſalubriter expedire. Itaque motu proprio & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, quæ tam ad forum interius, quam ad exterius ſpectant, ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quauis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa quibuſuis Collegijs, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatibus Ieſu, ac Congregationibus quibuslibet, ſiue eorum & earum reſpectiuè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus generalibus vel prouincialibus, quocumque nomine nuncupatis; Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in ijs videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata & annullata, viribuſque & effectu vacua perpetuò fore & eſſe, neque impoſterum cuiquam ſuffragari poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de ijs facienda eſſet, decernimus, & declaramus, firmis tamen & in ſuo robore permanentibus indultis & alijs conceſſionibus prædictis, viuæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcumque fauorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis pro ipſis vel alijs factis, & de quibus ijdem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt; decernentes præſentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure, vel in controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos & Nuntios (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate) iudicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque, indultis & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus prædictis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſa habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes (illis alias in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autẽ, vt præſentium tranſumptis, etiã impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ

Digitized by Google

in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis ac Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Iulij 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

CVm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus Canonicâ interpretatione extendi, & perperam in diſciplina Eccleſiaſtica detrimentum executioni demandari, idcirco quantum cum Domino poſſumus, his, & alijs malis occurrere volentes, motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium huiuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula priuilegia, facultates, licentias & gratias quaſcumque per Summos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per nos viuæ vocis oraculo, & S. R. E. prædicta Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuſcumque Generalibus, Prouincialibus, cæteriſque Superioribus & perſonis cuiuſuis Ordinis, Congregationis, inſtituti, & Societatis, ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societatis Ieſu, aut eius Clericis, ſeu Preſbyteris; alijſque perſonis prædictis, quacumque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut alias quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus, pro expreſſis habentes, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac de cætere reuocata, caſſa, ſublata, abrogata & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nulliſque prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus.

Præterea, vt præſentes literæ omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quanto citius innoteſcant omnibus, & ſingulis Generalibus, & alijs quocumque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Ieſu & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac priuationis Officiorum & dignitatum, necnon vocis actiuæ & paſſiuæ pœnis ipſo facto incurrendis, præcipimus & mandamus, vt infra tres menſes proximos a die publicationis præſentium computandos, omnes & ſingulos Prouinciales eorumdem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Ieſu, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus literis certiores faciant, earumdemque præſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Prouinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum & locorum Regularium præcipere, vt eaſdem præſentes ſubditis ſuis, vt moris eſt, publicent.

Decernentes præſentes literas, etiam ex eo, quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, vt ius, vel controuerſiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſiue aduerſus quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcumque Iudices, Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores (ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate) iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtant. præinſertis literis huiuſmodi, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam regula noſtra, de non tollendo iure quæſito, priuilegijs quoque, indultis & literis Apoſtolicis, eiſdem Cardin. ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcumque verborum formis, & ten. ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autem, quod præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quoque eædem præſentes literæ, ſiue illarum exempla ad valuas Baſilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ huiuſmodi ſimul iter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus noſtri anno nono.

M. Antonius Maraldus.

Dies, & anno ſupradicto affixa & publicata fuit ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſ. & Principis Apoſtolorum, ac in acie campi Floræ alijſque locis ſolitis & conſuetis, vt moris eſt, per me Andream Scalamum, Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.

Circa hanc Conſtitutionem Vrbani VIII. præter dicta *in tom. 1. verb. Priuilegium 1. numer. 8.* Sequentia notanda veniunt, ex quorumdam recentiorum ſententia.

Primum eſt, quod ſi viuæ vocis oraculum tale fuit, quod in illo nixa communitas religioſa induxit conſuetudinem rationabilem, præſcriptam tempore legitimo, & requiſito à iure, quamuis reuocatum ſit virtute harum Bullarum viuæ vocis oraculum, non tamen eſt reuocata conſuetudo legitima. Ratio eſt, quia Bulla reuocatoria priuilegiorum, cùm ſit odioſa extendi non debet niſi ad expreſſa quæ intendit & explicat reuocanda: atqui Pontifex ſolum reuocat viuæ vocis oracula, & non conſuetudines, quæ ex illis ortum traxerunt, cùm diuerſum ſit viuæ vocis oraculum à conſuetudine legitima, at lex non reuocat conſuetudinem legitimam, & rationabilem, niſi expreſsè ponatur in reuocatione, *cap. 1. de conſuetud. in 6.* Accedit, quod conſuetudo præſcripta præualet aduerſus legem latam, inducitque nouum ius: ergo ſemper manet, niſi expreſsè derogetur, & non eneruatur eius vis. Neque obſtat quod Pontifex dicat, *Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium*, quia dicit reſpectu reuocationis oraculorum viuæ vocis, non verò conſuetudinis; quia aliud eſt conſuetudo vtendi viuæ vocis oraculis, & aliud conſuetudo introducta occaſione viuæ vocis oraculi; prima conſuetudo derogatur ſicut derogatur vſus viuæ vocis oraculi, non tamen ſecunda. Neque ſequitur quod bulla eſſet fruſtratoria; tum quia impedit ne vlterius ſit vſus viuæ vocis oraculorum; tum vlterius ne introducatur conſuetudo in illis fundata, & ab illis genita. Ita Thomas Hurtado *in ſuis reſolut. moral. tract. 12. cap. 1. numero 1468. & ſeq.* His conformia docent Suarez & Bonacina ſuprà citati *numer. 7.* Thom. Hurtad. Suarez. Bonac.

Secundum eſt, quod quando viuæ vocis oraculũ factum alicui Cardinali tanquam Officiali Põtificis, & ſignatum eſt

eſt ſigillo Officij publici quod exercet ſiue Cancellariæ, ſiue Pœnitentiariæ non cenſetur reuocatum hac Conſtitutione Vrbani Octaui; quia tunc procedit tanquam publicus Officialis Papæ, & vtitur ſigillo publico in illo Officio a Papa deſignato, & de hoc nullam facit mentionem Vrbanus VIII. in ſua reuocatoria, ſed de viuæ vocis oraculis, quæ facta ſunt ad inſtantiam quorumcumque, etiamſi Reges ſint, & Cardinales, & ſubſcribantur à Cardinali ipſo; non enim loquitur de Cardinali Officiali publico ipſius Pontificis, & qui vt talis ex mandato ipſius publicat viuæ vocis oraculum: Ita Thomas Hurtado *loco citato numer.* 1177. Pellizarius *in Man. regul. tract.* 8. *cap.* 3. *numero* 274. Cardinal. Lugo *apud ipſum citato*.

Vrban. VIII.

Thomas Hurtado
Pellizzarius.
Cardin. Lugo.

Tertium eſt, quod reuocatio Vrbani VIII. non comprehendit viuæ vocis oracula communicantia priuilegium alicui Religioni, aliàs conceſſum per Apoſtolicum diploma, niſi in hoc caſu non cadit ratio adæquata qua motus eſt Vrban. VIII. cùm gratia conceſſa hoc viuæ vocis oraculo, intelligatur omninò ſicut Apoſtolicum diploma. Quare ſicut in huius vſu non eſt aliquod inconueniens ex his quæ pro motiuo ſuæ Conſtitutionis adducit Vrbanus VIII. nec erit in vſu viuæ vocis oraculi, quo communicatur dictum diploma. Nam ratio motiua quã habuit Vrbanus ad extendendum diploma Gregorij XV. fuit, *Quia ſæpe ab his in cuius fauorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplina Eccleſiaſtica detrimentum executioni mandari. Idcircò quantum in Domino poſſumus, his, & alijs malis occurrere volentes, proprio motu, & ex certa ſcientia, &c.* Quæ ratio non currit quando per viuæ vocis oraculum communicatur priuilegium expeditum alias per Conſtitutionem & diploma Apoſtolicum, & ſic illud non cenſetur reuocatum, cùm ceſſante cauſa adæquatè motiua, ceſſet effectus, & in legibus, Bullis, contractibus, & alijs diſpoſitionibus ceſſante cauſa ſuper quam fundatur diſpoſitio, ceſſat & ipſa diſpoſitio. Ita Bordonus *in conſil. reg. reſolut.* 31. *q.* 6 Turrianus *p* 2 *ſelect. diſp.* 26. *dub.* 5. *§. ex altera verò*. Peyrinis *tom.* 3. *in additament. ad Conſtitut. Vrbani VIII. cap.* 12. *conſtit.* 18. *aliàs* 28. *num.* 2. Pater F. Ioannes a Virgine *in quadam conſultatione impreſſa, numer.* 4. Cæterum licet hæc opinio probabilis ſit, iuxta mentem prædictorum, ad praxim tamen reducenda non eſt inconſulto Summo Pontifice. Ratio eſt, quia Vrbanus VIII. non ſolùm reuocauit viuæ vocis oracula propter illud inconueniens quod expreſſit, ſed etiam ad obuiandum malis alijs, quæ non expreſſit, nec tenebatur exprimere; vnde cùm non ſciamus, an ceſſent alia quæ non explicuit, ſic ſemper ſtat præſumptio in fauorem legis, & legiſlatoris, vt rectè aduertit Thomas Hurtado *loco cit. n.* 1185 *&* 1186.

Bordon. Turrian. Peyrinus

Thomas Hurt.

Quartum eſt, quod Bulla Vrbani VIII. ſolùm reuocat ea viuæ vocis oracula, quæ non ſunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa ſcientia. Ita tenent hodie viri grauiſſimi Peyrinus *loco citato num.* 1. Lezana *tom.* 4. *Summ. verb. Oracula viuæ vocis, num.* 7. Ioannes à Virgine *loco cit. concl.* 3. Thomas Hurtado *loco citato, n.* 1171. *& ſeq.* Pater Vidal. *in arca Theologiæ moralis, tit. de iuriſdictione, inquiſit.* 4. *num.* 15. *& ſeq.* Samuelius Dominicanus *in praxi de ſepulturis, Prælud.* 3. *Appendicis, num.* 1. *& ſeq.* Ratio eſt, quia priuilegia confirmata ex certa ſcientia ſignificant, Summum Pontificem plenam illorum cognitionem habuiſse poſt exquiſitum examen, & diligentem inquiſitionem; ergo omnia diſtributiuè & ſigillatim vim habent, ac ſi ſolùm per iſtas confirmantes Conſtitutiones eſſent de nouo conceſſa: ergo clarè patet, omnia acquirere ſuum ius, & efficaciam per virtutem harum Conſtitutionum; ergo non reuocantur per hanc Conſtitutionem Vrbani VIII. Accedit quòd eo ipſo, quod iſta viuæ vocis oracula ſunt confirmata ex certa ſcientia per Conſtitutiones Apoſtolicas, iam deſinunt eſſe viuæ vocis oracula, ſed ſunt priuilegia conceſſa per Bullas Apoſtolicas & ſic non veniunt in hac Vrbana reuocatione, quæ cùm ſit odioſa, & reuocatoria intelligenda eſt de illis oraculis viuæ vocis, quæ talia ſunt propriè, & rigoroſè.

Peyrinus Lezana. Ià Virg. Thomas Hurtado Vidal. Samuel.

An autem hæc doctrina ſit contra ſtylum Curiæ Romanæ? Videtur quod non, quia Magiſter Fr. Theodorus Stracius Reuerendus Generalis Carmeli *in quadam inſtructione pro ſuis Fratribus impreſſa Romæ anno* 1640. quæ fuit approbata à Magiſtro ſacri Palatij, *cap.* 20. expreſsè dicit, quod apud ipſum certa eſt hæc reſolutio. Quod non diceret, nec approbaret Magiſter ſacri Palatij, ſi eſſet contra ſtylum Romanæ Curiæ.

Stracius.

Sed his non obſtantibus, contrariæ ſententiæ adhæret Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 24. & apud ipſum Quintanadueñas *in Theolog. moral. tom.* 1. *tract.* 9. *ſingul.* 3. *num.* 1. *& ſeq.* quia, inquit, non ſunt ſuſcitandæ à nobis Tragœdiæ in damnum Religionis, ſed in his materijs calamum & ingenium coarctare debemus.

Diana. Quitanad.

Quintum eſt, & valde notandum ex dictis ſupra *notab.* 2. quod licet omnia viuæ vocis oracula eſſent reuocata per Bullam Vrbani Octaui, nihilominus omnes confeſſores regulares priuilegiati expoſiti & approbati à ſuis Superioribus & Epiſcopis poſſunt diſpenſare tam cum inceſtuoſis ad petendum debitum coniugale, quàm cum illis, qui illicitè matrimonium contraxerunt cum impedimento voti ſimplicis caſtitatis, vt etiam poſsint petere, & reddere, quouſque duret matrimonium. Ita Peyrinus *tom. de ſubdito q.* 1. *cap.* 22. *§.* 1. *impreſ. anno* 1640. quem citat & ſequitur Fr. Ioannes à Virgine *ſupra cit. n.* 16. Thomas Hurtado *loco cit. n.* 1193. qui nouiſsimus ait, hodie eſſe communem ſententiam. Vide Pellizzarium *in man. regul. tract.* 8. *c.* 3. *n.* 274.

peyrinus I à Virg. Thomas Hurtado pellizzarius.

Si dicas hanc poteſtatem diſpenſandi eſse tantum viuæ vocis oraculo conceſsam à Pio V. vt refert Rodriquez in Bullario poſt Bullas eiuſdem Pontificis, numero 9. & 12. & ſic videntur prædicta oracula comprehendi ſub hac reuocatione Vrbani Octaui, vt diximus *tom.* 1. *verb Inceſtus, num.* 7. Reſpondent citati Auctores, quod ſunt confirmata diplomate & conſtitutione Pij V. Gregorij XIII. & Pauli V. qui omnes priuilegia Minorum etiam viuæ vocis oraculo conceſsa, ex certa ſcientia confirmarunt. *Secundò*, quod oraculum Iulij II. adductum à Rodriquez ſub Bulla 22. eiuſdem Pontificis, non eſt illorum, quæ reuocata ſunt, cùm ſit factum à Ludouico S. Marcelli Presbytero Cardinali & maximo Pœnitentiario & officiali D. Papæ, & ab eo ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ ſubſignato quarto Calendas Auguſti Pontificatus Iulij II. anno primo Et licet priuilegium Iulij II. ſolum ſit ad diſpenſandum in inceſtu ad petendum & reddendum debitum, tamen priuilegium Pij V. quod affert Rodriquez *ſup. num.* 12. expreſsè concedit facultatem ad diſpenſandum cum his qui ante matrimonium vouerunt caſtitatem.

pius V. Rodriq.

Pius V. Gregor. XIII. paul. V. Iulius II.

In confirmationem prædictorum poteſt adduci Bulla Eugenii Papæ IV. pro congregatione S. Iuſtinæ, quæ incipit, *Etſi quaſlibet perſonas*, data Bononiæ anno 1436. pridie Calend. Iulij, Pontificatus dicti Pont. anno ſexto: Vbi conceditur prædictis Patribus, Abbati, & omnibus Confeſsoribus approbatis vota omnia permutare, & in omnibus & ſingulis caſibus etiam ordinariis, aut per Synodales, ſeu Prouinciales conſtitutiones reſeruatis, cum eis diſpenſare. Vbi nomine caſus non intelliguntur peccata reſeruata, quia ſuper iſtis non cadit diſpenſatio, ſed abſolutio. Quare nomine caſus intelliguntur iſta impedimenta inceſtus, & voti ſimplicis caſtitatis. Tum etiam quia de peccatis iam antea egerat Summus Pontifex §. 11. eiuſdem Bullæ.

Eug. IV.

Sorbus.

Similem conceſsionem affert Sorbus noſter *in annotat. ad compend. Mendic. verb. Diſpenſatio*, factam à Martino V. Monachis Benedictinis S. Mariæ à Monſerrato; quę etiam refertur in compendio Societatis *Verb. Diſpenſare*, §. 10. Proinde ex dictis videtur mihi hæc ſententia poſse probabiliter ſuſtineri hoc tempore, & ad praxim reduci non obſtante, dicta vrbana reuocatione, ſub qua prædictæ conceſsiones videntur comprehendi. Vide Thomam Hurtado *in reſol. moral. tr.* 12. *n.* 1199. *& ſeq.* & Brunonem Chaſsaing *de priuileg. Regular. tract.* 1. *cap.* 2. *propoſit.* 6.

Cõp soc.

Thomas Hurtado

9. Priuilegium quod habet tractum ſucceſsiuum, & conſiſtit in potentia facienda, vel omittendi aliquid in futurum, renunciari poteſt ab ipſo priuilegiario, per ſe loquendo. Ratio eſt, quia hoc poſtulat natura priui-

legij, ſed ad ipſum priuilegiarium proprium,& quaſi adæquatum comparetur; nam reſpectu illius beneficium priuilegij non eſt coactum,nec confertur inuito, ideoque ab eodem renunciari poteſt,ſi velit;qualis eſt facultas audiendi confeſſiones,non ſoluendi tributa, &c. nos hic loquimur de priuilegio quod directè reſpicit ipſum priuilegiarium, & in eius ſolius fauorem conceſſum eſt; nam liberum vnicuique eſt ſuo iuri renunciare,vt dicitur *in c. ſi de terra, de priuileg.*

Priuilegium autem quod habet effectum momentaneum & ſolum datur per modum diſpenſationis tollentis aliquod vinculum, vel impedimentum, poſtquam ſemel conceſſum eſt,renunciabile non eſt; quia ſemel factum infectum eſſe non poteſt,ſeu quod ablatum eſt, redire non poteſt, præcipuè per priuatam hominis voluntatem.Sic priuilegium tollens irregularitatem renunciari non poteſt; quia non poteſt homo illam priorem irregularitatem in ſe iterum facere. Sic qui diſpenſationem obtinuit in impedimento conſanguinitatis, non poteſt renunciare diſpenſationi, ita vt per renunciationem diſpenſationis, reddat ſe inhabilem ad tale matrimonium: quia hoc non eſt in voluntate eius, ſed pendet ex voluntate Superioris, qui non poteſt priorem inhabilitatem, quæ ablata fuit, inducere, ſed nouam. Ita Suarez *de leg.lib.8.cap.33.n.1.*Bonacina *de leg.diſp.1.qu.* [Suarez. Bonacin. Layman.] *3.punct.8.§.4.num.*4.Layman. *lib.1.tract.4.cap.23.n.20.* & alij.

Aduertendum autem eſt duplicem poſſe eſſe renunciationem priuilegij, vnam impropriam, aliam propriam. Prior conſiſtit in puro non vſu actuali priuilegij, vt cùm quis habens ſufficientem excuſationem ad non dicendum ſuum officium Canonicum, nihilominus illud dicit,poteſt dici renunciare priuilegio ſuo.Propriè tamen renunciare priuilegio,non tantum eſt nnn vti illo, etiam voluntariè, ſed eſt tollere à ſe ius & poteſtatem vtendi: ſunt hæc duo valde diuerſa; nam per ſolam negationem vſus non tollitur poteſtas, ſed tantùm non exercetur actus. Renunciatio verò priuilegij propria eſt voluntaria abdicatio & refutatio illius iuris & poteſtatis,quam priuilegium concedebat, ex qua oblatione conſequitur, vt non poſſit quis amplius vti tali priuilegio, quia nemo poteſt vti re,quæ iam non eſt.

Renunciatio impropria, quæ formaliter in voluntario non vſu conſiſtit,per ſe licita eſt;ſi tamen voluntas deſit, non erit renunciatio,etiam ipſius vſus,ſed erit neceſſitas quædam,vel coactio,aut impotentia. Ratio eſt,quia priuilegium quoad ipſum priuilegiarium eſt quaſi lex permittens ſeu dans facultatem, non verò obligans ad vſum illius,& ita liberum vnicuique eſt illo non vti, niſi aliunde à Superiore, vel à lege poſitiua, vel naturali cogatur quis ad vſum priuilegij, vt quando priuilegium eſt iuris publici,& non tantum priuati. De his plura apud Suarez *loco citato.*

10. Cùm regulares, licet Ordinum diuerſorum, ſint perſonæ Deo per vota eſſentialia conſecratæ,æquum eſt, vt vnum in Deo, & profeſſione, exiſtentes, vniantur etiam in eiſdem priuilegijs,& gratijs: vt ſic,vniti arctiori vinculo, ſedi Apoſtolicæ, & inter ſe ad nomen Dei in terris propagandum, & animarum ſalutem procurandam, copulentur, vt quos par labor & paria merita coniungunt,paria coniungerent priuilegia & fauores. Proinde religioſi mendicantes gaudent priuilegijs mendicantium,& non mendicantium conceſſis & concedendis à Sede Apoſtolica,& ſimiliter confirmationibus,& innouationibus eorumdem priuilegiorum. Præcipui autem ordines mendicantes ſunt quatuor. *Primus* eſt Ordo S. Dominici, ſeu Prædicatorum. *Secundus* Ordo S. Franciſci de Aſſiſio. *Tertius* Ordo Eremitarum Sancti Auguſtini. *Quartus* Carmelitarum. Hi quatuor Ordines ſunt tanquam quatuor capita eius Fluuij,qui de Romanæ Eccleſiæ Paradiſo ad vniuerſam terram,ſcientiæ ſacræ,virtutumque aquis irrigandam, egrediuntur; & vt tales declarauit Pius V. in conſtit.quæ incipit, *Romanus Pontifex*, ſub dat. 1. Octob.1568. quibus alios ſex adiunxit Eccleſia. Sunt autem illi, Ordo Seruorum B. Mariæ, Fratrum Minimorum,Congregatio Ieſuatorum, & clericorum Societatis Ieſu, Carmelitæ diſcalceati, & ſimiliter diſcalceati ſanctiſſimæ Trinitatis.

Probatur hæc communicatio priuilegiorum inter dictos religioſos ex conceſſionibus Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Clementis VII. Leonis X. Pauli III. Gregorij XIII. Iulij II. Clementis VIII. & aliorum Pontificum, per quos dicta priuilegia communicantur; quæque etiam ſunt priuilegia, ſicut & illarum confirmationes & innouationes, quæ verè priuilegia ſunt, vt declarauit Pius V. Et hæc communis ſententia, quam tenent Rodriquez *tom.1.q.reg.q.55.art.1.& 2.*Miranda *tom.2.q.46.art.5.*Pottel *verb. communicatio priuil.* [Rodriq. Mirand. pottel.] Sorbus *eodem verb.*& alij.

De communicatione priuilegiorum non mendicantium ipſis mendicantibus facta, non reperitur vlla conceſſio Pontificum generalis pro omnibus Mendicantium Ordinibus, emanata; at verò ſpecialis pro vnoquoque, & reperies in Bullario, in compendio priuileg. Mendicantium, & apud Rodriquex & Mirandam *loc.citatis.*

11. Ordines non Mendicantes proximè exprimendi priuilegijs Mendicantium communicant, vt patet ex Bullis quibus hanc communicationem impetrarunt.

1. Congregario Canonicorum regular. Lateran. & S. Crucis Conimbricenſis. Ex Conſtit. Pij V. *Ex ſuperna* 1567.

2. Congregatio Canonic. Regular. S. Saluatoris Bononienſis,ex Iulio II. *Inter cæteros* 1512.

3. Canonici Sæculares S. Georgij in Alga, Ex Pio V. *Ex incumbentibus* 1569.

4. Congregatio Monach. Caſſinenſ. ſeu S. Iuſtinæ de Padua ex Iulio II. Conſtit.1. in Bullario nouo, tom.1. pag.42.

Congregatio Benedictinorum exemptorum in Gallia. Ex Gregorio XIV. *Aequum reputauimus.*

5. Congregatio S. Mauri Ordinis S. Benedicti ab Vrbano VIII. *In ſupereminenti.*

6. Congregatio Monachor. Vallis Vmbroſæ, ex Pio V. *Ex ſuperna diſpoſitionis.*

7. Monachi Camaldulenſes,ex conſtit.Gregor. XIV. *Ex iniuncto nobis* 1591.

8. Monachi Ciſtercienſes Congregationis ſancti Bernardi in Italia Regularis Obſeruantiæ.Ex Gregor.XIV. *Romanus Pontifex* 1592.

9. Monachi Ciſtercienſes Congregationis Fulienſis ex Sixto V.*ſuper ſpecula* 1587. ex Paulo V. *Diuina diſponente* 1606.& in alia incip. *In ſupereminentis* 1607.

10. Monachi Cæleſtini,ex Conſtitut.Vrbani VIII.incip. *Sacroſancti* 1624.

11. Monachi Sylueſtrini, ex Paulo V. *Religioſorum* 1616.

12. Monachi Montis Virginis, ex Paulo V. *Paſtoralis* 1611

13. Monachi S. Baſilij. Ex Gregor. XIII. *Benedictus* 1579.

14. Carthuſiani, ex Gregorio XV. *Ad Vberes* 1623.

15. Regulares, nuncupati Fratres Spiritus Sancti in Saxia,ex Sixto V.*Exigit* 1586.

16. Fratres Congregationis S. Hieronymi Hiſpaniarum.Ex Pio V. *Superna diſpoſitionis* 1567.

17. Fratres Congregationis ſancti Petri de Piſis. Ex Pio V. *Religionis* 1571.

18. Fratres Ordinis S. Antonij.additis quibuſdam reſtrictiuis clauſulis. Ex Greg. XV.1622.& ex Vrbano VIII. 1624.

19. Fratres Cruciferi, ex Gregorio XIV. *Romanus Pontifex* 1591.

20. Fratres Sanctiſsimæ Trinitatis Diſcalceati, ex Paulo V. *Eccleſia Catholica* 1609. ac etiam non Diſcalceati Prouinciarum Caſtellæ, Legionis & Granatæ, ex Leone X. & Adriano VI.

21. Fratres B. Mariæ de Mercede, ex Leone X. quorum priuilegia ſunt ampliſsima & ab Vrbano VIII. confirmata.

22. Fratres Militiæ Ieſu Chriſti Portugalliæ Reformati,ex Pio V.*Superna.*

23. Cle-

23. Clerici Regulares Theatini. Ex Clemente VII. *Dudum pro parte* 1533.

24. Clerici Regulares Sommachini. Ex Paulo V. *Ex qua Diuina Maieſtas* 1607.

25 Clerici Regulares Minores. Ex Gregorio XIV. *Romanus Pontifex* 1591.

26. Clerici Miniſtrantes Infirmis. Ex Gregorio XIV. *Illius qui pro gregis* 1591.

27. Clerici Matris Dei ſcholarum piarum. Ex Gregorio XV. 1622.

Plurimi etiam non Mendicantes priuilegijs non Mendicantium communicant. Hi ſunt Carthuſienſes, Caſſinenſes, Ciſtercienſes, Congregatio Benedictinorum exemptor. in Gallia, Congregatio S.Mauri, B. Mariæ Fuldenſis, Cruciferi, Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis, B. Mariæ de Mercede. Videant alij Ordines non Mendicantes, ſi priuilegijs aliorum Ordinum non Mendicantium communicent.

12. Priuilegiorum communicatio non ſolùm intelligitur de priuilegiis Ordinum, qui tunc extabant, quando priuilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum. Ratio eſt, quia communicantibus conceduntur priuilegia conceſſa, & concedenda alijs Ordinibus, ſine vlla reſtrictione; ergo cùm fauor Principis ſit latè interpretandus, ſicut extenditur ad priuilegia futuris têporibus concedenda Ordinibus inſtitutis, ſic etiam ad Ordinum inſtituendorum priuilegia concedenda. Proinde Pontifices communicationem Ordinum Mendicantium extenderunt ad priuilegia Societati Ieſu conceſſa, licet tempore communicationis priuilegiorum Ordinibus regularibus tunc exiſtentibus conceſſæ, non extaret dicta Societas. Ita conceſſit Paulus IV. in Bulla, *Ex Clementi*, in Minimorum fauorem edita. Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium Ordines*, & Sixtus V. Bulla 14. 18. 19. & 20. prædictorum Ordinum communicationem ad priuilegia Societatis Ieſu, extendit. Sic Rodriquez *tom. 1. qq. reg. il. quæſt. 55. art 7.* Ioannes de la Crux *de ſtatu relig. lib. 2. cap 4. concl. 3.* Hieronymus Rodriquez *in compendio reſol. 1. 6. num. 41.* & alij. Rodriq. De la Cruz. Hieron. Rodr.

13. Quorumdam ſententia eſt non improbabilis, priuilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones & approbationes, & alia huiuſmodi, non eſſe iam ſimpliciter priuilegia, ſed iura quæſita. Ius autem quæſitum nuncupatur ad diſtinctionem aliorum iurium, quæ iura imperfecta dici poſſunt; quæſitum autem perfectionem denotat, vt videlicet huiuſmodi ius ſit incorporatum etiam radicatum, vt docent Gomez & vtriuſque iuris periti *in reg. Cancellar. de non tollendo iure quæſito quæſt. 4.* Gomez. Probatur autem horum aſſertio, quia priuilegia regularium ſunt perfecta, cùm ſint abſoluta & indepedentia ab Ordinarijs, & in perpetuum, & non ad tempus conceſſa; ergo ſunt iura quæſita, & præcipuè illa, quæ à Summo Pontifice legitimo iudicio, Ordinariis, alijſque partibus auditis, in ius canonicum relata ſunt & vera & legitima regularium iura iudicata, vt conſtat ex multis ſententiis Pontificum, & Conciliorum, & præcipuè ex ſententia Bonifacij Papæ VIII. in Extrauag. *Super cathedram, de ſepulturis*, quæ licet correcta fuerit à Benedicto XI. per Extrauag. *inter cunctas*, tamen poſtea à Clemente V. inſtante, & approbante Concilio Generali Viennenſi, per aliam ſententiam confirmata fuit, quæ Clementina *Dudum* appellatur, & habetur ſub titulo, *de ſepulturis*. Ex quo fit, cùm dicta priuilegia ſint iura regularium, ſine grauiſſima cauſa non poſſunt auferri, vt tradunt Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 9. art. 6.* Rebuffus *in praxi benefic. in reg. de non tollendo iure quæſit.* Ratio eſt, quia ius quæſitum non licet Papæ tollere ſine iuſta cauſa, vt in Regulis Cancellar. continetur; eſt enim ibi ſermo de non tollendo iure quæſito, maximè ſi iura ſint ærumnis & laboribus acquiſita, aut illis tanquam merces data. Rodriq. Rebuff. Conſtat autem ex multis Pontificum Conſtitutionibus merita & labores Regularium pro Eccleſia inſumptos, priuilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorû cauſas fuiſſe, & præcipuè ex Bulla Sixti IV. edita 7. Calendas Auguſti 1489. quæ incipit, *Sacri Prædicatorum & Minorum Ordines*. Ex Bulla Pii V. 17. Calend. Iulii 1567. quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines*. Et nouiſſimè ex Bulla Vrbani VIII. quæ incipit, *In ſpecula*. Quibus ita exiſtentibus, cenſendum non eſt, Pontificem ſuis litteris & Bullis velle priuare Regulares ſuo illo iure quæſito, etiamſi clauſulam reuocatoriam generalem priuilegiorum regularium adhibeat, *ex cap. Si is, cui de præbend. in 6.* & ſuſtinent Rodriquez *tom. 1. quæſt. 9. art. 6.* citans Mendoſam *in reg. 13. Cancellar. quæſt. 8. num. 6. & in reg. 11. de reuocat. quæſt. 13. num. 6. & ſeq.* Burſatum *tom. 2. conſ. 138.* Rodriq. Mendoſ. Burſat. Quod apertè Vrbanus VIII. declarauit, dum regulam ſeruandam dedit, qua ius quæſitum ab aliquo niſi priùs audito, nullatenus etiam per Bullam tolli, ſine illius regulæ clauſula derogatoria. Nunquam enim Pontifex per ſua reſcripta intendit iuri alterius derogare, *ex cap. licet, de offic. ordinar. & cap. dilecti, de verb. ſignific.* Accedit, quod in reg. 16. *de regul. iuris in 6.* dicitur, *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum*, & iuriſperiti aſſerunt priuilegia perpetua firmitate conſtare debere; cùm non deceat Principem ſine cauſa mutare voluntatem. Ita Archangelus Romanus *lib. 2. de priuil.* Bonacina *de legib. diſp. 1 quæſt. 3. punct. 8. §. 3. num. 10. verſ. Secundo ſequitur*, Bartolus *in l. omnes populi, ff. de iuſtit. & iur.* Baldus *in l. qui ſe patris, C. vnde liberi*. Felinus *in cap. nouit, de iudicijs*. Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 33. num. 4.* & alij penes ipſos. Roman. Bonac. Bartol. Baldus. Felin. Sanchez.

14. Ex communi Doctorum ſententia, priuilegia regularium non amittuntur per non vſum, niſi legitimum tempus concurrerit ad præſcriptionem. Ita Panormitanus *in cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut.* & alij. Panorm.

Notandum autem eſt, duplicem eſſe non vſum in priuilegio reali, alius enim dicitur priuatiuus, alius contrarius: priuatiuus eſt cùm quis priuilegio voluntariè non vtitur, & hic non vſus opponitur priuilegio affirmatiuo concedenti vt aliquid fiat, vt ſcilicet recitetur tali, vel tali modo diuinum officium, vel celebretur in domo priuata. Si verò oblata occaſione hoc non fiat, dicitur non vſus priuilegij priuatiuus.

Contrarius verò dicitur cùm non ſolùm quis non vtitur priuilegio, ſed etiam operatur quid contrarium eidem; & opponitur priuilegio negatiuo, quo conceditur ne aliquid fiat, vt ſi concedatur Monaſterio ne ſoluat decimas, & nihilominus ſoluit, datur non vſus contrarius.

Vt præſcriptio fiat non vſu priuatiuo, tres conditiones requiruntur. *Primo*, vt oblata fuerit occaſio vtendi priuilegio, & non vtatur. *Secundo*, vt detur ſcientia talis priuilegij. *Tertio*, vt detur potentia illo vtendi, id eſt, nô detur impedimentum. Si enim hæ tres conditiones non concurrant, talis non vſus non dicetur voluntarius, nec indicium poterit eſſe renunciationis, quæ debet eſſe voluntaria.

Vt autem præſcriptio fiat per non vſum contrarium, requiritur, vt fiat non à quodam priuato, etiamſi ſit v. g. vnum monaſterium, aut plura, ſed requiritur vt ſit totus ordo, cui illud monaſterium, aut plura ſunt.

Hinc collige, quòd ſi Superior aliquis non obligatus ire ad proceſſiones, ex vi ſui priuilegij, & nihilominus vadit bis, & ſæpe, per hunc contrarium vſum non perditur priuilegium Ordinis, aut conuentus; ille enim contrarius vſus non eſt factus a Religione: Tamen antequâ accreſcat præſcriptio contra illud monaſterium, debet fieri proteſtatio coram Notario, ſe facere illum actum contrarium ſuo priuilegio, ſalua ſemper exemptione & conſeruatione ſui priuilegij; & talis proteſtatio hoc habebit vtile, vt poſtea ab illo actu, non poſſit inchoari præſcriptio contra priuilegiatum. Ita Portel *in dub. regul. verb. Priuilegij ceſſatio per non vſum*. Rodriquez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 51. art. 5. & quæſt. 36. art. 3.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 34. & 35.* apud quem plura de his. Portel. Rodriq. Suar.

Sed petes, quantum tempus neceſſarium ſit, & ſufficiat, vt priuilegia per contrarium vſum amittantur inter regulares? Reſp. Eugenium IV. conceſſiſſe Congregationi S. Iuſtinæ Benedictinorum, vt poſſint vti ſuis priuilegijs, etiamſi contra illa habuerint contrarium vſum, his verbis: *Vt ſi quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus, contra huiuſmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquod, a quocumque cuiuſcumque conditionis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel igno-* Eug. IV

Digitized by Google

ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis cauſa propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſeruatum ignoranter, vel ſcienter; nullum tamen præiudicium decretis, priuilegijs, indultis, gratijs volumus generari, ſed in ſuo vigore, ac robore permanere. Sic Pontifex. Hæc habentur Bulla 11. prædicti Eugenii apud Rodiquez in Bullario, quæ incipit, *Et ſi quaslibet perſonas*, §. 19. ſubdat. Bononiæ anno 1436. Prid. Kal. Iulij. Et poſtea idem Papa Benedictinis extra muros Romæ degentis conceſſit in Bulla, *Ex Apoſtolica Sedis*, anno 1442. 7. Kal. Iulii. *Vt ſicut contra Romanam Eccleſiam non niſi centeneria curris præſcriptio ſecundum conſtitutiones canonicas, & legitimas ſanctiones: ita quoque prædicto monaſterio* (videlicet S. Pauli extra muros) *minoris temporis præſcriptio non obſiſtat*. Quo priuilegio alia monaſteria regularium communicant: quia inter bona præſcriptionis capacia, numerantur etiã priuilegia. Ita Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 35. art. 2.* Portel *in dub. reg. verb. Præſcribere num. 2.* Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 88.* De la Cruz *de ſtatu relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. concl. 2.* Et certè cùm hæc præſcriptio requirat tam longum temporis tractum, impoſſibile eſſet illum probare, & ſic regulares à iure priuilegiorum ſuorum excluderet: Deinde eſto probaretur quod priuilegiorum non vſus eſſet centum annorum, quomodo probabitur, quod in præſcribentibus fuiſſet ſemper ſcientia priuilegiorum & voluntas illis non vtendi, quæ ſunt duæ conditiones iuxta Doctores ad præſcriptionem requiſitæ, *ex cap. ſi de terra, de priuileg.* Adde quòd huiuſmodi præſcriptionem impediunt Pontifices, dum ſinguli vt plurimùm priuilegia Mendicantium, & non Mendicantium confirmant, vt notat Marcellinus à S. Benedicto *in compend. priuileg. Fulienſium, verb. Priuilegium, in notabilibus.*

Rodriq.

Rodriq. Portel. Diana. De la Cruz.

Marcell. à S. Bened.

15. Priuilegia regularium ſola reuocatione, vel ſententia Pontificis amittuntur. Proinde maxima differentia reperitur inter priuilegia conceſſa à Regibus, & conceſſa à Summis Pontificibus; nam illa poſſunt aliquando à Regibus reuocari, aliquando verò non; poſſunt quidem reuocari ſi ſint ſimpliciter gratioſa; non poſſunt autem, quando conceſſa ſunt non ſubditis propter benemerita, & publicum bonum, nempe pro obſequijs, ſeu ſeruitiis. Ratio eſt, nam priuilegium conceſſum poſtquam ratum habetur ab eo, in quem collatum eſt, tranſit in ius; Ergo Reges poſſunt à principio priuilegium non ſubditis concedere, ſed ſemel conceſſum non poſſunt ampliùs reuocare. Tum quia huiuſmodi priuilegium tranſit in naturam contractus, quem Reges non poſſunt reuocare, obligantur enim ad contractum initum, ſicut cæteri homines. At Pontifices poſſunt huiuſmodi priuilegia conceſſa omnibus Chriſtianis reuocare, & conſequenter Regularibus conceſsa. Ratio eſt, quia omnes Chriſtiani & maximè regulares, ſunt ſubditi Pontificibus Romanis; & proinde cùm priuilegium ſubditis conceſſum poſſit reuocari, poſſunt Pontifices dicta priuilegia regularium abſolutè reuocare. Pontifices tamen conceſſum priuilegium ob benemerita & labores, aut quod ſe habet ius quæſitum, reuocantes peccarent, niſi grauiſſima ratione ad reuocandum mouerentur. Ita Bonacina *in Bullam Cœnæ diſp. 1. quæſt. 22. punct. 5. num 34.* Diana *part. 4. tract. 1. reſol. 82. & part. 1. tract. 2. reſ. 7. & part. 7. tract. 1. reſol 8.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 37.* Pontius *de matrimon. lib. 8. cap. 29. §. 2. num. 12.* & alii communiter apud Tamburinum *tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 16. quæſit. 12.*

Bonac. Diana.

Suarez. Pontius. Tamb.

16. In reuocatione generali priuilegiorum non cenſentur reuocata priuilegia regularium & præcipuè Mendicantium, licet apponantur verba generalia & geminata. Ratio eſt, quòd priuilegia regularium quandam excellentiam ſortiuntur, ob quam expreſſior generali requiritur reuocatio. Quoniam duplex eſt genus priuilegiorum, vnum quod priuatis conceditur, & eſt odium Iuris; alterum, quod a Principe conceditur in perpetuum in bonum alicuius communitatis, aut Ordinis regularis, & hoc æquatur legi, ac ſi inſertum eſſet in corpore Iuris, & tanquam fauor eſt amplè interpretandum. Quod autem non ſufficiat clauſula generalis reuocatoria, etiam geminata, conſtat ex Mari Magno Minorum, & ex conceſſione Eugenii IV. facta Prædicatoribus per Bullam; & eiuſdem Eugenij & Leonis X. priuilegio conceſſo Benedictinis, de quibus Compendium Societatis *verb. Priuileg. §. 8.* & Compendium Ciſtercienſ. *eod. verb. §. 7.* in quibus habetur, *quòd non poſſit derogari illorum priuilegijs, &c. niſi de ipſorum Ordine, & de huiuſmodi litteris fiat de verbo ad verbum expreſſa mentio.* Et nouiſſimè hoc manifeſtè conſtat ex Bulla Vrbani VIII. in fauorem Cõgregationis S. Mauri edita anno 1627. quæ incipit, *In ſupereminenti*, vbi hæc verba habentur: *Neque ſub quibuſcumque ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs quibuſcumque diſpoſitionibus, etiam per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cũ quibuſuis clauſulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatorijs pro tempore quomodolibet factis comprehendi, ſur confundi, ſed ab illis ſemper perpetuo excipi: & quoties illa emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de nouo etiam ſub quacumque poſteriori data quandocumque eligenda conceſſas eſſe & fore, &c.* Ex quibus patet quòd tantum abeſt quòd prædicta reuocatio generalis priuilegia Regularium reuocet, quin imò illa confirmat. Ita Rodriquez *tom. 11. qq. regul. quæſt. 9. art. 1.* Archangelus Romanus *de priuil. Relig. lib. 1. cap. 13. edit. Romana 1643.* & alij apud Rodriquez, apud Chaſſaing *de priuil. reg. tract. 1. cap. 5. propoſit. 5.* qui poſt Rodriquez & Henriquez notat in reuocatione priuilegiorum Mendicantium iuxta Pii V. Bullam, *Etſi Mendicantium Ordines*, requiri expreſſionem Mendicantium, nec ſufficere ſi Concilium, aut Bulla vtatur his terminis, *Non obſtantibus priuilegijs Regularium*, ſed vlterius exprimendum *Mendicantium*, alioquin ſi non exprimantur, non reuocat.

Eug. IV.

Leo X. Cõpend. Soc. & Ciſterc.

Vrb. 8.

Rodriq. Roman. Chaſſaing.

Pius V.

Portò eſt hic aduertendum, quod ſi dubium exiſteret, num priuilegium eſſet reuocatum, nec ne, tenendum non eſſe reuocatum, vt docent Antonius Sanctarellus *in Varijs reſolut. tom. 1. quæſt. 16. n. 11.* Diana *par. 4. tract. 3. reſ. 51. in fine*, Pariſius *lib. 2. conſ. 61. num. ult.* & alii penes ipſos.

Sãctarel. Diana. Pariſius.

17. Bullæ, quibus priuilegium aliquod conceditur regularibus, non debent neceſſario publicè promulgari, vt priuilegium in eiſdem contentum valeat, ſed ad Summũ requiritur, vt illis quorum intereſt authenticè Ordine iuridico exhibeantur. Probatur prima pars, quia Bullæ, quæ aliquod priuilegium concedunt, naturam priuilegii ſortiuntur; ſed natura priuilegij exigit, vt ſit priuatum, & non publicum; Ergo cùm promulgatio ſit quid publicum non eſt neceſsaria ad illius valorem & efficaciam; nam Bullatio, aut ſcriptura, non eſt de natura, aut eſſentia priuilegij, ac propterea poteſt ſtare priuilegium ſine Bullatione, aut ſcriptura; ergo nec etiam publicatio, ſeu promulgatio eiuſdem priuilegij. Poſterior autem pars probatur ex praxi fundata in natura priuilegii, quæ obtinuit, vt dictæ Bullæ non publicentur ſolemniter, ſed ſimpliciter iuridicè exhibeantur, & ſic exhibitæ, ſi contineãt excommunicationem, aut præceptum, ſtatim ligant illum cui exhibentur. Imò Pontifices Romani non obligant ad exhibitionem Bullarum in Originali aliquod priuilegium continentium, ſed ad exhibitionem tantùm tranſumpti, modò manu Notarij publici ſubſcriptum, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ monitum fuerit, vt eadem fides in iudicio, vel extra, adhibeatur quæ ipſis litteris originalibus adhiberetur, ſi originaliter exhibitæ, vel oſtenſæ forent. Ita conceſſit Iulius II. in fauorem Auguſtinienſium & refertur *in compend. priuileg. Mendicant. uerb. Priuilegia Fratrum*, §. 19. & Leo X. in fauorem Minorum, vt habetur *ibid.* §. 31. Ita Suarez *de legib. lib. 8. cap. 24. num. 7. & 8.* Portel *in dub. regul. uerb. Priuilegium num. 9.* Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 7. art. 6.* & alii communiter.

Iul. II.

Leo X. Suar. Portel. Rodriq.

Hinc infertur priuilegium, quod non continet præiudicium tertij, ſtatim eſſe validum, & illo poteſt vti quis abſque promulgatione; vt eſt priuilegium recitandi horas canonicas, tali hora. Si verò contineat præiudicium tertii, neceſſariò debet priùs promulgari, vel notificari illi tertio, vt illi conſtet & poſſit reclamare. Priuilegia verò data per leges vniuerſales, cùm ſint leges, debent

priùs

priùs promulgari. Ratio eſt, quia ante promulgationem non habent vim legis; ergo ante promulgationem nullam vim obligandi habere poſſunt, ſiue ad quemcumque alium. Ita Doctores citati.

Sed petes, quænam notitia, vel probatio requiratur in his priuatis priuilegijs, vt inferiores Prælati, aut iudices, aut aliæ per perſonæ, ad quas pertinere poteſt, teneantur illis parere, vel eis non contrauenire? Reſp. quod in foro conſcientiæ ſufficiat notitia priuilegij moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non poſſit, tunc enim quæſito aliquo falſo colore tergiuerſari & voluntati Superioris reſiſtere non poteſt in conſcientia eſſe licitum. In foro verò exteriori neceſſaria eſt oſtenſio indulti per inſtrumentum authenticum, vel in ſe demonſtratum, vel ſaltem per teſtes probatum, quando priuilegium non eſt publicè notorium. Proinde publica notitia eſt ſufficiens probatio, vt tunc oſtenſio priuilegij poſtulari non debeat, nec iuſtè poſſit, & maximè quando publica notitia non tantùm eſt per famam, ſed etiam per vſum priuilegii cõmunem & notum. Tunc enim ipſe vſus confirmat priuilegium, & confirmat ius: qui ſi tantus ſit, vt notoriam præſcriptionem legitimè induxerit, illius probatio, vel publicata notitia ſufficiet: ſi verò nondum ſit conſummata præſcriptio, vel non ſit notoria, ſufficiet ille vſus, vt non priuetur quis poſſeſſione & vſu ſui priuilegii, intra ſufficiens tempus ad tollendum illud. De quibus Syluester *verb. Exemptio quæſt. 5. 6. & 7. & ex cap. cum perſona, de priuileg. in 6.* vbi Gloſſa & Doctores. Panormitanus *in cap. cum ordinem, de reſcript.* Innoc. Anton. Henric. & alii *in cap. Ex parte, de verbor. ſignific.* & poſt illos Suarez *loco cit. num. 9. & 10.*

Sylueſt. Gloſſa. Panorm. Innoc. Anton. Henric.

18. Quidam exiſtimant priuilegium habere ſuum effectum ſtatim ac perfectè conceſſum eſt, etiamſi ab eo, cui conceditur, ignoretur. Ratio eſt, quia voluntas Principis eſt de ſe efficax ad conferendum beneficium, ergo poſita illa voluntate efficaci Principis conferendi priuilegium ſine vlla conditione, vel limitatione, ſtatim conferet illud & effectum eius. Voluntas enim Principis Superior eſt, & non indiget voluntate ſubditi ad ſuum effectum. Vnde ſe ſola poteſt auferre dominium ſubditi ex iuſta cauſa, vel irritare conſenſum eius, & obligationem imponere ad acceptandum; ergo etiam ignoranti conferre priuilegium. Tum quia voluntas, ſeu diſpoſitio Principis æquiparatur voluntati teſtatoris, *Authent. de nuptijs, §. Diſponat, collat. 4.* ſed legatum relictum à teſtatore acquiritur ignoranti, à tempore teſtamenti, ergo & priuilegium, quod à Principis voluntate & diſpoſitione ortum habet, proderit a tempore conceſſionis etiam ignoranti. Ita tenent ex Iuriſperitis Geminianus *in cap. 1. de conceſſ. præbend. in 6.* Archidiaconus *in cap. Propoſuiſti, diſt. 82. ad finem.* Ex Theologis eiuſdem ſententiæ videntur eſſe Sotus *in 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1. ad fin. verſ. Poſtremò*, Ludouic. Lopez *2. p. Inſtructor. de matrim. cap. 42.* vbi apertè ſentiunt diſpenſationem prodeſſe ignoranti.

Gemin. Archid. Sotus. Lopez.

Communis tamen ſententia eſt, neceſſariam eſſe notitiam priuilegij ad conſequendum effectum illius. Ratio eſt, quia ad effectum priuilegij non ſatis eſt conceſſio actiua, ſed debet etiam ſupponi acquiſitio paſſiua; hæc autem non fit ſine voluntate priuilegiandi acceptantis, quia beneficium non fit inuito, neque aliquis potens vti voluntate aliquid acquirit non volens; ad voluntatem autem acceptandi neceſſaria eſt notitia, quia voluntas non fertur in incognitum; ergo de primo ad vltimum priuilegium operari non poteſt ante ſui notitiam circa ignorantem. Hinc priuilegium non habet vllum effectum donec acceptetur ab eo cui conceditur, aut ab ipſius nuncio, vel procuratore, qui vicem ipſius gerat. Quod tamen intelligendum eſt, de priuilegio per modum reſcripti, ſecus quando conceditur per modum ſtatuti, & conſtitutionis, ſeu legis, vel in remunerationem operis præſtiti. Ratio differentiæ eſt, quia lex generalis, vel ſtatutum, dum concedit priuilegium, & præmio afficit ex cauſa id facit, eo quòd is, cui conceditur, aliquid reipublicæ cauſa egerit, præmioque hoc lex homines inuitat: ergo agens hoc lege requiſitum quamuis ignarus legis, dignus eſt præmij remuneratione; proinde non omninò præmium ignorauit, nam in genere præmio aliquo ſe afficiendum eſſe putauit. Diuerſum eſt autem in priuilegio ex reſcripto, cùm hoc concedatur ex mera liberalitate, nec ante actũ geſtum propoſitum ſit in præmium, ſed ipſum factum poſtea ſequatur. Ita Bartolus *in l. omnes populi, num. 37. & 38. ff. de iuſt. & iur.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. cent. 2. caſu 185. num. 30. & ſeq.* Suarez *de leg. lib. 8. cap. 25. num. 15. & 16.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 29.* Vaſquez *1. 2. diſp. 156 cap. 4. num. 30. & 31.* Sanchez *de matr. lib. 1. diſp. 6. num. 29. & lib. 3. diſp. 36.* & alii. Probatur inſuper hæc ſententia argumento textus *cap. ſi tibi abſenti, de præben. in 6.* vbi deciditur ius in beneficio, quod cõfertur abſenti, non acquiri, donec abſens ratam habuerit collationem: tum ex ratione priuilegij, quod cenſetur concedi ſub hac tacita conditione ſi priuilegiarius acceptet: priuilegium enim eſt veluti quædam donatio, donatio autem acceptari debet à donatario.

Bartol. Menoch. Suar. Layman Vaſquez Sanch.

19. Ex dictis numero præcedenti multæ illationes colliguntur. *Primò*, validum eſſe matrimonium contractũ coram aliquo Sacerdote facultatem habente ab Ordinario, vel Parocho; modò talis licentia fuerit ab ipſo Sacerdote, vel ſaltem ab ipſius nuncio, vel procuratore acceptata. Si verò Parochus motu proprio concedat licentiã, vel ad inſtantiam alterius non miſſi ab eo Sacerdote, non valebit matrimon. Imò nec ſi fuerit iam illius licentiæ cõſcius per alium, quàm impetrantem, aut eius, vel Parochi concedentis nuncium: quia hæc licentia quoddam priuilegium & damnatio quædam eſt. Ita Sanchez *de matrim. lib. 3 diſp. 36. num. 6. & 8.*

Sanchez

Secundò, eum cui Superior conceſsit priuilegium motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, quam priuilegiarij, non poſſe tali priuilegio vti, antequam acceptetur à priuilegiario, vel ab ipſius Procuratore, priuilegium enim quamuis motu proprio Superioris concedatur, non prodeſt, donec acceptetur a priuilegiario, vel ab alio, qui vices ipſius gerat. Et in hoc euentu ad licitũ eius priuilegij vſũ ſatis erit priuilegiatum habere notitiã eius priuilegij, relatione cuiuſuis perſonæ fide dignæ, etſi non ſit nuncius, aut procurator eius, aut concedentis: quia à tempore acceptationis per procuratorem, aut eum nuncium, fuit iam ſatis acceptatum per ipſum impetrantem, ſolaq. ad licitum vſum deſiderabatur notitia illius, quæ ſatis habetur à perſona fide digna. Ita Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 6. num. 24. & l. 4. moral. cap. 48. num. 7.* Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 3. punct. 3. num. 11.* & alij.

Sanchez Bonac.

Tertio, eum, qui per nuncium priuilegium obtinuit, ne poſſit ab aliquo excommunicari, non poſſe ab aliquo excommunicari, poſtquam priuilegium à nuncio, vel procuratore acceptatum fuit, quamuis priuilegiarius conceſſionis priuilegij non ſit conſcius, tum quia valida eſt priuilegij conceſſio à nuncio acceptata. Tum quia ex tempore acceptationis per hunc, concurrunt voluntas concedentis & impetrantis. Ita Geminianus *in cap. 1. de conceſſ. præben. in 6.* Sylueſter *verb. Priuilegium q. 16.* Sanchez *lib. 4. mor. cap. 48. num. 9.* & alij.

Gemin. Sylueſt. Sanch.

Quartò, priuilegiario prodeſſe priuilegium, antequam innoteſcat illi, in cuius damnum conceſſum eſt, & ſufficere acceptationem per nuncium, vt priuilegiarius incipiat frui priuilegio ante aliam notitiam. Et hoc habet locum in priuilegio quod concedit immunitatem ab onere, ſeu exemptionẽ ab alterius iuriſdictione. Ratio eſt, quia hoc priuilegium exemptionis eſt veluti quædam reſeruatio iuriſdictionis, ſed reſeruatio habet ſuum effectum eo ipſo quod fit, etiamſi ad alterius notitiam non perueniat; ergo etiam illud priuilegium non pendet in ſuo effectu à notitia Epiſcopi, contra quem obtinetur, & idem eſt cum proportione de quocumque alio tertio. Tum quia ex parte Epiſcopi, ſeu tertii clarum eſt non neceſſariam acceptationem, quia illi nihil conceditur, ſed potiùs ipſe priuatur aliquo iure per poteſtatem Superiorem in fauorem priuilegiati, ſiuè conſentiat, ſiuè non. Ita Suarez *de leg. lib. 8. cap. 25. num. 28. & 30.* Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 36. num. 5.* Menochius *de arbitr. lib. 2. cent. 2. caſu 185. num. 28.* Bonacina *loco cit. num. 16.* & alii.

Sanch. Menoch Bonac.

Vide tom. 1. verb. Clauſula num. 17. & hoc tomo verb. Indulgentia 2. num. 7. Legatum n. 20.

PRO-

Digitized by Google

PROBATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit probatio, & quotuplex?*

2 *Quot teſtes requirantur, & ſufficiant ad plenam probationem contra alterum, in omni cauſa Eccleſiaſtica & ſæculari?*

1 PRobatio eſt *rei dubiæ per argumenta, ſeu media, oſtenſio*: & hæc regulariter incũbit aſſerenti. *Multiplex* eſt. *Prima*, ſcilicet euidentiſsima, id eſt per priuilegia, vel inſtrumenta indubitata. *Secunda*, euidens & clara, quæ fit per teſtes, vel facti euidentiam. *Tertia*, minùs euidens quæ fit per coniectutas. *Quarta*, per confeſſionem. *Quinta*, per ſcripturam antiquorum librorum. *Sexta*, per violentam præſumptionem. *Septima*, per famam cum alijs præſumptionibus, & per famam cum vno teſte, quod tamen non ſufficit ad condemnandum de crimine, quia in criminibus debent eſſe probationes apertiſſimæ & meridiana luce clariores, ſecus in cauſa ciuili. *Octaua*, per iuramentum. Syluester *verb. Probatio*. Angelus *ibi*. Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 6. cap. 4.* Bert. *in praxi crimin. regul. tit. 11. cap. 5.* & alii. (Syluest. Angel. Layman Bert.)

2. In omni cauſa eccleſiaſtica & ſæculari, ciuili & criminali ad plenam probationem contra alterum, præter actorem, vel accuſatorem requiruntur & ſufficiunt duo teſtes, ſi idonei ſint, & omni exceptione maiores: Imò ad condemnandum Sacerdotem, vel Epiſcopum idonei teſtes ſufficiunt, ſi non de iure, ſaltem de conſuetudine. Laicorum tamen teſtimonium contra clericum in criminalibus communiter non admittitur, vt ſufficiens ad probationem plenam, quia laici ſolent eſſe infeſti clericis, præterquam ſi crimen exceptum ſit, vel etiam in ſubſidium, quando crimen aliter probari non poteſt, vt ſi in vlla commiſſum ſit coram laicis. Plura apud P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 199.* Leſſium *lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 32.* Layman *cit. num. 3.* (Nau. Leſſ. Layman)

De Probatione v. de verb. Iudicium publicum num. 5. Matrimonium 7. num. 62. Teſtis.

SVPPLEMENTVM.

PROBATIO.

SVMMARIVM.

1 *An virtus cauſarum, & exitus controuerſiæ in probationibus conſiſtat.*

2 *An is qui dicit vel affirmat, probare debeat, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, ſiue ſit actor, ſiue reus.*

An reus poſſit cogi oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis.

3 *An actori affirmanti, vel reo neganti incumbat onus probandi, quando præſumptio eſt contra reum.*

An præſumptio hominis transferat onus probandi in aduerſarium.

4 *Aduerſus præſumptionem iuris, & de iure, licet de iure non detur regulariter probatio in contrarium, in caſu tamen quo eſt confeſſio partis habentis dictam præſumptionem in fauorem, admittitur.*

5 *Quando probatio admiſſa fuit ex conſenſu partis, ſiue expreſſo, ſiue tacito, huiuſmodi præſumptionem tollit.*

6 *Tertius modus probandi contra hanc præſumptionem eſt, quando probatio fit per indirectum.*

7 *Quartus fit per notorium.*

8 *Quintus eſt, quando quis vult probare ad hoc, vt in integrum reſtituatur.*

9 *Sextus eſt, quando probatio fit per proteſtationem quæ præceſſit actum, vel in ipſo actu interuenit.*

10 *An negatiua pura, quæ aliàs indeterminata dicitur probari poſſit.*

11 *An negatiua coarctata loco & tempore, ſaltem indirectè probari poſſit.*

12 *An ex confeſſione partis aduerſæ probetur negatiua determinata, & indeterminata.*

13 *An omnis negatiua probetur per iuramentum.*

14 *An probetur etiam negatiua per coarctationem perſonæ, vel alterius rei determinata ſine loci, & temporis coarctatione.*

An teſtes in reddenda ratione negatiuæ debeant remouere actum à ſenſu, vel ſenſum ab actu.

15 *An negatiua quæ dependet à tertio probetur per contrariam affirmatiuam.*

16 *An probetur negatiua per inſpectionem Scripturæ, vel alterius ſubiecti, vel rei euidentiam.*

17 *An fiat probatio negatiuæ per ipſos auctores negatiuæ deponentes de facto proprio.*

18 *An teſti ſoli credatur, quando deponit de negatiua dependente à facto proprio?* Refertur duplex ſententia.

19 *An magis credatur teſtibus affirmatiuam deponentibus, quam negatiuam.*

20 *An tantum credatur teſtibus negantibus, quantum affirmantibus, in negatiua coarctata loco, tempore, rebus, vel perſonis.*

21 *Ille, qui negat factum, regulariter non probat.*

Fallit Primo, quando præſumptio iuris eſt contra negantem. Secundò, quando per inſtrumentum, vel per teſtes actor plenè ſuam affirmatiuam probaſſet. Tertiò, quando agitur de fauore Eccleſiæ. Quartò, quando negatiua probanda eſt per Sacramentum.

22 *Negatiua facti probanda eſt ab eo, qui ſe fundat in illa. Hæc tamen regula fallit in multis caſibus.*

23 *Negatiua iuris probanda eſt à negante, quando negatur illud, quod eſt de genere permiſſorum.*

1 TOta virtus cauſarum, pondusque litis, & exitus totius controuerſiæ in probationibus conſiſtit, vt notat Baldus *in cap. quia propter, num. 13. extra de elect.* (Baldus.) quæ res adeo vera eſt, vt deficiente probatione deficiat ſubſtantia cauſæ, nihilque profutura ſint iura, vbi probatio deeſt; cum multos ſæpè videamus iuſtam cauſam fouentes ſuccumbere propter inopiam probationum, *l. duo ſunt Titij, ff. de teſtam. tut. & ibi* Baldus. Imò tanta virtus in probationibus eſt ſita, ſecundùm Iuriſperitos, qui affirmant, argumentum à ſententia ad probationem eſſe validum, *ex l. Iulia Petronia, ff. de manumiſſion.* Ita vt probatio & ſententia æquiparentur non ſolùm in hoc, vt quibus prodeſt nocetve ſententia iiſdem noceant proſintve probationes, quemadmodum tradũt Bartolus *in l. is apud quem, verſ. ſed an porrigatur, Cod. de eden.* & ibi Iaſon *ſub num. 23. verſ. Tertio limita*, & alij; (Bartol. Iaſon.) Verùm etiam volunt, vt probationes aliquando ſint maioris potentiæ, quàm ſententia, vt ſcilicet quibus ſententia nulla non nocet, obſint tamen acta, vt ait Ripa *in d. l. is apud quem num. 38. Cod. eden.* (Ripa.)

2. Communis eſt regula inter Iuriſperitos, *quod is qui dicit, vel affirmat, probare debet.* Textus egregius eſt in *l. 2. & in l. verius eſſe, cum ſeq. ff. de probat. & in cap. accuſator, 6. quæſt. 5.* Quæ quidem regula habet locum non ſolùm in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus, vt & ipſe quoque accuſator ſuam affirmationem probare teneatur, vt habetur *in cap. placuit, 2. quæſt. 5.* Et quod dicitur de accuſatione, idem quoque intelligendum eſt de inquiſitione, in qua, ceſſante accuſatore, proceditur ex officio: quę inquiſitio ſuccedit loco libelli accuſatorii, ſicut iudex inquirens ſuccedit loco accuſatoris. Ex quibus infertur, quòd ſicut in ciuilibus actore non probante reus abſoluitur, etiam ſi nihil ipſe præſtiterit, *ex l. 2. ff. de probat. & cap. bona memoria, il 2. extra de elect.* Ita etiam in criminalibus, accuſatore, vel iudice non probantibus, reus omninò debet abſolui, *per dicta iura.* Hæc regula habet locum generaliter in omnibus cauſis, ſiue prophanis, ſiue ſpiritualibus, ſiue beneficialibus, etiamſi actor eſset vir nobilis & expertæ fidei, ac vitæ inculpatiſſimæ, & verſa vice reus eſſet ſordidus, mendax & perfidiarum plenus:

quia

quia actori incumbit onus probandi ſuam affirmationẽ, & eo non probante, reus abſoluetur, vt colligitur in ſpecie *ex cap. 1. 2. 3. cauſa 6 quæſt. 1.* vbi Epiſcopo accuſanti & non probanti non creditur. Ratio eſt, quia quamuis perſona actoris ſit dignior quàm perſona rei, non tamen magis credendum eſt aſſertioni actoris, quàm negationi rei, quoniam in adminiſtrando iuſtitiam non eſt facienda diſcretio perſonarum, ſed ita magnum vt paruum iudicandum eſt, nec propter meritum vitæ recedendum eſt à iuris diſpoſitione, quia vbi agitur de ſimplici iuſtitia, non curamus merita perſonarum, & vbi tractatur de præiudicio tertij, tunc nulla honeſtas perſonæ ſufficit, vt ei credatur. Ita Gloſſa *in cap. ſicut extr. de ſenten. excommunic.* & Baldus *in cap. Sedes propè finem de reſcript.* Paulus de Caſtro *in l. actor, ſub num. 2. Cod. de probat.*

Gloſſa. Baldus. Paul. de Caſt.

Nec hic obſtat, quod ſanctimoniæ & probitati hominis multa priuilegia ſint à iure conceſſa. Reſp. hoc verum eſſe, & ita honeſto viro eſſe credendum, quando hoc in præiudicium alterius non redundat *ex cap. Nobiliſſimus diſt. 97.* ſed tamen non per hoc dicendum eſt, quòd recedendum ſit à iure communi propter meritum perſonæ, & maximè vbi agitur de præiudicio tertii, vt docent Decius *in cap. poſtremò, de appellation.* Tiraquellus *in cauſa 51. num. 162. in fin.* Pro quo textus *in cap. ex tenore, de foro compet.* vbi habetur: *Nos igitur attendentes, quod ſic ſumus viduis in iuſtitia debitores, quod alij iniuſtitiam facere non debemus.* Id eſt, licet nos debeamus pupillis & viduis facere; attamen propter eorum fauorem non eſt alijs iniuſtitia facienda.

Dec. Tiraqu.

Prædicta regula habent locum non ſolùm in actore, ſed etiam in reo, vt ſicut actor ſuam affirmatiuam probare tenetur, ita etiam reo incumbat onus probandi ſuas exceptiones affirmatiuas *l. in exceptionibus, ff. de probation.* Amplia etiam vt regula procedat, etiamſi reus in ſe onus probandi ſuſcepiſſet, & non potuiſſet probare, quoniam nihilominus actor ſuam affirmatiuam probare debet, ſi vult in cauſa obtinere: quamuis enim reus in ſuis probationibus deficiat, non tamen perdit priuilegium abſolutionis, quod ſibi competit actore non probante. Ita Gloſſa *in l. circa eum, §. ſi quis autem, ff. de probation.* Bartolus, & Albericus *ibid.* & hæc eſt vera, & communis opinio.

Gloſſ. Bartol. Alberic.

Ampliatur denique regula, vt habeat locum etiamſi conſtaret reum in cauſa nullum ius habere: quia actor nihilominus affirmatiuam ſuam probare deberet, ſi vellet obtinere, vt habetur *in l. fin. C. de rei vendicat.* quia vt dicit Baldus, non curamus de iuribus rei, vel poſſeſſoris niſi conſtet de iure petitoris: quamuis enim reus iniuſtè poſſideat, nihilominus moleſtari non debet, niſi actor ſuam intentionem probauerit: quia in tali caſu non quid reo, ſed quid actori cõpetat, æſtimandum eſt, vt habentur *in l. 1. ff. §. ſi pars de hered. petend.* Prædicta procedunt non ſolùm in cauſis prophanis, ſed etiam in cauſis beneficialibus: licet enim declaretur, reo in beneficialibus nullum ius competere, non tamen intelligitur declaratum competere actori: quia beneficium poteſt nec agentis eſſe, nec conuenti, *l. ſi inter te & me, in fin. de except. rei iudic.* Non eſt igitur bona conſequentia, Excluſus eſt aduerſarius; ergo actor in cauſa debet obtinere. Et ita Curiam Romanam obſeruare teſtatur Archidiaconus *in cap. contra morem, propè finem diſt. 100.* Præpoſitus *ibid.*

Bald.

Archid. Præpoſ.

Demum eſt aduertendum quod reus non poſſit cogere docere ius ſuum, nec oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis: quia non eſt diſputandum de non iure ipſius, ſed de iure actoris, *l. cogi, C. de petit. hæred. & l. an ſpecialis, ff. de rei vendic.* vbi dicitur, quod neque in rei vendicatione, neque in Publiciana poteſt cogi poſſeſſor dicere titulum ſuæ poſſeſſionis, quia hoc eſt petitoris munus, & non poſſeſſoris.

3. Quamuis affirmanti onus probandi communiter incumbat, in multis tamen caſibus, hæc regula non habet locum. *Primò*, quando præſumptio iuris eſt contra reum; quia tunc non actori affirmanti, ſed reo neganti probandi onus incumbit, *ex l. ſi pactum, l. quinquaginta, l. cum de indebito §. ſin verò, ff. de probation. & ex cap. accuſator 6. quæſt. 5. cap. contra morem diſtinct. 100.* & docent Archidiaconus *in dict. cap. accuſator,* Præpoſitus *in dict. cap. contra morem,* & communiter vtriuſque iuris Doctores. Igitur ſiuè ſit actor, ſiuè reus, ſiuè ſit affirmans, ſiuè negans, quælibet eorum intentio fundata in præſumptione iuris, aut in iure communi, vel in præſumptione naturæ, aut in regula iuris, vel in veriſimilitudine transfert onus probandi in aduerſarium.

Archid. Præpoſ.

Dubium tamen eſt, an præſumptio hominis transferat onus probandi in aduerſarium? Multi affirmant, nam ſi præſumptio hominis ſufficit ad condemnandum, multò magis ſufficere debet ad onus probandi transferendum. *Authent. multò magis C. de ſacroſanct. Eccleſ. cap. cui licet, de reg. iuris in 6.* Sed mihi dicendum videtur, quod hominis præſumptio, alia eſt temeraria, alia leuis, alia violenta, vt diximus ſuprà *verb. Præſumptio.* Ex primis duabus quod onus probandi non transferatur nemini dubium eſt: ſed ſola dubitatio eſt in violenta; quæ ſi ſufficiat ad condemnandum, certum eſt multò magis ſufficere ad transferendum onus probandi in contrarium, facit textus *in l. vtrum, ff. de donat. inter vir. & vxor.* Si non ſufficiat ad condemnandum, tunc neque ſufficiet ad transferendam probationem; quia non omnis præſumptio transfert onus probandi in contrarium, ſed illa ſolùm, quæ habetur pro plena probatione; ſed præſumptio hominis violenta facit plenam probationem in his caſibus, in quibus ſufficit ad condemnationem. Ita Fuluius Pacianus *de probat. lib. 1. cap. 9.* & alii penes ipſum.

Pacian.

4. Aduerſus præſumptionem iuris, & de iure non datur regulariter probatio in contrarium, *ex l. antiqua C. ad Velleian. l. final. C. de arbitr. tut.* & communi Doctorum apud Menochium *lib. 1. de præſump. quæſt. 60.* Nonnulli tamen caſus reperiuntur quibus probatio aduerſus præſumptionem dictam admittitur, & inter illos præcipuus eſt confeſſio partis habentis prædictam præſumptionem in fauorem; quoniam ſi illa confiteatur iudicialiter veritatem eſſe in contrarium admittitur. Ratio autem quare confeſſio partis admittatur cùm cæteræ probationes admitti nequeant, eſt, quod præſumptio iuris & de iure etſi à lege habeatur pro ipſa veritate, attamen verè & propriè non eſt ipſa veritas cùm ipſa verſetur circa id quod eſt dubium: confeſſio autem illius pro quo eſt præſumptio veritatem ipſam detegit, & ideò dicendum quod nulla eſt melior, nullaque efficacior probatio, quàm proprij oris confeſſio. Ita Menochius *loco cit. quæſt. 62.* Gloſſa *in l. contractib. verb. nullo modo C. de non numer. pecun.* Antonius de Butrio *in cap. quoniam contra verſ. Secundus caſus, de probation.* Ex dictis infertur, quod licet hæres non conficiens inuentarium, teneatur vltra vires hæreditarias ſatisfacere creditoribus & legatarijs; cùm hæreditas ex præſumptione iuris & de iure, cenſeatur eſſe ſoluendo, *§. ſi vero non fecerit Authent. de hæred. & falcid.* hoc tamen non habet locum, quando ex legatariorum, vel creditorum confeſſione conſtaret de quantitate bonorum, quæ ſufficientia non fuiſſent tempore mortis teſtatoris. Vt ait Felinus *in cap. quoniam contra ſub num. 30. verſ. Fallit quintò, de probation. & in cap. quinto, de præſump.*

Menoch

Menoch Gloſſa. Butrio.

Felin.

5. Secundus modus probandi aduerſus præſumptionem iuris & de iure, dicitur, quando probatio admiſſa fuit ex conſenſu partis, ſiue expreſſo, ſiue tacito, eo quia non reclamauit, ſed paſſa eſt probationes admitti: tunc enim probationes factæ præſumptionem iuris & de iure tollunt, vt ait Innocentius *in cap. cum Bertholdus, de ſentent. & re iudic.* vbi notat, quod licet quando ſententia tranſiuit in iudicatum poſſit & debeat probatio contraria repelli; ſi tamen admiſſa eſt de facto & appareat ſententiam non benè latam, tunc reuocanda eſt, quoniam ex quo iudex cognouit, pronunciare debet. Ita etiam Menochius *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 68.* Antonius de Butrio *in cap. quoniam contra, de probat. & in cap. cum dilecta de reſcript.* Alexander *in l. Iudex poſteaquam num. 12. ff. de re iudic.* & alii communiter.

Innoc.

Menoch Butrio. Alex.

Tamen ſi conſtaret in actis de partis oppoſitione, tunc admiſſa probatio nihil valeret: quia ſi communis omnium traditio eſt, quod parte conſentiente probatio admittatur, ergo ipſa opponente non debet admitti, & ad-

Digitized by Google

admiſſa contra eius oppoſitionem non valebit tanquam res facta contra caſum legis. Baldus. Felinus. Ita Baldus *in l.2. verſ. decimotertiò quæro C.de Epiſcop. aud.* Felinus *in cap.quoniam contra num.20 de probation.*

6. Tertius modus probandi contra præſumptionem iuris & de iure eſt, quando probatio fit per indirectum. Ratio eſt, quia cùm lex requirat certas qualitates ad cõſtituendam hanc præſumptionem, ſemper admittuntur probationes, quod non ſumus in tali caſu, vel non concurrat aliqua ex requiſitis qualitatibus. Exemplum eſt, extat præſumptio iuris & de iure, mulierem, contracto matrimonio per metum, ſi diu cum viro moram trahat, in virum conſenſiſſe & metum purgaſſe, *cap. ad id, de ſponſal.* Tamen aduerſus hanc præſumptionem iuris & de iure, admittitur indirecta probatio, nempe etiam illam cohabitationem fuiſſe violentam: qua quidem violenta cohabitatione probata tollitur illa præſumptio purgationis metus. Imola. Cardin. Alex. Abbas. Menoch Ita Imola, Cardinalis, Alexander *in d. cap. ad id,* & Abbas *in cap. ſi quiſidem num.5. de ſponſal.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt.65. num.3.* & alij. Limitatur tamen hic tertius modus probandi vt non habeat locum, quando lex, vel ſtatutum adimeret omnem & quamcumque probationem, ſiue directam, ſiue indirectam. Bart. Soc. Ita Bart. Soc. *in conſ. 242. circa primum, num. 7. vol. 2.*

7. Quartus modus probandi aduerſus prædictam præſumptionem eſt, quando probatio fieret per notorium. Ratio eſt, quòd probatio quæ fit per facti euidentiam, vt quid clarum & manifeſtum, nunquam cenſeatur excluſa, & ſi cæteræ omnes excluſæ ſint. Baldus. Felinus. Menoch Ita Baldus *in l. contra negantem in fin. Cod. ad l. aquil.* Felinus *in cap. quanto, num. 5. de præſumpt.* Menochius *lib. 1. quæſt. 67.* & alij.

8. Quintus modus eſt, quando quis contra præſumptionem iuris & de iure vult probare ad hoc, vt in integrum reſtituatur ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa videbitur. Alexan. Ita Alexander *in l. inter ſtipulantem, §. 1. ff. de verbor. obligat. & in l. ſi infanti, num. 9. C. de iur. delib.* Alciat. Menoch Alciatus *de præſumpt. in præiud. part. 2. num. 18.* Menochius *lib. 1. quæſt.70. de præſumpt.* Et hoc modo poterit ſuccurri tutori, qui imprudenter bona ſua deſcripſit in inuentario tanquam bona pupilli. Recepta tamen illa opinio declaratur ſecundùm Alciatum, vt non procedat quando ſpecialis præſumptio iuris & de iure eſſet, petentem ſe reſtitui non eſſe læſum. Hæc autem reſtitutio in integrum aduerſus dictam præſumptionem conceditur intra quadriennium, iuxta generalem conſtitutionem, *l. vlt. C. de temp. in integrum reſtitut. petend.* & tempus illud vtile dicitur, & à die ſcientiæ currit, vt ait Menochius Menoch *loco cit. quæſt. 71.*

9. Sextus modus eſt, quando fit probatio per proteſtationem quæ vel præceſſit actum, vel in ipſo actu interuenit: quia tunc probatio valet, modo proteſtatio fuerit fundata vel veſtita iuſta cauſa, ſecus ſi iuſtam cauſam non contineret. Hinc infertur, primò quòd præſumptio iuris & de iure eſt, quod nouitia quæ aſſumit habitum profeſſarum, vel ſe ingerit in actibus ad eas pertinentibus, ſit profeſſa: tamen admittitur probatio proteſtationis factæ ante aſſumptionem habitus, vel in ipſa aſſumptione, quod non intendebat profiteri. Butrio. Alciat. Menoch Præp. Ita Antonius de Butrio *in cap. ſi quiſidem, de ſponſal. & in cap. vidua de regular.* Alciatus *de præſumpt. in præiud. part. 2. num.20* Menochius *loco cit. quæſt. 75. num. 3.* Præpoſitus *in cap. Ferrum diſt.50. verſ. aut probatio eſt veſtita.*

Infertur *Secundò*, quod ſi poſt ſponſalia de futuro contracta ſponſus & ſponſa inuicem proteſtarentur, quòd quamuis ſequatur copula, non intendunt ſponſalia debere tranſire in matrimonium, nec illud velle contrahere: attamen huiuſmodi proteſtatio nil prodeſt, nec eam præſumptionem iuris & de iure tollit: quia ex ea proteſtatione peccatum fornicationis inducitur. Ita præcitati Doctores *in cap. veniens, il 2. extra de ſponſalib.*

10. Negatiua pura, quæ alias indeterminata dicitur, nullo modo probari poteſt, vt patet *in cap. ſuper hoc in fine extra de renunciat.* vbi dicitur, quòd negantis factum per rerum naturam nulla eſt probatio: quod idem notatur *in cap. quoniam contra, in princip. de probation.* vnde huiuſmodi negatiua adeò improbabilis eſt, vt neque directè, neque indirectè probari poſſit, vt communiter notant Doctores, Gloſſa *in cap. bona memoria, il 1. in verbo, per rerum naturam, de elect. & in cap. accuſator 6. quæſt. 5. verſ. negatiua facti.* Gloſſa. Abbas. Io Andr. Anchar. Abbas *in cap. bona memoriæ, & ibi* Ioannes Andræas, & Ancharanus. Ratio autem eſt, quia probatio debet fieri per ſpecies, & differentias: ſed illud quod negatur, non eſt: illud autem quod non eſt, non poteſt habere ſubſiſtentiam: neque ſpecies, neque differentias; ergo negatiua reprobari non poteſt. Accedit quòd teſtis tenetur reddere cauſam dicti ſui per aliquem ex quinque ſenſibus corporis; ſed ſenſus corporei percipiuntur ex aliquo obiecto, ergo ſequitur, quòd negatiua oratio probari non poſſit, quia non ens non ponit, nec producit aliquod obiectum, vt Innoc. Roman. notat Innocentius *in cap. cum cauſam, num. 2. verſ. de cauſis de teſtibus.* Romanus *in l. illa ſtipula tione, ſub numero 22. ff. de verbor. obligat.* Tamen licet mera negatiua probari non poſſit, poteſt dictum negatiuum probari, vt Hoſtien. notat Hoſtienſis *in Summa, de probat. in §. quis debet probare in princip.*

11. Negatiua coarctata loco, & tempore, poteſt ſaltem indirectè probari, & probaretur *in cap. ex tenore, de teſtibus, & in l. optimam, Cod. de contrahenda ſtipulat.* Exemplum eſt, ſi quis arguatur occidiſſe Titium, vel contraxiſſe matrimonium cum Berta, tali die & loco, & vtrumque negauerit, poterit huiuſmodi negationem probare indirectè, probando quòd illa die in alio loco erat, vt tradunt Ioannes Andræas *in cap. bona memoria, il 1. ſub num.43. verſ. & ibi indirectè, de elect.* & ibi Abbas Io Andr. Abbas. Baldus. *num. 23.* Baldus *in l. Pamponius, §. rei, ff. de acquiren. hæredit.*

12. Præcipuus modus inter cæteros probandi negatiuam numeratur confeſſio partis aduerſæ, per quam iuriſperiti dicunt probari poſſe non ſolùm determinatam negationem, ſed etiam indeterminatam, *ex cap. 1. de confeſſis, in 6.* & ibi Archidiaconus *in verb. negatiuas,* Ancharanus *ibidem.* Archid. Anchar. Baldus. Baldus *in cap bona memoria, il 1. ſub num. 8. verſ. ſecunda regula eſt, de elect.* qui nouiſſimus ait, quod omnis negatiua, quæ non ſubijcitur ſenſui, nec per ſe, nec per accidens, non poteſt probari per teſtes, nec per aliquam ſcripturam mundi, niſi per ſcripturam confeſſionis. Nec hoc ſolùm procedit in Confeſſione expreſſa, ſed etiam in tacita, verbi gratia, iſta negatiua, tu non petiiſti conſilium, probatur ex tacita confeſſione rei non proponentis affirmatiuam, id eſt quòd conſilium petierit: ex eo enim quod tacet, conſentire, & confiteri videtur. Hinc emanauit iuris canonici prouiſio, qua cautum eſt, vt poſitio merè negatiua ſit admittenda, cùm per confeſſionem partis aduerſæ negatio poſſit probari, per textum *cap. 1. de confeſſis in 6.* & notat Bartolus Bartol. *in l. quidam in iure, num. 2. ff. de donat.* Quando autem poſitiones negatiuæ ſint admittendæ: Doctores concludunt, hoc eſſe iudici arbitrarium, æquitate tamen operante, Menochius *de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 4. in caſu 485.* Menoch Anchar. Ancharanus *in dict. cap. 1. de confeſſis in 6. in 5. notab.*

13. Secundus modus probandi negatiuam eſt, iuramentum per quod omnis negatiua probari poteſt, vt habetur *in l. ſed & ſi poſſeſſori, ff. de iureiur.* vbi per iuramentum probatur quod res non eſt tua. Ex quo infertur, quod hæres per iuramentum in actu indifferenti probabit, ſe animum adeundi hæreditatem non habuiſſe, & domum paternam poſſediſſe non iure paterno, ſed ex hypotheca materna, vt ait Baldus Baldus *in l. pro hærede, num. 2. de acquirend. hæredit.* Similiter appellans probabit per iuramentum ſe nõ potuiſſe proſequi appellationem detertã propter infirmitatem, vel propter abſentiam aduocati, vel ad ſuperſedendum à lite, vel ad obtinendam nouam dilationem. Hoc enim generale eſt; vt ea, quæ in animo noſtro conſiſtunt, per iuramentum noſtrum probentur, ſiue de negatiua, ſiue de affirmatiua tractetur, vt tradit Gloſſa *in cap. ſignificaſti, il 1. in verb. ſi eſt ita, extra de homicid.* Gloſſa. Abbas. Butrius. Anchar. Felinus. & ibi Abbas, Butrius, Ancharanus, Felinus. Quæ res adeò vera eſt, vt licet in cauſis criminalibus non deferatur iuramentum, in quibus probationes luce meridiana clariores requiruntur, *ex l. final. Cod. de probat.*

Ali-

Digitized by Google

Aliqnando tamen iudex in defectum probationum iuramentum reo deferre ſolet ad probandum ſe nō deliquiſſe, quod iuramentum purgationis appellatur, & valet ad abſoluendum, non autem ad condemnandum, quia non poteſt actori deferri ad probandam affirmatiuam, vt ait Bart. Anchar. Bartolus *in l. maritus, in fine, ff. de quæſtionibus*. Ancharanus *in cap. excommunicationis, §. qui autem, de hæretic*. Hoc autem iuramentum purgationis non paſſim cōcedi ſolet à iudice, ſed ſolùm quando nullæ probationes, nec vllæ vrgentes præſumptiones extant aduerſus reum, nam tunc ei datur iuramentum ad ſe purgandum à mala fama, quæ non habet originem à certis perſonis honeſtis, vt ait Blancus. Caſtren. Blancus *in l. fin. num. 64. verſ. aduertendum eſt, ff. de quæſt*. Caſtrenſis *in l. fin. C. de his qui ad Eccleſ. confug*. Verum ſciendum eſt, quod ſi actor eſſet perſona honeſta, & intentionem ſuam pluſquam ſemiplenè probaſſet, tunc poſſet iudex ei deferre iuramentum ad integrandam probationem, etiam in cauſa criminali, & ardua per text. *in cap. fin. in fine, de iureiuran*. cùm ſit hoc ipſi arbitrarium, vt tradit Roman. Romanus *in l. admonendi num. 104. ff. de iureiur*. Hæc tamen opinio procedit ſolum in cauſa criminali; quando tractatur de pœna pecuniaria; ſecus autem vbi de pœna corporali ageretur, vt tradit Iaſon. Pacian. Iaſon *in l. aiı Prætor, ſub num. 21. in fin. ff. de iureiur*. Fuluius Pacianus *de probat. lib. 1. cap. 39. num. 20*.

14. Tertius & frequens modus probandi negatiuam, fit per coarctationem loci, vel temporis, vt dictum eſt *ſup. num.* 11. Imò etiam probatur per coarctationem perſonæ, vel alterius rei determinatæ, ſiue loci, & temporis coarctatione, vt patet in eo, qui negat ſe occidiſſe Titiū: nam probando, quod ipſe Titius viuit, vel quod ab alio fuit occiſus, ſatis optimè dicetur probare negatiuam ſuam, quæ cenſetur eſſe coarctata ad perſonam Titij viuentis, vel ad factum determinatum alterius, qui occidit, vt ait Alberic. Albericus *in l. actor num. 2. in fin. Cod. de probat*.

Illud autem eſt notandum, quod teſtes ſuper huiuſmodi negatiua deponentes debent probare concludenter nō ſolùm circa locum, & tempus, verum etiam circa rationem dicti ſui reddendam: vnde quando teſtes volunt probare, me fuiſſe alibi eo die de quo factum eſt homicidium, debent dicere, quod toto eo tempore, vel tota die fui alibi, aliàs concludenter non probarent, per textum *in §. item verborum, in fine, Inſtitut. de inut. & ſtipulat.* & notauit Io. Andr. Abbas. Anchar. Felin. Ioannes Andræas *in cap. ex tenore, extra de teſtibus*, & ibi Abbas *ſub num. 2.* Ancharanus, & Felinus. Vnde in probanda negatiua debent teſtes de continuatione temporis docere affirmando quòd ea tota die, qua dicitur cōmiſſum maleficium, fuerunt continuè cum reo, ita quòd non potuiſſet delinquere, quin vidiſſent. Tamen prædictam temporis continuationem non eſſet opus probare, quando locus, in quo reus aſſeritur fuiſſe, tantum diſtaret, vt poſſibile non eſſet; quod eo tempore poſſet ad locum delicti acceſſiſſe. Propterea in tali caſu communiter obſeruatur, vt teſtes in reddenda negatiuæ rationem remoueant actum, à ſenſu non autem ſenſum ab actu, vt ſcilicet dicant, quod illud non fuit factum, vel dictum, & hoc ipſi ſciunt, quia fuerunt præſentes in eo loco, & tempore, quibus aſſeritur, illud fuiſſe factum, vel dictum, & amplius ſubiungere debent, quod illud non potuiſſet dici, vel fieri, quin ipſi audiuiſſent, vel vidiſſent, vt tradit Bald. Caſtren. Dec. Alexan. Baldus *in l. 1. num. 7. Cod. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabul.* Caſtrenſis *ibidem*. Decius *in cap. tertio loco num. 44. extra de probation.* Alexander *in conſ. 43. viſis, num. 18. volum. 4*.

15. Quartus modus probandi negatiuam, quæ dependet a tertio, fit, quando probatur oppoſita affirmatiua: nam vbicumque duo ſunt contraria, ſi probatur, quòd vnum exiſtat, oportet alterum abeſſe. Propterea ſi volueris probare, quod per triginta annos citra Titius non poſſedit fundum, huiuſmodi negatiua probabitur per oppoſitam, vel contrariam affirmatiuam, probando, quod alius dictum fundum per dictum tempus continuò poſſedit: quia ex affirmatiua ſequitur probatio negatiuæ, quoties enim ſuppoſitis principijs cadentibus ſub ſenſu teſtis, ſequitur aliquid, quod non videtur, ſemper illud inuiſibile per ſenſum probatur. Ita Abbas. Abbas *in cap. cum Eccleſia, num. 28. verſic. vel defende, de cauſa poſſeſſionis, & propriet.* Felin. Aretin. Felinus *in cap. tertio loco, de probation.* Aretinus *in cap. cùm cauſam, ſub num. 37. de teſtibus, & in cap. tertio loco, num. 9. de probation.* qui nouiſſimus notat, quod negatiua facti poteſt probari per teſtes, quando cadit in ſcientiam teſtis, vel per æquipollentem affirmatiuam, vel per accidens, quo poſito negatiua præſumatur, vel de neceſſitate concludatur, *l. optimam, in fin. Cod. de contrahend. vel committ. ſtipulat*.

16. Quintus modus, quo negatiua probatur, fit per inſpectionem ſcripturæ; vel alterius ſubiecti, vel rei euidentiam. Qui quidem modus in materia probationum valde generalis, & aptus eſt, non ſolum ad probationem negatiuæ, verum etiam ad probationem affirmatiuæ: nam quando affirmatiua venit probanda per certam ſcripturam, tunc poteſt per eandem negatiua probari, & tali modo per viſum probatur non viſum. Ita Bald. Baldus *in l. final. numero quinto de reb. credit.* Sic probatur per inſpectionem inſtrumenti, quod quis non eſt deſcriptus inſtrumenti, ait idem Baldus *in cap. tertio loco num. 10. de probation.* Item quod quis non ſit exemptus, probatur per inſpectionem priuilegij, vt ait Butrius. Butrius *in cap. audiens, in 2. not. de in integr. reſtit.* Huiuſmodi autem probatio, quæ fit ex inſpectione ſcripturæ adeò eſt priuilegiata, vt ait Baldus. Alexan. Baldus *in l. contra negantem num. 10. in fine, Cod. ad leg. Aquil.* Alexander *in conſ. 35. num. 6. volum. 4.* Verùm etiam debet ſemper a iudice admitti non obſtante ſtatuto omnes exceptiones excludente. Felin. Baldus. Felinus *in cap. inter cæteras, de ſentent. & re iudicat.* Baldus *in l. ex his prædijs, Cod. de euict.* tunc enim exceptio ex actis reſultans non intelligitur excluſa. Secus dicendum vbi ſtatutum permitteret quidem opponi omnes exceptiones, ſed limitaret tempus infra quod opponendæ forent; nam tunc elapſo tempore cenſeretur excluſa etiam illa exceptio, quæ actorum inſpectione probaretur, vt notat Alexan. Alexander *in conſil. 105. num. 8. verſic. quia reſpondeo, volum. 5. & in conſil. 225. ſub num. 14. volum. 6*.

17. Sextus modus probandi negatiuam fit per ipſos auctores ipſius negatiuæ deponentes de facto proprio: & hic modus efficaciſſimus eſt ad probandam meram negatiuam non coarctatam, quia negatiua abſoluta cadit in ſenſum teſtis de facto proprio deponentis, ergo teſtis poteſt probare negatiuam non coarctatam, quando in facto ſuo verſatur. Proinde ſi dicatur Titium feciſſe aliquid, & aduerſarius hoc neget, ſi Titius fuerit productus in teſtem, poterit teſtificari ſe non feciſſe, & valebit eius teſtificatio tanquam pendens à facto ſuo, ſecus ſi penderet a facto alieno. Ita Baldus. Caſtren. Imola. Baldus *in lege nec ſi quis, ff. de acquirenda hæreditate*. Caſtrenſis, Imola *ibidem*.

Hoc modo probatur legatum non fuiſſe factum per teſtes in teſtamento adhibitos dicentes, ſe interfuiſſe teſtamento, & nullum legatum fuiſſe factum, Bartolus. Bartolus *in l. final. Cod. de reb. credit.* Similiter inſtrumentum reprobatur, ſi teſtes in inſtrumento nominati dixerint, prædicto inſtrumento ſe non fuiſſe præſentes, quia de hac negatiua facti proprij ipſis omninò credendum eſt, vt tradit Innocen. Io. Andr. Menoch. Innocentius *in cap. cum Ioannes num. 3. de fide inſtrument.* & ibi Ioannes Andræas *ſub num. 7 verſ. ſin autem*. Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 1. in caſu 105. num. 9*.

18. Dubium eſt, an teſti ſoli credatur, quando deponit de negatiua dependente à facto proprio, attento maximè quod nullum poteſt habere conteſtem? Partem affirmatiuā ſuſtinent Caſtren. Salic. Caſtrenſis *in conſ. 34. ego Paulus numero 2. Verſ. quæritur ergo*, Salicetus *in l. ſi quis decurio, in 4. oppoſitione, Cod. ad leg. Cornel. de falſis*, vbi ait, quod non ſolum tabellioni, ſed etiam cuicumque priuato ſoli creditur, quando de ſuo facto proprio interrogatur, quorum ſententiæ ſubſcripſerunt plurimi alij, Decius, Alciatus, Marſilius, &c. Decius. Alciatus. Marſil. Contrariam tamen, vt ſcilicet teſtis de facto proprio deponens ſolus non probet in præiudicium alterius, ſequuti ſunt Bartolus. Bartolus *in l. ne in arbitrijs numero 6. Verſ. tu dic clarius, Cod. de recept. arbitrar.* vbi ait, quòd licet iudex, vel arbiter finita cauſa poſſit teſtificari ſuper proceſſu, id eſt de re à ſe geſta, & valeat eius teſtimonium, tamen poteſt ei obſtare,

Butrius.

quod eſt ſolus, & ſic apertè ſentit, quòd ſolus non probat, Antonins de Butrio *in cap. cum à nobis, de teſtib.* & alij multi. Ratio eſt, quia *in dict. cap. cum à nobis habetur*, quòd non creditur iudici quacunque dignitate præfulgenti, qui in cauſis coram ſe vertentibus deponit, propter generalem regulam, qua cautum eſt, vt nemini ſoli credatur, quæ regula procedit, etiam vbi de facto proprio iudex teſtimonium tuliſſet. Tum quia *in Clement. 1. de probat.* habetur, ſpeciale eſſe in Papa, vt ei ſoli credatur, quando de facto proprio deponit, ergo in contrarium eſt ius commune. Cæterùm communiter recipitur, vt ſoli teſti de facto proprio deponenti tunc demum credatur, quando alia indicia, vel aliæ coniecturæ, cum dicto eius concurrunt: quamuis enim iura velint, vt in ferendo teſtimonio requirantur ad minus duo teſtes, nec ſufficiat vnus quauis dignitate præfulgeat, *l. iuſiurandi, C. de teſtib.* huc tamen debet intelligi, quando teſtes interrogantur de facto alieno, de quo habent notitiam per ſenſum corporeum: ſed ſi de facto pruprio interrogantur, tunc ſufficit vnus ſolus teſtis concurrentibus alijs indicijs. Ita Paulus de Caſtro *in l. quicumque in fin. Cod. de ſeru. fugit.* Alexander *in conſ. 192. ſub num. 14. volum. 6.* Socinus, Blancus, Herculanus, & alij.

Paul. de Caſt. Alexan. Socin. Blancus Hercul.

Hæc opinio maximè locum habet, dummodò vltra prædictas coniecturas aliæ quoque duæ qualitates in ipſo teſte interueniant, quarum prior eſt, vt ſit perſona honeſta; altera eſt, vt ſine affectione deponat non ad proprium commodum, ſed ad vtilitatem alterius. Nam perſona vilis, & infamis deponens contra alium de facto proprio, non facit plenam probationem, ſed ſemiplenam, Iaſon *in l. cunctos populos num. 65. Cod. de Summ. Trinit.* Teſtis autem deponens de re, quæ ad ipſum exonerandum ſpectat, licet deponat de facto ſuo, non eſt idoneus teſtis, & ideò repellitur. Ita Bartolus *in l. deferre, ff. de iure fiſci.* Vnde talis teſtis, nec etiam ſemiplenè probat, quando agit de ſe exonerando, vel de eius intereſſe, commodo & liberatione. Ita Bartolus *in l. omnibus in fin. verſ. ego feci, Cod. de teſtib.* & ibi Salicetus, & alij.

Iaſ.

Bartol.

Bartol. Salicet.

Plures hic modi probandi negatiuam poſſent adduci, puta per implicitam, vel incluſam affirmatiuam; per officium iudicis, per exploratores, & per edicta generalia; per peritos in arte; per famam; ſed de his videndi ſunt iuriſperiti, qui de tali materia tractauerunt ex profeſſo, nobis ſufficiat illos ſex modos breuiter attigiſſe.

19. Regulariter magis creditur teſtibus deponentibus affirmatiuam, quàm negatiuam, & hoc non ſolum quando ſunt pares numero, ſed etiam quando ſunt impares: communiter enim dici ſolet, quod magis creditur duobus teſtibus affirmantibus, quam decem, vel etiam mille negantibus. Et hæc communis omnium ſententia, quæ procedit, etiamſi teſtes affirmantes nullam cauſæ rationem redderent. Ratio eſt, quia cùm affirmatiua offerat ſe ſenſui, poteſt reddi ratio credibilioris cauſæ, quod ſecus eſt in negatiua, quæ non ita ſe offert ſenſui: quia facta ſe manifeſtant, ſed non facta latent. Ita Baldus *in l. actor num. 21. Cod. de probat.* Innocentius *in cap. extirpandæ, extra de præbend.* Declaratur tamen concluſio, vt habeat locum, quando teſtes ſuper negatiua deponentes, aut nullam, aut inefficacem, cauſam ſcientiæ redderent: vel quando affirmatiua perciperetur à ſenſu corporeo, & negatiua non: quia tunc magis creditur affirmantibus; ſeu ſecus, quando vtraque id eſt tam affirmatiua, quam negatiua à ſenſu corporeo non poſſet percipi, & deberet vtraque probari per medium alicuius ſenſati & ſigni affirmatiui: nam tunc tantum crederetur negantibus, quantum affirmantibus, quia vtraque probatio diceretur mediata & indirecta. Ita Baldus *in l. cum his, §. nihil, num. 3. verſ. ex his apparet, ff. de tranſact.* Aretinus *in cap. in noſtra, num. 16. de teſtibus*, & ibi Felinus *ſub num. 8. verſ. & iſtis adde, & num. 6. verſ. Fallit ſecundo*, & in hoc caſu non ſolum teſtis negatiuè deponens tenetur etiam non interrogatus reddere rationem dicti ſui; verum etiam tenetur eandem reddere teſtis ſuper affirmatiua teſtificans, vt tradunt Fuluius Pacianus *de proba. lib. 1. cap. 50. num. 11. & 121.* & alii penes ipſum citati.

Bald. Aretin. Felin.

20. In negatiua coarctata, loco, tempore, rebus, vel perſonis, tantùm creditur teſtibus negantibus, quantum affirmantibus, & pari paſſu ambulant negatiua, & affirmatiua. Ita communiter Doctores poſt Baldum *in l. diem proferre, §. ſi plures, num. 2. ff. de recept. arbitr. & in cap. cum Eccleſia, num. 8. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Abbatem *in cap. in noſtra, in fine, de teſtib.* Io. Andream *in cap. bonæ memoriæ, il 1. num. 58. verſ. de auditu, de elect.*

Bald.

Abbas.

Io. Andr.

Vt autem probatio huius coarctatæ negatiuæ ſit efficax & probationi affirmatiuæ æquiualeat, oportet, vt in ea probanda teſtes remoueant actum à ſenſu, non autem ſenſu ab actu, quando qualitas coarctationis id ſuadet, hoc eſt, quod teſtis dicitur remouere actum à ſenſu, quando dicit, quod ipſe ſcit, quod ille actus, vel illud maleficium non fuit factum, quia ipſe fuit præſens tali die, & hora, in tali loco, quibus ille actus, vel illud maleficium aſſeritur eſſe factum, nec potuiſſet fieri, quin ipſe vidiſſet & audiuiſſet. At è conuerſo ille dicitur remouere ſenſum ab actu, qui deponit non vidiſſe, nec audiuiſſe dici, vel fieri illud, quod factum eſſe dicitur, vel dicit, quòd non recordatur, vel quòd non fuerit præſens, aut quòd neſcit fuiſſe factum, quæ teſtificatio nihil valet, cùm poſſibile ſit, quòd illud maleficium ſit factum, vel dictum, & a teſte non ſit viſum, vel cognitum. Ita Baldus *in l. 1. num. 7. verſ. quæro, Cod. de bonorum poſſeſſ. ſecundum tab.* & ibi Caſtren. *in fine.* Proinde ſi teſtes in probãda negatiua coarctata remouerint actum à ſenſu, eo modo quo ſupra, concludendum erit, quod ſicut inter affirmantes & negantes nulla eſt differentia, ita etiam inter eos æqualiter probantes ſeruanda erit regula, quæ dicit, ſtandum eſſe, aut deponentibus veriſimiliora, vt tradit Iacobus de Arena *in l. 1. num. 2. verſ. non eſſe grauidam, ff. de ventr. inſpicien.* & ibi Albericus *ſub num. 6.* Aut dignioribus, vt notat Baldus *in cap. 1. num. 3. verſ. ſed in teſtibus, de controuerſ. inter m. e. & domin. de petitione feudi.* Bartolus *in l. diem proferre, §. ſi plures, in fin. ff. de recept. arbitr.* Aut maiori numero, vt tradit Baldus *in l. heredes palam n. 6. ff. de teſtam.* Bartolus *ibid. num. 7.* Quis enim dubitat pauciores nobiles multis ruſticis, ac vilibus eſſe præferendos? & credendum magis eſse Cardinalibus paucis, quam multis pannoſis clericis? Quando autem teſtes hinc inde in omnibus, & per omnia ſunt pares quo ad veriſimilitudinem, numerum, & dignitatem, tunc inter negatiuam coarctatam, & affirmatiuam, nulla eſt differentia, & tenenda diſpoſitio textus *in l. ob carmen, §. final. ff. de teſtib.* quia tunc probationes inuicem ſe eliduut & conqualſantur, & reus debet abſolui, quia actor non efficaciter probauit, vt ea communi tradunt *in d. leg.* Albericus, Salicetus, & Decius *in cap. ex litteris num. 22. verſ. & iſta concluſio, de probat.*

Iacob. de Aren. Alberic. Bald. Bartol.

21. Ille, qui negat factum, regulariter non probat, vt habetur *in l. 2. ff. de probat. & cap. accuſator 6. quæſt. 5. & cap. quoniam contra, de probat.* Vnde negatiua facti ſatis efficaciter probatur eo ipſo, quòd contrarium non probatur: Ratio eſt, quia ſicut facta non præſumuntur, niſi probentur, ita conueniens eſt, vt pro negante factum regulariter præſumatur, vt ait Baldus *in l. 1. ſub num. 24. Cod. de confeſſis*, omnes enim negationes ſunt liquidæ iuris præſumptiones, cùm ſint probatæ eo ipſo, quòd contrarium non probatur, vt dicit idem Baldus *in cap. final. num. 1. verſ. item quia omnes de probat.* Hoc tamen procedit dumtaxat in caſibus à iure expreſſis; nam in alijs dicendum eſt, vt excipiens probare teneatur ſuã exceptionem, ſiue negatiuè, ſiuè affirmatiuè excipiat, vt notant Innoc. *in cap. ſuper his, de accuſat.* Archidiac. *in cap. accuſator num. 3. verſ. & nota 6. quæſt. 5.* Non procedit tamẽ prædicta propoſitio, *Primo*, quando præſumptio iuris eſt contra negantem; nam tunc ipſi neganti, non autem affirmanti incumbit onus probandi, *ex l. nec codicillos, Cod. de codicill.* vt tradunt Io. Andr. *in cap. ſine poſſeſſione, de reg. iuris in 6.* Bartolus *in l. actor, num. 6. Cod. de probat.* vbi dicit, quòd neganti incumbit onus probandi, quando præſumptio iuris eſt contra negantem; ſicut è conuerſo, quando præſumptio eſt pro negante, tunc ipſe non debet probare, ſed affirmans.

Bald.

Ex quibus infertur, quòd quando quis vult probare aliquid contra illud, quòd lex præſumit, tunc requiruntur

tres

Digitized by Google

Specul. Boer. tres teſtes idonei, aut ſaltem duo excellentes, vt ait Speculator *in §. final. ſub num. 18. de probat.* Boerius *in gloſſ. 24. num. 3. de ſtatuaria vrbis præſumpt.*

Secundo, non procedit, quando per inſtrumentum, vel per teſtes actor plenè ſuam affirmatiuam probaſſet: nam tunc reus, ſi non vult condemnari debet contrariam negatiuam probare, *ex l. optimam, C. de contrahend. ſtipul. & cap. ex tenore, extra de teſtib.*

Tertio: non procedit fauore Eccleſiæ, veluti quando Eccleſia petit bona, quæ clericus tempore mortis poſſidebat: nam tunc hæredi conuento incumbit onus probādi negatiuam, id eſt, quod ea bona non ſunt Eccleſiæ.

Quarto, non procedit in his, quibus negatiua probanda eſt per Sacramentum, ex diſpoſitione legis, vel ex commiſſione Iudicis, vt habetur *in l. præſenti, §. ſi verbi depoſita, Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.*

22. Negatiua facti probanda eſt ab eo, qui ſe fundat in illa: quia quilibet eſt obligatus probare, ſiuè ſit actor, ſiuè reus, illud, quod eſt fundamentum ſuæ intentionis; ſiuè negatiua ſit probabilis, ſiuè ſit improbabilis, ſiquidem imputandum eſt ei, qui in negatiua impoſſibili ſe fundauit; quia boni viri debent ea tacere, quæ probare non poſſunt, vt habetur *in cap. plerumque 2. quæſt. 7.* Ex quo infertur, quod ſi actor petit quem remoueri à beneficio, quia non eſt ordinatus, vel quem repelli ab hæreditate, quia non eſt filius legitimus defuncti, tunc ipſi neganti incumbit onus probandi, etiamſi prædictas negatiuas probare non poſſit. Imola. Gemin. Ita Imola *in l. hoc iure, ſub num. 11. ff. de verb. oblig.* Geminianus *in cap. accuſator, §. hoc autem, ſub num. 7. cauſ. 6. quæſt. 5.* Procedit aſſertio non ſolùm in negatiua facti, ſed etiam in quocumque alio genere negatiuæ, ſiue iuris, ſiue qualitatis: ſiue negatiua ſit fundamentum actionis, ſiue ſit cauſa exercitij actionis meæ, vt quia non poſſim peruenire ad pignorum poſſeſſores, niſi quando principalis non eſt ſoluendo, quod quidem ego probare debeo, Bart. vt ait Bartolus *in l. in illa ſtipulatione, ſub num. 5. & 10 ff. de verbor. oblig. & in l. actor, num. 6. Cod. de probat.*

Limitatur tamen dicta aſſertio vt non habeat locum in opponente exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel in dotem traditæ, nam tunc affirmanti numerationem, Bartol. Iaſon. Salic. & non neganti incumbit onus probandi. Bartolus *in l. in illa ſtipulatione, num. 5. verſ. fallit, ff. de verbor. oblig.* & ibi Iaſon *num. 12.* Salicetus *in l. exceptionibus, ff. de probat.*

Limitatur *Secundo*, quando aduerſarius eſt obligatus neganti adimplere affirmatiuam, nam tunc qui ſe fundat in negatiua non probat, ſed affirmans. Exemplum ponit Bartolus *in dict. l. in illa, num. 6.* vbi ait, quòd ſi promiſiſti ſiſtere tali die in iudicio ſub certa pœna applicanda vel mihi, vel fiſco, ſi ego, vel fiſcus elapſo die agamus ad pœnam, quia tu non veneris, licet fundamentum noſtrum ſit in negatiua, tibi tamen incumbit onus probandi veniſſe, vel fuiſſe impeditum ex iuſta cauſa, quia noſtra intentio ſatis eſt fundata ex promiſsione, quam tu debes implere. Ita etiam Salicetus *in l. 2. ſub num. 15. in quæſt. 8. in fin. C. de iure emphyt.*

Limitatur *Tertio*, quando præſumptio iuris eſt pro eo, qui ſe fundat in negatiua: tunc enim affirmanti, & non neganti incumbit probatio, vt ait Bartolus *in dict. l. in illa, num. 1.*

Quinto fallit, quando Iudex procedit ex officio contra ſubditum ex cauſa negatiua, quia dicit ipſum non eſſe ordinatum vel canonicè inſtitutum: tunc enim non Iudici neganti, ſed ſubdito affirmanti incumbit onus probandi. Ita Io. Imola *in l. hoc iure, ſub num. 11. verſ. aduerſe tamen, ff. de verb. oblig.* Francus *in cap. ſi iudex in fin. de ſent. excom. in 6.* & alij.

23. Negatiua iuris probanda eſt à negante, quando negatur illud, quod eſt de genere permiſsorum, *l. ab ea parte, ff. de probat.* & ibi Bartolus, Baldus, & alij. Quod procedit, ſiue negatiua proponatur ab actore, ſiue à reo, vt ait Gloſsa 1. *in d. lege.* Ex quo fit, quod onus probandi incumbit ei, qui dicit aliquem non poſse eſse teſtem, Aduocatum, Procuratorem, &c. Nam cùm talia intelligantur eſse à iure permiſsa, qui dicit aliquem eſse prohibitum ab eo, quod regulariter eſt à iure permiſſum, probare debet: quia omnia intelliguntur eſse permiſsa à iure, quæ ſpecialiter prohibita non inueniuntur. Tum etiam, quia ſatis fundatam intentionem dicitur is habere, qui ſe fundat in regula iuris, nam allegant exceptionem à regula incumbit onus probandi, vt notat Iaſon *in l. ex quacumque, num. 33. ff. ſi quis in ius.*

Notandum tamen eſt, quod eſt quædam negatiua iuris quæ nullam habet miſturam facti, & in hoc caſu neganti incumbit onus probandi, quæ probatio fit per aperturam libri, ſi agitur de iure communi, quo iura omnia cenſentur eſse licita, niſi ſpecialiter ſint prohibita, vt ait Bartolus *in dict. l. ab ea parte, ff. de probat.* Quod tamen fallit, quando quis negat ſimpliciter ius ſcriptum, nam tunc aduerſarius debet illud probare, id eſt allegare: Negans autem ius alicuius ſpecialis ſtatuti, vel decretalis, vel alicuius extrauagantis non habet neceſsitatem probandi, ſed probare debet, qui affirmat illud ſtatutum; vel illam extrauagantem facere ius, & eſse in obſeruantia, vt ait Archidiaconus *in cap. 1. num. 3. verſ. ſi verò, diſt. 19.* Archid. Felin. Felinus *in cap. Paſtoralis, verſ. item ſcias, de fide inſtrum.*

Alia eſt negatiua iuris quæ habet aliquam facti, miſturam, vt quando dico te non poſse eſse Aduocatum ob tale impedimentum, tunc onus probandi incumbit neganti; quia qui negat licere, quod eſt de genere poſsibilium, debet probare negatiuam; & in tali caſu negans nō probat ius, quia ius non indiget probatione, cùm ſit certum & finitum, *l. 2. ff. de iur. & facti ignorant.* Sed debet probare factum, propter quod perſona de iure repellatur ab actu facto, vel faciendo. Ita Baldus *in l. ab ea parte, in 1. notab. C. de probat.* & ibi Salicetus.

Et hæc de probationibus breuiter attigiſse ſufficiat, reliqua Iuriſperitis duximus examinanda.

Vide tom. 1. verb. Adulterium num. 17. & ſeq. Exemptio num. 3. & hoc tomo verb. Legatum num. 17. Matrimonium a num. 39. & 40.

PROCESSIONES.

SVMMARIVM.

1 *An Clerici omnes, etiam exempti teneantur ad proceſſiones publicas accedere, ſi fuerint vocati.*
2 *Qui Religioſi ſint priuilegio muniti, ne inuiti compellantur ab Epiſcopis proceſſionibus intereſſe.*
3 *An Religioſi qui diſtant ab vrbe, ſeu loco vbi fiunt proceſſiones vltra vnum milliare, teneantur ad eas accedere? Et an ſufficiat etia diſtantia dimidij milliarij.*
4 *An Fratres Minimi, S. Hieronymi in Hiſpania cogi poſſint proceſſionibus intereſſe.*
5 *An Religioſi qui per 40. annos poſt Conc. Trident. non ſunt conſueti accedere ad proceſſiones, poſſint ad id cogi.*
An exempti à lege eundi ad proceſsiones, ſi ab Epiſcopo vocati pluries acceſſiſſent, perdant priuilegium.
An Epiſcopi poſſint per cenſuras cogere regulares vocatos accedere ad proceſſiones, ſi venire recuſent.
6 *An lites & controuerſias omnes de præcedentia inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quam Regulares, componere poſſit Epiſcopus appellatione remota.*
7 *Bulla Gregorij XIII. de præcedentijs inter Ordines Mendicantes in proceſſionibus, refertur.*
8 *An regulares poſſint facere proceſſiones extra ſuos Conuentus.*

1 EX Decreto Conc. Tridentini *ſeſſ. 25. de regul. cap. 13.* Clerici omnes, etiam exempti, tam ſæculares, quàm regulares, etiam Monachi, tenentur ad proceſsiones publicas accedere, & ad id compelli poſsunt à locorum Ordinarijs. Non tamen tenentur exempti ſpōte comparere, niſi vocētur. Nec etiā omnibus proceſsionibus intereſse cogi poterunt, niſi fiant ex aliqua magna cauſa, vt puta imminente peſte, ſeu alio flagello, vel pro pace, aut etiam in nouo introitu Epiſcopi, vel Legati, Concil. Trident.

Xx 2 vel

vel ad generales Litanias, quæ fiunt poſt Paſcha, & ante Feſtum Aſcenſionis Domini, vel ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum accedere conſueuerunt, non tamen ad alias, vt ſtatuit Pius V. in ſua Conſtitutione quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines*, vbi §. 29. ſic ait: *Poſtremò, quod cap. 13. ſeſſ. 25. cautũ fuit, quòd omnes ſcilicet tam Clerici, quàm Regulares quicumque ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, id quo ad Fratres præfatos, de illis tantùm proceſſionibus intelligi volumus, ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. Quod etiam de illis Conuentibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus Fratres ſub arctiori clauſura degunt, ita ut nec in Choro canteni, nec ad mortuos accedant, ſed tantùm ſtudijs, & lectionibus vacent.*

Super quibus ita à Sacra Congreg. declaratum fuit: *Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, vt eant ad proceſſiones publicas, vtpute in Feſto Corporis Chriſti, in Litanijs, & Iubilæis publicis faciendis, in plebibus, in quibus ipſi habent Monaſteria, dũmodo proceſſiones ſint eius generis, quod in Bulla S.D.N. Pij V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit,* Etſi Mendicantium, *publicata 17. Kal. Iunij anno 1567. comprehendantur: & dummodo Regulares non ſint ex illis Conuentibus Collegia nũcupatis, quæ in eadẽ Bulla excipiuntur.* Ita Peyrinus *tom. 2. priuil. Minimor. in annos. ad Conſtit. 7. Pij V. §. 29. num. 25.* Rodriquex *tom. 3. qq. regul. quæſt. 36. art. 1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 78. num. 8. & 14.* Cokier *de iuriſdict. Ordin. in exempt. part. 2. quæſt. 45. num.* 109.

Rodriq. Barboſa. Cokier.

2. Summus Pontifex quoſdam regulares, qui clauſuram ſeruant, vt ſunt Carthuſiani, Benedictini, & Ciſtercienſes, exemit ne inuiti compellantur ab Epiſcopo, aut ab alijs quauis dignitate fulgentibus intereſſe publicis funeralibus, etiam Principum. aut publicis proceſſionibus, ſeu ſupplicationibus, niſi pro cauſa publica, & ne ſuper hoc permittant eos ab alijs inquietari, vt Gregorius IX. determinauit *in cap. nimis praua, de exceſſ. Prælator. & cap. nimis iniqua.*

Poſt Concilium Trid. Greg. XIII. conceſſit Religioſis Societatis Ieſu exemptionem ab intereſſentia in ſupplicationibus, ſeu precibus, & proceſſionibus publicis, inhibuitque Ordinarijs quauis dignitate fulgentes, ne Religioſos dictos ad intereſſendũ proceſſionibus quouis modo cogere, ſeu ſuper præmiſſis inquietare, ſeu inquietari facere audeant, vel permittant. Ita habetur *in Compend. Societatis, tit. Proceſſiones.* Nec obſtat, quod Gregorius XIII. in hac conceſſione non dixerit, non obſtante Concilio Tridentino, quod vt reuocatum cenſeatur eſt neceſſarium, iuxta quod tradunt communiter Doctores; ſatis tamen colligitur ex procemio, & ex plana mente Pontificis; quia in proœmio dicto cõceſſionis præmittit ibi, quidem forſitan auctoritate Conc. Tridentini, &c. Et poſtea ex certa ſcientia addit derogationem etiam Concilij generalis, quod æquatur ſpeciali derogation Conc. Trid. Et ideò cùm mentionẽ fecerit in principio Concilii Tridentini, & cùm fuerit cum deliberatione locutus, cenſendum eſt prædicto Concilio quoad hoc derogaſſe, alias ad nullum effectum eius indultum prodeſſet. Nam interdum derogatio Concilio generalis habetur pro ſpeciali, vt tradunt Henriquex *lib. 7. de Indulg. cap. 26. num. 3.* apud Rodriquez *tom. 3. qq. regul quæſt 36. art. 2.*

Henriq. Rodr.

3. A prædicta etiam lege eundi ad proceſſiones eximuntur illi Religioſi, qui diſtant ab vrbe, ſeu loco vltra vnum milliare. Sic enim ſtatuit Leo X. in Concilio Lateranenſi, vt habetur in Cõpend. Priuileg. Mendic. *verb. Proceſſiones, §. 2.* Imò ex duplici declaratione, ſeu deciſione Eminentiſs. Cardinalium, ſufficit diſtantia dimidij milliarij, vt non teneantur regulares accedere ad proceſſiones, vnam ex his declarationibus refert Quaranta *in Summ. Bullary, verb. Priuilegia Regularium*, his verbis: *Congregatio Concilij etiam cenſuit, Regulares Monaſterij vltra medium milliare à ciuitate diſtãtes non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſſiones.* Habetur hæc deciſio in Decreto Sacræ Congreg. ſuper intelligentia & obſeruatione *cap. 12. verſ. Dies etiam Feſti, ſeſſ. 25. de regul. Conc. Trid.* anno 1602. ſub ſignatura Hieron. Card. Matthæus, & Io. Franc. Fagnanus Sacr. Congreg. Conc. Secret. Alteram adducit Marzilla *lib. 1. declarat. Card. tit. 12. cap. 14. §. Exemptiones*, & Barboſa *in Remiſſionibus ad cap. 13. de regul. num. 6. & 7.*

4. Olim Fratres Minimi non poterant cogi proceſſionibus intereſſe, iuxta eorum Mare magnum à Iulio II. conceſſum: niſi ad aliquas ſpecificatas pro omnibus Mẽdicantium Ordinibus, a Conſtitutione Pij V. (videlicet in Feſto Corporis Chriſti, in Litanijs, & in Iubilæis publicis) ſed hodie Regulares etiam exempti tenentur ad omnes, iuxta Decretum Concilij Trid. *ſup.*

Pius tamen Quintus anno Domini 1568. conceſſit Fratribus Sancti Hieronymi in Hiſpania, vt quouis prætextu, aut quæſito colore, ad incedendum in publicis, & alijs Proceſſionibus ab Ordinarijs locorum minimè ipſi Fratres cogerentur, nec teneantur ad eas exire, mandauitque Archiepiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, in Regnis Hiſpaniarum exiſtentibus, vt permittant ipſos Fratres hoc priuilegio pacificè vti: voluit tamen, quòd cum opus fuerit proceſſiones publicè fiunt, eas intra eorum Monaſteria faciant, non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, Synodalibus, &c. Concilijs editis Conſtitutionibus. Habetur hoc indultum *in Compend. Priuilegior. eorumdem Fratrum, collecto à Patre Garſia*, teſte Sorbo *in Compend. Priuileg. Mendic. in verb. Proceſſiones.*

5. Religioſi qui ex legitima præſcriptione 40. annorum poſt Tridentinum Concilium non ſunt conſueti accedere ad proceſſiones, non poſſunt ad id compelli etiamſi nullo ad præſcribendum muniantur titulo, dummodo tamen fuerint aliquando vocati, & illi ire renuerint: quia titulus ad huiuſmodi tam longi temporis præſcriptionem non requiritur, vt tenet communis Doctorum ſententia. Ita Rodriqnez *in addit. Summa tom. 4. cap. 105. num. 2.* Villalobos *in Sum. part. 2. tract. 35. diffic. 5. num. 8.* Rodr. Villalob.

Sed dubium eſt, an Religioſi exempti priuilegio Sedis Apoſtolicæ à lege eundi ad proceſſiones, ſi ab Epiſcopo vocati pluries acceſſiſſent, intelligantur, per contrarium vſum priuilegium amiſiſſe, & ſic in poſterum ad id compelli poſſe? Reſpondeo quòd non; quia tale priuilegium eſt meræ facultatis, quod nunquam amittitur per non vſum; & ſic taliter priuilegiati poſſunt ire, ſi volunt, ſi autem nolunt, abſtinere. Tum etiam, quia precariò acceſſiſſe videntur, & ſic nullum ius Epiſcopo acquiſitum eſt. Tutiùs tamen erit, quòd de eo fiat proteſtatio iuridica coram Notario, & cum publico inſtrumento in forma Collegij ſe accedere, ſaluo iure ſui priuilegij. Adde, quòd Canonicis Regularibus Lateranenſis Eccleſiæ eſt, vt licet per vnum, aut plures actus contraueniant ſuis priuilegiis ſcienter, aut ignoranter, nihilominus illa non perdant; quia priuilegia ſunt in bonum totius Religionis conceſſa, quibus Prælatus particularis, vel Monaſterium non poteſt renunciare. Ita Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 36. art. 3.* Portel *in dub. regul. verb. Proceſſiones, num. 6.* Rodriq. Portel.

Alterum dubium eſt, an Epiſcopi poſsint per cenſuras cogere regulares vocatos accedere ad proceſsiones, ſi venire recuſent? Reſpondeo per cenſuras ad id ab Epiſcopo aſtringi non poſse; ſed benè per alias pœnas Eccleſiaſticas; vt priuari à Confeſsionibus audiendis, & à Prædicatione Verbi Dei in Eccleſijs non proprij Ordinis. Probatur prior pars, quia Religioſi pluribus Sedis Apoſtolicæ priuilegiis tuti ſunt ne ab Epiſcopis, vel alijs quibuſcunque Ordinarijs, ex quauis cauſa excommunicari, ſuſpendi, vel interdici poſsint. Poſterior autem pars probatur, quia cùm ex diſpoſitione Concilij ſit eis commiſsa auctoritas Regulares ad proceſſiones cogendi; conſequenter cenſentur eis tradita facultas, eos aliquibus remedijs, vel alijs vijs opportunis ad id compellendi. Ita Rodriquex *tom. 3. qq. regular. quæſt. 36. artic. 1.* Henriquez *in Summ. lib. 7. cap. 25. §. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 33. num. 23.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 78. num. 25.* Quaranta *in Summ. Bullary, verb. Præcedentia verſ. an in caſu.* Portel *in dub. regular. verb. Proceſsiones in Addit. num. 1.* Qui duo vltimi referunt pluries per Sacram Congregationem fuiſse

Rodriq. Henriq. Sanch. Barboſa Quarãt. Portel.

decre.

Digitized by Google

decretum regulares exemplos per cenſuras non poſſe compelli; quia Epiſcopi non poſſunt contra illos Religioſos vti cenſuris niſi in caſibus illis expreſſè conceſſis à Papa. Sed Concilium Tridentinum *loco cit.* cùm concedit Epiſcopis, vt cogant Monachos ad proceſſiones, non exprimit, vt poſſint illos cogere per cenſuras: cùm ſuppetant alia media per quæ illos cogere poſſint, vt di-
Diana. ctum eſt. Ita Diana *part. 8. tract. 7. reſol. 5.* & alii multi apud ipſum contra nonnullos alios.

6. Lites ac controuerſias omnes, quæ de præcedentia inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quàm regulares in proceſſionibus publicis, aut ijs, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, accidere ſolent, Epiſcopus, omni appellatione remota, componit, ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. de regul. cap. 13.* Quod autem eas differentias componat omni appellatione remota, intelligendum eſt quoad effectum ſuſpenſiuum dumtaxat: & hæc compoſitio fieri debet breui manu, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, &
Campanile. figura iudicij, prout deciſum referunt Campanile *in diuerſ. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 120.* Barboſa *de offic.*
Barboſa. *& poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 78. num. 26.* vbi cum Rota in Colonien. Præcedentia 9. Iunij 1627. ſubdit Concilium Tridentinum *loco cit.* non ſuſtuliſſe appellationem deuolutiuam, in cuius gradu benè datur manutentio poſſeſſori. Hanc deciſionem Rotæ coram Eminentiſſ.
Tamb. D. Card. Vbaldo refert Tamburinus *de iure Abbat. tom. 3. deciſ. 113.* vbi habetur *num. 8.* Non obſtat, quòd in Cōcilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 13. de regular.* diſponatur, quòd Ordinarii poſſint præcidere controuerſias ſubortas in proceſſionibus: & ideò cùm Ordinarius in caſu noſtro decretauerit per modum prouiſionis Ordinem ſeruandum in iſtis præcedentijs, non poſſit ordo alterari, & dari manutentio dignitatibus, donec per rem iudicatam ſit negotium terminatum, iuxta deciſ. Rotæ *in recent. 332. num. 4. & 491. num. 11. par. 1.* Placuit enim Dominis ratio, quod Concilium ſolummodo diſponit, vt Epiſcopus poſſit prouidere, & ordinari, quod ſibi videbitur, ad euitanda ſcandala: & ordinatum ab eo debet quidem executioni demandari: ſed non tollit appellationem deuolutiuam, in cuius gradu benè datur manutentio poſſeſſori, vt aliàs cenſuit Rota in Hiſpalen. & Caurien. permutationis 11. Martij 1596. coram Giptio, & in Virdunen Vicariatus 1. Iunij 1616. coram bonæ mem. Buratto. Ita Rota ibi.

7. Quia nonnullæ lites, & controuerſiæ ſuper præcedentia in proceſſionibus ortæ fuerunt & præcipuè inter Ordines Mendicantium, Gregorius XIII. ad huiuſmodi controuerſias & lites dirimendas, ſtatuit, vt ille Ordo Mendicantium præcedere deberet in proceſſionibus, qui eſſet in poſſeſſione præcedentiæ, ac iuris præcedendi; quando verò non poſſet probari, aut conſtare de quaſi poſſeſſione præcedentiæ huiuſmodi; ſtatuit ipſe Summus Pontifex, vt ij Fratres Mendicantes in proceſſionibus, tam publicis, quàm priuatis, præcedere deberent, qui eſſent antiquiores in loco controuerſiæ: itaut ſi contigerit noua Monaſteria, aut domus alicuius Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus priùs erecta, & inſtituta eſſent: ille Ordo, qui prius Monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat. Huius autem Conſtitutionis tenor talis eſt.

GREGORIVS XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpoſcit Paſtoralis Officij munus, cui, diſponente Domino, præſidemus, vt ad ea ſollicitè intendamus, per quæ diſcordiarum & litium, ac controuerſiarum quarumlibet, præſertim inter perſonas Eccleſiaſticas materia tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quòd in multis Ciuitatibus, & Diœceſibus diuerſarum Mundi partium nonnullæ lites, & cauſæ, & controuerſiarum inter Fratres Mendicantes, alia etiam ſimiles lites, & controuerſiæ inter Confratres, Confraternitatum Chriſtifidelium, ſuper præcedentia, vel iure præcedendi, ortæ iam ſint, & oriri facilè poſſint.

Nos conſiderantes lites, cauſas, & controuerſias huiuſmodi in Eccleſia, præſertim inter religioſas perſonas, quæ relictis mundi vanitatibus, famulatum, & votum ſuum in humilitatis ſpiritu Domino, & Deo noſtro, qui ſe pro nobis vſque adeo humiliauit, vt formam ſerui acciperet, exhibere, & perſoluere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eſt humilitas, labem infundere, populoque ſcandalum generare, ac propterea illas omni ratione ſubmouendas, publicæque Religioni tranquillitati, ac Miniſtrorum Eccleſiaſticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum conſulendum eſſe rati, ac ſupremam huic negotio manum apponere volentes, necnon cauſas, lites, ſeu controuerſias huiuſmodi vbilibet, & coram quibuſuis iudicibus motas, & in quibuſuis inſtantijs indeciſas pendentes ab eiſdem Iudicibus harum ſerie ad nos aduocantes, illaſque penitus extinguentes, eiſdem Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponentes.

De nobis attributæ poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia huiuſmodi concedentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & cauſæ præmiſſorum occaſione ortæ iam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac iuris præcedendi ſunt, ij (quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & alijs ſubterfugijs prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus, tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non conſtet, de quaſi poſſeſſione præcedentiæ huiuſmodi inter Fratres qui ſunt Mendicantes, ij qui antiquiores in loco controuerſiæ; inter Confratres verò inter ſe litigantes, ij, qui prius ſaccis vſi ſunt, in proceſſionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant: itaut ſi contigerit noua Monaſteria, aut domus alicuius Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus prius erecta, & inſtituta ſint, ille ordo, qui prius Monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat.

Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia, in proceſſionibus, & alia in Concilijs generalibus, & alijs actibus publicis, ſiue priuatis, ratio circa modum præcedendi ſeruatur, nolumus per præſentes prærogatiuæ dictorum Ordinum quoad præcedentias huiuſmodi, quæ proprijs Ordinibus, præterquam in proceſſionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in proceſſionibus publicis ſub Conuentualium S. Franciſci, aut Minorum de Obſeruantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, vt ſolent, incedere poſſint, aliquod præiudicium generari. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum Ordinum, Congregationum, domorum, ac Confraternitatum quorumcumque, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in

dignitate Eccleſiaſtica conſtitute munitis, eadem prorſus fides tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſa.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 15. Iuly 1583. Pontificatus noſtri anno 12.

Anno à Natiuitate Domini 1583. Indict. 11. die verò Dominica 17 menſis Iuly, Pont. verò Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno duodecimo retroſcripta litera Apoſtolica in forma breuis expetita, affixa, & publicata fuerunt in acie campi Floræ, vt moris, per nos Petrum Guerram, & Melchiorem Riccium eiuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores.

Io. Baptiſta Bagni Magiſter Curſ.

Hæc conſtitutio habetur apud Laertium Cherubinum *in Bullar. nouo tom. 2. Bulla eiuſdem Pontif. 86.* quæ in Hiſpaniarum partibus non eſt vſu recepta, vt tradit Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 37. art. 4.*

8. Regulares de iure non poſſunt facere proceſſiones extra ſuos Conuentus, quia extra illos non habent territorium; & ita praxim obtinere, affirmat Zerola *in praxi Epiſcop. 1. part. tit. proceſſiones, verſ. Ad quartum*, Barboſa autem *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 78. num. 7.* ait per triginta paſſus extra ambitum Monaſterii id licere, per *cap. ſicut antiquitus 17. quæſt. 4.* (Zerola. Barboſa)

Cæterùm verius eſt ſtandum eſſe conſuetudini locorum; vnde in Portugalia vſu receptum eſt, vt Religioſi faciant proceſſiones extra ſuos Conuentus abſque aliqua Epiſcopi licentia, vt docent Portel *in dub. reg. verb. Proceſſiones, num. 8.* Villalobos *2. part. tract. 36. diffi. 5. num. 9.* vide Dianam *p. 3. tract. 2. reſ. 77.* (Portel. Villalob. Diana,)

PROCVRATOR.

SVMMARIVM.

1 *Quis dicatur procurator? & quomodo vnus ſit ſpecialis, alius generalis, vnus ad lites, alter ad alia negotia?*

2 *An procurator, & quiuis delegatus literas, & formam ſui mandati, vel commiſſionis exhibere debeat?*

3 *Quot annorum debeat eſſe procurator ad negotia, & ad iudicia? & quæ ſit differentia inter vtrumque?*

4 *De qua culpa teneatur procurator negotia, & ad iudicia?*

5 *Qui excludantur ab officio procuratoris?*

6 *Quæ conditiones requirantur in procuratore?*

7 *Quæ ſint peccata procuratoris?*

1 PRocurator dicitur, *qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat, l. 1. ff. de procurator.* nam procuratoris officium, ſpecies quædam mandati eſt. *Procurator alius* eſt ſpecialis, & *alius* generalis; item *alius* eſt ad lites ſiuè iudicia, & *alius* ad alia negotia tractanda. *Procurator ad negotia* ſtrictè dicitur is, qui inſtrumentum accipit à mandante ad aliquid agendum, loco & nomine ipſius, in iudicio vel extra; hinc eſt, vt acquirat actiones directè & immediatè non ſibi, ſed principali, Syluester *verb. Procurator*. Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 26. num. 6.* Filliucius *tract. 39. num. 14.* Molina *diſp. 351. num. 1. & 2.* & alij. (Syluest. Layman Filluc. Molina.)

2. *Procurator* ſicut & quiuis alius mandatarius, aut delegatus, literas & formam ſui mandati, vel commiſſionis exhibere cogitur, neque eius poteſtas ſe vlteriùs extendere cenſetur, quàm in literis expreſſum ſit: teneturque reddere domino rationem adminiſtrationis, & cedere illi iura & actiones, quæ ex tali adminiſtratione acquiſiuit, *l. procurator cui, ff. mandati, l. ſed & hæc, ff. de procur. l. Marius, Cod. de procurat. Perſona* tamen coniuncta ſine mandato admittitur ad agendum pro altero, modò curet alterum ratum habiturum. *l. minor, ff. de procurat.*

3. *Procurator ad negotia*, vt minimùm debet eſſe decem & ſeptem annorum, ad iudicia autem viginti quinque; ea autem *differentia* eſt inter vtrumque, quòd *procurator ad negotia* datus, alium ſubſtituere poteſt; niſi id ei prohibitum ſit, vel niſi ſpecialis negotij grauitas permittere non videatur; *procuratori* verò *ad iudicia* alium ſubſtituere conceſſum non eſt, niſi id in mandato contineatur, vel poſtquam ab eo lis conteſtata fuit, vel niſi in rem ſuam, id eſt, propriam vtilitatem datus fuerit; quia titulo donationis ceſſa eſt ipſi actio, *l. ſi procuratorem, §. ſi quis, ff. mandati*, Syluester *cit.* Filliucius *citat. num. 16.* (Syluest. Filluc.)

4. *Procurator ad iudicia* de culpa etiam leui, imò ſecundùm quoſdam, de leuiſſima quoque tenetur; quia exactam rei gerendæ peritiam præ ſe ferre cenſetur: at verò *procurator ad negotia*, ſicuti & alii mandatarij plerumque tantùm tenentur de culpa lata; niſi negotij qualitas exactam diligentiam requirat, *l. in procuratore, C. mandati.* Layman *cit. num. 7.* (Layma)

5. Non poteſt eſſe procurator furioſus, nec infamis, ſurdus, mutus, accuſatus de crimine, ſeruus, excommunicatus, vel conſtitutus ab excommunicato; ſi tamen eſſet occultum, teneret: nec regularis, niſi in caſu ſui Monaſterii iubente Prælato; ſi autem Religioſus à Monaſterio abſens ſit, poteſt cum voluntate Prælati præſumpta in iudicio agere; debet tamen agere non ſuo, ſed Monaſterii. Clericus in ſacris, vel beneficiatus coram Iudice ſæculari, in cauſis ſæcularibus non poteſt eſſe procurator, niſi cauſam ſuam, vel ſuorum, vel Eccleſiæ, aut perſonarum miſerabilium ſuſcipiat. Syluester *verb. procurator.* Layman *cit. num. 11. & 12.* Nauarrus *commentar. 2. de reg. num. 29.* Armilla *verb. Aduocatus, num. 5.* & alii. (Syluest. Layman Nauarr. Armilla.)

6. *In procuratore* quatuor conditiones requiruntur. *Prima*, ſcientia ſufficiens ad tale munus, alioquin peccat & tenetur ad reſtitutionem. *Secunda*, diligentia in tribus, *vt ſcilicet* petat terminos iuſtos in cauſa, probet quæ, & quando probanda ſunt: *item* vt reſpondeat in termino cauſæ, appellet ſuo tempore, alioquin tenetur damnis parti læſæ: *item* vt multis litibus non occupetur, ſed eas tantùm ſuſcipiat, quibus ſufficiat. *Tertia*, eſt veritas, quam debet ſeruare tam in ſeipſo, quàm in ſuis cliẽtibus, non ſit auctor mendacii, nec falſos teſtes inducat, nec petat dilationes ſuperfluas. *Quarta*, eſt iuſtitia, quæ poſita eſt, vt cauſam iniuſtam non ſuſcipiat etiamſi habeat aliquod caput iuſtũ: vt cauſas priùs ſuſceptas priùs procuret, & non plures accipiat, quam infra debitum tempus abſoluere poſſit, vt non inducat partes ad iniquã concordiam, vt non differat cauſam, vel peruertat iudicem, vel ex induſtria prolatet, vt longius ſalarium accipiat. Vt non petat terminos impertinentes, nec manifeſtet crimina occulta contrariorum teſtium, quando non eſt neceſſarium. Vt non exigat ſalarium immoderatum, nec accipiat munera, niſi iure conceſſa & promiſſa, vt comeſtibilia. Clauis regia *lib. 12. cap. 24.* Toletus *lib. 5. cap. 62.* Nauarrus *in man. cap. 25. num. 30.* Reginaldus *lib. 25. num. 680.* Filliucius *tract. 40. num. 245.* Bonacina *tom. 2 diſp. 10. quæſt. 3 punct. 4.* & alii. (Cla reg. Toletus. Nauarr. Reginal. Filliuc. Bonac.)

7. *Procuratoris* peccata ſunt, *Primò*, ſi cùm nõ ſit idoneus, officium tamen exercet. *Secundò*, ſi defendat cauſam quam ſcit eſſe iniuſtam, & tunc tenetur damna parti aduerſæ & ſuæ reſtituere, ſi eam de hac re non admonuit: quando autem eſſet dubia, ſemper poteſt patrocinari ob varietatem opinionum. *Tertiò*, qui perdit cauſam ſuæ partis iuſtam ob notabilem ſuam ignorantiam, vel negligentiam. *Quartò*, qui ob nimias dilationes & illicitas ſubornationes teſtium, notabiliter officit parti aduerſæ, habenti alioqui cauſam iuſtam. *Quintò*, ſi aduerſario ſecreta ſuæ partis pandat, aut pauperi non ſubueniat. *Sextò*, ſi ſtipendium immoderatum, aut ex eo quod non debet, accipiat, aut faueat aduerſæ parti. *Septimò*, ſi conueniat de quota litis, vt dimidia, tertia, quarta, &c. eſt enim id iure prohibitum; poteſt tamen conuenire, vt certa quantitas iuſta pro ſuo labore ſoluatur, ſiue vincat, ſiue non. Nauarrus *cit. n. 28. 29. & 30.* Filliucius *tr. 28. 2. p. num. 153. & 154* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 26. num. 10.* Reginaldus *lib. 25. num. 678.* (Nauarr. Filliuc. Layman Regin.)

De

De procuratore vide tom.1. verb. Cambium *num.9.* Donatio *num.7.* Fœmina *num.* 1. & hoc tomo verb. Irregularitas 5.*num.*14. Iuramentum 3.*num.*8. Matrimonium 1.*n.*9. & 10. Matrimonium 7.*n.*31. Paupertas religioſa *n.* 8. Pignus *n.6.*

SVPPLEMENTVM.

PROCVRATOR.

SVMMARIVM.

1 *An procurator, qui gratis obtinuit acta à Notario, vel gratis habuit Aduocatum poſſit vltra ſuum ſalarium retinere id, quod erat debitum Notario vel Aduocato.*

2 *An procurator vel negotiorum geſtor, cui conſtitutum eſt ſalarium centum aureorum in ſingulos annos, ſi poſtea ſubſtituat alium procuratorem, cui dat tertiam partem ſalarij, tuta conſcientia retinere reliquum poſſit?* Refertur duplex ſententia.

3 *Procurator, qui litigantis cauſam ſponte ſuſcepit non conductus, an poſſit peracta cauſa retinere ſibi ſtipendium, quod litigans ſoluiſſet procuratori, quem conduxiſſet.*

4 *An procurator poſſit fungi Officio Aduocati, vel Notarij, & ſtipendium illis debitum accipere.*

5 *An procurator pro memoriali compoſito diebus Feſtis, ſalarium accipere poſſit.*

6 *Quæ ætas iure requiratur in procuratore conſtituto ad matrimonium.*

7 *Licet procurator non præſumatur reuocatus, ab hac tamen regula receditur præſumptionibus & coniecturis, in quinque caſibus.*

8 *An procurator, cuius perſona electa eſt induſtria, alium ſuo loco ſubſtituere poſſit.*

9 *An procurator faciat dominium incidere in pœnam, licet non habeat ſpeciale mandatum, quando dominus ſcit & patitur.*

10 *Procurator ad negotia, an acquirat actiones directè & immediatè ſibi, an principali.*

11 *An Religioſis iure communi interdicatur munus Procuratoris vel Aduocati obire? & quando id illis licitum ſit.*

12 *Quis Superior poſſit ad hoc munus obeundum illis licentiam concedere.*

An Fratres Minores de licentia ſuorum Superiorum poſſint eſſe Procuratores? Refertur duplex ſententia.

13 *Quid nomine vtilitatis Monaſterij intelligatur in iure, qua poſita licet Religioſis id munus obire?* Refertur duplex ſententia.

14 *In quatuor caſibus poteſt religioſus Procuratoris vel Aduocati officio fungi.*

15 *An mandatum Procuratorium ad iudiciales vel extraiudiciales actus, acceptatum à Religioſo abſque Superioris licentia, ſit irritum, & exinde geſta inualida.*

1 PRocurator, qui obtinuit gratis acta à Notario, vel modicum ſoluit pro actibus Curiæ, vel gratis habuit Aduocatum, poteſt vltra ſuum ſalarium retinere id, quod erat debitum Notario pro actu, & Aduocato pro patrocinio, ſi Aduocatus, vel Notarius illa præſtiterunt in gratiam ſolius Procuratoris: nam ſic obligatur eis Procurator naturaliter ad tantundem. At ſi Notarius, aut Aduocatus non ea præſtiterunt intuitu Procuratoris, ſed indiſtinctè contenti ſunt modico ſalario, tunc Procurator nihil poteſt ſibi retinere, ſed omnia vertuntur in beneficium principalis, cùm non ſit donatum intuitu perſonæ Procuratoris. In dubio autem, an Notarius acta gratis conceſſerit intuitu Procuratoris, non præſumitur conceſſiſſe in gratiam Procuratoris; quia melior eſt conditio clientis ſuam pecuniam poſſidentis, & fieri poteſt, vt Notarius intuitu ipſius clientis, vel in honorem Dei, vel alia de cauſa acta gratis conceſſerit. Ita Bonacina *in decalog. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *nu.* 13. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 24. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 10. *quæſt.* 9. *num.* 296. & alij. Bonac. Clauis regia. Filliuc.

2. Quorumdam ſententia eſt Procuratorem, vel negotiorum geſtorem, cui conſtitutum eſt ſalarium centum aureorum in ſingulos annos vel pro tota cauſa, ſi poſtea ſubſtituat alium Procuratorem, cui dederit tertiam partem ſalarij, retinere poſſe reliquum tuta conſcientia, modo ipſe Procurator principalis ſuſceperit in ſe periculum cauſæ, vel periculum negligentiæ vel ignorantiæ ipſius ſubſtituti, & ſuſtineat onus admonendi ſubſtitutum & ſcribendi in ciuitatem, aut locum vbi moratur patronus, tunc retinere poſſe partem ſalarij, attenta qualitate laboris & periculi. Quod ſi nihil horum faciat, tunc totum ſalarium deberi ſubſtituto. Ita Toletus *lib.* 5. *cap.* 62. *num.* 5. Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 56. *num.* 683. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 24. *num.* 7. probabiliter. Tolet. Regin. Cla. reg. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, modo Procurator principalis hoc faciat de conſenſu ſaltem tacito, & ſine damno eorum quorum patrocinium ſuſcepit. Probatur *Primò*, quia pecunia tradita eſt vel promiſſa Procuratori, vt ipſi dominium acquiratur; ergo Procurator principalis poteſt ſibi partem retinere, reliqua idoneo ſubſtituto tradita. *Secundò*, quia nulli facit iniuriam; non clienti, cùm tantùm illi rependat, quantum promiſit, & per alium æquè idoneum ſuppleat; non ſubſtituto, cùm illi iuſtum ſtipendium tradat, vt ſupponitur, fieri enim poteſt, vt pretium non fuerit à lege taxatum, ſed alijs relictum ſit taxandum, vel latitudinem habeat. Ita Bonacina *loco citato, num.* 12. qui pro hac ſententia in ſimili caſu citat Sotum, Nauarrum, Suarez Vaſq. Rodriquez, Naldum & alios.

3. Procurator, qui litigantis cauſam ſponte ſuſcepit non conductus, poteſt, peracta cauſa, retinere ſibi ſtipendium, quod litigans ſoluiſſet Procuratori, quem conduxiſſet, ſi ob id aliquod lucrum perdidit, vel acceſſit aliquod damnum, niſi his expreſsè renunciauerit, nam in dubio non cenſetur gratis donaſſe, nec cum tanto damno alteri benefacere. Si autem gratis ſuſcepit tale munus, ſeu officium, nullum prætendere, vel ſibi retinere poteſt ſtipendium, etiamſi damnum lucri ceſſantis vel damni emergentis ea occaſione paſſus ſit: nam eo ipſo quo gratis ſuſcepit, ceſſit iuri ſuo, & ſtipendium aliaſque expenſas condonaſſe cenſetur. Si verò non gratis, nec liberaliter ſuſcepit munus, ſed animo mercedis, poteſt mercedem, quæ ordinario Procuratori tradita fuiſſet, prætendere: quia operarius dignus eſt mercede ſua, & quoties alia ſubeſt cauſa, quàm donationis, non præſumitur donatio. Ita Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 4. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 24. *num.* 6. Bonacina *loco citato*, *num.* 14. Trullench. Cla. reg. Bonacin. Quod ſi dum officium accepit, nihil cogitauit de mercede, attendenda eſt conditio litigantis. Si enim nobilis ſit, amicus, vel conſanguineus principalis litigantis, cenſetur gratis munus & officium accepiſſe: ſi autem ſit mercenarius, qui locare ſolet ad id operas ſuas, & ſit peritus in hac arte, poterit ſibi retinere, ſi eandem operam præſtiterit, quam Procurator præſtitiſſet. Ita Filliucius *tract.* 40. *c.* 10. *n.* 297.

4. Procurator poteſt fungi Aduocati, vel Notarij officio & ſtipendium accipere, modo illud faciat æquè bene, & ſine clientis damno & iniuria: imò rogare poteſt Aduocatos, vt ſubſcribant ſoluto modico pretio, reliquo ſibi retento. Ratio eſt, quia hoc videtur lucrum induſtriæ, nullique damnum iniuſtè infertur, cum vt ſupponitur, tam inſtrumenta, quàm conſilia, tam idonea, ac ſi eſſent ab Aduocato & Notario data & confecta: quidam enim Procuratores ad conſilia, vel inſtrumenta conficienda æquè ſunt idonei, ac ipſimet Aduocati, vel Notarij. Secus autem dicendum eſſet, dum Procurator conſilia, non ita erudita conficit, inſcio, vel reluctante cliente, qui vellet conſilia per inſtructiores Aduocatos, non ſolùm ſubſcribi, verum etiam proprio marte confici, vel quando Procurator non eſt tantæ dignitatis & ſcientiæ, vt tantum ſtipendium mereatur. Ita Bonacina *in Decalog. diſp.* 10. *q.* Bonacin.

Digitized by Google

Trul'ẽch 10.*quæſt.3. punct.4. num.15.* Trullench *loco cit. cap.6. numer.5.*

5. Procurator pro memoriali in facto compoſito diebus Feſtis ſalarium accipere poteſt, ſicut Iuriſperitis pro conſilio, & Aduocatus pro informatione iudicis & pro allegationibus. Ratio eſt, quia quando opus ex ſua natura non ſeruile, non redditur ſeruile quamuis ob præmium,& mercedem fiat, vt diximus *tom.1. verb. Feſtum 11.num.*8.ex Caiet.Nauar. Medina,Lopez,Layman,Bonacina, Suarez & alijs.

6. Dubium eſt, an in Procuratore ad matrimonium conſtituto, requirantur qualitates iure requiſitæ, vt ad alia negotia, nempe ætas decem & ſeptem annorum, an potiùs ſatis ſit, vt habeat qualitatem iure naturæ requiſitam, nempe rationis vſum? Et ratio dubitandi eſt, quia Procurator ad matrimonium dicitur ad negotia conſtitutus,vt colligitur ex *cap.final.de Procuratoribus in 6.*vbi dicitur: *Et quamuis alias is qui conſtituitur ad negotia Procurator,alium dare poſſit,in hoc tamen caſu,&c.* In Procuratore autem ad negotia deſideratur ſeptemdecim annorum ætas,ex *cap.qui generaliter,§.licet,de Prædicatoribus in 6.*ibi: *Licet autem quis poſt decimum ſeptimum annum Procurator ad negotia licitè deputetur, ad iudicia tamen, niſi maior 25. annis fuerit, deputari nequibit.* Si ergo ius requirit eam ætatem in Procuratore ad negotia, ſimiliter in Procuratore ad matrimonium eadem ætas deſiderabitur, cùm verè ad negotia dicatur Procurator conſtitutus. Nihilominus multò certius eſt,nullam deſiderari ætatem, nec qualitatem aliam in Procuratore ad matrimonium conſtituto, præter eam quam ius naturale expoſcit ad explicandum conſenſum, nomine alterius, nimirum,rationis vſum. Probatur. *Primò*, quia eſto ad alia negotia deſideraretur in Procuratore certa ætas, ſecus eſſet dicendum in Procuratore ad matrimonium: quia nulla prorſus eius induſtria deſideratur, ſed tantùm explicat conſenſum abſentis. *Secundò*, ſi contraheretur matrimonium per interpretem pupillum, nemo negaret eſſe legitimum: Procurator autem in matrimonio tantùm deſeruit ad interpretandum conſenſum abſentis, ſicut interpres ad aperiendum conſenſum præſentis. Duriſſimum enim creditu eſſet,affirmare, poſſe puerum 14. annorum ſe ligare matrimonio; ad idque capacitatem ſufficientem habere,tamen ad exprimendum conſenſum alterius contrahere volentis. Ergo non obſtante generali prohibitione,ne minor 17.annis validè conſtituatur Procurator ad negotia, quamuis Procurator ad matrimonium dicatur ad negotia conſtitutus, non venit ea prohibitio de matrimonio intelligenda; ſicut etiam prohibitio generalis contractuum; minimè claudit matrimonium, quod verè & propriè contractus eſt, vt pluribus docet Sanchez *de matrimonio, lib.3. diſput.41. numero 8.* cum alijs. Sanchez.

7. Procurator non præſumitur reuocatus etiam in mandato ad delinquendum, quod durare præſumitur. Ratio huius regulæ eſt,quia mutatio voluntatis non præſumitur, *l. Sancimus, C.de teſtament.* Ab hac tamen regula receditur præſumptionibus, & coniecturis.

Prima eſt, quando dominus ab eo aufert inſtrumenta, libros rationum,& reliqua iura, quibus Procuratoris officium exercebat. *Secunda*, quando dominus ob ſolam ſuam abſentiam conſtituit Procuratorem, & deinde eſt reuerſus. Nam ſtatim quàm reuerſus eſt, præſumitur reuocaſſe mandatum; niſi domino reuerſo, præſente & patiente, adhuc vt Procurator gerit & adminiſtrat; tunc enim non præſumitur reuocatum mandatum, ſed potiùs denuò conceſſum. Ita Fulgoſius *in l.qui mutuam,§.non ideò,ff.mandati.* *Tertiò*, quando nouus Procurator fuit conſtitutus; nam tunc primus præſumitur reuocatus,*l.ſi quis cum Procuratorio,§.vlt.ff. de procur.*& tradunt Baldus,Angelus, & Caſtrenſis *ibi in fine*. Fallit tamen hæc coniectura, quando dominus iſte conſtituens dixiſſet,ſe hunc Procuratoré conſtituere non reuocando primum. *Quarta*, quando exorta eſt capitalis inimicitia inter dominum ipſum & Procuratorem, vel quando cauſa ſuperuenit,quæ ſi ab initio adfuiſſet, illum Procuratorem non conſtituiſſet. Ita Albericus & Iaſon *in l.Procuratoribus,Cod.de procurat.* Alciatus *de præſumpt.regul.2.præſumpt.16.verſ.Limitatur iſta.* *Quinta*,reuocatum cenſetur mandatum, quando Procurator ille tanquam perſona honeſta fuit electus, & deinde effectus eſt nequam & facinoroſus, vt docet Felinus *in cap. ex parte Decani,n.21.de reſcript.* Felinus

8. Procurator,cuius perſonæ electa eſt induſtria, ſubſtituere non poteſt alium ſuo loco. Quando autem præſumatur electa perſonæ induſtria, colligitur vel ex qualitate negotij pertractandi in ipſo iudicio, vel ex verbis mandati. Proinde quando mandatum eſt datum ad negotium non determinatum & non habens certam formam, cenſetur electa induſtria perſonæ: ſecus ſi negotium eſſet certum & terminatum. Ita Bartolus *in l.vlt. §. vlt. in fin.ff. de diuerſis & temp. præſcript.* Ita quoque ex Bartol. verbis colligitur electa perſonæ induſtria, vt ſi eiua conſcientiæ mandatum eſt cauſam tractari; vel quod ipſe Procurator perſonaliter cauſam perageret. Ita Menoch. Menoch. *de præſumpt.lib.2.præſumpt.38.*

9. Procurator facit dominum incidere in pœnam, licet non habeat ſpeciale mandatum, quando dominus ſcit & patitur: quia iſta patientia habetur loco mandati. Ita Baldus *in l.1.Cod.de noxal.act.* Pro quo faciunt ea, quæ tradit Geminianus *in cap.qui ad agendum, num.6. verſ. ex his infert,de Procurat.in 6.*vbi dicit,quod ſi quis in veritate eſt meus Procurator, licet non habeat mandatum ad illud, quod agitatur, & per conſequens excedat fines mandati,mihi tamen præiudicat,ſi hoc fecerit me ſciente & non contradicente: quod idem confirmauit Alexander *in l.ſæpè,n.88.verſ.& ex his,ff.de re iudic.*

10. Procurator ad negotia acquirit actiones directè & immediatè non ſibi, ſed principali, ſicut is qui per epiſtolam contraxit vel per internuncium, actiones pro ſe acquirit,non pro internuncio. Ita Molina *de contract. tract.2.diſput.551.num.1.& 2.* Procurator autem ſiue ad negotia, ſiue ad lites, reddere tenetur ei,cuius eſt Procurator, rationem adminiſtrationia, & reddere quidquid ex adminiſtratione ad ipſum peruenit, ac proinde cedere illi iura & actiones, quæ ex tali adminiſtratione comparauit,vt habetur *in l.ſi qui propriò, §.Procurator,ff.de Procurat.* Conſultius tamen, & accommodatiùs foret, ſi conſtitueretur, vt quando aliquis preſsè eſt Procurator, & agit aliquid nomine alterius, vel in negotijs extra iudicium,vel in iudicio, oſtenſo ad id Procuratorio inſtrumento,iura & actiones,& quæcumque alia, acquirerentur immediatè, abſque aliqua ceſſione, ei, cuius negotium agit, & cuius eſt Procurator: quoniam nomine ac loco illius id agit, ſciente atque intendente id vtraque parte, ac proinde is principalius id agit, cuius eſt Procurator,quàm Procurator ipſe; Procurator enim ſolùm eſt inſtrumentum illius,tam in negotijs,quàm in iudicijs, ac proinde iura & actiones, ex ipſamet rei natura, verè competent principali abſque alia ceſſione, vt monent Molin. Molina *loco citato, numer.4.* & Filliucius *tract.39.numer.14.& 15.*Layman *lib.3.ſect.5.tract.4.cap.26.num.14.* Filliuc. Layman. & alij.

11. In iure communi interdicitur Religioſis munua Procuratoris vel Aduocati obire, niſi Superioris licentia & vtilitas Monaſterij concurrant, vt habetur in Concilio Tarraconenſi cap.11. & refertur *cap. Monachi, el 2. 16.quæſt.1.*Et quamuis textus *ibi* loquatur de Monachis, idem tamen dicendum eſt de quibuſcumque veris Religioſis, vt conſtat ex *cap.2. de poſtulando*, vbi conſultus Pontifex,an ea prohibitio Monachis facta, comprehendat quoque Monachos regulares, qui laxiori regulæ inſeruiunt,reſpondet comprehendere. Quod confirmatur *ex Clementina Religioſus, de Procuratoribus*, quæ in ea prohibitione verbo *religioſus*, vſa eſt: quia ea prohibitio non reſpectum habuit ad Ordinem Monachorum, ſed ad Religionem,vt docent Clauis regia *lib.12.cap.22.num.3.* Sylueſter *verb.Aduocatus,quæſt.6.* & alij communiter;& Cla.reg. ratio eſt,quia cùm hi ſacris myſterijs,& diuinis contemplationibus adſtricti ſint; indecens omnino fuit iſtos in foro ſæculari & iudicio ac ſtrepitu forenſi, cauſas & lites tractare, quibus dignitatem & auctoritatem eorum diminuant & obſcurent.

Ex quibus infertur duplicem coniunctim conditionem requiri,nec ſufficere alterutram, nempe Superioris licen-

Digitized by Google

licentiam,& vtilitatem Monaſterij ; & quidem , ſi altera ex his conditionibus deficiat, nec in foro ſæculari, nec Eccleſiaſtico integrum eſt Religioſis ea munera obire. Illis autem conditionibus concurrentibus, licitum eis erit,nedum in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam in ſæculari ; in hoc autem modò cauſa ſit ciuilis;nam in criminalibus, nullatenus liceret, vt conſtat argum.ex c.1.& c.fin.de poſtu-
Roſella. *lando*, & tradunt Roſella *verb. Aduocatus , num.*22.vbi
Angel. Angelus *num.*8.Sylueſter *quæſt.6.*Tabiena *quæſt.7.*Clauis
Syluest. Caieg. regia *loco cit.num.*5.& alij . At coram Iudice Eccleſiaſtico licitum quoque erit Religioſis in criminalibus cauſis aduocare & procurare,modo concurrant prædictæ conditiones .

12. Quis autem Superior poſſit hanc licentiam concedere? Dicendum eſt poſſe Superiorem immediatum : quia textus hanc licentiam petentes ſolius Superioris meminerunt , & hic verè Superior eſt ſufficere etiam licentia Epiſcopi,ſi Monaſterium ipſi ſubeſſet; quia eſt verus Superior. Ita Cardinalis *in Clemen. Religioſus , n.2. notab.3.de procurator.*

Dubium tamen eſt de Fratribus Minoribus , an de licentia ſuorum Superiorum poſſint eſſe Procuratores ? Affirmant Cardinalis *loco cit.q.13.num.6.* Fuluius Pacianus *conſil.162.num.159.*Sed dicendum eſt non poſſe;quia non poſſunt eſſe executores teſtamentorum , nec poſſunt eſſe arbitri , ergo nec poterunt eſſe Procuratores : nam eadem eſt , ſeu maior ratio in hoc munere , quæ in
Sanchez. alijs procedit . Ita Sanchez *lib.6. moral. cap.13. num.11.* cum alijs .

13. Difficultas eſt inter auctores, quid nomine vtilitatis Monaſterij intelligatur ? Quidam volunt intelligi eam vtilitatem debere eſſe directam, v. g. ſi tractetur de rebus Monaſterij conſeruandis,aut in iudicio petendis, aut defendendis, & non cenſeri vtilitatem Monaſterij , ſi velint Religioſi circa alienas cauſas id munus in iudicio obire , vt inde lucrum obueniat Monaſterio , quantumuis pauperi,ac ære alieno grauato.Quia aliàs ſi nomine vtilitatis intelligeretur quæ cum indirecta, id munus ſemper liceret Religioſis , cùm lucra ex eo parta in Monaſterij vtilitatem cederent.Ita Sylueſter *verb.Aduocatus,q.7.* citans Ioannem Andræam & alios . Quorum ſententia eſt ſatis probabilis . Cæterum probabilius eſt ſufficere vtilitatem eam indirectam Monaſterij indigentiæ ad magnam paupertatem ſubleuandam , & æs alienum ſoluendum , vt Religioſus id munus obeat : quoniam id non ſolùm vtilitatis, ſed maximæ Monaſterij neceſſitatis iure optimo nomen meretur . Sed hoc intelligendum eſt , non de quacumque indirecta vtilitate , & de quocumque lucro , ſed quando magna Monaſterij indigentia ad id lucrum procurandum obligaret,vel quando magnum damnum ſentiret ex omiſſione non annuens votis amici vtiliſsimi
Nauarr. Monaſterio. Ita Nauarr.*Comment.2. de regular. num.66.*
Cl. reg. Clauis regia *lib.12.c.22.num.5.*Eman. Sà *verb. Aduoca-*
Sà. Abbas. *tus,n.2.*Abbas *in c.2.n.3.de poſtulando.*Roſella *verb.Ad-*
Angel. *uocatus,n.24.*& ibi Angelus *n.9.* & alij apud Sanchez *loco*
Sanchez. *cit.n.17.*

14. Religioſus in aliquibus caſibus poteſt Procuratoris vel Aduocati munus obire. *Primò*, ſi ſit Superior Religionis : quia ſicut poteſt dare ſubditis licentiam huius muneris obeundi : ita ipſe poteſt id obire,dummodo adſit vtilitas Monaſterij , & Conſtitutiones Religionis non
Nauar. Azor. obſtent. Nauar.*Comment.2.de regul.num.64.*Azor.*tom.1. lib.12.c.11.q.9.*Fuluius Pacianus *conſil.162.à n.176.vſque ad* 181.

Secundò,in negotijs Abbatis Monaſterij,vel cuiuſcumque Religioſi eiuſdem Religionis : quia in priori caſu vtilitas Monaſterij vertitur , ſi bonus Prælatus ei præficiatur,ab eoque defendatur . In poſteriori autem , ſatis vtile eſt ſuæ Religioni defendi quemcumque illius religioſum , Cardinalis *in Clement.Religioſus , num.8.quæſt.*
Sanchez *2.& 4. de Procurat.* & ibi Imola *num* 8. Sanchez *loco cit. num.19. &* 20.cùm alijs quos refert .

Tertiò,cùm id munus ſuſcipit pro miſerabilibus perſonis tuendis ; eſt enim Eccleſiæ proprium eas perſonas
Nauar. præſidio deſtitutas tueri . Nauarrus *Comment 2. de re-*
Cl. reg. *gul.num.66* Clauis regia *lib.22. cap.22. num.5.* Cardinalis *in Clement.Religioſus,n.3.oppoſ.5.de Procurat.* & alij.

Quartò , quando plures Religioſi proſequuntur vnum negotium , & conueniunt in idem , poteſt vnus ex illis conſtitui Procurator pro alijs,etſi plures accuſent Abbatem, vel proſequantur electionem , vel alio modo ſit res communis,ex *cap.Olim,de accuſat.* & ex *Clement. Religioſus,de Procurator.*& tradunt ibi Gloſſa *verb. Conſorte .* Cardinalis *num.13.quæſt.10.*

15. Mandatum Procuratorium ad iudicialia acceptatum à Religioſo abſque Superioris licentia , nullius eſt momenti, & ita geſta virtute eius ſunt irrita . Ratio eſt , quia Religioſus non habet perſonam legitimam ſtandi in iudicio pro ſe,nec pro alio,abſque Superioris licentia : æquiparatur enim Religioſus ſeruo , cum quo proceſſus eſt nullus , etiamſi non opponatur ; & ſi interuenit vt Procurator non valet iudicium , vt latè probat Decius Decius.
cap.2.noua edit.à num.78.vſque ad 19.de Iudicijs . Abbas Abbas.
in Clement.Religioſus, num.6. Bartolus *in l. Filius familias,§.Veterani, in fin. ff. de Procurat.* At quoad actus extraiudiciales , etſi peccet Religioſus abſque licentia Superioris id munus ſuſcipiens,tenet tamen factum , & ſic geſta virtute illius ſunt valida.Quia Clementina *Religioſus,de Procurat.*viens verbo (*non poteſt*) de ſolis iudicialibus loquitur, ſiue actus iudiciales in foro ſæculari , ſiue in Eccleſiaſtico exerceantur . Ita Sanchez *lib.6. moral.* Sanchez.
cap.13.num.17. & 41. Cæterùm quamuis geſta per Religioſum abſque licentia procurantem ſint nullius valoris, ſi tamen vtiliter geſſit negotium Monaſterij , poteſt illud rata habere geſta,nec poterunt irritari,*l.non eo minus, C. de Procurator.* & tradit Imola *in Clement. Religioſus,numer.12. de Procurat.* De his plura apud Sanchez *dict.* Sanchez.
cap.13.

Vide tom.1.verb. Beneficium 7. *num.*11 & 12. & hoc tomo verb. Mandatum.Matrimonium 1.*num.*7.Mutuum *num.*5. Negotia geſta *num.*8. Profeſsio *num.*23. Tranſactio num.2.

PROFESSIO.

SVMMARIVM.

1 *An poteſtas admitendi ad profeſſionem alicuius Religionis poſſit delegari .*

2 *Si Epiſcopus vel alius non habens facultatem à Prælato Religionis exempta , non ſuo , ſed nomine ipſius Prælati , & ſub ſpe ratihabitionis eius , profeſſionem admittat,an illa ſit valida ratihabitione ſecuta?* Refertur duplex ſententia.

3 *An profeſſio valeat , ſi eam accepit Superior denunciatus excommunicatus , aut notorius Clerici percuſſor,ſiue alius ex eius commiſſione .*

4 *An profeſsio ab excommunicato emiſſa ſit valida , & an peccet Superior eum ad profeſsionem admittens .*

5 *An per Concilium Tridentinum tollantur profeſsiones tacitæ? & quænam requirantur ad profeſsionis tacitæ valorem .*

6 *Quando inducatur tacita profeſsio in Religionibus , vbi habitus Nouitiorum non diſtinguitur ab habitu profeſſorum ? Et quid,quando diſtinguitur .*

7 *An profeſsio tacita inducatur , ſi Nouitius uel Religio in contrarium proteſtetur .*

8 *An profeſsio inualida aliquos effectus habeat .*

9 *An profeſsio inualida ex defectu tantùm conſenſus Religionis, inducat ex ſe aliquam obligationem .*

10 *Profeſsio inualida ex iure Eccleſiaſtico , an aliquam obligationem inducat iure non expreſſam .*

11 *In tribus caſibus profeſsio inualida iure antiquo inducit obligationem in iure expreſſam .*

12 *An Religioſus dubius de ualiditate ſuæ profeſsionis, teneatur eam ratam habere .*

13 *Quando Religioſus eſt certus de nullitate ſuæ profeſsionis , quam principio bona uel mala fide fecit , an teneatur eam ratificare, ſi per ſententiam publicam cogatur*

Digitized by Google

gatur in Religione permanere? Refertur duplex ſententia.

14 *Quæ obſeruare debeat Religioſus ex Tridentino, qui contra profeſſionem reclamare intendit.*

An Religioſus, qui propter habitus dimiſſionem non fuit auditus, poſſit poſtea reclamare aſſumpto habitu.

Qui nomine Superioris, & Ordinarij intelligantur in Tridentino, coram quibus Religioſus reclamare debet.

Quando incipit quinquennium à Tridentino conceſſum ad reclamandum.

15 *An illud quinquennium debeat eſſe continuum & computandum ab ipſa profeſſionis die, vel potius à die ſcientiæ nullitatis profeſſionis.*

16 *An tranſacto quinquennio poſſit ignorans vel impeditus excluſus a remedio ordinario, audiri remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum?* Refertur duplex ſententia.

17 *An decretum Tridentini denegans audientiam profeſſis poſt quinquennium, intelligatur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum.*

18 *An tacitè profeſſus compellere poſſit Religionem, vt eum ad expreſſam profeſſionem admittat? Et quando ad id compellere poſſit Superior Religioſum tacitè profeſſum.*

19 *An Religioſus validè profeſſus poſſit reclamare contra profeſsionem, ſi poſtea præ morbo factus ſit impotens ad ſeruandam Religionis regulam.*

20 *Quæ forma neceſſaria ſit ad profeſsionem expreſſam emittendam.*

21 *An ſcriptura neceſſaria ſit, vel ſufficiens, vt per illam expreſſa poſſeſsio fiat?* Refertur duplex ſententia.

22 *Profeſsio expreſſa varijs formulis ſolet emitti, iuxta varia Religionum inſtituta. Et an neceſſarium ſit vt profeſsio hæc coram teſtibus fiat.*

23 *An profeſsio poſsit fieri per procuratorem? & quæ conditiones deſiderentur, vt procurator validè profiteatur nomine abſentis.*

24 *Quando profeſsio ſolemnis ob malum finem emiſſa, ſit irrita:*

25 *An profeſsio valeat, quando malus finis, eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quam à Deo vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſve agendum pro illo obtento.*

26 *An profeſsio emiſſa ob finem indifferentem principalem, ſit inualida? Et quid, ſi dubium ſit, an profeſsio fuerit ob finem indifferentem, vel bonum emiſſa.*

1 POteſtas admittendi ad profeſſionem alicuius Religionis delegabilis eſt: quia nullo iure hoc prohibetur, neque inuenitur in tali poteſtate ſpecialis aliqua conditio, ob quam delegari non poſſit. Tamen vt hæc delegatio ſit valida, debet fieri ab eo, qui talem poteſtatem iure ordinario habet; nam ſi ſolum ex commiſſione, ſeù obligatione illam haberet, non poſſet illam ſubdelegare, iuxta ius commune, niſi etiam illi eſſet ſpecialiter commiſſum. Vnde Ruta *in antiquis deciſ. 4. alias 267. de regularibus*, dixit, profeſſionem fieri poſſe per Monachum in manibus ſui Abbatis, vel alterius ab Abbate poteſtatem habentis. Idem docent Innocentius, Panormitanus *in cap. porrectum, de regular.* Cucchus *lib. 3. inſtitut. maior. tit. 1. de regular. num. 54.* Rodriquez *part. 2. Summ. cap. 8. num. 13.* Tamburinus *de iur. Abbat. to. 3. diſp. 6. quæſt. 12. num. 1.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 70.*

Panorm.
Rodriq.
Tamb.
Diana.

Hinc colligitur, ſi Epiſcopus nomine alterius, qui poteſtatem habet incorporandi Religioni, profeſſionem admittat, valida erit profeſſio, etiamſi Religio ſit exempta: & hoc non eſt ſpeciale in Epiſcopo, eſt commune cuicumque alteri, cui talis poteſtas commiſſa eſt ab eo, qui iure proprio illam poſſidet: quia in eo caſu non eſt poteſtas in Epiſcopo ex dignitate, vel munere Epiſcopali, ſed ab extrinſeco delegante, quæ delegatio alteri, qui non ſit Epiſcopus, etiam fieri poſſet: nam Epiſcopalis dignitas non eſt neceſſaria conditio, vt perſona ſit capax huius commiſſionis, ſeu delegationis; nullo enim iure vel ratione hoc probari poteſt. Ita Sylueſter *verb. Religio 3. quæſt. 10. verſ. Secundò*, & communis Doctorum *in dict. cap. Porrectum, de regular.* qui generaliter dicunt profeſſionem debere admitti ab eo, qui poteſtatem habet incorporandi Religioni, vel ab alio de licentia eius, ſiue ille alius Epiſcopus ſit, ſiue non.

Colligitur *Secundò*, poſſe laicum ex commiſſione potentis acceptare poſſeſſionem, illam admittere, ſiue poteſt beneficium nomine alieno acceptare, & procuratorem eſſe in cauſa ſpirituali, *cap. Accedens, de præbend. & cap. 1. de procurat. in 6.* & docent Innocentius *in cap. Porrectum num. 4. verſ. Ab Abbate, de regular.* & ibi Hoſtienſis, Ioannes Andr. Ancharanus & alij quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 77.* qui *num. 75.* docet habentem ſolam Monaſterij adminiſtrationem non poſſe ad profeſſionem admittere, quia non eſt legitimus ſuperior.

2. Dubium eſt, an Epiſcopus velius non habens facultatem à Prælato Religionis, non ſuo, ſed nomine illius Prælati, & ſub ſpe ratihabitionis eius profeſſionem admittens, illa ſit valida, ratihabitione ſecuta: Ratio dubitandi eſt, quia in primis certum eſt pro illo tempore, pro quo nondum eſt ratihabitio exhibita a Prælato habente poteſtatem, nullam eſſe, nec conſtituere illam perſonam in ſtatu religioſo, ita vt ſi interim dum accedit conſenſus Prælati matrimonium contrahat, factum teneat. quia perſona non manſit inhabilis ad matrimonium ex vi illius profeſſionis, cùm reuera traditio eius non fuerit acceptata ab habente poteſtatem, & hoc à nemine negatur. Hinc fit, vt habita ratihabitione Superioris, oporteat profitentem de nouo ſuum aſſenſum præbere, vt profeſſio incipiat valere, quia prior conſenſus non fuit validus, nec effectum ſortitus eſt: ergo neceſſarium eſt denuò profitentem conſentire. Quod confirmatur: quia certum eſt oportere, vt talis perſona non reuocet conſenſum; nam ſi nolit profeſſione tacta ligari, quamuis Superior eam ratam habeat, ratihabitio poſtea ſubſecuta nullum habebit effectum, quia eo tempore quo illa exhibetur, & quo profeſsio deberet incipere eſse valida, non reperit permanentem conſenſum alterius partis, ſine quo reciproca huiuſmodi obligatio perfici non poteſt: ergo ad minus neceſſarium eſt, vt moraliter perſeueret in priori voluntate: & hæc perſeuerantia exterius conſtare debet; interior enim conſenſus non ſufficit ad humanum contractum perficiendum, niſi de illo poſsit ſufficienter conſtare tempore, quo contractus perficitur; & hoc eſt moraliter ſtare conſenſum, ſiue fiat per expreſſum, ſiue tacitum ſignum perſeuerandi in ea voluntate. Propter has rationes Suarez *de Religion. tom. 3. lib. 6. cap. 11. à numer. 6.* hæſitat de huius profeſsionis validitate, probabiliuſque exiſtimat non eſſe validam. Communior tamen ſententia validam eſſe ſuſtinet; quamuis enim prior conſenſus non fuerit ſtatim efficax, non tamen fuit omninò inualidus, ſed fuit admodum conſenſus conditionati, qui ſuſpenſus manet quandiu conditio non eſt impleta; illa autem poſita tranſit in abſolutum, & ſtatim habet effectum ſine nouo conſenſu. Ita in prædicto caſu, qui profitetur conſentit profeſsioni, ſub ea conditione expreſsa, vel tacita, ſi Prælatus, qui poteſtatem habet admittendi, eam ratam habuerit, & ideò adimpleta conditione non videtur neceſsarius nouus conſenſus. Ita Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 5. q. 7.* Angelus *verb. Profeſsio, n. 1.* Armilla *ibidem.* Tabiena *ibidem, n. 2.* Sylueſter *verb. Religio 3. q. 18. dict. 2.* Vecchis *in praxi noui. diſputat. 12. dub. num. 20.* Tamburin. *de iure Abbat. to. 2. diſp. 6. quæſt. 21. n. 3.* & alij.

Azor.
Angel.
Tabien.
Syluest.
Tamb.

3. Valida eſt profeſsio, ſi eam acceptet Superior excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor, ſiue alius ex eius commiſsione. Ratio eſt, quia acceptare profeſsionem non eſt propriè actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis: nec etiam ea commiſsio eſt actus iuriſdictionis: non enim eſt alicuius iuriſdictionis commiſsio. Si enim eſſet actus iuriſdictionis ſpiritualis, minimè eſſet capax illius fœmina, aut laicus. Sed illa acceptatio nil aliud eſt, quàm admittere nomine Religionis obligationem illam qua profitens Religioni ſe adſtrin-

Digitized by Google

adſtringit, & obligare Religionem ipſi profeſſo. Et illa commiſsio eſt dare poteſtatem ad acceptandam eam profeſsi obligationem, & ad obligandam illi Religionem. Hæc autem etſi ſupponant ſuperioritatem, non ſunt tamen actus iuriſdictionis, nec iuriſdictionis vſum exigunt ſed ſolam ſuperioritatem: quæ per excommunicationem non ceſsat, etſi per eam ſuſpendantur actus iuriſdictionis. Et confirmatur, nam ſi idem Superior nomine Conuentus contractum celebraret, vel alteri celebrandum committeret, talis contractus valeret; quia contractus celebrari ab excommunicato valent, iuxta veriorem & probabiliorem opinionem, vt quam pluribus allegatis probat Sayrus *de cenſuris, lib. 2. cap. 13. num. 18.* Ita valet præfata profeſsio. Et ob eandem rationem, quia ſcilicet recipere ad profeſsionem non eſt actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis, profeſsio admiſſa à Superiore ſuſpenſo à iure vel ab homine ab admiſsione profeſſionis eſt valida, etiamſi ſit denunciatus, & mortaliter peccaret. Nam ſicuti Parochus, cui interdicta eſt matrimonij adminiſtratio, validè aſsiſtit matrimonio, & alteri committit, vt definiuit Rota *tom. 1. deciſ. 429. & 570. in nouiſſimis*, & declarauit Sacra Congregatio Eminentiſſim. Cardinalium; ita profeſsio à Prælato ſuſpenſo admiſsa valore ſuo non caret, quia per eam matrimonium ſpirituale contrahitur, & argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale valet, *cap. inter corporalia, & cap. vltim. de translat. Epiſcopi* Ita Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. n. 78. & 79.* Bartholomæus à Sancto Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. q. 225. 226. & 227.* Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 3. diſp. 6. q. 20. n. 1. & 2.* Vecchis *loco cit. num. 3.* & alij penes ipſos.

Sanchez.
Fauſtus.
Tamb.
Vecchis.

4. Profeſſio ab excommunicato emiſsa valida eſt: quia non eſt acculatio beneficij, ſed ſtatus. Et ratio diuerſitatis eſt, quòd acquiſitio ſtatus eſt quaſi acquiſitio cuiuſdam characteris Ordinis, qui perpetuò durat, vt docet Nauarrus *Commentar. 2. de regular. n. 67.* Ius verò percipiendi beneficium impeditur per ſimoniam & excommunicationem, donec abſolutio, & diſpenſatio ſubſequuntur. Ita Felinus *in c. Cùm illorum, de ſentent. excommunicat. n. 2.* Rodriquez *tom. 3. qq. reg. q. 17. art. 14.* Sayrus *de cenſur. lib. 2. cap. 9. num. 18.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 10. num. 9.* & alij, quia nullo iure talis profeſſio ſit irrita, nec ex generalibus regulis de excommunicatione colligi poteſt. Tamen ſi virtute alicuius reſcripti Apoſtolici admittitur excommunicatus ad profeſſionem, tunc talis profeſſio eſt inualida: quia illud reſcriptum ab excommunicato impetratum eſt irritum, *cap. 1. de reſcript. in 6.* dummodo in reſcripto non ſit clauſula, quæ communiter apponi ſolet, vt ſcilicet impetrans ab omni cenſura abſolui poſſit ad effectum recipiendi profeſsionem: quia in hoc euentu valida eſset, vt docent Felinus *loco citato*, allegat Calderinum, Rodriquez, Sayrum, *locis citatis*.

Felin.
Rodriq.
Suarez.

Prælatus autem admittens ad profeſsionem excommunicatum, ſi non eſt denunciatus, nec publicus Clerici percuſsor, non peccat quia non eſt vitandus, nec prohibitum eſt cum eo communicare: ſi autem denunciatus ſit, aut notorius Clerici percuſsor, quia cum tali excommunicato communicatio eſt prohibita à iure, peccabit eum admittens ad profeſsionem: ſed quia non communicat cum illo in diuinis, erit veniale peccatum tantùm: niſi in profeſsione addantur aliquę preces ab Eccleſia inſtitutæ: tunc enim tam profitens, quam recipiens, necnon & aſtantes, mortaliter peccarent: quia in diuinis eum illo communicarent; iuxta communem doctrinam de excommunicatione, & tradunt Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 223.* Suarez *loco proximè citato*, & alij.

Fauſtus.
Suarez.

5. Per Concilium Tridentinum *ſeſs. 25. cap. 15. & 16. de regular.* non tolluntur profeſsiones tacitæ, vt falsò quidam dixerunt, ſed in ſuo priſtino valore adhuc manent dummodo inducantur tranſacto Nouitiatus anno, & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis, Probatur, quia nullum eſt verbum in ijs decretis eas tollens: nam *c. 15.* tantùm decernitur profeſsionem non valere ante expletum Nouitiatus annum, & ſexdecim ætatis profitentis annos. At profeſsio tacita poteſt fieri ijs ſeruatis. Et quamnis ibi Superiores iubeantur tranſacto Nouitiatus anno admittere ad profeſsionem Nouitios repertos idoneos & alios expellere: quod ſtatuere videtur ad excludendam profeſsionem tacitam, ne temporis tranſcurſus allegari poſsit. Tamen hoc non obſtat: tum quia in vltimo illius anni inſtanti poteſt fieri profeſsio tacita, & ita ſeruato hoc Tridentini decreto poteſt induci. Tum quia poteſt dari cauſa iuſta amplioris dilationis, vt diximus *tom. 3. verb. Religio 3. num. 10. verſic. Sed petes.* Et ita reſolutum fuiſse a Rota *deciſ. 579. num. 2. p. 1. recent.* & *in vna Vliſbonen. profeſsionis, 10. Decembr. 1621. coram R. P. D. Merlino.* Et ita declaraſse Sacram Eminent. Cardin. Congregationem, refert Vecch. *in praxi nouit. diſp. 13. dub. 8. num. 1.* vbi notat, rariſſimè contingere poſse poſt Tridentinum Concilium validè fieri hanc tacitam profeſsionem. Eandem ſententiam ſuſtinent Nauar. *lib. 26. num. 5. in 2. edit. de regular.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 4. quæſt. 6* Sorbus *verb. Nouitius, de nouitiorum profeſsione, verſ. quid autem*, & alij.

Nauarr.
Azor.
Sorbus.

Ad valorem tamen profeſsionis tacitæ quædam requiruntur. *Primum*, vt executioni actus, per quem tacita profeſsio inducitur, adſit auctoritas Superioris, cui competit incorporare Religioni. Nam ſicut profeſsio expreſſa debet recipi ab eo, vel ab eius delegato, ita hæc tacita non eſt firma, niſi aſſenſus eius concurrat. Ita Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 83. num. 9.* Nauar. *comment. 4. de regul. n. 73. & 74.* Syluest. *uerb. Religio 3. quæſt. 19.* & alij.

Menoc.
Nauarr.
Syluest.

Ex quo fit, vt ſi quis ex ſeipſo ſumeret habitum profeſſorum, non ſe obligaret Religioni: nec per delationem habitus Religionis extra Monaſterium inducitur tacita profeſsio, vt habetur in *cap. ut Clerici, de regular.* & deciſum fuit a Rota *deciſ. 136. lib. 1. in 1. edit. penes Puteum*. *Secundum*, vt ſponte fiant ea, per quæ inducitur hæc tacita profeſsio, ex *cap. uidua, de regular.* Si enim metus grauis profeſsionem expreſſam irritam reddit, nedum tacitam reddet irritam. *Tertium*, vt hi actus, per quos inducitur tacita profeſsio, ſcienter fiant, nempe, vt illis vtens, norit eos ad ſolos profeſſos pertinere; imo requiritur vt vtens illis norit per illos induci tacitam profeſsionem: quia eius rei ignorantia efficiet deeſſe conſenſum tacitè profitendi, vt docent Syluester *uerb. Religio 3. quæſt. 10. uerſic. Secundò inducitur.* Rodriquez *tom. 3 quæſt. regul. q. 17. art. 1.* Angelus *uerb. Nouitius, num. 13.* Armilla *ibidem, num. 7.* & alij.

Sylu.
Rodriq.

Quartum, vt vtens ijs actibus, animum emittendi profeſsionem habeat. Nec ſatis erit ſe habere negatiuè, nempe, nec habendo animum profitendi, necnon profitendi ſed poſitiuus profitendi per eos actus animus deſideratur, vt bene aduertunt Nauar. *Commentar. 4. de regular. n. 75. uerſ. quoniam autem*, & alij. Vltimum requiſitum, vt ijs profeſsum actibus vtens, ſit conſtitutus in legitima ætate iure petita ad profeſsionis expreſsæ valorem, quæ erat pubertas completa iure antiquo, *cap. Conſtitutionem, de regular. in 6.* & poſt Concil. Trid. *ſeſs. 25. cap. 15. de regular.* eſt ætas ſexdecim annorum. Ita Sanchez *lib. 5. moral. c. 3. n. 14. 15. & ſeq.* Tambur. *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſit. 13. n. 6. & ſeq.*

Nauar
Con Trident.
Sanchez
Tamb.

6. In Religionibus, vbi Nouitiorum habitus non diſtinguitur ab habitu profeſsorum, per illius delationem inducitur tacita profeſsio, ſi Nouitius per annum integrum & continuum illum deferat, ac expleto 16. ſuæ ætatis anno, concurrentibus conditionibus numero præcedenti allatis. Patet hoc ex *cap. 1. de regular. in 6. & ex Clementina eos qui, eodem titulo*, & notant Nauarr. *comment. 4 de regular. num. 74. notab. 3.* Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 83.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1237. num. 15.* & alij.

Nauarr.
Menoc.
Maſc.

Quando autem patenter diſtinguitur habitus Nouitiorum, ab habitu profeſsorum, per nullam cuiuſcumque temporis delationem talis habitus Nouitiorum, profeſſio tacita inducitur. Quin potiùs is habitus manifeſtum præ ſe indicium præbet voluntatis permanendi in Nouitiatu, vt colligitur *ex Clementin. final. de regular.* & docent Abbas *in cap. Ex parte, num. 3. de regular.* Nauarrus *Comment. 4. de regular. num. 74.* Azor. *lib. 12. cap. 4. quæſt. 3.* Sylueſter *uerb. Religio 3. quæſt. 19. uerſ. Tertio inducitur,*

Abbas.
Nauarr.
Azor.
Sylueſt.

Digitized by Google

tur, & alij. Sed hoc intelligendum eſt, quando ſola eius habitus delatio adeſt. Quia ſi deferens eum habitum probationis expleto ſextodecimo ſuæ ætatis anno & completo Nouitiatus anno, perſeueraret triduo exercens aliquem actum profeſſis ſolis competentem, eſſet tacitè profeſſus, vt habetur expreſsè *in c. ad noſtram, de regular.*

Si verò habitum peculiarem profeſsorum ſuſcepit, ſimulque actum ad profeſſos dumtaxat ſpectantem geſſit, non eſt neceſſaria tridui perſeuerantia, ſed immediatè inducitur profeſſio tacita; nam licet poſt habitus profeſſorum ſuſceptionem requiratur perſeuerantia tridui ad profeſsionem tacitam inducendam: nihilominus quando concurrunt duo ſimul, ſcilicet, ſuſceptio habitus profeſſorum & exercitium actus, tunc hæc duo ſimul ſufficiunt ad inducendam tacitam profeſſionem abſque tridui perſeuerantia. Ita Panormit. *in cap. Vidua, de regular. num. 7.* Nauarrus *Comment. 4. de regular. n. 73. verſ. primo quidem.* Sanchez *lib. 5. moral. c. 3. n. 21.* Roſella *verb. Nouitius, n. 16.* & alij.

Panorm. Nauarr. Sanchez Roſella.

7. Circa hanc profeſsionem tacitam eſt aduertendum quod licet inducatur profeſsio tacita modis ſupradictis, tamen ſi Nouitius proteſtetur, ſe nolle per eos profiteri, talis proteſtatio prodeſt: quia non eſt proteſtatio facto contraria: ij enim actus non ſunt expreſsæ profeſsionis, & ita facto ipſo profeſsionem exprimentes, ſed ex ijs præſumptio animi profitendi inducitur. Quare ea proteſtatio ſoli præſumptioni conſenſus aduerſatur, & verum animum vtentis ijs actibus indicat: remouet enim conſenſum ab actu futuro contrario; & ideò præcedente hac proteſtatione nullo modo inducitur tacita profeſsio. Et ita reſolutum fuit à Rota *deciſ. 579. num. 3. part. 1. recentiorum*, & docent Gloſsa *in Clement. eos qui, de regular. verb. Profeſſorum*, Menochius *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 83. numer. 17.* Roſella *verb. Nouitius, numero 17.* Syluester *uerb. Religio 3. quæſt. 19. verſ. Tertiò inducitur*, Nauarrus *Comment. 4. de regular. num. 74. notab. 3.* & alij. Quod etiam procedit, quando Religio, vel Conuentus præmittit proteſtationem declarando, ſi habitum profeſsorum, vel quid ſimile Nouitio permittat, ſeu concedat, ſuam eſse intentionem non admittendi eum ad profeſsionem, donec profeſſionem expreſsam emittat, ita colligitur ex Doctoribus iam citatis & docet expreſsè Sorbus noſter *in compend. priuil. Mendic. de Nouitiorum profeſs. verſ. quid autem dicendum.*

Rota. Gloſſa. Menoc. Roſella. Syluest. Nauarr. Sorbus.

8. Dubium eſt, an profeſſio inualida habeat aliquos effectus? Ratio dubitandi eſſe poteſt, qui ceſſante cauſa ceſsat effectus, ſed eo ipſo, quod profeſſio inualida eſt, tollitur cauſa; ergo & omnes effectus, qui ex profeſſione oriri poſsunt; ergo profeſſio inualida nullum habebit effectum. In contrarium autem eſt, quia iure interdum dicitur profeſſio inualida obligare ad Religionem in genere, licet non obliget ad talem Religionem in ſpecie, *cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem, de regular. in ſexto.*

Dicendum tamen eſt. *Primò*, quod profeſſio inualida ex defectu conſenſus profitentis, nullam ex ſe inducat obligationem; quia deficiente in ea eiuſdem profitentis intentione ſe obligandi, aut vouendi, ex natura rei dicitur nulla: & cùm lex naturalis annullet eam, ſequitur reddi pariter inutilem ad omnem effectum. Tum quia ſi illa profeſſio ex natura ſua nulla eſt, omnis etiam traditio & promiſſio, quæ in illa includitur, eſt nulla, quem igitur effectum habere poteſt per ſe loquendo? Et hoc eſt certum, modò apertè conſtat profitentem cum culpa, aut ſine culpa non præſtitiſſe conſenſum. Per accidens tamen talis profeſsio poteſt aliquem effectum habere, magis in externo foro quàm in foro animæ, & ita non omnino eſt inutilis, etiamſi in re facta non ſit. Primò quidem ratione ignorantiæ, nam quamdiu exiſtimatur valida, perinde obligat, ac ſi eſset vera ratione conſcientiæ erroneæ, ſicuti ex ea in alijs actibus oritur ſimilis obligatio. Hinc fit, ſi illa ignorantia ſit publica, & communiter talis iudicetur profeſsus, omnes actus profeſſorum proprij, qui à tali perſona fiunt, validi ſunt, quamuis alioqui ad ſuum valorem profeſsionem ſupponant: quia ratione publicæ vtilitatis ille defectus ſuppletur ipſo iure, eo quod ſecundùm publicam exiſtimationem tales actus facti ſunt, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. prætor.* & tradunt communiter Doctores. Alijs item effectus oriri poteſt ex hac publica ignoratione quoad forum exterius; cùm enim Eccleſia iudicet de actu externo, habetur præfatus & reputatur communi exiſtimatione pro profeſso, ſubinde ex hac profeſsione oritur obligatio quoad forum exterius permanendi in religione, ſeruandique regulam, quamuis ipſe ſit nullitatis ſuæ profeſsionis conſcius, ſi enim in foro exteriori nullitatem probare non poteſt iuſtè, non adhibetur ei fides in Eccleſiaſtico foro, etiam mediante ſuo iuramento, vt habetur *in cap. vidua, de regular.* nam licet in ijs, quæ in animo conſiſtunt, ſtetur iuramento eius, qui ita aſſerit, vt tenent quamplures Doctores; Hoc tamen ſolùm procedit cùm de modico præiudicio, non verò de graui agitur, tunc enim plenior & certior requiritur probatio. Cùm ergo in hoc caſu agatur de re valdè graui, nullitas profeſsionis aliter probari debet, quàm per iuramentum ipſius profitentis, vt docent Panormitanus *in dict. cap. vidua, de regular.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 88. art. 1. ad finem.* Prædicta colliguntur ex Nauarro *commens. 4. de regul. numero 76. verſic. aduertendum quarto.* Sanchez *de matrim. lib. 4. diſputat. 15. num. 5. verſ. Quarto probatur.* Suarez *de relig. tom. 3 lib. 7. num. 3. & 5.* Felino *in cap. cognoſcentes, num. 14. de conſtit.* Geminiano *in cap. eos, de tempor. ordin.* Couarruuia *in pract. quæſtionum cap. 32. §. cæterum*, & alijs.

Panorm. Caiet. Nauarr. Sanchez Suarez. Felin. Gemin. Couar.

9. Quando profeſsio eſt inualida ex defectu tantùm conſenſus religionis, nullam ex ſe inducit obligationem, quia eius nullitas procedit ex natura rei, modò apertè conſtet religionem non præbuiſse conſenſum. Ratio eſt, tum quia natura operatur quantum eſse poteſt, ſi autem lex naturalis annullat illum actum, quantum poteſt illum irritat, & reddit eum inutilem ad omnem effectum. Tum quia profeſsio, eſt contractus oneroſus vltro citroque obligatorius; vt cùm in contractu mutuo æqua eſse debeat vtriuſque partis conditio, ſequitur, quod deficiente ex parte religionis conſenſu neutra pars remaneat obligata, quia vtraque debet eſse obligata, vel liberata. Hinc qui admiſsi fuerunt ad profeſsionem, in quorum admiſsione non interuenit ex parte recipientium conſenſus, non debent haberi pro profeſsis, etiam quoad forum conſcientiæ; & hi ordinem exire poſsunt ſine diſpenſatione quoad vtrumque forum, modo ſuperior priùs declaret nullitatem profeſsionis, & poſsunt manere in ſæculo veſte regulari exuti, & amplecti vitam, quam volunt, ac ſi profeſſionem non feciſſent. Ita tradunt Suarez *de relig. tom. 4. tract. 10. lib. 2. c. 1. n. 30. & 31.* Nauarrus *lib. 3. conſil. 26. num. 12. & 13. & conſil. 87. de regular. in 2. edit.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. qu. 11. art. 2.* Miranda *in man. tom. 1. q. 30. art. 4. concluſ. 1. & ſecunda*, cum alijs.

Suarez. Nauarr. Rodriq. Mirand.

10. Profeſſio ex iure Eccleſiaſtico inualida nullam per ſe inducit obligationem, niſi in iure exprimatur, quamuis per accidens ex ea oriri poſsit aliqua obligatio. Probatur prior pars, quia talis profeſsio non habet per ſe aliquem effectum, qui in iure non ſit expreſſus; quia cùm irritetur à iure, quoad omnia irritatur, ſi in ipſo iure nihil excipiatur; quòd ſi aliquid excipiatur illamet exceptio firmat regulam in contrarium, vt ſcilicet illa profeſsio quoad alia omnia, intelligatur inualida ſecluſa exceptione. Nam, ſicut poteſt Eccleſia profeſsionem in toto irritare, ita poteſt quoad aliquid irritare, & quoad aliquid illam acceptare: ergo talis profeſsio per ſe habebit effectum, ad quem acceptatur, quamuis quoad alios ſit nulla; ad illum autem effectum acceptatur, qui in iure exprimitur, & ideo talem effectum per ſe inducit, ex parte vt eſt valida. Poſterior pars probatur, nam ſicut ex profeſsione natura rei inualida, oriri poteſt obligatio ratione ignorantiæ, aut ſcandali, vt dictum eſt ſupra, ita ex hac profeſsione iure Eccleſiaſtico irrita conſurgere poteſt hæc obligatio. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 10.* probabiliter, contra Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. numero 104. & 105.* docentem profeſsionem ex quocunque defectu irritam, ſi ius eam irritet, vt omnis prorſus obligandi vi eam deſtituat, obligare inſtar votorium ſimplicium, & maximè ſi profitens

Suarez. Sanchez.

Digitized by Google

fitens habeat intentionem ſe obligandi illis votis in profeſſione emiſſis independenter ab ipſa vel ſaltem non reſtringendo intentionem ad vota ſolemnia. Si autem profitens vouerit illa tria vota ex immediato manendi in religione fine, tunc enim cenſebitur vouere dependenter ab illius profeſſionis valore; & ideò virtute talis intentionis ad nihil voluiſſe, ſe obligare exiſtente illa profeſſione irrita. Hæc ſententia non eſt improbabilis, ſed non habet locum in quacumque profeſſione irrita, ſed ſolùm in ea, de qua in iure exprimitur, eam hanc inducere obligationem. Secus verò ſi in iure hoc non exprimatur; quia in dubio præſumendum eſt profitentem noluiſſe ſe ijs vinculis votorum ſimplicium ligare. Proinde in hac profeſſione inualida non includitur obligatio voti ſimplicis, niſi profitens habeat ſpecialem de eo intentionem; & deficiente in eo hac intentione præſumitur eum vouiſſe dependenter à valore illius profeſſionis, id eſt ſe voluiſſe tantùm obligare illi religioni, vt rectè aduertit Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 62.* & colligitur ex Suarez *loco citato num. 2.* vbi ait, ſi vouens ex particulari intentione velit nihilominus aliquod votum validum, efficere poterit quidem id conſequi: tamen illud votum non erit validum, tanquam aliquid profeſſionis, ſed vt aliud ſimplex votum per ſe emiſſum.

Leſsius. Suarez.

11. Iure antiquo in tribus caſibus profeſſio inualida inducit obligationem in iure expreſſam, quorum *primus* eſt *in cap. non ſolum & in cap. conſtitutionem, de regular. in 6.* vbi habetur profeſſionem in religionibus mendicantium emiſſam non expleto probationis anno non tenere quoad illam religionem, in qua emittitur, ſed obligare ad ſtatum religioſum in genere. *Secundus* habetur *in dict. cap. Conſtitutionem* vbi decernitur tacitam profeſſionem per ſuſceptionem habitus proprij profeſſorum non expleto nouitiatus anno emiſſam non tenere quoad illam religionem, in qua ſuſcipitur habitus, ſed obligare accipientem habitum alicui religioni in genere. Sed hodie hi duo caſus non habent locum poſt Concil. Trident. *ſeſs. 25. cap. 15. de regular.* quod decernit profeſſionem in his duobus caſibus eſſe irritam, nullamque inducere obligationem, ac ſi prorſus facta non fuiſſet. *Tertius* habetur *in cap. quidam, de conuerſ. coniugatorum,* vbi quæritur, *Quidam intrauit monaſterium inuita vxore qua ipſum repetente, coactus eſt ad eam redire, ea mortua quaris, an ipſe cogatur reuerti ad monaſterium, an aliam poſsit ducere in vxorem? Conſultationi tua taliter reſpondemus, quod votum non tenuit, vnde ratione voti ad monaſterium non tenetur redire. Vlterius vero non poterit vxorem accipere, promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat: & ideo quoad hoc votum tenuit. Non reddere autem non erat in eius ſed mulieris poteſtate.* Ita Alexander III. Piſano Archiepiſcopo. Idem decernitur à Cœleſtino III. *in c. Placet nobis eodem titulo,* in caſu mulieris, quæ credens mortuum maritum, habitum religionis aſſumpſit, & eo reuerſo, de monaſterio educta fuit, an poſt obitum viri ſit ad regularem obſeruantiam compellenda? Cuius diſpoſitionis ratio alia reddi non poteſt, niſi quia profeſſio illa non eſt irrita iure naturæ, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, & ideò potuit Eccleſia irritare profeſſionem quoad traditionem, & ſolemnitatem eius, non tamen quoad ſimplicis votum caſtitatis; nam qui profitetur formale votum caſtitatis, emittit cum intentione ſe obligandi & ſimul ſe tradit religioni; poteſt ergo Eccleſia irritare ſeu non acceptare traditionem: & votum caſtitatis, quatenus Dei fit, integrum relinquere, vnde fit etiam, vt maneat ſimplex, quia Eccleſia irritando traditionem, abſtulit ſolemnitatem. Cæterum hoc procedit ſecundùm iuris interpretationem; ad indicandam tamen obligationem in conſcientia, expendenda eſt intentio vouentis: quia hæc iuris interpretatio eſt ex ſola præſumptione, cui ſtandum eſt quoties profitens non fuerit certus habuiſſe ſe contrariam intentionem. Si autem conſtiterit ſe non voluiſſe vouere caſtitatem, niſi vt annexam religioni, neque aliter ad eam ſe obligaſſe, quàm ſi in eo ſtatu validè admitteretur, tunc reuera, non erit obligatus ad ſeruandam caſtitatem: quia vera obligatio voti caſtitatis non fundatur in præſumptione, nec contrahitur

Conc. Trident.

Alex. III. Cœleſt. III.

niſi iuxta intentionem vouentis. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 12. & 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. numer. 25.* Vecchis *in praxi nouit. diſp. 14. dub. 1. num. 17. & 18.* Et in ſimili Angelus *verb. Profeſſio.* Syluester *verb. Religio 3 quaſt. 5.*

Suarez. Leſsius. Vecchis. Angel. Syluest.

12. Religioſus dubius de validitate ſuæ profeſsionis, non poteſt ſe eximere à iugo religionis ſua authoritate, nec priuare illam iure acquiſito, cùm ipſa actu poſſideat. Sed potiùs videtur obligandus talis ad ratificandam profeſsionem, vt poſsit conuenienter obligationem ſuam implere; & actus proprios illius ſtatus, quem neceſsario retinere debet conuenienti modo exercere. Ita Nauarrus *lib. 3. conſil. 13. num. 10. in 2. edit.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſput. 37. num. 12. ad finem.* Leſsius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num 66.* Idcirco Rota adhærens huic opinioni dixit, profeſsionem in dubio præſumi validam, niſi contrarium probetur. Ita habetur *in deciſ. 1361. num. 7.* coram Card. Seraph. cùm ergo tenendum ſit pro valore profeſsionis, ſequitur teneri religioſum in hoc dubio ad ratificandam profeſsionem. Imo probabile eſt, ſi religioſus ipſe dubitationem moueat circa valorem profeſſionis cùm in externo foro nihil probare poſsit iuſtè poſſe à religione obligari, & cogi ad profeſsionem iterandam & tunc ipſum debere non fictè, ſed verè & ex animo illam iterare. Probatur prior pars, quia cùm religio habeat ius retinendi talem perſonam, & cogendi illam, ſi neceſſe ſit, vt ſeruet promiſſa, conſequenter habet ius ad omnia neceſſaria vt talis perſona debito modo ſtatum illum profiteatur. Huiuſmodi autem eſt ratificatio profeſsionis, vt non poſsit ampliùs talem dubitationem mouere, aut ſcrupulum allegare. Probatur altera pars, quia profeſsio eſt contractus mutuus, quo religioſus obligatur religioni, & religio veram habuit intentionem admittendi hunc ad profeſsionem. Ergo hic etiam veram habere debet intentionem capeſſendi religionem: & ſi illam ficta promiſsione ſeu profeſsione decepit, tenetur fictionem tollere, quia omnis fictio in ſe tam graui eſt intrinſecè mala & pernicioſa; tum etiam, quia aliàs nullius momenti eſſet illa itera profeſsio ad finem, quem religio per illud medium iuſtè intendit. Ita Suarez *de relig. tom. 3. lib. 7. c. 2. n. 7.*

Nauarr. Sanchez. Leſsius. Rota.

13. Quando religioſus eſt certus coram Deo de nullitate ſuæ profeſsionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur illam ratificare, quantumuis per ſententiam publicam cogatur in religione manere. Ratio eſt, quia illa ſententia in falſa præſumptione eſt fundata eſt obligat tantùm ad actus externos, non vero ad internos, qui ſolùm ſunt ſub conſilio, neque ad ratificandos externos, quatenus ex illis pendent. Tum quia cùm hinc in culpa non fuerit, vt profeſsio eſſet nulla, & reuera liber ſit, non eſt compellendus ad coarctè tantùm anus ſubeundum; quod ſpontaneum conſenſum propter magnam ſuam perfectionem maximè deſiderat. Tum quia Eccleſia non præcipit huiuſmodi perſonæ, vt voueat, ſed vt ſeruet quod vouit: ergo ſi reuera non vouit, non tenetur denuo vouere, ergo nec ratificare profeſsionem; ex quo fit, licet talis perſona teneatur ad obſeruantiam & obedientiam exteriorem, coram Deo tamen non obligatur ad ſubſtantiam votorum: quia omnis hæc obligatio ex vera profeſsione, & veris votis naſcitur; & ideo ſi ſecretò, & ſine ſcandalo illam tranſgrediatur, non peccabit. Et conſequenter in rigore non tenetur ad permanendum in religione, ſed poteſt illam relinquere, ſi poſsit id facere ſine vi aut alia iniuria, & ſine ſcandalo. Hæc eſt communis ſententia Doctorum, quàm in terminis tradunt Nauarrus *comment. 4. de regular. num. 76. & 77. & lib. 3. conſil. 89. n. 6. & 7. de regular. in 2. edit.* Rodriquez *to. 3. qq. regul. quaſt. 7. art. 17. verſ. ſuper quibus.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſp. 37. n. 11. & 38.* Leſsius *lib. 2. cap. 41. n. 65.* Vecchis *in pract. nouit. diſp. 14. dub. 2. num. 3. & ſeq.* & alij.

Suarez.

Nauarr. Rodriq. Sanchez. Leſsius. Vecchis.

Ampliatur hæc concluſio in caſu quo profeſsio fuerit nulla ex defectu conſenſus propter fictionem, & culpam profitentis, hæc enim per ſe non obligat ad ſtatum religioſum, vel ad ſeruanda vota: quia religioſus ſtatus eſt tanti momenti & tam arduus, & ideò omnino deſiderat

Digitized by Google

ſpontaneum conſenſum, vt perfectioni acquirendæ deſeruiat: vnde nulla ratione ac ob nullam culpam, quis ad illum eſt inuitus eſt aſtringendus. Ita Sanchez *loca cit. n.* 39. Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 1. num. 9.* Valentia 2. 2. *diſp. 6. q. 6. punct. 1.* Caietanus 2. 2. q. 88. *art. 1.* Sotus *lib. 7. de iuſtit. q. 1. art. 2.* & communis.

Sanchez. Suarez. Valentia. Caiet. Sotus.

Verùm quia moraliter loquendo difficillimum eſt permanere in eo ſtatu apparenter, & non verè, & cum obligatione quoad externum forum Eccleſiæ, & ita ſe gerere ac ſi verè religionem profeſſus eſſet, conſulunt Doctores in eo caſu, vt hic inualidè profeſſus, priorem profeſſionem ratam habeat, vel oblata commoda fugiendi occaſione in partes remotas ſecedat, vt ſine ſcandalo viuere poſſit.

Aduertendum tamen eſt, fugam hanc propria auctoritate tunc tantùm eſſe licitam, quando profitens certus eſt in conſcientia profeſſionem eſſe nullam, & in foro Eccleſiæ id probare non poteſt quia quando profeſſio inualida probari poteſt coram Eccleſia, non debet, nec poteſt is, qui publicè profeſſus eſt, & exiſtimatur religioſus, relinquere habitum & ſtatum propria auctoritate, quia habet remedium à Tridentino præfixum; vt ſcilicet cauſas nullitatis profeſſionis coram ſuperiore ſuo & Ordinario deducat, vt ſtatuit idem Concil. *ſeſſ. 25. cap. 9. de reg.* Quare ſi abſque licentia deſerit religionem grauiter peccat, quamuis apoſtata non ſit, eo quod non eſt propriè religioſus, & conſequenter ad religionem redire minimè tenetur, vt notat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 4. numero* 11. *&* 12. quia nec ratione profeſſionis tenetur, cùm ſupponatur nulla, nec Concilium illam obligationem imponit, ſed ſolùm ait, vt cogatur in monaſterio permanere, non verò vt ipſe teneatur redire. Imò licet talis perſona ſub excommunicatione iubeatur redire, & vt contumax declaretur, nihilominus in conſcientia non obligatur, nec ligatur cenſura, niſi quoad exteriorem obſeruantiam eius, quia tunc præceptum ſolum eſt ex præſumptione, & ideò cum rei veritas non ſubſiſtit, non obligat.

Concil. Trid. Suarez.

Cæterum his non obſtantibus quidam Doctores affirmant præfatum religioſum inualidè profeſſum teneri profeſſionem poſt quinquennium ratificare, ſaltem quo profeſſio irrita fuit ob ipſius culpam. Probant *Primò*, quia coniugi concedens alteri coniugi licentiam ingrediendi religionem, cogitur etiam ipſe religionem ingredi, ſi in ſæculo periculum incontinentiæ timeat. Ergo multo magis cogendus eſt ad ratificandam profeſſionem poſt quinquennium, qui ſua culpa, profeſſionem inualidè emiſit. *Secundò*, quia fugiendo notam infamiæ incurrit, & magnam ſcandali anſam præbet, manendo in religione non ratificata profeſſione, ſe ipſum grauibus periculis exponit, & grauia religioni damna infert, nam bonis religionis aletur, vota profeſſorum feret, ad ſacros Ordines ſine titulo, & ſine literis dimiſſorijs legitimi Prælati promouebitur diſpenſationem & abſolutionem virtute priuilegiorum religionis obtinebit, & peccata fatebitur Confeſſario, qui fortè non eſt approbatus ab Ordinario, ſed ſolùm à Superiore religionis, conſequenter inualida erit confeſſio. Proinde hanc ſententiam vt probabiliorem ſuſtinent Bonacina *de clauſura quaſt. 2. punct. 10. diffic. 1. numero* 2. citans Rodriquez, & Angles, & poſt illos nouiſſimè Tamburinus *de iur. Abbat. tom.* 3 *quaſt. 6. diſput. 23. numer. 4.* Sed non recedo à prima ſententia.

Bonacin. Rodriq. Angles. Tamb.

14. Ex Concilio Tridentino, qui contra profeſſionem reclamare intendit, tria ſeruare debet; *Primum*, vbi habitum ante reclamationem non deponat, alias non eſt audiendus; quod intelligunt Doctores, niſi iuſtam habeat cauſam habitus dimittendi. *Secundum*, vt cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis deducat coram ſuo ſuperiore & ordinario. *Tertium*, vt reclamatio intra debitum tempus fiat, quod incipit à die profeſſionis, vſque ad quinquennium, ſiue profeſſio expreſsè, ſiue tacitè emiſſa fuerit. Ita Concilium *ſeſſ. 25. c. 19. de regular.*

Conc. Trid.

Circa *Primum*, eſt notandum, quod religioſus qui dimiſſo habitu reclamare volebat, & ob habitus dimiſſionem non fuit auditus, poteſt poſtea reclamare aſſumpto habitu: quia Tridentinum non intendit in perpetuum denegare audientiam religioſo habenti iuſtam reclamandi cauſam, nam durum valde, videretur eum ad religionem cogere, qui religionis onus non ſuſcepit. Ita Nauarrus *comment. de regular. num. vlt.* Rodriquez *to. 3. qq. reg. quaſt. 17. art. 17.* Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſp.* 37. *n.* 4. Tum quia mens Tridentini videtur eſſe ſpolio religionis conſulere ob quod iura denegant prorſus audientiam ſpolianti donec ad priſtinam poſſeſsionem ſpoliatam reſtituat, vt conſtat *ex c. a. de reſtitut. ſpoliatorum*, & docet etiam Suarez *de relig. tom. 3. lib. 7. cap. 4. num. 14.* cum alijs.

Nauarr. Rodriq. Sanchez. Suarez.

Circa *ſecundum*, nomine ſuperioris intelligitur immediatus monaſterij Prælatus, qui profeſsionem eius admiſit, vel ille, qui in ipſius locum ſucceſsit. Nomine autem Ordinarij intelligitur Epiſcopus, vel ipſius vicarius, in cuius diœceſi religioſus domicilium habebat, antequam religionem ingrederetur, vel iuxta alios Epiſcopus in cuius Diœceſi ſitum eſt monaſterium, in quo profeſsionem religioſus emiſit. Ita Peyrinus *tom. 2. de Pralat. q. 3. c. 1. n.* 156. Imo intelligitur etiam Abbas ſeu Prælatus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuo territorio habens aut Capitulum Sede vacante, vel eius vicarius.

Circa *tertium* eſt obſeruandum, quod dies illa profeſſionis computanda eſt in ſpatio quinquennij de momento ad momentum, ita vt quota hora facta fuit profeſsio tacita vel expreſſa, eadem prorſus hora in vltima die quinquennij finiatur terminus ad reclamandum conceſſus: quia ſi dies illa non computaretur, non diceretur concedi quinquennium à die profeſsionis, vt ſtatuit Concilium, ſed ab alia die, vt in ſimili reſoluunt Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 3. num.* 16. Sayrus *de cenſur. lib. 3. c.* 33. *num.* 4. & alij. Quamuis Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp.* 37. *num.* 2. tutiſsimum putet eo temporis puncto quinquennium illud expleri, vt ex illa die, qua profeſsio emiſſa eſt, pendeat an quinquennium exactè impletum ſit, nec ne.

Suarez. Sayrus. Sanchez.

Sed circa illud quinquennium dubia quædam ſunt proponenda & reſoluenda.

15. Dubium primum. An quinquennium deſtinatum in Tridentino ad reclamandum contra profeſsionem irritam, incipiat ab ipſa profeſsionis die, atque adeo ſit continuum, an potius à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis? Reſp. cum Doctoribus infra citandis, illud quinquennium à die ipſa profeſsionis currere, & debere eſſe continuum, non obſtante ignorantia, aut alio impedimento facti. Ratio eſt, tum quia Tridentinum dixit in eo decreto. *Niſi intra quinquennium tantum à die profeſsionis numerandum.* vbi ponderanda eſt dictio. *Tantùm*, quæ excluſiua eſt, & affirmat id, quod ponit, negans omnes alios caſus præter expreſſos; quod falſum eſſet, ſi non à die profeſsionis, ſed à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis, vel alterius impedimenti computandum eſſet. Tum quia Concilij Tridentini mens fuit tollere lites, ne vltra quinquennium turbari & vexari poſsit religio à religioſo reclamante, & obijciente profeſsionis inualiditatem; ſed occaſio litium non fuiſſet ſublata, ſi religioſo liberum eſſet, elapſo quinquennio à die profeſsionis cauſam ignorantię, vel alterius impedimẽti adducere; ergo quinquennium illud continuum eſſe debet à die ipſa profeſsionis proceditq; contra ignorantem & impeditum. Ita ſuſtinent Nauarrus *comment. 4. de regular. n. 71. verſ. Tertiò* Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſputatione* 37. *n.* 19. Bonacina *de clauſura q. 2. punct. 10. diffic. 4. n.* 3. Azorius *tom. 3. lib.* 12. *c. 4. q. 10. ſub* & alij.

Nauarr. Sanchez Bonacin. Azorius.

16. Secundum dubium eſt, an tranſacto, quinquennio, poſsit ignorans vel impeditus, excluſus à remedio ordinario, audiri remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum? Duplex eſt ſententia. Prima negat dicendo, nullum remedium competere religioſo poſt quinquennium. Ratio eſt, tum quia etiamſi remedium extraordinarium in legibus ciuilibus non cenſeatur excluſum, in hoc tamen caſu videtur excluſum, cum in Tridentino denegetur omnis prorſus audientia, & ius canonicum non ſubijciatur ciuili. Tum quia præſumptio Tridentini eſt iuris & de iure, quæ nullam contrariam probationem admit-

Digitized by Google

admittit; non igitur concedetur reſtitutio in integrum: iam enim admitteretur probatio ignorantiæ & impedimenti, contra quæ eſt præſumptio iuris & de iure: alias non poſſet præſumi ratificatio profeſſionis. Tum quia conceſſa reſtitutione poſt quinquennium, idem aditus litibus ac religionis perturbationi pateret: quæ Tridentinum audientiam denegans vitare voluit: atque proinde quod vna via denegatur, altera concederetur, contra regul. *cum quod vna via 84. de regul. iuris, in 6.* Non ergo poterit minor, nedum magis petere reſtitutionem contra lapſum quinquennij, quo præſumitur valida effecta prior profeſſio irrita, quia minor quoad profeſſionem religionis & cætera ſpiritualia cenſetur maior. *cap. Si annum de iudic. in 6.* & hanc ſententiam ſuſtinent Bonacina *loco citato num. 4.* Flaminius *de reſignat. benefic. lib. 13. quæſt. 5. num. 46.* Ceuallus *in ſuis quæſtion. pract. quæſt. 500. in fine*, & ita declaraſſe Cardinales teſtatur Flaminius.

Reg. Iur.
Bonacin.
Flamin.
Ceuallus
Sac. Cōg.

His tamen non obſtantibus affirmatiua ſententia eſt tenenda, nempe poſſe audiri talem religioſum remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum, aduerſus quinquennij lapſum, ratione ignorantiæ, vel alterius impedimenti ad reclamandum. Prob. quia licet Tridentinum induxerit præſumptionem iuris & de iure ratificationis profeſſionis per lapſum quinquennij, non obſtat tamen quin ex iuſta cauſa ignorantiæ, aut impedimenti, aut fragilis ætatis, concedatur reſtitutio maioribus & minoribus, ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa, de qua *l. 2. in fin. ff. ex cauſis maiores*. Tridentinum enim diuerſimodè loquitur de petente audientiam poſt quinquennium, & de eo qui intra quinquennium dimiſſo habitu reclamat: in primo enim caſu ſolum dicit, *non audiatur*. In poſteriori verò vrgentioribus verbis vtitur, ibi, *Quòd ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur*. Ergo ſignum eſt in priori caſu noluiſſe profeſſum omni remedio deſtitui, ſed ſolo ordinario, permiſſo tamen illi extraordinario reſtitutionis: in poſteriori autem, vtrumque remedium denegari: quia illi ſupereſt medium vt ſibi conſulat, nimirum habitum reſumere, tunc enim debet audiri. Ita docent Nauarrus *comment. 4. de regular. num. 76. lib. 1. conſil. 6. num. 2. de his quæ vi.* Azorius *lib. 12. cap. 4. quæſt. 10.* Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 53.* Miranda *tom. 1. manual. quæſt. 30. art. 1.* Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 25. num. 9.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 66.* & pluribus rationibus adductis, Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 37. num. 22.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 70.* & alij, quibus adde Rodriquez *tom. 3. quæſtionum reg. quæſt. 17. artic. 16.* Tamburinum *tom. 3. diſput. 6. quæſt. 25. num. 7.*

Nauarr.
Azor.
Diana.
Miranda
Villalob.
Leſsius.
Sanchez.
Menoch.
Rodriq.
Tamb.

17. Dubium tertium, An decretum Tridentini denegans audientiam profeſſus poſt quinquennium, intelligatur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum? Reſp. negatiuè. Ratio eſt, quia Concilium denegat audiri poſt quinquennium, quia præſumit religioſum conſenſiſſe: hæc autem ratio ceſſat in habente perpetuum impedimentum, cùm ipſius conſenſus validus eſſe non poſſit. Tum quia euidens abſurdum ſequeretur ex oppoſito, nimirum mulierem in virorum monaſterio profeſſa ſexu mentito, non poſse poſt quinquennium eijci. Tum quia oppoſitum cederet in graue religionis detrimentum; nam cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra Concilij mentem, cùm hoc decretum in fauorem religionis ediderit. Ex quibus deducitur hos inhabiles quocunque tempore tranſacto reclamantes contra profeſſionem, audiendos eſſe via ordinaria, quia Tridentinum claudens aditum ad reclamandum poſt quinquennium, non loquitur de his inhabilibus. Ita Nauarrus *conſil. 26. num. 12. & 48. num. 2. l. 3. de reg.* Bonacina *de clauſ. quæſt. 2. punct. 10. diffic. 4. num. 7.* Sanchez *loco citato diſputat. 37. num. 32. & 33.* qui nouiſſimus idem ſentiendum putat de impedimento temporali, quod toto quinquennio perdurauit, ita *num. 34.* quod tamen non admittit Bonacina, niſi fortè impedimentum tale eſſet, vt intra quinquennium nunquam elici potuerit conſenſus validus, vt ſi toto quinquennio erat

Nauarr.
Bonacin.
Sanchez.

coniugatus, & licentiam ab vxore non obtinuerit.

18. Profeſſus tacitè compellere poteſt religionem, in qua eſt tacitè profeſsus, vt eum ad profeſsionem expreſſam admittat. Ratio eſt, nam ſicut ipſe tacitè profeſſus religioni eſt obligatus, ita religio eſt ei obligata, quæ quidem obligatio in vtraque parte orta eſt ex profeſſione tacita. Tum quia eiuſdem religioſi multum intereſt expreſsè profiteri; eò quod niſi ſit expreſsè profeſſus eligi nequit in Prælatum, vt iura decernunt; nec monialis tacitè profeſſa eligi poteſt in Abbatiſsam, aut Prioriſſam, niſi ſit expreſsè profeſsa, *Ex cap. indemnitatibus de elect. in 6.* & docent Panormitanus *in cap. cum cauſam, num. 6. 7. & 8. de elect.* Geminianus *in cap. nullus de elect. in 6.* & dictum fuit à Rota *deciſ. 647. n. 1. coram Card. Seraph.*

Panorm.
Gemin.
Rota.

E contra Superior religionis cogere poteſt tacitè profeſſum ad expreſsam profeſſionem emittendam, maximè ſi per quinquennium perſeuerauerit in religione in habitu profeſſorum, & ſub obedientia Prælatorum, nec iuxta Tridentinum reclamauerit, cùm reclamare potuerit. Hoc tamen procedit ſolùm in eo, qui eſt tacitè profeſſus in religione, in qua ex vi regulæ, ſeu conſtitutionum diſpoſitum eſt vt fieri debeat profeſſio expreſsa. Proinde in alijs religionibus vbi hoc non eſt decretum, non eſt cogendus ad hanc profeſſionem expreſsam faciendam: vt declarauit Sacra Eminentiſs. D. Cardinalium Congregatio.

Sac. cōg.

19. Religioſus validè profeſsus, qui tractu temporis in morbum incidit, vel ob ſenectutem redditur impotens ad ſeruandam religionis regulam, reclamare non poteſt contra profeſſionem. Ratio eſt, quia reclamatio conceditur contra profeſſionem irritam, & inualidam; & ex hoc capite tantùm oritur legitima cauſa tribuens ius reclamandi: Profeſſio autem emiſsa ab eo, qui poſtea ob morbum redditus eſt impotens ad ſeruanda regulæ præcepta valida eſt, cùm ſubſtantialia Regulæ viribus corporis non nitantur, & conſiſtant in tribus votis, nempe caſtitatis, paupertatis & obedientiæ quæ voluntate & affectu voluntatis nituntur, non corporis viribus. Reliqua verò præcepta regulæ obligant ſolum iuxta corporis vires; ſeu niſi iuſta cauſa excuſat. Ita Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. n. 52.* Bonacina *de clauſura, q. 1. punct. 10. difficultat. 2. §. 6. n. 10.* Tamburinus *to. 3. de iur. Abbat. diſput. 6. quæſ. 26. num. 14.*

Sanchez.
Bonacin.
Tamb.

20. Ad expreſsam profeſſionem neceſsariò deſideratur exterior aliqua forma, quæ mutuum conſenſum Religionis & religioſi ſufficienter explicet, vt vinculum eius conſurgat. Probatur *Primò*, ex generali ratione contractus humani, qui licet requirat conſenſum interiorem non tamen illo ſolo perficitur, quia ſine externis ſignis non poſſunt homines inter ſe mutuos conſenſus agnoſcere, aut receptare; profeſſio autem licet principaliter contineat obligationem ad Deum, tamen non ſit ſine aliquo contractu inter homines, ergo non poteſt fieri ſine ſenſibili ſigno ad modum matrimonij. Quare profeſsio expreſsa nullis verbis indiget, ſed poteſt nutibus, aut ſcripto fieri: quia nullibi reperitur verba eſse neceſsaria, qui nutus ſufficiunt ad omnes actus, in quibus pro forma non requiritur loquela, *ex l. nutu, ff. de leg.* Vnde mutus à natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri. Si enim eſt aptus ad carnale matrimonium ineundum, erit quoque ad ſpirituale aptus, argument. *ex cap. Significatum, de regular.* quia non minor notitia obligationis, nec minor conſenſus deſideratur in matrimonio carnali, quàm in ſpirituali. Ita Cynus, Baldus, & Imola *in l. ex facto, ff. de vulg. & pupil.* Dynus *in l. ubi non voce, ff. de reg. iuris* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 4. q. 1* Vecchis *in praxi nouit. diſput. 13. n. 1. & 2. dub. 2.* Sed hoc intelligendum eſt, quando mutus ille ita perſpicaci intellectu præditus eſt, vt ſignis doceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſsitque ſignis conſenſum exprimere.

Cynus.
Baldus.
Imola.
Dynus.
Azor.
Leſsius.
Sanchez.

21. Dubium eſt, an ſcriptura ſit etiam neceſsaria, vel ſufficiens, vt per illam expreſsa profeſsio fiat? Reſpondet Sanchez *lib. 5. moral. cap. 3. num. 5.* ad priorem partem, profeſsionem eſse faciendam in ſcriptis, &

Sanchez

probat *ex cap. final. 20. quæſt. 1.* Sed verius eſt iure communi non eſſe vllum ſcriptum neceſſarium, ſed ſufficere vt ſola voce negotium totum tranſigatur, vt expreſsè colligitur, *ex cap. Porrectum de regular.* quia ex natura rei tale ſignum neceſſarium non eſt, neque inuenitur aliquod decretum communis iuris, quo hæc circumſtantia præſcribatur. *Ad cap. final. 20. quæſt. 1.* reſpondet Gloſſa *ibi, uerb. ſcriptos*, non eſſe neceſſariam ſcripturam ad profeſſionem, ſed poteſt eſſe neceſſaria, vt obuiet ei, qui contrauenit profeſſioni. Et huic Gloſſæ ſubſcribunt Panormitanus in dict. *cap. Porrectum, & in cap. nuper, de teſtibus*, Syluester *verb. Religio* 3. q. 1. Vecchis *diſp. 13. dub. 2. num.* 3. & alij.

Glossa. Panor. Syluest. Vecchis.

Iure tamen ſpeciali aliquarum Religionum requiritur vt profeſsio in ſcriptis fiat vt conſtat *ex regula* 58. *Sancti Benedicti*, vbi ordinatur, vt qui profitetur, ſuam profeſſionem ſcriptam & conſignatam, ſeu ſubſcriptam ſuper altari ponat: & in Societate Ieſu *part. 5. conſtitut. c.* 3. poſtulatur, vt votum ſcriptum ſit, & ex ſcripto legatur: quare vbi hæc forma viuendi præſcripta fuerit, ſeruanda eſt, tum ob regulæ obſeruantiam, tum etiam ad tollendam omnem ambiguitatem: Hinc Clemens Papa Octauus in Bulla, quæ incipit, *Cum ad regularem diſciplinam*, ita ſanciuit. *Superior cuiuslibet conuentus*, in quo nouitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque nouitij profeſsio regiſtretur, illamque nouitius profeſſus propria manu & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant. Conuerſus verò literarum ignarus, profeſſus in eorumdem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint præſentia, propria manu ſignum crucis apponat, aſſeruetur que liber, & cuſtodiatur in Archiuio, vbi ſcripturæ ad Monaſterium ſeu conuentum pertinentes reponi conſueuerant.

Clemens Octauus

Quod etiam antea decreuerat Sixtus V. in Conſtitutione, *Cùm de omnibus*. Quorum Pontificum Conſtitutiones apud nos Capucinos ſunt in viridi Obſeruantia.

An autem ſolum ſcriptum ſufficiat ad profeſſionem etiam expreſſam? Videtur affirmatiuè reſpondendum, ſtando in ſola rei natura, vel iure communi, nam ſcriptura eſt tam expreſſum ſignum ſicut vox: & ideò ſi ex ſcriptura ipſa & ex modo exhibendi illam ſufficienter conſtet de perſona vouente, & quod illam ſcripturam exhibeat animo profitendi, & eodem modo ab habente poteſtatem recipiatur, ex natura rei profeſſionem ſufficiet: nihilominus iuxta communem Eccleſiæ conſuetudinem legenda eſt ſcriptura illa publicè ab eodem profitente, ſi id facere poſſit: quia imprudentiſſimum eſſet per ſolam oblationem & receptionem ſcripturæ admittere quem ad profeſſionem ſine vlla verborum expreſſione, maximè ſi conſuetudo eſſet in contrarium, & nulla intercederet grauis cauſa, quæ id ſuaderet, vt bene aduertit Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 12. n. 4.* & poſt illum Tamburinus *to. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſit. 22. n. 3. & 4.* Vecchis *diſp. 13. dub. 2. n. 4.*

Suarez. Tamb. Vecchis.

22. Profeſsio expreſſa varijs formulis ſolet emitti, iuxta varia Religionum inſtituta. Aliquando enim tria ſubſtantialia Religionis vota exprimuntur. Quandoque autem ſola obedientia, aut vita ſecundùm regulam illius Religionis promittuntur. At clauduntur ibi paupertas & caſtitas, quamuis non exprimantur, vtpote quæ in regula continentur. Proinde non minus perfectam profeſſionem faciunt religioſi Prædicatores, quàm alij, nec minus cenſentur tria vota emittere, quamuis non omnia exprimant, & ideò quædam ſolùm implicitè cenſentur emittere: expreſsè enim ſolùm vouent obedientiam ſecundùm regulam Sancti Auguſtini, tamen ſub ea reliqua vota intelliguntur. Nam cùm ſit expreſſa promiſſio obedientiæ ſecundum regulam, in illa regula continentur caſtitas & paupertas, & ita magis eſt confuſa ſignificatio eius quod expreſsè promittitur. Et eodem modo interpretanda ſunt verba illo profeſſionis Carthuſianorum, *Ego promitto ſtabilitatem & obedientiam & conuerſionem morum meorum coram Deo & Sanctis eius, & reliquijs iſtius Eremi in præſentia Domini noſtri Prioris, &c.* ſcilicet quoad ſtatum continentiæ & paupertatis ſecundum regulam. Ita docent Rodriquez *tom. 2. ſummæ Latinæ, c. 8. n. 13.* Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 4. quæſt. 2.* Eman. Sà *uerb. Religio, num.* 18. Et communis ſententia, quam omnes Theologi admittunt Canoniſtæ *in c. Conſuluit, de regular.*

Rodriq. Azorius. Em. Sà.

Cæterum, quamuis Religionis regula certam profitendi formam præſcribat, non ſunt ea verba ita neceſſaria, vt alijs facta profeſsio ſit irritata: ſed quibuſcumque alijs facta valebit: niſi regula à Sede Apoſtolica approbata, exprimat profeſſionem alia forma factam forte irritam, vt bene aduertit Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæſt. 7. in fine*, & Vecchis *d. 13. dub. 2. num. 2. in fine*, cum alijs. Qui etiam *num. 5.* notat in hac receptione ex parte Prælati recipientis non eſſe neceſſariam formam verborum ſpecialem, ſed ſatis eſſe, ſi ille aliquod ſignum externum exhibeat, per quod oſtendat, ſe profeſſionem acceptare.

Azorius. Vecchis.

Si tamen Prælatus, qui profeſſionem admittit, licet exterius eam recipiat, interius non habeat intentionem illam admittendi, nec voluntatem incorporandi talem perſonam Religioni, profeſsio non erit valida, ita vt ſi poſtea conſtare poſſit ſufficienter de tali fictione, qui talem profeſſionem emiſerat, liberè poſſit talem ſtatum relinquere, & alium aſſumere, ſeruata tamen forma iuris, vt id licitè fiat. Quia eo ipſo quòd contractus claudicat ex altera parte, eſt ſimpliciter inualidus, vt rectè docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 11. n. 8.*

Suarez.

Reſtat vnum dubium, an neceſſarium ſit, vt profeſsio hæc coram teſtibus fiat? Reſp. nihil certi de hoc in iure reperiri, ſed ſi huius actu natura attendatur, ſine dubio requiritur ad hoc, vt conuenienter fiat. Ratio eſt, quia cùm profitens ſpecialem Eccleſiæ ſtatum aſſumat neceſſe eſt, ita profeſſionem emittere, vt de illa poſſit Eccleſiæ conſtare & hoc de conuenientia: nam profeſsio ſine teſtibus facta inter eum, qui poteſtatem habet recipiendi, & eum qui vult profiteri, licet non reperiatur in iure communi prohibita; tamen, ſicut matrimonia clandeſtina ſemper fuerunt ab Eccleſia improbata, ita etiam profeſſiones clandeſtinæ, & ſine teſtibus factæ vitandæ ſunt: quia ex illis ſacrilegia & apoſtaſiæ facilè ſequi poſſunt, cùm Eccleſiæ de tali profeſſione conſtare non poſſit. De ſubſtantia tamen profeſſionis non eſt, vt coram teſtibus emittatur, quia nihil de hoc expreſſe habetur in iure; vnde talis profeſsio attento iure communi ſuo valore non caret, ſicut ante Tridentinum valida erant matrimonia clandeſtina. Sed conſulenda ſunt ſpecialia Religionum ſtatuta. Hodie autem extet Conſtituto Clementis VIII. ex qua colligi poteſt profeſſionem fieri debere coram teſtibus vt vidimus ſupra *num. 21.* & docent Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 12. numer. 5.* Tamburinus *tom. 3. de iur. Abbat. diſput. 6. quæſit. 22. numero* 4. & noſter Vecchis *diſput. 13. dub. 2. n. 7.* & alij.

Clem. VIII. Suarez. Tamb. Vecchis.

23. Profeſsio poteſt fieri per Procuratorem. Ratio eſt, quia omnis contractus fieri poteſt per Procuratorem, ſi non ſit lege prohibitus, iuxta *l. 1. §. vſus, de Procurator, & cap. poteſt quis, de regul. iuris in 6.* vbi habetur, *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere ſeipſum.* Sed profeſsio perficitur per modum cuiuſdam contractus, qui nullo iure à prædicta regula excipitur, vt conſtat ex Gloſſa *l. Pomponius, ff. de procurat. & cap. Qui ad agendum, de Procurator. in 6.* in quibus locis cùm caſus exceptos numeret, profeſſionis non meminit. Ita docent Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 17. art. 13.* Syluester *uerb. Religio 3. quæſt.* 15. Emanuel Sà *uerb. Religio num.* 14. Vecchis *diſp. 13. dub.* 3. Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæſt. 5.* Suarez *loco citato cap. 12. numero* 22. & alij communiter; quod tamen limitatur, niſi regula prohibeat in aliqua Religione profeſſionem fieri per Procuratorem.

Rodriq. Syluest. Em. Sà. Azorius. Suarez.

Deſiderantur tamen quinque conditiones, vt Procurator validè profiteatur nomine abſentis. *Primò*, vt habeat ſpeciale mandatum ad profeſſionem emittendam. *Secundò*, vt ſit mandatum ad profitendum Religione determinata: *Tertiò*, vt procurator per ſeipſum exequatur, nec poterit ſubſtituere, niſi ſpecialiter ſibi committatur. *Quartò*, vt tempore quo Procurator profitetur, non ſit reuocata poteſtas. Si enim fuerit reuoca-

ta

Digitized by Google

ta quamuis ſolo actu interno, vel tacitè per factum contrarium, non valebit profeſſio. *Quintò*, ne inſtitutio præfati Procuratoris ſit metu graui extorta. De quibus Suarez *loco citato*, Rodriquez, & Sanchez *lib.5.moral.cap.3. num.8.*

Suarez. Rodriq. Sanchez.

24. Profeſſio ſolemnis ob malum finem emiſſa, eſt irrita, ſi malus ille finis ſit finis caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis id eſt ſi profitens ordinet hæc vota ad finem malum, pota ad vanam gloriam. Ratio eſt, quia res illæ eo malo fine affectæ nequeunt à Deo acceptari, nec à Prælato nomine Dei, & ſicut peccatum non poteſt eſſe materia voti; ita neque profeſſio, neque aliud ſimile opus ex ſe bonum, quod dirigitur & ordinatur ad malum obtinendum; quia cenſetur votum rei malæ & peccaminoſæ. Ita Nauarrus *comment.2. de regular. numero vltim. verſ. addo decimotertio*, Sanchez *lib.4.moral.cap.6. numero* 14. Tabiena *verb. votum 2. in fine*. Idem dicendum ſi profeſſio ordinetur ad malum finem obtinendum à Deo, vel gratias agendas pro malo obtento: quia Deus acceptare nequit aliquid ſibi oblatum, vt auctor peccati ſit, nec io gratiarum actionem, quaſi illius peccati auctor fuerit. Imò talis profeſſio videtur continere blaſphemiam, quia videtur aliquid Deo tribui; quod ei non conuenit; cùm Deus auctor peccati fieri videatur. Prædicta habent locum, vt ſcilicet irrita ſit profeſſio ordinata ad finem præfatum, etiam ſi finis malus ſit tantùm venialiter culpabilis, quia irritum eſt votum, quando materia voti eſt de ſe bona, ſed adiungitur ei finis mortalis: vel venialis: ergo profeſſio ordinata ad finem malum venialiter tantùm culpabilem eſt nulla; nam licet profeſſio ex ſe ſi opus bonum, redditur tamen iniqua ob illum finem. Ita ex communi docent Suarez *de relig. tom.2. lib.2. de voto cap.4. num.2. & 3.* Sanchez *loco citato numer.*13. & 15. & alij multi penes ipſum.

Nauarr. Sanchez. Tabiena

Suarez. Sanchez.

15. Profeſſio valet, quando malus finis eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſve agendum pro illo obtento. Exempla ſunt, ſi quis voueat Religionem, ſi non fuerit deprehenſus in delicto, vel ſi ex duello incolumis euaſerit, vel ſi ex fornicatione filium ſuſceperit, &c, tale votum eſt validum. Ratio eſt, quia quando malus ille finis aliunde intenditur, quàm à Deo, nec eſt rei promiſſæ finis, manet ipſa res promiſſa immunis à mali finis labe, & ſic grata Deo quamuis in ipſo vouendi actu peccetur ratione illius mali finis: Præterea quando votum refertur ad bonum ex malo conſurgens, non refertur ad Deum id malum, vt bellum iniuſtum, vel fornicatio, ſed bina naturalia inde conſurgentia, vt incolumitas & prolis ſuſceptio; quæ Dei beneficia ſunt. Similiter ſi quis emitteret profeſſionem dirigendò votum ſuum ad caſtitatem, paupertatem & obedientiam, & animum haberet malum, puta ob vanam gloriam, vel ad viuendum lautè, aut luxurioſè, &c. valida eſſet profeſſio: quia hæc emiſſa eſt ob finem principalem bonum, qui eſt viuere in obedientia, &c. quamuis ſecundarius finis, vel cauſa impulſiua ſit mala. Ita docent Nauarrus *comment.2. de regular. num. vltim. verſ. Addo decimotertio. Et in man.cap.12.num.31.& 32.* Toletus *in Summ.lib.4.cap.17.num.7.verſ. tertio vouere*, Clauis regia *lib.6.c.3.num.7.* Suarez *tom.2. de relig. lib.2. de voto c.5.num.5.* Azorius *tom.1. lib.12. cap.5. quæſt.10.* & communis.

Nauarr. Tolet. Cla.reg. Suarez. Azor.

26. Profeſſio emiſſa ob finem indifferentem principalem eſt inualida. Ratio eſt, quia ſicut redditur irrita ex malo rei promiſſæ fine, ſic quoque quando finis ipſius eſt ſola res indifferens. Tum quia ſicut non acceptatur à Deo res votis illis promiſſa, quando ex fine redditur mala: ita nec, quando ex fine redditur indifferens; ac proinde nec à Prælato, qui nomine Dei acceptat. Tum quia cùm votum ſit actus Religionis, deſiderat materiam cultui diuino deſeruientem: At indifferentia non ſunt huiuſmodi; nil enim ad Dei cultum refert illa ſic, vel aliter fieri, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 88. *art.2.* & communis. Exemplum eſt, ſi quis ordinaret profeſſionem ad huoc finem principalem, vt fratres ſui carnales bonis fortunæ eſſent abundantiores. Si tamen talis finis ſit tantum ſecundarius, vel cauſa impulſiua, profeſſio teneret, puta, ſi emittatur addito fine peculiari & principali honeſtate promiſſionem, vt ſi quis profiteretur, quatenus fratres, vel conſanguinei, mediante ſua facultate, quam eis reliquit, inducerentur ad vitam vitioſam derelinquendam, & virtuoſam amplectandam, vel vt filias in monaſterijs monialium collocare, vel nuptui dare; vel quid ſimile facere poſſent.

D. Th.

Si dubium ſit omnibus circumſtantijs perpenſis, an profeſſio fuerit ob finem indifferentem, vel bonum emiſſa, tenendum eſt eam ſſam fuiſſe ob finem bonum, ac proinde eſſe validam. Quia cùm de profeſſionis verbis conſtet, & dubia ſit executio; ſtat poſſeſſio pro profeſſionis valore, in cuius fauorem & vt actus valeat, præſumitur in eo dubio materiam eſſe bonam, & ſic contraria meliorem. Ita Sanchez *lib.4. moral. cap.7. numero* 21. & 26. Arragon 2.2.q.88. *art.2.dub.1.* Vecchis *diſp.13.dub.* 14 *n.6.* & 7. & alij. Sanchez. Arragon Vecchis.

Vide t. 1. verb. Abbatiſſa *n.*13. Beneficium 8.*n.*8. Electio *n.* 8. Emphyteuſis *num.*25. Irregularitas 3.*n.*2. Matrimon. 2. *n.*11. & 12. Penſio *n.*10. Seruus *n.*18. Subſtitutio *num.*11. *verſ. Sed* & 12.

PROMISSIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit promiſſio gratuita?*
2 *An promiſsio facta homini vel Deo, adimplenda ſit, etiamſi ſit maioris boni impeditiua?*
3 *An qui promiſit Deo ſe ducturum fœminam quam defloraui ſub promiſsione matrimonij, teneatur promiſsionem Deo factam adimplere?*
4 *An teneatur ad matrimonium qui promiſit Deo ſe ducturum aliquam in vxorem ad vitandam fornicationem vel alia peccata carnis, & quid ſi promiſit Deo ſe ducturum meretricem, vel pauperem?* Refertur duplex ſententia.
5 *An promiſsio interna iure poſitiuo, & naturæ obliget?*
6 *An promiſsio interna facta cum iuramento non reuocandi obliget ante acceptationem?*
7 *An promiſsio & omnis pactio ante patrationem operis praui, cuius cauſa eſt facta ſit inualida? & an patrato opere malo promiſſor obligetur ſoluere promiſſum?* Refertur duplex ſententia.
8 *An iure naturæ & poſitiuo irrita ſint promiſsiones, quarum impletio eſt illicita?*
9 *Quantum obliget promiſsio externa legitima acceptata?* Refertur triplex ſententia.
Et quando res promiſſa dicatur eſſe magni momenti?
10 *In quibus caſibus promiſsio acceptata & valida deſinat obligare?*
11 *An promiſsio ante acceptationem pariat aliquam obligationem?*
12 *Quid requiratur vt promiſsio vel donatio facta abſenti validè poſsit acceptari? Et an promiſsio vel donatio poſsit validè acceptari poſt mortem donatoris.*
13 *Quis poſsit promiſsionem lucratiuam vel donationem abſentis factam acceptare?*
14 *Quando promiſsio ſit adimplenda?*

1 PRomiſsio gratuita, *eſt datio fidei deliberata, vera, & ſpontanea, de re licita & poſsibili*; ex hac definitione colligitur. *Primò*, promiſsionem differre à pollicitatione, quia hæc non eſt propriè promiſsio, cùm non ſit acceptata, nec fides per ipſam dicatur data. *Secundò*, patet ad promiſsionem requiri plenam deliberationem, quæ

 ſatis

ſatis eſſet ad meritum vel peccatum mortale; quare promiſſio ſine plena aduertentia, ſicut & votum non obligat, neque etiam ſub veniali: hinc promiſſiones amentium vel ebriorum, vel infantium, vel eorum, qui eas faciunt ex tanta animi perturbatione, quæ mentem & rationem perturbet & obtenebret inualidæ ſunt. Qui verò dubitat an deliberatè promiſerit, præſumendus eſt deliberatè promiſiſſe, quia poſſeſſio ſtare videtur pro ipſa promiſſione, quam conſtat factam fuiſſe. Filliucius *tract.* 33. *cap.* 2. *num.* 19. Nauarrus *cap.* 18. *numer.* 7. Syluester 2.2. *quæſt.* 66. *art.* 2. *quæſt.* 4. *concluſ.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 1. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 83. Sanchez *de matr. lib.* 1. *diſp.* 8. *Tertiò*, à promiſſione debet excludi fictio, qualis reperitur in eo qui promittit abſque animo promittendi vel ſe obligandi, qui enim promiſit animo non promittendi, aut animo non ſe obligandi, non verè promiſit, ſed fictè, nec tenetur, per ſe loquendo, promiſſionem adimplere, licet fieri poſſit vt aliunde obligetur, puta, ſi alter credebat ſibi ex animo promitti, & ob id periculum ſit, vt damnum patiatur. Reginaldus *cap. num.* 90. 93. Sanchez *c. diſp.* 9. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 2. Nauarr. *cap. num.* 6. *Quartò*, patet promiſſionem, quæ facta eſt ex metu vel dolo, poſſe ſemper irritari ab eo, qui paſſus eſt metum, nec obligare ad implendum promiſſum, niſi iuramentum ei addatur? Filliucius *c. num.* 19. Bonacina *tom.* 2. *de contract. d.* 3. *quæſt.* 12. *part.* 1. *Quintò*, colligitur promiſſionem de re turpi & impoſſibili, non obligare; tum quia impoſſibile eſt aliquem obligari ad peccatum, à quo debet abſtinere; tum quia ad impoſſibile nemo tenetur: verùm ſi res promiſſa partim ſit licita & partim illicita, promiſſio quoad partem licitam adimplenda eſt, ſicut etiamſi pars ſit poſſibilis & reliqua impoſſibilis, pars poſſibilis adimplenda eſſet. Filliucius Bonacina *citat.*

Filliuc. Nauarr. Syluest. Leſſius. Regin. Sanchez

Sanchez. Henriq. Nauarr.

Filliuc. Bonacin

2. Promiſsio facta homiri, etiamſi maioris boni ſit impeditiua, adimplenda eſt; quia in tali promiſsione attenditur id quod eſt homini gratius, res autem minus bona, ſeu impeditiua maioris boni, magis aliquando placet homini, quam placeat magis bona; ſecus dicendum eſt de promiſsione facta Deo, in qua, quò res eſt magis bona, magis Deo placet; illi verò non placet, ſi maioris boni ſit impeditiua: hinc qu promiſit matrimonium, non tenetur per ſe loquendo votum adimplere: nam votum debet eſſe de meliori bono; & tale votum eſt impeditiuum melioris boni, id eſt, cœlibatus: Molina *tract.* 2. *diſp.* 149. Vaſquez 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 4. *c.* 4. *num.* 50. Sanchez *de matr. l.* 1. *diſp.* 4. *num.* 4.

Molin. Vaſquez Sanchez

3. Qui interiùs promiſit Deo ſe ducturum fœminam quam deflorauit ſub promiſsione matrimonij, tenetur promiſsionem Deo factam adimplere, quia huiuſmodi promiſso Deo placet, & eſt de re meliori, quàm ſit eius omiſsio, cùm ſit de re quam promiſſor tenetur facere. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *d.* 4. *n.* 1. Coninck *de matrimon. diſp.* 22. *dub.* 9. *num.* 58.

Sanchez Coninck

4. Qui promiſit Deo ſe dicturum aliquam in vxorem ob vitandum fornicationem, vel alia peccata carnis, cognoſcens ex frequenti lapſu ſe imbecillem, & inſufficientem ad ſuperandas carnis tentationes, tenetur ad matrimonium; quia attentis circumſtantijs hic & nunc melius eſt matrimonium, quàm eius omiſsio, melius eſt enim nubere quàm vri. Nauarrus *cap.* 12. *num.* 43. Molina *tom.* 1. *d.* 149. An autem qui promiſit Deo ſe ducturum meretricem, vt illa ſe recipiat ad meliorem frugem, vel pauperem in honorem Dei; teneatur promiſsionem implere? Henriquez *lib.* 11. *c.* 6. *num.* 5. Philiarchus *tom.* 1. 2. *p. cap.* 17. volunt teneri, quia videntur voluiſſe opus charitatis & miſericordiæ, reſipiſcentiam ſcilicet & emendationem meretricis; ſed alijs contrarium videtur probabilius, quia huiuſmodi votum videtur inualidum, vtpote maioris boni impeditiuum, melius eſt enim abſtinere à matrimonio quàm illud inire, & huius ſententiæ ſunt. Sanchez *c. lib.* 1. *d.* 4. *nu* 7. Coninck *c. n.* 59. Vaſquez *c. n.* 50.

Nauarr. Molin.

Sanchez. Coninck Vaſquez

5. *Iura natura*, & poſitiuo, promiſsio interna non obligat, niſi fiat per modum voti; *ratio prioris* eſt, quia interni actus non ſunt idonea ſigna ad ſignificandam obligationem alteri homini: *poſterioris* autem *ratio eſt*; quia promiſsio interiùs facta in gratiam hominis per modum voti de meliori bono adimplenda eſt ex vi voti (vt ſi quis promittat Deo ſe daturum eleemoſynam pauperi) ille tamen cui facta fuit promiſsio, nullum ius acquiſiuit, cùm ab eo non ſit acceptata: Si autem res promiſſa per modum voti non ſit de meliori bono, ſed indifferens, aut impeditiua maioris boni, non eſt obligatio adimplendi, quia non acceptatum Deo, quod eſt maioris boni impeditiuum. Azorius 3. *part. lib.* 11. *c.* 15. *n.* 1. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 74. Sanchez *c. lib.* 1. *diſp.* 3. & *diſp.* 7. *n.* 25. Rodriquez 1. *p. c.* 95. *n.* 1. *Vide* Diana *tract.* 5. *miſc. reſ.* 116 *part.* 3.

Azor. Regin. Sanchez. Rodriq. Diana.

6. *Promiſsio interna* facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, ſed reuocari poteſt, ſaltem abſque peccato mortali ante acceptationem, quia iuramentum ſequitur naturam principalis, & conditiones actus ſuper quem cadit, ſed principale eſt promiſsio, quæ cenſetur facta cum hac tacita conditione, niſi reuocetur ante acceptationem, ergo ſimiliter iuramentum: Si autem iuramentum ſit factum Deo de re aliqua facienda in honorem ipſius Dei, tunc habet rationem voti, quod reuocari non poteſt niſi per diſpenſationem, vel commutationem. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp* 7 *num.* 24. 25. & 39. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. tamen Molina *tract.* 2. *diſp.* 263. & Couar. *de pactis* 2. *p.* §. 4. *num.* 12. & 16. cum quibuſdam alijs arbitrantur promiſsionem alteri factam cum iuramento non reuocandi, non poſſe reuocari; quod non eſt improbabile.

Sanchez. Leſsius. Molina. Couar.

7. *Promiſsio*, & omnis pactio ante patrationem operis praui, cuius cauſa ipſa eſt facta, eſt inualida & vltro citroque nullius roboris: quia nemo poteſt obligari ad peccatum; patrato autem opere malo, verius eſt promiſſorem obligari ſoluere promiſſum, quia labor, periculum, detrimentum fortunarum, fidelitas quam tibi præſtitit, voluptas aut vtilitas quę tibi inde prouenit, hæc ſunt pretio æſtimabilia. Medin. *Cod. de reſt. quæſt.* 28. Filliucius *tract.* 33. *num.* 21. Couarruuias *ad reg. peccatum* 2. *p.* §. 2. *num.* 1. Leſsius *c. d. ib.* 3. Contrarium tamen eſt probabile, nempe eum, qui aliquid promiſit pro opere malo quod legibus punitur, non teneri ad implendum promiſſum etiam opere ſecuto, vt habet ſententia doctorum vtriuſque iuris. Vide Dianam 4. *p. tract.* 4. *reſol* 27.

Medin. Filliuc. Couar. Leſsius.

8. Licet iure naturæ irritæ ſint omnes promiſsiones quarum impletio eſt illicita; iure tamen poſitiuo probabile eſt eſſe irritas. *Primò*, omnes promiſsiones quæ factæ ſunt ob turpem cauſam, quæ legibus punitur. *Secundò*, irritæ ſunt quæ præbent occaſionem peccandi. *Tertiò*, irritæ ſunt quæ adimunt libertatem diſponendi de rebus ſuis, vt ſi promittas alicui quod illum inſtitues hæredem: eſt tamen *aduertendum*, quod quamuis promiſsiones quæ dicuntur eſſe contra bonos mores, ſint per ſe irritæ, ſi vero acceſſerit iuramentum, ſunt ſeruandæ; quia non ſunt contra bonos mores naturales, ſed ciuiles. Molina *c. diſput.* 271. Syluester *v. pactum nu.* 8. 11. Leſsius *c. dub.* 4.

Molina. Sylueſt. Leſsius.

9. Controuertitur inter doctores, quantum obliget promiſsio externa legitimè acceptata. Caietan. 2. 2. *qu.* 113. *art.* 1. *d.* 4. Armilla *v. perfidia* Sotus 4. *diſp.* 20. *q.* 2. *art.* 2. Fernand. *part.* 1. *c.* 15. §. 7. *num.* 11. Diana *tract.* 3. *miſc. reſ.* 9. *p.* 2. & 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 122. docent promiſsionem per ſe, ſolùm obligare ſub peccato veniali, per accidens tamen, nempe ratione damni, quod promiſſarius ea non impleta incurreret, poſſe obligare ſub mortali: quia liberalis promiſsio ſolùm obligat lege fidelitatis, ſed fidelitas non videtur obligare ſub peccato mortali, ſi alia incommoda abſint: Damni autem nomine intelligenda non eſt ipſa præcipuè carentia rei, quæ danda dicebatur, ſed detrimentum aliquod aliud ex hac carentia conſequens, quod in ſuis bonis proprijs patiatur ille, qui decipitur, & cuius cauſa ſit ille, qui non implendo propoſitum, vel promiſſum decipit, Alij dicunt obligationem promiſsionis pendere ex intentione promittentis, ſi enim promiſſor intendat ſe ſolùm obligare ex honeſtate morali, ſolùm tenebitur ſub peccato veniali: ſi verò intendat ſe obligare ſtrictè & ex iuſtitia, tunc tenebitur

Caiet. Armilla. Fernand. Diana.

Digitized by Google

Molina.

nebitur ſub peccato mortali. Ita Molina *cit. diſp.* 362. Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles. Communior tamen & verior ſententia ait, omnem promiſſionem ſeriò factam animo promittendi in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligare ſub peccato mortali ad ſui impletionem. Nauarrus *cap.* 18. *num.* 6. Sanchez *cit. lib.* 1. *diſp.* 5. *n.* 20. Filliucius *tr.* 33. *num.* 28. Rodriquez 2. *p. cap.* 29 Leſſius *cit. cap.* 18. *num.* 55. Syluius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 2. *concl.* 2. quia ius naturæ dictat non ſeruantem promiſſionem externam, delinquere, ergo ſignum eſt promiſſionem externam obligare, cùm delictum committatur, quoties obligatio non adimpletur: deinde omnis obligatio contractuum eſt obligatio iuſtitiæ, non oritur niſi promiſſione, ergo promiſſio inducit obligationem iuſtitiæ: Quanti autem momenti debeat eſſe res promiſſa, vt violatio promiſſionis cenſeatur eſſe mortifera. Nauarrus *cit. num.* 6. inſinuat ſufficere, vt res ſit notabilis, rem autem notabilem explicat eſſe eam, quæ in furto notabilis cenſetur. Leſſius *cit. num.* 56. Lopez *lib.* 2. *de contr. cap. vlt.* putant in promiſſione longè maiorem requiri, vnde ſi furtum vnius aurei eſt peccatum mortale, requiruntur plures aurei, vt promiſsio ſub mortali obliget; vnde plurimi Doctores requirunt materiã quadruplo maiorem, quàm ſit in furto; quia minor videtur obligatio ſoluendi promiſſa, quàm furto ablata; ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 84. & alij.

Nauarr.
Sanch.
Filliuc.
Rodriq
Leſſius.
Sylu.
Nauarr.
Leſſ.
Lopez.
Regin.

10. In *quatuor caſibus* promiſſio acceptata, & valida deſinit obligare. *Primò*, ſi res promiſſa fiat inutilis, illicita, vel impoſſibilis. *Secundò*, ſi ſtatus rerum, vel perſonarum ita mutetur, vt iudicio prudentis promiſſor non cenſeatur voluiſse comprehendere illum euentum; quia promiſsio habet vim ex mente promittentis expreſſa, vel implicita: ergo vltra hanc non obligat. *Tertio*, quando duo viciſsim ſibi aliquid promiſerunt, & alter non vult implere promiſsum, tunc enim nec alter tenebitur; quare valet compenſatio in promiſsis. *Quarto*, quando aliquid promiſsum eſt ob cauſam, quæ deinde non ſubeſt, vt ſi quis promittat alteri, quia putat ſe accepiſſe ab eo beneficium aliquod, & deinde comperit ſe non accepiſſe, tunc enim non tenetur implere. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 113. *art.* 1. Sà *verb. Promiſſio num.* 1. Leſsius *cit. dub.* 10. Filliucius *cit. num.* 31. Nauarrus *cap.* 18. *num.* 7. Reginaldus *cit. num.* 87. & alij.

Caietan.
Sà.
Leſſius.
Filliuc.
Nauarr.
Regin.

11. Promiſsio ante acceptationem, ordinariè nullam parit obligationem naturalem, aut ciuilem; quia obligatio non naſcitur niſi mutuo duorum conſenſu; vnde ante acceptationem ſemper reuocari poteſt, *l.* 1. *ff. de pollicitationib.* Leſsius *cit. cap.* 18. *num.* 34. Idem in omnibus alijs contractibus locum habet: & præſertim in donatione: Excipiuntur tamen à Doctoribus quædam pollicitationes, quæ obligant ante acceptationem, nempe quæ fiunt ciuitati, vel vniuerſitati, vel Eccleſiæ, vel hoſpitali. Vide Dianam *tract.* 5. *miſc. reſol.* 107. *part.* 3. Sanchez *de matr. lib.* 2. *diſp.* 6. *num.* 15. Sà *verb. Promiſſio num.* 1. Molinam *tract.* 2. *diſp.* 263.

Leſſ.
Dian.
Sanchez.
Sà.
Molin.

12. Vt *promiſſio*, vel *donatio* facta abſenti validè poſsit acceptari, requiritur. *Primo*, vt donator abſenti per epiſtolam, vel nuncium cui id commiſerit eam deferat, vel inſinuet. *Secundo*, requiritur vt hic abſens donationem coram nuncio acceptet, nec ſufficit eam acceptare coram alijs. *Tertio*, vt non reuocetur donatio ante acceptationem; ſi enim reuoces & nuncio quem miſiſti id innoteſcat, non poteſt quidquam efficere, quia extinctũ eſt mandatum, *l. ſi vero*, §. *ſi mandauero*, *ff. mandati*. Leſſius *citat. numer.* 42. 43. & 44. Sanchez *citat. diſput.* 7. *num.* 35.

Leſſius.
Sanchez.

Sed petes, an promiſsio, vel donatio validè poſsit acceptari poſt mortem donatoris? Reſp. verius eſſe illam validè acceptari poſſe, ſi contingat donatorem mori ante inſinuationem; & ipſa donatio ante mortem facta ſit ex parte donatoris, & miſſa epiſtola, vel nuncius, qui illam abſenti inſinuet, vel rem tradat: Ratio eſt, quia donatio eſt gratia quædam: quando autem gratia facta eſt ex parte concedentis, poteſtas executoris non expirat morte concedentis. Quando autem donatio ante mortem donatoris non eſt facta ex parte ipſius, ſed ſolùm mandata fieri per nuncium, aut procuratorem, ſed nondum acceptata, vel adimpleta fuit, non poteſt donatio validè acceptari poſt mortem donatoris, & res illa reſtituenda eſt hæredibus illius, qui donauit. Ratio eſt, quia ante mortem donatio facta non fuit, ſed ſolùm datum fuit mandatum donandi, mandatum autem morte mandantis expirat *l. mandatum, C. mandati*, ergo etiam morte donatoris expirat donatio mandata per nuncium, vel procuratorem.

Dices, quid igitur faciendum eſt; ſi culpa nuncij, vel procuratoris donatio non fuerit tempeſtiuè facta ante mortem donantis? Reſp. teneri nuncium ad duplicem reſtitutionem: nam hæredibus defuncti tenetur ratione ei, quæ eſt illorum: donatio verò ratione damni quod eius culpa contraxit: poſito enim tali mandato tenebatur nuncius lege iuſtitiæ adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere. Ita Molina *de iuſtit. tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 263. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 6. *num.* 8. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 46. qui hoc limitant; modò mandatum non ſit factum ad pias cauſas: nam tale mandatum non expirat morte mandantis; quia præſumitur mandator voluiſſe mandatum adimpleri etiam poſt mortem.

Molina.
Sanchez.
Leſſius.

Sed quia durum eſt nimis obligare aliquem ad duplicem reſtitutionem ob omiſsionem vnius rei, non eſt impoſsibile nuncium eximi ab obligatione reſtituendi hæredibus donantis, atque adeò teneri ſolum ad reſtitutionem faciendam donatario, qui damnum culpabiliter intulit. Ita Diana *part.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 4. & alij ab ipſo citati.

Diana.

13. *Promiſſionem lucratiuam*, vel donationem abſenti factam acceptare poteſt omnis, qui ab altero generalem, vel ſpecialem habet commiſsionem. *Secundo*, is qui eſt ſub alterius poteſtate, itaut non ſit ſui iuris, vt filiusfamilias pro patres, ſeruus pro domino, quia cenſetur vna perſona. *Tertio*, qui aliorum curam gerunt, vt tutor pro pupillo, curator pro furioſo, Princeps pro ſubdito. *Quarto*, is qui ex donatione, vel promiſsione facta abſenti cõmodum reportat, vel onere aliquo liberatur, vt ſocius pro ſocio, vxor pro marito. *Quinto*, quiuis priuatus poteſt ſtipulari & acquirere Eccleſiæ pijſve cauſis. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 7. *num.* 12. Azorius 3. *p. lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 3. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 77. Bonacina *tom.* 2. *de contr. diſp.* 3. *quæſt.* 12. *punct.* 3. *num.* 4. Couarruuias 1. *variar. cap.* 14. *num.* 11.

Sanchez.
Azorius.
Reginal.
Bonac.
Couar.

Notandum tamen eſt, quòd, vt is, qui præſens eſt, poſſit pro abſente ſtipulari, requiritur vt verba obligationis dirigantur expreſsè, vel implicitè ad præſentem, ſi enim dirigantur ad abſentem, is qui præſens eſt, non poteſt promiſsionem acceptare; & qui validè acceptauit, non poteſt eam condonare, quia tertio eſt ius quæſitum.

14. Natura promiſsionis poſtulat, vt hæc adimplenda ſit termino præfixo: ſi verò terminus non fuit expreſsè aſsignatus, ſi ex circumſtantijs colligi poſsit temporis determinatio, illa ſeruanda eſt: ſin minus, promiſsio regulariter loquendo, ſtatim adimplenda eſt, niſi promiſſarius dilationem concedat expreſsè, vel tacitè, vt ſi potens commodè petere, non petat; vel niſi terminus latitudinem habeat; ſatis enim eſt, vt promiſsio adimpleatur intra latitudinem termini. *Inſtit. de verb. oblig.* Filliucius *tract.* 34. *num.* 117. Molina *cit. diſp.* 284. Sanchez *cit. lib.* 1. *diſp.* 28. *num.* 1.

Filliuc.
Molina.
Sanchez.

De Promiſsione vide verb. Sponſalia 1. num. 4. 5. & 6. Sponſalia 2. num. 2. 3. & 4. & ſeq. Donatio. Votum 1. & in tom. 1. in Supplemento verb. Donatio.

PRVDENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit prudentia? & vt dupliciter nomen prudentia accipiatur?*
2 *An prudentia verſetur circa actiones ſingulas?*
3 *Quod ſit prudentia obiectum effectus, & finis?*
4 *Per exceſſum, & defectum peccatur contra prudentiam.*

Et

Et quando per defectum?
5 *Qualia ſint peccata Præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, & negligentia?*
6 *Quando per exceſſum peccatur?*
7 *Quid ſit prudentia carnis?*
8 *Quid Aſtutia?*
9 *Quid Dolus?*
10 *Quid Fraus? & quando dicatur fraus fieri contra legem, vel ipſi legi?*
11 *Quid ſit ſolicitudo temporalium, & futurorum?*

1 PRudentia nomen dupliciter accipitur. *Primò*, generatim pro omni notitia veri, præſertim quæ aliquo modo ad rectè viuendum pertinet. *Secundò*, ſpeciatim & propriè pro virtute intellectus proximè morum directrice, & hoc modo eſt virtus Cardinalis, quæ poteſt ſic definiri. Prudentia *eſt virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honeſtum ſit, quid turpe*. Ex qua definitione colligitur, prudentiam ad intellectum pertinere; functiones enim quæ ipſi tribuuntur, vt conſultare, iudicare, & imperare ſunt rationis; quia prudentia menſura eſt & regula virtutum, quæ ſunt in voluntate, à qua ratio virtutis in ipſas deſcendit; deinde eſt certa notitia honeſti & turpis; Ita enim prudentia fertur in ſuum obiectum, vt ex modo iudicandi falli non poſſit circa proprium obiectum, quia euidenter cognoſcit eſſe honeſtum, vel turpe. Iudicium enim prudentiæ debet eſſe euidens & certum, excludens omnem rationalem formidinem: vnde honeſti non eſt iudicium prudentiæ, quia non ita fertur in ſuum obiectum, vt non poſſit eſſe falſa, & ideò non eſt virtus. D. Thomas 2. 2. *q.* 47. Leſſius *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. Ariſtoteles *lib.* 6. *Ethic. cap.* 5. Valentia 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 1. & 2. Syluius 2. 2. *quæſt.* 47. *art.* 1. 2. & 3.

D. Tho. Leſſius. Ariſtot. Valentia Sylu.

2. Prudentia verſatur circa actiones ſingulas, non enim eſt prudens, qui nouit in genere, quidnam ad quāque virtutem requiratur, & in ſingulis actionibus obeundis nouit determinare circumſtantias neceſſarias ad honeſtatem, verbi gratia, locum, tempus, modum, &c. quod ſcire debet non in vno tantùm genere actionum, ſed in omni: alioquin non eſt abſolutè prudens, ſed ſolum in certa materia, & ſecundùm quid: itaque prudentia in ijs, qui perfectum rationis vſum habent, extendit ſe ad omnes actiones liberas totius vitæ, eas conſiderans & regens. Valentia *cit. quæſt.* 1. *punct.* 2. Syluius *cit. art.* 3.

Valentia Sylu.

3. *Prudentia* obiectum, effectus & finis, eſt agere honeſtè, ſicut ædificare domum eſt obiectum artis, eo quòd obiectum prius natura quàm exiſtat, conſideratur à prudentia per modum obiecti: eſt etiam effectus quatenus prudentia dirigit voluntatem in eligendo, & potentias executrices in exequendo: eſt etiam finis, quia prudentia non eſt ob cognitionem honeſti, ſed ob actionem. *Præterea* prudentia non ſolùm in particulari iudicat, quid homini amplectendum ſit, ſed etiam quid vitandum in agendo, quia contrariorum eadem eſt ſcientia; nemo enim perfectè poteſt ſcire quomodo rectè viuere debeat, niſi ſciat quidnam in moribus ſit vitandum. Valentia *cit. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Syluius 2. 2. *quæſt.* 47. *art.* 4. *quæſit.* 1.

Valentia Syluius.

4. *Dupliciter* peccatur contra prudentiam, *per exceſſum*, & *per defectum*; quia ſicut obiecta aliarum virtutum conſiſtunt in medio, ita etiam obiectum prudentiæ: *Per defectum* contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *Præcipitatione, Inconſideratione, Inconſtantia, & Negligentia*; quia ea peccata ſunt propriè contra prudentiam, quæ ſunt contra regulas prudentiæ, quas ipſa in ſuis functionibus ſeruare debet: atqui hæc peccata ſunt talia; ergo &c. *Præcipitatio* enim eſt directè contra conſilium, *Inconſideratio* contra iudicium: *Inconſtantia* cōtra iudicij firmitatem: *Negligentia* contra rationis vigilantiam. D. Thomas *cit. quæſt.* 53. Leſſius *cit. cap.* 22. *dub.* 4. *num.* 18. 19. & 20. Valentia *cit. diſp.* 4. *quæſt.* 5. *punct.* 1.

D. Th. Leſſius. Valentia

5. *Præcipitatio* & *inconſideratio* non ſunt peccata mortalia, niſi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui ſe homo exponit præcipitanter & inconſideratè iudicando & agendo. *Inconſtantia* nunquam eſt peccatum mortale, niſi quis ex voto, vel præcepto teneatur perſiſtere. Idem de *negligentia*, niſi negligatur id ad quod ſub peccato mortali quis teneatur. D. Thomas *cit.* Syluius *ibi.* Valentia *cit. quæſt.* 5. *punct.* 1.

D. Tho. Syluius Valentia

6. *Per exceſſum*, vel potiùs quadam ſpecie, & imagine prudentiæ peccatur contra prudentiam, ſex modis. *Prudentia carnis, aſtutia, dolo, fraude, ſolicitudine temporalium, & ſolicitudine futurorum*. D. Thomas *cit. quæſt.* 55.

D. Tho.

7. *Prudentia carnis* dicitur, qua quis viuit ſecundùm carnem, id eſt, ſequitur inſtinctus, & motus naturæ corruptæ, ſeu quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda: hæc prudentia carnis non eſt peccatum, niſi ratione affectus praui, cui ſubeſt, vnde ſi hic ſit peccatum mortale, erit peccatum mortale; ſi veniale, erit veniale. D. Thomas *quæſt.* 55. *art.* 2. Toletus *de* 7. *peccatis cap.* 46.

D. Tho. Toletus.

8. *Aſtutia* generatim eſt ratio aliquid agendi modo occulto; ſed magis ſpeciatim ſumpta, eſt notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi coniuncta; hæc aſtutia ſpecies quædam eſt prudentiæ carnis; & eſt peccatum mortale, vel veniale pro ratione affectus, cui ſubeſt, & nocumenti quod proximo ſequitur; ſi enim expreſsè, vel implicitè graue nocumentum intendas, erit peccatum mortiferum ſicut mendacium pernicioſum; ſi autem nullum ſit nocumentum vel modicum, erit veniale. D. Thomas *art.* 3. Toletus *cit. cap.* 46.

D. Tho. Tolet.

9. *Dolus* eſt aſtutiæ executio, ſiue verbis, ſiue factis; eſt enim hoc nomen generale; tantùm habet locum erga proximum, & potiſsimùm in materia iuſtitiæ, vt in contractibus, & diſtributionibus. Diuus Thomas *art.* 44.

D. Th.

10. *Fraus* eſt executio aſtutiæ per facta, vt cùm menſura eſt minor iuſto, cùm moneta eſt adulterina: vnde eſt quid contractius & minùs commune quàm dolus: *dicitur* etiam fraus fieri, vel *contra legem*, vel *ipſi legi*. *Contra legem* quando fit contra id quod lege præcipitur, vel vetatur abſque colore & artificio, quo violatio illa tegatur. *Legi* verò, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, vt videamur illi non repugnare: quod tribus modis fieri poteſt; *Primò*, ſupponendo perſonam pro perſona, vt ſi tutor volens emere rem pupilli (quod per leges non poteſt) interponat aliam perſonam quæ emat. *Secundò*, ſupponendo rem pro re, vt ſi filiofamilias volens dare mutuum, loco mutui det triticum vendendum vt pretio fruatur. *Tertiò*, contractum pro contractu vt ſi vxor in ſpeciem vendat viro, quod intendit donare: qui his & ſimilibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi: vel in fraudem legis, & non excuſantur coram Deo à præuaricatione legis, etſi coram hominibus videantur legem ſeruare. D. Thomas *citat. artic.* 5. Syluester *verb. Fraus.* Toletus *de peccatis mortalibus cap.* 46. Leſſius *citat. dub.* 4. *number.* 26. & 27. & alij.

D. Tho. Syluest. Tolet. Leſſ.

11. *Solicitudo temporalium* eſt nimia mentis occupatio in illis conquirendis, vel conſeruandis, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. *Solicitudo futurorum* eſt nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vitæ neceſſaria habeantur, coniuncta cum anxietate & parua fiducia diuinæ prouidentiæ: Hæ ſolicitudines, ſi modum iuſtum excedant maximè ſunt noxiæ ſaluti. Vide D. Thom. *cit. art.* 6. & 7.

D. Tho.

De Prudentia vide tom. 1. verb. Confeſſarius 4. n. 16. 17. & 18. Confeſsio 7. n. 18. Delectatio n. 8. & hoc v. Interrogatio. Prælatus num. 19.

Q

Quarta Parochialis, & Epiſcopalis.

SVMMARIVM.

1 *Qnidſit Quarta?*
2 *Cuinam Eccleſia Quarta parochialis debeatur?*
3 *Vt quarta Epiſcopalis debeatur Epiſcopo?*
4 *Quomodo vigore Concilij Tridentini hanc quartam ſoluere teneatur religioſi.*
5 *De quibus non teneantur religioſi quartam ſoluere.*
6 *Parochia ſua culpa interdicta non debet Parochianus quartam funeralem.*
7 *Quarta funeralis non debetur de relictis pro ædificationes & reparatione Eccleſiarum, monaſteriorum, &c.*
8 *Pœna contra Ordinarios, & alios cogentes religioſos ad ſoluendam quartam.*

1 QVarta eſt quadrans, ſeu quarta pars rei de qua agitur, verum tamen eſt ex conſuetudine induci poſſe, vt ſit tertia pars, aut medietas: ideò alicubi eſt quarta pars, alibi tertia, alibi maior vel minor tertia, vel quarta parte; vocatur etiam Portio canonica, quia per ſacros canones inuecta eſt, *l. in quarta ff. ad leg. falcid. cap. relatum, de ſepult. cap. certificari, extra de ſepult.*

2. *Quarta Parochialis* debetur illi parochiali Eccleſię, in qua quis de iure ſepeliendus eſſet: quia Eccleſia comparatur matri; ſicut autem parentibus debetur legitima in bonis filiorum, ita etiam Eccleſiæ in bonis morientiũ, dum ſepulturam alibi eligunt; debetur autem hæc quarta ex legatis, ſeu relictis cauſa mortis, & de oblatiotubus cauſa funeris factis illi Eccleſiæ, in qua ſepultura electa eſt, modò illa Eccleſiæ non ſit exempta, modò res non ſit relicta ad vſus priuilegiatos, modò quarta petatur & non extet conſuetudo in contrarium. Clement. *Dudum, de ſepult.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 12. num. 13.* Azorius *2. part. lib. 9. cap. 13.* Molina *tom. 1. diſp. 215.* Bonaſina *tom. 2. de contract. diſp. 3. quæſt. 22. punct. 2.*

Layman. Azor. Molina. Bonac.

3. *Quarta Epiſcopalis* debetur Epiſcopo de legatis pijs & funeralibus oblationibus factis Eccleſiæ, ſeu locis pijs ſibi ſubiectis: quia Epiſcopus eſt pater ſpiritualis, & onus Epiſcopale ſuſtinet, conſequenter par eſt vt ipſi ratione Paternitatis & oneris Epiſcopalis quarta portio ſoluatur, *cap. de quarta, de præſcript. & cap. requiſiſti, cap. de his, de teſtamentis.* Mulina *cit. colum. 2.* Azorius *cit. cap. 12. quæſt. 3.* Lezana *tom. 3. ſumm. verb. Canonica portio n. 2.* quod tamen intelligendum & limitandum eſt, iuxta locorum conſuetudinem: *Obligatio* autem ſoluendi quartam tollitur, *vel* diſpenſatione Summi Pontificis, *vel* per conſuetudinem legitimè præſcriptam; quia conſuetudo tollit obligationem iuris, ſi ſit legitima præſcripta 40. annorum ſpatio: hinc pluribus in locis omninò hæc abolita eſt quarta per contrariam conſuetudinem.

Molina. Azorius. Lezana.

4. Hanc quartam tenẽtur ſoluere illi religioſi, qui ante Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 13. de reform.* illam ſoluebant per quadraginta annos: conuentus verò qui erant iam fundati ante Tridentinum, & per quadraginta annos ob cõſuetudinem præſcriptam non ſoluebant, non tenentur illam hodie ſoluere: Illi autem qui non erant fundati quadraginta annis ante Concilium Tridentinum pari modo non tenebuntur ad illam, quia nondum per quadraginta annos ſoluebant. Idem à fortiori dicendum eſt de monaſterijs; quæ poſt Concilium in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, quæ quoad hanc ſolutionem quartæ non comprehendi in dicto decreto Concilij, Cõgregatio ſacra Cardinalium declarauit: & idẽ motu proprio, & ex certa ſcientia declarauit Pius V. anno Domini 1568. in bulla, *Romanus Pontifex*, apud *Rodriquez*, in Bullario *Bulla 2.* Et Clemens VIII. poſt contradictoriũ iudicium, & ventilata cauſa idem definiuit pro Fratribus Carmelitis Diſcalceatis, ne ad ſolutionem dictæ quartæ tenerentur: vt patet ex eius bulla 26. apud eundem *Rodriquez* in bullario, quæ incipit, *Quod ſemel ab Apoſtolica ſede.* Ita Miranda *tom. 2. q. 48.* Azorius *tom. 2. lib. 9 cap. 12. & 13.* Rodriquez *to. 1. qq. reg. q. 39. art. 2.* De la Cruz *de ſtatu relig. lib. 2. cap. 9. dub. 5.* Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 15. quæſit. 18. num. 15.* & alij.

Cõc. Tr.

Miranda. Azorius. Rodriq. De la Cruz. Tamb.

5. Religioſi quartam funeralem ſoluentes, iuxta tenorem prædictum Conc. Trident. adhuc non tenentur illam ſoluere de omnibus eis relictis, vt de Miſſis; de candelis quæ dantur in manibus religioſorum; ſed de his tantùm quæ cum corpore defuncti deferri ſolent. Ita declarauit Pius V. 17. Kalendas Iulij anni 1567. vt refert *Rodriquez*: quod antea ad fauorem fratrum ſtatutum fuerat à Sixto IV. Ita Portel *in dub. reg. verb. Canonica portio num. 5.* Tamburinus *cit. num. 5.* Rodriquez *cit. art. 2.* & alij ſupra citati.

Portel. Rodr. Tamb.

6. Quando Eccleſia parochialis eſt interdicta ſua culpa, Parochianus alibi eligens ſepulturam, non debet quartam funeralem ſuæ Parochiæ ſic interdictæ. Hoc maximè intelligitur ſi Parochia, aut aliquis illius parochianus, vel Parochus cauſam dedit interdicto. Si verò Parochia cauſam interdicti non dedit, tunc quarta funeralis debetur, etiamſi interdicta ſit culpa alterius extra Parochiam. Ita Azorius *cit. cap. 13. quæſt. 4.* Miranda *cit. art. 10.* Rodriquez *cit. art. 3.*

Azorius. Miranda. Rodriq.

7. Non debetur quarta funeralis de relictis pro ædificatione, & reparatione Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum piorum: nec debetur etiam ex relictis pro ſubuentione Eccleſiæ reſpectu luminarium, ornamentorum, & aliorum, quæ ad cultum diuinum pertinent, iuxta text. *in cap. vlt. de teſtam.* Item quidquid à fidelibus in monaſterijs religioſorũ offertur, monachis ibi ſeruientibus debet proficere, nec ſuper hoc ab Epiſcopo, vel alijs presbyteris poſſunt religioſi moleſtari, vt habetur in *cap. 1. de ſtatu Monach. & cap. nimis iniqua, de exceſſ. prælat.* Imò ſi Prælati celebrent in monaſterijs religioſorũ, non poſſunt ſibi vſurpare, eis ibi oblata ſed tenẽtur ea monaſterio dimittere. Ita conceſſit Ciſtercienſibus Bonifacius VIII. Bulla 9. apud *Rodriquez in Bullario.*

8. In loci vbi fratres non ſoluunt quartam funeralem adhinc quadraginta annis, iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini, Ordinarij cogentes religioſos, aut teſtamentarios, vel hæredes ad illam ſoluendam; ipſo facto interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri excommunicantur per Sixtum IV. docent Rodriquez *tom. 1 qq. reg. q. 39. art. 9.* Miranda *tom. 2. q. 48. art. 14.*

R

RAPTVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit raptus?*
2 *Quæ requirantur ad raptum?*
3 *An abductio ſponſę per verba de futuro ſit dicendus raptus.*
4 *Quæ ſint pœna iure ciuili inflicta contra raptorem.*
5 *Quæ raptoribus mulierum pœna iure canonico conſtituta ſint.*
6 *Pœna Concilij Tridentini contra raptorem, de prima qua eſt excommunicatio, infamia, &c.*
7 *De ſecunda pœna qua dotatio raptæ.*
8 *De tertia, quod inter raptorem & raptam matrimonium declaretur irritum.*

1 RAptus *eſt peccatum luxuria, quo perſona aliqua abducitur cum violentia, ad actum turpem cum ea exercendum*; ex *hac definitione* colligi poteſt, raptum eſſe peccatum luxuriæ ſpecie diſtinctum ab alijs peccatis carnis: *deinde* dicitur, *quo perſona aliqua*, non fœmina; quia ſiue ſit maſculus ſiue fœmina, ſiue

nupta,

Digitized by Google

nupta, ſiue innupta, raptus erit. *Tertiò* dicitur *cum violentia*; quia ſi ipſa ſponte diſcedat parentibus neſcientibus cum raptore, vel potiùs amatore, non erit raptus, ſed voluntaria fuga; at ſi parentes ſint inuiti, ipſiſque vis inferatur, ſatis erit. *Quartò, ad turpem actum, &c.* quia ſi non abducatur ad eum finem, ſed redigendi in ſeruitutem, dicetur *plagium*; erit autem furtum hominis, non raptus; non requiritur autem vt reipſa concubitus ſecutus ſit, ſatis eſt eo fine raptam eſſe & abductam: Hinc in raptu *duplex* eſt *malitia*: *altera* contra iuſtitiam; quia per raptum fit iniuria perſonæ quæ per vim abducitur, aut illis quorum cuſtodiæ commiſſa eſt, qui ſunt rationabiliter inuiti, *alia* contra caſtitatem. Ita Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. raptus.* Molina *tom. 4. diſp.* 105. Layman *lib. 5. tract.* 10. *part. 4. cap. 13. num.* 1. Filliucius *tract.* 30. *c.* 6. *num.* 108. Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub. 9. num.* 66. Syluius 2. 2. *quaſt.* 154. *art.* 7.

Clarus. Molina. Layman. Filliuc. Leſſius. Syluius.

2. *Duo* requiruntur ad raptum; *Primò* violentia ipſi perſonæ raptæ, vel ijs ſub quorum cura eſt, vt parentibus, marito, curatore, &c. ad violentiam etiam referuntur dolus, vel preces adeò importunæ, vt violentiæ æquiparentur. *Secundò* requiritur abductio cauſa libidinis, vel matrimonij: *vnde* raptum non committet, qui virginem repertam in domo patris, vel in alia domo, non educit de ea domo, ſed illam ibi opprimit, aut trahit de vno cubiculo in aliud, vt ibi illam commodiùs violet; *idem dicendum*, ſi virginem in agro repertam inde trahat per aliquot paſſus, vt abutatur; ſecus ſi inde deducat in aliquam domum extra illum agrum, aut in alium locum. Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 12. num.* 3. Filliucius *cit. num.* 110. Rodriquez 1. *part. cap.* 231. *num.* 2. Gutierez *de matrim. cap. 86. num.* 9. Molina *diſp.* 105. *num.* 3. Syluius *cit. art.* 7.

Sanchez. Filliuc. Rodriq. Gutier. Molina. Syluius.

3. *Abductio ſponſæ* per verba futuro conſentis, *l. 1. C. de raptor. virg. & l. raptor. de Epiſc. & cleric.* iure ciuili eſt raptus, ſi parentes ſaltem inuiti ſint; at iure canonico non eſt raptus, ſi abducatur ad conſummandum matrimonium cum ea: quòd ſi abducatur ad turpem actum cum ea exercendum, vt fornicationis, vel alterius libidinis extra matrimonium, ſic erit raptus etiam iure canonico: Si verò puella non conſentiens abducatur ad finem conſummandi matrimon. iure canonico non foret raptus, *cap. cum cauſa, de raptor.* quis in contrarium dicat Azorius 3. *p. lib. 3. cap.* 14. Filliucius *cit. num.* 114. & 115. Syluius *cit. art.* 7. Idem dicendum de traductione ſponſæ per verba de præſenti; quamuis, ſi abducatur cõtra eius voluntatem, quæ ſpatio duorum menſium à iure conceſſo gaudere volebat, antequam matrimonium conſummaret, probabile ſit eſſe raptum, quia cum ſponſa iure ſuo vtatur, maritus illi violentiam infert ad apprimendum eam.

Azorius. Filliuc. Syluius.

4. *Iure ciuili communi*, raptor mulieris honeſtæ, hoc eſt, quæ non impudicè viuit, ſiue mulier ſit virgo, ſiue vidua, coniugata ſiue ſoluta, punitur pœna mortis: eadem pœna puniuntur qui comitantur raptorem, & qui adiuuant eum in ipſo delicto raptus, & permittitur impunè parentibus mulierum raptorum & conſanguineis earũ, & tutoribus, ac curatoribus, occidere raptores & comites & adiutores eorum, deprehenſos ipſo delicto, modò ſufficienter conſtet eis delictum ipſorum. *Item* ſi mulier rapta ſit ingenua, tam raptor, quàm comites eius, amittunt omnia bona ſua, & applicantur mulieri raptæ, aut Monaſterio; ſi rapta ſit Monialis, dummodò rapta non conſentiat in matrimonio cum raptore: quòd ſi conſentiat, applicantur parentibus raptæ; quòd ſi illius parentes conſenſerint, Fiſco. *Quando* verò raptus eſt mulieris, quæ non viuit honeſtè & pudicè, tunc iure non eſt conſtituta pœna, ſed raptor arbitraria pœna punitur. Ex *l. raptores, C. de raptu virg. & Authen. de rapt. mulier. collat. 9. l. raptores, Cod. de Epiſc. & cler.* Iulius Clarus *cit. §. raptus.* Filliucius *cit. num.* 116. Azorius *cit. cap.* 15.

Clarus. Filliuc. Azor.

5. *Iure canonico* tres pœnæ raptoribus mulierum conſtitutæ ſunt. *Prima* eſt, vt raptor alienæ ſponſæ publica pœnitentia mulctetur. *Secunda*, vt maneat ſine ſpe coniugij, non eſt tamen impedimentum dirimens, ſed tantùm impediens. *Tertia*, punitur pœna ſeruitutis, efficitur enim ſeruus mulieris raptæ, cum facultate tamen ſeipſum redimendi, ſoluendo pretium competens: quòd ſi conſenſerit mulier in abductione à domo paterna, fit ſeruus parentis mulieris cum facultate ſimiliter ſeipſum redimendi, *cap. raptor, & cap. ſtatutum* 27. *q.* 2. *cap. de raptoribus* 36. *q.* 1.

6. *Iure nouo* Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. matrim. tria* pœnarum *genera* conſtituta ſunt contra raptorem. *Prima* eſt, vt raptor & omnes conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces: an autem ad hanc pœnam requiratur ſententia iudicis, negat Bonacina *de matrim. quaſt. 4. punct. 18. num.* 10. cùm hæc pœna non requirat aliquam actionem ad ſui executionem, quamuis oppoſitum & meritò ſentiant Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp.* 13. & Molina *tom. 1. diſp.* 96. Similiter ſi raptor nubat raptæ in loco tuto conſtitutæ & liberè conſentienti, an tollatur infamia, & incapacitas ad dignitates? ex Tridentino quidem videtur colligi non tolli, vt aiunt Leſſius *cit. num.* 69. & Filliucius *cit. num.* 118. quamuis Henriquez *lib. 2. de matrim. cap. vlt.* & alij affirment; fortè enim quoad hanc pœnam, vel receptum non eſt, vel conſuetudine abrogatum Concilium.

Bonac. Sanch. Molina. Leſſius. Filliuc. Henriq.

7. *Secunda pœna* eſt, vt raptor, ſiue matrimonium contrahat, ſiue non, cum rapta, teneatur ad decenter dotandam raptãdam arbitrio iudicis; quoad alia verò damna, tenetur iure naturæ, etiam ante ſententiam Iudicis. Ita Coninch *de matrim. diſp. 31. dub. 4. num.* 48. Henriquez *cit. num.* 5.

Coninch. Henriq.

8. *Tertia* eſt, inter raptorem & raptam declaratur matrimonium irritum, quamdiu rapta manet in poteſtate raptoris, etiamſi ipſa liberè conſentiat: idem dicendũ de ſponſalibus, vbi tamen fuerit ſeparata & loco tuto repoſita, poterit nubere raptori, ſi velit. Sanchez *cit. diſp.* 13. Layman *cit. cap. 13. num.* 4.

Sanchez. Laym.

Aduertendum eſt tamen ſecundùm Sanchez *cit. num.* 4. quem ſequitur Diana *tract. de Sacram. reſ.* 261. Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* ſolùm comprehendere raptum, qui ſit cauſa contrahendi matrimonij, non item ad exercendam libidinem. Item in dicto decreto, ſolùm eam raptus ſpeciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus: vnde ſi illa conſentiat, etiamſi rapiatur, vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium. Hanc ſententiam probabilem eſſe docet Coninch *de Sacram. diſp. 31. dub. 4. num.* 48. & tenet Filliucius *tract. 10. p. 2. num.* 265.

Coninch. Filliuc.

De Raptu vide tom. 1. verb. Bellum n. 13. & hoc tomo verb. Irregularitas 10. n. 5. Matrimonium 8. n. 8.

SVPPLEMENTVM.

RAPTVS.

SVMMARIVM.

1 *Raptus an ſit, quando puella, etiam ſub nullius poteſtate conſtituta, volens abducitur.* Refertur duplex ſententia.

2 *An dicendum ſit raptus, quando fœmina ſui iuris importunis precibus abducitur.*

3 *Ad pœnas raptus incurrendas, an deſideretur copulam ſubſequutam fuiſſe.*

4 *Si fœmina virum rapiat, an incidat in pœnas contra raptores fœminarum iure decretas.* Refertur duplex ſententia.

5 *An circumſtantia raptus ſit in confeſſione exprimenda. Quando fœmina cognoſcitur abſque vi, vel ignorans, vel dormiens, an propriè ſit raptus.*

6 *Si violenter cognoſcatur, aut abducatur meretrix, aut alia quæcumque fœmina, an ſit raptus? & qualis ſit huius peccati grauitas?*

7 *Quando virgo ſponte conſentit, an circumſtantia raptus ſit in confeſſione explicanda? & quid ſi parentes actua-*

Digitized by Google

actualiter repugnent.

8 *An raptor, qui non pro ſe, ſed pro alio fœminam rapit, poſſit cum illa fœmina matrimonium contrahere.*

1 QVorumdam ſententia eſt raptum eſſe, quando puella etiam ſub poteſtate conſtituta, volens abducitur: quia *in l. vnic. Cod. de rapt. virg.* dicitur, ſiue volenti, ſiue nolenti fœminę raptum admitti: ſemper enim decepta præſumitur. Ita Abbas *cap. penult. num. 4. de raptor.* & ibi Ananias *num. 4.* Verùm contraria ſententia eſt ſuſtinenda. Tum quia rapere importat cum vi, & impetu auſerre. Tum quia ſcienti & volenti non fit iniuria, nec dolus, *l. nemo videtur, ff. de reg. iuris.* Proinde quando conſtaret voluntatem ſpontaneam adfuiſſe, in neutro foro raptus iudicabitur: quamuis eam abducens viris armatis comitatus abiret, ne aliqui impedimento ſibi eſſent. Ratio eſt, quia nec fœminæ, nec alicui, ſub cuius cura & cuſtodia ſit, vis infertur, qualis ad raptum deſiderant. Quare D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 7.* communiter receptus à Theologis & omnibus ferè Iuriſperitia, docet, ad raptum violentiam deſiderari. Et ideò ſic ſuſtinent Nauarrus *lib. 5. conſil. tit. de raptor. conſ. 1.* Decianus *in tract. crimin. lib. 8. cap. 7. num. 9.* Maſcardus *de probat. concl. 1259. num. 29.* & alij. Nauarr. Decian. Maſcar.

Ex quo infertur raptum non eſſe, ſi puella abductioni conniueat, poſtea verò renitens cognita ſit: Quia cùm raptus abductionem violentam petat, vbi ea deficit non erit raptus, ſed copula vi extorta: Accedit quod in his ſpectatur initium, iuxta *l. Diuus, ff. ad l. Iuliam de ſicarijs,* ibi, *In maleficijs voluntas ſpectatur, non exitus.*

E contra raptus erit, ſi fœmina initio abductioni reſiſtat, ſed poſtmodum copulæ conſenſit: quoniam initium ſpectandum eſt, in quo violentia interfuit; Imò verè raptus erit fœmina diſſentiente, quamuis parentes eius conſentiant, quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud ei vſui exponendi abſque iniuſtitiæ peccato ob iniuriam puellæ irrogatam. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 7.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſp. 12. num. 7. & 8.* Syluius 2. 2. *quæſt. 154. artic. 7. verſ. ex his patet.* Valentia *tom. 3. diſp. 9. quæſt. 3. punct. 3. §. Raptus,* & alii penes ipſos. D. Th. Sanchez Syluius. Valentia

2. Quando fœmina ſui iuris importunis precibus abducitur, tunc dicendus eſt raptus, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur. Cùm enim raptus vim deſideret, non ſufficiunt quæcumque preces importunæ; quia non omnes eæ vim inferunt, ſed tunc tantùm quando aliæ circumſtantiæ cum illis concurrunt, vt magnus reuerentiæ timor, itaut perſonæ ſic inſtanti non audeat puella contradicere. Ex quo fit, quod quando ſolæ preces importunæ interueniunt, non ſit raptus pœnis iuris obnoxius, ſed cuidam extraordinario ſupplicio, vt docent Decianus *in tract. criminali, lib. 8. cap. 7. ad finem,* & alij. De quo Sanchez *de matrim. lib. 4. diſp. 7. num. 5. & ſeq.* Sanch.

3. Dubium eſt inter Doctores, an ad pœnas raptus incurrendas, deſideretur copulam ſubſecutam fuiſſe? Quidam affirmant, *ex l. vnic. Cod. de raptu virg.* vbi dicitur, *cum virginitas, vel caſtitas corrupta reſtitui non poſſit.* Item, quia pœnæ illius legis eo tendunt, vt copula vitetur. Alij verò contrarium tenent. Sed communis Doctorum diſtinguit, vt ſi raptor à copula ſe abſtinuerit, pœnitentia ductus, & nolens habere, quamuis potuerit, non ſit ordinarijs raptus pœnis obnoxius, ſed extraordinarijs: ſecus ſi copula ſubſecuta non fuerit, quia ad eam peruenire non potuit. Ita Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 4. caſu 360. num. 32.* Maſcardus *de probat. concl. 1259. num. 37.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. Raptus, num. 4.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus, de homicid. 2. p. num. 8.* Decianus *in tract. criminal. lib. 8. cap. 7. num. 38.* qui duo nouiſſimi benè limitant, niſi rapta ſit Monialis; tunc enim raptor pœnam ordinariam ſubibit quacumque ex cauſa copula non ſit ſubſecuta, quibus ſubſcribit Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 52. num. 18.* cum alijs. Menoch Maſcar. Iul. Clar. Couar. Decian.

4. Quidam valde probabiliter affirmant pœnis raptus obnoxiam eſſe fœminam, ſi virum rapiat. Quia licet *l. vnic. Cod. de raptu virgin.* loquatur de viro rapiente fœminam; at cum militet eadem ratio in fœmina virum rapiente, ad eum euentum extendenda eſt. Tum quia dum lex de viro raptore loquitur verba, gratia frequentioris vſus poſita ſunt, quòd frequentiùs id contingat, quàm oppoſitum. Verba autem gratia frequentioris vſus poſita in lege, eam reſtringere minimè ſolent, quin ad caſum minus frequentem extendantur. Ita Rodriquez *part. 1. Summ. Latina cap. 231. num. 5.* Henriquez *lib. 12. de matrimon. cap. 14. num. 4.* Vega *tom. 2. Summ. cap. 34. caſu 157.* & multi Iuriſperiti. Rodr. Henriq. Vega. Veriùs tamen eſt non comprehendi fœminas virorum raptrices, ſed alia pœna extraordinaria puniendas eſſe. Probatur, quia *auct. l. vnic. §. Et ſiquidem, verſ. Pœnas autem.* Vbi pœnas ſtatuit aduerſus opem ferentes raptui, vtrumque ſexum id efficientem comprehendi, id expreſſit. Si igitur quando vtrumque ſexum comprehendere voluit, bis expreſſit; non obſcurum indicium eſt, noluiſſe eam comprehendere ſexum fœmineum, dum raptoribus eadem met lex pęnas indicens, ſolius viri rapientis meminit. Tum quia, cùm maior honeſtas deſideretur in fœmina; atrocius delictum eſt raptus fœminæ perpetratus à viro, quàm ſi fœmina virum rapiat. Multò enim grauior iniuria irrogatur honeſtati fœminæ raptæ, quàm viri rapti: quippe nec maſculus raptus, nec eius parentes, ac conſanguinei eam iniuriam & infamiam patiuntur; ac quando fœmina rapta eſt. Igitur cùm pœna delicto commenſurari debeat, par non eſt mulierum viri raptricem, pœna raptori fęminarum inflicta puniri. Ita ſentiunt Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 3. caſu 291. fine.* Decianus *in tract. criminal. lib 8. cap. 7. nu. 27.* Clarus *lib. 5. recept. §. Raptus num. 6.* & alii quamplurimi, quos citat & ſequitur Sanchez *loco cit. num. 25.* Menoch Decian. Clarus. Sanch.

5. Quamuis ad pęnas raptoribus iure decretas incurrendas, deſideretur violenta de loco ad locum abductio, ad effectum abducendi; At vt in foro conſcientiæ raptus ſit, & contineat circumſtantiam raptus ſpecie diuerſam à fornicatione, neceſſario exprimendam in Confeſſione, ſufficit, quod vis inferatur fęminæ ad copulam extorquendam. Ratio eſt, quia tunc vltra fornicationis malitiam aduerſam caſtitati, adeſt malitia violentiæ illatæ contra iuſtitiam. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 7.* Nauarrus *in manual. cap. 16. num. 3.* Toletus *in Summ. lib. 5. cap. 12. num. 7.* & alii. D. Tho. Nauarr. Tolet.

Sed petes, an ſit propriè raptus, quando fęmina abſque vi aliqua, fraudibus, vel ignorans cognoſcitur, vt ſi quia rem habeat cum fęmina dormienti, aut putanti eſſe virum ſuum? Reſp. negatiuè. Quia licet fraus & ignorantia illa voluntarium auferant, at vim minimè inferunt, quæ ad verum raptum neceſſaria eſt. Sicut non eſt rapina, rem à domino ignoranti, aut dolis circumuento auferre. Nihilominus ea copula continet malitiam ſpecie diuerſam à fornicatione, ac neceſſariò confitendam, & ea reducitur ad raptum. Ratio eſt, quia ea copula non ſoli caſtitati aduerſatur, ſed etiam iuſtitiæ: negari enim non poteſt aduerſus iuſtitiam delinqui, iniuriam irrogendo fęminæ, ea præter voluntatem carnaliter cognita, ideoque reducitur ad ſpeciem raptus, eo quòd nolitio illa fęminæ aſſimilatur, & accedit violentiæ, cùm vtrobique voluntas deſit. Siue ergo voluntarium auferatur per vim, ſiue per ignorantiam, aut dolum, copula illa ad alterius ſpeciei malitiam tranſit, vt docet Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 12. num. 33.* Sanch. circa præſens dubium vide dicta ſuprà *verb. Luxuria num. 14.* & Dianam *par. 9. tract. 9. reſol. 2.* Dian.

6. Ex dictis deducitur eſſe raptum fęminæ cuiuſcumque ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur, aut abducatur. Quia quamuis ſolius mulieris honeſtæ, talis dicatur vt pęnis ordinarijs raptus obnoxius ſit, at in foro conſcientiæ eſt raptus diuerſæ ſpeciei à ſimplici fornicatione, ac neceſſariò fatendus, qualiſcumque ſit fęmina, ſi violentia verè inferatur: quia vis illa ad iniuſtitiam pertinet, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 7. quem cæteri ſequuntur.* Imò ad ſpeciem hanc raptus neceſſariò confitendam, nil refert, ſiue vir rapiat fęminam, ſiue fęmina virum. Cùm enim vterque raptus violentiam iniuſtè illatam claudat, vterque malitiam ſpecificam diuerſam a fornicatione habet. Ex quibus

Digitized by Google

bus conſtat raptum minimè grauem eſſe quando rapitur fœmina meretrix, grauiorem quando rapitur vidua, multò grauiorem quando rapitur virgo. Grauiorem item quando raperetur coniugata, vel conſanguinea, vel affinis. Grauiſſimum quando raperetur Monialis, vel quæ voto dicata eſt Deo: at omnium grauiſſimus eſſet raptus pueri ad turpem actum. Quia ſi rapiatur coniugata, eſt adulterium: ſi Monialis, eſt ſacrilegium: ſi conſanguinea vel affinis, eſt inceſtus: ſi puer, eſt ſodomia, &c. Ita Sanchez *loco cit. num.* 37. *&* 39. Filliucius *tract.*
Sanch. Filliuc. Trullen. Geſuald. 30. *num.* 109. Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *dub.* 4. *num.* 2. & alij communiter, quibus adde noſtrum Geſualdum *par.* 3. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 28. *in Theologia Morali*.

7. Sed difficultas eſt, an circumſtantia raptus ſit neceſſariò explicanda in Confeſſione, ſi virgo ſponte conſentiat? Reſpondet Diana negatiuè; quia quando virgo conſentit in raptu, quamuis parentes diſſentiant & tutores, ac ij qui loco parentum ſe habent, ſolùm erit fornicatio, vel furtum ſimplex, & non erit neceſſariò explicanda ratio virginitatis, nec iniuria facta parentibus, ſi tamen raptum neſciant: nam ſi parentes actualiter repugnent, erit talis circumſtantia in Confeſſione aperienda, ſecus autem minimè. Ita ille *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 37. *&* *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 67. Probatur prior pars, quia violatio virginis ſponte conſentientis, quamuis ſit ſub cura paterna, non differt à ſimplici fornicatione: eo quod virgo ſit domina vſus ſui corporis ad illum actum, ſi non vt licitè fiat extra matrimonium, quia eſt contra temperantiam; at non erit contra ius alicuius. Probatur poſterior pars, quia licet virgo iniuriam non inferat patri conſentiens ſuæ deflorationi, nec ipſam volentem deflorans: at extractio illius virginis conſentientis à domo parentum vel tutorum, ſub quorum cuſtodia eſt, manifeſtam iniuriam illis extractioni renitentibus infert, atque proinde eſt noua culpa iuſtitiæ aduerſa. Primam partem huius doctrinæ vt probabilem amplectuntur etiam San-
Sanch. chez *de matrim. lib* 7. *diſp.* 14. *num.* 5. Suarez *in* 3. *p. tom.*
Suarez. 4. *diſp.* 22. *ſect.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quaſt.* 2. *art.* 4. *verſ. De*
Sotus. *ſimplici vero ſtupro*. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 1. & alij,
Leſſius. quamuis contraria ſit communis. Poſterior autem pars à nemine negatur.

8. Raptor, qui proprio motu fœminam rapit, non vt ſecum, ſed vt cum alio matrimonium contrahat, non ſubditur pęnis decreti Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. matrim.* proinde valet matrimonium, cum illo tertio initum, ſi fęmina liberè conſentiat, quamuis nondum extra raptoris poteſtatem ſit. Ratio eſt, quia pęna Tridentini eſt contra raptorem & raptam, non verò contra raptam & alium, qui non rapuit, ergo locus non erit huic pęnæ, quando fit raptus gratia ineundi matrimonij cum alio. Si tamen ad inſtantiam inituri matrimonium rapuit: tunc matrimonium cum illo erit inualidum, niſi prius fęmina in loco tuto conſtituatur, & incurret ille, qui inſtigauit vt raptus efficeretur, cæteras pęnas, tanquam verus raptor per interpoſitam perſonam ad effectum matrimonij. Is verò qui raptum exercuit tanquam auxilium raptui ferens ad finem ineundi matrimonium, incurret excommunicationem & cæteras auxiliantium pęnas, at cum ipſo validè poteſt fęmina contrahere, priuſquam in loco tuto reponatur; quia auxilium ferentes non plectuntur in illo decreto ea pęna, vt matrimonium cum ipſis conſiſtere nequeat, donec fęmi-
Gutierez na ſit ad locum tutum reſtituta. Ita Gutierez *de matrim.*
Bonac. *cap.* 86. *n.* 10. Bonacina *de matrim. quaſt.* 4. *punct.* 18. *num.*
Sanch. 12. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 6. & alij.

Vide verb. Immunitas Eccleſiarum num. 12.

REGVLARES.

SVMMARIVM.

1 *An regulares ex vi ſui ſtatus ſint iure diuino à ciuili, & laica poteſtate exempti in cauſis Eccleſiaſticis?*

2 *An contra regularem exemptum extra clauſtrum notoriè delinquentem poſſit Epiſcopus formare proceſſum, & cum tali proceſſu illum remittere ad ſuum Prælatum?* Refertur duplex ſententia.

An regularis exemptus delinquens in alieno Monaſterio, poſſit puniri ab Epiſcopo, vel à Prælato illius Monaſterij in quo deliquit?

3 *Regularis exemptus manens de Superiorum licentia in grangia ſui Monaſterij, ſi delinquat, à quo puniri debeat.*

4 *Si regularis retento habitu Religionis propria, ſæcularem induat, vt ſic incognitus incedat, an in excommunicationem incidat?* Refertur duplex ſententia.

5 *An incurrat cenſuram regularis deponendo habitum, ſi obtenta à Superiore licentia abeat? Quid ſi intra priuatos Monaſterij parietes habitum deponat.*

6 *Vt excommunicatio incurratur, an ſatis ſit dimiſſio habitus propriæ Religionis, vel exigatur alterius habitus aſſumptio?* Refertur duplex ſententia.

7 *An hac cenſura afficiatur regularis, qui ſuæ Religionis habitu depoſito alterius Religionis amictum aſſumit, ſi illam non ingrediatur? Et quid ſi illam ingrediatur contra iura?* Refertur duplex ſententia.

8 *An regularis profeſſus hac cenſura innodetur habitum Nouitiorum induens, quando Nouitij non eodem veſtium genere vtuntur, quo profeſſi?*

9 *Regularis factus Parochus, habitum ſuæ Religionis dimittendo, an afficiatur hac excõmunicatione? Et quid ſi dimittat creatus Epiſcopus, vel Cardinalis?*

10 *An regularis vtens veſtimentis prophanis peccet mortaliter?*

11 *Regulares profeſſi accedentes ad quæuis ſtudia ſine licentia ſui Prælati, & conſilio Conuentus, vel maioris partis excommunicationem incurrunt.*

An ad hanc cenſuram incurrendam exigatur vt regularis cauſa ſtudiorum proficiſcatur extra oppidum ſui Monaſterij?

12 *Qui veniant nomine Prælati, cuius conſenſus cũ Conuentus conſilio ad hanc licentiam concedendam requiritur.*

13 *An hac licentia inualidè obtenta, puta per dolum, vel per metum grauem, vel à Superiore non habente facultatem, excuſet impetrantem ab hac cenſura?*

An requiratur ad hanc licentiam dandam conſenſus Conuentus, vel an ſufficiat petere eius conſilium? Refertur triplex ſententia.

14 *An Prælatus regularis adiens ſtudia ſine licentia ſui Superioris afficiatur hac cenſura?*

15 *Regulares è clauſtro exeuntes ad audiendas leges, aut phyſicam, & intra bimeſtre non redeuntes, excommunicationem incurrunt.*

An ad hanc cenſuram incurrendam ſatis ſit exire, & in eodem oppido præfatas ſcientias audire & redire? Refertur duplex ſententia.

16 *An regulares excuſentur ab hac cenſura ſi ius ciuile audiant, vt melius ad cognitionem iuris canonici deueniant; vel vt principaliter honorent amicum defendentem publicè concluſiones.*

17 *Regularis, qui exiuit non animo audiendi præfatas ſcientias, ſed poſtea mutata voluntate permanet extra clauſtrum principaliter animo eas audiendi, an incidat in cenſuram.*

Quando regularis exiuit clauſtrum eo animo vt audiret leges & phyſicam, poſtea tamen non audiuit, an hanc cenſuram incurrat? Refertur duplex ſententia.

18 *Regularis exiens è clauſtro vt doceat leges, vel phyſicam, an ligetur hac excommunicatione.*

An liber ſit ab hac cenſura, qui clauſtra exiuit animo audiendi leges, vel phyſicam, ſi intra duos menſes redeat.

19 *An regularis poſſit, comparere in iudicio, ſiue tanquã actor, ſiue tanquam reus, regulariter loquendo, ſine licentia Superioris, ſi cauſa ſit ciuilis.*

20 *Quid dicendum, ſi actio contra ipſum ſit criminalis.*

21 *Aliqui caſus enumerantur, in quibus regularis poteſt agere in iudicio ſine licentia Superioris.*

22 *An*

22 *An regulares poſſint officium Tabellioni exercere, ſi in ſaeculo ſales erans? & an inſtrumensa ab eis confecta ſint valida.*

23 *An regulares non poſſint fideiubere ſine Prælati & maioris partis Conuentus licentia.*

24 *An regulares ex Superiori licentia poſſint ad Doctoratus gradum promoueri in Theologia. Iure Canonico & Ciuili, vel in Medicina.*

25 *Quid decreuit Bonifacius IX. & Innocentius Octauo circa doctorandos in Ord. Prædicatorum: Et Martinus V. in Ordine Fratrum Minorum.*

26 *Monachi & Canonici Regulares prohibentur accedere ad Curias Principum, ſine licentia ſuorum Prælatorum, cum intentione nocendi ſuis Prælatis aut Monaſterijs, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.*

27 *Regulares omnes tenentur ad obſeruandas regulas & ſtatuta ſuorum Ordinum.*

1. Religioſus ſtatus eo ipſo quòd per Eccleſiam approbatur & inſtruitur, eſt ſtatus ſacer, & Eccleſiaſticus, & eius perſonæ ſunt ſub ſpeciali dominio Dei; idcirco eo ipſo ſunt perſonæ ſacræ, & Eccleſiaſticę: quia, & diuinis obſequijs ſpecialiter deputatæ ſunt, & ad ipſum ſpecialiter ſpectant: hinc eſt, quòd Religioſi ex vi ſui ſtatus, ſicut reliquæ Eccleſiaſticæ perſonæ à ciuili, & laica poteſtate exempti ſunt, & quidem iure diuino in Eccleſiaſticis cauſis, ſeu ad res ſpirituales ordinatis. Cauſæ verò Eccleſiaſticæ, ratione quarum, Religioſi & Clerici iure diuino ſunt exempti, vocantur illæ, quarum cognitio non à legibus ciuilibus pendet, ſed ab Euangelio, & à Summorum Pontificum Canonibus & à Sacris Concilijs, cuiuſmodi ſunt controuerſiæ de Fide, de Sacramentis, & ſimiles. Probatur autem hæc exemptio, quia tota auctoritas regendi Eccleſiam Dei Apoſtolis commiſſa eſt à Chriſto Domino, ergo in rebus Eccleſiaſticis, laici ſunt oues, & ſubditi, non Iudices, & Paſtores, ergo de iure diuino Clerici & Religioſi ſunt liberi in cauſis Eccleſiaſticis à poteſtate Regum & Principum ſecularium. Ita Bellarminus *lib. 1. de Pontifice, c. 7.* Suarez
Bellarm. Suar. *in defenſione lib. 4. cap. 11. & 12.* & alij citati *tom. 1. verb. Clericus, num. 3.*

2. Contra regularem extra clauſtrum notoriè delinquentem non poteſt Epiſcopus formare proceſſum iuridicum, ſi ille regularis exemptus ſit, & cum tali proceſſu illum remittere ad ſuum Prælatum, nec poteſt ſubditus puniri ab ipſo Prælato virtute iſtius proceſſus ab Epiſcopo confecti. Ratio eſt, quia in Concil. Tridentin. *ſeſſ. 25. c. 14. de regular.* habetur, *Regularis, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo iſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minus à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Ex quo textu patet Epiſcopum poſſe inſtare certiorem faciendo per ſuas literas Prælatum de notorietate delicti à Religioſo ita commiſſi, vt nulla tergiuerſatione celari potuerit: ad quod non eſt neceſſarius proceſſus iuridicus ab Epiſcopo formatus, qui ipſo iure nullus eſt ex defectu iuriſdictionis. Non datur enim abſoluta poteſtas à Concilio ad puniendum talem regularem notoriè delinquentem extra clauſtrum, ſed tantùm, vt poſſit punire, Prælato ad eius inſtantiam non puniente. Ex quo conſequitur, quod ſi Epiſcopus de facto cum tali proceſſu à ſe formato talem regularem ad ſuum Superiorem remittat, non poteſt ipſe Superior ex vi illius aliquid agere contra delinquentem, cùm ipſo iu-
Rodriq. re nullus ſit, ſed alium de nouo formare debet. Ita tradũt
Villalob. Hieronymus Rodriquez *in compend. quæſt. regular. reſol.*
Diana. *62. num. 8.* Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 5. nu. 5.* Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 132.* Quamuis alij velint regularem in tali caſu poſſe deduci ad carcerem Epiſcopi & ſumpta informatione ſuper delicto, dummodò ſine mora ſumatur, remitti cum copia proceſſus ad ſuum Superiorem puniendum, cum præfinitione termini ad puniẽ-
Portel. dum. Ita Piaſecus *in praxi Epiſcop. p. 2. cap. 3. n. 43.* Portel
Barboſ. Diana. *in addit. ad dubia regul. verb. Punitio relig. extra Conuentum, num. 17.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 105. num. 20.* Lezana *in Sum. quæſt. regul. c. 16. num. 27.* vbi vult intelligere in caſu, quo Epiſcopus timeret fugam Religioſi, De quo vide Cokier *de iuriſdict. Ordinar. in exemptos p. 1. q. 17. nu. 28.* & Laurent. de Peyrinis *in Conſtit. 2. Sixti IV. n. 62. & 64.*

Certum tamen eſt regularem exemptum delinquentẽ in alieno Monaſterio, non poſſe puniri ab Epiſcopo. Ratio eſt, quia in verbis Concilij Tridentini adductis nomẽ Clauſtri non ſumitur abſolutè, ſed comparatiuè ad Diœceſim Epiſcopi; cùm ergo clauſtrum alienum, etiam quia alienum, non ſit locus Diœceſis quoad iuriſdictionem Epiſcopi; diſpoſitio Tridentini non poteſt ſubintrare in eo caſu. Tum quia delictum debet eſſe perpetratum, extra omne clauſtrum, ad hoc vt ex eo gigni poſſit ſcandalum in populo. Ita Bordonus *in conſil. Regul. tom. 2. reſol. 68. quæſt. 9. numer. 26.* Auctor vult prædictum regularem non ſolùm poſſe puniri à proprio Prelato, ſed etiam à Superiore illius Monaſterij, in quo deliquit: quia is ratione delicti, & loci factus eſt de foro illius Superioris. Sed verius eſt non poſſe puniri ab illo Superiore: nam licet quis ratione delicti ſortiatur forum Superioris, in cuius territorio deliquit: tamen hæc regula non habet locũ, quando qui deliquit, habet omnimodam exemptionem. Sed regulares exempti habent omnimodam & generalem exemptionem, non ſolùm à iuriſdictione Ordinarij, at etiam à cuiuslibet alterius poteſtate: ex quo ſequitur, regularem delinquentem in Monaſterio alterius Religionis, non ſolùm non poſſe puniri ab Epiſcopo, ſed neque à Superiore illius Monaſterij in quo deliquit, ſed tantùm erit puniendus à ſuo immediato Superiore: quia hac exemptionis prærogatiua exemptus gaudet & obtinet vbicumque deliquerit, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, niſi priuilegium illud alia lege ſpecialiter auferatur. Ita Diana *part. 9. tract. 7. reſol. 49.* contra Bordo- Diana.
num. Quia etiam aduertunt nomine regularium in verbis Concilij non includi Superiores, & ideò ſi iſti delinquant extra clauſtra, non ſubijciuntur punitioni Epiſcoporum, quia nomine Monialium non includitur Abbatiſſa, vt tradunt communiter Doctores. De his plura tom. 1. *verb. Epiſcopus num. 25. & ſequentibus.*

3. Regularis manens de Superiorum licentia ſub regulari obſeruantia in aliquo membro, vel grangia ſui Monaſterij pro Religionis ſeruitio, ſi delinquat, non ab Ordinario ſed à ſuo Superiore puniri debet, ſecundùm formam Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de regular. c. 14.* quia cùm huiuſmodi Superior illi poſſit dare licentiam, Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 4. de regular.* & dicta loca ſint membra & dependentia à ſuis Monaſterijs, cenſentur eodẽ iure & priuilegiis gaudere ac Monaſteria. *Ex cap. recolentes, §. cæte-*
rum, de ſtatu Monachor. & docent Barboſa *de offic. & po-* Barboſa.
teſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 105. nu. 17. Ciarlinus *Controu.* Tambu.
forenſ. lib. 1. cap. 50. nu. 8. & alij penes ipſos. Quibus adde Peyrin.
Tamburinium *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 15. quæſt. 7. n. 9.* Laurentium de Peyrinis *tom. 1. priuileg. in annot. ad Conſtitut. 2. Sixti IV. num. 29.*

4. Difficultas eſt, an ſi quis regularis retẽto habitu Religionis propriæ, ſæcularem induat, vt ſic incognitus incedat, incidat in excommunicationẽ. Videtur quòd ſic, quia illa occultatio licet non ſit materialis habitus dimiſſio; eſt tamen vera & formalis, ſiquidem ea facta tollitur ab habitu eſſe ſignum cognoſcitiuum Religioſi ſtatus, ad quem ſignificandum ille habitus materialis aſſumitur. Tum quia finis *cap. vt periculoſa, ne Clerici vel Monachi in 6.* excommunicantis Religioſum dimittentem habitum, fuit, vt Religioſus ex habitu cognitus vagari nequeat, idem prorſus eſt, illum non geſtare, ac ita operire, vt prorſus non cognoſcatur Religioſus. Tum quia, qui ſolis verbis legis contentis, eius mentem offendit, non euadit illius pœnas. *l. Non dubium, Cod. de legibus.* At Religioſus habitum omninò operiens, ſola Canonis verba iubentis habitum geſtare, amplectitur, & manifeſtè eius mentem offendit, ac tranſgreditur, quæ eſt, vt ex habitu cognitus vagari non poſſit; ergo pœnam excommunicationis incurrit ipſo iure latam.

E contra *in cap. illo, vt periculoſa,* non quælibet occaſio vagandi prohibetur, ſed quæ fit per dimiſſionem Reli-

gioſi habitus. At occultare omnino habitum, non eſt propriè & in rigore dimittere, nec valet in materia pœnali argumentum à rationis paritate. Neq; eſt verum occultantem habitum dimittere ſignum religioſi ſtatus; non enim illud dimittit, ſed diſſimulat, & celat; ergo pœna impoſita dimittentibus, non debet extendi ad occultantem. Neq; ex hac occultatione finis legis eluditur; quia nō ita facilè regularis incedere poteſt incognitus retento habitu, ac illo dimiſſo. Ergo. Affirmatiuam ſententiam ſuſtinent Paſſarellus *in priuileg. Minimor. cap. 34. fin.* Bannez 2.2. *diſp. 1. quæſt. 12. fine.* Nauar. *in man. cap. 27. n. 131.* Rodriquez *tom. 1 quæſt. regul. quæſt. 30. art. 2. tom. 2. qu. 77. art. 6. notab. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 13. qu. 5. caſu 16. & cap. 17. qu. 10.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 63.* & alij, quorum opinio eſt probabilior. Negatiua tamen eſt ſatis probabilis, quam tuentur Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 9. & 10.* Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. nu. 33. & 34.* Paludanus *in 4. diſt. 18. qu. 3. art. 3.* & alij.

Nauar.
Rodriq.
Azorius.
ſanchez.
ſayr.
ſuar.

5. Vt regularis dictam excommunicationem incurrat, non eſt opus, vt recedat abſque Superioris licentia, habitumque deponat, ſed incurret deponendo habitum, etiamſi obtenta licentia abeat. Quia textus *cap. vt periculoſa*, non petit regularis euagationem, ſed ſolam habitus dimiſſionem aptam ad occaſionem diuagandi præſtandam, qualis eſt hæc. Ita Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 33. nu. 19.* Sylueſter *verb. Excommunicatio 9. num. 51.* & alij. Imò vt huic excommunicationi ſubiaceat regularis, ſatis eſt ſi intra priuatos Monaſterij parietes habitum temerè deponat; quia textus ſolam habitus dimiſſionem petit, & verba illa, *in ſcholis, vel alibi*, generalia ſunt: & quamuis actu non vagetur regularis ille, ea tamen dimiſſio affert vagandi poteſtatem; ſicuti ſi dimittentem extra clauſtra habitum, recluderes in carcerem, recluſio impediret vagationem, ſed non impediret, quin dimiſſio præberet occaſionem vagandi. Ita docent Caſtrus Palaus *tom. 3. tr. 16. diſp. 4. punct. 6. num. 10.* Nauarr. *in man. c. 27. n. 131.* Sayrus *loco citato, num. 11.* Diana *part. 9. tractat. 7. reſol. 5.* Azor. *lib. 12. cap. 17. quæſt. 15.* qui addit, præſertim hoc eſſe verum, quando regularis ſe oculis videntium ſæcularium oſtendit; ſecus ſi ſe occultare procurat; qui dum ſe occultat, non videtur animum habere vagandi. Sed hæc limitatio non placet, quia textus non attendit, an regularis oculis intuentium pateat ſeque illis offerat, ſed an occaſionem aſſumat ſe offerendi incognitum, & per orbem vagandi, quòd certè præſtat habitus dimiſſio, vt bene notat Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. nu. 61. in fine.* Quamuis Texeda *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 2. tract. 1. controu. 6. dub. 1.* exiſtimat talem nō incurrere excommunicationem, licet intra Monaſterij parietes habitum dimittat, & ſe oſtendat ſæcularibus, eſto ſeculares cognoſcant illum eſſe regularem illius Religionis: quia putat talem habitus dimiſſionem non eſſe temerariam nec ad vagandum ordinatam, nec ex contemptu legis.

ſayr.
Sylueſt.
Palaus.
Nauarr.
azor.
ſanchez.

6. Ad hanc excommunicationem incurrendam, ſecūdùm Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 28.* non exigitur aſſumptio alterius habitus, ſed ſatis eſt totius habitus propriæ Religionis dimiſſio, vel eius ſaltem partis, qua dimiſſa nequit cognoſci Religioſus ſuæ Religionis, quia *cap. vt periculoſa*, &c. non petit alterum habitum indui, ſed proprium dimitti, & ſolo proprio dimiſſo, vel ea parte, qua dimiſſa religioſus cognoſci nequeat, datur ſufficiens cauſa. Ex qua ſententia ſequitur, quod regularis, qui nudus fugit, aut cum ſolis femoralibus, in excommunicationem huius capitis incidit: quia hic dicitur habitum ſuæ Religionis deponere ad ſe occultandum, vel ita incedendum, cùm hoc pacto nequeat dignoſci, & à fuga, ſeu vagandi occaſione retrahi, & retardari. Et huius opinionis videtur eſſe etiam Bonacina *tom. 3. diſp. 2. q. 8. punct. 6. num. 8.*

ſuarez.
Bonac.

Verùm etſi hæc ſententia ſit probabilis, communior tamen ſuſtinet exigi quoque alterius habitus aſſumptionem. Ratio eſt, quia communiter & morali modo loquendo, non datur materia vagandi dimiſſo proprio habitu, aut notabili eius parte, ſi alius non aſſumatur, quia nudi, aut indecenter veſtiti communiter homines vagari non ſolent, & ad ea, quæ rarò contingunt legis diſpoſitio extendi non conſueuit, *l. iam ad caſſ. de legibus*. Ita Nauar. *in man. cap. 27. num. 131.* R[illegible] *quæſt. regul. qu. 77. art. 6. notab. 1. & 2.* V[illegible] 12 [illegible] *qu. 12. punct. 1. ad finem.* Sanchez [illegible] 51.

Nauarr.
Rodriq.
Valent.
ſanchez.

7. Regularis, qui ſuæ Religionis habit[illegible] alterius Religionis amictum aſſumit, excom[illegible] hanc incurrit, ſi illam non ingrediatur. R[illegible] quia ex ea dimiſſione datur ſufficiens vagandi [illegible] quod, etſi ratione habitus regularis ille cognoſci [illegible] poſſit, tamen facillimè ſe eximet, vagarique pote[illegible] probando ſe illius Ordinis, quem habitus indicat, R[illegible] tum non eſſe: ac proinde ſolùm cogetur habitum deponere relicta ſibi facultate vagandi: Idque verum habet, quamuis ſuæ Religionis habitum dimittat, vt citius in aliam admittatur: quia tunc vere datur materia vagandi, dum ad aliam Religionem non tranſit. Ita Rodriquez *tom. 2. qu. reg. q. 77. art. 2. notab. 2.* Bannez 2.2. *quæſt. 12. art. 1. poſt 2. concluſ.*

Rodriq.
Bannez.

Sed difficultas eſt, quando aſſumitur habitus alterius Religionis ad illam tranſeundo contra, iura an excommunicationem incurrat? Affirmant quidam probabiliter: quia hic temerè & cum grauiſſimo peccato dimittit habitum ſuæ Religionis, nam adhuc poſt ingreſſum prior Religio eſt ſua Religio iure & obligatione, & licet omnimodam vagandi occaſionem non habent nihilominus aliquam habet; quia ſi ex ſecunda Religione ſaltem ante profeſſionem exire prætendat, id facere non poterit ſine aliquo vagandi periculo. Ita Nauar. *in man. c. 27. num. 131.* Azor. *lib. 12. tom. 1. cap. 14. qu. 10. & cap. 17. qu. 11.* Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 32.* Filliucius *tract. 14. num. 134 ad finem* & alij. Communior tamen & probabilior ſententia ſuſtinet hunc non incurrere. Ratio eſt, quia textus *cap. vt periculoſa*, eam habitus dimiſſionem excommunicationi ſubijcit, quæ attentis circumſtantijs apta eſt ad periculosè vagandum. Sed huiuſmodi dimiſſio non eſt talis, cùm tranſeundo ad aliam Religionem, eiuſque habitum aſſumendo, non detur anſa vagandi, nec, vt euagetur, habitum aſſumat. Tum quia talis regularis nō tam dimittit, quam commutat habitum Religionis, præſertim quando immediatè aſſumit alium, vnde cùm lex pœnalis ſtrictè ſit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc caſum. Sic tenent Dominicus & Ioannes Andræas *in dict. c. vt periculoſa, ne Clerici vel Monachi, in 6.* Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 38. n. 17.* Leſſius *lib. 2. cap 41. nu. 102.* Paſſarellus *in priuileg. Minimor. cap. 34.* Sanchez *loco cit. nu. 68.* Rodriquez *tom. 2. qu. reg. q. 77. art. 6. notab. 2.* & alij penes ipſos.

Nauarr.
Azor.
ſuar.
Filliuc.
I. Andr.
ſayr.
Leſſius.
ſanchez.
Rodriq.

7. Regularis profeſſus induens habitum Nouitiorum afficitur excommunicatione, quoties Nouitij non eodem veſtium genere vtuntur quo profeſſi. Ratio eſt, quia textus excommunicat expreſsè profeſſos deponentes habitum ſuæ Religionis, & alium aſſumentes. At hic verè deponit habitum ſuæ Religionis; habitus enim Nouitiorum non eſt habitus ſuæ Religionis, ſed tyronum experientium vtrum ſibi Religio placeat, vt in eam recipiautur. Tum quia datur ſufficiens vagandi occaſio, quam textus vitare voluit. Cùm enim Nouitius liberè poſſit à Monaſterio exire, & ad ſæcularem ſtatum redire, induēs Nouitiorum habitum liberè vagari poterit, vel ad ſummum cogi, vt illum habitum exuat. Ita Sanctarel. *de apoſtaſia cap. 1. num. 20.* Sanchez *loco cit. numer. 53.* Si autem ille profeſſus nullum habitum Nouitiorum peculiarem induat, quo non poſſit cognoſci profeſſus, ſed tantùm deponat aliquid ſuperadditum, quo profeſſi à Nouitijs ſecernuntur, non incurret; quia non ſatis eſt dimiſſio habitus abſque alterius aſſumptione; vt diximus ſuprà ex probabiliori ſententia *num. 6.* verùm alij dicent incurrere, ſi illud ſuperadditum dimittat, itavt ab externis non cenſeatur profeſſus, ſed Nouitius: hic enim ſecundùm illos habitum ſuæ Religionis dimittit, & cauſam vagandi arripit.

ſanctar.
ſanch.

9. Regularis ad beneficium Parochiale alicuius Eccleſiæ promotus, afficitur hac excommunicatione dimittendo habitum ſuæ Religionis: quia adhuc tenetur votis Religionis, nec exemptus eſt ab obſeruantia regulari, dum eam commodè ſeruare poteſt vna cum Parochiali munere. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. num. 36.* Sylueſter *verb. Religio 7. q. 11.* & alij.

ſanchez.
ſylu.

Sed

Sed difficultas eſt, an regularis creatus Epiſcopus, vel Cardinalis in iſtam excommunicationem incidat, dimittendo habitum ſuæ Religionis? Et videtur affirmatiuè reſpondendum, quia huiuſmodi regularis tenetur habitum ſuæ Religionis deferre, ex *cap. Clerici, de vita & honeſt. Clericor.* vbi habetur, *Pontifices autem in publico, & in Eccleſia ſuper indumentis lineis, omnes vtuntur: niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem*. Quanquam hoc tempore poſt Rituale Romanum iuſſu Clementis VIII. reformatum poſſint Epiſcopi religioſi, retento colore habitus ſuæ Religionis, accommodare ſe formæ veſtium, quas alij Epiſcopi adhibent. Tum quia Epiſcopus regularis omittens habitum & aſſumens illam albam & candidam veſtem, quæ ab Epiſcopis exteriùs defertur, incurrit excommunicationem latam contra Monachos omittentes habitum, *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* teſtantur Syluester *uerb. Religio 7. qu. 11.* Maiolus *de irregular. lib. 2. c. 1. nu. 13.* Surdus de alimentis *tit. 8. priuileg. 79. num. 10.* & multi alij.

Syluest. Molin. Surd.

Nihilominus opinioni neganti adhærendum eſt. Tum quia nullo iure eſt excommunicatio indicta Monacho, qui prætextu Epiſcopalis dignitatis habitum dimittit, & Epiſcopalem induit, quia textus ille excommunicans clarè loquitur de regulari ſub Abbatis obedientia manente, eiúſque regulis aſtricto, atque ita eam rationem reddit, ne detur Monachis materia vagandi dimiſſo habitu, eo quòd à nemine cognoſcentur: quæ in Epiſcopo regulari deficiunt, vtpote qui non eſt ſub regulæ obedientia, & induens Epiſcopalem habitum minùs aptus erit ad euagandum. Tum quia regularis factus Epiſcopus eximitur omnibus regulis & ſtatutis Religionis, *cap. unico 18. qu. 1.* vbi habetur: *Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ monaſtico profeſſionis abſoluit, & ſacra Ordinatio de Monacho Epiſcopum facit.* Cùm ergo regularis teneatur habitum ſuæ Religionis deſerre, præcipuè ob regulas & ſtatuta ſuæ Religionis, ſequitur exemptum à regulis & ſtatutis ſuæ Religionis, non teneri ex vi regularis obſeruantiæ ad habitum deferendum: conſequenter regularem factum Epiſcopum non affici excommunicatione huius textus. Ita docent Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. num. 23.* Rodriquez *tom. 2. quæſtionum regul. qu. 59. art. 3.* Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 3. nu. 25.* Lezana *in qu. canon. cap. 17. num. 9.* Diana *part. 5. tract. 2. reſol. 66.* Sanctarellus *de apoſtaſia cap. 1. numer. 15.* Azorius *tom. 3. lib. 12. cap. 7. quæſit. 4.* & alij apud ipſos citati.

Sanchez. Rodriq. Barbos. Lezana. Sanctar. Azor.

Quæ hic dicta ſunt de regulari Epiſcopo, habent etiam locum in regulari promoto ad Cardinalatum; hic enim non ſubijcitur huic excommunicationi non deferendo habitum Religionis, quia à regulari obſeruantia ſubtrahitur inſtar Epiſcopi; nam in Eccleſia ſua titulari iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habet, vt reſoluunt Diana *ſupra* & Sanchez *loc. cit. nu. 34* cum alijs.

Diana. Sanch.

10. Regularis vtens veſtimẽtis prophanis peccat mortaliter. Nomine autem prophanorum veſtimentorũ, intelliguntur ea, quæ ſunt propria ſæcularium, vt veſtimẽta ſerica aut auro ornata, aut quæcumque alia, quæ non decent ſtatum & paupertatem religioſam. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi veſtimenta ſunt contra paupertatem, & ſtatum religioſum in re graui: Nec poſt habere præſũptam licentiam Superioris; quia Superior non videt huiuſmodi veſtimenta, cum occultentur veſtibus regularibus ſuperpoſitis: tum quia non poteſt præſumi illa licentia, quam non poteſt Superior concedere; non poteſt autem concedere licentiam quoad ea, quæ ſunt contra ſtatum religioſum. Tamen ratione paruitatis materiæ poſſet talis regularis excuſari à peccato mortali; vt ſi parum excedant ſtatum religioſum, tam ratione materiæ, quam ratione ornamentorum: aut ſi non omnia ſed aliquid minus principale de veſtimentis tale ſit, vt eſſent tibialia, cingula, & alia huiuſmodi; dummodò in his quoque non ſit notabilis exceſſus. Ita Ioan. Henriquez *in compend. caſ. moral. cap. 38. nu. 47.* & alij.

Henriq.

11. Regulares profeſſi accedentes ad quæuis ſtudia abſque licentia ſui Prælati, & conſilio Conuentus, vel maioris partis excommunicationem incurrũt latam *in cap. vt periculoſa, ne Clerici vel Monachi, in 6.* vbi habetur, *Nec accedat ad quæuis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato*

cum conſilio ſui Conuentus vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudium licentia primitùs ſit conceſſa. Circa quẽ textum hęc notanda veniunt. *Primum*, Quod acceſſus ad ſtudia ſub excommunicatione prohibetur ille, quo regularis cauſa ſtudiorum proficiſcitur extra oppidũ ſui Monaſterij. Quia textus loquitur de proficiſcente aliò cauſa ſtudendi; ſiue intendat dare operam ſtudijs aliàs prohibitis, vt Legibus, aut Medicinę, ſiue aliàs permiſſis, vt Theologiæ, aut ſacris Canonibus, nam textus loquitur generaliter ad quæuis ſtudia. Ita Sanch. *lib. 6. moral. c. 8. n. 73. & 76.* Nauar. *in man. c. 24. nu. 132.* Sayr. *de cenſuris, lib. 3. c. 32. nu. 20.* Suarez *de cenſ. diſp. 23. ſect. 4. nu. 35.* & alij communiter. Ex quo fit, quòd ſi regularis accedat ad ſtudia ſui oppidi, non afficitur hac cenſura, etiamſi dum ſcholas ſui oppidi frequentat; extra Monaſterium commoretur; quia textus videtur expreſsè loqui de profectione aliò cauſa ſtudendi: licet aliunde fieri poſſit vt grauiter peccet, manendo extra Monaſterium abſq; debita licentia. Vt notãt Sanch. *loc. cit. nu. 76.* & Sanctarel. *in tract. de apoſtaſia c. 2. nu. 2.* & alij citati. Neque etiam incidit in hanc excommunicationem, accedens ſine licentia ad Monaſterium ſuæ Religionis in alio oppido exiſtens, vbi ſunt ſtudia intra clauſtrum; quia hic non dicitur accedere ad ſtudia, ſed potiùs mutare Monaſterium; & textus intelligitur de adeũte ſtudia, quæ extra ſuæ Religionis clauſtrum ſunt, quia tunc eſt profectio ad ſtudium. Ita Sayr. *loco cit. num. 21.* Suar. *loco cit.* Azor. *tom. 1. lib. 12. c. 13. qu. 5. caſu 16. verſ. de altera excommunicatione*, & communis.

Sanchez. Nauarr. Suar.

Sayr. Suar. Azorius.

12. Secundùm notabile eſt, quod nomine Pręlati, cuius conſenſus cũ Conuentus conſilio ad hanc licentiam concedendam requiritur, non tantùm ipſe Abbas intelligitur, ſed etiam eius locum tenens, qui verè eſt illius religionis Prælatus: quia in omnibus Prælati vices gerit, totaque eius poteſtate gaudet. Si tamen iuxta religionis cõſtitutionem non poſſit immediatus Prælatus vel eius locum tenens hanc facultatem cum conſilio Conuentus concedere, tunc Summus Pontifex non videtur velle cõſtitutionibus derogare, ſeu facultatem ampliare, ſed potius reſtringere & coarctare, vt ſi facultatem concedendæ huiuſmodi licentiæ habeant, nequeant concedere ſine conſilio Conuentus, vel maioris partis. Ita Suar. *de cenſ. diſp. 23. ſect. 4. n. 37.* Sanchez *loco cit. nu. 77. in fine.*

Suar. Sanchez.

Nomine etiam Prælati, venit Generalis, aut Prouincialis in Monaſterijs exemptis, vel etiam Epiſcopus in non exemptis, niſi aliud ferant ipſorum conſtitutiones; nam Epiſcopus eſt ſuperior immediato Prælato non exempto, ſicut eſt Generalis aut Prouincialis reſpectu exempti: Hi enim poſſunt hanc facultatem concedere abſque conſilio Conuentus: quia dum textus requirit cõſilium Conuentus, loquitur de Prælato immediato, qui Conuentum habet, vt in concedenda hac exeundi facultate maturo conſilio procedat. Ita Sanchez *loco cit. num. 87. & 77.* Nauarr. *in man. num. 133.* Sayrus *loco cit. num. 21.* & alij communiter.

Sanch. Nauarr. Sayr.

13. Tertium notabile eſt, quod licentia hęc inualidè obtenta, puta per dolum, vel metum grauem, vel à Superiore non habente facultatem eam concedendi, non ſufficit ad excuſandum ab hac cenſura, quia idem eſt facere aliquid cum licentia inualida, ac facere ſine licentia: & hoc verum ſiue licentia inualidè obtenta ſit à Prælato immediato, ſiue mediato, militat enim in vtroque eadem ratio. Ita Sanchez *loc. cit. n. 79.* Sanctarel. *de apoſt. a. c. 2. n. 5.*

Sanch. Sanctar.

An autem quando licentia accedendi ad ſtudia obtinetur à Prælato immediato, ſatis ſit vt Prælatus conſilium Conuentus, ſeu maioris partis audierit, an etiam neceſſe ſit vt Conuentus vel maior eius pars conſentiat? Quidam ſuſtinent requiri conſenſum maioris partis Conuentus: quia quoties conſilium petendum eſt ab aliquo tanquam à collega & participe officij, eſt illud neceſſariò ſequendum, & in hoc caſu non eſt differentia inter conſilium & conſenſum. At Conuentus eſt collega & particeps officij Prælati in rebus arduis exequendis, qualem reputat hunc textus *cap. vt periculoſa*. Ita Sanchez *loco cit. num. 82.* Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 20.* & alij probabiliter. Verùm aliorum opinio eſt & quidem probabilior non requiri conſenſum, ſed ſufficere audire conſilium Conuentus, & liberum eſſe Prælato illud non

Digitized by Google

ſequi. Ratio eſt, quia in textu non dicitur eum conſenſu, ſed cum conſilio; At quando conſilium deſideratur, ſatis eſt illud petere & expectare, nec opus eſt illud ſequi. Ita Suarez *de cenſur. diſp* 23. *ſect.* 4. *num.* 37. vbi refert Nauarr. & Caiet. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 8. *punct.* 8. *nu.* 10. & alij.

Suarez. Bonac.

14. Quartum notabile eſt, quòd Prælatus regularis alicuius Monaſterij adiens ſtudia abſque ſui Superioris licentia, non afficitur hac cenſura ſecundùm probabiliorem ſententiam, quidquid dicat Syluester. Ratio eſt, quia textus loquitur de ſubdito habente proximum, & immediatum Conuentus Prælatum, vt patet ex his verbis, *à ſuo Prælato cum conſilio ſui Conuentus*. Et idem dicendum eſt, de alio Superiori, qui vicem Abbatis tenet in Conuentu, & eſt verè Prælatus illius, quia eadem eſt ratio. Ita Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *c.* 33. *num.* 22. Nauarr. *in man. c.* 27. *num.* 133. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 38. Filliuc. *tractat.* 14. *n.* 136 & alij.

Sayr. Nauar. Suarez. Filliuc.

15. Regulares è clauſtro exeuntes ad audiendas leges aut phyſicam, & intra bimeſtre non redeuntes, excommunicationem incurrunt, latam *in cap. non magnopere, ne Clerici vel Monachi*, vbi ſic habetur. *Vnde ne occaſione ſcientiæ, ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus inuoluantur, ſtatuimus, vt nulli omninò poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem ad phyſicã legeſve mundanas legendas permittantur exire. Si vero exierint & ad clauſtrum ſuum intra duorum mẽſium ſpatium non redierint, ſicut excommunicati ab omnibus euitentur: & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint, audiantur: reuerſi autem in choro, capitulo, menſa & cæteris vltimi Fratrum exiſtant, & (niſi fortè ex miſericordia ſed apoſto.) totius ſpem promotionis amittant*. Ita Alex. III. in Conc. Turonen.

Quam excommunicationem Honorius III. *in c. Super ſpecula, eod. tit.* confirmauit, auxit, & ad clericos extendit. Circa quæ iura nonnulla dubia veniunt reſoluenda.

Dubium primum. Quid ſit exire de clauſtro ad audiendas leges vel phyſicam? Nonnulli arbitrantur ſatis eſſe exire, & in eodem oppido præfatas ſcientias audire, & redire. Tum quia alias iſta conſtitutio nullius ferè momenti eſſet, cùm regulares non conſueuerint alia ratione de clauſtris ad audiendas doctrinas, etiam ſacras, exire. Tum quia eadem excommunicatio *in cap. ſuper ſpecula*, extenditur ab Honorio III. ad clericos ſæculares præfatas doctrinas audientes, ergo eadem ratione videtur voluiſſe prohibere regularibus, etiamſi ad alium locum non ſe conferant ad habitandum. Ita Suarez *de cenſur. diſput.* 23. *ſect.* 3. *num.* 11. Filliuc. *tract.* 14. *n.* 128. Communior tamen & probabilior ſententia eſt regularem nõ affici hac cenſura, audiendo leges aut medicinam in eadem ciuitate, ſi ad Monaſterium ſerò redeat. Nam prædicti Pontifices excommunicationẽ ferunt contra regulares exeuntes ad præfatas ſcientias audiendas, niſi ad clauſtrum ſuũ intra duorum menſium ſpatium redierint, ergo indicare videntur opus eſſe, vt exeant ad habitandum extra clauſtrum: qui enim in Monaſterio habitant, & ad ſcholas publicas accedunt, quotidie ad clauſtrum redire ſolent, vel ſaltem redeunt intra duos menſes. Ita Sayrus *lib.* 3. *de cenſur. cap.* 33. *num.* 2. Caietanus *verb. Excommunicatio, cap.* 50. Toletus *in Sum. lib.* 1. *cap.* 37. Et alij.

Sayr. Caiet. Tolet.

16. Secundò. Regulares hanc excommunicationem non incurrunt, ſi ius ciuile audiant, vt meliùs ad cognitionem iuris canonici deueniant: & ideò ferè omnes regulares legum ſtudio incumbentes excuſari poſſunt à peccato & a cenſura, quia hoc facere poſſunt in ordine ad melius addiſcendum ius canonicum. Sunt enim Canones magna ex parte iure ciuili coniuncti; vnde ius Pontificium ſine legibus non poteſt intelligi, cùm ſit medulla legum & niſi quis ſciat Canones cum legibus, non poteſt practicam iudiciorum cognoſcere, vt ait Baldus *in cap. cum cauſam, de probat.* Ita ex communi Rodriquez *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſt.* 67. *art.* 4. Diana *part.* 3. *tractat.* 2. *reſol.* 79. Abbas *in cap. Non magnopere, ne Clerici vel Monachi*. Idem dicendum videtur, ſi regularis Monaſterio egreditur, vt ſua præſentia principaliter honoret amicum concluſiones publicè ſuſtinentem, aut lecturam de legibus vel de medicina inchoantem: quia actio ſpecificatur à fine principali, vt aduertit Toletus *lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 6. cum alij à ſe citatis.

Baldus. Rodriq. Diana. Abbas.

17. Tertiò. In hac excommunicationem incidit regularis qui non quidẽ exiuit animo audiendi præfatas ſciẽtias, ſed poſtea volũtate permanet extra clauſtrum principaliter animo eas audiendi, & poſt huiuſmodi voluntatis mutationem duos menſes extra clauſtrum moratur. Quia licet prior exitus ad hoc ordinatus non fuerit, exiſtentia tamen extra Monaſterium ad hoc ordinata fuit. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 3. *num.* 15. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 3. & alij communiter.

Suarez. Sayr.

Dubium tamen eſt, quando regularis exiuit clauſtrum eo animo, vt audiret leges vel phyſicam, poſtea autẽ non audiuit, an incidat in hanc cenſuram? Duplex eſt ſentẽtia. Prima eſt affirmatiua, modò intra duos menſes ad Monaſterium nõ reuertatur. Ratio eſt, quia iſta excommunicatio non eſt lata contra regulares audientes, ſed contra egredientes animo audiendi præfatas ſcientias, & non redeuntes intra duos menſes; ergo cenſura incurritur, etiamſi auditio non ſequatur, quia adeſt effectus cõpletus ſub cenſura prohibitus. Ita Panormitanus *in cap. Non magnopere, ne Clerici, vel Monachi*. Suarez *loco cit. nu.* 14. Sanctarellus *de apoſtaſia, cap.* 2. *n.* 17. probabiliter. Secunda eſt negatiua, quia regulariter verba ſunt intelligenda cum effectu; & non dicitur exiſſe ad audiendum, qui realiter non audit: & quando pœna imponitur ipſo facto, nunquam incurritur per conatum, qualiſcumque fuerit. Ita Caiet. *in Sum. verb. Excommunicatio, cap.* 50. Rodriq. *tom.* 3. *qu. regul. q.* 67. *art.* 3. qui citat Ioannem de Anania & Gãbarũ. Et hæc ſententia nõ eſt improbabilis.

Suarez. Sanctar.

Caiet. Rodriq.

18. Quartò Regularis exiens è clauſtro vt doceat leges vel phyſicam, non ligatur excommunicatione. Quia dictum *cap. Super ſpecula, ne Clerici vel Monachi*, loquitur ſolùm de exeuntibus ad audiendum leges vel phyſicam: cùm ergo Honor. III. loquatur *in dict. cap. ſolum* de audientibus, & ſimul affirmet Alex. III. *in cap. non magnopere*, de audientibus loquutum fuiſſe, dicendum videtur regulares docentes excommunicationem nõ incurrere, quia verbum leggere poſitum *in dict. cap. non magnopere*, idem eſt, ac ſtudere, & ſic vulgo aliquando accipitur. Ita Suar. *loc. cit. num.* 17. Nauar. *in man. cap.* 27. *nu.* 116. Tolet. *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Panormit. & alii. Quidquid dicant Hoſtienſ. Archidiac. & Syluest. apud Suarez *loco citato*.

Suarez. Nauar. Tolet.

Porrò eſt hic obſeruandum, quod regularis qui clauſtro exiit animo audiendi leges, vel phyſicam, liber eſt ab excommunicatione, ſi intra duos menſes redeat. Ita cõmuniter Doctores. Spatium autem illud duorum menſium computãdum eſt à die qua regularis egreditur Monaſterio ad præfatas ſcientias audiendas: quia in textu dicitur, *ſi exierint & infra duorum menſium ſpatium non redierint*, vbi clarè indicatur initium ab exitu è clauſtro deſumendum eſſe; quia tunc tranſgreſſio inchoatur. Ita Suarez *loc. cit. nu.* 16. Sayrus *de cenſ. lib.* 3. *c.* 33. *nu.* 4. Bonacin. *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 7. *nu.* 11. & alij.

Sayr. Bonac.

19. Regularis non habet perſonam legitimam comparendi in iudicio, ſiue tanquam actor ad agendum, ſiue tanquam reus ad ſe defendendum, regulariter loquendo, abſque Superioris licentia. Ratio eſt, quia in hoc æquatur regularis ſeruo, & filio familias, contra quos, vel pro quibus, non poteſt fundari iudicium, *l. lis nulla, & l. vlt. ff. de iudicijs*, quia pro mortuis habentur, & nihil habent, vt tradunt communiter Doctores, quod intelligendum eſt quando cauſa eſt ciuilis: Hinc regularis non poteſt conuenire, nec conueniri ratione cõtractus cum eo initi, nec libellus contra regularem formandus eſt, ſed conueniendũ ad Monaſterium & contra id formandus libellus. Proinde ſi agatur de contractu vel ære alieno, quibus adſtrictus erat regularis ante religionis ingreſſum, tunc nec actio contra illum intentanda eſt, nec ipſe debet reſpondere, ſed Monaſterium, aut eius procurator nomine ipſius Monaſterij; Sed Monaſterium non tenebitur vltra bona, quæ à regulari accepit. Ita Speculator *tit. de ſtatu Monachor. in princip.* Syluester *verb. Religio* 8. *q.* 3. Hæc ſentẽtia practicatur in Hiſpania. Quanquam ex iure cõmuni *Authent. Ex cauſa quæ fit cum Monacho, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* actionis forma concipienda ſit contra regularis perſonam, eo quòd cum eo eſt contractum, & obligatio inhæ-

Digitized by Google

inhæret perſonæ, quæ quidem obligatio per religionis profeſſionem tolli oon potuit. Si verò condemnationis ſententia eſt executioni mandanda in religioſi bonis; tunnc actionis forma, io monaſterium eſt dirigenda, in quod pęna regularis tranſiuerunt. Ita Nauar. *Comment.* Nauarr. Azorius. *2.de reg.numero 67.* Azorius *tom.1.lib.12.cap.11.quaſt.12.* & alij.

20 Si actio criminalis ob aliquod delictum à regulari commiſſum intentetur, ipſe eſt conueniendus & contra ipſum formandus eſt libellus, habetque perſonam legitimam ad ſe defendendum abſque Superioris licentia; licet Superior poſſit ei aſſiſtere. Quia ſeruus ſimiliter conuenitur & non dominus ratione delicti commiſſi, vt conſtat *ex l.penu.in fine,C.de noxalibus,*& de regularibus tradunt Speculator *tit. de re, §.vnic. num. 19.* Felinus *in cap.Cum l.num.10.de ſentent.& re iudicata.*

21 Dantur tamen aliqui caſus, io quibus regularis poteſt agere & conuenire in iudicio. Primus eſt,quando eſt in ſcholis ſtudendo cum licentia Superioris: nam eo ipſo, quòd licentia ſtandi in ſtudio conceditur, cenſetur quoque conceſſa licentia agendi, ac ſe defendeodi in geſtis ratione ſtudij: quia tunc omnia poteſt, ſine quibus in Rodriq. Azor. Nauarr. ſtudio commodè eſſe non poteſt. Ita Rodriquez *tom.3. quaſt.reg.q.67.art.6.* Azor *tom.1.lib.12.cap.11.q.9.* Nauar. *Commem.de regular.n.65.* Speculator *tit.de actore §.vnic. num.50.* & alij communiter.

Secundos caſos eſt,quando Superior eſt abſens ad quē commodè non pareat acceſſus, & ex mora periculum imminet: Idem iuris eſt, ſi Superioris obitu Monaſterium vacet. Nauar. *loco cit.num.6. verſ. Addo nono*, qui citat Speculatorem, Aotonium, Abbatem, Cardinalem & Imolam.

Tertius eſt, ſi regularis Prioratum, Præfecturam, vel aliam adminiſtrationem in titulum beneficij ſaltem manualis habeat: non ſufficeret autem habere in ſimplicem adminiſtrationem, vt alios allegans docet Nauarr. *loco cit.num.64.*

Quartus caſus eſt, ſi regularis agere velit, de iure intra Monaſterium manendi,& viuendi & ad illnd redeundi; aut de iure & ſacultate ſuffragium ferendi in conſeſſu, in comitijs, ant de iure eligendi, aut ſedendi in choro, ant de iure alimenta, vel impenſas à Monaſterio exigendi & percipiendi aut de quocumque alio iure ſibi competente per profeſſionem, electionem, vel collationem canonicam & alio quolibet titulo, cuius eſt capax. Quamuis enim non poſſit regularis electionem de ſe acceptare, vel prouiſionem ſibi factam ſine conſenſu Superioris; at poſt acceptationem de illius licentia factam, ius habet agendi abſque alio Superioris conſenſu,vt colligi poteſt, *ex cap. Quorundam, & cap. Si Religioſus, de* Nauarr. Azor. *elect.in 6.* & docent Nauarrus *Comment.2.de regul.num. 64.verſ. Addo 5.* Azotius *tom.1. lib.12. cap.11. quaſt.9.* Qui addunt regulari de iure non permitti, vt agat contra ſuum Superiorem, qui ipſum beneficio regulari abſque malo animo priuauit, quamuis contra alium ſuo eum beneficio ſpoliantem agere poſſit,& contra ſuum quoq; Superiorem, ſi eum malo animo beneficium dimouit, qui malus animus præſumetur ſi Prælatus accuſatus eſſet ab eo ſubdito,& ad inſtantiam illius, de eius crimine inquireretur; præſertim quando ſpoliaretur beneficio annuali regulari; nam ſi ſpoliaretur ſæculari, vel regulari perpetuo,vel ad vitam dato à Pontifice,poſſet agere de ſpolio, nec probatio mali animi exigeretur.

Quintus caſus eſt, ſi regularis ſuum Superiorem accuſare velit; poteſt enim illum accuſare, niſi aliqua cauſa rationabilis impediat: alios autem accuſare non poteſt, vt habetur *in cap. Ex parte,de accuſat.* Quando autem regularis accuſat Superiorem, ſunt ei miniſtranda de rebus Monaſterij expenſæ, donec cauſa debitum finem accipiat; non ſolùm victus, ſed etiam expenſæ neceſſariæ ad litem proſequendam miniſtrandæ ſunt. Ratio redditur in eo textu, eo quod Monachus proprium noo habeat. Ita Innocentius, Ioannes Andræas, Abbas, Aocharanus, & alij *in cap. Ex parte*. Propterea in hoc caſu datur actio Monacho contra Abbatem ad has expenſas petendas, vt aduertit Surdus *de alimentis,tit.1.quaſt.121.* qui etiam notat Monaſterium non teneri expenſas litis ſuppeditare, ſi regularis accuſans habeat peculiū aliquod, vnde expenſas ſoluat. Cui ſubſcribunt Antonius, Abbas, Henricus, Felinus *in dict.cap.Ex parte,* & alij. Felin.

Quando autem dicitur in eo capite non poſſe Monachum quemquam accuſare præter proprium Abbatem, intelligendnm eſt, niſi duplex concurrat conditio. Prima eſt licentia Abbatis. Altera Monaſterij vtilitas, his enim concurrentibus poteſt quemcumque accuſare, per *c. Monachi, el 2.16.qu.1.* & docent Farinacius *in praxi crimin. tom.1.tit.de accuſat.quaſt.13.numer.24.* Decianus *practic. crimin.part.1.lib.3.cap.8. num.15. & 16.* & alij proximè citati *in dict.cap.Ex parte.* Sed de his plura apud Sanchez Sanchez. *lib.6.moral.cap.12.*

22. Regulares oon poſſunt Tabellionis Officium exercere, argument.text.*in c.Sicut, ne Clerici, vel Monachi.* Sed difficultas eſt, an ſi aduerſus hanc prohibitionem Monachus, qui in ſæculo erat Tabellio conficiat inſtrumentum, ſit validum? Aliqui negant, ſi abſque licentia Superioris id fieret: quia ea inſtrumenta facta eſſent contra legis prohibitionem: at frequentiſſima ſententia affirmat inſtrumenta ab eis confecta fore valida: quia irritatio huiuſmodi inſtrumentorum non eſſet in damnum ipſius regularis delinquentis, & cui pœna imponitur, ſed partium quibus pœna infligenda non eſt. Si tamen per Superiorem ſit ſpecialiter Religioſo interdictum vti eo Officio, & interdictum ſit publicum, ita vt ad populi notitiam peruenerit, geſta eſſent irrita, ſecus antea. Ita Ale- Angel. ſanchez. ſylueſt. xander *in l. Prætor, ait, §.final.ff.de edendo*, & Angelus *ibidem.* Sanchez *lib.6. moral.cap.3. numer. 48.* Syluester *verb.Tabellio,qu.3.dict.5.* & alij penes ipſos. Poterit tamen Monachus licitè poſt profeſſionem complere & ſignare inſtrumenta, quæ dum Tabellio erat in ſæculo confecerat, vel in ſuo Protocollo breuiter conſcripſerat, vt poſtea per otium, quoties opus fuerit, latiùs extenderet, modò id faciat ex Superioris licentia. Imò poteſt [illegible] Monaſterium conueniri, vt Monachus ante Notarius hæc inſtrumenta perficiat: quia complere vetera inſtrumenta, non eſt denuò inſtrumenta conficere, ſed executio atque confirmmatio inſtrumenti tempore habili confecti. Ita Couarruuias *qu.pract.cap.19.num.8.verſ. Monachus.* Nauarrus *Commentar.2.de regular.nu.42.* Rodriq. *tom.3.quaſtionum regular. quaſt.8. art.3.* Sanchez *loco cit. num.49. 50.& 51.* Angelus *verb.Tabellio,n.4.*& ibi Syl- Couarr. Nauar. Rodriq. ſanch. Angel. Sylueſt. ueſter *qu.3.dict.4.* & alij communiter.

23. Regulares non poſſunt fideiubere, niſi cum licentia Prælati, & maioris partis Capituli, vt expreſsè habetur *in cap. Quod quibuſdam, de fideiuſſoribus.* Vnde Prælatus Monaſterij non poteſt ſine maioris partis Capituli conſenſu facultatem fideiubendi concedere: & hoc ita verum eſt, quod ſi de facto regularis fideiubeat abſque dicta licentia, fideiuſſio erit irrita: quia proprium non habet, quod alteri obliget; ſicut eſſet irrita donatio vel alia diſpoſitio ſine legitima licentia. Ita Molina *tractat.2.de iuſt.diſp.540.* Azorios *tom.1. lib.12. cap.11.qu.2.* Sanchez Molin. Azor. ſanchez. Rebellus *lib.6.moral.cap.14.num.41.* Rebellus *de oblig. iuſtit. part. 2.lib.16.qu.vnic.de fideiuſſ.num.13.*& alij multi Iuriſperiti *in cap.2.ne Clerici, vel Monachi in 6.* qui animaduertunt, quod licet regularis de Superioris licentia, dum exiſtit in ſtudio, poſſit contractus inire; non poteſt tamen validè fideiubere: quia ſolùm poteſt contrahere, & obligare Monaſterium in ijs, quibus ad neceſſarias ſtudij expenſas iodiget, inter quæ fideiuſſio non computatur.

24 Ex Superioris licentia poſſunt regulares ad doctoratus gradum promoueri in Theologia & iure Canonico: quia nullibi interdicitur eius gradus aſſumptio, neque harum facultatum ſtudium. Ita Syluester *verb. Doctor.q. 6.nu.7.* Rodriq.*tom.2.quaſtionum reg. qu.75.art.1.* Nauar. *Comment.2. de reg.nu.2.verſ. Tertiò dico.* Tabiena *verb. Magiſter, q.2. num.3.* & ibi Armilla *num.4.* An autem in Sylueſt. Nauarr. Tabien. iure ciuili, vel medicina poſſint regulares ad Doctoratus gradum promoueri? Negant Rebuffus *in praxi benefic. tit.de diſpenſat.cum regul.num.27.* Tamburinus *tom.3. de iure Abbatum, diſp. 3.quaſt.6. num.38.* Ratio eſt, quia ipſis interdicitur iure ciuili, aut medicinæ ſtudere, *cap. Non magnopere, & cap.ſuper ſpecula, ne Clerici, vel Monachi.* Ergo & Docturis gradum in illis accipere. Ceterùm alijs

placet affirmatiua ſententia, præſertim ſi regularis iuri ciuili operam dederat ante ingreſſum Religionis, poſſet poſtea ex ſui Superioris licentia ad Doctoratum promoueri. Dueuntur, quia *in c. Non magnopere, & c. Super ſpecula*, ſola auditio iuris ciuilis, aut medicinæ exeundo Clauſtrum interdicitur; & longè diuerſum eſt promoueri ad gradus in his facultatibus, quas regulares in ſęculo didicerant. Ita Felinus *in cap. Cum dilecta, num. 19. de reſcriptis.* Calderinus *conſ. 2. de Magiſt.* Salzedo *in pract. Canon. Bernard. Diaz, cap. 59. §. penult* Imò arbitratur Sāchez *loco citato, num. 45.* idem dicendum eſſe, quamuis in Religione ipſa facultatibus iuris ciuilis & medicine operam dederit è Clauſtro exiens; licet enim peccarit ſtudēdo, peccatum tamen præcedens ſtudij harum facultatum non reddit regularem ineptum Doctoratu. Sed aduertendum eſt, quòd *in dict. cap. Non magnopere*, interdicitur regularibus legere phyſicam & leges phyſicas. Vnde ſi gradus Doctoratus ad legendas eas facultates ordinetur, proculdubio ad illum promoueri non poterunt, ex vi dictæ decretalis & eius mente.

Felin. Chalde. Sanch.

25. Bonifacius IX. & Innocentius VIII. conceſſerunt Generali Ordinis Prædicatorum, vt in quolibet Capitulo Generali voi ex Fratribus in Theologia prouecto, ac per Generalem & Diffinitores, vel per Magiſtros ad id deputatos, præuio examine, & idoneo inuento, Magiſterij honor & docendi licentia conferri poſſit, ſeruatis tamen conditionibus Concilij Viennenſis, & alijs ſolemnitatibus conſuetis; qui taliter graduatus omnibus gratijs, priuilegijs, libertatibus, Fratribus Ordinis eiuſdem Pariſienſibus Magiſtris in Theologia conceſſis frui, & gaudere valeat, ac ſi in eodem Pariſienſi ſtudio huiuſmodi magiſterij gradū recepiſſet. Ita Rodriquez *tom. 2. quaſt. regularium, qu. 75. art. 1.*

Rodriq.

Martinus V. prohibuit Fratribus Minoribus poſſe conferri gradum magiſterij in aliqua Vniuerſitate, niſi curſus per conſtitutiones Apoſtolicas & ſui ordinis inſtituta perfecerint, & aliàs ad dictum gradum obtinendum idonei exiſtant. Secus facientes gradu & honore magiſterij careant, ac lecturis & actibus gratijſque magiſtralibus ipſo facto priuati exiſtant, & ad eadem de cætero inhabiles. Idemque ſtatuit, ſi gradum receperint extra vniuerſitates à generali Capitulo ad id ſpecialiter electas & deputatas. Quod tenentur Superiores & alij Prælati, vel capitula obſeruare, & obſeruari facere ſub pœna excommunicationis, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium faciētibus. Ita Rodriquez *loco citato, art. 2.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 14. num. 47.*

Rodriq. Sanchez.

Deniqoe regularis miſſus à Superiore ad litteras addiſcendas, cenſetur quoque licentiam habere, vt ad doctoratus gradum promoueatur, ac proinde expenſas in tali gradu factas & neceſſarias, modò ſumptuoſæ non ſint, tenetur Monaſterium ſoluere. Ita Felinus *in cap. Ex parte, nu. 3. de accuſat. & cap. cum dilecta, nu. 18. & 19. de reſcriptis.* Nauar. *comment. 2. de regular. num. 2. verſ. Tertio dico.* Surdus *de aliment. tit. 8. priuil. 97. nu. 4. & 5.* De his plura apud Rodriq. *tom. 2. quaſt. regul. quaſt. 75. editionis nona.*

Felin. Nauarr. Rodriq.

26. Monachi & Canonici Regulare ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, prohibentur accedere ad curias Principum ſæcularium, abſque licentia ſuorum Prælatorum, cum intētione prædictis ſuis Prælatis, aut Monaſterijs nocendi. Ex *Clemētia 1. Ne in agro, de ſtatu Monachorum*, vbi habetur: *Nos eorum in hac parte reprobis auſibus obuiare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi aut Regulares Canonici adminiſtrationem aliquam non habentes, ad curias Principum abſque ſpeciali Pralatorum ſuorum licentia ſe conferre praſumant. Quod ſi vt ſuis Pralatis aut Monaſterijs damnum aliquod inferant, ad dictas curias ſe conferre praſumpſerint, excommunicationis ſententiam eos incurrere volumus ipſo facto.* Ex quo textu colligitur duas conditiones requiri, ad iſtam excommunicationem incurrendam, quarum prima eſt acceſſus ad curias Principum; ſecunda eſt intentio nocendi ſuis Prælatis, an Monaſterijs. Hinc ſi Monachus accedat ad curias Principum intentione damnum inferendi ſubijcitur huic cenſuræ, etiam ſi reipſa nullum inferat damnum; nam hic facit actionem ſub cenſura prohibitam; actio enim prohibita ſub cenſura eſt acceſſus animo nocendi. Ita ex Gloſſa docet Toletus *lib. 1. cap. 39. nu. 4.* cum alijs.

Toletus.

Item non incurrit accedens ad curiam animo nocendi alicui Religioſo ſui Monaſterij, qui Prælatus non ſit; vel alteri religioni, aut alteri Monaſterio, etiamſi alterum Monaſterium ſit eiuſdem religionis: textus enim loquitur de nocentibus ſuis Prælatis aut Monaſterijs, vbi particula *ſuis* eſt ſtrictè & propriè accipienda. Item non comprehenduntur ſub hac cenſura Monachi ſeu Canonici Regulares adminiſtrationem aliquam habentes non ſolùm temporalem verùm etiam ſpiritualem. Nec hac cenſura ligantur quilibet Regulares ſeu Religioſi, ſed tātummodo Monachi & Canonici Regulares: quia textus iſtorum ſolùm meminit & verba in materia pęnali odioſa non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. Ita Suar. *de cenſuris diſp. 23. ſect. 5.* Filliuc. *tract. 14. cap. 8. q. 6.* Bonac. *tom. 3. diſp. 2. qu. 8. punct. 9.* apud quos plura.

Suarez. Filliuc. Bonac.

27. Regulares omnes tenentur ad obſeruandas regulas & ſtatuta Ordinum ſuorum, tam in habitu & conuerſatione, quàm in orationibus, diuinis officijs, Sacramentorum frequentationibus, lectionibus, ſacrarum literarum ſtudijs, ieiunijs, abſtinentijs, & alijs huiuſmodi, quæ à ſuis inſtitutoribus ordinata ſunt, vt habetur *in cap. Iuxta Chalcedonenſis, cum ſeq. 16. q. 1. & cap. Recolentes, de ſtat. Monachor.* Et ideò ſtatutum fuit in Concil. Nicæno vt refertur *in cap. 1. 16. q. 1.* ſic. *Placuit omnibus reſidentibus in ſancta Nicana Synodo, vt Monachorum conuerſatio & vita ſecundum etymologiam nominis ab omnibus diſcrepet, Monachus enim Grace latinè ſingularis dicitur, vnde Monachum per omnia ſingulariter agere oportet.* Gloſſa hic *in verb. Singulariter*, dicit, non ſæculariter viuere, nam ſingulariter, id eſt, ſolitariè viuere debent. Hinc Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 1. de reg.* ſciens, quantùm ex Monaſterijs piè inſtitutis & adminiſtratis in Dei Eccleſia ſplendoris, vtilitatiſque oriatur, *cenſuit, neceſſarium eſſe quo facilius ac maturius, vbi collapſa eſt, vetus & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius vbi conſeruata eſt, perſeueret, pracipere, prout hoc decreto pracipit. Omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regula, quam profeſſi ſunt, praſcriptum vitam inſtituant, & componant, atque in primis, qua ad ſua profeſſionis perfectionem, vt obedientia, paupertatis & caſtitatis, ac ſi qua alia ſunt alicuius Regula & Ordinis peculiaria vota & pracepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſeruanda pertinentia, fideliter obſeruent. Omniſque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus & prouincialibus quàm in eorum viſitationibus, qua ſuis temporibus facere non pratermittant, vt ab illis non recedatur: cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea qua ad ſubſtantiam Regularis vita pertinent, relaxari: ſi enim illa, qua baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplina, exactè non fuerint conſeruata, totum corruat, adificium neceſſe eſt.* Ita Concilium.

Gloſſa.

Tom. 1. Accuſatio *n. 12. & 14.* Arbiter *n. 1. & ſeq.* Bellū *n. 23.* Beneficium 1. *nu. 5. 12. & ſeq.* Cardinalis *nu. 9. & ſeq.* Donatio *n. 45.* Epiſcopus *num. 24. & ſeq.* Excom. 6. *nu. 29.* Horę canon. 4. *n. 4.* Et in hoc tom. Legatus *n. 11. & ſeq.* Ludus *n. 4. & ſequent.* Mandatum *n. 1.* Nouitiatus *n. 16.* Penſio *n. 12.* Prædicatio *nu. 4. & ſeq.* Proceſſiones Procurato *n. 11.* Sepultura *nu. 12. & 17.* Teſtamentum *num. 16. & 17.* Teſtis *num. 8.*

Vide verb. Tutela *num. 1. & 2.* Vicarius *nu. 14.* votum 1. *num. 20.* votum 2. *num. 16.*

RELIGIO I.

SVMMARIVM.

1 *Religio quid ſit? Et quis poſſit ad religionem recipere vt ſit nouitius.*

2 *In quibus Pralatis ſit poteſtas hac; & an ad id requiratur conſilium Conuentus de iure communi.*

3 *Item de iure ſpeciali quarundam religionum.*

4 *Quid*

Digitized by Google

4 *Quid ſtatuerit Siſtus V. circa recipiendos ad religionem. An requiratur conſenſus definitorum in capitulis, vel aliquorum Patrum extra capitula.*

5 *An omnes iſti debeant conſentire, vel ſufficiat maior pars eorum cum Prælato.*

6 *An poſſit Prælatus per ſe ſolum admittere petentem, ſi alij Patres Collegæ ſine rationabili cauſa conſenſum denegent.*

7 *Quando receptio ad ordinem ex priuilegio, aut conſuetudine ſpectat ad ſolum Prælatum, an receptio teneat, ſi fiat abſque conſilio & conſenſu Conuentus.*

8 *An Superior & alij conſultores teneantur ex Officio & charitate poſtulantem admittere concurrentibus omnibus neceſſarijs, tam ex parte recipiendi, quam ex parte Religionis, ſi nulla cauſa excuſet.*

9 *An Superiores & conſultores grauiter peccent, ſi recipiant ad Religionem aliquem contra ius Canonicum, vel contra Conſtitutionem Sixti V. Et quas pœnas incurrant.*

10 *An in quacumque ætate poſſint homines Religionem ingredi & in ea admitti, ſi vſum rationis habeant.*

11 *An Religionis ingreſſum, an ſit inhabilis qui vi & metu extrinſeco illam ingreditur, & an peccet mortaliter Prælatus talem recipiens? Et an recipi poſſit qui ex metu intrinſeco petit ingreſſum; vel quando violentia iuſto aliquo titulo eſt facta.*

12 *An nemo poſſit compelli ad Religionem, niſi qui ſponte ſeipſum expreſſè vel tacitè obligauit? Et de excommunicatione lata in Tridentino contra cogentes fœminas ad ingreſſum Monaſterij, &c.*

An aliqui caſus excipiantur in iure, in quibus poſſit quis compelli Religionem intrare.

13 *An tranſitus de vna Religione ad aliam etiam ſtrictiorem ſit licitus abſque Prælati petita licentia.*

14 *An quis debeat recipi in ſtrictiori Religione ſine litteris dimiſſorijs ſuis Superioris.*

15 *In dubio an Religio ſit ne arctior ad quam ſubditus ſe transferre cupit: vel num Religioſus ex charitate tranſitum procuret, &c. poſſit tranſire denegata ei licentia per Superiorem? Et cuius Superioris in hoc requirendum ſit iudicium.*

16 *An Superior teneatur recipere Religioſam, cui conceſſit licentiam tranſeundi ad arctiorem, ſi ante emiſſam profeſſionem in ſecunda, reuerti velit.*

17 *Quamuis Religiones habeant priuilegium ne à ſua Religione liceat tranſitus ad aliam, an hoc non obſtante poſſit Religioſus trãſire zelo melioris vitæ ad ſtrictiorem; petita licet non obtenta licentia.*

18 *An ſolus Papa poſſit diſpenſare & dare licentiam ſine cauſa tranſeundi ad æquè ſtrictam Religionem.*

19 *An Prælati regulares ex iuſta cauſa poſſint dare licentiam ſubditis tranſeundi ad Religionem æqualem? Et quis ſit ille Prælatus qui in hoc tranſitu eſt licentiam conceſſurus? An etiam acquiratur conſenſus Conuentus.*

20 *An licentia abſolutè conceſſa ex iuſta cauſa à quocumque Superiore tranſeundi ad aliam Religionem, intelligenda ſit de laxiori.*

21 *An licentia tranſeundi ad laxiorem Religionem extendatur ad Religiones militares.*

22 *An cauſa requiratur quando fit tranſitus ad ſtrictiorem? vel æquè ſtrictam? Et quæ ſint cauſæ vt legitimus ſit tranſitus ad laxiorem.*

23 *An ſuperior diſpenſans ſubditum ad laxiorem debeat prius cauſæ huius diſpenſationis cognitionem præmittere.*

24 *An Religioſus legitimè translatus ad aliam Religionem teneatur ad vota ſpecialia in priori Religione emiſſa.*

25 *An Religioſus translatus ad aliam Religionem vt ibi ſit Prælatus: finito Officio remaneat Religioſus ſecundæ Religionis?* Refertur duplex ſententia.

26 *Translatus de vna Prouincia in aliam eiuſdem Religionis, & tranſitus de vna Religione ad aliam diuerſam, quem locum tenere debeat in ſeſſionibus? Et quid de illo qui fuit translatus vt fieret Prælatus.*

27 *Bona Religioſi tranſeuntis ad aliam Religionem, ad quod Monaſterium ſpectare debent.*

28 *Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, an poſſit ſecum deferre aliquid ex bonis acquiſitis in priori Monaſterio? Et an poſſit ſecum deferre ſcripta ſua & libros à ſe compoſitos?* Refertur duplex ſententia.

29 *An Monialis, quæ transfertur ad aliud Monaſterium cum debita licentia ad ipſius inſtantiam, poſſit ſecum deferre ſuam dotem?* Refertur duplex ſententia.

30 *An peculium conceſſum abſolutè à cognatis Religioſo vel tempore profeſſionis reſeruatum ex licentia Superioris, ipſo tranſeunte ad aliam Religionem, pertineat ad prius Monaſterium.*

31 *Religioſus tranſiens à Religione bonorum incapaci, ad aliam capacem, bona quæ in ſecunda Religione acquirit, an pertineant ad ſecundam Religionem.*

1. RElìgio ſecundùm Auguſtinum, de vera Religione, à religando nos Deo eſt dicta, & cæteris modis quibus diſtingui & ſumi poſſet, relictis, eſt Collegium, vel Vniuerſitas hominum Deum colentium; & ſtricto & proprio modo eſt, quæ ex Religioſis alicui Religioni per Apoſtolicam Sedem approbatę per profeſſionem addictis componitur, & hi propriè Religioſi dicuntur, *c. Quod votum, de voto in 6.* in qua Religione tria vota ſubſtantialia promittuntur.

Sed quia quis Religionem ingredi, & religioſum habitum aſſumere nequit, niſi ab ea recipiatur & niſi interueniat, qui habitum illi tradat, ſupereſt nobis dicendum, ad quem ſpectet, Religionem ingredi volentes recipere, & habitum Religionis concedere.

Certum & indubitatum eſt hanc poteſtatem primò & principaliter in Summo Pontifice repetiri. Sed quia ipſe non ſolet hac poteſtate immediatè vti, idcirco eam in alio proximè reperiri neceſſarium eſt. Proinde ſecundò eſt certum, hanc poteſtatem immediatè eſſe in qualibet Religione approbata per Pontificem, & in ſola illa. Primum patet, quia ex vi approbationis talis poteſtas ei cõfertur, imò in ipſa approbatione intrinſecè includitur. Approbare enim Religionem, eſt concedere omnia ea, quæ ad vtilitatem, conſeruationem, & gubernationem Religionis pertinent: ſed conſeruatio Religionis non poteſt fieri abſque receptione Nouitiorum & poteſtate illos recipiendi, aliàs fruſtratoria eſſet approbatio. Secundum patet, quia Religio non approbata à Pontifice, non eſt Religio; iuxta ea quæ ab Eccleſia ſtatuta ſunt; ergo nec poteſt habere poteſtatem admittendi ad Religionem. Quamuis autem hæc poteſtas proximè ſit in toto corpore Religionis, non tamen ab illo toto poteſt immediatè exerceri, quia non poteſt totum ad ſingulos recipiendos congregari. Sequitur ergo eam eſſe in Prælatis, quibus Religionis cura demandata eſt.

2. Difficultas eſt, in quo Prælato ſit hæc poteſtas, an in ſingulis proximis, ſeu localibus Prælatis, vt ſunt Abbates, Priores, Guardiani, vel in Prouincialibus, aut in Generalibus. Deinde an ſit in ſola perſona Prælati, vel ſit cum alijs, qui circa illum actum ſuffragium habeant, ſiue ſint particulares perſonæ ad hoc deſignatæ, ſiue ſint omnes perſonæ eius domus, vel Monaſterij, in quo aliquis recipiendus eſt, & an tali ſuffragia requirantur, vt deciſiua, vel tantùm vt conſultiua? Quæ difficultates ſequentibus concluſionibus reſoluentur.

Iure communi non ſatis cautum eſt, an ad ſolos Prælatos ſpectet Monachorum receptio, an ſimul cum Capituli conſilio. Nam in ipſomet communi iure ſupponitur, interdum ad ſolum Abbatem, interdum ad eum ſimul cum Conuentu pertinere, vt patet ex *cap. vlt. de regular. in 6.* quod ſic habet: *Si ad ſolum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto nequibit nouus Monachus à Conuentu creari, alias poterit ſi eorum creatio ſpectet in ſimul ad vtrumque*; quod cùm indefinitum remaneat, in vnaquaque Religione attendenda eſt, vel regula, vel priuilegium à Sede Apoſtolica circa hoc conceſſum; & ſi in illis non reperiatur definitum, attendenda eſt conſuetudo; & apud illum erit hæc poteſtas, quæ conſuetudine præſcripta illius vſum habuerit. Si autem caſus accidat, in quo vel ex regula & priuilegijs, vel ex conſuetudine non conſtet apud quem ſit hæc poteſtas,

quod

quod vix moraliter accidere poteſt, rectè dicitur pro Religionibus Monaſticis poteſtatem hanc iure communi eſſe in quolibet immediato Monaſterij Prælato. Tum quia poteſtas Prælati in ſuo Conuentu eſt perfectè Monarchica, ſicut poteſtas ducis in exercitu, & ideò de ſe ſufficit ad recipiendos Monachos, vel limites, niſi aliunde limitentur. Tum quia *in cap. Nullam* 18. *quæſt.* 2. dicitur *vt de cætero fideliter & ſtudioſè vniuerſa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiuſdem Monaſterij pertinent, Abbatis ſollicitudo, ad quem poteſtas tota pertinere conuenit, debeat adimplere*, vbi Gloſſa notat particulam illam *tota* excludere Monachos, *quia poteſtas*, ait, *ita pertinet ad Abbatem, & non ad Monachos*. Receptio autem religioſorum inter ea meritò comprehenditur, quæ ad diuinum cultum & Monaſterij vtilitatem pertinent. Hanc ſententiam tenent Panormitanus *in cap. Porrectum, & cap. ad Apoſtolicam, de regular.* Ioannes Andreas *ibidem*, Nauarrus *in dict. cap. Nullam, Commentar.* 3. *de regular. num.* 5. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *nu.* 6. & alij. Et hæc dicta ſint de iure communi antiquo.

Gloſſa. Panor. Io. Andr. Nauarr. ſuarez.

3 De iure ſpeciali quarumdam Religionum non poteſt Abbas recipere Monachum ſine conſilio Capituli. Vnde in Regula S. Benedicti *c.* 3. habetur, quod præcipua Monaſterij debet Abbas cum Capituli conſilio expedire. Sed cùm creatio Monachorum ſit ex præcipuis in Monaſterio, dicendum eſt conſilium ſimul Capituli in creatione Monachorum requiri, & neceſſarium eſſe. Quoties autem Capituli conſultatio neceſſaria eſt, ſi illa omittatur, actus eſt nullus, per ea, quæ notantur *in c. Nouit. iuncta* Gloſſa, *de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſ. Capitul.* Et ex Bartolo & adductis ab ipſo *in l.* 1. *§. ſi plures, ff. de Exercitatoria act. num.* 3. *&* 4. Panormitano *in cap. Ad Apoſtolicam, de regular.* qui docent in eo caſu conſultationem eſſe neceſſariam ad valorem actus, etiamſi neceſſarium non ſit ſequi iudicium conſultorum, quia aliud eſt conſilium, aliud conſenſus, & ex vi illorum verborum requiritur conſilium, non conſenſus. Proinde in dicta regula D. Benedicti *cap.* 3. expreſsè ſtatuitur & declaratur vota Capituli non poſtulari vt definitiua, ſed tantùm, vt conſultiua. Ergo conſultatio tantùm erit ad validitatem actus neceſſaria, nec opus erit illorum iudicium ſequi, & conſenſum expectare; ſed ſatis erit requirere, & expectare reſponſum. Ita Syluester *verb. Religio* 3. *num.* 13. Nauarrus *Comment.* 3. *de regular. num.* 5. Aduertit tamen Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 7. ſibi difficile videri principium illud quod Panormitanus pro conſtanti habet, omnem actum, ad quem ſecundùm regulam requiritur conſultatio Capituli, eſſe nullum, ſi abſque illa fiat, etiamſi conſenſus Capituli non ſit neceſſarius; quia nunc poteſtas reuera eſt in ſolo Prælato, & circumſtantia illa, ſeu modus agendi, non videtur de ſe adeò ſubſtantialis, vt defectus eius reddat actum nullum, niſi in ipſa lege hoc exprimatur, vel niſi in ipſa lege detur poteſtas noua ſub illa conditione, ex conſtituendo illam tanquam formam neceſſariam actus; in quo caſu loquũtur citati Auctores; in præſenti autem non videtur eſſe eadem ratio, nam poteſtas abſolutè datur Prælatis; conſultatio autem poſtulatur ad bonum modum regiminis, nõ verò ad ſubſtantiam actus. Hæc ergo regula ex vi & forma verborum magis eſt directiua, quàm præceptiua; quocirca mihi probabilius, ait ille auctor, videtur ex vi illius regulæ tantùm non eſſe irritum actum recipiẽdi religioſum, ſed in hoc conſulendam eſſe conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres: eam autem eſſe exiſtimo, vt receptio non exiſtimetur valida ſine conſilio Capituli, imò etiam nec ſine conſenſu. Ita Suarez *ſupra num.* 8. quem ſequitur noſter Vecchis *in prax. nouit. diſp.* 6. *dub.* 2. *nu.* 1. *&* 2. Nauarrus *lib.* 1. *conſil. in* 2. *edit. tit. de conſtit. conſil.* 9. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæſt.* 15. & alij.

Regul. S. Bened. Panorm. Bartolus Sylu. Nauarr. ſuar. ſuar. Vecchis. Nauarr. Mirãda.

4. Licet de iure communi antiquo potuiſſet in dubium verti, an tenerentur Prælati non ſolùm requirere in receptionibus Nouitiorum præfatum conſilium Capituli, ſed etiam illud ſequi, tamen poſt Cõſtitutionem Sixti V. quæ incipit, *cum de omnibus*, relatam ſimul cum alia ad eius declarationem ab eodem Pontifice edita in Bullario nouo Laertij Cherubini *tom.* 2. *Conſtitut.* 71. *Sixti V.* hoc omnino certum remanet, nempe conſenſum neceſſariũ eſſe. Quia prædictus Pontifex præcepit ne quis ad regularem Ordinem admittatur, niſi in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, accedente Definitorum conſenſu: & licet hanc Conſtitutionem poſtea idem Pontifex moderatus ſit per aliam ſuam, incipit. *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, tamen mandauit Nouitiorum receptionem fieri debere accedente trium vel quatuor Patrum conſenſu extra Capitula. Et Clemens VIII. in priuilegio ſuper hac re Priori, ac Conuentui Fratrum prædicatorum S. Stephani Salmanticenſis, necnon in alio Præpoſitis & religioſis Congregationis Clericorum Miniſtrãtium infirmis conceſſo, ſemper aliquorum Patrum conſenſum requirit. Cùm ergo hi tres, vel quatuor participes receptionis aſſignentur, eorum conſilium ſequi tenetur Prælatus, iuxta text. *in l. Titium, ff. de adminiſtr. tutor.* quia quando quis conſilium ab alijs, tanquam à Collegis & participibus Officii poſtulare tenetur debet eorum cõſenſum expectare, ac ſequi, vt docent Bartolus *in l.* 1. *§. Si plures, num.* 7. *ff. de exercit. act.* Innocentius *in cap. Venerabili, de offic. delegat.* Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 65. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *nu.* 19. Vecchis *diſp.* 6. *dub.* 2. *num.* 4. 5. 6. & alij.

Sixtus V. Cherub. Cl. VIII. Bartol. Innoc. ſanchez. ſuarez. Vecchis.

Sed petes, an omnes dicti Collegæ & ſocij teneantur conſentire; an vero ſufficiat, quòd maior pars cum Abbate vel Prouinciali, ex omnibus coniunctis conſentiat? Respondeo ſufficere, ſi maior pars illorum coniunctorum conſentiat: vnde ſi plures cum Prouinciali, ſiue Abbate conſentiant, itavt maior illorum pars probet receptionem, tunc ſufficienter acceptatus erit Nouitius, in Religione. Notandum tamen, etiamſi conſultores omnes & Collegæ in receptionem conſentirent, & ſolus Superior contradiceret, nullo modo propoſitus eſſet receptus: quia facultas recipiendi apud Superiorem reſidet principaliter, ſine cuius conſenſu nullus recipi poteſt, vt docent Rodriguez *tom.* 3. *qq. reg. qu.* 10. *art.* 2. *verſ. Eſt notandum*, Socinus *conſil.* 40. *num.* 2. *volum.* 1. & approbat Rota *in vna nullius iuriſdictionis* 10. *Ianuarij* 1620. *corã. Eminentiſs. Caualerio*.

Rodriq. ſocinus. Rota.

Sed eſt difficultas, an ſi ex tribus Collegis & Socijs vnus ſolus cum Abbate, & Prouinciali conſentiat, reliquis contradicentibus, propoſitus ſit recipiendus? Reſpondet Laurentius de Peiryois *tom.* 2. *de Prælat. qu.* 3. *cap.* 1. *num.* 21. affirmatiuè, loquendo de Ordine ſuo Minimorum; & hoc probat ex ſuis Conſtitutionibus. Sed iuxta Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 10. *nu.* 19. non videtur Sixtus V. in Bulla declaratoria, *verſ. Neque verò* iſtum modum recipiendi admittere, quia generaliter ait: *Satis eſſe volumus ſi vocalium & ſuffragiorum numerus legitimus ſit à iure, vel per cuiuſque Ordinis ſtatuta præfinitus, interuenerit.* Cùm ergo dicitur in priori Bulla, *niſi conſentiant Prouincialis & Definitores*, ita intelligendum eſt, ac ſi dictum eſſet, ſine conſenſu definitorum, itavt ſuffragia vincant, quæcumque illa ſint. Ita *Suarez.* Vtramque Bullam Sixti V. circa hanc materiam habes apud Rodriguez *tom.* 3. *quæſtionum regul. q.* 54. *in noua edit. poſt articulum ſextum.* Et inſuper Bullam Gregorij XIV. moderatoriam dictarum Conſtitutionum Sixti V. contra illegitimos: & poſt illum duas Bullas Clementis VIII. circa hanc materiam recipiendorum.

Peiryois. ſuar. ſixtus V. Rodrig. Greg. XIV. Cle. VIII.

6. Poteſt Prælatus per ſe ſolum admittere petentem ingreſſum, ſi Patres ſocij & Collegæ ſine rationabili cauſa conſenſum denegent. Probatur, quia quotieſcumque conſenſus eſt in aliquo actu neceſſarius, ſi, qui illum præſtare debet, ſine cauſa denegauerit, habetur pro præſtito, eo quòd per illum dicitur non eſſe præſtitum. Ita habetur ex *l. Iure ciuili, ff. de reg. iuris, & cap. licet, §. talis ergo, de regular.* & Doctores *in l. Non ſolum, §. de voluntate, ff. ſolut. matrim.* quod etiam deciſum fuit à Rota *deciſ.* 91. *num.* 5 *part.* 2. *in recentior.* & docent Peiyrinus *loco citato num.* 22. Vecchis *in prax. Nouit. diſp.* 7. *dub.* 2. *num.* 11. Qui idem dicendum putant, vbi imminet neceſſitas & periculum, quando Superior nequit commodè conſenſum requirere: tunc enim poterit recipere venientem ad ſuum Ordinem & Monaſterium abſque conſenſu, & probant ex Gloſſa *in cap. ſi pro te, verb. Aſſenſus, de reſcript. in* 6. Felino *in cap. Cum acceſſiſſent, numer.* 20. *&* 21. *de conſtitut.* Bartol. *in l.* 1. *Si plures, ff. de exercit.* Contra Sanchez

Rota. Peiyrinus. Vecchis. Gloſſa. Felin. Bartolus. ſanchez.

Digitized by Google

chez *de matrimon. lib. 1. diſput. 34. numer. 26.*

7. In Religionibus, quibus receptio, ſeu creatio Monachorum ſpectat ad ſolum Prælatum ex priuilegio, aut conſuetudine, receptio ad probationem facta à Superiore abſque conſilio & conſenſu Conuentus tenet; quamuis Superior non rectè agat. Probatur, quia quando Pontifex, ſeu Princeps mandat habenti aliàs facultatem faciendi actum, vt illum faciat ſub certa forma, & pœna abſque clauſula annullatiua, tunc actus cõtra dictam formam factus valet, licet contrafaciens ſit puniendus. Ita

Gloſſa. Cardin. Anchar. Imola. Panorm.

Gloſſa *in Clement. 1. verbor. inhibentes, de iur. patronat.* quam ſequuntur Cardinal. *qu. 7.* Ancharanus 3. *notab.* Imola *num. 4.* Panormitan. *num. 1.* Alias, ſi receptio ſpectet ad Prælatum & Conuentum, tunc admiſſio ſine Conuentus conſenſu nulla erit ex defectu poteſtatis: & ſic ille Nouitius admiſſus à quocumque Prælato, expelli poterit abſque eo, quòd illi aliqua irrogetur iniuria. Idem dicendum eſt de Nouitio recepto à non habente auctoritatem: quia poſſet eadem ratione habitu expoliari, niſi Prælatus & alij habentes auctoritatem, ratam haberent talem receptionem, quæ quidem receptio tunc incipiet à tempore ratihabitationis, non autem quando habitu regulari indutus fuit: quia annus probationis, ad hoc vt legitimus ſit, debet incipere à legitima receptione habitus,

Fauſt. Rodriq. Roſella. Tambu.

vt docet Bartol. à S. Fauſto *in theſaur. Religion. lib. 5. quæſt.* 239. Rodriguez *tom. 3. quæſtionum regular. quæſt. 15. art.* 10. Roſella *verb. Nouitius, num. 25.* Quibus adde Tamburinum *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. num. 15.*

8. Superior & alij conſultores, quibus incumbit poteſtas recipiendi Nouitios, concurrentibus omnibus neceſſarijs, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte Religionis, tenentur ex Officio & ex charitate poſtulantem admittere, ſi nulla interueniat rationabilis cauſa excuſans. Probatur *Primo*, ex parte Religionis; nam cùm talis receptio redundet in eius vtilitatem, quia inde augetur, & ex parte conſequitur finem ſuum, ideò non vacat culpa eam vtilitatem negligere. *Secundò*, ex parte petentis, qui ſine cauſa hoc magno beneficio priuari non debet, & quod Superior non ex bonis proprijs, ſed ex bonis communibus Chriſti, & Eccleſiæ tanquam fidelis diſpẽſator præſtare tenetur. Hæc tamen obligatio, cùm non ſit de re adeò neceſſaria, multis de cauſis ceſſare poteſt, & tunc certum eſt negari poſſe abſque culpa ingreſſum: puta ſi pro tunc Religio non habeat ſufficientem commoditatem temporalem, vel non ſine graui onere poſſit nouum religioſum alere. Item ſi multi aliàs æquales petant hunc ingreſſum, & nequeant ſimul omnes recipi, liberum erit, hos potiùs, quàm illos reijcere. Denique, ſi vertatur in dubium ob rationes pro vtraque parte probabiles, an expediat talem perſonam recipere, necne, liberum etiam eſt illam non admittere, eò vel maximè quod hæc excluſio in maiorem Religionis fauorem & ſecuritatem cedit. Propterea ſi quis bona fide abſque odio vel alio prauo affectu procedat, & mediocre diligentiam adhibeat, ſecurè poteſt ſuffragium ſuum concedere, vel ne-

Suar. Vecchis. Peyrinus

gare. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. lib 5. cap. 10. num. 28.* Vecchis *in praxi Nouit. diſp. 7. dub. 3.* Peyrinis *tom. 2. de Prælat. quæſt. 3. cap. 1. num. 24.* & alij.

9. Superiores & conſultores graue peccatũ admittunt, ſi recipiant ad Religionem aliquem contra ius Canonicum; puta ſi ſeruum abſque domini licentia, vel Epiſcopum ſine Pontificis auctoritate, vel impuberem ſine parentem vel tutorum conſenſu, &c. Et hoc peccatum, vt plurimum eſt lethale, quia eſt materia grauis, & à ſacris Canonibus prohibita. Idem dicendum, ſi concederent ingreſſum ijs, qui aliquo ex impedimentis per Bullam

Sixtus V.

Sixti V. determinatis afficiuntur, & vltra peccatum, incurrunt priuationem vocis actiuæ & paſſiuæ, & dignitatum, quas habent, & incapacitatem ad illas & alias obtinendas in futurum, dummodo hæc receptio, ſeu admiſſio ſit temerè facta & dolo, vt colligitur ex præfatæ Cõſtitutionis verbis. *Et ſi quis eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temerè admittentur.* Hoc enim verbum *temerè* in Canone, vel Bulla appoſitum, vt ſuam vim habeat, ſupponit temeritatem in contrafaciente, ac proinde dolum. Et ideò recipientes præfatos non incurrunt pœnas, niſi ſcienter & ſtudioſè informationes requiſitas à Sixto V. dimittant, quia vbi abeſt dolus, ibi non intelligitur delictum *l. 1. §. dictus, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* & vbi non adeſt delictum, ibi non infligitur pœna, *l. Sancimus, C. de pœnis.* E contra, has pœnas incurrunt, qui ſine dicta morum informatione quempiam aliquo ex impedimentis ſpecificatis in Bulla Sixti V. affectum admittũt, quia talis receptio dicitur facta temerè & doloſè, ſaltem quoad homines. Secus verò ſi præmiſſa informatione alicui concedant ingreſſum, cuius vita poſtea his impedimentis fuiſſet irretita. Ita Rodriguez *to. 3. qq. regul. quæſt.*

Rodrig. Vecchis. Tambu. Portel.

54. art. 4. Vecchis *in praxi Nouit. diſp. 7. dub. 5.* Tamburinius *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſt. 1. num. 26.* Portel. *in dub. regul. verb. Nouitij informationes, num. 6.* & alij.

10. Quidam hæretici dixerunt homines non eſſe aptos ad Religionem, niſi poſt ſeptuageſimum vel octogeſimũ ætatis annum, & reprehendunt communem Eccleſiæ conſuetudinem admittendi pueros ad Religionem, dicuntque contrariam antiquiſſimæ Eccleſiæ conſuetudini, in qua vidua non niſi ſexagenaria ad profitendum ſtatum continentiæ admittebatur, vt intelligi poteſt ex D.

D. Greg.

Gregorio *lib. 3. epiſt. 11.* vbi vetat viduam, vel alium ante ſexageſimum ætatis annum, & prius in Concilio Romano ſub Sylueſtro *Canon. 10.* vetitum fuerat ne vſque ad ſeptuageſimum ſecundùm admitteretur. Nihilominus dicendum eſt, in quacunque ætate poſſe omnes homines Religionem ingredi, vel in ea admitti, ſi vſum rationis habeant, & alioqui debitus ordo & modus ſeruetur. Probatur, nam, cùm ratio ſit hominis conſtitutiua, & cùm hic actus pendeat à libera voluntate, cuius obiectum eſt ratio, requiritur vſus rationis ad deliberandum: vſus autem rationis, quando in homine inchoauerit, non ſatis diſtinctum & expreſſum per certam ætatis determinationem reperitur: non enim omnes homines in eodem tempore ætatis ad eandem perfectionem in diſcretione mentis & vſu rationis perueniunt; alij enim homines ſegniùs, alij velociùs annis iudicium habent. Proinde in quacumque ætate doli capax erit, & vſus in illo rationis ad mortaliter peccandum ſufficiens, conſequenter iure naturali ad eligendum hunc perfectionis ſtatum & diuino cultui ſe dedicandum ſufficiens erit: quia cùm doli capax poſſit ſe obligare Diabolo per peccatum, & homini per ſponſalia, *cap. Pueris, extra de delictis puer.* multò fortius Deo. Igitur ex vi ſolius iuris naturalis nulla eſt præſcripta ætas, in qua non ſit licita religioſi habitus voluntaria ſuſceptio, ſed ea tantùm requiritur ætas, quæ ad perfectam deliberationem ſufficiat, non tam vt actio illa ſit licita, quàm vt humana ſit. Et hoc idem per ſe euidens eſt ſtando de iure diuino poſitiuo; quia nullam de hac re habemus legem à Chriſto latam, quæ prohibeat hunc egregium actum à fidelibus fieri ante certam ætatem.

Neque etiam de iure Eccleſiaſtico ſatis conſtat, quanam ætate recipiendi, & Religionis cultui ſint homines applicandi, ſed tantùm rationis vſum & doli capacitatem requiri: quod ante pubertatem euenire poterit. Et

Cõc. Tr.

quamuis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15. de regular.* tempus profeſſionis expreſsè determinet, non ideò ſequitur colligi debere, quod probationibus tempus debeat incipere in decimoquinto anno expleto, neque licere pueris ante huiuſmodi tempus Religionis habitum aſſumere. Nam debuiſſet id expreſsè præcipere, vel declarare, cùm ſit res grauis momenti, & limitans aliquo

Suarez. Sanchez. Rodriq. Vecchis. Tambu.

modo naturalem libertatem. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 1.* Sanchez *lib. 4. moral. capit. 18. numer. 5. & 6.* Rodriguez *tom. 3. quæſtionum regularium, quæſt. 15. art. 2.* Vecchis *in prax. Nouit. diſputat. 2. dub. 6. num. 15.* Tamburinius *tom. 3. de iur. Abbat. diſput. 6. quæſit. 2.* & alij apud ipſos citati. Vide dicta ſupra *verb. Nouitiatus, numer. 3. & ſequentibus.*

11. Inhabilis eſt ad Religionis ingreſſum, qui vi & metu extrinſeco compulſus illum ingreditur, & Prælatus illum recipiens ſcienter, ſicut & receptus mortaliter peccant. Probatur, *Primò*, quia libertas quæ ad Religionis ingreſſum requiritur, immunis eſſe debet à violentia, quàm manifeſtum eſt continere grauem iniuriam ex ſuo genere: quia contra iuſtitiam eſt cogere aliquem ad id, quod ipſe facere non tenetur, & quod Deus voluit ita vnicuique eſſe liberum, vt non præcipiatur, ſed tantùm

con-

conſulatur. *Secundò*, quia ſi profeſſio violentia graui facta, ita vt inſerat metum inconſtantem virum cadentem, dicitur nulla ex *capit. primo*, & *cap. cùm dilectus, de his quæ vi*, patet ad Religionem non eſſe admittendos, qui vi & timore coacti habitum petunt. Exemplum ſit, ſi pater, aut frater, ſeu tutor, vel alius minis & violentijs, iuuenem, ſeu mulierem ad ingrediendam Religionem contra ſuam voluntatem induceret, talis coactus non eſſe recipiendus. Ita Rodriguez *tom. 3. quæſtionum regularium, quæſt. decimaquarta, artic. 3.* Miranda *in Man. tom. primo, quæſt. 17. artic. 4.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. quinto, cap. 9. num. 1.* Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. Religion. libro quinto, quæſt. 238.* & alij. Tamen qui Religionis ingreſſum ex metu intrinſeco petit, qualis eſt metus grauis mortis proueniens ex periculoſa infirmitate, vel naufragio, vel ex alia huiuſmodi cauſa: puta ſi quis ad vitandum maris naufragium Religionis votum emittat; hic facta promiſſione coactus veniens ad Religionem, vt votum impleat, recipi poteſt: quia aſſertio poſita intelligitùr de eo, qui Religionem petit ex metu extrinſeco ab homine illato ad dictum effectum Religionis, vt illam ingrediatur.

Rodrig. Mirand. Suarez. Fauſt.

Idem dicendum quando violentia aliquo iuſto titulo eſt facta; nam ſi quis iuſtè poſſit mortem alteri inferri ſaltem per iuſtitiæ miniſtros, & nolit eam remittere, niſi alius Religionem ingrediatur, non peccabit, nec faciet iniuriam. Exemplum eſt, ſi maritus nolit parcere vxori adulteræ damnatæ ad mortem, niſi Religionem ingrediatur, non inferet vim, aut ei faciet iniuriam, ſed potiùs confert magnum beneficium, nam remittit iuſtam vindictam, & ſic ei maius bonum ſpirituale procurat, qui ſibi iniuriam intulit. Accedit quod hic metus cenſetur potius prouenire ex cauſa intrinſeca, id eſt à lege, & à natura delicti, cuius cauſa metus infertur, quàm à cauſa extrinſeca, quæ non cenſentur metum incutere, ſed potiùs metum iam radicaliter incuſſum à natura delicti auferre oblato Religionis ingreſſu vel profeſſione. Ita Suarez *loco citato*, Emanuel Sà *verb. Votum, numer. 8.* Leſſius *libr. ſecundo, cap. quadrageſimo, dub. 1. numer. 10. verſic. Sed verius eſt*, Bonacina *de leg. diſput. quarta, quæſt. 2. punct. 3. §. primo, numero ſeptimo, verſic. dixi iniuſtè*, Sanchez *libr. quarto, moral. cap. 3. numero vigeſimoprimo*, & poſt illos noſter Vecchis *in praxi Nouit. diſput. 2. dub. quinto, numero quarto, & quinto*, & *diſput. 13. dub. 12. numero decimoquinto*, & alij. Contra nonnullos alios contrarium ſentientes apud Sanchez *de matrimonio libr. quarto, diſput. 13.*

Suarez. Ema. Sà. Leſſius. Bonac. Sanchez. Vecchis. Sanch.

12. Nemo poteſt compelli ad Religionem, niſi expreſsè vel tacitè ſeipſum ſponte obligauit. Ratio eſt, tum quia nemo poteſt compelli ad Religionem Chriſtianam amplectendam, quam tamen Deus omnibus præcepit, tanquam neceſſariam ad ſalutem: ergo multò minus ad ſtatum vitæ religioſæ, quem Deus omnibus liberum eſſe voluit, quique ad ſalutem non eſt neceſſarius. Tum quia quiſque in ſtatu vitæ deligendo eſt ſui iuris: non enim par eſt vt tantum onus ex alieno arbitrio pendeat. Proinde Concilium Tridentinum *ſeſſione vigeſimaquinta, cap. decimooctauo, de regular.* vt libertati ingredientium conſuleret, & omnem coactionem arceret, *Anathemati ſubijcit omnes quacumque dignitate fungentes, qui quomodocumque coegerint aliquam Virginem vel viduam, vel aliam mulierem inuitam (præterquam in caſibus in iure expreſſis) ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis: vel ad emittendam profeſſionem. Item qui conſilium, auxilium, vel fauorem dederint. Denique qui conſcij, eidem actus præſentiam vel conſenſum vel auctoritatem interpoſuerint.* Circa quod decretum eſt notandum, quod hæc excommunicatio non ſolùm incurritur propter vim, vel metum, quo profeſſio extorquetur; ſed etiam quo vel habitus vel ingreſſus ad Religionem obtinetur. Vnde licet metus & vis inferatur, ſi de facto puella reſiſtit, & Monaſterium non ingreditur, nondum incurritur, neceſſarius eſt actus perfectus, id eſt, habens effectum, quem verba legis in omni proprietate requirunt. At verò ſi puella ingrediatur metu coacta, eo ipſo, qui eam coegerunt excommunicationem incurrunt, etiam ante profeſſionem, imò & ante habitus ſuſceptionem, ſatis enim eſt quòd cogatur ad hunc finem: nam Concilium ſub diſiunctione numerat illos tres effectus, *ingreſſum, habitum, profeſſionem*; & proinde quilibet illorum ſufficit ad talem cenſuram incurrendam.

Notandum *Secundò*, quod in iure excipiuntur aliqui caſus, in quibus poteſt quis compelli Religionem intrare. *Primus* eſt, quando quis ſponte Religionis votum emiſit: hic enim compelli poteſt vt votum impleat; ſicut is, qui ſponſalia contraxit; poteſt compelli vt procedat ad matrimonium. *Secundus* eſt, quando coniux conſcius diſpoſitionis iuris conſenſit vt alter profiteatur Religionem, vel ſacros Ordines ſuſcipiat; tunc compelli poteſt, vt ingrediatur Monaſterium, ſi iuuenis eſt vel talis, vt in ſæculo manenti meritò timeri poſſit de incontinentia. *Tertius* eſt, quando aliqui crimen aliquod commiſerunt, ob quod iubentur detrudi in Monaſterium. Sed hi non tenentur profiteri, ſed ſolùm pœnitentiæ opus impoſitum peragere. Sicut nec coniux in prædicto caſu poteſt cogi ad profitendum, niſi ad id ſe obligauerit; ſed tantùm poteſt compelli habitare in Religione, ſeu Monaſterio, vbi cuſtodiatur: quia nemo poteſt cogi ad profeſſionem, niſi qui eam promiſit. Ita Bonacina *tom. 3. diſput. 2. quæſt. 2. punct. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. quadrageſimoprimo, dub. quarto*. Sanchez *lib. quarto, moralium cap. quarto*. Suarez *tom. 3. de Religion. lib. 5. cap. 9. numero ſecundo*, vide Dianam *part. 2. tract. decimoquinto, reſolut. 56.* & dicta *tom. primo, verb. Excommunicatio VIII. §. unic. numero decimoquarto*.

Bonac. Leſſius. Sanchez. Suarez.

13. Tranſitus de vna Religione ad aliam etiam ſtrictiorem non eſt licitus abſque Prælati licentia ſaltem petita, ex *cap. licet, de regular.* vbi habetur: *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur*. Proinde religioſus tranſiens ad aliam Religionem etiam ſtrictiorem, non petita Prælati licentia, peccat mortaliter: quia verbum *debet*, appoſitum in textu neceſſitatem præcepti importat, & conſequenter indicat obligationem ſub mortali, data materiæ grauitate: & hæc res grauis eſt, quia omittens petere licentiam præſumitur contemnere bonum obedientiæ, & vtramque Religionem magnis litibus & ſcandalis exponere. Ita Sanchez *lib. ſexto, moral. cap. 7. numer. 33.* & *cap. quarto, numero 36.* Sanctarellus *de apoſtaſia, cap. 8. dub. vnico*, Bonacina *de clauſur. quæſt. 2. punct. 9. §. 3. diffic. 1. numer. 1.* & alij penes ipſos. Nec ſatis fit huic obligationi petendo licentiam poſt tranſitum ad arctiorem Religionem, quia licentia, quæ ad aliquem actum requiritur, actum ipſum præcedere debet, vt docent Panormitanus *in cap. licet, numer. vndecimo, de regul.* Azorius *part. 1. lib. decimoſecundo, cap. 14. quæſt. 6. ad finem*, Vecchis *in praxi Nouit. diſput. 15. dub. ſecundo, numer. 6.* & alij ſupra citati, quamuis Suarez contrarium putet probabile.

Sanchez. Sanctar. Bonac. Azorius. Vecchis.

Cæterum, quamuis petita & non obtenta licentia poſſit religioſus ex iure communi *dict. cap. licet*, tranſire ad arctiorem Religionem, hoc tamen intelligendum eſt, quando Superior proteruè & indiſcretè eam negat. Vnde debito tempore expectare debet Superioris reſponſum, vt expreſsè habetur *in cap. Cum in veteri, ad fin. de elect.* Subditus autem tenetur petentes hanc licentiam, ſignificare Superiori cauſam tranſeundi, vt iudicet, an propoſitum illud ſit diuinitus inſpiratum. Tum quia non ex qualibet cauſa tranſitus permittitur, ſed cùm ex maioris perfectionis ardore proficiſcitur. Ergo Superiori conſtare debet de hoc ardore, vt videat, num licentiam concedere iure teneatur, vt exinde certior reddatur, ſubditum non duci leuitate & temeritate adhunc tranſitum, alioquin exponeret ſe periculo cooperandi leuitati alterius; vt aduertunt Innocentius *in cap. licet, de regular. numer. 1. & 2.*

Innoc.

Ho-

Digitized by Google

Hoſtienſis *ibidem, numero 8. verſicul. Licentiam*, Sanchez *libr. ſexto, moral. cap. ſeptimo, num.*36. & alij communiter.

Hoſtien. Sanchez.

14. Religioſi, ad quos fit tranſitus, nullo modo eum debent recipere abſque literis dimiſſorijs ſui Superioris, quamuis eis conſtaret licentiam fuiſſe petitam, ſed non obtentam; debent enim perquirere cauſam denegationis, & non aliter eum recipere, quam ſi Superior nullam vel euidenter iniuſtam cauſam denegationis aſſignaret. Hoc conſtat ex *capit. ſtatuimus decimanona, quæſt.* 3. quod eſt Vrbani Secundi, vbi poſtquam decretum eſt non tranſeundum ad ſtrictiorem Religionem inconſulto Superiore, & ab eo licentia non petita, ſubditur ſic. *Diſcedentem verò nullus Abbatum vel Epiſcoporum, nullus Monachorum ſine communi litterarum cautione ſuſcipiat*. Quare cùm ſubditus abſque bis literis addit Superiorem ſtrictioris Religionis eſt ab eo Superior laxioris conſulendus, & certior fieri; an dederit licentiam, aut cur denegauerit. Et tunc ſi nullam, aut manifeſtè iniuſtam denegationis cauſam aſſignet, poterit ſecurè ipſum ad ſtrictiorem admittere. Si verò iuſtam aſſignet, at religioſus velit eam incontinenti probare falſam, non eſt huius Superioris cauſam diſcutere, ſed ille non eſt admittendus, donec cauſa coram Superiore prioris Prælati deciſa ſit, & tranſitus ab eo approbatus: nam in huiuſmodi Prælato eminenter continetur facultas inferioris Prælati. Et ſicut in alijs cauſis, in quibus ſubditus iniquè vexatur à ſuo Prælato, poteſt ad alium ipſo Superiorem appellare; ita etiam in hoc caſu: & hoc verum etiamſi in illa Religione interdicta ſit appellatio: quia non cenſetur interdicta appellatio in ijs, quæ pertinent ad ſalutem, ſed in ijs, quæ pertinent ad correctionem & punitionem. Ita Hoſtienſis *in dict. cap. licet, numer. decimoſeptimo*. Innocentius *numero vltim*. Ioannes Andræas *numer. decimotertio*. Cardin. & Ancharan. Et ex Theologis Sanchez *loco cit. numer. trigeſimo ſeptimo, & trigeſimo nono* Vecchis *loco cit. numero* 10. Bonacina *de clauſur. quæſt. ſecundo, punct.* 9. *§.* 3. *difficul.* 1. *num.* 3. & 4. Syluester *verb. Religio quarta, quæſt. ſecunda*. Tamburinus *tom.* 3. *de iure Abbat. diſput.* 7. *quæſt.* 1. *num.* 15. & 17. & alij.

Hoſtien. ſanchez. Vecchis. Bonac. Tambu.

15. Ex dictis numero præcedenti colligitur, quod vbi dubium eſt omnibus diligenter perſpectis; an Religio, ad quam ſubditus ſe transferre cupit, ſit, necne arctior, aut ſi dubitetur, num Religioſus ex charitate tranſitum procuret: an bono vel malo animo hoc agat? an Monaſterium paſſurum ſit, necne ex eo tranſitu damnum notabile, vel grauem infamiam? In ijs dubijs & omnibus alijs non poteſt Religioſus ille tranſire, denegata ei licentia per Superiorem; ſed ad licitum tranſitum oportet vt ab eo, vel ab alio maiori Superiori, ad quem prouocatur, obtineatur licenria. Et ita intelligi debet textus *capit. licet, verſic. Si verò de regul.* vbi dicitur: *Si verò probabiliter dubitetur vtrum quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate tranſire, Superioris eſt iudicium requirendum, ne fortè Angelus Sathana in lucis Angelum ſe transformet*.

Ex quo apparet iudicium Superioris eſſe requirendum, & non ſolum conſilium: ergo tunc neceſſaria eſt licentia obtenta, aliàs non oporteret Superioris iudicium requirere. Ita Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. primo, cap. quadrageſimo ſecundo, numer.* 72. Tamburinus *loco cit. numer. decimoſeptimo*. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *numer. decimoquinto, & decimoſexto*. Azorius *tom.* 1. *lib. duodecimo, cap. decimoquarto, quæſt.* 5. & alij ab ipſis relati. Ex quo fit dum non cognoſcitur, an Religio ſit arctior, Religioſus in priori Monaſterio manere debet & in eo ſtatu, in quo reperitur, ne Monaſterium, ſeu Religio, lite pendente, ſua poſſeſſione priuetur. Quòd ſi ſtante dubio, ſine licentia nihilominus tranſeat, reuocandus eſt etiam poſt profeſſionem alibi factam, vt primum Monaſterium in ſuam poſſeſſionem reſtituatur, & deinde de dubio inter ſubditum & Prælatum agatur. Ita Suarez *de Relig. tom. quarto, tract.* 8. *libr.* 3. *cap. vigeſimo, numer. vigeſimoſeptimo*.

Barboſa. Tambu. Sanch. Azorius. ſuarez.

Sed difficultas eſt, cuius Superioris in hoc requirendum ſit iudicium? Diximus ſupra illum eſſe Superiorem, ad quem appellaretur, ſi Religioſus ille grauaretur, ex doctrina Innocentij & Panormitani & aliorum ſuper *dict. cap. licet*. Syluester *verb. Religio* 4. *numer.* 1. At Suarez *loco proximè citato, numer. vigeſimo octauo*, & alij veriſimiliter cenſent, illud iudicium vtriuſque Religionis Superiori reſeruandum eſſe, qui Superior, ſi vtraque Religio, vel earum altera exempta ſit, erit Summus Pontifex. Ratio eſt, quia ſi committendum eſſet hoc negotium determinationi Generalis vel alterius Superioris eiuſdem Religionis, ſequeretur, quòd ij eſſent Iudices in cauſa propria. Quod ex eo patet; nam ſi hoc caſu de rigore non vertitur dubium inter Prælatum, & ſubditum; ſed inter Religiones, quæ, ſcilicet, illarum ſit arctior, aut laxior, iam quiſque Prælatorum eiuſdem Religionis non perſonæ commodum, ſed ſuæ Religionis iura & dignitatem tueri contendet; & ideò eorum omnium reſpectu illa cauſa tanquam propria cenſetur. Hæc ſententia maximè probabilis eſt.

Sylu. ſuarez.

16. Superior tenetur recipere Religioſum, cui conceſſit licentiam tranſeundi ad arctiorem, ſi ante emiſſam profeſſionem in ſecunda Religione, reuerti vult ad priorem: vel quia rigorem ſtrictioris Religionis ſuſtinere nequit, vel quia pœnituit. Ratio eſt, quia licentia tranſeundi, & renunciatio prioris Religionis facta fuit ex cauſa, qua non ſecuta, nullos etiam ſubſequitur effectus. Quod & verum eſt, etiamſi Prælatus & Conuentus, licentiam præſtiterit ſimpliciter & abſolutè, vt ad aliam Religionem transferre ſe poſſit, non ex aliqua cauſa, ſed forſan ex odio, aut ex ſua proteruia; & nimis rigida conditione, & ille etiam ſimpliciter renunciauerit iuri & actioni, quam habet ad illam Religionem; nam adhuc ſi pœniteat, aut non inuenerit aliquam Religionem ſe recipientem, tenentur Superior & Fratres prioris Religionis ipſum recipere: quia licentia ſic data non fuit valida: quia hoc fuiſſet illi dare licentiam vagandi, contra id, quod prohibetur *in cap. Abbates decimaoctaua, quæſt. ſecunda*. Ita Syluester *verb. Religio* 4. *quæſt.* 5. Roſella *verb. Religio* 4. *numer.* 9. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 31. *art. decimo octauo*. Vecchius *diſput. decimaquinta, dub. ſecundo, numer. decimonono*. Tamburinius *tom.* 3 *de iure Abbatum diſputat. ſextima quæſt. decimo, numer.* 20. *in fine*, & alij.

ſylueſt. Roſella. Mirãda. Tambu.

17. Quamuis omnes Religiones priuilegium habeant, ne à ſua Religione ad aliam liceat tranſitus; tamen tale priuilegium non impedit, quin poſſit Religioſus tranſire zelo melioris vitæ ad ſtrictiorem Religionem, petita licet non obtenta à ſuo Superiore licentia, vt habetur expreſsè *in dict. cap. licet, de regular*. Et ideò tale priuilegium fuit conceſſum, ne quis ex temeritate, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam ſui Ordinis tranſeat ad alium Ordinem ſub prætextu altioris Religionis amplectendæ. At ſi priuilegium neget eum tranſitum abſque licentia obtenta Prælati, non haberet locum interpretatio *dict. cap. licet*, ſed neceſſariò ea obtinenda eſſet ad infirmitatem tranſitus quantumcumque bono zelo facti. Poteſt enim Pontifex prædictum tranſitum impedire ad conſeruandam inter Religiones pacem; & cauſa vitandi ſcandalum, contentiones, & ipſarum Religionum iacturas, quæ ex hoc tranſitu plerumque conſurgebant. Ita Hoſtienſis *in dict. cap. licet, ſtatim in princip.* & ibi Ioannes Andræas, Antonius & Cardinalis *notab. primo*. Miranda *tom. primo, quæſt. trigeſima prima, art. duodecimo*. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap. ſeptimo, numer. decimo*. Emanuel Sà *verb. Religio, numer. trigeſimoſeptimo*. Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum Regularium, quæſt.* 52. *artic. vigeſimo*.

Mirand. Sanchez Rodriq.

18. Ex communi Doctorum ſententia, ſolius Romani Pontificis eſt dare facultatem tranſeundi ad æquè ſtrictam Religionem, nulla legitima cauſa tranſitus ſubſiſtente. Ita Diuus Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4.

D. Ant.

Azorius. Mirāda. Tambu.

cap.4. Sylueſter *verb. Religio quarta quæſt. ſecunda* Azorius *tom.primo, lib.duodecimo, cap.decimoquarto, quæſt.9.* Miranda *tom.primo, quæſt. trigeſima prima, artic.quinto, concluſ. ſecunda.* Tamburinus *tom.3.diſput.8.quæſt.1.numer.primo*, & alij. Et licet Sylueſter, & Miranda exiſtiment hanc licentiam abſque cauſa à Pontifice conceſſam excuſare in vtroque foro; at probabilius eſt in foro tantùm externo excuſare, eo quòd præſumitur Pontificem ex cauſa diſpenſare: ſecus verò in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia etſi votum in æquè bonum tunc commutetur: at aufertur ius acquiſitum priori Monaſterio per profeſſionem, quod auferri nequit abſque cauſa. Tum quia in commutatione voti in re æquali requiritur aliqua cauſa, vt docent, & tradunt quamplures Doctores. Ita tenent in terminis Franciſcus *in cap. Cum ſingula, §. prohibemus, de præbend. in ſexto.*

Sanchez.

Sanchez *libr. ſexto, moral. cap. ſeptimo, numer. ſexageſimo quarto*, & alii.

Sanchez. Rodriq. Vecchis. Fauſtus.

19. Abbates & prælati Regulares iuſta cauſa interueniente, poſſunt Religioſis ſibi ſubditis concedere licentiam tranſeundi ad Religionem æqualem. Et hæc eſt communiſſima Doctorum ſententia, vt ait Sanchez *loco cit. numer. quadrageſimoquarto, & quadrageſimoquinto*, & docent Rodriquez *tom.3.quæſtionum regular. quæſt. 52. art. nono.* Vecchis *diſputat. decimaquinta, dub. quarto, numer.* 3. Bartholomæus à S.Fauſto *in theſaur. Relig. lib.5.quæſt.346.* Miranda *tom.1.quæſt.31.artic.quinto, concluſ.2.* & alii.

Sed dubium eſt inter Doctores, quis ſit ille Abbas ſiue Prælatus regularis, qui in hoc tranſitu eſt licentiam conceſſurus? Quidam volunt hanc licentiam non poſſe concedi ab immediato Prælato Monaſterii: qui non ſolus Superior Monaſterii habet ius in Religioſum, verũ etiam tota Prouincia. Ergo ſolus Superior Monaſterij nõ poteſt huiuſmodi licentiam concedere, cùm non poſſit iuri totius Prouinciæ derogare. Sed hanc poteſtatem eſſe penes Generalem, quia ipſe ſummam in Religione auctoritatem habet: & probabile eſſe etiam penes Prouincialem: quia nullo iure ſufficienter probatur hanc facultatem Prouincialem ademptam eſse. Ita Bonacina *de clauſur. quæſt. ſecunda, punct.9.§.3. diffic.1. numer. duodecimo.* Sanchez *loco citato, cap. ſeptimo, numer.65.* Nihilominus non minus probabiliter alij ſuſtinent poſſe in Religionibus exemptis Prælatum Conuentualem hanc licentiam concedere. Ita Gloſsa *in dict. cap. Cùm*

Gloſſa. Nauarr. Suarez.

ſingula, §. Prohibemus, verb. Canonicè, de præbend. in 6. quam dixit receptam Nauarrus *Comment. 4. de regular. numer. decimo*, & eam ſequitur Suarez *tom. quarto, de Relig. tract.8. libr. tertio, cap. vndecimo, numer. 3.4. & 5.* & alij.

Vt tamen hic tranſitus legitimè fiat neceſsarius eſt vna cum licentia Superioris aſſenſus Conuentus. Ratio eſt, quia res hæc, eſt vna de maioribus negotijs Monaſterij, & in qua de Religioſi alienatione agitur. At maiora Religionis negotia non ſine Conuentus conſenſu expediri poſsunt: nam ſicut Prælatus recipere non poteſt aliquem ad profeſſionem ſine conſenſu maioris partis Conuentus; ita nec concedere poteſt facultatem, vbi agitur de alienatione Monachi. Et hoc habet locum non ſolùm quando concedenda eſt licentia tranſeundi ad laxiorem, ſed etiam ad æquè ſtrictam, vt docent Gloſsa *in dict. cap. Cum ſingula, verb. Canonicè, de præbend. in 6.* Miranda *tomo 1. quæſt.31. art.5. concluſ.2.* Sylueſter *verb. Religio 4. quæſt. 2. circa medium.* Rebuffus

Gloſſa. Mirand. Sylueſt. Rebuff.

in prax. benefic. tit. de tranſitu Monachor. numer. 7. & alij.

Aduertendum tamen præcedentem doctrinam non habere locum in Religioſis Mendicantibus, nam iure communi nequeunt illorum Superiores accedente etiam Conuentus conſenſu concedere facultatem ſuis ſubditis tranſeundi ad Religiones Monachales, excepta Carthuſiana: & ideò, vt liceat hic tranſitus, requiritur ſpecialis licentia Pontificis; aliàs tam recipientes, quàm recepti ſunt ipſo facto excommunicati profeſſio eſt irrita, vt habetur in Extrauag. *Viam ambitioſæ, de regular.* & docent Sayrus *de cenſur. lib.3. cap. trigeſimo num. 8.* Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regularium, quæſt. 52. art.15.* Suarez *de cenſur. diſput. 22. ſect.5. numero 16. & 19.* Sorbus *in compend. priuileg. verb. Apoſtata, verſic. Aduertendum eſt.* Quamuis Leſſius *libro ſecundo, capite 41. dub.13. numero 104.* & Sanchez *loco citato, numero 68.* exiſtiment hanc extrauagantem non eſſe vſu receptam, vel loqui de ijs, qui abſque legitima cauſa tranſeunt.

Sayr. Rodriq. Suar. Leſſius. Sanchez.

20. Licentia abſolutè conceſſa ex iuſta cauſa à quocumque Prælato tranſeundi ad aliam Religionem, debet intelligi de ſtrictiori, aut æquè ſtricta, non verò de laxiori. Ratio eſt, quia etſi priuilegium debeat aliquid operari vltra ius commune, ex *cap. in his, de priuilegijs, & cap. Si Papa. de priuileg. in 6.* ſi tamen poſſit dari aliquis effectus, quem operetur, non debet extendi ad alium, in quo non inuenitur eadem ratio, vt probatur ex *cap. Cum dilectus, de conſuetud.* & *l. ſi quando, Cod. de inoffic. teſtament.* Sed præfata licentia operatur effectum tranſeundi ad parem Religionem, ad quam ſine illa tranſire non poterat; ergo non debet operari effectum tranſeundi ad laxiorem, cùm in hoc tranſitu diſpar ſit ratio. Ita Rodriquez *tom.3. quæſtionum regularium, quæſt. quinquageſimaſecunda, art. vndecimo.* Nauarrus *lib.3. conſil. quinquageſimoſeptimo, de regular. edit. ſecunda.* Sanchez *lib.9. capit. 7. numer. 74.*

Rodriq. Nauarr. Sanchez.

Si tamen adiecta eſſet dictio vniuerſalis; vt ad quamcumque Religionem tranſire poſſit; iuxta Sanchez dictio hæc vniuerſalis comprehenderet etiam laxiorem Religionem. Sed hoc non approbat Bonacina *de clauſur. quæſt.2. punct.9. §.3. difficult.1. numer.14. in fine*, innixus ſuo fundamento, quod Concil. Tridentinum *ſeſſ. vigeſimaquinta, cap. decimonono de regul.* generaliter prohibet quemquam transferri ad laxiorem Religionem vigore cuiuſcumque facultatis. Ex quo textu arbitratur idem Auctor, Religioſum non poſſe hoc tempore ad laxiorem tranſire ex licentia obtenta à Prælato inferiore Papa, niſi fortè Prælato noua priuilegia poſt Concilium conceſſa fuerint, ſicut conceſsa fuerunt Patri Generali Societatis IESV à Paulo III. & Gregorio Decimotertio, in Bulla quæ incipit, *Cùm alias*, vt ſcilicet, ſuis Religioſis etiam ſolemniter profeſſis, facultatem concedere valeat tranſeundi ad alias quaslibet Religiones. Ergo ſignum eſt Generalem non poſse huiuſmodi licentiam concedere abſque priuilegio Sedis Apoſtolicæ, ſaltem dum non eſt periculum in mora, vel difficilis ad Pontificem recurſus. Et huic ſententiæ adhæret Azorius *tom.1. lib. duodecimo, cap. decimoquarto, quæſt.8.* Et Gregorius Decimus tertius, qui conceſſit hoc priuilegium, interdixit illius communicationem ad alias Religiones. Nihilominus hanc facultatem concedunt Prælatis Religionum maioribus communiter Doctores, modò fiat ex iuſta cauſa & cum conſenſu Conuentus, ſeu Capituli, vt dicetur hoc *tom. verbo Religio V. num* 3.

21. Licentia tranſeundi ad quamlibet Religionem laxiorem à Generali, vel etiam à Pontifice conceſsa, non extenditur ad Religiones non clauſtrales, vt ſunt militares, & hoſpitalariæ, niſi exprimantur. Quia eſto ſint veræ Religiones, non comprehenduntur tamen ſub communi nomine Religionum; verba autem iuxta communem loquendi modum accipienda ſunt. Et ita fertur declaratum à Sacra Congregatione Eminentiſsim. Cardinal. die 17. Nouembris 1578. vt teſtantur Rodriquez *tomo 3. quæſt. quinquageſimaſecunda, art.12.* Miranda *tom. primo, quæſt.31. artic.8. concluſ.2.* Sanchez *loco cit. numer.75.* contra Nauarrum *conſil.58. numer.1. de regul.*

Rodriq. Mirand. Sanch.

22. Cauſæ legitimæ, quibus poteſt diſpenſari Religioſus, vt de vna ad aliam Religionem licitè tranſire valeat, hæ à Doctoribus recenſentur: ad quos certiſsimum eſt, nullam deſiderari cauſam, quando tranſitus fit ad ſtrictiorem: quia cùm in hoc tranſitu non ſit neceſſaria vlla diſpẽſatio, ſeu relaxatio votorum, aut obligationum tranſeuntis, conſequenter nulla deſideratur cauſa.

Quando

Digitized by Google

Quãdo autem fit tranſitus ad æquè ſtrictam Religionem, non conueniunt Doctores. Quidam enim cenſent non requiri cauſam, ſi hoc fiat ex licentia Summi Pontificis, ſecus verò ſi ex licentia Superioris Pontifice inferioris. Ita Miranda *tom. 1. quæſt. 31. articulo 5. concluſ. 2. & artic. 6. concluſ. 2.* Azorius *part. 1. lib. 2. cap. 14. quæſt. 9.* Syluester *verb. Religio 4. quæſt. 2.* Verius tamen eſt, neceſſariam eſſe cauſam legitimam, ſiue licentia obtineatur à Pontifice, ſiue ab inferioribus; verùm parua cauſa dummodo ſit iuſta ſufficiens erit ad hunc tranſitum concedendum, vt docent Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, capit. 19. numer. 5.* Nauarrus *lib. 3. conſil. 18. nu. 2 de voto.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 50. numer. 21. & 22.* loquentes de commutatione votorum in æquale.

Miranda. Azor. Sylu. Suarez. Nauar. Sanchez.

Si tranſitus concedendus ſit ad laxiorem Religionem, legitimæ huius tranſitus cauſæ ſunt. *Prima*, ſi Religioſus infirma, aut incommoda valetudine vtatur, aut ita fragili corporis natura, vt Religionis ſtrictioris auſteritates ferre nequeat. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ q. vltim. articul. 8.* Syluius *ibidem.* Panormitanus *in cap. Non eſt, numer. 6. de regular.* Syluester *verb. Religio 4. quæſt. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 102.* & alij communiter.

D. Thom. Sylu. Panorm. Syluest. Leſſius.

Secunda cauſa ſufficiens huius diſpenſationis eſt, ſi Religioſus in priori religione odio habeatur à cæteris Religioſis, aut indignè & malè tractetur, aut ſi aliis ſit exoſus, ſi his Religioſus cauſam non dedit, vel ſi dedit, eam abſtulit, & pœnituit, & nihilominus perſecutio, ſeu male tractatio adhuc perſeuerat.

Tertia, ſi Religioſus in præſenti Religione ita infamatus ſit ob aliquod crimen à ſe perpetratum, vt ſemper in ea pudore ſuffuſus, ac ſubinde magna triſtitia affectus vitam tranſacturus ſit. Item magna parentum neceſſitas, cui Religioſus in prima Religione nequeat commodè ſuccurrere.

Quarta cauſa ſufficiens eſt, ſi quis propter ſuam ſimplicitatem non intellexit ſufficienter regulam, vel conſtitutiones tempore profeſſionis, & poſtea vult laxius viuere. Hæ, & aliæ huiuſmodi cauſæ cenſentur legitimæ & ſufficientes a Doctoribus, vt poſſit Religioſus diſpenſari ad laxiorem Religionem intrãdum, de quibus videndus eſt Rodriquez *tom. 3. quæſt. reg. q. 52. art. 9.* Azorius *lib. 12. cap. 14. quæſt. 8.* Reginaldus *l. 18. c. 29. num. 414.* Miranda *tom. 1. q. 31. ar. 6. concluſ. 2.* Menoch *de arbitr. l. 2. centur. 5. num. 25.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 7. n. 72.* Barboſa *in cap. licet, n. 15. de regular.* & Vecchis *in prax. Nouit. diſp. 15. dub. 6. & 7.*

Rodriq. Azor. Reginald. Miranda. Menoch. Sanchez. Barboſa. Vecchis.

23. Superior diſpenſans ſubditum ad laxiorem Religionem, debet priùs cauſæ huius diſpenſationem cognitionem præmittere. Et in foro conſcientiæ quæcumque cauſa cognitio quauis via, aut diligentia habita diiudicatur ſufficiens. Sed pro foro externo deſideratur ſcriptura, vt fides in eo fiat licentiæ conceſſæ, ſi aduerſus tranſitum aliquid opponatur. Nec deſideratur etiam in Prælatis inferioribus iudicialis legitimæ tranſitus cauſæ cognitio ſumptis teſtibus iuramento aſtrictis coram Notario: ſed ſatis eſt, ſi extraiudicialiter Superior informetur, certiorque fiat de cauſæ veritate. Quia nullo iure cauetur præmittendam eſſe iudicialem eius cauſæ cognitionem, ſed tantùm deſideratur legitima cauſa ad valorem diſpenſationis in eo tranſitu. Ita Nauar. *lib. 3. conſil. tit. de regular. conſil. 56.* Suarez *de leg. l. 6. c. 19. & c. 3. n. 16.* Sanchez *loco cit. n. 69.* Salas *1. 2. diſp. 20. n. 79.* & alij.

Nauarr. Suar. Sanch. Salas.

24. Religioſus legitimè tranſlatus ad aliam Religionem, non tenetur ad vota ſpecialia in priori Religione emiſſa. Ratio eſt, quia ea vota ſpecialia annexa ſunt profeſſioni prioris Religionis, non verò ſecundæ, vnde ceſſante principali, ceſſat acceſſorium. Deinde vota primæ Religionis commutantur in vota ſecundæ; is autem, cuius vota in alia commutata fuerunt, non tenetur illa ſeruare. Ex quo fit, quod tranſlatus ex Religione Minimorum, non tenetur à carnibus abſtinere ſeruando vitam quadrageſimalem: & Profeſſus in Societate IESV, ſi fiat Frater Minor, aut Dominicanus, non tenetur ad ea vota ſpecialia, quæ in Societate à Profeſſis emittuntur. Ita Sanchez *loco citato, numero 87.* Barboſa *in cap. licet, num. 18. de regular.* Bonacina *de clauſur. quæſt. 2. punct. 9. §. 4. diffic. 1. num. 1.* & alij.

Sanch. Barboſa. Bonac.

25. Religioſus tranſlatus ad aliam Religionem vt ibi ſit Prælatus & Superior, iuxta quoſdam Doctores, finito Officio remanet Religioſus ſecundæ Religionis: quia mittere debet profeſſionem in poſteriori, & proinde manet deinceps illius: & ſic per profeſſionem in ſecunda Religione vota primæ Religionis commutata remanent in vota ſecundæ, conſequenter in ſecunda manere debet, Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. numer. 85.* Barboſa *in cap. licet, de regular. numer. 26.* Rodriquez *tom. 3. quæſtionum reg. quæſt. 52. art. 26.* Miranda *tom. 1. quæſt. 31. artic. 22.* Nauarrus *lib. 3. conſil. de regular. conſ. 61. in 1. edit.* & alij. Sed quia, qui ad aliam Religionem proficiſcitur, vt ibi ſit Prælatus, non ſolet ibi profeſſionem emittere, cùm profeſſio integrum nouitiatus annum prærequirat, vt vult Concilium Tridentinum, niſi in hac parte à Sede Apoſtolica diſpenſetur, ſequitur præfatum Religioſum, regulariter loquendo, manere ſubditum primæ Religionis: quia ſubiectio Religioni acquiritur per profeſſionem. Secus autem eſt ſi in ſecunda profiteretur, vt volunt præcitati Auctores.

Sanch. Barboſa. Rodriq. Mirand. Nauarr.

26. Tranſlatus de vna in aliam Prouinciam eiuſdem Religionis, poſtquam incorporatus eſt, habet locum in Choro, Capitulo, & alijs ſeſſionibus & congreſſibus, non à tempore ſuæ incorporationis, ſed à tempore, quo aſſumpſit habitum; aut emiſit profeſſionem in prima Prouincia. Ita Hieronymus Rodriquez *in Compend. quæſt. regular. reſolut. 123. numer. 84.* Miranda *tom. 1. quæſt. 31. artic. 23. concluſ. 2.* Tranſlatus autem de vna Religione ad aliam diuerſam, ſedere debet in Capitulo, & alijs congreſſibus iuxta tempus, in quo emiſit profeſſionem in illa Religione poſteriori, nam ab eo tantum tempore incipit eſſe Religioſus illius Religionis & filius & eiuſdem Monaſterij: ergo ſecundùm illud tempus tantummodo, debet vocem & locum habere in Choro, Capitulo & alijs. Ita Sanchez *lib. 6. moral. c. 7. n. 86.* Rodriq. *tom. 3. quæſt. reg. q. 52. ar. 9.* Miranda *loco cit. concl. 1.* Qui aduertunt ſecus dicendum eſſe de illo, qui fuit tranſlatus, vt fieret Prælatus, nam iſte in memoriam honoris & Prælationis, quam geſſit, ſedebit in primo loco immediatè poſt Prælatum, niſi ſimul cum eo concurrant alij, qui ſimilem, ſeu maiorem honorem geſſerunt. Sed in hoc mihi dicendum videtur obſeruandam eſſe Religionum conſuetudinem.

Rodriq. Mirand. Sanch. Rodriq. Mirand.

27. Bona Religioſi tranſeuntis ad aliam Religionem ſtudio melioris vitæ, manent penes primum Monaſterium; & quidquid poſt ſecundam profeſſionem in ſecundo Monaſterio emiſſam illi obuenerit, ſpectabit ad dictum ſecundùm Monaſterium. Ita ex commun. Nauarrus *in capit. Non dicatis 12. quæſt. 2. numer. 31.* Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. 1. capit. 42. numer. 91.* Bartholom. à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 375.* & alij. Proinde legatum relictum Religioſo tranſlato ad ſecundum Monaſterium, quod eſt capax bonorum, ſi illud conditionatum & conditio adimpleta ſit tempore ſecundæ profeſſionis, legatum eſt acquiſitum ſecundo Monaſterio, vt reſoluunt Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 114.* Villalobos *tom. 2. tract. 35. difficul. 14.* Sanch. *lib. 7. moral. cap. 23. num. 42.* Conſtat etiam omnia bona acquiſita eſſe priori Monaſterio, etiam dum moratur in ſecundo vſque ad profeſſionem, ſi aliqua acquirerentur, quia ante profeſſionem non erat verè Religioſus illius ſecundi Monaſterii, vt docent Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regul. quæſt. 5. artic. 5.* Molina *tom. 1. de iuſtit. diſput. 140.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 15. quæſt. 3.* & alij.

Nauarr. Barboſa. Fauſtus. Rodriq. Molin. Azor.

Profeſſus autem in Religione incapaci bonorum tranſlatus ad Religionem capacem, recuperat bona poſt tranſlationem ſibi delata ad vtilitatem ſecundæ Religionis capacis, vt definitum eſt in Rota in vna Romana fideicommiſſi 26. Nouembris 1627. coram Car-

dinali Virili,& declarauit S. Congregat. Concil. Tridentini die 22. Ianuarij 1628. teſte Barboſa *de iur. Eccleſiaſt. cap. 24. num. 2.* & docet Iaſon *in l. Ex pacto, ſub n. 10. verſ. Adde etiam. ff. de vulgari.*

Tranſlatus verò de Religione incapaci ad capacem auctoritate Apoſtolica non recuperat bona, quæ ante profeſſionem obtinebat, vt reſoluit Rota 16. Nouembris 1621. vt refert Barboſa *loco cit. n. 94.*

Si autem Religioſus transferatur ad aliam Religionem, non vt ibi profiteatur, ſed vt peccatorum ſuorum pœnitentiam agat, tunc vſusfructus bonorum priori Monaſterio acquiſitorum debetur Monaſterio, vbi pœnitentiam gerit, ne illi fiat oneroſus & grauis remanente proprietate dictorum bonorum in priori Monaſterio, maximè quando Monaſterium eſt inops, Ita Rodriquez *tom. 3. quaſt. 5. artic. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 15. quaſt.* 3. Diana *loco citato.* Sed hoc intelligendum eſt quoad illam quantitatem, quæ ad victum & veſtitum cæteraque tranſlati alimenta exiſtimantur neceſſaria arbitrio prudentis viri, vt notat Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 5. caſu* 436. *num.* 18. Sanchez *l. 7. moral. cap. 32. numer.* 46. & 47. Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 27. fin.*

Rodriq. Azor. Diana.

Menoch. Sanch. Rodriq.

28. Ex dictis deducitur, Religioſum hunc ad aliam Religionem tranſeuntem, nil poſſe ſecum deferre ex acquiſitis priori Monaſterio, præter ſolas veſtes, & has quidem ex tacita licentia Superioris illius Monaſterij; quia concedens facultatem ad tranſitum, cenſetur concedere ad omnia, ſine quibus tranſitus fieri nequit, at nudus nequit commodè tranſire.

Sed difficultas eſt, an poſſit ſecum deferre ſcripta, vel libros à ſe compoſitos? Negant Sanchez *lib. 7. moral. cap. 32. numer.* 13. Bartholomeus à S. Fauſto *in theſaur. relig. lib. 5. quaſt.* 386. *numer.* 5. Hieronymus Rodriquez *in compend. reſolut.* 123. *num.* 82. niſi eſſent inutilia primæ Religioni, vel niſi crederet non fore ingratam Superiori delationem dictorum ſcriptorum. Hanc ſententiam probabilem putat Diana *parte 3. tract. 2. reſolut.* 63. licet contrariam non minus probabilem exiſtimet, fortè ob fundamentum quod ponit Caramuel *in reg. D. Benedicti, diſputat.* 59. *numer* 831. vbi ait: In manuſcripta ſua habet verum dominium Religioſus. Ita Ioannes Valerus *in ſuis differentiis vtriuſque fori verb. Munera, num.* 106. & *verb. Regularis, differ. 8. num. 2.* vbi expreſsè aſſerit manuſcripta eſſe ſui Auctoris, ac proinde illum poſſe illa deferre quocumque vadat, etiamſi tranſeat ad aliam Religionem nulla obtenta, aut petita licentia, nullis relictis eorum copijs. Eſt difficultas vtilis, & ideò profundiùs explicanda. Manuſcripta bifariam poſſunt conſiderari: *Primò*, prout continent tot folia chartæ. *Secundò*, prout continent ideas interni hominis. Non aſſero, quòd Religioſus habeat directum dominium in manuſcripta conſiderata primo modo, quia certum eſt quæcumque talia acquiri Monaſterio. Dico autem, Monachum habere verè dominium directum in manuſcripta ſecundo modo ſumpta, & indirectum in eadem ſecundùm primam acceptionem. Directum dominium. Probo ſic in forma.

Diana.

Manuſcripti, in quantum eſt idea, totum eſſe, eſt eſſe imaginem, quia idea nihil eſt aliud quàm mentalis imago. Atqui non eſt imago communitatis, non Abbatis, ſed tantummodo hominis interioris diſcurrentis & philoſophantis. Ergo manuſcriptum, in quantum idea eſt, non pertinet ad Abbatem, neque ad communitatem, ſed ſolùm ad Auctorem. Et ſubdit poſtea *numero* 837. Confirmatur hæc mea ſententia ex declaratione Clementis VIII, qui (vt notat Homobonus in *Examin. Eccleſiaſt. parte 1. tractat. 7. capit. 22. quaſt.* 100. Coriolanus *de caſ. reſeruat. parte 2. caſu 16. numero* 19.) aſſeruit Monachos poſſe alienare ſua manuſcripta, abſque peccato contra Bullam de largitione munerum, quam publicaret: atqui ſi manuſcripta pertinerent ad communitatem, Pontificis aſſertio fuiſſet falſa. Ergo manuſcripta pertinent ad Auctorem, non ad communitatem. Minorem probo. Quia hæc ſæpè ſunt maximi valoris, & ex Clementis Bulla Religioſi vix res parui valoris poſſunt elargiri.

Et *num.* 838. probauimus manuſcripta pro formali, prout dicunt rationem imaginis, directè pertinere ad auctorem, reſtat probandum, quod eadem ſumpta pro materiali, prout dicunt chartam, & atramentum, pertinere etiam ad auctorem tametſi indirectè. Probo ſic. Ad illa extenditur dominium indirectè, quibus dominium directum indiget ad ſui conſeruationem. Atqui talis idea indiget charta & atramento ad ſui conſeruationem, vt de ſe patet: ergo qui habet dominium directum in huiuſcemodi ideas, habebit etiam in atramentum & chartam indirectum. Maiorem probo. Petrus eſt dominus ſuæ vitæ, non quòd illam poſſit alteri dare, ſed quòd nullus habeat directum dominium in illam, præter ipſum; non eſt dominus ciborum pertinentium ad Paulum: verùm ſi aliquando contingeret quod eius vita non poſſet ſubſiſtere ſine talibus cibis, haberet in illos ius, atque dominium indirectum. Sic ſimiliter in noſtro caſu. Si ideæ illæ & imagines poſſent ſubſiſtere ſine charta, Monachus non haberet in hanc ius, ſiue dominium indirectum; at ſubſiſtere nequeunt ſine charta: ergo Auctor, qui in illas habet ius directum, opus eſt habeat indirectum in chartam. Ita probabiliter philoſophatur ſuo more acutiſſimus D. Caramuel.

29. Quidam ſentiunt Monialem, quæ transfertur cum legitima licentia ad aliud Monaſterium propria voluntate, ſeu ad ipſius inſtantiam, poſſe ſecum dotem ſuam deferre. Ducuntur per *l. Si is qui, ff. de iur. dot.* vbi ſic habetur: *Ibi dos eſſe debet vbi onera matrimonij ſunt.* Tum quia illa dos datur acceſſoriè ad perſonam, & ſub tacita conditione, dum illa Monialis in eo Monaſterio perſeuerauerit, & ſit reſtituenda, dum ea profeſſio diſſoluitur per legitimum ad aliam Religionem tranſitum. Sicut dos propter matrimonium carnale viro tradita, eam habet tacitam, vt eo matrimonio legitimè ſoluto ſit reddenda. Ita Bartholom. Socinus *conſil.* 222. *num.* 3. Baldus *nouell. de dote. part. 1. num.* 10. & alij. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt, quia dos & alia bona non fuerunt tradita ſub conditione, ſi in eo Monaſterio Monialis manſerit, ſed ſolùm ſub conditione ſi profeſſionem emiſerit; cùm autem profeſſionem emiſerit in primo Monaſterio, ſequitur prius Monaſterium eſſe abſolutè dominum prædictorum bonorum. Si tamen ſecundum Monaſterium coactum fuit illam admittere, dos ſoluenda eſt, Ratio eſt, tum quia Moniales non ſolent abſque dote admitti, niſi Monaſterium voluntariè dotem remittat. Tum quia par non eſt, vt poſterius Monaſterium inuoluntariè iacturam alimentorum patiatur. Ita Nauarrus *Comment.* 4. *de regular. num.* 24. *verſ.* 15. Rodriquez *tom 2. quaſtionum regular. quaſt.* 80. *artic.* 2. *edit.* 2. Sanchez *lib. 7. moral. capit.* 32. *numer.* 12. & alii. Nec ſimile eſt de dote data pro matrimonio carnali. Ratio diſparitatis eſt, quia dos Monaſterio traditur abſolutè & in perpetuum; marito autem ad tempus, id eſt, durante matrimonij vinculo: vnde diſſoluto matrimonio per mortem viri, vel mulieris, hæc eſt neceſſariò reſtituenda; at diſſolute profeſſione per modum Monialis, non reſtituitur dos parentibus eius (niſi aliter conuentum ſit) cùm eius dominium perpetuò in id Monaſterium tranſierit.

Nauar. Rodriq. Sanchez.

30. Peculium conceſſum Religioſo, non ex bonis Monaſterij, ſed à cognatis vel extraneis, ſeu tempore profeſſionis reſeruatum de licentia Superioris, ipſo tranſeunte ad aliam Religionem, pertinet ad prius Monaſterium, ſi illud ſit abſolutè conceſſum: quia illius dominium acquiſitum fuit priori Monaſterio, & vſusfructus conceſſus fuit Religioſo non abſolutè, ſed reuocabiliter ad nutum Superioris. Secus ſi aſſignatum fuit tertiæ perſonæ, cum onere illud tradendi Religioſo ſingulis annis, vel quoties ipſe petierit. Tunc huiuſmodi peculium non eſt abſolutè conceſſum Religioſo, & conſequenter priori Monaſterio non eſt acquiſitum; imò neque acquiritur ſecundo

Digitized by Google

cundo Monaſterio, niſi quatenus Religioſus aliquid peperierit, eique traditum fuerit. Ita Sanchez *l.7. mor. cap. 32. n.14.* Bonacina *de clauſ. q.2. punct. 9. §.4. difficul. 2. n.6. verſ. Quartò ſequitur.*

Sanchez. Bonac.

Peculium verò conceſſum Religioſo hac lege, vt Monaſterium in illud non ſe ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur ſecundo Monaſterio, quoad fructus percipiendos, poſtquam Religioſus in ſecundo Monaſterio profeſſionem emiſerit; quia Monaſterium ius non habet in præfatum peculium, niſi quatenus Religioſo defertur; in hoc autem caſu ſupponitur non deferri Religioſo abſolutè. Ita Doctores citati.

31. Religioſus tranſiens à Religione bonorum incapaci vel etiam capaci, ad aliam capacem, bona, quæ in ſecunda Religione acquirit donatione, legato, hæreditate, induſtria vel alia ratione, pertinent ad ſecundam Religionem; quia quæ acquirit Monachus, Monaſterio acquirit. Tum quia profeſſionem in Monaſterio incapaci, non omninò & irrecuperabiliter extinguitur ius acquirendi, ſed conſopitur & ſuſpenditur. Quare ſi profeſſus in eo ad Ordinem capacem vel Epiſcopatum legitimè transferatur, recuperat id acquirendi ius priori profeſſione conſopitum, & quaſi ſuſpenſum: non quidem ad recuperanda bona, quę ante demptam capacitatem delata erant, ſed quoad bona in futurum deferenda. Ita Sylueſter *verb. Religio 4. q.10.* Tabiena *eod. verb. num.29.* Molina *tom.1. diſp. 140. verſ. quando Religioſus.* Sanchez *lib. 7. cap.32. num.26.* Rodriquez *tom.2 quæſtionum regular. quæſt. 59. art.7.* Bartolus *tract. minoritarum lib.4. diſt.3. c.3.* Leſſius *l.2. cap.41. dub.11. num.88.* & alij.

Syluest. Tabiena. Molin. Sanch. Rodriq. Barthol. Leſſius.

Vide v. Emphyteuſis *n.* 23. Legatum *n.* 4. Seruus *n.* 17. Subſtitutio *num.* 11. Tutor *num* 5. Votum 1. *nu.* 41. 42. *& ſequent.*

RELIGIO II.

De ſtatu Religioſo in communi.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo accipiatur nomen ſtatus? & quomodo religio?*
2 *Quid ſit ſtatus religionis, & quæ conditiones requirantur ad illum?*
3 *An ſtatus veræ religionis poſſit conſiſtere abſque votis ſolemnibus?*
4 *An qui in ordinibus militaribus caſtitatem coniugalem profitentur, ſint propriè Religioſi?*
5 *An ad eſſentiam ſtatus religioſi, requiratur quædam regula?*
6 *An irrita ſit profeſſio facta cum conditione religioſo ſtatus repugnante?*
7 *An religioſi ſint, qui paupertatem, caſtitatem, & obedientiam voueant Confeſſario vel Epiſcopo?*
8 *An Summus Pontifex diſpenſare poſſit in votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ Religioſorum, & ad quæ teneatur Religioſus, factus Epiſcopus?*
9 *Quid iuris de religioſo ad parochiale beneficium promoto?*
10 *De initio, duratione, & augmento ſtatus religioſi.*
11 *Vnde proueniat religionum diuerſitas.*
12 *Quot ſint regulæ approbatæ?*
13 *Qui ordines ſint perfectiores?*

1 NOmen *ſtatus* dupliciter accipitur: *Primò*, generatim: ſic quæuis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò perſtat & permanet, ſtatus dicitur, vt ſtatus innocentiæ, ſtatus legis naturæ, ſtatus huius vitæ & futurę, ſtatus incipientium, proficientium, perfectorum, &c. *Secundò*, ſtrictè pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obſtricti ſumus, hoc enim nomen quamdam firmitatem denotat. Caiet. 2. 2. *q.*183. *art.*1. vnde ſecundùm D. Thom. 2. 2. *q.* 183. *art.*1. Leſſium *lib.2. cap.41. dub.1. num.1. &* 2. Fauſtum *in theſaur. relig. lib.5. q.1.* tres tantùm ſunt ſtatus in Eccleſia, ſcilicet Epiſcoporum, hi enim perpetuo vinculo obſtricti ſunt obſequio ſuæ Eccleſiæ: Religioſorum, qui obſequio diuino, & coniugatorum, qui obſequio mutuo. *Religio* tripliciter poteſt accipi: *Primò* pro virtute, qua Deus colitur. *Secundò*, pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formulæ profeſſione, per quam homo mancipatur obſequio diuino, quantùm præcisè neceſſarium eſt ad ſalutem, vt eſt religio Chriſtiana, & olim religio Iudaica. *Tertiò* pro peculiari quadam formula & profeſſione, per quam homo ex libera ſua electione penitus obſequio diuino mancipatur.

2. *Status* ergo *religionis* eſt fidelium ad Chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, ſtabilis in communi viuendi modus; vnde ad veræ & propriæ religionis ſubſtantiam, quatuor conditiones deſiderantur. Bellarminus *tom.2 de Monachis lib. 2. cap. 2. init.* D. Thomas 2. 2. *q.* 186. Sanchez *lib. 5. moral. cap.1. num.* 14. Layman *lib.4. tract.5. c.1. num.2.* Leſſius *cit. num.4.* Sylu. 2. 2. *q.*186. *art.*1. *Prima* eſt, caſtitas, paupertas & obedientia, quæ ita eſſentialiter Religioſo ſtatui annexa ſunt, vt ſine illis conſiſtere nequeat, cum enim hominis Chriſtiani perfectio in eo conſiſtat, vt contemptis cupiditatibus huius vitæ, Deo per charitatem inhæreat, & tria ſint huius perfectionis impedimenta, ſiue tres veluti laquei huius mundi, quibus animus hominis detinetur, quominus ad Deum ſe liberè erigere poſſit, ſcilicet, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; ideò ab his velut compedibus animus liberatur per voluntariam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam. *Secunda* conditio eſt, vt hæc tria voto aliquo firmentur: quia iuxta D. Thom. *cit. art.* 3. 4. *&* 5. ſtatus petit immobilitatem & obligationem operis ad illum ſtatum pertinentis vinculo aliquo firmatam. *Tertia* eſt, vt emittantur in religione per Sedem Apoſtolicam approbata, nec ſatis eſt vt modus viuendi ab illa approbetur, niſi tanquam vera religio approbetur: quia Eccleſiæ eſt religiones, atque eas approbare, & quamuis id olim Epiſcopi poſſent efficere in ſua Diœceſi, iam id Pontifici reſeruatum eſt. Nauar. *comm. de regul. numer.*18. Sylueſt. *verb. relig.* 1. *q.* 1. Angel. *verb. religioſus num.*1. Sylu. *cit. art.*1. *Vltima* conditio eſt, vt hæc vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione & poteſtate: quod non ex vi & natura votorum conſurgit, ſed deriuatur à Pontifice erigente religionem. Vaſquez 1. 2. *d.* 165. Sanch. *cit. n.*20.

D. Thom. Sanchez. Layman. Leſſius. Sylu.

Nauar. Sylueſter. Angel.

3. Quamuis ſecundùm ius commune & antiquorum Doctorùm ſententiam, non poſſit ſtatus veræ religionis conſiſtere abſque votis ſolemnibus, *Clem. 1. initio de religioſis domibus.* D. Thom. D. Antonin. Sylu. Ang. Tabien. apud Sanchez *cit. numer.* 22. Syluius 2. 2. *quæſt.* 186. *art.*7. Poſt Extrauagantem tamen Gregorii XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, non eſt neceſſarium ad eſſentiam ſtatus religioſi, vt vota iſta ſint ſolemnia, ſed ſat eſt ad eum verè & propriè conſtituendum, vota ſimplicia; prædictus enim Pontifex definiuit authoritate Apoſtolica & motu proprio, Religioſos Societatis IESV ſolis ſimplicibus biennij votis ligatos, eſſe verè & propriè Religioſos, & non aliter quàm profeſſos eiuſdem Societatis vel aliarum religionum. Ratio autem eſſe poteſt, quia ſolemnitas votorum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ; quæ ſicut in vna religione poteſt aliquam ſolemnitatem vel conditionem requirere, vt acceptet illam pro religione, ita & in alia poteſt non requirere, ea autem quæ ipſi religioni ſecundùm ſe eſſentialia ſunt, iure diuino ſunt conſtituta. Layman *cit. numer.*4. Leſſius *citat. numer.*8. Vaſquez 1. 2. *diſt.*165. *num.*94. *&* 95.

Layman. Leſſius. Vaſquez.

4. Qui in ordinibus militaribus ab Eccleſia approbatis, caſtitatem non abſolutam, ſed limitatam ſeu coniugalem profitentur, licet Eccleſiaſticę perſonæ cenſeantur, non tamen ſunt propriè Religioſi ſecundùm

D. Thom. Sylu. Mirand. D. Thom. 2. 2.*q.*186.*art.*4.*ad* 3. Syluius *ibid.* Arragon. 2. 2. *quaſt.* 88. *artic.* 12. Miranda *tom.* 1. *quaſt.* 10. *artic.* 4. Henriq. *lib.* 11. *c.* 8. §. 6. At verò milites S. Ioannis Hieroſolymitani, Teutonici, eorumque ſimiles, cùm tria ſubſtantialia vota edant, veri Religioſi ſunt.

5. *Ad eſſentiam* ſtatus religioſi abſolute non requiritur alia regula, præter eam quæ diuinis mandatis & ipſis votis continetur; quia hæc abſolutè ſufficiunt vt ducant hominem ad perfectionem; quia tamen ob multas cauſas Eccleſia non conſueuit huiuſmodi ſtatum approbare pro religione, abſque vlla aliqua particulari regula, ea eſt neceſſaria, non per ſe, ſed per accidens.
Leſſius. Leſſius *l.* 2 *c.* 41. *dub* 1. *n.* 9.

6. *Irrita* eſt *profeſſio* aut votorum religionis emiſſio, ſi in ea conditio addatur, quæ religioſo ſtatui repugnat; puta, vt alicui liceat retinere bona ſua tanquam propria, ſeu independenter à voluntate Prælati, vt liceat mortuo ſratre primogenito egredi, atque vxorem ducere; quod intelligendum eſt, ſi ſit appoſita propriè dicta conditio; & non modus ſeu pactum editæ profeſſioni adiectitium; id enim pro non adiecto haberi debet, & valebit profeſſio: ſimiliter quando vſum ſolùm ſibi reſeruaret profitens pro ſuis neceſſitatibus ex licentia Superioris, eiuſque nutu reuocabilem; tunc valet profeſſio, nec conditio reiicitur: quia in nullo pugnat cum religionis ſubſtantia. Proinde in dubio reſeruatio aliquorum bonorum tempore profeſſionis à Religioſo facta, eſt hoc modo intelligenda, nempe quoad vſum ex licentia Prælati, ab ipſomet reuocabilem: & ita valebunt profeſſio, & conditio. Ratio eſt, quia in dubio non ſunt interpretanda verba alicui contractui adiecta, ita vt eius naturæ repugnent, imò potius iuxta eius naturam. Et verba, quamuis ea in ſenſu improprio vſurpare opus ſit, ſunt potiùs accipienda in eo ſenſu, vt actus valeat. Ita Sanchez *l.* 5. *mor. c.* 4. *num* 92.
Sanch. Sylu. Vecchis. Azor. Nauar. Sylu. *verb. relig.* 3. *q.* 7. & 8. Leſſius *cit. dub.* 7. *n.* 62. Vecchis *in praxi monti. d.* 13. *dub.* 1. *n.* 11. Azor. 1. *p. l.* 12. *c.* 5. *q.* 2. Nauar. *comment.* 1. *de reg. n.* 16. & alij.

Hinc reſoluitur difficultas, an profeſſio valeat reſeruata ſibi facultate teſtandi de ſuo patrimonio? & S. Congregatio Cardin. Concil. Trident. interpretum huic dubio reſpondens die 14. Decemb. 1613. hoc negotio maturè perpenſo, & accuratè diſcuſſo, niſi alia obſtiterint, validam eſſe omnino profeſſionem ſub forma ſuprascripta emiſſam. Hanc declarat. refert Barboſ. *de iure Eccl.* 1. *c.* 42. *n.* 153.

7. Religioſi non ſunt, qui edito voto perpetuæ caſtitatis, & paupertatis, obedientiam etiam vouent præſtandam Confeſſario vel Epiſcopo: cùm tali voto non ſubiiciantur ſpirituali iuriſdictioni, quippe quæ à Chriſto, medio eius Vicario Sum. Pontif. prouenire debet: quare cùm eiuſmodi hominum ſubiectiones Eccleſia, eiuſque ſupremus paſtor non acceptet, & approbet: imò, & reprobet, vt patet ex conſtitut. Vrban. VIII. *Paſtorales Romani Pontificis* 13. Decembr. 1630. Ideò nec Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur, ſed vt ante erant, laicæ permanent. Hinc eſt quòd tale paupertatis votum arbitratur quidam ex noſtris doctiſſimus vel omnino nullum, eò quòd nimirum, qui illud emittunt, intendant in vſu temporalium per votum ſubiici illi Confeſſario tanquam Superiori, qui tamen nec eſt verus Superior, nec fieri poteſt à vouente; ſicut nec vouentis ſubiectio ad illum habere poteſt rationem obedientiæ; vel ſi aliquid valet dictum votum, facilè tamen tolli poteſt eius obligatio, per Confeſſarios quoſcumque Religioſos, ad id facultatem habentes, idque eò magis, quòd eiuſmodi votum videri poſſit excogitatum in gratiam auaritiæ quorumdam, inhiantium facultatibus, viduarum aut pupillorum; quàm gratia communis charitatis. Ex quo fit, Confeſſarium, cuius obtemperare mandatis vouit aliquis, iuriſdictionem non habere, tum quia ex voto poteſtatem coactiuam non nanciſcatur, ſine qua tamen iuriſdictio nulla eſt, vt conſtat ex *l. vltima, ff. de offic. eius cui man. iuriſdict.* tum quia nullus conſenſu proprio, quantumuis iuramento, & voto firmato in ſeipſum alteri iuriſdictionem præbere poteſt: Eo modo, quo non præberet iuriſdictionem in pauperem, qui voto ſe ligaſſet illi centum dare, nec pauper ex eo per ſeipſum poſſet cogere ad ſolutionem: ſic nec Confeſſarius per ſeipſum vouentem poſſet coaſtringere ad ipſius mandatum adimplendum, vt bene obſeruat Sancius *in ſelectis diſp.* 33. *num.* 52. & docet Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 1. *num.* 7. Sancius. Laym. Tambur.
Leſſius *cit. dub.* 1. *num.* 10. Tamburinius *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 19. *q.* 8. *num.* 23.

8. *Summus Pontifex*, diſpenſare non poteſt, vt manens Religioſus, voto paupertatis, caſtitatis ac obedientiæ obligatus non ſit, cum hæc ad eſſentiam Religionis ſpectent: *Cap. cum ad Monaſt. de ſtatu Monachor.* & Gloſſ. *in cit. cap.* Nauarrus *cap.* 12. *numer.* 75. Gloſſ. Nauar.
Quamuis ex iuſta cauſa diſpenſare poſſit, vt profeſſus religionem, deſinat eſſe Religioſus, ſeu votis ſuis obſtrictus: Religioſus verò qui ad Cardinalatum, Epiſcopatum, vel ſimilem dignitatem promotus eſt, non deſinit eſſe Religioſus, ac proinde obſtrictus manet eſſentialibus votis religionis, vt docet D. Thomas 2. 2. *quaſt.* 88. *artic.* 11. Valentia *tom.* 3. *diſputat.* 10. *quaſt.* 3. *part.* 8. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 6. *num.* 19. & 23. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 4. Layman *cit. numer.* 8. 9. & 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 19. *numer.* 143. communiter receptus. De aliis autem obſeruationibus regulæ, tanquam in culmine magiſterij conſtitutus abſoluitur, ita vt à culpa & pœna immunis ſit, ſi eas non ſeruet: Verumtamen ſecundùm moralem honeſtatem, debet talis Epiſcopus ſeruare præſcripta regulæ ſuæ, quæ eum decent, & cum Epiſcopali munere bene conſiſtunt. Ad hanc verò moralis honeſtatis obligationem ſpectat, vt habitum ſui Ordinis deferat; vnde Clemens VIII. conceſſit Epiſcopis regularibus, vt retento colore habitus ſuæ religionis, poſſint ſe conformare Epiſcopis ſæcularibus in figura eius.

Attamen his non obſtantibus, multi à communi ſententiam recedunt, dicentes probabile eſſe regularem, Epiſcopum factùm, non manere cum voto paupertatis, ſed eum acquirere verum dominium, ac ſi nunquam fuiſſet Religioſus, redituum Eccleſiaſticorum, inſtar Epiſcoporum ſæcularium. Ratio illorum eſt, quia in *cap. vnic.* 18. *quaſt.* 1. vbi de Religioſo ſic dicitur: *Velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habet.* Si ergo ſibi acquirit, vendicaretque, verum dominium habet. Vendicare enim, & ſibi acquirere, ſolis veris dominis competit, *l. in rem, ff. de rei vendicat.* Deinde eodem prorſus modo adiudicatur ſua portio Epiſcopo ſæculari, ac regulari, cum libertate transferendi in alium dominij adminiſtrationem. Ita Sotus *de iuſt. lib.* 7. *quaſt.* 4. *artic.* 2. Medina *lib.* 2. *de ſacr. homin. continent. c.* 26. Angles *in* 4. 2. *p. q. vnic. de vot. art.* 2. *dub.* 6. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 165. *c.* 8. *num.* 91. & 104. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 50. & *p.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 31. Hurtadus de Mendoza 2. 2. *diſput.* 160. *ſect.* 3. & alij penes ipſos. Sotus. Vaſquez. Diana. Hurtad.

Proinde ſtante probabilitate huius ſententiæ, integrum eſt Epiſcopis Religioſis teſtari de bonis patrimonialibus, aut propria induſtria acquiſitis eo modo quo id fas eſt Epiſcopis ſæcularibus; quia ſicut ad donandum in vita, ſat eſt ſola adminiſtratio libera, ſic ad donandum in morte. Sic docent Hoſtienſis *in ſumm. cap.* 1. *numer.* 5 *de teſt.* Medina *cit. cap.* 26. Sa *verb. Epiſcop. num.* 11. Rodriquez *tom.* 2. *ſum. cap.* 70. *num.* 5. Hoſtienſ. Medina. Sa. Rodriq.
Imò quidam Iuriſperiti ex hac ſententia aſſerunt Regularem Epiſcopum legitimæ renunciationem ante emiſſam profeſſionem factam ſeruata Concilij Tridentini forma reuocare poſſe. Ita Moſſeſius, Paſchalius, apud Dianam citatum. Verùm contraria eſt praxis huius temporis in Belgio, apud Regulares Epiſcopos, qui ſine facultate Summi Pontificis hucuſque teſtari noluerunt, vt à fide dignis accepi. Et hæc de voto paupertatis.

Quoad votum autem obedientiæ, ſimiliter illi probabile putant ab illo abſolui Epiſcopos regulares, qui docent de voto paupertatis; quod probant ex *cap. ſtatutum,* 18. *quaſt.* 1. ibi enim dicitur de Monacho Epiſcopo

crea-

Digitized by Google

creato: *Quem canonica electio à iugo Monaſtica profeſſionis abſoluit*. Quomodo autem abſolueretur à iogo Monaſticæ profeſſionis, ſi in ipſo remaneret votum obedientiæ: cùm formalis ratio iugi in Regulari ſit ratione voti obedientiæ, quod facit, vt cætera onera portari debeant? Nec dici poteſt quod per iugum iotelligatur obſeruantia Regularium, à qua abſoluitur; quia hæc non eſt verum iugum, ſed ipſa obligatio ex voto: cùm hæc ſit ſubſtantia iugi, qua manente non poteſt dici abſolutus à iugo, qoia manet principale iugum. Nec etiam dici poteſt abſolutus à iugo; quia eximatur ab obedientia Superiorum Religionis: quia hoc non eſt abſolui. Abſoluere enim eſt tollere id, quod ligat; ergo cùm votum obedientiæ ſit illud, quod ligat, non poteſt abſolui, niſi ipſum tollatur. Nec ſufficit, quòd tollatur reſpectu Superiorum Religionis; qoia ſi manet reſpectu Pontificis, reuera adhuc Monachus manet ligatus eodem iugo, & eadem obligatio manet in ipſo.

Quoad votum caſtitatis, cùm ſit annexum nedum ſtatui Epiſcopali, ſed etiam Sacris Ordinibus, dubium eſſe non poteſt, an in Epiſcopo ſit votum caſtitatis cum ea obligatione, cum qua eſt io Religioſis, ſolum dubiom eſt, an tale votum permaneat ex vi profeſſionis, an ſolùm ratione Sacrorum Ordinum ſeu ſtatus Epiſcopalis? Qui putaot Regularem Epiſcopum omnino abſolui à votis Religionis, docent etiam abſolui à voto caſtitatis ratione profeſſionis: quia ſoluitur ſtatus religioſus, & ſuccedit Epiſcopalis, vnde ceſſant omnia, quæ ſunt de ſubſtantia talis ſtatus. Status enim religioſus cooſiſtit in indiuiſibili, & coaleſcit ex tribus votis: vnde non poteſt conſiſtere, niſi in omnibus, & ideò ſi ceſſat vnum votum, deſinit & ipſe, & proinde etiam alia vota; quia ſolùm ſubſiſtunt, vt ſont vota ſtatus, cùm ſint emiſſa pro ipſo ſtatu, & per modum vnius integrationis reſpectu eiuſdem ſtatus. Hæ ſont rationes quibus fulcitur hæc ſententia: quibus tamen non obſtantibus non recedo à communi.

9. *Religioſus*, ad Parochiale beneficium promotus, ſubſtantialibus Religionis votis aſtrictus manet: quin & habitum Religionis ſuæ deferre debet, & regulam obſeruare in iis omnibus, quæ cum ſuo munere & laboribus conſiſtere poſſunt: idque non ſolùm ſecundùm moralem honeſtatem, ſed ex debito legali, & ſecundùm obligatiooem culpæ, ſi regula ita obliget: quippe cùm non ſit poſitus in magiſterio perfectionis, vt à iugo regulæ exemptus cenſeatur, ſicuti Epiſcopus; tamen dum Religioſus in paſtorali munere eſt, fermè eximitur ab obedientia Prælati regularis, & Epiſcopo Diœceſis ſubiicitur, non tantùm in pertinentibus ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſed etiam in omnibus: atque ita conſuetudine multorum locorum obſeruatur: Hoſtienſis *de Summ. de ſtatu Monach.* Angelus *verb. Monach. §.7.* Roſella *num.5.* Sylu. *verb. Relig.7. quæſt.11.* Sanch. *lib.6. moral. cap.6. num.36.* Rodriquez *tom.1. quæſtionum reg. quæſt.34. artic.6. & 7.* Sed melius alij diſtinguunt. Si Eccleſia illa nullatenus ſubiiciatur Prælatis Monaſterij, eximitur ille Religioſus ab obedientia Prælatorum religionis. *Cap. Parochia 16. quæſt.1.* ſed ſubiectus manet imperio Epiſcopi, qui de cætero erit ſuus Abbas. Si verò ſubiiciatur Prælatis Religionis quoad ſola temporalia, eximitur quoad ſpiritualia ab illorum obedientia. *Cap. viſis, & cap. ſanè, 16. quæſt.2.* ſi verò eis ſubiecta ſit quoad ſpiritualia, ſolùm eximitur quoad temporalia. Si verò ſit ſubiecta quoad omnia, manet plenè eis ſubiectus. Ex quibus colligitur *Primò*, quòd quando beneficium curatum regulare ſubeſt pleno iure Monaſterio, tunc poteſt Regularis ille ad Superioris nutum reuocari. Si autem non ſubſit pleno iure, nequit ad nutum Abbatis auferri: quia eò ipſo quod habet curam animarum, conſtituitur beneficiarius conſenſu, & auctoritate Epiſcopi, cuius eſt animarum curam committere, & Eccleſijs habentibus animarum curam idoneos miniſtros præficere. *Cap. de Monachis, 16. quæſt.1.*

Hoſtienſis.
Angel.
Roſella.
Sylu.
Rodriq.

Vide Syluium *p.1. reſol, verb. Relig. IV.* & Leſſium *lib.2. cap.41. dub.12. num.98.* qui vltimus meritò limitat hoc dupliciter. *Primò*, niſi aliter in ipſa annexione vel inſtitutione fuerit conſtitutum, nempe vt Religioſus ille non ſit omnino ab obedientia ſui Prælati exemptus, & ex cauſa reuocari ad Mooaſterium poſſit: alioquin huiuſmodi annexiones eſſent valde damnoſæ Monaſterijs; & daretur Religioſis illis beneficiarijs occaſio diſſolutioris vitæ. *Secundò*, niſi Prælatus ius illud iam legitimè præſcripſerit ſeu vſuceperit: ſufficit autem ad hoc poſſeſſio 40. annorum, ſi nimirum Abbas tanto tempore putauerit bona fide ſe hoc ius habere, gerendo ſe tanquam Superiorem erga illum Religioſum; & ille Religioſus ſe erga Abbatem tanquam ſuum Superiorem geſſerit, habueritque recurſum ad Monaſterium tanquam filius Monaſterij: vel ſi Abbas interea aliquoties vſus fuerit auctoritate reuocandi, & nemo ſe oppoſuerit.

Syluius.
Leſſius.

Colligitur *Secundò*, ſi Regularis præficeretur beneficio tanquam Clericus ſæcularis, non vt Regularis, ſicut contiogit, ſi præficeretur Eccleſiæ curatæ ſæculari, vel beneficio ſimplici ſæculari, ex legitima diſpeoſatione; tunc reuocari non poſſet ab Abbate, vt doceot Rebuffus *de pacific. poſſeſ. num.275.* Tamburinius *de iur. Abbat. tom.3. diſ.9. quæſt.14. num.15.* & alij.

Tamburin.

Tertiò, Abbates & Prælati Regulares non poſſunt pro ſuo libito amouere Monachum à beneficio electiuo abſque legitima cauſa, cùm huiuſmodi beneficia perpetua ſint, *Cap. Monachi, de ſtatu Monachorum*.

Pro confirmatione prædictorum extat Declaratio S. Congreg. Concil. *in Cameracen. 24. Ianuarij* 1632. his verbis: *Abbates Ordinum poſſunt inuito Epiſcopo reuocare abſolutè ad Monaſterium Religioſos exercentes curam animarum in Eccleſijs, quæ ſunt vnita ipſis Monaſterijs, ſed quoties denuo ad curam animarum exercendam deputantur, ſunt iterum ab Epiſcopo examinandi, & approbandi.* Ita Barboſa *in collectan. Bullar. ver. Abbas* 1.

10. *Status religionis*, ſtatim à tempore Apoſtolorum cœptus, hucuſque ſemper durauit, & auctus eſt: & olim non fuit permiſſum Monachis, vt vitam ſolitariam ſeu eremiticam colerent, niſi ante in communi vita ſeu cœnobio virtutem ſuam diu probaſſent. Euſebius *libr.2. hiſtor. capit.17.* Layman *cit. capit.2.* Miranda *tractat.1. quæſt.9. artic.4.* Syluius 2.2. *quæſt.186. artic.1.* & alij.

Layman.
Syluius.

11. *Diuerſitas Ordinum* Religioſorum non prouenit ex aliquo quod religioni eſt eſſentiale, vt ſunt tria vota eſſentialia, & approbatio Eccleſiæ: hæc enim omnibus ſunt communia; itaque ſi eſſentialia ſpectentur, omnes ſunt einſdem ſpeciei; conſiſtit enim omnium eſſentia in obligatione trium votorum ab Eccleſia acceptatorum: hæc autem diuerſitas prouenit ex duobus. *Primò*, ex particulari fine ſeu functione ad quem quiſque Ordo ſpeciatim eſt inſtitutus? quidam enim ſunt inſtituti, vt potiſſimom ſe exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ; vt ſunt omnes Monachi. Alij, inſtituti ſunt ad opera vitæ actiuæ corporalia: vt ad redimendos captiuos, ad ſuſcipieodos peregrinos, ad ſeruiendum infirmis, ad defendendam Eccleſiam contra hoſtes fidei. Alij, partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, ſed ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, vt ſuot Ordines Mendicantium. *Secundò*, deſumitur diuerſitas Ordioum ex particularibus medijs, & ritibus quibus vtuntur, vel ad vota ſua meliùs ſeruanda, vel ad functionem ſuam ſeu propriam meliùs obeundam: hinc videmus magnam varietatem io habitu, victu, ieiunijs, aliiſqoe pijs exercitijs. De quibus D. Thomas 2.2. *quæſt. 188. & 189.* Leſſius *lib.2. cap.41. dub.2.* Layman *citat. cap.3.* Sylu. 2.2. *quæſt.188.* Fauſtus *in theſaur. relig.5. q.17.* & alij.

D. Thom.
Leſſius.
Layman.
Fauſtus.

12. *Quatuor ſunt regulæ* approbatæ, ſub quibus omnes Ordines Religioſi militaot, præter Carthuſianos, qui habeot ſua ſtatuta, & Societatem I E S V, quæ

ſuas conſtitutiones, videlicet, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci: tamen ſinguli ſuæ regulæ proprias conſtitutiones adiunxerunt, quibus inter ſe diſcrepant, etiamſi eamdem regulam ſequantur. Syluester *verb. relig. 1. num. 7.* Platus *lib. 2. c. 22.* Miranda *cit. q. 3. art. 5* Layman *cit. cap. 2.* Syluest. Laym.

13. Cùm perfectio religionis primariò ſpectetur ex fine: ſecundariò ex medijs, vnde illi Ordines abſolutè ſunt perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinſecum, ſeu functionem perfectiorem: itaque Ordines illi, quorum propriùs finis eſt vacare operibus vitæ contemplatiuæ, ſunt perfectiores ijs, qui operibus vitæ actiuæ: & qui non tantùm contemplationi vacant, ſed etiam contemplata in alios transfundunt, perfectiores ſunt, quàm qui ſoli contemplationi incumbunt: tales ſunt in Eccleſia Ordines illi, qui inſtituti ſunt ad docendum, prædicandum, & Sacramenta adminiſtranda: quia perfectius eſt illuminare, quàm lucere tantum, & hoc fuit officium Apoſtolorum, & ipſius Chriſti Domini. D. Thom. 2. 2. q. 188. *art. 6.* Syluester *verb. relig. 1. num. 4.* Leſſius *cit. num. 20.* Layman *cit. cap. 3.* Syluius 2. 2. *q. 188. art. 6. concl. 1. 2. & ſeq.* D. Thom. Leſſius. Layman.

RELIGIO III.

De intrantibus Religionem.

SVMMARIVM.

1. *Qui poſſint religionem ingredi, & qui non? Et an Epiſcopus?*
2. *An coniuges poſt conſummatum matrimonium poſſint religionem intrare, abſque conſenſu mutuo? Et qua ætate mulier dicatur ſenex, vt vir poſſit profiteri religionem remanente illa in ſæculo cum voto caſtitatis?*
3. *In quibus caſibus poſſit alter coniux inuito altero ingredi?*
4. *An qui virginem ſub promiſſione matrimonij deflorauit poſſit ingredi religionem?*
5. *An ſeruus inuito Domino poſſit religioſum ſtatum capeſſere?*
6. *Quid de illo qui creditoribus eſt non ſoluendo?*
7. *Quid de obnoxijs reddendis rationibus?*
8. *An filius poſſit intrare religionem ſi parens eius extrema vel graui neceſſitate prematur? & e contra.*
9. *An pueri poſſint religionem intrare ante annos pubertatis ſine conſenſu parentum, vel tutorum?*
10. *Quando illegitimus poſſit admitti ad religionem?*
11. *An corpore vitiati ſint inhabiles ad religionem?*
12. *An infames ad religionem recipi debeant?*
13. *An criminoſi vel de crimine ſuſpecti?*
14. *An bigami?*
15. *Quæ conditiones requirantur in recipiendis ad religionem tam iure communi, quam ex conſtitutionibus Sixti V. & Gregorij XIV.*

Modus faciendi informationes iuxta conſtitut. Sixti V.

An recipiendus teneatur ſub pœna lethalis culpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingreſſus.

1. **I**Ngredi poſſunt religionem, qui ſunt ſui iuris: qui autem alteri ſunt obſtricti, non poſſunt, niſi illius conſenſo; tales ſunt, *Primò*, Epiſcopi; hi enim iureiurando ſunt obſtricti obedire Romano Pontifici, vnde ſine illius conſenſo non poſſunt: In iure autem ponuntur quædam cauſæ, ob quas Epiſcopis conceditur renunciatio Epiſcopatus ad ingrediendam religionem; nimirum, *Conſcientia criminis*, quod etiam poſt pœnitentiam impedit executionem officij, *Debilitas corporis*, *defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, & irregularitas, cap. niſi cum pridem, de renunciatione*. Aduertendum tamen ſi Epiſcopus vouerit religionem, votum non fore inualidum, quia fieri poteſt vt id, & ipſi Eccleſiæ ſit melius; vnde teneretur ſuum votum Summ. Pont. aperire, & copiam exequendi petere. Vide D. Thom. *cit. q. 189. art. 7.* Sylu. *verb. rel. 3. 2. q. 8.* Leſſium *cit. n. 24.* Vecch. *diſp. 2. dub. 5.* & alios. D. Thom. Sylu. Leſſius. Vecchis.

2. *Secundò coniuges*, ingredi non poſſunt religionem poſt conſummatum matrimonium, vnde ſi altero ignorante vel ſaltem non conſentiente profiteatur, alter poteſt profeſſionem irritare, & coniugem repetere, & ille tenebitur redire, & debitum petenti reddere, non tamen poterit exigere, ſed quantum in ſe eſt ſeruare caſtitatem, *Cap. Quidam, & Cap. Placet, de conuerſ. coniugat.* *Poſſunt* tamen coniuges religionem ingredi accedente mutuo conſenſu; vxor verò conſentiens in ingreſſum mariti, tenetur etiam ingredi, ſi iuuenis eſt, vel talis, vt in ſæculo manenti meritò timeri poſſit de incontinentia. Si autem ſit ſenex, aut certè talis, vt non ſit ei morale periculum in ſæculo, ſufficiet votum continentiæ in manibus Epiſcopi. *Cap. cum ſis, Cap. Vxoratus, Cap. ad Apoſt. de conuerſ. coniugat.*

Sed dubium eſt, qua ætate mulier dicatur ſenex, vt vir poſſit profiteri religionem, remanente illa in ſæculo cum voto caſtitatis? Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſp. 32. num. 15.* Guttierez *tract. de matrim. cap. 95. num. 2.* docent fœminam quinquagenariam eſſe ſenem quoad hunc effectum; quia attento breuiori curſu vitæ illarum, ac celeriori ſenectutis aduentu, tam ſenex eſt mulier quinquagenaria, quam vir ſexagenarius, & libidinis ardor ita tepeſcit in illa, ac in hoc: huic etiam ſententiæ adhærent Bonac. *de matrim. q. 3. punct. 4. num. 12.* Filliucius *tract. 10. p. 2. num. 133.* Alij aſſerunt fœminam dici ſenem quoad hunc effectum, quando eſt ſexagenaria. Ita Fauſtus *in theſau. relig. lib. 5. q. 55.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 1. qu. 6.* Hæ ſententiæ ſunt probabiles. Sed mihi maximè probatur ſententia Poncij *de matrimon. lib. 9. cap. 12. num. 3.* docentis hoc arbitrarium eſſe, & ex circumſtantijs perſonæ, valetudinis, roboris, & anteactæ vitæ conſiderandum & definiendum eſſe: proinde ad Epiſcopum pertinet iudicare vtrum vxor in his caſibus extra incontinentiæ periculum exiſtens, quæ conſenſit, ab eo licentiam petere, vt colligitur ex *cap. ſi vir, & vxor, 27. quæſt. 2.* & ita ſeruatur in praxi. Aduertendum autem eſt, quòd ſicut vxor conſentiens in ingreſſum mariti, tenetur ingredi, vel ſaltem profiteri continentiam; ita etiam, maritus conſentiens in ingreſſum vxoris. *Cap. Quia Agatho. Cap. Scripſit nobis, 27. q. 2.*

3. *In quatuor caſibus*, poteſt alter coniux inuito altero ingredi. *Primò* antequam matrimonium ſit conſummatum. *Cap. Verum, & Cap. Ex publico de conu. coniug.* *Secundò*, etiam poſt conſummatum poteſt vxor ingredi, iuxta probabiliorem ſententiam, ſi vir per vim conſummauit ante expletos duos menſes, qui ei à iure conceduntur; quia ei grauem iniuriam intulit, ratione cuius non debet ipſa priuari ſuo iure: idem dicendum ſi per metum grauem copulam extorſit. Sanchez *de matrimon. lib. 2. d. 22. num. 6.* Sà *verb. matrim. num. 17.* Diana *de Sacram. reſol. 242. p. 3.* *Tertiò*, ſi alter coniugum committat adulterium, innocens poteſt religionem ingredi: debet tamen primò fieri ſeparatio authoritate Iudicis, cauſa cognita, ad vitandum ſcandalum, & vt non poſſit repeti, & cogi ad redeundum. *Cap. Agathoſa, 27. q. 2. Cap. Porro, de diuor.* Vecchis *diſp. 3. dub. 3.* Quòd ſi alter etiam adulterium occultè commiſit, non poteſt coniugem dimittere, vt religionem ingrediatur, quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur. *Cap. fin. de adult.* Item dicendum, ſi cognito illius peccato debitum petijt, vel reddidit, quia illi cenſetur reconciliatus, ius ſuum condonaſſe. *Diſt. 32. q. 1. c. 1.* Sylu. *verb. diuort. q. 8. & 9.* *Quarto*, ſi alter coniux incidat in hæreſim, & iudicio Eccleſiæ fiat ſeparatio; tunc innocens poteſt ad religionem tranſire, etiamſi alter conuerti voluerit. *Cap. de illa, de diuort.* Sanch. Sà. Diana. Vecchis.

4. *Tertiò*, non poſſunt ingredi religionem, qui virginem ſub promiſſione matrimonij defloraruntt; nec refert vtrum ſeriò an fictè promiſerint: hi enim tenentur implere contractum, ob graue damnum, quod alioquin

illa

illa intueretur: vel eam dotare, ſecundùm illius conditionem. Sanch. *de matrimon. lib. 8. d. 36. num.* 8. Leſſius *lib. 2. cap. 10. dub. 4.* Rodriquez *tom. 3. q. 10. art. 9.* Vide Diana *de Sacramentis, reſolut,* 203. *part.* 3. Vecchis *diſp. 3. dub. 4.* (Leſſius. Rodriq. Diana.)

Vnde in aliquibus caſibus non teneretur ſtuprator deflo- ratam ducere. *Primò*, ſi notabiliter excedat puellæ ſtatum, vel ratione diuitiarum, vel nobilitatis, vel alterius huiuſmodi cauſæ, & eadem puella huius exceſſus erat conſcia. *Secundò*, quando probabiliter timetur ex eo matrimonio ſcandalum magnum conſurgere debere; vel ſi ex eo matrimonio malus exitus timeatur, vt ſi puella eſſet notabiliter leuis. *Tertiò*, quando fœmina ſe finxit virginem, ac proinde decepit virum. In his caſibus poſſe vir ad religionem tranſire. Sed his plura *verb. ſponſalia* 11, *num.* 4. Quid autem dicendum ſit de illo, qui priùs votum religionis aut caſtitatis emiſit, virginemque deflorauit cum promiſſione matrimonij, an teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum. Communis ſententia eſt, talem teneri ad contrahendum matrimonium, ſi puella votum promittentis ignorauit. Quia ingreſſus religionis iam factus eſt ei illicitus; non enim poteſt ingredi, niſi grauem iniuriam irrogando puellæ. Leſſius *lib. 2. cap. 10. num.* 32. Sanchez *lib. 1. d. 45. num.* 3. Diana *tract. de Sacram. p. 3, reſol.* 280. Contraria tamen ſententia, quæ eſt Nauarri, Rodriq. apud Layman *lib. 5. tract. 10, p. 1. cap. 2. num.* 5. eſt ſatis probabilis; quia promiſſio illa fuit nulla, quia rei illicitæ: vnde talis tenetur ad vota. Vide prætereà Dian. *part. 5. tract. 14. reſol.* 38. Si tamen corrupta non ignorabat illum vel caſtitatis; vel religionis voto eſſe obſtrictum: certum eſt non teneri eam ducere; quia puella non bona fide contraxit, cùm non ignoraret, ipſum nec nuptias promittere, nec licitè contrahere poſſe: vnde in hoc caſu non fuit decepta, niſi fortè violator perſuaſiſſet puellæ, ſe facilè obtenturum diſpenſationem.

Prætereà ad religionem ſe conferre poteſt, qui deflorauit virginem, nulla habita matrimonij promiſſione, ſi poſtea defloratæ promittat matrimonium. Ratio eſt, tum quia promiſſio matrimonij ex mera liberalitate proceſſit. Tum quia cùm delictum nullam rationem iniuriæ habeat, nec ad aliquid reſtituendum obliget, conſequenter promiſſio, ſeu obligatio includit tacitam conditionem, niſi tranſitus ad religionem eligatur. Si autem defloratio fuerit iniurioſa, id eſt, extorta mediante violentia, vel precibus violentiæ æquipollentibus, & ſua ſponte poſt deflorationem promittat matrimonium ob ſatiſfactionem iniuriæ puellæ illatæ, probabiliùs eſt, adhuc promiſſionem eſſe liberam, ac proinde integrum eſſe promittenti, vel eam ducere, vel eius dotem augere: & per conſequens habilem non eſſe ad religionem poſt ſatiſfactionem. Ita Leſſius *lib. 10. c. 10. dub. 4. num.* 35. & noſter Vecchis *cit. num.* 18. quamuis Sanchez hoc numero citatus, cenſeat, talem contra hanc obligationem ex iuſtitia debitam non poſſe ſtatum religionis ſuſcipere contradicente muliere; quia hæc matrimonij promiſſio, acceptante muliere, nequit dici liberalis, ſed verè ſatiſfaciens iniuriæ violationis, & ex vi illius debita. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

5. *Quartò*, ſeruus, quamdiu eſt ſeruus, & libertatem non eſt conſecutus, non poteſt ſtatum religionis capeſſere abſque conſenſu Domini. *Cap. ſi quis* 17. *q.* 2. Sylu. *verb. relig. 2. num.* 3. Leſſius *lib. 2. c. 41. num.* 31. Syluius 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. quia quoad actiones vt les, ſeruus totus eſt Domini, & ſi profeſſionem feciſſet, Domino petenti eſſet reſtituendus, tenetur tamen tunc ſeruare caſtitatem, quia ad illam potuit ſe obligare inuito Domino. Vt docet Vecchis *in praxi diſput. 2. dub.* 2. (Sylu. Leſſius. Syluius.)

6. *Quintò*, qui creditoribus non poteſt ſoluere, nec poteſt ingredi, ſi intra paucos annos manens in ſæculo poſſit ſatisfacere; ſi autem non eſt probabilis ſpes ſatisfaciendi intra illud tempus, vel manendo diutius in ſæculo incurreret notabile periculum ſalutis, poteſt ingredi, relinquendo bona ſua creditoribus diuidenda pro rata. D. Thomas 2. 2. *q. vlt. art.* 6. Medina *C. de reſt. q. 3. c.* 8. Syluius 2. 2. *q. vlt. art.* 6. Sylu. *verb. relig. 2 q.* 4. Fumus *verb. relig num.* 3. Debita autem impedientia ingreſſum religionis debent eſſe orta ex contractu, vel delicto: at verò ſi debita ſint ex liberalitate, quia liberaliter promiſit, non impediunt ingreſſum religionis: quia talis promiſſio ita debet intelligi, vt non ita obliget promittentem, quin poſſit intrare religionem. Vt notauit Medina. *Cod. de reſtit. quæſt. 3. cauſa 8. ad* 1. (D. Thom. Med. Syluius.)

Et licet ex conſtitutione Sixti V. *Cum de omnibus*, talis reddatur inhabilis, & ad receptionem, & ad profeſſionem: hæc tamen Conſtitutio à Clemente VIII. quoad profeſſionis nullitatem moderata, & reducta fuit ad iuris communis terminos. Et ideò manet in ſuo vigore, ſolùm quoad illicitam huius receptionem, & recipientium pœnas, prout patet ex Bulla Clementis edita anno 1602. die 2. Aprilis, quę incipit: *In ſuprema Eccleſ. Apoſtol. Specula.* Apud Vecchis *in praxi diſp. 2. dub.* 12.

7. *Sextò*, qui reddendis rationibus ſunt obnoxij, non poſſunt intrare, quia illorum perſona eſt ad illam functionem obſtricta; niſi priùs ſe expediant, ſi ſint ratiocinia Reip. ſi verò ſint priuatorum, quamuis honeſtum ſit vt ſe expediant, tamen non eſt neceſſarium. Leſſius *cit. num.* 33. Sylu. *cit. q.* 6. Rodriquez *cit. art.* 11. Quidam tamen Doctores docent obligatos, & publicis, & priuatis ratiocinijs reddendis, ab ingreſſu religionis prohiberi; quia in conſtitutione Sixti V. dicitur, quòd reddendis ratiocinijs obnoxij, nullatenus recipiantur. Cum ergo Pontifex abſolutè, & abſque vlla diſtinctione loquatur, nec nos diſtinguere debemus. Ita Suarez, Miranda, Sanch. apud Vecchis *diſp. 2. dub.* 15. (Vecchis.)

8. *Septimò*, Filius non poteſt intrare religionem, ſi parens eius extrema vel graui egeſtate prematur, & ipſe nequeat illi, niſi manendo in ſæculo prouidere; quia iure naturæ tenetur eo caſu parentem alere: idem dicendum de parente, & filius ſimili neceſſitate prematur; non tamen eſt ea obligatio erga fratres & ſorores, quia non eſt inter illos vlla dependentia, ſicut inter parentes, & proles. D. Thomas *cit. q. 189. art.* 6. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num.* 1. Leſſius *cit. num.* 34. Si tamen filius parentibus ſeruire non poteſt, ſine ſalutis ſuæ diſpendio, id eſt, periculo probabili peccati mortalis, poſſet intrare, vt ait Syluester *verb. relig. 2, num.* 7. Vecchis *cit. diſp. 2. dub.* 8. Ratio eſt, quia vnuſquiſque ex charitate ordinata tenetur magis diligere ſuam propriam ſalutem ſpiritualem, quam corporalem ſalutem parentum. (D. Thom. Layman. Leſſius.)

Sed aduertendum eſt circa prædicta cum D. Thoma, & alijs hic citatis, quòd ſi alius ſit qui poſſit, & velit parenti ſubuenire in tali neceſſitate, poſſe filium religionem intrare. Nam Chriſtus aliquos filios vocauit, qui adhuc habebant parentes, & eos pauperes. Alios autem vocauit, ſcilicet Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui relictis retibus & patre ſecuti ſunt Chriſtum, vbi Lirauus ait, ideo ipſos reliquiſſe parentes, quia alij erant, qui parentibus ſubuenirent.

Porrò, ſi filius parente in graui neceſſitate conſtituto profeſſus fuerit, tenetur egredi, ſi aliter ei ſubuenire non poteſt, quia ingredi non poterat, obligatione ſubueniendi iam contracta; profeſſio tamen non eſt irrita, ſed ſuſpenditur executio donec parenti prouiderit. Rodriquez *t. 2. ſum. c. 6. concl.* 4. Nauar. *cap. 14. num.* 14. Si verò inciderit parens ex improuiſo in hanc egeſtatem poſt filij profeſſionem, non tenetur filius egredi, quamuis poſſit, obtenta licentia à Prælato; quia iam mutauit ſtatum, nec ſubeſt amplius patriæ poteſtati, ſed Prælato; vnde illi obligationi ſuperuenienti non tenetur ſatisfacere, niſi quantum poteſt ſaluo ſtatu; quod intelligendum eſt, de egeſtate non extrema, ſed minori, in qua poteſt parens vtcumque viuere, licet multa incommoda perferat; ſi enim eſſet extrema, teneretur filius omni modo ſubuenire, etiam egrediendo religionem, petita tamen licentia, etſi non obtenta; quod etiam externo in pari neceſſitate præſtare deberet: quia obedientiæ votum non poteſt eſſe impediens obligationis iuſtitiæ ac miſericordiæ. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 101. *art. 4. ad* 4. Caiet. *ibid.* Layman *cit. nu.* 2. Leſſius *cit. num.* 34. Sylu. *cit. q.* 7. Bonacina *t. 2. d. 6. q. vn. p. 5. num.* 7. Sa *verb. relig. nu.* 2. Sanchez *lib. 4. mor. c. 20. nu.* 4. Sylu. 2. 2. *q.* 101. *art. 4. concl. 1. & 2.* (D. Thom. Caiet. Bonac. Sanchez. Syluius.)

Notandum tamen quòd filius egreſſus è religione

habitum

habitum religionis geſtare debeat, ſi geſtatio habitus non impediret à lucro pro parentum ſuſtentatione: & in hac habitus dimiſſione non poteſt diſpenſare Prælatus, ſed ſolus Papa; vt colligitur ex *cap. 2. Ne Clerici vel Monachi, in 6.* & docet Nauarrus *tom. 1. conſil. titul. de regul. conſil.* 31. Item Religioſus quamdiu in ſæculo manet, obſeruare debet non ſolùm eſſentialia religionis, ſed etiam maiora præcepta & minores obſeruantias ſuæ religionis, vt ieiunia, &c. eo tamen modo quo commodè poterit. Item ſtatim debet atque parentes ſubleuauit ab illa neceſſitate extrema, & illis prouidit, reuarti ad religionem ſuam. Et ſi à Prælato religionis fuerit requiſitus, illeque offerat aut procurare velit neceſsaria pro parentum neceſſitate, paratus debet eſſe Religioſus ad religionem & ordinem redire.

An autem Patri, filios in neceſſitate conſtituto habenti, integrum ſit religionem ingredi: dicendum eſt quod non: quia idem iudicium eſt de obligatione Patris in filios, quod eſt filij in parentes, quantum ad propoſitum ſubueniendi neceſſitati alterius. Vide Bartholomæum Vecchis *diſp. 2. dub. 9.*

Cæterum quamuis filij in prædictis caſibus non teneantur abſtinere ab ingreſſu religionis, neque illum differre propter paupertatem aut ſcandalum parentum: in multis tamen caſibus bonum eſt, & laudabile ipſis filijs, vel abſtinere ab ingreſſu, vel illum differre. *Primò.* Quando parentes oppreſſi ſunt ære alieno. *Secundò.* Quando neceſſitas parentum licet non ſit extrema, neque tanta, vt cogat eos mendicare, aut alijs ſeruire, eſt tamen valde grauis. *Tertiò.* Quando parentes ſunt onuſti multitudine filiorum, maximè filiarum, quarum pudicitia paſſura ſit magnum periculum, niſi illis ſubueniatur. *Quartò.* Quando parentes decidere deberent valde notabiliter de ſuo ſtatu; & exinde deuenirent ad ſummam miſeriam. In his & ſimilibus caſibus poſſunt filij abſtinere ab ingreſſu religionis ſine vllo ſcrupulo & conſulendum illis erit vt abſtineant, & etiam Prælati religionum eos admittere non deberent, modò filij poſſint facilè viuere in ſæculo ſine peccato mortali.

9. *Octauò.* Pueri non poſſunt religionem intrare, ſine conſenſu parentum, vel tutorum ante annos pubertatis, quia ſubſunt illis quoad vitæ diſpoſitionem; vbi verò ad annos pubertatis peruenerint, efficiuntur ſui iuris in ijs, quæ ad ſtatum vitæ pertinent: vnde poſſunt religionem ingredi, etiam inuitis parentibus, quamuis ante 16. annum completum non poſſint profeſſionem facere. D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. & *q.* 101. *art.* 4. & *q. vlt. art.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 1. *queſ.* 1. Sylu. 2. 2. *queſ.* 189. *artic.* 6. Vecchis *cit. diſp.* 2. *dub.* 6.

D. Thom. Azor. Sylu. Vecchis.

10. *Nonò*, Illegitimus non poteſt admitti in religionem in qua pater eius ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem profeſſus fuerit, ſi adhuc ſit ſuperſtes. Gregorius XIV. & Clemens VIII. apud Rodriq. *tom.* 3. *quæſtionum reg. q.* 10. *art.* 4. & 5. Leſſ. *cit. num* 36. & 37. Ratione autem propriarum conſtitutionum, excluduntur à quibuſdam religionibus homicidæ, infames, nati ex Iudæis, Sarracenis, vel Hæreticis vſque ad quartam generationem. Vnde pro ordine Fratrum Minorum regularis obſeruantiæ extat Bulla Pauli IV. confirmata per Gregorium XIII. qua prohibetur ſub grauibus pœnis eos recipi, qui ex genere maculato deſcendunt. Similem Bullam obtinuerunt Religioſi Sancti Franciſci de Paula, vt refert Rodriquez. Quæ omnes Bullæ, cùm ſint pœnales propter pœnas in eis contentas, & comprehendant dumtaxat peculiares religiones, ad alias extenduntur. Ratio eſt, quia in pœnalibus licet fiat aliquando extenſio ex veriſimili mente Pontificis de caſu ad caſum, non tamen fit de perſona ad perſonam, ac proinde, nec de religione ad religionem. Si enim ipſæ per communicationem alijs religionibus communicantibus in indultis competerent; ſequeretur, quòd ſicut ipſis communicantur in Bullis decreta, ita etiam communicarentur pœnæ, in quas incurrunt ipſorum decretorum tranſgreſſores. In pœnis enim & cenſuris nullo pacto fit ipſis Religioſis communicatio, cùm ſecundum regulam iuris, odia reſtringi, & fauores conueniat ampliari. Vide Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum reg. q.* 11. *art.* 4. & *t.* 1. *q.* 55. *art.* 17. Mirandam *in Man. Prælat. t.* 1. *q.* 19. *art.* 7. & *t.* 2. *q.* 46. *art.* 6. Vecchis *in praxi nouit. diſput.* 3. *dub.* 1. Tamburinium *de iure Abbat. t.* 1. *diſput.* 17. *qu.* 5. & alios, & ſuperiùs dicta, *verb. Irregularitas* 2. *num.* 3.

Rodriq. Miranda. Vecch. Tambur.

11. Corpore vitiati ſunt inhabiles ad ingreſſum religionis, niſi morum integritas, inſignis doctrina, vel magna ſanguinis nobilitas corporalem defectum ſuppleant. Ratio eſt, quia corpore vitiati arcentur à miniſterio Altaris, vt habetur *in tot. tit. de corpore vit.* & *c.* 2. *de Cler. ægrot.* Profeſſio tamen iſtorum de iure communi irrita non eſt: quia nullibi in iure hoc prohibetur. De cæco enim, quòd validè profiteatur, certum eſt; quia poteſt ore proferre verba profeſſionis. De muto, & de ſurdo, quòd profiteri poſſint per ſigna, docet Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 12. *num.* 32. De claudis, mancis, luſcis, ſurdaſtris, ſimiliter validè profiteri certum eſt, cùm hoc non reperiatur in iure prohibitum, licet ab iſtis, & ſimilibus omnino abſtinere debeant Prælati Regulares, niſi merita, doctrina inſignis, vel magna ſanguinis nobilitas, defectus compenſent. Ita Vecch. *in praxi nouit. diſp.* 3. *dub.* 6.

12. Infames & buffones, hiſtriones, carnifices, alijque ſimiles non debent ad Religionem recipi, quia ad clericatum promoueri non poſſunt, neque etiam poſt peractam pœnitentiam, quia ſunt infames. Hi tamen ſi recipiantur in Religione, eorum profeſſio valida erit, quia nullibi irrita reperitur.

13. Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, ſub grauiſſimis pœnis cautum eſt, ne criminoſi, aut de crimine ſuſpecti, ad religionis habitum recipiantur: criminoſi autem in hac conſtitutione dicuntur, qui facinora exorbitantia, turpiaque perpetrauerunt, vt furtum, latrocinium, rapinam, homicidium, vel aliud ſimile delictum. Requiritur autem vt crimen ſit publicum, non ſolùm notorietate facti; verùm etiam iuris aliquo modo. Vnde neceſſe eſt, vt accuſatio vel inquiſitio illius conſtet actibus publicis. Secundò, vt in particulari ſit contra aliquem criminoſum inquiſitum; & ideò non ſufficit inquiſitio in communi facta. Tertiò, vt hæc accuſatio, ſeu inquiſitio præcedat ſuſceptionem habitus, & facta ſit coram Iudice ſæculari. Notandum tamen, ſi poſt accuſationem, vel inquiſitionem reus eſt abſolutus, vel innocens declaratus, licitè, & validè poteſt ad Religionem admitti: quinimò, etiamſi de tali crimine iuridice conuictus, & deinde ad pœnam damnatus fuerit, ſi eam pœnam impoſitam perſoluit, & tam Curiæ, quàm parti ſatisfecit, quantum eſt ex dicta conſtitutione, etiam poterit ad Religionem admitti; quia intentio Summi Pontificis ſolùm fuit obuiare, ne colore Religionis delicta impunita remanerent. Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum regul. quæſt* 10. *art.* 7. Miranda *t.* 1. *q.* 19. *art.* 8. Suarez *de relig. t.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 16. *num.* 39.

Rodriq. Miranda. Suarez. Sanchez.

Notandum tamen eſt profeſſionem horum criminoſorum eſſe iure communi validam; imò & ſecundùm moderationem Clementis VIII. ſupra citatam *num.* 6. Nihilominus ſi Nouitius ante ingreſſum, vel ante profeſſionem ſit inuentus habere aliquod impedimentum Sixti V. de criminoſis, debet expelli, etiamſi non ſit impedimentum de iure communi: aliàs incurret Prælatus pœnas illius: excipe impedimentum illegitimi, quod ſublatum eſt per Gregor. XIV. cum illa modificatione de filio Religioſi, vt diximus ſupra *num.* 10.

14. Bigami non poſſunt ad Religionem in Clericos recipi, benè tamen in laicos, ſicut & illiterati: quia poſt profeſſionem debent ea ſcientia ſaltem pollere, quæ ad diuinum Officium ritè perſoluendum neceſſaria eſt, vt dicunt communiter Doctores.

15. Sed quia iuxta Sixti V. conſtitut. quæ incipit, *Cùm de omnibus*: & Gregorij XIV. *Circumſpecta Romani prouidentia Pontificis*, inquiſitio, ſeu informatio fieri debet in receptione Nouitiorum de conditionibus, quæ de iure canonico, vel vigore prædictarum Conſtitutionum requiruntur in ijs, qui Religionis ingreſſum petunt; ideo ſequentia, pro dicta informatione facienda, notanda proponimus.

Primò,

Digitized by Google

Primò, Conſtitutio Sixti V. nullam exigit inquiſitionem fieri de vita, ac moribus eorum, qui decimum ſextum ſuæ ætatis annum nondum expleuerunt.

Secundò, quoad mores & anteactam vitam, poſtulat præcipuè, vt recipiendus non ſit criminoſus, aut de crimine ſuſpectus, nec ſit ære alieno grauatus, neque reddendis rationibus obnoxius.

Tertiò, mandat diligentem inquiſitionem fieri de parentibus, & patria recipiendi, vt conſtet, an legitimus ſit: quamuis quoad hanc partem moderata fuerit eius Conſtitutio à Gregor. XIV. ita vt ij illegitimi nunc ſint ad religionem habiles, modò eorum mores & merita ſuppleant natalium defectum.

Verùm quoad obligationem ex ſtatutis particularibus procedentem quiſque Superior regulas, ſtatutaque ſuæ Religionis obſeruare debet, ſi quæ alia impedimenta in illis ad ſuam Religionem præſcripta ſint, vt de eis conformatione ſumat.

Requirebat Sixtus V. vt antequam Nouitius reciperetur, fierent exactæ informationes de illius vita, & examinarentur à Patribus ibi aſſignatis in ſecunda ſua Conſtitutione. Sed quia hoc oneroſum erat, & occaſio ex dilatione facienda, vt iuuenes ad Religionem aſpirantes retrocederent, Clemens VIII. anno 1597. die 10. Septembris aliam Bullam condidit in fauorem Conuentus Sancti Stephani Salmaticenſis, quæ incipit: *In his, quæ ad Religionum propagationem*, in qua Priori & Conuentui Sancti Stephani Salmaticenſi Ordinis Prædicatorum, tunc, & pro tempore exiſtentibus, vt quoſcumque iuuenes, etiam 16. ætatis ſuæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quòd criminoſi, rationibus (vt præfertur) obligati, furto, lattocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis detenti non ſint, recipere, ac poſtea per aliquem eiuſdem Conuentus Religioſum ad hoc deputatum ad inueſtigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmiſſorum abſque ſtrepitu iudiciario, ſed per ſcrutinium ſecretum procedi facere, qui ad hoc deputatus proceſſum & informationem captam, dictis Priori, ſeu Præſidenti, ac Superiori, & Magiſtro Nouitiorum, & Studentium, à quibus approbari, & reprobari poſſit, referri fideliter debeat, liberè licitè poſſint & valeant. Et hoc modo recipiendi ferè vtuntur hodie omnes Religioſi, per communicationem illius priuilegij illius Conuentus, in quo omnes Religioſi ferè participant. Nota tamen circa officium Magiſtri ſtudiorum, quod proprium eſt in Ordine Prædicatorum; & alibi fortè non reperitur: ſeruetur conſuetudo, vt loco illius ponatur lector Theologus, vel antiquior, doctior, &c.

Hodie profeſſio tenet etiamſi prædictæ informationes non fiant prædicto modo, ſi Nouitius non eſt inhabilis de iure communi. At Prælatus localis illas culpabiliter omittens incurrit pœnas à Sixto V. poſitas, quæ ſunt priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ; priuatio officij, honorum, ac dignitatum, & inhabilitas ad omnia officia, ſi à parte rei Nouitius ſic receptus abſque informationibus, fuerit alias criminoſus, & ligatus aliquo impedimento ex ibi notatis. Si verò careat omni impedimento, non incurret pœnas, quia textus ligat ſolùm recipientes criminoſos, &c.

Vnde non peccant Prælati recipientes ad Religionem quempiam ſine vlla inquiſitione, quando notum eſt, vel probabilibus coniecturis pro certo habetur nullo modo impediri, quin ad Religionem transferri poſſit: ſecus verò ſi conditio recipiendi ſit ignota, vel concurrant circumſtantiæ, quibus rationabilis alicuius impedimenti dubitatio habeatur: quia tunc fieri debet inquiſitio de vita, vel altera harum conditionum, de quibus rationabiliter dubitatur; quia Prælatorum eſt admittere dumtaxar habiles, & excludere inhabiles. & ſi ne ea inquiſitione conſequi non poſſunt perfectam cognitionem eorum, qui conditionibus requiſitis pollent, vel qui eis carent.

Circa Nouitios, qui in remotiſſimis partibus nati ſunt, non requirit Sixtus V. in ſua Conſtit. quæ incipit, *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, tam exactam informationem fieri, quàm de natis in propinquo: vnde in hoc caſu ſufficiet adhiberi conuenientem diligentiam, quam requirit præfata Conſtitutio: quòd, ſcilicet, ingreſſurus Religionem vel iureiurando affirmet ſe nullo impedimento Bullæ Sixti V. obſtrictum eſſe, vel ſaltem ij, cum quibus verſatus eſt in loco, ſeu religione vbi recipiendus eſt, fidem faciunt quoad totum illud tempus, ſe neſcire in tali perſona aliquod ex dictis impedimentis reperiri. Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum reg. quæſt.* 10. *art.* 3. putat eam dici remotiſſimam regionem, ad quam intra annum non poteſt iri ac rediri niſi cum magna difficultate, & inde informatio extrahi. Sed cenſeo iudicio Superioris relinquendum eſſe, quando verè è longinquis & remotiſſimis partibus eſſe dicatur.

Talis informatio fieri poteſt tam per Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, modò tamen ijs proponantur examinanda, quorum Nouitium intereſt recipere: imò poteſt fieri informatio per aliquem Monachum idoneum ab illis ſtatuendum, qui gaudeat authoritate recipiendi Nouitios: qui Monachus poterit per Notarium ſæcularem ſiue Religioſum, ſiue per ſeipſum teſtes per ſcrutinium ſecretum examinare, præmiſſo iuramento, ſine facultate Ordinarij, & ſumptà informatione, eam Superioribus præſentare, vt de ea conſultare poſſint. Vt conceſſit Clemens VIII. in ſua Conſtitut. die 7. Septembris 1597. apud Rodriquez *citat. art.* 1. Hæc autem informatio debet eſſe iuridica, facta, nimirum, per duos vel tres teſtes iuratos, qui iurent, in tali perſona à ſe bene cognita, non eſſe vllum ex impedimentis contentis in conſtitutione prædicta. Nec ſufficit quòd generaliter dicant, ne ſcire illam eſſe comprehenſam in dicta Conſtitutione: hæc enim negatio nihil probat, vt per ſe conſtat.

Non eſt neceſſe facere informationes præceptas à Sixto V. circa Religioſum tranſeuntem de vna Religionem ad aliam, & in ſecunda profitentem, quia Sixti V. Conſtitutio expreſsè tantùm loquitur de ſolis iuuenibus ſæcularibus. Si tamen ei deſit aliqua huius conſtitutionis conditio, quam etiam requirat ius commune, recipi non poteſt in ſecunda Religione, vt ſi obnoxius ſit reddendis publicis ratiocinijs.

Vt autem huiuſmodi informationes aliquo ordine fiant, hic adnotandæ ſunt breuiter vna poſt aliam: quæ licet non enumerentur omnes in Conſtitutionibus Summorum Pontificum, ſed ſolùm quarta interrogatio, ſexta & ſeptima, tamen operæ pretium duxi cum noſtro Bartholomeo de Vecchis *in praxi nouit. diſputat.* 6. *dub.* 7. eas ſic ordinatè recenſere: quia ex vi iuris Canonici, vel Regulæ, aut conſtitutionum cuiuſcumque Religionis videntur neceſſariò apponendæ.

Prima, an teſtes agnoſcant parentes N.N. ſciantque eos eſſe veræ fidei Catholicæ ſectatores, ac bonæ famæ & nominis.

Secunda, an ſciant N. præfatorum eſſe filium, ac de legitimo matrimonio natum.

Tertia, an ſciant, eumdem eſſe ſui iuris, & liberum, vt diſponere valeat de perſona ſua, non ligatum matrimonij vinculo: & an ſciant, eum promiſſionem dediſſe alicui virgini, vel mulieri, eam ducendi in vxorem.

Quarta, an ſciant, eum eſſe virum probum, ac bonis moribus præditum, & præſertim an ſciant, eum perpetraſſe aliquod delictum, vel homicidium, furtum, latrocinium, vel quid ſimile, quod fuerit deductum in iudicium, aut ſuper eo aliqua facta fuerit inquiſitio.

Quinta, an ſciant, eum amiſiſſe bonum nomen apud homines ratione alicuius enormis delicti, vel pœnæ execrabilis ei illatæ, ita vt perpetua notetur infamia.

Sexta, an ſciant eum eſſe debitis vltra facultatem ſuam onuſtum, quæ ſoluere non poſſit, ab eiſque faciliter ſe expedire.

Septima, an ſciant eum ratiocinijs, tam publicis, quàm priuatis eſſe obnoxium.

Octaua, an exiſtiment, eum bono fine ad Religionem ſe transferre.

Nona,

Nona, an ſciant, eum eſſe integræ valetudinis mentis ac corporis,& præſertim,an ſciant eum aliquo morbo contagioſo laborare.

Forma autem iuramenti præſtanda ijs, qui volunt Religionem ingredi, & literas teſtimoniales de eorum vita & moribus non adferunt, extat apud Vecchis *citatum dub*.8. apud quem plura de hac materia per totam *diſp*.9. & apud Tamburinium *tom.3. de iure Abbat. diſput.6.quæſt.4*.Portel.*in dub.regul.verb.Nouitij informationes*.Rodriquez *tom.3.quæſtionum regular.q.10.per totam*. Mirand. *in man. Prælat. tom.1. quæſt.17 18. & 19.* Peyrinum *tom.3.de Prælat.q.3.cap.1.§.1*.

Sed dubium eſt, an recipiendus teneatur ſub pœna lethalis culpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur Religionis ingreſſus. *Reſp*. affirmatiuè; etiamſi non ſit interrogatus, dummodo impedimentum aduertat, aut de eo dubitet. Ratio eſt, quia quotieſcumque proceditur non ad punitionem, ſed vt vitetur peccatum, tenetur interrogatus aperire impedimentum: maximè ſi exinde deciperetur Religio in re grauioris momenti, vel ſi profeſſio eſſet inualida. Ita Nauarrus, Miranda, Suarez, Sanchez apud Vecchis. *cit.dub.1.*

RELIGIO IV.

De nouitiatu & Nouitijs.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ætas requiratur ad profeſſionem emittendam, tam iure antiquo, quam nouo Tridentini.*
2 *Quomodo annus nouitiatus ſit computandus?*
3 *Conceſſio Pij V. Monialibus S. Dominici, vt Nouitia ſtatim moritura, poſſit ante annum completum probationis profiteri. Et quis ſuccedant huiuſmodi nouitiæ?*
4 *Si Nouitius & Monaſterium renuncient nouitiatus anno, An profeſſio valida ſit, eo non completo?*
5 *Annus nouitiatus, vt ſit legitimus, an debeat eſſe integre & continuus? & quibus modis annus nouitiatus interrumpatur?*
6 *Quando Nouitius expleto nouitiatus anno exiuit, an poſtea iterum rediens ad idem vel aliud Monaſterium eiuſdem Ordinis, poſſit ad profeſſionem admitti?*
7 *An de nouitiatus eſſentia ſit, vt ille peragatur in habitu religionis?*
8 *An ex licentia Superioris nouitiatus poſſit peragi extra Monaſterium?*
9 *An opus ſit iteratione nouitiatus ad profeſſionem irritam ratam habendam?* refertur duplex ſententia.
10 *An accipientes ad profeſſionem Nouitium ante completum annum probationis ſint excommunicati, & ſuſpenſi, & profeſſio irrita ſit? An tales ſuſpenſi fiant irregulares, ſi aliquem ad profeſſionem admittant. Et an annus nouitiatus ex cauſa iuſta poſſit prorogari?*
11 *An nouitij adſtringantur præceptis, & ſtatutis religionis & eius Superiorum?* refertur duplex ſententia.
12 *An Nouitij gaudeant priuilegio Canonis & fori?*
13 *An caſus reſeruati in Religionibus ſe extendant ad Nouitios?*
14 *A quo Epiſcopo ſit ordinandus Nouitius?* refertur duplex ſententia.
15 *An Nouitius teneatur ad expenſas Monaſterio ſoluendas, ſi ante profeſſionem è Religione egrediatur? An tunc Nouitio reſtituendus ſit habitus Religionis?*
16 *An Nouitius à Religione recedens, reincidat in cenſuras & irregularitates a quibus fuit abſolutus in Religione.*

1 SEcundùm iura antiqua, maſculus completo 14. ætatis anno, mulier 12. ad profeſſionem admittebantur, & ante annum probationis in Religione expletum, accedente Nouitij voluntate & iuſta cauſa interueniente, cum conſenſo Prælati & communitatis. *Cap.1.de reg.in 6.cap. non ſolum, & cap.conſtitutionem de reg.in 6. cap.ad Apoſtolicam, de reg.* ſed poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15. de reg.* Rodriquez *tom. 3. quæſt.q.15.art.1. & 3.* id non licet, ante annum probationis expletum,& 16. ſuæ ætatis: aliàs irrita eſt profeſſio. Cuius Tridentini decretum, non ſolùm in expreſſa: ſed etiam in tacita profeſſione locum habet; nec in hoc malitia ſupplet ætatem, vbi à iure certus numerus & determinatus annorum requiritur, licet aliàs regulare ſit malitiam ſupplere ætatem.

2. *Annus nouitiatus* computandus eſt de momento ad momentum, cùm ſit materia fauorabilis, vnde Nouitiùs profiteri poteſt ipſo die quo finitur Sanchez *lib. 5. moral.cap.4.num.22.* In anno verò biſſexto, ſecundùm ius, duo dies debent pro vno reputari, & ſic quoad annum probationis, debent etiam computari pro vno; quia cùm hæc materia ſit politica & ciuilis, de ea politicè & ciuiliter loquendum eſt: ex quo fit, quòd annus probationis non debet eſſe annus ſolaris, & naturalis, qui neceſſariò trecentos & ſexaginta quinque dies & ſex horas ferè continet, ſed debet eſſe annus à Rep. vt talis declaratus. *L. cum biſſexti. ff. de verb. ſignificat.* (Rodriq.)
Rodriquez *citat.artic.4. & 5.* Diana *de dub. reg. part.3.* (Diana.)
reſolut.57. Portel. *de dub.reg.verb. Nouitius n.48.* Vec- (Portel.)
chis *diſ.11.n.2.* (Vecchis.)

Pius V. in conſt. Summi Sacerdotij cura, apud Rodriq. *cit. art.* 6. conceſſit Monialibus Sancti Dominici, vt Nouitia iudicio Medici ſtatim moritura pro ſua conſolatione, & vtilitate ſpirituali, ante annum completum probationis, modò ætatem ſufficientem habeat, profiteri poſſit in manibus Priorissæ, & lucrari Indulgentiam plenariam. Quæ conceſſio omninò valida eſt, ſaltem quoad ſorum conſcientiæ. Eiuſmodi tamen Nouitiæ defunctæ nequit ſuccedere Monaſterium, ſed eius parentes, qui ab inteſtato veniunt, quia eſt in fauorem ſpiritualem Nouitiæ, non in præiudicium eorum, qui veniunt ab inteſtato; quamuis Sanchez *cit. num. 16.* Hen- (Sanch.)
riquez *lib.13.de excom.c.40.num.2.lit.R.* exiſtimet, in (Henriq.)
hoc caſu, Monaſterium ſuccedere, eodem prorſus modo, quo ſuccedit in bona profitentium legitimo anno Nouitiatus peracto. Et huic ſententiæ adhærent etiam Diana *de dub.reg.reſ.17.p.3.* & alij multi ab ipſo citati, quia etſi profeſſionis finis ſit conſolatio Nouitiæ & ſpiritualis ipſius fructus; at vbi ſemel virtute illius priuilegij profeſſa eſt, redditur verè in poſterum profeſſa, nec ad priſtinam ſanitatem reſtituta indiget alia profeſſione; vnde eo ipſo quòd aliqua perſona profitetur, ſuccedit Monaſterium ipſi. Et hanc ſuam ſententiam con- (Diana.)
firmat Diana *p.5.tract.3.reſol.139.* Cui ſubſcribit Fauſtus (Fauſtus.)
in theſaur.relig.l.5.q.167.

4. Quamuis, ſecundùm Nauarrum *lib. 3. conſ. de reg.* (Nauar.)
conſil.33.num.5. Henriq *lib.13. de excomm.c.40.num.* (Henriq.)
2. diſputando defendi poſſit, iuxta *Cap.ad Apoſtolicam, de regul.* quando ex peculiari aliqua cauſa Nouitius & Monaſterium renunciant nouitiatus anno, profeſſionem valere, eo non completo; quia lex generalis etiam poſterior, generaliter loquens, limitatur per legem ſpecialem; at cùm in Concil. Tridentin. *cit.c.15.* ſtatuatur regula generalis, vt profeſſio non valeat ante expletum nouitiatus annum, nec alicuius iuris antiqui derogatio ibi addatur: non ergo cenſetur derogari caſui ſpeciali deciſo in *dict.cap.* Cæterùm, licet hæ rationes valde vrgere videantur, tenendum omninò eſt, nullatenus prodeſſe renunciationem anni nouitiatus, ſed ea non obſtante, profeſſionem fore irritam, & derogatum eſſe in (Sanch.)
hoc iuri antiquo citato. Sanch. *cit.num.18. & 19.* Ro- (Rodriq.)
driquez *2.tom.ſum.c.6.n.10. & tom. 3. quæſtionum reg.q.* (Azor.)
15.ar.7. Azor. *tom.1.lib.12.c.4.q.9.* Quare iure optimo Nauarrus & alij aſſerunt, partem hanc in iudicando & conſulendo tenendam eſſe, & hoc omnium religionum praxis vbique teſtatur.

5. Secun-

5. Secundùm communiſſimam Doctorum ſententiam, vt ſit legitimus annus nouitiatus, debet eſſe integre & continuus, & non ſufficit quòd ſit interpolatus; quia quoties in decreto vel lege præſcribitur aliquod tempus, debet eſſe continuum: & idcirco is annus petitur, vt nouitius integrè & perfectè Religionis aſperitates experiatur & onera, ritè autem & perfectè non experiretur ea per aliquod tempus intermittendo. Et hoc verum eſt, etiamſi Nouitius à Monaſterio aufugerit animo redeundi, & interim regulas Monaſterij ſeruauerit, & onera ſuſtinuerit, adbuc enim nouitiatus dicitur interruptus. Interrumpitur enim recedendo à Religione contra obedientiæ præſcriptum, niſi fortè receſſerit ad breue tempus, vt gratia fornicandi quadam nocte, aut conuiuij, aut alterius cauſæ, ſtatim rediturus, non cenſetur nouitiatus interruptus, etſi habitum ad illud tempus depoſuiſſet, ne cognoſceretur, vel quòd faciliùs intentum compararet; quia hoc non eſt religionem deſerere, nec habitum deponere: Secus dicendum videtur, ſi duorum vel trium dierum mora interceſſit, tunc enim annus non cenſetur continuus; vt enim ſit continuatio, debent eædem qualitates in re continuata manere, at in hoc euentu interceſſit factum contrarium, nempe dimiſſio nouitiatus & obedientiæ, ac proinde non permanſere eædem qualitates in illo anno. Quæ omnia intelligenda ſunt, quando Nouitius fugit animo redeundi ad Religionem. Rodriquez 2.*tom. ſum. cap.8. num.3. & tom.3. quæſtionum reg. quæſt.15.art.8.* Sà *verb. relig. num.9.* Azor. *tom.1.lib.12. cap.2. q.8.* Sanchez *cit.num.31. & 32.* Bonacina *de clauſ. q.2.p.10. diff.2.§.2.* Nauar. *de reg.conſ.32. & 33.* Henriq. *lib.13.de excom.c.40.n.2.* Syluest. *v.relig.5.q.4.* D. Anton. *3.p.tit.16.cap.3.§.2.* Fauſtus *in theſ. relig.lib.5. quæſt.163. & 164.*

Rodriq. Sà. Azor. Sanch. Bonac. Nauar. Henriq. Syluest. Fauſtus.

Quid autem dicendum ſit, ſi Nouitius è Monaſterio egrederetur abſque venia Superioris cum animo non redeundi, an huius Nouitij nouitiatus cenſeatus interruptus, etſi habitum non dimitteret. Leſſius *lib.2.cap.41. dub.7.num.59. §.2.* A Sorbo *v. Nouitius §.23.v. Secundo.* Lorichius *in theſ.tit.de regul.§.9.* Naldus *v. Nouitius n.4.* & alij, qui ſequuntur Nauar. *tit.de regul.conſ.42.* dicentem modicum interuallum non facere interruptionem moralem, reſponderent huius nouitiatum non eſſe interruptum. Lapus, Rotella, Sylueſter, Rodriquez, & Sanchez *lib.5.moral.cap 4. num.32. & 33.* qui citat illos aſſerentes quamcumque modicam interpolationem interrumpere nouitiatum, ſicuti quantumuis modicum defectum anni integri (licet ſit duarum horarum) ſufficere ad profeſſionem caſſandam (iuxta deciſionem Cardinalium,) vt tradit Barboſa *de iure can. lib.1. cap.42. num.139.* contrariam reſolutionem darent, & indubitanter aſſeuerarent huius nouitiatum fuiſſe interruptum. Suarez *de relig. tom.3.lib.5.c.15.num.6. & 7.* Nauar. *cit.conſ.33.* & illorum ſequaces dicunt nouitiatum non fuiſſe interruptum perfectè, & completè, ſed tantùm imperfectè & inchoatiuè, quoniam non dimiſerat habitum religioſum.

Suarez. Nauar.

Bartholomæus de Vecchis *in praxi diſput.11. dub.3. num.6. & 15.* arbitratur talem egreſſum fuiſſe actum conſummatum interruptionis nouitiatus; quia profeſſus tali modo egrediens, ſiue cum habitu, ſiue ſine habitu eſſet Apoſtata & deſertor Religionis, vt probat Suarez; ergo Nouitius ita egrediens fuit deſertor Religionis, & amiſit ſtatum quem habuit in Religione. Rodriquez *tom.3. quæſtionum regular. quæſt.15.art.8.* admittit quidem interruptum eſſe nouitiatum, ſed partes interruptas per priuilegium Iulij II. poſſe coniungi, eo quòd putet hoc priuilegium non eſſe reuocatum per Concilium Tridentinum. Licet Miranda *in Manual. Prælat.tom.1. quæſt.22. art.4.* & Vecchis *cit. num.6.* doceant eſſe reuocatum; illudque conſtare ex declarationibus Cardinalium.

Miranda, Vecchis.

Pro ſolutione huius dubij dicendum eſt, tam affirmatiuam, quam negatiuam horum Doctorum ſententiam eſſe probabilem, quia pro ſe habet rationes & Auctores, cæterùm talis Nouitius annum continuum in nouitiatu peragere debet a tempore quo ſic è Monaſterio fugit; quia ſi profiteretur ſecurus opinionem probabilem, poſſet multis annis poſt profeſſionem, Religionem deſerere, probans per aliam opinionem probabilem, ſuam profeſſionem fuiſſe. Ita multi Doctores de hoc caſu conſulti. Et de quo etiam Diana nouiſſimè *p.5.tract.5.reſ.19.* Syluius *p.1.reſ.v.Nouitius 3.*

Dubitari præterea hic poſſet, an annus nouitiatus cenſendus ſit interruptus, ſi quocumque anni tempore, Nouitius Fratrum ſui Conuentus ſuffragijs collectis de Religione dimitterentur; & ex Superiorum beneuolentia denuò ad petitionem ipſius Nouitij, pro iterando anno nouitiatus admitteretur, habitu Religionis minimè dimiſſo. Reſpondeo cum grauiſſimis Doctoribus & Profeſſoribus S. Theologiæ Academiæ Duacenſis de hoc caſu conſultis, annum nouitiatus prædicti Nouitij non poſſe dici interruptum per dimiſſionem à Fratribus factam, cum non fuerit realis dimiſſio, quandoquidem ſemper habitum retinuerit, ac in Conuentu manſerit.

Nec obſtat quòd ad petitionem Nouitij Superiores Religionis eum admiſerant ad iterandum annum nouitiatus, tum quia eiuſmodi petitio errorem continebat exiſtimantis vel ſupponentis annum inchoatum fuiſſe interruptum; qui error quando detegitur, nocere Nouitio non debet: tum quia ſiue ipſe hoc petendo, ſiue à Superiores eius petitioni annuendo, non fecerunt quidquam quo annus reuera interrumperetur. Propterea ſi prædictus Nouitius libens poſt integrum annus nouitiatus à ſuſcepto habitu expletum, ex Superiorum & maioris partis Conuentus conſenſu profeſſionem emitteret, profeſſio foret valida, non obſtante priore dimiſſione & noua Superiorum receptione ad iterandum nouitiatum; quia nihil ipſi deeſt eorum quæ ius commune requirit ad validè profitendum in Religione approbatam; Nam præter ætatem competentem, quam ſupponitur habere, Religionis habitum legitimè ſuſcepit, ac per annum integrum geſtauit, Ordinis rigorem experiendo. Ius autem commune ſiue in antiquis Decretalibus *tit.de regul.* ſiue in ſexto Decretal. ſiue in Concil. Trident. *ſeſſ.25.cap.15.* non plura requirit ad hoc vt Nouitius validè poſſit profiteri. De his vide Tamburin. *tom.3 d.6.q.11.*

6. Annus nouitiatus ſufficit ad profeſſionem, etiamſi Nouitius eo expleto exierit, poſtea iterum ad idem vel aliud eiuſdem Ordinis & obſeruantiæ Monaſterium admiſſus fuerit abſque alio nouitiatu, & hoc verum, etiamſi longa mora interceſſerit: & ratio eſt, quia talis iam anno continuo Religionis aſperitates expertus eſt: quod tamen intelligendum videtur, niſi conditio & circumſtantia perſonæ aut Religionis adeò mutata fuerint, vt Nouitius onera & aſperitates Religionis ſufficienter expertus non cenſeatur; quia tunc proinde eſt ac ſi per actus in ea Religione nouitiatus non fuiſſet. D. Anton. Angel. Sylu. Tabiena apud Sanch. *cit.num.31.& 34.* Rodriq. *cit.art.10.ad fin. & tom.2.ſum.c.8. n. 3.* Fauſtus *in theſ.relig.l.3.q.165.*

Sanch. Rodriq.

7. Hoc tempore, de nouitiatus eſſentia eſt, vt illæ peragatur in habitu Religionis: nam in veſtitu illius Religionis deferendo, eſt quædam vitæ auſteritas, difficultas & labor, quæ inter probationis experimenta numerantur; ergo eſt neceſſarium id Nouitium experiri, & quia Religionum vſus id teſtatur: ſi tamen in aliqua Religione aliud præſcriberet regula à Pontifice approbata, aut vſus legitimè præſcriptus obtinuiſſet aliud, id vtique obſeruandum eſſet, vt in Societate IESV, in qua nulla eſt habitus aſſumptio, Sylueſtar *v.relig.5.q.5.* Angel. *verb.nouit. n.16.* Azor. *cit.c.2.q.9.* Rodriq. *cit.art.9.* Bonacin. *c.§.2.* Vecch. *diſp.12.dub.7.* & alij.

Sylueſter, Angel. Azor. Rodriq. Bonac.

8. Nouitiatus ex legitima Superioris licentia, poteſt peragi extra Monaſterium, quia Nouitius extra Monaſterium degens de licentia ſui Superioris, cenſetur in Monaſterio commorari, cùm ibi exiſtat dependenter à voluntate & præcepto ſui Superioris, ſeu ſub obedientia ſui Prælati, alioquin non liceret Nouitio de licentia ſui Prælati peregrinationem ſuſcipere, aut Hoſpitali inſeruire, & alia pietatis opera dependenter à Prælati ſui voluntate præſtare. Nauar. *de regul.conſ.42.* Azor. *cit. q. 8.* Sanch. *cit. n. 27.* Diana *de dub. reg.reſol.84.p. 3.* Rodriq. *2.tom ſum.c.8.num.4. & tom.3.quæſt.q.15. art. 10.* tamen

Nauar. Azor. Sanch. Rodriq.

tem-

temperat hanc ſententiam dupliciter. Prius, quando mora extra Monaſterium de Abbatis licentia eſſet modica, vt per vnum, aut duos menſes; nam quando diutior foret, interrumperet nouitiatum, quia Religio debet motum ipſius experientiam ſumere. Poſterius vt habeat locum in ſolis maſculis Nouitijs; quia cum præcipua Monialium aſperitas ſit clauſura, ea vſque ad profeſſionis valorem eſt neceſſariò experienda. Hæ autem limitationes ab alijs non admittuntur.

9. Quoties nouitiatus fuit validus, nulla ipſius iteratione opus eſt ad profeſſionem irritam ratam habendam. Sanchez *de matrim. lib. 7. d. 37. num. 45*. Sed quando nouitiatus fuit irritus, quidam ſatis probabiliter ſuſtinent nouitiatum iterandum eſſe, quia quod nullum in ſe eſt, nullum iuris effectum operari poteſt: & cum ſemel irritus fuerit, & ad præteritum non ſit potentia, non poteſt poſtmodùm effici vt valuerit, ad eum effectum, vt verè dicatur præmiſſus promiſſioni denuò faciendæ; hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quam tenent Nauar. *de reg. conſ. 5. num. 17. & 19.* & Rodriquez *tom. 2. ſum. c. 5. num. 2.* Altera tamen ſententia quæ alijs meritò probabilior videtur, ait eum nouitiatum iterandum non eſſe; quamuis publica eſſet nullitas profeſſionis & nouitiatus ob profeſſi inhabilitatem; ex qua ſententia multas illationes infert Sanchez *cit. num. 47. & 48.* Azor. *cit. lib. 12. c. 1. q. 6. §. Si quaras & ſequentibus*.

Nauar.
Rodrig.

10. Recipientes ad profeſſionem Nouitium, in Ordinibus Mendicantium, ante completum annum probationis, excommunicantur, & ſunt ipſo facto ſuſpenſi ab officio admittendi ad profeſſionem, nec valet eius profeſſio; & eadem cenſura innodantur illi, qui toto illo anno impediunt, ne liberè tranſeat Nouitius ad alium Ordinem, niſi maior 16. anno profeſſionem expreſſam aut tacitam fuerit. *Cap. non ſolum de regul. in 6.* Nauar. *cap. 27. num. 157.* Rodriquez *q. 15. art. 12. tom. 3. q. reg.* Vecchis *diſp. 11. dub. 6.* In alijs autem Ordinibus peccant mortaliter, quia agunt contra præceptum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de reg. c. 15.* in re graui, non tamen ſunt ſuſpenſi, quia iure non eſt ſtatutum. Quæ omnia vim habent, vbi Concilium Tridentinum eſt vſu receptum: vbi enim non eſt receptum, probabile eſt valere profeſſionem ante annum probationis completum in Ordinibus non Mendicantibus, quia lex non recepta vim non habet, & ita ius antiquum manet in ſuo robore, vt docent Nauar. *lib. 3. conſ. tit. de reg. conſil. 28.* & Fauſtus *in Theſaur. relig. lib. 3. q. 236.*

Nauar.
Rodr.
Vecchis.
Nauar.

An autem talea ſuſpenſi incurrant irregularitatem, ſi ad profeſſionem aliquam admittant? Dic quòd non: quia admittere ad profeſſionem non eſt actus ordinis, aut iuriſdictionis ſpiritualis, pertinentis ad Eccleſiæ claues: ſed cuiuſdam Superioritatis: nam Abbatiſſa ius habet ad profeſſionem admittendi.

Sed petes an annus nouitiatus ex cauſa iuſta poſſit prorogari? Reſponſio eſt affirmatiua. Rodriquez *tom. 3. quaſtionum reg. q. 17. art. 10.* Azor. *p. 1. lib. 12. c. 28.* Fauſtus *in theſaur. relig. lib. 3. q. 168.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 7. num. 59.* Ratio eſt, quia à iure antiquo non eſt diſcedendum, niſi quatenus per nouum eſt aliquid expreſsè renouatum: ſed de iure antiquo annus Nouitiorum ex cauſa poterat prolongari, nec per præfatum Concilium hoc eſt expreſſe innouatum, aut reuocatum: ergo dicendum eſt, quod etiam nunc licet, iuſta aliqua interueniente cauſa: Nec Concilium Tridentinum diſponit quòd Superiores ſtatim finito anno nouitiatus cogant Nouitios habitos pro idoneis ad profitendum, ſed ſolùm quòd admittant eos aut reijciant, & cogere ad profitendum, non eſt admittere ad profeſſionem vel reijcere; & à diuerſis non fit illatio. Proinde ex conceſſione Pij V. apud Rodriq. qui cita Paraſſeum. Superiores poſſunt prolongare inhabilium (qui non benè adhuc didicerunt) profeſſionem, dummodo habeant ſpem probabilem, quòd efficientur habiles intra ſex menſes. Hæc tamen conceſſio procedit in iuuenibus Nouitijs: ſæpe enim Monialium profeſſio propter alias cauſas diutius differtur.

Rodrig.
Azor.
Leſſius.

11. Nouitij non adſtringuntur præceptis & ſtatutis Religionis & eius Superiorum; quia nondum in Religioſorum contubernium & ſodalitium admiſſi ſunt, ſed in probatione verſantur, ad experiendum, an admittendi ſint. Sanchez *lib. 6. moral. c. 10. num. 6. & 7.* Sà *verb. relig. num. 8.* Quidam tamen putant Doctores putant Nouitios obligari iuſtis præceptis Prælatorum regularium, quæ illis conuenienter eorum ſtatui imponuntur: quia Nouitij religionum, præſertim exemptarum, ſubijciuntur ſpirituali iuriſdictioni Prælatorum regularium, ergo eoſdem iuſtis præceptis ligare poſſunt: quia alioquin tanquam vagabundi nullius proximi ordinarij iuriſdictioni ſubeſſent, niſi ratione commiſſi delicti, quod abſurdum videtur: vnde cùm Nouitijs à Prælato leges feruntur illorum ſtatui conuenientes, illas obſeruare tenentur ſaltem obligatione ad pœnam, dum in Religione perſeuerant. Layman. *lib. 4. tractat. 5. capit. 4. numer. 3.* Corduba *lib. 1. quaſt. q. 30.* & alij apud Azorius *cit. cap. 2. quaſt 10.* Sarmient. *lib. 2. ſelect. c. 5. nu. 9.* Vecchis *diſp. 11. dub. 14.*

Sanch.
Eman. Sà.
Layman.
Corduba.
Azorius.
Vecchis.

12. Nouitij gaudent priuilegio canonis & fori, vt à Iudice ſæculari ob commiſſa crimina puniri non poſſint, ſed à Prælato Ordinis, ſi Monaſterium exemptum ſit; alioquin ab Epiſcopo: Imò & alijs priuilegiis gaudent verbi gratia, vectigalium immunitate, & quod Prælati Ordinum cum illis perinde ac cum regularibus ſuis diſpenſare poſſint in votis: iiſdemque literas dimiſſorias dare, vt à quocumque Epiſcopo ordinari queant, ſi priuilegium Papale habeant ad eiuſmodi licentiam regularibus dandam Sanchez *lib. 4. moral. cap. 39. num. 17. & ſeq. & lib. 6. cap. 10* Layman *cit. num. 4.* Diana *de dub. reg. reſ. 73.* Vecchis *diſp. 11. dub. 10.* quamuis contrarium ſentiant Henriquez *lib. 10. cap. 23. num. 3.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 11. num. 9.*

Sanch.
Layman.
Diana
Henriq.
Suar.

13. Licet caſus qui in Religionibus reſeruati ſunt, plerumque ad Nouitios ſe non extendant, cùm ipſi, non ſicuti alij regulares, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, &c. tranſgreſſores eſſe poſſunt. Miranda *tom. 2. quaſt. 34. ar. 16.* Layman *cit. num. 4.* Si tamen Prælati Ordinum caſus ſuæ poteſtatis reſeruent, & Confeſſarijs inferioribus etiã reſpectu Nouitiorum denegent, quod facere ſine dubio poſſunt. Secundùm Rodriquez *tom. 1. quaſt. q. 21. artic. 11.* Diana *de dub. regul. reſol. 4. & 4. part. tract. 4. reſolut. 5.* Portela *de dub. regul. verb. Nouitij abſolut. num. 36.* poſita hac reſeruatione, Nouitius nihilominus ſubijcere ſe poteſt alteri Sacerdoti extra ordinem, qui poteſtate abſoluendi ſæculares ab eiuſmodi caſu præditus ſit: quia Nouitij non ſunt ſubiecti ſtatutis regulæ, ergo à Prælatis regularibus, non poſſunt obligari, quominus extra ordinem confiteantur & abſoluantur. Contrarium docent Corduba *citat. quaſt. 30.* Layman *lib. 4. tractat. 5. capit. 4. numer. 4.* Vide ſupra *verb. Caſus reſeruatus numer. 42.*

Diana.
Portel.

14. Quamuis probabile ſit, Nouitium à proprio Epiſcopo ordinandum eſſe, quia per nouitiatum non cenſetur acquiſitum domicilium in eo loco probationis, ac mutatum prius, quòd Nouitius non habeat animum perpetuæ habitationis in loco religionis, ſed tantùm experiendæ regulæ, eaque experta ſtatuendi, an ibi permanſurus ſit. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. tract. de voto, cap. 11. num. 9.* & alij apud Sanchez *lib. 6. moral. cap. 19. num. 20.* Probabilius tamen eſt, poſſe Nouitium ordinibus initiari ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi eſt in probatione; quia Nouitius ex parte ſua animum perpetuò habitandi habet, ac prioris domicilij mutandi, & hoc animo affecti omnes ingrediuntur. Layman *cit. num. 5.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſput. 6. q. 9. num. 5.* Sanchez *cit. numer. 21.* Vecchis *diſp. 12. dub. 8.* Et Sanchez addit, quòd ſi Religio habeat priuilegium mittendi ſuos ſubditos ad ſuſcipiendos à quocumque Antiſtite, quale priuilegium habent omnes Religiones Mendicantes, dummodo Epiſcopus, in cuius Diœceſi eſt Conuentus, ordinationes non celebret, iuxta ſupra dicta verb. *Ordo 3. num. 4. §. Pralati regulares*, poſſet literas dimiſſorias Nouitiis dare, vt dictum eſt, quia Nouitij fruuntur priuilegiis Religionis. De eadem quæſtione vide verb. *Ordo 3. numero 1. verſ. Quares tamen*. Debet tamen in hoc caſu Epiſcopo ordinanti conſtare de patrimonio Nouitii, ſi recederet à Re-

Suar.
Sanch.
Layman.
Tambur.
Sanch.
Vecchis.

ligione

Digitized by Google

ligione, ad obuiandum fraudibus, vt aduertit Peyrinus *tom 2. de Prælat. q. 3. c. 1 n. 122.*

Peyrinus.

15. Nouitius nullatenus tenetur ad expenſas, Monaſterio ſoluendas, ſi ante profeſſionem Religione egrediatur. Azor. *lib. 12. cap. 3. quæſt. 6.* Sà *verb. religio num. 8.* Sylu. *verb. relig. 5. q. 8.* Rodriq. *tom. 3. quæſtionum reg. q. 15. art. vlt.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 10. num. 4* Diana *de dub. reg. reſ. 16 p. 3.* quia Monaſteria fundata eſſe oportet, vt libera Nouitijs egrediendi facultas relinquatur; quæ tamen impedita foret, ſi ad expenſas ſoluendas teneretur: quod tamen temperandum eſt, niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas Nouitij, vt in quibuſdam Monaſterijs tam virorum, quàm Monialium contingit; tunc enim ſiue Nouitius perſeueret, ſiue exeat, expenſæ debentur Monaſterio: tamen Religio non poterit expellere Nouitium non ſoluentem quod promiſerat, & permanere volentem: nam, cùm ad hoc de iure non teneatur, & alias ad religionem idoneus reperiatur, hæc non erit iuſta cauſa expulſionis: quia qui Monaſterio & Altari deſeruit, de Altari viuere, & à Monaſterio ali debet: vt tradunt Surdus *in tract. de aliment. tit. 1. quæſt. 75. num. 1.* & Vecchis *diſp. 12. dub. num. 2.* Poterit tamen Religio cogere hæredes ad ſoluendum.

Azor. Sylu. Rodriq. Sanch. Surdus. Vecchis.

Sed rogabis, an etiam ſit Nouitio reſtituendus habitus factus expenſis ipſiuſmet Nouitij? Reſp. Sacram Congreg. annuiſſe dictum habitum non eſſe ei reſtituendum, bene tamen valorem illius temporis, quo eum deponit, non quo factus eſt. Quia per Trident. *ſeſſ. 25. cap. 16. de regul.* Nouitijs reſtituenda ſunt omnia, quæ à principio ad religionem detulerunt: poterit tamen dictus habitus detineri pro alimentis illius temporis, quo in Monaſterio fuit, ſi pactum interceſſit, vel ſuperent ſeruitium factum. Vide Barboſam in *cap. Super eo, de regul. num. 5.* Sed quid, ſi dictus habitus emptus ſit, non pecunia Nouitij, ſed eleemoſynis deuotorum, eo fine, vt Religionem ingrederetur? Reſp. quòd tunc de iuſtitia ei dari non debet, quia cùm datus ſit ille habitus eo fine, vt in Religione permaneat, cùm ab ea egrediatur, iam non cenſetur ampliùs illi datus, ſed Religioni, cuius intuitu datus eſt. Ita Peyrinus *tom. 2. de Prælato quæſt. 3. cap. 1. num. 107. & 108.*

16. Nouitius à Religione recedens non reincidit, ſecundùm probabiliorem ſententiam, in cenſuras ac irregularitates, à quibus in Religione abſolutus fuit vigore priuilegiorum, quæ adducit noſter Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouitiorum diſp 9. dub. 25. num. 3.* quia abſolutio purè & ſimpliciter data, non eſt explicanda datam fuiſſe ad reincidentiam, vt notat Suarez, niſi in caſibus à iure expreſſis, vel niſi facultas abſoluendi ita expreſsè conceſſa ſit. Ita Suarez *tom. 5. diſp. 7. ſect. 5. num. 35.* Diana *cit. reſol. 44.* Bonacina *de leg. diſp. 4. quæſt. 2. p. 7. §. 4. num. 28.* contra Sorbum in compend. Priuileg. *tit. Nouitius.* & Rodriq. *tom. 1. quæſt. reg. q. 24. art. 15.*

Suar. Diana. Bonac. Sorbus. Rodr.

Vide *Hora Canonica* 1. num. 6. *Votum* 5. num. 11 *Votum* 7. num. 25. *Ordo* 3. num. 4. & in Supplemento *v. Nouitiatus.*

RELIGIO V.

De Profeſſione, & quæ requirantur vt valeat.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex ſit profeſſio, & quibus modis tacita, facta præſumatur?*

2 *Quæ conditiones requirantur vt quæcumque profeſſio expreſſa vel tacita valeat? Et de prima quæ eſt aptitudo perſonæ vouentis. Et an mulier poſſit profiteri in Religione virorum? & è contra. Et quid iuris de hermaphrodito? Et de Moniali quæ in marem erupit?*

3 *De ſecunda conditione, ſcilicet, quæ eſt conſenſus & acceptatio illius, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare. Et an Religioſi negantes ſuffragium ſuum Nouitio idoneo peccent mortaliter?*
An Generalis aut Prouincialis poſſit præcipere Superiori locali, ne quempiam ipſo inconſulto ad profeſſionem admittat, ſub pœna nullitatis profeſſionis?
An Conuentus ex noua cauſa poſſit expellere Nouitium etiam poſt receptionem ad Religionem?
An priuati voce actiuâ & paſſiua, poſſint ſuffragari in receptionibus Nouitiorum?

4 *De tertia conditione, quæ eſt, animus profitendi.*

5 *De quarta, vt profeſſio ſponte ſit facta nullo cogente metu iuſto ac graui.*

6 *An qui profeſſionem fecit irritam poſſit è Religione exire? An cum profeſſio iterum facienda eſt, vel quando ratificatur, requiratur ad ipſius valorem nouus conſenſus Religioſi & Prælati?*

7 *Ponitur decretum Tridentini contra prætendentes ſe per vim & metum ingreſſos religionem; aut profeſſos fuiſſe ante legitimam ætatem. Et quædam notanda circa illud.*

8 *Qui ſint effectus profeſſionis trium votorum ſolemnium in religione approbata?*

9 *Ad quæ teneatur Religioſus ratione voti obedientiæ? Et quando reformatur aliqua Religio, an teneantur profeſſi acceptare reformationem?*

10 *Quando præceptum Superioris fundatur in falſa præſumptione, an teneatur Religioſus obedire ceſſante ſcandalo? Et an ſubditus dubius de poteſtate legitima Superioris, teneatur illi obedire? Et quid ſi dubitet, an res præcepta ſit licita?*

11 *Ad quæ teneatur Religioſus ex voto caſtitatis?*

12 *Ad quæ, ex voto paupertatis?* Remiſſiuè.

1. PRofeſſio in Religione duplex eſt, expreſſa & tacita: Expreſſa vel fit verbo, vel ſcripto, vel vtroque ſimul: conuenit tamen, & ita vſitatum eſt, vt ſi quis ſcribere ſciat, profeſſionem ſuam in ſcripto tradat: nulla autem certa verborum forma ad valorem profeſſionis religioſæ requiritur; *Cap. 1. §. 1. de regul. in 6.* Miranda *tom 2. q 24. art. 1.* Tacita verò profeſſio tribus modis facta præſumitur. *Primò*, ſi quis poſt annum probationis exactum, profeſſorum proprium, & à Nouitijs diſtinctum habitum triduò geſtauerit. *C. ad noſtram de regul.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 1. Secundò*, ſi tali ſuſcepto habitu, quamuis ante triduum exactum, exerceat actum proprium profeſſorum, v.g. in capitulo ſuffragium ferat; Leſſius *lib. 2. cap 41. num. 57. Tertiò*, ſi quis anno continuo habitum in Religione geſtauerit, in qua nulla patens diſtinctio eſt inter Nouitiorum ac Profeſſorum habitus, talis anno exacto, cenſetur tacitè profeſſus; *Clement. eo, de reg.* Nauar. *de regul. lib. 3. conſ. 41.* Sanchez *lib. 5. moral. cap. 3. numer. 36.* Rodriquez *2. tom. Sum. cap. 8. num. 1.* Vecchis *diſ. 13. dub 8.* & habent hæc locum etiam poſt Concilium Tridentinum, cùm de eiuſmodi tacitis profeſſionibus, nihil omninò ſtatuerit; & ſic tanquam caſus omiſſus permanet in diſpoſitione iuris antiqui: quod intelligendum eſt, dummodò hæ tacitæ profeſſiones inducantur tranſacto nouitiatus anno, & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis. Similiter ex ſuſceptione Sacrorum Ordinum inducitur tacita profeſſio, vt firmauit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum in vna Beneuentana, 20. Decembris 1619. in hæc verba: *Cum Frater Andreas Profeſſus in Religione, per decennium permanſiſſet, abſque eo, quod profeſſionem emiſiſſet, dicto autem tempore Patre Magiſtro Curiano inſtante Sacros Ordines ſuſcepiſſet, petijt facultatem habitum dimittendi ſibi concedi: Sacra autem Congregatio reſpondit, quod ſuſceptio Ordinum profeſſionem tacitam inducit.* Ita refert Tamburin. *tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 6. quæſt. 13. num. 12.*

Nauar. Sanchez. Rodriq. Vecchis.

2. Multæ conditiones requiruntur, vt quæcumque expreſſa vel tacita profeſſio, aut emiſſio trium ſubſtantialium votorum in Religione, valeat. *Prima*, qualitas ſeu aptitudo perſonæ vouentis, vt ſcilicet, legitimam ætatem habeat; legitima autem ætas ſecundum

Digitized by Google

Sanch. Conc. Tri. Bona c. Diana.

Concilium Tridentinum *ſeſſ.25: c.15. de regul.* Sanchez *lib.5.cap.4. num.4.* Bonacina *de clauſur. q 2.p.10. diffic.2.* §.3.Diana *de dub.regul. reſol.57.p.3. & p.5. tract.5. reſol.* 18. Vecchis *diſ.13. dub.1.* eſt annus decimusſextus completus, vnde hæc ætas computanda eſt de momento ad momentum, alioquin completa non diceretur; ſi verò non conſtaret de hora natiuitatis, expectandus eſſet totius diei terminus; ſi non conſtaret de die, ſed de ſolo menſe, expectandus eſſet totius menſis exitus; ſi non conſtaret de menſe, ſed de anno, expectandus eſſet totius anni finis: & quando annus eſt biſſextilis, duo dies reputantur pro vno. Præterea debet vouens per annum integrum in probatione ſtetiſſe, cum religioſo habitu, nullumque impedimentum habere, quod vel ſimpliciter & in omni religione, vel in tali ordine per conſtitutionem à Papa confirmatam ſubſtantiale eſſe cenſeatur. Nauarrus *lib.3. conſil.25.de regul.* Rodriquez *tom.2. ſum.c.8.concluſ.1.* Prædicta de ætate ſexdecim annorum & anno nouitiatus integro, procedunt maximè vbi Concilium Tridentinum eſt receptum: vbi enim non eſt receptum, probabile eſt valere profeſſionem ante annum nouitiatus exactum in Ordinibus non mendicantibus. Ita Nauar. *lib.3.tit.de Regul.conſil.28.num.1.* Similiter ante annum ſextum decimum ætatis: nam eadem eſt ratio, nimirum quia lex non recepta vim non habet, & ita ius antiquum manet in vigore.

Vnde mulier emittere non poteſt profeſſionem in Monaſterio virorum, vt ibi permaneat, neque hermaphroditus, in quo prædominatur ſexus fœmineus; quia habetur pro muliere. Et è contra non poteſt profiteri vir in Monaſterio Monialium, vt in eo cum Monialibus habitet, neque hermaphroditus prædominante in eo ſexu virili, quia pro viro habetur, talis enim profeſſio eſſet irrita: Imò etiam inualida eſſet profeſſio hermaphroditi qui vtrumque ſexum habet æqualem; quia cum æquè vir & fæmina diiudicetur, eſt inhabilis ad Religionem, tam virorum quàm mulierum. Ita Nauarrus *lib.1.conſ.8. num.1.* noſter Vecchis *cit. diſp.13. dub.1. num.12.* Emanuel Sà *verb. relig.nu.30.* Rodriq. *2.p. Sum c.6. num.vlt.* Plura de his apud Portel. *in dub reg.v.profeſſio hermaphroditi.*

Nauar. Sà. Rodriq. Portel.

Sed quid dicendum ſit de Moniali, quæ in marem erupit, an ſit obliganda vt intret religionem virorum? Affirmat Portel loco hic citato, quia profeſſio iſtius fuit valida, ergo tenetur ad vota ſeruanda. Verius tamen eſt hanc fœminæ profeſſionem eſſe inualidam: quia illa non eſt profeſſa, niſi in quantum vera fœmina, nec Prælatus ſub alia ratione ei contulit profeſſionem, & iuxta hanc rationem habuit intentionem profitendi & non aliter. Ergo cùm erumpente natura facta eſt vir, profeſſio redditur nulla, & ideò talis fœmina è Monaſterio eiecta, tanquam omnino libera à votis, poterit matrimonium inire, velit Sacros Ordines ſuſcipere, quia nullum ſubeſt impedimentum quin poſſit ad Ordines promoueri, cùm ſit verè mas, & ceſſet illud impedimentum fœminei ſexus. Vide Dianam *part.3.tract.14.reſol.49.*

Diana.

3. Secunda conditio ad valorem profeſſionis eſt, conſenſus & acceptatio expreſſa vel tacita illius, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare: is autem, qui ad profeſſionem admittere debet, eſt Prælatus Ordinis, videlicet, Generalis, aut Prouincialis, requiſito tamen prius Capituli, ſiue Fratrum ſuorum non tantùm conſilio, ſed etiam expreſſo conſenſu, ſaltem maioris aut principalioris partis: hinc præciſis priuilegijs, conſtitutionibus & conſuetudine in contrarium, iure communi poteſtas admittendi pertinet ad immediatum Conuentus Superiorem, vel ad alium ipſo directè Superiorem in Officio; vnde Abbatiſſa poteſt profeſſionem Monialium acceptare, quia admiſſio non eſt propriè actus iuriſdictionis, ſed potius ſuperioritatis, pertinentis ad poteſtatem œconomicam ſeu dominatiuam. Sanchez *cit.lib.5.cap.4 n.62.& ſequent.* Miranda *t.1.q.24. art.4.* Leſſius *lib.2.c.41 n.61.* Layman. *cit.cap.5.n.5.* Azor. *lib.12. cap.5. q.6.* Notandum autem eſt, Epiſcopum in Monaſterijs ſibi ſubiectis, vel Prælatum in Monaſterijs exemptis, non poſſe ad profeſſionem admittere contradicente maiore Conuentus parte; & ſecundùm probabiliorem & veriorem ſententiam talis profeſſio eſſet omninò irrita; ſimiliter nec totus Conuentus repugnante Prælato poteſt aliquem ad profeſſionem admittere. Rodriquez *tom.3. quæſtionum reg.q.17.art.7.* Vecchis *diſp.12. dub.2 num.10. & 11.* Bonacina *cit.§.6.num.6.* Sylu. *verb. relig.3.q.13.* Plura de his apud Sanchez *lib.5. c.4. a num. 62.* Nihilominus conſuetudo in hac re attendenda eſt, quæ ſoli Prælato abſque Capitolo ſuſcipiendi poteſtatem conferre poteſt.

Sanchez. Miranda. Leſſius. Layman. Azor.

Rodriq. Vecchis Bonac. Sylu.

Quæres *primò*, an Religioſi negantes ſuffragium Nouitio idoneo peccent mortaliter? Reſponſio eſt affirmatiua; Tum quia eſt contra charitatem proximi arcere dignos; & contra quaſi contractum iam factum inter Ordinem & Nouitium, vt ſi dignus inueniatur admittendus ſit, & iam Nouitius videtur habere ius ad rem. Tum quia Religioſi expellendo Nouitium idoneum ſine cauſa rationabili abutuntur poteſtate iuriſdictionis ſibi conceſſæ, ratione cuius ex officio tenentur & bonum Religionis procurare, & quaſi iuſtum iudicium ferre in cauſa. Tum quia retrahentes quempiam ſine iuſta cauſa ab ingreſſu Religionis, ſecundum communem ſententiam Doctorum, peccant mortaliter contra charitatem: ſed Religioſi, qui negant ſuffragium idoneo Nouitio, non ſolum retrahunt, ſed illum expellunt à Religione, ergo peccatum mortale committunt. Ita Suarez *tom.3.de relig.lib.4.c.3.num.7.* Vecchis *diſp.12. dub.1.num.4.* Portel. *verb. Nouitius, num.55. & in addit. num.17.* Miranda *t.1.q.25. art.12.* contra Sanchez *lib.5. moral.c.4.n.59.* qui docet eſſe tantùm peccatum veniale, quia non magis obligatur Religio Nouitio, quam Nouitius ipſi Religioni, quoad culpam. Sed hæc ſententia non eſt admittenda, quia eſt diſpar ratio inter obligationem Nouitii & Religionis: Nouitius enim recedens abſque vlla cauſa, peccat tantùm venialiter; at Religioſi negantes abſque iuſta cauſa ſuffragium, peccant contra charitatem reſpectu Nouitij, qui priuant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Ita etiam Diana *par.7. tractat.11. reſol.26.*

Suar. Vecchis. Portel. Sanch.

Diana.

Quæres *ſecundò*, an Generalis aut Prouincialis poſſit præcipere immediato Conuentus Superiori, ne quemquam ipſo inconſulto ad profeſſionem admittat, adiecto decreto reddenti irritam profeſſionem aliter factam? Reſp. poſſe ex cauſa iuſta. Ratio eſt, quia tota poteſtas immediati Prælati eſt eminenter in Prouinciali, tanquam in legitimo ipſius Superiori, & tota vtriuſque poteſtas eſt eminenter in Generali, tanquam in totius Religionis capite. Ergo poteſt in caſu ſpeciali, ductus iuſta cauſa, reſeruare ſibi conſenſum illum vnà cum Conuentu præſtandum ei admiſſioni ad profeſſionem, & ſubinde efficere, vt profeſſio aliter facta ſit irrita defectu legitimi conſenſus admittentis. Ita Nauarr. *lib.3. conſil. de regul.conſil.62.num.3.* Rodriquez *tom.3. quæſtionum regul.q.17.ar.7.*

Nauarr. Rodriq.

Quæres *tertiò*, an etiam datis votis, & Nouitio recepto ad Religionem, ante factam profeſſionem, ſit liberum Conuentui, noua emergente cauſa, Nouitium dimittere? Reſp. quòd ſic, graui aliqua cauſa interueniente, vel etiam; ſi aliqua vetus ignorata, de nouo ſciatur. Ratio eſt, tum quia annus nouitiatus datur tam in fauorem Nouitii, quàm Religionis: *Cap. ad Apoſtolicam de reg.* ergo quocumque tempore, nouitiatu durante, conſtet Religioni, eum non eſſe admittendum, poteſt expellere. Tum quia ſicut reuocari poteſt conſenſus ab altero coniuge ante ratum matrimonium, ſi aliquid ſuperueniat, quod ſi à principio adfuiſſet, vel notum eſſet, non fuiſſent contracta ſponſalia; ita à Conuentu ante profeſſionis emiſſionem poſſunt reuocari ſuffragia; eodem enim modo loquuntur Doctores de contractu matrimonij, ac de contractu profeſſionis. Et validum eſt argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale. *Capit. inter corporalia, de translat. Epiſcop.* Ita noſter Vecchis *diſputat. 12 dub.7.*

Quæres *quartò*, an in receptionibus Nouitiorum pro profeſſione, habeant votum, qui ſunt priuati voce actiua & paſſiua? Reſp. ſtandum eſſe conſuetudini. De iure com-

Digitized by Google

communi certum eſt, non habere. Quia hi ferre non poſſunt ſuffragium in his, quæ ad capitulum collegialiter & legitimè congregatum pertinent. Vecchis *citat. dub.* 5.

4. *Tertiò*, requiritur animus profitendi; ſi enim hic abſit, ita vt nec tacitè nec expreſsè intendas profiteri, nulla eſt profeſſio; quia nec votum, nec vlla promiſſio per ſe obligat ſine voluntate obligandi, cùm tota hæc obligatio à libera voluntate pendeat; ratione tamen ſcandali vel damni vitandi quod ſequeretur, ſi promiſſio exteriùs facta non præſtaretur, poteſt obligari; vnde ſi horum periculum abſit, qui ſic profeſſus eſt, poſſet fugere & recipere ſe ad exteras prouincias. Leſſius *libr.* 2. *capit.* 41. *dub.* 7. *numer.* 60. Bonac. *citat.* §. 1. Vecchis *diſp.* 12. *num.* 1. Nauar. *lib.* 3. *conſ. de reg. conſ.* 28. & alij.

Leſſius. Vecchis. Nauar.

5. *Quartò*, requiritur vt profeſſio ſponte facta ſit nullo cogente metu iuſto, ac graui, ſeu in virum conſtantem cadente: talis metus cenſeri debet, ſi Nouitius incarceratus fuerit, vel alimenta ei ſubtracta, propterea quòd in profeſſionem conſentire noluit. *Cap. perlatum de his quæ vi.* Præterea licet metus reuerentialis propter preces, vel imperium Prælati aut conſanguineorum plerumque à Doctoribus non cenſeatur grauis, aut ſufficiens ad infirmandam profeſſionem; ſecus tamen eſt, ſi alia concurrant, quæ difficilè homo à ſe repellere poſſit; puta precum, aut imperij ſæpius repetiti importunitas; adiunctæ frequentes blanditiæ, grauis item offenſio, aut diu duratura indignatio eorum, v.g. conſanguineorum, à quibus hominis vita, aut fortuna dependet; præſertim ſi minæ expreſſæ adiunctæ fuerint. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 6. *num.* 18. & *d.* 7. *num.* 7. Coninck *d.* 28, *dub.* 2. *num.* 35. Leſſius *lib.* 2. *cap* 17. *num.* 35. Layman *cit. nu.* 6. Vecchis *diſput.* 14. *dub.* 12. Vide ſuprà *verb. Metus.*

Sanch. Coninck. Leſſius. Layman. Vecchis.

In dubio, an metus, cuius cauſa quis emiſit profeſſionem, fuerit necne grauis, præſumendum eſt in valorem profeſſionis, eum ſcilicet fuiſſe leuem, ac proinde profeſſionem non irritare. Ratio eſt, quia cum conſtet de profeſſione, & excuſatio dubia ſit, ſtat poſſeſſio pro eadem profeſſione. Idem dicendum, quando ſumus in dubio, an metus interceſſerit: nam in hoc euentu acceſſiſſe non præſumitur. Idem dicendum, quando dubium eſt de animo ſe obligandi ratione metus, vt bene notant Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 3. *num.* 27. & Bonacina *de leg. diſput.* 4. *quæſt.* 2. *p.* 3. §. 1. *num* 11.

Sanch. Bonac.

6. Quando profeſſio fuit irrita defectu ætatis, vel quia profeſſus eſt ante exactum annum probationis, vel quia metu fraudève impulſus, poteſt egredi, licet per multos annos manſerit in Religione, ſi abſit ſcandalum, quia vt habet regula iuris: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit*; quod limitandum eſt, niſi poſtea ſciens eſſe irritam, ratam habeat. Sà *verb. religio num.* 71. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 1. Nauar. *conſil.* 5. *num.* 13. *de regul.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 9. Ad ratificationem enim requiritur vt qui ratificare debet, ſciat profeſſionem ob eiuſmodi defectum, ex iuris diſpoſitione, irritam eſſe; cùm enim incogniti nulla ſit voluntas, non poteſt is cenſeri ratificaſſe, aut validam voluiſſe facere profeſſionem quam ignorauit eſſe irritam: nec etiam ſufficit profeſſionem ratificare ex eo, quòd putet ab initio fuiſſe validam, quia hæc ratificatio proficiſcitur ex errore, vnde non eſt libera, ac proinde non inducit nouam obligationem. Bonacina *cit. p.* 10. *diffic.* 1. *num.* 3. Layman *cit. num.* 7. Nauar. *cap.* 12. *nu.* 71. Vecchis *diſ.* 14. *dub.* 2. 3. & 4. Diana *p.* 6. *tract.* 7. *reſ.* 56.

Sà. Azor. Nauar. Henriq.

Bonac. Laym. Nauarr. Vecchis. Diana.

Sed inquires, an cùm profeſſio iterum facienda eſt, vel quando ratificatur, requiratur ad ipſius valorem tam ex parte Religioſi, quàm Religionis, & Prælati nouus conſenſus? Reſp. diſtinguendo. Aut profeſſio nulla fuit ex defectu irritante ſolum profitentis conſenſum, vel ex defectu vtriuſque partis, ſcilicet, Prælati recipientis, & recepti conſenſum irritante. In primo caſu nouus conſenſus Prælati non eſt neceſſarius, ſed ſufficit prior moraliter permanens. Ratio eſt, quia conſenſus per Prælatum in illo caſu præſtitus, quantum eſt ex parte illius validus fuit, & contractus tantummodo ex alia parte erat inefficax: vnde ille conſenſus, quantum eſt ex ſe, ſemper manet exhibitus, & promptus, vt adueniente ex parte Religioſi ſufficiente conſenſu, contractus ſit firmus: ergo non eſt neceſſarius ex parte Prælati nouus conſenſus ſecundùm probabiliorem ſententiam. Sanchez *de matrimon. diſ.* 37. *num.* 60. & 61. *lib.* 7. Leſſij *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 66. Sà, *verb. religio num.* 23. & aliorum. Hic caſus contingit in eo qui ex fictione aut metu inualidè profeſſus eſt, vel ante 16. annum expletum. Quando autem defectus profeſſionem irritans ex vtraque parte ortum habuit, tunc neceſſarius eſt vtriuſque partis legitimus & efficax conſenſus. Exemplum erit in defectu anni probationis; nam, cùm probationis annus in vtriuſque partis fauorem ſit introductus, vt altera alterius mores experiatur, & cùm hoc impedimentum, vt ſimpliciter irritans, ſit à Tridentino poſitum, conſequens eſt, per huiuſmodi defectum, vtriuſque partis voluntatem irritam fieri; & ideò tunc neceſſaria erit noua voluntas, etiam ex parte Prælati, quæ vim habeat denuò admittendi ad profeſſionem. Idem dicendum, quoties defectus irritauerit profeſſionem ex parte Religionis. Ita Azor. *t.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſt.* 7. & Sanchez *cit. num.* 63. Vecchis *diſ.* 14. *dub.* 4. *num.* 5. quamuis non ſit improbabilis contraria ſententia affirmans ſolam ratificationem Religioſi eſſe neceſſariam, quam docet Leſſius citatus, & inſinuat Sanchez *num.* 64. maximè quando defectus inualidæ profeſſionis eſt occultus.

Sanch. Leſſius. Sà.

Azor. Sanchez. Vecchis.

Notandum tamen hic eſt, aliquas eſſe profeſſiones ita intrinſecè inualidas, vt nullo modo poſſint ratificari, vt v. g. ſi quis emitteret profeſſionem in Religione non approbata à Sede Apoſtolica, non poteſt ratificari vllo modo, niſi per Sedem Apoſtolicam ex *cap. finali, de religioſis domibus in* 6. vt etiam profeſſio perpetui amentis, quæ nunquam reualidari poteſt.

7. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regul.* c. 19. ſtatuit, vt ſi quicumque regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario; quòd ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur. Interim verò nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur. Hæc Concil.

Circa hoc decretum eſt aduertendum: *Primò*, quando dicitur, non eſſe audiendum niſi intra quinquennium, intelligendum eſſe, niſi metus vel impotentia reclamandi vltra quinquennium durauerit; ſi enim durauerit vlterius, poterit ipſo iure, vel reſtitutionis in integrum beneficio audiri: ad impotentiam item reclamandi pertinet ignorantia impedimenti; & denique intelligendum eſt, niſi cauſa iuſta aliud ſuadeat. Nauarrus *comment.* 4. *num.* 76. *de regul.* Layman. *cit. n.* 7. Leſſius *lib.* 2. *ca.* 41. *dub.* 7, *num.* 66. Diana *de dub. reg. reſ.* 53. *p.* 3.

Nauar. Layman. Leſſius.

Secundò, quando dicitur, nullatenus eſſe audiendum, ſi habitum dimiſerit, priuſquam cauſas deduxerit, eſſe ſtatutum in pœnam: vnde non habet locum, ſi quis bona fide ad tempus habitum depoſuerit ob aliquam cauſam, aut ſi non peccauit mortaliter in habitus dimiſſione: qui autem dimiſſo habitu reclamare volebat, & ob habitus dimiſſionem non fuit auditus, poteſt poſtea reclamare aſſumpto habitu. Azorius 1. *p. lib.* 12 *cap.* 4. *q. vltim.* Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *d.* 37. *nu.* 3. & 4. Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum reg. q* 17. *art.* 17.

Azor. Sanch. Rodriq.

Tertiò, hoc decretum præſumptione ratificationis profeſſionis factæ per illud quinquennium innititur; ac proinde ſi inualidè profeſſus non ratificauit profeſſionem, nunquam quocumque tempore tranſacto eſt verus in foro conſcientiæ Religioſus, ſed in ſolo foro externo præſumptus; atque talis, per ſe loquendo, ſi graue ſcan-

Digitized by Google

dalum, aliudve majus incommodum ſecuturum non ſit, dimiſſo habitu, occultè fugere, atque vxorem ducere non prohibetur; imò Prælatus certò credens profeſſionem irritè editam, & intra quinquennium ratificatam non eſſe, ſcandalo ceſſante, poteſt illum occultè dimittere; ſin verò talis fugiendi aut elabendi modus ſine graui incommodo aut ſcandalo nequeat attentari, tunc Prælatus, aut Confeſſarius hominem monere debet, id ſolùm reſtare vt profeſſionem, per ſe quidem irritam, tacito conſenſu ratificet. Sà *v. religio num. 71.* Nauar. *conſ. 89. lib. 3. de regul.* Henriquez *lib. 11. c. 9.* Sanchez *cit. n. 9. & ſeq.* Layman *c. n. 7.* Bonac. *de clauſ. q. 2. p. 10.*

Sà. Nauar. Henriq. Sanch. Layman, Bonac.

Quartò, cauſæ, ex quibus videtur tribui ius Religioſo reclamandi contra propriam profeſſionem, ſex apud Authores reperiuntur. *Prima* eſt, defectus legitimi conſenſus: nam, cùm profeſſio ſit contractus mutuus, quo Religioſus religioni, & hæc Religioſo obligatur; contractus autem mutuo conſenſu perficiatur, ſequitur regularem defectu talis conſenſus poſſe reclamare, cùm non teneatur onere illius profeſſionis. *Secunda* cauſa eſt, defectus anni probatioois. *Tertia* eſt, defectus ætatis. *Quarta*, quando qui emiſit profeſſionem non erat ſui iuris, ita vt ſeipſum alteri tradere nequiret, nec per conſequens Religioni: vt coniugatus inuita vxore, & ſeruus inuito Domino validè profiteri non poſſunt. *Quinta* reclamandi cauſa eſt, diuerſitas ſexuum, vt ſi fœmina in religione virorum; & vir in religione Monialium profeſſionem emiſerit: nam, cùm talis profeſſio ſit irrita, conſequenter tribuit ius ita profitenti reclamandi. *Sexta* cauſa eſt, dum profeſſio facta fuit coram non habente poteſtatem eam acceptandi; quia talis profeſſio redditur irrita ex defectu conſenſus requiſiti ad profeſſionem ex parte acceptantis. Plura de hac materia vide apud Sanchez *de matrimon. lib. 7. tota diſp. 37.* & apud Bonac. *de clauſura, quæſt. 2. punct. 10. per tot.* Suar. *de relig. tom. 3. lib. 7. cap. 3.*

Sanch. Bonac. Suar.

8. Profeſſio trium votorum ſolemnium in Religione approbata, ratione diuerſorum votorum habet diuerſos effectus. *Primo*, ratione voti obedientiæ, transfert Religioſum in ius, & poteſtatem Ordinis & Superiorum, faciens membrum illius, ita vt Superiores poſſint illum, ſi diſceſſerit, apprehendere ſua authoritate tanquam rem ſuam, & reducere ac punire. Bannez 2. 2. q. 6a. *art. 2. duo. 6.* Leſſius *lib. 2. c. 41. n. 67.*

Bannez. Leſſius.

Secundo, ratione voti caſtitatis ex vi conſtitutionis Eccleſiæ, facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt ſi tentet contrahere, ſit irritum; *C. quod votum, de voto in 6.* Concil. Triden. *ſeſſ. 24 can. 9.*

Tertiò, matrimonium ratum nondum conſummatum antea contractum diſſoluit, & hoc eſt de fide in Concilio Tridentino *cit. can. 6.* quo autem iure profeſſio id faciat, magna eſt controuerſia inter Doctores: quidam enim non improbabiliter opinantur, iure naturæ id facere; alij volunt profeſſionem habere hanc vim iure diuino poſitiuo: quorum ſententia eſt probabilis: licet probabilior, & verior ſit id prouenire ex iure Eccleſiaſtico, iam inde a temporibus Apoſtolorum inſtituto. Sanchez *de matrimon. lib. 2. d. 19.* Filliuc. *tract. 10. p. 1. num. 64. & ſeq.* Leſſius *c. n. 69.*

Sanchez, Filliuc. Leſſius.

Quartò, ratione voti paupertatis profeſſio priuat omni dominio bonorum mobilium, & immobilium, & reddit incapacem ad illud; *C. quia ingredientib. 19. q. 3. & cap. ſi qua mulier. ib.*

Quintò, priuat poteſtate vtendi rebus ſuo iure, ſeu abſque dependentia à voluntate Superioris, Leſſius *cit. num. 72.*

Sextò, profeſſio ſoluit vota ſimplicia priora, etiam Religionis ſtrictioris ingrediendæ; eaque commutat in vota ſolemnia Religionis, in qua agitur; ſimili modo diſſoluit ſponſalia etiam iurata. *C. ſcriptura de voto.* Sanchez *lib. 5. moral. cap. 5. num. 36.*

Septimò, delet omnia peccata quoad reatum pœnæ, quæ remiſſa culpa manet, quia per profeſſionem vetus homo, & veteres mores exuuntur ſaltem propoſito & ſtatu ipſo, & induuntur noui, vnde cenſetur mors quædam vitæ mundanæ. Nauar. *tom. 2. de regul. num. 60.* D. Thom. 2. 2. q. 189. *art. 3.* Sanch. *cit. num. 2.* Hinc Sancti Patres ſuſceptionem habitus Monaſtici ſolent comparare Baptiſmo. Quod probatur ex Beati Antonij viſione illa, in qua, vt refert D. Athanaſius in eius vita, Dæmones impedire ipſius conſcenſum in cœlum conantes obiecerunt peccata ante religioſam vitam admiſſa, quibus Angeli boni dixerunt. Non debetis illa obijcere, quæ Chriſti iam ſunt pietate deleta, ſed ſi quæ ſcitis, ex quo factus eſt Monachus, illa proferte.

Nauar. D. Thom. Sanch.

Ex qua viſione colligit Caietanus ioſra citandus, quòd nouus liber incipit de actibus Religioſorum à tempore ſuæ profeſſionis, quando de facto efficiuntur Religioſi. *Scribuntur*, inquit, *in ſecundo hoc libro, ex quo facti ſumus Religioſi, peccata noſtra ſtylo ferreo, &c.* Verba hæc ſunt valde notanda, & à Religioſis ſummopere memoriæ commendanda. Imò probabile eſt per renouationem horum votorum ſolemnium plenariam peccatorum remiſſionem obtineri. Nam vota quæ in religione eduntur, ideò afferunt plenam remiſſionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum, ſed hæc traditio noo ſemel, ſed iterum fieri, ſeu renouari poteſt, ergo etiam remiſſio peccatorum iteratò acquiri. Peyrinus *t. 2. de prælat. q. 3. c. 1. num. 154.* Sà *verb. relig. num. 17.* Layman *lib. 1. tractat. 4. cap. 10. num. 2.* Villalobos *in ſumm. t. 2. tract. 35. diffic. 26. num. 2.*

Peyrinus. Sà. Layman.

Sed dubium eſt, an qui emittit profeſſionem cum conſcientia peccati mortalis, conſequatur ſupradictam remiſſionem pœnæ omnium peccatorum? Reſpond. quod, licet plenariam remiſſionem non conſequatur propter peccatum mortale; tamen ſi poſtea reſipiſcat, illam conſequitur, quia huiuſmodi priuilegium in profeſſione conceditur omnibus illis, qui non ponunt obicem. Vnde obice ſublato per pœnitentiam eandem remiſſionem ſortietur: quia hoc priuilegium in profeſſione conceditur tradenti ſe totaliter ex corde Deo: ſed Religioſus cùm ad ſe redit poſt profeſſionem, & coram Deo in veritate profitetur, ſe ex corde Deo tribuit; ergo dabitur etiam ei, quando reſipiſcit, dicta plenaria peccatorum remiſſio Ita Fauſtus *in theſaur. relig. lib. 5. quæſt. 317.* Barboſa *de iur. Eccl. lib. 1. cap. 41. num. 180.* contra Nauarrum *de Indul. not. 20. num. 17.* Caietanum 2. 2. *quæſt. 189. art. 3. ad 3.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæſt. 11.*

Barboſa. Nauarrus. Caiet. Azor.

Octauo, tollit irregularitatem, quæ eſt ex defectu natalium, non tamen penitus, ſed ſolùm ex parte, talis enim non poteſt eligi ad prælaturam, vt ad Abbatiam virorum aut fœminarum, nec ad beneficium habens curam animarum, licet poſſit ordinari, & beneficium ſimplex obtinere. Secundùm dicta ſupra *verb. Abbatiſſa, numer. 5. & verb. Irregularitas, 111. numer. 6. C. 1. de filiis Presb.* Leſſius *cit. numer. 73.* Sanch. *cit. numer. 9. & ſeq.* Suarez *t. 5. d. 41. ſect. 1.* Rodriquez *tom. 1. quæſt. regul. q. 13. art. 5.*

Leſſius, Sanch. Suar. Rodriq.

Nono, maculam quoad actus temporales expiat, vnde ineptus ad teſtificandum, eo quòd periurij, aut furti damnatus ſit, efficitur per profeſſionem aptus ad teſtimonium ferendum, *Auth. de Monach. collat. 1.* Sanch. *c. n. 27.*

Decimò, per profeſſionem filiusfamilias patria poteſtate liberatur, quia tranſit omninò in Superioris poteſtatem, ac proinde patria poteſtas in ipſum ceſſabit; hoc autem intelligitur in ijs ſolis, in quibus vtile eſſet ipſi filio liberari patria poteſtate: ſecus in ijs, in quibus id eſſet in eius damnum. Sanch. *cit. num. 20. & 30.*

Sanch.

Vndecimò, profeſſio emiſſa ante parentis mortem, prætecitam filij profitentis ingratitudinem abolet, ob quam exhæredari poterat. Rodr. *q. 13. art. 3.* Sanchez *cit. nu. 33.* De quibus Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 10.*

Rodriq. Sanchez. Laym.

9. Religioſus ratione voti obedientiæ tenetur: *Primò*, ad præcepta regulæ.

Secundò, tenetur non agere contra regulam aut mandatum Superioris ex contemptu: cenſetur autem ex contemptu violare qui cootra facit non ex negligentia vel cupiditate, ſed quia non vult regulæ aut Superiori eſſe ſubiectus. Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 4. num. 74.* D. Thom. 2. 2. *q. 186. ar. 9. s.* Caiet. Sylu. *ibid.*

Leſſius. D. Thom.

Tertiò, tenetur ad omnia, quæ Superior iuxta regulam

ſeu

ſeu inſtitutum præcipit, & quidem ſi præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ, tenetur obedire ſub peccato mortali; ſi autem hac forma præcipiendi non vtatur, non videtur velle obligare ſub peccato mortali, niſi id aliunde conſtet. Sanch. *lib.6.moral.cap.*2. *num.*8. Vaſq.1.2.*diſp.*154. *c.*4 *num.*20.

Sanch. Vaſq.

Quarto, ſi Superior præcipiat aliqua contra regulam non tenetur inferior obtemperare, niſi fortè ille poſſit in ea parte regulæ diſpenſare, & legitima cauſa contrarium præcipiendi ſubſit. Caiet. 2.2.*q.*104.*art.*5.

Quintò, ſi præcipiat aliquid ſupra regulam, vt ire ad infideles, vbi eſt manifeſtum periculum mortis vel ſeruitutis, ieiunare longo tempore, abſtinere à carnibus ad vnum menſem, quando regula non præſcribit, non tenetur inferior obedire; quia Superiori poteſtas datur vt ſubditos ſecundùm regulam perficiat, non vt ad maiora obliget, idem dicendum, ſi Superior præcipiat infra regulam, id eſt laxiora quàm regula præſcribat, niſi cauſa iuſta ſubſit. D. Thomas 2.2.*q.*104. *art.*5.*ad.*3. Syluius *ibid.* Nauarrus *cap.*23.*num.*39. Rodriquez *t.*2.*ſum.c.*9.*num.*1. Azor.*t.*1.*lib.*23.*c.*11.*q.*19.

D Thom. Sylu. Nauar. Azor.

Cæterùm quamuis huiuſmodi longæ abſtinentiæ & ſimilia quæ non ſunt ſecundùm regulam; non poſſint imponi ad exercitium virtutis, poſſunt tamen ob alias cauſas, vt in iuſtam pœnam alicuius criminis, id enim eſt ſecundùm regulam; vel ſi putentur neceſſaria ad ſeruanda vota, & ſic præcipitur clauſura Monialibus arctiſſima, etiamſi talem ante non vouerint; item ob aliquam publicam neceſſitatem, quædam auſteriora ad tempus omnibus imponi; quia & hoc regulæ conſentaneum eſt. Cordub. *in reg. S. Franc.c.*10.*q.*2. Leſſius *cit. num.*75 Sylu.*verb.religio.*6.*q.*6. Syluius 2.2. *q.*104.*art.*5. Caramuel *in reg.S. Benedict.d.*50.*&* 51. Plura de his apud Caramuel, & v. *Prælatus,num.*6.*& ſeq.*

Cordub. Leſſius. Syluest. Syluius.

Sed petes, quando reformatur aliqua Religio, an teneantur profeſſi recipere reformationem? Reſp. teneri, ſi reformatio fiat in eſſentialibus, & in illis, ſine quibus eſſentialia vix obſeruari poſſunt, ſaltem in pluribus, ſed in alijs, non teneri. Ratio prioris eſt, quia Religioſus, vt dictum eſt, tenetur obedire in omnibus, quando præcipitur aliquid iuxta regulam. Dicitur autem id eſſe iuxta regulam, quod vel expreſsè continetur in regula, vel ſine quo non bene cuſtoditur regula. Illia verò ſine quibus vix obſeruantur eſſentialia ſunt iſta, non retinere mulieres in Monaſterio, nec paſſim dare illis liberum acceſſum vel ingreſſum, & multa alia quæ habentur in Concilio Tridentino *ſeſſ.*25. *cap.*2. *de regular. & ſequent.* ad quæ tenentur Religioſi poſt reformationem, vt ibidem dicitur. Alia verò non neceſſaria, ſunt v.g. plura ieiunia, mutatio veſtium, abſtinentia à carne, & alia huiuſmodi; & in his non tenentur recipere reformationem. Ratio eſt, quia obligatio Religioſi ad obediendum eſt tota ex ſuo voto; vnde vltra voluntarem, & intentionem vouentis non poteſt extendi; quæ limitatur ſecundùm regulam expreſsè vel implicitè intellectam, ſicut & de poteſtate Prælationis, vt dictum eſt ſuprà *verb. Prælatus, num.*10. tum quia auſteritas nouiter indicta concernit ſingulos de religione vt ſingulos, non vt vniuerſos: & conſequenter non poteſt indici per conſenſum collegij, qui in maiori parte conſiſtit; ſed requiritur conſenſus ſingulorum, iuxta reg. *Quod omnes, in* 6. Ita Doctores citati ſupra *verb. Prælatus num.*10. & fauet D. Thom. 2.2.*quæſt.*104.*art.*5. *ad* 3.

D. Thom.

10. Non tenetur Religioſus obedire ceſſante ſcandalo, quando præceptum Superioris fundatur in falſa præſumptione; vt ſi Religioſo imponatur pœna pro delicto, quod verè non commiſit, ſi ea pœna ſit ſecretò exequenda, non tenetur ſubditus ad illam; ſi verò in publico, tenetur ad eam, propter aliorum exemplum; quia in priori caſu pœna non imponitur ad eorum exemplum, ſed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget. Vaſquez 1.2.*q.*96.*art.*5. *d.*174.*c.vlt.* Nauar. *cap.*23.*num.* 38. Sanch.*c.lib.*6.*c.*2.*num.*11.

Vaſq. Nauar. Sanch.

An autem ſubditus dubius de legitima Prælati poteſtate teneatur illi obedire, maximè ſi ſit in poſſeſſione Superioritas; affirmat Sanchez *cit.c.*3.*num.*29. probabiliter; ſed non minùs probabilem contrariam ſententiam eſſe ſentit Diana 4 *p.tract.*3. *reſol.*8. poſt Vaſq. 1.2.*quæſt.* 19.*art.*6.*diſp.*62.*cap.*6. & Salas.

Dian. Vaſq.

Si verò ſubditus dubitet, an res præcepta ſit licita, tenetur obedire; maximè ſi obediendo, ſibi vel tertiæ perſonæ, magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore non timeat. Alias in his caſibus non teneretur in dubio obedire; vt ſi Superior interroget de proprio aut tertij delicto, & eſt dubium, an iuridicè roget: tunc enim in eam partem inclinandum eſt, in qua eſt minus damni & periculi, & ea eſt amplectenda, & proinde, non obediendum. Tum quia maius eſt periculum, & damnum illud imminens, quàm ſemel non obedire. Tum quia in dubio fauendum eſt reo, & ei de cuius damno agitur: etſi enim ſubditus non ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, eſt tamen in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, ſeu iuris, quo poteſt ſe à rebus periculoſis conſeruare. Vnde non tenetur in ea ſe conijcere, niſi conſtet Superiorem iuſtè præcipere. Similiter ſi Prælatus mihi præcipiat longum iter, aut rem valde difficilem, vt longam abſtinentiam, vel aliud opus valde auſterum, & nunc dubito, an poſſit Superior id mihi præcipere, non teneor cum tanto meo periculo, & damno ſtatim obedire, donec conſtet mihi de iure præcipiendi. Quia tanta rei difficultas vnà cum dubio poteſtatis imperandi, præponderat poſſeſſioni Superioris, & fauet potiùs libertati ſubditi. Ita Barthol. Medina 1.2. *quæſt.*19. *artic.*6. *dub.*4. Rodriquez *p.*2.*Sum.cap.*9.*num.*3. Diana *p.*4 *tract.* 3.*reſ.*9. Sotus *de ſecreto membr.*3 *q.*2. & alij ab ipſis citati.

Med. Rodrig. Dian. Sotus.

Plura de obedientia Religioſorum vide ſuprà *verb. Obedientia, Prælatus.*

11. *Ex voto caſtitatis*, tenetur Religioſus, primò abſtinere à coniugio; *deinde* ab omni actu interno, & externo, qui ſit contra caſtitatem, vt à turpibus cogitationibus, & delectatione moroſa, à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aſpectu; *denique* ab omnibus ijs quæ aliquo modo ſunt contra virtutem caſtitatis, quidquid enim in ſæcularibus extra coniugium eſt aliquo modo peccatum contra caſtitatem, id eſt in Religioſo etiam ſacrilegium contra votum, ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen vt malitia ſacrilegij ſit mortalis in ijs actibus, in quibus malitia libidinis eſt mortalis; venialis verò, in quibus nulla eſt venialis. Sanchez *lib.*5. *moral. cap.*6.*num.*9. Suar. *tom.*3. *de relig.lib.*3.*cap.*3. Leſſius *cit. num.*77. Layman *lib.*4.*tract.*5.*cap.*8.*num.*1. Caſtitas autem religioſa conſeruatur 1. Per humilitatem, quando noſtra fragilitate cognita, ad Deum recurrimos iuxta illud Sapient. 8. *Vidi quod non poſſum eſſe continent, niſi Deus det*, 2. Per ſobrietatem, vnde Hieronymus *Difficilè inter epulas ſeruatur pudicitia*. Et D. Bernard. *Periclitatur caſtitas in delicijs*. 3. Per carnis mortificationem, qua carnales motus reſtringuntur. 1. Corinth. 6. *Caſtigo corpus meum.* 4. Per cuſtodiam ſenſuum, iuxta illum Eccleſiaſt. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam; propter enim ſpeciem mulieris multi perierunt.* 5. Per vitationem, & declinationem occaſionum. Vnde Hieron. epiſt. 2. ad Nepotianum. *Hoſpitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant; nec ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas: quia nec Dauid ſanctior, nec Salomone ſapientior eſſe potes, qui tamen lapſi ſunt per mulieres.* 6. Per virilem tentationum reſiſtentiam, qua Dæmonum ſuggeſtiones repellimus, iuxta illud 1. Petr. 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* 6. Per feruentem Dei dilectionem, qua in Deo delectamur, & ſic voluptates carnis, tanquam amariſſimas deſpiciemus. Quia *guſtato Spiritu, deſipit omnis caro.* 8. Per mortis meditationem, & æternarum pœnarum, quæ debentur impiis, conſiderationem, per quam ſtultum eſſe cognoſcimus pro breui voluptate, æterna ſuſtinere ſupplicia.

12. Ex voto paupertatis tenetur Religioſus, vt nihil velit habere, poſſidere, vel vti tanquam proprium dare vel alienare ſine Superioris facultate, vt latiùs dictum eſt ſupra verb. *Paupertas religioſa:* Sanchez *l.*7.*moral.cap.*18. Valentia *t.*3.*d.*10.*q.*4.*p.*3.

Sanch. Valent.

Sed circa prædicta eſt aduertendum, quòd profeſſio nulla ex quocumque defectu nullam ex ſe indueat obligationem, niſi profitens vouendo independenter a profeſſione intenderet ſe expreſsè per illa vota obligare. Ratio eſt, quia humani contractus nullam cenſetur habere firmitatem, niſi ab vtraque parte acceptentur: cùm ergo profeſſio irritetur, vel ex parte profitentis, vt ſi profitendi intentionem non habeat: vel ex parte acceptantis, ſequitur quod in profeſſione, quando ex his defectibus nulla eſt, ſemper deſit conſenſus alterutrius, ac per conſequens ſit irritus contractus. Vt bene docet Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. n. 105.* cuius ſententiæ ſubſcribit Vecch. noſter *in praxi nou. t. diſp. 14. dub. 1.*

Vide *verb. Irregularitas, 3. Irregularitis, 11. n. 3. Matrimonium, 2. n. 4. Matrimonium, 7. n. 16.* & ſeq. & in Supplemento *v. Profeſſio*.

RELIGIO VI.

De tranſitu ab vna Religione ad aliam.

SVMMARIVM.

1 *An ſit licitus tranſitus ad arctiorem Religionem?*
2 *Quæ conditiones ſint ſeruandæ, vt integrum ſit regularibus ad aliam Religionem migrare?*
An conuerſi & Oblati, qui profeſſionem non emiſerunt, poſſint ad arctiorem Religionem tranſire, eo modo, quo poſſunt cæteri Religioſi?
An omnes Religioſi vnius Monaſterij ſimul poſſint tranſire ad ſtrictiorem Religionem?
An Moniales etiam poſſint ad ſtrictiorem Religionem tranſire, & de conditionibus ad id requiſitis.
Quis Superior poſſit licentiam tranſeundi ad arctiorem Religionem concedere?
3 *Quando iuſta cauſa ſubeſt: an poſſit regulares cum facultate Prælati tranſire ad ordinem laxiorem?*
4 *An Religioſi Mendicantes poſſint tranſire ad non Mendicantes, ſine licentia?*
5 *Quæ ſint pœnæ contra Religioſos aduolantes ad aliam Religionem in caſu etiam permiſſo?*

1. Licitus eſt tranſitus, ab vna ad aliam arctiorem Religionem, niſi aliud obſtet. *Cap. licet. Cap. non eſt. Cap. ſanè, de reg.* Quia cuilibet competit ius perfectioris vitæ capeſſendæ, vt ſaluti propriæ conſulatur: & hic tranſitus, non ſolùm conceditur iure humano, verùm etiam iure naturali diuino: nam eodem iure cuique competit ius vacandi maiori perfectioni, & votum ſuum in melius commutandi, quia hoc eſt gratius Deo; religio tamen ad quam fit tranſitus debet eſſe arctior, licet non ſit perfectior; quia in hoc tranſitu, non quæritur vtra ſit abſolutè perfectior (etiamſi D. Thom. Sylueſt. & alij quidam Doctores contrarium non improbabiliter tenere videantur,) ſed vtra arctioris obſeruantiæ, intutiùs, & meliùs poſſit ſalutem ſuam operari; permittitur omnibus Religioſis, etiam Mendicantibus, tranſitus ad Ordinem Carthuſianorum; quamuis abſolutè hic ordo non ſit omnium perfectiſſimus. Ad hoc autem, vt cognoſcatur Religio, quænam ſit ſtrictior, multa conſideranda ſunt, ſcilicet, originalis, & primæua inſtitutio, regula, conſtitutiones; adeo vt ſi conſtitutiones poſt originalem inſtitutionem æditæ maiorem inducant aſperitatem, Religio arctior dicetur. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *ar.* 8. Caietan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. a Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. num.* 3. Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 13. num.* 100. Sylu. 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. Vecchis *diſp. 15. dub.* Fauſt. *in theſaur. relig. lib. 5. quæſt.* 326.

D. Thom.
Caiet.
Leſſ.
Sylu.

2. Vt integrum ſit regularibus ad aliam Religionem migrare, quatuor conditiones ſeruandæ ſunt. *Prima* eſt, vt regulares tales ſint, quibus non ſit ſpecialiter is tranſitus interdictus. Sanch. *cit. num.* 2. Bonacina *de clauſur. q. 2. p. 9 §. 5 diffic. 1. & 2.* Vecchis *diſp. 15. dub. 2.* Fauſtus *cit. quæſt.* 325. quibus autem Religioſis vetitum ſit ſub cenſura ad aliam Religionem commigrare, aut alios recipere, conſulenda ſunt cuiuſcumque Religionis priuilegia; quorum ſummarium refertur a Bonacina *de clauſura, quæſt. 2. punct. 9. §. 5. difficult. 2.* *Secunda* conditio eſt, ne tranſitus fiat ex temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel qualibet alia animi perturbatione, ſed ſolo melioris, & tutioris vitæ ſtudio: & ne fiat cum detrimento, vel iactura Religionis à qua receditur: dum verò dubitatur, an bono vel prauo animo ad aliam Religionem tranſire quis velit, præſumendus eſt bonus animus, & zelus. Leſſius *cit. num.* 101. Sanchez *cit. num. 11. & ſeq.* Syluest. *verb. relig. 4. quæſt.* 1. Syluius 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *Tertia* eſt, vt tranſitus fiat ad perfectiorem Religionem; perfectior autem in hac re vocatur Religio (vt dictum eſt) non quæ perfectior, & fructuoſior eſt in ordine ad ſuum finem, ſed quæ durior, arctior, & aſperior eſt. Azor. *tom. 1. lib. 12. cap.* 12. Sanchez *num.* 21. *Quarta*, vt petatur licentia à Prælato, qui tenetur eam dare; ſi non det, hoc ipſo ius conceditur; ſi autem non petita facultate tranſeat, poteſt reduci ad prius Monaſterium, vt quod iure debet. *Cap. licet, de reg.* Sanchez *cit. num. 32. & ſeq.* Leſſius *citat. num.* 101.

Bonac.
Fauſtus.
Leſſius.
Syluester.
Sylu.
Sanch.
Leſſius

Hæc tamen licentia ex vi iuris communis non eſt de ſubſtantia huius tranſlationis, ſed requiritur tantùm vt actus rectè fiat: vnde, ſi Religioſus, qui abſque licentia petita ad arctiorem Religionem tranſiuit, iam in ea profeſſus eſt; profeſſio erit valida, nec Religioſus amplius reuocari poterit: imò probabile eſt; iuxta Suarez *tom. 4. de Relig. tractat. 8. lib. 3. capit. 10. numer. 26. & 27.* Nec etiam reuocari poſſe, ſi nondum profeſſionem emiſit, ſed habitum tantùm recepit, & iam eſt in probatione; ſed ſatis eſſe, vt illam petat ad ibi permanendum: nam id, quod omiſſum fuit, accidentale erat, non de ſubſtantia actus: & ideo ſufficiens, ſi ſuppleatur eo modo, quo fieri poterit, non reuocando, quod antea factum fuerat, cùm id nullius vtilitatis eſſe videatur; quia Religioſus, qui tranſiuit, regredi poteſt illicò poſt petitam licentiam, etiamſi eam non obtineat. Si tamen dubium ſit, an tranſitus fiat, vel factus ſit ad arctiorem Religionem, necne; tunc tranſitus abſque licentia inualidus eſt, quia in tali caſu, vel non ſufficit licentiam petere; ſed neceſſarium eſt, illam obtinere; vel ſi Abbas eam concedere noluerit, iure ſuo priuari non poteſt, antequam dubium Superioris iudicio terminetur.

Suar.

Hodie extat decretum Sacræ Congregationis editum iuſſu S. D. N. Vrbani III. anno 1624. die 21. Septembris, vbi ſtatuitur: *Vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe, illum recipere, qui licentiam petit: & tunc regularis rectè ſe transferat ad arctiorem: quod vt re ipſa adimpleat, idem Superior omni ſtudio, ad diligentia intergilet.*

Sed circa hæc occurrunt quædam dubia breuiter reſoluenda. Primum eſt, an Conuerſi, & Oblati, qui profeſſionem non emittunt poſſint ad arctiorem Religionem tranſire eo modo, quo poſſunt cæteri Religioſi? Negant Gloſſa *in c. vt lex. verb. Profeſſi, in fine, 27. q. 1.* Angelus *verb. Monachus, num. 1.* & alij: quia illi iam ſunt effecti ſerui Eccleſiæ. Contrarium tamen dicendum eſt, quia ſimplex oblatio priori Monaſterio facta, non poteſt maiorem vim habere, quàm habeat profeſſio: tum quia non debet impedire tranſitum ad melioris vitæ frugem, aliàs non eſſet rationabilis oblatio, cum principaliter ad Dei obſequium & animæ ſalutem ordinetur. Ita Bonacina *de clauſur. q. 2. par. 9. §. 2. num.* 3 Suarez *cit. cap.* 2.

Bonac.
Suar.

Secundùm dubium eſt, de toto Monaſterio Religioſorum, an poſſint omnes ſimul tranſire ad ſtrictiorem Religionem? Reſp. affirmatiuè, quia ſicut cuilibet licet, licentia Superiori petita, etſi non obtenta, ita & omnibus id licebit. Ita Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regul. quæſt. 52. artic. 6.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. numer.* 7. Nec obſtat textus *in cap. vnico, §. Confirmatos in fine, de relig. domib. in 6.* quia loquitur ibi de totali tranſlatione, ſcilicet de loco, & perſonis, non verò loquitur tantùm de

Rodriq.
Sanch.

tran-

tranſlatione perſonarum, vt obſeruant etiam Barboſa *de iur. Eccleſ. l. 1. c. 42. n. 51.*

Tertium eſt, de Monialibus, an ſcilicet poſſint de ſua Religione ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſire? & ratio dubitandi eſt, quia textus *cap. licet de regular.* vbi is tranſitus permittitur, loquitur de viris religioſis: tum quia Monialibus ſtrictè impoſita eſt clauſura in Tridentino, & nouiſſimè à Pio V. in Bulla Decori, anno 1569. Cæterum dicendum eſt hoc etiam Monialibus licere: quamuis enim dictum *cap. licet de regul.* loquatur ſolùm de Religioſis viris, non Monialibus: tamen cauſæ in eo expreſſe propter tranſitum ad ſtrictiorem Religionem, poſſunt procedere etiam de Monialibus. Ita Fauſtus *in theſaur. relig. quaſt. 327. lib. 5.* Rodriquez *cit. artic. 6.*

Fauſtus. Rodriq.

Ad hunc tamen tranſitum faciendum quatuor conditiones adiungi debent. *Prima*, vt antequam è primo Monaſterio egrediatur Monialis, aliud Monaſterium paratum ſit, à quo beneuolas habeat receptrices, quodque in eo capitulariter per ſecreta ſuffragia recipiatur. *Secunda*, vt dotem à cæteris Monialibus præſtari ſolitam perſoluat. *Tertia*, vt ſpes illi auferatur ad primum Monaſterium redeundi. *Quarta*, vt tranſitus fiat, comitantibus matronis conſanguineis grauibus, ab vno ad aliud Monaſterium recta via abſque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur, niſi cauſa hoſpitij; idque non niſi apud honeſtas perſonas.

Quartum dubium eſt, à quonam Superiore licentia ad arctiorem Religionem tranſeundi poſtulari debeat? Reſpond. Superior, à quo huiuſmodi licentia poſtulari debet, eſt etiam Abbas Conuentualis, niſi aliter per particulares conſuetudines, & conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas in aliqua religione conſtitutum eſſet: nec eſt neceſſarius conſenſus Conuentus, quia *cap. licet, de regul.* ſolùm requirit, vt ſubditus debeat à Prælato licentiam poſtulare nihil dicens de Conuentu. Sed quoad Fratres Minores neceſſariò petenda eſt dicta licentia, vel à Generali, vel Prouinciali, vel etiam à Cuſtode, qui iuriſdictionem in actu exercito habet. Ratio eſt, quia iſti tantùm ex regula gaudent facultate incorporandi Fratres religioni. In religionibus autem, in quibus receptio ſpectat ad Superiores locales, ad eoſdem etiam ſpectat dare licentiam. Ita Vecchis noſter *diſp. 15. dub. 2. num. 13.* Miranda *tom. 1. q. 31. ar. 1. concl. 1.*

Vecchis. Mirand.

5. Regulares poſſunt cum facultate Prælati tranſire ad Ordinem laxiorem, ſi iuſta cauſa ſubſit: & in hoc caſu nõ ſufficit petiiſſe facultatem, ſed oportet obtinuiſſe; nam ius non aliter hoc concedit: prætetea debet adeſſe iuſta cauſa, vt ſi collapſa diſciplina in ſtrictiore, ſi odia & ſimultates in ea vigeant, ſi ipſe aliis exoſus ſit, ſi ob corporis debilitatem non poſſit ferre rigorem: quia ſine cauſa nec Summus Pontifex concedere poteſt; nam interuenit quædam votorum relaxatio, quæ ſine cauſa validè fieri nequit: Poteſtatem hanc dare poteſt Epiſcopus in Monaſterijs ſibi ſubiectis; in exemptis autem Prælatus, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos habet, cum conſenſu tamen Capituli; conſenſus verò Capituli requiritur, quia hæc res eſt vna de maioribus negotijs Monaſterij, in quibus iuxta Canones requiritur Capituli conſenſus. Nauarr. *conſil 56. de regular.* Azor. *cit. cap. 15. q. 1.* Miranda *t. 1. q. 31. ar. 6. concl. 3.* Sylu. *verb. relig. 4. q. 2.* Leſſius *cit. num* 103: Sanchez *cit. n. 70.* Diana *de dub. reg reſolut. 43. part. 3.* Vecchis *diſ. 15 dub. 5.* Fauſtus *citat. quaſt. 345.*

Nauarr. Azor. Sylu. Leſſius. Sanch. Diana. Vecchis.

4. Quamuis Mendicantes Religioſi, iure communi, etiam cum facultate ſui Generalis non poſſint tranſire ad non Mendicantes (præterquam ad Carthuſianos) abſque facultate Pontificis; ex priuilegio tamen quidam Generales poſſunt dare hanc licentiam. *Extrauagant. 1. viam Ambitioſa, de regul.* Leſſius *cit. n.* 104. Præterea obſeruandum eſt, Religioſos Societatis, neque poſſe ad Carthuſiam tranſire, niſi obtenta à Superioribus licentia, quam licentiam Pater Generalis ſibi reſeruauit. Bonacina *de clauſ. q. 2. p. 9. §. 5. diff. 2. nu. 5.* Et ratio eſt, quia Patres Societatis gaudent priuilegijs Carmelitarum, ex priuilegio Pij V. Carmelitis autem conceſſum fuit priuilegium à Paulo V. die 3. Aprilis 1610. ne ad Carthuſiam tranſire valeant ſub excommunicationis pœna ipſo facto. Idem priuilegium nouiſſimè conceſſum eſt ab Vrbano VIII. nobis Capucinis. Vt patet ex ipſius Bulla 9. Auguſti 1628. Pontificatus ſui anno ſexto, quæ incipit: *Iniunctis nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat*, vbi prohibet ne vllus dicti Ordinis Religioſus ad laxiorem, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ; ad Carthuſien. verò, ſeu quemcumque alium Ordinem, vel Congregationem, niſi de Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis dicti Ordinis licentia in ſcriptis obtenta, ſub Apoſtaſiæ, & infamiæ perpetuæ nota, nec non excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis ipſo facto incurrendis, tranſire quoquo modo audeat, ſeu præſumat.

Bonac.

Non licet nobis Capucinis recipere Fratres Minores de Obſeruantia ſine licentia Sedis Apoſtolicæ in ſcriptis obtinenda, ſub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcumque officia, & legitimos actus. Ita ſtatuit Paulus III. vt habetur apud Sorbum noſtrum *in Compend. priuil. tit. Recipere, verſ. Pariter ſic aduertendum.* Vnde Iulius III. renouando huiuſmodi prohibitionem declarauit, talem receptionem, & profeſſionem ſine licentia eſſe nullam, & Capucinos recipientes incurriſſe pœnas præfatas. Idem ſtatuit Sixtus V. anno 1586. in conſtit. quæ incipit: *Pro ea*, ita habetur apud eumdem Sorbum, *loco cit.*

Pius V. in Bulla, quæ Incipit: *Sedis Apoſtolicæ ſolertia*, anno 1567. die 6. Octobris, ſtatuit, quod nullus Capucinus ad Ordinem S. Franciſci de Paula, & nullus Frater S. Franciſci de Paula ad Capucinos vllo vnquam tempore, & quantumcumque iuſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum ſe transferre poſſit. Quæ Bulla confirmata fuit a Gregorio XIII. prout refert Paſſarellus *in compend. priuileg.* Vbi etiam refert, Sacram Congregationem Cardinalium iuſſu Gregorij XIV. anno 1591. die 27. Maij ſtatuiſſe, Religioſos harum duarum Religionum tranſeuntes ex vna ad aliam contra formam præfatæ conſtitutionis Pij V. ipſo facto pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & etiam omnium officiorum incurrere. Ita Vecchis noſter *in praxi nouit. diſputat. 15. dub. 3. n. 7.*

Vecchis.

Monachi Benedictini, aliàs S. Iuſtinæ de Padua, & Ciſtercienſes non poſſunt ad quemcumque Ordinem tranſire, etiam ad Carthuſiam, ſine conſenſu generalis Capituli, ſeu Præſidentis, aut maioris partis viſitatorum Congregationis; nec etiam authoritate Apoſtolica, niſi in literis fiat ſpecifica mentio de perſona, & Religione, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda contra recipientes, ſeu retinentes, qui intra triduum a receptione Monachi receptum non reſtituerint. Ita ex conſtitut. Eugenij IV. quæ habetur *in compend. priuil. Ciſtercienſ. titul. Eugenius, §. 1. & 2.*

5. Pœnæ contra Religioſos ad aliam Religionem in caſu etiam permiſſo aduolantes, ſunt: *Prima*, incapaces ſunt quorumcumque beneficiorum ſæcularium etiam curatorum; quod verum eſt, etiamſi præfatus Religioſus tranſlatus ſit ad arctiorem Religionem. Ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14 cap. 11.* *Secunda*, Mendicantes tranſeuntes ad non Mendicantes, etiam cum facultate Pontificis, priuantur voce actiua & paſſiua in Capitulo, priuantur etiã loco in Capitulo, videlicet, quoad honores in electionibus, & tractatibus, non verò quoad onera, vt in diſciplinis, & correctionibus. Inhabiles item efficiuntur ad Prælaturas, adminiſtrationes, & quælibet officia non ſolùm intra Religionem, verùm extra. Nomine officij, hoc in loco, probabile eſt intelligi quælibet officia nuncupantur, vt eſt officium Oeconomi, Cellarij, Oſtiarij, Prædicatoris, Confeſſoris, Lectoris Theologiæ, iuris Canonici, vel aliarum facultatum; Vicarij Conuentus, imò curam animarum pro ſe, vel pro aliis exercere non poſſunt. Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. num. 108. 109.* *Clement. 1. vt profeſſores de reg.* Nauarr. *comment. 4. de regul. num. 21.* Leſſius *cit. num.* 105. Bonacina *cit. difficult. 1.* Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. diſput. 15. dub. 5. num. 12.* An autem afficiantur his pœnis Mendicantes tranſeuntes

Sanchez. Nauarr. Leſſius. Bonac. Vecchis.

tes

tes ad Carthuſianos, affirmat Leſſius; Negat Sanchez *num.* 120.

RELIGIO VII.

De Religioſis eiectis & fugitiuis.

SVMMARIVM.

1 2 *An aliquando Religioſus poſſit expelli à Religione?*

3 *An iuſta cauſa expellendi Religioſum è Monaſterio cenſeatur incorrigibilitas? & quis dicatur incorrigibilis ex decreto Sacræ Congregationis?*

4 *An Monialis propter incorrigibilitatem poſſit etiam è Religione expelli?*

5 *An poſſit expelli Religioſus, qui profeſſionem emiſit tecto aliquo morbo contagioſo?*

6 *Ad quem hoc tempore pertineat facultas expellendi Religioſos?*

7 *An Religioſus per ſententiam eiectus teneatur petere, vt iterum in Monaſterium admittatur?* refertur duplex ſententia.

8 *An Religioſus eiectus teneatur vota Religionis ſubſtantialia ſeruare?*

9 *An ab alijs obſeruationibus ſuæ regulæ liberetur Religioſus eiectus, puta, ieiunijs, delectu ciborum, &c.* refertur duplex ſententia.

10 *An Religioſus eiectus teneatur aliam Religionem ingredi, & an ad id poſſit cogi?*

11 *An ſuſpenſus ſit Religioſus eiectus, quamdiu iterum non recipitur?*

12 *Quis dicatur fugitiuus à Religione?*

13 *An Religioſus, carceri damnatus, cenſendus ſit fugitiuus, ſi è carcere fugiat?*

14 *An damnatus ad triremes cenſendus ſit fugitiuus, ſi inde fugiat ne cruciatus ferat?* refertur duplex ſententia.

15 *An cenſendus ſit fugitiuus Religioſus confugiens ad Superiorem, abſque licentia immediati Superioris.*

1 RELigioſus non poteſt abſque iuſta cauſa expelli à Religione; quia ſicut Religio ius in ipſum per profeſſionem acquiſiuit, ita ipſe acquiſiuit, vt à Religione alatur, & ſuſtentetur: vnde Superior qui Religioſum abſque iuſta cauſa expellit, grauiter peccat, facit enim contra ius religioſi in re graui: & tenetur ad reſtitutionem damni, quod Religioſus eiectus patitur: iniuſtè verò eiectus Religioſus, poteſt compellere Monaſterium, vt ipſum alat, & præbeat expenſas ad litem neceſſarias, quia ius habet, vt à Monaſterio alatur: & hoc verum eſt, etiamſi diſputetur, an ſit Monachus, cùm enim in poſſeſſione exiſtat recipiendi alimenta, non debet illis ante iudicis ſententiam priuari. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 9. *n* 7. & 8. Menochius *de præſumpt. l.* 1. *q.* 35. *n.* 21. Molina *t.* 1. *de iuſt. diſp.* 140. Sanchez. Menoch. Molin.

2. Religioſus poteſt iuſta concurrente cauſa ob Religionis vtilitatem à Monaſterio expelli, vt patet ex praxi omnium Religionum; quia, vt inquit D. Bernardus, melius eſt vt pereat vnus, quàm vnitas, & ſecundùm D. Hieronymum, reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat Sanchez *cit. n.* 3. Azor. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 13. Miranda *t.* 1. *q.* 52. *art.* 1. *concl.* 1. & alij. Azor. Layman. Sanchez.

3. Iure communi, iuſta cauſa expellendi Religioſum è Monaſterio, cenſetur incorrigibilitas, *C. vlt. de regular.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 14. *num.* 106. Graffijs 1. *p. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 19. Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 37. Incorrigibilis autem dicitur, ſecundum ſententiam plurimorum Doctorum, qui ter admonitus adhuc perſiſtit in patrandis eiſdem, vel grauioribus aut æqualibus delictis: Alij, illum volunt incorrigibilem, qui in eiſdem, aut æqualibus vel grauioribus permanet delictis, nec vlla extat ſpes de illius reſipiſcentia, & emendatione: Hoc tamen tempore poſt decretum Sacræ Congregationis Cardinalium, de mandato ſpeciali Sanctiſs. Domini Noſtri Vrbani VIII. die 21. Septembris annis 1624. vt quis incorrigibilis ad effectum expulſionis, & eiectionis cenſeatur, non ſatis eſt, vt in eiſdem aut æqualibus, vel grauioribus delictis perſeueret, ſed præterea requiritur, vt vno anno in carceribus probetur ieiunio, & pœnitentia, & ſi poſt huiuſmodi probationem non reſipuerit, ſed adhuc pertinaciter deprauatis motibus adhærere velit, incorrigibilis habeatur, & expellatur: neque obſtant ſtatuta, conſuetudines vel priuilegia quæcumque in contrarium, quia hæc in dicto decreto penitus reuocantur. Ita Bonacina *de clauſur. q.* 2. *p.* 12. § 1. *num.* 6. Et tenor huius decreti talis eſt. Bonac.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum ſtatui conſulere, illorumque ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis ſuæ facultate infraſcripta Decreta ita edidit.

Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimum prodeunt deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit, eſſe innouandas, & Sanctiſſimi authoritate innouat Conſtitutiones, & Decreta generalia Sanct. Memor. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèque præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque, vt obſeruentur efficiant, ſub pœnis ſtatutis in iiſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit; caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs, ad Nouitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, & approbandis, Nouitij ad habitum vllatenus recipi poſſint, niſi prius à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſsè, & nominatim approbata fuerint: A cuius quidem Decreti obſeruantiæ Sacra Congregatio iuſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſoluendos, prout authoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri, abſoluit atque exemit.

Deinde, vt apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumque regulariter rectà ſe transferat ad arctiorem. Quod, vt reipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.

Rurſus ſtatuit, vt fugitiui, & Apoſtatæ, ſiue habitum regularem deferant, ſiue non, poſſint ac debeant ab Epiſcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus conſignari, ſecundùm regularia inſtituta puniendi, vt ipſi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem educere, atque efficere, vt apprehendatur; ſalua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa, Decreto Concil. Tridentin. ſeſs. 6. cap. 3. *Quod ſi Apoſtatæ huiuſmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione inchoandos, ſua ſponte ad ſuam quiſque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſis propter Apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſſionem atque impunitatem aſſequantur. Ita tamen, vt debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri. Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiuſmodi pœnis abſoluere, & paterna charitate complecti.*

Ad hæc, vt in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus eijci poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis: verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & Conſtitutionibus cuiuſque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, viribus etiam vnius anni ſpatio

in ieiu.

ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquaque Religio priuatos habeat carceres, in qualibet ſaltem Prouincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pertinacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantum, de conſilio & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumque non niſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum, & Conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Interea tamen vſque ad primum generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex iuſtis, & neceſſariis cauſis expellere oportebit, eiectio fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, vt ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione, ſeruata tamen in reliquis forma ſuperiùs præſcripta. Sic vero eiecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci iuriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, proindeque Generalis illico expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionũ Superiores ſeriò admonet, ac per Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, vt memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum atque extremum expulſionis remedium experiantur. Idque eò magis, quod ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noſter Ieſus Chriſtus in ſupremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Præterea ſtatuit, vt iidem Superiores nemini ex Religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item vt eiecti extra Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi aut moderandi.

Ac poſtremò cenſuit, eſſe innouandam, & ſua Beatitudinis authoritate innouat Conſtitutionem felic. record. Gregorij IX. relatam in cap. fin. extra de regul. *ac præterea declarat, eam Conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſeruandamque eſſe, qui iuſte, diffinitiuèque, ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cuius conſcientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio ſeriò onerauit.*

Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacra Congregatio S.D.N. annuente, atque approbante, vniuerſis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum ac locorum regularium vbique locorum exiſtentium iniungit, ſerioque mandat, vt illa diligenter obſeruent, atque obſeruari procurent, & bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, pœnæ, que huiuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, iiſdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quicquid ſecus à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Card. de Torres.

Locus † ſigilli.

Proſper Fagnanus, S. Congr. Secr.

Ex verbis huius decreti ſatis conſtat Prælatorum obligatio, non ſolùm Abbatum ac Præſidentium Generalium, vel aliorum, qui Capitulis generalibus præſident, verùm etiam localium Prælatorum. Cæterum illud decretum *d. cap. final. de regul.* cùm ſit iuris humani, quoad annualem perquiſitionem, videtur conſuetudine abrogatum fuiſſe. Prælati enim regulares Religioſos fugitiuos, & apoſtatas quotannis non perquirunt, nec ad clauſtrum eos reuocare ſtudent; neque illa circumſtantia de annuali perquiſitione videtur moraliter neceſſaria; nam vel nullus adeſt fugitiuus, & tunc non eſt, quod perquirant; vel ſi aliquis aufugit, & eo caſu non debent expectare tempus vnius anni ad illum inquirendum; ſed ſtatim diligenter eius reuocationem, & reductionem ad clauſtrum curare; quod ſi nihilominus tunc capi nequeat, ſingulis annis illum perquirere, nec etiam neceſſarium videtur, ſed ſufficiet inuigilare, ac poſſibilem diligentiam iuxta occurrentes occaſiones adhibere. Vide Suarez *tom. 4. de religion. tractat. 8. lib. 2. capit. 2. numer. 17.*

Religioſi autem apoſtatæ, & fugitiui ad proprium Ordinem reuertentes, humiliter, vt admittantur, & recipiantur petentes, benignè, non autem rigidè, & cum aſperitate recipiendi ſunt, vt continetur in hoc decreto: quia Eccleſia nulli viſcera miſericordiæ claudit, vtcumque peccator ſit, dummodo conuertatur, & pœnitentiam agat; ſi autem mox ad ſanam mentem non redierint, terroribus ac minis inducendi ſunt, & iuxta ſuorum delictorum, ſeu potius infirmitatis indigentiam, remedia illis ſunt applicanda.

4. Quamuis attento iuris communis rigore, Monialis etiam expelli poſſit propter incorrigibilitatem, ſi adeò incorrigibilis eſſet, vt in nullo Monaſterio eius reformatio, & correctio ſperaretur, quia rationes, quæ militant ad probandum licitam eſſe regularium eiectionem, eandem vim habent in Monialibus: tamen conſultum non eſt, neque conſuetum, vt Monialis profeſſa ob crimen expellatur; ſed potiùs ſi aliter corrigi non poſſit, in perpetuo carcere detineri debet, ne aliis offendiculo ſit, & grauem anſam afferret multis Monialibus, quæ in Monaſteriis ſunt, & facilè mutantur, vt ſe incorrigibiles fingerent, vt Monaſterium deſererent. Laym. *l. 4 tr. 5. c. 13. num. 1.* Sanch. *l. 6. mor. c. 9. n. 6.* Bonac. *cit. n. 9.* & alii.

5. Secundùm probabilem quorundam Doctorum ſententiam expelli poteſt Religioſus, in pœnam peccati, qui profeſſionem emiſit tecto aliquo impedimento, quod in illa Religione cenſetur eſſentiale, vel valde graue, vt ſi quis morbo epileptico laboret, aut gallico ſimili contagioſo. Nauar. *lib. 1. conſ. 25. de reg.* Sa *verb. religio, nu. 34.* Leſſius *cit. n. 106.* Rodriq. *tom. 2. ſum. c. 6. n. 3.* Layman. *cit. num. 1.* & ratio eſt, tum quia dolus dedit cauſam admiſſioni, ac proinde Monaſterium non tenetur eum retinere, & hoc præſertim, ſi in ea Religione extet ſtatutum à Sede Apoſtolica profectum, vel ab eadem approbatum talem reddens inhabilem ad ordinem, imò in hoc caſu profeſſio eſſet irrita. Tum quia cùm Superiores declarent ſe nolle eſſe obligatos ad retinendum taliter profeſſos, qui rogati occultarunt talem morbum, clarè & apertè dicunt ſe non præſtare conſenſum: eò quòd ſicuti ex aſſenſus conceſſione conſurgit obligatio retinendi, ita ex declaratione non ſe obligandi ad retinendum apertè conſurgit negatio conſenſus: ergo nulla erit profeſſio ſupradicti Religioſi. Ita in terminis docent noſter Bartho. à Vecchis *in praxi nouit. diſ. 13. dub. 15. n. 8. 9. 10. & 11.* Suar. *de relig. tom. 4. tract. 10. l. 2. c. 1. num. 28. & 29. & c. 3. num. 5.* & alii, qui exinde adoptant. *Primò*, Nouitium tali morbo laborantem, lethaliter peccare, & eſſe abſolutionis incapacem, donec vel morbum Superiori aperiat, vel è Monaſterio egrediatur. *Secundò*, præfatum tamen dictis morbis laborantem, & cuius profeſſio eſt irrita, in noſtra ſacra Religione, & in quibuſdam aliis non eſſe obligatum ad Religionem in genere, nec vllam ex tali profeſſione induci obligationem, niſi profitens peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat eo ſe ligare; quod tamen votum non dicitur validum, tanquam aliquid profeſſionis, ſed vt votum ſimplex,

Tertiò,

Nauar. Sa. Leſſius. Rodriq.

Vecchio. Suarez.

Digitized by Google

Tertiò, Prouincialibus integrum non eſſe diſpenſare in iſto decreto conſtitutionum noſtrarũ,tum quia eſt diſpẽſatio inſolita,& de re valde graui: tum quia etſi ratione conſuetudinis diſpenſent in aliis conditionibus à Conſtitutionibus requiſitis quoad Nouitiorum receptionem, in hac tamen maximæ conſiderationis minimè diſpenſant. Vnde in hoc caſu ſolus Miniſter Generalis diſpenſare poteſt accedente aliqua admodum graui & legitima cauſa. In facti contingentia conſulantur noſter Vecchis *dub.15. per totum*. Et Syluius *in ſuis reſolutionibus verb. Profeſſio monaſtica 5.p 1.*

Vecchis. Syluest.

6. Hoc tempore facultas expellendi Religioſos pertinet ſolùm ad Generalem de conſilio & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eligendorum in ſingulis Capitulis vel congregationibus generalibus;tumque non niſi inſtructo ſecundùm eius Religionis ſtylum & conſtitutiones proceſſu,& plenè probatis cauſis expulſionis ad ſacrorum Canonum præſcriptum: non obſtantibus in contrarium conſtitutionibus,ſtatutis, conſuetudinibus, vel priuilegiis,tam in iure quàm extra,ſub quibuſcumque formis,etiam in limine fundationis conceſſis, vt habetur in præfato congregationis decreto. Bonacina *citat. numero* 15.

7. Religioſus per ſententiam à Religione eiectus tenetur petere vt iterum in Monaſterium admittatur,vnde ad hunc finem tenetur ſuos deprauatos mores corrigere & emendare; quia quandiu deprauatos mores ſuos non corrigit,per ipſum ſtat, ne votum perſeuerantiæ in Religione adimpleat; tum quia commodum ex ſuo delicto referre non debet. Clauis regia *lib.* 10 *c.9. num.* 25. & 27. Reginaldus *lib.18.num.*417. Leſſius *cit.nu.*115. Contra Rodriquez 2.*p.c.97.num.*11. Sà *verb. relig. num.* 40. Azor. *cit.c.*17.*q.*1. Diana *de dub. reg. reſol.* 60.*p.* 3. arbitrantes Religioſum iuſtè in perpetuum eiectum liberari à poteſtate Superiorum, neque teneri ad Religionem redire, etiamſi à Superioribus Religionis redire cogatur.

Reginald. Rodriq. Sà. Azor. Dian.

8. Religioſus profeſſus à Religione eiectus, tenetur vota Religionis ſubſtantialia ſeruare, quia perſpicuum eſt apud omnes,Religioſum eiectum obſtrictum manere voto caſtitatis, conſequenter inualidè matrimonium contrahere, ergo etiam aliis votis ſolemnibus obſtrictus remanet,cùm par ſit omnium ratio. Rodriq.*tom.1.quaſ. reg.q.*30.*art.*29. Sanch. *lib.6.moral.c.9.n.* 23. Diana *citat. reſol* 60.Quoad votum paupertatis attinet,earum rerum, quas acquirit,ſolum vſum & adminiſtrationem ſibi vendicare poteſt. Sà *verb. relig. num.* 40. tamen ſi aliquid inutiliter expendat,aut ad actus turpes & inhoneſtos, vt in meretrices inſumat,non peccat contra paupertatis votum,iuxta probabilem quorundam doctorum ſententiã, vt Molin. *tom.* 2 *diſp.*276. Leſſius *cit.num.* 113. Sanchez *cit.num.*47. Laym.*lib.4 tract.*5 *c.*13.*n.*2. quia tota commoditas interim dum viuit ita ei relinquitur, ac ſi Religioſus non eſſet, ita vſu & experientia comprobatum eſt; Religio enim,à qua eiectus fuit,nullam de huiuſmodi bonorum adminiſtratione curam habere conſueuit: tamen illis bonis teſtari non poteſt, quia iure ad hoc inhabilis eſt,cùm reipſa illorum bonorum dominus non ſit. De dominio verò rerum ab eiecto acquiſitarum, exiſtimant Nauar. *commen.*2 *de regul.num*,33. & Azor. *cit.c.*16.*q.*8. eas non Monaſterio,è quo eiectus eſt,ſed Eccleſię acquiri, ſeu Diœceſanæ, ſi alicubi beneficium habet; ſeu Romanæ, ſi beneficium nullum habeat: ideòque hoc caſu bona, tanquam vacantia, à Papa vel Epiſcopo poſt mortem Religioſi eiecti, vendicari poſſe: hæc ſententia eſt probabilis. Verius tamen & meritò putatur à Molina *cit.diſp.*140. & Leſſio *cit num.*112. Bonac. *de clauſ. qu.*2. *p.*2.§.7. talem eiectum acquirere Monaſterio, vel dominium,ſi eſt capax, vel ſaltem commoditatem poſt mortẽ ſuam,ſi non eſt capax, quia Monaſterium per iuſtam eiectionem non debet priuari iure, quod ante habebat in omnia acquiſita à profeſſo ſuo. Denique quod attinet ad votum obedientiæ,dicendum eſt, ſecundùm communem ſententiam,eiectum non eſſe ſolutum voto ſubſtantiali obedientiæ,comparatione regularis Prælati,quamuis magna ex parte ceſſet eius executio, ob defectum materiæ,quia de facto non habet Superiorem à quo dirigatur; nihilominùs manet voto obligatus virtualiter,& paratus eſſe debet obedire,ſi in ordinem iterum recipiatur. Sanchez *cit.num.*17. Layman *cit.num.*4. Leſſius *cit.num.*115. Et verius eſt talem eiectum non recidere in obedientiam Epiſcopi,ex vi ſui voti & profeſſionis,contra Nauarrum, ſed ſolum tenetur illi obedire, ſicut alij de Clericis, ſic enim toto orbe vſu receptum eſt, Molina *diſp.*140. Azor. *cit.l.*12.*c.*16.*q.*11.

Rodriq. Sanchez. Diana.

Molin. Leſſius. Sanchez. Layman.

Nauar. Azor.

Molina Azor.

9. Quamuis probabile ſit, Religioſum eiectum non liberari ab aliis ſuæ regulæ obſeruationibus,puta ieiuniis, delectu ciborum,item Horis Canonicis, ſi in ſacris conſtitutus non ſit;quia eiectus non liberatur profeſſione & ſtatu Monaſtico, ergo neque regulis & obſeruationibus Monaſticis, ad quas ratione ſtatus & profeſſionis ſuæ in Monaſterio ſub peccato mortali obligatus fuerat,& nunc quoque extra Monaſterium ſine magna difficultate præſtare poteſt, vti eſt officium canonicum,certa ieiunia,&c. Nauarrus *c.7.num.*20.*de orat.* Sà *verb.relig.num.* 40. Miranda *q.*52.*art.*5. Rodriquez *t.*1.*q.*30. *art.* 20. Portel. *de dub.reg.verb. Eiicere ab ordine num.*5. Contraria tamen ſententia eſt probabilior & in praxi tuta,quia Monaſticæ illæ obſeruationes non comitantur profeſſionem trium ſubſtantialium votorum abſolutè, ſed quatenus ſeruari debent ſub regula,ſeu ſtatu vitæ regularis, à quo tamen ille expulſus eſt. Layman *cit.n.*5. Leſſius *lib.* 2.*cap.*37.*n.* 50. Diana *de dub. regul. reſol.* 116. Verumtamen ſicuti Religioſus factus Epiſcopus habitum ſuæ Religionis ſecundùm ſacros Canones ferre debet, ita etiam eiectus, niſi eo, vt plerumque fieri ſolet, in criminis pœnam etiam ſpoliatus ſit. Sanchez *cit. c. 9. n.* 55. Bonacina *cit.* §.5.*num.*2.

Nauar. Sà. Mirand. Rodriq. Portel.

Layman. Leſſius. Dian.

Sanch. Bonac.

10. Religioſus in perpetuum eiectus, non tenetur aliam Religionem ingredi, ſi prior illum nolit iterum admittere,niſi fortè eiectus fuerit ſub hac conditione, vt ad aliam tranſiret; tunc enim tenetur adimplere conditionem, quam promiſit: ſi verò ad aliam religionem non tranſeat,tenetur redire ad primam. Rodriquez *cit.q.*30. *art.*12. Sanchez *cit.n.*34. Leſſius *c.*41.*n.* 111. Notandum tamen eſt Religioſum eiectum cogi non poſſe ab eijciente,vel à Summo Pont. vt ad aliam Religionem tranſeat; quia ſicut nullus poteſt cogi ad matrimonium, ita ad Religionem,cùm ſit ſtatus perpetuus, qui voluntariè & ſponte,non coactus eſſe debet. Rodriquez *cit.art.* 3. Sanchez *cit.num.*42.

Rodriq. Sanch.

11. Religioſus a Religione eiectus, ſuſpenſus eſt, quãdiu iterum non recipitur vel ad aliam Religionem non tranſit; hæc verò ſuſpenſio repellit ab exercitio Ordinum tam maiorum quàm minorum, & impedit ne ad ſuperiores Ordines aſcendere poſſit; nec poteſt eiectus beneficium recipere,cui adnexus ſit aliquis Ordo, ſeu functio Ordinis; ſuſpenſus enim ab exercitio Ordinum, ſuſpenditur etiam a beneficio,cui Ordo adnexus eſt: vnde ſi eiectus celebret aut functionem aliquam Sacrorum Ordinum exerceat,irregularis efficitur propter violationem cenſuræ: Abſolutio autẽ aut moderatio iſtius ſuſpenſionis Summo Pontifici reſeruata eſt. Ita ſancitum fuit à ſacra Cardinalium congregatione de facultate Summi Pontif. Vrbani VIII. die 21. Septembris 1624. ſuprà, Bonac. *de clauſur.q.*2 *p.*12.§.6.

12. Fugitiuus à Religione dicitur,qui à Monaſterio ad tempus diſcedit, non animo recedendi à Religione, ſed intentione poſtea redeundi,vt ſi fugiat ob Prælati metũ & rigorem,vel ob vagandi voluntatem, aut alia ſimili de cauſa: verũ talis eſt ſiue fugiat cũ habitu,ſiue illo dimiſſo: vnde non idem eſt Apoſtata & fugitiuus, quamuis enim omnis Apoſtata ſit fugitiuus,non tamen omnis fugitiuus eſt Apoſtata;conſequenter neque ſubiicitur pœnis contra Apoſtatas impoſitis,etiamſi habitum aliis veſtibus tegat. Arragon 2.2.*q.*12.*art.*1. Sanchez *l.6.moral.c.8.n.* 2. & 5. Rodriq. *t.*1.*q.*30.*art.*2.& 3. Azor.*cit.cap.*16.Leſſius *cit.c.* 41.*n.*109. & alii.

Arragon. Sanch. Rodr. Azor. Leſſius.

13. Religioſus in carcere incluſus,ſeu perpetuo carceri damnatus,cenſendus eſt fugitiuus ſi è carcere fugiat: quia recedit à Monaſterio abſque debita licentia: & licet valde probabilis ſit ſententia Doctorum aſſerentium ſæculares

licitè

Digitized by Google

licitè poſſe è carcere fugere; Religioſo tamen, regulariter loquendo, ius non competit fugiendi; quia exeundi aut vagandi poteſtate ſe priuauit in profeſſione. Bannez 2.2.q.69.art.4 Rodriquez *tom.2.q.23. art.6.* Sanchez *cit. cap 8.num.12.* Nonnulli autem ſunt caſus in quibus Religioſus fugiendo non cenſetur fugitiuus, vt ſi damnatus ſit carceri, & poſtea mors aut mutilatio ei infereoda ſit, ius enim oaturæ illi tribuit facultatem vitam & membra tuendi: idem dicendum, ſi ſententia ſit iniuſta, aut ſi Religioſus tanta pœna dignus noo ſit; aut ſi ſententia quidem iuſta ſit, modus tamen exequendi ſit iniuſtus. reus enim oon tenetur in conſcientia huiuſmodi ſenteotiæ obedire. Leſſius *lib.3.cap.31.dub.5.num.34.* Sanchez *cit. nu. 15.* Nauarr. *comm:4 de regul.n.64.* Tambur: *de iur. Abbat.diſ.8 q.2.*

Leſſius. Sanch. Nauarr.

14. An autem cenſendus ſit fugitiuus Religioſus damnatus ad triremes ſi inde fugiat ne cruciatus & moleſtias eius ſtatus ferat, plurimi affirmant cenſenduo eſſe fugitiuum, ſicut de fugiente à carcere dictum eſt. Clauis regia *lib.12.c.18. n.15.* Sanch. *cit.* Oppoſitum tamen non eſt improbabile; quia multi æquiori aoimo ferrent aliquod ſibi membrum voa vice amputari, quàm in triremibus longo tempore torqueri; nam hoc genus pœnæ, perpetuæ morti comparatur; *l. penultima, ff. de regul. iur.* Tum quia homines damnati ad triremes, oon ſupponuntur ibi, vt ſpoote maneant, ſed vt inuiti patiantur, & cùm ex impulſu naturali detur omnibus animantibus, vt à ſimili coerctione liberetur, manifeſtè ſequitur, damnatum ad triremes, non eſſe fugitiuum, ſi fugam accipiat. Bonacina *cit.p.11.§.1.n.8.* Ita etiam Bannez 2.2. *q.69.art.4. poſt 5.concl.*

Bonac. Bannez.

15. Religioſus confugiens ad Superiorem abſque licentia immediati Superioris, vt eximatur vexatione, quam miſſè ab immediato Superiore patitur, non eſt cenſendus fugitiuus nec pœois fugitiuorum puniri debet; modò certo conſtet de iniqua vexatione, nec alia ratione valeat ſe ab illa eximere, quam adeuodo Superiorem; nam iure naturæ cuilibet competit ſua defenſio, nam hoc eſt contra Tridentinum *ſeſs.25.cap.4.de regularibus*; quod vetat omnibus Religioſis recedere a ſuis Conuentibus etiam ob cauſam adeundi Superiorem: nam reſpondetur, ioquit Rodriquez, non eſſe credeodum Concilium voluiſſe derogare tam iuſtam concluſiooem tam graui ratione nitentem, præſertim quod non eſt petenda licentia ab eo, ad cuius grauamen tollendum pergitur ad Superiorem, & quod adire Superiorem ob iuſtum grauamen habet vim appellationis apud Religioſos, a quorum Superioribus poſſe appellari verbo vel facto irrefragabiliter probant Doctorea, Ita Rodriquez *tom.1.q.30.art.4.* Azor. *cit. c. 11. q. 7. & 8.* Clauis regia *cit.cap.17.n.4.* Sa *verb.relig.n.71.* Nauarr. *comment.2.de regul.n.61.* Diana *de dub.reg.reſol.56. & 115.p.3.* Syluius *p.1.reſolut.var.verb. Appellatio.* Portel. *in addit. ad dub. reg.v.Habitus n.3.*

Rodriq. Azor. Clau. reg. Sa. Nauar. Dian. Sylu.

Licet contrarium teneat Bannez 2.2 *q.12.art.1.* cuius opinionem poſſe ſequi videtur, caſu quo non conſtet de iniuſtitia grauaminis, & hoc ratione ſcandali: & iuxta hoc debet explicari quidquid circa hoc determinatum eſt pro regularibus. Et licet Ordinarius iuſtè poſſet capere talem regularem per ſuum territorium tranſeuntem, iuxta tenorem prædicti Coocilij, non tamen iuſtè retinere, nec punire (arbitratur Diana *tract.2.reſol.56. & 115.* Bordon. *in conſ. reg. reſ. 41. nu.15. & 16.*) ſi fidè faceret, ſe grauatum appellaſſe, vel de grauamine proteſtatum iter arripuiſſe ad Superiorem, & ideò licentiam ſcriptam non deferre: quia non eſt veriſimile voluiſſe Concilium punire actus licitos, & vt oon poſſit iuſta de cauſa recurri ad Superiorem. Huic ſententiæ præter Doctes recenſitos ſubſcribit Sanctarel. *tract. de Apoſtaſia cap.3.dub.1.num.11.* Quantam autem vim habeat argumentum a veriſimilitudine, ex eo liquet, quòd veriſimilitudo eſt quid coonaturale naturæ diſcurſiuæ, vt ait Bald. *conſil.180.n.3. volum. 3.* & habetur pro lege, vt dicit Oldradus *conſil.18.n. 6.* qui ex hoc infert, qui habet veriſimilitudinem pro ſe, habet deciſionem legis etiam pro ſe, prout latè Euerardus & Tiraquellus, quos citat Rodriquez *tom.1.quaſt.regular.quaſt.20.articul.9.*

Rodriq.

Idem dicendum eſt, de Religioſo ad amicum, vel alium eoo fugiente, vt eum deprecatorem apud Superiorem haberet, *l. Quid ſi fugitiuus, §. ſin autem, ff. de Ædilit. edict.* Quæ omnia vera intelligenda ſunt, niſi ex illa fuga ſcandalum, ac perturbatio in Religione orirentur, vt ait Rodriquez *t. 1. Sum. c. 43 n. 1.* & ſcandalum & perturbatio tanti eſſent momenti, vt ſuperarent defenſionem illius Religioſi, adeò vt illi anteponenda eſſent, vt docet Sanchez *lib 6.mor.c.8 n.17.* Tamburin *tom.3.de iur. Abbat. diſp.8.quæſit.2.* & alii.

Tambur.

Vide v. *Appellare* n.1.10. *Apoſtaſia* o.5. *Hora Canonica* 1.n.2.

RELIGIO VIII.

De Religione vt eſt virtus.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit religio?*
2 *Quodnam ſit materiale & formale obiectum religionis?*
3 *Quomodo religio diſtinguatur ab aliis virtutibus?*
4 *An religio diſtinguatur a Dulia?*
5 *Omnes actus omnium virtutum aliquo modo poſſunt ſpectare ad virtutem religionis.*

1 Religio eſt *virtus moralis, quæ debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio exhibet*; dicitur *virtus*, quia efficit bonum eum qui illam poſſidet, eiuſque opus bonum reddit & laudabile, laudabile enim eſt Deum colere. *Secundò*, dicitur *moralis*, quia Dei excellentia quæ colitur virtute Religionis, reſpicit Deum quatenus eſt auctor naturæ, qui cultus ex oatura rei eſt conformis creaturæ rationali. *Tertiò*, dicitur *quæ debitum cultum*, &c. cultus idem eſt hoc loco, quod hooor, non ſimpliciter, ſed cum quadam ſubmiſſione noſtri, exhibitus: quam ſubmiſſionem honor in genere non includit. *Quarto*, dicitur *tanquam primo rerum*, &c. his verbis ſignificatur ſimul cauſa, cur Deus hoc cultu ſit dignus (ratio enim primi principii includit, vel ſupponit omnem excellentiam perfectionis) & cur a creatura ei ſit debitus. D. Thomas 2.2.q.81.art.1.2. & 3. Becanus *ibid.q.1.* Leſſius *lib.2.cap.36.dub.1.* Filliucius *tract.23.cap.1.q.1.* Sylu. 2.2.q.81.*ar.2.* Vbi nota, ſicut hominibus ob potentiam, ſapientiam, virtutem, & quamuis excellentiam perfectionis, debetur hooor, id eſt, exhibitio reuerentiæ, qua teſtamur eorum excellentiam, & Regibus debetur tributum, quo illorum poteſtatem & noſtram ſubiectionem teſtamur, ita Deo ob ſingularem & infinitam excellentiam in omni genere perfectionis, quam habet, vt primum omnium bonorum principium: ad hunc autem honorem exhibendum inclinat late a.ſeu religio. Quæ dicitur vel a reeligendo, ſeu a frequenti electione eorum, quę ad Dei cultum pertinent, vt vult Iſidorus *l 19. etymol.c.17.* ſiue a religendo Deum, quem negligenter per peccatum reieceramus, ex D. Auguſtino *l.10.de ciuit.c.4.* ſiue a relegendo & retractando omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, ex Cicerone *l.2.de natura Deorum*; ſiue quod magis placet a religando nos Deo, vt vult Lactantius, *lib.9 diuinit. Inſtitut.cap.28.*

D. Thom. Leſſius. Filliuc. Sylu.

2. Proximum Religionis obiectum non eſt Deus, ſed remotum quodammodo & indirectum, diciturque obiectum cui, Obiectum verò materiale huius virtutis, ſunt actiones humanæ quibus deferimus honorem & reuerentiam Deo: & comprehenduntur nomine diuini cultus, quia in virtutibus moralibus iidem actus externi qui fiunt ab internis, ſecundùm ſe ſumpti, & vt in ordine intenrioois, ſunt materia talium virtutum. Obiectum autem formale religionis eſt, reddere Deo cultum debitum, quia munus iuſtitiæ eſt reddere debitum; Religio autem eſt pars poteſtatiua iuſtitiæ: quoniam autem duplex

eſt de-

eſt debitum, legale & morale; debitum Religionis propriè eſt morale, fundatur enim in honeſtate virtutis, quod prius eſt debito legali. Suarez *de relig.li.1.c.3.7.&* 9. Caiet.2.2.*q.*81.*art.*2.3.4.*&* 5. Filliuc.*cit.q.*2.Leſſius *cit. num.*10. Becan.2.2 *q.*81.*cit.q.*2. & alii.

Caiet. Filliuc. Leſſius.

3. Religio diſtinguitur ab iis virtutibus, quæ hominem rectè componunt in ſeipſo, ſeu non ad alterum, vt a temperantia, fortitudine; diſtinguitur etiam ab omnibus iis, quæ hominem diſponunt in officiis ad proximum, vt a miſericordia & iuſtitia particulari, quia Religio diſponit hominem ad Deum: diſtinguitur etiā a virtutibus Theologicis. A fide quidem, quia fides eſt virtus intellectus, Religio affectus: ſæpè tamen fides vocatur Religio, quia eſt Religionis fundamentum & regula. A ſpe & charitate diſtinguitur, quia hæ virtutes immediatè attingunt ipſum Deum tanquam proprium obiectum; Religio verò non verſatur immediatè circa Deum, ſed circa cultum Dei, id eſt, circa ſigna interna vel externa, quibus Deus honoratur & colitur. D. Thom. *cit. artic.* 4 *&* 5. Suarez *citat. lib.*3.*c.*2.*num.*2. Leſſius *cit. dub.* 2.*n.*7. 8. & P.Filliuc. *tract.*23.*c.*1.*q.*3. Sylu. *citat. art.*4. Becanus *cit.q.*3. & alii.

D. Thom. Suarez. Leſſius. Filliuc. Sylu.

4. Religio diſtinguitur ab illa virtute, qua coluntur Sācti, ſi ipſi Sancti colantur ob intrinſecam excellentiam & perfectionem quæ in ipſis eſt, vt propter viſionem Dei, ſanctitatem, charitatem, ſtatúque beatum: hæc enim virtus vocatur a Theologis, Dulia, quia excellentia eiuſmodi Sanctorum creata eſt, vbi autem eſt diuerſum genus excellentiæ, dignum per ſe honore, etiam erit diſtincta virtus, quæ illud reſpiciat, cum ergo Religio reſpiciat excellentiam increatam, & propter eam cultum deferat, ſequitur etiam eſſe diſtinctam virtutem: ſi verò Sancti colantur propter excellentiam increatam Dei, ad quem ipſi aliquem reſpectum habent, ſic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Vide D.Thomam *cit. ar.*4. Suar, *cit. l.* 3.*c.* 5. Filliuc.*cit.q.*4. Leſſ.*cit.dub.*3. Becan.*q.*4.

D. Thom. Suar. Leſſius

5. Omnes omnium virtutes aliquo modo poſſunt ſpectare ad virtutem Religionis, quatenus videlicet ab ea poſſunt imperari, ſeu in cultum, & gloriam Dei referri; quia cùm homo eſt rectè affectus per Religionem erga gloriam & cultum Dei, poteſt facilè excitari ad exercendos actus aliarum virtutum in eum finem, vt gloriam Deo afferant: Propriè tamen illi actus ſunt virtutis Religionis, ſeu ab ea proximè eliciuntur, qui peculiariter continent quandam ſubiectionem creaturæ erga Deum ſupremum omnium Dominum, ſeu qui propriè ſunt ſigna diuinæ excellentiæ & principatus, & noſtræ infra Deum ſubiectionis. Vnde iuxta diuerſitatem eorum, quæ Deo ſubiiciuntur ab homine, diuerſi ſunt actus Religionis. Triplex eſt autem bonum hominis, quod per Religionem ſubiicitur Deo: Primum eſt, bonum mentis ſpirituale, & hoc ſubiicitur Deo: *Primò*, per actum deuotionis, quæ nihil eſt aliud, quam feruor & promptitudo voluntatis ad diuinum cultum: quæ naſcitur ex conſideratione diuinæ excellentiæ ſeu affluentiæ bonorum, quæ perenniter ab ea in nos dimanat; & ex conſideratione noſtræ inopiæ & miſeriæ, quam ex nobis ipſis habemus. *Secundò*, bonū mentis noſtræ ſpirituale ſubiicitur Deo per orationem, quæ eſt applicatio noſtri deſiderii apud Deum, vt aliquid ab ipſo impetremus. *Tertiò*, bonum mentis noſtræ ſpirituale ſubiicitur Deo per actum vouendi, per actum iurandi, per vſum Sacramentorum. Alterum bonum eſt, externum corporis noſtri, & hoc ſubiicimus Deo per exteriorem adorationem, vt genuflexionem, proſtrationē, capitis detectionem, &c. Tertium eſt bonum quoduis externum, ad hominis dominium pertinens, vt primitiæ, panis, vinum, aurum, argentum, lapides pretioſi, &c. Et hoc ſubiici poteſt tripliciter. *Primò*, offerendo huiuſmodi bona externa immediatè ipſi Deo, ita vt non cadant immediatè in alicuius hominis vſum, ſed omninò Deo conſecrentur, faciendo aliquid circa illa in Dei honorem. *Secundò*, offerendo illa Deo mediatè; videlicet dando illa Dei miniſtris, quatenus Dei locum tenent & mediatores quodammodo ſunt Dei & hominum, in quorum vſus ſunt cedunt. *Tertiò*, offerendo hæc bona Deo magis mediatè, conferendo videlicet illa Dei miniſtris; & ſic ſubiiciuntur bona externa Deo per decimarum ſolutionem, licet enim ſolutio decimarum non ſit actus Religionis elicitus, nam propriè pertinet ad iuſtitiam commutatiuā, includit tamen ac poſtulat imperari à virtute Religionis: ſoluimus enim decimas, vt cultus diuinus foueatur, vnde eſt implicita Religionis profeſſio & diuinitatis honoratio. De his omnibus actibus ſuis locis & titulis in particulari agitur.

Vide verb. *Adoratio, Iuramentum, Superſtitio, Decima, Oratio.*

RELIQVIAE SANCTORVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſentiant Hæretici de reliquiis Sanctorum, & quid Catholica mater Eccleſia?*
2 *Quid nomine reliquiarum intelligatur.*
3 *Reliquiarum cultus, alius eſt priuatus, alius publicus.*
4 *Reliquiæ poſſunt adorari vel per ſe ſeu ſolitariè, vel vt coniuncta cum perſonis, quarum ſunt reliquiæ.*
5 *An ſit ſuperſtitio ad Sanctorum reliquias, ſepulchra & eorum imagines, cereos, & lampades accendere.*
6 *Vt reliquiæ publicè ab vniuerſali Eccleſia colantur, quæ requirantur? Et quid circa hoc ſtatuerit Concil. Trid.*
An Epiſcopis liceat approbare reliquias perſonæ nondum canonizatæ, ac eas exponere publicè venerandas.
7 *An Epiſcopo competat in ſua Diœceſi approbare reliquias Sancti ab Eccleſia canonizati.*
8 *Epiſcopus extra ſuam Diœceſim exiſtens, an poſſit huiuſmodi approbationem dare ſine licentia Epiſcopi loci, in quo tunc eſt, vt reliquiæ in ſua Diœceſi publicè exponantur veneranda.*
9 *Quando grauis aliqua quæſtio ſuboritur circa reliquias nouiter inuentas, an poſſit Epiſcopus cauſam decidere, an potius res deducenda ſit ad Concilium prouinciale.*
10 *Ad ſepulchra & imagines non canonizatorum, nec beatificorum, an poſſint deferri tabellæ, & alia dona ſanctitatis & ibidem donaria hæc ob facti memoriam appēdere in gratiarum actionem gratiæ acceptæ.*
Decretum Vrbani VIII. ſuper hoc refertur: cum alio decreto S. Congreg. rituum ſeruando in recipiendis informationibus pro cauſis beatificationum & canonizationum Seruorum Dei.
11 *Corpora Sanctorum, quæ dicuntur eſſe in vno loco, aliis perhibentibus eſſe in aliis, an poſſint coli & adorari poſita Pontificis vel Epiſcopi approbatione.*
12 *In dubio poſt factam debitam inquiſitionem, an ſint veræ reliquiæ alicuius Sancti, quid faciendum ſit? Et quid ſi ita permixtæ ſint cum aliis reliquiis hominum non canonizatorum, vt dignoſci non poſſint.*
13 *An liceat reliquias collo ſuſpenſas geſtare.*
14 *An peccatum commiſſum geſtando reliquias in collo habeat ſpecialem malitiam neceſſario aperiendam in Confeſſione, ſi id peccatum non ſit directè contra cultum reliquiis debitum.*
15 *An Agnus Dei cereus à Pontifice conſecratus, licitè à fidelibus adorari poſſit.*
16 *An poſſit tangi à laicis & Clericis in minoribus conſtitutis, & quale peccatum ſit huiuſmodi tactus? Et quid ſtatutum ſit circa hoc in Concilio Mediolanenſi.*
17 *An liceat Clericis in minoribus conſtitutis, laicis, & fœminis Calicem conſecratum, Patenam, Purificatorium Corporale, Sacrum Chriſma, Oleum ſanctum, aut Sacram Euchariſtiam tangere.*
18 *An peccatum mortale ſit ſacrilegii & furti ſurripere aliquid de reliquiis alterius? Et an ſit iure communi excommunicatio lata contra reliquiarum fures? Et an poſſint reliquiæ Sanctorum transferri abſque licentia Summi Pontificis vel Epiſcopi.*

19 *An*

19 *An poſſint Principes in bello iuſto reliquias Sanctorum ex Eccleſiis abſtrahere.*

1 SAnctorum cęli incolarum reliquias venerari, Hæretici putant eſſe genus ſuperſtitionis. Et hæc fuit hæreſis Vigilantij Barchinonenſis, quam D. Hieronymus confutauit: & primus qui fertur hanc hæreſim in Eccleſiam inuexiſſe fuit Eunomius, aut ſicut alii teſtãtur Euſtatius Sebaſtieuſis, in Concilio Gangrenſi damnatus, poſtea verò, Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronymus Imperatores Conſtantinopolitani, omnes reliquias è medio ſuſtulerunt: eaſdem è templis excluſit Claudius Taurinenſis Epiſcopus, vt conſtat ex Iona Aurelianenſi *lib. 1. de cultur. imaginum*. Eandem hæreſim ſeptima olim Synodo generali damnatam, & iampridem ſepultam, & extinctam, ſuſcitauit Ioannes Vviclef, & noſtro tempore eam tuendam & propugnandam Lutherani & Caluiniſtæ auſu temerario ſuſceperunt. Verùm contra iſtos nefarios, impios & temerarios Dogmatiſtas, Concil. Trid. ſeſs. 24. decreto 2. *De inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, definiuit, *Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta, corpora quæ viua membra fuerant Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda eſſe; per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur, ita vt affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas aliaque ſacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; omnino damnandos eſſe prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia*. Sic Concilium. Et olim damnata eſt hæc hæreſis in Synod. ſeptima *action*. 7. Concil. Aphricano quinto *can*. 14. Lateranen. ſub Innocentio III. *c*. 62. Ex quibus deducitur certa fide tenẽdum eſſe, reliquias Sanctorum meritò à fidelibus conſeruari, & cum magna reuerentia & veneratione tractari. Ratio eſt, quia corpora Sanctorum fuerunt templa animarum Sanctorum, & futura conſortia æternæ beatitudinis, in qua erunt in perpetuo honore. Deinde illa conſeruare & retinere eſt ſignum amoris erga Sanctos, & excitant eundem actorem & deuotionem ad illos. Accedit, quod reliquiæ maiorem cum Sanctis habent coniunctionem, quàm imagines, & ſuo modo magis illos repræſentant; ergo propter excellentiam Sanctorum, & habitudinem ad illam ſunt honore digna. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 25. *art*. 6. & communiter Theologi. Et probat vniuerſalis Eccleſiæ traditio & conſenſus Patrum & fidelium: imò approbat ipſe Deus varijs ſignis ac miraculis per Sanctorum reliquias, tanquam per diuina organa effectis, de quibus Suarez *tom*. 3. *in* 3. *part. diſp*. 55. *ſect*. 1. Caſtrus Palaus *t*. 2. *tr*. 8. *diſp*. 1. *punct*. 3. Trullench *in decalog. l*. 1. *c*. 9. *n*. 1. Geluald. *in theol. moral. p*. 3. *tr*. 2. *c*. 2. *nu*. 35. & alii citati *tom*. 1. *verb. Adoratio, n*. 12.

Suarez. Palaus. Trullen.

2. Nomine reliquiarum ſanctarum intelliguntur corpora, & quælibet particula illorũ oſſium, ſiue carnes, ſiue dentes, ſiue veſtes, ſiue capilli, ſiue cineres, in quos redacta ſunt corpora Sanctorũ illorum: Vermes autem in quos conuerſæ ſunt carnes dictorum corporum non videntur eſſe adorandi propter ſe, quia indecens videretur adorare Sanctos in vermibus, licet vermes huiuſmodi conſtent eadem materia prima, quam tales Sancti habuerunt, dum viuerent; nam forma vermis de nouo introducta eſt omninò diuerſa; prout dicunt Suarez cum aliis Theologis ſuprà citatis, & Sanchez *l*. 2. *mor. c*. 43. *n*. 2.

Sanchez.

3. Reliquiæ Sanctorum duplici cultu & veneratione coli poſſunt, 1. cultu publico, 2. cultu priuato: & ſicut nullus homo coli poteſt cultu publico, niſi ſit canonizatus, vel beneficiatus; ita nec reliquiæ coli poterunt cultu publico, niſi ſint Sancti canonizati vel beneficiati; & ſicut homo qui in opinione Sanctitatis deceſſit, poteſt cultu priuato venerari, ita & reliquiæ. Ad cultum autem publicum non ſufficit, vt publicè fiat, & coram multis: ſed ſolùm ille cultus erit publicus, qui fit nomine Eccleſiæ, & ab ea eſt inſtitutus, vt ſunt Officium Diuinum, ſacrificium Miſsæ, & alia quæ Sanctis canonizatis & beatificatis & ſunt determinata ab Eccleſia. Cultus verò priuatus ille dicitur, qui non exhibetur, tanquam inſtitutus ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ, ſed ex peculiari deuotione colentis priuatim, quamuis ſimul fiat & publicè à multis. Ex quo fit, vt reliquiæ non canonizati nec beneficiati, non poſſunt proponi in templo, vel Altari publicè omnibus adorandæ ſine authoritate Summi Pontificis, vt colligitur apertè ex *cap. audiuimus, & cap. cum ex eo, de reliquiis & venerat. Sanctor*. Ita Porrel. *in dub. regul. verb. Reliquiæ Sanctor. numer*. 10. & 11. & alij communiter, vide Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg*. 97. *n*. 13.

Porrel. Barboſa.

4. Reliquiæ poſſunt adorari duplici modo. *Primò*, per ſe ſeu ſolitariè, tanquam materia tota adorationis. *Secundò*, vt coniunctæ cum perſonis, quarum ſunt reliquiæ, ita vt perſona ipſa per ſe primò adoretur in reliquiis, ſeu per reliquias, quæ ſimul cum perſona condorantur. Si reliquiæ adorentur primo modo, id eſt, ſi non apprehendantur, vt coniunctæ, ſed ſeorſum & per ſe, adoratio illa eſt reſpectiua, & inferior, & diſtincta quoad actum ab illa, qua perſona propter ſe adoratur. Ratio eſt, quia cùm irrationales ſint non poſſunt per ſe adorari & coli: poſſunt tamen coli adoratione reſpectiua propter excellentiam ſcilicet & ſanctitatem illius perſonæ, cuius ſunt reliquiæ, etiamſi non apprehendantur, vt coniunctæ illi perſonæ: nam præciſa operatione intellectus, verum eſt illas eſſe veras reliquias dignas adoratione reſpectiua. Si autem reliquiæ adorentur ſecundo modo, certum eſt adorari eadem adoratione, qua adoratur perſona: quia in hac adoratione apprehenduntur vt coniunctæ illi perſonæ. & ſic cum illa perſona coadorantur: vnde particula crucis Chriſti, vel tunicæ inconſutilis latria eſt adoranda: capilli, lac vel aliquid Beatiſſimæ Virginis Mariæ, hyperdulia; aliorum verò Sanctorum reliquiæ dulia. Ita Suarez *tom*. 1. *in* 3. *part. diſput*. 55 *ſect*. 1. Sanchez *loco citat. n*. 2. Vaſquez *in* 3. *part. diſp*. 112. *cap*. 8. *num*. 89. & alii citati *tom*. 1. *v. Adoratio, n*. 3.

Suar. Sanchez. Vaſq.

5. Hæretici ſuperſtitionis damnant Eccleſiæ ritus quibus ad Sanctorum reliquias, ſepulchra, & eorum imagines cerei & lampades accenduntur: & tales ritus e medio eſſe tollendos perſuadere conantur: propterea quod in Concilio Elibertino *canon*. 34. ſancitum ſit. *Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. Inquietudo enim Sanctorum Spiritus non ſunt. Qui hoc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſia communione*. Cæterùm, cum ritum cereos aut lampades incendendi aut monumenta Sanctorum, more eſſe antiquiſſimo in Eccleſia receptũ, manifeſtum eſt ex D. Auguſtino *lib*. 8. *de ciuitat. c. vlt. & in l*. 6. *confeſſionum, cap*. 2. Hieronymo *in Epiſtola ad Riparium*, & ex Gregorio *lib*. 3. *dialog. cap*. 24. Adhibentur namque hæc lumina ad oſtendendum fidei lumen, in quo Sancti deceſſerunt, & ad ſignificandam gloriæ claritatem qua perficiuntur, & in ſignum lætitiæ, quam nos ex ipſorum gloria percipimus. Ita Bonacina *tom*. 2. *diſp*. 3. *quæſt*. 1. *punct*. 4. *num*. 10. Azorius *tom*. 1. *lib*. 9. *cap*. 8. *quæſt*. 3. Trullench *in decalog. lib*. 1. *cap*. 8. *dub*. 8. *num*. 13. & alii communiter. Concilium autem Elibertinum prohibet, quo minus cerei accendantur, videlicet ritu & more Gentilium, qui putabant defunctorum corpora aliquid ſentire & clauſa in tenebris, & ſepulchris illuminari. Et cùm dicit, *inquietandi enim Spiritus Sanctorum non ſunt*, perinde eſt, ac ſi diceret, Sanctos ipſos, vita functos, gratam & acceptum non habere eiuſmodi ſuperſtitioſum ritum ex Gentilium errore profectum: vel Sanctos Spiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viuentium inquietari, hoc eſt, perturbari.

Bonacina. Azor. Trullen.

6. Vt reliquiæ publicè ab vniuerſali Eccleſia colantur, duo requiruntur: *Primum*, vt conſtet de ſanctitate perſonæ, vel per vniuerſalem Eccleſiæ conſenſum, ſeu traditionem, vel per Summi Pontificia canonizationem. *Secundum*, vt publica authoritate reliquiæ proponantur vt veræ, & ad talem perſonam pertinentes: hæc autem authoritas eſt apud Summum Pontificem, & Epiſcopos, qui ſufficientem diligentiam ante approbationem adhibere tenentur iuxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *ſeſs*. 25. *in ſecundo decreto, in fine*, vbi ait: *Nulla admittenda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de*

ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietate conſentanea iudicauerit. Quod ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani & Comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali ſententiam expectet.

Circa quod decretum ſequentia notanda veniunt. *Primum*, nullo modo licet Epiſcopo approbare reliquias perſonæ nondum canonizatæ, ac eas publicè venerandas exponere, vt probat textus *in cap. final. de relig. & venerat Sanctorum*, quatenus habet, reliquias denuò inuentas publicè abſque Summi Pontificis licentia non eſſe adorandas; cui deciſioni non ſit derogatum per Concilium Tridentinum *dicto loco*, quia oporteret ſpecificam fieri de ea mentionem in clauſula derogatoria, cùm ſit Concilij generalis Lateranenſis, ſequitur ei non eſſe derogatum per Concilium Tridentinum. Ratio eſt, tum quia correctio iuris omninò in quantum fieri poteſt, vitanda eſt, etiamſi ob id verba improprientur; quod maximè procedit in decretis Concilij generalis, de quibus oportet mentionem ſpecificam fieri in clauſula derogatoria, vt eis derogatum cenſeatur. Cùm ergo in prædicto Tridentini decreto nulla ſit clauſula derogatoria, dicendum non eſt per illud derogari decreto Concilii generalis Lateranenſis, ex quo deſumptum eſt *cap. final. de relig. & venerat. Sanctor.* Sed vtrumque decretum ad concordiam redigendum eſt, vt hoc intelligatur, quando ſunt reliquiæ Sancti non canonizati, illud autem, quando ſunt canonizati. Tum quia Tridentinum in decreto in proœmio profitetur ſe velle, vt in reliquiarum veneratione ſtetur vſui Eccleſiæ & Conciliorum decretis; & dum committit Epiſcopis reliquiarum approbationem, ſic incipit: *Hæc vt ſeruentur, ſtatuit Sancta Synodus &c.* Signum ergo eſt, nullius Concilii generalis decreta velle derogari, ſed potiùs ea velle integrè cuſtodiri. Quare ita tenent Suarez *tom. 1. in 3. part. diſput. 55. ſect. 2. verſ. Sed quæret aliquis.* Clauis regia *lib. 4. cap. 7. num. 2. verſ. Ecqui.* Reginaldus *lib. 19. num. 6. in fine*, Diana *p. 2. tract. 15. reſol. 51. verſ. Quæritur ſecundò*. Sanchez *lib. 2. moral. c. 43. num.* 10. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3.* Rodriquez *tom 3. quæſtionum regul. q. 55. artic. 1. in fine.* Et nouiſſimè Trullench *in decalog. l. 1. c. 9. dub. 6. num.* 22. cum Caſtro Palao *tom. 2. tract. 9. diſp. 1. punct. 3. num.* 8. docet probabilius & tutiùs eſſe, imagines & reliquias talium virorum etiam in Altari priuato collocari non poſſe.

Suar. Cla. reg. Reginal. Dian. Sanch. Barbof. Rodriq.

Prædicta doctrina non habet locum in reliquiis alicuius Sancti antiqui, nam Sacra Congregatio cenſuit illas, quæ fuerint antiquæ, habendas eſſe in illa veneratione, qua hactenus fuerunt, vt refert Bonacina *tom. 2. diſput. 3. q. 1. punct. 4. num. 5. verſ. dixi*, vbi cum Suarez & Sanchez idem dicit de reliquijs, quæ per antiquam Eccleſiæ traditionem, aut vniuerſalem Eccleſiæ conſenſum approbatæ ſunt: quia huiuſmodi approbatio æquipollere videtur canonizationi, cùm præſens canonizationis forma antiquitus non eſſet in vſu.

Bonac.

7. Secundum notabile eſt, Epiſcopo competere approbare in ſua Diœceſi reliquias Sancti ab Eccleſia canonizati, & eo approbante tanquam veras, & ad illum Sanctum pertinentes, poſſe abſolutè adorari. Conſtat ex prædicto decreto Trident. Nam & ſi dictio, *niſi* quando negationi adiungitur, non affirmet in promiſſionibus, & contractibus, at in reliquis aliis rebus affirmat. Præterea, quia etiam affirmat, ſi aliquid poſtea addatur affirmatiuè. At in prædicto decreto ſtatim ſubiungitur forma, qua vti debet Epiſcopus in reliquiis approbãdis, & ſubinde conceditur ei ibi poteſtas approbandi reliquias. Nec dictis obſtat deciſio *cap final. de relig. & venerat. Sanctor.* quia loquitur de Sancto non canonizato: at decretum Tridentini loquitur de reliquijs Sancti canonizati, vt diximus ſuprà. Ita Suarez *in 3. par. diſput. 55. ſect. 2. verſ. Sed quæret aliquis.* Azor. *t. 1. l. 9. c. 8. q. 8.* Philiarcus *de offic. Sacerd. t. 1. p. 2. l. 3. cap. 9. ad finem.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop par. 3. allegat. 97. n. 11, 12.* & alij.

Suar. Azor. Barboſa.

8. Tertium eſt, Epiſcopum extra ſuam Diœceſim exiſtentem poſſe abſque aliqua Epiſcopi Diœceſis, in qua tunc eſt, licentia eam approbationem facere, atque licentiam dare, vt reliquiæ in ſua Diœceſi publicè collocentur venerandæ. Ratio eſt, quia cùm iuriſdictio hæc non ſit inter partes inuitas exercenda, non eſt contentioſa, ſed voluntaria. At iuriſdictio, quæ voluntaria eſt, poteſt vbique abſque alicuius licentia exerceri. Ita Bonacina *t. 2. diſp. 3. q. 1. punct. 4. num. 5. verſ. An autem.* Sanchez *loco cit. num.* 14. Barboſa *loco cit. num.* 13. Ad hanc autem reliquiarum approbationem faciendam, tenetur Epiſcopus adhibere in conſilium Theologos, & alios pios viros, vt habetur in textu decreti; quamquam ad Epiſcopum, non autem ad eos, quos in conſilium adhibuit ſpectat deciſio: quia Tridentinum ſolum præſcribit, vt in conſilium adhibeat; conſilium autem non importat deciſionem, ſed quid prævium deciſioni, nec inducit neceſſitatem illud ſequendi, vt fuſius tradit Sanchez *matrimon. l. 1. diſp. 34. n. 24.* Diana *p. 2. tract. 15. reſol. 51. verſ. Quæritur tertio.* Trullench *in decalog. l. 1. cap. 9. dub. 8. n. 7.* & alij. Et nos in ſimili diximus ſuprà *verb. Religio, n. 3.*

Sanch. Diana. Trulle.

9. Quartum eſt, quando grauis aliqua quæſtio ſuboritur circa reliquias nouiter inuentas, ita vt res deducenda ſit ad Concilium Prouinciale, eiuſque ſententia expectanda, tunc deciſio non erit Epiſcopi, ſed Concilii Prouincialis: quia Concilium Tridentinum non petit conſilium prædicti Concilii Prouincialis, ſicut petit Theologorum ſed ſententiam. Hanc autem conſtituet maior pars ſuffragiorum ex iis, qui ſuffragium deciſiuum in Concilio Prouinciali habent. Quia conſtitutum à maiori parte Concilii dicitur ab ipſo Concilio conſtitutum, *ex cap. Apoſtol ea, diſtinct. 56. & cap cum inter canonicos, de elect. l. Quod maior. ff. ad municipalem.* Et tunc non ſatis erit ſi Metropolitanus, & omnes in Concilio congregati ſententiam ſuam ſeorſim dicant, ſed opus eſt vt Patres collegialiter ſint congregati in forma Concilij: quia Tridentinum ſuprà dicit, *Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali expectet.* Atque ita non ſolum voluit, vt illi ſententiam explicent, ſed vt in Concilio coniuncti ac congregati id efficiant, quia aliàs non ſententia Concilii, ſed ſingulorum diceretur: *Cap. in Geneſi. de election.* vbi Gloſſa *verb. publicè*, Ita Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 97. numer. 17.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. lib. 1. præcept. 1. cap. 4. numer. 5.* Diana *part. 2, tractat. 15. reſolut. 51. verſ. quæritur quarto.* Sanchez *lib. 2 moral. cap. 43. numer. 16.* & alii. Quibus addo Pellizzarium *in manual. reg. tract. 8. c. 5. num. 77.*

Barbof. Fagund. Dian. Sanch. Pellizzar.

10. Quorumdam ſententia eſt, ad ſepulchra & imagines non canonizatorum, nec beatificatorum poſſe deferri tabellas, ac alia dona ſanctitatis, ac aliarum gratiarum indicia, & ibidem donaria hæc, ob facti memoriam appendere. Ita Viguetius *in inſtitution. Theolog. tit. de virtute fidei, cap. 10. §. 1.* Turrianos *de fide, ſpe, & charitate, diſp. 27 dub. 10. in fine*, Andræas Molſeſius *conſ. 45. num. 33.* vbi aſſerit eſſe communem vſum, & praxim Eccleſiæ ab eius ortu, idque probat adductis multis Sanctorum hiſtorijs. Hodie tamen vbi motus proprius Vrbani VIII. de anno 1625. eſt vſu receptus, de quo infra, hæc non licent: quia dictus Pontifex prohibuit, ne ad horum hominum ſepulchra tabellæ & imagines affigantur ſub pœnis in eo motu proprio decretis, ſine recognitione Ordinarij, ad Sedem Apoſtolicam mittenda & approbanda. Poſtea tamen idem Vrbanus in alio motu proprio 1634. declarauit poſſe huiuſmodi tabellas accipi, & approbante Ordinario, ad quem ſtatim tenentur referre, in ſecreto loco aliquo ſeorſum ab Eccleſia cuſtodiri, & collocari, & aſſeruari, vt extent pro beatificationis tempore, ſi Domino placuerit. Proinde quoad praxim conſulenda eſt propriæ Diœceſis conſuetudo ab Ordinarijs ſcita, & non reprobata, vt monet Trullench *in decalog. lib. 2 cap. 9. dub. 6. num. 7.*

Feria

Digitized by Google

Feria V. die 2. Octobr. 1625.

In generali Congregatione S. Romanæ Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, S. D. N. Vrbano Diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CVm Sanctiſs. in Chriſto Pater, & D.N.D. Vrbanus, diuina prouidentia Papa VIII. die 13. Martii 1625. decretum ediderit infraſcripti tenoris, videlicet.

Sanctiſs. D.N. ſollicitè animaduertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdã cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis aut radiis, ſeu ſplendoribus proponuntur; miracula, & reuelationes aliaque beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra, Tabella, Imagines, & res aliæ, ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur: Volenſque proinde huiuſmodi abuſibus pro debito officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuerſa Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus communicata, & maturè conſiderata, ac diſcuſſa, declarauit, ſtatuit, & decreuit, ne quorumuis hominum, cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantumcumque illa ſit) defunctorum imagines aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præ ſe ferens & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu priuatis, vel Eccleſiis tam ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſita ſunt) amoueantur, prout eas ſtatim amouere mandauit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, ſiue Martyrij fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, qui in iis recognoſcendis Theologos aliosque pios & doctos viros in conſilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, eiuſque reſponſum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atque approbatione huiuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque ſua Sanctitas.

Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque ſculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſiue alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omnino prout ſupra facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quod per ſupra ſcripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Vt autem præmiſſa diligentius obſeruentur, vniuerſis & ſingulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipit, vt in ſua quiſque Diœceſi vel Prouincia ſedulò peruigilet, ne ſine approbationibus prædictis Imagines cum commemoratis ſignis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra ſuperiùs diſpoſita fiant: tranſgreſſores verò, ſi regulares fuerint, priuationis ſuorum officiorum, ac vocis actiuæ & paſſiuæ, necnon ſuſpenſionis à diuinis; ſi verò Clerici ſæculares, priuationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à diuinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum Ordinum reſpectiuè, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo affixerint, vel formauerint, cæteriſque artifices circa præmiſſa qualitercũque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis aliiſque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorundem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, vt Decretum huiuſmodi, ſeu illius exemplum ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perinde arctet atque afficiat, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatum fuiſſet, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.

Poſtmodum verò idem Sanctiſſimus D.N. à quibuſdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conſeruare liceret, Sanctitas ſua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit adminiſtrãdis operibus illuſtrare: re prius cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti decreto declarauit. Quòd ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiuſmodi, ita vt nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit in præſentiarum, & decreuit: vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumue alium publicum ſæcularem, ſeu regularem, tabellas & imagines, aliudue ſimile quiſpiã detulerit, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non aſcriptorum, quamuis cum Martyrij, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraſſe dixerit; liceat Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumue prædictorum curæ Præpoſitis, tabellas & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collata gratia fidem facientia, ſimul cum deferentiũ, aliorumque qui conſcii fuerint atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia, loco cuſtodire, ibidemque iam antea collocare & aſſeruare, vt ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiuſmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Ioan. Antonius Thomaſius S. Roman. & Vniuerſ. Inquiſitionis Not.

Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua. Pontificatus S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. die verò 30. menſis Octobris, ſupradictæ literæ, ſiue Decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt per me Brandimartem Latinum, prælibati Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.

Idem Vrbanus VIII. in ſuo motu proprio die V. Maij anno 1634. qui incipit, *Cæleſtis Hieruſalem*, ſupradictum Congregationis decretum confirmauit ſub eiſdem pœnis in eo contentis, addens, præcipienſque Ordinariis, aliiſue Sedis Apoſtolicæ delegatis, ne talium virorum informationes recipiant, niſi diligentes obſeruatis iis, quæ continentur in memorato decreto, & ſeorſum proceſſum conficiant, in quo conſtet obſeruata eſſe omnia in dicto decreto præſcripta, illumque ſimul cum alio informationis vitæ, & miraculorum Romam tranſmittant. Prohibet etiam idem Pontifex, ne proceſſus vitæ

miraculorum Romā miſſus aperiatur à Secretario Congregationis, nec à Sanctæ fidei promotore, niſi priùs in ipſa Sacrorum rituum Congregatione alius proceſſus aperiatur in quo ſeiunctim conſtet eſſe obſeruata in dicto decreto præſcripta.

Decretum S. Congr. Rituum ſeruandorum in recipiendis informationibus pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum Seruorum Dei.

SAcra Rituum Congregat. prohibet omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam Regularibus, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani & Societatis IESV, vel aliorum quantumuis ſpeciali nota dignorum, ne audeant ipſi per ſe, aut per alios capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius Sancti, neque vllo modo exquirere atque obtinere ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptione ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregat. infligendis. Quod ſi Superiori, Sacriſtæ, ſeu alteri Officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit corpus ipſiuſmet defuncti, vel alterius etiam Eccleſiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, ſiue prophetiæ dona, poſſint ea recipere ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantum reuelatoribus, in quorum gratiam contigiſſe narrabitur; teneantur tamen quamprimum commodè poterunt eadem deferre vel obſignata tranſmittere Epiſcopo loci cum expreſſa declaratione quod reuelationes, ſic vt ſupra recepta, non faciant aliquem probationis gradum etiam cuiuſuis longiſſimi temporis curſu. Quod decretum cum fuerit ad notitiam S.D.N. Vrbani VIII. deductum, Sanctitas ſua illud approbauit, ac imprimi, & vbique publicari mandauit die 12. Martij 1631.

E. Epiſcopus Portuēnſis Card. Pius.

T. Tegrimius Epiſc. Aſſiſſien. Secret.

Iſta & alia S. Congregationis & S.D.N. Vrbani VIII. decreta referunt D. Fœlix Contelorius *tr. de Canonizat. Sanctor. cap. 22. num. 19.* Trullench *in decalog. lib. 1. cap. 9. dub. 6. n. 26. cum ſequentibus.* Barboſa *p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 97. edit. 2.* Diana *p. 4. ſub finem in decretis & conſtitutionibus Pontificum.*

11. Corpora Sanctorum, quæ dicuntur eſſe in vno loco, aliis autem perhibentibus eſſe in aliis, poſſunt abſolutè coli & adorari, ſuppoſita tamen Pontificis, vel Epiſcopi approbatione. Ratio eſt, quia adorans huiuſmodi corpora non errat in ſubſtantia, quaſi illa corpora non ſint alicuius Sancti, ſed potius errat in conditione, quatenus credit eſſe corpus vnius Sācti, cùm ſit alterius. Fieri enim poteſt, in vtroque loco ſit non integrum corpus, ſed pars, a qua totum nominatum eſt. Proinde ſemper in adoratione incluſa eſt tacita conditio, ſi verè ſint reliquiæ perſonæ ſanctæ, quam colere intendo, eaque conditio omnem formalem adorationis errorem excludit. Ita Bonac. *t. 2. diſp. 3. q. 1. punct. 4. n. 6.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. 5. n. 25. in fine.* Caſtus Palaus *t. 2. tract. 8 diſp. 1. punct. 6. n. 8.* & alii. Bonac. Laym.

12. Si poſt debitam inquiſitionem, dubium maneat, num ſint veræ reliquiæ alicuius Sancti, abſtinendum eſt ab earum veneratione etiam priuatim, ſed maximè publicè, ne periculum incurratur adorandi falſas reliquias, ſed ſtante dubio ſunt ſeparatim ſeruandæ in loco decenti, ne fortè veræ reliquiæ irreuerenter tractentur. Ita Armilla *verb. Canonizatio nu. 2.* Suarez *tom. 1. in 3. p. diſput. 55. ſect. 2. §. At vero.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 43. n. 19.* & alii. Suar. Sanch.

Sed quid ſi reliquiæ Sancti canonizati ita permixtæ ſint cum aliis reliquiis Sanctorum nondum canonizatorum, vt diſcerni ac dignoſci non poſſint, an liceat Epiſcopo omnes illas approbare, ac publicè adorandas proponere ratione connexionis? Videtur quod ſic; quia dignius trahit ad ſe minus dignum, vt eſt vulgare pronunciatum iuris interpretum, qua ratione oleum non conſecratum admixtum conſecrato, remanet conſecratum, *ex cap. Quod in dubiis, de conſecr. Eccleſiæ.* iuncta Gloſſa *ibi. verb. conſecratio.* Nihilominus dicendum eſt non poſſe Epiſcopum eſſe venerandas proponere: quia illud *c. quod in dubiis*, procedit in ſolis liquoribus: & præterea opus eſt, vt liquor conſecratus miſtus ſit in maiori quantitate, iuxta communem ſententiam ſed in præſenti neſcimus quarum reliquiarum quantitas excedat. Nec omnes illæ reliquiæ ob connexionē, ſunt venerandæ, quia ſi conſtaret inter eas eſſe reliquias hominis peruerſi, veneratio dirigenda eſſet ad eas ſolùm, quæ ſunt Sancti, & hac conditione appoſita tollitur omne periculum. Nam *c. ſacris, de ſepult*, ſolùm probat non eſſe reliquias illas conculcandas, ſed cuſtodiendas ſeparatim in loco decenti, ſicut de reliquijs dubijs dictum eſt. Ita docent Sanch. *loco cit. n. 13.* Fagund. *de precep. Eccleſ. precept. 1. l. 1 c. 4. n. 12.* & alii. Sanchez. Fagundez.

13. Licitum & pium eſt reliquias collo ſuſpenſas geſtare, dummodò nulla vana circumſtantia addatur. Ratio eſt, quia hoc non eſt per ſe malum, atque ita non eſt prohibitū iure naturali, cùm ex pia affectione in Sanctorum honorem fiat, nec vllam indecentiam, aut malitiam per ſe coniunctam habeat. Nec etiam iure Eccleſiaſtico interdicitur, quia nullum extat decretum prohibens priuatam reliquiarum delationem ex deuotione: tum quia ſic vſu receptum eſt apud probos & pios, & vſus Eccleſiæ teſtatur. Ita D. Thomas 2. 2 *quæſt. 96. art. 4. ad 3.* qui teſte Sylulo *ibidem* Sanctæ Agnetis reliquiæ ex collo geſtare ſolebat, quarum attactu Reginaldum ſocium ſuum à febre curauit. Sic etiam docent poſt illum Nauar. *in man. cap. 11. num. 35.* Syluest. *verb. num. 4.* Roſella, Armilla, Tabiena, *eod. verb.* Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 15. num. 10.* Bonacina *tom. 2. diſput. 3 quæſt. 1. punct. 4. num. 7.* & alii communiter contra Angelum *verb. Reliquia num. 4.* Nauar. Syluest. Suarez. Bonac.

14. Peccatum commiſſum geſtando reliquias in collo non habet ſpecialem malitiam neceſſariò fatendam, ſi id peccatum non ſit directè contra cultum reliquiis debitum, quale eſſet turpiter & obſcœnè eas pertractare. Ratio eſt, quia actio peccandi non repugnat directè cultui reliquiarum, nec reliquiæ dicuntur turpiter tractari mediante tali peccato ſimpliciter commiſſo, dummodò huiuſmodi peccantes non faciant ex contemptu, vel cum aliorum ſcandalo: & hoc etiam verum quamuis peccata carnalia committantur. Proinde non ſolent pœnitentes communiter ſe de tali circumſtantia vt plurimum accuſare, maximè ſi ſint perſonæ doctæ, quamuis negari non poſſit aliqualem eſſe irreuerentiam; non tamen continet notabilem deformitatem neceſſariò confitendam quia nullo iure ſpecialiter id prohibetur. Ita Azor *tom. 1. lib. 9. cap. 8. q. 6.* Geluald. *in Theolog. moral. part. 3. tract. 2. cap. 2. n. 39.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 40. num. 28.* Trullench *in decalog. l. 1. c. 9. dub. 8. n. 11.* Bonac. *loco cit. n. 8.* & alij ab ipſis citati, Diana *p. 1. tract. 7 reſol. 18.* Syluius *2. 2. quæſt. 154. art.* Azor. Sanchez. Trullench. Bonac. Diana.

15. Agni Dei cerei à Summo Pontifice conſecrati licitè adorari poſſunt à fidelibus; ideò enim conſecrantur cum oleo ſancto Chriſmatis, vt à fidelibus colantur, & quia in illis ſemper eſt impreſſa Sanctorum effigies, ſiue Agni repræſentantis Chriſtum Dominum, qui metaphoricè Agnus eſt appellatus, ideoque non ſolum tanquam res conſecratæ, ſed etiam tanquam imagines ſacræ repræſentantes prototypon licitè adorari poſſunt: ſic etiam colimus res ſacras, vt Altaria, Vaſa ſacra, Chriſma, codicem Euangeliorum & alia huiuſmodi. Ita Vaſq. *in 3. p. diſput. 110. cap. 2* Trullench *in decalog. l. 1. c. 9. dub. 8. n. 14.* Bonacina *loco cit num. 13.* & alij. Habent enim hæ formæ teſte Durando *in rationali diuinor. offic. l. 9. c. 79.* vim contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, tempeſtates ventorum & imbrium, vt experientia ſæpè conſtitit. Vaſquez. Trullench. Bonac.

16. Huiuſmodi Agni oleo ſancto & Chriſmate conſecrati non poſſunt à laicis & Clericis in minoribus conſtitutis tangi: quia *in cap. Sacratas, diſtinct. 23.* vetitum eſt laicis tangere res ſacras: non tamen peccatū mortale committunt laici illos tangentes ſine cōtemptu: ſicut nec peccatum mortale eſt tangere reliquias, eas accommodando in cruce, vel vaſe debito, modò abſit contemptus

vel

vel indecentia in tangendo, ne facilè poſſint coinquinari: quia ſimplex attactus, non videtur materia grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale. Ita Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæſt. 3.* Caſtrus Palaus *tom 2. tract. 8. diſp. 1. punc. 6. num. 24.* Trullench *loco cit.* Layman *l. 4. tr. 7. c. 5. nu. 18.* & alii. Imò Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43. n. 27.* & cum eo Diana *par. 3. tract. 6. reſol. 12.* excuſant ab omni peccato, etiam veniali, præciſo contemptu aut alia circumſtantia mala, tangentes reliquias & agnos cereos, eo quòd vſus obtinuit, vt à laicis, etiam fœminis tangantur, dummodò reuerenter & deuotè fiat.

Azor. Laym. Trullench. Leſſius. Diana.

Verùm in Concilio Prouinciali Mediolanenſi ſub S. Carolo Borromæo circa hoc ſequentia piè & ſanctè decreta ſunt, & digna vt hic inſerantur. *Primo*, vt cùm Agni Dei domi aſſeruantur, ſicut piæ conſuetudinis eſt, loculo decenti includantur. Cum autem collo dependentes geſtantur, in thecam auream, argenteam, eburneã, cryſtallinam, aut alterius generis rectè incluſi ſint, ita vt tactu violari nequeant, nec ad ornatum habeant quicquam, quod profanum ſit, quodque minimè deceat. Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant attrectentve, ne chirotecis quidem, forcipe, aut vllo alio inſtrumento: ſed ad eos in thecis reponendos Clericus in ſacris conſtitutus adhibeatur. Nec item minimam particulam ſacræ illius ceræ, è qua agni figura effecta eſt, in eis includant quo pluris opus ſuum vendant, ſed ab eo accipiant, qui thecã Agni cauſa faciendam locarint. Nec item quiſquam ſacrum Agnum annulo geſtet, cùm ita parum religiosè geſtetur, vt aliqua fœditate turpive actu violari facilè queat. Præterea, qui ſacros Agnos geſtant, hoc religioſius caueant, ne quid impurè turpiterve agant, aut à ſacra eiuſmodi re alienum. Ne præterea in agri campum benedicti agni proiiciantur, nec cuiquam arbori affigantur, neque in ramis arborum ſuſpendantur: ſed quod antiqui eſt inſtituti, eorum cera adoleatur ad ſuffumigationem in agris vineiſque ob imminentem tempeſtatem, fulgura, fulmina, incendia & grandinis vim, aliaſue diabolicas illuſiones depellendas. *Ita ibi.*

17 Non licet Clericis in minoribus conſtitutis, aut laicis Calicem conſecratum, Patenam, Purificatorium, aut Corporale tangere ſine licentia Epiſcopi, quanquam tangens ſine licentia non videtur pluſquam venialiter peccare præciſo contemptu, etiamſi fœminæ tangant. Sic Sanchez *loc. cit. nu. 27.* Sotus *in 4. diſt. 13. q. 1. art. 3. ad 3.* Trullench *loco cit. num. 16.* Bonacina *loco cit. n. 13.* Proinde nec etiam laicis permiſſum eſt tangere ſacrum Chriſma, aut oleum ſanctum, & multò minus Sacram Euchariſtiam, quam Clerici non Sacerdotes nec tangere poſſunt. Poteſt tamen laicus, ſi Euchariſtia in terram cadat, & non ſit alius, qui eam reuerenter tangeret, eleuare è terra, vt citati Authores docent, quibus adde Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 9. q. 12.*

Sanchez. Sotus. Bonac.

Azor.

18. Peccatum mortale eſt ſacrilegij & furti, ſurripere, vel extrahere aliquid de reliquiis alterius, niſi hoc fiat de licentia Domini, aut niſi extrahantur de manibus infidelium. Nam furtum & ſacrilegium committit, qui rem ſacram inuito Domino accipit. Et infideles iniuſtè eas poſſident, nec debito proſequuntur honore. Adde tamen in hac re non ſemper paruitatem materiæ à peccato mortali excuſare; quia tanta poteſt eſſe dignitas & æſtimatio reliquiæ furto ſublatæ, vt graue damnum irrogetur, & non leuis irreuerentia cenſeatur, Ita Sanch. *loc. cit. n. 23.* Syluest. Angelus, Armilla, Tabiena *verb. Reliquia.* Layman *l. 4. tr. 7. c. 5. n. 17.* & alii.

Sanchez. Laym.

An autem ſit excommunicatio lata contra reliquiarũ fures? Reſp. iure communi, excepta Vrbe Roma, non videri latam excommunicationem contra huiuſmodi fures, niſi furtum commiſſum fuerit cum violentia, hoc eſt fores Eccleſiæ & muros frangendo. Nam textus *cap. Quiſquis inuentus 17. quæſt. 4.* dicit: *Si quis domum Dei violauerit, &c.* At propriè dicitur violare Eccleſiam iuxta ſubiectam materiam, qui fores, vel muros eius infringit, vt furetur.

Imò in hoc capite non contineri excommunicationem latam, ſed veniri priuandum communione talem furem, docent Sanchez *loco cit. num. 24.* Suarez *de cenſ. diſp. 22.* *ſect. 2. n. 9.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 8. diſp. 1. punct. 6. n. 21.* & alii. Qui nouiſſimus notat, quòd conceſſa ſemel alicui facultate extrahendi aliquas reliquias ex Romanis Cœmeteriis, poteſt hic aliis donare, eaſque ſic donatas, quo placuerit transferre, & idem tenet Azor. *l. 9. c. 8. q. 10.*

Sanch. Suarez.

Iure etiam communi *cap. Corpora, de conſecrat. diſt. 1.* transferri nequeunt reliquiæ Sanctorum, ſi ſint perpetuæ ſepulturæ traditæ, abſque licentia Summi Pontificis, vel Epiſcopi, niſi aliud cogat neceſſitas, vt incendij, &c. quia tunc ſatis erit auctoritas Præſidis Prouinciæ. At ſi perpetuæ ſepulturæ nondum ſint traditæ, bene poſſunt transferri ſine alicuius auctoritate ad alium locum religioſum, vt docent Syluester *verb. reliquia, q. 3.* Caſtrus Palaus *punct. 6. cit. n. 21.* Layman *loco citato num. 17.* Sanch. *loco cit. n. 5.* & alii.

Sylu. Layman. Sanch.

19. Quamuis Princeps indicens bellum iuſtum poſſit occupare omnia bona hoſtium, quæ neceſſaria ſunt tum ad reparationem iniuriæ acceptæ, illamque vindicandam, tum ad ſecuritatem impoſterum futuram; & hoc non ſolùm nocentum, ſed etiam innocentum, ſi neceſſaria ſint ad ſupradictos fines vindictæ & ſecuritatis, quia tunc non puniuntur innocentes, ſed punitur Reſpublica in ipſis, cuius ſunt partes, vt docent Victoria *de iur. belli num. 40.* Couar. *ad reg. peccatum 2. part. §. 9. num. 4.* Suarez *de charitate diſp. 13. ſect. 7. num. 12.* Molina *diſp. 121. concluſ.* & alii. Ab hac tamen regula excipiuntur bona Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum innocentum, quia ſunt à iuriſdictione ſæculari exempta, & proinde non debent ob delictum aliorum grauari nec occupari: tum quia Eccleſiaſtici partem conſtituunt diſtinctam à Republica ciuili, ergo propter eius culpam puniri non debent, vt patet *ex cap. Innouamus, de tregua & pace, & cap. conqueſti ſunt, de ſent. excommunicat.* & docent ex communi ſententia Trullench *in decalog. lib. 5. cap. 2. dub. 12. num. 1.* Suarez *loco cit. num. 14.* Valentia *2. 2. diſp. 3. q. 16. punct. 3.* & alij: qui omnes tamen concedunt in vno caſu per accidens poſſe Eccleſiam, eiuſque bona diripi, comburi & deuaſtari, ſi hoc neceſſarium fuerit ad finem belli conſequendum, pacemue firmandam. Ex quibus patet, non poſſe Principes etiam in bello iuſto, reliquias Sanctorum ex Eccleſijs abſtrahere: quia hoc non videtur euenire poſſe, vt abſtractio reliquiarum ſit neceſſarium mediũ per accidens ad finem belli conſequendum, vel pacem firmandam. Proinde praxis omnium Principum Catholicorum eſt, vt nullus ex illis audeat apponere manus in ſacras reliquias, etiamſi bello iuſto aliquam ciuitatem caperent. Si enim vaſa argentea & candelabra, ac alia bona Eccleſiarum non poſſunt ab ipſis abſtrahi in iuſto bello, quanto magis hoc aſſerendum eſt de reliquiis Sanctorũ, quæ à Prælatis ipſis neque propter neceſſitatem Eccleſiarum poſſunt alienari inconſulto Summo Pontifice, vt dictum eſt ſupra? Ità ſuſtinet Dian. *p. 10. tr. 16. reſ. 74.* contra Ioannem Ferrandum *in diſquiſit. Reliquiarum l. 1. c. 8. art. 4.* qui affirmat reliquias in bello iuſto poſſe abſtrahi ab Eccleſiis ſine onere reſtitutionis. Sed prior ſententia eſt tenenda.

Couar. Suarez. Molin.

Suarez. Valentia.

Vide quæ diximus de reliquiis *tom. 1. verb. Adoratio n. 12. & verb. Simonia III. num. 4. verſ. Hodie vendens, & n. 3. verſ. eodem modo.*

Vide verb. Adiutatio *n. 12.* Adoratio *num. 8. 9. & 10.* Alienatio *num. 10.*

REPRESSALIAE.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſint repreſſaliæ?*
2 *Quis poſſit concedere repreſſalias? & quam ob cauſam?*
3 *An repreſſaliæ poſſint concedi contra perſonas Eccleſiaſticas vel earum bona?*
4 *An qui alicui facit facultatem, vt poſſit à Clerico ſibi debitore tantumdem ſibi accipere, quantum ſibi debetur, incurrat cenſuras?*

1 REpreſsaliæ dicuntur à re & præbendo, quaſi iteratæ appræheoſiones. Sunt igitur repreſſaliæ poteſtas capiendi & detinendi aliena, collata à Principe vel ciuitate in recompenſatione damni vel iniuriarum; & aliquando pro delicto vnius conceditur contra omnes de terra eius; vt autem ſint licitè in conſcientia, requiritur, authoritas Superioris, cauſa iuſta concedendi, & intentio recta eius cui conceduntur. Syłueſter *verb. repreſſalia num.* 1. Filliucius *tract.* 14. *numer.* 66. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 22. *num.* 13. Syluius 2. 2. *quaſt.* 40. *artic.* 1. *quaſit.* 3. & alii.

Sylu. Filliuc. Laym.

2. Iure communi Superior cuius authoritate poſſunt concedi repreſſaliæ, ille eſt, qui non habet Superiorem, vel is, cui per iuſta ſtatuta hoc eſt conceſſum, *l. Hoſtes, ff. de captiu.* Iuſta autem cauſa concedendi repreſſalias, ſecundùm ius, eſt, ſi ciuitas aut gens, vel dominus vindicare negligit quod à ſuis improbè geſtum eſt: requiritur autem vt damnum propter quod conceduntur, ſit notabile, & quod Dominus aut ciuitas vel gens requiratus vt emendet, & nolit vel negligat, & de hoc defectu iuſtitiæ conſtet; quocirca cum repreſſaliæ ſint quædam ſpecies belli, ideò ſine neceſſitate non ſunt concedendæ, cùm ſunt periculoſæ, & occaſionem præbeant rapinarum circa bona innocentium. Sà *verb. repreſſalia*. Syłueſter *cit. num.* 2. Caietan. *verb. repreſſalia*. Bonacina *tom.* 3. *d.* 2. *q.* 1. *punct.* 22. Victor. *de iure belli n.* 41. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 72 & alij.

Sà. Sylu. Caiet. Dian.

3. Prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis ipſo iure lata in perſonas ſingulares, interdicti verò in communitatem, ne contra perſonas Eccleſiaſticas vel bona earum repreſſaliæ concedantur, aut extendantur; niſi taiem præſumptam licentiam intra menſem poſt diem conceſſionis aut extenſionis reuocent, & exequentes intra menſem reſtituerint. *Cap. vnico de iniurijs in* 6. Fill. *cit. n.* 66. Bonac. *cit. p.* 22.

4. Qui alicui facit facultatem, vt poſſit à rico ſibi debitore tantumdem ſibi accipere, quantùm ſibi debetur, non incurrit cenſuras, quia illa non ſunt repreſſaliæ; debet enim ad has vnus grauari pro alio, quod autem quis grauetur pro ſuo debito, non eſt per ſe malum, ſi debito modo fiat: fieri tamẽ poteſt, vt modus excedatur, vel debitus iuris ordo non ſeruetur, vel Eccleſiaſtica iuriſdictio à laico vſurpetur, conſequenter excommunicatio Bullæ Cœnæ incurratur. Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 22. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 48. Nauar. *c.* 27. *n.* 136. Filliuc. *cit. n.* 66. & alij. Plura de repreſſaliis apud Syłueſt. citat.

Suar. Nauarr. Filliuc.

Vide v. *Interdictum* 6. num. 10.

RESCRIPTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit reſcriptum, & quotuplex?*
2 *Qua ſit differentia inter reſcr ptum gratia & iuſtitia? & vt in illo poſſit interuenire ſubreptio?*

1 REſcriptum dicitur quaſi denuò vel iteratò ſcriptum, ſignificat aliquid ſcriptum ſecundò, id eſt, poſt ius commune. Reſcriptum Principis aliud gratiæ, aliud Iuſtitiæ. Prius dicitur, quod ad beneficia, diſpenſationes, & alias quaſcumque gratias obtinenda conceditur, Poſterius autem, quod ad lites forenſes impetratur, vt ad committendam cauſam iudici in foro externo decidendam. Syłueſter *verb. reſcriptum* Sanchez *de matrim. diſp.* 21. *n.* 1. Layman *lib.* 1. *tractat.* 4. *c.* 2. *num.* 17. & alij.

Sylu. Sanch. Laym.

2. Præcipua differentia inter reſcriptum gratiæ, & iuſtitiæ eſt, quod reſcriptum gratiæ per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo iure irritum: quare quidquid virtute illius factum fuerit, nullus prorſus eſt momenti; ſecus autem de reſcripto iuſtitiæ, quod validum eſt, donec ope exceptionis elidatur, id eſt, donec aduerſarius contra quem impetratum eſt, excipiat, allegans illud eſſe ſubreptitium, quare proceſſus virtute illius factus, validus erit, ſi de ſubreptione minimè excipiatur: *Cap. fin. de filijs Presbiter. in* 6. *Cap. ſi autem. Cap. plerumque de reſcript.* Sanchez *cit. n.* 3. Conink *tom.* 2. *diſp.* 33. *dub.* 56. Layman *cit. n.* 37. Ratio differentiæ eſt, quod literæ iuſtitiæ comparentur contractibus ſtricti iuris, at literæ gratiæ contractibus bonæ fidei; quare ſicut ſubreptio dans cauſam contractui ſtricti iuris, non reddit ipſo iure irritum, ſed irritandum, ſecus de contractu bonæ fidei, ſic ſubreptitio non reddit ipſo iure irritas literas iuſtitiæ, ſed ope exceptionis irritandas, ſecus de literis gratiæ: Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *caſ.* 301. *numer.* 10. *& ſequentibus*. Subreptitium autem eſt reſcriptum quoties malè impetratur, ſiue tabita veritate neceſſariò explicanda, ſiue falſum ad rem conferens in precibus narrando. Multa Sanchez *de reſcriptis ſubreptitijs lib.* 8. *d.* 21. & Layman *l.* 1. *tract.* 4. *c.* 22.

RESIDENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit reſidentia in beneficiis.*
2 *Qui beneficiarij obligentur ad reſidentiam.*
3 *An parochus ſatisfaciat precepto reſidendi, ſi dum intra parochiæ ambitum commoratur, animarum tamen curam non exercet.*
4 *An beneficiarij habentes curam animarum teneantur iure diuino naturali & canonico & reſidentiam & ſeruitium perſonale.*
5 *An in habentibus dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, Prabendas, & portiones, iure canonico requiratur reſidentia. Et qua ſint cauſa excuſantes à reſidentia? & de prima qua eſt charitas, ſecunda verò, eſt vrgens neceſſitas?*
6 *De tertia & quarta cauſa excuſante, qua eſt debita obedientia, & euidens Eccleſia vel Reip. vtilitas.*
7 *An ſint alia cauſa excuſantes a reſidentia iure canonico aſſignata?*
8 *An priuandus ſit fructibus Clericus, ſi a beneficio reſidentiam poſtulante illegitimè abſit? & quid iuris de parocho non reſidente?*
9 *An parochus per breue tempus non reſidens teneatur ad reſtitutionem fructuum tempore abſentia reſpondendum?*
10 *An parochus cenſeatur reſidere ſi maneat in vrbe, & parochia diſtet per tria aut quatuor milliaria? & quid, ſi tantum diſtet per milliare Italicum.*

1 REſidentia ex nomine ſuo iugum & penè continuam ſeſſionem importat, & poteſt dici, qua iterata ſeſſio; in propoſito autem dicitur, aſſiduitas commorationis in loco beneficij, cauſa ſeruitij Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi; ex quo colligi poteſt, ſi Clericus in loco ſui beneficii commoretur quidem, ſed officium nunquam præſtet, verbi gratia; ſi Canonicus nunquam ad Chorum, ad Capitulum veniat, non eſſe cenſendum reſidere, quia fruſtranea eſt eius reſidentia, quippe fine & effectu ſuo deſtituta. Notandum tamen eſt, licet talis dum culpa ſua a diuinis abeſt incurrat pœnas, ſiue priuationes fructuum, qui præſentibus deputati ſunt, non tamen amittit fructus reſidentiæ. Syłueſter *verb. reſidentia*. Azor. 2. *par. lib.* 7. *c.* 7 *q.* 1. Couar. 3 *variar. c.* 13. *num.* 3. Quaranta *verb. reſidentia*. Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 6. *n.* 1. & alij.

Sylu. Azor. Couar. Laym.

2. Omnes & ſinguli beneficiarii, qui onus per ſeipſos in loco beneficij exercere debent, ad reſidentiam obligantur, quia beneficium datur propter officium; ſi ergo officium præſtari nequit abſque reſidentia, ſequitur beneficiarium teneri ad reſidentiam. Iure quidem communi ſpectato, omnia beneficia ad reſidentiam obligant. *Cap. quia nonnulli, de Cleric. non reſident.* Filliucius *tr.*

41. *cap.*

41.c.6.q.9. Azor. *cit. lib. 7. cap.* 3. Conſuetudo tamen obtinuit vt in ſimplicibus quibuſdam beneficijs non reſideatur: Habeotes verò parochiales Eccleſias aut etiam Canonicatus in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, tenentur in loco beneficij reſidere, etiamſi conſuetudo ante Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12. de reformat.* inducta fuiſſet non reſidendi: Tamen decretum Tridentini in multis Eccleſijs præſertim Germaniæ, receptum non eſt, nam alicubi tantùm medio anno, alicubi tribus tantùm menſibus, reſidere coguntur, obtinentes in prædictis Eccleſijs dignitates, Canonicatus, Præbendas. Leſſius *l. 2. c. 34. dub.* 33. *n.* 185. P. Nauar. *l. 2. c. 2. n.* 201. & 219. Layman *cit. num.* 2.

Leſſ.
Nauar.
Layman.

3. Parochus dum intra parochiæ ambitum commoratur, ſed animarum curam non exercet, non ſatisfacit præcepto reſidendi, quia perinde eſt, ac ſi non reſideret; conſequenter ad reſtitutionem fructuum eo tempore perceptorum obligatur; quia *qui non facit quod debet, non recipit quod oportet.* Reginaldus *lib. 30. tract. 3. num.* 60. Leſſius *lib. 2. cap. 34. num* 159. Poſſeuinus *de off. cur. c.* 1. Similiter Parochus qui intra parochiæ fines commoratur, ſed animarum curam per alium exercet, regulariter loquendo, non ſatisfacit formaliter ſuæ obligationi, quia obligatio Parochi eſt, vt reſideat, & per ſeipſam curam animarum exerceat quantùm commodè poteſt, ipſi enim animarum cuſtodia demandatur, vnde Parochus qui omnia parochialia munera per Capellanum ſine legitima cauſa præſtat, grauiter peccat, quia facit contra propriam obligationem in materia graui. Couar. 3. *var. cap.* 13. *num.* 8. Vaſq. *de benefic. c. 4. §. 2. art. 2. dub. 1. n.* 181. Bonacina *tractat. de reſident. punct. 2. num.* 3. Diana *tract. de Sacrament. reſ.* 150. *p.* 3. Parocho tamen licitum eſt aliquando vti alterius Sacerdotis opera in animarum cura adminiſtranda, vt in confeſſionibus excipiendis, in Eucharistia ad infirmos deferenda, modo ſubditi non contradicant, nec vllum damnum inde accipiant. Bonacina *cit. num.* 4. Similiter probabile eſt, ſecundum aliquos parochum, qui reſidet quidem in parochia, ſed omnia munera parochialia per Capellanum & non per ſeipſum exercet, poſſe fructus percipere & retinere, modò oues nullum graue detrimentum inde ferant, quia licet formaliter ſuæ obligationi non ſatisfaciat materialiter tamen ſatisfacit. Garzias 3. *p. c. 2. num.* 53. Layman *cit. c. 6. n.* 6. Cordub. *lib. 1. qq. q* 20. Vide Sancium *in ſelectis diſp.* 47. *num.* 4. contra hanc ſententiam dicentem fructus nequaquam acquiri Parocho non miniſtranti, quantumuis materialiter reſidenti; quia idem eſt inutiliter adeſſe, quod abeſſe: imò nihil prodeſt Parochi præſentia miniſterio deſtituta, cùm potiùs offendat. Si enim nō reſidere pro eodem accipit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap.* 1. quod non ſeruire, & pœna ſit impoſita non reſidenti, ſit, ad reſtitutionem fructuum teneri, ſi non miniſtret. Qua ratione meritò in *cap. inter corporalia, de translat. Epiſcop.* dicitur illam Eccleſiam viduam eſſe, quæ licet Epiſcopum habeat (& idem eſt de Parocho) inutilem tamen perhibetur habere: quis inutilior, quàm qui Eccleſiæ ſuæ non deſeruit? Nonne terminus *reſidere*, à re, & ſedeo deriuationem ſumit? Vt idem ſit reſidere, quàm rei exequendæ ſedere. Hæc Sancius citans multos alios pro hac ſententia.

Couar.
Vaſq.
Bonac.
Diana.

Garzias.
Laym.
Cordub.

4. In beneficiatijs habentibus curam animarum, exigitur iure diuino naturali & canonico reſidentia, & ſeruitium perſonale; *c. licet, de elect. in* 6. Azor. *cit. lib. 7. c. 3. q.* 1. Filliuc. *tract. 41. cap. 6. num.* 24. Tamburinius *de iure Abbat. tom. 1. d. 14. q. 1. num* 3. Ratio potiſſima ducitur ex officio paſtoris, quod perſonalem requirit præſentiam & induſtriam; qui autem curam habent animarum, paſtores ſunt: Circa reſidentiam verò parochorum notandum: *Primò*, etſi probabilis ſit opinio Nauar. *cap. 25. n.* 121. poſſe eos abeſſe per bimeſtre abſque Ordinarij licentia. Attamen hodie ex declaratione Sacræ Congregationis non poſſunt ſine licentia. Ideò qui ſine licentia abfuerit, non facit fructus ſuos & tenetur applicare fabricæ ſuæ Eccleſiæ vel pauperibus loci, Garzias *cit. cap. 2. num.* 22. & 23. Filliucius *cit. num.* 26. Si autem aliqua neceſſitas ſe offerat, quæ non patiatur dilationem, poteſt parochus abeſſe petita licentia, ſed quàm primùm debet facere certiorem Epiſcopum de cauſa. Parochus tamen dum abeſt per bimeſtre, aut maius vel minus tempus, tenetur alium idoneum miniſtrum in ſui locum ſufficere & ſubſtituere. Reginaldus *cit. num.* 55. Azor. *cit. cap.* 4. & 5. Leſſius *lib. 2. c. 34. num.* 159.

Azon.
Filliuc.

Azor.
Leſſius.

5. In beneficiatijs habentibus dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, Præbendas, & portiones, etiamſi beneficia ſimplicia ſint, iure canonico requiritur reſidentia; *c. quia nonnulli, de cler. non reſid,* & *c. fin. de reſcript. in* 6. Cauſæ excuſantes à reſidentia, tum ad breue, tum ad longius tempus, ſecundùm Concil. Trident. *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* quadruplices ſunt: Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, & euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilitas. *Ad primū* caput charitatis Chriſtianæ pertinet, ſi quis à loco beneficii diſcedat, ad iuuandum Eccleſiam priuatam, ad dirimendum controuerſias, lites, ſimultates, & odia inter priuatos. Filliuc. *tract. 41. cap. 6 num.* 29. Azorius 2. *p. lib. 7. cap.* 4. *Ad ſecundum* caput ſpectat, ſi beneficiatus abſit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem; vel ob perſecutionem Tyranni, ob capitales inimicitias: vel ad proſequendam litem ſuper iuribus beneficij; vel ob piam peregrinationem, aut ſimilem honeſtam cauſam, impetrata tamen licentia Prælati, Layman *cit. n.* 5. Garzias *par. 3 cap. 2. num.* 393.

6. *Ad tertium* caput pertinet, ſi beneficiarius abſit, vt obediat Papæ, vel obſequium debitum præſtet Legato, vel Epiſcopo id imperanti, ad pacem aliquam grauem componendam, ad viſitandam Diœceſim & ſimilia. Filliucius, Layman *num. 5. cit.* Reginaldus *cit. n.* 54. *Ad quartum* caput ſi quis abſit ad defendendum ius Eccleſiæ ſuæ, ad Synodum Generalem, Prouincialem, vel Diœceſanam faciendam. Denique eiuſmodi cauſæ debebunt approbari à Pontifice vel Metropolitano, vel eo abſente ab antiquiore Suffraganeo, qui etiam approbare debebit abſentiam Metropolitani, idque in ſcriptis. Bonac. *de reſident. punct.* 5. Azor *cit. q.* 5. & 7.

Bonac.
Azor.

7. Iure canonico aſſignati ſolent aliæ cauſæ excuſantes a reſidentia. *Primo*, audire Theologiam, vel ius Canonicum ad quinquennium; *cap. vlt. de magiſtris.* Azorius *cit. queſt.* 3. Garzias 3. *p. cap. 2. num.* 54. & *ſequentibus.* Filliucius *cit. numero vigeſimo nono.* Bonac. *cit punct.* 3 *num.* 16. *Secundò*, docere eaſdem facultates ad quantumlibet longum tempus; ad docendas autem literas humaniores & Philoſophiam requiritur licentia Epiſcopi, niſi conſuetudo aliud iam in quibuſdam locis præſcripſerit: hodie tamen ex declaratione Sacræ Congregationis non excuſatur à perceptione fructuum ex cauſis dictis, & requiritur licentia Papæ cum conſenſu Ordinarii reſpectu Parochorum, non verò reſpectu Canonicorum, & aliorum ſimilium. *Tertiò*, obſequium duorum Canonicorum, quod præſtant Epiſcopo in Eccleſię vtilitatem, & ex conſuetudine, idem de obſequio duorum Canonicorum Cardinali ſui Tituli. *Quartò*, legitima licentia ex quauis alia cauſa iuſta, *C. ad audientiam, de Cleric. non reſid.* & Gloſſ. *in c. inter quatuor, de cler. non reſid.*

Azor.
Garz.
Filliuc.
Bonac.

8. Si Clericus a beneficio reſidentiam poſtulante illegitimè abſit, fructibus priuandus eſt, ſed cauſa priùs cognita, quare expectari atque citari debet; quòd ſi contumax exiſtat, etiam beneficio ſpoliari. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* An autem Parochus qui non reſidet, reſtituere teneatur omnes fructus pro rata abſentiæ etiam ante Iudicis ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, negare videntur Nauar, *cap. 25. nu.* 121. Laman *lib. 4. tract. 2. cap. 6 n.* 6. quia lex pœnalis non obligat ante Iudicis ſententiam: decretum autem Tridentini eſt pœnale, & poſitum in pœnam non reſidentium. Communis tamen ſententia habet, Parochum, aut Epiſcopū, aliumue curam animarum habentem, pœnam priuationis fructuum incurrere, ante vllam Iudicis ſententiam; quia licet lex pœnalis, quæ ad ſui executionem hominis actionem requirit, non obliget ante Iudicis ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis: hoc tamen intelligitur, niſi aliter in ipſa lege caueatur. In Tridentino autem cautum eſt, vt animarum curator hanc pœnam ſubeat non

Nauarrus.
Laym.

exe-

Sà. Azot. Reginald.

expectata vlla declaratione. Sà *verb.reſid. num.6.* Azot. *cit.cap.6.qq.6.* Reginald. *cit. num.59.* Vaſquez *de benefic. c.4.§.2.art.1.dub.4.num.*152.

9. Parochus, qui per breue tempus, vt per decem dies in anno, aut etiam per bimeſtre non reſidet, non tenetur ad reſtitutionem fructuum tempori abſentiæ reſpondentium: quia cùm hic per ſe loquendo, non peccet mortaliter; Tridentinum huiuſmodi abſentiam impunè permittere videtur, ſaltem ſi abſentia iuſta de cauſa ſequatur: qui verò iuſta de cauſa vltra bimeſtre non reſidet, tenetur ſolùm ad reſtitutionem fructuum reſpondentium tempori, quod bimeſtre excedit: quod verum eſt etiamſi per bimeſtre abſuerit ſine licentia Epiſcopi: probabile enim eſt ad abſentiam duorum menſium in Parochis non eſſe neceſſariam Epiſcopi licentiam, iuxta Nauarrum *cap.25. num.121.* Naldum *verb.Reſidentia num.5.* Azorium *lib.7. cap 4.q.9. & 10.* Reginaldum *cit. num.55.* Bonacinam *punct.4.num.8.& 9.* Sancium *cit.num.5.*

Nauar. Azot. Reginald. Bonac.

10. Parochus non reſidet ſi maneat in vrbe, & parochia diſtet per tria aut quatuor milliaria, & ita declaraſſe Sacram Congregationem ſuper Concil. Trident. habetur ex Garzia 3.*p. de benefic.c.1.num.*179. & tenent Barboſa *de offic.& poteſtat.Epiſcop.part.*3. *alleg.*33.*num.*74. Bonacina *diſp.5.de onere & oblig.benefic.punct.1.num.*4. Ratio eſt, quia non reſidet qui extra locum reſidentiæ eſt, præſertim quando nec ita facilè accedere poteſt, aut vocari: ſicut nec ſedet, qui extra ſedem eſt. Reſidentia enim ideò præcipitur, vt aſſiſtat proprijs ouibus aſſiſtentia paſtorali; & proinde debet manere in loco ſuæ iuriſdictionis; quia cùm aſſiſtat per iuriſdictionem, debet illam habere in actu primo proximo, vt poſſit illam exercere; quod non contingit, quando non eſt in proprio loco iuriſdictionis: nec refert quod identidem ad parochialem Eccleſiam accedat; huiuſmodi enim acceſſus non ſufficit vt dicatur reſidere; vrgere enim poteſt neceſſitas quando non adeſt. Et hoc eſſet potiùs viſitare parochiam, quàm in ipſa reſidere.

Garzias. Barboſ. Bonac.

Dubium tamen, an ſi Parochus à parochiæ ambitu diſtet, puta per milliare Italicum, ſatisfaciat obligationi reſidendi? Affirmant Bonacin. ſuprà, & Beia *p.4.caſ.conſ.caſu* 21. quia qui parum diſtat, nihil diſtare videtur. Huic tamen ſententiæ obſtat declaratio Congregat. ſuper Concil. Trident. *ad cap.1.de reformat.ſeſſ.*23. in qua decernitur, quòd Parochus cogatur habitare in domo Eccleſiæ, quam ſi non habet, ſaltem in viciniori loco intra parochiam: ſecus perdat fructus. Accedit etiam ratio, quia morari extra parochiam impedit munus Parochi, præſertim ſi ſit per vnicum milliare Italicum: quia notabiliter impedit ne poſſit accurrere ad repentinos caſus: & neque ad ipſos vocari: vnde illa reſidentia eſt neceſſaria & ſub præcepto, quæ exigitur vt munus parochiale poſſit commodè exerceri, & abſque notabili detrimento ſubditorum. Quando enim decernuntur termini à iure, non datur paruitas materiæ reſpectu talium terminorum: Parochis autem ſunt præſcripti termini reſidentiæ, nempe intra parochiam: Ergo ſtante prædicta declaratione, non habet locum prima ſententia.

Plura de reſidentia Prælatorum, vide Tambur. *tom.1. de iure Abbatum diſp.14.*& ſuprà v. *Epiſcopus* num.8. *Parochus* num.2. *Beneficium* 1.num.5. *Beneficium* 4.n.3.

SVPPLEMENTVM.

RESIDENTIA.

SVMMARIVM.

1 *An Epiſcopi, Prælati, Parochi, & alij habentes curam animarum teneantur ad reſidentiam iure naturali, & diuino.*

2 *An habentes curam animarum teneantur ad reſidentiam neceſſitate corporali vrgente, ſi ob abſentiam immineret detrimentum ouium.*

3 *An Cardinales Epiſcopi excuſentur à reſidentia, ſi Romæ Summo Pontifici aſſiſtant.*

4 *An Epiſcopus excuſetur à reſidentia, quando euidens reipublicæ vtilitas hoc poſtulat.*

An rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione alicuius Regni vel Conſilij.

5 *An Epiſcopus poſſit pro Cathedralis Eccleſiæ ſeruitio aliquem ex curatis ſuæ Diœceſis adhibere.*

6 *An teneatur Parochus reſidere, ſi in Parochiâ ſint tantùm tres aut quatuor incolæ? Et quid ſi habeat duas Eccleſias vnitas.*

7 *An inimicitiæ graues ſint cauſæ legitimæ, propter quas non tenetur Parochus reſidere in Parochia.*

8 *An propter aëris intemperiem poſſit Parochus extra Parochiam habitare, relicto in ea Vicario.*

An poſſit Parochus etiam extra neceſſitatis tempus ſibi Vicarium aſſumere ex approbatis.

9 *Parochus abſens legitimè à ſua Eccleſia, an debeat Vicarium approbatum in ea conſtituere, & ei mercedem condignam dare? Et an Vicarij Parochorum inſtituti auctoritate Apoſtolica, teneantur ad reſidentiam.*

10 *Qui poſſint diſpenſare, vt beneficiarius perpetuò abſit ab Eccleſia, vel ad tempus.*

11 *An Prælati religionum teneantur reſidere in ſuis Monaſterijs? & qui poſſint cum eis circa reſidentiam diſpenſare.*

12 *Quæ ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi à reſidentia?*

13 *An ſola iuſta cauſa ſufficiat ad excuſandum à non reſidendo, ſine licentia Superioris? Et quantum temporis ſpatium poſſint à ſuis Eccleſijs iure abeſſe Epiſcopi, Prælati & Parochi.*

14 *An obtinentes in Eccleſijs Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas aut portiones poſſint per tres menſes in anno à ſuis Eccleſijs abeſſe.*

15 *Et an tunc teneantur Canonici aſſignare abſentiæ cauſam & licentiam Prælati petere? Et an illi tres menſes poſſint eſſe continui vel interpollati.*

1 CVm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas cognoſcere, vt ait Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23.*cap.1. de reformat.* ideò Epiſcopi Prælati & Parochi ſuis Eccleſijs iure diuino ad reſidentiam tenentur. Quis enim dubitat, quod ianitor ad ianuam, villicus ad villam, gubernator nauis ad gubernaculum, præceptor ad ſcholam, & alii ad ſua munera ſedere debeant? alioquin qui non reſidet (cùm alio non abducunt præſcriptæ à Sacro Concilio cauſæ) oſtendit ſe ſponſum non eſſe, ſed peregrinum; non patrem, ſed extraneum: non paſcentem oues, ſed ſeipſum: non ædificantem, ſed ferè deſtruentem. Tum quia qui ſuſcipit aliquod munus & officium, tacitè ſe obligat ad onera illi officio adnexa: Sed Epiſcopi & Parochi, qui ſunt curatores animarum, ſuſcepto iam munere & officio tenentur paſcere gregem, & ſubire onera ſui officii, quæ ritè exequi nequeunt non reſidendo; vnde ſequitur eodem præcepto diuino teneri ad reſidendum, quo tenentur ad hæc munera obeunda: nam media cadunt ſub idem præceptum, ſub quo cadit finis. Cùm ergo munus & onus paſtorale obiri non poſſit ſine reſidentia, ſequitur illo inſtituto hanc etiam cenſeri inſtitutam. Ita reſoluunt Caietanus 2.2.*quæſt.*185.*art.*5. Syluius *ibidem.* Vaſquez *opuſc.de benefic.c.4.§.2.dub.1.num.*121. *cum ſequent.* Sanctarellus *variar.reſolut.quæſt.*1. Nauarrus *in manual.cap.*25.*numer.*121. Sanchez *de matrimon. lib.8.diſp.6.num.*5. Leſſius *lib.2.cap.* 34. *num.* 153. & alij communiter.

Caiet. Sylu. Vaſq. Sanctar. Sanch. Leſſius.

2. Quamuis neceſſitas vrgens, iuxta decretum Concil. Tridentini *ſeſſ.*23.*cap.*1. *de reformat.* excuſet Epiſcopos, Prælatos & alios curam animarum habentes, à reſidentia, & nomine neceſſitatis vrgentis intelligant Doctores, quando aliquis graui aliquo morbo affectus eſt, & niſi locum mutet, vitæ periculum imminet; vel ob ſimilem cauſam honeſtam, vt diximus *tom.* 1. *verb. Reſidentia num.* 5. *verſ. Ad ſecundum caput.* Hoc tamen procedit quoties

non

non immineret detrimentum ouium : ſi enim tale detrimentum immineret in ſpiritualibus, ex nulla cauſa poſſet abeſſe ; quia bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, vt habetur *Ioannis* 10. Nam munus Paſtorale adeò ſtrictè obligat, vt minus æſtimare debeat bonus Paſtor detrimentum propriæ vitæ, quàm detrimentum in ſpiritualibus ſuarum ouium, quarum curam ſuſcepit, vt fecerunt S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis & alij plures. Ita colligunt ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 185. *art* 5. Caietanus, Sotus & Miranda, quos citat & ſequitur Vaſquez *in opuſc, de beneficijs, cap.* 4. §. 2. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 135. teſte Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 9. Qui tamen excuſatione dignum reputat Prælatum ſi ſine detrimento Eccleſiæ ſuæ, & ouium, ad ſaluandam propriam vitam abſit, vel fugiat furorem perſequentium, vt ſe indemnem & incolumem ſeruans poſſit meliùs in vinea ſibi commiſſa laborare.

D. Thom. Caiet. Barboſa.

3. Dubium eſt inter Doctores, an Cardinales Epiſcopi excuſentur à reſidentia ſi Romæ Summo Pontifici aſſiſtant? Quibuſdam placet affirmatiua ſententia, quia Domini Cardinales aſtricti ſunt curæ vniuerſalis Eccleſiæ, & tenentur aſſiſtere Pontifici conſulendo in rebus agendis tangentibus totam Chriſtianam Rempublicam, & cùm ſint pars corporis Papæ, & illi aſſiſtere teneantur, ita vt à Curia ſine licentia Papæ illis diſcedere non liceat, iuſtam habent cauſam, vt abſint ab Eccleſijs, quarum ſunt Epiſcopi : quia ſi Cardinales agant in Romana Curia, & à Summo Pontifice inde diſcedere non iubeantur, perinde eſt ac ſi reſident, nam tacita illa Papæ approbatio videtur diſpenſatio. Ita ſuſtinent Anaſtaſ. Germonius *in tract. de indult. Cardinal* §. *tibi quoad vixeris, num.* 10. Hyeronimus Gigas *de reſid. Epiſcopi cap.* 17. *num.* 30. Gonzalez *in reg.* 8. *Cancellar. gloſſa* 24. *num.* 128. Pariſius *de benefic lib.* 3. *q.* 1. *num* 74. & alij. Hæc ſententia hodie ſuſtineri non poteſt, tum quia Gregorius XIII. per ſuum conſiſtoriale decretum declarauit deciſionem Concil. Trid. de perſonali reſidentia in Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs facienda, etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere quocumque titulo illis præeſſent, ita vt a reatu & pœnis in dicto Concilio ſtatutis non excuſentur, niſi abſentiæ cauſa in ſcriptis approbata foret, ſcientiaque vel tolerantia non excuſaret eoſdem Cardinales, nec alios Epiſcopos. Tum quia prædictam declarationem, ac alias Apoſtolicas Conſtitutiones confirmauit & approbauit, multaque de nouo ſtatuit nouiſſimè Vrbanus VIII. in ſua Conſtitut. quæ incipit, *Sancta Synodus, ſub dat. Romæ die* 7. *Decembris* 1634. quam refert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 53. *p.* 3. *num.* 23. & hanc ſententiam ſtante dicta Bulla Vrbani VIII. tenet Dian. *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 8. Sanctarellus *tom.* 1. *variar. quæſt.* 2. qui excludit à reſidentia Cardinales illos ſex qui habent Epiſcopatus vrbi Romæ proximos. Molfeſius *in Summ. Theologia moral. tractat.* 6. *cap.* 11. *num.* 34. vbi aduertit quòd ideò Carolus Borromæus requiſitus à varijs Pontificibus, vt ex cauſis prædictis Romæ reſideret, ſemper ſe excuſauit ſumma modeſtia : & vt gregem ſibi commiſſum gubernaret, renunciauit omnibus aliis beneficijs, & ſolum Archiepiſcopatum Mediolanenſem ſibi retinuit, vt in eius vita legitur.

Barboſa. Diana. Sanctar.

4. Certum eſt ex Trident. ſupra Epiſcopos excuſari à reſidentia, quando euidens Reip. vtilitas hoc poſtulat puta ſi Epiſcopus mitteretur Legatus ad Pontificem pro tractandis negotijs fidei, aut ad Principes pro negotijs pacis & Eccleſiæ, vbi non facilè inuenitur alius quam Epiſcopus ita dextrè ea negotia tractaturus : poteſt enim Epiſcopus euidenti Reip. exigente vtilitate, eſſe Legatus, ſiue Orator Principis ſæcularis, vt habetur *in cap. cum parati, de appellat.* & docent communiter Doctores.

Sed difficultas eſt, an Rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione alicuius Regni, ſeu conſilij? Reſp. certum eſſe id non poſſe facere Reges propria auctoritate, quia nullam in Epiſcopos iuriſdictionem habent. An autem id facere poſſint ex priuilegio à Romano Pontifice obtento? Affirmant Ioan. Selua Ceuallos, Petrus Gregor. Rebuffus apud Dianam infra, dicentes Reges & Principes habere priuilegia à Sede Apoſtolica, vt Epiſcopi & alij Clerici, qui illis inſeruiunt alicui officio, ſeu ſeruitio, non teneantur reſidere, & poſſint percipere fructus beneficiorum. Verum circa hanc difficultatem bene aduertit Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 53. *num.* 17. dicens : In Curia Regum & aliorum ſæcularium Principum fungentes munere, & officio Regij Præſidis, vel Confeſſarij vel Conſiliarij, aut Proregis, non eximuntur à reſidentia ſuorum Epiſcopatuum, niſi ea ſit hominum penuria, vt alij ſatis idonei minimè reperiantur, qui hæc præſtent obſequia, nec in hoc Cæſaris facultas, de qua *in Auth. quom. oport. Epiſc. collat.* 1. & *in Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis collat.* 9. aliquam vim habet, cùm ſit cauſa ſpiritualis Epiſcoporum reſidentia, ideò dato communi Reip. commodo non Cæſaris indulgentia, ſed Romani Pontificis habita licentia Epiſcopi ab Eccleſijs ſuis abeſſe poſſunt. Aduertant igitur Reges & Epiſcopi, quod ſi illa Regna & officia per laicos poſſint alias æquè commodè adminiſtrari, tunc non poſſunt aliquo priuilegio ad hoc à Romano Pontifice vti, quia in hoc caſu non poteſt diſpenſare, cùm non adſit neceſſitas publica & bonum commune, & reſidentia aliàs ſit de iure diuino vt dictum eſt ſuprà. Ita reſoluunt Azorius *p.* 2. *lib.* 7. *c.* 4. *q.* 6. Sotus *de iuſtit. lib.* 10. *q.* 3. *art.* 4. Diana *p.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 5. Rebuffus *in praxi tit. de diſpenſat. de non reſidend. num.* 5. Et huius ſententiæ videtur etiam eſſe Ioan. Sancius *in Selectis diſp.* 47. *num.* 26. qui ait. Proh dolor! arbitrantur aliqui ſe Chriſti Vicarium agere poſſe & Cæſaris. Nimis diſtans eſſe Paſtorem ouium & patrem animarum, & ſedere iudicem cauſarum ciuilium, nullus ignorat. Neminem poſſe duobus dominis ſeruire Chriſtus eſt teſtatus. Emittat Chriſtus lucem Cæſari, vt velit excludere à ſuis aulis prætorijs & tribunalibus Eccleſiaſticos Miniſtros, & tractent fabrilia fabri. Ita ille. Congruunt ad hæc aurea Rebuffi verba *loco citato.* Quidam ex noſtris Prælatis terruerunt nos, qui in vita populum ſibi commiſſum non viſunt, nec quidem inſtruunt. Quid ergo faciunt? curas ſæcularium Principum & aliorum cùm terreni ſint, aſſumunt contra ſtatuta Concilij Cartaginenſis.

Azor. Sotus. Diana.

Meminerint igitur Epiſcopi, reſidentiam, non ſolùm præſentiam, corporis aſſiduam, ſed etiam mentis ſolicitudinem & charitatis ſtudium præ ſe ferre debere. Quia ſi habitans in Eccleſia ſua Epiſcopus, cùm concionandi tempus in eadem inſtat, obmuteſcat? *Si* de ſceleribus profligandis, de virtutibus diſſeminandis, de ſubleuanda inopia, de diſciplina reſtituenda, de blaſphemis, de aleatoribus, de luxu, & de obſcœnitate ablegenda, nihil aut parum laboret? Si Confirmationis Sacramentum in locis remotioribus non miniſtret? Imò nec Diœceſis ipſa, niſi perrarò & non integrè viſitetur, &c. Hic certè nudum potius nomen ac ſimulacrum Epiſcopi in otio, & deſidia, quàm veri Paſtoris formam, quæ cum zelo ac ſolicitudine coniuncta eſſe debet, omnibus refert. Nam tales quamuis ſola corporis præſentia, humano iudicio, Eccleſiaſticiſque ſanctionibus tuti, immuneſque eſſe videantur, ſciant tamen non eos ſupremum illud, accerrimumque Præpotentis Dei Tribunal euaſuros, niſi & alia multa cum hac perſonali reſidentia coniunxerint, quæ eos non ſpecies tantum, ſed verè Epiſcopos, paſtoreſque eſſe declarent. Ita rectè Barboſa *loco hic citato num.* 20. monet.

5. Epiſcopus non poteſt pro Cathedralis Eccleſiæ ſeruitio, & item ſuo, aliquem ex Curatis ſuæ Diœceſis ex ipſorum Eccleſijs, conſtituto in illis idoneo Vicario, ad certa negotia adhibere, cùm hi dum in huiuſmodi ſunt ſeruitio à ſuis Eccleſijs abeſſe cenſeantur. Nec etiam Epiſcopus poteſt vti opera Parochi in viſitatione vel in alio ſeruitio ſuæ Diœceſis, niſi pro tempore duorum menſium, & tunc relicto idoneo Vicario. Ita deciſum referunt Piaſec. *in praxi noua Epiſc. p.* 2. *c.* 3. *num.* 27. Quaranta *in ſumma Bullar. verb. Reſidentia.* Barboſa *loco cit. allegat.* 53. *n.* 85. & 86. & alij penes ipſum.

Piaſec. Quarant. Barboſa.

6. Parochus, qui habet Parochiam, intra cuius limites adhuc habitant Parochiani, tenetur in ea reſidere etiamſi tantùm eſſent in illa Parochia tres, vel quatuor incolæ; & vbi

Digitized by Google

& vbi fuerint duæ Eccleſiæ æquè principaliter vnitæ, reſidendum eſt in digniori: quod ſi non conſtet, quæ ſit dignior, in frequentiori: quòd ſi vna fuerit extra, & altera intra vrbem, reſidendum eſt in ea, quæ eſt intra, vt referunt deciſum Nicolaus Garzias *de beneficijs part. 3. cap. 2. num. 179. in 14. declar.* Armendarius *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ lib. 1. titul. 23. leg. 2. §. 2. de reſidentia vel abſentia Parochor. n. 142.* & alij.

Garzias. Barboſa.

Et licet Eccleſia Parochialis ſit in loco, vbi minor pars Parochianorum inhabitat, & maior pars habitat longè in oppidis, nihilominus Parochus tenetur prope Eccleſiam habitare, & ſuccurrendum eſt eis, qui longe habitant, ſecundùm loci antiquam conſuetudinem, per *c. 4. ſeſſ. 21. de refor.* Conc. Trident. & referunt deciſum Garzias *dict. num. 179. in 20. declarat.* Armend. *loc. citat. num. 14.* Barboſ. *loc. cit. num. 71. 72. & 73.*

7. Inimicitiæ graues ſunt legitimæ cauſæ, propter quas quis reſidere non tenetur in Parochiali Eccleſia; & illis durantibus poteſt Epiſcopus Parocho licentiam dare, vt in alio viciniori & tutiori loco manere poſſit, ac à ſuo beneficio per annum abeſſe, poſito tamen in illo per Epiſcopum idoneo Vicario, congruenti mercede ex eius fructibus illi aſſignata, debet tamen priùs Epiſcopus cognoſcere an ſit veræ & graues inimicitiæ & abſque parochi culpa. Quod ſi intra annum inimicitiæ non extinguantur, & Curatus ſeu Beneficiatus fuerit in culpa tam cauſa dandarum inimicitiarum, quàm non extinctionis earundem, priuari poteſt; ſi verò inimicitiæ creſcant ſine Parochi culpa, alius annus dari poteſt. Ita Zerola *in praxi Epiſcop. p. 1. verb. Priuatio §. I. dub. 1.* Aloyſius Riccius *in praxi fori Eccleſ. reſolut. 641. in 2. edit.* Barboſa *loc. citat. num. 89.* & alij.

Zerola. Aloyſ. Ric. Barboſa.

8. Parochus non poteſt propter aeris intemperiem extra Parochiam habitare, relicto in Eccleſia ſua Vicario approbato: tenetur enim tempore peſtis, vel alterius contagioſi morbi ex lege charitatis & iuſtitiæ reſidere. Si autem infirmus ſit, & in loco Parochialis Eccleſiæ curari non poſſit defectu Medicorum, vel medicaminum, tunc poteſt ab Ordinario ei dari dilatio trium, aut quatuor menſium, vt in locis vicinioribus maneat ſanitatis cauſa: Interea Ordinarius in Parochia idoneum Vicarium cum congrua portione ex reditibus Parochialis conſtituet. Ex Garzia *loco cit. cap. 5. nu. 179. in 4. declarat.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Reſidentia, §. 7. & 9.*

Senectus etiam in Parocho non excuſat, ſed debet reſidere in loco, vbi ſita eſt Eccleſia Parochialis, etiamſi ei eſſet datus coadiutor ratione infirmitatis.

Præterea poteſt Parochus nulla etiam cogente neceſſitate ſibi Vicarium, ex approbatis ab Ordinario pro Sacramentorum adminiſtratione veluti adiutorem, vt aliqua impleat miniſteria generaliter, & abſque vlla temporis limitatione aſſumere, ita tamen vt Parochus ipſe etiam laboret, non enim debet ob id à miniſterio ceſſare, ſi vult eſſe dignus ſtipendio & mercede, & vtatur Capellano, non vt homine, qui portet pondus diei & æſtus, ſed vt ſocio laboris: & putet quantùm laboris adimet Capellanus, etiam tantumdem præmij, & gloriæ ſibi auferri. Ita Vaſq. *in Opuſc. titul. de benefic. cap. 4. art. 1. §. 2. dub. 1.* Barboſa *loco citato num. 95.* Poſſeuinus *de offic. Curati c. 1. num. 10.*

Vaſq. Barboſa.

9. Quando alicui Parocho datur facultas, vt à ſua abſit Eccleſia ad tempus, debet Vicarium in ſui locum ſufficere, qui inſeruiat Eccleſiæ, & ille Vicarius debet eſſe ab Ordinario approbatus, eique aſſignanda eſt portio ex beneficij Parochialis fructibus, qua valeat honeſtè ſuſtentari: quia par non eſt, vt Eccleſia priuetur miniſterio ſibi debito, *cap. Extirpanda, §. Qui verò, de præbend.* Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* & docent Nauarrus *in manual. capitul. 25. numer. 151.* & alij communiter.

Conc. Tr. Nauar.

Limitatur tamen hoc niſi Vicarius ille voluerit ſeruire gratis, tunc enim Parochus non tenetur in conſcientia illi aſſignare partem fructuum pro mercede. Ratio eſt, quia, quòd merces aſſignetur, eſt, ne populus patiatur aliquid detrimenti in ſpiritualibus, defectu miniſtri, vnde in hoc caſu ceſſat ratio mercedis, & per conſequens ratio legis.

Porrò Vicarij & Coadiutores Rectorum Parochialium inſtituti auctoritate Apoſtolica, tenentur ad perſonalem reſidentiam; ſicut Rectores ipſi, vt referunt deciſum Gonzales *ad regul. 8. Cancellar. gloſſ. 5. §. 9. n. 17.* Vgolin. *de poteſt. Epiſcop. c. 15. §. 3. n. 3. verſ. poſtremò.* Piaſec. *in praxi Epiſc. p. 2. c. 3. n. 27.* & alij.

Gonzal. Vgolin. Piaſec.

10. Summus Pontifex poteſt facultatem dare ex iuſta cauſa & debita, vt beneficiarius perpetuò abſit ab Eccleſia; Epiſcopus vero eam facultatem date non poteſt, ſed ad tempus, vt dicitur *in cap. licet Canon, de elect. in 6. & cap. Relatum, de cleric. non reſident.* Idem iuris & poteſtatis habet in hac parte Romani Pontificis Legatus in Prouincia ſibi demandata, quod Epiſcopus, vt docet Ioannes Selua *part. 4. de benefic. quæſt. 9.* Inſuper locorum Ordinarij inferiores Epiſcopis, vt Abbates & alij ſimiles habentes iuriſdictionem, poſſunt dare facultatem Parochis & alijs beneficiarijs curam animarum habentibus recedendi à ſuis Eccleſijs ad tempus aliquod. Item Capitulum ſede vacante licentiam poteſt dare, quàm poſſet Epiſcopus: quia in ijs quæ ſunt iuriſdictionis non voluntariæ, ſed neceſſariæ, poteſtas Epiſcopi tranſit ad Capitulum. *cap. 1. de inſtitution. in 6.* & docent Azorius *part. 2. lib. 2. lib. 7. cap. 3. quæſt. 1. 2. 3. & 4.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 53. num. 95.* Poſſeuinus *de offic. Curat. c. 1. n. 28. & 29.* & alij.

Azor. Barboſ.

11. Quæ ſtatuuntur in Concilio Trident. & alijs iuribus circa reſidentiam Prælatorum, intelligi debent ſuo modo de Prælatis Religionum, quia & ipſi curam animarum habent; & quidem ſi ſint Prælati locales, vt ſunt Guardiani, Priores, Abbates & quocumque nomine vocentur, reputantur quaſi Parochi illorum Monaſteriorum, vnde debent ipſis aſſiſtere tempore peſtis, vel hæreſis etiam cum periculo mortis; quia in illis caſibus Parochis non licet fugere, cum detrimento animarum ſibi commiſſarum; nam boni Paſtoris eſt animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, ne pereant, vt ex communi docent Sanch. *lib. 6. moral. cap. 2. num. 55.* Rodriquez apud illum citatus, quos ſequitur Diana *part. 9. tractat. 7. reſol. 53.* Lezana *tom. 1. Sum. cap. 18. num. 12.* Proinde idem Diana conſultus, an Generalis cuiuſdam Religionis potuiſſet permittere, vt prior alicuius Monaſterij Romæ remaneret per aliquot menſes ad imprimendum quendã librum? Reſpõdit negatiuè ex doctrina Bordoni *in ſuis cõſilijs regular. tom. 2. reſol. 80. num. 47.* Aduertant igitur Regulares Religionum in hoc, ne cæci cæcos ducant, & omnes in foueam cadãt, vt monet idem ſapientiſſimus Auctor. Vide Pellizzarium *in manual. regular. tract. 9. cap. 5. nu. 14. & cap. 3. num. 177.*

Sanchez. Rodriq. Diana.

Nihilominus negari non poteſt, quin Generalis, Prouinciales & alij Superiores maiores cum legitima cauſa ſuper reſidentia Prælatorum inferiorum diſpenſare poſſint, & ad certum & determinatum tempus, quamuis enim in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* & alijs iuribus, habeatur ſermo de Epiſcopis, & Primatibus, & de omnibus Presbyteris, curam animarum gerentibus, ſine dubio tamen idem erit intelligendum de Religionum Prælatis ſimilem curam habentibus, quorum recurſus non ad Metropolitanum, à quo per priuilegia Pontificia exempti ſunt, ſed ad Generales, Prouinciales, & alios ſuperiores iuxta conſtitutiones ſingularum Religionum à Sede Apoſtolica approbatas, fieri debet: Tum quia is facultatem non reſidendi indulgere valet, qui reſidendi obligationem imponit: eius, enim eſt ſoluere, cuius eſt ligare *l. eius eſt velle, ff. de regul. iuris.* Sed Prælatis localibus obligatio reſidendi imponitur a Generalibus, hi enim ſunt horum Ordinarij Superiores, & ab his onus Monaſteriorum ſuſcipiunt, ergo Generales Prælati poterunt inferiores ab huiuſmodi onere ex iuſta cauſa, & per modicum tempus eximere. Ita Miranda *tom. 2. manual. quæſt. 9. art. 5.* Tamburinius *tom. de iur. Abbat. diſput. 14. quæſit. 3.* & alij.

Miran. to. Tambur.

Iuſtæ autem cauſæ diſpenſandi à reſidentia, ſunt: prima Chriſtiana charitas, per quam intelligi debet proximorum vtilitas; dummodo in propria Eccleſia non ſequa-

Digitized by Google

Tolet. Barboſ. Sanctar.

quatur notabile detrimentum, quia tunc eſſet contra ordinem charitatis. Toletus *lib. 5. cap. 4. num* 3. Barboſa *part. 3. allegat. 52 num* 6. Sanctarellus *variar. quæſt. 3. n. 5.* & alii. Secunda eſt vrgens neceſſitas, id eſt omne iuſtum impedimentum, quo quis impeditur reſidere. *cap. 1. §. qui vero, de cleric. non reſident. in 6.* Item Iuſta & rationabilis cauſa, *Clem. 1. vbi gloſſa, de ſtatu Monachorum*, & abſentia pro proprijs negocijs dicitur cauſa rationabilis & iuſta *cap. præſentium 7. q. 1.* Si tamen negotium pro quo quis abeſt à ſua Eccleſia, eſt tale, vt per procuratorem tractari poſſit non dicetur iuſtum impedimentum. Bartol. *in l. ſed & ſi §. 1. quibus ex cauſis maior, &c. ff.* Baldus *in l. eos, §. Apoſtolos, Cod. de appellat.* Tertia cauſa excuſans à non reſidendo, eſt debita obedientia, ex Concilio Tridentino *loco citato*. Vt ſi quis à Summo Pontifice vocetur ad tempus aliquod breue pro miniſterio aliquo & bono Eccleſiæ vniuerſalis, vel Reipub. Chriſtianæ, dummodò miniſterio expedito, ad propriam reuertatur Eccleſiam. Barboſa alijs relatis *allegat. 53. num.* 10. Quarta eſt; euidens Eccleſiæ, vel Reipub. vtilitas, *ex cap. Cum non deceat. de elect. in 6.* & Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* Et iſta vtilitas conſideratur reſpectu Eccleſiæ, in qua tenetur reſidere; & ideò ſi eſt abſens pro vtilitate alterius Eccleſiæ, non excuſatur à reſidentia, nec facit fructus ſuos. Limita tamen id non procedere, quando beneficia alterius Eccleſiæ haberent dependentiam ab Eccleſia, cuius abſens negotia gerit, vt puta ſi iure communi, vel ex priuilegio Eccleſiæ, vel ſui ipſius reſidendo in dicta Eccleſia percipit fructus beneficiorum aliarum Eccleſiarum: in hoc enim caſu omnium beneficiorum fructus percipit, vt loquitur textus *in dict. cap. vt non accepat*, & ibi declarat Gloſſa in *verſ. reſidendo*. Archidiaconus *ibi, in verb. reciperem*: Ioannes Andræas *num. 2. in fine*, & alij.

Gloſſ. Archid. I. Andr.

12. Sola iuſta cauſa non ſufficit ad excuſandum à non reſidendo, ſed requiritur etiam licentia Superioris: hæc enim duo copulatiue requiruntur, & vnum ſine altero non ſufficit, vt clarè habetur ex Concil. Trident. *loco cit.* vbi ad hoc, vt Parochi iuſtè poſſint à ſuis Eccleſijs abeſſe, duo requirit, nempe iuſtam cauſam, & eius approbationem ab Epiſcopo faciendam, cum licentia ab eodem in ſcriptis & gratis concedenda. Limita niſi adſit conſuetudo, quod ſine licentia Prælati beneficiatus abeſſe poſſit ex iuſta & rationabili cauſa, ſecundùm Innocentium *in cap. ex tua, de cleric. non reſident.* Panormit. *in cap. inter quatuor num. 3. eodem tit.* Sylueſt. *verb. Reſidentia, num* & alios.

Panorm.

Sed petes, quantum temporis ſpatium poſſint Epiſcopi, & alij Prælati Epiſcopo inferiores, abeſſe à ſuis Eccleſiis? Reſpondet Concil. Trident. his verbis *loco cit cap. 1.* Quoniam *autem, qui aliquantiſper tantum abſunt ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt; Sacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſiue continuum, ſiue interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere, & habet rationem, vt id æqua ex cauſa fiat & abſque vllo gregis detrimento.* Reliquis autem Epiſcopo ſubditis animarum gerentibus, idem Concilium abeſſe permittit per duos menſes, his verbis: *Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa non obtineant.* Monet tamen idem Concilium Epiſcopos & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oues debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent.

Portò reſidentia quæ iure diuino & naturali præcipitur curam animarum habentibus eſt perſonalis, qua gregi ſuo inuigilent, ouiumque & miſerabilium perſonarum paternam curam gerant, oues ſuas cognoſcant, vt iſtæ ipſum cognoſcere valeant, & recurrere ad illam tanquam ad Medicum & Paſtorem animarum ſuarum; propterea curare debet Parochus ne aliquid illis deficiat vel in adminiſtratione Sacramentorum, vel in paſtu verbi Dei, vel in alijs diuinis officijs, quæ tenetur præſtare in ſua Eccleſia. Quare Parochus ex vi reſidentiæ tenetur ſe facilem & obuium præſtare ſuis ouibus; vt ipſum adire valeant, & munia Paſtoris per ſeipſum illis præbeat, conſolationem & medicinam ſalutarem impartiatur, tenetur etiam publicos peccatores corripere, ſcandala abſcindere, & his ſimilia facere ea prudentia, & diſcretione, qua decet, & ob id in huiuſmodi beneficijs curam animarum habentibus, requiritur diligentia, induſtria, & diſcretio perſonæ.

Plura de reſidentia Parochorum habet Poſſeuinus *de offic. Curati cap. 1. per totum*, qui *num. 6.* aduertit, illa omnia quæ de reſidendi obligatione dicta ſunt, non ita amarè accipienda eſſe, vt debeat Curatus manere quaſi in compedibus: quia non deſinit reſidere, qui per breue tempus vel abfuit, vel perſonaliter non deſeruiuit: tum quia abeſſe non dicitur, qui ſtatim eſt reuerſurus, vt bene probat Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. part. 3. alleg. 53. num. 92.* cum alijs ibi citatis. Barboſa.

13. Obtinentes in Eccleſijs Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, tenentur ad reſidentiam, ita vt non liceat eis vigore cuiuſlibet ſtatuti vltra tres menſes, etiam continuos ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 12. verſ. præterea, de reform.* Hinc immemorialis conſuetudo non excuſat à reſidentia in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, & ita reſolutum aſſerunt Nicol. Garzias *de benefic. par. 3. cap. 2 nu. 197.* Sanctarel. *var. reſolu. quæſt. 4. num. 33.* & alij. Garzias, Sanctar.

In Collegiatis autem non inſignibus poſſunt excuſari Canonici, ſi Eccleſiæ ſint rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſidere, aut in quibus adeò tenues redditus eſſent, vt Canonicos aliunde non habentes vnde viuerent, alere non poſſet, & ita tenuit Rota *vna Papien. reſidentiæ 10. Martij 1613. coram Ortembergo*, poſtea Epiſcopo Attrebatenſi. Vbi reſolutum fuit conſuetudinem immemorialem non excuſare à reſidentia in Collegiatis inſignibus. Notandum tamen quod ſtatutum, quo permiſſum eſt Canonicis quolibet anno per quatuor menſes ab Eccleſia ſua abeſſe, ſi fuerit à Papa confirmatum, non eſt ſublatum à Concilio, & ideò obſeruari debet. Ita Garzias *loco cit. c. 2. num. 216.* Barboſa *dict. alleg. 53. n. 116.* & alij. Garzias. Barboſa.

14. Quando Canonici abſunt per tres menſes à Concilio conceſſos, non tenentur aſſignare abſentiæ cauſam, nec licentiam ſui Prælati petere, dummodò tamen omnes eodem tempore non abſint, ne Eccleſia ſuo ſeruitio deſtituatur: ſed tantùm illa quarta Canonicorum, quæ videbitur arbitrio Epiſcopi, vel Capituli. Ita Zerola *in praxi Epiſcop. p. 1. verb. priuatio, §. 2. dub. 4.* Sanctarellus *dict. quæſt. 4. num. 28.* Barboſa *loco cit. num. 118.* & alij. Qui aduertunt illos tres menſes debere continere nonaginta dies. Et cùm Concilium abſolutè illos concedat, nec exprimat à quo tempore incipere debeant, poſſunt accipi non ſolùm continui, ſed etiam interpollati, vt tradunt Menochius *de arbitrar. caſu 50. à num. 12.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloſſ. 11. num. 8.* Prouidere tamen debent Epiſcopi, ne huiuſmodi tres menſes incurrant in Natale, aut Paſcha Domini, aut ſimiles maximas ſolemnitates, vt monent Caſtrus Palaus *tractat. 7. diſp. 2. punct. 9. §. 1. num. 9 in fine.* Sanctarel. *variar. reſol. quæſt. 4. nu. 20.* Zerola *loco cit. §. 4.* Epiſcopus tamen ob legitimam cauſam poteſt ſuis Canonicis facultatem dare, vt poſſint abeſſe per quatuor menſes. Vt tenent Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 1. quæſt. 59.* apud Barboſam *loc. cit. n. 123.* & alij. Gonzal. Palaus. Zerola. Barboſa.

De Reſidentia vide verb. Abbas *n. 9. & 16.*

RESTI-

RESTITVTIO I.

Quid ſit reſtitutio, & de eius neceſſitate, & præcepto; & vnde oriatur eius obligatio.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit reſtitutio?*
2 *An differat reſtitutio à ſolutione & ſatisfactione?*
3 *An reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij aut præcepti?*
4 *An præceptum reſtitutionis ſit negatiuum, vel affirmatiuum?* reſeruntur variæ ſententiæ.
5 *Ex quibus capitibus ſeu radicibus naſcatur obligatio reſtituendi?*
6 *An ex ſolo delicto contra iuſtitiam, non verò contra alias virtutes oriatur obligatio reſtituendi?*
7 *An inducatur obligatio reſtituendi abſque peccato mortali.*
8 *An extet obligatio reſtituendi, quando nulla culpa commiſſa eſt in damno inferendo.*

1. RESTITUTIO eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, per quem redditur alteri ad æqualitatem, quod iniuſtè ab eo ſublatum eſt: hæc eſt definitio reſtitutionis propriè, & strictè ſumptæ: largè autem ſumpta reſtitutio eſt, per quam redditur quidem alteri quod ſuum eſt, ſed non quod iniuſtè ſublatum ſit, vt quando redditur ex mutuo, depoſito, commodato, hinc reſtitotio strictè ſumpta ſemper ſupponit peccatum iniuſtitiæ, vel iniuſtæ acceptionis, vel retentionis. D. Thom. 2 2. *q.* 62. *art.* 1. P. Nauar. *lib.* 2. *c.* 1 *n.* 5. Nauar. *c.* 17. *num.* 6. Leſſius *lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 4. *n.* 15. Filliucius *tract.* 32 *nu.* 9. & alij.

D. Thom.
Nauar.
Leſſius.
Filliuc.

2. Differt reſtitutio à ſolutione & ſatisfactione: à ſolutione quòd non omnis ſolutio ſit reſtitutio nec contra, dicimur enim ſoluere quod ex voto, iuramento, charitate, aut miſericordia debitum eſt; reſtitutio enim poſtulat, vt res quodammodò ſit eadem, vel in ſe, vel in æquiualenti, ſolutio vt ſit diuerſa. A ſatisfactione differt, quòd omnis reſtitutio eſt ſatisfactio, non è contra; prætetea reſtitutio fieri ſolet pro damno illato vel re alterius, ſatisfactio verò exhibetur, etiamſi nullum damnum illatum ſit, vt accidit, quando quis ſatisfactionem præſtat alteri, quem contumelijs affecit, quamuis inde nullum damnum ſecutum ſit. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 1. *cap.* 2. Saloo 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. P. Nauar. *lib.* 2. *c.* 2. *num.* 5. Filliucius *cit. num.* 10. Leſſius *cit. num.* 17. & 18. & alij.

Clauis reg.
Nauar.
Filliuc.
Leſſius.

Deinde per reſtitutionem non propriè remittitur vllo modo peccatum in oblatione, vel retentione rei alienæ commiſſum: per ſatisfactionem verò propriè obtioetur ipſa remiſſio peccati, ſaltem quoad reatum temporalis pœnæ, poſt dimiſſam culpam debitæ. Porrò ſatisfactio reſpicit perſonam præſtando id, quo ipſa acquieſcit: vnde ſi tibi debeam 10. coronatos & tu contentus ſis 5. verè tibi ſatisfacio, non tamen reſtituo debitum: reſtitutio autem reſpicit rem ipſam ſecundùm ſe, ſeu ius alterius.

3. Reſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij; quia fieri poteſt, vt ſalus aliquando obtineatur prætermiſſa reſtitutione ob iuſtam aliquam cauſam, vel ob ignorantiam inuincibilem, vel ob egeſtatem, vel ob impotentiam reſtituendi: Neceſſaria verò eſt reſtitutio neceſſitate præcepti, & hoc eſt certum de fide, vt conſtat ex multis ſcripturæ locis, *Tobiæ* 11. *Matthæi* 22. & *ad Romanos* 13. quod iotelligendum eſt, ſi facultas ſuppetit: ſi autem non ſuppetit, non eſt quidem ipſa externa reſtitutio neceſſaria, propoſitum tamen reſtituendi eſt neceſſarium, quia ad remiſſionem peccati neceſſaria eſt contritio vel attritio cum Sacramento, hæc autem continet in ſe propoſitum reſtituendi. Valentia *t.* 3. *d.* 5. *q.* 6. *punct.* 2. Clauis regia *cit. cap.* 3. *num.* 2 Bonacina *de reſtit.* *d.* 1. *q.* 1. *p.* 2. *num.* 2. & 3. Nauar. *cap.* 17. *num.* 68. Leſſius *cit. num.* 47. & 48. & alij.

Valent.
Bonac.
Nauar.
Leſſius.

4. Multi dicunt præceptum reſtitutionis eſſe negatiuum, quia idem eſt dicere, *Reſtitue, & ne detine alienum*, & huius ſententiæ ſunt, Medina *q.* 2. *de reſtit. num.* 3. Molina *d.* 716. *num.* 3. Alij ſentiunt partim eſſe negatiuum, partim affirmatiuum, ita docent Valentia *tom.* 3. *d.* 5. *quæſt.* 6. *p.* 2. & Filliucius *tract.* 30. *num.* 15. Verius tamen eſt eſſe affirmatiuum, quia præcipitur actus poſitiuus, in negatiuo enim ſolùm præcipitur abſtinentia ab aliquo opere poſitiuo, deinde hoc præceptum non obligat pro omni tempore, ſed ſolùm quando eſt opportunitas reſtituendi; negatiuum autem obligat pro omni tempore: Aduertendum tamen eſt præceptum reſtituendi naſci ex præcepto negatiuo: *Non furtum facies*, eiuſdem enim rationis eſt furari, & detinere alienum, cùm potes reddere. Ita Sotus *lib.* 9. *q.* 6. *art.* 2. Vaſquez *de reſtit. c.* 5. §. 1. *dub.* 3. *num.* 25. Bonacina *cit. num.* 4. Clauis regia *cit. num.* 7. Vnde retentio iniqua rei alienæ, atque adeo omiſſio reſtitutionis, æquiualet iniuſtæ acceptioni, æquæ enim damnoſa eſt proximo. Vnde Apoſtolus *ad Romanos* 13. vtrumque præceptum, tum negatiuum, tum affirmatiuum indicauit dicens: *Reddite omnibus debita. Nemini quidquam debeatis.*

Sotus.
Vaſq.
Bonac.

5. Quando oomen reſtitutionis generatim accipitur pro omni redditione, quà res ex iuſtitia debita redditur in ſeipſa vel in æquiualenti; obligatio reſtituendi ex triplici ſaltem capite ſeu radice naſcitur. *Primò*, ex re accepta, quando ſcilicet quis pecuniam aut aliam rem alienam inuenit apud ſe nulla præuia iniuſta acceptatione, aut quando rem alienam bona fide conſumpſit, & in ea factus eſt ditior. *Secundò*, ex iniuſta acceptiooe, aut damnificatione, vt quando quis rem alterius abſtulit, vel alteri damnum intuli. *Tertiò*, ex contractu naſcitur obligatio reſtituendi, quando inter aliquas perſonas celebratus fuit contractus, ratione cuius emergit, obligatio reſtituendi, vt ratione pignoris, commodati, &c. Vide Leſſium *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 5. *num.* 20. Filliuc. *cit. numer.* 17. Clau. reg. *lib.* 10. *tract.* 2. *ca.* 1. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *num.* 2. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. & Alios.

Leſſiu.
Fil.
Layman.

6. Ex ſolo delicto cootra iuſtitiam, non verò contra alias virtutes oritur obligatio reſtituēdi; quia ipſa reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, quo debitū alteri redditur ad ęqualitatē; vnde qui noluit io neceſſitate ſuccurrere indigenti, ad cuius neceſſitatem ſubleuandam non tenebatur ex iuſtitia, ſed ex charitate, non tenetur ad reſtitutionem, quia non violauit iuſtitiam, ſed charitatem. Ratio autem cur potiùs ex violatione iuſtitiæ conſurgit obligatio reſtituēdi quam ex violatione aliarum virtutum, eſt, quia per violationem iuſtitiæ aufertur alienum, quod vnicuique debetur ad æqualitatem, hoc autem non accidit in aliis virtutibus, vt pietate, religiooe & aliis, etiamſi ſint adnexæ iuſtitiæ. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 65. Valentia 2. 2. *d.* 5. *q* 6. *p.* 3. Nauar. *cap.* 17 *num.* 11. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 6. Sa *verb. reſtit. ad finem.* Azor. 3. *part. l.* 4. *c.* 1. *q.* 5. & alii.

Reginal.
Valent.
Nauar.
Clauis reg.
Sa.

7. Secundum probabiliorem ſententiam non inducitur obligatio reſtituendi abſque peccato mortali, præciſa obligatione ratione contractus vel officij: ordinariè autem, quando damnum eſt graue, culpa ſeu negligentia, qua commiſſum eſt, cenſetur mortalis, niſi aliundè cōſtet non eſſe: quia quando ſolùm culpa venialis commiſſa eſt, non eſt actus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus: ergo non inducit obligationem reſtitutionis, ſaltem perfectam qua adſtringat ſub peccato mortali, non enim poteſt obligatio maior eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit iniuria, ex qua naſcitur in ſuo. Sanchez *in ſum. l.* 2. *cap.* 23. *num.* 160. Azor. 3 *p. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 24. & 27. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *q.* 1. & 2. Quidam tamen non improbabiliter docent non ſolùm ex peccato mortali contra iuſtitiam, ſed etiā ex peccato veniali conſurgere obligationem reſtituendi. Ita P Nauar. Reginald. apud Bonacinam *c. p.* 3. §. 1. *num.* 5. Sed hæc ſententia præſupponit (*v. g.* in materia furti) vltimum furtum leue, quod facit materiam notabilem reſpectu præcedentium furtorum, per ſe non eſſe niſi peccatum veniale; nihilominus admittit eſſe obligationem ſub mortali ad reſtituendum, eò qood detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoa-

Sanch.
Filliuc.
Molina.
Sylu.

Digitized by Google

choatur; eſt mortale peccatum: & vtriuſque ſententiæ Authores conueniunt, quamuis de nomine diſputent.

8. Nulla extat obligatio reſtituendi, quando culpa commiſſa eſt in damno inferendo, etiam ſi graue damnum illatum ſit: qui autem peccauit venialiter in damno graui inferendo, ſed peccatum veniale adeò fuit graue, vt obliget ad reſtituendam rem notabilem, non tenetur ſub mortali ad rem illam reſtituendam, quod verum eſt, in quacumque materia etiam reſtitutionis famæ, quidquid alij contradicant. P. Nauar. *lib. 2. cap. 1. num. 47. & 48.* Filliucius *cit. num. 32.* Leſſius *cit. num. 26.* Syluius *cit.* Similiter qui dans operam rei illicitæ & iniuſtæ, fuit cauſa damni non præuiſi, nec intenti, ſed per accidens prouenientis ex ſua iniuſta actione, in conſcientia non tenetur ad reſtitutionem; vt ſi fur noctu domum ingreſſus ad furandum, inaduertenter, & contra intentionem domum incendit; & ratio eſt, quia damnum, quod per accidens ſequitur ex actione iniuſta, non imputatur ad culpam, cùm non ſit præuiſum nec intentum: tamen ille qui paſſus eſt damnum in hoc caſu poteſt in iudicio agere, vt damnum ita per accidens ſecutum reſarciatur, ſequendo præſumptionem fori externi. Nauar. *c. 17. n. 140.* Molina *tom. 3 diſp. 728. nu. 2.* Bonacina *cit. p. 3. §. num. 11.* Leſſius *cit. num. 26.* & alij.

Nauar. Fil. Leſſius. Sylu.

Nauar. Molina. Leſſius.

Vide *Secretum.* num. 6. *Simonia 7. Stuprum* num. 3. 4. *Adulterium* num. 3. & ſeq. *Detractio 2. Homicidium 3. Furtum* 1. & 2.

RESTITVTIO II.

An poſſeſſor bonæ vel malæ fidei rei alienæ teneatur ad reſtitutionem aliquam.

SVMMARIVM.

1 *An qui bona fide poſſedit rem alienam credens eſſe ſuam, teneatur ex iuſtitia illam reſtituere ſtatim ac cognoſcit eſſe alienam?*

2 *An qui rem alienam conſumpſit vel alienauit bona fide credens eſſe ſuam teneatur ad reſtitutionem?*

3 *Multi hic reſoluuntur caſus in quibus poſſeſſor bonæ fidei rei alienæ non tenetur ad reſtitutionem?*

4 *An qui rem alienam bona fide accepit, ſed poſtea dubitare incepit alienam eſſe, poſſit eam ſibi retinere aut conſumere, aut vendere?* Refertur duplex ſententia.

5 *Quid ſi res ipſo vſu conſumitur, aut deterior efficitur an poſſit illa vti?*

6 *An malæ fidei poſſeſſor debeat rem alienam, vel ſi periit, æſtimationem eius domino reſtituere vnà cum eius incremento & fructibus?*

7 *Ad quid teneatur qui rem mala fide accepit dubitans alienam eſſe.*

8 *An ſimulans paupertatem, & recipiens eleemoſynas, teneatur ad reſtitutionem?*

1. QVi rem alienam bona fide poſſedit, credens eſſe ſuam, tenetur ex iuſtitia reſtituere ſtatim ac cognoſcit alienam eſſe; quia retinens rem alienam inuito Dominu, peccat: vnde poſſidens rem alienam emptam bona fide à fure, vel ab alio, non poteſt prætium quod ipſe ſoluit exigere à Domino, cui res tradenda eſt, ſed tenetur rem Domino tradere abſque pretio; quia æquum non eſt, vt Dominus rem ſuam emat: ſi autem huiuſmodi poſſeſſor nolit rem prædictam Domino tradere abſque pretio, exinde ſit poſſeſſor malæ fidei, & conſequenter reus omnium damnorum inde prouenientium, ratione iniquæ detentionis, quæ comparatur iniquæ acceptioni. D. Thomas 2. 2 *q. 62. art. 6.* Nauar. *cap. 17. num. 7.* Tolet. *lib. 5. c. 17.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 3. nu. 1.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 23. nu. 2.* Syluius 2. 2. *q. 62. art. 6. q. 1. concl. 3.* & alij.

D. Thom. Nauar. Layman. Sanchez. Sylu.

2. Qui alienauit vel conſumpſit rem alienam bona fide credens eſſe ſuam, non tenetur ad reſtitutionem, niſi in aliqua re factus ſit locupletior; nam id in quo factus eſt locupletior, ſuccedit in locum rei acceptæ, quæ dicitur extare in æquiualenti; cùm igitur poſſeſſor bonæ fidei non poſſit rem acceptam reſtituere, quia non extat, æquum eſt vt ſaltem reſtituat id, quod in eius locum ſucceſſit, ſeu in quo factus eſt locupletior; *l. Item veniunt 2. 2. ff de pet. hæred.* Leſſius *lib. 2. c. 14 num. 7.* Clauis regia *tract. 2. lib. 10. cap. 2. num. 9.* Sanchez *cit. num. 4.* Filliucius *tractat. 32. num 20.* Syluius *cit. art. 6. q. 4.* Ille verò dicitur factus locupletior ex re aliena, qui ceſſante bona fide cognoſcit ſe occaſione rei alienæ factum eſſe locupletem, vt ſi cognoſcat ſe non feciſſe aliquos ſumptus, quos alioquin ex re ſua feciſſet, aut ſi aliquid habeat, quod alioquin non habuiſſet: in dubio autem an factus ſit locupletior, qui rem alienam conſumpſit bona fide, non eſt præſumendus factus locupletior, quia melior eſt conditio poſſidentis Vt docent Rebellus *1. p. lib. 2. q. 3.* Sanchez *cit. num. 37.*

Leſſius. Sanch. Filliuc. Sylu.

Rebel. Sanch.

3. Non tenetur ad reſtitutionem ille, cui res aliena periit caſu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis, quo ipſe rem bona fide poſſidebat credens ſuam eſſe. Molina *t. 1. d. 246. & 270.* Claui regia *cit. cap. 2. num. 4.* Item neque ille qui rem alienam bona fide emit, quam poſtea vendidit æquali vel minori pretio: ſecus dicendum ſi maiori pretio vendidit, tunc enim reſtituere tenetur incrementum pretij. Vaſquez *de reſtit. c. 9. §. 2.* Rebell. *lib. 9. q. 18. num. 9.* Item reſtitutio non eſt facienda ab eo, qui rem alienam bona fide alteri donauit, cuius ſimilem vel diſſimilem non donaſſet, ſi rem illam non habuiſſet, non enim cenſetur ditior factus in vlla re. Sanch. *cit. cap. 23. n. 10.* Filliuc. *cit. num. 20.* Item comedens bona fide rem furtiuam apud amicum, tenetur tantùm ad reſtitutionem illius, in quo rei ſuæ pepercit. Vaſquez & alij citati P. Nauar. *lib. 3. cap. 4. num. 149.* Sanchez. *cit. num. 7.* Et qui apud amicum bona fide comedit rem furtiuam valentem 30. aſſes, ſed domi ſuæ comediſſet res valentes 40. tenetur ſolùm reſtituere triginta. Et qui veſtem alienam bona fide conſumpſit, vel ea vſus eſt, tenetur comparente Domino reſtituere veſtem ſi adhuc eſſet, vel valorem illius veſtis conſumptæ, ſi aliàs veſtem æqualis valoris conſumpſiſſet. Azor. 3. *p. lib. 4. c. 2.* Item qui bona fide celebrauit aliquem contractum vſurarium, vel aliter iniuſtum, quem neſciebat eſſe vſurarium vel iniuſtum, ſi poſtea comperiat talem eſſe, tenetur ſolùm reſtituere rem extantem, & id in quo inuenit ſe factum ditiorem tempore quo incepit cognoſcere iniuſtitiam contractus. Molina *cit. d. 63. & d. 720. num 4.*

Molin.

Vaſq. Rebel.

Sanch. Filliuc.

Vaſq. Nauar. Sanch.

4. Qui rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incepit alienam eſſe, poteſt eam ſibi retinere, aut conſumere, aut vendere, ſi poſita ſufficienti inquiſitione non competit alienam eſſe; modò paratus ſit reſtituere id, in quo factus fuerit ditior, comparante Domino. Vaſq. *1. 2. diſput. 66. cap. 7.* Arragon 2. 2. *quæſt. 62. artic 1.* Sanchez *libr. 1. moral. cap. 10. num. 9.* Quòd ſi huiuſmodi poſſeſſor bonæ fidei negligat inquirere & indagare veritatem, & impotens factus ſit ad eam ſciendam, ſecundùm Molinam *tom. 1. d. 56. cap. 11.* & Sanch. *lib. moral. cap. 23. num. 183.* tenetur reſtituere illi, cuius rem eſſe dubitat, vel eo ignoto, tenetur reſtituere pauperibus, iuxta qualitatem dubij, & ſpei, quam habebat inueniendi Dominum. Nonnulli tamen apud Rebel. *lib. 2. de reſtit. quæſt. 5. num. 12.* non ſine probabilitate tuentur, non teneri ad reſtitutionem, quia quamuis peccauerit negligendo inquiſitionem veritatis, nihilominus poſſidere incepit bona fide, melior autem eſt conditio poſſidentis. Vide Dianam *4. part. tractat. 3. reſol. 23.*

Vaſq. Arrag. Sanch.

5. Qui rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incepit alienam eſſe, ſi res ipſo vſu conſumitur, aut deterior efficitur, non poteſt illa vti, nam exponeret ſe periculo conſumendi vel deteriorem efficiendi rem alienam inuito Domino: ſi verò non conſumitur, nec deterior redditur ipſo rei vſu, poteſt ea vti, intentione ſoluendi pretium vſus, detractis expenſis. Syluius *cit artic. 6. quæſt. 3. concl. 3* Sà *verb. reſtitutio ad fin.* Sanch. *de matrim. lib. 2. d. 41. n. 21. & in ſum. loco citato num. 180.* Vaſq. *1. 2. d. 66. c. 7.*

Sylu. Sa. Sanch.

6. Malæ fidei & iniquus poſſeſſor debet rem alienam,

vel ſi perijt, æſtimationem eius Domino reſtituere, vnà cum eius incremento & fructibus, non tantùm ijs, quos poſſeſſor percepit, deductis tamen expenſis, ſed etiam quos Dominus veriſimiliter percepiſſet, niſi ipſi ablata vel inique detenta fuiſſet: inſuper omne aliud damnum emergens, & lucrum ceſſans eidem Domino reſarcire cogitur. D. Thomas 2.2.q.62.*artic.6.* Medina *de ſti.q.6,* Molina *tom.3.d.713.* Azor, 3.*p.lib.4.c.4.* Syluius 2,2.q.62. *artic.4.concl.4.& art.6,quæſit.1.concluſ.1.* Tamen ſi res aliena apud furem, vel alium malæ fidei poſſeſſorem fortuito caſu, & ſine culpa eius perijt, quæ certò etiam apud Dominum perijſſet, tunc in conſcientiæ foro ad nullam ille reſtitutionem obligatur, ſi verò res aliena perijt dolo furis alteriuſve iniqui poſſeſſoris, quia eam ſcienter deſtruxit, abſumpſit, alteri donauit, &c. tunc tenetur æſtimationem eius Domino præſtare, nihil obſtante, quod ſi ei à fure ablata non fuiſſet, certò etiam perijſſet. Leſſius *lib.2 cap.12. num.92.* Layman *lib.3. ſect.5. tract.2.cap.4. num.2.* Molina *cit.d.276.* Nauar.*c.17.n.8.*

D. Thom. Med. Azor. Leſſius. Layman. Molina. Nauar.

7. Qui rem mala fide accepit, dubitans alienam eſſe, tenetur adhibere debitam diligentiam ad aſſequendam rei veritatem, ne Domino rei iniuriam, & damnum inferat. Si verò facta diligenti inquiſitione non poteſt rei veritatem inuenire, tenetur reſtituere rem inter eos, quorum eſſe dubitat ad ratam dubij; vnde hæres qui rem aliquam incepit mala fide poſſidere, quam defunctus bona fide poſſedit, tenetur rem ad ratam dubij reſtituere inter eos, quorum rem eſſe dubitat: imò talis hæres comperto rei Domino, non ſolùm tenetur rem integram ipſi reſtituere, ſed etiam fructus à ſe perceptos tanquam poſſeſſore malæ fidei. Filliucius *tract.32.c.4.n.91.* Vaſquez *de reſt.c.6.§.3.d.5.n.82.* Syluius *cit.q.3.concl.1.* Leſſius *lib.2.c.14.dub.4.* Sà *verb.reſtit.n.62.* Sanchez *lib.2.mor.c.23.n.148.* & alij.

Fill. Sylu. Leſſius. Sanchez.

8. Secundùm veriorem ſententiam, recipiens eleemoſynam ſimulans paupertatem, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, tum quia qui decipitur circa cõditionem, propter quam donat, non liberaliter omninò donat; ideò qui donat alicui, quia putat illum eſſe pauperem, & reuera non eſt pauper, non verè liberaliter donat, ſicut qui donat alicui, quem putat propinquum, ſi non eſt propinquus, nulla eſt donatio. Tum quia licet charitas & amor Dei ſit cauſa finalis faciendæ eleemoſynæ in communi: at cauſa finalis, propter quam huic perſonæ particulari determinatæ fiat, non eſt charitas Dei, ſed paupertas ipſa ficta: ergo ſi quis decipiatur circa hanc conditionem & rationem, propter quam illi facit eleemoſynam, non eſt voluntaria donatio, & ſic tenetur ad reſtitutionem. Tum quia ſicut in contractibus cauſa finali deficiente, contractus eſt nullus, ſic in largitione eleemoſynæ. At paupertas eſt cauſa finalis, nõ impulſiua tantum, ergo. Maxima enim eſt fraus ſimulare paupertatem, & eleemoſynas veris pauperibus hac ſimulatione iniqua auferre, & fraudare mentem facientium eleemoſynas: cùm exinde poſſet quis magnam pecuniarum congeriem accumulare & diteſcere, cùm magno verorum pauperum damno, quod eſt iniquum. Fraus enim nemini debet patrocinari, vt dicitur in *Cap. Sedes, & Cap. ex tenore, de reſcript.* aut patrocinaretur, ſi talis ad reſtitutionem non teneretur poſita materia graui. Verùm hæc reſtitutio in hoc caſu ex mente dominorum videtur facienda burſæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis & quotidianis eleemoſynis factus eſt quis diues: ſi verò magna aliqua eleemoſyna alicui donaretur, tunc Domino nõ alijs pauperibus eſſet reſtituenda. Huius ſententiæ ſunt Scotus, Alenſis, Gabriel, quos citat, & ſequitur Philippus Faber. *de pænit. in 4. diſt.15.quæſt.2. diſp.50. c.4.n.120.* Quamuis nonnulli excuſent à reſtitutione oſtiatim mendicantes paruas & quotidianas eleemoſynas; tum quia in illis nõ habetur vt plurimùm ratio paupertatis, ſed tantùm charitatis pietatis, & miſericordiæ, Tum quia dantes verè & abſolutè illas faciunt ſine vlla conditione, & conſequenter videntur transferre dominium illarum in ſeipſos recipientes: quando aliud de mente donantium non conſtaret. Ita Sotus, & alij apud Dianam *p.5.tract.8.reſol.21.* Sed prima ſententia eſt tenenda, quam conſului in facti contingentia: & approbat etiam Syluius 2.2. *quæſt.66. art.2. quæſit.5. in concl.4.* citans Caiet. Nauar. Turrian. Lorcam, Ioan. Medinam.

RESTITVTIO III.

De cooperantibus, ad damnum, & quomodo reſtituere teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Nouem genera perſonarum ſunt quæ tenentur ad reſtitutionem cooperando ad damnum alterius præter executorem.*

§. I.

De mandante, vel iubente.

2 *An qui tacitè vel expreſſè iuſſit vel mandauit aliquod damnum fieri, teneatur ad reſtitutionem damni ſecuti & an teneatur etiam qui ratum tantùm habet delictum ſuo nomine factum?* refertur duplex ſententia.

§. II.

De conſulente.

3 *Quinam veniant nomine conſulentis, & an conſulens teneatur ad reſtitutionem damni ſuo conſilio illati.*

4 *An qui ſuo conſilio, vel alia ratione fuit cauſa minoris damni, quamuis alioquin fuiſſet illatum, teneatur ad reſtitutionem. Et an, ob vitandum peccatum grauiſſimum alterius, licitum ſit illum tunc inebriare?*

5 *An qui eſt cauſa maioris damni quam alioquin ſecutum fuiſſet, teneatur ad reſtitutionem totius damni, an tantùm illius exceſſus?*

6 *Furi parato accipere centum Caio, ſuadens tantùm furari quinquaginta Titio, an teneatur ad reſtitutionem, ſi fur de Titio non cogitauerat.*

7 *An, qui conſilium alteri dedit vt aliquod damnum cuidam inferret, ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, teneatur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus.*

8 *An confeſſarius, vel Theologus, vel Iuriſconſultus, vel Parochus, vel concionator teneatur ad reſtitutionem damni, cuius ipſe fuit cauſa per culpam latam, &c. Et an conſulens furtum, aut homicidium, & dubitans an ex ſuo conſilio, id ſequutum ſit, teneatur ad reſtitutionem?*

§. III.

De Conſentiente.

9 *Quid intelligitur nomine conſenſus? & an qui ſuo conſenſu efficaciter concurrit ad damnum teneatur ad reſtitutionem?*

§. IV.

De palpante.

10 *Quis intelligatur nomine palpantis; & an palpans teneatur ad reſtitutionem?*

§. V.

De recurſu.

11 *Quis nomine recurſus intelligatur? & an receptans ſeu receptator teneatur ad reſtitutionem?*

§. VI.

De participante.

12 *Qui nomine participantis intelligatur? & an hic participans peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.*

tionem,etiamſi ex metu participet?

13 *An omnes prædicti teneantur ad reparationem totius damni, & in ſolidum?*

§. VII.

De muto, non obſtante, non manifeſtante.

14 *Quando quis dicatur negatiuè cauſa damni? & quis dicatur mutus, non obſtans,non manifeſtans?*

15 *Quis teneatur ad reſtitutionem ratione damni non impediti?*

16 *An omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, teneantur ad reſtitutionem, ſi id ex culpa graui negligant? Et an Confeſſarij teneantur ad reſtitutionem, quando ſua culpa vel malitia non admonent vel non cogunt pœnitentem ad reſtitutionem?* refertur duplex ſententia.

17 *An cuſtodes ſaltuum, lacuum, & vectigalium teneantur ad ſolutionem pœnæ, quam delinquentes ſoluiſſent, ſi ab ipſis cuſtodibus accuſati fuiſſent?* refertur duplex ſententia.

18 *An accipiens aliquid à fure vt taceat,poſt furtum commiſſum teneatur ad reſtitutionem pretij accepti?* refertur triplex ſententia.

19 *An teneatur ad reſtitutionem damni à fure illati accipiens aliquid ab eo vt taceat,ſi ob id fur factus eſt animoſior & ſecurior ad furandum, alioquin non furaturus?*

20 *An qui vi aut fraude impedit aliquem a conſequendo beneficio vel officio,quo dignus erat, vel ne inſtituatur hæres,vel ne fiat ei donatio,vel legatum, &c. teneatur ad aliquam reſtitutionem?*

21 *An qui alterum ſuaſione aut exemplo ad peccandum induxit, obligatus ſit ex iuſtitia ad emendationem ei procurandam? Et quid dicendum de illo,qui alterum vi ad peccandum induxit.*

22 *An qui ſine vi,fraude,ſuaſione tantùm alterum à religionis propoſito, vel iam Nouitium extraxit,teneatur ad aliquam reſtitutionem? Et ad quid teneatur ſi profeſſum ad Apoſtaſiam traxit?*

1. NOuem genera perſonarum ſunt, quæ tenentur ad reſtitutionem cooperando ad damnum alterius, præter executorem: & ſic nouem modi à Doctoribus numerantur, quibus quis cenſetur mediatè cooperari ad damnum alterius, qui continentur his verſibus. D.Thomas 2.2. *quæſt.62. artic.7.* Nauar. *cap.17. num.17.*

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus:
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sex prioribus verbis ſignificatur actio, qua quis poſitiuè ad damnum alterius concurrit. Tribus verò poſterioribus oſtenditur cooperatio indirecta & negatiua, quæ fit tacendo,non obſtando,non manifeſtando. Nomine iuſſionis, intelligitur ille, qui præcipit vel mandat damnum fieri. Syluius 2.2 *q.62.art.7.de iuſſione.* De quo ſequentem paragraphum ponemus.

§. I.

De mandante, vel iubente.

2. QVi tacitè, vel expreſsè iuſſit vel mandauit aliquod damnum fieri, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, quia cauſa efficax damni tenetur ad reſtitutionem: ſi tamen mandans vel iubens tacitè vel expreſsè mandatum reuocauit, & mandati reuocatio innotuit ipſi mandatario,non tenetur ipſe mandans ad reſtitutionem,quia qui non influit in damnū,non tenetur ad reſtitutionem,ſed mandator per reuocationem mandati non influit in damnum, eo quod reuocet & retrahat influxum,quem ante præbuerat, Clauis regia *lib.10 tract.2.c.7.* Filliucius *tract.32.num.54.* Nauar.*cap.27. num.233.* P. Nauar. *lib.3. cap.4.1.p.* Leſſius *lib.2.c.13. num.11. & 12.* Sylu.*cit.* An autem ille qui ratum dumtaxat habet delictum ſuo nomine factum teneatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Dicendum eſt quòd non,ſecundùm communiorem ſententiam; quia ex illa ratihabitione facti præteriti, ipſum factum, per quod damnum illatum eſt, nullo modo pendet,tanquam ex cauſa mouente. Layman *lib.3.ſect.5.tr.2.c.5.n.3.* Molina *d.729.* Leſſius *cit.nu.13.* Vaſqu. *de reſt.c.9.§.1.n.19.* Sylu.*c.de Iuſſione*,contra Nauar. Syluest.& alios,exiſtimãtes teneri ad reſtitutionem.

Clauis reg. Filliuc. Nauar. Leſſius. Sylu.

Layman. Molina. Leſſius. Vaſq.

Plura de mandato v. *Mandatum. Homicidium 3. Adulterium* num.3.& ſeq.

§. II.

De conſulente.

3. NOmine conſulentis non ſolùm intelligitur ille,qui conſilium præbet ad damnum inferendum,ſed etiam qui hortatur,rogat, vel inſtruit,& mouet ad delictum faciendum,aut contractum iniuſtum: ideò conſulens tenetur ad reſtitutionem damni ſuo conſilio illati, etiamſi poſt damnum illatum admonuerit cauſam exequentem vt reſtitueret, ſed reipſa nondum reſtituit: & ratio eſt quia conſulens eſt cauſa efficax damni. Azor.3.p.*lib.4 cap.11.* Filliucius *cit.n.57.* Sylu.*c.de conſilio.* Sà *verb. reſtit.n.38.* Bonacina *de reſtit. d.q.2.p.7.* Imò conſulens tenetur ad reſtitutionem damni ex ſuo conſilio ſecuti,quamuis ante factum conatus fuerit conſilium reuocare, niſi fortè conſilium fuerit falſum, vel falſo fundamento ſubnixum, v.g. dicendo contractum eſſe licitum, bellum eſſe iuſtum, &c. Ratio prioris eſt, quia conſulens cenſetur adhuc cauſa efficax damni, diciturque influxiſſe in damnum, quamuis ante factum conatus fuerit conſilium reuocare, ſed reipſa non reuocauerit influxum. Leſſius *cit. num.15. & 16.* Clauis regia *cit.cap.8.num.8.* Nauar.*c.17.num.*233. Vide Syluium *cit.* Exemplum ſit, dedit quis conſilium verum, oſtendo vtilitatem vel honorem, qui ex opere iniquo conſequetur, vel machinanti malum,occultam nocendi rationem aperuit;non ſufficit tunc reuocare dictum oſtendendo rem eſſe illicitam, ſuadereque contrarium; ſed oportet perſuadere, quia quamdiu alter illo motiuo incitatus, conceptum facinus vult proſequi, conſulens cenſetur cauſa iſtius voluntaria, & per conſequens eius effectus, ſcilicet damni ſecuti: quamuis contrarium ſentiant P.Nauar. Filliucius & alij non improbabiliter. Ratio poſterioris eſt, quia qui reuocat conſilium, falſum, videtur ſufficienter influxum reuocare indicando falſitatem, vnde ſi conſultus nihilominus in concepto facinore perſiſtat iam non conſulentis conſilio, ſed ſua dumtaxat malitia vel priuata opinione videbitur moueri; ac proinde conſulenti non imputabitur. Item tenetur ad reſtitutionem ille qui conſuluit aliquod damnum, quod nihilominus alter conſuluiſſet: quia cauſa ſine qua non fuit illatum damnum, tenetur ad reſtitutionem: neque obſtat quòd alter idem conſilium dediſſet, nam ſicut alter qui conſuluiſſet contraxiſſet obligationem reſtituendi, ita etiam hic contraxit præueniendo ſuo conſilio. Reginald. *lib.10.n.109.* Vaſq. *cit.c.9.§.1.d 1.*

Filliuc. Sylu. Sa.

Leſſius. Clau.reg. Nauar.

Reginald. Vaſq.

Idem dicendum de iubente, conſentiente, laudante, vel refugium præbente executori, ita vt ex hiſce cauſis ille motus fuerit ad damnum inferendum. Probatur,quia tales ita ſunt cauſa damni in hoc caſu, vt ſi ipſi vel alij ſimiles non mouerent executorem, damnum non fieret, ergo verè ſunt cauſa ſine qua non fieret. Aduerte tamen, ſi executor abſque illo conſilio,conſenſu,mandato, laude vel miniſterio æquè bene & eodem modo damnum erat illaturus,quamuis nulla alia ſimilis cauſa eſſet ſuperuentura, illos non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt,quia illorum mandatum conſilium, conſenſus, &c. inefficax eſt, quia damnum ex ipſo tanquam ex cauſa non ſequitur, ipſumque dumtaxat vt quid concomitans ſe habet; quamuis tales grauiter peccauerint, etiam contra iuſtitiam. Vt bene docet P. Nauarra *lib.3.cap.4.n 48.*

4. Qui ſuo conſilio vel alia ratione fuit cauſa minoris damni,quàm alioquin fuiſſet illatum, non tenetur

Digitized by Google

ad reſtitutionem; vt qui parato furari viginti, ſuaſit furari decem: quia ſuadens minus malum parato facere maius, non peccat contra eum, cui dat conſilium, cùm iam paratus ſit ad committendum maius peccatum: neque peccat contra eum, cui damnum infertur, cùm potiùs illi conferat. Imò non ſolùm ille qui conſulit, ſed etiam is qui fert opem delinquenti ad minus malum inferendum non peccat, neque tenetur ad reſtitutionem, modò non ferat opem in actione intrinſecè mala, v.g. in amputatione membri: & non poſſit alia ratione delinquentem retrahere à maiori delicto: hinc ſequitur eum, qui alicui omninò parato ad adulterandum ſuadet, vt ſimplicem potiùs fornicationem committat, non peccare, quando non poteſt aliter eum retrahere ab adulterio. Ratio eſt, quia tale conſilium non fertur abſolutè in malum, ſed in bonum, ſcilicet euitationem maioris mali, & non ſimpliciter in electionem mali, quod minus eſt, ſed in electionem eius potiùs, quamuis, cui conſulit, eligat maius: Hinc conſulens non dicit ei abſolutè, fac hoc malum, neque fac iſtud, ſed conditionaliter, ſi omninò decreuiſti malum facere, potiùs elige minùs, quaſi diceret, ſufficit tibi facere minus, & abſtinere à maiori: Non liceret tamen tali ſuaſione ſeu conſilio damnum corporale ſeu ſpirituale tertiæ perſonæ inferre, v.g. volenti adulterium committere, ſuadere non licet, vt cum tertia perſona fornicetur: & volenti à Petro furari 100. aureos, ſuadere vt furetur 50. à Paulo: ſi autem fur ſimul rem Petri valentem 100. & rem Pauli valentem ſolùm 50. certò ſit ablaturus alteram; ſed dubitaret, vtram auferre velit; ſi tu impedire eum nequeas aliter, potes ſine obligatione reſtitutionis ſuadere, in genere inculcando, auferendum potiùs illud quod minus eſt. Ratio eſt, quia Paulo non facis iniuriam, docendo furem a maiori furto potiùs eſſe abſtinendum: Nec fur tali iudicio propriè diſponitur ad iniuriam auferendam, ſed malitia ſua infert noxiam concluſionem, Paulum re ſua eſſe priuandum. Ita Doctores hic citati. Sanchez *de matrim. lib.7. diſput.11. à num.15.* Filliucius *cit. num.* 59. Clauis regia *citat. num.* 3. Molina *tom.2.d.*135. Reginaldus *cit. num.* 103. Valentia *tom.3.d.5.quæſt.*21.*punct.*4. Diana *tract.5. miſc.reſ.*37.*p.*3. *& p.5. tractat.7. reſol.*18. Sylu.2.1.*quæſt.*43.*artic.*4. *quæſit.*2. *concluſ.*3. *& quæſt.*62. *artic.7. de conſilio.* Vaſq. *opuſc. de ſcandalo quæſt.*43. *artic.* 1.*dub.*1. *numer.*9. Turrian. 2.2. *tom.*1. *diſput.*93. *dub.*6. Pontius *de matrim. lib.5. cap.*18. §.5. *num.*16. Layman *lib.* 2.*tractat.*3.*cap.*13.*num.*7. Malderus 2.2.*tract.*4. *capit.*2. *dub.*3.

Sanch.
Filliuc.
Molina.
Valent.
Diana.
Sylu.
Vaſq.
Layman.

Verùm ex hac doctrina oritur graue dubium, an ob vitandum grauiſſimum peccatum alicuius, licitum ſit illum tunc inebriare? v.g. meditatur aliquis proditionem oppidi in certam horam; vel impediet ne oppidum, quod eſt in rebellium Hæreticorum poteſtate, ſuo Principi condicto tempore tradatur: nec ſuppetit vlla facultas id aduertendi, niſi eum lautè excipiendo & ſopiendo per potum. Affirmat Leſſius *lib.4.cap.1. dub.4. num.*33. quia licitum eſt, inquit, ſuadere, & inducere ad minus malum, vt impediatur maius: atqui hic nihil aliud fit. Ergo, &c. Eiuſdem ſententiæ eſt Villalobos *in ſum. tom.2. tract.*60. *difficult.6. num.*9. Contrarium tamen eſt tenendum tanquam probabilius. Probatur, quia nunquam licitum eſt inducere aliquem ad actionem, quæ ita intrinſecè mala eſt, vt ſine peccato fieri non poſſit: talis autem eſt voluntaria ebrietas, ſolius voluptatis cauſa ſuſcepta; non eſt minus intrinſecè mala, nec minùs abſque peccato fieri poteſt, quàm ſit mentiri, blaſphemare, aut fornicari. Ergo, &c. Falſumque eſt licere inducere hominem ad peccatum minus committendum, quod ille committere nec formaliter, nec virtualiter decreuerat; cùm hæc ſit vera inductio ad malum peccati, & ſcandalum actiuum per ſe intrinſecè malum; quippe repugnans præcepto naturali negatiuo. Ne inducas alterum in peccatum, ſiue: Ne alteri auctor ſis peccati cuiuſquam. Ita VVigers *de iuſt. & iur. tract. de temperantia cap.2. dub.7. num.*11. *& ſeq.* Layman *lib.3. ſect.4. de temperantia num* 5. *&* 6. Sententia autem Leſſij vera eſſet, ſi inductio fieret ad peccatum minus, vt minus eſt, ita vt alteri ſuadeatur non totum peccatum, quod certo animo concepit, committere, ſed partem dumtaxat, formaliter aut virtualiter incluſam in toto: Tunc enim non ſuadetur homini, vt malum peccati faciat, ſed vt ſaltem aliquam peccati partem non faciat, ſi à toto abduci non poſſit.

5. Qui eſt cauſa maioris damni, quàm alioquin ſecutum fuiſſet, non tenetur ad reſtitutionem totius damni, ſed tantùm illius exceſſus, cuius ipſe fuit cauſa; vnde qui parato qui furari decem, ſuaſit furari 20. tenetur ſolùm ad reſtitutionem decem, eo quòd furti dumtaxat horum cenſeatur cauſa, & nullus teneatur ad reſtitutionem damni quod non intulit. Leſſius *cit. num. &* 7. Clau. regia *cit.*6. Filliuc. *cit. nu.*43. Reginaldus *cit. num.* 106.

Leſſius.
Clau. reg.
Fill.
Regin.

6. Ad reſtitutionem tenetur, qui furi parato accipere centum Caio ſuaſit furari tantùm quinquaginta Titio, ſi fur de Titio non cogitauerat; quia cenſetur cauſa efficax damni reſpectu illius, cui damnum fortè non fuiſſet illaturus, ſi ipſe non inclinaſſet voluntatem furis in hanc partem: ſi tamen fur cogitauerat de vtroque & firmiter ſtatuerat vni eorum damnum inferre, ſuadens in genere minus malum, non peccat, cùm non inducat ad damnum huic potiùs inferendum quàm alteri, vt dictum eſt ſuprà. Leſſius *cit. d.*3. *num.*20. Azor. 3. *p. lib.*4. *cap.*11. *q.*1. Clau. regia *cit. n.*4. Sanchez *cit. n.*24. Sylu. *cit. art.7. de conſilio*, & alij.

Leſſius.
Azor.
Clau. reg.
Sanchez.
Sylu.

7. Qui conſilium alteri dedit, vt aliquod damnum cuidam inferret, ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus: quia exequens huiuſmodi conſilium debet ſibi damnum imputare, cum liberum illi fuerit conſilium ſequi & non ſequi. Azorius 3. *p. lib.4. c.*11. *q.*6. Clauis regia *lib.*10. *c.*12. *num.*26. Tamen qui ſuis ſubditis præcepit aliquod delictum, ex quo ipſi damnum patiuntur, non ſolum tenetur ad reſtitutionem ijs, contra quos delictum fuit perpetratum, ſed etiam ipſis ſubditis exequentibus præceptum, & mandatum Superioris, quin quæ ſubditi faciunt ob præceptum Superioris, non videntur voluntariè facere, ſed coactè. Molina *d.*549. *num.*9. Rebellius *lib.*2.*q.*14.*ſect.* 3.*n.*14.

Molina.
Rebel.

8. Confeſſarius, vel Theologus, vel Iuriſconſultus, vel Parochus, vel Concionator tenetur ad reſtitutionem damni, cuius ipſe fuit cauſa per culpam latam, ſeu per ignorantiam craſſam, aut per grauem negligentiam in conſiderando; vt ſi ex culpa lata dixit aliquem non teneri ad reſtitutionem, cùm alioquin teneatur, aut teneri cùm alioquin non teneatur; quia tenetur ſcire ea quæ ſciunt homines eius conditionis, & per culpam latam fuit cauſa damni; ſecus dicendum de idiotis & imperitis hominibus dantibus conſilium bona fide, hi enim non tenentur ad reſtitutionem damni ex eo conſilio ſubſecuti, quamuis ſe ſponte ingeſſerint ad dandum conſilium, modò abſque fraude & dolo conſilium dederint & non ſe peritos finxerint. Contra Medinam, Clauem regiam, & alios aliter ſentientes, quoties ſe ſponte ingeſſerunt ad præſtandum conſilium. Vide Sà *v. reſtit. n.*2. Medina *de reſtit. q.*7. Layman *lib.3. ſect.5. tract.* 2. *c.5. n.3. &* 4. P. Nauar. *lib.3. c.4. n.*25. Nauar. *c.25. n.*29. Sylu. *verb. conſilium q.*7. Dian. *tract.6. miſc. reſ.*23. *p.*3. Sylu. 2 2. *q.*62. *art.4. quæſit.4. concl.*6. & alios.

Layman.
Nauar.
Sylu.
Diana.

An autem conſulens furtum, aut homicidium & dubitans an ex ſuo conſilio ſequutum ſit furtum, aut mors, teneatur reſtituere, affirmant Sanchez, Couar. Salas. Sed probabilem putant contrariam ſententiam Syluest. Medina, Filliuc. Clauis regia apud Dian. *tract.5. miſc. reg.* 84. *p.*3.

De conſulente vide v. *Culpa* n.6. *Confeſſarius* 5. n.5. *Furtum* 1. n.9. *Vſura* 6. n.5. *Irregularitas* 6. n.4.

§. III.

De conſentiente.

9. NOmine conſenſus iotelligitur efficax approbatio vel ſuffragium ad damnum inferendum: vnde qui ſuo conſeoſu efficaciter concurrit ad damnum, tenetur ad reſtitutiooem propterea qui per ſuffragium vel ſubſcriptionem conſentiunt, & iufluunt in mortem inferendam, vel ſi aliquis è Magiſtratu ad inferendum bellum iniuſtum, vel ad decernendam legem iniquam & damnoſam conſenſum præſtet, tenetur ad reſtitutionem, quia eſt cauſa efficax damni: Aduerte tamen quando plures ferunt ſuffragia, vel ſubſcribunt in cauſam iniquam, omues qui ferunt ſuffragia teoeri ad reſtitutionem, quando ſuffragia omnium neceſſaria ſunt: quando verò ſuffragia maioris partis ſufficiunt, poſteriores non tenentur ad reſtitutionem, ferendo ſuffragium, poſtquam præſtitus eſt ab alijs numerus ſuffragiorum ſufficiens ad inferendum aliquod damnum, quia cenſetur ſufficienter latum in cauſa abſque ſuffragio poſteriorum, quod nihil influit; quare poſteriores ferentes ſuffragia, peccant quidem mortaliter conſentiendo in damnum, ſed non tenentur ad reſtitutionem, quia non ſunt cauſa efficax damni, tamen ſi ſperaretur fore quod pars maior mutaret ſententiam, poſterioribus recuſantibus ſuum ſuffragium, poſteriores cenſerentur etiam cauſa damni, conſequenter tenerentur ad reſtitutiooem, cùm quilibet ſuffragator teneatur ex officio damnum impedire. Vide Molin. *diſp.* 732. Nauar. *c.* 17. *num.* 21. Filliuc. *tract.* 32. *num.* 61. 62. *&* 63. Leſſius *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 22. 23. *&* 24. Laym. *cit. c.* 5. *n.* 6. Azor. 3. *p. l.* 4 *c.* 12 *q.* 2. Clau. reg. *lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Sylu. *c. de conſenſu*, & alios.

Molin. Nauar. Filliuc. Leſſius. Laym. Azor.

Notandum eſt hic ex Caiet. *in ſumma v. reſtit.* eſſe differentiam inter conſenſum, qui eſt cauſa, & inter conſenſum qui tantùm eſt conſenſus & non cauſa. Prior enim obligat ad reſtitutionem, non poſterior, v. g. agitur de ineundo bello iniuſto. Si illi ad quos ſpectat, veluti Priocipes, eorumque vel rerum bellicarum conſiliarij ſuffragantur ſeu conſentiunt; eorum conſenſus eſt cauſa belli, & propterea tenentur ad reſtitutionem damnorum inde ſecutorum. Alij autem quorum conſenſus eſt impertinens, vt ciues, alijque plebei homines, ſi illud approbent, optent, aut aliter conſentiant; peccant quidem mortaliter iſto ſuo in malum conſeoſu, ad nullam tamen teoentur reſtitutionem, quia ille conſenſus ipſorum tantùm eſt conſenſus, & non cauſa belli ſubſecuti. De conſentiente vide *Homicidium* 1. *n.* 29.

§. IV.

De palpante.

10. NOmine palpantis intelligitur ille, qui laudando malefactorem vel maleficium, mouet illum ad damnum proximo inferendum: ſic etiam qui exprobrat alicui delictum aliquod, vel illum irridet, vnde moueatur ad ſumendam vindictam, vel damnum inferendum: hic palpans ſine dubio tenetur ad reſtitutionem, quia eſt inſtar conſulentis, ſi directè vel indirectè intendat damnum proximi, & cenſetur cauſa efficax damni. Quando verò tantummodo laudat, & laudando lætitiam inducit malefactori, ſed ipſum non mouet ad damnum inferendum, non tenetur ad reſtitutionem, cùm non influat efficaciter in damnum approbando delictum. Ita Leſſius *cit. num.* 25. Reginald. *lib.* 10. *nu.* 85. P. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 37. Azor. *cit. lib.* 4. *cap.* 13. Filliuc. *cit. num.* 64. *&* 65. Sylu. *c. de Palpone*, & alij hic citati.

Leſſius. Reginald. Azor. Sylu.

§. V.

De recurſu.

11. NOmine recurſus intelligitur damnificantis receptator, id eſt, qui recipit, vel fouet, vel conſeruat malefactorem, vel aſſeruat prædam, vel refugium, & ſecuritatem malefactori præbet ad patrandum delictum, vel ad non reſtituendum: hic receptans tenetur ad reſtitutionem, quia efficaciter influit in damnum: dicitur etiam receptaror, qui rem furtiuam in cuſtodiam accipit, vt furi ſeruet; hic tenetur Domino, ſi eã furi reddiderit (ſi tamen abſque notabili incommodo poterat ei denegare) quia non poterat eam in deteriori ſtatu conſtituere, quam apud ſe erat: hinc non excuſantur à reſtitutione caupooarij accipientes pecunias à filijsfamilias, vel a ſeruis ſurreptas patribus vel Dominis, quando patres vel Domini ſunt rationabiliter inuiti circa ſubſtantiam rei. P. Nauar. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 37 Filliuc. *c. n.* 66. 67. Leſſius *cit. n.* 26. *&* 27. Mol. *cit. diſp.* 733. *n.* 2. *&* 3. Laym. *cit. n.* 6. Secus dicendum de illo qui recipit furem, non præbendo illi ſecuritatem ad malè agendum, vel ad perſiſtendum in delictis, ſed illum recipit ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel humanitatis, vel ratione hoſpitij, cùm officium cauponis exerceat, hic enim non tenetur ad reſtitutionem, quia non dicitur receptator furis formaliter, ſed ſolùm materialiter, nihilque præſtat per ſe, pertinens ad damnum. Ita Bonac. *de reſtit. d.* 1. *q.* 2. *p.* 9. *n.* 4 Filliuc. *c. n.* 67. Sylu *cit. d.* 7. *de recurſu*.

Nauar. Fill. Leſſius. Layman.

§. VI.

De participante.

12. NOmine participantis intelligitur cooperans in damno alteri inferendo, vt in furando vel in conſumeoda re aliena furto ablata, vel alia ratione: dupliciter autem poteſt aliquis cooperari ad damnum alterius. *Primo*, actione iotrinſecè mala, & ex natura ſua iniuſta. *Secundo*, actione non intrinſecè mala, ſed ex natura ſua indifferente. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub* 3. *n.* 28. *&* 29. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 6. P. Nauar. *lib.* 3 *c.* 4. *n.* 39. Filliuc. *tract.* 32. *c.* 3. *q.* 11. Regin. *lib.* 10. *n.* 119. Azor. 3. *p. l.* 4. *c.* 15. Vaſquez *de reſtit. c.* 9. §. 1. *dub.* 2. *n.* 39 Diana *p.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 36. *&* *p.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 30. Dicendom ergo eſt participantem in opere intrinſecè malo contra iuſtitiam peccare, & teneri ad reſtitutionem damni ſecuti, nam culpabiliter & efficaciter influit in damnum. Qui verò iuſto metu coactus ſeu ex rationabili cauſa participat in opere non intrinſecè malo excuſatur à peccato & conſeuenter ab obligatione reſtituendi; hinc qui metu coactus, præbet furi claues vel inſtrumenta, quibus confringit arcas, vel qui ſcalam tenet, dum fur murum vel feneſtram aſcendit; vel qui coactus comitatur furem intentione impediendi furtum, quamuis fur illum comitem adiungat animo vtendi illius opera ad furandum, & ob id ſecurior reddatur ad furtum patrandum, vel qui Chriſtianus captus à Turcis nauigat metu mortis in triremibus Turcarum contra Chriſtianos, excuſatur à reſtitutione, quia in prædictis caſibus præſtatur opus indifferens ex rationabili cauſa. Suar. tamen *to.* 5. *diſp.* 21. *ſect.* & 2 Nauar. *c.* 27. *n.* 63. cũ Tolet. apud Syluium *in explic. Bulla*, putant hoc non licere; quia nunquam licet auxilium dare alicui volenti alium iniuſtè occidere, quod illi facerent, ſi contra Chriſtianos remigarent; ad hoc enim tendunt nauigia & remigationes Turcarum in bello contra Chriſtianos, vt ipſos occidant, Eccleſiaſque deuaſtent. Ita Syluius *cit. art.* 7. *de participante*. Prima tamen ſententia eſt probabilis, vt dicetur infrà *verb. Scandalum n.* 10.

Leſſius. Laym. Azor. Vaſq. Diana.

Suar. Nauar. Tolet.

13. Quoad quinque priores modos attinet, videlicet, conſulens, maodans, conſentiens, laudans & receptans, tenentur ad reparationem totius damni, ſi totius cauſa fuere; partis verò ſi, ſolùm partis damni cauſam dedere; quia quilibet tenetur ad reſtitutionem damni eo

modo, quo fuit illius cauſa efficax; de participante verò vel adiuuante, vt quando milites ſpoliant vrbem, dicendum eſt, ſi cooperetur ad idem damnum indiuiduum, tenetur in ſolidum, etiamſi ſocius conſtituerit ſolus inferre, vt ſi iuues ad eandem domum incendendam: quia tunc quiſque eſt cauſa partialis totius damni, vt hic & nunc fit; & in totum vim confert licet partialem: ſi verò ſolùm cooperatur mediatè præbendo inſtrumenta, iuuando conſcendere, ligando vinctum; probabilis eſt ſententia Nauarri, & aliorum non teneri, ſi damnum æquè per executorem erat inferendum. Si verò non concurrat ad idem damnum indiuiduum, ſed diſtinctum irroget, non tenetur in ſolidum, ſed dumtaxat pro ſua parte; hinc miles gregarius non tenetur, niſi de damno quod ipſe per ſe in bello iniquo dedit; Dux autem tenetur ad totum quod per milites illatum eſt, quia vel eos ad hoc direxit, vel ſi non direxit, ſaltem tenebatur ex officio impedire. Ita Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 12. *num* 2. Azor. *cit. cap.* 19. *q.* 2. Leſſius *cit. dub.* 4. Nauar. *cap.* 17. *num.* 21. *&* 22. Filliucius *cit. num.* 43. Syluest. *verb. reſtit.* 3. *q.* 6. §. 4. Molin. *tom.* 3. *d.* 734. *num.* 3. Vaſq. *cit. dub.* 2. *num.* 35. Syl. *cit.* & alij.

Clauis reg. Azor. Nauar. Filliuc. Syluest. Vasq.

Similiter quando plures vineam ingreſſi notabile damnum ſinguli intulerunt, tenentur ſinguli pro ſua parte: modò non ſe viciſſim excitarint; nam illo caſu tenerentur in ſolidum, cùm ſinguli cenſeantur cauſa totius damni. Quando autem plures ſcienter, licet non de communi conſenſu, ingreſſi ſunt vineam, & ſinguli leuem vuæ quantitatem comederunt, vel abſtulerunt, ſinguli peccant mortaliter, & tenentur ſinguli ſub mortali ad reſtitutionem, ſi illa quantitas ſimul ſumpta notabilem materiam conſtituat. Prob. quia ſinguli concurrunt ad damnum notabile, & cùm non ſit maior ratio, cur vni potiùs, quàm alteri damnum notabile imputetur, ſingulis imputandum eſt.

Sed nota primò, quòd ſi vnus ſemel ſuam portionem reſtituerit, non tenentur alij ſub mortali ad reſtitutionem, modò pars quæ retinetur non ſit notabilis: quia eam retinendo nulli faciunt iniuriam notabilem.

Nota ſecundò, ſi omnes ita concurrant, vt nullus nouerit alios furari, nullus illorum mortaliter peccabit, ſed tantùm venialiter, & ſuam partem reſtituere tenebitur: quamdiu autem durat talis ignorantia, ſi inuincibilis ſit, excuſatur à mortali tam accipiendo, quàm retinendo: ſi tamen poſtea notitia veritatis acceſſerit, id eſt, damni notabilis dati cognitio, tenebitur vnuſquiſque quantum accepit, in ſe, vel in æquiualenti reſtituere, & non reſtituendo peccabit mortaliter, tum in ipſa retentione, tum in ipſa vſurpatione ſecundùm communiorem ſententiam. Ratio eſt, quia quando conſcius non fuit, non potuit liberè & mortaliter continuari damnum, quod ipſe inferebat, cum præcedente, poſteà verò quando conſcius eſt, continuatur. Tum quia ſequeretur dominum ſpoliari poſſe omnibus vineæ ſuæ fructibus, nullo remanente obſtricto obligationi reſtituendi ſub lethali culpa, quod non videtur admittendum. Sed de his vide Bonacin. *de reſtit. diſt.* 2. *q.* 8. *punct.* 2. *num.* 6. & ſuprà *v. Furtum* 1. *num.* 9.

§. VII.

De muto, non obſtante, non manifeſtante.

1. NEgatiuè quis dicitur cauſa damni, ſi non impediat damnum, dum ex officio tenetur, & fit tribus modis, qui notantur his verbis: *Mutus, non obſtans, non manifeſtans.* Mutus dicitur, qui omittit præcipere, ſi erat Superior, conſulere, ſi conſultor, clamare, ſi erat cuſtos vel ad damnum impediendum. Non obſtans dicitur, qui omittit opem vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur narrare, vt Princeps, Magiſtratus. Non manifeſtans dicitur, qui cùm ex officio teneatur, omittit manifeſtare malefactorem. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. Filliucius *cit. n.* 70. Layman *cit. n.* 7. Bonacina *de reſtit. d.* 1. *q.* 2. *p.* 11. *num.* 1. Sylu. *cit. art.* 7. *de muto, &c.* & alij.

D. Thom. Layman. Bonac.

15. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad reſtitutionem, niſi ad hoc obligatus fuerit ex officio, quia qui non obligatur ex officio ad impediendum damnum, ſolùm obligatur ex charitate; atqui violatio obligationis ex charitatis lege naſcentis non inducit neceſſitatem reſarciendi damni, id enim eſt proprium vinculi iuſtitiæ. Nauar. *cap.* 17. *num.* 18. Azor. *cit. cap.* 16. 17. *q.* 2. Clauis reg. *cit. cap.* 13. *&* 14. Sylu. *cit.*

Nauar. Azor. Clauis reg.

Sed circa dicta eſt notandum, quòd quando quis tenetur ex officio non omittere, & ex omiſſione ſequitur damnum, vt conſurgat obligatio reſtituendi, non ſufficit quòd teneatur ex iuſtitia ad non omittendum, ſed neceſſe eſt, vt obligatio iuſtitiæ ſe extendat ad manutenendum id, ex quo conſequitur damnum; atque adeo quòd ſit de non omittendo aliquid ordinatum ad arcendum damnum; alioquin ſicut non faceret contra iuſtitiam reſpectu illius perſonæ, quæ damnificatur, ita nec ſubiret obligationem reſarciendi damnum. Hinc ſi Petrus omitteret ſoluere quod debet Paulo, & ex hoc ſequatur damnum Franciſco, eo quòd Paulus non potens exigere pecuniam à Petro, nequit ſoluere debitum Franciſco, non tenetur Petrus reſarcire damnum Franciſci, quia non habet obligationem iuſtitiæ ad ipſum: atque adeo reſpectu ipſius non facit quid contra iuſtitiam, ſed tantùm habet ad Paulum.

16. Iuxta communem ſententiam, omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, ſi id ex culpa graui negligant, tenentur ad reſtitutionem; quia illi ex iuſtitia debent illum actum impeditionis damni; vnde Princeps, Magiſtratus, Prætores, Duces belli tenentur ad reſtitutionem, ſi omittant impedire furta & ſimilia cùm poſſint ſine ſuo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris; idem dicendum de illis, qui per modum contractus ſeſe ad alicuius rei cuſtodiam obligarunt, ſtipendia ob eam cauſam accepturi; Item tenentur tutores & curatores qui negligunt impedire damna pupillorum & minorum: Item famulus quando ei domus vel rerum cuſtodia à Domino demandatur. Simili modo, ex multorũ ſententia, tenetur teſtis, ſi iuridicè interrogatus veritatem non manifeſtarit, vnde fiat vt alteri damnum detur, vel antea datum non rependatur. P. Nauar. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 130. Sylu. *verb. reſtit.* 3. *q.* 5. Leſſius *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 10. Bonac. *cit. p.* 11. Azor. 3. *p. l.* 4. *c.* 17. Filliuc. *tract.* 32. *n.* 75. *&* 77. Sylu. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *quaſ.* 4. *&* *q.* 62. *art.* 7. *de muto, &c.* & alij.

Nauar. Sylu. Leſſius. Filliuc.

An autem Confeſſarij teneantur ad reſtitutionem, quando ſua culpa vel malitia non admonent, vel non cogunt pœnitentem ad reſtitutionem faciendam; quam pœnitens feciſſet, ſi Confeſſarius illam iniunxiſſet vel abſolutionem denegaſſet. Clauis regia *cit. cap.* 14. *num.* 16. Nauar. *c.* 17. *num.* 22. Filliucius *cit. num.* 79. P. Nauar. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 125. Syluius *in ſuppl. q.* 8. *art.* 5. *q.* 8. & alij putant teneri ad reſtitutionem, quia Confeſſario incumbit ex officio onus docendi neceſſaria pœnitentem, & in hoc deficiens facit contra ſuum officium conſequenter ipſi, tanquam veræ & efficaci cauſæ damna videntur imputanda.

Clau. regia Nauar. Filliuc. Syluius.

Alijs tamen Doctoribus & meritò hæc ſententia in praxi difficilis videtur, & docent non teneri, quia Confeſſarius non tenetur ex officio, & ex iuſtitia proſpicere bonis temporalibus aliorum, ſed bono ſpirituali pœnitentis, cuius cauſam agit, & non alterius, quod intelligendum eſt, modò Confeſſarij omiſſio & negligentia non habeat rationem conſilij, vt dictum eſt ſupra, & hæc ſententia probabilior eſt, quam tenent Valentia *t.* 3. *d.* 5. *quaſ.* 6. *p.* 3. Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 92. Leſſius *cit. dub.* 10. *num.* 78. Suarez *de pœnit. d.* 32. *ſect.* 6. *num.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 1. *miſcel. reſolut.* 1. noſter Crouſers *ad c.* 7. *reg. minor. lect.* 31. & alij.

Reginald. Leſſius. Suar. Diana.

17. Quamuis cuſtodes ſaltuum, lacuum, & vectigalium teneantur ad reſtitutionem damni, quod Domini patiuntur non accuſando venatores, vel piſcatores, vel defraudatores, licet fortè venatores ipſi vel damnificatores in aliquo caſu non teneantur; tamen non tenentur ad ſolutionem pœnæ, quam delinquentes ſoluiſſent, ſi ab ipſis cuſtodibus accuſati fuiſſent; quia non vide-

tur

tur vſu receptum vt prædictæ perſonæ obligentur ad reſtitutionem pœnæ, tum quia huiuſmodi perſonæ non videntur conſtitutæ, vt Domini locupletentur, ſed ne damnum patiantur. Medina *C. de reſt. q.* 12. §. *vlt.* Clauis regia *cit. cap.* 15. *num.* 8. Nauar. *cap.* 25. *nu.* 34. Leſſius *cit. nu.* 73. Diana *tract.* 5. *p.* 3. *reſol.* 54. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *de muto, &c.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Molinæ *cit. d.* 739. *n.* 5. P. Nauar. *l.* 5. *c.* 4. *n.* 142. Sal. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *cap.* 5. & aliorum aſſerentium teneri; quia non accuſando; cenſentur ſuis dominis cauſa damni, ad quod impediendum tenentur ex officio.

Medina. Nauar. Leſſius. Diana. Sylu.

Verùm circa hos cuſtodes vinearum, ſyluarum, &c. eſt aduertendum *Primò*, quando non manifeſtant damnum, quod non eſt pœna, vt verbi gratia ex rebus, quæ venduntur, vel in vno loco ad alium aſportantur, debetur certum vectigalis genus lege impoſitum, ex eo verò quod cuſtodes non denunciant, non ſoluitur, damnum illud ſoluere tenentur, ſi delinquentes non ſoluant. Ratio eſt, quia cum eo fine accipiant ſtipendia, vt ea cuſtodiant, quæ ipſis committuntur, agunt contra iuſtitiam commutatiuam ea non cuſtodiendo, & ideo de damno ſubſecuto tenentur, & vectigalia & alia damna ſoluere obligantur.

Secundò, cuſtodes, qui nullo accepto pretio, ſed ex conſuetudine patriæ aut loci, loca quædam per vices ſuas & Turnum, vt aiunt, cuſtodiunt, quibus tamen in præmium conceditur, vt pœnam illam accipiant, quæ forte illis continget ratione eorum quos accuſabunt, quomodo cõſtituuntur pleriqque cuſtodes viarum & vectigalium, iſti non obligantur cuſtodire, niſi ſicut ipſa communitas cuſtodiret tales ſyluas, montes, loca, &c. Vnde tales cuſtodes, qui mercede ſtipendiati non ſunt, ſicut nec ipſi accipientes, quando deprehenſi in delicto non fuerint, damnum illud, aut pœnam reſarcire tenentur, ſi vſus habeat, vt delinquentes damnum ſoluant, ſi deprehendantur & denuncientur & non aliter. Plura de cuſtodibus dicta ſuprà *verb. Accuſatio n.* 8. *& ſeq.*

18. Secundùm Nauarrum *c.* 17. *n.* 21. Filliucium *cit. n.* 73. & Sotum *l.* 4. *q.* 7. *a.* 3. accipiens aliquid à fure vt taceat, poſt furtum cõmiſſum non tenetur ad reſtitutionem pretij accepti, modò pretium acceptum non ſit pars furti. Secundùm verò Molinam *cit. nu.* 3. & Bonac. *de reſt. d.* 1. *q.* 2. *p.* 12. *n.* 13. Syluium *cit.* quando fur tradidit illud cum pacto vt abſolutè taceret, accipiens non poteſt acceptum retinere, etiam ſecuto furto; quia accepta pro peccato patrando non poſſunt retineri, cùm medium participet malitiam mali finis: vnde ſicut abſtinendum eſt à peccato, ita abſtinendum eſt à retinenda dicta pecunia, quæ pro peccato in futurum patrando accipitur, tanquam medium ad finem. Hæc ſententia eſt tenenda.

19. Accipiens aliquid à fure vt taceat, tenetur ad reſtitutionem damni à fure illati, ſi ob id fur factus eſt animoſior & ſecurior ad furandum, alioquin non furaturus; quia hic non ſolùm eſt non impeditio, ſed etiam actus poſitiuus, quo animat furem, ſine quo vel non feciſſet, vel non tam audacter & ſecurè feciſſet: ſi verò animus furantis non ſit factus animoſior ob pecuniam traditam, ſed pecunia tradita ſit præciſe, ne delictum manifeſtaretur, accipiens pecuniam non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ, modò non ſit furti. Clauis regia *cit. c.* 13. *n.* 2. Leſſius *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 10. *n.* 68. P. Nauar. *l.* 3. *c.* 4. *nu.* 132. Syluius *cit.* & alij.

Cl. reg. Leſſius. Nauar. Sylu.

20. Qui vi aut fraude impedit aliquem à conſequendo beneficio vel officio, quo dignus erat, vel ne inſtituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, legatum, &c. tenetur ad reſtitutionem quanti iudicio prudentis ea ſpes ipſi valebat: qui autem ſine vi aut fraude, precibus, blanditijs, muneribus, impedit dignum vel digniorem ab officio, beneficio & ſimilibus, non tenetur illis ad vllam reſtitutionem, etiamſi illud malo animo & ex odio faciat. Azorius 3. *p. l.* 3. *c.* 9. Molina *t.* 3. *d.* 727. *n.* 2. Sa *verb. reſtitut. n.* 22. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *q.* 25. Filliucius *tract.* 32. *n.* 72. Leſſius *cit. c.* 12. *d.* 18. Layman *l.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *c.* 7. Diana *tr.* 5. *miſc. reſol.* 53. *& tr.* 6. *miſcel. reſol.* 33. *&* 34. *p.* 3. quia obligatio reſtituendi ex delicto naſcitur ex violatione iuſtitiæ, in hoc tamen caſu non violatur iuſtitia, cum is qui impeditur. Caiet. autem 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. Couarruuias *ad reg. peccatum p.* 2. §. 7. *nu.* 8. putant eum qui quouis modo impedit digniorem vt detur digno, teneri ad reſtitutionem digniori, quia ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam ei erat debitum. Vide Dianam cit. multi caſus deciduntur de hac materia ex fundatione hic poſito.

Azor. Mol. Sa. Lay.

21. Qui alterum ſuaſione, aut exemplo ad peccandum induxit, non ex iuſtitia, ſed ſola charitate obligatus eſt ad emendationem ei procurandam; quia volenti ac conſentienti non fit iniuria; omne autem peccatum ſicut libera voluntate admittitur, ita liberè in eo perſeueratur; ſecus dicendum de illo qui alterum fraude, dolo, vel iniuſto metu ad peccatum induxit; quia tum metus, quàm ignorantia efficiunt, vt ille non plena animi voluntate in culpã & ſpirituale damnum, te impellente labatur. Tum quia quiſque vim, metum & fraudem patitur inuitus, vnde contra iuſtitiam priuatur illis, quæ per vim, metum, fraudem amittit, & conſequenter illa ſunt reſtituenda conuenienti modo. Nauarrus *c.* 14. *n.* 45. Leſſius *l.* 2. *cap.* 8. *d.* 2. P. Nauar. *lib.* 2. *c.* 2. *num.* 2. Molina *tract.* 4. *d.* 50. Layman *cit. cap.* 8. *n.* 1. & alij. Nauar. Leſſ. Laym.

Petes an in hoc caſu ſufficiat remouere vim, metum, fraudem, an verò etiam tenear eum hortari ad pœnitentiam? Reſp. vtrumque requiri. Ratio eſt, quia ſolùm relinquere illum in libertate & immunitate à vi, metu, fraude, non eſt propriè reſtituere eum, quantum in te eſt, gratiæ & virtutibus (is enim qui eſt liber, & non deceptus relinquitur tantùm indifferens, vt vel reſipiſcat, vel perſiſtat in peccato) niſi etiam addita aliqua illi exhortatione vel admonitione coneris eò impellere, vt per pœnitentiam recuperet gratiam & virtutes. Nota tamen hanc reſponſionem non habere locum in eo, qui licet impulſus fuerit ad peccatum vi, metu, fraude, ſcit tamen iam ſe eſſe in peccato, & poſſe reſurgere. Ratio eſt, quia nemo tenetur ex iuſtitia ad reſarciendum damnum ei, qui illud cenſetur condonare, ſed qui à te inductus eſt in peccatũ, poſtquam ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe ope diuina reſurgere, & tamen non vult, cenſetur tibi damnum ſpirituale condonare. Ita P. Nauar. *cit. n.* 87.

22. Qui ſine vi, fraude, ſuaſione tantùm alterum à Religionis propoſito, quamuis iam ingreſſum ſeu Nouitium extraxit, ad nullam reſtitutionem obligatur: Non Nouitio, quia ſponte conſentienti nulla reſtitutio fieri debet; non etiam Religioni, quia illi nullum ius adhuc in hominem acquiſitum fuit. Valentia *tom.* 3. *diſt.* 5. *q.* 6. *par.* 5. Leſſius *citat. cap* 8. *d.* 3. Vaſquez *de reſtitutione cap.* 8. *dub.* 2. Valent. Leſſius. Vale.

Peccant tamen grauiter parentes, cognati, amici, ſi abſque rationabili cauſa homines, ſuaſionibus aut blanditiis ab ingreſſu ſancti religioſi inſtituti auertant, vel poſt Religionis ingreſſum prætextu probandæ magis conſtãtiæ, reuocent. Qui verò Religioſum vel Profeſſum ſuaſione aliaue cooperatione à Religione abduxit, ſiue ad Apoſtaſiam traxit, ex iuſtitia obligatur Religioni ad reſtitutionem, quatenus poteſt, faciendam; quare perſuadere debet apoſtatæ aut fugitiuo vt redeat, ſin minùs curare tenetur, vt alius æquè idoneus ingrediatur, & alia damna, ſi quæ illata ſunt, compenſentur, ipſemet autem ingredi ex iuſtitiæ lege nunquam obligaris. Nauar. *cap.* 12. *n.* 45. P. Nauar. *cit. num.* 18. Layman *cit. num.* 3. Ratio eſt, quia tu fortè non es aptus Religioni, nec illa tibi. Deinde ſtatus Religionis liberrimè acceptandus eſt, vtpote ſtatus admodum ſublimis, & naturæ valde difficilis; in quo quis in perpetuum ſuam abdicat libertatem homini chariſſimam; vnde par eſt, vt eius obligatio non naſcatur ex vllo delicto, ſed tantùm ex ſpontaneo voto. Hinc ob nullum delictum poteſt quis cogi, vt Religionem ingrediatur; licet enim Canones quoſdam ſceleſtiſſimos occludi velint intra ſepta Monaſterij, ad agendam pœnitentiam, neminem tamen ad profeſſionem Religionis cogunt. Nabar. Laym.

Fateor tamen fore inſigne opus perfectionis, ſi conſcius tuæ vocationis, & virium, in pœnam delicti, ſponte te iugo Religionis ſubmittas, vt olim fecit Rimmundus, quem Paludanus refert, ob id ingreſſum eſſe Religionem

Do.pi.

Digitized by Google

Dominicanorum,quia cuidam Nouitio id vitæ inſtitutum diſſuaſerat.

Vide *Confeſſarius* 5.num. 4. 5. *Teſtis* n. 11. *Accuſatio* num.9.10.& 11. *Culpa* n.6.

RESTITVTIO IV.

De circumſtantijs reſtitutionis.

CIrcumſtantiæ reſtitutionis ſex ſunt. *Prima*, quid. *Secunda*,cui. *Tertia*,vbi. *Quarta*,quaodo. *Quinta*, quomodo. *Sexta*, quo ordine. Et primùm de eo quod reſtituendum eſt agemus.

§. I.

Quid & quantum reſtituendum ſit.

SVMMARIVM.

1 *An res aliena aut alteri debita reſtituenda ſit ſi extet, aut illius valor & pretium, ſi non extet?*

2 *An tantum reſtituendum ſit, quantum ſufficit ad faciendam æqualitatem debiti,vel damni illati?*

3 *An pro turpi cauſa aliquid dari vel accipi poſſit ante vel poſt factum? & an acquiſita ob turpem cauſam ſint reſtituenda?*

§. II.

Cui ſit reſtituendum.

4 *An debita incerta ex contractu iuſto vel iniuſto ſint pauperibus reſtituenda?*

5 *An poſſeſſor malæ fidei, vel alius iniuſtè damnificator, teneatur illi reſtitutionem facere,cui rem abſtulit?*

6 *An poſſeſſor bonæ fidei teneatur, poſtquam cognouit rem eſſe alienam, reſtituere illam Domino, vel illi à quo bona fide accepit?* refertur duplex ſententia.

7 *An qui rem gratis à fure accepit; vel qui bona fide rem emit a furo, teneatur furi vel Domino reſtituere? Et an talis emptor teneatur contractum venditionis reſcindere poſtquam cognouit eſſe alienam, ſi denuo eodem pretio bona fide rem vendidit?* refertur duplex ſententia.

8 *An qui reſtituit creditori ſui creditoris, quod debet ſuo creditori,teneatur ad nouam reſtitutionem.*

§. III.

Vbi,& cuius expenſis ſit reſtituendum.

9 *An expenſis debitoris reſtitutio facienda ſit in eo loco, vbi Dominus illam poſſeſſurus erat, quando debitum ortum eſt ex iniuſta acceptione?*

10 *An quando obligatio reſtitutionis naſcitur ſolùm ex re bona fide accepta, reſtitutio facienda ſit in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoſcitur eſſe aliena?*

11 *An debitum ex contractu vel quaſi contractu, debeat ex loco expenſis debitoris reſtitui,vbi fuit traditum.*

§. IV.

Quando ſit reſtituendum.

12 *An in debitis ex contractu,ſolutio fieri debeat tempore quo inter partes contrahentes expreſsè vel tacitè conuentum fuit? Et an debitor moroſus inculpabiliter, teneatur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis,ſeu lucri ceſſantis.*

13 *An debitor ſit in mora & grauiter peccet non reſtituendo antequam admoneatur, quando in debitis ex contractu,non fuit conſtitutus ad ſoluendum?*

14 *Qui ratione rei acceptæ vel iniuſtæ acceptionis aut detentionis eſt obligatus ad reſtituendum, an teneatur ſtatim ac commodè poteſt reſtituere?*

15 *Quot peccata committat qui longo tempore differt reſtitutionem? & quomodo Confeſſarius debeat ſe gerere in confeſſione cum illo.*

§. V.

Quomodo ſit reſtituendum.

16 *Quatuor regulæ hic ponuntur ex quibus patere poteſt modus reſtituendi.*

§. VI.

Quomodo ſit reſtituendum.

17 *An omnibus creditoribus ſit ſatisfaciendum ex bonis debitoris,ſi illa ſufficiant?*

18 *An debita certa præferenda ſint debitis incertis?*

19 *An res quæ in ſpecie extant certis dominis debita, & quarum dominium debitori acquiſitum non eſt, certis ac proprijs dominis integrè reſtituenda ſint?*

20 *An pretium ſoluendum ſit,vel res reſtituenda venditori, quando illa exiſtens aliena vendita fuit, & venditor nec pignus aut fideiuſſorem dedit, nec venditor illud pro ſoluto habuit, fidens emptori? & an tunc venditor habuit ius prælationis?* refertur duplex ſententia.

21 *An qui non eſt omnibus ſoluendo debeat priùs perſoluere debita certa quam incerta?*

22 *An debita ex delicto priùs reſtituenda ſint quam ex contractu?* refertur duplex ſententia.

23 *An debita ex contractu oneroſo priùs ſint ſoluenda quam ex contractu gratioſo?*

24 *Quis ordo ſeruandus ſit in ſolutione certorum debitorum?*

25 *Qui ſint caſus, in quibus poſterior tempore præfertur priori habenti hypothecam?*

26 *An regula iuris: Qui prior eſt tempore,potior eſt iure; locum habeat in omnibus creditoribus eiuſdem ordinis?* refertur duplex ſententia.

27 *Inter cooperantes ad damnum, quis primò, ſecundò, tertiò,&c. teneatur ad reſtitutionem?*

28 *An cauſa principali reſtituente, cæteræ liberæ ſint ab onere reſtitutionis?*

29 *An quando plures damnum intulerunt, & Dominus condonauit cauſæ principali obligationem, cæteri qui fuerunt cauſæ minùs principales liberi ſint ab obligatione reſtituendi?*

1 RES aliena aut alteri debita reſtituenda eſt,ſi extat: ſi verò res ipſa non extat, reſtituendus eſt illius valor & pretium: imò debitor tenetur reſtituere damna quæ creditor iniuſtè paſſus eſt ipſius culpa: vnde tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos Dominus percepiſſet,& expenſarum, quas Dominus fecit in re ſua quærenda,ſi conſtet ab eo factas fuiſſe aliquas expenſas, ſeruanda enim eſt æqualitas & ius alienum; *l. Manifeſti, C. de ſolutionib. Authent. hoc niſi de ſolutionibus*. Quando autem quis rem alienam,quam bona vel mala fide poſſidet, cum proprijs rebus ita commiſcuit, vt eam nequeat diſcernere, licet acquiſiuerit dominium illius rei, tamen poſſidens in eo euentu contrahit obligationem reſtituendi rem æqualem, nullus enim poteſt locupletari cum iniuſto damno alterius; ob id alter habet actionem contra Naua poſſeſſorem. Clauis regia *lib.*10.*tractat.*2.*cap.*3. *num.*9. Sanc Nauar.*c.*17.*num.*24. Sanchez *lib.* 3. *moral.c.* 23.*num.*24. Filliu Filliucius *tract.*32.*c.*4.*q.*1.& 2. Sylvius 2.2.*q.*62.*art.*4.*c.*3. Loyo & alij.

2. Tantum reſtituendum, quantum ſufficit ad faciendam æqualitatem debiti vel damni: ſi ſit certa, tãtumdem reſtituatur: ſi verò ſit incerta, tantum reſtituatur, quantum

rum vir prudens iudicauerit, conſideratis circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ habitaque ratione lucri ceſſantis & damni emergentis, quia reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quæ inclinat ad ſeruandam æqualitatem, æqualitas autem ſeruatur ſeruata prædicta regula; vnde debitor qui non ſoluit præfixo termino, tenetur reſtituere creditori lucrum ceſſans, quod illi ſequitur ex iniuſta dilatione. Azor. 3. *p. lib.* 4 *cap.* 25. Reginaldus *lib.* 10 *num.* 213. Sylu. *cit. art.* 3. *concl.* 2. Sà *verb. reſtit. n.* 61. Molina *t.* 3. *d.* 726. Similiter qui conculcauit ſegetes antequam ad maturitatem peruenirent, aut arbores adhuc teneras incidit, tenetur arbitrio prudentis reſtituere, non ſolùm quanti res valebat tunc creditori, ſed etiam quanti valuiſſet tempore meſſis, detractis expenſis & laboribus, habitaque ratione periculi, ratione cuius fieri poterat vt per cœli iniurias, aut per alios caſus fortuitos non perueniſſent ad maturitatem. Bonacina *de reſtit. d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 9. P. Nauarr. *l.* 4. *cap.* 1. *n* 52. Bannez 2. 2 *q.* 62. *art.* 4 quamuis contrarium ſentiant Filliuc. *tract.* 32. *n.* 265. & Molina *c. d.* 726.

Azor. Regin. Sà. Molina.

Bonac. Nauar. Filliuc.

3. Cùm quilibet teneatur abſtinere à malo opere patrando, & a medio ad illud inducente, hinc pro opere illicito patrando, ſeu pro turpi cauſa nihil dari vel accipi poteſt ante factum; vnde contractus vel pactio de re illicita facienda reſcindenda eſt, nullamque inducit obligationem ad rem ipſam illicitam faciendam: tamen patrato opere illicito, de quo patrando initus erat contractus vel promiſſio, tenetur promittens ſoluere pretium, & accipiens non tenetur ad reſtitutionem, iuxta probabiliorē ſententiam. Ratio eſt, tum quia opus malum non obſtante malitia morali, quam habet materiali ſua entitate, habet qualitates quibus ſit vtilis, aut delectabilis, ratione quarum ſit vendibilis, & æſtimabilis pretio, ac ſi non haberet malitiam moralem. Tum quia eſt acquiſitio legitima dominij rei, ac proinde non eſt obligatio reſtituendi. Tum quia fornicatio v. g. vt eſt quid delectabile, eſt pretio æſtimabilis, ac proinde licitè accipit meretrix pretium pro vſu ſui corporis, quamuis peccet tradendo; Similiter Monialis non tenetur reſtituere acceptum propter ſacrilegium: nec Iudex propter iniuſtam ſententiam: nec aſſaſſinus propter homicidium, quando quod acceptum eſt, iuſtitiæ menſuram non exceſſit: Vnde ſi meretrix fraude, vel mendaciis plus extorſit ab adoleſcente quam iuſtitia pateretur, tenetur reſtituere: quia vendidit vſum corporis maiori pretio, quàm ſecundùm iuſtitiam poterat. Reginald. *l.* 10. *n.* 185. *&* 187. Filliucius *tr.* 31. *n.* 226. Leſſius *l.* 2. *c.* 18. *num.* 18. Sà *verb. reſtit. n.* 18. Diana *p.* 2. *tract.* 1 *reſ.* 40.

Reginald. Filliuc. Leſſius. Diana.

Meretrix tamen vel concubina tenetur reſtituere Monaſterio, ſi aliquid acceperit à Religioſo in pretium peccati: quia quod Religioſus acquirit, fit Monaſterij, atque adeò non poteſt Religioſus de illa re diſponere, quia eſt res aliena, & quamuis Superior det facultatem ſubdito, vt expendat in quoslibet vſus, hoc non obſtat, quia intelligendus eſt in vſus licitos: nihilominus ſi Religioſus non habeat reſtrictam facultatem, poſſet ex bonis & eleemoſynis ab ipſo acquiſitis, vel de aliis puellæ defloratæ ſatiſfacere, vel paruulos ex ea ſuſceptos alere: quia hoc opus iam eſſet pium, & ideò iuſtè res daretur ſine obligatione reſtituendi ab accipiente, vt docet Vaſquez *de reſtit. c.* 7. *dub.* 3. Vide dicta *verb. paupertas n.* 11.

Quæ pupilli aut minores dederunt meretricibus ſunt etiam reſtituenda per illas tutoribus, aut curatoribus minorum, quia non poſſunt alienare ſine licentia curatorum aut tutorum: ergo quæ ſine illorum licentia, data ſunt ſuper minores, debent curatoribus reſtitui: vt dictum eſt ſuprà *verb. Donatio n.* 4. Acquiſita verò ob turpem cauſam, reſtituenda ſunt, non ſolùm ante factum, ſed etiam ſecuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominii, vel inhabilem ad rem accipiendam; vnde acquiſita per ſimoniam retineri non poſſunt, etiamſi voluntariè tradita fuerint. Molina *tract.* 2. *d.* 94. P. Nauar. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 91. *&* 132.

Molina. Nauar.

Fœmina tamen meretrix, quæ ſui corporis copiam alicui fecit promiſſa ſibi pecunia, poteſt pretiū ſibi promiſſū in foro externo exigere, quia ſicut in foro externo permittitur meretriciū, ita datur actio ad repetendum pretium; ſecus dicendum de fornicatione occulta, quę punitur in foro externo, tunc enim non datur actio, vt ſi Monialis, aut virgo, aut adultera petat promiſſum ſibi pretium. Ita Couar. *ad reg. peccatum p.* 2. §. 2. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 31. *c.* 9. *q.* 9. *&* 20. Sylu. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *concl.* 2.

Couar. Sylu.

§. II.

Cui ſit reſtituendum.

1 DEbita incerta, id eſt, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non poteſt, quia nimis diſtat, ſi proueniant ex contractu iuſto, poſſeſſor ſibi retinere poteſt, neque tenetur pauperibus erogare; quia incertorum bonorum reſtitutio facienda eſt non iure naturali aut diuino, ſed tantùm iure poſitiuo: atqui lex canonica ſolùm præcipit, vt quæ iniuſtè acquiſita ſunt, puta per vſuram, &c. ſi Domino non poſſint, in pauperes vel alias pias cauſas erogentur, de bonis autem incertis à bonæ fidei poſſeſſore in pauperes erogandis, canonico iure nulla mentio habetur. P. Nauar. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 46. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tractat.* 2. *cap.* 9. *numer.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 34.

Nauar. Laym. Naüar.

5. Poſſeſſor malæ fidei aliuſue iniuſtus damnificator, regulariter loquendo, tenetur illi reſtitutionem facere cui rem abſtulit, modò ille cui rem abſtulit, habeat aliquod ius circa rem ablatam; aut illi cui damnum intulit, ſi reſtitutio facienda eſt ob damnum iniuſtè illatum, aut illi qui ſuccedit in iura alterius, cui facienda erit reſtitutio. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. Axor. 3. *p. l.* 5. *c.* 26. Medina *de reſt. q.* 2. Sylu. 2. 2. *q.* 62. *ar.* 5. & alii.

D. Thom. Azor. Media. Sylu.

6. Poſſeſſor bonæ fidei, qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroſo, non tenetur, poſtquam cognouit rem eſſe alienam, reſtituere illā Domino, ſed poteſt reſciſſo contractu, reſtituere illi, à quo bona fide accepit, vt poſſit pretium ſuum recuperare. Toletus *l.* 5. *c.* 17. *n.* 12. Nauar. *c.* 17. *n.* 7. Vaſquez *de reſtit. c.* 9. §. 2. *dub.* 2. Qui verò mala fide rem alienam accepit ſciens vel dubitans alienam eſſe, tenetur eam reſtituere Domino, etiamſi pretium ſolutum amittat, non verò poteſt ei reſtituere à quo accepit, niſi certò ſciat eam eſſe vero Domino reddendam. Bannez 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *d.* 1. Molina *tr.* 3. *d.* 722. *n.* 2. Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *q.* 1. *concl.* 2. Quia adeſt hic duplex titulus reſtitutionis, videlicet, res accepta & iniuſta acceptio; & malitiæ ſuæ & culpæ imputare debet amiſſionem pretij & damnum quod inde patitur.

Tolet. Nauar. Vaſq. Bannez. Molin. Syluius.

Sylueſter tamen & alij apud Clauem reg *l.* 10. *tr.* 2. *c.* 3. Tolet. *l.* 5. *c.* 17. *n.* 13. aſſerunt poſſe reſtituere ei à quo accepit, quando alioquin ſubiret periculum amittendi pretium. Et hanc ſententiam probabilem vocant Malder. 2. 2. *tr.* 4. *c.* 3. *dub.* 2. Leſſius *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 3. *n.* 22. Marchantius *in decal. p.* 2. *c.* 7. *q.* 20. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *miſcel. reſ* 4. *&* *p.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 87. quamuis ipſe contrariæ ſententiæ adhæreat. Ratio eſt, quia nullo iure nec iuſtitiæ, nec charitatis teneor cum graui meo incommodo rem reducere alterius in minorem ſtatum quàm erat, quando eam emi, ſiue conſcius, ſiue neſcius illius conditionis, ſed quando emi, res erat in latronis manu, ergo ſatis erit rem iterum in eadem manu reponere, licet ab aliis ſit ſubripienda, cùm ob retentionem non fuit cauſa, vt à Domino ad locum totum reciperetur, ergo. Deinde non maior eſt fur, & malæ fidei poſſeſſor inuito Domino, emptor malæ fidei, quam fur, qui a fure rem auferret; ſed fur qui furatus eſt à fure; poteſt reddere eidem furi, vt docet Sà *verb. Furtum, n.* 11. cum Alenſi, D. Antonino, & Angelo, quos citat. Ergo.

Leſſius. Diana.

7. Bonæ fidei poſſeſſor, qui rem gratis à fure accepit, non poteſt eam tradere furi, niſi fortè moraliter certus ſit rem Domino reſtituendam eſſe à fure: Similiter qui bona fide rem emit à fure, tenetur poſtquam cognouit alienam eſſe, reſtituere vero Domino, ſi non poteſt inuenire furem, vt ab eo pretium recuperet: idem dicendum de eo, qui inuenit furem, à quo rem accepit, ſed fur recuſat pretium reſtituere. P. Nauar. *l.* 3. *c.* 4 *n.* 191. Filliuc. *tr.* 32.

Digitized by Google

Filliuc. Clau. reg. Leſſius.

*tr.*32.*n.*85. Clauis regis *cit.cap.*2.*num.*17. Leſſius *cit. cap.* 14.*d.*3. & alij.

Quid autem dicendum ſit de eo, qui bona fide rem furtiuam emit, & denuò eodem bona fide vendidit, an teneatur contractum venditionis reſcindere, poſtquam cognouit rem alienam eſſe reddito pretio illi, cui vendidit & recuperata re vendita. Nauar. *c.* 17.*num.*8. putat non teneri reſcindere contractum, ſed ſolùm teneri reſtituere pretium emptori rem vero Domino: imò Filliucius *tract.*32. *num.* 84. & alij exiſtimant non teneri pretium emptori reſtituere, niſi maiori pretio vendiderit quàm ipſe emit. Communior & probabilior ſententia habet, teneri reſcindere contractum; quia vendens rem vitioſam tenetur reſcindere contractum venditionis, ſi emptor conſcius vitij non emiſſet, cenſetur enim inuoluntariè emiſſe, ergo tenetur etiam in hoc caſo contractum reſcindere, reddito emptori pretio. Leſſius *cit.dub.* 5. Clauis regia *cit. cap.* 2.*n.*13. Molina *tr.*2.*d.* 721. Azor. *cit.cap.*3.*q.*3. P. Nauar. *l.*3.*c.*4.*num.* 193. Ita etiam Sylu. 2.2.*q.*62.*art.*6.*quæſit.*2.

Leſſius. Molina. Azor. Nauar. Sylu.

8. In foro conſcientiæ, qui reſtituit creditori ſui creditoris, quod debet ſuo creditori, videtur ſatisfacere & nõ tenetur ad nouam reſtitutionem, modò debitum ſui creditoris ſit liquidum, nec ipſius creditor damnum inde patiatur; vt ſi tibi debeam centum, & tu tantumdem debeas meo fratri, ſi ſoluam fratri, tibi oon ampliùs obligor: quia dum ſoluo tuo creditori 100. cui debes tantumdem, transfero in me ius, quod ille io re habebat ad exigendum à te centum; vnde ſi tibi tantumdem debeam, poſſum vti compenſatione. In foro tamen externo cogar tibi ſoluere, niſi res debitam quam reſtituo tuo creditori, ſit illi obligata. Ita Layman *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*2.*cap.*9.*numer.* 8. Filliucius *tract.* 2.*num.*151. Clauis regia *lib.*10. *tractat.*5. *cap.*7.*num.*6. Medina *quæſt.*3. *cauſa* 5. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.*8.*quæſit.*1.

Laym. Clau.reg. Med.

§. III.

Vbi, & cuius expenſis ſit reſtituendum.

9 QVando debitum ortum eſt iniuſta acceptione, reſtitutio facienda eſt expenſis debitoris, idque eo loco vbi Dominus illam poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet, deductis tameo expenſis, ſi quas creditor eam ſeruando vel deferendo facere debuiſſet; quia reſtitutio orta ex iniuſta damnificatione in integrum fieri debet, ita vt creditor omninò indemnis ſeruetur; tamen ſi transferendo in locũ Domini multò maiores expenſas ex proprio facturus ſis, quàm res reſtituenda valeat, ad id non obligaris, ſed potes pauperibus dare: ſi tamen ſpes ſit fore aliquando vt ſine magno ſumptu ipſi Domino vel hæredibus eius reſtitutio fieri poſſit, hoc caſu res interim in tuto loco ſeruari debet. Vide Nauarr. *cap.*17. *numer.*43. Azor. 3 *p.l.*4.*c.*32. Filliucium *tract.*32. *n.* 110. Laym. *cit. cap.*10.*n.*3. Leſſium *l.*2.*c.*25.*d* 8. *n.* 48. & 50. Syluius 2.2. *q.*62.*art.*5.*quæſit.*7.*concl.*1. & alios.

Azor. Layman Leſſius. Sylu.

10. Quando obligatio reſtitutionis naſcitur ſolùm ex re bona fide accepta, reſtitutio facienda eſt in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoſcitur eſſe aliena; *l.*2.*ff. de negotiis noſtris.* Quòd ſi Dominus abſens aliò transferri cupiat, ſuis ſumptibus id curare debet; vel ſi ob eam cauſam poſſeſſor in Domini gratiam aliquid vtiliter expendat, actione negotiorum geſtorum repetere poterit: & ratio eſt, quia cum tuo damno non teneris Dominum in priſtinum ſtatum reſtituere, cùm eum per iniuriam non deturbaueris, ſed ſolùm teneris ad rei cuſtodiam, monito interim Domino vt ſignificet, quo modo velit eam ſibi tranſmitti; qua in re non teneris vllos ſumptus ferre. Nauarrus *c.*17.*num.*42. Reginald. *l.*2.*n.*231. Clauis regia *l.*10.*tract.*5.*c.*4.*n.*9. P. Nauar. *l.*4.*c.*3.*num.*2. Filliuc. *cit.num.*108. Sylu. *c. concl.*2. & alij.

Nauar. Reginald.

11. Quando debitum deſcendit ex contractu vel quaſi contractu, in quo res eadem numero eſt reſtituenda, vt in depoſito, commodato, pignore, debet eo loco reſtitui, vbi fuit traditum expenſis depoſitarij, commodatarij, niſi aliter iuſta aliqua pactione conuentum ſit; vnde ſi quis equum accepit commodatum, & deinde alium in locum tranſtulit, tenetur ſuis expenſis reſtituere in eo loco vbi accepit, ſi autem Dominus commigraſſet alio, non tenetur qui accepit eò mittere. Quæ autem debetur ex contractu, in quo pro re accepta eſt reddenda alia, reſtitutio ex natura contractus, non quouis loco fieri poteſt, ſed ibi facienda eſt, vbi res pro qua datur eſt accepta, ſecundùm quem locum, etiam res quę datur eſt æſtimanda, vt ſi quis emit equum Romæ, debet reddere pretium Romæ. Porrò quæ debentur ratione donationis, legationis, teſtamẽti, reddenda ſunt in loco vbi erant cum donarentur, niſi aliud in ipſa diſpoſitione expreſſum fuerit, ac proinde expenſis eius cui donata ſunt. Leſſius *l.* 2. *cap.*15 *dub.*8.*nu.* 53. Nauarrus *cap.*17. *n.* 42. Vaſq. *de reſtit.c.*10.*nu.*43. & 58. Filliuc. *tract.*32.*c.*4.*q.*10. Bonac. *de reſtit. d.*1.*q.*5 *p.*1. *n.*12. & 13. Sylu. *cit.concl.*3.4.5.

Nauar. Vaſq Bonac.

§. IV.

Quando ſit reſtituendum.

12 QVando obligatio reſtituendi ſiue ſoluendi ex contractu deſcendit, ſolutio fieri debet tempore quo inter partes contrahentes expreſsè vel tacitè conuentum fuit; eo tranſacto, ſi debitor in mora culpabili exiſtat, iniuriam creditori infert, obligationemque contrahit compenſandi damni quod exinde creditor patitur: neque ad id neceſſe eſt, vt creditor ſolutionem exigat; quia ipſa dies, ſiue tempus ſtatutum, intra quod ſolutio fieri debeat, pro credito interpellat: Si tamen debitor paratus ſit tempore & loco conſtituto ſoluere, ſed creditor vel abſens ſit, nullo loco ſui procuratore relicto, vel præſens recipere nolit, tunc debitor liber eſt à præſtando ipſi damno poſtea eueniente, vel pœna conuenta; *cap.fin.de locato, & conducto.* Bonac. *cit.q.*6.*p.vnic.n.* 3. & 4. Layman. *l. ſect.* 6.*tract.*2.*c.*10.*n.*1. Vnde pœnitens qui tenetur ex contractu reſtitutionem facere, non facilè condemnandus eſt de lethali culpa, quando eſt in mora reſtituendi abſque damno creditoris, etiamſi creditor ſæpiùs petierit ſolutionem, modò debitor intentionem habeat ſoluendi, nec creditor periculum ſubeat amittendi rem ſibi debitam. Molina *tom.*3.*tract.*2.*d.*753.*num.*3. Diana *tract.*3.*miſcel. reſol.*3.*p.*2.

Dian.

An autem debitor moroſus inculpabiliter teneatur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis, affirmat Molina *cit.d.*751.*n.*2. Negant Bonacina *d.*3. *q.*3.*p* 3.*n.*5. Malderus 2.2.*tr.*5.*cap.* 3. *dub.* 12. & alii apud Dian. *tr.* 1.*miſcel.reſol.*49.*p.* 2. niſi præceſſerit pactum de ſoluendo intereſſe procedente ex mora inculpabili; quia non poteſt obligari, niſi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum interuenit. Vide præterea Dianam *de contr. reſ.*87.43.*p.*1.

13 In debitis ex contractu quando non fuit conſtitutus terminus ad ſoluendum, debitor non videtur eſſe in mora, aut grauiter peccare non reſtituendo, antequam admoneatur: nam creditor ſciens & potens petere, videtur dilationem concedere non petendo; ſecus dicendum eſt ſi petat, vel ſi non petat ob timorem vel impotentiam vel obliuionem, tunc enim debitor dicitur alienum retinere inuito Domino, & cenſetur eſſe in mora non reſtituendo. Rodriq. 2.*p.cap.*46. Nauar.*cap.*17.*n.*79. Reginaldus *l.*10.*n.*223. Syluester *verb.mora q.*1. Bonacina, Layman *cit.* & alii.

Rodriq. Nauar. Reginal. Bonac.

14. Quicumque obſtrictus eſt onere reſtituendi ratione rei acceptæ vel iniuſtæ acceptionis, aut detentionis, tenetur ſtatim ac commodè poteſt reſtituere, niſi dilationem obtineat à creditore, aut niſi creditor ſit irrationabiliter inuitus: quia præceptum negatiuum non detinendi rem alienam, item non differendi ſolutionem debitã, omni tempore obligat: tamen illud ſtatim, quo facienda eſt reſtitutio, non accipitur mathematicè, ſed moraliter, expectata ſcilicet opportunitate reſtituendi abſque dolo & fraude, vnde debitor ex delicto vel quaſi delicto tenetur ſub mortali ſtatim reſtituere ac commode poteſt, alioquin cenſetur eſſe in mora. Conſule D. Thomam 2. 2. *q.*62.*art.*8. Clauis regia *lib.* 10. *tractat.*5. *cap.* 4. Sà *verb. reſtit.*

D. Tho. Clau. Sà.

Azor. Syluius.

*reſtit.n.*61. Molina *cit.d.*753.*n.*2. Azor.*cit.l.*4.*c.*34. Syluius 2.2.*q.*62.*art.*8.

15. Qui non reſtituit ſtatim ac commodè poteſt, ſed longo tempore differt reſtitutionem, tot peccata committit quot ſunt actus intentionis & voluntatis moraliter interrupti: vnde peccata in re aliena retinenda multiplicantur, quoties moraliter interrumpitur intentio & voluntas non reſtituẽdi per ſomnum, contritionem, &c. vt dictum eſt, *v. Peccatum*, Confeſſarius tamen in inueſtigando numero peccatorum interruptorum in retinenda re aliena, non debet ſe ſe ſcrupuloſè gerere, ſufficit enim inueſtigare temporis ſpatium, quo res aliena detenta fuit, quo cognito paulò plus vel minus cognoſcet numerum peccatorum & ſtatum pœnitentis. Vaſquez t. 3.*tom.*1.*diſput.*75.*cap.*2. Clauis regia *cit.cap.*5.*num.*9. Molina *cit.* Diana *tract.*5.*miſcel.reſol.*15.*p.*2. Syluius 2. 2. *q.* 62.*art* 8.

Vaſq. Clau reg. Molina. Diana.

Præterea Confeſſarius abſoluere non poteſt pœnitentem nõ habentem firmum propoſitum reſtituendi quam primum poterit, data opportunitate: quia pœnitens tamdiu exiſtit in peccato mortali, quamdiu poteſt reſtituere & non reſtituit: ſimiliter non debet abſolui, qui cùm poſſit commodè reſtituere, intendit reſtitutionem differre, vſque ad mortem ſine iuſta cauſa, aut illam in teſtamento imponere faciendam à ſuis hæredibus. Idem dicendum quando non vult reſtituere niſi per partes, cùm poſſit totum reſtituere, aut quando ſæpius Confeſſario promiſit reſtituere, ſed nondum reſtituit de facto, cum poſſet commodè reſtituere, nec obtinuit dilationem a creditore. P. Nauar. *l* 4.*c.*4.*n.*70. Reginaldus *l.* 10 *n* 221 & 225, & 226. Azor. 3.*p lib.*4 *c.*34.*q.*4. Confeſſarius tamen poteſt abſoluere pœnitentem, quem credit obſtrictum eſſe obligatione reſtituendi, ibique impoſuit præceptum reſtituendi, ſed pœnitens non acceptat præceptum, dicendo ſe facturum quod tenetur, intendere conſulere peritiores, aut ſciens cum probabili opinione ſe non teneri. Ita Syluester *verb. reſtit.*5.*q.*6. Clauis regia *cit.num.*25. Azorius *cit.quaeſt.*3.

Syluest. Azor.

§. V.

Quomodo ſit reſtituendum.

16 MOdus reſtituendi patere poteſt ex ſequentibus regulis. *Prima.* Debita occulta reſtituenda ſunt occultè, publica verò publicè, vt vſuræ publicæ ad tollendam ſcilicet offenſionem aliorum. *Secunda*, res inferioris ordinis non ſunt reſtituendæ cum detrimento rerum ſuperioris, v.g. bona exteriora cum iactura honoris vel famæ; nec honor aut fama cum iactura vitæ regulariter. *Tertia*, reſtitutio non poteſt fieri per partes, ſed tota ſimul facienda eſt, quantum fieri poteſt, quando reſtitutio debetur ex delicto, vel etiam ex re accepta: quando verò reſtitutio debetur ex contractu, facienda eſt iuxta conuentionem & pactum contrahentium. *Quarta*, qui non poteſt per ſe commodè reſtitutionem exequi, niſi ſe prodat, curet eam exequi per alium fidelem hominem, ita tamen vt curet fieri certior aut facta, nec ne. Vide Azor. 3.*p.l.*4.*c.*35. P. Nauar. *l.* 4. *c.* 5. Reginaldum *l.*10.*num.*214. Bonac. *de reſtit.d.*1.*q.*7. Filliuc. *tract.* 32.*c.* 4.*q.*12. citatos hic.

Azor. Nauar. Bonac. Filliuc.

§. VI.

Quo ordine ſit reſtituendum.

17 QVando bona debitoris in ſolutionem omnibus creditoribus ſufficiunt, non eſt opus vllo ordine, nam omnibus integrè eſt ſatisfaciendum: ſi autem bona debitoris non omnibus debitis ſoluendis ſufficiant is ordo ſeruandus erit.

18. Debita certa, id eſt, quæ propriis creditoribus reſtitui poſſunt, præferenda ſunt debitis incertis, id eſt, quæ propriis Dominis aut creditoribus certis ex iuſtitia commutatiua propriè dictum ius competit ad debita ſua exigenda; tamen quando res aliena in ſpecie extat apud iniquum poſſeſſorem, tunc ſi vero domino reſtitui non poſſit, pauperibus potius vel Eccleſiæ tribuenda erit, quam vt tali re aliis certis debitis ſatisfiat. Nauar, *c* 17.*n.* 47. Leſſius *l.*2.*c.*15.*d.*1. Vaſquez *de reſt.*c.11.*n.* 9. P. Nauarr. *l* 4.*cap. vlt.* Syluius 2.2.*q* 62.*art* 8 *quaeſt.*2.*concluſ.*1. & alij.

Nauar. Leſſius. Vaſq. Sylu.

19. Res quæ in ſpecie extant certis dominis debitæ, puta ex commodato, depoſito, locato, furto. Item ſi res empta apud debitorem in ſpecie extet, nondum ſoluto pretio, neque de ſolutione fide habita, & vniuerſim quarum rerum dominium debitori acquiſitum non eſt, ex certis ac propriis dominis integrè reſtituendæ ſunt. §. *vendita, inſtitut. de rerum diuiſione* Laym. *l.*3.*ſect.*5.*tr.*2. *c.*11.*n.*2. Cùm reliqui creditores nullum in iis ius habeãt, vnde ſi res ſit Eccleſiæ, vel fiſci vel minoris, & adhuc extet inter bona debitoris ante omnia ſoluendum eſt pro ea pretium iuſtum, vel certe res ipſa eſt reſtituenda; vnde talis res vbicumque extiterit, etiamſi aliis vendita fuerit, poteſt vendicari. Ita Angelus *verb. emptio num.* 4. Syueſt. *ibid.num.*2. Leſſius *cit.num.*7. Syluius *cit. concluſ.* 2. & alij.

Angel. Leſſius.

20. Quando res aliena vendita fuit & emptor nec pignus, aut fideiuſſorem dedit, nec pretium in præſenti obtulit, nec venditor illud pro ſoluto habuit fidens emptori tunc vel pretium ante omnia ſoluendũ, vel res reſtituenda venditori, quia iure communi in hoc caſu nondum cenſetur trãſlatum dominium, etiamſi res tradita fuerit; an autem tunc venditor habeat ius prælationis? Couar. *l.* 1.*var.*c 7.*n* 3. P. Nauar. *l.*4.*c.*6.*n.* 49. Molina *cit. d.* 536. negant probabiliter, quia nullum ius poſitiuum inducens in tali re hypothecam in iure Cæſareo reperitur. Probabile tamen eſt, venditorem ſi ab emptore fideiuſſorem vel pignus non accepit, & res adhuc apud emptorem extet, in ea re cæteris eſſe præferendum, ita vt vel pretium ei ſoluendum ſit, vel res ipſa reſtituenda, quia valdè durum eſt ab æquitate naturali alienum, vt res mea, quam a me emiſti, non ſoluto pretio, extans in ſua ſpecie aliis aſſignetur, & ego re mea ſimul & pretio fraudet. Syluester *verb.reſtit.*6.*q.*5. Caiet. *eodem verb c.*8. Nauarr.*c.*17. *n.*49. Medina *de reſtit.q.*2. Sylu. *cit concl.*3. & alij.

Couar. Nauar. Molina. Syluest. Nauar. Medina.

21. Qui habet multa debita, quorũ aliqua ſint certa & aliqua incerta, debet priùs perſoluere certa quam incerta, ſi non eſt omnibus ſoluendo: quia debita certa iuxta probabiliſſimam ſententiam. iure naturæ ſoluenda ſunt creditoribus certis, debita verò incerta, iure poſitiuo ſoluenda ſunt pauperibus; ſed ius naturæ præferendum eſt iuri poſitiuo, ergo Filliuc. *tract.*32. *n.* 121. Clauis regia *l.* 10.*tr.*5.*c.*10. Regin. *l.*10.*n.*238.

Filliuc. Cla. reg. Reginald.

22. Quidam Doctores volunt, debita ex delicto eſſe priùs reſtituenda, quàm ex contracto, niſi fortè in contractu interuenerit hypotheca, & quod delictum fuit maius, eò quoque priorem deberi reſtitutionem; Ita Medina *cit.q* 2.*d.*5. Salon 2. 2. *q.* 62.*art.*8. quorum ſententia non eſt improbabilis. Alij docent priùs ſoluenda eſſe debita ex contractu iuſto oneroſo, non gratuito, quàm ex delicto, niſi fortè res ex delicto parta in ſpecie ſit aliena; hæc ſententia etiam probabilis eſt, ſi res ex contractu accepta extet apud debitorem; & huius ſententiæ ſunt Nauar.*cap.* 57.*n.*52. & Caiet. *verb.reſtit.* c. 8. Verior tamen & communior opinio eſt, inter hæc debita nullum eſſe ordinem, ſed ea pari iure cenſeri; eſſeque debita perſonalia, ſine iure prælationis: præſertim ſi res ex contractu accepta, apud debitorem non extet, quia nullo iure probatur debita ex delicto præferenda eſſe debitis ex contractu, vel è contra: ita multi recentiores. Filliuc. *cit.n.*124. Reginald. *c.n.*243. Bonacina *de reſtit.d.*1.*q.*8.*par.* 2.*num.*22. Syluius *c.concl.*7. & alii.

Filliuc. Regin. Bonac. Sylu.

23. Qui habet debita ex contractu oneroſo, & aliqua ex contractu gratioſo, tenetur prius perſoluere debita ex contractu oneroſo, vt ſi quis debeat Petro 100. nummos ex contractu emptionis, & Paulo debeat 100. ex promiſſione gratuita, tenetur in ſolutione facienda præferre Petrum Paulo; hinc patet quid ſit dicendum de legatis, aliiſque liberalibus diſpoſitionibus; creditores enim ex contractu oneroſo præferendi ſunt creditoribus ex contractu gratioſo, vt legato, &c. Nauarr. *cap.*17.*num.*50.

Nauar.

Leſſius

Leſſius. Reginald. Clau. reg.

Leſſius *cit.n.*35. Regin. *cit.n.*239. Clau. regia *cit.num.*34. & alij.

24. In ſolutione certorum debitorum is ordo ſeruãdus eſt. *Primò*, reddendum eſt illud, cuius dominium non fuit traoslatum in debitorem; vt ſi res Eccleſiæ, vel fiſci, vel minoris eſſet adhuc inter bona ipſius & pretium eius ſolutum non eſſet, vt dictum eſt, *l. ſi curator, ff. de iure fiſci*. *Secundo*, ſoluendæ impenſæ moderatæ pro funere debitoris, ſi hic mortuus eſſet; huc etiam pertinent expenſæ pro inuentario faciendo, pro adeunda hæreditate, & ſimilibus; *l. penult. ff. de relig. & ſumptibus funeris*. Leſſius *c.d.4.nu.*21. Syluius *cit. concl.* 4. *Tertio*, præferendi ſunt hypothecarij, & inter hos qui priores ſunt tempore; vnde tacita hypotheca prior præfertur expreſſæ poſteriori, vt in dotali, quæ tamen tacita eſt; Et generalis prior præfertur ſpeciali poſteriori; *l.*2.4. 5. *Cod. qui potior. in pignore habeantur*, Couar. *l.*1.*var.c.*7.*n.*2. contra Nauarrum. *Quartò*, hypothecarijs ſuccedunt creditores perſonales, inter quos præferendi, qui habent perſonale priuilegium prælationis abſque hypotheca, vt habet ſponſa de futuro in bonis ſpõſi ob dotem traditam non ſecuto matrimonio. Deinde creditores habentes ſcripturam ſiue chirographum, ex titulo oneroſo, cuique enim ſoluendum pro rata, non habita ratione temporis prioris vel poſterioris; Prætérea creditores ex titulo gratuito: poſt illos, hæredes & legatarij; hæredes autem præcedunt legatarios in ordine ad legitimam ſint neceſſarij: in ordine ad quartam partem quæ dicitur falcidia, ſi non ſint neceſſarij. Leſſius *cit.n.*43. & 35. Nauar. *c.*17.*n.*51. Filliuc. *tr.*32.*c.*4.*q.*17. Layman *l.* 3. *ſect.* 3. *tract.*2. *cap.* 11. *Quintò*, aduertenda ſunt particularia ſtatuta ciuitatum, locorum. Vide Couarruuiam & alios citatos.

Leſſius. Nauar. Layman.

25. Septem ſunt caſus, in quibus poſterior tempore præfertur priori habenti hypothecam. *Primus*, mutuantis ad refectionem vel conſeruationem alicuius rei. *Secundus*, mutuantis pro re cuſtodienda. *Tertius*, hypothecæ dotalis. *Quartus*, empti pecunia pupilli. *Quintus*, mutui ad aliquid emendum. *Sextus*, contrahentis cum fiſco manent enim ipſius bona hypothecata cum priuilegio prælationis. *Septimus*, credentis pecuniam ad militiam. Bonacina *de reſtit.d.*1.*q.*8.*p.*2.*n.*16. Filliucius *cit. n.* 129. Leſſius *cit.n.*26.*& ſeq.* & alij.

Bonac. Leſſius.

26. Multi Doctores affirmant regulam iuris, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*, locum habere in omnibus creditoribus eiuſdem ordinis, id eſt, quorum alter non habet aliunde priuilegium prælationis contra alterum: quia quò diutiùs creditor caruit ſuo, eò ſtrictiùs ei debetur, & eò citiùs eſt ei reſtituendum, quod non eſt improbabile, & eſt ſatis rationi conſentaneum. Tolet. *l.* 5. *c.* 25. Sà *verb. reſtit.n.*61. Valentia 2.2.*d.*5.*q.*6.*p.*10. Medina *q.*2.*d.*5. Contrarium tamen eſt verius, nempè non eſſe ſeruandam inter creditores chirographiarios ſeu perſonales carentes hypotheca vel alio iure prælationis, ſed tantùm inter creditores habentes eandem rem ſibi hypothecatam, vt colligitur *l.*1.*ff. de ſeparationibus*. Ita Reginald. *l.* 10.*nu.*248. Filliuc. *cit.n.*127. & 130. Bonac. *c.n.*19.

Tolet. Sà. Valent. Med.

27. Inter cooperantes damnum ille principaliter tenetur ad reſtitutionem, qui præcepit damnum, modò in illud influxerit & habuerit auctoritatem ſupra illum, cui delictum præcepit, qualis eſt Iudex reſpectu ſibi ſubditi, Dominus reſpectu ſerui, &c. Poſt cauſam verò præcipientem principaliter tenetur exequens, qui per ſeipſum phyſicè cooperatus eſt ad delictum patrandum; poſt cauſam exequentem principaliter tenetur conſulens & mandans, poſt conſulentem & mandantem tenetur principaliter receptator: D. Thomas 2.2.*q.*62.*art.*7. Vaſquez *de reſtit.c.*9.*n.*52. & 50.§.1. P. Nauarr. *l.* 4.*cap.*4.*num.*75. Clauis regia *cap.*12. Sylu. 2.2.*q.*62.*art.*7.*quæſit.*1.*concl.*2. & 3. Poſt receptatorem tenetur non impediens & non manifeſtans, qui tenebatur ex officio impedire, vel manifeſtare, vel clamare. Reginaldus *cit.num.*128. Azor. *cit. cap.* 19.*q.*3. Aduertere tamen ante hos omnes, eum primo loco teneri ad reſtitutionem, qui rem alienam habet apud ſe extantem formaliter, vel in æquiualenti. Vt docet Syluius *cit. concl.*1.

Nauar. Sylu.

28. Cauſa principali reſtituente, cæteræ quæ minùs principaliter tenebantur ad reſtitutionem, liberæ ſunt ab onere reſtitutionis: hinc facta reſtitutione ab eo, qui apud ſe rem alienam habuit, cæteri ad nihil obligantur. Valent. *cit.q.*6.*p.*3. Medina *cit.q.*8. Vaſquez *c.*9.*d.*3.§. 1. Similiter cauſa principalis non tenetur quidquam reſtituere parti læſæ, cui integrè ſatisfactum eſt à cauſa minùs principali, nullo enim titulo poteſt pars læſa duplicem ſolutionem exigere: tamen cauſa principalis in hoc caſu tenetur ſeruare indemnem cauſam minùs principalem, reſarciendo quod ab ipſa fuit ſolutum parti læſæ. Reginald. *cit.num.*127. P. Nauarr. *cit.num.*84. Azor. *cit. c.* 19. *q.*4. Quando autem plures tenentur æqualiter reſtituere, ſed vnus integrè reſtituit, cæteri tenentur ad reſtitutionem illi, qui ſoluit; propterea vna ex concauſis minus principalibus reſtituente in defectum principalis, cæteri tenentur ſuam portionem illi refundere, ſeu reſarcire ad ratam ſuæ cooperationis. Bonacina *cit.q.*8.*p.*1.*nu.*14. Vaſq. *c.*9.*d.* 4. Syluius *cit.art.*7. *quæſit.*2.

Bonac. Vaſq. Sylu.

29. Quando plures damnum intulerunt, & Dominus condonauit cauſæ principali obligationem, cæteri qui fuerunt cauſæ minùs principales liberi ſunt ab onere reſtitutionis: ſecus ſi condonauit vni tantùm ex minus principalibus; quòd ſi omnes æqualiter teneantur ad reſtitutionem, & pars læſa remittit vni obligationem, cæteri tenentur in ſolidum ad reſtituendum reſiduum, detracta parte quæ reſtituenda fuiſſet ab eo, cui facta fuit remiſſio. Verùm qui obtinuit remiſſionem à creditore, & creditor remiſit poſitiuè cedendo illi omnem ſuam actionem, ac ſi reipſa ſoluiſſet, habet ius contra principalem ad repetendum id, cuius ſibi facta fuit remiſſio à creditore, quia ſuccedit in locum creditoris. Secus eſt, ſi creditor non ceſſit omnem ſuam actionem cauſæ minus principali. Ita Molina *d.*737. & 738. Reginaldus *cit.n.*134. P. Nauar. *l.*3.*c.*3. *n.*112. Clauis regia *cit.num.*22. Vaſquez *c.*9.*dub.*4.*n.*68.§. 1. Sylu. *cit.art.*7.*quæſit.*3.

Molin. Reginald. Nauar. Vaſq.

RESTITVTIO V.

De cauſis excuſantibus à reſtitutione vel omninò, vel ad tempus.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor cauſæ excuſantes à reſtitutione ad tempus.*

§. I.

2 *An differri poſſit reſtitutio quando creditur allaturum nocumentum ipſi creditori, vel alteri tertiæ perſonæ?*

3 *An damnum ipſius debitoris ſit cauſa excuſans a reſtitutione?*

4 *An impotentia debitoris ſit cauſa ſufficiens differendæ reſtitutionis? Et an, qui rem alienam conſumpſit in extrema neceſſitate, teneatur ad reſtitutionem tranſacta neceſſitate?* refertur duplex ſententia.

5 *An ceſſio bonorum ſit cauſa ſufficiens differendi reſtitutionem?*

6 *An in foro exteriori ceſſio bonorum ad hoc iuuet ne debitor poſſit conijci in carcerem? & an, qui abſque culpa cogitur cedere bonis, poſſit aliquid abſcondere?*

7 *An Clerici propter debita teneantur bonis cedere & poſſint in carcerem conijci?*

8 *An debitor differens ſolutionem debiti ex delicto teneatur ſoluere creditori lucrum ceſſans & damnum emergens, quod creditor patitur?*

9 *An poſſit debitor licitè differre ſolutionē quando eam præſtare nequit, niſi cadat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito?*

De ean-

§. II.

De cauſis quibus omitti poſsit reſtitutio.

10 *An remiſſio creditoris liberet debitorem à reſtitutione? & quæ conditiones requirantur vt hæc remiſſio valeat? Quando parens cenſeatur condonare reſtitutionem debitam a filio concedentis?*

11 *An debitor teneatur ad integram reſtitutionem ſi perueniat ad pinguiorem fortunam. qui compoſuit cum creditoribus contentis minori ſumma?*

An excuſetur etiam à reſtitutione debitor, quoties illi conſtat de voluntate formali vel præſumpta creditoris remittentis, aut dilationem.

12 *An compenſatio ſufficienter excuſet debitorem à reſtitutione?*

13 *An compoſitio cum Pontifice ſit cauſa propter quam omitti poſſit reſtitutio, ſi incerti ſint creditores?*

14 *An compoſitio obtenta à ſede Apoſtolica valeat quando creditores ſunt noti?*

15 *An præſcriptio ſit cauſa ſufficienter excuſans à reſtitutione?*

16 *An religionis ingreſſus liberet à reſtitutione?*

1 CAnſæ excuſantes à reſtitutione ad tempus ſunt: *Prima*, damnum ipſius creditoris vel tertiæ perſonæ *Secunda*, damnum ipſius debitoris. *Tertia*, impotentia. *Quarta*, ceſſio bonorum, de quibus ſigillatim.

§. I.

1 CVm reſtitutio dirigatur & ordinetur in vtilitatem creditoris, non in ipſius perniciem & damnum, hinc differri poteſt, quando creditur allatura nocumentum ipſi creditori, vel alteri tertiæ perſonæ, in tempus congruum & magis opportunum; vnde poſſum & teneor denegare inſano vel alteri ſuum gladium apud me depoſitum, petenti ad te vel alterum occidendum, modò denegare poſſim ſine meo graui incommodo. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 63. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. *num.* 53. Filliucius *tract.* 32. *num.* 158. An autem debitor poſſit vel teneatur reſtituere ſuo creditori rem debitam, qua ſcit ipſum abuſurum. Clauis regia *lib.* 10. *tractat.* 5. *capit.* 8. *num.* 10. Leſſius *cit.* & alij dicunt lege charitatis reſtitutionem debere differri, ſi dilata ſolutione ſpes ſit, malum illud fore impediendum. Azorius tamen 3. *part. lib.* 4. *c.* 39. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 6. P. Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 33. docent quando creditor abuſurus eſt tantummodò in ſuum detrimentum, v.g. in ludos, ebrietates, meretrices, &c. & debitor non poteſt commodè debitum denegare, debitorem poſſe & teneri reſtituere præmiſſa correctione ne abutatur; quia non intereſt debitoris, an creditor in pios vel malos vſus conſumat, ſed debitoris eſt ſoluere quod debet abſque alterius iniuria. Quando autem creditor abuſurus eſt pecunia vel alia re ſibi debita, in detrimentum & iniuriam tertij, debitor non poteſt creditori reſtituere, imò reſtituendo grauiter peccaret, & quidem contra iuſtitiam, niſi excuſetur ratione notabilis incommodi, quod pateretur non reſtituendo, & niſi accedat præceptum Iudicis. Conſule Syluium *ſecunda ſecundæ quæſt.* 62. *artic.* 5. Ratio autem cur debitum difficilius reddi poſſit creditori abuſuro contra iuſtitiam, quàm contra alias virtutes. v.g. temperantiam, eſt; tum quia obligatio virtutis iuſtitiæ ſuaptè natura grauior eſt, quam aliarum moralium: conſequenter oritur inde ſtrictior obligatio impediendi peccata contra iuſtitiam, quàm contra alias virtutes. Tum quia per peccatum iniuſtitiæ infertur damnum alteri innocenti, & inuito; per alia verò peccata v.g. intemperantiæ, ſolus peccans, & quidem propria voluntate damnum accipit. Molin. *tom* 3. *diſp.* 755. Nauarr. *cit. num.* 62. Valentia 2.2. *d.* 5. *q.* 6. *p.* 4. Molina. Nauar. Valentia.

3. Secunda cauſa excuſans à reſtitutione ſtatim facienda, eſt incommodum & damnum quod debitor longè maius patitur, quàm patiatur creditor ex dilatione reſtitutionis, quod tamen intelligendum eſt, de damno diſtincto à re ipſa reſtituenda, ſeu de damno in rebus non debitis: nam damnum quod ſentitur præcisè in reſtitutione rei debitæ, non eſt damnum pati in propriis bonis, ſed eſt reſtituere quod alteri debetur: A fortiori debitor poteſt reſtitutionem differre ob vitandum magnum & probabile periculum ſalutis animæ ſuæ & ſuorum, quando alia non ſuppetit congrua via, ſeu commoda ratio euadendi huiuſmodi periculum, quàm differendo reſtitutionem. Similiter debetur non tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum notabili iactura bonorum ſuperioris ordinis, quia Dominus tunc non cenſetur rationabiliter inuitus, quandoquidem peccet contra charitatem & æquitatem, ſi velit ſtatim ſibi reſtitutionem fieri cum tanto debitoris detrimento. Leſſius *cit. cap.* 16 *num.* 21. Filliucius *cit. num.* 145. Nauarr. *c.* 17. *n.* 57. Sà *verb. reſtit. num.* 26. Azor. 3. *p. l.* 4. *c.* 39. P. Nauarr. *c.* 4. *l.* 4. *num.* 40. Syluu. 2.2. *q.* 62. *art.* 8. *q.* 1. *concl.* 3. *& ſequentibus*. Hinc communiter à Doctoribus admittitur regula Scoti 4. *d.* 15. *q.* 2. *ar.* 4. docentis, *ſolutio differri vel omitti poteſt, quoties dominus rei rationabiliter velle debet reſtitutionem differri.* Notandum tamen eſt, debitorem non poſſe differre reſtitutionem, quando damnum quod ipſe patitur reſtituendo, eſt æquale damno quod patitur creditor ex dilatione reſtitutionis: quia cum æquali damno potior eſt conditio creditoris innocentis. Ita Molina *cit. d.* 754. Filliucius *cit. nu.* 148. Claui regia *c.* 6. *num.* 17. Leſſius. Nauar. Azor.

4. Tertia cauſa ſufficiens differendæ reſtitutionis, eſt impotentia debitoris, quia impoſſibili non eſt obligatio: vnde extrema neceſſitas vel etiam grauis tua vel tuorum, vel proximi cui aliter ſubuenire nequis, niſi rem alienam vel alteri debitam impendendo, excuſat à reſtitutione, quamdiu ea durat, quia in tali euentu omnia ſunt communia: quod intelligendum eſt, modò creditor non exiſtat in pari neceſſitate. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *c.* 12. *num.* 1. & 2. Bonacina *de reſtit. diſt.* 1. *q. vlt. p.* 1 *num.* 30 & 31. Sylu. 2.2. *q.* 62. *artic.* 8. *quæſit.* 1. An autem qui rem alienam conſumpſit in extrema neceſſitate teneatur ad reſtitutionem tranſacta neceſſitate. Nauar. *cap.* 17. *num.* 61. & 62. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 8. Toletus *lib.* 5. *cap.* 24. dicunt teneri, ſi res conſumpta ſit magni pretij, nec putetur donata, & quando commodè poteſt: quia extrema tua neceſſitas non transfert in te dominium rei alienæ, ſed tantùm tribuit ius vtendi, vt periculum euadas. Hæc ſententia eſt probabilis. Verius tamen putant alij accepta in neceſſitate, non eſſe obligationem ea reſtituendi, tranſacta neceſſitate, modò conſumpta fuerint in ipſa neceſſitate, & non extent poſt neceſſitatem: quia res accepta in extrema neceſſitate cenſetur communis, nullus autem tenetur ad reſtitutionem rei communis conſumpte. Ita P. Nauar. *cit. num.* 24. Azor. *cit. cap.* 33. Sotus, & alii. Secus dicendum eſſet, ſi res ante neceſſitatem accepta eſſet, vel ſi in ipſa neceſſitate, adhuc tamen extaret poſt neceſsitatem, vel ſi mediante contractu transferente dominium rei in accipientem, in his tribus caſibus eſt obligatio reſtituendi tranſacta neceſſitate, quia hæc obligatio non fuit extincta, ſed tantùm conſopita & ſuſpenſa. Ita Filliucius *cit. num.* 142. Clauis regia *cit. nnmer.* 12. Leſſius *cit. n.* 4. Filliuc. Clau. reg Leſſius.

5. Quarta cauſa propter quam differri poteſt reſtitutio, eſt ceſsio bonorum, *l. qui bonis, ff. de ceſſione bonorum*, quia qui ceſsit bonis cenſetur eſse impotens ad ſatisfaciendum debitis exiſtentibus poſt ceſsionem: in foro tamen conſcientiæ ceſsio bonorum non magis excuſat, quàm neceſsitas ſine ceſsione excuſaret, quia in hac ceſſione tantùm conceduntur alimenta, idque ex quadam miſericordia neque ſemper, ſed quando caſus id videtur mereri: verum hæc ceſsio non ita eximit a reſtitutionis obligatione, quin debitor teneatur ad reſtitutionem poſtquam peruenerit ad pinguiorem fortunam, quia debita per ceſsionem bonorum non fuerunt extincta ſed conſopita. Vnde mercatores aut nobiles non ſunt tuti in conſcientiæ, nec à reſtitutione immunes, qui innumera debita contrahunt, vt in victus, cultus, familiæque ſplendore, fines ſui ſtatus excedant, aut in ancipites, ac temerarias negotiandi rationes ſe ingerant, etſi bonis cedere velint, aut in Eccleſiam ſe recipiant, vt credito-

Digitized by Google

res totum debitum, vel partem remittant, vel ſoluendi dilationem concedunt, ſi alioquio ad hoc creditures iure naturali non teneantur. Ratio eſt, quia talis remiſſio eſt extorta & coacta potiùs quam ſpontanea; ſecus eſt de mercatoribus qui prudenter, & ſincerè debita contraxerunt, vt ſeſe lucrandi ergo in plura & ampliora negotia immitterent, quibus tamen poſtea res non ſuccedit ex voto. Nauar. *cap.16.num.86.* Clauis regia *l.10. tractat.5. cap.7.n.4.* Filliucius *cit.num.155. & 153.* Layman *cit.cap.12.num.5.* Diaoa *4.p.tract.4.reſ.78.* Sylu.*cit.art.8.quæſit.1.in concl.7.*

Nauar. Laym. Diana.

6. In foro autem exteriori ceſſio ad hoc iuuat, ne debitor poſſit coniici io carcerem, & ne, ſi poſt ceſſionem aliquid acquirat, ei poſſit auferri, quando eſt neceſſarium ad ſuam vel ſuorum ſuſtentationem; *l. 1. C. qui bonis cedere, l. qui bonis, ff. cit.* Hinc ille qui abſque culpa cogitur cedere bonis, ſi fiat executio io bonis eius per creditores, poteſt abſcondere quantùm neceſſarium eſt ad tenuem ſui & aliorum, quos alere tenetur, ſuſtentationem iuxta ſuum ſtatum. Idem dicendum de illo, qui debitor eſt ex delicto, poteſt enim retinere quantùm neceſſe eſt, vt pro ſua conditione non indecorè viuat, & maximè de bonis quæ poſt ceſſionem acquirit. Vide ſuprà v. *Ceſſio bonorum*, & Molinam *tom.2.d.561.* P. Nauarr. *lib.4.cap.4.num.60.* Bonscinam *cit.p.1.n.37.* Leſſium *cit.dub.3.nu.45.* & alios.

Molina. Nauar. Bonac. Leſſius.

7. Clerici, qui iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.23.c.6. C. Odoardus, de ſolutionibus. C. vnico de clerico coniug. in 6.* gaudent priuilegio fori, exceptis Clericis coniugatis, vt ſunt omnes initiati ſacris: Item habentes beneficium Eccleſiaſticum, vel qui clericalem habitum & tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiunt; vel qui in Seminario Clericorum aut in aliqua ſchola vel vniuerſitate, de licentia Epiſcopi quaſi in via ad maiores Ordines verſantur, & habitum cum tonſura geſtant, non tenentur bonis cedere, nec poſſunt tamen ob debita in carcerē coniici, nec in opprobrium ſtatus Eccleſiaſtici coguntur mendicare. Ita Leſſius *cit. nu. 52.* Syluius *cit.* ex iuribus hic citatis.

8. Debitor, qui differt ſolutionem debiti ex delicto, tenetur ſoluere creditori lucrum ceſſans & damnum emergens, quod creditor ex ea dilatione patitur: quia debitor per ſuum delictum eſt iniuſta cauſa damni, quod facilè ſolet ex delicto euenire: qui autem differt ſolutionem debiti ex contractu iuſto, non videtur obligandus ad reſtitutionem damni vel lucri ceſſantis, quia differens ſolutionem ex iuſta cauſa, non dicitur eſſe in mora ſoluendi: quod intelligendum eſt, modò debitor non differat reſtitutionem ad vitandum ſolùm ſuum detrimentum, quia ſi ſolum differat vt ſeipſum ſeruet indemnem, videtur obligandus ad reſtitutionem damni; par enim non eſt, vt debitor ſeipſum ſeruet indemnem cum damno creditoris, quando debitor eſt ſoluendo. Ita Molina *diſt. 754. & 755.* Leſſius *l.2.c.16.dub.1.n.32.* Clauis reg. *l.10. tr.4.c.vnic.n.12.* Arragon *2.2 q.62.art.4.* Diana *p.5.tr.13. reſ.78.* Filliuc. *tr.33.n.151.* & alii citati.

Leſſius. Clau reg. Arragon Diana. Filliuc.

9. Porrò debitor poteſt licitè differre ſolutionem, quando eam præſtare nequit, niſi cadat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito, etiamſi debitum contraxerit ex delicto, vt ex comeſſationibus, ludis, ſcortis, prodigalitate, &c. tamen ſi ſtatus iniuſtè fuit acquiſitus, vt per vſuras, rapinas, debitor tenetur ſtatim reſtituere etiam cum iactura ſtatus nam reſtituendo non cadit à proprio ſtatu, ſed reuertitur ad primum ſtatum; licet poſſit talis debitor retinere ea, quæ ſunt neceſſaria hominibus ſuæ conditionis ad tenuem victum & veſtitum; vnde Confeſſarius non debet cogere pœnitentem ad reſtituendum, quando ille non poteſt reſtitutionem facere, niſi cadat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito, & cogatur mendicare. Ita P. Nauar. *l.4.c.4.n.60.* Bonac. *cit.q.vltim.punct.1.n.24. & 25.* Nauar. *c.17.n.63.* Leſſius *cit.n.26* Sylu. *cit.q.1.art.8.concl.3. & 4.*

Bonac. Nauar. Leſſ.

Vide verb. *Compenſatio* num. 1. *Eleemoſyna* num. 8. 9. 10. & 15.

§. II.

De cauſis quibus omitti poſſit reſtitutio.

10 PRima cauſa omninò liberans debitorem à reſtitutione eſt, remiſſio creditoris; quia ſicut creditor poteſt ius ſuum quod habet in debitorem alteri donare, ita etiam ipſi debitori, quod eſt remittere: tamen vt hæc remiſſio valeat tres conditiones requiruntur. *Prima*, vt ſit omninò libera, id eſt, non extorta metu vel fraude: nam ſi fiat inuoluntariè ſimpliciter vel mixtè, vt per ignorantiam, aut per metum grauem, aut leuem, quamuis reuerentialem, aut per dolum & fraudem debitoris, inualida eſt. *Secunda*, vt poſſit condonare, nemo autem poteſt condonare niſi qui donare; vnde debita mariti non poteſt vxor remittere. *Tertia*, vt condonatio nō fiat in caſibus iure exceptis, qui tres ſunt. *Primus*, quando Epiſcopus in viſitatione reciperet aliquid vltra ſumptus neceſſarios ad victum. *Secundus*, quando Iudex delegatus aliquid reciperet à partibus præter eſculenta, & poculenta. *Tertius*, quando Inquiſitores officii prætextu pecunias extorſerint. *Quartus*, additur ex Tridentino de Canonicis, qui non adſunt Horis Canonicis, & accipiunt diſtributiones. *ſeſſ.24.c.12.* Ita Nauarr. *cap.17.num.45.* Clauis regia *lib 10.tract.5.cap.8.numer.1.* Rodriquez *tom.1.cap.49.num.11.* Filliucius *tract.35.cap.5.num.157* Leſſius *l.2 c.16.dub.2.* Azorius *3.p.lib.4.cap.39.* Sà *verb. reſtit.n.28.* Sylu. *2.2.qu.62.artic.8.quæſit.1. in concluſ.7.* & alij.

Nauar. Clau.reg. Rodriq. Leſſius. Azor. Sà.

Petes, quando parens cenſeatur condonate reſtitutionem alioqui debitam ratione profuſionis, & diſſipationis paternorum bonorum ſactæ à filio? Reſp. quando filius non maiorem quantitatem inſumpſit, quam pater contentus eſſet, vt in ſui ſuſtentationem & honeſtas recreationes inſumeret, ad nullam reſtitutionem ordinariè tenetur, ſi quid intra illam ſummam, inordinatè & contra voluntatem patris compotando, comeſſando, ludendo, libidinando, &c. conſumpſit. Ratio eſt, quia pater inuitus non eſt quoad ſumptus, ſed quoad modum & obiecta, circa quæ inſumpſit. Deinde parentes ſciunt ſe iuuenibus lubricis committere diſpoſitionem ſuæ pecuniæ ad ipſorum ſumptus & ſuſtentationem, & proinde aduertunt pro humana fragilitate non aliter eſſe eam regulariter adminiſtraturos. Confirm. quia non ſemper, quando filius ita inordinatè aliquid contra voluntatem patris inſumit vt lethaliter peccet, tranſgrediendo eo pacto patris voluntatem, tenetur adducere illud ad cumulum diuidendum cum alijs fratribus: rarò enim inuenietur pater, qui, ſi quod ita inſumitur non valdè excedat, velit, vt filius poſt mortem ſuam ad partitionem id adducere teneatur, ſufficitque ea tacita ac præſumpta voluntas patris vt adducere illud non teneatur. Si tamen ſumma inordinatè inſumpta, tanta eſſet, vt attenta qualitate parentum, & filij, omnino excederet fines alimentorum, tunc eſto conſtaret patrem, quantùm ex ſe eſt, liberè id remittere, filius tamen teneretur adducere exceſſum ad partitionem, niſi pater in portionem, de qua liberè poteſt diſponere, id acciperet: aut niſi fratres tantundem inordinatè inſumpſiſſent: nam tunc locus eſſet compenſationi. Dixi in reſponſione, ordinariè, quia quando parens eſſet adeo tenax, vt omnino vellet filium ea via dominium non transferre, tunc reſtituere teneretur filius.

11. Debitor, qui ſe compoſuit cum creditoribus contentis minori ſumma, non tenetur ad integram reſtitutionem, ſi perueniat ad pinguiorem fortunam: quia huiuſmodi compoſitio cenſetur quædam remiſſio, quæ vim ordinationis habet: modò non adſit fraus, vel dolus, vel metus, Nauarr. *c.17.n.75.* Sà *verb. debitum num.75.* Syluest. *verb. reſtit.7.n.2.*

Naua. Sà. Syluester

Excuſatur etiam à reſtitutione debitor, vel poteſt eam differre, quoties illi conſtat de voluntate formali, vel præſumpta creditoris remittentis reſtitutionem, aut concedentis dilationem, aut quoties conſtat Domino diſplicere reſtitutionem, quia in hoc caſu nihil dicitur retinere inuito Domino: & ob hanc cauſam ſæpè excuſantur filii

Reginald. Nauar. Clau. reg.

familias, vxores, Religioſi, &c. vt dictum eſt verb. *Furtum*. Vide Regin. *l.* 10. *n.* 252. Nauar. *c.* 17. *n.* 138. Clau. reg. *l.* 12. *c.* 14. *n.* 15. & alios.

12. Secunda cauſa ſufficienter excuſans debitorem à reſtitutione eſt compenſatio, quæ tribus modis poteſt interuenire. *Primò*, per æquiualens commodum creditori collatum. *Secundò*, per æquiualens creditum, quod haberet vel acquireret cum ſuo creditori. *Tertiò*, per ſolutionem debiti factam creditori ſui creditoris De Compenſatione ſuprà v. *Compenſatio*. Ita Leſſius *cit. dub.* 12. Filliuc. *cit. n.* 150. Sylu. *cit. poſt concl.* 7.

Leſſius. Filiuc. Syluest.

13. Tertia cauſa, propter quam omitti poteſt reſtitutio, eſt compoſitio cum Pontifice, quando incertum eſt, quinam ſint creditores; & hoc verum ſiue debitum ſit ex delicto, vt in vſuris, furtiſue minutis, ſiue abſque delicto, vt in debitis ex contractu, & inuentis, quia quando ignoratur proprius horum Dominus, hæc reſtituenda ſunt in vſus pios, non iure naturæ, ſed iure poſitiuo, in quo iure, poteſt Pontifex diſpenſare, ita vt debitor ſibi per compoſitionem retineat incerta & eximatur à reſtitutione incertorum. Clauis regia *lib.* 10. *tractat.* 5. *c.* 8. *num.* 22. Bannez 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *dub.* 8. Syluius 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *quæſit.* 4.

Clau. reg. Syluius.

14. Quando creditores ſunt noti, non valet compoſitio obtenta à Sede Apoſtolica, niſi legitima cauſa ſubſit; quia Summus Pontifex non eſt Dominus bonorum ſuorum ſubditorum, neque diſpenſator, ſed tantùm defenſor iuris cuiuſque, & Iudex vindexque criminum: poſita tamen iuſta cauſa poteſt de rebus illorum diſponere, quia habet ſupremam poteſtatem in bonis temporalibus omnium Chriſtianorum, licet in ſpiritale: vnde poteſt imponere mulctas pecuniarias & confiſcationem bonorum pro criminibus, & conſequenter condonare reſtitutiones huiuſmodi hominibus faciendas. Ita Syluester *verb. reſtit.* 7. *q.* 2. Filliuc. *tr.* 32. *c.* 5. *q.* 12. *n.* 161. Leſſius *cit. d.* 11. *n.* 83. Bonac. *cit.* 27.

Syluest. Layma. Leſſius.

15. Quarta cauſa ſufficienter excuſans à reſtitutione, eſt iuris auctoritas, quando nempe res reſtituenda præſcripta iam eſſet, concurrentibus ad legitimam præſcriptionem requiſitis, de qua ſuprà verb *Præſcriptio*; & docent Filliuc. *cit. n.* 160. Bonac. *cit. n.* 29. Sylu. *cit.*

16. An autem Religionis ingreſſos liberet à reſtitutione, hæc ſequentia notanda ſunt ex communi ſententia Doctorum. Si debitor ingrediatur Religionem & profiteatur, etiamſi malè faciat, profeſſio valet, nec tenetur redire ad ſæculum, quia perſona libera eſt; nec eſt eadem ratio de ſeruo & coniuge, hi enim ſui iuris non ſunt: Si res debita extet in ſe, omninò debet illam primo loco reſtituere, & deinde ingredi. Si non extat, ſi quidem poſſit breui tempore, vt paucis annis ſuis conſuetis laboribus ſatisfacere, tenetur expectare, donec ſatisfaciat; quia tunc meritò eſſent creditores inuiti. Si ſit longo tempore opus, vel debeat perferre inſolitos labores, vt poſſit ſatisfacere, non tenetur expectare, ſed poteſt relinquere omnia, quæ habet creditoribus ſuis, & deinde ingredi, quia talis cenſetur impotens. D. Tho. 2. 2. *q. vlt. art.* 6. *ad* 3. P. Nauar. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 94. & 95. Leſſius *cit. dub.* 8. Clau. reg. *l.* 10. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 15. Filliucius *cit. n.* 154. Diana *de dub. reg. reſol.* 41. Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 19. *num.* 8. Vecchis *in praxi diſp.* 2. *dub.* 13. Nonnulli tamen Doctores dicunt talem non poſſe ingredi, niſi ante ſoluerit, quod ſi ingrediatur & profiteatur, tamen adhuc manere obligatum & labore ſuo vel arte ſi quam nouit, debere conari ſoluere, hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quam tenent Medina *q.* 3. *cauſ.* 8. Valent. *tom.* 3. *diſt.* 5. *q.* 6. *part.* 7. Reginald. *lib.* 10. *num.* 255. Molin. *tom.* 3. *d.* 758. Sylu. 2. 2. *quæſt.* 62. *articul.* 8. *quæſit.* 1. *poſt concluſ.* 7. Et hæc de reſtitutione in genere dicta ſufficiant.

D. Thom. Nauar. Diana. Sanch. Vecchis.

Medina. Valentia. Molina.

Vide verb. *Religio* 2. *numer.* 6. *Eleemoſyna numer.* 9. & 10. *Ludus* 2. *numer.* 4. & 5.

SVPPLEMENTVM.

RESTITVTIO VI.

SVMMARIVM.

1 *An ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ oriatur obligatio reſtituendi.*

2 *An præceptum reſtitutionis obliget ad peccatum mortale poſita materia graui.*

3 *Ad quod præceptum Decalogi pertineat præceptum reſtitutionis.*

4 *Quæ ſit differentia circa obligationem reſtitutionis, ex re accepta, ex iniuſta acceptione, & ex contractu.*

5 *An qui infert damnum conſentienti abſolutè & ſimpliciter teneatur ad reſtitutionem.*

6 *Quæ dicantur expenſæ neceſſariæ, quæ vtiles & quæ voluntariæ? Qui dicantur fructus naturales, induſtriales & qui mixti? Et quid ſit intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis.*

7 *Quas expenſas in reſtitutione rei alienæ poſſit poſſeſſor bonæ vel malæ fidei in foro conſcientiæ detrahere.*

8 *An poſſeſſor malæ fidei poſſit deducere laborem & induſtriam adhibitam ad neceſſarias vel vtiles expenſas.*

9 *Poſſeſſor malæ fidei an fructus non extantes, ſed iam conſumptos teneatur Domino reſtituere, quando Dominus eos non percepiſſet?* Refertur duplex ſententia.

10 *An hic teneatur in foro conſcientiæ ad reſtituendos fructus qui ex re aliena percipi poterant, ſi conſtet fore vt verus Dominus eos non percepiſſet.*

11 *An poſſeſſor malæ fidei teneatur eandem numero rem furto ablatam Domino reſtituere, ſi ſit immixta, ſiue meliorata, ſiue deterior effecta ſit.*

12 *Si res malè accepta aut detenta pereat apud iniuſtum poſſeſſorem caſu fortuito, an teneatur hic ad reſtitutionem valoris rei quamuis nullum detentor ex ea lucrum perceperit.*

13 *Quando res furtiua eſt in manu furis meliorata, an reddenda ſit extans cum melioramento, deductis laboribus & expenſis.*

14 *Quænam ſit dicenda cauſa natura ſua efficax & in effectu damnificans?* Refertur duplex ſententia.

15 *An iubens ſeu mandans teneatur an reſtitutionem in ſolidum damno ſecuto, quando iuſſio eſt cauſa efficax damni, vel probabiliter creditur efficax.*

15 *Quid, ſi paratus furari ex imperio alterius non moueatur ſimpliciter ad inferendum damnum, ſed ad inferendum libentiùs, celeriùs &c. an teneatur iubens ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

17 *An teneatur mandans ſi dubius ſit, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum?*

An liber ſit mandans à reſtitutione, ſi poſt illatum damnum, mandatario iubeat, vt reſtituat?

18 *Quæ ſit differentia inter mandantem & conſulentem in obligatione reſtituendi, ſi conſulens reuocet conſilium & mandans mandatum.*

19 *Conſulens furtum vel homicidium, dubitans tamen an ex ſuo conſilio ſecutum ſit furtum aut mors, an teneatur ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

20 *Qui conſilium dedit ad homicidium, aut aliud damnum inferendum, an teneatur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex illo delicto paſſus eſt conſultus.*

Quomodo debeat intelligi illa regula iuris, Nullus ex conſilio dummodò fraudulentum non ſit obligatur.

An mandans teneatur ad reſtitutionem damnorum quæ mandatarius paſſus eſt, occaſione executionis mandati? Refertur duplex ſententia.

21 *Quando plures tenentur in ſolidum reſtituere, an poſſit Dominus rei læſus cuicumque illorum remittere actionem, in iudicio alijs manentibus ſine gratia? Quid ſi læſus remittat debitum principali, vel alicui ex minus principalibus, an cæteri ſint liberi à reſtitutione?*

Quando tres intulerunt damnum, & vni ſit remiſſio, quantum quiſque debeat, ſi id quod ſupereſt in ſolidum ſit compenſandum.

22 *Quando multi obligantur ad reſtitutionem non in ſolidum ſed per partes, an vno ſuam partem reſtituente, cæteri ſimiliter ſuam refundere teneantur.*

23 *An ſocij criminis pro rata reſtituere teneantur ei, qui primus ex eis totum damnum Domino reſtituit.*

24 *Qui ſine damno ſuo, aut periculo poteſt clamando impedire damnum proximi, & non impedit, an teneatur ad reſtitutionem, ſi ſola lege charitatis obligetur? Et quid ſi non impediat ex odio.*

25 *Qui inducit ad tacendum clamare volentem contra fures vt impediat damnum, an teneatur ad reſtitutionem* Refertur duplex ſententia.

26 *An ſi Iudex poſt latam iuſtam ſententiam & promulgatam remittat reo pœnam pecuniariam applicandam fiſco aut parti læſæ, teneatur ipſe eaſdem reſtituere? Et quid ſi Iudex per iniquitatem non ferat ſententiam & non condemnet reum ad ſoluendas pœnas in lege impoſitas?* Refertur duplex ſententia.

27 *Qui negatiuè ſunt cauſa damni, an reſtituere illud non teneantur niſi in defectum eorum, qui poſitiuè illud damnum dederunt.*

28 *Quando damnificatio fuit lucroſa, quis inter cauſas poſitiuas primò & principaliter teneatur reſtituere.*

29 *Quid, quando tantummodò damnum irrogatum eſt.*

30 *An debitor teneatur reddere alienum cum vitæ periculo, Domino exiſtente in eodem periculo?* Refertur duplex ſententia.

31 *An neceſſitas grauis excuſet debitorem à reſtitutione, ſi creditor ſit in pari neceſſitate.*

32 *An reſtitutio poſſit differri ad vitandum magnum & probabile periculum ſalutis animæ ſuæ & ſuorum.*

33 *An quis teneatur cum vitæ aut famæ periculo bona externa reſtituere.*

34 *Qui patitur graue damnum ex eo quod ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſet illi magnum lucrum, an liberetur à reſtitutionis onere pro tunc facienda.*

35 *An poſſit debitor reſtitutionem differre in parte vel in toto ſi reſtituendo patiatur graue damnum, ex eo quod res reſtituenda eſt magna.*

36 *Quando debitor iuſtè ſtatum acquiſiuit, nec reſtituere poteſt ſine iactura ſtatus, an poſſit differre reſtitutionem, & teneatur ſtatum minuere.*

37 *Et quid ſi ſtatus conſeruetur bonis omnibus alienis, ſed eſt ſpes & moralis certitudo, quod in tempore opportuno reſtituet omnia ſine illo incommodo.*

38 *Qui non tenetur cum iactura totali ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, an debebat quantum poteſt ſuum ſtatum reſtringere intra limites decentiæ ſtatus.*

39 *Quando debitor excuſetur à reſtitutione rei alienæ, ſi apud ipſum pereat.*

40 *Quando ſit à reſtitutione liber, qui iuris, aut Iudicis ſententia tenet aliquid non ſuum, aut alteri debitum.*

41 *An Epiſcopus poſſit concedere Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis pro ſua Diœceſi? Et an idem poſſit Rex aut Reſp. de bonis incertis licitè acquiſitis? Et an Commiſſarius generalis Cruciatæ.*

42 *An inter creditores perſonales tantum non habentes priuilegium prælationis pauperior ſit præferendus diciori.*

1 CVm reſtitutio non ſit actus iuſtitiæ legalis aut diſtributiuæ, ſed particularis & commutatiuæ, ad quam ſolam ſpectat inducere æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compenſationem; hinc dicendum eſt violatione ſolius iuſtitiæ diſtributiuæ non oriri obligationem reſtituendi, niſi quatenus ſimul violatur aliquod ius pertinens ad iuſtitiam commutatiuam. Ratio eſt, nam reſtitutio eſt actus illius virtutis, quæ fuit læſa & violata per actum oppoſitum vel omiſſionem; ſed ex communi Doctorum ſententia, reſtitutio dicitur actus iuſtitiæ commutatiuæ, quo redditur alteri, quod iniuſtè ab eo ſublatum eſt, ergo ſignum eſt non oriri præcisè obligationem reſtituendi ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ. Aduertendum eſt autem, quòd iuſtitia commutatiua & diſtributiua, ſunt quidem diuerſæ, ſed frequenter coniunctæ. Licet enim is, qui ſolam diſtributiuam violat, non teneatur ad reſtitutionem; ille tamen qui diſtributiuam commutatiuæ coniunctam lædit, obligatur reſtituere, non qua parte læſit diſtributiuam, ſed qua parte fecit contra commutatiuam. Sic qui diſtribuit ærarium publicum, aliaque eiuſmodi bona principaliter ordinata in bonum illorum quibus fieri debet diſtributio, ſi ijs, qui plus habere debebant diſtribuat minus, tenetur eis reſtituere, quia in ea diſtributione violat iuſtitiam commutatiuam. Ita D. Thomas *ſecunda* D. Thom.
ſecunda quæſt.62.articul.1. Syluius *ibidem*. Nauarrus *in* Nauar.
Manual.cap.17.num.6. Clauis regia *lib.10.cap.1.num.4.* Bannez.
Bannez *ſecunda ſecundæ q.62.artic 2.* Rebellus *de obligat.* Rebel.
iuſtit.1.part.lib.1.quæſt.3.ſect.3.num.18. & *lib.3.quæſtione 3.* & alij.

2. Præceptum reſtitutionis obligat ad peccatum mortale poſita materia graui. Ratio eſt, quia ad ſalutem conſequendam neceſſe eſt abſtinere à peccato, ſed peccatum remitti non poteſt niſi facta reſtitutione rei furatæ, quare quamdiu res aliena, inuito Domino, ab aliquo retinetur, ille reus eſt peccati iniuſtitiæ, à quo peccato abſolui non poteſt, niſi res ſublata reſtituatur proprio Domino, à quo contra iuſtitiam fuit ſublata: quod quidem peccatum, dum non fit reſtitutio, continuatur, ſed non multiplicatur, niſi actus voluntatis multiplicentur Molin.
per interruptiones actuum diſtinctorum. Ita Molina *to.* Leſſius.
3.de iuſtit.diſputat.716.numer.2. Leſſius *lib.2 capit.7.dub.* Clau.reg.
30. Clauis regia *lib.10.tractat.1.capit.3.numer.5.* & alii Bonac.
communiter apud Bonacinam *de reſtit.diſp.1.q.1.punct.2.num.5.*

Tum quia ſeruare iuſtitiam eſt de neceſſitate ſalutis; at verò reſtitutio actus eſt iuſtitiæ commutatiuæ; ergo & rem ablatam reſtituere de neceſſitate ſalutis eſt, qui enim rem proximi, inuito Domino, vel rapit, vel detinet, proximo damnum infert, & contra iuſtitiam facit, ergo ne in peccato maneat, reſtituere tenetur. Hæc eſt Catholicorum ſententia contra errorem quorumdam Sacerdotum Græcorum, qui pro furto, rapina & vſura non iniungebant reſtitutionem, ſed ſolùm raptorem & furem oleo ſimplici vngebant, eâ tantùm pœnitentia impoſita, vt partem eorum, quæ iniuſtè acceperant, ipſimet Sacerdoti, & Eccleſiæ in eleemoſynam darent, vt referunt Alphonſus à Caſtro *lib.18 de hæreſ. in verb. Reſtitutio,* & Sotus *de iuſtit.lib.4.quæſt.6.artic.2.* contra quos eſt dicendum quoniam præcepto Decalogi iubemur aliena reſtituere.

3. Quamuis præceptum reſtitutionis aliquo modo diſtinctum ſit à præcepto furti, quia tamen implicat in ſe negationem, qua prohibemur rem alterius inuito Domino retinere, reducitur ad illud Decalogi præceptum ad quod pertinet talis negatio, ſcilicet, ad illud negatiuum. *Non furaberis*, Prob. prior pars, quia præceptis negatiuis prohibetur malum, affirmatiuis autem præcipitur bonum; at verò furari, malum eſt, reſtituere verò bonum eſt, obiectum reſtitutionis poſitiuum quid eſt formaliter: furti verò obiectum eſt quid negatiuum, & proinde aliquo modo ſunt diſtincta. Poſterior pars patet, quia ſicut accipere rem alienam eſt furtum, ita etiam rem alienam detinere inuito Domino; quia per hoc, quod aliquis detinet alienum inuito Domino, non minùs impedit eum ab vſu rei ſuæ, ac qui rem illam furatus eſt. Proinde *in capit. Sæpè contingit, de reſtitution. ſpoliatorum* dicitur, *Non multum intereſt, quoad periculum animæ, iniuſtè detinere, ac inuadere alienum*, vbi Gloſſa in verb. *iniuſtè detinere*, ait: *Pro eodem reputant iure auferre, & detinere iniuſtè.* Ita D. Thomas *ſecunda ſecunda quæſt.62.articul.8.* Syluius D. Tho.
ibidem Sylu.

Digitized by Google

Nauar. Iuſtin.

ibidem Petrus Nauarra *lib.1.cap.1.num.* 20. *&* 24. Trullench *in decalog.lib.7.cap.6.dub.1.n.*13. Barthol. à Sancto Fauſto *in ſpecul.diſp.4.q.8.n.7.* & alij.

4. Cum obligatio reſtitutionis ex tribus capitibus naſcatur, nempe ex iniuſta acceptione, puta per furtum, rapinam vel quoduis damnum per homicidium, adulterium, ſtuprum, infamiam vel alio modo illatum. 2. Ex re accepta, nempe quando res illa vel à Domino ablata eſt, vt equus, veſtis, vel etiam quæ ex iuſtitia alteri debita eſt & apud me retinetur, vt legatum alteri venditum quod apud me eſt. 3. Ex contractu, nam mutuum & pretium rei emptæ non debentur propriè ratione rei acceptæ, nam fieri poteſt vt hæc non extet, ſed ex contractu. Magna tamen eſt inter hæc capita differentia; nam qui tenetur ex iniuſta acceptione vel ex contractu, ſemper manet obligatus, etiamſi res debita pereat ſine culpa accipientis, vt contingit in mutuo, furto, &c. Quando verò tenetur tantùm ratione rei acceptæ, reſtituere tenetur ſi res illa extat in ſe vel in ſuo effectu, & valore: tamen ſi pereat ſine ſua culpa non tenetur, vt patet in depoſito. Ratio prioris eſt, quia qui alteri iniuriam intulit, tenetur eam reſarcire, etiamſi nihil inde lucri habuerit, aut rem illam non habeat, cùm in re illa damnum dederit; vnde qui rem alterius furatus eſt, & eam amiſit, aut alienauit, aut domum alterius combuſſit, aut famam alteri abſtulit, tenetur ad reſtitutionem. Poſterioris autem ratio eſt, quia qui habet alienum, habet plus quam ſuum eſt, damnificatus autem habet tantumdem minus in ſuo; cùm igitur iuſtitiæ commutatiuæ munus ſit conſtituere æqualitatem inter eum qui minus habet, quàm debet habere & eum qui plus habet, quam deberet, qui rem alterius habet, eam alteri reſtituere debet. Hinc depoſitarius rei alienæ non tenetur ad reſtitutionem, ſi res illa pereat ſine notabili culpa ſua: quia rem illo modo accipit, non accipit illam in vtilitatem ſuam, ſed propter vtilitatem ipſius dantis. & ſi pretium cuſtodiæ accipiat, vel aliter ſe ſeruare conſtrinxerit, non fit eiuſdem rei cuſtos ex iuſtitia, ſed ex gratia, & beneuolentia, & ideò ſi abſque culpa ſua illam amiſerit, non ipſi, ſed Domino petit. Ita colligitur ex doctrina D. Thomæ 2.2. *quæſt.*62. *art.*6. Syluio *ibidem concluſ.* 1. 2. *&* 3. Caietano, Arragon, & Michaele Salon *in eundem locum*. Couarruuia *in reg. peccatum part.2.de reg.iur. in* 6. Leſſio *l.* 2.*c.*7.*dub.*5. Bartholom. à Sancto Fauſto *in ſpeculo diſput.* 4 *quæſt.* 11. *&* 12. Petro Nauarra *lib.* 2. *de reſtit.cap.*2. & aliis recentioribus.

D. Thom. Leſſius. Fauſtus. Nauar.

5. Cùm obligatio reſtituendi conſurgat ex iniuria alteri illata, ſeu ex violatione iuris alterius, hine qui infert damnum conſentienti abſolutè & ſimpliciter, id eſt abſque vllo inuoluntario admixto, non tenetur ad reſtitutionem; quia iuxta Regulam Iuris in 6. *Volenti & ſcienti non fit iniuria*, tum quia nullus niſi nolens patitur iniuſtum formaliter, ſeu iniuriam, vt habet communis Doctorum ſententia. Tum quia nemo poteſt pati iniuriam, niſi ius eius violetur; non poteſt autem violari ius alterius, niſi ipſo nolente; quia ſi volit, vel certè poſitiuè permittat ſe lædi, iam cedit iuri ſuo illudque abdicat, vel certè in arbitrio lædentis ponit. Ad hoc tamen debet læſus conſentire abſolutè & ſimpliciter, quia non conſentienti abſolutè, ſed inuoluntariè mixtè fit iniuria. Quare latro accipiens pecuniam à viatore facit illi iniuriam: quia viator non tradit pecuniam voluntariè ſimpliciter. Similiter vſurarius facit iniuriam mutuatario accipienti mutuum ſub vſuris: quia hic non accipit voluntariè ſimpliciter ad vſuram, ſed inuoluntariè mixtè; quia ſicut donatio debet eſſe omnino libera, ita etiam ceſſio iuris, quæ tollit iniuriam; vnde qui ſoluit vſuras non cedit iure ſuo; quia non cupit vt vſurarius has exigat, nec intendit ſe vllo iure priuare, aut donare; ſed ſoluit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Ex dictis ſequitur homicidam non teneri ad reſtitutionem, qui alium abſolutè volentem interficit, cùm ipſi iniuriam non faciat, eo quòd abdicauerit ius ſuum, quà ſuum, & conſentienti non fiat iniuria; licet occidens faciat iniuriam Reip. & peccet contra iuſtitiam legalem, Imò fiet etiam aliis iniuria, quorum iuri cedere non poteſt, vt ſi mors occiſi vergat in iniuriam filiorum. Idem dicendum, quando coniux conſentiente coniuge adulterium committit, non enim facit iniuriam propriè coniugi conſentienti, ſed peccat cõtra matrimonij legem. Ita Molina *tom.1.diſp.*9 *&* 11. Arragon. 2.2 *q.*50.*art.*3. Syluius, Bannez *ibidem*. Leſſius *lib.* 2.*c.*7. *dub.*3 Filliucius *tractat.*30.*c.*4. *quæſt.*5. *n.*84. Azorius *part.3.lib.1.cap.8.quæſt.*8. & alij.

Molina. Leſſius. Filliuc. Azor.

6. Quatuor ſunt conſideranda in reſtitutione, primò res ipſa reſtituenda. 2. expenſæ factæ pro conſeruatione rei, vel melioramento, vel ornamento. 3. fructus qui ex huiuſmodi re aliena percipi poſſunt. 4. lucrum quod Dominus potuiſſet percipere, & damnum quod paſſus eſt ex rei alienæ priuatione.

Expenſæ ſunt in triplici differentia; quædam ſunt neceſſariæ quæ niſi fierent, res periret, vel deterior fieret, vt reficere domum, quæ minatur ruinam, &c. Quædam ſunt vtiles, illæ nempe, quæ meliorem rem faciunt & deteriorem eſſe non ſinunt, vt ſi domui puteus, ciſterna, aut cubiculum adiungatur. Quædam ſunt voluntariæ ſeu voluptuoſæ quæ ex natura ſua quidem fructum rei non augent, ſed pulchriorem, ſeu aptiorem rem efficiunt ad capiendam ex illa voluptatem, vt ſunt viridaria, picturæ, ſtructuræ fontium, &c. vt habetur *in cap. Impenſæ, de verb.ſignificat.*

Fructus dicuntur, qui ſuperſunt deductis expenſis factis in ipſorum fructuum productione, collectione & conſeruatione. *l.ſi à patre, vel a Domino*, §.*fructus*, *ff.de petit.hæredit. & l.fructus.ff ſoluto matrimonio* Et ſunt in triplici differentia; Alij ſunt naturales quos ſcilicet natura producit, nulla aut modica induſtria concurrente, cuiuſmodi ſunt fœtus animalium, poma, pira, & id genus alia, *l.fructus, ff.de vſuris.* Alij purè induſtriales, puta, qui ex artificio & negotiatione acquiruntur & non proueniunt ex re, ſed ex hominis induſtria percipiuntur propter rem, *l.bonæ fidei, ff.de acquir. rerum dominio*. Denique alij ſunt mixti, qui partim ex re, partim ex induſtria gignuntur, vt caſeus, ſegetes, vinum, &c. quæ dicuntur, naturales in quantum producuntur a natura, & induſtriales, in quantum in alia ſpecie eis vtimur ex induſtria.

Intereſſe duplex eſt, videlicet lucri ceſſantis & damni emergentis. Intereſſe lucri ceſſantis eſt, quando homo impeditur ab aliquo bono alioquin euenturo, verbi gratia à lucro quod feciſſet ſi pecunia ſibi reſtituta fuiſſet. Intereſſe verò damni emergentis eſt, quando homo amittit aliquid de bonis habitis, vt cum quis ratione mutui quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnori accipere & vſuram ſoluere, vel res ſuas minoris vendere. De his egimus *tom.1 verb.fructus, n.1.* & *verb. vſura* 111.*n.1. &* 4. ex Doctoribus ibi citatis, & ideò ab illorum citatione hic ſuperſedemus.

7. Poſſeſſor bonæ vel malæ fidei in reſtitutione rei alienæ poteſt in foro conſcientiæ detrahere non ſolùm expenſas neceſſarias, quas Dominus feciſſet, ſed etiam vtiles, quatenus eas Dominus feciſſet, & quatenus ſunt Domino vtiles. Ratio eſt, tum quia his deductis Dominus non cenſetur damnificatus nec pati damnum, cùm dictæ expenſæ cedant in vtilitatem Domini, cuius res facta eſt melior & fructuoſior per illas expenſas; tum quia Dominus non debet ditior fieri expenſis alienis, *l.ſi a Domino*, §.*fruſtra, l.planè, & l.vtiles, de petit hæredit.ff.* & docent Leſſius *lib.2. cap.*12. *dubio* 17. *num.* 111. Molina *tom.3.diſp.*725.*ad finem.* Salon 2.2.*quæſt.*62.*artic.* 6.*controuerſ.*3. Sanchez *lib.2.moral.c.*23. *num.*238. & alij communiter. Idem dicendum de expenſis voluntarijs factis à poſſeſſore bonæ fidei, vt ſi in re aliena ſuis expenſis ædificauit, pinxit, vel aliud adiunxit ornamentum, habet enim ius exigendi ex iuſtitia æſtimationem huiuſmodi ornamenti quando reſtituit rem, vel amouendi illud ſi commodè poteſt ſine detrimento rei; quod ſi ſine detrimento rei remoueri non poteſt, tenetur Dominus rei in conſcientia ſoluere iuſtam æſtimationem expenſarum, vt recipiat rem ſuam, vel ſaltem vendere illam rem tali poſſeſſori iuſto pretio, & in hoc omnes conueniunt.

Leſſius. Sanch.

Clau.reg. Leſſius.

Sed difficultas eſt de poſſeſſore malæ fidei, an teneatur has expenſas voluntarias Dominus illi ſoluere, quando ſeparari nequeunt; Affirmant Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Leſſius *loco cit. num.* 133. vbi ait, ſi Dominus id ornamentum retinere velit, deducendas eſſe expenſas quod ſi nolit, integrum eſſe furi eas auferre, ſi abſque rei læſione auferri valeant, & ſi id fieri nequeat, rem eſſe arbitrio prudentis tranſigendam. Sanchez autem *loco cit. num.* 139. Rebellus *de obligat. iuſtit. part.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 3. negant teneri Dominum eas furi ſoluere, quando nequeunt ſeparari abſque priſtini ſtatus rei læſione, Quia fur ille ſibi imputare debet, quod eas expenſas ſine Domini conſenſu fecerit. Cæterum quidquid ſit de veritate harum opinionum pro foro conſcientiæ; certum eſt quod in foro externo non conceditur poſſeſſori malæ fidei repetitio expenſarum voluntariarum, aut vtilium in pœnam delicti, ſed neceſſariarum tantum, ex *l. domum, Cod. de rei vendicat.* vide Couarruuiam *reg. Peccatum* 2. *part.* §. 6. *num.* 6. Menochium *de recuperand. poſſeſſ. remed.* 15. *à n.* 501. Sanchez *loco cit. num.* 136.

8. Negant quidam poſſeſſorem malæ fidei poſſe deducere laborem & induſtriam adhibitam ad neceſſarias vel vtiles expenſas. Ducuntur, quòd contra iuſtitiam ac Domini voluntatem apponat laborem, & ideò meretur illum perdere. Ita Petrus Nauarra *de reſtitution. lib.* 4. *cap.* 1. *numer.* 23. Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 14. At contrarium eſt tenendum. Tum quia ſi poſſeſſor malæ fidei per alios apponeret induſtriam, ac laborem, eiſque mercedem ſolueret, ſine dubio eiuſmodi expenſas poſſet deducere; ergo ſi per ſeipſum hæc omnia faciat, ſimilem mercedem in foro conſcientiæ poſſeſſor tam bonæ, quàm malæ fidei exigere poterit, cùm eiuſdem valoris ſint, & æquæ in Domini vtilitatem redundent. Tum quia ſublator rei alienæ poteſt deducere expenſas neceſſarias, vel vtiles, quas fecit in re aliena, ergo & induſtriam & laborem ſimiliter neceſſarium, cùm vtriuſque eadem ſit ratio. Ita Leſſius *lib.* 2. *capite duodecimo*, *dub.* 17. *num.* 111. *&* 121. *fine*, Clauis regia *libro decimo*, *tractat.* 2. *capite tertio*, *numero vigeſimo ſecundo*. Rebellus *de oblig. iuſtit. p.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 8. *nu.* 4. Couarruuias *reg. peccatum* 2. *part.* §. 6. *num.* 4. Eman. Sa *verb. Reſtitutio, nu.* 16. & alij.

Leſſius. Clau.reg. Rebel. Couar. Sà.

Argumentum autem in contrarium adductum non valet, quia ſi valeret, nec expenſas vtiles poſſet poſſeſſor malæ fidei deducere, quia pari modo contra Domini voluntatem ab eodem ſunt factæ.

9. Probabile eſt poſſeſſorem malæ fidei fructus non extantes, ſed iam conſumptos, non teneri Domino reſtituere quando aliàs Dominus eos non percepiſſet, ſi rem habuiſſet propter negligentiam ſuam vel alia de cauſa, niſi ex illis factus ſit ditior, ſecus ſi extant. Ratio eſt, quia in hoc euentu Dominus nullum paſſus eſt damnum, nec minus habet, quàm habere debuiſſet. Ita Sotus *de iuſt. l.* 4. *q.* 7. *art.* 2. P. Nauar. *l.* 4. *de reſt. n.* 44. & alij.

Sotus. Nauar.

Cæterum multò probabilius eſt, hunc poſſeſſorem teneri fructus, à ſe ex re aliena perceptos & conſumptos reſtituere vero rei Domino, quamuis hic non eſſet eos percepturus, & etiamſi exinde non effectus ſit ditior. Ratio eſt, quia quælibet res ſuo Domino fructificat, §. *Si Titius, & duplici ſequenti, inſtitut. de rerum diuiſ.* Ergo illi fructus percepti cedunt Domino rei. Tum quia eo ipſo quod ſemel in rerum natura extiterunt, tanquam fructus rei illius, dominium illorum pertinet ad Dominum rei, & qui illos ab eo puncto detinuit, neque eos ipſi reſtituit, iniuriam illi intulit, damnumque proinde iniuſtum illi dedit, qui eos conſumpſit, vnde ex parte iniuſtæ detentionis ac acceptionis tenetur Domino ad illorum reſtitutionem, deductis expenſis & laboribus. Nec abſurdum eſt, ſed neceſſariò dicendum, aliquando per accidens Dominum rei ex re ſibi reſtituta ditiorem euadere, quàm ſi non ſubrepta eſſet, vt ſi equo ſpoliatus erat ſtatim eum venditurus viliori pretio, quòd tunc valebat, & reſtituatur ſibi tempore quo plus habet, lucrabitur occaſione furti id augmentum. Tum quia ſolius poſſeſſoris bonæ fidei priuilegium eſt, vt ſit liber à reſtitutione, quando ex rei alienæ conſumptione non eſt redditus ditior. Non ergo id extendi debet ad poſſeſſorem malæ fidei, qui & rem vſurpando & fructus conſumendo deliquit; alioquin & conſumptione iniuſta lucrum deobligationis a reſtitutionis onere reportaret. Ita tenent Molina *tom.* 3. *de iuſtit. diſp.* 725. *num.* 4. Leſſius *loco cit. dub.* 17. *n.* 120. Rebellus *par.* 1. *l.* 2. *q.* 5. Bartholom. à S. Fauſto *in diſp.* 4. *q.* 34. Sanchez *l.* 2. *moral. c.* 23. *num.* 136. & alij.

Molina. Rebell. Fauſtus. Sanchez.

10. Poſſeſſor malæ fidei non tenetur in foro conſcientiæ ad reſtituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant, ſiue ab ipſo, ſiue à Domino, ſiue a quocumque alio, ſi conſtet fore vt verus Dominus eos non percepiſſet. Ratio eſt, tum quia hic fur non tenetur ad eos fructus poſſibiles ratione rei acceptæ, vtpote qui illos non percepit, nec ratione iniuſtæ acceptionis: cùm in iis non acquirendis nullum Domino eos non acquiſituro, damnũ intulerit. Tum quia ſi in foro conſcientiæ eſſent reſtituendi fructus poſſibiles, nec à fure percepti, nec à vero Domino percipiendi, eſſet magna inæqualitas aduerſa iuſtitiæ commutatiuæ, cùm Dominus ditior ex furto euaderet, conſequens plus quàm ex re ſua furto arrepta conſequuturus erat, ac fur iacturam rei ſuæ familiaris faceret reſtituens plus, quàm obtinuit, ac læſit. Dixi in foro conſcientiæ, quia forum externum non ſolam æqualitatem prædictam reſpicit, ſed ſæpe culpam delinquentis punit, obligando illum ad aliqui amplius in pœnam: vnde eſt iure ſtatutum in delicti poſſeſſoris iniqui odium, vt hic ad fructus poſſibiles obligetur. Ita tradunt Syluest. *verb. reſtit.* 3. *q.* 9. Ioan. Medina *C. de reſtit. q.* 6. *verſ. Ad ſecundam dicendum.* Clau. reg. *l.* 10. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 23. Rebell. *de oblig. iuſtit. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 5. & alii apud Sanchez *loco cit. n.* 118.

Syluest. Clau. reg. Sanchez.

11. Poſſeſſor malæ fidei tenetur eandem numero rem furto ablatam Domino reſtituere, ſi ſit immixta, ſiue ſit res, quæ ex genere ſuo recipit functionem, id eſt vſu conſumptibilis, ſiue non, ſiue meliorata, ſiue deterior effecta ſit. Ratio eſt, quia rei furtiuæ nunquam acquiritur dominium, nec latro rem illam vendendo transferre poteſt dominium in emptorem, cùm ſit aliena; ergo cùm eius dominium penes Dominum ſemper maneat, poteſt Dominus rem ſuam extantem, & immixtam repetere, & eam poſſidens tenetur tum ex parte rei acceptæ, tum ex parte iniuſtæ acceptionis reſtituere. Ita ex communi Nauarrus *cap.* 17. *num.* 24. Couarruuias *in reg. Peccatum part.* 2. §. 12. *num.* 2. Medina *C. de reſtit. quæſt.* 6. Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. num.* 214. Tamen ſi res eadem in ſpecie reſtitui non poſſit propter periculum infamiæ, vel alia iuſta de cauſa, tunc ſufficit reſtituere eius valorem. Quòd ſi res iniuſtè ablata conſiſtat in numero, pondere & menſura, vt pecunia, vinum, oleum, &c. & eſt permixta cum rebus propriis furis, ita vt ab illis diſcerni nequeat, non tenetur poſſeſſor malæ fidei eandem rem numero reſtituere Domino, ſed ſufficit reddere æquiualentem. Ratio eſt, quia ex mixtione dominium amittitur & transfertur in latronem, quia mixtione facta non eſt maior ratio, cur potiùs hæc pars, quàm illa cenſeatur aliena. Proinde ex tali mixtione perit obligatio realis, ſolumque manet perſonalis. Ita Clauis regia *lib.* 10. *tractat.* 2. *cap.* 3. *num.* 12. Sylueſter *verb. Reſtitut.* 3. *quæſt* 6. §. *Secundum verſ. Et ſexto.* Medina *C. de rebus reſtituend. q.* 10. *concluſ.* 5. §. *Notanter.* Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. capit.* 4. *parte tertia dub.* 6. *num.* 216. *& lib.* 4. *capit.* 1. *dub.* 3. *num.* 6. & communis.

Clauis reg. Sylu. Nauar.

12. Quando res malè accepta aut detenta perit apud iniuſtum poſſeſſorem etiamſi ſine culpa ſua caſu fortuito, hic tenetur ad reſtitutionem valoris rei, quamuis nullum detentor lucrum ex ea perceperit. Ratio eſt, quia poſſeſſor malæ fidei ſemper eſt in mora a tempore malæ acceptionis, vel iniuſtæ retentionis, vnde omnis caſus ei imputandus eſt; mora enim ſeu culpa trahit ad ſe periculum, ſecundum iura. Quod intelligendum eſt, niſi iniuſtus rei illius detentor morã purgauerit, offerendo rem Domino, anteqũ periret, aut deterior redderetur; fortaſſis enim non ita penes Dominum periiſſet, cùm eam ante in-

Digitized by Google

te interitum alienare potuiſſet, vel alijs remedijs ab interitu liberare. Proinde ſi ante rei interitum, rem vero Domino obtulit, ab eo die ſi res illa pereat, non imputabitur iniuſtè eam detinenti, quicquid abſque ſua culpa deinceps circa eam rem euenitet. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 26.* Petrus Nauarra *de reſtitut. lib. 4. cap. 1. dub. 3. num. 11. & 12.* Couarruuias *in reg. peccatum, parte ſecunda, §. 6. num. 1.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 14.* & alij. Si tamen res eodem modo apud furem pereat quo eſset alias peritura apud Dominum, nec ante eius interitum Dominus rem illam alienaſſet, aut aliquam vtilitatem accepiſset, talis fur nihil reſtituere tenebitur. Quia in hoc caſu nihil damni intulit Domino, quod ille aliàs paſsurus non fuiſset. Ita Doctores citati, quibus adde Ioan. Medinam *C. de reb. reſtituend. quaeſt. 3. cauſa 6. & quaeſt. 6. conc. 6.* Rodriq. *part. 2. Sum. c. 49. concl. 11.* Syluest. *verb. Reſtitutio 7. quaeſt. 5. §. Tertium.*

Nauar. Couar. Clau. reg.

Med. Rodriq. Sylu.

Ex dictis ſequitur, quod qui furatus eſt dolium vini, quod in manu furis mutatum eſt in acetum, alioquin etiam mutandum apud Dominum, ſi Dominus vinum illud non vendidiſſet ante tempus illud mutationis, ad nihil aliud reſtituendum Domino talis fur obligabitur, quàm reſtituere dolium aceti.

13. Quando res furtina non eſt vſu conſumptibilis & in manu furis eſt meliorata, reddenda eſt res extans cum melioramento, deductis laboribus & expenſis, ſi quas fecerit in ipſius rei melioratione. Quamuis enim in foro contentioſo, ſolùm deducantur expenſæ neceſſariæ non autem vtiles ſi mala fide poſſidebat, vt diximus ſuprà, probatur ex *l. ſi à patre, §. fructus, ff. de petit. haeredit.* & *l. ex argento, ff. de condit. furt.* In foro tamen conſcientiæ non ſolùm expenſas neceſſarias, ſed etiam vtiles, deducere poteſt: quia iuſtum nō eſt, vt alius locupletetur cum damno alterius, vt docent P. Nauarra *lib. 4. de reſtitut. c. 1. d. 4. n. 31.* Medina *C. de rebus reſtituen. q. 6.* Couar. *in reg. peccatum, part. 2. §. 6. n. 3.* & alij.

Nauar. Medin. Couar.

Si tamen res furtiua vſo conſumptibilis ſit, conſiderandum eſt, an Dominus læſus erat rem illam ſtatim venditurus, aut conſumpturus; an verò erat in poſterum ſeruaturus, quando res illa viliori, aut maiori pretio vendebatur, & ſecundùm hoc ſtatuendum eſt, quid latro reſtituere debeat.

14. Difficultas eſt inter Doctores, in aſſignanda cauſa natura ſua efficaci & in effectu damnificante? Quidam enim abſolutè docent, eum omnem & ſolùm eſſe cauſam efficacem damni & teneri ad reſtitutionem, ſine quo damnum illud iniuſtum non fieret. Ita Nauar. *cap. 17. n. 20.* Syluester *verb. Reſtitutio 3. quaeſt. 6.* Arragon *2. 2. quaeſt. 62. art. 7.*

Nauar. Syluest. Arrag.

At alij rectiùs docent eum omnem eſſe cauſam efficacem iniuſtæ actionis & teneri ad reſtitutionem, qui influit & moraliter concurrit ad actum, quo infertur damnum, faciendo nimirum quidpiam alicuis momenti, quod conducat & iuuet ad efficiendum illum actum, quo proximo nocetur, etiamſi abſque eius opera damnum illud fuiſſet aliàs illatum. Ratio huius eſt, ſecundum Philoſophos & Theologos, cauſa ſine qua non, non eſt verè & propriè alicuius actionis & effectus cauſa maximè in moralibus, ſed ea quæ concurrit & aliquid efficit & influit in effectum, vt exemplum ſit, approximatio ignis non eſt propriè cauſa combuſtionis domus, quamuis ſine ea domus non eſſet combuſta. Tum quia ſi duo ignes comburant lignum, etiamſi alter eorum ſolus & ſine altero illud combuſſiſſet, quia tamen vterque lignum illud comburit, verè vterque ignis cauſa eſt illius combuſtionis. Ita etiamſi Petrus aliquem occidat, aut aliquid furetur, quem Ioannes alioquin occiſurus eſſet, aut rem illam furto ablaturus fuiſſet, non propterea excuſatur Petrus à furto, aut homicidio, quia verè cauſa vtriuſque delicti fuit. Tum quia obligatio reſtitutionis non deſumitur ex eo quòd à Petro & non à Ioanne fuiſſet furtum commiſſum, ſed ex eo, quòd à Petro fuerit verè perpetratum, ſiue alias fuiſſet à Ioanne commiſſum, ſiue non; ergo, quicumque reuera concurrit ad damnum & illud verè efficit, eſt cauſa efficax illius, etiamſi non ſit cauſa, ſine qua non. Tum quia vnus vſurarius à culpa non excuſatur, aut à reſtitutione liberatur per hoc, quòd eo non mutuante ad vſuram, eadem vſura per alium fuiſſet commiſſa. Proinde ad cognoſcendam cauſam, alicuius effectus, tam in naturalibus, quam in moralibus, hæc regula aſſignari poteſt. Quotieſcumque aliquo poſito quod influit in effectum, ſequitur talis effectus, & eo ablato, vel non ſequitur, vel ſi ſequitur, alio modo ſequitur, ſine dubio cauſa eſt efficax illius effectus. Et ratio eſt, quia ex quo deficit ille ſolitus modus, ex defectu illius, ſignum eſt euidens habuiſſe influxum illo effectu, & non ſolùm eſſe cauſam, ſine qua non. Ita docet Caiet. *2. 2. quaeſt. 62. art. 7.* Sotus *de iuſtit. lib. 4. quaeſt. 7. art. 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quaeſt. 6. punct. 3.* Couarruuias *in reg. peccatum, p. 2. §. 12. num. 2.* Ioannes Medina *Cod. de reb. reſtituend. quaeſt. 7.* Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtit. c. 4. p. 1. n. 10.* & alij.

Sotus. Valent. Couar.

Ex contraria enim ſententia ſequeretur, quod ſi famulus videret Dominum paratum ſe ad necem inimici, quem certiſſimè erat occiſurus, etiamſi ipſe præueniendo Dominum, inimicum occideret, ad nihil teneretur.

Similiter ſi vſurarius per ſeipſum & ſine miniſterio famuli exercuiſſet vſuram, famulus qui ei in illa exercenda miniſtrauit, & eius negotia tanquam principalis actor exercuit, ad reſtitutionem non teneretur: quia non eſt cauſa ſine qua non, cùm ſine ipſo Dominus exercuiſſet vſuram. Quæ omnia ſunt abſurda, & non ſuſtinenda.

15. Inter perſonas, quæ communiter & ex ſuo genere ex concurſu & cooperatione ad furtum reſtituere tenentur, prima eſt *iubens*, ſeu *mandans*; & nomine iubentis intelligitur ille, qui ſuo imperio, ſeu mandato cauſa eſt iniuſtæ acceptionis, vel damni iniuſtè dati. Quæ iuſſio duobus modis fieri poteſt. *Primò* expreſsè, vt ſi Dominus expreſsè dicat, vade, ſpolia talem vel occide, &c. *Secundò* tacitè, ſeu implicitè, vt ſi dicat, vindictam ex tali opto, non eris mihi gratus, niſi aliquid dignum meritis feceris & huiuſmodi, & exinde famulus mandatum vltionis concipit.

Certum eſt, ſecundùm omnes, talem iubentem, ſeu mandantem teneri ad reſtitutionem in ſolidum, damno ſecuto, quando iuſſio eſt cauſa efficax iniuſtæ acceptionis, vel probabiliter creditur efficax. Ratio eſt, quia iubens ex genere ſuo cauſa eſt præcipua, & efficax illius damni præſtans auctoritatem, & ideò tenetur ad reſtitutionem, niſi ille, qui rapuerit, & reſtituat: & hoc verum etiamſi iubens nihil vtilitatis inde percipiat, & nihil poſſideat de furto, vel rapina: quamuis enim nihil habeat de furto, quia tamen cauſa eſt furti & damnificationis proximi tenetur reſtituere & reddere illum indemnem: quia dans cauſam damni, damnum feciſſe cenſetur. Hinc ſequitur, quòd Dux imperans damnum militi, Prælatus inferiori, Princeps ſubdito, Pater filio, &c. tenetur principaliter ad reſtitutionem, exequens verò tenetur minùs principaliter. Ita Vaſquez *de reſtit. cap. 9. num. 52. & 56.* Ioannes Medina *Cod. de reb. reſtitu. quaeſt. 7. & 8.* Arragon *2. 2. quaeſt. 62. artic. 7.* Salon *ibid.* & Syluius *de iuſſione.* Petrus Nauarra *de reſtitut. lib. 3. cap. 4. part. 1. n. 26* & alij.

Vaſq. Arragon. Nauarrus.

16. Sed petes, quando Titius paratus eſt furari & ex imperio alterius non mouetur ſimpliciter ad inferendum damnum, ſed ad inferendum libentiùs, celeriùs, atrociùs, vel alio loco, an teneatur imperans vel iubens ad reſtitutionem? Quidam volunt teneri, non tamen integrè, ſed quantum ex illa maiori firmitate, vel acceleratione ad arbitrium boni viri creuit damnum illatum. Ratio eſt, quia iubens in hoc caſu non tam eſt cauſa ſubſtantiæ damni, quam modi, vel circumſtantiæ, cum qua mandatur executioni, vt quod fiat hoc tempore, hoc loco, hoc inſtrumento, hoc modo, ergo non tenetur ſubſtantiam damni reſtituere. Ita Rebel. *de obligat. iuſtit. part. 2. lib. 2. quaeſt. 14.* Arrag. *2. 2. quaeſt. 62. artic. 7.* & alij probabiliter.

Rebel. Arrag.

Quando enim aliqua cauſa eſt exitura per ſe in actum, parum refert verum hoc celeriùs fiat an tardiùs, hic an alibi, hac an illa actione indiuidua, hoc an illo inſtru-

Digitized by Google

inſtrumento; quia hæc non pertinent ad ſubſtantiam damni. Sententia verò communior & verior & hoc tempore magis recepta in ſcholis eſt, hunc iubentem, ſeu mandantem obligari in ſolidum: quia eſt cauſa totius actionis, vt hic & nunc ſit, & non poteſt quis eſſe cauſa iſtorum accidentium, & circumſtantiarum, niſi etiam ſit cauſa ſubſtantiæ actionis illatiuæ damni. Ita docent Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 2.* Bartholom. à ſancto Fauſto *in ſpeculo, diſp. 4. quæſt. 57.* qui pro hac ſententia citant Caietanum, Sotum, Ioannem Medinam, & P. Nauar.

Obſeruandum tamen hic eſt, an is cui præcipitur, ſit ſubditus præcipientis, necne; ſi enim non ſit ſubditus & alter aliàs æquè paratus erat ad inferendum damnum, non videtur iubens cauſa damni, & conſequenter nec obnoxius reſtitutioni. Si autem erat ſubditus, tenetur ad illam, non quidem ratione iuſſionis, ſed quia tanquam Superior poterat ac tenebatur obſtare ne ſubditus alteri noceret, & non obſtitit. Ita Salon 2. 2. *quæſt. 62. artic. 7.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 7. num. 3.* Syluius 2. 2. *q. 62. art. 7. quærit. 1. de iuſſione.*

Clauis reg. Syluı.

17. Quando mandans eſt dubius, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum, necne, tenetur moralem diligentiam adhibere, vt ſciat veritatem; ſi verò facta diligenti inquiſitione adhuc dubitet rationabiliter, tunc nihil tenetur reſtituere: quia in dubijs, cæteris paribus, melior eſt conditio poſſidentis, *l. ſi ob turpem, ff. de condict. ob turpem cauſam*, & docent Arragon, Salon 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* Syluius *ibid. quæritur* 2. Syluest. *verb. Reſtitutio* 3. *q.* 6. Medina *C. de reb. reſtituend. quæſt. 7.* & alij.

Syluius. Syluest. Med.

An autem liber ſit à reſtitutione mandans, ſi poſt illatum iniuſtè damnum ex eius iniquo imperio, mandatario iubeat, vt reſtituat? Reſpondendum eſt non liberari donec mandatarius cum effectu reſtituat, & præcepto reſtitutionis obediat, ſicut obediuit præcepto iniuſtæ actionis. Ratio eſt, quia ſicut non tenetur præcipiens furtum, ex ſolo præcepto, niſi quando alter ex eius præcepto verè & realiter damnum intulit: ita etiam nec deobligatur à reſtitutione facienda, niſi alter verè furtum reſtituat, quo non reſtituente, ipſemet præcipiens ad reſtituendum tenetur; eſt enim par vtriuſque ratio. Ita P. Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 4. p. 1. num. 27. & 28.* Molina *tom. 3. de iuſtit. diſput. 736.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 7. num. 9.* Ioannes Medina *C. de reb. reſtit. quæſt. 8.* & alij.

Nauar. Molina. Clauis reg. Medin.

18. Mandans tenetur ad reſtitutionem damnorum, quando reuocatio mandati non innotuit mandatario, nam ſuo mandato cenſetur adhuc cauſa efficax damni, & non cenſetur reuocaſſe influxum antea præſtitum. Secus ſi reuocatio mandati mandatario innotuit. Et in hoc differentia eſt inter mandantem fieri delictum & conſulentem, quòd mandans, ſi ante factum reuocet mandatum & notificet alteri, non obligatur ad reſtitutionem; at conſulens, etiamſi conetur conſilium reuocare, tenetur ad reſtitutionem, ſi alter, cui conſilium dedit, eius conſilio motus damnum inferat. Ratio autem diſcriminis inter vtrumque eſt, quia mandatarius vt talis eſt, non exequitur mandatum nomine proprio, vel arbitrio proprio, ſed ſolùm nomine & auctoritate, & in gratiam mandantis, ſed poſtquam eſt reuocatum mandatum, & ei notificatum, id mandatarius non poteſt facere nomine & auctoritate mandantis, ſed tantum proprio arbitrio, & ideò ei tantùm imputatur.

At verò is, cui conſilium datum eſt vt talis eſt, non facit delictum, vel damnum nomine vel auctoritate, vel in fauorem conſulentis, ſed potiùs nomine proprio, & in bonum, ſeu gratiam ſui, licet motus alterius conſilio. Vnde conſulens quaſi veneno voluntatem eius inficit, & tenetur ad reſtitutionem, eo quòd nõ reuocet influxum, quia conſultus, adhuc mouetur verbis conſulentis ad damnum inferendum in bonum, & gratiam ſui. Igitur vt conſulens liberetur ab onere reſtituendi damnũ non ſatis eſt, vt reuocent conſilium, niſi conetur tollere animum eius propenſum, & inclinatum ad inferendum tale damnum, vel niſi alio modo ex parte ſua, quantum fieri poteſt, impediat ne ſequatur tale damnum. Et hæc verior & communior ſententia, quam tradunt Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 8. num. 8.* Molina *tom. 3. diſp. 731.* Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 132.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. n. 16. & 17.* Bonacina *de reſtit. diſp. 1. q. 2. punct. 6. num. 6.* & alij.

Clau. reg. Nauar. Leſſius. Bonac.

Quamuis non ſit improbabilis ſententia aſſerens conſulentem reuocato conſilio non teneri ad reſtitutionem, ſi contrarium perſuadere nitatur, quamuis reipſa non perſuadeat: nam actio iniuſta non videtur tunc amplius prouenire à conſulente, ſed ab exequente, cuius malitiæ tanquam cauſa totali imputatur; nec in hoc ponit diſcrimen inter mandantem & conſulentem. Ita P. Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 4. num. 27.* Reginald. *lib. 10. num. 108.* Medina *C. de reb. reſtituend. q. 7.* Tenetur tamen conſulens, in caſu quo reuocando conſilium nihil perſuadeat, monere eum ſecretò contra quem huiuſmodi delictum conſuluit, vt ſibi caueat, & hoc lege iuſtitiæ, vt poſt alios reſoluit Azorius *tom 3. lib. 4. cap. 11. quæſt. 3.* Licet non ſit improbabile non teneri hunc ex iuſtitia ad huiuſmodi monitionem, ſed ſolùm ex charitate: ideoque eam omittens excuſari à reſtitutione, ſi aliàs diſſuaſit, in quantum potuit. Ita Diana *part. 2 tract. 16. reſol. 15. & 16.* Trullench. *in decalog. lib. 7. cap. 13. dub. 2. §. 1. num. 4.* & alij penes ipſos.

Diana. Trullench.

19. Controuertitur inter Doctores, an conſulens furtum vel homicidium, dubitans tamen an ex ſuo conſilio ſequutum ſit furtum, aut mors, teneatur ad reſtitutionem? Et quidem pro affirmatiua facit, quod in hoc dubio nulla eſt poſſeſſio pro conſulente, imò præſumptio iuris eſt contra ipſum, vnde in foro externo condemnaretur ad reſtitutionem, eo quod eſt certa iniuſti conſilij actio; & præſumitur illum ſortitum fuiſſe ſuum effectum, & ideò in reum transfertur onus probandi non fuiſſe, & dum non probauerit, ſuccumbet; ergo idem erit in foro conſcientiæ. Nam cum conſtet de iniuſta actione conſulentis, quæ apta eſt ad effectum producendum, & ex natura ſua illum aſſequitur, cum de effectu ſubſequuto conſtat, poſſeſſio eſt pro actione illa iniuſta, quod effectum aſſequuta fuerit. Propter hæc, hanc ſententiam amplectuntur Molin. *tom. 3. diſp. 73?. n. 6* Salas *1. 2. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 23. n. 242.* Leſſius *lib 2 c. 27. dub. 3. in fine.* Sanch. *de matrim. lib. 2. diſp. 21. n. 17.* Ioan. Sancius *in ſelectis diſp. 42. n. 14.* & alij.

Molin. Leſſius. Sanch. Sanc.

Pro negatiua autem eſt, quod in dubijs maximè in materia iuſtitiæ, melior eſt conditio poſſidentis, vnde ſolùm tenetur conſulens, quando certus eſt ſaltem moraliter, quòd ab eo actio iniuſta efficaciter proceſſerit: quia in dubio nemo ſpoliandus eſt re ſua. Ita P. Nau. *de reſtit. lib. 3. cap. 4. dub. 4. num 48. in 2. edit.* Medina *Cod. de reſtit. quæſt. 7. ante verb. Si autem conſilium.* Tannerus *2. 2. diſp. 4. quæſt. 6. dub. 14. num. 395.* Syluest. *verb. reſtitutio 3. quæſt. 6. dict. 2.* & alij. Hæc duæ ſententiæ ſunt probabiles.

Nauar. Med.

Sed mihi dicendum videtur, teneri conſulentem prudenter interrogare eum, cui conſilium dedit, & ſi alter ſeriò dicat, ſe nec ad facti ſubſtantiam, nec furti accelerationem, aut ad homicidium motum fuiſſe ex illius conſilio, poteſt illi cedere, & liberatur à reſtitutione, maximè ſi homicida ſit ita fide dignus, aut tales aliæ circumſtantiæ occurrant, vt prudens arbitretur, fidem illi adhibendam eſſe. Quod ſi talis interrogatio non ſit poſſibilis, colligendum eſt ex circumſtantijs, nam ſi ſtatim dato conſilio furatus eſt, vel occidit, cenſetur conſulens cauſa: ſi verò poſt multum temporis, probabiliter credi poteſt, non fuiſſe furatum ex tuo conſilio, ſed ex alia cauſa, & iam voluntatem elanguiſſe & fuiſſe remiſſam & oblitum conſilij. Quod ſi omnibus tentatis adhuc manet dubius, declinandum eſt in fauorem conſulentis, nec obligandus eſt ad reſtitutionem: quia obligatio hæc eſt odioſa & reſtringenda; tum etiam, quia melior eſt conditio poſſidentis in rebus ad rei poſſeſſionem pertinentibus. Igitur dum animus agentis ignoratur, probabiliter non obligatur conſulens ad reſtitutionem ſub mortali, modò paratus ſit reſtituere, quando ſciuerit ſe cauſam furto dediſſe. De quibus videndus Diana *p. 3. tract. 5. reſol. 84. & p. 4.*

Diana.

Digitized by Google

Trullench Sanch. & p.4.*tract*.3.*reſol*.28.Salon.2.2.*quæſt*.62.*art*.6.*controu*.6. Trullench *in decalog.lib*.7.*cap*.13.*dub*.2.§.1.*n*.5. & Sanch.*lib*.1.*moral.c*.19.*n*.42.

20. Qui conſilium alteri dedit vt hominem occideret,aut aliud damnum inferret,ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus. Ratio eſt, tum quia exequens huiuſmodi conſilium debet ſibi damnum imputare; nam liberum illi erat ſequi conſilium & non ſequi. Scienti autem & volenti nulla fit iniuria: tum quia committens delictum voluntate peccat, & ſic ei iniuria fieri non poteſt: ſcire namque debebat ſibi hoc non expedire. Tum quia non debet quiſpiam ex improbitate ſua commodum reportare, vt habetur *in l. Itaque fullo ff. de furtis*. Ita Clauis regia *lib*.10.*tract*.2.*c*.8.*num*.2. Azor. Trullench Azorius *p*.3.*lib*.4.*c*.11.*quæſt*.7.*in fine*. Trullench *in decalog.lib*.7.*c*.13.*dub*.2.§.1.*n*.11.& alij.

Sed petes *Primò*, quomodo debeat intelligi regula iuris in cap. Nullus, de regul. iuris in 6. *Nullus ex conſilio dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, quæ regula ſumpta eſt ex l. conſilij, ff. de reg. iuris, vbi habet, *Conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt*. Reſpondeo: Conſilium, aut datur de contractu vel quaſi contractu, aut de maleficio, vel quaſi maleficio. Si primi generis fuerit conſilium, is qui dedit, non tenetur ei, cui dedit, niſi fraudulentum ſit: & tunc tenetur actione de dolo, v.g. Conſilium tibi dedi, vt pecuniam tuam in emptionem potiùs prædiorum colloces, quàm fœneres, tibi non teneor: quia nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui datur, quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium, vt habetur *in l.2.§. Tua autem gratia, ff. Mandati*. Si autem conſilium fuerit ſecundi generis, tunc conſulens non tenetur ei cui dedit, ſed ei, contra quem conſilium dedit, nec ei tenetur actione de dolo, ſed actione ex maleficio vel quaſi maleficio. Quia quando conſilium datur de maleficio, vel quaſi maleficio, ſcire debet is, cui datur ſibi non expedire, & poteſt arbitratu ſuo conſilium non ſequi. Ergo ſibi imputet, ſi conſilium ſecutus delictum commiſerit, & exinde damnum paſſus ſit.

Petes *Secundò*, an mandans teneatur ad reſtitutionem damnorum, quæ mandatarius paſſus eſt occaſione executionis mandati? Vt ſi ſpolietur à latronibus dum iter cauſa mandantis aggreditur, num competat ſibi mandati actio ad id repetendum à mandante? Reſpondet Molina *tractat*.2.*de iuſtit. diſp*.549.*num*.9. cum Bartolo & alijs quos Syluester *verb. Mandatum*, *quæſt*.6. refert ac ſequitur: Si occaſione mandati illa pereant, alioquin non ſimiliter petituta, atque non erant ſuperflua, ſed neceſſaria, ſeu rationabilia, ad executionem mandati, debere à mandante ſolui mandatario, eſto coniuncta eſſent cum alijs ſuperfluis, quæ mandatarius ſimul deferebat, modò tamen, occaſione ſuperfluorum, non periiſſent neceſſaria. Conſentit *lex, cum duobus*, §. *quidam ſagariam, ff. pro ſocio*.

Sed contrarium alijs placet, atque idem dicendum putant de mandante ac conſulente, ob eandem rationem, in foro tamen conſcientiæ, niſi fortè mandans admiſerit culpam aliquam, ad quam præcauendam teneretur ex contractu, in admonendo mandatario de futuris periculis. Ita Bonacina *de reſtit. diſp*.1.*quæſt*.2.*punct*.7.*num*.18. Bonac. Trullench quem ſequitur Trullench *loco citato*. At ſi mandatarius ſit ſubditus mandantis, tunc mandans non ſolùm tenetur damnum reſtituere læſis, ſed ea quæ ſecuta ſunt mandatario ſubdito: quia quæ ſubditus facit ob præceptum Superioris, non videtur voluntariè facere, ſed coactè. Ita Angelus *verb. reſtitutio in princip*. & alij apud Rebellum *de oblig. iuſtit. lib*.2.*quæſt*.14.*ſect*.3.*num*.14. Trullench *loco cit*. Bonac. *loco cit. num*.17.

21. Quando plures tenentur in ſolidum reſtituere, poteſt Dominus rei læſus cuicumque illorum remittere actionem, quam habet contra illum in iudicio, alijs manentibus ſine gratia, ſicut etiam poteſt in iudicio vnum ex illis, quê voluerit conuenire & totum ab eo exigere. Ratio eſt, quia quando plures ſunt debitores, qui tenentur in ſolidum, libera electio penes creditorem eſt, vt exigat à quo voluerit debitum, alijs dimiſſis, quo ad hoc vt ei reſpondeant in iudicio.

Quando autem læſus remittit debitum principali, tunc cæteri ſunt etiam in conſcientia liberi ab omni reſtitutione: quia cùm ille principalis ſit primò & per ſe ad reſtitutionem obligatus, ita vt eo reſtituente reliqui ſint liberi, idem eſt remittere illi, ac remittere omnibus; ſiquidem alij minus principales ſolùm tenebantur in defectum ipſius principalis; qua obligatione expirante per condonationem à læſo factam, ceſſat omnis obligatio. Si enim principali ſoluente formaliter, cæteri ſunt à reſtitutione liberi, ita etiam ſi principali remiſſum ſit debitum, cæteri debitores acceſſorij immunes ſunt.

Quando verò iniuſtè læſus remittit debitum alicui ex minus principalibus, qui ſolùm in alterius defectum reſtituere tenentur, non ideò liberatur principalis à reſtitutione facienda ipſi ſpoliato. Ratio eſt, quia obligatio principalis auctoris non pendet ab obligatione minus principalis, ſed è contra: quò fit, vt vno ex minus principalibus ſoluente, tenetur ei principalis ex integro; ſublato enim acceſſorio, iure naturali non ſtatim aufertur principale. Denique quando plures ſunt æquè principales, aut æquè minus principales, ſi vni perfecta fiat remiſſio, non ideò cæteri ſunt liberi à ſuarum partium reſtitutione: quia obligatio vnius non pendet ab altero, ſed omnes æquè mediatè, vel immediatè ſe habent ad damnum. Ita Caietanus 2.2.*quæſt*.62. *art*.7 Molin. *tom*.3.*de iuſtit. diſp*.738. Leſſius *lib*.2.*cap*.13.*dub*.8. Clauis regia *lib*.10.*tract*.2.*c*.12.*n*.23.*& ſequent*. Arragon 2.2.*quæſt*.62. *art*.7. Salon *ibid. controuerſ*.9.& alij. Caiet. Molina. Leſſ. Clau. reg. Arragon

Sed rogabis, quando tres, v.g. Petrus, Franciſcus, & Antonius intulerunt damnum 300. aureorum, & Antonio ſit remiſſio, quantum quiſque debeat, ſi id quod ſupereſt in ſolidum ſit compenſandum? Reſpondeo Petrum & Franciſcum debere ſuas partes, nempe vtrumque ſeorſim 100. Quod ſi Petrus nolit reſtituere, vel non poſſit, Franciſcus non tenebitur ad totam portionem Petri, ſed ſolùm ad dimidiam, nempe ad 50. vnde in vniuerſum vt reſtitutionem faciat, non tenebitur niſi ad 150, non autem ad 200. vel 300. Ratio eſt, quia læſus nec potuit, nec debuit remittere obligationem Antonio in præiudicium Petri, & Franciſci, ergo ſi remiſit, conſequenter Petrus, vel Franciſcus non tenetur reſtituere reſiduum, niſi detracta illa parte, quam ſoluere debebat Antonius. Proinde dum Antonio ſit remiſſio, triplex remiſſio ei fieri intelligenda eſt.

Primò, eius partis, quam deberet, cæteris conſpirantibus ad reſtitutionem, nempe 100. aureorum.

Secundò, partis quã deberet, vno recuſante reſtitutionem, nempe 150. Si enim Franciſcus noluiſſet reſtituere, tunc Petrus cum Antonio debuiſſet reſtituere in ſolidum, collatis vtrinque 150.

Tertiò, totius quod debuiſſet ſoluere, vtroq; ſocio ſolutionem recuſante, nempe 300. Ita Sotus *lib*.4. *de iuſtit. quæſt*.7.*art*.2. Caiet. 2.2.*quæſt*.62 *art*.6. Arragon *ibid. art*. 7. Medina *Cod. de reb. reſtituend. q*.8. Barthol. a S. Fauſto *in ſpeculo, diſput*.4.*quæſt*.105.& alij. Sotus. Caiet. Medin. Fauſtus.

22. Certum eſt apud omnes, quod quando multi obligantur ad reſtitutionem non in ſolidum, ſed per partes, vno ſuam partem reſtituente; cæteri ſimiliter ſuam refundere tenentur. Ratio eſt, quia cùm eodem modo ad damnum ſint cooperati, æqualiter tenentur ad eius reparationem, ac proinde æquis partibus. Similiter quando plures tenentur in ſolidum, & vnus illorum totum damnum integrè reſtituit, alij non tenentur ad reſtituendum quicquam ei qui paſſus eſt damnum: quia is iam habet totum, quod debet habere. Vnde quando dicitur multos obligari in ſolidum, non eſt ſenſus, quòd omnes teneantur totum redere complexiuè, ſeu copulatiuè, ſed diuiſiuè in defectu aliorum, qui principaliter ad reſtitutionem obligantur.

Item eſt certum quod ſi is qui accepit totam prædam reſtituit, ſiue ſit præcipuus, ſiue inductus ab alijs, tunc cæteri, neque ipſi, neque vero Domino tenentur aliquid refundere, quia iam Domino in integrum ad æqualitatem eſt ſatisfactum; & qui rem accepit, reſtitutione facta,

Digitized by Google

ĉta, nihil in ſuis bonis habet minus, quàm habere debet, cùm totum quod reſtituit ſit alienum. Et in his omnes Doctores conueniunt, Couar. *in reg. peccatum, p.* 2. §. 12. *num.* 3. & 4. P. Nauar. *lib.* 3. *de reſtit. c.* 4. *p.* 1. *dub.* 8. *num.* 84. & 85. Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *controu.* 8. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *ad ſecundum*. Ioan. Medina *Cod. de reb. reſtituend. q.* 8. *dub.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. q.* 7. *art.* 3. *ad ſecundum*, & alij communiter.

Nauar. D. Thom. Medin. Sotus.

23. Difficultas eſt, an ſocij criminis pro rata reſtituere teneantur ei, qui primus ex eis pro totum damnum Domino reſtituit? Reſpondeo, & dico *Primò*, quod ſi ille, qui Domino damnum reſtituit, fuit præcipuus tanquam Dux alios ad iniquitatem mouens, ſocij ab omni reſtitutione deobligantur. Probatur, quia ſocij nullam habent obligationem reſtitutionis in ordine ad Dominum, quia eſt ei ſatisfactum, nec in ordine ad illum qui reſtituit, quia nihil ab eo acceperunt, vt ſupponitur. Tum quia præcipuus in crimine tenetur ſocios indemnes ſeruare, quia eſt cauſa efficax damni reſpectu aliorum. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. Arragon, Bannez *ibidem, art.* 7. Couarruuias *in reg. peccatum*, §. 12. *num.* 3.

Caiet. Bannez. Couar.

Secundo, ſi principalis in crimine, qui nihil de præda accepit, reſtituat vero Domino, qui tem illam accepit, tenetur ei in integrum reſtituere: quia ille qui reſtituit, acquiſiuit ius quod habebat Dominus exigendi à ſingulis partem, & ita tenetur qui prædam accepit ei reſtituere, ſic & vero Domino.

Tertio, ſi is, qui Domino totum damnum reſtituit non accepit totam prædam, ſed res accepta inter omnes æqualiter diuiſa ſit, ſiue res illa modò apud eos extet, ſiue conſumpta ſit, tunc vno reſtituente in totum, cæteri tenentur ei pro rata reſtituere, ſiue is qui reſtituit ſit præcipuus, ſiue non. Ratio eſt, tum quia vnuſquiſque ratione rei acceptæ eſt principalis, tum quia ille qui reſtituit vero Domino pro omnibus, ſuccedit in locum prioris creditoris ſpoliati, eiuſque perſonam repræſentat; quia aliàs eſſet peioris conditionis, quàm alij, cùm tamen fuerit melioris conſcientiæ.

Quarto, ſi res accepta apud vnam ſolum extet, aut in ſuum vſum conſumpta ſit mala fide, tunc ipſe totum reſtituere tenetur: quia ad id tenetur ratione rei acceptæ, & ratione iniuſtæ acceptionis, alij verò ſolùm ratione iniquæ acceptionis, vnde is primo reſtituere obligatur. Si tamen ipſe reſtituere nolit, aut non poſſit, tunc ſecundo loco tenetur poſt ipſum; qui fuit cauſa principalis, qualis eſt mandans, & qui per ſeipſum vt cauſa phyſica, & naturalis damnum totum ſolus intulit. Quod ſi is neque reſtituat, reliqui contribuere tenentur totum damnum, quia vnuſquiſque illorum qui in damnum illud concurrerunt, ſemper tenetur reſtituere damnum inſolidum, in caſu, quo aliunde non ſit Domino facta integra reſtitutio.

Quintò, quando plures æqualiter concurrunt ex mutuo conſenſu ad dandum damnum, ſi vnus in integrum reſtituat vero Domino, tenentur alij pro rata reſtituere, quantum ex præda perceperunt. Ratio eſt, quia hic in locum Domini ſucceſſit, & in ius, quod habebat Dominus in ſingulos. Vnde ſicut æqualiter debuiſſent ſoluere, ita tenebantur ſuas portiones ei refundere, qui ius Domini in ſe tranſtulit loco aliorum ſoluendo. Item dicendum eſt, etiamſi ex damno illato nihil commodi alicui acceſſerit, ſi enim vnus totum damnum reſtituat, alij pro rata eidem reſtituere tenentur ex iuſtitia; quia omnes communi conſenſu, cauſæ æquales fuerunt damni. Ita Petrus Nauarra *loco citato, num.* 91. 96 & 104. Clauis reg. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. & *ſeqq.* Bartho. à S. Fauſto *in ſpeculo, q.* 102. Syluius 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *quæſit.* 1. & 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 5. & 7.

Nauar. Clau. reg. Fauſtus. Leſſ.

24. Quidam volunt eum, qui ſine damno ſuo, aut periculo poteſt clamando, vel reprehendendo impedire damnum proximi, & non impedit, teneri ad reſtitutionem, etiamſi ſola lege charitatis, & non ex officio obligetur: quia talis omiſſio eſt cauſa indirecta damni in proximum ſecuti, ergo ad reſtitutionem obligat. Idem dicendum putant de eo, qui poteſt verbo damnum proximi impedire, & non impedit, quia illum odit. Sed in contrarium eſt communis Doctorum ſententia.

Et quidem in primo caſu certum eſt quòd obligatio charitatis, non inducat obligationem reſtituendi quando violatur, ſed ſolùm obligatio iuſtitiæ, alioquin is qui eſt cauſa indirecta mortis alicuius, non dando ei eleemoſynam, ſicut ex charitate obligatur, teneretur poſtea ad reſtitutionem, quod eſt omninò falſum, vt ex communi docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. Arragon *ibid.* & Syluius *de mutuo*. Nauar. *cap.* 17. *num.* 18. & 136. Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 6. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 2. & alij.

D. Thom. Sylu. Nauar. Syluest.

Nec his obſtat ratio in contrarium adducta, & quod habetur *in cap. Sicut dignum*, §. *Illi etiam, de homicid. voluntar.* vbi Alexander III. ait: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, eum occidit*. Hæc enim non ſolùm probant talem non impedientem damnum cùm poſſit, reum eſſe furti, vel homicidij coram Deo ratione violatæ charitatis; ſed non obligatur hominibus reſtituere, quia non peccat contra iuſtitiam, quæ ſola violata ad reſtitutionem obligat.

In ſecundo autem caſu dicendum eſt, quod odium vel animi maleuolentia, quamuis augeat malitiam peccati, non tamen obligationem reſtitutionis inducit, quia efficaciter ad damnum proximi non concurrit, cùm ſolùm in animo tale deſiderium maneat. Tum quia odium iuſtitiæ non repugnat, ſed charitati, cuius violatio ad reſtitutionem non obligat. Proinde vt omittens dicatur contra iuſtitiam peccare, tria concurrere debent *Primum*, vt ex iuſtitia obligatus ſit loqui, obſtare, vel manifeſtare. *Secundum*, vt reipſa non impediert damnum, quod proinde ſecutum eſt. *Tertium*, vt rationabiliter potueris impedire. In moralibus enim is qui poteſt ac debet malum impedire, cenſetur cauſa illius ſi ipſo non impediente euenerit, Ita Syluius *loco cit.* Medina *C. de reſtitut. quæſt.* 9. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 3. Molina *tom.* 3. *diſp.* 735. Bonacina *de reſtit. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 11. *num.* 2. & alij communiter apud ipſum.

Medina Valent. Molina. Bonac.

25. Dubium eſt, an qui clamare volentem contra fures, vel impediat damnum proximi, inducit ad tacendum, teneatur ad reſtitutionem? Quidam ſuſtinent teneri ad reſtitutionem eum, qui inducit paratum illud damnum impedire, non autem teneri eum, qui tacet: quia is, qui impedit, iniuſtè agit contra eum, cuius bona ſurripiuntur. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num* 140 Medina *C. de reb. reſtituend. q.* 9. Azorius *part.* 3. *lib.* 4. *c.* 15. *quæſt.* 3. Sed verius eſt, neque eum qui tacet, neque eum qui inducit, teneri ad reſtitutionem. Non primus, quia non tenetur ex officio, ac proinde lege iuſtitiæ huiuſmodi damnum impedire, vt ſupponimus. Non etiam ſecundus, quia quandoquidem is qui tacet non teneatur ex iuſtitia clamare, nec is qui inducit ne clamet, contra iuſtitiam peccabit. Ita P. Nauar. *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 4. *part.* 1. *dub.* 10. *num.* 136. Clauis reg. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Trullench *in decalog. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 66. & alij.

Nauar. Azor.

Nauar. Clau. reg. Leſſius.

Sententia autem Nauarri & aliorum ſuſtineri poteſt, & eſt vera, quando is qui diſſuaſit, aut is qui diſſuaſus eſt, tenebatur ex iuſtitia & ex officio damnum proximi impedire. Et etiam quando is qui diſſuaſit medacibus verbis & fraude fecit alterum tacere: tunc enim is qui damnum paſſus eſt, patitur inuoluntarium & iniuſtum, & etiam qui impeditus eſt, ne clamaret, ac proinde ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia qui per talia media, quæ ſunt contra iuſtitiam eſt cauſa, quòd proximus priuatur bono, quod alter vult ei conferre, tenetur ad reſtitutionem faciendam illius damni conſecuti ex iniuſtitia, quam ab altero paſſus eſt, vt tradunt Doctores citati, quibus addo Rebellum *de oblig. iuſtit. l.* 2. *q.* 14. *ſect.* 2. Bonacin. *de reſtit. diſp. q.* 2. *punct.* 11. *n.* 3.

Rebel. Bonac.

26. Difficultas eſt, an Iudex non rectè, iudicando, teneatur ſoluere pœnam, ad quam per iuſtam ſententiam reus fuiſſet condemnatus? Reſpondeo, ſi poſt latam ſententiam iuſtam, & promulgatam, Iudex pœnam pecuniariam fiſco, vel parti læſæ iam debitam à reo remittat iniuſtè, tenetur eam reſtituere iiſdem, quibus erat applicanda, Ratio eſt, quia fiſcus vel pars læſa poſt ſententiam iam

iam habet ius acquiſitum ad talem pœnam, & eſt verus Dominus illius, ergo ſi ſibi non reddatur, fit ei iniuria, & ex conſequenti qui illam infert committit furtum, & ad reſtitutionem tenetur. Ita Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 13. dub. 3. num. 9.* Fauſtus *in ſpeculo Confeſſar. diſp. 4. q. 120. num. 3.* Salon *2.2. quæſt. 62. art. 7.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 14. num. 13.* & alij.

Trullench. Fauſtus. Clau. reg.

Non conueniunt tamen Doctores, quando Iudex per iniquitatem non fert ſententiam, nec condemnat reum ad ſoluendas pœnas in lege impoſitas, & quas ſoluere debet, an ipſe ad illarum reſtitutionem teneatur parti læſæ? Quidam affirmant teneri. Ratio illorum eſt, quia cùm Iudex ſit cuſtos iuſtitiæ, reddere debet vnicuique ius ſuum; ergo omittens ferre ſententiam, ex qua pœnæ illæ applicandæ eſſent fiſco, vel accuſatori, aut parti læſæ, agit contra iuſtitiam commutatiuam, & conſequenter pœnam illam, ſeu potius damnum pecuniarum, fiſco, aut accuſatori, aut parti læſæ reſtituere tenetur, nimirum impenſas & alia huiuſmodi. Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 7.* Salon *2.2. quæſt. 62. art. 7. controuerſ. 5.* Syluest. *verb. Pœna, q. 28.* & ſentire videtur D. Thom. *2.2. quæſt. 67. art. 4. ad 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 11. punct. 4.* & alij.

Layman. D. Thom. Valent.

Et ſecundùm hanc ſententiam falluntur qui volunt Iudicem non teneri has pœnas ſoluere antequam per aliam ſententiam condemnetur. Ratio eſt, quia non eſt pœna reſpectu illius, ſed debitum ex damno dato, & bono impedito fiſco, vel accuſatori vel parti læſæ, & ita tenetur illam Iudex ſoluere etiam non condemnatus, quia ad debita contracta ſoluenda, neceſſaria non eſt, nec expectanda Iudicis ſententia. Nihilominus ſententia aſſerens Iudicem non teneri ad reſtitutionem (licet peccet mortaliter) qui per iniquitatem iuxta acta & probata non condemnat reum ad ſoluendam pœnam, qua ſecundum leges mulctandus eſſet, eſt ſatis probabilis. Ratio eſt, tum quia Iudex non tenetur ex officio, & lege iuſtitiæ ferre iuſtam ſententiam contra reum, vt fiſcus vel pars læſa mulctis ditetur, ſed ſolùm vt damna impediantur: quoniam leges pœnales non ſunt factæ, vt Princeps vel Reſpublica ex pœnis locupletetur, ſed vt leges ſeruentur. Tum quia fiſcus vel pars, cui pœna illa à lege & iuſta ſententia venit applicanda, non habet ius acquiſitum in illam ante delicti condemnationem, ergo donec reus criminis condemnetur, nihil ipſi fiſco vel parti læſæ de iuſtitia debetur. Hanc ſuſtinent Tannerus *in 2.2 diſp. 4. quæſt. 6. dub. 2. num. 81.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæſt. 5. ad 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 73.* Nauarrus *in Manual. cap. 25. num. 51.* Diana *part. 3. tractat. 5. reſol. 52. verſ. Notandum,* & alij, quibus addo Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 13. dub. 3 num. 8.* Ex qua inferunt, quòd nec cuſtos vectigalis non manifeſtans, nec Procurator fiſcalis non accuſans, nec Iudex non condemnans, tenentur ad pœnæ reſtitutionem.

Azor. Nauar. Dian. Trullench.

27. Qui negatiuè, & minus principaliter ſunt cauſa damni, non tenentur illud reſtituere, niſi in defectum eorum, qui poſitiuè illud damnum dederunt: vnde ſi illi alij reſtituant, cuſtodes reſtituere non tenentur: ſi verò cuſtodes in illorum defectum illud reſtituant, cauſæ principales reſtituere cuſtodibus tenentur quod loco illorum reſtituerint. Ratio eſt, quia ſicut cauſa poſitiua eſt potior, magiſque influit in effectum, quàm negatiua, ita etiam priorem locum obtinet in reſtituendo. Tum quia cauſa poſitiua animat aliquo modo malefactorem, cauſa autem negatiua minimè, ſed ſolùm non impedit. Tamen ſi contingeret tranſgreſſorem, ſeu malefactorem attenta Superiorum vel cuſtodum præterita negligentia animari, tunc cauſa negatiua ad inſtar cauſæ poſitiuæ & cum poſitiuis, & non poſt illas ad reſtitutionem teneretur. Si verò plures negatiuè concurrant ad damnum, quilibet in ſolidum tenebitur, altero deficiente, alias vel omnes ſimul contribuendo pro rata, & æqua portione, ſi ſint plures in cauſando, vel ei qui primo ſoluit. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 11. num. 81. & 82.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 13. dub. 5. num. 2.* & alij.

Leſſius. Trullench.

28. Inter cauſas poſitiuas, ſeu perſonas, quæ poſitiuè concurrunt ad iniuſtitiam, ſi damnificatio ſit lucroſa, ita vt aliquid ablatum ſit, primò & principaliter tenetur reſtituere is, ad quem res furtiua peruenit, ſiue ſit mandans, ſiue conſulens, ſiue conſentiens, &c. Ratio eſt, quia hic tenetur ratione rei ablatæ, quæ obligatio eſt omnium maxima: nam res aliena quamdiu extat in ſpecie, per ſe debetur, ſemperque pro ſuo Domino clamat. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 5. num. 39.*

Si eſt conſumpta, & ab eo, qui probabiliter neſciebat eſſe rem alienam, non tenetur, niſi quantum ad id, quòd factus eſt ditior. Si autem mala fide ſciens, vel dubitans eſſe rem furtiuam, eam conſumpſit, ſic primo loco tenetur reſtituere: quia cùm ex ea lucrum reportauerit mala fide, perinde eſt, ac ſi res conſumpta extaret, & apud ſe haberet. Cùm enim ipſe ex ea re commodum, ſciens, & volens perceperit præ reliquis; par etiam eſt, vt præ alijs quoque veniat in onus reſtitutionis. Ita Couarruuias *in reg. peccatum, p. 2. §. 12. num. 3.* Bannez, Arragon *2.2. quæſt. 62. art. 7.* Molina *tom. 3. de iuſtit. diſp. 737.* Ioan. Medina *C. de reſtit. q. 8.* Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 13. dub. 5. n. 3.* & alij.

Couar. Arragon. Medin. Trullench.

29. Si damnificatio non ſit lucroſa, nec in ea aliquid ablatum ſit, ſed tantummodo damnum irrogatum, vt deſtructio domus, incendium, conculcatio ſegetum, occiſio, vulneratio, &c. tunc primo loco reſtituere tenetur, qui ſuo nomine fecit, vel rogauit, aut ſuaſit, vt ſuo nomine fieret; qui coegit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, quando hic habet vim coactiuam reſpectu exequentis; vt ſunt Iudices reſpectu ſubditorum, Dominus reſpectu famulorum, pater reſpectu filiorum, maritus reſpectu vxoris; ſi enim imperans reſpectu exequentis talem vim coactiuam non habeat, tunc iubens non eſt cauſa principalior exequente, ſed contra exequens tenetur primo loco: quia tunc tale imperium, ſeu præceptum ſolùm habet vim conſilij, & non præcepti, cùm non cogat exequentem timore aliquo rationabili, ad ita iniuſtè damnum inferendum. Ita Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 13.* Vaſquez *de reſtitut. cap. 9. num. 52. & 56.* Leſſius *loco citato, num. 41.* Bonacina *de reſtitut. diſp. 1. quæſt. 8. punct. 1. num. 3.* Trullench *loco citato, num 5.* P. Nauarr. *de reſtit. lib. 3. cap. 4. n. 78* & alij.

Clau. reg. Vaſq. Leſſius. Bonac. Trullench. Nauarr.

De alijs autem cauſis poſitiuis, ſeu perſonis obligatis ad reſtitutionem, & quo ordine ad id teneantur, vide dicta *tom. 1. verb. Reſtitutio IV. §. VI. num. 27.*

30. Quorumdam ſententia eſt debitorem teneri reddere alienum cum vitæ periculo, Domino exiſtente in eodem periculo: quia in pari neceſſitate, præferri debet creditor. Tum quia res eſt illi debita ratione contractus præcedentis, & ita ratione acceptionis. Ita Scotus *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4.* Nauar. *in Manual. cap. 17. num. 60.* Molina *C. de reb. reſtit. q. 3.* & alij.

Nauar. Molina.

Contrarium tamen eſt dicendum, nempe debitorem non teneri reſtituere, ſed ſibi potiùs ſubuenire poſſe, quàm creditori, etiamſi per iniuriam rem illam occupauerit. Ratio eſt, tum quia in pari caſu extremæ neceſſitatis melior eſt conditio debitoris poſſidentis, quamuis ſi vellet dare, poſſet. Tum quia ius naturale conſumendi quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitam, præferri debet iuri ciuili, quo debitor ex contractu tenetur rem creditori reddere. Tum quia in extrema neceſſitate deſinit res eſſe propria alicuius, & fit communis, nec tunc eſt meum, aut tuum, ſed vel primi capientis, ſi à nullo poſſideatur, vel eius qui actu rem poſſidet, ac proinde non tenetur ſe expoliare, ſeque ſinere mori, vt alteri ſuccurrat. Ita D. Thomas *2.2. quæſt. 31. artic. 3. ad 3.* Caietanus *ibidem*, & *quæſt. 62. art. 5. ad 4.* Toletus *lib. 5. cap. 24. num. 4.* Bonacina *de reſtitut. diſput. 1. quæſt. vltim. punct. 1. num. 30.* Hinc ſi ante occupaui tuum panem in ſolitudine, vel tuam tabulam in naufragio, vel equum in fuga, non teneor tibi tunc reſtituere, etiamſi ſimul in extremum periculum incideremus. Quod ſi eodem momento à duobus res ſit occupata, vel diuidenda eſt, ſi poteſt, vel ſorte tribuenda. At ſi creditor ſubtractione illius rei coniectus eſt in illas anguſtias, teneris illi reſtituere tunc, vt ſi exiſtenti in extrema neceſſitate panem ſurripuiſti: quia tunc melior eſt conditio poſſidentis, & in pari neceſſitate potior eſt conditio creditoris, iuxta regulam iuris. Imò ſub-

D. Thom. Caiet. Tolet. Bonac.

Digitized by Google

ſubtrahere tunc rem qua quis extremè indiget, idem eſt occidere. Ita Clauis regia *lib.10. tractat.5. cap.6. num.6.* Leſſius *lib.2.cap.16. dub.1.num.12. & 13.* Trullench *in Decalog.lib.7.cap.15.dub.1.num.6.* Filliucius *tract.32 n.144.* Turrianus *diſp.17.dub.1.num.18.* & alij.

Clau. reg. Leſſius Trullench Filliuc.

31. Quamuis iuxta communiorem ſententiam Doctorum neceſſitas grauis excuſet à reſtitutione debitorem, quamdiu talis neceſſitas durat, & creditor non eſt in pari neceſſitate: nam in pari neceſſitate præter extremam, melior eſt conditio creditoris. Probabile tamen eſt, ſi debitor ſit in graui neceſſitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non teneri reſtituere, etiamſi contingat creditorem in parem neceſſitatem incidere, modò debitor illum in eam non coniecerit, idque ſiue ex furto debitum ſit ortum, ſiue ex contractu. Ratio eſt, quia non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui, videtur eſſe melior conditio poſſidentis. Tum quia probabile eſt, licitum eſſe in graui, neceſſitate clam ſurripere: ergo multò magis licitum videtur non reſtituere. Ita Leſſius *loco citato, cap.16.num.20.* Filliucius *loco citato, num.143.* Trullench *in Decalog.lib.7.cap.15.dub.2.num.10.* Bonacina *loco cit.num.32.* Syluius *2.2.quæſt.62. art.8. quæſit.1. concluſ.2.*

Leſſius. Fill. Trullench Bonac.

32. Reſtitutio poteſt differri ob vitandum magnum, & probabile periculum ſalutis animæ ſuæ, & ſuorum, vt quando periculum eſt, quod debitor facta reſtitutione, conijciat ſe in laqueum ex impatientia, vel quod filij ſeſe latrocinijs immiſceant, vel quod vxor, aut filiæ ſui copiam alijs faciant propter egeſtatem. Ratio eſt, quia quiſque magis tenetur ſaluti animæ ſuæ, & ſuorum conſulere, quàm debita ſoluere. Debet autem hoc periculum eſſe notabile, ita vt non ſuppetat alia commoda ratio eius auertendi, niſi differendo reſtitutionem. Tum quia ſicut differri poteſt reſtitutio ad vitandum graue damnum temporale; ita multò magis differri poteſt ad vitandum periculum, & damnum ſpirituale ſui vel ſuorum. Ita D. Antoninus *2.p.tit.2.cap.8.* Nauar. *in Manual cap.17.num.57.* Leſſius *lib.2.cap.16.nu.21.* Trullench *loco cit. num.11.* Filliuc *loco cit.num.145.* & alij.

Nauar. Leſſius. Trullench Filliuc.

33. Per ſe loquendo nullus tenetur cum vitæ, aut famæ periculo reſtituere bona externa, licet id poſſet, ſi vellet cum laude, & merito. Ratio eſt, quia bona inferioris ordinis regulariter non ſunt reſtituenda cum iactura bonorum ordinis ſuperioris: bona autem externa, quæ vocantur fortunæ, ſunt inferioris ordinis, quàm vel fama, vel vita, ergo non tenetur tunc reſtituere.

Ex quo infertur eum, qui habet alienum, & non inuenit perſonam, per quam fideliter, & ſecretò reſtituat, licitè differre poſſe reſtitutionem, quouſque talem inueniat, & hoc propter famæ conſeruationem, quæ eſt bonum altioris ordinis quam pecunia, iuxta illud Eccleſ. 41.15. *Curam habet de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni.* Vnde Ariſtoteles 4. *Ethic. cap.3.* Affirmat honorem eſſe maximum bonorum exteriorum. Ita Scotus *in diſt.15. quæſt.2.* Caietanus, Arragon *2.2.quæſt.62.art.8.* Syluius *ibidem, art.6. quæſit.6. concluſ.1.* Nauarrus *in Manual cap.17. num.89.* Trullench *in Decalog.lib.7.cap.15.dub.1.nu.14.* & alij.

Caiet. Arrag. Nauar. Trulench

Cæterum, quamuis fama ex natura ſua ſit bonorum altioris ordinis, quàm bona externa, eſt tamen bonum temporale, & pecunia æſtimabilis, tanta poteſt eſſe res reſtituenda, vt famam debitoris longè ſuperet quoad æſtimationem; proinde per accidens poteſt contingere caſus, in quo bona externa ſint reſtituenda cum detrimento famæ, ſi nimirum perpenſis omnibus circumſtantijs, fama debitoris non multò pluris ſit æſtimanda, quàm temporale damnum creditoris. Ex quo fit, ſi attentis circumſtantijs infamia adulteræ non eſſet valdè magna, quia nimirum eſſet alioqui fortè ſuſpecta, nec adeo illuſtris, damnum autem filiorum legitimorum inſigne, vt puta Regnum, Ducatus, Principatus, &c. quod deuolueretur ad filium adulterium, omiſſo filio legitimo, probabile eſt teneri adulteram, non obſtante periculo famæ vel etiam vitæ (vt volunt quidam) reuelare proprium crimen, vt filios legitimos ſeruet indemnes. Ratio eſt, quia Regnum famæ Reginæ præuales, quæ debet bonum proprium poſtponere communi. Ita Sotus *de iuſtit. lib.4.q.6.art.3. & quæſt.7.art.2.* Toletus *lib.5.cap.27.num.1.* Valentia *tom.3.diſp.5.quæſt.6.punct.7.* Lopez *part.1.inſtruct.cap.116.* Syluius *2.2.quæſt.62.art.6.quæſit.6.concl.2. & 3. & quæſit.7 concluſ.5.* Rodriquez *part.2 Summæ Latinæ, c.47.concl.2.* & alij.

Sotus. Tolet Syu Rodriq.

34. Debitor non liberatur ab onere ſtatim reſtituendi qui patitur graue damnum ex eo ſolùm, quod ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſat illi magnum lucrũ. Quia lucrum ceſſans non habet locum niſi in re propria, quæ alio tempore cariùs vendenda erat (verbi gratia, qui debet centum aureos, ſi non poteſt reſtituere niſi domum vel prædium vendat multo minoris quàm valet, non tenetur tunc reſtituere, ſed poteſt differre, quamuis debitum procedat ex delicto, vt docet Leſſius infra citandus cum aliis) non autem in re aliena inuito Domino detenta. Tum quia hoc non eſt detrimentum pati in rebus proprijs, ſed non lucrari ex alieno, inuito eo, ad quem ſpectat. Tum quia æquitas non poſtulat, vt creditor rebus ſuis careat pro lucro debitoris. Si tamen debitor hoc lucrum quærat ad ſatisfaciendum cæteris creditoribus, quibus alioquin non eſt ſoluendo, tunc charitas exigit vt creditor conſentiat in debiti dilationem, ſi commodè poſſit: quia contra rationem eſt, vt velit ſibi cum tanto aliorum creditorum incommodo reſtitui, quod dilata ſolutione poſſet vitare, & in hoc non eſt creditor rationabiliter inuitus. Ita Molina *tract. 2. diſput.754 verſ. Quando detrimentum.* Trullench *loco citato l.7.cap.15, dub.2 num.12.* Nauarrus *cap 17.num.59.* Turrianus *diſp.17.dub.1.num.19.* Bonacina *de reſtit. diſput.1. quæſt.vltim.punct.1.num.29.* Syluius *2.2.q.62. art. 8. quæſit.1.concl.5.* & alij apud Leſſium *l.2.c.16.n.24.* Clauem regiam *l.10.tr.5.c.6.n.24.*

Trullen. Turrian. Bonac. Leſſius Clau reg.

Hinc deducitur, quod quando res iniuſtè acquiſita in ſpecie extat, & debitor non extremè indiget, illam ſtatim reſtituere teneatur, etiamſi ſtatum deponere cogatur. Ratio eſt, quia tunc differri poteſt reſtitutio, quando debitor in re propria patitur damnum; at verò quando res aliena extat, ſi illam reſtituat, nullum in re propria detrimẽtum patitur; quia nullus ex alieno & cum alterius damno locupletari poteſt. Proinde Nobiles, qui villas, aut alienas poſſeſſiones iniuſtè detinent, ne ſtatim reſtituendo à magnitudine ſtatus & familiæ cadant & eorum Confeſſores huius rei conſcij, ſunt in ſtatu damnationis, quia de alienis non debent tam ſplendidè viuere. Ita Anglez *in 4. ſentent. tract. de reſtitution. quæſt.2.artic.2.difficul.9.concluſ.1.* Ludouic. Carbo *de reſtitut.q.87 & 88.* Summa Corona *par.2.cap.5.num.22.* Clauis reg. *lib.10.tractat.5.cap.6.nu.39.* & alij.

35. Non poteſt debitor in toto, vel in parte reſtitutionẽ differre, ſi reſtituendo patitur graue damnum ex eo ſolùm quòd res reſtituenda eſt magna. Ratio eſt, quia hoc non eſt pati damnum in rebus ſuis, ſed reddere alienum vero Domino, reſtituit enim id, quod non eſt ſuum, ſed alienum. Aliàs enim melioris conditionis eſſent, qui multum furarentur, aut multum iniuſtè detinerent, quàm qui parum, & ſic ex maiori ſuo delicto commodum reportarent, qui quo maius furtum committerent, eo magis à reſtituendo excuſarentur, quod tanquam abſurdum non eſt dicendum. Ita Salon *2.2.q.62.art.8.* Caietan. *ibidem,* & Arragon *concl.1.* Sotus *de iuſt.l.4 q.7.art.4.* Nauarr. *c.18. n.59.* Valent. *t.3.diſp.6.q.6.punct.7.* Toletus *l.5.c.24 num.4.* & alij.

Caiet. Sotus. Nauar. Tolet.

36. Ex communi Doctorum ſententia, quando debitor iuſtè ſtatum acquiſiuit, nec reſtituere poteſt ſine graui & notabili iactura ſui ſtatus, aut rerum ſuarum non tenetur ſtatum reſtituere, ſed poteſt reſtitutionem differre, dummodo creditor ſimilem iacturam ſtatus ex dilatione non patiatur; tenetur tamen citra notam paupertatis ſtatum minuere, vt reſtituere paulatim poſsit. Probatur prior pars quia cum talem ſtatum antea iuſtè acquiſiuerit, & poſtea ex culpa, aut ſine culpa ſua impotens factus ſit ad reſtituendum, excuſatur à reſtitutione ſtatim facienda propter impotentiam: ſicut enim impotentia ſimpliciter excuſat à reſtitutione facienda propter impotentiam; ſicut enim impo-

Digitized by Google

impotentia ſimpliciter excuſat à reſtitutione facienda ſimpliciter, ita impotentia pro tali tempore excuſat ab obligatione ſtatim reſtituendi. Tum quia in hoc caſu creditor rationabiliter tenetur conſentire in dilationem, contra enim æquitatem, & charitatem faceret ſi vellet ſibi cum tanto alterius detrimento ſtatim ſatisfieri. Tum quia cadere à ſtatu, eſt magna infamia, & propter vitandam infamiam, licet reſtitutionem differre, creditore non egente.

Probatur ſecunda pars, quia ex ordine charitatis poteſt creditor ſibi potius in caſu dicto, quàm debitori velle conſulere, & rectæ rationi repugnat, vt exiſtente æquali detrimento vtriuſque, debitor conſeruet ſtatum ſuum alienis bonis, is verò, qui eſt verus Dominus, & cui verè debetur, cadat à ſtatu ſuo.

Caiet. Nauar. Clau. reg. Arrag. Fauſtus. Trullench.

Tertia pars patet ex eo, quòd debitor teneatur ea facere, per quæ commodè reſtituere poſſit; ſed minuendo ſtatum reiectis ſuperfluis, quæ ſunt ad ſolam pompam, & abundantiam, & retinendo ſibi neceſſaria ad ſtatus ſui decentiam, commodè poſtea poterit reſtituere, ergo id facere tenetur vt conſcientiæ ſuæ conſulat. Ita tradunt Caietanus 2.2.*quæſt*.62. *artic*.6. & *in Summ. verb. Reſtitutio, cap*.6. Petrus Nauarra *lib*.4. *de reſtitut. cap*.4. *dub* 7. *num*.42. Clauis regia *lib*.10. *tractat*.5. *cap*.6. *num*.27. & 28. Baonez, Arragon 2.2. *quæſt*.62. *art*.8. Bartholomæus à Sancto Fauſto *in ſpecul. confeſſar. diſp*.4. *quæſt*.226. *num*.7. Trullench. *in Decalog. lib*.7. *cap*.15. *dub*.3. *num*.3. & alij penes ipſos.

Vide dicta *tom*.1. *verb. Reſtitutio V. num*.9.

37. Quando ſtatus eſt iuſtè acquiſitus, ſed conſeruatur bonis omnibus alienis, vt contingere poteſt in filio vſurarij, qui bona fide hæreditatem à patre accepit; non tenetur debitor ſtatim reſtituere cum detrimento, aut notabili iactura ſuorum bonorum, ſi ſit moralis certitudo, quod in tempore opportuno reſtituet omnia ſine illo incommodo. Ratio eſt, quia Dominus in hoc irrationabiliter eſſet inuitus. Si autem talea ſint circumſtantiæ, vt niſi modò fiat reſtitutio, nunquam ſit facienda, tunc ſi res iniuſtè ablata eſt, ſtatim reſtitui debet, etiamſi magni ſumptus cum detrimento proprij ſtatus, ac rerum eſſent faciendi: quia nemo debet cum alterius detrimento ſtatum ſuum conſeruare; imò ſi creditor in iudicio peteret, Iudex ex iure Cæſareo debitorem illum compelleret ad ſoluendum, quamuis ſtatum ſuum perdere deberet. Ita Leſſius *lib*.2 *cap*.16. *dub*.1. *num*.23. Bannez *ſecunda ſecundæ, quæſtione* 62. *articulo* 8. Ludouicus Carbo *tractat. de reſtitut. quæſtione* 87. *concluſione* 9. & *quæſt*.88. *concluſ*.2. Martinus Ledeſma 2.4. *quæſt*.108. *artic*.5.

Leſſius. Bannez. Ledeſm.

38. Qui non tenetur cum totali iactura ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, debet tamen in ſumptibus ſe reſtringere, diminuendo quantùm poteſt ſuum ſtatum intra limites decentiæ ſtatus, vt ſic paulatim reſtituat: vnde debet parcius viuere, & minores dotes filiabus tradere, & ſi non poteſt illas nuptui tradere nobili, tradat mercatori, & alia ſuperflua reſecet. Ratio eſt, quia nunquam caterua famulorum, & equorum cum diſpendio creditorum à reſtitutione excuſat, cùm ſine ita magna familia ſtatus nobilium conſeruari poſſit. Proinde debent Confeſſarij eſſe diligentes ad diſcernendas cauſas prorogationis, quas reſtitutioni obnoxij ſolent ſibi fingere, & in cauſa dubij debent inclinare in fauorem creditoris. Ita Lopez *part*.1. *inſtruct. confeſſ. cap*.118. *verſic. Hinc ſequitur circa finem*. Leſſius *lib*.2. *capit*.16. *dub*.1. *numer*.25. Syluester *verb. Reſtitutio* 5. *quæſtion*.4.

Leſſius. Sylu.

39. Debitor excuſatur à reſtitutione rei alienæ, ſi in ſpecie aliena abſque dolo, aut culpa, aut ante moram perierit. Ratio eſt, quia pereunte re, & non ex culpa, aut mora debitoris, perit actio, quam creditor contra debitorem habebat. Secus autem, ſi aliquid horum interceſſit, tunc enim debitori eſt imputandus interitus, & ad rei æſtimationem ſoluendam tenetur.

Si autem res quam debitor tenetur reſtituere eſt in genere aliena, puta pecunia, vel equus non determinatus, vel aliud huiuſmodi, non liberatur debitor à reſtitutione, etiamſi ſine ſua culpa, aut mora pereat, quia obligatio non directè & immediatè erat in re aliqua debitoris, ſed in perſona eius, licet mediatè ſit in re, ideò pereunte re, manet eiuſdem perſonæ obligatio.

Si vero res non ſit in ſpecie aliena, ſed tua, eius interitus non te excuſat, quia res Domino ſuo perit, vt ſi pecunia deſtinata ſolutioni ſurripiatur. Ita Nauar. *cap* 17. *nu*. 80. Leſſius *lib*.2. *c*.16. *dub*.6. Trullench *in decalog. lib*.7. *cap*.15. *dub*.7. Valentia *tom*.3. *diſp*.5. *q*.6. *punct*.7. P. Nauar. *lib*.4. *de reſtit. c*.1. *num*.13. & alij apud Clauem reg. *lib*.10. *tract*.5. *c*.8. *num*.14.

Nauar. Leſſius Trullench Clau. reg.

40. Qui iuria, aut Iudicia ſententia tenet aliquid non ſuum, aut alteri debitum, non ſemper tutus eſt in conſcientia, aut à reſtitutione liber; vt videre eſt in eo qui rem ſuam vendendo, emptorem citra dimidium iuſti pretij defraudat, qui quidem ſecundùm leges, & in foro externo tutè retinet exceſſum iuſti pretij, & tamen in conſcientia talis venditor exceſſum iuſti pretij retinere non poteſt. Similiter ſententia lata ſecundùm iura, & allegata probata, ab obligatione reſtitutionis non excuſat, ſi falſæ præſumptioni, aut probationi innitatur. Tunc autem homo eſt tutus, & à reſtitutione liber.

Primò, quando res legitimo modo eſt vſucapta, in hoc enim caſu auctoritas legis transfert dominium in eum, qui vſu cepit, vt habetur *leg*.3. *ff de vſucapion*.

Secundò, quando Iudex priuat aliquem re ſua iuſtè ob delictum, & eam alteri applicat, tunc iuſtè damnatus priuatur re ſua, eiuſdemque dominio, & poſſeſſione, & rem illam bona conſcientia non amplius poſſidet, ſed alter, cui per ſententiam huiuſmodi applicata fuerit: modò ſententia nitatur veritate, non falſa præſumptione.

Tertiò, quando Iudex auctoritatem legum & naturalem æquitatem ſecutus, aliquid alicui adiudicat, quod aliàs non deberetur ex rigore iuſtitiæ, is, qui hoc percepit, non tenetur reſtituere.

Quartò, quando aliquis per ſententiam ordine iuris latam, priuatus eſt officio, beneficio vel hæreditate. Is, qui hæc poſtea obtinet, non tenetur reſtituere, etiamſi priuatim ſciat condemnatum eſſe innocentem; modò, ille cauſa falſæ illius ſententiæ non fuerit. Ita Leſſius *lib*.2. *c*.16. *dub*.7. qui ſe refert *ad cap*.29. *dub*.10.

Cæterum eſt hic aduertendum tunc hominem eſſe liberum à reſtitutione, iuris auctoritate vtentem, quando lex non permiſſiua eſt, ſed conceſſiua, ex intento volens rem alicui applicare, tunc enim res illa in dominium tranſit eius, cui lege applicatur. Secus ſi lex tantùm ſit permiſſiua, aut ſi tantùm actionem non concedat, aut repetitionem neget: quia tales leges debitorem ab onere reſtituendi non excuſant, & multa permittunt in foro exteriori, quæ ſunt illicita in foro exteriori, nec ideò debemus dicere eſſe illas leges iniuſtas, quia permittunt hæc vt euitentur peiora. Ita Rodriquez *parte* 2. *Summ. Latina, cap*.49. *concluſ*.4. De quibus vide Clauem regiam *lib*.1. *tract*.5. *cap*.8. *num*.20. Valentiam *tom*. 3. *diſp*.5. *quæſt*.4. *punct*.2. Arragon *in* 2.2. *quæſt*.62. *artic*. 8. *cauſa* 7. Ioannem Medinam *C. de rebus reſtituend. quæſt*.3.

Rodriq. Clau. reg. Valent. Arrag. Medina.

41. Probabile eſt Epiſcopum poſſe concedere Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè habitis pro ſua tantùm Diœceſi. Quia nec iure naturali, nec humano probatur id eſſe reſeruatum Summo Pontifici, iuſtè enim poteſt credi voluntatem creditorum eſſe, vt Epiſcopus conſulat conſcientijs ſubditorum incerta debentium: nec valet dicere, non eſſe id poſitum in conſuetudine; quia fortè id ex eo prouenit, quod Pontifex concedit Bullam compoſitionis, qua ſufficienter prouidetur in hac re conſcientijs fidelium. Vnde ſi aliud conſuetudine introductum eſt, licitè poſſent Epiſcopi facere huiuſmodi compoſitiones: quia bona incerta de iure Canonico pauperibus ſunt diſtribuenda; at hoc non tollit, quin poſſint in alia opera pia ex diſpoſitione Prælatorum conuerti. Ita Trullench. *tom*.3. *in Expoſit. Bullæ Cruciat. lib*.3. *dub*.1. *num*.3. Henriq. *in Summ. lib*.7. *de indulgent. c*.33. *num*.4. Villalob. *tom*.1.

Trullench Henriq. Rodriq.

tom.1.tractat.29.n.11. Ludouicus à Cruce *in expoſit. Bullæ diſput.3.dub.2.n.4.* contra Rodriq. *§.vnic. de Bulla compoſitionis, n.6.*

Imò, Rex, aut Reſpublica poſſet compoſitionem facere de bonis incertis licitè acquiſitis; nam iure gentium Reſpublica ſuccedit loco Domini incerti, & Rex, qui eſt caput eius, poteſt remittere iſta bona incerta ei, qui ea inuenit, vel cum eo compoſitionem facere. Tamen ſi bona incerta ſint iniuſtè acquiſita, non poſſunt nec ſolent Principes hanc compoſitionem facere: quia cùm hoc ad exonerationem conſcientiæ fidelium pertineat, videtur accedere ad claues Eccleſiæ, & ad poteſtatem ſpiritualem. Ita Villalobos *loco citato num.*10. Ludouic. à Cruce *loco cit. dub.3.n.4.* Trullench *cit. num.*4.

Denique Generalis Cruciatæ Commiſſarius facultate ſibi a Papa in Bulla conceſſa, poteſt incertorum bonorum compoſitionem concedere, & deſignare quantitatem, pro qua ſit facienda compoſitio.

Sylu. Nauar. Couar. Clau-reg. De hac Bulla compoſitionis, vide Syluestrum *verb. Reſtitutio* 8.*qu.* 8. Nauarrum *cap.17.n.93.* Couar. *reg. peccatum. part.3.§.1.n.3.* Clauem regiam *lib.10. tractat.5.c.8. num.22 & 23.* & alios.

42. Inter creditores perſonales tantùm non habentes priuilegium prælationis, pauperior præferendus eſt ditiori; Vnde quando creditor eſt ita pauper, vt in eo euentu lex charitatis obliget illius indigentiam ſubleuari, tunc illi priùs facienda eſt reſtitutio, quam alteri minus pauperi. Ratio eſt, quia in tali caſu vltra obligationem iuſtitiæ, eſt alia ſpecialis lex charitatis & miſericordiæ, quæ ſuadet huic potiùs, quam alteri ſubueniendum eſſe, tanquam imperante in hoc charitate.

Tum quia creditor diues meritò pati debet debitum ſuum differri, vel nunquam ſolui, vt alteri par ius habenti, in tanta afflictione conſulatur. Quòd ſi creditor magis pauper non tanta prematur inopia, non poteſt alter penitus priuari, vt illi integrè ſatisfiat. Quamuis cæteris paribus amplius poſſet ei ſolui, quàm diuiti, qui tale incommodum non ſentit; ſicut plus reſtituendum eſt ei, cui debentur centum, quàm cui quinquaginta, quando ſecundùm proportionem non fit ſolutio. Ita Azorius *parte tertia, libro quarto, capite trigeſimoſexto, quæſt. one tertia.* Leſſius *libro ſecundo, cap. decimoquinto, dub.7.* Valentia *tomo tertio, diſputatione quinta, quæſtion. ſexta, puncto decimo.* Rebellus *parte ſecunda, de obligat. iuſtit. libro ſecundo, quæſtione decimanona.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Diu. Thomæ *opuſculo* 73. *cap.*18. & aliorum, qui putant in vniuerſum creditorem pauperem eſſe præferendum debitori: quia plus læſus eſt pauper ablatione ſuorum, & plus indiget. Tum quia à maiori iniuria potiùs recedendum eſt: ſed maior iniuria eſt retinere debitum pauperioris, quàm alterius minus pauperis, ergo.

Vide v. Aduocatus *num.3. &* 4 Debitor *n.11.12. &* 13. Fructus *num.6. & ſequent.* Gabella *num.6.* Homicidium 2 *num.2. & ſeq.* Horæ Canonicæ 4. Conſilium *n* 6. Penſio *num.*18 Pœna *num.*3. Reus *num* 8. Stuprum. Teſtis *num.* 15.16. & 17. Tutor *num.*7.

RESTITVTIO

in integrum.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit reſtitutio in integrum, & an concedatur omnibus ætate minoribus ſi læſi ſint?*
2 *An beneficium reſtitutionis concedatur etiam Eccleſiæ, ſeu pijs locis?*
3 *Quot anni concedantur à iure ad petendam reſtitutionem ex quacumque cauſa?*
4 *An Reſp. Princeps, Vniuerſitas, communitatem habentes, Ciuitates, auxilium reſtitutionis implorare poſſint?*
5 *An minor & Eccleſia reſtituantur non tantùm in damno emergente, ſed etiam in lucro ceſſante?*
6 *Vt Religioſi recuperent bona Monaſteriorum malè alienata, non opus eſt aliqua reſtitutione in integrum, ex conceſſione Ioannis XXII.*

1. RESTITVERE, eſt reducere aliquem in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem: prætor enim hominibus in contractu, vel alia ſua actione læſis aut deceptis, naturali æquitate motus, cognita cauſa, ſubuenit, reſtituendo eos in integrum. Hoc autem beneficium reſtitutionis, imprimis conceditur omnibus ætate minoribus, id eſt, qui annos 25. ætatis non compleuerunt; ſi ex contractu, aut quaſi contractu (quamuis inſtitutus ſit cum patris, vel tutoris conſenſu, imò etiam Iudicis decreto interueniente) læſi ſint. Gloſſa *in cap. audiuis, de in integrum reſtitut. l.1 ff. de in integrum reſt.* Layman. *lib.3. ſect.5. tract.4.c.11, num.*1. In duobus tamen caſibus reſtitutionis beneficio priuatur minor. *Primo*, ſi antequam cum curatoris ſui, aut Iudicis requiſita authoritate contraxit, veniam ætatis impetrauit, tunc tanquam ætate maior reputatur. *Secundo*, ſi maior factus id eſt, poſt exactum 25. ætatis annum, ratificet ea, quæ in minore ætate geſta ſunt; *l.1.Cod. de ijs qui veniam ætatis*, Molina *tom.2.diſp.573.* Gloſſ. Layman.

2. Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Eccleſiæ, nam Eccleſia iure minoris fruitur; Nomine autem Eccleſiæ omnia pia loca comprehenduntur: ſi verò perſonæ Eccleſiaſticæ in proprijs bonis aut iuribus læ dantur, non competit eis reſtitutionis beneficium, quia tunc ceſſat communis fauor Eccleſiæ. Ita *cap. audiuis, de in integr. reſtitut. l. omnia, C. de ſacroſ. Eccleſ.*

3. In iure continuum quadriennij ſpatium conceditur ad petendam reſtitutionem ex quacumque cauſa; *l. vltim. Cod. de tempor. in integrum reſtit.* Quadriennium verò iſtud in reſtitutione Minorum inchoatur ab ætate legitima, ſiue exacto 25. ætatis anno: In reſtitutione verò Eccleſiæ, incipit à tempore factæ læſionis. niſi iuſta cauſa poſtulare videatur, vt etiam poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ vel Reipubl. reſtitutio concedatur. Ita Molina *tom.2.d.574.* Molina.

4. Reſpublica, Minorum etiam iure gaudet, ideoque auxilium reſtitutionis implorare poteſt. *l.4.c. quibus ex cauſis maiores.* Leſſius *lib.2 cap.17. num.67.* quod priuilegium extendi etiam poteſt *Primò* ad Principem, tanquam Reipubl. caput. *Secundo*, ad vniuerſitatem ſtudioſorum, cùm in ea non pauci minores 25. annis reperiantur. *Tertiò*, ad vicos communitatem habentes: vt perinde ac ciuitates beneficium reſtitutionis in integrum petere poſſint. Leſſius.

5. Minor, itemque Eccleſia non tantùm in damno emergente, reſtituuntur, ſed etiam in lucro ceſſante; vt ſi hæreditatem minus lucroſam adierunt, vel hæreditatem ſibi vtilem repudiarunt; faciliùs tamen conceditur reſtitutio propter damnum, quàm propter lucrum ceſſans, illaque magis priuilegiata eſt. Si verò Eccleſia de lucro ceſſante agat aduerſus alteram Eccleſiam, cui lucrum illud iam acquiſitum eſt, præfertur altera Eccleſia, quippe in poſſeſſione exiſtens, & certans de iure acquiſito non perdendo. Verùm in delictis Minor non reſtituitur, ſi dolo commiſſa ſunt, ſecus ſi per culpam. Ita Molina *tom.2.diſp.573.* Sanchez *de matrim. lib.6. diſp.4. num.*15. Layman *cit. num.*12. Sanchez. Layman.

6. Ioannes XXII. conceſſit Congregationi Montis Oliueti, vt refertur in compendio Ciſtercienſ. *tit. Reſtitutio in integrum*, & Societatis *eodem titulo*, quòd ſi aliqua læſio in bonis, & vſibus Monaſteriorum Ordinis, per quamuis perſonam cuiuſcumque ſtatus, gradus, habitus, ſeu conditionis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis facta fuerit, etiamſi fiat culpa Prælatorum, Monachorum, ſeu Procuratorum, ipſo iure reſcindatur. Neque opus eſſe aliquam in integrum reſtitutionem fieri ſuper eam à quolibet quomodocumque. Et hoc ius & priuilegium trahitur ad præterita nondum deciſa, præſentia & futura. Virtute huius conceſſionis poterunt Religioſi

recu-

recuperare multa malè facta, & malè donata, & alia contiogentia circa bona, & ædificia ſuæ Religionis, & conſideranda ſunt omoia verba conceſſionis: extenditur eoim ad læſionem quamcumque factam in quibuſcumque bonis Conuentus recuperaodam, & in quibuſcumque vſibus intra centum annos: quia (ſicut diximus ſuprà v. *Priuilegium 3.num.16.*) attentis priuilegijs contra bona, & iura Monaſteriorum noo præſcribitur, niſi per ſpatium centum annorum, ſicut præſcribitur contra res, & iura Eccleſiæ Romanæ. Ita Rodriq. *tom.3. queſt. reg.q.56. art.2.*

SVPPLEMENTVM.

RESTITVTIO in integrum.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio in integrum conceditur minori, ſi rem alicuius momenti donauit, etiam ex conſenſu Tutoris.*
2 *Item ſi læſus ſit in contractu emptionis, venditionis, vel in aliquo alio contractu.*
3 *Item in petitione mutui.*
4 *Item ſi minor mulier det marito ampliorem dotem.*
5 *Si læſus eſt in ſolutione pecuniæ ſibi facta.*
6 *Item reſtitui debet ſi hæreditatem minus lucroſam adiuit, aut ſibi vtilem repudiauit.*
7 *Item ſi læſus ſit ob negligentiam Tutoris, Curatoris vel Procuratoris.*
8 *Reſtitutio in integrum petitur implorando officium Iudicis, vel excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem.*
9 *An minor poſſit reſtitui aduerſus contractus quos fecit intra quadriennium poſt 25. ann. elapſum.*
An beneficium legis de reſtituendis in integrum minoribus, tranſeat ad hæredes.
10 *Quando minor fideiuſſorem adhibuit in aſſecurationem contractus, an maneat liber fideiuſſor, ſi minori reſtitutio in integrum concedatur.*
11 *Apud quem Iudicem reſtitutio in integrum de iure petenda ſit? Et an Eccleſia læſa ex contractu cum laico poſſit petere reſtitutionem in integrum coram Iudice Eccleſiaſtico.*
12 *Quando reſtitutio in integrum poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ, vel Reipub. concedi poſſit.*
13 *An minoribus, Eccleſiæ, vel maioribus ætate, circa præſcriptionem aduerſus ipſos iam completam, reſtitutio in integrum concedatur.*
14 *An in hac in integrum reſtitutione comprehendantur etiam fructus percepti.*

1. REſtitutio in integrum conceditur minoribus in ſequentibus caſibus iure ciuili, & Cæſareo. *Primò*, ſi minor rem alicuius momenti donauit, quamuis cum Tutoris, ſeu Curatoris conſenſu, cenſetur læſus, & reſtitutionem petere poteſt, præterquam ſi donauerit propter beneficia in eum collata, vel propter ſponſalitiam largitatem, pro conditione perſonarum, vel conſuetudinis Prouinciæ, & populi, ac gentis, tunc enim prætextu ætatis non reſtituitur, iuxta *Cod. ſi aduerſus donationem*, & *l. Cùm ii plures, §. vlt. ff. de adminiſtrat. tut.*

2. *Secundo*, ſi minor læſus ſit in contractu emptionis, aut venditionis locationis, ſocietatis, vel in quolibet alio contractu, reſtitui poteſt, ita vt ſi vendiderit, emerit, locauerit, vel conduxerit, reſtituatur tum aduerſus ipſum contractum, vt totus ipſe reſcindatur, ſi ei non expediat contrahere; tum aduerſus pretium, ſi læſus fuerit in pretio rei, quamuis non excedat dimidiam partem iuſti pretij; vt tunc reſtituatur non aduerſus contractum, ſed aduerſus pretium, vt illud augeatur, vel minuatur, iuxta *l. in cauſa, §. interdum, ff. de minorib. & c. Conſtitutus, de in integrum reſtitut.* & docent ibi Abbas *numer. vlt.* Leſſius *lib.2.cap.17.dub.9.nu.63.* Molin. *tract. 2. diſp.573.* & alij. Leſſius. Molin.

3. *Tertio*, ſi in petitione mutui læſus ſit, vt quia pecuniam illam amiſit, poteſt reſtitui, ita vt ſoluere non cogatur, niſi per creditorem probetur mutuum eſſe conuerſum in rem minoris, vel ex eo mutuo minorem factum eſſe ditiorem: quod eſt notandum pro iis, qui minoribus dant mutuum ſine fideiuſſore, vel ſine auctoritate parentis, Tutoris, vel Curatoris. Vide *l.2. C. de filiofamilias.*

4. *Quartò*, ſi minor 25. annis mulier nubat, & det ampliorem dotem, quàm conditio mariti, vel conſuetudo Prouinciæ requirat, poteſt reſtitui *l. ſi ex cauſa, §. in dotes ff. de iur. dot.*

5. *Quintò*, ſi læſus eſt in ſolutione pecuniæ ſibi facta, poteſt reſtitui: ſi enim debitor ei ſoluit ſine authoritate Tutoris vel Curatoris, ſolutio ipſo iure eſt nulla. Vnde debitor non manet liber, niſi pecunia ſit ſalua vel conuerſa in vtilitatem minoris. Hoc tamen intellige in foro externo, non enim tenetur ſponte ſoluere ſecundò: ſed poteſt expectare ſententiam Iudicis, quia ſolutio naturaliter valuit. *l.2. Cod. ſi aduerſus ſolutionem, & §. At ex contrario, Inſtitut. Quibus alienare licet, iuncta gloſſa.*

6. *Sexto*, ſi læſus eſt ex quaſi contractu, vt quia hæreditatem minus lucroſam adiuit, vel legatum aut hæreditatem ſibi vtilem repudiauit, etiamſi cum auctoritate Tutoris vel Curatoris, id factum ſit, reſtitui debet, quia minor non tantùm in damno, ſed etiam in lucro ceſſante reſtituendus eſt. *l.1. Cod. ſi minor ab hæred. ſe abſtin.* & *l. Aut prætor, §. non ſolum, ff. de minor.* Notandum tamen eſt, reſtitutionem eius læſionis, quæ in damno emergente conſiſtit, magis priuilegiatam eſſe pleniuſque fieri, quam ſi læſio in lucro ceſſante conſiſteret: Tunc enim reſtitutio non conceditur, niſi res adhuc integra ſit, v.gr. hæreditas repudiata: ſecus ſi diſtracta à ſubſtituto. Idem dicendum, ſi beneficium Eccleſiaſticum à Minore repudiatum alteri collatum fuerit. Sin verò alteri collatio nondum ſit facta, interdum reſtitui poteſt, ſi ipſi & Eccleſiæ vtile fore videatur Gloſſa *in cap. ex parte, verb. quamuis minor*, Abbas *ibid. num. 16. de reſtitut. ſpoliator.* Molina *tractat. 2. diſput. 573.* Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 5.* & alij. Molin. Couar.

7. *Septimò*, ſi læſus fuit ob negligentiam Tutoris, Curatoris vel Procuratoris non producentis, v.g. in iudicio probationes neceſſarias, competit illi beneficium reſtitutionis, vt conſtat *ex l. etiam, ff. ſi tutor, vel curator, &c.* Et *l.1. & 2. Cod. ſi aduerſus rem iudicatam.* Et in tali caſu optio datur Minori, vel agere contra Tutorem Procuratorem ad intereſſe aut petere reſtitutionem in integrum. Gloſſa *in cap. 2. de in integ. reſtitut. verb. reſtituimus in fine.* Abbas *ib. d. num. 19.* De his caſibus agunt Azor. *p. 3. lib. 6. cap. 14.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. c. 11.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. num. 63.* & alij ſupra citati. Gloſſ. Azor. Layman. Leſſius.

8. Reſtitutio in integrum dupliciter poteſt peti; *Primò*, implorando officium Iudicis, citata parte, vt quando ſolutio facta eſt, vel res ab altero poſſidetur; *Secundò*, excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem, vel rem tradi, ſe læſum eo contractu vel actu fuiſſe. Hæc exceptio ſemper durat, quamdiu ſolutio facta non eſt. Poſt ſolutionem autem, opus eſt ſententia Iudicis, vt recuperetur, nec licita eſt occulta compenſatio. Anton. Gomez *tom. 2. cap. 14. numer. 8.* Leſſius *loco citato numero 68.* Proinde minor petens reſtitutionem in integrum nihil aliud debet probare quam ſe minorem eſſe, & læſum fuiſſe, *l. Aut Prætor, §. non ſolum. ff. de minoribus*, vbi habetur. *Mihi autem ſemper ſuccurrendum eſſe videtur, ſi minor ſit, & ſe circumuentum doceat.*

9. Quamuis minor de iure *l. vltim. Cod. de tempor. in integrum reſtitut.* poſſit reſtitui aduerſus omnes contractus, in quibus eſt læſus, antequam viginti quinque annos attigiſſet; non tamen aduerſus eos contractus, quos fecit intra ipſum quadriennium poſt vigeſimum quintum annum elapſum: quia in ea ætate

minor non eſt, ſed maior.

Sed petes, an beneficium legis de reſtituendis minoribus in integrum tranſeat ad hæredes? Videtur quòd non, quia tale priuilegium eſt perſonale: ac perſonæ priuilegium cum ipſa perſona finitur & deſinit, *l. Quia tale, ff. de ſolution.* & *cap. Priuilegium de Regul.iur.in* 6. Nihilominus dicendum eſt, tranſire, *ex l. Non ſolum, ff. de in integr. reſtitut.* iuncta Gloſſa *ibidem*, Bartolo, Baldo & Alberico *ibidem*, quia tale priuilegium non conceditur minoribus præcisè ratione perſonæ, ſed læſionis & detrimenti, quod quidem non ſolùm ipſis minoribus, ſed etiam eorum hæredibus nocet.

10. Quamuis minori reſtitutio in integrum concedatur, ſi tamen fideiuſſorem adhibuit in aſſecurationem contractus non manet liber fideiuſſor, ſed tenetur loco minoris ad id, quod minori reſarcitur, aut ad intereſſe creditori. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum locum non habet, niſi quando contractus erat validus, & ex illo conſurrexerat obligatio, quæ eliditur ope reſtitutionis in integrum: fideiuſſor verò obligauit ſe loco minoris, vt obligatio illa firma maneret, ſtareturque contractui, alioquin ipſe ſolueret loco minoris: at verò reſtitutio in integrum eſt priuilegium perſonale minoris competens ei & ſucceſſoribus illius vniuerſalibus, loco & nomine ipſius, non verò fideiuſſori. Neque item minori tenetur fideiuſſori ad id, quod loco ipſius ſoluerit, actione mandati: quia ſimiliter reſtituitur in integrum aduerſus eam obligationem, qua ex mandato ei tenebatur, eo quod ſimiliter ex eo mandato ſit læſus. Ita habetur, *l. in cauſa, in princip. ff. de minorib. l.* 2. *C. de fideiuſſ. minor.* & affirmant communiter Doctores, vt teſtatur Antonius Gumez *tom.* 2. *variar. reſol. cap.* 14 *num.* 9.

11. Reſtitutio integrum de iure *l.* 2. *C. vbi & apud quem cognitio in integrum reſtitut. &c.* petenda eſt apud Iudicem eius, contra quem petitur, quaſi petens actor ſit & is, aduerſus quem petitur reus; at ita iuxta regulam generalem actor forum rei ſequi debeat.

Dubium autem eſt, ſi Eccleſia ſe læſam inueniat ex contractu celebrato cum laico, an petere poſſit reſtitutionem in integrum coram Iudice Eccleſiaſtico, an verò ſolùm coram Iudice ſæculari laico, ſequendo forum rei? Reſp. ex communi ſententia, Eccleſiam petere tunc poſſe reſtitutionem in integrum, etiam coram Iudice Eccleſiaſtico proprio Eccleſiæ, quæ illud petit, idque eſſe priuilegium peculiare Eccleſiæ. Et eodem modo poſſe agere coram Iudice Eccleſiaſtico de nullitate contractus cum laico ab ea celebrati, vt ſuadet *cap.* 1. *de in integrum reſtitut.* & multo apertius probat *cap. penultim. de rebus Eccleſ. non alienand.* vbi cùm Monaſterium quoddam enormiter eſſet læſum ex contractu cum laico, reſtitui percipitur in integrum per Iudicem Eccleſiaſticum. Ita docent Panormitanus *in cap* 1. *de in integrum reſtitut. num.* 18. Innocentius *in cap. cum ſit generale, de foro competent.* Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 4 *num.* 2. Sed hoc priuilegium non extendendum ad bona perſonarum Eccleſiaſticarum, neque ad contractus quos perſonæ Eccleſiaſticæ de bonis ad ſe pertinentibus celebrauerint: in eis enim contractibus, ſi minores ſint, ac reſtitutionem in integrum petant, forum rei ſequi debent. Vt notat Couarruuias *loco citato*.

Innoc.
Couar.

12. Reſtitutio in integrum poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ vel Reipub. conceditur, ſi læſio valde enormis ſit: quæ autem cenſenda ſit læſio enormis, ſtando in iure communi, Iudicis prudentis arbitrio relinquitur diffiniendum, & fortè ſufficiet ea, quæ non pertingat ad læſionem vltra dimidium iuſti valoris. Ita Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 3 *num.* 11. Gloſſa & Abbas *in cap.* 1. *de in integrum reſtitut. num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 66. Molina *tractat.* 2. *diſp.* 574. *num.* 3.

Couar.
Gloſſ.
Abbas.
Leſſius.
Molina.

Deinde eadem reſtitutio conceditur, ſi inculpata ignorantia, aliudve iuſtum impedimentum obſtitit, quominus intra quadriennium reſtitutio peteretur, quia legitimè impedito non currit tempus iure definitum. Puta, ſi Prælatus, qui læſit Eccleſiam, contractum nomine Eccleſiæ celebrando, vixit toto eo quadriennio, quo reſtitutio erat facienda. Proinde Gloſſa *in cap.* 1. *de integrum reſtitut. in* 6. ait, quòd quadriennium non currit durante vita Prælati, qui malè adminiſtrauit, fuitque cauſa læſionis: ſed eius ſucceſſor poterit petere reſtitutionem poſt mortem prædeceſſoris intra quatuor annos. Nam *delictum perſonæ non debet in detrimentum. Eccleſia redundare*; vt dicit regul. ſeptuageſimaſexta, *de Reg. iur. in* 6.

Quod autem hoc beneficium reſtitutionis interdum ob iuſtam cauſam etiam Reipub. concedi poſſit: Ratio eſt, quia fauor publicus, qui cauſa eſt reſtituendi communitatem, ſemper manet. Et exinde diſcrimen affert Abbas *in cap. ex literis, num.* 11. *de in integrum reſtitut.* & *in cap. tum ex litteris, num.* 12. *eodem titul.* inter reſtitutionem, quæ fit Minori, Eccleſiæ, vel Reipubl. & eam, quæ fit maiori nato; quòd ad illam ſufficit interueniſſe læſionem grauem: Minori enim læſo propter ætatis imbecillitatem; Eccleſiæ autem ac Reipubl. propter publicum fauorem. Ad reſtituendum autem maiorem natu, propter læſionem, requiritur cauſa iuſta, ob quam Iudex, præſertim ſupremus, æquum eſſe arbitretur ſuccurrere, iuxta *l.* 1. *Quibus ex cauſis maiores, &c.*

13. Minoribus reſtitutio datur in integrum circa præſcriptionem aduerſus ipſos iam completam, etiamſi illa ſit triginta aut plurium annorum, & eſto nulla interuenerit eorum ignorantia neque impedimentum ad illam interrumpendum. Et hoc priuilegium ſolùm conceditur quadriennio poſt impletum 25. annum ſuæ ætatis, hoc eſt, vſque ad 29. expletum, *l. vnic. Cod. ſi aduerſ. vſucap.* & *l. vlt. Cod. de temporibus in integr. reſtitut.*

Hoc ipſum beneficium ſimili modo habet Eccleſia quadriennio tantùm poſt impletam aduerſus eam præſcriptionem, etiamſi illa ſit 40. aut 100. annorum, vt habet communis Doctorum ſententia, quam latè refert Panorm. *in cap.* 1. *de præſcript. à n.* 9. & Couar. *ad reg. Poſſeſſor. part.* 3. §. *vlt. num.* 4. Panorm. Couar. Syluest.

Maioribus ætate conceditur etiam reſtitutio in integrum in præſcriptione 10. & 20. annorum; modò tamen probent cum iuſta & probabili ignorantia ſua, aut omnino ſine ſua negligentia præſumptionem fuiſſe peractam, *l.* 1. §. *final. ff. Ex quibus cauſis maior.* Panorm. & Felin. *in cap. vigilanti, de præſcript.* Couar. *loco cit. num.* 1. Habent & hi quatuor annos poſtquam ſciuerint completam præſcriptionem. Syluester *verb. Præſcriptio* 1. *quæſt.* 14. & alij. Felin. Couar.

In iure autem variæ iuſtæ cauſæ huius conceſſionis commemorantur, *l.* 1. *ff. ex quibus cauſis maiores*, & poſt recenſitas nonnullas addit Iuriſconſultus. *Item ſi qua alia iuſta mihi cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam.* Hinc Doctores, quoties cauſam aliquam iudicant iuſtam, vt reſtitutio in integrum aduerſus præſcriptionem concedatur, & cauſa illa non eſt de numero earum, quæ expreſſæ ſunt in iure, dicere conſueuerunt; ex ea cauſa petendam concedendamque eſſe reſtitutionem, ob clauſulam generalem, ſi qua iuſta cauſa eſſe videbitur. De his Molina *tractat.* 2. *diſputat.* 80. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 18. Molina. Leſſius.

14. Quando conceditur reſtitutio in integrum minori, Eccleſiæ & Reipub. ſi res contractu gratuito ſit alienata, poſſunt repeti etiam fructus ex ea percepti, deductis tamen expenſis, quæ in illis colligendis ſunt factæ: quia non tantùm cenſetur tunc minor, &c. eſſe læſus alienatione rei, ſed etiam fructuum. Sed difficultas eſt, ſi ſit alienata contractu oneroſo, vt ſi prædium ſit venditum. Quidam enim affirmant reſtituendam eſſe rem cum fructibus ex ea perceptis, & probant *ex l. quòd ſi minor*, §. *reſtitutio. ff. de minoribus*. Ita Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 1. cuius ſententiam approbat, approbatamque fuiſſe à Luſitano Senatu refert Gama *deciſ.* 212. & alij mul.i.

Verius tamen eſt, in foro conſcientiæ non poſſe repeti fructus, ſi res iuſto pretio fuit vendita. Ratio eſt, quia

Digitized by Google

quia in alienatione horum fructuum non cenſetur fuiſſe læſus: nam ſicut emptor ex re, quam accepit, fructus percepit, ita potuit venditor ex pretio lucrum facere; quod ſi non fecit, ſuæ negligentiæ aſſignet. Si autem infra iuſtum pretium res vendita fuit, repeti poteſt per hoc remedium reſtitutionis ea fructuum pars, quæ reſpondet rei, quatenus res excedit pretium datum. Ratio eſt, quia venditor non ſolùm in rei venditione, ſed etiam in hac portione fructuum cenſetur læſus. Ita Molina *tract.2. diſp.575.* Leſſius *lib.2. cap.17. dub.10.* Layman *lib.3. ſect. 5. tract.4. cap.11. in fine*. Et hæc addita ſufficiant de reſtitutione in integrum Theologo morali; cætera ad forum externum pertinent.

Molina. Leſſius.

Vide verb. Probatio *num.*8. Profeſſio *n.*16. Votum 2. *n.* 9. Filius *n.*11. & 12.

RESTRICTIO MENTIS.

SVMMARIVM.

1 *An licitum ſit mutare nomen proprium, & vti æquiuocatione, amphibologia & reſtrictione mentali, aut occultare veritatem, quando adeſt rationabilis cauſa.*

2 *Quando licitus ſit vſus æquiuocationis, amphibologiæ & reſtrictionis mentalis, ſecundùm Malderum, & alios.*

3 *An oratio, quæ ſecundùm ſe falſa, eſt ſine reſtrictione mentali poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione pura, ita vt externo ſigno neque implicitè, neque explicitè talis reſtrictio denotetur?* Refertur duxplex ſententia.

4 *An non ſolùm ex vi virtutis ſimplicitatis, & veritatis teneamur non vti reſtrictione mentali dum loquimur ſed etiam ex vi virtutis charitatis erga proximum, ſi ex ea notabile damnum illi ſequatur.*

5 *An ratione officij Magiſtri, & Doctores teneantur in docendo non vti reſtrictionibus mentalibus non vſitatis, ex quibus diſcipuli poſſint haurire errorem contra fidem aut licentiam peccandi, &c.*

6 *An in contractibus licitum ſit vti reſtrictione mentali aut oratione mixta quando verſatur circa ſubſtantiam contractus: Et quid ſi huiuſmodi contractibus iuramentum adhibeatur.*

7 *An licitum ſit Iudicibus interrogare reum, aut examinare teſtes, vtendo reſtrictione mentali omnino occulta, aut æquiuocatione vel amphibologia prorſus inuſitata.*

8 *Quando reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis iniuſtè crimen rei occultum coram Iudice prodidit: An poſſint & teneantur reus & teſtis ſe offerre coram Iudice & iurare illos non feciſſe id delictum.*

1. EX ſacra Scriptura manifeſtè conſtat licitum eſſe, & non indecens naturæ intellectuali mutare nomen proprium, & vti æquiuocatione, amphibologia & reſtrictione mentali, aut occultare veritatem, quando ad hoc faciendum ſubeſt rationabilis cauſa, & iuſta excuſatio, etiamſi ſciatur per talem occultationem decipiendum fore interrogantem.

Probari poteſt per illud Marci 13. vbi Chriſtus diſcipulis interrogantibus quando futurus eſſet dies iudicij generalis, quando venturus eſt iudicare viuos & mortuos, reſpondit: *De die illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius.* Vbi ſi non liceret vti aliqua æquiuocatione, aut amphibologia correcta, Chriſtus mentitus aut ignorans eſſet: at neutrum illi competere poteſt, cùm ſit plenus gratia & veritate: ideò autem non eſt mentitus, qui verè dicebat quòd ſolus Pater, hoc eſt, Deus id ſcit, ex intrinſeca ſcientia diuina; Chriſtus autem etſi id etiam vt homo ſciret, tamen non ex vi ſcientiæ à natura humana prouenientis, ſed à diuina infuſione. Et ita hunc locum intelligunt ferè omnes Eccleſiæ Patres, cum D.

Thoma 3. *part. quæſt.*10. *art.*2. vbi omnes eius commentatores. D. Thom

Adduci poteſt illud Tobiæ cap.5. vbi Raphael Angelus dixit ſeniori Tobiæ: *Ego ſum Azarias magni Ananiæ filius*; vbi non ſolùm nomen proprium tacuit, ſed aliud diuerſum appoſuit, vt ſe occultaret vſque ad opportunum tempus ſeipſum manifeſtandi. Et ſic licita eſt nominum mutatio, quando adeſt licita cauſa mutationis quamuis ex ea mutatione futura ſit interrogantis deceptio. Vide Malderum *tract. de reſtrict. mental. abuſu c.*12. *ſect.*1.

2. Vt licitus ſit vſus æquiuocationis, amphibologiæ & reſtrictionis mentalis, notanda ſunt quæ nobis ſcripta reliquit Sapientiſſimus, & Reuerendiſſimus Malderus in dicto libello *loco citato ſect.* 2. vbi ait: Nota ſecundò, quando ratio iuſta id poſtulat, licet vti verbis ſenſu non intellectu ab audiente, & ſi inde futurum ſit, vt ipſe erret; atque ita licebit vti verbis amphibologicis, etiam in ſenſu minus obuio, abeſt enim mendacium, vt ſuppono: aliud enim incommodum non incurrit præter nudum errorem circa ſenſum verborum: alioquin ſi audiens ex illo errore alia incommoda incurrat, vel alicui tertio alia incommoda eueniant, oportebit prudenti iudicio ponderare, an ratio, quæ eſt pro amphibologiæ vſu, præponderet iſtis incommodis.

Nota tertiò, eodem modo, quo de amphibologico ſermone ſumus locuti, etiam iudicare nos poſſe de reſtrictione mentali, quando ea aliquo modo verbis exterioribus propter circumſtantias ſignificatur. Quod facilius fit quando interroganti reſpondemus; poſſumus enim ſenſum interrogationis eo modo accipere ab ipſo, quando exorbitans non ſit, quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat: verbi gratia, ſi inquirat de aliquo, quod ſecretum eſſe debet, poteſt ei reſpondere quaſi neſciat, quia debebat non vlteriùs inquiri, quàm quatenus reuelari poteſt: verbi gratia cùm ſis Legatus Regis interrogatus ab illo Principe, ad quem miſſus es: An Rex cogitet inferre bellum tali prouinciæ, reſpondebis rectè te neſcire, etiamſi ſcias; quia interrogans debebat exigere ſcientiam huius ſecreti, cum ea reſtrictione, ſi dicere id tibi liceat, & quia nemo præſumitur peccare, meritò præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum; dicens ergo te neſcire, eo ſcilicet modo vt liceat dicere, ſatisfacis importunæ interrogationi eius exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum; quando enim reſtrictio mentalis aliquo modo in verbis indicatur, dum hic & nunc, & tali occaſione & cum eiuſmodi circumſtantijs proferuntur, non eſt maior in eius vſu difficultas, quàm in caſu amphibologici ſermonis; eoque modo poſſunt Dei & Chriſti Domini, ac Sanctorum verba accipi, quæ ſubintellectu aliquo vt ſentur indigere, vt verificentur.

Si ergo ratio ſubſit ſic loquendi, & abſit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet, licebit tibi vti reſtrictione, aut ſubintellectione mentali; falſitas enim & mendacij deformitas ceſſat, quia etiam iſti mentis conceptui qui rei reſpondet verba reſpondent in quodam ſuo ſenſu. Vbi obiter differentiam inter caſum, quo locum habet reſtrictio ſic vt debeat dicere, & illum quo locum habet reſtrictio ſic vt poſſit dicere; prior locum habet, quando indebitè actu exercito interrogans tanquam debitam exigit reſponſionem, vt de vſurpante officium Iudicis; alter tamen ſemper locum habet, quando non petes dicere quod interrogari; qui enim petit à te reſponſum, cùm nemo præſumatur malus, aut malè agere, meritò cenſetur petere reſponſum poſſibile, ſalua lege diuina, aut naturali ac æterna: meminiſſe tamen oportet ſemper ſatius eſſe quando id fieri commodè poteſt, ſilentio, aut alio diuerticulo euadere, quàm tali verborum artificio, vt quàm perfectiſſimè abſtineatur ab omni ſpecie mali. Ita Sapientiſſimus Antiſtes.

Hunc modum vtendi æquiuocatione, & reſtrictione mentali approbat Suarez *tom. 2. de relig. tract.5. lib.3. cap.* 11. Caiet. 2. 2. *q.*89. *art.*7. Syluius *ibid. quæſt.*3. *concluſ.*5. Suar. Caiet. Syluius.

Nauar. Clau. reg. Bonac. Nauar. *ad cap. humana aures 2.2. quæſtion.5.* Sanchez *lib.3.moral.cap.6. num.15.& 16.* Clauis regia *lib.12. cap. 17.num.26.* Bonacin. *tom.2.diſp4.q.1. punct.12.num.3.* & alij communiter apud ipſos citati, & in hoc omnes Doctores conueniunt.

3. Punctum difficultatis, & controuerſiæ conſiſtit, vtrum oratio quæ ſecundùm ſe falſa eſt ſine reſtrictiooe mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, ita vt externo ſigno neque implicitè neque explicitè, talis reſtrictio denotetur, & ſic à mendacio & cordis duplicitate ſit libera? Affirmaot plurimi, & probant *primo* ex D. Gregorio *lib.26. moral.* & refertur *in cap. Humana aures 22.quæſt.5.*ibi. *Humana aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant, Diuina vero iudicia talia eſſe audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Sentit ergo veritatem, aut falſitatem verborum noo ex verbis externis tantùm ſpectanda, ſed ex proferentis intentione.

Secundò, quia verba ſunt ſigna & notæ paſſionum animæ, & conceptuum mentis, ergo ad ipſorum veritatem ſufficit quòd menti meæ reſpondeant, & etiamſi non reſpondeant menti interrogaotis; non enim tenemur interrogaoti totam noſtram mentem apetire, ſed poſſumus ei vnam ſolam partem explicare & aliam reticere, quod fit io reſtrictione mentali: quamuis enim hæc reticentia adſit, non tamen ipſam locutionem falſam efficit: ſiquidem loquens oon intendit illud quod ſolitariè ſumptum eſt falſum ſolitariè affirmare, ſed ſolùm vt eſt coniuoctum verbis tacitè, & mentaliter intellectis, quibus iunctis oratio illa efficitur mixta, & abſolutè vera.

Tertiò, mendaciom non conſiſtit in falſitate in mente interrogantis impreſſa, alias non liceret vti verbis ex ſe ambiguis: nec cooſiſtit in vſurpatione verborum, quæ ex communi vſu loquendi eam amphibologiam non admittunt, ſed mendacium conſiſtit in inteotiooe negandi eam ipſam veritatem, quam quis concipit, quod non contingit quando quis vtitur oratione mixta ex mentali reſtrictiooem, ſed diſparata quædam veritas ab illa quam voces deberent ſignificare, ſignificatur ſaltem inadæquatè per illa verba, etiamſi amphibologia ſit extraordinaria. Hanc ſententiam ſuſtinent Nauarrus, Valentia, Saloo, Toletus, Rodriguez, Suarez, quos refert, & ſequi-

Sanchez. Leſſius. Diana. tur Sanchez *lib.3.moral. cap.6.num.15.* Leſſius *lib.2.cap. 42 dub.9. num.48.* & nouiſſimè Lumblinus *verb. Iuramentum, num.18.* & alij penes ipſos. Diana *p.3.tract.6.reſolut.30.*

His tamen non obſtantibus ſententia negans, quod non liceat abſolutè vti reſtrictione mentali in communibus locutionibus, ſi verba ſecundùm communionem loquendi vſum talem reſtrictionem non admittant, aut ex ſua ſaltem interpretatiua communi impoſitione æquiuocationem, aut amphibologiam non patiantur, vt ſecurior eſt ſuſtinenda, & quoad praxim amplectenda.

Probatur hoc ex ratione D. Auguſtini *lib. de mendacio, cap.*18. Quia homines, cùm conſtent anima & corpore, nequeunt ea quæ ſuot in animo comprehendere, niſi per ſigna corporalia; non eoim homo eſt cordis alieni inſpector: ergo dum homo homini loquitur, ſigna exprimentia conceptus cordis, etiam prout ſunt in ore corporis debent eſſe vera; nec pura mentalis reſtrictio, quæ nullo modo exterius ſignificatur, falſitatem ſigni poteſt corrigere, ſed in ordine ad hominem, cui diriguntur, ſemper falſa ſunt; ac per conſequens proferens volens loqui alteri verba exterius falſa mentitur, quia vult falſum dicere proximo.

Nam qui vult vti oratione mixta, quæ exterius falſa eſt, & interius à voluntate corrigitur mentali, duplicem habet actionem mentis, vnam, qua vult dicere verba falſa exteriùs prolata, & dum illa profert, reipſa ex vi huius voluntatis cootra mentem vadit, nam verba exteriùs ſignificantia, cùm vt ſic falſa ſint, diſcordant ab illo quod eſt in mente. Alia eſt voluntas, qua quis vult corrigere, & limitare verba, & cùm hæc prorſus interior ſit, non poteſt corrigere falſitatem exteriorem, quæ in vocibus reperitur, in quantum ſunt ſigna, quibus homines vtuntur ad ſuos conceptus ſignificandos; cùm enim voluntas purè interior ſit, reſpectum ſignificationis qui ad alios conſtantes anima, & corpore refertur, eſt impoſſibile corrigere, quamuis poſſi loquens tali reſtrictione corrigere tale ſignatum in ordine ad ſeipſum.

Hanc ſententiam tradunt Caietanus, Syluius *locis citatis.* Thomas Hurtado *in reſolut. moralib. part.2.tract.7. c.4.§.1.& 2.* Malderus *ſupra.* Tannerus *2.2.diſp.6 quæſt.2. dub.1.aſſert.1.* Rebellus *de obligat.iuſtit.part.1.lib.4.quæſt.* 10. Sotus, Lopez, Curduba, Petrus Ledeſma, & alij. Mald. Rebel.

Ad rationes autem oppoſitæ ſententiæ reſpondetur; & quidem ad primam concedendo totum, quando intentio aliquo modo implicito, & virtuali ſaltem exprimitur; verba enim ſignificant conceptum, noo conceptus intentionem.

Ad ſecundam reſpondetur, quod vt quis loquatur verum cum proximo ſuo non ſufficit quod reſtrictione mentali corrigat verbum falſum, ſi hæc correctio proximo etiam nota non ſit aliquo modo; aliàs verbum exterius non conueniret cum verbo interiori. Quam conuenientiam debere eſſe explicuit Chriſtus quando dixit: *Sit ſermo veſter eſt, eſt, non, non.* Quæ verba explicans Innocentius III. *in cap. Etſi Chriſtus, de iureiurand.* ait: Etſi Chriſtus præceperit, ſecundùm Euangelicam veritatem, ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non, vt affirmatio, vel negatio ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde. Quaſi dicat Pontifex: regula Euangelica eſt, non reſtringat mens, quod lingua non reſtriogit, ſed vtraque lingua interior, & exterior ſibi ſemper conſonent, ne proximus ex mea loquela externa fallatur, & decipiatur.

Ad tertiam dicendum, quod mendacium conſiſtit, quantum attinet ad propoſitum, in voluntate dicendi verba, quæ exteriùs prolata ſunt falſa, cuius voluntatis diſſonantia ad rationem non tollitur per reſtrictionem mentalem, ſicut nec voluntas faciendi eleemoſynam auſert malitiam à voluntate furandi. Si enim mendacium ex aliquo fine bono amittit malitiam, quam corrigit bonitas finis; etiam furta, homicidia, &c. ſi fiant ex bono fine licita erunt: atqui ita idem erit, ſi licitum eſt vti reſtrictione mentali, quæ corrigat malitiam voluntatis dicendi falſum exterius, quæ eſt virtualis intentio fallendi; ſi enim hæc virtualis voluntas eſſet ſola ſine reſtrictione meotali, & voluntate expreſſa fallendi, eſſet mala malitia fallendi: ergo reſtrictio mentalis, cùm non alteret ſignificatiooem externam, non auſert malitiam mendacij, quæ annexa eſt illi voluntati. Pluribus rationibus adductis firmat hanc ſententiam Thomas Hurtado *loco cit.* & *cap.5.* reſpoodet ad fundamenta contrariæ ſententiæ.

4. Non ſolùm ex vi virtutis ſimplicitatis, & veracitatis; tenetur quis dum loquitur proximo ſuo ad conformandum verba ſua non ſolùm meoti & intentioni propriæ, ſed etiam menti eius cui loquitur, quia vnuſquiſque debet alteri id ſine quo ſocietas humana ſeruari non poteſt, cùm præcepto negatiuo prohibitum ſit ne vtatur quis hac oratione mixta ne mentiatur, & duplicis ſit cordis.

Tamen præter hunc titulum plures alij ſunt, quibus ad idem adſtriogimur, quorum *Primus* eſt charitatis: quando enim ex errore concepto audita hac oratione mixta aliquod ſequitur notabile damnum proximo decepto, hoc tenemur ex charitate euitare. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis interrogatus ab infideli, an eſſet Chriſtianus, & coram alijs reſtrictione mentali omnino interna vteretur, taliter quod ex locutione exteriori omoes circumſtantes aduerterent illum negare fidem, peccaret contra fidei confitendæ præceptum. Ratio eſt, tum quia ex tali locutione ſubtrahitur honor debitus Deo, cùm infidelis videns & audiens hanc negationem in ſigno exteriori iudicat fidem noſtram religionem veram non eſſe, quia interior reſtrictio illi nullo modo eſt nota. Tum quia qui profert verba externa falſa, negando fidem, implicitè negat fidem, etiamſi inte-

interitùs eam conſeruet, ſiquidem auditoribus dat occaſionem ex qua per ſe ſequitur, vt iudicent eſſe falſam fidem, quam exterius negat. Tum quia alii fideles adſtantes idem concipiunt, & facilè auertuntur à fide, & infideles non conuertuntur. Ita D Thomas 2.2.q.3.*artic.*2. Tannerus *diſp.*1.*de fide, quæſt.*7 *dub.* 5.*num.*112. Sanchez *l.*2.*moral.cap.*8. Coninch *de actibus ſupernatur.diſput.*15. *dub.*9.*& dub.*5. & alii.

D.Thom. Sanch. Conin K.

5. Ratione officii tenentur Magiſtri & Doctores non vti reſtrictionibus mentalibus, æquiuocationibus, aut amphibologiis non vſitatis, ex quibus diſcipuli poſſint haurire, aut errorem contra fidem, aut licentiam peccandi, aut opinionem ſcandaloſam, aut piis haurientibus offendiculum præbentem. Ratio eſt, quia ille qui profert verba exterius falſa, ex quibus ſequitur error diſcipuli, eo ipſo quod intendit ea proferre, intendit deceptionem nociuam proximo, cui medicina reſtrictionis prorſus eſt ignota, ac per conſequens peccat mendacio pernicioſo, quod erit mortale, ſi materia in qua concipitur error, notabilis, & grauis ſit. Idem dicendum de Superiore, qui reſtrictione mentali vtitur loquens ſubditis, qui ex illo loquendi modo arripiunt anſam peccandi. Ideoque iſte mos agendi longiſſimè debet eſſe à perſonis ſpiritualibus, & iis qui perfectionem ſequi profitentur, & omninò ab eorum conuerſatione qui ſibi mutuò peculiariter debent ſinceritatem. Ita Caiet. 2.2.q.110.§. *in eodem art. vlt.* Malder. *tr. de reſtrict. mental. cap.*12 *ſect.* 2.

Caiet. Malder.

Non eſt licitum in contractibus vti reſtrictione mentali aut oratione mixta, maximè quando verſatur circa ſubſtantiam contractus: quod eſt verum etiam in contractibus initis cum infidelibus in ordine ad commerciū ciuile. nam tenemur lege iuſtitiæ non vti oratione mixta sed ſimplici vocum ſignificationem ſecundùm communem vſum; hæc enim ſimplicitas iure naturæ & gentium eſt neceſſaria, alias nihil firmum maneret inter homines. Quare ſi quis huiuſmodi contractibus adhibeat iuramentum vtens reſtrictione mentali peccat mortaliter: quia adducit Deum in teſtem grauis deceptionis proximi, & cum materia ſit grauis, periurium mortale erit. Ex quo fit à fortiori non eſſe licitam mentalem reſtrictionem in contractu matrimonij: tum quia intentio mente retenta, nec parti expreſſa nihil releuat, vel operatur in humanis contractibus, *l. cum plures, §. locator, ff. Locati*, vti Bartolus, Baldus & communiter Doctores.

Tum quia ſi quis contrahens matrimonium cum aliqua, intendat contrahere non pro ſemper, ſed tantum ad vnam horam aut noctem peccabit mortaliter, & in foro externo puniri poterit, ita vt in foro conſcientiæ abſolui non poſſit, niſi mutet animum, quia eius verba debent intelligi iuxta ſubiectam materiam & naturam contractus & cum matrimonium ex ſua inſtitutione perpetuum ſit, perpetuum debet intelligi & in perpetuum celebrari. Ita Leſſius *l.*2.*c.*42.*dub.*9.*n.*46. Toletus *l.* 4. *c.* 21. *n.*9. Clauis regia *l.*5.*c.*6.*n.*12. Thomas Hurtado *in reſol. moralib.p.*2.*tract.*7.*n.*105. *& ſeq.* cum aliis & eſt indubitata ſententia apud omnes.

Leſſius. Clau. reg.

7. Si non licet reo iuridicè interrogato Iudicem deludere reſtrictionibus mentalibus & amphibologicè iurare, quia qui iuridicè ad iuramentum cogitur, iam perdidit ius ad celandos mentis conceptus & ea quæ putabat ſecreta: Ita illicitum eſt Iudicibus, ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter procedant interrogare reum, aut examinare teſtes, vtendo oratione mixta, cuius reſtrictio mentalis omninò occulta manet, aut æquiuocatione vel amphibologia prorſus inuſitata. Ratio eſt, quia Iudex non habet ius exuendi veritatem his fictionibus, ex quibus reo oriri poteſt præiudicium; vnde confeſſio & manifeſtatio veritatis extorta fallacis non eſt ſufficiens ad condemnandū reum, niſi ab eo liberè, & ſponte fuerit ratificata. Ita tradunt Iulius Clarus *in praxi*, §. *final. quæſt.*55. Gomez *t.*3.*variar.c.*12. Tanner. 2.2.*diſp.*6.*q.*2.*dub.*1.*n.* 37. Leſs. *l.*2.*c.*29.*n.*173. Farinac. *in praxi p.*3.*q.*81.*n.*278.*&* 312.& alij. Poteſt tamen Iudex vti cautelis laudabilibus, & ſimulationibus iuſtis, ſicut fecit Salomon in iudicio mulierum litigantium ſuper vnico filio 3.*Reg.c.*3.*n.*16.

I Clarus. Gomez. Leſſius. Farin.

8. Quando reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis iniuſtè crimen rei occultum coram Iudice prodidit, ſi non ſit ſufficiens aliunde informatio ad procedendum cōtra eos ſocios, aut illum reum, poſſunt reus, & teſtis ille ſe offerre coram Iudice, & iurare illos non feciſſe id delictum, intelligendo ita vt id delictum ſubſit illi iudicio, & falſum dixiſſe, intelligendo, quatenus falſum fuit id delictum eos feciſſe publicè, ita vt ſubeſſet illi iudicio. Ratio eſt, quia cum res ſint immutatæ, ſicut à principio quando iurarunt, poterant verè dicere hos non eſſe reos, intelligendo, publicè, & vt illi iudicio ſubſint, de quo delicto ſolo interrogat Iudex, vt Iudex; ita & modò id verè dicere poterunt.

Imò, ſi ſcienter detexerunt iniuſtè, poſſunt etiam dicere ſe mentitos eſſe, intelligendo de mendacio practico, quod dicitur quodcumque opus rationi diſſonum: Sicut iniuſtum criminis veri detractorem, diximus *tom.*1.*verb. Detractio II.num.*10. poſſe in reſtitutione famæ, dicere ſe mentitum eſſe, ac falſum dixiſſe, intelligendo de hoc mendacio practico. Nam neceſſitas reparandi damni illati eſt cauſa iuſtum reddens harum amphibologiarum vſu. Ita tenent Petrus Nauarra *lib.* 2.*de reſtitut. cap.*4.*p.* 3.*dub.*5.*num.*142. *& ſequentibus in noua edit.* Henriquez *lib.*5.*de pænitent. cap.*12.*num.*6. Rodriquez *tom.*1. *Summa Latina cap.*253.*num* 3. Bannez 2.2. *quæſt.*62.*art.*2.*dub.*8. & ibi Salon *controuerſ.* 15. dicens Canum, Mantium & viros doctiſſimos in ſuis prælectionibus hoc docuiſſe. Leſſius *l.*2.*cap.*11 *dub.*20.*num.*110. Fauſtus *in ſpeculo confeſſ.diſp.*21.*quæſt.*74.*num.*9. *& ſequentibus.* Clauis regia *l.* 11.*cap.*4 *num.*27. *& ſequent.* P. Ledeſma *tom.* 2.*Summ. tr.* 2.*c.*7.*concl.*3.

Nauarr. Henriq. Rodriq.

Fauſtus. Clau. reg. Ledeſm.

Sed petes, an teneantur hac æquiuocatione vti vt famam reſtituant? *Reſp.* affirmatiuè, ſi reus ille & teſtis mala fide ſic iniuſtè crimen detexerint, & id poſſint abſque maiori notabiliter detrimento ſuo, & ſpes ſit fore, vt retractatio proſit. Quia cùm hac via poſſint licitè damnum illatum reſarcire, tenentur ad id lege iuſtitiæ. Si autem bona fide detexerint tenentur ad hoc lege charitatis obligantis quemlibet vitare graue proximi damnum, quando abſque ſuo detrimento poteſt. Ita Clauis regia *loco citato*, & Petrus Ledeſma, Sanchez *l.* 3.*moral.cap.*6.*n.* 28. & alij. Quibus adde Trullench *in Decalog. l.*7.*cap.*10. *dub.*21.*n.*3.

Clau. reg. Ledeſm. Sanch. Trullench

Vide verb. Reus *num.*3.

R E V S.

S V M M A R I V M.

1 *An reus teneatur fateri veritatem, ſi Iudex non interroget iuridicè, & quid ſit ordo iuris?*

2 *An quando reus teſtis dubitant ſe iuridicè interrogari teneantur veritatem fateri?* refertur duplex ſententia.

An Iudex poſſit condemnare reum à quo extorſit criminis confeſſionem ſpe impunitatis?

3 *An teneatur reus veritatem fateri, quando Iudex iuridicè interrogat?*

4 *An reus peccet mortaliter negando crimen in cauſis tam capitalibus quàm non capitalibus, quando ſpes eſt euadendi negato crimine?*

5 *An Confeſſarius teneatur cogere reum ad retractandum ſuum dictum, ſi interrogatus veritatem negauit in iudicio?*

6 *An poſſit Iudex reum infamatum vel etiam conuictum de vno crimine, examinare de aliis criminibus?*

7 *An Iudex de ſociis criminis nulla indiciorum ſuſpicione aut infamia laborantibus poſſit reum confeſſum interrogare?*

8 *An reus peccet contra iuſtitiam aperiendo crimina occulta teſtium?*

9 *An reus accuſatus de crimine quod iuridicè probari nequit peccet contra iuſtitiam, etiamſi crimen neget?*

10 Quæ

20 *Quando reo tortura adhiberi poſſit?*
21 *Quæ indicia ſufficiant ad torquendum reum, & an tortura ſæpius repeti poſſit?*
22 *Quæ perſonæ torqueri non debeant?*
23 *An reus teneatur obedire ſententiæ, quæ nititur falſæ præſumptione aut falſis probationibus?*
24 *An fugere poſſit è carcere reus ante vel poſt ſententiam?*
25 *An reus qui poteſt licitè fugere, poſſit etiam vincula erumpere & carcerem pertundere? Et an licitum ſit eidem captiuo porrigere inſtrumenta vt carcerem effringat?*
26 *An liceat decipere cuſtodem, vt reus opportunitatem fugiendi capiat?*
27 *An veritatem negans reus teneatur ad ſoluendam pœnam, quam manifeſtata veritate perſoluiſſet?*

1 REus non tenetur veritatem fateri, aut iurare de calumnia, id eſt, ſe in omni parte litis veritatem dicturum, ſi Iudex non interroget iuridicè, ſeu iuris ordine ſeruato, *c. inquiſitionis, & c. qualiter, & quando, de accuſat.* quia Iudex, qui iuridicè non procedit, non poteſt reo obligationem imponere ad crimen aperiendum vel ad iurandum. Ordo autem iuris eſt, ſecundùm D. Thomam 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Sà *de reo, num.* 1. Reginaldum *l.* 24. *n.* 134. & 135. Nauar. *c.* 25. *n.* 36. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 31. *nu.* 8. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 6. *c.* 5. Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 91. Syluium 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Bouerium *in director. for. Iudic. c.* 35. *Primò*, cùm præceſſit infamia: debet autem hæc fama eſſe legitimè probata per duos teſtes omni exceptione maiores. *Secundò*, cùm ſuppetunt indicia legitimè probata. *Tertiò*, cùm habetur probatio ſemiplena, quæ fit per vnum teſtem iuratum omni exceptione maiorem: hæc tamen non ſufficiunt ad interrogandum iuridicè, niſi ſint coniuncta cum formali accuſatione, vel cum eo quod vicem accuſatoris ſupplet, vt ſunt notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica: ſi tamen Iudex non intendat punitionem criminis, ſed tantùm illud impedire tenetur ſubditus fateri veritatem etiam de occultis.

D. Thom. Nauar. Layman. Diana. Syl.

2. Quando reus, & teſtis dubitant ſe iuridicè ſeu ſeruato iuris ordine interrogari, quidam affirmant teneri veritatem fateri, quia in dubio præſumendum eſt in fauorem Superioris habentis facultatem præcipiendi: hæc ſententia non eſt improbabilis, quam tenent Syluester *verb. inquiſit.* 1. *q.* 3. Palud. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 4. & alii. Communior tamen & probabilior opinio eſt, non teneri: quia nemo tenetur cum graui ſuo, vel alterius incommodo parere ſuperiori, niſi conſtet ipſum legitimè præcipere & habere auctoritatem obligandi, & deinde in dubio fauendum eſt reo. Leſſius *cit. num.* 10. Reginald. *cit. num.* 46. Layman *cit. num.* 4. Filliucius *tract.* 40, *num.* 232. Ita etiã Diana *tr.* 5: *miſcellan. reſol.* 106. *p.* 3. Cauendum tamen eſt Iudici, ne ad extrahendam à reo confeſſionem delicti, ſpem illi impunitatis promittat, quam præſtare non poteſt, nec vult, neque enim Iudici fraude aut deceptione vlla vti licet, vt à reo crimen extorqueat, vt optimè monet Clarus *q.* 55. *n.* 6. & 8. cùm aliis iuſtioribus modis, quàm fallacibus, ac doloſis huiuſmodi promiſſionibus veritatem indagare queat. Quòd ſi hac fallaci pollicitatione à reo criminis confeſſionem extorſerit, id ſibi perſuaſum habeat, reum ex ea confeſſione damnari non poſſe, ſed tantùm velut ex indicio torqueri, vt docent communiter Iuriſtæ.

Leſſius. Reginald. Layman. Filliuc. Diana.

Cauere etiam debet Iudex à nimis cauilloſis & ſuggeſtiuis & doloſis interrogationibus, ſed regia via incedere debet inter iuſtitiam & charitatem, quæ omnia docebit prudentia, inter has virtutes incedens. Debet autem Iudex ſolertiam ad diligentiam adhibere ad inueſtigandam veritatem, præſertim in valde occultis, & difficilis probationis, exemplo Salomonis 3. *Reg.* 3. 24. qui gladium afferri iuſſit, ac ſi puerum diuidere vellet, & ſic veritatem inueſtigauit: ſic omnes circumſtantiæ, atque coniecturæ tam rei interrogati, quàm facti diligenter ponderandæ, ne pereat veritas & iudicium.

D. Thom. Nauar. Filliuc. Bonacina.

3. Secundùm communiorem ſententiam D. Thomæ *cit. art.* 3. Nauar. *cap.* 25. *num.* 36. Filliuc. *tract.* 40. *nu.* 263. & 265. Leſſij *cit. num.* 12. Bonac. *tom.* 2. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 38. & 42. & aliorum, quando Iudex iuridicè interrogat, idque reo notum eſt, tenetur reus veritatem fateri etiamſi capite plectendus eſſet, quia quiſque tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti, in re tamen parui momenti occultare veritatem aut mentiri in iudicio, non eſt peccatum mortale, ſi abſit iuramentum: item ſi Iudex quærat de facto, quod abſque culpa ſaltem lethali patratum eſt, teſtis, & reus non tenentur reſpondere ad mentem Iudicis, ſed negare poteſt, quod ſibi detrimentoſum foret, adhibita conuenienti reſtrictione mentis & æquiuocatione verbi gratia, Titius occidit Caium, defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, poteſt Titius negare coram Iudice, quia Iudex inquirit de occaſione criminoſa, qualis non eſt hæc, quæ facta eſt ad ſui defenſionem abſque notabili exceſſu.

4. Non eſt improbabilis aliquorum Doctorum ſententia aſſerens, reum non peccare mortiferè negãdo crimen in cauſis, tam capitalibus, quàm non capitalibus, in quibus imponeretur grauis pœna temporalis, vt condemnatio ad triremes, vel ad carcerem perpetuum, confiſcatio bonorum, &c. modò ſit ſpes euadendi negato crimine, & modò non iurauerit abſolutè ſe dicturum veritatem, quia præceptum humanum non videtur obligare cum tanto incommodo; ſicut lex humana non poteſt obligare cum periculo mortis, niſi magnitudo negotii illud poſtulet, vt verior ſententia docet.

Natura enim vehementem indidit hominibus inclinationem ad ſui conſeruationem, ſummamque libertatem, & facultatem ad ſe tuendum tribuit: ex quo patet reum non teneri comparere coram Iudice iubente comparere, cùm vitæ bonorumque temporalium imminet periculũ: item reum non teneri iuxta mentem Iudicis iurare, ſed poſſe vti mentali reſtrictione & amphibologia: nec refert quod Iudex iuridicè & ſtrictè præcipiat: reus tamen in hoc caſu non tenetur obedire: vterque enim vtitur iure ſuo, Iudex iuſtè & iuridicè interrogat ob commune bonum; reus veritatem reticet, vt propriam vitam ſeruet, ad quàm ſeruandam maximum ius accepit à natura, quamdiu ſpem habet vitæ ſeruandæ; vnde Confeſſarius vel alius Sacerdos non tenentur cogere reum ad veritatem aperiendam, quamdiu delictum non eſt plenè probatum, & ſpem habet euadendi. P. Nauar. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 142. Sà *de reo num.* 6. Leſſius *cit. num.* 16. Rodriquez *t.* 2. *quæſt reg. q.* 19. *art.* 4. Reginald. *cit. n.* 37. & 42. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 9. *nu.* 266. Bonac. *cit. num.* 7. Layman *cit. num.* 3. Diana *tract.* 1. *miſcel. reſ.* 27. *p.* 2. Fagundez *præcep.* 2. *lib.* 8. *c.* 7. *n.* 4. Vnde hanc opinionem defendunt viginti duo Authores graues & docti, apud Sancium.

Nauar. Sà. Rodriq. Regin. Bonacina. Diana.

Alia tamen ratione defendit hanc ſententiam Sancius *in ſelectis diſp.* 43. *n.* 20. & *ſeq.* dicens, nequaquam Iudicem habere ius interrogandi reum de crimine ſemiprobato, ob quod eſſet grauibus pœnis corporalibus plectendus: præceptum namque ſeu lex, vt vim obligandi poſſit continere, debet eſſe tolerabile & conſentaneum conditioni humanæ; at intolerabile eſt reum obligari, quod proprio ore ſuæ damnationis author efficiatur. Qua ratione ductus Iuriſperitus *in l.* 4. *de teſtibus*, decreuit neminem teneri teſtari contra ſuum ſanguinem coniunctum vel affinem intra quartum gradum (niſi in cauſa fidei, aut proditionis Reip.) quando inde illi graue damnum metuit, nec ad id poſſe lege obligari; multò ergo minùs lex ſeu mandatum ſpeciale dari poterit, quod vim obligandi cõtineat reſpectu delinquentis, ad crimen commiſſum manifeſtandum. Ita ille, cui conſentit etiam eiſdem ferè rationibus Octauianus Spatarius *in methodo corrigendi regulares tr.* 9. *c.* 7. *n.* 4. & 17. & *c.* 8. *n.* 4. & *c.* 9. *num.* 10. vbi docet, poſſe regularem ad ſuam famam tuendam crimen ſemiplenè probatum in iudicio cum iuramento negare tuta, tranquillaque conſcientia, quouſque per maiores ſecus decernatur, & qui aliter propria docent authoritate, ignoro, an opere compleant.

Nullum enim hic admittitur mendacium, nullumque periurium: aliud enim eſt falſum dicere & mentiri, aliud eſt verum occultare, rationabili & iuſta de cauſa: primum nullatenus concedo, ſecundum admitto. Alias Chriſtus men-

Digitized by Google

mentitus fuiſſet, cùm ait, nec filium hominis ſciſſet de die & hora vniuerſalis iudicii. Hæc Spartarius, qui multis aliis rationibus firmat hanc ſuam ſententiam dicens ſe vidiſſe ilam practicari per totum orbem ab omnibus reis, & in omnibus iudiciis, tam Eccleſiaſticis regularibus, quàm ſæcularibus: quia ſupponi ſemper debet mentem Iudicis eſſe, vt Reo ſuum ius vbique, ac ſemper conſeruetur, ſicut & iudici ſuum, ita vt ſuo iure vterque licitè vtatur, nempè Iudex iuridicè & cum iuramento interrogando, & reus abſque periurio, & culpa (vbi non adeſt plena probatio) veritatem negando. Vnde ad rationes contrariæ ſententiæ plurimis argumentis reſpondet, eas ſoluendo, *tr.3.c.8.& 9.*

5. Quando reus interrogatus veritatem negauit in iudicio, qua manifeſtata condemnatus fuiſſet, non tenetur Confeſſarius illum cogere ad retractandum ſuum dictũ: ſiue contra illum lata ſit à Iudice ſententia condemnatoria ſeu abſolutoria, quia finito iudicio, finitur etiam obligatio rei. Sanchez *lib.3.moral.cap.7.num.6.* Azor. 3.*par. l.13.c.25.dub.5.* Vide Dianam *tr.1. miſcel.reſ.26.p.*2. referentem quoſdam Doctores contrarium ſentientes. Item *tr.5.miſcel.reſ.*103.*p.*3.

Sanchez. Azor. Diana.

6. Reum infamatum vel etiam conuictum de vno crimine non poteſt Iudex examinare de aliis criminibus, quæ nec ſuapte natura, nec indiciis connexa ſunt, verbi gratia, deprehenſus in furto, non debet examinari de homicidio, niſi in loco vbi furatus eſt, homo occiſus fuerit: idque locum etiam habet in criminibus eiuſdem generis non connexis: quia Iudex non poteſt inquirere de crimine, niſi ſit aliquo modo ei tanquam publicæ perſonæ cognitum: quamquam alia ſit in hac re iudicum ſæcularium conſuetudo, præſertim in crimine furti. Nauar. *de indic. n.*62. P.Nauar. *l.2.c.4.n.*170. Caiet. *2.2.q.69.art.*3. Sotus *l.5 q.6.art.*2. & alij.

Nauar. Caietan. Sotus.

7. Iudex reum confeſſum interrogare non poteſt de ſociis criminis, nulla indiciorum ſuſpicione aut infamia laborantibus, *l.vlt. C. de accuſationib.* niſi crimen tale ſit quòd neceſſariò & ſuapte natura ſocium requirat, vt ſodomia, vel ſaltem communiter ſine ſocio non committatur, vel niſi crimen exceptum ſit, videlicet in publicam perniciem tendens, vt hæreſis, proditio, falcatio monetę, veneficium, latrocinium, vel niſi ſcrimen committendum ſit in priuatæ perſonæ perniciem, vt ſi aliqui coniurauint in hominis necem. Verùm, quia reus perſonas vilis & infamis eſt, ideò eius confeſſio, ſeu teſtificatio non efficit probationem ſemiplenam, niſi inſuper aliud indicium, vel alterius rei in tortura conſenſus accedat: tamen ſœminis ob ſexus fragilitatem non æquè, ac maſculis fides adhibenda eſt. Nauarrus c.18.*num* 59. P.Nauar. *cit.num.*173. Leſſius *lib.2.cap.29.num.*161. & 162. Layman *cit.num.*8. Diana *tractat.5.miſcel.reſol.99.p.* 3. Bouerius *in director. cap.*35.

Nauarr. Leſſius. Layman. Diana.

8. Non peccat contra iuſtitiam reus, aperiendo crimina quamuis occulta teſtium, ſi illa crimina valeant ad infirmandum illorum teſtimonium, vt ſunt periurium, crimen falſi, excommunicatio, à qua teſtis nondum eſt abſolutus, & infamia iuris vel facti: fieri tamen poteſt vt aliquando peccet etiam contra iuſtitiam, verbi gratia, ſi criminis manifeſtatio non ſit neceſſaria ad propriam defenſionem, aut ſi reus potuiſſet cum minori damno dictum teſtium infirmare quàm detegendo ipſorum crimina; & ratio eſt, quia proximo maius damnum infert, quàm neceſſe ſit ad ſui defenſionem. Reginaldus *l.24.n.*140. Filliucius *tr.40.n.*259. Leſſius *l.2.c.31.dub.*1 Valent. *tom.3.d.5.q.14.p.*3.

Reginald. Filliuc. Leſſius. Valent.

9. Reus accuſatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iuſtitiam etiamſi neget crimen, imò etiamſi dicat accuſatorem mentiri & calumniari, quia qui accuſat de eo quod probare non poteſt, calumniator præſumitur, ac proinde etiam cenſetur mentiri, quia falſum præſumitur in iudicio, quod probari nequit: Idem dicendum de omni eo, qui etiam extra iudicium negat ſe dixiſſe, aut feciſſe quippiam, quod alius illicitè patefecit, vnde infamia vel offenſio naſceretur: peccaret tamen mortaliter reus, ſi aliter ſe tueri poterat, quàm hæc crimina accuſatori imponendo, nam maius infert damnum accuſatori, quàm neceſſe ſit ad ſui defenſionem: item qui iuridicè interrogatus accuſatori, vel denunciatori notam mendacii & calumniæ impoſuit, tenetur ad reſtitutionem famæ, nam peccauit contra iuſtitiam imponendo hanc notam accuſatori. Nauar. *c.18.n.49.* Azor. *3.p.l.5.c.9.q.9* P.Nauar. *l.2.c.4.n.*348. Syluester *verb.reſtit.3.q.3.* Filliuc. *tr.40.c.9.q.2.num.*261. Sylnius *a.2.q.62.art.2.q.20,& q.69.art.*2. & alii.

Nauar. Azor. Sylueſt. Sylu.

10. Reo tortura adhiberi poteſt in criminibus grauioribus ad probationis ſubſidium, quæ pœnam corporalem vel triremium merentur, non autem in iis, quæ pœnam pecuniariam, exilij, &c. *Cod. tit. de quæſtionibus*, quia tortura ad eliciendam criminis confeſſionem inſtituta, non debet eſſe tanta, vel maior pœna, quàm ſit illa, quæ in eiuſdem criminis condemnationem inferretur: hæc tamen tortura adhiberi non debet, ſi reus legitimè conuictus fuerit, vt de crimine condemnari poſſit. Leſſius *l.*2.*c.29.dub.17.n.*151. Bonac. *cit.n.9.*

Leſſius. Bonac.

11. Ad torquendum reum non quoduis indicium ſufficit, ſed debet eſſe graue, quod legitimè, videlicet, per duos teſtes probatum, commiſſi criminis ſuſpicionem ac velnti præſumptionum iudici pariat: in ſpecie autem indicia ſufficientia ad torturam numerantur, videlicet vnus teſtis omni exceptione maior, confeſſio rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo. Ita Farinacius *in practic.crimin. quæſt.* 37. *numer.*3.& 13. Gomez *t.3.c.13.num.*7. Delrio *lib.5.ſect.*3. Leſſius *cit. nu.* 153. & alij.

Notandum tamen eſt, reum qui ſemel tortus fuit, iterum torquendum non eſſe, niſi fortè nouum indicium adſit, nam tortura tolerata infirmare videtur priora indicia, aut niſi indicia antea habita grauiſſima ſint, vt vehementem patiant præſumptionem patrati criminis, tunc enim præſumendum eſt, crimen malitiosè negari, conſequenter tortura iterari & ſæpius repeti poteſt: item reus qui ſemel crimen in tortura confeſſus eſt, ſed illud poſtea extra torturam reuocauit, iterum torqueri poteſt, verùm ſi tertiò ita tortus & confeſſus, tertiò retracter, abſoluendus eſt, regulariter loquendo, niſi grauiſſima adſit præſumptio id malitiosè à reo agi Layman *cit. numer.* 10. Leſſius *cit.num.*168. Clarus *q.2 numer.36.& q.64.num.* 43.*lib.*5.

Layman. Leſſius.

12. Quædam perſonæ torqueri non debent, vel ob earum imbecillitatem, vt impuberes, quamuis terreri, & virgis caſtigari poſſint. Item ſenes decrepiti, quamquam etiam hi terreri poſſunt oſtendendo locum tormentorũ, &c. Mulier prægnans ob periculum abortus, cuius tortura differenda eſt donec vires ex puerperio confirmatæ ſint. Vel ob priuilegium, videlicet, vir nobilis, ſeu ordinis equeſtris, qui in magna dignitate conſtitutus eſt, vt Doctores & Conſiliarii Principum, eorumque liberi, qui omnes ne leuiter quidem torqueri poſſunt, præterquam in criminibus exceptis, vt hæreſis, proditionis, læſæ maieſtatis, beneficiorum, Gomez *cit.cap.13.numer.* 3. Clarus *cit.q.64 numer.*19. Leſſius *cit.num.* 154. Layman *cit. nu.* 52. & alij.

Gomez. Leſſius. Layman.

13. Per ſe loquendo reus non tenetur obedire ſententiæ, quæ nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus, quia ſententia eſt veluti lex quædam alicui priuatim impoſita, ſed lex non obligat ad id quod eſt contrarium fini legis, ergo ſententia non obligat ad id quod eſt contrarium fini ſententiæ; vnde qui per talem ſententiam aliqua re priuatus, non tenetur in conſcientia ſoluere, & ille cui res talis eſt applicata, ſi ſciat ſententiam falſo fundamento niti, tenetur ad reſtitutionem? Inſtitutus tamen in beneficio, vel officio quo alius iniuſtè priuatus eſt, probabiliter non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciret ſententiam falſis probationibus niti, quia Eccleſia & Reſp. eo caſu priuant reum abſolutè beneficio, vel officio, & applicant ei cui poſtea confertur. Reginaldus *l.24.num.*176. Filliuc. *tract.40.c.9.q.5.num.*268. Sotus *l. 3. q.4.art.*4. Leſſius *l.2.c.31.dub.4.nu.* 27. & 28. Aduerte tamen reum non poſſe per vim in prædicto caſu ſe defendere contra Iudicem, vel ipſius miniſtros, ne hanc ſententiam exequantur, quia inde ſequeretur ſcandalum & perturbatio Reipub. ac boni communis, quod præferendum eſt

Filliuc. Sotus. Leſſius.

priua-

Digitized by Google

priuato, & hoc reputaretur crimen læſæ maieſtatis. D. Thomæ 2.2.*q.*69.*art.*4. Filliuc. *cit. num.* 268.*&* 269. Reginald.*cit.num.*147.

D. Thom. Filliuc.

Quidam tamen ſentiunt in hoc caſu non eſſe illicitum vti mera defenſione, ſi ſcandalum abſit, & alioquin innocens plectendus eſſet morte: hæc tamen ſententia in vſum non eſt facilè admittenda, propter ſcandalum quod vix abeſſe poteſt. Vide Couarrun. 1. *variar.cap.* 2.*num.*13.

14. Ex communi Doctorum ſententia, reus non ſolùm ante ſententiam, verùm etiam poſt Iudicis ſententiam fugere poteſt è carcere, etiamſi in carcere detineatur ob debita, licet teneatur prima opportunitate ſatisfacere; quod etiam ampliandum eſt, quamuis cuſtos carceris ob ipſius fugam graue damnum patiatur, nam fugiendo vtitur iure ſuo & nulli facit iniuriam; damnum enim quod inde cuſtodi ſequitur, ſequitur per accidens reſpectu rei: imò non tenebitur de damno quod actoribus & Reipub. euenit, ſi carcere pertuſo etiam alii captiui fugiant, quia illorum fuga per accidens ſequitur ex rei facto, nec tenebatur illam impedire. Clauis regia *lib.*12.*cap.*18.*numer.* 17.*&* 22. Sanchez *lib.*6.*moral.cap.*8. Leſſius *cit.capit.*31. *num.*31.*&* 33. Valentia *tom.*3.*d.*5.*q.*13.*p.*4. Filliucius *cit. num.*270. Plurimi tamen docent damnatum ad pœnam carceris temporariam non poſſe fugere, quia hæc adeò non eſt grauis pœna: hæc ſententia eſt probabilis, quæ eſt Emmanuelis Sà *de reo, num.* 10. Leſſij *cit. num.* 39. Syluii 2.2.*q.*69.*art.*4.*quæſit.*1.

Clau. reg. Sanchez. Leſſius. Valentia. Filliuc. Sà. Leſſius. Sylu.

Supradicta tamen ſententia non habet locum in regularibus, vt docent Rodriquez *tom.*2. *quæſtionum reg. q.*23. *ar.*6. Sanchez *lib.*6.*moral.c.*8.*n.*12.*&* 15. & alii. Nam Religioſus in carcerem coniectus à ſuo Prælato nullatenus licitè fugere poteſt, etiam ante condemnationem ſine apoſtaſiæ nota: ſed neque à Monaſterio, neque ab ea parte Monaſterij, in qua eum Prælatus iuſtè manere præcepit, niſi priùs petita & impetrata licentia; multò igitur magis tenetur Religioſus manere in carcere ſibi quomodocumque à Superiore iuſtè aſſignato.

Rodriq. Sanchez.

Quando autem Religioſus iniuſtè in carcerem eſſet coniectus maxima cum ſui honoris & famæ iactura, & cum graui corporis afflictione, vel vitæ periculo iniuſtè perpeſſo, tunc fugere poſſet abſque vlla Apoſtaſiæ nota, etiam vim inferendo cuſtodibus, etiam rumpendo vincula & limando compedes, & effringendo carcerem, etſi cuſtodibus per accidens damnum aliquod euenturum eſſet. Dummodò regularis ita fugiens recta procederet ad Prælatum ſuperiorem illo, qui eum iniuſtè in carcerem coniecerat: talis enim fuga recurſus potiùs eſt appellanda, quàm fuga. Vide quæ diximus ſuprà *verb. Religio VI.nu.* 13.*&* 15. de hac materia.

Admonet Bouetius noſter *in director. fori iudicialis c.* 34. quòd Iudex regularis non facilè ad reorum capturam deuenire debet: cùm enim apud Religioſos, quibus honos ac bonum nomen pro ſummis diuitiis computatur, captura quælibet infamiam quandam redoleat, quæ abſolutoria etiam ſententia vix abſtergitur; vnde ſummo ſtudio cauendum eſt, ne abſque maxima, ac grauiſſima cauſa Religioſus quilibet etiam ad cuſtodiam carceri mancipetur: ac præſertim viri vel in Religione inſignes, vel aliquo honoris titulo cohoneſtati, vel tandem qui alioqui bonæ inter fratres famæ eatenus extitere, vt eorum, quoad fieri poteſt, famæ conſulatur, quàm vſque adeo integram, ac ſartam tectam Iudex ſeruandam curabit, vt ſi Monaſterium, aut cella ad eorum cuſtodiam ſatis ſit, à carcere illi abſtinendum ſit.

Sed quæres, an Religioſus teneatur obedire Prælato præcipienti, vt in carcerem pergat, non aſſignata cauſa talis carcerationis? Pro quæſtionis intelligentia notãdum eſt, quòd ſunt quandoque aliqui Prælati Religioſorum tam indiſcreti, & exorbitantes, vt potiùs carnificis vendicent ſibi nomen, quàm Paſtoris & Patris: & ita ſuis ſe domandos dedunt paſſionibus, vt errantem ſubditum in quacumque re leui detrudi iubeant in tetrum carcerem, quòd ſi talis detruſionis quærat ſubditus cauſam, vel quia leuiſſima ſit, vel quia nulla in rei veritate exiſtat, recuſant dicere; his ſuam malitiam tegentes verbis, carcerem pretio, cauſam inde ſcies. Quæritur, an ſubditus in hoc teneatur obedire? Reſp. negatiuè. Tum quia tunc indiſcretè, & iniuſtè procedit Prælatus; vnde ſubditus non tenetur ei obedire, vt dicitur *cap. ſollicitudinem*, §. *ſi vero, de appellationibus*. Tum quia carcer apud Religioſos eſt maximum dedecus, & irreparabilis iactura, vt docet Rodriquez *tom.*2.*quæſtionum reg.q.*22.*art* 2. & ideò tardè adhibendus à Prælatis; quia ſi ſola ſuſpicione, aut præſumptione, aut ſemiplena informatione ſubditos in carcerem detrudant, & eos deinde innocentes reperiant, licèt ſi abſolutoria ſententia deinde eos liberent, à iactura famæ, in quam per carceris detentionem inciderunt, nunquam totaliter liberabunt, vt dictum eſt, & notauit Ioannes Andreas *in cap ſi clericus, de ſent. excomm. in* 6. Tum quia Religioſus honorem ſuum de iure naturali poteſt defendere, & ideò non tenetur ſic captis oculis carceratum ſe præbere. Tum quia Deus vt patet ex Scripturæ locis multis, cùm populũ ſuum punit, vel ei aliquod graue minatur flagellum, ſemper aſſignat cauſam talis flagellationis. Tamen ſi perſona eſſet admodum vilis, & de delicti veritate apud Prælatum ſatis conſtaret: vel per manifeſta indicia, vel per teſtem omni exceptione maiorem, tunc poſſet Prælatus talem iuſtè in carcerem ad afflictionem conijcere. De his vide Nauarrum *in com. de iudicijs num.*51. *&* 83. Syluest. *verb. Carcer.q.*2. Spatarium *tract.*9 *c.*14. Sed notandum eſt, quòd.

Nauar. Sylu.

Triplex ſit carceris genus: *Primum* eſt in pœnam criminis, & id nunquam adhibetur, niſi per diffinitiuam ſententiam, præuijs probationibus, & defenſionibus. *Secundum* genus eſt cuſtodiam, ad quod licet non requiratur plena informatio delicti: nunquam tamen adhiberi poteſt, niſi fuerit reus de culpa valde ſuſpectus, vtpote aliàs fugere ſolitus. *Tertium* genus eſt afflictionem; & eſt quędam torturæ ſpecies, & adhiberi non debet, niſi pro graui crimine, nec ſine cauſæ ſufficienti cognitione, cùm magnum præiudicium inferatur taliter incarcerati. Ita Diaz *in pract.crim.cap.*126. Spatarius ſuprà.

15. Reus qui poteſt licitè fugere, poteſt etiam vincula rumpere, & carcerem perfundere, quia cui licitus eſt finis, licita etiam ſunt media; ergo cui eſt licita fuga, licitum etiam eſt ſe ad eam diſponere, & expeditum reddere, eiuſque impedimenta remouere. Nauar. *c.*17.*num* 102. Filliuc. *tract.*40. *num.*271. Sylu.*cit. quæſ.*2. Imò cuicumque fas eſt fugere, ei poſſum ad fugam, & vinculorum diruptionem conſulere, modo non ſint officiales, & miniſtri iuſtitiæ; quia quod tibi licitum eſt facere, id poſſum tibi eſſe ſuaſor, & author vt facias, niſi ratione officij prohibear, quomodo prohibentur miniſtri iuſtitiæ, qui cùm ex officio teneantur curare vt reus detineatur, contra iuſtitiam Reipub. debitam facerent, ſi fugam ſuaderent. Reginaldus *lib.*24.*num.*151. Bonacina *cit.num.*19. Leſſius *cit.c.*31.*num.*41. Filliucius *cit. num.*275. Probabile etiam eſt, licitum eſſe eidem captiuo porrigere inſtrumenta, quibus vincula indicat, & carcerem effringat, quia ſi poteſt alicui conſulere finem, cur non etiam porrigere media neceſſaria ad illum conſequendum: quamuis præbens huius inſtrumenta exponat ſe periculo pœnæ, & grauis punitionis, ſicut ſe exponeret fugiens; non tamen licitum eſt iuuare reum effringendo exteriùs carceres, & rumpendo vincula, quia ſolus reus ad id ius habet. Ita Clauis regia *lib.*12.*c.*18.*num.*21. Azorius *cit.c.*24.*dub* 5. Leſſius *cit.n.*41. Sà *don.*2.2.*q.*69.*art.*4. Syluius *ibid.quæſit.*2. Diana *p.*3.*tract* 5.*reſ.*102. & alij.

Nauar. Sylu. Reginald. Bonacina. Leſſius. Filliuc. Clau. reg. Azor. Leſſius. Diana

16. Præciſa vi, & iniuria licet decipere cuſtodem vt reus opportunitatem fugiendi capiat, v. g. tradendo cibum, vel potum, vt ſomno corripiatur, vel aliquid aliud faciendo, vt cuſtos abſens ſit donec reus fugiat, per vim autem aut iniuriam non licet, quia cuſtos habet ius detinendi reum, conſequenter ius ipſius violatur dum vis aut iniuria illi infertur. Clauis regia *cit. num.*16. Reginaldus *lib.*24.*num.*150. Filliuc.*cit.num.*273. Sylu.*cit.quæſ* 2. & alij.

Clau. reg. Regin. Filliuc. Sylu.

17. Reus negans veritatem non tenetur ad ſoluendam pœnam quam manifeſtata veritate perſoluiſſet, modò ad eam pœnam non teneretur ante ſententiam, aut ex iure naturæ ob actionem iniuſtam, vel contractum; vnde

Digitized by Google

vnde qui negatione veritatis eſt alteri cauſa iniuſta damni, tenetur ad reſtitutionem, quamuis ad illam legitima Iudicis ſententia non condemnetur. Reginaldus *cit. nu.* 145. Nauarrus *cap.* 18. *num.* 49. Azorius *cit. cap.* 25. *dub* 4. Diana *tr.* 5. *p.* 3. *reſolut.* 52. Tannerus *ſecunda ſecundæ diſput.* 4. *quæſt.* 6. *dub.* 2 *num.* 76. Vide Laymao *libro tertio, ſectione* 5. *tractat.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 22.

Nauar. Azor. Diana. Layman. Sanchez.

De reo vide *Fideiuſſio n.* 12. *Iudicium publicum* nu. 11. 12. & ſequent.

SVPPLEMENTVM.

R E V S.

SVMMARIVM.

1 *An reus licitè poſſit obiicere teſti falſum crimen ad dictum eius infringendum aut infirmandum, ſi teſtis falſum deponit, vel ſi verum, ordine tamen iuris non ſeruato.*

2 *An peccet reus contra iuſtitiam, ſi accuſatori notam mendacii, & calumniæ imponat. quando debitum eſt occultum, & probari non poteſt? Et quid ſi probari poſſit?*

3 *Quando reus non teneatur veritatem aperire, etiamſi à Iudice iuridicè interrogetur.*

4 *Quando reo dubium eſt, an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia, an teneatur manifeſtare veritatem Iudici interroganti?* Refertur duplex ſententia.

5 *An reus Sacramentaliter ſit abſoluendus, quando eſt conuictus per teſtes, & condemnatus, ſi perſeueret in neganda veritate?* Refertur duplex ſententia.

6 *Quando reus mentitus eſt Iudici, & ab eo fuit abſolutus, aut punitus, aut per fugam eſt extra Iudicis poteſtatem. an abſolui poſſit a Confeſſario?*

7 *An reus condemnatus ad mortem, & iniuſtè negauit crimen, teneatur publicè ante executionem ſententiæ fateri veritatem, vt abſolui poſſit a Confeſſario?* Refertur duplex ſententia.

8 *Quando reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſoluere, an teneatur ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

9 *Qui iniuſtè in carcere detinetur, & condemnatur ad mortem, ſi alia via euadere non poſſit, an poſſit occidere cuſtodem carceris?*

10 *Reus iniuſtè condemnatus, ſi iniuſtitia eſt manifeſta, an poſſit ſe defendere, & licitè Iudici reſiſtere, ſi abſit ſcandalum, & perturbatio Reipublicæ? Et quid quando reus eſt dubius prudenter de ſententia iuſtitia.*

11 *Innocens, qui ſecundum allegata, & probata nocens eſt probatus, & ad mortem condemnatus, an poſſit ſe à Iudice & ab eius miniſtris per vim defendere.*

12 *Reus iuſtè damnatus ad mortem, quamuis poſſit fugere, vt mortem euadat, an liceat ei in carcere manere, & patienter mortem expectare?*

13 *Reus iuſtè captus, & ad mortem damnatus, qui à Iudice, vel cuſtode dimittitur è carcere, præſtito iuramento de redeundo, an teneatur redire? Et quid quando carcer erat iniurioſus?* Refertur duplex ſententia.

14 *An reus iuſtè damnatus, vt fame pereat, poſſit comedere cibos ſibi ab aliis oblatos? Et an teneatur ſub peccato mortali?* Refertur duplex ſententia.

15 *Damnato ad mortem vt fame pereat, omnes poſſunt ei miniſtrare potum & cibum, exceptis iuſtitiæ miniſtris; nullus tamen ad id obligatur.*

1 NVmquam licet reo falſum crimen obiicere teſti ad eius dictum infringendum aut infirmandum, ſiue teſtis falſum, ſiue verum deponat, ſiue ordinem iuris ſeruet, ſiue non. Ratio eſt, quia obiicere alteri crimen falſum eſt mendacium pernicioſum, & intrinſecè malum, quod nulla cauſa honeſtari poteſt, ergo ex genere ſuo mortale peccatum eſt. Proinde iniquiſſimus eſt vſus ille quorundam Cauſidicorum, & Aduocatorum, qui impingere ſolent teſtibus crimina falſa, putantes iure ſuo vti ad redimendam vexationem; ſed grauiter peccant, tum propter mendacium, tum propter damnum & infamiam, quam teſti tales adferunt. Ita Salon 2. 2. *q.* 70. *art.* 3. *controu. concl.* 6. Aragon, Bannez *ibidem*. Valentia *t.* 3. *diſp.* 5. *q.* 14. *punct.* 3. Clauis regia *l.* 12. *c.* 19. *n.* 27. Trullench *in decal. l.* 8. *c.* 4. *dub.* 1. Malderus *in* 2. 2. *tr.* 6. *c.* 3. *dub* 3. & alii.

Aragon. Valent. Clau. reg. Trullenc. Malder.

Nota tamen, Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *reſol.* 4. adducere ſententiam Ioannis de la Cruz *ad* 8. *præcept. Decalogi q.* 3. *art.* 4. *dub.* 17. *concl.* 1. vbi ſic ait, Bannez & Ledeſma cum Orellana probabiliter ſentiunt eſſe ſolùm peccatum veniale obiicere teſti iniquo crimen falſum, ſecluſo periurio in obiiciente, & teſtibus ad hoc inducendis. Et addit ipſe Diana, quod dato quòd reus, & teſtes in hac obiectione falſa iurarent, peccarent contra charitatem, & religionem, non tamen contra iuſtitiam. Sic Ledeſma *in Summ. t.* 2. *tract.* 8. *c.* 25. *concl.* 20.

Sed hæc ſententia, niſi cum grano ſalis intelligatur, prorſus abſurda eſt, & improbabilis, vt docet Thomas Hurtado *p.* 2. *reſolut. moralium tr.* 6. *cap.* 8. *num.* 104. Non enim licitum eſt falſum teſtimonium imponere in re graui alicui ob defenſionem propriam, puta quòd ſit concubinarius, aut Sodomita, aut Hæreticus, aut fur; hoc enim mendacium cùm ſit in materia grauiſſima, quis excuſabit à mortali contra iuſtitiam? Non enim malum pro malo reddendum eſt cum mendacio: tum quia teſtem iniuſtè infamat & falsò, & conſequenter peccat contra iuſtitiam teſti debitam, & ad reſtituendum tenetur, iuxta ea quæ D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. & Authores communiter tradunt. Ita etiam Clauis regia *l.* 12. *c.* 19. *n.* 34. *in fine*. Nihilominus probabile putat Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 43. hoc peccatum non eſſe contra iuſtitiam, & adducit Cardin. Lugo & Dicaſtillum.

D. Thom. Clau. reg.

2. Quando delictum eſt occultum, ita vt iuridicè probari non poſſit, reus non peccat mortaliter contra iuſtitiam, ſi accuſatori notam mendacij, & calumniæ imponat. Ratio eſt, quia tunc accuſator famæ iacturam non patitur, cum etiam ab aliis calumniator, & mendax præſumatur, dum accuſationem interponit de crimine, quod probare non poteſt, ac proinde etiam cenſetur mentiri; quia contra mentem, ſeu contra dictamen conſcientiæ ſuæ loquitur; tùm quia falſum præſumitur in iudicio quod probari nequit. Si autem delictum non eſt occultum, & iuridicè probari poteſt, contra iuſtitiam peccat mortaliter reus, & tenetur ad reſtitutionem famæ, dum huiuſmodi notam accuſatori imponit. Tum quia reus nullum ius habet imponendi hanc notam, cùm accuſator iure ſuo vtatur, & nullum mendacium accuſando committat; Tum quia ex peccato contra iuſtitiam cum damno alterius oritur obligatio reſtituendi. Ita Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *q.* 3. Nauar. *in man. cap.* 18. *n.* 49. P. Nauar. *l.* 2. *c.* 4. *num* 348. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap* 9. *quæſt.* 8. *de reſtitution. famæ*. Filliucius *tract.* 40. *n.* 261. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 6. & alij.

Sylu. Nauar. Azor. Filliuc. Leſſius.

3. Quamuis reus teneatur veritatem aperire dum ſeruato iuris ordine interrogatur à Iudice, etiamſi manifeſtata veritate damnandus ſit ad mortem, vt habet communior ſententia D. Thomæ 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. & aliorum citatorum, *t.* 1. *verb. reus, n.* 5. Hoc tamen habet locum, niſi aliter de rationabili Iudicis voluntate præſumatur, & niſi aliter per Epikiam iudicetur. Quare ſi quis cum iuſto moderamine, vel abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa ſe defendendo aliquem occidit, ſi Iudex quærat de facto, non tenetur occiſor fateri ſe occidiſſe, ſed negare poteſt, etiamſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia. Ratio eſt, quia Iudex inquirit de occiſione criminoſa, qualis non eſt illa, quæ facta eſt ad ſui defenſio-

Digitized by Google

ſenſionem,& ſi talis fateretur,nec poſſet probare ſe cauſa neceſſariæ defenſionis feciſſe, ex falſa præſumptione condemnaretur homicidij. Præterea quando reus eſt reipſa innocens, ſed ſecundùm allegata ; & probata iuridicè reperitur nocens, non tenetur reſpondere Iudici ſecundùm allegata & probata,ſed ſolùm ſecundùm veritatem. Probatur,quia mentiretur in re grauitum quia licet Iudex ſit ſuperior rei,& ſic ſecũdùm allegata, & probata habeat ius interrogandi,ſed hoc debet intelligi ad cognoſcendam veritatem. Quare Epikeia dictat quod non vult obligare reum, niſi veritatem dicat ; ſi enim ſe conformet allegatis, & probatis, abſurdum , quod innocens patiatur,& ſic per Epiikeiam iudicandum eſt quòd Iudex non vult obligare, vt quis dicat commiſiſſe crimen quod non commiſit.

Similiter, qui non eſt auctor criminis, non tenetur fateri illas circumſtantias, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum commiſiſſe crimen, ideò negare poteſt v.g.hunc eſſe ſuum pugionem,quamuis reipſa ſit ſuus,aut ſe eo loci fuiſſe,quamuis ibi verè fuerit,adhibita tamen conuenienti æquiuocatione, aut reſtrictione mentis. Ratio horum omnium eſt,quia Iudex in his, & ſimilibus reipſa non eſt ſuperior,ſed tantùm ſecundùm allegata, & probata quæ in præſenti caſu fallacia ſunt,vnde reus non tenetur ſe conformare Iudici interroganti de homicidio criminoſo aut de lethali furto. Ita Azorius *p.3.l.13.c.25. dub.9.* Leſſius *l.2.c.31.n.14.* Bannez 2.2 *quæſt.69.artic.2.* Reginald.*l.24.num.38.& 42.* Thomas Hurtado *p.2.tr.6. cap.3.§.7.* Eman. Sà §. *de reo num.7.* &,alij apud Dianam *p.3.tract.5.reſol.66.*

Azor. Leſſius. Reginal. Sà. Diana.

4. Quorumdam ſententia eſt, quando reo eſt dubium an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia, non poſſe occultare veritatem , ſed teneri reum reſpondere Iudici interroganti. Ratio eſt,quia Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi, qua priuari æquum non eſt,ob dubium ius ſubditi. Aut ſubditus nunquam eſt in poſſeſſione non obediendi , niſi quando certò conſtat mandatum eſſe iniquum, vel probabiliter id eſſet in opinione,eſt enim de eſſentia ſubditi in poſſeſſione obediendi permanere ergo. Ita Ioan. Sancius *in ſelect. diſp. 43. n.28.* probabiliter. Sed contrarium verius eſt & probabilius, nempe non teneri reſpondere. Ratio eſt, quia vnuſquiſque præſumitur bonus , quoad vſque probetur malus, ſed quamdiu dubium eſt, an ſit ius inquirendi aduerſus aliquem, tunc nec probatus eſt malus, nec iure exiſtimatur talis, nam ſola infamia, & indicia ſunt quæ faciunt præſumptionem iuris, ergo in dubio, & Iudex inquirens peccat,& teſtis ſi obſequatur iniuſtus eſt. Tum quia iura fauent reo,ſicut & poſſeſſori,ergo quoad vſque conſtiterit ius eſſe inquirendi , reus habet ius vitæ, famæ & bonorum ſuorum,atque adeò non licet in illum inquirere, nec teſtimonium dicere. Tum quia maius periculum eſt ſi occidatur homo contra ius, quàm ſi non obediatur Superiori. Accedit quòd raiò reus tenetur ad propalandam veritatem,quando ſolùm præceſſit infamia aut indicia,quia vt iſta ſint expreſſa, & manifeſta multæ circumſtantiæ requiruntur ſecundùm ius tam canonicũ, quàm ciuile , ad quas omnes concurrere debet conſtare reo ex proceſſu,& probationibus, ita vt nullum maneat apud ipſum dubium quod ſint manifeſta, & expreſſa, & quod infamia ſit ſufficiens,& per teſtes iuridica probata. Vnde ſequitur, quod vt reus teneatur veritatem dicere, debet Iudex ei ſtatum proceſſus, & quòd ipſe procedit iuridicè,notificare. Ita Caietanus *2.2.q.69.art. 2.* Sotus *de iuſtit.lib.5.q.6.ar.2.* Miranda *in ordin. iudic.q.18.art.7.* Leſſius *lib.2.cap.31.dub.3.num.10.* Sanchez *l.6.moral.c.3. n.24.* Thomas Hurtado *in ſuis reſol. moral. p.2.tr.6.c.3.§. 6.* & alii penes ipſos. Quibus addo Trullench *in decalog. l. 8.c.4.dub.2. num. 2. & 3.* qui bene aduertit quod quando ex reſponſione nullum damnum imminet reo vel teſti, tunc reſpondere tenetur ; nam in tali dubio præſumendum eſt pro ſuperiore.

Caiet. Sotus. Mirand. Leſſius. Sanchez.

5. Communis ferè, & probabilis eſt ſententia aſſerens reum,qui iuridicè interrogatus, perſeuerat in neganda veritate , non eſſe ſacramentaliter abſoluendum, donec illam confiteatur; & maximè quando iam eſt conuictus per teſtes, & condemnatus. Ratio eſt, quia tunc irrogat grauem iniuriam iudici ,teſteſque tanquam iniquos infamat,commoueturque populus,& ſcandalizatur, credens à Iudice illum iniuſtè occidi, & falſos fuiſſe teſtes. Tum quia reus iuridicè interrogatus tenetur ſub mortali veritatem aperire; ergo contra faciens peccat mortaliter , & per conſequens ſi perſeuerat,eſt in actuali peccato,atque ita indignus abſolutione, ſi durante proceſſu, iudicio, & captura,per Iudicis ſententiam vel per fugam aut alia via liberatus non ſit. Ita Salon 2. 2.*quæſt.69.ar.2.controuerſ. 10.* Clauis regia *l.12.cap.17.num. 13.* Trullench *in decal. l.8.c.4.dub.3.* & alii , qui bene aduertunt non debere Confeſſarium eſſe facilem , in neganda abſolutione ; ſed ſemper quãtum fieri poteſt inquirat partim à reo,partim ab Aduocato,qui totius proceſſus eſt conſcius , ſit ne aliquis defectus in proceſſu, tum ex parte Iudicis , tum ex parte teſtium : quod ſi omnibus penſatis, videat Confeſſarius ad reſpondendum teneri, hortari eum debet, vt veritatem dicat: quod ſi fateri noluerit, abſoluere eum non poteſt. Quod ſi prudenter dubius ſit , poterit eum abſoluere,quia in dubio fauendum eſt reo, vt docent Authores citati,quibus adde Malder, *in 2.2.tractat. 6.cap.3. dub. 1.aſſert.4.*

Clau. reg. Trullenc.

His tamen non obſtantibus contrarium eſt maximè probabile & fortè probabilius,nempe, reum non teneri , qui poſtquam iuridicè interrogatus fuit, negauit veritatem,qua manifeſtata condemnaretur,ſe offerre ad fatendam veritatem,nec teneri in conſcientia ad retractandũ dictum,non ſolùm quando iudicium durat,ac reus eſt ſub Iudicis poteſtate, ſed etiam quando conuictus damnatus eſt ad mortem , ſed ſufficere, vt doleat de peccato , & ſit paratus ad reſpondendum,ſi iterum interrogetur. Ratio eſt,quia præceptum Iudicis eſt tranſiens, & ſolùm durat , dum Iudex interrogat , cui ſatisfaciet dolore peccati, & propoſito illi obediendi iterum interroganti: parti autem læſæ ſatisfaciet animo reſtituendi damna . Quo in caſu nulla ſequitur infamia Iudici, accuſatori , aut teſtibus,vt exiſtimat contraria ſententia; quia omnibus notiſſimum eſt,reos inquiſitos delicta negare , imò puſillanimes , & ſtulti habentur,ſi delicta fateantur, & præſumptio ſtat pro Iudicis ſententia, *cap. Conſanguinei,& cap. Cauſam,de re iudicata*. Hæc ſententia eſt probabilis etiam ſtando in priori opinione;ſed probabilius erit poſſe abſolui,abſque eo quod veritatem aperiat,etiamſi iterum interrogetur , adhærendo opinioni aſſerenti reum non peccare mortaliter negando crimen,quamdiu ſpes eſt euadendi, in cauſis quibus grauis pœna imponitur ; de cuius opinionis probabilitate egimus *tom.1. verb.reus , numer.* 4. Hanc poſteriorem ſententiam nempe reum non teneri ad retractandum dictum in caſu propoſito ſuſtinent Sanchez *lib.3.moral.cap.7.num.8.& 11.* Bonacina *tom. 2. diſp. 10. quæſt.3.punct.2.num.8.* Diana *par.2.tract.15.reſol.26.& p. 3.tract.5.reſol.103.* Nauarrus *in Manual cap.25 num. 58.* Trullench *in decalog.l.8. c.4.dub.3.n.2.* Reginaldus *l. 24. n.145.* & alii.

Sanch. Diana. Nauar. Trullenc.

Cautus tamen debet eſſe Confeſſarius in expoſtulando a reo hoc propoſitum: nam ſi credat reum non fore iterum interrogandum, nihil debet interrogare a reo de tali propoſito,cùm ſit difficillimum negotium fateri proprium crimen,& ne pœnitentem exponat periculo denuò peccandi,ſed ſatis eſt, vt in genere proponat cauere in poſterum peccata. Imò ſi credat fore, vt iterum interrogetur , non debet ipſum tentare interrogando de hac re,ne coniiciat in pœnitenie animum negandæ veritatis, cùm tunc non ſit in peccato mortali. Ita Sanch. *loco citato,num 9.* & Diana *p.2.tr.15.reſolut.26.* quorum doctrinam debent Confeſſarii aduertere,& ſic facilè abſolutionem dictis reis concedent.

Sanch. Diana.

6. Quando reus iam à Iudice abſolutus fuit, aut punitus,aut per fugam è carcere iam eſt omninò extra Iudicis poteſtatem, tunc abſolui poteſt a Confeſſario impoſita illi pro mendacio ſalutari pœnitentia, ſi Iudici mentitus ſit. Quia tunc ſolùm tenetur veritatem dicere, quando a Iudice rogatur, & ſub illius poteſtate. In quo tamen caſu non poteſt Confeſſarius reum cogere vt ad carcerem redeat , aut Iudicem adeat, & ſeipſum prodat,

Digitized by Google

Clau reg. Sanch. Bannez. Villalob.

dat, hoc enim eſſet ſeipſum occidere. Tenetur tamen eum monere, vt quotieſcumque iuridicè interrogabitur, verum dicat, nam aliter non eſſet abſoluendus, iuxta dicta numero præcedenti. Ita Clauis regia *lib.* 12. *artic.* 17. *num.* 14. Sanchez *loco citato num.* 6. Bannez 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *in* 2. *p. dub.* 1. *concl.* 3. & ibi Salon *controuerſ.* 10. *concl.* 3. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 26 *difficult.* 1. *numero* 15. & alij.

7. Nonnulli Thomiſtæ tenent, quando reus qui iniuſtè negauit crimen, eſt conuictus per duos teſtes, & condemnatus ducitur ad ſupplicium, non poſſe abſolui quin verum ante executionem ſententiæ fateatur, ne populus malè de Iudice, & teſtibus ſuſpicetur. Ita Petrus Ledeſma, & Medina. Cæterum, quamuis reus optimè faciat tunc confitendo veritatem, in rigore tamen valde probabile eſt ad id faciendum non teneri, ſed ſufficere, vt illud peccatum Confeſſario confiteatur, à quo abſolui poterit: quod intellige, niſi alioquin alicui notabile damnum ſequeretur. Ratio eſt, quia communiter quando reus ſufficienter eſt conuictus, parum, aut nil ſuſpicionis malæ accreſcit Iudici, & teſtibus, vt diximus ſuprà. Ita conſuluit Nauarrus *in Manual. capit.* 25. *numero* 38. de hac re rogatus. Et tenent Rodriquez *de ordine iudic. capit.* 10. *concluſ.* 3. *& tom.* 2. *quæſt. regular. quæſt.* 19. *articul.* 9. Clauis regia *loco cit. numer.* 15. Sanchez *loco citat. num.* 11. & alij. Hæreticus tamen qui comburitur, eo quod negatiuus ſit, non eſt abſoluendus, niſi publicè crimen fateatur: & hoc ratione ſcandali, eo quod præſumatur in hæreſi decedere, & pertinax in negando: quare ſi verè reus eſt, tenetur crimen fateri, vt ſcandalum ceſſet, vt ait Sanchez.

Nauar. Rodriq. Clau. reg. Sanch.

8. Difficultas eſt inter Doctores, quando reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſoluere, an teneatur ad reſtitutio? Quidam volunt teneri, quia Iudex habeat ius ad inquirendum delicto ad dictam pœnam inferendam. Ergo ſi reus neget, iniuſtè impedit Iudicem à dicta pœna conſequenda, ac proinde reſtituere tenetur. Ita Molina *de iuſtit. tractat.* 2. *diſp.* 95. *circa finem*. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tractat.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. caſu quo pœna illa ſit ipſo facto impoſita à lege propter criminis admiſſionem, ſecus autem ſi pęna ſit Iudicis arbitrio crimini imponenda. Hæc ſententia eſt probabilis. Contrarium tamen eſt verius, & probabilius. Ratio eſt, quia in tali caſu reus lædit quidem iuſtitiam publicam, & vindicat uam, non autem iuſtitiam commutatiuam ex qua oritur obligatio reſtitutionis, ergo nun tenetur reſtituere. Tum quia reus negans iniuſtè delictum non delinquit in commutatiuam iuſtitiam in ordine ad eum, cui erat pœna applicanda: nec illi vllam iniuriam irrogat, vtpote qui illius emolumentum non impedit directè: quia non adſtringitur ad veritatem fatendam ob vtilitatem illius, cui pœna erat applicanda, ſed propter ſolam publicam iuſtitiam, quæ ad criminum punitionem attendit. Iudicium enim eſt inſtitutum ad hoc, & non ad ditandos aliquos ex pœnis impoſitis. Ita Vaſquez *prima ſecunda diſp.* 175. *cap.* 12. *num.* 13. *&* 14. Azorius *tom.* 1. *lib* 5. *cap.* 8. *q.* 3. *& lib.* 8. *c.* 12. *q.* 5. Sanchez *de matrimon. lib.* 10. *diſp* 8. *nu.* 14. Nauarrus *in Manual. cap.* 18. *num.* 49. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *q.* 6 *dub.* 2. *n.* 76. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 65. Leſſius *l.* 2. *c.* 31. *n.* 50. & alii.

Molin. Layman.

Vaſq. Azor. Sanchez. Nauar. Diana. Leſſius.

9. Qui iniuſtè in carcere detinetur, & condemnatur ad mortem, etiamſi alia via non poſſit euadere, non poteſt occidere carceris cuſtodem. Nam bonum commune poſtulat, vt miniſtris bona fide publicum officium exercentibus, iniuria, aut damnum non inferatur. Si tamen cuſtos carceris ſciat euidenter in carcere illum à Iudice detineri iniuſtè, & ad mortem damnari, tunc poteſt in carcere detentus non habens aliam viam euadendi mortem, cuſtodem carceris occidere. Ratio eſt, quia cum hic cuſtos non bona fide munus ſuum obeat, ſed certò ſciat carceratum eſſe innocentem, & iniuſtè detineri, & ad mortem damnari, ergo licitè poteſt occidi, ſicut poſſunt occidi ſatellites, ſeu publici miniſtri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniuſtè conantur interficere innocentem, vel illum capere, vt iniuſte occidatur, modò ipſis conſtet eum eſſe innocentem. Ita Trullench *in decalog. lib.* 5. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 1. Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 2. *num.* 31. Cardinalis Lugo *de iuſtit. tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 7. *num.* 164. vbi docet quod ſi ſatellites ſcirent innocentiam rei, & vellent adhuc ſententiam Iudicis, & capitalem pœnam exequi, poſſet captus illis reſiſtere, etiam eos occidendo. Sed in hoc caſu cuſtos carceris iniuſtè detinet innocentem, vt iniuſtè morti tradatur, ergo. Hanc etiam ſententiam tenent Menochius *de arbitr. caſu* 301. *num.* 16. Maſcardus *de probat. volum.* 1. *conſil.* 266. Bonacina *de reſtit. diſp.* 2. *quæſt. vlt. ſect.* 1. *punct.* 8. *num.* 7. & poſt illos Diana *p.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 43. & alij. Qui nouiſſimus vult omnia, dicta eſſe ſpeculatiuè loquendo, ne in carcere detenti ſibi fingant iniuſtè ad mortem damnari, & ideò Iudices in cauſa propria perpetrent homicidia in cuſtodes, & ideò Lectoribus cogitandum relinquit. Proinde Couar. *lib.* 1. *variar. c.* 2. *num.* 13. dicit hanc ſententiam eſſe dubiam, & forſan veram, vbi Iudex tyrannicè, ex certa ſcientia, innocentem damnaret. Addit autem Trullench *in decalog. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 7. *num.* 7. caſu quo ſententia hæc eſſet vera, de qua valde dubitat, modò cuſtos carceris aliquo modo ſcienter cooperaretur iniuſtæ ſententiæ.

Trullench Dicaſt. Lugo.

Menoch. Bonac. Diana.

Couar.

Trullench

10. Reus iniuſtè condemnatus, ſi iniuſtitia eſt manifeſta, poteſt ſe defendere, & licitè Iudici reſiſtere, modò id ſine ſcandalo, & perturbatione Reipubl. facere poſſit. Ratio prioris eſt, quia Iudex iniuſtè condemnatus, habet ſe vt iniquus inuaſor. Poſterior pars patet, quia bonum commune præferendum eſt particulari, atque ita tunc patienter tenetur mortem pati; dictat enim ratio, partem non habere ius ſeſe conſeruandi, cum detrimento totius. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 4. & communis. Quod ſi reus prudenter ſit dubius de ſententiæ iuſtitia, & Iudex monitus nolit rem maturius conſiderare, poteſt tunc reus ſe defendere à Iudice, tanquam ab inuaſore ceſſante ſcandalo. Tum quia in probabili dubio non tenetur reus cum proprio damno ſuo Iudici obedire. Tum quia in dubio quod vergit in damnum rei, potior eſt ſemper ratio rei patientis, quam Iudicis inferentis iniuriam. Ita Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 18. *n.* 3. *in fine* Salon *ſecunda ſecunda q.* 69. *artic.* 4. *controu.* 1. & alij.

Clau. reg. Salon.

11. Innocens, qui ſecundùm allegata, & probata nocens probatus eſt, & ad mortem condemnatus, non poteſt, ſecundùm communem, & veriorem opinionem, ſe à Iudice, nec à miniſtris Iuſtitiæ per vim defendere. Ratio eſt, quia Iudex cùm alijs vijs tentatis, non poteſt liberare reum, poteſt illum condemnare, & per conſequens reus tenetur ei obedire: aliter enim ſi licitè reſiſtere poſſet, daretur ſcienter bellum ex vtraque parte iuſtum, quod fieri non poteſt. Vnde ſi ille innocens condemnatus defendendo ſe Iudicem, vel Miniſtrus per vim læderet, etiamſi de eius innocentia poſtea conſtaret, punitetur iuſtè, cùm Iudex iure ſuo vſus ſit eum condemnando; reſiſtens illi, & vim inferens, iniuriam illi facit, & peccat. Signum ergo eſt non licere ei per vim ſe defendere. Tum etiam, quia hæc ſententia non eſt ſimpliciter, & abſolutè iniuſta, ſed tantùm in foro interiori, Poſſet tamen talis licitè ſe defendere, vel fugiendo ſi poſſit, vel recipiendo ſe in locum munitum, vel eripiendo ſe è manibus miniſtrorum cum aliqua vi, ſine ſanguine tamen, & vulnere. Ita Sotus *de iuſtit. libro quinto, quæſtione ſexta, articul.* 4. Arragon *ſecunda ſecunda, quæſtione* 69. *articul.* 4. Salon *ibidem, controuerſ.* 1. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 3. Leſſius *libro ſecundo, cap.* 31. *numero* 29 Rodriquez *tom.* 1. *Summæ Latinæ capit.* 135. *concl.* 9. Trullench *in decalog. lib.* 8. *cap* 4. *dub.* 6. *num.* 5. & alij.

Sotus. Arrag. Clau. reg. Leſſius. Rodr. Trullench

12. Reus iuſtè damnatus ad mortem quamuis poſſit fugere vt mortem euadat, licet tamen ei ibi manere, & patienter mortem expectare. Ratio eſt, quia hoc non eſt cooperari immediatè ad mortem ſicut eſt à furca ſe præcipitem dare, ſed tantùm indirectè, vt ſcalam aſcendere, extendere collum carnifici, & in carcere manere, vt illius delictum in aliorum exemplum puniatur. Iniuſtè

autem damnatus, ſi poſſit, debet fugere; aliter enim videtur cooperari iniuſtæ ſententiæ, & vitam prodigere. Tamen ſi hic iniuſtè damnatus habeat aliquam cauſam rationi conſonam vt exercendæ alicuius virtutis vt charitatis, vel profeſſionis fidei, aut exempli fortitudinis, vel patientiæ, ſitqoe hic bonus finis notabilis vtilitatis, & probabiliter æſtimetur futurus, tunc licitè poteſt in carcere manere, & mortem expectare patienter; quia ſic non eſt opus illicitum, vt patet in Chriſto, & Martyribus. Imò quandoque manere tenetur, nec fugere poteſt ratione fidei, & ſcandali, quia ſcilicet primum tueri, ſecundum verò vitare tenetur. Ita Sanchez *in conſilys part.2.lib.6. cap.4. dub.*13.*num.*4. Couarruuias *lib.*1.*variar.cap.*2.*num* 9. Trullench *in decalog.lib.*8 *cap.*4.*dub.*7.*num.*6. Clauis regia *lib.*12.*c.*18.*nu* 14. Emanuel Sa *verb. Iudiciales actus §.de reo num.*9.& alij.

Sanch. Couar. Trullench. Clau.Reg. Sà.

13 Reus iuſtè captus, & ad mortem damnatus, qui à Iudice, vel cuſtode dimittitur à carcere præſtito iuramento, vel fide ſimplici data de redeundo, tenetur ſub periurij, del violatæ fidei reatu ad carcerem redire, quamuis certò ſciat ſe moriturum. Ratio eſt, quia iuramentum licitum obligat in conſcientia ad ſui obſeruantiam, & redeundo iuſtam patitur mortem, nec in hac re poteſt eſſe controuerſia. Sed dubium eſt, quando carcer erat iniurioſus, puta Tyranni, vel Iudicis incompetentis, vel competentis, ſed non procedentis ſecundum ordinem iuris, aut quando accuſatus eſt innocens, ſed ſecundum allegata, & probata cenſetur nocens, & reus. Quidam exiſtimant non teneri, imò nec poſſe redire abſque peccato: quia in tali caſu redire eſt quodammodo ſeipſum occidere, & vitam ſuam prodigere: hoc autem eſt illicitum, quia tenetur homo vitam ſuam conſeruare. Tum quia iuramentum non eſt ſeruandum quando vergit in deteriorem exitum, *cap. Quintauallis, de iureiurando*; & hic vergit: ergo. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 12, *n.*18. Couarruuias *l.*1.*variar.cap.*2.*num.* 7. vbi citat Baldum, Ancharanum, & Maiorem *in* 4. *diſt.* 15.*q.*22. Vaſquez, & Reginaldus apud Bonacinam *tom.* 2. *diſp.* 4.*q.*1. *punct.*9.*n.*2.

Nauar. Couar. Vaſq. Bonac.

Alij tamen putant teneri iurantem redire, etiamſi carcer ſit iniuſtus, & iniurioſus. Tum quia tunc regreſſus non eſt malus, nec cauſa per ſe mali, ſed licitus, & honeſtus, cùm ſit actus fortitudinis, veracitatis, & fidelitatis. Tum quia ſi quis violet tale iuramentum, communi iudicio cenſebitur periurus, & iniurius in numen diuinum, quod in teſtem adduxit. Tum quia iſta promiſſio fuit prudens, nam abſque illa non poterat, obtinere egreſſum è carcere, eius executio eſt licita: licitum enim eſt exequi, quod prudenter promittitur. Si licita: ergo ſi firmetur iuramento eſt ſeruanda; niſi fortè iurauerit cum limitatione mente concepta, aut niſi iuramenti relaxationem obtineat, aut niſi tempore iuramenti inſcius eſſet tanti periculi; nam iuramentum habet hanc tacitam conditionem, niſi notabilis mutatio ſuperueniat hic autem ſuperuenit notabilis mutatio in æſtimatione iurantis. Ita Leſſius *l.*2.*c.*42.*dub.*6. *n.* 28. Filliucius *tract.*25.*num.*166. *& ſequen.* Layman *lib.* 4. *tract.*3.*cap.*7.*num.*2. Trullench *in decalog. lib.*2.*cap.*1.*dub.*12,*num.*3. Bonacina *tom.*2.*diſp.*4.*quæſt.*1.*punct.*9.*n.*2. & alij. Vtraque ſententia eſt probabilis, & in praxi tuta, quamuis ſecunda videatur probabilior, & vt talem ſequitur Sanch. *in conſilus p.*2.*l.*6.*cap.*4.*dub.*16.*num.*4. Clauis regia *l.*12.*c.*18.*num.*27. *in fine.*

Leſſius. Layman. Trullenc. Bonac.

Sanchez. Clau. reg.

14. Certum eſt apud omnes reum damnatum iuſtè, vt fame pereat poſſe comedere cibos illi ab aliis ſubminiſtratos, quia talis non iubetur non comedere, ſed tantùm pati illud genus mortis, cùm cibus illi non datur. An autem teneatur comedere cibos oblatos ſub peccato mortali? non conueniunt Doctores. Quidam enim affirmant, & probant, tum quia non comedere eſt ſeipſum occidere, quod nemini licet. Tum quia tenetur homo de iure naturali vitam tueri omnibus viis licitis, & non prohibitis, ſed Iudex non prohibet, nec prohibere poteſt, ne quis cibum oblatum non ſumat, cùm nihil præcipere, aut prohibere poſſit contra ius naturale. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69.*art.*4. *ad* 2. Caietanus *ibid. dub.* 8. Arragon, Bannez *ibidem dub. penult.* Victoria *de homicidio, n.*28. *in reſponſ. ad ſextam*, & alii probabiliter.

D. Thom. Caiet. Arragon.

Sed magis placet ſententia aſſerentium, licitè poſſe cibos oblatos ſumere, & licitè relinquere, & fame perire. Ratio eſt, quia in non comedendo non eſt ſui occiſor, ſed ſolùm non conſeruat vitam ſuam, quod licitum eſt ex honeſta cauſa. Tum quia præceptum negatiuum, *Non occides*, quatenus negatiuum eſt, non frangitur niſi per actum, & poſitiuè corrumpentem, qualis eſt occiſio. Non occidere autem, non eſt actus poſitiuus, ſed negatiuus, ſcilicet non reſtaurare humidum radicale cõtinua actione caloris naturalis deperditum, ſeu non prohibere actionem caloris naturalis vitæ, & humidi radicalis corruptiuam, hoc eſt non fouere, & non conſeruare vitam. Tum quia præceptum affirmatiuum de vita conſeruanda ab illo ſolùm violatur, qui non conſeruat, quando poteſt, & debet, nec aliqua cauſa iuſta ad illam non conſeruandam adeſt. At verò in hoc caſu, iuſtam habet cauſam non comedendi, vt conformet ſe iuſtæ ſententiæ, ac proinde non ſe occidit, ſed tantùm licitè permittit ex zelo iuſtitiæ. Sic quamuis poſſit fugere è carcere, non tamen tenetur, ſed poteſt ibi manere, vt iuſtam mortis ſententiam expectet. Ita Sotus *de iuſtit. lib.* 5.*q.*6. *artic.*4. Salon 2.2.*q.*69.*artic.*4.*controu.*4.*dub.vlt.* Valent. *tom.*5.*diſp.*5.*q.*13. *punct.*4.*poſt concl.*4. Clau.reg. *lib.*12.*c.*18.*n.*28. Trullench *in decalog.lib.*8.*c.*4. *dub.*9.*n.*1. Sanch. *in conſil.p.*2.*lib.*6.*c.*4.*dub.*14 *n.*5.& alij.

Sotus. Valent. Clau. reg. Trullenc. Sanchez.

15. Damnato ad mortem vt fame pereat omnes poſſunt ei miniſtrare potum, & cibum, exceptis iuſtitiæ miniſtris, nullus tamen ad id obligatur. Probatur prima pars, quia ſicut ipſemet damnatus cibos oblatos ſumere poteſt, cùm hoc ei non ſit prohibitum, ita etiam alij priuati cibos ei licitè ſubminiſtrare poſſunt, cùm hoc eis non ſit prohibitum; quamuis enim alter iuſtè damnatus ſit executio tamen huius ſententiæ non eſt cuilibet commiſſa, ſed tantùm miniſtris iuſtitiæ. Alij autem non peccant, ſi ei ſubueniunt, contra iuſtitiam niſi eam lædant, inferendo vim miniſtris iuſtitiæ, aut alio modo. Secunda pars patet, quia miniſtris iuſtitiæ incumbit ex officio curare, vt iuſta ſententia executioni mandetur: & directè contra officium illis à Republica commiſſum ob bonum commune agunt ſubminiſtrando illi cibum. Tertia pars probatur, quia ſicut damnatus non tenetur comedere, ita neque tenetur ei cibum miniſtrare: quia non cenſetur eſſe in extrema neceſſitate, vt ei teneamur ſuccurrere, nam ob iuſtam ſententiam amittit ius, vt ei teneamur. Ita D.Thomas 2.2.*quæſt.*31.*artic.*3.*ad* 3. Caiet. *quæſt.*69.*art.*4.*dub.*8. Trullench *in decalog.l.*8.*cap.* 4. *dub.* 9.*num.*2. Clauis regia *lib.*12.*cap.*18.*num.*30. Emanuel Sà *verb. Iudiciales actus, §.de Reo num.*11. & alij.

D. Thom. Trullenc. Clau. reg. Sà.

Vide verb. Homicidium 1.*n.*6.*&* 13. 17. *&* 18. Probatio *n.*2. *&* 3. Regulares *n.* 19. *& ſeq.* Reſtrictio mentali *n.*7.*&* 8.

S.

SACRAMENTVM I.

Quid ſit Sacramentum, & quotuplex, & de eius neceſſitate.

SVMMARIVM.

1 2 *Quid ſit Sacramentum, vbi explicantur omnes partes definitionis Sacramenti.*

3 *Quotupliciter Sacramentum dici poſſit ſignum? Et in quo Sacramentum differat à Sacrificio?*

4 *An de fide ſit, Sacramenta nouæ legis eſſe tantùm ſeptem?*

5 *An in ſtatu innocentiæ, naturæ, & legis ſcriptæ fuerint aliqua Sacramenta?*

6 *Quæ ſint differentiæ inter noua, & vetera Sacramenta?*

7 *Quan-*

7 *Quando, & quam ob cauſam Circumciſio fuerit à Deo inſtituta?*

8 *An Sacramenta nouæ legis ſint abſolutè, & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem?*

1 SACRAMENTVM apud antiquos, tum pro pignore, & iuramento, tum pro re ſacra, & ſignn rei ſacræ, tum pro cæremonia conſecrante ſumptum eſt. Bellarm. *lib. 1. de Sacramentis c. 8.* Apud Theologos tamen in materia de Sacramentis, pro ſenſibili ſigno ſacram rem continente accipitur: Vnde cum ad rationem Sacramenti tria requirantur: *Primò*, vt ſit ſignum ſacrum, ſenſibile, voluntarium, & permanens. *Secundo*, vt ſacræ rei ſit ſignum. *Tertio*, vt aliquam ſanctitatem conferat eo vtenti, vt autem præterea Sacramentum nouæ legis ſit, duo exigit, & vt conferat aliquam ſanctificationem quando recipitur, & vt illa vi Sacramenti conferatur: Apparet exinde optimam hanc eſſe definitionem Sacramenti: Sacramentum *eſt ſignum ſacrum non ſolùm ſignificans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem ſacram ſanctificantem homines.* D. Thomas 3. *p. q.* 60. *art.* 1. 2. & 3. Suarez *de Sacramentis tom.* 3. *d.* 4. *ſect.* 1. & 2. Bonac. *tom.* 1. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 1. Filliuc. *tr.* 1. *c.* 1. Syln. 3 *p q.* 60. *ar.* 2. & alii.

D. Thom. Suar. Bonacina. Filliuc. Sylu.

2. Sacramentum ergo dicitur in prædicta definitione *ſignum*, loco generis: *ſignum* autem ſecundùm D. Auguſtinum *lib. 2. de doctrina Chriſtiana c.* 1. eſt, quod præter ſpeciem, quam ſenſibus repræſentat, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Dicitur *ſacrum*, in ſe ſcilicet, ſeu ex parte rei ſignificantis, cùm ſit res ordinata ad diuinum cultum. Dicitur *ſignificans rem ſacram*, quæ eſt gratia formaliter ſanctificans homines. Dicitur *efficiens*, vt oſtendatur Sacramentum non ſolùm ſignificare rem ſacram, verùm etiam efficere, & producere gratiam. Dicitur *infallibiliter*, eò quòd Sacramentum ex ſua natura infallibiliter producit gratiam in ſuſcipiente, niſi ponatur obex, & impedimentum ex parte ſuſcipientis. Ita Coninch 3. *p. q.* 60. *art.* 2. *dub.* 2. Reginal. *l.* 26. *n.* 43. Layman *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 2. Henriquez *l.* 1. *c.* 2. *n.* 4. & alij.

Conin. Regin. Layman. Henriq. Sylu.

3. Tripliciter Sacramentum dici poteſt ſignum, ſcilicet *rememoratiuè, demonſtratiuè, & prognoſtice*: hic Sacramentum dicitur ſignum rememoratiuum paſſionis, demonſtratiuum gratiæ, prognoſticum gloriæ. Toletus *l.* 2. *c.* 15. *n.* 3. Sayr. *de Sacramentis l.* 1. *c.* 2. *art.* 2.

Sed petes, per quid excludatur ſacrificium ab hac definitione Sacramenti: nam videtur etiam eſſe cæremonia quædam ſignificatiua, & effectiua ſanctitatis? Reſpond. Sacramentum, & ſacrificium multis differre. 1. obiecto perſonali: nam ſacrificium offertur Deo, Sacramentum applicatur homini. 2. modo operandi, nam ſacrificium non confert gratiam ſanctificantem immediatè, ſed mediantibus auxiliis præuenientibus, & hominis cooperatione: Sacramentum autem inſtrumentaliter, & immediatè attingit gratiam ſanctificantem, facitque ex attrito contritum. 3. ratione cultus, nam ſacrificium eſt potiſſimus actus religionis directè ſpectans honorem Dei, Sacramentum autem primariò reſpicit hominis ſanctificationem ex merito Chriſti, vnde conſequenter habet, vt ſit cæremonia quædam religioſa.

4. De fide eſt, Sacramenta legis gratiæ eſſe ſeptem, nec plura, nec pauciora, vt conſtat ex Cõcilio Florentino & Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 1. partim autem eiuſmodi numerus eſt expreſſus in ſcriptura, partim non obſcurè inſinuatus: ratio autem potiſſima huius rei eſt, Chriſti inſtitutio, & voluntas; congruentiæ verò cur ſeptem numero Sacramenta fuerint inſtituta, deſumi poſſunt (vt bene obſeruat D. Thomas 3. *p. q.* 65. *art.* 1. Valentia 3. *p. d.* 3. *q.* 6. *punct.* 2. Reginaldus *l.* 26. *n.* 5. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 7. Victoria *de Sacramentis n.* 7. Syluius 3. *p. q.* 65. *art.* 1. & 2. cum aliis) ex analogia ad vitam corporalem: nam ſicut in corporali vita, *Primo* eſt generatio. *Secundo*, corroboratio. *Tertio*, nutritio, & auctio. *Quartò* curatio à morbo. *Quintò*, perfecta virium corroboratio. *Sexto*, propagatio filiorum pro conſeruatione reipublicæ. *Septimò*, gubernatio illorum in ſtatu honorifico: ita in vita ſpirituali Baptiſmus confert generationi, & eſt ianua aliorum. Confirmatio aſſimilatur corroborationi intrinſecæ membrorum, quæ quaſi complementum eſt generationis. Euchariſtia nutritioni, & auctioni Pœnitentia reſtitutioni in vitam. Extrema vnctio armat ad luctam mortis. Matrimonium ordinatur, vt licitè genus humanum conſeruetur, & multiplicetur. Ordine datur honorificus ſtatus, & poteſtas. Et ſic ſeptem Sacramenta ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Valentia. Regin. Henriq. Sylu.

5. In ſtatu innocentiæ non fuerunt Sacramenta, id eſt, quando creatus fuit Adam cum iuſtitia originali. In ſtatu verò naturæ, qui durauit vſque ad Moyſen, quo tunc ſolùm vigebat lex naturalis in hominum mentibus impreſſa, & nondum erat impoſita, & ſcripta lex poſitiua, fuit aliquod remedium inſtitutum pro paruulis à Deo: huiuſmodi autem remedium poſitiuum fuit in aliquo actu externo, qui eſſet veluti exterior profeſſio fidei. Pro adultis verò fuit ſacrificium D. Thom. *cit. quæſt.* 61. *ar.* 2. Suar. *d.* 3. *ſect.* 3. & *d.* 4. *ſect.* 2. & 4. Filliucius *tr.* 1. *c.* 3. *q.* 3. 4. & 5. Valentia *tom.* 4. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 2. Syluius *cit. q.* 61. *art.* 3. *concl.* 1. & 2. In ſtatu legis ſcriptæ fuerunt etiam aliqua Sacramenta, videlicet Circumciſio, ſacrificium, Agnus Paſchalis, & alia: & hæc Sacramenta veteris legis fuerũt propriè Sacramenta, quia poterant dici ſigna conferentia, & ſignificantia ſanctitatem legalem. Sayrus *de Sacramentis l.* 3. *c.* 4. *ar.* 2.

D. Thom. Suar. Filliuc.

6. Plures differentiæ poſſunt aſſignari inter noua, & vetera Sacramenta; *Primò* enim illa fuerunt difficiliora, vt patet in Circumciſione. *Secundo* illa fuerunt vmbræ noſtrorum Sacramentorum. *Tertiò*, non conferebant gratiam ex opere operato. *Quartò*, non introducebant ad gloriam. *Quintò* non faciebant de attrito contritum. *Sexto* non habebant determinatam formam verborum, &c. Suarez *cit. d.* 6. *ſect.* 2. Henriquez *l.* 1. *ar.* 2. *n.* 1. Filliuc. *tract.* 1. *n.* 17. Syluius 3. *p. q.* 62. *art.* 6.

Suar. Henriq. Fillipc.

7. Circũciſio inſtituta fuit à Deo, & tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem ſcriptam Moyſi traditam, & obligabat omnes ab Abrahamo deſcendentes; alij verò qui ab Abraham non deſcendebant, poterant quidem circumcidi, ſed non fuerunt adſtricti. Non erat determinatus miniſter circumciſionis, quia non ſolùm maſculi, verùm, & fœminæ circũcidebant filios; imò poterat quis ſeipſum circumcidere. *Ioannis* 7. *Gen.* 27. Henriquez *lib.* 1. *c.* 6. *num.* 3. Suarez 3. *p. q.* 70. *art.* 2. Sylu. 3. *p. q.* 70. *artic.* 3. & 4.

Henriq. Suar. Sylu.

Fuit autem circumciſio inſtituta ad delendum peccatum originale, cùm nullum remedium aliud extaret ad ipſum delendum; non videtur tamen improbabile, circumciſionem contuliſſe gratiam per modum operis operati, quatenus ex Dei pacto gratia conferebatur maſculis non actione, & virtute ipſius circumciſionis; ſed ex ſola Dei actione ad præſentiam Sacramenti, ſimulque ex merito Chriſti præuiſo applicato per fidem in Chriſtum. Henriq. *cit. n.* 1. Victor. *de Sacram. c.* 2. Bon. *cit. p.* 3. *§. vnic.*

Conferebat autem circumciſio gratiam non ſolùm paruulis, ſed etiam adultis cum attritione: vnde per illam non ſolùm deletum fuit peccatum originale, ſed etiam actuale in adultis. D. Thomas 3. *p. quæſt.* 70. *art.* 4. *ad.* 5. Henriquez *cit. cap* 15. *n.* 1. & 4.

Quocirca neceſſaria fuit adultis circumciſio neceſſitate præcepti, quia illi non ſaluabantur abſque illa: Paruulis verò non fuit neceſſaria neceſſitate præcepti vel medij: primum patet, quia infantes ante vſum rationis non ſunt capaces præcepti: ſecundum etiam probatur, quia paruuli morientes ante octauum diem poterant ſaluari cum ſolo remedio legis naturæ, ſicut etiam poterant ſaluari fœminæ, & maſculi aliarum nationum. Plura de circumciſione apud D. Thomam *cit. quæſt.* 70. *artic.* 1. Suar. *quæſt.* 76. *art.* 3. Layman *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. & alios.

8. Sacramenta nouæ legis non ſunt abſolutè & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem, quia virtus Dei infinita nõ eſt alligata Sacramentis, potuiſſetque alia media ad noſtram ſalutem inſtituere, noſque ſine Sacramẽtis ad cœli gloriam euehere, & ſubleuare: Suppoſita tamen Chriſti

inſtitutione, aliqua Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medij, vt Baptiſmus, & Pœnitentia, ille quidem ſaltem in voto pro adultis, & reipſa paruulis: hæc verò, poſito actuali peccato. Aliqua Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, vt patet de Euchariſtia, de Confir-
Suarez. Reginald. Filliuc. Sylu. matione, & Vnctione extrema. Aliqua verò non ſunt neceſſaria ſingulis, ſed tantùm toti Eccleſiæ, vt Ordo, & Matrimonium. Suarez *cit. d. 6. ſect. 1.* Reginaldus *l. 26. n. 9.* Valentia *cit. d. 3. q. 2. p. 1.* Viualdus *de Sacrament. cap. 3.* Graffiis *2. p. lib. 1. c. 1.* Filliucius *tr. 1. n. 46.* Sylu. *3. p. q. 61. art. 1.* ex D. Thom.

Ad maiorem tamen prædictorum intelligentiam, eſt notandum. *Primò*, neceſſarium dici, quod non poteſt, non eſſe, ſiue abſolutè quod competit ſoli Deo, ſiue reſpectiuè, quomodo aliquid dicitur neceſſarium ad obtinendum certum finem, v. g. ſtudium ad eruditionem. *Secundò*, neceſſitatem reſpectiuam eſſe duplicem, alia enim eſt medij, alia præcepti: neceſſitas medij eſt, ſine qua finis non obtinetur, quæcumque excuſatio occurrat. Neceſſitas præcepti eſt, quæ adſtringit omnes ſcientes, & potentes, ac proinde admittit excuſationem ab impotentia, vel inculpabili ignorantia. *Tertiò*, neceſſitatem medii rurſum eſſe duplicem; nam aut eſt neceſſitas ſimpliciter, quomodo alæ neceſſariæ ſunt ad volandum, nauis ad nauigandum, &c. aut ad bene eſſe, quo modo equus neceſſarius eſt ad iter commodè, & celeriter faciendum, & vtraque neceſſitas, aut eſt abſoluta, & naturalis, aut ex inſtitutione, & arbitratu alterius, quo modo in ludis attingere metam neceſſarium eſt ad brauium, aut partim ex inſtitutione, partim ex naturali congruentia, vt cùm Dux concedit militibus vrbem aliquam diripiendam, ſi eam expugnauerint.

Ex quibus collige, *Primò*, nulla Sacramenta habere neceſſitatem abſolutam, ſed ex inſtitutione diuina, iuncta naturali congruentia. *Secundò*, omnia Sacramentia nouæ legis, neceſſaria eſſe neceſſitate præcepti, licet non ſingulis. *Tertiò*, duo eſſe Sacramenta, ſimpliciter neceſſaria, vt medium, Baptiſmum, omnibus generatis ex Adamo; pœnitentiam, omnibus poſt Baptiſmum relapſis in peccatum mortale. *Quartò*, tria eſſe Sacramenta neceſſaria, vt medium ad bene eſſe, Confirmationem, Euchariſtiam, & Extremam vnctionem. *Quintò*, Sacramentum Ordinis, ſimpliciter eſſe neceſſarium neceſſitate medij, non ſingulis, ſed Eccleſiæ in vniuerſum. *Sextò*, Matrimonium neceſſarium eſſe vniuerſæ Eccleſiæ non autem ſingulis hominibus, vt dictum eſt, de quibus plura ſuis locis.

SACRAMENTVM II.

De materia, & forma Sacramentorum in genere.

SVMMARIVM.

1 *An ſit fide omnia Sacramenta noua legis conſtare materia, & forma? Quale debeat eſſe verbum, quod cum re ſenſibili coniunctum efficit Sacramentum? An in omni Sacramento ſint res, & verba?*

2 *An in Sacramentis ſit duplex materia remota, & propinqua?*

3 *An de fide ſit, materiam, & formam Sacramentorum eſſe determinatas a Chriſto?*

4 *An forma neceſſariò adhibenda in Sacramentis ſit ex diuina inſtitutione determinata?*

5 *Quotupliciter mutatio in forma verbarum poſſit contingere?*

6 *An in conficiendis Sacramentis poſſit quis confingere priuatim aliqua verba illiſque vti ad ſignificandum id, quod ſignificant verba forma?*

7 *An extra neceſſitatem grauiter peccet, qui in conficiendis Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia?*

8 *An illa materia, & forma qua ſatis eſt ad verum Sacramentum in vna Eccleſia, ſit etiam ſatis in quacumque alia.*

9 *An in conficiendis Sacramentis requiratur ſimultas temporis inter formam, & materiam?*

1 DE fide definitum eſt in Conciliis Florentino, & Tridentino omnia Sacramenta nouæ legis cõſtare materia, & forma, vel vt alii dicunt rebus, & verbis; verbis, vt forma, rebus vt materia: nomine autem rerum intelligitur id, quo poſito nondũ eſt completa ſignificatio Sacramenti, ſiue res illa ſit quid permanens, ſiue ſit actio, ſiue ſint aliqua verba. Nomine verborum intelligitur id, quo complet, & perficit ſignificationem, ſiue ſit nutus, ſiue ſcriptura, ſiue verba. Ratio autem cur Sacramenta inſtituta ſint in rebus, & verbis eſt, quia ſacramentum eſt quoddam ſignum, ſignum autem meliùs ſigni-
D. Thom. Layman. Filliuc. Suar. Sylu. ficat rebus, & verbis, quam ſine verbis D. Thom. *q. 60. ar. 6* Laym. *lib. 5. tract. 1. cap 4.* Filliucius *tr. 1. cap. 4.* Reginald *lib. 26. n. 16.* Suarez *d. 2. ſect. 1. cap. 2.* Syluius *3. p q. 60. ar. 6.* & alij.

Sed petes, quale debeat eſſe verbum, quod cum re ſenſibili coniunctum, efficit Sacramentum? Reſp. quod Hæretici, vt errorem ſuum de ſola fide iuſtificante ſtatuant, requirunt quidem verbum ad Sacramenta iuxta illud ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo, &c.* Sed illud verbum nihil aliud eſſe volunt, quàm concionem miniſtri excitantis hoc modo fidem accedentiũ ad Sacramenta. Catholici autem ex Scriptura, & traditione docent, verbum Sacramentale non eſſe certam formulam verborum, quæ ex Chriſti inſtitutione Eccleſiæ pronuntiata ſuper elementum, perficit Sacramentum. Itaque verbum hoc non eſt concionale, & inſtructorium, ſe conſecratorium, & rituale; Quod probatur ex 1. ex praxi Eccleſiæ à Patribus accepta, quæ eſt optima interterpres legis Chriſti. 2. Quia aliquin non diſtinguerentur officia concionandi, & baptizandi, quod eſt contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 1. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* 3. paruuli non poſſent baptizari, quia ex concione fidem concipere non poſſunt, quod tamen neceſſe eſſet ad percipiendum Baptiſmum.

Dubium autem eſt, an in omni Sacramento ſint res, & verba? Ratio dubitandi eſt, tum varietas opinionum tum etiam quia in Sacramento Pœnitentiæ, aliquando videntur eſſe ſola verba, in Matrimonio aliquando nulla. Reſpond. hæc duo ſemper eſſe neceſſaria, ſed formaliter diſtincta, non materialiter; non enim neceſſe eſt, vt res non ſint verba, & verba non ſint res, ſed ſatis eſt, ſi alterum fungatur vice rei, alterum vice verborum, quorum vtrumque in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij perſpicuum eſt; nam in hoc vice verborum ſufficiunt nutus, aut literæ, modo ſufficienter exprimatur conſenſus vtriuſque partis. In Sacramento Pœnitentiæ fieri poteſt, vt nulla alia ſint ſigna præter verba, vt cum quis non habet peccata, niſi verbo commiſſa, & tunc materia remota illius Sacramenti erunt ſola verba: poteſt etiam fieri, vt non oſtendat ſigna contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis niſi verbis, & tunc materia etiam proxima conſtabit ſolis verbis; verè tamen in iſto caſu concurrent res, & verba, quia peccatum verbo commiſſum, non vt verbum, ſed vt peccatum eſt materia confeſſionis; peccatum autem formaliter non eſt verbum, ſed res à ratione verbi valde diſtincta. Similiter confeſſio, non eſt propriè materia Sacramenti, quatenus eſt oratio quædam, ſed quatenus eſt actio pœnitentis.

2. In Sacramentis ſaltem iis, quæ in vſu ſeu actione tranſeunte conſiſtunt, duplex eſt materia, remota, & propinqua. Materia remota dicitur illa res, quæ in Sacramentum aſſumitur, ſeu circa quam actus, aut cæremonia ſacra exercetur, vt in Baptiſmo aqua naturalis, in Confirmatione chriſma benedictum, in Euchariſtia panis, & vinum aqua mixtum, in Pœnitentia peccata, in Ordine ſacerdotali calix cum vino, & patena cum Hoſtia, in Matrimonio perſonæ habiles, in Extrema vnctione oleum cõſecratũ. Materia propinqua dicitur ipſe actus ſeu vſus rei illius ſenſibilis, ut ablutio in Baptiſmo, unctio in Confirma-

Digitized by Google

firmatione.& Extrema vnctione,in Euchariſtia,ſunt ſpecies panis,& vini,in Pœnitentia ſunt actus pœnitentis, in Ordinatione Sacerdotali eſt porrectio calicis cum vino & patenæ cum Hoſtia,in Matrimonio eſt traditio corporum, Bonacina *tom.1.d.1.q.2.p.1.n.6.* Filliuc. *cit.n.56.& 57.*Layman *cit.c.4.n.2.*

Bonacina. Layman.

3. Communis Theologorum ſententia eſt, materiam & formam Sacramentorum eſſe determinatas à Chriſto, & hoc eſt de fide;quia colligitur ex Scriptura, vnà cum traditione Eccleſiæ.& expoſitione Patrum: vnde eo modo quo definitæ ſunt, ſunt neceſſariæ ad conficienda Sacramenta. Sacramenta etiam ſunt ſigna gratiæ quam conferunt;id autem non habent niſi ex Chriſti inſtitutione;vt ergo eam vim habeant, neceſſe eſt,vt in ijs conficiendis ſeruetur diuina inſtitutio; cõſtare igitur debent ijs verbis,eaque materia quam Chriſtus decreuit. D. Thomas *q.60.art.7.* Suar. *cit.d.2.ſect* 3. Filliuc. *cit. num.58.& 60.*Regin.*cit.n.24.*Sylu.*3.p.q.60.art.7.*

D. Thom. Suar. Reginald. Sylu.

Quapropter Eccleſia non poteſt mutare, & variare materiam Sacramentorum, quia non eſt ſupra Chriſtum:nec refert Eccleſiam decreuiſſe, vt Matrimonium celebratum coram Parocho,& duobus teſtibus eſſet validum,ſine Parocho verò,& teſtibus eſſet inualidum in ijs locis,in quibus acceptatum eſt Concilium Tridentinum, per hoc enim non mutauit materiam, & formam in Sacramento Matrimonij, ſed reddidit contrahentes impotentes ad ponendam veram formam.& materiam,niſi ſeruauerint cõditiones præſcriptas ab Eccleſia:& hæc eſt differentia inter Matrimonium,& reliqua Sacramenta, quòd Sacramentum matrimonij fuit inſtitutum in contractu, qui cùm ſit res ciuilis exiſtens in poteſtate Eccleſiæ,poteſt aliqua ratione variari, non quidem formaliter & propriè, ſed tantummodo remotè, quatenus ſcilicet poteſt aliquid præſcribere,& aliquas conditiones apponere, ſub quibus celebretur contractus Matrimonij. Coninck *tert.part.q.60.art.6. num.*42. Henriquez *lib.1.c.8. num.*10.Reginaldus *cit.numer.*15. Suar. *cit.ſect.6.* Bonac. *cit.n.11.*

Coninc. Henriq. Bonac.

Cæterum quamuis omnes materiæ, & formæ Sacramentorum ſint à Deo, vel à Chriſto inſtitutæ, non tamen ſingulæ quoad ſpeciem, ſed aliquæ quoad genus tantum, determinandæ quoad ſpeciem ab ipſis Apoſtolicis, vel Eccleſia; inter quas eſt etiam materia, & forma Sacramenti Ordinis, cuius ſingulæ materiæ,& formæ ſingulorum Ordinum non fuerunt à Chriſto Domino determinatæ in ſpecie,ſed tantùm in genere,ſub aliquo ſigno ſenſibili expreſſiuo poteſtatis, quæ per Ordinem traditur. Ita Bellarminus *lib.1.de Sacrament. Ordin.c.9.* & Ioannes de Lugo *de Sacrament.diſp.2.ſect.5.*Diana *p.10.tract. 11.reſ.65.* Quod conſtat etiam de Sacramento Pœnitentiæ,quod tam attritione,quàm contritione,quæ ſpecie differunt,perfici poteſt quemadmodum, & confeſſione, verbo,ſcripto, aut nutu expreſſa. Idem de Sacramento Euchariſtiæ,quæ in quauis ſpecie vini, modò de vite ſit, confici poteſt.

4. Similiter ex diuina inſtitutione forma Sacramentorum,quæ neceſſariò adhibenda eſt in Sacramentis determinata eſt,ita vt ſi forma ſeu verba formaliter, ſeu ſubſtantialiter varientur, Sacramenta non ſubſiſtant: ſi autem ſolùm materialiter ſeu accidentaliter varientur, Sacramenta validè conficientur, cùm accidentalis variatio non mutet ſubſtantiam rei:tunc autem accidentaliter ſeu materialiter verba dicuntur variari, quando ſaluatur eadem ſignificatio, vt quando in eodem idiomate adhibetur verbum ſynonimum, aut verbum alterius linguæ idem ſignificans:ſecus ſi non adſit eadem ſignificatio,aut ſi deficiat debita intentio;vt accidit quando miniſter cum mutatione accidentali intendit nouum ritum inducere in Eccleſia, & non intendit facere quod facit ſancta mater Eccleſia. Ita D. Thomas *cit q.60. art.8.* Layman *cit.n.4.* Reginaldus *cit.n.20.* Suar.*cit.diſp.2.ſect.4.* Coninck *q.60.art 8.n.56.59.& 61.*Henriq *cit.c.9.*

D. Thom. Layman. Suar. Diana.

5. Mutatio in forma verborum poteſt contingere multipliciter,videlicet,vocum variatione.additione, ſubtractione,corruptione,tranſpoſitione, & interruptione, verbis ſynonymis vel æquiuocis: circa prædictos variationis modos aduertendum eſt, inualidum eſſe Sacramentum quoties verba ita variantur, vt non maneat eadem ſignificatio, tunc enim mutatur forma ſubſtantialiter, & eſſentialiter. Vnde ſi mutatio fiat circa voces, manente eadem ſignificatione,& modo ſignificandi,non obeſt Sacramento. Toletus *l.2.c.19.n.4.* Valentia *t.4.d. 3.q.1.punct.2* Suarez *d.2.ſect.4* Sylu *3.p.q.60.art 8.quæſt. 1.* Diana *p.5.tr.5 reſol.29.*

Toletus. Valentia Suar. Diana.

In particulari vero diſcurrendo per octo modos ſupradictos,dico quòd primus idiomatis eſt tantùm accidentalis,& quamuis Eccleſia præciperet,vt hoc.vel illo tantum vtamur, tamen huius præcepti tranſgreſſio peccatum quidem eſſet, ſed non redderet Sacramentum irritum, Filliuc.*tr.1.n 65.* Graffiis *2.p.l.1.c.3.n.25.*

Mutatio per ſynonyma eſt communiter accidentalis, modò ſint æquè diſtincta, & clara communique impoſitione recepta. Bonacina *cit.n.24.* Filliucius *cit.*

Similiter ſi adhibeantur verba æquiuoca, mutatio erit accidentalis, & validum Sacramentum, modò miniſter habeat rectam intentionem ſignificandi, quod per verba formæ ſignificatur; & non inducendi nouum ritum contra Eccleſiam Chriſti, ſi tamen verba æquiuoca adhibeantur intentione ſignificandi aliud, quam per verba ſignificetur,non eſt validum Sacramentum,quia mutatio eſt ſubſtantialis. Reginald. *lib.26.n.23.*Henriq.*l.1.c.10.n. 8.* Coninch *cit.n.63.*

Reginal. Henriq.

Per additionem, & ſubtractionem poteſt eſſe ſubſtantialis mutatio,ſi variet ſenſum,accidentalis ſi ſeruet.Suar. *d.2.ſect.5.* Vaſquez *3.p.d.129.c.7.*

Suar. Vaſq.

Per corruptionem verborum, quæ fit ex induſtria,& malitiosè, vitiatur Sacramentum, quia non videtur intendere,quod Eccleſia intendit: itero illa quæ fit ex ignorantia, vel defectu linguæ,& aufert ſenſum locutionis, quod maximè fit quando contingeret in principio dictionis,vt ſi ab iſta dictione patris.ſubtrahatur prima littera, & apponeretur matris, quia ſenſus omninò mutatur. Graffiis *cit.num.*29. Bonacina *cit.num.*22. Anglez *q. 1.ar. 3.concl.5.* Sylu.*cit.*

Bonac. Sylu.

Circa tranſpoſitionem dic, ſi fiat talis, vt mutet intellectum verborum,inualidum fore Sacramentum.Graffiis *n.*30. Bonac. *n* 22.

Sic interruptio,ſi eſt modica, ita quòd ſecundùm vſum communem, non videatur actum diſcontinuare, vt ſi interueniat ſilentium, aut tuſſis, aut reſpiratio, aut aliquid huiuſmodi, tunc validum erit Sacramentum; ſed ſi diſcontinuatio eſſet magna, ita quod actum euidenter diſcontinuet,tunc irritaretur Sacramentum Sayr. *l 1. de Sacramentis c.4.art.7.* Naldus *verb. Sacramentum, nu.*4 Dian.*p.5.tract.5.reſol.41.*

Sayr. Diana.

6. In conficiendis Sacramentis nemo poteſt confingere priuatim aliqua verba, aliiſque vti ad ſignificandum id,quod ſignificant verba formæ; cùm enim Sacramenta ſint ſigna inſtituta propter bonum commune,debent in ipſis conficiendis adhiberi ſigna communi vſu recepta in vnoquoque Regno, vel Prouincia, cuiuſmodi non ſunt, quæ priuata authoritate confinguntur, & communiter non recipiuntur. Tum quia verba non debent ſoli miniſtro ſignificare, ſed toti populo, & habere ſolemnem ſignificationem apud omnes,qui ea lingua vtuntur: Vnde qui in aliquo populo poſſit authoritatiuè cudere, & introducere nouam linguam, conſequenter quibus vellet verbis validè Sacramenta miniſtraret. Proinde ſi hæ voces, *Ego te baptizo*, publica authoritate deſinerent ſignificare, quod de facto ſignificant, & aliæ loco ipſarum ſubrogarentur, quæ idem ſignificarent, quòd ipſæ nunc ſignificant; tunc non hæ, quæ de facto ſunt, ſed aliæ his ſubrogatæ eſſent propria forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta: nam Chriſtus inſtituit illas in forma Baptiſmi, præſuppoſita earum ſignificatione dependenter ab inſtitutione humana, qua variata, deſineret eſſe forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta D.Thom. *q. 60.art.7. ad* 3. Sayrus *cit.c.4.ar.8.*Henriquez *cit.c 9 n.2.* Reginald. *l.26.n.23.* & alij

D. Thom. Henriq. Regin.

7. Grauiter peccat, qui ſecluſa neceſſitate in cõficiendis Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia, de qua ſcilicet controuertitur inter Doctores an ſit ſufficiens.

Digitized by Google

Suarez. Henriq. Reginald. Sylu. Sanch. Suarez *d. 16. ſect. 3.* Henriquez *c. 27. n. 7.* Reginald. *cit. nu. 25. & 26.* Filliucius *tr. 1. n. 69.* Coninch *q. 60. ar. 8. n. 50. & 80.* Sylu. *3. p. q. 60. ar. 8. quæſit. 3. concluſ. 4.* Sanc. *in ſelectis diſp. 44. n. 3.* quia exponit ſe periculo faciendi Sacramentum irritum: cum fieri poſſit, vt reuera illa materia, vel forma non ſit ſufficiens: hoc enim procedit etiam, ſi quis hoc faciat ſequendo opinionem probabilem ſpeculatiuè, vel etiam probabiliorem; nam adhuc exponit ſe periculo faciendi Sacramentum inualidum, cùm probabilis opinio non ſuppleat ad id quod Chriſtus voluit eſſe de neceſſitate Sacramenti: tamen in neceſſitate quando non adeſt certa materia, ſed tantummodo dubia, poteſt dubia adhiberi: quamuis faciliùs adhiberi poſſit materia dubia, quàm forma dubia, quia rarò ſolet accidere, vt quis cogatur vti forma dubia, excepto caſu, quo nullus nouit certam formam. Vide ſuprà *v. Conſcientia n. 10.*

Porrò etiam peccat qui vtitur forma certa, ſed ei aliquid addit, vel detrahit: ad cognoſcendum an peccatum graue ſit aut leue, reſpiciendum eſt vtrum adfuerit aduertentia, & deliberatio, & an res ſit grauis vel leuis: nam leuitas materiæ excuſat à peccato graui; ſicut excuſat inaduertentia, & indeliberatio. D. Tho. *q. 60. art. 8.* Filliuc. *cit. n. 67. & 68.* Sayr. *l. 1. c. 4. art. 8.* Sylu. *q. 3 concl. 3.* & alii. D. Thom. Filliuc. Sylu.

8. Illa materia & forma, quæ ſatis eſt ad verum Sacramentum in vna Eccleſia, eſt etiam ſatis in quacumque alia: quod intelligendum eſt de neceſſitate Sacramenti, & de ritu eſſentiali, non autem de neceſſitate præcepti, & ritu accidentali: quia ſicut Chriſtus vnam Eccleſiam conſtituit, ſic vna Sacramenta: vnde Baptiſmus forma Græcorum adminiſtratus, non ſolùm valet in Græcia, ſed etiã vbique terrarum; quia mutatio accidentalis non deſtruit ſubſtantiam Sacramenti, quidquid in contrarium videantur ſenſiſſe aliqui Canoniſtæ. Vide Vinaldum *de Sacramentis in genere c. 3. n. 21.* Suar. *d. 2. ſect. 4. & 6.* Filliucium *cit. n. 70.* Bonacin. *cit. q. 3. p. 3.* & alios. Suar. Filliuc. Bonac.

9. In conficiendis Sacramentis requiritur quædam coniunctio ſeu ſimultas temporis inter aliquam ſaltem partem formæ, & aliquam partem materiæ, ita vt non priùs perficiatur forma, quàm exiſtat aliquid materiæ, nec prius exiſtat integra materia, quàm incipiant verba proferri. Ratio eſt, quia inter materiam, & formam Sacramenti requiritur ea coniunctio, quæ neceſſaria eſt ad veritatem verborum, ſed ad veritatem verborum neceſſarium eſt ea ſaltem quoad aliquam partem proferri, cùm applicatur materia: Ergo ad Sacramentum requiritur aliquam partem materiæ eſse ſimul cum aliqua parte formæ: alioquin falſa eſſet enunciatio verborum, niſi cum illis eodem tempore concurrat proxima materia Sacramenti. Et hoc maximè curandum eſt in collatione Sacramentorum Baptiſmi, & Ordinis, Confirmationis, & Extremæ vnctionis. Ita Scotus *in 4. d. 6. q. 2. ar. 3.* Caietanus *t. 1. opuſcul. tract. 26.* Syluester *verb. Baptiſmus 5. §. 2.* Nauar. *in Manual. c. 22. n. 7.* & alij. Caieta. Sylu. Nauar.

Quamuis non ſit improbabile, ad valorem Sacramenti ſufficere moralem coniunctionem, id eſt, ſi moraliter ſecundùm humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio miniſtri, & proxima materia, v. g. Vnctio, Ablutio, &c. Ratio eſt, quia cùm Sacramentum ſit quoddam morale compoſitum ex re ſenſibili, & verbis, quæ illam determinant ad ſignificandam gratiam: ergo ad eius conſtitutionem, & veritatem ſufficit moralis coniunctio, & moralis modus reddendi vera verba, quibus percipitur Sacramentum. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 9. n. 10.* Layman *lib 5. tract. 2. c. 7. num. 8.* Victoria *de Baptiſm. num. vlt.* Suarez *cit. diſp. 2. ſect. 2.* quos citat, & ſequitur Diana *par. 3. tract. 4. reſol. 6. & p. 5. tract. 5. reſol. 40. & tra. 13. reſol. 48.* Henriq. Layman. Diana.

Sed quia Sacramenta conſtant ex diuerſis actibus humanis, quorum alii ex natura ſua maiorem, alij minorem ſimultatem poſtulant, non poteſt vna certa regula in omnibus aſſignari, ſed perpendenda eſt natura ſingularum operationum, quibus Sacramenta cõſtant. Maiorem enim ſimultatem poſtulant Baptiſmus, Confirmatio, Ordo, Euchariſtia, Extrema vnctio, quæ perficiuntur per pronomina demonſtratiua, & verba de præſenti; Minorem verò Pœnitentia, quæ peragitur per modum iudicij, in quo accuſatio præſupponitur abſolutioni, vt ſtatim dicetur. Minimam autem matrimonium, quod, quia eſt quidam ciuilis contractus, peragi poteſt etiam inter abſentes.

Sed petes, quanta coniunctio, & ſimultas ſit neceſſaria inter dolorem peccatorum, & confeſſionem? Reſpondetur vt ſuprà, inter dolorem, & confeſſionem debere eſſe moralem coniunctionem. An autem hæc coniunctio poſſit indifferenter in qualibet temporis intercapedine conſeruari, dubium eſt; cùm enim dolor ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ, inter illum, & abſolutionem, quæ eſt forma, debet eſſe ſolùm temporis diſtantia, quæ non obſtet, quominus inter illas ſit coniunctio moralis: propterea tamdiu ſolùm poteſt præcedere dolor, quamdiu virtualiter permanſerit: dicetur autem dolor virtualiter perſeuerare, quamdiu ſi pœnitens interrogaretur cur doluerit, poſſit ſine noua deliberatione reſpondere ſe doluiſſe, vt confiteatur, & non retractaſse dolorem, quia vult confiteri. In pœnitentia enim poſt actus pœnitentis multo tempore poſt, poteſt abſolutio validè conferri, ſicut etiam in iudicio forenſi multo tempore poſt diſcuſſionem cauſæ fieri ſolet abſolutio, vel condemnatio, toto ſcilicet tempore poſt, quo actus pœnitentis dicuntur moraliter permanere; tamdiu autem dicuntur moraliter permanere, quamdiu permanent habitualiter, id eſt, quamdiu non retractantur neque expreſsè, neque implicitè.

Vnde ſi quis examinans conſcientiam, & eliciens dolorem de peccatis, illum referat ad confeſſionem ſeu doleat, volens illa peccata clauibus ſubijcere, talis dolor ſufficit per modum partis, quamuis aliquanto tempore præcedat confeſſionem, & cenſetur moraliter permanere, dum fit confeſsio, licet deſierit eſſe actu, cenſeturque moraliter confeſſionem informare: proinde validum eſt Sacramentum, quantum eſt ex parte contritionis, ſi veſpere examinans conſcientiam, quis eliciat contritionem, ſeu attritionem peccatorum, proponens ſequenti die confiteri, & nullũ alium actum eliciat, immediatè ante confeſſionem. Ita Hurtado *diſput. 1. de Sacrament. in gen. diffic. 11.* Granado *in 3. p. de Sacrament. contrresponse. 7. tr. 3. diſp. 3. ſect. 1. num. 7.* Præpoſitus *in 3. p. q. 2. de contritione, dub. 1. n. 3n.* Hurtad. Granad. Præpoſ.

Sed circa dicta eſt notandum, quod quando moraliter ſiue ob nimiam intercapedinem temporis, ſiue ob mutationem animi, ſiue ob multiplicata peccata, contritio ſeu attritio in ordine ad confeſſionem faciendam; cenſetur interrupta, tunc ſaltem in genere eſt repetenda opportuno tempore ſiue ante confeſſionem, ſiue in ipſa confeſſione, ſiue ante abſolutionem. Tunc verò cenſetur nimia intercapedo temporis, vt prior contritio, ſeu attritio non videatur dicere ordinem ad cõfeſſionem ſubſequentem, quando morali æſtimatione nil remanet prioris intentionis, in cuius virtute cenſeatur quis agere, vtpote, quando animus omninò à priori intentione fuit diſtractus, & alliis mancipatus: nec reuera vllum remanſerit in illo ſignum ad confeſſionem ſubſequentem.

Multa tamen temporis intercapedo in aliquibus non impedit, quin cenſeatur contritio ſiue peccati deteſtatio pluribus diebus virtute permanere, vt in eo, qui confeſſionem generalem faceret, examine conſcientiæ facto, elicit actum contritionis, ſiue attritionis ſupernaturalis; interim ob cauſas plures dies inſumit de iudicio Confeſſarii ſingulis diebus confeſsionem proſequendo, antequam illam compleat, & abſolutio ei impendatur, prima contritio cenſetur virtute perdurare, ſi illam non reuocauerit: quamuis in eo caſu ſecurius ſit, imò quandoque neceſſarium in genere, & vniuerſali priorem contritionem, ſiue deteſtationem renouare, quod in momento fieri poteſt ante abſolutionem: quia quæcumque contritio, ſiue attritio excitata vſque ad vltimum inſtans pronunciationis verborum *Abſoluo te*, eſt ſufficiens ad eleuandam confeſſionem, vt fiat Sacramentalis, & vt pœnitens effectum Sacramenti conſequatur.

Vide ſuprà *verb. Contritio num. 13.*

SACRA-

SACRAMENTVM III.

De cauſa efficiente Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

1 *An ſolus Deus ſit primarius auctor Sacramentorum, & cauſa principalis? Et an Chriſtus potuerit hominibus communicare poteſtatem inſtituendi Sacramenta?*

2 *An ſolus homo ſit Sacramentorum miniſter neceſſarius, ſufficiens ſeu cauſa miniſterialis: Et an miniſter Sacramenti verè animam abluat, peccata remittat, & peccatorem iuſtificet?*

3 *Quæ intentio requiratur in miniſtro Sacramentorum, ad neceſſitatem Sacramenti?*

4 *An ad Sacramenti valorem requiratur intentio abſoluta, & an conditionalis ſufficiat?*

5 *An intentio miniſtri in conficiendis Sacramentis debeat dirigi ad materiam præſentem vel perſonam?*

6 *An fides aut probitas miniſtri requiratur ad validam Sacramenti miniſtrationem?*

7 *An ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem requiratur probitas & fides in miniſtro?*

8 *An exercens functiones Ordinum, tam minorum, quàm Sacrorum, cum conſcientia peccati mortalis, peccet mortaliter, & quid dicendum de communicante alios in ſtatu peccati mortalis, an peccet toties quoties Hoſtias diſtribuit? Et an tot peccata mortalia committat Confeſſarius, quot pœnitentes abſoluit in peccato mortali exiſtens?*

Quando liceat petere Sacramentum à malo miniſtro?

An indignè petentibus ſint Sacramenta miniſtranda?

1. SOlus Deus eſt primarius auctor, & inſtitutor Sacramentorum, vnde poteſt dici cauſa principalis auctoritatiuè: nam is propriè dicitur auctor, & inſtitutor Sacramentorum, qui eis virtutem confert ſanctificandi homines, ſolus autem Deus principaliter eſt auctor gratiæ ſanctificantis, ergo ſolus eſt cauſa principalis auctoritatiuè Sacramentorum, D. Thomas *q.64. art.2.* Reginaldus *lib.26. num.32.* Suarez *d.12. ſect.1.* Sylu.3.*p.q.64. art.* 2. Chriſtus verò eſt cauſa Sacramentorum per poteſtatem excellentiæ; quia illi competit huiuſmodi poteſtas propter excellentiam, quam habet ob vnionem cum diuinitate, & ob quandam omnipotentiam. Layman *lib.3. tractat.1.c.5.* Valentia *tom.4.d.3. q.5.p.3.* Sayrus *lib.2.c. 2.q.2.* Vnde in Concilio Tridentin. *ſeſſ.7. can.1.* tanquam de fide definitur ſub Anathemate, omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta per poteſtatem excellentiæ. Layman. Valent. Cōc. Trid.

Sed petes, an Chriſtus potuerit hominibus communicare poteſtatem inſtituendi Sacramenta? Reſp. ex D. Thom. *cit. art.4.* poteſtatem authoritatis eſſe prorſus incommunicabilem, cùm dicat omnimodam independentiam, quæ ſoli Deo cōpetit: Poteſtatem verò excellentiæ, potuit quidem communicare, ſed non cōmunicauit, nec expediebat aut decebat ob noſtram vtilitatem. Tum quia ne ſpes noſtra in homine poneretur: Tum quia ad vitanda ſchiſmata, & diſſenſiones in Eccleſia, & ne diceretur, Ego ſum Pauli, ego Apollo. Itaque Chriſtus Dominus ſolam poteſtatem miniſterialem ſeruis ſuis conceſſit, quæ poteſtas cernitur in conſecratione, & applicatione Sacramentorum.

2 Cauſa miniſterialis Sacramentorum eſt miniſter, qui concurrit ad conficienda Sacramenta, in nomine & virtute Chriſti; & dici poteſt inſtrumentum conferendi gratiam: vnde ſolus homo de potentia Dei ordinaria, eſt Sacramentorum miniſter neceſſarius, & ſufficiens: non tamen omnis homo, etiam baptizatus, eſt legitimus Sacramenti miniſter, ſed is tantùm qui ritè in Eccleſia ordinatus eſt (excepto Baptiſmo, & Matrimonio, vt ſuis locis dictum eſt.)

Angeli verò poſſunt eſſe miniſtri Sacramentorum ex diuina diſpenſatione, quia virtus Dei non eſt alligata, propterea illud habendum eſt tanquam verum Sacramentum, quod conſtaret ab aliquo Beato vel Angelo fuiſſe adminiſtratum, verbis per aſſumptum corpus prolatis: ſi verò aliquod Sacramentum de potentia ordinaria adminiſtraretur à diabolo, non eſſet habendū validū, cum non ſit credibile Deum vnquam daturum diabolo facultatem conferendi vera Sacramenta; de potentia tamen Dei abſoluta poſſet dæmon validè de mandato Dei in aſſumpto corpore miniſtrare Sacramenta. S. Thomas *q.64. art.1. & 7.* Suarez. *d.13. ſect.1.* Filliucius *tract.1. n.72.* Henriquez *lib.1.c.26. num.2.* Sayrus *lib.2.c.3. art.2.* Sylu. *cit. art.1. & 7.* Bonacina *tom.1. d.q.3.p.1. n.8. & ſeq.* Hurtad. *de Sacram. diſ.4. diffic.3.* D. Thom. Suar. Filliuc. Sylu. Bonac.

Ratio autem, cur Angeli non ſint ordinarij miniſtri Sacramentorum, eſt, quia ſicut ad eſſentiam Sacramentorum requiritur verum & naturale elementum, ita verùm & naturale verbum; ſed ſolus homo verè & naturaliter loquitur, loqui enim eſt actiu corporis viuētis, per inſtrumentum linguæ, & palati, vnde Angelis nullo modo conuenire poteſt, ne quidem in corpore aſſumpto, vt docet D. Thomas *1.p.q.51. art.3.* Adde quod etiamſi verè & naturaliter loqui poſſent, non tamen propterea conferrent Sacramentum; quia elementa, & verba non ſignificant efficaciter gratiā, ex vi naturali, ſed ſolùm vt à Deo aſſumuntur, tanquam inſtrumenta noſtræ iuſtificationis, ergo iis ſolis competit ea poteſtas, quibus Deus id commiſit, quales ſoli ſunt homines. Vnde Chriſtus ſolis hominibus dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Item, *Hoc facite in meam commemorationem*; Item, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* vnde fallitur Lutheranus *libro de abroganda Miſſa*, docens diabolum poſſe baptizare, Miſſam celebrare & abſoluere à peccatis, modo faciat iuxta inſtitutionem Chriſti.

Sed rogabis, an miniſter Sacramenti verè animam abluat, peccata remittat, & peccatorem iuſtificet? Reſpond. affirmatiuè, & eſt de fide, vt colligitur ex Concilio Conſtantienſi & Tridentino *ſeſſ.14.c.6.* Prob. Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: quod etiam patet ex formis Sacramentalibus, *Ego te baptizo, abſoluo, &c.*

3. Ad neceſſitatem Sacramenti requiritur, vt miniſter intendat homini conferre Sacramentum ſaltem implicitè, ſi facere velit quod vera Eccleſia ſolet, aut quod Chriſtus inſtituit, aut quod Sacerdotes Chriſtianorum facere conſueuerunt, etſi determinatè neſciat, aut non credat eſſe Sacramentum; tum quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad eſſe Sacramentale & tollat indifferentiam verborum & actionum. Tum quia Sacerdos aut conferens Sacramentum eſt miniſter Chriſti & inſtrumentum animatum; ergo debet intendere id, quod præceptum eſt & ordinatum a Domino: adde quod actio exterior & prolatio verborum non ſatis eſt determinata ad effectum Sacramenti ſignificandum, v.g. lotio cum his verbis, *Abluo te*: nam poteſt fieri ad munditiem corporalem, ad refrigerium, per iocum, Ethnicam, vel Iudaicam ſuperſtitionem, ergo debet per miniſtri intentionem ad hoc determinari. Ita Concilium Trident. *ſeſſ.7. can.11.* Concilium Florentinum. S. Thomas *q.64. art.8.* & *art.10. ad 2.* Valentia *tom.4. d.3. q.1.p.2.* Syluius 3.*p.q.64. art.8. concl.1. & 2.* D. Thom. Valent. Sylu.

Sed petes, quæ ſit illa intentio Eccleſiæ, quam miniſter debet habere? Reſp. non eſſe neceſſarium vt intendat id facere, quod facit Eccleſia Romana, ſed quod facit Eccleſia Chriſti vera, quæcumque demum illa ſit; Vnde patet Caluiniſtas ordinariè verè baptizare; tametſi putant Eccleſiam Romanam non eſſe Chriſti Eccleſiam.

Sed quid, ſi quis intendat facere quod facit Eccleſia aliqua particularis & falſa, v.g. Geneuenſis & intendat non facere, quod facit Eccleſia Romana? Reſp. etiam id ſufficere; nam qui intendit facere, quod facit Eccleſia Geneuenſis, intendit facere, quod facit Eccleſia vniuerſalis; quia nimirum putat Geneuam eſſe membrum Eccleſiæ vniuerſalis, licet fallatur in cognitione veræ Eccleſiæ: non enim tollit efficaciam Sacramenti error miniſtri

parti-

particulatis,ſed defectus lotentionis. Cæterum etſi ſufficiat habere generalem hanc Eccleſiæ intentionem, conſulrum tamen eſt, adhibere etiam particularem, oempe conferendi Sacramcotum Baptiſmi, abſolutionis, &c. quia ſic perfectiùs miniſterium illud vice Chriſti obirot. Ita Caſpenſis noſter *tractat.*21. *diſput.*5. *ſect.*6. *num.*64. *&* 66.

Notandum aotem eſt ad conficiendom Sacramentum, non eſſe neceſſariam quamois ſufficientem intentionem actualem, qoa quis ſcilicet actualiter intendat, & velit cooficere Sacramentum, dum illud conficit, ſed ſufficere virtualem illam videlicet, quæ poſtqoam actualis præceſſit, adhoc virtualiter dotat in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec eſt moraliter interrupta per oppoſitam intentionem, aot per longam temporis moram intetpoſitam. Habitualis verò intentio, qoa quis facit aliqoid ex habitu præcedente iotentione. vel ſi intentio præceſſit, non ampliùs virtualiter perſeuerat in aliquo opere externo, cùm ſit moraliter interrupta, nec ſufficit, nec neceſſaria eſt. Layman. *lib.*5. *tract.*1. *cap.*5. *num.*1. Tolet. *lib.*2. *c.*16. Suarez *diſp.*13. *ſect.*3. Vaſquez 3. *p. diſp.*138. *c.*6. Dian. *p.*2. *tract.*3. *miſcel. reſ.*32. Sylu. *cit. concl.*6. & alij. Layman. Tolet. Suar. Vaſq. Diana.

Quod autem actualis intentio laudabilis ſit, probatur, quia per illam miniſter maximè ſe conformat Eccleſiæ, & Chtiſto operanti per Sacramentom; vbi nota non requiri ad actualem iotentionem, quod quidam ſcrupuloſi faciunt, vt dicamus ore aut corde, *intendo conſecrare, abſoluere, baptizare, &c.* ſed hoc tantùm, vt quis ſit præſens ſibi, & attentè faciat, quod facit: proinde intentio actualis non tantùm eſt in actu ſignato, ſed etiam in actu exercito, idque tum confuſè, tum determinatè.

Quod actualis intentio non ſit neceſſaria, probatur ex eo, quòd miniſter Sacramentorum ſit homo, hoc eſt creatura moltis imperfectioonibus, diſtractionibus, euagationibus ſubiecta, in cuius poteſtare non eſt ſemper actualiter intendere, quare ſi hæc requireretur, meritò dubitare frequenter poſſemus an eſſemus baptizati, abſoluti, ordinati, &c. quæ ſuaui Eccleſiæ gubernationi oon videntur conuenire.

Quod virtualis ſufficiat, prob. quia talis intentio meritò dici poteſt actus humaous, & executio inſtrumentaria cauſæ ſuperioris, cùm pendeat ab actuali intentione quæ præceſſit, & in ea fundetur: & tamdiu cenſetur hæc virtualis intentio durare, quamdiu durat vis impreſſa à prima intentione actuali, ſicut proiecta tunc quieſcunt, quando ceſſat impetus à moueote impreſſus: quod his ſignis poterit deprehendi. *Primò* ſi rogatus, cur faciet talem cæremoniam, reſpondeat ſe velle conficere Sacramentum. *Secundo*, ſi alia nulla cauſa naturalis aut fortuita appareat, quæ illum impulerit ad exercitum talis actionis.

Quod habitualis intentio non ſufficiat, patet ex eo, quia actus à tali inteotione procedens non eſt neceſſariò homanus & deliberatus, alioquin baptizatus diceretur, quem ebrius vel dormiens baptizaſſet.

Simile iudiciom eſt de inteotione interpretatiua, quæ videlicet eſt voluntaria taotùm in cauſa, v. g. ſit Sacerdos, qui dum ebrios eſt ſolet proferre verba conſecrationis ſuper panem, & hoc nouit, ille, inebriando ſe quodammodo vult conſecrare, adeo vt hoc ei imputetur ad culpam: ſed hæc voluntas non ſufficit ad conficiendum Sacrameorom, etiamſi id antea intenderet, & dum ebrius eſt, idem vellet; qola hæc voluntas oon eſt moralis, & humana, nec humano more influit in actum ſubſequentem. vt bene doceot Suarez *diſp.*13. *ſect.*3. Caſpenſ. *tract.*21. *diſp.*5. *ſect.*7. *n.*70.

Sed petes *Primò*, an ſi Sacerdos in principio habeat malam, vel nullam intentionem, & ante finitam prolationem formæ motet propoſitum, conficiatur Sacramentum? Reſp. Quoſdam affirmatiuè reſpondere; quia ſufficit applicatio materiæ in fine verborum, ergo & recta intentio tuoc adhibita. Sed dicendum eſt nihil fieri: Ratio eſt, quia intentio eſt veluti anima verborum in ordine ad Sacramentom, quare debet animare omnes partes formæ, ex quibus completur integra eius ſignificatio: nec eſt ſimile de applicatione materiæ, quia forma debet tantùm determinare, & perficere ſignificationem materiæ, quod facere poteſt in vltimo inſtanti.

Sed quid, ſi in priocipio habeat intentionem rectam, & poſtea nolit conficere? Reſp. noo eſſe dubitandum, quin ſi ante finem muter bonum propoſitum nihil efficiat: nam in fine prolationis formæ, completur ratio Sacramenti, & gratia confertur ſi nihil obſtat.

Petes *Secundò*, quid fiat ſi miniſter intendat conferre Sacramentum, non tamen effectum Sacramenti, vel ſi intendat effectum dimidiare? Reſp. Sacramentum propter hoc non irritari. Ratio eſt, quia poſito Sacramento, nihil poteſt, circa illius effectum, vt illum impediat, vel dimidiet, vel ſuſpendat: quia Sacramentum operatur per modum cauſæ naturalis, quæ circa paſſum beoe diſpoſitum, operatur neceſſariò; nam ſi quis ignem applicet combuſtibili, non poterit operationem eius impedire.

4. Ad Sacramenti valorem requiritur intentio abſoluta, quia ſola illa efficax eſt: oam conditionalis quamdiu talis eſt, manet ſuſpeoſa, & nihil operatur, ſicut propoſitio conditiooalis nihil ponit in eſſe, ideoque non ſufficit, ſi miniſter baptizet, à peccatis abſoluat ſub conditione pendente in futurum, verbi gratia, ſi pater tuus conſenſerit, ſi concubinam domo eieceris: quia ſacra ſymbola debent à miniſtri iotentione explicita, aut implicita ſecundùm Chriſti ioſtitutionem determinari, vt ſint practica, & efficacia, talia autem oon ſunt, ſi eorum vis, & efficacia ſuſpendatur à futuro contingente effectu: tamen Sacramentum adminiſtratum ſub conditione de præſenti vel de præterito validum eſt, ſi res ita ſit ſicut exprimitur in conditione: quia conditio de præſenti vel præterito non ſuſpendit actum, cùm non ſit propriæ conditio. Caietan. *v. abſolut. c.*1. Coninck *q.*64. *art.*8. *dub.* 2. Suar. *d.*13. *ſect.*3. Laym. *cit. num.*13. Filliuc. *cap. num.*78. Reginald. *lib.*26. *num.*36. Sylu. *cit. concl.*4. Aduertendum autem eſt illum peccare, qui conditionem apponit in cooficiendis Sacramentis, noo ſolùm ſi apponat conditionem de futuro, verum etiam ſi de præterito aut præſenti abſque neceſſitate, & rationabili cauſa, quia expoait ſe periculo adminiſtrandi Sacramentum inualidè, cùm fieri poſſit, vt talis cooditio non ſubſiſtat. Ita Henriq. *lib.*1. *cap.*10. *num.*7. Nald. *v. Sacrament. num.*13. Suar. *cit. concl.*3. Caiet. Coninck. Suar. Laym. Filliuc. Reginal. Sylu. Henriq. Suar.

5. Ioteotio miniſtri io conficiendis Sacramentis debet dirigi ad materiam præſentem vel perſonam, nec debet quis ſe reſtringere, vt non velit facere Sacramentum, ſi perſooa non ſit illa, quam ipſe exiſtimat, quia ſe exponeret ſæpe periculo nihil faciendi, vt ſi determinaret ſe ad Petrum, ita vt excluderet omnem alium, ſi fortè eſſet Paulus, Sacramentum eſſet oullum: ſi ſit autem error tantùm perſonæ materialiter, non nocet, dummodò adſit practica intentio, qua ſcilicet velit abſolutè conferre Sacramentum huic perſonæ quam habet præſentem. Excipitur tamen matrimonium, in quo intentio debet dirigi ad perſonam determinatam, ita vt illius error ſit ſubſtantialis, eo quòd ſit cootractus oneribus plenus. Henriquez *cit. num.*6. Toletus *lib.*2. *cap.*20. Graffis 2. *p. lib.*1. *cap.*3. *num.*33. Bonac. *tom.*1. *d.*2. *q.*2. *p.*4. *num.*2. Filliuc. *cit. num.*79. & alij. Henriq. Tolet. Bonacina

6. Fides aut probitas miniſtri non requiritur ad validam Sacramenti mioiſtratiooem, ſed æquè per malos, aut hæreticos, atque per bonos, & Catholicos virtus Sacramenti ex opere operato coofertur, regulariter loqoendo; tum quia Sacrameota validè adminiſtrantur, quoties adeſt materia, forma, & intentio miniſtri: ſed hæc poſſunt adeſſe, quamuis miniſter non habeat fidem, ergo, &c. Tum quia miniſter Sacramentorum, quamuis ſit improbus vel etiam hæreticus, habet poteſtatem conficiendi Sacramenta, retinet enim characterem indelebilem, per quem confertur poteſtas cooficiendi Sacramenta, & per quem operatur in virtote Dei, qui poteſtatem collatam non aufert per peccatum; fieri tamen poteſt, vt Sacramentum pœnitentiæ ioualidè admioiſtretur ab improbo miniſtro, verbi gratia ab excommunicato vitando. S. Thomas *q.*64. *art.*5 Sayr *lib.*2. *cap.*5. *art.*2. D. Thom. Sayr.

Regi-

Regin. Layman.

Reginald *lib.26.num.34.* Concil. Trid. *ſeſſ.7.can.12.* Filliuc. *cit.num.81.* Layman *cit.c.5.n.6.* Sylu. *cit. q.64. art.5.* & alij.

7. Quamuis probitas, & fides non ſint neceſſaria in miniſtro deputato, & conſecrato ad munus adminiſtrandi Sacramenta ad validam, eſt tamen neceſſaria ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem; vnde mortaliter peccat miniſter deputatus, & conſecratus, ſi mortalis peccati conſcius, Sacramentum aliquod miniſtret, ſi Euchariſtiam conſecret, vel conſecratam fidelibus diſpenſet, quia miniſter deputatus, & conſecratus ad Sacramenta adminiſtranda, ſpecialem gratiam recipit ad illa dignè adminiſtranda, ergo grauiter peccat, quoties illa indignè adminiſtrat in peccato mortali, cùm in re graui faciat contra id, ad quod eſt ſpecialiter deputatus cum gratia ſpeciali. S. Thomas *q.64. art.4 & 6.* Regin. *lib.26. n.57. & 58.* Suar. *d.16. ſect.3.* Vaſq. *3.p d.136.c.3.* Laym. *cit.n.7.* Sylu. *cit. art.6. quæſit.1.*

D.Thom. Regin. Suar. Vaſq.

Quocirca Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, antequam adminiſtret Sacramentum aliquod debet conari, & curare vt in gratia conſtituatur, vel per contritionis actum, vel ſi illum elicere non poſſet, cum attritione debet Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere ſecundùm communem ſententiam. Bonacina *cit. q.3 p.2. §.1. num.3.* Filliuc. *cit. num.86.* licet quidam velint in hoc caſu Sacerdotem non teneri niſi ad bonum, & verum motum cordis, quo quantum in ſe eſt, de peccato doleat, ſitque totaliter auerſus ab omni voluntate peccaminoſa, cum conuerſione ad Deum, & propoſito opportunè confitendi. Ratio eſt, tum quia hoc ſufficit, vt dicatur ſe verè præparare ad gratiam, & facere quod in ſe eſt iuxta præſentem obligationem, tum quia in iis quæ à Dei ſingulari dono dependent, nunquam ad aliud homo ſub peccato mortali tenetur, niſi ad ea quæ in eius ſunt poteſtate, nimirum non ponere ex parte ſua impedimentum gratiæ, non reſiſtere motibus diuinis, ſed poſitiuè agere quod operando, & cooperando; hæc ſententia eſt ſingularis, & à viris doctis diſcutienda.

Eſt tamen hic notandum, quòd fortè contingat miniſtrum non eſſe verè contritum, ſed duntaxat attritum, cùm probabili tamen exiſtimatione quod eſt verè contritus, non peccat miniſtrando Sacramentum. Vnde in hoc caſu ſatis erit ad vitandum peccatum mortale, quod miniſter coniecturis humanis, & probabilibus exiſtimet ſe habere contritionem; vt rectè obſeruat Caſp. noſter *tract.21. diſp.5 ſect.3. num.33.* Nonnulli tamen docent probabiliter apud Dianam *part.2. tract.3. miſc. reſ. 13. & tract. de circumſtant. reſ.41. p.1.* Vaſq. *3.p. tom.1. diſp. 136.c.3.n.38.* non eſſe mortale, ſed tantùm veniale aliis extra Miſſam Euchariſtiam miniſtrare in mortali, quia miniſter in eo caſu non eſt per ſe cauſa gratiæ, ſed tantùm conditio ſine qua non.

Dian.

Sed dubium eſt, an aliquando ex temporis anguſtia ſi quis non poſſit elicere actum contritionis, poſſit licitè miniſtrare, & conficere Sacramenta in peccato mortali: puta ſi proximo ſit miniſtrandum Sacramentum aliquod ad eius ſalutem neceſſarium, tamque ſit vrgens eiuſdem neceſſitas, vt miniſtro in ſtatu peccati mortalis exiſtenti tempus moraliter non ſuppetat ad eliciendum actum perfectæ contritionis. Reſpondet Diana *p.5. tractat.13. reſ.75. & p.4. tractat.4. reſ.98.* poſt Ludouic. Mercatium *tom.3. de Sacrament. in gen. diſp.8. ſect.2.* & Præpoſitum *3.p. q.64. art.6. dub.1. num.34.* probabile eſſe quòd ſic. Ratio eſt, quòd cùm Sacramenta ad ſalutem hominum inſtituta ſit, ratio poſtulat, & obligat, vt eorum ſaluti conſulatur potiùs, quàm debitæ Sacramento, & eius anthori reuerentiæ, quando vtrique ſimul conſuli non poteſt: quare tunc Sacramenti miniſter exiſtens in peccato mortali non obligatur conformare ſe eius ſanctitati, ſed ſuccurrere proximi neceſſitati, nec proinde irreuerenter, & indignè tunc tractare cenſendus eſt, quamuis enim abſolutè in inſtanti poſſit actus perfectæ contritionis exerceri, non tamen moraliter, ſaltem à pleriſque, qui ratione propriæ infirmitatis, malæ peccandi conſuetudinis vitioſorumque habitum, multo indigent tempore, quo ſe ad tam perfectum actum præparent.

Diana. Præpoſit.

8. Secundùm probabiliorem, & communiorem ſententiam, exercens functiones Ordinum, tam minorum, quàm ſacrorum, cum conſcientia peccati mortalis, per ſe loquendo, non peccat mortaliter præciſa adminiſtratione Sacramentorum facta à miniſtro, tanquam ad illam deputato, & conſecrato, quia non extat aliqua ſpecialis prohibitio, qua functio, & exercitium Ordinum prohibeatur ſub mortali, ſi fiat cum conſcientia peccati mortalis ſecluſo ſcandalo, &c. Valentia *cit. d.3. q.5. p.3.* Suarez *d.16. ſect. 3.* Filliucius *cit. num.87.* Layman *cit. num.10.* Diana *de Sacrament. reſ.195. & 196. p.3.* Angelus, Syluius, Nauar. Sà apud Layman *cit.* Bonac. *cit. §.1. num.15.* Syueſt. *3.q. 64. art.6. quæſ.1. cap.5.* contrarium ſentiant non improbabiliter.

Valent. Suar. Filliuc. Diana. Bonac. Sylu.

An autem communicans alios in peccato mortali toties peccet mortaliter, quoties Hoſtias diſtribuit (poſito quòd peccet mortaliter ſecundùm aliquorum ſententiam?) Coninck *de Sacrament. q.64. art.6. dub.1.* & Bonacina *cit. §.1. nu.15.* affirmant, quia ſunt plures Sacramenti diſtributiones terminatæ, & completæ, etiamſi fiant ſucceſſiuè. Probabilius tamen eſt, quòd non committat niſi vnum peccatum mortale indignæ adminiſtrationis, quia etſi tot ſint actus numero diſtincti quoad entitatem quot ſunt perſonæ communicantes; moraliter tamen loquendo, non reputantur vt diſtinctæ adminiſtrationes, ſed vna totalis, & integra, vnumque ſacrum miniſterium, ex pluribus quaſi partialibus actibus conſtans. His conformiter probabile quoque eſt, non eſſe tot peccata mortalia, quot Confeſſarius in mortali exiſtens audit perſonas, continuato miniſterio ſedens in confeſſionali, aut breuiter ſe eo leuans, & Sacramentum miniſtrare pergens: moraliter enim vna eſt iſtius Sacramenti adminiſtratio ad plures facta; vt etiam diximus v. *Confeſſarius 4. num.2.* Vide Henriquez *lib.1. cap.29. lit. T. in comment.* Filliucium *cit. num.87.* Tannerum *1.2. diſp.4. q.2. dub.4.* Rodriquez *in Summ. p.1. cap.248. num.26.* Dian. *tractat. de circumſt. reſ.41. & 43. p.1.* Sylu. *3.p. q.64. art.6. quæſt.1. concl.4.*

Henriq. Filliuc. Rodr.q. Diana.

Ex dictis oritur graue dubium, an & quando liceat petere Sacramentum aut accipere à malo miniſtro? Reſp. & dico *Primò*, Nunquam licet ab eo petere Sacramentum, qui ſine peccato illud conferre non poteſt. Ratio eſt, quia hoc eſt directè inducere ad peccatum, quod eſt intrinſecè malum, nec vlla circumſtantia poteſt honeſtari, v.g. ſi abſolutionem Sacramentalem petat, & accipere tenet ſcienter à non Sacerdote, vel ab illo qui caret iuriſdictione, vt à non tolerato extra caſum extremæ neceſſitatis, &c.

Dico *Secundò*, ſemper poſſum à peccatore etiam non tolerato petere Sacramentum, quando meum ius, vel neceſſitas vel vtilitas ſuperat legem Eccleſiæ, & extinguit vim legis naturalis de vitando ſcandalo, aut non cooperando peccatis alterius: nam tunc cenſent permittere tantùm alterius peccatum, eoque vti ad meam vtilitatem, quod licitum eſt, & aliquando neceſſarium. Ratio eſt, quia peto, quod ille abſque peccato præſtare poteſt, quia gratia diuina non deeſt ipſi, vt concipiat pœnitentiam: quòd autem ille ſit commiſſurus ſacrilegium, nec facturus pœnitentiam, hoc mihi non imputatur, quia vtor iure meo, quod mihi extrema neceſſitas concedit.

Dico *Tertiò*, quando miniſter eſt in peccato mortali, non tamen notatur cenſura Eccleſiaſtica, minor neceſſitas ſufficiet vt poſſim illum inducere ad miniſtrandum Sacramentum, nempe non tantùm diuinum præceptum, ſed etiam præceptum Eccleſiæ de annua confeſſione, & Paſchali Communione, de Miſſa audienda, &c. In quo ipſa vtilitas, quæ percipitur ex frequenti vſu Sacramentorum, videtur ſufficere vt poſſim petere Sacramenta ab eo qui ex officio tenetur, aut ab alio qui paratus eſt, ſi non eſt alius, qui ſine peccato miniſter, reſpectu verò alterius miniſtri, qui non eſt paratus, vel non obligatus, paulò maior cauſa erit neceſſaria. Itaque ex parte petentis conſiderandum eſt ius quod habet ex neceſſitate, vel extrema, vel graui, vel communi. Ex parte miniſtri conſiderandum eſt impedimentum quod habet ex peccatis,

&

& cenſuris Eccleſiæ. Quare ſi miniſter non ſit toleratus, videtur requiri extrema neceſſitas, vt eius opera vti poſſimus. In alio excommunicato non denunciato, &c. requiritur grauis neceſſitas, maximè ſi non ſit paratus. Porrò communis neceſſitas locum habere poteſt, in peccatore minoris infamiæ, v.g. vtilitas confitendi, quando quis incidit in peccatum mortale, vſus Sacramentorum non tam diu intermiſſus, in fornicatoribus, ebrioſis, aleatoribus, &c. maximè ſi ſint parati, & eorum peccatum non ita vulgo cognitum ſit. De his plura apud Suarez 3. p. t. 3. *diſput.* 18. *ſect.* 2. Nauarrum *ca.* 14. *num.* 28. Crouſers *ad cap* 7. *reg. S. Fran. lect.* 20. *f.* 688. Fagund. *prac.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 53. & infra verb. *Scandalum, n.* 9. §. 11.

Suarez. Nauar. Fagund.

An autem indignè petenti Sacramenta poſſint adminiſtrari? Reſponſio eſt negatiua, quia hoc eſſet cooperari peccato alterius: ſed quia indignè petens Sacramentum poteſt eſſe vel peccator publicus, vel occultus, & petit publicè, aut occultè; ideò

Dico *Primò*. Peccatori publico, de cuius delicto conſtat in iudicio, vel quia commiſſum eſt in præſentia multorum, ita vt non poſſit vlla tergiuerſatione celari, non ſunt adminiſtranda Sacramenta, ſiue publicè petat, ſiue occultè: quia Sacerdoti commiſſa eſt adminiſtratio Sacramentorum, tanquam ſeruo prudenti, & fideli; qui autem indigno Sacramenta adminiſtrat, non ſe habet vt ſeruus fidelis, & prudens, atque adeò ex præcepto illi impoſito, tenetur nullo modo Sacramenta adminiſtrare indigno.

Dico *Secundò*. Peccatori occulto adminiſtranda ſunt Sacramenta, ſi publicè petat, non tamen quando petit occultè. Probatur prior pars exemplo Chriſti Domini, qui non denegauit Sacramentum Iudæ, eſſet enim eum infamare, ex quo magna perturbatio, & ſcandalum oriretur in populo. Secunda pars probatur ex rationibus adductis, quam limita, modò peccator non ſit cognitus ſolùm in confeſſione; ob id enim non debet expelli à Sacramentis, propter peccatum occultum tantùm in confeſſione cognitum, eſſet enim vti ſcientia confeſſionis, quod illicitum eſt, vt diximus ſuprà *verb. Euchariſtia* 2. *num.* 10. & 11. Auctores vide ibi citatos.

SVPPLEMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Sacramenti nomen quatuor modis vſurpatur à ſcriptoribus Eccleſiaſticis.*
2 *Sacramentum an ſit definibile?*
3 *Sacramentum eſt cæremonia ſignificans, & efficiens ſanctitatem.*
4 *Quæ excludantur à ratione Sacramenti cæremoniæ tam in veteri quàm in noua lege?*
5 *An in ſtatu innocentiæ, vel poſt lapſum hominis inſtituta fuerint Sacramenta?*
6 *Rationes & congruentiæ afferuntur, cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis & rebus ſenſibilibus, ac materialibus.*
7 *An in lege gratiæ fuerint inſtituta Sacramenta & quare.*
8 *In Sacramentis nouæ legis, an res ſe habeant vt materia, verba vt forma?*
9 *Materia & forma in Sacramentis nouæ legis, an ſint partes intrinſecæ & eſſentiales?*
10 *An in caſu extremæ neceſſitatis poſſit & debeat conferri Sacramentum cum materia dubia, conditione duplici appoſita?*
11 *Quando rationabile dubium occurrit, an per mutationem ſenſus forma perierit, ea iteranda ſit ſub conditione.*
12 *Ad conficienda Sacramenta an ſufficiat intentio, quæ quis ſuſcepit Ordines hoc animo vt fieret Sacerdos & miniſter Eccleſiæ?*
13 *Vbinam & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum?*
14 *Qualis conſenſus, ſeu intentio, & voluntas requiratur in adultis, vt validè recipiant Sacramentum.*

1. SAcramenti nomen ab Eccleſiaſticis, & Catholicis ſcriptoribus quatuor præcipuè modis vſurpatur. *Primò*, in Sacra Scriptura ſignificat rem ſecretam, occultam, abſconditam, ad Epheſ. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* Et Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, id eſt, ſecretum Regis. Vnde Sacramentum idem eſt Latinè, quod Græcè *Myſterium*: Myſterium autem præcipuè rem ſecretam ſignificat, iuxta illud Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum.*

Secundò, Sacramentum in Scripturis ſignificat etiam ſignum rei ſacræ, iuxta illud Pauli ad Epheſios 3. loquentis de matrimonio primorum parentum. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, id eſt, ſignum fuit coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ.

Tertiò, Sacramentum ſumitur pro iuramento, fortè quia iuramentum per rem ſacram, nempe per inuocationem diuini nominis fit, quare Sacramentum meritò nuncupatur; quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in iure Canonico, & Ciuili, *l. Sacramenta puberum*, *Cod. ſi aduerſus vendit.* & *cap. ſi Sacramenta* 22. *quæſt.* 4. & alibi ſæpè.

Quartò, Sacramentum ſignificat cæremoniam aut rem ſacram, & ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum rei ſacræ ſanctificantis nos, nempe ſignum gratiæ, & ſanctitatis internæ, qua apud Deum Sancti reddimur. Et ſic vſurpatur ex vſu Eccleſiæ Catholicæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Theologorum. De qua voce plura videri poſſunt apud Bellarminum *lib.* 1. *de Sacrament. in genere c* 8. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem quæſt.* 60. *in præfat.* Vaſquez *ibi quæſt.* 60. *c.* 1. Syluium *ibid.* & alios. Suarez. Vaſq. Sylu.

2. Sacramentum poteſt dupliciter conſiderari. *Primò* phyſicè, vt eſt aliquid conflatum ex ente reali, & rationis, nempe ex re ſenſibili, & arbitraria ſignificatione, & ſic non poteſt definiri, quia non eſt vnum per ſe. *Secundò*, moraliter, quatenus eſt medium quoddam ſeu inſtrumentum ad hominum ſanctificationem diuinitùs inſtitutum, & ſic quodammodo eſt vnum, ac definiri poteſt, quemadmodum apud morales Philoſophos regnum, ciuitas, familia, &c. definiuntur, quantumuis ſint aggregata quædam per accidens, ſi phyſicè conſiderentur. Sacramentum autem quatenus eſt vnum quiddam ac totum & definibile, quaſdam habet partes metaphyſicas, nempe genus, & differentias, quaſdam veluti phyſicas, videlicet, materiam, & formam, quibus omnis rei creatæ eſſentia circumſcribitur, & continetur. Genus eſt ſignum, quaſi pars Sacramenti imperfectior. Differentia eſt, ſanctificans inſtrumentaliter per modum cæremoniæ religioſæ, quæ imperfectionem ſigni perficit & complet. Materia ſunt res quædam ſenſibiles, verbi gratia, aqua, oleum, panis, &c. Forma ſunt verba rituaria, quia res ipſa ex ſe indifferens ad multa ſignificanda vel etiam efficienda, determinatur per verba ad vnum. Hinc eſt illud D. Auguſtin. tractat. 80. in Ioannem, *Accedit verbum ad elementum* (rem ſenſibilem) *& fit Sacramentum*. Non oportet autem hic nimis anxiè diſcutere, an tota ratio, & proprietates generis, differentiæ, materiæ, formæ conueniant partibus Sacramenti, quia cùm ſit ens morale, moraliter potiùs, quàm metaphyſicè tractari debet. De quibus Suarez *in tertia parte, diſputatione prima & ſecunda*, *tom.* 3. Syluius 3. *parte, quæſt.* 60. *art.* 2. *quæſit.* 3. Suar. Sylu.

3. Sacramentum non incommodè definiri poteſt, vt ſit cæremonia ſignificans & efficiens ſanctitatem. Cum enim Sacramentum ſit ens artificiale, comprehendere debet omnes partes integrantes, quemadmodum domus complectitur fundamentum, parietes, & tectum: & quidem ſi per ſanctitatem intelligamus gratiam Dei, & charitatem, qua homo verè & realiter ſanctificatur, definitio conueniet tantùm Sacramentis nouæ legis. Quod ſi ſumamus ſanctitatem in genere, vt complectitur etiam ſanctitatem legalem ſeu moralem, quæ nihil aliud eſt, quàm munditia quædam eorum, qui ad cultum diuinum deputabantur, tunc etiam conueniet Sacramentis antiquis,

Digitized by Google

quis,& quidem vniuocè. Pro quo nota Sacramenta antiqua fuiſſe per ſe cæremonias quaſdam Religioſas ad cultum Dei inſtitutas, quæ ſimul ſignificarent gratiam per Chriſtum conferendam, hoc tamen diſcrimine, quod quatenus conſecrabant populum Iudaicum fuerint verè, & propriè Sacramenta; quatenus autem ſignificabant noui Teſtamenti myſteria, non fuerint Sacramenta, ſed figuræ quædam,& vmbræ futurorum; nam vt rectè notant D. Thomas 1.2. *quæſt.* 101. *art.*4. *ad* 2. & *quæſt.* 102. *art.*5. Sacramentum dicit ordinem ad eum, qui Sacramento initiatur,non ad alios:figura autem dicit ordinem ad futura, Quòd autem Sacramentum vniuocè prædicetur de Sacramentis veteris,& nouæ legis, docent Vaſquez 3.*part.quæſt.*60.*art.*4. *diſput.*128.*c.*5. *num.*49. Bellarmin. *de Sacram.lib.*1.*cap.*12.Coninck 3.*part. quæſt.*60. *art.*4. *dub.*2.Nugnus *ibid.*Syluius *ibid.art.*2.*quæſit.*1.*&* 3.Trullench.*tom.*3.*in praxi reſolut.Sacramentorum lib.*1. *cap.*1. *dub.*2.*n.*5.& alij.

Vaſq.
Syluius.
Trullench.

4. Arca Noe,tranſitus maris rubri, manna, ſerpens æreus, fluxus aquæ de petra,& aliæ figuræ veteris Teſtamenti non fuerunt Sacramentum, quia etſi veram gratiam ſignificarent, nullam tamen ſanctitatem in ſuo vſu conferebant.

Matrimonium legis veteris non fuit Sacramentum, nam ſolùm fuit ſignum rei ſacræ in ſe, non autem ſanctificantis, nec fuit ſignum demonſtratiuum, ſed prognoſticum.

Sacrificium vt ſacrificium non eſt Sacramentum,quia vt ſic non eſt ſignum rei ſacræ, vt formaliter ſacrantis, ſed vt teſtimonium diuinæ excellentiæ, & ad proteſtandum Deum eſſe auctorem,& dominum rerum omnium, inſtitutum eſt.Sacramentum verò immediatè refertur ad ipſos cultores ſeu ſuſcipientes, quorum ſanctificationem ſignificat.

Imagines Chriſti,& Sanctorum imo etiam Crux Domini non ſunt Sacramentum,quia tantùm ſunt ſigna ſpeculatiua rei ſacræ,non verò intrinſecè ſanctificantis,qualis eſt gratia Sacramentalis.

Aqua benedicta non eſt Sacramentum; quia non eſt inſtituta ad ſignificandam perfectionem ſanctitatis humanæ, id eſt,gratiam; ſed ſolùm vt ſignificet diſpoſitionem ad illam. Nec refert per eam remitti peccata venialia,quia non remittuntur niſi ex opere operantis. Neque inde ſequitur,quod ſit ſignum alicuius gratiæ, cùm non ſit a Deo inſtituta ad eam ſignificandam, & peccata venialia remitti poſſint ſine ipſiua infuſione.

Prima tonſura,abſolutio ab excommunicatione, manus impoſito ſuper Catechumenos,profeſſio Religionis, benedictio Abbatis,Abbatiſſæ, conſecrationes quæ fiunt in lege noui Templorum vel Altarium,&c.non ſunt Sacramentum: quia etſi hæc omnia ſint ſigna rerum ſacrarum,non tamen ſanctificant nos,nec cauſant gratiam ex opere operato,vt cauſant Sacramenta, & ob id actus virtutum non ſunt Sacramenta, quia tantùm ex opere operato ſanctificant. De quibus videndus D. Thomas *part. quæſt.*60.*art.*2.Coninck *ibidem art.*4. *dub.*1. Syluius *ibidem art.*2.*quæſit.*1.*&* 2.Trullench *loco citato dub.*1.*n.*9.*& ſequentibus*.

D. Thom.
Trullench.

Ex quibus colligitur, ad rationem propriè Sacramenti pertinere,vt perpetuam, ſeu ſtabilem inſtitutionem, ac vſum habeat, pro ſtatu durantis Eccleſiæ. Quamobrem linguæ igneæ,quæ die Pentecoſtes apparuerunt; item inſufflatio Chriſti in Apoſtolos? verba Chriſti ad paralyticum, *remittuntur tibi peccata tua*, licet ſigna fuerint gratiæ inuiſibilis ad hominis ſanctificationem; tamen propriè Sacramenta cenſeri non debent, quia non fuerunt ſigna firma,& ſtabilia ex Chriſti inſtitutione ad ſanctificandos homines.

5. In ſtatu innocentiæ, ſeu ante lapſum humani generis nulla inſtituta fuerunt Sacramenta; quia ijs neque indigebat homo, quatenus ſunt Medicinæ aduerſus peccatum à quo liber erat, neque quatenus ad animæ maiorem perfectionem ordinentur, quandoquidem Deo ritè ſubiectus,facili animi motu ipſi vniri poterat, & ſic internam perfectionem conſeruare,atque augere,neque opus erat eum externis corporis ſignis excitari. Tum quia per iuſtitiam originalem,& dona ſupernaturalia, homo ſufficienter eruditus erat in via ſupernaturalium per ſcientias infuſas,nec non habebat potentias inferiores ſubditas ſuperioribus, ergo Sacramenta non erant congrua vel neceſſaria in ſtatu innocentiæ in remedium peccati, vel ad maiorem animi perfectionem.Ita D.Thom.3.*part.quæſt.* 61.*artic.*2.Syluius, Nugnus, Coninck *ibidem*. Sayrus *de Sacramentis,lib.*3.*cap.*2.*artic.*2. Suarez *tom.*3. *in tertiam partem diſput.*3.*ſect.*3. & alij communiter. An autem perſeuerante ſtatu innocentiæ fuiſſent aliqua Sacramenta,res eſt prorſus incerta, pendens nimirum ex voluntate Dei.

D.Thom.
Coninc.
Suar.

Poſt lapſum verò generis humani oportebat inſtitui Sacramenti,id eſt, viſibilia ſigna, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur in Chriſtum ſaluatorem venturum. Talia autem,cùm ſint ſigna rerum inuiſibilium,id eſt, fidei & gratiæ;Sacramenta vocantur,vt docet D. Thomas *loco citato artic.*3.vt erant Circumciſio, Agnus Paſchalis,conſecratio Sacerdotum, & luſtrationes quædam ab immunditijs legalibus,atque expiationes à peccatis externis,de quibus D.Thomas 1.2.*quæſt.*102.art.5.

6. Plures rationes ſeu congruentiæ afferri poſſunt, cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis,& rebus ſenſibilibus,ac materialibus,quæ reduci poſſunt ad tria capita. Primum eſt ex parte Dei. Tum quia ſic decuit diuinam ſapientiam,quæ ex rebus ſenſibilibus, quæ fuerant cauſa ægritudinis,Medicinam effecit. Tum quia Deus prouidet vnicuique rei iuxta modum naturæ cuiuſque. Natura autem hominis poſtulat, vt ex ſenſibilibus ad ſpiritualia contemplanda traducatur:cùm enim homo conſtet ſenſibus, non poteſt ſtatim percipere ſpiritualia ac inuiſibilia, ſed per externa ſigna ducitur ad ea cognoſcenda,& contemplanda, cuiuſmodi externa ſigna ſunt Sacramenta.

Tum quia ſic decuit diuinam miſericordiam,vt ſcilicet homini mutabili iam lapſo pararet remedia, quibus denuo ſi vellet recuperaret gratiam,& pœnam debitam aliqua ratione compenſaret.

Secundum caput eſt ex parte hominis ſecundùm ſe accepti; ſic enim decuit, moralem quandam certitudinem ſuæ iuſtitiæ, quam maximè per Sacramenta aſſequitur;ſunt enim veriſſima ſigna gratiæ:quæque, niſi ponatur obex,infallibiliter eam operantur. Tum quia cum homo conſtet anima & corpore, non ſolùm debet interius credere; verum etiam exterius fidem profiteri per Sacramenta.

Tertium caput eſt, ex parte eiuſdem hominis, vt eſt pars & membrum vniuerſitatis: quia videlicet nulla religio ſine ſignis conſtat, quibus in vnum omnia membra iunguntur,& congregantur. Aliæ congruentiæ videri poſſunt apud Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſputat.*1.*ſect.*3.Sayrum *de Sacramentis lib.*1.*c.*2.*quæſt.*7.*art.*1.Bellarminum *lib.*1.*c.*22.Filliucium *tract.*1.*cap.*2.*quæſt.*7.

Suar.
Filliuc.

7. De fide eſt in lege gratiæ fuiſſe inſtituta Sacramenta vt definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.*7. *can.*1. & Florentino *in literis Armenorum*. Congruentiæ autem huius inſtitutionis ſunt quatuor. *Prima*, ex parte Dei, quia etiam in hoc ſtatu debetur Deo cultus externus, ipſa natura in dictante: gratia autem perficit non deſtruit naturam. *Secunda*, ex parte Chriſti, qui cùm conſtet anima & corpore,etiam eius memoria ſenſibilibus rebus renouanda eſt,& conſeruanda eſt inter homines. *Tertia* ex parte Eccleſiæ, quæ cùm ſit viſibilis & maximè vna, maximè etiam ſacris ſignis ſenſibilibus eget, quibus copuletur. *Quarta* ex parte naturæ lapſæ, quæ per Sacramenta ſenſibilia faciliùs conſequitur remiſſionem peccatorum & gratiam:hinc etiam præcipua quadam ratione perficitur fides,augetur ſpes & charitas. Ita ex D.Thoma *contra gentes*. Filliucius *tract.*1. *num.*46. Trullench. *tom.*3.*in praxi reſolut.Sacrament.lib.*1.*cap.*1.*dub.*3.*num.*1.

D. Thom.
Fill.
Trullench.

8. In Sacramentis nouæ legis res ſe habent vt materia, verba vt forma.Ita D.Thomas 3 *parte quæſtione* 60.*articulo ſexto,ad* 2.& ferè antiqui Theologi. Tum quia ita loquitur Concil. Florent. in inſtructione Armenorum. Tum quia omnia neceſſaria ad compoſitionem ex materia & forma hic inueniuntur: nam res ſenſibilis præcedit verbum,& cùm ex ſe ſit indeterminata, contrahitur

& alia Sacramenta adminiſtrare, nec vnquam habuit intentionem contrariam aliter faciendi, quàm intendat Eccleſia, vel quàm Chriſtus inſtituerit; hic dicitur habere intentionem confuſam ad conficiendum Sacramentum. Ita Henriquez *lib.*1.c.10.*num.*2. qui citat Sotum & Nauarrum. Valentia *tom.*4.*diſput.*3.*q.*5. *punct.*3. *verſ. Intentio autem implicita.* Quorum doctrina admitti poteſt, ſi aſſeratur ex prima illa intentione explicata, & ex conſuetudine celebrandi argni in actu exercito confuſam aliquam intentionem actualem, aut virtualem faciendi ſaltem in genere, quòd Sacerdos facere conſueuit: Si verò aſſeratur intentionem elicitam in ordinationẽ ſufficere, non videtur vera, quia virtualiter non perſeuerat tempore confectionis Sacramentorum, cùm ſit interrupta per plures actiones impertinentes, vt bene Bonacina *tom.*1.*diſp.*1.*q.*3.*punct.*2.§.3.*num.*16.

13. Sed petes vbinam, & quandiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum? Reſp. hanc manere in ipſa motione externa, quæ non ſemper pendet in fieri, & conſeruari ab actuali intentione ſeu voluntate internã. Sed poſtquam per debitam intentionem applicuit miniſter ſuas exteriores potentias ad actionem Sacramentalem, quamuis interrumpatur intentio exterior, potentiæ ipſæ manent applicatæ, & continuant motus ſuos, & quamdiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere à priori intentione: durabit autem, donec finiatur vel obtineatur res priùs intentã, vel donec per contrariam intentionem, vel per aliquod ſuperueniens impedimentum interrumpatur, & tunc neceſſaria erit noua voluntas, vt interrupta actio iterum inchoatur, ſeu continuetur: Probabile autem eſt, cum actione externa ſemper concurrere actualem aliquam phantaſiæ, & appetitus motionem, atque hoc modo per quaſdam actiones externas excitari hominem ad alias ſibi ordinatè ſuccedentes ex vi prioris intentionis, atque itã

Scotus. Suar. Sylu. fieri Sacramentum virtute illius. Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.*6. *quaſt.*6. Gabriel *quaſt.*1. *articul.*3. *dub.*1. Suarez. *loco cit. diſp.*13.*ſect.*3. Syluius 3.*part. quaſt.*64.*art.*8. *concl.*6. *verſ. Hac autem.*

14. Quamuis ex communi ſententia Doctorum ad valorem Sacramenti in adultis requiratur poſitiuus conſenſus, ſeu intentio, & voluntas recipiendi illud; quiã receptio Sacramenti eſt humana; Sacramentum autem quod non conſiſtit in re permanente, ſed in vſu ſeu applicatione ad recipientem, non poteſt humano modo

D. Thom. Scotus. Coninc. recipi, niſi conſentiat is qui recipit, vt docent D. Thomas 3.*part. quaſt.*68. *artic.*7. Scotus *in* 4.*diſtinct.*4. *quaſt.* 4. Coninck *de Sacrament. quaſt.*64. *artic.*8. *dub.*5. & alij.

Tamen ſufficit conſenſus habitualis, id eſt, præteritus non reuocatus, vt ſupponitur *in cap. Maiores, de Baptiſmo,* & ſatis congruenter. Ratio eſt, quia ſuſcipiens non ſe habet vt agens & operans, ſicut ſe habet miniſter, ſed tantùm ſe habet vt patiens, ac proinde non eſt neceſſarium conſenſum eſſe actualiter, neque virtualiter, vt ex eo tanquam ex efficiente deriuetur, & fiat Sacramentum, ſed ſufficit, quòd ſuſcipiens aliquo modo conſentiat in ſuſceptionem Sacramenti, ad quod ſufficit conſenſus præteritus nondum reuocatus. Imò non eſt neceſſarius conſenſus ſpecialis, ſed ſufficit quilibet etiam generalis, quia quilibet ſuſcipiens dicitur in ſuſceptionem Sacramenti conſentire; vt eſt conſenſus, quo quis catholicè viuens deſiderat vti Sacramentis Eccleſiæ, vel ea ſibi conferri, quando ipſis indiguerit, & tunc conſenſum præſumit Eccleſia in moribundo, quem extremè vngit, quamuis hoc Sacramentum non petierit.

Non requiritur ergo tanta intentio in recipientẽ, quanta requiritur in conferente: quia miniſter cùm ſit agens debet habere intentionem quæ ſit principium actus humani; ſuſcipiens autem eſt patiens, & ideò ſufficit, quod aliquando illam habuerit, & non ſit reuocata. Ita Hurtadus *de Sacrament. in genere, diſp.*4. *diffic.*

Dian. Suar. Trullench Sylu. 13. Diana *part.*5.*tract.*13.*reſol.*32. Suarez *loco citato diſp.* 14.*concl.*1. Trullench *in praxi reſolut. Sacrament. lib.*1. *cap.*5.*dub.*2. Syluius 3.*part. quaſt.*68. *artic.*7. Qui nouiſſimus obſeruat hæc non procedere in Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonij. Cùm enim actus pœnitentium, & contrahentium ſint materia iſtorum Sacramentorum, non eſt ſatis quod præceſſerit voluntas ea recipiendi, & non ſit reuocata; ſed oportet quòd pœnitens ſit confeſſus eo modo quo poteſt, quodque contrahentes ſuos conſenſus verbis aut alijs exterioribus ſignis exprimant.

Vide verb. Circumſtantia *num.* 5. Excommunicatio 2.*num.*3. Baptiſmus, Confirmatio, Confeſſio, Euchariſtia, Ordo, Matrimonium 1.*num.*2.3.*& ſeq.* Simoniã *num.*8.

SACRAMENTVM IV.

De effectibus Sacramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Duplex recenſetur effectus Sacramentorum?*
2 *An omnia Sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato?*
3 *Quæ Sacramenta dicantur mortuorum, quæ viuorum?*
4 *Quæ intentio ſeu voluntas requiratur in adultis ad valorem Sacramenti?*
5 *Quæ diſpoſitio requiratur ad conſequendam primam gratiam in Sacramentis?*
6 *An idem Sacramentum conferat æqualem vel maiorem gratiam ſubiecto æquè vel melius diſpoſito?*
7 *An gratia quæ confertur in Sacramentis ſit eiuſdem ſpeciei?*
8 *An Sacramenta ſint cauſa moralis vel phyſica gratiæ?* refertur duplex ſententia.
9 *An Sacramenta gratiam immediatè producant?*
10 *An aliquando Sacramenta cauſent gratiam ante illorum ſuſceptionem, vel poſt?*
11 *An omnia Sacramenta conferant gratiam recedente fictione?*

1. CVm duplex in vniuerſum ſit Sacramentorum effectus, *Primus* communis omnibus, & præcipuus qui dicitur gratia, quæ nihil aliud eſt quàm donum quoddam ſupernaturale, quo efficimur Deo grati, quod donum eſt qualitas quædam inhærens in anima, per quam fit iuſta coram Deo, ideoque digna vita æterna, quæ gratia dicitur iuſtificans. *Secundarius* effectus, aliquorum tantùm Sacramentorum proprius, & minùs principalis, eſt character, de quo ſuo loco actum eſt.

Notandum tamen eſt gratiam dupliciter conferri poſſe, *Primò*, ex opere operantis: *Secundò*, ex opere operato; tunc dicitur gratia conferri ex opere operantis ſecundùm Théologos, quando confertur ſolùm propter meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis: tunc verò gratia confertur ex opere operato, quando confertur, non propter ſolam diſpoſitionem ſuſcipientis, ſed propter aliquid aliud externum Inſtitutum à Deo ad conferendum gratiam vltra meritum, & diſpoſitionem operantis. D. Thomas 3.*p.q.*62.63. Reginald.*lib.*26. *num.*46. Tolet.*lib.* 2.c.16. *num.*7. Filliucius *tract.*1.*c.*6. Sayr. *lib.*5.c.1. *art.*3. & alij. D. Thom. Regin. Tolet. Filliuc.

2. De fide eſt, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, vt patet tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*7.*can.*7.*&* 8. tum ex varijs Scripturæ locis; vnde Hæretici grauiter errant, dum efficaciam gratiæ non tribuunt Sacramentis, ſed fidei: Præterea ſequitur, illum qui recipit Sacramenta cùm iam ſit in gratia Dei conſtitutus, recipere augmentum gratiæ, & niſi ponatur obex, gratiam ſemper conferri ſuſcipienti Sacramenta nouæ legis, obicem verò ponit ad gratiam, qui ſuſcipit Sacramenta ſine debita diſpoſitione, aut cum peccato mortali actualiter tunc commiſſo:

Præter effectum autem gratiæ ſanctificantis, qui omnibus Sacramentis communis eſt, in ſingulis Sacramentis dantur ſpecialia auxilia gratiæ actualis, proportionata fini illi ob quem Sacramenta ſingula inſtituta ſunt: hinc triplicem gratiam conferunt Sacramenta. *Prima* dicitur iuſtificans, & habitualis. *Secunda* dicitur gratiam virtutum, & donorum, vt fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, iuſtitiæ, &c. *Tertia* dicitur gratiæ ſacramentalis, quæ in ſingulis Sacramentis eſt diſtincta, cùm per hanc ordinentur ad diſtinctos fines. Ita D. Thomas *cit. q. 62. art. 1.* Victoria *de Sacrament. n. 6.* Filliucius *tract. 1. n. 9a.* Layman *lib. 5. tractat. 1. c. 6.* Suarez *diſput. 3. ſect. 3.* Syluius *3. p. q. 62. art. 1. quæſit. 2.*

D. Thom. Layman. Suar.

3. Quædam Sacramenta per ſe inſtituta ſunt ad tollenda peccata mortalia, adeoque ad hominem iuſtificandum ſeu gratiam primam conferendam ex opere operato, videlicet Baptiſmus, & Pœnitentia, quæ proinde Sacramenta mortuorum appellari ſolent à Theologis; reliqua verò Sacramenta viuorum ſunt, id eſt, per ſe inſtituta pro iuſtificatis ad iuſtitiæ augmentum, ſeu gratiam ſecundam conferendam ex opere operato: verumtamen ſicuti Sacramenta, quæ per ſe ad homines iuſtificandos inſtituta ſunt, ſi inueniant ſubiectum antea iuſtificatum, conferunt illi gratiam ſecundam, ſeu gratiæ augmentum, cùm nihil omninò obſtet ex parte ſubiecti, ita ſimiliter Sacramenta quæ per ſe inſtituta ſunt ad augendam gratiam ſanctificantem, ſi in ſubiecto gratiam primam non inueniant, operantur, & conferunt illam, modò in ſuſcipiente nullus obex iuſtificationis ſit. Suarez *d 7 ſect 4. & d 63. ſect. 1.* Reginal. *lib. 26. num. 45.* Henriquez *cap. 12. num. 2.* Layman *cit. c. 6. num. 2.* Bonacina *d. 1. q. 4. punct. 2. num. 2.* Syluius *3. p. q. 62. art. 1. quæſit. 1.* Diana *p. 5. tract. 13. reſol. 31.*

Suar. Regin. Henriq. Bonac. Diana.

Et hæc ſententia eſt magis pia oſtendens liberalitatem, & miſericordiam Dei, afferenſque ſecum conſcientiæ pacem, & tranquillitatem. Coninck *de Sacrament. q. 62. art. 1. dub. 2.* Vnde ſi quis, dum exiſtit in peccato mortali, bona fide recipiat Sacramentum Euchariſtiæ, vel Extremæ vnctionis, &c. credens ſe eſſe in gratia, non peccat, neque ponit obicem actualem ad gratiam, ergo recipit gratiam; nam Sacramenta infallibiliter conferunt gratiam non ponenti obicem, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 7.* gratia autem, quam hic recipit, non eſt ſecunda gratia, ſed prima. Tum quia peccatum non eſt obex, niſi quatenus eſt in conſcientia ſeu notitia peccatoris. Proinde ſi iuſtus accedat ad hæc Sacramenta cum putata conſcientia peccati, ponit obicem, & gratiam non recipit: ergo è contrario, ſi peccator accedat cum putata conſcientia contritionis, non ponit obicem, & gratiam recipiet, quia moraliter fecit, quantum in ſe fuit. Nec tenetur ad maiorem diligentiam, quia non tenetur ad diligentiam per quam contritio re ipſa ponatur; ſed per quam ponatur ſecundùm probabilem conſcientiam, & notitiam peccatoris: nam hæc eſt diligentia moralis, ad quam tantùm tenetur peccator, ne obicem ponat Sacramento.

4. Ad valorem Sacramenti requiritur in adultis, ſuſcipiendi propria voluntas ſeu intentio, ſaltem interpretatiua, quia per Sacramenta homines initiantur, & conſecrantur Deo, vt in eius Eccleſia, & cultu ſtabiles perſeuerent; ergo valde congruum eſt, vt proprium conſenſum afferant, ſi eius capaces ſint, videlicet adulti, at verò paruuli, & perpetuò amentes, cùm propriam voluntatem afferre non poſſint, Sacramenta ſuſcipiunt in fide ac voluntate Eccleſiæ ac Chriſti, ne ſi Sacramentorum incapaces ſint, omninò pereant. Vide D. Thomam *3. p. q. 68. art. 7.* Sylu. *ibidem*. Scotum *in 4. d. 4 q. 4.* D. Bonauent. *ibid. art. 2. q. 1.* Dian. *p. 5. tract. 13. reſol. 32.* & alios.

D. Thom. Syln. Scot. Dian.

In omnibus tamen Sacramentis non requiritur æquè expreſſa voluntas in adultis: nam ad Baptiſmum. Pœnitentiam, Ordinem, & Matrimonium, neceſſaria eſt voluntas actualis non quidem ipſa ſuſceptione; (nam tunc ſufficit habitualis ſeu interpretatiua; vt ſi quis dormiens vel amens baptizetur,) ſed vt ante præceſſerit, & non fuerit retractata: Eadem requiritur in Sacramento Euchariſtiæ; nam quamuis ſine vlla voluntate, aut etiam cum repugnantia voluntatis ſumi poſſit: illa tamen ſumptio non eſt Sacramentalis, ſed materialis tantùm, nec vllum habet effectum ſupernaturalem. Cæterum in Extrema vnctione videtur ſufficere voluntas interpretatiua, qua videlicet vnuſquiſque fidelis pœnitens ac bene diſpoſitus, vult frui omnibus Sacramentis ad ſuam ſalutem à Chriſto inſtitutis: hæc enim voluntas generalis acceptatur ab Eccleſia, vt ſi expreſſè petere non poſſit, cenſeatur ſufficienter diſpoſitus ad Sacramentum ſuſcipiendum. Vtrum autem talis voluntas ſufficiat ad Sacramentum Confirmationis quæri poteſt? & verius videtur non ſufficere, quia imprimit characterem, & continet profeſſionem quandam fidei Chriſtianæ.

Petes an præter hanc intentionem, aliquid aliud neceſſarium ſit vt Sacramentum ſit validum? Reſp. nihil; quia vt contra Hæreticos docent Catholici, nec prædeſtinato requiritur, nec iuſtitia, nec pœnitentia, nec fides. Excipitur tamen Sacramentum pœnitentiæ, in quo, quia eſt iudicium quoddam, hoc peculiare eſt, vt diſpoſitio ſuſcipientis, ſit ſubſtantialis pars Sacramenti, vt ſuprà oſtenſum eſt.

5. Ad conſequendam primam gratiam in Sacramentis, videlicet Baptiſmi, aut Pœnitentia, requiritur in adultis duplex diſpoſitio: vna in intellectu, altera in voluntate; in intellectu, requiritur fides, cùm ſine fide impoſſibile ſit placere Deo. In voluntate, requiritur attritio, ſeu dolor animi ex motiuo ſupernaturali ſuſceptus de peccatis, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.* Iuſti verò ad conſequendum gratiæ augmentum in Sacramentis, quæ viuorum ſunt, præter ſuſcipiendi voluntatem, alia bona diſpoſitione neceſſariò non indigent: quia Sacramenta ex opere operato conferunt effectum gratiæ non ponentibus obicem.

Notandum autem eſt, eos qui accedunt ad ſuſcipiendam Euchariſtiam vel alia Sacramenta, credentes ſe in gratia exiſtere, cum verè ſint in peccato mortali, debere actum attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant, & iuſtificentur; quæ attritio vniuerſaliter cadat ſuper omnia peccata, ſi ea nunquam ſint retractata. Ratio eſt, quia, vt ſuppono, peccatum remitti non poteſt ſine proprio actu peccatoris; ergo ſi ea nunquam fuerint retractata, vt poſſint virtute Sacramenti remitti, requiritur attritio, quæ ſaltem ſub generali ratione peccati illa retractet. Si autem illa ſint aliquando retracta, & poſtea inculpabiliter oblita, talis attritio non requiritur, ſed ſufficit bona fide ad Sacramentum accedere cum conſcientia ſtatus gratiæ: Nam hæc attritio non requiritur vt materia Sacramenti, quo pacto requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, cuius abſolutio cadere debet ſupra peccata confeſſa, & deteſtata, ſed vt conditio ſine qua gratia infundi, & peccatum remitti non poſſet: ergo ſi ſemel illa fuerint deteſtata, ſufficit, vt per gratiam virtute Sacramenti cauſatam remitti poſſint. Ita Suarez *d. 7. ſect. 4.* Coninck *n. 62. art. 1. dub. 2.* Bonac. *cit. q. 4. p. 2. n. 4.* Soto *de Sacram. in genere, lect. 9.*

Suarez. Bonac. Sotus.

6. Idem Sacramentum, confert æqualem effectum in ſubiecto æquè diſpoſito; quia vnumquodque Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promiſſione diuina; ergo ſi ex parte ſuſcipientis ſit æqualitas, etiam effectus erit æqualis; vnde ſequitur, ſecundùm legem ordinariam ex ſola Dei voluntate non augeri effectum Sacramenti, ſi par ſit diſpoſitio; nec merita parentum aut miniſtrorum poſſunt impetrare augmentum gratiæ in altero, ſine ipſius actu, & diſpoſitione, ſed tantùm bonum motum, quo ſe ad illam diſponat. D. Thomas *q. 69. art. 8.* Graſſijs *2. p. lib. 1. c. 4. num. 13.* Henriq. *lib. 1. c. n. 1.* Laym. *cit. cap. 6. num. 6.*

D. Thom. Henriq. Layman.

Idem tamen Sacramentum, in ſubiecto melius diſpoſito, confert maiorem gratiam: quia agens naturale inæqualiter operatur in ſubiecto inæqualiter diſpoſito, ergo etiam Sacramentum. Suarez *d. 7. ſectione quinta*. Filliucius *cit. numero 97.* An autem magis diſpoſitus recipiat maiorem gratiam non ſolùm ex opere

opera

operato,& ex vi Sacramenti, verùm etiam ex vi diſpoſitionis præciſè, dicendum eſt, ſi diſpoſitiones illæ ſufficiant extra Sacramentum, vt eſt contritio, & amor Dei ſuper omnia, magis diſpoſitus recipit ex vi diſpoſitionum aliquam gratiam præter Sacramentalem: Si verò diſpoſitio non ſit ſufficiens ad obtinendam gratiam extra Sacramentum, vt eſt attritio, non recipitur maior gratia ex vi illius diſpoſitionis præciſè vltra Sacramentalem. Sotus *4.d.6.quæſt.1.artic.6.* Bonacin.*c.p.3.num.3.* Suar.*cit.concl.3.*

Sotus. Bona. Suar.

7. Gratia quæ confertur in Sacramentis, non eſt diuerſa eſſentialiter, ſed eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus Sacramentis: accidentaliter tamen eſt diuerſa, & hæc diuerſitas accidentalis gratiæ Sacramentorum, conſiſtit in diuerſis auxilijs, quæ comitantur gratiam habitualem, vt obtineatur finis, ad quem Sacramentum eſt ordinatum, ſicut enim in quolibet Sacramento intenditur finis particularis; ita per quodlibet Sacramentum conferuntur auxilia ſpecialia ad conſequendum ipſius finem. D. Thomas *q.62.art.2.* Reginal.*lib.26.num.47.* Suarez *diſp.7.ſect.3.* Valent.*tom.4.diſp.3.q.3.punct.2.* & alij. Varietas enim Sacramentorum ordinatur ad varios effectus producendos, alioquin ad vnum effectum, ſuffeciſſet vnum Sacramentum: ſed gratia habitualis, quæ per omnia Sacramenta confertur, vniformis eſt; ergo præter hanc, debet dari alia gratia, quæ reſpondeat ſingulis Sacramentis; non apparet autem alia, niſi auxilium ſpeciale, ad finem cuiuſque Sacramenti conſequendum, de quibus agimus ſuis locis.

Regin. Suar. Valent.

8. Secundùm probabiliorem Doctorum ſententiam, Sacramenta ſunt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ, quia illa eſt cauſa moralis inſtrumentalis, cuius intuitu cauſa phyſica aliquid producit, ſed Dei intuitu Sacramentorum repræſentantium merita Chriſti, producit gratiam, ergo. Tum quia Patres, Concilia, & Scripturæ teſtantur, Sacramenta eſſe veras cauſas gratiæ: atqui ad hoc ſaluandum ſufficit cauſalitas moralis, ergo non eſt ponenda phyſica: quia ſuperflua eſt phyſica, vbi ſufficit moralis: non enim minùs ſcripturæ docent Paſſionem Chriſti eſſe cauſam noſtræ ſalutis, quàm Sacramenta gratiæ: ſed Paſſio, & Sanguis Chriſti non ſunt phyſica, ſed moralis cauſa noſtræ ſalutis; ergo nec Sacramenta gratiæ: quia quod non eſt, non poteſt phyſicè cauſare: atqui Paſſio, & Sanguis Chriſti effuſus, quo pacto eſt cauſa noſtræ ſalutis, nunc non eſt, ergo non poteſt illam phyſicè cauſare. Ita D. Bonauentura *in 4.diſt.1.art.4.q.2.* Scotus *ibid. diſt.1.quæſt.5.* Alenſis *4.part.q.5.membr.3.art.5.§.3.* Coninck *q.62.art.4.* Valent.*cit.punct.1.* Sayr.*lib.5.c.3.art.2. & 3.* & alij.

D. Bonau. Scotus. Coninc. Valent.

Probabile etiam eſt Sacramenta ad modum cauſæ phyſicæ eſſe cauſas gratiæ: quia non implicat tribuere Sacramentis talem efficientiam, & id redundat in maiorem Chriſti gloriam, & honorem Sacramentorum; ergo de facto tribuenda eſt, quia probabile eſt humanitatem Chriſti eſſe cauſam phyſicam, tanquam inſtrumentum coniunctum: quare congruè Sacramenta eſſe poterunt inſtrumentum ſeparatum gratiæ. Diuus Thomas *3.p.q.62.art.3.& 4.* Suarez *diſp.9.ſect.2.* Henriq.*lib.1.c.16.n.4.* Bona.*cit.punct.6. num.4.* Syluius *3.p.q.62.art.1.quæſit.3.* & alij.

D. Thom. Suar. Henriq. Bonac. Sylu.

9. Cùm Sacramenta contineant, & conferant gratiam, hinc illam producunt immediatè: gratia verò quæ producitur per Sacramenta, dicitur educi de potentia animæ; quia in eſſe, & fieri dependet ab anima, tanquam à cauſa materiali, cùm accidens non poſſit eſſe realiter ſine ſubiecto: ſubiectum verò gratiæ, ſit anima. D. Thom.*cit.q.62.art.3.* Syluius *ibidem.* Suarez *diſputat.9.ſect.1.* Henriquez *lib.1.c.17.* Becanus *2.part.tract.4.c.3.q.6.*

D. Thom. Sylu. Suar. Henriq.

10. Sacramenta nunquam cauſant gratiam ante ſuſceptionem illorum, quia non eſt facta promiſſio effectus Sacramenti, niſi reali ſuſceptioni ipſius: nec obſtat quòd Baptiſmus in voto receptus delet originale peccatum, & infundit gratiam: idem eſt de pœnitentia recepta in eius voto: gratia enim quæ tunc recipitur, non eſt effectus ex opere operato illorum Sacramentorum, ſed contritionis, & diſpoſitionis ipſius operantis. Vnde ſi quis putet ſe contritum, & tantùm attritus ſit, nihil illi proderit votum Sacramenti ad perfectam iuſtitiam conſequendam, niſi realiter Sacramentum applicetur; quod ſignum eſt, totum illum effectum reſpondere diſpoſitioni operantis, quamuis habeat ſimilitudinem cum effectu Sacramentali: quemadmodum dicimus effectum ignis, id eſt, calorem, frequenter prouenire à Sole, propter ſimilitudinem vtriuſque effectus. Notandum autem eſt, non omnem effectum Sacramentalem poſſe obtineri ex vi voti ipſius, etiam modo iam explicato; nam character, verbi gratia nunquam ſic imprimitur, nec obtinetur remiſſio omnis pœnæ, ſine condigna ſatisfactione, & fortaſſis aliquid genus auxilij datur per Sacramenta realiter ſuſcepta, quod ſine illis nunquam confertur. Alenſis, Sotus, Ledeſma apud Suar. *d.8.ſect.1.& 2.* Henriquez *lib.1.cap.19.* Syluius *cit.quæſt.3.in fin.*

Suar. Henriq. Sylu.

Cauſant ergo Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, gratiam, quando ſunt in eſſe completo Sacramenti, id eſt, in eo inſtanti intrinſeco, in quo materia, & forma habent perfectam ſignificationem, quia cauſa efficax ſtatim atque eſt, operatur, ſi ex parte effectus non ſit repugnantia aut ex parte ſubiecti: at Sacramenta ſunt cauſa efficax, & ex parte gratiæ non repugnat ſtatim fieri. Coninck *q.62.art.1.dub.4.num.62.* Filliuc.*tract.1.c.6.quæſt.6.* Bona.*cit.quæſt.4.punct.7.*

Coninc. Filliuc. Bonac.

Porrò, in tempore ſubſequente Sacramenta non conferunt effectum ſuum, niſi quando fictè ſuſcepta fuiſſent: quædam enim Sacramenta conferunt ſuos effectus, poſtquam ſuſcepta ſunt, remoto obice, qui erat tempore ſuſceptionis: quia quædam ex illis habent peculiares quoſdam effectus, & iterari non poſſunt: dixi remoto obice, quia ſi Sacramentum dum ſuſcipitur, ſuum effectum conferat, certum eſt poſtea non conferre alium ſimilem; quia tantùm ordinatur ad vnum adæquatum effectum gratiæ conferendum, excepto auxilio actuali, quod pro opportunitate, & hominis præparatione ſæpius datur. Sed quia magna eſt concertatio inter Doctores, an omnibus Sacramentis hoc conueniat, an quibuſdam tantùm, & quæ ſint illa, ideò ſequentem reſolutionem ponimus.

11. Non eſt improbabile, commune eſſe Baptiſmo, Confirmationi, & Ordini, habere effectum gratiæ ſanctificantis, recedente fictione: quia cùm hæc Sacramenta ſecundùm ſe initerabilia ſint, illorum effectus alioquin non poſſet vnquam haberi ab illis, qui ficti erant, cùm ea ſuſciperent. Ita Maior *in 4. d.4. q.4.* Paludanus *ibid. q.5.* Gabriel *d.17. q.1. art.5.* Sylueſter *verb. Baptiſmus 4.quæſt.17.* Syluius *3.p.quæſt.69. art.10. quæſt.2.* Licet Scotus *4. d.6. quæſt.1. art.8.* hoc priuilegium ad ſolum Sacramentum Baptiſmi reſtringi. Imò nonnulli Doctores hoc concedunt etiam reliquis Sacramentis, quorum ſententiam libenter amplectitur Diana *p.3. tract.4. reſol.14.* quia multum extollit, & amplificat dignitatem Sacramentorum. Ita Caietanus *tom.1.opuſc. tract.5.q.5.* Cabrera *3.p.quæſt.69.art.10.diſp.4. num.9.* & Suarez *3.p.t.3.diſp.63.ſect.8.* cum Caſpenſi *tractat.21.diſp.6.num.*: 1. ex parte, qui negatiuam ſententiam docent quoad Sacramentum Euchariſtiæ. De hac quæſtione iterum Diana *part.5.tractat.13.reſolut.30.*

Caiet. Suar. Caſp.

Diana.

Et quidem valde probabile eſt, de Sacramento Extremæ vnctionis, & Matrimonij; quæ licet ſint Sacramenta iterabilia, non tamen frequentabilia: nam Matrimonium non poteſt iterari viuente coniuge; nec Extrema vnctio in eadem ægritudine, eodemque ægritudinis ſtatu. Durum autem eſt negare in perpetuum coniugibus, & vltimo vnctis gratiam Sacramentalem, quando in peccato mortali, ea Sacramenta ſuſceperunt; nam ea gratia eſt illis valde neceſſaria, vel ad onera Matrimonij leuius ferenda, vel ad reſiſtendum diabolo in vltimo iſto conflictu; ergo, &c.

Dices, ergo, ſi obex non tollatur, niſi ſoluto matrimonio aut poſt ſanitatem recuperatam, nihil conferetur vi Sacramenti, quia ceſſat illa neceſſitas, in qua

illi erant ratione ſtatus. Reſp. eſſe argumentum valde probabile, nec vllum eſt incommodum hoc admittere, præſertim ſi ſola neceſſitas ſtatus, putetur eſſe cauſa conferendæ huius gratiæ. An autem alio titulo poſſit illa gratia conferri, incertum eſt.

Item veriſimile eſt, & probabile confeſſionem informem remoto obice habere ſuum effectum, vt ſuprà diximus *verb. Confeſſio Sacramentalis VI. num.9.* Nam ſicut peccata mortalia, ante Baptiſmum commiſſa, non poſſunt niſi per Baptiſmum remitti; ita peccata mortalia poſtea commiſſa, non remittuntur niſi per confeſſionem informem, & non per confeſſionem ſequentem; quia non eſt neceſſe, illa peccata rurſum confiteri; ergo ex vi confeſſionis præcedentis. Hæc ſententia eſt communiter recepta in ſchola D. Thom. vt aſſerit Diana *p.2.tract.17.reſol.31.& p.3.tract.4.reſol.65.* Ratio horum omnium eſt, quod ſicut gratia prius collata per Sacramentum, & deinde per peccatum amiſſa, poſtea per pœnitentiam reparatur; quia ad illum effectum, iam ſemel fuerunt applicata Chriſti merita, quæ ſemper manent in diuina acceptatione; ita etiam gratia, quæ danda erat per Sacramentum, niſi inueniſſet obicem, redit poſtea oblato impedimento, quia merita Chriſti ſuo modo fuerunt applicata, & acceptata à Deo, ad illum effectum.

D. Thom. Diana.

Hoc tamen intelligendum eſt iuxta rationem, & neceſſitatem cuiuſque Sacramenti: nam non eſt veriſimile hoc eſſe tribuendum Sacramento Euchariſtiæ, alioquin Sacerdos perditus, qui quotidie indignè communicat, per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ, conſequeretur omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuiſſet, ſi ſempe dignè communicaſſet. Quamuis contraria ſententia Caietani, & aliorum ſit etiam probabilis; ſaltem ob authoritatem, & ex principio extrinſeco.

Vide in particulari de Sacramentis, verb. *Baptiſmus, Confirmatio, Confeſſio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium.*

SVPPLEMENTVM.

Sacramentalia,

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalium nomine, quæ intelligantur?* Remiſſiuè.
An Sacramentalia cauſent remiſſionem peccatorum venialium, non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato? refertur duplex ſententia.
2 *An aqua benedicta præter remiſſionem venialium cauſet plures alios effectus? Et an ex opere operato?* refertur duplex ſententia. *Et an ſemper.*

1. SAcramentalium nomine intelligunt fideles aut actiones, aut res ſacras quibus peccatorum venialium remiſſio obtinetur, vt diximus *tom.1.verb. Pœnitentia IV.num.7.*

Doctores conueniunt quòd huiuſmodi Sacramentalia cauſent remiſſionem venialium ex operantis, & per modum impetrationis, ſunt enim opera bona quæ ordinare poſſumus, vt medijs illis remittatur veniale; tum etiam multa illorum habent vim obiectiuam ad excitandam in nobis deteſtationem venialium, vt eſt confeſſio generalis, & tunſio pectoris, Oratio Dominica, &c.

Difficultas eſt, an Sacramentalia cauſant remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, hoc eſt, ex vi, & inſtitutione ſua? Plurimi negant hanc vim Sacramentalibus, & probant *Primo*, quia non eſt in Eccleſia poteſtas à Chriſto Domino illi conceſſa ad inſtituenda Sacramentalia, quæ ex opere operato, & per modum Sacramenti remittant venialia, ergo, Tum quia res iſta eſt magni momenti, & ſolùm pendens eſt voluntate Chriſti, quæ voluntas venanda nobis eſt, vel ex nouo Teſtamento, vel Patrum teſtimonijs, Summorum Pontificum, aut alicuius Concilij determinatione, ſed nihil horum reperitur in præſenti. Ergo.

Secundò, quia aliàs Sacramentalia eſſent Sacramenta, quia veniale dimitti non poteſt ſine gratiæ infuſione, vel ſine eo quod gratia ſpecialiter ordinetur ad peccatum illud delendum, quod eſt munus proprium Sacramenti.

Tertiò, quia aliàs ſumens aquam benedictam cum deuotione ad res diuinas, & cùm hæc deuotio non magis reſpiciat vnum veniale, quam aliud, vna aſperſione, omnia venialia delerentur, quòd eſt abſurdum. Hanc ſententiam ſuſtinent Suarez *to. 4. in 3. parte diſp.13. ſect.2.* Vaſquez *3. parte quæſtion.87. articulo 3. dubio 1.* Iacobus Granadus *controuerſ.7. de pœnitent.tract.4.diſput.3.ſect.2.* Coninck, Becanus, Layman, Reginaldus, Filliucius, & tota ferè Societatis Schola, poſt D.Thomam *3.part. quæſt.87.artic.3.* vbi ait: *Ad primum dicendum quod omnia iſta Sacramentalia cauſant remiſſionem venialium peccatorum in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, quod eſt deteſtatio peccatorum implicitè vel explicitè.* Idem ferè habet *in 4.diſtinct.16.quæſt.2.art.2. quæſtiunc.4.ad 2.*

Vaſq. Granad.

E contra Thomiſtæ ferè omnes aſſerunt Saramentalia omnia ex opere operato immediatè vt inſtrumenta phyſica cauſare remiſſionem peccatorum venialium in homine bene diſpoſito circa Deum vltimum finem per gratiam, & bene affecto actualiter circas res ſacras, & diuinas, quibus Eccleſia inſtituit hanc remiſſinoem cauſari. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia Chriſtus reliquit in Eccleſia poteſtatem inſtituendi ſigna efficacia, ſenſibilia, quæ continerent, & efficerent remiſſionem peccatorum venialium, ergo ſi iſta applicentur ſubiecto bene diſpoſito, ex opere operato cauſabunt talem remiſſionem.

Probatur hoc ex illo Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis;* vbi Chriſtus de omnibus peccatis, tam mortalibus, quàm venialibus loquitur, Et cùm Concil. Trid. *ſeſſ 14.c.5.* loquens de peccatorum venialium remiſſione extra Sacramentum Pœnitentiæ, dicat, quod *multis alijs remedijs expiari poſſunt*. Neque Chriſtus inſtituerit aliquod aliud cui competat per ſe talis remiſſio, ſequitur Eccleſiam id poſſe inſtituere. Si enim Sancti Patres, & omnes Eccleſiaſtici ex iſto loco probent dari in Eccleſia poteſtatem concedendi Indulgentias quibus ex opere operato remittatur per ſe pœna debita pro culpis iam expiatis; eiſdem verbis ſignificatur poſſe Eccleſiam inſtituere ſigna ſenſibilia, quæ ex opere operato venialia remittant neque enim videtur cur ex præfato teſtimonio vnum colligatur, & non aliud, cùm verba Chriſti vniuerſalia ſint, ſignificantia ampliſſimam poteſtatem eſſe conceſſam ad ſoluendum, & ligandum.

Deinde poteſtas quam habet Eccleſia Romana eſt poteſtas ſummi Sacerdotij, participata tamen à ſumma poteſtate excellentiæ Sacerdotij noui, quæ in Chriſto reſidet primo, & per ſe, & ex natura ſua, à qua ſicut immediate accipiunt ſuam efficaciam Sacramenta, ita, & Sacramentalia; quæ etſi inſtituta ſint ab Eccleſia immediatè, tamen efficacia ex operé operato ad remiſſionem venialium à Chriſti Sacerdutio promanat, & in ipſum, vt in primam radicem eſt refundenda, quamuis immediatè cauſetur à poteſtate, & Sacerdotio participato capitis viſibilis Eccleſiæ, ex quo iſta Sacramentalia habent ſpecialem capacitatem vt ſint inſtrumenta Dei ad cauſandum effectum ad quem ſunt inſtituta. Proinde hanc ſententiam ſuſtinent Caietanus *in 3. part. quæſt. 83. articulo 3.* Nugnus *quæſt 87.artic.3.differentia 2.* Candidus *diſquiſit.24. artic.35.dub.2.* Dominicus Sotus *in 4. diſtinct.15.quæſt.2.art.3.§.in contrarium.* Martinus Ledeſma *in 4.part.1.quæſt.28.art.3.dub.3.& par.2.quæſt.73.art. 2.* D.Antonius *1.parte Summ.tit.10.cap.1.§.5.* Viguerius *de pœnitent.cap.16.§.4.verſ.8.* Valentia *3.part.diſp.7.quæſt. 4.punct.1.verſ. Eſt autem hic.* Et nouiſſime Thomas Hurta-

Caiet. Sotus. Ledeſm. Valent. Hurtad.

Digitized by Google

Hurtado *part.2.tract.ult.variar.reſolut.9.* qui §.3. probat hanc ſententiam tenuiſſe D. Thomas 3.*part.quæſt.*87.*art.* 3.*in ſolut.ad* 1.2.*&* 3.quem pro ſe adducit contraria opinio.

Hæc ſunt placita Doctorum, quorum prima ſententia eſt valde probabilis, ſecunda autem magis pia augenſque fidelium deuotionem, & conformior decretis Sanctorum Patrum.

2. Nulli dubium eſt, aquam benedictam non ſolùm cauſare venialium remiſſionem ſed plures alios effectus, quales ſunt, ſanitas corporis, auerſio inſidiarum Dæmonum, defenſio à phantaſmatibus, & verſutijs inimici. Et ſic Eccleſia in exequijs mortuorum corpore præſente aqua benedicta corpus, & tumulum aſpergit, ad fugandos dæmones, ne fideles inquietent, tum etiam, vt defuncto deſeruiat ad remiſſionem pœnæ temporalis. Propterea Concilium Nannetenſe *capite quarto*, *& quinto*, ſtatuit, quod aqua benedicta aſpergantur manſiones, agri, vineæ, pecora, & eorum pabula, cibus etiam, & potus conſpergatur.

Dubium tamen eſt, quomodo aqua benedicta, ſignum Crucis, Exorciſmi Eccleſiæ hos effectus operentur, an ex opere operato, an ſolùm ex opere operantis? Negant Suarez *tom.4.in 3.part. diſp.*12. *ſect* 2. Coninck *quæſt.*71. *artic.*3. *dub. vnic.* aſſerentes hos effectus non cauſari ex opere operato, ſed ſolùm impetratoriè, & meritoriè, ratione precum Eccleſiæ, vel modum imperij orti à poteſtate quam Deus contulit Eccleſiæ calcandi Dæmones, & eos eijciendi à corporibus. At Thomiſtæ ferè omnes adducti affirmant, quia dicunt Patres aquam benedictam habere vim, virtutem, poteſtatem, & efficaciam ad depellendos dæmones, fugandam infirmitatem, & extirpandas fraudes inimici: Et hoc petit Eccleſia in benedictione aquæ, dicens: *Virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens ad abigendos dæmones, morboſque pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum.* Igitur cùm vniuerſalis Eccleſia hanc virtutem pro aqua expoſcat orationibus inſtans, quia negabit eam conſequi, & impetrare à ſuo ſponſo Chriſto? Et quidem cùm hæc virtus phyſica inſtrumentalis non repugnet, prudenter iudicandum eſt eam expoſcere, cùm oratio Eccleſiæ in ſignificatione propria ſit intelligenda, quando nullum ſequitur abſurdum.

Quare ſicut Apoſtoli per gratiam gratis datam miraculorum phyſicè tanquam inſtrumenta dæmones expellebant, & curationes cauſabant, ita etiam nunc Eccleſia, & miniſtri eius, per Exorciſmos, & aquam benedictam ſupernaturali virtute illis communicata hæc operantur.

Cæterùm, quamuis aqua benedicta, & alia Sacramentalia habeant hanc energiam, & efficaciam ad hos effectus cauſandos ex opere operato, vt volunt Thomiſtæ, non tamen ſemper eos cauſant: cuius effectus impedimentum poteſt eſſe, vel quia nobis non expedit, vel ex defectu fidei, tam operantis, quàm obſeſſi, vel quia iſte nondum luit pœnas debitas: vel quia Deus prohibet occultis modis, cùm id iuſtum, atque vtile iudicat: cùm enim virtutem iſta efficiendi donet Deus huiuſmodi rebus per modum tranſeuntis ad efficienda hæc mira, poteſt vt libuerit dare, vel non dare, vt docent Victoria *in relect. de Magia*, *quæſt.*5. Sotus *in 4.diſtinct.*6. *quæſt.*2. *articulo* 3. Thomas Hurtado *part.2.tract. vlt. reſolut.* 9. *numer.* 493. Thyreus 3. *parte de dæmonibus*, *cap.* 44. *numer.* 612. Delrius *lib.3.diſquiſit. quæſt.*71. *artic.* 3. & alij.

***

SACRILEGIVM I.

De Sacrilegio extra genus luxuriæ.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſacrilegium?*
2 *An tres ſint ſpecies ſacrilegij?*
3 *Quot modis ſacrilegium contra perſonam contingere poſſit?*
4 *De ſecunda ſpecie ſacrilegij quæ fit contra ſanctitatem loci ſacri? Et quis dicatur locus ſacer?*
5 *Quæ iure prohibeantur fieri in loco ſacro?*
6 *Quibus actibus polluatur Eccleſia?*
7 *Notanda quædam circa ſepulturam excommunicati, Cathecumini, & non baptizati?*
8 *An polluta Eccleſia cenſeatur etiam pollutum cæmeterium illi contiguum? Et quis poſſit Eccleſiam pollutam reconciliare.*
9 *Qui actus forenſes prohibeantur fieri in Eccleſia?*
10 *An ſit ſacrilegium Eccleſiam infringere, aut ſuis bonis ſpoliare? Contra effringentes, & ſpoliantes Eccleſias eſt excommunicatio à iure lata.*
11 *De ſacrilegio quod fit per abuſum Sacramentorum, & profanationem aliarum rerum ſacrarum.*

1. SAcrilegium, dicitur à ſacris legendis, id eſt, ſuffurandis, vnde primò videtur impoſitum ad ſignificandum furtum rei ſacræ, poſtea tamen extenſum eſt ad ſignificandam omnem iniuriam vel violationem rei ſacræ, rectè ergo ſacrilegium definitur, *violatio rei ſacræ.* Res ſacra vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata eſt; hæc dicitur violari, quando indignè ſeu contra reuerentiam Deo in rebus ipſi dicatis debitam tractatur. Suarez *lib.3.de ſacrileg.cap.*1. Leſſius *lib.2.cap.*45. *n.*6. Layman *lib.*4 *tract.*10.*cap.*7. D. Thom. 2.2. *quæſt.*99. *art.*1. Syluius *ibidem*, & alij. D. Thom. Syluius.

2. D. Thomas *cit.art.*3. pro diuerſitate rerum ſacrarum ſeu Deo dicatarum, tres ſpecies ſacrilegij diſtinguit, vnam contra perſonas ſacras, alteram contra loca ſacra, tertiam contra res alias ſacras; & nullum eſt ſacrilegium, quod ad tria hæc reduci non poſſit, & ſpecies hæ ſufficientem diſtinctionem habent in ratione ſacrilegij, & ſub illis nihil includitur, quod rationem ſacrilegij non habeat: Nomine perſonarum ſacrarum, veniunt Clerici, & Religioſi, ſiue ſint profeſſi ſiue non: Nomine locorum ſacrorum veniunt, Templum auctoritate Epiſcopi conſecratum, Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca per Epiſcopum conſecrata. Nomine rerum, veniunt Sacramenta, Vaſa ſacra, Veſtes ſacræ, & alia, quæ ſignificant res ſacras: ideò committitur ſacrilegium, violando ea quæ vel ſignificant ſacra, vt ſunt verba ſacra, vel repræſentant ſacra, vt ſunt imagines Chriſti, & Sanctorum, vel adhibentur tanquam inſtrumenta in ſacris adminiſtrandis, vt ſunt Calices, vel efficiunt ſanctitatem, vt ſunt Sacramenta. Ita etiam Syluius *ibid.* Azor. 1. *part. lib.*9 *c.* 27. Filliucius *tract.*24. *num.*222. Bonacina *tom.*2 *d.*3.*q.*6. *p.vnic.* Reginald. *lib.*19.*n.*57. Leſſius *cit. dub.*3. Nauar. *c.* 27 *n.*98. Sylu. Azor. Filliuc. Bonac. Reginald. Leſſius.

3. Sacrilegium contra perſonam quatuor modis contingere poteſt. *Primò*, inferendo manus violentas in Clericum vel Religioſum, aduerſus priuilegium canonis, quod ex motiuo virtutis religionis Eccleſiaſticis, atque Deo ſacratis perſonis conceſſum eſt; malitia autem huius ſacrilegij primariò oritur ex prohibitione Eccleſiæ intuitu religionis, vnde etiam ſublata excommunicatione, remanente prohibitione, adhuc eſſet ſacrilegium; *C. ſi quis ſuadente* 17.*q.*4. Suarez *cit.cap.*2 *num.*4. *&* 5. Bonac. *cit. num* 5. Suar. Bonacina.

Secundò, committitur ſacrilegium, perſonas Eccleſiaſticas ſubijciendo fori ſæcularis iudicio, aduerſus priuilegium exemptionis earum, & hoc ſacrilegium diuerſum eſt à percuſſione, vnde ſi Iudex tanquam priuata perſona feriat Clericum, vel tanquam Iudex illum violenter detineat, non ſatisfaceret confeſſioni dicendo ge-

Filliuc. Layman. Leſſius. Bonac.

neraliter ſe manus violentas in Clericum inieciſſe, ſed debet exprimere, ſe id feciſſe iuriſdictionem exercendo, ideoque multiplicantur cenſure. Filliuc. *cit. num.* 227. & 228. Layman *cit. cap.* 7. *num* 3. Leſſius *cit. n.* 12. Bonac. *cit. num.* 3.

Filliuc. Layman. Leſſius.

Tertiò, eſt ſacrilegium per impoſitionem tributi exigere temporalia bona à clericis iniuſtè, quia fit contra immunitatem aliquam Clericis conceſſam, fiet ergo peculiaris iniuria, & conſequenter erit ſpecies diſtincta ſacrilegij; *C. non minus de immunit.* Filliuc. *cit. n.* 230. Laym. *cit. n.* 30. Leſſius *cit. num.* 12.

D. Thom. Sylu.

Quartò, luxuriosè violando corpus perſonæ Deo ſacratæ per votum continentiæ perpetuæ; quod intelligendum eſt, tam de perſona, quæ aduerſus proprium votum fornicatur, quàm de altera, quæ illam violat, ſeu turpitudinis complex eſt. Ita D. Thom. *cit. quaſt.* 99. *artic.* 3. Sylueſter *v. Sacrilegium*.

4. Ad ſecundam ſpeciem ſacrilegij pertinent omnia, quæ fiunt contra ſanctitatem loci ſacri: locus ſacer cenſetur ille, qui publica auctoritate deputatus eſt ad ſacrificium Miſſæ, vel alia Eccleſiæ Sacramenta, aut diuina officia peragenda, tametſi necdum conſecratus aut benedictus ſit, priuata autem Oratoria non conſecrata, nec benedicta, aut Eremitoria, inter loca ſacra numerari non debent, tametſi Epiſcopus licentiam dederit Miſſæ ſacrificium in iis celebrandi, quapropter neque Eccleſiaſtica immunitate talia priuata oratoria gaudent. Sylueſt. *v. immunitas* 1. *q.* 1. Suar. *cit. lib.* 3. *c.* 4. Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *diſput.* 15. *q.* 3 *num.* 39. Notandum tamen eſt, locum ſacrum latiùs patere quam Eccleſiam: nam locus ſacer ſeu religioſus cenſetur quicumque ad vſum pium, ac religioſum publicè deſtinatus, ac veluti Deo dicatus eſt, ideoque vſibus profanis deputari amplius non poteſt, vnde locis ſacris ſeu religioſis annumerantur etiam Monaſteria, & Xenodochia Epiſcopi authoritate erecta, Eccleſia verò appellatur locus, qui ab Epiſcopo conſecratus, aut alia ratione, v. g. crucis erectione deputatus eſt ad publica officia diuina, & Sacramentorum vſum. Secundùm verò extenſionem priuilegiorum nomine Eccleſiæ in fauorabilibus, veniunt etiam Monaſteria, Xenodochia, & alia pia loca. Laym. *lib.* 4 *tract* 10. *c.* 7. *num.* 6. Couar. 2. *reſol. c.* 20. *num.* 4. Sà *v. Eccleſia n.* 1. Sylueſt. *v. Hoſpitale num.* 4.

Sylu. Suar. Sanchez.

Layman. Couar. Sà. Sylueſt.

5. Sacrilegium committitur quoties fit id, quod iure prohibetur in loco ſacro ſeu in Eccleſia. Prohibita autem, ad tria capita reuocari poſſunt. *Primum* eſt, facere actum in ea quo ipſa polluitur. *Secundum*, vti Eccleſia tanquam communi, & vulgari loco ad actum profanum in ea exercendum. *Tertium*, violare immunitatem loci ſacri. Suarez *lib.* 3. *c.* 4. Filliuc. *cit. n.* 235.

6. Ad primum caput, reuocantur quinque actus prohibiti in Eccleſiæ, quibus ipſa polluitur. *Primus* eſt, occiſio hominis quæ ſit culpabilis, ſiue ſit voluntaria, ſiue caſualis. *Secundus* eſt, effuſio humani ſanguinis, poteſt enim eſſe effuſio abſque homicidio, & hoc ſine illa, vt ſi ſuffocetur homo. *Tertius* eſt, effuſio humani ſeminis. *Quartus*, ſepultura excommunicati vitandi. *Quintus*, ſepultura non baptizati. *C. Propoſuiſti, de conſecrat. C. vn. de conſ. in* 6. *C. conſuluiſti, de conſecr. C. Eccleſiam, de conſecr. d.* 1. Sylu. 3. *p. quaſt.* 83. *art.* 3. *quaſt.* 1. Quoad primum eſt dicendum, vt homicidium Eccleſiam violet, debet eſſe voluntarium, & iniurioſum, & intra ipſam Eccleſiam patratum, & conſummatum. Hinc excluditur homicidium caſuale, inuoluntarium, ſupra Eccleſiæ tectum, vel circa ipſius parietes factum: violatur autem Eccleſia per mortem rei in Eccleſia à Iudice executioni datam; quia talis mors non ſolùm eſt iniurioſa Eccleſiæ, ſed etiam reo, qui ius habet in tali loco non interfici. Quoad ſecundum attinet, debet ſanguinis effuſio eſſe iniurioſa, vnde ſi fiat ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab amente, vel à furioſo, vel à puero vſum rationis nondum attingente, vel caſu à tegula cadente, non polluitur Eccleſia, quia effuſio propriè non eſt iniurioſa. Reginald. *lib.* 29. *n.* 180. Suar. 3. *p. cit. d.* 81. *ſect.* 4. *de Euchar.* Graffiis *lib.* 2. *c* 48. *n.* 24. & 25. Coninck *q* 83. *art.* 3. *dub.* 1.

Reginald. Suar. Coninc.

Præterea requiritur aliqua ſanguinis abundantia, & non ſufficiunt duæ vel tres guttæ, imò ſecundum Graffium & Coninckum, non ſufficit emiſſio ſanguinis è naſo, vt accidit in rixa puerorum, & aliorum, ſaltem quando non ſufficit ad peccatum mortale. Imò etiamſi effuſio ſanguinis ſit lethifera, ſeu grauis & in magna quantitate: quia naſus eſt organum ſanguinis faciè ab hac parte fluentis. Ita Fagundez, Sà, Marchinus, & alij citati à Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 24. Polluitur etiam Eccleſia ſi vulnus fiat in ipſa, & effunditur ſanguis extra, è contra non pollueretur, quando aliquis vulneratur extra Eccleſiam, & poſtea ſanguinem fundit in illa. Imò nec ſacrilegium eſt, nec violatur Eccleſia, quando aliquis in illa exiſtens telo, vel ſclopeto, vel armis miſſilibus, vulnerat, percutit, vel confodit eum, qui extra illam, & cœmeterium illius, nec circumſtantia ſacrilegij tunc confitenda eſt, cùm reuera tale ſacrilegium non detur, quia non conſummatur peccatum, nec actio occiſionis, aut vulnerationis in loco ſacro, ſed extra illum: ſic qui exiſtens in Eccleſia, & deliberato conſenſu intendit aliquem occidere extra illam, non committit ſacrilegium; ſecus ſi exiſtens extra Eccleſiam, in illa deſideraret occidere, vt diximus ſupra *v. Circumſtantia num.* 8.

Nec etiam ſacrilegium eſt, ſi vnum occidas, aut vulneres in loco ſacro, quem nec formaliter, nec virtualiter intendebas occidere vel vulnerare, intendendo tamen alium, quia mors, & occiſio reſpectu illius fuit inuoluntaria omnino, & ſine peccato, & merè caſualis; vnde talis nec irregularitatem, *c. ſi quis, de homicid. voluntar.* incurret, vt communiter hodie docetur in materia irregularitatis, & notant Suarez *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. Fagundez *precept.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *num.* 15. quoad tertium actum, ſcilicet effuſionem ſeminis humani, dicemus infra. Suar. Fagund.

7. Quoad quartum, notandum eſt quando ſepelitur excommunicatus vitandus, illius oſſa proiicienda eſſe è loco ſacro, modò dignoſci poſſint ab oſſibus fidelium. Bonacina *de matr. d.* 4. *punct. vlt. num.* 22. Circa quintum eſt aduertendum Eccleſiam non pollui, quando in ea Catechumenus ſepelitur ante ſuſceptum Baptiſmum, nam præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo flaminis. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 24. & 26. Porrò filius poteſt ſepeliri cum matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius ſuſceperit Baptiſmum; tunc enim filius cenſetur pars matris. Vt docet Syluius citatus ſupra: ſecus ſi ſit natus, & non baptizatus.

8. Polluta Eccleſia cenſetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum; quia cœmeterium conſecratum gaudet eodem priuilegio, quo Eccleſia, & eſt acceſſorium Eccleſiæ; acceſſorium autem ſequitur principale; & nobilius trahit ad ſe minus nobile. Polluto verò cœmeterio, non cenſetur polluta Eccleſia, quia minus nobile non trahit nobilius. *C. vnic. de conſecrat. in* 6. Henriquez *lib.* 9 *cap.* 27. *num.* 5. Sayr. *cit. num.* 10. Coninch *cit. num.* 234. Aduertendum autem eſt diſcrimen inter Eccleſiæ pollutionem, & execrationem. Nam polluta Eccleſia, polluuntur etiam Altaria omnia, quæ in ea fixa ſunt: quemadmodum, & vice verſa Altare pollui non poteſt, quin etiam corpus Eccleſiæ violatum cenſeatur: At verò ſi Eccleſia execretur, combuſtis, aut corruentibus parietibus, vt denuò conſecrari debeat, non ideò etiam Altaria conſecratione, vel reconciliatione aliqua indigent: ſicuti, & vice verſa Altare per fractionem enormem execratur ſeu conſecrationem amittit, ſine execratione ipſius Eccleſiæ. Ita Sylueſter *Altare*, *q.* 11. Polluta autem, ſeu violata Eccleſia, non cenſetur Altare portatile pollutum, quia non videtur habere tantam connexionem cum Eccleſia, ſicut Altare fixum. Lezana *tom.* 3. *v. Altare numer.* 22. Henriq. Coninc.

Quis autem poſſit Eccleſiam violatam reconciliare? Reſpondendum eſt, quòd Eccleſiæ pollutæ reconciliatio fieri debet, vel per Epiſcopum, ſi Eccleſia erat conſecrata; vel etiam per ſimplicem Presbyterum, ſi tantùm benedicta. Sylueſt. Nauar. Toletus apud Syluium

nium *eit*. An verò de licentia Epiſcopi poſsit ſimplex Sacerdos reconciliare Eccleſiam conſecratam? Affirmant Victoria *de Sacr.q.99.* & Emman. Sà *verb. Eccleſia nu.*
Sylu. Dian. 20. ſed negant communiter Doctores cum Syluio 3.*p.q.83.art.3.quæſt.3. in ſecunda.& tertia editione*. Diana *p.2. tract.1.miſcell.reſol.6.* & probatur hæc ſententia ex *cap. Aqua de conſecrat. Eccl.* & ex Romano Rituali, iuſſu Pauli V. edito quod ſic habet: *Simplex Sacerdos tantum ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare*. Vide verb. *Benedictio num.*10. Ita Filliucius *tract.5.n.*118. Henriq. *l.9.c.27.n.6.* Graffiis *p.1.l.2.c.48.n.*10. Miranda *t.2.q.39.art.* 8. Bonac. *de matrim.q.4.p.vlt.n.27.* & 25.

Obſeruandum eſt, quod tum demum Eccleſiæ cenſentur pollutæ, ita vt reconciliatione indigeant, quando cauſæ memoratæ ſunt publicæ, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem, aut probationem iuridicam: quamdiu autem ſunt occultæ, nulla opus eſt reconciliatione, ſecundùm Syluium, Syluestrum, Nauarrum, & alios, vt dicetur infra verb. *Sacrilegium* 11.*n.* 3 Imò iuxta Fagundez *de præcept Eccleſ.1.l.3.c.14.n.34.* aliqui ſatis probabiliter aſſerunt nec ſufficere quamcumque notitiam delicti, nec Eccleſiam cenſendam eſse pollutam, donec Iudicis ſententia declaratum ſit Eccleſiam illam eſse pollutam. Ratio eſt, quia illa pœna pollutionis Eccleſiæ, eſt veluti quædam cenſura, & inſtar cenſuræ requirit ſententiam Iudicis, nullum enim excommunicatus vitari debet donec per ſententiam Iudicis declaretur, ac denuncietur cenſuram incurriſse. Et hanc ſententiam probabilem etiam
Suar. Sayr. putat Suarez 3.*p.tom.3.diſ.81.ſect.4.caſ.3. dub*.2. Et Sayrus *lib. 5. de cenſur.c.* 16. *numero* 1. ait pollutionem, ſiue violationem Eccleſiæ eſse ſimilem interdicto locali; Sed poſt Concilium Conſtantienſe nemo tenetur interdictum ſeruare, donec per Iudicis ſententiam interdicti cenſura publicè denunciata fuerit. Ergo, &c.

Notandum tamen eſt Sacerdotem celebrantem in Eccleſia polluta ante reconciliationem, non eſse irregularem, prout expreſsè determinatur *in cap.is qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* Imò probabile eſt neque incurrere ſuſpenſionem ab ingreſsu Eccleſia, quia *c. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* ſolùm loquitur de eo, qui celebrat, vel celebrare facit in locis interdictis: Ergo non debet extendi ad celebrantem in Eccleſia polluta: nam locus pollutus, ſeu violatus propriè non eſt interdictus, vt docent Suar. *cit.* §.
Sà. Layman. Nauar. Sylu. *penult.* Sà *verb. Eccleſia n.*21. Layman *l.5.tr.5.c.5.aſſert.* 2. & alii contra Nauarrum *in Manual.c.25.n.94.* Syluestrum *verb.conſecratio* 2.*q.9.*

An autem quando quis celebrat in Eccleſia polluta, remaneat conſecrata? Reſp. ſententiam affirmatiuam eſse probabilem, & tutam in praxi: tum propter Doctorum auctoritatem, tum etiam quia præſentia Corporis Chriſti, dum in Eccleſia Miſsa celebratur, reputanda eſt pro ſufficienti reconciliatione. Ita Zerola *in praxi Epiſc. p.1.verb.pollutio Eccleſiæ, not.* 5. & alii ſupra a me citati *verb Miſſa V.n.2.* & *verb. Altare n.1.*

9. Ad ſecundum caput reducuntur tres actus forenſes probibiti fieri in Eccleſia ob eius reuerentiam, & ſunt: *Primò*, placitum, vbi de ſanguinis effuſione, & corporali pœna agitur. *Secundò*, mercatus. *Tertiò*, furtum, ſiue ſit rei ſacræ, ſiue non, ſiue ibi polita ſit ſub cuſtodia, ſiue non; *c.cum Eccleſia, de imm. Eccleſ.C. decet, de immunit. in 6.* Nonnulli tamen Doctores aſserunt non committi ſacrilegium accipiendo rem non ſacram de loco ſacro, modò res non ſit tradita Eccleſiæ in cuſtodiam, vel pignus, vel alio modo. Leſſius *l.2.c.45.n.*14. Conink *de pœnit.d.7.n.*22. quorum ſententia probabilis reputatur ab Azorio 1.*p.l.9.c.27 q.6.* & Diana *de circumſt.reſ.*27: Sacrilegium tamen non committeretur ab eo, qui extra Eccleſiam ſurriperet Parocho gladium, vel quid aliud, quod Parochus non poſſidet nomine Eccleſiæ, ſecus dicendum de oblationibus factis Eccleſiæ. Prædictis actibus poſsunt adiungi alii, verbi gratia ſeditio, cum qua coniunctæ eſse ſolent conclamationes, & impetus: Item concilia ſæcularia, & parlamenta: item vana, fœda, & profana colloquia,
Suare. Filliuc. & confabulationes: Item conuiuia facere in Eccleſiis. Regin. *l.19.n.56.* Nauar. *de orat.c.5.n.30;* Filliuc. *tr.24.n.*238.

10. Ad tertium caput reuocatur. *Primò*, Eccleſiam infringere, aut ſuis bonis ſpoliare; & contra effringentes, & ſpoliantes Eccleſias, conſtituta eſt pœna excommunicationis ipſo facto: Non incurritur tamen hæc excommunicatio per alteram ſolum actionem; ſed per vtrâque, nempe per fractionem, & ſpoliationem; *C. quiſquis 17. q.4. C. conqueſti, de ſent. excom.* Bonac. *t. 2.d.3.q.6.p. vnic.num.*12. *Secundò*, in domibus Eccleſiarum non facere placita miniſtros ſæculares, neque hoſpitium ſibi vendicare. *Tertiò*, dictura Eccleſia non poſſe ad vſus profanos conuerti materiam eius. *Quartò*, delinquentes, qui ad illam confugiunt per vim extrahere, exceptis caſibus in iure permiſſis, vt videre eſt, verb. *Immunitas, C.1. de immun. Eccl. C. ligna, de conſecr.d.1.c.diffinimus. c.miror. 17.quæſt.4.*

11. Ad tertiam ſpeciem ſacrilegii pertinent ea peccata, quibus aliæ res ſacræ temerantur, vt contingit. *Primo*, abutendo Sacramentis, vel ea indignè adminiſtrando, & in peccato mortali, vel recipiendo, vel conferendo indignis, vel alia ratione conculcando, proiiciendo, &c. *Secundò*, profanando vaſa ſacra, & ornamenta, vt Calices veſtes ſacras, &c. *Tertiò*, violando imagines quatenus vſurpantur ad cultum diuinum, vt faciunt hæretici. *Quartò*, abutendo ſententiis ſacræ Scripturæ ad ſuperſtitiones, ad facetias, ad amatoria, ad ſtabiliendas hæreſes: eodem pertinet muſica laſciua, vel profana rebus diuinis adhibita. *Quintò*, ſi reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, ſi diſſipentur eo animo ne colantur. *Sextò*, ſi dies ſacri operibus ſeruilibus, vel aliis prohibitis violentur. *Septimò*, ſi decimæ, quæ ab Eccleſia conſecratæ ſunt in diuinum cultum, non ſoluantur. Vide D.Thomam *q.* D. Thom. Valent. Leſſius. Filliuc.
99.art 3. Valentiam 3.*p.d.6.q.15.* Suar. *cit.c.4.nu.* 5. Leſſium *lib.2.c.45.dub.3.n.15.* & *ſequent*. Filliuc. *cit.nu.*241. & alios.

SVPPLEMENTVM.

Sacrilegium.

SVMMARIVM.

1 *An diuiſio ſacrilegij in tres ſpecies, nempe, contra perſonas ſacras, contra loca ſacra, & contra res alias ſacras ſit in ſpecies vltimas, ſeu infimas, an vero in ſubalternas?* Refertur duplex ſententia.

2 *An qui furatur rem ſacram ex loco ſacro teneatur in confeſſione vtramque circumſtantiam explicare?* Refertur duplex ſententia.

3 *Quando perſona ſacra ſæcularem polluit tangendo illam impudicè, an patiens pollutionem teneatur in confeſſione circumſtantiam perſonæ explicare?* Refertur duplex ſententia.

4 *An furtum rei non ſacræ de loco ſacro ſit ſacrilegium?* Referuntur duplex ſententiæ.

5 *An omne peccatum quod perſona ſacra committit, ſit propriè, & formaliter ſacrilegium.*

6 *An ſacrilegium committatur exercendo cauſas ciuiles ſæculares, vel* Eccleſiaſticas *in Eccleſiis, & earum cæmeteriis.*

7 *An placita Iudicum ſæcularium exercita in Eccleſiis ſint ipſo iure irrita.*

8 *An ſacrilegium committat exiſtens in Eccleſia cum animo, furandi, fornicandi, vel occidendi.*

1 EX communi Theologorum ſententia poſt D.Th. *2.2.q.99.art.*3. Sacrilegium diſtinguitur in tres ſpecies, vna contra perſonas ſacras: altera contra loca ſacra: tertia contra res alias ſacras.

Dubium tamen eſt, an diuiſio ſacrilegii in tres ſpecies iam dictas ſit in ſpecies vltimas, ſeu infimas, an verò in ſubalternas? Quidam exiſtimant hanc diuiſionem eſſe in ſpecies ſubalternas continentes ſub ſe alias ſpecies infimas. Ratio eſt, quia in prima ſpecie diſtinctum eſt ſa-

cri-

erilegium percutere Clericum,& peccare contra votum caſtitatis;nam primum eſt contra peculiarem immunitatem talis perſonæ,ſecundum contra fidelitatem,quæ duo in genere moris, & ſecundùm rationem honeſti diſtincta ſunt. In ſecunda furtum in loco ſacro videtur ſpecie diſtingui ab effuſione ſanguinis,aut ſeminis in ratione ſacrilegii,quia habet deformitatem repugnantem rationi longè diuerſam. Denique in tertia ſpecie res ſacræ valde inter ſe diuerſæ ſunt,& modis valde diuerſis ſanctitatem participant, & cùm in iis diuerſæ habitudines ad ſanctitatem ſint, ideò etiam poterunt conſtituere diuerſas ſpecies rerum ſacrarum. Ita Suarez *lib.3. de ſacrileg. capite 5.* Leſſius *lib. 2. capite quadrageſimoquinto, dubio tertio,in fine.* Filliuc. *tract.vigeſimoquarto,capite nono, nu.* 244. qui vocant hanc ſententiam probabiliorem. Proinde iuxta illos non ſufficit explicare in confeſſione ſacrilegium commiſſum eſſe contra perſonam ſacram,locum, aut rem,ſed explicandus eſt modus particularis ſacrilegii contra perſonam ſacram,locum vel rem ſacram, verbi gratia,violatam eſſe perſonam,vel per fornicationem, aut percuſſionem, locum per effuſionem ſanguinis, aut ſeminis: explicandum etiam,an res ſacra violata, ſint Sacramenta,an aliæ res;& præcipuè ſi ſacrilegium contigerit circa ſacram Euchariſtiam.

Suar. Leſſius. Filliuc.

Nihilominus D. Thomas 2.2.*quaſt.99. art.* 3. Caietanus *ibidem*, & alii exiſtimant ſupradictam diuiſionem eſſe in ſpecies vltimas, & infimas, & conſequenter modos ſacrilegii ſub ſingulis his ſpeciebus contentos ſolùm differre numero,ſicut Ioannes,& Paulus. Ratio diuerſitatis harum ſpecierum eſt, quia ſingulæ illæ illarum habent habitudinem diuerſam ad ſanctitatem; nam perſona eſt formaliter,& ſimpliciter ſancta, vt ſubiectum ſanctitatis;locus eſt ſanctus, vt contentiuus perſonarum, & rerum ſacrarum.

Res verò dicuntur ſacræ per habitudinem, qua ad ſanctitatem ordinantur, & cùm ratio cuiuslibet harum ſpecierum eadem ratione participetur à modis ſub vnaquaque illarum contentis;hinc fit has ſpecies eſſe infimas,& modos ſub illis contentos non ſpecie, ſed numero differre. Hinc percuſſio Virginis ſacræ, & commixtio cum illa, ſunt einſdem ſpeciei in ratione ſacrilegij: ſimiliter Eccleſiæ violatio per effuſionem ſanguinis,vel ſeminis,licet peccata aliter inter ſe diuerſa ſint,vt notat etiam Syluius *ad hunc art. D.Thom.in reſp. ad* 2. Hæc ſententia vera eſt,& tuta,tum propter S. Doctoris auctoritatem, tum etiam, quia difficillimum eſt aſſignare rationes, quibus diſtinguuntur,& conſtituuntur modi contenti ſub illis,ſi ea diſtinctio dicatur eſſe in ſpecies ſubalternas, quarum vnaquæque habeat plures ſpecies ſub ſe diſtinctas in ratione ſacrilegii. Tamen propter diuerſitatem opinionum optimum conſilium eſt in ordine ad confeſſionem, ſpeciem ſacrilegii explicare,quando modus ſacrilegii, vel ex parte rei ſacræ,vel ex modo violandi illam, eſt multũ diuerſus:maximè ſi eſt circa ſacram Euchariſtiam, vt bene admonent Auctores prioris ſententiæ, quibus ſubſcribit Trullench *in decal.l.1.c.10.dub.15.n.8.*

Trullenc.

2. Dubium eſt, an qui furatur rem ſacram ex loco ſacro teneatur in confeſſione vtramque circumſtantiam explicare? Negat Fagundez *de precept. Eccleſ. precept.2. l.4.c.5.n.21. in fine*,dicens,qui furatur rem ſacram de loco ſacro,ſatisfacit dicendo ſe furatum fuiſſe rem ſacrã, & non eſt opus dicere de loco ſacro, quia vtraque illa circumſtantia ad eandem rationem formalem virtutis religionis ſpectat,& ille concurſus rei ſacræ, & loci ſacri, nec multum variat iudicium Confeſſarii, nec notabiliter ſacrilegium aggrauat,vt conſideranti patet. Verùm quia D.Thomas *ſecunda ſecundæ quaſt.99.art.3.* & communis ſententia Doctorum, diſtinguunt ſpecie ſacrilegium erga rem ſacram,ac erga locum ſacrum, ſicut & erga perſonam ſacram dicendum eſt eam differentiam,& vtramque circumſtantiam, quando ſimul fuerit,debere explicari,vt aduertunt Cardinal. Lugo *diſp.6. n.* 471. Raphael Auerſa *de Sacram.Pænitent.q.10.ſect.*12. quos refert, & ſequitur Diana *p.8.tr.7.reſol.76.*

3. Sacrilegium committitur quando regularis,vel Monialis, vel aliquis in ſacris Ordinibus conſtitutus ſæcularem polluit tangendo illum impudicè, & patiens pollutionem tenetur in confeſſione circumſtantiam perſonarum explicare. Ratio eſt,quia in tactibus libidinoſis,qui mortales ſunt,fatendæ ſunt neceſſariò circumſtãtiæ perſonarum agentis, & patientis, ſicut in copula ipſa; quoniam eiuſdem ſunt malitiæ moralis, cuius eſt actus conſummatus copulæ ad quam ſuapte natura referuntur, quamuis tangens eam minimè intendat, vt ex multis reſoluit Sanchez *de matrimon. libro 9. diſputatione* 46. *num.*17. Sanchez.

Proinde nõ eſt admittenda doctrina Llamas *in ſumm. p.3.c.8.§.16.* aſſerentis quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi,vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſæcularis non tenetur amplius dicere, niſi paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis. Neque in Sacris conſtitutus, vel profeſſus amplius tenetur dicere, niſi tangens impudicè,alium pollui. Et ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare,ſum profeſſus,vel in Sacris, niſi illi etiam accidat voluntaria pollutio:quia ſacra perſona non eſt in tali caſu violata.

Ita ille, qui primus fuit auctor huius ſententiæ, quem ſecuti ſunt nonnulli recentiores,nempe Caramuel *in regul.S.Benedicti,diſp.66. nu.* 988. Iacobus de Graſſhis *de caſib.reſeruat.l.3.c.8.n.39.* Gelualdus *in Theol.moral.p.1. tr.27.cap.9.n.16.* Tamburinius *in Method.expedita Confeſſion.l.2.c.5.§.10.n.66.* qui nouiſſimus ita ait. *Si tu tuis* manibus polluas vxoratum, vel Sacerdotem, &c. debes id explicare, quia cooperaris ad adulterium, vel ſacrilegium:at ſi te ſuis manibus alius polluat, parum refert pro tuo peccato contra caſtitatem,quòd ille fuerit vir vel fœmina,vel Sacerdos:tunc enim (ſi aliud non additur) ſe habent illæ manus,vt merum inſtrumentum, & ſolum adeſt cooperatio cum alterius te polluentis peccato. *Hic* ſentit cum Llamas *ſupra.*

Hæc ſententia reiicienda eſt, quia iuſſu Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ talis opinio in Summa Llamas inuenitur expuncta,in indice expurgatorio edito anno 1632. à Cardinali Antonio Zappata littera H. ſecundæ claſſis. Quia grauis iniuria,& contemptus videtur inferri ſacræ profeſſioni religioſe,& ſacris Ordinibus eo ipſo,quo quis vtitur tactibus profeſſi & conſtituti in ſacris Ordinibus, vt inſtrumento ad immundiſſimum hoc peccatum contra naturam perpetrandum. Ergo cùm hæc ſit circumſtantia grauiter aggrauans, eſt explicanda in ſacro pœnitentiæ Sacramento.

Proinde hanc ſententiam improbant Candidus ſacri Palatii Magiſter *tom.3.diſquiſit.2.art.24.dub.5.& 6.* Diana *p.1.tract.7.reſol.53. & p.7.tr.11.reſol.27. & p 9.tra 9. reſol.65.* Trullench *in Decal.l.6.cap.vnic.dub.8.§.1.nu.2. in fine.* Ouiedo *in prima ſecunda D.Thom.tract 6. controuerſ punct.3.§ 10.nu.70.* Vnde cautè legendi ſunt Auctores contrarium docentes, & caueaor in poſterum hanc ſententiam in ſuis operibus amplius imprimere,vt admonet Diana *ſupra in p.9.* Dian. Trullenc.

4. Inter iuris ciuilis Interpretes, & Canoniſtas, *ſeu* Theologos controuertitur, an furtum rei non ſacræ de loco ſacro ſit ſacrilegium? Ratio controuerſiæ eſt, quia Ioannes Papa *in cap. Quiſquis 17. qu. 4.* declarauit quod *ſacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro,aut ſacrum de non ſacro.* E contra ius ciuile aliter diſponit, nam *in l.Diui.ff.ad l. Iul. Peculatus* dicitur, *Res priuatorum, ſi in ædem ſacram depoſita, ſurreptæ fuerint, furti actionem,non ſacrilegii eſſe*, vbi Gloſsa ſimpliciter ait, in eo caſu non committi ſacrilegium: & idem tenet Bartolus *ibidem*,& communiter Legiſperiti, vt refert Iulius Clarus *libro 5.§.Sacrilegium, nu 1.* qui ita diſtinguit, ſecundùm ius ciuile tantùm cenſetur ſacrilegium, quando ſacrum de ſacro aufertur: ſecundùm verò ius Canonicum, ſufficit ſi non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro.

Sed omiſso iure ciuili, ad quod non ſpectat proprias rationes vitiorum,& peccatorum in ordine ad conſcientiam diſcernere, ſed ſolùm in ordine ad politicam gubernationem,aut vindictam,etiam inter Theologos eſt opinionum diuerſitas num ſit ſacrilegium furari rem non ſacram de loco ſacro ſiue de Eccleſia? Et quidem commu-

nis

Digitized by Google

nis ſententia ſine vlla diſtinctione affirmat furtum in loco ſacro ſacrilegium eſſe, ac ſubinde eſſe mortale ex ſuo genere niſi ex leuitate materiæ excuſetur. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia *in dict. cap. Quiſquis*, ſimpliciter, & ſine limitatione ponitur ſpecies ſacrilegij furari non ſacrum de ſacro, vbi autem lex non diſtinguit, nec non diſtinguere debemus; niſi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quando alias ſequeretur abſurdum, hic autem nihil horum interuenit. Ita Suarez *tom. 1. de Religione, l. 3. c. 5. 11.* & communiter Canoniſtæ *in d. c. Quiſquis 17. q. 4.* & Summiſtæ *verb. Sacrilegium*, Angelus, Syluester, Caietanus, & alii. Sed ex modernis Theologis Layman
Layman. Reginald. Sylu. *l. 4 tr. 10. c. 7. n. 16. & 17.* Reginaldus *l. 23. n. 12.* Syluius *2. 2. q. 99 art. 3*, & alii.

Nonnulli tamen Doctores diſtinguunt duos modos, quibus poteſt res non ſacra in Eccleſia eſſe. *Primo*, quia eſt ſub iure, & quaſi poteſtate Eccleſiæ, vt ſi illi tradita ſit in pignus, vel ad cuſtodiendam, vel alio ſimili modo in Eccleſia depoſita. *Secundò*, poteſt res aliqua merè prophana per accidens, & caſu eſſe in Eccleſia, vel quia ibi eſt perſona, quæ illam ſecum defert, vel quia ibi caſu relicta eſt. In priori caſu affirmant ſacrilegium eſſe furari bona in Eccleſia, in poſteriori autem negant. Ratio prioris eſt, quia quod hoc modo eſt in Eccleſia, eſt ſub ſpeciali patrocinio, ac cuſtodia diuina: eſt enim templum ſpeciali modo, ac titulo ſub dominio Dei, & ideò quod ibi deponitur, & per Dei miniſtrum acceptatur, cenſetur veluti ſub Dei fide, & defenſione recipi: & ideò tale furtum ſpecialem malitiam habet contra reuerentiam Deo, & templo eius debitam.

Ratio poſterioris eſt; quia bona illa, quaſi per accidens ſunt in Eccleſia. Ergo non irrogatur ſpecialis iniuria Eccleſiæ, etiamſi inde quis ea furetur, & aliàs tale furtum non eſt ſpecialiter prohibitum ab Eccleſia in honorem templi. Vnde nun eſt cur habeat malitiam ſacrilegij lethalem, & ex hoc non eſt neceſſariò aperienda hæc circumſtantia in confeſſione. Quia non cenſetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes, riſus, detractiones, contractus ſæculares, & ſimilia. Hæc ſententia practicè iudicatur probabilis à multis modernis Theologis, vt a Leſſio *l. 2. c. 45. dub. 3. num. 14.*
Leſſius. Fagund. Henriq. Trullench. Ioanne de la Cruz *in director. p. 2. tr. de Sacram. Pænit. q. 3. dub. 6.* Fagundez *de precept. Eccleſ. precept. 2. l. 4. c. 4. n. 9.* Henriquez *l. 2. c. 6. de pænit. n. 5. in Comment. lit. N.* Diana *p. 1. tract. 7. reſol. 27.* Trullench *in Decalog. l. 1. cap. 10. dub. 15. n. 5.* & aliis.

5. Non omne peccatum quod perſona ſacra committit eſt ſacrilegium propriè, & formaliter, etiamſi quolibet peccato violetur perſona peccantis: ſed illud demum quod directè committitur contra ſanctitatem perſonæ. Vnde ſi perſona ſacra furetur, mentiatur, maledicta in cœlum, vel in Sanctos coniciat, vel ſi ebrietatibus, comeſſationibus, venationibus, ludis, negotiationibus, ſe dedat, peccat quidē, quia ius naturale, & diuinū violat, ſacrilegiū tamen nō committit: alias enim omnia peccata Sacerdotū eſſent ſacrilegia. Erit tamen ſacrilegus Sacerdos, ſi in peccato mortali celebret, miniſtret, vel ſuſcipiat Sacramenta, quia irrogat grauem irreuerentiā rebus ſacris. Item ſi fornicetur, vel adulteretur, non autem ſi inebrietur, ſi iraſcatur, ſi ſuperbiat. Similiter ratiocinandum eſt de peccato quod alius in perſonam ſacram committit. Si enim contra eam iraſcatur nolens tamen verberare, aut furtim ab eius domo quippiam ſurripiat, non eſt ſacrilegium propriè loquendo, erit autem ſi eam percutiat, ſeu percutere velit.

Proinde conſiderandum eſt ad quid perſona, locus vel res ſit ſanctificata, & videndum ſi contra illud ad quod ſanctificata dicitur, actum ſit: nam ager Eccleſiæ ſanctificatus eſt quoad exemptionem à ſæcularibus oneribus, & iuriſdictionibus, & propterea ſacrilegium eſt ſi illis grauetur, non autem ſi quis ibi fornicetur: quia per hoc quod eſt Eccleſiæ, non eſt ſanctificatus ad puritatem à libidine. Et ſimiliter ſacrilegium eſt in loco ſacro fornicari, non autem ibi detrahere, quia loci ſanctitas eſt ad exemptionem ab effuſione ſeminis humani, non autem à detractione. Ita Caietanus *2. 2. queſt. 99. dub. 5.* Nauarrus *in Manual. cap. 6. n. 13.* & *c. Conſideret, de pænitent. diſp. 5. n. 50.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. c. 3. n. 9. in fine.* Syluius *2. 2. q. 99. art. 3. in reſp. ad 3.* Trullench *in decalog. lib. 1. c. 10. dub. 15. num. 3. in fine.* Suar. Trullench

6. Sacrilegium committitur exercendo cauſas ciuiles ſæculares in Eccleſiis, & earum cœmeterijs: quia *in cap. decet, de immunit. Eccleſ. in 6.* vetitum eſt cauſas ciuiles in prætatis locis haberi, vbi dicitur: *Omnis in Eccleſiis ſæcularium iudiciorum ſtrepitus conquieſcat, nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maximè agitetur, ſint loca eadem a cognitionibus laicorum aliena.* Ex quo ſequitur eum qui cauſas ſæculares in Eccleſijs agit peccatum ſacrilegij committere. De rigore tamen iuris vetitum non eſt cauſas Eccleſiaſticas in Eccleſijs peragere, ſed permittitur *in cap. vltim. 2. queſt. 2.* vt docent Nauarrus, Panormitanus, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez *tom. 1. de religione, lib. 3. cap. 4. num. 10.* Æquitati tamen conſentaneum eſt, vt placita Eccleſiaſtica in palatio Epiſcopi peragantur, vel alio commodo loco extra Eccleſiam, vt communi vſu, & praxi receptum eſt, & patet ex *cap. qua fronte, de appellat.* Et fertur declaraſſe Sacram Congregationes, Iudices etiam Eccleſiaſticos non poſſe intra corpus Eccleſiæ iudicium exercere, teſte Marzilla.

7. Placita Iudicium, & Miniſtrorum ſæcularium non ſolum prohibentur fieri in Eccleſijs, vel cœmeterijs, ſed ſi inibi exercita fuerint, ipſo iure irrita ſunt, vt patet ex *cap. Decet, de immunit. Eccleſiar. in 6.* ibi: *Et nihilominus proceſſus iudicum ſæcularium, ac ſpecialiter prolata ſententia in eiſdem locis, omni careant robore firmitatis.* Ex quo textu colligitur *Primo*, non prohiberi actus iuriſdictionis gratioſæ, & voluntariæ, vt ſunt diſpenſationes, & ſimilia, hæc enim validè fiunt in Eccleſijs, & locis ſacris: tum quia *in dict. cap. decet*, ſermo eſt de illis quæ cum ſtrepitu iudiciali fiunt, quorum nomine non veniunt actus iuriſdictionis voluntariæ.

Colligitur *Secundo*, hanc irritationem non extendi ad placita, quæ in Domibus Eccleſiæ, extra Eccleſiam fiunt, vt in Monaſterio, Hoſpitali, domo Parochi, vel Canonicorum: quia *in dict. cap. decet*, de ſolis Eccleſijs ſermo eſt, & irritatio, cùm ſit odioſa, non debet extendi. Ita Panormit. *in cap. cum Eccleſia, de immunitate.* Suarez *loco citato num. 13.* Panorm. Suar.

Tertiò, Epiſcopum alioſque Prælatos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, non poſſe concedere Iudici ſæculari facultatem exercendi in Eccleſiis iudiciales actus: quia Epiſcopus, regulariter loquendo, diſpenſare non poteſt in iure communi: ex quo fit, quod Iudex ſæcularis non poſſit eum examinare, qui ad loca ſacra confugit: quia abſurdum eſt, & crudele, ibi iudicium ſanguinis exerceri, vbi eſt tutela refugij conſtituta, vt dicitur *in c. Cum Eccleſia de immun. Eccleſiar.* Ita Suar. *loco cit. num. 9. pro prima parte*, & Sanch. *lib. 6. moral. c. 16. num. 58. pro poſteriori.* Suar. Sanchez.

8. Sacrilegium non committit exiſtens in Eccleſia cum animo furandi, fornicandi, vel occidendi, niſi intendat hæc facere in Eccleſia. Ratio prioris eſt, tum quia actus exterior quem vt finem ſibi propoſitum habet, & in quem intendit, eſt quidem in eo voluntarius, ſed ſolùm, vt opus extra locum ſacrum faciendum. Tum quia loci ſanctitas interuis actibus voluntatis non violatur. Ratio poſterioris eſt, quia opus exterius, quod eſt homicidium, vel furtum, vel fornicatio, vult in loco ſacro facere. Sed actus exterior, & interior voluntatis, quando in eadem materia ſubiecta verſantur, ſunt eiuſdem ſpeciei. Hinc fit, quod qui in loco ſacro eſt, & mente delectatur in homicidio, furto vel fornicatione cogitata in ſacrilegij crimen non incurrat, ſi delectatio quam capit terminetur in his per ſe abſolutè, ſolùm vt ea mente concipiuntur: quia contra loci ſanctitatem ille non peccat, quamuis in loco ſacro peccet. At verò ſi delectationem capiat ex his vt in loco ſacro perpetratis, ſacrilegia eſt eiuſmodi delectatio, quoniam delectatio eiuſdem eſt ſpeciei, cuius eſt materia ſubiecta. Ita Valentia *to. 3. diſp. 6. q. 15. punct. 1.* Valent. Azorius *to. 1. lib. 9. cap. 27. quæſt. 7.* Bonacina *de matr. q. 4.* Azor. *punct. vlt. n. 7.* & *to. 2. diſp. 3. q. 6. punct. vnic. n. 24.* & alij. Bonac.

SACRI-

SACRILEGIVM II.

De Sacrilegio in materia luxuriæ.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis hoc ſacrilegium poſſit contingere?*
2 *An qui eſt Sacerdos ſimul, & Religioſus duplex committat ſacrilegium peccans luxuria peccato?*
3 *An polluatur Eccleſia per actum coniugalem in caſu neceſſitatis in Eccleſia habitum?* refertur duplex ſententia.
4 *Quid nomine loci ſacri in hac materia intelligatur?*
5 *An ſacrilegium ex ſuo genere ſit peccatum mortale? & quando veniale?*
6 *An per deſiderium libidinoſum, vel contactum turpem abſque pollutione in Eccleſia habitum, committatur ſacrilegium?*

1 SAcrilegium hoc eſt peccatum luxuriæ, quo perſona Deo dicata, vel locus ſacer, vel alia res ſacra fœdatur per actum venereum: hoc ſacrilegium fieri poteſt quinque modis. *Primò*, ſi perſona ſacra in turpe opus externum, vel etiam in delectationem internam cõſentiat, violat enim ſanctitatem ſuæ perſonæ, quæ in eo ſita eſt, quòd Deo per votum caſtitatis ſit conſecrata. *Secundò*, ſi perſona non ſacra conſentiat in turpe opus circa perſonam ſacram. *Tertiò*, ſi vtraque ſit ſacra, tunc enim duplex eſt ſacrilegium. *Quartò*, cùm fit actus venereus circa aliam rem ſacram, vel eius interuentu: vt olim fecerunt quidam hæretici excipientes ſperma calice, horrendo prorſus ſacrilegio. *Quintò*, ſi venereus actus fiat in loco ſacro illicitè, vel licitè, vt in coniugatis, ſed abſque neceſſitate. D. Thomas 2.2.*q*.154.*art*.10. Azorius 3.*p*.*l*.3.*c*.27.*q*.8. Leſſius *l*.4.*c*.3.*dub*.12.*n*.84. Filliuc. *tr*.30.*c*.7.*nu*.122. Sylu. 2.2.*q*.154.*ar*.10. & alii.

D. Thom.
Azor.
Leſſius.
Syluius.

2. Controuertitur inter Doctores an ille qui eſt Sacerdos ſimul, & Religioſus peccans luxuriæ peccato, committat duplex ſacrilegium, alterum contra ſanctitatem, quæ eſt ex voto caſtitatis, alterum contra ſanctitatem Ordinis? Quidam enim affirmant duplex ſacrilegium; quia illæ rationes ſunt ſpecie diuerſæ, aliter etiam Religioſus ratione voti dicitur perſona ſacra, aliter ratione ſacerdotij, vnde ſicut Religioſus agit contra votum, ita Sacerdos agit contra conſtitutionem Eccleſiæ, qua præſcribitur, vt initiatus ordine ſacro ſeruet caſtitatem. P. Ledeſm. *c*.19. *de pænit.* Conink *de Sacram. Ordin. d*.20.*dub*.13.*n*.131. Sylu. *cit. art*. 10. hæc ſententia valde probabilis eſt. Probabilior tamen ſententia aſſerit, eſſe ſolùm ſimplex ſacrilegium; etſi altera circumſtantia alteram nonnihil iuuet ad augendum peccatum intra eandem ſpeciem; quia illæ obligationes ſunt eiuſdem rationis, vel potiùs non ſunt niſi vna obligatio: diuerſitas enim peccatorum non deſumitur ex diuerſitate præceptorum, ſed ex virtutibus, aut ex motiuis ſpecie diſtinctis; ſed Religioſus tenetur ſeruare caſtitatem propter idem motiuum, & propter eandem virtutem, propter quam Sacerdos tenetur eam ſeruare, ergo non committit duplex ſacrilegium: vnde pœnitens accuſans ſe de copula ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe eſſe Religioſum, vel Sacerdotem, vel Diaconum, vel habuiſſe copulam cum Sacerdote, &c. Ita Sanch. *de matr. l*.7.*d*.27.*n*.27. Henriq. *l*.5.*c*.5 *n*.6. Rodriq. 1.*p*.*c*.53.*n*.5. Leſſius *cit. n*.87. Filliuc. *cit. n*. 124. & 125. Caramuel *in reg. S. Bened. n*.998. & 999. & alij.

Ledeſm.
Conink.

Sanch.
Henriq.
Rodriq.

3. Cùm per actũ coniugalem, extra caſum neceſſitatis in Eccleſia habitum, ipſa Eccleſia polluatur, reconciliatione que indigeat; maxima difficultas eſt apud Doctores, num actus coniugalis ita interdictus ſit in loco ſacro, vt etiam in caſu neceſſitatis, v.g. quando coniuges diu ſunt intra illum incluſi, nec patet aditus ad cameram illi adiacentem, illicitus ſit, idemque polluat? Triplex eſt enim ſententia. *Prima* affirmat illicitum eſſe, eòque Eccleſiam pollui, quia nulla eſt præciſa neceſſitas, nec mirum, vt tunc coniuges ob loci reuerentiam teneantur à concubitu abſtinere, cùm ad id ob diuturnam abſentiam cogantur. Ita Caiet. *v. matrim. cap. vlt.* Nauarr. *cap*. 16.*num*.32. Candelab. aur. 1.*p*.1. *de matr. n*.262. Sylu. *in ſupplem. q*. 64.*art*.7.

Caiet.
Nauar.

Secunda, ſententia diſtinguit, dicens licitum eſſe, ſi occultè exerceatur actus ille coniugalis, ſecus ſi ſit publicus, ad quod ſufficit coniuges publicè in eodem thoro accubare; quia per pollutionem, aut concubitum dum occulta ſunt; minimè violatur Eccleſia, iuxta veriſſimã ferè omnium ſententiam, atque ita ceſsat irreuerentia, & malitia, cùm ea ex pollutione Eccleſiæ conſurgat; proinde ex ratione huius ſentẽtiæ colligitur pollutionem, vel fornicationem occultè admiſſam in loco ſacro, non habere malitiam lethalem ſacrilegii, atque ita loci circumſtantiam non eſſe neceſſariò tunc fatendam, tum quia tota ſacrilegii mortalis deformitas ex loci ſacri pollutione petenda eſt, at ceſſat pollutio, vbi eſt fornicatio occulta, tum quia actus interiores ſunt liberi à directa gubernatione Eccleſiæ, illoſque nequit interdicere, quia nequit cognoſcere. Angl. *in flor*. 1.*p*. *de matr. q*.6. Pontius *de matrimon. l*. 10. *cap*.10.*n*.15. Caſpenſis *tract. de peccat. d*.2.*n*. 20. Rodriq. *tom*.1.*ſumm. c*.242.*n*.19. Vega 1.*ſumm. l*.1.*cap*.78.*caſ*. 1. Diana *tract. de circumſtant. reſ*.10. & 26.*p*.1. Vaſq. 1.2.*qu*.72.*art*.6.*d*.98.*n*.6. Lopez 1.*p*.*inſtr. c*.82. Sanch. *de matrim. l*.9.*d*.15.*num*.10. Ita omnes Doctores boni nominis, inquit Caramuel *in reg. S. Bened. n*.1017. Atqui actus exteriores ſecreti prout tales, participant eandem rationem, nam illos non poteſt Eccleſia cognoſcere. Ergo de iſtis non veniunt intelligenda iura. Hanc ſententiam fatentur eſſe probabilem Vaſquez, Diana, & Ludouic. Lopez, illamque ſuſtinent Rodriquez, Vega, Anglez, Pontius, & alij apud Sanchez.

Angl.
Pontius.
Caſpenſ.
Rodriq.
Dian.
Sanchez.

Communior tamen, & probabilior ſententia ait, nullã eſſe culpam lethalem coniugalem concubitum intra locum ſacrum in neceſſitatis exercitum. Ita Azorius 1.*p*.*l*.9 *cap*.5. Filliucius *tract*. 30.*num*. 121. Leſſius *lib*.4.*c*.3.*nu*.86. Suarez *tom*.3.*d*.81.*ſect*.4. & multi alii apud Bonacin. *de matrim. quæſt*.4.*punct. vlt. num*.6. & apud Sanchez *cit. num*.12.

Azor.
Leſſius.
Sanch.

4. Nomine loci ſacri in hac materia intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria conſtituta auctoritate Epiſcopi, & deputata ad diuinum cultum; ſecus dicendum eſt, de oratoriis priuatis non conſtitutis authoritate Epiſcopi, Monaſteriis, Dormitoriis, cubiculis Sacerdotum, vel Religioſorum, quamuis enim loca ſint ſacra, ita vt gaudeant immunitate Eccleſiæ, non tamen ita ſunt ſacra, vt copula, vel pollutio in illis habita ſpecialem ſacrilegii malitiam habeat: Illud autem ſpatium Eccleſiæ dicitur locus ſacer, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſię à tecto interiori vſque ad pauimentum: vnde non eſſet ſacrilegium, nec violaretur locus ſacer, ſi copula haberetur ſupra tectum, vel extra parietes Eccleſiæ, vel in loco aliquo ſubterraneo, modò non ſit ſepultura, vel in turri quod vulgò campanile dicitur, vel in Sacriſtia, & Cameris Eccleſiæ adhærentibus, vel in porta Eccleſiæ extra limen, id eſt, extra lineam quam attingunt valuæ, modo limen non ſpectet ad cœmeterium, vel in Eccleſia diruta. Ita Nauarrus *c*.16.*n*. 32. Sà *verb. Eccleſia*. Sanch. *l*.9.*de matrim. diſ*.15.*n*.24. & *ſeq.* Graffiis 1.*p*.*lib*. 1.*c*. 48. Regionald. *l*.29.*n*.182. Filliuc. *cit. n*.135. Suarez 1.1.*lib*.3.*c*.5. Syluius 2.2.*q*.154.*art*.10. Fagund. *tr*.2.*lib*.4.*c*.4. *n*. 32. & *ſeq.* & alii.

Nauarr.
Sà.
Regin.
Fagund.

5. Sacrilegium ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quia per illud fieri ſolet grauis iniuria Deo, aut rebus ſacris: vnde mortale ſacrilegium eſt, quando procedit ex contemptu rei ſacræ, vel cultus ad quem refertur, vt cum hæretici vaſa ſacra, Sacramenta, Altaria, Templa, imagines Sanctorum, Reliquias, & ſimilia violant; cum Sacerdotes, Religioſos uel alios uiros Eccleſiaſticos, qua tales ſunt, malè tractant, contumeliis afficiunt.

Item mortale ſacrilegium eſt, quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei ſanctitate; ut ſi habens votum caſtitatis fornicetur, ſi actus matrimonii fiat in loco ſacro extra caſum neceſſitatis.

Item

Item quando ex ignorantia, vel negligentia craſſa ſit aliqua notabilis iniuria rei ſactæ, vt ſi quis malè baptizet, conſecret, abſoluat; ſi in irregularitate, vel cenſura ordinetur, vel ordinet; ſi in peccato mortali, vel excommunicatione Sacramentum adminiſtret, vel accipiat, & alia huiuſmodi. Ratione autem inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ, ſacrilegium poteſt eſſe peccatum veniale, vt ſi quis leuiter percutiat Clericum, vel rem Sacram furetur in Eccleſia.

Notandum autem eſt, quando ſacrilegium eſt mortale, pœnitentem non ſatisfacere, dicendo ſe toties ſacrilegiũ commiſiſſe, ſed teneri materiam, circa quam commiſit ſacrilegium aperire, quia non omnia ſacrilegia ſunt eiuſdem ſpeciei, aliter enim Sacramenta ſunt ſacra, quàm Calices, aut veſtes. Porrò, ſacrilegium poteſt reperiri cum aliis luxuriæ peccatis, poteſt enim inceſtus eſſe ſacrilegus, ſi fiat in loco ſacro, vel cum perſona habente votum caſtitatis. Ita Bonac. *t.2.d.3.q.6.p.vnic.nu.*25. *&* 26. Reginal. *l.*29.*n.*58. Leſſius *l.*2.*c.*45.*dub.*4. Sanch. *l.*9. *de matrim.diſp.*5. Nauar. *c.*16.*n.*11. & alii.

Bonac. Leſſius Sanchez. Nauar.

6. Per deſiderium libidinoſum: vel contactum turpem abſque pollutione, ſecundùm probabilem opinionem, non committitur ſacrilegium, niſi quando deſiderium tenderet ad habendam copulam in loco ſacro, quod rarò contingit, vel contactus turpis eſſet cum periculo pollutionis; quando verò abſolutè deſideratur fœmina in Templo, nec diſtinguitur, an copula deſideretur habenda in Templo vel extra, non eſt ſacrilegium, quia deſiderium illud iudicandum eſt ſecundùm communem, & ordinatum modum concupiſcentiæ, qui quidem eſt vt fiat extra Templum: ſecus ſi habuit deſiderium, ſeu intentionem habendi copulam in Eccleſia; nam hæc intentio eſt eiuſdem rationis cum actu externo, qui habet ſpecialem malitiam ſacrilegij exprimendam in confeſſione, cũ ſit ſufficiens ad polluendam Eccleſiam. Ratio autem cur per contactum turpem abſque pollutione, nõ committatur ſacrilegium, eſt; quia Eccleſiæ violatio non eſt de iure naturæ; quia ſi eſſet, quocumque peccato mortali violaretur, ſed de iure poſitiuo; ergo ſolùm violabitur in caſibus a iure expreſſis: atqui in iure ſolùm exprimitur ſanguinis, & ſeminis effuſio; igitur Eccleſia ijs ſolùm, & non alijs violatur. Atqui tactus impudicus, niſi ſequatur pollutio, non eſt effuſio ſeminis, ergo Eccleſiam non violat. Nauar. *c.*16 *num.*3. Sanchez *cit.nu.*10. *&* 11 Rodriquez *cit.c.*206. Filliucius *tract.* 30. *num.*133. Valentia 2.2.*d.*6. *q.*15.*punct.*1. Coninch *de panit.diſp.*7.*dub.*4.*nu.*22. Diana *tract.*3.*miſcel.reſ.*23.*p.*2. Syluius 2.2.*q.*154.*art.*10. Fagundez *prac.*2.*lib.*4.*c.*4.*n.*31. & alij.

Nauar. Sanch. Rodrig. Coninc. Diana.

SATISFACTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſatisfactio vt eſt pænitentia virtutis actus?*
2 *Quæ conditiones requirantur vt opus ſit ſatisfactorium? Et an ad ſatisfaciendum neceſſe ſit vt actio procedat ex formali voluntate ſatisfaciendi?*
3 *Quid ſit ſatisfactio Sacramentalis? & an ſit pars Sacramenti pænitentiæ?*
4 *An regulariter teneatur Confeſſarius aliquam ſatisfactionem pænitenti imponere? & in quibus caſibus excuſetur Confeſſarius ab iniungenda pænitentia?*
5 *Quæ opera pænalia iniungenda ſint à Confeſſario pro ſatisfactione Sacramentali?*
6 *An ſit taxata lege Eccleſiæ menſura ſatisfactionis imponenda à Confeſſario.*
7 *An Confeſſarius ex iuſta cauſa poſſit in confeſſione diminuere, & commutare pænitentiam à ſe vel ab alio Confeſſario iniunctam?*
8 *An qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, poſſit pænitentiam quæ pro reſeruatis à ſuperiore impoſita eſt commutare?* refertur duplex ſententia.
9 *An qui oblitus eſt totius pænitentiæ aliàs iniunctæ teneatur iterum peccata confiteri, vt pænitentia commutetur?* refertur duplex ſententia.
10 *An pænitens poſſit propria authoritate pænitentiam in æquale aut in melius commutare? & an facta commutatione, liberum ſit pænitenti eligere quam pænitentiam voluerit?*
11 *An teneatur pænitens pænitentiam tolerabilem acceptare, & adimplere?*
12 *An peccet mortaliter pænitens non adimplendo pænitentiam grauem acceptatam?*
13 *An pænitens ſatisfaciat per ſuſceptionem Indulgentiæ, & per alia opera pia, quando pænitentia iniungitur à Confeſſario in ſatisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita?*
14 *An ſatisfactio ſiue impletio pænitentiæ iniunctæ à Confeſſario ex opere operato remittat pœnam temporalem peccatis debitam?*
15 *An pænitens adimplens pænitentiam in ſtatu peccati mortalis, præcepto Confeſſarij ſatisfaciat, & fructum ſatisfactionis conſequatur?*
16 *An pænitentia Sacramentalis facta in ſtatu peccati mortalis ſortiatur ſuum effectum ſublato obice?* refertur duplex ſententia.
17 *An ſatisfactio Sacramentalis iniuncta à Confeſſario poſſit per alium adimpleri?*

1. SAtisfactio, quæ pœnitentiæ virtutis actus eſt, voluntaria ſolutio, & iniuriæ Deo per peccatum illatæ compenſatio quædam eſt, cum propoſito non peccandi amplius, & confitendi. Confert maximè ad pœnæ temporalis remiſſionem, quam per opera ſua iuſtus abſolutè poteſt obtinere. *C. Satisfactio de pænit. c.*3. *diſt.*3. Concil. Trid. *ſeſſ.*14.*c.*8. *&* 9. Syluius *in ſuppl.qu.*1. *art.* 2. *quæſit.*3. Conc. Tr.

2. Conditiones aliquot ad id requirit. *Primò*, vt qui ſatisfacit, in gratia ſit, dum enim in peccato mortali moratur, nec pro remiſſis peccatis ſatisfacere poteſt, nec bona opera in illo facta vnquam ad ſatisfactionem reuiuiſcunt ex opere operantis. Suarez *de pæn.d.*37. *ſect.*2. Sylueſter *v.ſatisfact.q.*7.

Secundò, vt ſit viator. Suar. Sylu.

Tertiò, vt opus liberum ſit moraliter bonum, & honeſtum ſiue ſit ex conſilio, ſiue etiam præceptum, ſiue internum ſiue externum. Filliucius *tract.*8. *num.*9. *&* 10. Suar. *cit. ſect.*3.

Quartò, vt ſit pœnale, quamuis probabile ſit omne opus bonum, & meritorium, eſſe quoque ſatisfactorium. Per quodlibet opus pœnale ſatisfieri pro quodlibet peccato poteſt, ſi ratio habeatur ſolutionis pœnæ, non ita ſi ratio medicinæ ſpectetur. Etiam per pœnas extrinſecus illatas, vt ægritudines, bella, aliaque flagella a Deo in hunc finem immiſſa ſatisfacere poſſumus, modò voluntariè propter Deum acceptentur. Filliucius *cit. num.*71. Suar. *cit.ſect.*6. Sylueſt. *verb. Satisfactio q.*9. Nauar. *cap.*3. *num.*4. Filliuc. Suar.

Quintò, requiritur ex parte Dei, eius promiſſio ad hoc, vt opera noſtra infallibiliter ſatisfactoria ſint, & alterius vitæ pœnas remittant. Suar. *cit. diſp.*27.*ſect.*8. *&* 9. Filliuc. *tract.*8.*q.*10.11. *&* 12. Syluius *in ſuppl.q.*13.*art* 1. Filliuc. Suar. Sylu. Nauar.

His poſitis conditionibus, opera noſtra de condigno ſatisfactoria dicuntur, pro illa Purgatorij pœna, quæ peccato reſpondet, non adhuc plenè quoad pœnam remiſſo; Atque hinc eius neceſſitas non ſolùm præcepti, ſed etiam ex medio colligitur; ad pœnæ ſiquidem in hac vita remiſſionem conſequendam vnicum remedium ſatisfactio cenſetur. Suar. Fil. Sylu.

Sed quæres, an ad ſatisfaciendum ſit neceſſe, vt actio procedat ex formali voluntate ſatisfaciendi? Reſponſio communis, & vera eſt negatiua, ſed ſatis eſſe, vt procedat ex quacumque voluntate placendi Deo, aut ſuæ ſalutis æternæ. Ratio autem deſumitur ex merito, in quo non requiritur intentio præmij ad merendum illud; imò quò magis liberaliter, & abſque intuitu lucri aliquis Deum diligit, eò magis præmium meretur, quia valor meriti fundatur in æquitate, quæ exigit, vt qui bene operatur, laudetur, & præmietur. Sic ergo ſatisfactionis valor non

ſum-

Digitized by Google

fundatur in contractu, vel intentione ſoluendi, ſed in æquitate, quæ exigit; vt qui propter Deum, vel propter iuſtitiam, laudabiliter iam, & voluntariè paſſus eſt, non iterum affligatur, & puniatur. Deinde nullus eſt, qui vel formaliter, vel virtute non intendat conſequi apud Deũ omnem ſpiritualem effectum ſuis operibus proportionatum, ergo id ſatis eſt, vt docet Suarez *cit. ſect.* 3. *n.* 5.

Valent. Filliuc. Sylu.

3. Satiſfactio Sacramentalis, eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis taxatis à Confeſſario: hæc autem ſatisfactio ſic impoſita, eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, non tamen eſſentialis, ſi propriè loquendum ſit, ſed integralis tantùm, quia ſatisfactio non ordinatur, ad primarium effectum Sacramenti pœnitentiæ, qui eſt culpæ remiſſio, ſed ad ſecundarium, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis, ideò non oportuit eſſe de neceſſitate ſimpliciter Sacramenti. Concil. Trident. *ſeſs.* 14. *c.* 8. Valentia *t.* 4. *d.* 7. *q.* 14. *punct.* 2. Filliucius *tr.* 8. *num.* 30. & 31. Syluius *cit. q.* 12. *ar.* 1. Vnde validum eſt pænitentiæ Sacramentum, in quo Sacerdos nullam iniungit ſatisfactionem (modò pœnitens malitioſè non concurrat ad omiſſionem iniungendæ pœnitentiæ) etiamſi fortè Sacerdos peccet non iniungendo pœnitentiam abſque rationabili cauſa. Reginaldus *l.* 7. *num.* 11. Bonac. *de pœnit. d.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *p.* 1. *n.* 3.

Regin. Bonac.

Tolet. Regin. Suar. Sylu.

4. Regulariter, & per ſe loquendo tenetur Confeſſarius aliquam ſatisfactionem pœnitenti imponere: Toletus *l.* 3. *c.* 11. Reginaldus *l.* 7. *n.* 11. Suarez *cit. diſt.* 38. *ſect.* 3. Conink *de pænit. d.* 10. *dub.* 8. *num.* 62. & 64. Syluius *in ſuppl. q.* 18. *art.* 3. *quæſit.* 1. quia tenetur facere Sacramentum integrum, & curare ſalutem pœnitentis, vt Medicus, & ſeruare æquitatem, vt Iudex; quamobrem eiuſmodi obligatio ex genere ſuo grauis eſt, & obligat Confeſſarium ſub mortali: non tenetur autem Confeſſarius ſemper eam imponere per modum præcepti, ſed aliquando poteſt per modum conſilii, vel conditionaliter dicendo pœnitenti: Si hoc feceris, erit tibi id in ſatisfactionem. Quamuis nonnulli negent poſſe à Confeſſario imponi pœnitentiam eo modo, ſed ſolùm per modum præcepti. Ratio eſt, quia Sacerdos imponit pœnitentiam, tanquam Iudex, vt puniat pœnitentem: Iudex autem non punit, niſi per vim coercitiuam, qua obligat reum ad ſubeundam pœnam: imò nec dicetur propriè pœnitentia iniuncta à Sacerdote, quæ ſub obligatione non imponitur: ergo pęnitentia in arbitrium, & libertatem pęnitentis relicta, non eſt ſacramentalis. Hæc ſententia eſt probabilis, quam ſequuntur Vaſquez *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 9. Turrian. *de pæn. diſp.* 35. *dub.* 2. Lugo *de pænit. diſp.* 25. *ſect.* 4. *n.* 54. & alij.

Vaſquez. Turrian. Lugo.

Aliqui tamen excipiuntur caſus, in quibus Sacerdos excuſatur ab iniungenda pœnitentia. *Primus* eſt, quando pœnitens eſt impotens, vt quia morti proximus, & nihil percipere poteſt. *Secundus*, quando Confeſſarius ex ſignis aduertit pœnitentem ad pęnitentiæ Sacramentum cum tanto dolore accedere, vt credat ipſum integrè Deo ſatisfeciſſe; quia tamen rarò id poteſt certò conſtare Sacerdoti, ideò regulariter ſemper danda eſt aliqua ſatisfactio ſaltem leuis, ante vel poſt abſolutionem, vſus tamen iam obtinuit, vt imponatur ante. *Tertius* caſus huic ſimilis eſt, quem alij addunt, quando abſque ſatisfactione inſtar perfectæ remiſſionis remedium, v.g. ſi inſtet martyrium ſubeundum: quod alij extendunt ad Indulgentiam plenariam lucrandam, ſaltem quæ ſit moraliter certa. *Quartus* caſus eſt, quando pænitens ob ſuam fragilitatem nullam credatur acceptaturus pęnitentiam: aliquando enim oportebit condeſcendere eius imbecillitati ad vitanda grauiora mala: nunquam tamen continget, quòd aliquam leuem ſaltem pœnitentiam non ſit acceptaturus. Nauar. *c.* 26. *num.* 20. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 6. Caiet. *verb. ſatisfact.* Filliuc. *cit. num.* 38. Lugo *de pænit. diſp.* 25. *ſect.* 4. *n.* 47.

Nauar. Henriq. Caiet.

Porrò in omiſſione impoſitionis pænitentiæ poteſt aliquando ex paruitate materiæ adeſſe tantùm peccatum veniale, vt ſi pœnitentia leuis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel ſæpè iam confeſſa; tunc enim Sacerdos non peccaret mortaliter, ſi ſecluſo contemptu non imponeret vllam pœnitentiam, vt obſeruat Lugo hic citatus.

5. Opera pęnalia quæ iniungenda ſunt à Confeſſario, ad tria capita adducuntur. Primum caput eſt oratio, ad quam reducuntur alia bona opera interna, vt contritio, gratiarum actio, &c. Secundum caput eſt ieiunium, ad quod reducitur quælibet maceratio carnis, vt verbera, cilicium, &c. Tertium caput eſt eleemoſyna, ad quam reducuntur alia opera miſericordiæ in proximum. D. Thomas *in addit. q.* 15. *art.* 1. & 3. Sayr. *de pænit. c.* 36. *n.* 5. Suarez *d.* 38. *ſect.* 6. Sylu. *cit. art.* 3.

D. Thom. Sayr. Suar.

Imò in ſatisfactionem iniungi poteſt opus aliàs præceptum, vt Miſſæ auditio in die Dominico, &c. nam hæc ſunt bona opera pœnalia, & pendent à voluntate Confeſſarii. Diana 4. *p. tr.* 4. *reſol.* 241.

Tamen quando Confeſſarius imponit pœnitentiam, ſi nihil aliud exprimat, non cenſetur iniungere opus aliàs debitum ex præcepto, conſequenter pœnitens, cui iniunctum eſt, v.g. ieiunium, non ſatisfacit pœnitentiæ, ieiunando eo die, quo tenetur ex Eccleſiæ præcepto ieiunare, niſi fortè aliter conſtet de Confeſſarii voluntate: quando verò dubitatur de mente Confeſſarii, adeundus eſt ipſe Confeſſarius, ſi adiri poſſit: ſi verò nequeat adiri, ferendum eſt iudicium ex æquo, & bono. Nauar. *c.* 26. *n.* 14. Reginaldus *l.* 7. *n.* 28. Sanchez *l.* 1. *moral. c.* 14. *num.* 5. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 84. Vict. *de ſatisfact. nu.* 205. Syluius *in ſuppl. q.* 15. *ar.* 1.

Nauar. Regin. Diana.

Præterea non ſolùm iniungi poſſunt opera in particulari, verùm etiam in generali, vt ſi Confeſſarius abſoluendo dicat: *Quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum*; huiuſmodi enim opera ſic iniuncta eleuantur ad ſatisfactionem ex opere operato pro peccatis in illa confeſſione manifeſtatis, quia per huiuſmodi iniunctionem fiunt pars Sacramenti, vnde vſu receptum eſt, vt modicæ pœnitentiæ iniungantur, quia id in quo deficiunt pœnitentiæ iniunctæ, ſuppleri poteſt per bona opera, quæ vt plurimùm ab hominibus præſtantur. Suarez *d.* 38. *ſect.* 6. *n.* 6. Reginaldus *cit. n.* 25. Nauar. *c.* 26. *n.* 24. Henriquez *cit. cap.* 29. *nu.* 5. Diana *de Sacramentis reſol.* 97. *p.* 3. Filliucius *tract.* 8. *n.* 47. Exiſtimant tamen Lugo *de pænit. diſp.* 25. *ſect.* 4. *n.* 56. in illis verbis, *Quidquid boni, &c.* contineri meram deprecationem, ſicut & in præcedentibus, *Miſereatur tui, &c.* quia ex ſe videtur eſſe parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera pęnitentis maneant Sacramentalia, & eleuentur ad fructum ex opere operato, ſicut & merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum. Proinde non excuſat Confeſſarios à peccato leues pęnitentias imponentes pro grauiſſimis peccatis, quando addunt; *Quidquid boni feceris, &c.* quia eſt contra Concilium Tridentinum *ſeſs.* 14. *c.* 8. §. *debent ergo*. Hæc ſententia eſt probabilis, vt ait Diana *p.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 5. Petr. Marchant *tom.* 1. *tribunal. tract.* 4. *tit.* 7. *q.* 3. Vnde tutius eſſet, cum Confeſſarius opera futura eleuat ad hunc effectum, illa eſſe aliquo modo determinata, ſiue per operum ipſorum expreſſionem, vtpote Ieiunia, vel eleemoſynæ quas facies, ſiue per tempus, vt quæ tanto tempore facies, vtpote ſpatio aliquot menſium, vel anni, &c. quia ſententia iudicialis debet aliqua ratione determinari.

Suar. Reginald. Nauar. Henriq. Diana.

Imponi etiam poteſt ſub pęnitentia quòd pęnitens coram eodem Sacerdote, & non alio confiteatur: quia illud honeſtum eſt, & pœnale; non tamen paſſim iniungenda eſt, ſed in caſu maximè neceſſariò ad curationem pœnitentis: Non tamen poterit Confeſſarius imponere ſub pænitentia, quòd pænitens ſtatim confiteatur, ac lapſus fuerit in tale, vel tale peccatum, quia pænitentia debet iniungi abſolutè, & non ſub conditione. Ita Sanchius *in ſelectis diſp.* 13. qui etiam notat *diſp.* 16. non poſſe Confeſſarium licitè imponere ſub pænitentia officium mortuorum, vel alias orationes recitandas pro animabus Purgatorii, quia nullus poteſt obligari offerre alii ſuam ſatisfactionem; & idem eſt partem ſatisfactoriam pro alienis pœnis iniungere, atque nullam ſatisfactionem imponere: deinde valor impetratorius etiamſi applicetur animabus Purgatorii, non prodeſt illis ad remiſſionem pœnæ, niſi fortè occaſionaliter, quatenus inde Deus

monet

Digitized by Google

mouet corda fidelium ad hoc vt ſatisfactiones offerant pro illis. Ita etiam Vega *in Summ. 2. parte capite 63. caſu* 4. quamuis contrarium doceant Turrianus *diſputat.37.dub.4.de pœnitent.* & Lugo *de pœnit.diſput. 25.ſect. 4.num.62.*

Vega. Turrian. Lugo.

6. Menſura ſatisfactionis imponendæ à Confeſſario lege Eccleſiæ non eſt taxata: Canones verò pœnitentiales, vel tantùm continebant regulam quandam directiuam, quam Confeſſores poterant ſequi, quando cenſerent expedire; vel pertinebant ad forum externum potiùs, & ædificationem Eccleſiæ, quàm internum, nunc autem ſunt abrogati: hoc tamen negotium non eſt relictum abſolutè in poteſtate Confeſſarij, ſed conſiderata grauitate peccatorum, & diſpoſitione pœnitentis, aliiſque circumſtatiis perſonæ, temporis, &c. debet imponi proportionata ſatisfactio; *Cap menſuram, de pœnit. diſt.*1. Suarez *cit.ſect.*4. Concil.Tridènt.*ſeſſ.*14.*c.*8.Bonacina *cit.d.5.q.5.ſect.3.p.2.num.*15. & 16. Filliuc. *cit.n.*41. Laym. *lib 5.tr.6.c.15.num.*12. Lugo *de pœnit.diſp.25.ſect. 4.num.*60.

Suarez. Con.Trid. Bonac. Filliuc.

Vnde ex rationabili cauſa, vt ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis, poteſt Confeſſor aliquando imponere leuiorem ſatisfactionem: ſicut & tempore Iubilæi, aut Indulgentiarum, cùm per Indulgentias tollatur debitum ad pœnam. Confeſſarius tamen, qui valde modicam imponit pœnitentiam ob peccata mortalia, debet, per ſe loquendo, certiorem facere pœnitentem, talem pœnitentiam non eſſe ſufficientem, ſed ob indiſpoſitionem eius benigniùs cum eo agi, vt ipſe moueatur vel ad maiorem petendam, vel ad alias voluntariè aſſumendas. Ita Nauarrus *cap.16.num.*20. Reginaldus *l.7.n.38.* & 47. Suarez *cit.ſect.*4.

Regin. Suar.

Salubrius eſt enim confeſſum cum pauca leuiſſimaque pœnitentia acceptata, relinquere in manu Dei puniendum in Purgatorio, quàm cùm magna non adimplenda, detrudere ipſum in infernum. Noli igitur, ò Confeſſarie, claudere Dei regnum; caue onera grauia ceruicibus debilibus, & caſuris alligare. *Si enim Deus ad vnicum verum cordis contriti gemitum peccata nefandiſſima remittit*, interdum etiam quoad pœnam: Quid fatigamus nos onerando grauibus, & diuturnis pœnitentiis peccatores? qui vno perfecti cordis gemitu, à Deo impetrare poſſunt perfectam remiſſionem: *Vbi enim Paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius auſterus vult apparere?* vt habetur *in cap. Alligant*, 26.*q*.7.

Proinde Confeſſarii non debent inquietari etiam magnis peccatoribus, aliàs ad ſubeundas graues pœnitentias indiſpoſitis ex quacumque cauſa, ſed poſſunt etiam leuiores pœnitentias iniungere, committendo illos iudicio, & miſericordiæ diuinæ: modò illos ſeriò faciant & intelligere grauitatem peccatorum ſuorum, & neceſſitatem ſatisfaciendi pro illis in hoc ſæculo, vel futuro.

Vnde Hugo *ad c.7.reg. S.Franciſci*, intimare volens quàm miſericorditer debeant Prælati agere cum pœnitentibus, qui pro caſibus reſeruatis ad ſe recurrunt, in perſona Prælatorum ſic ait: Si erramus (inquit) modicam pœnitentiam imponentes; nonne meliùs eſt, propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? infundendum eſt vinum, & oleum vulneribus ſauciati. Sanè ſi vbique miſericordia ſuperexaltet iudicium, maximè tamen, qui ad pœnitentiæ munditiam recurrunt, benigniſſimè recipiendi, & omni gratia confouendi ſunt. Qui ouem perditam, filium prodigũ, & naufragum, piè vt ipſe curari vellet, non curat, nec paſtor, nec pater eſt; ſed aduerſus confitentem, ſeu confeſſionem ipſius, quaſi ordinis zelo aliquid agere, Chriſtum perdere eſt, Chriſtum perſequi eſt. Hinc ergo confeſſio redditur odioſa, hinc cęlum volentibus ingredi clauditur: emptæ Chriſti ſanguine animæ per occaſionem necantur: verè, vt ſcriptum eſt, viſcera impiorum crudelia, quæ pęnitentibus non compati, ſed indignari nouerunt: atque per auſteritatem quandam peccatores deteſtantes, iuſti cum Phariſæo apparere volunt. Inſolentibus non pœnitentibus debetur ſeueritas. Vbi eſt congregatio charitatis, habet qui cadit ſubleuantes ſe, & fulcientes. Fratrum eſt læſum iuuare; canum lacerare. Itaque odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; & quod ſeueriùs caſtigare neceſſarium eſt, non ſæuientis more plectatur, ſed medentis. Hæc ille.

7. Vſus, & praxis communis Eccleſiæ eſt, Confeſſarium ex iuſta, & rationabili cauſa, poſſe in confeſſione diminuere, & commutare pœnitentiam à ſe, vel ab alio Confeſſario inferiori, vel æquali, vel etiam Superiori iniunctam; quia cùm Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum ſit ad bonum animarum, & bono animarum aliquando expediat pœnitentiam à ſe, vel ab alio iniunctam commutare, ideò ſequitur, Confeſſarium poſſe pœnitentiam à ſe, vel ab alio iniunctam mitigare, diminuere & commutare ex iuſta cauſa; iuſta autem cauſa commutandæ pœnitentiæ eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia, vel obliuio pœnitentiæ aliàs iniunctæ. Nauar. *c.* 26.*num.*22. Suarez *d.*38.*ſect.*10. Filliucius *tr.* 8.*cap.*2.*q*.7. Reginald. *lib.7.n.*88. Layman *cit.nu.* 16. Syluius *in ſuppl. q.18.art.3.q.4.*

Nauar. Fill. Regin. Layman. Sylu.

Nota tamen, hanc commutationem pœnitentiæ non debere fieri extra confeſſionem; quia cùm ſatisfactio ſit ſacramentalis, & ſit actus iuriſdictionis clauium in foro ſacramentali, ſequitur pœnitentiam non poſſe extra confeſſionem commutari. Vaſquez 3. *p. q.94.art.2.dub.* 3.*numer.*7. Coninch *cit.d.*10.*dub.*12. Filliucius *cit.nu.*50, Fagundez *de precept. Eccleſ.tract.2.lib.9.c.*4. Plerique tamen Doctores, vt Nauar. *cit.* Valentia *tom.* 4. *d.7.q.*14. *punct.*4. Sà *verb. Satisfactio, num.*5. ſentiunt non eſſe neceſſariam confeſſionem peccatorum ſaltem in particulari, ſed ad ſummum peccatorum in ſpecie, pro quibus iniuncta eſt, quod eſt ſatis probabile: imò hanc ſententiam probabiliſſimã iudicat Diana *tr.1.miſcel.reſol.*53.*p*.2. cum plurimis à ſe citatis: quia præſens Confeſſor poteſt de tota ſimul cauſa pœnitentis, iuxta præſentem diſpoſitionem iudicare, prout magis expedire iudicauerit ipſi pęnitenti. Vide etiam eundem *p.3.tr.4.reſol.*53. & 137. & *p*.5. *tract.8.reſol.*37. & *tract.*14. *reſol.* 73. & *parte* 6. *tract.*6. *reſol.*46.

Vaſq. Coninch Filliuc. Valent. Nauar. Sà.

8. Confeſſarius, qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, licet poſſit pœnitentiam pro non reſeruatis iniunctam commutare; illam tamen, quæ pro reſeruatis à Superiore impoſita eſt, commutare non poteſt, ſecundùm communem ſententiam; quia Confeſſarius non poteſt commutare pœnitentiam, niſi ferat iudicium circa peccata, ac ſi pœnitens nunquam confeſſus fuiſſet, ſed ſi pœnitens nunquam fuiſſet confeſſus, deberet accedere ad Superiorem habentem facultatem reſeruatorum, ergo pęnitens debet ad Superiorem accedere, & non poteſt commutationem pœnitentiæ pro reſeruatis impoſitæ, obtinere ab inferiori Confeſſario. Reginaldus *cit.num.*91. Nauar. *cap.26 n.*22. Suarez *cit. ſect.* 10.*num.* 14. Filliucius *c.q.*7, Sà *cit. num.*5. Rodriquez 1. *p. cap.*56. *num.*8.

Nauar. Suar. Fill. Rodriq.

In contraria tamen ſententia eſt Bonacina *cit.p.3.num.* 6. & quidam alij ab ipſo citati. quorum ſententiam probabilem putat Syluius *cit.queſt.5.concl.* 2. neceſſitate vrgente. Ita etiam Vaſquez, Fernandez & Diana *tr.1.miſcel.reſol.53.p.*2. quia ſicut per abſolutionem caſuum reſeruatorum, remanent illa peccata non reſeruata, ita conſequenter non remanebit reſeruata pœnitentia pro eis impoſita.

9. Magna controuerſia eſt inter Doctores, an pœnitens, qui oblitus eſt totius pęnitentiæ aliàs iniunctæ, teneatur iterũ peccata confiteri, vt pęnitentia commutetur. Quidam enim dicunt pęnitentem teneri ſaltem præcipua peccata confiteri, vt congrua pęnitentia iniungatur; & hoc eſt ſatis probabile. Coninch *cit. dub.* 12. *num.* 101. Vaſquez *cit.* Aliis tamen, & meritò, probabilius videtur confeſſionem repetendam eſſe. Ita Suar. *cit. ſect.* 10. *numer*.8. Reginald. *cit.n.*42. & 93. Vide Dianam 4. *p.tra.*4. *reſol.*241. qui contra Richardũ, D. Antoninum, & Syluestrũ docet pęnitentem, qui oblitus eſt pęnitentiæ ſibi iniunctæ, non teneri ſecundò eadem peccata confiteri, vt

Conin. Vaſq. Suar. Dian.

aliam pęnitentiam pro iis recipiat, ſed ſufficere hoc peccatum confiteri, ſi ſua culpa pœnitentiæ non recordetur: Imò nec teneri aliud opus ſatisfactorium pro illa ſubſtituere. Ratio eſt, quia Deus oon iudicat bis in idipſum: illa autem peccata iam ſemel à Deo ſunt iudicata, ideo non debent iterum in iudicio Sacramentali iudicari. Deinde, quia opus voluntariè ſuſceptum ad ſatisfaciendum, non eſt pars Sacramenti præteriti. Solùm igitur remanet obligatio confitendi culpam obliuionis, ſi quæ fuit. Ita etiam Nauarr. *in Manual.c.9.n.*17. Sotus *in 4.diſt.20.q.2.art.* 2. *ad* 3. Fernandez *p.3.c.7.§.6.n.*14.

Nauar.
Sotus.

10. Pęnitens non poteſt propria authoritate pœnitentiam in æquale, aut in melius commutare, quia commutatio pęnitentiæ eſt actio Sacramentalis, & actus iuriſdictionis, qui fit a Confeſſario tanquam à Superiore: pęoiteos autem non poteſt in ſe actionem iuriſdictionis Sacramentalis exercere, cùm nullus ſit ſibi Superior. Et hæc ſententia eſt probabilior. Coninch *cit. nu.* 103. Reginald. *citat. numero* 85. Henriquez *citat. capit.* 10. *numero* 5. quamuis non ſit improbabilis contraria ſenteotia Portell. *in dub. regular verb. Pœnitentia Sacrament. numer.* 6. *in addit.* Villalobos *in Summ.* 9. *tract. 4. diff.* 5. *numer.* 1. Diana *p.3.tract.4.reſolut.* 53. *& part. 5.tractat.14.reſol.* 73. Cæleſtinus *in compend. Theolog. mor. tract.* 1. *c.* 24. *n.* 8. Ratio illorum eſt: quia quoties qois abundantiorem ſolutionem offert pro debito, ad quam eſt ex lege aſtrictus, legem non ſoluit, ſed abundantiùs implet, nec cenſendum erit nouam legem pęnitentem ſibi auctoritate propria imponere, mutando pęnitentiam, nec actum iudicii exercere, & iuriſdictionis, ſed vberiùs implere legem à Confeſſario impoſitam.

Coninch.
Regin.
Henriq.
Portel.
Villalob.
Dian.

Porrò quando facta eſt commutatio pęnitentiæ, liberum eſt pęnitenti eligere quam pęnitentiam voluerit, primam videlicet, aut ſecundam, quia commutatio fit in fauorem pęnitentis: pęnitens autem cedere poteſt iuri, & fauori ſuo. Ita Suarez *d.38.ſect.10.n.7.* Reginaldus *lib.7.num.89.*

Suarez.
Regin.

11. Quandoquidem Confeſſarius teneatur iniungere pęnitentiam, vt ſuperius dictum eſt, conſequenter pęniteos tenetur pęnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatamque adimplere: & hoc adeò certum eſt, vt hoc tempore ſine temeritate contrarium doceri nequeat. Suarez *d.38.ſect.* 7. Coninch *cit. dub.9. num.79.* Filliuc. *cit nu.* 53. Syluius *in ſuppl.q.18.artic.3.q.3.* Imò Victoria *in Summ. nu.* 209. Vaſq. 3 *p.tom.4.q.94.art.* 2. *dub.* 1. & alii dicunt hoc eſſe de fide: nam Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. dicit eſſe in Sacerdotibus poteſtatem ligandi, non tantum ad medicamentum infirmitatis, ſed etiam ad vindictam peccati commiſſi. Nauarrus tamen *c.26. num.* 20. Regioaldus *l.7.num.*15. Medioa *c. de ſatisfact q.6.* & quidam alii aſſerunt, pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam, ſed poſſe electionem ſumere luendi pœnitentiam, vel in hac vita per alia pia opera, vel in Purgatorio. Hæc ſententia ab aliquibus admittitur tanquam probabilis, ſed prior eſt tenenda.

Suar.
Fill.
Sylu.
Vaſq.

Notandum autem eſt, pœnitentem, cui oimia videtur pœnitentia, poſſe rogare Confeſſarium, vt eam mitiget, quantùm poteſt; & Confeſſarius in tali euentu debet pęnitenti annuere quantùm poteſt, vt ſuauius efficiatur iugum confeſſionis. Henriquez *cit. cap.* 20. *num.*5. Reginald. *numer.* 37. Imò pœnitens poteſt abſque peccato mortali ante acceptatam abſolutionem, ſi Confeſſarius nolit pœnitentiam moderari, dicere ſe malle alteri Sacerdoti confeſſionem facere, quam adeò grauem pœnitentiam acceptare. Suarez *cit. ſect. 7.numer.* 4. Coninch *cit.num.*80. Vide Dianam *par.2.tract.*1. *miſcell. reſol.* 52. ibi pro vtraque ſenteotia plurimos citat Authores, nihil tamen de eorum placitis approbando, vel reprobando.

Suar.
Dian.

12. Obligatio adimplendæ pœnitentiæ grauis, ex ſuo genere grauis eſt, vnde pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, ſiue fuerit iniuncta pro mortalibus, aliàs noo confeſſis, ſiue pro mortalibus aliàs confeſſis; qui verò non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter, etiamſi pœnitentia iniuncta fuerit pro peccato mortali nunquam aliàs confeſſio. Valentia *d.7.q.14.p.4.* Filliucius *cit.n.* 54. Reginaldus *cit.n.*77. Henriquez *cit.c.20.n.*3. Idem dicendum de omittente partem leuem magnæ pœnitentiæ, nam paruitas materię excuſat à peccato mortali, vt docet Diana *p.5.tr.5.reſol.*25.

Valent.
Filliuc.
Regin.
Henriq.

Pœnitens verò obligatur ad implendam pœnitentiam, quamprimùm commodè poteſt, ſi Confeſſarius non determinet tempus; quòd ſi determinet, implenda erit intra illud; ſi non faciat, non propterea ceſſat obligatio eam implendi primo quoque tempore. Ita Suarez *diſt.38.ſect.7.* Nauarr. *c.12.num.*54. Cooinch *d.*10.*dub.9. num.*85. Syluius *cit.quæſt.*2. Diana *p.5. tractat.* 12.*reſol.*3. & alij.

Suar.
Nauar.
Sylu.
Diana.

13. Quando pœnitentia iniungitur à Confeſſario in ſatisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita, pęnitens ſatisfacit per ſuſceptiooem Indulgentiæ, & per alia pia opera ſatisfactoria: quia Confeſſarius intendit ſolùm iniungere pęnitentiam, vt pęnitens ſatisfaciat pro pęna; cùm autem pęnitens per indulgentiam, puta plenariam, vel per alia iotegrè pro pęna ſatisfecerit, ſequitur pęniteotem non ampliùs teneri ad pęnitentiam iniunctam adimplendam. Quando verò pęnitentia iniungitur in medicinam, remedium, & præſeruationem à peccatis, pęnitens non ſatisfacit per Indulgentiæ ſuſceptionem. Suarez *cit. diſt,* 50.*ſect.2.num.*5. Tolet. *lib.6.cap.* 29. *num.* 10. Nauar. *de Indulg. notation.* 31. *numer.* 43. Reginaldus *lib.* 7. *numero* 170. Raró autem remittendæ ſunt pęnitentiæ Sacramentales ob ſuſceptiooem Indulgentiarum, vel ob alia pia opera, quia pęnitentiæ Sacrameotales iuuant ad maius meritum, & ad maiorem gloriam, integritaſque Sacramenti poſtulare videtur, vt pęnitentia à Confeſſario impoſita adimpleatur, niſi moraliter conſtet pęnis debitis ſatiſfactum eſſe. Henriquez *lib.5.cap.22.num.6.* Suarez *d.38.ſect.* 10. Filliucius *tract.* 8.*num.*174.

Tolet.
Nauar.
Henriq.
Filliuc.

Ex dictis infertur *Primò*, tempore Iubilæi poſſe Confeſſarium leuiorem pœnitentiam imponere; obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæum: ad hoc enim conceditur illa remiſſio a Pontifice, vt ſubleuetur pęniteos, qui pro tantis peccatis ooo poterat agere debitam pœnitentiam: quod redundat etiam in leuamen Confeſſarii, qui frequenter neſcit, quomodo peccatori ingentibus peccatis grauato poſſit congruentem pœnitentiam imponere; præſertim, cùm ad quamlibet pœnitentiam grauiorem difficilem eum inueniat.

Infertur *Secundò*, hoc pacto poſſe etiam Confeſſarium prouidere pœnitenti, quem inuenit grauatum multis pœnitentiis ex anteactis confeſſionibus, quas non impleuit: in quo caſu Confeſſarius ooo poteſt commutare illas pœnitentias, noo auditis ſummariè prioribus peccatis; poterit tamen commutare illas in aliquam Indulgentiam plenariam, quam pœnitens lucretur, quo pacto eum liberabit ab onere. Imò, cùm hic modus liberationis non oriatur ex poteſtate ſecundi Confeſſarii, ſed ex ſubtractione materiæ, quatenus per Indulgentiam extinguitur illud debitum pœnæ, conſequens eſt, vt poſſit hoc etiam extra confeſſionem facere: quinimò ipſemet pœnitens, ſi homo doctus eſſet, poſſet facere illam commutationem: nam reuera non ipſe facit, ſed Summus Pontifex, qui per conceſſionem Indulgentiæ tribuit facultatem extinguendi debitum pœnæ, quod erat fundamentum illius obligationis. Quamuis conſulendum ſemper ſit pœnitenti, vt opera impoſita, quoad fieri poſſit, adimpleat, nec pœnitentias omittat, Indulgentiarum occaſione, vt dictum eſt.

14. Satisfactio ſiue impletio pœnitentiæ ioinnctæ à Confeſſario ex opere operato, ſecundùm Chriſti inſtitutionem, remittit pęnam temporalem peccatis debitam, nam ſatisfactio virtute clauium imperata, ac veluti eleuata, eſt pars Sacramenti pœoitentiæ iotegralis, à Chriſto inſtituta, vt per eam peccatum perfectè, & integrè, videlicet quoad reatum etiam pœnam deſtruatur.

ſtruatur. D. Thomas *in 4. d. 17. q. 2. art. 5.* Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 2. Sylu. 3. *p. q.* 85. *art. 2. quæſit. 3. concl.* 2. Vnde ſecundùm Paludanum *in 4. d. 20. q.* 2. Laym. *lib. 5. tract. 6. c.* 15. *num.* 14. Conink *cit. dub.* 10. *num.* 88. & alios multò plus valet modica pœnitentia à Sacerdote impoſita, quam magna, quæ ſpoote aſsumitur, quia hæc non ſicuti illa, vim Sacramentalem habet. Peccatum verò veniale, quod aliquis in implenda pœnitentia committit, non impedit effectum ſatisfactionis, qoia ſicut ſuſcipiens Sacramentum cum affectu peccati venialis fructus gratiæ particeps fit, ita implens pœoitentiam cum peccato veniali particeps efficitur remiſſionis pœnæ, neuter enim fructus prouenit ex virtute operantis, ſed ex opere operato ipſius Sacramenti.

15. Pœnitens qui pœniteotiam iniunctam à Confeſſario adimplet in ſtatu peccati mortalis, præcepto quidem Confeſsarii ſatisfacit, effectum tamen ſiue froctum ſatiafactioois non conſequitur, quamdiu in ſtatu peccati perſeuerat. Ratio priotis eſt, quia ille dicitur præceptum & obligationem adimplere, qui facit id quod ſibi præceptum eſt; pœniteos autem adimpleodo pœniteotiam in ſtatu peccati mortalis, facit quod ſibi præceptum eſt: præterea talis ſubſtantiam operis præcepti implet; modus autem operandi oon cadere ſolet ſub præceptum.

Ratio poſteriotis eſt, quia peccatum mortale nondum remiſſum, eſt obex, & impedimentum ad remiſſionem pœnæ, indignus eſt enim, vt pœnæ remiſſionem obtineat, qui digous eſt æterna pœna. Suarez *diſtinction.* 38. *ſection.* 8. Valentia *tom. 4. diſtinct. 7. part.* 14. *part.* 3. Toletus *lib. 3. c.* 9. Nauarr. *c. 3. num.* 6. Reginald. *cit. num.* 9. & 84. Layman *cit. num.* 15. Filliuc. *cit. num.* 57. Cootrarium ſentiunt Vaſquez *q. 94. artic. 2. d. 5. num.* 10. Sanc. *in ſelect. diſp. 16. num.* 6. & alii quorum ſententiæ tanquam probabili ſubſcribunt Diana *p. 5. tractat. 13. reſolut.* 38. & Medina, *C. de pœnit. q. de pœnit. iniuncta extra gratiam impleta*: quia ſatiafactio Sacramentalis non cauſat remiſſionem pęnæ temporalis media infuſione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus ſtatus peccati mortalis eſt obex, ſed imperrando illam à Deo, cui impetrationi non obeſt, quia peccator multa poteſt à Deo impetrare, & impetrat:

Suarez. Valent. Layman. Vaſq. Sanch.

16. Probabile eſt, pœnitentiam factam in ſtatu peccati mortalis ſortiti ſuum effectum, & prodeſse ad remiſſionem pœnæ ſublato obice, id eſt, ſtatu peccati mortalis; quia ſatisſactio eſt pars Sacramenti, non poteſt autem eſſe pars Sacramenti quin ſigoificet, & efficiat aliquid ex opere operato, cùm autem non efficiat gratiam cùm gratia conferatur in eo inſtanti, in qoo perficitur abſolutio, ſequitur debere ex opere operato efficere remiſſionem peccatorum, ſaltem recedente obice, ſeu ſtam peccati. Rodriquez *c. 56. n.* 10. Sà *verb. ſatisfact. n.* 7. Suarez *cit. n.* 5. Reginald. *cit. num.* 9. 10. 84. Henriq. *c. 20. n.* 7. Dian. *p. 5. tr. 13. reſ.* 38. Vaſquez 3. *p. q. 94. ar. 2. dub.* 5. contra Valent. Sotum, & alios.

Rodriq. Sà. Henriq. Dian. Vaſq.

17. Satisfactio ſacramentalis iniuocta à Confeſſario, non poteſt per alium adimpleri, ſed per ipſummet pœnitentem adimplenda eſt, oiſi Confeſſarius aliud expreſserit; quia obligatio perſonalis implenda eſt per ipſum, qui huiuſmodi obligaoione tenetur, cum voluntate autem Confeſsoris poteſt, quia id præceptum pendet ex voluntate Confeſsoris, ideoque illis ſatisfit, ſi eius voluntas impleatur, qui tamen ſine iuſta caoſa oon debet id concedere; tunc autem quando iuſtè id concederet, valeret etiam ad ſatisfaciendum pro illo, quo fit ex opere operato, quia ſemper fieret ex motiuo, & petitione ipſius pęniteotis, ideò eſset aliqoo modo ſatiafactio ipſius, & pars Sacramenti ab illo ſuſcepti. Reginaldus *citat. num.* 81. Suarez *cit. ſect.* 9. Caietan. *ver. ſatiſfactio.* Bonacina *citat. numer.* 11. Filliucius *cit. numer.* 58. Henriquez *lib. 5. capit. 20. numer.* 7. Diana 4. *p. tr. 4. reſ.* 241. Sylu. *in ſuppl. q. 13. ar.* 2. & alij.

Suar. Caiet. Bonac. Fill. Dian. Sylu.

SVPPLEMENTVM.

SATISFACTIO.

SVMMARIVM.

1 *Cùm peccator ad Deum conuertitur, an cum culpa etiam pœna vniuerſa remittatur.*
An ſatisfactio impoſita à Confeſsario ſemper remittat omnem pœnam peccatis confeſſis debitam? refertur duplex ſententia.

2 *Satisfactio ſacramentalis, an habeat aliquem effectum ex opere operato? Et an habeat vim cauſandi aliquem nouum gradum gratiæ in ſubiecto diſpoſito, quando impletur.*

3 *An per flagella à Deo nobis immiſſa, vt ſunt bellum, fames, &c. poſſumus Deo ſatisfacere, ſi voluntariè acceptentur, & in Deum referantur.*

4 *An non ſolùm per dicta flagella, ſed etiam per omnia quæcumque illa ſint, & ex quibuſcumque cauſis proueniant, dicto modo ſatisfactio fieri poſſit.*

5 *An noſtra ſatisfactio ſit vnicum medium ad remiſſionem pœnæ in hac vita conſequendam.*

6 *An ſemper iniungenda ſit ſatisfactio Sacramentalis pęnitenti ſcrupuloſo, qui frequenter intra eandem horam accedit ad Confeſſarium?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſatisfactio Sacramentalis poſſit iniungi à Confeſſario tam ante, quàm poſt abſolutionem? Et ſi quis pęnitentiam impleat, antequam abſoluatur, an ſtatim ſuum effectum habeat ex opere operato, ſi pęnitens ſit in gratia.*

8 *Quandonam Confeſſarius poſſit obligare pęnitentem, vt pęnitentiam impleat, antequam eum abſoluat.*

9 *Si pro pęnitentia iniuncta ſit à Confeſſario eleemoſyna; an pęnitens ſatisfaciat dando illam extremè indigenti? vel conſanguineis, vel ſibi illam applicando.*

10 *Si pęnitentia iniungatur à Confeſſario, vt certo die adimplenda, ſi tunc non impleatur, an pęnitens poſtea teneatur adimplere?* Refertur duplex ſententia.

11 *An ſatisfactio præſeruatiua poſſit à Confeſsario commutari in non præſeruatiuam, vel præſeruatiuam.*

12 *Quando cenſeatur ſatisfactio imponi, vel commutari in confeſſione.*

1 CVm peccator ad Deum conuertitur, non ſemper cum culpa vniuerſa etiam pęna remittitur: quia ratio iuſtitiæ poſtulat, vt qui poſt Baptiſmi gratiam Deum offendere, & Spiritum ſanctum cootriſtare non formidauerit, recipiatur à Deo cum aliqua caſtigatione, mutata pœna æterna in temporalem, quæ deinceps à pœnitente exoluenda eſt per digooa pœnitentiæ fructus, qui ex Chriſti paſſione vim habent, & ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre, vt ait Concilium Tridentinum *ſeſs.* 14. *c.* 8.

Quantitas huius pęnæ temporalis ſoli Deo eſt nota, ad eamque luendam propriè ioſtitutum eſt Purgatorium: homines tamen, tum per Indulgentias, tum per opera pęoalia, tum maximè per pęnitentiam à Confeſſario iniunctam, etiam in hac vita poſſunt pœnam illam redimere; non tantùm ex parte, ſed etiam ex toto; ſicut, & Baptiſmus, & martyrium tollunt omne debitum pęnæ temporalis.

Difficultas eſt apud Theologos, an ſatisfactio impoſita à Coofeſſario, quæ eſt compenſatio pęnæ temporalis, ſufficiat ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam, ita vt peracta ſatisfactione nihil luendum pœnitenti in Purgatorio remaneat? Quidam aſſirmant, ſi Confeſsarius impoſuit pęnitentiam, quàm ipſe arbitratus ſit iuſtam; iuſta autem cenſetur, quæ exequat, nec maior, nec minor eſt ea pęna, quæ pro peccatis per

Iii 2 con-

Digitized by Google

contritionem.& confeſſionem condonatis, reſtat luenda in Purgatorio;par enim eſt, vt pœnitentia iuxta prudentis Confeſſarij arbitrium impoſita tollat omnem pęnam, Ita Ioannes Medina *Cod. de effectu pęnit. iniuncta*. Sotus *in 4. diſt. 20.q.2.art.3.* & alii. Hurtadus *de Sacram. diſp. 14.de pænit.diffic.5.*

Medin. Sotus. Hurtad.

Sed contrarium mihi dicendum videtur, nempe non ſemper remittere omnem pœnam. Ratio eſt, tum quia proprium eſt Sacramenti Baptiſmi tollere omnem culpam,& pœnam,ergo per Sacramentalem ſatisfactionem non ſemper omnis pœna remittitur. Tum quia, vt Confeſſarius imponat pœnam peccatis debitam ad æqualitatem, cognoſcere debet, quanta pœna peccatis debeatur, ſed hoc ſoli Deo eſt notum, vt diximus, ergo non imponit pœnam ad æqualitatem, & conſequenter per ſatisfactionem non ſemper tollitur omnis pęna peccatis debita. Ita Vaſquez *de pœnitent.q.90.art.2.dub.6.* Reginald. *l.7.n.47.* Bellarminus *de pænitent.lib.4.cap.2.* Syluius *in 3.part.quæſt.85.art.2.quæſit.3.concl.2.edit.3.* & alii, quibus adde Nugnum *in ſupplem.q.18.ar.4.diffic.2.* Valentiam *t.4.diſp.7.q.14.punct.4. verſ. Duo tamen.* Vide Dianam *p.5. tr.13.reſ.38. in fine.*

Vaſq. Reginald. Sylu. Valent. Diana.

Sed circa hâc difficultatem eſt aduertendum aliquam eſſe ſatisfactionem, ita proportionatam peccatis, vt ſi illa imponatur, & impleatur, totum reatum deleat; nam cùm hic reatus finitus ſit, poterit adæquari per ſatisfactionem finitam: vnde fit, vt interdum poſſit ſatisfactio excedere reatum; interdum poſſit eſſe inæqualis, & tunc habebit ſolùm ex parte effectum iuxtà proportionem, quam cum ipſo reatu habuerit. Ita notat Suarez *t.4.diſp.38.ſect.2.n.7* & poſt illum Layman *l.5.tract.6.c.15. num. 14.* Atque ita intelligendum venit, quod diximus *tom. 1. verb. Satisfactio, num.14.*

Suar. Layman.

2. Satisfactio ſacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato: quia alias non plus haberet efficaciæ, quàm ſatisfactio non ſacramentalis: quod procedit ex poteſtate clauium ligandi,& remittendi peccata, quæ eſt in Sacerdotibus. Nam in Concilio Tridentino *ſeſſ.14.c.3.* dicitur, quod *hi actus Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Vnde ſequitur quod omnes illi actus ex opere operato valeant ad plenam, & perfectam remiſſionem peccatorum. Ita ex communi D.Thom *quodlib.3.ar.28.*

Imò probabile eſt, ſatisfactionem Sacramentalem quãdo actualiter impletur, habere vim cauſandi aliquem nouum gradum gratiæ, & de facto illum cauſare in ſubiecto diſpoſito. Ratio eſt, quia talis ſatisfactio quando actualiter impletur, eſt pars Sacramenti à Chriſto inſtituti ad ſignificandam,& cauſandam gratiam.ergo ſicut contritio, & confeſſio gratiam Sacramentalem producunt in quantum vniuntur formæ abſolutionis, & ex eis ſimul iunctis vnum Sacramentum conſtituitur: ita quoque ſatisfactio aliquem gratiæ gradum producit per habitudinem quam dicit ad abſolutionem, & ad vſum poteſtatis clauium. Ita D.Thomas *3.part.quæſt.90.art.2. ad 2.* Caietan. Nugnus *ſuper quæſt.90.* Sotus *in 4. diſt. 17. quæſt.1.art.2.* Suarez *de pænit. diſp. 38. ſect.2.* Syluius *loco cit.concl.3.* & alij.

D. Thom. Caiet. Sotus. Suarez.

3. Poſſumus ſatisfacere Deo per pęnas, quas neceſſariò patimur, ſeu per flagella ab eo immiſſa, vt ſunt bellum, fames, infirmitas,&c. modò tamen voluntariè acceptentur,& aliquo modo in Deum referantur. Probatur hoc ex Concilio Tridentino *ſeſſion.14.cap. 9.* vbi habetur, *ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Ratio eſt, quia licet homo ab extrinſeco patiatur huiuſmodi pęnas, dum tamen eas voluntariè acceptat, & offert Deo, moraliter facit eas proprias, ideoque ſufficiunt ad ſatisfaciendum, ſicut qui ab alio ſuſcipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum religioſum, ſatisfacit: quia valor ſatisfactionis non conſiſtit in hoc, quod ipſe dolor, ſeu pęna à nobis veluti actione phyſica fiat, ſed multo magis in hoc, quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, vt per illa ſatisfaciamus: quia moraliter non minùs graue eſt ſuſtinere flagella extrinſecus illata, quàm à ſe: quia fieri poteſt, vt plus ſatisfaciat quis per hanc pęnam toleratam, quàm per ſponte aſſumptam: licet enim pęna ex ea parte, qua eſt magis voluntaria, magiſque propria, plus ſatisfactiua ſit, tamen ex parte difficultatis, quæ eſt in ſuſtinendis paſſionibus extrinſecus aduenientibus, multum excedere poteſt hæc pœna tolerata; præſertim ſi cum illa aliqua iniuria coniuncta ſit: Sic ſentiunt Sancti Patres, dum docent per hæc flagella purgate Deum iuſtos in hac vita, ſicut per ignem Purgatorij purgat in alia. Conſentiunt D. Thomas *in 4. diſt.15 quæſt.1 artic.4.quæſtiunc.2.* Syluest. *verb. Satisfactio, q.9* Victoria *in ſum.n.207.* Nauar. *in Man.c.3.n.4.* Filliucius *tract.8.num.21.* Suarez *tom.4.diſp.37.ſect.7.* & alii penes ipſos.

D. Thom. Sylu. Nauarr. Filliuc. Suar.

4. Non ſolùm fit hæc ſatisfactio per flagella ad eum finem à Deo immiſſa, ſed per omnia, quæcumque illa ſint, & ex quibuſcumque cauſis proueniant, dummodo voluntariè acceptentur,& referantur in Deum. Ratio eſt, quia hæc omnia flagella homo poteſt moraliter facere ſua, quia proueniunt ex diuina prouidentia, quæ ſaltem generali intentione per ea intendit, vt exerceamur, & purgemur a vitiis, & reatibus peccatorum, ergo ſi homo illis rectè vtatur, per illa etiam purgabitur. Tum quia paſſio huius vitæ non eſt comparabilis, nec proportionem habet cum pœna Purgatorii; ergo non erit ſufficiens ad remittendam illam, niſi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem, vt hac ratione poſſit eſſe veluti pretium ſufficiens ad remittendam illam pænam Purgatorii. Sic D.Thomas, Nauarrus, Victoria,& alii numero præcedenti allegati, qui exempla ponunt in ægritudine quacumque. Concilium etiam Tridentin. & Patres indefinitè loquuntur.

5. Satisfactio neceſsaria eſt ad conſequendam remiſſionem pœnæ Purgatorij, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medij, hoc eſt noſtra ſatisfactio eſt vnicum remedium ad remiſſionem pœnæ in hac vita cõſequendam. Ratio eſt, tum quia lex diuinæ iuſtitiæ eſt, vt qui peccat, puniatur dignè. Tum etiam quia naturalis ratio dictat, ſatisfaciendum eſſe Deo offenſo pro peccatis contra legem naturæ. Denique in operibus noſtris non eſt aliud meritum remiſſionis pœnæ præter ipſam ſatisfactionem quæ conuenit operi, vt pœnale eſt, ideoque nulla ſupereſt certior via ad conſequendam remiſſionem pœnæ præter condignam ſatisfactionem. Quod ſatis quidem conſonum eſt, tum diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ, vt ſicut commutatiua poſtulat meritum, ita vindicatiua ſatisfactionem exigat, nec vna cum altera confundatur. Tum etiã diuinæ prouidentiæ ordinantis ſatisfactionem hanc ad animæ curationem, vt ſaltem timore pœnæ homines à peccato abſtineant, quod remedium valdè redderetur inefficax, ſi aliis remediis poſſent homines facilè ſine condigno labore, & dolore, talis pœnæ remiſſionem obtinere. Ita Suarez *loco cit. diſp.37.ſect.10.* Filliuc. *tract 8.n.28.* Trullench *in praxi reſol. Sacramentor.l.4.c.7.dub.1.n.12.* & alii.

Suar. Filliuc. Trullench.

6. Dubium eſt, an iniungenda ſemper ſit pœnitentia, ſeu ſatisfactio Sacramentalis pęnitenti ſcrupuloſo, qui frequenter intra eandem horam accedit ad Confeſſarium? Videtur enim quod ſic; quia diuerſa Sacramenta partes quoque diſtinctas habere debent, alioquin diuerſa non eſſent, niſi ſecundum quid: at Sacramenta non ſunt eadem: nam peccata noua ſunt ad Sacerdotem allata, noua contritio, diuerſa abſolutio, quæ omnia indicant horum Sacramentorum diſtinctas eſſe materias numero, formas item differentes, ergo oportet ſatisfactionem eandem non eſſe, ſed diuerſam. Ergo non poteſt vna, & eadem ſatisfactio pluribus Sacramentis aptari. Ita ſentiunt Stephanus Bauny *in Theolog. moral. p.1.tr.4.q.25.* Reginald. *l.7.n.12.* Hæc opinio tutior eſt, & in praxi regulariter ſequenda.

Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens in hoc caſu poſſe Sacerdotem iniungere pœnitentiam iam aliàs iniunctam: nam opus aliàs debitum poteſt in Sacramentalem ſatisfactionem iniungi, vt docet Bonacina *tom. 1. diſp.*

Bonacin.

diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. punct. 2. num. 3. Imò ſi nullam pœnitentiam iniungat. Ratio eſt, quia hæc pars ſolùm requiritur ad integritatem Sacramenti; eo modo quo punitio requiritur ad complementum iudicij humani: vnde ſicut in iudicio humano non manet iudicium imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non iudicatur pœna dignus, ſic neque hoc iudicium, & Sacramentum manet imperfectum ex defectu ſatisfactionis, quando pœnitens non iudicatur dignus pœna. Tum quia ſicut in iudicio humano non peccat grauiter Iudex non imponendo aliquam pœnam parui momenti, qua reus erat dignus; ſic nec in hoc Sacramento Confeſſarius grauiter peccat non imponendo ſatisfactionem leuem, quã poſſet imponere: nam per hoc non deeſt muneri ſuo in re graui; ſed in complemento quodam leuis momenti, quod deficit Sacramento ob eius culpam. Proinde in hoc caſu poſſet eſſe tantùm peccatum veniale ex paruitate materiæ, ſi Confeſſarius omittat, ſecluſo contemptu, imponere aliquem ſatisfactionem. Ita Henriquez *lib. 5. cap.* 20. *nu.* 6. Cardinalis Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſp.* 25. *ſect.* 4. *num.* 50.

Henriq. Lugo.

7. Satisfactio Sacramentalis, per ſe loquendo, poteſt iniungi à Confeſſario tam ante, quam poſt abſolutionem: quia dummodo moraliter coniungantur hæc, & veluti in eodem iudicio fiant, non refert, ſi alterum antecedat, vel ſequatur. Conſuetudo tamen iam ferè obtinuit, vt pœnitentia priùs imponatur, quòd licet non cadat ſub obligationem, conſultiùs nihilominus videtur, vt materia, quoad commodè fieri poteſt, ſupponatur formæ, & vt pœnitens ſaltem voto, & propoſito ſatisfaciat priuſquam abſoluatur: ſic enim meliùs ratio iuſtitiæ ſeruatur. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 26. *n.* 9. Filliuç. *tra.* 8. *num.* 38. Suar. *diſput.* 38. *ſect.* 3. *num.* 6. Syluest. *verb. Confeſſor.* 4. §. 1. & alij.

Nauarr. Filliuc. Suar.

Sed petes, ſi quis pœnitentiam impleat antequam abſoluatur, an ſtatim habeat ſuum effectum ex opere operato, ſi pœnitens ſit in gratia? Reſpondeo non habere effectum ante datam abſolutionem. Ratio eſt, quia Sacramentum non incipit habere effectum donec eſſentialiter conſummatum ſit per formam. Deinde, quia hic eſt ſecundarius effectus coniunctus alteri principali, qui eſt culpæ remiſſio: ſicut ergo non remittitur pœna ante remiſſionem culpæ, ita neque hæc pars poteſt habere ſuum effectum ante abſolutionem. Illa ergo ſatisfactio habebit effectum ex opere operantis, poſteà verò, conſummato Sacramento, dabitur effectus ex opere operato.

8. Non poteſt Confeſſarius obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priuſquam illum abſoluat, per ſe loquendo, quando ſatisfactio eſt tantùm vindicta: quia nullum ius ad hoc habet, nec cauſam differendi abſolutionem, ſi pœnitens acceptet pœnitentiam, & nulla ſit ratio exiſtimandi non impleturum illam: nam huiuſmodi ſatisfactio exhibetur poſt remiſſionem peccatorum, vt tollatur reatus pœnæ temporalis; hic autem non tollitur nondum deleta culpa.

Si verò conſideretur pœnitentia, vt eſt curatio, & medicina, poteſt Confeſſarius obligare pœnitentem ad pęnitentiam adimplendam ante abſolutionem, quoties ita iudicauerit expedire, & pęnitens tenebitur obedire, puta ſi Confeſſarius deprehendat illum, pęnitentiam in præcedentibus confeſſionibus impoſitam iniquè, ac ſæpiùs omittere: quanquam in hoc prudentia Confeſſarij neceſſaria ſit. Ratio eſt, quia Confeſſarius tanquam Iudex, & Medicus habet ius præcipiendi ea, quæ ad curationem, & medicinam pęnitentis iudicauerit expedire: ſi ergo expediat pęnitenti perſoluere pęnitentiam ante abſolutionem, poterit eam præcipere: quia tunc potiùs agitur de condigna diſpoſitione ad remiſſionem peccatorum, quàm de ſatisfactione pro temporali pęna. Ita Suarez *tom.* 4. *diſp.* 38. *ſectione* 7. *numero* 7. Filliucius *tract.* 8. *numero* 56. Reginaldus *lib.* 7. *numero* 83. nam præceptum quo talis ſatisfactio imponitur, non tam eſt inductiuum nouæ obligationis, quàm declaratiuum obligationis, cui pęnitens ſubiicitur de ſe, vt poſſit moraliter conſtare de ipſius diſpoſitione, ac ſufficienti propoſito in poſterum peccata vitandi.

Suarez. Filliuc. Reginald.

9. Si pro ſatisfactione Sacramentali à Confeſſario iniuncta ſit eleemoſyna, pœnitens ſatisfaciet tradendo eleemoſynam pauperi extremè indigenti, cui alias tenebatur ex præcepto charitatis ſubuenire. Ratio eſt, tum quia hæc cenſetur Confeſſarii voluntas, ne pœnitens eleemoſynarum multitudine nimis grauetur. Tum quia cùm eleemoſyna dirigatur ad ſubleuandam pauperis indigentiam, ſequitur potiori ratione dici eleemoſynam, quo maior eſt indigentia, conſequenter ſatisfieri menti Confeſſoris tradendo eleemoſynam illi, cui pœnitens adhuc tenebatur ex præcepto charitatis eam tradere. Secus dicendum ſi tenebatur illi pauperi ex voto, vel ex iuſtitia, aut ratione reſtituendi incerta; hæc enim non eſſet eleemoſyna, ſed debitum iuſtitiæ, aut voti. Ita Emanuel Sa *verb. Satisfactio, n.* 9. Nauarrus *in Manual. cap.* 3. *num.* 4. Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 6. *num* 5. Trullench *in praxi reſol. Sacramentor. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 16. Summa Corona *de pœnitent. numer.* 4. & nouiſſimè Amicus *tom.* 4. *diſputation.* 16. *ſect.* 5. *numer.* 90 dicens: Si imponatur pro pœnitentia eleemoſyna, ſatisfacit pęnitens etiamſi illam faciat extremè indigenti, cui alias ex præcepto charitatis tenetur illam facere. Secus ſi illam faciat propriis parentibus, vel conſanguineis, qui ordinariè ſemper extremè indigent. Ratio diſcriminis eſt, quia hic caſus obligat ordinariè pœnitentem ad ſuccurrendum ſuis extremè indigentibus, non autem ille; proinde ille non cenſetur, ſicut iſte à pœnitentia Confeſſarii excluſus. Et huius ſententiæ eſt etiam Diana *part.* 9. *tractat.* 9. *reſol.* 54.

Sa. Nauarr. Suarez. Trullench.

Non poteſt tamen Confeſſarius permittere, vt eleemoſyna ex pœnitentia debita applicetur ipſi pœnitenti; quia tunc nullam eleemoſynæ rationem habet, vt docent Sanchez *l.* 4. *moral. cap.* 49. *n.* 6. & alter Sanchez, nempe Ioannes *in ſelectis diſp.* 14. *n.* 18.

10. Quando pœnitentia à Confeſſario iniuncta ad nullum certum diem eſt addicta, quolibet die eam pœnitens implere poteſt. Si autem iniungatur à Confeſſario, vt certo die adimplenda, & eam præfixo tempore non impleuerit, ſiue culpabiliter, ſiue abſque culpa, dubium eſt, an debeat proximo commodo tempore eam adimplere? Quidam negant teneri alio die adimplere. Ratio illorum eſt, quia talis pœnitentia eſt addicta certo tempori, quo elapſo, non amplius obligat, ſicut Officium diuinum, aut Sacrum in die Feſto omiſſum, vel votum ieiunandi, aut recitandi Pſalmos determinato die in honorem alicuius Sancti, non tenemur alio die ea perficere: quia ſunt opera ex intentione Eccleſiæ, vel Confeſſarij, aut vouentis addicta ad certum diem, quo elapſo non amplius obligant. Sic ſentire videtur Fagundez *in 2. præcept. Eccleſ. libro* 9. *cap.* 4. *numero* 5. Henriquez *l.* 5. *cap.* 22. *numero* 7. Amicus *tom.* 2. *diſp.* 16. *ſect.* 5. *dub.* 10. *num.* 93.

Fagund. Henriq.

Sed melius alij arbitrantur dicentes per ſe non ceſſare obligationem: nam eſto hæc pœnitentia tibi præcipiatur adimplendo certo die, tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam, & non differendam abſque iuſta cauſa, & præceptum cadit directè circa ſubſtantiam operis iniuncti: in tempus verò tanquam in circumſtantiam accidentalem. Si tamen Confeſſarius pœnitentiam, ita tempori alligaret, vt eo tranſacto obligationem ceſſare velit, non eſt obligatus pœnitens compenſare: quia intentio Confeſſarii hanc pœnitentiam imponentis, fuit, finire ſimul cum tempore obligationem, ne, ſi ſimul cum ſubſequente perſiſteret, nimium pœnitens grauaretur. Et hanc voluntatem præſumitur habere Confeſſarius, quando pęnitentia per longum tempus, ſtatis temporibus, diſtribuitur, quæ ſi in vnum coniungeretur, intolerabilis eſſet, v.g. ieiunare ſingulis hebdomadis, communicare, confiteri, &c. Ita Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 7. *num* 6. Conink *diſp.* 10. *dub.* 9. *num* 85. Nauarrus *in Man. c.* 12. *n.* 54. Caietan. *verb. Satisfactio.* Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 37. & *p.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 52. Caſtr. Palaus *t.* 4. *tr.* 23. *diſp. vn. c. punct.* 21. §. 2. *n.* 13. Bonacina *t.* 1. *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 4. *n.* 5. & alij.

Suar. Conínch. Nauarr. Diana. Palaus. Bonac.

11. Pœnitentia, ſeu ſatisfactio præſeruatiua oon poteſt commutati à Confeſſario in non præſeruatiuam. Ratio eſt, quia cùm huiuſmodi pœnitentia imponatur non in deſtructionem, ſed in ædificationem per modum medicinæ, vt pœnitens retrahatur, & præſeruetur à peccatis, & medicina oon proſit, niſi ſuſcipiatur, ſequitur Confeſſarium non poſſe pœnitentiam præſeruatiuam commutare in non præſeruatiuam. Tamen ex iuſta, & rationabili cauſa probabile eſt poſſe in aliam præſeruatiuam commutari: quia Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad bonum animarum: cùm autem bono animarum aliquando expediat pœnitentiam iniunctam commutare, puta quando eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia præſeruatiua, ſequitur Confeſſarium poſſe pœnitentiam præſeruatiuam in aliam præſeruatiuam commutare. Proinde quando Doctores dicunt pœnitentiam præſeruatiuam oon poſſe à Confeſſario commutari, intelligendi ſunt, in non præſeruatiuam. Ita Bonacina *t.1. diſp.5.q.5.ſect.3.punct.3.n.5.* Diana *p.3. tract.4.reſol.*127. & alij. Bonac. Diana.

12. Vt ſatisfactio cenſeatur imponi in confeſſione, oon eſt neceſſe, vt quis in loco iudicii, ſiue confeſſionali ſedeat, tanquam confeſſionem auditurus, ſed ſufficit, vt actus ſint Sacramentales: nimirum, vt Confeſſarius tanquam Confeſſarius pœnitentem ſua peccata proponentem Sacramentaliter audiat; & vt pœnitens ſua peccata ſacramentaliter proponat Cōfeſſarij iudicio Sacramentaliter reſoluenda. Ratio eſt, quia iſtæ cæremoniæ non ſunt de eſſentia, vel ſubſtantia huius tribunalis, & aliàs ad vitandam aliquam verecundiam breuiter per actum Sacramentalem poteſt Confeſſarius ſupplere, quod obliuione omiſſum eſt in Confeſſione, ſiue ex ſua parte fuerit, ſiue ex parte pęnitentis.

Ex quo fit, quod quando Confeſſarius à confeſſionali receſſit, & pęnitens oblitus eſt pœnitentiæ impoſitæ, aut fortè Confeſſarius ex obliuione oblitus eſt imponere, non eſt neceſſe, vt Confeſſarius ad confeſſionale reuertatur, aut alia cæremonia vtatur, vt ſedendo, &c. ad hoc vt indicet pęnitenti pęnitentiam impoſitam, aut commutet: ſed ſufficit, vt pęnitens innuat ſe habere aliquid pertinens ad confeſſionem; & Confeſſarius, vt actum Sacramentalem ſuſcipiat, & reſolutionem velut in Sacramento donet. Ita Petrus Marchantius *tomo primo Tribunal. Sacrament. tractatu 6. tit. 3. quæſtione 3. concl. 1.* Quæ omnia ſatis confirmat auctoritas illorum Doctorum, qui aſſerunt ſecundum Confeſſarium poſſe commutare pęnitentiam extra confeſſionem, inter quos eſt Leander *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. diſput. 9. quaſt.* 101. Valentia *tom. 4. diſputat. 7. quaſt. 14. punct.* 4. Victorellus *in notis ad Emmanuelem Sa, verb. Satisfactio, numer. 5.*

SCANDALVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſcandalum?*
2 *Quotuplex ſit ſcandalum?*
3 *Quando peccatum ſpeciale ſcandali committatur?*
4 *An peccet ſpeciali peccato ſcandali, qui alterum iuſſu, conſilio, maloue exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat?* refertur duplex ſententia.
5 *An reus ſit duorum peccatorum, inducens, & conſummans cum altero peccatum?*
6 *An ſcandalum actiuum ſit peccatum mortale, aut veniale?*
7 *An mortale ſit ſcandalum, quando generale eſt, & dictum, vel factum eſt mortale?*
8 *Quando quis cenſeatur eſſe cauſa ſcandali actiui, ſeu alterum ad peccatum inducere?*
9 *An peccet peccato ſcandali qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum, ſeu ad peccandum?*

§. I.

An circumſtantia inductionis ad peccandum, ſit confitenda, ſi alter paratus non erat? Refertur duplex ſententia.

§. II.

An à miniſtro malo liceat petere Sacramenta?

§. III.

An liceat pecuniam mutuò accipere ſub vſura ab eo, qui paratus eſt dare?

§. IV.

An ſit licitum exigere iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus, vel per falſos Deos iuraturus?
10 *An Chriſtiani capti à Turcis, remigantes metu mortis contra noſtros, excuſentur à mortali?*

§. I.

An famuli excuſentur à peccato comitantes herum, dum ad meretrices accedit?

§. II.

An locantes domos meretricibus, vel vſurariis excuſentur?

§. III.

An puella excuſetur, quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſcit ſe turpiter amari?

§. IV.

An parentes, & heri excuſentur, qui filiis, vel famulis non auferunt occaſionem furandi, vt ipſorum fidelitatem experiantur?

§. V.

An liceat Amaſio depingere imaginem concubinæ?
11 *An publicè peccantes teneantur circumſtantiam ſcandali manifeſtare in confeſſione, & numerum perſonarum exprimere, quibus data eſt occaſio ruinæ?*
12 *Nullum peccatum eſt committendum, ad vitandum proximi ſcandalum.*

1 SCandalum eſt dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ. Eſt definitio communis ex D. Thoma: dicitur, dictum vel factum, quia peccata mentalia neminem ſcandalizare poſſunt, cùm vt talia ſint ignota.

Dicitur minùs rectum non malum, quia ſæpè actus ex ſe bonus, propter ſpeciē mali quam præſefert, induit rationem ſcandali, ac propterea caret debita rectitudine, atque adeò ſimpliciter eſt malus: nam vt ait Philoſophus, 2. *Ethic. c.6.* peccare multis modis poſſumus, rectè verò agere, vno tantùm modo licet, atque ideò illud facile, hoc verò difficile eſt. Facile ſiquidem eſt, à ſcopo aberrare, & ſcopum ferire difficile. Dicitur, præbens occaſionem ruinæ, non cauſam, quia nemo alterum inuitum impellere poteſt ad peccatum; humana enim voluntas à nulla re extrinſeca tāquam ab efficaci cauſa poteſt induci ad peccandum, ſolùm ergo poteſt eſſe occaſio. Nomine autem dicti, vel facti ſeu externæ operationis, intelligi etiam debet omiſſio externa. Ita D. Thom. 2.2. *qu.*43. *artic.*1. Syluius *ibid.* Laym. *l.2. tract.3. c.13. n.1.* Azor. *t.2. l.12. c.16. quaeſ.1.* Sanchez *lib.1 moral. c.6. num.1.* Bonacina *tom.2.* D.Thom. Syl. Layman. Azor. Sanchez.

d ſp.

Digitized by Google

*diſp.*2.*q.*4.*p.*2.§.*vnic.* Diana *p.*5.*tract* 7.*reſ.*1. Petr.de Ledeſma *in Summ.de Scandalo,tract.*4.*c.*5. & alij.

Dian. Ledeſm. D. Thom. Sylu. Vaſquez. Filliuc. Clau. reg. Nauar. Bonac.

2 Ex doctrina D.Thomæ *cit.artic.*1. *ad* 4.*&* *art.*3. *in corpore.*Sylu. *ibid.* Vaſquez 1.2.*diſput.*102. *cap.*4.*num.*8. Filliuc,*tract.*28.*c.*10.*num.*220.*&* 225. Clau.reg.*lib.*7.*c.*6. *num.*8. Nauar.*in Manual.c.*14.*num.*30.*&* 31.Bonac.*cit. num.*2.*&* 3. Diao.*cit.reſ.*1. ſcandalum aliud eſt actiuum, aliud paſſiuum. Actiuum eſt actus trahens ad peccatum, vt ſuprà dictum eſt. Paſſiuum eſt ipſa ſpiritualis proximi ruina. Actiuum duplex eſt, aliud enim eſt per ſe, quod intendit ruinam proximi de induſtria: aliud eſt per accidens, quod eſt præter intentionem, inter quæ medium eſt illud, quod non quidem ex intentione operantis, ſed ex natura operis proximum inuitat ad peccatum. Itaque reſpectu operantis eſt per accidens, quia præter eius intentionem. Reſpectu operis eſt per ſe, quia ſuaptè natura idoneum eſt, vt alios trahat ad ruinam, vt ſi quis in conſpectu filiorum domi alat concubinam. Scandalum paſſiuum ſimiliter duplex eſt, datum, & acceptum. Datum dicitur id, quod verè oritur ex actiuo ſcandalo alterius, & ſolet etiam appellari ſcandalum puſillorum ſeu infirmorum. Acceptum eſt ruina alterius, non verè orta ex ſcandalo actiuo operantis, ſed ex malitia propria, quod alio nomine vocatur ſcandalum Phariſæorum. Præterea ſcandalum actiuum adhuc duplex eſt, alterum ſpeciale, alterum generale. Scandalum ſpeciale eſt peccatum, ad quod quis alium inducit, intendens ipſius ſpirituale damnum.

Scandalum generale eſt peccatum, ad quod aliquis alterum inducit ſeu præbet occaſionem, ſed non intendit ruinam ſpiritualem. Vide Doctores hic citatos.

3. Peccatum ſpeciale ſcandali committitur, quoties quis dat, vel dare intendit alteri occaſionem ruinæ, intendens ipſius damnum ſpirituale, ſeu quoties dat alteri occaſionem ruinæ hac intentione vt peccet: vnde qui alium inducit ad peccatum, intendens ipſius nocumentum ſpirituale, peccat duplici peccato: *Primo*, peccato ſpeciali ſcandali. *Secundò*, peccat eo peccato, quod ab altero committitur; nam qui eſt cauſa peccati, reus eſt illius peccati, cuius eſt cauſa, nec ſatisfacit talis dicendo in confeſſione ſe alterum ad peccatum induxiſſe, ſed tenetur exprimere inductionem, qua alterum ad peccatum induxit, & præterea peccatum ad quod induxit, reus eſt enim duplicis peccati: *Primò*, ſcandali ſpecialis, quod opponitur correctioni fraternæ. *Secundo*, illius peccati, ad quod alterum induxit: Imò fieri poteſt, vt etiam reus ſit alterius peccati, nempe peccati proprij, ſi fortè diſtinctum peccatum conſummauit. Ratio horum eſt, quia omnes illæ actiones ſunt peccata, omne autem peccatum mortale eſt materia neceſſaria confeſſionis: ergo. Ita ex communi Sanchez *lib.*1. *moral.c.*6. *num.*3. *&* 8. Azor.*tom.*1. *lib.*4.*c.*7. *quæſt.*1. Vaſquez 1.2. *diſp* 102.*c.*4. Layman *cit.num.*6. Nauar.*in Man.cap.*6.*num.* 19. Diana *part.*5. *tract.*7. *reſol.*2. Filliuc. *tract.*28.*cap.*10. *num.*226. & alij.

Azor. Vaſq. Layman. Nauar. Filliuc.

4. Controuertitur in hac materia de ſcandalo, an ille, qui alterum iuſſu, conſilio, malove exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat, peccet ſpeciali peccato ſcandali aduerſus charitatem, & miſericordiam?

Affirmant aliqui probabiliter. Ratio eſt, tum quia in alijs omnibus peccatis, quæ ex damno proximi malitiam accipiunt, voluntarium indirectum ſiue implicitum ac virtuale æquiparatur explicito ſeu directo, tacitè enim, & expreſſi idem eſt iudicium. Tum quia turpitudo peccati, licet phyſicè ſit volita per accidens, quia præter directam intentionem peccantis, moraliter tamen eſt per ſe. & ſpecificat voluntatem, quæ conuincitur illam turpitudinem velle. Nauar.*in Manual.cap.*26.*num.* 19. Suar.*de charitate diſp.*10.*ſect.*2. Valentia *tom.*3.*diſp.*3.*q.*18.*p.*2. Sylu.2.2: q.43.*art.*3.*concl.*2.Syluest.*v. Scandalum q.*2. Petr.de Soto *lect.*9.*de conf.ad fin.*& alij.

Nauar. Suar. Sylu. Syluest.

Probabilior tamen ſententia docet, ad ſpeciale peccatum ſcandali requiri expreſſam intentionem ruinæ ſpiritualis. Ratio eſt, quia ſpeciale peccatum requirit ſpecialem finem, & oppoſitionem ſpeciali virtuti; at niſi intendatur ruina proximi non adeſt ſpecialis finis nec oppoſitio ſpeciali virtuti, ſed diuerſi ſunt fines, diuerſæque virtutes, iuxta vitiorum diuerſitatem, ad quæ eſt inductio: vnde talis tantummodo delinquit eo genere peccati in quod alter labitur; & ſecundùm hanc ſententiam peccatum ſpeciale ſcandali rariſſimè committitur, quia hæc affectio alterum in ſpiritualem ruinam præcipitandi, dæmonum propria eſt, & rarò in hominibus expreſsè ac formaliter reperitur, Ita D.Thom.*q.*43.*art.*3.*&* *in* 4. *diſt.*38.*q.*2.*art.*2.*q.*2. Vaſq. 1.2.*diſp.*102.*c.*4 *a nu.*7. Azor. *tom.*1.*l.*4.*c.*7.*q.*1. *&* *c.*20.*q.*6.*&* *tom.*2.*lib.*12.*c.*16.*q.*2.*&* 4 Filliuc.*tract.*28.*num.*225.Sanch.*lib.*1.*moral.c.*6.*num.*3. Bonac.*cit.n.*13.

D. Thom. Vaſq. Azor. Filliuc. Sanch. Bonac.

Hæc controuerſia metaphyſica eſt potiùs, quàm moralis: nam quod attinet ad praxim parum refert, quia in quauis ſententia ſcandalizans tenetur exponere in confeſſione, tum ſpeciem ſcandali actiui, tum paſſiui. Vt bene aduertunt Bannez 2.2. *quæſt.*43. *art.*4. *dub.*1. *concl.*1. Petrus de Ledeſma *in Sum.tom.*2. *tractat.*4.*cap.*5. Diana *p.*5.*tract.*7.*reſ.*2.

Ledeſm. Diana.

5. Inducens, & conſummans cum altero peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamſi non intendat ruinam proximi ſpiritualem. Ratio eſt, quia qui alium inducit ad peccatum, non conſummans cum eo peccatum, peccat peccato inductionis, cùm peccatum alienum imputetur inducenti: Conſummans verò ſimul cum eo peccatum exercet actionem peccaminoſam, conſummando peccatum, & ſic eſt reus proprij peccati. Vnde qui alterum inducit ad peccatum furti, ſimulque cum ipſo committit furtum dupliciter peccat, ſcilicet, proprio peccato furti, auferendo res inuito Domino, & peccato alieno, quatenus imputatur inducenti. Sanch.*lib.*1.*mor.c.*6.*num.*4. Vaſq. *cit.c.*4. Caiet. 2.2.*quæſt.*43.*art.*1. Valent. *cit.punct.*5. Azor.*tom.*2.*lib.*12.*c.*16.*q.*4.*&* 5.

Sanchez. Caiet. Azor.

6. Scandalum actiuum ex ſuo genere erit peccatum mortale, quoties quis tenetur impedire eam occaſionem, abſtinendo ab opere, quod eſt occaſio, & non abſtinet, ſiue ſit ex expreſſa ruinæ intentione, ſiue abſque illa. D.Thomas *cit.num.*4. Ratio eſt, tum quia eſſe alteri voluntariam occaſionem ruinæ, eſt contra charitatem, & actum eius, quo tenemur benefacere proximo, ſed cùm quis tenetur impedire, & non impedit, eſt voluntaria occaſio, ergo, &c. Tum quia omnis actus liber, qui eſt cauſa peccati, eſt peccatum, omnis autem qui ſcandalizat, quantùm in ſe eſt, eſt cauſa ſufficiens, cur proximus trahatur ad peccatum, etiamſi illud non ſequatur. Ita Valentia *cit.p.*2. Sanch.*cit.c.*6.*num.*9. Tanner.*tom.*3.*diſp.* 2.*quæſt.*6.*dub.*8.*num.*96. poſt S.Thom.

Valent. Sanch.

Aduertendum tamen eſt, non ſemper eſſe mortale, ſi expreſsè intendatur ruina proximi; quia ſi ruina ſit peccatum veniale, erit tantùm veniale peccatum illam intendere, tunc enim leue proximi damnum deſideratur; & hoc verum etiamſi quis per actum peccati mortalis intenderet inducere alterum ad veniale, tantùm enim eſſet ſcandalum veniale. D. Thomas *cit. art.*4. Syluius *ibid.* Azor. *tom.*2. *lib.*12. *c.*16. *q.*7. Ratio eſt, quia huius ſcandali culpæ quantitas ex ſolo proximi damno penſanda eſt: quod intelligendum eſt, niſi tantus eſſet affectus inducendi alium in venialem culpam, vt in ea conſtitueret vltimũ finem, tunc enim eſſet mortale, & in eo caſu eſſet admittenda ſententia Sylueſtri *verb.Scand.q.*2. Tabienæ *ibid.* *q.*4. Roſellæ *ibid.* *num.*3. D. Antonini 2.*p. tit.*7.*c.*4.§.4. & aliorum. vt docent Sanchez *cit. num.* 10. Filliuc. *tract.*28.*num.*228.

Sylu. Sanch. Filliuc.

7. Quando ſcandalum generale eſt, regulariter loquendo, ſi dictum vel factum eſt mortale, etiam ſcandalum mortale erit: & ſimiliter ſi opus de ſe non ſit malum, ſed mali ſpeciem habens, & aduertitur fore occaſionem ruinæ mortalis proximo, vel fuit grauis culpa id non aduertere. Dixi, *regulariter loquendo*, quia plures coram alijs peccantes excuſantur à peccato ſcandali, vel quia videntes ita ſunt in bono ſtabiles, vt nullo modo peccatis viſis cenſeantur ad peccatum moueri, vel ita prauis moribus ſunt imbuti, vt peccatum aliorum nihil illos immutet, nec inde argumentum ſumant ad liberiùs vitijs vacandum, vel ita ad peccandum ſunt faciles, & inducti, vt

non

Salas.
Sanch.

nnn cenſeatur moralis eorum inductio. Ita Doctores nnmero præcedenti citati, quibus adde Salas *tom.1. in p.2. tract.7. diſp.3. ſect.4. num.*84. Sanciom *in ſelect. diſp.46. num.*11. Dianam *p.5. tract.7. reſol.*3.

Porrò cùm in ſactis litteris, & Doctoribus dicitur, ceſſante ſcandalo opus non eſſe illicitum vel mortale, intelligendum eſt de ſcandalo generaliter accepto, non autem ſpecialiter, in hoc enim raro bomines labuntur, cùm proprium ſit dæmonis intendere ſpiritnalem ruinam alterius, vt bene docent Bannez 2.2.*q.43.art.4. dub.*1. Valentia 2.2.*diſp.3.q.18. punct.*2. Becanus *tract. de charit. cap.27. quæſt.*2.

8. In multis caſibus aliquis cenſetur cooperari peccaso alterius, ſeu alterum ad peccatum inducere, vel eſſe cauſam ſcandali actiui.

Primò, quando facit aliqoa, quæ de ſe alliciunt & inducunt ad peccatum, verbi gratia inuitando ad furtum, homicidium, ad fornicationem, &c. & hæc eſt vera cooperatio, cùm iſta ſint ex ſua natura mala.

Secundò, quando aliqnid ex ſe indifferens, facit ea intentione, vt alter peccet, v.g. ſi arma vendat vt emptor aliquem iniuſtè occidat; hic enim finis cum ſit malua, facit actionem malam. Qui verò aliquid facit indifferens, æqualiter ignorans, alterum abuſurum, non dicitur cooperari, ſi hoc faciat abſque intentione, vt alter abutatur, quia præſtans opus indifferens non debet præſumere proximum inde accepturum occaſionem peccandi; cùm in dubio nemo præſumatur malos, ſed potiùs bonus; propterea non eſt, cur illi peccatum alterius imputetur.

Tertiò, quando abſque iuſta, & ſufficienti cauſa facit opus indifferens, quo alios credit abuſuros ad peccatom. Ratio eſt, quia quilibet cauere tenetur, quantùm poteſt, abſque graui ſuo detrimento, proximi peccatum; aliter enim faciendo, cenſetur illud indirectè velle, cùm in moralibus perinde oon eſt præcauere malum, ac illud poſſinè velle: qui antem facit aliquid volens proximi peccatum, dicitur cooperari peccato illius, & conſequenter peccat peccato generali ſcandali, & quidem illius ſpeciei, cuius dat cauſam.

Valent.
Sanchez.
Leſſius.
Layman.

Qui verò facit aliquid ex ſe indifferens, iuſta intercedente cauſa, non peccat, quia non cenſetur cooperari ſeu velle peccatum alterius, ſed ſolùm permittere: iuſta autem cauſa faciendi aliquid indifferens, quo quis credit alterum abuſurum, non ſolùm eſt graue damnum, quod ipſe pateretur abſtinendo à tali opere, verùm etiam alia quæuis cauſa, quæ iudicio prudentis viri iuſta cenſeatur. Ita Valentia 2.2.*diſp.5. art.*21.*punct.*4. Sanchez *lib.1. moral.c.7. num.*8.9.10. & 11. Leſſius *lib.2. cap.13. dub.3. num.*31. Syluius 2.2.*q.43. art.4.q.2.concl.*1.2.& 3. Layman *lib.2. tract.3.c.13.num.*4.5.& alij: qui, etſi diuerſis verbis, hæc fundamenta præmittunt, ex quibus diuerſa corollaria ſequentia inferunt.

9. Peccat ſimiliter peccato ſcandali, qui facit, vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum, ſeu ad peccandum, etiamſi faciat vel petat aliquod opus indifferens, modo non præſtet opus indifferens ex iuſta & rationabili cauſa: (Opus autem indifferens eſt, quod malè, & bene fieri poteſt.) Et illud non ita proximè ad peccatum ordinetur, vt per ſe malum ſit meritò cenſendum. Si verò opus ex ſe indifferena, remotè tantùm ſe habeat ad peccatum, tunc operans poſſet excuſari à peccato ſaltem mortali, quia hæc eſt leuis cooperatio: proinde

Vendens ornamenta, fucos, &c. quibua mulier iam parata abutetur, excuſari poteſt à mortali, ſi ipſo non vendente, alter venderet, etſi hoc faciat iuſta de cauſa. Sanchez *lib.1. moral. cap.7. num.*16. Diana *p.5. tract.7. reſ.*38.

Secundò, excuſari poſſunt caopones, & tabernarij, cœnam vel ientaculum matutinum, aut pomeridianum parantea nolenti ieiunare, qui alios cibos inueniret ipſis non parantibus cœnam vel ientaculum. Nauar. *c.20.n.16.* & *c.21.n.*25. Leſſius *lib.4.c.2.n.*24. Bonac. *de peccatis d.2.q.4. p.2.§.vnic.n.*37. & alij.

Tertiò, ob hanc cauſam excuſari poſſunt famuli parantes menſam, aut menſæ inſeruientea, coquentes cibos: Ratio eſt, quia bi non concurrunt ad comeſtionem vt eſt fractio ieiunij, ſed vt eſt quid deſeruiens ad refectionem, quod non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens. Sa *verb. peccatum num.*9. Sanch. *cit.n.*24. Nauar. *c.20.n.*16. Azor. *tom.2.lib.12.c.vlt.q.*8.

Sà.
Sanch.
Azor.

A fortiori ille non excuſatur à peccato, qui petit opua, quod ſine peccato fieri non poteſt, & quod alter non feciſſet, quamuis animo paratus eſſet ad illud faciendum: quia hoc eſt directè inducere alterum ad peccandum: Neque refert quòd ſit paratus, quia non veniret ad executionem, niſi tu eius cauſam ſiue occaſionem præberes: proinde nullo modo licet inducere aliquem ad iurandum per falſos Deos, vel ad dandum mutuum ſub vſuris, quãuis ex cauſa liceat tale iuramentum, & eiuſmodi mutuum recipere; puta quando perſona his indiget: vel ad diſſolutionem maleficij per aliud maleficium, quia talis petitio pertinet ad amicitiam cum dæmone. D. Thomas 2.2. *qu.78.art.4.* Syluius *ibi.* & *q.43.art.4.q.2. concluſ.*3. Layman *lib.2.tract.3.cap.13.num.*3. Nauar. *cap.17.nu.*262. Suarez 3.*p.tom.3.diſp.18.ſect.*1.& alij.

D. Thom.
Sylu.
Layman.
Nauar.
Suar.

§. I.

An autem circumſtantia ſcandali ſeu inductionis ad peccatum ſit confitenda, ſi altera ad peccandum paratua erat? Affirmant Sanchez *lib.1. moral.cap.6. num.*14. Bonacina *t.1.diſp.5.q.5.p.2.§.3.diffic.3.num.*19.& alij, quia etiam in iſto caſu cooperatur quis peccato alterius; vnde hic grauiter peccat, non ſolùm peccato proprio, ſed etiam alieno, quod imputatur ipſi cooperanti: Limitant tamen ſuam ſententiam io caſu quo talis circumſtantia non cenſeretur ſufficienter explicata, explicato actu principali, ſecus autem ſi ſufficienter, &c. Vt cùm quis inuitat aut inducit fœminam paratam ad peccatum fornicationis; explicato actu principali, ſufficienter explicata videtur hæc circumſtantia; cùm à communiter accidentibus, ſatis intelligatur virum petiſſe: ſecus ſi fœmina petiſſet, vel ſi vir petiſſet à non parata, vel ſi executus non fuiſſet. Hæc ſententia eſt probabiliſſima, quam tenent etiam Vaſquez *q.91.artic.1.dub.3.num.7.* Filliucius *tract.28. num.*231.

Sanch.
Bonac.

Vaſq.
Filliuc.

Nihilominus contraria eſt etiam probabilis, & meritò probabilior altera. Tum quia non videtur notabiliter dare ſcandalum, ſeu cauſam ruinæ, per hoc quod concurrat ad actum externum cum altero, ad quem actum alter paratus erat, & quaſi expoſitus, imò in actuali, vel virtuali voluntate peccandi. Tum quia, moraliter loquendo, non cenſetur cauſa inducens, nec notabiliter variat iudicium Confeſſarij, quando vterque eſt paratus ad peccatum perpetrandum. Ita Suarez 3. *p. tom.4.diſp.22.ſect.4.num.*18. Henriquez *lib.2.de pænit.c.6. num.7.* Fagundez *præcept.2.lib.4.cap.5.num.*1. Diana *p.1.tract.7. reſ.*34. Azor. *tom 2.lib.12. cap.16.q.5.* Notat tamen Sancius *in ſelect. diſp.1.num.*24. in qualibet ex his duabus opinionibus tunc inuitationem ſpeciem mutare, & neceſſariò eſſe confitendam, quando inuitatio facta eſt extraordinarijs precibus æquiualentibus violentiæ morali, ita vt difficillimè reſiſti poſſit.

Suar.
Henriq.
Diana.
Azor.
Sanch.

§. II.

Quandoque nullum eſt peccatum petere aliquid ab alio, ſi quod petitur, poſſit abſque peccato præſtari; quamuis ſciatur quod alter non ſine peccato facturus ſit: propterea.

A miniſtro quantumuis malo, licet communiter recipere, & petere Sacramenta: imò & ipſum inducere ad ea miniſtranda, quamdiu toleratur ab Eccleſia, & illi incumbit ex officio tibi illa miniſtrare, *Cap. Sciſcitantibus* 15. *q.*8. Tunc enim petens vtitur iure ſuo, & petit rem bonam, quam alter poteſt, & debet bene facere: quamuis ex charitate prætermittendus tunc ille ſit, qui noſcitur à peccato non recedere, ſi æquè commodè poſſit haberi Sacramentum ab eo, qui ſine peccato miniſtrabit.

Præterea quando adeſt rationabilis cauſa petendi, licet etiam Sacramenta petere à miniſtro malo tolerato, cui non incumbit illa miniſtrare, ſi ipſe paratus ſit miniſtrare,

quia

quia id non eſt cooperari peccato miniſtri, aut illum inducere ad peccatum, cùm ipſe iam ſe offerat ad illud peccatum committendum: vnde tunc eſt ſufficiens cauſa negligendi eius peccatum. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *ad* 2. Petr. Ledeſm. *de Sacram. in gen. c.* 6. *dub.* 11. *concl.* 9. 10. *&* 11. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 3. *q.* 5. *punct.* 3. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 17. *quaeſt.* 7. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 59. *& p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 4.

D. Thom. Ledeſm. Valent. Azor. Diana.

§. III.

Licet pecuniam mutuò accipere ſub vſura ab eo qui paratus eſt dare: quia hoc non aliud eſt quam vti peccato alterius ad bonum, quod non eſt illicitum, quando adeſt cauſa: puta prouidere ſuæ neceſſitati vel alienæ, vel ad aliquod opus pium, vel etiam ad aliquem ludum publicum, à quo non poteſt quis niſi inhoneſtè abeſſe: vel ad mercaturum honeſtè exercendam, vel ad exercendas aliquas actiones, quas ſine dedecore omittere quis non poteſt. D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. Petr. Ledeſma *de vſura c.* 33. *concl.* 29. An autem liceat petere ab vſurario mutuum ad vſuras expreſsè, & formaliter dicendo, *Da mihi mutuum ad vſuras*. Negant Pontius *de matrim. lib.* 3. *c.* 18. §. 7. *num.* 47. Vaſquez *opuſc. de ſcandalo artic.* 8. *num.* 19. affirmant Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 8. *num.* 27. Bannez 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2. Sed diſtinguendum puto cum Syluio 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. Si enim illud inducere accipiatur proprie, quatenus ſignificat petere non nudum mutuum, ſed mutuum ſub vſuris, ita vt inductio pro ſuo obiecto habeat etiam modum mutuandi, nunquam licet alterum inducere ad dandum mutuum ſub vſuris; quia nunquam licet ab alio petere id quod ipſe nullo modo poteſt facere abſque peccato: & in hoc ſenſu habet locum ſententia negatiua. Si verò intentio ſic petentis non habet pro obiecto mutuationem ſub vſura faciendam, hoc eſt, totam actionem mutuantis cum modo quo ab illo fiet; ſed ſolam mutuationem alterius, & paſſionem propriam, tunc licet mutuum petere ſub vſuris ab illo, qui ſine illis mutuare non vult. Ita cum Syluio, Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 13. *num.* 9. Diana *part.* 5. *tractat* 7. *reſolut.* 8.

D. Thom. Ledeſm. Pontius. Sanchez. Syla. Suar. Diana.

§. IV.

Probabile eſt licere exigere iuramentum ab eo qui creditur periuraturus, nec eſt paratus ad peierandum, modò concurrat cauſa iuſta neceſſitatis eius iuramenti. Ratio eſt, quia non petitur ab eo periurium, ſed iuramentum, quod verè præſtare poteſt, & id intendit petens; poteſt enim iurare verum, quòd ſi falſum iurat, eſt propter ſolam malitiam, à qua ego non teneor abſtinere cum graui meo damno. Vnde nulla eſt in hoc caſu inductio ad periurium nec conſenſus in illud, ſed quædam illius permiſſio, quæ aliquando ob bonum finem, & ad proprium ius obtinendum eſt licita. Ita Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 14. *nu.* 16. *&* 17. Leſſius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 10. *num.* 49. Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 8. *num.* 7. Diana *p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 9. contra alios ab ipſis citatos.

Leſſius. Sanch. Diana.

Multò magis certum eſt licere ab ethnico iuramentum exigere, quem ſcitur per falſos Deos iuraturum, quando exigens neceſſitate cogitur? Ratio eſt, quia hoc non eſt cooperari peccato illius, ſed iuſta ex cauſa illo vti in propriam vtilitatem. Cùm petatur iuramentum, quod licitè præſtare poteſt per verum Deum, & ex malitia ſua malè præſtat. Quare ea iuramenti petitio tantùm eſt offerre materiam ex ſe licitam, qua alter ex malitia ſua abutitur ad peccandum. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *ad* 4. Sylu. *ibid.* Couar. *c. quamuis pactum* 1. *p.* §. 1. *num.* 20. Reginald. *lib.* 18. *num.* 20. Filliucius *tract.* 25. *num.* 339. Bonac. *tom.* 2. *diſput.* 4. *quaeſt.* 1. *p.* 11. *num.* 2. communiter receptus.

D. Thom. Sylu. Reginald. Filiuc. Bonac.

10. Excuſari poſſunt, ſecundùm probabiliorem ſententiam Doctorum, à mortali, Chriſtiani capti à Turcis, nauigantes metu mortis contra noſtros, aut præparantes neceſſaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda caſtra, &c. Ratio eſt, nam licet peccatum ad quod materialiter cooperantur, pernicioſum ſit, tamen cooperatio illorum non tam propinqua eſt, vt ſine illa damnum nihilominus inferretur; quia alij non deeſſent, qui hunc laborem obirent, & actiones ſupradictæ ſunt indifferentes. Tamen ſi eo loco conſtituta res ita eſſet, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Chriſtianos eriperent, vel victoriam illis conferrent; tunc prædicta non licerent Chriſtianis, & bonum Reip. Chriſtianæ anteponendum eſſet propriæ vitæ. Multò minùs eis liceret tormenta in Chriſtianos dirigere, ignemque applicare, quia directè damnum inferunt: nec deprædari, aut incendere res Chriſtianorum, quia hoc per ſe malum, & iniuſtum eſt. Contra quoſdam recentiores citatos apud Sanch. *lib.* 1. *moral. c.* 7. *num.* 18. Molin. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 115. *concl.* 1. Leſſium *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 18. Cordubam *in ſum. q.* 137. *dub.* 2. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 13. *num.* 5. Tannerum 2. 2. *diſput.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. & Dian. *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 36. *& part.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 30.

Sanch. Molina. Leſſius. Cordub. Layman. Diana.

§. I.

Item excuſantur famuli comitantes herum, dum ad meretrices accedit, ſi ab huiuſmodi comitatu deſiſtere nequeant abſque graui detrimento: imò, & conducentes concubinam in domum heri, modò nullum internuntium heri deferant, ſed tantùm illam comitentur; quia tunc cùm conuentum ſit inter herum, & illam, vt ipſa veniat in domum heri, illam in tali caſu comitari, eſt non ſecus ac ſi herum famuli comitarentur abeuntem ad meretrices. Si tamen non eſſet ſimplex comitatus, ſed actiuè concurſu phyſico famuli concubinam deferrent, vt in curru, ſella, &c. non ſufficeret ad eos excuſandos à peccato mortali communis ratio famulatus, quia hoc miniſterium proximè accedit ad peccatum, & ideò damnum aliquod notabile famuli exigitur, vt id ſibi licitum ſit: puta ſi Dominus à domo ſua illum expelleret, & expulſus cogeretur mendicare, vel penuriam pati.

Vnde vrgente tali occaſione preſſo liceret famulo concubinam pulſare, ſignare locum vbi ſit. Item dicere concubinæ, Dominus meus dicit vt illum hac nocte expectes. Item Domino aſcendere volenti per feneſtram ad rem habendam cum fœmina poterit pedem ſuſtinere, aut ſcalam admouere. Ratio eſt, quia hæc officia, & obſequia, licet ſint valde coniuncta peccato, non tamen ſunt ſecundùm ſe, & ſuapte natura peccata, & ideò ſeiungi poſſunt à peccato, per finem diuerſum, & ſeiunctum. Plura de famulo apud Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *num.* 25. *&* 26. Nauarrum *lib.* 5. *conſ. de pæn. conſ.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. c.* 204. *num.* 3. Azorium *tom.* 2. *lib.* 12. *cap. vltim. q.* 8. Sa *verb. peccatum num.* 9. Bonacinam *de matrimon. q.* 4. *punct.* 14. *num.* 6. Dianam *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 36. *& tract.* 6. *reſ.* 46. *& p.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 27. 28. *&* 29. & alios.

Sanch. Nauar. Rodr. Azor. Bonac. Dian.

§. II.

Excuſari etiam poſſunt à mortali locantes domus meretricibus, etiam nulla alia iuſta, & vrgenti cauſa excuſante: imò etiamſi eas poſſint alijs commodè locare. Ratio eſt, tum quia locatio domus nimis à peccato remota eſt; cùm non ſit illius materia, neque occaſio: tum quia vtuntur iure ſuo. Idem dicendum de vſurarijs. Cùm enim hæc duo hominum genera permittantur in Rep. poteſt quiuis eis domos elocare, & alia neceſſaria vendere, abſque intentione aut cooperatione peccati. Tamen ſi ob loci circumſtantiam ratione ſitus eſſet ſpecialis aptitudo ad ea peccata committenda, aliàs non perpetranda vel vicinia meretricis domum conducentis plurimùm fœminis honeſtis vicinis noceret, tunc teneretur quis non locare domum meretrici vel vſurario, niſi aliqua iuſta cauſa locantem excuſaret; hæc autem erit ſi non poſſit commodè alijs locare. Ita Vaſq. *de ſcandalo q.* 43. *art.* 8. *dub.* 5. *num.* 38. Syluius 2. 2. *q.* 77. *artic.* 4. *quæſit.* 1. *concl.* 5. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 20. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *contr.* 6. Diana *p.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 26. Bonac. *cit. punct.* 14. *num.* 5.

Vaſq. Sylu. Sanch. Salon. Bonac.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Excuſatur etiam puella quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſcit ſe turpiter amari, modò hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel vtilitate, aut ne ſe priuet ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram. Ratio eſt, quia etiamſi ita faciendo det occaſionem adoleſcenti ad illam concupiſcendam, tamen iſta occaſio potiùs prouenit ex ipſius adoleſcentis malitia, & ideò eſt occaſio ab ipſo accepta, & non à puella data, quæ iure ſuo, & libertate ſua vtitur, & iſte effectus prouenit per accidens, & licet ſit præuiſus, non tamen eſt intentus, & ideò non debet ad culpam imputari. Si tamen puella data opera abſque vlla neceſſitate offerret ſe conſpectui illius Amaſij, ſed quadam vanitate ducta, & turpis illius amoris conſcia, etſi illum non intenderet, non videtur tunc excuſanda à mortali. Ita ex Caietano 2.2.*q.*154. *art.*4. *&* *q.*169.*art.*2. Bonac. *de matrimon.q.*4.*p.*9.*nu.*17. *& tom.*2.*d.*2.*quæſt.*4.*p.*2. *num.*27.§.*vnic.* Sanch. *lib.*1.*moral.cap.*6.*num.*16.*&* 17. Nauar. *c.*23.*num.*18.19. *& c.*14. *num.*30. Filliuc. *tract.*28.*cap.*10.*num.*232. Dian. *p.*2.*tract.*1.*reſ.*30. Azor. *tom.*2.*l.*12.*c.*18.*q.*12. plerique recentiores, quia tenetur ſpirituali proximi ſaluti conſulere, niſi ex aliqua cauſa excuſetur.

Caiet. Bonac. Sanch. Nauar. Filliuc. Azor.

§. IV.

Excuſari poſſunt parentes aut heri, qui filijs, vel famulis non auferunt occaſionem furandi, vt de ipſorum fidelitate experimentum capiant, ipſoſque in futurum à furto patrando auertant. Ratio eſt, quia non faciunt vel petunt actionem aliquam intrinſecè malam, ſed iuſta de cauſa negatiuè ſe habent, permittentes furtum ob maius bonum: Non liceret tamen offerre filijs vel famulis occaſionem furandi; ſicut nec maritus poteſt cum vxore paciſci, vt Amaſio ipſam ad adulterium ſollicitanti, conſenſum fictè præbeat, vt Amaſius deprehendatur, & percutiatur. Ratio eſt, quia hæc ſunt intrinſecè mala, & cooperatio ad peccatum. Vide Sanchez *de matr.lib.*10.*c.*12 *num.*52.*&* 53. Sà *verb.peccatum num.*7. P. Nauar. *lib.*3.*de reſt. cap.*4. *num.*127. Molina *tract.*3.*diſp.*99.*nu.*18. Sancius *in ſelect. diſp.*35.*num.*12.

Sà. Nauar. Molina.

§. V.

Communiter non licet depingere Amaſio imaginem concubinæ, ſi putetur Amaſium ea imagine vſum per libidinem. Ratio eſt, quia traditio talis picturæ homini ſic deperdito, eſt quaſi donatio gladij parato occidere.

Non eſt tamen hoc ita intrinſecè malum, quin aliquando liceat: imò cùm hæc actio de ſe indifferens ſit, & bono vſui deſeruire poſſit, ac proinde ea aliqua graui cauſa honeſtari, mortale peccatum non committeret talem imaginem depingens ex metu mortis vel vulneris: amiſſio autem lucri ex tali pictura non eſſet cauſa grauis. Et ſic conciliantur Doctores inter ſe. Azor. *tom.*2.*lib.*12.*c.vlt. q.*9. Bonac. *de peccat.diſp.*2.*q.*4.*p.*2.§.*vnic.num.*29. contra Sanchez *lib.*1.*moral. cap.*7.*num.*40. Caſtrus Palaus *tom.*1.*tract.*6.*diſp.*6.*punct.*12.*num.*6.

Azor. Bonac. Sanch. Palaus.

11. Publicè peccantes obligantur ad circumſtantiam ſcandali manifeſtandam in confeſſione, ob periculum, cui ſe exponunt ruinæ proximi: nec ſatis eſt fateri ſe dicto vel facto alterum ſcandalizaſſe, ſed ſpeciem peccati, ad quam incitauit, fateri tenetur: Imò quantùm fieri poteſt, numerus perſonarum exprimendus eſt, quibus data eſt occaſio ruinæ, etiamſi vnica vice, ac vnico peccato coram illis perpetrato detur: Tum quia ſicut explicitè inducere multos ad peccandum, auget peccatorum numerum neceſſariò in confeſſione exprimendum, ita inducere prauo exemplo. Tum quia ſunt peccata numero diſtincta, vel ſaltem dicendum eſt, perſonas eſſe quid tenens ſe ex parte obiecti: obiectum enim non eſt circumſtantia actus, ſed conſtituit actum in ſuo eſſe indiuiduali: vnde patet ignorantia multorum Confeſſariorum, qui cùm pœnitentes ſe toties accuſant dediſſe ſcandalum, non faciunt illos accuſare, neque de ſpecie peccati, neque de numero perſonarum, cæci quidem ſunt, & duces cæcorum: ſicut etiam in alio caſu paſſim occurrenti, nempe quando quis ſe accuſat de delectatione rerum turpium ex colloquio cum alii, tenetur enim tunc pœnitens exprimere conditionem perſonarum adſtantium, an fuerint coniugatæ, ſolutæ, &c. & tenentur exprimere etiam qualitatem ſermonis, ſi videlicet fuerit circa coniugatos, circa ſolutos, circa neſandum vitium, &c. Filliucius *tr.*8.*n.*226. Sanch. *cit.c.* 6. *num.* 8. Layman *l.*1.*tr.*2.*c.*10.*n.*3. Syluius 2.2. *q.*43.*art.*3.*concluſ.* 2. Diana *p.*5.*tr.*7.*reſol.*3. *& p.*6.*tr.*6.*reſol.*33. In duobus tamen caſibus publicè peccantes excuſantur ab hac circumſtantia explicanda, vt dictum eſt n.7.

Filliuc. Sanch. Layman. Diana.

12. Nullum peccatum eſt committendum ad vitãdum ſcandalum proximi. Ratio eſt, tum quia nullum peccatum etiam veniale, ordinabile eſt in aliquem finem bonum; habet enim malitiam quandam reſpectu finis infinitam, adeò vt à nulla bonitate finis exhauriri poſſit, quale eſt mentiri, ad ſeruandam totam aliquam prouinciam, &c. Tum quia quiſque debet ſeipſum magis diligere, quàm alterum, quòd non faceret, ſi vellet potiùs offendere Deum, quàm permittere, vt proximus offendat. Sæpe tamẽ fit, vt propter finem deſinat opus eſſe malum, quòd alioquin malum fuiſſet, v.g. non ieiunare, non audire Sacrum, &c. propter magnam cauſam ſuperuenientem; tunc enim præceptum illud deſinit obligare, quia vis eius à potentiori præcepto eliditur, vel tranſit in naturam conſilij, vel permiſſionis, vel prohibitionis.

Ex his patet nunquam licere facere contra vllum negatiuum præceptum iuris naturalis, ad vitandum ſcandalum: quod autem præcepto affirmatiuo ſiue diuino, ſiue humano, ſiue naturali, ſiue poſitiuo iubetur, interdum eſt omittendum propter ſcandalum: cùm enim præcepta affirmatiua non obligent ad ſemper, ob aliquam circumſtantiam, fit quòd non obligent ad ſui obſeruationem iſto vel illo tempore. D. Thomas 2.2.*q* 43.*artic.*7. Sylu. *ibid. concl.*1.2.*&* 3. Laym. *l.*2.*tr.*3.*c.*13.*n.*8. *&* 9. Becanus 2.2. *t.*1.*c.*27.*q.*5.*n.*2. *& q.*6. Tannerus 2.2. *diſp.*2.*qu.*6.*dub.*9. Valentia *t.*3.*diſp.*3.*q.*18 *punct.*4. Bannez 2.2. *q.* 43. *art.*8. *concl.*2. Suarez *de charitate, diſp* 10.*ſect.*3.*n.*9. Nauar. *in Manual.c.*14.*n.*33. Clauis regia *l.*7.*c.*6. *à num.* 8. Malderus 2.2 *q.*43.*art.*7. Diana *p.*5.*tract.*7.*reſol.*21.22.23.*&* 24. Filliucius *tr.*28.*q.*11.*c.*20.

D. Thom. Sylu. Layman. Valent. Bannez. Nauarr. Clau. reg. Mald. Filliuc.

Ad vitandum ſcandalum infirmorum, oportet facere, & omittere quidquid ſine peccato fieri, aut omitti poteſt: Ratio ſumitur ex præcepto charitatis, quæ vult proximo in neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurri, quantùm commodè fieri poteſt: atque is qui ex infirmitate, aut ignorãtia, per noſtrum factum, incurſurus eſt peccatum, verſatur in magno ſalutis diſcrimine; ergo, &c. Hoc tamen intelligendum eſt, quando ſcandalum puſillorum aliter vitari non poteſt; nam infirmi, & ignorãtes debent doceri, & illis reddi ſufficiens ratio facti; quòd ſi non acquieuerint, & poſt redditam rationem adhuc ſcandalum duret, iam tranſit ipſorum ſcandalum in ſcandalum Phariſæorum, & ex malitia.

Ad vitandum ſcandalum Phariſaicum, nihil neceſſe eſt facere, aut omittere cùm detrimento ſpirituali, aut temporali; etſi abſque peccato fieri, aut omitti poſſit, eſt regula communis ex D. Thom. *ar.*7.*&* 8. Ratio eſt, quia qui ſcandalizatur ex malitia, non eſt in ea neceſſitate ſpiritus conſtitutus, vt debeat alterius notabili detrimento adiuuari. Hic tamen duo ſunt obſeruanda. *Primò*, charitatem ſuadere, vt cum ſcandalum etiam Phariſaicum, ſine notabili detrimento vitari poteſt, non facilè proximo offeratur occaſio peccati; nam etiam is qui ex malitia peccat, eſt in aliqua ſpirituali egeſtate conſtitutus. *Secundò*, nullum præceptum etiam humanum eſſe negligendum ad vitandum ſcandalum ex malitia, cùm enim non teneamur illud ſcandalum vitare, verè cenſeremur violare legem, quod eſt intrinſecè malum, ac proinde nullo caſu faciendum.

Ex dictis ſequitur opera conſilij non eſſe dimittenda propter ſcandalum ex malitia; at ob ſcandalum ex infirmita-

mita-

Digitized by Google

mitate aliquando eſſe differenda; v. g. filius tenetur ad breue tempus differre ſtatum Eccleſiaſticum, vel ingreſſum Religionis, ſi inde parentes grauiter turbentur, non tamen ad longum tempus, quia ſi pergant ideò ſcandalizari, ſcandalum eorum deſinet in Phariſaicum. Et hæc ſummatim de ſcandalo dicta ſufficiant.

Plura de ſcandalo, vide verb. *Communio Sacra*, num. 30. & 31. *Irregularitas*, 9. num. 5. *Ludus*, 1, num. 3. *Lex*, 4. num. 9.

SVPPLEMENTVM.

SCANDALVM.

SVMMARIVM.

1 *Scandalum propriè quid ſit.*
2 *Ex triplici intentione ſcandalum proximi poteſt contingere.*
3 *An ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium ea ad vſuras abuſurum?* Refertur duplex ſententia.
4 *An ſine cauſa deponere pecunias apud vſurarium ſit peccatum contra iuſtitiam, & teneatur deponens reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illis pecunijs mutuatis?* Refertur duplex ſententia.
5 *An vendentes vinum abſque iuſta cauſa ijs, quos probabiliter credunt lapſuros in ebrietatem, mortaliter peccent?*
6 *An ſit obligatio prætermittendi aliquod præceptum ad euitandum aliorum ſcandalum?* Refertur duplex ſententia.

1. SCandalum propriiſſimè dicitur lignum incuruum, quo intendicula, ſeu muſcipula ſuſtinetur, in quod impingens animal ipſam muſcipulam in ſe ſubita ruina euertit: quo modo ſumi videtur Pſalm. 68. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum*. Hinc traductum eſt ad ſignificandum offendiculum in via, & non tantùm pro offendiculo vſurpatur, ſed etiam pro impactione pedis in offendiculum, atque adeo pro ipſa ruina. In ſacris autem literis hæc omnia ad actus humanos transferuntur, & nomine ſcandali ſignificatur tum occaſio peccati, tum tendentia ad peccatum, tum ipſum peccatum, quod eſt ſpiritualis ruina.

2. Ex triplici intentione ſcandalum proximi poteſt contingere: *Primo*, directè intendendo ipſam ruinam, ſiue mortem ipſius ſpiritualem, ſiue ideò cupiendo eum hoc, aut illum peccatum committere, vt reatum illius incurrat.

Secundò, directè intendendo eum inducere ad actum malum, non tamen, quia hoc ei malum eſt, ſiue vt ipſe peccati reatum incurrat, ſed ob alium finem; vt quia ipſe ſine alterius ope nequit perficere actum, quem cupit committere; qua ratione vnus alium, aut aliam inducit, vt ſecum furetur, aut fornicetur.

Tertiò, faciendo aliquod peccatum, aut ſpeciem peccati habens, quo credit alium inducendum ad peccandum, nullo tamen modo id expreſsè intendendo, ſed ſolùm interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterum ſumpturum occaſionem peccandi. Qui alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum inducit, peccat, & hoc tenetur expreſsè, & diſtinctè confiteri, in quo conueniunt omnes Theologi. Ita Sanchez *lib. 1. moral. c. 6. num.* 6. Coninch *diſp. 3 a dub. 5. num. 35.* Lorca *in 2. 2. ſect. 3 diſputat. 56. num. 6.* Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 16. quæſt. 2. 3. & 4.* & alij

3. Dubium eſt inter Doctores, an ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium ea ad vſuras abuſurum? Quidam enim exiſtimant hos deponentes non peccare, quamuis ſciant eas fore illi materiam vſuræ exercendæ, eo quòd aliunde pecuniæ defuturæ erant. Ratio eſt, quia depoſita pecunia eſt cauſa nimis remota fœnoris, indiget enim voluntate fœneratoris, & voluntate fœnus concedentis. Ita Caietanus 2. 2. *qu. 78. art. 4. in fine* Bannez *ibidem, dub. 4.* Arragon *ibidem, circa ſolut. ad 3.* Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſputat. 173. ſect. 14. §. 181.* Salon 2. 2 *q. 62. art. 5. controu. 2. ad vltimum.* Caiet. Arragon. Salon.

Alijs placet hos deponentes peccare, quando aliunde pecuniæ defuturæ erant ad vſuras exercendas, vel ad exercendas in tanta quantitate, quia ea depoſitio eſt quaſi collatio inſtrumenti ad irrogandam iniuriam tertio, ſicut eſt traditio gladij parato alium occidere. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt. 78. artic. 3. ad. 3.* Nauar. *in Man. cap. 14. num. 40.* Leſſius *lib. 2. c. 20. n. 184.* Azor. *tom. 2. lib. 12. c. vlt. quæſt. 3.* & alij. D. Thom. Nauarr. Leſſius.

Pro reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt tribus modis fieri poſſe quod aliquis pecuniam deponat apud vſurarium. *Primò*, ſi bono quidem animo deponat, ſed apud eum vſurarium, qui etſi libenter vſuras exerceret, non habet tamen modò pecunias, ex quibus id facere poſſit, niſi eas quæ apud illum deponuntur.

Secundo, ſi hac intentione deponat, vt alter inde copioſiùs lucretur per vſuras.

Tertiò, ſi habenti alias ſufficientes ex quibus vſuras exercet, ſuam committat cauſa cuſtodiæ, vt ſecurius ſeruetur. Qui primo vel ſecundo modo deponit, peccat, ex eo quod det materiam peccandi non habens cauſam rationabilem hoc faciendi, atque ita negligendi ſcandalum proximi paſſiuum; cùm æquè commodè poſſet apud alterum deponere, neque vrgeat vlla neceſſitas deponendi apud illum, quem ſcit, aut ſcire debet quòd ea abutetur ad vſuram. Nam quamuis ea depoſitio ſit ex ſe indifferens, vult alter ea abuti, cuius abuſum tenetur deponens vitare, quoties commodè poteſt, ſecus autem quando commodè non poteſt.

Et in hoc caſu vera eſt poſterior ſententia; qui tertio modo deponit, à peccato excuſatur, ſi cauſam habeat illic potius deponendi quàm alibi, neque ſit veriſimile, quòd fœnerator inde ſit accepturus occaſionem exercendi plures vſuras, quàm alioquin faciat: quia tunc magis vtitur homine peccatore ad bonum, quam aut peccato ipſius conſentiat, aut materiam peccandi ei tradat. Igitur hoc pendet ex cauſa, qua ad deponendum hi deponentes ducuntur. Si enim ea vrgens ſit, excuſatur à peccato, ſecus ſi ea cauſa deſit. Ita Valentia 2. 2. *diſp. 5. q. 21. punct. vlt. fine.* Rebell. *de oblig. iuſtit. p. 2. lib. 8. quæſt. 16. ſect. 4. nu. 20.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 7. num. 36.* & alij. Quamuis Caietanus, Bannez, Arragon ſupra citati nullam cauſam in deponente pecunias apud vſurarium expoſtulent; quia hæc pecuniarum depoſitio non videtur vſurarum cauſa, ſicut nec locatio domus; & hanc ſententiam probabilem putat Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 6. diſput. 6. punct. 13.* licet contrariam ſequatur vt probabiliorem. Valent. Rebell. Sanch.

4. Sed retenta probabiliori ſententia deſiderari cauſam in deponente pecunias apud vſurarium, vt euitetur peccatum, ambigitur, an peccatum ſit contra iuſtitiam ſine cauſa deponere, & teneatur deponens reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illa pecunia mutuata? Affirmatiuam ſententiam quidam ſuſtinent, quia quoties damnum proximi ſequitur contra iuſtitiam, teneor ceſſare à meo opere, alias & mihi imputabitur peccatum, & tenebor etiam ad reſtitutionem damni alterius. Ratio eſt, quia reuera reus ſum eius peccati. Tum quia ſi quis deponeret gladium apud eum, quem ſcit illo eſſe abuſurum ad hominem interficiendum, eſſet particeps homicidij, & ad reſtitutionem obligatus: neque excuſaretur per hoc quòd alius iam ante haberet voluntatem illum interficiendi: ergo etiam eſt particeps peccati vſuræ, & reſtitutioni obnoxius, qui pecuniam deponit apud illum, quem nouit ea velle abuti ad exercendas vſuras, vtrerque enim dat materiam, ſeu inſtrumentum iniuſtæ actionis. Ita D. Thomas *quæſt. 3. de malo, art. 14. ad 18.* Sotus *de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1. art. 1. in fine.* Nauar. *in Manual. cap. 14. num. 40. illatione 12.* Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 18. §. 4. num. 23.* & alij. D. Tho. Sotus. Nauar. Pontius.

Sed dura nimis eſt obligatio, quam imponunt prædicti Doctores: proinde meritò alij docent, iſtud peccatum eſſe ſolum contra charitatem, & non contra iuſtitiam, ac proin-

proinde deponentes non teneri reſtitnere. Ratio eſt, quia ſola charitatis lege teoentur hi vſurarij peccatum vitare, & damna aliorum proximorum, quæ omnia in ipſorum poteſtate erat vitare, non accipiendo ad vſuras. Tum quia non tenetur quis ex iuſtitia abſtinere ab actionibus, quæ ex ſe non ſunt illatiuæ mali. Tum quia pecunias illas fœneratori tradere, eſt cauſa multùm remota vſurarum, cùm vltra pecunias deſideretur volnntas dantis ad vſuras, & accipientis. Ita Bannez *in 2.2.quæſt.78.articul.4.dub.4.* Molin. *de iuſtit.tract.2.diſp.331.n.4.* Hurtad. de Mendoza *in 2.2 diſp.173.ſect.14.§.181.* Diana *p.5.tract.7.reſol.11.* & alij.

Molin. Hurtad. Dian.

5. Tabernarij, & caupones vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint, fore vt ij inebrientur, peccant mortaliter. Ratio eſt, qnia abſque iuſta cauſa omittunt impedire peccatum proximi, negando ei tantam vini quantitatem, provt poterant, & tenebantur. Tum quia hoc eſt dare illis gladium, quo feriant intellectum turbantes organa corporalia, & hinc eueniunt ſæpè damna tertijs. Tum quia lucrum non eſt aſportandum ex eaſu, in quo eſt alterius peccatum. Eo vel maximè, quod lucrum ex hoc ceſſans non ſit tanti momenti: ebrietaſque ſit maximum damnum corporis, & animæ, & ſcandaloſum, ac ſæpè nocendi iniuſtè alijs occaſionem afferens. Tamen hi poſſent excuſari, quando abſque graui detrimento proprio proportionato illi ebrietatis damno vitare non poſſent, eo quod ea vini venditio indifferens ſit. Ita Valentia *in 2.2. diſput.5. quæſt.21.punct.4.* Rodriquez *tom.2. Summæ Latinæ, cap.78.num.15.* Sanchez *lib.1.moralium, cap.7.num.33.* Caietanus *in opuſc.tom.1.tract.vlt.reſponſ.13.dub.4.* Trullench *in decalog.lib.1.c.6.dub.5.n.23.*

Rodr. Sanchez. Caiet. Trullench

6. Grauis ſatis eſt controuerſia inter Theologos, an ſit obligatio prætermittendi aliquod præceptum ad euitandum aliorum ſcandalum? Negatiuam ſententiam multi amplectuntur, ex eo quod habetur *in cap. Cùm ex iniuncto, de noui operis nunciatione,* vbi Innocentius III. ſic ait: *Opera illa, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, non ſunt pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debent pro vitando ſcandalo committi, quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt.* Ex quo deducunt nullum præceptum neque affirmatiuum, neque negatiuum omittendum eſſe propter ſcandalum, quod aliàs ſine peccato omitti non poteſt. Tum qnia quiſque tenetur magis habere curam propriæ, quàm alienæ ſalutis, & conſequenter magis vitare proprium peccatum, quàm alienum, ſi vtrumque vitari non poteſt: ergo præceptum, quod mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum proprium, potiùs ſeruare debeo, quàm præceptum qnod mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum alienum.

At præceptum de vitando ſcandalo proximi ſolùm mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum alienum; ergo non eſt ſeruandum, quando occurrit aliud præceptum, quod mihi impoſitum eſt ad vitandum proprium peccatum. Hanc ſententiam ſuſtinent Vaſquez *opuſc. de ſcandalo, art.8.dub.1.num.4.* Pontius *de matrim. lib.5.c.18.§.2.nu.7.* Turrianus *in 2.2.tom.1. diſp.96.dub.1.* Trullench *in decal. lib.1.c.6. dub.5. num.12.* Caſtrus Palaus *tom.1. tract.6.punct.16.num.3.* & alij, qnibus adde Becanum *in 2.2. tom.1. cap.27. quæſt.5.* Hæc ſententia eſt probabilis. Nihilominus contraria, non minùs probabiliter ab alijs defenditur. Quod in præceptis poſitiuis facilius poteſt accidere: quæ non obligant cum tanto rigore, & quia præceptum de curanda vita ſpirituali proximi eſt naturale, & diuinum: at in naturalibus præceptis negatiuis nunquam habet locum, quia hæc ſemper obligant, & opera illis contraria ſunt intrinſecè mala. In affirmatiuis verò habere poteſt locum; quia non obligant pro ſemper, ſed cum debitis circumſtantijs. Sed tunc oportet in indiuiduo prudenter iudicare, quid magis præponderet, an ruina proximi vitanda, an opus illud omittendum.

Vaſq. Turrian. Trullench. Palaus.

Conſiderandum enim eſt quàm graue ſit illud præceptum, quanta neceſſitas, vel vtilitas eius, & omnibus conſideratis eſt ferendum iudicium. Quod exemplis magis eluceſcet. Quando præceptum eſt humanum, ex cuius omiſſione nullum aliud ſequitur inconueniens in proximum, tunc eſt vitandum. Exempli gratia: ſi non poſſit quis audire Sacrum quin alicui præbeat occaſionem grauis iracundiæ, odij, aut luxuriæ, tenetur abſtinere à Sacro. Item ſi quis non poteſt ieiunare niſi præbendo alicui occaſionem grauis peccati, tenetur non ieiunare, iuxta illud, *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Similiter ob id tenetur quis dimidiare confeſſionem imminente ſcandalo paſſiuo Confeſſarij. Si verò ex omiſſione præcepti immineat aliud damnum graue proximo, non eſt prætereundum præceptum.

Hinc tenetur coniux ad reddendum debitum coniugale petitum ab altero coniuge, licet alij ſint accepturi occaſionem peccandi, v.g. in longa nauigatione, aut diuturno carcere, aut habitatione non ampla, ſi quis cum vxore degat, non poteſt illa inuita abſtinere diu ab vſu matrimonij, quamuis aliquis adſit auditurus, & ex auditu ſit venerem illicitam concepturus. Et in ſimilibus idem ferendum eſt iudicium. Ratio prioris eſt, quia concurrerent duplici præcepto, vno legis naturalis de impedienda ſpirituali ruina proximi, altero poſitiuo de audiendo Sacro, de ieiunando, aut confeſſionis integritate ſeruanda, maius & fortius eſt naturale. Quare huic iuri naturali aduerſaretur lex Eccleſiaſtica de audienda Miſſa, &c. ſi tali rigore lata eſſet, vt non obſtante quocumque ſcandalo paſſiuo Miſſa audiretur, ieiunium ſeruaretur, &c. Ratio poſterioris eſt, quia non tenetur quis cum graui damno ſpirituali abſtinere ab ea actione, quæ de ſe bona eſt, quia eſt actus iuſtitiæ, & abuſus eſt propter ſolã malitiam audientis. Ita ſentiunt Suar. *de charitate, diſp.10.ſect.3.n.9.* Valentia *tom.3.diſp.3.quæſt.18.punct.4.* Bannez *in 2.2. quæſt.43.art.8.concl.2.* Lorca *ibid.n.10.* Hurt. de Mendoza *in 2.2.diſp.173.ſect.20.à §.256.& ſeq.* Layman *lib.2. tract.3. c.13.n.10.* & alij.

Suar. Valent. Bannez. Hurtad. Layman.

SCHISMA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Schiſma, & quis cenſendus Schiſmaticus?*
2 *Duplex modus ſchiſmatis recenſetur ex D. Thoma?*
3 *Diuiſio ſchiſmatis in purum, & iunctum cum hæreſi?*
4 *An ſchiſma ſit peccatum mortale? & an fieri poſſit veniale ratione paruitatis materiæ?*
5 *Quæ ſint pœnæ ſchiſmaticorum?*

1. SChiſma, Græcum nomen eſt, & ſignificat ſciſſionem, à vocabulo Græco σχίζω, quod ſignificat ſcindere: Vnde ſchiſma eſt, voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, qui principem in Eccleſia locum tenet. Iſidor. *lib.8. Etymol. cap.3.* D. Thom. *2.2.q.39.art.1.* Filliuc. *tract.28.num.209.*

D. Thom. Filliuc.

Hinc ille, qui ſe ſeparat ab obedientia ſui Prælati, vel Principis, vel particularis Eccleſiæ ſeu Diœceſis, vel qui per peccatum mortale ſeparatur ab vnione charitatis, qua Chriſti fideles vinculo charitatis inter ſe, cum Deo connectuntur, vel qui per excommunicationem arcetur à communi fidelium cœtu, vel qui ob offenſam, quam à Summo Pontifice paſſus eſt, non vult ipſius præceptis morem gerere, vel qui rem à Summo Pontifice præſcriptam, non vult adimplere, quia ſibi grauis vel incommoda eſt, vel qui ſubditus temporali iuriſdictioni Summi Pontificis, non vult ipſi ſubijci, tanquam illius loci Domino, ſed alteri Principi ſubiectionem, & obedientiam præſtare intendit, vel qui ſubtrahit ſe ab obedientia illius, quem probabiliter putat non eſſe legitimum Papam, Schiſmaticus non eſt. Sanchez *lib.2.moral.cap.36.* Reginaldus *lib.17.num.112.& lib 9. num.258.259.& 260.* Azor. *1.p.lib.8.c.20.q.4.* Layman *lib.2.tract.3.cap.11.num.6.* Crouſers *ad cap.7.reg.Franc.lect.5.*

Sanch. Reginald Layman.

Igitur vt quis Schiſmaticus appellari poſſit, requiritur vt recedat à Summo Pontifice, aut auocet alios à ſubiectione Summi Pontificis, vt Summus Pontifex eſt, aut qui non vult cum aliquibus communicare hac ſolùm de cauſa, quia ſunt ſubditi Papæ, vt Papa eſt: vel qui contempto Summo Pontificæ, facit aut facere intendit Synodos generales, aut qui gerit ſe, vt Papam, & caput Eccleſiæ, cùm non ſit canonicè electus Caiet. *verb. Schiſma.* Suarez *de cenſur. d.*21. *ſect.*2. *num.*13. Syluius 2.2.*q.*39.*art.*1.

Caiet. Suar. Sylu.

2. Secundùm D. Thomam duplex eſt modus ſchiſmatis. Primus, cùm aliquis ſe ſeparat ab Eccleſiæ viſibili capite, ſeu Summo Pontifice, debitam ei obedientiam ac ſubiectionem, qua talis eſt, denegando: Alter ſchiſmatis modus eſt, cùm quis ſe ſeparat à reliquis Eccleſiæ membris ſiue fidelibus in religionis cultu, oratione, Sacramentis, alijſque ſpiritualibus functionibus, atque ſeorſim per ſe vel cum alijs agit, tanquam Eccleſiæ membrum non ſit. D. Thom. *cit. artic.*1. Syluius, Caietanus *ibid.* Sanch. *cit. c.*36. *num.*3. Valent. 2.2. *quæſt.*15. *d.*3. *punct.*1.

D. Thom. Sanch. Valent.

3. Schiſma diuiditur in purum, & iunctum cum hæreſi. Purum ſchiſma charitati ſolùm atque paci oppoſitum in ijs eſt, qui cùm credant vnam eſſe ſanctam Eccleſiam ſub viſibili capite, Summo Pontifice conſtitutam, tamen ea malitia voluntatis nolunt Pontificem ſubijci, vel reliquis Eccleſiæ membris vniti eſſe, idque vel ſola intentione, quod eſt ſchiſma merè internum, vel operis etiam execution, quod eſt ſchiſma externum, & opere conſummatum. Sciſma cum hæreſi iunctum eſt, ſi aliquis pertinaci animo negat Summum Pontificem totius Eccleſiæ caput, & paſtorem eſſe, vel Eccleſiæ ſanctæ Communionem, atque ob eam cauſam ſe ſegregat: quapropter ſicuti ruente fide, ruit etiam charitas, non vice verſa, ita hæreſis ſecum ducit ſchiſma, non vice verſa; vnde omnis hæreticus verus ac formalis ſchiſmaticus eſt, non item omnis verus ſchiſmaticus etiam hæreticus eſt. Vt docent D. Thom. *cit. art.*1. *ad* 3. Syluius *ibid.* Tolet. *lib.*1. *cap.*19. Suarez *tom.*5. *diſp.*21. *ſect.*2. *num.*13. Sanchez *cit. num.*8. Layman *cap. num.*5.

D. Thom. Sylu. Tolet. Suarez. Sanch.

4. Schiſma ex ſuo genere peccatum eſt mortale contra charitatem, quia per illud violatur vnitas corporis Eccleſiæ; tamen ob indeliberationem, & imperfectam aduertentiam fieri poteſt veniale, ratione autem paruitatis materiæ, non poteſt fieri veniale, ſicut & hæreſis aut blaſphemia; nam ſchiſma conſiſtit formaliter in diuiſione, & rebellione ab vnitate vniuerſalis Eccleſiæ aut capitis; rebellio autem, & diuiſio ab huiuſmodi vnitate in quauis materia reperiatur, grauiſſimam continet inordinationem: & inter peccata contra proximum eſt vnum ex grauiſſimis, quia lædit præſtantiſſimum bonum commune, nempe Eccleſiæ vnitatem. D. Thom. *cit. artic.*1. Syluius *ibid.* Valentia 2.2. *d.*3. *quæſt.*15. *p.*1. *&* 2. Reginaldus *lib.*17. *num.*113. Fillincius *cit. num.*211. *& ſeq.* Bonac. *tom.*2. *d.*3. *q.*4. *p. vlt.* §.5. *num.*4.

D. Thom. Sylu. Filliuc. Bonac.

Hæreſis quidem ex obiecto eſt grauius peccatum, quàm ſchiſma quia aduerſatur diuinæ veritati, ac proinde ipſi Deo in ſe; in circumſtantijs verò, & damnis quæ ſolet afferre ſchiſma, eſt grauius ſchiſma quàm hæreſis. D. Thomas *cit. artic.*2.

5. Pœnæ contra ſchiſmaticos ſunt: *Prima*, priuatio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quæ conſiſtit in facultate abſoluendi, excommunicandi, Indulgentias concedendi, beneficia conferendi, &c. quia cum Schiſmatici voluntariè ſe retrahant ab Eccleſia, & ab ipſius capite, par non eſt vt fruantur fructu iuriſdictionis, qui ab Eccleſia, & ab ipſius capite in Eccleſiæ membra deriuat, vt autem hæc pœna incurratur, ſecundùm probabiliorem ſententiam, requiritur vt nominatim denunciatus fuerit Schiſmaticus, quia poſt Conc. Conſtantienſe nullus eſt vitandus ex vi prohibitionis Eccleſiaſticæ, niſi notorius ſit Clerici percuſſor, aut niſi nominatim denunciatus ſit reus perpetrati delicti, cui eſt adiuncta Communionis priuatio; *C. didicimus* 24. *quæſt.*1. Toletus *lib.*1. *cap.*13. *num.*2. Sotus 4. *d.*12. *quæſt.*1. *art.*4. Filliucius *tract.*28. *num.*218. Bellarm. *lib.*2. *de Roman. Pont. c.*30. Sylu. 2.2. *quæſt.*39 *art.*3. *concluſ.*3.

Tolet. Sotus. Filliuc.

Sylu.

Secunda, pœna eſt, excommunicatio, quam ipſo facto incurrunt, vt patet ex Bulla cœnæ Domini. Ad hanc autem cenſuram incurrendam requiritur, & ſufficit, vt quis ſchiſma facti, aut verbis, aut alio ſigno externo manifeſtet, quamuis in mente Schiſmaticus non ſit. Sayr *lib.*3. *cap.*5. *numer.*19. Sanchez *lib.*2. *moral. capit.*36. *numer.*15. Tolet. *lib.*1. *cap.*19. Syluius *cit. art.*4. Vnde hac cenſura ligantur, qui in Anglia externæ obedientiæ ſigna exhibent erga Regem, quibus indicare præſumantur ipſum eſſe Chriſti Vicarium in ſpiritualibus, etiamſi interius in mente contrarium ſentiant. Hoc tamen aſſertum tam generale videtur noſtru Crouſers *lect.*5. *ad capit.*7. *regul. S. Franc. fol.*528. nimis rigidum: quia poſſet fieri, vt obedientia per eos Regi exhibita, non excedat limites debitæ obedientiæ Supremo capiti in temporalibus; & quamuis per regem exigatur, quia ſe exiſtimat caput Eccleſiæ, non tamen illi, vt capiti eiuſmodi exhibeatur: propter eiuſmodi autem obedientiam, nemo cenſeri debet ſchiſmaticus, niſi proteſtetur ex animo ſimul ſe eam præſtare Regi, vt ſupremo Eccleſiæ capiti: Deinde poſſet fieri, vt in aliquibus tantùm obedirent Regi, diſcedendo ab obedientia Pontificis, in alijs autem obedirent Pontifici, nulla ſignificatione extrinſecùs facta, quòd Pontificem non habeant pro Pontifice. Tum quia videtur hic deeſſe pertinacia; quòd ad ipſos nominatim non dirigatur præceptum Pontificis, & ex metu grauiſſimo eiuſmodi inobedientiæ actum admittant, non animo ſe ſubtrahendi ab obedientia Papæ pertinaciter. *Tertia* pœna eſt, inhabilitas ad beneficia in futurum conſequenda; & hoc procedit etiamſi ſchiſmaticus pœnitentiam delicti egerit: hanc autem inhabilitatem tollit diſpenſatio Summi Pontificis, & quamdiu delictum eſt occultum, illa per Epiſcopum poteſt etiam auferri. a *C. quia diligentia, de electione.* Sanchez c. n.18. *Porrò*, qui ordines vel beneficia à ſchiſmaticis ſuſcipiunt, incurrunt ſuſpenſionem ab vſu ordinum à ſchiſmaticis ſuſceptorum; ſuſcipiens verò beneficium vel dignitatem à ſchiſmatico, priuandus eſt beneficio vel dignitate Eccleſiaſtica. b Suarez, *de cenſur. d.*31. *ſect.*1. *n.*61. *Sanch.* c. n.20.

Sayr. Sanch. Sylu.

Vide *Irregularitas* 10. n.2. *Beneficium* 7. n.3. *Excommunicatio* 6. *Hæreſis.*

SVPPLEMENTVM.

SCHISMA.

SVMMARIVM.

1 *Schiſma accipitur generaliter, & ſtrictè.*
Hoc vatum ſchiſmatis directè aduerſatur vnitati Eccleſia. Et quibus ex cauſis Eccleſia dicatur vna.

2 *An qui ſeipſum à capite ſeparat, & non expreſsè à reliquis membris, ſchiſmaticus ſit.*

3 *An ſchiſma accidere poſſit, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſia.*

4 *An ad contrahendam propriam malitiam ſchiſmatis, oporteat directè intendere diuiſionem ab Eccleſia, & an ſufficiat indirectè.*

5 *Quid faciendum ſit tempore ſchiſmatis, quando duo electi ſunt Summi Pontifices.*

6 *An ſchiſmaticus eo ipſo, quo ſchiſmaticus eſt, irregularitatem contrahat?* Refertur duplex ſententia.

7 *Excommunicationem latam in Bulla Cœna contra ſchiſmaticos, an incurrant ſchiſmatici ſola mente? Item fautores, defenſores, receptatores ſchiſmaticorum? Et quando non incurrant recedentes ab obedientia Summi Pontificis.*

1. SChiſma vſurpatur dupliciter. *Primò*, generaliter pro quauis ſciſſura, & ſeparatione, vt Ioannis 9. *Et ſchiſma erat inter eos,* quando videlicet Iudæi diſſentiebant

de curatione cœci nati, quem Dominus ſanauerat. Et 1. ad Corinth. 1. *Obſecro autem vos Fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.*

Secundò, accipitur ſtrictè, pro diuiſione, qua quis ſe ab Eccleſia ſeiungit, vt nolit eſſe membrum ſub vno capite, cum reliquis Chriſtianis, & ſic vſurpatur a Sanctis Patribus, quando inuehuntur in ſchiſmaticos, eoque nomine ſignificantur, qui antipapam ſibi conſtituunt, quod in antiquis hiſtorijs ſatis frequens eſt.

Hoc vitium directè aduerſatur vnitati Eccleſiæ, quæ eſt effectus charitatis. Sed cùm Eccleſia multis de cauſis dicatur vna, videndum eſt cui vnitati ſchiſma aduerſetur. Eccleſia enim dicitur vna *Primò*, quia habet vnum vltimum finem, omnes enim fideles quocumque loco, & tempore fuerint, vnum habuerunt finem propoſitum, nempe æternam beatitudinem. *Secundo*, quia tota Eccleſia eadem habet media ad illum finem, videlicet, eandem doctrinam fidei, eadem opera virtutum, eadem Sacramenta, & leges, iuxta illud ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Tertiò*, quia viuificatur vno, & eodem ſpiritu, de quo 1. ad Cor. 12. *Diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Quartò*, quia vnum habet caput, nempe Chriſtum in cœlis, eiuſque Vicariū in terris, ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Et Ioannis 21. *Paſce oues meas*, omnes videlicet Chriſtianos, atque adeò reliquos Apoſtolos. *Quintò*, quia eſt corpus quoddam myſticum continens in ſe varia membra, quæ in vtilitatem totius, varias functiones ſortiuntur, quod multis locis applicat Apoſtolus, vt ad Roman. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, &c. ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Et 1. ad Corinth. *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa.* Ad Epheſ. 4. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum.*

Ex his quinque vnitatibus quarta, & quinta potiſſimum huc pertinent, nam ſchiſmaticus propriè eſt, qui voluntariè ſe diuidit à capite, & corpore Eccleſiæ, nolens ampliùs cum membris illius communicare in medijs ordinatis ad ſalutem, v.g. in verbo Dei, & Sacramentis. Et ſic Papa poſſet eſſe ſchiſmaticus, ſi nollet tenere cum toto Eccleſiæ corpore vnionem, & coniunctionem, quam debet, vt ſi tentaret totam Eccleſiam excommunicare, aut ſi vellet omnes Eccleſiaſticas cæremonias Apoſtolica traditione firmatas euertere. De quibus Caietanus 2.2. *q.* 39. *art.* 1. Syluius *ibid. verſ. Poſterius*, Turrecremata *lib. 4. cap.* 11. Suarez *de fide, diſp. 9. ſect. 4. 5. & 6.* & *tract. de charitat. diſp. 12. ſect. 1.* Sanchez. *lib. 2. moral. cap. 36. num.* 1. & alij.

Caietan. Syl. Turrecr. Suar. Sanc.

2. Ex dictis deducitur ſchiſmaticum eſſe, qui ſeipſum à capite ſeparat, etiamſi non expreſsè à reliquis membris: vt qui inſtituit vel ſequitur Pſeudo pontificem, qui Romanum Pontificatum vſurpat; qui vniuerſales Synodos abſque legitima auctoritate congregat, vel eas, poſtquam diſſolutæ fuerant, proſequitur. Item qui cum rebellione, & pertinacia renuit obedire præceptis vel Romanæ Eccleſiæ, vel Romani Pontificis, & iudicium eius ſubire recuſat, nolendo illam agnoſcere matrem, vel iuſtum Patrem, Chriſtique Vicarium. Si tamen non paret illi in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet; vt ſi præcipiat arma deponere, alienum reſtituere, & quis id præſtare renuat, propriè ſchiſmaticus non eſt, ſed inobedientis hominis crimen contrahit: quia cum eiuſmodi inobedientia ſtare poteſt quod recognoſcat Pontificem vt Superiorem, neque ſe a membris Eccleſiæ ſegreget. Similiter ſi quis Romano Pontifici non obtemperet, eo quod ſibi ſit eius perſona inſenſa, & odioſa vel ſuſpecta, ſchiſmatis quoque propriè peccatum non perpetrat, cùm velit illi ſubeſſe quantum ad definitiones fidei, & morum. Ita Caietanus 2.2. *quæſt. 99. art.* 1. Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 20. quæſt.* 4. Reginaldus *lib. 9. num. 259. & 261.* Bonacina *tom. 2. diſputat. 3. quæſt 4. punct. vltim. §. 5. num.* 2. Sanchez *lo. cit. cap* 36. *num.* 3. & communis.

Caiet. Azor. Reginald. Bonac. Sanch.

3. Schiſma accidere poteſt, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſiæ: quod contingit, quando ita vult ſpirituales actiones exercere, vt ſperare, & credere, orare, ieiunare, miniſtrare, & recipere Sacramenta, &c. non vt pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed tanquam ſi ipſemet eſſet quoddam totum ſeorſum. Ratio eſt, quia is qui ſeparat ſe à membris, tacitè vel conſequenter ſeparat ſe à capite, & è cōtra. Cùm enim membra, & caput ſint inter ſe connexa, & ſubordinata, diſſidens ab alterutro, conſequenter ab altero diſſidet. Ita Caiet. *in ſum. v. Schiſma.* Petr. Ledeſm. *tom. 2. ſumm. tract. 3. c. 12. concl.* 3. Valent. 2.2. *diſp. 3. q. 15. punct.* 1. Syluius 2.2. *q. 39. art.* 1. & alij.

Caiet. Ledeſm. Valentia. Syluius.

4. Aliquis poteſt facere ſchiſma dupliciter, vno modo directè intendendo diuiſionem Eccleſiæ: Secundò ſolùm quaſi indirectè, intendendo, v.g. dominatum, poteſtatem, & ſimilia. Si ſchiſma ſit per ſe directè intentum, eſt peccatum ſpecialiter charitati contrarium, quod ſumitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. *Supportantes inuicem ex charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, &c.* Ratio eſt, quia charitas ipſa per ſe obligat ad eam coniunctionem, non ſolùm quia eſt bona, ſed maxime vt eſt neceſſaria, cuius contrarium maxima incommoda affert Eccleſiæ, ergo velle, præcipuè directè, tollere ab Eccleſia iſtam coniunctionem, & vnitatem, eſt directè contra charitatem. Nam velle abſolutè, & ſimpliciter ſeruare Eccleſiaſticam pacem, & ſpiritualem membrorum coniunctionem eſt intrinſecè munus charitatis, quia virtutis amicitiæ eſt, velle conſeruare communicationem, & coniunctionem debitam cum amicis: charitas autem eſt amicitia ſpiritualis.

Ad contrahendam propriam malitiam ſchiſmatis non oportet directè intendere diuiſionem ab Eccleſia, ſed ſatis eſt velle id, per quod ſeparetur quis ab Eccleſia, vel efficit diuiſionem in illa, ſiue id ſit directè præuidendo, ſiue culpabiliter ignorando. Ratio eſt, quia ad committendam aliquam malitiam in moralibus ſufficit voluntarium indirectum, præcipuè quando circumſtantia, aut effectus ſecutus non eſt quid generale omnibus peccatis, ſed ſpeciale quid, vt eſt in propoſito. Ex quo fit, quod ſicut ille incurrit homicidij reatum, qui etſi non intendat occidere, vult tamen illud opus proſequi, vnde mors ſequuta eſt, & de facto ſequitur; Ita hæreticus præter malitiam hæreſis incurrit malitiam ſchiſmatis propter ſpeciale detrimentum, quod infert Eccleſiæ, contra charitatem illi debitam. Et idem eſt de alijs, qui per quodcumque vitium efficiunt ſchiſma. Ita Caiet. 2.2. *quæſt. 39. art. 1. dub. 1.* & *in ſumm. verb. Schiſma.* Syluius *loco cit. art. 1. verſ. Tertio modo.* Suarez *de ſchiſmate, diſp. 12. ſect.* 1. Sanchez *loco cit. num.* 5.

Caiet. Syl. Suar. Sanchez.

5. Petes quid ſit faciendum, quando electi ſunt duo Pontifices? Reſpondeo: ſi ſit vnus certus Papa, de quo prudenter dubitari non poſſit, ei eſt adhærendum, & qui alteri fauent, ſunt ſchiſmatici. Si verò Papa ſit dubius, ita vt non poſſit prudenter cognoſci, nulli eſt adhærendum: tum quia re vera nemo ex his duobus habet ius verum in Eccleſia acquiſitum. Tum quia temerarium eſt ac periculoſum dubia habere pro certis, ſed vnuſquiſque gerat ſe vt vnum Eccleſiæ Catholicæ membrum, & Chriſto capiti adhæreat, dubios eius Vicarios habens pro dubijs, & paratus vni certò adhærere, quando Eccleſiæ prouiſum fuerit de certo. Quapropter ſi contrarium fiat, ſchiſma fouetur, & hac etiam ex parte peccari poteſt hoc peccato. Interea Chriſtiana plebs ſatisfacit adhærendo ſuis Epiſcopis, Parochis, & Doctoribus Catholicis, ſemper parata adhærere illi, quem Eccleſia receperit. Ita Caiet. *locis citatis*, Turrecremata *lib. 4. ſua ſumma cap.* 14. Syluius *loco citato, articulo 1. verſ. Duo hic.* Suarez *loco citato, ſectione 1. num.* 11. Sayrus tamen *in Theſaur. lib. 3. cap. 5. numero* 22. & Trullench *in decalog. lib. 1. cap. 3. dub. 17. numero* 4. arbitrantur, quod quamdiu cauſa eſt dubia, & duo vel plures contendunt de Papatu, & ſe pro Summis Pontificibus gerunt, nec per Concilium generale res eſt determinata, tam ipſi quàm eorum ſequaces à peccato excuſantur; dummodo parati ſint, ad determinationem Concilij à Papatu ſe abdicare, & eiuſdem Concilij determinationi, & decreto acquieſcere.

Caietan. Sylu. Suar. Sayr. Trullench

Nihil-

Nihilominus tutior eſt ſententia Suarez, & Syluij, qui bouiſſimus refert Pium II. in Bulla retractationum, laudare Fredericum Imperatorem, & Germanos, quod dum ambigeretur, Fœlix ne, an Eugenius eſſet legitimus Pontifex, & num Eugenio, an Baſilienſi Concilio foret obediendum, neutrales fuiſſent.

6. Quorumdam ſententia eſt, ſchiſmaticum, eo ipſo, quo ſchiſmaticus eſt, irregularitatem contrahere, quia extra Eccleſiam eſt. Ita Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 20. quaeſt. 8.* Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 46. num. 2.* Pegna *in director. part. 2. Commentar. 73.* Duardus *in Bullam Caen. lib. 2. quaeſt. 56. num. 5.* & alij Canoniſtæ, ex quorum ſententia ſequitur ſchiſmaticum etiam poſtquam ad Eccleſiam per veram penitentiam redierit, eſſe irregularem, & ab beneficia, & Ordines promoueri iure non poſſe. Et probant ex *cap. Quia diligentia, de elect.* Sed nec textus, nec Doctores, ibi irregularitatis meminere, ſed ſolius inhabilitatis ad beneficia. Secundò, probant ex *cap. Primo, de ſchiſmat.* quod nullam irregularitatem imponit; ſed ſolas Ordinum collationes à ſchiſmaticis factas irritas reddit, quoad vſum Ordinum in recipiente ſcienter. Decernitur etiam vt recipientes beneficia à ſchiſmaticis, careant illis Nec tamen eſt irrita hæc collatio, ſed irritanda. Quare hæc ſententia tanquam carens ſundamento non eſt admittenda, ſed dicendum eſt ſchiſmaticum non eſſe irregularem, modò crimen non ſit notorium. Ratio eſt, quia non eſt ponenda irregularitas, niſi in iure expreſſa habeatur: in iure autem nulla habetur irregularitas contra ſchiſmaticos. Dicitur, modò delictum non ſit notorium, nam commune eſt omnibus criminibus notorijs depoſitione dignis, vt irregularitatem pariant, donec infamia per pœnitentiam abſoluatur. Ita obſeruant Sayrus *de cenſur. lib. 7. c. 12. n. 16.* Suar. *de cenſur. diſp. 43. ſect. 2. num. 7.* Bonac. *in Bull. cœna diſp. 1. quaeſt. 2. punct. 5. n. 13.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 36. num. 20.* Dian. *part. 4. tract. 7. reſolut. 29.* quod non obſcurè ſignificant multi alij Doctores, qui & de irregularitate, & de ſchiſmatis penis luculentiſſimè ex profeſſo tractarunt, ſubtinentes hanc irregularitatem.

Suar.
Bonac.
Sanch.
Dian.

7. Excommunicationem latam in Bulla cœnæ Domini contra Schiſmaticos non incurrunt, *Primo*, Schiſmatici ſola mente ſchiſma retinentes, ſed opus eſt, vt factis, verbis, vel alio ſigno externo ſchiſma manifeſtent, quia ob ſolum peccatum internum nunquam excommunicatio incurritur, vt habet communis ſententia Doctorum.

Secundò, non incurrunt fautores, defenſores, receptatores Schiſmaticorum, ſi illi hæretici non fuerint, quia eam extenſionem ſolùm appoſuit Pontifex circa hæreticos; & dum excommunicatio alicui delicto infligitur, non extenditur ad adiuuantes, niſi exprimantur; cum ergo in præſenti Bulla cœnæ eos non exprimat, minimè comprehendentur: nam in odioſis non eſt facienda extentio vltra verborum ſignificationem, & proprietatem. Ita Suar. *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. num. 14.* Antonius de Souſa *in bull. cœna diſp. 19. n. 6.* Albericus *in expoſit. Bulla cap. 9. ſub finem.* Duardus *loco cit. num. 8.* & alij. Ligantur tamen excommunicatione contenta in Conſtitutione Pauli IV. quæ incipit, *cùm ex Apoſtolatus officio*, vbi etiam habentur aliæ pœnæ, hæc tamen excommunicatio non eſt reſeruata.

Tertiò, non incurrunt excommunicationem Bullæ recedentes ab obedientia Pontificis, eo quòd probabiliter credant eum non eſſe legitimum Papam: vel illi, qui cùm ſint incolæ oppidi ſubiecti temporali Papæ iuriſdictioni, non volunt ipſi vt temporali illius oppidi Domino ſubijci, quia Papa vt Dominus temporalis non eſt Papa, & caput Eccleſiæ, ſed inſtar cuiuſuis temporalis Domini: vnde ſeiunctio illa, & rebellio non eſt formaliter erga Papam, nec contra eius officium vt Papa eſt, quod ad ſchiſmatis rationem, & illius pœnas exigitur. Ita Vgolinus *de cenſur. Papæ reſeruat. 2. part. cap. 1. §. 1.* Sanch. *loco cit. c. 36. num. 3. & 4.* & alij.

Vgolin.
Sanch.

S E C R E T V M.

S V M M A R I V M.

1 *Quid ſit ſecretum, & quotuplex?*
2 *An contra fidelitatem, & iuſtitiam peccet, qui ſecretum ſibi commiſſum reuelat cum damno alterius?*
3 *An ſit peccatum mortale ſecretum detegere vni vel alteri, quos certò nouiſſimus celaturos?*
4 *Quæ ſint iuſtæ cauſa ſecretum reuelandi?*
5 *An ſit illicitum reuelare ſecreta Reip. vel exercitus, etiam ob quæuis tormenta?*
6 *An teneatur ad reſtitutionem qui violat ſecretum abſque iuſta cauſa cum alterius detrimento?*
7 *An aperiens, & legens litteras ſigillo munitas, aut quæ ſeruabantur in ſecreto, peccet mortaliter?*

1. SEcretum accipiunt pro re alicui clanculum manifeſtata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit; ideòque notorium quidpiam non eſt. Triplex eſt ſecreti genus: *Primum*, confeſſionis Sacramentalis, de quo v. *Confeſſio 7. Secundum*, eius quod manifeſtatum noceret animæ, corpori, famæ, honori, vel fortunis alterius, etiamſi nulla præceſſerit promiſſio eius non reuelandi. *Tertium*, eius quod expreſsè vel tacitè promiſimus celare. Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 5. num. 1.* Nauar. *c. 18. num. 52.* Filliuc. *tract. 40. num. 504.* Layman. Nauar. Filliuc.

2. Contra fidelitatem atque iuſtitiam peccat mortaliter, qui ſecretum expreſſa aut tacita conuentione reticendi ſibi commiſſum reuelat, cuius reuelatio redundat in alterius graue detrimentum; quia fides iure naturali ſeruanda eſt, & ideò non ſeruando fidem, peccat contra ius naturæ. Secretum verò reuelans cum leui alterius iniuria vel damno, non videtur mortaliter peccare, etiamſi promiſerit ſe celaturum ſecretum ſibi commiſſum ſub ſigillo, paruitas enim materiæ excuſat à mortali, modò non ſit confeſſionis ſecretum. Molina *tom. 4. tract. 4. d. 4.* Sà *v. ſecretum.* Regionald. *lib. 24. num. 106.* Nauar. *cit. num. 52.* Azor *tom. 3. lib. 13. cap. 31.* Molina. Sà. Reginald. Azor.

3. Secretum detegere vni vel alteri, quos certò nouiſſimus celaturos, non eſt peccatum mortale. Azor. *cit. lib. 3. cap. 31. dub. 2. & 3.* Bonacina *de reſtit. d. 2. quaeſt. 2. p. vnic. num. 2.* Filliucius *cit. num. 63.* nam huiuſmodi reuelatio non videtur redundare in graue alterius damnum vel iniuriam: ſi tamen illud quod detegitur, ſit aliquod peccatum graue vergens in infamiam, aut detegatur illi, cui certò vel probabiliter creditur, eum, qui ſecretum commiſit, voluiſſe celari, & non manifeſtari, grauis iniuria ei videtur fieri, qui ſecretum commiſit: Si autem quis ſecretum ab alio alicui commiſſum detegat abſque animo lædendi, reuera tamen lædat: peccat mortaliter vel venialiter iuxta negligentiam, & inconſiderationem, ſi enim hæc fuit grauis, erit mortale; ſi leuis, erit veniale. Vide v. *Detractio 1. num. 11.* vbi hæc ſententia refellitur. Azor. Bonac. Filliuc.

4. Iuſtæ cauſæ ſecretum reuelandi ſunt hæ. *Prima*, ſi cedat in Reip. detrimentum, vel priuatæ perſonæ iniuriam. D. Thomas 2. 2. *quaeſt. 70. art. 1. ad 2.* Rodriquez *tom. 2. cap. 55. Secunda*, ſi ſecretum ceſſurum ſit in graue nocumentum eius, qui tibi commiſerat, v. g. ſi quis occulto impedimento obſtrictus à matrimonio reuocari non poſſit, niſi canonicè denuncietur, licita erit denunciatio ſecreti ob Sacramenti reuerentiam, & ad peccatum euitandum. Nauar. *cap. 18. num. 55.* Coninch *tom. 2. d. 27. num. 61.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. d. 13. num. 5. Tertia*, ſi tu ipſe in ſimile graue diſcrimen incidas, niſi commiſſum tibi ſecretum reueles, quia ſicut alia debita, ita & obligatio ſecreti ceſſat; quando ſine maximo detrimento propriæ vitæ aut famæ ſeruari non poteſt: Sin autem ex reuelatione ſecreti periclitetur vita eius, qui commiſit, exinde autem, quod ſecretum celatur, grauiſſimè periclitetur honor, fama vel diuitiæ eius cui com- Nauar. Coninck. Sanch.

miſſum eſt, viri prudentis arbitrio, omnibus ſpectatis circumſtantijs æſtimandum erit vtrum is, cui ſecretum concreditum erat, tantam obligationem reticendi in ſe ſuſpicere voluerit, aut debuerit, nec ne. Layman. c.n.a. Leſſius *lib.2.c.11.d.8.* Molina *c.d.37.concl.5.* Azor. *c.dub.2.*

Layman. Leſſius. Azor.

5. Secreta Reip. vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet, etiam ob quæuis tormenta vel mortis periculum non licet reuelare; quia ſalus Reip. tanquam bonum maius atque diuinis anteponendum eſt propriæ vitæ, quare ad hoc ipſum præſtandum aliquis obligari poteſt, Nauarrus *cap.18 num.54.* Bonacina *cit num.8.* Diana *part.6, tractat.6.reſ.60.* Layman *cit.num.3.* Molina *cit.d.37.nu.9.* Vnde miles Hiſpanus a Gallis captus v.g. non poſſet ex metu mortis reuelare ſecretum ſui exercitus, conducens ad conſeruationem ipſius.

6 Qui volat ſecretum abſque iuſta cauſa cum alterius detrimento, tenetur ad reſtitutionem; quia cauſa iniuſta damni tenetur ad reſtitutionem: & hoc verum eſt, non ſolum quando ſecretum commiſſum fuit cum pacto expreſſo ne manifeſtaretur, ſed etiam quando commiſſum fuit cum pacto tacito. Syluest. *verb.ſecretum, num.1.* Azor.*cit.* Filliuc.*cit.num.62.* Veruntamen ille cui concreditum eſt ſecretum, poteſt Iudici interroganti reſpondere cum iuramento ſe nihil ſcire, addita reſtrictione vt illi aperiat, vel æquiuocatione; habet enim iuſtam cauſam vtendi tergiuerſatione, vel æquiuocatione, cum Iudex non poſſit cogere ad manifeſtandum ſecretum, quod ex obligatione naturali ſeruandum eſt. P.Nauar. *lib.2. cap.4.n.226.* Rodriq.1.*part.cap.79.n.13.* Bannez *2.2.q.63.art.2.*

Nauar. Rodrig. Bannez.

7. Aperiens, & legens litteras ſigillo munitas, aut quæ ſeruabantur in ſecreto loco, mortaliter peccat, ſi hoc faciat prævidens inde aliquod notabile damnum oriturum, aut ſi ille, qui litteras clauſas mittit vel affertur, valde cupiat ea quæ continentur in litteris occulta retineri; nam in his caſibus fieri poteſt, vt quamuis non adſit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat iniuria, quæ pertingat ad peccatum mortale; qui verò legit ſin periculo grauis iniuriæ aut notabilis damni, ſed ob curioſitatem, cauſa ſciendi noua, aut ridendi ob inelegantiam, & barbaram compoſitionem, non peccat mortaliter, nulli enim grauem facit iniuriam. Nauar.*cap.18.num.53.* Sà *verb.litter.* Molina *tract.4.diſp.num.2.* Rodriquez *in ſum.tom.2.cap.55. num.2.* quamuis P. Nauarra *lib.2. cap.4. num.45.* Azor.3.*part.lib.13 cap.31.dub.16.* Filliuc.*tract.40. cap.2. num.63.* Diana *tract.6. miſcel.reſol.55.part.3.* ſimpliciter dicat, legentem litteras alterius interclutas ſigillo, vel alia via, mortaliter peccare, niſi ratione amicitiæ vel alia de cauſa credat adeſſe interpretatiuam voluntatem eius, qui ſcripſit, aut eius ad quem litteræ ſcribuntur, vel niſi hoc faciat ea auctoritate legitima, ſicut facere conſueuerunt Superiores in Monaſterijs. Præterea non peccat ille, qui aperit litteras ad præcauendum proprium periculum quod ſibi timet: qua de cauſa litteræ hoſtium licitè intercipiuntur ab exercitu contrario, & leguntur: hac eadem de cauſa excuſatur, qui intercipit litteras ſui capitalis inimici.

Nauar. Molina. Rodriq. Azor. Filliuc. Diana.

Vide verb. *Falſarius* num.2. *Caſus reſeruatus* num.40. §.11.

SEPVLTVRA.

SVMMARIVM.

1 *Quis ſit locus ſepulturæ Eccleſiaſticæ?*

2 *Quibuſnam Eccleſijs competat iure communi & priuilegio Papæ ius ſepulturæ? An poſſint Clerici & Religioſi quemque inducere ad vouendum aut iurandum, vt in ipſorum Eccleſia ſepulturam eligat?*

An prohibitum ſit etiam ſub excommunicatione inducere ad eligendam ſepulturam in aliena Eccleſia? Et quid dicendum de illis qui inducunt, effectu non ſecuto?

An peccet, qui inducit ad eligendam ſepulturam apud Eccleſiam, in qua de iure debet ſepeliri defunctus?

An ignorantia excuſet ab hac excommunicatione?

3 *An omnes puberes tam maſculi quam fœminæ ius ſepulturæ eligendæ habeant?*

4 *An omnes fideles in loco ſacro ſepeliendi ſint?*

5 *Quinam ſepultura Eccleſiaſtica priuari poſſint, & iure priuati ſint? Et an morientes in duello poſſint ſepeliri in loco ſacro ſi ſigna contritionis dederint ante mortem?*

6 *An mortaliter peccet ſepeliens aliquem, quem Eccleſia priuat Eccleſiaſtica ſepultura?*

1. LOcus ſepulturæ Eccleſiaſticæ eſt Eccleſia, & cœmeterium, quod dictum eſt, quaſi dormitorium, in quo fidelium corpora ſepeliuntur, & plerumque eſt locus annexus ac vicinus Eccleſiæ conſecratæ, authoritate Epiſcopi ad ſepulturam deputans: quamuis cœmeterium conſtitui etiam poſſit aliquantulum remotum ab Eccleſia propter fœtorem, præſertim pro eorum corporibus, qui peſte moriuntur. Sylu. *verb. ſepultura quaſt.1.* Layman *lib.3.ſect.5.tract.5. cap.12. num.1.& 2.* Propterea mortale peccatum eſt, ſi quis fidelium corpora ſepelire negligat, cùm nullus alius adeſt, qui id officium præſtet, quia opera charitatis ac miſericordiæ in caſu eiuſmodi neceſſitatis obligatoria ſunt. Valentia *tom.3.d.3.quaſt.9.part.2.* Sa *verb.ſepultura.* Bannez *2.2. quaſt.32.artic.2.*

Sylu. Layman. Valent. Sà.

2. Iure communi Ius ſepulturæ competit ſolùm Eccleſijs, quæ habent populum, ſiue Parochialibus: at priuilegio Papæ ius ſepeliendi fideles conceſſum eſt etiam Religioſis, in primis Ordinis Prædicatorum, & Minorum, deinde verò etiam alijs; imò Epiſcopus ex cauſa cum conſenſu Capituli, ius ſepeliendi alicui Eccleſiæ non parochiali concedere poteſt; *Clement. dudum, §.verum, de ſepulturis.* Molina *d ſput.214.* Tamen Religioſis, & Clericis ſeuerè prohibitum eſt, ne quemquam, ad vouendum aut iurandum inducant, vt potius in ipſorum Eccleſia ſepulturam eligat, vel iam electam vlteriùs non immutet; *C.1. de ſepult. in 6.* Rodriquez *tom.3.qq. quaſt.58. art.7.* Non eſt autem prohibitum hortari aliquem, & perſuadere ipſi, adhibitis etiam precibus, vt apud propriam Eccleſiam eligat ſepulturam, dummodo non intendatur ita ipſum obligare, vt non poſſit mutare electionem iam factam. Cùm enim odioſa, & pœnalia reſtringenda ſint, non ſunt dilatanda; non debent *c. Animarum periculis, de ſepult, in 6. & Clementina cupientes, §.fin.de pœnis*, extendi ad eos, ad quos verba ipſa non pertingunt, cùm loquantur tantùm de ijs, qui inducunt ad eligendum cum obligatione.

Sed quæres *Primò*, an excommunicatio lata in prædicta Clementina habeat locum pro ijs, qui inducunt ad electionem ſepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro ſe eligunt, ſed pro alijs; in verò tantùm liget eos, qui inducunt, qui pro ſe eligunt? Reſp. ligare omnes, qui inducunt ad eligendum ſiue pro ſe eligunt, ſiue pro alijs: vnde ſi quis induceret ad eligendum ſepulturam cum voto, iuramento aut promiſſione apud alienam Eccleſiam, vt ſi Minorita inducat vt apud Carmelitas, cum fraude, nempe ad inſtantiam Carmelitarum, adhuc electio eſſet nulla, & contrahentur pœnæ poſitæ in dicta conſtitutione. Ita Portel *in dub.reg.verb.Sepultura num.5.* Hier. Rodriq. *in comp.reſ.128.*

Quæres *Secundò*, an peccent mortaliter, & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam ſepulturam cum voto, iuramento, aut promiſſione, ſi effectus non ſequatur? Reſp. certum eſſe, quòd peccent mortaliter: quia quantum eſt de ſe, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitum, quà prohibitum eſt; quod ſufficit,

vt

Digitized by Google

actus vt contrahat malitiam.

Quod autem ſpectat ad excommunicationem, dicendum eſt, illos non incurrere, niſi ſequatur effectus electionis, vt colligitur ex *capit. Perpetuo, de electiion. in 6.* & ratio eſt, quia ſub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, ſed inductio ad eligendum cum voto, &c. inductio autem non eſt in inducente, ſed in inducto, quia dicit non perſuaſionem, ſed quod inducatur; vnde non habetur inductio, niſi quis trahatur ad eligendum cum voto, &c. & ideò ſi non ſequatur electio, non habetur inductio. Ita Rodriquez *citat. dub.* 4. Nauar. *capit.* 27. *num.* 103. Suarez *de cenſ. diſput.* 22. *ſect.* 24. *num.* 26.

Rodr. Nauar. Suar.

Quæres *Tertiò*, an peccet qui inducit ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud Eccleſiam, in qua de iure debet ſepeliri defunctus? Reſp. affirmatiuè, quia vbicumque interuenit actus prohibitus, ibi interuenit peccatum, & cenſura impoſita actui prohibito ſortitur ſuum effectum. Actus autem prohibitus per dictas conſtitutiones eſt inductio ad eligendam ſepulturam cum voto, aut alia obligatione, quam æquum eſt durare vſque ad vltimum vitæ. Tum quia præſumitur hæc inductio fieri ex deſiderio emolumenti, quod prouenit miniſtris Eccleſiæ ex ſepultura. Ita Portel *in dub. reg. verb. Sepultura numer.* 4. Lezana *tom.* 3. *ſum. in mare magnum Minor. n.* 116. apud vtrumque Rodriq.

Porrò ab hac excommunicatione incurrenda excuſat ignorantia probabilis, ſeu quando quis ita ignorat prohibitionem, vt probabiliter putet ſe poſſe inducere ad tali pacto eligendam ſepulturam, quia ſi excuſat à peccato ignorantia, non habet locum excommunicatio; quia non contrahitur niſi ob contumaciam coniunctam cum peccato mortali. Imò ſecundùm Suarez citatum ſuprà, aliquid ampliùs requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, quàm ad peccandum in præſenti caſu: & proinde ignorantia aliqua, quæ non excuſaret a peccato, poſſet excuſare ab incurſu huius cenſuræ; quia Pontifex fert excommunicationem in temerarios violatores ſuæ conſtitutionis: & proinde eſt neceſſarius auſus temerarius, qui dicit ire ſine ratione contra conſtitutionem, atque adeò velle ipſam infringere, & non obſeruare: vnde neceſſaria eſt intentio contraueniendi, quæ non habet locum poſita quacumque ignorantia etiam affectata: Audere namque importat quendam contemptum, vt notat Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 376. poſt Innoc. in *cap. Cum medicinalis, de ſent. excom. in* 6.

3. Omnes puberes tam maſculi quàm fęminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam ſuam ſepulturam eligere poſſunt: Religioſi tamen ius ſepulturæ eligendæ non habent, niſi à Monaſterijs vel Collegijs multum diſſiti decedant. Nouitij autem ſepulturam eligere arbitratu poſſunt; *C.* 1. *de ſepultur. in* 6. Molina *citat. d.* 214. Sanchez *lib.* 6. *moral. capu.* 14. *num.* 1. Prælati Ordinum, qui ſuperiorem Ordinis ſui nullum habent, ſepulturam etiam extra Monaſterium deligere poſſunt. Qui verò nulla electa ſepultura deceſſit, ſepeliendus eſt in propria parochia, niſi ſepulchrum maiorum habeat. Famuli verò Religioſorum intra Monaſterium vel Collegium morientes in illarum Eccleſijs ſepeliri poſſunt. Sylu. *verb. ſepultur. quæſt.* 6. 7. *&* 8. Rodriq. *cit. quæſtion.* 60. *art.* 1. *&* 2. Layman *citat. numer.* 9.

Sylu. Rodriq. Layman.

4. Omnes fideles ſeu baptizati in loco ſacro ſepeliendi ſunt, niſi conſtet eos in excommunicatione aut interdicto, vel in ſtatu peccati mortalis ſeu impęnitentes deceſſiſſe, vel niſi lege canonica aut conſuetudine ob crimen aliquod ſepultura ſpolientur; *C. Eccleſia, de conſ. diſt.* 1. Quare etiam ad mortem damnati, ſi pęnitentes deceſſerint in loco ſacro ſepeliri poſſunt: deinde ob nulla debita corpus defuncti ſepultura prohiberi poteſt; neque licet creditoribus nullam actionem vel moleſtiam exhibere hæredi, aut executori, nouem diebus poſt obitum defuncti. Bonacina *de contr. d.* 2. *quæſtion.* 21. *part.* 2. *numer.* 1. Couarr. 2. *reſolut. capu.* 13. Layman *capit. numero* 10.

Bonac. Couarr. Layman.

5. Sepultura Eccleſiaſtica priuari poſſunt, & iure priuati ſunt hæretici, Apoſtatæ, excommunicati, interdicti, vſurarij manifeſti, aut mortui in duello, occidentes ſcienter ſeipſos; in dubio autem, an is qui ſeipſum occidit, ſcienter ſeipſum occiderit, præſumitur ſcienter occidiſſe, niſi conſtet ipſum antea fuiſſe amentem aut furore tactum. Præterea meretrices publicæ, quæ ad meliorem vitæ frugem non redierunt, iſtis communiter aſinina datur ſepultura, vel ob locorum conſuetudinem, vel ob interdictum, quo plecti ſolent. Item qui ſemel in anno Sacramentum Pęnitentiæ. & Eucariſtiæ non ſuſceperunt. Bonacina *cit. num.* 2. Layman *cit. nu.* 11. Sylueſter *verb. ſepult. n.* 10.

Bonac. Layman. Sylu.

Deinde omnis peccator mortalis ac notorius ſacra ſepultura prohibetur, ſi eum abſque pęnitentia deceſſiſſe præſumi debeat; *C. quibus, & ſeq.* 13. *quæſt.* 2. Vnde ſi aliquis in ipſo facinore, quod nullo modo excuſari poteſt à mortali, occiſus deprehendatur, non præſumitur contritus deceſſiſſe, quia mutatio animi eſt quid facti, quod non præſumitur, ſed oſtendi debet. Si tamen talis poſt crimen patratum, qualecumque ſignum pietatis edidit, vt ſi in Eccleſia oraſſe viſus eſt, probabile eſt eum in loco ſacro ſepeliendum fore, ſi non ſit inter criminoſos ſpecialiter exceptos: in illis enim certior coniectura requiri ſolet antecedentis pęnitentiæ de crimine, ſecundùm Canones damnato. Sà *citat. numero* 3.

An autem puella ſeipſam occidens in defenſionem pudicitiæ, ſit priuanda ſepultura Eccleſiaſtica, maximè ſi hoc fecerit ex ignorantia inuincibili? Reſpondet Diana negatiuè *part.* 6. *tractat.* 7. *reſolut.* 47. nam ſe occidere ob pudicitiæ cuſtodiam, non eſt ita euidens eſſe malum, quin inculpatè poſſit ignorari, & exiſtimari licitum.

Porrò non poteſt concedi ſepultura Eccleſiaſtica adulto illi, qui ante mortem Baptiſmum petijt, etiamſi plures teſtes affirment ſe audiuiſſe petitum eſſe Baptiſmum. Ratio eſt, quia cùm adultus intra Eccleſiam viſibilem non ſit ob defectum Baptiſmi, ab Eccleſia viſibili honorari non debebit funeribus, nec ſepultura Eccleſiaſtica, cùm eum non agnoſcat vt viſibilem filium, qui viſibiliter per Sacramentorum ianuam ad eam non eſt ingreſſus. Condecens tamen erit, vt fideles non vt canem abijciant in campum adultum illum, ne pueris ad lapidandum, & diſtrahendum per calles tradant, cùm piè credi poſſit talem ſaluum factum eſse, ſi ex contritione cordis Baptiſmus petitus ſit. Ita Sancius *in ſelectis, diſput.* 44. *numer.* 48. Infideli autem non baptizato, patienti tamen pro fide Chriſti mortem, concedenda eſt ſepultura Eccleſiaſtica, quia per martyrium ſatis oſtendit quis ſe eſse filium Eccleſiæ. Idem *num.* 49.

Sed dubium hic poſſet oriri de morientibus duello, an poſſint ſepeliri in loco ſacro, ſi ſigna contritionis oſtenderint ante Mortem? Laurentius Portel. *in reſp. moral. part.* 3. *caſu.* 10. *num.* 3. docet legem Trident. *ſeſſ.* 25. *capit.* 19. *de reformat.* quà iubet, vt moriens in duello non ſepeliatur in loco ſacro in pęnam delicti, eſse pęnalem, & proinde ſtrictè intelligendam, & proinde in illa non comprehendi hunc caſum: quia non eſt mortuus in duello, ſed finito duello, & cum ſignis contritionis: propterea loqui videtur Tridentinum de illo, qui moritur in duello, cum claro peccato mortali ſine ſignis contritionis. Nihilominus Rituale Roman. iuſſu Pauli V. editum ſic habet in Rubrica de exequijs. *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pænitentiæ ſigna.* Verùm, ſi quis moreretur vno vel altero die poſt duellum, poſset ſepeliri in loco ſacro; quia talis non moritur in loco duelli, ſed ex occaſione duelli: & ſatis verificatur literæ proprietas appoſitæ in Concilio, negando ſepulturam decedenti in ipſo loco duelli: & hic caſus non includitur in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. Ita Ioannes Sancius *in ſelectis diſput.* 36. *numer.* 9. & poſt illum Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 54. *& part.* 4. *tractat.* 4. *reſ.* 192.

Sanc. Dian.

Quamuis probabiliter etiam ſuſtineri poſſit, talem priuandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi ante mortem contritionis ſigna dederit, aut pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperit. Ratio eſt, quia priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ inducta eſt in deteſtationem criminis, vt reliqui cognoſcentes duellum tam acriter puniri, terreantur, & ab huiuſmodi crimine arceantur: & dici poteſt, priuationem ſepulturæ non infligi per modum cenſuræ, ſed per modum iuſtitiæ vindicatiuæ diſtinctæ à cenſura, alioquin opus non fuiſſet hanc pœnam exprimere, cùm priuatio ſepulturæ ſit effectus conſequens excommunicationem. Ita Bonacina *tom.3.diſp.2.q.3.punct.*48.*num.*22. citans pro hac ſententia Peregrinum, Guttier. & alios.

6. Mortaliter peccat ſepeliens aliquem, quem Eccleſia priuat Eccleſiaſtica ſepultura, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui: & ſi ſepeliat excommunicatum, vel interdictum, vel notorium vſurarium, ligatur maiore excommunicatione, modò is qui ſepelitur, ſit vitandus; oſſa verò illius, qui de iure caret Eccleſiaſtica ſepultura, extrahenda ſunt ex loco ſacro, in quo ſepulta fuerunt, modò illorum oſſa diſcerni queant ab oſſibus aliorum; Eccleſia tamen reconcilianda non eſt, niſi in ea ſepultus fuerit excommunicatus denunciatus, vel infidelis. Molfeſius *in ſumma 2.p. tract.*13. *cap.*8. *num.*67. Bonacina *cit. num.*3. Syluester *cit. quæſt.*9. *num.*11. Layman *cit. num.*12. — Bonac. Sylu. Layman.

De ſepultura vide *Ceſſatio à diuinis* num.7. *Excommunicatio* 3. num.14. *Interdictum* 1. num.1. *Paupertas religioſa* num.20. *Sacrilegium* 1. num.7. *Simonia* 3. num.2. *Suſpenſio* 2. num.14. *Vſura* 5. num.4. *Duellum* num.9. in fine.

SVPPLEMENTVM.

SEPVLTVRA,

SVMMARIVM.

1 *Sepultura naturaliter, & formaliter ſumpta, quid ſit? An peccet mortaliter qui mortuos fideles non ſepelit cùm poſſit.*

2 *An omnes Catholici ſepeliendi ſint in loco ſacro? Et an Cathecumeni?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Epiſcopus habeat ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam?*

4 *An locus deputandus pro ſepulturis fidelium, ſecundum Canones, debeat eſſe ab Epiſcopo benedictus?*

5 *An cadauera fidelium intra Eccleſiam poſſint hoc tempore ſepeliri?*

6 *An Religioſi habentes priuilegium ſepeliendi laicos, qui apud eos elegerunt ſepulturam, poſſint proceſſionaliter intrare parochiam, & per ſe accipere funus, etiam contradicente Epiſcopo, & Parocho?* Refertur duplex ſententia.

7 *An de iure filio impuberi pater ſepulturam eligere poſſit?*

8 *An hoc idem poſſit mater?* Refertur duplex ſententia.

9 *An affines, & conſanguinei, qui ſuccedunt patri in cura impuberum ſiue tutores, poſſint illis ſepulturam eligere?* Refertur duplex ſententia.

10 *Vbi debeat ſepeliri qui moritur abſque electione ſepulturæ? Et quodnam dicatur ſepulchrum maiorum?* Refertur duplex ſententia.

11 *An probetur electio ſepulturæ per teſtamentum, per teſtes etiam ſingulares, per codicillum inualidum, & per dictum Confeſſarij?*

12 *Vbi ſepeliendus peregrinus, ſeu viator moriens extra Parochiam ſuam? Vbi Religioſi decedentes extra Monaſterium?*

13 *An Prælatus localis alicuius religionis habeat facultatem eligendi ſibi ſepulturam?* Refertur duplex ſententia. *Et quid de regulari, qui præeſt Prioratui manuali?*

14 *An vxor poſſit ſibi eligere ſepulturam? Et caſu quo non elegerit, vbi ſepelienda?*

15 *An hæretici nominatim non denuntiati ſint priuati Eccleſiaſtica ſepultura?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quando occidentes ſeipſos non ſint ſepultura Eccleſiaſtica priuandi?*

17 *An Religioſus inuentus mortuus cum burſa denariorum, ſit priuandus Eccleſiaſtica ſepultura?*

18 *An Meretrix quæ inuenta eſt mortua, & vulneribus plena in domo amici, poſt confeſſionem factam, & Communionem receptam in Paſchate, debeat priuari ſepultura Eccleſiaſtica?*

19 *Contra exenterantes corpora mortuorum, vt alibi tumulanda ferant, quando excommunicatio ſit lata in Extrauag.* Deteſtandæ feritatis.

20 *Corpora defunctorum an poſſint exhumari, & transferri de loco ad locum ſine Epiſcopi licentia? Et an Iudex laicus exhumando corpus defuncti ſine licentia Epiſcopi, frangat immunitatem Eccleſiaſticam?*

1. Sepultura materialiter ſumpta eſt locus, in quo cadauera mortuorum reconduntur: Dicitur autem ſepultura ſeu ſepulchrum à ſepeliendo, eo quòd cadauera humo veluti ſepe circumdentur, & circumſepiantur. Formaliter autem ſumpta, ſepultura eſt actio ſeu officium ſepeliendi, pertinens ad charitatem, ſeu pietatem ac miſericordiam erga defunctos. Proinde ſepelire mortuos eſt opus miſericordiæ. Ratio eſt, quia apud Catholicos magna cenſetur miſeria carere ſepultura. Tum quia ſepultura Eccleſiaſtica licet per ſe directè non proſit animabus in Purgatorio exiſtentibus, iuuat tamen per accidens, quatenus ſepulchra mortuorum excitant memoriam fidelium ad orandum pro defunctis. Hinc colligitur eum peccare mortaliter, qui non ſepelit mortuos fideles, dum ſine ſuo graui incommodo ſepelire poteſt, nec adeſt alius, qui id officium præſtet: quia opera charitatis ac miſericordiæ in caſu eiuſmodi neceſſitatis obligatoria ſunt. Quod intelligendum eſt, quando iure Eccleſiaſtico ſepultura non ſunt priuati. Ita Bannez 2.2. *quæſt.*32. *art.*2. *concluſ.*2. Valentia *tom.*3. *diſp.*3. *quæſt.*9. *punct.*2. Eman. Sà *verb. Sepultura n.*11 *in fine.* Layman *lib.*3. *ſect.*5. *tract.*5. *cap.*12. *n.*2. & alij. — Bannez. Valent. Sà. Layman.

2. *Ex cap. Eccleſia, de conſecrat. diſtinct.* 1. omnes Catholici ſepeliendi ſunt in loco ſacro, niſi iuſta de cauſa prohibeantur, quia ſepultura Eccleſiaſtica inſtituta eſt pro Chriſti fidelibus, vt ſepulturæ Eccleſiaſticæ priuilegijs gaudeant. Hinc ab Eccleſiaſtica ſepultura excluduntur Pagani, Iudæi, alijque infideles, quia iſti ſunt extra Eccleſiam, & quibus non communicamus viuis, nec communicare debemus mortuis. De Catechumenis autem eſt dubium, an ſepeliri debeant in loco ſacro? Videtur enim quòd ſic, quia non ſunt Pagani, cùm fieri vellent Chriſtiani, & mortui ſint cum voto Baptiſmi, vt ſupponitur, vnde non polluitur Eccleſia quando Catechumenus ſepelitur in ea ante ſuſceptum Baptiſmum; nam præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo flaminis. Ita Sayrus *de cenſur. lib.*5. *c.*16. *num.*24. Quamuis Layman *loco citato, num.*11. doceat Catechumenos debere carere Eccleſiaſtica ſepultura, licet pro eis oret Eccleſia, ſi credentes deceſſerint, & citat Palud. *in* 4. *diſt.*4. *quæſt.*3. *art.*1. quorum ſententia eſt probabilis: cum Sayro tamen tenet Bonacina *de contract. diſput.*3. *quæſtion.*21. *punct.*2. *num.*1.

3 Epiſcopus habet ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam, vt colligitur ex conſtitut. Pij V quæ incipit, *Cum pridem* Kalend. Apr. 1556. in qua mandatur, vt defunctorum corpora ſuper terram exiſtentia in tumbis profundis infra terram collocentur: & quod ius funerandi conſtruendique ſepulturas ad Epiſcopum pertineat. Notandum tamen eſt cum Nauar. *conſil.*1. *de ſepult. in nouiſſ.* tribus modis poſſe dari locum ſepulturæ.

Primò,

Primò, vt is, cui datur ſit, Dominus eius. & hoc modo nulli etiam ab Epiſcopo dari poteſt; quia rei ſacræ dominium nullus poteſt habere.

Secundo, vt habeat ius ſepeliendi in eo mortuos ſuos, & impediendi, ne alij ſepeliantur in eo: & hoc modo non poteſt dari ſine auctoritate Epiſcopi, & cum iuſta cauſa, & ſeruata forma in alienandis rebus Eccleſiæ requiſita: quia licet per illum modum non transferatur rei dominium, transfertur tamen vſus eius, & quoddam ius ſepeliendi, quod fieri nequit niſi ſeruatis canonibus de non alienandis, vt docet Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi c. 26. n. 11.* Sed hoc intelligendum eſt vbi eſt in conſuetudine, vt talis forma ſeruetur, alias non, ait Trullench *t. 3. tr. de iure Parochi, c. 9. dub. 2. n. 2.*

Barboſa.

Trullenc.

Tertio, vt poſſit ſepeliri aliquis in eo loco, & hoc modo poteſt dari à quocumque habente ius admittendi ad ſepulturam in ſua Eccleſia iure communi, & hoc ſine auctoritate Epiſcopi, vt ſi ſit Eccleſia parochialis. Quia iam vſu receptũ eſt quod ſicut Parochus habet ius ſepeliẽdi in ſua Eccleſia, conſequenter etiam videtur habere ius concedendæ ſepulturæ. Similiter Prouincialis Regularium poteſt in ſuis Eccleſijs facultatem conſtituendi ſepulturam concedere, quia eſt Prælatus, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens. Vide Bonacinam *loco citato, punct. 3. numero tertio.* Sebaſtianum Medices *de ſepulturis, quæſt. 16.*

4. Certum eſt, locum, qui inſeruire debet ſepulturis fidelium, debere eſſe ſacrum, ſeu benedictum ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id poteſtatem habente, alias ſi non ſit benedictus, ſepultura Eccleſiaſtica dici non poteſt ſecundùm Canones, etiamſi ſit ſibi aliquis ſepultus, *cap. ad hæc, de religioſis domibus.* Secundùm leges tamen talis locus eſt religioſus, ſi ſit ibi aliquis ſepultus de voluntate Domini, quod intelligendum eſt ſecundùm Gloſſam *in cap. in Eccleſiaſtico 13. quæſt. 2.* ſi eo animo eſt ibi ſepultus, vt ibi perpetuò remaneat: alias remanet prophanus, *l. ſi quis eo animo, ff. de relig.* Sed Panormitanus diſtinguit ſoluendo dictam Gloſſam, & ius ciuile, *l. 2. C. de relig. & ſumpt. funer.* Nam iſte locus ſtrictè non eſt religioſus, quoad hoc quòd gaudeat priuilegio loci religioſi & publici, ſed largè, quia deputatus ad vſum pium, ſicut dicimus quod laici valde boni poſſunt appellari Religioſi, quaſi ad diuinum cultum religati. *ex cap. Eccleſia. de conſtit.* Proinde locus ſepulturæ deputatus debet eſſe Religioſus, & Sacer. Dicitur autem Sacer largè propter Epiſcopalem benedictionem, ſed non ſtrictè, quia non fit ibi conſecratio, ſeu vnctio cum oleo ſancto, vt in Eccleſia, vel Altari, vnde ſolùm benedicitur, Eccleſia verò conſecratur; *cap. Nemo Eccleſiam, de conſecrat. diſt. 1.*

5. Quamuis antiquitus cadauera fidelium intra Eccleſiam non ſepelirentur, ſed in Cœmeteriis, vel locis extra Eccleſiam ab Epiſcopo & deſignatis, & benedictis, eo quòd ſtrictè prohibitum erat intra Eccleſiam aliquem ſepelire, ex *c. Præcipiendum eſt 13. quæſt. 2.* Ideò piè maiores noſtri à primordijs naſcentis Eccleſiæ Cœmeteria inſtituerunt pro ſepeliendis mortuorum corporibus, vt tradit Stephanus Durantus *de ritibus Eccleſiæ, l. 1. c.* 23. Succeſſu autem temporis, dignitatis gratia, humari cœperunt cadauera in atrio, aut in porticu, in exhedris Eccleſiæ. Exhedræ dicuntur quædam voltæ, quæ exterius adhærent parietibus Eccleſiæ, vt notat Gloſſa *in dict. cap. præcipiendum*, ideoque magno honore affectum Conſtantinum aſſerit S. Chryſoſt. *homil. 66. ad populum*, quod præ foribus Eccleſiæ Piſcatoris corpus maximi illius Imperatoris ſepulturæ mandatum fuerit: & de Theodoſio, & Arcadio ſimile in Apoſtolorum porticu refert Durantus *ſuprà num. 6.*

Sed deinde honor ſepeliendi intra Eccleſiam aliquibus perſonis inſignibus deferri cœpit, vt habetur *in cap. Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici.* Poſtea omnibus, nulla habita perſonarum diſtinctione, eſt permiſſum, vt in Eccleſiis ſepeliri poſſint, & hoc vt proximi ad loca ſacra conuenientes, ſuorum ſepulturam aſpiciant, recordenturque pro eis Domino preces fundere; vt habetur *in cap. Cum grauis, & in cap. Non æſtimemus 13. q. 2.* vnde hodie omnes fideles intra Eccleſias ſepelire licet, vt tradunt ex communi Rodriquez *t. 3. quæſtionum regular. q. 58. art. 1.* Simanchas *de Catholic. inſtit. c. 18. n. 9.* Hieronymus Rodriquez *in compend. reſolut. 128. nu. 1.* Trullench *tomo tertio, tractat. de iure Parochi, c. 9. dub. 3.* Barboſa *de offic. & poteſtat. & Parochi, cap. 26. nu. 6. 7. & 8.* & alii.

Rodriq. Trullenc. Barboſa.

6. Certum eſt, Religioſos Ordinis Minorum, & Prædicatorum, & per communicationem priuilegiorum, alios etiam Religioſos, habere ius ſepeliendi, & inferendi in ſua ſepulchra non ſolùm funus Religioſorum, ſed etiam laicorum, & ſecularium cadauera, qui in ipſorum Cœmeteriis, ſeu Eccleſia ſepulturam elegerint, vt habetur in Clementina *Dudum, de ſepulturis*, his verbis: *Huiuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adiicimus, vbi Fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis, vel locis ſuis vbilibet conſtitutis liberam (vt ſequitur) habeant ſepulturam, videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis.* Idem priuilegium iiſdem Religioſis conceſſit Clemens IV. & Sixtus IV. ſalua tamen iuſtitia Parœcialium, id eſt, portione, ſeu quarta canonica, vt declarauit idem Sixtus IV. vt refertur in Compendio priuil. Mendicantium *verb. Sepultura n. 2. & 10.*

Controuertitur tamen hoc tempore multis in locis, an Religioſi, qui habent priuilegium ſepeliendi laicos, qui apud eos elegerunt ſepulturam, poſſint proceſſionaliter intrare parochiam aliam, & per ſe accipere funus, & alia conſueta facere, etiam contradicente Epiſcopo, & Parocho. Affirmant Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regul. q. 58. art. 3.* Angelus, Syluester *verb. Sepultura.* Hieronymus Rodriquez *in compend. priu leg. reſol 128. num. 3.* Et probant ex verbis Clementinæ Dudum, & Clementis IV. & Sixti IV. in Compendio *loc. cit.* §. 10. quia conceſſa libera ſepultura, conſequenter cenſetur conceſſum iter ad funus capiendum, vt colligitur ex *cap. In noſtra, de ſepulturis.*

Rodriq. Syu.

Alij contendunt, nihil tale Religioſis eſſe ibi conceſſum, quia hoc priuilegium eſt contra ius tertii, ſcilicet Parochorum, quod, vt docet Innocentius *tit. de ſepulturis n. 5.* & communiter Doctores, eſt ſtrictè interpretandum *ex cap. Mandatum, de reſcriptis, cap. Super eo, de offic. delegat. & cap. In ſingulis, de ſtatu Monachor.* Et huic ſententiæ fauere videtur Clemens V. in dicta Clementina his verbis, *quod omnes recipere valeant*: innuens ſolam receptionem eis eſſe conceſſam. Eodem verbo, *recipere*, vſi ſunt Clemens IV. & Sixtus IV. vt videre eſt apud Rodriquez *ſupra*, & Compendium priuilegior. *locis citatis.* Ita Trullench *tom. 3. tractat. de iure Parochi cap. 9. dub. 1. n. 3.* Fuſcus *de viſitat. Eccleſiæ l. 1. c. 25. n. 8.* Trullench

Nec huic ſententiæ obſtat priuilegium Sixti IV. qui Religioſis concedit, vt *nullus ſuper hoc petita licentia poſſit cum Cruce proceſſionaliter ingredi Parochias, in quibus fuerunt corpora defunctorum, ac corpora ipſa ad earum Eccleſias ſepelienda deferre, vbi hoc fieri conſuetum foret: vel quando Presbyteri Parochiales requiſiti requiſiti id facere recuſauerint.* Quia hoc priuilegium reuocatum eſt à Leone X. in Concilio Lateranenſi, vt habetur in Compendio priuileg. *verb. Sepultura* §. 18. vbi ſtatuit, quòd *Fratres quorumlibet Ordinum non poſſint intrare Parochias cum Cruce, ad leuanda corpora defunctorum, qui apud Eccleſias Domorum eorundem Fratrum ſuam elegerint ſepulturã: niſi prius præmonito, & requiſito non, ac recuſante Parochiali Presbytero, & tunc ſine illius, ac Ordinarij præiudicio. Niſi eiſdem Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſeruantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur.*

Vrgente tamen Rodriquez & alij *ſuprà*, priuilegia Regularium, quæ reuocata fuerunt in Concilio Lateranenſi a Leone X. poſtea fuiſſe in priſtinum ſtatum reſtituta etiam in foro exteriori per aliqua Summorum Pontificum decreta, exceptis his, quæ decretis Sacri Concilii Tridentini non ſunt contraria, quale non eſt hoc: Reſpondent Auctores contrarii, priuilegia Maris magni quoad hoc eſſe reuocata, & redacta ad terminos iuris communis per Gregorium XIII. in ſua conſtitutione,

quæ

quæ incipit, *In tanta negotiorum mole*, anno 1572. & habetur in Bullario. Et ſic ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis, vt in aliena parochia nullus manum immittat, *cap. Scriptum eſt 6. q. 3.* Hæc ſunt fundamenta huius controuerſiæ ex parte vtriuſque ſententiæ.

Proinde Fratres attendere debent conſuetudinem locorum, ſeu Prouinciæ vbi degunt, & illi ſtare, ne litigio inuoluantur cum magno ſæcularium ſcandalo, vt ſtatuit Leo X. & expreſsè declarauit Sixtus V. vnicuique enim ſuum ius manere debet.

Non poteſt pater filio impuberi eligere ſepulturam de iure, & ratione patriæ poteſtatis, ſed tantum ratione conſuetudinis, vbi eſt, vt declarat Bonifacius VIII *in cap. licet, de ſepultur. in 6.* Ratio eſt, quia ius commune determinat ſepulturam pro vnoquoque, vt nimirum debeat quiſque ſepeliri aut in ſepulchro maiorum ſuorum, aut in Eccleſia parochiali. Et inſuper concedit vnicuique, qui eſt capax electionis, quòd poſſit ſibi eligere ſepulturam; vnde non remanet aliqua poteſtas eligendi, præter conceſſam à iure; quæ cùm ſit perſonalis, & ijs tantùm competat, qui ſunt capaces talis electionis, non ſubſtituitur ratione incapacitatis alius: & proinde nec pater pro filio, quando filius eſt incapax.

Vnde ſolùm reſtat quòd conſuetudo prævalens contra ius commune det patri facultatem eligendi ſepulturam pro filio impuberi, vt notant Archidiac. Gemin. Ioannes Andræas & alii *in dict. cap. licet.* Nauar. *conſil. 2. de ſepultur.* Bonac. *de contract. diſp. 3. q. 21. punct. 3. num. 8.* Trullench *loca citata, dub. 5. num. 5.* contra Mulinam, & Rodriquez, qui putant poſſe patrem filio impuberi eligere ſepulturam de iure, ratione patriæ poteſtatis. Nauar. Trullench

Notandum tamen eſt, in caſu quo pater filio impuberi eligat ſepulturam, quod hæc electio facta à patre non ſe extendit ad tempus quando filius pubes moritur. Ratio eſt, quia electio ſepulturæ, eſt actus vltimæ voluntatis, & valet quatenus per ipſam rata habetur; vltima autem voluntas filii, quando pubes moritur, ſicut non eſt voluntas impuberis, ſed puberis, ita de ſe debet eligere ſepulturam: nec conſuetudo, qua poteſt pater eligere, ſe extendit ad illud tempus; vnde electio facta à patre, cùm ſit facta pro tempore, in quo filius non poteſt eligere ſepulturam, ceſſat quando filius poteſt eligere. Ita Nauarrus *lib. 3. conſil. 1. de ſepultur.* Petrus de Vbald. *de canon. Epiſcop. cap. 11.* Lauotius *tom. 1. variar. lucubr. ſu. 2. cap. 11. numer. 116.* & alii.

8. Dubium eſt, an mater poſſit filio impuberi eligere ſepulturam? Videtur quod non, quia *ex cap. licet de ſepultur. in 6.* hoc pertinet ad patrem ratione conſuetudinis, hæc autem conſuetudo cùm ſit contra ius, quod diſponit vnumquemque debere ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, aut in Eccleſia parochiali, vt habetur *in cap. de ſepultur.* non debet extendi ad matrem: præſertim cùm agatur de præiudicio tertij, nempe Eccleſiæ, in qua de iure filius ſepeliri deberet. Propter has rationes nonnulli arbitrantur matrem non poſſe filio impuberi eligere ſepulturam. Ita Riccius *in praxi rerum quotidianar. deciſ. 666.* Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. cap. 16. nu. 4.* & alij. Nihiſominus ex communiori, atque tenenda ſententia dicendum eſt hoc etiam matrem poſſe. Quia, ſi pater ratione conſuetudinis poteſt eligere filio impuberi ſepulturam, poteſt etiam mater, quia militat etiam in ipſa ius cõſuetudinis, tanquam in illa, cui incumbit cura filiorum impuberum. Tum quia huiuſmodi conſuetudo non eſt contra ius; cùm nullum ius prohibeat, quòd quis eligat pro eo, qui non poteſt eligere: ſed eſt approbata à iure, imò eſt declaratiua iuris, quod vnicuique concedit electionem ſepulturæ: declarat enim quòd hæc conceſſio ſit generalis, etiam pro iis, qui non poſſunt facere talem electionem: & proinde ſuccedunt in hoc ius ij, ad quos ſpectat cura illorum, qui non poſſunt eligere. Tum quia conſuetudo eſt quòd mater gerat curam filiorum impuberũ, & in hoc ſit conſocia mariti: Ergo ſi eligat ſepulturam filio, valida erit electio, tanquam actus ſpecialis curæ maternæ, reſpectu filiorum: habet enim ius ad huiuſmodi curam; & proinde etiam ad actus, qui ſunt partes talis curæ, electio autem ſepulturæ eſt pars talis curæ: Ergo. Ita tradunt Innocentius, Geminianus, Francus *in dict. cap. licet de ſepultur. in 6.* Layman *libro tertio, ſectione quinta, tractatu, capite duodecimo, numero quinto.* Molina *de iuſtit. & iur. tract. 2. diſput 214.* Armilla *ver. Sepultura nu. 8* Syluester *ibi q. 7.* Emanuel Sa *ibid. n. 11. verſ. Impuberi filio*, & alii. Layman. Molina. Armilla. Syluest. Eman. Sa.

9. Probabiles eſt, affines, & conſanguineos, qui ſuccedunt patri in cura impuberum, poſſe eligere ſepulturam affinibus, & conſanguineis impuberibus, non autem aliis. Ratio prioris eſt, quia talis ſucceſſio in cura ipſorum dat ipſis ius ad ea exercenda, quæ pertinent ad ipſorum curam; vnde etiam transfert ad ipſos ius, quod conuenit patri ratione conſuetudinis, in eligenda ſepultura pro impubere. Ratio poſterioris eſt, quia non conuenit eis fundamentum, nec ſtant loco patris, ita vt concedantur ipſis, quæ patri conceduntur ratione curæ filiorum. Ita Gloſſa *in cap. licet, de ſepultur. in 6. verb. vel in Parochiali.* Vbi Francus *n. 3.* Gratianus *tom. 1. Diſceptat. Foren. c. 94 n. 80.* Paſqualigus *in deciſian. moralib. deciſ. 394.* & alij. Quamuis multi contrarium ſentiant, vt Syluester *verb. Sepultura q. 4.* Belletus *p. 1. diſquiſit. cleric. § 3. de clerico debit. nu. 18.* quem ſequitur Diana *p. 5. tra. 3. reſol. 108. verſ. Notandum.* Qui auctores etiam negant tutorem poſſe eligere ſepulturam pupillo impuberi: ſed contrarium eſt etiam probabile: quia tutor eſt loco patris, & ſuccedit in ius patris in ordine ad curam pupilli, & proinde officium patris tranſit ad tutorem, & proinde ius eligendi ſepulturam tranſit etiam ad tutorem; quia ſubrogatur in locum patris, & ideò ſapit naturam patris, & debet tenere locum ipſius. Ita Paſqualigus *loc. cit. deciſ. 395.* Gloſſ. Francus. Gratian. Paſqual. Sylu. Belletus. Hurtad. Paſqual.

10. Qui moritur abſque electione ſepulturæ, debet ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, vel in Eccleſia Parochiali, vt deſumitur *ex c. 1. de ſepultur. Et ex cap. 1. qui, de ſepultur. in 6.* Sed quæritur, an ij, ad quos ſpectat cura funeris, poſſint eligere, vel ſepulchrum maiorum, vel Eccleſiam Parochialem? Reſpond. non dari electionem, ſed defunctum debere ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum ſi adſit, & in defectu ipſius apud Eccleſiam Parochialem. Quia textus priùs ponit ſepulchrum maiorum, & poſtea Eccleſiam Parochialem. Tum quia Eccleſia, in qua eſt ſepulchrum maiorum, ſtante dicto *cap. 1. de ſepult.* acquirit ius ad ſepulturam, quoties quis illam alibi non eligit: & ideò non poteſt priuari per nouam electionem Parochialis tali iure. Ita tradunt Ioannes Andræas *in cap. licet, de ſepultur. in 6.* Geminianus *ibidem*, Syluester *verb. Sepultura q. 2.* & alii. Io. Andr. Gemin. Syluest.

Sed difficultas eſt, quodnam ſit dicendum ſepulchrum maiorum? Plurimi arbitrantur illud eſſe, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt. Ita Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi cap. 26. num. 31.* Villalobos *p. 2. Summ. tra. 31 diffic. 2. n. 4.* Diana *p. 5 tr. 3. reſol. 108.* quia textus loquuntur de maioribus in plurali. Barboſ. Villalob. Diana.

Alij tenent illud eſſe ſepulchrum maiorum, in quo ſepultus eſt pater, etiamſi ſolus ibi ſepultus ſit. Quia ſepultura inter mortuos comparatur domicilio inter viuos, filius autem ſequitur domicilium parentum, & nõ aliorum aſcendentium, *l. aſſumptio, ff. ad municip. Cap. Fraternitatem de ſepultur.* Hæc ſententia in praxi ſeruatur, quando pater eſt ſepultus in illo ſepulchro, quod ipſe elegit ſibi, & ſuis & deſcendentibus. Quia tunc illud ſepulchrum fit ſepulchrum familiæ, & omnes de familia acquirunt ius ad ipſum. Si autem pater ex accidenti, & non ex intentione ſtabiliendi ſepulchrum familiæ, ſepeliatur in aliquo loco, tunc filius debet ſepeliri in ſepulchro anteceſſorum; quia ſepulchrum patris eſt aduentitium, nec tranſit ad familiã, ita vt poſſit dici ſepulchrum proprium illius, aut ſepulchrũ maiorum. Ita Rodriquez ex parte *tom. 4. Summa c. 130. n. 12. in fine*, ſe retractans de eo, quod olim ſcripſerat *t. 3. qq. reg. q. 58. ar. 8.* Hieronymus Rodriquez *in compend. reſol. 128. nu. 28.* Paſqualigus *loco citato deciſ. 402.* & alij apud ipſus. Rodr. Hie. Rod. Paſqual.

11. Electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, aut per duos teſtes conteſtes, vel etiam ſingulares: nam teſtes ſingulares in tempore probant, quando tempus non eſt de ſubſtantia, ſicut etiam ad proban-

Digitized by Google

bandum aliquid in genere admittuntur teſtes ſingulares. Tum quia electio ſepulturæ eſt pars vltimæ voluntatis. Pro ipſa autem probanda ſufficiunt teſtes ſingulares: quia in eo quod principaliter probant, euadunt conteſtes: nam licet ſint ſingulares reſpectu exterioris manifeſtationis, qua eligens ſuam manifeſtauit voluntatem, ſunt tamen conteſtes in probanda voluntate exteriùs manifeſtatam; quam vt conteſtes probant tanquam habentem tractum ſucceſſiuum, & pluries manifeſtatam. Ita Barboſa *in cap. cum ſuper, n. 2. de ſepulturis*, Diana *p. 5. tr. 3. reſ.* 106. Iulius Lauorius *tom. 1. variar. lucubrat. tit. 2. c. 11. numer.* 18. Bonacina *de contract. diſputat. 3. quæſtione* 21. *punct.* 3. *nu.* 10. & communis.

Barbol. Diana. Lauor. Bonac.

Imò alectio ſepulturæ probatur per codicillum inualidum, aut ſcripturam manu propria ſubſcriptam: quia in foro conſcientiæ ſufficit, ſi quomodocumque innoteſceat voluntas teſtatoris, ſeu vltima voluntas morientis. Vnde cum electio ſepulturæ ſit pars vltimæ voluntatis, ſiue innoteſcat per codicillum inualidum quidem quoad ius ciuile, validum tamen quoad ius canonicum in ordine ad pias cauſa, ſiue per ſcripturam manu propria ſubſcriptam, quoad vtrumque forum valida erit electio. Tũ quia ſubſcriptio ſe habet veluti teſtimonium declaratiuum mentis propriæ, vnde habet etiam eandem vim, quam haberet locutio. Ita Lauorius *loco citato*, quem ſequi videtur Diana *loco citat. reſol.* 106. Imò nonnullis in locis ſufficit dictum confeſſarij ad probandam electionem ſepulturæ. Quia quando moribundus communicauit confeſſario ſuam voluntatem quoad electionem ſepulturæ, & confeſſarius de tali electione teſtatur, non ſe habet vt purus teſtis, ſed vt executor voluntatis à defuncto ſibi commiſſæ, & ob hanc cauſam ſtandum eſt dicto ipſius; quod alioquin, vtpote ſingulare, non faceret plenam fidem. Ita tradunt Molfeſius *in Summ. tom. 2. tract.* 13. *cap. 8. num.* 32. Diana *loco citato reſol.* 106. & ita practicari apud Curiam Epiſcopalem Neapolitanam ex ex decreto Concil. Prouincialis teſtatur Lauorius *loc. cit. n. 20. in fine.*

Lauor. Diana. Molfeſius. Diana. Lauor.

12. Peregrinus moriens extra propriam Parochiam transferendus eſt ad propriam, ſeu ad ſepulcbrum maiorum ſuorum, ſi habeat, & commodè poſſit, alioquin ſepeliri poteſt in Eccleſia Cathedrali, vel Parochiali in qua decedit, præſertim ſi in ea Parochia Sacramenta ſuſcepit: nam Parocho, cui cõpetit ius conferend. Sacramenta, competere etiam videtur ius exercendi officium ſepulturæ in ſua Eccleſia erga illum, cui Sacramenta miniſtrauit. Hoc autem intellige, niſi hoc peregrinus, ſeu viator præmoriens elegerit ſepulturam; nam tunc eo eſt deportandus. Ita Riccius *in praxi de ſepultur. reſol.* 560. Et ita in viatoribus Rota per Cardinalem Seraphinum in vna Hiſpalen. 9. Iulij 1595. coràm eodem.

Riccius. Rota.

Ab hac tamen regula excipiuntur religioſi, qui ſepeliendi ſunt in propriis monaſteriis, *cap. vlt. de ſepult. in* 6 etiamſi extra clauſtra decedant, & tunc et iam inconſultis Parochis; niſi ſint ita remoti a propriis monaſteriis, vt commodè portari nequeant: quia tunc poſſunt eligere ſepulturam: ſi verò in hoc caſu non elegerint, ſepeliendi erunt in Eccleſia Parochiali, in qua deceſſerunt inſtar ſæcularium in itinere morientium. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 14. num. 3. & 4.* Trullench *tract. de iur. Parochi cap. 9. dub. 4. num* 8. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi c.* 26. *num* 30. *& num.* 68. & alij penes ipſos citati. Quibus addo Dianam *p. 5. tr. 3. reſol.* 110. Lezanam *par. 1. q. regul. c. 9. num.* 10.

Sanch. Trullenc. Barbol. Dian. Lezana.

Sed petes, ſi in illo loco ſit aliud monaſterium ſui Ordinis, an adhuc poſſit religioſus eligere ſepulturam? Reſpond. vel talis religioſus ſtat ſub obedientia Prælati illius Monaſterii, vel non ſtat. Si ſtat ſub illius obedientia, ita vt ipſum agnoſcat pro Superiore, quamuis ibi ſit per modum hoſpitis, non poteſt eligere ſepulturam: quia valet ratio *cap. final. de ſepult. in* 6. quòd non habeat velle, aut nolle.

At ſi non ſit ſubditus Prælato illius Monaſterii, habet libertatem eligendi ſibi ſepulturam: quia tunc res eodem pacto ſe habet, ac ſi ibi nullum adeſſet Monaſterium; quia ſicuti non ſubditur Prælato Monaſterij, nec in ipſum habet ius, ita nec Prælatus habet ius ſupra ipſum; & proinde talis religioſus habet proprium velle, ac nolle in Ordine ad diſponendum de ſe, & de ſua ſepultura. Quod tamen limitandum eſt, niſi Conſtitutiones Religionis, aut conſuetudo, quæ haberet vim legis, aliter ſtatuerent: tunc enim ſtandum eſſet conſtitutionibus, & conſuetudini; modo conſtitutiones ſint ex certa ſcientia à Pontifice confirmatæ: quia alias non poteſt Conſtitutio Religionis non confirmata a Pontifice præualere contra diſpoſitionem iuris communis, *cap. final. de ſepult. in* 6. quod concedit, quando corpus religioſi defuncti non poteſt commode deferri ad proprium Monaſterium, electionem ſepulturæ. Ita Paſqualigus *in deciſionibus moral. deciſ.* 383.

Paſqual.

13. Quidam negant Prælato locali Religionis facultatem eligendi ſibi ſepulturam, & ſolùm concedunt ſupremo Religionis Prælato, qui eſt Generalis. Ratio illorum eſt, quia hi Prælati ſubduntur Generali nec habent velle, aut nolle; & ideò militat in eis ratio, ob quam *in cap. final. de ſepult. in* 6. declaratur non poſſe Religioſos ſibi eligere ſepulturam. Ita Syluester *verb. Sepultura, q.* 6. Armilla *ibidem num.* 6. Layman *l. 3. ſect. 5. tr. 5. c. 12. n.* 7. Probabilius tamen eſt poſſe: quia licet Prælatus localis ſubdatur Generali, adhuc nihilominus in multis habet velle, & nolle, vt in iis, quę pertinent ad locale regimen; & ideò poteſt de multis diſponere. Ex quo fit quòd non ſolum poteſt eligere ſepulturam in Monaſteria Ordinis, ſed etiam extra: quia facultas eligendi ſepulturam non ſe extendit ad hæc, vel illa loca, ſed ad omnia, in quibus locum habet Eccleſiaſtica ſepultura: vnde ſi ſemel alicui conuenit, debet conuenire in Ordine ad omnia abſolutè, abſque vlla reſtrictione. Ita ſuſtinent Panormitanus *in cap. De vxore, num. 5. de ſepultur.* Francus *in dict. cap. final. de ſepult. in 6. num.* 2. Rodriquez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 6. art.* 1. Hieronymus Rodriquez *in compend. reſol.* 128. *num.* 16. Sanch. *lib. 6. moral. cap. 14. n.* 7. Lezana *part. 1. quæſt. reg. cap. 9. nu.* 30. & alij.

Syluester. Armill. Laym. Panorm. Francus. Rodriq. Hie. Rodr. Sanch. Lezana.

Aduertendum tamen eſt *Primò*, quod ſi talis Prælatus localis eligeret ſepulturam, & poſtea decederet finita prelatura, non eſſet ſepeliendus in loco electo, ſed in ſuo Monaſterio: quia inſpicitur tempus mortis ad habilitatem eligendæ ſepulturæ diſcernendam: at tempore mortis non erat ille Prælatus, vt notant *Rodriquez, & Sanchez nu.* 8. & vltima voluntas ipſius non eſt in ſtatu, vt poſſit eligere ſepulturam, atque adeo nec electam approbare: Limita, niſi Prælatus Monaſterii ratam habeat illam electionem; quia tunc cenſetur de nouo ipſe eligere ſepulturam, quod facere poteſt, iuxta Rodriquez *loco citato*, licet contradicat Sanchez *loco cit. n.* 6.

Secundò, quòd regularis, qui præeſt Prioratu immanuali non ſubiecto immediatè Generali, non poſſit ſibi eligere ſepulturam. Quia qui præeſt huiuſmodi Prioratui, eſt religioſus illius Monaſterij, cui eſt annexus Prioratus, & ideò ſubiicitur Prælato locali illius Monaſterij: Hinc velle, & nolle talis Prioris eſt coniunctum cum velle, & nolle Prælati Monaſterii principalis tanquam capitis vtriuſque Monaſterii: vnde eſt eadem ratio de ipſo, ac de cæteris religioſis ſubditis, qui non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. Ita inſinuant Sanchez *loco cit. n.* 9. Rodriq. vterque *locis citatis*, Francus *in cap. final. n. 2. de ſepult. in* 6. & docet Paſqualigus *deciſ.* 388.

Sanch. Rodriq. Francus. Paſqual.

14. De iure communi vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam, vt decernitur *in cap. De vxore, de ſepultur.* Et reddit rationem textus: quia electio ſepulturæ pertinet ad eum ſtatum, in quo vxor ſoluitur à lege viri. Si tamen ſepulcbrum non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri: at ſi detur caſus vt mulier duos, vel plures viros habuerit, ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri, *ex cap. is, qui, §. mulier de ſepult. in* 6. vbi dicitur, *Mulier autem quæ plures viros habuit ſucceſſiuè, ſi ſepulturam non eligat, eſt cum viro vltimo, cuius domicilium retinet, & honorem, tumulanda.* Ex quo ſequitur vxorem, quæ in aliena Parochia mortua, & ſepulturam non elegit, transferendam eſſe ad tumulum ſui viri. Ita ex communi Molfeſius *in Sum. tom. 2. tr. 13. c. 8. n.* 22. Diana *p. 5. tract. 3. reſol.* 108.

Molfeſius. Dian.

15. Heretici ſunt priuati Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi non

Digitized by Google

ſi non ſint nominatim denuntiati. Debet tamen maniſeſtè conſtare de ipſorum hæreſi, & ita notoriè vt hæretici decedere, vt nulla tergiuerſatione eorum malitia celari poſſit. Et hoc ſpecialiter cautum eſt in hæreticis propter criminis enormitatem, *cap. ſicut, de hæret. in fine*. Et *c. Excommunicamus el 1. §. credentes, de hæreticis*, extenditur ad hæreticorum fautores, & defenſores. Aliàs priuari non debent ſepultura. Quòd ſi quis non obſtante hac notoreitate ſepelire illos præſumpſerit, excommunicationem incurrit, *cap. Quicumque, de hæreticis in 6.* & ibi *Gloſ.* & ſuſpectus de hæreſi redditur. Ita Caſtrus Palans *tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 4.* Filliucius *tr. 22. c. 7. num. 229.* Trullench *in decal. l. 1. cap. 3. dub. 14.* Quamuis Henriq. exiſtimet *lib. 13. de excomm. c. 11. n. 2. lit. P.* requiri vt ſint denuntiati ſaltem de hæreſi. Cui ſubſcribit Bonacina *t. 3. diſp. 2. q. 2. p. 30. n. 4.*

Palans. Filliuc. Trullenc. Henriq. Bonac.

Obſeruat tamen Baldellus in Theolog. moral. *to. 2. li. 1. diſp. 24. n. 1.* quòd in locis, in quibus hæreſes impunè graſſantur, vt in Anglia, & Germania, &c. non peccant Catholici, qui hæreticorum funus comitantur, eoſque ad ſepulturam deducunt, quando ſepeliuntur more hæreticorum. Ratio eſt, quia hæ communicationes, cùm ſint in rebus licitis, licitæ omnino ſunt quantum eſt ex rei natura; neque fiunt, illicitæ ratione excommunicationis, cùm hæc non operetur obligationem vitandi, etiam in diuinis, niſi ſequuta denuntiatione. Hoc tamen non procedit quando ſepultura fit in loco ſacro: quia licet excommunicatus qui non eſt denunciatus, non ſit vitandus in ſepultura, aut in funere, quando eſt mortuus, ſicut nec fuit vitandus ſiue in diuinis, ſiue in humanis, cùm eſſet viuus ex *c. de ſepultur. & cap. Ad hæc, de priuil.* tamen vitandus omnino eſt, quando funus, & ſepultura fit in Eccleſia, aut loco ſacro, non quia hæc obligio inducatur per excommunicatione non denuntiatam à iudice, ſed quia inducitur ex ipſa rei natura, ex qua malitiam contrahunt, & digni ſunt morte, non ſolùm qui mala faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, ex D. Paulo *ad Romanos 1.*

16. Quamuis occidentes ſeipſos ſcienter, & ex induſtria priuandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura, *ex cap. placuit, 23. quæſt. 5.* vbi dicitur, *Placuit, vt qui ſibi ipſis voluntariè, aut per ferreum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentiam inferunt mortem, nulla prorſus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur.* Hac tamen pœna non eſt plectendus ille, qui ſe præcipitem dedit, non vt ſe interficeret, ſed quia malum ipſi impendens aliter euitare non potuit, vt ſi mulier ſe è feneſtra proiiciat, vt fugiat volentes eam violare, vel ne in manus inimicorum incideret, &c. Item ſi aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo ſuſpenſus, non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, quia vbi non conſtat, quod ſeipſum interfecerit, vel præcipitauerit, non eſt id præſumendum, cùm potuerit per inſidias, aut vim in puteum proiici, vel ſuſpendi, aut ex furore, ſeu mentis alienatione feciſſe. Secus dicendum ſi inueniretur ſuſpenſus laqueo in cubiculo, ianuis intus clauſis, cum quo nemo morabatur, tunc magna, & vehemens adeſſet præſumptio, & coniectura non ab alio, ſed à ſeipſo occiſum fuiſſe, & ſic priuandus eſſet Eccleſiaſtica ſepultura, vt docet Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. Neapolit. cap. 61. num 20.* Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi c. 26. numer. 49.* Trullench *tract. de iur. Parochi c. 9. dub. 7. n. 10.* Diana *p. 9. tr. 8. reſol. 1. in fine.* In caſu tamen quo non conſtet, an ſeipſum occiderit, ſepeliendus eſſet in loco ſacro. Quia in dubio præſumendum eſt minus delictum, nec quis præſumitur voluiſſe violentas manus in ſeipſum conicere, cùm vnique à natura datum ſit, vt ſeipſum tueatur, & ſeruet. Alias ſi talis priuaretur Eccleſiaſtica ſepultura, fieri poſſet, vt innocens puniretur, qui forſan ab alio fuit occiſus. Ita Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 21. punct. 2. nu. 2. verſ. Si tamen*, vbi citat *Marianum Socinum, Couarruuiam, Gratianum, Lauorium*, & alios.

Genuenſis Barbot. Trullench Diana.

Bonac. Socinus. Couar. Gratian. Lauorius.

17. Religioſus inuentus mortuus cum burſa denariorũ non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſtica ſepultura. Ratio eſt, quia iura nõ priuant officio Altaris talem religioſum viuentem cum peculio, niſi quando priùs monitus noluit dimittere; ergo ſic mortuum non priuabunt ſepultura Eccleſiaſtica. Tum quia talis mortuus poterat ſe purgare, quod ſcilicet denarij eſſent amici ſui conſanguinei, vel ſibi depoſiti vel concrediti vt alteri deferret loco eleemoſynæ, vel reſtitutionis, vel quod ex obliuione aut negligentia inibi remanſerint. Adde, quod quando religioſus eſt Sacerdos ob dignitatis excellentiam caute, & cum magna circumſpectione procedendum eſt, prius quàm Eccleſiaſtica ſepultura priuetur licet enim præſumatur in peccato deceſſiſſe, adhuc tamen in facto omninò occulto non eſt illa priuandus, nam ſi viuus cum tali pecunia occultè inuentus non poteſt publicè puniri, neque diffamari, à fortiori, nec mortuum licebit tam graui pœna ac publica puniri, quia non poteſt ſe purgare. Ita Rodriguez *tom. 4. Summ. c. 131. circa fin.* Vbi ſe retractat de oppoſito, quod ſenſerat *tom. 3. qq. reg. quæſt. 61. a. 1. ad finem*, Portel *in dub. regul. verb. Sepultura, n. 11.* Diana *p. 4. tractat. 4. reſol. 23.* Villalobos *in Summ tom. 2. tract. 31. difficult. 4. n. 6.* Trullench *loco citato dub. 7. num. 8.* & alij, apud quos plura de ſepultura.

Rodriq. Portel. Diana. Villalob Trullench

An autem prędicta doctrina locum habeat in Fratre Minorita, cui ſtrictiùs in ſua regula denarij ſeu pecunia prohibentur? Reſpondent Rodriguez, Portel & Hieronymus Rodriguez *in compend. priuileg. reſol. 128. num. 29.* affirmatiuè, ſi ſatis probabiles circumſtantiæ, & indicia adſit ad credendum, pecuniam eſſe alienam, vel creditam ad erogandam vel reſtituendam: quia, cùm tunc non peccauerit in rigore, quia pecunia non erat ſua, non eſt cur ſepultura Eccleſiaſtica priuandus ſit.

Rodr. Portel. Hier. Rodr

18. Meretrix, quæ inuenta eſt mortua, & vulneribus plena in domo ſui amici eodem die ſtatim poſt factam Sacramentalem Confeſſionem, & Sacræ communionis refectionem in Paſchate, non debet priuari Eccleſiaſtica ſepultura, licet de eius contritione non conſtet. Ratio eſt, quia omnis, qui confeſſus eſt ſemel in anno, & communicauit in Paſchate, ſepeliendus eſt in loco ſacro, niſi conſtet eum in peccato mortali fuiſſe mortuum, vt tradunt communiter Doctores. At in hoc caſu non conſtat eam in peccato mortali fuiſſe mortuam, cùm non conſtet de mente, qua illam amicus eius duxit in domum ſuam; licet enim veriſimiliter credi poſſet illam duxiſſe ad meretricandum, ſi eam non occidiſſet; quia tamen occidit, veriſimilius credi poteſt deduxiſſe illam ad ſumendam vindictam de aliqua iniuria, quam ſibi irrogatam ab ipſamet fuiſſe putabat. Deinde præſumendum eſt, poſito quò fornicandi animo intraſſet domum, illam priùs monitam eſſe ab occiſore, vt de peccatis doleret, ipſamque imminente morte contritionem, & ad meliorem frugem rediſſe. Ita Nauarrus *lib. 3. conſil. 4. de ſepultur. & conſil. 16.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. q. 61. artic. 2.* Portel in ſimili *verb. ſepultura n. 1. in dub. regul.* Villalob. *part. 2. Summ. tractat. 31. diffic. 3. n. 10.*

Nauar. Rodrid. Portel. Villalob.

19. Contra exenterantes vel in fruſta concidentes corpora mortuorum, aut in aquis coquentes, vt carnem ab oſſibus euellant, vel alibi tumulanda ferant, eſt excommunicatio lata in Extrauagan. *Deteſtan. de ſepulturis*, cuius abſolutio Papæ reſeruatur. Ita Syluеſter *verb. excommunicatio 7. num. 79.* Hæc tamen excommunicatio non habet locum in cadauere mortui, quod datur Medicis ad faciendam anatomiam, habita prius licentia à Iudice, ſi corpus eſt alicuius delinquentis puniri. Ratio eſt, quia pœnæ vltra proprios caſus non ſunt extendendæ: Et extrauagans dicta ſolùm loquitur caſu quo exenterantur & in fruſta conciduntur corpora mortuorum, eo fine vt alibi ſepeliantur. Tum quia Repub. intereſt, vt fiant anatomiæ, ad faciliùs cognoſcendam infirmitatum radices, quibus homines replentur vt illis cognitis faciliùs medicamina ſalutifera applicentur, quod commune bonum non debet impediri ex leuiſſimo præiudicio, quod dictis corporibus ex tali exenteratione prouenit.

Vnde Carolus V. Imperator anno 1550. requiſiuit votum Vniuerſitatis Salmaticenſis, an hoc licitum eſſet, & reſpondit Vniuerſitas quòd ſic, vt teſtantur Anton. Gomez *de delictis cap. 14. numer. 8.* Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regular. quæſt. 62. artic. 2.* Villalobos *1. par. Summ.*

Gomez. Rodr. Villalob.

Summ.tract.17.diffic.25.nu.7. qui nouiſſimus addit cum Caietano dictam cenſuram non comprehendere exenterantes cadauera Principum, & Nobiliſſimorum virorum, ſeu procerum, vt à corruptione præſeruentur, nec eos, qui transſecunt corpora apud Infideles exiſtentia ad terras fidelium. Proinde materia huius excommunicationis ſunt actiones in iſta Extrauaganti expreſſæ, & prohibitæ, quarum *Prima* eſt exenterare, id eſt, inteſtina, ſeu interiora extrahere, ideò exentera vocantur inteſtina, eo quòd ex intra trahantur. *Secunda* membratim, vel in fruſta corpus defuncti concidere, id eſt, partiri, ſeu dilacerare. *Tertia* coquere, *Quarta*, nudare oſſa. Vt tamen hæc cenſura incurratur, quatuor conditiones requiruntur. *Primò*, præſumptio, quia textus vtitur verbo *præſumpſerit*. *Secundò*, vt iſtæ actiones fiant, vt oſſa aliò ſepelienda deferantur. *Tertiò*, vt fidelis moriatur in terris Catholicorum. *Quartò*, vt iſtæ actiones fiant à fidelibus erga fideles, de his enim loquitur textus. Vnde quælibet prædictarum actionum ſufficit ad incurrendam iuſtam cenſuram, quæ vniuerſalis eſt, & non ſolùm complectitur facientes, verum etiam mandantes: conſulentes verò, aut ratum habentes non comprehenduntur, quia non exprimuntur. Imò ipſum cadauer ſic exenteratum punitur pœna priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ in deteſtationem tanti criminis, poſt Iudicis ſententiam, quia ſupponitur defunctum dediſſe occaſionem, vel conſenſum in tale delictum, dum præcepit ante mortem oſſa ſua deferri in alium locum remotum. Ita Filliucius *tractat.15.cap.4.numer.78. & 79.* poſt Suarez Bonacina *tom.3.diſp.2.q.3.punct.45.* Tolet. *in Sum. lib.1. c.36.num.8.*

Filliuc. Suar. Bonac. Tolet.

20. Corpora defunctorum perpetuæ ſepulturæ tradita non poſſunt exhumari, & transferri de loco ad locum ſine Epiſcopi licentia, vt definitur, *in cap. Corpora Sanctorum, de conſecrat. diſt.1. & l. nemo humanam, Cod. de relig. & ſumptib. funerum*. Secus eſt, quando ſunt depoſita, ſeu ad tempus ſeruata in vna Eccleſia, vt poſtea transferantur ad aliam, vel quando transferuntur de vno loco ad alium eiuſdem Eccleſiæ. Rodriquez *t.3. quæſtionum regul.q.62.art.1.* Ex quo fit, Iudicem laicum abſque licentia Epiſcopi, exhumando corpus defuncti occiſi, frangere immunitatem Eccleſiaſticam, & ideò poſſe excommunicari: quia Iudex laicus nullam in Eccleſia poteſt exercere iuriſdictionem, *ex cap. decet, de immunit. Eccl. in 6.* etiam ſi illa exhumatio fiat, vt conſtet de corpore delicti. Ita Diana *p.9.tr.7.reſol.64.* De hac materia vide Pellizzar. *in man. reg. tr.8. c.5. ſect.4.*

Vide verb. Concubinarius *num.*10. Electio *n.* 6. Interdictum *n.*22. & 23. Parochia *n.*12.

SERVITVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſeruitus, & quotuplex? & primò de ſeruitute perſonali.*
2 *De ſeruitute mixta.*
3 *De ſeruitute merè reali, quæ ſubdiuiditur in Vrbanam, & Ruſticam. Et quid ſint vrbanæ ſeruitutes?*
4 *Quid ſint ruſticæ ſeruitutes?*
5 *Quanto tempore præſcribatur ſeruitus realis?*
6 *Quid requiratur ad vſucapionem ſeruitutis negatiuæ?*
7 *Quomodo vſusfructus, & omnes ſeruitutes reales amittantur?*

1 SEruitus eſt conſtitutio iuris gentium, quâ quis Domino alieno contra naturam ſubiicitur. Et hæc triplex conſtituitur. Vna merè perſonalis, quæ à perſona perſonæ debetur, videlicet ius, quod Dominus habet in ſeruo, ſeu mancipio ſuo: huiuſmodi ius ſeruitutis, nullo tempore vſucapi poteſt; contra verò libertas viginti ann. ſpatio cum bona fide præſcribitur; *Inſtit. tit. de iur. perſonarum, §.2. l. finali, C. de longi temporis præſcr.* Leſſius *lib.2.c.6.n.26.*

2. Altera eſt ſeruitus mixta, quæ à re perſonæ debetur; & eſt triplex hæc ſeruitus, nimirum vſusfructus, vſus & habitatio, cùm hæc à ſubſtantia rei ſiue proprietate ſeparata, legis aut hominis diſpoſitione alicui conſtituuntur: & talis ſeruitus præſcriptione comparatur cum bona fide & titulo 10. ann. inter præſentes, 20. inter abſentes: ſi autem deſit titulus, tempore longiſſimo 30. annorum; *L. finali, C. de long. tit.* Gomez *a. reſ. c.15.* Layman *lib.3. ſect.5. tract.1.c.9.n.1.* Gomez. Layman.

3. Tertia eſt ſeruitus merè realis, quæ rei à re debetur. Et eſt duplex, vrbana & ruſtica: vrbanæ ſeruitutes dicuntur, quæ vrbanis prædijs, id eſt, ædificijs, habitandi gratia conſtructis, & annexis hortis, areis, &c. inhærent: ſubdiuiduntur in affirmatiuas, & negatiuas: affirmatiuæ ſunt, v.g. vt ædium meatum ſtillicidium in ædes vel areã tuam recipiatur, vel tignum in parietem tuum mittatur, vel ex domo mea in domum tuã tranſitus pateat. Negatiuæ ſunt, v.g. ne altiùs ædes tuas tollendo proſpectũ ædibus meis adimas, vel ædificando luminibus officias; item vt feneſtrã in muro tuo aperire tibi non liceat. Enimverò ſeclusa tali ſeruitute, pacto vel per præſcriptionem conſtituta, cuius liberum eſt ædes ſuas altiùs tollere, & in pariete ſuo, non alieno feneſtram facere, niſi certus modus ſtatuto definitus ſit, ne ædes altius tollantur, vel niſi quis ædificare aut feneſtram in muro ſuo aperire velit ſolum ad æmulationem vel deſpectum vicini, Filliuc. *tract.31. c.3.n.78.* Gomez *cit.n.27. & 28.* Laym. *cit.n.2.* Leſſius *cit. n.28. & 29.* Filliuc. Laym. Leſſius.

4. Ruſticæ ſeruitutes dicuntur, quæ ruſticis prædijs inhærent, cuiuſmodi ſunt agri, & prata, item pecorum ſtabula à domibus ſeiuncta: talis ſeruitus eſt, v. gr. vt per agrum tuum tranſire, iumenta vel currus agere liceat: item vt in prato tuo arenam fodere, calcem coquere licitum ſit. Porrò vtraque ſeruitus, id eſt, tum vrbana, tum ruſtica diuidi ſolet in continuam ac diſcontinuam. Continua ſeruitus dicitur, quæ quantùm eſt ex ſe, continuum actum ſiue vſum habet, ſeu reipſa ſeu animi præparatione, vt ſeruitus aquæ ductus, tigni ſuſcipiendi. Diſcontinua verò ſeruitus eſt, cuius vſus per interualla eſt, quia ab hominum actione pendet, v. gr. iter, actus, aquæ hauſtus, arenæ foſſio. Couar. *lib.1. reſ. c.17. num.11.* Layman *cit. num.3.* Couar. Layman.

5. Seruitus realis affirmatiua, tam ruſtica, quam vrbana, ſi continua ſit aut quaſi continua, præſcribitur cum bona fide inter præſentes decennio, inter abſentes 20. annorum ſpatio, neque requiritur titulus; *l. quotiens 1. & 2. ff. de ſeru. rut.* Seruitus verò affirmatiua, ſi diſcontinua ſit, cum titulo præſcribitur tempore ordinario; ſine titulo verò tempore immemoriali, Gomez *cit.n.27.* Syluester *v. præſcript. 2 q.7.d.11.* Gomez. Syueſt.

6. Ad vſucapionem ſeruitutis negatiuæ requiritur, vt Dominum in re ſua aliquid agere volentem bona fide repellam, ex eo tempore comparo ſeruitutis poſſeſſionem, quæ ſi tempore ordinario cum titulo, immemoriali verò ſine titulo continuetur, vſucapio perficitur. Leſſius *cit.n.29.* Molina *tom.1. tract.2.d.14.* Leſſius. Molina.

7. Vſusfructus, & omnes ſeruitutes reales per non vſum amittuntur decennio inter præſentes & 20. annorum ſpatio inter abſentes; *l. penultim. C. de ſeruit.* Eſt autem inprimis diſcrimen obſeruandum inter ſeruitutes vrbanas, & ruſticas, cuiuſmodi ſunt viæ, aquæ ductus, paſtus, &c. quod ruſticæ, ſicuti & vſusfructus, per ſolum non vſum tolluntur, ſiue à te liberantur: at verò vrbanæ non tolluntur per merum non vſum eius, qui ius ſeruitutis habet, ſed inſuper neceſſe eſt, vt Dominus, qui ædificij ſui libertatem vſucapere vult, aliquem actum ſeruituti contrarium bona fide exerceat: ab eo enim tempore præſcriptionis tempus inchoatur. Leſſius *cit.n.30.* Couar. *lib.1. variar.c.17.* Molina *cit. diſp.70.* Syluest. *v. præſcript.1.q.7.§. 11. & alij.* Leſſius. Couar. Molina. Syluest.

Vide *Matrimonium* 7.n.11. & ſeq.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM.

Seruitus, Seruus.

SVMMARIVM.

1 *Seruitutes quædam conſiſtunt in ſolo, & quædam in ſuperficie, & exinde dicuntur ruſtica, vel Vrbana.*
2 *Seruitutes vrbanæ enarrantur.*
3 *Seruitutes ruſticæ tam nominatæ quam innominatæ recenſentur.*
4 *Quomodo acquiratur ius ſeruitutis, quando ex contractu debetur.*
5 *An ſeruitus perſonalis iure gentium inducta ſit.*
6 *An iure gentium, & ciuili captus in bello iuſto, fiat ſeruus capientis? An hoc ius habeat inter Chriſtianos belligerantes locum.*
An capti Chriſtiani in bello iuſto ex parte infidelium maneant illorum ſerui? Refertur duplex ſententia.
7 *Seruitus an acquiratur natiuitate, id eſt, an qui ex ancilla natus eſt, efficiatur ſeruus iure Cæſareo? Et quid dicendum de iure naturali.*
8 *An quis poſſit fieri ſeruus per iuſtam condemnationem?*
Et in quibus caſibus hæc pœna de iure infligatur.
9 *An ſeruitus contrahatur per emptionem, & venditionem?*
Et quæ conditiones requirantur iure Cæſareo, vt venditio libertatis ſit valida.
10 *An iure naturæ licitum ſit parentibus vendere ſuas proles, & quas conditiones ad hoc requirat ius Cæſareum? & an hoc ius ſit apud Chriſtianos receptum.*
11 *An ſerui bello iuſte capti peccent mortaliter fugiendo à Dominis, & tenentur ſeipſos reſtituere, eſto ad ſuos peruenerint?* Refertur duplex ſententia.
12 *Serui, qui à ſe, vel à parentibus ſunt legitimè venditi, vel qui in pœnam iuſte condemnati ſunt in ſeruitutem, an poſſint fugere.*
13 *Quibus in caſibus ſerui fugere licitè poſſint à Dominis.*
14 *An ex contractibus ſeruorum oriatur obligatio naturalis, & ciuilis? Et an illis, vel contra illos detur actio in foro ſæculari.*
15 *An ſerui poſſint licitè, & validè abſque conſenſu Domini matrimonio copulari? Et an grauiter peccet Dominus matrimonium ſerui impediens.*
16 *An liceat Domino ſeruum coniugatum in partes longinquas vendendum mittere.*
17 *An ſeruus ingreſſus Religionem, ſi intra triennium non repetatur a Domino, libertatem præſcribat? Et à quo tempore numerandum ſit illud triennium?* Refertur duplex ſententia.
18 *An profeſſio ſerui ſit valida, ſi intra triennium illud, in quo Dominus poteſt illum reuocare, profiteatur?* Refertur duplex ſententia.

DVo ſunt genera ſeruitutum realium: nam vel ſũt ſeruitutes, quæ conſiſtunt in ſolo, vel in ſuperficie, *l. Seruitutes, ff. de Seruitutibus*. Seruitutes ſoli dicuntur ruſticæ, ſiue ruſticorum prædiorum. Seruitutes ſuperficiei dicuntur vrbanæ, ſiue prædiorum vrbanorum, *l. Seruitutes quæ, ff. de Seruitutib. urban. præd.* Vrbana prædia ſunt ædificia cauſa habitandi conſtructa, ſiue in vicis, vel alio loco extra vrbem, ſiue in vrbe ſint ſita, *l. Vrbana prædia, ff. de verb. ſignificat.*

2. Seruitutes vrbanæ ſunt ſequentes. Seruitus oneris ferendi, tigni immittendi, ſtillicidium, vel flumen auertendi, vel non auertendi: ius altiùs tollendi, vel non tollendi ædificium: ius officiendi luminibus, vel aſpectui alicuius; ſeruitus proiiciendi, vel eiiciendi aquam in aream, vel hortum vicini.

Seruitus oneris ferendi conſiſtit in ſuſtinendo onera vicini, cùm quis, ſcilicet, habet ædes, quæ habent columnam, vel parietem ad onus vicini ferendum. Ille enim cuius ædificium iure ſuperius, poteſt ſupra ſuum ædificium onus imponere, dummodò inferiora ædificia grauiori ſeruitute non oneret, quàm pati debeant, *l. Cuius. ff. de ſeruit. vrbanor. prædior.* & is qui debet ſeruitutem ædificio alicuius, cogitur parietem reſtituere; quia debet talem parietem perpetuum, qualis erat tunc cùm impoſita eſt ſeruitus, *l. Tunc debere. ff. de ſeruit. urban. præd.*

Seruitus tigni immittendi eſt ius quo quis poteſt tignum immittere in parietem vicini: quod alioquin iure communi non liceret, §. *Prædiorum, ff de de ſeruit. urban. præd.* Et cum tigni appellatio latè pateat, hic dumtaxat accipitur pro trabibus, quando alicui ius liberum eſt immittendi trabes ſuas in parietem vicini ſui.

Seruitus auertendi ſtillicidium eſt ius, quo licet alicui ſtillicidium domus ſuæ in domum, vel aream vicini auertere, *l. Prædiorum, ff. de ſeruitut. ruſticor. prædior.* Stillicidium autem dicitur, cùm ex tecto aqua ſtillatim, vel guttatim decidit. Seruitus verò ſtillicidium non auertendi eſt ius, quo vicino non licet facere, quin ſtillicidium ſuum in domum, vel aream vicini defluat, quo is fortè opus habet ad ciſternam ſuam replendam, vel hortum, aut viridarium ſuum irrigandum.

Seruitus altiùs tollendi ædificium, eſt, quando neceſſitas incumbit vicinio altius tollendi ædificium, quia altius ædes ſuas tollere cogitur, ne in domum meam proſpiciatur. Seruitus autem negatiua altiùs non tollendi, ea eſt, per quam prohibetur quis domum ſuam inuito vicino altius tollere, *l. 1. ff. de ſeruit. vrbanor. præd.*

Seruitus affirmatiua luminum ea, qua vicinus ſui vicini lumina excipere iure compellitur, *l. Luminum, ff. de ſeruit. vrbanor. præd.* vnde is, cuius ædibus hæc ſeruitus debetur, poteſt vnam, aut plures feneſtras aperire, per quas lumen in vicini area excipiatur.

Seruitus proſpectus ea eſt, qua quis vicinio claritatem præſtare cogitur aperta feneſtra, vel aliquo foramine.

Seruitus proiiciendi, vel protegendi eſt ius, quo licet alicui ædes ſuas protendere, ſiue exporrigere in mœnianis, ſeu podiis penſibilibus. Protectum dicitur locus in domibus ſurrectus vnde ſpectare licet à protegendo, id eſt, porro tegendo, ſiue tectum obiiciendo, id enim protegere eſt.

Seruitus negatiua ne proſpectui officiatur, eſt ea qua quis prohibetur quidquam facere, quo vicina ædificia ad gratiorem, & liberiorem proſpectum impediuntur, *l. Inter ſeruitutes, ff. de ſeru. vrbanor. præd.* De quibus Syl- Sylu.
ueſter *verb. Seruitus, numer. 1.* Azor. *part. 3. lib. 1. capit. 36.* Molin.
Molina *de iuſtit. tractat. 2. diſputat. 181. numer. 12. & 13.* Leſſiu.
Leſſius *lib. 2. capit. 3. dub. 7 numer. 29. & 30.* & Iuriſperiti *in l. 8. Digeſtorum, titul. 1. 2. 3. 4* qui ſunt de ſeruitutibus.

3. Seruitutes ruſticæ, vel ſunt nominatæ, vel innominatæ. Nomine dicuntur, quæ à iure ſpeciale nomen habent, & ſunt quatuor: Iter, Actus, Via, Aquæductus.

Iter eſt ius eundi, vel ambulandi hominis, non autem iumentum agendi, vel vehiculum, aut plauſtrum trahendi per fundum alicuius, *l. 1. ff. de ſeruit. ruſtic prædior.*

Actus eſt ius eundi, vel ambulandi hominis, agendi iumentum, & vehiculum trahendi, *l. Qui ſella, ff. de ſeruit. ruſtic. prædior.*

Via, eſt ius eundi hominis, iumentum agendi, plauſtrũ ducendi trabem, tignum, vel lapidem trahendi, & rectam haſtam deferendi, modo fructus non lædat is, qui tale ius habet, *l. qui ſellam, ff. de ſeruit ruſtic. prædior. verſ. Qui viam.*

Aquæductus eſt ius aquæ ducendæ per fundum alienũ ad vtilitatem prædij mei ruſtici, *l. 2. ff. de ſeruitut. ruſticor. prædior.* quod ius poteſt conſtitui tum in aqua inuenienda, tum in aqua iam inuenta deducenda, *l. Labeo, ff. de ſeruitut. ruſtic. prædior.*

Ruſticæ ſeruitutes innominatæ dicuntur, quæ nomen habent ab ipſo actu, & ſunt quinque: ius pecoris in fundo alieno paſcendi: Ius appulſus ad aquam, quo mihi licet

pecora

pecora agri mei ad fontem, vel riuum agere: Ius aquæ hauſtus, quo mihi licet aquam acquirere ſeu haurire de fonte, vel puteo vicini: Ius calcis coquendæ, quo licet alicui calcem coquere in fundo vicini ad vtilitatem ſui prædij ruſtici: Ius arenæ ſeu argillæ fodiendæ è fundo vicini; quæ ſeruitutes, eatenus conſtitui poſſunt, quatenus opus ſit ad ruſticum prædium cuius gratia conſtituitur. Hæc omnia habentur *in l. Seruitutes, l. 1. in prædijs, & l. Ergo, ff. de ſeruitutib. ruſtic. prædiorum.*

Hæ ſunt ſeruitutes, quæ à Iuriſperitis commemorari ſolent, quarumque fit mentio in iure: Aduertendum autem eſt, inter vrbanas ſeruitutes annumeratas eſſe, quæ frequentiùs ſolent eſſe vrbanæ; & inter ruſticas, quæ ſolent eſſe ruſticæ. Id verò non tollit, quin pro qualitate prædij, cui prædium aliud ſeruit, quædam ex computatis cum vrbanis, aliquando poſſint eſſe ruſticæ, & quædam ex computatis cum ruſticis, eſſe poſſint vrbanæ.

4. Ius ſeruitutis acquiritur quando ex contractu debetur, duobus modis. *Primò*, per traditionem, nempe quando is, cui eſt promiſſa vel debita ſeruitus titulum habet, & immittitur vel inducitur in fundum, qui ſeruitutem debet. Ratio eſt, quia ius in re regulariter non habetur ante traditionem, eſto quis emat vſumfructum, aut aliquam aliam ſeruitutem in re aliena, ſi tamen nondum ſit ei facta traditio, aut quaſi traditio illius, nondum eſt ſeruitus illa, quam emit; nam ſicut ille nondum habet ius in re, ſed ad rem, ita nondum eſt obligatio in re illa, quæ reſpondeat iuri in re. Ex quo fit, vt tunc ſolùm ſit obligatio perſonalis ex parte eius, qui ſeruitutem illam vendidit, ad eam conſtituendam, traditionem, aut quaſi traditionem ipſius efficiendo, & tamen ſeruitus nondum ſit.

Secundò, ius ſeruitutis acquiritur, quando is, cui debetur ſeruitus, vtitur ſeruitute, ſciente, & patiente Domino prædij, quod ſeruitutem debet, *leg. 3. verſ. Dare, de vſufructu.* Ita ex communi Antonius Gomez *tom. variar. cap. 15. num. 45.* Quid ſi fundus non poſſideatur à vero Domino, ſed à quodam alio; ſufficit, ſi titulum habens à Domino, quod ab illo poſſeſſore mittatur in fundum, vel ſi illo ſciente, & non impediente, vtatur ſeruitute. Dixi, *quando ex contractu habetur.* Nam ſi in vltima voluntate relinquatur, tunc ſtatim ipſo iure acquiritur legatario ſine aliqua traditione, *l. ſi partem, verſ. vltim. ff. Quemadmodum ſeruus amittatur.*

5. Seruitus merè perſonalis naturæ contraria, iure gentium inducta eſt, iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Vlpianus *in l. Manumiſſiones, ff. de iuſtit. & iur.* quia natura neminem fecit ſeruum, ſed non prohibuit ne quis ſeruus eſſet, & ita iure gentium ſunt introductæ ſeruitutes. Notandum tamen eſt, quod quando Vlpianus, Caius, Florentinus, & Iuſtinianus tradiderunt ſeruitutes eſſe iuris gentium, acceperunt ius gentium partim pro iure naturali, partim pro eo, quòd magna pars gentium ſua auctoritate, & voluntate conſtituit. Seruitutem autem, qua quidam alijs ſubiecti, ab eis reguntur, diriguntur, corriguntur, & prohibentur à malis, dixerunt eſſe iuris gentium, hoc eſt, iuris naturalis, quod omnes homines naturalis ratio docuit, & hæc ſeruitus non eſt contra naturam, ſed naturæ conſentanea, vt oſtendit Ariſtot. *lib. 1. Politic. cap. 3.*

At eam ſeruitutem, quæ erat apud Romanos, & pleraſque gentes vſitata, docuerunt eſſe iuris gentium, videlicet eius iuris, quod auctoritas plurimarum gentium in vſum admiſit. Nam bello deuicti capti fiebant capientium ſerui, & mancipia talia, vt in eos Domini haberent vitæ & necis imperium, & non quantum deceret, ſed quantum liberet, in ſeruos poteſtatem exercerent; & hæc eſt ſeruitus, quam veteres illi Iuriſconſulti, & Iuſtinianus Imperator dixerunt eſſe contra naturam, quia reuera erat non naturalis, quia Domini pro arbitrio dominabantur in ſeruos, & ſerui tanquam pecudes parere cogebantur; & ideò poſtea fuit talis ſeruitus Imperatorum Conſtitutionibus correcta, & emendata. Nam Dominis eſt ad empta poteſtas cædendi, vt patet ex

l. 1. ff. de iure perſonar. & inſtitut. de ijs qui ſui, vel alieni iuris ſunt, §. in poteſtate. Hinc ſerui ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captiuos vendere ac per hoc ſeruare nec occidere ſolerent. Qui autem mancipia dicti ſunt, eo quòd ab hoſtibus manu capiebantur. Vnde apud Latinos mancipium dicitur comparatio certi dominij, perpetuumque ius poſſidendi. De his videndus Couarruuias *in cap. peccatum, de regul. iuris in 6. 2. part. relect. § 11. n. 5.* Diana *part. 7. tract. 7. reſolut. 1. & 3.* Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 4. dub. 9.* Gratianus *diſtinct. 54.*

Couar. Diana. Trullench. Leſſius. Gratian.

6. Iure gentium, & ciuili ſeruitus hominis quatuor modis acquiritur. *Primò*, iure belli, id eſt in bello iuſto captus fit ſeruus capientis, vt patet *leg. Hoſtes, ff. de captiuis*, qui titulus fundatur in naturali miſeratione, cùm enim iuſtè occidi poſſent capti, ſeruantur ne occidantur, morte in ſeruitutem commutata. Vnde & ſerui, à ſeruando dicti ſunt, *Inſtit. de perſonar. §. ſerui autem.* Ex quo fit licere omnes infideles, tam nocentes, quàm innocentes in captiuitatem redigere, etiam infantes, vt habet ius gentium, & communis conſuetudo. Ex *leg. Hoſtes ſupra*, quia ſi licet occidere, multò magis redigere in ſeruitutem, quod mitiùs eſt. Licet enim innocentes non peccauerint, tamen ſeruituti poſſunt addici tanquam hoſtilis Reip. membra: accedit quod hac ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in ſuis puniantur, & cùm in his etiam cenſeatur libertas, hac ſpoliari poſſunt. Ita Azor. *part. 3. lib. 2. cap. 7. quæſt. 22.* Leſſius *lib. 2. cap. 5. num. 12.* Couar. *in reg. Peccatum 2. part. § 11. num. 6.* & communis.

Azor. Leſſius.

Hoc ius non habet locum inter Chriſtianos, quando Chriſtiani à Chriſtianis bello iuſto capiuntur; conſuetudo enim præſcripta, atque adeò vſus inter Chriſtianos, vt ſeruituti non ſubiiciantur, propter fidem Baptiſmi, ſed tantùm retineri poſſunt iuſtè, donec redimantur, amiſſis equis, & armis, vt tradunt communiter Theologi in materia de bello, & Couar. *ſupra.* Hoc tamen beneficio non gaudent Apoſtatæ deſertores totius Chriſtianæ Religionis, ſeu fidem abnegantes: tales enim quamuis Euangelium, & Baptiſmum ſuſceperint, non tantùm contra proprium Regem leuauerunt vexillum, ſed etiam contra fidei auctorem, deſerendo omnino Religionem Chriſtianam, fiunt ſerui capientium: nec contrarium legibus Canonicis ſtatum eſt, ſed hoc tantùm, quod infidelibus vendi non poſſint. Quod enim in fauorem fidei conſtitutum eſt, ſuffragari non debet ijs, qui fidem Chriſtianam abiurarent. Ita ex communi Doctorum conſenſu Bannez *in 2. 2. tom. 1. in quæſtion. 40. artic. 1. dub. 12. & tom. 2. tractat. de dominio, quæſtion. 2.* Salon *tractat. de dominio quæſt. 3. artic. 1. poſt concluſ. 4.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 16. punct. 3.* Gaſpar Hurtadus *de iuſtit. diſp. 1. diffic. 21.* Trullench *in decalog. lib. 5. cap. 2. dub. 1. num. 10.* qui nouiſſimus ait, quod iuſtiſſimè Catholicus Rex Philippus III. ann. 1609. & 1610. potuit nouiter ad fidem conuerſos, qui crimen læſæ Maieſtatis, & diuinæ commiſerunt, perpetuò ad triremes damnare, & in captiuitatem derigere, eo quòd noluerunt obedire edicto, quo eis exilium generale ab Hiſpania, in pœnam delicti, præcipiebatur. Vide Azor. *part. 3. lib. 2. capit. 7. quæſtion. 27.*

Salon. Valent. Hurtad. Trullench

Controuerſum eſt, an Chriſtiani, qui in bello iuſto ex parte infidelium contra Chriſtianos, capiuntur, maneant illorum ſerui? Affirmatiuam ſententiam tenent Syueſt. *verb. Furtum quæſt. 6.* Sotus *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 2. artic. 2. poſt concl. 3.* Molin. *de iuſtit. tract. 2. diſp. 33.* quia ius gentium omnibus eſt commune, ac propterea cùm tales iuſtè occidi poſſint, poteſt mors in perpetuam ſeruitutem commutari. Hæc ſententia eſt probabilis. Alij tamen vt probabilius contrarium meritò ſuſtinent, nempe Chriſtianos captos in bello iuſto à Turcis, aut ab alijs infidelibus, non effici illorum ſeruos. Probatur hoc ex *l. Hoſtes, ff. de captiuis*, vbi prohibetur, ne quis hæreticus, vel Iudæus, vel paganus Chriſtianum aliquem habeat mancipium, vel poſſideat, & in *c. Mancip. 2. diſtinct. 54.* & in *cap. Multorũ de Iudæis*, dicitur, *Nulli Iudæo liceat Chriſtianũ mancipiũ in ſuo dominio retinere, ſed ſi qui apud eos inueniũtur, libertati*

Syueſt. Sotus. Molina.

Couarr. Nauar.

eis ſeruetur. Ita Couar, *in reg. peccatum part.* 2. §. 11. *nu.* 5. Nauar. *in man. c.* 17. *n.* 103. Clau. reg. *l.* 9. *c.* 6. *n* 12. Salon. *tr. de domin. q.* 3. *ar.* 1. *poſt concl.* 4. & alij.

Porrò aduertendum eſt eum, qui in bello ex parte ſua iuſto capitur, non contrahere veram ſeruitutem. Quòd ſi vtrinque iuſtitia belli ſit dubia ob probabile ius alterius partis, capti fiunt vtrinque ſerui. Vbi tamen conſtare cœperit, vtri parti faueat iuſtitia, tunc ea pars, quæ iniuſte cepit, debet captum in libertatem ſine pretio reſtituere. Leſſius *l.* 2. *c.* 5. *n.* 12.

7. Secundò ſeruitus acquiritur natiuitate, id eſt, qui ex ancilla natus eſt, ſiue pater ſit liber, ſiue non, ſiue ſit ex matrimonio legitimo, vel ex fornicatione, efficitur ſeruus, quia partus ſequitur ventrem, vt habetur in *l. partum Cod. de rei vendicat.* quia mater eſt certior, & plus confert materiæ corpulentæ, quàm pater, at ſeruitus ſecundùm corpus conuenit: Si tamen mater, vel quando concepit, vel tempore partus, vel intermedio tempore fuit libera, & ſi vel ad momentum, proles iure Cæſareo non contrahit ſeruitutem, vt habetur §. *Sed etſi quis, inſtit. de ingenuis*. Ratio eſt, quia hoc ipſo momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati eſt reſtituta: vnde calamitas matri ſuperueniens, non debet nocere proli libertatem aſſecutæ, præſertim cùm cauſa libertatis ſit maximè fauorabilis.

Et hoc ius Cæſareum maximè in hac parte rationi conſentaneum eſt, *Primò*, quia de matre conſtat, de patre verò nihil eſſe poteſt certum. *Secundò*, quoniam licet pater præcipuè ad generationem concurrat; partus tamen quodammodo eſt magis fructus matris, pluſque cõcurrit ad nutritionem, & educationem filiorũ, & plus impeditur à ſeruitio Domini, tam dum grauida eſt, quam dum proles educatur, quàm pater. Vbi tamen id in fauorem libertatis conſtitutum non eſſet, natura rei potius poſtulat, vt ſolùm tempus partus ſpectetur, vnde iuri, aut conſuetudini loci illius in hac re ſtandum eſſet; nempe vt proles ſequeretur patrem, vel vt ad illius ſeruitutem neceſſarium eſſe vtrumque parentem eſſe ſeruum; vel aliud ſimile, vt colligitur ex *cap. licet, de coniugio ſeruorum.* Vnde in Prouinciis, in quibus ius imperii non viget, aut non habetur aliud ſimile, ſtandum eſt conſuetudini loci. Aliàs iure naturali proles relinquenda eſt libera. Ratio eſt, quia licet ſit fructus ancillæ, eſt tamen fructus intellectualis, & liberi arbitrij, qui ſicut ratione natiuitatis non naſcitur ſeruus matris adhuc liberæ, multò minùs naſcitur ſeruus Domini ſuæ matris ancillæ, vt notat Gaſpar Hurtadus *de iuſtit. diſp.* 1. *diffic.* 11. Malder. *de iuſtit. tract.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. Fagundez *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. Trullench *in decal. lib.* 7. *cap* 2. *dub.* 8. *n.* 4. Clauis reg. *lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 26. *&* 27. & alii.

Mald. Fagund. Leſſius. Trullenc. Clau. reg.

8. *Tertiò*, quis fit ſeruus per iuſtam condemnationem, ſicut enim quis ob delicta ad mortem naturalem, ita ad ad ſeruitutem, quæ mors ciuilis eſt, condemnari poteſt. Caſus autem, pro quibus hæc pœna infligitur, ſunt *Primò*, qui deferunt arma, vel alia prohibita ad Turcas, vel Saracenos, fiunt ſerui Chriſtianorum eos capientium, ex *cap. Ita quorumdam, de Iudæis & Saracenis.*

Secundò, filij, qui ex nefario matrimonio cum initiatis Ordinibus ſacris fuerint ſuſcepti, non ſolùm excluduntur ab hæreditate parentum, ſed etiam ſerui in perpetuum debent fieri eius Eccleſiæ, ad quam initiatus ille pertinuit, c. *cum multæ* 15. *q.* 8. Fœminæ autem, quæ ſcienter tale matrimonium cõtraxerunt, poſſunt à Principe in ſeruitutem rapi, *cap. eos qui, diſt.* 32.

Tertiò, efficitur quis ſeruus ob raptum mulieris, vt habetur *in cap. de raptoribus* 36. *q.* 1. vbi raptor qui violentiam adhibuit, efficitur ſeruus raptæ, aut ſe redimere debet. Quod ſi puella raptori conſenſerit, illaque patrem habeat, raptor patri ſimili ſatisfactione ad boni viri arbitrium tenetur.

Quartò, libertus, id eſt ille qui erat à ſeruitute liberatus iure ciuili efficitur ſeruus propter ingratitudinem ſuam, qui manus in patronum ſuum iniecit, vel iniuriam atrocem, aut graue damnum ei inferre præſumpſit, *ex l. manumiſſus, C. de liber. & eor. liber.*

Quæ omnia intellige poſt Iudicis ſententiam, ante illam enim pœna ſeruitutis non incurritur. Ita Leſſius *loc. cit. n.* 14. Malderus *loco cit.* Dicaſtil. *de iuſtit. l.* 2. *tr.* 1. *diſp.* 1. *dub.* 11. *num.* 146. Card. Lugo *de iuſt. t.* 1. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *n.* 33. & alii ſupra citati.

Leſſius. Dicaſt.

9. Quartus titulus, quo ſeruitus contrahitur, eſt emptio, & venditio, quando quis prima vice fit ſeruus ex libero, quod quilibet liber poteſt ex natura rei validè efficere; quia homo non minùs eſt Dominus ſuæ libertatis, id eſt, ſuarum operarum, quam honoris, famæ & pecuniæ. Sic S. Paulinus ſeipſum vendidit, vt filium viduæ redimeret. Et colligitur euidenter ex cap. 21. Exodi, Leuit. 25 & Deuteronom. 15. vbi conceditùr Hebræo, vt ſeipſum tradere poſſit alteri in perpetuum ſeruum. Vt tamen venditio libertatis validè fiat, plures conditiones iure Cæſareo requiruntur. *Prima*, vt quis non ſeipſum immediatè vendat, ſed per alterum. *Secunda*, vt qui patitur ſe vendi, ſit maior 20. annis. *Tertia*, vt intendat eſſe particeps pretij, & quod reipſa ſit particeps pretij. *Quarta*, vt emptor credat illum eſſe ſeruum. *Quinta*, vt qui venditur ſciat ſe eſſe liberum ante venditionem. *Sexta*, vt eum vendens ſciat eſſe liberum.

Sed hæc vltima conditio ab omnibus Doctoribus non admittitur, quia non reperitur in iure ſatis expreſſa; proinde hanc non eſſe neceſſariam docent Clauis regia *lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 16. Fagundez *de iuſtit. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 9. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 6. Concurrentibus igitur ſimul aliis conditionibus valida eſt venditio, vt ſeruus ille ementis efficiatur. Quacumque autem illarum deficiente, venditio eſt nulla, conceditur que vendito proclamatio ad libertatem. Hæc omnia conſtant ex *l.* 1. *&* 4. *ff. quibus ad libert.* proclamare non liceat, *l. ſi miniſterium Cod. de libert.* & *l. homo liber*, *ff. de ſtatu hominum*. Illud tamen eſt ſciendum, hoc ius ſolùm habere vim vbi ius Cæſareum, vel Romanum eſt receptum. Vnde fit, vt ſi quis ſe vendat ſine illis conditionibus in loco vbi non eſt receptum, venditio eſt valida; quoniam iure naturali diſponere poteſt de ſua libertate, & quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. Ita Molina *de iuſtit tract.* 2. *diſput.* 33. Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3. *numero* 2. Cardinal. Lugo *de iuſtitia*, *tom.* 1. *diſputa.* 6. *ſect.* 2. *numero* 13. Caſpenſis *tom.* 1. *tractat.* 18. *diſputatione quinta, ſect.* 1. *numero* 3. *&* 4. Trullench *loco citato*. Malderus *de iuſtit. tra.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. & alij.

Cla. reg. Trullenc.

Molina. Sanch. Trullenc. Mald.

10. Iure naturali fas eſt parentibus vendere proles ſuas, vt colligitur ex *Exodi* 21. quia proles eſt velut pars, & fructus parentis trahens ab ipſo eſſe, & vitam. Proinde parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta, quæ ipſa de ſe perciperet, ſi eſſet ſui iuris. Ius tamen Cæſareum requirit certas conditiones, vt patet ex *l.* 2. *Cod. de patribus, qui filios diſtraxerunt*. Quarum *Prima*, & præcipua eſt, vt fiat ex magna, & vrgenti neceſſitate patris. *Secunda*. vt ſoli patri hoc liceat. *Tertia*, vt ſolùm poſſit vendere filium non emancipatum; qui enim ſui iuris effectus eſt, non ſubeſt ampliùs poteſtati patris. Sic ſacris Ordinibus initiatus, vel filius coniugatus vendi non poſſunt. *Quarta*, vt filius ita venditus poſſit recuperare libertatem ſoluto pretio, vel oblato alio mancipio. Quæ quidem conditiones licet ſint valde rationi conformes, non ſunt tamen ſimpliciter neceſſariæ, ſed tantùm vim habẽt in locis, in quibus ius Cæſareum viget: vbi verò non eſt receptum, ſtandum eſt iuri naturali, & poſitiuo cuiuſcumque Regni, vel Prouinciæ. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 33. Couarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 14. *num.* 4. Diana *p* 7. *tract.* 7. *reſolut.* 8. Fagundez *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 1. *numero* 9. & alii.

Molin. Couar. Diana.

Cæterum, licet talis venditio ſpectata iure naturali, & ciuili communi ſit permiſſa; apud Chriſtianos tamen non videtur eſſe vſu recepta, & meritò, quia parentibus, etiam extrema fame, & egeſtate laborantibus, poteſt facilè, & commodè filius aliis remediis ſuccurrere; ad hoc enim ſatis eſſet, ſi parentes filij operas mercede, ſeu pretio debito locarent, vt docet Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. Confeſſar. diſp.* 1. *q.* 38.

Fauſtus.

11. Quorundam ſententia eſt, ſeruos bello ita iuſto captos, vt de iuſtitia capientium, & iniuſtitia aduerſariorum

ſiet,

conſtet, lethaliter peccare, ſi fugiant Dominos ſuos, teneri que ſeipſos reſtituere, eſto ad ſuos peruenerint. Probatur hæc opinio, quoniam poſſeſſores erant legitimi, ac indubitati illorum ſeruorum Domini, & ipſi fugiendo ſeipſos ab eis furantur, vt habetur *l. 1. Cod de ſeru. fugitiuis*. Ergo & peccant lethaliter, & tenentur ſeipſos reſtituere, non ſolùm ex parte rei acceptæ, ſed etiam ex parte iniuſtæ acceptionis. Proinde qui illis ſuadent fugam, aut ad eam illos adiuuant, tenentur reſtituere Dominis valorem mancipiorum, & ſi quæ alia damna illis vlteriùs inde ſequantur. Hanc ſententiam ex Nauarro,
Molin.
D. Antonino, & aliis ſuſtinet Molina *de iuſt. tr. 2. diſp. 37.* Nihilominus dicendum eſt cum communiori ſententia poſſe licitè fugere ad ſuos, non tamen vi reſiſtere Dominis perſequentibus. Probatur prior pars, ex §. *Item ea, Inſtitutione, de rerum diuiſione*, vbi de ſeruis bello captis ſic dicitur: *Qui tamen ſi euaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt.* Ratio autē eſt, quia cùm hæc ſeruitus ſit nobilior cæteris minùſque probroſa, & cadere poſſit in viros nobiles, non eſt cogenda in eas anguſtias, in quas aliæ ſeruitutes, & cùm ſit communi gentium conſenſu introducta, non debet eius conditio magis onerari, quàm conſuetudine totius orbis ſit receptum: atqui conſuetudo habet vt tales ſerui, ſine conſcientię ſcrupulo poſſint ad ſuos fugere: neque hoc cenſetur illicitum, niſi fortè dediſſent fidem de non fugiendo, & ea lege vita eis eſſet condonata, tunc enim tenerentur ſtare promiſſis, & fidem ſeruare. Probatur poſterior pars, nam Domini habent ius illos intercipiendi, & detinendi, quamdiu ad ſuos non peruenerint; alioquin inutilis eſſet ſeruitus: quare cùm non poſſit eſse bellum vtrinque iuſtum, non poſſunt ſe vi tueri. Dixi ad ſuos, nam non poſſunt fugere ad euagandum extra poteſtatem Dominorum, intra hoſtium confinia, ſed ſolùm animo conferendi ſe ad ſuos, vel ad amicam ciuitatem, vbi publico nomine tuti ſint, vt habetur *l. Poſtliminio, ff. de captiuis*: quòd ſi in via intercipiantur, poſſunt reduci: quia antequam perueniant ad ſuos, non recuperant libertatem. Si autem fugiant non animo redeundi ad ſuos, peccant, & tenentur redire: quia priuant Dominum vſu ſui, dum adhuc continentur ſub eiuſdem dominio; nec ſunt in via ſubtrahendi ſe ab eo per fugam iure permiſſam. Ita ſentiunt Couarruuias *ad reg. peccatum 3. p. §. 11. num. 6. & lib. 1. variar. cap. 2. nu. 10.* Bannez *2. 2. qu. 40. art. 1. dub. 13.* Trullench *in decalog. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 6.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 6. numero 5.* Caſpenſis *tom. 2. tractat. 18. diſputat. 5. ſect. 1. num. 7.* Geſualdus *in Theolog. moral. part. 3. tractat. 13. cap. 4. numer. 29.* Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 96. in fine*, & alii penes ipſos.

Couarr.
Bannez.
Trullench.
Sanch.
Caſp.
Diana.

Ex quibus infertur licitum eſse cooperari huiuſmodi ſeruis ad fugam, modò ſcandalum, & aliæ circumſtantiæ indebitæ abſint: & idem iudicium eſt de prole; quia non eſt deterioris conditionis ſuis parentibus: ex quo fit, vt filius genitus à ſeruo, vel ancilla iure belli in ſeruitutem redactis, licet natiuitate factus ſit poſſeſſio Domini, poſſit nihilominus licitè ſicut pater fugere, quia natiuitas illa, & ſeruitus originem ducit ex bello. Fauſtus *in ſpeculo diſp. 1. quæſt. trigeſimaprima.*

Fauſtus.

12. Serui, qui à ſe vel à parentibus ſunt venditi legitimè, fugere non poſſunt. Ratio eſt, quia cùm facti ſint ſerui per legitimum contractum, in quem ipſi, vel eorum parentes, eorum loco, iuſtè conſenſerunt, tenentur ſtare contractui, nec poſſunt illum violare abſque iniuſtitia, ſicut nec alias venditiones. Sanchez *in conſil. lib. 1. cap. 1. dub. 6. numer. 1. & 2.* Petrus Nauarra *de reſtitut. lib. 3. cap. 1. num. 212.* Bartholom. à S. Fauſto *in ſpeculo diſp. 1. quæſt. 30.*

Sanch.
Nauar.
Fauſtus.

Item qui in pœnam iuſtè condemnatus eſt in ſeruitutem, iuxta probabiliorem ſententiam licitè fugere non poteſt: quia reus non tenetur exequi iuſtam ſententiam ſi pœna talis ſit, vt non poſſit niſi per reum executioni mandari; atqui huiuſmodi pœna talis eſt, ergo. Sed hoc intelligi debet de ſeruitute, quæ non ſit valde calamitoſa; ab hac enim probabile eſt fugere poſſe, oblata commoda occaſione: Contrarium enim eſſet nimis durum, & ſuperans humanam conditionem talium hominum. Ita Cardin. Lugo *de iuſtit. tom. 1. diſp. 6. ſect. 3. n. 28.* Leſſius *l. 2. cap. 5. dub. 5. num. 22.* Gaſpar Hurtadus *de iuſtit. diſp. 1. diffic. 21.* & alii.

Lugo.
Leſſius.
Hurtad.

Hinc colligitur, quando ſeruus fugere non poteſt, non licere ei conſilium, vel auxilium ad fugam præbere ſine peccato mortali, & obligatione reſtituendi damna vero Domino ex tali fuga ſecuta. Vnde ſi ſeruus fugit, & abſtulit ſimul centum aureos, is qui fugam ſuaſit, tenetur Domino reſtituere non ſolum pretium ſerui, ſed etiā damni, quod fugiens intulit; quia totius damni cauſa cenſetur. Ita Nauarrus *in man. cap. 17. n. 103.* Trullench *in decal. l. 5, cap ſecundo, dubitatione 6. numero 5.* Leſſius *loco cit. num. 23.*

Nauar.
Trullenc.
Leſſius.

13. Serui fugere poſſunt, ſi non ſint iuſtè in ſeruitutem redacti: imò etiam vi repellere impedientes, & ſurripere à ſuis Dominis quantum ſatis eſt ad compenſationem iniuriæ, & operæ præſtitæ: imò quantùm poſſunt; ſi adhuc duret bellum iniuſtum ex parte capientium; tunc enim poſſunt hoc modo nocere hoſti ex tacito Principis conſenſu iuſtum bellum gerentis.

Item licitum eſt ſeruis iure belli captis fugere, ſi à Dominis inducantur ad aliquid mortale peccatum, aut eſt probabile periculum ſeductionis, aut ſi Domi vellent eos occidere, aut cibos neceſſarios illis denegare, & aliter ſeipſos tueri non poſſint, niſi fugiendo. Ratio eſt, quia tunc vtuntur iure ſuo naturali, conſeruando vitam ſuam, vel corporalem, vel ſpiritualem animæ, & non tenentur cum tanto periculo corporis, & animæ Domino ſuo ſeruire. Imò ſi Dominus proſtituat publicè ſeruam in lupanari, vel quouis alio loco publico, vt turpiter abutendo ſuo corpore lucretur, manet libera iure Caſtellæ. Sanch. *in conſil. l. 1. p. 1. c. 5. dub. 9.*

At ſi Dominus ſit Iudæus, aut Paganus iuriſdictioni Principis Chriſtiani ſubiectus, vel ſi ſit hæreticus, ſeruus Chriſtianus eo ipſo ſit liber, & Dominum deſerere poteſt. Vt habetur *l. Deo nobis, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Imò ſerui infideles horum poſſunt ad Eccleſiam fugere, vt Chriſtiani fiant, & facti Chriſtiani, fiunt liberi. De his videndi ſunt Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 38.* Fagundez *de iuſtit. lib. 2. cap. 6.* Card. Lugo *de iuſt. tom. 1. diſput. 6. ſect. 4.* Clauis regia *lib. 9. cap. 6. numero 28. & ſequentibus.* Diana *par. 7. tractat. 7. reſol. 13. & 16.* apud quos inuenies modos quibus ſerui acquirant libertatem. Hæc pauca adducta ſufficiant.

Molin.
Fagund.
Lugo.
Cla. reg.
Diana.

14. Ex contractu ſeruorum ſiue cum Dominis, ſiue cum aliis non oritur ciuilis obligatio, vnde neque illis, neque aduerſus illos datur actio in foro ſæculari, etiam poſtquam peruenerint ad libertatem, *ex l. in perſonam, l. quod attinet, ff. de regul. iur.* Si tamen ſeruus promiſit pecuniam Domino pro libertate, tunc conceditur actio aduerſus illum, *l. Promiſſa, Cod. an ſeruus pro ſuo proprio, &c.* Eodem modo ſi pactum fuit inter ſeruum, & Dominum, vt pro certa pecunia illum manumitteret, & ſeruus ſoluit pecuniam, habet ſeruus actionem contra Dominum, vt ſe manumittat, *leg. 1. §. ſeruos, ff. de offic. præfect. vrbis.*

Cæterum, quamuis non oriatur obligatio ciuilis ex cōtractu ſeruorum, oritur tamen naturalis: vnde in foro conſcientiæ ipſe tenetur ſtare contractui, & viciſſim is, qui cum eo contraxit, *ex l. quod attinet citat. l. Serui, ff. de action. & obligat.* Ex quo fit, quòd ſi ſeruo Dominus aliquid debebat, idque ſoluit poſtquam fuit manumiſſus, non conceditur Domino repetitio: quia ſoluit id, ad quod naturaliter obligatus erat. Similiter, ſi quis nomine ſerui, vel ipſe poſt manumiſſionem ſoluat, non conceditur repetitio, nec tenetur fideiuſſor pro ſeruo ſoluere, *l. naturaliter, ff. de condict. indeb.* Ita Sanch. *in opuſc. tom. 1. lib. 1. dub. 2.* Filliuc. *tract. 33. cap. 3. num. 50. & 51.* Bonac. *de contract. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 5. n. 5.* Molina *tract. 2. diſput. 261.* & alij.

Sanch.
Filliuc.
Bonac.
Molina.

15. Certum eſt, ſeruos non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſse abſque vllo conſenſu Domini matrimonio copulari, vt conſtat *ex cap. 1. de coniugat. ſeruorum*, vbi habetur: *Nec inter ſeruos debent matrimonia vllatenus prohiberi: & ſi cōtradicentibus Dominis, & inuitis cōtracta*

fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſoluenda. Ratio communis eſt, quia iure naturali, & diuino ſinguli homines habent facultatem, & libertatem ineundi matrimonium ad propagationem humanæ ſpeciei, & in remedium propriæ concupiſcentiæ: quod ius nec ſublatum eſt, nec auferri potuit iure gentium, quod ſeruitutem induxit. Quare nulli iuri poſitiuo id datum eſt, vt poſſit omnino matrimonium alicui interdicere, niſi ipſemet perfectioris ſtatus auidus, continentiæ voto ſe Deo aſtringat. Proinde poteſtas Dominis in ſeruum non poteſt huic naturali facultati præualere, ſed ſolum ad exigenda ciuilia obſequia extenditur poteſtas Domini in ſeruum, quæ non ſunt incompatibilia cum vinculo matrimonij. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 36. quæſt. vnic. art. 2. in corpor.* & communis.

Hinc infertur peccare grauiter Dominum, ſi matrimonium ſerui impediat, vel puniat, quòd matrimonium eo inuito contraxerit, quia ſeruus vſus eſt iure ſuo ac in nihilo deliquit. Non tamen tenetur Dominus poſitiuè conſentire in matrimonium ſerui, ſed poteſt ſemper dicere, id ſibi non placere, modò nullum obſtaculum afferat: quia conſulit ſibi; ne id damnum ſubeat, quod ex conſenſu ſibi redundare poſſit. Nec teneretur etiam Dominus ante ſponſalitiam promiſſionem, deprehendens inclinationem ſerui nuptias molientis, illum retinere in eodem loco, ſed poſſet vti iure ſuo mittendi aut vendendi in alium locum. Quia tunc nulli tertio ius eſt acquiſitum, ac proinde non eſt ius ſuum vendendi ſeruum, Domino interdicendum. Deinde non eſt id directè impedire matrimonium, ſed vti iure ſuo vendendi ſeruum, quo Dominus ſuæ incolumitati conſulat. Quando tamen matrimonium cœptum eſt, quia ſeruus fidem ſuam per ſponſalia alicui fœminæ alligauit, non poſſet Dominus vendere illum in aliam regionem, vbi ea ſponſalia impleri non poſſint. Ratio eſt, quia ſeruus inuito Domino potuit fidem ſuam adſtringere, ac proinde legitimum ius comparauit fœmina, vt ſeruus promiſſis ſtet etiam renitente Domino: nequit ergo Dominus ius hoc alteri acquiſitum, & à ſua voluntate independens impedire. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 21. num. 9. & ſeq.* Bonac. *de matrimon. quæſt. 3. punct. 3. num. 7.* Diana *part. 7. tract. 7. reſol. 36.* qui citat Aueríam *de Sacrament. matrim. quæſt. 3. ſect. 7.* Filliuc. *tract. 10. p. 2. cap. 2. quæſit. 6.*

Sanch. Bonac. Diana. Filliuc.

16. Varij variè ſentiunt, an liceat Domino ſeruum coniugatum in partes longinquas vendendum mittere? Sed miſſis ſententijs, ex communiori ſententia diſtinctione vtendum eſt, aut ſeruus matrimonium iniuit Domini conſenſu, aut eo inſcio, vel repugnante. Si primum, non licet vendere: quia damnum, & malum coniugi infertur, vt habet communis Doctorum opinio. Si ſecundum quidam ſentiunt licere Domino id facere abſque lethali peccato, quia Dominus vendit ſeruum tanquam rem ſuam, cuius pretio indiget. Ita Nauar. *in man. cap. 22. num. 34.* Toletus *lib. 7. c. 7. n. 3.*

Nauar. Tolet.

Alij tamen negant id iuris Dominum habere eo quòd vxor damnum graue patiatur in vita. Ita D. Thomas *in ſupplement. 3. part. quæſtion. 52. artic. 2. ad 4.* Sylueſter *verb. Seruus quæſtion. 7.* Sotus *in 4. diſtinct. 35. quæſtion. 1. artic. 1.* Sed vtraque opinio conciliari poteſt, dicendo, ſi in longinqua, & remota regione Dominus vna cum ſeruo commoretur, & egeſtate & inopia prematur, poſſe illum vendere, vt ſibi ex pretio ſubueniat. Si in patria Dominus degat, & neceſſitate aliqua cogatur, niſi ex ſerui pretio ſibi ſuccurrat, nec eum poſſet in terram propinquam vendere iuſto pretio, poſſet vendere in remotam, niſi charitas in vxorem aliud ob circumſtantias poſtulaTet. Quare citra magnam neceſſitatem non licet Domino ſeruum coniugatum huiuſmodi vendere in longinquas regiones abducendum, quò vxor non poſſit commodè ſequi, quia non licet ei onera coniugij facere grauiora. Vide Syluium *in ſupplem. 3. p. quæſt. 52. art. 2. circa ad reſp. ad 4.*

D. Thom. Syluest. Sotus.

Sylu.

17. Seruus ingreſſus religionem ſi intra triennium non repetatur à Domino, libertatem præſcribit in conſcientia, vt conſtat *ex c. ſi quis incognitus 17. q. 2.* vbi habetur: *Si quis incognitus Monaſterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præſtetur, ſi tamen intra triennium a Domino non fuerit requiſitus, poſtea quæri non poteſt*; & ſic manet liber libertate præſcripta, nec repeti poteſt à Domino, vt habet communis ſententia.

Difficultas eſt prima, à quo tempore numerandum illud triennium? Quidam exiſtimant numerandum eſſe ab inchoato anno probationis. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 31.* Azorius *part. 1. lib. 12. cap. 1. quæſt. 3.* Verius tamen eſt quod alij docent, nempe numerandum eſſe à tempore, quo Dominus conſcius fuit admiſſionis ſerui in Religionem. Ratio eſt, quia cum ius concedat Domino triennij ſpatium ad ſeruum repetendum, & præſumatur eum conſentire ingreſſui, ſi intra illud non repetat, conſtat hoc tempus numerandum eſſe à tempore quo Dominus conſcius fuit, eo quòd ignoranti negligentia imputari non debet. Tempus enim non debet currere ignoranti, in quo non poteſt conſiderari aliqua negligentia, *l. cum ſex. ff. de ædil. edict.* Ita Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 46.* Miranda *in Manual. Prælat. t. 1. q. 17. art. 2. concl. 4.* & alij. Sanch. Mirand.

18. Secunda difficultas eſt, an ſi ſeruus intra triennium illud in quo Dominus poteſt illum reuocare, profiteatur, an profeſſio ſit valida? Quidam negant: quia ſicut coniux ingreſſus Religionem, & ibi profeſſionem emittens, ſi ſine licentia alterius ingrediatur, profeſſio nulla eſt, vt ſtatuitur in iure, quia coniux iſte non poteſt promittere abſolutam caſtitatem, quæ eſt de ſubſtantia religionis, ita ſeruus etſi abſolutè poſſit vouere abſolutam caſtitatem, at non poteſt vouere omnimodam ſubiectionem Prælato, cùm priùs teneatur obedire Domino; at omnimoda ſubiectio per obedientiæ votum eſt de ſubſtantia profeſſionis ſolemnis quæ irrita erit ſi quis non poſſit ſe omninò ſubiicere. Hæc ſententia eſt probabilis, quam ſuſtinent Sanchez *loco cit. num. 49.* Barboſa *ad dict. cap. ſi quis incognitus, numer. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæſt. 3.* Paludanus *in 4. diſt. 38. quæſt. 4. ar. 2.* & nouiſſimè Thomas Hurtadus *par. 2. reſolut. moral. tractat 8. capit. 4. reſol. 34.* & alij. Sanchez Barboſa. Hurtad.

At communior Doctorum ſententia eſt affirmatiua. Probatur, quia nullum inuenitur ius canonicum, quod irritam illam profeſſionem faciat; neque etiam ex natura rei videtur eſſe nulla; cum vota ſeruorum valida ſint, quamdiu non irritantur: nec Dominus poteſt omnia vota ſerui abſolutè irritare, ſed ſolùm ex parte materiæ, quod potiùs eſt vſum, vel actum eorum impedire, quatenus ſuo dominio repugnant, & non amplius. Poterit ergo Dominus non obſtante profeſſione ſeruum repetere, & ſibi, & non Religioni ſeruire cogere, argum. *cap. nulli*, cum ſimilibus *diſtinct. 54.*

Nihilominus tamen ille verus Religioſus erit, quia extra Monaſterium poteſt eſſe verus Religioſus, & ſeruare tenebitur caſtitatem, & paupertatem, obedientiam autem cuius vſum habet impeditum, in animi præparatione ſeruare tenebitur: vnde quacumque ratione liber fiat, vel facultatem à Domino habeat, ad Religionem redire tenebitur. Ex quibus rectè colligitur, & profeſſionem ſerui eſſe validam ſine conſenſu Domini, & nihilominus Dominum non priuari iure vtendi ſeruo ſuo. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Archidiaconus *in dict. cap. 1. Si quis incognitus 17. quæſt 2. num. 1.* Angelus *verb. Religioſus numer. 5.* Sylueſter *verb. Religio 2. quæſt. 3.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 6. num. 3.* Vecchis *in praxi nouit. diſput. 2. num. 6 dub. 2.* Miranda *tom. 1. quæſt. 17. artic. 2. concl. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 31.* & alii. Et hæc de ſeruis ſatis, & mancipiis, plura apud Dianam *p. 7. tr. 7.* per totum. Archidiac. Angel. Sylu. Vecchis. Mirand. Leſſius.

Vide verb Dominium *numero* 25. 26. & 27. Excom. 6. *numero* 27. Ludus *numer.* 10. Matrimon. *numer.* 8. 9. & 10. Mutuum *numer.* 4. Parentes *numero* 8. Votum 1. *numero* 16.

SIMO-

Digitized by Google

SIMONIA I.

Quid ſit ſimonia, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Quale [illegible]um, Simoniæ nomine, ſignificetur?*
2 *De prim[illegible] diuiſione Simoniæ, in Simoniam iure diuino prohibitam, & iure tantum Eccleſiaſtico?*
3 *An Simonia ſit graue peccatum mortale contra religionem? & an poſſit eſſe veniale ex leuitate materiæ?*
4 *An malitia iniuſtitiæ ſemper cum ſimonia coniuncta ſit, ſicut malitia contra religionem?*
5 *An detur aliqua ſimonia iure tantum humano prohibita? Et an Papa poſſit incurrere pœnas ſimoniæ iure Eccleſiaſtico ſtatutas? Et in quo conſiſtat deformitas ſimoniæ contra ius humanum?*
6 *An poſſit Papa contrahere culpam ſimoniæ iuris diuini?*
7 *De ſecunda diuiſione ſimoniæ, in mentalem, conuentionalem, & realem. Et ſub quo membro contineatur ſimonia confidentiæ?*
8 *An ad ſimoniam mentalem requiratur, quod per actionem ſpiritualem principaliter intendatur aliquid temporale, vel è contra?* Refertur duplex ſententia.

1\. SImoniæ nomen ductum eſt à Simone Mago, qui vt habetur *Act.8.* emere voluit poteſtatem conferendi Spiritum ſanctum, id eſt, donum eius: vnde primus in nouo Teſtamento hoc crimine infectus fuit, & ita definiri ſolet communiter à Doctoribus. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum pretio temporali, vel pretio æſtimabili.

Dicitur, ſtudioſa, id eſt deliberata, vt excludatur motus voluntatis non plenè deliberatus, aut ex ignorantia inculpata manans. Deinde vt excludatur illa promiſſio, qua quis animo non quidem verè emendi, aut ſoluendi, ſed decipiendi tantùm, pollicetur aliquid temporale pro re ſacra: talis enim non habet voluntatem verè emendi, ſed mendacio fallendi, licet peccet alterum inducendo ad ſimoniam, & ſimul etiam faciendo externum opus ſimoniacum.

Dicitur, emendi, & vendendi, quibus ſignificatur omnis commutatio, & omnis contractus non gratuitus, ſiue ſit vera emptio, ſiue locatio, ſiue permutatio: omne enim pactum, quo datur ius ſpirituale ſub conditione & onere, quod iure non eſt annexum, eſt ſimoniacum.

Dicitur, aliquid ſpirituale, id eſt, quod aliquo modo eſt ſupernaturale, vt ſunt gratia gratum faciens, dona Spiritus ſancti, virtutes ſupernaturales, gratiæ præuenientes, & gratis datæ, Sacramenta, officia Eccleſiaſtica, conſecrationes, benedictioneſque Eccleſiæ, ornamenta ſacra, vaſa, Templa, &c.

Dicitur, vel ſpirituali annexum, id eſt, quod cum aliquo ſpirituali connexionem habet, vel antecedenter, vt ius patronatus; vel conſequenter, vt beneficia Eccleſiaſtica, quia ſupponunt Officium diuinum; vel concomitanter, vt labor in prædicando, in miniſtrando Sacramenta. De quo infra, *Simonia* 4.

Dicitur, pretio temporali, ſi enim detur ſpirituale pro ſpirituali, non erit propriè ſimonia: turpitudo enim huius peccati conſiſtit in eo, quòd ſpiritualia æſtimentur pretio humano vel re aliqua humana, quæ ſit pretio æſtimabilis. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*100. *art.*1. Syluius *ibid.* Layman *lib.*4. *tract.*10. *c.*8. § 1. Suarez *tom.*1. *lib.*4. *cap.*1. Crouſers *ad cap.*7. *reg. Minorum lect.*7. Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*1. Azorius 3. *p. lib.*12. *c.*1. *quæſt.*6. Reginaldus *lib.*23. *nu.*121. Bonacina *de ſimonia d.*1. *q.*1. *num.*1. & 2. Filliucius *tract.* 45. *c.*1. *num.*2. & 3. & alij.

D. Thom. Sylu. Layman. Suar. Leſſius. Azor. Bonac. Filliuc.

2\. Prima diuiſio ſimoniæ eſt, in ſimoniam iure diuino prohibitam, & iure tantùm Eccleſiaſtico, & quidem Simon Magus ſimoniam commiſit contra ius diuinum tantùm, non Eccleſiaſticum, quòd nullum tunc erat. Iure autem diuino prohibita dicitur, naturali nimirum, eo quòd ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dictat, dona ſupernaturalia, cuiuſmodi ſunt gratia, Sacramenta, diuina Officia, & his ſimilia, ſanctè eſſe tractanda, nec in temporales contractus deducenda, non autem poſitiuo, cùm de ea in lege gratiæ præceptum datum non ſit, ſed tantùm naturale præceptum explicatum iis verbis Matth.10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Layman *cit* §.6. *n.*61. Bonac. *de ſimonia d.*1. *q.*3. *n.*1. & 2. Filliuc. *tr.*45. *c.*1. *q.*3.4. & 5. Suar. *cit. cap.*2. Syluius *cit. ar.*1. & alii.

Layman. Bonac. Filliuc. Suar. Sylu.

3\. Simonia ex ſuo genere eſt contra religionem, & valde graue peccatum mortale; imò probabile eſt non dari in ſimonia peccatum veniale ex leuitate materiæ, ſed tantùm ex inconſideratione, vel ignorantia habente admixtam venialem negligentiam. Bonacina *cit. numero* 11. & 12. Suarez *citat. capit.* 2. *numer.* 3. Diana *par.*5. *tractat.*5. *reſolut.*2. Layman *citat.* §.1. *numer.* 4. Filliucius *cit. quæſt.*6. & 7. Syluius *citat. art.*1. Crouſers *cit. fol.* 543. quidquid in contrarium doceant Reginaldus *lib.*23. *cap.*11. *num.*166. Molina *tom.*1. *tract.*1. *diſp.* 92. & quidem ſuppoſitis conditionibus, quæ tam ex parte materiæ, quàm ex parte obiecti ſimoniæ reperiuntur in actione vendendi rem ſacram, malitia rectè dicitur illi intrinſeca, vnde diſpenſari in ea non poteſt, niſi mutata materia talis actionis: ideòque abſolutè loquendo malitia ſimoniæ à venditione talium rerum de potentia ordinaria, & iuxta congruam prouidentiæ modum, inſeparabilis eſt. Et hoc verum maximè in ſimonia circa ea, quæ ex iure diuino vendi prohibentur, quia eius turpitudo, & deformitas in eo conſiſtit, quòd id, quod eſt gratia Dei, & excedens omne pretium, & contractum humanum, ſubiiciatur pretio, & humano contractui: vnde conſurgit iniuria Dei, quia peruertitur modus adminiſtrandi gratias ipſius, quem ipſe præſcripſit.

Bonac. Suar. Diana. Laym. Sylu. Regin. Molin.

Hoc autem contingit ſtante quacumque paruitate materiæ, ſiue ex parte pretij, ſiue ex parte rei, quæ ſubiicitur pretio, quia ſemper deſtruitur modus adminiſtrationis, qui eſt magni momenti: & ideò ſemper hæc ſimonia importat integram deformitatem, & grauem diſcrepantiam ad rectam rationem, quia ſemper res ſpiritualis ponitur intra ordinem rerum vendibilium: vnde hæc ſententia apud multos ita certa eſt, vt contraria nullo pacto tanquam probabilis ſuſtineri poſſit; vt cum plurimis docet nouiſſimus Paſqualigus *deciſ.* 478. qui etiam non admittit paruitatem materiæ excuſantem a mortali in ſimonia, quæ eſt de iure Eccleſiaſtico poſitiuo, *dec.*479.

Nihilominus in foro exteriori paruitas materiæ excuſare poteſt a ſimonia, nempe quando pretium eſt longè inferius re tradita; tunc enim rationabiliter non præſumitur venditio, quod deſumitur ex *c. Et ſi quæſtiones, de Simonia.* Vbi dicitur non commiſiſſe ſimoniam eum, qui dedit equum Cardinali, à quo eiuſdem frater erat accepturus pallium; quia cùm eſſet diues, equus erat quid modicum reſpectu illius, *deciſ.*480.

4\. Malitia iniuſtitiæ non ſemper cum ſimonia coniuncta eſt, at ſemper adeſt malitia contra religionem, irreuerentiæ nimirum, & indebitæ æſtimationis ſacrarum rerum: Tunc autem ſimoniacus eſt etiam iniuſtus, ſi vendat actionem, ad quã ex officio tenebatur, vt cũ parochus in Sacramentorum adminiſtratione, vel ratione ſolius ſpiritualitatis temporale pretiũ accipit, vt ſi ratione conſecrationis Calicis, vel Agni benedicti pretium acciperet, quàm materia argenti, vel ceræ elaboratæ valeret. Suarez *cit. cap.*4. *num.*5. Filliucius *tr.*45. *c.*1. *q.*8. & 9.

5\. Datur etiam aliqua ſimonia iure tantùm humano prohibita, quia Eccleſia poteſt prohibere, ne res aliqua adnexa rei ſacræ vendatur, in reuerentiam talis. Azorius *cit. lib.*12. *c.*1. *q.*2. Regin. *cit. n.*135. Layman *cit. num* 63. Filliucius *cit q.*12. Leſſius *lib* 2. *c.*35. *num.*25. Bonacina *cit. q.*3. *num.*2. & 3. Syluius *cit. ar.*1. Res autem, quarum venditione committitur ſimonia tantùm iuris humani, plu-

Suar. Filliuc. Laym. Filliuc. Leſſius. Bon.

reſſunt: *Prima*, permutatio beneficii cum alio beneficio abſque auctoritate legitimi Superioris. *Secunda*, eſt reſignatio beneficii propria auctoritate facta cum reſeruatione penſionis. *Tertia*, venditio beneficij *Quarta*, acceptio alicuius rei occaſione examinis. *Quinta*, venditio officiorum Eccleſiaſticorum ſpiritualium, ſeu habentium onus ſpirituale: hæc ſimonia propria eſt temporis legis gratiæ, atque ita poſitiua appellari poteſt; eſt etiam peccatum mortale ex vi ſuæ ſpeciei, eſt enim eadem cum ſimonia contra legem naturalem, quare etiam erit eiuſdem grauitatis ſubſtantialis. Notandum tamen eſt, Papam non poſſe incurrere pœnas ſimoniæ iure Eccleſiaſtico ſtatutas, quia Princeps non ſubeſt ſuis legibus quoad vim cogendi per pœnas. D. Thomas *cit. ar. 1. ad 7.* Syluester *verb. ſimonia q. 4.*

D. Thom. Syluest.

Sed petes, in quo propriè conſiſtat deformitas ſimoniæ commiſſæ contra ius humanum? *Reſp.* meo conſiſtere, quòd dum Eccleſia in reuerentiam ſacræ ſupellectilis bonorum Eccleſiaſticorum, prohibuit res aliquas pretio vendi, eaſque fecit inuendibiles propria authoritate, ob relationem quam ad res ſacras habent; ſi quis res eas venderet propria authoritate, cenſeretur rebus ſacris, ad quas res ex ordinem habent, facere iniuriam: Lex enim Eccleſiæ facit res eas inuendibiles, & imprimit illis aliquo modo quandam dignitatem, & immunitatem venditionis, ob relationem ad res ſacras. & conſequenter hæc immunitas cenſetur prouenire a ſanctitate, quam aliquo modo reſpiciunt, vnde nequit violari, niſi etiam ſanctitas violari cenſeatur.

6. Poteſt tamen Papa contrahere culpam ſimoniæ iuris diuini, qui æquè, ac alii ſubiectus eſt legi diuinæ. Labem autem ſimoniæ iuris humani incurrit Papa, ſi exigat pecuniam pro officiis, vel beneficiis iure vendi prohibitis, niſi rationabilis cauſa ſubſit. Ita Nauar. *c. 23. n.* 108. Laym. *cit. n. 64.* Syluius *cit. art. 1. in reſp. ad 7.*

Nauar. Laym. Syluius

7. Simonia diuiditur ſecundò, in mentalem, conuentionalem, & realem. Mentalis duplex eſt, vna ſumitur pro interno propoſito, & voluntate committendi ſimoniam etiamſi nullo modo prodeat in exteriorem actum, vt alia vitia mentalia. Secunda accipitur pro illa actione quæ fit mente ſimoniaca, ſed ex ſe, & ex circũſtantiis ſimoniã non præfert: & dum iura loquuntur de ſimonia mentali, non ſunt intelligenda de ſimonia mentali hoc primo modo explicata, quia hæc continetur in reali, vel conuentionali: ſolum enim propoſitum, vel deſiderium cadere non poteſt ſub pœnas Eccleſiaſticas, cùm Eccleſia de internis non iudicet.

Simonia conuentionalis eſt illa, quando non ſolùm eſt internum propoſitum obligandi, ſed etiam proceditur ad externam conuentionem, ſine tamen executione ſaltem vtrimque facta, & hæc conuentio fit verbis expreſſis & directis, vel obliquis, & obſcuris, vel nutibus. Vnde hæc ſimonia duplex eſt, altera, in qua neutra ex parte venitur ad actum exteriorem dandi, vel recipiendi, ſeu quæ vtrimquæ conſiſtit tantùm in promiſſione. Altera, quæ ex vna parte completur exteriùs, ex altera uerò tantùm promittit temporale, uel è contrario. Alia dicitur ſimonia realis, quando pactio ex vtraque parte eſt completa ſaltem inchoatè, vt ſi collatio beneficii facta ſit, & pretij pars ſoluta. Nauar. *c. 23. n.* 102. Filliuc. *cit. c. 10. quæſt.* 1. Azor. 3. *p. l. 12. c. 1. & 2.* Regin. *cit. n.* 153. Laym. *cit. n.* 67. Sylu. *cit. ar.* 1. Bonac. *cit. q.* 2. Leſſius *cit. dub. 6.*

Nauar. Filliuc. Azor. Regin. Leſſius.

Sed quæres, ſub quo membro contineatur ſimonia cõfidentiæ? *Reſp.* ſub ſimonia conuentionali, in ſimonia enim confidentiæ executio differtur ex vna parte; eſt enim ſimonia confidentiæ, quando quis paciſcitur cum eo cui confert, vel reſignat beneficium, vt illud cum ſuis fructibus, vel portione fructuum cedat alteri v. g. nepoti, cùm habilis fuerit.

8. Affirmant quidam Doctores ſimoniam mentalem committi, quoties per actionem ſpiritualem principaliter intenditur aliquid temporale, vel quoties per actionem temporalem; ſeu traditionem rei temporalis principaliter intenditur aliquid ſpirituale, mediante illo temporali, & ſecundum hanc ſententiam, qui Epiſcopo inſeruit principaliter intendens beneficium, reus eſſet labis ſimoniacæ, quia intendit commutare ſpirituale cum temporali. Gloſſa *in c. vnico de Clericis non reſid. v. recuperat. in 6.* Maior 4. *d. 15. quæſt. 29.*

Verior tamen ſententia aſſerit ſimoniam mentalem non committi, niſi intendatur temporale tanquam pretium rei ſpiritualis, vel ſpirituale tanquam pretium rei temporalis, ſiue intendatur tanquam finis principalis, ſiue tanquam finis minùs principalis ſeu ſecundarius; quia actus internus malitiam ſumit ab externo, & eoque ſpecificatur tanquam ab obiecto proximo, ſed actus externus non habet malitiam ſimoniæ, niſi res ſpiritualis tradatur pro temporali pretio. Filliuc. *tract. 45. cap. 10. quæſt. 4.* Suarez *cit. lib. 4. cap. 44.* Victoria *de ſimon. num.* 33. Valentia *tom. 3. diſputat. 6. quæſt. 16. p. 3. quæſt. 2.*

Filliuc. Valent. Suar.

Ex hac ſententia ſequitur *Primo*, non committi ſimoniam ab eo, qui ſacrum facit intendens recipere pecuniam in eleemoſynam, ſeu ad ſuſtentationem. *Secundo*, ſequitur donationes alicuius rei temporalis, ſub conditione, & onere conferendi aliquid ſpirituale, non eſſe ſimoniacas, vt ſi v. g. aliquis leget Eccleſiæ fundum, cum hac conditione, vt anniuerſarium ſacrum fiat. Ratio eſt, quia tunc ſpirituale tantùm eſt motiuum conferendi temporale, non autem emitur pro temporali, ſed eſt donatio temporalis ponderoſa. Ex eo item etiam capite ſequitur non eſſe ſimoniacum vſum aliquarum Eccleſiarum, in quibus promittitur aliquod miniſterium ſpirituale, vt exequiæ, Miſſæ, &c. illis, qui hanc vel illam eleemoſynam, aut oblationem contulerint: hac tamen in re vitandum eſt ſcandalum, & præſumptio ſimoniæ. Ratio eſt, quia etiam tunc temporale ſpectatur tantùm vt motiuum, non vt pretium.

Vide *Irregularitas* 10. num. 5.

SIMONIA II.

De diuiſione pretij ſimoniaci.

SVMMARIVM.

1 *De triplici pretio quod pro re ſpirituali tradi ſolet, & cuius traditione committitur ſimonia; videlicet,* à manu, à lingua, & ab obſequio.
2 *In quibus caſibus ſimonia committatur per munus à manu?*
3 *Per munus à lingua.*
4 *Per munus ob obſequio.*

1. PRetium, quod pro re ſpirituali tradi ſolet, & cuius traditione committitur ſimonia, triplex eſt, videlicet à manu, à lingua, & ab obſequio; *Cap. Saluator 1. q. 3.* ideò communiter à Doctoribus vocatur munus à manu, munus à lingua, & munus ab obſequio. Vocabulum munus non ita hic accipiendum, vt ſignificet donum liberale ac gratuitum, ſed potiùs debitum iuſtitiæ commutatiuæ, adeoque grauamen aliquod ac onus.

Per munus à manu intelligitur non tantùm pecunia, quod eſt propriè dictum pretium, ſed etiam omnis alia res materialis tum mobilis, tum immobilis, quæ quomodocumque prætio æſtimabilis eſt; item debiti remiſſio, & ſolutionis dilatio. Toletus *lib. 5. cap. 84. numer. 5.* Suarez *cit. cap. 38. num. 7.* Nauarrus *cap. 23. num. 101. cap. tua nos de ſimon.* Filliuc. *cit. cap. 9. num. 12.* Syluius 2. 2. *quæſt. 100. art. 5.*

Suar. Nauar. Filliuc.

Per munus à lingua, intelligitur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expreſſi vel taciti, vt res aliqua ſpiritualis viciſſim conferatur, vt ſi quis det beneficium Titio vt oret Principem pro ſe, &c. Si verò nullum pactum præceſſit, vel ſi preces poſtulatæ non fuerunt à collatore beneficij ſeu rei ſpiritualis, cenſentur factæ gratis, & ſimoniæ culpam non inducunt. D. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 5. ad 3.* Suarez *cap. 40. num. 12.* Leſſius *lib. 2. c. 35. num.* 118. Nauarrus *cit. num. 102. & 107.* Layman *cit. c. vltim. num. 26.*

D. Thom. Leſſius. Nauar. Laym.

Per

Per munus ab obſequio, intelliguntur quæcumque alia obſequia, ſeu ſeruitia alicui præſtita vel præſtanda, ſub obligatione conferendi beneficium Eccleſiaſticum, vel aliam quampiam rem ſpiritualem, v.g. ſi quis collatori, ſine alio ſalario inſeruire velit, cum expreſſo vel tacito pacto conferendi beneficium. Bonacina *de ſimon. d. 1. q. 1. §. 1. num.* 8. Filliuc. *cap. 9. num. 6.* Tamen ſimonia non eſt, gratis alicui ſeruire, aut obſequia præſtare cum ſpe, vt in eorum remunerationem ad Eccleſiaſticum beneficium quis præſentetur, aut inſtituatur, modò abſit pactum implicitum. Syluester *verb. ſimon. q. 16. d. 4.* Suarez *cap. 39. num. 7.*

Nota tamen, quòd licet hoc verum ſit in foro conſcientiæ, tamen periculoſum eſt in praxi: ſæpe enim magnum eſt periculum ſimoniæ vel certè non probæ electionis, quia obſequium præſumetur habere rationem pretij, ſi Epiſcopus conferat beneficium famulo, cui non perſoluit ſtipendium obſequij iuſtum; tunc enim ea pars obſequij, quæ ſtipendio non compenſatur, cenſetur eſſe pretium beneficij, id eſt, cenſetur præſtita à famulo, ad obligandum Epiſcopum, vt beneficium conferat, & Epiſcopus cenſetur dare beneficium, vt debito illo ciuili ſe eximat, quæ præſumptio ceſſat, quando iuſta ſtipendia ſoluuntur. Porrò hæc diuiſio in munus à manu, à lingua, & ab obſequio ſufficiens eſt, vt neceſſe non ſit aliud membrum adijcere, ſiquidem omnia bona temporalia, & externa, quæ in communicationem aut commutationem venire poſſunt, vel ad bona fortunæ ſpectant, vel per verba vocis aut ſcripturæ præſtari poſſunt; vel denique per aliqua corporis membra. Laymau. *cit. nu.* 26. Bonac. *cit. num.* 2.

Layman. Bonacina.

2. Ex dictis ſequitur ſimoniam committi, dum quis beneficium vel rem ſpiritualem alicui confert ob rem aliquam pretio æſtimabilem, vt ob pecuniam, ob remiſſionem debiti, vel ob promiſſionem illud remittendi, ſiue debitum ſit proprium, ſiue Eccleſiæ, Suarez *cit. cap. 38. nu.* 5. Laymao *cit. num.* 25.

Suar. Layman.

Item ſimonia eſt, dum quis promittit penſionem vel pecuniam conferenti vel procuranti beneficium, vel collatori, vel præſentatori. Azor. 3. *p. lib.* 12 *cap.* 11. Suar. *cit. num.* 10.

Azor. Suar.

Item ſimonia committitur ab eo, qui præſentatur ad beneficium, promittens præſentatori ſe decimas ab eo non exacturum, ar promittens Canonicis electoribus ſe remiſſurum partem Præbendæ, aut qui petit ordinari ad titulum bonorum ſibi ab eo aſſignatorum, promittens ſe nihil ab eo poſtulaturum. Nauar. *c. 27. num.* 158. Bonacina *cit. q. 1. §. 1. n.* 6. Suar. *cit. num.* 5.

Nauar. Bonac.

Item ſimoniacum eſt, ſi quis beneficium conferat ſub conditione pecuniæ ſib. mutuandæ, aut pecuniam mutuo tradat pro accipiendo beneficio, aut alia re ſpirituali: hæc enim omnia cadunt ſub bona externa, quę vocantur munus à manu. Filliucius *tract.* 45. *c. 9. n.* 12. Suarez *cit. num.* 7. Leſſius *lib. 2. cap. 20. num.* 64. Vide Syluium 2. 2. *q.* 100. *art.* 5.

Filliuc. Leſſius. Syluius.

3 Simonia committitur, dum Epiſcopus beneficium alicui promittit, vt pro ſe intercedat apud Principem ſeu pro ſe petat aliquam gratiam.

Item dum collator beneficij promittit alicui beneficium, ſi de ſe honeſtè locutus fuerit coram alijs, vel ſigna honoria exhibuerit, vel ſe ipſius conſanguineum eſſe profeſſus fuerit; hoc enim eſt munus à lingua factum ex prævio pacto expreſſo vel tacito.

Item ſimonia eſt, dum collator intendens aliquem ſibi obligare promittit ſe beneficium ei collaturum, ſi ab eo petatur.

Item ſimoniæ labes incurritur ab eo qui pecunia inducit familiarem vel amicum Epiſcopi ad petendum pro ſe vel pro alio beneficium; & hoc verum eſt etiamſi pecunia tradatur ſolùm mediatori ſeu interceſſori, non verò Epiſcopo ſeu collatori, ſed collator gratis omninò, & purè beneficium conferat, quia in hoc caſu beneficium pro pecunia recipitur. Azorius *cap. 18. q. 3.* Filliucius *tract.* 45. *cap. 9. num. 19. & 20.* 17. Suar. *cit. cap.* 40. Nauar. *c. 13. num.* 106. Sylueſt. *verb. ſimonia q. 6.*

Azor. Nauar. Sylueſt.

Aduertendum tamen eſt, ſi pecunia tradatur familiaribus Prælatorum non vt intercedant, & procurent beneficium, ſed ſolùm vt ſibi auditum vel facilem ingreſſum ad Prælatum concedant, vel vt certiorem faciant Prælatum de meritis oratoris, ſimoniam non committi, hoc enim eſt obſequium temporale pretio æſtimabile; ſimiliter non committit ſimoniam, qui abſque pacto vel promiſſione preces fundit apud Prælatum vt ſibi vel alteri beneficium conferat: vel dum quis precibus inducit aliquem ad rogandum Epiſcopum vel Papam, vt ſibi beneficium conferat, vel dum quis laudibus extollit quendam Prælatum, vt eius beneuolentiam, & amicitiam acquirat, ſperans inde beneficium abſque conuentione. Filliuc. *cit. cap. 12. q. 7. num.* 12. Bonacina *c. q. 1. §. 1. num.* 17. Suarez *cit. cap. 53. num.* 17. Azor. 3. *p. lib.* 12. *cap. 5. q. 4.* Sylu. *cit. concl.* 2.

Filliuc. Bonac. Azor. Sylu.

4. Tradere alicui beneficium, vel aliquid aliud ſpirituale, cum pacto ſeu cum onere præſtandi aliquod obſequium temporale, ſimonia eſt, quia exigitur munus ab obſequio pro re ſpirituali, & in beneficijs vetantur omnes pactiones: quod limitandum eſt, niſi obſequium temporale quod exigitur, ſit annexum beneficio, ſeu rei ſpirituali, v.g. docere Grammaticam, vel Theologiam: tunc enim non committitur ſimonia, quia non exigitur aliquid indebitum. Filliucius *cit. cap. 9. q.* 10. Suarez *cit. cap. 39. n. 7. & 8.* Victoria *de ſimonia num.* 36.

Item ſimonia eſt, cùm beneficium confertur vel impetratur alicui propter obſequia antea præſtita in compenſationem ipſorum obſequiorum, id eſt, ad ſatisfaciendum debito ex iuſtitia contracto ob illa obſequia, ſecus ſi tradatur titulo gratitudinis, ſeu debiti antidotalis conſurgentis ex obſequio facto ſine pacto expreſſo vel tacito recipiendi aliquid ſpirituale. Azorius 3 *p. lib.* 12 *c.* 11. Nauar. *c.* 13. *num.* 106. Couar. 2 *variar. cap. 20. num.* 4.

Azor. Nauar. Couar.

Ex dictis ſequitur, quòd Religioſi ſimoniam committant in electionibus, ſi dent temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obſequio pro conſequendis dignitatibus Eccleſiaſticis, *C. Non ſatis, C. mandato, de Simonia, C. 2. §. Prioratus, de ſta. Monachorum, C. quam pio 1. q. 2.* v.g. Abbatia, Prioratu, Guardinatu, Prouincialatu, Generalatu, Vicariatu, Diffinitoratu; ſeu etiam licentia confeſſiones audiendi, prædicandi, Ordines recipiendi, ſeu a caſibus reſeruatis abſoluendi, &c. quia ſemper dare aliquid temporale pro ſpirituali ſimoniacum eſt. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 54. num.* 3. Peyrinus *tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. de obed. cap. 31. §. 9.* qui etiam extendunt hoc ad illos, qui dant aliquod ex prædictis muneribus pro conſequendo officio Sacriſtę, vel Procuratoris Ordinis, vt habetur expreſsè in iure. *Cap. Saluator 1. q. 2.*

Pro quiete tamen Religioſorum notat Lezana *tom. 4. ſumm. verb. Simonia, num.* 31. quod ſi forſan in eorum Religionibus per vſum, vel potiùs abuſum, aliquando contigerit ipſos dare, vel accipere aliquod munus in prouiſione officiorum Ordinis, etſi propterea peccent, vel contra conſtitutionem Clementis VIII. *de largitione munerum*, vbi illa eſt recepta; vel contra conſtitutiones particulares Religionum, non tamen idcirco cenſeri debent ſimoniam commiſiſſe, ſi tale munus non dant, aut accipiunt in pretium talium officiorum: quia multi tituli honeſti, etiam gratitudinis, aſſignari poſſunt, propter quos tradens, vel accipiens temporale pro ſpirituali à labe ſimoniæ liberetur, vt dicetur infrà v. *Simonia V.*

SIMONIA III.

De materia Simoniæ, quæ eſt res ſpiritualis.

SVMMARIVM.

1 *Quænam ſit propria materia ſimoniæ?*

2 *An pro iure ſepulturæ, aliquid exigere tanquam pretium, ſimoniacum ſit?*

3 *An pro materia remota Sacramenti, vt eſt aqua, oleũ, panis, &c. poſſit exigi pretium ſine Simonia?*

Et an

Et an in graui vel extrema neceſſitate liceat dare pretium pro Sacramentis, dum gratis obtineri nō poſſunt? Refertur duplex ſententia. *An ſit Simonia ponere in loco publico reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde prouenientium?*

4 *An ſacramenta omnia, ſiue tranſeuntia, ſiue permanentia, ſint propriè materia Simoniæ?*

5 *An collatores ordinum ſimoniaci ſint, accipiendo aliquid occaſione ordinationis, quamuis ſponte offeratur? & quid de ſuſcipientibus ordines præuia pecunia?*

6 *An diuina officia, & quæuis orationes tam publicæ quàm priuatæ ſint propriè materia Simoniæ?*

7 *An exigere aliquid pro doctrina Theologia ſit Simonia?*

8 *An vendere licentiam ad docendum Theologiam ſit Simonia?*

9 *An pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo, aliquid accipere tanquam pretium, ſimoniacum ſit?*

10 *An contraria diuturna conſuetudo, quæ in Monialium monaſterijs obtinuit, aliquid exigendi, ſit damnanda & ſimoniaca?*

11 *An pro omiſſione actus ſpiritualis aliquid exigere ſit Simonia?*

12 *An omnis actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſit materia Simoniæ?*

1. CVm *duo* ad omnem ſimoniacam pactionem concurrere debeant, quorum *vnum* eſt veluti pretium, id eſt, quæuis commoditas temporalis, cum alia re commutabilis. *Alterum* eſt, veluti merx, id eſt, res aliqua ſpiritualis ſeu ſpirituali annexa, quam in commutationem deducere pro re temporali, tanquam pretio, irreligioſum, & ſacrilegum eſt: hinc *propria materia* Simoniæ eſt res aliqua ſacra ſpiritualis, & ſupernaturalis: vnde committitur Simonia vendendo gratiam ſanctificantem: Spiritus enim ſanctus vendi poteſt non de iure, ſed de facto, ſi verbi gratia vendatur ſacerdos intuitu ſacerdotij Layman. *cap. vlt.* §. 4. Bonac. *de ſimonia quæſt. 4. num. 1. & ſeq.* Fill. *tract. 45. cap. 2. num. 22.* Similiter vendendo Christum, committi poteſt Simonia, habita ratione vnionis hypoſtaticæ, vel donorum ſacrorum, & ſupernaturalium in Chriſto exiſtentium. Bonac. *c. q. 4. n. 3.* *Item* & Euchariſtia tam ratione contenti quàm ſpecierum conſecratarū, eſt materia Simoniæ, ſicut & ſacramenta, aut ſacramentalia, & reliquiæ: Suar. *c. c. 10. n. 2. 3. 6.* Layman *n. 35.* Secus *dicendum* de miſericordiæ operibus externis, videlicet de actionibus, & obſequijs ſepeliendi mortuos, viſitandi infirmos, &c. quia hæc opera ex ſe non ſunt res ſacræ, ſed naturales. Reginaldus *l. 23. n. 208.* Valent. *to. 3. d. 6. q. 16. p. 2.*

Laym. Bonac. Filliuc. Bonac. Suarez. Laym. Regin. Valent.

2. Pro iure ſepulturæ, ſiue vt aliquis in certo loco Eccleſiæ, aut cœmeterij ſepeliri poſſit, aliquid tanquam pretium exigere, ſimoniacum eſt. D. Th. 2. 2. *q. 100. a. 4. ad 3.* Suar. *c. c. 14. n. 17.* Syluest. *v.* ſimonia *q. 11.* Laym. *c. nn. 37.* Arragon. 2. 2. *q. 100. a. 4. ad 3.* Sylu. 2. 2. *q. 100. a. 4. concl. 2.* tamen licèt non poſſit pro ſepultura aliquid exigi vt pretium, poteſt accipi ſi ſponte offeratur; item ſi diuturna conſuetudo introducta ſit, vt aliquid detur, abſque turpi exactione ſpecie auaritiæ, illa ſeruari debet: immò ſi quis certum locum Eccleſiæ vel cœmeterij ſibi, ſuæque familiæ tanquam proprium vendicare velit, non videtur eſſe prohibitum pro tali iure aliquid exigere, præſertim vbi conſuetudo viget; quia talis obligatio incumbens clericis quòd alium in eo loco ſepelire non poſſint, videtur eſſe pretio æſtimabilis. Tum quia hæc dignitas, & nobilitas loci in ſe conſiderata ſæcularis eſt, & merè temporalis, & non eſt adnexa ſepulturæ ipſi, & ideo vendi poteſt; ſicut etiam pro eo quod eſt, maiori pompa ſepeliri, maior ſolito eleemoſyna accipi poteſt; nam quamuis ſepelire mortuos officium ſit ſpirituale, tamen maiori, vel minori pompa funerali ſepelire, temporale eſt, & per accidens adnexum officio huiuſmodi. Praxis quotidiana id probat etiam apud aliquos religioſos, & domos miſericordiæ, moderatam aliquando pecuniam accipientes pro ſepulturis ordinarijs: quia non accipiunt illam pro pretio ſepulturæ, & rei ſacræ, ſed pro damno, quod infertur Eccleſijs, & pro incommodis temporalibus inde Eccleſijs reſultantibus; negari enim non poteſt, ſepulturas illas magna ex parte Eccleſias damnificare, malè pulchras reddere, & pro iſto damno, pretium aliquod moderatum peti, & accipi poteſt, cùm hoc potiùs ſit quædam reſtitutio damnificationis temporalis, quàm venditio rei ſacræ: decens enim eſt, vt defuncti, qui templum inhabitant, contribuant ad eius templi reparationem. *Item* poteſt aliquid accipi pro ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ, ſicut datur eleemoſyna pro Miſſis celebrandis: imò licet accipere pretium pro loco honoratiori ſepulturæ. Ratio eſt, quia venditur quid temporale, ſcilicet honor, vt pendet ex hominum æſtimatione, & per accidens rei ſpirituali coniungitur: ſed ſolùm hoc eſt verum, quando locus eſt honoratior ob reſpectum aliquem temporalem, non verò ſi eſt propter reſpectum ſpiritualem, verbi gratia, quia eſt propinquior Altari, ſanctiſſimo Sacramento, &c. Ita Lezana *tom. 4. Sum. V. ſepultura num. 14.* apud quem plura de hac materia.

Suar. Syluest. Layman. Arrag. Sylu.

3. Pro *materia remota* ſacramenti, quæ ſemper eſt aliqua res naturalis, vt aqua, oleum, chriſma, vinum, panis, &c. poteſt exigi pretium abſque ſimonia, quia vt ſic, res quædam eſt materialis, & venalis: pro *materia proxima* ſacramenti, vt eſt ablutio in Baptiſmo, conſignatio in Confirmatione, prolatio verborum in Pœnitentia, &c. non poteſt exigi pretium abſque ſimonia; quia omnes eiuſmodi actiones ſunt actus miniſterij, & poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis, ideòque ipſæmet actiones materiales gratis conferendæ ſunt. *C. cum in Eccleſia, de ſimonia.* D. Th. *c. q. 100. a. 2.* Suar. *c. c. 11. n. 3.* Laym. *c. n.* Fill. *tr. 45. c. 3. q. 4.* An autem in graui vel extrema neceſſitate liceat dare pretium pro ſacramentis, dum obtineri non poſſunt; variæ ſunt doctorum ſententiæ. *Prima* abſolutè negat hoc licitum eſſe, quia emere ſacramentum, eſt intrinſecè malum. Ita D. Thom. *c. a. 2. ad 1.* *Secunda* abſolutè affirmat licitum eſſe, ſiue ſacramentum petatur pro infante, ſiue pro adulto. Ita Sotus *l. 9. de iuſtitia q. 6. a. 1.* & alij apud Azorium *3. p. l. 12. c. 3. q. 3.* *Tertia* ſententia, quæ eſt probabilior, affirmat pecuniam tradi poſſe, non pro ipſis ſacramentis, vel eorum adminiſtratione, ſed ad remouendum impedimentum, vel ad redimendam iniuſtam vexationem; quia in hoc caſu non irrogatur irreuerentia ſacramentis, cùm non adſit intentio emendi rem ſacram, ſed inducendi ad id, quod Sacerdos præſtare tenetur. Leſſius *l. 2. c. 35. d. 7.* Dian. *p. 5. tr. 7. reſ. 16.* Filliuc. *c. c. 3. q. 5.* Suar. *to. 1. l. 4. c. 12. n. 1. 3.* Sylu. 2. 2. *q. 100. ar. 2. poſt concl. 3.* Deinde in hoc caſu non redimitur vexatio emendo baptiſmum, ſed dando pecuniam vt motiuum, quòd ſi is qui non vult, niſi animo ſimoniaco baptizare puerum, velit iuramento conſtringere redimentem, ad offerendam pecuniam animo emendi baptiſmum, tamen adhuc is poſſet illum eludere, & redimere vexationem modo licito, videlicet, conferendo pecuniam vt motiuum, modò directè non adigatur ad hanc emptionem in contemptum rei ſacræ. Imò taliter poteſt redimi vexatio ab adulto in periculo mortis conſtituto, ſi aliter non poſſit obtinere baptiſmum. Ratio eſt, quia adultus grauiſſimam habet cauſam negligendi tunc peccatum alterius, cùm difficile ſit ſine ſacramento habere contritionem, quæ reipſa ſufficiat ad ſalutem.

Suar. Layman. Filliuc. Leſſius. Diana. Filliuc. Suar. Sylu.

Eodem modo licet redimere ignominiam, & vexationem inferendam ſacris reliquiis ſanctorum ab hæreticis; etiamſi ipſi hæretici eas impiè vendendo peccaturi ſunt, modò pecunia non detur vt pretium, ſed vt motiuum, & hæretici in contemptum ſacrarum reliquiarum nō compellant fideles directè ad illas emendas, quia hoc eſſet intrinſecè malum, & contra fidei confeſſionem. Ratio eſt, quia tunc ſubeſt cauſa valde iuſta negligendi illorum peccatum.

An autem ſit ſimonia ponere in publico loco reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde prouenientium? Affirmant Angelus, Syluester. *v. Reliquia,* Azorius, *to. 1. l. 9. c. 8. q. 7.* Graffiis *2. p. lib. 2. cap. 14. n. 7.* Limitant *Armilla, Tabiena* eodem verbo Nauarrus *in man. c. 17. nu. 169. verſ. 62.* dicentes eſſe ſimoniam, quando tales reliquiæ

Syluest. Azor. Graffiis. Armil. Nauar.

Digitized by Google

quiæ exponontur io publico ob quæſtum, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis, vel expoſitionis. Secus ſi principale intentum ſit cultus ſanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale ſit, minus intentum. Et hæc limitatio clara, & ſequenda eſt. Quamuia non ſit improbabilis ſentētia Sanchez *lib. 2. mor. c. 43. num. 21.* aſſerentis, noo eſſe ſimoniam, eò quòd finis Principalis ſit lucrum temporale, ſed tantum, quando id intenditur tanquam pretium illius oſtenſionis: tunc enim eſt quædam quaſi venditio; ſi verò tale lucrum ooo ita ſperatur vt pretium venditionis, ſed tanquam ſuſtentatio congrua ibi laborantis, non érit ſimonia: quia *Cap. fin. de reliquiis & venerat. Sanctorum.* & Tridentinum *ſeſſ. 25. in decreto de inuocatione, venerat. & reliq. Sanctorum.* quando prohibent reliquias vænales oſtendere, intelligunt quando quæſtus ſeu oblationes deducuntur io pretium ſub pacto.

Sanch. Trident.

4. *Sacramentalia* omnia ſiue tranſeuntia, vt benedictiones publicæ, & cæremoniæ, quæ fiunt in ſacramentis conferendis, ſiue permanentia, vt benedictio aquæ aut olei, conſecratio calicis, &c. ſunt propriè materia ſimoniæ; quia ſunt res ſpirituales ſiue conſiderentur ſecundùm earum priocipium, ſuot enim ſupernaturali à Chriſto accepta poteſtate inſtitutæ, ſiue conſiderentnr ſecundum earum finem: quidem ad ſpiritualem animarum ſalutem per ſe ac directè ordinantur, *C. cum in Eccl. de ſimonia.* Fill. *c. c. 3. q. 6.* Suar. *c. l. 4. c. 14.* Nau. *c. 23. n. 99.* Laym. *n. 35.* Vnde omnes omnioo actus procedentes ex poteſtate ordinis, ſiue ex Chriſti ſiue Eccleſiæ inſtitutione, ſunt materia ſimoniæ cootra ius naturale ac diuinum, quia ſpirituales ſuot tam ex parte principij, quàm ex parte finis Bonac. *c. q. 4. §. 2. & 4.*

Filliuc. Suar. Nauar. Layman. Bonac.

Notandum tamen eſt, ſimoniacum non eſſe; ſecundùm communem ſententiam, vendere ipſam materiam rerum ſacratarum, ſecundùm ſe pretio æſtimabilem, vt ſacros Calices, veſtes, numiſmata benedicta, &c. quia materia illarum rerum valorem non amittit ob conſecrationem, licet ooum valorem ex conſecratione non aſſequatur. Suar. *c. c. t 4. n. 6.* Nau. *c. 23. n. 108.* Caiet. *v. ſimon. reg. 1.* Fill. *c. q. 10. c. 3.* Canoniſtæ autem putant communiter res conſecratas veodi non poſſe, quamdiu conſecrationem retineot, amiſſa verò conſecratione frangendas eſſe, & illarum materiam vendi poſſe. *Gloſſa in c. ea quæ, & c. non ſatis de ſimonia.* Hodie vendens agnos Dei benedictos reus eſt ſimoniæ iabis iure humano vetitæ, etiamſi eos vendat ſolùm ratione materiæ, nec plus exigat ratione conſecrationis, quia *Gregorius XIII.* prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incorrendæ (vt patet in eius bulla, quæ incipit, *Omni certe ſtudio.*) Agnos Dei pingi, & ſic pictos vænales proponi, ſeu retineri, & ad vitandum ſimoniæ periculum in vrbe Roma extat ſpecialis prohibitio, huiuſmodi Agnos benedictos vendendi. Bonac. *c. §. 2. n. 6. & to. 3. d. 2. q. 2. punct. 29.* Verùm Filiiucius *tr. 14. c. 6. n. 93.* aſſerit hanc conſtitutionem Gregorij extra Vrbem non fuiſſe receptam. Paſſim enim cernuntur Agni Dei picti, qnos non eſt veriſimile fuiſſe depictos cum licentia Papæ. Imò ſi ſint albi, & non minio confecti, poſſe vendi ſine vllo ſcrupulo ratione materiæ ac laboris, & impenſarum in eis aſportandis docent Cherubinus, Naldus, Homobonus, Villalobos, Suarez, Sanchez, vt refert Diana *part. 3. tract. 6. reſ. 12.* & huic ſententiæ ſubſcribit *lib. 2. Theolog. moral. n. 867.*

Suar. Nauar. Caiet. Filliuc. Bonac. Filliuc. Diana.

5. *Simoniacus* eſt, ſuſcipiens ordines præuia pecunia ſeu pretio: & collatores ordinum ſimoniaci ſunt, accipiendo aliquid occaſione ordinationis, quamuis ſponte offeratur. excipiuotnr tamen candelæ, ſeu faculæ ex declaratione ſacræ Congregationis *C. ſi quis, de ſimon. C. ſicut Epiſcopum. 1. q. 2.* Suar. *c. 53. n. 3.* Regin. *c. n. 220.* Leſſ. *l. 2. cap. 35. dub. 10.* *Notarius* tamen, cui ſalarium alia ratione conſtitutum non eſt, poteſt aliquid pro litteris dimiſſorijs vel teſtimonialibus, loco ſtipendij accipere: quia non tenetur gratis operam ſuam præſtare, nemo enim ſuis ſtipendijs militat: imò Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 1. de reform.* dat ei facultatem recipiendi decimam vnius aurei partem in ijs locis, in quibus conſuetudo inualuit aliquid accipiendi.

Suar. Regin. Leſſius.

6. Diuina officia, & quævis orationes non tantùm publicæ, ſed etiam priuatæ, ſunt propriè materia ſimoniæ: quamuis nihil obſtat quominus aliquid petatur, verbi gratia pro officio funebri, & pro proceſſione, crucis geſtatione, &c. non per modum pretij, ſed ratione laudabilis conſuetudinis, vel ad neceſſariam ſuſtentationem miniſtrorum. *C. ad noſtram, de ſimon. D. Thom. c. q. 100. art. 3.* Suar. *c. cap. 15.* *Notandum* eſt quod in ſpirituali functiooe quatuor ſpectari poſſuot. *Primò*, ipſa actio quà talis eſt. *Secundò*, labor intrinſecè coniunctus. *Tertiò*, labor extrinſecus annexus. *Quartò*, miniſtri ſuſtentatio. Simonia eſt aliquid dare vel accipere pro ipſis actionibus ſpiritualibus qua ſpirituales ſunt, quia hoc eſt ſanctitatem rei pretio æſtimare. Leſſius *l. 2. c. 35. dub. 8.* *Non* eſt autem ſimonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinſecùs ſeu per accidens adiunctis, ſiue præuij ſint actioni ſacræ, ſiue comittentur, quia illi labores in ſe ſunt quid temporale per ſe pretio æſtimabiles. *Non* eſt item ſimonia ſi des aliquid pro ſuſteotatione miniſtri, ſub obligatione rei ſpiritualis, aut ſi miniſter aliquid pro ſuſtentatione exigat: imò poteſt ipſe miniſter paciſci de certo ſtipendio ad ſuſteotationem, prout habet conſuetudo. Bonacina *c. q. 6. p. 3.* Suarez *c. cap. 21. num. 15.* Reginald. *c. num. 139. & num. 117.* Valent. *tom. 3. d. 6. q. 16. p. 3.* Toletus *l. 5. c. 89.* Syluius *c. art. 2. concl. 2. & art. 3. q. 1. & 2.* *Pro labore* verò qui intrinſecè eſt coniunctus actioni ſacræ poſſe aliquid accipi vel dari; quidam affirmant, alij autem negant; vtrique probabiliter, Vide Syluium *c. art. 2. concl. 1.* Laymao *c. n. 41.* Leſſium *c. n. 53.*

Suar. Leſſius. Bonac. Suar. Regin. Valent. Tol. Sylu. Sylu. Laym. Leſſius.

7. Non eſt ſimonia aliqoid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis ſeu metaphyſicæ, quia hæc doctrina non eſt res ſupernaturalis, ſed eſt actus naturalis intellectus adducens alterum ad cognitionem naturalem, ac proinde non eſt materia ſimoniæ. Suarez *c. l. 4. c. 18. n. 9.* Layman *c. l. 4. tr. 10. c. vlt. §. 4. n. 30.* Syluius *c. art. 3. in reſp. ad 3. quæſt. 1.* Filliuc. *tr. 45. cap. 4. q. 7. & 8.* Leſſius *l. 2. cap. 35. dub. 13.* Bonacina *c. q. 4. §. 10. n. 5. 6. & 7.* Victoria *relect. 11. de ſimonia n. 6.* Exigere autem aliquid pro ſimplici catechiſmo ſeu doctrina, & veritate fidei tradenda, tanquam pretium, eſt ſimonia, quia hæc doctrina non æſtimatur, niſi quatenus diſponit ad ſalutem. Si Theologia pro cognitione myſteriorum fidei, & ſcripturarum diuinitus infuſa accipiatur, exigere aliquid pro eius vſu tanquam pretium, eſt ſimonia, quia hæc eſt gratia gratis data, & ſupernaturalis. Si autem Theologia accipiatur pro ſcientia, quæ ex principijs fidei per induſtriam rationis naturalis deducit concluſiones, pro quibuſdam eius actibus pretium accipi poteſt, pro quibuſdam non; quatuor enim functiones habet Theologia. *Primò*, ex principijs fidei deducere concluſiones. *Secundò*, ex ſacris Doctoribus interpretari ſcripturas. *Tertiò*, docere doctrinam Chriſtianam. *Quartò*, dare reſponſa ad pacandas conſcientias. Pro tertio, & quarto actu pretium exigi non poteſt, ſecundùm *Leſſium.* Pro primo, & ſecundo quidam putant eſſe ſimoniam aliquid exigere, alij etiam probabiliter negant. Simoniacum non eſt, doctrinas ſeu inſtructiones naturales artium aut ſcientiarum, alteri quaſi pretio vendere, ſeu mercede locare, quia ſcientia, doctrina ſeu inſtructio rerum naturalium, moralium, &c. non eſt ſacra ſpiritualis ſeu ad ſalutem animæ ſpecialiter deſtinata: per accidens tamen iniuſtitia committi poſſet, verbi gratia, ſi quis duplicatum ſalarium accipiat, vt profeſſor artium, qui iuſtum publicum ſalarium habens nihilominus à ſcholaribus collectam exigit. Nauarrus *cap. 23. num. 100.* Reginald. *23. num. 112.* Azorius *3. p. l. 12. cap. 18. q. 6.* Layman *c. num. 30.* Filliucius *c. cap. 2. quæſt. 5.*

Suar. Laym. Syluius. Leſſius. Bonacina. Nauar. Regin. Azor. Laym. Filliuc.

8. Vendere licentiam ad docendum Theologiam, non eſt ſimonia ex natura rei; quia concedendo alicui Cathedram, datur, licentia docendi Theologiam, at cathedram vendere licet abſque ſimonia, quia nec poteſtas ex qua datur ſpiritualis eſt, ſed temporalis, nec actus ad quem datur ſpiritualis eſt, vnde nec vendere magiſterium Theologiæ, ſimonia eſt, quia actus docendi ad quem huiuſmodi magiſterium ordinatur, ſpiritualis non eſt. Suarez *c. cap. 18. n. 14.* Layman *c. n. 31.* Leſſius *c. n. 83.* Syluius *c. quæſt. 1.*

Suar. Laym. Leſſius. Sylu.

9. Pro

Digitized by Google

9. Pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo accipere aliquid tanquam pretium, ſecundùm ſe ſimoniacum eſt, quia hic ſtatus eſt res omnino ſupernaturalis, & cæleſtis, continens ius, & obligationem ſeruiendi Deo in communitate, ſecundùm præſcriptam regulam; & ideo eſt impretiabilis. Vt habetur in cap. *Nullus*, 1. *quæſt*. 2. & docent D. Thom. 2. 2. *q*. 100. *art*. 3. *ad* 4. Sylu. *ibidem quæſit*. 2. *concl*. 1. Suarez *de relig. tom*. 1. *lib*. 4. *cap*. 17. Pet. Ledeſma *de ſimonia concl*. 17. Azorius *c. l*. 12. *cap*. 16. & alij communiter. Item ſecundùm Doctores hic citatos, ſimonia eſt aliquem allicere ad religionem muneribus, illa tanquam pretium tribuendo; vt ſi fiat pactum cum aliquo, quòd ipſe propter quædam munera ingredietur religionem: intendendo illum abſolutè per hæc obligare. Nihilominus ſi munera deotur ſimpliciter, & abſolutè, vel ſub conditione tantùm inuitante, vel facilitante conditionem religioſi ſtatus, ſic licita eſſet donatio vel promiſſio.

D. Thom. Syluest. Suarez. Ledeſm. Azor.

Aliquid exigere vel accipere pro ſuſtentatione perſonæ, non eſt illicitum, ſi monaſterium inops ſit, & regula ordinis permittat. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt, quia hic nihil ſpirituale venditur, ſed ſolùm exigitur quædam neceſſaria conditio, vt alij religioſi non grauentur; non enim tenentur ſubire maiorem inopiam, vt alij admittantur, quando admittendi poſſunt facilè iſtud incommodum cauere. D. Thomas c. Syluius *ibidem concl*. 2. Bonac. *de ſimon. diſp*. 1. *quæſt*. 4. §. 8. *num*. 2. Filliuc. *tr*. 45. *cap*. 4. *quæſt*. 6. Suar. *c. c*. 17. *num*. 18. Si monaſterium ſit diues, licet probabile ſit non eſſe ſimoniam, nec iuris diuini in foro exteriori, nec humani, ſi ſuperiores monaſterij exigant aliquid pro alimentis, ſeu onere ſuſtentandi religioſum admittendum, ita vt aliter nolint illum admittere, eſt tamen longè probabilius, & verius eſſe ſimoniam, ſaltem iuris humani. Prior pars eſt Dominici Soto, *de iuſtit. lib*. 9. *q*. 6. *art*. 2. *ad* 4. Syluest. *v. Simonia q*. 15. Valent. 2. 2. *diſput*. 6. *q*. 16. *punct*. 2. Tolet. *lib*. 5. *cap*. 89. quos ſequuntur quidam Recentiores. Ratio eſt, quia non exigitur temporale pro ſpirituali, ſed ſolùm requiritur, vt monaſterium nullo modo grauetur: eſto ſit aliunde peccatum grauiſſimum contra iuſtitiam, quia prouentus monaſterij non applicantur ijs, qui ad hos ius habent, & quibus Eccleſia voluit applicari: & etiam contra charitatem, tum ratione ſcandali, aut auaritiæ: tum quia ob id multæ puellæ pauperes à religionis ingreſſu abſtinent. Altera pars eſt D. Thom. *in* 4 *d*. 25. *quæſt*. 3. *art*. 2. *quæſt*. 2. Adriani *quodl*. 9. *in reſp. ad* 6. Victoriæ *relect. de Simonia p*. 2. *num*. 12. Syluij *c. concl*. 5. quia vel exhibetur pro admiſſione ad ſtatum religionis, & eſt aperta ſimonia: vel pro nuda ſuſtentatione, & videtur eſſe palliata: cùm enim monaſterium ſit opulentum, & ſufficienter habeat vnde ſuſtentari queant illi qui offerunt; non apparet quòd temporalia verè, & coram Deo exigantur pro eorum ſuſtentatione, ſed quòd ille prætextus accipiatur. Confirmatur hæc ſententia ex multis Canonibus, qui id prohibent tanquam ſimoniacum *Cap. non ſatis. Cap. veniens ad nos. Cap. Dilectus filius. Cap. quoniam, de ſimonia*. & *Extrauagans* 1. *de Simonia* valde vrget: nam & eos, qui paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias exigunt in religionis ingreſſu, etiam ex conſuetudine, quam dicit eſſe corruptelam, & eos qui hæc dant excommunicat, &c. Conuentus autem, & Capitula ſuſpendit. Reſpondent alij, hos canones loqui quoad præſumptionem fori exterioris, vel certè quando aliquid exigitur vt pretium, non pro ſuſtentatione. Alij dicunt olim fuiſſe ſimoniam iuris Eccleſiaſtici, ſed modò per contrarium vſum eſſe abolitam: ſed rectiùs Doctores poſterioris ſententiæ loquuntur, quia Canones abſolutè dicunt eſſe ſimoniam, & contrariam conſuetudinem eſſe corruptelam. Ratio eſt, quia ius viuendi de prouentibus monaſterij auctoritate Eccleſiæ adeò coniungitur profeſſioni, ſicut præbenda officio Eccleſiaſtico, ergo ſicut pro præbenda non poteſt quidquam exigi, ita nec pro iure ſuſtentationis. Confirmatur, quia cùm hoc ius ſit debitum ratione ſtatus, ſecundùm prudentem æſtimationem, cenſebitur ille qui aliquid exiget, velle vendere ipſum ſtatum, ex quo hoc ius manat. Proinde hanc extrauagantem *Vrbani V*. in corpore iuris inſertam confirmauit *Gregorius X*. per aliam quæ incipit, *Tenorem*, apud *Rodriquez* in bullario.

D. Thom. Sylu. Bonac. Filliuc. Suar.

Syluest. Valent. Tol.

D. Thom. Adrian. Victor. Syluius.

Similem ferè prohibitionem facit Tridentinum *ſeſſ*. 25. *c*. 16. *de reformat*. tamen ſine excommunicatione ipſo facto incurrenda: ne ſcilicet, ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu Nouitij, vel Nouitiæ, illius temporis quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus eius Monaſterio aliquid ex bonis eius tribuatur, idque præcipit ſub anathematis pœna, ferenda ſcilicet, ſed non lata. Et certè hæc opinio D. Thomæ, & aliorum ſimpliciter eſt vera, loquendo in conſcientia: eo quòd Pontifices non ſolùm puniant vitium, quod præſumunt, ſed abſolutè ipſum actum, ex quo eſt huiuſmodi præſumptio, prohibeant, & illicitum conſtituant, etiamſi alias non eſſet illicitum: imò omne ius quidquam petendi, etiam pro ſuſtentatione, Monaſterio diuiti tollant; ita quòd illi nullus iam titulus iuſtus ſuperſit ad petendum: ex quibus ſequitur, quòd ſi aliquid petit, idipſum petit pro ingreſſu; quia licet inius intentionem ab hoc obiecto auertat; ipſo tamen facto euitare non poteſt, quin implicitè, & indirectè id intendat. Sicut qui pro mutuo aliquid petit, ad quod petendum nullum omnino titulum habet, interim aliter non vult mutuare; profectò conuincitur illud petere pro mutuo, & vſuram committere.

10. Contraria diuturna conſuetudo, quæ in Monialium Monaſterijs obtinuit, facilè damnari non poteſt; cùm enim expediat Monialium Monaſteria ſufficientes reditus habere, ne vagandi, aut cum ſæcularibus communicandi occaſio ipſis præbeatur; rarò accidet, vt non probabilem titulum exigendi dotem moderatam (præſertim exigente conſuetudine diuturna) prætendere poſſint, quo & de redituũ ſufficiẽtia ſecuriores ſint; & plures etiã, quas alioquin deberent, recipere poſſint. Philiarcus *t*. 2. *de offic. Sacerdot. lib*. 6. *cap*. 7. Suarez *de cenſ. d*. 22. *ſect*. 5. *num*. 13. Leſſius *cit. num*. 70. Layman *cit. nu*. 39. Quapropter Summi etiam Pontifices Martinus V. & Clemens VII. declararunt nolle ſe vt Moniales cenſuram aliquam incurrant, eo quòd pro ingreſſu aut profeſſione ſuarum aliquid exigant, vt teſtantur Nauarrus *c*. 27. *n*. 196 Syluest. *v. ſimonia* 7. *num*. 15. *in fine*.

Suar. Leſſius. Layman.

11. Pro omiſſione actus ſpiritualis aliquid exigere, non eſt propriè ſimonia; quia nuda omiſſio actus ſpiritualis non eſt quid ſacrum, & ſupernaturale; tamen huic contractui, quo aliquid datur vel exigitur pro omiſſione actus ſpiritualis, ſi fiat ſine iuſta cauſa coniuncta, eſt quædam turpitudo ſimoniæ affinis: quia dum exigitur vel offertur pretium pro omiſſione actus ſpiritualis, tacitè inſinuatur, actum illum eſſe vendibilem: in multis tamen caſibus liceret, modò cum huiuſmodi omiſſione coniunctus non ſit actus iuriſdictionis, qui cum ipſa omiſſione pretio vendatur. Suarez *de ſimon. cap*. 8. *n*. 26. Filliuc. *cit. cap*. 2. *num*. 19. Layman *cit. num*. 43. Valent. *tom*. 3 *d*. 6. *q*. 16. *punct*. 2.

Nauar. Syluest.

Layman. Valent.

Ex quibus collige *Primò*, ſimoniacum non eſſe qui pretium accipit pro non audiendo Sacro, vel pro non recitando Officium diuinum, vel non concionando, & ſic de multis alijs omiſſionibus, licet aliunde ſit illicitum, & peccatum: quia nuda, & ſimplex omiſſio horum actuum, non eſt aliquid ſacrum, aut ſpirituale: dum igitur pro illa præcisè pretium datur, & accipitur, non eſt ſimonia, quidquid ſit de alijs peccatis iniuſtitiæ, vel ſacrilegij, quæ ibi poſſunt reperiri.

Collige *Secundò*, Confeſſarium, qui pro pretio non abſoluit hominem ritè confeſſum, & eum iudicem, qui non abſoluit excommunicatum ab excommunicatione, pro eodem pretio, quando illum debet abſoluere, committere ſimoniam; quia vterque vſus eſt iuriſdictionis ſpiritualis, & vterque oritur ex iuriſdictione ſpirituali, & eſt effectus proportionatus illius.

Sed petes, ſi pœnitens malè diſpoſitus paciſcatur cum Confeſſore, vt palam ſibi abſolutionem impertiat fictam, & ſibi palam proferat abſolutionis verba, ſine intentione abſoluendi, ne circumſtantes dubitent de eius abſolutione? Reſp. Ib. non dari ſimoniã, quia in tali caſu nihil vendit

Digitized by Google

dit ſpirituale, quamuis ſit turpe lucrum, & omnino fugiendum. Ita Caietanus *in opuſc. tom.* 2. *tractat.* 9. *q.* 2. Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. quaſ* 8. *articul.* 1.

Caiet. Soto.

12. Omnis actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ eſt materia ſimoniæ; quia ſicuti poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt tum ratione principij, tum finis, ita etiam actus ab ea procedentes; *Cap. ad noſtram, de ſimonia*. Suarez *cit. cap.* 20. Filiinc. *tractat.* 45. *cap.* 4. *quaſ.* 9. & 10. Layman *cit. num.* 40. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 55. *dubio* 9. quare ſimoniacum eſt, pretium dare vel accipere pro abſolutione à peccatis, pro delegatione facultatis ad audiendas confeſſiones, vel pro data alicui licentia eligendi Confeſſorem: Item pro conceſſione Indulgentiarum, quamuis contributio pecuniæ ad piam cauſam applicanda exigi poſſit per modum eleemoſynæ, tanquam requiſitæ conditionis ad Indulgentiam lucrandam: Similiter pro abſolutione à cenſuris, & omni actu iuriſdictionis contentioſæ quidquam accipere prohibitum eſt: Item ſimonia eſt pro diſpenſationibus votorum aliquid exigere, licet Epiſcopus poſſit imponere onus largiendi eleemoſynam pauperibus vel Monaſterio. Item ſimonia eſt, ſi Confeſſor cogat pœnitentem pœnitentiam acceptare, in qua ille imponit, vt dici faciat tres Miſſas, verbi gratia, pro ſuis peccatis, ſibique det eleemoſynam illarum, ad illas dicendas, quia talis oligatio eſt pretio æſtimabilis: ſi tamen ſolùm imponeret pœnitentiam Miſſarum dicendarum, non deſignando, per quem Sacerdotem, non erit ſimonia, etiamſi ipſe Confeſſor ſperet fore, vt ſibi Miſſæ dicendæ committantur, quia non deſignat emptorem, cui ſoluat ſtipendium illarum. Imò non erit ſimonia, licet Sacerdos ſuam neceſſitatem, & deſiderium dicendi illas Miſſas, poſt datam abſolutionem, ſignificet. Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de ſimonia*, *cap.* 19. *num.* 4.

Manifeſta planè erit ſimonia, ſi pœnitens minorem petat pœnitentiam à Confeſſario, pro pretio, vel pro aliquo pretio æſtimabili, & confeſſarius illud accipiat. Et idem dicendum eſt, ſi illud accipiat ab aliquo tertio, pro imponenda huic pœnitentia grauiori. Idem dicendum eſt, ſi parochus pretium accipiat pro danda licentia aſſiſtendi matrimonio, quaſi illam vendendo: nam licet illa aſſiſtentia, vel licentia ad id non ſit actus iuriſdictionis, vt oſtendit Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſput.* 21. conceſſio tamen illius licentiæ, eſt actus pertinens ad ſpirituale munus parochi, & ab eo intimè emanans, & conſequenter eſt ſpiritualis, & materia ſimoniæ. Si verò parochus exigat ab illo Sacerdote, qui ab illo licentiam petit ad aſſiſtendum alicui matrimonio, vel totam oblationem, vel partem illius, quam ipſe parochus erat percepturus, ratione lucri ceſſantis, hoc modo iuſtè, & licitè illam poteſt exigere. Aſſiſtentia tamen teſtium, poteſt abſque vitio ſimoniæ emi, & vendi, quia non eſt aliquid ſpirituale, vel in ſe, vel ratione alicuius muneris ſpiritualis. Vide Bonac. *de Simonia quaſt.* 4. §. 16. *num.* 7. & 8. & alios ab ipſo citatos.

Vide v. *Emptio* num. 5.

SIMONIA IV.

De materia ſimoniæ, & rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicuntur res ſacræ per annexionem?*
2 *An annexum ſpirituali ratione connexionis, quam habet ad illud, ſit materia ſimoniæ?*
3 *An beneficium quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, ſit materia ſimoniæ contra ius diuinum?*
4 *An commutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali ſit ſimonia contra ius diuinum?*
5 *An vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, vel Eccleſiaſticum?* Refertur duplex ſententia.
6 *An poſſit Summus Pontifex ſeparando præbendam ab officio ſpirituali, dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructuum, & accipere totum valorem penſionis ſimul?*
7 *An penſiones merè temporales ex Eccleſiaſticis prouentibus, ſine vitio ſimoniæ vendantur ac redimantur? & quid de penſionibus mixtis?*
8 *An permutatio beneficiorum priuata pactione & ſine legitima auctoritate Epiſcopi facta, irrita ſit & ſimoniaca?*
9 *An beneficia inæqualia in temporalibus permutari poſſint cum penſione aut alia re pretio æſtimabili coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papa?* Refertur duplex ſententia?
10 *An reſignare beneficium in fauorem tertij, cum clauſula, Non aliter, nec alias, ſit ſimonia?* Refertur duplex ſententia.
11 *An ſimoniam committat beneficiarius, qui beneficium litigioſum adeptus cum multis expenſis, illud poſtea reſignat coram inferiore Papa, cum pacto, vt is, cui reſignat beneficium, ſoluat expenſas? & quid ſentiendum de reſignationibus reciprocis, vel triangularibus?*
12 *Quid iure permiſſum ſit partibus, orta lite de Eccleſiaſtico beneficio, vel alia re ſpirituali?*

1. RES ſacræ per annexionem illæ dicuntur, quæ ex ſe materiales vel naturales ſunt, per coniunctionem tamen ſeu vinculum cum re ſacra cenſentur ſacræ ſeu ſpirituales. Tripliciter autem poteſt quid dici connexum alteri. *Primò*, antecedenter: illud autem dicitur antecedenter connexum rei ſacræ, quod præcedit rem ſacram, ſeu ſupponitur rei ſacræ, cui connectitur, vt ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ. *Secundò*, comitanter: ſcilicet quod comitatur rem ſacram, illique intrinſecè coniungitur, & eſt veluti pars, vnum totum cum re ſacra componens, vt eſt labor ad rem ſeu actionem ſacram peragendam requiſitus. *Tertiò*, conſequenter: quod videlicet conſequitur ſpirituale, & eſt velut effectus rei ſpiritualis, quam conſequitur. Huiuſmodi ſunt beneficia, hæc enim conſequuntur diuina officia, quia inſtituta ſunt propter diuina officia, & dicuntur annexa diuinis officijs, conſequenter tanquam ab illis dependentia. Reginaldus *lib.* 23. *nu.* 115. & *ſeq.* Syluius 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 16. *punct.* 1. Filliuc. *tract.* 45. *c.* 5. *q.* 1. 2. & 3. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 3. Vgolin. *tab.* 1. *c.* 34. *de ſimon.* Crouſeres *ad cap.* 7. *reg. Min. lect.* 7. & alij.

Regin. Sylu. Valent. Filliuc. Layman.

2. Generatim loquendo, adnexum ſpirituali ratione connexionis, quam habet ad illud, eſt materia ſimoniæ, ideoque vendi non poteſt abſque illa, quia ſpirituale vendi non poteſt, nec vt res vendita, nec vt ratio venditionis, hoc enim ipſo, pretio æſtimaretur: tamen ſi antecedenter adnexum ſpirituali per ſe ſpectetur, non eſt materia ſimoniæ, conſequenter ſine labe ſimoniæ vendi poteſt, quia ſecundùm ſe, eſt pretio æſtimabile, nec valorem, & æſtimationem ſuam amittit ob coniunctionem cum ſpirituali, ſi ſpectetur abſque relatione ad ſpirituale. D. Thomas *cit. art.* 4. *ad* 1. Suarez *cit. c.* 23. *num.* 8. Filliucius *cit. cap.* 5. *quaſ.* 4. Bonacina *d.* 1. *q.* 4. §. 12. Syluius *cit. art.* 4. *concluſ.* 1. & alij.

D. Thom. Suar. Filliuc. Bonac. Sylu.

3. Beneficium quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum, quia ſpiritualia, quæ poſita ſunt in aliqua poteſtate ſpirituali vendi non poſſunt: titulus autem beneficij ſpirituale quoddam ius eſt, quare neque ipſum, neque beneficium ratione illius vendi poterit, & venditio beneficij quoad hoc ius, eſt ſimonia contra ius diuinum, atque adeò nec Papæ diſpenſatione licitum eſſe poteſt, cùm vendatur res ſpiritualis, quod eſt intrinſecè malum. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. Filliuc. *cit. cap.* 5. *q.* 5. Certum eſt etiam de facto, beneficium vendi non poſſe abſque ſimonia, etiam habito reſpectu ad temporale commodum, quod in ipſo eſt, ideoque etiam hoc modo beneficium eſt materia ſimoniæ; *Cap. fin. de pact. cap. ſuper eo, de tranſact. c. tua nos, de ſimonia*.

Suar. Filliuc.

4. Ex

4. Ex probabiliore ſententia non committitur ſimonia contra ius diuinum, tradendo ſeu commutando ſpirituale pro ſpirituali præciſè: quia ſimonia conſiſtit in commutatione rei ſpiritualis pro pecunia, nomine autem pecuniæ intelligitur omne id quod eſt pretio æſtimabile, ſed res ſpiritualis non eſt pecunia, cùm non ſit pretio æſtimabilis, ergo. Committeretur verò ſimonia, ſi pro ſpirituali traderetur res temporalis, ſeu ſpiritualis adnexa temporali, ſeu dum pro re ſpirituali, cui adnexa eſt res temporalis, traditur alia res ſpiritualis, cui alia res temporalis pretioſior adnexa eſt: vt ſi tradatur imago benedicta pro calice conſecrato, aut calix pro Eccleſiaſtico beneficio, tunc enim res illa temporalis cenſetur commutari, ſiue compenſari cum re ſpirituali, niſi fortè conſtaret exceſſum gratis tradi, & donari. D. Thomas 2.2.q 100. *artic.*2. Suarez *cit. lib.* 4. *cap.*30. *n.*5. Couarruuias 1. *variar. c.*5. *n.*4. Azor. 3. *p. lib.* 12. *c.*3. *q.*2. Filliucius *cit. c.*7. *q.*2. *n.*1.

D. Thom. Suar. Couar. Azor. Filliuc.

5. Controuertitur inter Doctores, an vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, an verò tantùm contra Eccleſiaſticum: Plerique Canoniſtæ putant eſſe tantùm contra ius poſitiuum, ſi intuitu temporalis commodi tantùm vendatur, ideoque à Papa vel alio ex eius diſpenſatione vendi beneficium poſſe. Clarus *lib.*5. *ſent. v. ſimon.* Vgolin. *tab.* 1. *c.*3. §. 5. Nau. *c.*23. *n.* 108. §. 9. Quidam tamen Theologi aſſerunt eſſe contra ius diuinum: quia vel venduntur fructus beneficij ſeparati à titulo Eccleſiaſtico, & ſic quidem non eſſet ſimonia, ſed tunc non venderetur beneficium, vel non ſeparati à titulo, & ſic eſt impoſſibile vendere vnum ſine alio: quia cùm venditur beneficium non venduntur tantùm temporales fructus, ſed magis ius ad illos, quod oritur ex functione ſpirituali. Ita Valentia *cit. quæſ.* 16. *p.*2. Rod. *tom* 2. *c.*58. Suar. *c. c.*24. *num.*7. Laym. *c. c.*8. *num.*44.

Rodrig. Suar. Layman.

6. Summus Pontifex, qui poteſt ſeparare præbendam ab officio ſpirituali, poteſt etiam dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructuum, & accipere totum valorem penſionis ſimul, atque adeò dare beneficium exhibenti pecuniam facta ſeparatione præbendæ, ſecus non facta ſeparatione. Epiſcopus verò, qui ſeparare præbendam ab officio non poteſt, nec etiam poteſt vendere beneficia abſque ſimonia contra ius diuinum, nec imponere penſionem ſuper beneficio, licet aliquando ſuper perſonam habentem beneficium poſſit. Multò minùs priuatis perſonis beneficia licebit vendere, cùm neque ijs liceat ea locare niſi per triennium, etſi fructus vendi per totam vitam poſſint. Vgolinus *tab.* 1. *c.*3. §. 5. Suar. *cit. cap.* 24. *num.*23. Layman *cit. num.*45. Filliuc. *tract.*45. *c.*5. *q.*10. *&* 11.

Suar. Laym. Filliuc.

7. Penſiones merè temporales, quæ etiam laicis ob iuſtam cauſam deſignari ac competere poſſunt ex Eccleſiaſticis prouentibus, ſine vitio ſimoniæ venduntur ac redimuntur: Penſiones propriè ſpirituales, quæ ad ſpirituale miniſterium deſtgnantur, verbi gratia, Concionatori, Coadiutori Epiſcopi, ſine ſimonia emi ac vendi non poſſunt. Tuletus *lib.*5. *cap.*92. Suarez *cit. c.*26. *num.*5. *& ſeq.* Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*22. Penſiones verò mixtæ, quæ Clericorum quidem propriæ ſunt, verùm non ob ſpirituale miniſterium, ſed ob aliam cauſam deſignatæ, v.g. propter Clerici paupertatem, ſenium, litis compoſitionem, beneficij reſignationem, licèt emi ac vendi nequeant, tamen redimi poſſunt, ſaltem vbi conſtitutio Pij V. eiuſmodi penſionibus obligationem officij Beatæ Virginis imponentis, recepta non eſt; quia redimere talem penſionem, non eſt emere aliquod ius ſpirituale, ſed extinguere onus temporale. Dian. 4. *p. tract.*4. *reſ.*153. Vide Sylu. 2.2. *q.*100. *art.*4. *concl.*1. 2. *&* 3. Laym. *cit. c.*8. *n.*48.

Diana. Sylu. Laym.

8. Permutatio beneficiorum ſi priuata pactione, & ſine legitima auctoritate Epiſcopi fiat, non ſolùm irrita eſt, ſed etiam ſimoniaca ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici; *C. quæſitum, c. cum olim, de rerum permut. c. audiuimus* 4. *de ſimonia.* Leſſius *cit. dub.*17. Quia iure canonico omnis pactio prohibetur in beneficijs, permutatio autem non celebratur ſine pacto, & hoc fit ob periculum, ſuſpicionem, & occaſionem ſimoniæ, & alia incommoda, quæ facilè ſequi poterant, ſi permiſſum fuiſſet beneficia priuata auctoritate permutare: Vnde ſimonia eſt ſaltem contra ius humanum, commutationibus actionum pertinentium prouiſiones beneficiorum: vt ſi quis dicat, elige hunc, & ego eligam illum; vel, tu confirma hunc, & ego eligam illum, vel, confer huic beneficium, & ego eligam illum; vel, ego præſentabo hunc ad beneficium mei patronatus, ſi tu beneficium tuum ſimplex mihi renunciaueris: quia licet huiuſmodi actiones ſint ſpirituales, & vna permutari videatur cum altera, nihilominus moraliter æſtimantur media ad temporale lucrum. Suar. *cit. c.*31. *num.*14. Reginald. *lib.*23. *n.*263. Nauar. *c.*23. *n.*100. Filliuc. *tract.*45. *c.*7. *n.*12. *&* 13. Verumtamen volentibus permutare licitum eſt prius tractare de negotio permutationis, & etiam concludere quantum eſt ex parte ipſorum, præſtando mutuum conſenſu, ſed in ordine ad conſenſum Prælati: imò partes poſſunt inter ſe pactum inire, ſeque obligare ad perſiſtendum in conuentione donec Superior conſenſum denegauerit. Superior autem coram quo permutatio fieri debet, ſecundùm iura, eſt Epiſcopus. Laym. *cit. nu.*30. Valent. *cit. p.*3. Suar. *c.*32. *n.*7. Regin. *c. num.*262. Nomine verò Epiſcopi intelligitur, qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi non habeat dignitatem, vnde Abbas vel alius habens præſcriptam iuriſdictionem ad hunc effectum, ſatis eſſet. Bonac. *cit.* §. 12. *n.*7. Filliuc. *cit n.*21. Suar. *num.*10. *&* 11.

Regin. Filliuc. Layman. Valentia. Bonac. Filliuc.

9. Secundùm probabiliorem ſententiam beneficia quamuis inæqualia in temporalibus permutari non poſſunt cum penſione aut alia re pretio æſtimabili coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papa, etiamſi penſio aut alia res temporalis exigatur ratione beneficij pinguioris, quod cum tenuiori permutatur: quia fructus ſiue reditus beneficiales ita annexi ſunt ſpirituali titulo, vt nemini deberi poſſint, niſi ratione ſpiritualis præſtiti officij, conſequenter, qui reditus beneficiales emit ipſum titulum ſiue ius officij emere conuincitur. Suar. *c.*34. *n.*10. Reginald. *c.*23. *n.*264. Nauar. *c.*23. *n.*100. Filliuc. *cit. c.*7. *q.*11. Laym. *cit. n.*54. Quibuidam tamen Doctoribus non videtur improbabile hoc ſimoniacum non eſſe; ſi Superioris, puta, Epiſcopi auctoritas intercedat, & probant ex *c. ad quæſtiones, de rerum permut.* vbi Clemens III. reſpondit, Eccleſias parochiales auctoritate Epiſcopi permutari poſſe, ita vt ſi poſſeſſiones vnius abundantiores ſint, exceſſus pecunia compenſatur. Caiet. 2.2. *q.*100. *art.*4. Leſſ. *cit. dub.*17. *n.*101. Sylu. *v. permut.* 2. *q.*6. Angel. *eod. verb.* § 6.

Nauar. Filliuc. Laym. Caiet. Leſſius. Sylu.

10. Beneficium reſignare in fauorem tertij, id eſt, cum clauſula, *Non aliter, nec aliàs*, multi Doctores cenſent id eſſe ſimoniam, quia omnis pactio in ſpiritualibus ſimoniam continent: reſignatio autem ſecundùm iura debet fieri purè, & abſolutè in manus Ordinarij; licet poſſint offerri preces pro aliquo, Ordinarius tamen non aſtringitur huic conferre. Secus verò ſi fiat manibus Pontificis, cuius præſentia poteſt ſimoniam purgare. Nauar. *cap.*23. *num.*109. Rebuff. *de beneficijs*, §. *de pura reſignatione.* Filliuc. *cit. cap.*8. *num.*20. Regin. *lib.*23. *nu.* 247. Alij verò tenent talem reſignationem in manus Ordinarij factam nullam continere ſimoniam iuris diuini vel humani, nec eſſe illicitam, modò is, in cuius fauorem fit, verè ſit dignus; quia qui ita renunciat, nihil temporale dat vel accipit pro ſpirituali, ſed ſolùm indicat ſe renunciare, ſi collator velit conferre Petro, non renunciare ſi nolit. Sotus *lib.*9. *q.*7. *art.*2. Couar. *lib.*1. *var. cap.*5. *num.*5. Suarez *cap.*35. *num.*2. *&* 7. Cæterùm certum eſt hic nullam eſſe ſimoniam iuris diuini, nec poſſe etiam ex Canonibus conuinci eſſe ſimoniam iuris humani, quia nulla propriè hic interuenit pactio; non enim requiritur promiſſio Prælati, ſed ſolùm fit reſignatio ſub conditione, quam ſi Prælatus non acceptet, nihil actum eſt. Tamen huiuſmodi reſignationes ob imaginem ſimoniæ, iuxta ſtylum Curiæ non poſſunt fieri, niſi in manus Summi Pontificis, vnde non poſſunt fieri coram Ordinario, ſaltem eo modo vt Ordinarius ſe poſſit obligare, niſi ex priuilegio vel conſuetudine id ei ſit conceſſum. Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*14. *numero* 86. *&* 87. Filliucius *cit. cap.*8. *quæſ.*8. Bonacina *cit.* §. 14. *num.*6. Rebuffus *cit.*

Sotus. Couar. Leſſius. Filliuc. Bonac.

11. Simo

Digitized by Google

11. Simoniam committit beneficiarius, qui beneficium litigioſum cum multis expenſis aſſecutus fuerat, ſi poſtea dum in pacifica poſſeſſione exiſtit, reſignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto, vt is, cui reſignat beneficium, ſoluat expenſas, quia reſignatio hæc non eſt pura, cùm exigat temporale pro ſpirituali: nullo enim alio titulo exigit expenſas, niſi quia beneficium illi reſignat. Suar. *cit. cap.* 35. *num.* 24. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 18. Filliuc. *cit. cap.* 8. *num.* 35. Item ſimonia eſt, facere coram Epiſcopo reſignationes reciprocas, vt ſi quis dicat, ego reſigno meum beneficium tuo nepoti vel amico, tu verò reſigna tuum mihi, vel meo nepoti: nam præterquam quòd hæc renunciatio fit in fauorem, continet pactum reſignationis reciprocæ, quod omninò extra caſum permutationis eſt iure vetitum. Leſſius *cit. num.* 87. Suar. *cit. n.* 18. Reginald. *lib.* 12. *num.* 250. Idem à fortiori ſentiendum eſt de renuntiatione triangulari, quæ inter tres fieri ſolet, v.g. renuncio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus ſuo cedat Paulo, & Paulus cedat ſuo mihi: hæc enim non eſt reſignatio pura, nec fieri ſolet ſine pluribus pactis, quæ non permittuntur in ordine ad Prælatum inferiorem. Bonac. *citat.* §. 14. *numer.* 4. Leſſius *cit. num.* 88. Suar. *citat. num.* 18.

Leſſius. Suar. Regin.

Bonac. Leſſius. Suar.

12. Orta lite de Eccleſiaſtico beneficio, vel alia re ſpirituali, non prohibentur partes gratis, & amicabiliter inter ſe componere, quod duobus modis fieri poteſt. *Primò*, ſi vnus ſponte, & gratis iuri ſuo cedat, litemque deſerat, etſi nihil obſtet, quominus poſtea donum ex gratitudine, ſibi oblatum recipiat. *Secundò*, ſi in arbitros compromittant, vt illi parti rem totam adiudicent, quæ potiori iure niti videtur. Vgolinus *tab.* 1. *c.* 29. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 56. 58. Tranſactio tamen ſimoniaca eſt, in qua ex vna parte beneficium Eccleſiaſticum, ex altera verò parte res temporalis datur, remittitur, retinetur, quia tranſactio eſt reciprocus contractus, & ſpecies quædam commutationis rei temporalis cum ſpirituali; *C. cùm pridem, de pactis.* Bonac. *cit.* §. 15. *num.* 3. Verùm licet controuerſiæ, quæ circa alias res vel iura ſpiritualia verſantur, terminari poſſint offerendo vel retinendo aliquid ſpirituale, id tamen conceſſum non eſt in materia beneficiali, niſi Prælati auctoritas intercedat. Suarez *cap.* 51. *aſſert.* 2. & 3. Laym. *cit. num.* 57. Porrò Epiſcopus, & Iudex delegatus, parti litiganti per modum tranſactionis, adiudicare poteſt penſionem annuam, in compenſationem expenſarum, vel ad vitæ neceſſariam ſuſtentationem; *Cap. niſi eſſent, de præbend.* Bonac. *cit. num.* 9.

SIMONIA V.

De cauſis excuſantibus à labe ſimoniæ.

SVMMARIVM.

1 *An titulus liberalitatis vel gratitudinis, propter quem tradens vel accipiens temporale occaſione ſpiritualis, excuſari poſſit à ſimonia?*

2 *An titulus ſuſtentationis ſit cauſa excuſans à ſimonia dum pro obligatione actionis ſpiritualis aliquid accipitur?*

3 *An labor extrinſecus ſeu per accidens adiunctus operi ſacro vel ſpirituali, ſit titulus, ob quem aliquid tradi, vel accipi poſſit abſque labe ſimoniæ?*

4 *An priuatio libertatis vel alterius commodi temporalis, quo quis ſe priuat faciendo ſpirituale opus, ſit titulus propter quem aliquid tradi vel accipi poſſit abſque culpa ſimoniæ propter opus ſpirituale?*

5 *An iniuſta vexatio ſit titulus excuſans à crimine ſimoniæ tradentem aliquid temporale?*

6 *An tradendo pecuniam ſubornanti committatur ſimonia?*

7 *An conſuetudo ſit titulus excuſans à labe ſimoniæ, traditionem vel acceptionem rei temporalis pro ſpirituali?*

1. PRimus titulus, propter quem tradens vel accipiens temporale occaſione ſpiritualis, excuſari poteſt à ſimonia, eſt titulus liberalitatis vel gratitudinis: vnde dum res aliqua temporalis vel ſpiritualis gratis ſimpliciter datur, vel etiam titulo gratitudinis in recognitionem alterius rei temporalis vel ſpiritualis, ſimonia non committitur, quia non datur tanquam pretium, ſed titulo beneficij, nec confertur ad extinguendum debitum iuſtitiæ, ſed debitum antidorale, ſeu morale, quod non obſtat, quin id quod traditur, gratis tradi dicatur. Suarez *lib.* 4. *c.* 45. *n.* 4. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 45. *c.* 10. *num.* 21. Nauar. *c.* 23. *num.* 102. Valentia *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 16. *punct.* 3.

Laym. Filliuc. Nauar. Valent.

2. Secundus titulus, ſeu cauſa excuſans à ſimonia, dum pro obligatione actionis ſpiritualis, aliquid accipitur, eſt titulus ſuſtentationis, quia qui Altari ſeruit, de Altari viuere debet, cùm ſuſtentatio iure naturæ debeatur, & dignus ſit operarius cibo ſuo. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 88. *num.* 8. Valentia *cit. p.* 3. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 118. Suar. *cit. cap.* 45. *num.* 7. Filliucius *cit. c.* 10. *q.* 7. *num.* 27. & 28. Nauar. *cit. n.* 106. Syluius 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *quæſit.* 2. Vnde excuſantur miniſtri Eccleſiaſtici accipientes pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine vel legibus Eccleſiæ, præſcribentibus aliquid dari pro certis muneribus, nec refert quòd Sacerdotes aliunde vt plurimum habent quo ali poſſint, hoc enim per accidens eſt, quod obeſſe non debet Sacerdoti ne recipiat id, quod ſibi ex natura rei debetur, cùm nemo etiam diues, ſuis ſtipendijs militare teneatur: aliunde tamen peccare poteſt, vt ſi ex officio miniſtrare teneatur, & ratione officij alios reditus habeat: tunc enim peccat contra iuſtitiam, cùm accipiat indebitum. Præterea huiuſmodi ſuſtentatio deduci poteſt in pactum, cauere tamen debet Sacerdos ne plus exigat pro ſuſtentatione, quàm ferat ratio laboris, & operis, quia exceſſus non eſt illi debitus, & accipiens indebitum, iniuſtitiam committeret, & incurreret ſuſpicionem ſimoniæ. Vnde optandum eſſet, vt hic mos paciſcendi remoueretur, quia ſpeciem quandam nundinationis habet, maximè apud imperitos: qui tamen paciſci volent, debent expreſsè ſignificare ſe non pro functione ipſa ſacra, ſed pro neceſſaria ſuſtentatione exigere, vt rectè monet Caiet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Quod autem in foro fori præſumetur ſimonia, ſi nimium exigat, ratio eſt, quia cùm illud ſtipendium ſuperet neceſſariam ſuſtentationem, vel etiam communem taxam, videtur auctarium accipi, non pro ſuſtentatione, ſed vt pretium operis ſpiritualis.

Tolet. Valent. Regin. Nauar. Sylu.

3. Tertius titulus, ob quem aliquid tradi vel accipi poteſt abſque labe ſimoniæ, eſt labor extrinſecus, ſeu per accidens adiunctus operi ſacro vel ſpirituali: ille autem labor dicitur extrinſecus, & per accidens coniunctus, ſine quo tale opus fieri poteſt: ratio verò cur id liceat, eſt, quia huiuſmodi labor in ſe eſt aliquid temporale, & pretio æſtimabile, neque exiſtimationem, & valorem amittit ob coniunctionem ad opus ſpirituale, cùm ei per accidens, & extrinſecè adiunctus ſit: vnde Sacerdos poteſt exigere mercedem pro obligatione dicendi Sacri, pro tali loco, & tempore, & pro labore eundi ad talem locum ſatis diſſitum; nam labor eſt per accidens coniunctus ſacræ actioni. Similiter vicarij Prælatorum poſſunt exigere mercedem pro laboribus, in executione ſui officij obeundis, vt in viſitatione, in audiendis partibus, in excutiendis quæſtionibus propoſitis: hi enim labores etiam temporales ſunt, ac proinde pretio locari poſſunt. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 119. Nauar. *c.* 23 *n.* 101. & 102. Suarez *c.* 21. *num.* 15. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 45. Syluius *cit. art.* 2. *concl.* 2.

Reginald. Nauar. Suar. Leſſius. Syluius.

Item qui procurat alteri beneficium, pro labore aliquid accipere poteſt, non tamen quatenus ille labor ordinem habet ad beneficium, v.g. ſcribit litteras Romam, proficiſcitur, commoratur foris, &c. poteſt aliquid pro his functionibus accipere, quatenus in alia re temporali æſtimabiles ſunt; non tamen licet eas pluris æſtimare ratione beneficij maioris vel minoris: quia licet labor ille, ſi quis interueniat, per ſe pretio æſtimari poſſit, non tamen quatenus confert ad beneficium obtinendum, ita vt propterea pluris æſtimetur, ſic enim haberet

ſuam æſtimationem vel augmentum æſtimationis à re ſpirituali, quod redundat in rei ſpiritualis iniuriam. Vide Dianam *part.2.tract.16.reſol.37.*

4. Quartus titulus, propter quem aliquid tradi vel accipi poteſt abſque culpa ſimoniæ propter opus ſpirituale, eſt priuatio libertatis, vel alterius commodi temporalis, quo quis ſe priuat faciendo ſpirituale opus: quia priuatio huiuſmodi libertatis eſt pretio æſtimabilis; ergo aliquid pro ipſa accipi poteſt habita ratione commodi, quod veriſimiliter capere potuiſſet, ſi ſe tali obligatione non obſtrinxiſſet. Caietanus *v.ſimonia reg.4.* Nauar. *cit.num.*106. Leſſius *citat. dub.*8. *num.*45. Syluiua *citat. artic.*2. *concluſ.*3.

Caiet. Nauar. Syluius.

5. Quintus titulus, excuſans à crimine ſimoniæ tradentem aliquid temporale, eſt iniuſta vexatio, dum videlicet pecunia traditur ad tollendam ipſam iniuſtam vexationem, quam quis patitur circa rem ſpiritualem? *Cap.dilectus de ſimon.* Nauar. *conſ.70.de ſimon.* Fillincius *tract.45.c.11. num.6.& 7.* Syluius *cit.art.2.poſt concluſ.3.* Secus dicendum, ſi vexatio iuſta ſit, tunc enim non licet media pecunia tollere vexationem, qua parte iuſta eſt, quia pecunia tradi videtur pro acquirenda re ſpirituali, cuius acquiſitionem impedit vexatio.

Notandum autem eſt, quòd in beneficijs, qui nondum habet ius in re, id eſt, qui nondum eſt confirmatus, vel inſtitutus, vel collationem factam nondum acceptauit, non poteſt oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantùm poſſunt obeſſe, ſed etiam prodeſſe. Qui nondum habet ius in re, poteſt oblato pretio redimere vexationem ab his, qui ſolùm poſſunt obeſſe, ſiue vi & fraude obſint, ſiue muneribus, & precibus apud electores vel collatorem. *Cap. Matthæus, de ſimon.* Suar. *tom.1. de relig.lib.4.c.50.n.16.20. & 28.* Bonacina *cit.q.6. punct.5.num.4.* Qui verò habet ius in re per confirmationem vel inſtitutionem vel liberam collationem, poteſt pretio redimere vexationem, ſi fortè aliquis illum à poſſeſſione capienda impediat; quia poſſeſſio, ſecundùm ſe, non eſt quid ſpirituale, ſed id habet ex titulo, cuius vi capitur, vnde non dat pretium pro re ſpirituali. D.Thom. *quæſt.100.artic.2.* Nauar. *cap.23.num.102.* Caiet. *de ſimonia quæſt.3.*

Suar. Bonac.

D. Thom. Nauar. Caiet.

6. Non committitur ſimonia tradendo pecuniam ſubornanti, qui pecunia vel importunis precibus corrumpit electores, ne meipſum eligant: non enim datur pecunia vt meipſum eligant, ſed ne damnum mihi inferat, vel ne corrumpat electores. Et hoc probabile eſt quamuis ſubornans ſit vnus ex electoribus. Ratio eſt quia licet, quando ſubornans prodeſſe poteſt, qui eſt elector, cenſeri poſſet, quòd illa ſubornatio pertineret ad munus ipſius, & proinde daretur ipſi pecunia vt electori: nihilominus quia ſubornatio eſt contra munus electoris (vtpote contraria bonæ electioni) ideo ſi datur ipſi pecunia ex hoc præciſo fine, vt deſiſtat à ſubornatione, non datur tanquam electori, ſed tanquam malè affecto; & in tali caſu eadem eſt ratio de ipſo, ac de eo, qui non poteſt prodeſſe, vt notat Suarez. Et ideo hoc licitum eſt, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod ſpirituale, ſed merè ex intentione dantis ad auertendum à ſe nocumentum. Neque iura, quæ prohibent ſimoniam, prohibent vti iure proprio naturali ad ſui defenſionem. Suarez *cap.50.num.25.* Valentia *2.2.d.6. quæſt.16.part.3.* Diana *part.5.tract.14.reſol.2.* Fernandez *part.3.cap.14. num.28.* Paſqualigus *in deciſ. moral.deciſ.231.* Palaus *p.3. tract.17.diſp.3.punct.20 n.6.*

Suar. Diana. Paſqualig. Palaus.

Hanc tamen concluſionem admittunt ſolùm quando ſubornans poteſt obeſſe, & non prodeſſe, Syluius *2.2. q.100.art.2.concl.3.* Malderus *tract.9.c.3.dub.17.* Leſſius *lib.2.c.35.dub.17.* & alij: quia ſi prodeſſe poteſt, vt ſi eſt elector, inducitur non ſolùm ad non impediendum, ſed etiam ad adiuuandum, & pretio paratur via ad electionem. Ad quam rationem poſſet reſponderi, id eſſe per accidens, quòd per hoc inclinetur animus electoris ad eligendum, & præter intentionem dantis pecuniam, vnde non poteſt inficere redemptionem vexationis.

Sylu. Leſſius.

Addo, ſimoniam committi in electionibus regularium, ſi aliquis pecunia, vel aliquo dono temporali conueniat cum aliquo, ne concurrat cum ipſo ad electionem alicuius Prælaturæ. Ratio eſt, quia talis ſic faciendo ſibi parat electionem media illa pecunia, aut dono temporali, quod eſt virtualis quædam emptio Prælaturæ, aut electionis ad ipſam. Ita Sanchez *lib.2.opuſc.c.3.dub.30.* Leſſius *lib.2.cap.35.dub.18.* Pontius *de matrim. lib.5. cap.13.§.6. num.40.*

Sanch. Pontius.

Similiter ſimoniam committunt Regulares, ſi in electionibus vnus faciat hoc pactum cum alio, ſcilicet non concurras mecum in hac electione, & ego non concurram tecum in alia, quia obligatio non concurrendi in electione ſequenti eſt pretio æſtimabilis, & per illam parat ſibi ille viam ad electionem ſeu Prælaturam, quæ eſt res ſpiritualis. Ita Sanchez ſuprà. Præterea in electionibus Regularium ſimonia committitur, ſi aliquis in electionibus daret, vel promitteret pecuniam, vel quid ſimile alijs, ne opponerent contra ipſum defectus, quos patitur, & propter quos excludi deberet ab electionibus. Quia ſimonia non ſolùm committitur dando temporale pro ſpirituali, ſed etiam pro omiſſione rei ſpiritualis: hoc enim pacto redderetur per pecuniam via ſecurior ad beneficium ſeu electionem. Ita Sanchez ſuprà, Vgolinus, Palaus, Barboſa, citati à Paſqualigo, *in deciſ.moral.deciſ.247.* quamuis ipſe contrarium ſentiat.

Paſqualig.

7. Sextus titulus excuſans à labe ſimoniæ traditionem vel acceptionem rei temporalis pro ſpirituali, eſt conſuetudo, quæ ſolùm locum habet ad tollendam ſimoniam iure humano inductam, quia lex humana poteſt conſuetudine abrogari, non ſolùm in partem, verùm etiam in totum, non ſolùm quoad pœnam, verùm etiam quoad culpam: conſuetudo tamen non eſt titulus ſufficienter excuſans acceptionem vel traditionem rei temporalis pro ſpirituali per modum pretij, quia hoc eſt intrinſecè malum, & ſimoniacum contra ius naturale diuinum: nulla autem conſuetudo induci poteſt, quæ ius naturale vel diuinum abroget. Ita Azor. *3. p.lib.12. c.19.* Suar. *c.61.nu.16.* Bonac. *cit.p.6.* Fillius. *tract.45.c.13. num.40.*

Azor. Suar. Bonac. Fillius.

SIMONIA VI.

De pœnis contra ſimoniacos.

SVMMARIVM.

1 *An ſola ſimonia in ordine, beneficijs, & religionis ingreſſu, inducat pœnas iuris ipſo facto, & quæ ſint pœnæ ſimoniæ realis in Ordinibus?*

2 *An ſit excommunicatus, qui beneficium confert vel procurat alteri vel ſibi per ſimoniam realem? & quas alias pœnas incurrat? Et quid veniat nomine beneficij?*

3 *Quæ ſint pœnæ ſimoniæ realis circa religionis ingreſſum?*

4 *Quando in beneficijs ſimonia confidentiæ externa contingat, inferens pœnas iuris?*

5 *An excommunicatio lata contra ſimoniacos in ordine & beneficio, incurratur etiam ob ſimoniam iuris humani?* Refertur duplex ſententia.

6 *An Confeſſarij Ordinum Mendicantium poſſint abſoluere à quacumque ſimonia & excommunicatione ei annexa?*

1. NVlla ſimonia inducit pœnas iuris ipſo facto, niſi in Ordine, beneficijs, & Religionis ingreſſu. Item ſimonia mentalis nullas pœnas iuris inducit, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, & patet ex *c. mandato de ſimonia*, vbi Pontifex expreſſè dicit, ſimoniaco mentali ſatis eſſe, ſi per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfaciat Creatori de peccato, nec debere reſignare quod per ſimoniam mentalem acquiſiuit: imò valde probabile eſt Eccleſiam non poſſe talem ſimoniam punire, ſi in externo opere non poſſit aliqua pactio deprehendi: talis

enim

Digitized by Google

enim ſimonia non prodit in actum externum ſimoniæ. Nauar.*c.23.nu.*11. Syluest.*v. ſimonia q.*19. Toletus *lib.*5.
Nauar. Sylu. Tol. Diana. *c.*93.*num.*2. Sylu.2.2.*q.*100.*art.*6.*quæſ.*3. Diana *p.*4.*tract.* 4.*reſ.*157. Et quidem pœnæ quas inducit ſimonia realis in Ordinibus, ſunt: *Primò*, conferens Ordines per ſimoniam realem eſt excommunicatus. *Secundò*, eſt ſuſpenſus à collatione cuiuſuis Ordinis etiam primæ tonſuræ. *Tertiò*, eſt ſuſpenſus ab executione omnium munerum Pontificialium. *Quartò*, interdictus eſt illi ingreſſus Eccleſiæ. *Quintò*, ſi contra ſuſpenſionem vel interdictum illud fecerit, eſt ſuſpenſus ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum. *Sextò*, nemo poteſt illum abſoluere præter Romanum Pontificem, etiamſi delictum ſit occultum. Extrauag. *cum deteſtabile, de ſimonia*. Bulla Sixti V. edita in malè promouentes, & promotos, *v. Cæterum ſi quis Antiſtes.* Leſſius *lib.*2.*cap.*35.*dub.*14.

Qui autem Ordinem aliquem per ſimoniam realem ſuſceperit. *Primò*, eſt communicatus ipſo facto. *Secundò*, eſt ſuſpenſus ab executione ſuorum Ordinum. *Tertiò*, ſi præſumpſerit in illa ſuſpenſione miniſtrare, efficitur irregularis, deinde per Bullam Sixtinam ipſo facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficijs, & fit inhabilis ad illa. *Quartò*, eius abſolutio pertinet ad Summum Pontificem, ſimiliter & diſpenſatio. Extrauag.
Laym. Filliuc. Sylu. Diana. *cum deteſtabile.* Laym.*lib.*4.*tract.*10.*c.vlt.*§.7.*num.*71. Filliuc.*tract.*44.*c.*13.*q.*4.*num* 12. Sylu.*cit.concl.*1.& 2. Si autem caſus ſit occultus, ſepoſita Bulla Sixti, poſſet Epiſcopus abſoluere ex Conc. Trid. Vide Dianam 4.*p.tract.*4.*reſ.*157.

2. Qui beneficium confert vel procurat alteri per ſimoniam realem, eligendo, præſentando, poſtulando, Inſtituendo, &c. eſt ipſo facto excommunicatus. Ex-
Laym. Nauar. Sylu. trauag. *cum deteſtabile.* Layman *cit.num.*72. Nauar.*c.*23. *num.*111. Sylu. *c. concl.*3. Nomine beneficij ſecundum probabiliorem ſententiam comprehenditur etiam Abbatia, Prioratus, Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus, Guardianatus, &c. vt docent
Portel. Suar. Diana. Portel. *v. ſimonia*, *num.*5. Suarez *tom.*5.*diſp.*31.*ſect.*4. *num.*45. Sigiſmund. à Bononia *p.*2.*cap.*1.*dub.*55.*num.*18. Diana 4.*p. tract.*4.*reſ.* 156. licet aliqui contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe putent: quia ſi Papa in citata Extrauagante voluiſſet quælibet officia ſpiritualis regiminis compecti, clariùs locutus fuiſſet in illa, & ideo cum in materia pœnali verſemur, verba non ſunt interpretatione amplianda, ſed potiùs reſtringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad maius ſed proprie-
Azor. Bonac. tati verborum ſtandum eſt, Ita Azor.3.*p.lib.*12.*c.*11.*q.*6. Bonacina *de ſimonia*, *diſp.*1.*q.*7.§.2.*num.*4. & alij. Sed à prima ſententia non eſt recedendum. Qui verò beneficium per talem ſimoniam acquirit, *Primò*, eſt ipſo facto excommunicatus. *Secundò*, omnis prouiſio, & collatio huiuſmodi eſt nulla, nullumque ius tribuit, tamen electio non eſt irrita, ſi ſimonia pro inſtitutione committatur.
Couar. Leſſius. Couar.*reg.peccatum p.*2.§.8. Leſſius *cit.num* 138. *Tertiò*, fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, & ſi ſimonia ſit publica, & deducta ad forum externum, per ſolum Papam hæc inhabilitas tollitur; *C. nobis fuit, de ſimonia*, *C. penult. de elect.* Si verò ſit occulta, cenſent
Henriq. Leſſius. Henriq.*de excomm.cap* 56. Leſſius, & quidam alij, tolli poſſe per Epiſcopum, tum quia nullo iure reſeruatur Pontifici, tum quia etiamſi reſeruata eſſet, non tamen Epiſcopis, vt patet ex Concil. Trident.*ſeſſ.*24.*cap.*6. Sub nomine ſuſpenſionis vel irregularitatis, vel caſus occulti comprehenditur. Idem dicendum de inhabilitate incurſa propter ſimoniam confidentiæ, ſi occulta fuerit. Leſſius *lib.*2.*c.*35. *n.*140.

An verò tolli poſſit hæc inhabilitatis à Confeſſarijs Ordinis Mendicantium, examinato priuilegio Sixti IV. videtur dicendum, quòd ſic, *Compend. priuileg. Mendicant. tit. Abſolutio quoad ſacular.* §.10. Rodriquez *tom.* 1. *quæſtionum q.*61. *artic.*3. concedit enim Sixtus IV. facultatem non ſolùm abſoluendi ab excommunicatione, ſed etiam ſuſpenſione, interdicto, & diſpenſandi in irregularitate quacumque ſimiliter reſeruatis Ordinario. Ita noſter Crouſers *ad* c.7. *reg. Minorum. lect.*28.

Sanch. Molina. Nauar. Qui ex Sanchez *de matrimon. lib.*9.*d.*30. Molina *tom.*1. *tract.*2.*diſp.*96. Nauar. *in Extrauag. Greg.*13. *de datis pro iuſtitia*, & alijs, docet probabiliſſimum eſſe, vt incurratur inhabilitas illa ad beneficia, neceſſariam eſſe Iudicis ſententiam, quia eſt pœna licèt priuatiua: & ſecundùm hoc in caſibus ſimoniæ occultæ non eſſet opus diſpenſatione, per quam rehabilitaretur, qui ſimoniacè etiam intruſus fuit ad aliquod beneficium, vt illud retineat, vel aliud obtineat. *Quartò*, regula de triennali poſſeſſore non prodeſt ſimoniacè ingreſſis in beneficium, ſicut nec intruſis. *Quintò*, mediatores in ſimonia beneficij, & ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipſo facto, ſi ad executionem vtrimque ventum fuerit. Leſſius *cit.nu.*140. & 41. Sylu.*cit.concl.*4.

3. Simonia realis circa Religionis ingreſſum. *Primò*, ſingularibus perſonis tam dantibus, quàm accipientibus inducit excommunicationem. *Secundò*, Conuentui ſeu Capitulo, ſi conſenſerint in hanc ſimoniam, ſuſpenſionem. Vrban. IV. *in c. ſane, de ſimonia.* Bonacina
Bonac. Sylu. *de ſimonia. d.*1.*q.*7.§.4. Suarez *c.*56.*num.*7. Sylu.*cit.concl.* 5. Crouſers *cit.lect.*7.*fol.*545. Tamen hæc cenſura non habet locum in dote quæ datur in Monaſterijs fœminarum: Ita ſtatuit Martinus V. imò conſuetudo illa exigendæ dotis non pro ingreſſu Religionis, ſed pro alimentis Monialis, paſſim permittitur tanquam licita, maximè ſi Monaſterium ſit tenue. *Tertiò*, ſimoniacè admiſſi ad Religionem videntur iure inhabiles ad manendum in illo Monaſterio, vbi ſic recepti ſunt, & egent diſpenſatione Ordinarij, vt poſſint acquirere ius præbendæ regularis, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, non tamen ſic receptus tenetur ſe ſpoliare cæterorum commodis, niſi per Superiorem compellatur aliud Monaſterium ingredi. *C.*
Nauar. Suar. 1. *de regular.* Nauar. *conſ.*4. *de reg. num.*25. Suar. c.61. *num.* 7. Notandum tamen eſt, licet ſimonia committi poſſit dando aliquid pro ingreſſu ſeu receptione ad habitum: pœnæ tamen iuris non incurruntur, niſi profeſſio ſubſequatur, antequam ſimonia pactio retractetur vel pretium reſtituatur: quia cùm talis pactio principaliter ordinetur ad ſuſcipiendam profeſſionem, ea non ſecuta,
Filliuc. Regin. Suar. non cenſetur perfectè conſummata ſimonia. Filliuc. *cit.c.*13.*num.*11. Reginald. *lib.*23. *num.*173. Suarez *cit.c.* 56.*num.*7.

4. Simonia confidentiæ externa erit, & pœnas iuris inferet, ſi alicui beneficium aliqua ratione procures cum pacto, vt is qui beneficium illud accepturus eſt, illud ſdem tibi vel alteri aliquando reſignet, aut vt penſionem ex eo vel fructus aliquos alteri præſtet: præterea ſimonia confidentiæ eſt admittere in beneficiorum reſignatione, præſentatione, & collatione quaſdam retroceſſiones, quas vocant, acceſſus, regreſſus, & ingreſſus, quibus ſignificantur iura quædam accedendi, regrediendi, & ingrediendi ad beneficium ex vna parte, & onera beneficij, ſeu beneficiatij ex altera parte. Pius IV. Romanum Pontificem. Pius V. intolerabilis apud Nauar. *c.*23.*n.*109.110. Vgolin. *tab.*1.*c.*22. Laym. *cit.*§.8. Acceſſum enim dicar habere ad beneficium, ſi Prælatus mihi cupiat prouiſom de beneficio (ſum nepos ipſius) ſed quia per ætatem ſum incapax, confert alteri, conceſſo mihi iure, vt quamprimum iuſtam ætatem attigero, propria auctoritate poſſim ad beneficium iſtud accedere. Regreſſum ad beneficium dicar habere, ſi reſignem beneficium alteri reſeruata mihi penſione, & iure regrediendi ad illud beneficium, ſi reſignatarius præmoriatur, aut fiat Epiſcopus, aut ſi penſionem non ſoluerit; poteſt etiam fieri ſine penſione. Ingreſſum dicar habere, ſi beneficium mihi collatum, antequam capiam eius poſſeſſionem, alteri reſignem, ſeruato mihi iure ingrediendi poſſeſſionem huius beneficij, ſi ille præmoriatur, vel fiat Epiſcopus, vel Religioſus. Quicumque ergo vel ſibi vel alteri talia iura reſeruat, ſeu talia onera imponit, ſine expreſſa Papę conceſſione, committit ſimoniam confidentialem. Vnde Concil. Trid.*ſeſſ.*25.*c.*7. *de reform.* valde improbat iſtas retroceſſiones, tanquam referentes imaginem quandam ſucceſſionis hæreditariæ, & tanquam ſacris canonibus contrarias.

Ex dictis collige ſimoniam confidentialem eſſe tantùm contra ius Eccleſiaſticum, quia hi omnes modi licitè

reipſa exerceri poſſunt, etiam cum pacto externo, ſi annuat Pontifex, & debitæ circumſtantiæ adſint. Hæc ſimonia confidentiæ, *Primo* infert excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti. *Secundo*, priuationem beneficij. *Tertio*, priuationem reliquorum ante obtentorum beneficiorum, & penſionum, non tenetur tamen dimittere ante ſententiam. *Quartò*, inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cætera omnia. *Quintò*, omnia beneficia collata, & accepta in confidentiam ſimoniacam reſeruata ſunt Sedi Apoſtolicæ, & proinde ordinarius collator non poteſt ea conferre. Aduerte tamen ad pœnas iſtas incurrendas neceſſarium eſſe, vt ſimonia confidentialis opere impleta ſit dato, & accepto beneficio, licet accipiens viciſſim ſuam promiſſionem non impleuerit, v.g. penſionem nondum ſoluerit. Ita Leſſius *cit. d.* 26. Suarez *cap.* 43. *num.* 13. Laym. *citat. num.* 77. 78. Bonac. *cit. quæſt.* 7. *punct.* 1. & alij.

Leſſius. Suar. Layman. Bonac.

Vnde nulla ſimonia conuentionalis excepta ea quæ hic confidentiæ dicitur, inducit ipſo facto vllas pœnas iuris poſitiui, ſi tamen poſtea hæc ſimonia pactio vtrinque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis. Filliucius *tract.* 45. *c.* 13. *quæſt.* 5. Sylu. *cit. quæſt.* 3. Leſſius *cap. dub.* 27. Graff. *de ſimon. cap.* 96. *num.* 20. licet quibuſdam videatur hanc retractationem non habere locum in foro conſcientiæ, quia Canones id non ſtatuerunt, ſed ſolùm in foro externo, vt inſinuat Nauar. *c.* 23. *num.* 104. & docet Henriq. *de excom. cap.* 19.

Filliuc. Sylu. Leſſius. Graffij.

Nauar. Henriq.

Proinde multi doctiſſimi viri arbitrantur dictas bullas Pij IV. & Pij V. non eſſe vſu receptas in Germania. Si enim in Germania Concilium Tridentinum vt plurimùm non eſt vſu receptum, multò minus eiuſmodi Bullæ. Et certè Emanuel Sa *verb. ſimonia*, expreſsè docet, quòd Bulla Pij V. qua ſimoniacè adeptus officium, aut beneficium priuatur ipſo iure, ſitque inhabilis ad alia, intelligitur in foro exteriori, ergo ſaltem in foro conſcientiæ adeptus taliter beneficium, quamuis non acquirat beneficium illud, pro quo habendo commiſſa eſt ſimonia, ac proinde ipſo priuari non poſſit, quia nullus dicitur priuari re ad quam nullum habet ius, alijs tamen antea validè habitis, quibus etiam priuatur per Bullam Pij ſimoniacus confidentiarius, non cenſetur priuatus niſi in foro interiori, nec inhabilis ad alia, niſi in foro exteriori. Imò Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 26. hanc inhabilitatem ad alia beneficia ſolùm locum habere poſt ſententiam declaratoriam criminis dicit quoſdam docere, & ita putat vſu receptum, Allegans Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 30.

5. Communis ſententia eſt, excommunicationem, quæ contra ſimoniacos in ordine, & beneficio impoſita eſt, incurri non ſolùm ob ſimoniam iuris diuini, & naturalis, verùm etiam ob ſimoniam iuris humani, vt eſt permutatio beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate, reſeruatio penſionis ſine auctoritate Papæ, promiſſio beneficij pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum, &c. Ratio eſt, quia ſimonia iure ſolùm Canonica prohibita, eſt vera ſimonia; ergo efficitur pœnis contra ſimoniam generaliter latis: vnde iura ſub eadem voce inſequuntur, tam ſimoniam iure Canonico prohibitam, quam iuri diuino contrariam, vt patet ex *C. cum olim, C. quæſitum, de rerum permut.* Ita Malder. 2. 2. *tractat.* 9. *cap.* 3. *dub.* 18. Valent. *tom.* 3. *quæſt.* 16. *punct.* 6. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 13. *q.* 3. Nauar. *in cap. ſi quando de reſcript.* Suar. *de ſimonia l.* 4. *cap.* 56. *num.* 28. Nihilominus contraria ſententia, nempe pœnas ſimoniæ non incurri in caſu quo adeſt tantum ſimonia iuris poſitiui & humani, mihi probabilis etiam videtur, ſicut viſa eſt Leſſius *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 25. *num.* 141. Reginald. *l.* 23. *cap.* 12. *num.* 184. Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 155. & quam tenent Arragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 6. P. Nauarra *de reſtit. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 436. *& alij.* Vnde ſecundùm hanc ſententiam: licet in prædictis caſibus ſic facientes peccent, non tamen ſunt excommunicati, nec priuantur beneficijs ſic receptis ipſo iure, nec tenentur fructus reſtituere.

Malder. Valent. Filliuc. Nauar. Suar.

Leſſius. Reginald. Diana. Arragon. Nauar.

Sed rogabis, an confeſſarij Ordinum mendicantium poſſint abſoluere à quacumque ſimonia, eique annexa excommunicatione: etiamſi ſimonia illa commiſſa eſſet in ordine conferendo aut ſuſcipiendo? Reſpondet noſter Crouſ. *ad cap.* 7. *regul. S. Franciſci lect.* 28. *fol.* 772. affirmatiuè: quia, cùm probabile ſit, illos poſſe abſoluere ab hæreſi occulta, vt diximus ſuprà *v. Hæreſis num.* 18. poſſunt quoque, & à reliquis Papæ reſeruatis, iuxta regulam iuris: *Cui licet maius, licet & minus.* Nec obſtat, quòd *Sixtus V.* ſimoniam in ordine commiſſam tam ſtrictè reſeruarit, vt nec ab illis abſolui poſſit, qui facultatem habent in caſus bullæ cœnæ, aut in caſum hæreſis, ſiue per priuilegia, ſiue per Tridentinum: quia Pontifices eum ſecuti, ſæpius declararunt, eum qui poteſt ab hæreſi abſoluere, cùm ſit caſus omnium ſententia maximè reſeruatus, poteſt etiam à qualibet ſimonia, & quibuſuis alijs caſibus Papalibus: poteſtque conſequenter tollere ſuſpenſionem à ſimoniaco, excommunicationi annexam, vel in ea incluſam. Ita ille. Cuius ſententia à ſacra Congregatione Eminentiſſ. Card. anno 1629. tolerata fuit. Et hanc tenent Portel de Andrus, Bordonus Vecchis, Tamburinius, Hier. Rodriq. Pellizzarius apud Dianam *part.* 6. *tract.* 15. *reſol.* 8. & alij.

Diana.

An autem prælati regulares poſſint ſuos ſubditos abſoluere à ſimonia etiam commiſſa in ſuſceptione Ordinum, vide ſuprà v. *Abbas, num.* 8. §. 2. & nouiſſimè Lezanam *tom.* 5. *Sum. in mare magnum Minimorum num.* 101. Peirinum *tom.* 3. *de priuil. cap.* 3. *num.* 31. Pellizzar. *in man. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 188. Dianam *part.* 10. *ſupra.*

Lezana. Pellizzar. Diana.

SIMONIA VII.

De obligatione reſtituendi ſimoniacè accepta.

SVMMARIVM.

1 *An iure diuino pretium acceptum pro re ſpirituali reſtituendum ſit, etiamſi res ſpiritualis nondum tradita ſit? Et an ante iudicis ſententiam ſit reſtituendum?* Refertur duplex ſententia.

2 *An pretium ſimoniacè, ſed non iniuſtè acceptum obnoxium ſit reſtitutioni iure naturali diuino?* Refertur duplex ſententia.

3 *An res ſpiritualis per ſimoniam acquiſita, ſit iure diuino reſtituenda?* Refertur duplex ſententia.

4 *An iure Eccleſiaſtico res ſpiritualis ſimoniacè acceptata, ſit reſtituenda, ſi non ſit beneficium?*

1. PRetium acceptum pro re ſpirituali reſtituendum eſt iure diuino, etiamſi res ſpiritualis nondum tradita ſit: & hæc reſtitutio debet fieri illi qui tradidit, nam is adhuc retinet ius ad illud, cùm non donauerit, nec habuerit intentionem transferendi illud in accipientem, ſed ſub conditione, & ex pacto oneroſo: Suar. *l.* 4. *de ſimonia. c.* 59. *n.* 2. Nauar. *c.* 23. *n.* 103. Leſſius *l.* 2. *cap.* 35. *n.* 170. Victoria *de ſimon. p.* 2. *n.* 6. quidquid nonnulli Doctores in contrarium ſentiant, quibus adhæret *Azorius*, negantes reſtitutionem faciendam eſſe tradenti, ſed Eccleſiæ. *Si verò* beneficium ſit traditum, ita vt vtrimque ſimonia ſit completa, quidam putant pretium acceptum in hoc caſu ante ſententiam iudicis eſſe reſtituendum ei qui dedit, poſt ſententiam verò cui iudex addixerit; ita Sotus *l.* 9. *q.* 8. *art.* 1. Bannez 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 7. Leſſius *cap. num.* 171. & multi alij recentiores huius temporis: quia is qui pretium dedit, non amiſit pretij dominium; hæc ſententia non eſt improbabilis. *Contraria* tamen, id eſt, etiam ante ſententiam iudicis pretium iſtud eſſe reſtituendum Eccleſiæ, eſt multò probabilior & verior: quia ordinariè non eſt iudex, qui Epiſcopos de his condemnet, & contra mentem Eccleſiæ eſt, vt reſtituatur danti, quia Eccleſia intendit vtrumque punire. D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. Couar. *reg. peccatum p.* 2. §. 2. Bonac. *c. q.* 7. *p.* 3. *diff.* 1. *n.* 10. Sylu. *c. art.* 6. *quæſt.* 2.

Suar. Nauar. Leſſius. Victor.

Sotus. Bannez. Leſſius.

D. Thom. Couar. Bonac. Sylu.

2. *Pretium* ſimoniacè, ſed non iniuſtè acceptum non eſt obnoxium reſtitutioni iure naturali diuino; quia obli-

Digitized by Google

obligatio reſtitoendi ob delictum, non conſurgit ex quolibet deilcto, ſed ex peccato iniuſtitiæ; ſed ſimonia non eſt iniuſtitia, ſed irreligioſitas. Ergo. Pretium verò ſimoniacè ſimul, & iniuſtè acceptum, videlicet pro re ſpirituali, eſt reſtituendum, tum ex iure naturali diuino; Suar. *cap.* 59. *num.* 35. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. §. 9. Valent. *de ſimonia p.* 6. Leſſ. *c. d.* 28. *num* 162. quia ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ oritur obligatio reſtitueodi; tum quia accipiens aliquid ſupra id quod ſibi debetur, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem: ſed accipiens pretium pro re ſpirituali, accipit aliquid ſupra id quod ſibi debetur, ergo. Nauar. *cap. num.* 103. Syluest. *v. ſimon. qu.* 20. Caiet. *v. ſimon. ſub finem.* tamen, & tenent ſimoniacum non teneri ex natura rei ad reſtitutiooem pretij accepti pro re ſpirituali.

Syluest. Layman. Valentia. Leſſius. Nauar. Syluest. Caiet.

3. Quidam Doctores ſentiunt rem ſpiritualem per ſimoniam acquiſitam, eſſe iure diuino dimittendam. Adrian. *quod. lib.* 9. *a.* 3. Sed communis ferè ſententia Doctorum eſt, non teneri iure diuino reſignare: beneficium enim de quo potiſſimùm eſt difficultas, validè collatum fuit, nam in collatore fuit poteſtas, & voluntas transferendi beneficij, v.g. in Petrum, & Petrus fuit capax, & habuit voluntatem acceptandi. Nau. *c.* 23. *n.* 103. Conat. *reg. peccatum p.* 2. §. 8.

Adrian. Nauar. Conat.

4. Iure autem Eccleſiaſtico, res ſpiritualis ſimoniacè accepta, non eſt reſtituenda, niſi ſit beneficium Eccleſiaſticum: *Pius V. in Extrauag. cum deteſtabile.* Leſſ. *c. dub.* 30. Laym. *c. num.* 85. ſub beneficio autem penſio ſpiritualis comprehenditur, quia videtur eadem ratio: Cætera autem ſpiritualia, vel dimitti non poſſunt, vt ſunt ſacramenta, niſi quoad vſum vt in ordinibus: vel non ſunt dimittenda ante ſententiam: Tamen quod ad pretium attinet, illud iure poſitiuo reſtituendum eſt. *Hac de ſimonia ſatis*, plura apud Suarez, Filliucium, & Bonacinam tractatibus de Simonia.

Leſſius. Laym.

SVPPLEMENTVM.

SIMONIA.

SVMMARIVM.

1 *An ſimonia committatur ab eo, qui ficto animo promittit pecuniam vt recipiat beneficium?* Refertur duplex ſententia?
2 *Quæ ſit materia Simoniæ confidentialis, & quod pretium.*
3 *An calix, vel alia res ſacra poſſint locari pro pretio habita ratione materiæ.*
4 *An commendæ ſpirituales, ſeu clericales, ſint materia ſimoniæ contra ius diuinum.*
5 *An Commendæ militares vendi poſſint ſine ſimonia.*
6 *An Rectoria ſeu officia regendi hoſpitalia Eccleſiaſtica ſint materia ſimoniæ contra ius diuinum.*
7 *An præſtimonia ſint materia ſimoniæ, & vendi poſſint.*
8 *An ſimonia committatur accipiendo aliquid temporale pro ſacramentis, vt ſunt quid conflatum ex materia & forma? Et an matrimonium poſſit vendi.*
9 *An liceat dare alicui pecuniam vel quid ſimile, vt fiat Chriſtianus vel Religioſus, vel vt operetur actum vtilem ſolùm ipſimet operanti?* Refertur duplex ſententia?
10 *An actus concionandi vendi poſſit ſine ſimonia.*
11 *An tranſactio, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, ſit ſimoniaca.*
12 *Tranſactio in materia ſpirituali non beneficiali cum aliqua compenſatione per largitionem vel ceſſionem alterius rei vel iuris ſpiritualis proportionati, an ſit ſimoniaca, ſi fiat propria auctoritate ex conſenſu partium.*
13 *Tranſactio in materia beneficiali, quando ſit licita vel illicita.*
14 *An in caſu tranſactionis ad dirimendum litem, poſſit Epiſcopus imponere penſionem ipſi beneficio ſoluendam ipſi penſionario, quamdiu vixerit, & relinquendo beneficium alteri colliganti?* Refertur duplex ſententia.
15 *Rationes aſſignantur cur Prælatus applicat in hoc caſu tranſactionis aliquid temporale parti cedenti iuri ſuo.*
16 *An actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ contentioſæ ſint materia ſimoniæ.*
17 *Quando per ſpiritualem poteſtatem exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & humani, vt ſunt cauſæ merè ciuiles inter clericos &c. An huiuſmodi actus ſint materia ſimoniæ?* Refertur duplex ſententia.
18 *Quibus de cauſis traditio & acceptio pecuniæ pro diſpenſationibus poſſit eſſe licita.*
19 *An omnes homines, etiam infideles, pagani, hæretici &c. labem ſimoniæ iure naturali, & diuino vetitæ contrahere poſſint.*
20 *An Pontifex peccare poſſit peccato ſimoniæ ſi ſimonia ſit contra ius diuinum.*
21 *Quando Papa poſſit culpam ſimoniæ iure tantùm canonico prohibitæ contrahere.*
22 *An ſimoniam iure canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere poſſint.*
23 *An contrahentes cum Pontifice vel eius miniſtris de re ſpirituali ex ipſius Pontificis conſenſu, ſimoniam incurrat, ſi ſimonia ſolùm iure canonico ſit introducta.*
Qui ſciente & diſſimulante Pontifice ſimoniam ſolo iure poſitiuo prohibito exercent, an excuſentur à culpa ſimoniæ? Refertur duplex ſententia.
An Pontifex vendendo alicui beneficium, cenſeatur cum iſto diſpenſare quoad pœnas iuris?

1. IN ſententia multorum Doctorum, qui promittit pecuniam, ſeu aliquod temporale pro beneficio, animo non verè emendi, vel ſoluendi, ſed ſolùm intentione decipiendi, & recipiendi beneficium, non committit verè ſimoniam, etiamſi promiſſionem firmet inſtrumento, vel iuramento ficto, & ſimulato. Ratio eſt, quia iſte non habet voluntatem verè emendi, ſed mendacio decipiendi; ergo verè committit ſimoniam, & poteſt beneficium ſic obtentum retinere, ſi à legitimo collatore ſit collatum: Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 11. qui citat Caietanum *tom.* 2. *opuſc. tract.* 9. *quæſt.* 2. Sotum *lib.* 9. *de iuſtit. quæſt.* 8. *art.* 1. Toletum *lib.* 5. *cap.* 9. *ad finem.* Idem ſentit Reginaldus *lib.* 23. *num.* 110. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 67. *ad finem.* Sed quia Eccleſia non iudicat de internis, ſed de externis, in foro externo talis præſumetur ſimoniacus, imò & in foro conſcientiæ reus erit ſimoniæ: quia cooperatur ſimoniæ alterius, cùm actum externum ſimoniacum faciat: ſed cooperans peccato alterius, reus eſt illius peccati, cui cooperatur; & licet dictus decipiens non ſit ſimoniacus formaliter, & ex intentione formali, & non ligetur cenſuris contra ſimoniacos latis, non tamen excluditur, quin ſimoniæ reus ſit ob cooperationem ad peccatum ſimoniæ: Imò Nauarrus *in man. cap.* 23. *nu.* 106. vult eſſe ſimoniam conuentionalem. Ita etiam Bonacina *tractatu de ſimonia diſputatione prima, numero quinto*, A quorum ſententia recedit Suarez *tomo primo de relig. libro quarto, cap.* 42. *numero quinto*, dicens licet opinio Nauarri non careat omni ſpecie probabilitatis, nihilominus vera ſententia eſt, quamuis fictio intercedat tantùm ex parte promittentis pecuniam illam non fore ſimoniam conuentionalem: nam licet ille deceptor intẽdat, mediante illa promiſſione falſa, obtinere beneficium, non tamen intendit dare ipſammet promiſſionem, vt pretium beneficij, ſed ſolùm fictè offerre id, quod alter putat eſſe futurum pretium. Vnde etiã alter non intendit dare beneficium pro promiſſione, ſed pro re promiſſa, & promiſſio tunc ſe habet tanquã conditio conferens certitudinem de pretio: ergo licet illa promiſſio aliquid temporale ſit, non

Leſſius. Caiet. Sot. Tol. Regin. Laym. Bonac. Suar.

ſatis eſt ad Simoniam veram; nam etiam preces ſunt aliquid temporale, & non ſufficiunt ad ſimoniam, quia non offeruntur vt pretium, ita ergo illa promiſſio non offertur in pretium. Eſt ergo illud graue peccatum iniuſtę deceptionis, ſcandali, vel cooperationis ad ſimoniam mentalem alterius, & in foro exteriori puniri poterit per iudicem, & propter dictas malitias, & propter præſumptam ſimoniam: directè autem, & propriè non eſt vera ſimonia.

2. Materia ſimoniæ confidentialis ſunt tantum beneficia Eccleſiaſtica, quæ in Bullis Pij IV. Pij V. & Sixti V. contra ſimoniam confidentialem, vocantur Eccleſiæ, Monaſteria, & alia huiuſmodi Eccleſiaſtica beneficia cuiuſcumque ordinis ſint, ſimplicia, aut curata, maiora aut minora, regularia, aut ſæcularia. Penſio autem non eſt materia ſimoniæ confidentialis. Tum quia in dictis Bullis non nominantur ſub hac materia in particulari penſiones, nec ſub generalibus verbis beneficiorum comprehenduntur, præſertim in materia odioſa. Tum quia penſiones natura ſua non renunciantur in fauorem alterius, nec per collationem aut Canonicam inſtitutionem conferuntur: quod autem interdum ex priuilegio poſſit penſio transferri in alium, ſingulare eſt, & extraordinarium, & ad finem illarum conſtitutionem parum referebat, & ideò hæc materia non eſt ibi comprehenſa, neque illius habita eſt ratio.

Pretium autem quod in hac ſimonia interuenire poteſt, & debet, duplex tantum eſſe poteſt, vnum eſt idem beneficium, quod renunciatur, vel confertur, vt eidem renuncianti vel conferenti vel alteri reddendum, & quaſi reſtituendum. Aliud eſt fructus eiuſdem beneficij, vel penſio, ſeu pars eorum, eiſdem conferenda quando enim de his confidentia interuenit, eſt propria ſimonia confidentialis, ſi verò de alijs rebus etiam merè temporalibus, vel ſpiritualibus reddendis vel renunciandis confidentia illicita interueniat, non erit ſimonia confidentialis, etiamſi alias ſimonia ſit. Ratio eſt, quia pœnæ dictarum Conſtitutionum non imponuntur, niſi in hoc genere confidentiæ, & quaſi pretij. vnde licet aliquis renunciet in alium beneficium ſuum confidens illum daturum alteri tertio beneficium aliud, quod ipſe poſſidet, erit quædam ſimoniaca permutatio reciproca, vel triangularis, non erit tamen confidentialis. De his plura apud Suar. *l.4.de ſimonia c.43.* Filliucium *tract.45.cap.20. quæſtione* 3. & alios. Suar. Filliuc.

3. Dubium eſt, an calix, vel aliæ res ſacræ poſſint locari pro pretio, habita ratione materiæ? Reſpondent Suarez *loco citato cap.14 num.25.* Filliucius *tract.45.cap.3.nu.28.* Vgolinus *de ſimon. tab.1.cap.44.§.1.n.3. verſ. Quoad primum caſum*, negatiuè. Quia hoc eſt virtute vendere vſum ſacrum illius calicis. Nam locatio venditioni comparatur, quia licet in ea non vendatur res, vendi tamen cenſetur vſus rei: ſi ergo locatur res ſacra, cùm non poſſit locari niſi ad ſacrum vſum venditur ſacer vſus. Hæc ſententia eſt probabilis: quia redolet quamdam lucri turpitudinem, & vix ſine ſcandalo hoc fieri poteſt. Nihilominus non videtur ibi interuenire ſimoniam: quia calix conſecratus vendi poteſt ratione materiæ, etiamſi venditor ſciat illum emi ad vſum ſacrum, ergo etiam locari poteſt, cùm par ratio videatur, venditionis, & locationis. Tum quia veſtes ſacræ locari poſſunt, accepto pretio, quia vſu conſumuntur, vt concedunt prædicti Doctores; ergo ſignum eſt ipſorum vſum eſſe pretio æſtimabilem, & illius valorem ſpectari poſſe, non habita ratione ſacri vſus, vt ſacer eſt. Ergo locans non vendit vſum ſacrum, ſed locat rem ipſam ad talem vſum. Ita Bonacina *de ſimon. diſp.1. quæſt.4. numera* 12. Suar. Filliuc. Vgolin. Bonac.

4. Commendæ ſpirituales ſeu clericales, ſiue temporales ſint, ſiue perpetuæ, ſunt materia ſimoniæ contra ius diuinum. Ratio eſt quia principale in eis eſt ſpirituale miniſterium, cui temporale commodum conſequenter eſt annexum; ergo ſunt propriſſima materia ſimoniæ. Vel enim commenda eſt temporalis, & ſic commendatarius acquirit iuriſdictionem delegatam vel eſt perpetua, & ſic acquirit iuriſdictionem ordinariam vel quaſi ordinariam: ergo vendere talem commendam eſt vendere iuriſdictionem ſpiritualem ſeu delegationem eius: at vendere delegationem, iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ſpiritualem, Simonia eſt iure diuino prohibita. Deinde hæc commenda, quæ in perpetuum alicui datur vel eſt Eccleſiaſticum beneficium, aut illi æquiparatur, vt tradunt Gomez *in reg. de Triennali poſſeſſor. quæſt.* 5. Rebuffus *de pacific. poſſeſſ. nu.* 35. Suarez *lib.4.cap.27.num.*3. Filliucius *tract.45.cap.6.num.2.* & alij. Commenda autem eſt, cùm Eccleſia aliquid vel beneficium commendatur alicui, & non confertur ei in titulum, ſed committitur ei cura vel adminiſtratio eius, ideoque illi aſſignantur fructus beneficij, vel pars eorum, vt diximus ſupra *verb. Commendationes Eccleſiarum.* Siue ergo commenda detur ob vtilitatem Eccleſiæ commendatæ, ſiue in fauorem commendatarij, vt ſcilicet fruatur eius bonis, & illi inſeruiat per Vicarium, ſemper eſt materia ſimoniæ eius venditio. Quia commendatus habet ius ſicut præſentatus, ad Eccleſiam illam in proprietate obtinendam quando erit adultus: hoc autem ius ſpirituale eſt, ideoque illud vendendo committeret ſimoniam contra ius diuinum. Ita Bonacina *de ſimonia loco citato num.14. & alij ſupra.* Gomez. Rebuff. Suar. Filliuc. Bonac.

5. Commendæ militares non ſunt per ſe ſpectatæ materia ſimoniæ. Ratio eſt, quia conferuntur titulo laico, nam dantur in ſtipendium pro temporalibus ſeruitijs; ergo non ſunt aliquid ſpirituale, ſed tantùm temporalia quædam ſubſidia, & alimenta militaria. Tum quia illarum diſpenſatio, & adminiſtratio laicis Principibus commiſſa eſt. Ita docent Suarez *loco cit. n.6.* Victoria *in relect. de ſimonia nu.45.* Arragon *in 2.2. quæſt.100. art.4.* Diana *p.6. tract.8. reſol.17.* Caſtrus Palaus *tom.3. tract. vlt. diſp.3. punct.12. n.13.* Lezana *in ſum. quæſt. reg. tom.2. c.5. n.26.* Bonacina *loco cit. n.15.* Cœleſtinus *in compend. Theolog. mor. tract.7. cap.5. q.9.* & alij. Suar. Vict. Arrag. Diana. Palaus. Lezana. Bonac. Cœleſt.

Contra hanc doctrinam obijcitur à quibuſdam, quòd hæ commendæ non dantur niſi religioſis profeſſis, & ideò videntur annexæ ſtatui religioſo, quem conſtat eſſe ſpiritualem, Reſp. huiuſmodi Commendas non tradi religioſis ob profeſſionem, tanquam ob titulum, ſed tantum ob conditionem ſine qua non conferuntur Profeſſio enim requiritur in recipiente huiuſmodi commendas, vt ſit habilis ad eas recipiendas non tamen hinc ſequitur eas eſſe aliquid ſpirituale. Sicut ſi Papa præciperet vt determinata, bona temporalia non diſtribuerentur niſi inter religioſos non propterea dicerentur adnexa titulo ſpirituali.

Nec obſtat etiam quòd dicti milites obligantur ad recitandum aliquas preces; hic autem eſt titulus ſpiritualis, ergo huiuſmodi Commendæ conferuntur titulo ſpirituali. Reſpondeo illam precum obligationem non oriri ex Commenda, ſed ex profeſſione, & Regulis; ſicut laici aliquarum religionum obligantur ad priuatas quaſdam preces: vnde fructus Commendæ non ſunt reuera ſtipendia pro tali diuino Officio, ſed pro temporali miniſterio militiæ; quam quidem militiam eſſe opus temporale pretio æſtimabile dicendum eſt, & quod æſtimationem ſuam non amittit, etiamſi fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei, vt fuſiùs explicant prædicti Doctores, contra Azorium *tom.1. lib.13. cap.6. quæſt.3.* & quoſdam Canoniſtas. Azor.

Cæterum quamuis eas Commendas vendere non ſit prohibitum iure Eccleſiaſtico, ideoque nec eas vendere eſſet ſimonia; videtur tamen illicitum eas vendere directè, & formaliter. Quia Magiſtri Ordinum, & Generales eas non poſſunt vendere, cùm non ſint domini, ſed tantùm diſpenſatores, & quidem ſub Summo Pontifice, qui dedit illis talem facultatem tantùm ad diſtribuendum. Cum licentia autem Papæ poſſet etiam vendi Commenda, applicando pretium ad maius bonum militiæ, vel imponi penſio aliqua danda alteri, vt bene Suarez *c.27. nu. 9. & 10.* Bonacina *loco cit. n.15.* & alij. Suar. Bonac.

6. Hoſpitalia Eccleſiaſtica, id eſt Rectoriæ, ſeu officia regendi, quæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica, & loca religioſa auctoritate Epiſcopi fundata, & dantur in titulum, materia ſunt ſimoniæ contra ius diuinum. Ratio eſt, quia habent adminiſtrationem ſpiritualem, & titulum ſpiritualem fixum, & permanentem, & conferendum auctoritate Prælati Eccleſiaſtici, vnde ſicut beneficia Eccleſiaſtica ſunt materia ſimoniæ, ita & hæc hoſpitalia. Si autem hoſ-

pitale

pitale habeat rectorem cum adminiſtratione ſpirituali ſimul cum temporali abſque titulo,& ad nutum amouibili,tunc beneficium quidem non eſt propter carentiam tituli,& perpetuitatis,nihilominus eſt materiæ ſimoniæ, & illud Officium inuendibile eſt propter ſpiritualem adminiſtrationem, quæ licet tantùm ſit delegata, ſeu per modum Vicariæ,id ſatis eſt, vt vendi non poſſit. Quando autem Officium gubernandi hoſpitale non habet functionem vllam ſpirituale,ſed tantùm temporale regimen ad debitam curam infirmorum, non eſt materia ſimoniç, ſiue tale Officium ad tempus committatur,ſiue perpetuò: quia illius adminiſtratio eſt res merè temporalis, & pretio æſtimabilis,etiamſi fortè zelo charitatis,& miſericordiæ exerceatur. Ita ex communi Panormit. *in cap. Extirpandæ,§. quia vero,in repet.n.55. de præbend.* & *c. 1. de ſimon.n.*7. Felinus *ibi*,Suarez *loc.cit, n.*11. & 12. Filliuc. *tr.*45.*c.*6.*q.*4. D. Antonin. 3.*p.tit.*11.*cap.*2.*§. vlt.* Bonac. *loc.cit.n.*17.

Panorm. Felin. Suar. D. Anton. Bonac.

Aliter tamen hi Auctores ſentiunt de hoſpitali fundato auctoritate Epiſcopi,licet adminiſtrationem ſolùm temporalem habeat;putant enim eſſe materiam ſimoniç non iure naturali diuino prohibitæ, ſed iure humano interdictæ,*in cap. Saluator* 1.*q.*3. vbi prohibetur vendi Officium Procuratoris,& defenſoris;& nomine Procuratoris intelligitur Vrbanus Papa *in d. cap.* quemlibet Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt Præpoſitum, Oeconomum,&c.

7. Præſtimonia ſunt materia ſimoniæ,& vendi non poſſunt,eodem modo, quo cætera beneficia. Probatur hoc ex conſuetudine,quia nemo audet præſtimonia vendere,aut emere, nec Eccleſia id toleraret, ſed ex conſuetudine ſumitur efficax argumentum. Tum quia conferuntur ſolùm à Prælatis Eccleſiaſticis,& cum ſolemnitate, qua cætera beneficia, ſignum ergo eſt, reputari ſpiritualia, ac ſubinde eorum fructus eſſe ſpiritualibus annexos,& in ipſorum venditione latere ſimoniæ labem. Et licet olim dubitatum ſit,an huiuſmodi præſtimonia eſſent beneficia Eccleſiaſtica, quæ inſtituta ſunt ad alendos, & ſuſtentandos in ſtudiis pauperes Clericos, vt poſtea Eccleſia inſeruire poſſent. Hodie tamen dubium ſuſtulit Pius V. in motu proprio, qui incipit, *Ex proximo*, & eſt editus anno 1571. In quo adiungit obligationem diuini Officii,vnde dicenda ſunt beneficia Eccleſiaſtica licet ſimpliciſſima,& conſequenter hoc tempore habent titulum ſpiritualem,cum iure ad fructus capiendos cauſa ſuſtentationis in ſtudiis. Ita docent communiter recentiores. Suarez *l.*4.*c.*25.*n.*4. Filliucius *tract.*45.*c.*5.*q.*12. ex Hoſtienſi *in cap. Poſtulaſti,de reſcript.n.*9. Soto *de iuſt.l.*9. *qu.*7.*ar.*1. & alij.

Pius V.

Suar. Filliuc. Hoſtienſ. Sotus

8. Cùm Sacramenta, vt ſic ſint res ſacræ, tam in ſe, quàm quoad effectum, quem pariunt, ſunt propriiſſima materia ſimoniç iuri naturali contrariç:proinde ſimonia committitur, accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis vt ſunt quid conflatum ex materia,& forma. Probatur, quia licet Sacramenta in actionibus quibuſdam, vel paſſionibus circa res materiales conſiſtant; nihilominus, ut Sacramenta ſunt,diuina & ſupernaturalia dona ſunt gratis collata nobis à Chriſto eorum auctore, & per reſpectum ad gratiam,quam conferunt, ſpiritualia ſunt. Ergo eo ipſo quòd ſunt talia, contra reuerentiam illis debitam,& contra Religionem,& contra uerbum Chriſti,*Gratis accepiſtis,gratis date*,eſt illa uendere,ut habetur *in cap. Cùm in Eccleſia corpore de ſimonia*,ibi: *Seu pro aliis Sacramentis aliquid requiratur*. Et hoc uitium ibi appellatur *horribile*,quo uerbo ſatis ſignificatur eſſe contra ius diuinum. Inſuper ibi dicitur contra hanc prohibitionem nullam poſſe præualere conſuetudinem,quod eſt ſignum intrinſecæ deformitatis, & malitiæ. Et hæc eſt communis omnium ſententia,quia conſuetudo non poteſt præiudicare iuri naturali. Ex D. Thom. 2.2.*q.*100.*art.*2. *in corpore,* & *ad* 4.

D. Thom.

Nonnulli Canoniſtæ ab hac generali regula excipiunt matrimonium,nam licet illud uendere,& ita non eſt materia ſimoniæ. Ita ſenſit Gloſſa *in cap. Cum in Eccleſia de ſimonia*, quæ fatetur quidem matrimonium eſſe Sacramentum,& nihilominus dicit poſſe uendi,quia in eo, ait,gratia,non confertur. Et hanc ſententiam quidam ex antiquis Theologis ſunt ſecuti. Sed hæc exceptio, nullatenus eſt admittenda. Nam de fide eſt matrimoniũ eſſe verum Sacramentum nouæ legis,& gratiam ex opere operato conferre,vt definitum eſt in Concil. Trident. *ſeſſ.*24.*Canon.*1. vnde conſequenter ſequitur, matrimonium quatenus eſſe Sacramentum eſt, eſſe materiam ſimoniæ,neque poſſe,vt ſic ſine ſimonia vendi. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.*2.*ad* 6. Sed quia matrimonium non ſolùm eſt Sacramentum,ſed ſimul eſt contractus humanus, in quo coniuges inuicem tradunt,& acceptant corpora ſua ad vſum matrimonij, ſi pecunia tradatur pro matrimonio, vt eſt contractus, vel ob ipſius onera,non committitur peccatum ſimoniæ, quia tunc non emitur,ſaut venditur Sacramentum, nec aliquid ſpirituale,ſed venditur vel materialis contractus, vel potius quodammodo emitur quaſi partialiter corpus ipſum materiale quod eſt materia Sacramenti. Neque inconueniens eſt humanum corpus emi ad vſum matrimonii, ſicut emi poteſt ad vſum ſeruitutis. Nam ſicut corpus vnius coniugis pro corpore alterius commutatur, ita ſi non ſint moraliter æqualia, poteſt commutari corpus vnius,pro corpore,& pecunia alterius,hoc enim nec contra iuſtitiam eſt,nec cum ſimonia habet commerciũ. Idem dicendum dum in matrimonio traditur aliquid ad compenſandam inæqualitatem nobilitatis, vel alterius conditionis coniugum,illud enim non traditur pro Sacramento matrimonii, ſed pro defectu naturali, qui pecunia compenſari ſolet. Ita Panormitanus *in c. Cum in Eccleſia,de ſimon.num.*3. Richardus *in* 3.*diſt.*25. *art.*3. *quæſt.*1.*ad* 3. Suarez *lib.*4.*cap.*10.*num.*11.& 12. Filliucius *tract.*43.*cap.*3.*q.*3. Azorius *p.*3.*lib.*12.*cap.* 4. *de ſimon.* & alii.

Con.Trid. D. Thom. Panorm. Richard. Fill.

9. Quæſtio eſt valde controuerſa inter Doctores,an ſit licitum, dare alicui pecuniam, vel quid ſimile, vt fiat Chriſtianus,vel Religioſus,vel Sacramenta frequenter, vel ut operetur actum vtilem ſolùm ipſimet operanti? Prima opinio ſimpliciter negat licere dare aliquid, vel accipere hoc modo per viam pacti, Do vt facias,vel promitto ſub tali conditione,vt fias Religioſus,& non aliter Ita ſuſtinent D.Thomas 2.2.*q.*100.*art.*3. *ad* 4. Panormitanus *in cap. dilectus,2. de ſimon. num.*17. Syluester *verb. Simonia,quæſt.*8.*dict.*3. D.Antoninus 2.*part.tit.*1.*cap* 5.§. 18. & *tit.*12.*cap.*2.§.1. Medina *C. de reſtitut. q.* 27. & alij multi apud Suarez *lib.*4. *de ſimon.cap.*16. *num.* 9. Secunda affirmat licere pactum, vbi agitur de conuerſione alicuius ad fidem Ita Gloſſa *in cap. Quam pio* 1.*q.*2 *verb. Interuentu,* & *in cap. debet* 23.*q.*4. Sanchez *l.*1.*de matrim. diſp.*39. Molina *de iuſtit.tract.*2.*diſp.*93.*concl.*4. Reginaldus *lib.*23.*n.*152. Azorius p.3.*l.*12.*c.*3.*q* 5. & alii. Pro reſolutione huius dubii dicendum eſt.

D. Thom. Panorm. Syluest. D Ant. Medina.

Sanch. Azor. Regin.

Primò,quòd dare,vel promittere temporale ſub pacto, vt alter obligatus maneat ad opus ſpirituale ſimonia eſt: & in hoc caſu habet locum prima ſententia. Probatur, quia in iure Canonico reprobantur omnia pacta,& conuentiones in materia ſpirituali,*cap. Quam pio* 1.*q.* 2.*cap. quæſitum, de rerum permutat.* & *cap. vltimo, de pactis*. Tum quia ſimonia committitur emendo, aut vendendo ſpirituale pro temporali:hic autem emitur ſpirituale pro temporali,cùm imponatur alteri obligatio præſtandi opus ſpirituale pro pretio temporali

Secundo, dare aliquid de præſenti alicui, vt faciat opus ſpirituale,vel de præcepto,vel de cõſilio, vel vt vitet peccata,vel vt opus ſpirituale faciat in ſolius operantis vtilitatem,relicta illi facultate,& libertate faciendi tale opus, non committitur ſimonia,nec alia ratione peccatum eſt, præciſo ſcandali periculo. Ratio eſt, quia tunc reuera nullum fit pactum,& huiuſmodi donatio non eſt mala ex obiecto,cum ſit liberaliter facta de re ex indifferenti;neque mala eſt ex fine, cùm intendatur bonum operantis; neque ex modo, cum non tradatur temporale, tanquam pretium honeſti operis,non enim adeſt mutua obligatio. Sic mater dat filio munera, vt bona opera exequatur, & licet interdum dicat ſe dare cum tali conditione, non eſt propriè conditio,ſed modus quo intentio explicatur. Sic promittere aliquid ſub conditione expreſſa, ſi fiat

opus

Digitized by Google

opus ſpirituale, ita vt intendat quis ſe obligare ad promiſſionem adimpleta conditione, & non aliter, licitum eſt, nec eſt ſimonia, ſi ea parte eius cui fit promiſſio nulla oritur obligatio: vt ſi quis dicat alteri, promitto tibi centum aureos, ſi fias Chriſtianus, vel religioſus, & non aliter. Ratio eſt, quia talis promiſſio non eſt contractus oneroſus, nec excedit donationem liberalem ordinatam ad inclinandam ad voluntatem alterius ad opus virtutis. Tum quia in effectu eſt tantùm optio quædam gratuito homini oblata, vt hoc vel illud eligat ſuo arbitrio, non autem coactio, vel obligatio; conſequenter neque pactio, neque ſimonia: nam is cui fit promiſſio, ita liber eſt ad faciendum tale opus, ſicut antea erat. Et hęc concluſio procedit iuxta ſecundam ſententiam, quam confirmat Suarez *lib.4. de ſimonia, cap.16. num.11. & ſequentibus*, Filliucius *tr.45. cap.4. q.5.* Bonacina *de ſimonia, diſputat. 1. quæſt.4. §.7.*

Suar. Filliuc. Bonac.

10. Actus concionandi eſt materia ſimoniæ, & ſine illius labe vendi non poteſt. Ratio eſt, quia Verbum Prædicationis eſt Verbum Dei, & prædicator eſt veluti legatus à Deo miſſus ad illud munus exercendum, iuxta illud Matth. vlt. & Marc. vlt. *Euntes ergo prædicate*, &c. Tum quia per ſacram concionem, quod proximè, & principaliter intenditur, eſt inflammare voluntates hominum ad amorem Dei, & pœnitentiam, ſed hoc eſt opus Spiritus ſancti: nam neque qui plantat aliquid, neque qui rigat, ſed qui fructum dat Spiritus ſanctus. Ergo actus concionandi maximè ſpiritualis eſt, & ſupernaturalis, & ita tota illius Verbi æſtimatio pendet à Spiritu ſancto, & ſumitur ex illo proprio effectu, ad quem ordinatur, ergo. Tum quia Chriſtus mittens Apoſtolos ad prędicandum: *Matth.* 10. ſub eodem verborum contextu præcipit gratis dari opus concionandi, & reliqua dona gratiarum, quæ ad confirmandam Diuinam prædicationem gratis dantur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*100. *art.*3. *ad* 2. Caietanus *ibidem*, Sylueſter *verb. Simonia, quæſt.*9. Suarez *l.4. de ſimon. c.* 18. *numer.*22. qui citat *Sotum, Victoriam, Paludanum*, & multos alios. Laym. *l.4. tract.*10. *cap. vlt. num.*32. & communis.

D. Thom. Caiet. Sylu. Suar. Laym.

Cæterum Prædicantibus temporalia debentur, ad ſuſtentationem prædicantium; non autem ad emendum Prædicationis Verbum. Vnde ſuper illud 1. ad Timoth. 5. *qui bene præſunt presbyteri*, &c. dicit Gloſſa. Neceſſitas eſt accipere vnde viuitur, charitatis eſt præbere: non tamen venale eſt Euangelium, vt pro his prædicetur, vt docet D. Thomas *loco citato*. Hinc ſtipendium ſuſtentationis ſub pacto ponere licet Prædicatoribus, vt habet conſuetudo ab Eccleſia approbata. Ratio eſt, quia velle ſtipendium ſuſtentationis non eſt velle temporali pro ſpirituali. Ergo ex pacto velle tale ſtipendium, non eſt vendere ſpiritualia. Non ergo illicitum.

Prima conſequentia patet: quia pactum non mutat materiam actuum, eadem namque eſt materia donationis, & venditionis, ſi vas argenteum dono datur, vel venditur. Et propterea ſi abſolutè velle ſtipendium ſuſtentationis, non eſt velle temporale pro ſpirituali: ergo velle idem ex pacto, nō eſt velle temporale pro ſpirituali, quod eſſet vendere. Secunda verò conſequentia patet: quia non alia ratione hoc eſſet illicitum niſi quia eſſet ſimonia; videlicet velle temporale pro ſpirituali. Sublata ergo hac mali ratione, reſtat quod non ſit illicitum. Ita rectè argumentatur. Caietanus *in* 2.2. *q.*100. *art.*2. Et confirmatur hæc ſententia, quia quilibet in pactum adducere poteſt, quod ſibi iure naturæ debetur, non enim petit indebitum. Pactum enim non auget intenſiuè hanc obligationem, ſed quia quantitas ſtipendij iuſti non eſt ex natura rei determinata, nec ſemper eſt lege taxata, ideò per pactum, & conuentionem partium determinatur, quod per ſe non eſt malum, ſed interdum, ac ſæpe eſt neceſſarium. Cauere tamen debet Prædicator, ne plus exigat pro ſuſtentatione, quàm ferat ratio laboris; quia exceſſus non eſt illi debitus, accipiens autem indebitum iniuſtitiam committit. Hæc eſt nunc communiter recepta ſententia, quam docent Suar. *de ſimon. l.4. c.46. n.4.* Nauarr. *in man. c.23. n.*106. Sylu. 2.2. *q.*100. *ar.*3. *quæſt.*2. & alij citati *t.*1. *verb. Simonia V. n.*2. vide ibi dicta.

Suar. Nauar. Syluius.

11. Tranſactio, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, eſt mala, & Simoniaca. Ratio eſt, quia in tranſactione reuera fit quædam permutatio, quæ ſub venditione comprehenditur, quando pretium interuenit; ergo cum tranſactio, fit remittendo ſpirituali pro temporali, venditur ſpirituale ab eo, qui illud remittit: & è conuerſo ſi retinetur, & quaſi firmatur ſpirituale dato temporali, emitur aliquid ſpirituale. Tranſactio enim propriè dicitur pactio non gratuita dubia, & ſub incerta lite conſtituta, vt conſtat ex *l.* 1. & 2. *ff. de tranſaction.* vnde in hac tranſactione ſupponitur ius ſpirituale dubium; ergo nullo modo licet ius illud pecunia redimere, quod fieret per illam tranſactionem.

Habetur hæc deciſio *in cap. Cum pridem, de pact. & c.* 2. *de arbitris, cap. Præterea*, 1. & 2. *de tranſact. & c. vlt. de rerum permut.* Eſt certa, & communis ſententia, quam ſuſtinent Gloſſa *in cap.* 2. & *in cap. Super eo, de tranſact.* & ibi Innocentius, Panormitanus, & alii. Sylueſter, Angelus, Tabiena, & alii Summiſtæ *verb. Tranſactio.*

Hinc ſequitur ſi ſpiritualis iuriſdictio in litem vocetur, non licet tranſigere, dando pecuniam; non eſt clara ſimonia, de qua *in dict. cap. Præterea* 2. *de tranſact.*

Item ſi beneficium ſit litigioſum, non licet componere litem, vel dando pecuniam auctori, vt deſiſtat, vel recipiendo ab illo pecuniam, & relinquendo illi beneficium, *c. Conſtitutus, de tranſactionibus.* Item ſi de iure præſentandi quæſtio ſit ſuborta, non licet tranſigere, dando pecuniam alteri, vt deſiſtat; ex *dict. c. Præterea* 1. *de tranſact.* Ita Laym. *l.4. tr.*10. *c. vlt. n.*56. Laym.

12. Tranſactio in materia ſpirituali non beneficiali, cū aliqua compenſatione per largitionem, vel ceſſionem alterius rei, vel iuris ſpiritualis proportionati, non eſt ſimoniaca, etiamſi tranſactio fiat propria auctoritate, ex conſenſu partium. Ratio eſt, tum quia ſimonia committitur, dum traditur res temporalis pro ſpirituali: hic autē non traditur res temporalis pro ſpirituali, ſed ſpiritualis pro ſpirituali. Tum quia hoc non eſt intrinſecè malum, nec iure diuino, vel Canonico prohibitum; ergo huiuſmodi tranſactio caret ſimoniæ labe, etiamſi fiat abſque auctoritate Prælati. Hinc ſi contentio ſit de iuriſdictione ſpirituali, poteſt fieri tranſactio, vt alternis vicibus viſitent, aut eligant, aut præſentent, ſi de his iuribus lis orta ſit. Item ſi inter duos Epiſcopos difficultas, vel contentio oriatur de iure in aliquam Eccleſiam, poſſent conuenire, vt vnus iuriſdictionem, alius prouiſionem beneficiorum in illa habeat. Si litem habeant circa res ſacras, vt circa reliquias, poſſunt illas inter ſe diuidere, vel ſi diuiſionem æquitas non patiatur, poſſunt omnes vni tradi, data alia in compenſationem. Ita Suarez *lib.4. de ſimon. cap.*51. *numer.*9. Filliucius *tractat.*45. *cap.* 11. *quæſ.* 10. Reginald. *lib.*23. *num.*150. Bonacina *de ſimonia, diſp.* 1. *q.*4. §.15. *num.*4. & alij, quibus addo Layman *l.4. tr.*10. *cap. vlt. num.*57.

Suar. Filliuc. Regin. Bonac. Laym.

13. Tranſactio non eſt licita in materia beneficiali priuata auctoritate, abſque labe ſimoniæ, auctoritate tamen Prælati, ſeu Epiſcopi poteſt honeſtari. Ratio prioris nō eſt ſumenda ex ſolo iure naturali: nam ex vi illius permutatio ſpirituali pro ſpirituali non eſt ſimoniaca; eadem eſt ratio de tranſactione. Sed ſumenda eſt ex iure poſitiuo, quod intuitu religionis vetuit ob periculum ſimoniæ huiuſmodi tranſactionem priuata auctoritate litigantium fieri. Ex *cap. Conſtitutus, de relig. domibus*. Et *cap. Super eo, de tranſact.*

Hinc litigans ſuper pingui beneficio non poteſt hoc poteſt hoc pacto tranſigere cum aduerſario, vt ipſe retineat pingue beneficium, & collitiganti tradat beneficium tenue; nam permutat, vel reſignat tenue beneficium, pro iure, quod alter habet ſuper pingue, permutatio autem vel reſignatio beneficiorum fieri non poteſt priuata auctoritate abſque ſimonia. Similiter ſi litigantes circa plura beneficia inter ſe conueniant, vt vnus vnum retineat, alter alterum, ſimoniam committunt; quælibet enim pactio in materia beneficiali ſimoniaca eſt, ſi priuata auctoritate fiat. Ratio poſterioris eſt, nam permutatio beneficiorum ea cauſa honeſta fieri poteſt in manibus Epiſcopi, ſeu Prælati, ſed cauſa tranſactionis eſt ſatis honeſta, ergo ſi-

gò ſimilis permutatio, vel quæcumque compenſatio ſpiritualis facta alteri parti pro beneficio dubio, vel iure ad illud, cui renunciat, ſi in manibus Epiſcopi, vel Prælati fiat, valida erit, & libera ab omni ſimonia, quia nullum ius prohibet huiuſmodi tranſactionem fieri auctoritate Epiſcopi. Imò approbari videtur *in cap. ſtatuimus, de tranſaction.* ibi: *De aſſenſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ſui:* vbi hæc ponitur vt conditio neceſſaria pertinens ad validitatem, & quaſi ad formam tranſactionis, ergo vbi deeſt illa conditio, tranſactio eſt prohibita. Et licet ibi ſermo ſit de tranſactione ſuper decimas, multò magis habet locum illa deciſio in tranſactione ſuper beneficia. Ita ex communi docent Innocentius, Panormitanus, & alii *in cap. Conſtituitus, & c. Super eo ſuprà.* Gloſſa *in c. Si quando de offic. delegat.* Rebuffus *in Practic. Cancellar. Apoſt. verſus finem.* Lambertus *de iure Patronat. l. 3. q. 9. artic. 6.* Suarez *loco cit. c. 51. n. 15. & ſeqq.* Filliucius *tract. 45. c. 11. quæſt. 11. & 12.* Layman *loc. cit. n. 58.* Bonac. *loco cit. nu. 6.* & alii communiter.

Gloſſ. Rebuff. Suar. Fil. Laym. Bonac.

14. Dubium eſt inter Doctores, an Epiſcopus in tali caſu tranſactionis ad dirimendam litem poſſit abſque ſimonia vni applicare beneficium litigioſum, cum onere vt alteri parti colitiganti penſionem ſoluat ex illo beneficio? Certum eſt apud omnes poſſe penſionem imponi ipſimet beneficiario ad vitam ipſius, quia ſic expreſsè habetur *in cap. niſi eſſent, de præbendis.* Quod in dubium vertitur, eſt, an penſio imponi poſſit ſuper ipſo beneficio, ita vt tranſeat ad ſucceſſorem in beneficio, quamdiu penſionarius viuit: Duplex eſt ſententia, alii enim affirmant, alij negant. Pro negatiua facit, quod in hac cauſa dirimendæ litis non agatur de iure beneficij, ſed beneficiarii, ergo par non eſt, vt beneficium obligetur, ſed perſona; quia ſic expreſsè habetur *in dict. cap. niſi eſſent. de præben.* vbi aſſignatur ratio, ne videlicet aliqua ſectio, ſeu diuiſio circa prouentus beneficii facta videatur, quæ ratio militat etiam in Epiſcopo. Et ſic habet ſtylus Curiæ admittentis huiuſmodi penſiones. Hanc ſententiam tenent Azorius *par. 2. lib. 8. cap. 6. quæſt. 1.* Reginaldus *lib. 23. num. 259.* Bonacina *loco citato num. 9.* Pro affirmatiua eſt *cap. De cætera, de tranſact.* per argumentum à contrario. Dicitur enim ibi penſionem impoſitam per tranſactionem iuridicam ſine Epiſcopi auctoritate, non excedere vitam eius, qui penſionem ſoluit, ergo, interueniente Epiſcopi auctoritate, poteſt excedere vitam beneficiarij, ac ſubinde ſuper beneficium ipſum imponi. Et ita notant ibi expreſsè Panormitanus, Cardinalis, & alij, quos refert, & ſequitur Gigas *de penſionibus, quæſt. 6.* Suarez *capit. 51. numer. 18.* & probabilem putat Filliucius *tractat. 45. cap. 11. numer. 28.* Et ita videtur vſus declaraſſe hæc iure. Quamuis enim Epiſcopus ordinariè non poſſit penſionem ſuper beneficium imponere iuxta ius commune, vt beneficia ſine diminutione conferantur nihilominus regula illa patitur exceptiones aliquas, quando ex iure, vel conſuetudine ſufficienter colliguntur, & vna illarum hæc eſt, ad litem, & controuerſiam componendam.

Azor. Regin. Bonac.

Suar. Filiuc.

15. Prælatus applicans in hoc caſu tranſactionis aliquid temporale parti cedenti iuri ſuo, id facit *Primò*, ex arbitrio, & prouidentia ſua propter bonum pacis; bonum autem pacis non ſolùm eſt quiddam ſpirituale, verum etiam temporale bonum, vtpote vtile, ideoque pecunia æſtimabile; ſicut enim lites magno ſunt diſpendio, ita pax ingentis eſt vtilitatis. Et licet bonum pacis in tali euentu non obtineatur niſi cedendo iuri ſpirituali, & præſentationi temporali, tamen in tranſactione non habetur ratio ipſius iuris ſpiritalis, ſed commoditatis temporalis, & hac de cauſa permittitur *in capit. Niſi eſſent, de præbend.*

Secundò, poteſt conſiderari à Prælato ratio aliqua iuſtitiæ ob quam meritò poſſit beneficio, aut beneficiario onus imponi; talis autem cauſa eſſe poteſt neceſſitas alimentorum; ad quæ recipienda ex tali beneficio poteſt Clericus habere iuſtam cauſam, ratione iuris ſaltem dubij, quod ad illa habet.

Tertiò, Prælati vel arbitri in componenda lite poſſunt rationem habere incommoditatum, & expenſarum, quas fecerunt, & ſuſtinuerunt in proſecutione litis, hæ enim pretio æſtimabiles ſunt. Ita communiter Doctores, teſte Suar. *loc. cit. n. 22.* Filliuc. *loco cit. nu. 28.* Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vltim. num. 59.* & alijs.

Suar. Filliuc. Layman.

16. Certum eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ etiã contentioſæ, & inuoluntariæ, materiam eſſe ſimoniæ, ad quam vitandam gratis exerceri debent. Ratio eſt, quia in iis omnibus actibus exercetur ſupernaturalis poteſtas à Deo gratis data ad gubernandam Eccleſiam ſuam, ac proinde gratis exerceri debet ex vi ſuæ inſtitutionis, & naturæ, ergo ſi pretio vendatur, ſimonia committitur, ergo in omnibus his actibus inuenitur ſimoniæ materia, non ſolùm humano, ſed etiam diuino iure prohibita. Hinc ſimonia committitur, dum Vicarius Epiſcopi, aut Capituli, vel Parochi pretio conſtituitur. Item dum pretio confertur beneficium, vel dignitas Eccleſiaſtica, aut iuriſdictio ordinaria, vel delegata. Item ſi vendatur ius eligendi ad dignitates, vel confirmandi electionem, conferendi beneficia, & ſimilia. Item ſi pecunia extorqueatur ſententia à iudice Eccleſiaſtico in cauſa ſpirituali, vt in cauſa matrimonij, hæreſis, &c. Item ſi aliquid exigatur pro diſpenſatione votorum, iuramentorum, aut impedimentorum matrimonij, etiamſi hæc concedatur pro foro externo. Ratio eſt, quia diſpenſans vtitur poteſtate Eccleſiaſtica ſpirituali, & ſupernaturali. Ita ex communi Suarez *lib. 4. cap. 20. num. 16.* Nauarrus *in Manual. cap. 23. num. 151. ad 13.* & poſt illos Bonacina *de ſimon. diſp. 1. q. 4. §. 17. num. 3.* & alij, quibus adde Filliuc. *tract. 45. cap. 4. num. 42.*

Suar. Nauar. Bonac. Filliuc.

17. Difficultas eſt, an ſimoniæ materia ſit, quando per ſpiritualem poteſtatem exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & humani & proximè verſantur in materia temporali & humana, vt ſunt cauſæ merè ciuiles inter Clericos de bonis temporalibus, vel de criminibus, aut iniurijs; vel ſi vendatur à Prælato Eccleſiaſtico licentia ſtudiendi, docendi, vel legitimandi ad honores ſolùm temporales, &c. Quidam putant hos actus natura ſua non eſſe materiam ſimoniæ, quia merè humani, & politici ſunt. Tum quia non exercetur hic iuriſdictio Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, vt ſic, ſed quatenus in ea continetur politica, & temporalis. Ita Innocent. *in cap. 2. de magiſt.* Angel. *v. Magiſter, n. 15.* Leſſius *lib. 2. c. 35. num. 82. & 83.* Bonac. *loco cit. n. 2.* probabiliter.

Innoc. Angel. Leſſius. Bonac.

Nihilominus alij contendunt omnes hos actus, quatenus à poteſtate ſpirituali procedunt, eſſe veram materiam ſimoniæ, quia vſus iuriſdictionis ſpiritualis formaliter, ac per ſe ſpiritualis eſt. Nec refert, quod interdum materia proxima actus videatur politica, aut temporalis, quia conſideranda eſt, prout cadit ſub talem ſpiritualem poteſtatem, ſic enim non cadit, niſi vt ordinata ad ſpiritualem finem, & ad illum aliquo modo conducens, & vt ſic iam eſt ſpiritualis, & ita actus ſpiritualis efficitur non ſolùm ex parte finis. Propter hanc rationem quodlibet iudicium inter Clericos ſpirituale cenſendum eſt, quia licet ſit de crimine communi laicis, & Clericis, vel de bonis temporalibus, ſemper cauſa illa tractanda eſt modo Eccleſiaſtico, in quo ſemper habetur ratio clericalis decentiæ, ac dignitatis. Ita Gloſſa prima *in cap. 1. Ne Prælati vices ſuas.* Ioannes Andræas, Ananias & Cardinalis *in c. 2. de Magiſtr.* Præpoſitus & Turrecr. *in cap. De quibuſdam, diſt. 37.* Suarez *cap. 10. num. 19. & 20.* Filliucius *tract. 45. cap. 4. num. 43.* Hæc ſententia videtur probabilior.

Suar.

18. Quamuis exigere pretium pro diſpenſationibus ſit ſimonia contra ius diuinum, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare, tamen iuſtis alijs de cauſis illa traditio, & exactio pecuniæ poteſt eſſe licita, & ſtylus Romanæ Curiæ approbat. *Prima* eſt ſuſtentatio Summi Pontificis, & tunc non eſt venditio gratiæ, ſed ſuſtentatio perſonæ, vel onerum illius ſtatus. Potuerunt Pontifices hoc onus, & quaſi tributum ad ſuam ſuſtentationem neceſſarium potiùs in diſpenſationibus, quàm in alijs gratijs imponere, quia diſpenſationes odioſæ ſunt, & oportet eas onerosas reddere parentibus, nec facilitas obtinendi, maiorem licentiam tribuat eas importunè petendi. Et hac ratione fieri etiam potuit, vt quo difficilior eſt diſpenſatio, vt rarior etiam ſit, maius pecuniæ onus habeat annexum. *Secunda* eſt labor

& onus

Digitized by Google

& onus officialium in ſcribendo, expediendo, &c. hoc enim eſt prætio æſtimabile, quia non eſt per ſe malum, neque in hac ſpecie inuenitur prohibitum. Quamuis enim vetitum ſit Epiſcopis, & aliis Prælatis aliquid in diſpenſationibus accipere quocumque titulo, *cap. vlt. de pactis*, & in Concilio Tridentino *ſeſſione 25. cap. 18. de reformat.* hæc tamen prohibitio non afficit Papam, vel eos quibuſcum Papa diſpenſat. *Tertia*, eſt commutatio vnius operis in aliud. Poſſunt enim Papa, & Epiſcopi diſpenſando onus alicuius eleemoſynæ imponere per modum cõmutationis, maximè quando diſpenſant in votis, & ſimilibus, quia non tenentur puram diſpenſationem dare, ſed poſſunt commutationem miſcere. *Quarta* cauſa eſt, quando diſpenſatio ſupponit culpam, vt ſi obtinenda ſit in affinitate contracta ex copula illicita; vel in irregularitate contracta ex homicidio, poſſit illam punire præcipiendo eleemoſynam; vel poteſt Pontifex pœnam pecuniariam ſuæ Cameræ applicandam imponere in vindictam præteriti delicti. Ita docent Suarez *loco citato cap. 20. n. 11. & ſequent.* Redoanus *1. p. de ſimon. cap. 21. n. 4. & ſeq.* Vgolinus *de ſimon. tab. 1. caput. 12.* Azorius *part. 3. l. 12. capit. 11. quæſt. 12.* Filliucius *tract. 45. cap. 4. number. 41.* Bonac. *quæſt. 4. §. 17. n. 6.* & alij poſt D. Thom. 2. 2. *q. 100. ar. 2. ad 3.*

Suar. Vgol. Azor. Filliuc. Bonac. D. Thom.

19. Omnes homines cuiuſcumque conditionis ſint, ſimoniæ iure naturali, & diuino vetitæ labem contrahere poſſunt, quia omnes iuri diuino naturali ſubiiciuntur, etiamſi ſint hæretici, pagani & infideles, vel in crimine ſimoniæ patrato à fidelibus cooperentur: nam cooperans peccato alterius, reus eſt peccati, cui cooperatur. Infideles tamen ſimoniæ rei, vel in ea communicantes, non ſubiiciuntur cenſuris, & pœnis ab Eccleſia latis contra ſimoniacos, licet poſſint puniri à Principibus Chriſtianis, ſi illis temporaliter ſubiecti ſint. Sic gentilis peccare poteſt emendo Baptiſmum pro filio. Sic Princeps infidelis emendo Epiſcopatum pro amico fideli, veram ſimoniam, per ſe loquendo, committeret, licet per ignorãtiam excuſari poſſet. Ita ex communi Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 54. n. 5. & 8.* Filliucius *tract. 45. c. 11. quæſt. 10.* & alij. Ratio concluſionis eſt, quia vnuſquiſque quatenus capax eſt recipiendi ſpiritualia ab alijs hominibus, vel illa eis tradendi, eatenus eſſe poteſt capax ſimoniæ, quia libertatem habet ad vtrumque faciendum pro pretio, vel gratis, ſi ſit adultus, & ſeclusis impedimentis.

Suar. Filliuc.

20. Ex dictis ſequitur, quod in omni materia, in qua committitur ſimonia contra ius diuinum, etiam Pontifex peccabit eodem genere peccati, ſi illam pro temporali vendat. Ratio eſt, quia Pontifex ſubditus eſt iuri diuino, & illa actio extrinſecè mala eſt. Hinc ſimoniacus eſt, ſi Sacramenta, vel Ordines conferat pro pretio temporali; aut ſi reliquias, vel agnos Dei benedictos vendat, ſed plus exigat, habita ratione benedictionis, quàm alioquin valeant ratione materiæ; quia licet illa ſpiritualitas ſit ex poſitiua inſtitutione, tamen hac ſuppoſita, ſimonia quæ in illa committitur, contra ius diuinum eſt. Item ſi doctrinam fidei vel illius definitionem vendat, vel Pontificiam dignitatem pro regno temporali tanquam pro pretio renunciaret. Idem denique eſt in omni ſimili materia, quæ de ſe, & natura ſua, ſeu Diuina inſtitutione ſpiritualis eſt. Proinde ſi ius ſpirituale beneficij pecunia vendat, & illam accipiat, vt pretium rei ſpiritualis, ſimoniam committit. Quanquam circa hoc in Romanum Pontificem vix, aut nullo modo cadere poſſit ſuſpicio ſimoniæ; quia poteſt multis iuſtis titulis, & modis pecuniam accipere, vel aliis applicare, cùm alicui dat beneficium, ſine benedictione illius, & ſine intentione pretij, & conſequenter ſine ſimonia. Ita Redoanus *de ſimonia, p. 1. c. 20.* Sotus *de iuſtit. l. 9. quæſ. 5. artic. 2.* Vaſquez *de benefic. capit. 2. §. 4. dub. 3.* Iulius Clarus *l. 1. §. Simonia, nu. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 5.* & alij communiter.

Sotus. Vaſq. I. Clar. Leſſius.

21. Ex veriori ſententia Doctorum, ſi natura rei ſpectetur, Papa poteſt culpam ſimoniæ iure Canonico prohibitæ contrariæ, niſi rationabilis cauſa ſubſit, ob quam illa lege cenſeatur exemptus, vel in ea ſecum diſpenſet. Quamuis enim Pontifex ſuis legibus non ſubijciatur quoad vim coactiuam, ſubijcitur tamen quoad vim directiuam, quoties materia legis eſt communis Papæ, & ſubditis. Ratio eſt, quia obligatio, qua Princeps tenetur ſeruare legem ſuam, non oritur immediatè à voluntate & poteſtate Principis volentis ſe obligare, ſicut ea obligatio, quæ eſt in ſubdito (nam Princeps non eſt ſibi ſuperior, vt ſeipſum poſſit immediatè ſuo præcepto obſtringere) ſed oritur ex ipſa rei natura, id eſt, ex conditione Principis, & Reipublicæ, ex qua prouenit vt ius naturale dictet Principem debere pati legem, quam ipſe ſubditis imponit, ſi ratio legis æquè in vtriſque locum habeat; ex *cap. Cum omnes, de Conſtitutionibus.*

Vnde ſequitur *Primò*, ſi Pontifex vendat officia Eccleſiæ vel beneficia, peccabit ſimonia: obligatio enim illa, qua tenetur ſe conformare ſubditis, eſt generalis, quæ contrahit ſecundùm variam materiam, & ſpecies virtutum, ad quas ſubditi obligantur. Quòd ſi iuſta cauſa ſubſit vendendi, ceſſat illa obligatio per ſe, eo quòd deſinat illa ratio, ob quam ſe ſubditis debebat conformare, vel ſecundùm alios præſumitur ſecum diſpenſare: nam in facto Principis nõ præſumitur delictum, vel ſaltem præſumitur minus delictum. Sequitur *Secundò*, ſi Pontifex reſignationem vel permutationem cum penſiones, vel alio onere admittat, non cenſetur ſimoniacus, quia materia legum prohibentium reſignationem, vel permutationem, non ad eum pertinet; imò omnes iſtæ leges Canonicæ hanc conditionem includunt, niſi adſit conſenſus Pontificis; ideò ſi aliquam renunciationem vel permutationem admitteret cum maiori onere, quàm beneficium ferat, poſſet peccare contra iuſtitiam diſtributiuam, non tamen reus erit ſimoniæ. Ita Suarez *loc. cit. c. 52. n. 4. & ſeqq.* Filliuc. *tract. 45. c. 12. quæſt. 2.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. n. 64.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. n. 34.* & alij.

Suar. Filliuc. Laym. Leſſius.

22. Simoniam iure Canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere poſſunt, quia omnes ſubijciuntur legibus Eccleſiaſticis generaliter latis, ſiue ſint laici, vel Clerici, Religioſi, Prælati, ſiue ſint Cardinales Patriarchæ, ſiue Epiſcopi. Imò Capitula, Collegia vel communitates ſimoniæ labe infici poſſunt, ſi omnes de communitate in ſimoniæ crimen conſentiant. Ratio eſt clara, quia talis communitas delinquere poteſt, vnde, & cenſuræ capax eſt, ergo etiam in ſimonia peccare poteſt quia, & poteſt vendere & emere, & poteſt habere materiam ſpiritualem, circa quam hos contractus prauè exerceat. Tunc autem cenſetur Capitulum vt Capitulum hoc vitio delinquere, quando actio illa, quæ ſimoniacè fit, à ſolo Capitulo exerceri poteſt, & pretium pro illa à toto Capitulo, vt tale eſt acceptatur. Quamquam ſi pars aliqua ſolùm communitatis in ſimoniæ crimine conſentiat, alia diſſentiente, illa ſolùm, quæ conſentit, rea eſt ſimoniæ. Suarez *cap. 54. nu. 9.* Abbas, Felinus, & alij *in cap. Dilectus 2. de ſimonia.* Syluester *verb. Excommunicatio 7. n. 47.* Filliucius *tract. 45. cap. 13. quæſt. 11.* & alij.

Suar. Syluest. Filli.

23. Contrahens cum Pontifice, vel cum eius miniſtris de re ſpirituali, ex ipſius Pontificis tacito vel expreſſo conſenſu, ſimoniam non incurrit, ſi illa ſolùm iure Canonico ſit introducta. Ratio eſt, quia tunc Papa cenſetur diſpenſare. Secus, ſi in ſimoniæ materia contrahat quæ iure diuino, & naturali vetita eſt, quia tunc tam ipſe, quam Pontifex incurrit culpam ſimoniæ, quia vterque iuri naturali diuino ſubijcitur, in quo diſpenſare non poteſt Papa, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus ſuprà *verb. Diſpenſatio.* Et docent communiter Doctores Nauarrus *de datis, & promiſſis notab. 9. num. 14.* Layman *lib. 4. tractat. 10. cap. vlt. num. 64.* Azorius *p. 3. lib. 12. cap. 25. quæſt. 2.* & alij.

Nauar. Laym. Azor.

Sed difficultas eſt prima, an qui ſimoniam ſolo iure poſitiuo prohibitam exercent, ſciente & diſſimulante Pontifice, à ſimoniæ culpa contra ius Canonicum excuſentur? Quidam affirmatiuam ſententiam ſuſtinent. Tum quia illa ſcientia, & patientia habetur pro legitima licentia. Tum quia Pontifex non præſumitur delinquere; delinqueret autem diſſimulando ſimoniam, niſi in ea diſpenſaret. Ita in ſimili Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſput. 35. num. 20.* Salas *de leg. diſp. 24. ſect. 9. num. 85.* Verùm meritò exiſtimauit alij tolerantiam Pontificis non ſemper excu-

Sanch. Salas.

excuſare: quia non eſt ſufficiens ſignum diſpenſationis, quod Papa hanc tranſgreſſionem legis Eccleſiaſticæ vniuerſalis ſciat fieri in curia ſua, & toleret: quia poteſt tolerare quoad non inferendam pœnam, quia fortaſſe non denunciatur, vel quia non expedit omnes delinquentes punire, vel certè quia in hoc poteſt eſſe aliqua negligentia, & non propterea factum approbatum. Igitur niſi talis ſit ſcientia, & patientia Pontificis, taliſque conſuetudo, vt communi iudicio prudentum cenſeatur lex ibi abrogata; ſine dubio committeretur etiam ibi ſimonia in talis legis tranſgreſſione. Ratio eſt; quia in dubio obligationis legis iudicandum eſt in fauorem; nam ipſa poſſidet, & de eius obligatione conſtat, & de abrogatione non conſtat. Ita Suarez *cap. 52. num. 11. in fine.* Layman *loco citato, nu. 65.* Bonac. *de ſimon. q. 5. num. 9.* qui citat Menoch. Sayrum & alios.

Suar. Laym. Bonac.

Difficultas eſt ſecunda, an Pontifex vendendo alicui beneficium, & committens cum illo ſimoniam, cenſeatur cum illo diſpenſare ſaltem quoad pœnas iuris? Reſponſio communis eſt affirmatiua. Et in primis quoad pœnam nullitatis talis collationis, id eſt manifeſtum, quia non cenſetur Princeps ſupremus fruſtra beneficium conferre; fruſtra autem daret ei, quem nouit inhabilem, niſi ſimul vellet illum habilem reddere, maximè quia decet, vt conceſſum à Principe beneficium, ſemper ſit manſurum. Deinde quoad pœnam excommunicationis, non poteſt dici contumax contra legem Papæ, qui cum ipſo committit actum per legem prohibitum, & ſine contumacia non incurritur excommunicatio. Præterea non eſt veriſimile Principem velle punire opus, quod ipſe ſimul efficit, vel fortaſſe ad illud inuitat. Ita Couar. *in reg. peccatum 2. parte, §. 8. num. 9.* Sylueſter *verb. Simonia, quæſt. 4. & 19.* Sotus *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 5. artic. 2. & quæſt. 8. artic. 2.* Suarez *lib. 4. cap. 61. num 14. & 15.* Panormitan. *in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, de elect. numero* 8. Felinus *in cap. Præterea, de teſtibus cogendis, numero* 7. & alij. Et hæc de ſimonia addita ſatis, plura apud Doctores hic citatos:

Couar. Sylu. Suar.

Vide v. Beneficium 2. *num.* 5. Conſilium *num.* 5. Penſio *num.* 4.

SOCIETAS.

De contractu ſocietatis.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit contractus ſocietatis, & quæ requirantur ad illum?*

2 *Multiplex ſocietas recenſetur.*

3 *Quibus modis contrahatur ſocietas, & quando hic contractus ſit licitus?*

4 *An contractui ſocietatis poſſint iuſtè adnecti alij duo; videlicet aſſecuratio capitalis, & locatio fructuum, & lucrorum pretio conuenienti?*

5 *Quæ conditiones requirantur ad ſocietatem animalium?*

6 *Quando illicitus, & iniquus ſit contractus ſocietatis animalium?*

7 *Quando damna, quæ patitur ſocius, debeant eſſe communia, quando non?*

8 *An expenſæ, quæ non ſuperfluè fiunt à ſocio apponente induſtriam, facienda ſint ex communi pecunia ſocietatis? Et an expenſis factis à ſocio in itinere cauſa ſocietatis, detrahendum ſit quod ſocius domi inſumpſiſſet?* Refertur duplex ſententia.

9 *An eleemoſyna moderata, quas facit ſocius apponens induſtriam, ſoluenda ſint ex communibus lucris, ſi fiant intuitu felicis exitus ſocietatis?*

10 *An quando pro conſeruatione mercium, vel capitalis, vel acquiſitione lucri facienda ſunt aliquæ expenſæ, nec poteſt extrahi pecunia ex ſocietate ad eas expenſas faciendas, teneatur ſocius ex iuſtitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab alijs petere pecuniam?*

1 SOcietas hic conuentio eſt duorum, aut plurium facta ad conferendum aliquid in vſum, vel quæſtum communem. *Ex ff. & C. pro ſocio, inſtit. de Societate.* Ad hunc contractum quatuor potiſſimum requiruntur. *Primum*, vt ſinguli ſocij aliquid conferant in commune, ſiue pecuniam, ſiue operam, & induſtriam, ſiue inſtrumenta, vt nauim, equos, & huiuſmodi, ſiue animalia, ſiue alia bona, alioquin ſi nihil conferrent, non poſſent licitè eſſe participes lucri, & commodi, quod fit ex ſocietate. *Secundum*, vt id quod à ſingulis ſocijs collatum fuerit eo animo vt ſit commune, ſtatim cedat in dominium ſingulorum, ita vt quilibet ſocius ſit dominus totius ſortis partialiter, vt pro dimidia, ſi duo ſocij ſint, & æquè contulerint; pro tertia, vel quarta, ſi tres vel quatuor, vel iuxta partem quam quiſque contulit in commune. *Tertium*, vt lucrum, & damnum commune ſit quantum eſt ex vi ſocietatis. *Quartum*, vt fiat diuiſio lucri ſecundùm proportionem ſortis collatæ à ſingulis, niſi aliter conuentum fuerit. Reginald. *lib. 25. c. 27. num. 372.* Leſſius *lib. 2. c. 25. dub. 1.* Filliuc. *tr. 38. n. 2.* Bonac. *de contr. d. 3. q. 6. p. 1. n. 3.* Syluius *2. 2. q. 78. ar. 2.*

Regin. Leſſius. Filliuc. Bonac. Sylu.

2. Multiplex eſt ſocietas: alia eſt omnium bonorum. alia negotiationis, cùm duo vel plures ex negotiatione lucrum quærunt. Tertiò, alia artis, cùm vnus ex ſocijs exercet artem, & habet communia cum ſocio damna, & lucra vnà cum impenſis: verum hæc vix differt a priore, nam hæc etiam negotiatio quædam eſt ad lucrum. Quartò, alia animalium ſiue maiorum, vt boum, equorum, &c. ſiue minorum, vt pecorum, caprarum, & huiuſmodi. Quintò, alia officiorum, cùm quis officio fungitur, & alios ſibi ſocios adiungit, quibus communicat fructus ex officio. Sextò, alia eſt viri, & vxoris, alia fratrum inter ſe. Molin. *diſp. 412.* Filliuc. *tract. 38. num 9.* Azor. *3. p. l. 9. cap. 1.*

Molin. Filliuc. Azor.

3. Societas variis modis contrahitur. *Primò*, ex parte finis, ſic contrahitur ad vſum tantùm, aliquando ad lucrū tantum, vt in negotiatione, aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio. *Secundò*, ex parte materiæ, & ſic contrahitur ſocietas omnium bonorum, vel lucrorum dumtaxat, vel denique certæ alicuius partis bonorum, vel certæ negotiationis. *Tertiò*, ex parte temporis, alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vſque ad finem certi negotij. Filliucius *cit. num. 10.* Leſſius *cit. dub. 1.* Molin. *cit. diſp. 412.* Contractus ſocietatis licitus eſt, ſeruatis duobus, *Primum* eſt, vt quiſque ſit expoſitus periculo perdendi ſuum capitale, verbi gratia, qui pecuniam exponit, ſi fortè pereat, ſuo damno pereat, qui ponit laborem, & induſtriam, ſi caſu nihil lucri obueniat, laborem perdat, ſalua pecunia alterius. *Alterum* eſt, vt in lucro diuidendo computetur quantum valeat labor, & induſtria, & quantum etiam periculum hoc valeat, quòd labor & induſtria perdatur, dum nihil eſt lucri, at pecunia non; nam ſalua manere poteſt. Nauarr. *cap. 27. num. 155.* Tolet. *lib. 5 c. 41.*

Nauar. Tolet.

4. Secundùm communiorem ſententiam, contractui ſocietatis poſſunt iuſtè adnecti alij duo, puta, aſſecuratio quædam capitalis, ſicut enim vnus poteſt capitalis aſſecurationem cum tertio facere, ita poteſt cum ſocio, dato iuſto aſſecurationis pretio, locare fructus, & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere: & hac ratione poſſunt excuſari viduæ, pupilli, & alij qui tradunt ſuas pecunias mercatoribus cum pacto, vt accipiant quinque pro centum ſaluo capitali; neque obſtat Bulla Sixti V. quæ incipit: *Deteſtabilis auaritia*, in qua damnatur ſocietas facta cum aſſecuratione capitalis: nam illa Bulla videtur intelligenda de ſocietate facta cum aſſecuratione, non compenſato onere, iuſto pretio, vel de Societate, in qua non admiſcetur alius iuſtus contractus. Datur autem pro dicta aſſecuratione pars lucri incerti, quæ iudicio prudentis omnibus ſpectatis videatur iuſta: vel remittitur aliquid de lucro certo, quod alioqui haberet ſi non iniret contractum aſſecurationis, ſed tantùm tertium venditionis lucri incerti pro certo, quod certè

maius

maius eſset, quàm præterea etiam contractus aſſecuratio- nis celebretur. Nec eſt neceſſe vt hi tres contractus expreſsè ſemper fiant, ſufficit enim contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expreſſum, vt ſi quis hoc modo cum mercatore contraheret: confero centum ad ſocietatem, vt quotannis ſoluas quinque, ſalua ſorte, eo modo, quo Doctores docent eſſe licitum: vel intendo accipere lucrum eo titulo, quo conſuetum eſt paſſim ab aliis accipi, vel intendo contrahere iuxta morem receptum. Valentia 2.2.*d*.5.*q*.24.*p*.2. & *q*.25 *p*.2. Nauar. *c*.17.*num*.256. Leſſius *cit.dub*.3. Toletus *cit. nu*. 3. Reginald. *lib*.25.*n*.397. & 400. Filliuc. *cit.n*.53.57. Molina *d*. 417.*num*.8. Dian. *tract. de contract. reſ*.30.*p*.1. Mald. 2.2. *tr*.5.*c*.2.*dub*.9.

Valent. Nauar. Tol. Filliuc. Dian. Mald.

Negari tamen non poteſt, eſſe tutiorem ſententiam illorum, qui docent eum, qui confert pecuniam in ſocietatem, non poſſe per eundem ſocium aſſecurari, & de ſorte & de lucro, quamuis præter contractum ſocietatis intercederent alij duo, nimirum aſſecurationis capitalis, & venditionis lucri ſperati pro certo, lucro minore: quia dum hi contractus, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè ineuntur cum vno, & eodem ſocio, reuera deſtruitur ſocietas, & deſinit in mutuum. Qui enim, v.g. vni tradit mille aureos, & eidem pro illorũ aſſecuratione numerat quinquaginta; paciſciturque de lucro ſexaginta, quid aliud facit quàm mutuare mille quinquaginta, vt recipiat mille ſexaginta? Ita Syluius 2.2.*q*.78.*art*.2. cuius ſententiæ adhærent Sotus *lib*.6.*de iuſt*.*q*.6.*ar*.2. Bannez 2.2. *qu*.78. *art*.4. Azorius 3.*p*.*lib*.9.*cap*.3.*quæſ*.5. & 6. Arrag. 2.2.*q*. 78.*ar*.2. Rebell. *lib*.15.*q*.4. & alij apud Dianam citatum. Et huic reſolutioni conſentiunt, quæ decreta ſunt in Synodis Prouincialibus Cameracenſi anno 1586.*tit*.23.*c*.4. Mechlinienſi anno 1570. atque etiam in Diœceſanis Audomarenſi anno 1583. *tit*.1.*cap*.1. Iprenſi anno 1577. *tit*. 30.*cap*.4. Ne quis tutor, aut curator pupillorum, aut pupillarum, ſub prætextu augumentandi patrimonii ipſorum pecunias eorum ſub certo lucro ſingulis annis vltra ſortem recipiendo det mutuo, retenta facultate recipiendæ ſortis, quando ad maiorem ætatem peruenerint, aut matrimonium contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem, & arbitrium. Simul autem declarant iſtæ Synodi omnes huiuſmodi contractus eſſe vſurarios, & contra ſic mutuantes, tanquam contra vſurarios procedendum. Philippus quoque II. Rex in diplomate ſuper executione dictæ Synodi Prouincialis Camerac. *art*.21. declarat tales contractus eſſe nullos. Et ſimiliter Octauius Epiſcopus Tricaricenſis in directorio Colonienſibus ſcripto, *tit. de vſuris*, vt refert Syluius *in additionibus ad Binsfeld* ; *compendium*, *c*.22.*p*.3. Nihilominus cùm praxis hac in re ſic inualuerit, vt paſſim contrarium etiam timoratæ conſcientiæ viri agere videantur ſine ſcrupulo iniuſtitiæ, in ſua fide, & opinione fauorabili, quamuis minus ſecura, relinquendi ſunt; quia ſaltem ratione bonæ fidei ſunt ſolùm in ſtatu materialis peccati, & iniuſtitiæ: tum quia ex monitione frequenter non ſequitur fructus, ſed potiùs tumultus, & conſcientiarum inuolucrum. Tum quia taliter deponentes pecuniam poſſunt probabiliter excuſari per cenſum vtrimque redimibilem, qui à multis doctiſſimis Theologis defenditur, & toleratur, vt videre eſt ſuprà verb. *Cenſus num*.13. & 14. & infrà verbo *Vſura III. num*.9. Addo nec deeſſe grauia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate ad negotiationem danti, etiam ſaluo illo lucro, & capitali; cùm ſæpe contingat ſocietatem diſſipari, ſocios, depauperari, cedere foro, impotes fieri ad reſtituendum, &c. Et ex alia parte priuat quis ſe ſua pecunia, quam in certioribus contractibus, & negotiationibus, vt emptionibus agrorum, & cenſuum poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia æſtimabilia ſunt.

Sylu. Sotus. Bannez. Rebel.

Ad rationem autem Syluij, & aliorum reſpondent aduerſarij, negando hunc contractum eſſe mutuum: Eſt enim formalis cõcurſus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, ſed collatam, dominio ipſius penes conferentem remanente: & virtualis negotiatio, quam ſua pecunia mediante aliena induſtria intendit, & intentio eius non fertur in lucrum propter mutuum aliquod, ſed propter veram fructificationem, quam ſua pecunia mediante in negotiatione facit.

Iuxta hanc rationem, inquit Leſſius *l*.2.*c*.20.*num*.110. excuſari poſſent multi, qui pecuniam pupillarem apud homines induſtrios, vel mercatores deponere ſolent: hi enim non intendunt niſi licito modo hoc lucrum percipere: & ſi rogarentur, ex vi ſuæ conſuetudinis, & præſentis affectus, idipſum reſponderent, ſcilicet, ſe velle lucrari omni modo meliore, quo poſſunt. Itaque non auſim hos cogere ad reſtitutionem, quamquam putem non permittendum, vt quis in poſterum ſic contrahat abſque expreſſo titulo, ob quem lucrum petat.

5. Ad ſocietatem animalium tres conditiones requiruntur. *Prima*, vt vnuſquiſque ſociorum aliquid conferat in ſocietatem: ſiue conferat animalia, ſiue cuſtodiam, ſiue induſtriam, hæc enim eſt natura ſocietatis, vt quiſque ſociorum aliquid conferat in commune. *Secunda*, vt ſeruetur æqualitas, ita vt damna, expenſæ, & lucra prouenientia ex cauſa ſocietatis ſint communia, prout aliquis plus, vel minus in ſocietatem contulit. *Tertia*, vt animalia ſtent periculo apponentes, ita vt ſi pereant, pereant apponenti: nam apponens eſt Dominus, res autem Domino perit: hoc tamen intelligitur, niſi periculum animalium in totum, vel in partem in alterum reiectum ſit, poteſt enim periculum in alterum reiici facta grauaminis compenſatione. Azor. *cit.c*.7. & 8. Bonac. *cit.q*.6.*p*.5.*num*.2. Filliucius *cit.n*.86. & *ſeq*. Regin. *cit.nu*. 401. Tolet. *cit.n*.4.

Azor. Bonac. Reginal. Tolet.

6. Illicitus, & iniquus eſt contractus ſocietatis, quo quis tradit animalia paſtori cum pacto, vt ea cuſtodiat, & paſcat, & ſemper ſeruentur in eodem numero, ita vt ſi aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus, & paſtor in fine annorum ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum, & ratio eſt, quia contractui deeſſe videtur æqualitas, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur quàm valeat numerus animalium ipſi conſtitutus, & aſſignatus; ſecus ſi non pluris ipſius opera, & induſtria æſtimetur. Syluester *verb. ſocietas* 2.*quæſt*. 9. Reginaldus *cit.num*.404. Filliucius *cit.numer*.101. Azor. *cit. c*. 7.*quæſt*.12.

Syluest. Regin. Azor.

Similiter illicita videtur ſocietas, qua quis tradit alteri animalia hoc pacto, vt ſi pereant, æqualiter pereant, apponenti, & recipienti: ſi verò non pereant, capitale detur apponenti, fructus verò æqualiter diuidantur; tum quia non ſeruatur æqualitas, quia ſors ſtare debet periculo apponentis, niſi alter ſocius periculum ſortis in ſe ſuſceperit per contractum aſſecurationis, aut niſi apponens animalia fecerit alterum ſocium condominum animalium. Azor. *cit.cap*.7.*q*.10. Bonacina *cit. n*. 5. Filliuc. *cit.n*.102.

Azor. Bonac.

7. Damna quæ patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis, debent eſſe communia, modò non eueniant ex leui culpa ſocij, quia lucra, quæ proueniunt cauſa ſocietatis, ſunt communia, ergo etiam damna: damna verò propria, quæ ſocius tantùm ex occaſione ſocietatis patitur, non debent eſſe communia, quia hoc nullo iure conſtat: & ſicut lucra quæ non ex cauſa, ſed ex occaſione ſocietatis proueniunt, non ſunt communia, ita neque damna: propterea ſocius tenetur de leui conſulere ſocietati, cùm ſocietatis contractus reſpiciat commune commodum. Per leuem culpam in hoc contractu iura intelligunt eam, qua quis omittit eam diligentiam adhibere in rebus ſocietatis, quam adhibuiſſet in rebus ſuis propriis, aut certè æquum eſſet, vt adhiberet; *l. cum duobus* §. *quidam ſagariam*.*ff*. *pro ſocio*. Molina *diſt*.418.*numer*.5.6.7. Reginald. *lib*.15.*num*.394. Layman *lib*. 3.*ſect*. 5.*tractat*.4.*cap*.20 *numer*.5. Leſſius *cit. dub*. 4. Filliuc. *cit. num*.14.

Molin. Regin. Laym. Leſſius.

8. Expenſæ, quæ non ſuperfluè fiunt à ſocio apponente induſtriam, faciendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis, niſi aliter conuentum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum. Molina *citat. diſput*.418. Reginald. *lib*. 25.*numer*.395. Syluester *verb. ſocietas* 1.*quæſt*. 12. An autem expenſis factis à ſocio in itinere cauſa ſocietatis detrahendum ſit quod ſocius domi inſumpſiſſet, quidam Doctores affirmant, quia ſo-

Molin. Syluest.

cietas

cictas ſolùm tenetur præſtare ſumptus, in quibus damnificatus eſt ſocius cauſa ſocietatis, cùm autem nō ſit damnificatus in ſumptibus, quos domi feciſſet, ſequitur illos eſſe detrahendos. Angel. *verb. ſocietas num.* 12. P.Nauar. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 465. Sylueſter *cit.* Sed alij magis accommodatè ad iura, & praxim contrarium edocent, ſcilicet, huiuſmodi extenſas pertinere ad ſocietatem, modò aliter non ſit conuentum inter partes, vel non adſit conſuetudo in contrarium. Nauarrus *ca.* 17. *n.* 283. Regin. *cit. n.* 395. Leſſius *cit. dub.* 4. *n.* 35.

Angel. Nauar. Sylueſt. Nauar. Leſſius.

9. Eleemoſynæ quas facit ſocius apponens induſtriam, ſi moderatæ, & diſcretæ ſint, fiantque intuitu felicis exitus ſocietatis, ſoluendæ ſunt ex communibus lucris, quia ſocius poteſt abſque licentia ſociorum eas expenſas facere, quas iudicauerit expedire ad ſocietatis augmentum, ſed ad id inter alia media vnum eſt diuinum auxilium, quod per eleemoſynas impetratur. Ergo. Rodriquez 1. *par. cap.* 47. Bonacina *cit. punct.* 4. *num.* 4. P. Nauar. *cit. n.* 467. & alij.

Rodr. Bonac.

10. Secundùm probabiliorem ſententiam, quando pro conſeruatione mercium, vel capitalis, vel acquiſitione lucri faciendæ ſunt aliquæ expenſæ, nec poteſt extrahi pecunia ex ſocietate ad eas expenſas faciendas, tenetur ſocius non ſolùm ex charitate, verùm etiam ex iuſtitia, eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere pecuniam ad eas faciendas, quia ſocius ratione contractus ſocietatis tenetur eam diligentiam exhibere, quàm adhiberet circa res proprias, ſed pro conſeruandis rebus propriis acciperet propriam pecuniam, vel ab aliis mutuo peteret, ergo. Verum eſt tamen ipſi competere ius repetendi à ſociis quod inſumpſit, cùm vtiliter geſſerit ſocietatis negotium. Molina *cit. d.* 418. Regin. *cit. n.* 395. Filliucius *tr.* 38. *n.* 78. Leſſius *cit. n.* 36. Salon *art.* 4. *de ſocietate, controu.* 3. *n.* 27.

Molin. Filliuc. Salon.

SVPPLEMENTVM.

Societas.

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint celebrare contractum ſocietatis?*

2 *An in ſocietate vnuſquiſque ſociorum teneatur aliis ſociis de toto damno quod lata culpa, aut leui, vel dolo ipſius aduenerit?*

3 *An contractus ſocietatis ſit iuſtus, & licitus, & quæ requirantur ad iuſtitiam eius?*

4 *In lucri, vel damni diſtributione, an habenda ſit ratio valoris pecuniæ quam ſocius confert, vel potius periculi, cui pecuniam exponit?* Refertur duplex ſententia?

5 *Aequalitas, quæ in contractu ſocietatis requiritur, an habeat latitudinem, iuxta prudentis arbitrium.*

6 *Cui pereat pecunia in ſocietate poſita, ſi pereat.*

7 *An iniri poſſit ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam in commune vnus ex ſociis contulit, caſu fortuito perierit, eam alter ſocius reficere teneatur?* Refertur duplex ſententia.

8 *An ſtandum ſit conſuetudini regionis, vel locorum, quando in ſocietate non fuit expreſſum, an apponens pecuniam voluerit contrahere ſocietatem tantùm in lucro, & non in ſorte? Et quid ſi de conſuetudine non conſtet?* Refertur duplex ſententia.

9 *Vt adſit iuſtitia in contractu trium contractuum, an requiratur, vt hi contractus formaliter, & expreſsè fiant? Et quæ conditiones requirantur ad hunc contractum?*

10 *Qualiter diſtribuenda ſint bona in ſocietate omnium bonorum, tam præſentium, quam futurorum? Et quæ bona communicantur in hac ſocietate?*

11 *Quando cenſeatur inter fratres contracta ſocietas quæſtus, quando habent patrimonium indiuiſum.*

12 *Frater habens cum fratre patrimonium indiuiſum, an teneatur cum eo communicare lucrum ſibi obueniens ex publici officii adminiſtratione? Et quid, ſi frater conferat bona ſua caſtrenſia vel quaſi in commune.*

13 *De modis, quibus ſocietas diſſoluitur, & finitur.*

1 SOcietatis contractus poteſt celebrari ab iis, qui facultatem habent diſponendi ad ſuum libitum de rebus, quas conferunt ad ſocietatem. Ratio eſt, quia ſicut cæteri contractus ab iis celebrari poſſunt, ita etiam contractus ſocietatis.

E contra non poteſt ſocietatis contractus iniri ab iis, qui liberè non poſſunt donare, vel diſtrahere ea, quæ ad ſocietatem conferunt. Hinc filius poteſt inire contractum ſocietatis cum patre de bonis caſtrenſibus, vel quaſi: nam horum liberum habet ius: de bonis autem profectitiis, aut de aduentitijs non poteſt, exceptis aduentitiis, in quibus vſusfructus non pertinet ad patrem. Item filius poteſt ſocietatis contractum inire cum patre, ſi pater ponat pecuniam, filius verò operam, & induſtriam, & tantumdem recipiat filius, habita ratione laboris, & induſtriæ ipſius, quantùm recipit pater, modò filius proprio nomine & periculo negotietur. Vſusfructus autem lucri ſpectabit ad patrem, donec pater vixerit, eo verò mortuo abſolutè pertinet ad filium, ex *l. Cùm oportet, Cod. de bonis, quæ liberis.* Si autem filius negotietur nomine patris, cum pecunia patris, totum lucrum pertinebit ad patrem. Idem dicendum ſi negotietur ſimpliciter: nam in dubio cenſetur negotiari nomine patris, *l. final. ff. Quando tutor.*

Hinc mentis inops, prodigus cui datus eſt Curator, vel alienatio interdicta eſt; minor 25. annis, niſi poſt eoſdem expletos ratam habuerit à ſe initam ſocietatem; ſeruus & Religioſus, & alij qui nihil proprij habent, nec ſunt ſui iuris; Medicus cum infirmo durante infirmitate; Aduocatus cum ſuo eliciente, & qui detinentur in carcere. Hi omnes ſocietates celebrare non poſſunt, quia à lege impediuntur. Ita Reginaldus *lib.* 25. *n.* 369. Trullench *in Decal. lib.* 7. *c.* 24. *dub.* 1. *num.* 7. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 6. *punct.* 2. & alij.

Regin. Trullenc. Bonac.

In negotio, & ſocietate vnuſquiſque ſociorum in conſcientia, & in foro exteriori tenetur alijs ſocijs de toto damno, quòd dolo, lata aut leui culpa ipſius aduenerit, tam in capitali, quod deperditum eſt, quam in lucro, quo carent cæteri ſocij. Ratio eſt, quia huiuſmodi contractus eſt in bonum, & commodum vtriuſque contrahentis, vt habetur ex *l. Socius, ff. pro ſocio.* At in contractu, qui fit gratia vtriuſque ſocij, ſoluendum eſt damnum quod prouenit ex dolo, lata, & leui culpa, non autem leuiſſima, aut caſu fortuito, *l. Contractus, ff. de regul. iuris,* vnde ſocius de furto quoque tenebitur, quia cuſtodiam, & curam adhibere debet, ne quis bona ſocietatis furetur, *l. Cùm duobus, ff. pro ſocio,* & culpa eius furtum commiſſum eſſe creditur, qui rem tam negligenter cuſtodiuit, vt ſurripi potuerit. Bartolus *in d. l. Cùm duobus.* Azorius *part.* 3. *lib.* 9. *capit.* 2. *quæſtion.* 2. & alij communiter.

3. Contractus ſocietatis iuſtus eſt, & licitus, quia quod iuſtè fieri poteſt ab vnoquoque ſeorſim, iuſtè quoque fieri poteſt à pluribus ſimul. Sed vnuſquiſque poteſt ſeorſim lucrari iuſtè ex ſua propria re ad lucrandum idonea, ergo etiam plures ſimul ex ſuis rebus coniunctis ad lucrandum idoneis, vt definitur *in cap. Per veſtras, de donat. inter virum, & vxorem.* Ad iuſtitiam tamen huius contractus requiritur vt negotiatio in qua ſocietas contracta, ſit licita, & honeſta: quia in re illicita non contrahitur, niſi conuenticulum. Deinde requiritur vt omnia quæ in ſocietate ponuntur, ſiue ſint pecuniæ, ſiue operæ vel induſtria à principio numerentur, & ex illis fiat quaſi vna ſumma, pecuniæ omnibus communis, v.g.

ſunt tres ſocii quorum vnus confert mille aureos; alter operas requiſitas, quæ æſtimantur aliis mille. Tertius verò ponit induſtriam, quæ æſtimatur quingentis; tunc ſtabilienda eſt ſocietas, quaſi hi tres contuliſſent in pecunia numerata duo millia quingentos aureos, qua finita, ſi lucrum ſit vt quinque, primo illi qui contulit mille debent tradi duo, ei qui contulit operas valentes etiam mille, tradi ſimiliter alia duo; tertiò verò qui ſolùm contulit quingentos aureos, debet tradi vnum. Ratio eſt, quia cùm lucra, & damna ſint inter eos diſtribuenda pro rata, & ratione portionis ab vnoquoque appoſitæ, niſi à principio contractus æſtimetur id, quod ſinguli in eam ſocietatem conferunt, non poterit rectè, nec commodè diſcerni, ac diiudicari deinde, quæ pars ad vnumquemque eorum pertineat. Ita Caietan. 2. 2. q. 78. artic. 2. Nauarr. in *Manual. c. 17. num. 252.* Rebellus *de obligat. iuſtit. l. 15. p. 2. q. 2.* Azor. *p. 3. l. 9. c. 4. q. 2.* Quæ omnia diuiduntur iure, nam *Inſtit. de ſociet. §. De illa*, habetur, *Ita coiri poſſe ſocietatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune ſit: quia ſæpè opera alicuius pro pecunia valet.* Et *l. ſi non fuerint, ff. pro ſocio*, ſic habetur; *Plerumque tanta eſt induſtria ſocij, vt plus ſocietati conferat, quam pecunia: vt ſi ſolus nauiget, ſolus peregrinetur, ſi pericula ſubeat.*

Caiet. Rebel. Azor.

4. Quorumdam ſententia eſt, in lucri vel damni diſtributione non eſſe habendam rationem pecuniæ, quam ſocius confert, ſed ſolum rationem periculi, cui pecuniam exponit, atque adeò ſolius periculi, non autem pecuniæ proportionem comparandam eſſe, cum proportione induſtriæ, vel operæ alterius. Et id probant, quia ſæpe vnus ſocietati confert tam ingentem pecuniæ ſummam, vt hominis opera, vel induſtria tanti æſtimari non poſſit, quanti illa pecunia, vt ſi Titius conferat decem, aut centum millia aureorum, & Caius ſolam operam ſuam, & induſtriam. Quamuis enim leges & iura dicant, operam vel induſtriam plerumque tanti, vel pluris æſtimari, quanti eſt pecunia, non ſignificant tamen operam, vel induſtriam valere decem, vel centum millia aureorum, ſed operam cum pecunia comparari. Ita Sotus *de iuſtit. & iur. l. 6. quaeſt. 6. art. 1.* quem ſequitur, & defendit Azor, *loc. cit. quaeſt. 4.* adducens Baldum, Cynum *in l. 1. C. pro ſocio*. Petrum Peruſinum *tract. de duobus fratribus, p. 4. q. 2.* & alios docentes, in huiuſmodi ſocietate potius haberi rationem emolumenti, & commodi, quod Titius poteſt ex ſua pecunia percipere quem ipſius pecuniæ.

Rectius tamen docent alii totam pecuniam ab aliquo poſitam, ſecundum totum ſuum valorem eſſe ſortem conferentis illam, & iuxta proprium illius valorem eſſe conferendam illi partem lucri, quando fiet illius diſtributio, & non iuxta quantitatem periculi. Ratio eſt, quia ſocij iuſtè lucrum percipiunt ex ſuis rebus, prout eas ad lucrandum exponunt: ſed in hoc caſu res propria, quam ſocius ad lucrum exponit in primis eſt ipſa pecunia, non autem periculum, cui ipſam exponit; ergo in lucri partitione ratio in primis haberi debet ipſius pecuniæ, non autem periculi. Alioquin ſequeretur ſæpe magna inæqualitas in diſtributione lucri, accideret enim vt conferens decem millia aureorum ad negotiationem tutiſſimam, ex lucro ingente quod inde expectaretur, perexiguam vel nullam reciperet partem, & apponens operam, vel induſtriam parui momenti totum ferè lucrum reciperet, quod non eſt admittendum. Ita Nauarr. *in Manual. cap. 17. nu. 252.* Rebellus *loco citato quaeſt. 2. numero* 3. Pater Nauarra *lib. 3. numero* 448. Molina *tractat. 2. diſputat.* 416. Reginaldus *lib. 25. numer.* 385. Filliucius *tractat. 38. numer.* 50. Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 24. dub. 3. numer.* 3. Bonac. *de contractib. diſp. 3. quaeſt. 6. punct. 3. num.* 5: & alij communiter.

Nauar. Rebel. Molin. Filliuc. Trullenc. Bonac.

5. Aequalitas, quæ in contractu ſocietatis requiritur, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem iuxta prudentis arbitrium, & iudicium, pro maiori vel minori labore, & pro maiori, vel minori æſtimatione operæ, & induſtriæ: nō enim eandem æſtimationem habet labor, & induſtria prudentis, & induſtrii hominis, quam habet labor minùs prudentis. Hinc non tollitur æqualitas in ſocietate ex eo quòd qui ingentem appoſuit pecuniam in ſocietate, longè maius lucrum recipit, quam qui ſolam poſuit operam, quæ non tanti æſtimatur, quanti pecunia ab altero ſocio collata: ſicut etiam non tollitur æqualitas ex eo, quòd apponens operas maioris valoris, quàm ſit vſus pecuniæ ab altero poſitæ percipit maius lucrum, quàm percipiat, qui pecuniam poſuit. Ita P. Nauar. *lib. 2. de reſt. num.* 462. Couar. 3. *var. cap.* 2. & alij.

Nauar. Couar.

6. Si pecunia in ſocietate poſita pereat, ſoli ponenti perit: ſiue pereat ante operas, ſiue poſt, ſiue iactura eius in principio, ſiue in medio, ſiue fine negotiationis fiat. Ratio eſt, quia cùm verus dominus illius pecuniæ ſit, qui illam appoſuit, illi ſoli debet perire. Tum quia ſi in fine negotiationis tota pecunia ſalua permaneat, tota ad eum qui contulit ſpectat; ergo cùm perit, totum damnum eſt eius, quia eam in commune poſuit, non alterius qui ſolam induſtriam, & operam collocauit. Denique ſi alicuius partis pecuniæ ab vno poſitæ, alius deberet damnum ſubire, illa pars iam eſſet conſtituta extra periculum, ac per conſequens eſſet ſocio tantùm mutuata, cum intentione inde referendi lucrum, quod labe vſuræ non caret, vt docent Nauar. *in Manual. cap. 17. num.* 252. Caiet. *in ſumm. verb. Mercenalis ſocietas.* Azorius *cap. 3. quaeſt.* 3.

Nauar. Caiet.

Poteſt tamen apponens pecuniam cum altero ſocio conuenire, vt pecunia ſit communis, & vterque ſit pecuniæ dominus, ita vt pecunia capitalis, finita ſocietate, diuidatur. Similiter poteſt paciſci cum ſocio, vt ſi pecunia pereat, æquè pereat ſocio, eiuſque periculum, & damnum ſit commune: nam cùm vterque ſentiat æquale commodum, par eſt, vt ſentiat onus æquale. Imò quando nullum præceſſit periculi pactum cum ſocio, periculum, & damnum pecuniæ cenſetur factum commune, eo ipſo quo pecunia facta fuit communis. Ita Azorius *part. 3. lib. 9. cap. 3. quaeſt. 4.* Trullench *in decalog. lib. 7. cap. 24. dub. 3. num.* 7. Syluester, Roſella, Armilla, & alij apud Azorium.

Azor. Trullenc.

Aduertendum eſt, quod intercedente iuſto pacto, quo tradens pecuniam reijcit illius periculum in alterum ſocium, ſoluto iuſto pretio pro grauamine impoſito, ſors capitalis perit ſocio, in quem periculum fuit translatum. Ratio eſt, tum quia non repugnat contractui ſocietatis addere contractum aſſecurationis capitalis, vel lucri; ſicut enim hic contractus poteſt cum alio iniri, ita etiam poteſt iniri cum ſocio. Tum quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt, non poſſe in alterum ſocium reijci periculum capitalis, & lucri, compenſato grauamine, vt diximus *tom. 1. verb. Societas, num.* 4. cum Doctoribus ibi citatis litt. C.

7. Difficultas eſt (an iniri poſſit ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam vnus ex ſocijs in commune contulit, aliquo caſu fortuito perierit, eam alter ſocius reficere teneatur? Quidam dicunt poſſe talem ſocietatem contrahi, eo quod tale pactum contra naturam ſocietatis non ſit, ſed ſolùm præter naturam; ac proinde quamuis vi, & natura ſocietatis non valeat, valet tamen vi conuentionis, quia contractus ex conuentione legem accipiunt. Ita Hoſtienſis *in ſum. tit. de vſur. §. In alijs autem* Ioannes Andr. *in cap. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor.* communis tamen ſententia eſt, prædictum pactum cum ſocietatis natura, & ſubſtantia pugnare. Ratio eſt, quia qui dat pecuniam ſocio ea conditione, vt lucrum ex negotiatione ſit commune, capitale indemne ſeruetur, vſuram committit, quia non eſt contractus ſocietatis, ſed mutui, in quo pecunia mutuata etiamſi caſu fortuito apud mutuatarium perierit, eſt reddenda, & talis contractus æquipollet huic, ſcilicet, accipe mutuò mille, vt eadem cum lucro reddas.

Vnde vt contractus ſocietatis ſit licitus, debet pecunia cum lucro, & damno exponi, ita vt damnum, & lucrum ſit commune, vt habetur *in l. ſi non fuerint, §. Ariſtot. ff. pro ſocio*. Vbi Iuriſconſultus Leoninam ſocietatem appellat, cum ſocij ita conueniunt, vt alter lucrum tantùm & alter damnum ſentiat. Ita tradunt D. Thom. 2. 2. *quaeſt. 78. art. 2. ad* 5. Nauar. *cap. 17. num.* 252. Sotus *lib. 6. de iuſtit. quaeſt. 6. artic. 2. ad* 3. Couar. *lib. 3. variar. cap. 2. num.* 3. Conradus *de contract. quaeſt.* 97. D. Antonin. *part. 2. tit. 7. cap. 7. §.* 37.

D. Thom. Sotus. Couar. Conra.

Azo-

Digitized by Google

Azorius *p.3.l.9.c.3.q.5.* Angelus, Sylueſter, Armilla, *verb. Societas*, & communis.

Ratio autem ob quam lucrum ex pecunia io ſocietate poſita accipi poteſt, & non ex mutuata eſt, quia dominium rei mutuatæ transfertur io eum, cui mutuat. Vnde ille, cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo teoetur eam reſtituere integrè, Vnde noo debet amplius exigere ille], qui mutuauit. Sed ille, qui committit pecuniam ſuam, vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet eius: ita quòd cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideò ſic licitè poteſt partem lucri inde prouenientis expetere tanquam de re ſua. Ita D. Thomas *loco citato*.

8. Quando io ſocietate non fuit expreſſum, an apponens pecuniam vellet eam facere communem cum ſocio, vel an vellet tantummodo lucrum ad damnum facere commuoe, ſtandum eſt cooſuetudini regionis, vel locorum, vel etiam negotiorum: nam contractus cenſetur celebratus, iuxta conſuetudine.o vſu receptam, quando aliud non ſuit expreſſum. Ita Sylueſter *verb. Societas 1.q.*
Molin. Azor. *6.* Angelus *eodem verb.* §. 10. Rebellius *p.2.de oblig.c.15.q.2.* & alij, quibus adde Molinam *diſp.* 4t6. Azorium *loco cit.c.3.*

Si autem nec de conſuetudine cooſtet, nec coniecturæ ſint voloeritne apponens pecuniam contrahere ſocietatem tantùm in lucro, & non in ſorte, oon conueoiunt Doctores. Quidam enim tenent eſſe iure ipſo commuoi
Couar. D.Thom. Sotus. Caiet. communicatam, & ita dimidiam partem ſocio deberi, qui operam ſuam, vel ioduſtriam collocauit. Ita Couar. *l.39. variar.cap.2.num.2.* Contadus *de contract. q.9.* & alij. Tamen contrarium ſuſtinent D. Thom. *2.2.q.78.ar.2.ad 5.* Sotus *l.6.q.6 artic.1.ad 1.* Caiet. *Summ. verb. Mercimonialis ſocietas*. Sylueſter, Aogelus *locis citatis*, tutam, nempe principalem pecuniam, ſi integra permaneat, ad eum iure ipſo communi pertinere, qui eam in ſocietatem cootulit, nec præſumi voluiſſe apponentem eam in commune conferre. Et hoc videtur definitum à Sixto V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Deteſtabilis auaritia*, vbi decernitur, ſortem finita ſocietate, ſi reſtat, eſſe reddendam ei, qui in commuoe contulit, oiſi fuerit cum ſocio communicata, aut aliter ioter eos conuentum.

Ratio eſt, quia pretium operæ, & induſtriæ ſocij intelligitur correſpondere vſui pecuniæ, & non proprietati, ſicut quando ex voa parte ponitur pecus in ſocietatem, & ex alia paſtoris opera, ſola damna, vel lucra ſunt communia, non autem ipſum pecus. Tum quia ex natora contractus iſtud citra vllam ioiuſtitiam fit, quia ſicut finita ſocietate apponens operam, & induſtriam, vbi nullum eſt
Bonac. Trullenc. lucrum, illas perdit, ita quoque, & dominus pecuniæ, vbi nullum contiogit lucrum, perdit ſimiliter fructus ſuæ pecuniæ. Ita etiam Bonacina *de contract. diſput.3. quæſt.6. punct.3.num.12.* Trullench *in Decalog.lib.7.cap 24.dub.3. num.4.*

9. In contractu trium contractuum, ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & venditionis lucri incerti maioris, pro minore certo, de quo egimus *tom.1.verb. Societas, num. 4.* vt adſit iuſtitia, non requiritur, vt hi contractus formaliter, & expreſsè fiant, ſiue enim cum eodem fiant formaliter, & expreſsè per diuerſos contractus ſeorſim celebratos, ſiue per vnum, in quo illi æquiualenter, & implicitè contineantur, adeſt iuſtitia, modò ſeruetur æqualitas. Vt ſi quis hoc modo cum mercatore contraheret, contero ceotum ad ſocietatem, vt quotannis ſoluas quioque, vel ſex, ſalua ſorte, eo modo, quo Doctores docent eſſe licitum; hic implicitè tres prædictos cum eo contractus ioire cenſetur, etiamſi aliàs ignoret rationem, ob
Nauar. Trullenc. Leſſius. quam id eſt licitum. Ita Nauar. *in Man.cap.17.n.255. & ſeq.* Tolet. *l.5.c.41.n.3.* Trullench *loco cit.dub.2.n.2.* Leſſius *l.2.c.25.n.31.* & alij moderni.

Tamen vt ſecurius in hoc contractu procedatur, quinque conditiones debeot concurrere, *Prima* eſt, vt ceſſaote omni fraude, & ſimulatione coram Deo formaliter, aut æquiualenter illi tres contractus verè fiant, vel pro factis habeantur. *Secunda*, ne vllum inde generetur ſcandalum, vel iuſta ſuſpicio mutui vſurarij ſub colore, & ſpecie ſocietatis. *Tertia*, vt accipiens pecuniam non poſſit illa pro ſuo arbitratu vti, ſed teneatur oeceſſariò cum illa negotiari, quia alias nun ex negotiatione, ſed ex mutuo lucrum ſuæ pecuniæ reportaret, quod illicitum. *Quarta*, vt qui deponit pecuniam, noo multum, ſed perexiguum lucrum petat; olim erant quatuor pro ceotenario, nunc ſunt quinque, vel ſex ad ſummum. *Quinta*, vt duo vltima contractus, ſcilicet aſſecurationis, & redemptionis lucri certi pro incerto fiant liberè, & propria ſponte vtriuſque contrahentis. Sed quia hæ conditiones parum attenduntor, plena eſt periculis talis ſocietas. Ita Ludouic. Lopez *part.2. inſtruct.cap.72.* Aduertunt tamen Leſſius *loco cit.num.32.* Trullench *loco cit.* circa tertiam conditionem, quod ſi dans pecuniam bona fide dediſset, putans alterum velle ea vti ad negotiationem, poſſet exigere pretium cooventum, quia contractum ex parte ſua booa fide impleuit; ac proinde poteſt alterum cogere vt etiam impleat, aut ſoluat, quanti ſua intereat ipſum pacta coouenta præſtitiſſe.

10. In ſocietate omnium bonorum tam præſentium, quàm futurorum, & io ſocietate omnis lucri, diſtribuenda ſunt omoia bona, quæ tunc extant, per æquas partes; tum etiam omne lucrum, ſimiliter, & damna, ſiue expenſæ, non habita ratione, an qui plus, vel minùs poſuerit, aut plus minuſue lucratus fuerit, ſed omnia communicantur, & æqualiter dioiduotur, & expenſæ omnes fiunt ex boois communibus, modò non proueniaot ex delicto, & culpa ſocij. Ita Couar. *3.variar. cap. 2.n.* Couar. Molin.
3. Molina *loc. cit. diſp.* 421. Salon *de ſocietate*, *art.4.* & alii communiter.

Ex quo infertur quòd in hac ſocietate communicantur, quæcumque ex qualibet cauſa acquirantur, videlicet ex labore, opera, induſtria, negotiatione, donatione, legato, hæreditate, *l. Ea vero, ff. pro ſocio*. Item ſtipendia data militibus, *l. Qui ſtipendia, C. de procurat.* & quæcumque obueniunt ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi *l. ſi Fratres*, §. *Idem Papinianus, ff. pro ſocio*, & generatim quidquid licitè comparatur ex quolibet iure, titulo, vel cauſa. Item omnia debita contracta, lucra, damna & impenſe, etiamſi fuerint ex condemnatiooe per iniuriam iudicis facta. Secus verò eſt, ſi fueriot ex iuſta iudicis ſententia ob delictum proprium, *l. ſi Fratres*, §. *ſocium, ff pro ſocio*. At non communicatur ſi aliquid acquiſitum fuerit ex cauſis, iure vel lege prohibitis, puta ex furto, homicidio, adulterio periurio, ex *l. quod autem, ff. pro ſocio*.

Porrò oomine ſocietatis ſimpliciter vocatur illa, quæ in omni quæſtu conſiſtit, quæ niſi fuerit expreſsè conuentum, vt ſit omnium bonorum, intelligitur contracta, vt ſit vniuerſorum, quæ veniunt ex quæſtu, hoc eſt, ſi quid lucri ex emptione, venditiooe, locatione, conductione deſcendit, *l. Coire, ff pro ſocio*. Quæſtus verò intelligitur, qui ex opera, artificio, induſtria, cura vel diligentia cuiuſque prouenit, *l. Quæſtus, ff. pro ſocio*. Proinde in tali ſocietate noo communiter hæreditas, legatum, vel ſi quid donatum eſt, quia hæc veniunt ex charitate, liberalitate, vel alia cauſa, oon ex quæſtu, *l. Nec adiecit, ff. pro ſocio*. Tamen æs alienom quod eſt debitum ex quæſtu non aliunde communicatur, *l. Sed nec æs alienum, ff. pro ſocio*.

11. Inter ſratres cenſetur contracta ſocietas quæſtus eo ipſo quod habeot patrimonium indiuiſum, & vterque negotiatur. Bartolus *in l. ſi patrones, C. Communia vtriuſque iud.* Sic etiam ſi io commune conferant omnia munera dona, & ſtipendia. Si item vnus ex ſratribus, licet non negotietur, tamen omnia communicat cum alio fratre negotiante, ceoſetur contrahere cum eo ſocietatem. Bonorum tamen omnium ſocietatem non contrahunt: niſi exprimant, ex eo enim quòd bona ſibi obuenientia conferant in communi, non ceoſentur inire ſocietatem niſi quæſtus. Item ſrater minor res ſuas communi nomine adminiſtrat, itaut alter maior ratum habeat, quod ipſe facit, cenſetur inter eos contracta ſocietas, ideòque tenetur ſrater minor de dolo, culpa lata, & leui. Nota tamen non hoc ipſo quòd ſratres de commuoi menſa viuunt, & commune patrimonium habent, ceoſentur contrahere ſocietatem, ſed debent præterea id verbis, vel aliis factis ſi-

gnificare:quia illa indifferentia ſunt, ad contrahendam, vel non contrahendam ſocietatem.Ita Azor.*p.3.l 9.c.19. q.1.2.3.4. & 7.* Bonacina *de contract.diſp.3.q.6.pun.7.n.1, & 2,* Filliuc.*tr.38.c.7.q 6.* & alii.

Azor. Bonac. Filliuc.

12. Frater habens cum fratre hæreditatem, vel patrimonium indiuiſum,non tenetur cum eo communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici officij adminiſtratione:nam inter ipſos non eſt contracta ſocietas omnium bonorum, & proinde lucra, quæ ex publicorum munerum adminiſtratione deſcendunt, communicanda non ſunt,cùm ex quæſtu non veniant.Ita Syluest.*v.Peculium 2.quæſt.*20. Azor. *loco cit.quæſt.*4. & alii apud Sylueſtrum.

Si autem frater contracta cum altero fratre ſocietate ſimpliciter, impendit bona ſua caſtrenſia, vel quaſi in communem vtilitatem poteſt illa repetere pro rata,modò illas expenſas non fecerit animo donandi,ſeu gratis. Ratio eſt,quia vtiliter geſſit negotium aliorum fratrum, ergo pars eſt,vt alii fratres ſentiant onus reſtiutionis pro rata. Ita Sylueſter *loc. cit.* Azor.*loco cit.q.5.* vnde ſi frater ex bonis communibus filiam ſuam dotauerit, eam dotem debet in ſuam partem computare. Plura de hac ſocietate inter fratres videri poſſunt apud Azorium,& Bonacinam *locis citatis.*

Sylueſt. Azor.

13. Societas ſimpliciter diſſoluitur, & finitur quatuor modis. *Primò*,morte naturali cuiuſuis ex ſociis,*l.verum, §.final.ff. pro ſocio*; nam regulariter ſocietas non tranſit ad hæredes, & pactum adiectum, vt ad eos tranſeat, eſt nullum, quia in ſocietate eligitur induſtria perſonæ; ignoratur autem qualis futura ſit induſtria hæredis. Aliquando tamen ſocietas tranſit ad hæredes, puta, ſi ſit appoſitum pactum, vt ſi ſocietas eſſet circa vectigalia, vel alia res publicas conductas, tunc enim ſocietas tranſit ad hæredem,modò hæres ſit idoneus,*l. Adeo, & l.Verum, §. in heredem,ff. pro ſocio.* Item,quando ſocietas in morte ſocij intempeſtiuè finiretur, id eſt, cum præiudicio rerum,vel hæredum,ſeu quoad negotia cœpta. Item,quando ſocietati contractæ cum pacto, vt ad hæredes tranſeat,adderetur ab omnibus ſociis iuramentum.

Secundò, diſſoluitur ſocietas morte ciuili alicuius ſociorum per exilium,quod ciuilis mors cenſetur;aut etiam per profeſſionem ſolemnem, & vniuerſaliter finitur ſocietas, cùm alicui ex ſociis omnia bona confiſcantur. *l. Verum,§. vis.ff. pro ſocio.*

Tertiò,finitur ſocietas ceſſione bonorum facta ab aliquo ſociorum, *l. Actiones, ff. pro ſocio*. Idem dicendum eſt,quando pecunia in ſocietate collata perempta eſt, vel quando alter promiſit operam,ſed illam præſtare non poteſt ob morbum,&c.

Quartò, finito tempore ad ſocietatem conſtituto, aut finita negotiatione. Denique finitur per renunciationem,id eſt, per voluntatem, & conſenſum mutuum ſociorum: non requiritur tamen expreſſa renunciatio, ſed ſufficit tacita, quæ contingit, quando quiſque ſociorum incipit ſeparatim negotiari in proprium commodum, *§. Itaque cum ſeparatim,ff. pro ſocio.*

De quibus plura apud Molinam *de iuſt. tract. 2.diſput.* 414. Azor.*p.3.l.9.c* 6. Bonac. *de contract.diſp.3.q.6.punc. vlt.* Filliuc.*tr.38 c.2.q.7.* & alios.

Azor. Bonac. Filliuc. Bonac. Fill.

De ſocietate Officiorum Romanæ Curiæ tractant Bonacina *loco cit.q.6.punct.6.* Filliuc.*tract.38.c.6.* & latè Azor. *loc. cit.l.9.c.8. & ſeq.* Sed nobis hæc ſufficiant de ſocietate.

SOLVTIO.

SVMMARIVM.

1 *Solutio quid ſit? Et an vnum pro alio ſolui poſſit.*

2 *Qui liberi maneant ab obligatione, & debito, facta ſolutione.*

3 *Qui ſe obligauit ad factum,an teneatur ad illud, ſi impleri poſſit,& an ſatisfaciat inuito creditore, ſoluendo ei intereſſe?* Refertur duplex ſententia.

4 *Quando res determinata debetur in indiuiduo, & ea traditur alteri,vt deferat ad creditorem,ſi pereat,an pereat creditori, aut debitori, & quid ſi debeatur res indeterminata.*

5 *Quando creditor debitori ſuo mandauit, vt quod ſibi debet, ſoluat alteri, ſi antequam debitor id executioni mandet, creditor reuocet mandatum, & debitori innoteſcat, an hic teneatur iterum ſoluere.*

An liberetur debitor à debito, ſi ſoluat ei cum quo contrahit, vel tertio deſignato.

6 *An ſolutio facta creditori principali ſit valida, eſto accuſetur de crimine propter quod veniant illi confiſcanda ſua bona.*

7 *Quando dies certus,aut tempus determinatum fuit conſtitutum,intra quod ſolutio fieri debeat,an dies ille certus,aut terminus temporis interpellat pro creditore aduerſus debitorem.*

8 *Quando dies,aut terminus certus fuit ſolutioni præſcriptus,eo tranſacto,an creditor executionem facere poſſit aduerſus debitorem.*

9 *Quando dies,aut terminus ſolutioni præfixus non eſt certus, quid requiratur, vt debitor conſtituatur in mora.*

10 *Si aliquis errore ductus, id tanquam debitum ſoluat, quod non erat debitum, an concedatur illi actio ad illud repetendum, & debeat probare fuiſſe indebitum.*

11 *An præſumatur donare,qui ſciens ſe non debere aliquid illud ſoluit.*

12 *Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe, & non eſſe ſi per errorem ante conditionem expletam ſoluatur, an repeti poſſit tanquam ſolutum per errorem? Et quid ſi quid debeatur in diem certum,qui eueniet.*

13 *Si aliquid ſolutum fuit vi ſententia,quæ in rem iudicatam tranſiuit, eſto is vere id non deberet, quando concedatur ei repetitio illius tanquam indebiti.*

14 *Quando iudicium terminatum fuit iuramento deciſorio delato in defectum probationum alteri contendentium, an concedatur repetitio ſi poſtea legitimæ,ac perſpicuæ probationes in contrarium comperirentur.*

1 SOlutio *eſt exhibitio eius quod debetur, aut rei alterius loco illius,quando illa ſolui non poteſt,de voluntate creditoris.* Aliud enim pro alio inuito creditore ſolui non poteſt, *lib. 2.§.1. ff. ſi certum petatur*,ſicut etiam debitor cogi non poteſt ſoluere vnum pro alio, quando ſolui id poteſt,quod debetur.*l. domini, & ibi Gloſſa, Cod. de agricol.& cenſit.* De mutuo tamen debitoris,& creditoris conſenſu ſolui poteſt vnum pro alio, *l. Manifeſte, Cod. de ſolution.* Quando autem vnum ſoluendum eſſet pro alio,quia quod debetur,ſolui non poteſt, ſi debitor, & creditor non conueniant, iudex arbitrari debet, quod ſit ſoluendum,vt notant Doctores *in authent. hoc niſi, C. de ſolut.*

2. Facta ſolutione,liberi manent ab obligatione & debito,non ſolùm debitor ipſe,hæredeſque ipſius, ſed etiam pignora ac fideiuſſores, & quicumque acceſſoriè vna cum debitore tenebantur:extincta enim obligatione principali,quocumque modo illa extinguatur, extinctæ quoque maneant acceſſoriæ, vt habetur *Inſtitut. quibus modis tollant obligat.in princip.iunctis.§.ſequentibus*. Id etiam habet locum etiamſi alius à debitore, ſiue debitore id ignorante,ſiue ſciente,debitum creditori,nomine debitoris ſoluat:nam continuè tam ipſe debitor,quam qui acceſſoriè illi pro eo debito tenebantur, liberi ab ea obligatione,& debito manent,*l.ſi manifeſti,Cod.de ſolutionibus.* Ita Molina *de contract. tract.2. diſp.562. num.2.* & communis.

3. Dubium eſt,an ſtando iure communi,qui ſe obligauit ad factum,teneatur ad illud, interim dum impleri poteſt,an verò ſatisfaciat, etiam inuito creditore, ſoluendo ei intereſſe, ita quod in optione debitoris tunc ſit, vel factum præſtare, aut ſoluere illi intereſſe, prout debitor malue-

Digitized by Google

malnerit? Communis ſententia ſuſtinet non teneri præciſè ad id factum, ſed ſatisfacere ſoluendo intereſse. Ita Couar. Gomez. Couarruuias *in cap. Quamuis pactum, parte prima, §. 4. n. 6.* Antonius Gomez *tomo ſecundo, variar. cap. 10. numer. 21. & 22.* Gurierrez *de iurament. confirmat. parte prima, cap. 39.* & alii apud Couarruuiam. Qui id probant ex *l. ſtipulationes, non diuiduntur, ff. de verb. obligat. l. ſi quis ab alio, ff. de re iudicat.* At ſi promiſſio fuerit iurata, tunc tenebitur promittens, & præciſè erit cogendus facere, Gloſs. celebris *in l. ſi pecuniam, ff. de condict. cauſ. dat.*

Ab hac tamen ſententia recedunt Molina etiam ſtando in iure communi, & alii apud Gutierrez: nam ex illis iuribus aliud non colligitur, quam quod quando debitor in mora, & culpa fuit, optio ſit, non penes ipſum, ſed penes creditorem, petere intereſse, & quod quando ex parte creditoris intereſſe petitur, diuidi poſſit factum, quoad intereſse, in quo æſtimatur; cùm tamen obligatio ad factum ſit in ſe indiuidua. Ita Molina *loc. cit. n. 4.* cui ſubMolin. ſcribit Filliuc. *tr. 39. n. 175.*

4. Quando res determinata debetur in indiuidua, aut aliquid ex rebus ita determinatis, & id traditur alteri vt deferat ad creditorem, ſiue is deſignatus ſit à creditore, ſiue non, modò debitor in ea tradenda non fuerit in culpa, tunc ſi pereat, perit creditori, niſi debitor obligatus eſset de leui culpa, aut de caſu fortuito: nam tunc debitor teneretur id iterum ſoluere. Ita docent Nauar. *in man. c. 17. n. 185.* Angelus *verb. Commodatum, n. 15.* Syluest. *ibid. q. 10.* Antonius Gomez *tom. 2. variar. c. 7. n. 3.* Molin. *tr. 2. diſp. 296.* & communis.

Si debeatur res indeterminata in indiuiduo, vt ſumma certa pecuniæ, tunc ſi tradatur deſignato à creditore, & poſtea pereat, perit creditori, & non debitori, idque eſto obligatio ſoluendi ortum habuiſset ex iniuſta debitoris acceptione, aut retentione. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod perſonam cui traderetur creditor deſignauit, ratam habuit ſolutionem. Imò eo ipſo cenſetur per eam perſonam facta ei traditio, ſolutúque ei debitũ, *l. ſolutam, ff. de ſolut.*

Idem eſt, ſi ſoluatur Procuratori habenti mandatum à creditore ad id recipiendũ, aut vt recipiat debita ipſius, vel habeat adminiſtrationem omnium eius bonorum, vel negotiationis alicuius ad quam ea ſolutio ſpectet, vt habetur *l. ſi verò Procuratori. in princip. ff. de ſolut.*

5. Quando creditor debitori ſuo mandauit, vt quod ſibi debet, ſoluat alteri, ſi antequam debitor id executioni mandaret, creditor verbo, internuncio, aut epiſtola reuocet mandatum notitiaque eius reuocationis ante eam ſolutionem ad eum peruenit, tunc ſolutio facta à debitore illi alteri, poſtquam ad ipſum deuenit notitia reuocationis talis mandati, non liberaret eum à debito, ſed teneretur ſoluere iterum idem debitum creditori: ſecus autem, ſi ſoluiſset illi alteri antequam notitia reuocationis mandati ad ſoluẽtem perueniret, tunc eum liberaret, eſto facta eſset poſt reuocationem mandati, *l. ſi verò Procuratori. ff. de ſolution.* quia idem eſt mandare alicui vt ſolutionem a creditore accipiat, & creditori præcipere, vt ei ſoluat, & è contrario: quoniam vnum horum coniunctum eſt eo ipſo cum alterum, vt habetur *in l. qui hominem §. ſi Titian. ff. ſolut.*

Quando autem quis in ſtipulatione, aut alia promiſſione, vel contracto ſe obligaret ad ſoluendum, vel ei cum quo contrahit, vel tertio deſignato, qui tertius adiectus ad ſolutionem nuncupatur in iure, tunc ſiue fiat principali, ſiue adiecto, debitor liberatur ab eo debito, vt habetur *in l. ſi ita ſtipul. ff. de ſolut.* Competit verò poſtea principali creditori aduerſus adiectum actio quaſi mandati, aut negotiorum geſtorũ, vt ſolutionem acceptã ſibi reſtituat.

6. Solutio facta creditori principali valida eſt, eſto accuſetur de crimine propter quod veniant illi confiſcanda ſua bona, vt habetur *l. reo ff. de ſolut.* Excipe, *Primò*, niſi accuſetur de crimine læſæ maieſtatis humanę, vt habetur *l. vlt. C. ad leg. Iul. maieſt.* Nam hic eo ipſo, quod tale crimen cõmittit, ipſo iure amitti, nõ ſolùm omnia ſua bona, ſed etiã adminiſtrationem eorũ, eſtque inualida ſolutio ei facta, & cõſequenter inualida etiam erit facta, adiecto, ſi quis ab eo fuit datus: quia ſolutio facta adiecto, cenſetur facta tali creditori principali. Quando tamen debitor tali accuſato aut eius adiecto ſoluit, ignorans crimen, tũc liberatur per eam ſolutionem, nõ ſecus ac liberatur, qui ſoluit Procuratori alicuius, ignorando reuocatã fuiſſe, procurationẽ, ſeu mandatum. Hæc locum etiam habent maiori cum ratione in crimine hæreſis, læſæve Maieſtatis diuinæ. Excipe *ſecundò*, niſi bona illa ſint iam annotata, hoc eſt, ſequeſtrata ob illud crimen, quia aufugit, aut alia ratione: tunc enim ſolutio illi facta eſt inualida, vt affirmat Gloſſa *l. reo ff. de ſolut.*

7. Quando dies certus, aut tempus certum, & determinatum fuit conſtitutum, iuxta quod aliquid fieri debet, aut ſolui, tunc dies ille certus, aut terminus temporis illius determinati, interpellat pro creditore aduerſus debitorem, vt id præſtet, aut ſoluat, neque eſt neceſſe, vt à creditore ad id requiratur, aut admoneatur, *l. magnã, C. de contrah. & committ. ſtip.* vnde tranſacto eo die, aut termino, non conceditur locus, vt debitor purget moram, ſed tenetur ad intereſſe, & damna, aut ad pœnam ſi fuit appoſita in ſubſidium, & infirmitatem contractus. Et hoc verum eſt ſiue contractus ſit oneroſus, ſiue lucratiuus, & ſiue ſit bonæ fidei, ſiue ſtricti iuris. Excipitur tamen, quando in iure conceditur in aliquo caſu purgatio moræ, vt in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſi penſio non ſoluatur intra biennium, cùm tamen ſingulis annis die certò, & præfixo eſſet ſoluenda, neque pœna commiſſi ſit ſtatuta niſi penſio integris duobus annis non ſoluatur.

8. Quando dies, aut terminus certus fuit ſolutioni præſcriptus, eo tranſacto, creditor agens aduerſus debitorem habet fundatam ſuam intentionem; atque tunc, ſiue pœna fuerit ſtatuta, ſiue non ſi inſtrumentum abſque ſententia iudicis paratam habet executionem, locus non eſt purgationi moræ. Si autem in inſtrumento habente paratam executionem appoſitus ſit terminus certus, ſed additum eſt vt nihilominus creditor certiorem faciat debitorem, ab eoue exigat debitum, non poteſt fieri executio aduerſus debitorem, antequam ea conditio impleatur. Si autem debitor tempore, & loco congruo offerret creditori cum effectu ſolutionem, & creditor nollet eam accipere, tunc ſi id conſtaret, liber eſſet à pœna, & damnis, *l. ſoluturus ff. de ſolut.* Idem eſt, ſi partem debiti liquidam offerat, & pro liquidanda fideiuſſores idoneos adhibeat. Item ſi creditor abſens eſſet, neque relinqueret, qui loco & nomine ipſius ſolutionem reciperet, liber eſſet debitor à pœna, intereſſe, & damnis ſequutis, quòd ſolutio facta non ſit intra terminum præſcriptum, *l. pecunia, §. vlt. ff. de vſur. l. ſi fundus, §. vlt. in fine. ff. de lege Commiſſ.*

9. Quando dies, aut terminus ſolutioni præfixus non eſt certus, tunc dies non interpellat pro creditore, ſed, vt debitor in mora conſtituatur, neceſſe eſt, vt debitum ab eo exigatur, poſtquam congruum tempus aduenit, vt colligitur apertè ex *l. Magnam, C. de cont. & comm. ſtip.*

Hinc ſi alicui promittatur aliquid ſoluendum quando fuerit legitimæ ætatis, opus eſt interpellatione, vt debitor in mora conſtituatur, & vt pœnam incurrat, ſi ſub pœna aliqua ſe ad id obligauit.

Quando autem aliquid promiſſum eſt fieri, aut ſolui ſine aliquo termino, & pœna, obligat promittentem tranſacto tanto tempore in quo optimè id fieri potuit ac debuit, negligentiaque debitoris adimpleri, intra id tempus omiſſum eſt, poterit creditor exigere à debitore id, quod efficere tenebatur, cum omnibus damnis ſibi ex eo ſubſequutis. Verùm, ſi debitor, antequam lis aduerſus eum ea de re à creditore conteſtetur, incipiat rem promiſſam ſoluere ac perficiat, purgat eo ipſo moram, nec tenetur ad damna ſubſequuta. Ita habetur *in l. ſi inſulã, ff. de verb. obl.*

10. Quando aliquis errore ductus, id tanquam debitum ſoluit, quod nullo modo erat debitum neque ciuiliter, neque naturaliter, conceditur illi actio ad illud repetendum, quæ condictio indebiti nuncupatur, *l. 1. & ſequentib. ff. de condit. indebit.* Et hæc actio condictionis indebiti, locum habet, nõ quidem ex contractu, ſed ex quaſi contractu.

Cùm autẽ aliquis petit aliquid tanquã ſolutum à ſe & indebitum, ad eũ probare ſpectat fuiſſe indebitũ, quia nullus præſumitur ſoluere indebitum. Excipitur, ſi qui ſoluit, erat minor, mulier, miles, aut ſimplex agricola; tunc enim

ad eum, qui id accepit, ſpectat probare fuiſſe ſibi debitum ſi verò id non probet, ſuccumbet, cogeturque illud reddere. Hæc tamen exceptio non habet locum quando minor, mulier, &c. contendit, non totum, quod ſoluit, fuiſſe creditori debitum, ſed partem, & reliquum repetit, quia tunc ad minorem, mulierem, &c. ſpectat probare, quod repetit, fuiſſe indebitum, alioquin ſuccumbet. Ita habetur *in l. cum de indebito, ff. de probat.*

11. Qui ſciens ſe non debere aliquid, illud ſoluit, præſumitur id donare, eaque de cauſa non poteſt illud poſtea repetere. *l. indebitum, C. de condict. indebit.* quando accipiens, vt donatum etiam illud accepit: ſi enim quaſi debitum, aut alio titulo illud accipiat, non comparat dominium illius quouſque vt donatum illud accipiat, propterea quod non conſentiant animus, ſeu ſenſus dantis, & accipientis; quod requiritur ad celebrandum aliquem contractum, etiam donationis; neque donatio illa ſit adhuc per accipientem acceptata. Ita colligitur ex *l. ſi ego, ff. ſi certum petatur.*

12. Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe, & non eſſe, ſi per errorem ante conditionem expletam ſoluatur, repeti poteſt tanquam ſolutum per errorem, quod adhuc erat indebitum *l. ſufficiat, l. ſub conditione, ff. de condict. indeb.*

Si quid debeatur in diem certum, qui eueniet, tunc ſi ſoluatur ante aduentum eius diei, non conceditur repetitio illius, quia verè tunc iam debetur, tametſi non tunc ſoluendum, ſed in eum diem, *l. in diem, l. ſufficiat, de condict. indebit.* ſecus ſi aliquid debeatur in diem incertam an ſit futura, tunc eſſet debitum ſub conditione pendente in futurum, ac proinde ſi per errorem ſolueretur ante aduentum eius diei, impletamue eam conditionem, poſſet repeti, *l. ſub conditione, ff. de condict. indebit.*

13. Quando aliquid ſolutum fuit vi ſententiæ, quæ in rem iudicatam tranſiuit, eſto is verè id non deberet, quod ita ſoluit, non conceditur ei repetitio illius tanquam indebiti; neque admittitur probatio quod fuerit indebitum: idque propter auctoritatem iudicij, & vt litibus oſtium præcludatur finiſque ſtatuatur, *leg. 1. Cod. de condict. indebit.*

Limita *Primò*, niſi quando ſententia lata fuit falſis allegationibus, aut falſis teſtibus, vel falſis inſtrumentis; admittitur enim tunc probatio, quod eo modo lata ſit, & quod, innitendo eis falſis allegationibus, aut inſtrumentis, iudex eam tulerit, alioquin non eam laturus, & vtroque probato, reſtituitur in integrum, qui ea fuit condemnatus, & inde recuperat, ſi quid vi illius ſoluit, *l. Diuus, ff. de re iud. l. 1. & ſeq. C. ſi ex falſis inſtrum.* Atque ſi ſententia eo modo lata fuit contra abſentem, eſt ipſo iure nulla, vt habetur *l. ſi prætor*, 5. *Marcellus, ff. de iudic.* Idemque eſt, ſi lata fuit contra Minorem, *l. 2. quod ſi ex falſis.*

Limita *Secundò*, quando cauſa eſt publica, ad fiſcum, aut Cameram Regis, vel ad rempublicam ſpectans; vel ſi cauſa ad Minorem, aut ad Eccleſiam pertineat, concedi poteſt, ac debet repetitio eius, quod vi talis ſententiæ ſolutum eſt, *l. Imperatores, ff. de re iudic. l. Sub prætextu, C. eodem tit.* Ex eo autem, quod noui teſtes reperiantur, non conceditur reciſio ſententiæ, quæ tranſiuit in rem iudicatam, etiam fiſci comparatione.

14. Quando iudicium terminatum fuiſſet iuramento deciſorio delato in defectum probationum alteri contendentium, tunc eo ipſo quod poſtea legitimæ, ac perſpicuæ probationes comperirentur in contrarium, concederetur repetitio: quia legitimæ probationes poſtea repertæ, maiorem vim habent aduerſus iuramentum illud falſum, iudiciumque eo terminatum quam aduerſus ſententiam legitimè alioquin latam, quæ in rem tranſiret iudicatam. Ita habetur *l. admonendi, ff. de iureiur.* Denique ſoluens ſcienter poſt ſententiam abſolutoriam: non poteſt illud repetere, ſuppoſito quòd verè erat debitor, quia obſtat ei exceptio, quod nihilominus naturaliter illud debeat, *l. Iudex, l. Iulianus vnum debitorem, ff. de condict. indebit.*

Hæc dicta ſint ſummatie de ſolutionibus ex iure communi Cæſareo, ſecluſis conſuetudinibus, & legibus particularibus Prouinciarum, & locorum. Plura de his apud Molinam *à diſp. 562. vſque ad diſp. 572.* apud Syluestrum *verb. Solutio.* Filliuc. *tractat. 39. cap. 10. quæſt. 6. & ſeq.* Molin. Syluest. Filliuc.

Vide verb. Cenſus *num. 14.* Debitor *num. 1. & ſequentibus.* Emptio *num. 13.* Hæres *num. 7. & 10.* Legatum *num. 22.* Ludus *num. 12.* Mendacium *n. 8.* Mutuum *n. 13. 16. & 17.* Pignus *n. 7. & 12.* Reſtitutio, Filius *n. 11. & 12.*

SORTES.

De contractu Sortium.

SVMMARIVM.

1 *Contractus ſortium quid & quotuplex.*
In hoc contractu poſſunt interuenire alij duo.
2 *Contractus ſortium quando licitus, & illicitus eſt.*
3 *Caſus in quibus licitus ſit vſus ſortium.*
4 *An domini rerum, quæ ſortibus exponuntur, licitè lucrentur iuſtum earum pretium? Et miniſtri licitè accipiant ſtipendium ſui laboris, ſi adſint tres conditiones.*

1. CONtractus ſortium eſt, quo aliqui ius habentes in aliqua re, conueniunt, vt mittantur ſortes, quibus conſtet, qui ſuam illam obtinere debeat. Pro varietate pacti, etiam variæ ſortes eſſe poſſunt. Aliæ enim luſoriæ ſunt, vt in ludo, aliæ electoriæ, quæ ordinatur ad electionem faciendam, aliæ alijs modis, de quibus egimus *tom. 1. verb. Diuinatio num. 3.*

In huiuſmodi contractu poſſunt duo contractus aliquando interuenire. Primus eſt emptionis & venditionis, in quo emptores ſunt ij qui concurrunt ad eam rem habendam per ſortes: venditor autem eſt is, qui rem illam ſortibus exponit. Aliquando non erit hic contractus: vt ſi rem communem multis pro partes ij quibus id ius contingit, experiantur, cuiuſnam ea integra eſſe debeat. Secundus eſt contractus ſortium, qui eſt inter illos, qui concurrunt ad ſortes.

2. Contractus ſortium licitus eſt, ſi fraudes abſint, & iniquæ qualitates. Ratio eſt, quia quod ſinguli inuicem in fauorem cæterorum periculo ſortis exponant æquale ius ad rem aliquam vel quam partem ex ea debeant accipere, eſt commutatio quædam æqualis, conſequenter erit iuſta. Si tamen in ſortibus mittendis aliquid fiat, quo aliqui eorum inter quos ſortes mittuntur, minùs ſint expoſiti commodo lucrandi, vel periculo amittendi, eſſet iniuſtus. Vnde ſi quis rem ita diſponat, vt ſors vnum contingat determinatum, & non alios, tenebitur reſtituere reliquis id totum, quod ſinguli contribuerunt, vt ſi vni ex tribus cùm tamen ſint 10. reſtituere alijs ſeptem, quod illi contribuerunt.

Aliàs diuiſoriæ ſortes ex ſua natura malæ non ſunt, ſed ſæpe bonæ ac vtiles, ſiue ad oneſtum ludum, ſiue ad hæreditatis diuiſionem, aut litis alicuius compoſitionem, dummodò litigantes, qui ius æquale habent, in ſortitionem conſentiunt. Quo ſenſu Salomon dixit Prouerb. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat.* Vnde dicta *loco cit. tom. 1.*

3. Ex dictis colligitur tempore peſtis ſorte dirimendum eſſe, qui ex Sacerdotibus periculum ſubire debent, D. Auguſtinus *Epiſtol. 180. ad Honoratum.*

Item ſi plures morte digni ſint ob crimen commiſſum, neque expediat omnes puniri, ſorte definiri poteſt, quis ex illis occidendus ſit, idque in militia receptum eſſe vſus probat. Sicut & in functionibus vbi de honore vel periculo agitur; vt quando oppidum inuadendum, ſorte inter milites diuerſarum nationum decidi ſolet, quæ natio prior inuadere debeat. Similiter in certo periculo communis naufragij, niſi aliqui nauigantium in mare proſiliant, vel eijciantur, ex communi conſenſu ſorte dirimi poteſt, quinam exſilire debeant: neque hoc eſt ſe ipſum occidere, ſed nauis qualecumque ſubſidium mortis euadendæ deſerere, ſicut ſi aliquis tabulam, qua ex naufragio emergere poſſet, derelinquat, vt di-

gniori

Leſſius. Layman. Sanch.

gniori obueniat. De his Leſſius *lib.2.c.43.n.58.* Layman *lib.4.tract.10.cap.3.n.8.* Sanchez *lib.2.moral.cap.38.n.59.* *& ſequentibus.* Vide dicta ſuprà *verb. Diuinatio num.13.* *& ſequentibus*, vbi plura.

4. Domini rerum quæ ſortibus exponuntur, licitè lucrantur iuſtum pretium earum rerum, quia iuſto contractu, nempe venditionibus eas acquirunt. Similiter, ſi in aliquem ex ijs qui contribuerunt ſors beneficiata caderet abſque alia fraude, is poteſt eam licitè lucrari, quia omnes ſunt æqualiter expoſiti lucro, & periculo, & omnes conſenſerunt liberè, vt is in quem ſors caderet, poſſet rem illam licitè habere. Denique miniſtri licitè accipiunt ſtipendium ſui laboris, modò adſint tres conditiones. *Prima*, vt ſtipendium non excedat iuſtum rigoroſum. *Secunda*, vt non ſint plures quàm neceſſarij ſint. *Tertia*, vt non plus temporis in eo negotio inſumant, quàm neceſſe ſit.

Stipendium autem pro miniſtris videtur potiùs ſoluendum à contribuentibus ad ſortes, quàm à venditore rerum. Ratio eſt, quia eiuſmodi miniſterium eſt in bonum contribuentium potiùs quam venditoris; quatenus tamen hic faliùs ea ratione habet iuſtum pretium earum, & aliquando etiam religioſorum, poteſt etiam ipſe pro parte, vel in totum concurrere ad eiuſmodi ſtipendia miniſtrorum, ſi velit.

Deberet tamen à principio id promulgari, quando leges ſortium promulgarentur, & quantum vnuſquiſque pro ſingulis ſcedulis, quæ in ſcripto nomine ipſius in vrnam mittendæ eſſent, contribuere deberet, vt vnuſquiſque attenderet, ac ſibi conſuleret, num etiam ad illa ſtipendia contribuere vellet, ne inuoluntariè id decepti ſoluant.

Simili modo promulgandum eſſet à principio quando ex contributionibus aliquid vltra valorem rerum, circa quas ſortes mittuntur, extrahendum etiam eſſet in opus aliquod pium ne inuoluntariè qui contribuunt, id ſoluant. Et licitè huiuſmodi applicatio fit in operibus pijs ex conſenſu omnium in id concurrentium, cùm fiat publica auctoritate. Sed plura de hoc contractu apud Molin. *de contract. ib. tract.2.diſp.509.* & alios.

Vide verb. Electio *n.18.* Diuinatio *n.16.*

SPES THEOLOGICA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſpes?*
2 *An ſpes ſit infallibilis, & certa?*
3 *Quando præceptum ſpei affirmatiuum obliget?*
4 *An præceptum ſpei, negatiuum obliget ſemper & ad ſemper? & quæ peccata aduerſantur ſpei ſecundum exceſſum?*
5 *An deſperatio opponatur virtuti ſpei ſecundùm defectum? & an peccata contra ſpem ſint ſemper mortalia ex parte materiæ?*

1. **S**Pes eſt, virtus Theologies diuinutiùs infuſa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia prouenientia: dicitur autem ſpes virtus Theologica, quia verſatur circa Deum tanquam circa obiectum, ſicut Fides, & Charitas circa eundem verſantur: infunditurque à Deo ſolo in voluntatem noſtram, in qua eſt ſicut in proprio ſubiecto: cupere enim, & expectare bona futura, & abſentia, eſt ſolius voluntatis. Beatitudo autem, quam ſperamus, eſt viſio, & fruitio Dei, quam non poſſumus noſtris viribus aſſequi, ſed cum diuino adiutorio, ideò ſperans beatitudinem aut remiſſionem peccatorum, vt viribus naturæ vel abſque diuino auxilio obtinendam, aut principaliter operæ creaturæ, committit peccatum præſumptionis, quod eſt vitium contrarium, & deſtructiuum habitus ſpei: peccatum enim præſumptionis contingit quando quis ſperat aliquid eo modo, quo non fit, aut fieri non poteſt. D.Thom.2.2. *quæſ.17.art.5.* Reginaldus *lib.17.n.75.* Filliucius *tract.22.* *n.244.* Layman *lib.2.tract.2.c.1.* Vaſquez *p.2.d.15.nu.18.* Syluius 2.2.*q.17.art.1.* & 5. & alij.

D.Thom. Regin. Laym. Vaſq.

2. Spes, abſolutè loquendo, eſt infallibilis, & certa, vt patet ex multis Scripturæ locis, quia eius certitudo innititur fidei, & his duobus principijs: Alterum, quòd beatitudo, hoc eſt, Dei viſio, eſt nobis poſſibilis, cum diuina gratia: Alterum, quòd ſi bene vtamur gratia Dei vſque in finem, infallibiliter illam conſequemur. Per accidens tamen ex parte noſtri poteſt eſſe incerta, & fallax, quia ſpes reſpicit etiam noſtram cooperationem, & merita: vnde cùm Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, vt vita æterna non ſit tantùm gratia, ſed etiam merces, & corona iuſtitiæ; hinc conſequens eſt, quòd licet ſpes in ſeipſa non ſit fallax, ex parte tamen noſtri, erit; & ideò eius certitudo, ſeu infallibilis expectatio beatitudinis, non eſt abſoluta, quia ſpes, & expectatio noſtra tanquam fundamento nititur promiſſione Dei, quæ nobis facta non eſt abſolutè, ſed conditionatè. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* D.Thomas 2.2.*q.13.art.4.* Sylu. *ibid.* Filliucius *tract.22.n.248.249.* Layman *cit.n.8.* & alij.

D.Thom. Filliuc. Layman.

3. Præceptum ſpei affirmatiuum per ſe obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra ſpem, & exiſtit in periculo deſperationis, niſi muniat ſe actibus ſpei, quia quilibet tenetur ex præcepto ſpei ea media adhibere quæ neceſſaria ſunt ad non deſperandum; ſed medium neceſſarium ad non deſperandum, dum ingruunt tentationes contra ſpem, eſt actus ſpei, ergo. Per accidens obligatur etiam quis ad eliciendos actus ſpei, quando tenetur ſe ad Deum conuertere, & pœnitentiam ſuorum peccatorum agere: cùm enim non poſſit pœnitentiam agere, niſi in ſperando veniam peccatorum, fit vt teneatur veniã ſperare: vel cùm actus charitatis, orationis, &c. in præcepto ſunt, qui ſine præuio actu ſpei exerceri non poſſunt. Quamuis in his caſibus omiſſio ſperandi actus non ſit peccatum diuerſum ab eo cuius cauſa eſt, ideoque in ſacra confeſſione ſpeciatim non explicandum. Sanchez *lib.2.moral.c.33.n.3.* Reginal. *lib.7.n.178.* Filliuc. *tract.12.num.225.* Laym. *cit.c.2.n.2.* Val. 2.2. *diſp.2.* *c.4.punct.1.* Bonac. *tom.2.d.3.q.3.n.3.* Dian. *p.5.tractat.* *14.reſ.106.* & alij.

Sanch. Regin. Fill. Laym. Diana.

4. Præceptum negatiuum ſpei obligat ſemper, & ad ſemper quia nunquam eſt deſperandum vel præſumendum; illud enim eſt commune præceptis negatiuis, vt ſemper, & ad ſemper obligent. Quemadmodum in virtutibus moralibus, duo vitia vni virtuti opponuntur, vnum ſecundùm exceſſum, & alterum ſecundùm defectum, verbi gratia, liberalitati prodigalitas, & auaritia: ſic etiam Spei Theologicæ, ſecundùm exceſſum aduerſatur peccatum præſumptionis, quod duplex eſt: Vnum, ſi quis confidat ſe Dei gratiam, iuſtitiam, aut beatitudinem æternam conſecuturum ex ipſo, aut naturæ ſuæ viribus, cùm tamen id creaturæ facultatem excedat, hæc fuit hæreſis Pelagiana. Alterum eſt, ſi quis ſe remiſſionem peccatorum ſine operibus pœnitentiæ, aut cœleſtem gloriam ſine proprijs meritis ex Dei gratia factis, conſecuturum confidat, & fuit hic error Lutheri. Hæc præſumptio propriè eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, quod Chriſtus ait non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro; qui enim pœnitentiam vel bonorum operum meritum excludit, impedit Deum, quo minus per Spiritum ſanctum ipſi peccata remittat, vel gloriam æternam tribuat. Vide D.Thom.2.2.*q.21.art.1.* Filiuc. *cit. num.259.* Tolet. *lib.7.c.7.num.9.* Sanch. *cit.num.7.* Laym. *cit.num.3.* Azor.1 *p.lib.9.cap.2.q.7.* Nauar. *cap.23.in fine.* Suar.3.*p.tom.4.d.8.ſect.1.nu.19.* & alios.

D.Thom. Tolet. Layman. Azor. Nauar. Suar.

5. Secundùm defectum virtuti ſpei opponitur deſperatio, cùm quis deſperat ſe remiſſionem peccatorum, & gloriam æternam conſecuturum eſſe, ideoque omnem conatum intermittit, hoc peccatum pleniſſimè repugnat ſpei. D.Thom. *cit.q.20.art.3.* Laym. *cit.num.3.* Syluius *cit.* *q.20.* & *21.* Porrò, peccata tum præſumptionis, tum deſperationis, licet venialia eſſe poſſint ob defectum deliberationis, ſicuti, & alia omnia; ſemper tamen mortalia ſunt ex parte materiæ, ſicut & odium Dei, blaſphemia, & ſimilia: Aliquando etiam his peccatis addi poteſt peccatum

hæreſis,

hæreſis, ſi error intellectus intercedat; vt ſi quis credat gratiam habendam ex ſolis proprijs meritis, aut per ſolam Dei miſericordiam. Tolet. *lib.*4.*c.*6.*num.*5. Regin. *lib.*17. *n.*88. Sanch. *c. n.*8

Tol. Reginald. Sanch.

SVPPLEMENTVM.

Spes Theologica.

SVMMARIVM.

1 *Quod ſit obiectum materiale & formale ſpei?*
2 *Quomodo Fides, Spes, Charitas ſint virtutes inter ſe diſtinctæ?*
3 *An ſpes virtus Theologica maneat in beatis?*
4 *In damnatis apud inferos an ſpes reperiatur, an in hæreticis? Et an ſpes per deſperationem tollatur?*
5 *An maneat ſpes in peccatoribus fidelibus, qui non deſperant? An animabus in Purgatorio detentis?*
6 *An de fide ſit dari præceptum ſpei affirmatiuum?*
7 *Si alicui reuelaretur ſua damnatio, an debeat & poſſit adhuc ſperare, & an peccet deſperando?* Refertur variæ ſententiæ.
8 *Tribus modis peccatur contra præceptum ſpei?*
9 *Deſperatio & deſperare quid ſit?*
10 *Deſperatio an ſit peccatum & ſemper?*
11 *An deſperatio quæ oritur ex infidelitate ſit grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei?*
12 *Deſperatio an ſit grauius peccatum quam quoduis eorum, quæ opponuntur virtutibus moralibus?*
13 *Deſperatio an poſſit eſſe vel non eſſe coniuncta cum hæreſi?*
14 *Deſperatio ex quibus radicibus pullulet?*
15 *Præſumptio vt aliquando referatur ad intellectum, aliquando ad voluntatem?*
16 *An præſumptio ſit vitium ſpei contrarium? Et vtra ſit peior Lutherana præſumptio, an Pelagiana?*
17 *An præſumptionis peccatum reperiri poſſit cum hæreſi, & ſine hæreſi?*
18 *Quando præſumptio tollat, & excludat habitum ſpei.*

1 Spei obiectum materiale primarium eſt beatitudo æterna. Secundarium verò, gratia, virtutes, & alia bona opera; imò etiam, & naturalia bona, prout ad beatitudinem conſequendam conducunt. Ratio eſt, quia omnia hæc à Deo ſperamus. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*16. *art.* 2. *in corpor.* & *ad* 2. Valentia 2.2. *diſp.*2. *q.*1. *de ſpe punct.*1. Suarez *tract. de virtute ſpei ſect.*1. & alij. Ideò quia ſperamus præcipuè diuinam beatitudinem, quæ eſt principale obiectum; cætera verò bona, ſiue ſpiritualia, ſiue temporalia, quia ſunt media ad finem, ſcilicet beatitudinem, ob id pertinent ad ſpei ſecundarium obiectum: nam eiuſdem eſt virtutis velle finem, & media neceſſaria.

Valent. Suar.

Difficultas eſt inter Theologos in aſſignando formale obiectum ſpei: Quidam enim exiſtimant formale obiectum ſpei eſſe auxilium omnipotentiæ, & diuinæ poteſtatis, propter quod motus ſpei tendit in bona ſeparata, quæ ſunt materiale obiectum ſpei. Ita Turrianus 2.2. *quæſt.*17. *diſput.*60. *dub.*60. Vaſquez & alij. Probabilius tamen eſt formale ſpei obiectum eſſe Deum, vt ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ, quaſi in commodum amantis; ex quo amore naſcitur deſiderium beatitudinis, bonorum ſpiritualium, & ipſa ſpes. Quod autem omnipotentia diuina non ſit obiectum formale ſpei probatur ex eo, quòd ratio formalis ſub qua voluntas beatitudinem expectat, debet eſſe aliqua ratio boni: diuina autem omnipotentia non eſt expreſſa, & formalis ratio boni, quamuis eam includat. Innititur ergo ſpes diuinæ omnipotentiæ, non ſicut obiecto formali, ſed ſicut rationi ſine qua voluntas non moueretur ad beatitudinem à Deo expectandam; niſi enim Deus eſſet omnipotens, beatitudo æterna non conciperetur vt poſſibilis. Ita Suarez *loco citato diſp.* 1. *ſect.*3. *num.*4. Syluius 2.2. *quæſt.*18. *art.*4. *in fine* Trullench *in decalog. lib.*1. *cap.*4. *dub.*1. *n.*3. Caiet. Sotus apud ipſum.

Suar. Sylu. Trullench

2. Ex communi ſententia Theologorum Fides, Spes, & Charitas ſunt tres virtutes re diuerſæ, & diſtinctæ ex re, materia obiecta, in qua verſantur; actione item, & officio, quod præſtant, & obeunt, ac facultate, cui inſunt. Fides enim in intellectu ſiue ratione ſedem habet. Spes in voluntate; Charitas in voluntate quidem inhæret, ſed eam ſpe affectam requirit, & poſtulat. Fides tendit in Deum vt verum, Charitas in Deum, vt in ſe bonum; Spes verò in Deum, vt nobis bonum. Deinde actus fidei eſt credere, Charitatis amare, & Spei deſiderare, & expectare. Habent autem hæ virtutes hunc ordinem inter ſe videlicet vt fides origine, & cauſa ſit ſpe prior, & anterior: nam non poteſt voluntas ſperare bonum niſi vt cognitum per intellectum, tanquam bonum poſſibile, & per merita diuino ſuppoſito auxilio aſſequendum, ad quam cognitionem prærequiritur fides. Speramus enim bona nobis promiſſa, & noſtris benefactis reddenda; fide verò credimus talia bona eſſe, & nobis à Diuina bonitate gratuito, & liberaliter promiſſa, & ab ea nobis bene merentibus conferenda. Vnde actus fidei poteſt eſſe ſine ſpe, non verò è contra. Præterea ſpes origine, & cauſa prior eſt charitate, quia priùs Deum vt bonum nobis optamus; deinde verò eum propter ipſum diligimus: nec refert, quod Fides, Spes & Charitas ſimul aliquando in animam à Deo infundantur. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.*17. *articul.*6.7. & 8. Syluius *ibidem*, & alij Commentatores. Suarez *loco citato, ſectione* 3. Caſtrus Palaos *de virtute ſpei, tractat.*5. *punct.*1.

Sylu. Suar. Palaus.

3. Spes, quæ eſt virtus Theologica, non manet in beatis; tum quia iam ea, quæ deſiderabant, plenè poſſident: tum quia de ratione ſpei eſt, quod ſit in ea quæ nondum habentur extenſio, vt ſignificauit Apoſtolus ad Roman. 8. dicens quod *ſpes quæ videtur non eſt ſpes*, hoc eſt, quod res quæ iam præſens habetur non habet rationem rei ſperatæ, ideoque nec amplius ſperatur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*18. *art.*2. communiter receptus. Scotus, D. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.*31.

Nec refert, quòd beati adhoc ſibi expectent corporum reſurrectionem, & nobis ſummam beatitudinem. Reſpondet D. Thomas *loco cit. ad* 3. & 4. huiuſmodi actum non eſſe Spei, ſed Charitatis, quo & ſua corpora, & nos ipſos amant. Eodem modo Chriſtus Dominus dum in terris agebat, ſui corporis gloriam exoptabat; nec tamen erat in eo ſpes, virtus nempe Theologica, vt docet D. Thomas *p.*3. *quæſt.*7. *art.*4. quamuis enim Chriſtus habuerit aliquarum rerum ſpem ſecundùm communem rationem ſpei, quæ eſt expectatio boni non habiti, nullius tamen rei habuit Spem Theologicam; quia quæ iam bona non habebat, veluti corporis gloriam, & immortalitatem, nominis celebritatem, & quædam alia; nihil autem cognoſcebat obſcurè, ſed omnia clarè, & propterea non habebat fidem, reſpectu alicuius obiecti.

4. Spes in damnatis apud inferos non reperitur. Ratio eſt, quia in illis ſpei actus per contrarium extinguitur, & deletur: deſperant enim beatitudinem, certi omninò de ſua infœlicitate perpetua. Vnde in eis deſinit Fides, & Spes, vt ſunt habitus, & virtutes: quia Deus eas non amplius conſeruat, & à conſeruatione deſiſtit, quia eas in hac vita infundit, vt earum præſidio credamus & ſperemus æterna bona, quæ poſſumus per Dei gratiam aſſequi. Probatur inſuper ex Scriptura, nam Prouerb. 11. dicitur, quod *mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes*, neque ſcilicet gratiæ, neque gloriæ, neque voluptatum, at aliorum bonorum in quibus ante confidebat. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.*18. *artic.*3. Syluius *ibidem*, & communis.

D Thom. Suar.

In hæreticis verò ſpes non manet, quia ſine vera fide non ſubſiſtit ſpes; vnde ſublato fundamento cætera euelluntur, fides autem quæ eſt fundamentum ſpei non remanet in illis. Nam vt aliquis habeat ſpem Theologicam, oportet quod innitatur auxilio Dei, & medijs ad finem ſperatum proportionatis. Hæreticus verò non innititur veris medijs, ſed ſuæ hæreſi. Tum quia Apoſtolus docet ad Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum*, id

eſt,

Digitized by Google

eſt, fundamentum ſpei: at in hæreticis non eſt fides, ergo nec ſpes. Ita Syluius 2.2.q.18.*art*.3.*quæſit*.2.*concl*.2. Trullench *in decalog.lib*.1.*cap*.4.*dub*.1.*nu*.9. Azor.*tom*.1.*lib*.9. *cap*.1.*quæſt*.11.& communis.

Syluius. Trull. Azor.

Spes etiam per deſperationem hominis excluditur, eijcitur, & tollitur, quia per eam tanquam per actum contrarium expellitur; Sicut videtur tolli per eam præſumptionem qua quis præſumit veniam, & beatitudinem conſequi, aut ſolis ſuis viribus, aut ſola miſericordia abſque vllis bonis, etiam quæ per Dei gratiam fierent operibus; quia talis actus videtur deſtruere modum tendendi in obiectum ſpei, qui eſt vt beatitudo, & æternæ vitæ bona expectentur per auxilium gratiæ Dei, & per merita quæ in nobis operatur Deus. Ita Azor. *loco citato quæſit*. 13.*& cap*.2.*quæſit*.7. Syluius *ſecunda ſecunda quæſ*.21. *artic*.2.*quæſit*.3.*concluſ*.3.& alij.

Azor. Sylu.

5. Manet autem ſpes in peccatoribus fidelibus, qui gratiam per peccatum amiſerunt, non deſperant tamen, neque præſumunt, ſolis ſuis viribus veniam aut gloriam conſequi, vel ſola Dei miſericordia abſque vllis bonis operibus. Ratio eſt, quia certum eſt quod ſicut fides non perditur per quodlibet peccatum mortale, ita nec ſpes. Nam Concilium Tridentinum *ſeſſ*.6. *cap*.6. *& can*.3.*ſeſſ*. 14.*cap*.4. ſpem agnoſcit, imò requirit in peccatoribus, qui ad iuſtificationem ſe diſponunt, & ſpes, quæ charitate caret, quæ informis à Theologis vocatur, eſt ſpeciale Dei donum, quo efficitur, vt quemadmodum nemo abſque ſpeciali Dei auxilio, quod voluntatem præuenit, excitat, mouet, & adiuuat, credere poteſt, ſic etiam per ſolas naturæ vires ſperare nequeamus, quæ ſunt nobis diuinitus promiſſa, niſi gratuito Dei munere excitati, moti & adiuti. Quod clarè ſignificat Concilium Tridentinum *ſeſſ*.6. *can*.3.& Arauſicanum *cap*.6.

Permanet etiam ſpes in iјs, qui poſt obitum ignis Purgatorij pœnas ſuſtinent, donec plenè mundati in cœleſtem hæreditatem admittantur. Ratio eſt, quia apprehendunt beatitudinem vt bonum futurum, poſſibile, & arduum. Tum quia ſpes non euacuatur in iјs qui iuſtitiam retinent, niſi per hoc quòd actu habeant id quod ſperauerunt. Cùm ergo illi qui ſunt in Purgatorio iuſtitiam retineant, nec tamen actu habeant beatitudinem, quam ſperauerunt, dicendum eſt quod ſpes, quam in hac vita habuerunt, non eſt euacuata. Ita de vtriſque docet D. Thomas 2.2. *quæſt*.18. *articul*.3. *in corpor*. communiter receptus.

6. Ex varijs ſcripturæ locis, & communi Theologorum ſententia certum eſt de fide dari præceptum affirmatiuum ſpei. Et id colligunt Doctores ex Pſalm.4. *Sperate in Domino*. Pſalm.16. *Qui ſaluos facis ſperantes in te*. Et 1. ad Thimot.6. *Præcipe non ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo*. Et ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem*, & ex alijs multis. Ratio eſt, quia omnis actus ad ſalutem nobis neceſſarius poſitus eſt ſub præcepto, ſed ſperare in Deo, eſt actus ad ſalutem neceſſarius, iuxta illud ad Roman.8. *Spe ſalui facti ſumus*, ergo actus ſpei cadit ſub præcepto. Proinde Conc. Trident. *ſeſſ*.6.*cap*.6. agens de modo præparationis ad iuſtificationem docet. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuina iuſtitia timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*. Vbi vides quòd ſpes conſtituitur diſpoſitio neceſſaria ad iuſtificationem, & conſequenter ad vitam æternam, quæ ſine iuſtificatione non obtinetur. Vide Syluium 2.2.*quæſt*.22. *art*.1.& alios ibi.

Sylu.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an ſi alicui reuelaretur ſua damnatio, debeat, aut poſſit adhuc ſperare, & an peccet deſperando? Antequam ad dubium reſpondeatur, notandum eſt, Deum de potentia abſoluta poſſe alicui reuelare ſuam damnationem; quia hoc non includit nec inuoluit vllam contradictionem, neque malitiam, & poſſunt eſse Deo rationes id faciendi quas nos neſcimus. Quo poſito, ad quæſitum reſpondet Azorius *tom*.1. *lib*.2.*cap*.21.*quæſit*.3. hunc hominem poſſe, & teneri ſperare. Bannez 2.2.*quæſt*.22.*articul*.1.*verſ. Dubitatur tertiò*. Suarez *de ſpe diſput*.2. *ſect*.7. ſentiunt poſse deſperare negatiuè, id eſt, non teneri ſperare, non verò poſse poſitiuè deſperare. Bonacina autem *tom*.2.*diſp*.3. *quæſt*.3. *punct*.2. *num*.4. Turrianus 2.2.*quæſt*.22.*articul*.1.*dub*.2.& alij abſolutè tenent, nec debere, nec poſse ſperare, & poſse ſine mortali deſperare: quia poſita tali reuelatione, neceſſitate quadam conſequente aſsecutio beatitudinis facta eſt illi impoſſibilis: quia deſtructa eſset formalis ratio obiecti ſpei, quæ eſt beatitudo vt poſſibilis, & aliquando futura. Quorum ſententiæ adhæret Syluius 2.2.*quæſt*.20. *artic*.1. *verſ. Quæritur autem*. Omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles.

Azor. Bannez. Suar.

Bonac. Turrian.

Pro concluſione tamen mihi dicendum eſt cum communiori ſententia, hunc non poſse, nec debere ſperare, quia in tali caſu & poſitis illis conditionibus tali homini eſt impoſſibile ſperare: non poſse tamen propriè & poſitiuè deſperare de miſericordia Dei, quia non neceſſitatur propriè ad deſperandum: ergo poteſt non elicere talem actum; & cum ille actus deſperationis nullam habeat honeſtatem, inde fit vt non poſſit propriè deſperare, & quamuis debeat credere, ſe fore damnandum, ſimul tamen credere debet; non ex defectu miſericordiæ diuinæ, ſed ex ſuo defectu fore damnandum; ergo non poſset propriè deſperare de Deo, licet poſset ſe habere merè negatiuè non ſperando. Tamen ille nihilominus deberet euitare omnia peccata, & ſingula præcepta, præterquam ſpei, ſeruare; quia ſicut præſcientia non imponit neceſſitatem, ita nec reuelatio. Cæterum quamuis abſolutè, & ſimpliciter poſſit alicui ſuam condemnationem reuelare, nihilominus tamen hæ reuelationes ſunt conditionales, & comminatoriæ, & ſic regulariter ſunt intelligendæ, quod eſt magis conſentaneum prouidentiæ, & ſapientiæ Dei, vt notant D. Thomas *q*. 23.*de verit.art*.8.*ad* 2.& poſt illum Suar. Turrian. Syluius *locis citatis*.

8. Tribus modis peccatur contra præceptum ſpei. *Primò* non ſperando, quando oportet. *Secundò* deſperando. *Tertiò* præſumendo. Probando, quia quodlibet præceptum duobus modis poteſt violari, vel omittendo quod præcipit, vel committendo quod fieri vetat: Commiſſio autem dupliciter fit, aut exercendo medium virtutis quæ præcipitur, aut deficiendo à medio. Vnde fit vt contra ſpem peccetur, *Primò* non ſperando quando præceptum vrget. *Secundò* excedendo ſpem per præſumptionem. *Tertiò* deficiendo à ſpe per deſperationem. Ita communiter Doctores, poſt D. Thom. 2.2.*quæſt*.20.*&* 21.

D. Thom.

9. Deſperatio eſt motus quidam appetitus ſenſitiui auertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: hic autem ſumitur pro motu voluntatis repudiantis ſummum ſuum bonum, præſuppoſito iudicio, quod illud de facto non obtinebit. Proinde deſperare eſt nolle ampliùs conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, eo quòd exiſtimetur, impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, vt non putetur obuentura.

Explicatur, & probatur, ſpes enim, & deſperatio verſantur circa bonum, abſens, arduum, poſſibile, hæc refugiendo, illa proſequendo: ſicut igitur ſpes Theologica eſt tendentia quædam voluntatis in vltimum finem per media accommodata, ſuppoſito iudicio, quòd illum probabiliter obtinebit, ita deſperatio huic contraria, eſt fuga quædam à ſummo bono, & medijs ad id obtinendum neceſſarijs, cum opinione quadam, illud de facto non obuenturum. Quemadmodum igitur ſpei fundamentum eſt hoc iudicium, ego veriſimiliter ſaluabor, atq; adeo infallibiliter ſaluabor, ſi gratiæ Dei fuero cooperatus, ita deſperationis cauſa, & fundamentum eſt hoc iudicium: impoſſibile eſt me ſaluari, vel certè nimis difficile, vt non putem euenturum. Poſitio tamen tali iudicio intellectus, non neceſſariò ſequitur deſperatio in voluntate, qui voluntas non neceſſitatur à tali iudicio, atque ita manent libera, & non neceſſariò deſperat: vnde licet aliquis iudicaret ſe non ſaluandum à Deo, poſſet nihilominus dicere: nolo deſperare, ſed faciam quod poſſum.

Hæc

Digitized by Google

D. Thom. Hæc colliguntur ex doctrina D. Thom. 2.2. *quæſt.* 20. *articulo* 1. & Doctorum in hunc articulum.

10. Deſperatio eſt peccatum. Ratio eſt, quia complectitur duos motus inordinatos, vnum intellectus, nempe imprudens iudicium, de impoſſibilitate, aut difficultate ſalutis; alterum voluntatis, videlicet, auerſionem à ſummo bono, & medijs ad illud obtinendum accommodatis. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 1. & alij communiter.

An autem ſemper ſit peccatum? *Reſp.* ſemper eſſe, ſi ſpectemus legem ordinariam Dei: nam ſi extra ordinem alicui reuelaretur ſua damnatio, aut peccatum in quod eſſet lapſurus, & moriturus, diximus ſuprà *num* 7. an hic poſſet licitè deſperare. Sed quoniam hæc non fiunt, aut ſi fiant, credendum eſt potiùs eſſe prophetias comminatorias, & conditionatas, quàm abſolutam prædictionem. Proinde tales, qui huiuſmodi deſperationibus aliquando agitantur, admonendi ſunt, vt ſequantur conſilium D. Petri in Epiſtol. 2. cap. 1. *Fratres magis ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

11. Deſperatio, quæ oritur ex infidelitate, eſt grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei. Probatur, quia excellentiſſima virtus viatoris præter charitatem, eſt ſpes æternæ beatitudinis, ergo vitium directè, & completè oppoſitum eſt maximum vitiorum, eo excepto, quod charitati aduerſatur. Maximum enim omnium peccatorum eſt odium Dei; ſecundum hæreſis, & tertium deſperatio. Ratio eſt, quia odium Dei, & infidelitas ſunt contra Deum, ſecundùm quod in ſe eſt bonus, aut verus; Deſperatio verò ſecundùm quod eius bonum participatur à nobis. Hæc autem deſperatio ex parte noſtra eſt valde periculoſior, quia per ſpem reuocamur à malis, & inducimur ad bona; at ſublata ſpe abſque fræno homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. Tum quia qui deſperant, omnibus vitijs ſeſe dedunt, vt ſaltem in hoc mundo poſſint gaudere, & voluptatibus frui: nihil enim eſt quod eos auertat à malo, non timor, non amor, non præmia, non ſupplicia, quod pulchrè expreſſit Apoſtolus ad Epheſios 4. *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt, impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Itaque ratione huius periculi, poſſet videri grauior infidelitate, tametſi, ſecundùm ſe ſit leuior. D. Thom. 2.2. *quæſt.* 20. *art.* 1. & alij.

12. Deſperatio ex genere ſuo grauius eſt peccatum, quàm quoduis eorum quæ opponuntur virtutibus moralibus. Ratio eſt, quia directiùs auertit à Deo: ſicut enim ſpes tendit immediatè in Deum, vt ſummum bonum, ita deſperatio directè recedit à Deo nolens ad illum conari. Itaque auerſio illa eſt directè volita in deſperatione, in vitijs autem contra virtutes morales, tantùm interpretatiuè: cenſemur enim per illa à Deo auerti, quatenus volumus aliquid quod Deus prohibuit, vel nolumus quod imperauit. Eſt tamen deſperatio minus peccatum quàm infidelitas, quia qui deſperat ſine infidelitate, non infert tantam iniuriam Diuinæ Maieſtati, quàm qui labitur in infidelitatem: hic enim dum negat quæ Deus reuelauit, & ſufficienter propoſuit, mendacem facit eum, iuxta illud 1. *Ioannis* 5. Ille verò non negat diuinam potentiam, aut miſericordiam, aut promiſſionem, ſed difficultate rei deterritus, non vult conari, & laborare ad aſſequendum ſuum finem. **D. Thom. Syluius.** D. Thomas 2.2. *quæſt.* 20. *artic.* 3. Syluius *ibidem*, & alij.

13. Deſperatio poteſt eſſe coniuncta cum hæreſi, & poteſt eſſe ſine hæreſi, & infidelitate. D. Thomas *loco citato art.* 2. & ibi Bannez, Valentia, Turrianus, & communiter Doctores. Ratio eſt, quia poteſt contingere eum, qui errat in particulari iudicio practico, æſtimans quòd Deus non peccet, vel eum ad beatitudinem non perducet, non errare in vniuerſali, ac proinde non iudicare quod vel remiſſio peccatorum, vel æternæ ſalutis conſecutio ſit impoſſibilis. Sicut fornicans non iudicat ſibi hanc fornicationem licere, quod eſſet hæreticum, ſed tantùm illam amplectitur, tanquam iucundam, aut ad alios fines ſibi vtilem. Tunc autem deſperatio coniuncta eſt cum hæreſi, quando deſperans habet hoc iudicium illi aſſentiens: Deus non poteſt mihi parcere, aut non parcet, etiamſi me diſpoſuero vt decet aut conſequi gratiam, aut gloriam eſt mihi impoſſibile; quia hæc iudicia ſunt contra fidem, aut proinde taliter deſperans eſt iudicandus hæreticus excommunicatus, & erit tunc duplex malitia ſpecie diſtincta, ac confitenda, altera hæreſis, altera deſperationis.

Notandum tamen eſt, quòd in deſperante non eſt opus hoc iudicio, Deus mihi non poteſt parcere, aut non parcet, ſi me debitè diſpoſuero: ſed ſatis eſt hoc iudicium, nunquam me diſponam, nunquam benè agam, nunquam mihi parcet Deus. Quæ iudicia cùm de ſolo facto ſint, non ſunt hæretica, vt benè aduertunt Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 33. *num.* 6. Tolet. *lib.* 4. *Sum. cap.* 7. *num.* 9. Caſtrus **Sanch. Tolet.** Palaus *de virtute ſpei tractat.* 5. *diſput. vnic. punct.* 5. & **Palaus** alij.

14. Deſperatio multas radices habet, ex quibus pullulat. *Primò*, eſt acedia, qua quis tædio rerum diuinarum affectus, non vult adhibere media à Deo præſcripta ad obtinendam ſalutem. *Secundò*, eſt imprudens iudicium, quòd non ſit de numero prædeſtinatorum, aut quod non conſequetur veniam peccatorum, quod ſæpe ex melancholia, & cerebri læſione contingit. *Tertiò*, eſt experientia frequentis lapſus, quando quis aduertit ſe crebro cadere, & ægrè abſtinere à peccato, vnde concipit tedium pugnandi aduerſus tentationes, aut ita ſe videt intricatum, vt putet quaſi impoſsibile ſe expedire: quod ijs maximè contingit, qui diuitias, honores, magnos ſtatus illicitè acquiſiuerunt. *Quartò*, eſt magna aliqua aduerſitas temporalis, aut ſpiritualis, cuius magnitudine aliqui oppreſsi, aut manus violentas ſibi inferunt, aut alia quædam impia aggrediuntur. *Quintò*, ſunt voluptates carnis, quibus fit, vt animus planè carnalis effectus non poſsit æſtimare dignitatem rerum cœleſtium, & ſic nolit pro illis laborare. Has omnes cauſas, & radices deſperationis reducit D. Thom. *quæſt.* 20. *art.* 4. ad Acediam & Luxuriam.

15. Præſumptio variè vſurpatur; nam aliquando refertur ad intellectum, aliquando ad voluntatem. Cùm refertur ad intellectum, ſignificat coniecturam vel iudicium de alicuius intentione aut facto, ex ſignis quibuſdam exterioribus. Cùm refertur ad voluntatem; ſignificat motum quendam appetitus rationalis, quo quis ſe extendit ad aliquid quod eſt ſuprà ipſius poteſtatem: poteſtas autem, aut iuris eſt, aut executionis: Cùm ergo aliquis extendit ſe vltra poteſtatem iuris, non erit vitium ſpeciale, ſed circumſtantia pertinens ad quendam contemptum legis, quam quis ſciens, & volens ſine vi, & metu tranſgreditur. Vnde ſunt illi in legibus Eccleſiaſticis, *Si quis hoc facere præſumpſerit, ne quis audeat hoc attentare, &c.* Quod ſi quis ſe extendat vltra poteſtatem executiuam, erit aliud genus præſumptionis, quod in materia cuiuſvis virtutis locum habere poteſt: videtur enim propriè illud eſſe vitium, quod virtuti opponitur per exceſſum, v.g. cùm quis vult ſtrictiùs ieiunare, quàm vires ferant; maiora pericula aggredi, maiores honores appetere, &c. De qua Syluius *ſecunda ſecunda quæſtion.* 21. *art.* 1. & alij.

16. Præſumptio ſtrictè ſumpta, eſt vitium ſpei contrarium, quo inordinatè nititur Deo, aut viribus creatis. Ratio eſt, quia mediocritas ſpei conſiſtit in hoc, vt primariò nitamur auxilio diuino, ſecundariò adhibeamus noſtram induſtriam, & cooperationem: cùm igitur quis non expectat à Deo auxilium ſufficiens, vel non conatur Deo cooperari ad ſuam ſalutem propter tædium, puſillanimitatem, & alias cauſas antea dictas, peccat contra ſpem per defectum, quia non attingit eius mediocritatem. At verò qui vel ſe ſolo nititur, vel ſolo Deo, excluſa ſua cooperatione peccat contra ſpem per exceſſum, quia mediocritatem eius tranſgreditur. Prius illud vitium pertinet ad deſperationem, hoc poſterius ad præſumptionem. Hæc præſumptio, vt opponitur ſpei, eſt peccatum, quia nititur falſo iudicio, tum quia infert grauem iniuriam gratiæ Chriſti, ſi nitatur proprijs viribus, quod faciebant Pelagiani: periculum verò grauiſſimum adfert, ſi nitatur ſolo Deo, excluſis operibus bonis, ſicut hodie faciunt Lutherani. D. Thomas *quæſtion.* 21. *artic.* 1. & 2.

Sed

Sed petes, vtra ſit peior Lutherana præſumptio, an Pelagiana? D. Thomas *q.* 21. *art.* 1. *ad* 1. dicit illam eſſe grauiorem, quæ inordinatè nititur Deo, quia magis, inquit, peccat, qui diuinam virtutem minuit, quàm qui ſuam extollit. Sed dicendum videtur habere ſe vt excedens, & exceſſum: nam Pelagiana præſumptio maiorem Chriſto infert iniuriam, quam Lutherana, cùm tollat neceſſitatem gratiæ, & meritum Chriſti eneruet. Lutherana autem eſt periculoſior, quia omnibus peccatis latiſſimam aperit feneſtram cum Pelagiana potius compellat ad exercitium virtutis, vt experientia in vtraque ſecta docuit & docet.

17. Præſumptionis peccatum reperiri poteſt cum hæreſi, & ſic hæreſis tunc præſumptio eſt ſimul cum hæreſi, & per conſequens cum duplici culpa, quando eſt error in intellectu, quo quis crederet beatitudinem abſque pœnitentia, & meritis obtinendam, vel ſolis proprijs operibus, abſque Dei gratia. At ad præſumptionis peccatum non eſt neceſſarium id indicium actu exiſtere, ſed ſufficit, vt ita tendat quis in ſalutem æternam voluntate ſua, ac ſi poſſet abſque operibus obtineri, aut ſolis illis abſque Dei gratia. Item ſi quis diu in peccatis perſeuerans, tam facilem, & tam certam ſperat veniam, ac ſi nihil peccaret. Ita Valentia 2.2. *diſput.* 2. *q.* 3. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 33. *num.* 8. Nihilominus tamen hoc peccatum vix poteſt eſſe abſque hæreſi; quare diligenter aduertant Confeſſarij & diſcutiant conſcientiam præſumptuoſi, & videant an præſumptio admixta ſit cum hæreſi, quam ſi admixtam habeat, iudicent de eo, ſicut de hæretico, vt notat Suarez *loco citato de ſpe ſect.* 3. *num.* 2. Villalobos 2. *part. tract.* 2. *diffic.* 3. Trullench *in decalog. lib.* 1. *c.* 4. *dub.* 3. *num.* 8.

Valent. Sanch.

18. Præſumptio quæ tollit fundamentum ſperandi excludit habitum ſpei; quæ autem tantùm in modo peccat poteſt cum virtute ſpei conſiſtere. Probatur prior pars, quia talis præſumptio, vt eſt Lutherana, & Pelagiana euertit fidem, quam ſpes noſtra præſupponit. Tum quia modus talis præſumptionis tendit contraria quadam via in obiectum ſperandum, vnde fieri non poteſt vt conſiſtat cum ſpe, quia homo redditur tunc ineptus, & indiſpoſitus ad ſperandum; & hæc præſumptio eſſe non poteſt ſine infidelitate, niſi quis credat Deum vſurum circa ſe priuilegio, vt ſine pœnitentia obtineat remiſſionem peccatorum, & ſine meritis vitam æternam. Probatur poſterior pars, quia talis præſumptio non euertit omninò veram rationem ſperandi, & vera media, ſed tantùm labefactat: qualis interdum ſolet eſſe in magnis peccatoribus, qui nolentes mutare vitam, nihilominus ſecurè expectant ſalutem, pollicentes ſibi finalem pœnitentiam; quod quamuis fieri poſſit, & interdum fiat, atque ideò ſperari poſſit aliquo modo, eſt tamen temerarium, & præſumptuoſum certò hoc expectare. Ita Turrianus *in* 2.2. *quæſt.* 21. *artic.* 2. Trullench. *loco cit. num.* 9. Syluius *ibidem quæſt.* 2. *concluſ.* 1. 2. *&* 3. & alij.

Turrian. Trullench. Syluius.

Plura, quæ de ſpe ſpeculatiuè diſputantur adduci poſſent, ſed de his vide Suarez *tract. de ſpe diſp.* 1. *per totum* & Caſtrum Palaum *de virtute ſpei tract.* 5. & alios, nam noſtri inſtituti eſt ſolùm attingere ea, quæ ad mores ſpectant.

Suar.

De præſumptione Vide *ſupra verb. Præſumptio num.* 9. *&* 10.

SPOLIVM

Eccleſiaſticum.

SVMMARIVM.

1 *Spolium Eccleſiaſticum quid ſit?*
2 *Spolia clericorum cui debebantur iure antiquo, & cui modo in vim Conſtitutionum Apoſtolicarum debeantur? An vſus ſpoliorum vigeat in Germania, Gallia, Polonia, Belgio, Italia, Hiſpania?*
3 *An bona patrimonialia vel clericorum ſpolio Eccleſiaſtico ſint ſubiecta? Et quæ dicantur bona quaſi patrimonialia?*
4 *Ad quem pertineant bona, quæ clericus ex patrimonio, vel arte vel induſtria relinquit, nullo relicto hærede intra decimum gradum?*
5 *An qui beneficium habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis, ſit ſpoliandus?*
6 *Quando ſpolio Eccleſiaſtico debeatur id quod ſupereſt ex reditibus beneficij tempore mortis beneficiarij.*
7 *An comparata & empta ex reditibus beneficij non neceſſarijs ad congruam ſuſtentationem, ſint exempta ab onere ſpoliorum.*
8 *An penſionarius ſit exceptus à ſpolio.*
9 *An ſub ſpolium cadant vtenſilia domeſtica, & Ornamenta ad diuinum cultum pertinentia, relicta poſt mortem beneficiarij.*
10 *An bona religioſorum, qui egrediuntur vel eijciuntur, vel ad alium ordinem tranſeunt, pro ſpolijs habeantur, & ad fiſcum Pontificis pertineant.*
11 *An acquiſita negotiatione illicita, aut alio modo per ſacros Canones prohibito, ſpolio ſubijciantur.*
12 *An ſpolium debeatur ante ſententiam iudicij.*
13 *Quæ ſint cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum.*

1 SPolium Eccleſiaſticum eſt, quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortem ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius nec ex teſtamento pertinet, nec ab inteſtato. Bonorum autem nomine generatim accipiuntur bona tum mobilia vel ſe mouentia, tum immobilia: iura item, & actiones, & corpora, quocumque nomine cenſeantur: hæc enim omnia generali bonorum vocabulo comprehenduntur, *l. Bonorum, ff. de verbor. ſignificat.* Nomine Eccleſiaſticę perſonæ, comprehenduntur bona quorumuis Monachorum, Religioſorum, etiam eorum, qui conuerſi, vel Donati dicuntur, denium quorumcumque, qui Eccleſiaſticæ perſonæ in iure Canonico cenſentur, & priuilegio fori gaudent ratione ſtatus. Horum omnium bona ad Cameram Apoſtolicam acquiruntur. Ita Nauarus *de ſpolijs* §. 2. Redoanus *de ſpolijs quæſt.* 1. *n.* 7. Azorius *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 2. Fillucius *tract.* 43. *cap.* 1. *q.* 1. & alij.

Nauar. Redoanus Fill.

2. Olim iuxta veteres Eccleſiæ Canones bona clericorum poſt obitum relicta debebantur Eccleſiæ vel ſucceſſori: modò tamen tanquam debita ad Fiſcum Pontificium ſpectant: quia quemadmodum olim Canones, & iura voluerunt, vt ea bona Eccleſiæ vel ſucceſſori reſeruarentur, ita Conſtitutiones etiam Apoſtolicæ ſanxerunt, vt Fiſco Pontificio illa reſeruentur, & debeantur, vnde Curiæ & Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus ſubueniri poſſit. Et quanquam ante Paulum III. nullæ Conſtitutiones Pontificiæ extent de ſpolijs Clericorum Papæ reſeruatis: credendum eſt tamen multò ante Pauli III. ætatem huiuſmodi ſpolia, a Romanis Pontificibus per Collectores ſuos percipi conſueuiſſe. Nec mirum videtur, ſi ius Canonicum nihil de ſpolijs iſtis vſpiam inſinuauerit: nam ea paulatim ipſo vſu Romano Pontifici reſeruari cœperunt: antea enim vel futuro ſucceſſori ſeruabantur, vel certè in vtilitatem Eccleſiæ conuertebantur.

Nec dubitandum eſt, optimo de iure Pontificem id facere potuiſſe. Quia penes eum eſt plena, & libera beneficiorum adminiſtratio, vt habetur *in cap. licet, de præbend. in* 6. ſed adminiſtratoris eſt, bona in domini ſui vtilitatem diſpenſare: ergo potuit, & poteſt Papa ex beneficiorum fructibus aliqua ſibi ſeruare. Tum quia Romanus Pontifex iuſtis de cauſis poteſt eos Canones, & iura mutare, & quæ futuro ſucceſſori, vel Eccleſiæ ex beneficio clericorum debeantur, ſibi reſeruare. Ita Redoanus *de ſpol. Eccleſiaſt. q.* 1. Azorius *loco cit. quæſt.* 3. *&* 4. & alij.

Redoanus Azor.

Aduertendum eſt, *Primo* antequam de ſpolijs his Eccleſiaſticorum quidquam dicamus, quod in tota Germania, Gallia, Luſitania, Belgio vſu receptum ſit, vt nulla beneficiariorum, etiam Epiſcoporum, bona tanquam ſpolia, ad Cameram Apoſtolicam pertineant. In regno verò Caſtellæ in Hiſpania, ſola Epiſcoporum ſpolia, Papæ ſoluun-

ſoluuntur aliorum verò Beneficiariorum non item. In Italia verò, tum Epiſcoporum, tum aliorum quorumlibet beneficiatorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ debentur. Vt teſtatur Nauarrus *de ſpolijs clericor.* §.14.

Nauar.

Aduert *Secundo*, quod ſpolium originem trahit à verbo *ſpolio*, & ſignificat id, quo quis exuitur, vel priuatur violenter, aut voluntariè, vt bene Nauarrus *loco citato* §.*primo*, *numero ſecundo*, frequentiùs tamen adhibetur ad ſignificandam violentam priuationem, iuxta titulum *de reſtitut. ſpoliato*.

Nauar.

3. Bona patrimonialia clericorum ſpolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubiecta, vt colligitur ex Conſtitutionibus Pauli III. Pij IV. & Pij V. quorum verba refert, & expendit Nauarrus *de ſpolijs* §.5.*& ſequentibus*, quia ſpolia Eccleſiaſtica ſunt ex bonis, quæ non debentur hæredibus, ſed patrimonialia Eccleſiaſticorum hæredibus illorum debentur, ergo. Patrimonialia autem bona dicuntur; quæ propriè à parentibus proueniunt, vel quæ ex conſanguineorum morte ſiue per teſtamentum, ſiue ab inteſtato capiuntur.

De bonis etiam quaſi patrimonialibus ſpolia non fiunt; quæ licet per hæreditariam ſucceſſionem non acquirantur, cadunt tamen ſub liberum, & abſolutum dominium acquirentis, ac ſi eſſent bona patrimonialia. Huiuſmodi autem ſunt bona, quæ opera, & induſtria beneficiarij acquiruntur, & quibus beneficiarius indiget ad congruam ſuſtentationem. Hinc quæ clericus proprio labore, & induſtria acquiſiuit, vt exercendo officium Magiſtri Cantoris, Secretarij, Confeſſarij, concionatoris, Sacriſtæ, Sculptoris, Pictoris, & ſimilium, inter bona quaſi patrimonialia connumerantur. Idem dicendum de acquiſitis pro celebratione Miſſarum; & de ijs, quæ clerico donata vel relicta fuerunt ab amico titulo amicitiæ, vel affinitatis, vel conſanguinitatis; hæc enim cenſentur bona quaſi patrimonialia, & donata intuitu perſonæ, niſi aliud expreſſum fuerit. Item diſtributiones, quæ Canonicis choro interuenientibus conferuntur, non cadunt ſub ſpolium, quia ſunt bona quaſi patrimonialia: etiam ſi beneficium careat præbenda, & totum in diſtributionibus conſiſtat: quia rationem habent mercedis, & ſtipendij. De his Redoanus *de ſpolijs Eccleſiaſt. quæſt.*8. *num.*55. Azorius *parte* 2. *libro* 8. *capite* 3 *quæſt.*9.10.*&* 11. Bonacina *de contract. diſput.*3. *quæſt. vlt. punct.*2.§.1.*num.*2.*&* 3. Filliucios *tractat.* 43.*capite* 3.*quæſt.*1.2.3.*&* 4.*& ſequentibus*, Couarruuias *de teſtament. capite primo*, *numero tertio*, *& libro* 3.*variar. cap.*13.

Redoanus
Azor.
Bonac.
Fill.
Couar.

4. Bona, quæ clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtria comparata relinquit, nullo prorſus hærede relicto intra decimum gradum, iure communi acquiruntur Eccleſiæ, vt colligitur *ex cap. vlt.*12. *quæſt.*5. vbi ſunt hæc verba; *Quicumque ex gradu Eccleſiaſtico ſine teſtamento, & ſine cognatione deceſſerit, hæreditas eius ad Eccleſiam, vbi deſeruiuit, deuoluatur*. Idem ſtatuitur *in l. ſi quis presbyter*, *Cod. de Epiſcop. & cleric.* Si autem clericus nulli erat Eccleſiæ adſcriptus, bona eius ad Epiſcopum deuenient, de quibus ſtatuet coram Deo, quod pium eſſe crediderit. Panormitanus *in cap.*1.*de ſucceſſ. ab inteſtat.* Et quia in locum Eccleſiæ Fiſcus Pontificius ſeu Camera Apoſtolica ſuffecta & ſubrogata eſt, ſequitur vt in his bonis tanquam ſpolijs ſuccedat, aut ſuccedere meritò poſſit in locis vbi ſpoliorum vſus inualuit, vt tradunt communiter Doctores, teſte Bonacina *loco citato num.*3.

Panorm.
Bonac.

5. Qui beneficium tenue habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario, non videtur ſpoliandus: quia fructus reſpondentes congruæ ſuſtentationi numerantur inter bona quaſi patrimonialia, quorum beneficiarius liberum habet dominium. Proinde Pius V. anno 1567. ad tollendam litigandi occaſionem, decreuit, vt habentes beneficia, vel penſiones, non excedentes valorem triginta ducatorum aureorum, non teneantur ad ſpolia Eccleſiaſtica: quia hi fructus, neceſſarij fiunt quaſi bona patrimonialia. Ita Nauarrus *de ſpolijs*, §.1. *num.*5.*&* §.8. *num.*7. Sopranus *tract.*43.*cap.*3. *quæſt.*10. Filliucius *tract.*43. *cap.*3. *num.*10. & alij communiter.

Nauarr.
Sopranus
Filliuc.

6. Quod ſupereſt ex reditibus beneficij tempore mortis beneficij, ſpolio Eccleſiaſtico debetur: quod tamen limitandum eſt, niſi beneficiarius decedens teſtari poſſit, vel ex priuilegio, vel legitima, & præſcripta conſuetudine, quæ priuilegio æquiparetur. Tamen ea, quæ quis à beneficiario viuente accepit, non computantur inter ſpolia: quia beneficiarius fructus beneficij validè alienat, tanquam illorum verus dominus, vnde ſic alienati non pertinent ad ipſum tempore mortis, & conſequenter inter ſpolia non computantur. Nauarrus *loco cit.*§.8. Filliucius *loco cit. c.*4.*n.*8.

Nauar.
Fill.

7. Comparata, & empta ex reditibus beneficij non neceſſarijs ad congruam ſuſtentationem, non ſunt bona ab onere ſpoliorum exempta, ſi beneficiarius ante mortem de illis irreuocabiliter non diſpoſuit: quia hæc bona non cenſentur quaſi patrimonialia. Ita Couarruuias *de teſtam. cap.*1. Nauarrus *de ſpolijs*, §.8. & alij Si tamen hæc bona ante mortem donata fuerint, ſpolia non fiunt: quia quod ex reditibus beneficij eſt comparatum, & donatum fuit, non ſpectat ampliùs ad beneficiarium tempore mortis: ſed ſpolium tantùm poteſt illud eſſe, quod ad clericum tunc ſpectat. Ita poſt Nauarrum *loco citat.* Filliucius *tractat.*42.*cap.*4.*num.*9.

Couar.
Nauar.

8. Penſionarius hoc ipſo quòd penſionarius eſt, non eſt exceptus à ſpolio. Ratio eſt, quia ſpolium fit ex reditibus Eccleſiaſticis, penſiones autem ſunt reditus Eccleſiaſtici, cùm ſint fructus beneficij. Tum quia hoc intelligitur manifeſte ex conſtitutione Pij V. in qua punit collectores ſpoliorum, qui ea faciunt in penſionario, aut beneficiario, quorum beneficium aut penſio valorem annum non excedit triginta ducatorum: æquiparat ergo Pontifex quoad ius ſpolij faciendi abſolutè loquendo penſiones, & beneficia: & ſupponit ſpolium fieri poſſe, dum penſio excedit trigenta ducatos: tum quia ſic expreſſe ſancitum eſt in Bulla Vrbani VIII Ita Nauarrus *de ſpolijs* §.8.*n.*8. Molina *de iuſtit. tr.*2.*diſp.*145. Filliuc. *tract.*43.*cap.*4.*num.*19. Bonacina *de contract. diſput.*3.*quæſt. vlt. punct.*2.§.1.*num.*6.& communis.

Vrb. VIII.
Nauar.
Molin.
Fill.
Bonac.

9. Ex conſtitutione Pij V. non cadunt ſub ſpolium vtenſilia domeſtica relicta poſt mortem beneficiarij, ſed pertinent ad illum, cui relicta fuerunt, vel qui ſuccedit ab inteſtato; vt ſunt ſcamna, cathedræ arcæ menſæ ligneæ lapideæ vel marmoreæ, dolia, & ſimilia ſupellectilia domeſtica: etiamſi ex fructibus, & prouentibus beneficiorum, acquiſita fuerint. Ornamenta autem omnia, & ſingula, & paramenta ac vaſa nec non Miſſalia, & Gradualia, ac cantus firmi, & muſici, alijque quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res ſacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona ad vſum, & cultum diuinum, etiam in priuatis beneficiarij ædibus, & Capellis vel Oratorijs deſtinata, etiam nomine ſpoliorum non veniunt, ſed Eccleſiæ, vel Monaſterio in quo habet beneficium vel habuit, debeantur, etiamſi illud poſtea renuntiauerit. Ita Pius V. cuius Bullam explicat Nauarrus *de ſpolijs* §.8.*num.*2.*&* 3. Ex qua colligitur clericum ſæcularem, qui nullum habet beneficium aut reditus Eccleſiaſticos, aut nullam Eccleſiam cui inſeruiuit; ſi relinquat ſupellectilem ſacram pro ſacello, non comprehendi hac conſtitutione, quia expreſsè tantùm mentio fit de beneficiarijs, qui habent Eccleſiam. Regularis autem beneficiarius ſemper hac conſtitutione tenetur, quia ſemper habet Monaſterium vel Religionem cui aſcriptus eſt. De quiqua Azorius *p.*2.*lib.*8. *c.*3.*q.*6.*&* 7. Filliuc. *tr.*43.*c.*6.*q.*3.& *c.*6.*q.*8. Bonacina *loco citat. n.*9.

Pius V.
Nauar.
Azor.
Fill.
Bonac.

10. Iuxta Conſtitutionem Pauli IV. quæ incipit, *Poſtquam diuina* bona religioſorum, qui egrediuntur, vel eijciuntur, vel ad alium Ordinem tranſeunt, vel etiam ſuorum Superiorum conſenſu extra Cœnobia, & clauſtra commorantur, vndecumque, vel quomodocumque fuerint acquiſita, ſiue ex teſtamento, ſiue ex beneficijs, ſiue induſtria, arte, mercatura, negotiatione, ſiue aliorum donatione, ipſis Monaſterijs debeantur, in quibus illi primò profeſſionẽ emiſerunt. Sed quia ea cõſtitutio vſu recepta non fuit, ideò Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Officij noſtri* conſtituit vt id ſeruaretur, quod longè ante Pauli IV. tempora ſeruari cæptum erat, videlicet, vt hæc religioſorum bona pro ſpolijs haberentur, & ad Fiſcum Pontificis perti-

Paulus IV.
Greg. XIII
Pauli IV.

tine.

Digitized by Google

tinerent. Vbi tamen ſpoliorum vſus non eſt, ſeruanda eſſet Conſtitutio Pauli IV. vt pote conformis iuri communi, quod ſtatuit bona religioſorum ad Monaſteria, in quibus primò fuerant religione profeſſi, ſpectare, *cap. cum olim, 2. de priuilegijs*, Authent. *ingreſſi, de ſacroſanct. Eccleſijs*, Præſertim ſi talis regularis decedat in Curia, tunc enim ipſius bona à Camera Apoſtolica non capiuntur, ſed illi cedunt, cui iure communi debentur ab inteſtato, nempe Monaſterio: Nam Pius V. ſtatuit, vt bona commorantium in Curia non acquirantur Cameræ Apoſtolicæ. Limitatur tamen præfata propoſitio, niſi Religioſus ſpeciale priuilegium teſtandi habeat: tunc enim ipſius bona alijs relicta per teſtamentum non acquiruntur Cameræ, vt expreſsè dicitur in Bulla Gregorij XIII. citata, ibi, *niſi ijdem ſufficienter fuerint, teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti*. Præterea limitatur, in inſtrumentis ſacris deſtinatis ad diuinum cultum: hæc enim pertinent ad Monaſterium ſeu Religionem, vt dictum eſt numero præcedenti, ex Bulla Pij V.

Paulus IV.

11. Spolio ſubijciuntur acquiſita negotiatione illicita aut alio modo per ſacros Canones prohibito. Ita ſtatuit Pius V. in Bulla edita anno 1567. tertio Kalendas Septembris, quod idem decreuerat Pius IV. anno 1560. Et hoc verum etiamſi Clericus tam ſæcularis, quàm regularis cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, habuerit facultatem teſtandi; nam facultas teſtandi non extenditur ad ea, quæ ſunt acquiſita illicita negotiatione, vt dicitur in Bulla Pij IV. De quo multa habent Azorius *p. 2. lib. 8. cap. 2.* Bonac. *de contract. diſp. 3. quæſt. vlt. punct. 2. §. 2.* Filliucius *tract. 43. cap. 4. quæſ. 14.* Nauarrus *de ſpolijs. §. 7.* & alij.

Bonac. Filliuc. Nauar.

12. Spolium debetur ante ſententiam Iudicis, quia leges ſpoliorum ſunt diſpoſitiuæ in ſubſidium Cameræ Apoſtolicæ: nam Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus hæc bona Papæ reſeruantur, in hunc modum habent: *Declaramus, vel decernimus hæc ſpolia ad Cameram Apoſtolicam ſpectaſſe, & ſpectare*. Item ſic: *Incorporamus ea, appropriamus, applicamus, illaque applicata, appropriata & incorporata fore eſſe ſtatuimus*. Hæc autem verba continent ſententiam ipſo iure latam, non ferendam. Nec obſtat, quòd ſpolia videantur impoſita in pœnam, quæ non debet executioni mandari ante ſententiam Iudicis. Quidquid ſit de hoc, falſum eſt ſpolia eſſe inſtituta in pœnam, quia aliàs ſequeretur ſpolium fieri non poſſe, niſi ob delictum defuncti Clerici, quod non eſt admittendum. Tum quia fiſcus ſubrogatus eſt in locum Eccleſiæ, vel ſucceſſoris; vnde, ſicut huiuſmodi bona debebantur Eccleſiæ, vel ſucceſſori iure antiquo, ante ſententiam ita etiam modò debentur fiſco Apoſtolico. An autem priùs hæc ſpolia ſolui debeant, quàm à Collectoribus repetantur? Seruanda eſt conſuetudo in Eccleſia recepta: nam vbi poſitum in more fuerit, vt nonniſi cùm petuntur, ſoluantur, non debentur ante: præciſa verò conſuetudine, ſtatim ſoluenda videntur, quia fiſcus habet illorum dominium. Ita Azorius *loco citato, cap. 1. quæſt. 5.* Filliucius *tract. 43. cap. 4. num. 38.* Bonacina *loco citato punct. 4. num. 1. & 2.*

Azor. Filliuc. Bonac.

13. Cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum, hæ recenſetur. *Prima*, eſt tenuitas beneficij vel penſionis, non excedentis triginta ducatos aureos, vt dictum eſt ſuprà.

Secunda, eſt conſuetudo; ſicut enim induci poteſt conſuetudo teſtandi, etiam ad prophanas cauſas, ita etiam induci poteſt conſuetudo eximens à ſpolio. Proinde in Hiſpania beneficiarij omnes præter Epiſcopos conſuetudine recepta nullum ſpolium faciunt, ſed hæredibus bona tranſmittunt, vt ſupra dictum eſt. In Germania, Gallia, Polonia, Belgio, ſpolia fiunt, ſed quæ ſucceſſoribus in beneficio, aut Eccleſiæ, non Cameræ Apoſtolicæ tranſmittuntur.

Tertia, cauſa eſt donatio ſeu alia diſpoſitio fructuum, ſeu prouentuum validè facta inter viuos, quia ſpolio ea ſolùm cedunt, quæ relicta ſunt poſt mortem ab Eccleſiaſtica perſona.

Quarta, eſt incolatus, ſeu habitatio in vrbe, ſeu inſectatio Curiæ: nam incolæ vrbis, ſeu inſequentes Curiam non ſubijciuntur ſpolio, quoad bona in diſtrictu exiſtentia, ſi in vrbe, vel eius diſtrictu moriantur.

Quinta, eſt dignitas Cardinalitia: nam Cardinales quouis in loco decedant, & quouis in loco bona habeant, non ſubijciuntur ſpolio, vt ſtatuit, & declarauit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Literas noſtras*.

Sexta, cauſa eſt facultas teſtandi: ſi enim beneficiatius hanc facultatem habens diſponat de beneficij fructibus, valida eſt diſpoſitio: modò facultas ſit valida, & non ſubreptitia, & modò ſit relata, & regiſtrata in Camera Apoſtolica, & beneficiarius reſederit in loco beneficij, quia bona quorumcumque morientium extra reſidentiam, pertinent ad Cameram Apoſtolicam, iuxta Bulla Pij IV. anno 1564. ſeptimo Kalendas Decembris. Plura de his Nauar. *de ſpolijs §. 14.* Azor. *loco cit. cap. 4.* Filliuc. *tract. 43. c. 7.* Bonac. *loco citato punct. 5.* Et hæc ſummariè dicta de ſpolijs Eccleſiaſticis ſufficiant pro his partibus vltramontanis; Itali verò in facti contingentia conſulant Doctores hic citatos.

Nauar. Filliuc. Bonac.

Vide verb. Apoſtaſia *num. 9.*

SPONSALIA I.

Quid ſint ſponſalia, & quæ requirantur ad illorum valorem.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicta ſint ſponſalia? & vt tripliciter ſumuntur?*
2 *Quæ conditiones requirantur ad validitatem ſponſaliorum? & primum de ætate conuenienti?*
3 *An parentes, tutores, curatores, & conſanguinei curam gerentes infantium poſſint contrahere ſponſalia pro filijs, qui nondum peruenerunt ad ſeptimum annum? Et an peccent mortaliter contrahentes ſponſalia ante ſeptennium?* Refertur duplex ſententia.
4 *De ſecunda conditione ad ſponſalia, quæ eſt promiſſio voluntaria?*
5 *De tertio requiſito ad ſponſaliorem valorem, vt promiſſio ſit acceptata, & mutua.*
6 *De vltimo requiſito ad ſponſalia, vt promiſſio ſponſaliorum exterius manifeſtetur.*
7 *De verbis quibus poteſt contrahi matrimonium futuro vel de præſenti?*
8 *An in ſponſalibus quando verba habent duplicem ſenſum, in foro conſcientiæ ſtandum ſit intioni proferentis?*
9 *Quid agendum quando verba ſunt dubia, & conſtat de intentione proferentium?*

1. SPonſalia dicta ſunt à ſpondendo. Vlpian. *l. a. ff. de ſponſalibus*. Mos enim erat olim vt puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tutore, vel amicis, ideoque dicti ſponſi, quaſi alteri promiſſi; ſponſor, qui promittebat, & contractus ipſe ſponſalia. Tripliciter autem ſumuntur ſponſalia: *Primo*, pro promiſſione futuri matrimonij. *Secundo*, pro matrimonio nondum conſummato. *Tertiò*, pro donis quæ dabantur ſponſæ à ſponſo: ſed prima acceptio eſt maximè propria, vnde in legibus quoties de ſponſis occurrit mentio, ſumuntur primo modo, quamuis in materia fauorabili etiam nomine vxoris, & maritatæ veniunt etiam ſponſæ. Ita Sanchez *de matrim lib. 1. d. 1. num. 1.* Syluester *verb. Sponſalia, quæſ. 1.* Layman *lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. n. 1.* Sylu. *in ſuppl. q. 43. art. 1.* & alij.

Sanch. Syluest. Layman. Sylu.

2. Conditiones requiſitæ ad validitatem ſponſaliorum ſunt: *Prima*, ætas conueniens. *Secunda*, promiſſio voluntaria. *Tertia*, promiſſio mutua, & accepta. *Quarta*, vt ſit aliquo ſigno externo ſufficienter manifeſtata. Guttierrez *de matrimon. cap. 4. 5. & 6.* Quod ad primam attinet ſecundum diſpoſitionem iuris; Ætas ſeptem annorum requiritur, tam in maſculo, quàm in fœmina, ad

celebranda ſponſalia, *C. litteras, C. acceſſit, de deſponſ. impuber.* quia ad promiſſionem, & ad contractum neceſſarius eſt vſus rationis, qui ferè ſemper tam in fœminis quàm in viris adeſſe ſolet in ſeptennio: vnde inualida ſunt ſponſalia celebrata ante ſeptennium, cum deficit tempus à iure requiſitum, niſi fortè malitia ſuppleat ætatem, quod fit, quando ante ſeptennium adeſt ſufficiens vſus rationis, quo contrahentes intelligunt id quod agunt: & tunc valida ſunt ſponſalia in foro conſcientiæ, etiamſi multo tempore ante ſeptennium celebrentur. Sicuti, & vice verſa, inualida ſponſalia cenſebuntur, quæ poſt legitimam ſeptenij ætatem celebrata fuerint, ſi ſufficientem rationis diſcretionem tunc abfuiſſe oſtendi poſſit, quia cùm de veritate conſtat, præſumptio, quæ ex ætate ſecundùm iuris præſumptionem ſumitur, meritò cedere debet. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 43. *art.* 2. *in ſuppl* Sanchez *cit. lib.* 1. *d.* 16. *lib.* 9. Layman *c.* 1. *nu.* 16. Filliuc. *tractat.* 10. *n.* 257, *&* 258. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 247. 248. & alij.

Sanch. Layman. Filliuc. Regin.

3. Parentes, tutores, curatores, & conſanguinei curam gerentes infantium poſſunt ex graui neceſſitate pro filijs, qui nondum peruenerunt ad ſeptimum annum, contrahere ſponſalia: verum tamen eſt, vt huiuſmodi ſponſalia ſint valida, requiritur poſtea conſenſus expreſſus vel tacitus filiorum, cùm peruenerint ad vſum rationis, qui conſenſus in foro externo ſufficienter præſumitur adeſſe, ſi filij taceant, & non contradicant, poſtquam peruenerunt ad ſeptennium ſcientes contracta eſſe ſponſalia à parentibus. Secus dicendum eſt, quando ſponſalia celebrata fuerunt ab aliquo extraneo pro filijs ſeptennio minoribus, tunc enim non ſufficit taciturnitas filiorũ, ſed vlteriùs requiritur conſenſus ſigno aliquo expreſſus, aut ſaltẽ tacitus; *C. ſi infantes de deſponſationes impuberum, in* 6. Coninck *d.* 21. *dub.* 3. Sanchez *cit. d.* 23. *nu.* 17. Guttierez *c.* 13. *n.* 11. An autem contrahentes ſponſalia ante ſeptennium peccent mortaliter? Affirmant Syluius *in ſuppl. q.* 43. *artic.* 2. Nauar. *c.* 22. *num.* 31. Syluester *verb. matrimon.* 5. *q.* 6. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. Negant Sanchez *cit. d.* 17. Filliucius *cit. nu.* 259. Coninck *cit. n.* 54. Diana *de Sacramentis, reſol.* 275. *p.* 3. & vtraque ſententia probabilis eſt.

Coninc. Sanch.

Sylu. Nauar. Syluest. Henriq. Sanch. Coninc. Diana.

Præterea inquiri poſſet, an maior vſus rationis requiratur ad contrahenda ſponſalia, quàm ad peccatum mortale? Affirmant Bonac. *de matrim. quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 4. & alij penes ipſum. Contrariam ſententiam tenent Sanchez, Pontius, Diana *tract. de Sacramentis, reſol.* 373. *p.* 3. quia ſi ea futurorum prouidentia, quam poſtulant Bonac. & alij, deſideratur in contrahendis ſponſalibus, incautè à iure præſcriptum eſset tempus ſeptem annorum, vt ineantur ſponſalia. Vide Fernandez *in exam. p.* 3. *cap.* 17. §. 1. *num.* 6. Coninck *de Sacram. diſp.* 21. *dub.* 5. *num.* 49.

4 Secunda conditio, ad validitatem ſponſaliorum eſt, vt adſit promiſſio, non enim ſufficit propoſitum, cum propoſitum nullam inducat obligationem, vnde qui dicit, volo te accipere, habere, aut ducere in vxorem, præciſè non contrahit ſponſalia, quia hæc verba non ſignificant promiſſionem, ſed propoſitum promiſſionis: ſi tamen proferens intendat verè promittere, & alter ſimilia verba adiungeret cognoſcens intentionem primi proferentis, & promittentis, illa verba ſufficerent ad ſponſalia. Valentia *t.* 4. *diſput.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. Filliucius *tract.* 10. 1 *p. c.* 7. *num.* 238. Syluius *cit. q.* 43. *art.* 1.

Valentia. Filliuc. Sylu.

Præterea promiſſio debet eſse deliberata, cùm enim ſponſalia obligent ſub mortali, requiritur deliberatio, quæ tanta eſse debet, quanta ſufficit ad peccatum mortale. Debet inſuper promiſſio eſse voluntaria, cùm ſponſalia inducant obligationem, & vis obligandi naſcatur ex voluntate: vnde promiſſio facta animo ficto nullam inducit obligationem ex vi promiſſionis, quamuis poſſit eam aliunde inducere, vt ratione damni, &c. Similiter promittens non tenetur ad ducendam eam, cui ex animo promiſit, ignorans obligationem ſequi ex promiſſione, imò non tenetur ducere, ſi ſciebat quidem obligationem ſequi ex promiſſione, ſed ipſe promittens expreſsè noluit obligari; tamen ad ſponſalia non requiritur expreſſa voluntas ſe obligandi, ſed ſufficit tacita, & implicita. Reginaldus *cit. n.* 246. Sanchez *lib.* 1. *d.* 8. *&* *diſp.* Bonacina *de matrim. q* 1. *p.* 1. *n.* 5. Diana *tractat. de Sacrament. reſol.* 205. Syluius *cit. artic.* 1.

Regin. Sanch. Bonac. Dian.

5. Tertiò, requiritur ad ſponſaliorum valorem, vt promiſſio ſit acceptata, hæc enim regulariter non obligat antequam acceptetur; habet enim hanc tacitam conditionem, ſi alter acceptauerit: requiritur præterea mutua promiſſio; vnde non ſatis eſt acceptatio promiſſionis alterius, ſed requiritur repromiſſio; & quidem quando promiſſio matrimonij gratis fit, vt in memoriam beneficij accepti, tunc altero acceptante promiſſionem, nec repromittente ſolus promittens obligatur: quòd ſi diu diſtulerit repromittere, cenſetur contemnere, & ita qui promiſit, manebit liber ex tacita remiſſione; quando verò non eſt facta gratis, ſed reſpectiuè, & per modum contractus onerosi, tunc neceſsaria eſt repromiſſio alterius ad hoc vt ſit efficax, quia in contractu vltrò citroque obligatorio non eſt perfectus contractus ſine obligatione vtriuſque partis. Vaſquez *de matrim. diſp.* 3. *c.* 2. *num.* 2: *&* *d* 4. *cap.* 3. Layman *cit. num.* 2. Sanchez *cit. diſp.* 5. 6. Nauar. *c.* 22. *num.* 25. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. Molin. 2. *d.* 263. Diana *p.* 3. *tractat. de Sacrament. reſ.* 244. Sylu. *cit. art.* 1. Sed Pontius *de matrimon. lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 2. exiſtimat nunquam eſse poſse promiſſionem futuri matrimonij gratuitam, & ſine conditione repromiſſionis, & conſequenter ſi vnus promittat, neque alter repromittat tacitè, vel expreſsè, neutrum obligari, quia contractus matrimonij eſt inſtar contractus cuiuſdam commutationis, & neceſſariò in ſe continet mutuam obligationem vtriuſque, ita vt nemo velit, nec velle poſſit ſe tradere, niſi ſub conditione, vt alter ſe ei mutuò tradat in compenſationem, & obliget.

Vaſq. Laym. Nauar. Henriq. Molina. Diana Pontius.

6. Vltimum requiſitum ad ſponſalia eſt, vt promiſſio ſponſaliorum exteriùs manifeſtetur, quia promiſſio fit homini, homo autem non poteſt acceptare promiſſionem, & eius obligationem acquirere, niſi aliquo ſigno externo ſibi manifeſtetur; vnde conſenſus debet ſufficienter manifeſtari per aliquod externum ſignum, ſiue illud ſit nutus, ſiue factum, ſiue verba quæcumque: taciturnitas verò non ſufficit, per ſe loquendo. Sanchez *cit. lib.* 1. *d.* 3. Guttierez *cit. c.* 4. *n.* 5, Coninck *d.* 22. *n.* 34. Filliuc. *cit. num.* 234. Syluius *cit. art.* 1. & alij.

Sanch. Coninc. Fill. Sylu.

7. Verba, quibus poteſt contrahi matrimonium de futuro vel de præſenti poſsunt eſse quinque modis: *Primo*, de præſenti vel de futuro quoad ſonum, & ſignificationem, *c. penult. de ſponſal.* vt *accipio vel accipiam te in meam*; & hæc verba quoad ſignificationem de præſenti conſtituunt matrimonium, quia important conſenſum de præſenti. Angelus *verb. matrim.* 2. *n.* 10. Sanch. *cit. diſp.* 18. *num.* 9.

Angel. Sanch.

Secundò, quoad ſonum, & ſignificationem de præſenti, ſed quoad adiunctum de futuro, vt *accipio te in craſtinum*, & hæc verba ſolùm conſtituunt ſponſalia, quia conſenſus eſt de futuro. Victoria *de matrimon. n.* 251. P. Ledeſm. *quæſt.* 45. *art.* 3. *d.* 1.

Vict. Ledeſm.

Tertiò, de futuro quoad ſonum, ſed de præſenti ob adiunctum, vt *ex nunc habebo te in meam*; & hæc verba conſtituunt matrimonium, quia verè important conſenſum de præſenti; *c. ex parte de ſponſal.* Filliuc. *cit. num.* 243.

Quartò, aliqua ſunt dubia, quem ſenſum efficiant, vt *volo te eſſe meam vxorem*; hæc verba tantùm conſtituunt ſponſalia, quia verificantur, licet proferens modò nolit eſse ſuam vxorem. Sanch. & alij volunt eſse verba æquiuoca *diſp.* 18. *n.* 39.

Quinto poteſt per dicta contrahi tum affirmatiuè, vt in exemplis allatis, tum negatiuè, vt, *nullam ducam niſi te*; ſed quoad hoc dicendum eſt, verba negatiua nec conſtituere ſponſalia, nec matrimonium, ſi nullam includant affirmationem explicitè vel implicitè, quia conſenſus non datur per meram negationem: obligant tamen hæc verba, ſuppoſito quòd velit nubere, ad eam ducendam; ſi verò addatur affirmatio, erunt ſponſalia, vel matrimonium. Sponſalia, ſi dicatur, *non aliam ſed te ducam*; Matrimonium, ſi dicatur, *non aliam ſed te duco*.

San-

Digitized by Google

Sanchez *cit.d.19.n.1.& 2.* Reginald. *lib.31.n.51.* Nauar. *c.22.n.5.* Sà *ſponſal.n.1.* Bonac.*cit.p.1.n.13.* & alij.

8. In ſponſalibus quando verba habent duplicem ſenſum in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni, ſecundùm quam verba proferuntur, forum enim conſcientiæ non innititur præſumptioni, ſed intentioni ex qua per ſe primò naſcitur obligatio ſponſaliorum. Sanchez *lib.1. d.18.num.1.* Molina *tract.2.d.162.num.1.* Sylu. *cit.art.1.* Vnde quando dubitatur, an in ſponſalibus adfuerit animus ſe obligandi, iudicandum eſt in foro interiori adfuiſſe animum ſe obligandi, nam forum exterius iudicaret animum adfuiſse, non adhærendo falſæ præſumptioni. Gutier.*c.7.n.8.* Sanch.*cit.d.8.n.19.*

9. Quando verba ſunt dubia, & non conſtat de intentione proferentium, contrahentes compellendi ſunt ad ſeruanda verba in eo ſenſu, quem rectè intelligentes ſolent communiter ex ijs verbis percipere: ſtandumque eſt iudicio fori externi, modò non innitatur falſæ præſumptioni; *C.ex literis 1.de ſponſalib.* Sanchez *cit.d.18.num.4.* Regin.*lib.31.num.46.* De ſponſalibus conditionatis, an robur habeant. Vide v. *Matrimonium 6.* quæ enim dicta ſunt de ſponſalibus de præſenti, locum etiam habent in ſponſalibus de futuro.

SPONSALIA II.

Quæ obligatio oriatur ex ſponſalibus.

SVMMARIVM.

1 *An obligatio ex ſponſalibus veris conſurgens ſit ſub mortali? & quando illa ſint adimplenda?*

2 *An qui ficto animo, & ſimulatio matrimonium promiſit, obligetur ad nuptias contrahendas?*

3 *An qui habuit copulam cum fæmina mala fama ſub ficta promiſſione matrimonij, teneatur eam ducere?*

4 *An qui virgini promiſit coniugium fictè, & ea ſpe vſuram corporis impetrauit, teneatur eam ducere, vel dotare?*

5 *An fictus promiſſor matrimonij multò dignioris conditionis, teneatur defloratam ducere prorſus ignaram exceſſus illius?* Refertur duplex ſententia.

6 *An poſt Tridentinum valida ſint ſponſalia clandeſtina, & an licita?*

7 *An liberi contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam peccent, ſi ipſis inſcijs, & inconſultis ſponſalia temerè contrahant?*

8 *An teneantur liberi ſeruare fidem ſponſaliorum, tamet. ſi imparis conditionis ſponſis promiſerint inconſultis aut inuitis parentibus?*

1. OBligatio ex ſponſalibus veris conſurgens eſt ſub mortali, quia obligatio ex contractu eſt ex iuſtitia, & ſub mortali, talis autem eſt obligatio ex ſponſalibus, ſi nullus ſit præfixus terminus obligationi, nec alia conditio, non tenetur qui promiſit ſponſalia, illa ſtatim implere, ſed tunc quando requiretur ab eo cui facta eſt promiſſio, tunc autem obligatur ſi commodè poteſt, quia id eſt generale in omni debito abſque diei præfixione; *c.ex litteris 2. & c. requiſiuit, de ſponſalibus* Sanchez *cit. diſp.27.28.* Rodriqnez *c.244. num.1.* Nauar. *c.17. num.79.* Syln *in ſuppl.q.43.art.1. quæſt.2.* Vnde ille qui abſque cauſa legitima recuſat implere fidem ſponſalium, prius monendus eſt; & ſi renuat, cogendus eſt per cenſuras à Iudice Eccleſiaſtico, niſi attentis circumſtantijs prudenter arbitretur Iudex ex inuitis nuptijs poſse timeri ſcandala, diſſenſiones, & infœlices exitus. Sanchez *cit. diſp.29.* Sylu. *verb. ſponſal.q.4.* Henriq.*lib.11.c.13. num.4.* Dian. *tract.de Sacram.reſ.244 p.3.*

Sanch. Rodr. Nauar.

Sanch. Henriq. Diana.

2. Qui ficto animo, & ſimulato, matrimonium promiſit, per ſe loquendo, non obligatur ad nuptias contrahendas, quia promiſſioni defuit conſenſus: licet enim peccauerit ſponſus fictè promittendo & decipiendo alterum ſponſum, qui non facilè poterat cognoſcere rem ioco agi, non tamen tenetur ſtare promiſſioni aut complete ſponſalia: ratione verò alterius damni quod alter patitur, aut ratione ſcandali vitandi, ſi aliter euitari non poteſt, teneretur ſtare promiſsioni. Sanchez *lib.1.d.12.num.5.* Coninch *diſp.22.num.7.* Filliucius *cit. num.251.* Leſsius *lib.2.cap.18.num.5.* Sanchez. Filliuc. Leſſius.

Ficta autem promiſsio eſt, quæ fit ſine animo promittendi, aut cum animo non ſe obligandi. Reginald. *lib.31. num.250.* Verùm hanc ſententiam refellit Pontius *de matrim.lib.2.cap.5.num.5.* docens fictè contrahentem iterum teneri verè ex animo contrahere, quod quidem ita certum exiſtimat, vt iudicet oppoſitum probabilitate carere: tum quia ſi opinio Sanchez, & aliorum eum ſequentium admitteretur, latiſsima aperiretur via hominibus ſceleratis ad decipiendas ſæpe fœminas, ſi ſemel ſibi perſuaſerint non teneri ad verè contrahendum. Tum quia ſemper ſequitur alteri grauiſsimum damnum, cùm enim in foro Eccleſiæ probare nequeat fictum alterius conſenſum, non permittetur aliud inire matrimonium, cogeturque continenter viuere. Et pro hac ſententia citatur D. Thomas, Scotus, Maior, Adrianus, Petrus Soto, Nauarrus, Henriquez. Nihilominus ſententiam Sanchez admittit vt probabilem Diana *p.3. tract.4.reſ.247.* Diana.

3. Qui habet copulam cum fœmina malæ famæ ſub ficta promiſsione matrimonij, non tenetur eam ducere, neque ratione promiſsionis, quia promiſsio ficta non inducit obligationem, neque ratione damni, nam illa fœmina nullum damnum patitur, quare ſatisfaciet ſoluendo pretium copulæ, ſi illa fœmina conſueuerat corpus ſuum locare: ſimiliter vir non tenetur ducere virginem aut viduam bonæ famæ, quam deflorauit ficta promiſsione matrimonij, quando copula eſt adeò occulta, vt nullum ſit infamiæ periculum in fœmina; quamuis teneatur iniuriam fœminæ factam compenſare ad arbitrium prudentis viri. Leſsius *lib.2. c.10.n.15.* Regin. *cit. num.256.* Filliuc.*tr.110.p.c.7.num.252.* Sanch.*lib.1.d.10. num.23.* Leſſius. Filliuc. Sanch.

4. Qui virgini promiſit coniugium, & ea ſpe ſeu conditione vſuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamſi fictè promiſiſſet, quia hæc promiſsio facta eſt in modum contractus, vnde cùm ipſa ex parte ſua compleuerit contractum, tenetur etiam ipſe complere: Idem dicendum ſi animo ficto cum ea per verba de præſenti contraxit eo tantùm fine, vt ea potiretur. Rodriquez *tom. 1.c.207.num.8.* Nauar.*c.16.n.18.* Henriq.*lib.11.c.11.n.2.* Molin. *tract.3.d.106 n.4.* Layman *cit.num.11.* Excipiuntur tamen aliquot caſus quibus non tenebitur eam ducere, ſed ſufficiet aliter damnum ſarcire. *Primò*, ſi ipſe longè ſit nobilior vel opulentior, idque ipſa ſciuerit, tunc enim facilè potuit ſuſpicari ipſum ſimulatè nuptias promittere, vt ea frueretur, & in hoc caſu præſumitur fœminam ſe voluntariè decepiſſe, & potiùs fingere ſe deceptam, quàm reuera decepta ſit. Filiuc.*tr.32. num.220.* Sanchez *cit.d.10.n.5.* Gutier.*c.9.n.8.& c.10.* Vaſquez *de matr.d. 6.c.5.* *Secundò*, ſi ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat ipſum non ſincerè agere, vt verbis ambiguis vti, inconſtanter loqui. Sanchez *cit.num.7.* *Tertio*, ſi aliquod impedimentum legitimum interuenerit, vt ſi fiat eius affinis, ſi ducat aliam per verba de præſenti, in his caſibus ſufficit damnum ſarcire. Leſſius *c.10. num.26.* *Quartò*, ſi illam contingat cum alio poſtea fornicari, prior non tenebitur eam ducere, nec tenetur aliter ſatisfacere niſi antea fuerit conuentum. Sanch.*cit.nu.13.* Leſſius *cit.n.28.* *Quintò*, ſi dicenti ſe virginem aut diuitem promiſit nuptias, vt ea potiretur, & poſtea deprehendat non eſſe virginem aut diuitem, non tenebitur ſtare promiſſis, quia in hoc caſu habet ſufficientem cauſam diſſoluendi ſponſalia, ſi vera eſſent, ergo multo minùs tenetur ſtare ſponſalibus fictis, & fictio fœminæ compenſatur cum fictione viri. Reginald.*lib.31.num.255.* Gutier. *c.10.nu.9.& 10.* Molina *tom.4.d.106.num.8.* Imò ſecundùm Sanch.*cit.nu. 11.* Layman *cit.num.11.* non tenetur vir ad vllam reſtitutionem, nullum enim damnum cenſetur vir illi intuliſſe. Vide Dianam *tract.6.miſc.reſol.81.part.3.*

Rodriq. Nauar. Henriq. Molin. Laym. Filliuc. Sanch. Vaſq. Molina. Laym. Diana.

5. An autem fictus promiſſor matrimonij multò digni oris conditionis teneatur defloratam ducere prorſus ignaram exceſſus illius, vel ſi erat conſcia, taliter ei promiſit, vt vir prudens meritò crederet verè promittere. Leſſius cit. cap. 10. n. 22. Vaſquez cit. d. 6. cap. 4. Petr. Nauar. lib. 2. c. 3. n. 4. num. 427 & alij docent teneri, quia eſt contractus, & mulier ex parte ſua impleuit, nec poteſt dici à ſeipſa deceptam eſſe, leuiterque fidem adhibuiſſe, ergo tenetur eam ducere, nec ſatis eſt pecunijs ſatisfacere cùm in propria ſpecie ſatisfieri poſſit, hæc ſententia eſt ſatis probabilis Aliorum tamen ſententia probabilior eſt, teneri, quidem reſtituere inſtar vi vel fraude deflorantis, non tamen ducere, quia non tenetur vi promiſſionis, nam ex promiſſione ficta non oritur obligatio, neque tenetur ratione damni ipſius fœminæ, nam hoc damnum aliter vitari poteſt dotando vel augendo dotem, qua poſſit æquè bene nubere, ac ſi deflorata non fuiſſet. Ita Sanchez cit. n. 20. Regin. cit. num. 256. Sa verb. promiſſio n. 5. Rodriq. cit. cap. 207. num. 8.

Leſſius. Vaſq. Nauar.

6. Poſt peractum contractum ſponſaliorum, vterque ſponſus ex iuſtitia obligatus eſt ad nuptias contrahendas, adeò quamdiu alter in promiſſione ſeu data fide perſiſtit, alter ſine mortali iniuria reſilire non poſſit, vt dictum eſt ſuprà: quamuis ſponſalia ſine vlla ſolemnitate teſtium, clam contracta fuerint; in ordine tamen ad forum externum requiritur probatio per teſtes, aut in defectum plenæ probationis iuramentum: etiam poſt Tridentinum valida ſponſalia clandeſtina, quia cùm lex Tridentini ſit correctiua iuris communis, non eſt extendenda vltra caſum expreſſum; irritat enim matrimonium clandeſtinum ſolummodò, & ideò non eſt extendenda ad ſponſalia: imò non eſt peccatum contrahere ſponſalia clandeſtina, quia nullo iure id prohibetur. Quamuis ex conſuetudine, & ex ſtatutis Synodalibus oporteat ea contrahi coram Parocho, & teſtibus, idque non in tabernis, ſed in loco ſacro, iuxta caput ſextum tit. de matrimonio, in prima Synodo Prouinciali Cameracenſi. Nauarrus cap. 25. num. 144. Rodriquez. tom. 1. Summa cap. 244. num. 10. Sanchez cit. diſp. 12. & 13. Filliuc. tract. 10. 1. p. cap. 7. q. 8. P. Ledeſm. de matrim. q. 45. art. 5. dub. 4.

Nauar. Rodrig. Fill. Ledeſm.

7. Liberi contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam peccant, ſi ipſis inſcijs, & inconſultis ſponſalia temerè contrahunt, quia parentum cura, & poteſtas poſtulat, vt ſine eorum conſilio nihil ſtatuatur in re tanti momenti, non tamen ſemper obligantur ad conſilium vel iuſſum ſequendum, cùm in matrimonio contrahendo ſui iuris ac libertatis exiſtant; & quidem cùm parentis filium aut filiam ab omni matrimonio auocare vel impedire conantur, tunc obediendum eis non eſt cum incontinentiæ periculo; quando autem parentes impedire volunt certum aliquod matrimonium, ad quod filij voluntas propendet, tunc expendendæ ſunt rationes, quibus ipſi diſſuadendo nituntur, & cum contrarijs conferendæ, ſi autem parentes ad certas nuptias filium alioquin abhorrentem compellere conantur, tunc ſequendi non ſunt, niſi in caſu ſpeciali, quo plurimum intereſt parentum, verbi gratia, ad graues inimicitias tollendas, dummodò matrimonium honeſtum ſit. Sanchez de matrim. lib. 4. diſp. 23. Sylu. verb. præcept. q. 2. Henriquez lib. 11. c. 6. n. 13. Nauar. c. 14. n. 15. Rodriquez tom. 1. ſumma. cap. 230. concl. 6. Bellarmin. de matrim. c. 19. propoſit. 3.

Sanch. Sylu. Henriq. Nauar. Rodriq.

8. Datam fidem ſponſaliorum ſeruare tenentur liberi, tametſi imparis conditionis ſponſis promiſerint inconſultis aut inuitis parentibus, quia licet peccarint promittendo matrimonium, ad implendam tamen promiſſionem graui obligatione tenentur, & in omni foro compelli poſſunt; & ideò mortaliter peccant parentes, ſi illos impedire vel eis diſſuadere conentur id, ad quod ipſi ſub peccato mortali obligantur. Sanchez lib. 1. diſp. 14. Molina tom. 2. d. 271. Layman cit. num. 14. Tamen ſi ex matrimonio, quod filius aut filia contrahere cogitat, ob diſparitatem ſponſorum vel ſimilem cauſam, timeatur familiæ dedecus, ſcandala, diſcordiæ, tunc parentes illud impedire poſſunt ac debent, implorata etiam Iudicis auctoritate, quia tunc tale matrimonium tanquam charitati ac pietati repugnans, ſine peccato contrahi non poteſt. Nauar. c. 16. num. 18. Gutierrez de matrim. c. 79.

Sanch. Molin. Laym.

SPONSALIA III.

De diſſolutione ſponſaliorum.

SVMMARIVM.

1 *An per matrimonium ſubſequens validè celebratum cum alia perſona, diſſoluantur ſponſalia?*
2 *An adimplenda ſint priora ſponſalia iurata diſſoluto matrimonio?* Refertur duplex ſententia.
3 *An priora ſponſalia diſſoluantur per ſecunda licet iurata & copula ſubſecuta?*
4 *An mutuo conſenſu & mutua remiſſione ipſorum ſponſorum diſſoluantur ſponſalia etiam iurata?*
An ſponſalia impuberum firmentur iuramento?
5 *An per fornicationem ſequentem tam viri quam fœminæ, per hæreſim, apoſtaſiam, vel infidelitatem diſſoluantur ſponſalia?*
6 *An per morbum quemlibet contagioſum ſuperuenientem alteri ſponſo, grauem infirmitatem, fœditatem, deformitatem, ſoluantur ſponſalia ex parte innocentis.*
7 *An cum denuo agnoſcitur notabilis aſperitas morum & ſæuitia alterius diſſoluantur ſponſalia?*
8 *An ſoluantur ſponſalia per ſuperueniens impedimentum iuris matrimonium dirimens vel impediens?*
9 *An per votum ſimplex Religionis & caſtitatis præcedens, vel ſubſequens dirimantur ſponſalia? & an per Ordines minores, vel per votum Ordinis ſacri?*
10 *An per ingreſſum Religionis ſponſalia iurata ſoluantur, an autem requiratur profeſſio?* Refertur duplex ſententia.
11 *An lapſus termini eximat obligatione illum per quem non ſtetit, ſi in contractu ſponſaliorum fuit appoſitus dies & terminus de matrimonio contrahendo?*
12 *An ſoluantur ſponſalia per abſentiam alterius in regionem longinquam abſque licentia?*
13 *An per affinitatem, cognationem legalem vel ſpiritualem ſuperuenientem ſoluantur ſponſalia?*
14 *An dolus dans cauſam contractus ſponſaliorum ipſo iure illa irrita faciat & inualida?*
15 *An conditionibus non adimpletis ſub quibus ſponſalia celebrata fuerunt, illa poſſint diſſolui?*
16 *An ad diſſoluenda ſponſalia requiratur Iudicis authoritas?*
17 *Quando propria authoritate poſſint diſſolui ſponſalia?*
18 *Quando ad diſſoluenda ſponſalia requiritur authoritas Iudicis, quis Iudex ſit competens?*
19 *An poſſint ſponſalia diſſolui propria authoritate quando dubitatur, vel non conſtat de ſufficientia cauſa?*

1. SPonſalia varijs modis diſſolui poſſunt: *Primò*, per matrimonium ſubſequens validè celebratum cum alia perſona; *Cap. 52. inter virum, & cap. Adoleſcens de ſponſ.* Sanchez *lib. 1. diſp. 48.* Layman *lib. 4. tract. 10. part. 1. c. 2.* Sylu. *in ſuplem. quæſ. 43. art. 3.* Diana *p. 3. tract. 4. reſ. 209.* quia res tradita vni per contractum indiſſolubilem non poteſt ampliùs tradi alteri, cui tantummodò promiſſa eſt; ſi autem matrimonium ſubſequens inualidum ſit, priora ſponſalia non diſſoluerentur; non enim præſtat impedimentum quod de iure non ſortitur effectum: Maneret tamen alter liber à fide ſponſalium, quia per eā voluntatem contrahendi viſus eſt recedere à ſponſalibus. Non eſt tamen improbabilis ſententia illorum qui tenent ſponſalia non omnino extingui in caſu quo alter

Sanch. Laym. Sylu. Diana.

expe-

Digitized by Google

expectet, ſed ſuſpendi, & ita ſoluto matrimonio teneri ſponſum ad priora ſponſalia. Ratio eſt, quia promiſſio ſimplex religionis non extinguitur per traditionem incompoſſibilem poſteriorem matrimonij conſummati, ſed ſuſpenditur, & eo ſoluto omnino obligat: ergo ſimiliter promiſſiu matrimonij, non extinguitur per traditionem incompoſſibilem alterius matrimonij. Ita Pontius *de matrimon. lib.*12. *capit.*13. *numer.*4. & alij apud Sanchez.

Pontius.

2. An autem diſſoluto matrimonio adimplenda ſint priora ſponſalia iurata. Sanchez *citat.* Henriquez *lib.*11. *cap.*13. Filliucius *tract.*10.*part.*1. *num.*272. aſſerunt ita diſſolui, vt non teneatur ſponſus ad priora, niſi forte ratione damni, vt ſi deflorauit ſponſam bonæ famæ, nec illi antea ſatisfecit, quia iuramentum adhibitum fuit ad confirmandam promiſſionem, vnde extincta promiſſione ceſſabit etiam obligatio iuramenti, hæc ſententia probabiliſſima eſt, licet contraria, nempe talem ſponſum teneri ratione iuramenti, mortua coniuge, ſtare ſponſalibus celebratis cum iuramento, non ſit improbabilis, quia iuramentum erat validum, nec eius obligatio extincta per ſubſequens matrimonium, ſed ſolummodò ſuſpenſa. Coninch *diſputatione* 23. *dub.*4. Bonacina *de ſponſal. d.*1. *puncto ſeptimo, num.*3.

Coninc. Bonac.

3. Priora ſponſalia non diſſoluuntur per ſecunda, etiam copula ſubſecuta, quia poſt Tridentinum non tranſeunt in matrimonium, etiamſi affectu matrimoniali fiat copula, & hoc verum quamuis poſteriora ſint iurata; iuramentum enim fuit de re iniqua, & in præiudicium tertij, quo caſu non obligat. Sanchez *cit. diſp.*50. Bonacina *cit. num.*4. Filliucius *cit. num.*273. Quamuis contraria ſententia Pontij *lib.*12. *cap.*14. *numero quarto* non ſit improbabilis. Ratio eſt, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum quàm primo, ſed ſecunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò vt lucrum acquirat. Ergo huic, quæ damnum paſſa eſt, fauendum potiùs quàm alteri, quæ nullum, vel leue patitur.

Bonac. Fil.

4. *Secundò*, diſſoluuntur ſponſalia mutuo conſenſu & mutua remiſſione ipſorum ſponſorum, etiamſi facta fuerint cum iuramento; & ratio eſt, quia cùm dicta remiſſio cedat in fauorem ſponſorum, poterunt ij cedere iuri ſuo; & cùm iuramentum ſit præſtitum in fauorem partis, remittente parte remittit etiam Deus. *C.*2.*de ſponſal.* Sanchez *lib.*1.*d.*52. *num.*8. Sà *v.ſponſalia num.*1. Filliuc. *cit. num.*275. Coninch.*d.*23.*dub.*2. Gutierrez *cap.*24. Syluius *cit.art.*3.

Sanch. Coninc. Gutiez.

Notandum tamen eſt: *Primò*, remiſſionem debere eſſe liberam; vnde quando alter ſponſus remittit obligationem ex metu ſibi incuſſo ab altero contrahente, ſponſalia non diſſoluuntur.

Notandum *Secundò*, quòd ſi duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, pubes tamen factus poteſt quilibet. Ratio prioris eſt, ne propter ætatis fragilem inconſtantiam, ſæpe contrahant, totieſque à contractu reſiliant. Poſterioris autem ratio eſt, quia quamuis iure permittente impuberes verè ſponſalibus aſtringantur, idem tamen ius voluit, ob immaturum iudicium ne ita firma eſſent, quin eorum cuilibet pubertatem adepto, reſilire liceret. *C. De illis, el* 1. *&* *C. A nobis, de deſponſ. impub.* Vnde prius pubes factus poteſt ſtatim reſilire à ſponſalibus, non expectata alterius pubertate; ſi autem factus pubes non reclamet ſtatim, id eſt intra triduum, cenſebitur in foro externo confirmare ſponſalia: at in foro conſcientiæ ſatis eſt eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interiùs ſtatuto tempore diſſentit, etſi exteriùs id non exprimat.

Sed dubium eſt, an ſponſalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto, reſilire? Non poſſe reſilire docent Sanchez *lib.*1. *diſp.*51. *num.*22. & alij ab ipſo citati, modò ſint proximi pubertati, ex *c. Ex litteris* 2. *de ſponſal.* At ſatis etiam probabiliter docent alij apud eundem, quibus adde Pontium *de matrimon. lib.*12.*cap.*9.*num.*7. etiamſi iuramentum interponatur, adhuc remanere ſponſalia impuberum eiuſdem rationis, quia iuramentum ſequitur naturam obligationis, cui adiungitur: ſed ſponſalia impuberum iure communi diſſoluuntur, altero eorum reclamante, cum ad pubertatem venerit. Ergo idem etiam eſt, quamuis iuramentum accedat.

Sanch.

5. *Tertiò*, diſſoluuntur ſponſalia per fornicationem ſequentem, tam viri, quàm fœminæ, etiamſi ſponſalia ſint iurata: idem iuris eſt in fornicatione ſpirituali, vt hæreſi, apoſtaſia, vel infidelitate, eſt enim notabiliſſima mutatio. Aduertendum autem eſt, nocentem ſemper adſtrictum eſſe, & in caſu quo vterque ſit nocens, non compenſari delicta, quia turpior eſt fornicatio in fœmina quàm in viro: quod verum eſt, licet ſponſa vi cognita fuiſſet, non ita ſi vir violenter fornicatus eſſet. *Cap. quemadmodum, de iureiurando.* Sanchez *citat. diſputat.* 55, *num.*9. Syluius *verb. Sponſ. quæſtion.*10. Couartuuias *tom.*1.*de ſponſal. part.*1.*cap.*5.*num.*2. Layman *lib.*3.*tract.*10.*p.*1.*c.*2. Reginaldus *lib.*31.*cap.*36. *num.*262. Sylu.2.2. *quæſt.*154. *articul.*2. Vide Dianam *de Sacramentis, reſol.* 284.*part.*3.

Sanch. Couarr. Layman. Regin. Sylu. Diana.

6. *Quartò*, ſoluuntur ſponſalia per morbum quemlibet contagioſum ſuperuenientem alteri ſponſo. *C. quemadmodum cit.* vt gallicum, eſt enim notabilis mutatio: Idem dicendum de graui infirmitate incurabili, vt epilepſia, fœditate notabili: vt oculorum, vel naſi amiſſione, paralyſi, lepra, vel ſi os malè oleat, nec arte medicinæ ſubueniri poſſit: Idem ſi ſequatur notabilis deformitas animi vel famæ: & probabile eſt idem dicendum de corporis deformitate; quæ omnia intelligenda ſunt ex parte illius, qui eſt innocens, eo enim volente ſoluuntur, ſecus ſi nolit. Ita Sanchez *citat. diſput.*57. Nauar. *capitul.*22.*numer.*27. Tolet.*lib.*7.*capit.*21.*num.*6. Diana *part.*3. *de Sacrament. reſolution.*285. Syluius *in ſupplement. quæſtion.*43. *artic.*3. & alij.

Sanch. Nauar. Tol. Dian. Sylu.

7. *Quintò*, ſponſalia diſſoluuntur quoties denuò agnoſcitur notabilis morum aſperitas & ſæuitia alterius, vel ob graues, & capitales inimicitias inter ſponſos ortas, alioquin matrimonium haberet infœlices exitus, & eſt noua cauſa, notabiliſque mutatio ſuperueniens. Syluest.*cit.q.*10. Sanch.*cit. diſp.*58. Filliuc.*cit.num.*290. Tolet. *cit*, Syluius *cit.art.*3.& alij.

Sylueſt. Sanch. Filliuc. Sylu.

8. *Sextò*, ſoluuntur per ſuperueniens impedimentum iuris matrim dirimens: ſi autem impediens tantùm ſit, probabile eſt non ſolui, excepto voto Religionis, de quò infrà Sanchez *cit.lib.*1.*d.* 56. Nauar. *c.*22. *num.*27. Toletus *cit. num.*7. Item ſoluuntur quando ſuperuenit aliquid poſt ſponſalia, quod ſi ſuperueniret ante, mutaret rationabiliter animos ſponſorum ad contrahendum, vt ob paupertatem ſuperuenientem alteri, quando præceſſit promiſſio dotis reſpectu ſponſæ, quia tunc ea eſt veluti conditio ſub qua ſponſalia celebrantur, quàm etiamſi non præceſſiſſet; quamuis quidam apud Sanchez contendant teneri, quando dotis promiſſio non eſt facta ante ſponſalia. Sanchez *cit.d.*62. Filliuc.*cit.num* 292. Sylu.*cit. art.*3.

Sanch. Filliuc. Sylu.

9. *Septimò*, dirimuntur ſponſalia per votum ſimplex religionis, & caſtitatis præcedens; *C. rurſus qui Clerici vel vouent.* Sanchez *cit.d.*46. Sot. 4. *d.* 27. *quæſt.*2. *art.*5. Angel.*verb.ſponſ.num.*5. Sylu. *cit. art.*3. Propoſitum tamen cœlibatus ſeruandi in ſæculo, nulla ratione ſponſalia dirimit, quia tale propoſitum, ſi voto non firmetur, non conſtituit ſtatum: ſi verò votum caſtitatis ſponſalibus ſuperueniat, quamuis probabile ſit ea diſſoluere, quia eſt de meliori bono, vt tenent Angel. Caiet. Sotus. Tamen probabilius eſt non diſſoluere, quia Deus non acceptat promiſſionem rei prius alteri promiſſæ, & in eius præiudicium; vnde talis non tenetur ad Religionem, vel Ordinem ſacrum, ad hoc vt poſſit ſeruare votus caſtitatis, licet poſſit ingredi ſi velit, & liber ſit à ſponſalibus: dicendum ergo eſt tale votum in ipſius vouentis præiudicium, non tamen in præiudicium ſponſæ obligare. Nauar. *cap.* 22.*num.*27. Reginaldus *lib.*31.*nu.*259. Sanchez *d.*46.*n.*9. Coninch *d.*23.*num.*25.

Nauar. Regin. Coninc.

Ordines verò minores ſuſcepti poſt ſponſalia non diſſoluunt illa: ſacri autem diſſoluunt. Reginald. *cit.num.* 160. Filliuc. *cit. num.*287. Coninch *cit. num.*25. quia

reddunt ſuſcipientem incapacem matrimonij ob votum ſolemne caſtitatis adnexum: adſtricto tamen fide ſponſalium non licet ad ſacros Ordines promoueri, nec votum Ordinis ſacri illa diſſoluit, ex probabiliore ſententia, niſi reſpectu alterius, qui enim vouit, cenſetur renunciare ſponſalibus, atque ita alter liber remanet; quamuis etiam contraria ſententia non careat ſua probabilitate, quæ eſt Dian. *de Sacram. reſ.* 208. Nauarri *cit.* Cordubæ *quæſ.* 36. Syluest. verb. *ſponſal. num.* 7.

10. *Octauo* ſoluuntur ſponſalia per ingreſſum Religionis etiam iurata, an autem requiratur profeſſio, alij affirmant, alij negant, & vtrique probabiliter: licet probabilius ſit non ſolui per ingreſſum alterius, reſpectu remanentis in ſæculo, quia hoc ipſo alter per ingreſſum declarauit ſe renunciare ſponſalibus: reſpectu verò ingredientis non ſoluuntur vſque ad profeſſionem; vnde ſi ante illam redeat ad ſæculum, tenetur ſtare prioribus ſponſalibus, ſi ſponſa alteri non nupſerit. *C. vouent qui cler. vel vouent.* Sanchez *cit. diſp.* 12. Filliucius *cit. nu.* 280. Coninck *d.* 23. *dub.* 3. *num.* 22. Diana *de Sacramentis reſ.* 207. Sylu. *cit. art.* 3.

Sanch. Fill. Coninch. Diana.

11. *Nonò* ſponſalia diſſoluuntur ſi tempore quo fiunt, apponatur etiam dies, & terminus de matrimonio contrahendo, tunc enim lapſus termini eximit ab obligatione illum per quem non ſtetit: Alius verò per quem ſtetit adhuc ligatur, ne ex ſua culpa commodum reportet; quod ſi per vtrumque ſteriſſet, vterque maneret liber; tamen ſi is per quem ſtetit culpa vacet, ſponſalia non diſſoluerentur: quod idem dicendum eſt, ſi abſque culpa vtriuſque terminus præfixos lapſus eſſet. *C. Sicut. ex litteris, de ſponſal.* Sanchez *cit. diſput* 53. Couar. *de matr. p.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Toletus *lib.* 7. *c.* 21. *n.* 6. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 261. Syluius *cit. art.* 3.

Sanch. Couar. Tolet. Regin. Sylu.

12. *Decimò* ſoluuntur abſentia alterius in regionem longinquam abſq; licentia, *C. de illis de ſponſ.* Quando autem ſponſus eſſet in loco propinquo, ille expectandus eſt, vel requirendus, vt intra certum tempus contrahat matrimonium, & ſi iuſto impedimento detineatur, non ſunt temerè ſponſalia dirimenda. Ius autem ciuile, quod præſcribit expectandum eſſe tempus biennij, ſi eſt in eadem prouincia, & triennij ſi eſt in alia, iuxta probabiliorem ſententiam Sanchez, & aliorum apud ipſum, correctum eſt per ius canonicum, etiamſi ſponſalia ſunt iurata. Sanchez *cit. diſp.* 54. Nauar. *cap.* 22. *num.* 26. Toletus *cit. nu.* 6. Coninck *diſput.* 23. *dub.* 6. *n.* 50. Sylu. *cit. art.* 3.

13. *Vndecimò* ſponſalia diſſoluuntur cùm ſuperuenit affinitas, vt ſi ſponſus habuerit rem cum conſanguinea ſponſæ, vel è contra intra quartum gradum, & poſt Concilium Tridentinum intra ſecundum cùm copula eſt illicita: idem dicendum de cognatione legali vel ſpirituali ſuperueniente. Nauar. *cit. num.* 27. Henriquez *de matrimon. cap.* 14. *num.* 5. Filliucius *cit. num.* 259. Sylu. *cit. art.* 3. & alij.

14. *Duodecimò* ipſo iure facit ſponſalia irrita, & inualida dolus dans cauſam contractui ſponſaliorum, adhibitus ab altero contrahente conſcio, & participe doli; ſi tamen dolus ſolùm incidat in ſponſalia, non ſunt ſponſalia ipſo iure irrita, quia adeſt ſufficiens conſenſus ad contractum: ſimiliter ſi dolus adhibitus ſit à tertia perſona ſine participatione alterius ſponſi, ſponſalia non ſunt ipſo facto irrita, ſed deceptus habet ius illa diſſoluendi, quia adeſt talis cauſa ſeu mutatio, quam ſi deceptus prævidiſſet iudicio prudentis non ſe obligaſſet ad illa perficienda. Sanchez *cit. d.* 64. Filliucius *cit. num.* 297. Molina *diſput.* 352. *num.* 7. Gutier. *cap.* 34. *num.* 8. Reginaldus *cit. num.* 266. Vide Dianam *de Sacrament. reſ.* 287. *p.* 3. & alij.

Sanch. Fill. Molin. Regin.

15. *Decimotertiò* poſſunt diſſolui ſponſalia, quando non adimplentur conditiones, ſub quibus celebrata fuerunt: imò ſponſalia non ſunt valida, nec obligant donec impleatur conditio expreſſa in contractu ſponſaliorum; quando verò ſponſalia non fuerunt celebrata ſub aliqua conditione expreſſa, ſed tantummodò ſubtacita, valida ſunt abſolutè, & non cenſentur propriè conditionalia, quia conditio tacitè ſubintellecta non reddit actum conditionalem. Coninck *diſp.* 23. *dub.* 9. *ad fin.* Bonac. *de matrimon. q.* 1. *p.* 10. *num.* 4. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 67. *num.* 3.

Bonac. Sanch.

16. Ad diſſoluenda ſponſalia, ſi natura rei ſpectetur, nulla requiritur Iudicis auctoritas, quando certò conſtat de cauſa ſufficiente ad diſſoluenda ſponſalia, vnde non eſt opus relaxatione iuramenti; per accidens tamen, vt ratione ſcandali vitandi, fieri poteſt vt neceſſaria ſit Iudicis auctoritas. Sa *v. ſponſ. n.* 12. Sanch. *cit. diſp.* 69. Gutier. *c.* 35. *n.* 4. Filliuc. *cit. n.* 299.

Sa. Gutier. Fill.

17. Propria auctoritate diſſolui poſſunt ſponſalia: *Primo*, quando cauſa diſſolutionis eſt publica. *Secundò*, quando cauſa eſt occulta, & ſimul etiam ſunt occulta ſponſalia. *Tertiò*, quando ſponſalia ſunt publica, ſed cauſa diſſolutionis ita eſt occulta, vt non probari poſſit in iudicio, niſi magnum ſcandalum inde timeatur. Henriquez *lib.* 11. *c.* 14. Sanch. *d.* 69. & 70.

Henriq. Sanch.

18. Iudex, coram quo diſſoluenda ſunt ſponſalia, quando ad diſſoluenda requiritur Iudicis authoritas, eſt Iudex Eccleſiaſticus ordinarius vel delegatus, vt Epiſcopus, vel delegatus ab ipſo Epiſcopo: Parochus verò non eſt competens Iudex, cùm ipſe non habeat iuriſdictionem in foro externo. Sanch. *lib.* 1. *d.* 69. *n.* 10. Reginald. *lib.* 21. *n.* 268. Filliuc. *cit. num.* 299.

Sanch. Regin. Fill.

19. Quando dubitatur, an cauſa diſſoluendi ſponſalia ſit ſufficiens, aut quando moraliter non conſtat adeſſe cauſam ſufficientem ad illa diſſoluenda, non poſſunt abſque Iudicis auctoritate diſſolui; quia diſſoluens propria authoritate in hoc caſu exponeret ſe periculo committendi iniuſtitiam contra alterum ſponſum, qui non debet ſpoliari iure ſibi acquiſito per ſponſalia. Gutier. *c.* 35. *n.* 7. Reginald. *cit. n.* 268. Sanchez *cit. d.* 69. *n.* 9. Tamen vt licitè quis poſſit recedere à ſponſalibus in foro conſcientiæ, ſatis eſt vt vnus teſtis de certa ſcientia iurans, vel fama, imò ſi eſſet perſonis fide digna teſtificans, & de certa ſcientia teſtaretur, nec eſſet neceſſarium iuramentum. Filliuc. *cit. n.* 301. Sanch. *cit. d.* 23.

De ſponſalibus vide *Interdictum* 2. n. 11. *Promiſſio, Matrimonium.*

SVPLEMENTVM.

Sponſalia.

SVMMARIVM.

1 *An illæ ſolæ perſonæ habiles ſint ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium?*

2 *An ad valorem ſponſalium requiratur ſeptennium mathematicè vel moraliter completum:* Refertur duplex ſententia.

3 *Sponſalia in quacumque ætate contracta, an ſint valida ſi adſit vſus rationis?* Refertur duplex ſententia.

4 *Sponſalia incerta an ſint propriè & perfectè ſponſalia? & quomodo reddantur certa?*

5 *Quando pater promiſit alicui cum iuramento tradere vnam ex filiabus ſuis, an teneatur aliquam tradere ſi ille interim cognoſcat vnam earum?*

6 *An liceat ſponſis vel eorum parentibus, conſanguineis, vel amicis, apponere pœnam in ſponſalibus recedenti à ſponſalibus?*

7 *Inter ſponſalia contrahentes, an poſſit conueniri, vt qui iniuſtè reſilierit, ſoluat alteri damnum, quod ei emerſerit.*

8 *An pœna contractui ſponſalium adiecta, firmetur iuramento, & ad iuramentum obliget?* Refertur duplex ſententia.

9 *An valeant ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione ſi Papa diſpenſauerit?* Refertur duplex ſententia.

10 *An ſponſalia metu viri conſtantis inita ſint valida, ſi iuramentum accedat?* Refertur duplex ſententia.

11 *An*

Digitized by Google

11 *An diſſolui poſſint ſponſalia ex parte alterius ob notabilem ſau tiam aduenientem, aut cognitam poſt ſponſalia.*

Et quid ſi ſponſus ignorabat hoc vitium, ſed ita erat animo affectus, vt ſi cognouiſſet, nihilominus adhuc contraxiſſet.

12 *Quando ſponſus poſſit licitè contrahere matrimonium aliquo occulto vitio laborans, cuius ſi alter conſcius eſſet, poſſet licitè à ſponſalibus reſilire.*

13 *Quando poſt ſponſalia inſurgit quæcumque cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in bonis, ſiue in perſona, ſiue in fama, &c. quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa, promiſſio non fuiſſet facta, poſſit alter à ſponſalibus reſilire?*

14 *An omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia quæ poſtea ſuperueniunt, ſicut etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda, ſi præcedebant, & ignorabantur, ſed poſtea ante matrimonium deteguntur.*

15 *An per fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam, ſponſa diſſoluere poſſit ſponſalia.*

16 *Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, an poſſit ab vtroque fieri ſponſalium diſſolutio?* Refertur duplex ſententia.

17 *Quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit, vel paſſa eſt tactus impudicos per amplexus, & oſcula, an vir à ſponſalibus recedere poſſit? Quid dicendum de viro ſimilia patiente.*

18 *Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium, non amittat ius reſiliendi, ſi copulam cum ſponſa habeat.*

19 *Sponſalia puberum ex mutuo conſenſu contrahentium diſſoluuntur, etiamſi ſint iuramento confirmata.*

An autem quando iuramentum eſſet principaliter factum in honorem Dei, poſſint mutuo conſenſu remitti? Refertur duplex ſententia.

20 *An ſufficiat vnus teſtis fide dignus ad diſſoluenda ſponſalia ob aliquod impedimentum, cum quo contrahere eſt peccatum? Et quæ requirantur vt vnicus teſtis ſponſalia perfici impediat?*

21 *Quando ſola fama impedimenti ſufficiat ad ſponſalia diſſoluenda? Et quando ſponſi confitentur impedimentum.*

1 Illæ ſolutæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium. Ratio eſt, quia ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii; ergo inhabile ad matrimonium, ſunt inhabiles ad ſponſalia, quando impedimentum eſt perpetuum, ſecus enim quando eſt temporale, nam impuberes contrahere poſsũt ſponſalia, cùm tamen pro tunc non poſſint contrahere matrimonium. Similiter, qui vouit caſtitatem ad tempus, non poteſt licitè intra illud tempus matrimonium inire, validè tamen contrahit ſponſalia, niſi promiſſio eſſet contrahendi pro eo tempore, quo durat impedimentum, nam tunc ſponſalia eſſent nulla, quia illicita eſſet promiſſio, & peccaminoſa; vt ſi quis per biennium promittat caſtitatem, ſi daret fidem de matrimonio ſtatim contrahendo, animo illud conſummandi intra id tempus. Denique omne impedimentum ſolùm impediens licitè contrahi matrimonium, diſſoluit, & prorſus irrita reddit ſponſalia, ſi ipſa præcedat, quia promiſſio rei illicitæ obligare non poteſt, dum impedimentum durat. Ita Nauar. *lib. 4. conſil. tom. 1. de ſponſal. in 1. edit. conſil. 38. à num. 6. & in 2. edit. conſil. 5. num. 6. & ſeq.* vbi docet inualida eſſe ſponſalia Catholici cum hæretica, quia non licet matrimonium cum ea contrahere, quamuis validũ ſit. Petrus Soto *lect. 18. de matrim. §. Ad ſponſalia*. Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 15.* & alii, quibus adde Geſual. *p. 1. tr. 33. c. 3. n. 24.*

Nauar.
Sotus.
Sanch.

2. Dubium eſt inter Doctores, an ad valorem ſponſalium requiratur ſeptennium mathematicè completum, ita vt vnus non deficiat dies; an verò ſufficiat, quod ſit completum moraliter, id eſt, quòd ſolùm deſint octo, aut quindecim dies? Duplex eſt ſententia. Quidam volunt ſufficere ſeptennium moraliter completum, vt ſi duo, vel tres dies deficerent, ſecundùm Gutier. *de matrimon. cap. 22. n. 6.* vel iuxta Rebellum *p. 1. lib. 4. quæſt. 5. concluſ. 2.* ſi octo vel decem dies deſint ad complendum ſeptennium, quia quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Hæc ſententia eſt probabilis, quam etiam tuentur Sotus *in 4. diſt. 27. q. 2. ar. 2.* Henriq. *l. 11. c. 13. nu. 9.* Diana *p. 3. tra. 4. reſ. 274.* & alii.

Sotus.
Henriq.
Dian.

Probabilius tamen eſt exigi ſeptennium mathematicè completum, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret. Ratio eſt, tum quia tempus hoc in ſponſalibus eſt præſcriptum ſicut pretium in rebus, at pretium conſiſtit in indiuiſibili, ergo hoc ſeptennium. Tum quia vna die deficiente, verè non diceretur ſeptennium completum, ſed inceptum: quamuis ſufficeret ſi vltima ſeptennij dies non ſit completa, ſed incœpta, & hoc fauore matrimonij. Sicut enim requiritur ætas quatuordecim annorum ad condendum teſtamentum, & in fauorem eius ſufficit inchoaſſe vltimum diem anni 14. vt patet *in l. qua ætate, ff. de teſtament.* Ergo idem ſufficiet in ſponſalibus, quæ non ſunt minus fauorabilia. Ita Pontius *de matrimon. lib. 12. capite 5. numero 3.* Sanchez *de matrimon. libro 1. diſputatione 16. num. 4.* Coninck *de Sacrament. diſput. 21. dub. 5. n. 51.* Trullench *tom. 3. in praxi reſ. Sacrament. li. 7. cap. 1. dub. 10. n. 4.* Geſualdus *par. 1. Theolog. moral. tr. 33. cap. 3. n. 9.* & alii. Ad fundamentum autem contrariæ ſententiæ poteſt reſponderi, quod illud parum pro nihilo non reputatur, quod iure ipſo exigitur, nec moraliter in iure habetur, ac ſi compleſſet annum, qui proximè completurus eſt.

Sanch.
Conin.
Trullench

3. Difficultas alia eſt, an in quacumque ætate præueniatur vſus rationis, ſint vera ſponſalia, vt ſi via ordinaria, vel per miraculum acceleretur vſus rationis longè ante ſeptennium, vel neceſſarium ſit vna cum rationis vſu ætatem eſſe ſeptennio proximam. Aliqui cenſent, quòd ſi huiuſmodi infantes ante ſeptimum ætatis annum completum inter ſe ineant ſponſalia, & habeãt ſufficientem vſum rationis, valerent promiſſiones, quia in tali caſu promittunt ſibi quantum poſſunt humano modo, & valebit talis promiſſio, quantum in ea infantili ætate valere poteſt per modum ſimplici promiſſionis, non autem in ratione ſponſalium, quia in tali ætate non adhuc poſſunt validè ſponſalia perficere ſecundùm ius Canonicum; & ideò in tali ætate non eſſet contractum impedimentum publicæ honeſtatis inſtitutum ab Eccleſia, ſupra quod cadit ius Eccleſiaſticum, vt non valeant ſponſalia ante completum ſeptimum annum à natiuitate. Ita noſter Geſualdus *loc. cit. n. 12.*

Alij docent vna cum vſu rationis exigi ætatem ſeptennio proximam, nec ſufficere vſum rationis ante habitum. Ratio eſt, quia ideò ius præſcripſit ſeptennium completum, vt id exigatur, vel ſaltem, quo moraliter poteſt dici ſeptennium, quod eſt ætas ſeptennio proxima. Tum quia in matrimonio non ſatis eſt, vt potentia generatiua reperiatur ante pubertatem, & malitia ſuppleat ætatem, ſed vltra requiritur diſcretio, & prudentia requiſita ad coniugalem conſenſum, vt conſtat ex *cap. final. de deſponſat. impuber.* Ergo ſimiliter in ſponſalibus non ſatis erit vſus rationis quicumque, ſed talis qualis ſeptennio, vel proximè aduenit. Ita Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 13. n. 9.* Petrus Ledeſma *de matrim. q. 43. artic. 2. dub. 2.* & pro hac ſententia videntur eſſe D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 2. articulo 7. ad 7.* Victoria *in Summa de matrimon. numer. 284.* Sylueſter *verb. Sponſal. quæſt. 2. dict. 2.* Raphael Auerſa *de matrim. quæſt. 8. ſect. 7.* & alij. Hæc ſententia eſt communior.

Henriq.
D. Thom.
Syueſt.

Cæterum probabilis eſt etiam ſententia aſſerens, valida eſſe ſponſalia in quacumque ætate contracta, ſi via ordinaria, vel miraculosè vſus rationis acceleratur, vel malitia ſuppleat ætatem. & hoc ſpectato iure naturæ, & in foro conſcientiæ. Prob. quia ſeptennium non præſcribitur quaſi id neceſſarium, ſed quia in ea ætate præſumit ius vſum rationis aduenire; ergo ſi quacumque ætate ante ſeptennium vſus rationis adueniat erunt vera ſponſalia: non enim maior eſt ratio de proximis ſeptennio, vel multo minoribus, ſi eodem rationis vſu gaudeant. Ita Sanchez *lib. 1. diſp. 16. numer. 9. & 14.* Bonac. *de ſponſal. q. 1. punct. 4. n. 2.* Filliucius *tract. decimo, parte prima, capite ſeptimo.*

Sanch.
Filliuc.
Regin.

Digitized by Google

ſeptimo, *numero* 258. Naldus *verb. ſponſalia numero tertio*. Reginaldus *libro trigeſimoprimo*, *numero* 248. & alij.

Dixi in foro conſcientiæ,nam forum externum,& iudiciale indicabit ea ſponſalia ante ſeptennium contracta, inualida, eo quòd ſint celebrata contra iuris diſpoſitionem,ſeu tempus ab eo præſcriptum: quamuis probabile ſit ſi diſtantia ſit parua, & adſit vſus rationis, eſſe valida etiam in foro externo,vt tenent Sotus, Henriq. & alij apud Trullench *loco cit.dub.*10 *n.6.*

4. Sponſalia incerta non ſunt propriè ſponſalia,& perfectè. Ratio eſt,quia ſicut matrimonium neceſſariò eſſe debet cum perſona certa, ita & ſponſalia, quæ eius initium ſunt. Proinde quoties verba promittentis non feruntur in perſonam certam,non oritur publicæ honeſtatis impedimẽtum;vt ſi quis promittat tribus, vel quatuor filiabus Ioannis,ſe vnam ex illis ducturum, & ipſæ ſimiliter repromittant; Ergo ſponſalia incerta non ſunt propriè ſponſalia,ſed potius ſunt cõditionata ad eligendum, ſcilicet in futurum vnam ex illis;quibus ſub diſiunctione facta eſt promiſſio. Ita Coninch *de iurament. diſputat.* 21. *dub.*2.*numero* 16. Filliucius *tractat.* 10. *part.* 1.*capite* 7.*numero* 250. Guttierez *de matrimon.cap.* 16. & communis.

Conin.
Fill.

Hæc incerta ſponſalia redduntur certa, & perfecta, quando promiſſor poſtea determinat perſonam, qua determinatione facta, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis:& poſt Concilium Tridentinum ſufficienter præſumuntur determinari ſponſalia, ſi promiſſor poſtea cum vna earum habet copulam: præſumitur enim acceſſiſſe ad eam,animo eligendi illam,cum per copulam ſtat affinis reliquis ſororibus,ita vt non poſſit vnam aliarum ducere. Ita Syluester *verb. Matrimonium* 2. *nu.*11. Rebellus 2. *par.lib.*4. *de ſponſal.num.*2.& 6. Coninch *loc. citato*. Trullenc. *in praxi reſol. Sacrament.l.*7.*c.*1.*dub.*8. Bonacina *de ſponſal.q.*1.*punct.*3.*num.*3. contra Sanch.*l.*1. *diſp.*26.*n.*12.

Syluest.
Rebell.
Trullench
Bonac.
Sanchez

5. Quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere vnam ex filiabus quas habet,non tenetur aliquam tradere,ſi Caius interim cognoſcat vnam earum. Ratio eſt, quia non tenetur tradere ab illo cognitam; liberum enim erat patri tradere quam vellet, qua libertate non eſt priuandus ob copulam Caij delinquentis. Neque tenetur aliam tradere, quia impedit affinitas contracta per illam copulam cum aliis ſororibus. Si autem Caius reſpuat vnam illatum à patre electam, pater non tenetur ad tradendum aliam etiamſi Caius nullam earum carnaliter cognouerit,nam electio pertinet ad patrem,qui promiſit. Si quis verò promittat vnam ex pluribus conſentientibus ducere,poteſt eligere quam maluerit, & electa tenebitur, quia omnes illæ repromiſerunt, & promiſſoris eſt electio,id enim generale eſt in omni promiſſione alternatiua.Regul. *In alternatiuis,de regul. iur. in* 6. vnde pater promittens vnam ex filiabus, offerens quamcumque excuſatur, quamuis alter eam ducere nolit. Si autem antequam aliquam ex illis offerret, omnes vna dempta,obirent, teneretur ſuperſtitem dare, quia aliter fidem minimè implere poteſt. Ita Sanchez *loco citato*, *nu.* 2.& 4. Coninch *diſputat.*21.*dub.*8.*numero* 54. Trullench *loco citato*,*dub.*8.*numero* 4.& 5. Bonacina *loco citato*, *numer.*5.& 6.

Sanch.
Coninch.
Trullench

6. Non licet ſponſis apponere pœnam in ſponſalibus etiam iniuſtè reſilienti, aut recedenti à ſponſalibus, & ſi apponatur erit ipſo facto nulla: quare violans fidem non tenetur in vtroque foro eam ſoluere, vt expreſsè definitur *in cap.Gemma*, *de ſponſalib. l final. Cod. de ſponſalib.* Ratio eſt,vt matrimonij libertati conſulatur, ne timore pœnæ ſoluendæ coactè ineatur. Quæ quidem diſpoſitio iuris procedit, etiamſi pœna ſit leuis, quia in dictis iuribus pœna abſolutè reprobatur: nam pœna quamuis modica, eſt vera pœna, & aliqualiter impedit libertatem. Tum quia,cùm pœnam adiicere odioſum ſit, extendendum non eſt, & ius contractum hunc omnino liberum, pœnæque immunem eſſe voluit. Ita Sanch. *l.* 1. *de matr. diſp.*30.*n.*2. & 11. Gaſpar Hurtad. *de matr. diſp.* 1. *diffic.* 18.*n.*76. Trullench *in praxi reſol.Sacrament.l.*7. *capit.*1. *dub.*11.*num.*1. Gutierrez *de matrimon.cap.*17.*num.* 2. & communis.

Sanchez.
Hurtad.
Trullench
Gutier.

Non ſolùm pœna eſt irrita, dum per ipſos ſponſos apponitur, ſed etiam,quæ apponitur a parentibus, conſanguineis, vel amicis ſtrictiſſimis ſponſi, vel ſponſæ, vel ab eis à quibus ſponſi poſſunt pati aliquod damnum graue, vel ab eis quibus ſponſi in aliquo ſubditi ſunt, vt ſi ſint eorum tutores. Ratio eſt, quia *in d ct. cap.Gemma*,generaliter reprobatur pœna, qua contrahentium libertas poteſt impediri,at pœna inter quoslibet ex his poteſt impedire libertatem contrahentium,cùm probabile ſit fore, vt inducantur ad matrimonium, ne prædicti pœnam ſoluant. Pœna tamen appoſita inter omninò extraneos ipſis ſponſis, qui ipſos nullo modo ex dictis attingunt, valida eſt,quia tunc non impeditur libertas matrimonii, eo quod nihili faciunt ſponſi,ſi omninò extranei pœnam ſoluant,modò extranei pœnam ex proprijs bonis ſoluendam ſpondeant.

Negandum etiam non eſt, quin amici ſponſorum,vel eorum parentes,aut propinqui poſſint pęnam apponere, qua ſe obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur,quia ſic nulla imponitur ſponſis neceſſitas, vel impeditur libertas contrahentium; eo quòd tunc pęna minimè cadit ſuprà filiorum, aut coniunctorum matrimonium, ſed ſuper factum ipſorum promittentium, nempe curam, & diligentiam adhibendam, vt matrimonium ſequatur,quia hac adhibita, ſiue ſequatur, ſiue non matrimonium, minimè debetur. Ita Sanchez *loco citato*, *diſp.*30.*numero* 4. Guttierez *loco citato*, *numer.* 9. & 10. Couarruuias 2.*par.c.*3.§.3. Rebellus *lib.*4. *de ſponſal. q.* 7. & alii.

Sanch.
Couar.
Rebell.

7. Inter contrahentes ſponſalia poteſt conueniri,vt qui iniuſtè reſilierit,ſoluat alteri damnum,quod ei emerſerit, ex eo quòd facta ſint ſponſalia,& ipſe ab eis recedat,vt ſi alter ſponſus ratione ſponſalium expenſas fecerit. Ratio eſt,quia recipere illud damnum, non fit ex appoſitione perſonæ,nec intereſſe damni poteſt ſpecies pęnæ appellari,ſed eſt recompenſatio debita iure naturali ex iuſtitia. Hinc fit valere promiſſionem ſoluendi intereſſe ſub nomine intereſse, quamuis non valeat ſub nomine pęnæ. Lucrum autem diuitiarum ex matrimonio ſequendum non poteſt accipere, quia ad illud non habet ius, niſi poſt factum matrimonium, ac proinde conuentio compenſandi eſſet appoſitio pęnæ. Ita Sanchez *loco citato*, *diſput.* 30.*n.*13. Gutierez *de matrimon.c.*17.*n.*14.Bonac.*de ſponſ. punct. vltim.n.*6. Hurtadus *de matrim. diſput.* 1.*diffic.*18. *num.*79.

Sanchez.
Bonacina.
Hurtad.

Quamuis quidam non improbabiliter exiſtiment neutrum lucrum peti poſse, niſi ſponſus violans fidem, dolo inierit ſponſalia,vt alter ſponſus damnum illud patiatur, quia ob ſolutionem intereſſe timidior redditur ſponſus, ne à ſponſalibus recedat.& ita plena matrimoo] I be tas impeditur,quæ fuit ratio prohibendi pęnam Ita Ioannes Andræas,Antonius,Ancharanus, Panormitanus *in capite Gemma de ſponſal.* Roſella *verb. Sponſalia*, *num.*7. & ibi Syluester *q.*8.*dict.*2.

8. Quorumdam ſententia probabilis eſt pęnam contractui ſponſalium adiectam, firmari iuramento, & id iuramentum obligare,quia licet promittere pœnam prohibitum ſit,ſoluere tamen nulli prohibetur,ergo iuramentum illud confirmat contractum, & obligat. Tum quia nullibi probatur iuramentum hoc,nec promiſſionem eſse contra bonos mores, & ideò poteſt abſque peccato impleri ergo. Ita Leſſius *l.*2.*c.*17.*dub.*7.*numer.* 56 Coninch *diſp.*22.*n.*4.& alii.

Leſſius.
Coninch.

Probabilior tamen ſententia eſt negatiua. Tum quia iuramentum non obligat ad rem illicitam,& prohibitam, prohibita eſt autem ſolutio dictæ pęnæ propter oppoſitionem,quam habet cum libertate matrimonij. Tum quia quando actus principaliter prohibetur in fauorem publicum,vel ob bonum commune nõ firmatur iuramento, *c. ſi diligenti,de foro compet.* ſed pœnæ promiſſio interdicta eſt ob publicam vtilitatem, nempe ob libertatem matrimonij, ex *dict. cap. Gemma*, & cùm iuramentum ſequatur naturam primordialem actus, cui adiicitur, & talis actus,ſeu promiſſio in ſponſalibus non ſit valida, a

obli

Digitized by Google

obligatoria, ideò fit, nec iuramentum ei additum eſſe validum, nec obligntorium. Cùm ergo promiſſio illa pęnæ, non ſit actus virtutis, quin potiùs peccatum, & nulla ex parte iuſtificetur, non firmabitur iuramentum. Ita Sanch. *de matr. m. l. 1. diſp. 32. n. 21.* Trullench *in praxi reſol. Sacram. l. 7. cap. 1. dub. 11. n. 3.* Bonacina *loco cit. puncł. vlt. num. 2.* & alii apud Sanchez, quibus adde Dian. *part. 3. tr. 4. reſol. 211.*

Trullench. Bonac. Dian.

9. Controuertitur inter Doctores, an valeant ſponſalia inter impeditos, impedimento dirimenti, cum conditione ſi Pontifex diſpenſauerit? Quidam docent eam promiſſionem eſſe omninò nullam, & proinde licitum eſſe vtrique contrahenti ante, & poſt impetratam à Pontifice diſpenſationem, altero inuito reſilire. Ratio illorum eſt, quia conditio impoſſibilis reiicitur à contractu matrimonii, vel ſponſalium, iſque purus manet, ac ſi ea adiecta non fuiſſet, ſed hæc conditio, ſi Papa diſpenſauerit, eſt impoſſibilis; quia conditio à voluntate Principis dependens, qualis hæc, reputatur impoſſibilis, vt conſtat ex *l. Continuus 137. §. cum quis de verbor. oblig.* Hanc ſuſtinent Valerius *in different. vtriuſque for. verb. matrimon. diffic. 7.* Molfeſius *tom. 1. Summ. tract. 4. cap. 5. num. 34.* Henriq. *lib. 12. cap. 10. num. 4.* Petrus Ledeſma, Viualdus, & alii ſatis probabiliter.

Valent. Molfeſ. Henriq.

Verùm contraria ſententia videtur probabilior. Prob. quia earum rerum, quæ ſuapte natura, nec malæ ſunt, nec vlli iuſtæ legi repugnant, iuſta, ac firma poteſt eſſe pactio, ſed paciſci de futuris nuptiis inter impeditos iure tantùm canonico ex conceſſione Romani Pontificis, nec turpe eſt, nec vllam legem perſtringit, ergo inita de ea re pactio rata eſſe debebit, quamdiu Romani Pontificis auctoritate non infirmatur.

Reqnirit tamen hæc ſententia duas conditiones, vt talia ſponſalia obligent, quarum *Prima* eſt, vt tale ſit impedimentum quòd in eo ſoleat Papa diſpenſare, quare non valent huiuſmodi ſponſalia inter fratres.

Secunda, vt etiam adſit iuſta cauſa diſpenſandi, aliter enim quamuis ſoleat Papa diſpenſare, non valent dicta ſponſalia, & peccant ſic ea contrahentes. Deinde non eſt verum illud fundamentum, quod pendens à voluntate Principis eſt impoſſibile, quando Princeps illud concedere ſolet, vt accidit in caſu noſtro. Ergo, &c. Nam votum Epiſcopi tranſeundi ad Religionem, ſi Papa diſpenſauerit, validum eſt: Sicut inſtitutio ſpurij, facta ſub conditione, ſi Princeps eum legitimauerit, eſt valida. Accedit, quod licet factum pendens à Principis voluntate reputetur impoſſibile, non tamen excuſetur promittens, niſi à Principe poſtulauerit; ergo eſto ea conditio eſſet impoſſibilis, non eſſet irrita promiſſio, ſed tenebitur promittens niti diſpenſationem impetrare. Proinde ex dictis ſequitur has impeditos contrahentes ſub conditione, ſi Papa dipenſauerit minimè peccare, quia illa conditio ſuſpendit in tempus habile, tollitque rationem culpæ ab eo contractu. Ita Adrian. *in 4. tract. de ſponſal. dub. 10. in ſolut. ad 2.* Pontius *de matrimon. lib. 3. cap. 15.* Gutierez *quaſt. canonicar. lib. 2. c. 22. num. 5. & 17.* Filliucius *tract. 10. par. 1. num. 142.* Trullench *in praxi reſol. Sacrament. l. 7. cap. 1. dub. 13 num. 4.* Sanchez *de matrimon. lib. 5. diſput. 5. num. 13. & ſequent.*

Adrian. Fill. Trullench. Sanch.

Aduertendum tamen quod inter ſponſos cum dicta conditione, non licent oſcula, & tactus ac amplexus, quia etſi vera ſint ſponſalia, non tamen ſunt abſoluta, & omnino perfecta, donec diſpenſationem obtinuerint, vt notat Trullench *loco cit. n. 7.* cum aliis. Vide dicta *to. 1. verb. Matrimonium VI. n. 7.*

Trullench

10. Iuxta probabiliorem ſententiam ſponſalia metu viri conſtantis inita, ſunt ipſo iure nulla, per *cap. Ex litteris, de deſponſat. impub.* Sed difficultas eſt, an ſint valida, ſi iuramentum accedat, vel ſaltem iuramentum ſit obſeruandum, donec relaxetur? Circa hanc difficultatem eſt duplex ſententia; 1. ſuſtinet id iuramentum valere, & indigere relatione: quia id iuramentum non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, poteſt enim ſeruari abſque omni culpa, maximè cùm ad redimendam propriam vitam, licitum ſit obligare ſe ad contrahendum, ergo obligat, iuxta *cap. Cum contingat, de iureiur. & cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* Tum quia iurans ſoluere vſuras tenetur obſeruare iuramentum, ex *cap. Debitores, de iureiur.* quamuis ad iuramentum non confirmet contractum. Ergo, &c. Hæc ſententia eſt probabiliſſima, quam tenent Syluester *verb. Sponſalia, quaſt. 6.* Sotus *lib. 8. de iuſtit. q. 1. art. 7. in ſolut. ad 3.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 6.* & alij multi apud Sanchez infrà.

Syluest. Sotus. Henriq. Sanch.

Nihilominus contraria ſententia non eſt improbabilis, quia dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, ſi iuramento ſtabiliatur, iuramentum nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget; ſed ſponſalia coacta quæ ſunt initium matrimonij, prohibentur ob publicam vtilitatem, ſicut & ipſum matrimonium coactum, ergo iuramentum illis accedens minimè obligat. Vnde patet reſponſio ad rationem contrariæ ſententiæ; nam contractus vſurarius prohibetur principaliter ob bonum priuatum, non enim intereſt reipublicæ ſiue hic ciuis, ſiue ille pecuniam per vſuram extortam compareт, ſponſalia verò coacta ob publicam vtilitatem interdicuntur. Ita Sanchez *de matrimon. lib. 4 diſp. 21. num. 2. & 3.* Arragon *2. 2. queſtion. 89. art. 7. circa ſolut. ad 4.* Barboſa *in collect. tom. 2. lib. 4. titul. 2. cap. 11. numer. 4.* Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 218.*

Sanch. Barboſa. Diana.

Quoad primam autem difficultatis partem, dicendum eſt ſponſalia non effici valida accedente iuramento, quia iuramentum metu extortum cùm non confirmet contractum, relinquit illum in priſtino valore aut nullitate, quare ex illis nullum orietur publicæ honeſtatis impedimentum. Ita Sanchez *loco citato, numer. 1.* Diana *loco citato.*

11. *Sponſalia* diſſolui poſſunt ex parte alterius ob notabilem ſæuitiam aduenientem aut cognitam poſt ſponſalia. Ratio eſt, quia ob illam impletio ſponſalium fit alteri notabiliter durior, & quia ob illam poteſt fieri diuortium, *cap. Litteras, de reſtit. ſpoliat. in fine*, ergo à fortiori diſſolui poſſunt ſponſalia; hoc enim argumento vtitur textus, *cap. Quemadmodum, de iureiur.* ad probandum fornicatione dirimi ſponſalia quia ea eſt iuſta diuortij cauſa. Et ob eandem rationem idem dicendum eſt, de qualibet ſufficienti cauſa ad faciendum matrimonij diuortium. Ita Henriq. *lib. 11. de matrimon. cap. 14. n. 6.* Coninc. *diſp. 23. n. 67.* Hurtado *diſp. 1. de ſponſal. diffic. 14. n. 50.* communis.

Henriq. Hurtad.

Sed quid dicendum, ſi tempore celebrationis ſponſaliorum alter ſponſus ignorabat hoc vitium, ſeu cauſam ſufficientem ad illa diſſoluenda, ſed ita erat animo affectus vt ſi vitium cognouiſſet, nihilominus ſponſalia contraxiſſet? Reſp. non poſſe reſilire. Ratio eſt, quia decepto non permittitur contractum reſcindere, vbi dolus cauſam non dedit, ſed tantùm agere ad intereſſe. Tum quia illud vitium ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia, quod cenſetur ſaltem tacitè contra voluntatem promittentis, ſed in hoc caſu vitium non cenſetur contra promittentis voluntatem, cùm abſolutè promiſerit, & adhuc promiſiſſet cognito eo vitio, ergo non poteſt ſponſalia diſſoluere propter illud vitium tempore ſponſaliorum ignoratum, ſi ita erat affectus, vt eo cognito promiſiſſet. Ita Gutierez *de matrimon. c. 33. num. 9.* Perez *de ſponſal. §. 6.* Sanchez *lib. 1. diſp. 65. n. 2.* Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib. 7. cap. 2. dub. 13. n. 3.* & alij.

Gutier. Sanch. Trullench

Hinc fit, vt qui promiſit mettimonium Bertæ Pauperi, aut defloratæ, quam credebat eſſe diuitem aut virginem, tenetur ſtare ſponſalibus, ſi tempore ſponſalium ita erat animo diſpoſitus, vt ſponſalia contraxiſſet, etiamſi ſciuiſſet, illam eſſe pauperem, aut defloratam.

Si autem dubitet, an in contrahendo ſponſalia, habuerit illam animi diſpoſitionem; conſideranda eſt vitij grauitas, nam ſi vitium eſt graue, præſumetur non habuiſſe affectum ſeu voluntatem habitualem ſe obligandi; nam fortiſſima præſumptio deſumitur ex communiter accidentibus, vt ait Menochius *lib. 1. de præſumpt. quaſt. 18.* Sed homines communiter nolunt promittere, vel ſe obligare interueniente aut cognitio graui vitio; ergo, &c. Ita Sanchez *loc. cit. num. 4.* Nauar. *in man. cap. 18. num. 7.* Gutier. *cap. 33. n. 9. & cap. 34. num. 8.* Trullench *loco citato*, & alij.

Sanch. Nauar. Gutti er. Trullench

12. Alter ſponſus poteſt licitè, & ſine peccato contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat cuius ſi alter conſcius eſſet, poſſet licitè à ſponſalibus promiſſis reſilire, modò defectus alterius ſponſi reddant nuptias minùs appetibiles. Hinc non tenetur ſponſus illos defectus detegere, maximè quando ſunt occulti, vel aliqua nota infamiæ coniuncti. Vnde etiam interrogatus de illis non tenebitur propalare, & detegere cum ſuo incommodo, & rubore, poteritque huiuſmodi defectus prudenter diſſimulare. Vnde recens nupta licitè, & conſultò poteſt vti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat corruptam fuiſſe, nam in tali caſu non propriè fingit, ſe eſſe virginem ſed vitium occultat propter ſuum commodum, & honorem. Imò in tali caſu excuſabitur à peccato mortali, etiam ſi aperte diceret, ſe eſſe virginem, niſi eſſet periculum, ne vir poſtea corruptam deprehenderet. Verùm in caſu mortis mariti non poterit licitè petere datarium ſuæ virginitatis.

Si autem defectus tales ſunt, qui reddunt matrimoniũ pernicioſum, vt morbus contagioſus, improbi mores, à quibus alter ſponſus deſiſtere non vult, grauis infamia, ſiue perſonalis, ſiue generis, quæ poſſet honeſtam familiam alterius ſponſi deturpare, & ex quibus infœlices exitus matrimonij contracti poterunt probabiliter deuenire, tunc non licebit cum horum ſponſo ignaro contrahere niſi etiam alter ſponſus ſimiles defectus patiatur: Ita Pontius *de matrimon. lib.* 11. *cap.* 18. *num.* 5. & 6. Conink *de Sacrament. diſp.* 23. *dub.* 12. *num.* 91. & *ſequent.* Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 287. Auerſa *q.* 8. *de matrimon. ſect.* 59. §. 5. & alii.

Pontius
Diana.

Ex qua doctrina colligitur, eum, qui defectum prioris generis habet, poſſe ignarum illius defectus renuentem compellere, vt adimpleat ſponſalia promiſſa: non enim priuari debet iure ſuo, dum defectus non eſt pernicioſus, & nondum deuenit in notitiam alterius ſponſi. Si autem defectus ſint pernicioſi, vt ſupra, tunc non poterit licitè compellere alterum ſponſum ad contrahendum matrimonium, quia faceret contra iuſtitiam inducẽdo alterum ſponſum illicitè ad matrimonium contrahendum, de quo probabiliter timeretur infœlix exitus, aut notabile damnum alterius; ſed potiùs debet ex ſe deſiſtere fingendo aliam quamcumque cauſam, vt ſponſus à promiſſione facta liberetur. Ita Doctores citati, quibus adde Sanch. *de matrim. l.* 1. *diſp.* 68. *n.* 8.

Sanch.

13. Quotieſcumque poſt ſponſalia inita inſurgit, quæcumque noua cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in bonis, ſiue in perſona, ſiue in fama, ſiue in moribus, ſiue quæcumque alia inconuenientia, quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa retraxiſſent animum illius ſponſi, qui huiuſmodi ſponſalia promiſit, à promittendo, poteſt alter in tali caſu iuſtè recedere à ſponſalitia promiſſione etiã iuramento firmata; quia iuramentum includit omnes conditiones contractus, cui adiicitur, *l. final. Cod. de non numer. pecunia*, & intelligitur rebus in eodem ſtatu manentibus, *cap. Quemadmodum, de iureiur.* Ratio eſt, quia promiſſio non obligat vltra promittentis intentionem, ſed intentio virtualis eſt promittentium, non ſe obligare in hoc caſu indiſſolubiliter, ergo eſt iuſta cauſa diſſoluendi, quia rebus mutatis promiſſio non obligat. Tum quia in matrimoniis celebrandis requiritur plena libertas, & complacentia vtriuſque ſponſi debentque mutuo amore conſoueri, eo quòd ſit vinculum indiſſolubile. Ita Nauar. *in man. c.* 22. *n.* 27. Coninc. *diſp.* 23. *dub.* 8. Sanch. *de matrim. l.* 1. *diſp.* 62. *n.* 3. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 14. *in fine.* Syluest. *verb. Sponſalia q.* 10. *caſu* 17. & *verb. Iuramentum.* 3. *q.* 1. *dict.* 3. Petrus Soto *lect.* 18. *de matr.* §. *nunc de ratione*, & communis.

Nauar.
Henriq.
Syluest.

14. Omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia quæ poſtea ſuperueniunt, ſunt etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda pariter, ſi præcedebant, & ignorabantur, poſtea tamen ante matrimonium contractum deteguntur. Ratio eſt, quia ſi quis vendat occultando vitium, eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluendam venditionem, ergo à fortiori vitium occultum eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia contracta, per illius vitij ignorantiam, cùm nullus ſit contractus tantam libertatem exigens, ac ſponſalium. Tum quia quilibet ſponſus ſemper cenſetur noluiſſe ſe obligare in huiuſmodi euentu ad contrahendum matrimonium, cognita tali cauſa: cùm enim ſponſalia diſſolui poſſint quando ſuperuenit notabilis mutatio in perſona alterius ſponſi: ſimiliter etiam poſſunt diſſolui, quando talis cauſa, ſiue mutatio de nouo cognoſcitur, quæ tempore ſponſalium latebat. Ex quo fit, quod ob fornicationem præcedentem ſponſæ, poteſt ſponſus, qui eam ignorabat, virginem eſſe exiſtimans, diſſoluere ſponſalia, quia ignominioſum eſt viro fęminam corruptam ducere, cum exinde notabile damnum incurrat, bigamiam ſcilicet contrahendo, & proinde ad Ordines, ſi illos eligat, promoueri non poſſit. Ita Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 63. *numer.* 2. Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 5. *caſu* 7. Bonacina *de ſponſalib. quæſt.* 1. *punct.* 8. *n.* 16. Leſſius, Rebellus, Filliucius, Reginaldus, apud ipſum. Qui idem dicendum putant ſi ſponſus crederet eſſe virginem, cùm tamen ſit vidua, quia non infima nota eſt viduam ducere, & magis æſtimant homines, virgo ne, an vidua ſit ducenda in vxorem, ob irregularitatem quam incurreret ducendo viduam.

Sanch.
Sotus.
Bonacina.

15. Dubium eſt, an per fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam poſſit ſponſa diſſoluere ſponſalia? Rationem dubitandi præbet Nauarrus *in man. c.* 22. *num.* 27. *caſu* 6. vbi ait indiſtinctè poſſe diſſolui ſponſalia propter alterius fornicationem præcedentem ignoratam, ſed tanquam certum tenendum eſt contrarium. Ratio eſt, quia viri fornicatio præcedens ſponſalia, non eſt contra fidem diſpenſationis, nec graue dedecus infert ſponſæ, & nulla nota, nec ignominia eſt fęminæ, viro qui aliam cognouit nubere; ſicut infert fornicatio ipſius ſponſæ, etiamſi commiſſa fuerit ante ſponſalia, grauem ignominiam ſponſo. Deinde in fornicatione viri non eſt idem inconueniens, quando præcedit, & quando ſubſequitur; quia quando ſequitur, dat ius diſſoluendi ſponſalia, eo quòd eſt contra eorum fidem, indeque ſuſpicio oritur de non ſeruanda matrimonij fide, & ideo non dat ius diſſoluendi, quando præcedit, quia ceſſat hæc ratio: At fornicatio ſponſę vltra hanc rationem, concedit ius dirimendi ſponſalia ob infamiam viri, & notabilem differentiam, quæ verſatur inter matrimonium celebratum cum muliere honeſta, vel inhoneſta: quæ ratio æquè procedit in fornicatione fęminæ ſequenti, vel præcedenti ignorata. Ita Molina *de iuſt. tra.* 2. *diſp.* 272. *verſ. Deinde ſi mulieri.* Conin. *diſp.* 23. *n.* 57. & 62. Bonac. *de ſponſal. q.* 1. *punct.* 8. *num.* 1. Trulleuch *in praxi reſol. Sacram. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 9. *nu.* 3. Sanch. *loc. cit. diſp.* 63. *n.* 9. & alij communiter.

Molin.
Bonac.
Sanchez.

16. Quando vterque, ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, ſponſus poteſt reſilire à ſponſalibus, non autem ſponſa. Ratio eſt, quia quamuis quoad fractionem fidei, & iuris, facta ſit æqualis compenſatio, non tamen quoad vtilitatem, quia ſponſa fit notabiliter vilior, non verò ſponſus. Tum quia longè ignominioſus eſt talem ducere vxorem fornicariam, & violatam contra fidem ſponſalium, quàm ſponſam ducere virum fornicarium. Nam ex fornicatione ſponſæ longè grauius delictum, & damnum imminet propter incertitudinem futuræ prolis, & ideò in tali caſu delicta ſunt valdè imparia nec poſſunt inter ſe compenſari, quia iniquè fieret compenſatio, vbi detrimentum eſt multo grauius: multò enim turpior eſt fornicatio in fęmina, quam in viro. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 14. *num.* 6. Pontius *de matrimon. lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 3. Guttierez *de matrimon. cap.* 31. *num.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 284. Sanchez *loco cit. diſp.* 55. *numer.* 9. Geſualdus *part.* 1. *Theolog. moral. tract.* 33. *cap.* 7. *num.* 12. Trullench *loco cit. num.* 4. Quamuis Paludanus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *num.* 17. *verſ. Quarto in compenſando*, quem ſequitur Bonacina *loco citato, punct.* 8. *nu.* 6. dicant in hoc caſu vtriuſque ſponſi delicta compenſari, ita vt nulli liceat a ſponſalibus reſilire, ſicut & inter coniuges, ſi vterque adulteratus fuerit, nulli ipſorum licebit diuortium à toro facere. Sed hoc argumentum non valet, quia multò facilius ſoluuntur ſponſalia quam matrimonium quoad torum; illa enim, ob quamlibet mutationem notabilem ſuperuenientem ſoluuntur, hoc autem minimè.

Henriq.
Diana
Sanch.
Bonac.

17. Vir poteſt a ſponſalibus recedere, quando ſponſa

ab ...

Digitized by Google

ab altero viro per vim cognita fuit. Ratio autem non ſolùm eſt, quia efficeret bigamus, verum etiam quia magnum eſſet dedecus viro talem ducere vxorem, præſertim, quia non ita facilè cõſtare poteſt ſponſo, an per vim, & omninò inuoluntariè fuerit cognita. Propterea in tali caſu cenſetur facta eſſe notabilis mutatio in ſponſa, ideòque poterit licitè talis ſponſus in eo caſu reſilire à ſponſalibus. Similiter poſſunt ſponſalia diſſolui, ſi poſt fœmina tactus impudicos alterius, vt amplexus, & oſcula patiatur, quia hæc cenſentur valde ignominioſa reſpectu ſponſæ, & magna eſset mutatio honoris ſponſæ, & tendens in magnam eius ignominiam, qua mutatione præuiſa ſponſus non promiſiſſet ſponſalia. Ita Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 57. *num.* 5. & 7. Hurtadus *de matrim. diſput.* 2. *diffic.* 11. *num.* 4. Nauarrus *in man. c.* 22. *n.* 27. Bonacin. *loc. cit. punct.* 8. *n.* 2. & 3. Trullench *in praxi reſol. Sacram. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 9. *n.* 2.

Sanch. Nauar. Bonac.

Contrarium autem dicendum videtur, ſi vir omninò inuitus, & culpæ expers fornicationem pateretur, vel tactus impudicos cum alia haberet: nam inde nullum dedecus ſequitur ſponſæ, nec iſta cenſetur notabilis mutatio, qua præuiſa præſumatur ſponſam noluiſſe promittere, ſeque obligare, nec aliud damnum patitur ducendo ſponſum, qui omninò inuitus, & ſine culpa fornicationem paſſus eſt. Ita Doctores citati. Vide Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 243.

18. Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium amittit ius reſiliendi, ſi copulam habeat cum ſponſa, ſi ſponſalia fuerint valida. Ratio eſt, quia eo acceſſu, vtpote facto ſub ſpe matrimonii, ſatis oſtendit ſponſus ſe cedere iuri reſiliendi, & in priori conſenſu permanere: ſicut enim coniuges ſcientes fornicationem ab altero coniuge commiſſam, ſi ſe cognoſcant, amittũt ius petendi diuortium, ita à pari ſponſus amittet per eam copulam ius reſcindendi ſponſalia. Ita Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 66. *num.* 2. Filliucius *tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 8. *numer.* 298. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 267. Rodriquez 1. *par. Summa Latina c.* 207. *num.* 12. Guttierez *c.* 34. *num.* 9. & alij apud Sanchez.

Sanch. Fil. Reginald. Rodriq.

Et hoc verum eſt, non ſolùm in foro exteriori, in quo ita iudicabitur, quia dicta copula eſt vehemens indicium remiſſionis defectus, & ceſſionis iuris reſiliendi, ſed etiã in foro interiori conſcientiæ, quando ſcilicet habuit copulam animo implendi ſponſalia. Ita Gaſpar Hurtadus *de ſponſal. diffic.* 16. *n.* 50. Si verò non eo animo acceſſit ad ſponſam, dubium eſt, an cenſeatur verè remittere ius reſiliendi? Negat Hurtadus, ſi alia via, quàm ducendo ſponſam, poſſit damno illato, ſi quod intulit, liberè eo acceſſu ſatisfacere, vt ſi eo acceſsu facto ſub ſpe matrimonii ſponſa reddatur minus apta ad contrahendum alteri æquali. Affirmat Sanchez *loc. cit. n.* 3. ſicut non poteſt petere diuortium matrimonij coniux, qui conſcius fornicationis alterius, copulam habuit, licet habeat animum interiorem non remittendi: nam ea remiſſio non à voluntate ſua, ſed ex iure ipſo proficiſcitur. Vtrumque probabile.

Quando autem ſponſalia fuerunt inualida, non tenetur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, nam ſponſalia inualida non inducunt obligationem, nec fiunt valida per copulam habitam, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus ſciens eſse irrita, & per illum actum tacitè ratificari, quia tunc manent firma. Ratio eſt, quia cùm ſponſa decipiens, habilis fuerit ad contrahendum, vt ſupponitur, conſenſus ex parte ſua validus fuit, & is dum non reuocatur, virtute durat, & ſolùm deſiderabatur conſenſus alterius, qui ratione doli inefficax erat: ſed hic modò accedit, & manifeſtatur ſigno externo, nempe copula, quæ conſenſus matrimonialis ſufficiens indicium reputatur; *cap. Is qui fidem, de ſponſal.* Ita Sanch. *loc. cit. n.* 4. Bonac. *de ſponſal. q.* 1. *punct.* 10. *n.* 10. & alii citati.

Sanchez. Bonac.

19. Certum eſt, ſponſalia puberum ex mutuo contrahentium conſenſu diſsolui, ex *cap.* 1. *de ſponſalibus*, vbi dicitur, *qui de contrahendo matrimonium ſibi fidem dederunt commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem obſeruent: ſi autem ſe ad inuicem admittere noluerint, ne deterius inde contingat, poteſt in patientia tolerari*; quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſsoluitur, *c.* 1. *de Regul. iuris*; ergo cùm ſponſalia ex mutuo conſenſu conſurgant, eodem diſsoluuntur, modò remiſſio ſpontè fiat, non coactè, aliàs nulla erit. Hoc autem procedit, etiamſi iuramento ſponſalia confirmata ſint, ſi iuramentum illud in partis fauorem præſtitum ſit: quia iuramentum dirigitur in Deum tanquam in teſtem promiſſionis homini factæ, quare remittente homine, remittit etiam ipſe Deus. Ita D. Thomas. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 9. *ad* 2. communiter ferè receptus.

Non conueniunt tamen Doctores, ſi iuramentum ſponſalibus adiectum eſset principaliter in honorem Dei factum, an poſſint ſponſalia conſenſu mutuo remitti? duplex eſt enim ſententia. Prima negat ex doctrina D. Thomæ hic citati, vbi ait, eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, non poſse remittere: Deus enim eſt principalis creditor, cui ex merito talis iuramenti, fuit acquiſitum ius; ergo ſine auctoritate Dei, vel eius, qui vicem eius gerit, nequit remitti, nec relaxari.

Tum quia iuramentum factum intuitu pietatis, voto æquiualet, vt tradunt omnes, ſed in voto nihil poteſt priuata perſona, cùm ſoli Deo ius acquiratur, ergo &c. Ita D. Th. Sotus *lib.* 8. *de iuſt. q.* 1. *art.* 9. *ad* 2. Sylueſt. *v. Sponſalia quæſt.* 10. *caſu* 1. Et ibi Roſella *num.* 8. Angelus *numer.* 20. & nouiſſimè Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 76. & alii valde probabiliter.

Sylueſt. Diana.

Contraria tamen ſentẽtia ſuſtinetur à multis tanquam probabilior, nempe mutuo conſenſu diſsolui poſse, quia quamuis iuramentum Deo præſtitum ſit, ipſe Deus recipit illud in partis vtilitatem, ergo pars, cui debetur, remittere poteſt, ſicut alia debita condonare. Ita Pontius *de matrimon. lib.* 12. *cap.* 9 *num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 52. *n.* 8 Guttierez *cap.* 24. Coninch *diſput.* 23. *dub.* 1. Bonacina *de ſponſal. quæſt.* 1. *punct.* 10. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub* 12. *num.* 57. Trullench *in praxi reſol. Sacrament. l.* 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 3. & alii plurimi penes ipſos, quia hoc iuramentum cenſetur factum ſub conditione, ſi ille, in cuius fauorem factum eſt, velit acceptare, & nolit illud reſpuere, aut renunciare iuri ſuo, aut remittere obligationem. Ad rationem autem contrariæ ſententiæ poſset reſponderi, quòd licet Deo acquiratur ius per tale iuramẽtum, & huic directè non poſſit renunciare is, cui fit promiſſio; at poteſt indirectè & conſecutiuè, eo enim ipſo, quod cedit iuri ſuo, vt poteſt, conſequenter ceſsat ius Dei, quod eſt annexum iuri hominis illius.

Sanch. Bonac. Leſſius.

20. Ad diſsoluendum ſponſalia ob aliquod impedimentum impediens matrimonium, cum quo contrahere eſt peccatum, ſufficit vnus teſtis fide dignus. Habetur expreſſè in *cap. Super eo, el* 2. *de teſtibus, & cap. Præterea, el* 2 *de ſponſalib.* Ratio eſt, quia tunc agitur de vitando peccato, quod ſponſi impediti committerent, ſi contraherent contra Eccleſiæ prohibitionem. Ita communiter Doctores. Quando autem allegatur alia cauſa, qua exiſtente nullum eſset peccatum contrahere, vt ſi ad diſsoluendum ſponſalia alleget ſponſus fornicationem ſponſæ, non ſatis eſt vnius teſtimonium, *cap. licet ex quadam, cap. veniens, cap. in omni negotio, de teſtibus*. Ratio eſt, quia hic agitur de præiudicio iuris alteri acquiſiti, ne ſibi fides præſtita impleatur: & ab hac regula generali ſolùm excipitur, quando opponitur impedimentum matrimonii, ratione peccati vitandi, ergo non debet extendi ad caſum, vbi non agitur de peccato vitando, ſed de ſolo tertij præiudicio. Proinde in hoc caſu cum agatur de alterius peccato probando, ſcilicet fornicatione, non niſi duplici teſte probatur. Ita Sanchez *lib.* 1. *diſput.* 71. *num* 1. & 7. Coninch *diſput.* 23. *numer.* 81. Hurtadus *de matrimon. diſput.* 2. *difficult.* 19. *numer.* 67. Trullench *loco citato lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 17. *num.* 5. & alij.

Sanch. Hurtad. Trullench

Tamen, vt vnicus teſtis ſponſalia perfici impediat, debent in eo concurrere aliquæ qualitates, quarum *Prima* eſt; vt teſtis deponat, ſi enim ſolùm denunciaret, non impediret matrimonium, niſi probaret de fama. *Secunda*, vt teſtis iuret, parum enim creditur non iuranti; *cap. Tua, de cohabit. Cleric. Tertia*, vt is teſtis aſserat cum iuramento

certò

ſe certò ſcire impedimentum; aliàs de ſolo auditu teſtificans, non impediret niſi ad probandum conſanguinitatem, tunc enim ſatis eſt de auditu teſtari, vt ſi deponat ſe id audiuiſſe a duobus ſuis maioribus fide dignis, & quod diſtinguat clarè gradus conſanguinitatis, iuxta formam *cap. Licet in quadam, de teſtibus*. *Quarta*, qualitas eſt vt non ſit perſona vilis, talis enim ſponſalia etiam non iurata, perfici minimè impediret, niſi impedimentum ita ſit clādeſtinum, vt probari nequeat, niſi per vilem perſonam. Hinc Iudex conſiderare debet qualitatem perſonæ teſtificantis, & an ſibi diſpliceat matrimonium, necne, & alias circumſtantias. De his qualitatibus plura apud Iuriſperitos, quos refert, & ſequitur Sanch. *loco citato, num.* 9. *& ſequentibus*. Gutier. *quaſt. canonic. l.* 1. *c.* 11. *n.* 31. *& ſequentibus.*

21. Ad diſſoluenda ſponſalia ſufficit etiam ſola fama impedimenti, vt habetur *in cap. ſuper eo, de conſanguin.* etiamſi ſint iurata. Non tamen ſatis eſſet fama ad impediendum matrimonium, adhibitis, de contraria fama de clarioribus probationibus, & ad deponendum contra hanc famam admittitur etiam conſanguineorum iuramentum. Imò hæc fama eliditur, eiuſque probatio, ſi contra illam contrahere volentes iurent ſe non eſſe conſanguineos: tunc enim Iudicis arbitrio relinquitur, iuxta perſonarum qualitatem admittere hoc iuramentum contra famam. Ita Maſcard. *de probationibus concl.* 1035. *nu.* 21. *& ſequentibus*. Alexander de Neuo *in cap. Cum in tua, de ſponſal. num.* 13. & alii apud Sanchez *loco cit. diſp.* 71. *num.* 13. *& ſequentibus.* Trullench *loco cit. dub.* 17. *num.* 3. Gaſpar Hurtadus *loco cit. num.* 69. Cæterùm quamuis fama ſufficiat ad diſſoluenda ſponſalia, non tamen rumor, quia minus probat, quam fama: cum fama ſit acclamatio, ſeu opinio maioris partis: viciniæ, aut communitatis, in qua ad minus habitant decem; rumor verò ſit opinio minoris partis. Angelus, Sylueſter, *verb. Fama, n.* 4.

Sed quæres, an diſſolui poſſint ſponſalia, quando ſponſi confitentur impedimentum? Reſpondeo, ſi vterque ſponſus fateatur impedimentum, ſatis eſſe, quia tunc ſatis explicat mutuam reſiliendi voluntatem. Si alter tantùm fateatur impedimentum, & eſt ille, qui matrimonium celebrari optat, ſatis etiam eſt, quia alter volens non ſubſequi matrimonium, iam ex parte ſua diſſentit. Denique ſi fatens impedimentum ſit ille, qui matrimonium recuſat, non ſtatus eius confeſſioni, quia eſt in ſuum fauorem, & in præiudicium iuris tertii acquiſiti: vnde huiuſmodi confeſſioni non adhibetur fides. Coninck *diſputat.* 23. *dub.* 11. Trullench *loco citato numer.* 6. Bonacina *de ſponſal. quaſt.* 1. *punct.* 10. *num.* 11. Sanchez *diſp.* 75. Gutier. *de matrim. c.* 36. & alii.

Vide verb. Beneficium 8 *num.* 1. Fornicatio *n.* 4.

SPONSIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſponſio, & an licita?*
2 *An qui certò nouit rem, poſſit de illa ſponſionem facere?* refertur duplex ſententia.
3 *An ſpondere poſſit qui certò rem nouit, ſed poſtea incipit dubitare?*
4 *An ſponſiones cum conditione illicita, ſint illicita, vbi deciduntur varij caſus.*
5 *An ille, per quem ſtat, ne contractus penſionis adimpleatur, teneatur ſoluere ſponſionem.*
6 *An ſponſiones ſuper vita, morte, vel futura electione Pontificis, & Cardinalium ſint licita?*

1 SPonſio eſt contractus, in quo duo de veritate, vel euentu alicuius rei contendentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, vt id eius ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus. Hic contractus ex ſua natura licitus eſt, quia, quòd vnus ſe exponat periculo amittendi aliquid, ſi non euenerit quod dicit, commutabile eſt pro ſimili periculo, cui alter ſimiliter ſe exponit. Tres tamen conditiones ad iuſtitiam huius contractus requiruntur: *Prima*, vt cum æquali certitudine ſit etiam æqualitas in re quæ ſpondetur. *Secunda*, vt vterque contendens ſit dubius de futuro euentu, ſeu de re de qua contendit cum altero. *Tertia*, vt vterque in eodem ſenſu accipiat id, de quo certatur. Ita communiter Doctores. Per accidens tamen, ſeu ratione ſcandali, vel periculi, vel alterius circumſtantiæ fieri poteſt, vt ſponſio ſit illicita, vt ſi ob ſponſionem arripiatur occaſio captandæ mortis, vel patrandi alterius peccati, vt dicetur infrà. Vide Garxiam *de contract. 2. part. cap.* 13. Azorium *part.* 3. *lib.* 11. *cap.* 19. Molin. *diſ.* 508. Azor. Molin.

2. Qui certò nouit rem, de qua certatur, vel ex ſcientia, vel ex diuina reuelatione, vel experientia ſenſuum, non poteſt licitè ſponſionem facere, quia non eſt æqualis conditio ex parte vtriuſque: is enim qui certò rem nouit, non poteſt perdere. Si tamen res ſit ſolùm nota ex opinione probabili, aut ſignis, indicijs, coniectoris probabilibus, aut ex fide, & auctoritate tantùm humana, licitæ eſſent ſponſiones, quia hæc omnia poſſunt fallere, cùm tantùm ſint probabilia, & certam cognitionem non pariunt, ſed probabilem. Ita Lopez *in inſtruct. 2. part. de cont. cap.* 18. Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *capite* 8. *dub.* 13. Garzias *cit.* & alij. Sanch.

Quamuis contrarium doceat eſſe probabile Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 62. *&* 63. nempe facientem talem ſponſionem cum altero prædictam certitudinem ignorante, non peccare, nec ad reſtitutionem lucri teneri. Ratio eſt, quia æqualitas in certitudine non eſt inter ſpondentes neceſſariò ſeruanda, nec exceſſus alterius ignorantiæ, quamuis dans cauſam contractui ſponſionis, quia abſque ea ignorantia non fieret ſponſio, irritat illam, quia non eſt circa ſubſtantiam illius. Citatur pro hac ſententia Hurtadus, Couarruuias, Nauarrus, Layman, Sa, quorum opinio non eſt improbabilis, etiam in caſu quo quis proteſtetur ſe eſſe certum, ſi alter nihilominus contendat, & velit ſpondere, quia in hoc caſu non adeſt fraus, vt temeritati colluſoris imputetur; volenti enim, & ſcienti non fit iniuria, vt docent Bonacina *de reſt. diſput.* 5. *punct.* 1. *num.* 18. & alij ab ipſo citati: cenſeri enim poteſt ea ratione velle facere donationem eius rei, quam alter aſſequetur. Idem dicendum, quando qui contendit, non ſibi perſuadet alterum dicere veritatem, tamen facilè poſſet ſibi perſuadere, tunc eodem modo videtur velle facere donationem: vt aſſerit Azorius *cit. cap.* 19. *dub.* 5. Bonac. Azor.

3. Si quis certò rem ſciret, & poſtea incipit dubitare, poteſt adhuc ſpondere. Ratio eſt, quia ſaltem in ſua æſtimatione exponit ſe alicui periculo amittendi, etiamſi alius ob ſuam nimiam pertinaciam verè amittat. Similiter eſt dicendum de eo, qui reputans id pro quo ſpondet, eſſe omnino certum, ſpondet & lucratur, quia res ita contigit: reuera tamen poſtea comperit non fuiſſe ita certum, ſed ſeſe expoſuiſſe periculo amittendi; talis enim etiamſi peccauerit ſpondendo, ſecundùm noſtram ſententiam, ob conſcientiam erroneam, tamen poteſt retinere id quod lucratus eſt, quia res erat incerta, & ſe expoſuit periculo amittendi. Ita Molina *diſp.* 508. *in fine*. Bonac. *cit. n.* 18. & alij. Molin.

4. Sponſiones cum conditione illicita, ſunt illicitæ & legibus ciuilibus damnatæ, quia ſpe lucri homines inducuntur ad peccandum in huiuſmodi ſponſionibus: vt ſi quis in menſa ſpondet ſe ſuperaturum alterum edendo vel bibendo, hic enim datur occaſio peccandi edendo, vel potando plus, quàm par ſit: Idem dicendum, ſi quis ſponſionem faciat quod Titium interficiet, quia ſic datur occaſio, vel optandæ mortis alterius vel procurandæ. Lucrum tamen acquiſitum ex huiuſmodi ſponſionibus non eſt ex obligatione reſtituendum, ſit alioqui ſit partum abſque dolo, & fraude, quia licet peccatum ſit in faciendo contra leges, non tamen eſt peccatum iniuſtitiæ contra proximum in lucro retinendo, quia leges prohibent actum fieri, non tamen ſtatuunt lucrum acceptum eſſe reſtituendum. Ita Azorius *cit. dub.* 6. & poſt illum. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 69. Filliuc. *tract.* 37. *n.* 27. Dian.

Digitized by Google

Licita autem eſset ſponſio facta,ſi Turca hoc anno occidatur,dabo tibi centum, quia nullum eſt peccatũ expectare mortẽ inimici fidei.Item de iure naturæ licet ſpõſio ſuper euentu futuro ex quo damnum ſubſequetur proximo,daturque occaſio illud optandi,vt ſi duo ſpondeant, an Petrus intra tot dies morietur . Ratio eſt, tum quia ſpondens quòd morietur, poteſt non optare mortem, & ſi optet,id ſua culpa euenit . Tum quia approbantur cenſus vitalitij, & tamen eadem occaſio datur ſoluenti reditus optandi mortem . Ita Lugo *de iuſt.tom.2.diſp.31.ſect.6.num.74.* Idem etiam dicendum eſt, quando duo ſpondent,qoòd Petrus ſaciet,vel non faciet tale peccatum, tales non peccant niſi ſpondens optet, vt alter cootrahat tale peccatum, vel ipſi optem ad contrahendam præſtet. Sed non ideò teneretur ad reſtitutionem lucri: Secus dicendum ſi ſponſio ficret circa peccatum committendum ab ipſo ſpondente, & affirmante ſe peccaturum, quod alter negat,periculoſa eſt,& fugienda talis ſponſio, quia alium magis confirmat in propoſito peccandi. In hoc tamen caſu non eſſet obligatio reſtituendi lucrum,etiamſi peccatum quod eſt materia ſpunſionis,ſit contra iuſtitiam, quia ego non do pretium pro peccato committendo, ſed committo futuro euentui fortuito. De bis plura apud Lugo,& Sanchez *in opuſc.s.1.l.1.c.8.*

5. Sponſione facta inter Titium, & Caium, quòd Titius currendo, vel ſaltando vincet Caium, & deinde Caius non vult currere,aut ſaltare,obligatur Caius ſoluere, quod eſt in ſponſione depoſitum. Tum quia iniuſtè renuit adimplere contractum,tnm quia ceuſetur cedere iuri ſuo tum quia conditio adimpleta cenſetur. Ita Azor. *c.cap.19.dub.7.* & poſt illum Filliuc. *tr.37.n.28.*

6. Quamuis ſponſiones ſuper vita , morte , vel futura electione Pontificis, & Cardinalium per ſe licitæ ſint ex natura rei,quia ſunt de re,& euentu dubio:Iure tamen poſitiuo prohibitæ ſunt, ſub pœna excommunicationia ipſo facto incurrendæ, reſeruatæ Summo Pontifici ; imò & irritæ redduntur , ac proinde lucrum eis ſponſionibus acquiſitum in ſoro conſcientiæ reſtituendum eſt. Ita Grcgorius XIV. in conſtitut. *Cogit nos deprauata, die 28.* Martij 1591: apud Quarantam *verb. Electio.*

SVPPLEMENTVM.

Stipulatio.

SVMMARIVM.

1 *Stipulationis contractus,quid ſit.*

2 *Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum, quando ſit valida.*

3 *An ad validitatem ſtipulationis neceſſe ſit,vt ſtipulans, & promittens ſint præſentes, & reſponſio ſtatim poſt interrogationem ſequatur.*

4 *An per ſtipulationem contractus innominati firmentur, & pariant actionem.*

5 *Stipulatio an fieri poſſit ſimpliciter & purè ,aut ſub conditione,aut in diem certum.*

1 STipulatio eſt contractus,qui verbis perficitur,præcedente nimirum interrogatione vnius , qua ab altero petit,an promittat, vel adſtringat ſe ad dandum aliquid,vel faciendum, & ſubſecuta reſponſione, ac ſponſione alterius,qua promittat id ſe facturum,aut concedat, *Inſtitut. de verb. obligat. in princip.* Is qui interrogat , ac petit promitti ſibi ab alio,dicitur ſtipulans,ſeu ſtipulator. Is verò,à quo ſtipulator,promiſsor nuncupatur . Sumitur etiam interdum ſtipulari paſſiuè, quo pacto, qui interrogatur,& promittit,ſtipulari,& ſtipulatus dicitur, vt patet *l. ſi non ſortem,§.penult.ff. de condict. indebit:* Olim certæ verborum formæ erant præſcriptæ ad interrogandum,& reſpondendum, ſine quibus contractus non valebat: hodie verò ſatis eſt,vt quibuſcumque vocibus,id in idiomate aliquo ſignificantibus,vnus ſufficienter exprimat alteri petitionem ſuam,& alter illi ſuum conſenſum, *l.omnes, C. de contrahenda,& committend. ſtipulat.*

2. Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum, etiamſi interrogatio fiat in vno idiomate, & promiſſio in alio,valida eſt, modò tamen ſe inuicem intelligaot,ſaltem per interpretem,vt habetur *l.1.& vlt.ff. de verb.oblig.* Hinc eſt,vt inter abſentes,hoc eſt, inter adeò diſtantes,vt vnus ſignificationem vocis alterius percipere nequeat,perfici non poſſit, *Inſtit.§.item verborum , de inutil.ſtipulat.* Si tamen in publico inſtrumento contineatur,ſtipulantem,& promittentem,præſentes fuiſſe,ſtatur inſtrumento,niſi is,qui promiſit contrarium ſufficienter probat, *l. Quoniam,C. de contrahend. ſtipulat.* Eodemque cum moto, aut ſurdo contrahi non poteſt ſtipulatio,niſi per Procuratorem, aut per publicum Notarium,ſupplente nutu,aut ſcriptura, *l.1.ff. de ver.oblig.* Molina *de contr. tr.2.diſp.254.n.4.& 5.* Molin.

3. Vt valida ſit ſtipulatio,neceſse eſt,vt non ſolùm ſtipulans,& promitteos præſentes ſint,ſed etiam vt reſponſio continuò poſt Interrogationem ſequatur,hoc eſt, non ex interuallo,ita vt promittens priùs diuerterit ad alia : ſi namque poſtquam ad alia diuertit,reſpondeat,neque iterum adhibeatur interrogatio , inualida eſt ſtipulatio . Si verò ſit quidem ex aliquo interuallo, vt quia interrogatus diſcedat paululum , & deinde reuertatur antequam diuertat ad alia valida erit ſtipulatio,vt habetur *l.1.§. qui præſens,& l. Continuus , in princip. ff. de verb.oblig.* In dubio autem an diuertiſset ad alia,necne , poſſet repeti interrogatio , atque ita ſuccedente reſponſione continuò, tolleretur omne dubium de eius inualiditate. Inducta eſt ſtipulatio vt ea firmentur contractus innominati quia contractus innominati nõvalẽt in foro externo,nec actionẽ prodoeunt,niſi ab vna parte aliquid interueniat:quod ſi ſtipulatione firmentur , valent & ampliùs pœnitentiæ locus non eſt,etiamſi nihil interueniat, *l.Ex placito, Cod. de rerum permut:* Et ita contractus innominati per adiectionem ſtipulationis fiunt nominati , & pariunt actionem . Porrò ſtipulatio omnes contractus etiam nominatos,quibus accedit, validius firmat, & producit actionem ad dandum,faciẽdum vel præſtandum,quod promittitur.

4. Omnis ſtipulatio fieri poteſt,aut ſimpliciter,& purè, aut ſub conditione,aut in diem certum, *§. omnis ſtipulatio,Inſtit. de verb.oblig.* Quando purè fit,ſtatim obligat,& peti poteſt id,quod promittitur,quando fit ſub conditione, licet ſtatim obliget,non tamen poteſt peti,quod promittitur,niſi conditione impleta. Hinc fit, vt ſi conditio ſit rei præſentis, vel præteritæ, ſi res non ſit, nihil valeat ſtipulatio;ſi verò adſit,ſtatim valeat,*§ Conditiones, Inſtit. de verb.oblig.* Quando ſtipulatio fit in diem certum, licet ſtatim obliget, non tamen poteſt peti quod promittitur, quouſque prætererit dies, io quem eſt facta promiſſio, quia totus dies arbitrio ſoluentis tribuitur . Sicut etiam ſtipulatio purè facta, ſtatim præſenti die quo facta eſt, obligat;ſed peti non poteſt quod eſt promiſſum,quouſque dies hodiernus prætereat,*§. cum quis,Inſtit.de verb. oblig.* Plura de ſtipulatione non pertinent ad forum conſcientiæ , ſed ad forum externum. Qui autem poſſint pro abſenti ſtipulari , diximus *tom.1.verb.Promiſſio , numero 13.*

De ſtipulatione vide v.Donatio *num.20.* Compromiſſum *n.9.& 11.* Pactum *n.3.*

STVPRVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſtuprum generatim, & ſtrictè ſumptum , & an habeat malitiam ſpecie diſtinctam à fornicatione explicandam in confeſſione?* Refertur duplex ſententia.

2 *An qui per vim,fraudem,metum, aut mendacia copulam à virgine extorſit etiam abſque promiſſione matrimonij, teneatur illam ducere in matrimonium, vel*

Digitized by Google

commodè dotare?& quid ſi puella liberè conſenſit, an teneatur ad aliquam reſtitutionem?

3 *An qui precibus importunis, vel muneribus, ſuaſionibus, vel blanditiis aſſiduis copulam a virgine extorſit, teneatur ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

4 *An ſtuprator teneatur ad aliquam reſtitutionem faciendam patri puellæ, quæ conſentiens deflorata fuit?* Refertur duplex ſententia.

5 *An delectationes moroſæ in puella virgine; vel in adoleſcente circa virginem habeant ſpecialem malitiam in confeſſione aperiendam?*

Et quomodo ſe debeat gerere fœmina patiens violenter ſtuprum, vt non peccet?

1 STuprum generatim ſignificat omnem concubitum legibus vetitum; ſtrictè verò capitur pro virginis violatione: an autem ſtuprum habeat malitiam ſpecie diſtinctam à fornicatione, neceſſariò explicandã in confeſſione? Quidam ſatis probabiliter ſuſtinent virginis cõſentiẽtis deflorationem eſſe diſtinctã luxuriæ ſpeciem, quæ ſtuprum appellatur, neceſſariòque eam virginitatis circumſtantiam eſſe explicandam in confeſſione, vnde hæc ſententia admittit ſpeciem ſtupri abſque raptu inueniri, quia per ſtuprum fit iniuria patri, cui commiſſa eſt cura corporis ſuæ filiæ, ſiue filia conſentiat, ſiue diſſentiat Suarez *de pœnit.d.22.ſect.4.num.6.* Azor.3.*part.lib.*3.*c.*11.*q.*1. Filliuc.*tract.*30.*num.*61.66. Graffijs 1.*p.lib.*2.*cap.*79. Bonacin. *de matrimon.q.*4.*p.*17.*numer.*2. Syluius 2.2. *qu.*154.*ar.*6.*concl.*2.3.4. Probabilior tamen ſententia eſt, nõ dari ſpeciem ſtupri ſine raptu, atque ita violationem virginis ſponte conſentientis, quamuis ſub cura paterna, non differre a ſimplici fornicatione; tuncque ſolum adeſſe ſpeciem ſtupri, quando adeſt iniuſtitia, eo quòd virgo inuita violetur, ſiue ſit ſub cura parentum, ſiue non, quia non reperitur in ſtupro ſpecialis malitia, niſi adſit ſpecialis iniuria, ſed quando copula habetur cum virgine conſentiente, non adeſt ſpecialis iniuria, ergo. Leſſius. *l.*2.*c.*10.*d.*1. Sanch. *de matr.l.*7 *diſp.*14.*n.*5. Coninch *diſp.*7.*n.*19. Sotus 4.*d.*18.*q.*2.*ar.*4. Diana *tr.* 3.*miſc.reſ.*12.*p.*2

2. Stuprator, qui per vim aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorſit abſque etiam promiſſione matrimonii, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare vt æque benè nubat, ac ſi virgo eſſet, quia contra iuſtitiam damnum fœminæ intulit, ergo ex iuſtitia tenetur damnum illatum reparare, vel ducendo illam in matrimonium, vel commodè dotando, vel curando vt æquè bene nubat, vel reſtituendo quanti damnum æſtimatur iudicio prudentis viri. Leſſius *cit.dub.*2. Nau.*c.*16.*num.*16. Azor.*cit.cap.*5. Filliucius *tract.*32 *n.*220. P.Nauar. *lib.*2.*c.*3.*numer.*434. Syluius 2.2. *q.*62.*art.*2.*quæſt.*5. Si autem puella liberè conſenſit, ſtuprator ad nullam tenetur reſtitutionem, modò non manifeſtauerit copulam occultam: nam ſi iniuſtè detexit copulam occultam, tenetur ad reſtitutionem famæ, & damnorum incrementi dotis, & cuiuſuis alterius damni. Similiter ad nihil tenetur ſtuprator, quando puella condonauit ſtupratori obligationem reſtituendi, vel ſi virgo deflorata obiit antequam nuberet. Sotus *de iuſt.l.*4.*q.*7.*ar.*1.*ad* 2. Clau.reg.*l.*11.*c.*2. Vaſq.*de reſt.c.*3. §.2.*dub.*1.*n.*10.

3. Qui precibus importunis, vel muneribus, vel ſuaſionibus, ac blanditiis aſſiduis copulam à virgine extorſit, ſecundùm Nauar.*c.n.*16. Caiet.2.2.*q.*154.*ar.*6. Sylu. *cit.* & alios tenetur ad reſtitutionem, quia preces importunæ comparantur coactioni, & hæc ſententia non eſt improbabilis. Probabilior tamen, cui adhærendum eſt, negat teneri, niſi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis, vt ſi erat illius Dominus, aut Superior, cui ipſa nihil audeat recuſare, & modò fœmina non conceſſerit copiã ſui animo repugnãte, & quaſi coacta; & ratio eſt, quia huiuſmodi preces nõ auferunt voluntarium Leſſius *c.num.*14. Sanch. *c.l.*4.*d.*10. Clau.reg. *c.num.*28. Molin.§.4.*d.*106.

4. Stuprator non tenetur ad aliquam reſtitutionem faciendam patri, ſub cuius cura eſt ipſa puella, quę deflorata fuit conſentiens, & non inuita, quidquid in contrarium doceant Nau. *c.* Sylu. *v.luxur.q.*5. & alii, quia ſicut ipſa puella non tenetur ad reſtitutionem faciendam patri, aut fratribus, ergo neque tenetur ſtuprator, qui non videtur maiorem iniuriã patri intuliſſe, quam intulerit puella. Sà *v.reſt.n.*14. Vaſq. *c.num.*13. Molin. *c.d.*106.*concl.*2. Sylu. *cit.quæſ.*5.*concl.*1. & alij. Sà. Vaſq. Molin. Sylu.

5. Ex dictis ſecundùm probabiliorem ſententiam ſequitur, delectationes moroſas in puella virgine circa adoleſcentem nõ habere ſpecialem malitiam, nec teneri in confeſſione dicere ſe, cùm eſſet virgo, delectationẽ moroſam de adoleſcente ſuſcepiſſe, & hoc verũ videtur, etiãſi puella ſe polluat concepto adoleſcente in mente. Similiter delectationes, & deſideria in adoleſcente circa virginem, non habent ſpecialem malitiam mortalem ſupra alias delectationes, modò adoleſcens non habeat volũtatem inferendi violentiam virgini; vnde ſatisfacit, ſi in confeſſione dicat ſe delectationem habuiſſe, vel deſiderium circa fœminam ſolutam, vel etiam ſe copulam habuiſſe cum ſoluta: Quod ponderandũ eſt à Confeſſariis, quibus non parũ moleſtũ eſt interrogare adoleſcentulas tales cogitationes confitentes, an ſint virgines; ſic enim peccatum corruptionis iam fortè alias cõfeſſum tenerentur aperire. Nec etiam minùs moleſtum interrogare adoleſcentes, an cogitarint de virgine, cùm frequenter rudes reſpondeant ſe neſcire, an ea de qua cogitarint, ſit virgo, vel non, putantque, tum adoleſcentulæ, tum adoleſcentes has interrogationes ex curioſitate, & nimio ſciendi deſiderio à Confeſſariis prouenire; vt bene annotat Marchantius *in reſ. Paſtoral. circa 6. Decal. præceptum cap.* 6. Aliquando tamen in ſtupro de conſenſu puellæ commiſſo poteſt eſſe alia malitia mortalis, vt contra charitatem proximorum, & pietatem debitam parentibus, quia ſæpiſſimè ex ſtupro ſequuntur grauiſſima incommoda, vt inimicitiæ, cædes, &c. & tunc ratione harum circumſtantiarum, & mœroris, quem parentes concipiunt, teneretur pœnitens hanc circumſtantiam explicare. Ita omnes Doctores ſecundæ ſententiæ ſupra relatæ. Et poſt illos Caramuel *ad regul. S.Benedict.diſp.*66.*n.*1004. *& ſeq.* Dian. *p.*2.*tr.*3.*miſc.reſ.* Dian. Leſſ.
12. Leſſius *l.*2.*c.*10.*dub.*1.*n.*8.

Aduertendum eſt, quòd fœmina, quæ violenter à viro aliquo cognoſcitur, non peccat, ſi duo habeat, 1. contrariam voluntatem non conſentiendi eiuſmodi copulæ. 2. impedire quantùm in ſe eſt, talem violentum effectum cum clamore, cum conatu, & reniſu corporis; & ſi hæc non ſint profutura, ad vitandam mortem, infamiam, vel aliud incommodum grauiſſimum, poteſt mulier pati externam corruptionem, non tamen conſentiendo, ſed merè paſſiuè ſe habendo. Ita Nauar. Rodriq. Syluius, Bonac. Salas, Tann. apud Dian. *tracta.*6. *miſc.reſol.*31. *p* 3. Dian. Sanch.
& alii apud Sancium *in ſelect.diſp.*10.*n.*17.

SVPPLEMENTVM.

Stuprum.

SVMMARIVM.

1 *Cum ſtuprator virginis duplex ei damnum inferat, naturale & temporale, ad quod eorum teneatur.*

Quando fœmina vi vel metu violata, nupſit æquè bene, ac ſi fuiſſet virgo, an aliquid ei ſit reſtituendum? Refertur duplex ſententia.

2 *Quando puella eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, an teneatur corruptor ei aliter damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit?* Refertur triplex ſententia.

3 *Quando puella vi deflorata fuit, & ſtupratorem non vult in coniugem accipere, aut parentes nolunt eam illi tradere, an teneatur ſtuprator eam dotare? Et quid ſi ſtuprator fingebat ſe nobilem, vel diuitem, vt eam deciperet? Et quid ſi pater noluit, & ipſa voluit?*

4 *An ſtuprator per vim, metum, aut fraudem excuſatur a reſtitutione, ſi ſtuprata liberè etiam abſque conſenſu patris eam remittat? Et quid ſi cognita fuerit ab alio, ſed publicè habebatur virgo? Et quid ſi fœmina concepit ex copula violenta?*

5 Qui

5 *Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corruptâ, quæ virgo putabatur, an teneatur eam ducere, ſi matrimonium ficlè promiſit? Et quid ſi ipſa ſponte conſenſerit in copulam, & ſua culpa, vel viri fuerit exinde diffamata?*

6 *Quando teneatur ad reſtitutionem ille, qui puellam non deflorauit quidem, ſed accedendo ad locum, vbi illa eſſet, in cauſa eſt, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi ſequatur?*

1. STuprator duplex damnum poteſt inferre, ſicut homicida: naturale nempe, & pecuniarium, ſeu in bonis. Naturale eſt, violatio clauſtri virginalis ſecundùm ſe conſiderata. Temporale verò, & pecuniarium eſt damnum, quod patitur in ordine ad matrimonium, eo quòd violata maiorem requirat dotem, vt æquè ac antea nubat. Hinc ſtuprator ſolùm tenetur pro damno temporali, ſeu pecuniario in ordine ad matrimonium. Sicut enim in homicidio damnum naturale non eſt pretio æſtimabile, & per conſequens non eſt reſtitutione compenſandum, ſed tantùm damnum temporale: ita ſimiliter in ſtupro, damnum naturale, nempe violatio integritatis virginalis, non eſt pretio æſtimabile, ſed tantùm damnum temporale, nempe augmentum dotis, quod requiritur ad nubendum ratione violationis. Proinde ſequitur, ſi fœmina vi vel metu violata nupſit æquè, & bene, eo quod vir non cognouit defectum, non eſſe ei aliquid reſtituendum, quia nullum in bonis ex ſtupro ſequitur damnum.

Limita, niſi cognito defectu à marito poſtea aſperè tractetur, tunc enim erit compenſandum arbitrio prudentis. Similiter ſi metu, vel vi violata Monaſterium ingreſſa eſt, aut ſtatum continentiæ amplexa, aut ſi obierit, non tenetur violator quidquam reſtituere, cùm nullum damnum in ordine ad matrimonium ſit illatum, & tempus neceſſitatis ſit elapſum. Tamen, ſi antequam nuberet æquè, & bene, vel Monaſterium ingrederetur, vel continentiam amplecteretur, aut obierit, pactum inierit cum violatore, & ab eo acceperit compenſationem, iuſtè retinere poterit, quia licitè potuit accipere pro periculo imminenti, cui erat expoſita. Nam qui in aliquo periculo vitæ, fortunarum, vel infamiæ eſt conſtitutus, poteſt paciſci cum eo, qui ipſum per iniuriam in tale periculum coniecit, de damno, quod probabiliter timetur, & quamuis poſtea non obuenerit, poterit tamen pretium conuentum retinere; etſi nondum ſolutum fuerit, poterit ex vi pacti exigere, eo quod illud periculum, quod alter præſtare debebat, in ſe ſuſceperit; quod enim damnum non euenerit, vel ſuæ induſtriæ, vel benignæ Dei prouidentiæ adſcribat. Ita Molina *tract.3. diſp 106. num.11. concluſ.8.* Leſſius *lib.2. cap.10. num.15. & 17.* Nauarrus *in Manual. cap.16. num.17. & 19.* Petrus Nauarra *lib.2. cap.1. num.451.* Filliucius *tract. 30. num.66.* Bonacina *de matrim. quæſt.4. punct.17. num.8.* Trullench *in Decalog. lib.7. cap.9. dub.1.* & multi alij recentiores.

Molina. Leſſius. Nauar. Fill. Bonac. Trullench

Quamuis non ſit improbabilis ſententia aſſerens illum, qui per vim, dolum & fraudem virginem deflorat, etiamſi illa æquè bene nubat, ac ſi violata non fuiſſet, teneri ad reſtitutionem faciendam, tam virgini, quàm parentibus eius, ratione damni in bonis temporalibus, & in honore, quia irrogatur iniuria virgini, illa non conſentiente, vbi enim vis, aut dolus eſt, ibi & iniuria. Per accidens enim eſt, quod ita bene nupſerit, ac ſi virgo fuiſſet. Ita Clau. reg. *lib.11. cap.2. num.29. & 32.* cum alijs, nempe Valentia, Victoria.

2. Dubium eſt, quando puella eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, an teneatur corruptor & alteri damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit? Quidam exiſtimant hunc teneri ad ſatisfaciendum puellæ, nam liberum eſt puellæ corruptæ, ob fictam promiſſionem de accipiendo in vxorem, vel nubere falſo promittenti, vel honeſtam dotem ab eo exigere. Vnde corruptor tenetur ad alterutrum, quod puella maluerit: nam ficta promiſſione, & fraude corrumpere, perinde eſt, ac ſi per vim puella corrumpere-tur. Ita Azorius *p.3 lib.5. cap.5. quæſ.3. verſ. Quarta difficultas.* Alij diſtinguunt: ſi vero animo promiſit, ad nihil aliud tenetur; ſi autem animo deceptorio, tunc à puella tanquam impoſtor, & pudicitiæ inſidiator poteſt repudiari, & tamen ratione iniuriæ tenetur nihilominus damnum compenſare. Verior tamen ſententia aſſerit, hunc in conſcientia ad aliud non teneri, quàm ad implendum promiſſum, ducendo eam in vxorem; ſic enim abundè videtur ſatisfacere pro iniuria fictæ promiſſionis. Quod confirmatur ex alijs contractibus: ſi enim Titius fictè tibi promiſit pecuniam, tu verò ſub hac ſpe emiſti merces, Titius niſi adimpleat promiſſum, eſt tibi iniurius, & tenetur compenſare damnum; ſi tamen eſt paratus adimplere, tu verò nolis accipere, non tenetur in conſcientia damnum reſarcire. Ita Leſſius *lib.2. cap.10. n.27.* Trullench *in decalog. lib.7. cap.9. dub.3. nu.6.* Villalobos *tom.2. tract. 11. difficult. 30. num.8.* & alij.

Leſſius. Trullench Vilalob.

3. Quando puella vi deflorata fuit, & ſtupratorem non vult in coniugem accipere, aut parentes nolunt eam illi tradere, tenetur ſtuprator ad honeſtam dotem puellæ tradendam, & exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro ſua conditione nubendum; quia liberum illi eſt acceptare dotem, vel ſtupratorem in virum, nec tenetur magis vnam, quàm aliam ſatisfactionem accipere. Idem dicendum, ſi fallaciter inducta fuit, vt ſi adoleſcens fingebat ſe nobilem, vel diuitem, vt eam deciperet, nam iniuria ei facta eſt, ac proinde iuſtam compenſationem exigere poteſt. Qui enim fingit aliquid, ob quod ipſa conſentit, & ſine quo nullo modo conſenſiſſet, iniuriam ei facit, ac proinde tenetur de damno ſecuto. Ita Leſſius *lib.2. c. 10. num.26.* Bonacina *de matrimon. quæſt.4. punct.17. num.12.* Azorius *part.3. lib.5. c.5. quæſ.3. difficult.3.* & alij. Contra Couarruuiam *part.2. de ſponſal. cap.6. §.8. num. 19.* qui exiſtimat, in hoc caſu puellam admittere debere matrimonium, ſi ipſius conditio ei reſpondeat: quæ ſententia nititur quadam æquitate. Quæ in rigore non tenetur acceptare, quia circa ſtupratorem decepta fuit per iniuriam: vnde cogenda non eſt ad ſtrictum vinculum matrimonij contra ipſius voluntatem, præſertim cum perſona odioſa. Quod ſi pater nolit, vt ſtupratorem ducat in coniugem, & ipſa velit, poteſt à iudice ad contrahendum ſtuprator compelli, ſi vi, aut minis copulam extorſit: ante ſententiam autem non tenetur, ſi nec tacitè nec expreſſè matrimonium promiſit, ſed ſufficit in foro conſcientiæ damni illati compenſationem præſtare. Ita Trullench. *in Decalog. lib.7. cap.9. dub.2. num.3.* Leſſius *loco cit. n.13.*

Leſſius. Bonac. Azor. Couar.

Trullench Leſſius.

4. Stuprator per vim, & metum, ac fraudem excuſatur à reſtitutione: *Primò*, ſi ſtuprata, & violata liberè, etiam abſque conſenſu patris eam remittit, quia poteſt cedere iuri ſuo, quod habet detrimenta nuptiarum ſarciendi, præſertim cùm liberum ſit ei à nuptijs abſtinere, & ipſi facienda ſit reſtitutio, & non parentibus. Proinde hæredes puellæ non poterunt exigere, ſi ipſa ante tempus nubendi obierit, & ante obitum pacta non fuerit, quia damnum non eſt ſecutum. Ita Leſſius *loco citato, numero 19.* Bonac. *loco citato, numero 10.* Diana *part.1. tractat.16 reſol.48.*

Leſſius. Bonac. Diana.

Secundò, non tenetur ad reſtitutionem, ſi per vim violata, æque, & bene nupſit, ac ſi non eſſet violata, quia nullum in nuptijs patitur detrimentum, vt dictum eſt *ſupra n. 1.* ex Doctoribus ibi citatis.

Tertiò, violator, qui cognouit fœminam per vim, vel fraudem, quæ aliàs quidem cognita fuerat ab alio, ſed publicè habebatur virgo, tenetur ad aliquam reſtitutionem, arbitrio prudentis viri, ratione damni, & infamiæ, ob quam illa non poteſt ita commodè nubere. Ita Azorius, Molina apud Bonacinam *loco citato, num.9.* Villalobos *loco citato, num.26.* & alij. Si autem fœmina concepit ex copula illa violenta, & fraudulenta, tenetur vir ex iuſtitia alere fœtum, & ſoluere fœminæ omnes expenſas, quas facit, & damna, quæ paſſa eſt, & quæ ſecuta ſunt ratione conceptionis, & partus propter iniuriam illi illatam, quia eſt tota cauſa efficax damni.

5. Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta, quæ nomine, & æſtimatione virgo in populo habebatur,

non tenetur in foro conſcientiæ ſub peccato eam ducere, etſi ficte matrimonium promiſerit, ſi occultè id fecit, ſed neque ei aliquid reſtituere, quia in hoc caſu non videtur corrupta damnum aliquod pati. Si res autem venit in publicum, obligatur vir ad reſtitutionem, ad boni, & prudentis viri arbitrium, quia licet corrupta ſit, in populo tamen virgo habebatur, vnde reuera detrimentum paſſa eſt in nuptiis. Si autem ipſa ſponte conſenſerit in copulam, & ſua culpa famam amiſit, quia ſcilicet ipſa vel dixit, vel occaſionem præbuit, vt diceretur, vel alia quauis via, aut ratione ſine culpa ſtupratoris, res venit in publicum, non videtur in rigore ad aliquid reſtituendum obligari. Ratio eſt, quia non fecit ei iniuriam eam cognoſcendo, cùm ipſa ſponte conſenſerit, nec infamando, vel occaſionem dando de infamia. Secus eſſet, ſi culpa viri ipſa patitur infamiam, vt quia illa occultè, & in loco tuto conſenſit; alter verò ſe iactans, vel alia via rem manifeſtans, infamiæ cauſa eſſet tunc enim ad reſtitutionem tenetur, & ei de dote prouidere aut alia via ſatisfacere obligatur, quia damnum illi in fama intulit. Ita Nauarr. *in Man. capit.16.numer.19. verſ. Septimò*. Ioannes Maior *in 4. diſt.37.quæſt.33.* Petr. Nauar. *lib.2.de reſtit. cap.3.part.4. num.449.* Bartholom. à S. Fauſto *in ſpecul. confeſſar. diſp. 25.q.23.* Clauis reg. *lib.11.cap.2.num.36.* quibus adde Bonac. *de matrim. quæſt.4 punct.17. n. 9. & 7.* & alios ab ipſo citatos.

6. Qui puellam non deflorauit, ſed accedendo ad locum vbi illa eſſet, in cauſa eſt, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi ſequatur, ſi puella liberè conſentiens ſollicitata eſt, ſollicitans ad nullam reſtitutionem tenetur, quia voluntariè conſenſit ſollicitationi & ſibi imputare debet infamiam, quam patitur. Si tamen vi, metu, vel dolo, aut mendaciis ſollicitata eſt, tenetur ſollicitans ei reſtituere omnia damna ea via ei ſequuta. Ratio eſt, quoniam is tentator alienæ pudicitiæ, cauſa eſt iniuſta illi mulieri omnium illorum damnorum, ita ipſa inuita tentando pudicitiam illius: ergo tenetur ea omnia illi reſtituere. Ita Molina *tract.3.diſp.106.concl.10.* & alij.

Vide v Sponſalia *num.17.*

SVBSTITVTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſubſtitutio? quot modis poſſit quis hæredi ſubſtitui?*
2 *Quid ſubſtitutio vulgaris?*
3 *Quid pupillaris?*
4 *Quid exemplaris?*
5 *Quid fideicommiſſaria?*
6 *Quid reciproca?*
7 *Quid compendioſa?*

1 SVbſtitutio eſt vocatio vnius aut plurium ad hæreditatem in locum alterius, vel aliorum: ſex autem modis poteſt quis hæredi ſubſtitui nempe ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria, reciproca, & compendioſa. Couar. *de teſtamens. c. Raynutius §.4.n.1.* Molina *diſ.182.*

2. Subſtitutio vulgaris eſt, qua quiuis iure non prohibitus, poteſt ſubſtitui à quouis teſtatore: dicitur autem vulgaris, quia fit vulgaribus, & communiter vſitatis verbis; & hæc ſubſtitutio fit ſub conditione, vt ſi ille, qui fuit inſtitutus hæres, vel qui ſuccedere debet ab inteſtato, nolit, aut non poſſit eſſe hæres, ſuccedat ſubſtitutus. Filliuc. *tr. 4.n.166.* Gomez 1. *variar.c.3.*

3. Pupillaris eſt, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit, & ad valorem huius ſubſtitutionis duo requiruntur: *Primò*, vt teſtator eum, cui ſubſtituit habeat in ſua poteſtate. *Secundo*, vt pupillus cui ſubſtitutio fit, non recidat per mortem teſtatoris in alterius poteſtatem: hinc non poteſt aliquis pupillariter ſubſtitui filio emancipato, nec filio naturali, quia hi non cenſentur eſſe in poteſtate patris, nec mater poteſt pupillariter ſubſtituere filio. Leſſius *l.2.c.19.dub.7.n.79.* Bonacina *de contr.d.3.q.18.p.4.n.4.* Leſſius Bonac.

4. Exemplaris eſt, cum filio amenti, vel ſurdo ſimul, & muto, vel prodigo, cui interdicta eſt adminiſtratio, fit ſubſtitutio: dicitur autem exemplaris, quia eſt inuenta ad exemplum pupillaris, & hæc ſubſtitutio fieri poteſt, non ſolùm à patre, verùm etiam à matre, ab auo, vel auia, proauo, vel proauia; *l. humanitatis, C. de impub. ſubſtitutione.* Gomez *1.var.c.6.n.1.* Mol. *d.185.*

5. Fideicommiſſoria eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem, vel partem eius aliquotam, vt dimidiam, tertiam, &c. alteri reſtituat, qui dicitur fideicommiſſarius: hæc ſubſtitutio non eſt directa, ſed obliqua, quatenus fideicommiſſarius non capit directè bona hæreditaria à teſtatore, ſed miniſterio hæredis inſtituti, & grauati. Leſſius *cit.n.85.* Reginal. *l.25.n.629.* Couar. *c.16.§.4.* Filliucius *cit.n.169.* Hinc eſt vt poſſit fieri codicillo per quem poteſt imponi onus hæredi, aliæ non poſſunt; quia per codicillum non poteſt aliquis directè hæres inſtitui: de hac ſubſtitutione plura apud iuriſperitos, Molin. *d.213.* Bonacin. *cit.* de contractibus. Leſſius. Regin. Fill.

6. Reciproca ſubſtitutio, quæ & breuiloquia dici ſolet, eſt ea, qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur, vt ſi teſtator dicat, inſtituo tales hæredes quos inuicem ſubſtituo: hæc ſubſtitutio poteſt comprehendere plures ſubſtitutiones, aliquando enim poteſt comprehendere pupillarem habita ratione perſonarum, quæ ſubſtituuntur, aliquando poteſt comprehendere duos fideicommiſſarios; vt ſi fiat in codicillo, vel ſi in teſtamento rogentur hæredes, vt qui prior morietur reſtituat hæreditatem alteri Molina *diſput.191.* Couar. *c.16.cit.§.7.num.4.* Gomez 1. *var.c.8.n.2.* Leſſius *cit.n.92.* Molina Couar.

7. Compendioſa eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones quoad diuerſa tempora, quia ſcilicet poteſt comprehendere omnes hæredes, & omnes ætates eorum, vt ſi dicatur, inſtituo Caium filium meum hæredem, & cum migrauerit è vita, ſubſtituo ei Titium: propterea ſi Caius moriatur ante mortem patris, vel alia ratione non fiat hæres, Titius ſuccedit ex ſubſtitutione vulgari: ſi fiat hæres, & moriatur pupillus, ſuccedet pupillari: ſi poſt pubertatem, ſuccedet ex fideicommiſſaria, detracta legitima, & Trebellianica; ſi verò filius ſit amens, ſuccedet ex exemplari. Gomez *c.7.n.1. & 2.* Leſſius *cit.n.93.* Molina *diſp.192.* Couar. *c. Raynutius 16.§.9.* Reginal. *cit.n.630.* Plura de ſubſtitutione Authores hic citati. Quibus adde Caramuel *l.2. Theolog. moral. n.891.* Gomez Leſſius Molin. Couar. Regin.

SVPPLEMENTVM.

Subſtitutio.

SVMMARIVM.

1 *Subſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa, & quænam ſit differentia inter vtramque.*
2 *Ex quibus capitibus hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, poſſit non eſſe hæres.*
3 *Ætas pupillaris, quæ dicenda in maſculo, & in fœmina ad ſubſtitutionem pupillarem?*
4 *Quid neceſſe ſit, vt de iure ſubſtitutio pupillaris valeat? Et quid quando filius eſt præteritus, aut exhæredatus, non inſerta iuſta exhæredationis cauſa, & de nullitate agit atque obtinet.*
5 *Subſtitutio pupillaris expreſſa poteſt fieri tripliciter: Et an excludat matrem? Et quid ſi fuerit tacita.*
6 *Quando ſubſtitutio pupillaris expiret.*
7 *Quibus fieri poſſit ſubſtitutio exemplaris? Et quæ ſit differentia inter ſubſtitutionem pupillarem, & exemplarem.*
8 *An nõ ſolùm pater poſſit exemplariter filio ſubſtitutum dare,*

Digitized by Google

dare,ſed etiam mater? Et quande ſubſtitutio exemplaris expiret?

9 *Subſtitutio fideicommiſſoria vnde dicatur? Et an hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, poſſit reſtitutionis tempore de fideicommiſſo detrahere quartam partem,quæ vocatur Trebellianica?*

10 *Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, an poſſit detrahi quarta Trebellianica? An poſſit teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ.*

An ſubſtitutio fideicommiſſaria, qua teſtator inſtituit hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, ſit intelligenda, ſi hæres moriatur ſine deſcendentibus.

11 *Si hæres grauatus in delictum incidat hæreditate adita, ob quod bona illius fiſco abdicantur, an ea frui poſſit fiſcus,donec moriatur hæres grauatus.*

An deuoluatur hæreditas ad fideicommiſſarium,ſi hæres grauatus Religionem capacem bonorum profiteatur? Et ſi Religionem incapacem? Refertur duplex ſententia.

12 *An profeſſio in ordine incapaci ſucceſſionis, cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij,& ſubſtitutus admittendus ſit, in præiudicium illius, in quem bona aliena nata ſunt ante profeſſionem?* Refertur duplex ſententia.

13 *Quando ſubſtitutio fideicommiſſaria expiret, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat? & quande non?*

1 SVbſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa. Indirecta eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum,qui eam illi reſtituat; vt quando vnus inſtituitur hæres, & grauatur hæreditatem,aut partem hæreditatis reſtituere alteri. Et hæc dicitur etiam,tum obliqua,tum fideicommiſſoria ſubſtitutio. Directa verò ſubſtitutio eſt, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio, qui illã reſtituat. Differentia autem inter vtramque præter alia,eſt, quod in fideicommiſſarii ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianicæ, in ſubſtitutione verò directa, non item. Directa, & indirecta ſubſtitutio fieri etiam poteſt in legatis,& donationibus cauſa mortis, ſed tunc locum non habet Trebellianica. Quid autem ſit Trebellianica diximus ſuprà *verb. Legitima portio,n.3.*

Duo autem circa ſubſtitutiones in genere ſunt obſeruanda. Primum,in dubio,an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fideicommiſſaria,interpretandam,& cenſendam eſſe ſubſtitutionem directam, non verò fideicommiſſariam, vt habetur *in cap. Si pater, de teſtamen. in 6.* his verbis *Cum in ſubſtitutionibus ſemper ſit interpretatio facienda* (dummodò earum verbis, & perſonis conueniat inſtitutis) *vt ſubſtitutio directa intelligatur potius, quàm obliqua.*

Secundum eſt,ſi quis ſimul ſubſtituatur alteri directè, & indirectè,vulgari,& fideicommiſſaria ſubſtitutione, in optione eo pacto inſtituti eſſe eligere, quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere maluerit. Iuxta *l. recuſare,§. Titius,ff. ad Trebell.* Ita Ant. Gomez *t.1. variar. reſol.c.3.n.7.* Eman. à Coſta *in cap. ſi pater, p.3. verb. obliqua,n.14.* & alii ab ipſis relati.

2. Duo ſunt capita, ex quibus hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres, nempe, vel quia non poteſt, vt ſi moriatur ante teſtatorem, aut alia de cauſa, vel quia non vult. Primum caput appellatur impotentiæ. Secundùm dicitur à Iuriſperitis voluntatis. Si teſtator dum hæredi aliquem vulgariter ſubſtituit, exprimat ſolum vnum caput, aut partem illius, cenſetur ex iuris diſpoſitione in eo capite, aut parte capitis intelligere reliqua, quia ea præſumitur teſtatoris voluntas, quando contrarium aliunde non conſtat. Et tunc ſubſtitutio illa dicitur expreſſa ex capite, quod in ea exprimitur, & tacita ex capite, aut parte capitis, quæ non exprimuntur. Proinde ſi teſtator dicat in ſuo teſtamento, inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi noluerit inſtituo Ioannem, tunc ſi Iacobus ante teſtatorem moriatur,aut alia de cauſa hæres eſſe non poſſit hæredita pertinent ad ſubſtitutum,& non ad hæredes ab inteſtato, quia teſtator ſub capite volitionis, caput etiam impotentiæ intellexit. Similiter ſi dicat, inſtituo meum hæredem Iacobum,& ſi ille mortuus fuerit ante me, ſubſtituo Ioannem, tunc in caſu quo ex aliqua alia cauſa hæres eſſe non poſſit,aut ſi poſſit, non tamen velit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum non verò ad hæredes ab inteſtato,quia in illa parte expreſſa capitis impotentiæ, intelliguntur, tam reliquæ partes eiuſdem capitis, quàm caput voluntatis,ex *l. Gallus,ff. de liber. & poſt.* Et *l. vltim. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* Couar. in *cap. Raynutius, de teſtament §.4.n.4. & 5.* Anton. Gomez *tom.1. variar.c.3.n.10.* Couar. Molin. Molina *tract.2. diſp.183.* & communis apud quos plura de ſubſtitutione vulgari.

3. Circa ſubſtitutionem pupillarem eſt obſeruandum, quod ætas pupillaris in maſculo intelligitur vſque ad decimum quartum annum, in fœmina vſque ad duodecimum,ſicut in alijs diſpoſitionibus. Talis autem ſubſtitutio eſt,ſi filius meus infra pupillarem ætatem decedat, ſubſtituo Petrum,quo caſu,decedente filio infra pupillarem ætatem,ei ſuccedit Petrus, non ſolùm quoad relicta à patre, verum etiam quoad omnia alia pupilli bona,ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſomet pupillo, ex *l. Cohæredi, §. finali,* & *§. igitur,ff. de pupill. ſubſtitut.* modo ſit vera, & directa ſubſtitutio, non verò ſi fiat per verbum obliquum, & commune, vt ſi pater dicat, *Filio meo decedenti in pupillari ætate ſubſtituo Petrum in talem, vel Petrus capiat talem rem.* Nam verbum obliquum adiectum certæ rei, non extenditur ad omnia bona, *l. Cum filius, §. Lucius,ff. de legatis 2.* Ita Baldus, Caſtro, Iaſon, & alij apud Anton. Gomez *tom.1. variar. cap.4. num.13.*

4. Iure antiquo *l.2. in princip. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut* & *§. non ſolùm inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* vt ſubſtitutio pupillaris valida eſſe, neceſſe erat filium,cui pupillaris ſubſtitutus daretur, hæredem inſtitui,aut exhæredari: alioquin ſi præteriretur, cùm de eodem iure antiquo inualidum omninò eſſet tale teſtamentum, inualida quoque erat talis pupillaris ſubſtitutio in eo contenta. Hodie tamen poſt Authent. *vt cum de appellat. cognoſcitur, § ſin igitur,* & *§. ſi verò contigerit,* & Authent. *ex cauſa, Cod. de liber. præterit.* Eſto is impubes, cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus, aut exhæredatus non appoſita cauſa ex legitimis ad exhæredandum, quamuis teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem ſit nullum, validum tamen eſt quoad legata, fideicommiſſa, libertates, tutorum dationes, & quælibet alia capitula in eo contenta, quæ legibus ſunt conceſſa, in quibus ſane directæ etiam ſubſtitutiones comprehenduntur. Ita Iulius Clarus *§. Teſtamentum, quæſt.54.* Anton. Gomez *tomo 1. var. cap.4. num.4.* & *cap.3. num.24.* Molina *diſput.184. num.9.* & alij.

Qui bene obſeruant quod, quando filius eſſet præteritus, aut exhæredatus, non inſerta iuſta exhæredationis cauſa,& de nullitate ageret aduerſus tale teſtamentum atque obtineret: tunc ſicut ſua ſucceſſione nullæ redderentur priores directæ hæredum inſtitutiones, ita etiam inualidæ fierent vulgares ſubſtitutiones,quæ illarum loco erant ſtatutæ. Præterea vt ſubſtitutiones factæ in teſtamento,in quo filius eſt præteritus,aut exheredatus, validæ ſint, neceſſe eſt, vt in eo teſtamento aliquis alius hæres ſit inſtitutus: alioquin ſi nullus eſſet, teſtamentum eſſet prorſus inualidum,& quidquid in eſſet ſcriptum, præter legata in pias cauſas.

5. Subſtitutio pupillaris expreſſa poteſt fieri tripliciter: *Primò*, verbis generalibus, vt ſi teſtator loquens de filio ſuo impuberi, non tamen exprimens ſpecificè quod ſit impubes, dicat, Inſtituo filium meum hæredem, & ei Petrum ſubſtituo. *Secundò*, verbis ſpecialibus, vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. *Tertiò*, verbis ſpecialiſſimis, vt ſi exprimat conditionem, Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Petrum. Tunc quandocunque vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, ſubſtitutus pupillari, excludit matrem pupilli, ſi hic moriatur in ætate pupillari. Ita ex communi Emanuel à Coſta *in cap. ſi pater, part.2. verb. Superſtite matre à num.9.*

num.9. Anton. Gomez *tom.1.var.cap.4.numer.7.* Couarrunias *in cap. Raynutius,* §.5. Ratio eſt, quia teſtamentum in quo pupillaris ſubſtitutio continetur, non eſt diſpoſitio filii, ſed patris, quia ergo pater non tenetur inſtituere vxorem hæredem, inde effectum eſt, vt ſicut ius patri ſubſtitutionem pupillarem in filii bonis conceſſit, ita liberum ei reliquerit præferri vxori in eis bonis quemcumque vellet. Proinde valida eſt prælatio ſubſtituti pupillaris matri etiam in foro conſcientiæ, iuxta *l. Papinianus,* §. *ſed nec impuberis; ff. de inoffic. teſtament. & l. ſed etſi plures,* §. *ad ſubſtitutos, ff. de vulg. & pupil.* Quæ ſanctio iure Canonico eſt recepta *in cap. ſi pater, de teſtament. in 6.*

Tamen pupillaris ſubſtitutio tacita, quæ ex præſumpta voluntate teſtatoris in vulgari expreſſa includitur, non excludit matrem, quin potiùs præferenda eſt ſubſtituto in omnibus vniuerſim pupilli bonis, excludit ſolùm cæteros pupilli hæredes ab inteſtato, quibus proinde omnibus præferendus eſt ſubſtitutus, vt habetur expreſsè *l. vltim. Cod. de inſtitut. & ſubſtitutionibus, & l. precibus, Cod. de impub. & aliis ſubſtitution.* & ex communi docent Couar. *loco citato,* §. *4.n.6.* Gomez *loco cit.cap.4. n.* 8. Molina *diſp.184.n.19.* & alii. Couar. Molin.

6. Subſtitutio pupillaris expirat *Primò,* ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur, ſicut & vulgaris expirat, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem diſcedat; nam ius, ſeu ſpes ſubſtituti, ad hæredes eius non tranſit, ex *l. ſed ſi plures, ff. de vulgari. Secundò,* expirat ſtatim, ac is, cui ſubſtitutus eſt datus pupillarem ætatem egreditur, quia pro ſolo tempore pupillaris ætatis eſt ei datus ſubſtitutus, & ſub conditione, ſi intra id tempus è vita diſcedat, vt habetur de maſculo, *Inſtitut. de pupillari ſubſtitut. & l. In pupillari, ff. de vulg. & pupill. Tertiò,* expirat, ſtatim ac filius efficitur ſui iuris, viuente patre, qui ſubſtitutum pupillarem ei tradidit. Vnde, ſi pater facto teſtamento poſtea religionem ingrederetur, & profiteatur, eo ipſo pupillaris ſubſtitutio expirat, eſto pater è vita diſcedat poſt profeſſionem ante annos pubertatis filij, & filius ſimiliter poſt mortem patris diſcedat ante annos pubertatis: tunc enim bona filij pertinent ad hæredes ipſius ab inteſtato, non verò ad ſubſtitutum pupillarem. Ratio eſt, quia filius patriam poteſtatem egreditur eo ipſo, quod vel ipſe, vel pater religionem profitetur. De his Ant. Gomez *loc.cit.cap.4.nu.vlt. & c.3.n.23.* Eman. à Coſta *in d.cap. ſi pater, p.2. a nu.* 10. Molina *loco cit.num.25.* Gomez. Molina.

7. Subſtitutio exemplaris fieri poteſt non ſolùm amentibus, ſed etiam iis, qui ſurdi aut muti ſimul ſunt, ſiue à natiuitate, ſiue poſtea morbo tales effecti fuerint, modò tamen ſcribere neſciant. Sicut enim, qui tales ſunt, neque ſcribere ſciunt, teſtari nõ poſſunt, niſi vel milites ſint, vel ad pias cauſas teſtentur, ita fieri illis poteſt exemplaris ſubſtitutio. Idem dicendum de prodigo, huic enim ſi bonorum adminiſtratio interdicta ſit, fit huiuſmodi ſubſtitutio, cum teſtari non poſſint; neque multum ab amentibus diſtent. Hinc ſi teſtator habens talem filium dicat: Inſtituo filium meum, & ei ſubſtituo Petrum. Si hic filius nondum fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris, in eadem etiam ſemper continetur vulgaris; ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. In eadem etiam continetur fideicommiſſaria, nempe ſi poſt pubertatem redeat ad mentem, tunc enim ſubſtitutus ſuccedet ex tacito fideicommiſſu. Quia illa formula omnes has ſubſtitutiones complectitur. Ita ex communi Ant. Gomez *tom.1.variar.cap.6.* Molina *diſp.185.*

Hæc tamen eſt differentia inter ſubſtitutionem pupillarem, & exemplarem, quòd in pupillari requiratur patria poteſtas, non verò in exemplari: nam in hac conſideratur ratio humanitatis, & commiſerationis, non patria poteſtas. Deinde in pupillari omnes ſubſtitui poſſunt, non verò in exemplari; in hac enim ſubſtitui debent illi, qui de iure ſuccedere debent, vt deſcendent, vel aſcendentes, & his deficientibus fratres, & ſorores, & his omnibus deficientibus ſubſtitui poſſunt de iure communi quicumque alij. *l. humanitatis, C. de impub. ſubſtitut.* & §. *qua ratione, Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Ita Anton Gomez *loco citato,* Gomez. *c.6.* Molin. *diſp.185. num.2.* Couar. *in c. Raynutius, de teſtam.* §. *6.* Bonac. *de contract. diſp.3.queſt.17.punct.4.num.5.* & alii. Molin. Couar. Bonac.

8. Quamuis pater exemplariter poſſit filio ſubſtitutum dare, poteſt tamen etiam mater. Sed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem, obtinebit in bonis quæ habuerit ex parte matris. Si autem is, qui ſubſtitutus datur, habuerit alia bona, propria induſtria, aut aliunde acquiſita, dimidium obtinebit ſubſtitutus datus a patre, & alterum dimidium ſubſtitutus datus a matre. Ita cum Bartolo, Anton. Gomez *loco cit.num.* 3.

Porrò exemplaris ſubſtitutio expirat eo ipſo, quòd is, cui facta eſt ad ſanam redit mentem, & *l. humanitatis, C. de impub: & aliis ſubſtit.* & §. *qua ratione, Inſtitut. de pupil. ſubſtitut,* Si tamen poſtquam ad ſanam mentem rediit teſtamentum non fecit, & iterum mente captus factus ſit, reconualeſcit exemplaris ſubſtitutio priùs facta, eſto, qui exemplariter ſubſtituit, mortuus fuerit antequam ille ad ſanam mentem redierit, Ita ex communi Couar. *loco cit.* §. *6.n.7.* Anton. Gomez *cap.6.n.11.* & alii.

9. Subſtitutio fideicommiſſaria dicitur a fide, quia teſtator fidit hæredi, & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. Vocatur ſubſtitutio, quia eſt ſecunda inſtitutio facta cum conditione. Dicitur autem ſecunda inſtitutio, quia ſuccedit in locum primæ inſtitutionis. Et quamuis dari poſſint gradus ſubſtitutionis vt tertius, quartus, & vlterior gradus; nihilominus ſubſtitutio adhuc dicitur ſecunda inſtitutio reſpectu primæ inſtitutionis, quia in locum primi inſtituti omnes ſuccedunt, *l.1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtitut.* Couar. *loco citat. capit. 16.* §. *4.* Molſeſius *in ſum. part.2. tract.13. cap.4.n. 28. & ſequentib,* & communis. Couar. Molſeſius.

Vt autem hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, inuitaretur ad adeundam hæreditatem, & ſimul ne nomen talis hæredis vacuum, & abſque fructu eſſet, iure conceſſum illi fuit, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſet quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt, vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere eam reſtituendi alteri, detrahet quartam totius; ſi in dimidia cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij, & ſic deinceps. Quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet, & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam.

Inſuper iure conceſſum fuit, vt ſi hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, poſset officio Iudicis ad id cogi, vt continuò eam reſtitueret. & vt ſi coactus eam adiret, amitteret huiuſmodi quartam, quæ vocatur Trebellianica, a Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum, vt detraheretur. Ita habetur §. *ergo, verſ. ſed ſi recuſet, & §. Sed quia ſtipulationes, Inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus, l.1. & ſequent. Cod. ad S.C. Trebellianum,* & docent Anton, Gomez *tom.1. variar. cap.5. nu.3. & 14.* Molin. *diſp.186.* Leſſius *l.2.cap.19.num.87.* Trullench *in Decalog. lib.7.cap.18.dub.8.num.5.* & alij apud Bonacin. *loco cit.n.10.* Molin. Leſſius. Bonacin.

10. Circa hanc ſubſtitutionem fideicommiſſariam eſt notandum *Primò,* quod, quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, ſeu cum ſubſtitutus eſt cauſa pia, non poteſt detrahi quarta Trebellianica: ſicut etiam fauore piæ cauſę in legatis piis ceſsat Falcidia, niſi fortè etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia, tunc enim detrahet, quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium, ſed iure communi cenſentur. Nam quando duo habent priuilegium circa eandem rem, ceſsat priuilegium vtriuſque, & ſtatus iuri communi. Ita Gomez *loco citato, capit.5. numero 11.* Molina *diſputat.187. numero 27.* Filliucius *tractat.34. numer.170.* Syluester *verb. Legitima num.9.* & alij communiter. Molin. Fill. Syluest.

Secundò, ex communi Doctorum ſententia poteſt teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere; ſicut enim teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, ex *Authent. Sed cum teſtator, Cod. ad leg. Falcidiam,* ita etiam prohibere

Digitized by Google

hibere poteſt, ne eam detrahat à fideicommiſſis: cùm Falcidia, & Trebellianica æquiparentur in iure, adeò vt Trebellianica ſæpe nomine Falcidiæ ſignificetur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum*, *quæſt.*62. Couarruuias *cap.* 18.*de teſtament. n.*10. Leſſius *loco cit. num.*89. Eman. Sa *verb. Hæreditas, num.*41. Molina *diſp.*187. *num.*23. An autem parens filijs primi gradus prohibere poſſit deductionem Trebellianicæ. Adeò ſunt diuiſi Doctores, vt difficile ſit iudicare, quænam ſit communior opinio, alijs affirmantibus, & alijs negantibus: vt videre eſt apud Molinam *diſputat.*187. *num.*25. & 26.

Couar. Leſſius, Sa.

Tertio, ſubſtitutio fideicommiſſaria, qua teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem, & illam grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, intelligenda eſt ſub tacita conditione, ſi hæres decedat ſine filijs, vel deſcendentibus, *l. Cùm auus, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*, Eſt communis Doctorum. Quamuis quidam obſeruent hoc non procedere in tribus caſibus *Primò*, quando hæres tempore conditi teſtamenti habebat filios, vel deſcendentes. *Secundo*, ſi hæres ſit extraneus. *Tertio*, quando filius vel deſcendens inſtituit patrem vel matrem cum onere reſtituendi hæreditatem. In his caſibus non præſumitur, nec vllo iure probatur hanc conditionem ſubintelligi, ſi deceſſerit ſine filijs vel deſcendentibus. Ita poſt Antonium Gomez, Bonacina *loco citato n.*6. Trullench *in Decalog. lib.*7.*c.*18.*dub.*8.*nu.*8. De his plura apud Molinam *diſp.*190.

Bonac. Trullench.

11. Si hæres grauatus, hæreditate adita, in delictum incidat ob quod bona illius fiſco abdicantur, ea frui poteſt fiſcus, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione tempus reſtitutionis adueniat, *l. Statius Florus*, §. *Cornelio*, *ff. de iure fiſci*, & *l. ex facto*, §. *ex facto*, *ff. ad S.C. Trebellian.*

Hoc tamen intelligitur, niſi teſtator alienationem prohibuerit ſtatuendo, vt in bona familia remanerent, aut conſtiterit voluntatem illius eſſe vel fuiſſe, vt etiam viuente hærede grauato, aut alia ratione durante tempore, in quo nondum facienda erat reſtitutio, non tranſirent ad alium, quàm ad fideicommiſſarium, tunc non poterit fiſcus eis frui, vt ex *l. Imperator in princip.* tradunt Bartolus, Molina *Diſputat.*186. *numero ſecundo* Bonacina *loco citato numer.*8. Trullench *loco citato*, *numer.*9. & alij.

Si autem hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommiſſarium, donec profeſſus naturaliter moriatur, vel donec adimpleatur conditio, ſub qua teſtator voluit, hæreditatem deferri fideicommiſſario; tunc enim Monaſterium percipiet vſumfructum illorum bonorum donec ſequatur mors naturalis ipſius Religioſi. Ratio eſt, quia vſuſfructus relictus alicui habet eam tacitam conditionem, vt morte, eius finiatur, & redeat ad proprietarium, §. *finitur*, *Inſtit. de vſufructu*. At non finitur profeſſione vſufructuarij in Monaſterio capaci, ſed remanebit apud Monaſterium vſque ad illius mortem. Quare ſi Religioſus ille ſuperuixerit fideicommiſſario, non tranſmittentur ea bona ad hæredes fideicommiſſarij, ſed remanebunt apud Monaſterium, quod per fictionem iuris fauore religionis loco filij habetur. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Couar. *lib.*1.*variar. cap.*19.*num.*7. Gutierrez *in queſtion. canonic. libr.*2.*capitol.*1. *numer.*4. Molina *diſputat.*186. *numer.*3. Sanchez *lib.*7.*moral. capitol.*3. *numer.*76. & 77. Trullench *loco citato*, *numer.*9. Vaſquez *in opuſc. tit. de redditibus*, *cap.*3. *dub.*4. *num.*20. & alij multi penes ipſos.

Couar. Gutier. Sanch. Vaſq. Trullench.

Sed maior difficultas eſt, ſi Monaſterium illud ſit incapax ſuccedendi? Nam multi valde probabiliter affirmant non ſtatim à die profeſſionis deberi hoc fideicommiſſum, ſed ſolum poſt naturalem profeſſi mortem, & interim non Monaſterium habiturum ea bona, ſed habituros hæredes ab inteſtato, quia eius perſonam repræſentant. Ratio illorum eſt, quia conditiones implendæ ſunt in ſpecifica forma, *l. qui hæredi*, *ff. de condit. & demonſtrat.* & non æquiualet in conditionibus implendis mors ciuilis morti naturali: at fideicommiſſum illud habet tacitam conditionem, ſi inſtitutus moriatur ante fideicommiſſarium; ergo in ea conditione implenda non eſt mors ciuilis per profeſſionem, ſed mors naturalis conſideranda. Ita multi Iuriſperiti apud Sanchez *loco citato num.*78.

Probabilior tamen ſententia aſſerit, id fideicommiſſum ſtatim deberi fideicommiſſario poſt profeſſionem, ſicut legata debentur legatarijs, & hæreditas hæredibus. Probatur, quia huiuſmodi profeſſus reputatur, ac ſi naturaliter mortuus eſſet: nam mors ciuilis, æquiparatur naturali, quoties eoſdem effectus parit, ſeu dum inducit incapacitatem ſuccedendi. Tum quia, cùm ille nequeat bona poſſidere, nec ex facto ſuo transferat in Monaſterium, nihil mirum ſi ea bona ad eos pertineant, ad quos deuoluerentur eo naturaliter mortuo. Ita Bartolus, Baldus, Surdus, Decius, & alij quos refert, & ſequitur Sanch. *loco citato num.*79. Gutier. *lib.* 2.*in quæſt. Canonic. cap.*1.*num.*62. & *ſeq.* Clarus §. *Teſtamentum*, *q.*28.*num.*4. Molina *loc. cit.*, *num.*23. Vaſq. Couar. *locis cit.*

Sanch. Gutier. I. Clar.

12. An autem hæc profeſſio in ordine ſucceſſionis incapaci cenſenda ſit mors naturalis in iudicium tertij, ita vt à tempore profeſſionis ſubſtitutus ille admittendus ſit in præiudicium illius, in quem ea bona alienata ſunt ante profeſſionem? Eſt duplex ſententia, vna affirmatiua, altera negatiua probabilior, nempe eam profeſſionem non cenſeri mortem naturalem in præiudicium tertij, ac proinde expectandam eſſe huius profeſſi mortem, vt ſubſtitutus in ea bona ſuccedat, & interim ea habiturum illum, in quem alienata fuerant: ex quo fit, quòd Nouitius Ordinis Minorum de Obſeruantia, & Capucinorum, qui grauatus eſt poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere, ſed ipſe ante Religionis ingreſſum, vel ante profeſſionem, ius in ea bona tempore vitæ ſuæ ad ſe pertinens, venditione, aut donatione, aut quouis alio contractu, in alium tranſtulit, valida eſt venditio, aut donatio, aut in alium translatio, nec ſubſtitutus ſuccedet in ea bona, ante mortem naturalem talis Religioſi. Ratio eſt, quia mutatio ſtatus alienantis non officit iuri iam quæſito per eum, in quem alienarat. Tum quia profeſſio talis Fratris Minoris operatur expropriationem eorum, quæ tunc profeſſus poſſidebat, non verò in præiudicium tertij, & reſpectu iuris, quod in alium tranſtulerat. Tum quia ex tempore illius alienationis iam Religioſus ſe iure ſuo abdicarat, & illud tranſtulerat in alium cui erat ius in ea re acquiſitum: at cùm fictio iuris non perperam, ſed ex naturali quadam æquitate inducatur, nihil operatur præiudicium tertij, id enim naturali æquitati aduerſaretur, vt cùm alterius iactura quiſpiam locupletetur. Ita Baldus *conſil.*280.*in fine*, *volum.*1. Peregrinus *de fideicommiſſis*, *art.*28.*num.*63. Bartol. *in l. Cùm hæredes* 23.§.1.*n.*1.*ff. de acquir. hæredit.* & alij quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.*7. *moral. cap.*3. *num.*81.

13. Subſtitutio fideicommiſſaria expirat, ac nulla redditur, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat, *l. ille à quo*, §. *ſi teſtamento*, *in fine*. *ff. ad Trebell.* Excipitur tamen *Primo*, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquam coactus, vel iuſſus eſt hæreditatem adire: tunc enim hæres, ad quem hæreditas deuenit, reſtituere cogitur fideicommiſſum, *l. non iuſtam*, *Cod. ad Trebel.* *Secundo*, ſi hæres grauatus iure ſuitatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes tranſmittat: tunc enim illi hæreditatem adire coguntur, ac fideicommiſſario reſtituere fideicommiſſum. Colligitur ex *l. ita tamen*, §. *ſi pater*, *ad Trebellian.* eadem eſt ratio, quando ex quocumque alio capite tranſmiſſio fit hæreditatis, non auitæ. *Tertio*, quando in teſtamento, in quo hæres grauatus fuit, appoſita eſt clauſula codicillaris: tunc enim hæredes, ad quos in defectum hæredis grauati hæreditas deuenerit etiamſi ab inteſtato hæredes ſint, grauati cenſentur reſtituere fideicommiſſum, iuxta *l. Scæuola*, *ff. ad Trebel.* Ita Anton. Gomez *tom.*1. *variar. cap.*5. Emanuel à Coſta *in cap. Si pater*, 1. *verb. ſi abſque liberis*, *numer.*55. & *part.*2. *verb. abſque deductione*, *num.*27. Molina *diſp.*189. & alij.

De reciproca, ſeu breuiloquia, & compendioſa ſubſtitutio-

tutio-

tutione, nihil eſt à nobis addendum, quia in ſupradictis includuntur, non enim omnia de ſubſtitutionibus dicenda hic ſunt adducenda, cùm plenior horum tractatio ad Iuriſperitos pertineat, & videri poſſunt apud Doctores toto hoc titulo citatos.

SVFFRAGIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſuffragium? & an ſuffragia ſint ſatisfactoria ex opere operato & ex opere operantis? An Prælati Religionum poſſint alijs applicare opera meritoria ſuarum ſubditorum? Et ad quid iuuent huiuſmodi participationes ijs, quibus conceduntur? Et an Prælati poſſint applicare ſubditorum ſatisfactione ipſis inuitis?*

2 *An ſuffragium ſiue opus bonum, proſit etiam facienti, quoties alteri applicatur?*

3 *Quæ requirantur vt ſuffragium alteri proſit?*

4 *An opus ſatisfactorium ex opere operato proſit alijs, etiamſi offerens non exiſtat in gratia?*

5 *Quæ conditiones requirantur in eo, cui ſuffragium offertur?*

1. SVffragium aliquando ſignificat votum quod in fauorem alterius fertur, vt accidit in electionibus ad officia, & beneficia: hoc autem loco accipimus ſuffragium à ſuffragando, & ſecundùm D. Thomam 4. *d.* 20. *q.* 1. *art.* 2. Suar. *de pœnit. diſp.* 48. *ſect.* 1. *&* 2. Sylu. *verb. ſuffragium.* Coninck *de pœnit. diſp.* 10. *dub.* 7. *num.* 59. de ſui ratione importat quandam auxiliationem quæ fit alteri. Suffragia, alia ſunt ſatisfactoria ex opere operato, vt eſt ſacrificium, & indulgentia; alia ex opere operantis, vt ſunt orationes, quæ ab homine iuſto offeruntur: hinc indubitata fide credendum eſt, fideles, dum in hac vita degunt, non ſolùm poſſe ſe inuicem iuuare ſuffragijs, iuxta articulum in ſymbolo, *Communionis ſanctorum*, verùm etiam adiuuare poſſe defunctos ſatisfaciendo pro pœna ipſis debita. Vnde cùm Prælati religionum dominium voluntatum ſuorum ſubditorum ex vi obedientiæ voti in ſuis manibus emiſſi habeant, poterunt cuicumque voluerint eorum merita, & orationes, oblationes, aliaque opera meritoria applicare, antequam conſtituantur, & reponantur in vniuerſali theſauro Eccleſiæ, vt affirmant communiter Doctores poſt D. Thom. *loco citato.* Corduba *in q. lib.* 5. *q.* 42. Reginald. *lib.* 7. *num.* 124 Sot. 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Graffijs *in appendic. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 18. 19. *&* 20. & alij. Et hoc non ſolùm ex priuilegio, vt probat Miranda *tom.* 2. *manual. q.* 49. *art.* 1. ſed etiam iure communi, ex Decreto Pelagij Papæ in *c. Nullam* 18. *quæſ.* 2. per illa verba: *Tota bonorum Monaſterij adminiſtratio ad Abbatem pertinet, & eſt penes ipſum Abbatem.* Quæ verba non ſolùm de bonis temporalibus, verùm etiam de ſpiritualibus intelligienda eſſe docet Nauarrus *tit. miſcellan. de pſalter. Beata Virginis, miſcellan.* 11. *num.* 4.

Sed petes *Primò*, quid iuuent huiuſmodi participationes ijs, quibus conceduntur? Reſp. quòd iouant non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter, quia vſus talium participationum ad dictos effectus fuit in Eccleſia approbatus à tempore Apoſtolorum, vſque ad præſens. Vnde ex litteris gratioſis, ſeu ex applicatione prædictorum bonorum impetrant benefactores, & participantes gratiam conuerſionis, illuminationem cordis, profectum virtutum, & præſeruatioem à peccatis, libertatem, perſeuerantiam, & præſeruationem à morte, & ab alijs malis ſpiritualibus, & corporalibus, & ad collationem bonorum ſpiritualium, & temporalium. Ita D. Thomas *in ſupplem.* 3. *p. q.* 27. *art.* 1. Miranda *cit. art.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *quæſtionum reg. q.* 33. *art.* 3. & Sorbus noſter *in comp. priuileg. verb. indulgentia.* Imò pro animabus habentibus prædictas litteras participationis poſſunt Religioſi illius Monaſterij, cuius fuerunt benefactores, celebrare Miſſam, quæ eas liberet à pœnis Purgatorij. Ex conceſſione Clementis VIII. Fratribus Minimis facta, & cum eis participantibus, quæ habetur *tom.* 2. *priuilegiorum illius Ordinis conſtitutione* 4. *eiuſdem Clementis.*

Hinc patet expediens eſſe, vt Prælati regulares, qui præ alijs Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum imitatores eſſe debent, literas gratioſas participationis elargiantur, maximè domeſticis, & benefactoribus, quia fraternæ, & religioſæ charitati conſonum eſt, teſte Apoſtolo, ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Petes *Secundò*, An Prælati poſſit applicare alijs ſatisfactiones ſubditorum, ſi ipſi reſiſtant, aut nolint, quòd applicentur? Reſp. Probabilius eſſe, non poſſe tales ſatisfactiones alijs applicari per Prælatum contra voluntatem ſubditorum, ſi tales ſatisfactiones ipſis neceſſariæ fuerint, quia ſcilicet habent aliquid ſoluendum de pœna temporali. Ratio eſt, quia ſicut Prælatus non poteſt à ſubdito auferre bona temporalia neceſſaria, verbi gratia, cibum, veſtes, ſomnum, &c. ſic nec ſpiritualia neceſſaria, præſertim, quia in iſtis neceſſarijs non ſubdicitur voluntas ſubditi ſuperiori. Quando autem opera ſatisfactoria, ſeu ſuffragia non ſunt ſubditis neceſſaria, vtpotè quia non ſolùm ſunt in gratiæ ſtatu, ſed etiam nullam habent temporalem pœnam ſoluendam, poſſunt alijs à Prælato applicari, etiam reſiſtentibus ſubditis: hoc enim ſequitur ex facultate, quam habet diſponendi de bonis ſubditorum quæ ipſis neceſſaria non ſunt. De hac materia vide plura apud Lezanam *tom.* 3. *ſum. v. Bona regularium.*

2. Suffragium, ſiue opus bonum, ſi conſideretur vt ſatisfactorium, non prodeſt facienti, quoties alteri applicatur; nam opus bonum non habet ſatisfactionem infinitam, ſed limitatam; ſi ergo ſatisfactio, quæ limitata eſt, alteri applicetur, prodeſt illi cui applicatur, non verò applicanti; vnde opus bonum applicatum pluribus, minus ſingulis prodeſt, quam prodeſſet ſi totum vni applicaretur: Si verò opus conſideretur vt meritorium, prodeſt ipſi applicanti ad meritum vitæ æternæ. Suarez *cit. d.* 48. *ſect.* 6. 8. D. Thom. 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 1. Sylu. *cit. num.* 3. Graffijs *in appendice lib.* 2. *c.* 9. *num.* 13. An autem ſatisfactio habeat effectum infallibilem in eo cui applicatur. Suarez *cit. d.* 48. *ſect.* 5. affirmat prodeſſe ex iuſtitia, & infallibiliter acceptari pro illo, pro quo offertur. Medina verò *de pœnit. tract.* 3. *q.* 2. *&* 3. & Coninck *d.* 10. *num.* 69. negant prodeſſe infallibiliter, quia non ſatis nobis conſtat, Deum infallibiliter acceptare ſatisfactionem pro alijs, & hæc ſententia fortè eſt probabilior. Suar. D. Thom. Sylu.

3. Quædam requiruntur vt ſuffragium alteri proſit: *Primò*, enim offerens debet habere intentionem offerendi pro eo, cui prodeſt, ſi enim ſatisfaciens non dirigat intentionem ſuam in alium, retinet ſibi ſuffragium, cùm ſit opus ipſius. *Secundò*, requiritur vt opus fiat ab homine viatore in hac vita exiſtente, quia poſt hanc vitam non poſſumus mereri neque ſatisfacere. *Tertiò*, vt opus voluntariè fiat, ſeu ſuſtineatur. *Quartò*, vt opus ſit bonum ſaltem ratione intentionis, ſiue ſit opus interoum, ſiue exteroum. *Quintò*, vt opus ſatisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in perſona propria proſit alteri ad ſatisfactionem, requiritur, vt operans ſit in gratia, quia exiſtens in peccato mortali eſt indignus, & impotens ad obtinendam alteri remiſſionem pœnæ, ſeu ad ſatisfaciendum pro altero. Sà *verb. indulg. ad finem.* Filliuc. *tract.* 8. *n.* 49. *&* 11. Coninck *d.* 11. *dub.* 8. *num.* 62. Suar *diſp.* 37. *ſect.* 3. *& diſp.* 48. *ſect.* 7. Bonac. *de ſuffragijs q.* 2. *p.* 2. Sà. Filliuc. Coninc. Suar. Bonacina.

4. Opus ſatisfactoriom ex opere operato prodeſt alijs, etiamſi offerens ſit improbus, & non exiſtat in gratia, valor enim illius ſuffragij, cùm non dependeat à bonitate, & probitate offerentis, non poteſt impediri per ipſius improbitatem, ſicut diximus indulgentias prodeſſe defunctis per modum ſuffragij, etiamſi qui facit opus pro illarum conſecutione ſit in peccato mortali: quemadmodum ſuffragium nomine Eccleſiæ factum ab improbo, prodeſt, quia dignitas orationis conſideranda eſt ſecundùm dignitatem Eccleſiæ, cuius nomine offertur, non autem iuxta dignitatem improbi miniſtri: excuſetur verò qui orate nomine Eccleſiæ, quando preces, & orationes inſtitutas

ab

Digitized by Google

Tol. Graffis. ab Eccleſia recitat vt miniſter deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. Toletus *lib.6.c.27.nu.5.* Coninch *d.12.dub.7.n.39.* Graffis *l.2.c.10.num.10.*

5. Tres conditiones requiruntur in eo, cui ſuffragium offertur. Prima eſt indigentia, hoc eſt, vt indigeat ſuffragio; vnde beatis non proſunt ſuffragia, quia illis non indigent, ſimiliter ſuffragia, quæ applicantur alicui tunc temporis quo non indiget, illi non proſunt non ſolùm pro eo tempore, verùm neque pro tempore, ſubſequenti. Secunda conditio eſt, vt ſit in gratia, quia exiſtens in peccato mortali quamdiu perſeuerat in eo ſtatu, dignus eſt æterna pœna, & non poteſt pœnæ remiſſionem obtinere per ſuffragia; hinc ſecundùm multos Doctores ſatisfactiones applicatæ exiſtenti in peccato mortali, vel non indigenti, conuertuntur in vtilitatem ipſius offerentis, ſi indigeat: præterea ſequitur ſuffragia non prodeſſe damnatis in inferno exiſtentibus, aut pueris decedentibus cum ſolo originali, quia non ſunt in gratia. Suar. *diſp.48.ſect.7.n.5.* Valent. *tom.4.diſp.7.q.10.punct.5.* Bellar. *de purg.lib.2.c.18.* Bonac. *c.punct.3.* (Suar. Val. Bonacina.) Tertia conditio eſt, vt peccata, pro quibus exhibetur ſatiſfactio, iam ſint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna, antequam culpa remittatur, cùm manente culpa ſemper remaneat dignitas, & obligatio ad pœnam. Filliuc. *tract.8.num.5.* Coninch *d.10.dub.6.n.41.*

Vide v. *Electio* num.3. *Excommunicatio* 3. num.1.2. *Indulgentia* 3.

SVPPLEMENTVM.

Suffragium.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium apud Theologos quid ſit? An vnus fidelis poſſit alium iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, ſiue in hac vita, ſiue in Purgatorio alter exiſtat?*
2 *An ſuffragia ſint offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus?*
3 *An ſuffragia viuorum poſſint prodeſſe damnatis ad expiationem pœnæ debitæ propter mortale peccatum in hac vita non remiſſum? Et an pueri morientes cum ſolo peccato originali, ſint capaces ſuffragiorum?*
4 *An animabus Purgatorij ſuffragia prodeſſe poſſint per modum impetrationis vel per modum ſolutionis?* Refertur duplex ſententia.
5 *An Sancti beati orent pro animabus Purgatorij? Et an impetrent illi remiſſionem gratuitam alicuius pœnæ?*
6 *An ſuffragia viuorum proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia?* Refertur duplex ſententia.
7 *An opus externum præciſè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem, ſeu remiſſionem pœnæ prodeſſe?* Refertur duplex ſententia.

1. SVffragium, vt à Theologis accipitur, eſt auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, vel aliquid huiuſmodi. Negant Lutherani poſſe vnum fidelem alios iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, in quo errore fuit VVicleph. Nihilominus veritas Catholica eſt, poſſe fideles viatores ſe inuicem iuuare ſuffragijs, ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis, cæteriſque operibus meritorijs ſaltem de congruo, applicando pro alijs fidelibus viuis, atque defunctis, vt à pœnis debitis diuina clementia liberentur. Hic eſt communis ſenſus Scholaſticorum omnium, qui veritatem hanc cenſent contineri in Symbolo Apoſtolorum, vbi confitetur Eccleſia *Sanctorum Communionem*. Hoc eſt, in Eccleſia militante eſſe communicationem bonorum operum inter homines iuſtos, quatenus vnus alteri prodeſſe, & auxiliari poteſt. Ratio eſt, quia Eccleſia tota eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus; ergo debet habere communicationem, tã capitis cum membris, quàm membrorum inter ſe. Nam pro inuicem ſollicita ſunt membra, *& ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*, 1. Corinth. 12. Proinde ſicut vnum membrum alteri præbet auxilium, ita poteſt vir iuſtus alteri opem ferre per ſuffragia, & opera ſatisfactoria.

Quod autem viuentes poſſint per ſuffragia iuuare defunctos detentos in Purgatorio, patet ex *lib.2. Machab.cap.12.* vbi dicitur, *Sancta ergo, & ſalubris cogitatio eſt orare pro defunctis, vt peccatis ſoluantur.* Vnde Eccleſia ſancta Dei in Miſſis Defunctorum orat dicens, *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni.* Et in Concilio Florentino in litteris vnionis dicitur: *Prodeſſe defunctis, vt à pœnis releuentur viuorum ſuffragia, ſacrificia, orationes & eleemoſynas, aliaque operis pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs viuentibus, atque defunctis fieri conſueuerunt.* Quibus accedit ratio, nam iuſti defuncti ſunt membra corporis Eccleſiæ, & ſunt colligati nobiſcum, & cum Deo, in Fide, Spe, & Charitate. Ergo viuentes poſſint, ac debent iuuare defunctos, vt membra eiuſdem corporis. Præterea Chriſtus, qui caput eſt, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus. Ergo decet, vt membra inter ſe ita agant, vt iuſti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis, & mortui viuentibus proſint. Ita docent D. Thomas *in ſupplement.3.part.q.71.artic.2.* D. Bonauent. *in 4. diſt.20. artic.1. quæſ.1. & 2.* Suarez *tom.4. de pœnitent. diſput.48. ſect.1. & 2.* Ioan. de Lugo *de pœnitent.diſp.26.ſect.1.* Sotus *in 4.diſt.45.q.2.ar.1.* & alij communiter. (D. Thom. D.Bonau. Lugo. Sotus.)

2. Suffragia non ſunt offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus, quibus per ſe, ac propriè prodeſſe non poſſunt. Ita Innocentius III. *in cap.Cum Marthæ, de celebrat.Miſſ..r.verſ.Tertio loco.* D. Auguſtinus *in Enchirid cap.*109. & omnes Scholaſtici *in 4.diſt.45.* Hæc veritas Catholica ratione probari poteſt, & quidem quantum ad pœnæ expiationem, res eſt certiſſima, quia in beatis nihil pœnæ ſupereſt, quod expiari, aut remitti poſſit. Si verò ſit ſermo de vtilitate ſuffragiorum, quantum ad impetrationem alicuius boni, certum eſt etiam non poſſe noſtra ſuffragia prodeſſe Sanctis beatis quantum ad augmentum eſſentialis gloriæ, cùm hoc vnicuique conferatur iuxta propria merita, ſeu propriam gratiam, & charitatem. Proinde oblationes pro Sanctis ſunt potiùs gratiarum actiones, quæ Deo fiunt, & à Sanctis cognoſcuntur, & ideò de illis gaudent, & ita accidentalis eorum gloria augetur. Honorem autem extrinſecum eis impetrare poſſumus, quatenus ille honor potiùs in nobis eſt, qui Sanctos honoramus, & cedit in profectum, & vtilitatem noſtram, vt D. Auguſtinus, & Innocentius ſuprà ſentiunt, cum D. Thoma *in 4.diſtinct.45.quæſt.2.art.2.quæſtiunc.4.* Paludanus, Sotus, D. Antoninus *3.part. titul.*13.*c.6.§.13.* & *titul.32.cap.2.§.2.* Nauarrus *de Iub.l.notab.22.num.46. & ſequentibus*, & alij communiter. (D. Thom. D. Antonin. Nauar.)

3. Suffragia viuorum non poſſunt prodeſſe damnatis ad expirationem pœnæ, ſeu terminationem, quam ſuſtinent propter peccata mortalia, quorum remiſſionem in hac vita non obtinuerunt: quia de fide eſt, hanc pœnam eſſe æternam ex immutabili lege Dei, vt conſtat ex varijs Scripturæ locis, in quibus ſupplicium damnatorum æternum, & inextinguibile appellatur. *Matth.25. Lucæ* 13. Ratio huius veritatis à priori eſt, quia mortale peccatum dignum eſt tali pœna: & quamdiu culpa non tollitur, impoſſibile eſt ſatisfactionem exhibere pro pœna, & nemo impetrare poteſt, vt illa pœna ceſſet perdurante culpa, quia hoc repugnat diuinæ legi, & iuſtitiæ. Ex quo fit, quod ea ordinatione diuina conceſſum eſt homini huius vitæ tempus, vt in eo poſſit talis peccati remiſſionem obtinere pœnitentiam; poſt hanc autem vitam conſtituimur in termino, in quo non conceditur pœnitentiæ locus. Præterea hic colligitur, ſuffragia viuentium non prodeſſe defunctis damnatis ad aliquam mitigationem, remiſſionem huius æternæ pœnæ, quæ illis debetur propter culpam mortalem non remiſſam: nam, ſi damnatis remitterentur pœnæ propter ſuffragia viuorum, paulatim poſ-

ſent

ſent auferri, ſaltem quoad pęnam ſenſus, ſeu quoad poſitiuum dolorem, eſto pęna damni nunquam tollatur: Conſequens autem etiam hæreticum eſt, quia Scriptura ſacra etiam cruciatum ignis, & vermem conſcientiæ dicit eſse æternum. Sequela probatur, quia pęna illa quoad intenſionem finita eſt; finitum autem per ablationem finiti conſumi poteſt. De quibus plura apud D. Thom. *in ſupplement. 3. part. quæſt. 71. artic.* 5. Bellarminum *lib. 2. de Purgatorio, cap.* 18. Coninch *de pænit. diſp.* 11. *dub.* 8. Suarez *tom. 4. diſp. 48. ſect. 4. num.* 11. *& ſeqq.* Sotum *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art.* 2. Qui nouiſsimus aduertit eum grauiter peccare, qui orat pro mortuis damnatis, ſciens ipſos damnatos eſse; peruertit enim ordinem Eccleſiæ, & facit contra finem & honorem ſuffragiorum, quæ non debent indigno ſubiecto applicari, licet excuſetur ſuffragia offerens, ſi neſciat illos eſse in ſtatu damnationis conſtitutos.

Quod dictum eſt de damnatis, idem dicendum eſt de pueris morientibus cum ſolo peccato originali: hi enim non ſunt capaces ſuffragiorum, quia reuera perpetuò puniuntur pœna damni, & in illa nullam poſſunt remiſſionem accipere; aliam verò non patiuntur, pro qua iuuari poſſint: ſunt ergo omninò extra viam, & irremiſſibiliter extra gratiam, vt aduertit Nauar. *de Iubilæo, notab.* 22. *num.* 46. & Suar. *loc. cit. num.* 18. cum alijs D. Thom. *in ſupplem. q. 71. art.* 7.

4. Suffragia viuorum prodeſſe poſſunt animabus Purgatorij, non ſolùm ad aliquam mitigationem pęnarum, ſed etiam ad integram remiſſionem. Ratio eſt, quia illa pęna finita eſt, quoad gradus: ergo ſi poteſt remitti per ſuffragia, poteſt etiam omnino tolli, vel multiplicando ſucceſſiuè ſuffragia, vel ſimul in perſonis diuerſis, vel ita augendo vnum, & idem opus, vt multis operibus ſatisfactorijs, atque adeò toti pęnæ æquiualeat. D. Thom. *loc. cit. art.* 6.

An autem ſuffragia viuorum proſint animabus Purgatorij per modum impetrationis, vel per modum ſolutionis, & ſatisfactionis condignæ, quoad remiſſionem temporalis pęnæ, diſputant Theologi; Prima ſententia eſt, temporalem pęnam interdum remitti gratis animabus Purgatorij propter orationes & merita aliorum iuſtorum, qui hoc impetrant à Deo, etiamſi vel ſuas ſatisfactiones pro illis non offerant, vel certè illas non habeant, nec efficiant, vt eas offerre poſſint: & generaliter affirmat hæc ſententia hunc modum impetrationis & ſuffragij non ſolùm eſse poſſibilem, ſed etiam nullum alium poſse nos exhibere animabus Purgatorij ad hunc effectum obtinendum. Secunda ſententia affirmat, hunc modum gratuitæ remiſſionis per modum impetrationis aliquando obtineri, quamuis alius etiam modus per æquiualentem ſolutionem ſit poſſibilis: & declarat morali exemplo, quia vnus ex amore poteſt apud iudicem alium liberare à debito pęnæ vel rogando, vel ſatisfaciendo. Ita Nauar. *de Iubilæo, notab.* 22. *nu.* 15. Durandus *in 4. diſt. 41. q. 1. n.* 6. & alij.

Fundamentum huius ſententiæ poteſt eſse, quia Beati orant pro animabus Purgatorij, ergo eis obtinent remiſsionem alicuius pęnæ; non poſsunt autem obtinere ſoluendo pro illis, quia non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ergo impetrant, vt gratis fiat remiſſio. Tum quia Eccleſia frequenter orat Deum, vt per ſuam piiſsimam miſericordiam liberet animas Purgatorij ab illis pęnis: ergo intendit impetrare gratuitam remiſsionem pęnarum. Hæc ſententia eſt pia, & probabilis, & fortaſsè eſt vera, vt docet Suarez *loco cit. diſp. 48. ſect. 5. num.* 5.

Nihilominus dicit, hunc modum remiſſionis valdè incertum, & non ſatis fundatum eſse; & veriſimile putat, Deum nunquam remittere alicui pęnam pro peccatis debitam, niſi oblata, ſeu applicata condigna ſatisfactione, atque adeò nunquam id facere omninò gratis, ſed ſeruata vindicatiua iuſtitia, & commutatiua, ac diſtributiua, quatenus cum illa coniunguntur. Supponit hic Doctor, neminem poſse ſibi impetrare gratuitam remiſsionem pęnæ; ex quo infert neminem poſse alteri viuenti impetrare hoc modo remiſsionem pœnarum, quia nemo efficaciùs impetrat alteri, quàm ſibi. Vnde nec poteſt hoc impetrari animabus Purgatorij, quia in hoc genere non poſſumus aliquid efficacius impetrare mortuo, quàm viuenti; & quia hæc etiam eſt impetratio reſpectu alterius, quæ non eſt efficacior, quàm reſpectu ſui.

5. Certum eſt ex communi Theologorum ſententia Sanctos Beatos interdum orare pro animabus Purgatorij: & hoc apertè videtur ſupponere Eccleſia cùm in oratione quadam pro defunctis petit, vt defuncti ad beatitudinem perueniant, *Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis.* Ratio eſt, quia hoc eſt officium charitatis, & non repugnat, ſed conſentaneum eſt ſtatui beatorum. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. artic. 3. quæſtiunc.* 3. Bellarminus *libro 2. de purgator. cap.* 15. Gabriel *in canon. Miſſ. lect.* 55. D. Bonauent. Richardus Abulenſis apud Suarez *loco cit. num.* 7. & alij. D. Thom. Bellarm. Gabr. Suar.

Sed petes, ſi Sancti orent pro animabus Purgatorij, an impetrent gratuitam remiſſionem alicuius pœnæ? Reſpondet Suarez *loco citato num.* 8. negatiuè, quia aliàs preces Sanctorum facilè euacuarent Purgatorium, cùm illæ ſint efficaciores & frequentiùs, generaliùs, ac feruentiùs fiant. Tum quia Sancti non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſicut viui, & ideò orationes Eccleſiæ ſunt ſatisfactiuæ, & ſufficientes ad ſoluendum pro alio, quod non habent orationes Sanctorum, quæ non ordinantur aut funduntur ad obtinendam huiuſmodi remiſſionem gratuitam pœnæ, ſed vt ſatisfactiones viuorum pro eis acceptentur: vel vt Deus præbeat viuentibus auxilia ad ſatisfaciendum debito modo pro illis animabus, ita vt efficaciter earum liberationem conſequantur, vel ſaltem acceleretur earum liberatio, etiamſi neceſſe ſit diuturnitatem temporis intenſione pœnarum compenſari. Ex quibus colligitur pœnas Purgatorij non remitti, niſi per modum ſolutionis & ſatisfactionis, ideoque orationes beatorum per ſe non efficere immediatè talem remiſſionem. Et hoc idem docet. D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 3. art. 3. ad* 6. dicens: *Suffragia Eccleſiæ ſunt pro defunctis quadam ſatisfactiones viuentium vice mortuorum, & ſecundum hoc mortuos à pęna abſoluunt, quam non ſoluerunt: ſed Sancti, qui ſunt in patria, non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ideò non eſt ſimile de eorum orationibus, & de ſuffragijs Eccleſiæ.* Quorum verborum ſenſus eſt, quòd orationes Eccleſiæ militantis ſunt ſuffragia, quæ per ſe, & immediatè ſufficiunt ad remiſſionem pœnarum, orationes verò Sanctorum huiuſmodi non ſunt.

6. Controuertitur inter Doctores, an ſuffragia viuorum proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia? Quidam enim arbitrantur, hanc ſatisfactionem pro animabus Purgatorij ſolùm eſſe ex miſericordia. Ducuntur, quia de hoc nulla extat promiſſio, aut pactum diuinum: cuius ſignum eſſe poteſt, quia Eccleſia, & Sancti orant Deum, vt acceptet hæc ſuffragia pro defunctis; ergo ſignum eſt non eſſe opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ. Tum quia animæ in Purgatorio exiſtentes iam ſunt extra forum Eccleſiaſticum, & pertinent tantùm ad forum Dei; cùm ergo etiam inter viuentes incertum ſit, an tale pactum vel promiſſio intercedat, veriſimilius eſt reſpectu defunctorum nullum eſſe, maximè cùm nullo ſufficienti teſtimonio, & ratione oſtendi poſſit. Ita Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 16. quæſt.* 5. Cano. *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad num.* Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. artic.* 4. Angez *quæſt. de indulgent. artic. 2. diffic.* 3. & alij probabiliter. Sotus. Angl.

Nihilominus communior, & tenenda ſententia eſt, quod ſuffragia viuorum pro mortuis ſint ſimpliciter de iuſtitia, & infallibiliter acceptata, ſecundùm totum ſuum valorem, pro quocumque offerantur, quia intercedente promiſſione ſub conditione operis, nihil hic deeſt ad veram iuſtitiam, & nihil repugnat in hoc negotio, interuenire hanc promiſſionem, vt per ſe conſtat, ergo, &c. Tum quia ſi admittatur hæc promiſſio reſpectu viuentium, non eſt cur negetur eam extendi ad animas Purgatorij, quæ nobis ſunt charitate coniunctæ, & non minùs indigent, quàm viuentes; imò magis, cùm non poſſint per ſe ſatisfacere, ſed tantùm ſatiſpati. Accedit quòd quantùm ex vſu, & traditione Eccleſiæ colligitur, eadem

eſt

Digitized by Google

eſt lex ſuffragiorum reſpectu defunctorum, quæ eſt reſpectu viuentium, nam Eccleſia æqualiter offert ſua ſuffragia pro viuis, & defunctis. Ita ex antiquis Theologis ſentiunt D. Thom. *in 4. diſt. 55. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2.* Gabriel. *in 4. diſt. 16. artic. 2. dub. 8.* Nauar. *de Iubilaeo num. 18. & de oratione & hor. canon. c. 20. num. 82.* Viguerius *in Sum. cap. 16. §. 4. verſ. 33.* & alij quos citat, & ſequitur Suarez *diſputat. 48. ſect. 6. num. 4.* Ex recentioribus autem vide ſuprà dicta *verb. Indulgentia II. num. 3. 2. & 5.*

D. Thom. Gabr. Nauar. Suar.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an opus externum præciſè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem ſeu remiſſionem pœnæ prodeſſe? Verbi gratia homo ante mortem præcipit fieri eleemoſynas ex eius bonis pro anima ſua poſt mortem, an illud opus externum, quod eſt dare eleemoſynam, ſit per ſe ſatisfactorium defuncto independenter a voluntate eius, per quem executioni mandatur? Certum eſt apud omnes, eum qui diſponit ſuffragia pro ſe fieri vel eleemoſynas, etiamſi non ſtatim fiant, percipere fructum illorum vel illarum quantum ad efficaciam, quæ erat ex opere operantis principaliter agentis, id eſt, quantum ad meritum bonæ illius diſpoſitionis. Sed dubium eſt, an tota ſatisfactio ſit poſita in actu volendi, ac præcipiendi tale opus? Affirmat Suarez *diſp. 48. ſect. 8. num. 18.* probabiliter, & ait, ex vi ſolius externi effectus nihil ſatisfactionis addi per ſe loquendo, & ex opere operantis reſpectu mandantis.

Nihilominus quod tale opus externum per ſe addat ſatisfactionem, ſuſtinent multi Theologi, & probant *Primo*, quia ipſa elargitio eleemoſynæ habet ſpecialem vim ad redimendum hominem à peccatis, quia ex ſe habet vim ſatisfaciendi pro pœna temporali: ergo talis largitio addita priori voluntati redimet ſpeciali valore, & ſatisfactione animam à peccato, cùm ſit voluntaria ex vi prioris voluntatis. *Secundo*, quia aliàs hæredes defunctorum implendo hæc legata ſuffragiorum vel eleemoſynarum non aliquid per ſe conferrent ad liberandam animam teſtatoris citiùs à Purgatorio, nec non implendo eſſent in cauſa, vt diutiùs in Purgatorio detineretur. Conſequens eſt contra communem ſenſum fidelium, & contra intentionem defunctorum, qui hæc legata relinquunt, & ſi ea intentione decipiuntur, error eſt valde vniuerſalis in Eccleſia, quem deberent Paſtores, & Doctores eius auferre, ne illius occaſione magno fructu ſatisfactionis priuarentur fideles defuncti. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3.* Paludan. D. Bonauent. Sotus *ibid.* Syluius *in ſupplement. 3. p. q. 71. artic. 6. verſ. circa reſponſ. ad 4* Nauar. *de orat. cap. 19. nu. 59. & ſequentib.* & alij.

Sotus. Sylu. Nauar.

Vide v. Abbatiſſa *n. 22.* Indulgentia 2. *num. 4. & 5.*

SVPERBIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſuperbia?*
2 *Quod ſit obiectum adæquatum ſuperbiæ? & quotupliciter poſſit homo peccare circa obiectum ſuperbiæ? & quæ ſint eius ſpecies?*
3 *An ſuperbia ſit peccatum mortale, & quando veniale?*

1. SVperbia dicitur è *ſuper & eo*, quod ſupra ſuam menſuram eat. D. Greg. *l. 31. mor. c. 31.* Varijs modis à Doctorib. accipi ſolet: *Primo* enim ſumitur latiùs, prout eſt voluntas violandi legem ſiue præceptum. & tunc omne peccatum eſt ſuperbia, quia eſt alicuius præcepti ſeu legis violatio. *Secundo* accipitur ſuperbia preſſius, & ſtrictiùs, quatenus ſcilicet eſt quidam legis, & præcepti contemptus. *Tertio* modo accipitur ſuperbia adhuc reſtrictiùs, prout eſt immoderata propriæ excellentiæ cupiditas, ſed in quacumque re ſiue materia. Tandem, ſuperbia ſumitur propriè, eo inquam modo, vt eſt immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus, ſiue ijs in rebus, quibus honor, & reuerentia debetur. Vide D. Thom. *2. 2. q. 162. art. 1. & 8.* Nauar. *c. 23.* Tolet. *de peccatis mort. c. 3.* Sylu. *v. ſuperbia.* Syluium *2. 2. q. 162. art. 1.* Fernand. *p. 4. c. 2. §. 2. n. 1.* & alios.

D. Thom. Nauar. Tol. Sylu.

2. Obiectum adæquatum ſuperbiæ eſt excellentia in genere, vt extendit ſe ad excellentiam abſolutam, & relatiuam, ab vtraque tamen per ſe abſtrahens: homo autem quadrupliciter poteſt peccare circa obiectum ſuperbiæ, videlicet circa ipſum bonum, quod propriè deſiderat, & tunc peccat, quando id appetit, quod ſuam menſuram, & proportionem ſui ſtatus, ſeu conditionis excedit. *Secundo*, circa modum appetendi, & adipiſcendi, & hoc aut ex parte cauſæ, per quam illud bonum excellens vel habet vel habere cupit, aut ex parte effectus; vnde à D. Gregorio aſſignantur quatuor ſpecies ſuperbiæ. *Prima* eſt, quando homo ſe iactat eſſe quod non eſt, ſeu habere quod non habet. *Secunda* eſt, quando illud, quod ab alio habet, à ſe habere dicit vel exiſtimat. *Tertia* eſt, quando illud, quod habet ob alterius gratiam, ſuis meritis ſe habere affirmat. *Quarta*, & vltima eſt, quando vult videri eſſe ſingularis in aliqua excellentia, vel alijs deſpectis, ſolùm in illa ſe eſſe iactat, cùm non ſit: ratio autem harum ſpecierum eſt, quòd ſuperbia in eo conſiſtat, quòd homo ſe æſtimet excellentiorem quàm reuera ſit. D. Greg. *lib. 23. cap. 7.* D. Thom. *cit. art. 4.* Tolet. *cit. c. 4.* Sum. Corona Confeſſ. *de ſuperbia.* Leſſius *lib. 4. c. 4. dub. 9. n. 65.* Nauar. *c. 23. num. 7.* Azor. *1. p. lib. 4. c. 12. q. 6.* Sylu. *cit. art. 4.* Fernand. *cit. nu. 2.* Petr. Ledeſma *in ſum. tract. 29. c. 3.*

D. Thom. Leſſius. Azor. Sylu. Ledeſm.

3. Superbia ex genere ſuo eſt peccatum mortale grauiſſimum peccatorum: & hoc intellige de ſuperbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem, & ſubiectionem excludit, & nolit Deo vel legi diuinæ ſubijci, qualis eſt in diabolo: deinde etiam peccatum mortale eſt, ſi nobis eſt cauſa alicuius peccati mortalis, vel ſi fiat cum notabili iniuria aut contemptu proximi, puta, inhonorat, infamat grauiter, vel alia iniuria, quæ mortalis culpa eſt, afficit. Extra hos caſus eſt tantùm ſuperbia incompleta, & peccatum veniale. D. Thom *cit. art. 5.* Nauar. *cit. n. 8.* Tolet. *cit. c. 4. n. 23.* Azor. *cit. q. 5.* Syluius *cit. art. 5.* Fernand. *cit. §. v. n. 3.* & alij.

Vide *Vanagloria num. 1.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1 *Superſtitionis nomen vnde ductum, & quid ſit?*
2 *Duæ ſpecies ſuperſtitionis.*
3 *An ratione rei cultæ diuidatur ſuperſtitio in idololatriam, diuinationem, & vanam obſeruantiam?*
4 *Qualis ſuperſtitio ſit peccatum mortale.*

1. SVperſtitionis nomen ductum eſt vel à vitio illorum, qui olim apud Ethnicos nimij erant in precandis dijs, vt ſui filij ſibi ſuperſtites eſſent, vel quòd abiectis antiquioribus dijs colerent ſuperſtitem memoriam ſuorum maiorum; vel denique quòd homines nimiùm timerent Deos ſuperne impendentes, & quaſi ſuperſtantes. Cic. *lib. 2. de nat. deor.* Leſſius *lib. 2. c. 43. n. 1.* Sylu. *v. ſuperſtitio.* Generatim autem hic ſumpta, eſt falſa religio, id eſt, vitioſus cultus veri vel falſi numinis: & iuxta D. Thom. *2. 2. q. 92.* Sylu. *ibid. art. 1.* Bonac. *in decalog. d. 3. q. 5. punct. 1.* ſuperſtitio eſt vitium religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quàm vera religio, ſed quia exhibet cultum diuinum cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Leſſ. Sylu. D. Thom. Sylu. Bonac.

2. Diuiditur ſuperſtitio in duas ſpecies, quæ ſunt, ſuperſtitio cultus indebiti ſeu incongrui, & ſuperſtitio ratione rei cultæ: illa eſt cultus peruerſus veri numinis, hæc eſt cultus falſi. Tam ſuperſtitio ex parte cultus indebiti, quàm ex parte rei cultæ, ſubdiuiditur in aliquas ſpecies: Superſtitio enim cultus indebiti, diuiditur in ſuperſti-

tionem

Digitized by Google

tionem cultus falſi ſeu pernicioſi, & ſuperſtitionem cultus ſuperflui: Cultus falſus eſt, & dicitur, ratione falſæ ſignificationis, vt ſi quis Deum colere vellet cæremonijs

D. Thom. Suar. Sanch.

Iudaicis. D. Thom. *cit. artic.* 2. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 14. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 37. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 1. Cultus ſuperfluus eſt, cùm præter Eccleſiæ morem ponitur religio in quibuſdam circumſtantijs vel rebus in quibus non eſt ponenda, vt in numero, colore, ſitu, &c. Idem dicendum eſt, quando variantur cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ. Nauar. *cap.* 11. *n.* 24. Leſſius *cit. n.* 5.

3. Superſtitio ratione rei cultæ diuiditur in tres alias ſpecies, idololatriam, diuinationem, & vanam obſeruantiam; vel enim colitur diabolus ita vt honoretur tanquam numen, & hæc eſt ſpecies idololatriæ; vel vt occultum aliquid reuelet, & ſic eſt diuinatio; vel denique vt dirigat in operando, & ſic eſt vana obſeruantia, & ſuperſtitioſa: his autem ſpeciebus addi poſſunt aliæ duæ; vna magiæ, quæ licet referri poſſit ad vanam obſeruantiam, tamen tanquam aliquid deterius poteſt conſtituere quartam ſpeciem. Altera maleficij, quod eſt vis ac poteſtas nocendi alijs, ideòque etiam eſt ſpecies quædam deterior magia: ſed de his omnibus ſpeciebus dictum eſt ſuis titulis, & locis. Ita Toletus *cit. n.* 5. Leſſius *cit. n.* 6. Filliucius *tract.* 24. *c.* 1. *n.* 4. Syl. *cit. art.* 2. & alij.

Leſſius. Filliuc.

4. Superſtitio quæ dicitur cultus falſus, vt quando quis diuino officio admiſcet turpia tanquam diuini officij partem, aut quando fidem noſtram falſis miraculis contendit confirmare, aut quando falſa miracula prædicat, aut formam aut materiam Sacramentorum mutat, &c. eſt mortale peccatum ex ſuo genere, quia grauem infert irreuerentiam in Deum: Illa autem ſuperſtitio quæ dicitur cultus ſuperfluus, non eſt mortale peccatum, ſed veniale tantùm, niſi ex contemptu fiat. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 9. & *quæſt.* 10. Leſſius *cit. n.* 4. Nauar. *c.* 11. *n.* 24. Tolet. *cit. n.* 5. In confeſſione autem explicandæ ſunt plures malitiæ ſub genere ſuperſtitionis, quia nonnullæ aliquando ſupponunt hæreſim in mẽte, quã oportet explicare, aliæ nõ ſupponunt; pernicioſa enim ſuperſtitio longè cæteris iniurioſa Deo eſt: denique ſequitur cultus qui turpi actu exercetur, tum qui tantùm vanus, & impertinens eſt. Suar. *cit. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 23.

Valent. Leſſius. Nauar. Tolet.

De Superſtitione vide *Aſtrologia* n. 3. *Obſeruatio vana, Magia, Diuinatio.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1 *Superſtitio in quo conſiſtat? Et quando contingat fieri pactum expreſſum vel tacitum cum dæmone.*
2 *Malitia pacti expliciti cum dæmone vel impliciti, in quo verſetur?*
3 *An pactum expreſſum celebrans cum dæmone ſit cenſendus hæreticus ex vi celebrationis talis pacti? An ſaltem ſit ſuſpenſus de apoſtaſia à fide?*
4 *Quando adeſt pactum expreſſum cum dæmone, an ſit illud in confeſſione exprimendum?*
5 *An ad ſuperſtitionem pertineat inuocare dæmonis auxilium ad ea, quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare? Et an talis ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolum tacitum?* Refertur duplex ſententia.
6 *Superſtitionis peccatum vt plurimum vnde oriri ſoleat?*

1. SVperſtitio in eo conſiſtit, quod quis exhibeat diuinum cultum cui non debet, vel eo modo quo non debet, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 92. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio plerique fit vel ex tacito, vel expreſſo pacto cum dæmone. Pactum expreſſum fit, aut verbo, aut opere, & intentione. Verbo, dum quis expreſsè dæmonem inuocat ſui operis adiutorem, ad paciſcendum cum eo, de auxilio impertiendo quoties ad operandum opera ſuperſtitioſa indiguerit. Hoc autem tripliciter fieri poteſt: 1. quod homo petat à dæmone adiutorium, ſine promiſſione aliqua, & obligatione ſeruitutis; & ſubiectionis vel ſocietatis, & ſine eo quod accedant cæremoniæ pacti confirmatoriæ, cui petitioni reſpondet dæmon ſine eo quod expoſcat ſubiectionem, aut ſocietatem, vel obedientiam. 2. poteſt fieri huiuſmodi pactum offerendo ex parte hominis ſeruitutem & obedientiam cum exequutione cæremoniarum confirmantium amicitiam, & ſocietatem ex parte dæmonis illam obligationem poſtulantis. 3. ſi ex parte hominis ſit ſimplex petitio adiutorij dæmonis ſine intentione ſe obligandi ad amicitiam, ſocietatem, obedientiam vel ſeruitutem præſtandam in omnibus, dæmonij; ex parte tamen dæmonis, quamuis ſit horum omnium ambitio, tamen ea non exprimit, ſed tantùm obligat ſe ad præſtandum auxilium: Hæc autem pactio cùm fiat cum homine, quia natura ſenſibilis eſt, vt certo ſibi conſtet de paciſcente, aliquod ſignum ſenſibile, ſenſu externo perceptibile interuenire debet, ſiue dæmon in forma viſibili appareat, ſiue ſolùm ſenſibiliter audiatur. Opere etiam ſenſibili tunc celebratur pactum expreſſum cum dæmone, quando homo ſit certò dæmonem per aliquod ſignum occulta docere, & illud vt doceatur, exercet, quamuis à dæmone verbale, & ſenſibile pactum antecedens non ſit initum.

Pactum implicitum, ſeu tacitum cum dæmone tunc interuenit, quando quis cognitionem ſoli Deo reſeruatam ſcitò, & ex intentione medijs vanis, & indebitis, ſiue ſint ſigna, ſiue res, habere procurat. Ex qua definitione colligitur, quod ſi quis non ſcitò, neque ex intentione his ſignis vanis vtatur, ſed ex leuitate, ioco, aut ignorantia, non eſt ſuperſtitioſus, ſed ſolum otioſus indagator. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 2. & 3. Syluius, Valentia, Tannerus, Malderus *ibid.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 3. Clauis regia *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Martinus Delrio *lib.* 4. *de magia c.* 2. *quæſt.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 9. *à num.* 9. *vſque in finem.*

Syl. Sanch. Clau. reg. Suar.

2. Malitia pacti expliciti cum dæmone in eo conſiſtit, quod ſocietas, fœdus, & amicitia ineatur cum declarato Dei, & ſui hoſte.

Proinde in dæmone non eſt diſtinguendum duplex genus voluntariorum, quoddam pertinens ad hoſtilitatem, quoddam non, vt inter homines ad inuicem inimicos contingit; ſed omnia voluntaria dæmonis hoſtilia ſunt propter eius peruerſam, ac obſtinatam voluntatem in malo, in tantùm vt in quolibet opere ſuo voluntario peccet mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoſte, in his quæ hoſtilia ſunt, eſt pernicioſa, vtpote hoſtilitati contraria: vnde ſequitur quod ſi cum dæmone exerceatur actus ſocialis perfectè, eſt peccatum mortale. Quam malitiam nobis propalauit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. dicens: *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* Quare ſemper dæmones, vt ſummi hoſtes Dei, & hominum tractandi ſunt, ac proinde nulla ſocietas, cum ipſis poteſt eſſe licita, vt optimè explicat Caietanus apud Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 38. *n.* 6.

Pactum implicitum cum dæmone poteſt interuenire vel formaliter, vel materialiter; quod ſi formaliter fiat, ad ſuperſtitionem & cultum dæmonum ſpectat, ſi autem materialiter extra cultum dæmonum formaliter eſt, materialiter tamen ad cultum eorum ſpectat. Interdum enim per craſſam ignorantiam vel inaduertentiam vult homo contraria, vnum in ſe, & formaliter, aliud in alio, & virtute: & ſic contingit in hoc caſu. Quamuis enim explicitè ſe nolle pactum cum dæmone, vult tamen illud implicitè, & quamuis nolit expreſſum pactum formaliter, vult tamen de facto tacitum, & materiale, quia vult exercere huiuſmodi opera ſuperſtitioſa ad eam rem, quaſi illa vtilia ſint, cùm tamen vtilitatem habere nequeant, niſi dæmonis interuentu. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 4. §. *ad hoc dicitur.* Suarez *loco citato cap.* 9. *numer.* 17.

Caiet. Suar.

3. Celebrans pactum expreſſum cum dæmone, non eſt formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti ſi non celebretur cum expreſſa conditione quod homo abneget fidem, aut quod proteſtetur dæmonem

eſſe

eſſe oumeo infallibile oec eſſe malum, & ſallacem, aut quod illi ex intentione cultus deſerat latriam, aut ſimile quid de fide ogget, imò neque quamuis dæmonem adoret adoratiooe exteroa latriæ, ſi non habeat animum internum deſerendi cultum Dei, illi, quia hunc actum poteſt exercere motus cupiditate, & appetitu ſciendi: & quandoque effectus dependere poteſt ex duplici cauſa, puta infidelitate, & cupiditate aſſequendi aliquid à dæmone pacto tacito vel expreſſo, nunquam ex natura rei poteſt ex iſto effectu iudicari præcisè altera cauſa. Et ideò quando conſtaret de huiuſmodi effectu, vlteriùs inquirendum eſſet de cauſa ſi ex errore, & fidei peruerſitate hoc fecerit, tunc iudicandus eſt hæreticus: ſi verò ex alia cauſa iudicandus eſt ſortilegus, & viliſſimus peccator. Ita Syłueſt. *verb. hæreſis 1. quæſt. 5.* & clarè ſignificat D. Thom. 2. 2. *q. 95. artic. 3. ad 1.* & docent Sanchez *lib. 2. moral. cap. 37. num. 22.* Valeotia 2. 2. *diſputat. 6. quæſt. 11. punct. 3. verſ. Ex diuerſa autem.* Verùm animaduertunt dicti Auctores, quòd quicumque pactum expreſſum fecerit com dæmone cum aliquo ſigno ſenſibili, eſt ſuſpicione iuridica ſuſpectus de apoſtaſia à fide, & defectioone illius. Proinde fœmina cum qua dæmon incubus fuit, abſque alio pacto, etiamſi dæmonem oon adoret, eſt iuridicè ſuſpecta malè ſentire de fide, quia ex tali conſortio, & commixtione oritur prudens, & iuridica ſuſpicio, quod agens cum eo, & ad eius inſtantiam fidem abnegauit, & hac de cauſa Inquiſitores rectè procedunt contra ſagas, quia habent pactum explicitum cum dæmone Dei inimico, vt docet Sylueſter *verb. Hæreſis 3. num. 10.* & alij.

Margin: Syłueſt. D. Thom. Sanchez. Valentia.

4. Quando adeſt pactum expreſſum cum dæmone, eſt id neceſſariò exprimendum io cooſeſſione. Ratio eſt, quia longè diuerſum iudicium eſt faciendum ío confeſſiooe de pacto expreſſo, quàm de tacito. Tum quia addit nouam ſpeciem malitiæ, & ſuperſtitionis ſpecialem rationem; quis enim dicat non eſſe ſpecialem diſſonantiam ad rationem pactum explicitum cum aduerſario inire, ac dicat aliquod opus facere cui digniuo eſt dæmones ſe iogerant, & in hac ſpecifica conformitate fundatur dignitas ad grauiorem penam. Quare optimè D. Thomas 2. 2. *quæſt. 95. art. 3. ad 1.* dicit: *Multò grauius eſt dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe dæmones ingerant*, quem ſequuntur Syluius *ibidem*, & Suarez *lib. 2. de ſuperſtit. cap. 10. n. 1.* dicit eſſe certiſſimum: Quamuis aliàs probabile exiſtimet non eſſe diuerſas ſpecies ſuperſtitionis, habere pactum expreſſum vel implicitum, & ſolùm differre ſicut completum, & incompletum, perfectum, & imperfectum intra eandem ſpeciem, ſicut profeſſio expreſſa, & tacita ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem docet Sanchez *loco cit. c. 38. n. 14.* Ad quos poſſet reſponderi, qood profeſſio implicita, & explicita ideò non differunt ſpecie, quia in ratiooe contractus eamdem iodurunt obligatiooem ex parte contrahentium.

Margin: D. Thom.

5. Ad ſuperſtitionem pertinent inuocare dæmonis auxilium, etiam ad ea quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare, ſiue id fiat ex pacto explicito, ſiue implicito. Ratio eſt, quia etiamſi in iſtis rebus nobis excellat dæmoo, & hæc excellentia à oobis reſpectu noſtri recognoſcatur, nam ſumus illo in hac parte longè inferiores, tamen eo ipſo quòd auxilium illius petimus, cooperamur dæmoni, qui diuinitatem affectat, & ex ſua obſtinata malitia in ſuum honorem refundit, quod nos ab illo dependentiam oſtendamus in his rebus, quas à Deo expoſcere debemus. Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 8. num. 16.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 38. num. 8.* Et ſatis id indicant D. Thomas 2. 2. *quæſt. 95. art. 2.* & ibi Caiet. *in fine*; quatenus abſolutè docent ad ſuperſtitionem pertinere vti ope dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.

Margin: Sanchez. D. Thom. Caiet.

An autem talis qui à dæmone io ijs rebus auxilium expoſcit ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolum tacitum, & implicitum? Negat Suar. *cap. vlt. eiuſd. libr. num. 10.* dicens hoc delictum eſſe mixti fori, niſi perſona ſit Eccleſiaſtica, quia tunc pertinet ad ſuum Epiſcopum, & nullo modo ad Inquiſitores. Dicendum tamen eſt com communiori ſeotentia, talem eſſe ſuſpectum de hæreſi, & eius delictum pertinere ad Inquiſitores in locis vbi inquiſitio viget, & hoc eſt clarum ex Bulla Sixti V. contra Aſtrologos, in qua ſubiecit tanquam ſuſpectos in fide omnes huiuſmodi farinæ homines. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd ſit aliquis cultus dæmoni factus, iure optimo, & prudentiſſimè ſuſpicatur malè ſentire de fide qui illum exhibet, nam per huiuſmodi recurſum ad dęmonem, illi exhibetur cultus, & honor, ergo generat ſuſpicionem io fide, quia inuocare dæmonem ad effectus naturales habendos, ſiue verbo, ſiue facto fiat, pertinet ad apoſtaſiam à fide, vt docet D. Thomas *in 2. diſt. 7. quæſt. 3. art. 2. in corp.* Et ideo hanc ſententiam ſuſtineot Sanchez *lib. 2. moral. cap. 38. num. 92.* Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 26. quæſt. 4.* Martinus Delrio *lib. de magia ſect. 15. §. axioma primum*, & *§. dicto ſexto.* Thomas Hurtadus *in reſolutionibus moralibus part. 1. tract. 5. cap. 4. reſolutione 24.* & alij.

Margin: D. Thom. Sanch. Azor. Hurtad.

6. Superſtitionis peccatum vt plurimum oriri ſolet ex quadam nimia appetentia ſeu inordinato deſiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, ſiue ad fugiendum malum, ſiue ad conſequendum bonum aliquod apparens, quod oaturaliter nunquam, aut difficile exiſtimant hominces conſequi poſſe, nec ſperaot à Deo mediantibus Sanctis impetrare, & ideò recurrunt ad artes ſuperſtitioſas, & vanas obſeruationes arte dæmonum inuentas, vt poſſint faciliùs illis mediantibus homines decipere, eorumque animas ad infernum deducere. Idcoqoe dæmones ſeruant pacta facta cum illis, ſiue immediatè, ſiue mediatè cum alijs veneficis, & ſuperſtitioſis hominibus. Sed quia iſta appetentia, vt plurimum maiori impetu iouadere ſolet fœminas, quàm viros, inde eſt, quòd in fœminis communiter plus inueniri ſolet hoc ſuperſtitionis vitium, quàm in viris, vt aduertit Fagundez *in decalog. tom. 1. c. 34. n. 4.* cum alijs.

Vide verb. Adiutatio *num. 10.* Dies *n. 9.* Diuioatio, Magia.

SVSPENSIO I.

Quid ſit ſuſpenſio & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſuſpenſio?*
2 *Varij modi ſeu ſpecies ſuſpenſionis?*
3 *In quibus differat ſuſpenſio à cæteris cenſuris?*

1. SVſpenſio eſt *Eccleſiaſtica cenſura priuans clericum, vſu Eccleſiaſtici officij aut beneficij, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum vel ad tempus.* Ex hac definitione colligitur *Primò*, ſuſpenſionem eſſe ceoſuram, hoc enim eſt commune ipſi cum excommunicatione, & interdicto: & quidem Eccleſiaſticam, vt diſtinguatur à prohibitionibus ciuilibus, & vt indicetur cauſa efficiens ſuſpenſionis, quæ eſt perſona Eccleſiaſtica habens iuriſdictionem in foro externo. Præterea indicat ſubiectum huius cenſuræ, quod eſt homo ſaltem Clericus, habens videlicet primam tonſuram: additur præterea, priuans vſu, ad ſignificandum non priuare ipſo officio, vel ordine, aut iuriſdictiuoe, ſed taotùm exercitio. Ita Sayr. *de cenſur. lib. 4. c. 1. num. 13.* Valeot. *t. 4. d. 7. q. 18. p. 1.* Tolet. *lib. 1. c. 42.* Nauar. *c. 27. n. 151.* Coninck. *d. 15. dub. 1.* Filliuc. *tract. 17. c. 1. q. 2.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1. n. 1.*

Margin: Valent. Tolet. Coninc. Fill. Layman.

2. Suſpenſionis multi ſunt modi, ſeu ſpecies quædam: *Primò*, alia eſt ab officio tantùm, & per officium intelligitur tam officium ordinis, quàm officium iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Alia eſt à beneficio tantùm, & nomine beneficij, veniunt dignitates, Canonicatus, beneficia, ſiue curata, ſiue ſimplicia, & alia huiuſmodi. Alia eſt ab officio, & beneficio ſimul. Rurſus illa quæ eſt ab officio tantum, aliquando eſt à toto officio, quando ſcilicet quis priuatur omni vſu ſui officij, aliquando à parte, vt Sacerdotio, aut Diaconatu, aut alio inferiori. Præterea ſuſpenſio alia eſt pœnalis, alia medicinalis: pœnalis

Digitized by Google

fertur in pœnam, & vindictam delicti præteriti, hæc verò ſuſpenſio non fertur per modum cenſuræ, ſed ſolius pœnæ. Medicinalis eſt illa, qua intenditur emendatio, & bonum delinquentis. Denique ſuſpenſio alia eſt temporalis, alia perpetua; alia eſt à iure, alia ab homine: de quibus Nauar. *cit. num* 154. Regin. *lib. 2. tract. 3. n. 6.* Tolet. *cit. c.* 42. Filliuc. *cit. num.* 7. Rodriq. *tom. 2. c. 69.* Layman. *cit. n. 2.* Sayr. *cit. lib. 4. c. 1. n. 28. & ſeq. & c. 3.*

Nauar. Reginald. Fill. Rodr. Layman. Sayr.

3. In multis differt ſuſpenſio à cæteris cenſuris: *Primò*, enim excommunicatio nunquam tollitur niſi per abſolutionem, ſuſpenſio verò tollitur aliquando. *Secundò*, excommunicatio nunquam fertur, niſi cum contumacia, at ſuſpenſio aliquando in pœnam delicti etiam ſine contumacia. *Tertiò*, excommunicatio omnis vetat Sacramentorum ſuſceptionem, & collationem: at non omnis ſuſpenſio prohibet ſuſceptionem, niſi quando eſt a ſuſceptione Sacramentorum; nec collationem, niſi quando eſt ab officio, vel ordine, aut collatione Sacramentorum. *Quartò*, excommunicationem à iure contrahunt Epiſcopi, etiamſi non fiat expreſſa eorum mentio, ſuſpenſionem verò à iure, non niſi facta expreſſa eorum mentione; præterea in alijs multis differunt hæ cenſuræ. *Quintò*, differt ſuſpenſio ab interdicto, tum quia ſuſpenſio non inducit priuationem tantarum rerum, ſicut inducit interdictum, tum quia interdictum magis priuat vſu paſſiuo quam actiuo; tum quia ſuſpenſio fertur in Eccleſiaſticas perſonas; interdictum verò tam fertur in laicos, quàm in Clericos. *Sextò*, differt ſuſpenſio ab irregularitate, quòd irregularitas priuat ſuſceptione ordinis vt ordo eſt; ſuſpenſio verò priuat exercitio ordinis vel beneficij, ſeu poteſtatis Eccleſiæ, vt eſt quædam functio. Ita Toletus *cit. c.* 46. *n.* 6. Bonacina *de cenſ. tom. 1. diſp. 3. p. 1. n. 3.* Sayrus *cit. c. 1. n. 18. & ſeq.*

SVSPENSIO II,

De cauſis ſuſpenſionis, & de eius effectibus.

SVMMARIVM.

1 *Quis poſſit ferre ſuſpenſionem?*
2 *An ſolus Clericus ſuſpendi poſſit?*
3 *An cauſa materialis proxima ſuſpenſionis ſit peccatum?*
4 *Quæ ſit forma ſuſpenſionis?*
5 *Quis ſit finis ſuſpenſionis?*
6 *Qui ſint effectus ſuſpenſionis? & an peccet mortaliter ſuſpenſus exercendo actum quo eſt ſuſpenſus? Et an ſuſpenſus ab ordine non ſolum peccet, ſi actum talis ordinis exerceat, ſed etiam fiat irregularis?*
7 *De tertio effectu ſuſpenſionis, qui eſt priuatio communionis illorum in eo, in quo quis eſt ſuſpenſus?*
8 *De quarto effectu, quod acta iuriſdictionis propria per ſuſpenſum à iuriſdictione nominatim denunciatum inualida ſint?*
9 *An ſuſpenſio abſolutè lata abſque limitatione, ſuſpendat abſolutè ab omnibus, ſcilicet, ab officio & beneficio?*
10 *An ſuſpenſus ab ordine, ſuſpenſus ſit à iuriſdictione, & è contra? & quid de ſuſpenſione à Pontificibus?*
11 *An ſuſpenſus ab ordine ſit etiam ſuſpenſus ab iis actibus iuriſdictionis, qui ſunt connexi & ex fundati in ordine? Et an ſuſpenſus ab officio prædicandi incurrat irregularitatem, ſi concionetur cum ſolemnitate?*
12 *An ſuſpenſus ab officio illimitatè cenſeatur ſuſpenſus ab ordine & iuriſdictione?*
13 *An ſuſpenſus ab officio intelligatur ſuſpenſus à beneficio?*
14 *Quid importet ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ?*
15 *Quid prohibeat ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus & ſpiritualibus?*
16 *Quid vetet ſuſpenſio a diuinis?*
17 *Quid ſit ſuſpenſio a beneficio?*
18 *An ſit prohibitum communicare cum ſuſpenſo?*

1. POteſtas ferendi ſuſpenſionem eſt à Chriſto, inſtitutio verò ab Eccleſia, cuius initium fuit tempore Apoſtolorum, deinde redacta fuit ad certam formam tempore procedente: Is autem poteſt ſuſpendere qui poteſt excommunicare; eadem enim eſt poteſtas requiſita ad vtramque cenſuram: Ordinaria quidem eſt in Epiſcopis, & huiuſmodi Prælatis, delegata poteſt eſſe in alijs Clericis. Hæc de cauſa efficiente. Vide Sylueſtrum *verb. ſuſpenſio. n. 2.* Angelum *verb. ſuſpenſio 2. §. 3.* Toletum *lib. 1. c. 44.* Layman. *lib. 1. tractat. 5. p. 3. c. 2. n. 1.* Saytum *lib. 4. c. 2. num. 1.* & alios.

Syluest. Angel. Laym.

2. Cauſa ſubiectiua, ſeu materialis remota, eſt is qui ſuſpendi poteſt, & talis eſt ſolus Clericus, quia omnis ſuſpenſio vel eſt ab officio vel beneficio, at officium, & beneficium eſt proprium Clerici: vnde omnes Clerici etiam Epiſcopi, & Cardinales ſunt capaces huius cenſuræ, excepto ſummo Pontifice; Licet Epiſcopi ſuſpenſionem generaliter à iure latam non incurrant, niſi fiat ſpecialis de ipſis mentio. Communitas vero etiam ſuſpendi poteſt, quia eſt capax culpæ, ſicut quælibet humana congregatio: quatenus ſcilicet eſt vnum corpus politicum habens propria bona, & proprias actiones ita ad eam pertinentes, vt non ad ſingulas per ſe pertineant, vel etiam ratione ſingulorum de communitata. Suar. *de cenſ. diſp. 28. ſect. 2.* Tolet. *lib. 1. c. 34. n. 2.* Filliuc. *tract. 27. nu. 58. 59 & ſeq.* Laym. *cit. nu. 2. 3.* Proinde incautè agunt plures Confeſſarij, dum fœminas etiam abſoluunt, & laicos à ſuſpenſione, non aduertentes fœminas ſuſpenſionem incurrere non poſſe, nec laicos, ſed ſolùm Clericos, etiam primæ tonſuræ. Vt aduertunt Suar. *de cenſur. diſp. 28. ſect. 2. num. 1.* Sancius *in ſelectis diſp. 6. n. 14.* & Rituale Pauli V. quamuis ex quorumdam ſententia poſſint ſuſpendi laici ab ingreſſu Eccleſiæ & à ſacra Communione, ſicut probari videtur per *Extrauag. vnic. de ſent. excom.* communior tamen, verior, ac praxi conformior ſententia contrariam tuetur partem, concedentes ſolas perſonas Eccleſiaſticas poſſe ſuſpendi, laicas verò impropriè, & lato vocabulo, ac nomine generali.

Suar. Fill. Laym.

3. Cauſa materialis proxima eſt peccatum; propter quod ſuſpenſio fertur: & quidem ſi grauis ſit, requiritur peccatum mortale; ſi leuis, poteſt etiam ferri pro culpa veniali; in iure autem communiter grauis eſt, & ſemper ſupponit culpam grauem. Suſpenſio verò latè ſumpta pro quacunque prohibitione vtendi aliqua facultate, poteſt ferri ſine culpa ſuſpenſi, ſed non ſine cauſa Caiet. *v. ſuſpenſio.* Nauar. *c. 27. n. 159.* Suar. *cit. ſect. 4.* Tolet. *cit. n. 4.* Filliuc. *cit. n. 62. 63.* Laym. *cit. c. 3.* Dian. *p. 3. tr. 6. reſ. 51. & p. 5. tr. 10. reſ. 16.* & alij.

Caiet. Nauar. Suar. Fill. Dian.

4. Forma ſuſpenſionis non eſt determinata in iure, ſed multis modis poteſt exprimi ille actus ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ: ſuſpenſio ab homine, quando eſt cenſura lata ob contumaciam, requirit antequam feratur præuiam admonitionem: ſi verò tantùm in pœnam delicti, non requirit monitionem: in ipſa verò ferenda requiruntur verba determinata, quæ ſignificent ſpeciem ſuſpenſionis, & eius effectum; & hæc verba debent ſcripto proferri ex præcepto Eccleſiæ, quamuis non ſit de eſſentia. Syluester *cit. num. 4.* Filliuc. *cit. num. 65.* Tolet. *cit. num. 8. 9.*

Syluest. Fill. Tolet.

5. Finis autem ſuſpenſionis eſt idem, qui & excommunicationis, Eccleſia enim animarum vtilitatem intendit quando corrigit, & caſtigat. Tol. *cit. num. 11.*

Tolet.

6. Effectus ſuſpenſionis ſunt: *Primò* ſuſpenſus, peccat mortaliter ex ſuo genere exercendo actum à quo eſt ſuſpenſus, quia violans præceptum Eccleſiaſticum in re graui peccat mortaliter, licet ratione paruitatis materiæ fieri poſſit, vt excuſetur à mortali. Suar. *cit. diſp. 27. ſect. 2.* Regin. *lib. 32. tract. 2. n. 31.* Nauar. *cit. n. 163.* *Secundò* ſuſpenſus ab ordine, vel ab aliquo includente ſuſpenſionem ordinis, non ſolum peccat, ſi actum talis ordinis

Suar. Regin. Nauar.

exer-

Digitized by Google

exerceat, ſed etiam fit irregularis, maximè ſi ſit exercitium ſolemne maioris ordinis à quo eſt ſuſpenſus: quod verum eſt non ſolùm quando violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinatum tempus: vnde ſuſpenſus ab ordine efficitur irregularis, benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulierem aut partum: Item ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ irregularis efficitur celebrando in Eccleſia: Item Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, fit irregularis faciendo actus, qui ſoli Epiſcopo poſt conſecrationem conueniunt: Item ſuſpenſus à diuinis officijs, irregularitatis vinculo ligatur, quoties illa perſoluit ex officio tanquam initiatus ordine ſacro. Suſpenſus tamen à ſuſceptione Sacramentorum non incidit in irregularitatem illa ſuſcipiendo. Similiter ſuſpenſus à beneficio non efficitur irregularis recipiendo fructus beneficij, quia non violat cenſuram per exercitium ordinis ſacri. Filliuc. *cit.* c.2. *q.*4. Valent. *to.*4. *d.*7. *quæſt.*18. *punct.*1. Diana *p.*5. *tract.*10. *reſ.*9. Tolet *cit. cap.*45. Nauar. c.27. *num.*163. Bonac. *cap. de ſuſp. part.*4. *num.*6.

Filliuc. Valent. Diana. Bonac.

7. Tertius effectus ſuſpenſionis eſt, quòd ſuſpenſus priuatur communione illorum in eo, in quo eſt ſuſpenſus, ita vt peccet communicando cum alijs, & peccet etiam qui in tali actu cum eo communicat: quod ſi actus ſuſpenſionis non pertinet ad diuina, id eſt, ad ordinem aliquem, non eſt mortale, ſed veniale ex parte participantis, cum eo communicare: quod intelligendum eſt, de ſuſpenſo nominatim denuntiato, quia cooperans, & communicans cum ſuſpenſo tolerato, ſeu nondum denunciato, in ijs actibus iuriſdictionis, & officij, à quibus eſt ſuſpenſus, non peccat mortaliter. Suar. *cit. d.*27. *ſect.*2. *num.*7. Nauar. *cit. num.*62. Henriq. *lib.*13. *c.*33. Tolet. *cit. num.*4.

Suar. Nauar. Rodrig. Tolet.

8. Quartus effectus eſt, quòd acta iuriſdictionis propriæ per ſuſpenſum à iuriſdictione ſeu ab officio, nominatim denunciatum, inualida ſunt, niſi adſit titulus coloratus, & error communis vulgi: ſecus dicendum de actis per ſuſpenſum, qui non eſt nominatim denunciatus, valida enim ſunt, cùm illi non adimatur iuriſdictio; Actus etiam ordinis, qui non requirunt iuriſdictionem ad ſui valorem, validi ſunt, vt conſecrare, confirmare, benedicere Altaria, &c. Suar. *c. n.*2. Filliuc. *tract.*17. *c.*10. *q.*3. Henriq. *cit. num.*1. Sayr. *de ſuſp. c.*11. *nu.*15. Diana *p.*5. *tract.*10. *reſ.*11.

Suar. Filliuc. Henriq. Dian.

9. Quintus effectus eſt, quòd ſuſpenſio lata abſolutè abſque limitatione expreſſa vel tacita, ſuſpendit abſolutè ab omnibus, id eſt, ab officio & beneficio, quia verba accipienda ſunt prout ſonant: ſuſpenſio verò lata cum expreſſione alicuius effectus particularis, extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ ſunt illi adnexa, & non ad alia, quia cenſura efficit quod ſignificat, nec aliter operatur, quàm ſignificet. Propterea ſuſpenſus à celebratione poteſt reliqua Sacerdotis onera præſtare. Suar. *d.*25. *ſect.*2. Tolet. *lib.*1. *c.*43. Nauar. *cit. num.*160. Vgolin. *tab.*4. *c.*14. Sayr. *lib.*4. *c.*3. & 4. Ex dictis ſequentes illationes deduci poſſunt.

Suar. Vgolin.

10. Suſpenſus ab ordine, non ob id ſuſpenſus eſt à iuriſdictione: nec contra quando ſuſpenſus eſt à iuriſdictione, ob id ſuſpenſus cenſendus eſt ab ordine, quia hæc duo ſunt ab inuicem diſtincta, & vnum ab altero non pendet: vnde ſuſpenſus à Pontificalibus tantùm, ſolùm ſuſpenditur ab exercitio eorum, quæ concernunt vſum ordinis Epiſcopatus, qualia ſunt confirmare, ordines conferre, conſecrare Eccleſias, non tamen ab his quæ iuriſdictionis, vt conferre beneficia, excommunicare, &c. Nomine Pontificalium, intelliguntur inſignia Pontificalia, vt vſus mitræ, baculi, & pallij: Similiter ſuſpenſus ab ordine Pontificali non ob id ſuſpenſus eſt à Sacerdotio nec ab alijs ordinibus, quia Pontificalia non ſpectant ad alicuius ordinis Eccleſiaſtici ſubſtantiam. Nauar. *cit. num.*160. Suarez *d.*26. *ſect.*4. Filliuc. *tract.*17. *c.*2. *q.*4. Tolet. *lib.*1. *c.*43. *num.*2. Bonac. *cit. punct.*2. Couar. *in rubr. de hom.*1. *p. relect.* §.1. *v.*2. Layman *cit. c.*1. *num.*5. Diana *p.*5. *tract.*10. *reſol.*4. & 5. Suſpenſus verò à minori ordine ſuſpenditur etiam à maiori; ſuſpenſus enim in Diaconatu, ſuſpenditur in Sacerdotio: & ſimiliter ſuſpenſus ab vno ordine non poteſt ad maiores aſcendere, quia videtetur per ſaltum promotus, ſuſpenſus autem à ſuperiori non cenſetur ſuſpenſus ab inferiori, quia inferior non fundatur in ſuperiori. Reginald. *lib.*32. *num.*15. Henriq. *l.*13. *cap.*32. Sayr. *cap.*3. *num.*2.

Suar. Filliuc. Bonac. Couar. Layman. Diana.

Reginald. Henriq. Sayr.

11. *Notandum* tamen eſt ſuſpenſum ab ordine eſſe etiam ſuſpenſum ab ijs actibus iuriſdictionis, qui ſunt connexi, & fundati in ordine, vt eſt abſoluere in foro pœnitentiali, non autem ab ijs, qui connexi non ſunt. Ita Caietanus *in ſum. verb. Suſpenſio.*

Caiet.

An autem ſuſpenſus ab officio prædicandi, irregularitatem incurrat, ſi concionetur ſaltem cum ſolemnitate? Affirmant Nauarrus *cap.*27. *in man. num.*163. §.8. Valentia *tom.*4. *diſput.*7. *quæſt.*18. *punct.*1. & alij. Sed contrarium verius eſt, quia prædicare non eſt per ſe, & vniuerſim exercere vſum Ordinis, vt diximus ſuprà *v. Prædicatio, num.*5. & docet Tannerus *tom.*4. *diſp.*6. *quæſt.*10. *num* 137. citans pro hac ſententia Syluestrum, Armillam, Henriq. & Medin., vt refert Diana *p.*5. *tr.*10. *reſ.*10.

Nauar. Valent. Tannerus. Diana.

12. *Suſpenſus* ſimpliciter *ab officio* nulla addita limitatione, intelligitur ſuſpenſus ab officio non tantùm ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, id eſt, à poteſtate Eccleſiaſtica, quæ illi competit ratione ordinis, vel iuriſdictionis, quia vſus ordinis, & iuriſdictionis competit ratione officij abſolutè prolati: Imò neque poteſt ordines recipere, iuxta ſententiam multorum Doctorum: Suarez, *diſp.*26. *ſect.*1. Filliuc. *tract.*17. *num.*15. Tolet. *l.*1. *cap.*43. *num.*6. Layman *cit. cap.*1. *num.*2. & alij. Religioſus tamen ſuſpenſus non ab officio ſimpliciter, ſed ſolùm ab officio aliquo ſuæ religionis, v.g. Prioratu, Guardianatu, Prouincialatu, Rectoratu, &c. ſolùm priuatur vſu, & exercitio talis officij pro tempore in lege deſtinato. Suſpenſio enim ab officio non eſt priuatio officij. Durante autem tempore ſuſpenſionis; peccat mortaliter, ſi ſe ingerat officio ſibi prohibito: quia facit directè contra legem prohibentem, & in materia graui. Hæc tamen ſuſpenſio, regulariter loquendo, non eſt propriè cenſura in Religionibus, quia non incurritur niſi poſt declarationem, quod eſt contra rationem cenſuræ, quæ ſemper incurritur ante declarationem. Solùm ergo erit pœna purè vindicatiua, & non præſeruatiua, præſertim, cùm imponi ſoleat propter delictum præteritum, & ſine præmiſſa monitione, quod non competit cenſuræ propriè. Ita Portel. *v. Suſpenſio num.*2. *in dub. regul.*

Suar. Filliuc. Tolet. Laym. Portel.

13. *Suſpenſus* ſimpliciter *ab officio*, non intelligitur ſuſpenſus à beneficio, quia cùm aliquando ſuſpenſio fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio, ſuperflua adderetur ſecunda pars, ſi in prima includeretur; ſiue iſta ſuſpenſio ſit à iure, ſiue ab homine ſiue propter delictum etiam graue, ſiue ob aliam cauſam, quidquid alij contrarium doceant: Suſpenſus tamen ab officio debet per alium ſupplere onera ſui beneficij quæ per ſe non poteſt exercere, alioquin non poteſt fructus beneficij, percipere: Nauar. *cap.*27. *num.*160. Sayr. *lib.*4. *c.*5. *num.*16. Regin. *cap. num.*16. Henriq. *l.*13. *cap.*32. Filliuc. *num.*21. & 41. Layman. *c.c.*1. *n.*3. Diana *part.*5. *tract.*10. *reſ.*1.

Nauar. Sayr. Regin. Henriq. Filliuc. Laym. Diana.

14. *Suſpenſio* ab ingreſſu Eccleſiæ: *Primò*, priuat actu ſolemni cuiuſcunque ordinis, & ex officio intra Eccleſiam: ex quo enim interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, tanquam rei principalis, cenſentur interdicta omnia diuina tanquam conſequentia, non tamen taliter ſuſpenſus priuatur poteſtate exercendi conditionalia, aut eligendi, aut celebrandi extra Eccleſiam, aut orandi in ea tempore, quo ibi diuina non dicuntur, aut tunc tranſeundi per eam, aut percipiendi eccleſiaſtica ſacramenta. *Secundò*, priuat ſepultura eccleſiaſtica, dummodò impœnitens deceſſerit, ſi tamen ſic ſepeliretur, non pollueretur Eccleſia: Nauar. *cap.*25. *num.*75. & *cap.*27. *num.*170. Angel. *v. ſuſpenſio* 3. *num.*5. Syluest. *v. ſuſpenſio num.*5. Toletus, *lib.*3. *cap.*43. *num.*8. Filliucius *c. num.*32.

Nauar. Angel. Sylu. Tolet. Filliuc.

15. *Suſpenſio* ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus, prohibet adminiſtrationem temporalem, & ſpiritualem, nó verò ſuſpendit ab ordine vnde ſacerdos ita ſuſpenſus non fit irregularis, celebrando Miſſam: peccabit tamen talia conferendo beneficia, vel admi-

niſtrando ſacramenta, quia hæc eſt actio pertinens ad iuriſdictionem ſeu adminiſtrationem ſpiritualem. Henriq. *l.13.cap.32, num.4.* Sayr. *c.c.7.num.6.* Syluеſt *c.q.5.* Tolet. *c.num.12.*

Henriq. Sayr. Syluеſt. Tolet.

16. *Suſpenſio* à diuinis prohibet ne clerici poſſint recitare in choro pſalmos, intereſſe illis, aut etiam diuina officia audire tanquam clerici: quòd ſi contra faciant intereſſendo illis tanquam clerici, & miniſtri ex officio, irregulares ſunt: ſi verò tanquam laici audiendo, vel etiam cantando tantùm, ſecundùm ſententiam probabiliorem non peccant. Priuantur etiam taliter ſuſpenſi exercitio ordinum, etiam minorum, quos habent, ita vt nec Miſſam, aut Euangelium dicere, vel confeſſiones audire poſſint: Bonac. *c.diſput.3.punct.2.num.15.* Filliucius *num.33.* Portel. *cap. num.5.* licitè tamen cantant Epiſtolam abſque veſtibus ſacris in choro, & ſine ſolemnitate, ſicut faciunt non ordinati, & poſſunt ſeruire Miſſis, prout faciunt ſæculares, confiteri peccata ſua, communicare, &c. Nauarrus *in manual.c.27.n.163.* & 244.

Nauar.

17. *Suſpenſio à beneficio ſimpliciter* eſt priuatio vſus iuris ad recipiendum temporale emolumentum fructuum, cuiuſcunque generis, conditionis, & qualitatis illi ſint, & quocumque nomine vocetur beneficium: quia beneficium in latiori ſignificatione acceptum complectitur omnia beneficia: Suarez *diſput.27.ſect.1.* Sayr. *c.c.6. numer.3.* Diana *part.5.tract.10.reſol.3.* Tolet. *c.num.7.* Vgol. *tab. 4.cap.8 §.6.*

Suar. Sayr. Diana. Tolet. Vgol.

Notandum tamen eſt: *Primò*, quòd ſuſpenſus à beneficio non intelligitur ſuſpenſus ab officio, etiamſi officium ei competat ratione beneficij: in materia enim pœnali non eſt facienda extenſio. *Secundò*, ſuſpenſus à beneficio poteſt percipere diſtributiones, quæ dantur iis, qui interſunt diuinis officijs modò diſtributiones non dentur intuitu beneficij, cuiuſmodi ſunt illæ quæ dicuntur anniuerſaria, vel ſtipendia Miſſarum: Filliuc. *cap. numer* 44. Sayrus *c.num.11.* *Tertiò*, ſuſpenſo à beneficio in pœnam perpetrati delicti tradenda eſt portio fructuum ſufficiens ad congruam ſuſtentationem taxandam auctoritate ſuperioris, quoties ſuſpenſio lata fuit ab homine per ſententiam; quando verò ſuſpenſio lata fuit à iure, nec delictum deductum fuit ad forum contentioſum, portio fructuum taxari poteſt arbitrio prudentis viri. Si verò *Suſpenſio* eſt lata pro contumacia, ſuſpenſus non eſt alendus ex fructibus beneficij, quia tribuitur ſuæ malæ voluntati, qua durante etiam patitur eam neceſſitatem: *Cap. Paſtoralis. §. verum, de appellat.* Bonacina *c.num.14.* Filliucius *cap. num.53. &* 54. Layman. *c.cap.c.num.4.*

Filliuc. Sayr.

Bonac. Filliuc. Layman.

18. Porrò nemo tenetur ex vi præcepti eccleſiaſtici vitare ſuſpenſum, aut non communicare, aut loqui cum ipſo, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum ſuſpenſis: vnde ſecluſo ſcandalo, non erit peccatum etiam veniale communicare cum ſuſpenſo, etiam in actibus à quibus ſuſpenſus eſt, niſi quando talis communicatio fuerit quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vſu miniſterij, nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & diuinam, ſiquidem cooperari peccato alterius intrinſecè malum eſt. Tunc autem dicitur quis cooperari peccato ſuſpenſi, quando ſuſpenſum non toleratum extra caſum neceſſitatis extremæ inducit ad vſum actus prohibiti; aut ſi toleratus ſit, tamen ſine vlla prorſus neceſſitate, aut vtilitate, cùm aliàs non eſſet paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus, prouocat illum ad talem vſum, vel ei ad exercitium actus prohibiti inſeruit.

SVSPENSIO III.

Quamdiu duret ſuſpenſio, & de eius abſolutione.

SVMMARIVM.

1 *An ſuſpenſio abſolutè lata abſque conditione vel limitatione temporis, duret donec per abſolutionem auferatur?*
2 *An ſuſpenſio ab officio, beneficio, ſimpliciter lata abſque loci determinatione valeat pro omni loco?*
3 *Quot modis poſſit tolli ſuſpenſio lata in puram pœnam?*
4 *Quis poſſit abſoluere à ſuſpenſione, ex poteſtate ordinaria vel delegata ſeu ex priuilegio?*
5 *A quo ſuſpenſio lata ob contumaciam & ob perſeuerantiam in illa poſſit tolli?*
6 *Quæ ſit forma abſolutionis à ſuſpenſione?*

1. SVſpenſio lata ſimpliciter, & abſolutè abſque conditione vel limitatione temporis durat donec auferatur per abſolutionem: ſi verò lata ſit cum temporis determinatione, durat intra tempus determinatum; & eo tempore elapſo ceſſat, quia cenſura non ligat vltra conditoris voluntatem: vnde qui ſuſpenditur ab officio per menſem, non poteſt intra ſpatium menſis officium exercere incipiendo ab eodem die ſeu puncto quo lata eſt ſuſpenſio, quæ ſecum trahit executionem, & afficit incontinenti. Suarez *diſp.26.ſect.1.num.13.* & *d.27.ſect.1.num.23.* Filliuc. *tr.17.num.48.* Sayr. *4.c.7.num.2.* Vgolin. *tab.4. cap.15.§ 3.*

Suar. Filliuc. Sayr. Vgolin.

2. *Suſpenſio ab officio* ſimpliciter lata abſque loci determinatione, valet pro omni loco: quia ſuſpenſio eſt cenſura quæ ſequitur ſuſpenſum vbicumque ſit: & licet prælatus non poſſit obligare extra territorium per ſtatutum vel legem, tamen per præcepta particularia, quæ imponuntur perſonis, & immediatè eas reſpiciunt, poteſt etiam eaſdem obligare extra territorium. *Idem* dicendum de ſuſpenſione ſimpliciter à beneficio abſque loci determinatione: quamuis non deſint contrarium ſentientes probabiliter, vbi eſſet conſuetudo, vt ſolùm intelligeretur ſuſpenſio ab Epiſcopo lata de beneficijs intra ſuum territorium Suarez *d.26.ſect.1.n.11.* & *d.27.ſect.1.n.17.* & *ſeq.* Bonac. *c.p.3.n.7.* Filliucius *c.n.17.* & 47. Layman. *l.1.tr.5. p.3.c.1.n.7.*

Suar. Bonacina. Filli. Layman.

3. *Suſpenſio* lata in puram pœnam, poteſt tolli tribus modis. *Primus* eſt, per temporis lapſum, ſi enim lata eſt ad determinatum tempus, vt annum &c. ſolo temporis lapſu ceſſat, nec opus eſt alia abſolutione. *Secundus* modus eſt per diſpenſationem ſuperioris, ſi enim lata ſit ad certum tempus, vel etiam in perpetuum, ab eo tolli poteſt nondum elapſo termino. *Tertius* modus eſt per abſolutionem, quando vel eſt lata ſimpliciter in pœnam ſine vlla temporis determinatione: ſuſpenſio verò lata cum conditione donec ſatisfecerit, ſecundùm *Suarez, Nauarrum, Toletum*, exhibita ſatisfactione ceſſat, Nauar. *c.27.n.161.* & 162. Suarez *d.29.ſect.1.* Tolet. *c.46.l.1.* Rodriq. *t.2.c.69.* Layman *l.1.tr.5.p.3.cap.4.* Cæterum quamuis hoc ſit probabile, quia talis conditio videtur præſcribere terminum pro quo durata eſt ſuſpenſio: tamen tutior videtur contraria, ſi ſuſpenſio ſit lata tanquam cenſura, & non in puram pœnam, Filliuc. *tr.7a.c.4.n.71.* Dec. *in c.* *Iudæi.*

Nauar. Suar. Tolet. Rodr. Layman.

4. *Abſolutio* ſuſpenſionis quæ eſt ab homine, pertinet ad eum qui tulit ſententiam, vel ad eius ſucceſſorem, vel ad ſuperiorem. *A ſuſpenſione* in pœnam poſſunt abſoluere priuilegiati. Nauar. *c.num.162.* *Compend. priuil. mend. v. abſolutio quoad facul.* Mendicantes, ex conceſſione facta Patribus Societatis à *Paulo III. Ex poteſtate* autẽ *ordinaria*, quãdo ſuſpenſio eſt lata ad certum tempus vel in perpetuum, poteſt tantùm auferri ab auctore Canonis, quia quando fertur in puram pœnam, ſuſpenſio fertur cum ſtabilitate, & virtualiter auctor Canonis ſibi reſeruat, ne ante illud tempus vllus inferior abſoluat: nec eſt *ſimilis ratio* de excommunicatione, à qua poteſt abſoluere inferior, niſi ſit reſeruata à conditore Canonis; tum quia hæc ſuſpenſio lata in puram pœnam, non aufertur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem: diſpenſatio autem, ex ſua natura, cenſetur reſeruata, niſi explicitè concedatur, Gloſſa *in cit.c.cupientes de elect. in* 6. Tolet. *l. 1.c.46.n.3.* Bonac. *de ſuſpenſione p. vlt.n.6.* Filliuc. *c.n.68.* Suarez *c.ſect.1.n.15.* Layman. *c.c.3.n.2.* *Gloſſa, Toletus, Bonacina, &c.*

Nauar.

Gloſſ. Tolet. Bonac. Filliuc. Suar. Layman.

5. *Suſpenſio* lata ob contumaciam, & ob perſeuerantiam in illa, antequam tollatur contumacia nõ poteſt tolli

niſi

Digitized by Google

niſi ab auctore illius, vel ſuperiore: poſt ablatam contumaciam etiam à ſucceſſore in officio, & quidem ſi ſit ab homine: *ſi verò* ſit à iure, tunc ſi eſt reſeruata, tantùm poterit auctor, ſuperior vel ſucceſſor: imò etiam Epiſcopus ſi ſit reſeruata Papæ, & delictum ſit occultum ex conceſſione Concilij Tridentini *ſeſſ.24.c.9.* Filliucius *c.n.69.* Tolerus *c.num.4.* Reginald. *l.3.2.c.22.n.43.* *Si non ſit* reſeruata ſuſpenſio, tunc poterit ab ea abſoluere quilibet ordinarius, ex communi ſententia apud *Suares*, quæ iam vſu recepta eſt. Nauar. *c.27.n.162.* Layman *c.n.2.* Suares *d.2.9. ſect.2.num.2.* & 15. *De Parocho* autem, & quolibet alio ſimplici ſacerdote, Doctores fere communiter negant poſſe; excepto Viualdo *in ſuo candel.aureo.l.de ſuſpenſione n.31.* qui dicit quemlibet poſſe, modo Epiſcopus ſibi non reſeruarit omnes ſuſpenſiones iuris, vt ſolent communiter facere.

Fill. Reginald.

Nauar. Layman. Suar.

6. Ad abſoluendum à ſuſpenſione non ſunt determinata aliqua verba: hæc tamen ſunt in vſu: *Ego te abſoluo à vinculo ſuſpenſionis, in quam incurriſti, & reſtituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium*: Non eſt autem neceſſarium in abſolutione explicare cauſam ob quam contracta eſt ſuſpenſio. *d.7.ſ.6.num.2.* Nauarrus *cap.20.num.8.* Filliucius *tr.11.num.329.*

Vide *Excommunicatio V.* n.7.

SVSPENSIO IV.

De Suſpenſionibus, quæ ipſo iure contrahuntur.

Contra Clericos.

SVMMARIVM.

De ſuſpenſionibus quæ ipſo iure contrahuntur.
Contra Clericos.
Contra Epiſcopos.
Contra Capitula.
Contra Religioſos.

1. Recipientes ordines ab eo qui renunciauit Epiſcopatui. *C.1. de ord.ab Epiſc. qui renunc. Epiſcopatus.*
2. Recipientes ab alieno ſine licentia proprij. *Pius II. cum ex ſacrorum 6.*
3. Recipientes à proprio in aliena diœceſi ſine licentia. *C.Epiſcopum 9.q.2.*
4. Recipientes ab excommunicatio vel ſuſpenſo denunciatio. *C.1.* & *3.de ſchiſm.*
5. Recipientes ante legitimam ætatem. *Pius II. cum ex ſacrorum 6.*
6. Recipientes extra tempora ſine diſpenſatione. *Pius II. ibid.*
7. Recipientes non ſeruatis interſtitijs. *C.dilectus c.literas de temp.ordin.*
8. Contra Clericos ordinatos ficto titulo. *C.neminem, c. Sanctorum, d.70.*
9. Contra promotos per ſaltum. *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap.14.*
10. Contra Clericos recipientes ordines ſacros poſt matrimonium ratum etiam non conſummatum. *Extrauag. antiqua, de voto.*
11. Clericos recipientes ordines ſi ſint excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti. *C.cum illorum, de ſent.excommun.*
12. Si cum literis Capituli ſede vacante infra annum. *Conc.Trid.ſeſſ.7 c.10.de reform.*
13. Vtentes ordine in loco interdicto præter modum iure conceſſum. *C.is, qui de ſententia excommun.in 6.*
14. Celebrantes coram excommunicato vel interdicto. *C. Epiſcoporum, de priuil.in 6.*
15. Tradentes ſepulturæ publicos vſurarios. *C.quia in omnibus, de vſuris.*
16. Contra Parochos iungentes ſponſos alterius Parochiæ ſine licentia. *Trid.ſeſſ.24.c.1.de reform.matrim.*
17. Parochos non prohibentes matrimonia clandeſtina, vel contra interdictum Eccleſiæ. *C.cum inhibitio, de clandeſt.deſpon.*
18. Abutentes veſtibus contra iuris ſtatuta. *Clem.2. de vita & honeſt.cler.*
19. Alienis debitis grauantes Eccleſias ſibi commiſſas. *C.2.de ſolut.*
20. Occupantes bona prælati defuncti. *C.quia ſæpe de elect.in 6.*
21. Electores Epiſcoporum, non præſentantes electionem electo infra octo dies. *C. cupientes, de elect. in 6.*
22. Compromiſſarios eligentes indignum. *C.ſi compromiſſar.de elect.in 6.*
23. Eligentes indignum ad Epiſcopatum vel curatum. *C. cum in cunctis, §.fin.de elect.*
24. Poſtulantes in Prælatum Cathedralis, eos, qui prohibentur. *Codice cum in cunctis, de elect.*
25. Conſentientes electioni per abuſum ſæcularis poteſtatis. *C.quiſquis, de elect.*
26. Inferiores Epiſcopis non ſeruantes in viſitatione conſtitutionem Innocentij IV. *C. exigit, de cenſib. in 6.*
27. Conferentes beneficia eorum, qui ſeruiunt in curia, vel eadem recipientes, *Extrauag.3.de priuileg.*
28. Facientes in iudicio per ſordes aliquid contra iuſtitiam & conſcientiam in grauamen partis *C.1. de ſent. & re iud.in 6.*
29. Conſeruatores ſe intromittentes in alijs, quàm de manifeſtis iniurijs *C.vltimo, de offic.deleg.in 6.*
30. Occupantes bona, cenſus, &c. Eccleſiæ, beneficij, vel pij loci. *Concil.Trid.ſeſſ.22.cap.11.de reform.*
31. Publicos peccatores. *C.vltim.de temp. ord. Hodie iſta non ſunt in vſu.*
32. Publicos concubinarios.
33. Sodomiam exercentes.
34. Simoniacos. *Extrauag.Pauli 2.de ſimonia.*
35. Iurantes de tenendo ſchiſmate. *C.1.de ſchiſmate.*
36. Prouocantes ad duellum, vel acceptantes. *C.1.de cler. pugnant.in duello.*
37. Raptores, vel præbentes auxilium &c. raptui. *Concil. Trid.ſeſſ.24.c.6.de reform.*
38. Diſputantes de conceptione Beatæ Virginis. *Pius V. ſuper ſpecula Pauli V. Regis pacifici Gregor. XV. apud Bonac.de ſuſp.d.3.p.5.§.1.n.37.*

Contra Epiſcopos.

39. Conferentes ordines ſimoniacè. *Cod. penult. de ſimonia.*
40. Conferentes ſuſpenſo Propter malam promotionem. *Cap.ſi qui Epiſcop.1.q.1.*
41. Ordinantes religioſum non profeſſum. *Pius V. Rom. Pont.bulla 74.*
42. Ordinantes accepto iuramento quòd non moleſtabuntur ſuper eorum prouiſionem. *C.ſi quis ordinauerit, de ſimon.*
43. Ordinantes monachum ſine licentia Abbatis. *C.fin. d.58.*
44. Non promulgantes Concilium prouinciale toti diœceſi. *Hæc ſuſp.non eſt in vſu.*
45. Intromittentes ſe in cauſis ſpectantibus ad electionem Epiſcoporum. *C.quamuis, de elect.in 6.* & *C.prouida, eod.*
46. Submittentes laicis bona Eccleſiæ ſine debito conſenſu. *C.hoc conſultiſſimo, de reb.Eccleſia non alienandis in 6.*
47. Occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouiſionem *Cod.præſenti, de offic.ordin.in 6.*
48. In cauſa alienationis malè vtentes delegata poteſtate. *Extr.2.cum in omnib.Pauli II.*
49. Alienantes bona Eccleſiæ vltra biennium. *Extrauag.*

trauag.ambitioſæ,de reb.Eccleſiæ non alien.

50. Admittentes reſignationes contra formam præſcriptam in conſtitutione. *Quanta*. *Pius V.in bulla* 58. *Quanta*.

51. Fouentes vſuras locando ſuas domos.*Cod.1.de vſuris in 6.*

52 Abutentes munere Inquiſitorum in cauſa fidei. *Clem.1.§.verum,de hæret.*

53. Delinquentes contra Clericorum immunitatem. *Clem.2.de pœnit.*

54. Non ſeruantes *Extrauagantem 2.de electione*.quoad perceptionem fructuum primi vel ſecundi anni. *Extrauag.2.de elect.*

55. Promotos à ſede Apoſtolica ſine litteris authenticis eiuſdem.*Extrau.1.de elect.*

56. Concubinarios a Synodo admonitos, & non ſe emendantes.*Concil.Trident.ſeſſ.25.cap.14.de reform.*

57. Relaxantes incendiariјs pœnam contentam in iure. *C.peſſimam,23.q.8.*

58. Negligentes procedere contra ſimoniacos. *C.quid. quid 1.q.1.*

59. Non facientes comburi libros Talmud.*Iul.3.in bull. 46.cum ſicut.*

60. Publicantes populo indicem caſuum *Pius V.in bull. 99.quam plenum.*

61. Non viſitantes limina Apoſtolorum tempore præſcripto in conſtitutione *Sixtus V. in bulla, Romanus Pontifex.*

62. Ingredientes monaſteria monialium ſine neceſſitate.*Greg.XIII.vbi gratia.*

Contra Capitula.

63. Si dilapident bona relicta,vel obuenientia tempore vacationis.*C.quia ſæpe de elect.in 6.*

64. Si recipiant prælatos promotos in curia abſque litteris Papæ.*Extrau.1.de elect.*

65. Si petant in receptione ad religionem, aut poſt illam paſtus & prandia.*Extrauag.ſane de ſimon.*

66. Si non ſeruent contenta in conſtitutione, *Pius V.in bulla,Quanta*.

Contra Religioſos.

67. Apoſtatas in apoſtaſia ordines recipientes, *C.fin.de apoſtaſia*.

68. Recipientes ad profeſſionem ante annum probationis.*C.non ſolum de regul.in 6.*

69. Superiores concedentes reditus Eccleſiarum alicui ad vitam,*Clement.1.de rebus Eccleſiæ non alienan.*

70. Vſurpantes decimas ſibi non conuenientes, *Clem. 1.de decimis.*

71. Non vtentes habitu & veſtitu modo ipſis præſcripto, *Clem.1.§.ſi quis autem,de ſtatu monach.*

72. Superiores,ad quos ex caſione exceſſuum ſuorum aliquid peruenerit,*Clem.de priuil.*

73. Non facientes conſcientiam pœnitentibus de ſoluendis decimis,*Clem.cupientes,de pœnis*.

74 Non profeſſos recipientes ordines ſacros, *Pius V.in bulla Rom.Pon.*

75. Introducentes mulieres in monaſteria prætextu facultatis Apoſtolicæ.*Pius V.in bull.Regularium 22.*

De his omnibus cenſuris in particulari nihil agimus breuitati ſtudentes, extant apud Doctores plurimi tractatus de his ſuſpenſionibus, & præcipuè apud Bonac.tom.1.& 3. Filliuc. tract. 17.cap.5.6.7.& 9. Tolet. l.1. cap.47. 48.49. Nauar. Suar.& Sayrum.

SVPPLEMENTVM.

SVSPENSIO.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſionis nomen quid importet? Et vt tripliciter ſumitur?*

2 *An ſuſpenſionis cenſura contrahi poſſit pro culpa aliena?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clericus ſuſpenſus ab ordine ſuperiori,cenſeatur ſuſpenſus ab exercitio inferiorum ordinum?*

An ſacerdos ſuſpenſus ab ordine ſacerdotali licitè poſſit cantare ſolemniter Euangelium vel Epiſtolam?

An ſuſpenſus a celebratione Miſſæ, cenſeatur ſuſpenſus ab aliјs functionibus ſacerdotalibus.

4 *An ſuſpenſus ab ordine inferiori cenſeatur indirectè impeditus ab exercitio Ordinum ſuperiorum? Et ſi in ordine ſuperiori miniſtret, an irregularitatem incurrat?*

5 *Ad quos actus ordinis extendat ſe ſuſpenſio ab ordine Epiſcopali? Et an Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, & cum eis miſſam celebrans,ſit irregularis?*

6 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinis,an poſſit tonſuram conferre? Et an ſuſpenſus à collatione ordinum minorum, poſſit conferre maiores?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſuſpenſus à beneficio,cenſeatur ſuſpendi à iure collationis beneficiј confirmationis,electionis,&c.ſibi prouenientè ratione beneficiј,à quo eſt ſuſpenſus?* Refertur duplex ſententia.

8 *Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus beneficiј,an grauiter peccet,& teneatur ad reſtitutionem? Et cui facienda ſit reſtitutio? An ſit irregularis?*

9 *An ſuſpenſio a beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali,ſit intelligenda de omni beneficio, vbicumque illud ſit,vel poſſideatur?*

10 *An incurratur irregularitas ex violatione ſuſpenſionis, quæ eſt pura pœna, & lata ad determinatum tempus?*

11 *Qui ſuſpenſionem incurrit in ipſa ordinatione,an incurrat irregularitatem,cantando Epiſtolam, Euangelium vel conſecrando cum Epiſcopo in miſſa ordinationis?* Refertur duplex ſententia.

1. SVſpenſionis nomen nihil aliud importare videtur, quàm rem aliquam ſuſpenſam, ſeu independentem,dubiam,& incertam relinquere:& deriuatur a verbo ſuſpendo,quod ſurſum pendere ſignificat. Proinde tripliciter ſumitur,1.pro expectatione animi dubia,aut incerta alicuius euentus, 2.pro certo quodam genere ſupplicij corporalis,vt quando aliquis equuleo torquetur,ſuſpenſus eſt è terra ad dicendam veritatem,vel laqueo in collo poſito ſuſpenditur,donec anima è corpore exeat. *Tertio*,pro dilatione,& ſuſpenſione,quæ interponitur in vſu,& expeditione alicuius negotij,vel officij,tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſtici:& hoc tertio modo accepta translata eſt poſtea hæc vox ad ſignificandam cenſuram Eccleſiaſticam, quæ communiter ſuſpenſio dici ſolet,propter effectum eius,quatenus ſuſpendit,& impedit vſum,& exercitium officij,aut beneficij Eccleſiaſtici in totum; vel in partem. De hac ſuſpenſione nobis eſt hic ſermo.

2. Dubium eſt inter Doctores, an cenſura ſuſpenſionis contrahi poſſit pro culpa aliena? Quidam enim negant;quia ob peccatum alterius,quo ipſe caret, nemo poteſt puniri, vt colligitur *ex c.2.de his,quæ fiunt à maior. part.capit.*& *ex l.Sancimus*, *Cod.de pœnis*,quod maximè verificatur in pœnis ſpiritualibus. Cùm ergo cenſura ſuſpenſionis ſit pœna ſpiritualis, & grauis, non videtur poſſe imponi contra totam aliquam communitatem propter culpam aliquorum: quia tunc innocentes punirentur ſine cauſa,quod non eſſet ſecundum iuſtitiæ ordinem.Ita probabiliter ſuſtinent Caiet.*v. Suſpenſio*. Nau.*in man.c. 27.n.* 152.& poſt illos Suar.*de cenſur.diſp.28.ſect.4.*& alij. Caiet. Nauar. Suar.

Sen-

Sententia tamen affirmatiua probabilior eſt, nempe poſſe Prælatum aliquando ſuſpendere totam communitatem propter culpam maioris partis, ſiue Superioris eiuſdem communitatis, ſiue collegij. Ratio eſt, quia tunc non puniuntur per ſe, & directè ſinguli Innocentes, ſed punitur peccatum ſuperioris, vel totius communitatis in membris. Et quamuis cenſura ſuſpenſionis ſit pœna grauis, & ſpiritualis, non priuat tamen bonis pertinentibus ad propriam animam, ideò non implicat, quin aliquando poſſit infligi contra totam cõmunitatem collectiuè ſumptam, & tunc talis cenſura non haberet propriè rationem pœnæ reſpectu ſingulorum diſtributiuè, ſed collectiuè, prout omnes repræſentant collegium, ſiue communitatem, quæ in omnibus deliquiſſe reputatur. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.* Auila *de cenſur. p. 3. diſp. 3. dub. 2.* Turrianus *de cenſur. l. 4. diſp. 41. dub. 2.* Diana *p. 5. tract. 10. reſol. 22.* Cornejo *in 3. par. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 3. dub. 2. q. 1.* Qui nouiſſimus aduertit priorem ſententiam eſſe veram, ſi quis ſpecialiter, & ſeorſum ſuſpenditur: nam tunc vnus non poteſt ſuſpendi pro culpa alterius.

D. Thom. Auila Turrian. Dian. Cornelo.

3. Clericus ſuſpenſus ab ordine ſuperiori non cenſetur ſuſpenſus ab exercitio inferioris ordinis. Ratio eſt, nam qui prohibet maius, non cenſetur prohibere minus, cum non ſit eadem ratio, & in pœnalibus non eſt facienda extenſio, prout communiter dicunt omnes Theologi, & Canoniſtæ.

Hinc presbyter ſuſpenſus ab ordine ſacerdotali licitè poterit cantare ſolemniter Euangelium, Epiſtolam, aliaque munera pertinentia ad diaconos, vel ſubdiaconos, vel ad alios clericos exercere: quia tantummodo eſt ſuſpenſus ab ordine ſacerdotali. Ita communiter Doctores *in c. Significauit, de corpore vitiatis.* Suar. *de cenſ. diſp. 26. ſect. 4. n. 9.* Filliuc. *tr. 16. c. 2. n. 35.* & alij.

Suar. Fill.

Similiter quando Sacerdos ſimpliciter eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, non cenſetur ſuſpenſus ab alijs functionibus ſacerdotalibus, quæ Miſſæ celebrationi non ſunt annexæ: ideoque extra Miſſam poteſt Sacramenta miniſtrare, aquam ſanctam benedicere, confeſſiones fidelium audire, eoſque ſacramentaliter abſoluere, &c. quia tantummodò a celebratione Miſſæ ſuſpenſus fuit. Ita Panormitanus *in dict. cap. Significauit, de corpor. vitiat.* & communis.

Panorm.

4. Clericus per cenſuram ſuſpenſus ab ordine inferiori cenſetur aliquomodo ſaltem indirectè impeditus ab exercitio. Ordinum ſuperiorum propter indecentiam, cùm ſit minùs decens, eum, qui non poteſt licitè exercere functiones Ordinis inferioris, poſſe licitè exercere functiones ordinis ſuperioris. Propterea Sacerdos ſuſpenſus ab ordine Diaconatus non poterit licitè Miſſam celebrare, neque Epiſcopus ſuſpenſus à ſacerdotio poterit functiones Epiſcopales exercere: quia huiuſmodi actiones videntur neceſſariò connexæ, & vna ſupponit alteram. Ita Panormitanus *in cap Cum dilectus, de conſuetud. num. 20.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 160.* Suarez *loco citato diſp. 26 ſect. 4. n. 14. & 15.* Cæterum, licet ſacerdos ſuſpenſus à Diaconatu, peccet mortaliter celebrando, tamen non incurrit irregularitatem; quia talis non facit aliquid directè ſibi per cenſuram prohibitum, ſed ſolùm per quandam conſecutionem propter indecentiam. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. nu. 6.* Coninch *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. n. 10* Diana *p. 5. tr. 10. reſ. 5.* Præpoſitus *in 3. p. q. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. nu. 15.* & alij penes ipſos.

Panorm. Nauar. Suar.

Laym. Coninch. Diana. Præp.

5. Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali extendit ſe tantùm ad eos actus Ordinis, qui Epiſcopo proprij ſunt, & ſacerdoti iure ordinario competere non poſſunt: cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificialibus, per quam directè prohibetur vſus inſignium Epiſcopalium, videlicet mitræ, baculi, & pallij; per accidens verò, & conſecutiuè omnia Epiſcopalia ſolemnia officia, quæ ſine eiuſmodi inſignibus exerceri non debent, prohibentur, qualia ſunt Ordines conferre, confirmare, Eccleſias, altaria, Virgines conſecrare, &c. Taliter tamen ſuſpenſus non prohibetur Miſſam priuatam ſine Pontificialibus celebrare, confeſſiones audire, iuriſdictionem forenſem exercere. Ita Layman *loco cit.* Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 4. n. 14.* Filliucius *tr. 17. c. 2. n. 27.* An autem Epiſcopus celebrans, in Pontificalibus, & ab eis ſuſpenſus, incurrat irregularitatem? Communior ſententia eſt negatiua, eo quòd Miſſæ ſacrificium non eſt munus Epiſcopi vt ſic, ſed ſacerdotis, cuius exercitium per ſuſpenſionem ei non interdicitur. Ita poſt alios Præpoſitus *in 3. p. q. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. n. 15.*

Laym. Sayr. Fili.

Præpoſ.

6 Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum non poteſt etiam minores conferre, poteſt tamen conferre Tonſuram, quia non eſt ordo. Si verò ſuſpendatur à collatione certi Ordinis, videtur poſſe alios ordines conferre, quamuis digniores: quia collatio ordinum eſt functio eiuſdem poteſtatis non verò vſus poteſtatis ſublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non eſt ſuſpenſus, non cenſetur vti ordine ſublimiori, ſed ſolùm exercere functionem ſui Ordinis, quæ illi non eſt interdicta; ſicut qui ſuſpenſus eſt ab audiendis confeſſionibus, ſecundùm omnes, poteſt celebrare, cùm tamen adſit maius munus: ergo Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum minorum, poteſt adhuc conferre Ordines maiores. Ita Coninch *de ſacram. diſp. 15. dub. 2. n. 10.* Præpoſitus *loc. cit. n. 18.* Layman *l. 1. tr. 5 p. 3. c. 1. n. 6. verſ. Illud verò.* Quod confirmatur, quia maiorum ordinum collatio non eſt neceſſario connexa cum collatione minorum, aut primæ tonſuræ: Cum nihil obſtet, in aliqua Eccleſia ſacros Ordines conferri ijs, qui minoribus iam initiati ſunt. Deinde poteſt Superior prohibere alicui quod minus eſt, non prohibito eo, quod maius eſt; præſertim ſi in vſu minoris, & non maioris delictum commiſſum fuit, vt quis in eo puniatur, in quo deliquit. Hæc ſententia eſt probabilior, quamuis contraria non ſit improbabilis, quam ſuſtinent Henriquez, Sayrus, Vgolinus, Auila apud Layman, & Dianam *loco citato, reſol. 6.*

Coninch Præpoſ. Laym.

Henriq. Sayr. Vgolin. Diana.

7. Quorundam ſententia eſt, ſuſpenſum à beneficio ſuſpendi etiam a iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij à quo eſt ſuſpenſus: Ducuntur, quia tale ius eſt quidam prouentus beneficij, vnde huiuſmodi iura ſolent cedere ijs, quibus cedunt fructus beneficij vacantis. Proinde ſi collatio beneficij fructus Epiſcopatus dicitur, cur non etiam electio dicetur fructus illius beneficij: ergo concludetur ſub prohibitione fructuum. Ita probabiliter docent Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 6. numer. 7.* Præpoſitus *in 3. p. q. 3. de ſuſpenſion. dub. 2 numer. 25.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 163. verſ. Sexto infertur,* Henriquez *lib. 13. capit. 32. numer. 4.* & alii.

Sayr. Præpoſ. Nau. Henriq.

Nihilominus dicendum eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, ſuſpenſum à beneficio poſſe eligere, & beneficia conferre. Ratio eſt, quia electio, & collatio non numerantur propriè inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt, cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis, ratione beneficij competentis. Tum quia impropriè dicitur, conferre beneficia pertinere ad fructus Epiſcopatus; nam reuera ita non eſt, ſed pertinet ad officium Epiſcopatus, eſt enim quidam actus illius muneris, ſicut conferre Sacramenta, eſt actus beneficij Parochialis. Accedit, quòd quando Canonis Auctor, vel iudex ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi, & conferendi ſuſpendere vult, id ipſum exprimit, vt videre eſt *in c. cum in cunctis, § ult. de elect.* quando autem non exprimitur, non eſt extenſio facienda in materia pœnali. Ita Gloſſa *in cap. cupientes, §. Cæterum, de elect. in 6.* Suarez *de cenſuris diſp. 27. ſect. 1 num. 33. & 34.* Mercerus *de Sacram. in 3 p. q. 24. dub. 3.* Gaſpar Hurtadus *de ſuſpenſ. diffic. 4. numer. 9.* Diana *p. 5. tr. 10. reſol. 8.* Coninch *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. num. 11.* Layman *l. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. numer. 4. verſ. Illud porrò,* & alii.

Gloſſ. Suar. Hurtad. Diana. Coninch. Layman.

8. Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij, grauiter peccat, & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia, quia vſurpat aliena contra iuſtitiam, ac propterea obligatur etiam ad reſtitutionem: quia nemo poteſt retinere licitè quod ſuum non eſt, niſi excuſetur per impotentiam, vel aliam grauem cauſam; & hoc verum, quamuis ſuſpenſio ſit occulta: quia cenſura hæc ſicut excommunicatio ſecum affert executionem, quantum ad impediendam acquiſitionem dominij: vnde hæc pœna non ſpoliat hominem rebus ſuis, quarum dominium iam

acqui-

Digitized by Google

acquiſierat: quod fieri non ſolet abſque ſententia ab homine lata: ſed impedit ne fructuum dominium acquirat, quod ipſo iure abſque interuentu alterius ſententiæ fieri ſolet: Ita ex communi Suarez *diſp. 27. ſect. 1. num. 7.* Fructus autem beneficij pro tempore, quo aliquis permanet ſuſpenſus à beneficio, ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ detracti iis qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum. Ita Bonacina *de cenſur. diſp. 3. punct. 2. n. 14.* & alii ab ipſo citati.

Sed petes, an taliter ſuſpenſus à beneficio, vſurpando ſibi fructus beneficii, irregularitatem incurrat? Reſponſio communis eſt negatiua: quia in iure non legitur irregularitatem latam in violatorem, niſi propter miniſterium in diuinis, à quo per cenſuram interdictus eſt: Irregularitas autem niſi in iure ſit expreſſa, non incurritur. Et ob id exercitium ſolius iuriſdictionis contra ſuſpenſionem, nō inducit irregularitatem: ergo multò minùs hæc incurretur propter fructus beneficii male perceptos: nam minus habet hoc de Eccleſiaſtico miniſterio, vt docet Gloſſa communiter recepta *in Clem. 2. verb. Suſpenſus, de vita, & honeſt. cleric.* Suarez *loco cit. n. 8.* Bonac. *de ſuſpenſ. diſp. 3. punct. 4. n. 6. verſ. Sexto.*

9. Suſpēſio a beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, vniuerſaliter intelligenda eſt, id eſt, ab omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſſideatur: quia locutio illa indifferens æquiualet vniuerſali, niſi aliunde ex materia, vel cauſa, de qua agitur, conſtet ſuſpenſionem eſſe in particulari de aliquibus beneficiis talis, vel talis Eccleſiæ. Vnde non ſolùm Papa, ſed etiam particularis Epiſcopus poteſt ſuſpendere ſubditum ab omnibus beneficiis, quæ vbique etiam in aliis Diœceſibus habet, ſi qualitas delicti id mereatur, vt ex communi docet Abbas *in c. Paſtoralis, §. verum, de appellat. n. 20.* Ratio eſt, quia ille actus non excedit iuriſdictionem Epiſcopi particularis: quia ſententia, ſeu pœna non fertur de beneficio, ſeu in beneficium, ſed fertur in perſonam, & illa eſt, quæ priuatur iure quod habet, ſeu impeditur, ne illo vtatur: ipſa autem perſona eſt intra territorium huius Epiſcopi, eique ſubiecta, & in illo habet omne ius cuiuslibet beneficij, etiamſi tale ius ſit ad fructus percipiendos in alio territorio, vel Epiſcopatu. Nam beneficium eſt ius quoddam quaſi inhærens perſonæ quæ illud habet; Ergo Epiſcopus, qui fert ſententiam ſuſpenſionis in perſonam ſibi ſubiectam, poteſt etiam in illa impedire omne ius, quod ipſi inhæret: ergo poteſt ſuſpendere illam ab omni beneficio, etiamſi Eccleſia, vel locus beneficii extra territorium ſit. Idem dicendum de ſuſpenſione ab officio: nam & Pontifex, & Epiſcopus poſſunt ſubditum ſuſpendere ab officio, vel parte eius, in vno, & in omni loco, extra vel intra Diœceſim. An autem quando Epiſcopus ſimpliciter à beneficio ſuſpendit, intelligatur ſuſpendere ab his, quæ ſunt extra Diœceſim: conſulenda eſt conſuetudo quæ eſt optima legum, & verborum interpres: ſi ergo ita vſu receptum eſt inter Eccleſiaſticos iudices particulares, ita erit interpretanda; & ſi res eſt dubia, interpretanda erit ſententia, vt ſuſpendat ſolùm à beneficiis in territorio, ſeu Diœceſi Epiſcopi ſitis. Ita Suarez *loc. cit. n. 17. & 22.*

10. Ex violatione ſuſpenſionis incurritur irregularitas, non ſolùm quando per exercitium maioris ordinis violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando violatur ſuſpenſio quæ eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinatum tempus. Ratio eſt, quia ſuſpenſio lata ad definitum tempus licet non ſit propria cenſura, ſed pœna, tamen in illa incurritur hæc irregularitas, nam de illa expreſsè loquuntur *cap. 4. de re iudicata, & de ſentent. excomm. in 6.* quia talis ſuſpenſio tam efficaciter priuat ſacro miniſterio dum durat, ſicut quælibet alia: non ergo incurritur hæc pœna tantum in propria cenſura, ſed etiā in pura pęna. Ita Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 6. cap. 2.* Suarez *diſp. 26. ſect. 2. num. 4.* Fillinc. *tract. 17. numer. 193.* Bonacina *loco citato punct. 4. n. 6.* contra Canoniſtas, qui dixerunt, quādo ſuſpenſio fertur à iure his verbis, *Qui hoc fecerit, ſuſpenſus eſt ab officio, donec ſatisfaciat.* non manere irregularem eum, qui poſtquam commiſit tale crimen, miniſtrauit in officio: quia talis ſuſpenſio non eſt cenſura ſed intrinſeca quædam pęna, quam ſecum affert ipſum peccatum. Hæc ſententia eſt falſa, quia non poteſt ferri ſuſpenſio Eccleſiaſtica verbis expreſſioribus, ſicut prædicta, quæ non ſolùm explicat intrinſecum effectum ipſius peccati, ſed inducit etiam propriam pœnam Eccleſiaſticam, alioquin eſſent inutilia, ſi tantùm operarentur id, quod peccatum per ſe inducit, quod rectè docuit Gloſſa *Cap. 2. de cenſib. in 6. verb. Suſpenſos.*

11. Quorumdam ſententia fuit, eum, qui ſuſpenſionem incurrit in ſua ordinatione, in caſibus iure expreſſis, ſi miniſtret in illo ordine in ipſa ordinatione, incurrere irregularitatem, puta ſi ſubdiaconus cantet Epiſtolam; Diaconus Euangelium; ſi Sacerdos conſecret. Ratio illorum eſt, quia verè, & propriè miniſtrat in ordine iam ſuſcepto: prius enim Subdiaconus, vel Diaconus, vel Sacerdos ordinatur, & tunc incurrit ſuſpenſionem, poſtea verò iam ſuſpenſus ſolemniter canit Epiſtolam, vel Euangeliū, vel conſecrat cum Epiſcopo. Ergo hi omnes efficiuntur irregulares: nam lex generalis eſt, ſuſpenſum ab aliquo ordine, ſi in illo miniſtret, irregularem fieri. Ita docuit Nauarr. Salzedo.
Nauarr. *conſil. 8. in 2. editione & conſil. 4. in priori, de cleric. excommunic. miniſtrant.* Salzedo *in practic. criminali cap. 26. circa finem*, vbi refert, quoſdam Theologos ita ſenſiſſe. Hæc ſententia eſt probabilis. Tamen opinio aſſerens hunc non eſſe irregularem meritò cenſetur probabilior. Eo quòd miniſteria illa, quæ ordinati exercent cum Epiſcopo, non cenſentur moraliter actos diſtincti ab ipſa ordinatione: ergo etiam ſuſpenſio incurratur ratione ordinationis, non poterit incurri irregularitas propter illa miniſteria, quæ ſunt circumſtantiæ requiſitæ ad illam actionem ordinationis. Accedit quod tota actio Epiſcopi à principio ad finem officii eſt vnus actus moralis, ad quem reliqui ordinantur, & in eo actu fit ordinatio ergo poſt illum incipit tempus neceſſarium ad incurrendam irregularitatem, quæ debet eſſe ob exercitium actus poſt ordinationem. Proinde tales neque in ſacra Pœnitentiaria, neque in Cancellaria reputantur irregulares: & cum Sacerdote ordinato ante legitimam ętatem, ſi poſtea non celebrauit, non diſpenſat, tanquam cum irregulari, ſed ſo- Henriq.
lùm abſoluit à ſuſpenſione. Ita Medina *in Summ. l. 1. c. 11.* Suar.
§. 8. Henriq. *l. 13. de excommunic. c. 10. lit. E. cap. 13. litt. F.* Fill.
& l. 14. c. 3. n. 6. lit. X. Suarez *diſp. 31. ſect. 2. n. 71.* Filliocius *tr. 17. n. 191. & 192.* & alii.

Vide verb. Appellare *n. 13. & 14.* Beneficium 2. *n. 4.* Excommunicatio 2. *n. 29.* Irregularitas 1. *nu. 28.* Matrimon. 1. *n. 12.* Miſſa 3. *num. 14.* Ordo *num. 6. 7. & 8.* Prædicatio *n. 7.* Irregularitas 2. *n. 18.*

SVSVRRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit ſuſurratio?*
2 *An ſuſurratio formalis, vel materialis ſit peccatum mortale?*
3 *An ſuſurratio poſſit aliquando excuſari à mortali, & fieri licita?*
4 *An liceat modis illicitis ob propriam vtilitatem per ſuſurrationem alium excludere ab amicitia, & gratia, quam quis quæris?*
5 *An omnes ſuſurrationes ſint eiuſdem ſpeciei?*

1 SVſurratio eſt *occulta oblocutio contra proximum, qua poſſit diſſolui amicitia, & oriri diſcordia inter amicos:* dicitur *Prima occulta oblocutio*, in quo conuenit cum detractione, & differt à contumelia. Dicitur *ſecundò, qua poſſit diſſolui*, hoc enim differt à detractione, & a cęteris: nam detractio famam denigrat, eique detrahit: contumelia honor læditur, aut ſuſurratio habet pro effectu diſſoluere amicitias: tamen in ſuſurratione ſæpè includitur detractio, & contumelia; quia ad diſſeminandas diſcordias aliquando refertur crimen alterius falſum, vel etiam verum, & occultum in abſentia, vel in præſentia. D. D. Thom.
Th. 2. 2. *q. 74. ar. 1.* Clau. reg. *l. 12. c. 5.* Nau. *c. 18. n. 13.* Sylu. Clau. reg.
v. Suſurrat. Fill. *tr. 40 n. 135. 136.* Sylu. *2. 2. q. 74. ar. 1.* & alii. Nauar. Syluest.

2. L::

Digitized by Google

2. Ex communi Doctorum ſententiæ *ſuſurratio formalis* eſt ex ſuo genere peccatum mortale, grauius detractione, & contumelia: quia maius damnum affert, quàm afferat detractio, & contumelia, cùm ſuſurratio dirimat, & diſſoluat amicitiam, quæ præſtantior eſt bono famæ, & bono honoris. D. Thomas *c. ar.* 2. Filliuc. *c. num* 137. Sylu. *c. art.* 2. & alii. Vnde in ſcriptura ſeuerè prohibetur, ac inter alia peccata mortalia annumeratur, vt patet Leuit. 19. vbi dicitur: *Non eris criminator, nec ſuſurro in populis*, & Eccleſiaſt. 5. *Non appelleris ſuſurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris*. Et Roman. 2. inter alia mortalia peccata connumeratur; cùm dicitur; *Plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles*, &c. Suſurratio materialis ex genere ſuo non eſt peccatum mortale, ſed aliquando erit veniale, aliquando autem mortale. *Veniale* erit, quando dicitur malum, quod ſimpliciter non eſt natum generare diſcordias, licet aliquo modo lædat amicitiam, quia in hoc caſu, nec peccat mortaliter ratione intentionis, nec ratione damni. Eſt autem *mortale*, quando dicitur malum, quod natum eſt generare diſcordias, vel ſimpliciter, & abſolutè ratione perſonarum, apud quas dicitur, noueratque ſuſurro poſſe apud illos generari. Quia in his caſibus etſi deſit intentio, nihilominus graue damnum, & nocumentum infert, quod probabiliter præuidere potuit, & tenebatur. Vnde in Prouerbijs dicitur: *Suſurrone ſubtracto, iurgia conquieſcent.*

Fill.
Sylu.

3. Licet *ſuſurratio*, ex genere ſuo peccatum mortale ſit contra iuſtitiam; & proinde obligans ad reſtitutionem; *aliquando* tamen excuſari poteſt à mortali, ratione indeliberationis, & inaduertentiæ, ſi fortè adſit inaduertentia: imò ſuſurratio *aliquando* licita eſt, vt quando quis manifeſtat alterius defectum ad diſſoluendum amicitiam perniciosam, & periculoſam nullo intercedente mendacio, & nulla reuelatione peccati occulti. Molina *tractat.* 4. *d.* 25. Salon 2. 2. q. 84. *ar.* 2. Azor. 3. *p. l.* 13. *c.* 8. *d.* 3. Filliuc. *c. nu.* 138. Sylu. *c. art.* 2. & alij. Vnde nullum erit peccatum modo prædicto amicitias concubinatiorum diſſoluere; in quem etiam finem licitum erit aliqua vitia naturalia hominis commemorare, aut alia eius vitia publica, v. g. dicendo amatricem ſuam eſſet deformem, ignobilem, publicam meretricem, & huiuſmodi.

Molin.
Salon.
Fill.
Sylu.

4. Non licet mediis illicitis ob propriam vtilitatem per ſuſurrationem alium excludere ab amicitia, & gratia, quam quis quærit: puta fraude, dolo infamãdo proximum: Clauis regia *c. num.* 5. ſi tamen id agatur ſolum narrando defectus aliquos naturales, aut alios veros, ſed non occultos, ex quibus non ſequatur infamia, nec diſſolutio amicitiæ, ſed tantùm familiaritatis prioris; etſi aliqui, vt Sotus *de iuſt. l.* 5. *q.* 11. *art.* 1. Arragon 2. 2. *q.* 74. *art.* 2. Bonac. *de reſt. d.* 2. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 6. excuſent à peccato probabilius tamen videtur quòd abſolutè, & regulariter peccatum aliquod ſit: an autem quando hoc non licet, ſit peccatum contra iuſtitiam: Salon, & Clauis reg. affirmant. Sotus tamen, & Arragon, negant, & quidem probabiliùs.

Sotus.
Arrag.
Bonac.

5. Omnes ſuſurrationes ſunt eiuſdem ſpeciei, quia omnes verſantur circa idem obiectũ formale, diſſolutionem ſcilicet amicitiæ. Neque refert, quòd amicitiæ, honeſti vtilis, & delectabilis differant ſpecie: quia ſuſurro per ſe non reſpicit cui bono innitatur amicitia, ſed tantùm intendit illam, ſiue huic, ſiue alteri bono nitatur, dirimere. Quamuis ergo ea, quæ ad ſuſurrationem materialiter ſe habent, diuerſæ ſcilicet amicitiæ, ſpecie differant; quia tamen ſub eadem formali ratione reſpiciuntur à quibuſcumque ſuſurrationibus: ideo omnes ſuſurrationes eiuſdem ſunt ſpeciei. Poſſunt tamen tales circumſtantiæ ſuſurrationi accidere, vt trahatur in diuerſam ſpeciem neceſſariò in confeſſione exprimendam; vt ſi quis coniugum amicitiam dirimere conetur, vt abutatur vxore, talis ſuſurratio trahitur ad ſpeciem adulterij. Sic etiam ſi quis Regi ſuſurret aliquid de Regis familiari, non ſolum vt eorum familiaritates diſrumpat, ſed etiam vt hac ratione aliquod officium, aut dignitatem alterius obtineat, & ſuſurro, & ambitioſus erit, atque adeò vnico actu duo peccata committit, quorum vnum ab altero imperatur. Quæ doctrina diligenter annotanda eſt ad rectè, & integrè confitendum, vtrumque enim peccatum in confeſſione diſtinctè explicandum eſt. Ita communiter Doctores.

T.

TENTATIO DEI.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit tentatio Dei.*
2 *Quomodo quis poſſit expreſsè, vel tacitè tentare Deum?*
3 *An tentatio Dei abſque iuſta cauſa ſit peccatum mortale?*
4 *An neceſſitas, vel vtilitas proximi ſit iuſta cauſa Deum tentandi?*
5 *An in confeſſione exprimendum ſit an tentatio Dei fuerit tacita, vel expreſſa.*

1 TEntatio Dei eſt *actus contra religionem, quo quis abſque iuſta cauſa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum de diuina perfectione*, vt de potentia, de ſapientia, de iuſtitia, miſericordia, voluntate, aliiſque attributis Dei: *dicitur* autem eſſe hoc peccatum *contra religionem*, quia eſt quædam irreuerentia contra Deum, velle de ipſius perfectione experimentum ſumere abſque iuſta cauſa, relictis mediis à Deo inſtitutis, D. Thomas 2. 2. *q.* 97. *n.* 1. Nauar. *c.* 11. *n.* 40. Tolet. *l.* 4. *c.* 19. Sanchez *l.* 2. *moral. c.* 34. *n.* 1. Sylu. 2. 2. *q.* 97. *ar.* 1. & alii. Tum quia nullus præſumeret Deum tentare, ſi de eius excellentia certus eſſet: quippiam verò agere ex incertitudine de Dei excellentia, haud dubiè pertinet ad diuinam irreuerentiam. Quamuis ergo quòd quis Deum tentet, poſſit ex alio vitio prouenire, veluti ex incertitudine fidei, ex defectu ſpei, ex præſumptione, & ſimilibus, ipſa tamen Dei tentatio directè pertinet ad irreligioſitatem.

D. Thom
Nau.
Tolet.
Sanch.
Sylu.

2. *Dupliciter* poteſt contingere, vt quis Deum tentet, *vno modo*, expreſsè; *altero*, tacitè ſeu interpretatiuè: *tentat expreſsè*, qui dicit, aut facit aliquid hac intentione, vt experimentum faciat Dei bonitatis, vel potentiæ, ſiue pro ſe, ſiue pro aliis, vt qui à Deo petit miraculum, vel qui ſe præcipitem conijcit in puteum, vt experiatur an Deus ſe lædi permittat. *Tentat* autem *tacitè*, quando quis aliquid facit abſque intentione expreſſa capiendi experimentum de diuina perfectione, illud tamen quod facit, per ſe, & ſuaptè natura ad nihil aliud referri poteſt quam ad ſumendum experimentum de aliqua Dei perfectione: vt cùm quis relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis, infirmus exiſtens vult ſanari; vel qui relicta ſcala vellet è turri per aera deſcendere. *Notandum* tamen eſt, quòd ad tentationem Dei interpretatiuam requiratur, vt effectus expectetur, vel petatur à Deo. Suarez *tom.* 1. *tractat.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 45. *num* 3. Layman *l.* 4. *tract.* 10. *cap.* 5. Regin. *lib.* 17. *num.* 226. Filliuc *tract.* 22 *n.* 261. Sylu. *c. art.* 1 & alij.

Suar.
Layman.
Regin.
Fill.
Sylu.

3. *Tentatio Dei* expreſſa, & formalis regulariter loquendo, ſi fiat abſque iuſta cauſa peccatum eſt mortiferum; tum quia eſt quidam contemptus Dei, v. g. ſi proueniat ex craſſa ignorantia, vel dubitatione earum rerum, quas homo ſcire debet. *Secundò*, quando coniungitur cum aperto vitæ periculo, aut grauis læſionis. *Tertiò*, quando eſt periculum, ſcandali. *Quartò*, ſi ex curioſitate, vt videat res mirabiles, petat miracula. Tum quia notabilis Dei irreuerentia eſt, agere cum Deo, tanquam cum lupione, & curioſitatum fautore. Tum quia ſic tentans Deum, non ſolùm vult Deum fouere vanam curioſitatem, ſed etiam vt ſua omnipotentia aliquid mirabile ad ſolùm illum vanum finem operetur, quod immenſam Dei ſapientiam, ac prudentiam valdè dedecet D. Thom *cit. ar.* 2. Sylu. *ibi.* Suar. *cit. c.* 2. *n.* 16. Clauis reg. *l.* 4. *c.* 7. *nu.* 14. Leſſ. *cit. dub.* 1. Tolet. *c.* Sanch. *c. num.* 5.

D. Thom.
Sylu.
Suar.
Clau. reg
Leſſ
Sanch.

Ex di-

Digitized by Google

Ex dictis deducitur tentationem Dei eſſe mortalem, ſe martyrio temerè,& abſque iuſta cauſa offerre: nunc autem adeſt iuſta cauſa, quando martyrium eſt ſub præcepto, vel ſub conſilio. Ratio eſt, quia eſt in re graui,& prouocantur infideles abſque cauſa ad peccandum mortaliter. Martyres enim non prouocarunt tyrannos ad mortem ipſis inferendam, ſed exigenti iuſta cauſa proceſſerunt ad externam fidei confeſſionem, vt Euangelii prædicationem,& alios actus, vnde tyranni ex propria malitia ſumebant occaſionem variis eos tormentis cruciandi. Quòd ſi aliquando ſe martyrio offerebant, id erat vrgenti magna oſtendendæ fidei neceſſitate, & diuino inſtinctu ducti. Ita D. Thom. 2.2 *q.124.ar.* 3. Caiet. *ib.* Nau. *in man.c.11.n* 40.41. Sylu. *v. martyrium.*

Item tentatio Dei mortalis eſt, ſecundum Nauarrum. c. Lopez, *1.p. inſtruct.c.41.ad fin.* Sanchez *l.2.moral. c.* 34. *n.*16. ſi quis ſine præuia meditatione, nec coactus iuſta cauſa, prædicare contendat, ſperans fore, vt Deus ſibi dicenda inſpiret. Quod verum credit Sanchez, quando animo Dei tentandi id fieret: ſecus ſi non eo animo, nec ſcandalum, nec aliud detrimentum notabile ſequatur, tùc enim erit veniale. Similiter *veniale* peccatum erit tentatio Dei: *Primò*, ratione inconſiderationis, aut ignorantiæ non craſſæ. *Secundò*, ratione paruitatis materiæ, aut periculi, cui ſe quis exponit D. Thomas, Syluius, Suarez, & alij. Vt in leui morbo nolle medicinis vti, ſperando vanè ſalutem à Deo non petito miraculo.

4. *Iuſta cauſa* Deum tentandi expreſſè pro aliis. *Primo, Neceſſitas*, puta cùm apparet facultas viam Dei aliter manifeſtandi, quomodo Elias Deum tentauit vt populus incredulus eum reciperet, & Prophetas Baal occideret. *Secundò*, eſt *vtilitas*, cùm ſcilicet ſperatur probabiliter fructus in his, in quibus Deum manifeſtare volumus, vt quando quis petit miraculum ad conuerſionem infidelium. Hoc tamen non niſi valde cautè eſt faciendum, quia miracula expetenda non ſunt, niſi vel ex diuina reuelatione, vel ex inſtinctu interno Spiritus ſancti, vel niſi neceſſitas, & vtilitas omnino euidens fuerit, alioqui qui temerè attentat facere miracula, ſeipſum fidemque ſuam ludibrio exponit. Ita D. Thomas *cap. ad* 3. Laym. *cit. n.*2. Tolet. *c.n.*8. Azor. 1 *par.l.9.cap.2.q.7.* Leſſius *c. n.*5. & alij.

5. In confeſſione exprimendum eſt, an tentatio Dei fuerit tacita, vel expreſſa; quia ſecundum Suar. c. *l.1.cap. 3.num.6.* Sanchez *cap.num.*11. & Reginald. *cap.nu.* 227. tentatio Dei expreſſa differt ſpecie ab interpretatiua, quia procedere ſolet ex principiis, & cauſis moralibus longè diuerſis, & diuerſimodè diuinæ reuerentiæ aduerſatur. Tum etiam quia exigitur manifeſtatio intentionis, qua factum eſt opus, quo tentari Deus dicitur; quando enim tentatio expreſſa procedit ex dubio de aliquo Dei attributo, tunc eſſet coniuncta malitia mortalis contra fidem.

TESTAMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit teſtamentum? & in quibus differat à codicillo.*
2 *Quotuplex ſit teſtamentum? & quæ requirantur à iure ad teſtamentum in ſcriptis?*
3 *Quæ iuris ſolemnitas requiratur in teſtamentis militaribus factis in tentoriis, vel in conflictu hoſtium?*
4 *An vt teſtamentum ad pias cauſas ſit validum, requirantur ſolemnitates iuris ciuilis tam pro foro externo quàm conſcientia? & quæ piæ cauſæ dicantur.*
5 *An teſtamentum ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus iuris in foro externo, & conſcientia ſit validum?*
6 *Qui poſſint, vel non poſſint teſtari?*
7 *An omnes lege non prohibiti, inſtitui poſſint hæredes, & legatarij? Et qui iure prohibeantur?*
8 *An communitates poſſint inſtitui hæredes?*
9 *An filij naturales poſſint inſtitui hæredes vniuerſales à parentibus, ſi non habeant prolem legitimam? & an ab inteſtato naturalis ſuccedat?*
10 *An ſpurii poſſint aliquid accipere à parentibus præter alimenta?*
11 *An filia poſſit exhæredari, eo quod matrimonium contraxerit inuito patre, vel cum indigno?*
12 *An pater poſſit vni filio plus relinquere quàm alteri?*
13 *Qui poſſint conſtitui executores vltimarum voluntatum?*
14 *An Fratribus Minoribus poſſit electio pauperum committi à teſtatore?*

1 TEſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod poſt mortem ſuam fieri vult, cum directa hæredis inſtitutione; *l.1.ff.de teſtam.* Differt autem à codicillo in duobus. *Primò*, quòd codicillus non fit ad inſtitutionem hæredis, ſed ad mutandum aliquid, vt ad legata, vel fideicommiſſum faciendum. *Secundò*, quod ad illum ſufficiant 5. teſtes etiamſi rogati non ſint, & poſſunt etiam eſſe mulieres; at ad teſtamentum requiruntur 7. rogati, mares, & puberes. Molina *tom.1.d.124.* Molin.
Reginald. *lib.25.n.621.* Syueſt. *v. teſtamentum* 1. *nu.*11. Regin.
Filliuc. *tr.* 34.c.7. Sylu. Filliuc.

2. Teſtamentum duplex eſt, vnum dicitur in ſcriptis, ſeu clauſum eo, quòd teſtator latere velit, quod in eo cõtinetur. Alterum dicitur nuncupatiuum, eo quòd teſtator ſine ſcriptura coram teſtibus, quid fieri velit poſt mortem, & ob id appellari ſolet teſtamentum apertum; *l. hac conſultiſſima, C. de teſtam.* Ad teſtamentum in ſcriptis, ſeu clauſum requiruntur quinque. Primum, vt conficiatur ſcriptura, & claudatur, in quo contineatur voluntas teſtatoris. Secundum, vt adhibeantur ſeptem teſtes, mares, liberi, & puberes ad id rogati. Tertium, vt coram illis vno eodemque tempore, dicat teſtator illud eſſe ſuum teſtamentum, illudque ſubſcribat propria manu ſi poſſit, ſin minùs adhibeat octauum teſtem, qui loco eius ſubſcribat. Quartum, vt eodem tempore illud ſubſcribant ſeptem illi teſtes, ſuòque vel alieno annulo ſignent. Quintum, vt ſcribatur nomen hæredis. Couaruuias *de teſt.c.cum eſſes.* Vaſq.
Sà *v. teſtam.n.*6. Vaſquez *de teſtam.c.1.§.4.numer.* 14.15. Molin.
Molina *cit.diſp.*125. & 126. Bonacina *de contr.d.3.qu.17. p.1.* & alij.

Ad teſtamentum nuncupatiuum, ſeu apertum duo requiruntur. Primum, ſeptem teſtes modo dicto. Secundum, debent audire teſtatoris voluntatem, vel ſcriptam, vel vocetenus prolatam, ſubſcriptio autem, & ſigillum non ſunt neceſſaria. Præterea vt ſit validum debet abſolui, nec ſufficit, quòd cœptum ſit; *l. hac conſultiſſima, C. de teſta, §. per nuncupationem.*

3. Ad teſtamentum militare factum in tentoriis, requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes rogati, & hoc teſtamentum ſuſtinetur per annum poſt iuſtam miſſionem, ſeu receſſum ab exercitu, lapſo verò anno non ſuſtinetur; quòd ſi miles aufugit à caſtris non gaudet hoc priuilegio, in pœnam enim fugæ priuatur priuilegiis. Ad teſtamentum verò militare factum in conflictu hoſtium, nulla iuris ſolemnitas requiritur, ſed ſatis eſt, vt miles ſuam ſcripſerit voluntatem in clypeo, vagina, vel re alia proprio ſanguine, & eius manus probetur duobus teſtibus etiam non togatis: hæc ex iure ciuili communi; *l. Miles, C. de teſt. militum, l. deſertorem, ff. de re militari* §.8.

4. Vt teſtamentum ad pias cauſas ſit validum etiam foro externo, non requiruntur ſolemnitates iuris ciuilis, ſed ſufficiunt eæ quæ ſunt iuris gentium, nempe vt duo teſtes adſint: in foro autem conſcientiæ non ſunt neceſſarii, ſufficit enim in his teſtamentis, vt ſit poteſtas in diſponente, capacitas in eo in cuius fauorem diſponitur, & libertas in diſpoſitione; *Cod. relatum* 1. *de teſtam.* Couarr. *de teſtam.c.11.num.9.* Clarus §. *teſt.q.6.numer.*1. Couar.
Filliuc. *tract.34.num.*153.154. Diana *p.7.tract.6.reſol.*2. Fill.
Sed quid dicendum de teſtamento abſque ſolemnitate iuris, in quo cauſa pia non eſt hæres inſtituta, an valeat quod legata pia in ipſo contenta? Reſponſio affirmatiua Dian.

eſt re-

Digitized by Google

eſt tenenda, tam in conſulendo quàm in iudicando, vt docent Fagund. Paſqualig. Sanch. Lugo, Bonac. & alij multi apud Dian. *cit. reſ.* 3.

Imò probabile eſt teſtamentum ad pias cauſas valere, etiam quod legata prophana, ſi deſit iuris ſolemnitas. Ratio eſt, quia ſi talia legata prophana non valerent, deberent decreſcere cauſæ piæ, quæ inſtituta eſt hæres: æquumq; autem non eſt, vt idem teſtamentum, cuius iure, ac valore pia cauſa ſe defendit, & in ſui commodum vtitur, tanquam firmo, & valido, ac fide digno; in eiuſdem etiam fauorem infirmetur, & oppugnetur, ſed potiùs æquum eſt, ſi ipſa cauſa illud putat, & vult haberi verum in vno, velit etiam haberi in alio: & hanc ſententiam ſuſtinent Fagundez, Sanchez, Leſſius, Molina, Barboſa, & alij, quos citat, & ſequitur Diana *cit. reſ.* 4.

Porrò relicta ad pias cauſas dicuntur *Primò*, ſi quid Eccleſiæ vel Monaſterio relinquatur. Item relictum Hoſpitali, vel Fraternitatibus, pauperibus, viduis, & alijs miſerabilibus perſonis. Item relictum pro anima, pro redemptione captiuorum, pium dicendum eſt. Item cauſa alimentorum pia eſt, ſicut & dos, & id quod relinquitur pro maritandis virginibus. Item quidquid relinquitur ad vtilitatem publicam pium dicitur; tale eſt relictum ad conſtructionem ſiue refectionem pontium, & viarum, &c. Denique ad piam cauſam relictum dicitur, id quod meretrici eſt relictum, vt ad frugem melioris vitæ redeat. Plura de his apud Dianam *cit. reſ.* 26. & 30.

5. Teſtamentum ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus iuris in foro conſcientiæ validum eſt, non in exteriore: *Primum* ex eo conſtat, quia ex teſtamento minùs ſolemni, ſecundùm communem ſententiam Doctorum vtriuſque iuris, oritur obligatio naturalis, vnde licitè retinetur quod ex tali teſtamento poſſidetur, ſiue titulo hæreditatis, ſiue legati, ſecundum eoſdem Iuriſtas, hæres ab inteſtato tenetur in foro animæ reſtituere hæreditatem, vel legatum, ei qui ſic eſt inſtitutus, vt ſciat voluntatem defuncti fuiſſe vt hæres vel legatarius haberet: quòd ſi dubius ſit, debet componere cum illo pro ratione dubij. Imò hæres ab inteſtato poſſet cogi in foro externo reſtituere hæreditatem inſtituto in minùs ſolemni teſtamento, ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe vt alteri traderetur, vel nollet iurare oblato ei iuramento: in hoc tamen caſu eſſet detrahenda Trebellianica, id eſt, id eſt, quarta pars hæreditatis. Clarus §. *teſt. quæſ.* 90. *n.* 1. Mol. *cit. diſput.* 91. Leſſius *lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 3. Filliuc. *tract.* 34. *c.* 7. *q.* 4. Sylu. *v. hæreditas* 3. *q.* 7. & alij.

Clar. Mol. Leſ. Filliuc. Syl.

6. Quilibet niſi prohibeatur, teſtari poteſt, modò ſufficientem rationis vſum habeat, & liberam bonorum adminiſtrationem: è contra illi non poſſunt teſtari qui vel ſufficienti rationis vſu carent, vel iuris diſpoſitione prohibentur, vt ſunt *Primò* carens vſu rationis, & furioſus qui lucida non habet interualla; *l. furioſum, C. qui teſtam. facere non poſſunt.* Leſſius *cit. n.* 37. Bonac. *cit. p.* 2. *n.* 1. *Secundò*, ſurdus ſimul, & mutus à natiuitate non poteſt teſtari ad cauſas profanas, niſi priuilegio Principis factus ſit habilis ad teſtandum; *l. diſcretis C. titulo eod. Tertiò*, prohibetur qui non poteſt articulatè loqui, ita vt hæredem exprimere nequeat; *l. iubemus, C. de teſtam. Quartò*, impubes, id eſt, maſculus ante 14. annum expletum, & fœmina ante annum 12. expletum; *l. vlt. Cod. de teſt. milit. Quintò*, filiusfamilias, ſi tamen pubes ſit poteſt teſtari de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus: idem dicendum de filia, hæc enim quamdiu ſub patris poteſtate exiſtit non poteſt teſtari de dote aduentitia. Clar. *lib.* 3. *ſent.* §. *teſta. q.* 18. *Sextò*, prohibetur prodigus, cui prohibita eſt bonorum adminiſtratio, quamuis teſtamentum ipſius conditum, antequam prodigus fieret, validum ſit. Inſtitut. *quibus non eſt permiſſum facere teſtam.* §. *prodigus. Septimò*, teſtari non poſſunt qui commiſerunt aliquod crimen, cui iure annexa eſt pœna, qua ipſo facto ſunt inteſtabiles, vt qui Cardinalem hoſtiliter percuſſerunt, vſurarij, notorij, hæretici, poſt ſententiam criminis declaratoriam; *C. felicis, de pœnis in* 6. Molina *diſput.* 138. Leſſius *cit. dub.* 4. Filliuc. *cit. num.* 157. Sà *v. teſt. n.* 1. Item damnati ob libellum famoſum. Et damnati ad mortem naturalem vel ciuilem, vt eiecti in exilium perpetuum, & damnati ad perpetuos carceres

Molina. Leſſius. Filliuc.

teſtari non poſſunt niſi ad pias cauſas. *Octauò*, Religioſi, niſi ex conceſſione ſummi Pontificis; *Authent. ingreſſi. C. de ſacroſanctis Eccl.* Poſſunt tamen Religioſi cum licentia Superioris aliquid donare tempore mortis etiam per ſchedulam ſcriptam, quia tota diſpoſitio manet in libera voluntate Superioris; nec eſt teſtamentum, nec codicillus, quare id licitum eſt etiam Fratribus Minoribus: quia ſi res modica ſit, vt Prælatus licentiam date poſſit donandi inter viuos, cur non etiam cauſa mortis Rodriq. *tom.* 3. *quæſtionum regul. q.* 69. *art.* 2. & 3. Diana *p.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 128.

Rodr. Diana.

An autem Religioſos profeſſus poſſit mutare teſtamentum, eſt magna controuerſia inter Doctores, vt videre eſt apud Couar. *tract. de teſt. c.* 2. Sed mihi diſtinguendum videtur; non enim poteſt Religioſus mutare teſtamentum tanquam Dominus, hoc eſt, ſine vlla cauſa, ſicut poterat ante profeſſionem, quia id eſſet contra paupertatem, & contra votum, nam ita retineret dominium, & poteſtatem rerum temporalium, ſed poteſt teſtamentum mutare, tanquam optimus interpres ſuæ voluntatis, modò adſit cauſa legitima. Ratio eſt, quia eſt probabile, quòd ſi ante profeſſionem hoc ſciuiſſet, & præſertim ſi accedat conſenſus Epiſcopi, quia Epiſcopus poteſt mutare pia legata, quando eſt cauſa, etiam poſt mortis teſtatoris. Syluester *verb. legatum* 4. *quæſ.* 12.

Clerici verò qui non ſunt Religioſi poſſunt teſtari etiam ad cauſas prophanas de patrimonio, & alijs quæ ſuo labore, & induſtria congregarunt, & de ijs quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti ſuſtentationi ſubtraxerunt: de ijs verò quæ ex fructibus beneficiorum ſuperant, ex conſuetudine ad opera pia poſſunt teſtari: peccant tamen mortaliter beneficiarij, qui de parte illa prouentuum diſponunt ad cauſas profanas diſpoſitio tamen huiuſmodi, & ſucceſſio ab inteſtato eſt valida, vbi conſuetudo inualuit, iuxta probabilem opinionem. Mol. *d.* 147. *concluſ.* 7. Reginald. *lib.* 30. *num.* 111. 112. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 20. *n.* 24. Bonac. *cit. p.* 2. *nu.* 4. & 5. Caramuel. *lib.* 2. *Theolog. moral. n.* 882. 883. contra Nauar. Porrò ſerui, qui verè, & propriè ſerui teſtari non poſſunt, quia ſeruus contrahere non poteſt ſine Domini conſenſu; §. *item vobis, inſtit. per quas perſonas.*

Molin. Regin. Bonac.

7. Omnes lege non prohibiti inſtitui poſſunt hæredes, & legatarij; vnde infantes, amentes, ſurdi, prodigi, & Religioſi poſſunt eſſe hæredes in communi tamen. Mol. *diſ.* 154. Iure autem prohibentur, ne hæredes vel legatarij inſtitui poſſint hæretici, & Apoſtatæ, receptatores, defenſores, fautores hæreticorum ſi intra annum non pœnituerint: vnde Catholici poſſunt tales hæredes excludere, illi tamen non tenentur reſtituere, quæ tali ſucceſſione acquiſiuerunt, ante ſententiam Iudicis, iuxta probabiliorem ſententiam; *C. excommunicamus* 1. §. *credentes de hæret.* Sanchez *cit. c.* 14. *n.* 31. 34. Leſſius *n.* 51. 52. Præterea illi qui ſunt inteſtabiles actiuè propter delictum, ſunt etiam inteſtabiles paſſiuè, hoc eſt, non poſſunt inſtitui hæredes vel legatarij, vel capere ex teſtamento, quia prohibentur à iure; *l. si cui* §. 1. *ff qui teſt. facere poſſ.* Sylu. *v. hæreditas* 3. *q.* 2. Clar. *cit. q.* 34. Porrò Fratres Minores de Obſeruantia, & Capucini non poſſunt hæredes inſtitui, ita vt ipſi acquirant ius ad bona immobilia defuncti, & teneantur ad eius onera vt hæredes: poteſt tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui ſeu legatum, vt vendatur per alios, & Fratribus pretium tradatur; per hoc enim Fratres nullum ius acquirunt, nec violant paupertatis votum; *Clem. Exiui de verb. ſignif.* §. 1. Rodriq. 1. *p. c.* 132. Leſſius *cit. n.* 54.

Sanch. Leſſius.

Rodr. Leſſius.

8. Poſſunt autem inſtitui hæredes non ſolùm priuati, ſed etiam communitates, vt Eccleſia, ciuitas, oppidum, collegium, &c. Excipe ciuitatem hoſtium, & communitatem Iudæorum, & collegia illicita, quæ ſcilicet publica auctoritate creata non ſunt: priuatæ tamen perſonæ de collegio illicito poſſunt inſtitui; *l.* 1. *C. de ſacroſanct. Eccl. l. Omnibus ff. ad Trebellianarum, l. Colleg. C. de hæred. l. Cum ſenatus ff. de rebus dub.*

9. Filij naturales, qui ſcilicet nati ſunt ex parentibus inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis poterat eſſe matrim. poſſunt inſtitui hæredes vniuerſales à parentibus,

ribus,ſi non habeant prolem legitimam. *L. licet, C.de fil. naturalibus*. Molin. *diſp*.166. Regio. *lib*.25. *num*. 526. Sa *v.hareditas num*.1.*&* 7. Leſſius *cit.dub*.6. Bonac. *cit.p*.3. *n*.12. Si pater habet aſcendentes, debetur iis portio legitima iure Cæſareo in *Authent. de haredibus ab inteſtato*.licet hæc lex pleriſque io locis non ſit io vſu. Si habeant oepotes natos ex naturalibus, vel ſpuriis, poſſunt etiam eos hæredes inſtituere. Ab inteſtato antem naturalis noo ſuccedit, niſi in ſexta parte bonorum: io duodecima autem poteſt ſuccedere, ſi parens habeat legitimos, & teſtetur. Denique matri carenti prole legitima etiam inteſtatæ, naturalis ſuccedit ex aſſe, hoc eſt, in tota hæreditate; ſi habeat prolem legitimam, ſoccedit ex æqoo cum illis; *l. ſi qua illuſtris,C. ad S.C. Orficianum*. Couar. 2. *p.c*.8.*n*.15. §.4. *de matr*.

10. Spurij,qui ſcilicet nati ſunt ex parentibus inter quos tempore conceptionis, vel partus erat impedimentum dirimens, non poſſunt aliquid accipere à patre ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter viuos, quia ipſi per leges facti ſunt iocapaces; quod intelligendum eſt de ſpuriis patris,nam ſi vxor habeat ſpurium, is eſt marito inſtar extranei, & ſicut extraneo poteſt illi relinquere;*l.licet,Cod.de natur.lib*. Couar.*de matr. c*.8.§. 5.*num*.5. Filiuc. *cit. num*. 163. Similiter ſpurius non poteſt ſuccedere matri,etiamſi nulla proles alia ſuperſit:quidam tamen Doctores probabiliter putant ſpurium poſſe retinere ea quæ mater ipſi relinquit donec per Iudicem priuetur, modò notabiliter non noceat legitimis liberis. Spuriis tamen debentur alimenta, id eſt, ea quæ pertinent ad victum,veſtitum,medicinas, habitationem, &c. iuxta qualitatem perſonæ,ſi aliunde non poſſint ſe ſuſtentare: vnde pater quamuis Sacerdos, poteſt filiæ ſpuriæ tradere dotem, quia dos ſuccedit in locum alimenti. Molina *cit.d*.167. Sà *verb. hareditas num*. 7. *&* 16. *verb.teſtam. n*.29. Filliuc. *cit.num*.165. Leſſius *cit. n*. 67. Aduerte tamen filium ſpurium legitimatum poſſe hæredem inſtitui, ſiue factus ſit legitimus per matrimonium ſubſequens, ſiue per priuilegium, vt optimè tradit. Couarr. *de matrim. c*.8.§.2.*num*.28. Iul. Clarus *q*.31.*verſ. Scias tamen*. Imò ſi filius legitimatus fuiſset præteritus in teſtamento, rumperet teſtamentum, niſi fortè fuerit legitimatus cum hac clauſula,*vt non ſuccedat in hareditate,vel vt tantummodo ſuccedat in aliqua parte*. Præterea nepos id eſt, filius proprii filii ſpurij poteſt inſtitui hæres, nam de hoc non eſt ſermo in iure, modò pater non inſtituat nepotem contemplatione ipſiuſmet filij ſpurij, & prohibeat ne ſpurius quidquam recipiat. A fortiori, ſi Sacerdos filiam ſpuriam habeat matrimonio iunctam, poteſt eius marito donatione, vel teſtamento relinquere ea bona de quibus teſtari poteſt, quia hoc nullo iure prohibetur.

11. Secundùm communiorem Doctorum ſententiam filia non poteſt exhæredari, eo quòd matrimonium contraxerit inuito patre, vel cum condigno, quia hoc videtur repugnare libertati matrimonii, & ſicut non poteſt apponi pœna ſoluenda per frangentem fidem ſponſalium, ita non poteſt filia in pœnam priuari hæreditate; neque videtur poſſe fieri ſtatutum quo filii nubentes inuitis parentibus priuentur hæreditate; ſi verò filia turpem agat, priuari poteſt hæreditate. Sanchez *de matrim.l*.4.*diſp*.24. Molina *d*.176. Couar. *c.Raynutius de teſtam. nu*. 21. Regin.*l*.13.*n*.37. & alii.

12. Ex iuſta cauſa, & ſecluſo ſcandalo poteſt pater ſaltem in foro conſcientiæ vni filio plus relinquere quam alteri;modò reliqui filii non priuentur legitima portione, quia huiuſmodi bona ſunt ipſius teſtatoris propria, & teſtator habet iuſtam cauſam propter quam plus vni relinquat,quàm alteri, Nauar. *c*.17.*n*.159. Sà *v.teſtamentum n*. 27. Sylueſt. *v. legitima num*.8. Diana *de contract. reſ*. 83. *p*.1. & alii.

13. Executores vltimarum voluntatum poſſunt conſtitui omnes qui de iure non prohibentur; vnde Epiſcopi, vel Clerici, ſeu Sacerdotes ſæculares poſſunt conſtitui executores vltimarum voluntatum, licet hoc munus eis olim interdictum fuiſset, *cap. te quidem* 11.*q*.1. *& capit. Epiſcopus diſt*.88. tamen hoc tempore,id eis permiſſum videtur, vt patet ex *l.hareditas* 53.*ff.de petit. hared*. & ex Trident.*ſeſſ*.22.*cap*.8.*de reform*.Item fœmina poteſt conſtitui executrix teſtamenti, *l.à filio, ff.de alimentis legat*. Nullus autem Religioſus clauſtralis poteſt eſſe executor teſtamenti ſeu ad pias,ſeu ad profanas cauſas,niſi cum licentia Prælati, qui eſt immediatus Conuentus Superior, niſi aliud ferat conſuetudo, vel conſtitutiones Religionis. Conſtat ex *cap* 2. *de teſtam.in* 6.*Clementina vnica eodem tit*.Verumtamen ipſimet Ordinum Superiores teſtamentorum executores eſſe non prohibentur, niſi præcepto Superioris aut conſtitutionibus, vel conſuetudine Religionis alius caueatur, vt docent Rodriquez *tom*.2.*quaſtionum reg.q*.70.*art*.1.Sanchez *lib*.6.*moral.c*.11.*num*.5.Diana *p* 8.*tract*.5.*reſ*.7.4.11.Ratio eſt, quia facultatibus,quas Prælatus Monaſterij ſubditis concedere poteſt, eiſdem ipſemet vti non prohibetur, niſi à Superiore ipſi interdictum, vel aliud ſtatuto Ordinis decretum ſit. Deinde ſi regularis extra clauſtra licitè perpetuò degat, vt ſi alicui beneficio inſeruiat: executor teſtamenti eſſe poterit abſque licentia Superioris, quia talis Religioſus non degit ampliùs ſub obedientia Superioris, ſed eſt factus quaſi ſui iuris, vnde ceſſat in eo ratio prohibitionis teſte Gloſſa in *cap*.2.*de teſtam.v.Religioſus*. Rodr. Sanch. Dian.

Porrò ſi Religioſi clauſtrales teſtamenti executores fuerint, rationem reddere debent locorum Ordinarijs, à quibus etiam puniri poterunt, ſi in executionis officio deliquiſſe reperiantur; quamuis alioquin à iuriſdictione illorum exempti ſunt, vt habetur in Clementina citata. Lezana *tom*.4.*Sum.v.Teſtam*.Diana *cit.reſ*.36.

Fratribus Minoribus de Obſeruantia, & nobis Capucinis munus executoris teſtamentarij omninò prohibitum eſt, ita vt neque Prælati ordinis diſpenſare, ſeu licentiam dare poſſint. *Clementina Exiui*, §.*proinde vir ſanctus, de verb.ſignific*. Vbi tamen adiungitur, quod in exequendis teſtamentis conſilium dare eorum ſtatui non obſiſtit: cùm ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla iuriſdictio, ſiue actio in iudicio, ſiue diſpenſatio tribuatur. Cauere autem Fratres debent à prædicto conſilio dando, vt executores aliquid ſibi tradant, ſi ingreſſuri ſint ipſorum religionem, quia hoc ſpecialiter interdictum eſt in præfata *Clement. Exiui, verſ.dubitauerunt*. Plura de his apud Rodriq.*cit.quaſt*.70.Sanchez *cit.cap*.11.

14. Quamuis Fratres Minores non poſſint vltimarum voluntatum eſſe executores, electio tamen pauperum, in quos eleemoſyna ab executore diſtribuenda eſt, poteſt ipſis committi à teſtatore, modò ipſimet Fratres in pauperes non diſtribuant. Ratio eſt, tum quia hæc nominatio, ſeu perſonarum electio eſt potiùs facti quam iuris, vt conſtat ex *l. cum pater*, §. *hareditatem*, *ff. de legat*. 2. ac proinde fieri poteſt per eum, qui huius muneris non eſt capax, eo quòd in hoc euentu vicem hæredis non ſuſtinet. Tum quia in huiuſmodi electione ceſſant rationes litigij, aut contrectationis, ſeu adminiſtrationis pecuniæ propter quas Clemens V. *in præfat.conſtit*. declarauit Minoribus vltimarum voluntatum executionem eſſe inhibitam. Tum quia electio pauperum eſt valde pia, nec aliena à religioſo ſtatu, nec mentem terrenis implicat, & breuiſſimo temporis ſpatio fieri poteſt. Huiuſmodi tamen electio non poteſt a Fratribus fieri abſque licentia Superioris, quia licet hæc non ſit propriè executio teſtamentis, videtur tamen quædam eius pars. Ita Rodriquez *cit. art*. 2.*& in ſum.p*.2. *cap*.70. *num*.13. Vecchis *in praxi diſp*.8. *dub*.13.Couar.*in c.tua nos,num*.1.*de teſtam*. Sanchez *lib*. 6.*moral.c*.11.*num*.32. Diana *p*.8.*tractat*.5.*reſol*.13. vbi in hanc ſententiam viginti quinque Doctores enumerat contra Baldum, Molinam, & alios. Tolet. Vecchis, Sanch. Diana

Imò, ſecundùm prædictos Doctores, non ſolùm electio pauperum, verùm etiam electio, & nominatio ipſorum executorum teſtamenti Fratribus committi poteſt: quia aliud eſt executorem teſtamenti eligere, aliud eſſe executorem teſtamenti; Fratribus autem Minoribus interdictum eſt eſſe executorem, non verò eligere executorem obtenta à Superiore licentia: Addo probabile eſſe eoſdem Fratres, & à fortiori alios Religioſos poſſe de licentia ſuorum Superiorum conſtitui commiſſarios ad faciendum teſtamentum nomine committentis,

quia

Digitized by Google

quia eadem ratio militare videtur in electione pauperum,& io officio commiſſarii. Vide Dianam *p.8.tr.5. reſ.* 8.*&* 15. apud quem plura.

Vide *Codicillus, Exhæredatio* n. 1. *Filius* n. 10. *Hæres* n.6: *Falſarius n.2. Religio* 1.n.8.

SVPPLEMENTVM.

Teſtamentum.

SVMMARIVM.

1 *An teſtamentum ad pias cauſas valeat etiam quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates?* Refertur duplex ſententia.

2 *An cauſa piorum legatorum, quando hæres, qui illa ſoluere tenetur eſt ſæcularis, ſit mixti fori.*

3 *Quando teſtamentum ad pias cauſas factum cenſeatur validum ſine ſolemnitatibus iuris?*

4 *Teſtator moriturus, qui capit facere teſtamentum, & codicillum, ſed morte præuentus non abſoluit, an tale teſtamentum valeat quoad relicta, de quibus iam diſpoſuit,*

Quid ſi teſtator ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſchedula.

5 *An diſpoſitio vltima voluntatis captatoria, quæ confertur in alterius arbitrium, valeat quoad pias cauſas.*

6 *An in teſtamento ad cauſas pias ſicut, & in legato ſufficiat voluntatem defuncti quocumque ſigno externo declaratam eſſe? Et quid de teſtamento inter liberos?*

7 *In teſtamento ad pias cauſas an ſit neceſſaria inſcriptio temporis, v.g. anni, menſis, diei & loci.*

8 *An primum teſtamentum legitimè factum in quo ſunt omnia requiſita, ut ſit validum, reuocetur per ſecundum etiam legitimè factum, eſto in ſecundo ſit minor ſolemnitas?*

9 *An teſtamentum coram Supremo Principe Superiorem alium non recognoſcente factum, validum ſit abſque alia ſolemnitate teſtium.*

10 *Quæ ſolemnitates requirantur in teſtamẽto militis dum in bellica expeditione verſatur?*

11 *Quot teſtes requirantur, vt teſtamentum tempore peſtis factum, ſit validum?* Refertur duplex ſententia.

In conficiendis teſtamentis ſeruari potius debent leges, & conſuetudines locorum, quamuis commune?

12 *An teſtamentum per ſe conſideratum, ſemper vſque ad mortem reuocari poſſit, & mutari, quamuis factum ſit coram Rege, vel Imperatore? Et quomodo reuocetur teſtamentum prius factum?*

13 *An ſit licita, & valida reuocatio teſtamenti iuramento confirmati?* Refertur duplex ſententia. *Quando teſtamentum iuratum eſt ab hærede acceptatum?*

14 *Quis dicatur teſtamenti executor? Et an quis poſſit cogi ad hoc munus acceptandum.*

15 *Executores teſtamentorum & hæredes poſt acceptatum id munus, an teneantur in conſcientia, ſub graui culpa quamprimùm potuerint teſtamenta executioni mandare, ſi nulla fuerit cauſa differendi? Et an hoc peccatum ſit contra iuſtitiam.*

16 *Teſtamenti executio facta per Religioſum ſine licentia Superioris, an ſit valida?* Refertur duplex ſententia.

17 *An teſtamenti executor ſiue Religioſus ſit, ſiue non, poſſit legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum ſibi ipſi tanquam pauperi applicare?* Refertur duplex ſententia.

18 *An Epiſcopus data negligentia executorum non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur teſtamentum exequi? Et quibus in caſibus poſſit teſtator euitare iuriſdictionem Epiſcopi in ſuo teſtamento?*

19 *Quando nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus eſt, an ad hærede executio pertineat?*

20 *Epiſcopus teſtamenti executor, coram quo teneatur rationem reddere? Et coram quo Iudice Clerici ſuſcipientes executionem teſtamentorum? Et an Clericus executor citari poſſit a Iudice ſæculari ſuper confectione inuentarij.*

21 *Quæ ſint pœna iure ſtatuta contra negligentes executores teſtamentorum?*

1 Difficultas eſt inter Doctores, an teſtamentum ad pias cauſas valeat etiam quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates? Prima ſententia negat, quia quod teſtatori conceditur à iure in fauorem cauſæ piæ, non debet extendi ad cauſam non piam in eodem teſtamento admixtam; nam qui habet facultatem teſtandi ad cauſas pias, licet principaliter ad illas teſtetur non, ideò valet legatum non pium in eodem teſtamento relictum: vbi enim ratio ſpecialis eſt in ſolo principali, acceſſorium non ſequitur eius fauorem. Accedit quòd, loquendo de poſſibili, poſſit validari teſtamentum minus ſolemne ſolùm quoad pia, relicto illo inualido quoad reliqua. Et hanc ſententiam ſuſtinet Cardinals Lugo *tom.2.de iuſtit.diſputat.22.ſect.9.numero* 274. citans Vaſquez, & alios. Mihi tamen dicendum videtur ſententiam affirmatiuam eſſe probabiliorem, & communiorem. Ratio eſt, quia cùm inſtitutio hæredis ſit valida, & teſtator liberè poſſit de omnibus ſuis bonis ad quemcumque vellet diſponere, ſane ſi illa legata ad non pias cauſas in eo teſtamento relicta futura eſſent inualida, accreſcere deberent piæ cauſæ in hæredem relictæ, non verò hæredibus ab inteſtato. Ratio autem poſtulat, vt quæ ſolemnitas in commodum hæredis ſufficit, vt validum ſit teſtamentum, ſufficiat quoque, vt valida ſint legata in eo inſtituta, quando ſolùm agitur de commodo talis hæredis neque iure eſt aliud in particulari ſtatutum. Ita docent Couarru. *in capit. relatum 1. de teſtament numero* 2. Trullench *in Decalog.lib.7.capit.18.dub.4.numer.*2. (Couar. Trullench) Emanuel Sà *verb. Teſtamentum, numer.*49. Sanchez *in opuſc.tom.2.lib.4.cap.1.dub.7.num.* 2. Leſſius *lib. 2.cap.* 19.*dub* 2.*num.*9. Dicaſtillus *de iuſtit.lib.2. tractat.* 3. *diſt.* 1.*dub.8.numer.*150. & alii penes ipſos. (Sà. Sanch. Leſſ. Dicaſtill.) Iulius tamen Clarus §. *teſtamentum quæſt.verſ.vltim.* docet prædictam ſententiam non habere locum, quando qui ad pias cauſas teſtatur, facultatem non habet teſtandi ad alia, nam tunc legata pia ſunt inualida, vtpote vltra poteſtatem ad teſtandum facta, ac proinde neque accreſcunt piis ad cauſis, ad quas teſtatur, ſed pertinent ad hæredes ab inteſtato.

2. Cauſa piorum legatorum, quando hæres qui illa tenetur ſoluere, eſt ſæcularis, eſt mixti fori. Ratio eſt, quia reus in ſuo foro conueniri regulariter debet, & ideò peti poſſunt huiuſmodi legata coram Iudice ſæculari, vt patet ex *cap. Relatum 1 de teſtament.* Quia verò res, de qua agitur, finem reſpicit ſupernaturalem, cuius iudiciũ ad Eccleſiam ſpectat, peti etiam poſſunt coram Iudice Eccleſiaſtico. Obſeruandum tamen eſt, quod ſiue cauſa in Eccleſiaſtico, ſiue in ſæculari foro tractetur, iudicandum eſt iuxta diſpoſitionem iuris Canonici, vt Doctores communiter affirmant, & ſeruat praxis vtriuſque fori. Ratio eſt, quia cum Summus Pontifex pleniſſimam habeat poteſtatem in Principes ſæculares, quantum Finis ſpiritualis, & bonum ſpirituale animarum poſtulat, nulla Principum conſtitutio, quæ fini ſupernaturali præiudicium affert, vim habere poteſt, niſi per Summum Pontificem approbetur, vt ex *cap. Eccleſia, de conſtitut.* & aliis iuribus conſtat. Quare in *dict.cap. Relatum*, ſtatuitur, vt in diſpoſitionibus ad pias cauſas iuri gentium in bonum animarum ſtetur, & per conſequens, vt teſtamenta, aut legata ad pias cauſas valida ſint iudicanda, ſi adfuerint duo teſtes, qui in quacumque alia cauſa fidem facerent; Et hi teſtes non adhibentur ad ſolemnitatem, quaſi ſine eis in ſe non ſint valida, ſed ſolùm ad faciendam fidem in foro exteriori, de quo ſolo ſermo eſt in *dict.capit.Relatum*, vt in eo pronuntientur valida. Ita Couarruuias. Panormitanus *in dicto capite Relatum* 1. *de teſtament.* Cardinalis Lugo *de iuſtit.tom.2.diſputat.*

2.5.*ſect.9.num.266.*Diſus *par.7.tract.6.reſol.*14.Corneus *conſ.*215. *lib.*3. Vnde ſequitur non eſſe neceſſarios duos teſtes, vt teſtamentum huiuſmodi ſit validum in foro conſcientiæ, ſed ſufficit vt ſit poteſtas in teſtante, & capacitas in eo in cuius fauorem teſtamentum ſit. Quia nunquam per Summos Pontifices eſt ſtatutum, vt teſtamentum aut legatum ad pias cauſas ſit nullum ſine ea ſolemnitate ſicut iure ciuili ſtatutum eſt, vt ſint nulla ea teſtamenta, in quibus non interuenit ſolemnitas eodem ciuili iure iure ſtatuta. Ita Leſſius *lib.*5. *c.*19. *dub.*1. *n.*7. Fagund. *de iuſtit.lib* 6.*c.*3.*n.*2 Molina *tract.*2.*diſp.*134. Diana *loco citato.* Layman *lib.*3.*tract.*5.*capite* 2.*num.*2.& alij Iuriſperiti apud illos citati.

3. Ex doctrina præcedenti colligunt Doctores: *Primò*, quod teſtamentum ad pias cauſas manu propria teſtatoris ſcriptum, valeat etiam ſine teſtibus, etiamſi nulli teſtes ſint adhibiti, dummodò liquidò conſtet, quòd ſcriptura ſit facta manu defuncti. Ita Alexander *conſil.*4. *num.*10. *verſ.accedit ad ſuſtinendum, in 7.volum.* Ioan. Imola *in l. ſi quis cum teſtamentum, num.*5.*&* 6.*ff.de teſtament.* Iaſon *in conſil.*61.*in* 1. *volum.* quamuis diſſentiat Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.*7.*num.*2. *Secundò*, teſtamentum ad pias cauſas factum, manu teſtatoris ſolùm ſubſcriptum, etiam ſine teſtibus vim teſtamenti obtinet. Tiraquellus *de priuileg.piæ cauſa, priuileg.*4. *Tertiò*, ſi is qui aliàs erat ſucceſſurus, confitetur, defunctum ſcripſiſſe teſtamentum ad pias cauſas, ſed tamen non adhibuiſſe teſtes, & propterea vult allegare teſtamentum nullum, ipſe non debet audiri, quia ſatis eſt propria ipſius confeſſio. Ita Corneus *in conſ.* 307.*num.*7.*in* 3.*volum.* *Quartò*, ſi is qui aliàs erat ſucceſſurus, ſciens huiuſmodi teſtamentum ad pias cauſas eſſe factum, ſed quia nec ſcriptura, nec teſtes de eo reperiuntur, hoc non confitetur, & ſic relictis ad pias cauſas non ſatisfacit, in conſcientia ſua peccat. Ita Corneus *loco citato.* Thomas Maulius *tractat. de vltimis voluntatibus lib.*1. *tit.*13.*num.*8. Dicaſtillus *de iuſtit.lib.*2. *tract.*19. *diſputat.* 1.*dub.*10. *num.*116. Menochius *conſil.*124. *volum.*3. & alij.

4. Teſtator moriturus, qui cœpit facere teſtamentum, aut codicillum, & morte præuentus non abſoluit, licet irritum ſit quoad alia, valet tamen quoad relicta pia, de quibus iam diſpoſuit. Ratio eſt, quia ſtando in ſolo iure naturali, ſecluſaque iuris ciuilis diſpoſitione valida ſunt illa, vtpote iam diſpoſita, non obſtante, quod teſtator poſſet illa reuocare, ac mutare, vel in progreſſu teſtamenti, vel poſtquam illud haberet abſolutum: Cùm ergo, vt diſpoſitio ad pias cauſas ſit valida, non aliud exigatur, quàm quod ſufficit ſtando in ſolo iure naturali, conſequens eſt, vt illa valida ſint. Ita Bartolus *l.in teſtamento, ff. de fideicommiſſ.* Couarruuias *in cap. Relatum* 1.*num.*10. Vaſquez *tract.de teſtament.cap.*2 *num.*57. Molina *diſp.*134.*num.*9. & alij, contra Iul. Clarum *loco citato quæſt.*7.*nu.*4. Anton. Gomez *ad l.*3.*Tauri num.*18. *&* *cap.*106. qui cenſent talem diſpoſitionem eſſe inualidam etiam quoad pia, quæ illuc vſque diſpoſuerat.

Si tamen cauſa pia in hoc caſu ſit inſtituta hæres, arbitratur Bonacina *de contract.diſput.*3.*q.*1.*punct.*3.*num.*22. & poſt illum Trullench *in Decal.lib.*7.*cap.*18.*dub.*4 *num.* 3. non eſſe tradendam totam hæreditatem piæ cauſæ, ſed recurrendum eſſe ad prudentem virum, qui ex æquo & bono ferre debebit iudicium, ſpectatis circumſtantijs concurrentibus in ſingularibus caſibus.

Si autem quis ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſchedula, ſine ſui ipſius ſubſcriptione eo tantùm animo, vt ei deſeruiret tanquam quædam inſtructio, & memoriale ſuæ voluntatis, & vt poſtea reciperetur à Notario, non valeret tunc, etiam quoad cauſas pias, quia hæc non fuit diſpoſitio, ſed tantùm quædam præparatio ad diſponendum, ſeu velle diſponere, & teſtamentum imperfectum. Secus verò ſi apud illum inueniretur ſchedula ab ipſo ſcripta, ſeu ſubſcripta, in qua continetur diſpoſitio ad cauſas pias: tunc enim talis diſpoſitio in foro conſcientiæ valida eſſet, quia non præparatio ad diſponendum, ſed potiùs declaratio ſuæ voluntatis dicenda eſt. Ita Sanchez *in opuſc. part.*2. *lib.*4.*cap.*1. *dub.*7. *num.*5. *&* 6. Trullench *loco citato.* Molina *diſputat* 134.*numer.*9. Villalobos 2.*part.tract.*30.*difficult.*30. Couarruuias, Clarus *locis citatis.*

5. Quamuis regulariter ſecundùm ius ciuile non valeat diſpoſitio vltimæ voluntatis captatoria, id eſt, quæ confertur in alterius arbitrium, tamen valet in diſpoſitione ad pias cauſas. Ratio eſt, quia iure gentium talis diſpoſitio eſt valida, & colligitur ex *cap.Cum tibi, de teſtament.* vbi dicitur, *Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus*: quod multi Doctores intelligunt in cauſis pijs; nam, vt in rubrica dicitur, talis videtur teſtatus ad pias cauſas. Proinde ſi teſtator dixerit: Committo omnia bona mea arbitrio, vel diſpoſitioni Titij, Tunc Titius hæres nudus, ac ſolo nomine cenſetur, & obligatus eſt totam hæreditatem in cauſas pias diſtribuere. Ita Innocentius & Abbas *in cap. cum tibi, de teſtament.* Iulius Clarus §. *Teſtamentum quæſt.*6. *num.*6. Cardin. Lugo *de iuſtit.tom.*2. *diſputat.*22. *ſect.*9. *num.*572. Trullench *loco cit. num.*5. Dicaſtillus *de iuſtit. lib.*2. *tract.*19. *diſputat.*1. *dub.*10. *num.*115. & alij communiter.

Couar.

Clar. Lugo. Trullenc Dicaſt.

6. Similiter & ſi iure ciuili hæredis declaratio nutu facta irrita ſit, *l. Iubemus, Cod. de teſtament.* Tamen in teſtamento ad cauſas pias, ſicut in legato ſufficit voluntatem defuncti quocumque ſigno externo declaratam eſſe. Ratio eſt, quia iure naturali, ac gentium plus non requiritur ſicut conſtat *ex l.Nutus, ff.de legat.* Imò etiam qui natura mutus pariter, ac ſurdus eſt, voluntatem ſuam vltimam ad cauſas pias, quomodocumque poteſt, manifeſtare non prohibetur. Ita Tiraquellus *de priuileg.cauſæ piæ, priuil.*8. Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.*6.*num.*7. Barboſa *de iure Eccleſ.lib.*3.*cap.*27.*num.*97. Trullench *in Decalog.lib.*7.*cap.*18.*dub.*4.*num.*2. Molina *tract.*2 *diſp.*134. Card. Lugo *de iuſtit. tom.*2.*diſp.*22.*ſect.*9. *num.*269. & alij communiter.

Tiraq. Barboſ. Trullenc Molina. Lugo.

Aduertendum tamen, quod quando voluntas teſtatoris non fuit planè ac perfectè declarata, teſtamentum inter liberos non ſubſiſtit, vt ſi teſtator vnum ex liberis in teſtamento præterijt, vel ſi ſolo nutu voluntatem ſuam ſignificauit inter liberos teſtandi, vel bona ſua diuidendi, vti ex communi docet Molina *diſputat.*128. Iulius Clarus *loco citato, quæſt.*8. Vbi ſic ait: *Et ſic vides, non valere abſolutè argumentum à teſtamento ad pias cauſas, ad teſtamentum inter liberos. Nam teſtamentum ad pias cauſas nutu conditum valet: ſecus autem in teſtamento condito inter liberos.*

7. In teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria inſcriptio temporis verbi gratia, anni, menſis, diei, neque loci. Ratio eſt, quia ſi temporis inſcriptio requireretur, id fieret pro ſolemnitate, ſed eo tantùm fine, vt appareret poſſet, quod fuerit poſterius teſtamentum, iam verò ibi ceſſat illa ratio, quia fortaſſe vnum inuenitur teſtamentum, non plura, vel aliunde apparet, vel conſtat, quod hoc teſtamentum eſt poſterius, ex omiſſione temporis, diſpoſitio inualida argui non poteſt, cum conſtet de eo quod deſideratur, ſcilicet, quæ diſpoſitio ſit poſterior. Quod autem in huiuſmodi teſtamento, non ſit neceſſarium apponere locum in quo factum eſt, conſtat ex eo, quia nullo iure probatur, quod debeat apponi, & iure gentium, & diuino hoc non deſideratur. Ita Euerardus iunior *conſil.*27.*num.*64.*&* 69. *volum.*1. Tiraquellus *loco citato, priuil.*35. Diana *par.*7.*tract.*7.*reſol.* 23. *&* 24. Alexander *conſil.*4.*n.*15.*in* 7.*volum.* & alij multi Iuriſperiti apud Dianam & alios.

Tiraq. Dian. Alexand.

8. Primum teſtamentum legitimè factum id eſt, in quo ſunt omnia requiſita, vt ſit validum, reuocatur per ſecundùm legitimè etiam factum, eſto in ſecundo ſit minor ſolemnitas. Proinde ſecundum teſtamentum factum ad pias cauſas coram duobus teſtibus reuocat primum, etiamſi ad pias cauſas eſſet factum coram Tabellione & viginti teſtibus. Ratio eſt, quia ſecluſa ſolemnitate ciuili validum eſſet ſecundum teſtamentum, & poſſet priùs factum reuocare; proinde ſufficit quod iſtud ſecundum ſit perfectum in ſua ſpecie, & habeat ſua ſubſtantialia requiſita ad ſui ipſius perfectionem, quamuis primum contineat plures ſolemnitates: nam maior ſolemnitas non inducit maiorem perfectionem, vbicumque vtrumque

que eſt perfectum quoad ſolemnitatem neceſſariò requiſitam. Ita Bartolus communiter receptus *in lege hæredes palam, §. ſi quis, verſ. Sed dubium, ff. de teſtament.* Couarruuias *in Rubric. de teſtam p.2.num.1.* Syluest. *Teſtamentum quæſt.7. numero 7. verſ. Quartum.* Trullench *in Decalog.lib.7.capit.18.dub.4.num.* 14. Bonacina *de contractib. diſputatione* 3. *quæſtione* 1. *punct.3.num.* 16. Cardinalis Lugo *de iuſtit.tom.2 diſput.22.ſect.9.num.*270. & alii.

Couar. Sylueſt. Trullench Bonac. Lugo.

9. Teſtamentum coram ſupremo Principe alium Superiorem non recognoſcente, validum eſt abſque alia ſolemnitate teſtium, verbi gratia, ſi offeratur Principi libellus, in quo vltima voluntas teſtatoris deſcripta ſit: hæc enim rata haberi debet, tametſi Princeps nihil reſcripſerit, dummodò conſtet teſtatorem ſuam voluntatem poſtea non mutaſſe. Si verò libellus Principi oblatus non fuerit, ſed voce hæres nuncupatus, vel oblatus libellus non amplius reperiatur: tunc duobus ſaltem teſtibus opus eſt ad probandum, defuncti volontatem Principis, oblatis precibus, voce vel ſcripto inſinuatam fuiſſe. Ita habetur *lege omnium, Cod. de teſtament.* iuncta Gloſſa, & docent Iulius Clarus §. *Teſtamentum quæſt.* 56. Molina *tractat.2.diſp.* 129. Maſcardus *concluſione* 1352. *numero* 47. Imo ſi aliquo modo conſtaret teſtamentum, aliamue voluntatem vltimam coram Iudice inſinuatam fuiſſe, nullam teſtium ſolemnitas requiritur, quia acta iudicij habent vim teſtium, ſeu ſupplent teſtium ſolemnitatem, vt apertè ſignificatur *in dict. lege omnium*, & obſeruat Ioachin. Mynſinger *centur. 6.obſeruat.* 29. cum aliis.

Gloſſa. Molin. Maſcard.

10. Miles, qui teſtamentum condit, dum in bellica expeditione verſatur, non tenetur legitimum teſtium numerum adhibere, neque aliam ſolemnitatem obſeruare debet, ſed quocumque modo voluntatem vltimam declarari voce, aut ſcripto, ea rata exiſtit; quod dupliciter euenire poteſt. *Primò*, ſi in congreſſu belli, ſeu in conflictu hoſtium poſitus, teſtamentum faciat, & tunc nulla ſolemnitas in tali teſtamento requiritur, & poteſt in clypeo, in vagina, in puluere, vel in alia materia proprio ſanguine teſtamentum ſcribere gladio, nullo teſte adhibito; ſed ſolùm verificanda eſt manus militis duobus teſtibus, etiam non rogatis, vt habetur *in lege Miles, Cod. de teſtament.milit.* vbi Gloſſa, & communiter Doctores. *Secundò*, euenire poteſt, ſi teſtamentum faceret in caſtris, non tamen in hoſtium conflictu, ſed in tentoriis permanens; & in hoc miles non poteſt ſolus teſtamentum facere abſque interuentu teſtium, ſed debet voluntatem ſuam declarare coram duobus teſtibus ſpecialiter rogatis; quia in hoc caſu remittitur militi ſolemnitas iuris Ciuilis, & tantùm tenetur ſeruare ſolemnitatem iuris gentium & Diuini, quo diſponitur, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, vt habetur in *dict. l. Miles, Cod. de teſtament.milit.* Ita Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 58. Molina *tractat.2.diſputat.*129. Andræas Gaillard. *lib.* 2. *obſeruat.*118.*num.*17. Layman *lib. 3. ſect. 5. tract.5. capit.* 2. *num.*14. Mynſinger *reſponſ.46.num.5. & 6. Decad.* 5. Ex *l. Diuus* 24.*ff. de teſtament.milit.* Quamuis Diana *p.7.tra. 6.reſol.*46. non approbet militem extra aciem conſtitutum duos teneri rogare teſtes ad conficiendum teſtamentum, & hoc multis iuribus adductis probat. Sed prædicta ſententia eſt communis.

Clarus Gaillard. Layman. Mynſing. Diana.

11. Controuertitur inter Doctores, an tempore peſtis teſtamentum ſit validum factum cum minore teſtium numero, ſi ſeptem adhiberi non poſſint? Prima ſententia ſuſtinet de iure communi ſeptem teſtes etiam tempore peſtis requiri ad teſtamenti ſubſtantiam. Probatur hæc opinio ex *lege Conſultiſſima, Cod. de teſtament.* cum ſimilibus, ex quibus conſtat regulariter in omni teſtamento ſeptem teſtes deſiderari. Regulæ autem generali inhærendum eſt, donec eius exceptio demonſtretur. Ita Molina *tract.2.diſput.127.§. de iure communi.* Card. Lugo *de iuſtit.tom.2.diſput.24.ſect.1. numero 4. & 7.* Dicaſtillus *de iuſtit.l.2.tract.19.diſput.1.dub.4.numer.*105. & alij multi Iuriſperiti. Secunda ſententia ait ſufficere in hoc caſu quinque teſtes. Ita Clarus §. *Teſtamentum, q. 56. verſ. & hæc quidem concluſio.* Maſcardus *de probat.concl.* 1358.*nu.* 23. Emanuel Sà *verb. Teſtamentum n.*12. Diana *p.7.tr.6. reſol.*34. & alii penes ipſum.

Molin. Lugo. Dicaſt. Clarus. Diana.

Hæ duæ ſententiæ ſunt probabiles. Tertia tamen ſententia non eſt improbabilis, in tali caſu ſatis eſſe, ſi duo teſtes interueniant fidei faciendæ cauſa, & ideò in teſtamẽto tempore peſtis ſufficere ſolemnitates iuris gentium. Ratio enim æquitatis poſtulat, vt eo tempore vel loco, quo teſtes, vel Notarius nullo modo haberi poſſunt, vltimæ voluntates abſque iuris ſolemnitatibus factæ, validæ nihilominus pronuncientur, ſi de defuncti declarata voluntate liquidò conſtet. Et ob hoc in Camera Imperiali receptum eſt, vt peſte valde graſſante, teſtamentum corã duobus, vel tribus teſtibus, inter quos Confeſſarius vnus eſſe poteſt, factum validum ſit, quia teſtamenti fauor magnus eſt. Ita Molanus *de piis teſtamentis, capite* 83. Comitolus *in reſponſ. moral. lib.7.quæſt.1.concluſion.*2. Mynſinger *centur.1. obſeruat.* Gaillard. *lib.2. obſeruat.*118.*nu.* 17. & 18. Boccerus *tractat. de bello, lib.* 1. *cap.*26.*numer.* 14. quam etiam admittunt Diana *loco citato.* Layman *loco cit.n.*17.

Comit. Mynſing. Gaillard. Boccer. Dian.

Denique hic eſt obſeruandum, quòd in conficiendis teſtamentis, potius ſeruandæ ſunt conſuetudines, leges, & ſtatuta Regnorum, Prouinciarum & locorum, quam ius commune Cæſareum, quia vbique non eſt vſu receptum, neque eædem ſolemnitates requiruntur in omnibus Regnis, & Prouinciis.

12. Ex communi Doctorum ſententia, teſtamentum per ſe conſideratum, ſemper vſque ad mortem reuocari poteſt, & mutari; nam teſtamentum morte teſtatoris cõfirmatur, vt ait Apoſtolus *ad Hebr.* 9. Et hoc verum, quamuis actum ſit cum omni ſolemnitate, & coram Rege, vel Imperatore: Dummodò ſecundùm teſtamentum habeat ſolemnitatem à iure requiſitam, aliter enim in foro exteriori reuocatio prioris teſtamenti inualida eſſet; quamuis in foro conſcientiæ probabiliſſimum ſit reuocationem eſſe validam, & tuta conſcientia poſſe hæredem per teſtamentum minus ſolemne inſtitutum, retinere hæreditatem, vt diximus *tom.1.verb. Teſtamentum, num.* 5. cum Doctoribus ibi citatis, quibus nunc addo Sanchez *in opuſc.parte 2.lib.4.dub.*14. *num.* 2. Suarez *de legib. lib. 5.cap.32.num.6. & 7.circa finem.* Manticam *de coniectur. vltim.volunt.lib.2.titul.14.num.*9. Trullench *in Decalog. lib.7.cap.18.num.*3. contra quoſdam alios aliter ſentientes. Reuocatur etiam teſtamentum prius pro quoque foro, quando teſtator illud rumpit, & lacerat, aut ſuſtulit ſigillum, aut aliam ſolemnitatem, aut illud cancellat, & delineat. At ſi teſtamentum non cancellatur, aut delineatur in totum, ſed tantum pro vna parte, pro illa ſola manet reuocatum, vt tenet Villalobos *in Summ.parte 2.tractat.30.difficul.22.num.*10. de quo videndus eſt Marcus Anton. Genuenſis *in practicab. Eccleſiaſt.q.*148.259.411. & 457.

Sanch. Suar. Trullench.

13. Difficultas eſt, de teſtamento iuramento, id eſt, quando teſtator iurat illud non reuocaturum, an ſit licita, & valida eius reuocatio? Reſpondeo, & dico *Primò*, quod teſtamentum malè diſpoſitum, & continens aliquid contra leges iuſtas, etiamſi iuramento confirmatum ſit, reuocandum eſt, quia iuramentum in re illicita non obligat, & non debet eſſe vinculum iniquitatis. *Secundò*, ſi teſtamentum bene diſpoſitum ſit, & ex omni parte perfectũ, ita vt nulla de nouo poſſit occurrere iuſta cauſa mutandi, ſi iuratum eſt, & à teſtatore reuocetur, erit de facto reuocatum, & nullius roboris, & poſterius in vtroque foro valebit, licet reuocans grauiter peccet, & ſit periurus. Ratio prioris eſt, quia de natura contractus teſtamenti eſt, vt ſit reuocabilis, at iuramentum non mutat naturam contractus. Poſterioris autem ratio eſt, quia non ſeruat iuramentum, quod ſeruari poterat ſine peccato, ſi cauſa reuocandi non adſit: quod ſi iuſta de nouo ſeſe offerat cauſa, valet reuocatio, & non peccat: quia in hoc caſu cenſetur teſtator prudenter retinuiſſe facultatem mutandi teſtamẽtũ, & hoc cum laude præſtat adueniente tali cauſa. Ita Couarruuias *de teſtament.parte 2.numero* 15. Salon 2.2 *quæſt.5.de dominio, articulo 5. concluſione* 3. Trullench *in Decalog. libro 7. ca.* 18.*dub.*9. Bonacina *de contractib.diſputatione* 3. *quæſt.*17. *punct.*

Couar. Salon. Trullench Bonac.

punct.6.numero 4. Diana *p.9.tr.7.reſol.*42.& *p.*10. *tra.* 15. *reſol.*11. Cardin. Lugo *tom.*1.*de iuſt.diſp.*24.*ſect.*1.*num.*27 & alii penes *ipſos.*

Non eſt tamen improbabilis quorumdam ſententia docens teſtamentum iuratum ab hærede acceptatum reuocatum nullius eſſe roboris, quatenus teſtamentum; at ex iuramento priori hæredi eſſe ius acquiſitum ad bona teſtatoris, & conſequenter hæredes teneri ex bonis teſtatoris ſatisfacere priori hæredi, ſicut aliis debitis defuncti, quia ſuccedunt in omnia iura realia defuncti. Ita Leſſius *libro* 2. *capite* 19. *numero* 98. Molina *tractatu* 2. *diſputat.*150. & 151. Sed contrarium eſt probabilius: nam iuramentum ſequitur naturam actus, & teſtamentum ſemper reuocabile eſt, ergo & quando eſt iuratum; & ſi tunc quatenus teſtamentum reuocetur, ergo & quatenus eſt iuramentum, quia non ſunt duo vincula, & obligationes teſtamenti, & iuramenti, ſed vna teſtamenti, iuramento tamen confirmata. Admonent autem Doctores, ordinariè non expedire facere teſtamentum iuratum, quia ſæpe conuenit, illud reuocari: tum etiam quia datur occaſio hæredi procurandi, aut deſiderandi mortem teſtatoris. Ita Sanchez *in opuſcul.libro* 4.*cap.*1.*dub.*17. Trullench *loco cit.n.* 6. & alij.

De aliis modis, quibus poteſt reuocari teſtamentum plura poſſent adduci, ſed quia magis ad Iuriſperitos, quàm ad Theologos ſpectant, ideò ad illos lectorem remitto.

14. Teſtamenti executor dicitur ille, qui legitimè eſt nominatus, ſeu iure conſtitutus; primò, & principaliter ad exequendam voluntatem teſtatoris, vel ad eius voluntatis ordinationem, & diſpoſitionem: Et hic vel eſt legitimus, nempe, qui à iure conſtitutus eſt, vt Epiſcopus & Iudex laicus, ſeu quilibet alius, vel datiuus ſeu nominatus à Iudice, Conſule, Senatu, vel teſtatore ad perficiendam teſtatoris voluntatem.

Nullus ad hoc munus executoris teſtamentarij acceptandum cogi poteſt, quia hoc officium non eſt publicum, & ſic nullus inuitus id admittere compellitur, niſi expreſsè, vel tacitè acceptauerit tale munus. Tunc autem dicetur tacitè acceptare, quando aliquem actum fecit, ex quo poſſet præſumi mandatum acceptaſſe. Ita ex communi Molina *tractat.* 2. *de iuſtit. diſputatione* 248. Hæc tamen doctrina in Religioſis non habet locum, ſi ad id munus acceptandum compellantur a ſuo Superiore, quia hi tenentur parere ſtrictiori vinculo obedientiæ, quàm alij Epiſcopis, vel aliis Superioribus, vt docet Vaſquez *in opuſcul. de teſtament. capit.* 9. §. 3. *dub.* 2. *n.*79.

Cæterum licet executor non poſſit, regulariter loquendo, cogi ad id munus acceptandum, quia alias hoc officium non eſset voluntarium: tamen ex charitate tenetur acceptare, ſi ſine graui ſuo detrimento poſſet proximi rebus conſulere, in quibus aliàs grauiter proximus pateretur: vel quando ad id poſſet per Iudicem compelli, vt docent Sanchez *in opuſcul.tom.*2.*lib.* 4. *capit.*1.*dub.*42.*numero* 4. & 5. & Cardin. Lugo *de iuſt. tom.* 2.*diſput.*24 *ſect.*16.*num.*329. Diana *par.*8.*tract.*5.*reſol.*27. & 28.

15. Executores teſtamentorum, & hæredes; vbi primum acceptauerunt munus, ex communi Doctorum ſententia, tenentur in conſcientia ſub graui culpa, quàm primùm potuerint ante annum, & menſem; imò & ante ſex menſes, ſi legata fuerint pia, quos eis ius commune concedit ad pia legata exequenda, ſi nulla fuerit cauſa differendi, teſtamenta executioni mandare, & voluntatem defunctorum ſtatim implere, & ad id potuerunt eos Iudices cenſuris Eccleſiaſticis cogere, ſi Eccleſiaſtici fuerint ſæculares, quibus etiam, vti poterunt Iudices Eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia prædictum tempus anni, & menſis, de quo agit concordia inter Iudices Eccleſiaſticos, & ſæculares, & ſex menſium, quos concedit ius commune ad exequenda legata pia, non conceditur ad tollendam obligationem ſoluendi, & exequendi defuncti voluntatem intra illud tempus ſine iuſta cauſa, ſed ne vltra illud tempus differatur. Proinde hoc peccatum eſt contra iuſtitiam reſpectu eorum, quibus legata debentur, quia iniuſtè priuantur vſu rerum ipſis debitarum ratione legati: reſpectu verò defuncti eſt peccatum contra charitatem, quia non implet illius voluntatem, & animam illius in igne purgatorio detinet. Et etiam quoad ſoluenda debita teſtatoris, ratio eſt clara, quia nec teſtator poterat dilationem concedere hæredi, cùm teſtator ipſe ſtatim teneretur ſoluere. Hæc colliguntur expreſsè *ex cap.ſi hæres, de teſtament.* & probat *lex cum res, ff. de legatis*; quæ ſtatuit, ſi res legata propria teſtatoris, & hæres copiam illius habet, teneri illum ſtatim abſque vlla mora ſoluere. Habet autem hoc potiſſimum locum in Miſſis, & ſuffragijs offerendis pro anima teſtatoris, quorum dilatio ipſi multùm nocere poteſt, & ideò negligentiam, & dilationem circa hæc grauiter ſolet Deus punire, etiam in hac vita. Ita Molina *de iuſtit. diſputatione* 251. Syluester *verb. Teſtamentum* 2.*quæſt.*9. Diana *part.*3. *tract.*5. *reſolut.*59. Fagundez *de contractu libro* 6. *cap.*4. *num.*7. Cardin. Lugo *de iuſtit.tom.*2.*diſp* 24. *ſect.*11. *num.* 296. & alij.

Syluest. Diana. Fagund. Lugo.

16. Difficultas eſt, an executio teſtamenti facta per Religioſum, ſine vlla licentia Superioris valeat? Quidam negant, quia textus *cap.*2.*de teſtament.in* 6.ait, *non poteſt huiuſmodi officium vel exequi*. Sed verbum non poteſt neceſſitatem præciſam inuoluit, & ideò priuat potentia, vt actum contra geſtum irritet. Tum quia teſtamentarius nolens acceptare, non eſt verè executor teſtamentarius, cùm acceptare non cogatur, ideò requiritur vt ſit voluntaria acceptatio: Religioſus autem non habet velle, aut nolle, niſi dependenter à ſuo Superiore, ergo acceptatio ipſius Religioſi ſine Superioris licentia, prorſus nulla eſt. Tum quia *lege non dubium. Cod. de legibus*, nullum eſſe dicit, quod iure reſiſtente ac prohibente fit. Ita docent Molina *tractat.*2. *diſputat.* 247.§. *Religioſus tamen* Couar. *in cap. Tua nos*, *num.*2.*in fine de teſtament.* Rodriq. *tom.*3.*quæſtionum regularium*, *quæſt.*70.*art.*1. & *tom.*1.*quæſtione* 65.*art.*1. Sylueſter *verb. Teſtamentum* 2. *quæſt.*2. *dict.*3. & alij hæc ſententia eſt probabilis.

Molin. Couar. Rodrig. Syluest.

Nihilominus affirmatiua non eſt minus probabilis quam tuentur Sanchez *de matrimon. lib.*6. *diſputat.*38. *num.*44. Azorius *tom.*1.*lib.*12.*cap.*11. *quæſtione* 1. Menochius *de præſumpt.lib.*2.*præſumpt.*46.*num.*14. & alij multi penes ipſos. Probatur autem, quia ius tantùm interdicit Religioſis id munus ſuſcipere, & exequi ſine Superioris licentia, nec vlterius procedit ad executionem irritandam. Tum quia, quamuis miles Procurator eſſe nequeat, ſi tamen à iudicio non repellatur, tenent actus per eum geſti, *lege filiusfamilias*, §. *veterani, ff. de procurat.* Tum quia verba textus præcipue illa *cum velle & nolle non habeat*, explicari poſſint de velle, & nolle licitè, quin extendantur ad validè: maximè cùm ea, quæ exequitur teſtamentarius executor non nomine ſuo, ſed nomine defuncti vltimam voluntatem exequitur, cenſeantur fieri, vt magna ex parte voluntas executoris tantùm ſit quaſi conditio, & applicatio cauſæ principalis voluntatis ſcilicet vltimæ teſtatoris, vt ea moraliter perſeuerans ſuos habeat effectus in omnibus particularibus caſibus, ad quos teſtator ſuam voluntatem direxit. Vide Dicaſtillum *lib.*2. *de iuſtit. & iur. tract.*19. *diſp.*3.*dub.*11. apud quem plura. Dian. *part.*8.*tract.*5. *reſol.*22.

Dicaſt. Dian.

17. Nonnulli negant teſtamenti executorem, ſiue Religioſus ſit, ſiue non, poſſe legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum, ſibi ipſi tanquam pauperi ex toto, ex parte applicare, niſi extrema neceſſitate laboret, in qua aliena furari ſibi integrum eſſet. Et probant ex *lege Mandauera tibi, vt pro me*, 22.§. *Si tibi centum*, *ff. Mandati.* Vbi habetur iuſſum aliquid dare, cui voluerit, conſumentemque, reum eſſe mandati. Tum quia inter dantem, & accipientem debet eſſe diſtinctio, *cap. per noſtras, de iure patronatus*, vbi ideò deciditur non eſſe integrum patrono ſe ad beneficium præſentare. Tum quia miſericordia eſt pars iuſtitiæ, quæ debet eſſe ad alterum, ergo non ad ſe. Ita docent multi Iuriſperiti apud Sanchez, *lib.*6.*moral.cap.*11.*num.*50. Qui omnes hanc ſententiam probabilem putant. Sed probabilior ſententia ſuſtinet licere executori teſtamentario in eo caſu

ſibi,

Digitized by Google

ſibi, ſi verè pauper ſit, ſicut & aliis pauperibus diſtribuere. Ratio eſt, *Prima*, quia non videtur eſſe peioris conditionis ex eo, quod ſit diſtributor inſtitutus; ergo, ſi eſſet capax non diſtributor; etiam diſtributor erit. *Secunda*, quia applicata ſibi ea eleemoſyna, ſatisfit plenè voluntati teſtatoris, vtpote qui nihil aliud intendit, quam veram eleemoſynam erogare veris pauperibus, de quorum numero eſt executor hic pauper. *Tertia*, quia magis eſt de ratione iuſtitiæ commutatiuæ, quam miſericordiæ, eſſe ad alterum, ſed reſtitutio incertorum facienda pauperibus poteſt applicari ipſimet debitori, ſi verè pauper ſit, vt diximus *tom. 1. verb. Bona incerta, numero 6.* cum Doctoribus ibi citatis, ergo a fortiori eleemoſyna, quia tunc verè ſaluatur diſtinctio perſonæ dantis, & accipientis; quia eam eleemoſynam non dat executor, ſed teſtator defunctus, *lege vnum ex familia, §. ſi de Falcidia. ff. de legatis 2.* Et ideò hanc docent D. Thomas 2. 2. *quæſtione 32. articulo 9. ad 3.* & ibi Caietanus, Aragon, Sanchez *ſupra num. 54.* Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regularium, quæſt. 70. artic. 4.* Toletus *in Summ. tractat. de peccat. mortal. c. 31. in fine.* Menochius *de præſumpt. 125. num. 17.* & alij plurimi apud Sanchez. Ex quo infert, poſſe hunc executorem dare eam eleemoſynam filio ſuo ſpurio, non autem filio ſpurio teſtatoris; cuius ratio non eſt alia, niſi quòd eam eleemoſynam non cenſeatur dare executor, ſed teſtator, qui ſuo ſpurio nihil poteſt dare. Vt etiam de maioratu docet, & probat Molina *diſp. 592. num. 4.*

D. Thom. Caiet. Sanch. Rodr. Tolet.

Si autem executor teſtamenti ſit Religioſus, poteſt ſuo Monaſterio pauperi aliquid largiri; eademque ratio eſt de Clerico beneficiato comparatione Eccleſiæ ſuæ: nulla enim ratio obſtat, & diſtinctio perſonarum ſufficiens eſt, etiam iuxta primam opinionem ſupra poſitam, quia cauſa Monaſterii diſtincta eſt à cauſa, ſeu perſona religioſa, ſicuti cauſa Eccleſiæ diſtincta eſt à cauſa beneficiati. Ita Syluester *verb. Teſtamentum 2. quæſt. 2.* Layman *l. 2. tr. 5. cap. 11. num. 6.* & cum multis Sanchez *lib. 6. moral. c. 11. numero 59.*

Syluest. Sanchez.

Sed difficultas eſt, an ſi ſolus Religioſus executor conſtitutus ſit, poſſit ex eleemoſyna inter pauperes diſtribuẽda ſibi commiſſa, aliquid ſibi retinere tanquam pauperi? Nonnulli negant, quia teſtator illum executorem inſtituens, nouit eſſe Religioſum, atque adeò pauperem, & conſequenter cenſendus eſt excluſus. Nihilominus mihi dicendum videtur, talem Religioſum poſſe ſibi applicare. Nam cùm Religioſus hanc eleemoſynam ſibi applicatam expendere debeat in vſibus ſibi neceſſariis, releuat Monaſterium ab eo onere ſuppeditandi neceſſaria. Ideò cenſetur Monaſterio facta eleemoſyna, cui poteſt Religioſus applicare. Ita Pariſius *volum. 4. conſil. 26. num. 24.* Sanchez *loco citato num. 61.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tra. 19. diſp. 3. dub. 12. numer. 165.* & alii recentiores. Quibus adde Dianam *p. 8. tr. 5. reſol. 47.* Quis autem poſſit derogare teſtamento, aut legato, codicillo, &c. Vide ſuprà, *v. Legatum. num 23. & 24.*

18. Epiſcopus data negligentia executorum, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur teſtamentum exequi, vt habetur *in cap. Nos quidem, de teſtamen.* per hæc verba, *per te adificetur, & omnia per te loco ipſi ſine diminutione qualibet adſignentur*: quæ cùm à Pontifice ad Epiſcopum dirigantur, omninò præceptum important. Ratio eſt, quia ſuppoſita executorum negligentia, ad Epiſcopum deuoluitur executio, vt illorum defectum ſuppleat, & vt vltimæ teſtatorum voluntates, quam citò fieri poſſit, adimpleantur. At ſi Epiſcopo nullum impoſitum eſſet præceptum, non ita bene executorum ſuppleretur negligentia, neque tam citò adimplerentur teſtatorum voluntates. Hæc tamen doctrina non habet locum in tribus caſibus, in quibus poteſt teſtator euitare Epiſcopi iuriſdictionem in ſuo teſtamento. *Primus* eſt, quando in caſu negligẽtiæ executoris teſtator ſubſtituit alium executorem; tunc enim non deuoluitur executio ad Epiſcopum, donec ſubſtitutus conſtituatur in negligentia. *Secundus* caſus eſt, quoties nullo deſignato tempore dixerit teſtator expreſsè tempus legitimum eis non currere, ſed liberam executoribus commiſſionem relinquerit, vt eùm voluerint, exequãtur. *Tertius* eſt, ſi teſtator deſignauerit, quid ſit agendum de legato, eo caſu, quo prima eius iuſſio non fuerit ob executorum negligentiam ad effectum deducta, non poteſt Epiſcopus eam voluntatem immutare. Ita Couar. *in cap. tua, de teſtament. num. 6.* Sanchez *in opuſcul. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 55. num. 7.* Vaſquez *de teſtam. cap. 9. dub. 2. num. 77* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 251.* Alias teſtator non poteſt prohibere, vt etiam data executorum negligentia Epiſcopus non ſe intromittat, quia exigere eiuſmodi rationem eſt munus publicæ poteſtatis, in commune Reipub. bonum introductum, quod teſtator non poteſt impedire, cùm eiuſmodi impedimentum occaſionem peccandi præberet.

Couar. Sanch. Molin.

Demum ſpectato iure communi, Iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, compellere poteſt hæredes, vel executores laicos ad exequendas vltimas voluntates, ſi negligentes ſint; quia hoc officium eſt iuriſdictionis mixti fori, daturque locus præuentioni, vt docent Dicaſtillus *de iuſt. lib. 2. tract. 19. diſp. 3. num. 182.* Fagundez *de iuſt. lib. 6. cap. 4. num. 2.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp 134. num. 5.* & alij. Quorum opinio non habet locum quoad pias cauſas merè ſpirituales, in quibus Iudex laicus non poteſt ſe immiſcere, ex *cap. decernimus, de iudiciis*, vt aſſerit Carpius *de execut. teſtament. lib. 1. cap. 21. num. 3.* quem ſequitur Diana *part. 8. tract. 5. reſol. 55.*

Dicaſt. Molina.

19. Si nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus eſt, ad hæredes executio pertinet, etiam quod attinet ad legata pia, vt colligitur ex *cap. nos quidem, & cap. ſi hæredes, de teſtament.* Excipiuntur tamen legata pro redemptione captiuorum, & alimentis, ſiue eleemoſynis pauperum, horum enim executio ad Epiſcopum, tanquam patrem pauperum, & miſerabilium perſonarum ſpectare debet, ſi nullus alius executor relictus eſt, vt deciditur *in lege nulli, Cod. de Epiſcopis, & Clericis*: Et *in Authentic. titul. de Eccleſ. tit. §. ſi quis autem*. Ratio huius deciſionis poteſt eſſe, quoniam in redemptione captiuorum, & in alimentis pauperum maior celeritas requiritur, nec vllam dilationem expectant, & ideò Epiſcopis, excluſo hærede, executio conceditur; vt neceſſitati huiuſmodi celeriter Epiſcopi ſubueniant, quod ita præſumitur in hærede, intereſſe ex hæreditate poſtulanti. Ita Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 247. num. 3.* Vaſquez *opuſc. de teſtament. cap. 9. §. 3. dub. 4. num. 83.* Fagundez *de contract. lib. 6. cap. 1. num. 5.* Layman *lib. 3. tractat. 5. cap. 11.* & alij, qui bene aduertunt, hac in re ſpectandam eſſe cuiuſque loci conſuetudinem.

Molin. Vaſq. Layman.

20. Epiſcopus executor teſtamenti tenetur reddere rationem coram ſuo Metropolitano, non autem coram Iudice ſæculari, iuxta textum in *Authent. de Eccleſ. titul. §. ſi quis autem pro redempt. captiuorum, verſic. ſi autem*, in illis verbis: *Si autem ſanctiſſimus locorum Epiſcopus reliquerit aliquid horum, quæ à nobis dicta ſunt, liceat ſanctiſſimo eius Metropolitæ hæc omnia exigere, & complere.*

Clerici autem ſuſcipientes executionem teſtamentotorum non poſſunt cogi coram Iudice ſæculari ad reddendam rationem, ſed coram Eccleſiaſtico Iudice dumtaxat conueniendi ſunt. Ratio eſt, quia cum Clerici Eccleſiaſtico Iudici ſubſint, & non ſæcularibus, non his, ſed illis rationem adminiſtrationis reddere debent, ex *cap. Ioannes, de teſtament.* & ex *Clementina, eodem titul.* Imò Clericus executor citari non poteſt ſuper confectione inuentarij à Iudice ſæculari; nam Clericus non poteſt compelli ad comparendum coram Iudice laico, vigore generalis edicti, ſeu alio modo, ſi ſua putauerint intereſſe. Ratio eſt, quia ſiue principaliter, ſiue incidenter, ſiue de facto, perſonæ Clerici laicus Iudex, vt incapax, nullam habet cognitionem; quoniam iſtæ citationes edictionales à iure communi ſunt exorbitantes, vt in ſimili docent Duardus in Bullam Cœnæ *lib. 2. canon 13. quæſt. 11. num. 50.* Bonacina *de leg. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. §. 1. n. 23.* & alij. De his vide Dianam *parte 1. tract. 2. reſolut. 21. & part. 8. tractat. 5. reſol. 42. 43. & 44.* vbi citat alios pro hac ſententia.

Bona. Diana.

21. Pœnæ iure communi ſtatutæ negligentibus executoribus teſtamentorum, ſunt, vt ſi intra medium annũ

à die publicationis teſtamenti numerandum, ceſſante legitimo impedimento legata pia exequi neglexerint, poſtea eadem ſoluere cogantur cum omnibus fructibus, & emolumentis, quę à die mortis teſtatoris percipi poterant, Ex *cap. ſi hæredes, de teſtament.* & *Authent. de Eccleſiaſt. titulis, §. ſi autem legatum.* Præterea, ſi bina etiam monitio ab Epiſcopo facta acceſſerit, priuentur omnibus commodis in teſtaméto ſibi relictis, vt habetur in citata *Authent. §. ſi quis autem pro redemptione*. Denique ſi hæredes, aut alii conſtituti executores legatorum, aliorumue relictorum, ſeu ad pias, ſeu ad profanas cauſas, intra annum poſt monitionem à Iudice, ſeu Eccleſiaſtico, ſeu ſęculari factam exequi intermiſerint, omni commodo (excepta ſola legitima, ſi hæredes neceſſarii ſint) ex teſtamento ipſis proueniente priuantur, iuxta *Authent. hoc amplius, Cod. de legat. & fideicommiſs.* & *Authen. de hæredib. & Falcidia, §. ſi quis autem*. Hæc tamen pœna non obligat in conſcientia ante Iudicis condemnationem, vt notat Couarruuias *in cap ſi hæredes, de teſtam. num.* 9. De pœnis vide Syluestrum *verb. Teſtamentum* 2. *quæſt.* 10. Panormitanum *in cap. nos quidem*, & *capit. ſi hæredes, de teſtam.*

Vide verb. Cardinalis *num.* 12. Cœcus *num.* 4. Commodatarij *n.* 6. Conſuetudo *n.* 4. Excommunicatio 2. *nu.* 20. Nouitius *n.* 30. & *ſeq.* Priuilegium *n.* 2.

TESTIS,

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint eſſe teſtes? qui iure prohibeantur? & qui teſtes minus idonei admittantur tanquam idonei?*

2 *An in criminalibus filius poſſit teſtificari contra patrem? Et an teſtes priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorij reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi non ſint alij teſtes.*

3 *Quot teſtes requirantur, & ſufficiant, vt in criminalibus aliquis condemnetur?*

4 *Quæ requirantur in teſtibus, vt plenè probare dicantur?*

5 *An pro reo iudicandum ſit, quando teſtes actoris, & rei diſcordes ſunt in pertinentibus ad ſubſtantiam facti?*

6 *Quando teſtis iuridicè interrogatus à Iudice teneatur veritatem aperire?*

7 *In quibus caſibus teſtis non teneatur veritatem fateri?*

8 *An in criminalibus, & ciuilibus teneatur qui teſtificari poteſt, pro reo ſe offerre ad teſtimonium, quando proximus graue damnum iniuſte pateretur?*

9 *Quale peccatum committat teſtis, falſum teſtificando in iudicio?*

10 *An teneatur ad reſtitutionem teſtis, qui falſum teſtimonium dixit ſcienter, vel ex ignorantia?*

11 *An teſtis teneatur ad reſtitutionem, ſi citatus à Iudice fugiat, vel ſe occultet, vel aliqua arte Iudicis interrogationem eludat?* Refertur duplex ſententia?

1 OMnes habentes perfectum vſum rationis teſtes eſſe poſſunt, ſi iure non ſint prohibiti. Sylu. *v. teſtis q.* 1. Iure autem prohibentur ſeptem genera perſonarum contenta his verſibus.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Ad conditionem reducitur ſeruus manens in ſeruitute, habet enim ſeruitus, adnexus timorem dominationis, *l. quoniam liberi, C. de teſtibus* Secundò ad ſexum reducitur mulier; ea enim in cauſis criminalibus repellitur iure Canonico propter ſexus fragilitatem: iure verò ciuili repellitur ſolum a teſtamento; *Cod. mulierem* 33. *quæſt.* 5. *l. qui teſtamento, ff. de teſtam.* *Tertio* ad ætatem reuocatur minor viginti annis? quanquam ipſius dictum ſufficiens indicium præbeat ad capienda informationes, non verò ad torquendum, vel condemnandum, in cauſis verò ciuilibus admittitur pubes; *l. in teſtimonium, ff. de teſtament.* *Quartò* ad diſcretionem reduci poteſt inimicus contra quem teſtimonium dicitur, modò præceſſerit grauis inimicitia: præterea ſanguine iuncti, vt aſcendentes, & deſcendentes accuſatoris. Layman *lib.* 3. *tractat.* 6. *capit.* 4. *numero* 4. Sà *ver. iudiciales actus de teſtibus, numero* 4. Leſſius *lib.* 2. *capit.* 30. *numero* 37. Laym. Leſſius.
Item collaterales vſque ad quartum gradum repelluntur: licet admittantur conſanguinei, & affines rei ad probandam eius innocentiam. Bonacina *de teſt. part.* 3. *numero* 3. Diana *tractat.* 5. *miſcellan. reſol.* 63. *par.* 3. Item Bonac. Diana.
repellitur domeſticus accuſatoris, in cauſa ipſius accuſatoris. Filliucius *tra.* 40. *n.* 233. *Quinto* ad famam pertinent, infames iuris, aut facti. Layman *cit. numer.* 4. *Sexto* ad fortunam reducuntur pauperes, vnde vilis, & inops, quoties ſuſpicio eſt, vt pecunia corruptus falſum deponat, repellitur; *l.* 3. *ff. de teſtibus*. *Septimò* ad fidem: *Primo* periurus, hic enim facilè præſumitur iterum peieratus, Leſſius *citato numero* 38. *Secundo* ſocius criminis ordinariè repellitur, quamuis aliquando admittatur, vt in crimine hæreſis, læſę maieſtatis, falſificationis monetæ, maleficii, furti famoſi, ſodomiæ, & in delictis, quę non poſſunt ſine ſocio committi; *C. veniens de teſtibus*, Bonacina, Leſſius.

Obſeruandum tamen eſt teſtes minus idoneos, admitti tanquam idoneos, quando delictum eo tempore, vel loco patratum eſt, vt alii teſtes haberi non poſſint; vt ſi delictum patratum in agro, ſylua, cubiculo, nocturno tempore. Præterea quamuis teſtis minus idoneus non probet ſemiplenè, facit tamen indicium, quod cum aliis coniunctum ſufficit ad torturam. Clauis regia *lib.* 12. *c.* 25. *num.* Layman, 24. Layman *cit. cap* 2. Filiuc. *c. numer.* 234. Leſſius *citat* Fill. *num.* 41. Leſſ.

2. In criminalibus regulariter filius non poteſt teſtificari contra patrem: in quibuſdam tamen vt crimine læſæ maieſtatis humanæ. & diuinæ, poteſt & tenetur, quando non eſt alius qui id teſtificari poſſit. Sed petes an teſtes priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorii reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi non ſint alii teſtes? Reſponſio eſt negatiua: proinde neque pater filium, neque maritus vxorem, aut è contrario, nec frater fratrem, aut ſororem tenetur detegere vi monitorij; idem dicendum eſt de ſocero, & genero, deque cognatis omnibus intra quartum gradum, *l. parentes, Cod. de teſtibus*. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 24. & 25. Ratio eſt, vt vitentur diſſenſiones, & odia inter cognatos, quorum iurgia tam noxia ſunt Reſpublicis, tamque terram mephitim inhalant quoties interueniunt, ſine dubio enim interuenenirent iurgia, & odia, ſi cognatus intra prædictos gradus aduerſus cognatum ageret teſtem, aut denunciatorem. Ita poſt Angelum, Syluestrum *v. Familia*, Auilam 2. *p. c.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 2. Theophylus Raynaudus *de monitoriis, p.* 1. *c.* 3. *q.* 14. & 20. citatus a Diana *p.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 67.

Ex dictis patet ſolutio caſus ſequentis, an filia matrem ſuam ſagam, ac veneficam deferre cogatur ad Iudicem, fraternæque correptionis lege ſoluta ſit? Reſpon. ex D. Thomæ doctrina, *in* 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 7. communiter recepta, ſi crimen matris veneficæ manifeſtum ſit, correptionis progreſſionem neceſſariam non eſſe: item eſſe ſuperuacaneam, ſi occultum ſit, nec melioris frugis ſpes vlla adferatur, quia filia puella eſt; quare eius admonitionem contemnet mater, vel etiam grandiore ira obſtantem excandeſcet, proinde à correptione filia ſuperſedere debet, eo quòd ex ea fructus nullus ſperetur. An autem deferre teneatur? Cuipiam videri poſſet nullo iure neceſſitatem imponi filiæ ſuæ matris deferendæ, tum quia filia impeditur ſexu, cùm ſit fœmina, quæ iure canonum teſtificari non poteſt, ex *cap. forus, de verb. ſignific.* & ex *cap. Mulierem*, 33. *q* 5. at delatio, ſeu denunciatio eſt teſtificatio quædam, tum quia horret natura, vt filii, aut crimen intendant parentibus, aut illud aduerſus eoſdem teſtimonio confirment.

His tamen non obſtantibus mihi perſuadeo iure diuino &

no, & naturali communi communis tuendæ religionis, filiæ teſtimonij an auctoritatem in conſceleratam matrem impartiri. Ratio eſt, tum quia Deus ſummus omnium parens, infinitis partibus mortalibus parentibus anteponendus eſt: atque eius honor, & gloria, vitæ non vnius patris terreni, ſed infinitorum patrum, matrumque eſt anteferenda; proinde neceſſariò deferenda eſt matris huius vita, aut fama, ne Dei gloria prodatur. Tum quia bonum commune, & diuinum, priuato cuiuſque hominis bono, & caduco, iure diuino, & naturali præferri debet; ſed bonum Religionis Catholicæ, cui inſidiantur iſtæ veneficæ, eſt diuinum, & commune, pro quo retinendo, vitam vnius improbæ matris amittere poſſumus ac debemus. Tum quia harum veneficarum ſcelus ad hæreſim pertinet, quia fidem negant, & multa faciunt, quæ ſapiunt hæreſim manifeſtè, & præter Apoſtaſiam habent multa alia crimina digna morte; pro quibus criminibus impediendis omnium conſanguineorum admittitur teſtimonium, vt videre eſt apud Sylueſtrum, *verb. Teſtis q.1.*

3. In cauſis criminalibus, vt aliquis condemnetur, requiruntur duo teſtes, & ſufficiunt, vt patet in iure ciuili, *l. vbi numerus, ff. de teſtibus*; & Canonico, *C. licet vniuerſis de teſt. & C. cum eſſes.* Bannez 2.2.*q.*70.*artic.*2. Clarus *lib.*5.*q.*66. Filliuc. *cit. num.*243. Bonacina *cit. num.* 1. Ratio autem eſt, quia vnus facilè peruerti poteſt, duo autem difficiliùs, raroque loquuntur conformiter: hinc eſt vt iure gentium ita receptum ſit, quòd autem iure Canonico requirantur ad damnandum Epiſcopum Cardinalem 72. teſtes. Ad Presbyterum Cardinalem 64, ad Diaconum Cardinalem 27. ad reliquos Clericos 7. in praxi tamen non ſeruatur hic numerus teſtium, vt ait Clarus. In rebus leuioribus ſolent aliqui puniri aſſertione vnius teſtis, ideò ſurripientes fructus in hortis, ligna in ſyluis, puniuntur ex teſtimonio ſolius cuſtodis.

Clarus, Filliuc. Bonacina.

4. Quandoquidem præter accuſatorem verum vel fictum requirantur adhuc duo teſte, vt plenè tamen probare dicantur, quatuor exiguntur: *Primò*, vt deponant iurati, quia abſque iuramento faciliùs eſt mentiri, quàm cum iuramento; vnde de teſtibus non iuratis non creditur in præiudicium alterius, niſi ille cuius intereſt, iuramentum ſponte remittat. *Secundò*, vt ſint conteſtes, id eſt, ambo teſtentur idem factum cum iiſdem circumſtantijs ſubſtantialibus, conſequenter conuenire debent in loco, tempore, & ſpecie delicti; hinc eſt ſi teſtentur de diuerſis actibus diuerſo tempore commiſſis, non dicuntur conteſtes, ſed teſtes ſingulares, quorum teſtimonium non facit plenam criminis probationem, ſed magnam præſumptionem, quæ ſufficit ad torturam, & aliquando ad pœnam extraordinariam infligendam. *Tertiò*, vt dicant ſe ſenſu externo percepiſſe, verbi gratia, ſe vidiſſe furantem, aut audiuiſſe blaſphemantem; vnde teſtes de auditu non plenè probant delictum, quod non conſiſtit in voce, ſed in facto; *C. fraternitatis, & C. tuis de teſtibus.* Filliucius *cit.*245. Layman *lib.*3.*tractat.*6.*cap.*4.*num.*5. Bonacina *cit. num.*2. Leſſius *nu.*32.33. Sylu. *v. teſtis quaſ.*6. *Quartò*, vt ſint omni exceptione maiores, hoc eſt, contra quos nihil poſſit iure opponi cur non ſint admittendi, & ijs adhibenda fides. *C. ſi teſtes 4. quaſ.3. l. ſolam C. de teſtibus.*

Layman, Bonac. Sylu.

5. Quando teſtes actoris, & rei diſcordes ſunt, in pertinentibus ad ſubſtantiam facti, iudicandum eſt pro reo; quia vbi iura ſunt æqualia, potior eſt ratio poſſidentis: reus autem eſt in poſſeſſione vitæ ſuæ, famæ, & bonorum; quando autem diſcordes ſunt in pertinentibus ad accidentia facti, quæ non attingunt ſubſtantiam non præiudicat talis diſcordia teſtimonio: ſi verò teſtes eiuſdem partis, vt rei, & actoris, inter ſe diſcordes ſint, tunc prudentia Iudicis opus eſt ad cognoſcendum, cui potiùs ſtandum debeat, vt ex numero teſtium, ex dignitate, ex fauorabilitate cauſæ. D. Thomas 2.2.*quaſ.*70 *art.*2.*ad* 2. Sylu. *cit. quaſ.*7. Clauis regia *lib.*12.*c.*21.*n.*13.& 14. Filliucius *cit. n.* 248. & alij.

D. Thom. Sylu. Clau. reg. Filliuc.

6. Teſtis legitimè, & iuridicè interrogatus à Iudice tenetur reſpondere, & veritatem aperire poſitis eius præcepto in his caſibus. *Primò*, ſi auctor laboret infamia delicti. *Secundò*, ſi quamuis, non laboret infamia; tamen imminet damnum communitati ab eo, nec poteſt auerti niſi per Iudicem. *Tertiò*, ſi damnum immineat alicui priuato, nec poſſit aliter impediri. *Quartò*, ſi de auctore delicti eſt ſemiplenè probatum. *Quintò*, ſi procedatur via accuſationis, & delictum plenè probari poſſit. D. Thomas *cit. art.*1. Clauis regia *cit. c.*20.*num.*29. Layman *lib.*3.*tract.*6.*c.*4.*n.* 8. Leſſius *cit. n.*43. Reginaldus *lib.*24.*n.*46. Sylu. 2.2.*q.*70. *art.*1.*concl.*1. & 2. & alij.

D. Thom. Layman. Leſſius. Sylu. Regin.

7. In multis caſibus teſtis non tenetur veritatem fateri. *Primò*, ſi norit ex confeſſione ſacramentali, imò nulla ratione tunc poteſt. *Secundò*, ſi ſub ſecreti naturalis ſigillo patefactum eſt crimen, vt tanquam conſiliator, adiutor, Aduocatus, Medicus, obſtetrix, & ſimiles: excipe niſi teſtificatio neceſſaria eſſet ad auertendum aliquod damnum publicum, vel priuatum. *Tertiò*, ſi auctor non laborat infamia, nec timetur damnum in futurum, quamuis in hoc caſu, quando ſcilicet crimen notum eſt vni teſti ſoli, & accuſatori; quidam, vt Valentia, Clauis regia, Sotus, & alij dicant teneri, quod eſt ſatis probabile. *Quartò*, quando proceditur via accuſationis, & delictum non poſſit plenè probari. *Quintò*, ſi ex teſtificatione immineat aliquod damnum ipſi teſti, vel eius conſanguineis. *Sextò*, quando quis accipit rem cauſa iuſtæ compenſationis. *Septimò*, ſi ſciuit à perſonis non admodum fide dignis: imò quod ſolùm audiuit, poteſt teſtificari ſe neſcire ſecundùm doctrinam Emanuelis Sà, *verb. Iudiciales actus, de teſtibus, num.*8. quando, ſcilicet delictum conſiſtit in facto, & non in voce. Notandum autem eſt, quòd in caſibus, in quibus non tenetur quis reuelare iniuratus, modò iuramentum ſuum conuenienti modo intellexerit. Nauar. *c.* 25.*num.*42.46.& 50. Reginaldus *lib.*24. *num.*47.48. Leſſius *cit. dub.*6.*num.*45.& *ſeq.* Filliuc. *cit. nu.*230 Bonacina *cit. num.*6.7.& 8. Layman *cit. cap.*4.*num.*9. Diana *tract.*1. *miſc. reſ.*63.*p.*2.& *tract.*5.*miſc. reſ.*100.& *tot. part.*3. Sylu. *cit. concl.*4.5.& 6.

Nauar. Reginald. Fill. Bonac. Laym. Diana. Sylu.

8. In ciuilibus, quando proximus graue damnum iniuſtè pateretur, tenetur, qui teſtificari poteſt, pro eo ſe offerre ad teſtimonium, quia tunc charitas obligat ad ſuccurrendum innocenti, modò ſperet ſe profuturum ſuo teſtimonio, & non immineat ipſi propter hoc graue aliquod damnum. D. Thomas *cit. quaſ.*70. *artic.*1. Clauis regia *cit. c.*20.*num.*10.& *ſeq.* In criminalibus, ſi teſtimonium alicuius neceſſarium ſit ad liberandum reum ab iniuſta morte vel graui malo, tenetur teſtis non vocatus ſe offerre, quia tunc reus eſt in extrema, vel graui neceſſitate. Si verò ad condemnandum, non tenetur, niſi quando delictum eſſet contra bonum commune, vt in crimine læſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ. Nauar. *cap.*15.*n.*17. Filliucius *cit. n.*250. Bonacina *cit. n.*9.& 10.

Nauar. Fill. Bonac.

9. Teſtis, qui falſum teſtificatur, quando Iudex non procedit iuridicè, nec ordine iuridico, peccat tantùm venialiter modò abſit iuramentum; quando autem Iudex procedit iuridicè, etiamſi ex odio, & malo animo id agat, etiam ſecluſo iuramento, falſum teſtari eſt ex genere ſuo peccatum mortale: quia teſtis tunc tenetur dicere veritatem ex iuſtitia, & iniuriam facit Iudici, & Reipubl. non teſtificando veritatem, licet ratione paruitatis materiæ citra iuramentum eſſet ſolùm veniale, vt dictum eſt v. *Mendacium* D. Thomas *cit. art.*4. Syluester *v. teſtis q.*8. Clau. reg. *lib.*12.*c.*19.*n.*4.

D Thom. Syluest.

10. Teſtis, qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel obliuione ſaltem nō mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad reſtitutionem: & ratio eſt, quia neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ damnificationis, quia non peccauit ſaltem mortaliter, vt ſupponitur; atqui probabile eſt illum non teneri ad reſtitutionem, qui in damno inferendo non peccauit mortaliter. Caietanus 2. 2.*quaſ.*70.*artic.*4. Nauarrus *c.*25.*n.*40. Petrus Nauarra *lib.*2.*c.*3.*n.*254 Leſſius *cit. n.*55. Syluius *cit. art.*4. *concl.*4. Diana *p.*4.*tract.*4.*reſ.*99.

Caiet. Nauarr. Leſſius. Sylu.

Si autem ſcienter vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, ratione cuius alter iniuſtè damnum acceperit, tenetur ad reſtitutionem damni, & retractationem etiam cum periculo vitæ, ſi ſimile damnum reo timeatur,

& pu-

& putetur retractatio profutura; quia per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni, ideoque tenebitur in ſolidum: In æquali enim damno habenda eſt potior ratio innocentis. Clauis regia *cit.c.19.n.9.* Toletus *lib.5.c.59.* Reginaldus *lib* 24.45. Bonacina *cit.nu.*16. Sylu. *cit.art.1.quæſit.1. concl.4.*

[Tolet. Reginald. Bonac. Sylu.]

11. Quorundam Doctorum ſententia eſt, teſtem teneri ad reſtitutionem, ſi citatus à Iudice fugiat, vel ſe occultet, vel aliqua arte Iudicis interrogationem eludat. Ita Nauarrus *c.35.num.41.* Sotus *lib.5.de iuſtitia,q.7.* Reginaldus *lib.24.num* 46. & alij. Hæc ſententia eſt probabiliſſima; probabiliter tamen defendi poteſt cum Molina, apud Leſſium *cit. numer.*59. & alijs, talem non peccare contra iuſtitiam, quia citatio Superioris non imponit citato obligationem iuſtitiæ, ſed obedientiæ ad teſtandum. Multò minùs ille, qui ſe occultat vel fugit priuſquam Iudicis præceptum aut citatio ei legitimè inſinuetur, tenebitur ad reſtitutionem damni defectu teſtificationis ſecuti, quamuis potuerit grauiter contra charitatem proximi peccaſſe; quia nullus contrahit obligationem ex mandato Superioris, antequam mandatum ei debito modo imponatur. Clauis regia *cit.cap.*20. *num.*26. Filliucius *cit. num.* 255. Salon. 2.2.*q.70.artic.*1. Bannez *ibid.dub.*3. Sylu. *cit. concl.*3.*&* 6.

[Nauar. Sotus. Regin.] [Fill. Salon. Sylu.]

Vide *Falſarius* num.2. *Feſtum* 2.num.20. *Fœmina* nu.1. *Irregularitas* 5.num.13. *Reus* num.2. *Teſtamentum* nu.2. & ſeq. *Matrimonium* 5.n.12. *Abſolutio* num.13.

SVPPLEMENTVM.

Teſtis.

SVMMARIVM.

1 *Quando teſtis inhabilis non teneatur reſpondere iudici interroganti, & quando teneatur.*

2 *Qui ſint dicendi teſtes ſingulares, & an aliquid plenè probent, quando plures teſtes requiruntur?*

3 *An teſtes ſingulares aliquid probent in genere?* Refertur duplex ſententia.

4 *An teſtes ſingulares plenè probent, quando agitur de re permanenti, & de probando actu, vel delicto, quod in quadam continuatione conſiſtit?*

5 *An teſtis rogatus à iudice crimen fateri teneatur, quãdo iudex per viam accuſationis procedit, exiſtente accuſatore, & vnicus eſt teſtis, qui crimen nouit?* Refertur duplex ſententia.

6 *Quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur, an teneatur teſtis illum manifeſtare?* Refertur duplex ſententia.

7 *An teſtis teneatur reſpondere & teſtificari, quando non ſibi conſtat ſeruatum eſſe ordinem à iudice interrogante?*

Quando teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridicè, necne interroget, an teneatur fateri veritatem, ſicut & Reus?

8 *Quis dicatur teſtis idoneus, & minus idoneus? Et an religioſi ſint teſtes idonei, non ſolùm in cauſis iudicialibus, ſed etiam in inſtrumentarijs? Et quando requiratur ad hoc licentia ſuperioris.*

An valeat teſtimonium religioſi ſine licentia Superioris, coram iudice ſæculari, vel alio non ſuo?

An religioſi poſſint eſſe teſtes teſtamenti, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur.

An religioſi poſſint cogi ad teſtimonium ferendum & à quo iudice?

9 *An moniales poſſint admitti in teſtes contra alias moniales? Et an religioſi & moniales poſſint aſſiſtere matrimonio vt teſtes?*

10 *Quando iudex ad veritatem indagandam poſſit teſtem torquere? Et an omnes teſtes, qui delicto interfuerant, debeãt torqueri? Et an in cauſis fidei omnes præter inimicos capitales, in teſtes admitti poſſint ſine tortura?*

11 *Quando teſtes inhabiles admittuntur ad teſtificandum, ſi torqueantur, an tortura purget eorum defectum, & fidem faciant contra reum?*

12 *An in cauſis criminalibus & ciuilibus magnæ quantitatis aut qualitatis, teſtis poſſit in ſcriptis deponere, ſi legat ſcripturam? Et quid dicendum de muto, & ſurdo?*

13 *An teſtis vocatus ab aliquo, vt teſtimonium reddat, teneatur etiam manifeſtare quæ pro aduerſario faciunt?*

14 *An teſti varianti ſit adhibenda fides? Et quis teſtis dicatur, vel non dicatur varius? Et an teſtis varians torqueri poſſit?*

15 *Quando iam eſt reus ſufficienter conuictus per alios teſtes falſos, & teſtimonium vnius teſtis falſi accedens nihil efficit, an talis ad reſtitutionem damnorum teneatur?*

16 *Ad quid teneatur qui alios induxit ad falſum teſtimonium ferendum? Et quid ſi concurrant plures falſi teſtes, & nullus eſt inductor?*

17 *An teſtis, qui pecunias accepit, vt verum fateatur, vel vt falſum deponat, teneatur ad earum reſtitutionem ante vllam iudicis ſententiam? Et an teſtis poſſit licitè expenſas accipere, dum extra domicilium ſuum proficiſcitur ad ferendum teſtimonium?*

1. QVando teſtis eſt ita inhabilis, vt ab illa particulari atteſtatione à iure repellatur ex eo, quòd leges prohibeant rationem haberi teſtimonij ipſius, non tenetur iudici interroganti reſpondere, etiamſi ſit iudex competens. Ratio eſt, quia tunc iudex interrogans eum, quem leges repellunt à teſtificando, non agit ſecundùm ius; vnde cùm ſit tantùm miniſter iuris, nec poſſit aliter agere cum teſtibus, quàm ſecundùm ius, conſequenter non agit legitimè: atque adeò non tenetur teſtis obedire; quia ſolùm tenetur obedire iudici ſecundùm ius agenti. Quando autem teſtis non in totum à iure repellitur, ſed ſolum ei ius non aſſiſtit, quamuis inhabilis ſit ex quocumque capite, dum legitimè à iudice competenti interrogatur, tenetur reſpondere. Et hoc infertur ex eo, quòd teſtes inhabiles faciunt aliqualem probationem, ſaltem indicium: ratione enim inhabilitatis non carent omninò fide, ſed ſolùm illam habent ſuſpectam; vnde exhibent teſtimonium dubium, quod licet non conuincat, tamen indicat. Deinde teſtes inhabiles faciunt præſumptionem, quam tenetur reus diluere: vt enim inducatur præſumptio, non eſt neceſſe, quòd res appareat euidenter (quia tunc non præſumeretur, ſed certa eſſet) ſed ſufficit, quòd appareat in aliquo, ex quo poſſit deduci: teſtes autem inhabiles faciunt rem aliqualiter apparere in ſua teſtificatione. Cùm ergo teſtimonium teſtis inhabilis inſeruiat foro pro adminiſtranda iuſtitia, tenetur legitimè interrogatus reſpondere; quia iam eſt ſub iure fori: eo quòd forum ſicut debet iuſtitiam adminiſtrare, ita etiam habet ius ad ea omnia, quæ concernunt ad ipſam adminiſtrandam. Ita Maſcardus *libro ſecundo, de probat.cluſ.*68a. *numero quarto*, Farinacius *practic.criminal.quæſtione* 62. *de teſtibus, numero* 261 *&* 264. Paſqualigus *in deciſionibus moral. deciſ.*211. & alij multi penes ipſos. [Maſcard. Farinac. Paſqualig.]

2. Regula communis ab omnibus recepta eſt, quòd teſtes ſingulares non plenè probent, quando plures teſtes requiruntur. Ita colligitur *ex capite Licet cauſam, de probation.* & ibi Gloſſa *verb.ſingulares*. Teſtes autem ſingulares dicuntur, quando non concordant in eo, quod deponunt, ſed vnus deponit aliquid, & alter aliud. Quod contingit, vel ſi ſint diuerſi quoad ſubſtantiam facti: vt ſi deponant de diuerſo facto, ſiue totaliter, ſiue ſecundùm quid; vt ſi ſit diuerſum ſecundùm numerum, non autem ſecundùm ſpeciem vel ſecundùm circumſtantias, quæ ſi relinquunt factum in ſuo eſſe, tunc ſunt conteſtes quoad factum, & ipſum probant: vel diuerſificant, & tunc ſi relinquunt in ſuo eſſe, reddunt teſtes diuerſos quoad factum, vel deſtruunt ratione diuerſitatis. Ratio autem, cur teſtes ſingulares non faciant fidem, nec plenè probent, eſt, quia ſunt ſoli, nec dictum vnius adiuuat dictum alterius, vnde poteſt eſſe, & non eſſe, cùm non certi- [Gloſſa.]

ficatur

ficetur aliunde, & proinde remanet dubium; quia eſt ſecundùm menſuram fidei humanæ, quæ fallibilis eſt. Quando autem plures ſunt conteſtes, quia dictum vnius confirmat dictum alterius, excluditur illa dubietas, quæ oritur ſtante fallibilitate fidei humanæ, ex ſingularitate teſtificationis. Proinde quando totum procedit ex teſtibus ſingularibus infligendo aliquam pœnam, non eſt cenſendum punire id, de quo teſtes ſingulares ſunt; ſed aliquid in quo concordes ſint, aut quia concurrunt alia indicia, & argumenta, quæ confirmant teſtificationem teſtium ſingularium. Ita ex communi Hoſtienſis *in cap. Licet ex quadam, extra de teſtibus, num. 7.* Aretin. *ibi num. 15.* Felinus *poſt numerum ſecundum, verſ. Et eſt regulariter notandum*, Myninger *obſeruat. 76. centur. 3.* Baldus *lege ob carmen, §. final. num. 2. ff. de teſtament.* & alij.

Hoſtienſis. Aretin. Felinus. Myninge. Baldus.

3. Controuertitur inter vtriuſque iuris peritos an teſtes ſingulares aliquid probent in genere. Quidam affirmant. Ratio illorum eſt, quia quando ex pluribus actibus colligitur aliquid in genere, dum teſtes ſingulares deponunt ſinguli de ſingulis actibus, fiunt conteſtes reſpectu illius, quod in genere conſurgit: quia eſt aliquid vnum teſtificatum à pluribus. Dicunt tamen non ſufficere ad probandum aliquid in indiuiduo, aut in ſpecie. Ita Felinus *in cap. licet ex quadam, verſ. Ad idem, de teſt bus.* Decius *in cap. Licet cauſam, num. 69. de probat.* Myninger *obſeruat. 76. centur. 3. verſ. prædictum tamen.* Farinacius *in practic. criminal. quæſtion. 64. de teſtibus num. 152.* & alij plures.

Felinus. Decius. Myning. Farinac.

Negatiua tamen ſententia vult non ſolùm non probare in indiuiduo, aut in ſpecie, ſed neque etiam in genere. Proinde dicendum eſt, nunquam teſtes ſingulares probare plenè aliquid in genere: ſed quandiu ſunt ſingulares, manere imperfectam eorum probationem: & in tantum poſſe iudicem ſecundùm ipſos iudicare, in quantum quoad aliquid particulare ad conteſtes reducuntur. Ratio eſt, tum quia teſtes, qui non concordant in ſingulari, neque in genere concordare poſſunt; nam licet actiones, de quibus deponunt ſint vnum genere, teſtificatio tamen ipſorum non eſt de hac vnitate generica; ſeu quod actio ſecundum genus conueniat tali homini: & cùm vnus teſtetur quod conueniat ratione talis actionis in indiuiduo, & alter ratione alterius; neque concordant in eo, quòd conueniat ſecundùm genus. Tum quia forum non verſatur circa actiones in genere, ſed tantùm circa ſingulares; quia habet punire, aut præmiare, aut abſoluere: nemo autem punitur, abſoluitur, aut præmiatur niſi actionum liberè exercitarum ratione, atque adeò ſingularium: vnde aliquid tale in genere non eſt fori obiectum. Et hanc ſententiam ſuſtinent Baldus *l. 2. Cod. de teſtament. quæſt. 8. & conſil. 276. lib. 4.* Alexander *lib. 1. conſil. 72. num. 3.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. ſentent. practic. crimin. quæſt. 53. num. 18. 19. & 20.* Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 3. num. 4.* Simanca *de teſtibus tit. 4. num. 70.* qui ait hanc opinionem ſeruari in praxi ab Inquiſitoribus. Diana *part. 4. tract. 7. reſol. 31.* & alij.

Baldus. Alexand. Clarus. Couarr. Symanca. Diana.

Concedendum tamen eſt, quod quando agitur de aliquo ſecundùm genus, verbi gratia in aliquis ſit fur? & teſtes deponunt actiones ſingulares furti, non tanquam id, de quo teſtentur, ſed tanquam rationem ſui dicti; ita vt teſtificatio procedat de furto in genere: tunc ſufficiunt ad plenè probandum teſtes ſingulares. Quia licet dicatur probari aliquid in genere, teſtificatio tamen procedit de aliquo in particulari v.g. de vitio furti: & tunc teſtes licet ſint ſingulares quoad rationem ſui dicti, quia vnus affert vnam actionem, & alius aliam, ſunt tamen conteſtes quoad rem teſtificatam: quia omnes concordes ſunt in eo, quod per ſe primò deponunt. Vnde rectè docent quidam, quod teſtes ſingulares probant in genere, quando articulatur genus: ſecus autem quando articulantur certi actus. De his vide Azor. *p. 3. lib. 13. c. 27. dub. 7.*

Azor.

4. Teſtes ſingulares plenè probant quando agitur de re permanenti, & de probando actu, vel delicto, quod in quadam continuatione conſiſtit. Ratio eſt, quia teſtes, tunc manent in ſua ſingularitate, licet teſtificentur de diuerſis temporibus, & locis, ſed fiunt conteſtes: quia res eadem, quæ in iudicium venit, ſubijcitur vniuſcuiuſque teſtificationi, vnde de vno, & eodem teſtificantur. Sic teſtes ſingulares probant de vſu continuatæ poſſeſſionis, vel iuriſdictionis; Quod Titius ſit fama notatus. Item ſi plures viderint vnus poſt alium per aliquam paruam feneſtram vel foramen Titium adulterantem cum Titia, tunc quia præſumitur adulterium vnum, & idem, ſingulares teſtes faciunt plenam probationem. Ita Couarruuias *lib. 3. variar. capite 3. num. 5.* Azorius *loco citato.* Sanchez *lib. 6. conſ. capite 5. dub. 12 n. 3.* Trullench *in decalog. lib. 8. c. 3. dub. 6. n. 6.* Syluester *verb. Teſtis quæſt. 3.* & commun. s.

Couar. Azor. Sanch. Trullench Syluest.

Notandum tamen eſt, quod vt teſtes ſingulares de re permanenti faciant plenam fidem, debet res permanens eſſe talis conditionis, quòd non potuerit variari ratione temporis aut loci, aut alterius circumſtantiæ, ſecundùm quam teſtes ſingulares ſunt; quia ſi potuit variari, ſequitur etiam quòd alter teſtis ſingularis ſecundùm circumſtantiam, ratione cuius potuit res variari, poſſit falſus eſſe, & non eſſe concors cum altero, ſeu conteſtis, vt notat Paſqualigus *in deciſionib. moral. deciſ. 214.* apud quem plura de teſte ſingulari, & apud Dianam *p. 4. tract. 8. reſol. 57.*

Paſqualig. Diana.

5. Dubitatur inter auctores, quando iudex per viam accuſationis procedit exiſtente accuſatore, & ſolum vnus eſt teſtis, qui crimen nouit, & ille in iudicio productus eſt, an rogatus à iudice crimen fateri teneatur? Circa hunc caſum duplex eſt ſententia. Prima eſt negatiua; quia ad hoc vt teſtis crimen fateri teneatur, neceſſe eſt, vt præcedat, vel infamia, vel ſemiplena probatio, vel indicia contra reum. Ita Syluester *verb. Teſtis, quæſt. 8.* Nauar. *in cap. inter verba 11. quæſtione 3. concluſ. 6. corollar. 64. numero 708 & 709.* Filliucius *tractatu 40. numero 230.* & alij, quorum ſententia non eſt improbabilis, quam approbare videtur Villalobos *tom. 2. tractatu 17. difficult. 1. numero 10.* & probabilem reputat Diana *part. 3. tractat. 5. Miſcellan. reſolut. 100.* Nam cùm teſtis ſciat neminem alium illud delictum à reo perpetratum ſcire, eius teſtificatio nihil proficiet, niſi ad vexandum reum; quia ex ſola ipſius depoſitione condemnari non poteſt: ergo abſque cauſa infamat tunc teſtis delinquentem, cùm ſciat ipſe probandum non eſſe delictum. Ita etiam Iuan. de la Cruz *in directtor parte 1, præcept. 8. articulo 4. dubit. 13.* qui citat Ledeſmam, & Bannez. Secunda ſententia verior, & probabilior eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia in hoc caſu iudex habet ius interrogandi hunc teſtem ab accuſatore, productum, ne ſcilicet, delicta maneant impunita. Tum etiam quia iura non diſtinguunt, an vnus teſtis tantum ſciat, vel ſciat cum aliis, ſed abſolutè dicunt teneri teſtem in ius vocatum verùm aperire.

Syluest. Nauar. Filliuc. Villalobos Diana. de la Cruz Ledeſm. Bannez.

Tum quia aliàs ſæpe accuſator periculum infamiæ incurreret. Tum quia reus iam apud iudicem, & in iudicio eſt infamatus per accuſationem præcedentem, & teſtis productionem. Deinde teſtis, eo ipſo, quod teſtis eſt, hanc habet obligationem diſtinctam à reo, quod ſicut iudex poteſt præcipere, vt quicumque ſcit veritatem illam denunciet, ita teſtis eius mandato obedire tenetur. Ita docent Sotus *de iuſtit. lib. 5. quæſt. 7. artic. 1. ad 1.* Salon *2. 2. quæſt. 70. articul. 1. controuerſ. 1.* Azorius *part. 3. lib. 13. capite 27. dub. 2.* Trullench *in decalog. lib. 8. capite 3. dub. 1. num. 3.* Sancius *in ſelect. diſputat. 43. num. 39.* Bonacina *in decalog. diſput. 10. quæſt. 3. punct. 3. num. 5.* & alij penes ipſos. Leſſius autem putat non teneri teſtari, quia accuſator non poteſt tunc accuſare, niſi fortè id neceſſarium fuerit ad malum impediendum: poteſt tamen teſtari ſi velit, & efficiet ſemiplenam probationem, poteritque Iudex ex officio procedere contra reum, eum ſubijciendo quæſtionibus. Ita ille *lib. 2. c. 30. dub. 6. n. 49.*

Sotus. Salon. Azor. Trullench Sanc. Bonac. Leſſius.

6. Simile dubium occurrit, quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur, an teneatur teſtis illum manifeſtare? Quidam affirmant probabiliter: quia cum iudex in hoc caſu ius habeat procedendi propter bonum commune conſeruandum, & teſtes interrogandi, manifeſtè ſequitur quòd tenentur, & ipſi propter idem commune bonum conſeruandum, illi veritatem dicere, & occultum reum reuelare. Ita Arragon. *in 2. 2. quæſt. 62. art. 2. dub. vlt.* Miranda *de ordin. iudiciar. tom. 1. quæſtion. 6. artic. 6. concluſ. 3.* Valerus *in different. vtriuſque fori verb. Inquiſitio numero 9.* & alij. Sed communiter contrarium docent neoterici, nempe non teneri mani-

Arrag. Miranda. Valerus.

Digitized by Google

manifeſtare auctorem criminis, niſi præceſſerit infamia, vel ſaltem ſemiplena probatio, & accuſatio de criminis auctore. Nam vt aliquis detegatur in inquiſitione, neceſſe eſt, vt laboret publica infamia, delinquens autem in hoc caſu nondum laborat infamia publica, ergo &c. Accedit quod quando dubium eſt, an iudex iuridicè interroget, & probabilis ſententia aſſerit, ipſum non interrogare iuridicè, in hoc caſu ſubditus non tenetur obedire; quia poteſt amplecti probabilem opinionem, quæ affirmat iudicem non eſſe ſuperiorem in eo caſu: vnde ſequitur poſſe teſtem tunc vel manifeſtare, vel occultare veritatem, ſi ſciat vtramque opinionem eſſe probabilem, vt reuera eſt. Vnde hic datur ſpecies quædam belli vtrinque iuſti dum iudex iuſtè teſtem vrget, & teſtis iuſtè negant. Iudex enim inquirit de crimine vt ſatisfaciat Reipublicæ, quæ poſtulat vt fiat diligens inquiſitio, vt malefactores timeant, & compeſcantur: non tamen poſtulat vt in hoc caſu reuelentur. Ita Leſſius *lib. 2. capite* 30. *numero* 47 & *cap. 29. num.* 118. Turriannus *tom. 2. in* 2.2. *diſputatione* 50. *dub.* 5. *numero* 9. P. Nauarra *libro* 2. *capite* 4. *numero* 168. Bonacina *in decalog. diſput.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 14. Salon *in* 2.2. *tom.* 1. *quæſtione* 69. *artic.* 2. *controuerſ.* 7. & alij.

Leſſius. Turriannus. P. Nauar. Bonac. Salon.

7. Teſtis non tenetur teſtificari, quando non ſibi conſtat ſeruatum eſſe ordinem iuris à iudice interrogante. Ex D. Thoma 2.2. *quæſtione* 70. *articulo primo*, & alijs. At vbi conſtat euidenter iudicem virum probum eſſe, non eſt neceſſarium, vt oſtendat teſti ſe procedere ſecundùm iuris ordinem: quia nemo præſumitur malus, niſi quando id euidenter conſtat. Sayrus in Claui Regia *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 2.

D. Thom. Clau. reg.

Sed difficultas eſt, quando teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridicè necne interroget, teneatur reſpondere & fateri veritatem, ſicut, & reus? Reſp. quando iudex inquirit contra aliquem homicidam, vel furem &c. aut in quemcumque alium reum priuati criminis, quod non ſit in perniciem publicam, & dubium eſt probabile pro vtraque parte, ſitne infamia, aut indicia, quibus poſſit inquirere: tunc teſtes, & rei hoc modo dubitantes, non tenentur reſpondere. Ratio eſt, quia maius periculum eſt, ſi occidatur homo contra ius, quàm ſi non obediatur ſuperiori. Si verò crimen ſit in damnum alterius publicum vel particulare, adhuc imminens, & quod adhuc eſt in fieri, rectè tunc ritè interrogat iudex, & teſtis, licet dubius tenetur reſpondere: quia in dubijs illa pars eſt ſequenda, & magis tuta, in qua eſt minus periculi eſt, vt perſona priuata occidatur quàm quod Reſpublica lædatur. Quod ſi huiuſmodi crimina non pendent in futurum, ſed ſint iam facta, & præterita, non tenetur teſtis reſpondere, niſi præceſſerit vera infamia, aut indicia probata. Ita Clauis Regia *loco citato numero* 2. & 3. Trullench *in decalog. libro* 8. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *capite* 31. *numero* 20. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 106. Sanchez *in conſil. part.* 2. *lib.* 6. *capite* 5. *dub.* 5. & alij penes ipſos. Et fauet D. Thomas 2.2. *quæſtione* 33. *artic.* 7. Syluester autem *verb. correptio*, *quæſtione* 8. & *verb. Inquiſitio* §. 7. clarè affirmat, quod licet delicta ſint in bonum commune, ſi iudex generaliter interroget, non tamen reuelandus delinquens emendatus, niſi quando iudex poteſt de illo in particulari, & nominatim interrogare, ad quod certum eſt requiri infamiam, aut indicia probata: Idem ſentiunt Caietanus, Sotus, Nauarrus apud Sanchez *vbi ſupra num.* 2.

Clau. reg. Trullench Leſſ. Diana. Sanchez. D. Thom. Sylu.

Caiet. Sotus. Nauar.

8. Teſtis idoneus eſt ille, qui eſt omni exceptione maior id eſt, cui nihil poteſt à iure opponi, nec à iudice repelli, cur ad teſtificandum non admittatur: in dubio autem quiſquis præſumitur teſtis integer omni exceptione maior ſi contra illum nihil oppoſitum fuerit. Minus idoneus eſt, qui poteſt à iure repelli, eo quòd aliquid poſſit ei opponi. De quo latè Couarruuias *in quæſtione practic. cap.* 18. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *num.* 13.

Couar. Gomez.

Aduertendum eſt inter teſtes idoneos cenſeri etiam religioſos; nullo enim iure prohibentur religioſi eſſe teſtes, imò id ijs permittitur, *cap. Nuper, de teſtibus*, & *Authent. de monach.* §. *Cogitandum, collat.* 1. Et hoc verum non ſolùm in cauſis iudicialibus, ſed etiam in inſtrumentarijs, vt in cauſa teſtamenti: cum hac tamen differentia, quod ad teſtificandum in iudicio requiritur licentia ſuperioris, quia iuxta *capit. Si diligenti* & *cap. Significaſti, de foro competent.* non poteſt quis conſentire in iudicem non ſuum abſque eo, quòd grauem iniuriam irroget proprio Superiori: & cùm religioſi ſint exempti, non poſſunt ſe ſubijcere alienæ poteſtati in actu teſtificandi in iudicio. Poſſunt tamen ſine dicta licentia eſſe teſtes inſtrumentarij; quia nullibi id indicitur, nec id eſt alicui iuriſdictioni alienæ ſe ſubmittere. Ita Molina *de iuſtit. tractatu* 2. *diſputatione* 127. §. *verum autem*. Sanchez *libro* 6. *moral. capite* 13. *numero* 100. Lezana *tom.* 1. *capite* 9. *numero* 16. Pellizarius *in manuali regular. tractat.* 6. *cap.* 12. *quæſtione* 17. *numero* 38. Nota tamen, quod vt religioſi non exempti teſtificentur coram Epiſcopo, nulla indigent licentia, vtpote qui ſunt illi ſubiecti; & ſimiliter ea non indigent quando iudex ille Eccleſiaſticus eſſet religioſorum ſuperior. Si autem religioſi ab eius iuriſdictione exempti ſint, indigent licentia vt coram eo teſtificentur: quia teſtificando coram eo ſubduntur iudici non ſuo, qui tanquam iudex eam teſtificationem firmatam petit. Similiter eadem licentia deſideratur cum religioſus eſt teſtificaturus coram ſæculari iudice, vt aduertunt Angelus *verb. Teſtis*, *n.* 3. & ibi Syluester *quæſt.* 1. *dict.* 1.

Molina. Sanch. Lezana. Pellizzar.

Angelus Syluest.

Sed petes *Primo*, an valeat teſtimonium religioſi ſine licentia ſuperioris coram iudice ſæculari, vel alio non ſuo? Reſp. valere, quia nullibi irritatur, & potius interpretanda eſt res, vt valeat, quam vt pereat, *capite Abbate de verb. ſignificat.* Ita Syluester *verb. Teſtis quæſtione prima* Molina *loco citato* Farinacius *tractatu de teſtib. quæſtione* 61. *numero* 134. Sanchez *loco citato numero* 108. qui *numero* 116. temperat hanc reſponſionem cum Bartholom. Socino *conſil.* 17. *numero* 16. *volum.* 1. niſi pars opponat defectum licentiæ ad teſtificandum, & nihilominus admittatur teſtificatio, tunc teſtimonium non valeret: Sicut non valent geſta religioſi, qui ſine licentia ſuſcepit munus executoris teſtamenti hoc ipſo, quod illi opponitur in iudicio talis exceptio, vt diximus ſupra, *verb. Teſtamentum*.

Syluest. Molina. Farinac. Sanchez. Socinus.

Petes *Secundò*, an religioſi poſſunt eſſe teſtes teſtamenti, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur? Reſpondeo quod ſic. Ratio eſt, quia quando aliquid non eſt, ad ſpeciale ſingulorum commodum, ſed vniuerſitatis, aut collegij, poteſt quilibet ex ea vniuerſitate in ea cauſa teſtificari: quia id quod vergit in vtilitatem communitatis non autem ſingulorum immediatam, dicitur ſingulorum proprium; & ſic pars illius communitatis in ea cauſa teſtificans, non dicitur in propria cauſa teſtificari, vt docet Farinacius *tractatu de teſtibus quæſtione* 60. *num.* 463. & multi alij quos refert & ſequitur Bartolus *l. In tantum*, 3. *numero primo*, *ff. de rerum diuiſione*. Sanchez *loco citato numero* 102. Pellizarius *in manual regularium tractatu* 6. *quæſtione decimaſeptima, numero quadrageſimotertio, capite duodecimo*.

Farinac. Bartolus. Sanchez. Pellizzar.

Petes *Tertiò*, an religioſi poſſint cogi ad teſtimonium ferendum? Reſpondeo religioſos non eſſe compellendos ad teſtificandum, niſi quando aliter veritas haberi non poteſt: in cauſis tamen ſanguinis nullo modo compellendos eſſe, ſicut nec clericos, etiamſi aliter veritas haberi non poſſit, niſi in cauſis ipſorum religioſorum, in quorum criminibus numquam imponitur pœna ſanguinis. Iuxta quod debent intelligi conceſſiones Pontificium indulgentes, vt religioſi non poſſint compelli ad teſtificandum in cauſis ciuilibus aut criminalibus. Et ita Pius II. Congregationi Montis Oliueti priuilegium conceſſum à Iulio II. vt ipſi monachi ad teſtimonium ferendum compelli non poſſint, limitauit, niſi quando veritas aliter haberi non poteſt, & tunc ait, quod debent ferre teſtimonium in ſuis monaſterijs.

Pius II. Iulius II.

Hæc limitatio Pij II. tanquam omni iuri conſona, in omnibus ad teſtimonium ferendum priuilegiatis, intelligenda eſt, vt priuilegio non obſtante, quando aliter veritas haberi non poteſt, compelli poſſint. vt docent Panormit. *in cap.* 1. *de teſtibus cogendis* Rodrig. *tom.* 2. *qq. regular. quæſt.* 11. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *ordin. iudic. quæſt.* 17. *art.* 3. *concl.* 6. §. *ſed limitanda*.

Panormit. Rodrig. Miranda.

Notandum tamen quod in prędicto caſu poſſint religioſi

Digitized by Google

gioſi ad hoc cogi per prælatum ſuum regularem, non verò per iudicem ſæcularem, aut etiam per ordinarium loci ſi ſint ab eo exempti: ſiquidem in tali caſu Prælatus regularis non dat facultatem Iudici ſæculari, vt cogat religioſum ad teſtificandum coram ipſo, ſed ſolum facit præceptum religioſo ſubdito, vt teſtificetur coram iudice ſæculari: id permittente iure *in cap. Dilectorum, de teſtibus cogendis*, & dictante lumine naturali iuuandum eſſe proximum in graui neceſſitate, verbi gratia, ad liberandum reum à morte, alias ipſi iniuſte infligenda, vt aduertit Peyrinus *in formul. lit. T. cap. 1.*

Peyrin.

9. Cùm de iure canonico admittantur in teſtes mulieres laicæ, quando aliter veritas haberi non poteſt, multo magis admittendæ ſunt moniales contra alias moniales: nam delicta monialium non niſi per moniales poſſunt probari. Et licet ex dicto duarum fœminarum non poſſit quis condemnari, ſi tamen plures eſſent numero ſupplerent defectum vt ait Decius *in l. fœmina, nu. 35. de regul. iur.* Maranta *de ordin. iudic. cap. 4. num. 45.* Arbitratur tamen Rodriguez *loco citato articulo* 3. hoc non habere locum inter moniales, quæ ſunt religioſæ timentes Deum, & ita duæ ſufficienter probarent, ſi alias omni exceptione maiores ſint Sed in eſſe debent eſſe circumſpecti iudices, & prudentes in interrogationibus faciendis.

Decius. Maranta. Rodrig.

Sed petes, an religioſi, & moniales poſſint aſſiſtere matrimonio vt teſtes? Reſpondeo quod, quamuis ſummopere deceat Religioſos, & moniales abſtinere ab huiuſmodi munijs, ſimpliciter tamen poſſunt aſſiſtere matrimonio tanquam teſtes: quia nullo iure id ipſis prohibetur & ad valorem matrimonij ſufficit, quod teſtes vſum rationis habeant, & nullum aliud in ipſis requiritur. Tum quia ſi à tali munere non excluduntur infames, excommunicati, conſanguinei, parentes, fœminæ, neque infideles, vt diximus *tom. 1. verb. Matrimonium V. num. 12.* non debent excludi regulares, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrimon.* nullos excipit: vt docent communiter Theologi ibi citati.

Cõc. Trid.

10. Quando alicui commiſſa eſt aliqua cauſa, licitum eſt inquirere ea omnia, ſine quibus illa expediri non poteſt, vt dicitur *in capite Præterea, de offic. delegat. & l. 2. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Hinc iudex, cum veritas non poteſt haberi à ſuſpecto, & inuito niſi per torturam, licitè poteſt teſtem ad id torquere; & hæc poterit infligi etiam à iudice regulari ad indagandam veritatem. Quando autem teſtes ſunt torquendi, non iis dari debet copia indiciorum, ac proceſſus; cum plerumque tortura fiat ſuper inquiſitione generali ad inueſtigandam veritatem, & alias neque parti neque teſtibus detur copia inquiſitionis generalis, idque ex communi conſuetudine; quanquam in hoc caute procedendum ſit. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regularium quæſtione duodecima, articulo primo, & ſecundo*, poſt Bartolum *in l. vnus, §. iudex, numero vndecimo, ff. de quæſtionib.* & communem. vide etiam Farinacium *de teſtibus quæſtione 79. à num. 1.*

Rodrig. Bartol. Farin.

An autem debeant torqueri omnes teſtes, qui interfuerunt delicto? Reſpondet ex communi Boſſius *in pract. de tortura teſtium numero decimo, in fine*, non omnes debere torqueri ſed tantum duo vel tres: Sed notat Iulius Clarus *in pract. criminali, §. final. quæſtione vigeſimaquinta numero octauo*, hoc in practica non ſeruari, ſed id relinquendum eſſe arbitrio iudicis, vtrum omnes, vel duo debeant torqueri: quia non appareat, cur in caſu, in quo plures, quam duo vel tres interfuerint delicto, potius hi, quam alij eligi debeant ad torturam: vnde electio torquendorum remitti debet arbitrio iudicis prudentis, & boni. Teſtes autem non poſſunt niſi vna vice torqueri, & hoc præcedentibus aliquibus indicijs ſufficientibus ad quæſtionem, vt poſt alios tradit Rodriguez *loco citato art. 4.*

Boſſius. Clarus. Rodrig.

Aduertendum autem eſt, quod in cauſis fidei omnes præter inimicos capitales in teſtes admitti poſſunt ſine tortura, vt excommunicati, criminoſi, infames, ſocij criminum, vt patet *in cap. fidei fauorem, de hæret. in 6.* periurus, Iudæus aduerſus Chriſtianum apoſtatantem, hæricus, domeſtici, familiares, conſanguinei, mulieres minor 14. annorum; & hoc verum eſt non ſolum ſi procedatur per viam Inquiſitionis, ſed etiam per viam accuſationis. Vide Dianam *part. 4. tract. 8. reſolut. 57.* Maſcardum *de probat. lib. 2. concl. 857. numero* 31. & alios penes ipſos.

Diana. Maſcard.

11. Quando teſtes inhabiles admittuntur ad teſtificandum, ſi torqueantur, tortura purgat eorum defectum, & fidem faciunt contra reum licet alias, ſine tortura non probarent. Et communis Doctorum ſententia, vt tradit Boſſius *in practic. de tortur. teſt.* Vnde teſtis crimine notatus, etiamſi non ſit vilis perſona, non admittitur ſine tortura, ſicut etiam non admittitur ſine iuramento. At vero vilis perſona teſtificans in cauſa criminali probat contra reum ſine tortura, iuxta communem, licet aliqui oppoſitum ſentiant; ſed melius, hoc relinquitur arbitrio boni iudicis: in omni tamen euentu, nunquam adhibetur tanta fides huiuſmodi teſtibus, ſicut alijs. De quo Iulius Clarus *in practic. criminal. §. final. quæſtione* 24. *numero* 13. Rodriguez *loco citato quæſt. 12. art. 3.* Simanca *de hæreticis cap. 62. num* 6. Miranda *tom. 1. ordin. iudic. quæſt. 17. art. 3. concl. 2 & 7.*

Clarus. Rodriq. Simanca. Miranda.

12. In cauſis criminalibus, nunquam teſtis poteſt ponere in ſcriptis, etiamſi legeret ſcripturam: quia cum in cauſis criminalibus probationes debeant eſſe luce meridiana clariores, in ſcriptis non declaratur animus teſtis, ſicut decet. Tum quia iuxta *Legem de minore, §. tormenta. ff. de quæſtionib.* plurimum in excutienda veritate etiam vox ipſa, & cognitoris ſubtilis diligentia affert. Nam ex ſermone, & ex eo, qua quis conſtantia, qua trepidatione quid diceret, vel cuius æſtimationis quis in ciuitate ſua eſt, quædam ad illuminandam veritatem per lucem emergunt. Tum quia ſic decernitur a Calliſto Papa *in cap. teſtes 3 quæſtione 9.* vbi habetur. *Teſtes per quamcumque ſcripturam teſtimonium non ferant, ſed præſentes de his nouerunt & viderunt, veraciter teſtimonium proferant.* Idem dicendum eſt in cauſis ciuilibus magnæ quantitatis, aut qualitatis: tales enim cauſæ, quoad ſolemnitates, & modum procedendi, æquiparantur cauſis criminalibus. In cauſis autem ciuilibus minimis, & parui præiudicij, valeret tale dictum in ſcriptis, maxime ſi talis eſt conſuetudo. Vnde non ſunt condemnandi Prælati regulares, qui audientes minima in viſitationibus conuentũ, ea teſtibus, & denunciationibus ſcribi manu propria præcipiunt. Alias modica, ſeu prorſus nulla fides adhiberi debet chartulis, quæ iudicibus, & Prælati mitti ſolent à nonnullis à iudicio abſentibus pro veritate facienda, ſuper re, ſeu cauſa aliqua. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regularium quæſt. 14. artic. 4. in noua edit.* Couarruuias 2. *variar. cap. 13. numer. 6. &* 11. Farinacius *de teſtibus quæſt. 80. an. 27.* Pelizzarius *in Man. regul. tract. 9 cap. 4. quæſt. 71.* & alij. Quamuis Bartolus *in l. Theoph. ff. de dote præleg. n. 12.* ſuſtineat teſtem poſſe ſcribere dictum ſuum, ac reſpondere per ſcripturam, & ſic de facto practicari Venetijs, ait Rodriguez *ſupra.*

Caſtillus.

Rodrig. Couar. Farin. Pelliz. Bart.

Ab hac tamen regula generali expiuntur mutus, & ſurdus; & quidem mutus tantum, vel ſurdus tantum non prohibetur ferre teſtimonium, ſuper re cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus. Proinde mutus qui non caret intellectu, ſed mentem ſuam nutu, & ſignis certis, & indubitatis exprimere poteſt, non repellitur a teſtificando in ciuilibus, ſecus autem in criminalibus, & ſi litteras ſcribere ſciat, admittitur eius teſtimonium per ſcripturam, licet alias teſtes non in ſcriptis, ſed viua voce deponere debeant, vt poſt Farinacium *quæſt. 60. per totam*, & alios reſoluit Diana *par. 5. tract. 6. reſol. 32.*

Farinac. Diana.

13. Teſtis vocatus ab aliquo vt teſtimonium reddat, tenetur etiam manifeſtare, quæ pro aduerſario faciunt, verbi gratia, ſi Ioannes citetur à Iacobo vt teſtetur pro ipſo aduerſus Petrum, ſcit etiam aliqua quæ conferunt Petro, tenetur etiam illa aperire, & ſi illa taceret, tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti Petro ex taciturnitate. Ratio eſt, quia eſt cauſa damni, illudque ex iuſtitia tenebatur vitare, ſiquidem contra ipſum teſtatus eſt. Ita colligitur ex *cap. 1. de crimine falſi*, vbi dicitur, *Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia*

& ille

Nauar. Sanchez. Riccius. Pellizzar.

& ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Et docet Nauarrus in *Manual.cap.25.num.* 40. Sanchez *in conſil. p.2.lib.6.capit.4.dub.7.* Riccius *in praxi fori Eccleſ. deciſ.* 275. & alij quibus adde Pellizzarium *in Manual. reg.l.tr. 9.cap.6.ſect.2.q.74.*

14. Teſti varianti ab his, quæ prius in iudicio dixerat non eſt adhibenda fides, maximè quando ſibi contrarius eſt in eadem depoſitione: tunc enim eius dictum tãquam falſum in totum reiicitur, vt conſtat ex *cap. licet cauſam, de probation.l. qui falſo, aut variè, ff. de teſtibus*, Teſtis autem varius dicitur ille, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuerſis, vel primo teſtificatur per verbum *Credo*, & deinde aſſertiuè: vel primo, ait ſe nihil ſcire, & poſtea deponit de veritate facti: vel primo teſtimonium affert, & deinde negat ſe depoſuiſſe. Non dicetur tamen teſtis varius, ſi ſtatim in iudicio corrigat propriam teſtimonii depoſitionem, tunc vltima eius depoſitio valida erit, vt ſi antequam tabellio priorem reſponſionem ſcripſerit, vel antequam ipſe teſtis ſubſcribat, priorem depoſitionem reuocet, ac corrigat, tunc enim poſteriori dicto ſtabitur, ſi conſideratis circumſtantiis perſonarum, cauſæ, & temporis, iudici & videatur reuocaſſe ſuum dictum ſtimulo conſcientiæ. Item non dicetur varius, ſi continuo antequam exeat à conſpectu iudicis, & partem alloquatur, ſe corrigat allegando cauſam erroris, & correctionis, & multo magis dum examinatur. Iudex autem debet attendere modum, & cauſam correctionis, an ſit veroſimilis, ſi ex manifeſtis indicijs appareat teſtem, non ex leuitate, ac perturbatione, non prece, aut ſuaſione teſtimonium ſuum corrigere, aut reuocare, à iudice audiendus eſt, *cap. ſicut, de teſtibus.* Ita Couarruuias 2. *variar.c.*13.*nu.*8. Rodriquez *tom.2.qq.regul.quæſt.*10.*ar.*1.*&* 2. Iulius Clarus *lib.5.receptar.§ final.quæſt.*53.*num.* 15. Farinacius *qu.* 66. *de teſtibus, à num.*232. Menochius *de arbitrar. iudic.caſu* 308. Sanchez *lib.6.conſil.cap.5.dub.* 13. Notandum autem eſt, quod teſtis varians in ſuis depoſitionibus torqueri poteſt, nec facit fidem, niſi firmet dictum in tortura, etiamſi ſit Clericus, vel Monachus, Et quidem laicus à iudice laico torqueri poteſt, Eccleſiaſticus à iudice Eccleſiaſtico, Regularis à Iudice regulari, a quo interrogatur. Ita Rodriquez *loco citat. articul.* 3. Couarruuias, Clarus, & communis: vt tamen teſtis torqueri poſſit, requiritur quod fateatur ſe facto interfuiſſe, & quod variatio ſit in ſubſtantialibus, ac etiam in cauſa criminali, & quod non ſit in dignitate conſtitutus, niſi in criminibus exceptis, vt aliis adductis reſoluit Trullench *in decal. l.8.c.3. dub.7.num. in fine.*

Couarr. Rodrig. Clarus. Farinac. Menoch. Sanch.

Rodrig. Couar. Clarus.

Trullench

Quomodo autem ſint teſtes examinandi, & an ſint poſt eorum receptionem publicandi, & an teſtes examinati ante litis conteſtationem aliquid probent contra reum, &c. qui hæc potius ad praxim iudicum, & iuriſperitorum, quam ad conſultationem Theologorum ſpectant, proinde illa omittimus, de quibus Sanch. *lib.6.conſil.cap.5.dub.* 19. Rodriguez *tom.2.quæſtionum regular.q.* 15. *art.* Iulius Clarus *lib 5.ſentent.§ final.quæſt.*49.*&* q.61.& alij.

Sanch. Rodriq. Clarus

15. Quamuis teſtis, qui ſcienter, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, teneatur in ſolidum omnia damna reſtituere, quia iniuſte, & per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni, vt habet communis ſententia Doctorum. Tamen ſi reus iam erat ſufficientiſſime per alios teſtes conuictus, & teſtimonium huius accedens nihil effecit, eo quod, nec iudex firmior factus ſit, nec pœna propter illud aucta, non tenetur talis ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia etſi talis grauiter peccauerit falſum teſtimonium ferendo, non tamen eſt efficax cauſa damni, ſicut ferens ſuffragium in cauſa mortis poſtquam alii tulerunt numerum ſuffragiorum ſufficientem ad mortem, non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.* 2.*cap.*30.*numer.* 52. Petrus Nauarra *de reſtitut.lib.*2.*cap.*3.*num.* 252. Bonacin. *in decalog.diſp.*10.*quæſt.*3.*punct.*3.*num.*15.*verſ. Verum vero*, & alii.

Leſſius. P. Nauar. Bonac.

16. Qui alios induxit ad falſum teſtimonium dicẽdum, tenetur ex iuſtitia eos monere, vt ſe retractent, quod ſi nolint, tenetur eos, & totam ſuam machinationem, etiam cum periculo vitæ iudici aperire, vt ſcilicet innocens liberetur. Nihil enim differt, an teſtimonio, vel conſilio, aut inductione aliorum, cauſa occiſionis innocentis fuerit: ſi enim ego cauſa ſim aliquo modo iniuſtæ occiſionis, teneor cum vitæ meæ periculo illum, quacumque via poſſim, à morte liberare. Qui vero eos non induxit, nec fuit cauſa teſtimonii illorum, tenebitur ſolum lege charitatis, & fraternæ correptionis eos monere, & ſi nolint, eos manifeſtare, vt defendatur innocens, non tamen lege iuſtitiæ, aut cum vitæ propriæ periculo eos reuelare, aut monere tenebitur, Ita Clauis Regia *lib.*12.*c.*19.*n.*9. P. Nauarra *l.* 2.*c.*3.*n* 253. Leſſius *loco cit.n* 54. Bonacina *loco cit.nu.*16. Trullench *in decal.l.8.cap.3.dub.8.n.6.* & alii, quid limitant, modo ſpes ſit, retractationem eſſe profuturam.

Clau. reg. P. Nau. Leſſius. Bonac. Trullench

Quando autem plures concurrunt falſi teſtes, & omnes ſunt efficax cauſa damni, & nullus eſt inductor, tenetur quilibet ſeorſum ſe retractare, etiam cum periculo vitæ: quia, licet vno ſe retractante, adhuc reus maneat conuictus, fieri tamen poteſt, vt alii etiam ſe retractent. Tum etiam, quia aperitur via iudici, vt inquirat de aliis, & veritatem deprehendat; in ſolidum enim quilibet eſt cauſa damni, & in ſolidum etiam tenetur reſtituere, ſi ſperetur probabiliter retractionem eſſe profuturam aliter non tenetur, cum nullus ad opus inutile obligetur. Ita Clauis Regia *loc.cit.n.*10. Trullench *loco cit.n* 7.

Clau. reg. Trullench

17. Teſtis, qui pecunias accepit, vt verum fateatur, peccat, & tenetur eas reſtituere, ſicut iudex vt rectam ferat ſententiam. Probatur ex *cap. Non ſane* 14.*q.*5. vbi euidenter tradit D. Auguſtinus illicitum eſſe pecuniam pro vero teſtimonio accipere, & in ſubſequentibus docet poſſe litigantem repetere a teſte, quicquid illi dedit pro ferendo teſtimonio. Ratio eſt, quia quando acceptio eſt iniuſta, & prohibita, licet datio ſit iuſta ad redimendam vexationem propriam, datur repetitio in iudicio. Quamuis igitur litigans potuerit licite dare aliquid teſti, quo indiguit, vt teſtimonium verum diceret in iudicio, teſtis tamen inique illud accepit, quia nemini licet aliquid accipere pro re, ad quam alias tenetur ex præcepto. Ita ex communi Nauarrus *in Man.cap.25.num.*45. Toletus *l.* 5.*cap* 59. Valentia *tom.3.diſp.5.q.6.punct.5.dub.*4. Trullench *in decalog.lib.8.c.3.dub.9.n.*1. Clauis Regia *loc.cit.num.* 12. Cuius Auctor Sayrus cum Salon 2.2.*q.*70.*ar.*4.*in fine*, & alius arbitrantur non reſtituendas pecunias ante iudicis ſententiam. Ratio eſt, quia teſtis tenetur ex ſola charitate teſtari, conſequenter nolens teſtari abſque pecunia, peccat ſolum contra charitatem, peccatum autem contra charitatem non obligat ad reſtitutionem.

D. Aug.

Nau. Toletus Valentia. Trull. Clau. reg. Salon.

Quando autem teſtis accepit pecunias vt falſum deponat, tenetur ad ſic acceptum reſtituendum in conſcientia ante vllam iudicis ſententiam. Ratio eſt, quia tenetur quis ex iuſtitia ad non dicendum falſum, vnde accipiendo aliquid, ſiue vt dicat falſum, ſiue vt non dicat falſum, peccat contra iuſtitiam, pecunia vero accepta contra iuſtitiam, ſtatim in foro animæ ex natura rei, & ratione iniquæ acceptionis eſt reſtituenda. Ita Corduba *in ſumma q* 67. Bannez *in* 2.2.*quæſt.*70.*art.*4. Valentia, Salon *locis citatis*. Quamuis non ſit improbabilis ſententia aſſerens, accipientem aliquid pro falſo teſtimonio ferendo, non teneri ad reſtitutionem opere ſubſequuto, ante iudicis ſententiam, licet teneatur reſtituere damnum illatum parti, contra quam falſum teſtimonium tulit. Ita Bonacina *loco citato num.*18. Trullench *loco cit.dub.9.n.*2. citans Nauarrum, P. Nauarra, & alios,

Corduba Bannez. Valent. Salon.

Certum eſt tamen apud omnes, teſtem poſſe licite expenſas accipere, dum extra ſuum domicilium ad ferendũ teſtimonium proficiſcitur; quia non tenetur cum ſuo damno, & expenſis ferre teſtimonium. Ideo teſtis curare poteſt vt ſibi reficiatur damnum emergens, & lucrum ceſſans pro tempore quo ſe cauſa ferendi teſtimonij detinuit, ex *cap. ſi teſtes* 4. *q.* 3. vbi habetur, *venturis autem ad iudicium: per accuſatorem, aut ab his per quos fuerint poſtulati, ſumptus competentes miniſtrentur, etiamſi in pecuniaria cauſa ab alterutra parte teſtes ſint producendi*, & docent Clauis Regia *lib.*12.*cap.*19.*num.*13. & alii communiter. Hæc ſatis de teſte ſufficiant. Plura apud Doctores hic citatos inuenies.

Clau. Reg.

Vide v. Tortura *num.*9. Hæreſis *num.*11. *& ſeq.* Matrimonium 2.*num* 39.*&* 40. Mutuum *num.* 33. Probatio

num,

Digitized by Google

*num.*14.19. *&* 20. Profeſſio *num.*22. Reſtrictio mentalis *num.*8. Sepultura *num.*11. Sponſalia *num.*20. Teſtamentum *num.*10. *& ſeq.* Accuſatio *num.*5.

TORTVRA.

SVMMARIVM.

1. *Tortura rei quare introducta, & quando adhibenda.*
2. *An iudex poſſit reum ſubijcere torturæ ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitime eſt conuictus per teſtes, etiamſi nolit crimen fateri; Et an reus confeſſus poſſit torqueri ad extorquendum complices.*
3. *Quæ requirantur vt quiſpiam propter famam torqueri poſſit.*
4. *Alia indicia recenſentur propter quæ reus poteſt ſubijci torturæ.*
5. *Antequam iudex reum torqueat, an teneatur concedere illi indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit.*
6. *An ad idem teneatur iudex regularis? Et an in cauſis regularium ſint teſtium nomina reuelanda.*
7. *Quando valeat confeſſio facta in tortura non data copia indiciorum, & quando non? An confeſſio facta in tortura, debeat poſtea confirmari, vt quis condemnetur? An tortura poſſit repeti apud regulares.*

1. TOrtura reorum introducta eſt, non in pœnam delicti, quia cum non ſit plene probatum non poteſt puniri, ſed in ſubſidium probationis, puta, quia ſufficiens & plena probatio deeſt, vt confeſſio rei ſuppleat, quod ad plenam probationem requiritur. Proinde non poteſt adhiberi tortura, niſi quando crimen eſt ſemiplene probatum, vel præcedunt vrgentia indicia: & tunc eam adhibere conſentaneum eſt naturali rationi, ne improbi impune peccent, dum vident non poſſe condemnari cum ſemiplena tantum probatione, tamen poſſe torqueri. Hinc tortura tantum eſt adhibenda in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali mortis, mutilationis, vel triremium caſtiganda ſunt non autem in ijs, quæ exilio vel pecunia: quia reo nondum conuicto, non poteſt irrogari pœna, quæ ſit maior quam illa ad quam ipſe condemnandus eſt. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*29.*n.*151. Sanchez *in conſ.part.*2.*lib.*6, *cap.*3.*dub.*15.*num.*1. & communis. Quamuis in crimine hæreſeos iudices ad torturam proniores eſſe oporteat, & facilius ad quæſtionem veniendum ſit, quia eſt crimen ſuapte natura occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. Tum quia confeſſio rei in hoc caſu non ſolum Reipublicæ, ſed ipſemet hæretico plurimum eſt profutura. Ita Roias *de hæreticis, part.*2.*n.*295. *&* 296. Simanca *in Catholic. inſtit.tit.*65. *num.*51. Diana *p.*4. *tract.*6. *reſol.*1. & alij.

Leſſius. Sanchez.

Simanca. Diana.

2. Iudex non poteſt reum ſubijcere torturæ ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitime eſt conuictus per teſtes, etiamſi nolit crimen fateri. Ratio eſt, quia cum tortura ſit inuenta in ſubſidium probationis, ob defectum probationis, fruſtra inferretur conuicto, quia iam ipſius confeſſio non eſt neceſſaria ad condemnandum. Ita Nauarrus *in Manual.cap.*18.*n.*59. Iulius Clarus *quæſt.*64.*num.*8. Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.*2.*cap.*39. *num.*29. & alij apud ipſos. Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus tortura poteſt adhiberi. *Primus* eſt, quando reus iam conuictus malitioſe appellat ad ſuperius tribunal, vt executionem iuſtæ ſententiæ impediat, in locis, in quibus iuxta ſuæ patriæ leges conceditur ipſi appellatio; quod in Italia regno Caſtellæ permittitur, ſi non ſit confeſſus crimen, vt teſtatur Nauarrus *in cap. inter verba, num.*377. tunc enim ſi crimen eſſet atrox, vt latrocinium, ſacrilegium, &c. & expediret reum ibi puniri, poſſet torqueri ad eliciendam confeſſionem vt iniqua appellatio impediatur. Secus dicendum in locis vbi non conceditur reo conuicto, non tamen confeſſo appellatio, vt in Gallia in cauſa capitalis ibi enim non licet tortura, quia conuictus non confeſſus poteſt condemnari. Ita Trullench *in decalog. lib.*8.*cap.*1.*dub.*20. *num.*2. Salon, Leſſius apud ipſum.

Nauar. I. Clar. Souſa.

Trullench. Leſſius.

Secundus caſus eſt, quando reus putatur habuiſſe ſocios, vel commiſiſſe alia crimina: tunc enim poteſt de his interrogari per torturam; talis tamen tortura in caput alienum debet eſſe moderata pro ratione cauſæ, & indiciorum, vt docet Iulius Clarus *quæſt.*64. *num.*8. Becanus *tom.*3.*de iuſtit.& iur.quæſt.*67.*de iniuſtit.iudicis, quæſt.*19. *num.*5. Diana *part.*4.*tract.*6.*reſolut.*27. & alij iuriſperiti apud ipſum.

Becanus. Diana.

An autem requiratur ſemiplena probatio, vel indicia æquipollentia, quod ſocios criminis habuerit reus, vt torqueri poſſit? Affirmant Leſſius *lib.*2.*cap.*29.*num.*152. Farinacius *de hæreſi, quæſt.*185.*num.*183. Simanca *in Cathol. inſtitut. tit.*65. *num.*60. & alij multi apud Dianam *ſupra*. Verum in materia hæreſeos decretum eſt à Pio V. 28. Iulij anno 1569. hoc modo. Pontifex inhærendo decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ IV. Sanctiſſimus D.N. Pius V. decreuit omnes & quoſcumque reos conuictos, & confeſſos de hæreſi pro vlteriori veritate habenda, & ſuper complicibus fore torquendos arbitrio iudicium. *Sic ibi*. Sed quia decretum loquitur ſine præfata limitatione, ideo in praxi Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis etiam ſine vllo indicio complicum infertur tortura ſuper complicibus: quia hæreſis eſt delictum tale quod communiter ſine ſocijs, & complicibus committi non conſueuit.

Leſſius. Farinac. Simanca.

3. Inter indicia propter quæ reus ſubiici poteſt torturæ. *Primum* eſt, fama publica de auctore criminis: vt autem propter famam quiſpiam torqueri queat, hæc omnia ſimul requiruntur, quod reus vilis, & infamatus ſit: quod fama ſit orta non à maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis & fide dignis, & poſtremo quod per teſtes idoneos probata ſit, nec ſat eſt, quod teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant, quæ id neceſſario concludant; proinde dicendum eſt, ſolam famam, niſi ſit vehemens vel adminiculata, non facere indicium ad torturam. Ratio eſt, quia fama in criminalibus non probat, ſed ſe habet inſtar accuſatoris, eſtque indicium remotum, & fallax, ac proinde ſola non ſufficit, niſi ſit ſic adminiculata. Ita Simanca *loco citato, titul.*65. *n.*37. Sanchez *in opuſcul.tom.*2.*lib.*6.*cap.*3.*dub.*15.*num.*19. Miranda *de ordine iudiciar.tom.*2.*qu.*26. *art.*5. *concl.*1. *&* 2. Pegna *in direct.Inquiſit.p.*3.*comm.* 110. & alij apud Dian. *p.*4.*tr.*6. *reſ* 13.

Sanch. Miranda. Pegna. Dian.

4. Secundum indicium eſt rei confeſſio extra iudicium, vt ſi ſaltem apud duos ſe iactauerit de crimine, vel ſe auctorem fecit? vel ſi confeſſio facta eſt iudici non competenti, id eſt, qui non habet poteſtatem in cauſa cognoſcendi, eo quod non eſt reus illi ſubiectus, vel cauſa eſt exempta. Hæc confeſſio & ſi non ſufficiat, vt reus poſſit condemnari, poteſt tamen torqueri tanquam ex indicio, quod maximam præſumptionem ingerit, dummodo non ſit extorta metu tormentorum ſed ſit ſpontanea. *Tertium* eſt, aſſertio duorum, vel trium ſociorum cum iuramento, modo non ſit iuſta ſuſpicio, id eſt maleuolentia fieri. *Quartum*, fuga ſtatim patrato delicto antequam accuſetur, aut citetur, maxime ſi coniungatur fama, & communis ſuſpicio vt ordinarie fit, alioquin fuga ſola non ſufficit: ſi autem citatus compareat, abſtergit omnem ſuſpicionem *Quintum* eſt inimicitia grauis, non tamen ſola, ſed cum alijs indicijs ex ea pendentibus. *Sextum* eſt, inconſtantia, vacillatio & titubatio rei dum examinatur circa principalia cauſæ, iuncta alijs indicijs; ſola tamen titubatio non ſufficit *Septimum*, ſi quis viſus ſit exire ex aliqua domo, vel loco cum enſe & ibi reperiatur aliquis interfectus. *Octauum*, ſi res ſublata reperiatur apud reum, niſi docere poſſit, vnde eam habeat. *Nonum*, ſi furto magno cõmiſſo cuius neſcitur auctor, aliqua vilis perſona quę ibi crebro verſari ſolet, appareat repente diues; ex hoc enim naſcitur ſufficiens ſignum ad torturam. De his indicijs vide Leſſium *lib.*2.*c.*29.*nu.*156. *uſque ad n.*166. Trull. *in decalog.lib.*8.*c.*1 *dub.*21. Dianam *part.*4.*tract.*6. & alios penes ipſos quibus adde Hieron. Rodriguez *in compend. reſ.*4.5.*num.*3. Et Emanuelem Rodriguez *tom.*2.*qq.regul.*

Leſſius. Trullench. Diana. Rodriq. Ema. Rodr.

Digitized by Google

queſt.20.art.3. Iulium Clarum *in practic.criminal.§.final. quæſt.25.* Gomez 3.*variar.cap.12. & cap.13.* Mirandam *tom.2. ordin. iudic. quæſt.26.* Porro in delictis occultis, & difficilis probationis ſufficiunt minora indicia, & non ita plene probata ad torquendum. Quod extenditur etiam ad reum, qui interrogatus iuridice à iudice, renuit reſpondere, vel reſpondet non ita præciſè, vt tenetur: quo caſu poteſt abſque alijs indicijs torqueri, non ad habendam eiuſdem confeſſionem, ſed ad extorquendam reſponſionem affirmatiuam, vel negatiuam præciſè ſuper delicto. Ita Anton. Gomez *tom.3.variar.cap.12.num.5.* Clarus *lib.5. ſentent.§.final.quæſt.45.n.6.§.ſed pone,* Maſcardus *lib.3.de probat.concl.1385.num.15.* & alij. Vide dicta ſupra *v. Præſumptio, num.4.& ſeq.*

Clarus. Gomez. Miranda.

Gomez. Clarus. Maſcard.

5. Cum defenſio propria ſit de iure naturali, tenetur iudex antequam reum ſubijciat torturæ, concedere illi indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit, præfinito certo termino ad ſe purgandum, per textum *in l.vnius,§.cogniturum,ff.de quæſtion.ca.cum inter, de exception.* Quam copiam tenetur iudex tribuere, quamuis eam reus non petat. Deinde reo etiam propalanda ſunt nomina teſtium, iuxta *cap.qualiter, & quando el 2.§.debet igitur, de accuſ.* etiam quando iudex procedit ex mero officio, vel etiamſi inquiſitus ſit malæ famæ & vitæ, nam ſublatis iſtis tollitur defenſio de iure naturali, niſi conſtaret, etiam data dicta copia indiciorum, nullam adhuc habere defenſionem. Ita ex communi Anton. Gomez *tom.3.variar.c.13. nu.21.* Farinacius *tract. de indicijs & tortura, quæſt.38.& q.39.* Miranda *loco cit.quæſt.26.art.14.* Trullench *in decal. lib.8.cap.1.dub.21.num.11.* Iulius Clarus *in praxi §.final. quæſt.49.* & alij. Tamen in aliquibus caſibus non eſt danda reis dicta indiciorum copia ante torturam. *Primò,* quando delictum fuit notorium, vel reus repertus eſt in flagranti delicto, vel quando reus calumnioſas exceptiones, & defenſiones proponit ad protrahendam, & in longum dilatandam condemnationem, quas iudex merito reijcere debet. *Secundò,* in latronibus famoſis, & aſſaſſinis, pro quibus conſtat nullam adeſſe cauſam defenſionis.

Gomez. Farinac. Miranda. Trullench Clarus.

Et quantum ad nomina teſtium propalanda, in cauſa hæreſis hoc non procedit, vt habetur *in cap.final. de hæretic.in 6.* & obſeruat communis, & recepta praxis ſacræ Inquiſitionis, ita determinante ſacra Congregatione Eminent. Cardinalium die 14. Maij 1566. apud Dianam *p.4.tract.6.reſol.28.* cum multis ibi citatis.

Sac.Cong. Diana.

6. Iudex regularis tenetur etiam dare reo ſubdito copiam indiciorum, etiamſi ipſe reus illam non petat. Ratio eſt, quia cum Prælatus regularis ita ſit iudex religioſi ſibi ſubditi, vt communiter etiam ſit eius Aduocatus: & ſicut Aduocatus tenetur procurare ſuo clienti præfatam copiam indiciorum, ſic & prælatus regularis tenetur eam procurare ſuo ſubdito, illam ipſi exhibendo, ne alioqui careat debito remedio ſuæ defenſionis; præſertim cum talis exhibitio indiciorum videatur eſſe de ſubſtantia iudicij, non autem ſolum ſpectare ad apices iuris. Ita reſoluit Rodriguez *tom.2.qq.regul. quæſt.20.art.3.* & poſt illum Pellizzarius *in Man.regular.tract.9.cap.4.ſect.2.q.55.*

Rodriq. Pellizzar.

An autem in cauſis regularium ſint teſtium nomina reuelanda, antequam tortura adhibeatur? Reſpondeo probabile eſſe quod non. Ratio eſt, quia cum religioſis plurimum commodi ex animi tranquillitate procedat, nihilque ſic religionis quietem labefactet, ſicut teſtium nomina, quandoquidem ex hoc acerbiſſima excitentur odia, vltiones expectentur, innumeraque perturbationum ſemina naſcantur; videtur quod in regularium cauſis ſufficiat, ſi Capitulorum notitia conceſſa, defenſionis locus non excludatur; limita, niſi in aliquo caſu grauiſſimo, & ſpecialiſſimo, puta in cauſis grauium criminum. Tum etiam, quia regulares in ſuis iudicijs non tenentur ſequi rimulas & apices iuris, ex Conſtitutione Bonifacij Papæ VIII. talis autem eſt manifeſtatio nominum teſtium: Ergo. Ita Rodriguez *tom.2.quæſtionum regularium, quæſt.3.art.1.* Hoſtienſis. Manſus *apud illum,* Miranda *tom.1. Ordin.iudic.q.14. art.3.concluſ.2.* Pellizzarius *loco cit.q.54.*

Bon.VIII. Rodriq. Hoſtienſ. Manſus. Miranda. Pellizzar.

7. Non valet confeſſio facta in tortura, non data copia indiciorum, quando iudex tenetur illam dare abſque eo quod petatur, etiamſi poſtea ratificetur extra tormenta, & ex tali confeſſione non ſit puniendus reus. In caſibus vero, in quibus iudex non tenetur dictam copiam dare reo non petenti, valet talis confeſſio. Et hoc in cauſis regularium omnino obſeruandum eſt; nam manifeſtatio indiciorum non eſt de apicibus iuris, quibus iudices regulares non aſtringuntur, ſed eſt quædam res, quæ ad ſubſtantialia, & eſſentialia iudicij ſpectat. Ita Rodriquez *tom. 2.q.20 art.6.* De quo Anton. Gomez *t.3.var.c.13.num.8.*

Rodriq. Gomez.

Illud demum hic adnotandum eſt, quod cum confeſſio delicti facta in tormentis ſit nulla ad effectum condemnandi reum, niſi extra tormenta ratificetur poſt aliquod tempus ex iudicis arbitrio definiendum iuxta qualitatem rei torti, & tormentorum: ita vt veroſimile ſit metum ceſſaſſe, ex quo confeſſio reddebatur nulla. Proinde ad hoc vt Regularis poſſit condemnari vi confeſſionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam poſt aliquod tempus, quale eſſe poſſet ſpatium trium dierum. Et licet iudices ſæculares poſſint iuſtè ſæpius repetere tormenta; ſi vel reus minus acriter tortus fuerit, vel poſt primam torturam ſuperueniant noua indicia ſufficientia, vel certe priora indicia ſint multum vrgentia, & reus torquendus admodum conſtans: in cauſis tamen regularium non decet Prælatos regulares repetere conſueta tormenta, niſi aliter ſuadeat, ſiue grauitas delicti, ſiue vehementia indiciorum de nouo ſuperuenientium longe maiorum prioribus: quia punitio Regularium magis ordinatur ad emendationem, quàm ad vindictam, & primis appoſitis torturis, præſumitur religioſus ad pœnitentiam conuerſus, cum vexatio det intellectum. Ita probabiliter, & pie Rodriq. *loco citato, art.9.* Monet Lezana *in ſumm.verb. Iudex, nu. 14,* ex Syluestro, & alijs, Regulares mitius torquendos eſſe, tum ob metum excommunicationis, ſi excedatur in tortura, ac eius modo, tum ob reuerentiam ſtatus religioſi, & regulariter abſtinendum eſſe ab ijs tormentis, quibus moraliter loquendo, reus non poſſit reſiſtere, vt ſunt torturæ in manibus, in pedibus, aut in ſcapulis cum guttis feruentibus ſuper dorſum religioſorum diſtillatis: hæ enim omnino illicitæ ſunt, & prohibitæ, vtpote excedentes modum conſuetum Religionum, vt etiam notauit Rodriquez *loc.cit.art.8.*

Rodriq. Lezana.

Rodriq.

De repetitione, ſeu iteratione torturæ agunt Doctores *in l.repeti,ff. de quæſtionibus.* Anton. Gomez *t. 3.variar.c. 13.num.26.* Iulius Clarus *lib.5.ſenteat.§.final.q.64.nu. 36.* Farinacius *de indic.& tortura, q.trigeſima octaua, a nu 72.*

Gomez. Clarus.

De tortura vide *v.* Teſtis *num.10.& 11.& 14.* hæreſis *n.14.* Præſumptio *n.3.4.& ſeq.*

TRANSACTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit tranſactio?*
2 *An tranſactio ſit contractus innominatus?*
3 *An valida ſit tranſactio de re dubia tam in foro conſcientiæ, quam externo?*
4 *An poſſit quis tranſigere circa bona aliqua, aut compromittere, qui illa non poteſt alienare?*
5 *An tranſactio ſuper alimentis abſque iudicis auctoritate inualida ſit?*

1. TRanſactio eſt *de re dubia, & lite incerta, & nondum finita, non gratuita pactio, ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo L.1.ff. de tranſact. L. ſi cauſa C. de tranſaction.* Molin.2.d.556.n.4. Præter rei dubietatem requiritur, vt non ſit circa rem, de qua iam lata ſententia ſit, quæque in rem tranſierit iudicatam. Si enim inualida ſit, iuramento minime firmatur; at is qui iurauit, relaxationem prius curare debet.

Molin.

2. *Tranſactio* eſt contractus innominatus, *facio vt facias:* habet autem ſimilitudinem cum locatione, & iuxta illam regulanda eſt: tranſit in nominatū, ſi ſtipulatione veſtiatur; ſi fiat ſub certa pœna nolēti illi ſtare

ad alterum cogi poteſt; nempe vel ad illi ſtandum, vel ad ſoluendam pœnam illam. Si iurata ſit tranſactio, & appoſita pęna contrauenienti, vtrumque peti poteſt, & quod ſeruetur tranſactio, & quod ſoluatur pœna: ſi iurata non ſit, ſed tantum munita ſtipulatione Aquiliana, & appoſita contrauenienti, tunc etiam poteſt exigi pęna ab eo, qui contra illam venit. Filliuc. *tr. 39. c. 8. q. 5. 6. 7.* Molina, *cit. num. 7. 8. 9. & 10.*

3. *Tranſactio* de re dubia valida eſt, tam in foro conſcientiæ quam externo: ad inſtitiam autem tranſactionis requiritur, vt inter tranſigentes æqualitas ſeruetur: ſi alter tranſigentium deceptus ſit vltra, aut infra dimidium iuſti valoris, datur actio decepto, vt vel contractus reſcindatur, vel reducatur ad æqualitatem, iuxta volũtatem eius qui decepit: quod præcipue contingere poteſt in ruſtico, & muliere *L.* Lucius *iunct. gloſ. ibid. ff. ad Trebell.* Molin. *c. n. 20. Fill. q. 11.* Molin.

4. Ille qui non poteſt alienare bona aliqua, nec etiam poteſt tranſigere circa illa, aut compromittere, qui enim tranſigit etiam alienat. In *teſtamentis* tranſactio prohibita eſt, quando fieret ſine ſcientia eorum, quæ in teſtamento continentur. Sententia ſuper iis, quæ continentur in teſtamento non viſo, etiamſi eo viſo aliter iudicandum eſſet, Valida quidem eſt, ſed reſcindenda. Si ignorentur contenta in vltima voluntate defuncti, & facta tranſactio ſit cum debitore hæreditatis, inualida eſt, etiamſi fiat cum renunciatione iurium, quæ diſponunt eam inualidam eſſe, *L. non ſolum C. de præd. minor.* Molin. *c. d. 557. n. 1. L. de his ff. de tranſact.* Fill. *c. c. 9. q. 5. & 6.* Molin.

5. *Tranſactio* ſuper alimentis, ſi relicta ſint ex vltima voluntate, & pręſtanda ſint in futurum, abſque iudicis auctoritate inualida eſt: ſi iuramento firmetur, valet. *L. cum hi ff. de tranſact.* Couar. *c. quamuis pactum p. 2. §. vlt. nu. 12.* *Tranſactio* vero *particularis*, ad alias res non extenditur, licet extendatur etiam ad connexa, & dependentia: ſi petitione præuia generali, ſecuta eſt tranſactio generalis tunc etiam, quoad incognita generaliter intelligenda tranſactio eſt, modo abſit dolus: ſi *generalis* ſequatur, poſt petitionem particularem, & reſtringi poteſt ad illa ſola particularia, non intelligitur de alijs rebus. *L. ag. cum C. de tranſact.* Molin. *diſput. 558.* Fill. *citat. cap. 9. quæſt. 9. & 10.*

Vide *Adulterium*, n. 6.

SVPPLEMENTVM.

Tranſactio.

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint tranſigere: & circa quæ poſſit fieri tranſactio? An habeat locum in delictis.*
2 *An Procurator cum generali clauſula poſſit tranſigere.*
3 *In quibus caſibus tranſactio valida ſit, alienatione prohibita.*
4 *Tranſactio particularis, an extendatur ad alias res.*
5 *An tranſactio generalis, generaliter debeat intelligi, etiam quoad incognita, quæ tunc non occurrebant, ſi petitio litis fuit generalis.*
6 *De tranſactione generali ſecuta poſt petitionem particularem. Et an ex tranſactione debeatur tributum, ſeu gabella.* Roſella Tabiena.
7 *Compoſitio quid ſit, & an latius pateat, quam tranſactio.*
8 *Compoſitio quotuplex.*

1 QVi habet bona vinculata, non poteſt tranſigere circa illa, nec compromittere; qui enim tranſigit etiam alienat. Proinde feudatarius non poteſt tranſigere, aut compromittere circa res feudales, ob eam rationem: nec hæres grauatus aliquid reſtituere: nec prælatus circa bona Eccleſiæ, quia ea alienare non poteſt; & ſicut ad alienandum requiritur ſolemnitas, de qua diximus *tom. 1. verb. Alienatio, num. 5.* Et ſicut minor ipſe, Tutor, aut Curator ſine iudicis decreto alienare non poſſunt bona immobilia minoris, aut ea mobilia pretioſa quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ita ſine eodem iudicis decreto tranſigere, aut compromittere circa illa non poſſunt. Ita habetur *l. non ſolum, Cod. de prædiis minor. & cap. cum temporibus, de arbitr.* & docent ex communi Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 557.* Filliucius *tract. 39. cap. 9. q. 1.* Trullench *in decal. lib. 7. cap. 28. dub. 6. num. 8.* Qui nouiſſimus tenet cum Villalobos *2. par. tract. 29. diffic. 1.* poſſe tranſactionem fieri in delictis capitalibus, excepto adulterio, quæ pœna ſanguinis, immo & mortis digna ſunt, ex *l. tranſigere, Cod. de tranſactione* non vero in delictis, quæ pœna ſanguinis non puniuntur. Molin. Filliuc. Trullench Villalob.

2. Procurator alicuius conſtitutus ad agendum, ac defendendum non poteſt tranſigere, aut compromittere, niſi ad id habeat ſpecialem facultatem, *l. Tranſactionis, Cod. de tranſaction.* Vnde non ſufficit generalis clauſula, vt poſſit omnia exequi, quia exigitur ſpecialis. At ſi concederetur, vt poſſit in particulari aliquid agere quod requirit ſpeciale mandatum, & adderetur clauſula generalis, quod poſſet etiam exequi omnia, quæ requirunt ſpeciale mandatum, tunc poſſet exequi alia non expreſſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, ac proinde poſſet tranſigere, vt habetur *in cap. qui ad agendum de procurat. in 6.* & docet ex communi Couarruuias *2. var. cap. 5. num. 8.* Item, qui Procurator in rem ſuam conſtituitur, vt quia creditor illi conceſſit debitum, aut ius totum, quod circa id, de quo agitur, habet, tunc tranſigere circa id poteſt, & facere quoduis aliud, quod alioquin exigeret ſpeciale mandatum.

3. Excipiuntur quidam caſus, in quibus tranſactio valida eſt, alienatione prohibita. *Primus*, eſt ſi tranſactio fiat auctoritate ſupremi Principis, aut conſummetur ad tollendas lites, & grauia damna. Nomine autem Principis, Summus etiam Pontifex intelligitur in iis, quæ ad Eccleſiam ipſiuſque iuriſdictionem ſpectant, ex *cap. 1. de tranſact.* vbi Summus Pontifex vult, quòd tranſactio quædam, eſto alioquin eſſet inualida; ex ſua tamen confirmatione, & auctoritate robur obtineat. Eodemque modo tranſactiones, & compromiſſa valida ſunt inter duos ſupremos Principes, ob commune bonum. *Secundus*, ſi tranſactione fiat, vt res quæ alienari non poteſt, maneat apud eum, qui eam poſſidet, & is det alteri pecuniam, vel aliud quod alienare poſsit, Gloſſa, & Bartol. *in l. Nulli, ff. de tranſact.* Abbas *in cap. cum contingat, de tranſact.* & alij. Gloſſa. Bartol. Abbas.

Tertius, quando tranſactio, aut compromiſſum eſſent neceſſaria, quia ſcilicet ſtatuto, aut ſententia Iudicis eſſent præcepta, præſertim ſi accedat Principis iuſſio ad vitanda ſcandala in ardua aliqua, ac difficili cauſa: prohibitio enim intelligitur in alienatione, quæ ſit voluntaria, non verò de neceſſaria.

Quartus, ſi in tranſactione, & compromiſſo conſentiant omnes, in quorum fauorem prohibita eſt alienatio, ne ipſis præiudicetur: & vbi requiritur ſolemnitas, ea etiam adſit, ſi bona ſint minorum, aut Eccleſiæ. Ita Molina *diſput. 557. n. 7. & ſequentibus*, Filliucius *loco citato, quæſt. 3.* & alij. Molin. Filliuc.

4. Tranſactio particularis, hoc eſt, circa rem particularem, vel res particulares in tranſactione expreſſas, non extenditur ad alias res, ſed integrum manet intentare actionem aduerſus eundem cum quo facta eſt tranſactio, circa quaſcumque alias res, non verò circa res illas in particulari, vt conſtat ex *l. age C. de tranſact.*

Quando tranſactio fuit particularis circa rem, ſi fuit vniuerſalis quoad actiones, quia dictum eſt, quod vnus tranſigentium cedit alteri, ac remittit quodcumque ius, quod habere poterat circa eam rem quocumque titulo: tunc res illa peti ab eo non poteſt ex quacumque alia cauſa, ſeu titulo, quo de nouo comperiatur ad ipſum pertinuiſſe. Quod ſi nihil horum expreſſum ſit, tunc ex petitione rei illius ex cauſa particulari, vel vniuerſali, menſuranda erit tranſactio, an ſit particularis vel vniuerſalis. Ita Bartolus *l. ſi de certa C. de tranſact.* Bartol.

5. Quando tranſactio eſt generalis, & eam antecedit petitio generalis, tunc intelligenda eſt tranſactio generaliter, etiam quoad incognita, quę tunc non occurrebant: ideoque qui traoſegit eo modo, repellitur poſtea a petitione cuiuſcunque rei, quæ comprehenſa fuit illis verbis generalibus. Ita habetur *l. ſub prætextu 2. Cod. de tranſact.* Ratio eſt, quia vt valida ſit tranſactio circa incognita in particulari, ſub illa generalitate contenta, ſatis eſt, quod de generalitate fuerit cogitatum, & tranſactum, non facta exceptione eorum. Tamen ſi dolo alicuius tranſigentium ſint res aliquæ occultatæ, aut non manifeſtatæ, quæ comprehendebantur in ea vniuerſalitate, tunc tranſactio non extenditur ad res illas dolo occultatas, vt habetur *l. tres fratres ff. de pactis.* Si item incognita debebantur ex vltima voluntate, & minimè oſtenſa, & cognita priùs ex vltima voluntate, facta fuit tranſactio vniuerſalis, quæ res illas comprehenderet, talis tranſactio inualida eſt, Molina *diſp.* 558. Filliucius *loc. cit. n.* 160.

Molina. Filliuc.

6. Tranſactio generalis ſequuta poſt petitionem particularem, ſi poteſt reſtringi ad ſola illa particularia contenta io petitione, tunc non intelligitur de rebus aliis: quia ſequentia intelliguntur ea quæ præceſſerunt, quando nihil eſt quod obſtet, *l. ſi de certa, Codic. de tranſactionib.* Si verò tranſactio generalis non poſſit reſtringi, ſalua proprietate ſermonis, ad ſolam rem, aut res de quibus erat petitio, vt quia actor, dum tranſegit, dixit ſe recedere ab actionibus, & renunciare iuri, quod tam circa rem, de qua erat petitio, quam circa quaſcumque alias poterat habere; tunc tranſactio extenditur ad omnia, etiamſi actor non cogitauerit de illis in particulari: ſatis enim eſt cogitaſse vniuerſaliter, & in confuſo, & quod intenderit id totum remittere, quod ex verbis ita generalibus tranſactionis præſumitur. Ita Bartolus *in leg. emptor*, § *Lucius ff. de tranſaction.* Molioa *loco cit. num.* 5. Trullench *in decalog. l. 7. cap. 28. dub. 6. num* 12. Filliucius *loco cit. n.* 162. & alij.

Bartol. Molin. Trullench Filliuc.

Porrò circa tranſactionem eſt obſeruandum, quòd ex illa non debeatur tributum, ſeu gabella, eſto pecunia detur alteri tranſigentium, vt a lite recedat; quia tributum debetur ſolùm ex emptione, & venditione, atque ex permutatione, longè autem diuerſus contractus eſt tranſactio, eſto in eo pecunia interueniat. Si tamen fraus adeſſet, quia ſimularetur tranſactio, cùm tamen contrahentibus tempore ſimulatæ tranſactionis conſtaret, rem, circa quam tranſigi dicitur, verè eſſe eius, qui illam alteri tradit, aut relinquit pro pecunia, aut re alia, tunc eſſet vera emptio, & venditio, aut permutatio, ac proinde deberetur tributum, ſeu gabella, vt cum aliis obſeruant Molina, Filliucius, Trullench *locis citatis.*

Molina. Fili. Trullench

7. Compoſitio latiùs patet quàm tranſactio, *eſt enim pactio de re aliqua, vel circa quam nulla eſt controuerſia, aut eſſe poteſt.* Quare, quando Summus Pontifex in Bulla Cruciatæ, aut per ſeipſum, aut Summum Pœnitentiarium debitori ſummæ perſonis incertis, condunat maiorem partem, & minorem applicat in ſubſidium belli contra infideles, vel in aliud opus pium, non dicitur id eſſe tranſactio, ſed compoſitio, & gratis remittit debitum, de quo nulla eſt controuerſia: quippe cùm reliquum, quod ſoluitur in auxilium belli contra infideles, aut ad alium finem, ſit etiam debitum, ac obnoxium reſtitutioni. Quando verò cum recompenſatione aliqua controuerſia dirimitur, & vnus alteri concedit rem, vel ius de quo controuertebatur, non eſſet tranſactio, ſed compoſitio, aut condonatio, vel pactio, latè ſumpto vocabulo. Ita Molina *diſp.* 556. *n.* 5. & alij.

Molina

8. Compoſitio diuidi poteſt in eam, quæ eſt de re, circa quam nullum eſt dubium, & in eam, quæ eſt de re circa quam aliquod eſt dubium, ad quem pertineat, vel pertinere in futurum debeat. Et hæc ſubdiuiditur in eam, qua vnus contendentium aliquid, quaſi in pretium, tribuit alteri, vt recedat à lite, & condonet ius, quod prætendere poterat circa rem illam, & hæc eſt tranſactio: quia verò comprehenditur ſub compoſitione amplè ſumpta, meritò interdum compoſitio nuncupatur.

Diuiditur præterea in eam, qua amicabiliter lis, & controuerſia componitur arbitrio prudentis, ſiue diuidendo rem, aut emolumentum, quod ex ea ſperatur, inter contendentes, aut id aliunde compenſando pro qualitate, & quantitate iuris dubijs, vt lites finiantur, & ſeruetur pax: & hæc compoſitio interuenire poteſt etiam in rebus ſpiritualibus, & beneficialibus; non autem illa prior, qua aliquid datur in pretium, vel quaſi pretium. Molina *loco citato, num.* 6. Trullench *loco citato num.* 14. De hac compoſitione vide dicta *tom.* 1. *v. Reſtitutio V.* § 2. *n.* 13. & 14.

Molin. Trullench

Vide v. Simonia *numer.* 11. 12. & *ſequent.* Gabella *num.* 13.

TVTELA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit tutela, & tutor?*
2 *Quotuplex ſit tutela?*
3 *Qui poſſint eſse tutores? & qui a iure repellantur?*
4 *Ex qua culpa teneatur tutor?*
5 *Quæ ſunt obligationes tutoris.*
6 *Quanam bona pupilli poſſit tutor alienare, ad ſoluendum æs alienum.*
7 *An tutor, & curator teneantur quamprimum poſſint facere inuentarium de rebus pupilli?*

1 TVtela eſt ius & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe tueri nequit, à iure ciuili data ac permiſsa; *Inſtitut.* § *eſt autem de tutela, Inſtiut. de curator.* vnde tutor dicitur qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione, ſui iuris factum, vel factam tuetur: Principaliter tutor datur io defenſionem perſonæ, quæ propter ætatem defendere, ſe nequit, ſecundariò verò, datur ad tuendas res. Ex oppoſito curator principaliter datur ad defendendas res, ſecundariò in defenſionem perſonæ: Tutor datur pupillo, ſeu impuberi; curator verò minori, id eſt, illi qui expleuit quatuor decim annos. Sylueſt. *v. tutela.* Fill. *tr.* 39. *c.* 4. *n.* 53.

Sylu. Fill.

2. Triplex eſt tutela, ſicut triplex tutor. Prima dicitur teſtamentaria, ſeu tutor teſtamentarius, cùm ſcilicet pater, vel alius ex aſcendentibus dat filio tutorem in teſtamento. Secunda dicitur legitima, quæ datur à lege abſque hominis facto, cùm nullus eſt tutor teſtamentarius, & defertur ei, qui primo loco debebat ſuccedere pupillo ab inteſtato, is enim tenetur ſuſcipere tutelam eius, quia vbi eſt ſucceſſionis emolumentum, ibi & tutelæ onus eſse debet. Tertia dicitur datiua, quæ ſcilicet datur à Iudice, cùm nullo tutore dato in teſtamento, nec extantibus conſanguineis idoneis ad tutelam, Iudex ex officio ſuo dat tutorem. Durat autem tutela vſque ad 14. annum completum in mare, & 12. in fœmina, deinde incipit cura vſque ad 25. completum in vtroque; *Inſtit. qui. mo. tutel. fi. & reſtit. de curat.* Sylu *cit. q.* 1. Fill. *c. n.* 54. Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 19. *p.* 2.

Sylu. Bonac.

3. Tutor poteſt inſtitui ille, qui alterius curam ſuſcipere poteſt, & a iure non prohibetur: vnde impubes, & minor non poſſunt conſtitui tutores, ſicut nec furioſus, mente captus, prodigus, mutus qui loqui nequit, ſurdus qui audire nequit, ſeruus, fœmina, Religioſus, creditor vel debitor pupilli, regulariter loquendo, non poteſt eſse ipſius tutor, vel curator, & ratio eſt, quia omnes à iure repelluntur; *l. ſi hæreditas* § *ſi furioſus ff. de teſtamen. tutel.* Bonac. *cit. p.* 3. Fill. *cit. n.* 55. Notandum tamen eſt, quòd mater, & auia tutelam filiorum ſuſcipere poſſunt, ſi velint, & præferuntur aliis tutoribus legitimis, & datiuis, non verò teſtamentariis; verùm ſi mater, & auia tranſeant ad ſecundas nuptias, contracto matrimonio, tutelam ipſo iure amittunt, & bona ſecundi mariti obligata remanent pro reddenda ratione adminiſtrationis. *Auth. matri, & auia, C. quando mulier tutelæ officio fungi poteſt;* Sylu. *cit. q.* 2. Filiusfamilias præciſo alio impedimento, poteſt conſtitui tutor:

i fil us

Digitized by Google

l. filiusfamilias, ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni. Clerici autem non poſſunt cogi ad ſuſcipiendam tutelam, & id eſt eorum priuilegium; poſſunt tamen ſi volunt recipere legitimam, non autem datiuam, vel teſtamentum, *c. final. diſt.* 86.

4. Tutor tenetur ex eadem culpa, qua negotiorum geſtor, nempe ex dolo, culpa lata, & leui, & ad omnia negotia pupilli, ex quorum omiſſione ſequeretur pupillo detrimentum: & hoc maximè ſi officium tutoris pretio exerceret, tunc enim cùm officium tutoris, ſeu curatoris vtile ſit pupillo, ſeu minori, & ipſimet tutori, ſeu curatori, ideò tenetur de leui culpa; *l. 2. C. ſi tutor, vel curator, l. tutori, C. de negot. geſtis*. Salarium autem tutori, vel curatori conſtituendum eſt à principio, alioquin non debetur, niſi iuſta cauſa ſuperueniat, dum enim ſalarium ab initio conſtitutum non eſt, cenſetur tutor, vel curator gratis tutelam ſuſcepiſſe, & iuri ſuo ceſſiſſe. Molina *d. 555. n. 1.* Menoch: *de arbitr. l. 2. caſu* 512. Bonac. *cit. p. 4. n. 2.*

Molin. Menoch. Bonac.

5. In particulari tutor tenetur ad tria. *Primò*, vt conſeruet pupillos intactos à criminibus, & illos bonis moribus imbuat; ob id tutor aſſignare poteſt ſtipendium præceptoribus pupilli, iuxta qualitatem pupilli, & quantitatem patrimonij. *Secundo*, vt res eorum præſeruet ab iniuria, vnde tutores dicti ſunt quaſi tuitores. *Tertiò*, quòd pecuniam eorum, vel bona mobilia, quæ ad nihilum valent ſi ſeruentur, conuertant in prædia, ex quibus percipiant fructum, alioquin tenetur tutor pupillo ad fructus quos poterat habere deductis expenſis, & periculis; quod tamen intelligi debet, ſi tutor id potuit facere, & ſi erant venditores; *cap. 1. & 1. quæſt. 1.* Sylu. *cit. q. 4.* Filliuc. *cit. n.* 57. Bonac. *cit. punct. 4. n. 2.* Rebel. *2. part. lib. 17. q. 1. n. 10.*

Syluest. Filliuc. Rebel.

6. Si ad ſoluendum æs alienum vendenda eſſent aliqua pupilli bona, tutor primo loco alienare debet res inutiles, deinde res minùs vtiles, vltimo loco bona ſtabilia, ſi reliqua non ſufficiunt ad perſoluenda debita, vnde infertur nefas eſſe tutori, vel curatori vendere bona ſtabilia pupilli, niſi ex magna, & vrgenti cauſa; *l. ob æs, C. de præd. minor.* Sylu. *c. q. 4.* Tabiena *v. tutor, §. 2.*

7. Tutor, qui adminiſtrauit, tenetur quamprimùm poterit facere inuentarium de rebus pupilli, niſi cauſa neceſſaria, vel iuſtiſſima impediatur: idem dicendum de curatore. Cauſa autem neceſſaria ex parte tutoris eſt morbus ex parte rei, quia non reperiatur adhibita ſufficienti diligentia. Cauſa verò iuſtiſſima dicitur, ſi teſtator remiſit confectionem inuentarij, niſi ex cauſa contrarium videretur in iudicio; *l. Tutor, qui repertorium, ff. de adminiſtrat. tutorum; l. hac conditio, ff. de condit. & demonſtrat.* Sylu. *cit. q. 6. & 7.* In duobus tamen caſibus non tenetur: *Primò*, ſi conſuetudo eſſet, quòd non fieret. *Secundò*, ſi Iudex ex cauſa remitteret. Hoc autem inuentarium fieri debet in præſentia publicarum perſonarum; ſufficit tamen Notarius, nec præſentia Iudicis neceſſaria eſt, niſi vt fiat fides contra debitores nominum, quorum nomina ſcribuntur in inuentario. Inuentarium verò fieri debet omnium rerum corporalium, & inſtrumentorum, id eſt, omnium iurium corporalium de quibus apparent inſtrumenta, vel probationes in bonis pupilli; *l. tutores, Cod. de adminiſt. tut.* Syluest. *cit. q. 8. & 9.* Filliuc. *cit. n. 60. 61.*

Syluest. Filliuc.

Vide *Promiſſio*, n. 13. *Locatio* 2. n. 3.

SVPPLEMENTVM.

Tutela, Tutor.

SVMMARIVM.

1 *An Religioſi poſſint eſſe tutores teſtamentarij, aut datiui?*

2 *An tutelam legitimam Religioſi ſuſcipere poſſint, & teneantur? Et quid de tutela miſerabilium perſonarum?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, Epiſcopi, debitores minores, vel eius creditores, poſſint eſſe tutores, vel curatores illius?*

4 *An qui Regi eſt obligatus, miles in militia occupatus, pauper, poſſit eſſe tutor, vel curator?*

5 *An tutor poſſit pupillum, vel pupillum impuberem Religioni offerre, etiam poſt Concilium Tridentinum?*

6 *An tutor, & curator teneantur omnia iura, bona & actiones ſui pupilli, ſeu minoris conſeruare? Et an teneantur ſatiſdare, id eſt, promittere, & cautionem præſtare, rem pupilli ſaluam fore? Et an omnia bona tutoris, & curatoris tacitè ſint hypothecata minori?*

7 *An tutor, vel curator, qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit, teneatur ad reſtitutionem, totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus, vel minor? Et an tutor, vel curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt, ſine Iudicis decreto vendere, & permutare poſſit?*

8 *Quibus modis tutela, aut cura iure communi Cæſareo finiatur?*

1 CErtum eſt, Religioſos non poſſe eſſe tutores teſtamentarios, aut datiuos, id enim eis interdicitur à iure *in cap. final. diſtinct. 86. & in Authent. de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. Deo autem amabiles, collat. 9.* Ratio eſt, quia tutela contraria eſt ſtatui religioſo. Tum quia non habent Religioſi bona, quæ obligationi ſubijciant pro ſecuritate adminiſtrationis, vti fieri ſolet: Imò acta à Religioſis facta tanquam tutoribus, irrita eſſe nonnulli Doctores probabiliter arbitrantur, ex *dicta Authentica*, vbi dicitur, *Monachos ex nulla lege tutores, aut curatores cuiuſcumque perſonæ fieri permittimus*, quæ verba denotant, Religioſos non eſſe legitimas perſonas ad hoc munus, etiamſi illud ſuſcipiant ex licentia ſuorum Superiorum, quia hi non poſſunt diſpenſare in iure communi. Ita Molin. *tom. 1. de iuſtit. diſp. 221. verſ. Religioſus.* Roſella *verb. Tutela, n. 2.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 14. num. 22. & 23.* & nouiſſimè Pellizzarius *in Man. regular. tract. 6. c. 12. q. 10.* & alii.

Molina. Pellizz.

2. Dubium eſt inter Doctores de tutela legitima, an eam ſuſcipere poſſint Religioſi? Affirmant quidam nullo modo poſſe cogi ad eam ſuſcipiendam; at ſi velint eam ſuſcipere, id eis licere, ſicut licet Clericis ſæcularibus. Ducuntur, quia etſi hoc munus interdicatur Religioſis in dicta Authentica, corrigitur tamen per *caput finale, diſtinctione* 86. vbi ea tutela permittitur Religioſis. Atque ita docent Gloſſa *in dict. capite final. verb. Tutela*, Angelus *verb. Tutela numer. 1.* Syluester *ibidem, quæſt. 3.* Tabiena *quæſt. 1. num. 2.* & alii. Sed verius eſt non poſſe Religioſos legitimam etiam tutelam ſuſcipere, quia non apparet vbi id corrigatur, *in dicto capite finali*, teſtibus Molina *loco citato*, Sanchez *loco citato*, *numero* 25. Bonacina *de contractib. diſputat. 3. quæſt. 19. punct. 3. numero 2. verſ. Sexto.* Pellizzario *loco citato*, & aliis. Eadem difficultas eſt, de tutela miſerabilium perſonarum, an poſſint, & teneantur eam Religioſi ſuſcipere? Doctores prioris ſententiæ ſuſtinent non tantùm poſſe, ſed teneri ſuſcipere, ex *dicto capite final. diſtinct. 86.* Sed poſtremi negant obligari poſſe ad hoc munus, propter rationem iam dictam, quia non poſſident bona, quæ pro adminiſtranda tutela vlli obligationi ſubiiciant. Nam tutor, ſeu curator ex mala adminiſtratione obligatur pupillo, aut minori, imò antequam adminiſtrationem ſuſcipiat, cauere, ſeu ſatiſdare cogitur per fideiuſſores, aut pignora, niſi teſtamento nominatus, vel à Iudice cum inquiſitione datus ſit. Sed Religioſi neque talem cautionem facilè præſtare, neque vllam pro tutelæ adminiſtratione obligationem contrahere poſſunt, cùm bona nulla habeant, & alias tutelæ munus a religioſa profeſſione alienum ſit, vt etiam reſoluit Layman *lib. 3. tractat. 4. capit. 9. num. 4.*

Angel. Syluest. Molin. Sanch. Bonac.

3. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti tutores, & curatores eſſe non poſſunt teſtamentaria, aut datiua tutela: legitima verò, quando proximiores ſunt in

gradu pupillo, eſſe poſſunt, ſed non tenentur. Ita habetur *Authent. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Deo autem amabiles, & Auth. Presbyteros 3. Cod. de Epiſc. & Cleric.*

Epiſcopus etiam tutor, aut curator eſſe non poteſt, niſi miſerabilium perſonarum, quarum bona perirent, niſi ipſe ſuccurreret; & in hac cauſa fas eſt etiam Clericis tutores, aut curatores eſſe miſerabilium perſonarum, vt habetur *cap. fin. diſt. 86. cap. 1. diſt. 88.*

Qui debitor eſt minoris, aut furioſi, mente capti, aut prodigi, tutor vel curator illius eſſe non poteſt. Idem eſt de eo, qui minori aliquid debet. Si autem poſtquam aliquis tutor eſt, aut curator, aut creditor efficiatur minoris, quia videlicet ſuccedit in hæreditate debitoris, aut creditoris minoris, vel aliqua alia ratione, tunc debet ei adiungi alius tutor, aut curator, & ita perſeuerabit tutor, aut curator cum hoc alio adiuncto. Ita habetur *in Authent. Minores. Cod. qui dare tutores poſſunt, & in Authent. vt hi qui obligatus ſe habere, in princip.*

4. Qui Regi eſt obligatus, quòd prædia, vel alios illius reditus conductos habeat, ita vt bona ipſius Regi tacitè ſint obligata, non poteſt eſſe tutor, aut curator, per *l. vel cum fiſco, ff. de confirmand. tut. & l. vltim. Cod. qui dare tutor. poſſunt.*

Miles, qui arma geſtat, atque in militia eſt occupatus, tutor eſſe non poteſt, etiamſi velit, *§. item in milite. inſtit. de excuſationibus tutor.* Etſi tutelam adminiſtret, non tenebitur actione tutelæ, ſed ſolùm negotiorum geſtorum, *l. Militia, Cod. qui dare tutor. poſſunt.* Denique qui morbo perpetuo laborat, ita vt rectè adminiſtrare non poſſit bona minoris, aut quocumque alio ſimili perpetuo impedimento eſt impeditus, nec tutor, nec curator eſſe poteſt, *§. item propter aduerſum, inſtitut. de excuſat. tutor.*

Propter paupertatem excuſatur quis à tutela, & cura alterius, ſi tota ſua induſtria, ac tempore indigeat ad ſeipſum competenter ſuſtentandum, *§. ſed & propter paupertatem, inſtitut. de excuſat. tutor.* Multi alij cenſus enumerantur in iure, in quibus homines à munere tutoris, & cu-

Molin. ratoris excuſantur, quos cernere licebit *in Inſtitut. de excuſ. tutor. & eodem tit. ff. per totum.* vide Molinam *tr. 2. de iuſtit. diſp. 222.*

5. Tutor poteſt pupillum impuberem religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat, modo non ſit inuitus. Probatur prima pars, quia tutor eſt inſtar patris; ideò ſi pupillus habeat parentes, & tutores, poſſunt tutores, parentibus non contradicentibus, pupillum religioni offerre, vt apertè colligitur ex *cap. puella, 20. quæſt. 2.* vbi deciditur tutoribus conſciis ingreſſus pupilli & tacentibus anno & die, non permitti ampliùs reuocare, eo quòd ea taciturnitas ſit quæ iam tacita oblatio. Probatur ſecunda pars, quia ſicut pater non poteſt filium inuitum offerre religioni, ita neque tutor. Tum quia ſuſceptio ſtatus religioſi libera eſſe debet, & ita ſe habet oblatio ad profeſſionem religionis, ſicut ſponſalia ad matrimonium: ſicut autem ſponſalia non obligant impuberem contradicentem, ita neque oblatio ad religionem. Quare ſi tempore inſtantiæ offeratur puer religioni, poterit poſtea exire antequam ingreſſum illum à parentibus, vel tutoribus factum, iam vſu rationis potitus ratum habeat. Et hanc partem apertè probat *c. Præſens*

Sanch. 20. q. 3. & vtramque docent Panorm. Cardin. *in c. 1. de re-*

Roſella *gul.* Sanch. *lib. 4. moral. c. 18. n. 25. & 26.* Roſel. *verb. No-*

Tabiena. *uitius, n. 3.* Tabiena *ibi quæſt. 1.* & alij.

An autem hæc doctrina habeat locum circa puellas impuberes, attento iure nouo Tridentini *ſeſſ. 25. capit. 17. de regularibus*, vbi dicitur: *Sancta Synodus ſtatuit, vt ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam explorauerit Epiſcopus virginis voluntatem.* Reſpondeo etiam hoc iure nouo non obſtante puellas impuberes poſſe à parentibus, vel tutoribus religioni offerri. Ratio eſt, quia hoc nouum decretum non corrigit ius antiquum, nihil enim ibi de puellæ ad religionem admittendæ ætate decernitur, & ſi voluiſſet ius antiquum corrigere, expreſſis verbis, dixiſſet puellas offerri non poſſe religioni antè duodecimum annum. Ita docent Michael Medina *de ſacror. hominum continentia, lib. 4. controuerſ. 9. cap. 4.* & poſt illum Sanchez *loco cit. numer. 34.* contra Azor. & Rodriq. dicentes, attento prædicto decreto, puellas duodecim annis minores, non poſſe ad habitum regularem ſuſcipiendum admitti.

Vide dicta ſuprà v. Nouitiatus *num. 4.*

6. Tutor, & curator tenentur conſeruare omnia iura, bona, & actiones ſui pupilli, ſeu minoris, & vendere bona alioquin peritura, & pecuniam pupilli conuertere in emptionem bonorum ſtabilium, & in defectum bonorum ſtabilium conuertere illam in ſocietatem, vel cenſum, prout magis vtile viſum fuerit.

Proinde tenetur tutor, aut curator bona illa adminiſtrare, ea cura, & diligentia, quam paterfamilias bona fide ſuis propriis rebus præſtare debet, *l. a tutoribus. ff. de adminiſtrat. tutor*, vnde reficere debet ædes, & cætera, quæ ad ſui conſeruationem refectione indigent. Tenetur etiam facere colere prædia, aut ea locare, prout expedire iudicauerit, & tenetur greges nutrire, &c. Hac de cauſa iure ciuili commune decretum eſt, vt tutores legitimi, alijque dati abſque inquiſitione, teneantur ſatiſdare, id eſt promittere, & cautionem præſtare, rem pupilli ſaluam fore, nec priùs adminiſtrare debeant, quam ſatiſdederint, *leg. 1. Cod. de tutor. & curator. qui ſatis non deder.* Proinde tutores, & curatores, qui ſatiſdare tenentur, ſi antequam ſatiſdent, aliquid alienent, vel contractum faciant, aut ſententia in cauſa minoris contra eos detur, omnia ipſo iure ſunt nulla. Ita habetur *l. 3. & vltim. Cod. de tutore, qui non ſatiſdat.* Quando autem tutores, aut curatores teſtamento ſunt dati, non ſatiſdant, neque in eis neceſſaria eſt Iudicis inquiſitio, vt habetur *Inſtit. de ſatiſdat. tutor.* De iure etiam communi quando furioſo, aut mente capto datur curator, remittitur ſatiſdatio, ſi ſufficientia habeat bona vnde ſatisfaciat, vt habetur *l. de creatione. §. ſit autem, Cod. de Epiſc. aud.*

Illud autem eſt obſeruandum, ſi is, cui ſatiſdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minùs idoneam, concedi minori, mente capto, aut prodigo, actionem aduerſus illum, quantum ipſis intereat, idoneam fuiſſe receptam. Ita habetur, *Inſtitut. de ſatiſdat. tutor. §. 5. ſciendum autem.* Porrò vniuerſim bona tutoris, & curatoris tacitè ſunt hypothecata minori à puncto tutelæ, aut curæ ſuſceptæ, ita vt ad quemcumque deuenerint, poſſit illa minor extrahere, vt ſibi ſatisfiat, vt habetur *l. pro officio, Cod. de adminiſtrat. tut. l. de creationibus, Cod. de Epiſcop. audient.*

7. Tutor, vel curator, qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit, tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus culpa tutoris, vel minor culpa curatoris; & hoc verum eſt, etiamſi lucrum illud ceſſans adeò magnum ſit, vt totam ſortem principalem excedat. Imò tutor, & curator tenentur ad reſtituendos fructus omnes, deductis expenſis, quos ex bonis pupilli, ſeu minoris percipere poterant, ſed ſua culpa non perceperunt. Ita Syluester *verb.* Syluest.

Tutor, §. 4. Rebellus *de oblig. iuſtit. p. 2. lib. 27. quæſt. vnic.* Rebell.

de tutor. n. 15. & alij.

Hinc tutor, vel curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt, vt veſtes attritas, iumenta minori non neceſſaria, triticum, vinum & oleum, atque his ſimilia poteſt ſine Iudicis decreto vendere, permutare, atque alienare, *l. lex quæ, & l. vltima, §. vltim. Cod. de adminiſtrat. tutor, & l. vltim. Cod. quando decreto opus non eſt.* Tenetur autem tutor huiuſmodi res congruo tempore vendere, neque tandiu expectare, quouſque pereant, alioquin ſuo damno pereunt, *l. Tutor qui repertorium, §. ſi tutor, ff. de adminiſtration. tutor.* Non tenetur autem mittere triticum, & res alias in alium locum, vbi plus valeant, vt ibi vendantur, ſed ſatis eſt eas vendere vbi exiſtunt, vt decernitur *in l. vltim. Cod. de adminiſtrat. tutor.* & docent Bartolus, & Salicetus *ibi.*

8. Modi, quibus tutela, aut cura, iure communi finitur, ſunt ſequentes. Primus eſt, quando pupillus, aut pupilla ad annos pubertatis peruenit, *Inſtitut. quibus modis*

tute-

tutela finiatur. Et tunc tutor tenetur pupillum admonere, vt curatorem petat, alioquin ſubijcitur periculo curæ, donec adoleſcens factus ſit maior, *l. ita autem*, §. *ſi tutor*, *ff. de adminiſtrat. tut.*

Secundus, ſi impubes de conſenſu arrogetur, tranſit in poteſtatem patris arrogantis, & tutela ceſſat. Si pupillus ab hoſtibus capiatur, dari debet bonis pupilli eum tutore curator, *l. ſi arrogati*, *ff. de tutel.*

Tertius, amittitur tutela morte, vel pupilli, vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, per quam libertatem, aut ciuitatem amittat, hoc eſt, maxima vel media. Similiter etiam maxima, media aut minima capitis diminutione pupilli, id eſt, per arrogationem illius, tutela finitur. *Inſtitut. quib. mod. tutel. finiat.* §. *ſimili modo*, & §. *ſed & capitis*.

Quartus eſt, ſi tutela ſub conditione, aut ad certum tempus data ſit, adueniente conditione, aut finito tempore, finitur tutela. *Inſtit. eod. tit.* §. *ſed etſi*, & §. *præterea*.

Quintus, quando tutor diſſipat bona pupilli, aut ipſius vitæ inſidiatur, aut alia facit contraria officio tutoris, hic remouendus eſt, tanquam ſuſpectus, ab officio, §. *ſuſpectus*, *inſtitut. de ſuſpect. tutor. vel curator.* Qui verò ob segnitiem, reſtitutionem, inertiam, aut ſimplicitatem, à tutela, aut cura meritò remouetur, aut ad eam tanquam ineptus non admittitur, non appellatur ſuſpectus, ſed ineptus ad tale munus, neque infamiam ex remotione ab eo incurrit, *l. 3. & vltim. ff. de ſuſpect. tutor.*

Quacumque autem ex cauſa tutela, aut cura finiatur, rationem integram adminiſtrationis tutor, & curator reddere tenentur, & reſtituere bona omnia minori, vel ipſi, ſui iuris omninò effecto, vel ſucceſſori illius, vel ei, qui in tutela, aut cura ſuccedit, ſuntque bona omnia tutoris, aut curatoris tacitè hypothecata pro reſtituendis integrè bonis minoris, vt dictum eſt ſuprà, ex *l. pro officio*, *C. de adminiſtrat. tut.*

Vide v. Excommunicatio 2. *num.* 14. Negotia geſta *num.* 10. Reſtitutio in integrum.

V.

VANA GLORIA.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit vana gloria? & an differat ab ambitione & ſuperbia?*
2 *Quot modis appetitus gloriæ poſſit eſſe inordinatus?*
3 *Quale peccatum ſit vana gloria?*

1. VAna gloria, eſt appetitus inordinatus gloriæ, circa opera à ſe facta, vt ab hominibus laudetur: per hoc differt vana gloria ab ambitione, & ſuperbia; nam etſi omnia iſta appetunt eandem excellentiam, non tamen ſub eadem ratione. Superbia enim excellentiam appetit ſub ratione excellentiæ, in quantum eſt quidam gradus ſublimis, per quem alios excellit: Ambitio verò eandem excellentiam appetit, quatenus ſcilicet illi honor exhibetur: Vana gloria autem eandem appetit, quatenus per manifeſtationem honoris, ſequitur laus & gloria. Vide D. Thom. 2. 2 *q.* 132. *art.* 1. Tolet. *de ſeptem peccat. mort. c.* 6. Sylu. *v. vana gloria.* Nauar. *cap.* 23. *num.* 10. Fernandez *p.* 4. *cap.* 2. §. 2. *num.* 5. & alios. D. Thom. Toletus Nau.

2. Appetitus gloriæ multis modis poteſt eſſe inordinatus. *Primò*, cùm quis gloriatur de eo, quod non eſt, vel ſi eſt, non eſt gloria dignum. *Secundò*, cùm quis appetit gloriam de aliquo, quod non eſt ſuum, ac ſi eſſet ſuum. *Tertiò*, cùm appetit gloriam de eo, quod malum eſt, & indignum gloria. *Quartò*, quando laus, & gloria, quæ appetitur, non refertur in honorem Dei, & proximi vtilitatem, actu vel habitu. D. Thom. *cit.* Summa Corona confeſſorum *de vana gloria*. Fernand. *cit. num.* 8. Tolet. *cit. num.* 5.

3. Appetitus inanis, aut vanæ gloriæ, peccatum eſt, quia quodlibet vanum appetere vitioſum eſt. Ex genere tamen ſuo non eſt mortale, niſi in quantùm Dei, & proximi charitati opponitur, quod fieri poteſt multis modis; *Primò*, cùm vana gloria eſt de peccato mortali aliquo, qui enim complacet, aut appetit laudari de aliquo mortali, peccat mortaliter. *Secundò*, cùm appetitur talis laus ob finem mortalem. *Tertiò*, cùm homo paratus eſt tranſgredi, aut de facto tranſgreditur aliquod præceptum ob vanam gloriam. *Quartò*, cùm ob vanam gloriam ſequitur notabile damnum proximo. D. Thom. *cit. art.* 3. Toletus *cit. cap.* 7. Summa Corona *cit.* Sylueſter *cit. num.* 2. Syluius 2. 2. *q.* 132. *art.* 3. Fernandez *cit. num.* 9. D. Thom. Tolet.

VENATIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit venatio? & an Princeps vel Magiſtratus poſſit illam prohibere?*
2 *Ad quid teneatur Princeps, qui venationem ſibi reſeruat? vel qui iniuſte alterum impedit piſcari aut venari?*
3 *Quas perſonas non deceat venationem exercere?*
4 *An venatio poſſit eſſe mala, ſi fiat contra publicam vtilitatem?*
5 *An venatio reddatur illicita ratione loci interdicti?*
6 *An venatio ſit illicita, quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis vel conceſſionis?*
7 *An teneatur ad reſtitutionem qui venatur vel occupat feras manſuetas vel manſuefactas?*

1. VEnatio eſt, exercitium ordinatum ad captionem animalium terreſtrium, ſicut aucupium ordinatur ad captionem auium, & piſcatio piſcium: quamuis iſta ſint a natura, & de ſe licita, Princeps tamen vel Magiſtratus Reip. poteſt ea prohibere in aliquibus caſibus. *Primò*, ſi populus conſentiat, poteſt enim cedere iuri ſuo. *Secundò*, ſi iudicetur id neceſſarium ad ſuſtinenda onera Reipublicæ, nempe vt inde conſletur maxima vis pecuniæ, officio, & adminiſtrationi Principis neceſſaria. *Tertiò*, ad ſolam recreationem poſſunt etiam Principes vel Magiſtratus abſque conſenſu populi, ius venandi in quibuſdam locis, non in omnibus, ſibi reſeruare, vel perſonis de Republ. benè meritis illud ius tribuere, cæteris excluſis: Non ſolùm autem Princeps, ſed etiam Dominus agri, poteſt prohibere ne quis venetur, vel aucupetur in ſuo agro, modò hoc non cedat in damnum vicinorum, nec feræ nimiùm multiplicentur. Syluester *v. venatio*. Sa *v. venatio n.* 4. Leſſius *lib.* 2 *c.* 5. *n.* 34. Medina *c. de reſtit. q.* 12. Molina *tom* 1. *diſp.* 43. & 47. Couar. *reg. peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 10. 11. Diana *tract.* 6. *miſc. reſol.* 18. *p.* 3. & alij. Sil. Boſſius. Medina. Molina. Couar. Dian.

2. Princeps, qui ius venandi ſibi reſeruat, obligatur ad cauenda damna, quæ feræ multiplicatæ poſſent inferre agris vicinorum, & ſi quæ inferant, tenetur ad reſtitutionem. Leſſius *cit. num.* 37. Filliucius *tract.* 31. *num.* 138. Similiter iniuſtè impediens alterum piſcari, aut venari, tenetur ad reſtitutionem probabilis lucri impediti, detractis expenſis, & laboribus, quos venator facturus erat, quia peccauit contra iuſtitiam, & violauit ius alterius cum damno; verumtamen non tenetur ad reſtitutionem feræ, quæ capta non eſt. Nauar. *cap.* 17. *à n.* 120. Vaſquez *de reſtitut. c.* 5. §. 2. *d.* 6. *n.* 29. Molina *cit. diſput.* 49. Couar. *cit. num.* 12. Syluius 2. 2. *q.* 66. *art* 2. *quæſit.* 3. Vaſq. Molina. Sylu.

3. Venatio quadrupliciter poteſt eſſe illicita. *Primò*, eo quòd certas perſonas non deceat illam exercere; *C. quorumdam d.* 34 *Cap. Eſau venator*, *d.* 86. qua de cauſa aliqua venatio prohibetur Clericis & Monachis, vt eſt illa quæ eſt ſaltuoſa, clamoroſa, & periculoſa, quæ fit cani-

canibus,vel accipientibus:hæc venatio,niſi fortè ratò fiat, & ſine ſcandalo, clericis eſt prohibita ſub mortali, ob periculum mortis, vel mutilationis: Venatio verò, quæ non eſt clamoroſa nec periculoſa, videtur concedi poſſe Clericis,honeſtæ recreationis gratia: ſecus dicendum videtur de Religioſis, cùm eorum ſtatum venatio magis dedeceat, *Clement.6.§.Porrò de ſtatu Monach.* Notandū tamen eſt Clericum, aut alium Eccleſiaſticum capientem feras liberas ea venatione,quæ ipſis eſt illicita, & prohibita ratione decentiæ ſtatus,non teneri ad reſtitutionem, quia verè comparatur dominium ferarum, Molina *c.diſp.* 44.Filliuc. *cit.nn.*142.Bonac. *de reſtit.d.2.q.vlt.ſect.1.p.1.* Regin. *l.*10.*1.p.n.*360. Diana *tract.* 6. *miſcel.reſol.*19.*p.*3. Sylu.2.2.*q.66.ar.2.quæſit.*3.

Molin. Filliuc. Bonac. Diana. Sylu.

4. *Secundò*,venatio poteſt eſſe mala,quia eſt contra publicam vtilitatem, vt eſt illa, quæ fit in iis menſibus in quibus feræ ſunt grauidæ,vel tempore niuali, quando facilè capiuntur,Hęc venatio non eſt peccatum mortale; niſi vel reipſa inferretur notabile damnum Reip. vel modus venandi cenſeretur notabiliter illi pernicioſus,& ideò prohiberetur ſub graui pœna,quia aliàs non cenſetur notabilis læſio Reipub. facere id, quod iure gentium licet, quare nec reſtituenda eſſet fera capta ex eiuſmodi venatione, nec pretium eius, ſed ſatisfaceret quis ſoluendo pœnam contra tranſgreſſores legum ſancitam,ſecuta Iudicis ſententia. Medin. *c.de reſt.quæſt.*12. Rodriq. *c.*137.*n.*19. Leſſius *cit.n.*43. Molina *c.d.*49. Sà *v.venatio,n.*4. Syluius *cit.quæſit.*3.

Leſſius, Sylu.

5. *Tertiò*, venatio mala eſt, quia locus eſt interdictus, & ius venandi pertinet ad aliquem particularem; ſed cùm dominium ferarum nullius ſit,qui ibi venator,peccat quidem contra iuſtitiam, & pro ratione iniuriæ, vel damni mortaliter, vel venialiter, cum obligatione compenſandi damnum illatum,acquirit tamen dominium illorum, quæ capit: vnde emens, vel accipiens huiuſmodi feras à venatore, vel piſcatore,poteſt eas tuta conſcientia retinere: ſolet autem pœna infligi venantibus contra iuſtam prohibitionem,quæ non debet eſſe corporalis, ſed pecuniaria. Medina *c.q.*12. Molina *cit.diſp.*51. Leſſius *cit.n.*45.Bonacina *de reſt.d.1.q.3.p.7.n.*20. Sylu. *cit.quæſit.*3.

Leſſius. Bonac.

6. *Quartò*,venatio illicita eſt,quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis, vel conceſſionis,& talis venator tenetur arbitrio prudentis ad reſtitutionem damni,quod patitur is,ad quem ius venandi pertinet. Regin. *cit.n.*363. Filliuc. *cit.n.*142. Sà *citat.num.*4. non quidem habita ratione valoris animalium, ſed habita ratione damni,vel lucri ceſſantis. Vaſquez tamen *cit.dub.* 7.*num.*29. & 30. & quidam alij docent non teneri ad reſtitutionem, quod eſt ſatis probabile, licèt contrarium ſit probabilius.

7. Qui venatur, vel occupat feras manſuetas,vel manſuefactas, poſtquam naturalem libertatem acquiſierunt, non tenetur ad reſtitutionem: qui verò venatur feras manſuetas,vel manſuefactas, poſtquam libertatem naturalem amiſerunt,tenetur ad reſtitutionem duplici titulo, videlicet ratione rei acceptæ,& iniuſtæ acceptionis. Molina *cit.diſputat.*50. Bonacina *cit.numero* 23. Item mortaliter peccat qui occidit,aut vulnerat animal alterius, dum in ſuo prædio damnum infert; non enim habet ius occidendi,aut vulnerandi,ſed ſolùm expellendi,& ſatisfactionem exigendi,niſi fortè aliter nequeat damnum proprium impedire. Clauis regia *lib.*11.*cap.*9.*num.*28. Nauar. *cit. num.*120.

Vide *Caſio lignorum*,n.5. Feſtum a.n.12.

VENDITIO.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit venditio?*

2 *An quando in venditionibus apponitur pactum de retrouendendo,res plus,vel minus valeat?*

3 *An venditio cum pacto retrouendendi licita ſit, & labe vſuræ careat?*

4 *An contractus venditionis ſit vſurarius quando venditur res pecunia credita pretio rigoroſo, & poſtea eadem ſtatim redimitur numerata pecunia medio, vel infimo pretio?*

5 *Quæ ſint cauſa,ob quas licitum ſit interdum pluris rem vendere,quàm per ſeipſam alloquin valeret,aut venderetur?*

6 *An merces vltroneas liceat minoris emere quàm valeant.*

7 *An licitum ſit rem cariùs vendere extraneis, & peregrinis,quàm naturalibus,& indigenis?*

8 *An res,quæ non habent pretium legitimum, poſſit vendi pro arbitrio venditoris?* Refertur duplex ſententia.

9 *An quando res eſt valde vtilis, vel commoda emptori, venditor poſſit rem cariùs vendere?*

10 *An indigentia communis emptorum ſit cauſa ſufficiens ad augendum pretium?*

11 *An extraordinaria expenſa,labores pericula, & infortunia,quæ mercatores ſubeunt, ſint cauſa ſufficiens ad augendum pretium taxatum?*

12 *An ratione officij mercatura poſſit mercator pretium augere?*

13 *Quale peccatum committant venditores,qui mendaciis affirmant rem ſibi tanti conſtitiſſe,uel tanto pretio aliis vendidiſſe,ut pertrahant emptorem ad rigoroſum pretium?*

14 *An contractus venditionis ſit nullus,& ſit obligatio reſtituendi damna, quoties tacetur vitium notabile, quo cognito,emptor non emiſſet?*

15 *An quando uitium quod tacetur in uenditione non eſt notabile abſolutè, contractus ſit inualidus, & iniuſtus?*

16 *An teneatur venditor manifeſtare emptori vitium patens?*

17 *An uenditor interrogatus de occultis rei uitiis, teneatur illa manifeſtare,quamuis non ſint notabilia in ſe,uel in ordine ad uſum,ad quem res emitur?*

18 *An contractus celebratus a uenditore ignorante uitium rei,ualidus ſit?*

19 *An peccet uenditor, & teneatur ad reſtitutionem uino apponens aquam, ſi vendat illud eo pretio,quo ab aliis uenditur?*

20 *An emptor, qui reſtituit rem emptam uenditori propter notabile vitium occultum non manifeſtatum, teneatur reſtituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expenſis æſtimatione induſtriæ?*

21 *Quæ requirantur,ut emptor dominium rei emptæ acquirat?*

22 *Ad quem pertineant fructus medii temporis contractu diſſoluto?*

23 *An venditori,uel emptori res uendita pereat?*

24 *Quid ſit monopolium? & quot modis fiat: & de primo modo, quando uenditores conſpirant inter ſe de pretio.*

25 *An monopolium contingat,quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo ſolus certum genus mercium uendere ualeat?*

26 *An monopolium fiat,& ſit obligatio reſtituendi,quando unus uel duo,uel tres emunt omnes merces, ipſique ſoli eas uendunt eo quo volunt pretio;* Refertur duplex ſententia.

27 *An quando quis vi aut fraude impedit ne maior, copia mercium aliunde importetur,ut maneat caritas in repub. contingat monopolium cum obligatione reſtituendi?*

28 *An ex contractu uenditionis oriatur obligatio ad euictionem rei,& quid ſit euictio.*

29 *An euictio non ſolùm habeat locum in uenditione, ſed etiam in aliis contractibus oneroſis.*

30 *In quibus caſibus uenditor, & quicumque alius qui alio titulo rem alienauit,non teneantur de euictione.*

31 *An aliquando poſſit quis cogi ad uendendam rem ſuam.*

1. Cum

1. CVm venditio ſit correlatiua emptionis, nec ſit contractus ab emptione diſtinctus, ſed vtraque vnum conſtituat contractum: ex definitione emptionis ſuprà tradita *v. Emptio*, deſumi poteſt venditionis definitio, quæ nihil aliud eſt, quam contractus, qui mutuo conſenſu perficitur, & vltrò citroque emptorem, & venditorem obligat, ita vt venditor obligetur ad tradendam mercem pro pretio, & emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce; *l. 1. & 2. ff. de contrahend. empt.* Molina *tract. 2. diſp. 337.* Filliuclus *tract. 35. c. 1. q. 2. n. 5. & 6.* Azor. *3. p. lib. 8. cap. 26.* Caramuel *lib. 2. Theolog. moral. diſp. 16.* ex quo fit, vt traditio non ſit de eſſentia venditionis, ſecundùm probabiliorem ſententiam, modò conſenſus ſit abſolutus, & non conditionalis.

Molin. Filliuc. Azor.

2. In venditionibus aliquando ſolet apponi pactum de retrouendendo, & quidem ſi ſit in fauorem ſolius venditoris, res tunc minus valet, quàm ſi res venderetur ſine tali pacto, quia imponitur emptori grauamen, & onus pretio æſtimabile, quod compenſari debet diminutione pretij arbitrio prudentis viri. Couar. *3. var. c. 10. num. 1.* Reginald. *lib. 25. num. 293.* Leſſius *lib. 2. c. 21. num. 114.* Aliquando iſtud pactum apponitur in fauorem ſolius emptoris, vt res à venditore redimatur, ſi emptor voluerit ſibi pretium reſtitui: & tunc res plus valet quàm alioqui valeret, quia venditor ſubijt grauamen, quod eſt pretio æſtimabile. Filliuc. *tract. 35. num. 159.* Leſſius *cit. num. 117.* Bonacina *de contr. d. 3. q. 2. p. 3.* Tandem aliquando ponitur pactum retrouenditionis in fauorem emptoris, & venditoris, ita vt liberum ſit vtrique contractum reſcindere & diſſoluere, ſi voluerit, tunc res minùs valet, quam ſi apponeretur in fauorem ſolius ementis, & plus valet quam ſi apponeretur in fauorem ſolius venditoris. Couar. *3. var. c. 9. n. 3.* Leſſius *cit. n. 120.* Filliuc. *cit. n. 160.*

Couar. Regin. Leſſius.

Filliuc. Leſſius. Bonac.

Couarr. Leſſius. Filliuc.

3. Venditio cum pacto retrouendendi ſiue in fauorem ſolius venditoris, ſiue ſolius emptoris, ſiue in fauorem vtriuſque contrahentis, licita eſt, & caret labe vſuræ & iniuſtitiæ, modò concurrant conditiones ſequentes. *Prima*, vt adſit intentio emendi, & vendendi, nam deficiente intentione emendi aut vendendi, non eſt contractus venditionis, ſed mutui; committitur autem vſura accipiendo aliquid ex mutuo. Molin. *tr. 2. d. 327.* Regin. *lib. 25. n. 293.* Nauar. *c. 17. num. 248.* Azor. *cit. c. 12. q. 1.* *Secunda*, vt adſit iuſtum pretium; cenſetur autem iuſtum pretium illud, quo res æſtimatur arbitrio prudentis ſeruata conſuetudine, vel ſtatutis locorum, habita ratione grauaminis, quod imponitur alteri contrahenti: ex quo fit, quòd contractus celebratus cum pretio valde modico, & exiguo, licet non ſit vſurarius in foro conſcientiæ, interueniente vera intentione emendi, & vendendi ex parte vtriuſque, eſt tamen illicitus, & iniuſtus, ſimulque inducens obligationem reſtituendi iuſtum pretium, & lucrum ceſſans venditori. Molin. *cit. diſp. 375.* Nauar. *c. num. 248.* Reb. *lib. 10. q. 6.* Azor. *cit. lib. 8. c. 12.* *Tertia*, vt fructus rei emptæ pertineant ad emptorem; quia emptor per contractum emptionis acquiſiuit dominium rei emptæ, res autem Domino fructificat, ſicut illi etiam aperire debet, ſi pereat: quod intelligendum eſt, modò fructus non pertineant ad venditorem propter contractum locationis cum eo celebratum. *Quarta*, vt in contractu emptionis, & locationis non adſit aliqua læſio. Molina *cit.* Nauar. *cit.* Azor. *cit.* Bonac. *c. punct. 3. n. 13.*

Molin. Regin. Nau. Azor.

Molina. Nauarr. Azor.

4. Contractus venditionis, per ſe loquendo, caret labe vſuræ, quo venditur res credita pecunia pretio rigoroſo, & poſtea eadem ſtatim redimitur numerata pecunia, medio vel infimo pretio, quia in vtraque venditione res venditur iuſto pretio, quod licitum eſt: aliquando tamen fieri poteſt, vt huiuſmodi venditio labem vſuræ vel iniuſtitiæ contineat; vt accidit quando primus venditor iniit pactum cum emptore, vt res ab eo empta iterum ſibi retrouendatur infimo, vel medio pretio; nam huiuſmodi contractus cum tali pacto celebratus, meritò præſumi poteſt vſurarius, eo quòd videtur reſolui in mutuum. Ita Diana *de contract. reſol. 58. p. 1.* Toletus *lib. 5. c. 31. n. 3.* Nauar. *c. 23. n. 91.* Leſſius *lib. 2. c. 21. num. 130.* Filliucius *tract. 35. n. 189.* Regin. *l. 25. n. 296.*

Diana. Tolet. Nauar. Fil. Regin.

5. Cauſæ ob quas licitum eſt interdum pluris rem vendere, quàm per ſe ipſa alioquin valeret, aut venderetur, ſunt: *Prima*, multitudo emptorum, & copia pecuniæ: ſicut enim copia mercium eſt cauſa ſufficiens cur diminuatur pretium, ita multitudo emptorum, & pecuniæ cauſa eſt, vt pretium augeatur. Reginaldus *cit. num. 280.* Sà *v. venditio n. 2.* Leſſius *cit. n. 30.*

Sà. Leſſius.

Secunda, eſt affectus ad rem quæ venditur, vt ſi venditor ægrè ſe priuet ea re, & eius oblectatione ac commodo; priuatio enim illius affectus & oblectationis eſt pretio æſtimabilis; vnde gemma vel ſtatua antiqua quam quis charam habet, poteſt cariùs vendi, quàm alioquin venderetur. Medina *q. 31. de reſtit.* Salon *2. 2. q. 77. art. 1.* Reginald. *cit. n. 274.*

Salon. Regin.

Tertia cauſa, eſt lucrum ceſſans venditori, qui in gratiam emptoris vendit rem, quam conſtituerat ſeruare vſque ad tempus, quo plus valuiſſet; aliquid tamen detrahendum eſt ratione cuſtodiæ, & periculi, quod ſubijſſet venditor rem ſeruando ad illud vſque tempus. Leſſius *cit. num. 26.* Filliuc. *tract. 35. n. 98.* Bonacina *cit. p. 4. n. 16.* Syluius *2. 2. q. 77. art. 1. q. 5.*

Leſſius. Filliuc. Bonacin. Sylu.

Quarta cauſa, eſt damnum emergens quod patitur venditor vendendo credita pecunia; quia ſicut in mutuo licitum eſt aliquid ſupra ſortem accipere, ita multò magis in venditione: vnde merces quæ communiter creditò pluris venduntur, licitè pluris vendi poſſunt credita quam alioquin venderentur numerata pecunia, quia in eo venditionis genere illud ſit iuſtum pretium, ex communi vſu ementium, & vendentium. Azor. *3. p. lib. 8. c. 8.* Couarr. *2. var. c. 3. num. 6.* Sa *v. vendit. num. 7.* Filliucius *cit. num. 113.* Syluius *2. 2. q. 77. art. 1. q. 4.*

Azor. Couar. Filliuc. Sylu.

Quinta cauſa, eſt periculum admittendi totum vel partem pretij, vel periculum recuperandi pretium cum expenſis & moleſtijs; quia periculum, cui venditor ſe exponit, eſt pretio æſtimabile: quando tamen aliquid cariùs venditur pro damno & periculis recenſitis, admonendus eſt emptor de hac re, ne inuitus emat maiori pretio, quàm fortè aliunde emiſſet. Nauar. *lib. 3. c. 2. n. 98.* Leſſius *cit. num. 54.* Molina *cit. d. 351. 356.* Reginald. *num. 307.* Diana *de contract. 57. p. 1.*

Nauar. Leſſius. Molina. Regin.

Sexta cauſa, augendi vel diminuendi pretium eſt modus vendendi, aliquando enim vna res cariùs venditur vno modo quàm alio: v. g. ſi merx minutatim vendatur, cariùs venditur, quàm ſi venderetur in magna quantitate, vel ſi merx vltrò offeratur, viliùs venditur, iuxta prouerbium, Vltroneæ merces pro tertia parte vileſcunt, & ſecundùm quoſdam apud Dianam pro medietate: vel ſi quid ſub haſta vendatur, aliquando cariùs venditur, & aliquando viliùs. Filliucius *num. 58. & 70.* Sà *v. emptio numer. 4.* Reginaldus *cit. num. 319.* Bonacina *cit. num. 21.* Diana *de contract. reſ. 78. 55. p. 1.* De his cauſis agit ſummatiè Diana *c. reſ. 23.* Proinde in his quæ venduntur ſub haſta, ſiue voce præconis, pretium iuſtum eſt, quod non excedit ſupra dimidium, nec deficit infra dimidium illius iuſti pretii, quod bona illa valerent ſi alio modo venderentur, quàm ſubhaſtatione. Imò ſecundùm quoſdam iuſtum pretium in ſubhaſtatione id erit, quod vltimò offertur ſine fraude: fraus autem erit, ſi venditor vitium rei venditæ ſciens taceat, vel occultet: item ſi venditor aliquos ſupponat, qui pretium augeant, vt res pluris quàm valet vendatur, aut ſi aliquos ſubtrahat ab augendo, vt res minoris emant ab amicis, & conſanguineis: item ſi venditor captato tempore quo ſunt pauci emptores rem haſtæ ſubiiciat. Emptor quoque fraude vti poteſt, v. g. ſi impediat, ne alius augeat vt ipſe viliùs emat, aut ſi ob inuidiam augeat, vt alius inde cariùs emat. Vide Iacob Gordonum *in Theol. moral. t. 1. q. 5. c. 8.*

Diana. Filliuc. Bonac.

6. Qui rem minoris, quam valeat emunt à venditore, qui neceſſitate compellitur ad vendendum, excuſari poſſunt, ſi ipſe offerat emptori rem vendendam, quia talis neceſſitas facit mercem vltroneam, quæ pro tertia parte vel pro medietate ſolet vileſcere. Sà *v. Emptio.* Val. *n. 4. de reſt. c. 5. §. 1. dub. 10. n. 61.*

7. Illicitum eſt rem cariùs vendere extraneis, & peregrinis, quàm indigenis, & naturalibus, ſi excedantur limites iuſti pretii, non enim licet iuſtum pretium excedere. Leſſius *cit. n. 30.* Molin. *cit. diſp. 346.* Si tamen ad aliquem

locum

Digitized by Google

locum accedunt multi extranei, præſertim diuites, & auidi emptionum rerum neceſſariarum, tunc cùm multiplicatis emptoribus, ſubitò accreſcant rerum pretia, non erit illicitum, cariùs illis vendere, quàm incolis, & quàm illis recedentibus, res vendantur eodem loco aliis extraneis. Imò, ſi res ſint ſufficientes naturalibus, & extraneis aduenientibus noo erit iudicanda illicita venditio, ſi tunc cariùs illis vendantur auidis ad emendom, quàm naturalibus. Ratio eſt, tum quia illæ res comparatione multorum emptorum, qui ſuperuenerunt; ditiſſimi, & auidiſſimi ad amendum, plus valent, quàm comparatione aliorum indigenarum, qui ibi ſuut, & manent. Tum quia io illa ſobita rerum mutatione, illud eſt pretium iuſtum, & ſupremum illarum rerum, ſi quidem multi ſunt emptores, & propter illud deſiderium emendi, & penuriam rerum, liberaliter cenſeotur donare id, iu quo aliquid exceditur.

Sotus. Molina. Tolet.

8. Res ille quæ non babent pretium legitimum, vel vt ſunt gemmæ, falcones, ſtatua aotiqua, canes inſignes, &c. ſecundùm Sot. *lib.6.q.3.art.*3. Molin. *d.* 348. Regin. *lib.25.num.*289. Tolet. *de ſeptem* peccat. c.48. & alios poſſunt vendi pro arbitrio venditoris, quia in his valet illa regula, *tantum res valet quantum vendi poteſt*: hæc ſententia eſt ſatis probabilis: Contraria tamen videtur probabilior, venditorem nempe, non poſſe prædicta vendere, quò voluerit pretio ſed iuxta prudentis iudicium, perpenſis, & examinatis circumſtantiis augentibus, vel diminuẽtibus valorem rei, tamen ſi vendimr ei valde afficiatur, poteſt bune ſuum affectum æſtimati, ſed id bona fide fieri debet: & huius ſententiæ ſunt Nauar. *c.23.n.*78. Leſſius *cit.n.*16. Filliuc. *tract.*35, *n.*61. Arrag. 2.2. *quaeſt.*77. *art.*1. Diana *de contract. reſ.*56. *p.*1. & multi alii: ratio autem eſt, quia iuſtum pretium earum rerum quæ nec lege, nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, ſumendum eſt iudicio intelligentis mercatoris, qui ſpectatis circumſtantiis illam æſtimet.

Nauar. Leſſius. Filliuc. Bonac.

9. Venditor non poteſt rem cariùs vendere, eo quòd res ſit valde vtilis vel commoda emptori, quia bæc vtilitas eſt ipſius emptoris non venditoris, venditor autem non poteſt vendere rem cariùs propter aliquid, quod ſuum non eſt: ſecus dicendum eſt, quando res ſecundùm ſe, vel reſpectu venditoris, habita ratione damni, vel lucri ceſſantis, vel affectus, magis valer, Nauarr. c. 23. *num.*83. Filliuc. *tract.*35. *n.*77. Reginaldus *cit.nu.* 275. Leſſius *cit. num.*31.

Nau. Filliuc. Leſſius.

10. Indigentia communis emptorum eſt cauſa ſufficiens ad augendum pretium, vt accidit, quando adeſt molritudo emptorum: indigentia verò alicuius particularis emptoris non eſt cauſa ſufficiens ad augendum pretium, alioquin poſſet cariùs vendi pauperi, quàm diuiti, quod eſt falſum: Reginaldus *lib.*25. *n.*273. Petrus Nauarr. *l.* 3. 2. *c. num.* 20.

11. Extraordinariæ expenſæ, labores, pericula, & inſortunia, quę mercatores ſubeunt, nõ ſunt cauſa ſufficiens ad augendum pretium taxatum io vẽditione ſuarum mercium quia mercatura ſicut eſt expoſita lucro, ita etiam damno, & ſicut mercator poteſt tantùm exigere, ſi nullas fecit expenſas, ita non poteſt plus exigere, ſi extraordinarios ſumptus fecit, hoc enim ipſius infortunio imputandum eſt. Si autem merces non habeant pretium ſtatutum, tunc, cùm pretium primò ſit imponendum, poteſt veoditor babere rationem expenſarum extraordinariarum in eo taxando, vt videmus in mercibus, quæ deferuntur per loca periculoſa, vbi opus eſt comitatu manus militaris aduerſus raptores. Leſſius *cit.n.*29. Reginaldus *cit.n.*276. P. Nauar. *c. n.* 25. Valent. *t.3.d.5.q.*20. *p.*2

Leſſius. Nauarr. Valent.

12. Mercator poteſt pretium augere ratione officii mercaturæ, quia officiũ mercatoris eſt prætio ęſtimabile, cùm mercator ſeruiat Reipub. conſequenter dignus eſt maiori aliqua mercede: non tamen binc ſequitur, mercatores poſſe plus vendere, quam ſit præſcriptum a lege, vel à communi æſtimatione: nam in taxando pretio habetur ratio, & reſpectus ad officium mercatorum: Ille autem qui tantum exigit, quantum exigunt mercatores, non facit iniuriam emptori: conſequenter non teoetur ad reſtitutionem, modò res ſit æquè bona. Filliucius *tract.*35. *num.*65. Petr. Nauarr. *cit. numero* 40. Medina *de reſt. quaeſt.* 31. Reginaldus *citat. numer.*281. Leſſius *citat.* 24. Sylu. *cit. quaeſt.*3. *artic.*1.

Fill. Nauarr. Medin. Regin. Leſſius. Sylu.

13. Venditores qui mendaciis affirmant rem ſibi tanti ſtetiſſe, vel tanto pretio aliis vendiſſe, vt pertrahant emptorem ad rigoroſum pretium, vt plurimum, & regulariter peccant venialiter mendacii peccato: idem dicendum eſt de emiſſe emptoribus affirmantibus rem aliàs minoris vel ſibi minoris offerri, vt ad infimum pretium deſcendant, quia hæc ſuot communia mendacia, ſtratagemata vendentium, & ementium, quæ homines ferè communiter notunt: & in caſu quo illa ignorarent emptores, venditores grauiter peccarent, & tenerentur ad reſtitutionem poſita materiæ grauitate, quia cenſentur emptoribus cauſa damni per deceptionem. Sicut & venditores, qui quia emptoribus non placent merces niſi infimo pretio, cum pretio medio, vel rigoroſo optant vendere, compenſant id occulta diminutione mercis, puta in menſura vel pondere. Ratio eſt, quia bic eſt iniuſtitia, & proinde obligatio reſtituendi, poſita quantitate notabili: licet enim poſſet vendere pretio medio, vel rigoroſo; hoc tamen poſt conuentionem de pretio non licet, ſed tenentur ſtare conuentioni, quæ eſt iuſta, licet ſit de pretio infimo. Secus dicendum foret ſi cogeretur vendere mercator infra iuſtum pretium etiam infimum, ex neceſſitate compulſus. Tunc enim ſi occultè diminuendo ſolùm pertingeret ad pretium iuſtum infimum non videretur peccare contra iuſtitiam; Molina *cit.d.*347. *num.*3. Bonac. *de contract. d.* 3. *q.*2. *p.*4. *n.*31. Rebellus *l.9.q.7.n.*8. *ad finem.* Marchantius *in reſ. paſtoral. c.*2. *q.*13.

Molina. Bonacin. Rebel.

14. In venditione quoties tacetur vitium notabile, quo cognito, emptor oon emiſſet, contractus eſt nullus, adeſt, que obligatio reſtituendi damna, & in foro externo datur actio, quæ dicitur redhibitoria, ad rehabendum pretium, & reſtituendam rem acceptam; Nomine vitii intelligitur quicumque defectu, qui poteſt imminuere pretium, vel mutare voluntatem ementis, aut emptorem retrahere ab emendo; *l.1.C. de aedilitiis actionibus.* Molina *tr.* 2. *diſt inct.* 353. Reginaldus *cit. numer.*337. Leſſius *citat. dub.*11. D. Thomas 2.2. *quaeſt.*77. *artic.*3. Hoc autem vitium contiogere poteſt, vel in ſubſtantia, vt cùm vino miſcetur aqua; vel in quantitate, vt quando non ſeruatur debitum pondus, numerus, vel menſura; vel in qualitate, vt ſi equus, vel ſeruus ægrotus vedatur pro ſano: Tamen ſi emptor in boc caſu rem erat empturus, ſed minori pretio, contractus eſſet validus, licèt venditor teneatur reddere emptori quantum erat minùs rem empturus, quia in priori caſu venditor commiſit dolum dantem cauſam contractui: in ſecundo verò dolus eſt ſolùm incidens in contractum. Filliucius *cit. num.*116 Arragon 2.2. *q.*77. *ar.* 3. Sylu. *ibid. concl.*1. Diana *tr. de contract. reſ.*39. *part.*1. Mald. 22. *tr.*5. *c.*2. *d.*8.

Regin. Leſſius D. Thom.

Fill. Sylu. Diana. Maldet.

15. Quando vitium quod reticetur in venditione non eſt notabile abſolutè, neque reddit rem notabiliter minùs vtilem ad vſum, ad quem res ipſa emitur, etiamſi venditor præſumat fore, vt emptor, non emeret, aut non tanto pretiu, ſi vitium cognoſceret, contractus oon eſt inualidus, nec iniuſtus: quia emptor non cenſetur rationabiliter inuitus, cùm non ſileatur vitium ei noxium: tamen tantum de pretio detrahendum eſt, quanto minùs valet res cum eo vitio: monenduſque eſt de tali vitio emptor poſt contractum, ſi emptor aliis venditurus eſt, alioquin fieri poteſt, vt emptor eandem rem pluris vendat quàm valeat, credens omni vitio carere: contractus etiam in boc caſu eſſet nullus, ſi emptor exprimeret actualiter, & explicitè ſe tantummodò velle conditionaliter emere, ſi talis conditio, & circumſtantia ſubſiſtat, & non aliter, tunc enim conditione non ſubſiſtente, contractus etiam non ſubſiſtit. Nauar. *c.23. num.*89. Sà *v. venditio, n.* 22. Molin. *cit. d.*353. *n.*20. Regin. *cit. n.*337. Azor. 3. *p. l.8.c.*23. *q.* 3. Leſſius *cit. n.*90. Sylu. c. *concl.*2.

Nauar. Regin. Azor. Leſſius. Sylu.

16. Per ſe loquendo non tenetur veoditor manifeſtare emptori vitium patens: quia non magis ſpectat ad venditorem huiuſmodi vitium manifeſtare, quàm ad emptorem illud inſpicere; ſi tameo venditor animaduertat vitium non cognoſci ab emptore ex inaduertentia inuincibili

Digitized by Google

cibili, tunc contractus eſt inualidus, ac ſi defectus eſſet occultus; licet in hoc caſu non detur actio emptori in foro externo aduerſus venditorem, niſi emptor læſus ſit vltra dimidium iuſti pretii; iuxta *l.2.C de reſcindenda venditione*. D. Thomas 2.2.q.77.*art*.3. Nauar. *cit.n*.89 Filliuc.*cit. n*.120. Reginald. *num*.336. Azor. *cit.l.8.cap*.23. Sylu. *cit. concl*.4.

D. Thom. Nauar. Filliuc. Azor. Sylu.

17. Venditor interrogatus de occultis rei vitiis, tenetur illa manifeſtare, quamuis non ſint notabilia in ſe, vel in ordine ad vſum, ad quem res emitur: imò contractus in hoc caſu eſſet inualidus in vtroque foro, ſi emptor cognito vitio non emiſſet; conſequenter venditor tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt emptor ob huiuſmodi dolum, & iniuſtam deceptionem, cùm ſit cauſa damni. Leſſius *cit.num*.86. Filliuc. *cit.num*.135. Azor. 3. *p.l.8.c*.23.

Leſſius. Filliuc. Azor.

18. Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei, validus eſt, quia non videtur adeſſe dolus, *l. Iulian.ff. de actionibus*: venditor autem, qui vitium ignorabat in contractu venditionis, non poteſt cognito vitio tantum accipere, quantum accepiſſet, ſi res vitio caruiſſet, ſed tenetur vel reſcindere contractum, vel reſarcire inæqualitatem, deſcendendo in pretio: non tenetur tamen venditor ignarus vitij occulti, emptori ad reſtitutionem damnorum, quia non cenſetur cauſa iniuſta damnorum, cùm ipſum excuſet ignorantia. Nauarrus *cap*. 23. *numero* 89. Reginaldus *numero* 337. Filliuc. *cit.numer*. 117. Sylu. *cit. concl*.3.

Nauar. Filliuc. Sylu.

19. Fieri poteſt, vt non peccet venditor, nec teneatur ad reſtitutionem, quando vino generoſo apponit aquam, qua appoſita vinum non eſt effectum deterius, eo quòd paſſim venditur ab aliis, ſi vendat eodem pretio, quod ab aliis venditur, etiamſi admixtionem non manifeſtet emptori: quia nullum damnum infert emptori, vel iniuriam, cùm non teneatur illi tradere res maioris perfectionis, & integritatis, quàm ab aliis vendantur. Arcendi tamen ſunt venditores ab huiuſmodi mixtionibus, & fallaciis, ad quas lucri cupiditas, & auri fames execranda trahit, & inducit. Leſſius *c.nu*.83. Molina *d*.353.*n*.15. Regin. *cit. nu*. 340. Sà *v.venditio n*.9. Filliuc.*cit.n*. 132. *& ſeq*. Diana *de contract.reſ*.51.*p*.1.

Leſſius. Regin. Fil. Dian.

20. Emptor, qui reſtituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum non manifeſtatum, tenetur reſtituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expenſis, & æſtimatione induſtriæ; quia cùm contractus fuerit inualidus, & ideò dominium rei manſerit apud venditorem, & res Domino fructificet, ideò fructus venditori tanquam vero Domino reſtituendi ſunt; venditor tamen, qui vitia non patefecit, tenetur ad reſtituendum pretium, & alia damna emptori facta ob inualiditatem venditionis, cùm eorum fuerit cauſa iniuſta per taciturnitatem vitii notabilis. Molina *cit.d*.353. *num*.20. Bonacina *de contract. d*.3.*q*.2.*p*.6.*num*. 18. Reginald. *cit. num*.337.

Molina. Bonac. Regin.

21. Tria requiruntur, vt emptor dominium rei emptæ acquirat.

Primò, mutus conſenſus emptoris, & venditoris.

Secundò, traditio rei.

Tertiò, quod emptor ſoluat pretium, vel ſaltem venditor fidem habeat de pretio ſoluendo, aut accipiat pignora, vel fideiuſſiones pro illo; hinc fructus pendentes tempore venditionis, ſiue maturi ſint, ſiue nondum ad maturitatem peruenerint, pertinent ad emptorem, quoad valorem, quem habent tempore venditionis, niſi aliter conuentum ſit, quia fructus pendentes tempore venditionis cenſentur pars rei emptæ; *l. quod vendidi, ff. de contrahenda emptione*. Leſſius *cit.dub*.13.*num*.100. Filliucius *cit.nu*. 173. Mol.*d*.368.*n*.18. Couar. 1.*var.c*.15.

Filliuc. Leſſius. Couar.

Præterea quando res vendita tradita eſt emptori, ſed pretium nondum fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto, fructus rei venditæ quoad valorem, quem acquirunt poſt venditionem, pertinent ad venditorem, quia res Domino fructificat. Rebellus *lib*.9. *quæſt*.17. *ſect*. 3. Leſſius *cit.at. num*.102.

Rebell. Leſſius.

Quando autem venditor rem tradidit emptori ſoluto pretio, vel habita fide de pretio, & conceſſa dilatione ad ſoluendum, fructus omnes pertinent ad emptorem, nec emptor tenetur ad intereſſe pro pretio non ſoluto, niſi fortè ab initio aliter conuentum ſit inter contrahentes, quia tunc probabile videtur emptorem teneri ad huiuſmodi intereſſe. Vide Dianam *tractat*.5. *miſcell. reſol*.114. *p*.3. Couar. 3.*var.c*.4. Gomez 2.*var.c*.2. Filliuc.*n*.177.

Diana. Couar. Gomez.

An autem venditor non tradendo rem venditam tempore determinato, teneatur emptori ad intereſſe non ſolùm extrinſecum, ſed etiam intrinſecum, id eſt, quod per accidens emptori euenit: Reſponſio eſt affirmatiua, in foro conſcientiæ, ſi emptor ſoluit, & obtulit pretium venditori, & venditor ſit in mora culpabili rei tradendæ. Ratio eſt, quia tunc vendens, non tradens rem, verè eſt cauſa ob quam emens non percipiat fructus ex re ſibi debita, debita enim erat ab eo die venditionis. Ergo. Nota tamen, in foro externo venditorem teneri ſolùm ad intereſſe intrinſecum; vt colligitur ex *leg. Sterilis*, §. *cum per venditorem, ff. de action.empt*. & huius ſententiæ ſunt Filliucius *tractat*.35.*num*.174. Leſſius *lib*.2.*capit*.21.*dub*. 13.*num*.102 Turrian. 2.2. *tom*.2.*diſp*.58.*dub*. 8. Diana *p*. 3.*tract*.5.*reſ*.113.

Filliuc. Turrian. Dian.

22. Ad quem autem pertineant fructus medii temporis, contractu diſſoluto: dicendum eſt, contractus quinque modis poſſe diſſolui. *Primò*, per nouum pactum; in hoc caſu omnes fructus, quos res protulit, eo tempore quo perſeueratum eſt in contractu, pertinent ad primum emptorem. Filliucius *cit.n*.164. Gomez *t.o.c*.2.*numer*.24. Bonac. *cit.p*.7.§.2.*n*.8.

Fill. Gomez.

Secundò, diſſoluitur contractus ex vi pacti retrouenditionis in prima venditione appoſiti: tunc ſi eodem pretio res debeat redimi, quo vendita fuit, omnes fructus, qui à tempore venditionis vſque ad tempus redemptionis producti ſunt, ſecundùm valorem, quem tunc habent, ad emptorem pertinent; *l.2. Codic. de pactis inter empt*. Reginaldus *lib*.2.25.*numero* 291. Couarruuias 1. *variar. c*. 15.*num*.6.

Couar.

Tertiò, ex pacto legis commiſſoriæ, id eſt, quando res alicui eſt vendita ea lege, vt niſi intra certum tempus pretium eius ſoluat, res ſit inempta, & contractus irritus: in hoc caſu, ſi pactum conceptum fuit verbis directis, fructus pertinent ad venditorem: ſi verò conceptum fuit verbis obliquis, ſeu indirectis, tunc fructus medii temporis, ſunt emptoris; *l.2.3.& 4. §. eleganter.ff. de leg.commiſſ*. Filliucius *cit.num*.165. Leſſius *cit.num*. 124. Couar. 3.*var*.c.8.

Filliuc. Leſſius.

Quartò, reſoluitur contractus ex pacto additionis in diem, id eſt, quando res alicui eſt vendita ea lege, vt ſi intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, res ſit inempta: in hoc caſu idem dicendum eſt, vt in tertio; *l.1.ff. de in diem addict*. Bonac.*cit*.§.2.*n*.1.

Quintò, ſi venditio ſit conditionalis, & conditio non fuerit impleta, tunc cùm venditio ſit irrita fructus omnes ante conditionem impletam percepti pertinent ad venditorem. Adimpleta verò conditione, fructus ſunt emptoris. Molina *cit.d*.379. Gomez *tom*.1.*c*. 2. *num*. 30. Filliuc. *cit. num*.171.

Molin. Filliuc.

23. Quando res vendita perit, vel deterior fit poſt traditionem, perit emptori, etiamſi pretium nondum ſit ſolutum, quia per traditionem translatum eſt dominium in emptorem, res autem Domino perit; *l. quod ſi, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*. Si autem pereat ante traditionem, ſitque certa, & determinata, vt hic equus, hæc domus: peracto contractu venditionis, perit emptori; vnde non tenetur venditor eius pretium reſtituere; pari modo eius incrementum ad emptorem pertinet; *l.1. C. de peric.& com.rei*. Azor. 3.*p.l*.8.*c*.26. Sà *v.venditio, nu*. 26. Excipiuntur tamen aliqui euentus, in quibus periculum pertinet ad venditorem.

Primus eſt, ſi res culpa venditoris perit, aut deterior fit, quia v.g. non poſuit debitam diligentiam in illa cuſtodienda: eſt enim venditor tunc tanquam rei cuſtos, ac procurator, & ideo tenetur de dolo, & culpa lata, & leui, non tamen leuiſſima; *l. quod ſæpe, §. ſi res, ff. de contrahen. empt. l. ſi vendita, ff. de periculo, & comm*.

Secundus, quando venditor in mora fuit tradendæ rei venditæ, *l. illud, ff. de peric. & comm. rei vend*.

Ter-

Tertius eſt, quando in contractu venditionis conuentũ eſt expreſsè inter partes contrahentes, vt periculum ad venditorem pertineat; *l. ſi in venditione, ff. de per. & com. rei vendita.*

Quartus eſt, quando res vendita, antequam tradatur, confiſcatur ob delictum venditoris: vel ſi res vendita, antequam tradatur, accipiatur à Rege, ob aliquam neceſſitatem; *l. ſi fundus, ff. locati conducti.*

Quintus, ſi venditor aliquid affirmauit de bonitate rei, quo emptor ſibi perſuaſit plus duraturam propter bonitatem, & ante traditionem in peius mutetur, deterioretnrque, tunc enim peribit venditori. Idem eſt ſi venditor ſciebat illam non duraturam, nec admonuit emptorem, ad quem periculum illius iam pertinebat: ſi enim ante traditionem deterior fiat peribit venditori; *l. ſi vina, ff. de periculo & commod. rei vendita.*

Sextus, quando venditio de conſenſu partium facta fuerit ſcriptura publica, & antequam nota ſcripturæ conſummata fuerit, licet ſit iam incepta, res pereat, aut deterior fiat, venditori perit, & non emptori. *Si* autem res res ſit indeterminata, vt ſi quis emat decem modios tritici ex meſſe, vel ſi emat rem determinatam, ſed ad menſuram, v.g. totum aceruum tritici vno floreno in ſingulas menſuras, tunc ante rei traditionem, vel menſurationem, periculum interitus pertinet ad venditorem: ſi tamen res fiat melior vel deterior, abſque culpa & mora venditoris, commodum, & incommodum pertinet ad emptorem. Si vendatur incertum de certis, v.g. decem oues de duobus, vel tribus gregibus, non deſignando, quales, tot pondera lanæ ex certo aceruo illius, tot menſuræ tritici ex tali borreo, aut aceruo, tot amphoræ vini ex tali dolio, tot cadi olei ex tali vaſe, tunc ſi illa omnia pereant, ex quibus iſta venduntur, abſque venditoris culpa, v.g. ſi pereant ſegetes, greges, aceruus, dolium, vas, liber manet venditor ab implendo contractu, ſolùmque tenetur ſoluere pretium, quod accepit, & ipſe emptor tantùm poterit in iudicio repetere ſuum pretium. Ratio eſt, quia venditor deſignando certas res, ex quibus ſoluere ſe obligauit, non tenetur implere contractum, niſi ex illis, quas deſignauit, & nominauit; quam ob rem ſi illæ pereãt, ab impletione illius manet liber, tantùm pretium, ſi quod accepit, tenetur ſoluere; *l. in ratione, §. incertè, ff. ad leg.*
Leſſius. Bonacin. Sylu. *Falcid.* Leſſius *cit. num.* 97. Reginaldus *l.* 25. *num.* 351. Bonacina *cit. punct.* 8. *num.* 5. *C. nauiganti, de vſuris.* Sylu. 2.2. *q.* 77. *art.* 4. *q.* 3.

24. Monopolium propriè dicitur, cùm vnus vel pauci efficiunt, vt ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant eo pretio quo ipſis libuerit, & fit quatuor modis. *Primò*, quando venditores conſpirant inter ſe de pretio: tunc modò id non ſit ſupra legitimum, vel ſupra vulgare ſummum, non peccant contra iuſtitiam: quamuis bene contra charitatem: ſecus ſi pretium ſit ſupra legitimum, tunc enim tenentur ad reſtitutionem illius auctarij, quod emptores ſoluere coacti ſunt: pari modo emptores conuenientes & conſpirantes inter ſe de merce emenda viliori pretio, quàm ſit infimum, peccant contra iuſtitiam & tenentur ad reſtitutionem. Tamen quando mercatores conuenerunt non vendere merces niſi pretio rigoroſo, emptores poſſunt conſpirationem inire, contra monopolium venditorum, vt non emant merces niſi pretio viliori, quod tamen ſit iuſtum, vtuntur enim iure ſuo vt ſeipſos ſeruent indemnes; emptoribus tamen eſt deſiſtendum ab huiuſmodi monopolio, ſtatim ac venditores ceſſarunt à
Molina. Salas. Fill. Regin. Leſſius. Bonac. Diana. ſuo. Molina *d.* 345. *num.* 4. Salas *de empt. d.* 38. Filliucius *tract.* 35. *num.* 211. & 212. Reginald. *l.* 25. *n.* 328. & 333. Leſſius *cit. dub.* 21. *n.* 144. Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 2. 3. Arragon 2.2. *q.* 77. *ar.* 4. *diff.* 1. Diana *tr. de contract. reſ.* 76. Sylu. *cit. q.* 77. *ar.* 1. *q.* 2.

25. *Secundò*, monopolium contingit, quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo ſolus certum genus mercium vendere valeat: hoc monopolium eſt licitum, modò iuſtum pretium mercibus a Principe ſit taxatum, quia fieri poteſt vt hoc expediat reipublicæ, nec vlli fiat iniuria. Sà *v. venditio n.* 5. Filliuc. *cit. n.* 213. Reginaldus *cit. num.* 327.
Fill. Sylu. Sylu. *cit. quaſit.* 2.

26. *Tertiò*, monopolium fit, quando vnus vel duo, vel tres emunt omnes merces, ipſique ſoli eas vendunt, eo quo volunt pretio, ſicque inducunt notabilem inopiam, & caritatem ſecundùm Medinam *in C. de reſtit. q.* 36. P. Nauar. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 80, Azorium 3. *p. l.* 8. *c.* 28. Reginaldum Medin. Nauarr. Sylu.
cit. Syluium *c. quaſit.* 2. peccant illi mortaliter contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, quia emendo hoc modo, ſunt cauſa iniuſta damni Reip. & ciuibus, cùm pretium, quo ipſi iterum vendunt non ſit iuſtum, hæc ſententia ſatis probabilis eſt. Quamuis etiam probabile ſit, illos non peccare contra iuſtitiam particularem, ſed contra charitatem, vel contra iuſtitiam legalem, conſequenter non teneri ad reſtitutionem, quia obligatio reſtituendi ex delicto ſupponit peccatum mortale contra iuſtitiam par- Leſſius.
ticularem, ſeu commutatiuam: Leſſius *cit. n.* 150. Molina Molin.
tr. 2. *diſt.* 345. Filliuc. *cit. n.* 214.

27. *Quartò* contingit, ſi quis vi aut fraude impediat, ne maior copia mercium aliunde importetur, vt maneat caritas in Rep. tunc eſt peccatum contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi Reipubl. & mercatoribus: qui verò abſque vi vel fraude, ſolis precibus, vel perſuaſionibus cogat mercatores abire, non videtur peccare contra iuſtitiam, aut teneri ad reſtitutionem, quia non facit illis iniu- Leſſius.
riam. Leſſius *cit. num.* 153. Filliucius *num.* 215. Reginald. Nauarr.
cit. num. 232. P. Nauarr. *l. b.* 3. *c.* 2. *nu.* 79. Sylu. *v. emptio q.* Sylu.
13. Sylu. *cit.*

28. Ex contractu venditionis præcipuo, oritur obligatio quædam ad euictionem rei: Euictio autem nihil aliud eſt, quàm ablatio rei emptione, vel alio contractu habitæ, interpoſito Iudicis decreto; vnde euincere eſt auferre rem emptam de manu emptoris, propterea quòd alius probat rem eſſe ſuam, & ad ſe pertinere, non autem ad venditorem: vnde quando dicitur venditorem teneri de euictione, eſt venditorem teneri ad procurandum, quantùm in ſe eſt, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditam, & ad ſeruandum illum indemnem, ſi ab aliquo tanquam ſua euincatur in iudicio: hinc eſt vt emptor habeat actionem contra venditorem ad recuperandum pretium cum omnibus impenſis, & omni quod emptori intereſt, ex eo quòd res empta ſibi euicta Molina.
eſt ab altero, *l. euicta, ff. de euictionibus; l. tenetur, ff. de* Couar.
action. empt. Molina *cit. diſp.* 380. Couar. 3. *variar. c.* 17. Sylu.
Syluest. *verb. Euictio.* Azorius 3. *part. lib.* 8. *c.* 30. Reginal- Azor.
dus *lib.* 25. *n.* 114.

29. Euictio non ſolùm habet locum in venditione, ſed etiam in alijs contractibus oneroſis, vt in permutatione, emphyteuſi, cenſu, locatione, &c. quia par non eſt, vt quis damnum patiatur ex re, quam debito pretio accepit; *l. libera, Cod. de ſent. & interlocutorijs, &c.* Gomez 2. *variar. c.* 2. *num.* 32. In contractibus verò lucratiuis ſeu gratuitis, locum non habet euictio, ſecluſo pacto, & culpa contrahentis; vnde donator non tenetur de euictione, quia par non eſt vt damnum patiatur ex eo, quod ſua liberalitate tradit abſque preuia promiſſione, vel obligatione; *l. Ariſto. § fin. de donationibus.* Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 113. Filliuc. *tract.* 303. *num.* 105.

30. Venditor, & quicumque alius qui alio titulo rem alienauit, non tenetur de euictione in ſequentibus caſibus. *Primò*, ſi mota lite emptori non fiat venditori denunciatio illius ab emptore. *Secundò*, ſi in contractu expreſſum fuit, vt de euictione non teneretur. *Tertiò*, ſi emptor lata ſententia contra eum, venditoreque à iudicio abſente non appellauit ab ea, quando ſaltem in re poteſt eſſe aliquod dubium. *Quartò*, quando ſententia eſt apertè iniuſta, tunc enim perinde eſt, ac ſi furto ſublata eſſet. *Quintò*, quando emptor litem motam, conſentit definiri per Iudicem arbitrium, aut per alium, ad quem cognitio illius cauſæ non ſpectabat. *Sextò*, quando emptor tempore emptionis ſciebat rem eſſe alienam; tunc enim de iure communi nec datur actio ei ad intereſſe, ſed ad ſolum pretium, niſi expreſsè conuentum ſit de euictione. *Septimò*, quando emptor potuit præſcribere rem emptam. *Octauò*, quando emptor ſua culpa amiſit rei poſſeſſionem, & ideò factus eſt de reo actor. *Nonò*, quando emptor hæreditatem vendidiſſet, tunc enim ſi res aliqua in particulari de hæreditate euincatur, non tenetur hæres de euictione. Syluester *v. Emptio, q.* 5. *n.* 26. Syluest.

Couar.

Cou.3.*variar.c.*17.Azor. 3.*p.lib.*8.*cap.*30. Mol.*tract.*2.*d.* 380.*a n.*8.Reginald.*lib.*25.*n.*114.& 358. Filliuc.*cit.n.*109.

31. Quoties reſpub. annonæ grauatur inopia, poteſt quis cogi vendere res proprias, quæ ad victum pertinent. Licet enim, regulariter loquendo, nemo cogendus ſit rem ſuam vendere; tamen, quia ſubditi Reipublicæ, & illorum bona in ordine ad bonum commune poteſtatibus publicis, quantum ratio boni communis poſtulat, ſubordinantur; inde eſt, quòd poſſint poteſtates publicæ ipſius Reip. laborante populo fame, & annonæ inopia, cogere quempiam, ad vendendum res ſuas, quæ ad victum, & veſtitum pertinent, taxato etiam pretio, tempore prædictæ inopiæ. Et ſi quis venditor taxatum pretium egrediatur, & pluris vendat, tenetur illud plus in foro poli reſtituere; in foro autem fori per Iudicem ad hanc reſtitutionem cogendus erit, & punietur inſuper pœna in lege taxata, vel alia arbitraria ad Iudicis arbitrium, ſi non fuerit taxata, veluti legis iuſtæ tranſgreſſor. Ita Molina *tom.*2.*de iuſt. diſput.*341. Sylueſt.*v.Emptio,q.*4.

Hinc colligitur poſſe quem cogi à poteſtatibus publicis, ad vendendas domos, prædia, & agros, ſi id ſpectet ad bonum commune, v.g. ad ædificandum, vel ampliandum Monaſterium, vel Eccleſiam, aut Hoſpitale, itemque pro ſternenda via publica, vel pro ſcholis publicis, palatio Regis, vel ædificio alio ſimili conſtruendo, facta ſemper primò æſtimatione, ſolutoque illius pretio. Tamen pleriſque in locis, & regnis in more poſitum eſt, recurrere in hoc negotio ad Regem, tam in publica neceſſitate, quàm pro Eccleſijs ædificandis, ampliandiſve, ac conſtruendis. Vide Couar.*lib.*3.*variar.cap.*14.*num.*8. Caramuel *lib.*2.*Theolog.nu.*825. *& ſequentibus; l.ſi locus,§.vlt. quemadmodum ſeruitutes amittuntur.*

Vide *Emptio, Emphyteuſis* n.7.*Scandalum* n.4.*Falſarius* n.2.*Penſio* n.10.11.*Simonia* 1.n.1.5.*Locatio* 1.n.3.6. *Matrimonium* 7.n.14.*Reſtitutio* 4.§.6.n.19.20.

VICARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Vnde vicarius dicatur? & quotuplex apud Doctores inueniatur.*

2 *Quis ſit vicarius perpetuus, & à quo poſſit amoueri? Et in quibus caſibus dari debeat ab Epiſcopo vicarius parochiæ?*

3 *An vicarius perpetuus alium vicarium perpetuum instituere poſſit?*

4 *An in conſtitutione vicarii perpetui requiratur conſenſus Rectoris, & Patroni, & in quibus Eccleſiis vicarius perpetuus debeat deputari?*

5 *An indiſtinctè vicarius perpetuus habeat curam animarum, quoad omnium effectum?*

6 *Quotuplex ſit vicarius Epiſcopi?*

7 *An ſucceſſor vicarij excommunicati, ſit excommunicatus, ſi non communicet in crimine damnato? & an mortuo Epiſcopo vel excommunicato valeant geſta vicarii?*

8 *An vicarius temporalis poſſit ſubſtituere vicarium? Et An Prælatus poſſit vices ſuas committere ſub annuo cenſu abſque ſimonia?*

1. VIcarius à vice quam gerit dictus: largè & communiter eſt qui alterius vicem, non ſuum gerit officium; ſtrictè autem & ſpecialiter ac propriè eſt vicarius Eccleſiæ parochialis. Quadruplex tamen vicarius apud Doctorem inuenitur, quia ſunt quidam vicarij perpetui Eccleſiarum parochialium: quidam verò ſunt temporales, vt mercenarij, qui ad tempus aſſumuntur in adiutorium curæ; quidam iuriſdictionales deputati ad aliquam prouinciam aut diœceſim, vel locum: quidam verò generales, conſtituti ſcilicet ad omnia quæ incumbunt Prælato. Sylu.*v.vicarius.* Card. & Ioan. de Imol. *in Clem. vnica.*

2. Vicarius perpetuus dicitur, qui canonicè a perſona Eccleſiæ de authoritate Epiſcopi eſt inſtitutus, & certam debet percipere portionem, hic eſt tantùm amouibilis ad beneplacitum inſtituentis, nec poteſt remoueri per Rectorem, quia habet ius vicariæ, licet non habeat Eccleſiã quoad titulum, expelli tamen non poteſt, ac ſi haberet eam intitulatam, ſine iuſta cauſa. & tunc per Iudicem, & non per Prælatum ipſius Eccleſiæ. Sylu. c. *quæſt.* 2. Panorm. *in c. perpetuus de fide inſtruct.* Præterea vicarium perpetuum facit authoritas Epiſcopi: vnde quoties quis eſt deputatus authoritate Epiſcopi curato beneficio vicarius, eò ipſo eſt perpetuus, & immutabilis; *C. vnic. de capel.monac.l.*6. Rector autem Eccleſiæ non poteſt ſibi inſtituere vicarium perpetuum ſine authoritate Epiſcopi; temporalem tamen poteſt. Ioan. Andr. *in c. clericos, de capel.mon.* Sylu. Panormit.

In certis autem caſibus dari debet ab Epiſcopo ad tempus vicarius parochiæ, vbi Parochus adminiſtrare non poteſt idque ſumptibus Parochi. *Primò*, vbi Parochus ipſe Sacerdos non eſt. *Secundò*, vbi Parochus ex iuſta cauſa abeſt; vel ſi reſidere non poſſit ob inimicitias. *Tertiò*, vbi plura incompatibilia beneficia quis habet iuxta diſpoſitionem Conc. Trident. *ſeſs.*7.*c.*5.*de reform.* *Quartò*, vicarium dare poteſt, & ponere debet, vbi Eccleſia vacat, vt habetur in Tridentio. *ſeſs.*24.*cap.*18. *de reform.* & ad ſummam vbicumque periculum eſt, ne ſalus animarum periclitetur. *Quintò*, vbi Parochus ad religionem ſe tranſtulit, intra annum probationis, & quouſque profiteatur, vicarium Epiſcopus conſtituere habet. Tridentinum *ſeſs.*25.*cap.*15. *de regul. & c. beneficium illius, de reg. iur. in* 6. *Sextò*, vbi curata beneficia, curam animarum habentia, Cathedrali Eccleſiæ, aliiſve Collegiatis, vel Monaſteriis, vel Collegiis, piiſue locis quibuſcumque perpetuò vnita ſunt. Ita Trident. *ſeſs.* 7.*c.* 7. *de reformat.* Poſtremò ob quamcumque aliam cauſam, quamobrem proprius parochus inſeruire non poteſt, vtpote, vbi ob delictum per aliquod tempus, in exilium miſſus eſt, vel ob aliam iuſtam cauſam abeſt.

Sed petes, an aliquando coadiutorem dare poſſit Epiſcopus, & debeat, ſine nouæ parochiæ conſtitutione? Reſp. affirmatiuè, *Primò*, vbi Parochus impeditur, quo minus parochiæ munera obeat, vtpote perpetuo morbo, quia ſcilicet paralyticus factus eſt, vel furioſus, vel leproſus, & ſic morbo laborat perpetuo, vel eſt ſenex admodum; *cap. fin.de cler.ægrot.*

Secundò, datur coadiutor ab Epiſcopo ad tempus tantùm illiteratis, & imperitis ad officium ſuum obeundum; idque iure delegato. Ita habetur apud Trident. *ſeſſ.*21.*c.*6. *de reform.*

Tertiò, Coadiutor datur, ſeu dare debet Epiſcopus vbi per ſe quidem Parochus ad Sacramenta adminiſtranda, & diuina facienda ſuumque munus obeundum habilis eſt, tamen ob parochianorum frequentiam omninò non poteſt. Imò in hoc caſu curabit Epiſcopus, vt tot Sacerdotes ad hæc peragenda ſuſcipiat, quot ſufficiant ad Sacramenta adminiſtranda, & diuinum cultum peragendum. Ita habetur in Trident. *ſeſſ.*21.*c.*4.*de reform.* Hi autem Coadiutores, ſeu Capellani probari debent ab Epiſcopo. Et pro victu illorum aſſignabitur vel pars fructuum, vel alia ratione prouidebitur, ſcilicet tanta pecunia in menſem danda. Hi tamen Coadiutores cum ſpe futuræ ſucceſſionis non dantur, vt habetur in Tridentin. *ſeſſ.*25.*c.*7. *de reform.*

Denique Coadiutorem ad vnum actum Epiſcopus etiam aliquando dare debet, ſcilicet Concionatorem; nam cùm Parochi munus ſit, verbum Dei populo proponere, vt habetur apud Trident. *ſeſſ.*5.*cap.*4.*de reform.* ſi ipſe non poſſit, aut nolit munus hoc obire, Epiſcopus, per alium id obeat, operam dabit.

3. Vicarius perpetuus alium vicarium perpetuum inſtituere non poteſt, temporalem tamen inſtituere poteſt ad modicum tempus, & ex magna cauſa, vt ait Archidiac. poſt Hoſtienſem. Ita Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.*10. *num.*13.

4. In conſtitutione vicarii perpetui requiritur conſenſus rectoris & patroni, cùm agatur de præiudicio vtriuſ-

que, in hoc quod creatur titulus perpetuus in Eccleſia: temporalem tamen vicarium ſolus Epiſcopus dare poteſt ex cauſa; & ſi hæc ardua ſubeſſet, perpetuum etiam dare poſset inuito rectore, & patrono; *C. poſtulaſti, de iure patr. C. cùm ex eo, de elect. in 6.* Vicarius autem perpetuus deputari non debet, niſi in Parochialibus habentibus latitudinem parochiæ, vel aliam neceſſitatem. & debet habere 25. ann. & ordinari ad Sacerdotium intra annum, aliàs priuatus eſt ipſo facto, & non poteſt habere duas vicarias: & ſi accipiat Eccleſiam aliam cum cura, perdit vicariam.

Syluest. Syluest. *cit. num. 2. 2. cap. 1. & 2. de offic. vic. C. poſtulaſti, de reſcr.*

5. Vicarius perpetuus habet curam animarum indiſtinctè, quoad omnium effectum, etiam quoad commoda, quia poſſidet ſuo nomine, ad inſtar conducentis non ad modicum tempus, licet per modum cuiuſdam iuris & in habitu ſit apud principalem: quantum verò ad exercitium actionum competentium beneficio, ſi decimæ, primitiæ, & oblationes datæ ratione curæ, competunt vicario, & certa portio aſſignatur Prælato, vel ei, cuius eſt vicarius, vt eſt Monachus; tunc cura & rei vendicatio ſpectant ad vicarium: ſi verò è contrario, tunc cura & rei vendicatio fructuum ſpectant ad principalem. Card. *in Clem. vn. c. eodem tit. l. ſi. ff. ſi ager vectig. C. ſuſcepti, de preb. in 6. C. ſuper eo, ibid.*

6. Vicarius Epiſcopi duplex eſt, quidam ſcilicet generalis ſimpliciter ſeu principalis, deputatus ad omnia incumbentia, qui facit idem conſiſtorium cum Epiſcopo, & habet iuriſdictionem ordinariam, & conſequenter poteſt ſuam ſententiam executioni mandare: Quidam autem eſt vicarius foraneus, ſic dictus quia foris in diœceſi conſtituebatur, vel quia forum teneat, vel quia de foris veniat: vnde hic præeſt cauſis in foro contentioſo; qui etiam dicitur officialis, licet aliquando dicatur vicarius generalis, quod intelligendum eſt, ſecundum quid, id eſt, quoad cauſas: In Italia vicarius, & officialis rarò differunt, vnde inſpicienda eſt eorum commiſſio. Gloſsa *in Clem. & ſi principalis, de reſcript.* Laymann *lib. 1 tract. 4. c. 7. nu.* 18. Gloſsa

Laym. Salu. *in c. Romana de offic. ord. in* 6. Sylu. *cit. num.* 4.

7. Succeſsor vicarij excommunicati, non eſt excommunicatus, niſi communicet in crimine damnato: ea tamen quæ geſſit eo excommunicato qui vices commiſit, non valent, ſi id fecit in iuriſdictione ſolùm ab eo accepta: vnde ſi Epiſcopus eſt excommunicatus, nec ipſe, nec vicarij eius cognoſcent de cauſis, quia idem eſt conſiſtorium. Mortuo Epiſcopo vel eo qui vicarium dedit, ceſsat iuriſdictio vicarij; vnde deficit, & finit officium vicarij,

Sanch. Epiſcopo mortuo, vel excommunicato. Ioan. Andr. *in c.*
Sylu. *Romana eod. tit. in* 6. Sanch. *de matr. lib.* 3. *d.* 30. Sylu. *cit.*
Laym. *num.* 4. Laym. *cit. num.* 19.

8. Vicarius temporalis ſimpliciter non poteſt ſubſtituere vicarium, quia non habet iuriſdictionem ordinariam, id eſt, iure ſuo: fallit tamen *Primo*, ſi habeat ſpeciale mandatum ſubſtituendi. *Secundò*, ſi ſit de hoc conſuetudo, quia inſtituens eum, & ſciens talem conſuetudinem, conſentit implicitè in ſubſtitutionem. *Tertiò*, quando per ſe non poteſt totum explere, licet non poſsit totam ſuam poteſtatem committere, poteſt tamen partem, quia intentio committentis eſt, vt exequatur ſecundum quod poteſt, & poteſt facere totum. Nauar. *in c. placuit num. 69. d.*

Sanch. *6. de pænit.* Sanchez *de matr. lib. 3. d.* 31. *n.* 15. Laym. *lib. 5.*
Laym. *tract. 6. c. 10. n.* 13. Porrò, Prælatus non poteſt vices ſuas committere ſub annuo cenſu, ſine ſimonia: bene tamen poteſt vicario ſalarium conſtituere, imò & tenetur, & vicarius habet ius petendi ſibi aſsignari congruam portionem de redditibus Eccleſiæ pro ſuſtentatione; *C. 1. 2. & 3. ne Prælati vices, cit. n.* 7.

De vicario vide *Beneficium* 5. n. 6. *Confeſſarius* 1. *nu.* 9. *Confeſſarius* 2. n. 6. 9. & 11. *Excommunicatio* 3. 0. 22. *Votum* 5. n. 10.

SVPPLEMENTVM.

Vicarius.

SVMMARIVM.

1 *Quando vicarius cenſeatur Iudex ordinarius?*
2 *An vicariorum iuriſdictio expiret mortuo principali, aut illo amoto ab officio, & iuriſdictione per excommunicationem, ſuſpenſionem vel interdictum, etiam quoad negotia cœpta?*
3 *An vicarius generalis Epiſcopi ſit ordinarius? Et quid iuris de vicarijs foraneis Epiſcopi?*
4 *An vicarij ipſi generales poſſint loco ſui creare alios vicarios generales pro ſuo libito?*
5 *Quando Epiſcopus conſtituit vicarium, committens illi aliquem, aut aliquos caſus, an talis vicarius ſit cenſendus ordinarius, vel delegatus?*
6 *An vicarius generalis Epiſcopi ex officio poſſit audire confeſſiones omnium de Diœceſi, & concedere alijs licentiam audiendi, ſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo non committatur?* Refertur duplex ſententia.
7 *Vicarius Generalis Epiſcopi, an poſſit licentiam exercendi Pontificalia in ſua Diœceſi alteri concedere, ſi ſpeciale mandatum ad id non habeat?*
8 *An Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit ex proprio officio & ex Generali inſtitutione Vicariatus, intereſſe matrimonio & alij Sacerdoti licentiam aſsiſtendi concedere? Et quid dicendum de Vicario foraneo?*
9 *An diſpenſare in denunciationibus matrimonij pertineat tantùm ad Epiſcopum, & non ad Vicarium ipſius generalem?* Refertur duplex ſententia. *Et an in his poſsit diſpenſare vicarius foraneus? Quis dicatur Vicarius foraneus?*
10 *Quæ beneficia poſsit conferre Vicarius Generalis Epiſcopi, data ei facultate conferendi beneficia?*
11 *An Vicarius poſsit conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit?*
12 *An Vicarius habens facultatem conferendi beneficia, poſsit ea conferre exiſtens extra diœceſim?*
13 *Quales Qualitates debeat habere creandum in Vicarium Generalem Epiſcopi?*
14 *An Prælati regulares & religioſi de illorum licentia, poſsint eſſe Vicarij Epiſcoporum? An etiam Fratres Minores?*
15 *An Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium?* Refertur duplex ſententia.
16 *An in Generali Vicarij inſtitutione concedantur ea tantùm, quæ in Generali mandato continentur, & non ea, quæ ſpeciale requirunt mandatum?*
17 *Quando Vicarij inter regulares habeant iuriſdictionem Ordinariam, quando delegatam? Et an ſint veri Prælati? Et à quibus poſsint amoueri?*

1. Vicarius ex tacito vel expreſso Principis, legis, aut reipublicæ conſenſu à iudice Ordinario loco ſui conſtitutus, vt ex proprio ſuo tribunali vniuerſaliter iuriſdictionem vice ſui exerceat, non eſt iudex delegatus, ſed Ordinarius. Imò vnum & idem tribunal efficit cum principali eo iudice Ordinario, cuius vicem ſubit. Et ob eam cauſam non appellatur ab eo Vicario ad iudicem principalem, cuius eſt Vicarius: nam ab eodem tribunali ad idem non appellatur, vt habetur *in capite Romana, in princip. de appellat. in ſexto*, & docent communiter Doctores. Imò conſuetudine introduci non poteſt, vt ab eiuſmodi Vicario ad eum, cuius vices gerit, appelletur id ob eam rationem, quòd ab eodem in idem tribunal appellari non poſsit, vt habetur *in cap. 2. de conſuetud. in 6.*

2. Vicariorum iuriſdictio expirat mortuo principali, aut illo amoto ab Officio ac iuriſdictione: quod non contingit in alijs iudicibus Ordinarijs, qui non expirant eorũ morte, qui illos iudices conſtituerunt; ita colligitur ex

capite

Digitized by Google

capite 1.de Officio Vicarij, in 6. vbi habetur, excommunicato principali, quamuis idcirco excommunicatus non maneat eius Vicarius, quæ tamen gerit, agendo vices talis excommunicati, eſſe nullius vigoris ac momenti, non ſecus atque ſi ab ipſomet excommunicato fierent. Et affirmat communis Doctorum ſententia, quam ſequuntur Sanchez *de matrim.lib.3. diſp.30.nu.2.* Nauarrus *in cap. Nullam, de regularibus, num.22.§. ad prius*, Couarruuias *in practic. quæſtion.capite 4. numero 4.* Molina *tractatu 5. diſputat.10.numero 2.* Syluester *verb.Vicarius, quæſtion.4.* & alij. De numero eiuſmodi Vicariorum eſt Vicarius Generalis Epiſcopi, aut Archiepiſcopi. Ratio autem eſt, quia eſt prorſus idem tribunal, & reputatur eadem vtriuſque perſona. Ergo cùm morte Epiſcopi ceſſet eius tribunal; ceſſabit etiam Vicarij. Similiter ſuſpenſa iuriſdictione Epiſcopi per ipſius excommunicationem, nempe quando eſt denunciatus vel notorius Clerici percuſſor ſuſpenſa eſt etiam eius Vicarij iuriſdictio: atque ita ſicut geſta tunc per Epiſcopum pertinentia ad iuriſdictionem ſunt irrita, ſimiliter dicendum eſt de geſtis ab eius Vicario Generali. Et hæc vera ſunt etiam quoad negotia cœpta: illa enim perficere nequit Vicarius, Epiſcopo mortuo, aut excommunicato. In quo differt à delegato, cuius poteſtas non expirat quoad negotia incœpta morte vel excommunicato, ſuſpenſione, & interdicto delegantis, *cap.Gratum, de officio delegat.* Et ratio differentiæ eſt, quia Epiſcopi, & Vicarij eſt vnum, & idem tribunal, non ſic autem delegantis, & delegati. Ita communiter Canoniſtæ, Abbas *in c.licet, de offic.delegat.n.8.* Rebuff. *in praxi beneſic.tract.de forma Vicariatus, n.162.* Hoſtien. Ioannes Andræas, Dominicus, Ancharanus, Francus apud Sanch. *loco cit.n.6.*

Sanch. Nauarrus. Couar. Molina. Sylu.

Abbas. Rebuff. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Dominic. Anchar. Francus.

3. Quorundam ſententia fuit Vicarium Generalem Epiſcopi non eſſe Ordinarium, ſed delegatum. Et probant, quia Ordinarius propria iuriſdictione vtitur, in quo diſtat à delegato, qui propria carens vice fungitur delegantis. Sed Vicarius Epiſcopi, eius vices gerit, ergo non eſt Ordinarius. Tum quia ordinaria iuriſdictio non poteſt ab Epiſcopo concedi, nam ſolius eſt Principis Ordinarium conſtituere, ſed Vicarium conſtituit Epiſcopus, ergo non eſt ordinarius. His tamen non obſtantibus dicendum eſt ex communi ſententia Vicarium Generalem Epiſcopi habere iuriſdictionem Ordinariam. Ratio eſt, quia iuriſdictio conceſſa a Canone vel lege, eſt ordinaria. Et quamuis Epiſcopus conſtituat Vicarium Generalem, non tamen ei confert iuriſdictionem, quam habet, ſed a iure tribuitur, vt patet ex *cap.licet, de offic.Vicarij in 6.* ergo eius iuriſdictio eſt ordinaria. Tum quia, quemadmodum Epiſcopus dicitur ordinarius, ſic etiam Vicarius illius Generalis Ordinarius nuncupatur, continetur *cap.Vt animarum, de conſtitut. in 6.* Tum quia eadem eſt iuriſdictio Epiſcopi & Vicarij, idemque tribunal, vt aſſeritur *in capite Romana, de appellat.in 6.* & *capite 2. de conſuetud.in 6.* ergo eſt ordinarius. Ex quo infertur, quoties in aliquo decreto, mentio fit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud poſcat, intelligi non tantùm Epiſcopum, ſed etiam ipſius Vicarium Generalem, Vicarium Capituli ſede vacante, aliorumque habentium iuriſdictionem Epiſcopalem, cùm verè omnes hi Vicarij Ordinarij ſint. Ita ex communi docent Syluester *verb. Vicarius, quæſt.4.dict.1.* Couarruuias *3.variar.cap.20.nu.4.* Gutierrez *quæſt. Canonic.lib.1. cap. 19.num.15.verſ.Nihilominus,* Flaminius *de reſignat.beneſic.lib.3.quæſt.11.nu.19.& ſequent.* Molina *tract.5.diſp.10. num.3.* Nauarrus *lib.4.conſil.in 1.editat.de ſponſal conſ.5. n.2.* & alij multi quos refert, & ſequitur Sanch. *de matr. lib.3.diſp.29.n.3.& ſeqq.* qui *n.13.* reſpondet ad argumenta prioris ſententiæ.

Syluest. Couar. Guttier. Flamin. Mol. Nauar. Sanch.

Alij autem Vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, de quibus eſt ſermo in Gloſſa *Clem.2.de reſcr. ver. Foranee,* non ſunt Ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius Vicario. Ratio eſt, quia non habent iuriſdictionem aliam, quam conceſſam ſibi ab Epiſcopo; at Epiſcopus nequit iuriſdictionem Ordinariam concedere. Tum quia eiuſmodi Vicarij foranei non vnum tribunal efficiunt cũ tribunali Epiſcopi, nam ab ipſis appellatur immediatè ad Epiſcopũ, aut ad ipſius Vicarium Generalẽ, vt habetur *in c.Romana de appell.in 6.* & affirmant communiter Doctores, quos referunt, & ſequuntur Couarruuias *in pract.q. cap.4.n.8.* Molina *loco cit.n.4.* Maranta *de ordin.iud.p.4.diſt.5. n.15.*

Gloſſa.

Couar. Molina. Maranta.

4. Vicarij ipſi non poſſunt loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito: tamen ex cauſa, vt iuſtæ abſentiæ, aut ægritudinis, poſſunt ad tempus modicum Vicarios creare, qui ex eodem tribunali iudicent, vt notant Gloſſa *Clement.1.de regular.verb.locum aliorum,* & Maranta *loco citato, numero vigeſimoſecundo,* & alij. Et in euntibus huiuſmodi lege conceſſis taliter ſubſtituti, ſunt Ordinarij, quemadmodum, & ij, quibus ex ea rationabili cauſa ſubſtituuntur. Poſſunt etiam hi Vicarij Generales tanquam iudices Ordinarij aliquam, aut aliquas cauſas delegare, vt notat Gloſſa *in cap.1.de Offic. Vicarij, in 6. verb.ipſius,* Molina *tract.5.diſputatione decima. num.7.* Maranta *citat.num.22.* & alij.

Gloſſ. Maranta.

Gloſſ. Molina. Maranta.

5. Quando Epiſcopus vnica commiſſione, dum conſtituit Vicarium, committit illi aliquem, aut aliquos caſus; eſt Vicarius Ordinarius etiam quoad caſus commiſſos, ex *c.Translato, de conſtitution.* vbi dicitur, *quia ſimul & ab eodem & ſub eadem ſponſione, vtraque data ſunt: quod de vno dicitur, neceſſe eſt, vt de altera intelligatur.* Ex quo textu colligunt Doctores, quod de vno connexorum dicitur, ad alterum extendi: ergo cùm hæc poteſtas ſimul, & ab eodem conferatur, ſicut principalis eſt ordinaria, ſic erit ei connexa. Si autem diuiſim, & ſeorſum committantur illi caſus, eſt iuriſdictio delegata: præterquam ſi in commiſſione fiat expreſſa mentio Vicariatus, ſi enim fiat, vt tali Officiali noſtro, vel Vicario committimus, aut poteſtatem aliàs per nos commiſſam, extendimus: tota iuriſdictio erit Ordinaria: quia datur tanquam annexa, & acceſſoria Ordinariæ, & ideò ad illius tanquam principalis, & dignioris naturam trahitur. Ita Sanchez *de matrim.lib.3. diſp.29.n.8.* Ioannes Andreas, Beroius, Iacobus, Sbrozius, & alij *apud illum.*

Sanch. Io. Andr. Berolus. Sbrozius.

6. Nonnulli arbitrantur Vicarium Generalem Epiſcopi non poſſe ex Officio audire confeſſiones omnium de Diœceſi, & concedere alijs licentiam audiendi, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur. Ducuntur, quia ex officio Vicarij tantùm habet iuriſdictionem in contentioſis, & in cauſis ciuilibus, vt videre eſt *in c.licet, de offic.Vicarij in 6.* Tum quia in Tridentino *ſeſſ.23. cap.15. de reform.* ſtatuitur, vt nullus poſſit audire confeſſiones ſæcularium, niſi approbatus ab Epiſcopo, ergo Vicarius non poteſt hanc licentiam dare, nec ipſemet etiam confeſſiones audire, ſine licentia Epiſcopi ſpeciali Ita tenent Sot. *in 4.diſt.18.q.4.art.3.ver.Circa confeſſiones,* Hoſtienſis *in ſumm.tit.de pœnit.& remiſſ.§.cui confitendum, n.14.* Abbas *in Clement.1.de priuil. nu.11.* Ancharanus *in Clement.Dudum, §.ſtatuimus, notab.1.de ſepult.* & alij, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Sotus. Hoſtienſ. Abbas. Ancha.

Sed verior, & probabilior hoc tempore, & in praxi cõmuniter recepta ſententia eſt, poſſe Vicarium Generalem Epiſcopi, audire confeſſiones ex Officio, & alijs licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi, & ita comprehendi nomine proprij Sacerdoris *in cap.Omnis vtriuſque ſexus, de pænitent.& remiſſ.* Ratio eſt, quia, vt dictum eſt ſupra, eſt Ordinarius, & verè Prælatus in tota Diœceſi, Parochiſque ſuperior, ergo poteſt ex officio audire confeſſiones, ſi ſit Sacerdos (hoc enim ſupponitur) & alijs licentiã audiendi cõcedere in tota Diœceſi quamuis Sacerdos nõ ſit, vt etiam concedit Epiſcopus charactere Sacerdotali nõ initiatus. Nec obſtat *c.licet, de offic.Vicarij in 6.* dum enim ibi dicitur habere iuriſdictionem tantùm in ciuilibus, non excludũtur ſpiritualia, ſed ſolùm cauſæ criminales, de quibus cognoſcere nequit Vicarios, abſq; ſpeciali cõmiſſione.

Nec item obſtat quod dicitur in Tridentino, vbi petitur vt confeſſarij ſint approbati ab Epiſcopo, ibi enim non excluditur eius Vicarius Generalis, quia nomine Epiſcopi, intelligitur etiam eius Vicarius Generalis, quando res eſt, quæ conuenit Vicario ex eius Officio. Proinde cum Tridentinum *ſeſſ.24.c.6.de refor.* voluit Vicarium excludere, expreſsè dixit, *eis tantùm, non eorum Vicarijs ſit permiſſum.* Concludendũ eſt ergo ſub nomine Epiſcopi cõprehendi eius Vicariũ Generalẽ in dictis caſibus, qui vnũ tribunal cum ipſo conſtituit, eademque perſona cenſetur. Hanc communem ſententiam tradunt Bonacina *to.1. de*

Conc. Tr.

Bona c.

Sacram.Pænit.diſp.5.quæſt.7.punct.4.§.1.nu.9. Gutierrez *lib.1.q.Canon.c.27.n.24.* Sanchez *de matrim.lib.3.diſ.29. n.15.* Suarez *tom.4. de pænit.diſp.28. ſect.5.* Tannerus *de pænit.diſp.6.q.9.dub.2.num.27.* & alij.

Guttier. Sanch. Suar. Tannerus.

7. Vicarius Generalis Epiſcopi non poteſt licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in ſua diœceſi, niſi ſpeciale mandatum habeat: quamuis enim Vicarius Generalis nomine ordinarij veniat, nihilominus ſicut ei ſpecialiter interdicitur ne dimiſſorias concedat abſque ſpeciali mandato, ex Gloſſa *in capit. Nullus, de tempor. ordinat. in 6. verſ. non extendat* ita etiam eidem interdictum videtur concedere facultatem extraneo Epiſcopo exercendi Pontificalia, niſi ſpeciale mandatum habeat, Ita deciſum referunt à ſacra Congregatione Eminent. Cardinalium Petrus Marzilla, & Ioannes Gallemartius *in declarationibus ſuper ſeſſ.6.c.5. Concilij Tridentini.*

Gloſſa. Sac.Cong. Marzilla. Gallemar.

8. Ex veriori ſententia, Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt ex proprio Officio, & ex generali inſtitutione Vicariatus, intereſſe matrimonio, & alij Sacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere. Ratio eſt, quia iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.24.cap.1. de reform. matrimon.* poteſt aſſiſtere Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi vel Ordinarij licentia; ſed Vicarius Epiſcopi eſt Ordinarius, & in decretis mentionem de Ordinario facientibus comprehenditur, vt dictum eſt *ſupra numero* 3. ergo poteſt aſſiſtere & dare licentiam aſſiſtendi. Tum quia Vicarius ex Generali commiſſione poteſt de cauſis matrimonialibus cognoſcere, vt habet verior Doctorum ſententia, ex *cap.1. de frigid. & malefic.* vbi dicitur, quod proponenda ſit querela coram Epiſcopo, vel eius miſſo, id eſt Vicario, iuxta Gloſſam *ibi* ad diuortium. Si ergo Vicarius poteſt de cauſis matrimonialibus cognoſcere, à fortiori poterit aſſiſtere matrimonio, idque alteri Sacerdoti committere. Idem dicendum eſt, de Vicarijs habentium iuriſdictionem Epiſcopalem: quia ſunt Ordinarij, & nomine Ordinarij comprehenduntur, Ita Nauarrus *lib.4. conſil. tit. de ſponſal. in 1. edit. conſil.47. & in 2. edit. tit.2. de clandeſtin. deſponſat. conſil.14.* Flaminius *de reſign. benefic. lib.3. quæſtione 11. nu.20. & 21.* Rodriquez *tom.1. Summ. Latina, capite 217. num.15.* Pontius *de matrim. lib.5. capit.11.* Gaſpar Hurtad. *diſput.5. de matrim. difficult.9. num.12.* Trullench *tom.3. in praxi reſol. Sacrament. lib.7. capite 6. dub.3. num.2.* Coninch *de Sacrament. diſp.27. dub.2.* Sanchez *de matrim. lib.3. diſ.29.* & alij communiter. Vicarius autem foraneus non poteſt aſſiſtere matrimonio, niſi omnes cauſæ matrimoniales illi delegentur: tunc enim poteſt de cauſa principali cognoſcere, poterit de minus principali, & acceſſoria ac præambula, vt notant Sanchez *ſupra nu.20.* Trullench *loco cit.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.32.*

Conc. Tr. Nauarrus. Flamin. Rodriq. Pontius. Hurtad. Trullench Coninch. Sanch. Sanch. Trullench Barboſ.

9. Nonnulli dubitant, vtrum remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Eccleſia de ijs, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant ſpectet ad ſolum Epiſcopum, an etiam ad ipſius Vicarium Generalem? de qua re Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. cap.1. de reform. matrimon.* ſic decreuit: *Niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio ſancta Synodus relinquit.* Ex quo textu dicunt ſolum Epiſcopum id poſſe, & non Vicarium ipſius Generalem, & eſto Epiſcopus Vicario ſuo id committat, nulla eſt talis remiſſio per Vicarium facta. Ita tenuere Menochius *conſil.69. num.55. & ſequent. volum.1.* Suarez de Paz *in ſua practica tom.2. prælud.3. fin.* Henriquez *lib.11. de matrim. capit.5. num.5.* dicens ſic declaraſſe Eminentiſs. Cardinales. Pontius *de matrimon. lib.5. cap.3.* & alij, quorum ſententia eſt probabilis. Contraria tamen ſententia praxi totius orbis eſt recepta, niſi Epiſcopus facultatem diſpenſandi in denunciationibus ſibi reſeruet. Ratio eſt, quia Vicarius etiam eſt Ordinarius, & idem tribunal & eadem perſona cum Epiſcopo. Vnde etſi Congregatio declarauerit quoad hoc, nomine Ordinarij intelligi Epiſcopum, non eſt tamen excludendus Vicarius Generalis, qui eſt eadem perſona cum Epiſcopo. Addo ſæpe euenire poſſe, vt Epiſcopus ſit abſens, & vt neceſſe ſit eas denunciationes remitti: in ſufficienter autem Concilium prouidiſſet neceſſitati, quæ occurrere poterat, niſi arbitrio Vicarij id etiam commiſiſſet. Tandem, quia quando Tridentinum excludere voluit Vicarium, id exprimere ſolet, vt diximus ſuprà. Pro hac ſententia eſt Salſedo *practic. cap.73.* Gutierez *lib.1. quæſt. canonic. cap.19. num.15.* Sanchez *de matrimon. lib.3. diſputa 7. num.10.* Gaſpar Hurtado *diſp 5. diffic.19. num.63.* Trullench *tom.3. praxi reſol. Sacrament. lib.7. cap.6. dub.9. num.2.* Bonacina *quæſt.2. de matrimon. punct.6. num.7. verſ. Dixi* Molina *tract.5. diſput.10. n.13.* Riccius *in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ.259.* & communis.

Guttier. Sanch. Hurtad. Trull. Bonac. Molina. Riccius.

Vicarius autem foraneus non poteſt in his diſpenſare abſque ſpeciali commiſſione: huius enim facultas eſt limitata, nec eſt eadem perſona cum Epiſcopo. Imò nec poteſt Vicarius Generalis hanc facultatem generaliter delegare, ſed tantùm ad vnam, vel alteram cauſam in particulari, quia eſt Ordinarius, quamuis non poſſit alium Vicarium inſtituere, vt docent Sanchez *loco cit. diſp.7. n.21.* cum alijs ibi citatis, & Bonac. *loco cit. nu.7. verſ. ex quo.*

Sanch. Bonac.

Sed petes, qui dicatur Vicarius foraneus? Reſpondeo foraneum dici, quia iuriſdictionem habet extra ciuitatem in qua eſt Epiſcopi ſedes in certa parte Diœceſis, eius autem tribunal, & auditorium non cenſetur idem, quod Epiſcopi; iuriſdictionem itidem ordinariam non habet, ſed delegatam. Præterea ab eius ſententia ad Epiſcopum appellatio conceditur, cùm ſolùm habeat commiſſam iuriſdictionem. Inſuper non videtur dignitatem habere, ita vt reſcripta Papæ directa ad eum, qui eſt in aliqua dignitate conſtitutus, tanquam ad conſeruatorem, & delegatum Pontificium, ad illum non extendantur. In his omnibus à Vicario Generali diſtinguitur, qui iuriſdictionem Ordinariam habet, & dignitatem. Ita communiter Doctores, & hæc dictis colligitur.

10. Certum eſt Vicarium Generalem Epiſcopi ratione ſui Officij non poſſe beneficia conferre, niſi Epiſcopus ſpecialiter ei commiſerit poteſtatem conferendi, vt conſtat ex *cap. vltim. de offic. Vicarij, in 6.* & diximus *tomo primo, verb. Beneficium V. in ſexto.* Verùm data Vicario ſpecialiter facultate conferendi beneficia, non intelligitur conceſſa poteſtas conferendi ea beneficia, quæ Epiſcopus iure ſpeciali, aut priuilegio conferre poteſt. Quare Vicarius eiuſmodi facultate accepta, ſolum poteſt conferre ea, quæ ad Epiſcopum iure ordinario, & communi pertinent: nam priuilegium perſonæ ad alium non tranſit. Sed dubitatur, an cenſeatur data facultas conferendi beneficia, quæ iure deuoluto ad Epiſcopum pertinent, ob negligentiam vel delictum inferiorum, quorum erat ius conferendi? Reſpondent Rebuffus *in praxi benefic. titul. de Vicar. Epiſcop. num.88.* Paulinus *in tractatu ſuo, parte 2. quæſt.10.* intelligi datam, nam negligentia vel delicto inferiorum commiſſo, poteſtas conferendi iure ordinario, & communi ad Epiſcopum ſpectat. Tutiùs verò eſſe exprimere in inſtrumento datæ facultatis beneficia ad Epiſcopum deuoluta. Certi autem iuris eſt, ſi beneficia ſint deuoluta ad Epiſcopum, tanquam Sedis Appoſtolicæ delegatum, puta ob negligentiam Regularium, Vicarium ea conferre non poſſe. *Clementin.1. de ſuppleud. negligent. Prælator.* & docent Filliucius *tractat.41. capite 2. nu.51.* Azorius *part.2. lib.3. cap.44. quæſt.2.* & alij.

Azor. Filliuc.

11. Vicicarius non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit. Ratio eſt, quia ſicut Epiſcopus ſibi ipſi Beneficium conferre nequit, quia inter dantem, & accipientem debet eſſe diſtinctio; ſic alteri facultatem dare non poteſt, vt ſibi beneficium conferat, etiamſi aliàs eſſet capax; Vicarius enim vnam perſonam facit cum Epiſcopo; & ideò ſi Vicarius conferat inhabili, non fit ad Epiſcopum deuolutio, *c.2. de conſuetud. in 6.* Quod tamen intelligitur, quando Vicarius conferret vt Ordinarius, ſecus ſi vt delegatus, *c. ſi compromiſſarius, de elect. in 6.* Subſtitutus tamen a Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, conferre beneficia Vicario ſubſtituenti poteſt, quia ſubſtitutus cenſetur ab Epiſcopo conſtitutus, & habere Epiſcopi conſenſum, non Vicarij ſubſtituentis. Ita Rebuffus *loco citato, num.82.* Garzias *de be-*

Garzias.

Digitized by Google

de beneſic. part. 1. cap. 8. à nu. 145. Azorius *loco citato, q. 15.* Filliocius *tract. 41. cap. 4. n. 53.* & alij.

Azor. Filliuc. 12. Vicarius habens ſpecialem facultatem conferendi beneficia poteſt ea conferre, cum extra Diœceſim exiſtit. Hoc colligitur ex Gloſſa *in ca. Noui, de offic. legat. in verb. Terminos*, tunc enim collatio eſt voluntariæ iuriſdictionis, quamuis enim Iudex extra territorium exiſtens, iuriſdictionem exercere nequeat in his, quæ cauſæ cognitionem in tribunali requiruntur: poſt tamen, quando res talem cognitionem non poſtulat. Deinde ita indiſtinctè docent poſſe iuriſdictionem voluntariam extra territorium exerceri; nec faciunt vim in eo quòd iuriſdictio exerceri, nec faciunt vim in eo quòd iuriſdictio exercentis ordinaria ſit, ſed quia nulla irrogatur iniuria Iudici alieni territorij, cùm abſque ſtrepitu & figura iudicij exerceatur: quæ ratio æquè militat in Iudice ordinario, & delegato. Ita reſoluunt Dominicus *in cap. final. de Vicar. in 6.* Rebuff. Rebuffus, Couarruuias, Menochius, Flaminius, & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 34.* Sanch. *num. 2.*

13. Vicarius debet creari idoneus ſcientia, ætate & moribus, qui ſit forenſium rerum, & cauſarum peritus, *l. penult. Cod. de iudic.* Ætas idonea cenſetur ad id muneris, & officij, ſi fuerit 25. annorum, vt colligitur ex *cap. Cùm in cunctis, §. inferior, de elect.* & tradit Rebuffus *in praxi tit. de Vicarius Epiſcop. num. 20. & 28.* & debet ad gradus Doctoris vel licentiati in iure Canonico eſſe promotus. Laicum autem nequit Epiſcopus inſtituere Vicarium, nec eum, qui eſt matrimonio coniunctus. Francus *in cap. 1. de offic. Vicarij in 6.* Non prohibetur tamen Epiſcopus habere aſſeſſorem laicum. Abbas, Felinus, & alij *in cap. de his, & cap. decernimus, de iudic.* Inſuper debet Vicarius habitum Clericorum deferre, *cap. In noua, 16. quæſt. 7.* Nam ſi laicorum veſtes geſtans beneficium conferat alicui, cogitur is, qui beneficium accepit, vel ipſe Vicarius probare ſe Vicarium, & Clericum fuiſſe, cùm beneficium contulit.

14. Prælati Regulares, & Religioſi de illorum licentia poſſunt eſſe Vicarij Epiſcoporum, quia nullibi in iure id eis interdictum reperitur, vt tradunt Panormitanus *in c.* Nauar. Barboſa. Pellizzar. Sanch. *final. num. 4. de Clerico agrot.* Nauarrus *Comment. 2. de regul. ad finem, verſ. addo decimoquintò.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop part. 3. allegat. 54. num. 12.* Pellizzarius *in Manual. regular. tractat. 8. cap. 6. num. 247.* Tamburinius *de iure Abbatum, tom. 3. diſput. 17. quæſit. 5. num. 7.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 13. num* 88. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Vicarijs Epiſcop. num. 30.* & alij multi apud ipſos citati.

Quadam tamen excipiunt Religioſos Ordinum Mendicantium, qui eſse nequeunt Vicarij Epiſcoporum, ex *Clement. 1. §. Ad prioratus, de regular.* Ita Rebuffus *loco citato, num. 35.* Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 43. quæſt. 10.* Sed hanc limitationem alij non admittunt, quia *in dicta Clementina* ſolùm hoc interdicitur Mendicantibus, qui ad non Mendicantes tranſierunt; quare potiùs ſupponit non tranſeuntes poſſe eſſe Vicarios Epiſcoporum, dummodo accedat licentia Prælati; hæc enim omninò requiritur, iuxta *cap. Monachi, c. 2. 16. q. 1. & cap. 2. de poſtulando,* vbi prohibetur Monachis quodcumque officium ad iudicia pertinens ſine licentia Prælati, cuiuſmodi vtique eſt talis Vicariatus. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſione 25. capit. 4. de regular.* prohibet, *ne quis Regularis, ſine ſui Superioris licentia & prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubijciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis vel Vniuerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci: neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab alijs ſuperijs obtenta ſuffragetur.* Quando autem Religioſus non eſset exemptus, tunc cùm ſubſit Epiſcopo, non eſt neceſsaria licentia ſui Prælati, ſed ab Epiſcopo tanquam Superiori poterit ad id officium aſſumi. Et ita bene limitauit Nauarrus *loco citato,* dicens exigi licentiam Abbatis, ſi Religioſus ſit exemptus. Cæterùm Fratres Minores non poſſunt vllo pacto eſse Vicarij Epiſcoporum, vt ex multis Shrozius. Sanch. Pellizzar. probat Shrozius *de Vicario Epiſcop. lib. 1. quæſtion. 38. numer. 5.* & poſt illum Sanchez *loco cit. num. 94.* Pellizzarius *loco cit. quæſt. 9.* Hieron. Rodriq. *in Compend. priuil. reſol. 139. n. 6.* & alij. Rodriq.

15. Dubium eſt, an Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium? Plurimi affirmatiuam tenent propter ingentes occupationes, in quibus Epiſcopale regimen, & animarum cura verſatur; per ſeipſum enim etſi diligentiſſimum ob amplam, & diffuſam diœceſim, quandoque nõ valet omnia miniſtrare. Ita Panormitanus *in cap. quoniam, n. 3. de offic. Ordinar.* Azorius *part. 2. lib. 3. cap.* Panormit. Azor. *43. quæſit. 2.* Rebuffus *in tract. nominat. quæſt. 4. num. 61.* & alij apud Barboſam infrà. Verùm contrarium amplexa eſt ſacra Rota apud Puteum *deciſ. 43. lib. 2.* Ratio eſt, quia Epiſcopus non tenetur habere Vicarium, ſed eſt in eius facultate, an velit illum retinere. Ex ijs enim, quæ fiunt, ſeu fieri ſolent, vel permittuntur iure facultatis, vel ex gratia, & voluntate aduerſarij, nullum quæritur ius, nec oritur poſſeſſio vel quaſi quæ ſit attendenda: proinde in puncto quod communitas loci non poſſit petere manutentionem contra Epiſcopum, vt retineat in illo loco Vicarium generalem, tenent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. p. 3. allegat. 54. n. 155.* Cardin. Tuſcus *pract. concluſ. verb. Mandatum de manutenendo, concl. 69. n. 6.* Et quod poſſit Epiſcopus in quacumque parte Diœceſis Vicarium retinere, probat textus *in cap. cùm Epiſcopus, de offic. Ordinar. in 6.*

16. Porrò in Generali Vicarij conceſſione conceduntur ea tantùm quæ in Generali mandato continentur, etiamſi clauſulam Epiſcopus poſuiſſet, *dantes & concedentes ei plenam, & liberam poteſtatem*, argum textus *in l. Procurator cui, ff. de Procurator.* cum ſimilibus, non tamen poterit ea peragere Vicarius, & expedire, quæ veriſimiliter non eſſet Epiſcopus eum conſtituens conceſſurus, ac ea, quæ ſpeciale poſtulant mandatum, ex *cap. qui generaliter, de Procurator. in 6.* quod Gloſſa *vlt. in cap. 2. de offic. Vicar. in 6.* ampliùs extendit, ad eum caſum, quo Epiſcopus Vicario ſuo diceret: Conſtituo te Vicarium meum vniuerſalem cum facultate, & poteſtate, vt omnia loco mei efficere poſſis, quæ ego poſſum, etiamſi talia ſint, quæ ſpeciale requirant mandatum. Quis etiam tunc non conſequetur tali Vicarius vi ſolius clauſulæ Generalis præſtatæ poteſtatem ad quicquam eorum efficiendum, quæ ſpeciale requirunt mandatum. Ita poſt Gloſſam tradit Molina *de iuſtit. tract. 5. diſp. 10 num. 9.* Caſus autem in quibus Vicarius ſpeciali indigeat Epiſcopi commiſſione, enumerantur à Barboſa *part. 3. allegat. 54. à num. 60. vſque ad numerum 125.* qui videri poſſunt apud ipſum. Illud autem eſt hic notandum, quod in commiſſionem Vicariatus, non eſt neceſſe exprimere nominatim omnes caſus, ſufficit enim aliquos exprimi cum clauſula Generali, & ad omnia alia, etiamſi exigant ſpeciale mandatum, *ex cap. qui ad agendum, §. ſed ſi aliquis, de Procurator. in 6.* Ita Couarruuias *lib. 2. variar. c. 5. num. 9.* Molina *loco citato.* Sanchez *lib. 3. de* Couar. Molina. Barboſa. *matrimon. diſp. 29. num. 8.* Barboſa *loco cit. num. 124.* & alij. Et hæc de Vicario Generali Epiſcopi dicta ſufficiant, plura apud Barboſam *p. 3. alleg. 54. per totam.* De Vicarijs Parochorum diximus *tom. 1. verb. Vicarius.* Nunc de Vicario regulari aliquid dicendum.

17. Inter Vicarium, & delegatum maxima eſt differentia: nam delegatus eſt ille, cui Iudex committit cauſam in locum ſui ipſius, & vices ipſius gerit, *cap. ſanè 2. de offic. deleg.* Sed Vicarius eſt, quem Superior conſtituit loco abſentis, defuncti, vel impediti, *lib. 2. Cod. de officio eius qui gerit vices alter.* Et hi Vicarij non habent iuriſdictionem delegatam, ſed ordinariam, quando conſtituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, ita vt vice eorum ibi conſtituantur. Vicarij autem Conuentuum conſtituti à Prælato locali iuriſdictionẽ tantùm delegatã habent, & non poſſunt alios conſtituere Vicarios; ſecus tamen dicendum de Vicarijs, conſtitutis à Generali vel Prouinciali propter abſentiam Superioris localis, hi enim poſſunt delegare, & omnia ipſis priuilegia Prælatis localibus conceſſa communicantur. Ita Rodr. *tom. 3. quæſtionũ* Rodriq. *regul. q. 76. art. 2.* Imò tempore quo eorum durat officium, videntur eſſe verè, & propriè Prælati, nec poſſunt Guardiani limitare ſupradictorum Vicariorum auctorita-

Digitized by Google

rem, quia in abſentia eorum habent eandem poteſtatem, quàm ipſi per conceſſionem Iulii II. & docet Miranda Mirand. *tom.2.man. Prælat.q.20. art.1.concl.2.* Illi autem Vicarii qui ponuntur, & conſtituuntur à Guardianis, vt vices eorum gerant, & adiuuentur ab ipſis, non ſunt verè & propriè Prælati, quia in Guardianorum præſentia nullam habent auctoritatem, niſi quàm Guardianus illis contulerit, & totaliter dependent in ſua adminiſtratione & regimine à dictis Guardianis: Proinde ſi Guardianus moriatur, ſeu priuetur, ſtatim deſinit eſſe Vicarius, vt notant communiter Doctores *in Clement. final. de Procurat. verb. conteſtata*, & ibi Gloſſ. *& in c.extirpanda, §.quod verò, de preben.* Hoc tamen non habet locum, quando prædictus Vicarius inſtitutus eſt à Prouinciali & Definitoribus, & ab ipſis immediatè, & non à Guardianis ſuam habet auctoritatem, & iuriſdictionem; tunc enim licet per talem inſtitutionem non efficiatur Prælatus, ſed tantum Vicarius dictorum Guardianorum, ea tamen inſtitutio erit efficax, vt mortuo Guardiano, ipſe fungatur officio Vicarij. Vide Mirandam *loco citato, concl.2.& 3.*

An autem Vicarius hic poſſit a Guardiano amoueri? Reſp. poſſe, ſi ab ipſo fuit conſtitutus: ſi autem a Superiori, non poteſt eum munere Vicariatus priuare, inconſulto Superiori. Ratio eſt, Officialis electus à Superiori, non poteſt eum Prorex amouere, vt tradunt Gloſſa & Doctores *in l.ſolet, ff. de offic.proconſulis*, Proinde in Religionibus vbi Vicarij conſtituuntur in tabula capitulari, & non à Guardiano, Priore, &c. non poteſt Guardianus, vel Prior Vicarium amouere. Rodriquez *loco citato, art.4.* Miranda *loco*
Rodriq. Miranda. *cit.ar.2.* & alij.

Vide verb. Beneficium 3.*n.*4 Beneficium 5.*n.*13. Beneficium 6.*n.* Excommunicatio 1.*n.*7. Reſidentia *n.*9. Matrimonium 1.*n.*13.

VIRGINITAS.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicta virginitas? & quæ requirantur ad illam vt denotat ſtatum caſtitatis.*
2 *An ſtatus virginitatis, ſtatui coniugali ſit preferendus?*
3 *Quibus modis virginitas amittatur, prout dicit ſtatum fœminæ.*
4 *Quomodo virtus virginitatis recuperabiliter amittatur? An mulier dormiens vel ebria amittat virginitatem, ſi à quodam viro cognoſcatur?*
5 *Quando virtus virginitatis irrecuperabiliter amittatur, tam in viro, quàm in fœmina?*
6 *An virgo corrupta poſſit conſecrari?*

1. Virginitas à virore dicta putatur, quia denotat immunitatem à concupiſcentiæ aduſtione, dupliciter accipitur. *Primò*, pro integritate ſignaculi virginalis, libidinoſæ contagionis experte, & ſic non eſt virtus, ſed quid naturale cum quo naſcimur. *Secundò*, pro voluntate & propoſitio illius integritatis ſeruandæ, vel perpetuò vel ſaltem vſque ad tempus coniugij; & hoc modo virtus eſt, quia poſſe inquinari, & non eſſe inquinatum, honeſtum quiddam eſt, & laude dignum: hinc ad virginitatem vt denotat ſtatum caſtitatis, duo requiruntur; ex parte quidem corporis non eſſe voluntariè pollutum, ex parte verò animi, propoſitum ita ſe ſeruandi, niſi matrimonio iungatur: at virtus virginitatis prorſus tale propoſitum excludit, quia neque in re, neque in affectu cum violatione ſtare poteſt. D. Thom. 2.2.q.152. Sylu. *v. virginitas.* Fil-
D. Thom. Sylu. Azor. Laym. liuc. *tr.*30.*c.*1.*q.*6. Leſſius *lib.4.c.2.dub.14.n.96.* Azor. *tom.*3. *lib.*3.*c.*2. Laym *lib.3.ſect.4.num.*8.

2. Fide tenendum eſt contra hæreticos, ſtatum virginitatis, ſtatui coniugali eſſe præferendum, non ſolum ratione commoditatis huius vitæ, ſed etiam propter fructum ſpiritualem, & maius meritum apud Deum, quia per virginitatem melius homo auocatur à voluptatibus carnis, & hæc maximè præbet orandi facultatem, maximè ſi homo ſe Deo conſecret. Vide *Matrimonium 1.nu.*5. Conc. Trid. *ſeſſ.24. can.10. de matr.* Leſſius *cit. dub.*15. Lessius. Filliuc. Sylu.
Filliuc. *cit. n.*19. Sylu. 2.2.*q.*152.*art.*4.

3. Virginitas, prout dicit ſtatum fœminæ amittitur *Primò*, per voluntariam admiſſionem viri habentis cum ea copulam, ſiue ſit in matrimonio, ſiue extra. *Secundò*, per inuoluntariam copulam, vt cùm fœmina vi opprimitur; verè enim fractum eſt ſignaculum clauſtri virginalis, quod nihil aliud eſt, atteſtantibus peritiſſimis Medicis, quàm quædam complicatio pattium ipſius orificij vaſis fœminæi, quæ per viri acceſſum dilatatur. *Tertiò*, per voluntariam ſiue inuoluntariam admiſſionem inſtrumenti virilis turpitudinem aliquam exercentis, etiamſi non ſequatur ſeminatio, modò talis ſit, vt pollutionem exercitare poſſet in natura ſana, quamuis per accidens non exciret ob debilitatem vel morbum; quidam tamen putant in puero cui ratione ætatis deeſt poteſtas ſeminandi nullo actu turpi virginitatem ex parte corporis poſſe amitti. *Quartò*, ſecundùm Leſſium tam per ſodomiam admiſſam in fœmina, quàm in viro, ſiue admiſſa ſiue facta ſit abſque ſeminatione, amittitur virginitas irrecuperabiliter; quamuis Caietanus per ſodomiam paſſiuam non cenſeat virginitatem amitti, multoque minùs per alias turpitudines exercitas in alijs corporis partibus, quia verè clauſtrum virginale integrum manet, & hoc eſt probabilius. In viro autem non eſt huiuſmodi virginitas ſecundùm ſtatum, quia non eſt in eo virginale clauſtrum. Caiet. 2.2. *q.*152. Caietan.
art.1.in fine. Leſſius *cit. dub.*16. Filliuc. *cit. nu.*8. Sylu. *cit.* Leſſius. Filli.
*art.*3. Sylu.

4. Virginitatis virtus recuperabiliter amittitur omnibus illis modis, quibus amittitur caſtitas, quia reipſa ab hac non diſtinguitur: vnde etiam deſiderijs turpibus perditur, & moroſa delectatione: item voluntate nubendi: item per quemlibet actum turpem actiuè vel paſſiuè exercitum citra ſeminationem, modò voluntarius ſit: ſi enim ſit inuoluntarius etiamſi violetur virginale clauſtrum, non amittitur virginitas vt virtus eſt; licet enim per vim corrupta naturaliter virgo non ſit, moraliter tamen & in genere moris virgo cenſetur. D. Thomas 2.2. Valentia.
quaeſ.152.artic.1. Valentia *ibid. diſp.9. q.1. p.2.* Laym. *cit.* Laym. Filliuc.
*num.*8. Filliucius *cit. num.*22. Leſſius *cit. num.*112. Sylvius Leſſius.
*cit.art.*3. Sylu.

Sed dubium eſt, ſi mulier ſomno conſopita, aut vino obruta, à quopiam viro cognoſcatur, an amittat virginitatem? Reſp. ſi non eo conſilio cubitum diſceſſit, aut vino ſibi mentem eripuit, vt cognoſceretur, non amittit.

Si quis priùs quàm ad quietem proficiſcatur, alicuius obſcœni flagitii cupiditate animum maculauit, atque in ſomno pollutus eſt, deſinitne eſſe virgo? non deſinere multis rationibus pugnat Toſtatus *in Matth. cap. 25. quaeſt.74.*

Quis vigilans optat nocturnam pollutionem, hanc dormiens patitur, eſtne ei adempta virginitas? Negat Abulenſis in idem *cap. Matth. quaeſt.75.* Denique ſecundum Sylueſtrum, & Angelum *in ſuis ſummis verb. virginitas*, ob pollutionem, quæ noctu accidere ſolet, non amittitur virginitas, etiamſi aut antequam contingeret, aut poſtquam contigit, probata eſt, aut etiam aliqua cauſa non ſine culpa antegreſſa eſt.

5. Virtus virginitatis irrecuperabiliter amittitur à fœmina, quoties voluntariè copulam habet cum viro, vel polluitur, ſi autem haberet copulam cum puero impubere, & ipſa, quoque impubes eſſet, nec malitia præueniret ætatem, non violaretur virginitas, ſed foret tantùm contactus turpis grauior alijs, qui non tollit integritatem corporis. In viro autem niſi adſit voluntariè pollutio quomodocumque procurata, non tollitur virginitas irrecuperabiliter. Filliucius *cit. num.*24. Leſſius Filliuc.
cit. num.117.& 119. Graffijs *lib.2.cap.88.n.7.* Layman *cit.* Leſſius.
*num.*8. Laym.

6. Virgo vi oppreſſa, ſi res eſt occulta, poteſt conſecrari, quia verè eſt incorrupta coram Deo cùm non peccauerit non conſenſerit: quando autem violatio eſt notoria, tunc ob ſuſpicionem conſenſus, & indecentiam

exter-

externam non eſſet conſecranda. *Sponte autem* corrupta, ſi carnis integritatem retinet, poteſt velari, quia etſi coram Deo non ſit virgo, tamen apud homines cenſetur virgo, quamdiu clauſtrum virginale retinet illæſum, & ſecundùm Caietanum, & Syluest. quamuis non ſit virgo virtute, eſt tamen virgo ſtatu. Illa verò quæ non retinet virginitatem ſecundùm ſtatum, etiamſi res occulta ſit, hoc eſt, voluntariè clauſtri virginalis violationem paſſa eſt, ſiue per copulam, ſiue per aliam turpitudinem, ſecundùm communiter Doctores, non poteſt conſecrari abſque peccato mortali, niſi in eo diſpenſetur ab Epiſcopo. Quòd ſi non diſpenſet, & ſecretò ſciat, ob ſcandalum poſſet tantùm benedicere, omiſſis iis, quæ ſunt de ſubſtantia conſecrationis; quòd ſi ea cautela non fuiſſet profutura, ad tuendam famam virginis poteſt conſecrare more aliarum

D. Thom. Sylu. Nauar. Leſſius. Filliuc. Sylu. D.Thom. *cit.art.1, ad* 3. Syluest *v. conſecratio virginum num.*2. Nauar. *in manuali c.*16.*num.*4. Leſſius *c. dub.*16. Filliuc.*cit.n.*25. Sylu.*cit.ar.1.concluſ.*2. Layman *l.* 3. *ſect* 4.*n.*8. *&* 9.

Vide *Mendacium n.*6. *Stuprum.*

VISITATIO.

SVMMARIVM.

1 *Viſitatio quid ſit, & quid viſitare?*
2 *Quibus competat ius viſitandi?*
3 *Qui debeant, & poſſint à Summo Pontif. viſitari?*
4 *An Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi debeant ſingulis annis propriam Diœceſim viſitare per ſe vel per alium? Et an Clerus poſſit impedire ne Epiſcopus viſitet ante lapſum triennii?*
5 *Epiſcopi in viſitatione ſuarum Diœceſium, an incipere debeant ab eorum Cathedralibus Eccleſiis?*
An Decanus, & Capitulum ſingulares Capituli perſonas cumulatiuè cum Epiſcopo, ſeorſum tamen ab eo, viſitare poſſint?
An Epiſcopi viſitationem aggredienti liceat proponere edicta, quibus ſubditi iubeantur crimina detegere?
6 *An Hoſpitale nouiter fundatum, fundatore ipſo Superſtite, ab Epiſcopo viſitari poſſit? Quando in dubio Hoſpitale præſumatur auctoritate Epiſcopi fundatum? Et an poſſit Epiſcopus Hoſpitale viſitare, quando eum excluſit fundator a viſitatione?*
7 *An Hoſpitalia, & Confraternitates quæ ſunt ſub immediata Regum protectione; ab Epiſcopis viſitari poſſint?*
8 *An Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus viſitare poſſit loca exempta ſuæ Diœceſis, & quando non?*
9 *An Eccleſia regularium, quibus cura animarum perſonarum ſecularium eſt annexa, ab Ordinario viſitari poſſint?*
10 *An Ordinarii poſſint viſitare Capellas Confraternitatum laicorum in Eccleſiis regularium erectas?*
11 *An commendata Monaſteria, Abbatia, Prioratus, Præpoſitura, &c. in quibus non viget regularis obſeruantia, quamuis exempta, debeant ab Epiſcopis viſitari tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis? Et quid iuris ſi in eis regularis obſeruantia vigeat?*
12 *An Epiſcopi in iis quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſpectant ſuorum ſubditorum procedant omni appellatione, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, ſemota, quæ executionem ſuſpendere non poteſt? Et an tunc appellatio habeat effectum deuolutiuum? Et quando ſuſpenſiuum?*
13 *An viſitator in actu viſitationis poſſit allegari, vt ſuſpectus?*
14 *An ex iure Canonico poſſit Iudex ordinarius ex iuſta cauſa recuſari?*
15 *An poſſint regulares recuſare Iudicem ordinarium, vt ſuſpectum?* Refertur duplex ſententia.
16 *Quomodo ſit intelligendum ſtatutum factum apud regulares de non recuſando Iudice ordinario? Et an tale ſtatutum tollens recuſationem Iudicis ex quacumque cauſa ſit validum?*
17 *An Eccleſiæ inferiores viſitantibus moderatas Procurationes ſoluere teneantur? Et an viſitator præter Procurationem aliquid muneris accipere poſſit?*
18 *Quando admittatur præſcriptio contra viſitationem?*

1 Viſitatio eſt exquiſitio, & diſcuſſio facta propoſito verbo Dei, in loca viſitanda per viſitatorem Eccleſiaſticum Ordinarium vel delegatum de his rebus, & circa eas res, quas poteſt, & debet ipſe viſitator iure ſuo Ordinario, vel delegato pro animarum ſalute promouenda, cultu diuino manutenendo, & eo collapſo reſtituendo, ſecundùm qualitatem, & conditionem perſonarū & locorum viſitandorum exquirere, & diſcutere cum ordinatione, correctione, & reformatione eorum, quæ ordinatione, correctione, & reformatione indigebant. In ſumma viſitare nihil aliud eſt, quam exceſſua inquirere, & inquiſitos, caſtigare, & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare, & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſs.* 24. *de reform.cap.*3. nos docet quod *viſitationum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus, & occaſio ferret, & viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.*

2. Ius viſitandi, & poteſtatem habet omnis Prælatus Eccleſiaſticus, cui iuriſdictio, & adminiſtratio competit, *ex cap.*1.*§. Hanc autem, de cenſibus in* 6. quare viſitare poſſunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem Legati à latere, ex officio legationis ſibi a Sede Apoſtolica demandatæ, *cap. cum Apoſtolus, de cenſibus.* Item Legati Pontificii, qui non ſunt a latere, ſed dicuntur nati, quibus legatio Apoſtolica competit ratione dignitatis, in qua ſunt conſtituti, *cap. Cum inſtantia, & cap. Procurationes, de cenſibus.* Item etiam Legati Apoſtolici, qui Miſſi, ſiue Nuncii Apoſtolici nuncupantur, poſſunt quidem viſitare, *ex cap. cum inſtantia, & cap. Procurationes de cenſibus*, ſed non debent, niſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum, vel niſi vrgens aliqua neceſſitas viſitationem poſtulet. Item ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. anno 1514. Cardinales tituli ſui loca, ſi præſentes fuerint perſonaliter, ſi abſentes per Vicarium, tenentur ſingulis annis viſitare Clericos, & populos ſuarum Eccleſiarum. Item Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ius habent viſitandi, & viſitare ipſo iure coguntur, *ex cap. Romana, & cap. Felicis, de cenſibus in* 6. *cap. ſi Epiſcopus. de offic. Ordinar. in* 6.

Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani, & alii inferiores viſitandi ius habent, ſi id longa conſuetudine præſcripſerint, *cap. ſuper eo, & Cap. Cum Apoſtolus, de cenſib.* De quibus nouè Concil. Trident. *ſeſs.* 24.*cap.*3.*de reformat.* ita diſponit, *Archidiaconi autem, Decani & alii inferiores in his Eccleſiis, vbi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueuerunt, debeant quidem, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantum ibidem viſitare.*

Competit etiam ius viſitandi Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus aliiſque Regularium Præfectis in Monaſteriis Religioſorum, vel deputatis in iiſdem *cap. in ſingulis, cap. ea de ſtatu Monach.* Abbatiſſæ & Prioriſſæ, quæ nulli Abbatiſſæ Superiori parent aliæque mulieres cum iuſuis tituli præfectæ Monaſteriis regularium monialium viſitare poſſunt Monaſteria, & alia loca ſibi ſubiecta, Sed quia eſt ipſis interdictum Monaſterii clauſtra exire, poſſunt tanquam legitimè impeditæ Religioſos, probatoſque viros in viſitandi officio ſubrogare, & proinde ibi ceſſabit officium Ordinarii. Archidiaconus & *in cap.* 1. *de ſtatu regular. in* 6. & Gloſſa *Clementina* 2. *de ſtatu monachor. in verbo, alia*. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop parte* 3.*alleg.*

Digitized by Google

3. *allegation.* 73. *numero* 23. & alij.

Porrò cùm viſitatio ſit ius Epiſcopale pertinens ad poteſtatem iuriſdictionis Ordinariæ, non verò ad poteſtatem Ordinis *cap. conquerente, de offic. Ordinar. & cap.* 1. §. *vltim. de cenſib. in* 6. Hinc fit vt poteſtas Epiſcopis conceſſa, tranſeat in capitulum Sede vacante, poteſt enim viſitare Eccleſia Epiſcopatui ſubiectas, vt reſoluunt Molin. *de iuſt. tract.* 5. *diſp.* 11. *num.* 7. *verſ. ex eodem.* Rebuffus *in praxi, tit. de deuolut. n.* 65. & communis, quia Sede vacante Capitulum ſuccedit in omni Ordinaria Epiſcopi iuriſdictione, niſi aliud iure reperiatur expreſſum, *capit. vltim. de ſuppleud. negligent. Prælat. in* 6. Imò aliquando Capitulum ſuperſtite adhuc Epiſcopo ex præſcriptione, vel priuilegio viſitandi ius habet, de qua re, ſic Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *capit.* 3. *de reform.* loquitur. *Viſitatores etiam, à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, prius ab Epiſcopo approbentur, ſed non ideò Epiſcopus vel eo impedito, eius viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur, cui ipſi Archidiaconi, vel alii inferiores viſitationis factæ infra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra ei exhibere teneantur; non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus, & priuilegijs quibuſcumque.* Barboſa *loco citato, n.* 26.

Vicarius autem Generalis Epiſcopi hoc ius viſitandi non habet, niſi ſpecialiter eidem committat Epiſcopus, vt
Rebuff. dicunt Rebuffus *in praxi benefic. tit. in forma vicariatus,*
Vgolin. *numero* 100. & 101. Vgolinus *de poteſtat. Epiſcop. capit.* 4.
Azor. §. 7. *verſ. tertiò, nec viſitare.* Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *capit.* 45. *quæſit.* 4.

3. Qui autem debeant, & poſſint viſitari, dicendum eſt *Primò*, quòd viſitator quilibet debet priùs viſitare, & emendare ſeipſum, & familiam ſuam, eiiciendo priùs trabem de oculo ſuo, quam feſtucam de oculo fratris ſui. Numquam enim purè maculam in membro conſiderat oculus, quem puluis grauat, & ſuperiectas ſordes tergere non valeor manus, quæ lutum tenent, vt docet D. Gregorius 7. *moralium.* Et iudicet ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet: iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cùm de alio iudicat, in ſe ferat ſententiam. Vt ex D. Ambroſio refertur *in cap. Iudices* 3. *q.* 7.

Secundò, viſitari poſſunt, & debent à Summo Pontifice, omnia regna, prouinciæ, terræ, & gentes, quia totus Christianorum orbis eſt Summi Pontificis Diœceſis, *c. cuncta per mundum* 9. *q.* 1. Nam Paſtoralis curæ ſollicitudinis illi diuinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes iniuncta, illum vigilare remediis ſubditorum, eorumque periculis obuiare, & ſcandala remouere compellit: quod perfectiùs facere non poteſt, quam ſæpe congregando Concilia Generalia, & faciendo congregari Concilia Prouincialia, & Diœceſana, in quibus potiſſima pars viſitationis exiſtit. In ſpecie autem viſitare poteſt omnes Patriarchas per ſe, vel alios, & Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, cæteroſque omnes in quacumque Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, ac omnes denique Eccleſiaſticos cuiuſcumque conditionis ſint, de quibus *in c. perlectis, diſt.* 25. Viſitat etiam, corrigit & deponit Cardinales etiã abſque conſilio Fratrum, vt notatur *in c. Ad ſuccidendos, de ſchiſmat. in* 6. Item viſitat Imperatorem, & Reges quoſcumque, quia occaſione peccati corrigi poſſunt à Romano Pontifice, hinc eſt, vt Romanus Pontifex in Regni alicuius, vel Imperij adminiſtratione adiutorem dare poſſit, vt aliquando dedit, *c. Grandi, de ſupplend. negligent. Prælat. in* 6. Similiter viſitat Papa omnes alios Principes Duces, Marchiones, & Comites, Barones, Iudices, cæteroſque Magiſtratus, & conſequenter omnes Officiales, Populos, Congregationes, Collegia, Confraternitates ſiue Societates tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares: ſicut omnes Eccleſias tam Cathedrales, quàm Collegiatas, & earum Capitula, & Conuentus, quia omnes ſub verbo cleri, & populi concluduntur, etiamſi ſint Monaſteria Religioſorum, vel Monialium, vel Hoſpitalia, aut alia pia loca. Imò ipſi Iudæi, & Pagani Chriſtianorum Principum imperio ſubiecti, viſitari poſſunt, *ex Clem.* 1. *de Iudæis*: Hęc omnia probantur *ex cap. grauem, & cap. nouerint, de ſent. excomm. ex c. aduerſus, de immun. Eccleſ. cap. omnes Principes, de maiorit. & obed. etc.*

4. In Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reform.* ſtatuitur, vt *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam Diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem, Vicarium, viſitatorem, ſi quotannis totam, propter eius latitudinem, viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe, vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam poſt plenè viſitatam propriam Diœceſim, non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diœceſes ſuorum Comprouincialium, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio Prouinciali.*

Huculque Concilium. Proinde Clerus non poteſt impedire ne Epiſcopus viſitet ante lapſum triennii ſub prætextu immemorialis conſuetudinis, vt cenſuit Rota *in Pampilon. iuris viſitandi* 15. *Martij* 1624. *coram R.P.D. Merlino*, quia decretum Concilii Tridentini ſubmouet immemorialem, tum quia materia eſt impræſcriptibilis, & ſemper actus ex parte Epiſcopi remanet merè facultatiuus ſecundùm Spedum *conſil.* 127. *num.* 81. Stephanum Gratian. *in diſceptat. forenſ. cap.* 298. *n.* 10. & *c.* 299. *num.* 33. Aliàs enim ab Eccleſiaſtica diſciplina alieniſſimum eſt, vt ex negligentia Prælati detur ansa clero, & ſubditis refugiendi annuam viſitationem vtque Epiſcopus, vel Capitulum in graue cultus diuini præiudicium, & in perniciem animarum ipſorum recuſantium, munus ſuum aliquo tempore ob incuriam prætermiſſum, reſumere, & peragere non valeat, in quo ſi defuerit, omnium ſuarum ſanguinem ex eorum manibus ſe requiſiturum Dominus minatus eſt, Ezechielis *c.* 33. *verſ.* 8.

Eccleſiarum autem viſitatio, quæ nullius ſunt Diœceſis, ad Epiſcopum etiam ſpectat, cuius Cathedralis Eccleſia ſi proximior, ſi id conſtet; alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, hæ Eccleſiæ viſitentur: non obſtantibus priuilegiis, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam immemorabilibus, Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 9. *de reform.*

5. Epiſcopi in viſitatione ſuarum Diœceſum incipere debent ab Eccleſiis Cathedralibus eorum, & Capitulis Eccleſiarum ipſarum Cathedralium; proinde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 4. *de reformat.* ſtatuit. *Capitula Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ, nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententijs, & iuramentis, concordijs, quæ ſuos tantùm obligent auctores non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quo minus à ſuis Epiſcopis, & alijs maioribus Prælatis per ſeipſos ſolos, vel illis, quibus ſibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas ſanctiones, toties, quoties opus fuerit, viſitari, corrigi & emendari, etiã auctoritate Apoſtolica, poſſint, & valeant.* Additur autem in eodem Concilio *ſeſſ.* 25. *de reform. capit.* 6. quod, *cum extra viſitationem proceſſerit Epiſcopus infraſcripta omnia locum habeant: videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum conſilio, & aſſenſu Epiſcopus, vel eius Vicarius, tam in formando proceſſum, quam in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ inclusiuè, coram Notario tamen ipſius Epiſcopi, & in eius domo, aut conſueto tribunali, procedere teneatur, &c.*

Aduertendum tamen videtur, *Primò*, quod dicta decreta Concilii non ſuſtulerunt facultatem aliàs ex immemorabili, & laudabiliter obſeruata conſuetudine, Decano, & Capitulo ſingulare Capituli, ipſiſque ſubiectas perſonas cumulatiuè cum Epiſcopo, ſeorſum tamen ab eodem, ipſumque Epiſcopum toties quoties ſua auctoritate vti volentem non excludendo, viſitandi, corrigendi, & emendandi, quia non dicitur Concilium eam facultatem conceſſiſſe Epiſcopo priuatiuè quoad alios inferiores Ordinarios, de quorum excluſione non conſtet, vnde ab eis debitè punitus non eſt coram Epiſcopo denuò ſe purgare, vel ab eodem iterum puniri debet, ita referunt deciſum
Stephanus Gratianus *in diſceptat. forenſib. cap.* 154. *n.* 40. Gratian.
Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 73. *num.* 5. Nicol. Barboſa.
Garzias *de benefic. p.* 3. *c.* 2. *num.* 194. *declarat.* 3. & alii penes ipſos. Garzias.

Aduerte, *Secundò*, quod non liceat Epiſcopo viſitationem

nem aggredienti proponere edicta, quibus ſubditi iubeantur crimina detegere, multoque minus propoſita pœna excommunicationis, vt cenſuit Sacra Congregat. teſtibus Armendar. *tit.6. de viſitat.lib.5.§.2. num.* 16. Barboſa *loc.cit.n.29.*

Barboſa.

6. Quamuis Epiſcopi in omnibus ius viſitandi habeant & maximè curare debeant, vt hoſpitalitatis opus diligenter, & fideliter adminiſtretur, prout diſponit Concilium Trident. *ſeſſ.7.de reform.cap.*15. *& ſeſſ.25.c.8. de reform.* Tamen hoſpitale nouiter fundatum, & ipſo fundatore Superſtite, viſitari non poteſt, niſi habeat formam Eccleſiæ, aut ſit fundatum auctoritate Epiſcopi. Ratio eſt, quia huiuſmodi hoſpitale non domus Dei, ſed domus hominis, quam is, qui conſtruxit, poteſt deſtruere, & alienare. Ita Cokier *de iuriſd.Ordinar.in exempt.p.*1.*q.*31. *n.* 4. Azor. *p.* 2.*lib.*3.*cap.*40.*quæſt.*12. *in fine.* Vgolinus *de poteſt.Epiſc.* *cap.*14.*§.*4.*num.*7. & communis apud Barboſam *p.*3.*alleg.* 75.*n.*3.*&* 4.

Cokier. Azor. Vgolin. Barboſa.

In dubio præſumitur Hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi, ſi locus ab antiquo ſit in forma Eccleſiæ, vbi Sacerdotes celebrant; & cymbalum eſt conſtitutum ſuper tectum, publicèque pulſatur, vel ſi ibi celebretur omnibus indifferenter ad diuina audienda admiſſis; vel ſi Epiſcopus deputaret, vel confirmaret Miniſtrum, vel ſi haberet nomen Sancti ſibi appropriatum, vel ſi in eo fuerit ſeruata hoſpitalitas per tempus antiquiſſimum, vel ſi in eo eſſent ſepulturæ, aut cœmeterium, vel ſi reciperet decimas, vel ſi non ſolueret collectas. De quo Sanchez *de matr.l.*9.*diſp.* 15.*n.*39. Selua *de benefic.p.*1.*q.*6.*n.*17. Filliuc. *tr.* 44.*c.*4.*q.* 18. Maſcard. *de probat.concluſ.*869. Barboſa *loco citato, n.* 15. & alii.

Sanch. Filliuc. Maſcard.

Cæterum licet Hoſpitalia erecta fuerint ſine Epiſcopi auctoritate, & non habeant Eccleſiam, nec Altare, tamen Epiſcopus videre poteſt, an omnia procedant ſecundùm mentem teſtatoris etiamſi teſtator prohibuiſſet. Couarruuias *in cap. tua nos, num.* 6. *de teſtam.* Nauarrus *conſil.* 3. *de religioſ. domib.* Niſi Hoſpitale ſit merè laicale, quia tunc teſtatore nolente, Epiſcopo non ſubiicietur. Barboſa *loc.cit.n.* 7. Nonnulli tamen arbitrantur non poſſe Epiſcopum Hoſpitale viſitare quando fundator in fundatione Epiſcopum à viſitatione excluſit. Et ita ferunt Sacram Congregationem declaraſſe, in hæc verba: *Si in fundatione Hoſpitalis ſit dictum, quod Ordinarius non poſſit ſe intromittere in eius viſitatione, non poterit illud viſitare.* Et ita ſtante declaratione, in vna Abulenſi ita fuit deciſum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinacium *tom.*2.*part.*2.*deciſ.*33. & Garzias *de benefic.t.* 1.*par.*1.*cap.*2.*num.*98.*&* 104. aſſerit, ita nouiſſimè declaraſſe Paulum V. die 7. Aprilis 1606. in cauſa Abulenſi, pro Comite de Oropeſa, contra Epiſcopum, teſte Diana *p.*1.*tr.*2.*reſol.*84.

Couar. Nauar.

Dian.

7. Conſtitutum eſt in Concil. Trident. *ſeſſ.*22. *c.* 8. *de reform.* vt Hoſpitalia, & Confraternitates, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, Epiſcopi non viſitent, ſine eorum licentia; quamuis aliàs poſſint omnia Hoſpitalia, & Confraternitates, quæ de ipſorum auctoritate, & conſenſu fuerint inſtitutæ viſitare. & hoc conueniebat altitudini, & præeminentiæ Regiæ Maieſtatis, vt præ cæteris antelerretur. Ita ex communi Barboſa *part.* 3. *allegation.* 75.*numero* 16. Piaſecius *in praxi Epiſcop. part.* 2. *capit.*3.*art*,3.*num.*11. Vgolinus *de poteſtat. Epiſcop.cap.*24. *§.*1.*num.*3.

Barboſa. Vgolin.

Cæterum quorumdam ſententia eſt, in his Hoſpitalibus, & Confraternitatibus de Regum protectione, poſſe Epiſcopos viſitare decentiam diuini cultus, & ornamentum, & inquirere an decenter ibi ſacra miniſtrentur. Nec obſtat *loc. cit.* Tridentinum, quia procedit circa opera, quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum, quæ ibi expenduntur, non autem de viſitatione circa cultum diuinum, quæ ad Epiſcopum neceſſariò, & priuatiuè ſpectat, quia res ſpiritualis eſt, & Eccleſiaſtica, & debet Concilium intelligi, vt Ordinarij non viſitent in his quæ ſub protectione Regum comprehenduntur, non vero de diuinis, in quibus Reges iuriſdictionem non habent. Stylus tamen aliter obſeruat. Viderint qui aliter iudicant. Ita Gabriel Pereira *in tract.de man.Regia part.* 2.*cap.*17.*num.*12. & poſt illum Diana *par.* 1.*tractat.*2.*reſol.*101.

8. Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus viſitat exempta loca Summo Pontifici immediatè ſubiecta, vt ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21.*c.* 8. *de reform.* Si tamen talia loca exempta ſint ſubiecta alteri alicui Prælato, Epiſcopus non viſitabit, nec de iure delegato, nec Ordinario, ſed ipſe Prælatus, cui immediatè ſubiecta. Ita Cokier *de iuriſdict.Ordinar.in exemptos parte* 4 *q.*23.*n.*2. *&* 3. Barboſa *p.*3.*allegat.*74.*num.* 1. *&* 2. Hinc Epiſcopis non competit ius viſitandi Eccleſias Ordinum Militarium & alium Regularium exemptorum, quia ſunt nullius Diœceſis, de conceſſione Lucij III. & Gregorij Papæ non obſtante Concilio Tridentino *ſeſſ.*24.*cap.* 9. *de reform.* Vbi decernitur, quod Epiſcopus vicinior viſitet Eccleſias, quæ nullius ſunt Diœceſis: nam id de Eccleſiis ſæcularibus, & non de regularibus debet intelligi, vt colligitur ex verbis eiuſdem Concilii; *eadem etiam in Eccleſijs ſæcularibus obſeruantur.* Quæ verba apertè indicant contrarium eſſe in Eccleſijs regularibus, ſecundùm iuris regulam, quod, expreſſio vnius ſit excluſio alterius. Probatur hoc inſuper ex eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.*25.*cap.*20.*de regul.* cuius verba ſunt, *Abbates, qui ſunt Ordinum capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores, Epiſcopis non ſubiecti, quibus eſt in alia inferiora Monaſteria, Prioratuſue legitima iuriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita Monaſteria, & Prioratus, ſuo quiſque loco atque Ordine, ex officio viſitent, etiamſi commendata exiſtant.* Ex quibus verbis conſtat, quòd Regulares, qui Epiſcopis non ſunt ſubiecti, debent viſitari ab eorum Superioribus, & non ab Epiſcopis, & ſic nec eorum Eccleſiæ. Quia ſi Eccleſias eorum viſitarent, indirectè cognoſcerent, de regularium cauſis, quod Concilium Tridentinum non vult. Confirmantur hęc per multa regularium priuilegia Apoſtolica, in quorum vim non debeant ab Epiſcopis viſitari, de quibus agunt Rodriquez *tom.*1. *quæſtionum regul.q.*36.*art.*3. Azor. *part.* 2. *lib.* 3.*c.* 40.*q.*10. & alii.

CoKier. Barboſa.

Rodriq. Azor.

9. Excipiuntur à præcedenti doctrina Eccleſiæ regularium, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium eſt annexa, nam in concernentibus ipſam curam Ordinario ſunt ſubiectæ, & ab eodem viſitari poſſunt. Ex Concil. Trident. *ſeſſ.*7.*cap.*7. *de reform.* vbi dicitur, *Beneficia Eccleſiaſtica curata quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu alijs Eccleſijs, vel Monaſterijs, beneficijs, ſeu Collegiis, aut pijs locis quibuſcumque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinarijs locorum annis ſingulis viſitētur.* Et idem Concil. *ſeſſ.*25.*c.*11. *de regular.* habet. *In Monaſterijs, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarū cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ, tam regulares quam ſæculares, huiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, niſi de eiuſdem conſenſu, ac præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſterijs, ſeu locis in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque alijs Monaſterijs, ſeu Domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent: ſaluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorē in prædicta loca, vel perſonas iuriſdictionem exercent.* Ita Concilium. Tamen quoad Eccleſias Militum ſancti Ioannis Hieroſolymitani, quædam decreta ſunt, vt patet ex reſcripto Pij V. incip. *Expoſcit.* Dato Romæ 22. Septembris 1571. ibi. *Decernimus, declaramus, ſtatuimus omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, omnes, & quaſcumque Parochiales Eccleſias cæteraque beneficia Eccleſiaſtica ſuarum Ciuitatum, & Diœceſum, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem* (ſcilicet Militum S. Ioannis Hieroſolymitani) *eiuſque Milites, Capellanos, Miniſtros, Rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis Epiſcopalem, & temporalem iuriſdictionem Religio, & Milites prædicti haberent*

beren

berent, eorumque Eccleſias, Rectores, Vicarios, & Miniſtros quoſcumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omneſque actus viſitationem concernentes exercere poſſe, & debere, ac Rectores, ceteroſque huiuſmodi Miniſtros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, ſi quidem ad nutum amouibiles ſint, ſtatim amouere: ſi vero titulares ſint, illicò ſuſpendere, ac Superiores illorum monere, vt intra aliquem breuem terminum, in locum amotorum ſubrogent alios idoneos, prius tamen per ipſos Epiſcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos, &c. Ita teſtantur CoKier *de iuriſd. Ordin. in exemptos part. 2. quæſt. 45. num. 11.* Riccius, Piaſecius, & alii apud Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 74. n. 26.*

Cokier. Barboſa.

Et nouiſſimè Gregorius XV. in Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Inſcrutabili*, ſub Dat. Nonis Februarij 1622. omnes regulares, & ſæculares quomodolibet exemptos, qui animarum curam perſonarum ſæcularium exercent, in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt omnimodam, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubiecit. Vt patet ex textu ipſius Conſtitutionis, apud Tamburinium *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 15. quæſit. 7. n. 51.* Qui etiam refert Declarationes factas à Sacra Congregatione Eminentiſſ. DD. Cardinalium ſuper dicta Conſtitutione Gregoriana, quibus cenſet prædictam conſtitutionem nequaquam ſubiicere Regulares exemptos, quibus curam animarum perſonarum ſæcularium non incumbit, Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi in Sacramentis perſonis ſæcularibus adminiſtrandis, iidem Regulares delinquant.

10. Ordinarij poſſunt viſitare Capellas Confraternitatum laicorum erectas in Eccleſiis Regolarium, ex decreto Sacræ Congregationis. Tum vt cognoſcant, an actus pietatis, qui ibi exercentur, fortè continent aliquid illicitum, aut ſuperſtitioſum: tum vt videant, an relicta à fidelibus in vſus pios debitè, ac iuſtè expendantur iuxta mentem relinquentium. Ita Naldus *verb. viſitare n. 6.* vbi teſtatur ſic ſeruari in praxi, addens tamen Ordinarios non poſſe ſe immiſcere in bonis temporalibus earumdem Confraternitatem, niſi aliter in earum erectione ſtatutum fuerit.

11. Commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſeruantia, nec non beneficia tam curata, quàm non curata, ſęcularia, & Regularia, qualitercumque commendata etiam exempta, ab Epiſcupis etiam tãquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis viſitari debent: Quando verò in eis viget obſeruantia Regularis, monere debet Epiſcopus eorum Superiores, vt viſitent, & corrigenda corrigant, qui intra ſex menſes viſitare neglexerint, Epiſcopus ipſe viſitare poſſet, & corrigere, nullo priuilegio, aut appellatione obſtante. Ita Concilium Tridentin. *ſeſſ. 21. c. 8. de reformat.* Aliter enim Epiſcopus non debet ſe intromittere in Monaſteriis, in quibus viget Regularis obſeruantia, vt notant Barboſa *loc. cit. allegat. 74. n. 15. & 16.* Similiter Monaſteria, quæ Generalibus Capitulis non ſubſunt, nec ſuos habent viſitatores Regulares, ſi monita in Congregationes ſeſe non redegerint, in omnibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubiecta ſunt. Ex Concilio Trid. *ſeſſ. 25. c. 8. de regular.*

12. In iis, vbi de viſitatione, aut morum correctione agitur, proceditur omni, & quacumque appellatione, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, ſemota, quæ executionem, nullo modo impedire, aut ſuſpendere poteſt. Vt ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 10. de reform.*

Nam Epiſcopi in omnibus iis, quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant; ius & poteſtatem habent, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua, pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. Dummodo Epiſcopi procedant ſine proceſſu, & ſine ſcriptis, etiam carcerando, & carceratos detinendo: quo caſu ſi carcerati appellauerint, poteſt Iudex appellationis cognoſcere de prætenſo exceſſu in corrigendo: interim tamen non impeditur executio eorum, quæ ab Ordinario ſunt decreta. Sed ſi Epiſcopus formato proceſſu, & ſeruatis ſeruandis procedat, non habet locum diſpoſitio Concilii Tridentini *in dicto cap. 10.* ſed à ſententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ ſuſpendit iudicatum, & habetur in declarationibus, quæ circa Trid. circumferuntur *ſeſſ. 24. c. 10.* & eas refert Riccius *in praxi fori Eccleſ. deciſ. 103.* his verbis. In cauſis viſitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantùm admittitur, niſi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cùm viſitator, citata parte, & adhibita cauſæ cognitione, iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſiuum. Ita Barboſa etiam *in remiſſionib. ad Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. de reformat. verſ. In cauſis.*

Proinde in viſitationibus Concilium Tridentinum ſolùm prohibet appellationem quoad ſuſpenſiuum, quando agitur de correctione, & reformatione, vel de re leui, aut de rebus ad diuinum cultum pertinentibus, & ſic eſſe intelligendum docent Riccius *in praxi var. reſol. 7.* Zerol. *in praxi Epiſcop. verb. viſitatio, nu. 3.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 2. allegat. 73. n. 32.* Secus ſi de graui re reſultante in præiudicium tertii, tunc enim habet effectũ ſuſpenſiuum: nam cenſentur viſitatores excedere eorum poteſtatem intromittendo ſe in re graui, & ardua, vt innuit text. *d. c. 1. de reform. ſeſſ. 13. Conc. Trid.* ibi; *Niſi grauamen huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit.* Per quæ verba docet Nauarrus *conſil. 1. de appellation.* & defendit Ceuallos *in tract. de violentia 1. par. gloſſ. 6. num. 22. & 23.* dicens, quòd ſi viſitator Eccleſiaſticus excedat modum viſitationis, & correctionis, veluti amouendo poſſeſſorem triennalem, vel declarando aliquem intruſum, qui pacificè poſſidet, vel priuando beneficio ſine cauſæ cognitione, vel cum ea, tunc in iis caſibus eſt locus appellationi, & ſententia viſitatoris non eſt exequenda, appellatione remota. De his videndus Suarez de Paz *in praxi t. 2. p. 5. c. vnic. n. 14.* Franciſcus Leo *in praxi fori Eccleſ. p. 2. c. 2. numer. 77.* Trullench *in Decal. lib. 8. c. 4. dub. 5. num. 13.* Marcus Anton. Genuenſis *in praxi Neapolitan. c. 21. n. 6.* & alii ab ipſis relati.

Riccius. Zerola. Barboſa.

Suar. Trullench Genuens.

13. Licet non poſſit viſitator in actu viſitationis allegari ſuſpectus, niſi exceſſerit modum in viſitatione, vt notant Genuenſis *loco citato, cap. 21.* Barboſa *loco citato, alleg. 73. n. 38.* & alij: quia tamen poteſt modum excedere, aut ab inquiſitione Generali aliquando, ad particularem procedendum eſt; ideò etiam reſpectu viſitatorum quoque habet locum recuſatio, quia in inquiſitione particulari procedunt, non vt viſitatores, ſed vt Iudices. Quod autem viſitator, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Prouincialis non poſſit impediri quantumcumque ſuſpectus ſit, ne viſitet ex officio viſitatione Generali, & ordinaria, probatur ex decreto Pauli V. tranſmiſſo ad Epiſcopum Portugalenſem die 29. Octobris 1610. cuius tenor eſt.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nobis nuper expoſitum fuit, quod viſitationes quæ in tua Diœceſi in vim decretorum Concilij Tridentini, & aliàs legitimè fiunt, impediuntur, eo quia viſitati Prælatum, ſeu alium legitimè viſitantem ſuſpectum allegant, in magnum diuini cultus, præſertim, & fabricæ Eccleſiarum præiudicium. Quamobrem nos huiuſmodi abuſum tollere volentes, ſupplicationibus ſuper hoc tuo nomine humiliter porrectis inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Sacri Concilii Trident. interpretum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium declaramus Epiſcopum, vel alium, cui id legitimè competit, viſitantem non poſſe vti ſuſpectum recuſari, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, &c.

Circa quod Decretum aduertendum eſt *Primò*, quod licet

Digitized by Google

licet ſit commiſſum ad vnum tantùm Epiſcopum particularem, habet tamen vim in tota Eccleſia, vt per illud cauſæ reſoluantur, vbique; nam eſt Epiſtola Decretalis Papę pro inſtructione Eccleſiæ. *Secundò*, notandum eſt in hoc decreto Papam non ſolùm id conceſſiſſe pro Epiſcopis viſitantibus ſuas Diœceſes, ſed etiam pro Prę̨latis regularibus viſitantibus ſuas Prouincias, vt conſtat ex illis verbis decreti: *Epiſcopum, vel alium cui id legitimè competit*. Quibus verbis clarè id concedit & Epiſcopo, & cuiuis alteri legitimè viſitanti, qualis eſt Prælatus regularis. Ratione item hoc probatur. Tum quia Epiſcopus, vel Prælatus in viſitatione Generali concernente bonum commune, non inquirit, nec poteſt inquirere de culpis alicuius in particulari: & cum illa viſitatio in genere tendat ad bonum commune, non poteſt ſubditus particularis impedire bonum commune viſitationis, & Eccleſiæ. Nec refert ex illa viſitatione Generali poſſe reſultare culpas contra Prælatum Conuentus, vel alios graues Patres, quorum interſit Prouincialem ſuſpectum non viſitare. Reſpondet Nauar. *l. 5. conſil. tit. de accuſat. Inquiſit. conſil.* 3. hoc non ſufficere ad illū recuſandum; nam viſitatio Generalis neminem infamat, & per teſtes in illa receptos nemo poteſt condemnari; ſed debet fieri particularis proceſſus à viſitatore ex repertis in viſitatione Generali contra culpatum in illa, & in hoc ſecundo proceſſu ſpeciali, citato illo culpato, in generali inquiſitione poterit recuſationes ponere contra Prouincialem, vel viſitatorem. Antea quoque deciſum fuerat à Sacra Congregatione, Epiſcopum viſitationem aggredientem, atque etiam in præparatoria inquiſitione non poſſe vt ſuſpectum recuſari, neque probatione, vel allegatione ſuſpenſionis impediti, quominus pœna extraordinaria, quæ morum correctionem, & emendationem reſpiciat, viſitatos afficere poſſit: dum tamen in ea proceſſum non compleat, & ſe intra viſitationis terminos contineat, prout refert Armendarius *tit. 6. de viſitat. lib.* 5. §. 2. *numero* 7. & 8. Barboſa *loco ſupra citato*. Portel: *in reſponſionibus moral part. 1. caſu* 21. Laurentius de Peyrinis *in formular. Regular. litt. R. capit. 2. numer.* 3.

Armend.
Barboſa.
Peyrin.

14. Certum eſt, ex iure Canonico, poſſe Iudicem ordinarium ex iuſta cauſa recuſari, vt patet *in cap. cum ſpeciali, de appellation.* Qui verò Iudicem recuſare voluerit, coram eodem ſuſpicionis cauſam probabilem, atque rationabilem in ſcriptis proponere debet, *cap. inter Monaſterium, de re iudic. cap. cum ſpeciali, & cap. Secundò requiris, de appellat.* Quod ſi dubia cauſa recuſationis huiuſmodi ſit, recuſatus Iudex de illa cognoſcere minimè poterit; Sed eo caſu aduerſarius, aut Iudex ipſe vnum: recuſans verò alterum, viros probos, atque peritos eligere debent; qui arbitri ſic electi de huiuſmodi cauſa, probabilis necne ſit, ideoque, vel admittenda, vel reiicienda, diiudicabunt, & ſi diſcordes illos inter ſe eſſe contigerit, tertium eligant ipſimet, & quod ex ipſis duo iudicauerint, robur obtineat firmitatis, *cap. cum ſpeciali, de appellat. & cap. Suſpicionis*, iuncta Gloſſa, *de offic. & poteſt. Iudic. delegat.* Quæ ſi probata fuerit, de recuſantis cōſenſu idoneæ perſonæ cauſam recuſatus committat; vel ad Superiorem ipſum recuſantem tranſmittat. Non probata verò, ſua Iudex vtatur iuriſdictione, cauſamque inceptam proſequatur. Ex *dict. cap. cum ſpeciali*, iuncta Gloſſa, *& cap. Suſpicionis citato, verſ. ad quos omnia*. Et hæc omnia de iure Canonico procedunt. De iure tamen ciuili ſufficit dicere ſe Iudicem habere ſuſpectum. Gloſſa *in l. apertiſſimi, & l. quia poterat, ff. ad Trebell. & in l. item ſi ſuſpectus, ff. de procurat.* Dummodo recuſans ſe calumniæ cauſa illum non recuſare iuret. Vt tradit poſt alios, Paulinus Berti *in praxi crimin. regul. titul. 3. capit. vnic. numero 45. & ſequentibus.*

15. Dubium tamen eſt, an poſſint regulares recuſare Iudicem ordinarium vt ſuſpectum? Ratio autem dubitandi eſt, quia *cap. cum ſpeciali, de appellat. in fine*, habet: *Cæterum has duas Conſtitutiones præmiſſas nolumus ad regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſeruantias.* Ex quo textu Gloſſa *in cap. ad noſtram de appellat. verb. minus*, quam ſequitur Hoſtienſis, tenent, non poſſe Regulares Iudicem ordinarium recuſare. Alii verò aſſerunt, quod poteſt Iudex ordinarius à Regularibus recuſari, quando procedit iudicialiter: ſecus autem quando procedit extra iudicium. Ita Ioannes Andr. *in cap. cum ſpeciali, de appellat. nu.* 18. Francus *ibi n. 4.* Anton. *in fine.*

Io. Andr.
Francus

Sed melius alii abſolutè docent, poſſe Regulares ex iuſta cauſa Iudicem ordinarium recuſare. Ratio eſt, quia contra Prælatum regularem poteſt eſſe iuſta cauſa recuſationis, & adeò grauis, vt ſi non admitteretur recuſatio, nimis graue, & oneroſum eſſet ſubiici tali Iudici. & proinde eſſet contra iuſtitiam prohibere recuſationem. Ita Panormitanus *in d. cap. Cum ſpeciali, de appellat. §. Porro, num. 3.* Alexander de Neuo *ibidem, n. 8.* Barboſa *in collectan. ad dict. cap. cum ſpeciali, n. 16.* Sanchez *l. 6. moral. c. 8. num. 111. & lib. 6. opuſc. c. 8. dub. 3. num. 17.* Thomas à Ieſu *tr. 3. de viſitat. Regul. cap. 17. n. 12.* & alij multi, qui agentes de recuſatione Iudicis, non excipiunt Prælatos Regulares.

Panormit.
Alexand.
Sanch.

Ad textum autem in ratione dubitandi allatum dicendum eſt, quod ibi Pontifex non prohibet abſolutè Regularibus recuſationem Iudicis, ſed tantùm decernit, quòd facultas recuſandi Iudicem ordinarium non extendatur ad ipſos contra ipſorum obſeruantias, ſiue in præiudicium Regularium obſeruantiarum; & proinde non poſſit recuſari, quando procedit ſecundum Regulares Obſeruantias, ſeu ſecundum Regulam; quia tunc Superior Regularis ſecundùm regulam procedens, non poteſt inferre grauamen, quia neque infert regula; vnde non habet locum recuſatio, vt notat Paulinus Berti *in pract. crimin. regul. tit. 19. c. 2. n. 9.* omninò videndus. Si enim non poſſunt regulares appellare à correctionibus Prælatorum iuxta *cap. ad noſtram el 1. & cap. reprehenſibilis, de appellat.* inde ſequitur, nec poſſe recuſare Ordinarios, nec eorum delegatos: cùm ipſi Prælati per ſuos delegatos intendant inquirere, & punire iuxta diſciplinam regularem ipſos reos.

16. Si apud Regulares adſit ſtatutum de non recuſando Iudice ordinario, intelligi debet de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta & graui, ſed tunc poterit recuſari, cum hoc per ſtatutum non cenſeatur prohibitum. Intentio enim Superiorum eſt parare remedium pro perturbatione regularis diſciplinæ, quæ poteſt oriri ſi ſubditi haberent aditum ad recuſandum ordinarium Iudicem ex quacumque leui cauſa; tunc enim nullos Superior potuiſſet aliquem punire, quia ſemper in promptu eſſet aliqua cauſa friuola recuſationis, vnde oriri poſſet magna perturbatio in Religionibus. Ratio horum eſt, quia anima legis, & ſtatutorum eſt iuſtitia, ſine qua nō ſūt leges, & ſtatuta, ſed tyrannicæ oppreſſiones, vnde cùm lex & ſtatutum debeat accipi tanquam vera lex, & ſtatutū, debent accipi ſecundùm eam menſuram, ſecundùm quam continent iuſtitiam. Hinc ſequitur prohibitionem recuſationis Iudicis ex iuſta, & graui cauſa, non continere iuſtitiam, ſed iniuſtitiam, quia prohibet defenſionem, & implicitè vult oppreſſionem innocentiæ, & iuſtitiæ; vultque tradi in manus inimici eum, quem ipſe cupit lædere. Ita Speculator *lib. 1. tit. de recuſat. §. 1. num. 5.* Francus *in cap. Poſtremo num. 5. de appellat.* Lancellotus *de attentat. cap. 6. num. 40.* Sanchez *in opuſc. lib. 6. cap. 8. dub. 3. numer. 16.* Qui docent, quòd quando Papa committit cauſam cum clauſula *Recuſatione remota*, debet intelligi de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta.

Francus.
Lancel.
Sanch.

An autem ſtatutum omninò tollens recuſationem Iudicis ex quacumque cauſa ſit validum? videtur negatiuè reſpondendum, quia iniuſtum eſt, & contra iuſtitiam, bonum publicum, & legem naturalem. Probatur *ex cap. Quod ſuſpecti, & inimici Iudices eſſe non debeant, & ipſa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius, & amabilius dare quis inimico poteſt, quàm ſi ei ad impetendum commiſeris, quem lædere fortè volueris?* Et citat ibi Pontifex Conſtantinopolitanam Synodum hoc ipſum *Canon. 6.* prohibentem. Citat etiam Gelaſium Papam, quod inimici non poſſint eſſe Iudices, & proinde liceat eos recuſare, addens rationem, *Quodammodo naturale eſt ſuſpectorum Iudicum inſidias declinare; & inimicorum iudicium velle refugere.* Accedit quòd recuſatio Iudicis

perti-

pertinet ad defenſionem; imò eſt vna ex maximè neceſſariis defenſionibus, *ex cap. cùm inter, de exceptionibus*, vbi habetur, *Inquiſitioni veſtra duximus reſpondendum, quod prædicto nobili legitima defenſio in iudicio reſeruatur, & maximè Iudicis recuſatio, cùm periculoſum ſit coram ſuſpecto Iudice litigare, ac ſuſpectis Iudicibus Sedes Apoſtolica cauſam de certa conſcientia non committat.* Dicendum ergo eſt, quod nulla lex prohibere poteſt quæ ſunt iuris naturalis, qualis eſt defenſio atque recuſatio Iudicis: lex enim, vt ſit vera lex, non debet eſſe contraria iuri naturali, ſed in ipſa fundari. Hoc autem ius habet locum etiam apud Regulares. Ex quo fit, quod non poſſint Superiores Religionum ratione voti obedientiæ tollere à ſubditis, quæ concedit ius naturale; alioquin præciperent aliquid contra ius naturale, nec teneret præceptum, ſi tamen Regulares probarent in cauſa grauiſſima, agitata contra ipſos ſuſpicionem Iudicis eſſe legitimam, haberet locum eius recuſatio, vt diximus ſuprà, & rectè docent Paulinus Berti *in praxi criminal. regular. tit. 19. nu. 19. in fine*. Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 349. apud quem plura de hac materia in deciſionibus ſequentibus. Et apud Sanchez *in opuſcul. lib. 6. capit.* 8. *dub. 5. numer. 19. & ſequentibus.*

19. Viſitatores debent, quantò citius poſſunt, ſe expedire, ne grauent ſubditos ſuos expenſis. & ſtudeant, quam celerrimè debita cum diligentia viſitationem ipſam abſoluere, vt ſtatuit Concilium Bracharen. IV. *Act. 2. cap. 5.* Eccleſiæ autem inferiores viſitantibus moderatas procurationes ſoluere tenentur, iuxta modum, & qualitatem iure præfinitam. Nam debentur, vel ratione viſitationis, vt *in cap. Cum ex officij, de præſcript. & cap. Romana. verſ. Procurationes, de cenſib. in 6.* vel ex vi conſuetudinis, aut alterius iuris ſpecialis, *cap. Sortitium* 18. *q. 2. & c. ſcientes, de cenſibus.* Vel ex pacto legitimè celebrato tempore fundationis, *cap. Quanto, de cenſibus.* In viſitatione autem præter Procurationem ab Eccleſijs, nihil muneris accipere poteſt viſitator, non tantùm ipſe, ſed nec etiam quiſquam ſuorum, ſub pœna maledictionis, & interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac reſtituendi duplum infra menſem non obſtante remiſſione partium, *ex cap. exigit, de cenſibus in 6.* innouato Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat.* vbi ſtatutum eſt, *Monentur omnes, & ſinguli, ad quos viſitatio ſpectat, vt paterna charitate, Chriſtianoque zelo omnes amplectantur: ideoque modeſto contenti equitatu, famulatuque ſtudeant, quam celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſoluere. Interimque caueant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graues oneroſiue ſint, neve ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios vſus, præter id quod relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate & non vltra erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſoluere id quod erat ab ipſis ante ſolui, certa pecunia taxata, conſuetum; an verò prædicta victualia ſubminiſtrare: ſaluo item iure conuentionum antiquarum cum Monaſteriis, aliiſue piis locis, aut Eccleſiis non Parochialibus inito, quod illæſum permaneat. In iis verò locis, ſeu Prouinciis, vbi conſuetudo eſt, vt nec victualia nec pecunia, nec quidquam aliud à viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſeruetur. Quod ſi quiſquam, quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit; is præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit,* Exigit, *necnon & aliis pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi abſque vlla ſpe veniæ, mulctetur.* Huc vſque Concilium.

Cùm enim Prælati Eccleſiaſtici Prouincias, Diœceſes, Eccleſiaſque ſuas, Clericos, & populos ſibi concreditos iure communi viſitare cogantur: tamen non ſuis impenſis, & ſumptibus id præſtare tenentur, quia nemo militat ſuis ſtipendiis: Proinde iure Canonico conſtitutum eſt, vt ij, ad quos curandos, & corrigendos accedunt, moderatas impenſas faciant, quas Canones, & iura Procurationes appellant. De his Procurationibus vide Azorium *p. 2. l. 3. c. 42.* Paulinum Berti *in praxi criminal. regular. tit. 4. cap. 9.* Barboſam *de offic. & poteſtat. Epiſc. part. 3 allegat. 73. à num. 44.*

Quænam autem forma ſeruanda ſit a Prælato viſitante, & quo ordine ſit viſitatio obeunda? Vide apud Barboſ. *loco cit. à n. 58.* apud Azor. *loco cit. c. 41.* & alios. Barboſ. Azor.

18. Contra viſitationem iure communi, vel ſpeciali competentem, præſcriptio multis modis contingere poteſt: aliquando abſolutè extinguendo, & tollendo omnino viſitationem ipſam, ita vt ſubditi iam ampliùs a nemine viſitentur: aliquando verò non tollendo, nec extinguendo, ſed transferendo viſitationem, vel ius viſitandi ad alium, ita vt maneat quidem viſitatio, ſed tamen non is, ad quem pertinebat, ſed alius viſitet; aliquando denique non tollendo, nec transferendo, ſed accumulando; ita quod maneat viſitatio penes illum, ad quem ſpectabat, ſed tamen non ſit per illum ſolum, ſed quia per præſcriptionem alius eidem in viſitatione accumulatur, vt colligitur *ex cap. cum ex officij, de præſcript.* & tradita ibi per Doctores.

Præſcriptio tollens omninò viſitationem, iure communi iniunctam, non valet, & prohibetur, vt probat textus *in dict. cap. cum ex officij*. Ratio eſt, quia præſcriptio impediens morum correptionem, & Eccleſiarum reformationem, meritò prohibetur, argument. text. *in cap. cùm inter & cap. ex parte, de conſuetud.* quia cedit in damnum publicum; ac exinde proueniunt multò maiora mala in Republica, quàm ſit bonum vitandi lites, & certitudinem dominiorum, pro quibus bono publico introducta fuit præſcriptio, *l. 1. ff. de vſucap.* ſed præſcriptio omninò tollens viſitationem iniunctam iure communi, impedit morum correptionem, & reformationem Eccleſiarum, & ita obuiat bono publico, quod per viſitationem prætenditur, ergo &c. Ita ſentiunt Gloſſa *in cap. Irrefragabili, de offic. Ordin.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 79. verſ. Obedientia & diſput. 85. in fine.* Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 40. quæſt.* 2. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 229. numer. 9. & 10.* Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 19. quæſit. 3. n. 2. & 3.* Cokier *de iuriſd. Ordinar. in exempt. p. 3. quæſt. 27.* & alii. Gloſſ. Molin. Azor. Barboſa. Cokier.

Præſcriptio, quæ viſitationem transfert, vel aliis accumulat, admittitur: Ratio eſt, quia præſcriptio illa admittenda eſt, quæ nullo iure prohibetur, nec impedit morum, aut Eccleſiarum reformationem, nec aliàs obuiat bono publico, cum adhuc maneat viſitatio facienda ab eo, in quem transfertur, vel accumulatur. Quod euidenter colligitur *ex dict. cap. cùm ex officij*. Vbi Pontifex ſubiungit, *Quamuis alius contra eum præſcribere poſſit*, apertè ſignificat admitti præſcriptionem, per quam transfertur, ſeu accumulatur viſitatio, quia talis præſcriptio, abſolutè loquendo, non eſt contra viſitationem, quam non tollit, ſed contra Prælatum, cui præiudicat: Et fuit deciſum in Rota, quod conſuetudo viſitandi in præiudicium Epiſcopi debet eſſe præſcripta, ſaltem ex ſpatio 40. annorum. Ita Azor, *loco cit. q. 3.* & alii ſupra adducti.

Hæc de viſitatione in communi dicta ſufficiant, plura habes de hac materia apud Paulinum Berti *in praxi crimin. regul. toto tit. 4.*

Vide verb. Archiepiſcopus *n. 4.* Capitulum *n. 5.* Cœcus *n. 3.* Epiſcopus *n. 23.*

VOTVM I.

Quid ſit votum, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit votum? & an ad illud ſufficiat propoſitum.*
2 *An ad votum requiratur deliberatio.*
3 *An votum amentis, vel mente capti ſit validum.*

Qua-

4 *Quænam deliberatio neceſſaria ſit ad votum. Et quale peccatum ſit leuiter vouere?*

5 *An ad valorem voti requiratur vt actus ſit ſimpliciter liber?*

6 *An qui ad Ordines ſacros accedit ſciens illi annexum eſſe votum caſtitatis, ſed illud poſitiuè reſpuit, teneatur ad caſtitatem ex vi voti?*

7 *An oriatur obligatio ex voto facto cum animo vouendi, ſed abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligandi? An teneatur voto dubitans, an habuerit uſum rationis quando vouit?* Refertur duplex ſententia.

8 *An ex vi voti oriatur obligatio ex voto facto cum animo vouendi, & ſe obligandi, ſed abſque intentione adimplendi?*

9 *An error circa ſubſtantiam voti, reddat votum irritum? & quando cenſeatur eſſe talis error?*

10 *An uotum ſimplex factum per errorem, & dolum circa cauſam finalem, & motiuam ſit ualidum?*

11 *An ceſſante cauſa finali uoti, uel iuramenti ceſſet etiam ipſius obligatio?*

12 *An validum ſit uotum factum per dolum, vel errorem circa cauſam impulſiuam, & quæ ſit cauſa finalis, uel impulſiua?*

13 *An votum ſoli Deo fieri poſſit, & quibus modis Sanctis fieri poſſit?*

14 *Quotuplex ſit diuiſio uoti?*

15 *An votum ſimplex, & ſolemne ſint eiuſdem ſpeciei?* Refertur duplex ſententia.

16 *An ad rationem voti ſolemnis requirantur verba?*

17 *An votum ſolemne poſſit fieri per procuratorem?*

18 *An uotum pœnale obliget preſcia prima tranſgreſſione ad pœnam?*

1 VOtum eſt voluntaria, & deliberata promiſsio facta Deo de aliquo bono meliori. Ex hac definitione colligitur: *Primo*, ad uotum non ſufficere propoſitum, quia propoſitum nullam inducit obligationem ad mortale, aut veniale, quia nihil aliud eſt, quam actus uoluntatis, quo quis determinat promittere, vel aliquid aliud facere. Nota tamen in voto ſufficere promiſsionem interiorem, & mentalem, ſiue implicitam, qualis reperitur in ſuſcipiente Ordines ſacros, quibus ex Eccleſiæ intentione, & inſtituto annexum eſt ſolemne caſtitatis votum. Clauis regia *lib.6.c.1.* Nauar, *c.12.n.24.* Sanchez *lib. 4. moral.c. 1.* Filliuc. *tract.26.c.1.* Layman *lib.4.tract.4.c.1.* Sylu. 2.2. *q.88.art.1.*

Clau.Reg. Nauar. Sanch. Filliuc. Laym. Sylu.

2. *Secundò*, ad votum requiritur deliberatio, & perfecta animaduerſio eius quod fit: quam animaduerſionem, & deliberationem non habent illi, qui repentino quodam motu, vel conſuetudine vouent, non aduertentes quid faciant. Cenſetur autem plena, & perfecta animaduerſio illa, quæ ſufficit ad mortale in materia peccaminoſa. Ratio eſt, quia talis deliberatio ſufficit ad tradendum ſe diabolo, ergo etiam ſufficit ad obligandum Deo, cùm æqua ſit vtriuſque ratio. Suarez *lib.1. de voto c.2.numer. 6. & 7.* Nauarr. *cit. at numero* 26. Azor. *1.part.lib.11. cap. 23.q.3.* In dubio autem, an votum factum ſit ex ſufficienti deliberatione, iudicandum eſt ex ſufficienti deliberatione factum fuiſſe, conſequenter obligare, quia poſſeſſio ſtat pro voto, quod conſtat factum fuiſse, & dubium eſt de illius excuſatione. Bonacin. *tom. 2.diſt.4.q.2. p.1.num.3.*

Suar. Nauar. Azor.

3. Non validè vouet mente captus, aut amens, ſi voueat dum eſt deſtitutus vſu rationis, ſecus ſi voueat, cùm habet dilucida interualla, aut dum habet deliberationem circa votum, validè vouet autem ſemiebrius ſi polleat vſu rationis ſufficienti ad mortale: Item qui uotum emittit ex calore iracundiæ, ualidè uouet, modò tantus non ſit, ut uſum rationis abſtulerit, & in dubio non præſumitur tantus fuiſse, ut rationis uſum abſtulerit, niſi adſint aliæ circumſtantiæ, Sanchez *de matr. l.1.diſ.8.n.23.* Suar. *l.4. de voto c.6.n.* 10. Laym. *l.4.tr.4.c.1.*

Sanch. Suar. Layman.

4. Deliberatio neceſſaria ad votum debet eſse, vel uirtualis, quando ſcilicet fundatur in aliqua formali præcedente, & moraliter adhuc durante; uel formalis, quando ſcilicet alia non præceſsit: aliàs uirtualis deliberatio in caſu non ſufficeret; unde qui in ebrietate emitteret uotum præuiſum ante illam, non ualeret; quia ad uotum requiritur uoluntas formalis ſe obligandi, quæ non adeſt in caſu propoſito: Sanchez *l.4.mor.c.1.n.6.* Suarez *l.1.cit.c. 10.n. 5.* Nauar. *c.12.n.24.* Layman *cit.n.4.*

Sanchez. Suar. Nauarr.

Si dicas quòd libertas in cauſa ſufficit ad peccatum mortale, ergo ſufficere debet ad conſtituendum votum? Reſp. negando conſequentiam, quia ut quid ſit peccatum, ſufficit quicumque defectus, vt uerò ſit bonum, eſt neceſſe, quòd careat omni defectu: vnde cùm uotum ſit quoddam bonum, exigit ut in ſe formaliter, uel uirtualiter ſit uolitum: at peccatum cùm ſit malum, ſatis eſt, ut in ſua cauſa ſit uolitum. Tum quia cùm homo teneatur uitare peccatum, eo ipſo quòd ſciens ſe in ebrietate ſolere illa committere, & cùm poſſit, non curet ea uitare, indirectè, & uirtualiter ea vult. At non tenetur homo vitare vota; ergo non cenſetur voluntas virtualis circa illa.

Hinc, falſa eſt regula quam tradunt Angelus *v. votum 1.num.6.* Tabiena *v. votum 1.q.1.* Supplementum Gabr. *in 4.d.38.q.1.art.1.* ad cognoſcendum an votum ſit validum, necne: dicunt enim quòd ſi poſt emiſſum votum, hominem tranſacta anguſtia ſtatim pœniteat illius, vel vt ipſi aiunt, eſt malè contentus, ſignum eſt votum fuiſſe indeliberatum, & nullum. Eſt, inquam, falſa, quia illa diſplicentia non arguit defuiſſe requiſitam deliberationem, & proinde non obligare, quia ſæpe eorum quæ ex magna deliberatione geſta ſunt facientem pœnitet. Tum quia licet pœnitentia poſt peccatum ſequatur, non eſt ſignum, peccatum non fuiſſe mortale, ſed ad ſummum indicatur non fuiſſe ex habitu, ſed ex paſſione, vel repentina occaſione.

Similiter eſt falſa regula, quam adducit Panormitan. *c. ſi vero, de iureiur. numer.7.* ad cognoſcendum, an votum fuerit indeliberatè, & ex ſurreptione factum, an non; dicit enim, quòd ſi ſecluſo iracundiæ calore votum emiſſum non fuiſſet, ſignum eſt quod votum non fuit deliberatè factum. Eſt, inquam, falſa, quia calore iracundiæ multa fiunt deliberatione ſufficienti ad culpam lethalem, quæ eo calore ſecluſo minimè admitterentur, & nihilominus ſunt valida. Nec enim paſſio indicat fuiſſe omninò perturbatam rationem, ſed ad ſummum indicat indiſcretum, vel imprudens iudicium. Ita Rodriquez *tom.2. Sum. Latin. cap. 94. numero* 1. Arragon 2.2. *q.88. art.1.* Sanchez *de matrim.l.1.diſput.8. num.* 8. Hinc rarò admodum vota ex defectu deliberationis deſinunt obligare.

Rodriq. Arragon. Sanch.

Sed petes, quale peccatum ſit ex repentino quoddam motu, & leuiter ſine debita, & matura deliberatione vouere? Reſp. regulariter eſſe peccatum veniale, quia eſt voti abuſus, id abſque debita, & matura deliberatione emitti, ſicut eſt iuramenti abuſus, ita iurare. Tum quia in iis quæ manifeſtè rationi conſentanea ſunt, non magna deliberatione opus eſſe, teſtatur D. Thomas 2.2.*q.180.ar.* 10. Dixi regulariter, quia interdum poteſt eſſe peccatum mortale, vt ſi attenta vouentis propenſione, votum eſt adeò de re difficili, vt moraliter loquendo timeatur fore, vt ſæpe violetur, tum etiam ratione periculi, cui vouens ſe exponit. Quod intelligi debet, ſi periculum aduertatur, vel facilè aduerti poſſit, vt contingit, quando homo expertus eſt ex tali facilitate vouendi ſimilia incommoda ſolere incurrere. Poteſt tamen ſic vouens eſſe ſine culpa, vt quando votum eſt de re minima, vt de dicenda ſemel oratione Angelica. Ita Caietanus 2.2.*quæſt.88. articul.1.* Valentia 2. 2. *diſput.6.quæſt.6.p.1.* Sanchez *lib. 4. moral.c. 1.num 9.*

Caiet. Valentia. Sanch.

5. Ad valorem voti requiritur, vt actus ſit ſimpliciter liber, ea libertate, quæ ſufficeret ad peccandum mortaliter, quia votum eſt actus ſimpliciter humanus, ad hoc autem requiritur, vt ſit liber: vnde votum factum ex metu graui iniuſtè incuſſo a cauſa extrinſeca, ſeu libera ad illud extorquendum, inualidum eſt, ſaltem iure Eccleſiaſtico, iuxta probabiliorem ſententiam, modò vouens cognouerit illum metum ſibi incuti ad extorquendum

votum. Suarez *cit. cap. 6. nu. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. d. 3.* Azor. *1. p. lib. 11. c. 15 q. 6.* Filliuc. *cit num. 11.* Sylu. *citat. art. 1.*

Suar. Leſſius. Azor. Filliuc.

Votum tamen factum ex metu graui illato à cauſa intrinſeca, vt morbo, naufragio, periculo mortis validum eſt, & obligat, quia huiuſmodi votum ſponté emittitur, eſtque vouenti gratum, & bonum. Similiter votum factum ex metu graui incuſſo ab extrinſeco, non ad extorquendum votum, ſed ad alium finem, validum eſt, quia ſufficienter eſt voluntarium; vouens enim ſua ſponte eligit votum, cùm à nemine compellatur ad emittendum votum. Vide Nauarrum *c. 12. num. 52.* Suar. *cit. c. 7. num. 8.* Sanch. *lib. 4. moral. c. 3. n. 4.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 4.* Sylu. *cit.*

Nauar. Suar. Sanch. Sylu.

6. Cùm igitur votum debeat eſſe voluntarium, vt validum ſit, hinc qui ad Ordines ſacros accedit ſciens illis annexum eſſe votum caſtitatis, ſed illud poſitiuè reſpuit, ſeu non vult ſe ad caſtitatem obligare, non tenetur ad caſtitatem ex vi voti, quia votum eſt lex quædam priuata, lex autem non obligat, niſi legislator obligare intendat; tum quia votum non ſubſiſtit cum voluntate non vouendi; tenetur tamen ille ad caſtitatem ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ præcipit obſeruantiam caſtitatis illi, qui noluit vouere, illumque inhabilem facit ad matrimonium: ex quibus concludendum eſt ex voto facto cum intentione non ſe obligandi, non oriri obligationem. Sanch. *de matrimon. lib. 1. d. 9.* Henriquez *lib. 10. c. 14. numer. 4.* Valentia *citat. punct. 1.* Azor. *cit. c. 13. q. 9.* Sylu. *v. matr. 8. q. 12.* Vide *Ordo 4. n. 3.*

Valent. Azor. Sylu.

7. Item non oritur obligatio ex voto facto cum animo vouendi, ſed abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligandi, quia votum in tantum obligat, in quantum vouens intendit ſe obligare; ſi tamen facto voto aliquis dubitet, an quando vouit, ſciret obligationem ex voto conſurgere, vel an haberet animum ſe obligandi, tenetur ad votum; tum quia poſſeſſio ſtat pro voto, tum quia probato facto præſumitur interueniſſe omnia ad factum requiſita, Sed de hic conſtat de voto, ergo in dubio præſumitur animus vouendi, vel ſe obligandi ad eius valorem requiſitus. Quando autem vouens eſt anceps, an dum votum emiſit, vſum rationis habuerit, præſumitur rationis, ac proinde votum valere, ſi is qui vouit ſeptennium attigerat tempore voti emiſſi. Si autem non attigerat, præſumitur vſus rationis defuiſſe, quia iura in ea ætate non præſumunt vſum rationis, niſi de contrario conſtet, & ſic non valebit votum. Quod ſi dubium ſit, an ſeptennium attigerit, necne, credo in fauorem voti præſumendum, quia de illo conſtat, excuſatio autem eſt dubia. Sanch. *lib. 4. moral. cap. 1. numer. 26.* Nauar. *cap. 12. num. 27. & lib. 3. conſ. de voto conſ. 4.* Leſſius *cit. numer. 6.* Cordub. *in ſum. q. 147.* Fauſtus *in theſaur. relig. lib. 1. quæſt. 26.* Quamuis nonnulli oppoſitum teneant, quia licet emiſſio voti ſit certa, non tamen eius validitas: votum autem non eſt in poſſeſſione, vt obliget, niſi ratione validitatis, & ideò cùm ſit incerta validitas, non eſt in poſſeſſione obligandi. E contra autem dubitans eſt in poſſeſſione ſui iuris, & ſuæ libertatis, cui per aliquid incertum præiudicari non poteſt, cùm ipſa certa ſint. Ita Paſqualig. *in praxi ieiun. Eccleſ. deciſ. 446. n. 7.*

Sanch. Nauar. Leſſius. Cordub.

8. Ex voto facto cum animo vouendi, & ſe obligandi, ſed abſque intentione adimplendi, ſeu cum intentione non adimplendi, oritur obligatio ex vi voti, conſequenter vouens tenetur huiuſmodi votum adimplere ſub peccato graui, aut leui, iuxta leuitatem, vel grauitatem materiæ, quia intentio non adimplendi non tollit obligationem voti, ſeu promiſſionis, quæ ex ipſo voto, vel promiſſione naturaliter ſequitur. Suarez *cit. cap. 4. num. 2.* Regin. *lib. 18. n. 261. & 262.* Filliuc. *cit. num. 7.* Sylu. *cit. art. 1.* Qui autem fictè vouet abſque animo vouendi, aut ſe obligandi, ſi ſit votum ſimplex, peccat venialiter, facit enim aliquam irreuerentiam Deo; per accidens tamen ratione circumſtantiæ poteſt peccare mortaliter. 1. ſi id facit intendendo fallere Deum, quia tunc errorem in fide, atque adeò blaſphemiam includeret. 2. ſi id facit ex contemptu, aut cum graui ſcandalo, vt ſi votum emitteret in illis diriſum, aut cum aliorum graui ſcandalo. 3. ſi inde fieret, vt aliquis graue damnum iniuſtè pateretur. Si verò ſit votum publicum, vel ſolemne coram aliis, peccat mortaliter, propter ſcandalum, aut damnum Religionis, niſi grauis cauſa vrgeret ad ſic fictè vouendum, vt metus, vel ſedare magnum ſcandalum, tunc enim erit ſolùm peccatum veniale. Is verò qui vouet cum animo non adimplendi, grauiter peccat, aut leuiter iuxta materiæ grauitatem. Laymann *lib. 4. tract. 4. c. 1.* Bonacina *tom. 2. diſ. 4. quæſt. 2. p. 1. n. 14. 15.*

Suar. Regin. Fill. Sylu.

Laym. Bonac.

9. Irritum reddit votum error, ſi ſit circa ſubſtantiam voti, aut aliquo modo in ſubſtantiam redundet, ſitque cauſa vouendi, quia per huiuſmodi errorem, vel dolum irritatur contractus oneroſus, ergo multò magis irritat votum, quod eſt promiſſio gratuita, & liberalis: deinde nihil magis contrarium conſenſui quàm error, de ratione autem voti eſt, vt ſit promiſſio voluntaria: cenſetur autem eſſe error circa ſubſtantiam multis modis. 1. ſi ſit circa partem notabilem rei promiſſæ. 2. cùm erratur circa materiam operis, 3. cùm erratur circa perſonam cui opus præſtandum. 4. cùm erratur circa cauſam formalem. 5. cùm erratur circa cauſam finalem vouendi extrinſecam. 6. ſi ſit error circa vim voti. Eſt autem aduertendum ſi error ſit ſolùm circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis ſine illo errore non voluiſſet vouere; error enim circa extrinſeca iure naturæ non violat contractum. Sanch. *lib. 4. moral. c. 2. num. 11.* Sotus *lib. 7. q. 1. art. 2.* Leſſius *lib. 2 c. 40. dub. 2.* Bonac. *cit. p. 3. §. 2. n. 2.*

Sanch. Sotus. Leſſius. Bonac.

10. Votum ſimplex factum per errorem, & dolum circa cauſam finalem, & motiuam non eſt validum, quia huiuſmodi votum cenſetur factum ſub tacita conditione, ſi cauſa finalis, & motiua ſubſiſtat; votum tamen ſolemne factum in profeſsione, vel in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, non irritatur per dolum, & errorem circa cauſam finalem, quia qui ſtatum aliquem perpetuum aſſumit, cenſetur velle eum aſſumere, etiamſi intercedat error, vel dolus, modò non ſit circa ſubſtantialia, vnde, qui falsò arbitrans ſe magnum aliquod beneficium recepiſſe, vouet aliquid in gratiarum actionem, non tenetur vero, cognito errore. Sanchez *l. 4. moral. c. 2. n. 4.* Leſsius *cit. n. 12.* Molina *tom 2. de iuſt. diſp. 272.*

Sanchez. Leſſius. Molina.

11. Ceſſante cauſa finali voti, vel iuramenti, etiam ipſius obligatio ceſſat, quia vouens non cenſetur habuiſſe intentionem obligandi ſe ceſſante cauſa finali voti, quod fuit emiſſum ob talem cauſam: cauſa verò finalis dicitur illa, quæ ita mouet diſponentem, vt ea non exiſtente opus non fieret; hinc qui vouit non tranſire per aliquam domum, eo quòd ibi habitet mulier fornicaria, cum qua peccare conſueuit, poteſt per illam domum tranſire poſtquam mulier receſsit ab ea domo, ceſſat enim cauſa finalis voti. Suar. *l. 4. c. 8. n. 4.* Sanch. *cit. c. 2. n. 42.* Rodriq. *2. p. c. 102. n. 2.* Nauar. *c. 12. n. vlt.* Azor. *1. p. l. 11. c. 15. q. 13.*

Suar. Sanch. Rodriq. Nauar. Azor.

12. Validum eſt votum factum per dolum, vel errorẽ circa cauſam impulſiuam, quia adeſt ſufficiens voluntarium; cauſa vero impulſiua dicitur, qua non exiſtente opus adhuc fieret, ſed non ita libenter, vel celeriter, vel eodem modo: Cauſa autem finalis, vel impulſiua cognoſci debet ex affectu, quò vouens mouetur ad vouendum animo conſequendi rem, quæ ipſum mouet ad votum emittendum, & ex affectu ad rem voto promiſſam præciſa cauſa mouente, vel impellente ad vouendum. Sylu. *v. votum 2. q. 8.* Vaſquez *1. 2. d. 70. c. 3.* Sanch. *cit. num. 38.* Sylu. *cit. q. 88. art. 1.* In dubio autem an cauſa fuerit finalis, vel ſolum impulſiua, ſecundùm Azorium *l. 11. c. 15. q. 13.* Sanch. *cit. n. 52.* Syluium *cit. q. 8.* cenſetur fuiſſe impulſiua: quia in dubiis ius præſumit pro valore actus, & poſſeſsio ſtat pro voto quod conſtat emiſſum fuiſſe, quamuis alii ſentiant non obligare, eo quòd in dubio melior ſit conditio voluntatis poſſidentis libertatem ſuam.

Sylu. Vaſq. Sanch.

13. Cùm votum ſit actus religionis, quæ reſpicit Deum ideò illi ſoli fieri poteſt mediatè, vel immediatè, tacitè vel expreſsè. Sanctis autem, tribus modis fieri poteſt votum, 1. promittendo aliquid directè ipſi Sancto in obſequium eius, vt ieiunandi in eius vigilia, vel dandi eleemoſynam, & deinde promittendo ipſi Deo de adimplenda promiſsione facta Sancto, 2. promittendo aliquid

ſancto

ſancto vnica tantum promiſſione, ad eum ordinata immediatè, & ſic propriè non eſt votum, quia per votum intelligitur actus latriæ, hæc autem tantùm fit Deo. *Tertiò*, pro promiſſione facta Deo in cultum, & honorem Sanctorum, & ſic eſt propriè votum; & licet nonnulli vouentes hunc modum in votis Sanctorum non intelligant, neque intendant, eorum tamen intentio piè explicanda eſt, prout videlicet ſancta Eccleſia docet, & intendit. Idem dicendum de voto facto Epiſcopo, aut alteri Prælato, ſemper enim habent reſpectum ad Deum. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 25. Clauis regia *lib.* 6. *c.* 1. Suarez *lib.* 1. *c.* 16. *num.* 4. Valentia 2.2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 3. Filliuc. *cit. n.* 100. Sanchez *l.* 4. *c.* 1. *n.* 41.

Nauar. Clau. reg. Suar. Fill.

14. Multiplex eſt votum, diuiditur enim a Doctoribus, *Primo* in reale, perſonale, & mixtum. Reale, quo promittitur pecunia, vel aliquid pecunia æſtimabile, quod non ſit actio hominis vouentis. Perſonale eſt, quo Deo promittitur aliqua actio ipſius perſonæ, vel aliqua omiſſio. Mixtum verò includit perſonale, & reale: & eſt illud, quod præter hominis actionem, includit reale ſumptus, vt peregrinatio cum intentione offerendi aliquid. *Secundò*, Aliud eſt temporale, aliud perpetuum: Temporale dicitur quod durat ad certum vſque tempus, vt votum continentiæ ad annum. Perpetuum verò dicitur, quod durat vſque ad vitam vouentis. Suarez *lib.* 2. *de voto, c. vltim.* Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 15. *numero* 2. Clauis regia *lib* 6. *cap.* 2. Azorius 1. *par. lib.* 11. *cap.* 14. *Tertiò*, diuiditur in ſimplex, & ſolemne. Solemne dicitur, quod ſuſceptione Ordinis ſacri eſt annexum, & illud quod continetur profeſſione Religionis approbatæ. Simplex eſt omne aliud votum etiamſi perpetuum ſit, quale eſt etiam profeſſio Religionis non approbatæ, & in nuda promiſſione conſiſtit. Sylu. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 7. *Quartò*, aliud eſt expreſſum, aliud tacitum. Expreſſum eſt, quod verbis disertis exprimitur. Tacitum eſt, quod cenſetur fieri eo ipſo, quò voluntariè aliquid agitur, cui ipſum connexum eſt, vel ſupponitur: tale eſt quod fit ſuſceptione Ordinis ſacri, & geſtatione habitus profeſſorum expleto probationis anno. *Quintò*, diuiditur votum, in conditionale, & abſolutum. Conditionale fit ſub aliqua conditione. Abſolutum verò ſub nulla conditione concipitur. Rurſus conditionale, aliud eſt ſimpliciter conditionale, videlicet, quod non fit ſub conditione delicti futuri in pœnam, ſed ſub alia, v.g. ſub conditione mali alicuius diuina ope vitandi, quaſi per modum contractus. Aliud eſt pœnale, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, ſi fortè in illud inciderit, quod bifariam fieri poteſt. *Primo*, ſi ſolùm voueat pœnam delicti, non autem euitationem, & hoc eſt ſimplex votum pęnale. *Secundò*, ſi non ſolùm voueat pœnam in euentum delicti, ſed etiam cautionem delicti: & hoc votum non eſt ſimplex, ſed duplex, quia duo vota continet. De his diuiſionibus votorum vide Syluest. *v. votum* 1. *q.* 5. Tolet. *l.* 4. *cap.* 18. Valent. 2.2. *diſput.* 6. *q.* 6. *punct.* 5. Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 6. Filliuc. *tr.* 26. *c.* 2. *q.* 12. Mald. *tr. de voto c.* 5. *dub.* 3.

Suar. Clau. Reg. Azor.

Sylu. Tolet. Nauar. Leſſius Filliuc. Maldon.

15. Ex dictis oriuntur varia dubia. *Primum*, an votum ſimplex, & ſolemne ſint eiuſdem ſpeciei? D. Thom. *in* 4. *d.* 38. Syluius 2.2. *q.* 88. *ar.* 7. & omnes eius ſequaces, tenent eſſe diuerſæ ſpeciei: ex quo inferunt, eum, qui poſt votum ſolemne caſtitatis rem habet cum muliere, ſuæ conſcientiæ non ſatisfacere, dicendo in confeſſione, ſe peccaſſe contra votum caſtitatis, ſed tenetur dicere ſe peccaſſe contra caſtitatem ſolemniter profeſſam, quia circumſtantia, quæ mutat ſpeciem, eſt neceſſariò explicanda. Communior tamen hoc tempore ſententia eſt, votum ſolemne, & ſimplex eſſe prorſus eiuſdem ſpeciei, & ſola extrinſeca accidentali differentia inter ſe diſtare, tum quia Eccleſiæ decreto tantùm diſtinguuntur, vt diximus ſuprà *v. Matrimonium VII numer.* 17. at Eccleſia rei naturam non mutat, ſed vim, & robur adiungit. Et ita vtrumque per ſe, & ſuapte natura æqualis eſt vinculi, & tamen per accidens magis obligat ſolemne ex Eccleſiæ inſtitutione Et hoc eſt, quod dixit Cæleſtinus Papa *cap. rurſus, qui clerici uel uouentes*, votum ſimplex non minùs obligare apud Deum, quàm ſolemne. Tum quia traditio vouentis, & acceptatio Prælatorum inuerta in voto ſolemni, & ad id requiſita, ſunt accidentaria voti differentia, & ſolo iure canonicè petita, & ita non conſtituunt ſpecificam, & ſubſtantialem voti differentiam. Ex qua ſententia colligitur peccata contra votum ſimplex, & ſolemne eſſe eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt, quia ſpecifica differentia actuum deſumitur ex obiecto; at cum idem ſit vtriuſque voti obiectum, ſcilicet, continentiæ, erunt actus eiuſdem ſpeciei. Tamen peccatum contra votum ſolemne, erit grauius ratione perfectionis ſtatus, Hanc ſententiam ſuſtinent Caietan. 2.2. *q.* 88. *art.* 7. *in fine*. Medina *l.* 4. *de contin. controu.* 7. *cap.* 38. Vaſquez 1.2. *q.* 96. *ar.* 4. *diſp.* 165. *cap.* 7. *n.* 73. Sanchez *de matr. l.* 7. *d.* 25. *num.* 6. *& l.* 5. *moral. c.* 1. *n.* 7.

Caiet. Medin. Vaſq.

16. *Secundum*, an ad rationem voti ſolemnis verba exigantur? Reſponſio eſt negatiua, verba ſcilicet non requiri, ſed ſufficere ſigna vocem indicantia, & poteſt nutibus, aut ſcripto fieri profeſſio ſolemnis. Tum quia nullibi reperitur verba eſſe neceſſaria. Tum quia matrimonium carnale ſolis nutibus contrahitur etiam à potentibus loqui, ergo & votum ſolemne, quod eſt quoddam matrimonium ſpirituale, ſolis ſignis emitti poteſt: quamuis ad maiorem voti ſolemnis firmitatem, regulariter verba, teſtes & ſcripturæ illi adiungantur. Ita Azorius *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q.* 1. Fauſtus *in theſau. relig. l* 1. *q.* 7. Sanchez *l.* 6. *moral. c.* 3. *num* 2.

Azor. Fauſtus. Sanch.

17. *Tertium*, an votum ſolemne poſſit fieri per procuratorem? Reſp. affirmatiuè, quia quilibet actus poteſt per procuratorem peragi, niſi ſit à iure expreſsè prohibitus, *cap. poteſt quis, de reg. iur. in* 6. At profeſſio voti ſolemnis nullibi excipitur. Ratio eſt, quia matrimonium, quamuis ſit Sacramentum, & de ſui natura indiſſolubile, etiam hodie poſt Concilium Tridentinum fieri poteſt per procuratorem, vt fatentur omnes, ergo & profeſſio expreſſa fieri poteſt per procuratorem. Deſiderantur tamen quinque conditiones, vt procurator hic validè profiteatur nomine abſentis. *Prima* eſt, vt habeat ſpeciale mandatum ad profeſſionem emittendam. *Secunda*, vt mandatum ad profitendum in religione determinata. *Tertia*, vt procurator per ſeipſum exequatur, nec poterit ſubſtituere, niſi hoc ſpecialiter ſibi committatur. *Quarta*, vt tempore quo procurator profitetur, non ſit reuocata poteſtas. *Quinta*, ne conſtitutio procuratoris ſit metu graui extorta, Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæſtionum reg. q.* 17. *ar.* 13. Nauar. *l.* 3. *conſ. tit. de reg. conſ.* 32. Syluest. *v. Religio* 3. *q.* 15. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 5. *q.* 5. Sanchez *l.* 5. *moral. c.* 3. *n.* 7.

Rodrig. Nauar. Sylu. Azor. Sanch.

18. *Quartum*, an votum pœnale obliget pro ſola prima tranſgreſſione, ad pœnam? Reſp. negatiuè, quia qui abſolutè vouet, ver. gr. ſe non blaſphematurum ſub pæna dandi decem pauperibus, non pro ſola prima vice obligatur; ſed ſemper. Nam pæna cùm ſit acceſſoria illi actui tanquam principali, debet eius naturam ſequi. Deinde cùm vtrumque, votum eſt æquè indeterminatum, vtrumque, aut neutrum debebit obligare pro ſola prima vice. Si tamen pæna eſſet grauiſſima, & quæ iterari non ſolet, vt pæna religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, &c. pro ſola prima tranſgreſſione obligaret, vbi non conſtaret de alia expreſſa vouentis intentione, & ſic piè interpretandum eſſet illud votum. Secus eſſet, quando pœna eſſet mediocris, tunc enim obligaret toties, quoties. Et in dubio, an pæna ſit grauiſſima, exorbitans, vel mediocris, idem eſſet dicendum. Cùm enim id votum obliget ſuapte natura toties, quoties, quando contrarium non apertè ex maxima pænæ grauitate deducitur, poſſidet votum, vt eo modo obliget. Vide Sanchez *lib.* 4. *moral. capit.* 22. *numero* 21.

Sanch.

***

VOTVM II.

De materia voti .

SVMMARIVM.

1 *Qua dicatur materia voti?*

2 *An votum factum de rebus, quæ repugnant conſilio ſit validum?*

3 *An vt aliquid ſit materia voti, debeat eſſe in noſtra poteſtate.*

4 *An votum de non peccando mortaliter, vel venialiter vel de non peccando ſimpliciter, ſit materia apta, & obliget? Et quid dicendum de voto non vouendi, vel non petendi diſpenſationem, &c.*

5 *An validè voueat qui duo vota ſimul emittit impoſſibilia, volens ſe ad vtrumque pro eodem tempore obligare? & quid, ſi materia voti partim eſt bona, & partim indifferens, &c.*

6 *An opus indifferens poſſit eſſe materia voti?*

7 *An teneatur votum implere, qui dubitat an res promiſſa ſit indifferens vel bona?*

8 *An votum rei bonæ factum ob finem indifferentem ſit validum?*

9 *An actio mala poſſit eſſe materia voti? Et quale peccatum ſit vouere peccatum veniale?*

10 *An validum ſit votum de actione bona ſub conditione turpi?*

11 *An actio præcepta eſſe materia voti? Et an Tertiarij S. Franciſci promittentes ſeruare mandata Dei peccent particulari circumſtantia voti in confeſſione explicanda, ſi aliquod præceptum violent?*

1 MAteria voti dicitur, omne id quod poſſumus promittere in Dei cultum, & eſt duplex materia voti. Circa quam vna proxima, & eſt actio aliqua humana, quæ proximè promittitur, vt ieiunium. Altera remota, & eſt id quod attingitur per proximam, vt carnes, & lacticinia ſunt materia remota voti ieiunii, humana corpora ſunt materia voti caſtitatis; dictum eſt autem in definitione voti, quod debeat fieri de bono aliquo meliori, vt explicetur materia voti, quæ non obligat, niſi eius materia bona ſit, & honeſta: particula tamen de meliori, non ita intelligitur, vt id quod vouetur, debeat eſſe optimum, ſed ita intelligitur, vt ſit melius, quam eius oppoſitum; nam materia voti debet eſſe aliquid Deo gratum; id autem eſt Deo gratum quod eſt melius, quàm eius oppoſitum. Filliuc. *tractat.* 26. *c.* 2. *n.* 36. 37. & 58. Tolet. *lib.* 4. *c.* 17. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 2. *nu.* 14. Bonac. *cit.* *p.* 1. *n.* 18. Suar. *lib.* 2. *de voto c.* 7. *n.* 3. Sylu. 2.2. *q.* 88. *ar.* 2. *concl.* 1.

Fill. Tolet. Laym. Bonac. Suar. Sylu.

2. Votum factum de rebus, quæ repugnant conſilio, non eſt validum, niſi aliqua cauſa ſuperueniat, faciens, vt id, quod erat opus conſilii, non ſit amplius opus conſilij; vnde votum de non mutando, de matrimonio ineundo, de non danda eleemoſyna, vel de non ingredienda Religione, regulariter non eſt validum: fieri tamen poteſt, vt aliqua cauſa, vel circumſtantia efficiat; vt illud, quod eſt ex ſe opus conſilii, non ſit amplius opus conſilii, & conſequenter validum ſit votum contra conſilium: hinc qui ſe cognoſcit imbecillem ad reſiſtendum tentationibus carnis, validè votum facit de ineundo matrimonio, cum huic attentis circumſtantiis melius ſit matrimonium, quàm eius omiſſio; ſimiliter validum eſt votum illius, qui ſub conditione vouet, dicens ſi nubam, ducam pauperem, aut meretricem, quia melius eſt in honorem Dei ducere pauperem, vel meretricem, quàm aliam. Item validum eſſet votum de matrimonio ineundo factum ab eo, qui matrimonium ex præcepto tenetur contrahere, vt ob commune bonum, vel pacem alicuius regni; vel quando quis data fide matrimonii cognoſcit virginem, aut fœminam bonæ famæ inſciam illius voti: Leſſius *lib.* 2. *capit.* 46 *dub.* 7 *numer.* 43. Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *diſputat.* 4. & *lib.* 4. *moral. capit.* 8. *numero* 5. 7. Nauarr. *cap.* 12. *numero* 36. Filliucius *c. numer.* 61. 62. Layman *c. numer.* 12. Suarez *l.* 2. *cap.* 9. *num.* 8. Sylvius *c. concl.* 7. Mald. *tract. de voto c.* 5. *dub.* 2.

Leſſius. Sanch. Fill. Suar. Sylu.

3. Vt aliquid ſub votum cadat, ſeu ſit materia voti debet. *Primò*, eſſe in noſtra poteſtate: quia impoſſibilium non eſt obligatio, & ſtultè quis promittit alteri, quod in eius poteſtate non eſt, vt fiat, vel non fiat: vt ſi quis voueat ſe moriturum, aut non moriturum. *Secundo*, vt ſit opus bonum ſecundùm rectam rationem, vtpote quod debet eſſe gratum Deo. *Tertio*, vt huiuſmodi opus non ſit maioris boni impeditiuum, quia omnis promiſſio fit, vt alteri gratificemur, ergo debet eſſe de eo, quod illi eſt gratius. Ex quo colligitur, non quemcumque virtutis actum eſſe legitimam materiam voti, ſed illum ſolùm, qui perfectius bonum continet. Filliucius *citat. numer.* 38. 39. Bonacina *cit. part.* 4. §. 3. *numero* 1. & 2. Sylvius *citat. concluſ.* 6.

Fill. Bonac. Sylu.

4. Votum de non peccando mortaliter, eſt materia apta & obligat, quia eſt de re honeſta, & poſſibili per gratiam abſque ſpeciali priuilegio, non eſt tamen expediens tale votum, & facilè in eo eſt diſpenſandum, quia regulariter loquendo, eſt valde difficile, & poteſt eſſe occaſio, ſpectata fragili hominis conditione, frequentiùs, & grauius peccandi, ideò facilè in eo eſt diſpenſandum. Votum de non peccando venialiter ex plena aduertentia, eſt materia apta, & obligat. Minùs tamen eſt cuique conſulendum, & faciliùs diſpenſandum. Votum verò de non peccando ſimpliciter, nec etiam venialiter ex ſubreptione, eſt materia incapax, & inualidum, ſaltem quoad totum, quia eſt de re moraliter impoſſibili, & quæ per gratiam ordinariam, haberi non poteſt, requiritur enim ſpeciale priuilegium. Suarez *lib.* 3. *c.* 3. Valentia *cit. d.* 6. *q.* 6. *p.* 2. Sanchez *l.* 4. *c.* 5. *num.* 10. Leſſius *cit. n.* 33. Rodriquez *c.* 96. *n.* 5. Azor. 1. *p.* *l.* 11. *c.* 13. *q.* 4.

Suar. Valent. Leſſius Rodrig. Azor.

Votum non vouendi, irritum eſt, quia id votum cum Dei conſilio pugnat; vouere enim eſt conſilij Euangelici, atque religionis actus. Si quis tamen voueat ſe amplius non voturum niſi in ſcriptis, aut coram aliquibus perſonis, aut abſque Confeſſoris conſilio, vel aliis circumſtantiis, validum eſſet votum. Ratio eſt, quia per tale votum non retrahitur quis ab opere conſilij, ſed ſibi cauet, ne illud temerè faciat, quod ad prudentiam, & diuinum conſilium ſpectat. Rodriquez *tom.* 2. *ſumm. Latina, c.* 96. *n.* 13. Syluester *v. votum* 2. *q.* 7. Angelus *v. votum* 3. *numer.* 4. Quod ſi huius voti memor hic non ſeruatis prædictis circumſtantiis voueat, votum eſſet validum, quia eſt de materia licita, & capaci obligationis, vt ſupponitur, & licèt homo malè faciat, factum nihilominus tenet, quia per prius votum non ſe reddidit inhabilem, nec ſe priuauit poteſtate ſe obligandi aliter, licèt ſe obligarit ad id non faciendum. Si autem immemor prioris voti ſic conditionati, poſterius hoc emiſit abſque prædictis conditionibus, tunc votum emiſſum cum prioris obliuione erit irritum, quando vouens in priori caſu expreſſam intentionem habuit, nullo alio voto ſe obligandi in poſterum, niſi illis circumſtantiis adhibitis. Ita Petr. Ledeſma *t.* 2 *ſumm. tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 5. Sanch. *l.* 4. *moral. c.* 8. *n.* 17.

Ledeſm. Sanch.

Votum non petendi diſpenſationem, irritationem, vel commutationem, iuxta probabiliorem ſententiam non eſt validum, & in nullo euentu obligat, quia votum generaliter emiſſum, quod in quibuſdam caſibus aptum eſt, & vtile, in aliis autem eſt ineptum, & inutile. Valeret tamen votum non petendæ diſpenſationis, irritationis, aut commutationis, abſque legitima cauſa; quia in omni euentu melius Dei obſequium eſt, velle quempiam ita ſe voto adſtringere, vt ea obligatione liberari abſque legitima cauſa nequeat. Si autem abſque iuſta cauſa petatur, ea voti irritatio teneret, quamuis petens peccaret, quia vouens, nequit poteſtatem irritandi Superiori competentem euacuare. Nec peccaret Superior irritando, vtpote qui iure ſuo vtitur, nec inferior poſtea vtendo illa; quia votum fuit tantùm de non petendo irritationem, quod ſola petitione violatur, vſus autem cum illo voto

non pugnat. Vide Sanchez *c.n.21. & ſeq.* Sotum *de iuſt. l.8.q.1.ar.9.verſ. Eſt autem.*

Sanch. Suar.

5. Inualidè vouet qui duo vota ſimul emittit impoſſibilia, volens ſe ad vtrumque pro eodem tempore obligare, nam eſt votum rei impoſſibilis: ſecus ſi diuerſo tempore ſint adimplenda, vt dicetur infrà *v.votum III.numero.* 20. Sanchez *l.4.cap.5.num.22.* Azor. *cit. c.* 20. *q.* 5. Quando verò materia voti partim eſt bona, & partim indifferens, partim poſſibilis, & partim impoſſibilis, partim honeſta, & partim turpis, validum eſt votum quoad partem poſſibilem, & honeſtam, quæ ſeparari poteſt à parte indifferenti, impoſſibili & turpi, quia vtile per inutile non vitiatur; quod tamen intelligendum eſt, modò vouens non promiſerit rem bonam, & malam per modum vnius, & non per modum plurium votorum, vel vnum dependenter ab alia; tunc enim ad neutram partem tenetur, ſi alteram adimplere nequeat. Filliucius *cit.num.* 40.41.63. *& ſequent.* Layman *lib.4.tract.4.c.2.num.3.* Suar. *lib.2.c.10.num.2.*

Filliuc. Suar.

9. Opus indifferens, id eſt, quod neque habet rationem honeſti, nec praui, non cadit ſub votum, quia Deo non magis eſt acceptum illud fieri, quàm omitti; votum autem debet eſſe de re magis accepta, quàm eius oppoſita: res tamen indifferens poſſet eſſe materia voti, & votum de ea obligaret, his concurrentibus: *Primò*, vt adſit bonus finis. *Secundò*, vt res indifferens quæ eſt materia voti, conducat, & inſeruiat ad talem bonum finem, alioquin perinde eſſet, ac ſi finis honeſtus non adeſſet. *Tertiò*, vt in voto rei indifferentis ille finis honeſtus intendatur ab ipſo vouente. *Quartò*, vt honeſtus finis, ob quem res indifferens fuit voto promiſſa, nondum ceſſauerit? Nauarr. *cap.12.num.*37. Leſſius *cit.n.*40. Rodriquez 2. *p.c.96 n.6.* Layman *cit.n.8.* Sanch. *lib.4.c.7.* Filliuc. *cit. n.* 49. Sylu. *cit.ar.2.concl.4.*

Leſſius Rodrig. Filliuc. Sylu.

7. Vouens, qui dubitat an res promiſſa ſit indifferens, vel bona, tenetur votum implere, quia poſſeſſio ſtat pro voto, & in dubio ius præſumit pro valore actus; ſi verò vouens habeat opinionem probabilem aſſerentem materiam eſſe indifferentem, poteſt ſequi quam velit opinionem: idem dicendum quando dubitatur, an materia promiſſa ſit poſſibilis, vel impoſſibilis. Secus dicendum eſt, ſi dubitetur an materia voti ſit licita, nam vouens exponeret ſe periculo peccandi, cùm fieri poſſit, vt res mala ſit, nec ſit licitum operari cum ſcientia practicè dubia. Sanchez *cit.c.7.n.21.cap.4.n.19.c.11.num.*34. Quidquid in contrarium doceant Suarez *cit.c.6.* Filliucius *c. num.* 90. Rodriq. *cit.n.7.* Bonac. *cit.p.4.§.2.n.5.* Vide Dian. 4. *p. tr.* 3. *reſ.*13.

Sanch. Suar. Fill. Bonac. Dian.

8. Votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinenda bona temporalia, validum eſt, quia eſt de meliori bono; quàm ſit eius oppoſitum: tamen votum rei licitæ factum ad obtinenda bona temporalia, regulariter loquendo, non obligaret, non obtentis bonis, quia niſi aliter conſtet de voluntate vouentis, votum cenſetur factum, cum hac tacita conditione. Syluest. *v. votum* 1. *q.* 4. Suarez *lib.2.c.5.n* 5. Sanchez *cit.nu.*30. Sotus *l.7 de iuſt.q.1.ar.3.*

Sylu. Suar. Sanch.

9. Actio mala non poteſt eſſe materia voti: vnde ſi de re mala votum fiat, inualidum eſt, quia actio mala non eſt conueniens Deo, vtpote illi iniurioſa, & ideò, nec ab eo acceptatur; per actionem malam intelligitur, tam peccatum mortale quàm veniale. Hinc votum de re aliqua prohibita à Superiore inualidum eſt, nam eſt de materia illicita; votum verò rei licitæ, factum ab eo, cui prohibetur vouere, validum eſt (quamuis vouens peccet vouendo contra præceptum legitimum Superioris) quia materia ipſius eſt licita; item validum eſt votum quo quis amore continentiæ vouit ſe non amplius peccaturum, niſi cum tali fœmina: nam hoc votum non eſt de re mala, ſed bona, & ex fine honeſto cum vouens amore continentię promittat abſtinentiam ab aliis fœminis, quæ licita eſt, D. Thom.2.2.*q.*88.*ar.*5. Nauar. *c.* 12. *num.* 28. Suar. *l.2.de voto c.*4. Filliuc. *cit.n.*48. Sanch. *l.4.mor.c.6.n.6.&* 25. Sylu. *cit. concl.*3.

D. Thom. Suar. Fill. Sylu.

Sed petes, quale peccatum ſit, vouere peccatum veniale? Quidam putant, eſſe tantùm peccatum veniale; quia bonitas, vel malitia alicuius actus deſumitur ex obiecto; ſed obiectum illius voti tantùm eſt peccatum veniale, ergo & qui illud vouet, peccat tantùm venialiter. Nauarr. *in man.c.*12.*n.*33. Tolet. *l.4.c.17.num.*15. Alij docent eſſe peccatum mortale, & meritò quidem, quia ſi is qui ita vouet, ſcit eſſe peccatum, & nihilominus Deo id vouet, grauem ei infert contumeliam, quia quantùm in ſe eſt, deſtruit infinitam Dei bonitatem, quæ non patitur ſecum approbationem alicuius peccati; & eſt peccatum blaſphemiæ, quia dum ſciens, & prudens promittit Deo quod ſcit eſſe peccatum, inſinuat Deo placere tale peccatum, eòque coli, & honorari, atque ex conſequenti Deum non eſſe ſummè bonum. Hinc qui votum de committendo peccatum veniale, implet peccat mortaliter. Ratio eſt, quia idem eſt opere ipſo Deum colere peccatis, & eodem animo per votum ſe obligare ad faciendum peccatum. Poſſet tamen hic excuſari ex ignorantia, vt poſſet contingere in eo, qui voueret ſe mentiturum ob tuendam proximi vitam, id mendacium quaſi Deo acceptum ex ignorantia offerens. Ita Caiet. *in ſum.v.votum.* Leſſius *l.* 2. *c.40.dub.7.n.39.* Armilla *v.votum n.* 1. Sanch. *l.4.moral.c.* 6. *nu.*9. Sylu. 2.2.*q.*88.*ar.2.concl.3.*

Caiet. Leſſius. Armill. Sylu.

10. Votum de actione bona ſub conditione turpi, vt voueo eleemoſynam ſi furabor; validum eſt, quia quod directè promittitur, bonum eſt, nempe eleemoſyna, & ordinatur ad actum bonum, nempe in odium, & vindictam actus mali. Item votum pro bono effectu qui ſequatur ex actu turpi validum eſt, dummodo non ordinetur votum ad actum turpem, quia alias vouens intenderet facere Deum auctorem ſuæ iniquæ actionis, quod non liceret. Nauar. *c.12.num.*30. Suarez *l.1. de voto c.*5. Tolet. *l.* 4. *c.* 17. *num.*16. Præterea votum factum in gratiarum actionem pro actu turpi validum eſt, vt voueo calicem pro victoria in bello iniuſto, quia gratias agere Deo pro effectu iam ſecuto, bonum eſt. Inſuper votum factum ſub conditione turpi, quæ habeat rationem puræ conditionis, non autem cauſæ, vel rationis voti, validum eſt, vt voueo calicem ſi ſuperflua habuero ex meretricio, quia hoc modo conditio turpis non vitiat ipſum votum, ſed tantùm efficit vt qui vouet, nolit obligari abſolutè, ſed tantùm poſt talem euentum. Leſſius *cit.n.*36. Filliuc. *cit.c.2.q.6.* Layman *l. 4.tr.4.cap.2.num.7.* Sanchez *l.4.c.* 6. *num.* 13. Porrò votum ad obtinendum auxilium pro actu turpi, nullum eſt, vt ſi meretrix voueat eleemoſynam, ſi tot nummos lucrata fuerit meretricando, intendens a Deo exaudiri, vt multi ad ipſam accedant, vt hoc lucrum referat: hoc enim votum blaſphemiam continet. Azor. 1. *p.* 1. 11. *cap.*15.*q.*3. Bonac. *cit.p.*4.§.1.*n.*8.

Nauarr. Suar. Tolet.

Leſſius. Fill. Laym. Sanch.

11. Actio præcepta, ſecundùm communiorem, veram & certam ſententiam Doctorum, poteſt eſſe materia voti, & per tale votum nouum vinculum inducitur; *C. ſacrilegij* 17. *q.* 1. Conſequenter violans huiuſmodi votum, nouam culpam committit contra Religionem, & hæc circumſtantia neceſſariò explicanda eſt in confeſſione: & ratio eſt, quia licet actio præcepta ſit etiam aliquo modo neceſſaria, tamen ſimpliciter eſt libera, ergo poteſt eſſe materia voti: poteſt enim obligatio alteri addi obligationi, & res vno titulo debita, deberi etiam ex alio. Poteſt hoc confirmari ex perpetuo vſu Eccleſiæ, vbi non ſolùm vouentur abſtinentia à nuptiis, quæ non eſt præcepta, ſed etiam abſtinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus eſt præcepta. Clauis regia *lib.6.c.3.n.*16. Nauar. *c.*12.*num.*55. Suarez *lib.* 2. *c.* 6.*n.*4. Leſſius *cit.n.*46. Sanchez *l.4.cap.5.n.6.* Filliucius *c. n.*57. Azor. 1.*p.lib.*11.*c.*14.*q.*1. Bonac. *c.*1.*num.*23. Sylu. *cit. concl.* 2. Quidquid in contrarium doceant aliqui improbabiliter apud Sanchez.

Clau. reg. Nauar. Suar. Leſſius. Fill. Bonac. Sylu.

Sed petes an Tertiarij Sancti Franciſci promittentes ſeruare mandata Dei peccent particulari circumſtantia voti in confeſſione explicanda, ita vt ſit duplex peccatum, ſi violent aliquod præceptum Decalogi? Reſpondet Laurentius Portel. *de dub.regul. verb. Tertiarij, num.*5. Negatiuè. Ratio eſt, quia illud votum, non eſt votum propriè, vel votum ſpeciale, ſed eſt votum analogicè non inducens particularem obligationem peccati, etiam venialis. Explicatur hoc iuxta illud multi Patres

dixerunt, nos in Baptiſmo promittere, & vouere ſeruaturos eſſe mandata Dei. Tale enim votum in Baptiſmo non eſt votum propriè, ſeu ſpeciale, neque inducit obligationem aliquam peccati ratione voti etiam venialis, ſed ſolùm habet vim directiuam. Ita reſponſum fuit Conimbricæ anno 1608. per ſex Doctores lectores, inter quos fuit vous Pater Suarez, qui bene addit peccatum v. g: furti factum a profeſſo Tertiatic, habere cæteris paribus maiorem grauitatem intra eandem ſpeciem, non quod ſit diuerſum ſpecie ratione voti. Et quando tales profeſſores vouent, intendunt ſe obligare eo modo quo Summi Pontifices explic arunt illam regulam, uidelicet quod non teneantur ratione regulæ ad ullum peccatum. Hæc Portel. Cuius ſententia communiter eſt uere, ſi profitentes maiorem ſibi obligation.m imponere ſpecialiter non intendant.

VOTVM III.

De voti obligatione.

SVMMARIVM.

1 *An bonum ſit vouere Deo? an vota ſint adimplenda? & an melius ſit aliquid facere ex voto, quàm ſine voto?*
2 *An ex voto oriatur obligatio in conſcientia?*
3 *An violatio voti ſit peccatum mortale ex genere, & quando ſit veniale?*
An tranſgreſſio omnium votorum ſit eiuſdem ſpeciei infima?
An qui ex voto tenetur ieiunare, toties peccet, quoties carnes comedit? Refertur duplex ſententia,
An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, vel bibere vinum, toties peccet, quoties comedit, vel bibit?
An tempore infirmitatis ſeu morbi poſſit talis veſci carnibus?
An qui pluries idem votum repetit, nouam obligationem contrahat?
An violans votum, vnum ſpeciale peccatum committat?
4 *An votum factum in materia graui ſemper obliget ad mortale?*
5 *An votum in materia leui poſſit obligare ad mortale?*
6 *An dubius de voto teneatur ad illud ſeruandum?*
7 *An peccet mortaliter ille, quem panitet vouiſſe?*
8 *An qui vouit aliquid minutum ſingulis diebus faciendum, peccet mortaliter etiamſi per plures dies omittat? Quando votum ſit perſoluendum?*
An vouens aliquid faciendum determinato die, nec ea implens, teneatur ea tranſacta? Et quid quando dubium eſt, an votum ſit intuitu temporis?
9 *A quibus teneatur abſtinere habens votum caſtitatis?*
10 *An nubendo peccet, qui votum habet non nubendi? & an poſſit petere, & reddere debitum poſt contractum matrimonium?*
11 *An votum non fornicandi æquiualeat voto non nubendi? & quid dicendum de voto non cognoſcenda fœmina?*
12 *An qui certam aliquam Religionem vouit ingredi, teneatur ingredi dum in ea non ſeruatur regula?*
13 *Ad quid teneatur qui Religionem indeterminatè in genere vouit.*
14 *An qui alicuius determinatæ Religionis inſtitutum, ſeu profeſſionem vouit, & ad illam non fuit admiſſus teneatur aliam tentare?*
15 *An ex vi voti teneatur ad caſtitatem, qui vouit Religionem ingredi, aut in ea profiteri, ſi ad Religionis ingreſſum, vel ad profeſſionem non fuit admiſſus?*
16 *An qui eiectus fuit à Religione poſt profeſſionem teneatur aliam Religionem ingredi, vel inquirere, ſi antequam ingrederetur, vel profiteretur, Religionem in genere vouerat?*
17 *Quæ ſit obligatio voti perſonalis & realis?*
18 *An votum perſonale, & reale poſſit per alium adimpleri? vbi ſoluuntur multi caſus.*
19 *An votum adimplendum ſit ſecundum eas circumſtantias, quas vouens vouit, & ad quas ſe intendit obligare.*
20 *Ad quid teneatur, qui duo vota incompoſſibilia emiſit.*

1 CErta fide tenendum eſt contra hæreticos votum per ſe, opus bonum eſſe, & laudabile, atque adeò meritorium, ſi fiat ab eo, qui fit in Dei gratia: vt probatur ex ſcripturis, quæ vota commendant, & ad ea emittenda, & implenda hortantur, & fideles in illis adimplendis laudant, & contra infideles deteſtantur. Ratio autem ex D. Thoma, bonum & vtile eſt homini firmare immobiliter propriam voluntatem ad aliquid faciendum, quod cedat in magnam vtilitatem ipſius, ſed hoc fit per votum, quo confirmamur ad aliquid Deo reddendum, non in vtilitatem Dei, ſed noſtram; promiſſio enim, & donatio facta Deo, & homini in hoc differunt, quòd hæc reſpiciat vtilitatem hominis cui fit, illa verò (quia Deus nulla re indiget) tota redundat in vtilitatem eius; qui promittit, & donat. Vnde D. Auguſt. *Benignus, inquit, exactor eſt, & non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores.* Vnde votum adeò eſt bonum opus virtutis religionis vt etiam facere aliquid ex voto ſit melius, & magis meritorium, quam idem facere ſine voto: quia actus imperatus à perfectiori virtute, cæteris paribus, eſt magis meritorius, ſed executio operis ex voto, imperatur à virtute religionis, quæ eſt perfectior aliis; ergo, cæteris paribus, eſt melior. Nec obſtat, quòd in opere ſine voto ſit maior libertas, quare etiam maius meritum; dicendum eſt eſſe æqualem libertatem, ſi accipiatur pro indifferentia operandi; ſi verò ſumatur pro obligatione, ſic eſt maior in opere ex voto, ſed obligatio non tollit perfectam indifferentiam, imò dat occaſionem noui vſus libertatis. Vide D. Thomam 2.2.q.88.*art.*4. & 6. & *in opuſc.*17.*cap.*11. & *opuſc.*18.*c.*12. Suar. *l.*1.*de voto, cap.*17 *num.* 3. Laym. *lib.* 4.*tract.*4.*c.*4.*num.*1. Filliucium *tract.*26.*num.*33. Syluium 2.2. q.88.*art.*6. Leſſium *lib.*2.*c.*20.*dub.*8. Maior *in* 4.*diſt.* 38.*quæſt.*4.

D. Thom. Suar. Laym. Filliuc. Leſſius

2. Certum eſt etiam inter Catholicos ex voto oriri obligationem in conſcientia; atque ita votum obligare ſub peccato, quia inter homines promiſſio bona fide facta obligat, ergo multo magis ſi fiat Deo; & hæc obligatio partim eſt fidelitatis, ſeu virtutis, ad quem pertinet implere promiſſiones, partim iuſtitiæ, quia fidelitas ad Deum eſt religio. Religio autem eſt quædam iuſtitia erga Deum. D. Thomas *cit. art.*3. & Syluius *ib.* Suarez *l.*4.*c.*1. Filliuc. *cit. c.*3.*q.*1. Bonac. *p.*5.§.4.*n.*2.

D. Thom. Sylu. Filliuc. Bonac.

3. Violare votum, peccatum eſt mortale ex genere ſuo, *c. licet de voto*, quia eſt contra reuerentiam Deo debitam, & contemptum Dei continere videtur: fieri tamen poteſt vt ex paruitate materiæ, vel defectu animaduerſionis ſit veniale, ſicut in cæteris peccatorum generibus accidit. Caietanus tamen, & Angelus exiſtimant ſemper eſſe mortale, quando id quod omittitur, eſt tota materia voti, vel iuramenti, hæc ſententia quamuis ſit probabilis, contrarium tamen eſt probabilius, quia inter ea, quæ homini debentur ex iuſtitia, datur materia magna, & parua, cur non etiam inter ea, quæ debita Deo? ita tenent plerique recentiores hoc tempore. Nauar. *c.*22.*n.*40. Clauis regia *lib.*6. *capu.* 6. *numero* 4. Reginaldus *lib.* 18. *numero* 237. Syluius 2.2.*quæſt.*88.*articul.*3.*quæſt.*1. Layman *lib.* 4.*tract.*4.*c.*3 *num.*2. Sanchez *lib.*4.*moral.cap.*12. *num.* 5. & alii hic citati.

Nauar. Clau. reg. Reginald. Sylu. Layman. Sanch.

Sed difficultas eſt, prima an tranſgreſſio omnium votorum ſit eiuſdem ſpeciei infimæ? Reſp. affirmatiuè, nec aliquo pacto variari ex diuerſitate materiæ promiſſæ, quando ea alio præcepto præter votum nō eſt iniuncta: at poteſt intra eandem ſpeciem eſſe grauior, aut minus grauis cul-

Digitized by Google

uis culpa, iuxta maiorem aut minorem materiæ grauitatem. Ratio eſt, quia omnia vota, in quacumque materia emiſſa, eandem oppoſitionem habent, & ſub vnica ratione cum ſola religionia virtute, tranſgreſſio omnium illorum erit eiuſdem ſpeciei infimæ; & in hoc differunt materia voti, & præcepti, quia materia illa legis ex eo ipſo quod à legislatore præcipitur, redditur neceſſaria ad illius virtutis rectitudinem, & obligat tunc ex illius rectitudine. Quare tranſgreſſio illius legis opponeretur illi virtuti, ac proinde variabitur ſpecies peccati tranſgreſſionis, iuxta diuerſitatem virtutem, ad quas illa legis materia ſpectat. At materia voto promiſſa, etſi actus alicuius virtutis ſit, ſecluſa tamen ſpeciali vouentis intentione, quà ad illam virtutem ſe obligaret, non obligat ex illius virtutis præcepto, ſed ex ſolius religionis præcepto, cuius actus eſt votum. Ita ex Caietano, Soto, Rodriq, Thomas Sanchez *lib.4.moral.c.*11.*n.*23.

Hinc infertur, quòd iurans vel vouens ſe quodcumque peccati genus vitaturum, eaque peccata poſt commiſſa confitens, oblitus autem circumſtantiæ voti, vel iuramenti, ſatis poſtea fatetur dicendo ſe toties fregiſſe votum, vel iuramentum materiæ grauis, nec oportet materiam illam explicare, quia malitia prioris peccati eſt plenè intra propriam ſpeciem detecta in confeſſione: malitia autem fractionis voti, vel iuramenti, eſt in quacumque materia eiuſdem ſpeciei. Cùm ergo hæc ſola fatenda ſuperſit, ſatis erit illam tacita materia explicare, vt poſt Nauarrum, & alios diximus ſuprà *v.Circumſtantia,n.*14.§.5.

Secunda, an qui ex voto tenetur ieiunare, toties peccet, quoties carnes comedit? Videtur quòd ſic, quia etiamſi teneatur abſtinere, ratione ieiunij, quod vouit, adhuc abſtinentia à carnibus incluſa eſt in voto ieiunij per modum abſolutæ negationis; vnde obligat ad ſemper pro toto illo tempore, pro quo durat votum ad modum præcepti negatiui Ita Azorius *tom.*1.*l.*11.*c.*20.*q.*6. Suarez *tom.*2. *de relig.lib.*4.*cap.*7.*num.*12. probabiliter. At ſolùm peccare prima vice quando carnes comedit, docent Fauſtus *lib.*1. *theſaur.relig.q.*140. Diana *p.*3.*tract.*9.*reſ.*37.& 45. Laym. *lib* 4.*tract.*4.*c.*3.*n.*3. Sanch.*cit.c.*11.*n.*42. Ghilin.*in ſumm. v.ieiunium,n.*37.& alij,& meritò. Ratio eſt, quia non tenetur, qui vouit ieiunare, abſtinere à carnibus per ſe primò, ſed tantùm ratione ieiunij, quod ſecum trahit vt neceſſariam abſtinentiam à carnibus; vnde ieiunium ſe habet vt principale, abſtinentia autem à carnibus, vt quid ſecundarium, & incluſum in ieiunio, vt pars illius. Hinc ceſſante obligatione ieiunij, ceſſat etiam obligatio abſtinentiæ à carnibus, cùm ſe habeat tantùm conſecutiuè ad ieiunium. Nec obſtat, quòd abſtinentia à carnibus ſit incluſa in voto per modum abſolutæ negationis, quia non eſt incluſa in voto, ratione ſui, vt per ſe primò intenta, ſed ratione alterius, nempe ratione ieiunij, atque adeò in tantum volita, in quantum eſt volitum ieiunium, & ideo ceſſante obligatione ieiunij, ceſſat etiam obligatio talis abſtinentiæ.

Azor. Suar.

Diana. Laym. Sanch.

Tertia. Quid dicendum de illo, qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, vel bibere vinum, an toties peccet, quoties comedit, vel bibit? Communis eſt ſententia affirmatiua, tum quia votum obligat inſtar legis Eccleſiaſticæ; hæc autem eſu aliquo interdicens violatur, quoties ſiue eodem die, ſiue diuerſis editur. Tum quia abſtinentia à carnibus, vel vino eſt per ſe primò intenta à vouente, atque adeò aliquid negatiuum, quod diuiſibiliter ſe habet, ſicut ſe habet præceptum negatiuum; vnde ſemper obligat pro toto tempore, pro quo durat votum, præſertim quia obligat ſicut præceptum negatiuum; & ideo tot ſunt peccata, quot ſunt comeſtiones, vel bibitiones in notabili quantitate. Ita Nauar. *in man.c.*12.*n.*53. Sylu.*v.votum,*2.*q.*20. Sanch.*lib.*4.*mor.c.*11.*num.*41. Layman *lib.*4. *tract.*4.*c.*3.*n.*3.& alij. Contra Paludanum, D.Antonium, Tabienam, qui volunt votum non comedendi carnes pro aliqua die ſemel fractum non amplius obligare, quia eſt de illa priuatione pro die illo, quæ ſi ſemel deſtruatur per vnicum actum, non poteſt amplius obſeruari. Hæc ſententia admittitur ab aliquibus vt probabilis. Vide Paſqualig.*in praxi ieiunij Eccleſ.deciſ.*66.

Nauar. Sylu. Laym.

Certum eſt tamen hunc vouentem non comedere carnes tali die, poſse veſci carnibus non obſtante voto, quando Medicus iudicat id eſse neceſſarium pro remedio morbi. Tum quia tale votum non præſumitur factum in damnum ſanitatis. Tum quia votum obligat, ſicut obligat præceptum Eccleſiæ, præceptum autem non obligat tempore infirmitatis. Ita Sanchez *cit.num.*57. Eſt tamen aduertendum, quod ſi votum obligaret ſpeciali modo ad abſtinentiam ab aliquo genere carnium, quia nimirum adfuit ſpeciale motiuum vouendi talem abſtinentiam, tunc niſi tales carnes ſint neceſſariæ, non ceſſat obligatio. Nam votum tunc eſt virtualiter multiplex, nempe de abſtinentia à talibus carnibus, & ideo poteſt obligatio ceſſare in ordine ad vnum, & non in ordine ad aliud.

Quarta. An qui pluries idem votum repetit, & confirmat, multiplicem obligationem contrahat? Negatiuè eſt reſpondendum: vnde conſequenter qui votum centies, ac millies confirmatum negligit, vnum ſolum peccatum committit, cùm omne vinculum, quod per tale votum induci poteſt, iam priori voto ſit inductum, ſicut qui multa conficit inſtrumenta eiuſdem obligationis, non plus adſtringitur, quàm vnico confecto inſtrumento. Et eadem ratione idem dicendum eſt de iuramentis multiplicatis circa eandem rem; hinc qui in duabus Religionibus Regularium bis votum ſolemne emiſit continentiæ, quamuis grauius peccet, incontinenter viuendo, vnum tamen ſolum peccatum committit. Ita Rodriquez *tom.* 2. *Summ. Latin.cap.*96.*concl.*9. Sanchez *de matrim.lib.*7. *diſp.*27.*n.*25.& *l.*1.*moral.cap.*14 *num.*10. Medina 1.2.*q.* 72.*ar.*6.& alii.

Rodrig. Sanch. Medin.

Quinta; An violans votum, vnum ſpeciale peccatum committat? Quidam putant, hunc duo ſpecialia peccata committere, quia contra duas virtutes peccat, nimirum contra fidelitatem, & contra Religionem. Dicendum tamen eſt, quòd qui votum de opere ſuperogationis, ſcilicet ieiunii non poſiti ſub præceptu frangit, vnum ſpeciale peccatum committit, quia vnius ſpecialis virtutis rectitudinem, v.g. religionis infringit. Ita Caietanus 2.2.*qu.*88. *art.*5. Valentia 2.2.*diſp.*6.*q.*5.*punct.*4. Qui autem votum de opere poſito ſub præcepto, ſcilicet de non fornicando, occidendo, &c. violat, duplex ſpeciale peccatum committit, vnum contra præceptum de non fornicando; alterum contra votum, quæ ambo neceſſariò ſunt in confeſſione Sacramentali explicanda. Ita Nauar. *in man.c.*12.*nu.*34. Arrag. 2.2.*q.*88.*ar.*5.

Caiet. Valentia.

Nauar. Arrag.

4. Quando votum in materia graui fit ſimpliciter, & abſolutè, ſemper obligat ad mortale, quia tunc obligatio ſequitur iuxta exigentiam materiæ. Si autem votum fiat reſtrictè hoc modo cum intentione, ſcilicet expreſſa, non ſe obligandi ſub mortali, ſed tantùm veniali, probabile eſt non manere obligatum niſi ad veniale, quia votum eſt lex priuata, at lex humana etiam in materia graui poteſt non obligare ad mortale, ſed tantùm ad veniale, ex intentione legislatoris. Nauar.*c.*12.*n.*40. Suarez *l.*4.*c.*4.n.4. Sanch. *de matr.l.*1.*d.*9.*n.*6. Diana *tract.*6.*reſ.*91.*p.*3. Bonacina *cit.p.*5.§.4.*n.*7. Contra Vaſq. 1.2.*d.*158.*num.*32.& Sotum *l.*7.*q.*2.*art.*1.

Nauar. Diana. Bonac. Vaſq. Sotus.

5. Votum in materia leui non poteſt obligare ad mortale, etiamſi vouens habuerit intentionem obligandi ſe ſub mortali: nam materia leuis non videtur capax tantæ obligationis, & talis promiſſio ſtulta eſſet, & irrationabilis. Ideoque non acceptaretur à Deo tanquam impertinens ad diuinum cultum. Si tamen referatur materia leuis ad finem grauem, tunc poſſet obligare etiam grauiter ex intentione vouentis, quia hoc ipſo euadit materia grauis. Sanchez *lib.*1.*moral.c.*4.*num.*4.& *lib.*4.*c.*12. Suarez *l.*4.*c.* 4.*n.*20. Filliuc. *cit.n.*83.& 84. Diana *tr.*6.*p.*3. *reſ.* 24.& *p.* 5.*tr.*5.*reſ.*36.37.50. Materia autem voti cognoſcitur ſufficiens ad peccatum mortale, vel ad veniale tantùm ex duplici capite. *Primò*, ex magno aut exiguo honore, qui redundat in Deum ex adimpletione voti. *Secundò*, ex comparatione ad legem, & ad alia præcepta: nam ſi illa materia præciperetur a lege, & ſufficeret ad mortale, cenſeretur etiam materia grauis reſpectu voti. Bonac. *cit. p.* 3.§.4.*n.* 5. Sanchez *cit.num.*12.& 14. Crouſers *ad c.* 7. *regulæ S. Franciſci lect.*14.

Sanch. Suar. Fill. Dian.

6. Dubius de voto ante diligentiam adhibitam tenetur

ad

ad illum ſeruandum; quia alioqui ſic operans ſe exponeret periculo errandi, ideòque temerè ageret: poſt moralem autem diligentiam adhibitam, non tenetur illud ſeruare, quia hoc eſt dubium iuris, id eſt, voti, quod eſt lex quædam priuata: in dubio autem iuris melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem: vnde infertur illum, qui dubitat, an vouerit mille, vel tantùm quinquaginta, teneri ſolùm ad quinquaginta. Sanchez *de matrimon. l. 1. d. 9. numer.* 11. Suarez *l. 4. c. 5. num.* 4. Reginaldus *l. 18. num.* 276. Rodriq. 2. *p. cap.* 101. *n.* 5. Diana *tr. 6. miſcell. reſol.* 50. *p.* 3. & 4. *p. tr.* 3. *reſ.* 10.

Sanch. Suar. Reginald. Dian.

7. Non peccat mortaliter ille, quem pœnitet vouiſſe, modò non habeat intentionem omittendi rem promiſſam, vel non adimplendi votum, quia ſicut non eſt peccatum mortale nolle vouere in futurum, ita neque eſt peccatum mortale nolle vouiſſe: ſi tamen haberet intentionem non adimplendi votum in re graui, peccaret mortaliter; ſicut etiam peccat mortaliter, qui dolet de opere graui, quod ex voto fecit, habet enim affectum ad peccatum, id eſt, ad tranſgreſſionem voti, quod ſeruare ſub mortali tenetur; nam tranſgreſſio, & propoſitum eius eandem habent malitiam. Clau. regia *l. 6. c. 6. n.* 13. Reginald. *l. 18. n.* 239. Laym. *l. 4. tr. 4. c. 4. n.* 3. Filliuc. *tra. 26. nu.* 214. Nauar. *c. 12. n.* 54.

Clau. reg. Regin. Laym. Fill. Valentia.

8. Qui vouit aliquid minutum ſingulis diebus faciendum, v. g. ſingulis diebus Sabbathi dicere, *Salue regina*, non peccabit mortaliter, etiamſi per plures dies omittat, ſi ita intendat ſe obligare in ſingulos dies, vt obligatio ſit diei affixa, & vna cum die expiret, ſed erunt tot peccata venialia, quot omiſſiones; quia cùm obligatio non continuetur ſed euaneſcat quotidie, non accumulantur quoque obiecta parua ad conſtituendum votum magnum, ſed manent diuiſa: Si autem, ita ſe quis obliget in ſingulos dies, vt obligatio ſit diei affixa nec expiret cum die, ſed continuetur erit peccatum mortale complures dies omittere. Sotus *lib. 7. de iuſtitia, q. 2. art. 1. dub.* 2. Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 9. n.* 60. Diana *tract. 5. miſc. reſ. 14. p.* 3. Tannerus 2. 2. *diſp. 5. dub. 3. n.* 38. Caramuel *in reg. S. Benedicti diſp. 7. n.* 96. & alij.

Sotus. Leſſius. Diana. Tannerus.

Hinc quæres, quando votum ſit perſoluendum? Reſp. quòd ſi animus vouentis fuit ſe voto ad ſtatim exequendum obligare, tenetur ſtatim, id eſt pro prima opportunitate congrua illud executioni mandare. Si verò ad certum tempus, eo expleto, ſtatim debet illud implere, ſi commodè poſſit, quia cùm voti obligatio ex vouentis intentione dependeat, eo ipſo quòd intendit votum ſtatim, aut intra certum tempus adimplere, contrafaciendo peccat, niſi aliqua de cauſa excuſetur. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Syluu. *ibid. quæſit.* 2. Nauar. *in manual. c. 12. num.* 41. & alij communiter.

D. Thom. Syluu. Nauar.

Dubium tamen eſt, de eo, qui vouit, & tempus adimplendi votum non definiuit, nec deprehendere poteſt, ad quod tempus voluerit ſe obligare? Quidam cenſent tempus illius voti exequendi præfiniendum eſſe iuxta conſcientiæ vouentis remorſum, ita vt tunc teneatur implere, quando conſcientia remordens præſcribit implendum. Ita Caietanus 2. 2. *q. 88. art.* 3. & *in Sum. v. votum c.* 4. Nauar. *cit. num.* 41. Sed fallax, & valde incerta eſt hæc regula, vtpotè pro timoratis eſt nimis ſcrupuloſa, pro alijs verò nimis laxa: quare dicendum eſt, hunc teneri ſuum votum obſeruare, cùm primùm iudicio prudentis commodè poterit. Hæc autem voti adimplendi commoditas, non eſt intelligenda metaphyſice, ſed moraliter reſpectu vouentis, quia multa tempora ſunt in ſe commoda, quæ tamen ſecundùm vouentis morem non reputantur commoda, & ipſe cenſetur ſe obligare tempore commodo ſecundùm morem ſuum: Hinc, qui nullo præfinito tempore vouit, poteſt ſuum votum differre vſque ad illud tempus, in quo ſperat commodiùs, quietiùs, aut deuotiùs illud impleturum, quia moraliter ea cenſetur commoditas implendi. Ita Syluius *cit. quæſit.* 2. Sylu. *v. votum* 2. *q.* 2. Arrag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Angles *in flor. 2. p. q. vnic. de voto, art. 2. diffic.* 12.

Caiet. Nauar.

Sylu. Syluest. Angl.

Aliud dubium ex dictis oritur, an vouens aliquid determinatâ die faciendum, nec ea implens, teneatur ea tranſacta? Pro ſolutione dico *Primo*, quòd ſi is qui vouit præcipuè rationem habuit ad temporis deuotionem, vt ieiunare in die Sabbathi propter deuotionem ad B. Virginem; tunc ſi tali die præfixa non ieiunet, ea tranſacta, quamuis vouens peccet mortaliter, non tenetur alijs diebus ieiunare; quia tale ieiunium eſt onus illius temporis, & tempus eſt intrinſeca rei per illum votum promiſſæ circumſtantia, atque per modum vnius vtrumque ſub voto includitur, cùm ergo eo tranſacto ſit impoſſibile rem promiſſam, cum ea circumſtantia implere, extinguetur prorſus voti obligatio.

Dico *Secundo*, quòd quando non temporis intuitu & deuotione, ſed adijcitur tempus vt executionis voti terminus, intra quem implendum eſt, nec vltra differre liceat, peccatur quoque mortaliter tunc non implendo, at manet obligatio voti, quia tunc circumſtantia temporis non vouetur per modum vnius cum re promiſſa, ſed virtute ſunt duo vota. Ita Caietanus 2. 2. *q. 88. art.* 12. Nauar. *c. 12. n.* 54. Rodriq. *tom. 2. ſum. c. 101. n.* 14. & 15. Fauſtus *in theſaur. relig. lib. 1. c.* 260.

Caiet. Rodrig. Fauſtus.

In dubio autem, an tempus ſit aſſignatum præcipuè ob eius deuotionem, an potiùs vt determinatiuum executionis ipſius voti cenſendum eſt tempus hoc poſteriori modo eſſe præfixum, & ideò obligare votum, eo tempore tranſacto, quia obligatio voti eſt certa, ac proinde eſt in poſſeſſione, excuſatio autem vouentis eſt dubia, vt docent Sanchez *lib. 4 mor. c. 14. n.* 38. Azor. *lib. 11. tom. 1. c. 15. q.* 2. & alij.

Sanch. Azor.

9. Habens votum caſtitatis, non ſolùm tenetur abſtinere ab illicitis actibus venereis internis vel externis, verùm etiam à contractu matrimonij, & actibus matrimonialibus; vnde ſecundùm probabiliorem ſententiam peccat mortaliter. *Primo*, contrahendo matrimonium, licet hoc faciat animo ingrediendæ Religionis, ante conſummationem matrimonii; à fortiori mortaliter peccat fornicando, aut alteri delectationi venereæ conſentiendo. *Secundo*, peccat contrahendo, diſſoluto primo matrimonio, aut petendo debitum, aut ineundo ſponſalia ante obtentam voti diſpenſationem, aut conſummando matrimon. caſtitas enim ſecundùm ſe importat negationem omnis venereæ voluptatis voluntariæ, quamquam tenetur reddere coniugi petenti, vt ait Diana *de Sacr. reſ.* 296. *p.* 3. Vide Sanchez *lib. 4. c. 21. num.* 8. Clauem regiam *lib. 6. c. 7. num.* 5. Dianam *de ſacr. reſ.* 281. *p.* 3. Toletum *lib. 4. c.* 17. Nauarrum *c. 11. n.* 39. Layman *lib. 4. tract. 5. c.* 8. Syluium *in ſuppl. q. 54. art. 1. concl.* 2. & 3.

Diana. Clau. Reg. Tolet. Nauar. Laym. Sylu.

10. Peccat nubendo, qui votum habet non nubendi, facit enim contra votum; contracto tamen matrimonio poteſt petere, & reddere debitum, quia votum non nubendi non æquiualet voto caſtitatis, ſed ſolùm importat negationem ſtatus matrimonialis: quæ negatio cùm ſit facta impoſſibilis per matrimonium iam contractum, ſequitur obſtrictum eo voto poſſe licitè petere, & reddere. Imo talis, non peccat fornicando, aliud enim eſt votum non nubendi, & aliud votum non fornicandi; peccabit tamen ſi ſemel diſſoluto matrimonio de nouo contrahat, quia cùm abſolutè vouerit non nubere, poſſet hoc votum adhuc obſeruare. Clauis regia *cit. num.* 8. Nauar. *c. 12. nu.* 43. Rodriquez 2. *p. c. 98. n.* 2. Bonacina *cit. part. 5. §. 5. nu.* 6. & alii.

Clau. reg. Nauar. Rodrig. Bonac.

11. Votum non fornicandi, non æquiualet voto non nubendi, & habens votum non fornicandi, non tenetur ex vi voti abſtinere ab actu licito coniugali, quia votum explicandum eſt iuxta communem intelligentiam, niſi aliter conſtet de intentione vouentis. Sanchez *lib. 4. mor. c. 21. num.* 27. Sed quid dicendum de voto non cognoſcendæ fœminæ, quando vouens interrogatus diſcernere non nouit ſuam mentem, an intellexerit de omni prorſus concubitu, ſiue licito, ſiue illicito? Reſp. quod hoc inueſtigandum eſt ex vouentis motiuo: ſi enim id fuit, eo quod fornicationibus deditus erat, vel quia ex fornicatione aliquod damnum incurrit, id votum de ſolo concubitu illicito accipiendum erit: ac proinde huic licitum erit ad nuptias tranſire, & eis omnino vti. Si verò ex ſpeciali caſtitatis, & abſtinentiæ à concubitu muliebri affectu ductus eſt, accipiendum erit votum de vtroque concubitu. At non erit votum caſtitatis; quia peccando contra naturam

actu

actu conſummato, vel pollutione voluntaria abſque deſiderio concubitus fœminei, & abſque moroſa in illum delectatione, non peccaretur contra id votum. Cùm tamen peccaretur contra votum caſtitatis, quod omnia venerea excludit.

12. Qui certam aliquam Religionem vouit ingredi, licèt non teneatur ingredi dum in ea non ſeruatur regula, quoad ſubſtantialia, tunc enim magnum eſt peruerſionis periculum; tenetur tamen ingredi dum in ea Religione viget regularis obſeruantia; quamquam poterit aliam præſtantiorem, & arctiorem ingredi, ſi voluerit, quia votum non eſt impeditiuum maioris boni. Nauar. c. 12. n. 46. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 5. Regin. cit. n. 380.

Nauar. Laym. Reginald.

13. Qui Religionem indeterminatè in genere vouit, hic ſi non admittatur in vno ordine, debet tentare alium, idque ad tres vel quatuor prout expreſsè vel tacitè intendit. Leſsius lib. 2. c. 41. n. 43. Sylu. v. relig. 2. q. 16. Non tamen ſatisfaceret voto, aſsumendo quemlibet iſtorum religioſum: vt aſſumendo habitum Equitum S. Iacobi, vel S. Ioannis, quia quamuis iſti ſint vere religioſi, vouentes tamen communiter non intendunt hunc habitum aſsumere, ſed vouere conſueuerunt ſtatum illius Religionis, in qua viuitur in communi longè à tumultibus, & curis ſæcularibus. Sanch. lib. 4. c. 16. n. 11. Laym. cit. tract. 5. c. 6. n. 2. Licèt contrarium doceant probabiliter Molina tom. 1. d. 141. Azorius lib. 13. c. 3. q. 2. Rodriq. c. 98. n. 8. & alij cum Diana tract. 2. miſcell. reſ. 36. p. 2.

Molin. Azor. Rodrig. Dian.

14. Qui alicuius determinatæ Religionis inſtitutum, ſeu profeſsionem vouit, & ad illam non fuit admiſſus, non tenetur aliam tentare, ſed abſolutè ceſsat votum; modò non ſtet per ipſum vouentem, ne recipiatur, & modò paſsus ſit repulſam ſimpliciter, & non tantùm ad determinatum tempus, ab ijs, ad quos pertinet admiſsio; nam ſi paſsus ſit repulſam tantum ad tempus, tenetur elapſo eo tempore ingredi volentibus Religioſis ipſum admittere, & tenetur ad illud vſque tempus expectare, vt recipiatur. Idem dic ſi repulſam tulit ob aliquam cauſam temporalem. Reginaldus lib. 18. num. 379. 380. Nauar. c. 12. num. 46. Sanchez lib. 4. cap. 16. num. 52. Rodriquez cap. 98. num. 4. & 5.

Regin. Nauar. Sanch. Rodrig.

15. Qui vouit religionem ingredi, aut in ea profiteri, ſed ad Religionis ingreſſum, vel ad profeſſionem non fuit admiſſus, vel fuit eiectus, non tenetur ex vi voti ad ſeruandam caſtitatem, (niſi principaliter vouerit caſtitatem, & religionem) neque ad alia religionis onera. Clauis regia lib. 6. c. 9. num. 23. Nauar. cit. num. 47. Suarez lib. 4. c. 7. num. 15. Sanchez cit. c. 16. num. 11. Layman cit. tract. 4. c. 6. num. 2. vnde qui vouit Religionem, & ad illam in perpetuum non admittitur, poteſt in ſæculo manens matrimonium inire, vt ait Sylu. 2. 2. q. 88. art. 3. quæſt. 4.

Clau. reg. Suar. Sanch. Laym.

16. Qui religionem in genere vouit antequam ingrederetur, vel profiteretur, non tenetur aliam Religionem ingredi, vel inquirere, poſtquam eiectus fuit à Religione iam facta profeſſione, quia omne votum ſimplex per ſolemne votum Religionis irritatur, vel ſaltem commutatur in onera Religionis, niſi vouens contrarium expreſsè intendat; vnde qui vouet ſtrictiorem Religionem, licèt grauiter peccet ingrediendo laxiorem, tamen facta profeſſione in laxiori, non tenetur ſtrictiorem adire, quia per votum ſolemne derogatum eſt voto ſimplici. Regin. cit. num. 382. Azorius lib. 11. c. 22. quæſt. 12. Leſſius cit. cap. 40. num. 106. Sanchez lib. 4. c. 16. num. 16. c. penult. de regular. in 6.

Regin. Azor. Leſſius. Sanch.

17. Votum perſonale, non obligat, niſi perſonam vouentis; tale eſt votum ieiunij, peregrinationis, ingrediendæ Religionis, & ſimilia; & ratio eſt, quia hæc vota ſolum ſunt de actionibus perſonalibus, quæ à ſola perſona vouentis ſunt exequendæ: vnde votum parentum vouentium ſeu offerentium infantes religioni, non obligat infantes, niſi infantes illud ratificauerint, ſeu approbauerint, quia in iis quæ pertinent ad vitæ ſtatum, quilibet eſt ſui iuris. Suarez lib. 4. c. 11. n. 2. Filliuc. cit. n. 107. Leſſius cit. n. 63. Syluius 2. 2. q. 88. art. 3. q. 3. Nauar. c. 12. num. 47. Laym. lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 6.

Suar. Filliuc. Leſſ. Sylu. Nauar. Laym.

In quatuor tamen caſibus teneretur votum perſonale habens, illud per alium adimplere, aut commutationem procurare, 1. Quando vouens expreſsè intendebat ſe obligare ad implendum per alium, caſu quo per ſe non poſſet. 2. Quando qui vouit, certus erat tempore voti ſe nullatenus poſſe per ſeipſum votum implere. Secus autem ſi non erat certus de impedimento perpetuo, quamuis impedimentum erat tempore voti emiſſi, quia tunc ſolùm tenetur quamprimùm commodè poterit. 3. Quando votum eius eſt conditionis, vt per alium fieri poſſit, ac ſoleat, nec vouentis animus fuit per ſe tantummodò votum præſtare, vt votum opitulandi ijs qui pugnant in terra Sancta, & ſuperueniat impedimentum perpetuum talis profectionis, non eſt omninò liber à voto, ſed tenetur per alium, ac meliori modo quo poteſt, id ipſum ſubſidium præſtare. 4. Quando votum, etſi videatur perſonale, obligat tamen inſtar realis, vt eſt votum, quod Epiſcopi in ſua conſecratione emittunt viſitandi quotannis limina Apoſtolorum. Nam ſtylus Romanæ Curiæ explicat id votum, vt viſitent per ſeipſos, vel per alium, & ita ſolent committere alicui Romæ commoranti, vt nomine ſuo viſitet. Vide Sanchez lib. 4. moral. cap. 2. n. 26. & cap. 15. n. 12.

Sanch.

Si autem votum ſit reale, niſi ante mortem perſolutum fuerit, obligat hæredem, poſtquam hæreditatem adijt, ſalua legitima portione; quia ſicut hæres ſuccedit in bonis & in actionibus ac iuribus defuncti, ita etiam in oneribus, quæ hæreditatem attingunt, etiamſi nulla res per ſe ſit obligata. Nota tamen hæredem non teneri ad ſolutionem vltra vires hæreditatis, etiamſi per Iudicis ſententiam condemnetur ad eam ſolutionem: hæc enim ſententia nititur falſa præſumptione, quæ in foro conſcientiæ non obligat. Clauis regia lib. 6. cap. 7. d. 6. Layman cit. nu. 12. & 13. Nauar. cit. num. 56. Sanchez lib. 4. cap. 15. num. 25. 26. & 37. Syluius citat. concl. 2. Azor. lib. 11. cap. 15. q. 15.

Clau. Reg. Laym. Nauar. Sanch. Azor.

Si Votum ſit mixtum, partim obligat, partim non obligat hæredem: obligat qua reale, non obligat qua perſonale, vt ſi vouiſti peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem, hæres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem, nec tenetur ſumptus itineris in pios vſus conferre, quia ſunt acceſſorij voto perſonali; non enim ſub illud cadunt, niſi indirectè, & vt neceſſarij ad expletionem voti perſonalis. Gomez 2. var. c. 10. Leſſius cit. num. 67. Filliucius cit. num. 106. & 107. Bonacina cit. p. 5. §. 2. num. 10.

Gomez. Leſſius. Fill. Bonac.

18. Votum perſonale ſimpliciter factum non poteſt per alium adimpleri, quia materia voti perſonalis eſt actio propria ipſius vouentis, non actio alterius: vnde qui factus eſt impotens ad votum perſonale implendum non tenetur per alium adimplere, ſiue factus ſit impotens propria culpa, ſiue non, ſiue impotentia ſuperuenerit, ſiue extiterit eo tempore, quo factum fuit votum. Qui autem non poteſt votum reale per ſeipſum adimplere, tenetur adimplere per alium; quia materia huius voti non eſt actio ipſius vouentis, ſed res: imò ſatisfaceret voto vouens, etiamſi pecunia, ſiue eleemoſyna ab alio erogata ſit nomine vouentis, inſcio vouente, modò poſtea vouens ratam habeat talem eleemoſynam, Nauar. c. 12. num. 55. Sanchez lib. 4. moral. cap. 15. n. 2. & ſeq. Suarez lib. 4. c. 10. Filliucius tract. 26. n. 103. & ſeq.

Nauar. Sanch. Suar. Filliuc.

Votum mixtum non poteſt per alium adimpleri, ſi ſpectetur ſecundùm eam partem, quæ perſonalis eſt; ſi verò conſideretur ſecundùm partem realem debet adimpleri per alium, quoties vouens non poteſt per ſeipſum adimplere, modò votum ſit æqualiter reale, & perſonale, & non ſit reale tantummodò acceſſoriè, Angelus v. votum. 3. num. 7. Leſſius cit. num. 67.

Angel. Leſſius.

Sed quæres, an qui peregrinationem in aliquem pium promiſit, & illuc poſtea cauſa alicuius negotij adit, aut ſtipendio conductus, an voto ſatisfaciat, ſi in eo loco ſe ob has cauſas inueniens inuiſat templum illud, vel imaginem, vel reliquias? Reſp. ſub diſtinctione; ſi enim obiectum illius voti fuit ſola illius templi aut imaginis, aut reliquiarum inuiſio, ita vt abſtractum fuerit ab itineris labore, & conſtaret certò hæc vouentis mens, ſatisfaceret voto, ſi qualitercumque adierit locum, poſtea in eo ſe inueniens inuiſat liberè templum illud, ſeu imaginem, ſeu reliquias. Ratio eſt, quia obiectum ſui voti hæc ſola inuiſio

fuit,

fuit, & hæc prorſus liberè, nulloque alio iure debita exercetur. Si autem obiectum fuit inuiſio illius templi, aut imaginis, aut reliquiarum, vnà cum itineris labore, quamuis labor itineris fuerit acceſſorius, talis non ſatisfaciet voto, ſi illuc ſtipendio conductus, vel nulla piæ peregrinationis ratione ductus, ſed vel cauſa ſolius alterius negotij, vel cauſa ſolius curioſitatis adeat. Ratio eſt, quia quando eſt ſtipendio conductus, eſt actus alio iuſtitiæ titulo debitus, quando non ratione peregrinandi, non fuit actus pius, nec religioſus, nec vera peregrinatio pia, quæ fuit ſubſtantia rei promiſſæ, quibus actibus minimè ſatiſfit voto. Sed ſi non mercede conductus iret voluntariè in eum locum, cauſa piæ viſitationis illius templi vel imaginis, vel reliquiarum; etſi principaliter adierit ob finem turpem, vel cauſa alterius negotii expediendi, ſatisfaceret voto, quamuis haberet intentionem non ſatisfaciendi illa peregrinatione. Ratio eſt, quia peregrinatio illa fuit quoad actus ſubſtantiam religioſa, & voluntaria, nec alio iure debita: & intentio non ſatisfaciendi voto, non impedit quin illi ſatisfiat, vt diximus ſuprà in ſimili, *v. Præceptum*, *num.*6. Vide Sanchez *lib.*4. *moral.c.*11. *num.*67. Bonacinam *in Decalog. diſp.*4.*q.*2.*punct.*5.§.4.*nu.*12.*&* 13. Fauſtum *in theſaur.relig. lib.*1.*q.*165. Ex dictis hoc numero, & præcedenti colligi poteſt quid dicendum ſit de illo, qui abſens à loco peregrinationis promiſſæ, an poſſit rogare alium ibi præſentem, vt ſuo nomine viſitet illum locum pium, vt ſic voto ſuo ſatisfaciat.

Sanch. Bonac. Fauſtus.

Secundò, de eo, qui vouit ſex peregrinationes ad aliquem locum pium, an ſufficiat, ſi ſemel ſe illuc transferat, & per ſex continuos dies ibi permanendo, quotidie locum illum vel templum viſitet.

Tertiò, an poſſit quis, poſt arreptum iter peregrinationis, alium in via caſu ſibi occurrentem, & ad locum peregrinationis cauſa negotiorum ſuorum tendentem, rogare, vt tranſeundo per dictum locum, templum eius ſuo nomine viſitet, vt ſic liber ſit ab obligatione ſuæ promiſſionis, vltra non progrediendo.

19. Votum adimplendum eſt, ſecundùm eas circumſtantias, quas vouens vouit, & ad quas ſe intendit obligare: ſi verò nullas determinauit circumſtantias, nec ad aliquas ſe obligauit, nec conſtat de ipſius intentione, ſubſequentes regulæ ſeruandæ erunt. *Prima* eſt, vt attendantur verba, quibus emiſſum eſt votum, & iuxta communem illorum intelligentiam votum explicetur; modò vouens nouerit illorum verborum ſignificationem; nam ſi vouens ignorabat illorum ſignificationem, non eſt explicandum votum iuxta communem verborum intelligentiam. Sanchez *lib.*4.*c.*11.*n.*29. Filliuc. *tract.*26.*n.*96. Laym. *lib.*4.*tract.*4.*c.*3.*n.*3. Suarez *lib.*4.*c.*7.*n.*3.

Sanch. Filliuc. Suar. Laym.

Secunda eſt, vt votum ſtrictè explicetur, quantum fieri poteſt, ſeruata verborum proprietate, & communi intelligentia, quia vitandum eſt periculum peccati, quantum fieri poteſt; periculum autem peccati vitatur ſtrictè explicando votum quantum fieri poteſt. Azorius *lib.*11. *cap.* 20.*q.*1. Sanchez *cit.n.*3. Filliuc. *cit.n.*108.

Azor. Sanch. Fill.

Tertia regula eſt, vt quando dubitatur de intentione vouentis ſeruetur materia voti, ac ſi eſſet materia alicuius legis diuinæ, vel humanæ; votum enim eſt lex quædam priuata, cuius auctor, & conditor eſt ipſe vouens. Nauar. *c.*12.*n.*65. Laym. *cit.n.*3.

Nauar. Laym.

20. Qui ſciens duo vota eſſe incompatibilia, ea ſimul emittit pro eodem tempore implenda, tali voto non tenetur, quia eſt rei impoſſibilis. Si tamen voluit tantùm ad alterutrum ſe obligare, ad id quod intendit, eſt obligandus: ſi de intentione eſt dubius, tenetur ad illud, quod eſt maioris perfectionis. Et ſi conſtat vtrumque eſſe paris perfectionis, aut id eſt, dubium, datur electio vouenti, vt impleat partem, quam vult. Qui autem ſucceſſiuè duo vota incompatibilia emittit, tenetur ad dignius votum. Ratio eſt, quia quando concurrunt duo præcepta incompatibilia, tunc quod eſt grauius eſt præferendum minori. Quòd ſi conſtat eſſe vtrumque æquale, datur electio vouenti, vt alterutrum impleat, altero omiſſo, nec omiſſi commutatione, aut diſpenſatione indiget. Qui verò vtrumque votum incompatibile diuerſo tempore emittit, & dubius eſt, vtrum illorum maius ſit, tunc tenetur ad prius, nulla poſterioris relaxatione petita, quia prius, illud votum auferri nequit, niſi per votum dignius ſuperueniens incompatibile aut æquale, commutando prius votum in poſterius. Vide D. Thom. 4. *d.*38.*q.*1. *art.*4. *quæſtiunc.*4. Syluest. *v. votum* 2.*q.*17. Angel. *v. votum*, 3.*num.*4. Sanchez *lib.*4.*moral.cap.*5.*nu.*21. *& ſeq.*

D. Thom. Syluest. Sanchez

VOTVM IV.

De modis, quibus poſſit voti obligatio tolli, & primo de de ceſſatione cauſa finalis & notabili mutatione.

SVMMARIVM.

1 *An obligatio voti ceſſet ſublata cauſa finali propter quam factum fuit votum.*

2 *An quoties ſuperuenit notabilis mutatio, & difficultas, quæ ſi præuiſa fuiſſet, votum factum non fuiſſet, ceſſet obligatio voti?*

1. CErtum eſt obligationem voti ceſſare ſublata cauſa finali, propter quam factum fuit votum, quia votum non obligat vltra mentem, & intentionem vouentis; vouens autem non cenſetur habuiſſe intentionem obligandi ſe ceſſante cauſa finali voti, quod fuit emiſſum ob talem cauſam, veluti cùm quis vouit nunquam ampliùs intrare certam aliquam domum, eo quòd à perſona ibi habitante imminebat ipſi periculum, cum qua ſæpe lapſus eſt, ſi deinde perſona illa moriatur, nec ſimile ei periculum immineat, ceſſat eius votum, quia ingreſſus in illam domum tunc res eſt indifferens, ideoque non amplius eſt idonea voti materia. Ita Suarez *lib.*4.*c.* 18 *num.*4. Rodriquez 2.*p.Sum.Latin.c.*100. *num.*2. Sanchez *lib.*2.*c.*2.*num.*42. Syluius 2.2. *quæſ.* 88. *articul.*10. & alij.

Suar. Rodrig. Sanch. Sylu.

2. Similiter ceſſat obligatio voti quoties ſuperuenit notabilis mutatio, & difficultas; quæ ſi præuiſa fuiſſet, votum iudicio prudentis factum non fuiſſet, quia votum cenſetur factum ſub hac tacita conditione, niſi ſuperueniat notabilis mutatio, & præſertim ex parte materiæ. Item obligatio voti tollitur, vel ſuſpenditur, quoties tempore adimpletionis voti, materia voti facta eſt illicita, aut maioris boni impeditiua, aut indifferens aut impoſſibilis. Et quidem quando impoſſibilitas, aut impedimentum implendi voti eſt perpetuum, quod poſtea ſuperuenit, ceſſat omninò voti obligatio; ſi verò ad tempus ſit, poſtea ſublato impedimento eſt implendum? vt ſi quis dum eſſet diues, promiſit eleemoſynam, & in eam egeſtatem deuenit, vt implere nequeat, excuſatur pro tunc: at ſi poſtea pinguiorem fortunam adipiſcatur, tenebitur implere, & ſi vouens nequeat totum implere, bene tamen partem, tenetur ad partem. Et eadem ratione idem dicendum eſt in alijs mutationibus materiæ, nam ſi quæ à principio erat bona, efficiatur in aliquo caſu mala ob circumſtantiam occurrentem, aut indifferens, aut maius bonum impediat, ſi hæc ſint perpetua, extinguetur omninò prior voti obligatio; ſi autem ſint temporalia, & votum habeat tractum ſucceſſiuum, aut non erat alligatum tempori, quod iam tranſijt, ſuſpendetur pro tunc voti obligatio: at eo tempore tranſacto, quando ceſſat ille defectus materiæ; redibit voti obligatio. Ita Nauarrus *cap.*18. *num.*7. Clauis regia *lib.*6. *cap.*7. *num.*1. Suarez *cap.* 19. *num.* 4. Sanchez *lib.* 4. *c.*2. *num.*20. 21. 23. *&* 24. Reginaldus *lib.* 18. *numer.* 277. 278.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM.

VOTVM I.

Vbi variæ quæſtiones de voto diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Voti nomen vnde deductum, & an ſoli Deo votum ſit faciendum? Et quomodo fiat ſanctis.*

2 *Quando votum ex metu graui factum ſit validum, & quando inualidum?*

3 *Quo iure metus grauis iniuſtè incuſſus gratia extorquendi voti, illud irritet?* Refertur duplex ſententia.

4 *In dubio an votum factum fuerit per metum grauem, ſit adimplendum?* Refertur duplex ſententia.

5 *An votum metu graui emiſſum, & iuramento confirmatum obliget ratione iuramenti?*

6 *An res, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria, & neceſſario ſequitur, à cauſa naturali, ſit ſufficiens materia ad vouendum?*

7 *An opus malum, ſiue mortaliter, ſiue venialiter, poſſit eſſe materia voti.*

8 *Quot modis votum poſſit eſſe illicitum?*

9 *Quando quis promittit licitum pro petitione licita, ex cauſa tamen turpi pendente, an votum huiuſmodi ſit validum, & obliget, ſi conditio adimpleatur.*

10 *Quando votum factum contra prius votum ſeu iuramentum ſit validum, & quando non?*

11 *An promiſſio de re aliqua contra primo votum validum, valeat?*

12 *An votum rei bonæ, ſed propter finem temporalem, ſeu indifferentem, ſit validum?* Refertur duplex ſententia.

13 *Quando quis vouet aliquid, quod à principio eſt indifferens, aut malum, aut impoſſibile, aut contra conſilia, ſi tempore executionis materia eſt apta, an votum ſit validum?*

14 *Qui poſſint, & non poſſint valida vota facere?*

15 *An vota parentum obligent infantes?*

16 *An ſeruus votum validè emittere poſſit abſque conſenſu Domini?*

17 *Qui vota coniuges emittere poſſint?*

18 *An Epiſcopi aliquid vouere poſſint ſine licentia Papæ, vel poſt Epiſcopatum adeptum votum emiſſum implere.*

19 *An Clerici in dignitate conſtituti, aut curam animarum ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes, aliquid vouere poſſint in detrimentum ſuarum Eccleſiarum ſine licentia Epiſcopi? Et an hi emittere poſſint votum Religionis, & illud exequi inconſulto Epiſcopo?*

20 *Filiusfamilias pubes, quæ vota realia poſſit & non poſſit emittere? Et an Religioſi aliquid vouere poſſint abſque Superioris conſenſu?*

21 *An vota facta ab aliqua communitate pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, teneantur ſucceſſores iſtius populi ſeruare, ſi facta ſint ex conſenſu Epiſcopi? Et an ad ea teneantur regulares exempti?* Remiſſiuè.

22 *An donatarius teneatur ad realia donantis vota ſi ſciat donantem ob id effici impotentem ad perſoluenda vota?*

23 *An teneantur hæres illius, qui profeſſionem in Religione approbata emiſit, ad vota realia Religioſi profeſſi? Et quid ſi Religioſus tempore profeſſionis expreſsè intenderit ſua vota non extingui, nec in onera Religionis commutari?* Refertur duplex ſententia.

24 *An hæres obligetur ad vota realia defuncti ſi defunctus ante mortem expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea teneri?* Refertur duplex ſententia.

25 *An ſit duplex votum, quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei, & ſolutio pœnæ ea re non vitata?*

26 *An votum pœnale obliget, quando materia principalis voti verè pœnalis eſt inepta? Et quid ſi eſſet votum ſolius pœnæ, caſu quo vero pœnale eſt?*

27 *Quando aufertur principalis voti obligatio per irritationem, commutationem vel diſpenſationem ante vel poſt incurſam pœnam, an auferatur conſequenter obligatio pœnæ?*

28 *An votum pœnale ſolùm obliget prima vice ad pœnam, an verò toties quoties quis illud violauerit?*

29 *Quando tranſgreſſio voti pœnalis immunis eſt à culpa ratione obliuionis, an excuſetur etiam à pœna?*

30 *Quando votum merè conditionale dicatur? Et quotuplex conditio voto apponi poſſit? Et an votum factum ſub conditione contra naturam, & ſubſtantiam voti ſit validum?*

31 *Votum factum ſub conditione impoſſibili an ſit validum?*

32 *Conditio turpis an reddat votum inualidum quando vouens cupit talem conditionem euenire?*
An conditio neceſſaria ſuſpendat voti valorem?

33 *An conditio contingens futuri temporis & honeſta, ſuſpendat voti obligationem, donec ea euenerit?*

34 *Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, an deficiente vel eueniente vna, votum obliget?*

35 *Vouens aliquid ſub conditione futura, an poſſit aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti executionem ſecuta conditione?*

36 *Si aliquis per fraudem impediat quominus conditio votata eueniat, an voto obligetur perinde ac ſi conditio impleta eſſet?* Refertur duplex ſententia.

37 *Qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit, an teneatur voto?*

38 *Qui vouit aliquid ſub conditione ſi alius ſibi conſuluerit vel voluerit, an poſſit ab eo petere ne id conſulat vt voto non teneatur?*

39 *Qui vouet Religionis ingreſſum ſub conditione conſenſus paterni, quando cenſeatur conditio impleta, vt votum obliget? Et an quis faciat contra votum de Religione aſſumenda ſub conditione paterni conſenſus, ſi de facto procuret precibus ne pater conſentiat?*

40 *An ſemper expediens ſit conſulere Religionis ingreſſum, & vt ad eum ſe voto homines obligent?*

41 *Qui votum Religionis emiſit, ad quid teneatur?*

42 *Qui vouit mori in Religione, an cenſeatur votum Religionis, profeſſionis & perſeuerantiæ emiſiſſe? Et an votum volendi ingreſſum Religionis, ſit votum Religionis.*

43 *An qui vouit Religionem, ad quam probabiliter putat ſe admittendum, ſi votum Religioſis manifeſtet, an teneatur illud manifeſtare?* Refertur duplex ſententia.

44 *Qui vouit principaliter caſtitatem & Religionem, an teneatur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam, ſi à voto Religionis liber ſit? Et quid, ſi principaliter vouit, ſolam Religionem, caſtitatem autem accesſoriè?*

45 *Habens votum Religionis & illam ingrediens animo exeundi, an voto ſatisfaciat? & an illud votum ſit validum?*

46 *An vouens non ſolùm ſe ingreſſurum Religionem, ſed in ea profeſſurum, ſatisfaciat voto ingrediendo, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo?* Refertur duplex ſententia.

47 *An vouens Religionem abſolutè, nil de exeundi libertate determinando, ſatisfaciat vice ingrediens, & poſtea ſine iuſta cauſa exiens?* Refertur duplex ſententia.

48 *Quæ cenſeantur iuſta cauſa egreſſus, vt vouens Religionem & ab illa egrediens, dicatur voto ſatisfeciſſe.*

49 *Qui poſt votum Religionis contrahit matrimonium animo conſummandi, an peccet mortaliter prima vice petendo aut reddendo debitum?*

50 Qui

50 *Qui vouit arctiorem Religionem, ſi ingrediatur laxiorem, an peccet mortaliter, & ſi profiteatur, an profeſſio ſit valida, & maneat liber à voto ſtrictioris?*

1. VOti nomen, ſi vocis ipſius ethymologia ſpectetur, deductum eſſe videtur à voluntate vouentis, quaſi à primo mouente, eo quod voluntas mouet rationem ad promittendum Deo aliquid circa ea, quæ eius voluntati ſubduntur. Proinde votum ſolummodò Deo eſt faciendum, cui immediatè fit talis obligatio. Ratio eſt, quia votum eſt actus Religionis reſpiciens diuinum cultum Deo ſoli debitum: nam vouendo, honorem, & cultum homo præbet Deo, & mediante voto teſtatur Deum habere rerum omnium prouidentiam, ipſumque eſſe, ad quem in anguſtijs eſt confugiendum, & qui ſolummodò poteſt opem ferre, & gratiam petenti largiri. Fit autem Deo votum, vel immediatè, & expreſsè, vt quando quis dicit, *Voueo & promitto Deo me talem rem eſſe facturum*. Vel mediatè, & tacitè, vt quando dicit, *Voueo B. Mariæ Virgini caſtitatem, vel B. Petro peregrinationem, &c.* Nam quando vota fiunt Sanctis, non fiunt ipſis ſecundùm ſe, ſed ipſi Deo in Sanctis, videlicet, quatenus ſunt Dij per participationem, id eſt, inhabitat in eis diuina ſanctitas, & in eis Deus honoratur, vel quatenus ſunt aliquid Dei, tum etiam, vt ſint teſtes voti, & patroni ac interceſſores ad votum ſeruandum, & meliùs impetrandum, quod voto promittimus. Ita Sayrus in Clauis reg. a *lib.6. c.1, num.* 10. & 11. Sanchez *lib.4. moral. cap.4. n.41.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.3. n.26. &* 27. Trullenc. *in decalog. lib.2. cap.2. dub.1. n.8.* & alij communiter.

Sayr.
Sanch.
Leſſ.
Trullench

Et licet aliqui vouentes tales modum vouendi in votis, quæ fiunt Sanctis expreſsè non intelligant, eorum tamen intentio pie eſt explicanda? prout videlicet Eccleſia ſancta docet, & intendit, ideoque quando quis abſolutè votum facit alicui Sancto intelligendum eſt vouere Deo in illo Sancto prout dicunt D. Thomas 2.2. *q.88. art.5. ad* 3. Caietanus, Arragon, Syluius *ibidem*. Nauarrus *in Manual. cap.* 12 *n.25* & alij ſupra.

D. Thom.
Nauar.

2. Votum factum ex metu graui illato à cauſa intrinſeca, validum eſt, & obligatorium. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia huiuſmodi votum ſponte emittitur, eſtque votum gratum Deo, & bonum. Pro quo eſt ſciendum, quod metus intrinſecus dicitur ille, qui à cauſa intrinſeca, & naturali, infertur, qualis eſt metus grauis mortis proueniens ex periculoſa infirmitate, graui tempeſtate, aut ex feris, & animalibus. Cùm ergo huiuſmodi votum ſpontè ſit factum pro fugiendo tale malum ſuperueniens, & ex bono fine, & Deo ſit gratum, non excuſat metus intrinſecus ipſius vouentis pro euitando tali periculo mediante diuina gratia. Et in hoc omnes conueniunt.

Similiter apud omnes certiſſimum eſt, quoties metus non eſt incuſſus gratia extorquendi voti, ſiue proueniat à cauſa naturali, ſiue libera, quantumuis grauiſſimus ſit, non irritat votum. Ratio eſt, quia tunc à nemine impellitur vouens ad votum emittendum, ſed ſponte ſua id vouendi medium eligit, quo ex eo periculo incolumis euadat, & metus talis non dicitur cauſa voti, ſed occaſio. Hinc validum eſt votum, quod quis damnatus iuſtè, vel etiam iniuſtè ad triremes, emittit, vt ab hac pœna liberetur; vel ſi fugiens inimicum, quis voueat Religionem, vt Deus eum ſeruet: nam metus non eſt incuſſus ad extorquendum votum, nec eſt cauſa directè, ſed tantùm occaſio vouendi, & votum voluntariè ſumitur ad metum expellendum. Ita Nauar. *in Manual cap.*12 *n.*52. Sanchez *lib.4. moral. cap.3. num.3. &* 4. Geſualdus *in Theolog. moral. tract.24. cap.1. num.*26. Trullench *loco cit. dub.3. nu.*3. & alij.

Nauar.
Sanch.
Trullench

Votum factum ex metu graui iniuſtè incuſſo à cauſa extrinſeca, ſeu libera, id eſt, ab homine, ad extorquendum votum, non eſt validum, ſed irritum, nullam habens vim obligandi vouentem ad talem promiſſionem adimplendam. Ratio eſt, quia voluntas vouentis debet eſſe omninò libera, ita vt voluntariè intendat ſe obligare ad tale votum adimplendum, ſed quando voluntas vouentis eſt coacta ex metu graui extrinſeco, cadente in conſtantem virum, & talis timor iniuſtè eſt illatus ab homine ad extorquendum tale votum contra voluntatem, & intentionem vouentis, tale votum non eſt validum, quia Deus talem promiſſionem non acceptat, *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Hoc tamen intelligendum eſt, modo vouens cognouerit illum metum ſibi incuti ad extorquendum votum; nam ſi vouens non cognouit metum ſibi incuti, votum videtur validum, etiamſi minans haberet animum incutiendi metum ad extorquendum votum: nam tunc vouens ſponte elidit votum ad vitandum periculum, & in tali caſu votum eſſet ipſi vouenti gratum, & voluntariè electum, cùm à nemine compulſus ſit ad tale votum faciendum, nec detur illi neceſſitas vouendi, ſed ſolum occaſio extrinſeca, & ideò non erit inualidum ipſo iure. Ita ex communi Valentia *tom.3. diſputat.6. quæſt.6. punct.*4. Sanchez *lib.4. moral. cap* 3. *num.*6. Azor. *tom.1. lib.*11. *cap.*15 *quæſt.*6. Nauar. *in Man. cap.*12. *n.*52. Trullench *loco citato. dub.3. n.4. &* 8, Geſualdus *loc. cit. n.23. &* 24. cum alijs à ſe citatis.

Sanch.
Azor.
Nauar.

3. Dubium eſt, quo iure metus grauis, ſeu cadens in virum conſtantem, incuſſus iniuſtè gratia extorquendi voti, illud irritet. Quidam probabiliter opinantur illud iure diuino naturali irritare. Ducuntur, quia *cap.1. de his quæ vi*, non irritatur profeſſio eo metu extorta, ſed tanquam irrita declaratur; & nullus textus eam irritans inuenitur Ergo ſupponit eam eſſe iure diuino naturali irritam. Ita tenent Sotus *lib.7. de iuſtit. quæſt.2. art.1. ad* 2. & *lib.8. q.*1 *art.*7. & aliqui Neoterici.

Sotus.

Verior tamen, & probabilior ſententia aſſerit, ſolo iure Eccleſiaſtico irritare. Ratio eſt, tum quia metus iure naturæ non reddit alios contractus nullos, aut promiſſiones, ſed ſolùm dat poteſtatem irritandi, propter iniuriam, quando contractus ſua natura ſolubilis eſt; proinde matrimonium ſolo iure naturæ ſpectato, graui metu extortum validum eſt, ergo eodem modo votum, niſi Eccleſia illud reddidiſſet inualidum. Tum quia ſtando in iure naturæ, ea deliberatio exigitur, & ſufficit ad voti valorem, quæ ad culpam mortalem; At hæc inuenitur cum tale metu. Si quis enim eo coactus fornicaretur, peccaret mortaliter. Et hoc procedit, etiamſi vouens haberet animum vouendi, & ſe obligandi, dum vouit: nam ille conſenſus ab Eccleſia irritatur, & ineptus efficitur ad inducendam obligationem. Hanc ſuſtinent Rodriquez *tom.2. Summa Latina cap.*95. Sanchez *lib.4. moral. cap.3. num.9. &* 12. Nauarrus *in Manual. cap.*12 *num.*52. & *in cap. ſtatuimus, num.*75. 19. *quæſt.*3. Arragon 2.2. *quæſt.88. artic.*3. Trullench *in Decalog lib.2. cap.2. dub.3. num.*9. Bonacina *in Decalog. diſputat.4. quæſt.2. punct.3. §.1. num.*6. & alij multi apud ipſos. Ex quorum doctrina colligitur votum metu graui extortum, non ſolùm iure naturæ, ſed etiam Eccleſiaſtico eſſe validum, ſi ab infideli emittatur; nam infidelis non eſt ſubditus Eccleſiæ irritanti votum factum ex metu incuſſo ad extorquendum votum, vt reſoluunt Sanchez *loco citato num.*10. Bonacina Trullench *locis citatis*.

Rodriq.
Sanch.
Nauarr.
Arrag.
Bonac.

4. Votum eſt adimplendum, quando dubitatur an factum fuerit per metum grauem. Ratio eſt, quia in tali caſu tutior pars eſt eligenda, & poſſeſſio ſtat pro voto facto, quod conſtat factum fuiſſe, & ſolummodo dubium eſt de cauſa excuſante, an talis metus incuſſus fuerit ſufficiens ad excuſandum vouentem ab obligatione adimplendi tale votum. Cùm ergo conſtet votum verè fuiſſe factum, ſentiendum eſt in fauorem voti, non cauſæ excuſantis, de qua dubitatur. Et idem dicendum eſt, quando quis ſcit ſe verè votum feciſſe propter metum, ſed dubitat, an metus fuerit grauis cadens in conſtantem virum, vel habuerit voluntatem, & intentionem ſe obligandi ad tale votum, quia tunc præſumitur votum fuiſſe validum cum animo ſe obligandi, dum expreſsè non conſtat de contraria voluntate. Ita Clauis regia *lib.1. cap.13. num.*36. Sanchez *loco citato*, *numero* 27. Azorius *tom.1. lib.12. quæſt.15. quæſt.*2. Vaſquez *in* 1.2. *diſput.65. cap.3. & diſp.66. cap.*1. & alij.

Sanch.
Azor.
Vaſq.

Nihilominus ſatis probabile videtur tale votum non eſſe obligatorium, quando dubium eſt vehemens, quod vouens in actu vouendi non habuerit voluntatem ſe obli-

obligandi ad votum, quia coacte ex metu graui tale votum fecerit. Ratio eſt, quia poſſeſſio ſtat pro vouentis libertate, non pro voto facto per grauem metum: nam pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio, ius autem non præſumit in voto metu facto animum adfuiſſe ſe obligandi. Imò tale votum non cenſetur validum, etiamſi conſtet adfuiſſe animum vouendi, ſeu ſe obligandi: nam conſenſus cùm metu graui præſtitus irritatur à iure, & ineptus efficitur ad inducendam obligationem voti, *ex cap.1.de his, quæ vi.* Ita Bonacina *loco citato,* §.1. *num.*11. Rebellus *de obligat. iuſtit.part.2.diſputat.1.quæſt.*2.*ſect.*2. Trullench *loco citato,num.*14. qui citat Panormitanum & Syluestrum. Sotus *de iuſtit.lib.*7. *quæſt.*2. *artic.*1. Coninck *de Sacrament. diſputat.*34.*dub.*10.*numer.*86. & alii.

Bonac. Rebel. Sotus. Coninck.

5. Votum metu graui emiſſum, & iuramento confirmatum non obligat ratione iuramenti. Ratio eſt, tum quia iuramentum adhærens voto, ſiue matrimonio videtur habere hanc tacitam conditionem, ſi liber conſenſus interueniat, nam iuramentum ſequitur naturam actus ſuper quem cadit, *l.final. C. de numerata pecunia.* Votum autem & matrimonium videntur ex iuris diſpoſitione hanc tacitam conditionem habere, ſi liber conſenſus interueniat, ergo iuramentum cadens ſupra votum vel matrimonium videtur eandem conditionem habere. Tum quia matrimonium ex metu graui contractum validum non eſt, etiamſi addatur iuramentum, ergo neque votum iuramento firmatum. Ita Sanchez *lib.*3. *moral. cap.*11. *num.*24. & *lib.*4. *de matrimon.diſputat.*2. *num.*5. Rodriquez *tom.*2. *Summa Latina, cap.*95. *num.*4. Trullench *in Decalog. lib.*2.*cap.*2. *dub.*3. *num.*15. & alii.

Sanch. Rodriq. Trullench

6. Materia non eſt ſufficiens nec conueniens ad vouendum quæ ſimpliciter eſt neceſſaria, & neceſſariò ſequitur à cauſa naturali, vt eſt votum de moriendo, aut non moriendo, de nutritione & augmento corporis & huiuſmodi. Ratio eſt, quia votum eſt promiſſio libera & voluntaria facta à vouente, ſed neceſſitas, vel impoſſibilitas tollunt voluntarium, ergo illud, quod eſt abſolutè neceſſarium, aut impoſſibile, ſub voti obligatione cadere non poteſt; quia fruſtra ad id qui ſe obligaret, cum velit, nolit, tale neceſſariò ſit euenturum, & ab homine impediri non poſſit. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.*88. *articul.*2. Caietanus, Arragon *ibidem.* Clauis regia *lib.*6.*cap.*3.*num.*8. Sanchez *lib.*4. *moral.cap.*5.*nu.*4. Nauar. *in Manual. cap.*12. *num.*28. *verſic.*8. & alii communiter.

D. Thom. Clau. reg. Sanch. Nauarr.

7. Certum eſt apud omnes opus malum, ſeu illicitum ſiue mortaliter, ſiue venialiter, non poſſe eſſe materiam voti. Ratio eſt, quia promiſſio debet eſſe de re conueniente ei, cui fit: promiſſio autem voti fit Deo cui res malæ & peccaminoſæ non placent, imò illas odit & execratur tanquam res ſibi iniurioſas, & offenſiuas & ideò Deus illas non acceptat, quia ſic vouens obligaretur ad peccandum adimplendo rem voto promiſſam, quod eſt abſurdum. Quare vouere Deo id quod eſt peccatum mortale, non eſt votum, ſed culpa mortalis & duplicem malitiam in ſe continet. Vnam malæ voluntatis faciendi tale peccatum, alteram ſacrilegij, quod committitur, dum vouentur Deo, quæ illi maximè diſplicent, vt ſunt peccata, & ideò in tali voto magna iniuria Deo irrogatur: quare vtraque circumſtantia in confeſſione eſt explicanda, vt qui vouit dare eleemoſynam, vt mulierem conſequatur, peccat, & peccato luxuriæ, quam intendit, & peccato ſacrilegii contra Religionem. Ita D. Thomas 2.2. *quæſtion.*88. *artic.*2. Syluius *ibidem, concluſ.*3. Nauarrus *in Manual. cap.*12. *numer.*25. Clauis regia *lib.*6. *cap.*3. *num.*2. Trullench *in Decalog. libr.*2.*cap.*2.*dub.*5.*num.*2.*&* 9. & communis.

D. Thom. Nauarr. Clau. reg.

8. Votum multis modis poteſt eſſe illicitum. *Primò*, promittendo opus malum, quod in ſe eſt illicitum, ſiue ſit de materia peccati mortalis, ſiue venialis, in quo caſu nullum eſſet, & vouens reus erit peccati mortalis, vel venialis. *Secundo*, promittendo opus bonum, ſed propter finem malum, & tunc tale votum eſſet malum & illicitum; quia cuius finis malus, ipſum quoque malum eſt; & tali ita vouens peccaret venialiter, vel mortaliter iuxta qualitatem obiecti, à quo deſumeret malitiam venialem, vel mortalem. *Tertiò*, promittendo Deo aliquod opus bonum, & licitum in gratiarum actionem pro re aliqua illicita obtenta, verbi gratia, vouendo Deo rem aliquam bonam pro obtenta aliena vxore, vel pro homicidio facto, vel pro furto, &c. Huiuſmodi vota non ſolùm ſunt ipſo facto nulla, ſed grauem iniuriam Deo inferunt, faciendo Deum auctorem peccati. *Quartò*, promittendo aliquod bonum, ſed ob finem illicitum obtinendum, vt ſi quis voueat dare eleemoſynam, ſi ei conceſſa fuerit occaſio fornicandi, furandi, &c. Talis ita vouens prius committeret blaſphemiam contra Deum, quàm votum emitteret, quia facit Deum auctorem peccati, quod eſt blaſphemia manifeſta, quæ eſt ſemper mortalis. His quatuor modis votum eſt nullum, & committitur peccatum, & in hoc omnes Doctores conueniunt, vt docent Saytus in Claue regia *lib.*6.*capit.*3.*num.* 3. *&* 4. Nauarrus *in Manual. capit.*12. *numero* 30. Toletus *in ſumm.lib.*4.*cap.*17. Azorius *tom.*1.*lib.*11.*cap.*15.*quæſt.*3. Trullench *loco citato, numer.*8. Valentia *tom.*3.*diſputat.*6.*quæſt.*6.*punct.* 2. & alii.

Clau. reg. Nauarr. Azor. Valent.

9. Quintus modus vouendi illicitè eſt, quando quis promittit licitum pro petitione licitè, ex cauſa tamen turpi pendente, vt ſi quis habens concubinam voueat Deo centum aureos, ſi conceſſerit ſibi ex illa filium; huiuſmodi votum quamuis illicitum, eſt tamen validum, & obligatorium, ſi conditio adimpleatur. Ratio eſt, quia hoc votum non cadit ſuper illo illicito coitu, ſed ſuper dono filij, quamuis præſupponat illum illicitum coitum. Non tamen in hoc caſu tenetur talis retinere concubinam, vt faciat quod in ſe eſt ad votum adimplendum, quia actio, quæ præſupponitur eſt mala, & peccaminoſa; quamuis deinde obtento filio teneatur votum factum adimplere. Idem dicendum de meretrice, quæ vouet dimidium turpis lucri. Item ſi fur dum eſt in patrando furto, aliquid vouet Deo, vt non capiatur.

Huiuſmodi enim vota ſunt valida, non quidem ad meritum, cùm verſentur circa actum malum, ſed ad obligationem inducendam. Ratio eſt, quia in his caſibus, effectus pro quo vouetur eſt res bona, & à Deo: & ideò pro obtinendis à Deo illis bonis quantumuis coniunctis cum peccatis, validum votum fieri poteſt, non autem pro obtinenda materiali entitate peccati. Ita Caietanus 2.2.*quæſt.*88. *artic.*2. Arragon *ibidem.* Valentia *tom.*2.*diſput.*6.*quæſt.*6.*punct.*2. Nauarrus *cap.*12.*num.*31. *verſ. Dixi.* Sotus *lib.*7. *de iuſtit. quæſt.* 1. *artic.* 3. *poſt medium.* Geſualdus *in Theolog. moral. tractat.* 24. *capit.*2.*numer.*16. Toletus *loco citat. capit.* 17. Quidquid in contrarium ſentiat Rodriquez *part.*2.*Summ. Latina, concluſ.*12.

Caietan. Arragon. Nauar. Sotus. Tolet. Rodriq.

10. Votum factum contra prius votum, ſeu iuramentum eſt validum, ſi vtrumque votum ſit compoſſibile, ita vt vnum alterium non impediat quoad executionem; tunc enim vtrumque votum eſt validum, & obligatorium, & tenetur vouens vtrumque votum adimplere, dum poterit, quia in vtroque eſt promiſſio facta Deo, quæ obligat ad eius obſeruantiam. Si ſecundum votum ſit incompoſſibile cum priori voto, tunc videndum eſt, an votum ſubſequens ſit maioris boni, vel minoris, vel æqualis cum priori voto emiſſo. Si votum ſecundum ſit præſtantius, & Deo gratius, tunc ſecundum votum eſt adimplendum, eo quòd votum priùs emiſſum intelligitur commutatum cum poſteriori in melius. Si verò ſecundum votum ſit minus gratum Deo, & minoris perfectionis, tunc ſeruandum eſt prius votum, quod eſt obligatorium, & validum; Secundum autem contra tale votum factum intelligitur tanquam non factum, nam votum ſemper intelligitur de meliori bono. Si vtrumque votum eſt æquale, & ambo ſunt incompoſſibilia, eò quòd impletio vnius impediat adimpletionem alterius; tunc poterit talis vouens adimplere quodcumque voluerit, nam æqualium ea-

dem eſt ratio, & ita eſt grata Deo adimpletio vnius, ſicut alterius, dum vtrumque ſimul adimpleri non poteſt propter incompoſſibilitatem vtriuſque ſimul. Ita communiter Doctores ex Suar. *tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 4.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 5. num. 22. & ſequentibus.*

Suar. Sanchez

Idem dicendum eſt de voto facto contra iuramentum, nam iuramentum quando eſt validum obligat ad ſui obſeruantiam: Si igitur votum poſtea factum ſit incompoſſibile cum iuramento, ſeruandum eſt iuramentum, quia votum contra iuramentum prius factum cenſetur pro non facto cùm ſit inualidum, & non poteſt obligare vouentem ad faciendum contra iuramentum priùs factum de re licita. Tum quia huiuſmodi votum eſt de re mala, cùm adimpleri nequeat ſine violatione iuramenti. Ita Bonacina *tom. 2. diſp. 4. quaſt. 1. punct. 6. n. 1.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 1. dub. 9. num. 1.* Filliuc. *tract. 26. cap. 2. num. 50.* & alij.

Bonac. Trullench Filliuc.

11. Sed petes an promiſſio de re aliqua contra prius votum validum, valeat? Reſpondeo negatiuè, quia promiſſio de re illicita non obligat, promiſſio autem de re aliqua contra prius votum validum, eſt promiſſio de re illicita. Ideò, qui vouit caſtitatem, & poſtea promittit alteri matrimonium, inualidè promittit, quia eſt promiſſio de re illicita, & promittens non poteſt licitè matrimonium contrahere ob votum caſtitatis. Item, qui promiſit Deo calicem, illum poſtea inualidè promittit homini, cùm ſit promiſſio de re præſtanda contra prius votum, quam præſtare non poteſt ſine peccato.

Notandum tamen eſt, quòd geſta rei licitæ contra prius votum, valida ſint, regulariter loquendo, quia votum non reddit vouentem inhabilem ad agendum, ergo illius acta ſunt valida; proinde validum eſt matrimonium factum ab eo, qui ſimplex votum caſtitatis emiſit, quamuis grauiter peccet contrahendo, nam eſt actus rei ex ſe licitæ. Ita Bonacina *loco citato, diſputat. 4. quaſt. 2. punct. 4. §. 6.* Trullench *loco citato, lib. 2. cap. 2. dub. 10. num. 13.* & alii. Qui hoc idem aſſerunt de iuramento, niſi aliunde ſint irrita, quia iuramentum non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex ſe validum; ergo geſta contra iuramentum ſunt valida, vt etiam aſſerunt Layman *lib. 4. tractat. 3. cap. 8. num. 5.* Panormitanus, Syluester, Rebellus, Suarez, Sanchez apud illum citati. Ex quo fit, quòd matrimonium de præſenti validum ſit, non obſtantibus prioribus iuratis ſponſalibus cum alia celebratis, *ex cap. ſicut, de ſponſal.* Item ſi quis iurauerit, ſe teſtamentum non reuocaturum & poſtea reuocauit, periurus quidem eſt, ſed reuocatio tenet & valet. Dixi, *niſi aliunde ſint irrita*, nam ſi actus poſitiuo aliquo iure irritus, & inefficax ſit, tunc non confirmabitur acceſſione iuramenti editi, contra prius iuramentum non agendi, vt ſi mulier iurauerit ſe, non alienaturam bona dotalia, & non obſtante iuramento alienet, tunc alienatio reſcindi poterit, tanquam ciuili iure inefficax, vt reſoluunt communiter Doctores; quia cùm iuramentum poſterius peruerſum ſit, & periurij criminis confirmatorium; non eſt credibile, quod ei ius aſſiſtat, velitque eo alienationem, alioquin irritam aut inefficacem, confirmari; vide Sanchez *lib. 3. moral. cap. 12. numero* 38. vbi refert viginti quatuor Doctores hanc opinionem ſuſtinentes.

Bonac. Trullench

12. Votum rei bonæ, ſed propter finem temporalem, ſeu indifferentem, non eſt validum, ſi finis omnino indifferens ſit ipſius rei promiſſæ principalis ac totalis, vt ſi quis voueat ſe ieiunaturum, vt ſumptibus parcat, nullum alium finem honeſtum intendens. Ratio eſt, quia cum in moralibus ſpecies rei ſumatur à fine, talis eſt res, qualis eſt finis. Ergo ſicut ſi finis illius rei promiſſæ eſſet malus, ipſa quoque mala eſſet; ita ſi finis ſit indifferens, ita quoque res indifferens erit. At votum rei indifferentis non obligat. Ita Sanchez *libr. 4. moral. cap. 7. num. 25.* Layman *libr. 4. tractat. 4. capitul. 2. numera* 10. probabiliter.

Sanch. Laym.

Sed non minus probabilis eſt contraria ſententia ſuſtinens tale votum eſſe validum, tum quia eſt actus virtutis religionis; & quamuis non participet bonitatem, quam participaret à bono fine, ſi vouens bonum ſibi finem propoſuiſſet, nihilominus neque participat malitiam cùm finis ſit indifferens. Tum quia ſicut validum eſt iuramentum factum ob finem aliquem temporalem, ita validum eſt votum. Ita Suarez *lib. 2. de iuramen. cap. 16.* Syluester *verb. Votum 1. quaſt. 4.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 6. num. 9.* & alii.

Suar. Sylu. Trull.

Certum eſt tamen apud omnes, quod ſi quis rem bonam, v. g. ieiunium, eleemoſynam voueat tanquam medium vt à Deo impetret rem temporalem, ſeu indifferentem, v. g. officium honorificum, matrimonium opulentum, &c. obligabitur voto, quia hæc à Deo, tanquam eorum auctore petere vel pro impetratis gratias agere, bonum & honeſtum eſt.

13. Validum eſt votum, quo quis vouet aliquid quod à principio eſt indifferens, aut malum, aut impoſſibile, aut contra conſilia, ſi tempore executionis materia eſt apta, ſeu bonum poſſibile, aut conſiliis conſonum. Ratio eſt, quia ad voti materiam diiudicandam, an apta, vel potius inepta ſit valori voti, ſpectandum non eſt per ſe, & formaliter loquendo, tempus quo id votum emittitur, ſed tempus quod id votum exequendum eſt, ac proinde ſi tempore executionis materia eſt apta, valebit votum; ſecus ſi tunc inepta fuerit, verbi gratia, promiſit quis audire Sacrum, nihil refert ad huius voti valorem, ſi tempore voti emiſſi, non poſſit audiri, eo quod vouens tunc ſit in mari, vel innodetur excommunicatione: Sed quod per ſe ad huius valorem, vel nullitatem pertinet, eſt an tempore quo audienda Miſſa promiſſa eſt, poſſit audiri, necne. Ratio eſt, quia res promiſſa pro eo ſolo tempore quo promittitur exequenda, eſt vera materia voti. Vnde fit, vt quando toto tempore, quo res, ſeu materia exequenda voti promittitur eſt impoſſibilis, mala, vel indifferens, vel contra conſilia, votum ſit irritum, etſi poſtea eo vitio liberetur, quia votum emiſſum tempore inhabili non obligat tempore habili: ſicque profitens vxore inuita, ſeu inſcia non tenetur ea mortua ad religionem redire, quia cùm id votum ab initio fuerit nullum, non firmatur tractu temporis, *c. Non firmatur, de regul. in 6.*

Hinc ſi principio res erat mala, vel impoſſibilis ratione alicuius circumſtantiæ accidentalis occurrentis, nec limitauit vouens votum ſuum ad id tempus, ſed voti executio tractum habet ſucceſſiuum, obligabit votum pro tempore, quo fuerit apta materia voti, non autem pro illo, quo fuerit inepta. Ratio eſt, quia votum rei potentis habere bonum, vel malum euentum, obligat in bono, non verò in malo, verbi gratia, quis exiſtens in excommunicatione, vel in mari vouit ſe quotidie auditurum Sacrum, non tenetur tempore, quo eſt in mari audire, in quo eſt impoſſibile, vel tempore excommunicationis, in quo eſt illicitum, tenetur tamen ceſſantibus his impedimentis, quia cùm hoc votum comprehendat bonum, & malum euentum, obligabit in ſolo bono euentu.

Limita tamen dummodò materia voti ab initio non fuerit omninò indifferens, nec vouens ſibi aliquem honeſtum finem conſtituerit, ob quem illa affecta fuerit apta materia voti, nam tunc votum non erit validum, *l. quod ab initio, ff. de regul. iur.* Ideò qui ſine fine honeſto vouit non ingredi certam domum, non tenetur ex vi voti abſtinere ab illius ingreſſu, quamuis poſtea contingat bonum eſſe abſtinere ab illius ingreſſu, eo quod mulieres fornicariæ ibi habitare incipiant. Si tamen talis vouens præuideat illam domum habitandam à mulieribus fornicariis, tenebitur ſtare voto pro tempore, quo fornicariæ ibi habitabunt, quia tunc valebit votum de re indifferenti, ſi vouens expreſsè intendat illud exequi, tempore, quo res indifferens bona facta fuerit, nam pro illo tempore vera eſt materia voti. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 9.* Bonacina *tom. 2. diſputat. 4. quaſt. 2. punct. 4. §. 2. num. 9. & 10.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 7. num. 1. & 2.* cum aliis.

Sanch. Bonac. Trullench

14. Solus homo viator ex ſe & ex natura rei poteſt Deo, vota facere, & ad ea vinculo obligationis ſe

aſtrin-

Digitized by Google

aſtringere: Cæterum licet hoc verum ſit, non tamen quilibet homo poteſt validè votum facere, ex quo inſurgat obligatio illud adimplendi. Quare iure naturæ validè vouere non poſsunt omnea, & ſinguli infantes, & pueri antequam adepti ſint vſum rationis, nec amentea, nec ſtolidi, aut phrenetici, aut ebrij poſsunt in tali ſtatu valida vota efficere. Ratio eſt, quia ad validè vouendum requiritur actus voluntatis rationalis liber cum actu intellectus practici, qui autem non habent vſum rationis non poſſunt facere huiuſmodi actus rationales & meritorios, ideòque non poſsunt validè vota efficere, nec poſsunt eſſe voti capaces. Ita ex communi D. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt.88. artic.9.* Syluius *ibidem concluſ. 1.* Suarez *lib.3. de voto cap.2. num.3.* Trullench *in Decal. lib.2. cap.2. dub.11. num.1.* Clauis regia *lib.6. cap.5. num.2.* Nauarrus *in Manual. cap.12. num.68.* Geſualdus *in Theolog. moral. part.3. tractat. 24. cap.4. num.3.* & alii communiter.

D. Thom. Suar. Trullench Clau. reg. Nauarr.

Quando autem adſit ſufficiens vſus rationis certa regula aſſignari nequit, cùm aliis citiùs, aliis tardiùs id contingat. Et quidem ex iuris præſumptione, ante ſeptennium non præſumitur puer habere vſum rationis. Vnde attendere debent Confeſſarii, & qui cum pueris verſantur an ſint doli capaces nec ne, & an ſciant diſcernere, quid ſit Deo vouere. Tunc autem poſsunt vouere, quando iſtum vſum rationis habent, vt poſſint peccare mortaliter, ex Nauarro *ſuprà citato*, & aliis, ſed hoc intelligendum eſt, quòd poſſint ſe obligare voto ſimplici etiam religionis; voto tamen ſolemni religionis iure antiquo ante pubertatem obligare ſe nequeunt etiam cum conſenſu parentum, vel tutorum, propter Eccleſiæ ſtatutum, & iure nouo Tridentini *ſeſſion.25. de regular. capit.15.* ante decimumſextum annum expletum. Et quamuis poſt Concilium Tridentinum nemo debeat ſacris ordinari ante vigeſimum ſecundum ætatis annum; ſi tamen quis doli capax ante annos pubertatis ordinem ſacrum ſuſcipiat, poteſt ſe obligare voto ſolemni continentiæ, & tale votum Eccleſia acceptat, & ſtatuit votum illud eſſe ſolemne etiam in tali puero doli capace, vultque tali Ordini ſacro inſeparabiliter annexum eſſe votum continentiæ in Eccleſia occidentali, ita notat Caietanus *ſecunda ſecundæ quæſtion.88. artic.9.* & poſt illum Sayrus in Claui regia *lib.6. capit.5. numero 3. & 4.* & communis.

Caietan. Sayr.

15. Vota parentum vouentium vel offerentium infantes Religioni, non obligant infantes, niſi ipſi poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, tale votum liberè, & ſpontaneè ratificauerint vel approbauerint. Ratio eſt, quia nemo poteſt promittere, quod non eſt in ſua poteſtate, ſed filius in hac re non eſt in poteſtate parentum, cùm ſit ſui iuris in iis, quæ pertinent ad vitæ ſtatum & religionem, ergo parentes non poſſunt promittere Deo filios ſuos ingreſſuros eſſe Religionem ipſis non conſentientibus, quia votum perſonale ſolùm obligat vouentem, non alios, ſine quorum voluntate alii non poſſunt eſſe obligati ad implenda aliorum vota.

Tenentur tamen parentes curare quantum poſſunt, vt filii Religionem ingrediantur, tum quia huiuſmodi cura eſt illis poſſibilis, & hoc ſolum cenſentur promiſiſſe, cum ad aliud non potuerint ſe obligare. Tum quia ille, qui aliquid promittit pro aliquo, ad quod non poteſt eum cogere vt adimpleat votum à ſe factum nihil aliud promiſiſſe videtur, niſi curare, vt alter faciat id, quod ipſe promiſit nomine ipſius: ſi autem hoc non obſtante filius votatus nollet tale votum adimplere tunc parentes eſſent excuſati à tali voto facto pro filio. Ita Nauarrus *in Manual. capit.12. numer.74.* Sanchez *lib.4. moral. capite 15. numero 22. & capit.5. numero 9.* Suarez *libro quarto de voto, capite nono, numero ſecundo.* Trullench *in Decalog. libro ſecundo, capite ſecundo, dubio decimoquinto, numero decimotertio.* Bonacina *tomo ſecundo, diſputatione quarta, quæſtione ſecunda, punct.5. §.2. nu.18.* Layman *lib.4. tract.4. cap.3. num.7.* & alii. Hinc fit, non teneri filium ad vota parentum nomine ipſius emiſſa, niſi ſint emiſſa coram filio interius conſentiente, vel niſi filius

Nauarr. Sanch. Suar. Trullench Bonac.

illa poſtea ratificauerit; quamuis in dubio non præſumatur filius tacens conſenſiſſe, vel ratificaſſe votum ab aliis factum ipſo præſente, vel abſente: nam in onerosis taciturnitas non accipitur pro expreſſione conſenſus, vt optimè tradunt Sanchez *loco cit. c.15. nu.23. & 24.* Bonacina *loco cit. n.19.* & alij ſuprà.

Sanch. Bonac.

16. Seruus nullum votum reale poteſt validè emittere, nam quidquid ſeruus habet, domini eſt, ſiue ad perſonam, ſiue ad operas, ſiue ad res pertineat. Tamen ſi talia ſeruus haberet aliqua bona, quæ a domino ſuo auferri non poſſint, tunc de talibus bonis poſſet facere eleemoſynam iuxta votum factum. Similiter poteſt illa vota emittere, quæ non impediunt dominium, & obſequium domini ſui, vt ſunt aliqua ieiunia moderata, & vota Communionis, & Confeſſionis Sacramentalis pro ſalute animæ ſuæ, vel ſeruandi caſtitatem, aliaque ſimilia, quæ ſunt valida nec irritari poſſunt à domino, prout dicunt Sanchez *lib. 4. moral. capit. 36. numero 3. & ſequentibus.* Suarez *lib 6. de voto, capit.3.* Fillucius *tractat.26. num.183.* Trullench *loco cit. lib.2. capit.2. dub.37.* Clauis regia *lib.6. cap.5. num.7.* Azor. *tom.1. lib.11. cap.16. quæſt.8.* & alij communiter.

Sanchez Suar. Filliuc. Clau. regi Azor.

17. Certum eſt apud omnes, quod neque vir neque vxor vouere aliquid poteſt, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimonialis, ſine alterius conſenſu. Ratio eſt, quia votum eſt tantùm de illis rebus, quæ noſtræ ſubiacent poteſtati, non autem de illis, in quibus alteri ſubiecti ſumus. Cùm igitur coniuges corporis poteſtatem commutarint coniugaliter, ideò in hoc ſibi præiudicare non poſſunt, ergo alter coniux in alterius præiudicium vouere non poteſt. Proinde vnus coniugum caſtitatem, abſtinentiam, longam peregrinationem, & alia ſimilia vouere nequit, ſine conſenſu alterius, quibus coniugale debitum impeditur, ne vel omninò reddi poſſit, aut ſaltem congruè non poſſit; vxor tamen poteſt vouere ea, quæ non ſunt in præiudicium viri, ſicut, & è contra. Vnde ſi vouit ea quæ ſunt parui momenti, quæ adimpleri poſſunt ab ipſa ſine moleſtia, & damno viri ſui, nec diminuunt bona communia, quorum adminiſtratio ſpectat ad maritum, ſunt valida, licet ſint facta ſine licentia mariti, & ideò non poteſt vir illa irritare; cuiuſmodi ſunt vota de non mentiendo, de non periurando, non adulterando, & ſimilia; vel ſi ſit votum fundendi aliquas orationes, moderatè ieiunandi, ſiue abſtinendi ſe ab aliquo cibo, cuius abſtinentia non impediat bona matrimonij, nec moleſtiam afferat viro ſuo; vel ſi ſit votum faciendi aliquam eleemoſynam pauperibus de ſuis bonis paraphernalibus, quorum adminiſtratio ad ipſam ſpectat. Ratio eſt, quia adimpletio dictorum votorum nullam moleſtiam inferat marito, & ideò non debet, neque poteſt illa impedire, ne ab vxore impleantur. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt. 88. articul. 8.* Syluius *ibidem, concluſ.7.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap.2. dub.11. numer.3.* Geſualdus *in Theolog. moral. part.3. tractat.24. cap.4. numer.32. & 33.* Clauis regia *lib.6. capit.5. numer. 8.* Nauarrus *in Manual. capit. 12. numer. 61.* & communis. Vide dicta *tom.1. verb. Votum V. num. 5. & ſequentibus.*

D. Thom. Sylu. Clau. reg. Nauar.

18. Epiſcopi non poſſunt vouere ſine licentia Papæ, vel poſt Epiſcopatum votum emiſſum implere, per quod diſſoluitur vinculum, quo ſuæ Eccleſiæ ſunt adſtricti, vt colligitur ex *cap. Niſi cum pridem, de renunciat. & cap. Licet, de regular. & capit. Magnæ, de voto, & voti redempt.* Nec poſſunt quippiam vouere, quod ſit in graue ſuarum Eccleſiarum quibus præſunt, detrimentum, puta longam aliquam peregrinationem, propter quam abeſſe debent diu à ſua Eccleſia, quod intelligitur ſine licentia Papæ. Secus autem vbi peregrinatio non eſſet longa, Innocentius, & Panormitanus *in dict. cap. Magnæ, &c.* Si voueat Religionem poſtquam iam eſt conſecratus, tenetur quantum in ſe eſt, & quantum poteſt illud implere, petendo, ſcilicet, licentiam a Papa, qua non obtenta, excuſatur, & liber eſt à voto, quia per eum non ſtat, quo minus adimpleatur: obtenta autem licentia, teneatur ad votum implendum.

Si autem vouit Religionis ingreſſum ante conſecrationem ſuam, tenetur prius votum implere, ex *cap. per tuas, de voto & voti redempt.* Licet enim ſtatus Epiſcoporum ſit perfectior ſtatu Religioſorum, vt docet D. Thomas 2.2. *quæſt.* 184. *artic.* 7. quia tamen Religionis ingreſſus & profeſſio non impedit quominus in Epiſcopum eligi poſſit, votum ſuum quantum poteſt implere tenetur. Similiter ſi factus Epiſcopus voueat aliquam longam peregrinationem ſine licentia, quamuis ad eam non teneatur, tamen tenetur ad expenſas, quæ factæ fuiſſent eundo & redeundo; laborem autem itineris, vigilijs, ieiunijs & orationibus compenſare debet, vt ſic valeat votum in ſui præiudicium, vt notarunt *in dict. cap. Magna, de voto.* Ita Syluester *verb. Votum* 3. *quæſt.* 1. Tabiena *verb. Votum* 5. *quæſt.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *quæſt.* 2. Trullench *in Decalog. libr.* 2. *capitol.* 2. *dub.* 11. *numer.* 8. *& dub.* 31. *numer.* 3. Clauis regia *libr.* 6. *capitol.* 5. *numer.* 5. & alij multi.

Syluest.
Tabiena.
Azor.
Clau. reg.

Quamuis in hoc vltimo voto longæ peregrinationis, poſito quod validum eſſet, Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 25. *n.* 41. non approbet Epiſcopum teneri ad expenſas eundi & redeundi. Ducitur, quia ex vi voti, tenetur tantùm implere conditionem, petendo licentiam à Pontifice, quòd ſi ille deneget ad nil obligabit votum, dum Pontifex voluntatem non reuocarit. Si autem licentiam concedat, obligabit votum ad peregrinationem, & ſi illam exequi velit, nulla opus eſt commutatione. Si autem exequi nolit, opus eſt commutatione, aut diſpenſatione, nec eſt præcisè neceſſarium commutationem fieri in eas expenſas. Quando autem votum eſſet irritum, tanquam obſtans maiori bono, nulla ſoluendi expenſa remanet obligatio. Quòd illæ non ſint per ſe promiſſæ, ſed tanquam acceſſoriæ voto perſonali, & ideò ceſſante obligatione principali, ceſſat acceſſoria. *Reg. cùm princ. ff. de reg. iur.* Nec voti irriti, ac proinde non obligantis, eſt neceſſaria aliqua commutatio. Ita probabiliter Sanchez.

Epiſcopi autem poſſunt ſine licentia Pontificis emittere votum modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum & ſimilium, quæ munus exequi non impediunt, quia in his eſt ſui iuris ad vouendum. Proinde ſi peregrinatio non excedat tempus iure conceſſum Epiſcopo ad abſentiam, votum eſt abſolutum & independens à Pontificia licentia, quia in illa non læditur Eccleſia, vt docent Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de voto, libr.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. Sanchez *loco cit. num.* 43. cum multis ibi adductis.

Suar.
Sanchez.

19. Clerici in dignitate conſtituti, aut curam animarum, ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes quales ſunt Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi & ſimiles, non poſſunt aliquam longam peregrinationem, aut aliquid aliud in detrimentum Eccleſiarum, quibus præſunt, ſine licentia Epiſcopi vouere. Conſtat ex *cap. Magna, verſ. Ipſum etiam votum, de voto,* & *cap. Non oportet el* 1. *de conſecrat. diſtinct.* 5. Alia autem vota, quæ hoc detrimentum non afferunt, vel aliquarum orationum, abſtinentiæ, eleemoſynarum, modicæ peregrinationis & ſimilium, emittere valent abſque alicuius licentia, & ſunt omninò abſoluta, vt docent Rodriquez *tom.* 2. *ſumma Latina, cap.* 90. *num.* 3. Trullench *loco citato, dub.* 11. *num.* 9. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *quæſt.* 3. Sanchez *loco citato, num.* 43. Suarez *citatus num. præcedent.* qui nouiſſimus declarat modicam peregrinationem eſſe, quæ petit abſentiam iure conceſſam. Poſſunt etiam hi votum religionis emittere & exequi, quantumuis contradicat Epiſcopus, quia tanquam ſpeciale ſtatuitur in Epiſcopo, vt eo voto nequeat ſe abſque Pontificis licentia adſtringere. Hoc conſtat ex *cap. finali* 19. *quæſtion.* 2. & docet D. Thomas 2. 2. *quæſtion.* 189. *artic.* 7. communiter receptus.

Rodriq.
Trullench
Azor.
Sanch.
Suar.
D. Thom.

An autem hi teneantur ſaltem licentiam petere ab Epiſcopo, vt votum ſuum religionis exequantur? Affirmant multi apud Sanchez *loco cit. num.* 48. & probant ex *cap. licet, de regular.* Verùm ipſe contrarium tenet, quia hoc nullo iure probatur, & ideò meritò credit nullam eius licentiæ petendæ obligationem eſſe. Quia *dict. cap. licet,* de ſolis Religioſis ſtatuit eam licentiam petendam eſſe, quamuis non obtineatur. Et facit pro hac parte textus *cap. Duæ ſunt,* 19. *quæſtion.* 2. quod eſt Vrbani II. qui abſolutè licentiam tranſitus ad religionem his conceſſit.

20. Filiusfamilias pubes votum reale ante 25. annum emittere non poteſt, quin à parentibus irritari queat vel à curatoribus. Ratio eſt, quia toto hoc tempore adoleſcentes ſunt ſub cura parentum, in iis, quæ pertinent ad diſpenſationem bonorum ſuorum, ita vt de bonis ſuis, ſine eorum licentia nihil diſpenſare poſſunt, ſed hoc intelligendum eſt de bonis paternis; ſi enim filij haberent bona caſtrenſia, id eſt, quæ in bello vel eius occaſione parta ſunt, vel quaſi caſtrenſia, vt ſunt acquiſita ratione Beneficii, Officii publici, aut Artis liberalis, ſicut de illis poſſunt liberè diſponere, eo quod eorum habeant adminiſtrationem; ita poſſunt liberè, & independenter à patria poteſtate vouere. Ita communiter Doctores.

An autem Religioſi poſſint votum emittere abſque Superioris conſenſu? Diximus *tom.* 1. *verb. Votum V. numero* 12. quod ſic, quamdiu Prælatus non commutauerit, diſpenſauerit, aut irritauerit, quia talis materia eſt in ſe licita, & materia virtutis & voti, cùm non ſit prohibita, ſubintelligitur enim conditio negatiua, niſi Prælatus contradicat, ergo obligat in conſcientia quoad vſque accedat Prælati prohibitio & irritatio. Tale eſt votum dicendi ſeptem Pſalmos, orandi, ieiunandi, &c. Proinde liberum eſt vouenti huiuſmodi res, vel manifeſtare, vel celare Superiori tale votum, cùm in hoc ſubditus vtatur iure ſuo. Et quidem ſi huiuſmodi vota facta libenter, & commodè adimplere poſſit, poteſt ea celare Prælato, ne ab eo irritentur; ſed ſi grauia ſint, & difficulter ea perſoluere valet, poteſt ea Prælato aperire, vt ea irritet; nec peccat Religioſus ita faciendo, ſed vtitur iure ſuo. Ita Sotus *l.* 7 *de iuſt. q.* 3. *art.* 1. Aragon *in* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. *dub.* 1. *concl.* 2. Summa Corona *p.* 3. *tr. de voto, n.* 6. & alij.

Si tamen Religioſus vouerit aliquid regulæ repugnans, puta orare in Templo, quando debet eſſe in cubiculo, non poteſt votum ſuum exequi antequam Superior conſentiat, & in regula diſpenſet, vnde tenetur tale votum Superiori indicare; ad hoc enim cenſetur ſe Religioſus tacitè obligaſſe, alioquin votum fruſtra factum eſſet. Quod ſi Religioſus illud vouerit, vt clam Superiore intenderit exequi, votum eſt irritum, quia materia prohibita. Si autem ab initio materia votata non erat prohibita, poſtea tamen prohibetur, tunc non poteſt exequi votum eo tempore, quo durat prohibitio: ceſſante tamen prohibitione, rurſus tenetur, & voti obligatio reuiuiſcit, quia non fuit irritatum à Superiore, ſed ſolùm conſopitum ob mutationem materiæ. Et hæc de perſonis, quæ poſſunt validè vota facere, dicta ſufficiant.

21. Vota facta ab aliqua communitate pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, tenentur ſucceſſores iſtius populi ſeruare; puta ſi de conſenſu Epiſcopi aliqua vniuerſitas faceret aliqua vota publica obligando ſe, & ſucceſſores ad ſeruanda aliqua ieiunia, ſeu dies feſtiuos ex voto. Quamuis enim ſucceſſores non teneantur huiuſmodi vota ſeruare ratione voti, quod ipſi non fecerunt, eo quòd votum eſt actio perſonalis ipſius vouentis, & non tranſit de perſona in perſonam. Tenentur tamen huiuſmodi feſta ſiue ieiunia ſeruare non ratione voti, ſed ratione conſuetudinis acceptatæ, quæ vim legis habet, & talis obligatio tranſit ad ſucceſſores, in ratione legis, vel præcepti facti ab Epiſcopo, vt tale votum factum ab omnibus ſeruetur, tanquam lex vel ratione cuiuſdam pacti, cuius obligatio tranſit ad ſucceſſores; ideoque violantes huiuſmodi pacta ſiue leges peccant, non contra votum, ſed contra præceptum Superioris præcipientis obſeruari rem illam promiſſam. Requiritur autem conſenſus Epiſcopi, quia populus ex ſe non poteſt obligare ſucceſſores ad acceptandum, vel ſeruandum votum, cùm materia voti ſit res Spiritualis. Ita Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 15. *numer.* 19 Vaſquez 1. 2. *diſputat.* 167. *num.* 34. *& diſp.* 177. *n.* 22. Suarez *tom.* 13 *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.*

Sanch.
Vaſq.
Suar.
Bonac.

Digitized by Google

Bonac. *ſect.5. & lib.4 de voto, cap.9.num.6.* Bonac. *tom.2.diſp.4. quæſt.2.punct.5.§.2.n.20.*& alii.

An autem regulares exempti teneantur ſeruare huiuſmodi vota facta à communitate ex conſenſu Epiſcopi illius loci ſub præcepto? diximus *tom.1. verb. Ieiunium 2. num.5.verſ.Dubium ſecundum.*

22. Donatarius non tenetur ad realia donantis vota, ſi donans ſua vota præſtare nequiuit, aut non ſit ſoluendo, aut mortuus ſit, etiamſi donatarius acceperit ſciens donantem effici impotentem ob id ad perſoluendum votum. Ratio eſt, tum quia rem accepit à vero domino, ſine vllo onere, tum quia donatarius, aut legatarius non tenetur ad perſoluenda defuncti debita ex iuſtitia, ergo multò minùs tenetur ad vota, quæ non ſunt debita ex iuſtitia, ſed ex religione, niſi fortè donator hoc onus impoſuerit donatario. Tum quia qui aliquid accepit contra votum alterius acquiſiuit ius & poteſt re accepta liberè vti, cùm eam acceperit à vero domino, nec peccauerit contra iuſtitiam commutatiuam accipiendo, ſicut qui contraxit matrimonium cum fœmina ſciens eam caſtitatis voto aſtrictam, acquiſiuit ius in corpus illius, & liberè illa vtitur ad actus coniugales reddendos, & petendos, vt docent Sanchez *de matrim.lib.9.diſp.33.num.2.* & *lib.4.moral.c.15.num.34.* Suarez *lib.4.de voto, cap.16. num.12.* Trullench *in Decalog.libr.2. cap.2.dub.15. numer.15.* & alij. Sanch. Suar. Trullench

23. Non tenetur hæres illius, qui profeſſionem in Religione approbata emiſit, ad vota realia Religioſi profeſſi, niſi fortè hæc vota priùs acceptata fuerint ab eo in cuius fauorem facta ſunt. Ratio eſt, quia vota non ſolùm perſonalia, verùm etiam realia extinguuntur per profeſſionem, iuxta probabiliorem Doctorum opinionem, hæres autem non tenetur ad onera alterius extincta; & ob id hæres qui ſuccedit alteri poſtquam alter obtinuit commutationem, vel irritationem voti realis, non tenetur ad illud, nam hæres non ſuccedit in onera extincta. Si tamen hæc vota ante profeſſionem intimata eſſent parti, in cuius fauorem ſunt, & ab ea acceptata, teneretur Monaſterium ſuccedens in bona, aut quilibet alius hæres ea perſoluere. Cùm enim eſſet iam ius illi parti acquiſitum, non tollitur per Religionis profeſſionem. Ita Sanchez *libr.4. moral. capit.15. numer.32.* Bonacina *loco citato §. 2. numer.8.* Trullench *loco citat. numer.6.* Sanch. Bonac.

Dubium tamen eſt, ſi Religioſus tempore profeſſionis expreſsè intendebat ſua vota non extingui, nec in onera Religionis commutari, an hæres tunc teneatur vota realia Religioſi perſoluere? Affirmat Bonacina *loco citato, punct.5.§.2. num.9.* modo Superior non intenderit vota Religioſi irritare ipſo inuito. Ducitur, quia vota realia non ſunt extincta, neque per irritationem, neque per commutationem, cùm hæc non fiat ſine conſenſu vouentis ergo adhuc viget obligatio realis; hæc autem tranſmittitur ad hæredem. Verùm probabilior ſententia aſſerit, nec Monaſterium, nec quemcumque alium hæredem teneri ea perſoluere. Ratio eſt, quia commutatio votorum realium, quæ fit per profeſſionem, non ſumit vires à conſenſu, aut voluntate profeſſi, ſed à natura ipſius profeſſionis, & ſtatus perfectionis. Tum quia ſi eam intentionem habuit Religioſus ante profeſſionis inſtans, eſt ipſo iure ab illis votis abſolutus. Si verò ipſo profeſſionis inſtanti, iudicandum eſt de illis votis perinde ac de emiſsis poſt profeſſionem, quæ à Superiori irritari poſſunt, quia cenſentur poſt profeſſionem emiſſa, at vota realia poſt profeſſionem emiſſa nequeunt obligare hæredem, cùm iam hæres ſucceſſerit. Ita Sanchez *loco citat.* Syluest. *verb. Votum 4.quæſt.7.dicto 3.* Trullench *loco citato.* Sanch. Sylu. Trullench

24. Quando vouens emiſit votum reale ſimpliciter, & eo non adimpleto mortuus eſt, obligatio voti tranſmittitur ad hæredem, vt habet communis Theologorum ſententia, poſtquam hæreditatem adiit. Sed dubium eſt, an obligetur hæres, ſi defunctus ante mortem expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri? Et quidem pro parte negatiua facit, quòd votum non inducat obligationem vltra intentionem vouentis, ſed hic vouens non obligauit bona ſua, & per conſequens neque hæredem ea poſsidentem, imò expreſſe ab hoc onere illum liberauit, ergo non tenetur huiuſmodi votum hæres adimplere. Propter hanc rationem Bonacina *tom.2. diſp.4.quæſt.2. punct.5.§.2.n.12.* Trullench *loco citato, dub.15. num.8.* eximunt hunc hæredem ab obligatione ſoluendi tale votum, quorum ſententia non eſt improbabilis. Sed mihi magis placet quod docet Sanchez *lib.4. moral. cap.15.num.28.* nempe ad id votum hæredem teneri velit, nolit defunctus. Ratio eſt, quia eſſe hæredem eſſentialiter importat recipere bona defuncti, repræſentando eius perſonam quoad omnem obligationem defuncti, quantum ad eorum adminiſtrationem, quod ſatis colligitur ex eo quòd tradunt Auctores dicentes hæredem teneri ad hæc defuncti vota, ſicut ad alia eiuſdem debita perſoluenda. Clau.reg. *lib.6.cap.7. dub.6.n.13.* Nauar. *in Manual. cap.12.n.56.* Leſsius *lib.2.cap.40.dub.8.n.65.* Azor. *tom.1. lib.11.c.15.quæſit.15.*& communis. Clau.reg. Nauar. Leſſius. Azor.

25. Quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei, & ſolutio pœnæ, ea re non vitata, duplex votum eſt ſaltem virtute, alterum abſolutum illius rei promiſſæ, alterum verò conditionale pœnale illius pœnæ, vt ſi quis voueat ſe non luſurum ſub tali pœna: quare tunc ludendo peccatur contra votum, & remanet ſub eodem vinculo obligatio ad pœnam; id eſt remanet obligatio abſoluta voti pœnalis. Quando autem votum fit de ſola pœna, & res vitanda ponitur ſub conditione, in cuius euentu promittitur pœna, vt ſi quis voueat Religionem ſi luſerit, tunc eſt vnicum ſolius pœnæ ſubeundæ votum, caſu quo ludatur. Quare ludendo non peccatur contra votum, ſed manet ſub eo vinculo obligatio ad pœnam. Ratio differentiæ eſt, quia priori modo promittitur res illa, & pœna, at poſteriori ſola pœna. Ita Azor. *tom.1. lib.11.cap.7.quæſt.8.* Trullench *in Decalog. lib.12. cap.2. dub.26.numer.2.& 3.* Medina *1. 2. queſtion.96. artic.4. ad 2.* Sanchez *lib.4.moral.caput.22.num.3.* Qui idem dicendum putant in iuramento pœnali, ſicut de voto. Azor. Trull. Medina. Sanchez

26. Quando materia principalis voti vel iuramenti verè pœnalis eſt inepta, puta, quia res eſt mala, vel indifferens, vel impoſſibilis ſimpliciter, non obligat votum pœnale, Ratio eſt, quia pœna non per ſe, & principaliter promittitur, ſed vt acceſſoria voto principali; cùm ergo principalis obligatio non ſubſiſtat, nec acceſſoria eius naturam ſequens ſubſiſtet. *Reg. Acceſſorium. de regul.iur. in 6.* & *Reg. Cum principalis, ff.de reg.iur.* Atque idem dicendum eſt, ſi eſſet votum ſolius pœnæ, caſu quo verè pœnale eſt. Si enim res principalis, quam vouens intendebat exequi, aut vitare, & in cuius euentu eam pœnam ſibi ſtatuit, non eſt apta voti, vel iuramenti materia; ita vt hæc de illis emiſſa non obligarent, nec votum, vel iuramentum de ea obligant. Vt ſi quis volens vindictam ſumere de aliquo, vel nolens ludere in domo certa, vel certo ludo, caſu quo hæc ſint indifferentia, voueat vel iuret in ſenſu pœnali, ſe ingreſſurum Religionem, ſi vindictam non ſumpſerit, aut ſi ingreſſus fuerit ad ludendum illam domum, vel eo ludo, eſt prorſus irritum votum. Ratio eſt, quia materia illa bona promiſſa non promittitur per ſe & principaliter, ſed in pœnam illius rei omiſſæ, aut commiſſæ. At ingreſſus Religionis in illius pœnam non pertinet ad Dei obſequium, ſicut nec res illa principalis. Quod procedit etiamſi quando vouit, falsò putarit ſe obligari ad pœnam illam, quia ignorantia vouentis nullam obligationem inducere poteſt, quando materia non eſt apta ad inducendum obligationem. Ita Sanchez *loco citato, num.4.5. & 6.* Trullench *loco cit.num.4.* & alij, quibus addo Layman *lib.4 tract.4. cap.5.num.2.* Sanch. Layman

27. Quando aufertur principalis voti obligatio per irritationem, commutationem vel diſpenſationem ante incurſam pœnam, aufertur conſequenter obligatio pœnæ; vt ſi quis votum non ludendi emiſit, ſub pœna ingreſſus Religionis, ablato voto non ludendi, cenſetur etiam ablata obligatio ingrediendi Religionem, licet de ea diſpenſationis impetratione nulla mentio ſit facta. Ratio eſt, tum quia pœna habet ordinem ad

ad tranſgreſſionem, atqui poſt diſpenſationem, commutationem, vel irritationem locum non habet tranſgreſſio voti, ergo neque pœna. Tum quia non eſt per ſe promiſsa pœna, nec eſt pars materiæ principalis, nec eius obligatio eſt contracta, ſed tantùm ſe habet tanquam conſequens, & concomitans voti principalis oblationem, & ſic ſolùm habenda eſt ratio principalis materiæ. Secus verò eſt, ſi præuaricatio voti ſemel accidit, ideoque pœna contracta eſt, tunc enim vtrumque vinculum per ſe obligat; ideò, vt vnius ſolutio per diſpenſationem, &c. non trahat ſecum ſolutionem alterius, & ideò tunc neceſsaria eſt ſpecialis eius mentio in diſpenſatione, & commutatione, nec ſufficit, ſi hæc fiant ſolùm circa votum principale, ac proinde eo tunc ſublato principali, nulla mentione facta pœne iam incurſæ, non valebit diſpenſatio. Ratio huius eſt, quia tunc obligatio pœne habet ſe independenter à voto principali, & ab eo poteſt ſeparari, & licet materia voti principalis tunc redderetur omnino inepta, obligatio tamen pœne iam contracta extingueretur. Ita Sanchez *vbi ſuprà, cap.* 22. *num.* 9. Layman *loco cit. corrollar.* 2. Trullench *loco citato, dub.* 26. *num.* 7.

Sanch. Layman. Trullench

28. Dubium eſt, an votum pœnale ſolùm obliget prima vice ad pœnam, an verò toties quoties quis illud violauerit? Et quidem certum eſt, quando vouens expreſſit ſuæ intentionis eſſe velle obligari ad toties quoties, eo modo teneri; è contra verò ſi expreſſit ad ſolam primam vicem, ſola ea obligatur: Difficultas eſt ergo quando nihil expreſſit, ſed abſolutè dixit, v.g. Si luſero, voueo peregrinationem Romanam, vel Religionem ingredi, vel dare centum in eleemoſynam. Aut ſi dicat voueo non ludere, etſi luſero voueo dare centum, &c. Eman. Sà *verb. Votum, num.* 26. docet, *Vouens ſe aliquid facturum, ſi contingat ſæpè peccare, intelligitur de prima vice, niſi intendiſſet expreſſe quoties peccaſſet*. Ratio eſſe poteſt, quia pœnæ multiplicandæ non ſunt abſque manifeſta ratione, neque obligatio voti in caſu dubio extendenda eſt. Sed poſitis ſupradictis verbis eſt ſatis dubium, an vouens vouerit ſe obligare ad pœnam illam ſubeundam, quoties luſerit: quia ſolùm ex illis colligitur ſe vouiſſe obligare ad illam pœnam, ſi de facto luſerit, quod vnica vice completur, ergo ſic eſt interpretandum. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quando ſolum eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi. Quando autem eſt duplex votum, nempe de vitando ludo & caſu quo illum non vitauerit ſe ſubiturum talem pœnam, tunc dicendum eſt vouentem non ſolùm pro prima vice obligari, ſed ſemper & toties quoties præuaricabitur votum, ſi pœna iterabilis eſt, vt eleemoſyna, oratio, &c. Si autem pęna grauiſsima ſit, & quæ iterari non ſolet, qualis eſt Religionis, peregrinationis Romanæ, aut exorbitantis eleemoſynæ, de prima vice tantum votum intelligendum eſſe, vbi non conſtaret de alia expreſſa vouentis intentione. Ratio prioris eſt, quia votum illud pęnale eſt acceſſorium voto non ludendi, ſed votum non ludendi non eſt de ſola prima vice. Ergo neque illud votum pęnæ ſubeundæ debet eſſe; votum enim pęnæ aſſumitur ad ſe continendum à ludo, ſed vouens non ſolùm ſemel, ſed in perpetuum intendit ſe à ludo continere. Ergo votum pęnæ non vnico ludo, ſed omnibus annexum eſt. Ita ex parte Sanchez *lib.* 4. *moral. capit.* 22. *num.* 21. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 5. *numer.* 4. Caſtrus Palaus *tom* 3. *tract.* 15. *diſp.* 1. *punct.* 18. *num.* 6. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 26. *nu.* 10. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 181. & *part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 60.

Laym. Palaus, Diana.

29. Quando tranſgreſsio voti pęnalis immunis eſt à culpa ratione obliuionis, excuſatur etiam a pęna; vt ſi quis vouit non fornicari ſub pęna religionis, & dum fornicatur omninò eſt immemor voti pęnalis. Ratio eſt, quia pęna voto promiſsa fuit in illius peccati tranſgreſsionis pęnam, at tunc nullum fuit peccatum, tranſgrediendo ſcilicet votum omnino oblitum, ergo, &c. Tum quia, quoties aliquis ob ignorantiam, ſeu obliuionem, rem principalem perficere omiſit, non tenetur pęnam præſtare, quippe quæ locum non habet, vbi voluntaria tranſgreſsio non eſt. Tum quia pęna iure nouo ſtatuta non incurritur ab ignorante illud inuincibiliter, ſed ignorantiæ æquiparatur naturalis, & inuincibilis obliuio, cùm æquè vtraque excuſent ab eius tranſgreſsione; at votum non aliter obligat quàm lex, ergo vbi aderit naturalis obliuio illius voti pęnalis, non incurretur pęna illo voto ſtatuta. Ita Sanchez *loco citato, num.* 18. & *lib.* 9 *de matrimon. diſp.* 32. *num.* 9. Layman *loco citat. num.* 3. Trullench *citat. num.* 9. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſolut.* 41. *verſ. Notandum eſt*, Qui duo nouiſsimi idem dicendum exiſtimant probabiliter, quando fornicans eſt memor voti, immemor tamen pęnæ adiectæ voto; tunc enim propter rationes dictas excuſatur a pęna voti, nempe ingreſsus religionis, & admittit vt probabile Sanchez *illo cap.* 22. *num.* 19. apud quem plura de voto pœnali.

Sanch. Laym. Diana.

30. Votum merè conditionale eſt, quando conſenſus non eſt ſtatim perfectus, & abſolutus, ſed pendet ex futuro euentu poſito ſub conditione, & non quaſi determinatione temporis, nec res promiſſa ponitur quaſi odioſa pœna, & ſupplicium alicuius rei, vt ſi quis morbo oppreſſus, aut in periculo conſtitutus promiſit Deo religionem intrare, ſi incolumis euaſerit, eſt votum merè conditionale: quia ſic vouens init quaſi contractum cum Deo innominatum, faciam ſcilicet vt facias, id eſt, ſi mihi conceſſeris, quod peto, ingrediar religionem; vnde voluntas ſic vouentis non fertur directè in religionem, ſed in conſeruationem incolumitatis, ad quam obtinendam offert Deo religionem.

Aduertendum tamen eſt votum conditionale aliquando eſſe verè tale, aliquando autem tantùm apparenter. Tunc eſt verè conditionale, quando particula, *Si*, retinet ſuam naturam, quæ eſt impedire conſenſum perfectum, illumque ſuſpendere in alicuius conditionis euentum, vt ſi Deus me ab hoc peccato præſeruauerit, voueo religionem. Apparenter autem conditionale tunc eſt, quando particula, *Si*, æquiualet particulæ, *quando*, ita vt ſenſus ſit, quando hoc, vel aliud euenerit, vt ſi pater obierit, promitto religionem; ſenſus enim eſt, quando pater obierit: atque hic eſt communiter voti ſenſus, quando aliquis ex affectu ad rem promiſsam illam vouet, & ob impedimentum præſens differt voti executionem ad tempus, in quo illud impedimentum ceſsabit.

Conditio quæ in voto apponitur, aut eſt contra ſubſtantiam voti, aut eſt impoſſibilis, aut turpis, aut neceſſaria, aut contingens & honeſta. Quibus poſitis dicendum eſt.

Primò, votum factum ſub conditione contra naturam & ſubſtantiam voti, aut rei, quæ voto promittitur, eſt inualidum, ex *cap. final. de condition. appoſit.* vt ſi quis voueret ingredi Religionem ea conditione appoſita, vt ad votum reddendum non teneatur, vel vt proprium quid ſibi referuet; tale namque votum nullum & irritum eſt, quia poſſidere proprium cum ſolemni Religionis profeſſione pugnat. Ita Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 23. *num.* 10. Sylueſter *verb. Religio* 3. *queſt.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 9. Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 3.

Sanchez. Syluest. Azor Clau. Reg.

31. Votum factum ſub conditione impoſſibili inualidum eſt; quia vouens ſub conditione, non vult obligari, niſi ea conditione poſita: cùm autem conditio impoſſibilis poni nequeat, fit vt vouens non remaneat vinculo voti abſtrictus. Quod procedit ſiue conditio impoſſibilis ſit præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri temporis, ratio enim tradita militat in omnibus. Procedit etiam etiamſi vouens reputaret eam conditionem poſſibilem; nam maiori ratione votum tunc eſſet irritum, vouens enim non intendit ſe obligare, niſi ſub ea conditione, quam apprehendit. Nec eſt eadem ratio voti, & matrimonij in quo conditio impoſſibilis habetur pro non adiecta, vt diximus *tom.* 1. *verb. Matrimonium VI. num.* 5. quia hoc eſt ſpecialiter ſtatutum in aliquibus contractibus, at in voto nullibi habetur conditiones impoſſibiles reijci. Nec fauor matrimonij, ob quem id in illo ſancitum eſt, militat in voto. Quippe is fauor eſt, quod iura ſtatuant in dubio præſumendum in matrimonij fauorem, ne periculum ſit ſeparandi legitimè coniugatos & tranſeundi ad alias nuptias, quod periculum non eſt in voto. Ita Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 206. *concluſ.* 1. *in fine*. Sanchez *loco cit. cap.* 23. *num* 8. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 4. Clauis regia *lib.* 6, *cap.* 8.

Molina. Sanch. Trullench.

c.8.n.3. & alii. Ex quo ſit, votum factum ſub hac conditione impoſſibili, ſi cœlum digito tetigero, eſſe inualidum, quia cùm conditio adimpleri non poſſit, inducit nullitatem conſenſus.

32. Conditio turpis, vt plurimum reddit votum inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire, quia vouens ſub conditione turpi, moraliter loquendo, dirigit votum ad malum finem, conſequenter cenſetur vouere ad malum finem. Tamen ſi in aliquo caſu non ordinaretur ad malum finem, ſed ſolùm haberet vim conditionis, nec vouens ad illam conditionem turpem votum, illud eſſet validum, ſi vouens intendat illam conditionem adimpleri, ſiue non. Ratio eſt, quia in vtroque euentu pendet votum ab eo malo, tanquam à ſola conditione. Ita Angelus *verb. Votum* 1. *fine*. Sanchez *loc. cit. cap.6.numero* 17. Vaſquez *in opuſc. de reſtitut. cap. 7. dub.* 1 *t.numer.*104. Bonacina *tom.2.diſput.4.quæſt. 2. punct. 2. num.3. verſi Dico tertiò*. Filliutius *tractat.* 25. *numer.* 56. & alij. *Angel. Sanch. Vaſq. Bonac.*

Conditio neceſſaria non ſuſpendit voti ualorem, ſed ſtatim eſt perfectè obligans, vt voueo Religionem, ſi Sol cras oriatur; quia cùm ea conditio ſit neceſſariò euentura, habetur ſtatim pro impleta. Si tamen tempus aliquod promiſſioni adiiciatur, non obligabit votum vſque ad id tempus, vt voueo Religionem ab hinc uno anno, ſi Sol oriatur, tunc enim non tenetur, niſi anno aſſignato tranſacto. Non quia conditio illa conſenſum ſuſpendat, ſed quia dies executioni præfinita eſt, & ita vſque ad illam diem non obligat, ſicut nec obligaret, ea conditione neceſſaria non adiecta. Ita Azor. *t.1.l.11.c.15.q.9.* Sanch. *loco citato, c.23.n.5.* Trullench *loco citato, dub. 27.num* 3. & communis. *Azor. Sanch.*

33. Conditio contingens futuri temporis, & honeſta, ſuſpendit voti obligationem, illudque verè conditionale reddit, non obligans, donec ea euenerit. Conſtat ex *cap. Super eo, de condit. appoſitis*. Ratio eſt, quia conditionis natura eſt, vt actus valorem ſuſpendat vſque ad eius aduentum, & nullo iure reijciuntur conditiones honeſtæ, & poſſibiles à voto: quòd procedit etiamſi pars conditionis impleta ſit, debet enim tota impleri vt votum obliget: vt ſi quis promiſit Religionem, ſi frater Africa ſanus redierit, & redeat infirmus, non tenetur voto; quia eſt uerum dicere conditionem impletam non eſſe, ea parte non impleta. At ſi uotum conditionale ſit diſiunctiuum, impleta una parte obligat, ut ſi quis voueat eleemoſynam, ſi frater, vel pater è bello incolumis euadat, tenetur dare eleemoſynam, ſi vnus eorum incolumis euadat, altero pereunte. Ita Clauis regia *lib.6 capit.9.numero* 3. Bonacina *loco cit.numer.3. verſ. Dico quintò*. Sanchez *cap. 23.numer* 6. & alii. *Bonac. Sanch.*

34. Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, & vouens intendit ſe obligare dependenter ab adimpletione omnium conditionum deficiente vna, deſinit obligatio voti. Si verò mens vouentis ſit ſe obligare dependenter diuiſiuè, itaut euentu cuiuſcumque ex illis maneat obligatus, obligatum votum vna eueniente, etſi cæteræ deficiant, quia tota voti obligatio ex vouentis voluntate conſurgit. Quod ſi dubium ſi vtro horum modorum intenderit ſe obligare, non tenetur ſtare voto antequam adimpletæ ſint omnes conditiones oppoſitæ copulatiuè per particulam, *Et*, non verò diſiunctiuè per particulam, *vel*. Ratio eſt, quia dum eæ omnes non adimplentur ſtat poſſeſſio pro voluntatis libertate, ſicut quando ſub vna emittitur, dum illa non adimpletur. Tum quia verba accipienda ſunt iuxta propriam ipſorum ſignificationem, & naturam; propria autem ſignificatio orationis copulatiuæ petit coniunctionem, & veritatem vtriuſque partis. Si ergo votum ſub pluribus conditionibus copulatiuè emiſſum ſit, non obligabit antequam impletæ ſint omnes conditiones copulatiuè poſitæ. Ita Azor. *t.1.l.11.c.15.q.9. verſ. Poſtremò conditio*. Sanchez *l.4.moral.c.23.n.19.* & 20. Trullench *in Decalog.l.2.c.2.dub.27.num.*8. Bonacina *loco cit.n.4.* *Azor. Sanch. Trullench Bonac.*

Demum eſt hic notandum, conditionem apponi debere in ipſo vouendi, ſeu promittendi actu; nam ſi ſemel promiſſio abſolutè facta, adeòque perfecta fuerit, non licet deinde illi conditionem, reſtrictionem, vel grauamen aliquod adiungere; quia cùm votum illud ſemel abſolutè emiſſum, ſuam integram perfectionem conſecutum ſit, nec ab eo liceat recedere, nullam admittit conditionem, iuxta *l. 4. C. de donat. quæ ſub modo*, ibi; *Perfecta donatio conditiones poſtea non capit.* Et ex communi docet Sanch. *lib.5.de matrimon.diſputat.6.num.3. & lib. 4. moral.cap. 23.num.7.* *Sanch.*

35. Vouens aliquid ſub conditione futura, non poteſt aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti executionē ſecuta conditione. Vt ſi quis vouit caſtitatem, vel religionem, vel ad ſacros Ordines aſcenſurum, ſi Deus certum beneficium ſibi conceſſerit, quamuis non teneatur ad hæc, donec id beneficium recipiat, at tenetur interim non tranſire ad matrimonium quo aptum voto exequendo ſe ſeruet, ſi conditio acciderit. Ratio eſt, quia ſicut vouens non poteſt ante conditionis euentum recedere à voto, ita neque poteſt reddere ſe ineptum ad voti executionem.

Limitatur tamen hæc concluſio, niſi conditio talis eſſet, vt eam apponi penderet ex libera vouentis voluntate, nam ſi conditio ab ipſius uoluntate pendeat, non videtur peccare vouens, licet eam euitet ob hanc ipſam cauſam, ne uoti obligationem contrahat. Item, ſi vouens reſeruarit ſibi libertatem adimplendi, aut omittendi eam conditionem, non peccat reddendo ſe ineptum, aut impediendo conditionis euentum, vnde ſi quis Religionem voueat hoc modo, ſi Religionem ingrediar, ero Dominicanus, non peccat contrahendo matrimonium, quia ſicut eſt in libertate ipſius vouentis ingredi Religionem, ſeu adimplere conditionem, ita etiam eſt in ipſius libertate matrimonio copulari, uel non.

Secundò limitatur, niſi iam moraliter certum ſit non poſſe conditionem impleri, nam ſi conditio ſit impoſſibilis, aut uouens moraliter ſciat conditionem minimè euenturam non peccat faciendo aliquid, quod de ſe ſit impoſſibile adimpletionē uoti emiſſi; quia cum præuideat fore, ut non teneatur ad uotum implendum, perinde eſt, ac ſi votum non feciſſet: fruſtra enim expectatur effectus, cuius nullus eſt euentus, & fruſtra expectatur dies, cuius acceſſus nil operari debet, *l. Aliquando, ff. ad Velleian.* Ita Sanch. *l.4.c.23.n.28* Et de hoc caſu vide Clauem regiam *l.6.c.8.n.4.* Laym. *l.4 tr.4 c.6.n.2.* Nauarr. *in Manual. c. 12.n.42. verſ. Vndecimo*, Suar. *l.4. de voto, c.17 n. 9. & 15*, Bona. *loco cit.n.5.* *Sanch. Laym. Nauar.*

36. Dubium eſt inter Doctores, ſi aliquis per fraudem impediat, quominus conditio eueniat, an voto obligetur perinde, ac ſi conditio impleta eſſet? ver.g. ſi quis voueat ſub conditione, ſi impetret ſanitatem, & ob intemperantiam non obtineat: vel ſi voueat Religionem, ſi intra annū non fornicetur, poſtea tamen fornicatur, ne voto teneatur. In hoc duplex eſt ſententia. Pro negatiua facit, quòd ex nulla ratione colligatur vouentem ſub conditione, voluiſſe ſe obligare illa quomodocumque non eueniente; quia ex eo quod virtute ſe obligarit ad non impediendam conditionem ſequitur eum peccare in votum, impediendo euentum, non tamen ſequitur ipſum manere obligatum ad rem ſub conditione promiſſam, quia ad eam non ſe obligauit, niſi conditione eueniente, & nondum euenit, Deinde vel talis vouens qui fraude poſtea vſus eſt, ad voti executionem obligatur, ratione conditionis impletæ, vel ratione peccati commiſſi. Neutrum dici poteſt, non primum, quia reuera conditio impleta non eſt, & incertum eſt, etiamſi is fraude vſus non eſſet, vtrum conditio, quæ natura ſuapte eſt contingens, impleta fuiſſet, necne. Neque ſecundum dici poteſt, nam hoc diſcrimen eſt inter violationem promiſſionis Deo factæ, & violationem promiſſionis homini factæ, quod illa obliget ad pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccato, & iniuria Deo illata, hæc vero ad compenſationem ſiue reſtitutionem damni homini illati. Ita probabiliter ſentiunt Maior *in 4. diſtin. 38.q.1. corollar.* & poſt illum Suarez *lib.4.de voto, cap.17. num.20.* Layman *l.4. tract. 4.cap.6.num.* 4. Filliucius *tra. 26.num.158.* *Suar. Laym. Fil.*

His tamen non obſtantibus affirmatiua ſententia, vt

in l. in

Digitized by Google

probabilior, eſt amplexanda, & eſt iuri conformior. Nam *in l. executioni, §. finali, ff. de verbor. obligat.* dicitur, *Quicumque ſub conditione obligatus curauerit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur*. Conſentit *regula 66. in 6.* ubi habetur, *Cum non ſtat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet*. Ratio eſt, quia quoties apponitur conditio dependens ab alijs cauſis, ſiue naturalibus, ſiue liberis, quæ licitè impediri nequit, uerus conditionis ſenſus eſt, ſi per alias cauſas nihil inuoluntarias non ſteterit, quominus hoc fiat, voueo talem rem; & præſumitur virtualiter vouentis intentio ea eſſe, dum de alia non conſtat, obligandi ſe ad id uotum, niſi conditio ob alias cauſas defecerit. Tum quia ſi quis promittat Titio decem, ſi domum promittentis ingrediatur, nemo promittentem eximet de obligatione ſtandi promiſſis ſi Titio ingredi uolenti foreas domus claudat ne ingrediatur. Demum quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent. Ita in propriis uoti terminis tenent Sanchez *l. 4. moral. c. 23. num. 47.* Clauis regia *l. 6. c. 8. numer. 4.* Bonacina *tom. 2. diſp. 4. q. 2. punct. 2. numero 6.* Nauar. *in Man. c. 12. num. 42.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 20. quæſt. vlt.* & alii multi penes ipſos citati. Diana *p. 9. tra. 8. reſol. 3.*

Sanch. Bonac. Nauar. Azor. Diana.

37. Tenetur ſimiliter uoto, qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in uoti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit. Sed hæc concluſio ſicut, & præcedens cum duplici limitatione intelligenda eſt. *Prior* eſt, vt intelligitur, quando conditio pendet ex unico actu, ſeu impeditur vnico actu; nam ſi non ex unico, ſed ex pluribus actibus pendeat, quamuis ſemel in voti fraudem impediatur, non illicò obligat uotum, v.g. promiſit quis religionem, ſi Deus illum à tali peccato præſeruaret, non illicò, ac tentationis fuit uictor, tenetur voto, ſed quando ita vicit, ut quaſi dominium illius tentationis in ſe experiatur. Tunc autem deficiet conditio, quando ille vel ſemel lapſus eſt, quia tunc eſt verum dicere non eſſe eum præſeruatum. Si verò data opera labatur, non ex primo lapſu cenſebitur impleta conditio, ſed quando toties in fraudem labitur, ut iam omninò ſuccubuerit tentationi, ita ut illa quaſi dominium illius habeat, ſicut è contra cenſetur præſeruatus, quando ita viciſſet, ut quaſi dominium illius tentationis haberet. *Poſterior* eſt, vt intelligatur ſecunda pars concluſionis, quando hic non adhibuit media ordinaria, & ſolita adhiberi ad obtinendum id, quod poſitum eſt ſub conditione, nam ad id cenſetur ſe virtute obligare: ſecus ſi culpa ſua extraordinaria, nec in fraudem impediat conditionis euentum. Exempli cauſa, promiſit quis religionem, ſi ſanitatem intra certum terminum recuperet; talis ſi non vocet Medicum, adhibeatque Medicinas neceſſarias, quales adhiberet voto non emiſſo, & ſic culpa ſua graui, quamuis non in fraudem ſanitas recuperata non ſit intra eum terminum, tenebitur voto, niſi certum ſit eis adhibitis non recuperandam. Ratio eſt, quia culpa ſua notabili, ordinaria media omittens, impediuit conditionis euentum. At ſi caſu, & non in voti fraudem, in eſu, potuve nimis exceſſit, etſi exceſſus fuerit mortalis, non tenebitur voto, quia non cenſetur obligari ratione voti ad hæc extraordinaria, & à vouentibus numquam cogitata. De his vide Syluestrum *v. Votum 2. q. 2. dict. 2.* Angelum *verb. Votum 1. num. 10.* Tabienam *verb. Votum 2. quæſt 2.* Sanchez *loco citato, num. 50. & ſequentibus*. Trullench *loco citato, num 25.* Nauarrum *in Manual. cap. 12. num. 42.* Dianam *part. 9. tractat. 8. reſol. 3. verſ Nota verò.*

Syluest. Angel. Trullench. Nauarr. Diana.

38. Qui vouit aliquid ſub conditione ſi alius ſibi conſuluerit, vel voluerit, non poteſt ab eo petere, ne id conſulat, aut vt nolit, ne voto teneatur. Quod ſi petat, tenebitur voto, ſi aliàs certus eſſet moraliter, vt ille vellet, aut conſuleret. Poterit tamen hic ipſi ſincerè repræſentare difficultates, & contradictionem, quam ſentit ad votum explendum, vt alter videat, an expediat contradicere, aut non conſulere illud: quia hoc non eſt impedire euentum conditionis culpabiliter. Quod ſi veritate ſincerè narrata, ille contrarium conſuluit, ſiue prudenter, ſiue imprudenter, & ex ignorantia, liber manet vouens à voto, quia deficit conditio. Et è contra, ſi imprudenter rem promiſſam conſuluerit manet aſtrictus voto: quia ille non ſe obligauit ad prudentiæ conforme alterius conſilium ſequendum, ſed ad id, quod ipſe conſuluerit qualitercumque. Ita Sanchez *loco citato, num. 54. & 56.* Fagundez *in decalog. t. 1. precept. 2 l 2. c. 30. nu. 18.* Diana *p 9. tr. 8. reſol. 4.* Et hæc ſententia eſt tenenda, quando conſtat de intentione vouentis, nam ſi non conſtat, exiſtimat Trullench *in decalog. l. 2. cap. 2. dub. 27. nu. 27.* virtualiter tantùm ſe obligaſſe ad ſequendum conſilium, ſi prudenter datum ſit, ſecus autem minimè.

Sanch. Fagund. Diana. Trullench.

39. Qui Deo vouet ſe ingreſſurum religionem ſub conditione conſenſus paterni, ſtatim obligatur, & cenſetur impleta conditio, ſi pater re cognita voto conſentiat, licet poſtea diſſentiat. E contra deficit conditio, & obligatio, ſi pater priùs diſſentiat, etſi poſtea conſentiat. Quando autem vouentis intentio fuit, obligandi ſe omnimodè ad exequendum promiſſum, dummodo ſine patris offenſione fieri poſſet, tunc etſi primò ille ægrè ferat, poſtea verò conſenſum præbeat, obligatio contrahetur, ſi interim nulla notabilis mutatio facta ſit. Si autem pater nec conſenſum, nec diſſenſum exprimat, ſed dicat ſe quidem non contradicere, nec diſſuadere, verum, nec ſuadere, aut probationis conſenſum dare velle, tunc cenſeri debet conditio impleta, niſi conſtet, aliam fuiſſe mentem vouentis. Nam qui uouet, vel promittit ſub conditione paterni conſenſus, eius animus eſſe cenſetur obligare ſe, niſi pater ægrè ferat, & contradicat, uel ſaltem diſſuadeat. Quia iuxta *regul. 142. ff. Qui tacet, non utique fatetur, ſed tamen uerum eſt, eum non negare, ſiue contradicere*. Hæc deſumuntur ex doctrina Sanch. *de matrim. l. 5. diſp. 7.* vbi agit de ſponſalibus, & matrimonio contracto cum conditione. *Si patri placuerit.*

Reg. iur. Sanch.

Sed petes, an quis faciat contra votum de religione aſſumenda ſub conditione paterni conſenſus ſi de facto procuret precibus, & rationibus, ne pater conſentiat? Reſpondet Suarez *ſupra l. 4. de voto cap. 17.* cum aliis, contra uotum non eſſe, quia hæc conſenſum paternum abſolutè non impediunt ſiquidem illum liberum ad conſentiendū relinquunt, ſecus ſi per vim, aut fraudem conſenſus impeditur, Sanchez verò *ſupra*, docet talem peccare contra votum, ſi petat à parente ne conſentiat, ſed hoc non placet Caſtro Palao *tom. 3. diſp. 1. punct. 17. num. 8.* quia hæc petitio voluntatem patris non cogit, ac proinde non impedit eius liberum conſenſum, ſub quo, tanquam ſub conditione, religio promiſſa eſt.

Suar. Sanchez. Palaus.

40. Quamuis laudabile ſit, & ſecundùm ſe bonum conſulere aliquibus ingreſſum religionis, imò etiam, vt ſe obligent voto ad ingrediendum, quia vnum, & idem opus ex voto factum magis meritorium eſt, quàm ſi ſine voto fiat; tum quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum. Nihilominus tamen non ita aliquibus bonum, & expediens erit vouere prius religionem, quam vires ſuas, & religionis onera experti ſint, & conſequenter in hac re maxima prudentia opus eſt, & diligenter conſiderandæ ſunt perſonæ, & omnes aliæ circumſtantiæ. Experientia enim compertum eſt, non expedire inducere aliquem ad vouendum religionis ingreſſum. Tum quia nimis moleſtum eſt, & erit ei vitam in carne præter carnem agere, in paupertate, & obedientia perpetua viuere, qui ſine deliberatione, diſcretione, & deuotione, ad alterius potius ſuaſionem, quam voluntate propria, & diuino ſpiritu ductus, religionem vouiſſe cognoſcitur. Tum quia ſic emiſſa vota, non ita poſtea animo alacri implentur, nec huiuſmodi ſic religionem ingredientes, onera religionis, & perſeuerantiam ita bene ſuſtinent, imò verò multoties malos exitus habent. Ita Caietanus *ſecunda ſecunda q. 189. articulo 2.* Nauarrus *in Manual. capite 12. numero 46*, Rodriq. *parte ſecunda, Summæ Latinæ, capite 97. concluſione prima*. Ludouicus Lopez *parte prima, inſtructor. ſcient. capite 44. verſiculo Non eſt*, Azorius *tomo 1. libro 12. capite 1. quæſtion. 2. in fine.*

Caiet. Nauar. Rodriq. Lopez Azor.

41. Qui votum religionis emiſit, tenetur facere quantum in ſe eſt, vt ad religionem admittatur, ſufficit tamen adhibere diligentiam moralem, & humano modo poſſibilem. Ita D. Thomas communiter receptus *in ſecunda ſecunda, quæſtione 88, art. 3. ad 2. & quæſtione 189. art. 3. ad*

D. Thom.

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum. Ratio eſt, quia obligatio religionis eſt res grauiſſima, ac proinde aſtringere debet ad diligentiam humano modo poſſibilem; qualem petunt res arduæ, & magni momenti, & hæc diligentia tempore debito adhibenda eſt. Quare non ſatisfacit huic voto, ſi fictè, & ſimulatè petat admitti, it aut oretenus ſit petitio, nutibus tamen aut verbis, aut ipſo petendi modo, vel media alia perſona ſignificando ſe optare non admitti. Ratio eſt, quia hæc non eſt vera petitio, ſed petitionis ſimulatio, & hic non facit quod in ſe eſt, & hoc longè diſtat à morali diligentia neceſſariò ad ſui admiſſionem apponenda. Si autem vouens nullo modo ſignificaret exterius ſuæ repulſæ interius deſiderium, ſatisfaceret voto: quia praua illa voluntas interiùs manens non operatur ad impediendam admiſſionem, cùm ea omninò religioſos lateerit, proinde ſic petitus, & denegatus ingreſſus redditur impoſſibilis. Deſiderans autem ſine iuſta cauſa repulſam peccat mortaliter, ſed tantùm venialiter; quia licet ille, qui tenetur ad aliquid, teneatur deſiderare illud exequi, quantum in ſe eſt, non tamen tenetur deſiderare non habere iuſtam excuſationis cauſam, qualis eſt, non admitti ad religionem: cùm tamen omnia media admiſſioni neceſſaria adhibeat. Sicut obligatus ad ieiunandum, vel ſacrum audiendum, non peccaret mortaliter deſiderans cauſam iuſtam excuſantem. Ita Nauarr. *Comment.* 4. *de regul.nu.* 14. Sanch. *l.* 4. *moral.c.* 16. *num.* 33. *&* 34. Trullench *in decalog. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 19. *n.* 7. & alii.

Nauar. Sanch. Trull.

42. Qui vouit mori in religione, cenſetur votum religionis emiſiſſe, & profeſſionis, & perſeuerantiæ. Ratio eſt, quia cùm non poſſit alio modo mori in religione; niſi religionem ingrediatur, profeſſionem faciat, & perſeueret, dicendum eſt teneri religionem ingredi, & hoc intra tempus, in quo ſit poſſibilis ingreſſus, nec poſſe eius ingreſſum ita differre donec timeat ſe non recipiendum, eo quod vires non habeat ad religionis onera ſuſtinenda. Proinde hoc votum, ſecluſa peculiari vouentis intentione, videtur eo tempore obligare, quo obligaret votum abſolutè emiſſum ingreſſus religionis. Ita Nauarrus *l.* 3. *conſil. tit. de vota, in* 2. *edit. conſil.* 7. *n.* 31 Azor. *l.* 11. *c.* 22. *qu.* 11. Rodriquez *part.* 2. *Summæ Latin., cap.* 97. *concluſ.* 2. *in fine*.

Nauar. Azor. Rodriq.

Votum autem volendi ingreſſum religionis, non eſt votum religionis: quia ſicut aliud eſt contrahere matrimonium, quam velle contrahere, vt habetur *in c. Ex parte, de ſponſal.* Sic etiam aliud eſt vouere religionem, atque velle vouere. Proinde is, qui votum fecit volendi religionem non quidem vouit religionem, ſed vouit ſe aliquando in animo habiturum religionem, ſed vouit ſe aliquando in animo habiturum religionem ſuſcipere: & niſi eiuſmodi votum commutandum, vel relaxandum curet debet aliquando velle religionem capeſſere. Quare ſatisfiet ei voto habita ſemel ei firma voluntate; nec obſtabit matrimonio ineundo; quia cum eo inito non ſit impoſſibilis religionis ingreſſus, ſed poſſit eſſe de licentia alterius coniugis aut diuortio perpetuo celebrato, poteſt adhuc matrimonio inito haberi ea voluntas, & ſic voto ſatisfieri. Ita Nauarrus *lib.* 3. *conſil. tit. de vota, conſil.* 10. *in* 1. *edit. & conſil.* 6. *in* 2. Azorius *loco citato*, Sanchez *lib.* 4. *moral c.* 16. *n.* 8. & alii.

Nauarr. Azor. Sanchez

43. Qui vouit religionem, ad quam probabiliter putat ſe admittendum, ſi votum religioſis manifeſtet, iuxta probabiliorem ſententiam, non tenetur illud manifeſtare. Ratio eſt, quia hic ſolum religionis ingreſſum vouit, nec vnquam id votum ſe patefacturum promiſit; votum autè eiuſmodi cum ea tacita conditione intelligitur, ſi religioſi eum velint admittere. Tum quia in decreto obligandi ſe per votum ad aliquam rem; non includitur virtute obligatio ad omne medium, quod iuuare poteſt ad voti executionem, ſed tantùm ad media communia, & natura ſua ſufficientia, huiuſmodi autem eſt petere bona fide admiſſionem; explicare autem votum eſt medium extraordinarium, ad quod non tenetur etſi ſciret id adiuturum, vt admitteretur. Ita docent Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 22. *q.* 9. Reginald. *l.* 18. *n.* 379. *verſ. Si quæras*, Trullench *in decal. lib.* 2. *c.* 2. *dubitat.* 19. *n.* 5. Sanchez *loco citato, n.* 54. & alij. Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens hunc teneri in hoc caſu manifeſtare votum: quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media conducentia ad finem. Et quamuis vouens non directè promiſerit ſe patefacturum votum, tamen poſito, naturali ſequela conſurgit obligatio ad media, ad talem finem accommodata. Et hanc ſuſtinent Caietanus, 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *circa ſolut. ad* 2. *verſic. In eadem reſponſione*, Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *num.* 16.

Azor. Reginald. Trullench Sanch.

Caiet. Bonac.

44. Vouens principaliter caſtitatem, & religionem, tenetur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam etſi à voto religionis liber ſit, eo quòd non admittatur, vel quacumque alia ex cauſa: quia ſic caſtitas eſt independenter à voto religionis promiſſa. Quando autem principaliter vouit ſolam religionem, & veluti acceſſoriè caſtitatem, quam faciliùs in ea ſeruare poſſet, liberatus voto religionis liberatur quoque voto caſtitatis. Ratio eſt, quia ex vi talis voti, ſolùm obligatur quis ad id quod eſt propria, & prima materia, & proprium obiectum illius, qui religionem principaliter vouit, eſt religio ſolùm, non autem caſtitas; ergo ceſſante religione, ceſſat obligatio ad aliam illam materiam voti ſecundariam, ſcilicet caſtitatem. Ita ex communi Nauarrus *in Manual. capite* 12. *num.* 47. Valentia *tom. tertia diſput.* 6. *quæſt.* 6 *punct.* 4. *dubitatione* 4. Suarez *libro quarto de voto, capite ſeptimo, numero decimoquinto*, Caietanus, 2. 2. *q.* 88. *ar.* 3. Sanchez *l.* 4. *moral. c.* 16. *n.* 113. & alii. In dubio autem, an quis vouerit caſtitatem principaliter, & independenter à religione, conſideranda ſunt verba voti: nam ſi verba vtrumque principaliter ſignificant, iudicandum eſt in dubio iuxta communem illorum intellectum, quare ſi in eis expreſſa ſint caſtitas, & religio abſolutè, cenſebitur caſtitas promiſſa principaliter, & per ſe, ac independenter à religione, & tunc poſſeſſio ſtat pro voto, quia pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio. Si verò ſola religio expreſſa ſit, & dubitat vouens, an ſe quoque voluerit ad caſtitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus eſt, & cenſendus non obligatus vllo modo ad caſtitatem: quia nulla eſt poſſeſſio pro illa ſed tota pro voluntatis libertate. Ita Sanchez *loco cit. n.* 114. Trullench *in decal. l.* 2. *cap.* 2. *dubitatione vigeſimo, num.* 18. Bonacina *loco citato puncto quinto, paragraph.* 6. *num.* 18.

Nauar. Valent. Suar. Caiet. Sanch.

Sanch. Trullench Bonac.

45. Habens votum religionis, & illam ingrediens animo exeundi, voto non ſatisfacit, ſed tenetur voluntatem mutare ex vi voti, & habere animum experiendæ religionis, num eius inſtitutum ſibi conueniat. Probatur, quia eò ipſo quòd actus promittitur, cenſentur promiſſę omnes circumſtantię, ſine quibus ille non eſſet apta voti materia. At ingreſſus religionis animo ſtatim exeundi eſt vanus, & proinde inepta voti materia. Hinc votum ingrediendi religionem, & ſtatim exeundi, eſt irritum: quia quoad ſecundam partem eſt de re mala; immò, & prima cum eo animo eſt mala, & materia voti inepta. Nam hic non vouet ingreſſum bona fide ad experiendum, ſed mala fide ad exeundum, quando per modum vnius eſt vtraque pars promiſſa. Ita D. Thomas 2. 2. *q. vltim. art.* 4 *ad* 3. Nauarr. *in Manual. capite* 12. *numera quadrageſimo ſeptima fine*, Trullench *in decal. l.* 2. *capita* 2. *dubitatione* 20. *numer.* 1. Azor. *lib.* 11. *capite vigeſimo ſecunda, quæſtione ſexta. verſ. Quæres*, Sylueſter *verb. Religio* 2. *quæſt.* 19. qui vltimus addit ex Richardo, *in* 4. *diſt.* 38. *artic.* 8. *quæſt.* 3. & aliis, quòd ſi intrauit animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propoſitum ſuum, ſatisfaceret voto, aliter non: quia bona fide, & ſtudioſus fuit ingreſſus, cùm id quod in ſe eſt, præſtet, quò ille effectum conſequatur. Idem docet Sanchez *l.* 4. *moral. c.* 16. *num.* 74. 75. *&* 77. qui ait in dubio, quando non conſtat de contraria intentione, cenſendum eſt votum ingrediendi religionem, & ſtatim exeundi, per modum vnius eſſe factum, cùm apertè vouens ſuam intentionem expreſſerit, non ingrediendi ad permanendum, & proinde Doctores citati aſſerunt meritò hoc votum eſſe irritum.

D. Thom. Nauarr. Trullench Azor. Sylu. Richard.

Sanch.

46. Difficultas eſt inter Doctores, an vouens non ſolùm ſe ingreſſurum religionem, ſed in ea perſeueraturum, ſeu profeſſurum, ſatisfaciat voto, ingrediendo bona fide ad religionem experiendam; & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo? In hac difficultate duplex eſt ſententia. Prima

ſuſtinet

Digitized by Google

ſuſtinet nihil intereſse votum ingrediendi ſimpliciter, & votum perſeuerantiæ, atque ſia vtrumque impleri ingrediendo bona fide,& animo probandi, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo. Ducitur, quod vtrumque votum ſit intelligendum ſecundùm Canones; vt ſi experta religio non placeat, integrum ſit egredi, quæ conditio perſeuerantiæ in eo voto iure ipſo ineſt. Ita Reginaldus, *l.18.nu.* 383. Sotus *l.7. de iuſtit.q.2.artic.1. ad 3 verſ. Ex hac autem.* Arragon 2.2.*q.*88. *art. 3. verſ. Eſt aliud dubium*, & alij,quorum ſententiam probabilem, & tutam in praxi iudicat Diana *p.2.tr.17.reſol,* 10. Secunda tamen ſententia verior eſt,hinc teneri ex vi voti perſeuerare,& profiteri. Ratio eſt,quia qui vouet ingreſsum,& perſeuerantiam in religione,duo promittit: ergo non ſatisfacit ſolo ingreſſu,ſed opus eſt,vt perſeueret, & profiteatur, hæc enim eſt differentia inter votum ingrediendi, & profitendi. Nam qui vouit ſe ingreſſurum religionem, ſolùm videtur promittere, ſi in probatione deprehenderit eam ſibi conuenientem,profiteri. Sed qui vouit non ſolùm ingredi, ſed etiam profiteri,videtur ſe ita voluiſse obligare,vt non poſſit egredi. Tum quia qui hoc modo vouit, cenſetur renunciaſse iuri ſuo, ſeu beneficio probationis ſibi à iure conceſso,ergo tenetur in religione perſiſtere. Imò ſi exeat tenebitur iterum religionem ingredi,vt votum adimpleat

D. Thom. Caiet. Sylu. Trullench Laym. Azor. Sanch. Suar.

Denique,quia profiteri exiſtentibus iuſtis egreſsus cauſis eſt res bona,ergo votum illius obligat. Ita D.Thomas 2.2. *quæſt. vltim.art.4. in corpore*,& ibi Caietanus *dub.* 1. Syluius *ibidem.* Trullench *loco citato,n.*2. Layman *l.4.tr.5.c.6.n.*13. Azor. 1.*p.l.*11.*c.*22.*q.*8. Bonacina *loco citato,n.*21, & alij quos refert,& ſequitur Sanchez *loco citato,c.*16. *nu.* 81. Quamuis Suarez *de relig.t.3.l.4.c.4 n.*15. cui adhæret Dian. *p.6.tr.7.reſol.*53. ſuſtineat, eum, qui vouit perſeuerantiam in religione,ſi ex iuſta cauſa exeat,vel expellatur, ea ceſsante non teneri iterum ingredi: quia vouens profiteri non debet præſumi voluiſse ſe obligare ad profitendũ omnibus modis, & viis, quibus poſſibilis eſt profeſſio, ſed ſolùm præſumi debet ſe voluiſse obligare ad profitendum, ſi receptus ſemel in probatione per ipſum non ſteterit;quia hic modus obligationis benignior eſt, & Eccleſiæ ſtylo conformis; ergo aſsumpta probatione, ſi iuſtè egrediatur, vel à Prælato expellatur, voto ſufficienter ſatisfecit.

47. Dubium item eſt, an vouens religionem abſolutè, nil de exeundi libertate determinando,ſatisfaciat voto ingrediens, & poſtea exiens? Quidam aiunt hunc ſatisfacere voto. Ducuntur,quia votum ingreſtus religionis intelligitur ad experiendum eo modo, quo in iure ſtatutum eſt, ſed annus probationis iure conceditur, vt Nouitius Religionem experiatur cum omnimoda exeundi libertate,ex *cap.*1. *&* 2. *de regular. in 6*, ergo cum eadem libertate id votum intelligitur. Ita Nauarr. *lib.3. conſil.tit. de voto in* 1. *edit. conſil.*19. *& in* 2. *edit. conſil.* 25. Azorius *l.* 11.*tom.*1.*capit.*22.*quæſt.*6. Angelus *verb. Votum III. n.* 18. & alij.

Nauarr. Azor. Angel.

Verior tamen ſententia ſuſtinet, hunc non ſatisfacere voto,retrocedendo ex ſola libertate Nouitiis conceſsa, ſed exigi iuſtam exeundi cauſam; & ideo ſi omnia in religione grata inuenerit,teneri ſub mortali perſeuerare, & ſi exeat teneri iterum ingredi. Ratio eſt, quia huius voti materia eſt,id; quod communiter intendunt religionem ingredientes,at ij intendunt perſeuerare inueniendo omnia grata; ergo materia iſtius voti eſt ingredi, & perſeuerare in eo caſu: ſicque minimè impletur, non perſeuerando: aliter enim nulla eſset differentia inter ingredientem cum voto,ac ſine illo. Diſcrimen autem eſt,quod ille mortaliter peccet exeundo abſque legitima cauſa; hic autem ſolùm peccet venialiter, eo quòd ſit quædam leuitas, ac temeritas, à ſtatu tantæ perfectionis ſemel aſſumpto, ita leuiter abſque cauſa recedere. Ita Caiet. 2.2. *q. vlt. artic.* 4. *dub.*3. Sotus *l.7.de iuſtit.q.2.artic.*1. *ad* 3.*verſ. Ex hac.* Rodriq. *p.2.Summa Latin.c.97.n.2.* Trullench *in Decal. l.2.c.2.dub.*20.*n.*5. Sanchez *loc.cit.n.* 90. Toletus, Valentia,Paſarel. Philiarc. apud ipſum citati. Vide Dian. *p.* 4.*tr.* 4.*reſol.*25. Vecchis *diſp.*10.*dub.*3.

Caiet. Rodriq. Trullench Sanch. Diana.

Sed petes,quænam cenſeantur iuſtæ cauſæ egreſsus, vt vouens religionem, & ab illa egrediens cenſeatur voto ſatisfeciſse? Reſp. & dico *Primò*,eſse legitimam cauſam, ſolam Religionis diſplicentiam, & inuenire non gratam, & commodam ſibi, dummodò diſplicentia non ſit omninò libera, quæ ſcilicet coniuncta eſt cum paſſione animi, anxietate, & triſtitia, ſiue ea oriatur ex naturali aliqua cauſa, ſiue ex dæmonis tentatione, & notabili tempore prudentis arbitrio duret, vt per menſem integrum. *Secundò*, ſi vouens experiatur religionem probatam afferre ſibi minorem fortitudinem,minuiſque animi robur ad perſeuerandum; & propterea timet, ne procedente tempore tepidus inueniatur,& ab ea deficiat, vel minus bene ſaluti ſuæ ſpirituali conſulatur. *Tertiò*, quando experiretur Religioſos non cautè viuere communiter, & ita ſaluti ſuæ animæ exiſtimaret non expedire eam religionem, vel ſi experiatur pœnitentias grauiſſimas in ea iniungi,& ita timeat fore vt illas ſibi impoſitas ferre nequeat, vel ſi expertus ſit, tempore morbi communiter malè proſpici infirmis,vt timeret fore,vt id ferre nequeat. *Quartò*,præbet iuſtam exeundi cauſam morbus,etſi temporalis; ſi eſt talis,& tam frequens,vt Nouitius prudenter iudicaret fore, vt nequiret impoſterum onera religionis ferre,vel valde ſuæ ſaluti ea nocerent,vel prudenter timeret eo morbo ſe futurum oneroſum religioni. *Quintò*, neceſſitas parentum,quæ eſset alicuius momenti, cui ille in ſæculo poſset ſubuenire,aut neceſsitas ſororum,quia fœminæ oppreſsæ nimia egeſtate ſunt in graui iactura ſalutis ſpiritualis; at fratrum neceſſitas non eſt tanti ducenda, eo quòd viri faciliùs ſibi conſulant. In his ergo, & ſimilibus caſibus egrediens non eſſet leuis, & iuſtam cenſetur habere cauſam,vt ſic cenſeatur votum impleuiſſe. De his videndus Caiet. 2.2.*q.vlt.art.*4.*dub.*3. Armilla,*verb. Nouitius, nu.* 10. Couar. *de pactis* 1 *p.*§.3. *ad finem.* Nauar. *in Man.c.* 12.*num.*47. *in fine.* Trullench *in Decalog.lib.2.cap.2.dub.* 20.*n.*7.*&* 8. Sanch. *l.4.moral.cap.16.num.*100. *& ſequentib.* Suar. *t.3.relig.l.4.c.3. nu.* 9. Vecchis *in praxi Nouit. diſp.*10.*dub.*2.

Caiet. Couarr. Nauar. Trullench Sanch. Suar.

49. Qui poſt votum religionis matrimonium contraxit cum animo conſummandi, peccat mortaliter, quia agit contra votum in re graui, & tenetur inito matrimonio ante conſummationem ingredi religionem, quia adimpletio voti eſt adhuc illi poſſibilis; ideò peccat prima vice petendo, aut reddendo quia conſummans matrimonium conſtituit ſe in eo ſtatu,vt votum implere nequeat. Semel tamen conſummato matrimonio poteſt petere, & reddere, quia votum religionis non eſt votum caſtitatis, & vouens religionem non tenetur ad caſtitatem, ſicut nec ad paupertatem,& obedientiam,donec profiteatur; & cùm iam conſummato matrimonio nequeat votum Religionis implere,tranſeundo ad ipſam, nihil erit quod debiti redditionem, ac petitionem impediat. Idem dicendum, ſi hic promiſerit non ſolùm religionem, ſed etiam in ea perſeuerantiam,quia cùm ante profeſsionem non teneatur ad caſtitatem, ſi conſummet matrimonium, poterit deinceps petere, & reddere. At ſoluto matrimonio, vel legitimo diuortio facto,tenetur ingredi religionem. Ratio eſt,quia adhuc poteſt implere ſuum votum, cuius obligatio per matrimonium ſubſequens non fuit extincta,ſed ſuſpenſa. Ita Sotus *in 4.diſt.38.q.2.art.*1. Nauarr. *in Manual. c.*12. *num.*80. Caietanus *in Summ. verb. Matrimonium c. ult.* §. *& bene nota.* Trullench *loco cit.nu.*13. Bonacina *tom.*2. *diſp.4.q.2.punct.5.§.6.num.*19. Sanchez *loco cit.num.* 117. *& lib.9. de matrim diſp.33.num.*14.15. *&* 16. & alii multi apud ipſum. Quibus addo Pellizzar. *in Man.regul. tr.8.c.* 3.*num.*267.

Sotus. Nauar. Caietan. Trull. Bonac. Sanch. Pellizzar.

50. Qui vouit arctiorem religionem, ſi ingrediatur laxiorem, peccat quidem mortaliter, quia violat votum in materia graui;at ſi profiteatur,valida eſt profeſsio, & manet liber a votu ſtrictioris,vt definitur expreſsè *in cap. Qui poſt uotum de regul. in* 6. vbi dicitur: *Qui poſt uotum a ſe de certa Religione intranda emiſſum, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur,& profitetur in ipſa, poteſt uoto non obſtante priori, cui tanquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum manere licite in eadem. Pro noto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.* Vbi duo Bonifacius Papa VIII. tradit, vnum eſt, peccaſſe intrando laxiorem religionem,quia minus præſtat, quàm promiſit,

& ideò

Digitized by Google

& ideò pœnitentiam ei imponendam eſſe. Alterum eſt, liberari à voto religionis arctioris, per profeſſionem factam in laxiori: quia votum ſolemne in religione laxiori, quò quis ſe tradit religioni, ita vt religio ſibi ius in ipſum acquirat, fortius eſt, quàm votum ſimplex de intranda religione arctiori, & ideò liberat à voto priori ſimplici. Quanquam profeſſus poteſt adhuc ſtrictiorem ingredi, ſi velit, ob tacitam conditionem, ſub qua emittitur profeſſio, hæc enim emittitur ſub hac tacita conditione, niſi perfectionem ſtatum elegero, vel niſi altior ſtatus placuerit. Ita expreſsè D. Thomas 2.2.q.189.*artic.*8. *ad* 2. D. Antonin. *part.*3.*titul.*16.*cap.*2.§.4. Nauar. *in Manual, cap.* 12. *num.*48.*verſ.*18. Syluest. *verb. Religio* 2. *qu.* 18. Sanchez *loco cit.c.*16.*n.*16. Trullench *in Decal. lib.*2.*c.*2. *dub.*18.*n.* 5. Bonacina *loco cit. num.*20. & 21. Reginaldus *l.* 18. *nu.* 382. & alij.

D. Thom. Nauar. Sylu. Trullench Bonac.

Notandum tamen eſt, vt hic peccet ingrediendo laxiorem requiritur, vt non vouerit ingredi ſtrictiorem, ſed etiam profiteri in ea, quia cùm in ſtrictiori promiſerit quoque profiteri, non implet tunc totum quod promiſit, ſed in minus commutat. At quando non eſt votum profitendi in ſtrictiori, ſed tantùm ingrediendi, licebit quandoque in laxiori profiteri. Proinde vouens ingredi ſtrictiorem religionem, non tamen in ea profiteri, licitè poteſt commutare hoc votum ingrediendæ ſtrictioris religionis, in perſeuerantiam in laxiori, aut ſub disiunctione in hanc perſeuerantiam, vel ingreſſum ſtrictioris. Imò abſque commutatione ſupradicta licebit huic, qui ſtrictiorem vouerat, ingredi laxiorem cum voto tamen, aut perſeuerandi in laxiori, aut ſi perſeuerare non elegerit, animo ingrediendi ſtrictiorem prout promiſerat. Ratio eſt, quia nulla priori voto irrogatur iniuria cùm illo non obſtante liceat huic profiteri in religione laxiori, quia melius eſt id, quàm ingredi ſtrictiorem cum libertate exeundi. Quare cum hoc ſit melius, non poteſt huic obſtare votum ingrediendi ſtrictiorem. Quòd ſi perſeuerare nolit, manet in ſua vi votum prius ingrediendi ſtrictiorem.

Sed hoc eſt intelligendum cum duplici limitatione. Prior eſt, niſi religio illa ſtrictior ſtatutum haberet non admittendi eos, qui in aliam religionem ingreſſi eſſent; nam tunc vouens redditur impotens ad ingrediendam ſtrictiorem, quam vouerat ſi in laxiori non profiteatur. Poſterior eſt, vt antequam ingrediatur laxiorem, vel tempore Nouitiatus in illa, non currat tempus ingrediendi in ſtrictiorem; tunc enim peccaret mortaliter, ſi ingrederetur laxiorem; quia eſſet in mora implendi voti ſtrictioris religionis, niſi promitteret perſeuerantiam in illa laxiori, aut prius votum commutaret in perſeuerantiam in laxiori. Ita Sanch. *lib.*4.*moral.c.*16.*n.* 17.18.19. & an

Sanch.

Vide v. Cardinalis *n.*9.10. Debitum coniugale 2.*nu.*10. & *ſeq.* Dubium *n.*7.12.16. & *ſeq.* Iuramentum *nu.* 23. & 34.35. Religio *n.*24.

VOTVM V.

De voti irritatione.

SVMMARIVM.

1 *Voti irritatio quid ſit, & quotuplex; de eius differentia à diſpenſatione, & commutatione.*

Quorum vota poſſit irritari, & an votum ſemel in irritum reuocatum reuiuiſcat?

2 *An omnia vota Chriſtianorum poſſit Summus Pontifex directè irritare?*

3 *An indirectè poſſit Summus Pontifex irritare vota cuiuslibet fidelis?*

4 *An vota ſeruorum poſſint à domino etiam inuitis ſeruis irritari?*

5 *An omnia vota vxoris conſtante matrimonio emiſſa, & implenda, poſſit maritus irritare?* Refertur duplex ſententia.

6 *An votum non petendi debitum factum ab vxore poſſit irritari à marito, & è contra? Et quid dicendum de voto caſtitatis emiſſum ab vxore cum licentia mariti?*

7 *An votum continentiæ emiſſum communi coniugum conſenſu poſſit ab vno illorum irritari?*

8 *An omnia vota Religioſorum poſſint irritari à Prælato, præter votum religionis arctioris?*

An vota Prælatorum poſſint ab eis irritari, aut alijs irritanda committi?

An Prælatus poſſit irritare vota ſuorum ſubditorum, quæ ſunt Papæ reſeruata?

9 *An Superior poſſit irritare votum Religioſi, ſi in illud conſenſerit, vel illud confirmauerit?*

An Prælatus localis poſſit irritare vota facta ex licentia Generalis, vel alterius Superioris maioris?

10 *An poteſtas irritandi vota poſſit alteri à legitimo Superiore delegari?*

11 *An vota Nouitiorum poſſint à Prælato irritari?*

12 *An poſſit Religioſus votum emittere abſque Superioris conſenſu? & an Superior poſſit irritare, vel commutari vota inuito vouente?*

13 *An omnia vota impuberum in irritum reuocari poſſint à patre, vel matre, tutore, &c.*

Et an vota impuberum poſſe pubertatem irritari ab eiſdem poſſunt? Refertur duplex ſententia.

14 *An vota puberum poſſint à parentibus irrita reddi?*

1 VOti irritatio *eſt annullatio voti facta ab eo, qui ſuper hoc poteſtatem, & dominium habet.* Vnde irritare votum nihil aliud eſt, quam votum caſſare, ne ampliùs obligandi vim habeat. Hæc irritatio duplex eſt, quædam propria, & directa, quæ ſimpliciter irritatio dicitur. Alia autem eſt impropria, & indirecta, & ſecundùm quid, quæ propriè dicitur voti ſuſpenſio. Quæ in hoc differunt, quod quando eſt vera irritatio, extinguitur prorſus obligatio voti. Quando verò eſt ſola voti ſuſpenſio, manet quidem vinculum voti, & ob ſolam materiæ prohibitionem, eius obligatio eſt ſuſpenſa, quamdiu prohibitio durat, & ideò ea ceſſante priſtinas obligandi vires recuperat. Irritatio differt à diſpenſatione, & commutatione, quòd diſpenſatione, & irritatione extinguatur obligatio voti, & commutatione non extinguitur, ſed eadem met voti obligatio transfertur in aliam materiam loco prioris ſubrogatam. Rurſus irritatio differt ab vtraque, quòd illa pertineat ad poteſtatem dominatiuam, nec ad ſui valorem exigat cauſam, hæ autem exigunt cauſam, & pertinent ad poteſtatem ſpiritualem. His præmiſſis ex communi Doctorum ſententia ſciendum eſt, quòd generatim omnia illorum vota irritari poſſunt, qui alteri, vel perfectè, & in omnibus, vel ſaltem quoad materiam, quam vouerunt, ſubiecti ſunt: & ratio eſt, quia horum vota pendent à conſenſu alterius, ac proinde tacitam quandam conditionem, vel ex natura rei, vel ex iuris diſpoſitione includunt, nempe hanc: *Niſi Superior, vel ille, cuius intereſt, contradixerit*; quare ſi ille intelligens votum repugnauerit, ceſſabit obligatio: vnde ad irritationem, non requiritur cauſa, ſed ſufficit irritantis voluntas, quia executio pendet ab eius voluntate, ad ſummum tamen peccant venialiter irritantes vota ſine cauſa; imò per ſe non videtur vllum peccatum, quia votum in ipſius arbitrium collatum eſt, nec vlla lege cogitur illud approbare. Notandum autem eſt, votum ſemel in irritum reuocatum nunquam reuiuiſcere, etiamſi Superior facultatem tribuat exequendi, & ſuam irritationem retractet, quia obligatio per veram irritationem non ſuſpenditur, ſed extinguitur. Clauis regia *lib.*6.*cap.* 10.*num.*14. Nauarr. *cap.*12.*num.*63. Suar. *lib.*6.*cap.*1. & 7. Filliuc. *tract.*25.*cap.*8. Reginaldus *lib.*28.*n.*302. Leſſius *lib.*2.*c.*40.*d.*12. Tamburin. *de iure Abb. tom.* 2. *diſp.*18.*q.* 5. & alij.

Clau. reg. Nauarr. Filliuc. Reginald. Leſſius

2. Summus Pontifex, directè non poteſt irritare vota omnia Chriſtianorum, quia in omni voto non includitur conditio, *ſi Papæ placuerit*: idem & multò magis dicendum eſt de Epiſcopo reſpectu ſubditorum ſuorum, & de Rege reſpectu cuiuslibet vaſalli, non poſſe eos videlicet irritare vota omnium ſuorum ſub ditione. Poſſet tamen

Sum-

Digitized by Google

Summus Pontifex irritare ea vota Religioſorum, quæ poſſunt irritari ab ipſorum Prælatis, quia hi ſpeciali modo ſubiiciuntur ipſi, & multò magis, quàm propriis Superioribus religioſis. Nauarrus c.12. numer. 64. Suarez lib. 6. cap. 8. Azor. 1. par. lib. 12. cap. 17. q. 3. Clauis regia cit. n. 17. & alii.

Nauar. Suar. Azor.

3. Summus Pontifex indirectè poteſt irritare vota cuiuslibet fidelis, quia in aliquibus votis includitur conditio, *ſi Papa placuerit*, vt in eis quæ faciunt Epiſcopi concernentes præiudicium gubernationis, & commodorum Eccleſiæ ſuæ, codemque modo, poteſt idem contingere in votis aliorum fidelium. Epiſcopi autem, & alii Prælati ſuo modo idē facere poſſunt reſpectu ſuorum ſubditorū, quia poſſunt præcipere, & prohibere in materiis ſpectantibus ad ſuos ſubditos; hoc autem eſt indirectè poſſe irritare eorum vota, vt ſunt vota vergentia in præiudicium ſalutis vel Eccleſiæ, vt votum longæ peregrinationis apud infideles. Filliuc. c. n. 224. & 225. Suarez cit. c. 2. n. 8. Bonac. t. 2. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 4. & 5.

Filliuc. Suar. Bonac.

4. Seruorum vota ſiue facta ſint ante ſeruitutem, ſiue tempore ſeruitutis, poſſunt à domino etiam inuitis ſeruis irritari, ſeu potiùs ſuſpendi, ſi ipſi domino præiudicant: ſi verò non præiudicant, non poteſt, quia in his ſeruus non eſt domino ſubiectus, ſed ſui iuris: vota autem famulorum non poſſunt irritari ab hero, cùm herus non habeat in illis dominatiuam poteſtatem, poterit tamen eorum vota quoad obſequium ſibi debitum præiudicialia ſuſpendere. D. Thomas 4. d. 38. quæſt. 1. art. 1. Syluius 2. 2. quæſt. 88. art. 8. concluſ. 8. Clauis regia citat. num. 18. Sanchez citat. cap. 36. num. 2. & cap. 24. num. 24. Filliuc. tract. 26 n. 226. 227. & 228. & alij.

D. Thom. Sylu. Sanch. Filliuc.

Hinc ſequitur *Primò*, non poſſe dominum irritum reddere votum caſtitatis ſui ſerui, quia in hoc non ſubditur domino, nec ipſi præiudicat, *Secundo*, nec votum aliquarum orationum. *Tertiò*, nec votum ieiunij, & abſtinentiæ, niſi ſeruitium domini diminuant, *Quartò*, nec vota præceptorum, vt audiendi Miſſam in feſto, & ſimilia; quia in his quæ nec diminuunt, nec defraudant ſeruitium domini, ſeruus ei ſubiectus non eſt, ſed ſui iuris. At quia poſſent aliqua vota præceptorum impedire aliquando domini obſequium, poſſet ſuſpendere voti obligationem pro eo tempore: non enim ſerui votum poteſt impedire, quominus dominus omni tempore eam occupet.

Poſſet dominus irritare votum, quod ſeruus emiſit de Religionem intrando, aut de peregrinatione facienda, &c. quia per hæc ab obſequio domini ſubtrahitur, *cap. ſi quis ſeruum*, 17. q. 4. Item, & ferè omnia vota realia ſerui poteſt dominus irritare, vt de eleemoſyna facienda, quia ſeruus nullum habet patrimonium, ſed quidquid habet, domini eſt. Ex conuentione autem cum domino poteſt ſeruus aliquid proprium habere, iuxta Gloſſ. *in l. quod attinet* 3. *ff. de reg. iur.* & tunc ſi de eo faciat votum reale, irritari non poterit, cùm in nihilo domino præiudicet. Imò poſſet dominus irritare vota, tam perſonalia, quàm realia, quæ ſeruus de ſua licentia emiſit, quia licentiam concedendo non facit ſubditum ſui iuris, ſed ſolùm concedit illi, vt voueat, ſemper tamen dependenter à Superioris voluntate, & à tacita conditione, *ni ſi dominus contradixerit*. Vota autem ſerui implenda tempore libertatis, non poteſt dominus irritare, quia hæc non præiudicant domino ex parte obligationis, & ideò non poſſunt ab eo irritari.

5. Multi Doctor. ſentiunt maritum poſſe irritare omnia vota vxoris conſtante matrim. emiſſa, & implenda, quia ſecundùm Apoſtol. ad Epheſ. 5. *vir eſt caput vxoris in omnibus præterquam in actu coniugali:* & conſentaneū erat Deum ita conſtituere ob leuitatem, inconſtantiam, & imprudentiam ſexus muliebris, qui ſe facilè votis implicat; hæc ſententia eſt ſatis probabilis in praxi. Sanchez de matr. l. 9. diſp. 39. n. 45. Lopez p. 1. c. 47. Sotus l. 7. q. 3. ar. 1. Diana tr. 4. de Sacram. reſ. 22. & 220. p. 3. Verùm contraria videtur verior, & probabilior: ea tantùm vota vxoris à marito irritari poſſe, quæ vel iuri eius incommodant, vel ad familiæ adminiſtrationem pertinent, vt vota præiudicantia actui matrimoniali, vel abſtinentiæ, ieiunij peregrinationis, & ſimilia. Reliqua verò vota, vt orationis, non mentiendi, non peierandi votum alicuius paruæ eleemoſynæ, non poſſunt à viro irritari, quia in his mulier non eſt ſubiecta viro, & hæc vota non cenſentur marito præiudicialia. Clauis regia l. 6. c. 10. n. 10. Rodriq. c. 95. n. 10. Leſſius cit. dub. 15. n. 89. Filliuc. cit. n. 235. & ſeq. Valentia 2. 2. d. 6. q. 6. p. 6. Item votum, quod emiſit vxor implendum poſt mortem mariti non poteſt vir irritare, quia vxor non eſt quoad hoc ſubiecta viro, neque hoc votum eſt præiudiciale marito. Suarez l. 6. c. 4. n. 4. Hanc etiam ſententiam nouiſſimè in Alma Duacenſi Academia docuit eximius Dominus Syluius in 2. 2. quæſt. 88. artic. 8. concluſ. 7.

Roch. Sotus. Diana.

Clau. reg. Rodriq. Leſſius. Filliuc. Valent.

6. Votum non petendi debitum factum ab vxore poteſt irritari à marito; poteſt enim huiuſmodi votum afferre marito præiudicium: imò vir validè poteſt irritare vota vxoris emiſſa cum ipſius licentia; quia maritus dans vxori licentiam ad faciendum votum, non amiſit poteſtatem in vxorem. Sanchez l. 4. moral. c. 34. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 220. Reginaldus lib. 18. nu. 304. & 312. Sed quid dicendum de voto caſtitatis emiſſo ab vxore poſt conſommatum matrimonium de licentia mariti? Quidam negant poſſe irritari à marito, quia materia huius voti non eſt viro ſubiecta. Ita Nauar. in Manual. c. 12. n. 61. Leſſius l. 2. c. 40. dub. 15. At omnino dicendum eſt, poſſe virum id votum irritare. Ratio eſt, quia licet vir non ſit dominus materiæ illius promiſſæ, ſed in illa ſit æqualis vxori, ac tanquam caput eſt dominus illius actu liberi, quo vxor tempore ſubiectionis ſe voto illo obligauit: & quamuis ex viri conſenſu id votum ſit factum, id conferet, vt vir abſque iuſta cauſa irritans peccet mortaliter, non tamen, vt irritatio ſit nulla; nec vt ſit illicita, quando cauſa iuſta irritandi ſubeſt, quia mulier manet ſubdita viro, non obſtante licentia, nec maritus poteſt à ſe abdicare poteſtatem eam gubernandi, & ideò valebit irritatio. Ita Clauis regia lib. 6. c. 10. n. 19. Suarez l. 6. c. 4. num. 19. Aragon 2. 2. q. 88. ar. 8. Diana p. 4. tract. 4. reſ. 110. Præpoſitus 3. part. de matr. q. 6. dub. 20. & alij. Idem dicendum de votis de rebus ad ſalutem neceſſariis factis ab vxore de conſenſu viri, poteſt enim vir ea validè irritare, quia eadem militat ratio. Cùm adhuc licentia data, maneat vir dominus illius actus liberi, quatenus nouam obligationem induxit.

Sanch. Diana. Regin.

Nauar. Leſſius.

Clau. reg. Suar. Diana.

Aduertendum autem ſicut maritus irritare poteſt vota vxoris; ita ab vxore irritari poſſunt vota mariti, quæ incommodum illi afferunt: & quæ aliqua ex parte eius iuri præiudicant; vt v. g. votum geſtandi habitum religionis, votum longæ peregrinationis, vel magnæ abſtinentiæ, quo vires ita debilitantur, vt ineptus efficiatur ad reddendum moderatè debitum. Alia autem vota, quæ ſibi non præiudicant, non poteſt vxor irritare, cùm in iis non habeat dominatiuam poteſtatem. Filliucius cit. n. 237. Clauis regia lib. 6. c. 10. num. 20. Suarez lib. 6. c. 4. num. 8. Sanchez c. 34. num. 19 & ſeq. Reginaldus cit. numer. 314. & alij.

Filliuc. Suar. Sanch. Regin.

7. Votum continentiæ emiſſum communi conſenſu: item votum quo vterque ex pacto vouet ingreſſum religionis, vel vnus religionem, & alter ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, vel caſtitatem: non poteſt ſaltem licitè ab vllo coniugum irritari, cùm vterque cedat iuri ſuo, quoad omnem actum coniugalem. Si tamen vxor iterum det marito facultatem in corpus, non eſt improbabile ſecundùm Sanchez, virum poſſe validè hæc vota irritare; quia vir reſtituitur ad priſtinum matrimonij ſtatum, cùm vxor ei remittat obligationem non reuocandi vota vxoris, conſequenter vxor obtenta hac irritatione poterit licitè petere debitum. Leſſius cit. n. 95. 96. Bonac. cit. punct. 7. §. 2. n. 16. Sanch. de matr. diſp. 37.

Leſſius. Bonac. Sanch.

8. Omnia vota Religioſorum poſſunt irritari à Prælato & Superiore præter votum religionis arctioris, eſt ferè communis ſententia, quia ex iuris diſpoſitione, in omnibus votis Religioſorum ineſſe videtur hæc tacita conditio *Niſi Prælatus contradixerit*: votum autem arctioris Religionis, cùm non ſubiaceat voluntati Prælati, non poteſt ab eo irritari; conceditur enim in *c. licet, de regul.* Religioſo tranſitus ad arctiorem religionem, & inuito, & recuſante Superiore. Suarez l. 6. c. 7. Sylu. cit. concl. 5. Sanch. lib. 4.

Suar. Sylu. Sanch.

Sylu. Leſſ. Laym. Reginald.

*l.4.moral.c.*33. Layman *l.4.tr.4.c.7.n.*6. Leſſius *cit. nu* 75. Reginald. *cit.n.*321. & alii.

Sed petes *Primò*, an Prælatorum vota poſſint ab eis irritari, aut alijs irritanda committi? Reſp. negatiuè, ratio eſt, quia Superior irritat vota ratione dominij, quod exercet erga ſubditos, Prælatorum autem vota non poſſunt hanc connotationem dominij reſpicere, ergo non poterunt Prælati ſua vota irritare: poterunt tamen in his votis ſecum diſpenſare, ſicut poſſunt in votis ſuorum ſubditorum; & quamuis diſpenſatio ſit actus iuriſdictionis, tamen cùm non ſit actus contentioſus, ſed voluntarius, poterit Prælatus talem actum in ſe exercere; ſi enim non poſſet huiuſmodi actum in ſe exercere, ſaltem quoad diſpenſationem ſuo Confeſſario committendam, eſſet peioris conditionis quàm ſubditus. Ita Sanchez *l.4.moral.c.*24.*nu.* 60. *& de matr.l.8.diſp.*3.*n.*9. Fauſtus *in theſ.relig.l.*2. *q.* 26. Sa *ver. religio,n.*47.

Sanch. Fauſt. Sà.

Petes *Secundò*, an Prælatus poſſit irritare vota ſuorum Religioſorum, quæ ſunt reſeruata Papæ? Reſp. affirmatiuè. Ratio eſt, quia materia voti, & voluntas executiua ſubditi adhuc eſt ſub dominio Prælati, ergo poteſt illam ſemper irritare. Ita Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.*1.*lib.*2.*capit.*12. *numer.* 10. Sanchez *lib.*4.*moral. capit.* 33. Imò talia vota eſſe ipſo facto nulla, & inualida per Benedicti XIII. conſtitutionem docet Rodriquez *in Sum.c* 91. *n.* 2. non poterit tamen Prælatus in his votis diſpenſare, quia ſunt Papæ reſeruata.

9. Ex communi Theologorum ſententia poteſt Superior irritare votum Religioſi, quamuis in illud conſenſerit, vel illud confirmauerit; modò votum nondum mandatum ſit executioni, vel non ſit confirmatum à Superiore, quia Superior præſtatione conſenſus non deſijt eſse Superior, nec dominium, ac poteſtatem amiſit, etiamſi dixerit ſe iuri ſuo cedere, & ſubditum eximere ea in re à ſua iuriſdictione; nam hæc proteſtatio eſt inefficax, poſito quòd ſubditus adhuc illi ſubditus maneat. Suarez *cit. l.* 6.*c.*8. Filliuc. *tract.*26.*num.*245. Nauar.*c.*12.*n.*73. Regin. *cit.n.*304.

Suar. Fil. Nauar.

Superior verò qui abſque iuſta cauſa irritat votum, poſt conceſſam vouendi facultatem, peccat, & quidem mortaliter, iuxta Sanchez *lib.* 4. *capit.* 27. *numer.* 32. Leſſium *citat.numer.* 76. Nauarrum *capit.* 12.*numer.*73. & alios; quia etſi materia ſit Prælato ſubiecta, & in eius poteſtate, tamen ex eius conſenſu eſt Deo obſtricta, ipſe autem impedit, ne Deo offeratur: licet Suarez *lib.6.c.8. ad fin.* & alij exiſtiment Superiorem tantùm peccare venialiter, quod non eſt improbabile, quia non agit contra iuſtitiam, cùm vtatur iure ſuo, nec agit contra Religionem, quia cùm ipſe votum non emiſerit, nullum votum violat, nec eſt cauſa violationis voti, nam cum per irritationem votum tollat, ceſsabit eius obligatio, & ſic vouens illud non violat.

Sed maius dubium eſt, an Prælatus localis poſsit irritare vota ſui ſubditi emiſsa ex licentia Generalis, vel alterius Superioris maioris? Reſpond. negatiuè, quia inferior geſta à Superiore retractare nequit, cùm inferior non habeat poteſtatem ſuprà Superiorem, ſed poteſtas inferioris dependet à Superiore, quia poteſtas dominatiua in Religione reperitur in Prælatis cum hoc ordine, vt priùs ſit in Superioribus, deinde in inferioribus, non autem è contra. Vnde ſi Prælatus inferior irritaret votum de Generalis licentia emiſsum, tolleretur, & euerteretur ille ordo. Licet tamen Prælato inferiori ſuſpendere ſubdito vſum illius licentiæ aliqua iuſta de cauſa, donec Superiori, à quo facultas obtenta eſt, cauſæ illius facultatis reuocandæ ſignificentur. Ita Rodriquez *p.*2.*Summ.Latin.cap.*91. *num.* 7. Sanchez *lib.*4.*moral.cap.*27.*num.*2. Suarez *de relig.t.*2. *lib.*6.*cap.*8.*num.*3. Poterit autem tale votum ex licentia Generalis emiſsum ab inferiore diſpenſari, quia cùm votum de ſui natura diſpenſabile ſit, & diſpenſatio non ſit reſeruata, inferior Prælatus poterit in eo diſpenſare, vt docet Fauſtus *in theſaur.* 161. & Rodriquez proximè citatus.

Rodriq. Sanch.

10. Poteſtas irritandi vota poteſt alteri à legitimo Superiori delegari, vnde viceſgerentes Superiorum ſeu Vicarij; qui habent iuriſdictionem generalem ad omnes cauſas, & negotia, poſſunt etiam vota irritare ſubditorum ſuorum; nam in generali facultate includitur etiam facultas irritandi vota, ſi habeant iuriſdictionem limitatam, facultas eorum non excedit terminos conceſſionis. Ratio eſt, quia vices ſuas alicui committens, nihil ſibi reſeruat, ſed ad generalem iuriſdictionem ad omnes cauſas, & negotia illi tradit, vnde qui huiuſmodi vicariam iuriſdictionem generalem ad omnes cauſas à Prælato obtinet, ea vota irritare poterit, circa quæ ipſiuſmet Prælati auctoritas fertur: ſecus, ſi limitatè iuriſdictionem ad aliquas tantùm cauſas, vel negotia habuerit: quia tunc commiſſionis terminos excedere ei non liceret. Per text. *in cap. venerabili, de offic. deleg.* Reginaldus *citat. numero* 324. Sanchez *citat. capit.*27.*numer.* 36. Clauis regia *citat. capit.* 10. *numer.*16.

Regin. Sanch.

11. Vota Nouitiorum non poſſunt irritari à Prælato, quia Nouitij ſunt adhuc ſui iuris; poteſt tamen ſuſpendere vota ipſorum perſonalia ſi ſint impedimento probationi: Vota verò Nouitiorum realia, regulariter loquendo, non poſſunt à Superiore ſuſpendi, quia hæc non impediunt obſeruantiam regularem. Filliucius *cit.numer.*242. Laym. *tr* 4.*c.*7.*n.*9. Leſſius *cit.dub.*13.*nu* 80. Nauarrus *c.* 22.*n.*65. Syluius *c.art.*8.*concl.*5. An Prælati poſſint vota Nouitiorum, & Nouitiarum commutare, & diſpenſare? dic quòd ſic, ſecundùm probabiliorem ſententiam apud Dian *tr.de dub reg.reſ* 71.*p.*3.

Filliuc. Laym. Leſſius. Sylu.

12. Certum eſt Religioſum poſſe votum emittere abſque Superioris conſenſu, modò illud non repugnet regulæ, vel præcepto Superioris, quia votum per ſe eſt opus bonum, & non eſt vetitum Religioſo vouere ea, quæ non repugnant regulæ, vel præcepto Superioris. Rodriquez 2.*p.c.*89. Clauis regia *lib.6.c.*5.*num.*22. Leſſius *cit.dub.*13. *num.* 73. Superior autem poteſt vota irritare etiam inuito vouente, quia Superior poteſt inuito ſubdito exercere poteſtatem in rem, circa quam habet poteſtatem dominatiuam: ſecus dicendum de commutatione, non poteſt enim Superior commutare vota inuito vouente, cùm per commutationem emittatur nouum votum; quod emitti non poteſt inuito vouente, Suar. *l.6.c.*1,*n.*12. Sanch. *l.*4.*c.* 24.*n.*25.*&* 27.

Rodriq. Leſſ. Suar. Sanch.

13. Vota omnia impuberum in irritum reuocari poſſunt à patre, vel tutore, qui pupillo eſt loco patris: Mater autem non poteſt irritare, niſi mortuo patre ſit loco tutoris; *C.*14. *Mulier.*32.*quæſt.*2. Idem poteſt (ſecundùm Suarez *l.6.c.6.nu.*22. & Leſſium *cit.dub.*14. Filliucium *tractat.* 26.*num.*236. *& ſeq.* Clauem regiam *lib.*6. *cap.*10. *num.*31. Layman *lib.*4.*tract.*4.*c.*7.*num.*10.) herus, ſi pupillus careat parentibus, & tutoribus. Idem dicendum de auo, vel auia mortuo patre, & deficiente tutore. Ratio autem cur ab his vota impuberum irritari poſſint, pendet à iuris diſpoſitione, quæ voluit eorum votis hanc tacitam conditionem ineſſe, *niſi pater, tutor, &c. contradixerint.* Hæc etiam vera ſunt, licet vouentes retulerint ea vota exequenda tempore pubertatis, nam vota adhuc habent dictam tacitam conditionem. An autem hæc vota impuberum poſt pubertatem irritare ab eiſdem poſſint? negat Sotus *lib.*7.*q.*3.*art.*2. Sed contrarium eſt verius, quia illud votum ex interpretatione iuris erat conditionatum, nempe, ſi parens, vel tutor non contradixerit, quam conditionem per tractum temporis non amiſit: quod tamen intelligendum eſt, modò pubes poſt acquiſitam pubertatem non ratificauerit vota tempore impubertatis facta, Nauarrus *cap.*12.*numer.*21. Diana *par.6.tr.*7. *reſol.*22. Sylu. *cit.art.*8.*concluſ.*5. Layman *citat. num.* 11. Sanch. *lib.*4.*c.*30.*num.*37. Et in dubio an ratificatio facta fuerit poſt pubertatem, vel an filius ratificauerit votum præſumendum eſt, votum non fuiſſe ratificatum, vel ratificationem non fuiſſe factam poſt pubertatem; & conſequenter patrem poſſe huiuſmodi vota irritare, quia confirmatio eſt quid facti, factum autem non præſumitur, niſi probetur. Suarez *de voto lib.*6.*c.*6. Sanch. *citat.cap.*32. *num.*9.

Suarez. Leſſius. Filliuc. Laym. Nauarr. Diana. Sylu. Laym. Suar. Sanch.

14. Vota puberum (id eſt, quæ nuncupata ſunt poſt annum 14. impletum in mare, & 12. in fœmina) non poſſunt a parentibus irrita reddi, niſi quatenus diſciplinæ, familiæ, & patriæ poteſtati obſint. Horum enim vota ſo-

ta ſolùm ſubſunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominij in voluntatem: itaque votum Religionis, caſtitatis, ſacrorum Ordinum, certarum precum, Confeſſionis, Communionis, & ſimilia irritari non poſſunt. Secus de votis ieiuniorum, præſertim, multorum peregrinationum, & ſimilibus, quia hæc ad gubernationem domeſticam pertinent. Suarez *l.6.cap.5.num.4.* Filliuc. *cit.n.229.230.231.* Sanchez *l.4.c.32.num.2. & c.35. num. 23. & 33.* Sylu. *cit. concl, 6.* Realia quoque irritari poſſunt niſi fortè habeant bona caſtrenſia) non ſolùm à parente, ſed etiam à curatore vſque ad vigeſimum quintum ætatis annum, quia ante illud tempus non habent adminiſtrationem. Clauis regia *l.6.c.5.numer.6.* Reginaldus *lib. 18. numer.317.* Syluester *verb.votum 4.q.2.* Leſſius *cit.num.85.* Secus tamen eſt de votis realibus relatis in tempus, quo erunt ſui iuris, quia non efficiunt adminiſtrationi curatorum. Nauar. *cap. 12. num.64.*

Suar. Fill. Sylu.

Clau. reg. Reginald. Sylu. Leſſ.

SVPPLEMENTVM.

VOTVM V.

De irritatione voti.

SVMMARIVM.

1 *An poteſtas irritandi vota iure naturæ competat Superioribus, vel potiùs iure humano?* Refertur duplex ſententia.
2 *An poteſtas irritandi, commutandi, & diſpenſandi vota extendatur ad vota interna?*
3 *Habentes dominatiuam poteſtatem, an poſſint irritare vota non ſolùm emiſſa, ſed etiam in poſterum emittenda?*
4 *An Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, ſed implenda tempore illius ſoluta?* Refertur duplex ſententia.
5 *An Superior poſſit irritare vota poſt ſuæ ſubiectionis tempus lapſum, quæ ſunt eius tempore emiſſa, nec confirmata poſt finitam ſubiectionem?* Refertur duplex ſententia.
6 *An curator poſsit irritare Minorum puberum vota omnia realia, & mixta, & an perſonalia?*
7 *An curator datus maiori prodigo poſsit irritare illius vota realia eo tempore curæ emiſſa?*
8 *Quando mater non eſt aſsignata tutrix, aut curatrix filiorum, an poſsit illorum vota irritare?*
9 *An filijs impuberibus, aut minoribus prætendentibus ſe læſos in votis notabiliter, competat reſtitutio in integrum?* refertur duplex ſententia.
10 *An vota ante ſubiectionem emiſſa poſsint propriè, & directè irritari, ſeu potiùs ſuſpendi?*
11 *Quibus Superioribus competat poteſtas irritandi vota Religioſorum? Et quæ vota non poſsint ab eis irritari?*

1 IRritatio votorum impropria, & indirecta ſuppoſita ſubiectione vndecumque orta, iure naturæ competit Superioribus, quia illa ſuppoſita, ius naturæ petit nil in illius detrimentum fieri: ac proinde eodem iure eſt integrum Superioribus non conniuere ei damno, ſuſpendendo obligationem votorum ſibi præiudicantium ad tempus quo eis non præiudicent, poteſt enim eo tempore Superior occupare ſibi ſubditum. Et hoc eſt manifeſtum apud omnes. Dubium tamen eſt inter Doctores de propria, & directa irritatione, quæ competit Prælatis religionum, patri reſpectu filiorum impuberum, domino reſpectu ſeruorum, patri reſpectu filiorum familias puberum, marito reſpectu vxoris. Quidam enim loquentes de Religioſis, & de filiis, aſſerunt hanc irritandi poteſtatem eſſe ex iure humano, quia ex natura rei, ſiue profeſſionis religioſæ non poteſt hæc poteſtas probari. Nam nil horum tantam ſubiectionem, aut dependentiam voluntatis ſubditi à Superiore poſtulat, vt poſſit præcipere, aut interdicere actus internos; quare totum hoc referri debet ad iuris humani diſpoſitionem, quod in omnibus horũ ſubditorum votis eam conditionem tacitè ineſſe præſcripſit, niſi Superior contradixerit, & licet id ſtatutum non expreſſe in iure inueniatur, deducitur tamen ex Eccleſiæ vſu. Ita Leſſius *l. 2.c.40.n.74.* Vaſq. *1.2.q.96.art.4.diſp.165.c 4.n.29.*

Sanchez autem arbitratur fundamentum, & radicem huius poteſtatis eſſe ex iure Eccleſiaſtico, ſic per vſum declarato; at eo fundamento poſito, cenſet poteſtatem hanc eſſe ex iure diuino naturali, ita ille *l.4.moral.cap.29. num. 32.* Quia horum omnium ſubditorum vota, quæ irritari poſſunt, habent implicitam conditionem, niſi Superior contradixerit, aut ſi ille conſenſum præſtiterit, quæ conditiones ſunt ſolo iure Eccleſiaſtico incluſæ tacitè in his votis, quibus poſitis de iure naturalis eſt libertas in Superioribus ad non ponendas eas conditiones, negando aſſenſum, aut contradicendo. Communior tamen ſententia aſſerit hanc poteſtatem non ex iure Canonico, ſed ex iure naturali deſcendere; quoniam tota in gubernatione, & adminiſtratione rei domeſticæ, & familiaris innititur, aut in poteſtate, qua quidam non ſui, ſed alieni iuris eſſe dicuntur. De Religioſis poteſt hoc probari, quia eo ipſo quod quis Religionem profitetur, ſubiicit voluntatem ſuam arbitrio Prælati, vnde facta profeſſione iure naturali, & diuino non poteſt abſque Superioris iniuria voluntatem ſuam ab obedientia Superioris ſubtrahere, & conſequenter Prælatus iure naturali, & diuino ob ius dominatiuum voluntatis ſubditi, illius vota irritare poteſt, Ita Sotus *lib.7. de iuſtit. quæſt.3.art.1.verſ. haud ergo.* Aragon *2. 2. quæſt. 88.art. 8. verſ. Tertio eſt aduertendum.* Clauis regia *lib.6.cap.10.num.7. in fine.* Azor. *t. 1.l.11.c. 17.quæſt.3.* Suarez *lib.6.de voto,cap.6.num.2.& 3. & cap. 7 num.3. & ſeq.* Salas *1.2.q.21.tr.8.diſp. unic. ſect. 25. nu. 263.* Trullench *in Decalog.lib.2.cap.2.dub.29.num. 1, in fine,* & alij.

Sotus. Arag. Clau. reg. Azor. Suar. Trullench

2. Poteſtas irritandi, commutandi, vel diſpenſandi vota extenditur ad vota quantumuis interna. Ratio eſt, quia aliud eſt iubere, ſeu prohibere, aliud autem obligatione liberare. Prius enim cùm ſit onus, ac de re illa legem, aut præceptum imponere, petit poſſe de re illa iudicare, & ad illam cogere, tranſgreſſionemque punire, quæ nulli humanæ poteſtati reſpectu actuum purè internorum conceduntur. Poſteriùs autem cùm nullum onus imponat, ſed eo liberet, non indiget poteſtate legis, aut præcepti ferendorum circa illa, & cogendi, ac puniendi, ac proinde tanquam quid fauorabilius conceditur, Superioribus circa actus internos. Quamuis enim Superior ignoret votum, dum ſibi non manifeſtatur, at poteſt ſub conditione dicere ſubdito, ſi emiſiſti hoc votum, illud irrito, aut in eo diſpenſo, aut id commuto in talem rem. Ita Vaſquez *1.2. quæſt.96 articul.4.diſp.160.cap.4.num.17.* Suarez *tr. de voto, lib.6. cap 7.numer.8.* Trullench *loco cit. numero 3.* Petrus de Ledeſma *tom.2. Summæ tract.10, cap.7.dub.vlt.* & alij.

Vaſq. Suar. Trullench Ledeſma.

3. Habentes dominatiuam poteſtatem irritandi vota, non ſolùm iam emiſſa, ſed etiam impoſterum emittenda poſſunt irritare, interdicendo ſubditis, ne ipſis inconſultis vota emittant. Nam cùm ſubditi voluntas à Superioris voluntate pendeat, ſi Superior poteſt emiſſa irritare, cur non emittenda? Accedit quod id non eſt opus perfectionis impedire, ſed modum prudentiæ vota præſcribere. Ita Suarez *tract. de voto, lib. 3. cap. 6. numer. 25.* Sanchez *lib.4.moral.cap.24.num.50.* Trullench *loco citato num.3.* Qui tamen bene aduertunt, quod quando Superior ſolùm vouendi actum interdicit, nil circa materiam voti diſponens, culpam eſſe vouere contra id præceptum, at votum eſſe validum. Ratio eſt, tum quia ſponſalia, & matrimonium inita contra Eccleſiæ interdictum, vbi decretum irritans non additur, ſunt valida; multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta valent, *c. ad Apoſtolicam, de regul.* Tum quia ad voti valorem ſatis eſt materiam eſſe Deo gratam, etſi modus vouendi illi diſpliceat. At quando prohibitio in ſolum hunc modum cadit, cum materiam non afficiat, non deſinit illa eſſe Deo accepta.

Suar. Sanch. Trullench

4. Con-

4. Controuerſia eſt magna inter Doctores an Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, implenda tamen tempore illius ſolutæ. Exempla ſunt, ſi vxor promittat in tempus viduitatis; impubes in tempus pubertatis, aut plenæ libertatis; pubes in tempus quo liberam bonorum diſpenſationem habuerit; ſeruus dum liber fuerit; religioſus ſi diſpenſatione Pontificia, aut alio quouis modo fuerit à Religionis iugo liber. Triplex eſt ſententia. *Prima* abſolutè facultatem ſupradictam cuicumque Superiori denegat: quia Superior ideò ius irritandi habet, quia ratione ſubiectionis voluntatis ſubditi abſolutæ, aut circa materiam promiſſam vota includant conditionem pendentem ab ipſius conſenſu: At in hoc caſu voluntas ſubditi neutro modo eſt ſub poteſtate Superioris pro tempore, pro quo votum emittit; cum referatur in tempus ſolutæ ſubiectionis votum illud; ergo nullam claudit conditionem, ob quam irritari valeat. Ita Caietanus *ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 8. dubit. penult.* Nauarrus *in man. c. 12. num. 66.* Arragon *ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 8.* Rodriquez *tom. 2. Summa Latina cap. 92. num. 10.* & alii. *Secunda* diſtinguit, nam aliqui ex ſupradictis ſunt plenè ſubditi Superiori quoad voluntatem cui ad plenum eius regimen traditi ſunt, quales ſunt religioſi reſpectu ſuorum Prælatorum, & filij impuberes reſpectu patris, & tutoris; alij verò ſunt tantùm ſubditi quoad aliqua obſequia, & aliquod voluntatis regimen, quales ſunt ſeruus domino, vxor viro, filij puberes patri, & curatori. Priorum vota facta ad tempus ſolutæ poteſtatis, poſſunt Superiores irritare, non autem poſteriorum. Ita Syluester *verb. votum 4. quæſt. 2. diſt. 5.* Valentia *ſecunda ſecundæ diſput. 6. q. 6. punct. 6. quæſt. 5.* Sanchez *lib. 4. moral cap. 29. numer. 3.* mutans ſententiam quam docuerat de matrimonio infra. Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles. *Tertia* probabilior concedit eam facultatem omnibus Superioribus habentibus poteſtatem dominatiuam. Ducitur, quia tempore, quo votum emittitur voluntas ſubditi ſubditur Superiori, ſiue abſolutè, ſiue quoad materiam promiſſam, licet executio in aliud tempus differatur; quamuis enim executio pendeat in futurum, at talis voti grauamen, & obligatio ſunt præſentia. Deinde ſequitur ex tali voto præiudicium Superiori, nam tempore, quo eſt Superior, & alter ſubditus, eum non recognoſcens vouet ſine eius conſenſu. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 39. numer. 16.* vocans hanc ſententiam probabiliorem, licet poſtea *loco citato in ſumma* tantùm probabilem vocet. Petrus Ledeſma *in Summ. t. 2. tr. 10. cap. 7. dub. vlt. dict. 10.* Ludouicus Lopez *1. parte inſtructor cap. 50.* Vega *tom. 2. Summ. c. 129. caſu 20.* Diana *p. 4. tr. 4. reſ. 29.* Nauarrus *cap. 11 n 67.* Trullench *in decal. l. 2. c. 2. dub. 34. n. 2.* Bonac. *t. 2. diſp. 4. q. 2 punct. 7. § 2. n. 18.* & alii.

Caietan. Nauar. Arragon. Rodriq. Sylueſt. Valentia. Sanch. Sanch. Ledeſm. Lopez. Vega. Diana. Nauarr. Trullench Bonac.

5. Quorumdam ſententia eſt, Superiorem non poſſe irritare vota poſt ſuæ ſubiectionis tempus lapſum, quæ sũt eius tempore emiſſa, nec confirmatam poſt finitam ſubiectionem. Ratio illorum eſt, quia poteſtas irritandi vota eſt ſolum conceſſa durante ſubiectione, ergo ea finita ceſſat poteſtas. Tum quia nullus dicet vota ſerui quę tempore ſeruitutis irritari a domino poterant, poſſe quoque ea ceſſante, at eadem eſt ratio in reliquis ſubditis, quando tempus ſubiectionis tranſijt. Ita Sot. *l. 7. de iuſt. q. 3. art. 2. dub. vlt.* Arragon *2. 2. q. 88. ar. 6. in fine*, Rodriq. *p. 2. Sum. Latina c. 93. concl. 5.* & alij probabiliter. Sed dicendum eſt, tanquam verius, quod quando poteſtas Superioris, cuius tempore votum emiſſum eſt, non eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, ſed quoad aliquid manet, poteſt irritare votum ſubiectionis ſuæ tempore emiſſum, etſi illud iam tranſierit, dummodo eo tranſacto non ſit denuo confirmatum. Hinc fit, quod pater irritare poteſt perſonalia impuberum vota non confirmata poſt pubertatem, quamuis illi non ſubdantur patri quoad vota perſonalia iam facti puberes deinceps emittenda. Ratio eſt, quia voluntas filij ante annos pubertatis cenſetur imperfecta, & perfecto, & pleno carens iudicio, & deliberatione, atque adeò conditionata, ſi ſcilicet parentes conſenſerint. Sed nulla facta eſt mutatio in voto ex ſua natura, ex eo quod mutata eſt perſona, hoc eſt, ex eo, quòd filius exiuit annos impubertatis. Ergo manet adhuc conditio implicita, quam à principio habuit, & conſequenter poſt annos impubertatis poteſt pater illa vota irritare, ſicut antea. Tum quia non omninò extincta eſt patris poteſtas circa perſonam pueri iam pubertatem adepti; quia etſi ex tunc primariò ei incumbat cura, & adminiſtratio rerum; at manent ei aliqua poteſtas, & cura circa perſonam, vt quoad aliquam correptionem, vel directionem, ſi neceſſaria fuerit, & ideò nequit licitè matrimonium inire inconſulto patre. Hanc ſententiam tuentur Caiet. *2. 2. q. 189. ar. 5.* Nauarr. *in man. c. 12. n. 71.* Leſſ. *l. 2. c. 40. n. 79.* Valent. *2. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 6. q. vlt. verſ. Nihilominus probabilius eſt*, Clau. reg. *l. 6. c. 10. nu. 26.* Sanchez *l. 4. mor. c. 30. n. 7. & 9.* Suar. *tr. de voto l. 6. c. 6. n. 8.* Trullench *loc. cit. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 17. q. 7.* & alij.

Sotus. Arragon. Rodriq. Caiet. Nauarr. Leſſ. Valent. Clau. reg. Sanch. Suarez. Trullench Azor.

Quando Superioris poteſtas eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, non poteſt ille irritare vota ſubiectionis ſuæ tempore emiſſa. Hinc tutor, cui impubes tempore voti emiſſi, erat ſubiectus, aut ſucceſſit patri, aliue ſimili tutori, non poteſt vota impuberis, tranſacta iam impubertate, irritare, quę poſtea non ſunt cõfirmata. Ratio eſt, quia ea impuberis vota non pendebant a tutoris perſona, ſed ab officio, aliàs irritandi poteſtas non tranſiret in tutorem conſequentem. Cùm ergo ſtatim adepta pubertate ceſſet officium tutoris, & maneat omninò perſona priuata, ceſſabit quoque conditio ab eo officio pendens, & ſic quoque poteſtas irritandi. Quod confirmatur ex eo, quòd ſi intra impubertatem remoueatur tutor ille ab officio, nequibit poſtea priora vota irritare, ſed ea poteſtas ad ſequentem tutorem tranſibit; Ergo idem dicendum, vt non poſſit, quando officium expirat ob pubertatem adeptam. Ita Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 6. num. 24. & 25.* & poſt illum Sanchez *lib. 4. moral. cap. 30. num. 14.* Quamuis contrarium doceant Nauarrus *in man. cap. 12. num. 71.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. num. 79.* Ludouicus Lopez *1. part. Inſtructor cap. 48. verſ. uotum religionis*, & alii, qui idem dicunt de patre, & tutore, quia tutor quoad omnia impuberis vota, eiuſque perſonæ, & rerum gubernationem, gerit in omnibus vicem patris. Quorum ſententiæ ſubſcribit. Trullench *in decalog. libro 2. c. 2. dubit. 35. n. 2.* Sed exiſtimat Sanchez hos Doctores confundere nomen tutoris, & curatoris.

Suar. Sanch. Nauarr. Leſſius. Lopez. Trullench

6. Curator poteſt irritare puberum minorum vota omnia realia, & miſta, quæ pater irritare poterat, dummodo tamen minor ætas durat, in quo patri æquiparatur, eo quod ad curatorem minoris bonorum adminiſtratio ſpectet. Et in hoc conueniunt Doctores. Dixi, *dum minor ætas durat*, in quo patri æquiparatur, eo quod ad curatorem minoris bonorum adminiſtratio ſpectet. Et in hoc conueniunt Doctores. Dixi, *dum minor ætas durat*, quia ea completa, aut ſi minor veniam ætatis legitimè impetret, ex tunc liberatur omninò à curatoris poteſtate, & maior efficitur, & conſequenter ceſſat curatoris officium: in quo curator differt à patre. Nam pater illa irritare poteſt quamdiu filius eſt ſub ſua poteſtate, etſi vigeſimum quintum annum excedat. At curator nequit, vbi primum minor eam ætatem complet: quia ex tunc ceſſat ipſo iure eius officium. Inſuper differunt, quia pater nequit vota realia filij minoris coniugati, aut aliàs emancipati irritare, nam tunc iam eſt ſui iuris, & habet liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem: dicitur autem filius emancipatus, quando ipſe pater illum ſoluit à patria poteſtate, vel a lege, aut alio modo ab ea ſoluitur. At ſi ille curatorem habeat, poterit ille id facere, dum eſt ſub eius cura, & dum habet bonorum adminiſtrationem. De his vide Suar. *t. 2. de relig. tr. de uoto l. 6. c. 5. n. 12.* Trullench *loco cit. dub. 35. nu. 3.* Sanchez *c. 35. n. 65. 66. & 67.*

Suar. Trullench Sanch.

Excipiuntur ab his votis realibus vota de peculio caſtrẽſi vel quaſi, quæ non poteſt curator irritare: quia filius reputatur in huiuſmodi peculio paterfamilias, eſtque omninò ſui iuris, vt conſtat *ex l. 2. ff. ad Sen. Conſult. Macedonian.* ibi; *Cum filiusfamil. in caſtrenſi peculio vice patrisfamil. fungatur.* Vbi Gloſſa finalis ab omnibus recepta ait idem omninò eſſe in quaſi caſtrenſi. Quia ad effectũ liberæ adminiſtrationis, & poteſtatẽ diſpenſandi, eſt idem de quaſi caſtrenſi, *l. Filiusfam. in fine, ff. de donat.* Et hãc exceptionem tradũt cõmuniter Doctores, Leſs. *l. 2. c. 40. n. 81.* Clau. reg. *l. 6 c. 10. n. 25.* Graff. *1. p. dec. l. 2. c. 29. nu. 6.* Eman. Sà

Gloſſa. Leſſius. Clau. reg. Graffiis. Eman. Sà. Bonac.

Digitized by Google

*verb. votum, ubi de voti irritatione n.*1. Bonac. *t.2. diſp.4.q.2.punct.7.§.2.n.*25. & alij. Vota autem perſonalia puberum minorum præiudicantia gubernationi domeſticæ, quæ irritari poſſunt à patre, poſſunt etiam irritari à curatore: quia ſuccedit in plenas vices patris, vt tradunt Nauarrus *in manual. cap.*12.*num.*64. Suarez *tract. de voto lib.* 6. *c.* 6. *num. vltimo*, Sanchez *loco citato num.* 69. Porrò quando plures minori curatores ſunt conſtituti, quilibet ipſorum poteſt vota eius irritare: quia quilibet ipſorum ſufficientem habet poteſtatem, nec eſt maior ratio de vno, quàm de alio, vt reſoluunt Suarez *loco c. cap.*6.*n.*22. Syluester *verb. Religio* 2.*qu.*13. Trullench *loco ci. dub.*35.*nu.*6.

Nauarr. Suar. Sanch. — Suar. Sylu. Trullench

7. Curator datus maiori, ratione prodigalitatis poteſt irritare illius vota realia eo tempore curæ emiſſa. Ratio eſt, quia huic maiori eſt ſimiliter interdicta bonorum administratio, & data curatori, vnde cum ille de bonis diſponere non valeat inconſulto curatore, vt illius vota realia valeant, debent neceſſariò includere conditionem pendentem à curatoris conſenſu: Hic tamen curator differt ab eo, qui datur minori. Nam datus minori poteſt irritare vota perſonalia ante pubertatem emiſſa tempore poteſtatis patris, aut tutoris, nec confirmata poſt pubertatem, vtpote qui non ſolùm rebus, ſed perſonæ datur; Poteſt etiam, & quædam vota perſonalia præiudicantia irritare, vt diximus numero præcedenti; at datus maiori neutrum poteſt. Deinde datus minori curator, poteſt irritare vota realia emiſſa à minore, etiam tempore, quo extra ſuam curam erat; hic autem minimè, id poteſt, ſed ſolo tempore ſuæ curæ, vel alterius ſimilis curatoris dati ei maiori prodigo, cui ipſe ſuccedit. Ita Sanchez *loco citato c.* 35.*n.*68. Trullench *loco cit.n.*7. & alij.

Sanch. Trullench

8. Cùm de iure communi mortuo patre matre non ſit ipſo facto tutrix, aut curatrix filiorum, etſi nullus alius tutor, aut curator conſtitutus ſit, ſed habeat ius petendæ tutelæ à iudice, vt conſtat ex *Authent. Matri, & auia, Cod. quando mulier tutelæ officio fungi poteſt*. Dubium eſt, quando non eſt aſſignata tutrix, aut curatrix filiorum, an poſſit illorum vota irritare? Circa hoc dubium diuerſimodè loquuntur Doctores. Sed omiſſis illorum dictis. Dico *Primò*, Mater quæ filiorum curatrix non eſt, nulla vota realia puberum poteſt irritare: quia hæc poteſtas, nec ipſi patri competit, quando bonorum filij adminiſtrationem non habet, ſed mater non curatrix nullam habet adminiſtrationem bonorum filij pubetis nam deficiente patre, ea tota ad curatorem pertinet; etſi nullus ſit curator, ad ipſum puberem: immò in caſu quo mater ex conſenſu filii bona ejus adminiſtret: non poterit vota irritare: quia tunc filius non pendet neceſſariò ab ea, ſed liberè; ſicut nō penderet ab œconomo; cui eam adminiſtrationem committeret. Ita Suarez *tract. de voto.lib.6.cap.*5. *fine*, Trullench *loco citato dub.* 36. *num.* 4. & omnes Doctores negantes matri poteſtatem irritandi vota, quando non eſt tutrix, aut curatrix, Viualdus *in candelabr.p.3.c.*14.*nu.* 97. Azor. *t.*1.*l.*11.*c.*17.*q.* 7. Nauarr. *in man.c.*12.*n.* 64 & alii.

Suar. Trullench Viuald. Azor. Nauar.

Secundò, Mater viuente, aut longè abſente patre, nulla impuberis vota poteſt irritare; nec etiam defuncto patre, ſi impubes ille tutorem habeat. Probatur prima pars, quia in hoc caſu id competit patri, vtpote, qui ſolus eſt caput totius domus, & familiæ, & habet plenam rerum, & perſonarum adminiſtrationem. Secunda autem pars patet, quia adeſt tutor, qui in plenas patris vices ſuccedit. In vtroque tamen caſu poteſt Mater voti obligationem ſuſpendere, quando ei vota illi præiudicant ex parte materiæ; vel occupando illum tempore, quo impleturus erat votum; vel illi præcipiendo, ne votum exequatur, donec patrem conueniat; quia id non excedit limites obedientiæ matris. Ita Suarez *loco citato lib.6 cap.*6. *num.* 19. *& ſeq.* Sanchez *loco citato cap.*35. *nu.* 78. Trullench *loco cit. n.*2.

Suar. Sanch. Trullench

Tertiò, Mater poteſt quæcumque filij impuberis vota irritare, quando aut pater obijt, aut ita longè abeſt, vt per Epiſtolam conſultus, nequeat reſpondere longiſſimo tempore expectato, dummodo in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis tutor. Ratio autem eſt, quia etſi in neutro caſu mortis, aut tam longè abſentiæ, ſi verè tutrix, eſt tamen eius loco, & plenam impuberis curā gerit, nec alius eſt, qui imbecillitati iudicij impuberis in votis emittendis conſulat quæ facultas etſi ipſi non competat ratione poteſtatis ciuilis, competit tamen ratione poteſtatis naturalis, quam erga filios habet. Et hoc procedit etiamſi mater ad ſecundas nuptias tranſierit, dummodo non adſit tutor. Ita Sanchez *loc.cit.n.*79. *&* 80. Geſualdus *in Theol. moral. p.*3.*tr.*24.*c.*5.*n.*29. *&* 30. Clauis regia *l.*6.*c.*10.*n.*31. Laym. *l.*4.*tr.*4.*c.*7.*n.*10. *verſ. Amplia primò.*

Sanch. Geſu. Clau. reg. Laym.

9. Quorumdam ſententia eſt, filiis impuberibus, aut minoribus prætendentibus notabiliter ſe læſos in votis, competere reſtitutionem in integrum, quia in omnibus alijs contractibus, quando læſi inueniuntur, poſſunt reſtitui, vt conſtat *ex toto titulo ff. de minor.* Ita Syluester *verb. votum* 4.*q.*2.*dict.*2. D. Antoninus 2.*part.tit.*11.*cap.*2.§. 6. & alij. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt, tum quia in voto non inuenitur læſio; cùm enim votum fiat in vtilitatem animæ, quæ pretioſior eſt, & præponderat aliis rebus, dicendum eſt in voto non inueniri læſionem, & conſequenter non concedi reſtitutionem in integrum, etiamſi votum factum ſit in alterius vtilitatem. Tum etiam quia reſtitutio hæc aduerſus votum eſſet contra Deum petenda, cum quo per votum contrahitur. Si enim aduerſus patriam, vel parentes, ratione reuerentiæ eis debitæ denegatur minoribus reſtitutio, multò fortiori ratione eſt aduerſus Deum deneganda. Ita Trullench *in decal.l.*2.*cap.*2. *dub.*34.*n.*12. Bonac. *loco cit.punct.*7.§.2.*n.* 24. Sanch. *loco cit.c.*35 *n.*86. & alii ibi relati apud ipſum.

Syluest. D. Anton. — Trullench Bonac. Sanch.

10. Vota ante ſubiectionem emiſſa nequeunt propriè, & directè irritari, ſed tantùm imperfectè, & indirectè, id eſt ſuſpendi à poteſtate ſequenti dominatiua, quatenus obſequio ei debito præiudicant. Probat. quia quando vota non habent imbibitam conditionem pendentem ex Superioris voluntate, vt cōtingit quando ante ſubiectionem fiunt, tunc ſubiectione ſequenti nequeunt verè irritari, ita vt non reuiuiſcant, ſed tantùm ſuſpendi. Quia tùm tota ratio, & fundamentum poteſtatis veræ, & directæ irritationis ſit vota ſubditorum ratione conditionis in ipſis imbibitæ eſſe conditionalia; quando vota non ſunt conditionalia, vtpote ante ſubiectionem facta, non poterunt verè irritari, ſed tantùm ſuſpendi, quatenus ſubiectioni ſubſequenti præiudicant.

Hinc deducitur vota vxoris ante matrimonium emiſſa, non poſſe à viro directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi: quia tunc nec voluntas, nec res promiſſa erat ſubiecta voluntati mariti, & ſic non ſunt emiſſa dependenter ab eius beneplacito, poterit tamen eorum executionem ſuſpendere, quatenus repugnant, aut præiudicant domeſticæ gubernationi. Idem dicendum de votis à viro ante matrimonium factis; poſſunt enim hæc quoque ab vxore ſuſpendi, ſi damnum ſibi inferant; & proinde pro tunc non obligabunt: quia obligatio Religionis contracta ante matrimonium, nequit præiudicare obligationi iuſtitiæ conſurgenti ex nouo matrimonio. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 12.*num.* 61. *&* 65. Suarez *tract. de voto, l.*6.*cap.*4. *nu.*16. *& cap.*6. *num. vltimo.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *capite* 17. *quæſt.* 14. Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 10. *numero* 11. *&* 19. Trullench *loco citato dub.*33.*numero* 4. Item vota realia puberum emiſſa tempore quo ſui iuris erant, poſſunt à curatore poſtea dato ſuſpendi: quia præiudicant ſuæ bonorum adminiſtrationi. Similiter vota emiſſa à Seruo, cùm in nullius ſeruitutem deuenerat, poſſunt ſuſpendi à domino, cui poſtea ſe legitimè vendidit, quando eius ſeruitio præiudicant: quia obligatio voti non poteſt impedire hanc iuſtitiæ poſteriorem. Suarez *loco citato lib.*6.*cap.*3. *num. vltim.* Azorius *loco citato capite* 17. *quæſt.* 2. *&* 10. Clauis Regia *loco citato numer.*18. Aduertendum autem, *Primò*, quando hi Superiores qui non poſſunt perfectè irritare vota ante ſubiectionem emiſſa, ſed tantùm ſuſpendere concedunt poſtea facultatem implendi, aut ceſſat eorum poteſtas, vota reuiuiſcere, & priſtinam obligandi vim recuperare: quia hic eſt ſuſpenſionis effectus, vt maneat quidem vinculum voti, & ob ſolam materiæ prohibitionem, eius obligatio eſt ſuſpenſa, quamdiu prohibitio durat, & ideò ea ceſſante priſtinas obligandi vires recuperat. *Secundò*, à prædicta doctrina excipiuntur vota ante Religionis profeſſionem emiſſa, ſiue in nouitiatu, ſiue in ſæculo, quæ ſi per profeſſionē non extinguantur,

Nauarr. Sanch. Azor. Clau. reg. Trullench — Suar. Azor. Clau. reg.

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt poſt profeſſionem perfectè à Superioribus irritari, non aliter quam ſi poſt profeſſionem emiſſa eſſent. Rationem reddit Syluester *uerb. uotum 4. quæſtione 7. dict. 3.* quia ſi profeſſus in inſtanti profeſſionis non habuit voluntatem non extinguendi ea per profeſſionem, per illam vtique extinguuntur. Si autem eam voluntatem tunc habuit, reputabuntur, ac facta poſt profeſſionem, ac proinde tempore plenæ ſubiectionis. De his videndus Sanch. *l. 4. moral. c. 31.*

Sylu. — Sanch.

11. Poteſtas irritandi vota religioſorum competit, *Primò*, Summo Pontifici, qui religioſorum quorumcumque vota irritare poteſt, quæ alii regulares eorum Prælati irritare valent: quia religioſi ſubduntur Pontifici, non ſola ratione, qua cæteri fideles, ſed etiam ex vi voti obedientię, eo quòd eſt ſupremus omnium Religionum Generalis, & ipſi emittitur votum obedientiæ in profeſſione factum; & ideò habet dominatiuam in illos poteſtatem, ſicut Prælatus regularis. Ita D. Thomas *ſecunda ſecunda, quæſt. 186. art. 5. ad 3. & ibi* Caietanus, Suarez, *tract. de voto, l. 6. c. 7. numer. 18.* Sanchez *lib. 4 moral. cap. 24. n. 20.* & alij communiter.

D. Thom. — Caietan. — Suar. — Sanch.

Secundò, Epiſcopus poteſt religioſorum vota irritare, quorum eſt peculiaris Prælatus, videlicet omnium non exemptorum, quia ipſi votum obedientiæ emittitur. Leſſius *l. 2. c. 41. dubit. 15. n. 114.* Suarez *loco citato*, Sanchez *citat. n. 22.*

Leſſ. — Suar. — Sanch.

Tertiò, hæc poteſtas competit etiam Generalibus, Prouincialibus, Superioribus localibus, vt ſunt Priores, Guardiani, Rectores, Præpoſiti, Miniſtri, Abbatiſſa, Prioriſſa, &c. quia omnes ſunt verè Prælati, & omnibus obedientiæ votum emittitur. Et quidem quod Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa omnia monialium ſuarum vota poſſit irritare, quæ poſſunt Prælati circa religioſos. Probatur, quia non ſolis Prælatis ſed ipſis quoque Abbatiſſis emittitur votum obedientiæ, & ideò vota includunt tacitam conditionem pendentem ex earum conſenſu. Accedit, quòd non minorem poteſtatem habent in actus monialium, quàm mater tutrix in actus impuberum. Ita Suarez *loco cit. cap. 7. num. vlt.* Leſſius *capite 40. dub. 13. numero 107.* Clauis Regia *l. 6. c. 10. numero 7. uerſ. Hinc eſt, & n 13. in fine*, Rodriq. *t. 1. qq. reg. q. 25. art. 7.* Bonac. *t. 2. diſp. 4. quæſt 2. punc. 7. §. 2. num. 26. uerſ. addo quartò*, Trullench *loc. cit. dub. 32. n. 3.* & alij.

Suar. — Leſſ. — Cau. reg. — Bonac. — Trullench

Quartò, idem dicendum eſt de viſitatoribus, niſi aliàs iuriſdictio eſſet ad aliquos actus limitata, quia ſunt Prouincialibus Superiores, & toti Prouinciæ præſunt. Non tamen competit hæc facultas horum Prælatorum Vicariis, niſi in abſentia eorum, quando tota conuentus gubernatio ad ipſos ſpectaret, tanquam vices illius gerentes, tunc enim poſſent vota irritare: quia tunc plena Prælatorum vice funguntur, & ſunt verè Prælati. Ita Suarez *loco citato cap. 7. numer. 17.* addens Vicarios hoc etiam poſſe ex delegata Prælatorum facultate ſibi conceſſa: quia hæc poteſtas poteſt delegari (vt diximus *tom. 1. verb. Votum 5. num. 10.* cum Doctoribus ibi citatis. Cæterùm quamuis omnibus Religionum Prælatis poteſtas hæc vota irritandi conueniat; & id cum quadam ſubordinatione eſt, & ideò Superior Prælatus poteſt reſeruare ſibi aliquam irritationem ſicut, & poteſt abſolutionem caſuum reſeruatorum, vt aduertit Suarez *loco citato*. Et hæc de irritatione dicta ſufficiant; plura apud Sanchez *l. 4. moral. à cap. 24. uſque ad* 37. apud Trullench *in decal. l. 1. cap. 2. à dub. 29. uſque ad* 38. Bonac. *tom. 2. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2.* & alios hic citatos.

Suar. — Sanch. — Trullench — Bonac.

Inſuper illud eſt addendum, quod licet Prælati Religionum poſſint irritare vota ſuorum ſubditorum; Hic tamen excipienda ſunt vota, quæ vltra tria Religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus Religionibus, approbante Sede Apoſtolica; vt in Religione Minimorum, votum vitæ quadrageſimalis: in Religione Mercenariorum, votum redemptionis captiuorum; In Societate IESV, à profeſſis quatuor votorum, ſolemne votum obediendi Romano Pontifici circa Miſſiones: & ab omnibus profeſſis quinque alia vota ſimplicia, *nempe uotum de non laxanda paupertate, ſed potius reſtringenda. De non procuranda, ambienda dignitate. De denunciandis ambientibus dignitates. De non acceptanda dignitate extra Religionem, niſi ex præcepto obedientiæ, De audiendis conſilijs P. Generalis, ſi eligantur in præſidem alicuius Eccleſiæ.* Ratio horum eſt quia in his omnibus, & materia ipſa, & actus vouendi, ſunt omninò extra Superiorum dominium, cum iuxta Conſtitutiones à Pontifice confirmatas, & approbatas ea vota ſint annexa ei ſtatui religioſo. Vt notant Sanch. *loc. cit. c. 33. n. 5.* Suar, *t. 4. de relig. l. 2. c. 12. à num. 28.* Bordonus *in conſiliis regul. reſol. 14. nu. 14.* Portel. *uerb. uoti irritatio nu. 68.* Diana *p. 6. tra. 8. reſol. 34.* Tamburin. *t. 3. de iur. Abb. d. ſp. 4. quæſ. 8. n. 7.* Layman *l. 4. tr. 4. c. 7. n 6. aſſer. 3. in fine*, & alii. Quamuis Miranda *in man. Præla. tom. 2. q. 9 ar. 6. concl. 1. & 2.* exiſtimet in ſupradictis votis poſſe Generalem diſpenſare ex iuſta cauſa: quod antea etiam docuerat Rodriquez *t. 1. qq. regular. q. 26. ar. 1.* qui ſuam ſententiam probant ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 1. de regul.*

Sanch. — Suar. — Bordon. — Portel. — Diana. — Tambu. — Layma. — Miranda.

VOTVM VI.

De commutatione voti.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit commutatio, & quotuplex?*
2 *An ad commutationem voti in id quod euidenter eſt æquale, requiratur poteſtas ſuperioris?*
3 *An commutatio voti in melius fieri poſſit ſine cauſa? & an votum reale poſſit commutari in perſonale, & è contra?* Refertur duplex ſententia.
4 *An omnia vota ante emiſſa commutari poſſint propria auctoritate in votum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ in religione.*
5 *Quis poſſit commutare vota ex poteſtate ordinaria, quis ex delegata, ſeu priuilegio? & quæ ſint vota reſeruata?*
An priuilegia regularium ſint latè interpretanda?
An religioſi poſſint cõmutare vota reſeruata Pontifici?
An virtute priuilegiorum poſſint religioſi commutare vota vndequaque venientium?
6 *An habens poteſtatem diſpenſandi ordinariam, vel delegatam, habeat etiam poteſtatem commutandi?* refertur duplex ſententia quoad delegatam.
7 *An qui ex poteſtate ordinaria, vel delegata poteſt commutare votum, poſſit etiam commutare obligationem ex violatione voti contractam?*
8 *An commutatio voti debeat fieri in æquale?* refertur duplex ſententia. *An votum factum in fauorem vnius Eccleſiæ poſſit commutari in aliud opus magis pium?*
9 *An facta commutatione voti liberum ſit voventi obſeruare ma etiam prioris voti relicto eo, in quod fuit commutatum?* refertur duplex ſententia.
10 *An votum in quod præcedens fuit commutatum, poſſit multoties commutari.*
11 *An facultas diſpenſandi, vel commutandi vota alicui conceſſa, extendatur etiam ad vota poſt conceſſionem facultatis facta.*
12 *An in conceſſione facultatis commutandi vota, concedantur vota Sum. Pont. reſeruata. Et an vota reſeruata poſſint commutari in opera meliora præter religionem.*
13 *An qui voluntariè, vel ex obliuione, vel alia cauſa tempore Iubilæi non curauit vota ſua commutari: poſſit, tranſacto Iubilæi tempore, illorum commutationem obtinere?* Refertur duplex ſententia.
14 *An vota poſſint commutari extra ſacramentum confeſſionis?* Refertur duplex ſententia.
15 *An vota tẽpore Iubilæi cõmutata reuiuiſcant, ſi poſtea pænitens nõ præſtet neceſſaria ad conſecutionẽ Iubilæi.*
16 *An peccet mortaliter, qui obtenta votorum commutatione, poſtea voluntariè omiſit onera Iubilæi?* Refertur duplex ſententia.

17 *An votum religionis, & caſtitatis perpetuæ commutatum à Pontifice in materiam non reſeruatam, poſſit hæc materia à confeſſario commutari in aliam vt ſublimet.*

18 *An in commutatione voti religionis debeat imponi aliud vinculum perpetuum?*

19 *An in commutatione voti peregrinationis, debeant expendi expenſa, & labor itineris?*

1 COmmutatio eſt *ſubſtitutio operis honeſti loco alterius per votum promiſſi, eodem vinculo manente*, C. peruenit 2. *de iureiur.* Nauar. *cap.* 12. *num.* 75. Fauſt. *in theſ. relig. l.* 4. *q.* 1. triplex eſt. *Prima*, cùm fit commutatio operis in melius. *Secunda*, cùm in æquale diuerſi generis. *Tertia*, cùm in minus: quo poſito dicendum eſt, quemcumque poſſe ſua authoritate votum ſuum commutare in id quod conſtat melius eſſe; niſi talis commutatio ſit ab Eccleſia ſpecialiter prohibita, vt eſt votum in voto ſtrictioris religionis, & in voto terræ ſanctæ in ſubſidium: quia iuxta ius, *non frangit promiſſum, qui in melius illud commutat*: & proinde in eo, quod melius eſt, cenſetur contineri, quod minus eſt; vnde dando melius, excellenter ſoluit quod promiſerat. *Melius* autem dicitur in hac materia quod omnibus conſideratis eſt Deo gratius: vnde licet oratio ex ſuo genere ſit præſtantior ieiunio, nihilominus, quia aliquando fieri poteſt, vt ieiunium ſit gratius Deo, poſſet aliquando votum orationis in ieiunium commutari; idem dicendum de eleemoſyna. Clauis regia *l.* 6. *c.* 12. *n.* 5. Suarez *l.* 6. *cap.* 18. *num* 4. & 8. Sanchez *l.* 4. *cap.* 49. *n.* 4. Filliucius *tr.* 26. *numer.* 280. & 281. Leſſius *libro* 2. *capite* 40. *numero* 101. Layman *libro* 4. *tractatu* 4. *capite* 8. *num.* 19.

Præterea qui ad carnis macerationem vouit ieiunium, ſi illud poſtea ſine licentia Prælati commutet in eleemoſynam, non cenſetur rectè votum commutaſſe in melius: quia licet per ſe, & ex ſuo genere melior ſit eleemoſyna quàm ieiunium, cùm hoc ſit opus temperantiæ, & illa miſericordiæ actus, quam conſtat eſſe temperantia excellentiorem; tamen ad libidinem refrænandam non eſt adeò vtilis, ac ieiunia, & aliæ corporis caſtigationes. Igitur nomine maioris boni non intelligitur omne id, quod ex genere ſuo eſt opus excellentioris virtutis, atque adeò gratius; & magis acceptum ex natura operis; ſed id quod omnibus expenſis eſt melius commodius, & aptius vouenti ad finem voti ſibi propoſitum, vnde in voti commutatione, potiùs attendenda eſt vtilitas vouentis, quàm materiæ magnitudo.

2. *An autem* ad commutationem voti in id quod euidenter eſt æquale, requiratur poteſtas ſuperioris, probabiliter ſuſtineri poteſt, quòd non; quia nulla fit Deo iniuria, cùm res illi æquè grata reddatur, per commutationem voti factam, non per actum iuriſdictionis, ſed per ſubrogationem materiæ æquè Deo gratæ. Diana *part.* 3. *tr.* 5. *miſc. reſol.* 25. & *tract.* 2. *miſc. reſ.* 7. *part.* 2. Sancius *in ſelectis, diſp.* 14. *num.* 3. Rodriq. 2. *part. cap.* 102. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 20. *n.* 5.

Tutius tamen eſt, vt id non fiat niſi auctoritate ſuperioris, vel ſaltem prudentis confeſſarii: tum quia promiſſio eſt ſoluenda in propria ſpecie, ex vi fidelitatis: tum quia commutatio nunquam haberet locum: nam in mutatione in melius non requiritur poteſtas: & in commutatione in minus eſt diſpenſatione, ergo ſolum ſupereſt, vt habeat locum in commutatione in æquale. Azor. 1. *p. l.* 11. *cap.* 18. *quæſt.* 2. Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 8. Suar. *l.* 6. *cap.* 19. *n.* 3.

Eſt autem *adnotandum*, quòd ſi dubium ſit, vel opinio, an ſit æquale, non licere commutare votum in id, quod dubitatur æquale: quia fieri poteſt, vt Deus hanc commutationem non acceptet, cùm non conſtet rem eſſe illi gratiorem, vel æquè acceptam: & hac ratione probant Doctores citati, votum ingrediendæ religionis non poſſe propria authoritate commutari in ſuſceptionem Epiſcopatus. Reginald. *lib* 18. *num.* 348. Layman *lib.* 4. *tra.* 5. *c.* 6. *num.* 15. Leſſius *cit. num.* 103. Miranda *in man. tom.* 1. *q.* 20. *art.* 9.

Notandum tamen, quòd hæc æqualitas in votis commutandis, non ſit accipienda mathematicè, ſed moraliter, & ad boni viri arbitrium ceſſante fraude, & lata culpa iudicanda eſt; ita vt prudenter, aut nulla, aut parua differentia eſſe credatur. Ratio eſt, quia cùm æqualitas mathematica conſiſtens in puncto indiuiſibili, ſit cognitu impoſſibilis, vana eſſet commutandi poteſtas, ſi hæc æqualitas ſic ſcrupuloſè capienda eſſet. Tum quia Deus non eſt ſuperſtitioſus, ſed potiùs eſt illi acceptum cæteris paribus, quod alacriori, & promptiori voluntate ei perſoluitur. Ita Suarez *l.* 6. *c.* 19. *n.* 9 Lopez *p.* 1 *inſtr. c.* 50.

Hinc commutantes vota abſque debita æqualitatis inueſtigatione peccant mortaliter, quia deficiunt in re graui, notabiliter enim lædunt diuinum cultum. Quare optimum conſilium erit, quando mera commutatio fit, ab eo qui caret facultate diſpenſandi, commutari votum in aliquid parum melius, quia ſic commutans tutiùs, & Dei negotium agit; vt notat Caietanus *in ſum. verb. Votum, cap. vlt.* Suar. Lopez. Caiet.

Quænam autem ſint iuſtæ commutandi, & cauſæ diſpenſandi vota; vide infra, *Votum VII. n.* 8.

3. *Commutatio voti* in melius fieri poteſt ſine cauſa, quia votum nunquam obligat ad omittendum maius bonum: ſi verò dubium ſit, an ſit melius, & non euidens, tunc requiritur cauſa, licet ſatis ſi leuior. Si fiat in æquale, debet eſſe aliqua iuſta cauſa; parua tamen ſatis eſt: debet autem eſſe æqualitas moralis, & quoties fit bona fide etiamſi eſſet in minus, valida eſſet. Croiſ. *ad c.* 7. *reg. l.* 29. Nauarr. *conſ.* 18. *de voto*, Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *miſcell. reſ.* 25. Filliuc. *c. num.* 284. 285. Suar. *cit. c.* 19. *n.* 3. 5. Et quamuis *quidam Doctores* apud Reginaldum *c. n.* 356. requirant in commutatione facienda omnimodam ſimilitudinem, vt ſcilicet, realis in reale, perſonalis in perſonale: *probabilius* tamen eſt, votum reale poſſe ex iuſta cauſa commutari in perſonale, & è contra: mixtum etiam in reale, quod dicitur redemptio; & in perſonale: quia in his omnibus inuenitur ſimilitudo, & proportio moralis: quod intellige, modo votum reale non ſit factum in fauorem alicuius loci pii, & ab eo ſit acceptatum. Sanch. *c. c.* 56. *n.* 22. Bonac *t.* 4. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. § 3 *n.* 7. Dian. Filliuc. Suar. Reginald. Bonac.

4. Omnia vota ante emiſſa commutari poſſunt propria authoritate in vota religionis, quæ in profeſſione fiunt: ſcilicet in votum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ: vnde hoc ipſo, quo quis profitetur, cenſetur hanc commutationem velle facere, vel certè ipſius iuris authoritate ea fieri videtur: niſi vouens explicitè contrarium intendat; *Imo*, votum ſubſidij terræ ſanctæ commutari poteſt in votum religionis, niſi fortè votum illud ab Epiſcopo, vel Pontifice ſit acceptatum, tunc enim ius acquiritur Eccleſiæ ad tale ſubſidium, vnde ſaltem ſumptus præſtandi erunt. Leſſius *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 106. Diana *tr.* 6. *miſc. reſ.* 65. *p.* 3. Vecchis *diſp.* 13. *dub.* 4. D. Thomas 2. 2. *q.* 88 *art.* 12. & *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. Suarez *to.* 3. *de relig. l.* 6. *c.* 14. Quare ſi aliquis magnus Princeps votum faceret de acquirenda terra ſancta, non poſſet ita facile huiuſmodi votum in vitam religioſam commutare, Quia in re tam graui probabiliter dubitari poteſt, an vita religioſa ſit melior. Vnde in hoc caſu conſulendus eſſet Summus Pontifex, & ſecundùm eius authoritatem faciendum. Leſſius. Diana Vecchi. D. Thom. Suar.

5. *Poteſtas ordinaria* commutandi vota reſidet penes Summum Pontificem Epiſcopos, & alios gaudentes ordinaria poteſtate diſpenſandi: quia poteſtas diſpenſandi, & commutandi eſt adnexa eidem muneri paſtorali, & vtraque neceſſaria eſt ad paſtorale munus. Vnde Prælati religioſorum, ut Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Doctores, Correctores, & ſimiles, poſſunt commutare vota ſubditorum: quia eorum iuriſdictio quaſi Epiſcopalis reputatur: Sed inferiores Sacerdotes nullatenus poſſunt uota commutare, nec etiam Parochi; quia non habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, niſi ad hoc priuilegio Pontificio muniantur: Romanus quidem Pontifex vniuerſim poteſt omnia, & omnium Chriſtianorum vbique degentium uota commutare. Epiſcopi in ſua Diœceſi habent poteſtatem commutandi omnia vota ſimplicia ſuorum ſubditorum, præter ea, quæ reſeruantur à Papa. Prælati verò regulares eamdem poteſtatem habent circa

ſuos

Digitized by Google

ſibi ſubditos. Ex quo colligitur, nec laicum, nec fœminam etiam Abbatiſſam eſſe huius authoritatis capacem, quia eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis. Si tamen commutatio fiat in id, quod certò, & euidenter eſt melius, cùm ea nullius iuriſdictionis actus ſit, ſed proprio cuiuſque vouentis arbitrio fieri poſſit, hæc poteſtas eſt etiam apud laicos, & fœminas, imò infideles. Ita Bonacina cit. n. 9. Toletus l. 4. c. 18. n. 10. Fauſtus l. 4. q. 3. Hæc facultas delegabilis eſt, vt patet ex vſu, & praxi Eccleſiæ, vnde illi qui a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, aut ab alio facultatem ordinariam habente, priuilegium commutandi obtinuerunt, poſſunt etiam commutare vota. Et de facto Religioſis Societatis IESV ab Ordinario approbatis ad ſæcularium confeſſiones audiendas, & per communicationem aliis etiam Mendicantibus, conceſſit Paulus III. facultatem commutandi vota omnia, & Gregorius XIII. extendit hanc facultatem ad vota iurata, in alia pietatis opera; exceptis quinque reſeruatis. Nempe *Vltramarino, Viſitationis liminum Sancti Petri, & Pauli, ac S. Iacobi in Compoſtella, nec non religionis, & caſtitatis*. Quod antea conceſſerat *Eugenius IV.* Congregationi S. Iuſtinæ anno Domini 1437. pridie Kalen. Iulij, Pontificatus ſui anno 6. Sanch. *de matrim. l. 8. diſput. 16. num. 1.* Comp. *Priuil. mendicantium verb. abſolutio quoad ſæculares* 2. Crouſ. *ad 1. 7. reg. minor. lect. 39.*

Bonac. Tolet. Fauſt. Sanch. Comp. Crou.

Hæc priuilegia fauorabilia ſunt, & latè interpretanda; quia licet ſint priuilegia iuri communi derogantia, vnde etiam odia iuris dicuntur, & odia reſtringenda ſint, *de reg. iur. in 6.* tamen hoc habet locum quando huiuſmodi facultas ad aliquorum particularium fauorem tradita eſſet, ſecus verò quando in fauorem publicum conceſſa eſt, tunc enim non odium, ſed fauor, & Principis beneficium cenſetur, ideò latè interpretandum eſt, quantum eius verba patiuntur. Gloſſa, & Panormit. *in cap. final. numer. 2. de Simonia*, Diana *part. 8. tractat. 3. reſol. 45.*

Gloſſa. Diana.

Sed circa dicta priuilegia eſt notandum. *Primò*, quòd virtute horum poſſint religioſi commutare etiam vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum; quia in eis nulla huius rei limitatio appoſita eſt, nec aliqua ratio ad ea limitanda ſuadet. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 54. num. 18.* Bonacina *in decal. d. 4. q. 2. part. 7. paragraph. 2. num. 12.*

Sanch. Bonac.

Nota *Secundò*, religioſos virtute horum priuilegiorum commutare poſſe omnia vota, etiam Summo Pontifici reſeruata, quando in illis poteſt Epiſcopus diſpenſare, ex eo, quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiant, aut quia non eſt diſpenſatio in ſubſtantia voti reſeruati, ſed in aliqua eius circumſtantia: Ratio eſt, quia Summus Pontifex eam commutandi poteſtatem denegare intendit tunc tantùm quando videlicet reſeruata ſunt. Ita Suarez *de relig. tom. 2. l. 6. cap. 26. num. 17.* Sanchez c. n. 19.

Suar. Sanch.

Nota *Tertiò*, religioſos per dicta priuilegia non ſolùm ſubditorum illius diœceſis, in qua ad fidelium cōfeſſiones audiendas expoſiti ſunt, verùm etiam quorumcumque vndecumque venientium vota commutare poſſe; quia cum hæc facultas ſit eis conceſſa à Summo Pontifice, qui toti orbi præeſt, non eſt cur ad ſubditos illius diœceſis, in qua commorantur, limitanda ſit: cùm hoc clarè concedatur in priuilegio *Pauli III.* vbi expreſsè traditur facultas audiendi confeſſiones vndecunque venientium, & eorum vota commutandi.

6. *Quicumque* habet poteſtatem diſpenſandi ordinariam, vel delegatam, habet etiam poteſtatem commutandi, non tamen è contra. Suar. *lib. 6. cap. 12. num. 10.* Clauis Regia *l. 6. cap. 12. num. 15. dub. 3.* Regin. *1. nu.* 339. Leſſius *c. num.* 108.

Suar. Clau. reg. Regin. Leſſius.

De habente poteſtatem ordinariam eſt communis ſententia Doctorum, ſed de habente delegatam eſt diſſenſio. Nauarr. enim *capu. 12. num. 79.* Azor. *lib. 11. capu. 18. quæſt. 7.* Sanchez *lib. 4. cap. 53. n. 4.* putant enim, qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi, non continuò habere poteſtatem commutandi, quia hæ facultates ſunt omninò diſtinctæ.

Nauar. Azor. Sanch.

Sed contrarium eſt verius, quia cui licet maius, licet etiam minus, quando ſcilicet minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel ſpecies in ſuo genere; commutatio autem eſt quid minus contentum in poteſtate diſpenſandi, diſpenſatio enim remittit totum vinculum, commutatio verò partem.

Ad rationem autem aduerſariorum dicendum eſt, has facultates non eſſe omnino diſtinctas, ſed alteram in altera contineri, ſicut pars in toto, & minus continetur in maiore, Diana *tract. 5. miſc. reſ. 25. part. 3.* Sotus *de iuſtit. lib. 7 quæſt. 4 art. 3.* Layman *lib. 4. tract. 4. c. 8. nu. 20.* Sylu. *v. votum 4. quæſt. 3.*

Dian. Sotus. Laym. Sylu.

Hæc autem regula iuris 53. in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus*, non haberet locum in abſolutionibus peccatorum reſeruatorum, quamuis enim plus ſit abſoluere à reſeruatis Papæ, quàm abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, Inquiſitoribus, ac Prælatis regularibus, hæc tamen poteſtas minor non eſt annexa, vel incluſa in maiori tanquam pars eius, vel ab ea inſeparabilis: vnde hæc regula non habet locum in odioſis, vt benè notauit Sigiſm. à Bonacina *tract. de elect. p. 2. dub. 77. num. 3.* per aliam regulam, *Quæ a iure communi exorbitant, non ſunt ad conſequentiam trahenda*. Reg. 28. eod. Vide Sanch. *de matrim. lib. 8. diſput. 1. num. 31. & ſeq.* Bordon. *in conſ. reg. reſ. 3. num. 7.* Fauſt. *in theſaur. relig. lib. 4. quæſt. 51. num. 2.* An autem qui poteſt commutare ſeu diſpenſare in votis, poſſit etiam in iuramentis? probabile eſt quod ſic. Tannerus *2. 2. d. 5. quæſt. 5. dub. 1.* Suarez *lib. 6. cap. 14. n. 6.* Clauis Regia *lib. 5. cap. 8. num. 9.*

Bonac. Sanch. Bordon. Fauſtus. Tannerus. Suar. Clau. reg.

7. Qui ex poteſtate ordinaria, vel delegata poteſt commutare votum, poteſt etiam commutare debitum ſeu obligationem ex violatione voti contractam, verbi gratia vouiſti dare eleemoſynam 10. aureorum, ſi peccares contra caſtitatem: ſi peccaueris; ille qui poteſt commutare votum, poteſt etiam illud debitum in alia opera conuertere: quia illud debitum non debetur niſi ex vi voti, & aliàs materia non eſt reſeruata. Leſſius *c. num.* 108. Sanchez *de matrim. lib. 8. d. 15. num.* 14. Quamuis contrarium teneat Nauarrus, *lib. 3. tit. de voto conſ. 33. & 35.*

Leſſius. Sanch. Nauarr.

8. *Commutatio*, quæ fit per priuilegium, aut bullam, ab eo qui caret poteſtate diſpenſandi, debet fieri in æquale, vel penè æquale: ſi enim notabiliter eſſet minus admiſceretur diſpenſatio. *Æquale* voco quod æquè gratum eſt Deo à te hic & nunc præſtari. Suarez *lib. 6. cap. 12. n. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 50. num. 4.* Clauis regia *lib. 6. c. 12. nu. 9.* quamquam valde probabile ſit ſufficere, ſi fiat in minus, quia ſecundùm multorum ſententiam quiſque poteſt propria auctoritate commutare votum in æquale abſque alio priuilegio: ergo ne dicamus hoc priuilegium eſſe inutile, concedendum eſt habentem priuilegium commutandi, poſſe commutare in minus: & maximè ſi adſit iuſta cauſa, vt eſt difficultas in voto perſoluendo, vtilitas vouentis, repugnantia parentum, & mariti. Sà *v. voti irritatio, num. 10.* Tolet. *lib. 4. cap. 18.* Rodriq. *2. part. cap. 102. num. 4.* Leſſius *c. num. 109.* Diana *tractat. 5. miſcel. reſ. 25. part. 3.*

Suar. Sanch. Clau. reg. Sà. Tol. Rodriq. Leſſius. Dian.

Sed rogabis an votum factum in fauorem vnius Eccleſiæ, poſſit commutari in vſus quod ſit in commodum alterius; v. g. vouit aliquis dare centum Eccleſiæ S. Petri, & poſtea videt pauperes fame morientes, an poſſit illa centum in illorum ſubſidium donare? Reſp. Si votum ſit ſecretum, per quod Eccleſia S. Petri nullam actionem contra vouentem habeat, poteſt vouens tale votum propria auctoritate, & ſine conſenſu alicuius in euidenter melius commutare, applicando illa centum pauperibus fame morientibus, quia per huiuſmodi votum nullum ius eſt tali Eccleſiæ acquiſitum. Si autem votum fuit iam notum, & Rector prædictæ Eccleſiæ illud votum acceptauerit, tunc non poteſt vouens abſque conſenſu eiuſdem Rectoris illa centum alteri operi magis pio, donare. Ratio eſt, quia ei acquiſitum eſt ius per acceptationem. Vnde talis commutatio cederet in illius præiudicium, fieretque illi iniuria. Ita Clauis regia *lib. 6. c. 11. nu. vlt.* Nauar. *c. 12. n. 78.* Syluius *v. votum 4. q. 7.* Suar. *lib. 6. cap. 15. n. 7.* & alij.

Clau. reg. Nauar. Sylu.

9. Facta commutatione voti, liberum eſt vouenti (etiamſi commutatio ſæpius facta fuerit) obſeruare materiam prioris voti, relicto eo, in quod prius fuit commutatum,

tatum, quia commutatio fit in fauorem vouentis, qui poteſt cedere ſuo fauori. Leſsius *cit. n.* 11. Clauis regia *lib.* 6. *c.* 12. *d.* 5. Diana *cit. reſ.* 25. *& tractat.* 4. *miſc. reſ.* 6. *p.* 2. Sanchez *lib.* 4. *c.* 55. *n.* 26. licet nonnulli Doctores exiſtiment probabilius eſſe, non poſſe vouentem redire ad prius votum, ſi commutatio fuerit facta in melius, quia illa commutatio habet vim noui voti. Suarez *lib.* 6. *c.* 20. *n.* 3. Filliuc. *num.* 288. Reginald. *cit. num.* 362. Sed prima ſententia eſt probabilis.

Suar. Filliuc.

10. Votum in quod precedens fuit commutatum, poteſt multoties commutari, ſi facultas commutandi vota, non ſit limitata ad vnam vicem: imò qui habet facultatem vota non reſeruata commutandi, poteſt hac facultate vti erga illum, cuius votum reſeruatum, commutatum fuit in materiam non reſeruatam, quia per commutationem extinguitur prius votum, quod erat reſeruatum ratione materiæ. Sanchez *lib.* 4. *c.* 54. *num.* 24. Bonac. *cit.* §. 3. *num.* 19. Suarez *cit. cap.* 20. *num.* 15. Syluius *v. votum* 4. *quæſt.* 4. & alij.

Sanch. Bonac. Syluest.

11. Facultas diſpenſandi, vel commutandi vota alicui conceſſa etiam extenditur ad vota poſt conceſſionem facultatis facta, quidquid alij contradicant, quia facultas abſoluendi à peccatis, & cenſuris, non ſolum extenditur ad peccata commiſſa ante tempus Iubilæi, verùm etiam ad ea, quæ tempore Iubilæi perpetrata ſunt, ergo etiam facultas commutandi, vel diſpenſandi extenditur ad vota facta poſt Iubilæi conceſſionem. Suarez *lib.* 6. *c.* 13. *nu.* 4. 6. Sanch *lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 26. Clauis regia *lib.* 6. *c.* 12. *num.* 16. Azor. *lib.* 11. *c.* 18. *quæſt.* 9. Filliuc. *cit. num.* 253. & hoc valet, etiamſi votum factum fuerit intentione commutationis obtinendæ, quia priuilegium adhuc durat, nec ſimpliciter amittitur per abuſum, vt ait Sanchez *cit. cap.* 54. *num.* 18.

Suar. Sanch. Clau. reg. Azor. Filliuc.

12. Ordinariè in conceſſione facultatis commutandi vota, non conceduntur vota reſeruata Summo Pontifici, niſi ſufficienter exprimantur; quia huiuſmodi facultas intelligenda eſt iuxta regulam iuris 81. in 6. dicentem: *In generali conceſſione non venire ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus, ſi ſpecialiter rogaretur.* Reginald. *lib.* 18. *n.* 354. Filliuc. *cit. n.* 266. Suar. *lib.* 6. *c.* 26. *n.* 18. An autem hæc vota reſeruata commutari poſſint in opera euidenter meliora, præter Religionem? Affirmant Clauis regia *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 14. Arragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. quia cùm commutatio hæc in maiorem Dei cultum cedat, non cenſetur à Pontifice impediri; id enim videtur contra bonos mores, vtpote quòd meliori bono obſtet. Negatiua tamen ſententia eſt amplectenda. Ratio eſt, quia iure optimo potuit Pontifex in his votis grauioribus, hoc ſibi iudicium reſeruare, an expediat illa commutari: ac proinde ex quo ſibi reſeruauit, tollitur inferioribus qualiſcumque ea commutandi facultas. Nec hoc eſt contra bonos mores, quia per hoc non prohibetur ſimpliciter maius bonum, ſed præſcribitur modus tranſeundi ad illud ex licentia ſupremi vicarii Chriſti, cui aliud bonum erat in ſpecie promiſſum. Ita Sanch. *lib.* 4. *mor. c.* 52. *n.* 4. Suar. *lib.* 6. *c.* 21. *nu.* 17. Imò nec vnum votum reſeruatum poteſt in aliud reſeruatum euidenter melius commutari, præter religionem; quia cum Pontifex hanc ſibi commutandi facultatem abſolutè reſeruarit, præcluditur inferioribus aditus ad hæc etiam inter ſeipſa commutanda. In votum autem religionis poſſunt omnia vota reſeruata commutari, vt conſtat ex *cap. Scriptura, de voto*, & dictum eſt ſupra *num.* 4.

13. Controuertitur inter Doctores, an qui voluntariè vel ex obliuione, vel alia cauſa non curauit vota ſua commutari, quibus obſtrictus erat, poſſit tranſacto tempore Iubilæi illorum commutationem obtinere, & quidem probabile ſatis eſt poſſe tranſacto Iubilæi tempore, illorum commutationem petere & obtinere ab eodem Confeſſario, vel ab alio ex approbatis ab Ordinario, modò conſecutus ſit Iubilæum, id eſt, ſi ipſe intra tempus Iubilæi, opera ad Iubilæi conſecutionem præſcripta præſtitit, quia hoc ipſo, quo debito tempore fecit opera ad Iubilæi conſecutionem neceſſaria, acquiſiuit ius ſeu priuilegium, quo poſſint ei vota laxari, quod priuilegium non eſt certo tempore adſtrictum: Idem dicendum de abſolutione à reſeruatis, quæ tempore Iubilæi fuit oblitus, quia ius acquiſiuit cuilibet ea confitendi. Ita Leſſius *cit. num.* 109. Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *d.* 15. *num.* 17. *& lib.* 4. *moral. cap.* 54. *num.* 39. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 4. Sà *de indulg. num.* 14. Suarez *de pœnitent. d.* 31. *ſect.* 4. *num.* 13. Diana *tract.* 2. *miſc. reſol.* 9. *p.* 2. *& p.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 40.

Sanch. Henriq. Suarez. Dian.

Alijs autem videtur probabilius, & tutius, non poſſe à ſimplici Confeſſario diſpenſationem vel commutationem obtinere, tranſacto Iubilæi tempore, quia illo tranſacto ſimplex Confeſſarius caret iuriſdictione neceſſaria ad diſpenſandum vel commutandum; & vouens non obtinuit generalem diſpenſationem vel commutationem votorum, ſicut obtinuit generalem abſolutionem, vnde non eſt eadem ratio abſolutionis peccatorum, & commutationis votorum. Ita Bonac. *cit. n.* 14. Beia 2. *p. caſu* 9. Suarez *lib.* 6. *de voto c.* 16. *n.* 14. *&* 15.

14. Tempore Iubilæi poſſunt vota commutari extra Sacramentum confeſſionis, quia nullo iure præſcribitur commutationem fieri in Sacramento confeſſionis, cùm non ſit materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ: vnde Religioſi priuilegiati poſſunt vti hac commutandi vota facultate, etiam extra Sacramentum confeſſionis, cùm ſcilicet neceſſitas poſtulauerit. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *d.* 16. *n.* 11. *& lib.* 4. *cap* 54. *n.* 17. *&* 32. Crouſers *cit. lect.* 29. quamuis in contrarium ſentiant Clau. regia *cit. cap.* 11. *nu.* 105. Rodriquez *cit. cap.* 101. *num.* 6. Et inſuper eſt notandum ſecundùm Sanch. & Rodriq. apud ipſum, non oportere vt commutans vota virtute priuilegiorum, ſit Confeſſarius vouentis, quia priuilegia ſolùm petunt Confeſſarium eſſe approbatum ab Ordinario, vt docet etiam Diana *p.* 3. *tract* 2. *de dubijs reg. reſol.* 9. Idem dicendum de abſolutione cenſurarum, & de diſpenſationibus ſuper irregularitate, iuramento, petitione debiti, &c. hæc enim abſolutio ſeu diſpenſatio poteſt dari extra Sacramentum confeſſionis, & vrgente neceſſitate in abſentia per ſcriptum. Vt docent Diana *tract.* 5. *miſc. reſ.* 25. *p.* 3. *& de Bulla cruc. reſ.* 45. *& de dub. reg. reſ.* 14. *&* 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 8. *& p.* 5. *tract.* 12. *reſ.* 36. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 2. *d.* 23. *quæſ.* 2. *n.* 5.

Diana Tambur.

15. Vota tempore Iubilæi commutata non reuiuiſcunt, ſi poſtea pœnitens non præſtet neceſſaria ad conſecutionem Iubilæi: quod verum eſt, quamuis Confeſſarius commutauerit remittens ſe ad opera ſubroganda ad tempus poſt expletum Iubilæum. Rodriq. *cit. cap.* 183. Portel *in dub. reg. v. indulg. pro Iubilæo num.* 19. Sanchez *cap.* 54. *num.* 49. Henriq. *cit. c.* 11. *num.* 4. Sa *v. abſolutio num.* 18. Diana *p.* 3. *tract. de Sacr. reſ.* 145. *& tract.* 5. *miſc. reſ.* 25. quia commutatio fuit abſolutè facta, & non ſub conditione: deinde cenſuræ abſolutio tunc temporis data non reuiuiſcit, ergo neque reuiuiſcunt vota, vt ait Diana *locis citatis, & tract.* 2. *miſc. reſ.* 10 *p.* 2.

Rodriq. Portel. Henriq. Sà. Sanch.

16. An autem peccet mortaliter, qui obtenta votorum commutatione, poſtea voluntariè omittit onera Iubilæi, affirmant Rodriquez *in Summ. tom.* 1. *c.* 183. *num.* 15. Suarez *de relig. tom.* 2 *lib* 6. *cap* 16. *num.* 11. Fillineius *tract.* 26. *c.* 10. *num* 301. quia talis peccat contra pactum implicitum, & iuſtum, ſiue contra obligationem relictam ex voto, & incluſam in tali commutatione: nam commutatio ſemper intelligitur data ſub onere faciendi, quod in ſe eſt ex parte pœnitentis ad gratiam conſequendam. Hæc ſententia eſt probabilis. Negant Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 54. *num.* 54. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *num.* 18. Diana *p.* 2. *tract* 2. *miſcel. reſol.* 13. Portel *in dub. reg. v. Indulgentia pro Iubilæo, nu.* 20. quorum ſententiæ tanquam probabiliori adhærendum eſt, quia talis retrocedens, & non lucrans Iubilæum, nihil promiſit, nec Confeſſarius illi aliquam obligationem impoſuit, neque conſtat de tali Pontificis intentione, ſi enim tale Papa intenderet, id facilè poſſet explicare, vt fit aliquando in aliis conceſsionibus Pontificiis. Ideò non debemus præceptum imponere, abſque vrgenti fundamento.

Rodr. Suar. Fill.

Sanch. Bonac. Diana.

17. Poſtquam votum religionis, aut caſtitatis perpetuæ fuit à Summo Pontifice commutatum in materiam non reſeruatam, verbi gratia, in eleemoſynas, in confeſſiones menſtruas, &c. poteſt Confeſſarius, vi Iubilæi, & Epiſco-

Epiſcopus hanc materiam commutationis non reſeruatam, commutare in aliam materiam. Ratio eſt, quia poſt commutationem prioris voti, materia non eſt reſeruata Pontifici. Nec valet dicere, quod ſubrogatum ſapit naturam eius, cuius loco ſubrogatur, quia illud axioma eſt verum in fauorabilibus, non autem in odioſis, qualis eſt reſeruatio. Ita Malderus 2.2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 11. Sanch. *de matrimon. lib.* 8. *diſput.* 9. *num.* 20. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. Tamburinius *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 29. *quæſit.* 2. *num.* 8.

Malder. Leſſius. Tambur.

18. Porrò, illud poſtremò eſt obſeruandum, quòd pro commutatione voti religionis ſemper debet imponi aliquod vinculum perpetuum, vt quòd confiteatur ſingulis menſibus, ieiunet ſingulis feriis ſextis, ſeptem Pſalmos pœnitentiales, aut Roſarium recitet, & det eleemoſynam iuxta ſtatum ſuum, & hæc omnia per totam vitam fieri debent. Et ita eſt praxis Romæ in officio pœnitentiariæ. Hinc, qui in votis commutandis prædictam diligentiam non adhibet, peccat mortaliter iuxta Medinam. Vnde Confeſſarij imperiti non debent hoc onus commutandi vota in ſe ſuſcipere, ſed conſulere in his caſibus habentes commutandi peritiam, quia defectu huius, mutæ ridiculæ ſæpè commutatione fiunt. Vide Sotum *de iuſtit. lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. Arragon 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. Medinam *lib.* 1. *inſtr. cap.* 14. §. 7. Clauem reg. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 21.

Sotus. Arrag. Medina.

19. Ad commutandum votum peregrinationis, expendi debent expenſæ, quas facturus erat, qui vouit, quia augent pondus, & æſtimationem voti, *Cap. Magna, de voto*. Deducendæ tamen ſunt expenſæ quas ipſe vouens domi erat facturus; quia cùm illæ eſſent, ceſſante ea peregrinatione, faciendæ non ſunt Deo dicatæ per votum. Imò habenda eſt ratio expenſarum & laboris in eundo, & redeundo, quia quamuis non vouerit redire, ſed ſolùm ire, huiuſmodi autem reditus tacitè ſubintelligitur in voto peregrinationis, & reuerſio è peregrinatione eſt acceſſoria ad perfectionem, & opus religionis conſummans votum. Et hoc eſt definitum in *Cap. Magna, de voto*, quidquid alij contrarium doceant. Conſiderandus eſt etiam labor itineris: vnde ſi vouens erat pedibus peregrinaturus, vltra expenſas, labor vnius diei cum vnius diei ieiunio, & labor duorum cum ieiunio duorum dierum, & ſic deinceps commodè commutari poteſt. Quod ſi non erat pedibus iturus, tunc labor quatuor dierum in vnius diei ieiunium commutatur. De his vide Suarez *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 18. *& ſeq.* Clauem regiam *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 20. Fauſtum *in theſauro relig. lib.* 4. *quæſt.* 87. *& ſeq.* Azorium *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. Expenſæ verò in eleemoſynas, & vſus pauperum, puta in dotandis pauperibus, aut in aliud ſimile commutandæ erunt. Monet Vitaldus *in addit. ad candelabrum tract.* 14. *nu.* 40. vnum particulare pro commutandis votis tempore Iubilæi, quod quando Confeſſarius eſt compluribus confeſſionibus occupatus, ſi dicat pœnitenti, tempore quo durat Bulla, ſeu Iubilæum. Ex nunc commuto tibi votum hoc, in res quas iudicabit talis Doctor, ad cuius ſententiam te obligo, erit optimè factum, & valida erit talis commutatio.

Suar. Fauſt. Azor.

VOTUM VII.

De diſpenſatione voti.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit diſpenſare in votis, & quomodo differat diſpenſatio ab irritatione, & commutatione?*
2 *An in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi in votis, & iuramentis.*
3 *Quibus Prælatis competat iure ordinario poteſtas diſpenſandi in votis? & an Summus Pontifex iure diuino diſpenſet in omnibus votis?*
4 *An Epiſcopus, vel Archiepiſcopus ex iuſta cauſa poſſit diſpenſare in votis ſubditorum, quæ reſeruata non ſunt.*
5 *An Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem reſpectu ſubditorum ſuorum exemptorum poſſint in votis diſpenſare? Et quid ſi de licentia ipſorum vota ſint facta?*
6 *An Epiſcopus diſpenſare poſſit cum Religioſis exemptis.*
7 *An habens facultatem generalem diſpenſandi in votis, poſſit etiam ſecum diſpenſare?*
8 *An requiratur iuſta cauſa, vt diſpenſatio valida ſit?*
9 *An poteſtas diſpenſandi in votis delegari poſſit, ab habente illam ordinariam?*
10 *An confeſſores Ordinum Mendicantium poſſint diſpenſare in votis ex priuilegio, ſicut Epiſcopi? Et an Regulares poſſint vti priuilegiis Societatis Ieſu ſine licentia ſuorum Generalium.*
11 *An Prouinciales Ordinum Mendicantium, poſſint concedere ſuis Confeſſoribus approbatis auctoritatem diſpenſandi cum coniugatis impeditis ex voto, vel inceſtu, ad petendum debitum?*
12 *Quæ ſint vota Summo Pontifici reſeruata?*
13 *An tria peregrinationum vota, videlicet, ad limina Apoſtolorum, ad S. Iacobum, & in Terram ſanctam reſeruentur Pontifici ſi fiant ſolùm cauſa deuotionis?* refertur duplex ſententia.
14 *In quibuſnam caſibus caſtitatis non integræ poſſit Epiſcopus diſpenſare?*
15 *Quando poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis integræ?*
16 *An poſſit Epiſcopus diſpenſare quando coniuges, poſt contractum matrimonium, & conſummatum communi conſenſu vouerunt continentiam, & poſtea periculum incontinentiæ vtrique, vel alteri eorum ingruit?*
Et quid ſit ante conſummationem?
17 *An quando votum caſtitatis fuit metu emiſſum poſſit Epiſcopus diſpenſare?*
18 *An quando votum caſtitatis eſt acceſſorium, & dependens ab alio voto principali, in quo poteſt Epiſcopus diſpenſare, poſſit etiam in illo?*
19 *An quando votum eſt verè conditionale ſub conditione de futuro, vel de præterito, vel de præſenti, poſſit Epiſcopus diſpenſare?* Refertur duplex ſententia.
20 *Quando votum fiat disiunctiuè, vt, voueo caſtitatem vel ieiunium perpetuum, an poſſit vouens eligere alteram partem, in qua Epiſcopus poſſit diſpenſare?*
21 *In dubio de valore voti caſtitatis, vel de eius reſeruatione, an poſſit tunc Epiſcopus diſpenſare?*
22 *An votum pœnale caſtitatis, vel religionis poſſit ab Epiſcopo diſpenſari?* Refertur duplex ſententia.
23 *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto facto in vtilitatem alterius.*
24 *An Parochi, & alij Sacerdotes poſſint diſpenſare, aut commutare vota in articulo mortis?*
25 *An Prælati regularium poſſint commutare, vel diſpenſare in votis Nouitiorum?* Refertur duplex ſententia.
26 *An habens facultatem diſpenſandi, vel commutandi vota poſſit diſpenſare, vel commutare iuramenta?* Refertur duplex ſententia.
27 *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis annexo Ordini ſacro?*
28 *An votum ſolemne caſtitatis Religioſorum poſſit à Summo Pontifice relaxari?* refertur duplex ſententia.
29 *An habentes generale priuilegium commutandi, & diſpenſandi vota, poſſint ea omnia vota commutare, & diſpenſare quæ ab Epiſcopis, iure ordinario, vel extraordinario, commutari, & diſpenſari poſſunt?*

1. Diſpenſare in voto nihil aliud eſt, quàm relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod erga Deum vouendo quis contraxerat: differt autem diſpenſatio ab irrita-

irrita-

Digitized by Google

irritatione, quòd diſpenſatio pertinet ad poteſtatē ſpiritualem, & ad ſui valorem requirit cauſam; irritatio verò pertinet ad poteſtatem dominatiuam: & non requirit cauſam ad ſui validitatem: differt autem à commutatione, quòd in commutatione non auſertur ſimpliciter obligatio, ſed vna ſubſtituitur loco alterius. Leſſius *lib.2.c* 40. *num.*68.*&* 112. Caiet. 2.2. *quæſt.*88.*art.*12. Filliuc. *tract.*26 *num.*245.

Leſſius. Caiet. Filliuc.

2. Certum eſt de fide, in Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi in votis, iuramentis, & ſimilibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis, vt patet vſu & traditione Eccleſiæ antiquiſſima, quia omnis humana lex indiget interdum diſpenſatione. Votum autem eſt quædam priuata lex, & Chriſtus non deſuit Eccleſiæ in neceſſariis. Clau. reg. *lib.*6.*c.*11.*n.*9. Regin. *lib.*18.*num.*327. Sanch. *lib.* 4.*mor.c.*37.*num.*2.5. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*7.

Clau. reg. Sanch. Valent.

3. Poteſtas diſpenſandi in votis iure ordinario competit ſolis Prælatis habentibus iuriſdictionem in foro externo, qui hæc poteſtas non eſt ordinis, ſed iuriſdictionis: vnde non competit cuius Sacerdoti, nec ad eam requiritur Sacerdotium, aut alius Ordo ſacer, ſed ſolùm iuriſdictio Eccleſiaſtica in foro externo, qualis eſt in Epiſcopo confirmato ante ordinationem. Hinc ordinaria poteſtas diſpenſandi ſuper omnia vota, eſt tantùm in Summo Pontiſice, & de iure diuino, quia hanc immediatam poteſtatem Chriſtus dedit tantùm Petro, & ſucceſſoribus eius, & quidem vniuerſalem reſpectu omnium votorum perſonarum, & locorum. Clauis regia *cit.nu.*85. Sanchez *cit. cap.*37.*n.*22. Leſſius *cit.n.*115. Filliuc. *cit.n.* 248. & alij.

4. In Epiſcopis etiam eſt ordinaria poteſtas reſpectu votorum quæ reſeruata non ſunt, & in ordine ad ſubditos ſuæ Diœceſis, modò adſit iuſta diſpenſandi cauſa, & vota non ſint facta in fauorem tertij ab eoque acceptata. Idem dicendum de Archiepiſcopis, Patriarchis, & alijs huiuſmodi, reſpectu tamen ſuarum Diœceſium, non autem reſpectu Diœceſium ſuffraganeorum extra viſitationem Prouinciæ. D. Thom. 2.2.*q.*88.*art.*12.*ad* 3. Sylu. *ibid concl.* 3. Nauar. *c.*12.*n.*75. Suar. *lib.*6.*c.*11.*c.*10. Filliuc. *cit.n.*249. Poſſet tamen Archiepiſcopus diſpenſare in votis ſuorum Epiſcoporum ſuffraganeorum, quia Archiepiſcopus videtur immediatus ipſorum Superior, ſaltem quando Epiſcopi ei ſubijciunt. Sanch. *lib.*4.*c cap.*38.*n.*16. Clau. reg. *cit.c.*11.*num.*79. Hæc autem poteſtas diſpenſandi poteſt exerceri circa vota ſubditorum etiam extra propriam Diœceſim, ſiue Epiſcopus ſit in Diœceſi, & ſubditus extra Diœceſim, ſiue vterque extra Diœceſim, quia diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, qui poteſt extra territorium ſeu Diœceſim exerceri. Suarez *citat.num.*10. Bonac. *tom.*2. *quæſt.*2.*punct.*7.§.4.*num.*6. Nomine ſubditorum cum quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare, veniunt *Primò* illi, qui habent domicilium in Diœceſi. *Secundò* illi, qui licet non habeant in Diœceſi domicilium, inceperunt tamen habitare cum intentione ibi manendi maiori anni parte. *Tertiò* vagi, qui contrahunt Diœceſim in eo loco, in quo pro tempore reperiuntur: Peregrini autem diſpenſantur à proprio Epiſcopo, non autem ab Epiſcopo loci, in quo peregrinantur: quod idem dicendum eſt de mercatoribus, & ſcholaſticis, qui magnam anni partem alicubi habitant, tantùm enim ſubduntur Epiſcopo loci quoad Sacramenta neceſſaria, non autem quoad vota, ſicut neque quoad Ordines. Sanchez *de matr.l.*3.*d.*23. Suarez *tom.*1.*de relig.lib.*2.*c.*14.*&* 16. Filliuc. *cit.n.*250.

D. Thom. Sylu. Suar. Filliuc.

Suar. Filliuc.

5. Poſſunt etiam diſpenſare in votis Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem reſpectu ſuorum ſubditorum exemptorum, qui exempti non ſunt, ſubduntur Epiſcopo. Bonacin. *cit.num.*4. Sanchez *lib.*4.*c.*39. Nomine autem Prælatorum, veniunt omnes, qui toti Congregationi, vel Monaſterio præſunt, vt ſunt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Præpoſiti, Rectores, Guardiani, & Vicarij horum omnium, qui plenè vicibus Prælatorum funguntur habentes plenam Conuentus curam. Ratio eſt, quia hi omnes ſunt Paſtores ordinarij ſuorum, ſicuti Epiſcopi ſæcularium. Abbatiſſa autem non poteſt in votis ſuarum Monialium diſpenſare, quia iuriſdictione ſpirituali, ad quam pertinet facultas diſpenſandi, caret, vt diximus ſupra *verb. Abbatiſſa num.* 4.

An verò religionum Prælati poſſint diſpenſare in votis ſuorum ſubditorum de eorum licentia factis? Dicendum eſt quòd ſic, quia ſiue ea licentia præiudicet poteſtati dominatiuæ, ſiue non: nullo tamen modo præiudicat ſpirituali, à qua diſpenſatio pendet, cùm vtraque poteſtas ſit valdè diuerſæ rationis. Ita Caietan. 2.2.*q.*88.*ar.*8. Suarez *l.*6. *c.*10 *num.*18.

Caiet. Suar.

6. Epiſcopus cum Religioſi exempti, ipſi ſe ſubiicientibus de licentia Superioris, non ſolùm poteſt diſpenſare in voto, verùm etiam in irregularitatibus, & abſoluere à cenſuris, & caſibus conceſſis Epiſcopo in Tridentino. Henriq. *l.*10.*c.*20. Molina *tom.*4 *diſp.*81.*num.*4. Sanchez *cit. c.* 39. *num.*27. Ratio eſt, quia exemptio Religioſorum eſt potiſſimum inducta in fauorem religionis, vt eius Religioſi quietiùs Deo famulentur, & ne paſſim ab Ordinarijs perturbentur: vnde in iis, quæ quietem, & fauorem religionis concernunt, non debent eſſe peioris conditionis, quàm non exempti. Nec eſt rationi conforme, vt exemptionis priuilegium in hoc caſu contra eius finem operetur. Cenſetur autem regularis tacitè habere licentiam ſui Prælati, quando Prælatus eſt impeditus, quia nominatim denunciatus, aut longè abeſt, aut ſi mortuus eſt, aut iniuſtè negat licentia, quia per epicheiam non eſt cenſendum voluntatem Summi Pontificis, & religionis eſſe, vt Epiſcopus in eo euentu non abſoluat, & cogatur regularis vagari pro obtinenda abſolutione. Item poſſunt Prælati religionum ſeipſos ſubiicere Epiſcopo, vt ab eo abſoluantur, & cum eis in votis diſpenſet, quia poſſunt vti licentiis, quas ſubditis concedere poſſunt, vt docent Henriquez *l.*7. *de indulg. c.*25. Suarez *tom.*5.*in* 3.*p.d.*41.*ſect.*2.*n.*12. Diana *p.*8.*tr.*3. *reſ.*48. & alij.

Henriq. Molin. Sanch.

Suar. Diana.

7. Prælatus, aut alius habens facultatem generalem diſpenſandi in votis, poteſt etiam ſecum in votis diſpenſare, aut dare facultatem alteri, qui ſecum diſpenſet: nam hic eſt actus iuriſdictionis gratioſæ, quem iure naturæ non repugnat exerceri in ſeipſum, cùm idem ſecundùm diuerſas rationes poſſit eſſe agens, & patiens; & cùm ſit actus delegabilis, nihil obſtat quominus Prælatus poſſit hanc facultatem alteri committere vt ſecum diſpenſet. Ita Leſſius *cit.n.*156. Sanch. *de matrim.l.*8.*d.*3. *n.* 8. *& lib.*4. *moral.cap.* 37. *numer.*45. *& cap.*39.*n.*40. Rodriq. 2. *p. c.* 101. Diana *p.*8.*tr.*3.*reſol.*16. & alii. Contra Suar. Clauem reg. & alios.

Leſſius. Sanch. Rodriq. Diana.

Imo habentes iuriſdictionem delegatam diſpenſandi in vniuerſum cum aliqua communitate, cuius ipſi ſunt partes, poſſunt in iiſdem rebus ſecum quoque directè diſpenſare. Ratio eſt, quia non requiritur diſtinctio perſonarum propter ſpecialem inſtitutionem, ſicut in abſolutione Sacramentali: nec etiam requiritur propter votum iuriſdictionis, quia in iuriſdictione voluntatis non eſt inconueniens eumdem operari in ſeipſum, vt patet indulgentiis. Secus dicendum de illo, qui limitatam poteſtatem habet diſpenſandi cum certis perſonis, non enim poteſt in iiſdem rebus ſecum diſpenſare, quia poteſtas illa non extenditur vltra conceſſionis limites Cùm ergo ſit ad certas perſonas, in quibus ipſe non comprehenditur, non poterit ea vti erga ſeipſum.

8. Vt diſpenſatio valida ſit, requiritur vt ſubſit cauſa iuſta, quia inferior non poteſt validè diſpenſare in lege Superioris ſine cauſa: diſpenſatio autem in voto, eſt aliquo modo diſpenſatio in iure diuino naturali, ſaltem ratione materiæ, quæ ſubtrahitur, quod valet etiam reſpectu Papæ, & multò magis reſpectu Epiſcoporum: Generatim iuſtæ cauſæ ſunt vtilitas Eccleſiæ, & honor Dei; item vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiuſdem, per quam timetur ſæpè violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis (etiamſi non ſit periculum violandi) inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia perturbatio animi in vouendo, puerilis ætas, incommoditas implendi, vel difficultas ex parte operis, & quæuis cauſa reddens executionem voti quaſi illicitam, vel inutilem, aut moraliter impoſſibilem, aut maioris boni impeditiuam. D. Thom. 2. 2. *q.*88.*art.*12.*ad* 4. Syluius *ibid.concl.*4. Sanchez *lib.*4.*c.*45. Suarez *l.*6.*c.*17.*num.*2. Nauarr. *c.*12.*nu.* 75. *&* 76. Filliuc. *cit.nu.*

D. Thom. Sylu. Sanch. Suar. Nauar. Filliuc.

Digitized by Google

*cit.num.*259.Laym.*lib.*4.*tract.*4.*cap.*8. Croufers *ad cap.*7. *reg.S.Franc.lect.*29. Hoc autem eſt notandum, tarò vtendum eſſe pura diſpenſatione ſeu relaxatione voti, quia raro iuſta cauſa ſubeſt, vt ſine vllo onere condonetur; quare plerumque vtendum commutatione, quæ diſpenſationem admixtam habeat, & extendatur iuxta tempus voti, vel ſaltem opus aliquod ſemel vel ſæpius faciendum in compenſationem ſublati voti, eſt imponendum. Leſſius *cit.cap.*40.*num.*120. Regin.*lib.*18.*nu.*345. Suar.*cit.num.*4. Sanchez *cit.cap.*45.*num.*4.

Leſſius. Suar. Sanch.

9. Poteſtas diſpenſandi in votis delegari poteſt ab habente facultatem ordinariam, perſonis habilibus, quales ſunt Clerici, in hac delegatione debet in ſpecie dari facultas ad diſpenſandum in votis: ideoque conceſſa poteſtate ad abſoluendum ab omni caſu reſeruato, & cenſura, non propterea cenſetur conceſſa facultas ad diſpenſandum: Et conceſſa poteſtate commutandi, non cenſetur conceſſa poteſtas diſpenſandi, ſunt enim actus diſtincti & commutatio eſt quid minus. Suarez *cit.cap.*12.*num.*1.2. & 4. Filliuc.*tract.*26.*cap.*9.*num.*251.252.

Suarez. Sanch.

10. Confeſſores Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt ipſi Epiſcopi, ſeu in caſibus Epiſcopis reſeruatis. Sorbus *in compend.priuil.Mendicant.v.Abſolutio quoad ſaculares num.*12. Sanchez *de matr. lib.*8.*d.*16.*num.*1. Leſſius *cit. num.*134. Diana *de dub.reg.reſol.*121.*part.*3. Ratio eſt, quia poſſunt diſpenſare in omnibus votis Papæ non reſeruatis. Ita in terminis conceſſerunt diuerſi Pontifices. Iulius II. Congregationi Benedictinorum, & S. Bernardi. Eugenius IV. Monachis S. Iuſtinæ Ordinis item S. Benedicti, in Conſtitut. *Et ſi quaslibet perſonas*, annò 1436. pridie Kalend. Iulij, illis verbis. *Inſuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & ſingulis caſibus, &c.* & infrà. *Cum eis diſpenſare præter cenſuras pœnas, & vota, & caſus, de quibus eſſet meritò Sedes Apoſtolica conſulenda.* Ita Bordonus *in conſil. regul. reſol.*15. Bullam vide apud Confettium *in collectione priuileg. fol.*31. Non habet tamen hæc conſtitutio duas limitationes (ſcilicet, quòd Confeſſarij poſſint vti prædicta conceſſione ſolùm in ſuis Eccleſiis, & non alibi: Et pro tribus aut quatuor Confeſſarijs ſolum, vt aſſerunt Caſarubius *in compend. v. Abſolutio quoad ſaculares*, 2. *num.*16. Lezana *tom.*1. *Summ.capite* 19.*num.*22. & alij,) vt patebit intuenti textum Bullæ: quam fortè non viderunt, ſed conceſſio eſt abſoluta.

Circumfertur & alia conceſſio Innocent. VIII. facta Minoribus, vt poſſint diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas. Sed hoc priuilegium refertur a Caſarubio *v. Diſpenſatio, num.*16. ſub nomine oraculi non authentici, proinde notat illud paruo o. Hoc tempore eſt reuocatum per Bullam Vrbani VIII. *Aliàs Fœlicis*, de qua ſuprà.

Adfertur etiam ex Compendio Societatis alia conceſſio Martini V. facta Benedictinis, vt ſcilicet, poſſint in votis etiam Epiſcopo reſeruatis diſpenſare, modò ſint ab Ordinario approbati. De iſto priuilegio non mihi conſtare potuit, an per Bullam, an verò viuæ vocis oraculo conceſſum ſit. Doctiores inquirant. De alijs priuilegijs vide Peregrinum *verſ. Diſpenſatio*, §.10. Hæ tamen facultates apud Patres Societatis non competunt ſingulis perſonis, niſi per Superiorem, & iuxta illius moderationem ſpecialiter committantur: quia vt habetur in Bulla Gregorij XIII. de vſu facultatum edita anno 1575. & notatur in Compendio priuilegiorũ Societatis in præfatione. Nullus è Societate vti poteſt priuilegijs Societati conceſſis, niſi illi per Præpoſitum Generalem, aut per alios ab ipſo electos communicetur. Legatur Palatius *in* 4.*diſt.*17.

Sed petes, an Regulares aliarum Religionum poſſint vti priuilegijs Societatis IESV, quæ conceduntur aſſignatis tantùm à Patre Generali? Reſponſio eſt affirmatiua. Nam Gregorius XIV. Crucigeris, & Religioni Clericorum miniſtrantium infirmis communicationem priuilegiorum Societatis conceſſit, ſine eo quòd illarum Religionum profeſſores à ſuis Generalibus ea mendicarent, Præterea dicta priuilegia fuerunt illis communicata abſolutè, & alijs etiam communicantibus abſolutè conceduntur, nec per communicationem imponuntur reſtrictiones & limitationes, quæ ab ipſa Societate fuerunt impetratæ à Sede Apoſtolica. Cuiuſmodi eſt reſtrictiuus vſus priuilegiorum in Societate, quòd ſcilicet, nõ poſſit ſortiri effectum, niſi prout à Generalibus fuerit diſpenſatus, à quo pendet tota ipſius Societatis gubernatio, etiam quoad particularia, quæ ab aliarum Religionum Præpoſitis Generalibus minimè exequuntur. Ita Rodriquez *t.*1.*quæſtion reg.q.*55. *ar* 17. De la Cruz *de ſtat.rel.l.*2.*c.*4.*concl.*3. Diana *p.*5. *tr.* 13.*reſ.*46. Portel. *in dub.reg.v.priuil.commun.n.*23. Suar. *de leg.l.*8.*c.*17.*n.*6.

Rodriq. Diana. Portel. Suar.

Vide *Priuilegium V.* num. 10.

11. Prouinciales Mendicantium habent priuilegium, vt poſſint concedere ſuis Cõfeſſoribus approbatis iuxta Tridentini normam, authoritatem diſpenſandi ad petendum debitum, cum his, qui ante matrimonium caſtitatem vouerant, Corduba *in ſumm, q.*136. *punct.*2. Rodriquez *c.* 242. *nu.*14. & *tom.*1.*quæſtionum reg.q.*63 *art.* 2. Henriquez *l.* 12.*c.*2. *nu.* 9. Sanchez *de matrim.l.*8.*d.*16.*num.*8. Ex conceſſione Pij V. viuæ vocis oraculo, hoc priuilegium ſecundùm Sanchez extenditur ad vouentem, licèt nondom matrimonium cõſummauerit. Imò ex eiuſdem Pontificis conceſſione Regulares diſpenſare poſſũt cum inceſtuoſo ad petendum debitum. An autem hoc priuilegio vti poſſint Confeſſarii regulares ſi non fuerint deputati à Prouincialibus? Alij affirmant, alii negant apud Dianam *p.* 5. *tr.*13.*reſol.*46. Vbi affirmatiuam ſententiam putat non eſſe improbabilem: & *de dub.regul.p.*3.*tr.*2.*reſol.*14. docet ex Portello quòd Prouinciales concedentes alicui ſubdito licentiam vt poſſit diſpenſare cùm impeditis ex inceſtu, vel voto ad petendum debitum, non poſſint datam licentiam reuocare abſque iuſta cauſa, faciunt enim iniuriam illi, qui habebat. Hæc ille. Notandum tamen eſt modo hoc priuilegium eſſe reuocatum ab Vrbano VIII. Pontif. Max. qui omnia viuæ vocis oracula annullauit: vt patet ex ipſius Bulla, *Aliàs Fœlicis* 20. *Decemb.* 1631. & proinde Confeſſarii Mendicantium Ordinum cauere debent ab vſu huius priuilegii, niſi à ſancta Sede hoc de nouo concedatur. Sed de hac Bulla Vrbani VIII. Vide quæ adnotat Diana *p.*5.*tr.*14.*reſ.*17. ex Laurentio de Peyrinis *in priuil. Minim.t.*3 *c.*12.*conſtit.*18, aliàs 28. Vrbani VIII, *in Scholiis num.*1. & quæ nouiſsimè annotauimus ſupra *v. Inceſtus n.*7. ex eodem Diana *p.*6.*tra.*8. *reſ.* 32. & Lezana *in ſumm, quæſtion, reg.t* 3, *verb. Affinitas n.*4. & 5. & quæ diximus ſupra *u. Priuilegium* 1.*n.*8.

Diana. Lezan.

12. Vota Summo Pontifici reſeruata, & in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt ſunt quinque; Votum caſtitatis perpetuę, Votum Religionis approbatæ, Votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, Votum ad ſanctum Iacobum Compoſtellanum, & Votum in Terram ſanctam: quamuis enim hæc reſeruatio non ſit in iure expreſſa; nihilominus ſicut reſeruatio poteſt per conſuetudinem auferri, ita etiam induci. Clauis regis *cit.cap.*11.*nu.* 33. Syluius *cit.art.*12.*c.*2. Filliucius *cit. nu.* 262. Sanchez *l.*4. *moralium c.* 40. *n.* 6. Leſſius *cit.num.*122. Verùm in generali facultate diſpenſandi in votis, non comprehenditur facultas diſpenſandi in votis reſeruatis, & conceſſo vno non cenſentur alia conceſſa; & ſi Papa concedat facultatem diſpenſandi in tribus votis minoribus peregrinationis, non cenſentur facultatem concedere diſpenſandi in maioribus, caſtitatis ſcilicet, & Religionis. Suarez *lib.* 6. *c.* 21. & 25. Reginald. *lib.*18.*num.*354. Sanchez *lib.*4.*c.* 40. *num.*20.

Clau. reg. Sylu. Filliuc. Sanch.

Suar. Sanch.

13. Quidam putant tria illa peregrinationum vota non reſeruari Pontifici, niſi fiant in ſubſidium: vnde ſi fiat ſolùm cauſa deuotionis poſſe Epiſcopum diſpenſare; ſed hic conſuetudo videtur eſſe in contrarium, etiamſi ſolùm deuotionis cauſa facta ſint. Idem dicendum de horum votorum commutatione, ſi ea in aliud opus quàm Religionis ingrediendæ facienda ſit. Viualdus *in ſupplem.tr.*14. *n.*63. Anglez *de voto, ar.*8.*diffic.*10. Fumus *v. diſpenſatio n.* 16. Leſsius *cit.num.*122.

14. Epiſcopus poteſt diſpenſare: *Primò*, in voto Religionis non approbatæ, & in voto paupertatis, & obedientiæ perpetuæ in tali Religione: vnde poterit Epiſcopus diſpenſare in voto ingrediendi Religiones Equitum Ordinum

Digitized by Google

num militarium, excepta tamen Religione Equitum Melitenſium, ſeu ſancti Ioannis Hieroſolymini, quia eſt vera Religio, in qua tria ſolemnia vota emittuntur. At cæteri Ordines controuertitur an ſint veræ Religiones; Sufficit autem id eſse ſub opinione, ad hoc vt poſſit Epiſcopus diſpenſare. Reginaldus *cit. num.* 331. Sanchez *cit. c.* 40. *num.* 70.

Regia. Sanch.

Item poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto paupertatis vel obedientiæ in ſæculo, quia non ſunt verè vota Religionis, vt docet Sanchez *cit. num.* 72. & 73. *Secundò*, in voto caſtitatis non perpetuæ, vt 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia cenſetur perpetuum. Azorius *lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 6. Suar. *lib.* 6. *cap.* 22. *num.* 9. *Tertiò*, in voto non fornicandi, non petendi debitum non tenendæ certæ mulieris, non committendi peccatum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu venereo, quia non ſunt vota caſtitatis integræ, ſed partis tantùm. Nauar. *c.* 22. *num.* 76. Leſſius *cit. num.* 124. Imò in his omnibus etiam collectiuè, & in caſu, quo hæc vota ſimul ſumpta obligarent ad integram caſtitatem, niſi vltimum emiſſum fuiſset hac intentione, vt ſeruandæ totius caſtitatis conſurgeret obligatio. Nam, ſi talis intentio non interuenit, illa vota non integrantur; quia vnum ad aliud per accidens refertur, & ſicut Epiſcopus poteſt diſpenſare ſingula, poteſt etiam omnia, vt notauit Sanchez *cit. cap.* 40. *num.* 68. item in voto caſtitatis emiſſo ab altero coniuge cum alterius facultate poſt conſummationem matrimonij. *Quartò*, in voto non nubendi: & ratio eſt, quia hoc votum multum differt à voto caſtitatis, cùm per fornicationem non violetur. Reginald. *cit. num.* 332. Si tamen hoc votum factum ſit ſolùm in gratiam alterius, verbi gratia, coniugis ob ipſius honorem, vel commodum prolium, & acceptatum ab eo in cuius fauorem eſt factum, Epiſcopus non poterit inuito illo diſpenſare: quia non poteſt ius illud per promiſſionem voto firmatam illi acquiſitum tollere: poteſt tamen ille, in cuius fauorem eſt factum condonare. Layman *tract.* 4. *c.* 8. *num.* 21. Filliuc. *cit. num.* 257. Leſſius *cit. num.* 124. *Quintò*, in voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, quia hoc votum, non eſt caſtitatis, etſi hoc votum ſuſceptioni Ordinum ſit annexum Bonacina *cit. p.* 7. §. 4. *num.* 17. Sanch. *cit. cap.* 40. *num.* 69. *Sextò*, poteſt diſpenſare in qualitatibus quibuſdam ſubſtantiæ voti reſeruati adiunctis, vt ſi quis vouerit ingredi religionem ſtrictam, poteſt commutare in laxiorem: item poteſt diſpenſare, vt profeſsus in arctiori transeat ad laxiorem, niſi ſtatutum aliquod peculiare à Pontifice approbatum obſtet. Clauis regia *lib.* 6. *c.* 11. *nu.* 63. Reginaldus *cit. num.* 331. & 335. Azor. *cit. lib.* 11. *c.* 18. *quæſt.* 8. *Septimò*, ſi Pontifex votum ſibi reſeruatum commutaſset in aliud non reſeruatum, poſset Epiſcopus poſtea in hoc diſpenſare, quia eſt nouum votum per ſe non reſeruatum. Suarez *lib.* 6. *c.* 20. *num.* 15. Clauis regia *lib.* 6. *c.* 12. *num.* 23. *Octauò*, poteſt etiam diſpenſare in voto virginitatis, ſi vouens nihil aliud intenderit quam obligare ſe præcisè ad integritatem carnis conſeruandum. Leſſius *cit. num.* 124. Si autem intenderit abſolutè continentiam, Epiſcopus non poſset diſpenſare, vt ait Syluius *cit. art.* 12. *concl.* 3.

Azor. Suar. Laym. Filliuc. Leſſius. Clau. reg. Regin. Azor.

15. In certis caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis integræ. *Primò*, quando imminet graue periculum, expectando diſpenſationem Papæ, vel Legati, vt eſt periculum magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ: vnde quando imminet periculum incontinentiæ, poteſt Epiſcopus aliquo modo diſpenſare in hoc voto, quamdiu ſcilicet periculum durat, quamquam Epiſcopus in hoc caſu non dicitur propriè diſpenſare, ſed ſuſpendere executionem voti ad tempus. Nauarrus *c.* 12. *num* 76. Suarez *lib.* 6. *c.* 26. Cronſeis *cit. lect.* 29. Sanchez *lib.* 4. *cap* 40. *num.* 34. & *ſeq.* Similiter, ſi aliquis habens votum ſimplex caſtitatis contraxit matrimonium, & conſummauit, Epiſcopus ob periculum incontinentiæ poteſt diſpenſare vt petat debitum: imò, ſi nondum conſummauit, ob idem periculum videtur poſse diſpenſare, vt conſummet petendo debitum: nam valde probabile eſt talem non teneri ingredi Religionem, vt ſatisfaciat voto caſtitatis: hinc poteſt conſummare matrimonium reddendo, abſque diſpenſatione, & cum diſpenſatione etiam petendo. Hic autem mortua coniuge tenetur ſeruare caſtitatem, quia hæc diſpenſatio non fuit integra, ſed partialis tantùm, & ad tempus. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 336. Leſſius *cit. dub.* 18. *num.* 125. Sotus 4. *diſt.* 38. *q.* 2. *art.* 1.

Nauar. Suar. Sanch. Regin. Leſſius.

16. *Secundò*, quando coniuges poſt contractum matrimonium communi conſenſu vouerunt incontinentiam, & poſtea idem periculum incontinentiæ vtrique vel ſaltem alteri eorum ingruit, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt debitum petant, & reddat, quia credibile eſt nunquam fuiſſe mentem ſuæ ſanctitatis hoc votum eo caſu ita ſtrictè reſeruare, vt ab Epiſcopo non poſſit prædicto modo ſuſpendi: & ita ab Epiſcopis longo vſu, & conſuetudine etiam à tempore immemorabili eſt vſurpatum, præſertim conſummato matrimonio, atqui conſuetudo ius tribuit & iuriſdictionem. Toletus *lib.* 7. *cap.* 18. Angelus *v. votum* 4. *num.* 9. Fumus *verb. matrim. num.* 55. Roſella *v. impedim.* 4. *num.* 5. Hæc ſententia quamuis ſit probabilis: contrarium tamen videtur verius, nimirum Epiſcopum non poſſe, niſi quando in periculo incontinentiæ, non eſſet facilis recurſus ad Summum Pontificem, vel alium habentem poteſtatem. Leſſius *cit. dub.* 18. *n.* 126. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 31. *n.* 10. & *ſequent.* Vide Dianam *part.* 4 *tract.* 4. *reſol.* 125.

Tolet. Angelus. Leſſius. Sanch. Diana.

Sed quæres, an Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis emiſſo poſt contractum matrimonium ante conſummationem? Negat Sanchez citatus hic *num.* 4. Si id fuit animo ingrediendi religionem ad votum implendum, quia eſt votum omnimodæ caſtitatis. Affirmat tamen Pontius *de matrimon. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 3. quia talis etiamſi ſit intra bimeſtre, non tenetur Religionem ingredi, etiamſi habuerit animum ingrediendi cum vouit, ſed poteſt ab eo animo deſiſtere, in quo vides iam eſse notum periculum incontinentiæ, ergo poteſt Epiſcopus diſpenſare. Et hæc ſententia eſt probabilis. Poſita autem hac probabilitate, poſſunt Confeſſarij Mendicantium Ordinum etiam in hoc voto diſpenſare vi priuilegiorum quibus poſſunt diſpenſare in votis de materia quinque votorum, modò non ſit affecta reſeruatione, quale eſt votum caſtitatis in ordine ad non petendum debitum, in quo poſſunt diſpenſare, quia non relaxant ſimpliciter totum votum caſtitatis, ſed ſolùm illius partem, nempè ad petendum debitum. Vnde mortuo altero coniuge habens ſuperſtes votum caſtitatis media illa diſpenſatione ad exigendum debitum non poteſt iterum matrimonium contrahere, neque alios actus luxurioſos committere abſque violatione voti. Ita Bordonus *in conſil. regul. reſolution.* 15. *num.* 31.

17. *Tertiò*, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, ſi emiſſum ſit metu, licet non omnino iuſto, ſeu graui, ratione cuius ſit firmum; reſeruatio enim cùm ſit odioſa, vtpote contra ordinariam Epiſcoporum facultatem in voto diſpenſandi, videtur intelligenda de libero voto, ne ita reſeruetur coactum ſit ſpontaneum. Nauarrus *c.* 12. *nu.* 76. Leſſius *cit. num.* 127. Quidquid in contrarium ſentiat Suarez *l.* 6. *cap.* 26. *num.* 4. Vide Dianam *par.* 5. *tractat.* 12. *reſ.* 61.

Nauarr. Leſſius. Suar.

18. *Quartò*, quando votum caſtitatis eſt acceſſorium, & dependens ab alio voto principali, in quo Epiſcopus poſſit diſpenſare, tunc enim ſublato principali, ceſſat alterum: vt ſi quis voueat non ludere ſub pœna ſeruandæ caſtitatis, aut ingrediendæ religionis, & poſtea petat diſpenſationem ab Epiſcopo, Epiſcopus diſpenſans in voto non ludendi, diſpenſabit etiam in voto caſtitatis, aut religionis, quia ſublato principali, aufertur acceſſorium: ſecus *dicendum* eſt quando votum principale eſt reſeruatum, acceſsorium verò, ſeu aliud votum illi adiunctum non eſt reſeruatum: vt ſi quis voueat caſtitatem, & ſi eam violet, voueat ieiunare: Epiſcopus poterit in voto ieiunij diſpenſare, quia non eſt circa materiam reſeruatam; non verò poterit diſpenſare in voto principali. Nauar. *c.* 12. *n.* 43 & 75. Bonacin. *de voto d.* 4. *q.* 2 *p.* 7. §. 4. *numero decimoſeptimo*, Leſſius *cit. n.* 130.

Nauarr. Bonac. Leſſius.

19. *Quintò*, quando votum eſt verè conditionale, ſub conditione de futuro, (v.g. voueo religionem, vel caſtitatem ſi hunc morbum euaſero; ſi hoc periculo defungar) poteſt Epiſcopus diſpenſare, modò conditio nondum ſit

im-

impleta, quod ſi votum ſit conditionale ſolùm apparenter, quod contingit quando particula, *ſi*, non apponitur ad ſuſpendendum conſenſum vſque ad conditionis euentum, ſed apponitur ad terminandum tempus adimplendi, votũ eſt verè abſolutum. *In voto* autem facto ſub conditione de præſenti, aut præterito non poteſt diſpenſare, quia huiuſmodi conditio non ſuſpendit conſenſum. *Idem dicendum* de voto facto ſub conditione neceſſaria, hæc enim habetur pro adimpleta, *idem*, de voto facto ſub conditione tacita, Suarez *lib.6.cap.*22.*n.*6. Toletus *l.* 4. *c.*18. Sanchez *c.c.*40.*n.*82.85. *& ſeq.* Filliuc. *c.n.*267. Clauis Regia *l.*6.*c.* 11.*num.*77.

Suar. Tolet. Sanch. Fill. Clau. reg.

Nonnulli tamen arbitrantur impleta etiam conditione poſſe Epiſcopum diſpenſare, quia non fit ex directo affectu ad rem votam, ſed ad beneficium quoad à Deo expectamus: non intelligitur autem reſeruari, niſi votum perfectum, quod & in ſe iam perfectum eſt, non ampliùs pendens, & in ſua radice tanquam ex affectu directo ad tem promiſſam procedens. Hæc ſententia eſt probabilis, licet contraria ſit verior. Ita Sanchez *c.nu.*99. Leſſius *c. n.*131. Laym. *l.*4.*tr.*4.*c.*8. Tolet. *l.*4.*c.*18. Diana *p.*3.*tr.*5.*reſ.* 25. *& p.*6.*tr.*8.*reſ.*16. citans multos pro probabilitate huius ſententiæ.

Sanch. Leſſius. Laym. Tolet. Diana.

20. *Sextò*, Si votum fiat diſiunctiuè hoc modo, voueo caſtitatem, vel ieiunium perpetuum; tunc in poteſtate vouentis eſt eligere alteram partem, in qua Epiſcopus poteſt diſpenſare: quòd ſi eligat partem Pontifici reſeruatam. Epiſcopus non poteſt, ſemel autem facta electione non poteſt vouens mutare: quia iam obligationem determinauit ad materiam reſeruatam. Sanchez *de matr. lib.*8. *diſp* 9.*numer.* 14. Azorius 1.*part. libro* 11.*capite* 19. *queſt.*10.

Sanch. Azor.

21. *Septimò*, diſpenſare poteſt Epiſcopus quando dubitatur vtrum votum caſtitatis ſit validum, vel votum, ſic reſeruatum; nam caſus reſeruati non ſunt dubij, ſed certi. & in dubiis benignior pars accipienda eſt. Suarez *l.* 6.*cap.*26. *numer.*4. Sanchez *libro* 4.*capite* 40.*numero* 26. Filliucius *c.num.*276.

Suar. Sanch. Fil.

22. *Octauò*, probabilius eſt in voto pœnali, id eſt, emiſſo in pœnam delicti ſub conditione, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, non ſolùm ante conditionem impletam, verùm etiam adimpleta conditione, quia votum quod Papæ reſeruatur, cenſetur illud quod fit ex directa volitione, & ex effectu boni, quod promittitur; votum autem pœnale fit potius ex quadam deteſtatione illius, vt vouens retrahat ſe ab aliquo malo. Atragonius 2.2.*q:*88.*ar.*12. Suar. *l.* 6.*cap.*22.*n.*6. Clauis Regia *c.cap.*21.*num.* 74. Leſſius *cit. num.*130

Atragon. Suar. Clau. reg. Leſſius.

Satis tamen probabile eſt vota pœnalia poſt commiſſam culpam, & conditionem impletam, reſeruata eſſe. Filliuc. *cit.numer.*271. ſaltem quando pœna eſt medicinalis peccati: vt ſi quis voueat religionem, ſi lapſus fuerit in peccatum carnis. Ita Azor. Cordub. Couarr. apud Suarez *n.*5.

Fill.

23. *Epiſcopus* non poteſt abſque vrgentiſſima cauſa diſpenſare in voto facto in vtilitatem alterius, poſtquam ab eo votum fuit acceptatum, niſi adſit conſenſus illius, in cuius fauorem factum eſt; quia tertius per acceptationem acquiſiuit ius: *Epiſcopus* autem, vel alius ſuperior non poteſt abſque vrgentiſſima cauſa priuare aliquem iure ſibi acquiſito niſi adſit conſenſus illius, ſeu alterius habentis facultatem remittendi, ſeu compoſitionem faciendi circa illius debita. *Idem dicendum* de commutatione voti. Si tamen votum factum in commodum tertij non habeat promiſſionem adiunctam ab eo acceptatam, vt eſt votũ de dando calice tali Eccleſiæ; vel dote tali virgini, tunc poterit Epiſcopus diſpenſare, vel commutare: quia per talia vota non acquiritur ius tertio, & per diſpenſationem, ſeu commutationem non fit vllum præiudicium, etiamſi cedat in aliquam carentiam commodi eius, ſed abſque vlla iniuria, & culpa. Sanchez *l.*4.*c.*41.*nu.*16. Clauis Regia *c.c.* 11.*num.*121. Leſſius *cit.num.*90.*d.*11 Reginaldus *l.*18.*n.* 355. Suarez *l.*6.*c.*15.*n.*7.

Sanch. Clau. reg. Leſſius. Regin. Suar.

24. *Parochi*, aut alij Sacerdotes non habent poteſtatem niſi in articulo mortis diſpenſandi, aut commutandi vota, præſertim in id, quod notabiliter minus eſt; quia cùm careant iuriſdictione fori externi, non habent poteſtatem ex officio, & cùm nulla extent hac de re eorum priuilegia non poſſunt dici habere ex priuilegio. Bonacina *cit.* §. 4. *num.*26. Suarez *lib.*6.*cap.*12. Leſſius *c.num.*135. Sanchez *lib.*4.*c.*38.*n.*25.

Bonac. Suar. Leſſ. Sanch.

25. An autem *Prælati regularium* poſſint commutare, aut diſpenſare in votis nouitiorum, diſſenſio eſt inter doctores: *quidam* enim negant: quia non gaudent priuilegiis religionis, cùm nondum ſint perfectè ſubditi, ſed videntur adhuc eſſe ſui iuris: ita probabiliter. Suarez *c.cap.* 10.*num.* 11. Azor. 1.*part.lib.*11.*capite* 19.*queſt.*21. Reginald. *c.nu.* 340. & alij.

Suar. Azor. Regin.

Alij verò probabilius affirmant, & meritò, licèt enim Prælatus non habeat poteſtatem dominatiuam in nouitios; tamen habet poteſtatem iuriſdictionis, cùm ad prælatum pertineat cognoſcere de nouitij delicto, & non ad Epiſcopum. Sanch. *c.cap.*39.*numero* 17. Crouſ. *cit.lect.*26. Leſſius *cit.num.*80. *&* 107. *Epiſcopus* autem poteſt etiam diſpẽſare in votis nouitiorum, quia nondum plenè exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcoporum: *Abbatiſſæ* verò non poſſunt diſpenſare in votis nouitiarum, vel profeſſarum ſuarum, quia carent iuriſdictione ſpirituali. Bonac. *c.n.*28. 29. Sanch. *c.*39.*n.*7.

Sanch. Crouſ. Leſſius.

26. *Probabile* eſt habentem facultatem diſpenſandi, vel commutandi vota, non poſſe diſpenſare, vel commutare iuramenta, quia facultas non eſt extendenda vltra verborum proprietatem, ſed iuxta illam, *aliud* eſt votum, *aliud* iuramentum Filliuc. *c.n.* 255. & alij. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, ſi ſermo ſit de iuramentis factis Deo, quibus nullum homini ius acquiritur, quia huiuſmodi iuramenta voti rationem inducere videntur; & huius ſententiæ ſunt. Suar. *c.cap.*14. Sanch *c.c.* 53.*n.*6. & alij.

Suar. Sanch.

27. Votum ſolemne caſtitatis eſt duplex, aliud eſt annexum ordini ſacro: aliud in profeſſione religionis approbatæ nuncupatur. Quod ad primum attinet, Auctores ferè conſentiunt, (exceptis paucis, qui continentiam iure diuino connexam putant ordini ſacro) Pontificem poſſe in hoc voto diſpenſare: hoc autem poteſt fieri dupliciter. Primò tollendo legem cœlibatus ab ordinatione alicuius, ſeu concedendo, vt ordinetur abſque obligatione, vel promiſſione continentiæ. Secundò diſpenſando propriè in voto iam facto: ſed hæc diſpenſatio non erit valida ad tollendam obligationem continentiæ, ſi non ſubſit iuſta cauſa: erit tamen valida, ad tollendum impedimentum matrimonij; vnde ſi contrahat matrim. erit validum: non tamen poterit petere debitum, quia vis voti manet, quantum patitur ſtatus, tenebitur tamen reddere ob vinculum iuſtitiæ, quo coniugi eſt obſtrictus. Sanch. *de matr.l.*8.*diſ.* 8. *Cap. quod votum, de voto in* 6. Petr. de Ledelm. *de matr.qu.* 53. *art.*3.*dub.* 1. Caiet. *opuſc.t.*1.*tr.*27. *de diſpenſat.*

Sanch. Ledeſm. Caiet.

28. Diuus Thomas 2.2.*q.*88.*art.*11. docet votum caſtitatis religioſorum non poſſe à ſummo Pontifice relaxari; ratio ipſius eſt, quia votum caſtitatis, ſtatui religioſo eſt eſſentialiter annexum, ac proinde non poteſt ab hoc ſtatu diuelli. Communis tamen ſententia Canoniſtarum, & ferè Theologorum eſt, ſummum Pontificem, ſi iuſta cauſa ſubſit, poſſe relaxare votum ſolemne caſtitatis religioſorum, & concedere, vt matrim. contrahant, quia Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis, ergo poteſt etiam in ſolemni; cùm ſolemnitas dependeat à conſtitutione Eccleſiæ, quæ ſolemnitas conſiſtit in eo, quòd ipſum votum coniunctum ſit profeſſioni religionis approbatæ, vel ſuſceptioni ordinis ſacri, & ex coniunctione cum tamen præclaro actu ſolemne dicitur. Nauarr. *c.*12.*num.*77. Guttier. *de matrim.diſp.*7.*num.*7. Valent. 2. 2.*d.*6.*q.*6.*p.*7. Sanch. *de matr.l.*8.*d.*8. Regin. *c. num.* 328. Leſſ. *c.dub.*19.*n.*141.

Nauar. Gutier. Valent. Sanch. Regin. Leſſius.

29 Quamuis habentes generale priuilegium commutandi, & diſpenſandi vota, poſſint ea omnia vota commutare, & diſpenſare quæ ab Epiſcopis iure ordinario commutari poſſunt; nam ea vota non ſunt ſimpliciter reſeruata; non tamen poſſunt, ſecundùm Filliuc. *c. num.*277. Suar. *l.*6.*c.*29.*num.*19. Rodr. *in expoſitione bul.* 1§559.*nu.*118. Sanch. *l.*4.*mor.c.*43.*nu.* 7. Tambur. *de iur. Abbat.t.*2.*diſp.*19.*q.*8.*n.*4. Dian. *p.*6.*tr.*6.*reſ.*50. cõmutare

Fill. Suar. Rodriq. Sanch. Tambur. Diana.

eſt nec diſpenſare, in quibus ob extraordinariam neceſſitatem competit Epiſcopis facultas diſpenſandi vel commutandi vota ſummo Pontifici reſeruata, v.g. diſpenſant Epiſcopi in voto abſoluto caſtitatis, & religionis, quando vouens taliter eſt conſtitutus, vt propter incontinentiam votum eiuſmodi ſit ipſi maximè periculoſum, nec eſt facilis votum habenti acceſſus ad Pontificem, vel propter paupertatem, vel propter diſtantiam, & interim vrget periculum incontinentiæ. Ratio autem cur in hoc caſu diſpenſare poſſint Epiſcopi, & non religioſi priuilegiati, eſt quia votum huiuſmodi eſt verè reſeruatum, ac diſpenſatio verè cadit in materiam reſeruatam, & ideò caſus illi non cenſentur Epiſcopales, nec Epiſcoporum iuri ordinario ſubiecti; ſed per accidens poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare, ex quadam benigna voluntatis interpretatione: Miratur tamen noſter Cronſers *ad cap. 7. regulæ minor. lect. 29. fol. 785. 786.* quare Ordines mendicantes per ſua priuilegia valentes diſpenſare in votis ſicut Diœceſanus, in hoc vel ſimili caſu id non poſſint? quandoquidem Epiſcopi diſpenſent, non poteſtate delegata, ſed quam delegare poſſunt, ac proinde ordinaria, cùm ſit perpetuò annexa dignitati Epiſcopali; idque non ex priuilegio iuri etiam incluſo, per quod ſcilicet id ipſis concederetur, quod iure non poterant: ſed iure ordinario, per quod in ipſis manet dicta facultas, quamdiu non fuerit ipſis legitimè ſublata circa ſimiles caſus: & ideò ſatis probabile putat id etiam poſſe confeſſarios mendicantes: cuius ſententia ſatis mihi placet, quia anno 1629. in conſiſtorio ſacræ congregationis Eminentiſs. Card. viſa & tolerata fuit.

Ex bulla autem Clementis VIII. data 13. Iulij 1604. quæ incipit. Dominici gregis cura, apud Rodriquez in bullario clariùs conſtat hæc poteſtas, nam Pontifex ibi concedit religioſis Carmelitis Diſcalceatis euntibus ad conuerſionem quorumcumque infidelium ſiue hæreticorum, inter varia priuilegia, vt ſuper votis quoque ſimplicibus Religionis & caſtitatis ex aliqua cauſa rationabili poſſint diſpenſare. Quo priuilegio per communicationem gaudent cæteri Mendicantes miſſionarii,

---

SVPPLEMENTVM.

VOTVM VII.

DE COMMVTATIONE ET diſpenſatione.

SVMMARIVM.

11 *Quomodo commutatio voti differat à diſpenſatione.*
12 *Poteſtas cõmutandi vota, an ſit iuriſdictionis ſpiritualis, & an ad illã exigatur iuriſdictio in foro externo.*
14 *Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, vel priuilegiorum, an poſſint commutare vota facta in vſu obtinendæ commutationis virtute illorum trium.*
15 *Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontifici, an ea quoque à religioſis priuilegiatis poſſint commutari vel diſpenſari.*
16 *An omnia vota quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſint etiam per confeſſarium, virtute Bullæ, Iubilæi & priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari ex cauſa iuſta.*
Ponuntur hic vota ſummariè in quibus Epiſcopus & regulares diſpenſant.
17 *Quædam regulæ aſſignantur, ad facienda quæ in recta votorum commutatione ſpectari debeant: & de prima & ſecunda.*
18 *De tertia & quarta.*
19 *De quinta & ſexta.*
20 *De ſeptima.*
21 *De octaua & nona.*
22 *Quando plura vota rerum pertinentium ad caſtitatem emittuntur, an poſſint ſingula & omnia commutari.*
23 *An votum caſtitatis ſiue Religionis, quod poteſt irritari, poſſit etiam ab Epiſcopo diſpenſari vel commutari.*
24 *Quando facultas regularium ſuper vota commutanda vel diſpenſanda extendatur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis.*
25 *Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis & Religionis, an cenſeantur conceſſa vota triplicis peregrinationis reſeruata?* Refertur duplex ſententia.
26 *Votum quod fit à vouente animo ſe obligandi ad non petendam diſpenſationem illius niſi à Papa, an ſit reſeruatum.*
27 *An vota irritari, commutari, & diſpenſari poſſint, inuito vouente.*
28 *Facultas quam habent regulares circa vota perſonarum ſæcularium, an poſſit ab eis ſubdelegari.*
An teneatur voto ille, qui obtinuit commutationem voti in materiam deſignandam à viro docto.
29 *Habens facultatem diſpenſandi in voto, an peccet vtens ſola diſpenſatione ſine aliqua commutatione.*
30 *Quando Prælatus & delegatus teneantur diſpenſatione vti? Et an regulares teneantur vti ſuis priuilegiis circa vota.*
31 *An Epiſcopus vel delegatus poſſit diſpenſare in votis vel ea commutare, quæ facta ſunt in fauorem tertii, ſine illius conſenſu.*
32 *Quando Prælati potentes diſpenſare in voto admittunt ad matrimonium eum, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe, an cenſeantur facto ipſo diſpenſare?* Refertur triplex ſententia.
33 *Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis, an requiratur conſtitutio veri domicilii in ſua Diœceſi animo ibi habitandi perpetuo:* Refertur duplex ſententia. *Et quis diſpenſare poſſit in votis vagorum.*

11. COmmutatio & redemptio voti differt à diſpenſatione; quia per diſpenſationem, tollitur voti vinculum, non autem per commutationem ſeu redemptionem: tum quia in commutatione ſola voti materia tranſmutatur eodem vinculo manente & conſequenter vouens ad id tenetur, in quod votum eſt commutatum ex vinculo eiuſdem voti, & non ex præcepto aliquo commutantis. Nam in commutatione voti non interuenit præceptum aliquod, ſed cum commutante habente poteſtatem commutandi, concurrit ſola paſſiua acceptatio eius, qui vouit, & ſic facta eſt commutatio ex quo fit, quod etiam exequendo commutatum actus latriæ inueniatur, ſicut in exequendo voto promiſſo inueniebatur. Proinde plus eſt diſpenſare in voto, quàm votum commutare, vt docent ex communi D. Thom. 2. 2. q. 88. *artic.* 10. Caietan. *ibidem.* D. Thom. Caiet.

13. Poteſtas commutandi vota eſt iuriſdictionis ſpiritualis à Chriſto Domino noſtro conceſſa, non autem à iure naturali profecta: & ad illam exigitur iuriſdictio in foro externo, ſicut de poteſtate diſpenſandi & excommunicandi tradunt omnes: quia vtraque poteſtas pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem. Hinc fit, quòd nec laicus, nec clericus coniugatus ſit capax huius poteſtatis, niſi ex Papæ diſpenſatione, nec poteſt poteſtatem hanc quocumque temporis ſpatio præſcribere; ſufficit autem ad illam prima tonſura. Similiter nec fœmina eſt illius poteſtatis capax. Quare Abbatiſſa nequit vota monialium commutare, nec in eis diſpenſare: quia vtrumque eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis: Sicque non valet commutatio facta, à Prælato excommunicato vitando, quia eſt actus iuriſdictionis, qua priuatus eſt per excommunicationem. Hinc etiam fit, hanc poteſtatem commutandi vota, non reſidere apud infideles: eo quòd in illis nulla poſſit eſſe iuriſdictio ſpiritualis.

Aduerte tamen quod poteſtas commutandi vota in rẽ manifeſte meliorem, vel euidenter æqualem, nõ eſt actus iuriſ-

Digitized by Google

iuriſdictionis, ſed fieri poteſt proprio cuiuſque vouentis arbitrio, proinde eſt apud laicos, fœminas, & infideles, & valet facta commutatio à quocumque excommunicato. Ita cum alijs Sanch. *lib.4. moral.c.49. n.22.* Trullench *in decal.lib.2.c.2.dub.45.n.6.*

Sanch. Trullench

14. Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, vel priuilegiorum regularibus conceſſorum, poſſunt commutare vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium. Ratio eſt, quia nullum ex illis limitat, nec aliqua ratio ad ita limitandum ſuadet. Et hoc certius eſt in commutationis & diſpenſationis votorum priuilegio: eo quòd non ſit ex ſe malum ſumere vouendi licentiam ſpe obtinendi commutationem & diſpenſationem. Ita Suarez *tom 2. de relig. de voto lib.6.cap.13.in fine*, Bonac.*tom.2.diſp.4.q.2.punct.7.§.3.n.12.* Diana *p.1.tract.11.reſ.16.* & alij.

Suarez. Bonac. Diana.

14. Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontifici, ex eo, quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiant, aut quia non eſt diſpenſatio in ſubſtantia voti reſeruati, ſed in aliqua eius circumſtantia, poſſunt quoque ea à priuilegiatis commutari. Ratio eſt, quia aperta Pontificis mens eſt, ea vota ſolùm denegare, quando reſeruata ſunt. Ita Suarez ſupra *lib.6.c.26. n.17.* Sanch. *loco cit.cap.54. num.19.* Bonac.*loco citat.num.17.* & alij.

Suar. Sanch. Bonac.

Quando autem Epiſcopo conceditur diſpenſare ratione ſolius neceſſitatis imminentis, eo quòd Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, non poſſunt ea commutari per priuilegia. Ratio eſt, quia in eiuſmodi euentu ſunt verè illa vota reſeruata, & diſpenſatio, & commutatio verè cadunt in materiam reſeruatam, & ideò caſus illi non cenſentur Epiſcopales, ſeu iuri Ordinario Epiſcoporum ſubiecti, ſed poteſt per accidens in illis Epiſcopus diſpenſare, ex benigna quadam interpretatione voluntatis Pontificis reſeruantis. Ita Bonacina *tom.2.diſputation.4.quæſtion.2.punct.7.§.4. numero 16.* Sanchez *libro 4.moral. capit.54.numer.19.* & *de matrimon.lib.2. diſputat 40. numer.9.* Tamburinus *de iur. Abbat. tom.2. diſputat.20. quæſit.2. numer.7.* Diana *part.1.tract.11. reſolut.56.* Trullench *loco cit.lib.2. c.2.dub.39.n.6.* Vide à nobis dicta *t.1. verb. votum 7.n.29.*

Bonac. Sanch. Tambur. Diana. Trullench

16. Omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus Ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſunt per confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, & priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari, ſi iuſta cauſa ſubſit. Primum probatur ex conceſſione Pauli III. facta Patribus Societatis I E S V relata apud Sanchez *libro 4. moral. capite 54. numero 3.* & clauſula Iubilæi & Bullæ Cruciatæ apud eundem *num.1. & 2.* Secundum autem conſtat ex Bulla Eugenij IV. quæ incipit. *Etſi quaſlibet perſonas* anno 1436. pridie Kalend. Iulij, apud Confectium *in collectione priuilegiorum*, fol.31. & data fuit fauorem Monachorum S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti, vt ex Bordono diximus *tom.1.verb.Votum. VII.n.10.*

Paul. III. Sanch.

Eugen IV.

Sed vt magis hoc eluceſcat, ponam hic per extenſum vota in quibus poſſunt Regulares priuilegiati approbati ad ſæcularium Confeſſiones audiendas diſpenſare, & ea commutare virtute priuilegiorum, quia non cenſentur reſeruata, & in eis Epiſcopus iure Ordinario diſpenſat. Quorum Catalogus hic eſt.

1 *In voto diſiunctiue emiſſo, cuius altera pars tantùm eſt reſeruata, vt ſi quis verbi gratia, emittat votum caſtitatis, ieiunij, vel Religionis, vel Ordines ſacros aſſumendi, quando vouens nondum elegit partem reſeruatam.*

2 *Voto caſtitatis non perpetuo, ſed temporali, niſi ſit ad centum annos*

3 *Voto caſtitatis coniugalis ſeruandæ; niſi votum auctoritate Papæ annexum ſit ſtatus religioſo.*

4 *Voto, quo alter coniux promittit ſe non petiturum debitum.*

5 *Voto non reſeruato, in quod Papa votum ſibi reſeruatum commutauit.*

Regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare.

6 *Voto virginitatis ſeruandæ, quando expreſſè vouens nil aliud intendit quàm ſe obligare præciſè ad corporis integritatem ſeruandam, ſecus vbi talis intentio expreſſa non adeſt. In dubio de intentione, cenſendum eſt eſſe ſimpliciter caſtitatis.*

7 *Voto in quo vouens intendit ſe ſolùm ad culpam venialem obligare.*

8 *Voto de numquam contrahendo matrimonio: niſi in fauorem tertij id petentis cuius intereſt, emiſſum ſit.*

9 *Voto non fornicandi aut abſtinendi à certo actu venereo, & in voto non tangendi mulierem.*

10 *Voto caſtitatis emiſſo ex aliquo metu, licet leui.*

11 *Voto caſtitatis, quando dubitatur, an ſit validum, vel an ſit reſeruatum.*

12 *Voto ſacros Ordines aſſumendi, imo in expreſſo promittendæ caſtitatis voto.*

13 *Votis diuerſis ad caſtitatem pertinentibus: niſi vltimum votum ſit perfectæ caſtitatis.*

14 *Voto Religionis non approbatæ.*

15 *Voto paupertatis vel obedientiæ in ſæculo, vel in Religione non approbata emiſſo.*

16 *Voto ingrediendi Religiones Equitum Ordinum Militarium, excepta Religione Equitum Melitenſium, ſeu S. Ioannis Ieroſolimitani.*

17 *Voto arctioris Religionis vt commutetur in votum laxioris.*

18 *In qualitate votis peregrinationum annexa, vt eundi pedibus ad limina Apoſtolorum.*

19 *Voto Religionis emiſſo ad duos vel tres annos, vel aliud tempus tantùm, non autem perpetuò.*

20 *Voto, quo quis promittit ſe perſeueraturum & profeſſurum in Religione.*

Regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare.

21 *In differenda executione voti Religionis vel aliorum reſeruatorum, modo executio non differatur, vt ſit periculum, quod vouens reddatur impotens ad votum perſoluendum.*

22 *In tribus votis peregrinationis reſeruatis, quando expreſſus vouentis finis exiſtit, non viſitandi ea loca cauſa deuotionis: ſed ad aliud.*

23 *In voto non petendæ diſpenſationis ab alio, quàm à Summo Pontifice.*

24 *In voto reſeruato, quando eſt iure conditionale ſub conditione de futuro: & ſecundùm quoſdam etiam impleta conditione.*

De his votis agunt Sanchez *lib.4.moral.cap.40.* Leſſius *lib.2.de iuſt.c.40. dub.13.* Trullench *in Bull.Cruciata lib.1.§.7.cap.3 à dub.14. vſque ad dub.18.* Tamburinus *de iur. Abbat.tom.2.diſput.19.quæſit 8.nu.5.& ſequentibus.* Vide quæ diximus *tom.1.verb. Votum VII.numer.4. & ſequent.* & ibi auctores citatos.

Sanch. Leſſius. Trull. Tambur.

Circa quartum votum hic notatum eſt aduertendum, quod licet regulares non poſſint per conceſſionem Pij V. factam FF. Minoribus viuæ vocis oraculo, diſpenſare ad petendum debitum cum eo coniuge, qui vouit caſtitatem poſt matrimonium initum; cùm conceſſio expreſsè loquatur de voto caſtitatis facto ante matrimonium; poterunt tamẽ in tali voto diſpẽſare virtute alterius priuilegij, quod habent diſpenſandi in omnibus votis, quando nõ ſunt reſeruata Papæ: idq; non ſolùm ad petendum, ſed in toto voto, tam ad petendum, quàm ad reddendũ, quoties

Pius V.

Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare, eo quòd à perfecta ratione voti caſtitatis deficiat: quale eſt votum hoc ſiue matrimonium ſit conſummatum (quippe quod non eſt votum omnimodæ caſtitatis, cùm non poſſit obligare ad non reddendum) ſiue non conſummatum, cùm ſic vouens ſine culpa reddere poſſit debitum. Ita Fagund. *in decal. lib.* 2. *c.* 45. *n.* 20. Sanch. *lib.* 4. *mor. c.* 43 *n.* 12. Portel. *in dub. reg. verb. Confeſſ. diſpenſans n.* 10. & alij Neoterici.

Fagund. Sanch. Portel.

Si quis tamen ante matrimonium contractum vel poſt, non tamen conſummatum Religionem voueat, non poſſunt regulares vi priuilegiorum diſpenſare cum illo, vt petat aut reddat: quia neque Epiſcopus in tali caſu poteſt diſpenſare, & priuilegia loquuntur ſolùm de voto caſtitatis, vt docent Sanchez & Fagundez.

17. Præter dicta, quæ obſeruanda ſunt in commutatione votorum *tom.* 1. *verb. Votum VI. num.* 18. & 19. ſequentia addo pro praxi, quam obſeruare debet confeſſarius in commutandis votis. Quamuis enim nulla certa regula innumeris votis & cum innumeris circumſtantijs concurrentibus commutandis præſcribi valeat, ſed id prudentis arbitrio relinquendum ſit, vt docent Nauarrus *in man. cap.* 12. *num.* 77. Suarez *tr. de voto lib.* 6. *c.* 19. *n.* 21. Quædam tamen regulæ à Doctoribus traduntur ad ſecunda quæ in recta votorum commutatione, ſpectari debeant.

Nauar. Suar.

Prima regula. In commutatione voti attendenda eſt maior dignitas materiæ ſubrogatæ reſpectu ſolius materiæ promiſſæ; nulla tamen habenda eſt ratio vinculi voti; nam etſi vtrumque ſit attendendum in voti diſpenſatione non tamen in commutatione; quia per diſpenſationem tollitur omninò vinculum; in commutatione autem idem prorſus vinculum manet, in materia tamen ſubrogata. Proinde votum vitandi aliquod peccatum non eget magna commutatione, quia per commutationem non aufertur obligatio præcepti, ſed tantùm noua obligatio per votum impoſita transfertur in materiam ſubrogatam: vnde in ſubrogatione materiæ ſolùm attendendum eſt, vt recompenſetur obſequium diuinum ideoque videndum eſt quantum obligatio voti ſuperaddita illi præcepto arceat vouentem ab illius præcepti tranſgreſſione: ſi enim valdè arcet, graui quoque indigeret commutatione: ſi autem illi fini nil conduceret, ſed potiùs ſolis multiplicandis peccatis ex pœnitentis fragilitate deſeruiret, tunc mitior commutatio eſſet adhibenda. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *verſ. In commutatione votorum* Reginald. *lib.* 18. *n.* 357. Pellizzar. *in man. reg. tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 185.

Caiet. Regin. Pelliz.

Secunda regula: In commutatione voti non ſemper reputatur melius, aut æquale, quod ſuaptè natura eſt tale; ſed quod hic & nunc Deo gratius eſt, aut æquè gratum præſtari à vouente vel cenſetur quod magis aut æque prodeſt ad Dei gloriam noſtramque ſalutem. Vt ſunt frequentia Sacramentorum ſi vouens ſit impleturus, aut in aliquot ſacra facienda, Oratio Mentalis, &c. & hæc eſt tutior cæteris commutatio, quam Summus Pontifex communiter in votorum commutatione iniungit, Ita Sanch. *lib.* 4. *moral. c.* 56. *n.* 8. Regin. *lib.* 18. *n.* 357. Clauis Reg. *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 5. & 6. Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 87. & alij.

Sanch. Regin. Clau. reg. Leſſ.

18. *Tertia regula*: Cùm dignitas materiæ promiſſæ augeatur ex dignitate finis, commutatio illius indigebit ſubrogatione præſtantioris materiæ. Vt ſi quis ad aſſequendam caſtitatem promiſit peregrinari, magis ad illam conducent ieiunium, & orationes: ideò conſiderandum eſt an materia ſubrogata conducat magis ad finem vouentis aſſequendum. Ita Sanch. *loco cit. n.* 9. Trullench *t.* 3. *in expoſit. Bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 18. *n.* 7.

Sanch. Trull.

Quarta regula: In commutatione voti habetur ratio difficultatis implendi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam: quia difficultas auget meritum: Vnde votum ieiunij à paupere emiſſum, ſi in eleemoſynam commutetur, poteſt in minorem commutari, quàm ſi diues illud emiſiſſet; quia pluris facit Deus paucas pauperis pecunias, quàm multas diuitis: Ita Suarez *de voto l.* 6. *c.* 19. *n.* 16. Nauarrus *in man. c.* 12 *n.* 77. fine & alij.

Suar. Nauar.

In commutatione voti peregrinationis, duo ſunt conſideranda, & labor itineris, & expenſæ ratione peregrinationis faciendæ, ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. Ratio eſt, quia licet expenſæ illæ non ſint neceſſariò pecuniis redimendæ, at quia augent pondus, & æſtimationem voti, vtpote, quæ per id votum dicatæ ſunt Deo, ideò earum eſt habenda ratio ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. Tamen ſunt deducendæ à commutatione expenſæ, quas domi vouens erat facturus, quia hæ non ſunt Deo dicatæ, cùm illæ eſſent ceſſante ea peregrinatione faciendæ. Ita ex communi Suarez *loc. cit. l.* 6. *c.* 19 *n.* 19. *fine*, Rodriq. *t.* 2. *Summ. Latina c.* 102. *n.* 4. *docum.* 5. Clauis regia *l.* 6. *c.* 12. *n.* 20. Azor. *t.* 1. *l.* 11. *c.* 18. *q.* 13. & alij.

Suarez. Rodriq. Clau. Reg. Azor.

Si tamen quia peregrinaretur ad locum deſtinatum, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret, quia reditum non vouit: ſicut ſi peregrinationem mendicando quis promiſit, nullæ expenſæ ſunt attendendæ in commutatione: quamuis habenda ſit ratio maioris illius laboris peregrinationis pedeſtris, & emendicando, & maioris illius obſequij diuini exercendo actus paupertatis, & humilitatis, vt obſeruat Sanch. *loc. cit. n.* 17. & 23. cum alis.

Sanch.

19. *Quinta regula*. In commutatione votorum non requiritur ſimilitudo, ita vt votũ reale commutari debeat in reale, & perſonale in perſonale, vt conſtat ex *c.* 2. *de voto*. Ratio eſt, quia in his commutationibus habenda eſt ratio ſolius in maioris, aut æqualis obſequij diuini, quæ æqualitas poteſt reperiri in vtraque materia, ideò non eſt opus ſeruare in hac commutatione vnitatem, aut ſimilitudinem phyſicam inter vtramque materiam, ſed proportionem, aut æſtimationem moralem in ordine ad gloriam Dei. Ita Suar. *l.* 6. *de voto, c.* 19. *n.* 15. 16. & 17. Trullench *loco cit. n.* 16. Sanch. *loco cit. n.* 14. & alij.

Suar. Trull. Sanch.

Sexta regula. Non eſt opus ad voti commutationem, vt materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſæ quoad magnitudinem, durationem, aut numerum, modò ſit æqualis in ratione obſequij diuini: vnde non eſt opus votum perpetuum commutari in materiam perpetuam, ſed poteſt in temporalem obſequij diuini: & votum certa die implendum in opus alia die exequendum: quia poteſt eſſe maioris, aut æqualis obſequij diuini, exequi materiam ſubrogatam altera die. Ita Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 12. *nu.* 101. Suarez *loco cit. c.* 19 *n.* 21. Sanchez *loco cit. numer.* 27. Commutans tamen debet declarare ſuam intentionem eſſe, vt altera die poſſit ſubrogatam materiam facere, aliàs eadem die facienda eſt, niſi aliud ex qualitate materiæ ſubrogatæ, aut ex qualitatibus eius colligatur. Vt notant Sanchez *loc. citat. num.* 28. & 29. Reginald. *loc. cit. num.* 357.

Leſſius. Suar. Sanch.

Sanch. Regin.

20. *Septima regula*. Commutatio voti conditionati poteſt fieri in votum abſolutum proportionatum, & ſi conditio nondum impleta ſit, poteſt fieri in minus bonum, eo quòd materia ex incerta ſed pendente ex ancipiti euentu, fiat certa. Ex quo magis dubia fuerit euentus conditionis; eo in minorem obligationem abſolutam, id votum eſt commutandum. Si poſt impletam conditionem fiat commutatio, debet fieri in rem æqualem materiæ promiſſæ, perinde, ac ſi votum eſſet abſolutum: quia impleta conditione, obligatio iam eſt abſoluta, & intrinſeca materiæ promiſſæ bonitas.

Idem dicendum eſt voto pœnali, quando poſt impletam conditionem, & ſubinde incurſa pœna eſt commutandum, decet enim eſſe æqualis materia ſubrogata, perinde ac ſi votum eſſet abſolutum illius rei ſub pœna poſitæ. Si ante impletam conditionem commutatio fiat, conſideranda eſt dignitas materiæ promiſſæ, tum etiam pœnæ impoſitæ, vt pluribus docent Trullench *in Bull. Cruciat. l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 18. & *ſequent.* Sanchez *loc. cit. n* 30. & *ſeq.* & alij.

Trul. Sanch.

21. *Octaua regula*. Quando non commutatur votum principale, ſed ſola conceditur dilatio illius implendi, aliquali commutatione debet ſuppleri, modica tamen, ſi non multum conducat ad Dei obſequium votum illa die impleri, aut in aliam differri: & quo maior eſt dilatio, eò maior eſſe debet commutatio. Si autem valdè obſequio diuino conduceret non differri, multò maior deberet eſſe commutatio.

Nona regula eſt, quod in commutandis votis maximè attendenda vouentis fragilitas, & curandum ne nimis grauetur, ita vt maneat expoſitus periculo tranſgrediendi

mate-

Digitized by Google

materiam ſubrogatam, in qua fuit facta commutatio: vnde expedit commutare vota in res, quas alioqui ſolet vouens facere; aut ipſi relinquere liberum, vt poſſit exequi opera iniuncta alia die; aut denique illi imponere diuerſa opera, optione illi relicta vt eligat, quæ maluerit: Tamen non poteſt fieri commutatio in opera alio præcepto debita; quia ſicut nec voto ſatisfit per ea opera, ita nec commutationi: Has omnes regulas tradunt poſt Sanch. Trulleuch *in Bull. Cruciat. l. 1. §. 7. cap. 3. dub.* 18. *num.* 22. *&* 23. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 357. Ludouicus à Cruce *in Bull. Cruciat. diſp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 13. *&* 16. Pellizzarius *in man. regul. tract.* 8. *c.* 3. *n.* 185.

Sanch. Trull. Regin. Ludouic. à Cruce. Pelliz.

22. Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio perfectæ caſtitatis. Vt ſi quis ſemel promiſerit ſe non initurum matrimonium, & iterum ſe non fornicaturum, & iterum ſe nullum peccatum venereũ admiſſurum. Ratio eſt, quia in quolibet horũ poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt pote quod perfectè votum caſtitatis non eſt. Ergo poteſt in omnibus ſimul, nam vota poſteriora ſe habent per accidens ad prius. Sed hoc limitatur, niſi ita vouens vltimum votum quo caſtitas perfectè promittitur, conſultò emittat, vt perfecta caſtitate adſtrictus maneat: quia tunc cenſetur priora cum hoc poſteriori coniũgere, & ideò perfecto caſtitatis voto obſtrictus remanebit. Ita Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 40. *n.* 68. Diana *p.* 1. *tr.* 11. *reſol.* 67. Tamburinus *tom.* 2. *de iur. Abbat. diſp.* 19. *quæſit.* 8. *nu.* 21.

Sanch. Diana. Tambur.

23. Quamuis votum caſtitatis ſeu Religionis emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta, vt à coniugata, ſeruo vel filio, ſine licentia viri domini, vel patris, dicatur poſſe irritari à viro, domino vel patre, non inde ſequitur poſſe Epiſcopum in eo diſpenſare, & confeſſarium illud commutare virtute priuilegij, vt vult Gutierrez *in quæſt. canon. lib.* 2. *c.* 22. *n.* 49. Ratio eſt, quia cùm hæc poteſtas ſit diuerſa, & habeat diuerſa principia, non ſequitur, quod ex vna ad alteram argumẽtum deduci debeat, Tum quia dum Pontifex hæc ſibi vota reſeruat quoad ſolam diſpenſandi poteſtatem, id facit, nulla habita ratione derogandi poteſtati dominatiuæ, ex qua facultas irritandi hæc vota conſurgit. Reſeruatio enim non apponitur irritationi, quia non tollit poteſtatem dominatiuam, ſed opponitur iuriſdictioni, quam ſubtrahit, ac limitat: ergo licet facta reſeruatione, pater poſſit irritare, nihilominus non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quare ſi pater nolit irritare votum caſtitatis vel Religionis filij impuberis, non propterea poterit Epiſcopus diſpenſare, quia illud votum eſt validum, & reſeruaturum. In ſeruo autem hoc non habet locum, quia dominus non habet poteſtatem irritandi votum caſtitatis ſerui nec propriè votum Religionis, licet poſſit executionem eius impedire. Ita Malderus *in* 2. 2. *tr.* 16. *c.* 5 *dub.* 10. *n.* 11. & alij.

Mald.

24. Facultas regularium ſuper vota commutanda, & diſpenſanda extenditur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis, quando expreſſus vouentis finis fuit, non ad inuiſenda ea loca, ſed ad alium finem, v. g. ad oſculandum pedes Papæ, eumque recognoſcendum, vel ad impetrandum alicuius peccati abſolutionem, &c. Ratio eſt, quia huiuſmodi votum eſt ſolùm materialiter, & per accidens Romanæ peregrinationis, quare illi ſatisficeret eundo in alium locum, vbi eſſet Pontifex. Quando autem hęc vota abſolutè emittuntur nullo conſiderato fine, ſunt reſeruata: quia cenſentur emiſſa modo frequentiori, quo emitti ſolent. Vnde vt poſſint Epiſcopus, & regulares priuilegiati commutare vel diſpenſare, oportet expreſſum vouentis finem eſſe diuerſum: quia Doctores communiter ex Extrauag. *Etſi Dominici el* 2. *de pœnitent. & remiſſ.* Vbi hæ peregrinationes reſeruatæ enumerantur, dicunt. Ad vitanda Romę limina Apoſtolorum Petri, & Pauli; D. Iacobum Compoſtellæ, & loca ſancta Hieroſolymæ, & ſic clarè loquuntur de votis ex deuotione prædictorum locorum emiſſis. Ita Sanchez *loco citato cap.* 40. *num.* 77. Tamburinus *loco cit. quæſit.* 8. *nu.* 31. Pellizzarius *in man. reg. tract.* 8. *capit.* 3. *num.* 150.

Tambur. Pelizz.

25. Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis, & Religionis quidam putant non cenſeri conceſſa vota triplicis peregrinationis, ſi non exprimantur. Ratio eſt, quia in generali conceſſione diſpenſandi in votis vel ea commutandi, non continentur ſupradicta vota: quia quæ ſpeciatim ſunt reſeruata, ea ſpecialem conceſſionem poſtulant, vt habetur *in Extrauag. Etſi Dominici* 1. *&* 2. ibi. *Ex ſpeciali licentia & certa ſcientia noſtra*: de pœnit. & remiſſ. Ita Layman *lib.* 4. *tra.* 4. *c.* 8. *n.* 7. *verſ. porro*, Filliuc. *tract.* 26. *c.* 9. *n.* 274. probabiliter. Contrarium tamen eſt dicendum, attenta Pontificis mẽte. Quoniam per Iubileum in quo ſolent concedi omnia vota, præter Religionis, & caſtitatis, dicunt omnes concedi votum triplicis peregrinationis reſeruatæ. Tum quia diſcrimen eſt inter votum caſtitatis perpetuæ, vel Religionis, & reliqua Pontifici reſeruata, quod poteſtas illa relaxandi duo priora, non cenſeatur conceſſa generali conceſſione, niſi exprimatur: hæc autem relaxandi poteſtas ſatis in generali cenſeatur expreſſa, quando, vt diximus, additur, exceptis votis caſtitatis, & Religionis: quia horum votorum reſeruatio non eſt ita antiqua, ſicut reſeruatio votorum caſtitatis, & Religionis, neque eſt tanti momẽti: ergo non eſt accipienda tã ſtrictè, & cum tanto rigore, & ideò dicẽdum comprehendi in generali conceſſione omnia vota commutandi. Ita Malderus 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 2. Pellizzarius *in man. regul. tract.* 8. *c.* 3. *n.* 151. Diana *part* 5. *tract.* 12. *reſol.* 58.

Layman. Filliuc.

Malder. Sanch. Pelliz. Diana.

26. Facultas Epiſcopi, & regularium priuilegiatorum ſuper vota, extenditur ad votum, quod fit à vouente animo ſe obligandi ad non petendam diſpenſationem illius, niſi à Papa: Ratio eſt, tum quia hic votorum reſeruatorum numerus augeri nequit ex vouentis voluntate, quantumuis enim ille intendat, & promittat nullum poſſe in ſuo voto diſpenſare præter Pontificem, poterit adhuc Epiſcopus, Tum quia priuata intentio vouentis non poteſt priuare Superiorem ſua poteſtate ac iuriſdictione: Tum quia alioqui poſſet vouens facere ſuum votum indiſpenſabile etiam à Papa, ſi id intenderet; quod tamen non eſt admittendum. Ita Suarez *l.* 6. *de voto, c.* 21. *n.* 16. Pellizzarius *loco cit. num.* 171. & alij.

Suar. Pelliz.

27. Omnes habentes poteſtatem dominatiuam poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam inuitis vouentibus: quia cùm hæc irritatio, pendeat à dominatiua Superioris poteſtate, poteſt exerceri, velit, nolit inferior; neque vouentes poſſunt illi præiudicare. Ita ex communi tradunt Suarez *loco citat. lib.* 6. *c.* 1. *ad finem*, Clauis regia *lib.* 5. *c.* 8. *n.* 6. & alij.

Suar. Clau. reg.

Difficultas eſt de diſpenſatione, an poſſit dari inuito vouente? Videtur quòd non, quia eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis, quæ non exercetur, in inuitum: tum quia diſpenſatio eſt beneficium, quod in inuitum non confertur, & cùm ſit in fauorem eius, cum quo diſpenſatur, non debet in eius onus extorqueri, iuxta Regulam, *Quod ob gratiam de regul. iuris, in* 6. Denique quia eo ipſo quòd ſubditus non acceptat diſpenſationem, videtur iterum emittere votum. Ob has rationes dicunt quidam non poſſe diſpenſationem conferri inuito vouente: Sed meliùs exiſtimant alij poſſe; Ratio eſt, quia ſubditus nequit ſua voluntate præiudicare ſpirituali poteſtati Superiorum, quæ eſt ad liberandum eum à voti obligatione, diſpenſando in eo, cùm iuſta cauſa ſubeſt, & id expoſcit bonum commune, aut alia vrgentiſſima neceſſitas. Tamen non ſat erit ad diſpenſandum in eo voto cauſa, quæ eſſet ſufficiens ad diſpenſandum volente vouente, ſed vrgentior cauſa deſideratur, cùm vltra diſpenſationem concurrat ea coactio. Si autem vouens inuitus in voto diſpenſetur, & iterum votum emittat, tunc corruit doctrina tradita: niſi fortè diſpenſans ſit Superior vouentis, atque ſimul ei prohibeat materiam illam voti: quo caſu vouens non poſſet ampliùs validè emittere illud votũ, quia cenſeretur de re illicita, & per conſequens votum irritũ.

Commutatio autem voti non poteſt fieri inuito vouente, vt habet communis ſententia Doctorum, quia per commutationem transfertur eadem met voti obligatio in aliam materiam: at obligatio voti circa aliam materiam nequit contrahi abſque vouentis voluntate. Ita Sanch. *lib.* 4. *mor. c.* 24. *n.* 25. 26. *&* 27. quem ſequitur Pelliz. *in man. reg. tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 181.

Sanch. Pelizz.

28. Facultas quam habent regulares ex ſuis priuilegijs quoad votorum commutationem, ac diſpenſationem perſonarum ſæcularium, cùm ſit delegata, non poteſt ab eis ſubdelegari, quia delegatus non poteſt ſubdelegare, ſi cenſeatur electa induſtria perſonæ, vt in caſu euenit. Hoc tamen non impedit quin regulares occurrente iuſta cauſa (vt ſi adſit magna confitentium multitudo) poſſint dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi deſignauerit*, quia hac ratione non ſubdelegatur facultas, ſed eligitur prudentia alterius ad ſtatuendam materiam, quæ ſubrogetur in locum voti; quod cùm non ſit actus iuriſdictionis, fieri poteſt etiam à laico. Ita Clauis regia *lib.6.cap.12.num.21.fine*, Bonacina *to.2.diſp.4.quæſt.2.punct.7.§.3.nu.14. Verſ. Concedo tamen.* Leſſius *lib.2.cap.40.dub.16. n.109. in tertia edit.* Sanchez *loc.cit. c.54.nu.31.* & alij.

Claui.reg. Bonac. Leſſius. Sanch.

Sed petes, an teneatur voto ille, qui modo ſupradicto obtinuit commutationem alicuius voti, quamdiu non eſt deſignata materia, in quam fit talis commutatio? Reſp. non teneri, ſi adſtrictus voto reuera obtinuit commutationem, quia obligatio voti fuit ablata, & tranſlata in materiam deſignandam à viro prudente. Si verò commutatio non ſit facta, ſed cauſa ſolùm erat inchoata, violabitur votum prius ſi illud non obſeruet, quia obligatio prior nondum extincta eſt, ſed viget adhuc donec per Confeſſarium auferatur, & in aliam materiam transferatur. Ita Suarez *tract. de voto, lib.6.cap.16.numer.15.* Bonacina *loc. cit n.15.* Pellizzarius *loc.cit.n.143.* Sanchez *cit.n.32. & 52.* & alij.

Suar. Bonac. Pelliz. Sanch.

29. Prælatus aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi in voto, eiuſque commutandi, non peccat diſpenſando, nullam commutationem admiſcendo, quando eſt ſufficiens totalis diſpenſationis cauſa, quamuis licitè poſſit Superior commutationem aliquam miſcere. Ratio eſt, quia Prælati habent poteſtatem diſpenſandi ſimpliciter, & ſine commutatione, vt ſupponunt omnes Theologi, dum poteſtatem diſpenſandi, & commutandi diſtinctè enumerant, ergo poſſunt dari cauſæ ſufficientes, quæ talem diſpenſationem iuſtificent. Et hoc probat vſus, quando enim Epiſcopi diſpenſant in voto caſtitatis cum coniugato ad petendum debitum non ſolent commutationem aliquam imponere, eo quòd ratione vehementiſſimi periculi ſit aperta integræ diſpenſationis cauſa. Ita contra Sotum, & Rodriq. Caiet. 2.2. *quæſt.88. art.12.dub.2.verſ. Ad euidentiam.* Nauar. *in man.c.12.n.63.* Suarez *loco cit.c.17.nu.18.* Sanchez *de matrim. lib.8. diſp.9.n.ult. & lib.4.moral.c.46.n.2.* & alij.

Caiet. Nauar.

30. Prælatus tenetur diſpenſatione voti vti, quando notabile bonum publicum aut priuatum vouentis ſpirituale in diſpenſationem exigit, nec mera commutatione poteſt commodè id damnum ex non concedenda diſpenſatione imminens caueri, aut illi bono ſpirituali proſpici. Ratio eſt, quia cùm Prælatorum poteſtas ad diſpenſandum, ſit in ſubditorum bonum, ac ex officio teneantur conſulere ſpirituali eorum ſaluti, tenebuntur vtique diſpenſare, quoties diſpenſatio ad eum finem eſt neceſſaria.

Similiter delegatus qui habet priuilegium diſpenſandi in fauorem alterius ſi poſt ſui electionem, & acceptationem deneget diſpenſationem, pro qua concedenda cauſam iuſtam habet, infidelis eſt, & iniuſtus, quia iam quaſi ex iuſtitia ratione acceptatæ electionis obligatus eſt concedere. Hinc confeſſarius electus vi Bullæ, & Iubilæi tenetur commutationem concedere, quia pœnitens petit ius ex priuilegio ſibi conceſſum, ſi Confeſſarius agnoſcat iuſtam ſubeſſe cauſam id faciendi; ideoque abſque iniuria non poteſt id ei denegare, iuxta *cap. Quanto, 2. quæſt.3.*

Delegatus autem habens priuilegium in ſui fauorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, eo quòd nemo teneatur ſuo priuilegio vti: vnde Regulares nolentes diſpenſationem votorum concedere pœnitentibus, non peccant; quia ipſi non adſtringuntur vti ſuo priuilegio. Ita Bonacina *tom.2.diſput.4. quæſt.2.punct.7.§.4. num 33.* Diana *part.1.tractat.11.reſol.44. & part.8.tract.3.reſolut.26. & 28.* Pellizzarius *in manual.reg.tract 8.c.3. num.182.* Sanchez *de matrim.lib.3.diſp.10.num.6.* & *lib.4.moral.cap.46.num.9.* & *cap.54.num.12.*

Bonac. Diana. Sanch.

31. Epiſcopus poteſt commutare vel diſpenſare in voto facto in fauorem tertij abſque conſenſu illius, in cuius fauorem & vtilitatem vergit votum, modò ab eo non fuerit acceptatum, inſtar aliorum votorum, quæ in ſolius Dei honorem ſunt. Ratio eſt, quia cùm huiuſmodi votum fiat principaliter Deo & in eius honorem, obligatio ipſi acquiritur, & ipſe propriè eſt creditor, & Eccleſia vel pauper tantùm deſignantur. Vt materia circa quam is cultus eſt Deo exhibendus; ergo ad illa reuocanda per diſpenſationem aut commutationem, ſolus Dei & Prælatorum eius vices gerentium conſenſus exigitur, ſicut in alijs votis in nullius fauorem cedentibus. Tum quia per tale votum non acquiritur ius tertio, & ideò per diſpenſationem non fit illi præiudicium verum, id eſt, iuri eius contrarium, etiamſi cedat in aliquod incommodum eius, ſeu in carentiam commodi, quod eſt longè diuerſum, quia in priuatione huius commodi non interuenit iniuria, nec culpa, per ſe loquendo, & ideò non eſt, cur impediat Epiſcopum, nec vtatur ſua poteſtate, vel vouentem, quo minus vti poſſit iure ſuo, petendo diſpenſationem, vel commutationem. Ita Caietanus *tom.2.opuſc. tractat.11.quæſt.3.* Nauarr. *in manual.cap.12.num.78.* Leſſius *lib.2.cap.40. dub.11.num.90.* & *cap.42.num.58.* Sanchez *lib.4. moral. cap.41.num.7.* Clauis reg. *lib.6.cap 11.num vlt.* Contra quoſdam Canoniſtas, qui volunt ex eo voto ius acquiri illi tertio: Sed dicendum eſt hanc actionem ſolùm concedi, quandiu votum in ſua vi permanet: nam ſi ablatum ſit per iuſtam diſpenſationem, vel tranſlatum in aliam rem per commutationem, ceſſabit actio, & ideò meritò dicitur illa actio reuocabilis, vt docet Suar. *tract. de voto lib.6.c.15.num.6.*

Caiet. Nauar. Leſſius. Clau. reg.

Quod dictum eſt de Epiſcopo, idem dicendum eſt de delegato habente poteſtatem delegatam ad tollenda vota, hæc enim poteſtas extenditur ad ea, quæ poſſunt eſſe vtilia tertiæ perſonæ, quando illi nullum ius conferunt. Suarez *loc.cit.n.11.* Sanchez *n.9.*

32. An Prælati diſpenſare potentes, cenſeantur facto ipſo diſpenſare, quoties admittunt ad aliquem actum, eum quem ſciunt impedimentum iuris habere ad illum, vt ſi admittunt ad matrimonium, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe? Triplex eſt ſuper hunc caſum ſententia. Prima ait, non cenſeri diſpenſationem, niſi Prælati actum eum exerceant præmiſſa cauſæ cognitione, an expediat diſpenſare, necne. Secunda docet Prælatos inferiores non cenſeri diſpenſare, quamuis cauſæ cognitionem præmittant, niſi ſe diſpenſare exprimant. Tertia probabilior ſuſtinet cenſeri diſpenſare. De qua difficultate egimus ſupra, *verb. Diſpenſatio num.11.* Ratio eſt, quia cùm poſſit Superior impeditum voto non ineundi matrimonij admittere licitè ad matrimonium diſpenſando cum illo, non eſt præſumendum velle eum cum peccato admittere, cùm in omnibus perſonis præſumptio peccati vitanda ſit. Ergo per illud factum ſatis indicat ſuam diſpenſandi voluntatem; & cùm diſpenſatio nulla præſcripta verborum forma indigeat, ſed contenta ſit qualitercumque exprimatur voluntas interna, erit legitima diſpenſatio. Ita Sanchez, Suarez, Nauarrus & alij citati *ſupra dicto loco, & tom.1.verb. Irregularitas XI.num.8.*

Nauar.

Idem dicendum eſt in irritatione votorum, ſi Superior irritans nouit ſe irritare poſſe impedimentum voti ſubditi, & ſciens illum admittat ad actum contra id votum. Secus autem dicendum in commutatione, cum oporteat aliam loco materiæ promiſſæ æqualem materiam ſubrogare, quod fieri non poteſt ſolo facto admiſſionis ad actum contra votum.

33. Non exigitur conſtitutio veri domicilij, quæ acquiritur habitatione cum animo habitandi perpetuo in Epiſcopi diſpenſationis Diœceſi, vt in votis ille diſpenſare poſſit, ſed ſatis eſt, ſi fideles ibi habitent cum animo permanendi maiori anni parte. Ratio eſt, quia in eo loco habitare quis dicitur vbi maiori anni parte habitat, & ibi cenſetur aſſiduè habitare, ſed ratione aſſiduæ habitationis ſortitur aliquis forum externum, ita

vt poſ-

Digitized by Google

vt poſsit ibi conueniri de alibi geſtis; ergo ſimiliter ratione talis habitationis æquiret forum in rebus ſpiritualibus, cùm vterque forus æquè iuriſdictionem petat. Durum enim eſset, vt qui maiori anni parte imò, & multis annis in aliquâ Diœceſi habitant, ſi non poſſint ibi votorum, & aliorum caſuum diſpenſationem obtinere, & ita dicendum eſt ad omnia hæc, dempto Ordinis Sacramento, effici quem ſubditum alicuius Diœceſis, quando maiori anni parte ibi inhabitat: Quamuis ex hoc non tollatur facultas confugiendi quoque ad Epiſcopum proprij domicilij, ſed ad vtrumque confugere integrum erit gratia huius diſpenſationis obtinendæ, quia ille vtroque tempore habitat in qua Diœceſi. Ita Sanch. *de matr. l. 3. diſp.* 22. *n.* 12. & *l. 4. moral. c.* 36. *n.* 27. & 29. cum multis ibi citatis. Bonac. *t. 2. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 5. Leſs. *l. 2. c.* 40. *dub.* 13. *num.* 103. Henriq. *l. 3. de pœnitent. c.* 14. *n.* 8. & alij. Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens, eos; qui magnam anni partem alicubi habent quaſi domicilium, vt ſunt mercatores, vel ſcholaſtici, non poſſe diſpenſari in votis ſuis ab Epiſcopo loci, vbi tunc manent, ſed à proprio Epiſcopo, vt docent Suar. *tr. de voto l. 6. c.* 11. *n.* 11. Angelus, Syluester, & Tabiena *verb. Domicilium.*

Sanch.
Bonac.
Leſſius.
Henriq.

Porrò vagorum vota, qui nullibi domicilium habent, poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo vbi inueniuntur, quia ſortiuntur Diœceſim in qua tunc pro tempore ſe reperiunt, vt tradunt communiter Doctores.

De voto, vide verb. Debitum coniugale 1. *nu.* 4. 5. & 6. Diſpenſatio, *n.* 29. Epiſcopus, *n.* 34. & *ſeq.* Filius, *n.* 13. Iubilæus, *n.* 4. & 14. Ludus, *n.* 12. 13. & *ſeq.* Religio, *n.* 25.

VSVRA I.

Quid, & quotuplex ſit vſura, & an ſit illicita?

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit vſura, & an ad rationem vſuræ requiratur mutuum?*
2 *An ad vſuram requiratur lucrum vltra ſortem, & quod lucrum iſtud ſit res pretio æſtimabilis?*
3 *An requiratur vt lucrum proueniat ex vi mutui, & intendatur principaliter ex mutuo?*
4 *Quotupliciter hoc nomen vſura accipiatur?*
5 *Quotuplex ſit vſura?*
6 *An vſura iure poſitiuo, diuino vel humano, & naturali illicita ſit?*
7 *An liceat ex mutuo principaliter, vel minus principaliter ſperare lucrum quod detur ex obligatione iuſtitiæ propter mutuum?*
8 *An vſura ſit deducere amicitiam in pactum mutuando?* Refertur duplex ſententia.
9 *Quando vſura mentalis committatur?*
10 *Quomodo cognoſcendus ſit animus vſurarius, ponitur quædam regula.*

1 QVoniam ex mutuo naſcitur vſura; & ſupra ex Doctoribus, mutui definitio poſita ſit, eſſe nempe, contractum quo vnus rem ſuam ſic alteri tradit vtendam, vt ipſa ſtatim fiat accipientis, cum obligatione reddendi poſtea rem eandem, non quidem numero, ſed ſpecie, ſeu valore, & bonitate. Ideò ad rationem vſuræ quatuor, aut quinque requiruntur, & ex his primum eſt mutuum: cuius communiſſima materia eſt res vſu non conſumptibilis; *l. 2. ff. ſi certum petatur*; *l. 1. §. ſi mutui autem datio, ff. de act. & oblig.* Leſs. *l. 2. c.* 20. *d.* 1. Filliuc. *tr.* 34. *c.* 10. An autem mutuum habeat locum etiam in rebus vſu non conſumptibilibus? Negant Syluester *v. mutuum.* Nauar. *c.* 17. *n.* 206. Sot. *l. 6. q. 1. ar. 1. Inſt. l. 3. tit.* 15. licet materiam mutui generaliter ponant eas res quæ conſiſtunt in numero, vt pecunia; in pondere, vt aurum, argentum, & quodlibet metalli genus; in menſura, vt vinum, oleum, frumentum.

Sylu.
Nauar.
Sotus.

2. Secundum requiſitum ad vſuram eſt, lucrum vltra ſortem, id eſt, vltra ſummam capitalem: ita nimirum, vt mutuans vltra ſummam quam mutuauit, accipiat aliquid quod antea non erat ſuum. Tertium requiſitum eſt, vt lucrum iſtud ſit res pretio æſtimabilis; vnde non foret vſurarius, qui ex mutuo ſperaret, vel intenderet alicuius amicitiam, quæ pecunia non ſolet æſtimari. Caiet. *v. vſura.* Molin. *diſp.* 303 *tr.* 2. Sylu. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 1.

Caiet.
Mol.
Sylu.

3. *Quartum requiſitum* eſt, vt hoc lucrum proueniat ex vi mutui, hoc eſt, ratione mutuationis, ſi enim ex alia cauſa proueniat, vt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & ſeruentur conditiones ad iſtos titulos requiſitæ, non eſt vſura. *Quintum* requiruntur ad vſuram nonnulli, vt lucrum intendatur principaliter ex mutuo, ſed meritò ab aliis hoc reijcitur: ſiue enim primaria ſiue ſecundaria intentione ſperetur lucrum, ſemper eſt vſura, ſi ſperetur ex mutuo tanquam titulo iuſtitiæ. Ex quibus intelligi poteſt quid ſit vſura: Filliuc. *tr.* 34 2. *p c.* 1. *q.* 2. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *q.* 3. *p.* 2. Sylu. *cit. artic.* 1. Leſſius *citat. capite* 20. *dub.* 5.

Filliuc.
Bonac.
Sylu.
Leſſius.

4. Hoc nomen *Vſura* tripliciter a Doctoribus accipitur. *Primo* pro lucro, ſeu obiecto proprio ipſius mutuationis, ſeu actionis vſurariæ, & hoc mutuum dicitur vſura, quia ex vſu pecuniæ alteri mutuatæ prouenit, dicitur etiam fœnus à fœtura, quia ex *Ariſtotele 1. polit. c.* 7. in fœnore nummus nummum parit: licet enim pecunia ex ſe ſit infœcunda, tamen induſtria cupidorum; fœcundior eſt omnibus animalibus, & ſic poteſt definiri: *Vſura eſt lucrum immediatè ex mutuo proueniens: lucrum* vocatur acquiſitio rei ſupra ſortem pecunia æſtimabilis, & alias indebitæ: vnde ſi mutuem tibi mille, vt reddas depoſitum, non erit vſura. Dicitur, *immediatè*, quia debet hoc lucrum prouenire ex vi pacti mutuationis: ſi enim immediatè proueniat ex amicitia, vel gratitudine, vel ex ſpe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non erit vſura. Dicitur: *Ex mutuo proueniens*, nam ſi vendas rem tuam ſi ſupra iuſtum pretium, lucraris quidem, ſed hoc lucrum, non eſt vſura, quia prouenit non ex vi mutui, ſed ex iniqua venditione. Molina *tr.* 2. *diſp.* 303. Caiet. *v. vſura*, Valent. 2. 2. *diſp* 5. *q.* 21. Leſſius *c. cap.* 20. *dubio* 3. Layman *l. 3. tr* 4. *c.* 16. *num.* 1. & 2.

Molin.
Caiet.
Valent.
Leſſ.
Laym.

Secundò accipitur *vſura* pro contractu vſurario, qui nihil aliud *eſt*, quam *mutuatio expreſſa, vel implicitatum pacto reddendi aliquid ſupra ſortem ratione mutui.* *Tertiò* pro voluntate ſic contrahendi, & eſt voluntas capiendi lucri ſupra ſortem ex vi mutui *Nota* autem, id quod ex mutuo ratione mutui debetur, eſt tantùm æquale, quod dici ſolet a Doctoribus, ſors, capitale, principale: quod verò ad id accedit, *Vſura* vocatur: Bonac. *de contract. diſt.* 3. *q* 3. *p.* 2. *n* 4. Filliuc. *tr.* 34. *q.* 2. Conattu. *l. 3. variar. c.* 1.

Fill.
Couar.

5. *Vſura* alia eſt *formalis, & aperta*, quæ ſcilicet committitur in mutuo formali cum quis paciſcitur de lucro expreſſè, vel tacitè. Alia *virtualis, & palliata*, quæ ſcilicet latet in alio contractu, vt cum venditur merces credito, maiori pretio, prima facie videtur eſſe contractus emptionis, & venditionis, & tantùm eſſe exceſſus pretij; *Virtualiter* eſt mutuum cum vſura: idem enim eſt, ac ſi ſtatim numerata pecunia fuiſſet merces vendita iuſto pretio, & deinde propter mutuum eiuſdem pecuniæ vſque ad tempus dilatæ ſolutionis acciperetur ille exceſſus iuſti pretij. Idem in emptione minori, quàm iuſto pretio ob anticipatam ſolutionem. *Præterea* vſura *alia* eſt realis, & externa, *alia* mentalis, & interna. *Realis* contingit, quando interuenit pactum ſaltem implicitum reddendi aliquid ſupra ſortem. *Mentalis* eſt, quando nullum adeſt pactum, ſed mutuans dat eo animo, & intentione, vt acquirat lucrum ex mutuo: Tolet. *l. 5. c.* 29. Filliuc. *cit. c.* 2. *q.* 1. & 2. Nauarr. *in man. c.* 17. *n.* 206. Sylu. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 1. & *art.* 2. *concluſ.* 1. Laym. *cit. n.* 5.

Filliuc.
Nauarr.
Layman.

6. *Vſura* non ſolùm iure poſitiuo, diuino vel humano, ſed etiam naturali illicita eſt iuxta communem ſententiam Theologorum, & Canoniſtarum: imò hæreſis eſt dicere vſuram non eſſe peccatum; vt definitum eſt in Concilio Viennenſi, & colligitur ex multis ſcripturæ locis, & licet olim vſuræ per leges Cæſareas licitæ haberentur, nihilominus cuiuſmodi leges ab Eccleſia fuerunt abrogatæ in

Con-

Digitized by Google

Concilio Viennenſi, vtpote repugnantes non ſolùm iuri diuino verum etiam naturali: quia contra ius naturæ eſt, vt idem vendatur bis, ſiue duplici pretio: item, vt vendatur id quod non eſt vendentis; vt qui accipit vſuras, vel eas accipit pro ſorte, & ſic habet duplex pretium, nempe ſummam æqualem ſorti, & præterea illam vſuram, vel eas accipit pro vſu ſortis, & ſic vendit alteri vſum rei non ſuæ, ſed ipſius, nam mutuatarius eſt Dominus rei mutuatæ: Nauar. *c.*17 *n.*207. Valent. *t.*3.*diſp* 5.*q.*21.*punct.* 1. Sylu. 2.2. *q.*78.*art.*1. Azor. 3.*p l* 5.*c.*2. Molina *diſp.*304. Filliuc. *cit.c.*1.*q.*5. *& ſeq.* Caſpenſ. *tr.*19.*diſp.*3.*ſect.*1.

Valent. Sylu. Azor. Mol. Fil.

Aduertendum autem eſt Hebræis permiſſas fuiſſe vſuras ad maius damnum euitandum (ſicut etiam permittebatur libellus repudij), & apud nos permittitur meretricium) vel ad compenſationem faciendam cum gentibus, qui res Hebræorum retinebant, vel propter authoritatem Dei transferentis dominium lucri in accipientem: D. Thomas 2.2.*q.*78.*ar.*1.*ad* 2. Arragon. *ibidem*, Couar. *l.*3.*var. c.*1.*num.*7.

7. Cùm *duobus modis* poſſit intendi lucrum ex mutuo. *Primò* quaſi debitum ratione iuſtitiæ, & vt pretium mutui, ſiue immediatè ex mutuo. *Secundò*, tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, quia ſcilicet mutuatarius ex naturali boneſtate tenetur ad remunerandum ſuum benefactorem. Hinc *dicendum* eſt, nec principaliter nec minus principaliter licet ſperare lucrum, quod detur ex obligatione iuſtitiæ propter mutuum: quia per mutuum tu nullum ius acquiris ad tale lucrum: nec ille obligationem iuſtitiæ contrahit ad illud dandum: ergo iniquum eſt illud deſiderare tanquam ex obligatione iuſtitiæ per mutuum inducta: Nauarr. *c.*17.*nu.* 209. P. Nauar. *l.*3.*c.*2.*n.*197 Caſpenſ. *c.num.*13.

Non eſt *tamen iniquum* etiam principaliter ſperare lucrum ex mutuo, mediante amicitia, vel gratitudine: quia accipere lucrum ſic datum, non eſt iniquum, nec vſura, cùm non accipiatur Domino inuito, ſed liberè dante; ſi ergo accipere non eſt vſura, neque etiam erit voluntas, & intentio illud accipiendi. Notandum tamen fieri poſſe vt ſit ſignum auaritiæ, ſi principalis finis mutuationis in tali lucro collocetur. Molina *tr.*2.*diſp.*305. Syluius *cit.art.* 1. Leſſius *cit.dub.*5. Filliuc. *tr.*34.2.*p.num.*22. 23. Salas *de vſur.dub.*5.*n.*5.

Molin. Leſſ. Fil.

8. An autem vſura committitur deducendo amicitiam in pactum, mutuando? Negant Nauar. *cit.n.*209. Reginal. *lib.*25.*nu.*189. Azor. 3.*p.l.*5.*c.*7.*q.*13. modò non imponatur alia obligatio, quia inquiunt amicitia non eſt aliquid pecunia æſtimabile.

Alij autem dicunt hoc non eſſe licitum, quia non licet in mutuo imponere alteri obligationem, ad quam alias non tenetur; deducere autem amicitiam in pactum eſt imponere obligationem, ad quam alter aliàs non tenetur; & hæc ſententia videtur probabilior altera, quam tenent Valent. 2.2. *d.*5.*q.*21.*p.* 1. Salon 2.2.*q.*78.*art.*2. *concluſ.* 2. & alij.

9. Vſura mentalis nō committitur ab eo, qui pecuniam mutuat alteri indigenti, ſperans illum gratum fore, ac liberalem: eſto mutuans non fuiſſet mutuaturus, niſi ſperaſſet illum gratum fore, vel niſi ſperaſſet ſibi lucrum, & commodum ex beneuolentia, & liberalitate mutuatarij conſerendum. Filliucius *cit.num.*7. Nauar. *cit.* Reginal *lib.* 25. *num.*190. Imò mutuans, qui excitat mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum in remunerationem mutui, licet debeat acriter reprehendi ob periculum vſuræ; reipſa tamen non committit vſuram nec tenetur ad reſtitutionem, ſi ſolùm intendat excitare, & allicere mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum ex liberalitate, & gratitudine, & credat mutuatarium liberaliter tradere. Idem dicendum de eo, qui tradit munera, vt hac ratione trahat ad beneuolentiam, vt inde ex beneuolentia obtineat, quod petiturus eſt. Molina *cit.n.*6. Leſſius *cit.n.*37 Conar. *ad reg. peccatum p.*2.*num.*4. Filliuc. *cit.num.*30. E contrà vſurarius mentaliter eſt, qui dat mutuo pecuniam Principi, ſperans lucrum ex mutuo tanquam pretium, & in recompenſationem non gratuitam, nec liberalem, ſiue principaliter ſperet ſiue minùs principaliter. Graffiis 1.*p.lib.*2.*c.*107.*num.*6. Nauarrus *cit.*

Graffiis. Nauar.

10. Regula ad cognoſcendum animum vſurarium à Doctoribus affertur. *Prima*, ſi mutuator ſperauit, vel accepit lucrum ex liberalitate, & gratitudine mutuatarij tantummodò, ſibique perſuadet eo animo mutuarium dediſſe, non eſt damnandus peccati vſuræ. *Secunda*, ſi mutuator intendit, vel accepit tanquam pretium pro mutuo, eſt cenſendus vſurarius. *Tertia*, ſi mutuator dubitat de animo mutuatarij, an ſcilicet dederit ex liberalitate, an ex obligatione tanquam pretium, eſt condemnandus vſuræ, quia vel voluit exercere iniuſtitiam, vel ex ſe expoſuit periculo illius exercendæ. *Quarta*, quando non conſtat de animo dantis, regula deſumenda eſt ex qualitate ipſius tradentis; nam ſi tradens tradat ſponte ſua abſque præuio pacto, & animo hilari, cùm alioquin ſit gratus, & liberalis, præſumendus eſt liberaliter tradere, cùm adſit certitudo moralis ad ita credendum. Vide Leſſium *cit.dub.* 6. Couar. *ad reg. peccatum p.*2.*num.*4. Caietan. *tom.*2.*opuſc.*8.*q.* 3. Bonacinam *de contr.diſp.*3.*q.*3.*p.*2.*n.*11. Filliuc. *cit. nu.* 27. & alios.

Couar. Caiet. Bonac. Filliuc.

Vide *Mons pietatis*, *Mutuum*, *Scandalum* n.9.§.3.

VSVRA II.

De pactis ratione voti ipſius actionis mutuandi.

SVMMARIVM.

1 *Quinam pacta ſint vſuraria?*
2 *An vſura committatur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præſtare munus à lingua, ab obſequio, à manu?*
3 *An mutuans vſurarius ſit mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuatori tribuat, vel vendat officium, priuilegium, aut vt ſibi, vel alteri beneficium conferatur?*
4 *An vſura ſit mutuare oleum, vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuum reſtituat in re diuerſæ rationis, &c. Et an vſurarius, qui mutuat alteri pecuniam dicendum, mutuo tibi centum nummos ſoluendos in tritico tempore meſſis pretio communi?*
5 *An ſit vſurarium pactum de remutuando, vel emendo pretio iuſto in officina mutuantis?*
6 *An qui mutuat fæminæ cum intentione, vel pacto, vt ſui copiam faciat in pretium mutui, vſuram committat?*
7 *An ſit vſurarium pactum, ſi mutuatarius exigat iniuſtam vindictam priuatam ſcilicet, vel iniuſtam ſatisfactionem pro fama, aut honore?*
8 *Quando pactum in mutuo non cenſeatur vſurarium de reſtituendo in eadem menſura?*
9 *An in contractu mutui, & alijs contractibus ſolutio facienda ſit iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus?*
10 *An in mutuo reddenda ſit pecunia in quacumque materia placuerit debitori?*
11 *An quando Principis authoritate variantur menſuræ, ſoluenda ſit res mutuata in ea menſura qua fuit accepta?*

1 DOctores tres regulas afferunt, ex quibus intelligi poteſt quæ pacta ſint vſuraria. *Prima* eſt, pacta & obligationes quæ mutuans exigit pro aſſecuratione rei mutuatæ, neque continent aliquod lucrum, licita ſunt, & abſque vſura, quia mutuans poteſt cōſulere ſuæ indemnitati, ne ſors principalis pereat, & ad hoc poteſt requiri pactum, & obligatio. *Secunda*, vbicumque ſunt tria hæc, mutuum, lucrum ex illo, & pactum, eſt vſura formalis; vbi deficit intentio, & adeſt pactum, non eſt vſura coram Deo, ſed coram Eccleſia. *Tertia*, Omnis pactio, & conuentio, per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio

quaſi

Medin. Sylu. Bonac. Filliuc.

quaſi ex iuſtitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur labem vſuræ continet, quia pactio qua imponitur mutuatario onus pretio æſtimabile tanquam ex iuſtitia debitum, vſuraria eſt. Medina *de vſur. q.1.* Contrdus *de vſur. q.32.* Syluest. *v. vſura, initio.* Bonac. *cit. p.3. n.1.* Filliuc. *cit. n.31. & 32.* Sylu. *2.2. q. 78. art. 2.* Ex quibus regulis ſequentes aſſertiones ponimus.

2. Vſura committitur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præſtare munus à lingua, ab obſequio, à manu. A lingua, vt alloqui Principem, vel quemuis alium in fauorem mutuantis. Ab obſequio, vt comitari ſe, vxorem ſuam, filios, negotia ipſius gerere, & ſimilia. A manu eſt colere agrum, domum conducere, vel locare, vel elargiri aliquid, ſiue ſit pecunia, ſiue quid aliud, vt triticium oleum, &c. D. Thomas 2.2. *q. 78. artic. 2.* Molina *c. diſt. 310.* Azor. *3. p. lib. 7. & 5. c. 7. q. 1.* Salon *cit. q. 78. ar. 2.* & alij.

D. Thom. Molin. Azor.

3. Mutuans vſurarius eſt mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuatori quantumuis digno tribuat, vel vendat officium, vel priuilegium, vel exemptionem à tributis, vel eximat aliquo onere, ad quod tenetur; idem dicendum de eo, qui mutuat cum pacto, vt ſibi, vel alteri beneficium conferatur; hic enim committit vſuram ſimoniacam, cùm ineat pactum rei temporalis pro ſpirituali. Reginald. *l.25. n.200. & 202.* Molina *cit. n.10.* Diana *de contr. reſ.63.* Fill. *cit. n.33.* Leſſius *cit. dub.9.* Propterea officium temporale, vel beneficium quod mutuator obtinuit à mutuatario ratione mutui, reſtituendum eſt mutuatario, vel eius pretium, vel aliquid arbitrio boni viri, nam iniuſtè acceptum eſt cum damno mutuatarij volũtariè mixtè tradentis. P. Nauar. *l.3. c.2. n.267.* Arrag. *2.2. q.78. art. 2. d.2.* Salas *de vſur. d.9. num.4.* Veruntamen nonnulli Doctores exiſtimant mutuantem Regi, vel Magnati, cum pacto, vt officium ſibi conferat, non teneri officium reſignare; quia collatio, vtpote facta ex contractu oneroſo, & non merè gratuita, valida fuit. Conrad. *in ſumm. quaſt.* 120.

Regin. Mol. Diana. Leſſius.

Nauarr. Arrago. Sal.

Conrad.

4. *Vſura* eſt in mutuante, qui mutuo dat oleum, vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuum reſtituat in re diuerſæ rationis, aut vendat vinum, vel triticum tempore meſſis pretio cõmuni, nam imponit mutuatario obligatione pretio æſtimabilem, vendendi ſcilicet res ſuas. Molina *d.309. n.7.* Azorius *c.* Bannez *2.2. q.78. ar. 2.* Similiter vſurarius eſt, qui mutuat alteri pecuniam hoc modo, mutuo tibi centum nummos ſoluendos in tritico tempore meſſis pretio communi, modò taliter mutuans intendat celebrare contractum mutui: quia imponit mutuatario obligationem reſtituendi triticum tali tempore loco pecuniæ; ſecus *dicendum*, ſi intendat celebrare contractum emptionis, quaſi tradendo anticipatè pecuniam tanquam pretium tritici taxandi, iuxta communem æſtimationem futuri temporis quod non eſt illicitum: Regin. *cit. n.180.* P. Nauar. *cit. n.235.* Sà *v. mutuum n.8.* Molina *cit. n.9.* *Vt autem* ſciatur an ſit mutuum, vel emptio in prædicto caſu *hæc regula ſit*, Si tradens pecuniam tradidit illam reuocabiliter, ita vt poſſet illam repetere, cenſetur contractum mutui celebraſſe: ſi verò tradidit illam irreuocabiliter, cenſetur iniiſſe contractum emptionis, anticipata ſolutione; Reginaldus *cit. n.297.* Petr. Nauarra *citat. num.* 238.

Regin. Nauar. Mol.

Regin. Nauar.

8. *Pactum de remutuando*, vel emendo iuſto pretio in officina mutuantis, non eſt vſurarium, modò tantùm inducatur obligatio gratitudinis, non autem alia maior; quia nulla maior obligatio imponitur, quàm oriatur ex ipſa natura beneficij: Si autem addatur maior obligatio, nempe ciuilis, quamuis Adrianus, D. Antoninus, & alij putent hoc eſſe licitum, tamen contraria eſt probabilior, & communior ſententia: quia talis obligatio ciuilis, eſt pretio æſtimabilis, vnde mutuans ex vi mutui lucraretur aliquid ſupra ſortem: Leſſius *cit. dub.8.* Fillincius *cit. num.38.* Sà *v. mutuum n.3.* D. Thom. *c. ar.2. ad 4.* Salas *de vſur. dub.10. n.3.* Sylu. *cit. art.2.*

Leſſius. Filliuc. D. Thom. Salas. Syluest.

Item vſura eſt mutuare alteri cum pacto, vt veniat ad ſuum Molendinum, vel Apothecam, vel vt ſcholam ſuam frequenter; vel non repetendi mutuum, donec mutuatarius frequentauerit molendinum, vel cum pacto, vt mutuatarius non teneatur ſoluere toto tempore, quo venerit ad Molendinum, vel Apothecam: videtur enim mutuans imponere obligationem veniendi ad Molendinum, vel Apothecam, conceſſa dilatione ad ſoluendum: Nauarr. *c.17. n.220.* Sylu. *cit. concl.7.* Diana *de contr. reſ.59. & 60. p.1.* Reginaldus *c. n.200.* Syluest. *v. vſur. 1. q.7.*

Nauarr. Syluest. Diana. Regin. Sylu.

Aduertendum verò eſt mutuantem, his pactis vſurariis, teneri dictam obligationem relaxare: imò etiam teneri reſtituere, quantùm valet illa obligatio, ſeu grauamen per totum tempus; quo mutuatarius ſeu grauatum exiſtimabat: quamuis non teneatur ad reſtitutionem lucri, quod ipſe mutuator inde accepit, modò non adſit exceſſus iuſti pretii, aut mercedis pro molitione: Couar. *3. var. c.2. nu.5.* P. Nauar. *c. num. 209.* Molina *c. d.309.* tamen probabile putat pro grauamine nihil deberi, quia nuda iniuria ſine damno, pecunia non æſtimatur: Filliuc. *c. nu.38.*

Couarr. Nauarr. Molin.

6. *Qui mutuat* fœminæ cum intentione, vel pacto, vt ſui copiam faciat in pretium mutui, vſuram committit. *Secus* ſi immediatè intendat amicitiam, & mediante amicitia copulam: Reginaldus *l.25. n.189.* Molina *d.301. n.2.* Filliuc. *cit. n.33.*

Item qui mutuat Medico hoc pacto, vt teneatur curare, & mederi; aut qui mutuat Aduocato, vt teneatur mutuantem defendere: aut qui mutuat ruſtico, vt teneatur iter facere, vſura committitur; etiamſi pro huiuſmodi operibus conſtituat iuſtum pretium: quia imponit mutuatario obligationem, quam antea non habebat: Azor. *3. p. l.7. c.7. q.1.* Salas *cit. dub.16. n.2.* Molina *dict.309.*

Azor. Salas. Molin.

7. Non eſt *vſurarium pactum*, ſed licitum, ſi mutuatarius exigat iniuſtam vindictam, priuatam ſcilicet, vel iniuſtam ſatisfactionem pro fama, aut honore: quia id eſt tantùm redimere iniuſtam vexationem, ad quam nullum ius habet mutuatarius, conſequenter illam remittendo non remittit aliquid pretio æſtimabile. *Si autem* exigat iuſtam vindictam, vel ſatisfactione, non potes eum ratione mutui obligar pacto iuſtitiæ, vt condonet: quia talis remiſſio eſt pretio æſtimabilis, cùm liberet mutuantem ab onere ſoluendi, vel ſatisfaciendi: poſſet tamen pacto amicitiæ, quo ſcilicet ſolùm intendit eam obligationem quam amicitia, vel virtus gratitudinis inducit; tunc enim remiſſio non exigeretur, vt pretium mutui, ſed vt officium amicitiæ faciendum gratis, & liberè: Leſſius *cit. dub. 7.* Conrad. *de vſur. q.37. concl.2.* Molin. *cit. dub.307.* Filliuc. *c. n. 34. & 35.* Angel. *v. vſura 1. n. 3.* Bonac. *cit. part. 3. numero 16.*

Leſſ. Conrad. Mol. Fill. Angel. Bonac.

8. *Pactum in mutuo*, vt reſtituatur in eadem menſura, etiamſi pretium eius creuerit, non eſt vſurarium, ſi æqualiter dubitetur, an res tempore ſolutionis ſit plùs, vel minùs valitura, & æquale ſit periculum aſcenſus, & deſcenſus valoris rei. Si certum ſit, vel ſaltem probabilius rem valituram minoris, poteſt mutuator maiorem, quam dederit menſuram, exigere, prout id magis vel minùs certum fuerit, vt fiat æqualitas, idque ſiue rem illam eſſet nunc venditurus, aut in familia conſumpturus, ſiue ſeruaturus: *C. Nauiganti de vſur.* Molina *cit. diſt.* 311. P. Nauarr. *lib.3. cap.2. numero* 262. Couarr. *2. var. cap. 3. numero 6.* Filliucius *tract.34. num.48.49.50.* Reginaldus *lib.25. num.185.*

Molin. Nauarr. Couar. Fil. Regin.

Si autem certum eſt, vel probabilius rem tempore traditionis valituram pluris quàm modò valeat non potes ad parem menſuram reddendam obligare; ſed tantùm ad eam quæ tunc temporis adæquabit pretium rei à te traditæ; quia non potes paciſci, vt aliquid reddatur vltra id quod æquiualet rei tuæ, Quidquid Sotus, & Molina in contrarium doceant dicentes, non eſſe contra iuſtitiam etiamſi exigat in hoc caſu eandem menſuram, modò non obliget illum, vt differat ſolutionem vſque ad illud tempus, ſed ſolùm obliget, vt ſoluat dum mutuans repetet; hæc ſententia poſſet eſſe probabilis, ſi non eſt certum, pretium fore augendum.

9. *In contractu mutui*, imò etiam in omnibus aliis contractibus, vt cambio, cenſu, &c. ſolutio facienda eſt iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus, ſiue valor decreſcat, ſiue creſcat; quia hoc pacto ſeruatur æqualitas inter datum, & acceptum: quod intelligendum eſt, modò aliud in pactum non deducatur; nam ſi contrahentes

Digitized by Google

hentes conueniant de eadem quantitate reſtituenda, facienda eſt reſtitutio ſecundùm eandem quantitatem, habita tamen ratione periculi augmenti, vel decrementi, ne contractus labem iniuſtitiæ contineat: *C. cum olim, c. cum Canonicis, de cenſib.* Sà *v. mutuum n.9.* Fill. *c. nu.* 56. Molin. *diſp.* 312. Rebell. *l.*11.*q.*15.*n.*12.

Sà. Fill. Molin. Rebel.

10. *In mutuo*, ſi non eſt expreſſum ſub qua materia pecunia reddenda ſit, poteſt reddi in quacumque placuerit debitori, modò ſit idem valor: vnde ſi manente eadem materiæ bonitate, & pondere, augeatur aut minuatur valor poſt mutuum, prodeſt, vel nocet mutatio debitori etiam ante moram, non autem creditori: Molina *diſt.* 311. Sylu. *v. vſura* 1. *quæſtion.*16. P. Nauar. *lib.*3. *capite* 2. *numer.* 259

Mol. Sylu. Nauarr.

Pactum verò de reddendo mutuo in alia materia ab ea quam accepit mutuatarius, eſt vſurarium; quia id eſt contra naturam mutui, & quid oneroſum, ac propterea pretio æſtimabile, ad quod non tenebatur mutuatarius, Bonacina *c.p.*3.*n.*28. Medina *de vſur.q.*5.

Bonac. Medin.

Pactum autem vt reddantur totidem nummi ſiue maioris, ſiue minoris ſint valoris, non eſt vſurarium, ſi æquè dubium ſit de incremento, & decremento; ſi probabilius eſt incrementum, tunc ſi mutuans erat ſeruaturus vſque ad tempus reſtitutionis, poteſt obligare mutuatarium ad reddendos totidem nummos iuxta maiorem valorem: ſi non erat, non poteſt: Leſſius *c.dub.*17. Filliuc. *c. num.* 60. Rebell. *lib.*11.*quæſt.*15.*num.*9. Bonacina *c.num.*29. *Quando denique* eſſet probabilius decrementum, tunc poſſet exigi à mutuatario iuxta valorem tempore mutui, ſi mutuans erat illos ſtatim diſtracturus; ſi non, quidam negant, alij verò affirmant, & fortè probabiliùs, vt dictum eſt ſupra.

Leſſ. Fill. Rebel. Bonac.

11. Iuxta communem Doctorum ſententiam quando Principis auctoritate variantur menſuræ, ſoluenda eſt res mutuata in ea menſura qua fuit accepta: ſic enim ſeruatur æqualitas, cùm tantùmdem reſtituatur, quantum acceptum fuit: Azorius *c.lib.*5.*cap.*7.*q.*6. Reginaldus *c.nu.*187. Filliucius *c.nu.*61

Azor. Regin. Filliuc.

Vide *Emptio* n.17.18. *Venditio* n 4.

V S V R A III.

An ratione damni emergentis, lucri ceſſantis, periculi ſortem amittendi, & carentiæ pecuniæ liceat aliquid exigere ſupra ſortem.

S V M M A R I V M.

1 *Quodnam dicatur damnum emergens? & an licitum ſit mutuatori paciſci cum mutuatario, de aliqua pecunia vltra ſortem reddenda, ratione damni ex mutuatione emergentis.*
2 *Quæ conditiones requirantur, vt mutuator licitè poſſit exigere damnum emergens ex mutuo.*
3 *An teneatur mutuatarius ad compenſationem damni, quando eſt in mora culpabili ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti?*
4 *Quodnam dicatur lucrum ceſſans? & an liceat de hoc lucro paciſci ab initio cum mutuatario?*
5 *Quæ conditiones requirantur, vt pactio de lucro ceſſante in mutuo ſit licita?*
6 *An ratione lucri ceſſantis poſſit exigi tantum quantum eſt lucrum ſperatum?*
7 *An lucri ceſſantis compenſatio poſſit exigi ſtatim dato mutuo?*
8 *An ratione periculi ſortis, vel difficultatum, aut expenſarum quæ in ea recuperanda metuuntur, licitum ſit aliquid exigere?* Refertur duplex ſententia.
9 *An ratione carentiæ pecuniæ poſſit aliquid accipi ſupra ſortem, etiamſi mutuanti nullum lucrum ceſſet, vel damnum impendeat?* Refertur duplex ſententia.
10 *An ratione fideiuſſionis poſſit aliquid accipi.*

1 D*Amnum emergens* dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipſi debentur: vt cùm quis ratione mutui, quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnori accipere, & vſuram ſoluere, vel res ſuas minoris vendere: Molina *diſp.* 314. Nauar. *de vſur.n.*64. Medina *de vſur.q.*3. quo poſito *dicendum* eſt, licitum eſſe mutuatori in principio contractus paciſci cum mutuatario de aliqua pecunia vltra ſortem reddenda, vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis, etiam ante terminum, & moram mutuatarij; vel ratione ipſius damni, ſi quod euenerit quia æquitas non poſtulat, vt mutuator patiatur damnum notabile, alteri ſubueniendo: *Si verò* mutuator in principio contractus nullum iniit pactũ cum mutuatario, non tenetur illud præſtare; modo non fuerit in mora ſoluendi, aut non fuerit cauſa iniuſta damni *ratio* autem eſt, quia mutuatarius fortè non accepiſſet mutuum cum tali onere, neque forſan illi expediuiſſet accipere cum tanto onere; ex quo ſequitur mutuatorem, eo ipſo quo non iniit pactum de damno emergente cenſeri illud in ſe recepiſſe, & alteri condonaſſe: D. Thomas *c.q.*78.*art.* 2. *ad* 1. Leſſius *cit.c.*20.*n.*72. Azor. 3.*p.l.*5.*c.* 4. Fili. *tr.* 34. *n.*64. & alii.

Molin. Nauarr. Media.

D. Thom. Leſſius. Azor. Filliuc.

2. Vt *mutuator* licitè poſſit exigere damnum emergens ex mutuo, *tres conditiones* requiruntur. *Prima*, vt reuera mutuum ſit cauſa damni, quia ſcilicet per illud factus eſt quis impotens ad impediendum illud damnum. *Secunda*, vt tempore contractus in pactum deducatur damnum, quod reipſa euenit, vel imminet; aduertit tamen Leſſius, ſi reuera ex mutuo tibi damnum impendeat, poſſe accipi æſtimationem eius. *Tertia*, vt non cogas illum paciſci de periculo damni, potiùs quàm de damno ſed relinquas ipſius arbitrio; vnde ſi neque damnum ipſum, neque periculum damni eſt deductum in pactum, mutuatarius non tenetur quidquam pro eo ſoluere etiamſi poſtea eueniat: Salon, 2.2.*quæſt.*78.*art.*2. *controu.* 10.*n.*4. Fill. *c.n.*70.71. Leſſius *c.d.*10.*n.*73.*& ſeq.*

Sal. Filliuc. Leſſius.

3. Quando *mutuatarius* eſt in mora culpabili, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti; tenetur mutuatarius ad illius compenſationem: etiamſi in contractu mutui nullum expreſsè initum fuerit pactum de damno emergente: dicitur autem mutuatarius, & quiuis alius debitor *eſſe in mora*, dum elapſo iam termino non ſoluit, cùm tamen poſſit: aduertens implicitè, vel implicitè creditorem ſibi velle ſolui, & non conſentire in mora: *ratio aſſertionis* eſt; quia quando in contractibus conſtituitur terminus ſolutionis, vel rei exhibendæ initur tacitum pactum, vt non ſoluens teneatur ad intereſſe, defectu ſolutionis obueniẽs: neque neceſſe eſt vt creditor eum interpellet de ſolutione: nam terminus petit, & interpellat pro creditore virtute pacti ab initio præſtiti: Nauarr. *c.*17.*n.*211. Bannez *c q.*78. *ar.*2. Reginald. *l.*23.*n.*76. *&* 77. Filliuc. *cit. n.* 68. Molina *d.*313.*n.*6. Salon *cit.nu* 18. *& alij.*

Nauarr. Bannez Regin. Fil. Mol. Sal.

4. *Lucrum ceſſans* dicitur illud, quod quis non percipit, eò quòd mutuum alteri dederit de hoc lucro ceſſante licitum eſt paciſci ab initio cũm mutuatario, quamuis ab eo vi vel fraude non ſis inductus: quia lucrum ceſſans ex mutuo conſurgens, non eſt minùs pretio æſtimabile quàm damnum emergens; & mutuator, non tenetur mutuare cum ſuo detrimento: præterea omiſſio rei ſperatæ computatur inter damna; quod enim ſpe poſſidemus, aliquo modo cenſemus habere, & nihil refert ſiue ſponte mutues, ſiue inuoluntariè per vim, fraudem vel præceptum ſuperioris impulſus. P. Nauarra, *l.*3.*n.*287. Couar. 3. *var. cap.*4. Reginald. *cit. numer.*81. Molina *diſput* 315. Filliucius *cit. num.* 76. 77. Sylu. 2. 2. *quæſtion.* 77. *articul.* 1. *quæſt.*5. & alij.

Nauar. Couarr. Regin. Mol. Fill. Sylu.

5. Vt *pactio de lucro ceſſante* in mutuo ſit licita: *tres conditiones* requiruntur. *Prima* eſt, vt mutuatio ſit cauſa, cur eſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa vel probabili; vt accidit quando mutuator decreuerat pecuniam, quam mutuò tradit, in negotijs impendere, aut quando pecuniam ſubtraxit negotiationi, ob idque ceſſat illi lucrum, quod obuenturum credebatur: P. Nauar. *c.n* 300. Sà *ver. mutuum num.*4. Molina *c.d.*316. Filliuc. *n.* 79. Sylu. 2. 2. *q.*77.*ar.*1.*q.*5.

Nauar. Sà. Molin. Fill. Sylu.

Nota tamen mutuantem non poſſe ratione lucri ceſſan-

tis

tis quidquam exigere, ſi aliam pecuniam habeat otioſam, quam commodè poſſit ſubſtituere abſque periculo in loco pecuniæ mutuatæ, quia mutuator non videtur vllum pati damnum ratione mutui, ſed ex propria iniuria, & negligentia: Leſſius c.d.11.n. 86.87. Nauar. c.17.n.212. Salas de vſur.dub.20. Diana de controu.reſol.64.p.1.

Leſſius. Nauar. Salas. Diana.

Similiter ille, qui non deſtinauerat quidem pecuniam negotiationi: ſed certò aut probabiliter illam deſtinaturus erat: poteſt aliquid ad ratam probabilitatis paciſci: nam cauſa mutui amittit lucrum: ſecus dicendum eſt de eo, qui non habebat abſolutam, neque conditionalem, ſi ſe offerat occaſio, voluntatem negotiandi: Bonacina c.punct.4.n. 13. Salas c.dub.20.n.2.

Bonac. Salas.

Aduertendum autem eſt mutuatarium non ſolum teneri ad ſoluendum intereſſe immediatum, verùm etiam mediatum, ſi mutuator iacturam ob mutuum realiter patiatur in vtroque intereſſe: Fill. cit.c.4.n.74.

6. *Secunda conditio* eſt, vt non exigatur tantum, quantum eſt lucrum ſperatum, ſed minùs, quantum ſcilicet valet illa ſpes lucri deductis expenſis, quæ fuiſſent factæ in illis negotiatione, & æſtimatione laboris, qui in ea ponendus erat, vt verbi gratia, ſi ſpes lucri valeat 100. aureis, & labor, & expenſæ æſtimentur 30. non poſſunt exigi pro lucro ceſſante niſi 70. vnde tantum detrahi poteſt de lucro ſperato ratione incertitudinis, quantùm ipſe mutuator daret alteri, qui redderet ipſum ſecurum de lucro ſperato, detractis ſimul expenſis, ratione verò laboris, & moleſtiarum, quas mutuator ſubiiſſet negotiando, ſi pecuniam alteri non mutuaſſet, tantum detrahendum eſt quanti mutuator laborem, & moleſtias redemiſſet lucrum enim dicitur illud, quod ſupereſt detractis expenſis, & æſtimatione laboris, atque periculi: Nauar. de vſur.n.54. Molina, diſp.316. Arragon, Bannez 2.2.quæſt.78.art.2. Leſſius, cit. num.96. Diana, part.1.de controu.reſol.64. Sylu.cit.art.1. quæſit.5.

Nauar. Molin. Arragon. Leſſius. Diana. Sylu.

7. *Tertia conditio* eſt, vt lucri ceſſantis compenſatio nõ exigatur ſtatim dato mutuo, ſed conuenientiori interuallo: ex quo fit, vt ſi mutues centum alteri, non poſſis cum eo paciſci, vt tibi ſtatim reddantur quinque ratione lucri ceſſantis; quia mutuatarius non tenetur ad reſtitutionem damni antequam mutuator illud patiatur, mutuator autẽ non patitur damnum ſtatim in principio contractus; deinde ſi ſtatim velis reddi 5. Iam iõ re non mutuas alteri 100. ſed ſolùm 95. mutuatarius enim tantummodo retinet 95. & vnde hac ratione fiet, vt tantumdem exigas pro lucro ceſſante ex nonaginta quinque, quantum ex centum, quod eſt apertè iniquum. Vide Dian. tr.1.miſc.reſ.50.p.2. Nauarr. c.n.54. P.Nauar. n.305. Regin. cit.n.73. 90. Fill. c.num.81. Leſſius c.num.99. Salas c.dub.20. Sylu. cit.art. 1.quæſit.5.

Dian. Nauarr. Regin. Fill. Leſſius. Salas. Sylu.

8. *Ratione periculi ſortis*, vel difficultatum, aut expenſarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, abſolutè licitum eſt aliquid exigere: quia huiuſmodi pericula ſunt pretio æſtimabilia, nec mutuator tenetur illa gratis ſubire; ergo poteſt aliquid accipere ob huiuſmodi pericula: & hoc verũ etiamſi re vera nullum damnum poſtea patiatur: nam quod accipit, non pro damno actuali, ſed pro periculo accipit; Medina C. de reſt.q.38. Molin. cit.d. 356. Diana de contr.reſ.37. & 57. p.1. Filliuc. tr.34. n. 97. & 103. quidquid in contrarium ſentiant: Nauarrus, c.23.nu.81. Sotus l.6.q.4.art.1. Regin. l.25.n.246. Vt hoc tamen iuſtè fiat, tria requiruntur. *Primò*, vt non roges mutuatium vt te adhibeat loco fideiuſſoris, ſed liberum ei facias pignore, vel fideiuſſore carere. *Secundò*, vt non plus exigas ratione huius periculi, quàm ipſe alteri velles dare pro talis periculi redemptione, ſi pecuniam tuam in illud coniicere cogereris. *Tertiò* vt verè ſit periculum amiſſionis capitalis, & expeculatum etiamſi poſtea reipſa contingat non amitti capitale, nec expenſas fieri; pretium enim non accipitur pro expenſis, & actuali amiſſione capitalis, ſed pro periculo. Ita Caiet. v.vſur.c.2.n.12. Couar. 3.var.c.2.n.5. Fill. c.nu. 98. Leſs c.n.113. & alii.

Medina. Molina. Dian. Fil. Nauar. Sotus.

Caiet. Couar. Fill. Leſſ.

9. *Quando ex carentia pecunia* ſimul etiam ceſſat mutuanti aliquod lucrum, vel impendet aliquod damnum, vel timetur aliquod periculum, ſtùc ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis coniuncti cum ea carentia pecuniæ, poteſt aliquid accipi pro quantitate damni, vel lucri ceſſantis. *Si verò* ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſet, aut damnum impendat, nec periculum vllum metuitur, ſic non videtur poſſe aliquid accipi ſupra ſortem: quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi mutuum ante aliquod tempus (vt id quod conuentum) eſt quid intrinſecum, & eſſentiale contractui mutui: per id enim differt à precario; quod precarium ſemper repeti poteſt: mutuum verò non debet ſtatim repeti, vel non niſi poſt certum tempus: Molina tr.2.diſp.308.n. 8. Regin. l.23.numer. 52. Filliuc. tr.34. capite 5.q.5.num.101. Bonac. cit.par.6. Quidam autem, vt Ioannes Medina, C. de reſt.q.32. §. inde inſertur apud Leſſium lib.2.cap.20.dub.14. Petrus de Ledeſma in ſum.p.2.tr.8.cap.35.contr.4. Reginald. l.25.c. 12 n. 246. Paſqualig. in deciſ. moral. deciſ. 184. Cœleſtinus in compend.theol.moral.tr.11 c.5.q.2. Caramuel l. 2. Theol. moral.n.778. & alij putant hoc titulo poſſe aliquid exigi ſine vitio vſuræ, aut iniuſtitiæ, ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur; & obligationis non repetendi ante tale, vel tale tempus, & hic videtur eſſe vſus burſæ Antuerpienſis. Pretium autem quod exigunt mercatores interdum eſt ſex pro 100. in annum, aliquando 7. 8. 9. 10. 11. 12. amplius quàm 12. vetantur exigere conſtitutione Caroli V. editæ Bruxellæ anno 1540. 4. Octobr. & ſi ampliùs exigatur, declaratur vſurarium; hæc ſententia ob rationes citatas à *Leſſio* poſſet videri probabilis, & iuxta eas conſuetudo Burſæ Antuerp. excuſabilis, ſed quia videtur noua, & a Doctoribus non ita approbata, proinde in re morali tanti momenti non eſt facilè admittenda; Licet Diana part.1.tractat.8.reſolut 48. & part.5.tract.13.reſolut.50. tanquam probabilem videatur admittere ob rationes quibus eam fulciuit Petrus de Ledeſma cit.

Mol. Regin. Fill Bonac. & alij.

Dian.

Fundamenta autem prioris ſententiæ locum habent, inquiunt, quando pecunia traditur ſub ratione mutui: ſecus autem, ſi principaliter conſideraretur grauamen, & moleſtia ex carentia pecuniæ, atque adeò potentiæ ad lucrandum. Cùm enim translatio dominij, & carentia pecuniæ, ſint res pretio æſtimabiles, & pecunia ſit vtilis, & per ſe primo, veniant in conſiderationem, mutant rationem contractus, & faciunt quod id, quod alioquin eſſet mutuum, euadat venditio ad certum tempus, quo, elapſo res vendita ad priſtinum Dominum deuoluatur. Et ideò cùm non interueniat ampliùs mutuum, nec translatio dominij, nec carentia pecuniæ ſunt quid intrinſecum mutuo, nec ratione illius aliquid exigitur. Sic in fundatione cenſus excluditur vſura; quia mutuatio pecuniæ reducitur ad emptionem; & venditionem; vnde ideò cenſus introducti ſunt, vt hoc pacto poſſit quiſque ex propria pecunia percipere aliquod lucrum.

Et licet hæc ſententia videatur noua; non ſtatim, ac aliquid eſt nouum reiiciendum eſt; alioquin plurimæ ſententiæ communes locum non haberent; quia aliquando fuerunt nouæ: ſed conſiderandum eſt an rationabiliter procedat. Si dicas, quod tali pacto aperitur via vſuris, nam vnuſquiſque cùm mutuator, poterit aliquod lucrum percipere ſub hoc titulo. Reſpondent, hoc non eſſe aperire viam vſuris, ſed potius excludere vſuras; quia contractus, qui alioquin eſſet vſurarius, reducitur ad contractum iuſtum. Nec eſt nouum, quod ex ſolo diuerſo titulo, quod veniat in conſiderationem idem contractus ſit vſurarius, & non vſurarius.

Sed ſi quis mutuetur pecunias, & accipiat aliquid in pignus cum pacto illo vtendi committit vſuram; ſi verò non accipiat in pignus, ſed fiat venditio, cum pacto retrouendendi ad certum tempus, ſi interim vtatur, & percipiat inde fructum, non committit vſuram, & tamen ſecundùm ſubſtantiam interuenit, ſed ſub diuerſo titulo; vnde *Caleſtino* hic citato videtur hæc opinio tota in conſcientia, & in praxi hoc tempore teneri, & conſuli poſſe; tum quia non audet damnare tot mercatores timoratæ conſcientiæ, qui id agunt, præſertim ex conſilio virorum doctorum, quos ipſi quotidie conſulunt, quique dicunt licere; tùm quia huic carentiæ pecuniæ, ordinariè loquendo, ſolent admiſceri, & coniungi alii tituli, ob quos diximus ſuprà licitum eſſe accipere aliquid vltra ſortem.

Hia

His tamen non obſtantibus non eſt recedendum in praxi à communi ſententia, quia alias nullus contractus eſſet re ipſa vſurarius, ſed ſolùm per accidens, propter ignorantiam contrahentium, qui neſciunt diſtinguere titulum lucri: nam reipſa idem illud lucrum, quod propter mutuum illicite exigunt, potuiſſent licitè exigere, non propter mutuum, ſed propter obligationem nouam ſuperadditam non repetendi mutuum intra tantum tempus, quare omnes leges, & prohibitiones in hac materia inutiles eſſent, cùm id totum ſemper alio titulo licitè fieri poſſet, & reduceretur tota controuerſia de vſuris ad quæſtionem de nomine inutilem omninò ad forum conſcientiæ. Ita Eminentiſs. Cardin. Lugo, *de iuſt. t. 2. diſp* 25. *ſect*. 3. *n*. 16. Diana *p. 8. tr. 7. reſol*. 63. & nouiſſimè clarius explicans ſuam ſententiam circa hanc difficultatem.

Car. Lugo
Dian.

10. *Ratione fideiuſſionis* poteſt aliquid accipi, quia illa obligatio eſt pretio æſtimabilis: vnde quo maius eſt periculum ſoluendi, eò etiam æſtimandum eſt magis pretium fideiuſſionis; quando autem nullum timeretur, parum admodum licitum eſſet accipere: aliquid tamen ſemper poteſt ratione ſolius obligationis: *vſura* autem eſſet remittere mutuatario obligationem dandi fideiuſſorem, ſub conditione, vt ſibi mutuanti ſoluat id, quod dediſſet fideiuſſori; quia fideiuſſor ideò licitè accipit aliquid, quia recipit in ſe onus aliquod: at mutuans remittendo fideiuſſorem, nullum recipit onus, ex ſe; poteſt enim mutuatarius eſſe perſona ſecura; ſi tamen ex hoc, quod non recipiat fideiuſſorem exponat ſe periculo probabili amittendi ſortem, poſſet aliquid accipere. Ita Caietan. 2. 2. *q*. 78. *ar*. 2. *ad* 4. Sotus, *l. 6. quæſt*. 1. *art*. 2. Nauarr. *cit. n*. 285. Filliuc. *c. n*. 203. Molin. *cit. diſp*. 319.

Caiet.
Nauarr.
Fill.
Molin.

VSVRA IV.

An in mutuo pœna conuentionalis locum habeat, & de alijs ad vſuram pertinentibus.

SVMMARIVM.

1 *An licitum ſit paciſci, vt mutuatarius aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit.*

2 *An hæc pœna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis?* Refertur duplex ſententia.

3 *An pactum legis commiſſoriæ in pignoribus illicitum ſit, & vſurarium? & quid ſit illud pactum?*

4 *An qui dat mutuum, & viciſſim recipit pignus à mutuatario, teneatur mutuans fructus pignoris in ſortem computare?*

5 *An ſit vſura, anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda?*

1 Licitum eſt paciſci, vt mutuatarius, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit, aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem: quia debitor, qui eſt in mora, peccat contra iuſtitiam retinendo alienum, ſeu alteri debitum; ergo poteſt apponi pœna ex conuentione partium, modò pœna iuſta ſit; non enim imponitur obligatio indebita: Nauar. *c*. 17. *n*. 215. P. Nauar. *l. 3. c. 2. nu*. 331. Sà *v. pœna* Tolet. *l. 5. c*. 32.

Nauar.
Sà.
Tolet.

Hic tamen requiruntur *quatuor conditiones. Prima* eſt, vt non fiat in fraudem vſurariam, id eſt, vt non apponatur contra voluntatem mutuatarij ad palliandam vſuram, quaſi mutuum detur propter illam pœnam tanquam propter lucrum. *Secunda*, vt debitor verè ſit in culpa non ſoluendo; nam ſine culpa non poteſt imponi pœna, ſiue ea ſit iudicialis, ſiue legalis, ſiue conuentionalis. *Tertia*, vt pœna ſit moderata iuxta menſuram culpæ alioquin iniuſtè cogeretur mutuatarius ad conſentiendum in ea. *Quarta*, vt mora ſit notabilis, non enim vnius diei, vel etiam hebdomadæ interuallum ordinariè ſufficiens dici debet ad pœnam incurrendam, tamen qualitas negotij, & mos prouinciæ ſpectandus eſt, vt docent Reginaldus, *cit. n*. 251. Filliuc. *tr*. 34. *cap*. 5. *num*. 105. Bonac. *c. punct*. 7. *n*. 2. Leſſius *c. dub*. 15. Toletus *c cap*. 48. Nauar. *c. n*. 215.

Regin.
Filliuc.
Bonac.
Leſſ.
Tolet.
Nauar.

2. *Magna controuerſia* eſt inter Doctores, vtrum hæc pœna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis. *Plurimi* doctores negant hanc pœnam ſoluendam eſſe ante iudicis ſententiam, quia illa videtur eſſe mens contrahentium, & pœnam apponentium, niſi aliud exprimant; hanc ſententiam probabilem tenent: Sanchez, *de matrim. l*. 1. *d*. 37. Nauar. *c*. 23. *n*. 67. Rodriq. 2. *p. c*. 86. *n*. 3. Suar. *de leg. l. 5. c*. 6.

Sanch.
Nauar.
Rodriq.
Suar.

Contraria tamen aſſerentium pœnam conuentionalem ſoluendam eſſe ante iudicis ſententiam, eſt etiam probabilis: quia debetur ex vi pacti inter contrahentes initi: & communis ſenſus hominum eam accipit: tamen ſicut pœna legalis, & iudicialis non debentur ante ſententiam iudicis, ita conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ hic Iudicis vicem ſuppleт: quare ſicut Iudici iubenti non licet reſiſtere, ita neque parti exigenti pœnam conuentam denegare. Sed prima ſententia mihi magis placet: Molina *d*. 97. & 317: Sà, *v. pœna*, *n*. 2. Guttierrez *de matrim. cap*. 18. *n*. 19. Filliucius *cit. nu*. 105. Reginald. *l*. 25. *n*. 228. & alij.

Mol.
Sà.
Gutier.
Fill.
Regin.

3. Pactum *legis Commiſſoriæ* in pignoribus, per ſe loquendo, illicitum eſt, & vſurarium: *C. ſignificante, de pignor.* quis per huiuſmodi pactum; videtur aliquid accipi ſupra ſortem ex mutuo: fieri tamen poteſt, vt aliquando non ſit illicitum, vt verbi gratia, quando huiuſmodi pactũ apponitur in pœnam: certum eſt enim licere pœnam apponere ſoluendam à mutuatario, ſi tempore præfixo non ſolucrit. *Pactum* autem *legis Commiſſoriæ* in pignoribus eſt, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, vt ſi debitor non ſoluat intra certum terminum, pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur: Nauarr. *c*. 17. *n*. 216. 217. Molin. *t*. 2. *diſp*. 324. Regin. *d. l*. 25. *n*. 232. & 597. 598. Azor. 3. *p. l. 7. c*. 10.

Nauarr.
Molin.
Regin.
Azor.

4. *Qui* dat mutuum, & viciſſim recipit pignus à mutuatario, tenetur mutuans fructus pignoris in ſortem computare, ſi pignus tantùm propter ſecuritatem ſortis datum ſit; *Cap*. 1. & 2. *de vſur*. niſi ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel periculi ſortis, vel pœnæ conuentionalis, vel ratione expenſarum in pignore cuſtodiendo factarum poſſet eos retinere: quia nullum ius habet ad illos ratione mutui, fructus enim ſunt Domini pignoris. Si pignus datum eſt, non ſolùm ad ſecuritatem, ſed etiam vt creditor interim eo fruatur loco pecuniæ debitæ, verbi gratia, non tenetur eos computare in ſortem: Molina *diſp*. 320. Azor. 3. *p. l. 7. c*. 9. Leſſius *c. dub*. 16. Reginald. *l*. 25. *n*. 240. & 241. & alij.

Molin.
Azor.
Leſſ.
Regin.

5. *Vſura eſt*, ſecluſo lucro ceſſante, aut damno emergente anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda, id eſt, emendo ius, quod alter habet, vt aliquid in futurum ſoluatur; quia qui minoris emit creditum immaturum; accipit aliquid ſupra ſortem ex mutuo, mutuat enim implicitè minorem pro maiore pecunia exigenda: hinc miniſtri regis, qui, vt anticipatam faciant ſolutionem, aliquid recipiunt à creditoribus, committunt vſuram: Toletus *l. 5. c*. 31. Valent. 2. 2. *d*. 5. *q*. 20. *p* 2. Filliuc. *tr*. 35. *n*. 104. Leſſius *cit. c*. 21. *d*. 8. Salas *de empt. dub*. 39.

Tolet.
Valent.
Filliuc.
Leſſius.
Sal.

Creditum autem non planè certum, ſed periculoſum, ac litigioſum, & cum difficultate exigendum poteſt abſque labe vſuræ ab eo, qui non eſt cauſa difficultatis, minoris emi quàm valeat, prout difficultas, & incertitudo ſolutionis maior, vel minor fuerit; quia creditum cum tali periculo, & difficultate minùs valet, quàm certum, & non periculoſum; Nauar. *c*. 17. *n*. 245. Rodriq. 2. *p. c*. 85. *n*. 7. Reginald. *l*. 25. *n*. 312.

Nauar.
Rodriq.
Regin.

At licèt hæc ſententia ſit communior, & probabilior, contraria tamen opinio probabilis etiam videtur; Malder. 2. 2. *tr*. 5. *c*. 2. *dubit*. 5. Caiet. *v. vſur. in fine*; Armilla *v. vſur. n*. 51. Sà *v. dubium n*. 20. Diana *tr. de contract. reſ* 49. nam pecunia præſens magis æſtimatur quam futura, ſicut Chirographa, ſeu iura minoris æſtimantur quam pecunia præſens; minus enim eſt, actionem habere ad rem quam

Malder.
Caiet.
Armil.
Sà.
Diana.

rem

Digitized by Google

Fernand. Azor.

rem ipſam babere. Vide Fernandez *parte prima, capite* 15.§.1.*n*.10. Azor. 3.*p l*.8.c.10.*queſ*.5.

VSVRA V.

De accipientibus ad vſuras, & pœnis vſurariorum.

SVMMARIVM.

1 *An liceat mutuatario petere ab vſuraria mutuum ſub vſuris, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris?*

2 *An ex cauſa neceſſaria petere mutuum ab vſuraria, ſit peccatum? & quæ cauſa dicatur neceſſaria?*

3 *An peccet mortaliter qui ab vſurario petit mutuo pecuniam ad vana, & inutilia?* refertur duplex ſententia.

4 *Quę ſint pœnæ manifeſti vſurarii?*

5 *Quis ſit cenſendus manifeſtus, ſeu notorius vſurarius, vt his pœnis ſubiiciatur?*

6 *An clericus manifeſtus vſurarius ſuſpendendus ſit ab officio, & beneficio?*

1 M*Vtuatario* non licet petere ab vſurario mutuum ſub vſuria, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris; quia non licet mihi petere, quod alter non poteſt facere ſine peccato, hoc enim eſſet alium inducere ad peccatum: ex quo fit, aliud ſit petere mutuum ſub vſuris, ſeu petere mutuum promittendo aliquid ſupra ſortem; *primum* eſt intrinſecè malum, & actiuè inductiuum ad peccatum; *ſecundum* vero nihil eſt aliud, quàm contrahere mutuum paſſiuè concurrendo ad vſuram: vnde qui promittit vſuras, aut eas ſoluit, non facit opus intrinſecè malum, nec peccat, ſi hoc faciat ex aliqua iuſta cauſa, vt cauſa vitandi rixas, vel conſulendi propriæ æſtimationi, vel proprio commodo, &c. *Præterea* patet differentia inter promiſſionem vſurarum, ac ipſarum ſolutionem, & inter receptionem; nam ſi *promiſſio*, vel ſolutio vſuræ, fiat ex iuſta cauſa, non eſt mala: *receptio* verò vſurarum ex parte vſurarii eſt intrinſecè mala, & contra iuſtitiam, cum ſit acceptio rei quæ non debetur. Salas *de vſur. dubit*.48. Arragon 2.2.*q*.78.*art*.4. Caietanus *in ſum. verb. Vſura c. penult*. Bonac. *de contr. d*.3.*q*.3.*punct*.13. Reginal. *l*.23.*n*.101. *&* 107.

Salas. Arragon. Caiet. Bonac. Regin.

2. *Petere mutuum* ab vſurario ex cauſa neceſſaria, nullum eſt peccatum; quia id non eſt optare nec approbare peccatum illius, ſed tantùm petere id quod vſurarius poteſt facere ſine peccato, dare ſcilicet mutuum: per *cauſam neceſſariam* intelligitur in propoſitio, quælibet cauſa conueniens, & vtilis, propria vel alterius: vnde mercator poteſt mutuo petere pecuniam ab vſurario, ad negotiationem, vel ad augendum ſtatum: imò ad conuiuia, vel ad ſpectacula honeſta, iuxta exigentiam proprij ſtatus: quamuis enim mutuatarius ſciat mutuatorem daturum ad vſuram, nihilominus ipſe non videtur cooperari malitiæ mutuatoris; ſed illius peccatum permittit, ut ſuo commodo, ac vtilitati conſulat, ſuoque utatur iure. Valent. *q*. 21. *c*.4. Reginald. *cap n*.102. Molina *d*.335. Filliuc. *cap. n*. 146. Bannea Salonnius, Arragon. 2.2.*q*.78.*art*. 4. Dian. *tr. de contr. reſ*.31. & alii.

Valent. Regin. Molin. Filliuc. Dian.

3. *Magna controuerſia* eſt inter Doctores, an qui ab vſurario petit mutuo pecuniam ad vana, & inutilia, vt ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos &c. peccet mortaliter; *Plurimi* docent non peccare mortaliter; ſed tantummodo venialiter, ob finem venialem, propter quem mutuatarius petit mutuum: nam peccatum vſurarii nolentis mutuare niſi ſub vſuris, non videtur imputandum petenti mutuum, ſed potius malitiæ ipſius vſurarij; & huius ſententiæ ſunt Toletus, *l*.5. *cap*.37. Sanchez *l*. 3. *moral. c*. 18.*num*.23. Molina *tr*.2. *diſput*. 335. Salas *de vſur. dubit*. 48. Diana *de controuerſ. reſolut*. 31. *part*. 1. & alij, & hæc ſententia ſatis probabilis eſt. *Contrarium* tamen probabilius eſt, nempe peccare mortaliter, etiamſi vſurarius aliàs paratus eſſet dare ad vſuram, quia petens mutuum ab vſurario ad vana, & inutilia nullam habet iuſtam cauſam, propter quam petere poſſit mutuum cum peccato vſurarii, conſequenter grauiter peccat, cùm cenſeatur peccato vſurarii ſaltem externo cooperari, & non euitet ſcandalum, & ruinam proximi, quam tenetur euitare quoties eam non poteſt ex iuſta cauſa permittere. Suarez *t*.3. *in* 3.*p.d*. 28.*ſect*.1. Reginald. *l*.23.*num*.103. Sà *u. uſura n*.5. Valentia *c.p*.4.

Tolet. Sanch. Molina. Salas. Diana.

Suar. Regin. Sà. Valent.

4. *Pœna manifeſti uſurarij*, id eſt, qui facto, vel iure manifeſtè ſunt tales, præcipuæ hæ ſunt. *Prima* eſt infamia iuria *L. improbum C. ex quibus cauſ*. licet quidam probabiliter ſatis opinentur hanc infamiam tolli peracta pœnitentia, & facta reſtitutione, ita Salas *de uſur. diſtinction*.47.*numero* 1. Filliucius *tractat*. 34. 2. *part. numera* 156. *Secunda* pœna eſt, ut non admittatur ad communionem altaris, donec publicè ſatiſfacerit. *Codic. quia in omnibus* 3. *de vſuris*. Sà *v. uſura numera* 7. *Tertia* nec ad oblationes offerendas, quamuis recipi poſſint vſurarii eleemoſynæ, modò inde non fiat inhabilis, & impotens ad reſtituendum: verò admittentem huiuſmodi vſurarium ad oblationes, lata eſt iure ſuſpenſio ab officio, donec ſatiſfacerit ad arbitrium ſui Epiſcopi. *C. quia in omnibus de uſuris*. Leſſius *cap. numera* 186. Bonacina *de controuerſ. de quæſt*.3.*part. ultim. numero* 1. *Quarta*, nec ad confeſſionem peccatorum donec ſatiſfecerint reipſa pro ſua facultate, uel idoneam cautionem dederint, idque, vel creditoribus ipſis, ſi, ſint præſentes, vel ordinario loci, aut eius vicario, vel parocho coram teſtibus fide dignis, vel notario publico habenti mandatum ab Ordinario: Si verò periculum mortis non patiatur moram, ſtatim abſoluendus eſt *Cautio* autem præſtanda ab huiuſmodi vſurario, qui non poteſt actu ſatisfacere, eſt pignoratitia, & fideiuſſoria, vel ſaltem iuratoria, quando aliam præſtare non poteſt. *Cad. quamquam de uſuris in* 6. Nauarr. *cap*.17.*num*.279. Filliuc. *cit. numer*. 155. Reginaldus *cit. num*.96. *Quinta*, nec ad ſepulturam eccleſiaſticam: imò qui ſcienter ſepelire præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus, ſaltem ſi ſepeliat poſt ſententiam declaratoriam criminis ſpecialiter latam. Clement. 1. *de ſepultur*. Suarez *tom*.5 *diſtinct*.31 *ſect*. 2. *num*. 10. Filliuc. *tract*.34.2.*par. num*. 162 *Sexta* teſtamentum, codicillus, vel alia voluntas vſurarii manifeſti irrita ſunt, niſi ante mortem ſoluerit, vel cautionem debitam dederit: validum tamen eſſet teſtamentum illius, qui ante mortem non erat notorius vſurarius, licet poſt mortem talis habeatur, & per ſententiam damnetur de crimine vſuræ, quia teſtamentum confirmatum fuit per mortem, antequam adeſſet impedimentum *C. quamquam de vſur. in* 6. Filliuc. *n*. 129. Reginald. *c.n*.97. Molina *c. diſp*.334. Sylueſter *verb. vſura*, 9.*q*.7.

Sal. Fili.

Sà.

Leſſius. Bonac.

Nauarr. Filliuc. Regin.

Filliuc. Regin. Molin. Syluest.

5 *Ad incurrendas* has pœnas debet quis eſſe manifeſtus, ſeu notorius vſurarius; & talis cenſetur, qui ſententia iudicis condemnandus eſt de hoc crimine; vel qui confeſſus eſt hoc crimen in iudicio; vel cuius crimen probatum eſt in iudicio per duos teſtes idoneos: vel qui ita palam tradit ad vſuram, ut nulla tergiuerſatione negari poſſit, ipsū dare ad uſuram: ſiue det ad uſuram in mutuo formali, ſiue in virtuali, ſiue vnica vice, ſiue pluribus vicibus: Nauarr. *cap*.17.*num*.80. Reginald. *c*. Filliuc. *c.nu*.152. Molina *c. diſp*.334.

Nauarr. Regin. Filliuc. Mol.

Qui vero fatetur crimen ſuum extra iudicium, aut qui eſt infamatus de crimine vſurę, aut is, contra quem extant indicia vſuræ, vel ſemiplena probatio; non videtur ſufficienter notorius, ad incurrendas pœnas citatas, niſi addatur ſententia iudicis, qua publicetur eſſe vſurarius: Couar. 3.*var.c*.3. Regin. *l*.23.*n*.94.

Couar. Regin.

Ex dictis colligitur, *Primo* vſurarios quantumcumque manifeſtos, non eſſe excommunicatos iure communi: quamuis particularibus quarumdam ſynodorum ſtatutis lata ſit in publicos vſurarios excommunicatio, ut in Diœceſi Cameracenſi, & Attrebatenſi, vt patebit infra, inter caſus reſeruatos Epiſcop. Belgii.

Secundò eſt obſeruandum, quòd ſepelientium nomine

Aaaa non

non intelliguntur ſoli illi, qui corpus in loco ſepulturæ collceant, ſed etiam in primis Parochi, ſeu alii ſacerdotes qui præſunt funeribus: nam hi iuxta communem vſum loquendi, dicuntur ſepelire illos mortuos, quorum officio ſepulturæ præſunt, illud exequentes. Qui verò ſolùm comitantur funus honoris cauſa, non hic comprehenduntur; idemque probabiliter dici poteſt de miniſtris qui cantant, qui ſepulchrum effodiunt, qui corpus deferunt, ſi illud non ſepeliant.

Tertiò eſt notandum, quòd prædictæ pœnæ non incurrantur ab eo, qui vſurarium manifeſtum ſcienter ſepelit, aut eius oblationem recipit, quando vſurarius, licet ſit notorius, non eſt tamen vlla particularis ſententia in ipſum ſpecialiter denunciata: Ratio eſt, quia Extrauagans, *Ad euitanda*, continet neminem teneri abſtinere à communione alicuius ſiue in diuinis, ſiue extra, ratione ſententiæ, vel cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ: in talem autem vſurarium ſola extat ſententia, ſeu prohibitio generalis, quamdiu non eſt nominatim, & ſpecialiter denunciatus, vel de tali crimine declaratus. De his plura apud Nauarrum, *c.* 27. *nu.* 137. *Alterius tom.* 2. *de interd. diſp.* 9. *c.* 4. Syluius 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *quæſit.* 7. & alios: quæ dicta ſunt iuxta probabiliorem ſententiam.

Nauarr. Sylu.

Quartò eſt ſciendum, quòd qui præfatam excommunicationem contraxit, abſolui non poſſit, donec arbitrio Epiſcopi competentem dederit ſatisfactionem illis, quibus iniuriam irrogauit publicum vſurarium ſepeliendo, vt conſtat ex textu *Clementina* 1. *de ſepult.* Præſtita verò ſatisfactione, quilibet approbatus confeſſarius iure communi poteſt abſoluere: quia abſolutio in hoc caſu non reſeruatur.

6. *Clericus* manifeſtus vſurarius, ſecundum ſacros Canones, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio; imò non deſiſtens ab vſuris poſt monitionem deponendus eſt ab officio, & beneficio: multi tamen putant Epiſcopum poſſe cum huiuſmodi vſurario publico poſt pœnitentiam diſpenſare, non ſolùm ad beneficia obtenta, verum etiam ad obtinenda; quia ſicut poteſt deponere à beneficio, ita etiam poteſt non deponere, ſed ſuſpendere ad tempus. *C. præterea de vſuris, & c.* 1. *de vſuris*. Molina *c. diſput.* 334. Filliuc. *c. nu.* 157. Porrò Eccleſiaſtici non poſſunt vſurariis extraneis elocare domos, aut permittere in eis habitare, *C. vſurarum, de vſur. in* 6. imò tenentur expellere ex ſuis terris intra ſex menſes ſub pœna ſuſpenſionis, ſi ſint Epiſcopi: excommunicationis, ſi ſint minores Epiſcopis: interdicti ſi ſit collegium, vel vniuerſitas. Suarez, *de cenſur. d.* 31. *ſect.* 5. *n.* 13. Saytus *de cenſur. l.* 4. *cap.* 17. *n.* 48. Filliucius *tr.* 17. *n.* 152.

Molin. Filliuc.

Suar. Sayr. Fill.

VSVRA VI.

De reſtitutione vſurarum.

SVMMARIVM.

1 *Quãdo dominium vſurarum transferatur in vſurariũ?*
2 *An vſurarius teneatur mutuatario reſtituere fructus, quos percepit ex re aliena accepta per vſuram?*
3 *An vſura mentalis ſit etiam reſtituenda?*
4 *An acceptum per realem vſuram multo magis ſit reſtituendum, quæcumque res ſit?*
5 *An omnes illi teneantur ad reſtitutionem, qui agunt partes vſurarij, & ſunt cauſa efficax cur vſuræ ſoluantur, vel ſoluta non repetantur,*
6 *An qui pecuniam ſuam apud vſurarium depoſuerunt, peccent, & teneantur ad reſtitutionem?*
7 *An bona vſurarij remaneant hypothecata pro ſoluendis debitis?*
8 *An Hæredes vſurarij teneantur in ſolidum ad reſtitutionem?*
9 *An legatarij, & donatarij vſurariorum teneantur ad reſtitutionem, ſi omnes hæredes deficiant?*

1 MVtuator vſurarius non acquirit dominium earum rerum, quas per exteriorem, ſeu realem vſuram vltra ſortem extorquet à mutuatario. Ita D. Thom. *c. qu.* 78. *ar.* 3. Syluius *ibid. q.* 1. Bannez *ibid.* Couarr. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Medina *q.* 4. *de vſur.* Leſſius *l.* 2. *c.* 20. *n.* 158. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 21. *punct.* 3. Filliuc. *tr.* 34. *nu.* 126. Molina *c. d.* 327. *L. ſi alieni ff. de ſolutio. L.* Marcell. §. Pomponius *ff. de rei vindicatione.* Bonacina *de contr. d.* 3. *q.* 3. *p.* 14. *nu.* 1. & alij Doctores ferè communiter contra Scotum, & Nauarrum. Ratio eſt quia ad translationem dominij requiritur conſenſus mutuatarii, quem hic deeſſe conſtat ex eo quòd ſolùm intendat exteriùs tradere vſurarium auctuarium, quatenus id præcisè opus eſt ad mutuum obtinendum, ad hoc autem non opus eſt, vt ſe abdicet rei ſuę dominio, vel alio iure, quo poſſit eam poſtea recuperare. Deinde mutuatarius in accipiendo mutuum tantùm ſpectat ſuam vtilitatem, ergo vbi non extant clara ſigna voluntatis transferendi dominium, cenſendus is eſt tantum velle ſuæ neceſſitatis prouidere exterius ſolùm dando vſuram, ac proinde minimè velle cedere iuri ſuo, quod habet ad illam recuperandam. Quod intelligendum eſt, maximè de rebus vſu non conſumptibilibus; Nam res vſu non conſumptibiles, ſi miſceantur ita cum aliis ſimilibus rebus vſurarii, vt diſcerni nequeant, tranſeunt in dominium vſurarii, peritque obligatio realis, & ſolùm manet obligatio perſonalis; quia in talibus non eſt ratio cur potiùs hæc pars cenſeatur aliena, quam ipſius vſurarij: deinde ſic multa incommoda euitantur quæ alioqui in emptione huiuſmodi rerum ab vſurario acciderent, manent enim emptores liberi à reſtitutione, ſaltem ſi per has venditiones vſurarius non eſt factus impotens ad reſtituendas vſuras iniquè factas, quod ſecus accideret, ſi rerum, quas emerunt, dominium non fuiſſet apud vſurarium.

D. Thom. Sylu. Bannes. Couar. Medina. Leſſius. Valent. Fill. Mol. Marcell. Pompon. Bonac.

2. Fructus, quos percepit *vſurarius* ex re aliena accepta per vſuram, reſtituendi ſunt mutuatario, cùm enim vſuram, reſtituendi ſunt mutuatario, cùm enim vſurarius nõ ſit Dominus rei, non acquirit dominium fructuum, quia res Domino fructificat: ſi tamen fructus ſint meræ induſtriæ, quales ſunt, qui percipiuntur ex pecunia vſuraria, aut ex alia re vſu conſumptibili functionem recipiente, tranſeunt in ipſius vſurarii dominium. Filliucius *c. num.* 115. & 212. Molina *c. Diſp.* 327. D. Thom. 2. 2. *quæſtion.* 78. *artic.* 3. Leſſius *l.* 2. *cap.* 20. *numer.* 161. Sa *v. debitum num.* 12. Si autem *vſurarius* res alienas loco vſurarum acceptas vendat, acquirit dominium pretij, licet dominium iſtarum rerum non transferat in emptores; requiritur tamen vt emptor bona fide res illas emerit neſciens eſſe alienas; ſi enim ſciuit, contractus eſt irritus, vnde tunc vſurarius non acquirit dominium pretij. *L. ſi in empt. ff. de contrahen. empt.* Azor. 3. *p. l.* 5. *c.* 12. Molin. *c. diſp.* 326.

Fill. Molin. D. Thom. Leſſius. Sa.

Azor. Molin.

3. Communis Doctorum ſententia eſt, vſurarium mentalem teneri ad reſtitutionem vſuræ, ſi intendat aliquid accipere ex vi mutui, tanquam ex iuſtitia debitum, & mutuatarius etiam eo animo det, quia nouit prauam eius indolem. Ratio eſt, quia mutuatarius non dedit ſponte, ſed coactè ex vi mutui, eò quòd videret id eſſe neceſſariũ ad mutuum obtinendum, vnde non tranſtulit verè, & ſeriò in mutuatorem dominium ſuæ pecuniæ. Et confirm. quia ratio obligationis reſtituendi in propoſito, non eſt, quia vſurarius dicat aliquid, vel non dicat, ſed quia reipſa aliquid iniuſtè altero inuito accipit, & ſic non acquirit dominium: *C. conſuluit de vſuris*, Couar. *ad reg. peccatum p.* 2. *n.* 4. Filliuc. *c. nu.* 114. Nauar. *c.* 17. *n.* 209. Leſſ. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 6. Azor. 3. *p. l.* 5. *c.* 16. *q.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 21. *p.* 3. P. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 209. Sylu. 2. 2. *quæſt.* 78. *ar.* 3. *qu.* 5. *concl.* 1.

Couar. Fill. Nauarr. Leſſius. Azor. Valent. Nau. Sylu.

Si tamen mutuatarius det gratuitò, & ex beneuolentia, ſed vſurarius id non aduertens accipiat tanquam datum ex obligatione ſtricta, ratione mutui, tunc non tenetur ad reſtitutionem ex parte rei, ſed ſolùm ratione conſcientiæ erroneæ, quamdiu illa durat: Ratio, quia nemo obligatur ad reſtitutionem, niſi qui habet alienum, vel qui iniuſtè læſit: at vſurarius mentalis in hoc caſu nec habet alienum, nec iniuſtè læſit, licèt enim intenderit lædere, dum voluit accipere tanquam ex ſtricta, & ciuili obligatione debitum;

tum;tamen reipſa læſio non fuit ſequuta,cùm mutuatarius non dederit ex iniuſta illa obligatione, quam mutuator vſurarius intendebat,ſed ex amicitia;ergo læſus non fuit: Salas *de vſuris dub*.7. Bonacina *c.p*.15.*n*.3. Syluius *c.qu*.5 *concl*.3. Filliuc.*cit.n*.114.

Sal. Bonac. Sylu. Fill.

Quando autem ex parte ſolius mutuatarij eſt intentio ſoluendi velut vſuram, cùm mutuans bona intentione mutuauerit,ſimiliterque lucrum acceperit bona fide, credens ſibi dari ea gratitudine,non peccat mutuator, ad reſtitutionem tamen tenetur ſtatim, ac cognoſci illud tanquam mutui pretium ſibi datum fuiſſe, ſi id quod accepit adhuc, vel ex eo factus fuerit ditior, vt dictum eſt de poſſeſſore bonæ fidei: *C. conſuluit de vſuris*,Caietan.*in ſum. v.vſura cap*.3. Sylu, *c.concl*.2. Graffiis 1.*part.l*.2.*cap*.107. Salas *cit.dub*.8.*n*. 3. Si verò mutuatarius det aliquid mutuanti, dum ei reſtituit ſortem, & ille dubitat quo animo detur;dicendum eſt non poſſe retinere,ſiue dubium ſit negatiuum ſiue poſitiuum; quia cum tali dubio, non poteſt quia rei alicuius poſſeſſionem inchoare; Bonacina *de contrau.d*.3.*q*.3.*p*.2.*numer*.11. Leſſius *c. num*. 45. Quamuis Angelus,P.Nauarra,Filliucius, & alii apud Bonacinam *c.* putent in dubio præſumi tradentem voluiſſe donare, hoc enim fauorabilius eſt recipienti; qui in dubio priuandus non videtur re accepta.

Caiet. Sylu. Graff. Salas.

Bonac. Leſſius.

4. *Acceptum* per realem vſuram multò magis eſt reſtituendum, quæcumque res ſit,ſiue in ſe, ſi extet,ſiue in valore, ſi non extet: damnum item illatum, & lucrum ceſſans: expenſæ etiam quas mutuans feciſſet in recuperanda re ſua:fructus item percepti ex re aliena,modò non fuerint fructus meræ induſtriæ. *Ratio* autem eſt: quia vſurarius, vt ante dictum eſt, non acquirit dominium rei per vſuram acceptæ:D.Thom. *c.q* 78.*art*.3.Filliuc *cit.c*.6. Bonac. *cit.punct*.15.*n*.5. Leſſius *cit.cap*.161. Sà *v.debitum num*.12.

D. Thom. Filliuc. Bonac. Leſſius.

5. *Omnes* illi tenentur ad reſtitutionem, qui agunt partes vſurarij, & ſunt cauſa efficax cur vſuræ ſoluantur, vel ſolutæ non repetantur: tales ſunt: *Primo*, qui perſuadent alicui,vt fiat vſurarius,& vſuras exigat;niſi fortè putauerit mutuatariis,qui aliter mutuum obtinere nequeunt,id gratum fore;tunc enim mutuatarii tacitè conſentiunt, & ratum habent,cùm hoc in gratiam ipſorum fieri videatur. Hinc qui cooperatur ad vſuram,agendo partes mutuatarii, non obligatur ad reſtitutionem: quia quod agit, agit volente, & ſciente mutuatario, volenti autem, & ſcienti non fit iniuria,& iniuſtitia.

Secundò, Principes,vel iudices,qui aliquo modo compellunt ad ſolutionem vſurarum:imò in iure excommunicantur facientes, ſcribentes, vel dictantes ſtatuta de ſoluendis vſuris,vel de non reſtituendis,cùm repetuntur. *Item* iudicantes,ſeu ſententiam ferentes vt ſoluantur vſuræ, vel vt non reſtituantur plenè, & liberè, cùm ſolutæ repetuntur. *Item* iudices,ſeu officiales præſumentes ſeruare huiuſmodi ſtatuta, vel conſuetudines vim ſtatuti habentes: *Sylu. c.art*.3.*q*.6.*concl*.2. Nauarr.*c*.17.*n*.265. Fill. *cit.n*.137. Molin. *diſp*.831.*n*.3. Leſſius c.*nu*.178.

Sylu. Nauarr. Fill. Molin. Leſſius.

Secus dicendum ſi iudices vſurarios ſolùm in Repub. permittant, ad maiora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes;tunc enim nõ cenſerentur vſurarum cauſa:Clementina *vnic. de vſuris*.Salas *de vſur.d*.44. *numero* 6. Salon *ſecunda ſecundæ quæſtion*. 78. *articul*.3.*concluſion*.9. Filliucius *citat. numero* 143. Syluester *v. vſur*.7. *quæſt*.10.

Salas. Salon. Fil. Syluest.

Tertiò Notarius,qui conficit inſtrumentum vſurarium inuito mutuatario,tenetur ad reſtitutionem, ſi ob id mutuatarius cogatur ſoluere vſuras: vt ſi contractui vſurario prætendat honeſtum nomen mutui, vel venditionis. Si tamen notarius inſtrumentum conficiat volente mutuatario,non tenetur ad reſtitutionem, quia non lædit inuitum:peccat tamen ſemper mortaliter talia inſtrumenta conficiendo contra iuramentum,quod Notarij, dum munus illud ſuſcipiunt,facere ſolent;Sà *v. vſura n*.12. Salas *c. dub*.44.*n*.7. Molina *c.num*.6. Filliuc, *cit.n*.137. 138. Sylu. *c.concl*.4.

Sà. Salas. Mol. Fil. Sylu.

Quarto, Famuli vſurariorum, qui vſurario inſeruiunt in celebrando contractu nomine vſurariorum, tenentur ad reſtitutionem;vnde numerans mutuum,vel illud deferens ad mutuatarios,vel exigens vſuras, ſecundùm Nau. *cit.n*.275. Valent. 2.2.*d*.5.*q*.21.*p*.2. Sylu. *cit.concl*. 2. Molina *cit.d*.331.*n*.9. tenetur ad reſtitutionem,quamuis aliàs mutuatarius eas ſoluiſſet;cooperatur enim vſuræ: Filliuc. *c.nu*.140. Sà *num*.13. Arragon. *cit.quæſtion*.78.*artic*. 3. *d. vlt*. docent principalem auctorem vſurarii teneri ad reſtitutionem,ſecus de mero executore. Vtraque ſententia eſt probabilis. *Famuli* verò qui ſolùm ſeruant pecunias acceptas,vel ſolùm reſerunt in libros rationum dati,& accepti,non videntur teneri ad reſtitutionem, quia parum videntur cooperari ad damnum:item famuli inuincibiliter ignorantes, contractum eſſe vſurarium, non tenentur; Leſſius *cit.n*.184. Filliuc. *cit.c*.7.*n*.144 Arragon. *cit.*

Nauarr. Valent. Sylu. Molina. Filliuc. Sà. Arragon.

Quinto,Confeſſarius tenetur ad reſtitutionem, quando ſuis verbis eſt in cauſa,cur non fiat reſtitutio ab vſurario, cenſetur enim cauſa efficax iniuſtæ detentionis: quando verò non admonet pœnitentem de reſtitutione facienda, non tenetur Sanch. *l*.1.*moral.c*.6.*n*.5. Azor. 3. *p.l*.4 *c*.16. *q*.3 Regin. *l*.10.*n*.92.

Leſſius. Filliuc. Arragon.

Sanch. Azor. Regin.

Sexto,Proxenetæ,qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad vſurarium, & inſtituuntur ab vſurariis, ſeque tenent ex parte vſurarii,tenentur ad reſtitutionem, videntur enim cooperari ad damnum, non minùs quàm conſulens: ſecus dicendum de proxenetis, quando agunt partes mutuatarij ad inſtantiam ipſius mutuatarij, tunc enim tenerentur, quia potius mutuatariis beneficium præſtant,quàm iniuriam inferant. Molina *c.nu*. 10. Nauarr. *cit*. Filliuc. *c.n* 137: Salas *c.nu*.15.

Molin. Filliuc.

6. Porrò qui pecuniam ſuam apud vſurarium depoſuerunt;modò tamen non ſuaſerint vt vſuras exigerent, nec ſint earum participes non tenentur ad reſtitutionem; fieri tamen poteſt, vt illi, qui depoſuerunt, peccent,quatenus vſurario præbent materiam plurium iniquorum contractuum.Sanch. *l*.7.*mor.c*.7.*n*.36. Filliuc. *cit.n*.138. Bannez 2.2.*q*.78.*art*.4.*dub*.4.

Sanch. Filliuc.

7. Bona vſurari non remanent hypothecata pro ſoluendis debitis,quia à iure poſitiuo non eſt introducta hypotheca pro ſoluendis debitis. Molina *tr*.2.*d*.329. Nauarr. c. 17.*num*. 265. Bannez *cit. dub*. 3. Remanent tamen talia bona obligata reſtitutioni, obligatione ſaltem perſonali, modò non ſint eademmet bona,quæ,per vſuras accepta ſunt:& huius ſententiæ eſt etiam doctiſſimus Sylu. 2.2.*q*. 78.*art*.3.*quæſ*.3.

Molin. Nauarr.

Ob eandem rationem bona furis non ſunt hypothecata, modò non ſint ipſæmet res alienæ extantes in ſpecie, ſeu numero:nam ſi res alienæ extent in indiuiduo, vt veſtes,torques, &c. reſtituendæ ſunt domino, nec poſſunt emi à fure, vel vſurario, inuito domino, quia vſurarius non habet dominium eorum, quæ vſurario contractu accepit: Ex tacito tamen domini conſenſu, huiuſmodi bona poſſunt emi;hinc ementes pignora ab vſurariis excuſantur quando publicè venduntur, quia præſumitur adeſſe tacita voluntas domini.

8. Etſi bona vſurarij, defuncti, longè ſuperent vſuras, ſeu debita ſoluenda, tenetur tamen hæres, ad reſtitutionem eorum bonorum,quæ in ſpecie exiſtant, & quæ conſtat eſſe aliena,idque ſiue alij hæredes reſtituant ſuas portiones,ſiue non,ſiue etiam aliquid aliud, hæreditate obtinuerit ſiue non; quia res aliena apud quemcumque reperiatur,eſt per ſe reſtituenda vero domino, nec potuit vſurarius tranſmittere in hæredem dominium rei, cuius ipſe non erat dominus,idque locum habet, etiam quando res illa aliena excederet portionem, ad quam reſtituendam hic hæres, ratione hæreditatis aditæ obligatur; exceſſum tamen iſtum, tenentur ipſi poſteà reliqui hæredes compenſare. Eman. Sà *v.vſura n*.14. Molina *cit.diſp*.332. Salon 2.2.*q*.78.*art*.3. *contr*.8. Filliuc. *tr*.34.*n*. 132. Leſſius *l*. 2.*cap*.20.*dub*.20. Bonacina *de contract. diſp*. 3 .*q*.3.*par*.5. *num*.14.

Sà. Molina. Fil. Leſſ. Bonac.

Quando autem bona vſurarij excedunt vſuras,ſeu alia debita perſoluenda, nihilque in illis reperitur alienum idem numero perſeuerans, tunc debita ſunt diſtribuenda inter hæredes pro rata hæreditatis, ita vt ſi poſteà nolit eorum aliquis, portionem debiti ſibi incumbentem ſoluere, non proinde alij hæredes, pro eo ſatisfacere tenentur, quia in ſucceſſione hæreditatis ſicut defuncti

bona diuiduntur in hæredes, ita etiam eius obligationes perſonales, & debita; ratio enim dictat, vt qui tantùm ex parte commodum recipit, onus quoque tantùm ferat. Syl-ueſter *v. uſura 6. §. 10.* Sotus *lib. 6. quæſt. 2. art. 4.* Salas *de uſuris dub. 43. numer. 2.* Sylvius *2. 2. quæſt. 78. artic. 3. quæſt. 6. concl. 1.* Filliucius *cit. n. 135.* Leſſius *cit. n. 175* Conarr. *3. uar. cap. 3.*

Vnde in foro animæ hæres vſurarii non tenetur ad plura reſtituenda, quàm in hæreditate acceperit, quia non tenetur ad reſtitutionem niſi ratione rei acceptę, ergo non tenetur plus reſtituere quàm acceperit; quamuis in foro externo teneatur etiam vltra vires hæreditatis, ſi inuentarium non fecit, ob præſumptionem fraudis commiſsæ. Toler. *l. 5. c. 31.* Filliuc. *c. nu. 136.* Molina *diſp. 332.* Bonac. *cit. punct. 15. n. 16.* Salas *cit. n. 2.*

Tolet. Filliuc. Molin. Bonac.

9. Legatarij, & donatarii non tenentur ad reſtitutionem, etiamſi omnes hæredes deficiant, ſi illa, quæ hæredibus relicta ſunt, ſufficiunt ad ſoluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam, quia onera debitorum teſtatoris non tranſeunt ad legatarios, ſed ad hæredes: hæres enim eſt, qui ſuccedit in vniuerſum ius defuncti, ac proinde etiam in onera eiuſdem: tamen ſi bona hæredibus titulo hæreditatis cum oneribus defuncti relicta non ſufficiũt, vt ipſi ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, vel quartam iure debitam: tunc legatarij, & donatarii, quibus aliquid cauſa mortis donatum eſt, tenentur contribuere, ſeruata proportione, vt ſolutis debitis legitimam, vel quartam illam quæ Falcidia dicitur, obtineant: iuxta locorum ſtatuta, vel conſuetudinem, Medina *q. 4. de uſuris.* Molina *cit.* Bonac. *de contr. d. 3. q. 3. punct. 15. n. 15.* Filliuc. *cit. nu. 133.* Leſſius *c. dub. 20. n. 176. & 177.* & alii.

Molina. Fil. Leſſius.

Plura de vſura in Supplemento *u. mutuum.*

VSVS, VSVSFRVCTVS.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit uſus?*
2 *Habens ius uſus nudi ſine uſufructu quid poſſit.*
3 *Quid ſit uſusfructus, & quod ſit diſcrimen inter dominium, uſum, & uſumfructum.*
Vſusfructus duplex eſt, unus legalis, alter conuentionalis.
4 *Quæ ſint obligationis uſufructuarii.*
5 *Quibus modis amittatur uſusfructus.*
An uſusfructus acquiſitus Monaſterio profeſſione Monachi tranſeat cum ipſo legitimè tranſeunte ad aliud Monaſterium.
6 *Vſusfructus paternus in aduentitia filij bona, an expiret ipſius patris profeſſione, & pertineat ad filium, uel ad Monaſterium.*

1 VSus eſt ius dumtaxat vtendi re aliena, ſalua illius ſubſtantia; *Inſtitut. de uſu, & habit.* is verò cui talis vſus conceſſus eſt, dicitur vſuarius. Dixi eſt ius, loco generis, dupliciter autem vſus capitur; *Primò*, pro vtendi, quo pacto equitatio, dicitur vſus equi, & habitatio vſus domi, & hic dicitur vſus facti. *Secundò*, pro iure ad eo modo vtendum, & hic permanet ceſſante actu vtendi ſeu facti; hoc autem poſteriori modo capitur in definitione. Dixi vtendi, loco differentiæ, & ſic excludes iura, quæ non ſunt ad vtendum, vt ius depoſitarii comparatione depoſiti, & creditoris comparatione pignoris. Dixi dumtaxat, & hinc excluditur vſusfructus qui licet ſit ad vtendum re aliena, non tamen eſt ad vtendum dumtaxat, ſed etiam ad fruendum vſufructu, id eſt, ad percipiendum omnes fructus rei. Dixi aliena re, quia ius quod dominus rei habet ad ea vtendum, quoque cum dominio eſt coniunctum, & ab eo cauſatur, & deriuatur non definitur hic. Dixi ſalua illius ſubſtantia, quia ius ad vſum, per quem res omninò conſumitur, aut alienatur, vt ius ad alienandã pecuniam, aut quamuis aliam rem, ad habendum vinum, &c. non eſt propriè vſus. Ita Leſſius *l. 2. c. 3. dub. 6.* Filliuc. *tr. 31. c. 3. n. 58.* Clauis regia *l. 9. c. 3. n. 5. 6.* Arragon. *ſecunda ſecundæ q. 62. tr. de dominio.* Molina *tom. 1. tract. x. diſp. 5.* Layman *lib. 3. tract. 1. cap. 6. num. 6.* Conradus *tract. de contract. q. 12.*

Leſſius. Fil. Clau. reg. Molin.

2. Parum poteſt qui habet ius vſus nudi, ſine vſufructu, quia qui habet ius vtendi fundo alieno, ſolùm habet ius ſumendi poma, olera, flores, fœnum, & ligna, ad vſum quotidianum, poterit etiam in eo ambulare, & commorari, modò Domino fundi, moleſtus non ſit; non poteſt donare, aut vendere quidquam horum alteri, nec locare, aut concedere alteri ius ad ea emolumenta percipienda; *Inſtitution. de uſu, & habitatione.* Clauis regia *citat. cap. 3. numer. 7.* Syluester *v. vſus, in princip.* Differt verò habitatio ab vſu nudo, quia vſuarius cui verbi gratia vſus domus eſt conceſſus, non poteſt eam alteri locare; is verò cui habitatio domus eſt conceſſa, poteſt eam locare, ſibique pretium locationis acquirere; *l. 1. ff. de vſu, & habitatione.* Molin. *cit. diſp. 5.* Layman *cit. num. 8.* Leſſius *cit. dub. 6. n. 25.*

Mol. Leſſius.

3. Vſusfructus eſt ius vtendi, & fruendi aliena re, ſalua illius ſubſtantia, is verò qui tale ius habet dicitur vſufructuarius; *leg. 1. ff. de vſufructu, & inſtitution. eodem tit. in princip.* dico vtendi, & fruendi, ad excludendum nudum vſum, qui non eſt ad fruendum. Porrò vſufructuarius, non ſolùm habet ius ad integrè vtendum bonis omnibus, in quibus vſusfructus eſt conſtitutus, ſed etiam ad percipiendum omnes eorum fructus, ita vt eo ipſo quod illos percipit, dominium eorum comparet antequam autem illos percipit, dominium eorum comparet; antequam autem illos percipiat, cùm vnum ſint per colligationem, & vnionem cum re, cuius habet vſumfructum, dominium eorum pertinet ad Dominum, cuius eſt res, quæ fructus illos in ſe habet, ipſe verò habet ius ad illos percipiendos, eoſque perceptione ipſa ſuos efficiendos, dum interim adhuc perſeuerat tempus vſusfructus. Quare ſi fructuarius moriatur ante perceptionem, pertinent non ad hæredes fructuarij, ſed ad proprietarium: quia quamdiu adhærent fundo, cenſentur vnum cum ſolo, vnde pertinent ad Dominum ſoli, donec fructuarius eos colligendo comparauerit ſibi dominium.

Dico aliena re ad excludendum ius, quod is qui plenò iure dominus eſt rei alicuius fructiferæ habet ad ea vtendum, & fruendum.

Dico ſalua illius ſubſtantia, quia vſusfructus ſolùm propriè eſt circa res, quæ vſu non conſummuntur, vt ſunt ager, pecora, domus, impropriè autem vinum, oleum, triticum, pecunia, ſed tunc transfertur dominium in vſufructuarium præſtita cautione, ſe finito tempore reſtituturũ pecuniam, vel rei æſtimationem. *Inſtitut. de uſufructu, §. conſtituitur.* Ita Syluester *uerb. dominium. q. 2.* Sotus *de iuſt. l. 4. quæſt. 1. art. 1.* Clauis regia *cit. cap. 3. num. 6.* Laym. *n. 6.* Leſſius *cit. dub. 4.* Molin. *c. diſp. 2.* Filliuc. *cit. c. 3. n. 64.*

Sylu. Clau. reg. Laym. Fill.

Ex dictis colligitur diſcrimen, quod eſt inter dominium, vſum, & vſumfructum. Nam ius duplex eſſe poteſt, vnum in ſubſtantiam rei, vt poſſit illam conſumere, ſi conſumptibilis ſit, vel ſaltem alienare, vt vendendo, donando, &c. Et hoc eſt dominium. Alterum eſt in qualitatem, ſeu accidentia rei, & hoc rurſus eſt duplex, vnum eſt ius vtendi re aliena in propriam tantùm vtilitatem, ſalua eius ſubſtantia, & dicitur vſus. Alterum eſt ius vtendi, & fruendi ſalua ſubſtantia rei, & hoc dicitur vſusfructus: ſi ui enim aliqua re dicitur ille, qui non ſolùm poteſt conſumere fructus in ſuum commodum, ſed etiam donare, vendere, locare vel gratis dare alteri ius, quod habet in vſufructu.

Præterea colligitur, vſum, & vſumfructum, propriè loquendo, non poſse conſtitui niſi in rebus immobilibus, quales ſunt domus, prædia, &c. Et etiam mobilibus, quæ vſu ſtatim non conſumuntur, vt ſunt oues, boues, equi, &c. quia in his manifeſtè patet poſt vſum, & fruitionem rei, remanere eius ſubſtantiam, & ſic vſus, & vſusfructus poſſunt eſse vnius, & proprietas, & dominium alterius. An autem in rebus vſu conſumptibilibus poſſit vſus a dominio diſtingui, ita vt vſus ſit penes vnum, & dominium penes alterum, vide ſuprà verb. *Dominium* 1. *num.* 13.

Vſuſ-

Digitized by Google

Vſusfructus duplex eſt, legalis vnus, conuentionalis alter: conuentionalis is dicitur, qui conſtituitur hominis diſpoſitione, ſiue per vltimam voluntatem, ſiue per contractum, ſiue per alium modum ab aliquo homine. Legalis eſt, qui per legem ipſam conceditur, qualis eſt vſus, qui patri in bonis aduentitiis ſuorum filiorum conceditur; *l. Cum oportet, l. Quacumque, Cod. de bonis, quæ liberis.*

4. Obligationes vſufructuarij ſunt: *Primò*, dare cautionem, quòd rebus quæ vſu non conſumuntur, vtetur boni viri arbitrio, id eſt, vt vir bonus re propria vteretur, ac frueretur: vnde ſi excedendo eiuſmodi vtendi, ac fruendi modum, res quibus fruitur, pereant, aut deteriores euadant, tenetur in vtroque damnum reſarcire; *l. æquiſſimam, & l. ſed etſi, ff. de vſufructu.* Clauis reg. *l.* 9. *c.* 3. *n.* 8. Leſſ. *cit. num.* 18.

Clau. reg. Leſſ.

Secundò, tenetur etiam cautionem dare quòd tranſacto vſusfructus tempore, reſtituet eiuſmodi res, quales tunc ſuperfuerint. Similiter, cui conceſſus eſt vſusfructus rerum vſu conſumptibilium; quarumque dominium in eum tranſit, tenetur dare cautionem, quod tráſacto tempore vſusfructus ſibi conceſſi, illarum rerum æſtimationem reddet. Vbi autem fructuarius talem cautionem ſatiſdare non poteſt, quia eſt pauper, eaque de cauſa fideiuſſorem non inueniat; ſi non ſit perſona ſuſpecta, ſatis erit cautio iuratoria, ſin verò fuerit perſona ſuſpecta, ſequeſtrabuntur bona, quæ non ſunt vſu conſumptibilia apud aliquem, de cuius manu vſumfructum ſumat: vſumfructum autem rerum vſu conſumptibilium perſonæ pauperi, & ſuſpectæ, nemo prudens concedere ſolet; *l. ſi cuius, & l. ſeq. ff. de vſufructu.* Fill. c. *n.* 65.

Tertio, tenetur ad expenſas, & ſumptus modicos, ad refectionem rei, qua fruitur, ita neceſſarios, vt ad vtilitaté vſus præſentis illius rei, fructuſue perceptionem ſpectent, quia poſſeſſio naturalis, adminiſtratio, & conſeruatio illius rei, pertineat ad vſufructuarium tanquam ad procuratorem proprietarij; non tamen tenetur ad ſumptus magnos, vel ad perpetuam rei vtilitatem ſpectantes; quos tamen ſi faciat rationabiliter, datur ei deinde actio negotiorum geſtorum aduerſus proprietarium, vt eos recuperet; ſi quid etiam in lite inſumat, vel ad rem qua vtitur vendicandam, & extrahendam de manu cuiuſcumque alterius poſſeſſoris, id etiam repetere poterit à proprietario; *l. vſufructu legato, & l. hactenus, ff. de vſufruct.* Laym. *c. n.* 4. Clauis regia *cit. n.* 9. Filliuc. *cit. n.* 65. Leſſius *c. n.* 18.

Laym. Fill. Leſſius.

Quarto, tenetur vſufructuarius ſoluere tributum, ſi quod ex re qua fruitur ſit ſoluendum; *l. vſufructu relicto, ff. de vſufructu.* Item tenetur conſeruare integrum numerum pecorum, & aliorum animalium gregatim ſibi traditorum, totidem capita ex fœtibus, loco demortuorum ſubſtituendo, vt numerus integer perſeueret: hoc tamen non habet locum, quando conceditur vſus, non gregis collectiuè, ſed animalium, ſeu ſingulorum capitum tunc enim non tenetur ſubſtituere, quia grex eſt æternus, ſed ſingula capita ſeorſim pereunt; *l. vetus, & duabus ſeq. ff. ibid. & §. in pecudum cum ſequentibus, inſtit. de rer. diuiſ.* Clauis regia *cit. num.* 9. Leſſius *cit. dub.* 6. *num.* 18. Idem intellige de vinea, & arboribus, loco enim arborum, & viſium demortuarum, tenetur fructuarius plantare alias, niſi tempeſtate, aut alio infortunio abſque ſua culpa deiectæ, aut deſtructæ ſint; *l. arbores, ff. de vſufructu.* Syluest. *v. vſusfructus.* Molin. *cit. d.* 7.

Clau. reg. Leſſius.

Quintò, vſufructuarius nequit abſque licentia proprietarij vſumfructum in alium transferre titulo donationis, venditionis, aut alio modo, ita vt alter maneat vſufructuarius rei cum eo iure quod habet, imò attendando hoc facere, ſtatim amittit vſumfructum, & acquiritur proprietario; *l. ſi vſusfructus, ff. de iure dotium.* Ratio eſt, quia de ratione vſusfructus eſt, quod ſit ius vtendi, & fruendi nomine proprio. Ius verò ad vſum, vtilitatem, & fructus rei percipiendos non eſt vſusfructus, ſed ius quoddam ab vſufructu diſtinctum, ideò hoc ius locatione, venditione, aut alio quouis titulo concedere poteſt alteri abſque facultate, & conſenſu proprietarij, vel ad tempus, vel ad perpetuum eo modo quo ipſe ius habet ad vtilitatem. Et in hoc caſu manet vſusfructus in eo, in quo antea fuit, impe-

ditus tamen quoad actum vtendi, & fruendi, propter tranſlationem iuris ad vtilitatem in alium. Vide Sanchez *l.* 7. *moral. c.* 13. *n.* 14. & 20. Couar. *l.* 1. *variar. c.* 8. *n.* 7. & alios ab ipſo citatos.

Sanch. Couar.

5. Multis modis amittitur vſusfructus. *Primò*, ſi moriatur vſufructuarius. *Secundò*, ſi res ipſa pereat. *Tertio*. ſi tanto tempore non vtatur iure ſuo, quanto opus eſt, vt Dominus directus contra eum præſcribat: hoc tempus inter præſentes eſt 10. annorum, & 20. inter abſentes. *Quarto*, maxima capitis diminutione, cùm ſcilicet aliquis ſimul ciuitatem, & libertatem amittit. *Quintò*, per mediam capitis diminutionem, quando ciuitatem, quis amittit, non libertatem. *Sextò*, ſi vſufructuarius cedat vſumfructum proprietario. *Septimo*, ſi acquirat rei proprietatem, & dicitur conſolidatio. *Octauò*, ſi pater fiat hæreticus, hoc ipſo amittit vſumfructum in bonis aduentitiis filij; *inſt. de vſufructu, §. finitur.* Leſſius *l.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. Laym. *cit. c.* 6. *nu.* 5. Filliuc. *c. num.* 67. Porrò per ingreſſum vſufructuarij in religionem incapacem ſtabilium bonorum, ac redituum, (vt eſt ordo Minorum de Obſeruantia, Capucinorum, & Societatis IESV) per profeſſionem, ſecúdùm communem ſententiam, vſusfructus finitur, & cum proprietate conſolidatur, quia vſusfructus eſt ius perſonæ, quod cum ea extinguitur, ſeu per mortem naturalem, ſeu per mortem ciuilem, qua omninò incapax vſusfructus perſona fiat: ſecus dicendum per profeſſionem in aliis Ordinibus capacibus bonorum immobilium in communi, & perpetuorum redituum, in quibus quamdiu viuit vſufructuarius, vſusfructus permanere poteſt in Monaſterio, cum ordine ad profeſſum, ita vt profeſſus, & Monaſterium veluti vna perſona cenſeantur. *Auth. ingreſſi. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* Angel. *v. Religioſus num.* 52. Syluest. *v. relig.* 6. *q.* 1. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 22. *q.* 4. Sanchez *lib.* 7. *mor. c.* 13. *n.* 53. Filliuc. *cit. n.* 68.

Angel. Sylu. Azor.

Sed dubium eſt, an vſusfructus acquiſitus Monaſterio profeſſione Monachi, tranſeat cum ipſo legitimè tranſeunti ad aliud Monaſterium? Reſp. *Primò*, ſi ille vſusfructus eſſet acquiſitus Monacho ante profeſſionem, cum tranſite ad poſterius Monaſterium à tempore, quo in poſteriori profitetur, quòd ſi poſterius eſſet ſucceſſionis incapax, perire à tempore illius profeſſionis, & conſolidari cum proprietate. Ratio eſt, quia vſusfructus ſequitur perſonam, in qua conſtitutus eſt, ab eaque pendet quoad eſſe, & conſeruari. Cùm ergo non cenſeatur perfectè acquiſitus priori Monaſterio, ſed ſucceſſiuè quotidie acquiratur ex Monachi perſona, ceſſabit ille quoties ceſſat ius ex Monachi illius perſona ſuccedendi, eo quòd iam profeſſus ſit in alio Monaſterio; & hoc probatur ex *l.* 1. §. *final. ff. de vſufruct. accreſc.*

Secundò, ſi talis vſusfructus, poſt profeſſionem Monacho relictus ſit contemplatione Monaſterii, permanebit in priori Monaſterio, quia cenſetur illi relictus; ſi verò contemplatione Monachi relictus ſit, cenſetur Monaſterio relictus dependenter à perſona illius Monachi, & ideo tranſibit cum illo ad poſterius Monaſterium. Si autem dubium ſit, cuius contemplatione, præſumetur relictus contemplatione Monaſterii, & ideo apud prius manebit.

6. Certum eſt, vſumfructum paternum in aduentitia filii bona, expirare ipſius patris profeſſione, & pertinere ad filium, quando religio eſt ſuccedendi incapax; Controuertitur tamen inter Authores, an idem ſit dicendum quando religio eſt ſuccedendi capax? Affirmant quidam, quia ceſſantibus patria poteſtate, & facultate adminiſtrandi bona, vt paterna profeſſione reuera ceſſant, extinguetur ille vſusfructus. Nec obſtat, poſſe ea bona per religionis miniſtros adminiſtrari; quia ius ſoli patri hanc adminiſtrationem, & ratione illius vſum fructum conceſſit. Ita Couar. *de teſtament. c.* 2. *num.* 9. Roſella *v. Donatio* 2. *nu.* 44. & alii:

Secunda ſententia ſuſtinet, dimidiam illius vſusfructus paterni partem pertinere ad Monaſterium, reliquam autem dimidiam ad filium, quia patre emancipante filium ita diuiditur vſusfructus; *leg. cum oportet* 6. §. *ſin autem, Cod. de bonis quæ liber.* At pater profitens in religione, tacitè ſuo emancipat filium, cum per eius profeſſionem liberetur a patria poteſtate, ergo ſolam dimidiam

Sylueſt. Angel. Tabiena.

Gutierr. Croſſ.

vſusfructus partem, quæ ad patrem emancipantem pertinere debebat, remanebit Monaſterium. Ita Sylueſt. *v. Religio 6.q.*1. Angelus *v. Religioſus n.*50. Armilla *v. Religio n.*20. Tabiena *ibi q.* 33. Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles, probabilius tamen eſt vſumfructum nequaquam extingui, nec diminui, ſed totum pertinere ad Monaſterium toto paternæ vitæ tempore: tum quia nulla eſt commoda differentiæ ratio inter vſumfructum paternum & alios: tum quia ſi alij vſusfructus tranſeunt ad Monaſterium tranſibit ſimiliter paternus. Ita Clauis regia *l. 9. c. 7. num. 9.* Gutierez *quæſt. canon lib. 2. capite* 1. *numer.* 100. Leſſius *libro ſecundo, c.* 41. *num.* 83. & alij. Pari modo, pater in ſæculo manens, vſumfructum, quem in bonis aduentitijs filij habebat, non amittit per filij profeſſionem, vt Nauarrus docet *comment. de reg. num.* 55. nam profeſſio filij non poteſt officere iuri paterno iam antè acquiſito, ſecus eſt quando filius egreditur patriam poteſtatem ob crimen paternum, tunc enim amittit pater vſumfructum vna cum patria poteſtate.

Atqui hic eſto finis huius noſtræ Summæ Theologiæ Practicæ: Omnia autem, & quæcumque in hac Summa continentur, Superiorum meorum, & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ omnis veritatis columna, & magiſtra eſt, iudicio ſubmiſſa ſunto.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ipſi gloria in ſæcula. Amen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Et Repertorium eorum omnium, quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Prior numerus paginam: alter ſedem materia deſignat.

I

Iactantia.

IACTANTIA eſt vitium io ſermone contra veritatem; cùm quis maiora de ſe prædicat, quàm inſint; aut cùm quis ſe effert ſupra id, quod homines de ipſo opinantur. pag. 1. num. 1.

Si quis ſe iactet de malo, quod fecit, non eſt propriè iactantia, ſed vana gloriatio: ſi autem illud non fecit, eſt peccatum iactantiæ, quia eſt mendacium. ibid. n. 2.

Quando quis ſe iactat de peccato mortali & de eo habet adhuc complacentiam, explicanda eſt in confeſſione ſpecies peccati, de quo fuit iactantia. Si autem noo adfuerit complacentia, ſufficit in confeſſione dicere ſe de peccato mortali iactaſſe. ibid.

Quando iactantia & vana gloria de aliquo bouo eſt, ſolùm eſt peccatum veniale, modo in tertij damnum hæc iactantia non cedat. p. 1. n. 3.

Quamuis iactantia ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale, contineos malitiam mendacij & vanæ gloriæ, tameo poteſt eſſe peccatum mortale in aliquibus caſibus. p. 2. n. 4.

Idololatria.

IDOLOLATRIA græca vox eſt & compoſita ex dictionibus, Idolũ & latria. Idolum latinè ſignificat ſimulachrum, aut imaginem alicuius rei. Latria, cultum ac venerationem. Vnde idololatria ex nomine ſignificat ſimulacrorum venerationem ac cultum. p. 2. n. 1.

Iocer imagines gentilium & Chriſtianorum duplex eſt differentia, vna in ſignificatione; altera in cultu. ibid.

Caoſæ idololatriæ fuerũt duplices; homines ſcilicet & Dæmones. In hominibus inueniuntur tres. Primò, inordinatus amor erga charos defunctos. Secundò, amor figurarum, aut ſimulachrorum repreſentantium res abſentes & præſentes. Tertiò, ignorantia veri Dei. ibid. n. 2.

Cauſa altera principalis idololatriæ fuerunt Dæmones, qui ſe ſtatuis ab hominibus fabrefactis immiſcebant, eiſque motum, vocem dabant & reſponſa per eas edebant. ibid.

Gentiles ſibi finxeruot plurimos Deos, itavt non ſolùm quælibet gens, aut natio, ſed & ſingulæ, propè ciuitates ſuos peculiares Deos habuerint atque coluerint: quorum tamen præcipui fuerunt homines ſcelerati & infames. p. 2. n. 3.

Vita & geſta eorum qui à gentilitate pro dijs habiti ſunt, nempe Saturni, Iouis, Neptuni, Plutonis, Apollinis, Martis, Mercurij, Herculis, Vulcani, Iunonis, Mineruæ, Veneris, &c. p. 2. 3.

Cognitio vnius veri Dei ſufficiens ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum & cauendi à peccato Idololatriæ, non debet neceſſariò eſſe vndequaque perfecta, ſed ſat erit cognitio quædam generalis de Deo, quod ſit principium omnium rerum; à quo omnia dependent & gubernantur. p. 3. n. 4.

Philoſophi gentilium, qui agnouerunt Deum eſſe vnum duntaxat, nequeunt excuſari, tum à crimine idololatriæ, tum ab omiſſione colendi vnum verum Deum. p. 3. ibid.

Idololatriæ, qui non habuerunt notitiam veri Dei, non ſunt etiam excuſandi à crimine idololatriæ. ibid.

Triplex idololatria diſtingui poteſt. Prima eſt perfecta, altera eſt minus perfecta. Tertia eſt idololatria ſimulata. p. 3. num. 5.

Inter peccata religioni contraria, idololatria maximum eſt: imò quodammodo idololatria eſt maius peccatum, quàm odium Dei. ibid. n. 6.

Ieiunium Eccleſiaſticum.

IEIVNIVM quatuor modis accipi poteſt. p. 4. 1.

Ieiunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia voluntaria à cibo iuxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem. ibid. 2.

Communis eſt ſententia adeſſe præceptum ieiunandi: contra hæreticos noſtri temporis, qui aſſerunt ieiunia eſſe libera. ibid.

Ad ieiunium Eccleſiaſticum tria requiruntur, nempe, ***Abſtinentia ciborum certi generis: abſtinentia plurium refectionum: refectionis hora.*** ibid. 2.

Cibi prohibiti in die ieiunij Eccleſiaſtici ſunt 1. ***Carnes***. Nomine autem ***Carnium***, intelliguntur illæ quæ à piſcibus contra diſtinguuntur. ibid 3

In quadrageſima prohibentur 2. ***Oua***. Extra illud tempus iure communi non ſunt vetita. 3. ***Lacticinia***, Sed iure communi ſolùm tempore quadrageſimæ. p. 5. 3.

Illis diebus quibus licet comedere oua, caſeum, & cætera lacticinia, non licet comedere lardum vel ſagimen, niſi id permittat conſuetudo. ibi.

Quando conceduntur lacticinia, non licet veſci ſanguine animalium. ibid.

In ieiunijs pro Iubilæo, pœnitentia iniuncta, & votiuis, poſſunt adhiberi oua & lacticinia. ibid.

Ille cui conceſſum eſt priuilegium comedendi carnes ob debilitatem naturæ, non tenetur abſtinere à multiplici refectione: ſecus ſi ob nauſeam vel damnum piſcium. ibid. 4.

Quando alicui carnes prohibentur, non ideo illi prohibetur eſus ouorum vel lacticiniorum. ibid.

Habens licentiam edendi carnes in Quadrageſima, poteſt licitè oua & lacticinia comedere. p. 6. 4.

Qui ex diſpenſatione comedit carnes, poteſt ſimul etiam edere piſces ſi inde aliquod damnum non proueniat. ibid.

Diſpenſatus ad carnes pro aliquibus tantùm diebus, non poteſt io cæteris ijs vti, ibid.

Diſpenſatus ad carnes pro tribus aut quatuor diebus in hebdomada, non poteſt illis veſci diebus veneris & Sabbati. ibid.

Diſpenſatus in Quadrageſima ad oua, & lacticinia comedenda, non eſt diſpenſatus à ieiunio. ibid.

Qui vouit abſtinere ab ouis & lacticinijs, iuxta probabiliorem ſententiam, non tenetur abſtinere à carnibus. p. 6. 5.

Qui vouit abſtinere à carnibus, tenetur etiam abſtinere à iure carnium. ibid.

Qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem non ſentiat, præcepto ieiunij ſatisfacit, modò à prohibitis abſtineat, & vnicam ſumat refectionem. ibid. 6.

Non excuſantur à ieiunio, qui ieiunando ſentiunt grauiores carnis ſtimulos, quàm non ieiunando. ibid.

Quando neceſſitas eſt euidens & certa comedendi cibos vetitos in die ieiunij non eſt petenda licentia. ibid. 7.

In dubio de ſufficientia neceſſitatis, petenda eſt diſpenſatio ab Epiſcopo, vel Prælato. Imò Parochus poteſt diſpenſare ratione conſuetudinis, nec

nec non ipſos vicarius. ibid.

De neceſſitate comedendi cibos vetitos in diebus ieiuniorum, debent iudicare medici, qui cauti eſſe debent in concedendis huiuſmodi licentijs. p.7.ibid.

Confeſſarius non poteſt diſpenſare in ieiunio, niſi ad hoc deputetur ab habente facultatem diſpenſandi: benè tamen poterit declarare, an causa ſit ſufficiens, ad non ieiunandum, ſicut poſſet quicumque vir prudens. ibid.

Priuilegia conceſſa Patribus Societatis à *Pio IV.* vt poſſint diſpenſare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis, & coniugibus Patrum familias hæreticorum, vt poſſint veſci carnibus & ouis ſine ſcrupulo, quando negantur ijs cibi quadrageſimales, hodie non habent locum, quia ſunt viuæ vocis oracula & ideo annullata ab *Vrbano VIII.* ibid.

Ad eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici, eſt abſtinentia plurium refectionem intra ſpatium diei naturalis. p.7.8.

Potus ſumptio quamuis crebrior, etiam vini; & vſus electuariorum non prohibentur in die ieiunij. ibid.

Lectores & miniſtri menſæ in monaſterijs aliquid præſumentes; & cantores, vt habeant vocem aptam ad canendum, excuſantur à fractione ieiunij. ibid.

Quando bibitur per diem extra prandium & refectiunculam, licet aliquid ſumere, ne potus noceat, modò non fiat in fraudem ieiunij. p.8.8.

Paruitas materiæ excuſat, à fractione ieiunij, quæ etiam reperiri poteſt in comeſtione carnium. ibid.

Intendens initio quadrageſimæ ſumere carnem ſingulis diebus in paruitate materiæ non peccat mortaliter. ibid.

Collatiuncula veſpertina licita eſt in die ieiunij, modò non excedatur in quantitate, ſecundùm locorum & perſonarum conſuetudinem. p.8.9.

De menſura huius collatiunculæ, variè ſentiunt: ſed omiſſis ſententijs, in praxi tuta eſt ſententia docens, poſſe ſumi ſex, aut ſeptem, aut etiam octo vncias, prout quiſque ſuæ complexioni neceſſarium putauerit. ibid.

In vigilia Natiuitatis Domini, in locis vbi adeſt conſuetudo poteſt, ſumi refectiuncula in maiori quantitate conſueta. p.9.9.

Nobilioribus licet ex conſuetudine aliquantulum plus quàm plebeis in hac refectiuncula accipere. ibid.

Qui continuò ſtudijs vacant, ita vt inſumant in ſtudio totum illud tempus diei; quod ſolet impendi in operando, poſſunt vti in ieiunio ampliori refectiuncula: item & qui difficilè capiunt ſomnum, quando non cœnant. ibid.

Exceſſus, qui refectiunculam veſpertinam conuertit in cœnam, eſt peccatum mortale: ſecus ſi exceſſus non ſit valde notabilis. ibid.

Communior Doctorum ſententia eſt, in refectiuncula tantùm poſſe ſumi cibos, quibus in die ieiunij veſcimur ante vel poſt prandium, vt ſunt poma, pyra, nuces, herbæ, & alij arborum fructus. Non eſt tamen improbabile, non debere attendi qualitatem ſed quantitatem cibi, modò ſit ex permiſſis in prima refectione. ibid.

Hæc collatiuncula, ex iuſta cauſa, vt ratione debilitatis negotiorum, ſtudiorum, itineris faciendi &c. poteſt ſumi mane aut meridie cœna in veſperam dilata. ibid.

Probabilius eſt, non toties peccari mortiferè, quoties in die ieiunij pluſquam ſemel comeditur; ſi tamen tertia vice quis comederet cum contemptu præcepti, & cùm noua voluntate frangendi ieiunium, tunc toties peccaret, quoties id faceret. p.10.10.

Comedens carnes quando prohibentur, toties peccat mortaliter, quoties comedit. ibid.

Probabile eſt, illum, qui die ieiunij ſciens ſumpſit ientaculum, cauſa itineris, non teneri eo die ieiunare ſi contingat non proficiſci. ibid.11.

Qui neſciens eſſe ieiunium mane comedit, tenetur reliquo tempore ſeruare ieiunium, ac ſi nihil ſumpſiſſet. ibid.

Probabilius eſt habentem cauſam non ieiunandi, non poſſe inuitare ſeriò amicum, vt ſecum cœnet, etiamſi talis amicus ſoleat violare ieiunium domi cœnando. ibid.s.

In dubio autem, an amicus teneatur ieiunare, poterit inuitari. ibid.

Graue eſt peccatum cauponi in locis Catholicorum apponere carnes hoſpitibus in die ieiunij: in locis verò hæreticorum id licitum eſſet, ſi petantur, & non poſſit recuſare ſine ſuo incommodo. ibid.13.

Quando petuntur carnes in contemptum religionis, & contemptus ſe tenet tantùm ex parte petentis non peccarent caupones carnes miniſtrando. p.11.ibid.

Licet diebus ieiuniorum cœnam apponere hoſpitibus, qui non tenentur ad ieiunium, modò ſcandalum abſit: ſi tenentur, non licet: in dubio an teneantur, poſſunt & debent interrogari, ſi decorè id fieri poſſit. ibid.14.

Qui ob negotium interrupit prandium, nondum completè ſumpta refectione, poteſt abſoluto negotio perficere, modò interruperit animo continuandi. ibid.15.

Certa refectionis hora requiritur ad ſubſtantiam ieiunij, & hæc eſt modò circa meridiem moraliter ſumptum, non notabiliter ante p:11.16.

Probabilius eſt, notabilem anticipationem prandij in die ieiunij, eſſe tantùm peccatum veniale. ibid.

Tempus autem notabile cenſetur ex conſuetudine ſpacium vnius horæ. p.12.ibid.

Ex iuſta cauſa poteſt notabiliter anticipari hora prandij in die ieiunij, vt cauſa itineris concionis &c. ibid.

Qui priuilegium obtinuit prandendi ante conſuetam ieiunij horam, tenetur reliqua diei parte à cibis abſtinere: & diſpenſatus ad multiplicem refectionem, non poteſt ex vi illius diſpenſationis, carnibus veſci. ibid.17

Qui diſcedit mane ex oppido domicilij vbi eſt ieiunium peruenturus ad locum, vbi non eſt ieiunium poteſt ſumere ientaculum, non poteſt tamen in loco domicilij veſci carnibus. ibid.18.

Diſcedens è loco vbi commeduntur carnes poteſt eas comedere, etiamſi eodem die peruenturus ſit ad locum, in quo non comeduntur. ibid.19

Perueniens veſperi ad locum, in quo carnes non comeduntur, non poteſt eas comedere, ſi locus ad quem peruenit ſit proprium domicilium alias poteſt ſecluſo ſcandalo. ibid.19

Potens comedere carnes iuxta leges proprij domicilij, non poteſt eas comedere, ſi reperiatur in locis, vbi prohibentur: quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid.

De obligatione ieiunij & de cauſis excuſantibus.

Omnes Chriſtiani præcepto ieiunij obſtringuntur completo vigeſimo primo anno. p.12.13

Hoc præceptum ieiunij obligat etiam iuſtos & perfectos, nec non eos; qui non egent ieiunio. ibid.

Huic præcepto non ſatisfit per alium, niſi quatenus eſt ſatisfactorium. ibid.

Probabile eſt illum, qui expleuit 21. annum hora octaua mane, non teneri in reliquo diei ieiunare: licet contrarium ſit etiam probabile. ibid.

Si quis compleat 21. annum initio quadrageſimæ, aut circa medium ipſius, tenetur ad ieiunium in ſequentibus diebus. p.14.ibid.

Qui aliquo die ieiunare non poteſt; non tenetur aliquid aliud loco ieiunij perſoluere. ibid.2

Priuilegium *Leonis X.* conceſſum Fratribus Minoribus, vt poſſint transferre ieiunium in alium diem, dum iter faciunt, hodie non habet locum, quia eſt viuæ vocis oraculum. ibid.

Omnia Eccleſiæ ieiunia etiam quadrageſimæ ſunt de iure humano inſtituta. ibid.3.

Conſuetudo poteſt inducere & abrogare ieiunia. ibid.

Diebus rogationum non eſt ieiunium ex præcepto ſeruandum: ſi tamen alicubi eſſet præceptum ſynodale, aut conſuetudo ieiunandi vſque ad prandium, deberet ſeruari. ibid.

Non licet in ferijs rogationum veſci adipe ſeu pinguedine in locis, vbi conſuetudo id permittit in ſabbathis, quæ non ieiunantur, niſi conſuetudo aliter obtinuerit. ibid.

Ex præcepto ieiunandum eſt diebus ab Eccleſia præſcriptis. Die autem Dominico fas eſt ieiunare ſi non fiat ex aliquo errore; Eccleſia tamen non conſueuit die Dominico ieiunare. ibid.4

Dies, in quibus ex præcepto ieiunium indictum eſt ab Eccleſia, ſunt, dies ſinguli quadrageſimæ, exceptis Dominicis. Quatuor anni tempora. Vigiliæ Natiuitatis Domini, & Aſſumptionis B.Mariæ. Vigiliæ Sanctorum Apoſtolorum, excepta vigilia SS.Philippi & Iacobi & Ioannis Euangeliſtæ. ibid.

In peruigilijs quorumdam Apoſtolorum hoc præceptum ieiunij non eſt conſuetudine receptum, proinde quiſquis debet ſequi conſuetudinem ſuæ diœceſis. ibid.

In vigilijs Pentecoſtes, S.Ioannis Baptiſtæ, S.Laurentij, & omnium Sanctorum de iure non eſt ieiunium, ſed de conſuetudine habere vim legis. p.15.ibid.

Quando vigilia S.Ioannis Baptiſtæ incidit in feſto Corporis Chriſti, anticipandum eſt ieiunium die immediatè antecedenti Ex Conſtit. *Vrbani VIII.* ibid.

Epiſcopus poteſt transferre huiuſmodi ieiunia in alium diem, dummodò id fiat ex rationabili cauſa. ibid.

Præceptum Eccleſiæ de ſeruando ieiunio obligat ad mortale, & mortalis eſt illius tranſgreſſio, etiamſi non ex conſuetudine, ſed tantùm ſemel fiat. ibid.5

Si quis bona fide comederet, putans habere iuſtam cauſam non ieiunandi, non peccaret ſaltem mortaliter, quamuis in ea re fallatur, modò non ſit ignorantia craſſa, quæ dolo æquiparari poſſit. p.10.ibid.

Religioſi exempti non tenentur ieiunijs ab Epiſcopo præſcriptis in diœceſi, intra cuius terminos poſitum eſt monaſterium, niſi ieiunia generali conſuetudine recepta ſint, vel niſi ex non obſeruantia ſcandalum ſequatur. ibid.

Non eſt improbabile religioſos & moniales, non teneri ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitates. ibid.

Cauſæ excuſantes a ieiunio, ſunt, *Impotentia, labor & Pietas*, Impotentia alia eſt phyſica, alia moralis. ibid.6

Ob impotentiam moralem excuſantur infirmi: & nomine infirmorum, com-

comprehenduntur valetudinarij & conualeſcentes : Item qui habent ſtomachum debilem: item qui nocte dormire aut calefieri non poteſt, niſi cœnet: Debet tamen eſſe notabile impedimentum. ibid.

Omnes prægnantes, aut lactantes non obligantur præcepto ieiunij, imò illas peccare, ſi ieiunent, docent multi. p. 16. ibid.

Prægnantes & lactantes regulariter non poſſunt comedere carnes in diebus ieiuniorum; ſi tamen prægnantes vehementer illas appetant, debent illis carnes concedi. ibid.

Mulier prægnans non poteſt, nec tenetur ieiunare cum periculo prolis, ad vincendas carnis tentationes. ibid.

Ob impotentiam moralem excuſantur etiam ſenes: ætas autem qua incipit hæc ſenectus, non eſt determinata in iure: & ideò quidam excuſant ſolùm ſeptuagenarios; alij ſexagenarios: ſed verius eſt, nullam prorſus poſſe præſcribi ætatem, in qua lex ieiunij non obliget, ſed attendendum eſſe ad robur corporis & complexionis naturæ, & iuxta eam iudicandum eſſe. ibid.

Probabile eſt religioſos ſexagenarios non teneri ad ieiunia ſuæ regulæ. ibid.

A ieiunio excuſantur etiam pauperes, qui propter paupertatem alimento carent ſufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij ſumendam. p. 17. ibid.

Ad congruentem refectionem, non ſufficit panis in quantauis quantitate, ſicut nec etiam fructus & olera, ſed requiruntur cibi, qui ſint maioris nutritionis: imò liceret pauperibus vſus carnium, ſi alium cibum inuenire non poſſent. ibid.

Non eſt improbabile, illum, qui habet panem, quo poteſt vitam ſuſtentare ſed non habet alios cibos conceſſos, tunc poſſe veſci carnib. ibid.

Ex vniuerſali conſuetudine pueri & adoleſcentes excuſantur à ieiunio vſque ad finem tertij ſeptennij: licet teneantur abſtinere à cibis prohibitis adepto rationis vſu: Item tenebuntur ieiunare volentes lucrari Iubilæum ſub onere ieiunij conceſſum, vel ſi imponatur à confeſſario pro pœnitentia ſacramentali. ibid.

Probabile eſt licere pueris ante ſeptennium & infidelibus miniſtrare carnes & oua, quando prohibentur. ibid.

Adoleſcentes debent paulatim aſſueſcere ieiunijs. ibid.

Adoleſcentes religionem Fratrum Minorum profeſſi, tenentur ad ieiunia regulæ, licet nondum expleuerint annum ætatis 21. Ad ieiunia tamen vigiliarum, & quatuor temporum, non plùs obligantur, quàm cæteri fideles. ibid.

Probabile eſt, illum, qui vouit ſe ieiunaturum certis diebus in perpetuum ſeu toto vitæ tempore, excuſari, poſtquam ad ſexageſimum ætatis annum peruenerit: ſi autem vouerit ſe ieiunaturum etiam poſt annum ſexageſimum, votum obligaret, ſi ſenectus ſit ſatis robuſta. 18. ibid.

Frater Minor non committit duplex peccatum frangendo ieiunium in ſexta feria inter feſtum omnium Sanctorum, & Natiuitatem, & intra Quadrageſimam vſque ad Reſurrectionem. ibid.

Labor, cum quo non ſufficit laboranti vnica refectio, excuſat à ieiunio, etiamſi ſit voluntariè ſuſceptus, & præuiſa laſſitudo reddens impotentem ad ieiunandum. ibid. 7

Defatigatus ex labore voluntariè aſſumpto, ob finem inhoneſtum iuxta veriorem ſententiam, ſolum peccat contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhoneſtus, non autem contra præceptum ieiunij. ibid.

Si quis in fraudem ieiunij ſe defatigaret, ſecundùm quoſdam peccaret deſiderio illo frangendi ieiunium: iuxta alios autem minimè, quia non interuenit fraus, ſed fuga quædam obligationis. 19. ibid.

Ob laborem eximuntur à ieiunio quotquot labore ſuo victitant, cum quo probè ieiunium conſiſtere nequit: vt ſunt agricolæ, fabri ferrarij, lignarij, cœmentarij, argentarij, textores, piſtores, ſutores, coqui, molitores, fullones, lanarij, coriarij, &c. ibid.

Hi omnes operarij exercentes artes laborioſas non tenentur ieiunare, etiamſi diuites ſint: non ſolùm eo die, quo laborant, verùm etiam eo die, quo laborem intermittunt. ibid.

Suſcipientes iter pedeſtre excuſantur à ieiunio; quantum autem debeat eſſe iter pro ſingulis diebus, vt excuſet à ieiunio: verius eſt nullam poſſe dari certam menſuram longitudinis itineris, ad excuſationis legitimam rationem. ibid.

Iter habentes in curru, vel equitantes, regulariter non ſunt immunes à ieiunio. 20. ibid.

Non excuſantur à ieiunio mechanici, quorum labor eſt exiguus, vt ſunt pictores, ſculptores, ſartores, & Barbitonſores, &c. ibid. 8

Scholares tenentur ad ieiunium: quando autem ſtudium eſt continuum, aſſiduum poſſent excuſari, quia magis debilitat quàm quodlibet exercitium corporale. ibid.

Excuſantur etiam illi, qui damni vitandi vel notabilis lucri, cuius occaſio non ſemper datur, captandi cauſa laborant, etiamſi ex officio non ſoleant. ibid.

Omnes, qui officio ſuo fungi nequeunt cum ieiunio, excuſantur, etiamſi labor non ſit niſi ingenij: hinc Aduocati, Procuratores, & Iudices, qui multùm laborant, excuſantur à multis, ſicut & ſcribæ ſeu Notarij, qui per totum diem ſcribunt. p. 27. ibid.

Apud Typographos non excuſantur à ieiunio typos colligentes, verſantes autem prælum excuſantur. ibid.

Pietas excuſat etiam ieiunio: vnde ob illam excuſantur omnes, qui operibus præſtantioribus, vel maioris momenti incumbunt, quæ ipſi vna cum ieiunio perficere non poſſunt ob notabilem debilitatem. ibid. 9

Concionatores, qui ſingulis diebus in Quadrageſima concionantur, eximuntur ab obligatione ieiunandi: idem dicendum de illis, qui concionantur ter vel quater in hebdomada. Qui verò per annum in diebus feſtis concionantur, non tenentur ieiunare pridie ante concionem, & in die concionis quando commodè ieiunare non poſſunt, nam ſi poſſent, tenerentur. 21. ibid.

Lectores non ſunt omnes excuſandi à ieiunio, ſed tantùm illi quorum labor improbus eſt, vel complexio debilior. ibid.

Confeſſarij pro ijs diebus, quibus exercent ſuum munus per maiorem partem diei, & confeſſiones laborioſæ ſunt, eximuntur etiam à ieiunio: ſi tamen confeſſarij audirent per plures horas confeſſiones peccatorum venialium, non excuſarentur. ibid.

Ornantes templa, non ſubduntur præcepto ieiunij, labor enim quem ſubeunt, notabilis eſt. ibid.

Communis ſententia eſt, peregrinantes ad loca ſancta non excuſari à ieiunio, ſi peregrinatio commodè differri poſſit: probabile tamen eſt voluntariam peregrinationem poſſe ſuſcipi, etiamſi ob laborem non poſſit ſeruari ieiunium. ibid.

Exercentes ſupradicta opera pietatis voluntariè, ſiue ob lucrum, ſiue ob aliam cauſam, & non ex officio obedientia, aut voto, immunes ſunt à ieiunio. ibid.

Excuſatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non poteſt moderatè: non poteſt autem quis non ſeruare ieiunium, vt valentior ſit in vſu matrimonij, ſecluſo periculo incontinentiæ alterius coniugis. ibid.

Vxor excuſatur quam maritus ieiunare non permittit, eo quod metuat eius valetudini vel formæ: vel quando à marito frangere ieiunium præciperetur, & ex inobedientia notabiles diſſidiæ exoriundæ forent. ibid.

Mulier Catholica nupta hæretico poteſt non ieiunare, ſi maritus hæreticus præcipiat, ſecluſo contemptu religionis; tamen ſi vxor poſſet facilè inducere maritum, vt id ſibi permittat, teneretur inducere, & ieiunare. 22. ibid.

Fœmina nubere volens excuſatur à ieiunio totius quadrageſimæ, ſi ob illud eſſet deformis efficienda notabiliter: tenebitur tamen bis aut ter in hebdomada ieiunare, ſi ob id eius forma notabiliter non offendatur. ibid.

Dubitans an habeat iuſtam non ieiunandi cauſam, tenetur ieiunare, niſi dubium deponat conſilio Parochi, vel confeſſarij, vel alterius boni viri, aut alia ratione, vel niſi diſpenſationem obtineat à Superiore. ibid. 11

Qui dubitat an expleuerit 21. annum, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, non tenetur ad ieiunium. ibid.

Si quis dubitet, an die Iouis ſit hora duodecima mediæ noctis adhuc poteſt edere carnes: quia eſt in poſſeſſione dies Iouis: E contra ſi hodie ſit dies veneris, aut ieiunij, & dubitetur an ſit media nox, non poteſt quis edere carnes; quia poſſeſſio eſt pro præcepto. ibid.

Præceptum de ſeruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, eſt intelligendum de media nocte moraliter computata, non autem mathematicè. ibid.

Obligatio ieiunandi tolli poteſt per diſpenſationem, quam dare poteſt abſolutè Summus Pontifex, tollendo etiam omnino legem ieiunij. Epiſcopi poſſunt etiam diſpenſare, cum adeſt rationabilis cauſa: non tamen poſſunt abrogare præceptum de ieiunio, ſi ſit vniuerſale, ſecus ſi ſit ab ipſo vel ſuo prædeceſſore latum. Prælati regulares poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos, ſicut Epiſcopi ſuos. ibid. 12

Ieiunium.

IEIVNIVM, vox eſt ſumpta ab inteſtino quodam, quod ieiunium dicitur à vacuitate; eo quod nullum cibum retinet, ſed ad partes inferiores tranſmittit. 23. n. 1.

Quadruplex ieiunium ponunt Theologi, nempe Metaphoricum & ſpirituale; naturæ; Philoſophicum, ſeu morale; & ieiunium Eccleſiaſticum. ibid.

Ieiunium metaphoricum non eſt actus vnius virtutis tantùm, ſed omnium virtutum ſimul iunctarum: Ieiunium naturæ nullius virtutis eſt actus. Ieiunium philoſophicum eſt actus virtutis ſaltem acquiſitæ, pertinens ad temperantiam: Eccleſiaſticum verò eſt actus virtutis Deo gratus. ibid. n. 2

Ieiunij Eccleſiaſtici violatio ex genere ſuo peccatum eſt mortale etiamſi non fiat ex conſuetudine vel contemptu. Contra *Caietanum*, & *Richardum*. ibid. n. 3

Cauſæ inſtitutionis ieiunij quadrageſimalis, multæ ſunt. 24. n. 4

Ieiunium quadrageſimale inſtitutum fuit proximè ante Paſcha, vt iſto ieiunio reddamur aptiores ad maxima redemptionis noſtræ myſteria, Paſſionis, nempe ac Reſurrectionis Dominicæ, recolenda, &c. ibid.

De

Digitized by Google

De ieiunio feriæ quartæ, Sextæ & Sabbathi, quod olim ſeruabatur. ibid. num.5.

Licet veſci carnibus in Sabbathis intra Natiuitatem Domini & Purificationem B. Mariæ Virginis incluſiuè, vbi conſuetudo permittit: idem iure conceſſum eſt, quando Natiuitas Domini incidit in feria ſexta, exceptis ijs, qui voto vel regulari obſeruantia ad abſtinentiam ſunt adſtricti. ibid.

In Eccleſia Romana olim ieiunium Aduentus Domini ſeruabatur: hodie hoc ieiunium in diſſuetudinem abijt, & ſolùm apud religioſos, licet non apud omnes, manſit. ibid.n.6

Quamuis Eccleſia nullum ieiunium præcipiat inter Paſcha & Pentecoſten: licet tamen Epiſcopis, alijſque Eccleſiarum Prælatis, quando neceſſitas euidens poſtulat, indicere extraordinarias ſupplicationes cum ieiunio. ibid.n.7

Qui conducunt operarios, vt agricultores meſſores, &c. eo pacto & conditione, vt eo die, quo laborabunt, non ieiunent, nullo modo peccant, nec venialiter quidem. ibid.n.8

Conductor non tenetur eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſint operari ſine fractione ieiunij: ita habet conſuetudo recepta ab omnibus; quidquid in contrarium aliqui doceant. ibid.

Iuxta quorumdam ſententiam, poteſt quis mane ſine mortali fractione ieiunij ſumere quantitatem cibi duarum vnciarum & poſtea hora conſueta comedere, & ſero collatiunculam veſpertinam ſumere in quantitate vnciarum octo. Sed tu Lector iudica an hoc ſit probabile. 25.n.9.

Qualitatem cibi, ſi in quantitate non excedatur, collatiunculam veſpertinam non vitiare, modo ex prohibitis in diebus ieiuniorum, non ſit, qui doctores teneant. ibid.n.10

Hæc ſententia apud multos parit difficultatem quoad oua. ibid.

In collatione ſerotina vigiliæ Natiuitatis Domini & Paſchæ, vbi ſic vſu receptum eſt, poteſt ſumi duplo maior quantitas, quàm licitum ſit ſumere in alijs ieiunijs. Nonnulli tamen hanc conſuetudinem improbant, & dicunt eſſe corruptelam vitioſam. ibid.n.11

Qui in die ieiunij Eccleſiaſtici comedit carnes, toties peccat mortaliter, quoties illas comedit, ſecundùm omnes: & idem dicendum putant quidam quando ieiunium tantùm obligat ex voto: contrarium tamen non eſt improbabile. ibid.n.12

In quadrageſima ſæpius per diem comedere, & comedere oua & carnes, ſingula habent diſtinctam prohibitionem Eccleſiæ & continent diſtinctam malitiam in confeſſione explicandam. 26.n.13

In diebus ieiuniorum licet ſine fractione ieiunij ſumere vuas, quoties libuerit vel ſimiles fructus, ad ſedandam ſitim. ibid.n.14.

Ignorantia.

IGNORANTIA alia eſt iuris, alia facti, alia pœnæ. 27.n.1

Ignorantia alia eſt iuris communis, alia particularis. ibid.2

Ignorantia iuris vel facti, alia eſt probabilis, inuincibilis, & inculpabilis, alia eſt improbabilis, vincibilis, & culpabilis. ibid.3,

Ignorantia vincibilis, alia eſt affectata, alia craſſa, & ſupina. ibid.4

Ignorantia, alia eſt antecedens, alia comitans, alia conſequens. ibid.5

Ignorantia inuincibilis dari poteſt iuris diuini, myſteriorum fidei, aliquorum præceptorum naturalium, & multò magis legum humanarum. ibid.6

Ignorantia tam iuris quàm facti inuincibilis aut probabilis excuſat à peccato. ibid.7

Ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato per eam commiſſo, quando huius ignorantiæ cauſa data eſt propria vel aliena voluntate nobis imputabili. ibid.

Ignorantia inuincibilis ſeu excæcatio quæ ex peccato originis proximè venit, non excuſat à peccatis, quæ ex ea committuntur. ibid.

Ignorantia inuincibilis probatur in foro externo per iuramentum ipſius, qui ex ignorantia legem non impleuit, ſi præſumptio plena ſit contra ipſum quod legem ſciuerit, aut craſsè ignorauerit. 28.n.8

Qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam ſcienter commiſſum prætermiſit in confeſſione, inuincibiliter ignorans ſe teneri ad illud confitendum, excuſatur ab obligatione repetendæ confeſſionis. ibid.9

Qui in prima confeſſione culpabiliter aut etiam ſcienter aliquod peccatum præmiſit, ſed in reliquis confeſſionibus prætermiſit bona fide, non tenetur repetere confeſſiones bona fide factas, ſed illam tantum, in qua ſcienter peccatum prætermiſit. ibid.

Qui per ignorantiam inuincibilem facit, vel omittit contra proprium officium, excuſatur à peccato. ibid.10

Ignorantia poteſt facere vt peccatum ex mortali, fiat veniale. ibid.11

Laborans ignorantia inuincibili vnius circumſtantiæ, non vero alterius, non excuſatur à peccato reſpondente illi circumſtantiæ, quam nouit, ſeu quam culpabiliter ignorat. ibid.12

Qui præceptum aliquod humanum non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, quæ ipſius culpa contingit, excuſatur à peccato. ibid.13.

Peccata commiſſa ex ignorantia culpabili, ſunt eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt peccata, quæ fiunt cum ſcientia. ibid.14

Ignorantia vincibilis non eſt formaliter peccatum, niſi ratione negligentiæ, quam quis commiſit, dum potuit ſcire, quæ ſcire tenebatur. ibi.15.

Ignorantia inuincibilis pœnæ non excuſat à peccato: qui vero ſcit legem diuinam, vel naturalem, ignarus tamen eſt pœnæ iure diuino, vel naturali, vel ciuili, debitæ peccato, delinquit, huiuſmodi pœnæ ſubeundæ ſubijcitur. ibid.n.16

Verius eſt illum, qui contra ius diuinum vel naturale delinquit ſcienter, vel per ignorantiam culpa ſua vel mala fide contractam, ſed ignorans ius canonicum afficiens cenſura vel irregularitate vel iure petendi debitum, non incidere in pœnam iure illo canonico conſtitutam. ibid. num.17.

Ignorans reſeruationem pœnalem, alicuius caſus, non incurrit in illam. 29.ibid.

Si quis vouiſſet non fornicari ſub pœna peregrinationis, vel eleemoſynæ, & poſtea immemor voti, fornicaretur, non teneretur ad pœnam voti: idem dic, ſi dum fornicaretur memor fuit voti, non autem pœnæ impoſitæ. ibid.

Qui bona fide tranſgreditur bullas Pontificias punientes illos, qui contra facere præſumpſerint, non incidit in pœnas: vnde in foro conſcientiæ credendum eſt aſſerenti ſe feciſſe bona fide: in foro autem externo probatur bona fides per iuramentum. ibid.

Ignorantia comitans excuſat actionem externam à peccato, ab incurrendis cenſuris, irregularitate ex delicto, & à reſtitutione. ibid.18

Ignorantia affectata, non ſolum non diminuit, ſed auget peccatum; quamuis excuſet ab incurrenda cenſura, quando in ſententia continentur hæc verba, *Qui ſcienter hoc fecerit, vel præſumpſerit.* ibid.19

Ignorantia vincibilis ſiue facti, ſiue iuris, quæ craſſa eſt, & non excuſat à culpa mortali, non excuſat etiam ab incurrendis cenſuris vel irregularitate ex delicto. ibid.n.29

Annullatio actus non incurritur à legem ignorantibus, quando non eſt de defectu ſolemnitatis, ſed in delinquentis pœnam. ibid.

Ignorantia.

IGNORANTIA eſt neſcientia rerum, aut factorum quorumcumque. Ignorantia alia eſt negationis; alia priuationis; alia prauæ diſpoſitionis. 30.ibid.

Vt ignorantia dicatur vincibilis ad peccatum mortale contrahendum, non ſufficit aliquem eſt ſtatu & officio eſſe obligatum aduertere malitiam, niſi aliqua cogitatio dubitatio, vel ſcrupulus de malitia, aut obligatione adſit. ibid.n.2

Ignorantia eorum, quæ ſolùm per accidens, ſeu ex ſuppoſitione & in ordine ad ſubſequens factum, hic & nunc ſciri debent, non eſt peccatum diſtinctum ab opere conſequente. ibid.3.

Ignorantia eorum, quæ ſcire tenemur per ſe ex virtute ſtudioſitatis, v.g. articulorum fidei, præceptorum decalogi & Eccleſiæ, & eorum quæ ad cuiuſque ſtatum, & officium pertinent, eſt peccatum per ſe & diſtinctum ab opere conſequenti. ibid.

Negligentia cognoſcendi, ipſaque vincibilis & culpata ignorantia non conſtituit duo peccata, ſed vnicum, ſicut actus internus, & actus externus vnum peccatum in genere moris conſtituunt. ibid.

Ignorantia probabilis ab improbabili diuerſis modis dignoſcitur. 31.4

Differentia eſt inter hæc; lex non obligat ignorantes: vel illos obligat, excuſantur tamen à peccato & pœna. ibid.n.5

Quoties ignorantia iuris vel facti eſt talis, vt Canonis tranſgreſſionem à culpa mortali excuſet, excuſabit ab excommunicatione, & alijs pœnis ob delictum impoſitis. ibid.6

Si quis inuincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam cenſuram, quæ eſt annexa caſibus Pontificijs, non ſolùm excuſabitur ab incurſu cenſuræ, verum etiam caſus non erit reſeruatus, & ab eo poterit abſoluere, qui poteſt à peccato mortali huius rei. ibid.7.

Ignorantia quantumcumque craſſa & lata culpa, modo non ſit ingens temeritas, excuſat à pœna impoſita ſcienter aliquid facienti: idem quando Canon dicit, *Si quis auſus fuerit, vel præſumpſerit.* 32.8

Ex ignorantia facti craſſa, aut ſupina non conſurgit bona fides, ſed ex inuincibili tantum, quæ excuſet à culpa mortali in acceptione rei, & omiſſione inquirendi cuius ſit. ibid.9.

Ex ignorantia iuris naturalis non conſurgit bona fides ad acquirendos fructus: ſecus ſi ignorantia ſit inuincibilis iuris humani. ibid.10.

Si quis ſolutus cognoſceret aliquam conſanguineam vel affinem ſuam, inuincibiliter ignorans talem eſſe, fornicationem committit, non inceſtum. ibid.n.11

Ignorantia inuincibilis iuris, aut facti non excuſat hominem habentem vſum rationis à pœna iuris, quæ incurritur ſine peccato. ibid.12.

Ignorantia quædam eſt, quæ coniuncta eſt omni peccato, & appellatur, cæcitas mentis, ſeu hebetudo ſenſus, ſeu error, ignorantia, imprudentia vel obſcuratio, à Patribus & in ſcripturis ſacris: & eſt illa, quo principium aliquod non cogitatur, quod rectè expenſum, & conſideratum attentè à peccato auerteret. 33.13.

Ieiun.

Immunitas.

IMMVNITAS Eccleſiaſtica quoad locum eſt exemptio ſeu priuilegium Eccleſiæ ſeu templo conceſſum, vt ibi exiſtentes tuti ſint à laica poteſtate,& delinquentes ad illa loca confugientes per vim extrahi non poſſint. 33.n.1
Eccleſia authoritate Epiſcopi fundata,gaudet Eccleſiaſtica immunitate, licet polluta vel interdicta ſit. ibid.2
Nomine Eccleſiæ,quoad hanc materiam immunitatis, venit tota Eccleſiæ fabrica; & extenditur hæc immunitas iure communi ad quadraginta paſſus vel triginta ad confinia Eccleſiæ. ibid.3
Priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ gaudent Monaſteria, domus regulares & ſæculares,locive ſacri,aut religioſi,hoſpitale ſeminarium, Palatium Epiſcopi,& Oratoria. ibid.n.4
Sacrilegium committitur contra loci ſacri reuerentiam & immunitatem dum delinquens capitur à ſatellitibus fori ſæcularis, qui intra Eccleſiam,&c.ſe recepit. 34.5
Immunitas Eccleſiæ non violatur dum reus extra locum ſacrum, comprehenſus, deducitur ad carceres per cœmeterium aut Eccleſiam, ibid.6.
Reus ſeipſum offerens nolens loci ſacri immunitate frui,ſi capiatur in Eccleſia,non violatur immunitas illius. ibid.
Non violatur item immunitas, dum reus blanditijs aut deceptione extractus à loco ſacro,capitur extra illum. ibid.
Reus amplexans ſacerdotem deferentem Euchariſtiam gaudet immunitate. ibid.
Immunitate gaudent omnes fideles,præter hæreticos in delicto hæreſis, in omnibus caſibus, ſeu cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus, exceptis caſibus in iure & conſtit. *Gregorij XIV*.expreſſis. ibid.7
Infideles,qui fieri volunt Chriſtiani, protegendi ſunt Eccleſiæ immunitate. ibid.
Prælatus Eccleſiaſticus poteſt clericos à loco ſacro extrahere, etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à iudice ſæculari. ibid.
Debitores, blaſphemi, modo non ſint hæretici, adulteri, in loco ſacro exiſtentes,gaudent Eccleſiæ immunitate. ibid.8
Immunitate non gaudent latrones publici, depopulatores agrorum, committentes homicidia ſeu mutilationes in Eccleſijs, aut earum cœmeterijs. ibid.9
Committentes alia delicta in Eccleſia præter homicidium vel mutilationes,non priuantur immunitate. ibid.
Qui proditoriè proximum ſuum occiderunt, priuilegio immunitatis deſtituti ſunt. ibid.10
Rei aſſaſſinij immunitate priuati ſunt, modo occiſus ſit Chriſtianus. ibid.11.
Rei hæreſis priuantur immunitate Eccleſiaſtica. ibid.12
Rei criminis læſæ maieſtatis in perſonam Principis non gaudent priuilegio immunitatis. ibid.
Immunitas Eccleſiaſtica multos parit effectus. 35.ibid.
Extrahens delinquentem è loco ſacro, peccat peccato ſacrilegij & iniuſtitiæ. ibid.14
Si reus extractus è manibus ſatellitum confugiat ad Eccleſiam,eſt reſtituendus curiæ ſæculari, quæ fuit iniuſtè priuata: quidam tamen docent hunc gaudere immunitate. ibid.
Immunitatis Eccleſiaſticæ violator varias pœnas incurrit, tum iure ciuili,tum Canonico. ibid.n.13
Prælati locorum gaudentium immunitate, tenentur reum ad locum immunem confugientem, tradere curiæ ſæculari, ſi ob crimen priuilegium immunitatis amiſit,obtenta tamen priùs facultate ab Epiſcopo. ibid.16.
Clerici non poſſunt expellere confugientes ad Eccleſias, & alia loca immunia ſed debent ſuſcipere defenſionem confugæ: ſi tamen hi immodeſtè ſe gerant in locis immunibus,poſſunt expelli. ibid.17

Immunitas Eccleſiarum.

IMMVNITAS ſignificat negationem, aut libertatem à muneribus,ſeu Officijs communibus,præſertim quæ cum oneribus coniuncta ſunt. Hinc immunitas Eccleſiaſtica definitur libertas conceſſa Eccleſijs, Eccleſiaſticis perſonis & rebus ad eas pertinentibus. 36.1.
Conſtitutio Gregorij XIV.quæ incipit, *Cum alias nonnulli* adducitur, circa immunitatem Eccleſiarum. ibid.& ſeq.
Hæc Conſtitutio, vbi eſt recepta quoad omnes ſuas partes, derogat iuri communi & conſuetudinibus contrarijs. 37.n.2
Priuatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla non expreſſos:quæ ſolùm excipit homicidium & membrorum mutilationem. 38.n.3.
Immunitate gaudet delinquens prope Eccleſiam, ſpe confugiendi ad illam, etiamſi poſtea patrato delicto ſtatim ſe cum armis in Eccleſiam recipiat. ibid.n.4.
Non priuatur immunitate attentans aliquem occidere proditoriè, effectu homicidij non ſecuto. ibid.n.5.
Qui occidit inimicum per inſidias,non tamen proditoriè, gaudet immunitate. ibid.
Per homicidium proditorium intelligitur illud, vbi nullus cum occiſo præcedebat rancor,ſed potiùs ſimulabatur amicitia. ibid.
Qui perſonam Principis offendunt,immunitate priuantur, modo ſint, ei ſubditi ratione originis, ſeu domicilij. ibid.n.6.
Qui in Eccleſia homicidium committit, vel membrum mutilauit non deliberatè,ſed accidentaliter & calore iracundiæ, vel prouocatus, vel ad ſe defendendum,gaudet immunitate. ibid.n.7.
Extrahens aliquem ab Eccleſia violenter, & illum extra Eccleſiam occidens,vel mutilans aliquem in ſcalis,atrio,ſeu porticu, vel tecto Eccleſiæ,gaudet immunitate, ſi poſt delictum in aliqua Eccleſia ſe abſcondat. ibid.n.8.
Fures immunitate Eccleſiarum gaudent, etiamſi furtum commiſſum fuerit in Eccleſia: nec reus poteſt in Eccleſijs ſpoliari à iudice laico re furata, quam ſecum traxit, ſed recurrendum eſt ad iudicem Eccleſiaſticum. ibid.n.9.
Quibuſdam in locis,vbi furum eſt maxima copia, conſuetudo viget, vt fures in furtis grauibus Eccleſiarum immunitate non gaudeant, ſed talem conſuetudinem improbant Doctores, quidquid alij in contrarium dicant. 39.ibid.
Immunitate Eccleſiæ gaudet tentans committere aſſaſſinium, etiamſi deuenerit ad actum proximum morti,ſi ſequuta non fuerit. ibid.n.10.
Aſſaſſini nomen tripliciter accipitur. Primo,pro quodam infidelium Saracenorum genere, qui hoc proprio & communi vocabulo vocabantur.Secundo,pro illis, qui homines in vijs publicis obſident & deprædantur.Tertio,pro illis,qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti pretio mandato occidunt homines incautos:& hi iuxta Bullam dictam immunitate priuantur. ibid.n.11.
Quamuis lex ciuilis raptores Virginum ab Eccleſiarum immunitate excludat; verùm id iure Canonico correctum eſt: & idem de deſloratoribus Monialium eſt dicendum,etiamſi deſloratio facta fuerit in Eccleſia Monaſterij. ibid.n.12.
Incendiarij non ſunt priuandi Eccleſiarum immunitate: & hoc verum etiamſi fores Eccleſiæ combuſtæ ſint ad eam deprædandam. ibid.n.13.
Qui per fraudem decoxerunt creditores fraudando,vt iniuſte ditari poſſint,nec ratione debiti,nec ratione delicti, ſunt immunitate priuandi: idem dicendum de debitore publico. ibid.
Latrones publici & graſſatores viarum dicuntur, qui deprædantur in vijs publicis & itineribus frequentiùs; non item qui ſemel, aut bis. ibid. num.14.
An autem Clerici confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla gaudeant immunitate?Multi negant,alij affirmant & probabiliter. 40.15.
Religioſi ex recepta conſuetudine à Summis Pontificibus approbata, non vtuntur immunitate; alias nullus religioſus puniretur pro delictis in Monaſterijs commiſſis. ibid.
Probabilius eſt procurantes abortum fœtus animati gaudere Eccleſiarum immunitate:ſecus dicendum de illo, qui aliquem veneno occidit,niſi occiſus ſit inimicus. ibid.n.16.
In ſumma quæuis crimina præter excepta in bulla, gaudent immunitate. ibid.17.
Graue ſacrilegium committit & excommunicationem incurrit, aliaſque pœnas iudex ſæcularis, qui in caſibus etiam exceptis extrahit reos ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi; quamuis aliqui iuriſperiti contrarium teneant in praxi obſeruati. ibid.n.18.
In dubio,an reus gaudere debeat immunitate,necne, cognitio cauſæ pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum. 41.n.19.
Epiſcopus non tenetur ſtare proceſſui facto à iudice laico, ſi reus remittendus ſit,necne:& hoc procedit, ſi proceſſus fuerit formatus à iudice laico poſtquam reus ad Eccleſiam confugit. ibid.n.20.
An autem contrauenientes huic Conſtitutioni Gregorij. XIV. poſſint ab Epiſcopo abſolui,& an hæc excommunicatio ſit Summo Pontifici reſeruata? Quidam ſuſtinent eſſe reſeruatam: alij negant,facta ſatisfactione rei,modò eam exhibere poſſit. ibid.21.

Impudicitia.

IMPVDICITIA eſt peccatum luxuriæ, quo ſolutus,vel ſolutes vacat tactibus libidinoſis abſque intentione alterius operis aut actus conſummati. 42.n.1.
Tactus, oſcula & amplexus vel fiunt in ſignum amicitiæ, vel cauſa delectationis concubitus,vel cauſa delectationis ipſius tactus, vel oſculi ſecundùm ſe conſiderati. ibid.2.
Oſcula,amplexus,& tactus ex ſe & obiecto ſuo ſunt res quædam indifferentes,quæ bene,malè fieri poſſunt. ibid.
Oſcula, tactus & amplexus cauſa amicitiæ ſecundùm patriæ conſuetudinem, non ſunt peccata, ſed res per ſe licita; cauendum tamen eſt ſcandalum. ibid.n.3.
Ordinariè peccatum mortale ratione periculi non euadunt,qui ſub prætextu,

ſextu, parentelæ, honeſtæ amicitiæ, moroſis, & repetitis oſculis vtuntur cum perſona alterius ſexus. ibid.

Oſcula, tactus & amplexus habita cauſa delectationis venereæ, inter ſolutos ſunt peccata mortalia. ibid. n. 4.

Tactus impudicus ex duplici capite dici poteſt. 1. ex ratione materiali ipſius tactus, puta ſi in membris verecundis mulieris fiat. 2. Ex ſolo affectu impudico; vt tactus manuum, faciei, brachij, &c. Prioris generis tactus ſub mortali prohibetur. Tactus verò ſecundi generis non plus habent malitiæ, quàm affectus impudicus ſuggerit. ibid.

Verius eſt, tactum libidinoſum, & venereum dici eum, qui fit propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ, non autem qui fit propter delectationem ipſius ſecundùm ſe. ibid. 5

Probabilius eſt, tactus, oſcula, amplexus, quæ fiunt cauſa delectationis ſenſibilis, quæ eſt ipſis, melius vocari delectabiles ſecundùm ſenſum tactus, quam libidinoſos. 43. 6

Probabile eſt tactus, amplexus & oſcula, quæ fiunt ob ſolam delectationem ſenſibilem, quæ in ipſis eſt, abſque admixtione alterius delectationis concubitus, vel actus luxurioſi, non eſſe peccata mortalia. ibid. 7.

In praxi tactus huiuſmodi ob delectationem ſolam ſenſibilem aſſumpti, vitandi ſunt ſub peccato mortali, tamquam periculoſi. ibid.

Probabile eſt tactus, amplexus & oſcula, non excedere culpam venialem, ſi fiant ex ſola curioſitate, leuitate, ioco, vel alia ſimili de cauſa, ſublato ſcandalo, & periculo, quod transferantur in libidinoſos: in praxi tamen probabilius eſt eſſe mortale. ibid. n. 8.

Tactus, & oſcula in coniugatis excuſantur à mortali, modo non adſit periculum pollutionis extra vas. ibid. 9.

Tactus, & oſcula in coniugatis cum periculo pollutionis, imo cum pollutione non ſunt mortalia in tribus caſibus. ibid.

Mortaliter peccat coniugatus ſeipſum tangens propter voluptatem capeandam, etiamſi abſit periculum pollutionis. 44. ibid.

Oſcula & tactus non impudici, qui poſt ſponſalia de futuro fiunt cauſa delectationis, excuſantur à mortali, modo non ſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam. ibid. n. 10.

Illicitum eſt tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ; ſi tamen quis ea tangat ex curioſitate, vel leuitate, &c. non peccaret mortaliter. ibid. 11

In neceſſitate licitum eſt, & propria & aliorum verenda tangere, vt cauſa medendi. ibid.

Mortale peccatum eſt, ſi perſonæ eiuſdem ſexus ſe inuicem impudicè tangant, ob delectationem veneream; ſecus ſi ex quadam leuitate, & ioco. ibid. 12.

Conſpicans inhoneſtas brutorum partes intentione feminis inſpiciendi vix poteſt excuſari à peccato mortali. ibid.

Fœmina aduertens ſe ab alio libidinosè tangi, & actus ſunt impudici, peccat mortaliter non ſe retrahendo; ſi vero actus ſint extrinſecus honeſti, & fiant in publico, non peccat mortaliter fœmina, ſe non retrahendo: ſecus ſi fiant in ſecreto. ibid. 13.

Probabilius eſt, aſpectum rerum turpium ob delectationem naturalem & ſenſitiuam tantùm non excedere culpam venialem, ſublato periculo delectationis venereæ. ibid. 14.

Si aſpectus ſit partium verendarum inter perſonas diuerſi ſexus cum aliqua mora, practicè loquendo, ita periculoſus eſt, vt ſub mortali ſit vitandus; ſecus ſi ob ſolam curioſitatem fiat, & ceſſet periculum magnæ commotionis in aſpiciente. ibid.

Aſpicere concubitum viri cum fœmina, etiam ex ſola curioſitate, eſt peccatum mortale: brutorum vero minimè, modo abſit notabilis delectatio ſenſualis, vel eius periculum. 45. 15.

Aſpicere propria pudenda ex curioſitate non eſt mortale. ibid.

Puella ſine neceſſitate vel vtilitate aliqua ſe præbens conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam, mortaliter peccat peccato generali ſcandali. ibid. 16

Ornatus exterior virorum vel mulierum, quando ſit mortale peccatum vel veniale. ibid. 17.

Turpiloquium non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, ac proinde eius honeſtas vel malitia pendet ex circumſtantijs adhibitis, ac fine proferentis, ſcribentis, vel audientis verba illa turpia. ibid. 18.

Comœdijs intereſſe, quando turpia repræſentantur, vel modus eſt turpis, aut cum probabili ruinæ periculo, eſt mortale: ſecus ſi hæc abſint. ibid. 19.

Choreæ ex ſe non ſunt illicitæ, niſi ratione loci, perſonarum, & modi. num. 20.

Quando in tactibus, aſpectibus, & verbis turpibus fuit commiſſum peccatum mortale, aperienda eſt communiter in confeſſione circumſtantia perſonæ, tam agentis, quàm patientis. ibid. 21.

Per mollitiem, oſcula, tactus libidinoſos, amplexus cum aliena diſſolui non poteſt matrimonium. ibid.

Inceſtus.

INCESTVS eſt congreſſus cum conſanguinea vel affine intra gradus prohibitos, in quibus non poteſt celebrari matrimonium. 46. n. 1.

Verius eſt coitus Sodomiticos inter cognatos cognatione ſpirituali vel legali, addere ſpecialem malitiam in confeſſione explicandam. ibid.

Coitus Sodomitici inter maſculos cognatos in primo, & ſecundo gradu, licet propriè non ſint inceſtus, tamen Sodomiæ inceſtuoſæ rectè dicuntur, & ad inceſtum pertinent. ibid.

Inceſtus eſt grauiſſimum peccatum mortale. ibid. n. 2.

Probabilius eſt gradus conſanguinitatis differre ſpecie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & ſpiritualis: gradus verò conſanguinitatis non differre ſpecie inter ſe, ſicut nec inter ſe differunt gradus affinitatis. ibid. 3

Gradus inceſtus exprimendus eſt in Confeſſione. ibid. 4.

Inceſtus non eſt copula inter confeſſarium, & pœnitentem, neque circumſtantia neceſſario explicanda in confeſſione; modo confeſſarius pœnitentem non baptizauerit. ibid. 5

Inceſtus cum conſanguinea vxoris in primo, & ſecundo gradu impedit petitionem debiti, niſi excuſet ignorantia, & impedit, vt mortua vxore non poſſit aliam ducere. 47. 6

Probabilius eſt inceſtum cum conſanguinea propria impedimentum non inducere ad petendum debitum. ibid. n. 7.

Epiſcopi poſſunt diſpenſare in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. ibid.

Olim confeſſarij ordinum mendicantium à ſuis Prouincialibus deputati diſpenſare poterant cum inceſtuoſis ad petendum debitum, ſed modo hoc priuilegium eſt reuocatum. ibid.

Incontinentia.

INCONTINENTIA eſt, quando paſſio, præſertim ea, quæ verſatur circa delectationem tactus, vincit rationem; quod dupliciter poteſt contingere. ibid. n. 1.

Incontinentia eſt duplex; vna quæ vocatur effrænis, temeraria, vel præuolans, quando nimirum impetu ſuo rapit ad ſe voluntatem, ante aduertentiam rationis. Altera, quæ dicitur debilitas. 48. n. 2.

Incontinentia quæ verſatur circa illicitas delectationes tactus, eſt peccatum mortale vel veniale pro ratione materiæ. ibid. n. 3.

Incontinentia honoris, diuitiarum & ſimilium, peccatum item eſt ratione modi & formæ, non autem ratione materiæ. ibid.

Paſſio non ita vincit rationem, quin poſſit reſiſtere, & ideo merito rationi imputatur, quod ſe vinci ſinat vel potiùs quod ſponte cedat & conſentiat. ibid.

Incontinentia cæteris paribus eſt minus malum, quàm intemperantia, id eſt, incontinens minus peccat, quàm intemperans. ibid. n. 4.

Incontinentia concupiſcentiæ quæ verſatur circa delectationes tactus, eſt turpior, quàm incontinentia iræ; licet hæc ſit grauior. ibid. n. 5.

Indulgentia.

INDVLGENTIA eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis, conceſſa homini exiſtentia in gratia à prælato per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici. ibid. n. 1.

In operibus hominis iuſti, duo conſiderantur, meritum ſcilicet & ſatisfactio. Meritum non communicatur alijs, ſatisfactio autem poteſt communicari. ibid.

Poteſtas concedendi indulgentias, primario tamquam in cauſa efficiente, reſidet in Summo Pontifice. 49. 2.

Epiſcopus poteſt tantùm indulgentiæ concedere, quantùm illi permiſſum eſt à Sede Apoſtolica, vnde de iure concedit in dedicatione Eccleſiæ indulgentiam vnius anni, alias autem quadraginta dierum. ibid.

Summus Pontifex electus, licet non ſit conſecratus poteſt conferre indulgentias: Epiſcopus item modo ſit confirmatus. ibid. 3.

Summus Pontifex poteſt delegare cuicumque etiam laico facultatem indulgentias concedendi. Epiſcopus non, ſed tantùm clerico. ibid. 4.

Stando in iure communi, indulgentiæ quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis &c. poſſunt in alterum transferri, à quo applicentur, etiamſi Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari poſſe, quã ab eo, cui conceduntur. ibid.

Nullus Epiſcopo inferior poteſt indulgentias concedere, abſque Summi Pontificis vel Epiſcopi licentia. ibid. n. 5.

Prælati regulares poterant olim ex priuilegio Apoſtolico indulgentias concedere ſuis ſubditis peractis viſitationibus, ſed modo eſt illis limitata. ibid.

Fratres Prædicatores & Minores concionantes poſſunt nomine ſuæ ſanctitatis concedere ſuis auditoribus aliquas indulgentias. ibid.

Prælati religionum poſſunt alios efficere participes ſatisfactionum & orationum, quæ fiunt in religione, ſed non poſſunt concedere indulgentias. ibid.

Ad valorem indulgentiæ neceſſaria eſt aliqua cauſa finalis, eaque honeſta ac pia eſſe debet, & indulgentiæ proportionata. ibid. 6.

Iuſta cauſa concedendi indulgentias eſt honor Dei, Eccleſiæ vtilitas, commune bonum vel priuatum. 10. 7.

Indul-

Indulgentia.

De fide eſt in Eccleſia dari Theſaurum, id eſt, abundantiam meritorum Chriſti, & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſiſmet Sanctis, & hominibus iuſtis debitas; ſimulque in Eccleſia reſidere poteſtatem concedendi indulgentias, virtute cuius remittuntur pœnæ temporales in iudicio die debitæ. ibid. 1.

Theſaurus meritorum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia per Sacramenta; at theſaurus vero ſatisfactionum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia extra Sacramenta. ibid. 2.

Vſus indulgentiarum non repugnat iuſtitiæ, neque perfectioni. ibid. 3.

Theſauri indulgentiarum deſtributio data eſt Petro, & ſucceſſoribus eius. ibid. 4.

Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ſubditis: Exempti tamen participes fieri poſſunt indulgentiarum Epiſcopalium: imo Epiſcopi, & alij Prælati ſuis ſubditis licentiam dare poſſunt, vt ab alieno Epiſcopo datas indulgentias lucrentur. ibi. 5

Prælatus, qui indulgentias generaliter concedit, eaſdem ſibi lucrari poteſt. ibi. 6.

Indulgentia diuiditur in perſonale, localem, & realem; & omnes referuntur ad vſum hominum, & io eia ſolis effectum habent. ibid. 7.

Verius eſt concilium generale non habere ex iure diuino poteſtatem concedendi indulgentias vi ſua, ſeu quatenus a capite condiſtinguitur: quamuis probabile ſit, in Concilio, Sede Apoſtolica vacante, eſſe talem poteſtatem: de facto autem non inueniuntur indulgentiæ conceſſæ à Concilijs generalibus. 52. 8.

Summus Pontifex etiamſi Sacerdos non ſit, per indulgentias poteſt remittere pœnitentias ſacramentales à Confeſſario pro peccatis iniunctas, non quia medicinales, & præſeruatiuæ, ſed qua merè peccatorum vindicatiuæ ſunt. ibid, 9.

Iuxta probabiliorem ſententiam per indulgentias intendit Pontifex non ſolùm liberare à pœnitentijs iniunctis in confeſſione ſed etiam à non iniunctis. ibid. 10.

Indulgentiarum conceſſio continet veram abſolutionem reſpectu viuorum, & ſolutionem pretij; ſed reſpectu mortuorum ſolam ſolutionem pretij. ibid. 11.

Communior ſententia eſt, indulgentiam ſublata peccati fictione, non ſortiri effectum ſuum: ſed contraria ſententia à multis ſuſtinetur, vt probabilis, & magis pia. 53. 12.

Ad lucrandas indulgentias, an debeat opus iniunctum fieri bene moraliter ita vt ſit in ſe honeſtum, & moraliter bonum? varij verè ſentiunt. ibid. 13.

Ad lucrandam indulgentiam non ſatis eſt opera iniuncta præſtare, ſed requiritur actualis intentio eam lucrandi: Sententia tamen aſſerens non requiri actualem voluntatem, ſed ſatis eſſe habitualem, & interpretatiuam eſt ſatis probabilis. ibi. 14.

Ex probabilitate prædictæ ſententiæ, recitans ter *Aue Maria*, &c. ad ſonum campanæ poſt ſolis occaſum, lucratur indulgentiam plenariam, etiamſi ignoret tunc indulgentiam concedi. 54. ibid.

Non requiritur, vt opera pia iniuncta efficiantur potiſſimum propter conſequendam indulgentiam, poteſt enim alius finis intendi æque, ac magis principaliter. ibid.

Qui confeſſus eſt, & communicauit quatuor ante diebus, & de nouo non peccauit mortaliter, poteſt vi dictæ confeſſionis, & communionis obtinere indulgentiam poſtea conceſſam, quæ ad ſui conſecutionem item requirat confeſſionem, & communionem; idque eſto non direxerit dictam confeſſionem, & communionem ad hanc indulgentiam comparandam. ibid.

Excommunicatus quantumuis contritus, ſi non poteſt obtinere abſolutionem, non lucratur indulgentias: Pium tamen, & probabile eſt etiam ex intentione Eccleſiæ illi prodeſſe indulgentiam, illiuſque fructum lucrari poſſe. ibid. 15

Quomodo ad valorem indulgentiæ cauſa debeat eſſe proportionata. ibid. 16.

In concedendis indulgentijs nulla certa forma requiritur, ſed ſufficit quilibet actus externus, per quem declaretur voluntas concedendi indulgentias. ibid. 17.

Omnes qui ſufficienter opus à Pontifice præſcriptum, perficiunt in ſtatu gratiæ, lucrantur æqualem indulgentiæ plenariæ effectum: licet aliqui contrarium doceant. ibi. 18.

Indulgentia plenaria non poteſt in die multoties pro ſe obtineri, ſed bene pro defunctis, ſi ad eos extendatur. Indulgentiæ vero non plenariæ pluries in die poſſunt obtineri. 55. 19.

Indulgentiarum ſuſceptor debet eſſe homo fidelis, viator, baptizatus, non infidelis, apoſtata à fide; et excommunicatus etiam, contritus, non Catechumenus, ſecundum probabiliorem ſententiam. ibid, 1.

In eo qui vult lucrari indulgentias, requiritur vt ſit in gratia: imò requiritur confeſſio, ſi illa iniungatur vt pars operis implendi; etiamſi haberet quis tantum venialia; ſecus ſi confeſſio iniungatur vt diſpoſitio ad gratiam. ibi. 2.

Si quis iuſtus habeat venialem culpam nondum remiſſam, reſpectu illius non poterit conſequi effectum indulgentiæ, quia non poteſt reatus pœnæ auferri manente culpa. ibid.

Ex conceſſione Gregorij XIII. Patres Societatis, quando ad acquiſitionem Indulgentiæ plenariæ, vel Iubilæi requiſita eſt confeſſio, & Euchariſtiæ, ſi per ætatem, vel per aliud legitimum impedimentum non poſſunt confiteri, vel communicare, indulgentiam conſequuntur, & qui inculpabiliter non receperunt, ſi poſt ſublatum impedimentum, perfecerint, quæ præſcribuntur, indulgentiam conſequantur, etiamſi dies conſtitutus præterierit. 56. ibid.

Quando duæ indulgentiæ duobus immediatis diebus ſunt conceſſæ, quarum vtraque confeſſionem, & communionem requirit, ſatis eſt quod quis confiteantur, & communicet in primo. ibid.

Ad conſequendum effectum indulgentiæ, non requiritur, vt is qui præſtat opera ſit in gratia toto tempore, quo ſingula opera præſtat, ſed ſufficit vt in gratia ſit, quando perficit vltimum opus. ibid. 3.

Probabilius eſt, illum, qui præſtitit omnia bona opera, vel ſaltem vltimum opus præſcriptum in bulla ad conſequendam indulgentiam in peccato mortali, non conſequi indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam. ibid. 4.

Ad conſecutionem indulgentiæ requiritur etiam, vt qui illam eſt ſuſcepturus præſtet per ſeipſum ea quæ præſcripta ſunt à Superiore in conceſſione indulgentiæ. ibi. 5.

Non conſequitur indulgentiam prætermittens aliquem actum, quem iuxta probabilem, vel probabiliorem opinionem credebat non eſſe neceſſariam ad conſequendam indulgentiam, ſi talis actus ad illam eſt neceſſarius. ibid.

Veroſimilior intentio concedentis indulgentias eſt, vt pro qualibet indulgentia conſequenda ſinguli actus, & ſingula opera præſtentur. ibid 6.

Quoties vnus actus non impedit alium, ſed vterque ſimul ſubſiſtere poteſt, vno & eodem tempore poteſt quis diuerſis actibus conſequi plures indulgentias. ibid. 7.

Indulgentiæ tantùm valent quantùm ſonant. 57. 8.

Indulgentia, alia eſt plenaria, alia temporalis: indulgentia temporalis alia eſt carena, alia quadragena, alia ſeptena. ibi. 9.

Indulgentia plenaria idem valet quod plenior, & pleniſſima: in Iubilæo autem concedi etiam ſolet facultas vota commutandi, & abſoluendi à reſeruatis. ibid. 10.

Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltra. ibid. 11.

Indulgentia deſinit eſſe per reuocationem concedentis, vel eius ſucceſſoris; non extinguitur tamen indulgentia antequam reuocatio peruenerit ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat. ibid. 12.

Paulus V. reuocauit omnes indulgentias conceſſas per Prædeceſſores ſuos quibuslibet Regularibus, ac Monialibus cuiuſuis ordinis, ac decreuit, quòd loco illarum reuocatarum, omnes, & ſinguli Religioſi gauderent ſolis indulgentijs in ſua bulla conceſſis. ibid.

Per hanc reuocationem ſolùm reuocantur indulgentiæ olim conceſſæ directè ipſis religioſis, & Monialibus; non autem illæ, quæ ſunt conceſſæ vniuerſis Chriſti fidelibus. 59. ibid.

Per iſtam reuocationem non reuocantur indulgentiæ conceſſæ regularibus pro defunctis, vt declarauit *Paulus V.* Nec conceſſæ pro articulo mortis, ex declaratione *Vrbani VIII.* ibid.

Indulgentijs conceſſis à *Paulo V.* poſſunt frui religioſi; quando extra proprias domos commorantur, viſitando altaria Eccleſiarum locorum in quibus commorantur. Item infirmi, & decrepiti religioſi poſſunt eas conſequi in lectulo ſuo, modo aliquod opus pium agant arbitrio confeſſarij, & eccleſiam adire non poſſint. ibid

Indulgentia pro mortis articulo conceſſa, non expirat, ſi ſemel accepta ſit ſecundùm probabiliorem ſententiam. ibid. 13.

Indulgentia conceſſa pro mortis articulo percipi ſolùm poteſt, in articulo mortis vero, quando nullum requiritur confeſſarij miniſterium. ibi 14

Indulgentia pro Defunctis.

Veritas Catholica eſt indulgentiarum fructus poſſe etiam applicari, & prodeſſe defunctis, quando ad illos expreſsè extenduntur per Summum Pontificem. ibi. 1.

Indulgentiæ conceſſæ à Summo Pontifice proſunt defunctis per modum ſuffragia in gratia exiſtentibus, non per modum iudicij, & authoritatis. 60. 2.

Qui facit opus ad conſequendum indulgentiam pro defuncto, non eſt neceſſe vt ſit in gratia, quamuis requiratur quod defunctus ſit in gratia. ibid. 3.

Homo in hac vita degens poteſt indulgentiam lucrari alteri homini in hac vita exiſtenti, ex conceſſione Summi Pont. ibid 4.

Indulgentia pro defuncto accepta, tantùm illi prodeſt, quantùm prodeſſet accipienti, ſi eam pro ſeipſo accepiſſet. ibid. 5.

Multis de cauſis fit, cur multoties indulgentiæ pro eodem defuncto accipi conſueuerint. ibid. 6.

Plura de indulgentijs vide verb. *Iubilaus ſuffragium.*

Digitized by Google

INDVLGENTIA.

Pro Defunctis.

INDVLGENTIA proſunt defunctis in Purgatorio detentis, ſi illis ab Eccleſia applicentur. ibi.1.
Animæ Purgatorij ſunt capaces indulgentiæ per modum ſuffragij. 62.2.
Communior ſententia eſt indulgentias per modum ſuffragij conceſſas defunctis, valere illis ex condigno, & certa lege, & non tantum ex congruo, vt aliqui volunt. ibid.3.
Iuxta quoſdam indulgentiæ illis defunctis proſunt, qui in vita habuerunt deuotionem erga claues Eccleſiæ donatiuas indulgentiarum, & pro peccatis ſuis ſatisfacere conati ſunt, alijs verò minimè verùm hæc ſententia paſſim reijcitur. ibid.4.
Quando conceditur liberatio animæ purgatorij pro qua dicitur Miſſa, vel recitatur corona, aliudve ſimile opus fit; tunc neceſſe eſt ſubſtantiam operis, id eſt miſſam, vel coronam, ſeu ſatisfactionem ex opere operantis ea illa prouenientem applicari à lucrante. 62.5.
Qui ſub titulo altarium priuilegiatorum tot ſimul, & ſucceſſu temporis miſſas recipiunt, vt vix in vno anno, aut pluribus celebrari poſſint, grauiſſimè peccant. ibid.6
Inter Religioſos mendicantes non datur communicatio indulgentiarum, iuxta probabiliorem ſententiam: vndeq; altaria priuilegiata vnius Eccleſiæ, vel religionis, non communicantur alijs etiam habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliarum religionum, ibid.n.7.
Sacerdos obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato pro defunctis, non ſatisfacit, ſi dicat miſſam quæ non ſit de *Requiem*, prout declarauit ſac. a Congregatio: licet quidam probabile putent contrariũ. ib.8.

Infernus.

INFERNVS nomen habet ab eo quod infrà nos ſit. In ſacra autem Scriptura, & apud ſanctos Patres, ac Theologos, Infernus definitur locus ſubterraneus inferorum ſpirituum. 63.1.
Loca inferorum ſunt diuerſa 1. eſt ſpirituum damnatorum, qui eſt infimus. 2. eſt locus purgatorij. 3. eſt locus puerorum abſque Baptiſmo mortuorum. 4. locus fuit in quo detinebantur omnes veteres Sancti mortui ante deſcenſum Chriſti ad inferos, qui Limbus Patrum vocatus fuit. ibid.
Infernus eſt ſub terra circa eius medium, ſeu centrum, vbi ſunt Dæmones, & homines damnati: quamuis multi Dæmonum relicti ſint in aere caliginoſo, ad exercitationem hominum. ibid.2.
Infernalis pœna duplex eſt; altera priuatio viſionis Dei, altera ſenſibilium pœnarum in animabus pariter, & corporibus damnatorum. ibi.3.
Ignis infernalis eſt verus ſubſtantialis ignis, eiuſdemque ſpeciei cum noſtro igne elementari. ibid.4
Quomodo autem verus ignis agere poſſit in animas corporibus exutas, non omnes Doctores conueniunt. 64.ibid.
Damnati inferno præter pœnam damni, quæ eſt carentia viſionis Dei alijs varijs pœnis in quinque ſenſibus cruciabuntur. ibid.5.
Vermis inferni non eſt materialis, ſeu corporalis, ſed per eum myſticè intelligitur remorſus conſcientiæ in damnatis. ibid.
In damnatis non erit fletus cum effuſione lachrymarum, tamen inſtar flentium erit in illis eiulatus corporalis, & poſt reſurrectionem corporum ſtridebunt dentibus. ibid.n.6.
Pœnæ damnatorum ſunt futuræ æternæ, itaut nunquam ſint finem durationis habituræ. ibid.7.
Quare autem Deus propter peccatum vno momento commiſſum, & tranſitorium æternum puniat? Hoc eſt iuſtum iudicium Dei propter peccati mortalis grauitatem. ibid.

Infidelitas

FIDES habet duo vitia contraria, vnum per exceſſum, alterum per defectum. ibid.1
Infidelitas eſt triplex, negatiua, priuatiua, & poſitiua. ibid.2.
Infidelitas negatiua non eſt peccatum. ibid.3.
Infidelitas priuatiua ſemper eſt peccatum: vnde grauiter peccant catholici, qui negligunt diſcere articulos fidei, quos expreſsè ſcire tenentur, non tamen peccant peccato infidelitatis. 65.4.
Infidelitas poſitiua ſemper eſt peccatum grauiſſimum omnium peccatorum; licet ſuperet omnia peccata, quæ opponuntur virtutibus moralibus. ibi.5.
Infidelitatis poſitiuæ tres ſunt ſpecies, Hæreſis, Iudaiſmus, Paganus. ibid.6.
Ante Chriſtum duæ tantùm fuerant ſpecies infidelitatis, hæreſis, & paganiſmus. ibid.
Nemo poteſt ſimul eſſe hæreticus, Iudæus, & Paganiſmus, nec hæreticus, & Iudæus: nec hæreticus, & paganus: nec Iudæus & paganus. ibid.
Hæ ſpecies infidelitatis ſunt accidentalis: non ſufficit tamen dicere in confeſſione ſui infidelis tamdiu, ſed neceſſe eſt etiam exprimere genus hæreſis, imo qualitatem eorum ſuorum in particulari. ibid.
Infideles baptizati, vt hæretici, & apoſtatæ, poſſunt cogi ab Eccleſia vt fidem retineant. ibid.7
Infideles, qui numquam fidem ſuſceperunt, non ſunt compellendi ad eã ſuſcipiendam: licet compelli poſſit à ſuo Principe Chriſtiano, vt ſeruent legem naturæ, & ne impediant fidei prædicationem. ibi.8.
Ritus infidelium, qui non ſunt Baptizati, tolerari non debent, niſi aut propter maius malum vitandum: aut ne maius aliquod bonum impediatur, videatur expedire, quod tolerentur. 66.n.9.
Ritus hæreticorum non ſunt tolerandi, quando in Principum Catholicorum poteſtate eſt, eos extirpare, vel impedire abſque notabili iactura boni communis. ibid.
Libertas religionis à Principe Catholico introduci non poteſt neque permitti; imo omnibus modis illam impedire debet: tamen ſi id facere non poſſit ſine grauiori incommodo boni publici, & Catholicæ religionis, poteſt eam tolerare tamquam minus malum ad curandum maius. ibid.10.
Licitum eſt communicare cum infidelibus non baptizatis in rebus politicis, ac ciuilibus: ſecus tamen ijs rebus, & actionibus, quæ directè pertineat ad cultum infidelitatis. ibid.11.
In multis caſibus ſpecialiter prohibetur communicatio cũ Iudæis. ib.

Ingratitudo.

INGRATITVDO eſt vitium oppoſitum gratitudini; & dupliciter admittitur. formaliter nempe: & materialiter. ibid.1.
Ingratitudo formalis eſt, quando beneficium contemnitur actualiter, in re nimirum, vel in mente. Materialis autem eſt, quando abſque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra *benefactorem*. ibid.
Ingratitudo materialis non eſt peccatum ſpeciale, ſed generale, quæ in quolibet peccato inuenitur, & eſt cuiuslibet peccati circumſtantia. Formalis autem eſt ſpeciale peccatum. ibid.
Ingratitudinis gradus in omittendo ſunt tres. 1. Beneficium non retribuere: 2. diſſimulare non agendo gratias. 3. nolle agnoſcere: & hi tres gradus pertinent ad ingratitudinem priuatiuam. 67.n.2.
In committendo ſunt alij tres gradus ingratitudinis. 1. retribuere mala pro bonis 2. vituperare beneficium. 3. reputare beneficium loco maleficij: & hi tres gradus pertinent ad ingratitudinem contrariam. ib.
Innocens ſecundum aliquid accipit maius beneficium à Deo quàm pœnitens, adeoque quodammodo ad maiorem actionem gratiarum tenetur. Si autem ſpectetur magnitudo beneficij in quantum ipſum eſt magis gratuitum; ſic pœnitens maius beneficium accipit, & magis ad gratias Deo reddendas tenetur. ibid.3.
Ingratitudo ſiue materialis, ſiue formalis, ſiue priuatiua, ſiue contraria, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. ibid.4.

Iniuſtitia, Iniuria.

Iniuſtitia ſumitur interdum generaliter pro omni legis violatione, & ſic omne peccatum eſt iniuſtitia quædam: interdum vſurpatur, v. opponitur iuſtitiæ particulari, vel vt actus, & ſic non differt ab iniuria; vel vt habitus, & tunc eſt praua voluntatis diſpoſitio inclinans ad actus iniuſtos. ibid.1.
Iniuria, quæ eſt alieni iuris violatio, dupliciter alteri fit, vel commiſſione, vt furto, homicidio. &c. vel omiſſione, non ſatisfaciendo, non reſtituendo, &c. ibid.
Iniuſtitia tam quæ opponitur iuſtitiæ legali, quàm quæ particulari eſt vitium ſpeciale ab alijs diſtinctum. ibid.2.
Qui ignoranter iniuſtum facit, vel nihil peccat; ſi ignorantia ſit inculpata: vel peccat quidem, ſi ignorantia ſit culpabilis, ſed idcirco non eſt denominandus ſimpliciter iniuſtus. 68.3.
Qui ſciens aliquid eſſe iniuſtum ſponte illud facit, ſimpliciter, & abſolutè dicitur iniuſtus. Secus ſi faciat ex paſſione. ibid.
Sicut nemo poteſt facere iniuſtum propriè, vel iniuriam, niſi volens, ita nec vllus pati iniuſtum, niſi nolens. ibid.4.
Fieri tamen poteſt, vt quis ex parte ſua iniuriam inferat, & tamen alter propriè iniuriam non patiatur; & è contra fieri poteſt, vt quis iniuſtum patiatur, & alter propriè iniuriam non inferat. ibid.
Iniuſtum facere, eſt ex ſuo genere peccatum mortale: licet in materia leui ſit tantùm veniale, vel etiam ob imperfectionem actus non plenè deliberati. ibid.5.
Iniuria, ab in, id eſt, non & ius dicta eſt; quaſi non iure; aut contra ius facta; & fit tribus modis, *re, Verbis, & literis*. ibi.6.
Iniuria enormis in multis caſibus interuenit. ibid.7.
Actio iniuriarum oritur ex illata alteri iniuria, qui ob id iuſtam habet actionem aduerſus eum, qui intulit, aut inferri procurauit. ibid.8.
Iniuriarum actio multis modis tollitur, & aboletur. 1. remiſſione 2. diſſimulatione. 3. actibus amicitiæ. 4. quando quis incitat iudicẽ ad torquen-

Digitized by Google

quendum iniuriantem. 5. morte læſi. ibid.
Iniuriatam actionem nullus poteſt remittere, qui eſt in alterius poteſtate, abſque eius voluntate. Collegium tamen religioſorum poteſt remittere iniuriam ſuo religioſo factam, ipſo etiam reclamante. ibid.
In iniuria illata duo mala concurrunt, alterum offenſio perſonæ; alterum damnum datum eidem cui fit iniuria. 69.n.9
Ex offenſione perſonæ oritur rancor, & odium erga iniuriantem, hæc offenſus, aut non debet intra animum admittere, aut citò deponere. Damnum autem ab iniuriante datum, nemo obligatur illud cito condonare.

Interdictum.

Interdictum eſt Eccleſiaſtica cenſura, ſacramentorum vſum diuina officia, & ſepulturam Eccleſiaſticam ſecundùm ſeipſam prohibens. ibi. 1.
Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale; & aliud mixtum. ibid.
Interdicto loco, non cenſetur interdictus populus, niſi aliud exprimatur; & poſito interdicto perſonali, non cenſetur poſitum interdictum locale, niſi hoc exprimatur à iudice. ibi. 2.
Interdictum locale generale illud eſt, quo interdicitur locus vniuerſalis: vt regnum, aut prouincia; aut diœceſis, aut ciuitas, aut villa, aut caſtrum. ibid. 3.
Interdictum perſonale generale eſt, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, vel villæ, vel caſtri: ſpeciale vero, quo interdicitur pars aliqua populi communitatis. ibid. 4.
Interdicto clero non cenſentur interdicti religioſi: interdicto populo, non intelligitur interdictus clerus & è contra. ibid.
Ciues communitatis interdictæ qui abſunt dum fertur interdictum, ſubiacent interdicto; ſi vero alio transferant domicilium, deſinunt eſſe interdicti. ibid. 5.
Amentes, & pueri carentes vſu rationis, non cenſentur interdicti, interdicta communitate; hi tamen priuantur Eccleſiaſtica ſepultura tempore interdicti. ibi. 6.
Interdicta aliqua ciuitate, intelliguntur etiam Interdicta ſuburbia; etiamſi illa loca ſint alterius diœceſis. 70. 7.
Cenſentur etiam interdictæ religionum Eccleſiæ exemptæ, interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, ex Trident. ibi. 8.
Interdicta Eccleſia intelliguntur interdictæ capellæ, & cæmeteria contigua Eccleſiæ. ibid. 9.
In interdicto perſonali, non includitur index, qui tulit interdictum: in locali vero interdicto, iudex ipſe etiam includitur, vel ſuperior, vel æqualis. ibi, 10.

Interdictum.

Quoad illius effectus.

Effectvs interdicti, ſunt priuatio actiua, & paſſiua quorumdam ſacramentorum: priuatio actiua, & paſſiua diuinorum officiorum; & ſimilis priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ. ibid. 1.
Tempore interdicti localis generalis, & ſpecialis poſſunt adminiſtrari ſacramenta Baptiſmi, & Confirmationis, paruulis & adultis, infirmis aut ſanis, idque ſolemniter publicè, & ianuis apertis. ibid, n. 2.
Interdictus perſonaliter interdicto perſonali generali, poteſt recipere ſacramentum confirmationis: ſpeciali vero, & perſonali interdicto ligatus, non; ſicut & qui cauſam dedit interdicto. ibid. 3
Licet baptiſmum miniſtrare ſolemniter perſonæ interdictæ interdicto perſonali generali: ſpecialiter vero interdictæ extra neceſſitatem non licet. ibid.
Pœnitentiæ ſacramentum tempore generalis interdicti localis conceditur ſanis, & ægrotis, exceptis excommunicatis, & illis, quorum culpa, dolo & fraude latum eſt interdictum, & illis, qui ad tale delictum auxilium, conſilium dederunt. 71. 4.
Euchariſtiæ ſacramentum infirmis exiſtentibus in probabili periculo mortis, tempore interdicti localis adminiſtrari poteſt, cum ſolita ſolemnitate. ibi. 5
Sacerdotes non celebrantes, & alij clerici ſeculares ſani tempore interdicti Euchariſtiam ſumere non poſſunt. ibid.
Sacerdos, qui ſublato interdicto habet ius adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ, poteſt illud adminiſtrare tempore interdicti in articulo mortis, modò non ſit ſpecialiter interdictus, & cauſam non dederit interdicto. ibid. 6.
Ad implendum annuæ communionis præceptum, non licet, nec obligantur fideles recipere ſacramentum Euchariſtiæ, tempore interdicti localis generalis. ibid. 7.
Extremæ vnctionis ſacramentum non eſt miniſtrandum perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, niſi aliquibus ſit permiſſum ex priuilegio. ibi. 8.
Extra caſum neceſſitatis, Sacramentum Ordinis adminiſtrari non poteſt tempore interdicti localis. ibid. 9.
Probabilius eſt non eſſe licitum perſonis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, niſi fortè contrarium receptum ſit per conſuetudinem. ibid. 10.
Sponſalia de futuro licitè, & validè fieri poſſunt tempore interdicti, ſiue in loco interdicto, ſiue inter perſonas interdictas. ibid. 11.
Benedictiones quæ fiunt ſuper coniunctos, licitæ ſunt tempore interdicti localis generalis, modò fiant ſine ſolemnitate, & ianuis clauſis. ibid.
Tempore interdicti localis generalis prohibitum eſt celebrare miſſas, & diuina officia publicè in loco interdicto. 72. ibid. 12.
Nomine officij diuini intelligitur illud, quod fit in Eccleſia à miniſtro Eccleſiaſtico, ſeu à perſona conſecrata, vel deputata ad illud officium. ibid.
Obligati ad horas, poſſunt, & debent eas priuatim recitare, tempore cuiuſcumque interdicti. ibi. 13.
Tempore interdicti localis generalis iure conceditur, vt ſingulis diebus in Eccleſijs, & monaſterij celebrari poſſit, ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis, & interdictis. ibid. 14.
Tempore interdicti localis ſpecialis non eſt licitum ſingulis diebus celebrare diuina officia vel miſſas; ſed ſolùm licet ſemel in hebdomada miſſam pro renouanda Euchariſtia, vt illa aſſeruatur. ibid. 15.
In feſtiuitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis, Corporis Chriſti cum octaua, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum octaua, licet tempore interdicti localis generalis non vero ſpecialis, celebrare miſſas & diuina officia publicè, & ſolemniter. ibid. 16.
Infantes carentes vſu rationis, amentes, clerici non coniugati etiam extranei, habentes priuilegium aſſiſtendi diuinis officijs cum ſua familia, poſſunt admitti ad diuina officia, tempore interdicti localis generalis. ibid. n. 17
Priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ eſt, non poſſe ſepeliri in loco ab Epiſcopo conſecrato, vel in cœmeterio ab Epiſcopo benedicto cum pompa funerali Eccleſiaſtica. ibid. 18.
Tempore interdicti localis, non poſſunt laici, quamuis non interdicti, ſepeliri in loco ſacro interdicto, bene tamen in loco non interdicto: laici vero interdicta poſſunt ſepeliri in campo. ibid.
Laici habentes priuilegium aſſiſtendi diuinis officijs, morientes tempore interdicti poſſunt ſepeliri in loco ſacro. ibid.
Probabilius eſt tempore interdicti localis generalis licitum eſſe in loco ſacro interdicto ſepelire laicos adultos, in ijs feſtiuitatibus, in quibus ſecundùm ius publicè poſſunt celebrari diuina officia. 73. 19.
Non poſſunt infantes, vel amentes ſepeliri in loco ſacro tempore interdicti localis. ibid 20,
Laicus tempore interdicti ſepultus in loco non ſacro, ſublato interdicto, exhumandus eſt, & ſepeliendus in loco ſacro. ibid. 21.
Sepeliens laicum interdictum interdicto perſonali generali non peccat: ſi autem interdictus ſit nominatum, incurrit excommunicationem. ib. 22.
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt in Eccleſia vel cœmeterio ſepeliri, niſi forte dederit ante mortem ſigna contritionis. ibid. 23.
Huiuſmodi interdictus non poteſt in Eccleſia celebrare, ſacramenta adminiſtrare, nec vllam actionem ordinis ſacri in Eccleſia exercere, ſub pœna irregularitatis ipſo facto incurrendæ. ibid.
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ non poteſt formaliter audire diuina officia: tamen ſi tempore, diuinorum officiorum tranſiens per Eccleſiam alio ſine aliquid incidenter audiat, non peccabit mortaliter. ib. 24.
Clerici religioſi, & moniales eorumque nouitij non interdicti, qui ſeruatunt interdictum, nec illius cauſam culpabilem dederunt, poſſunt ſepeliri in loco etiam ſpecialiter interdicto, modo hoc fiat ſine ſolemnitate & ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, &c. ibid. 25.
Quando interdicitur clerus non comprehenduntur perſonæ religioſæ; niſi religioſus haberet beneficium ſæculare: ſi autem interdictum feratur ſub nomine perſonarum Eccleſiaſticarum, comprehenduntur religioſi, quamuis conuerſi, & moniales, nouitij, & eremitæ. ibid. num. 26.
Specialia regularium priuilegium vt pro ſuis feſtis, & per eorum octauas, alijſque certis diebus, non ſeruent interdictum, non ſunt reuocata per Conc. Trident. 74. ibid.

Interdictum. Quoad peccatum, & pœnas illud violantium.

Laici violantes interdictum locale generale, ſpeciale, vel perſonale, ex ſuo genere mortaliter peccant; & ligantur excommunicatione cogentes aliquem celebrare diuina officia in loco interdicto. ibid. n. 1.
Clerici tam ſæculares, quam regulares violantes interdictum, vltra peccatum mortale quod committunt, varijs pœnis afficiuntur. ibid. 2.
Clericus interdictus conferens ſacramenta in loco interdicto, irregularitatem incurrit; ſecus ſi nec ille, nec locus ſit interdictus, ſed tantum confert interdicto. ibid. 3.
Clericus violans interdictum per aliquam actionem non ſpectantem ad ordi-

ordinem, vel ad ſouum officium, noo incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit vt laicus. ibid.4.

Clericus celebrans coram interdicto, non incurrir irregularitatem, licet peccet mortaliter communicans cum nominatim interdictis, in rebus, a quibus ſunt interdicti. ibid.5.

Clericus quamuis exemptus admittens ad diuina officia excommunicatos publicos, vel interdictos, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfaciat. ibid.

Nominatim interdicti denunciati dicuntur illi, qui exprimuntur nomine proprio, vel nomine officij, vel alio ſigno. ibi.6

Commuoicans cum interdicto in rebus humanis, non peccat: ſicut non eſt peccatum communicare cum interdicto noo denunciato nominatim. 95.7.

Quando fertur perſooale interdictum contra aliquod collegium, vel communitatem, ſinguli illius collegij, vel commuoitatis ſunt nominatim denunciati interdicti, ſecundùm probabiliorem ſcotentiam. ibid.

Interdictum. Quoad illius cauſas.

Cauſa efficiens interdicti eſt illa eadem, quæ poteſt alias cenſuras ferre; videlicet Papa, Epiſcopus, Prælati religionum: hi tamen Prælati poſſunt tantum ferre interdictum perſonale. ibid.n.1.

Subiectum interdicti perſonalis ſunt homines, non ſolùm particulares, ſed etiam communitates: Epiſcopi tamen non poſſunt interdici per ſententiam generalem. ibid.o.2.

Interdictum perſonale aut locale ferri poteſt à Summo Pontifice, etiam io totum orbem, vel à Concilio Generali ſede vacante; ſimiliter tota dœceſis Epiſcopi poteſt ab illo interdici cum cauſa ſufficieute. ibid.

Cauſa materialis interdicti perſonalis ſpecialis eſt culpa mortalis propria interdicti perſonalis verò generalis eſt grauior caoſa, ſeu culpa, quàm ſpecialis. Grauiſſimam autem cauſam, & commonem requirit interdictum locale generale, Minorem tamen requirit interdictum locale. particulare. ibid.3.

Cauſa finalis interdicti, eſt reſipiſcentia, & emendatio delinquentis. ibid.

Interdictum. Quoad eius relaxationem.

Interdictum latum pro delicto purè præterit abſque vlla adiecta conditione, vel temporis, limitatione, auferri non poteſt, niſi per relaxationem, aut abſolutionem ſuperioris. ibi.n.1.

Interdictum latum vt pura pœna pro peccato præterito, & pro tempore definito, elapſo tempore ceſſat, ſine abſolutione. ibid.

Quando interdictum fertur, vt recedatur à contumacia, vel donec ſatiſfiat, vel reſtituatur, probabile eſt non eſſe neceſſariam abſolutionem interdicti, conditione impleta. ibid.2.

Interdictum locale non ceſſat deſtructione ædificiorum loci interdicti: interdictum vero latum in communitatem, ceſſat reſpectu innocentum, ſi communitas diſſoluatur: reſpectu aotem culpabilium non ceſſat. ibi.n.3.

Ab interdicto locali poſito à iure Epiſcopus abſoluere poteſt: ab interdicto perſonali non poteſt, oiſi illud ſit occultum: ſimiliter nec poterit abſoluere, ſi interdictum ſit latum à Pontifice tanquam ab homine, ibid.4.

Parochus vel alius confeſſarius non poteſt abſoluere ab interdicto locali vel perſonali generali; ſed tantùm ab interdicto perſonali particulari nemini reſeruato. 76.5.

Ante abſolutionem interdicti præcedere debet ſatisfactio partis, imò aliquando cautio iuratoria, id eſt iuramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, iuxta formam conſuetam. ibid.6.

Io articulo mortis relaxari poteſt quodlibet interdictum perſonale ſpeciale, ſeu particulare per quemcumque ſacerdotem. ibid.7.

Interdictum oominatim, & mortuus in ſuo interdicto, poteſt poſt mortem abſolui, ſi ſigna pœnitentiæ dederit, & poſtea ſepeliri in loco ſacro, ibi.8.

De interdictis in iure latis.

Interdictum generale loci iure latum reperitur, propter culpam Domini temporalis, Epiſcoporum, & Clericorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, & propter culpam ipſiuſmet ciuitatis. ibi.n.1.

Territorium illius, qui Epiſcopum iniurioſè vel temerè percutit, capit, ſeu bannit, occidit &c. ſubiacet interdicto, vſque ad condignam ſatiſfactionem. ibi.n.2.

Locus, & ciuitas ipſo facto interdicuntur, quando Dominus, rectores, vel officialis ciuitatis in qua moritur Summ. Pont. non faciunt obſeruari conſtituta in *Cap. Vbi periculum in 6.* ibi.3.

Omnes terræ Epiſcoporum, & aliorum Eccleſiaſticorum ſubijciuntur interdicto, qoi conceſſeruot domos manifeſtis vſuratijs ad fœous exercendum. 77.4.

Terra eorum qui exigunt per ſe vel per alios ab Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis quidagia, pedagia &c. ipſo facto ſubiacet interdicto. ibi.5.

Interdicta eſt ciuitas, ſi Epiſcopum iniurioſè, vel temerè cœperit, percuſſerit, bannierit, occiderit, vel hæc fieri mandauerit. ibid.6.

Interdicta eſt ipſo facto ciuitas præter vrbem, quæ conſentit dando conſilium, auxilium, vel fauorem occidentibus, vel percutientibus Cardinalem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. ibid.7

Interdictum Speciale loci incurritur, quando clerici ſiue ſæculares ſiue regulares inducunt aliquem ad promittendum, vt in eorum Eccleſia eligat ſepulturam. ibid.8.

Quando hæreticus traditur ſcienter Eccleſiaſticæ ſepulturæ, locus ille in perpetuum interdicitur quoad ſepulturam. ibid.9.

Interdictum generale perſonale ſtatuitur in iure contra Vniuerſitates concedentes repreſalias contra perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona. Et contra imponentes, vel exigentes decimas, talias ab Eccleſiaſticis, vel bona Eccleſiarum occupantes. ibid.10.

Contra appellantes à ſententiis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. ibid.11.

Contra Capitulum ſede vacante intra annum a die vacationis, concedens dimiſſorias ad ordines. ibid.12.

Contra Capitulum, & vniuerſitatem quæ non obſeruant Conſtit. *Ioannis XXI*. circa fructus beneficiorum vacantium. ibi.13

Interdictum perſonale particulare in iure latum reperitur, contra Iudicem Eccleſiaſticum ferentem ſententiam cenſuræ noo obſeruata forma iuris. ibid.14.

Contra Epiſcopum, Abbates, ſeu alios regulares, vel ſæculares, vſurpantes aliquid ex reditibus Dignitatis vacantis, aut Eccleſiarum ſubditarum. ibid.15.

Contra Epiſcopum, Abbatem alienantes bona Eccleſiæ non legitimè. ibid.16.

Contra Metropolitaoum, qui ſuffraganeum, & è contra, vltra annum non reſidentem, ad Romanum Pont. non defert. ibid.17.

Contra Epiſcopum io viſitatione aliquid accipientem quod ſibi non debetur. ibid.18.

Contra recipientem Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici. ibid.

Contra ſacerdotem admittentem interdictum ad diuina officia. ibid.

Contra Prælatos edentes Commentaria in Tridentinum. ibid.19.

Contra voluntatem interdictum locale ſaltem generale. ibid.20.

Interdictum.

Interdictum quatuor modis ſolet accipi. 1. pro ſolemni dicto Prætoris aliquid fieri præcipientis. 2. ſtrictius pro ſolo interdicto, ſeu dicto Prætoris prohibitorio. 3. pro prohibitione iudicis Eccleſiaſtici, ſeu iuris canonici. 4. pro ſententia iuris, vel Prælati Eccleſiaſtici prohibentis alicui diuina officia Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam io pœnam delicti, vel contumaciæ: & eſt cenſura Eccleſiaſtica. 78.nu.1.

Interdictum locale eſt illud, quod ſolom locum interdicit, hoc eſt, vt in illo loco interdicti cenſeantur homines exercere diuina officia, aut participare in Sacramentis, aut Eccleſiaſtica ſepultura paſſiuè, vel actiuè, ſed non in alio loco non interdicto. ibid.n.2.

Interdictum locale, & perſonale inter ſe differunt in duobus. ibid.o.3.

Interdictum ſpeciale, ſeu particulare loci eſt illud, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in ſe alia loca ſcilicet, ſacra, & prafana, &c. ibid.n.4.

Interdictom ſpeciale erit, quando interdicuntur omnes Eccleſiæ ciuitatis, caſtri, Epiſcopatus, Prouinciæ, Regni, imò etiam totius mundi. ibid.

Ad interdictum generale parum, aut nihil refert multitudo Eccleſiarum interdictarum, niſi etiam alia loca ſimul interdicantur. ibid.

Habentes priuilegia, quòd tempore generalis interdicti poſſint audire, percipere, vel celebrare diuina, id non poſſunt tempore interdicti ſpecialis, ſeu particularis. ibid.

Interdicta ciuitate, cenſetur etiam interdicta Eccleſia Cathedralis: tamen Eccleſia Cathedralis non includitur interdicto ſpeciali loci, ibid.n.5.

Interdicta ciuitate non comprehenduntur ciues, & habitatores eius, niſi qui culpabiles ſunt, & cauſam interdicto dederunt; tamen, ſi poſtea augeatur ciuitas, pars aucta cenſetur etiam interdicta. ibid.6.

Verius eſt, deſtructo loco, ſeu ciuitate interdicta, eo ipſo interdictum non tolli. 79.n.7.

Ioterdictum quo generaliter interdicitur terra alicuius Principis, cadit in omnes terras, quarum Princeps habet dominium abſolutum, ſiue iuriſdictionale ſit, ſiue vtile, aut ſolum vſumfructum; non tameo cadit in terram acquiſitam poſt latum interdictum, niſi hoc ſit expreſſum. ibid.n.8.

Quando totus populus vnius ciuitatis eſt generatim interdictus, non cenſetur locus interdictos. ibid.n.9

Interdicto populo, ſeu vniuerſitate aliqua, ſi alij de nouo veniant, & fiant de populo interdicto, ſont etiam interdicti, ſicut alij. ibidem 10.

Exiens de populo interdicto, ſi ingrediatur religionem, poſt profeſſionem deſinit eſſe interdictus, & ad ordines poteſt promoueri. ibid.

In per-

In perſonali interdicto quidam dicuntur eſſe generaliter interdicti, alij ſpecialiter,ſeu particulariter,alij vero nominatim. ibid. 11.
Interdicto generali perſonali ligantur illi omnes, qui & ſunt de populo illo,& apud ipſum habitant,etiamſi ſint innocentes, & contradixerint illi delicto, propter quod latum fuit interdictum, & ſint abſentes. ibid. 12.
Si interdicatur familia alicuius, etiam includitur clericus eius familiæ: ſecus dicendum eſt de illo,qui poſt latum interdictum fit de familia interdicta;ſic enim non incurrit interdictum. ibid. 13.
Qui habitant ad tempus in populo, vel vniuerſitate interdicta, pro ſuis negotijs,& non ſunt de illo popolo,aut vniuerſitate,non cenſentur interdicti,niſi eſſent culpabiles. ibid. 14.
Interdictum latum contra Clerum,non comprehendit ipſam Eccleſiam, quæ ad huiuſmodi Clericos interdictos pertinet, vnde alij Clerici licitè celebrant in illa. ibi. 15.
Interdicto Clero alicuius loci,non comprehenditur Epiſcopus.nec tonſurati,& exiſtentes in minoribus, poſt Conc. Trident. niſi gaudeant priuilegio clericali. ibid.
Interdici poteſt perſona ſingularis dupliciter: vno modo ſimpliciter, non ſpecificando vnam rem magis quàm alteram. Alio modo,itaut perſonæ huic interdicantur aliqua determinatè expreſſa. 80.16.
Probabilius eſt,interdictum perſonale generale poſſe ferri pro debito pecuniario. ibid.n.17.
Poſito interdicto perſonali generali, non cenſetur poſitum locale. ib.n.18
Probabile eſt,interdictum non priuare poteſtate Ordinis,& Iuriſdictionis; ſed tantùm impedire vſum licitum illius. ibi.n.19.
Quando locus non eſt interdictus, ſed tantùm perſona præſens eſt interdicta,licet celebrare,& alia diuina facere,ſi expelli non poſſit. ib.n.20.
Perſona non interdicta poteſt audire miſſam Sacerdotis interdicti, ſi non ſit publicè denunciatus. Si verò eſſet nominatim interdictus; quidam negant poſſe,alij affirmant probabiliter. ibid.n.21.
Nominatim denuntiatus interdictus interdicto perſonali particulari non poteſt vllibi ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica. ibid.n.22.
Probabilius eſt, interdictum perſonali generali interdicto non poſſe ſepeliri,quamdiu manet pars communitatis,quæ nominatim eſt interdicta. ibid.
Illi, quibus conceditur per priuilegium particulare intereſſe diuinis officijs tempore interdicti,non poſſunt in loco ſacro ſepeliri,quamuis contrarium non ſit improbabile. 81.n.23.
Probabile eſt,illis interdictis,quibus conceditur poſſe aſſiſtere miſſæ,concedi etiam Euchariſtiam ſumere,niſi expreſsè hoc excipiatur. ib.n.24.
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt licitè in ea ſuſcipere Sacramenta:tamen probabile eſt poſſe Sacramenta ſuſcipi,quando diuina officia non celebrantur. ibi.n.25.
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ,poteſt in Cœmeterio officia diuina audire,& miſſam celebrare. ibid.
Tempore interdicti,ſi moribundus non poſſit recipere Sacramentum pœnitentiæ,non eſt improbabile poſſe miniſtrari Extremam vnctionem etiam ab excommunicato denunciato. ibid.n.26
Tempore interdicti, licitum eſt officium commendationis animarum, quod morientibus legi ſolet: Qui habent confraternitates poſſunt publicè cantare litanias,etiamſi ſint Clerici, vel Regulares, dummodò id faciant ſicut Laici. Item licita eſt angelica ſalutatio ter in die ad ſonum campanæ. Item Laici de populo interdicto, vel loco licitè poſſunt in die Paraſceues, ad Crucem accedere,& adorare:quia hæc omnia non ſunt officium diuinum. ib.n.27.
Interdictum generale loci ſuſpenditur generali priuilegio iuris in quatuor anni feſtiuitatibus,ſcilicet, Natiuitate Domini, Reſurrectione, Pentecoſte,& Aſſumptione B.Mariæ Virginis. ib.n.28.
Interdictum particulare in his feſtiuitatibus non ſuſpenditur; & in dictis feſtis ſolùm ſuſpenditur pro prima die earum; quorum feſtorum officium incipit à primis Veſperis: imo à Miſſa vigiliæ, in Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes,& Natiuitatis Domini. ibid.
In his feſtiuitatibus quæcunque officia diuina, tam publica, quàm priuata,tam ordinaria, quàm extraordinaria, publicè celebrari poſſunt. Interdicti autem nominati in hoc priuilegio non gaudent: nec altari appropinquare. 82.ibid.
Interdictum etiam ſuſpenditur generali priuilegio in Feſto Corporis Chriſti, & per totam eius Octauam, ſed pro Eccleſijs Hiſpaniæ tantùm. ibi.n.29.
Porrò ſuſpenditur interdictum ſpeciali priuilegio,quod concedi ſolet per Sedem Apoſtolicam. ibid.
Legatus a latere, poteſt etiam ſuſpendere interdictum à ſe latum, ſiue ab Epiſcopis, & alijs Prælatis, qui ſub eius legatione ſunt. Idem poſſunt Epiſcopi,alij Prælati inferiores quoad interdictum à ſe latum. ib.n.30
Interdictum perſonale poteſt à Iudice Eccleſiaſtico, vel ſimpliciter, & omninò ſuſpendi,vel quandiu ei videbitur,non debet tamen ex quauis cauſa ſuſpendi ſed ex graui. ibi.n.31.
Quas pœnas mereantur, & quas ipſo facto incurrant, Clerici, Religioſi violantes interdictum? ibi.n.32.

Interrogatorium

Confessarius non tenetur pœnitentem examinare,& interrogare, ſi probabiliter, & prudenter iudicet pœnitentem integrè confeſſum fuiſſe ſua peccata. 83.n.1.
Confeſſarios circa ignotos, & maximè rudes, tria debet interrogare antequam pœnitens incipiat confiteri. 1. tempus vltimæ confeſſionis, & an impleuit pœnitentiam. 2. ſtatum pœnitentis. 3. an paratus veniat. ibid.
Interrogatorium breue pro confeſſionibus longioris temporis circa præcepta Decalogi. ibid.
Prudens confeſſarius illa tantummodò interrogabit quæ probabiliter iudicabit eſſe commiſſa à ſuo pœnitente cum quo agit,habita ratione ipſius ſtatus conditionis,& officij. ibid.
Parcè, & cautè ſe gerere debent confeſſarij in interrogationibus peccatorum carnis cum mulieribus. 84.ibid.
Confeſſarij debent abſtinere à curioſis, & ſacrilegijs interrogationibus, quæ profanant, & odioſum reddunt ſacramentum cum ſcandalo pœnitentum. ibid.
Confeſſarij non debent eſſe nimis importuni, in inquirendis circumſtantijs ſolùm aggrauantibus. ibid.
De prudentia confeſſarij neceſſariam in his interrogationibus formandis, vide plura verb. *Confeſſarius IV.n.17.*

Inuidia.

Invidia eſt inordinata triſtitia, qua quis dolet de bono alicuius, non quatenus eſt bonum illius, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam. 85.n.1.
Inuidia eſt peccatum mortale ex ſuo genere contrarium charitati: poteſt eſſe veniale,tum ob imperfectionem conſenſus,tum ob materiæ paruitatem. ibid.n.2.
Remedia quinque contra inuidiam. idid.
Inuidia debet inter vitia capitalia connumerari. ibid.

Ira.

Ira eſt ſanguinis feruor in corde, ex euaporatione, & turbatione fellis proficiſcens: in materia morali, eſt vitium animæ ad appetitum vindictæ inclinans. ibi,n.1
Ira per ſe nec bona eſt,nec etiam mala,ſed quiddam indifferens. ibid.
Iracundia peccatum erit,ſi modum à ratione præſcritum non ſeruet;tum ex parte obiecti, ſi iniuſtam vindictam appetas, tum ex parte ipſius motus,vt ſi nimium interius ira exardeſcas. ibid.2.
Iræ ſeu iracundiæ vitium ponitur tamquam capitale, ex quo naſcuntur indignatio,tumor mentis,clamor,contumelia,blaſphemia,opprobrium & rixa. ibid.n.3.
Iræ peccatum per ſe minus eſt,quàm odium,vel inuidia. 86.4.
Ira nocet corpori,& animæ. ibid.
In ira,vel rixa cum aliquo enuntiare aliquid de Deo explicitè, vel implicitè quod verum eſt,non eſt propriè blaſphemia. ibid.

Irregularitas. Quoad eius diuiſionem, & cauſas.

Irregularitas eſt canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens quo quis ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & iam promotus in eiſdem miniſtrare prohibetur. ibid.n.1.
Irregularitas non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis. ibid.
Irregularitas diſtinguitur à cenſuris. ibid.
Probabilius eſt irregularitatem impedire ſuſceptionem primæ tonſuræ, ibid. 2.
Quæ ſint irregularitates ex defectu,quæ ex delicto. ibid. 3.
Cauſa efficiens irregularitatis eſt Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit,& expreſſit per ſacros Canones, bullas Pontificias,& Concilia Generalia. ibid.n.4.
Cauſa materialis,ſeu ſubiectiua in quam cadit irregularitas eſt omnis homo, capax ordinis,ſubditus iuri communi. ibi.5.
Cauſa formalis irregularitatis ſunt verba irregularitatem exprimentia quæ non ſunt determinata. 87.6.
Irregularitas ex delicto non incurritur niſi ob culpam mortalem;excuſat tamen ab ea ignorantia probabilis iuris,vel facti,vel etiã pœnæ. ibi.7.
Ad incurrendam irregularitatem requiritur actus externus conſummatus,nec ſufficit deſiderium,ſeu attentatio,ac conatus. ibi.8.
In dubio iuris nullus iudicandus eſt irregularis. ibid.9.
In dubio facti non eſt cenſendus quis irregularis,niſi in dubio homicidij. ibid.10.
Irregularitas totalis impedit ſuſceptionem ordinum, primæ tonſuræ; & exercitium omnium ordinum ſuſceptorum. ibi.11.
Irregularitas partialis prohibet ſolùm illum actum, quo ponit impedimentum. ibid.
Irregularis ſuſcipiens vel exercens ordines, licet peccet mortaliter, no-

Digitized by Google

uam tamen irregularitatem non incurrit. ibi. 12.

Irregularis non prohibetur actus ſacros exercere, qui per laicum præſtari poſſunt. ibid.

Irregularitas licet occulta facit hominem incapacem beneficij, & reddit irritam ipſius collationem, quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid. 13.

Diſpenſatio ſuperueniens poteſt aliquando confirmare actus præcedentes irritos: vnde ſi præſentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerint ex defectu aliquo obtinentis beneficium, ſi hic poſtea defectus illius occulti diſpenſationem obtineat, eo ipſo abſque noua præſentatione, collatione, vel electione poteſt licitè retinere beneficium illud, modo concurrant quædam conditiones. ibid.

Qui recipit beneficium in irregularitate non poteſt fructus beneficij percipere, nec alios actus adminiſtrationis, qui ſunt adnexi beneficio, exercere. ibid. 14

Irregularitas ſubſequens beneficium, vel penſionem, non priuat beneficiatum beneficio, vel penſione. ibid.

Irregularis videtur incapax iuriſdictionis ordinariæ, non verò delegatæ. ibid. 15.

Confeſſio facta ſacerdoti nominatim denunciato irregulari non eſt valida; niſi hoc ignoretur à pœnitente. ibi. n. 16.

Irregularitas ex defectu animi.

DEFECTVS animi inducens irregularitatem primus eſt, defectus vſus rationis. ibid. n. 1.

Qui ſemel incidit in furiam, vel amentiam perpetuò manet irregularis, ita vt ſine diſpenſatione promoueri non poſſit, quando amentia eſt per modum habitus, & habet propriam & permanentem cauſam: ſi tamen promoto talis defectus ſuperueniat, non deijcit illum perpetuò ab vſu ordinum, ſed ſolum quamdiu talis defectus durat. ibid.

Defectus literaturæ ſeu ſcientiæ facit hominem iure canonico irregularem: imo cùm omnino illiterato non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, vt ordines recipiat, qui requirunt ſcientiam. 89. 2.

Quanta ſcientia requiratur ad ordines ſuſcipiendos poſt Concilium Tridentinum. ibid.

Cum religioſis non multùm literatis poſſunt Epiſcopi diſpenſare, vt ad ordines ſacros promoueantur. ibid.

Defectu fidei reſpectu illius, qui mox ad fidem acceſſit, inducit irregularitatem vnde Neophyti ſiunt irregulares. ibid. 3.

Filius Turcæ vel alterius infidelis baptizatus in infantia, ſi fiat religioſus, poteſt eſſe Prælatus abſque diſpenſatione, quia talis non eſt neophytus. ibid.

Irregularitas ex defectu corporis.

Defectus ſeu vitium corporis inducens irregularium, illud eſt, quod vel impedit vſum, & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem. ibid. 4.

Tale vitium eſt naſi amputatio, priuatio vnius oculi, aut inſignis macula in oculo; quæ notabilem pariat deformitatem. ibid.

Irregularis eſt, qui habet vnum oculum, vel vtrumque grandiorem prominentem. ibid. 5.

Qui habet naſum abſciſſum, diſtortum, vel magnum. ibid.

Qui habet labia penitus corroſa vel abſciſſa. ibid.

Qui nodum linguæ patitur, vt verbum integrum vix poſſit exprimere. ibi.

Qui habet dentes prominentes extra os. ibid.

Qui eſt ſurdus vtraque aure. ibid.

Qui caret auriculis, id eſt externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, niſi capillorum velamine hæc deformitas celetur. ibid.

Gibboſus non eſt irregularis, niſi gibboſitas coniuncta ſit cum nimia deformitate. ibid.

Monſtruoſus habens duo capita, quatuor manus eſt irregularis. ibid. 6.

Æthiops, & vir grandioris, vel exiguæ ſtaturæ: vel habens ſex digitos non videntur irregulares. ibid.

Irregularis qui aliquo caret pede; qui habet manus tremulas: qui vnguibus in totum caret. ibid.

Hermaphroditus particeps maſculini, & fæminei ſexus eſt irregularis; imò incapax ordinis, & characteris, ſi æquè participet fœmineum, & virilem ſexum. ibid. 7.

Qui caret indice vel pollice, aut parte pollicis, vel indicis, aut qui laborat debilitate digitorum, irregularis eſt. ibid.

Laborantes febri continua, vel graui dolore capitis, morbo gallico, lepra, vel multa ſcabie, peſte, tuſſi, irregulares ſunt. 90. n. 8.

Laborantes morbo caduco irregulares ſunt, non tamen, qui leuem mentis alienationem vel vertiginem vel deliquium animi patiuntur. ibid. 9

Amentes & furioſi habitualiter ſunt irregulares, nec poſſunt celebrare abſque approbatione Summi Pont. imò nec ordinari. ibi. 10

Dæmoniaci, quorum corpora a Dæmone obſidentur, vel ſemel fuerunt obſeſſa irregulares ſunt. ibid. 11

Qui vinum bibere, aut retinere non poſſunt quin illud euomant, non tam irregulares ſunt, quàm iure naturali impediti, quo minùs ad ſacerdotium promoueri poſſint. ibid. 12

Habens defectum corporis impedientem ſuſceptionem ſacerdotalis ordinis, non poteſt admitti etiam ad reliquos ordines ſacros. ibid. 13.

Carentia alicuius membri, vel partis membri etiam occulti, irregularitatem inducit, ſi propria culpa contingat. ibid. 14.

Qui ſponte ſibi membrum, vel membri partem puta digitum, vel partem digiti ex indignatione abſcidit, irregularis eſt. ibid. 15.

In hac irregularitate proueniente ex defectu, vel deformitate, vel ex infirmitate, diſpenſat ſolus Sum. Pontifex, ad Epiſcopum tamen pertinet iudicare, vtrù defectus, vel deformitas inducat irregularitatem. ibi. 16.

Irregularitate ex defectu natalium.

ILLEGITIMVS, id eſt non ortus ex legitimo matrimonio, quamuis occultus, irregularis eſt. 91. n. 1.

Natus ex matrimonio inter duos inualidè bona fide ſaltem vnius parentis contracto, irregularis non eſt. ibid. 2.

Filius matri aſſerenti ipſum eſſe illegitimum, non tenetur credere, niſi rationibus conuincatur, vel vterque parens id affirmet. ibid.

Illegitimus fit legitimus per ſubſequens matrimonium parentum, & habilis ad ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, excepto Cardin. ibi. 3.

Probabile eſt, illegitimum ſine diſpenſatione promotum poſſe ſuſceptos ordines exercere, & alijs initiari, ſi poſtea parentes matrimonium ineant. ibid.

Irregularis, & illegitima eſt proles ſuſcepta ex parente iam profeſſo, qui poſt profeſſionem cognouit vxorem antea non cognitam; item & natus ex parente ſacerdote, qui poſt ſacerdotium ex conſenſu, & abſque conſenſu vxoris ſuſceptum, eam carnaliter cognouit, ſi ante ordinationem matrimonium fuerit conſummatum. ibid. 4

Si matrimonium non fuerit conſummatum, & inſcia, ſeu inuita vxore promotus ſit, proles poſtea nata legitima erit, & ad ordines promoueri poteſt, ſecus ſi vxor ipſius ordinationi conſenſit vel ſciens non contradixit. ibid.

Proles habita ex coniugibus ſimplici voto caſtitatis mutuo conſenſu ligatis, non eſt illegitima & irregularis. ibid.

Probabile eſt prolem eſſe legitimam quoad ſucceſſionem, & alios honores, habitam ex parentibus poſt conſommatum matrimonium mutuo conſenſu profeſſis, licet irregularis ſit quoad ordines, & beneficia. ibid.

Irregularitas proueniens ex illegitimitate aufertur per legitimationem à Papa conceſſam. ibid. n. 5.

Defectus hic natalium tollitur etiam per profeſſionem in religione approbata, & illegitimus profeſſus fit habilis ad ordines, non tamen ad Prælaturam. ibid. 6.

Irregularitas ex defectu natalium tollitur etiam per diſpenſationem, quam dare poteſt ſolus Summus Pontifex ad maiores ordines, ad dignitatem, & ad beneficium curatum. 92. 7.

Epiſcopus diſpenſare poteſt ad ordines minores, & ad vnum beneficium ſimplex non requirens ordinem ſacrum. ibid.

Layman ſententia eſt, quòd ſi filius ſciat, aut credat ſe eſſe illegitimum, & ex vna parte cauſa vrgeat cur ordines ſacros ſuſcipiat, & ex altera parte ſi hoc faceret petendo diſpenſationem, ſe infamaret grauiter apud Papam, tunc ſine diſpoſitione poſſet ordinari. ibid. 7.

Prælati regulares ex variis Summorum Pontificum Priuilegijs diſpenſare poſſunt cum illegitimis ſibi ſubditis ad quaſcumque dignitates, & officia ordinis. ibid. 8.

Irregularitas ex defectu ætatis.

Defectus legitimæ ætatis requiſitæ à iure ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat. ibid. n. 8.

Irregularitas ex defectu libertatis.

Irregularitas ex defectu libertatis afficit eos, qui alligati ſunt aliquo vinculo, aut ſeruitutis, aut ratiocinij, aut curiæ, aut matrimonij. ibi. n. 1.

Serui quamdiu ſunt ſerui, iure impediuntur ne ordines ſuſcipiant. ibi. 2.

Obligati ad ratiocinia iure repelluntur ab ordinibus, donec ratiocinium reddiderint; quo reddito, poſſunt promoueri. 93. 3.

Curiales, id eſt qui quacumque ex cauſa curiæ ſæculari ſunt obligati, ab ordinibus arcentur. ibid. n. 4.

Vxoratus ad ordines etiam minores promoueri non poteſt, niſi coniuge etiam religionem approbatam profitente. ibid. 5

Irregularitas ex defectu Sacramenti.

Irregularitas ex defectu Sacramenti, id eſt, bigamia, conſurgit ex multiplici matrimonio contracto, & conſummato. ibid. 6.

Bigamia alia eſt vera, alia interpretatiua, alia ſimilitudinaria. ibid.

In hac

Digitized by Google

In hac irregularitate ſolus Papa diſpenſat, excepta ſimilitudinaria cum clerico in ſacris,& religioſo,in qua etiam diſpenſat Epiſcopus. ibid.
An autem in hac bigamiæ irregularitate poſſint diſpenſare Prælati regulares ſubditos ſuos,vide v. *Abbas num. 8. paragr. 111.* Plura v. *Bigamia*.

Irregularitas ex defectu lenitatis.

IRREGVLARITAS quæ ex defectu lenitatis procedit, eſt illa, quando quis occidit,vel mutilat hominem abſque peccato. pag.94.nu.1.
Clericus,aut alius iuſtè mutilans,vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium ſecuto effectu fit irregularis defectu lenitatis. ibid. 2.
Quilibet iudex inferior Summo Pontifice ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, eiuſque officiales,& miniſtri omnes iuſtitiæ, concurrentes ad occiſionem,aut mutilationem,ſunt irregulares, ibid. 3.
Probabile eſt irregularitatem ex homicidio, non incurri ob concurſum ad aliud,niſi aut factum à miniſtro publico iuſtè, aut factum à perſona priuata iniuſtè. ibid.
Conſultores aperientes ius,& docentes veritatem, quando quis teneatur accuſare in materia ſanguinis,non ligantur ad irregularitate. ibid.4.
Fabri ferrarij, vel alij armorum fabricatores, venenum vel fuſtem vendentes,non ſunt irregulares,quamuis ex eis aliquis occidatur,vel mutiletur,modò ea de cauſa non vendantur. ibid.
Clerici aſſiſtentes executioni ſententiæ non ſunt irregulares; modò non aſſiſtant tamquam temporalem iuriſdictionem habentes. ibid. 5.
Clericus qui rogat Principem,vt iuſtitiam faciat, excuſari poteſt ab irregularitate, ibid.
Princeps,vel Dominus temporalis, vel clericus habens iuriſdictionem temporalem abſque periculo irregularitatis conſtituere Prætores, & iudices,qui cauſas ſanguinis inquirant,& delicta puniant. ibid.
Iudex Eccleſiaſticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio ſæculari, non fit irregularis. 95.6.
Nec fit irregularis Prælatus iuriſdictionem temporalem habens, ſicut & Princeps ſæcularis,legem & ſtatutum condens, quo aliquid ſub pœna mortis prohibetur. ibid.7.
Confeſſarius denegans abſolutionem pœnitenti nolenti punire reum dignum morte,non eſt irregularis. ibid.8.
Confeſſarius exhortans pœnitentem iuridicè interrogatum ad confitendam veritatem in iudicio, excuſandus eſt ab irregularitate,etiamſi ob id reus morte plectatur. ibid.
Clericus adiuuans chirurgum, vel medicum ad iuſtè ſecandum ægroti membrum,non eſt irregularis. ibid.9.
Clericus etiam beneficiarius non fit irregularis exercendo officium medici,vel chirurgi ſecundùm regulam artis,citra abſciſſionem, vel aduſtionem. ibid. 10.
Laicus exercens chirurgiam, vel medicinam, ſecundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamſi membrum aliquod abſcindat cauſa ſanitatis. ibid. 11.
Accuſans alium in cauſa criminali, petendo vindictam, fit irregularis, ſecuta mutilatione, vel morte: ſecus ſi petat ſatisfactionem, vel intereſſe ſibi, vel parentibus, filijs, vel fratribus, vel alicui ſub ſua protectione exiſtenti debitum. ibid. 12.
Clericus poteſt iniuſtum damnificatorem bonorum ſuæ Eccleſiæ, vel ad ſui defenſionem,vel ſuorum alterum accuſare, ſine nota irregularitatis, etiamſi ſequatur mors, præmiſſa tamen proteſtatione coram iudice. ibid.
Teſtis ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis incurrit irregularitatem ſecuta morte,vel mutilatione. ibid. 13.
Clericus in fauorem rei poteſt teſtari de licentia Epiſcopi, vel eius vicarij,nec fit irregularis etiamſi exinde ſequatur mors accuſatoris. ibid.
Aduocatus ſuſcipiens cauſam rei, non incurrit notam irregularitatis, quando ſequitur mors, vel mutilatio accuſatoris; ſecus ſi iniuſtè cauſam rei defendat. 96.14.
Aduocatus, vel procurator accuſatoris fit irregularis ſecuta morte, vel mutilatione rei. ibid.
Occidens alium in bello tam iuſto,quàm iniuſto,incurrit irregularitatem. ibid. 15.
Clerici poſſunt intereſſe bello iuſto abſque irregularitate, milites hortari ad pugnandum fortiter: ipſi tamen non poſſunt pugnare ſine facultate,vel niſi neceſſitas reipub. id exigat. ibid. 16.
In irregularitate contracta cauſa belli diſpenſat ſolus Summus Pontifex; Epiſcopus non poteſt diſpenſare, quia eſt ex defectu lenitatis, ſecundùm probabiliorem ſententiam. ibid. n. 17.
Prælati regulares poſſunt diſpenſare ſubditos ſuos in hac irregularitate ex defectu lenitatis, ibid.

I R R E G V L A R I T A S.

Ex Defectu.

OMNIS irregularitas iure tantum humano Pontificio conſtituta eſt, licet multæ ex lege veteri,& naturali originem traxerint. 97.n.1.
Quando dubium eſt, an ſit pro aliquo delicto commiſſo impoſita à iure aliqua irregularitas, tunc iudicandum eſt, non eſſe irregularitatem in eo caſu conſtitutam,cum talis irregularitas non ſit in iure expreſſa. ibid.
An damnatus ad triremes efficiatur irregularis ratione infamiæ? alij negant,alij affirmant probabiliter. ibid.n.2.
Ignorantia inuincibilis iuris excuſat ab irregularitate ex delicto, etiamſi imponatur pro facto iure naturali damnato: Secus ſi irregularitas ſit ex defectu; hæc enim incurritur non obſtante ignorantia inuincibili. ibid.n.3.
Pluralitas vxorum per verba de præſenti citra conſummationem,irregularitatem bigamiæ non inducit. n.4.
Iterata ſponſalia etiam cum copula irregularitatem non inducunt. ibid.
Si quis ducat vxorem etiam corruptam,ſed moritur ante carnis copulam,& deinde ducit virginem,eamque cognoſcit,non eſt bigamus,nec irregularis. ibid.n.5.
Diuiſio,& corruptio viri cum alijs extra matrimonium,non efficit eum bigamum, ſicut efficitur bigamus, ſi ducat vxorem ab alio cognitam; ratio huius ibi aſſignatur. ibid.n. 6.
Liber ab omni voto contrahens Matrimonium cum fœmina habente ſolemne votum caſtitatis,ſi eam cognoſcat,non videtur eſſe irregularis, aut bigamus: licet aliqui contrarium ſentiant. ibid.n.7.
Irregulares ex defectu corporis ſunt omnes habentes aliquem corporis defectum,qui in iure dicuntur vitiati,aut diminuti corpore. 98.n.8.
Quodcumque corporis vitium, vel ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem inducens, irregularem habentem efficit. ibid.
Quoad Ordines ſuſcipiendos eo ipſo iure, quo quis inhabilis eſt ad Ordines ſuos exercendos, etiam nec promoueri debet, & ſic promotus deijcitur. Poſt autem ordines ſuſceptos, ſi talis defectus contingat, poteſt exequi illa officia, ad quæ non impeditur propter illum defectum. ibid.
Inhabilis ad ſacerdotium ob defectum aliquem corporis, poteſt ex iuſta, & rationabili cauſa ad Diaconatum,vel Subdiaconatum,aut ad minores promoueri,quando defectus talis non eſt, vt eorum ordinum vſum impediat: tamen qui careret membro neceſſario ad ſacerdotium, iure Canonico irregularis eſt. ibid.
Qui propter deformitatem in aliquo membro corporis irregularis eſt ad ſacerdotium,poteſt admitti ad alios inferiores ordines. ibid.
Defectus membri magni,& apparentis inducens magnam deformitatem ex quacumque cauſa proueniat,irregularitatem inducit. ibid.n.9.
Priuatus membro paruo,& occulto ſponte,& ſine iuſta cauſa, ab ordinatione repellitur,& ab ordinatis deijcitur. ibid.
Defectus membri alicuius occulti,qui notabilem deformitatem, in facie, manibus, aut corpore non generat, ſi ea propria culpa non accident. irregularitatem non inducit. ibid.n.10.
Illiteratus,qui ob defectum literaturæ irregularis dicitur, eſt ille qui latinè legere, & ſcribere neſcit,aut qui linguam latinam arte, vel vſu non didicit. ibid.n.11.
Vt filius illegitimè natus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, requiritur, vt tempore quo filius eſt genitus, parentes inter ſe contrahere poſſent matrimonium,ſi conſenſus adfuiſſet. Secus ſi tunc impedimentum dirimens adfuit;hic enim eſt irregularis. ibid.n.12.
Illegitimus,qui ſine diſpenſatione ad aliquem ordinem promotus eſt antequam parentes ipſius matrimonio coniungerentur, poteſt poſt initum tale matrimonium, tanquam legitimus factus Ordinem ſuſceptum exercere, & ad altiorem aſcendere ſine diſpenſatione. ibid.nu.13.
Qui ex illegitimo factus eſt legitimus auctoritate Principis ſæcularis, non poteſt ſine diſpenſatione ad Ordines promoueri. 99.14
Legitimare filium clerici ex ſacrilegio natum,iuxta quoſdam pertinet ad Principem ſæcularem;iuxta alios ſpectat ad Pontificem;ſed tutius eſt, vt ab vtroque Principe legitimatio petatur. ibid.n.15.
Verius eſt illegitimum in ſæculo abſque diſpenſatione ad ordines promotum, poſſe in eis miniſtrare, ſi profiteatur in Religione approbata: ſed quoad Prælaturam, permanet adhuc iſta irregularitas. ibid. num. 16.
Filij ſuſcepti ab infidelibus cenſentur legitimi, ſi parentes tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundùm leges ipſorum,ſed inualidum ſecundùm leges canonicas. ibid.n.17.
Obligati ad ratiocinia impediuntur ne Ordines recipiant: tamen qui curam pauperum ſuſceperunt, & maximè de licentia Epiſcopi, non arcentur ab ordinibus. ibid.n.18.
Teſtis in cauſa ſanguinis fit irregularis nec ei prodeſt proteſtatio ad cui-
tandam

Digitized by Google

candam irregularitatem: probabile tamen eſt non fieri irregularem, quando obligatur ad teſtimonium ferendum iure naturæ, vel iuſto præcepto iudicis, vel ad id graui metu compellitur. ibid.n.19.
Prælatus, qui petitur à ſuis officialibus quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis circa caſum aliquem particularem, non eſt irregularis, ſi reſpondeat, facite quod leges ſtatuunt &c. ibid.n.20.
Clericus in ſacris exercens Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem ſecuta morte, fit irregularis, licet adhibuerit neceſſariam diligentiam. In aliquibus tamen caſibus non incurritur irregularitas. ibid.n.21.
Irregularitas ex defectu lenitatis non contrahitur ante Baptiſmum. 100.n.22.
Clericus cauſam ciuilem deferens ad iudicem ſæcularem, aut de leui delicto accuſans, quod non eſt dignum pœna mortis aut mutilationis non tenetur proteſtationem præmittere, nec irregularis erit, ſecuta morte illata per iudicem excedentem iuſtitiæ limites. ibid.n.23.
Si clericus accuſans ciuiliter præuideat probabiliter delinquentem periculum incurrere pœnæ ſanguinis, tunc requiritur proteſtatio, ne fiat irregularis. ibid.
Quando Clericus crimen defert ad iudicem Eccleſiaſticum, tunc nulla proteſtatio requiritur. ibid.n.24.
Omnes clerici, ſiue regulares, ſiue ſæculares, qui interſunt ſententiæ aut executioni pœnæ mortis, quaſi auctoritatem, conſilium, auxilium, fauorem, aut operam præſtantes, irregulares ſunt. ibid.n.25.
Irregularitas ex defectu lenitatis incurritur tantùm ab illis, qui concurrunt aliquo modo ad mortem, vt iuſtitiæ miniſtri, ſecus autem ab alijs, ſi non ſit in iure expreſſa. ibid.n.26.
Hinc ſequitur, clericum non eſſe irregularem, niſi ipſe ad necem concurrat in bello iuſto mouens arma ſuis manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem; licet aliàs ſit cauſa proxima, vt alij occidant, exhortando milites in Generali, ac etiam in particulari ad hoſtes occidendos. ibid.
Dubius, an in bello iuſto aliquem occiderit vel mutilauerit, tunc tutior pars eligenda eſt, & ſe debet reputare irregularem: quamuis contrarium non ſit improbabile. ibid.n.27.
Ordinatus ante legitimam ætatem ſacro ordine, ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi ſcienter aliquem actum Ordinis ſacri proprium in ſuſpenſione faciat, in nouam irregularitatem incidit, niſi bona fides aut ignorantia eum excuſet. 101.28.

Irregularitas ex delicto homicidij voluntarij.

IRREGVLARITAS ex homicidio voluntario dupliciter poteſt contingere. ibid.n.1.
Homo baptizatus occidens vel abſcindens alterius, vel ſibi, ſine iuſta cauſa, membrum voluntariè ſimpliciter, vel ſecundùm quid, eſt irregularis, modò ſit chirurgus vel medicus. ibid.2.
Mandans tacitè vel expreſsè homicidium reus eſt homicidij, & conſequenter irregularis, niſi reuocauerit mandatum. ibid.n.3.
Conſulens illicitè homicidium aut membri abciſſionem illi, qui paratus non erat ad hæc, irregularis eſt: ſecus ſi reuocauerit conſilium; vel ſi alter paratus erat ad homicidium. 102.4.
Probabilius eſt, illum eſſe irregularem, qui non potuit dimouere fœminam à conſilio dato de abortu faciendo. ibid.
Non eſt irregularis, qui alteri ſuadet furtum cui ſit impendere ſupplicium mortis: Item qui conſulit alteri in bello fugam, cui annexa eſt pœna mortis; vel fugiat à carcere, vel vt effringat carcerem, cui effractioni eſſet impoſita pœna mortis. ibid.
Auxiliantes, aut cooperatores ad homicidium rei ſunt homicidij, & conſequenter irregulares ſecuta morte vel mutilatione. ibid.5.
Percutiens leuiter hominem, ſed alij poſtea lethaliter percuſſerunt, ſoli vltimi ſunt irregulares. ibid.6.
Verius eſt illum non eſſe irregularem qui iniuſte percuſſit, leuiter tamen & non mortiferè, ſi ſequatur mors ex negligentia medici aut chirurgi, & malo regimine ipſius percuſſi. ibid.7.
Non eſt irregularis, qui rixam habens cum altero, admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali alteri inferant, etiamſi accurrentes occidant alterum intuitu huius. ibid.n.8.
Tradens alicui arma, quibus alterum occidit, irregularis eſt, modò ſuſpicionem aliquam habuerit arma illa peti ad malum aliquod faciendum: ſecus ſi non eſt ſuſpicatus. ibid.
Qui tenetur ex officio, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione alterum defendere & non defendit, incurrit irregularitatem, ſi voluntariè non impediat homicidium. ibid.9.
An clericus, qui ſciens mulierem à ſe prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea ſobolis abortum, irregularitatem incurrat, ſi hunc pro virili non impediat; quidam affirmant, alij negant. 103.ibid.
Verius eſt non contrahi irregularitatem ex ſola ratihabitione homicidij ab alio commiſſi, licet ſuo nomine. ibid.10.
Summus Pontifex poteſt diſpenſare in qualibet irregularitate prouenience ex homicidio iuſto vel iniuſto, voluntario vel caſuali; Epiſcopus tamen non poteſt: niſi in neceſſitate. ibid.11.
In irregularitate ex homicidio caſuali proueniente diſpenſare poteſt Epiſcopus, modò delictum ſit occultum. ibid.n.12.
Prælati regulares ex conceſſione *Pauli III.* poſſunt ſingulis annis prima die lunæ. Quadrageſimæ diſpenſare, ſuper quibuſcumque irregularitatibus, quauis occaſione vel cauſa contractis, etiam homicidij voluntarij: virtute autem conceſſionis *Martini V.* id modò non poſſunt Prælati, quia eſt viuæ vocis oraculum hoc tempore reuocatum. ibid.
Probabilius eſt, non poſſe Epiſcopum in vllius homicidij etiam iuſte licite patrati irregularitate diſpenſare. ibid.13.
Irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri, eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis. 104.ibid.
An qui plura homicidia commiſit, contraxerit plures irregularitates neceſſariò in diſpenſatione manifeſtandas, alij affirmant, alij negant. ibid.

Irregularitas ex homicidio facto ad defenſionem ſui, rerum ſuarum, ac proximi, nec non ex homicidio caſuali.

QVI occidit alium ad vitæ ſuæ defenſionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, irregularis non eſt. ibid.n.1.
An cenſendus ſit irregularis, qui ob honoris, vel bonorum ſuorum defenſionem aliquem occidit, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ? alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.2.
Occidens aut mutilans aggreſſorem Patris, Fratris, aut alterius conſanguinei vel proximi innocentis, ſecundùm probabilem ſententiam non eſt irregularis. ibid.3.
In foro externo præſumetur irregularis, qui alterum occidit ad ſui defenſionem, niſi probet hoc feciſſe ad ſui defenſionem: In foro autem conſcientiæ, ſtandum eſt iudicio prudentis viri. ibid.4.
Homicidium omninò caſuale, quod non eſt volitum in ſe, nec in cauſa non inducit irregularitatem. ibid.5.
Vt irregularitas ex homicidio caſuali incurratur, requiritur quòd non ſit omninò caſuale, ſed volitum in cauſa ſeu implicitè voluntarium, & ideò peccatum mortale. ibid.6.
Dans operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ex qua ſolet mors vt plurimum ſequi, eſt irregularis, ſecus ſi rarò mors contingat, & adhibeatur diligentia ne ſequatur homicidium. ibid.
Probabile eſt, adulterum irregularem non fieri, ſi maritus cognito adulterio vxorem interficiat. 105.ibid.
Probabile item eſt, adulterum non effici irregularem ſi maritum aggreſſorem cauſa neceſſariæ defenſionis occidat cum moderamine. ibid.
In multis alijs caſibus non fit quis irregular. ex homicidio caſuali. ibi.7.
Aromatarij conficientes medicinas ex rebus corruptis, irregulares ſunt, ſi hac de cauſa ſequitur mors infirmi. ibid.8.
Qui præbet, aut conſulit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra medici præceptum fit irregularis, ſi mors infirmi exinde acceleretur: excuſaret bona fides tradentis. ibid.
Reuoluens infirmum in lecto, non vt citiùs pereat, ſed vt faciliùs ſomnum, quietem, vel cibum capiat, non eſt irregularis, etiamſi mors ex aliqua culpa acceleretur. ibid.
Magiſter verberans diſcipulum, excedendo modum percuſſionis fit irregularis, ſi ex percuſſione ipſi oculum eruat. ibid.
Mandans vel conſulens Titio occidere Caium, ſed accidit, vt Titius ipſe occiſus fuerit à Caio, irregularis eſt in foro conſcientiæ. ibid.
In multis alijs caſibus quis ſit irregularis ex homicidio caſuali. ibid.9.

Irregularitas ex iteratione baptiſmi.

Ex iteratione culpabili baptiſmi irregularitas incurritur à rebaptizante, rebaptizato, & alijs qui miniſtrant ex officio, toties, quoties reiteratur baptiſmus. 106.n.1.
Infans, qui rebaptizatur ante vſum rationis, non eſt irregularis ſimiliter ſi dormiens rebaptizatur. ibid.2
Rebaptizans ſub conditione ſi non eſt baptizatus, irregularitatem non incurrit. ibid.
Qui rebaptizat, vel rebaptizatur ex metu cadente in conſtantem virum vel per vim cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi baptiſmum irregularis eſt. ibid.3.
Irregularitas ex iteratione baptiſmi, ſolùm impedit promotionem ad ſuperiores ordines. ibid.4.
Irregularitas non contrahitur ex iteratione Confirmationis & Ordinis. ibid.5.
Adultis differentes baptiſmum vſque ad ægritudinem, vel ſenectutem, ſunt irregulares: nec hæc irregularitas tollitur per baptiſmum. ibid.6.
Adultus baptizatus ab hæretico eſt irregularis; infans verò minimè. ibid.
In irregularitate contracta ex iteratione baptiſmi publica diſpenſatio- lus Summus Pontifex: ex occulta Epiſcopus. ibid.n.7
Veriùs eſt irregularitatem non incurri à bis ordinantibus & ordinatis, bis confirmantibus & confirmatis. ibid.

Irregularitas ex ſuſceptione ordinum & adminiſtratione.

Qvi ſcienter vel per ignorantiam craſſam aut affectatam ignorans ſe eſſe excommunicatum, ordines ſacros ſuſcipit eſt irregularis. 107.1.

Probabilius eſt ſuſpenſum, vel interdictum recipiendo ordines ſacros, non incurrere irregularitatem. ibid.

Qui vno & eodem die inſcio & non aduertente Epiſcopo, recipit minores ordines cum ſubdiaconatu, vel duos ordines ſacros irregularitatem incurrit: quamuis conſuetudo in quibuſdam locis permittat minores ordines conferri cum ſubdiaconatu. ibid.2.

Qui ordines ſuſcipit furtiue inſcio Epiſcopo non vocatus irregularis eſt: ſicut & coniugatus ordinem ſacrum recipiens. ibid.

Recipiens ordines ſacros ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, irregularitatem incurrit. ibid.

Clericus miniſtrans in ordine ſacro quem non habet, ſcienter, ſeriò & ex officio, irregularis eſt. ibid.3.

Solus Summus Pontifex diſpenſat in irregularitate contracta ob exercitium ordinis, quem quis non habebat, vt ad vlteriores ordines aſcendat: vt autem exerceat ſuſceptos, diſpenſat Epiſcopus. ibid.4.

Excommunicatus maiori excommunicatione, ſuſpenſus, interdictus quamuis occultus irregularitatem incurrit, exercendo ſolemniter vel ex officio actus maioris ordinis. ibid.5.

Excuſaretur tamen talis ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi; vel ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis. ibid.

Excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus ex duplici cauſa, exercendo ordines ſacros, duplicem etiam incurrit irregularitatem. ibid.

In hac irregularitate contracta ob violationem cenſuræ ſolus Papæ diſpenſat, quando delictum eſt publicum: ſi verò delictum eſt occultum, diſpenſat Epiſcopus. ibid.6.

Irregularitas ex hæreſis delicto &c. & infamia.

Omnes hæretici qui ſuam hæreſim exteriùs protulerunt irregulares ſunt item Apoſtatæ à fide, eorum fautores & defenſores. ibid.1.

Probabile eſt hæreticum occultum non incurrere irregularitatem. 108.ibid.

Schiſmaticus, qui non eſt hæreticus non eſt irregularis; nec clericus apoſtata à clericali habitu & tonſura, religioſus tamen apoſtata à religione eſt irregularis. ibid.2.

Filij hæreticorum ſunt irregulares vſque ad ſecundam generationem per lineam virilem paternam; per lineam verò fœmineam ſeu maternam, vſque ad primam modò eorum parentes ſint mortui in delicto hæreſis. ibid.3.

Probabilius eſt filium hæretici natum ante lapſum parentis in hæreſim non eſſe irregularem. ibid.

Solus Summus Pontifex diſpenſat in irregularitate contracta ob hæreſim; quamuis probabile ſit Epiſcopum poſſe in ea diſpenſare quamdiu delictum eſt occultum. ibid.4.

Propter infamiam homines ab Eccleſiaſticis ordinibus ſuſcipiendis, & ſuſceptis arceri ſolent. ibid.5

Delicta, quibus à iure impoſita eſt infamia, ſunt, Apoſtaſia à fide, raptus mulierum, periurium in iudicio, ſimonia, ſodomia, hæreſis eiuſque fauor, crimen læſæ maieſtatis, perſecutio hoſtilis &c. ibid.

Plura de infamia vide ſupra v. *Infamia*.

I R R E G V L A R I T A S.

Ex Delicto.

Propter homicidium illicitum, id eſt occiſionem corporis humani animati pro vt eſt contra iuſtitiam proximo debitam, vel mutilationem ſimiliter illicitam, incurritur irregularitas, quæ eſt ex delicto. 110.1.

Hoc homicidium inducens irregularitatem committi poteſt opere, vel mandato, vel conſilio, vel auxilio & fauore, vel cooperatione aliqua, vel percuſſione, vel approbatione. ibid.

Per mutilationem intelligitur membri alicuius abſciſſio: membrum autem dicitur id quod habet officium in corpore per ſe ſeparatum ab alijs. ibid.

Omnes qui ad homicidium iniuſtum vel iniuſtam membri abſciſſionem concurrunt vt cauſa proxima, irregulares ſunt hinc omnes milites in bello iniuſto ſunt irregulares, ſi contingant in eo homicidia vel mutilationes. ibid.2.

Dans cauſam morti, hac ſecuta, irregularis eſt. ibid 3.

Si quis licitè mandet aliquem percuti vel verberari, & mandatarius excedens mandatum mutilet, vel occidat, irregularis non eſt: Secus ſi mandauerit illicitè percuſſionem. ibid.4.

Mandans vel conſulens alicui homicidium ei, qui aliàs erat abſque mandato, conſilio & ſuaſione facturus, non eſt irregularis. Si autem homicidium committit magis propter mandatum vel conſilium, tunc mandans vel conſulens irregularis erit. ibid.5

Mandans aliquem occidi, vel mutilari irregularis eſt, ſi ipſemet mandatarius occidatur: Idem dicendum de conſulente. ibid.6.

Non eſt tamen improbabile, mandantem vel conſulentem huiuſmodi non eſſe irregularem adhuc ex homicidio caſuali, vt ſuſtinent quidam Doctores moderni. ibid.

Probabilius eſt mandantem non teneri monere occidendum, ad vitandam irregularitatem, ſed tantùm reuocare mandatum, dummodo reuocatio expreſsè vel tacitè nota ſit mandatario. An autem idem dicendum ſit de conſulente? Alij negant. ibid.7.

Qui præbet conſilium pium ex quo præter intentionem homicidium vel membri mutilatio ſequitur, ſi actus non ſit ordinatus in talem effectum, nec à conſulente intentus, irregularitatem non incurrit. 111.8

Probabilior ſententia aſſerit non impedientem homicidium quod tenebatur ex iuſtitia impedire, irregularitatem incurrere: contrarium tamen à quibuſdam neotericis ſuſtinetur vt probabile. ibid.9

An irregularis ſit, qui hominis occiſionem impedire volentem maligna, diſſuaſione ab hoc opere charitatis reuocat? Quidam negant; contrarium alij docent. ibid.

Irregularis non eſt, occidens inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus, vel in defenſionem alicuius membri, ne ab illo mutiletur. ibid.n.10.

Vt incurratur irregularitas ex homicidio caſuali, requiritur peccatum mortale. ibid.n.11.

Quando quis dat operam rei licitæ & adhibet omnem diligentiam quam adhibere debet, ne homicidium ſequatur, non eſt irregularis, etiamſi tunc ſubſequatur. ibid.n.12.

Qui dat operam rei licitæ, non adhibet tamen omnem curam quam adhibere debet, ne ſequatur homicidium, irregularis eſt, ſi homicidium ſequatur. ibid.

Ad incurrendam irregularitatem, non ſufficit quod ſit ſubſequutum homicidium ex opere illicito, ſed neceſſarium eſt quod opus illud vel ſit ex ſe & natura ſua inductiuum ſaltem probabiliter, & vt plurimum mortis vel mutilationis, vel periculoſum, aut prohibitum iure Diuino vel humano. ibid.

Pulſans campanas aut eas tollens, ſi abſque eius culpa, caſu aliquis occidatur, non erit irregularis: Si quis tamen pulſaret illicitè campanas ad ſeditionem & arma; irregularis erit, ſi ſequatur homicidium. 112.n 13

Clericus aut monachus cum fœmina prægnante ludens, ſi cum ea ſaltet, aut choreas ducat, & caſu contingit abortus fœtus animati ex eo luſu, irregularis: non autem laicus, ſi ludus ſit leuis. ibid.

Mittens lapidem in aliquem ludendo, ſi is à lapide fugiens, in alterum lapidem caput offendat & culpa medici moriatur, irregularis non erit. ibid.

Qui emittit ſagittam ſiue lapidem animo occidendi Petrum inimicum ſuum, ſed Petro declinante ſagitta emiſſa occidit Paulum, qui non intendebatur occidi ab illo, irregularis eſt. ibid.n.14.

Irregularis non eſt rebaptizans, quando adeſt probabilis ignorantia facti. ibid.n.15.

Ignorantia iuris ſiue diuini, ſiue humani baptiſmum iterari prohibentis, ſecundùm communem ſententiam, non excuſat ab irregularitate, etiamſi ignorantia ſit inuincibilis: Nihilominus dari poteſt ignorantia inuincibilis excuſans à culpa; & à pœna irregularitatis impoſita ob eam culpam, ſaltem in foro conſcientiæ. ibid.n.16.

Peccant mortaliter, qui ſine delectu aliquem cum conditione *Si Baptizatus es ego te non baptizo, Si non es baptizatus ego te baptizo*, baptizant, non priùs quærentes, an baptizatus fuerit. An autem tunc incurratur irregularitas? Quidam negant; ſed contrarium videtur determinatum in Cathechiſmo Romano. ibid.n.17.

In duobus tantùm caſibus quis incurrit irregularitatem ex mala Ordinum ſuſceptione. Primo. Si furtiue ordinetur. Secundo, vir coniugatus ſi durante matrimonio etiam non conſummato præſumens ſacrum Ordinem illicitè ſuſcipere non ſolum eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis. ibid.n.18.

Irregularitas non incurritur ab eo, qui ſuſcipit ordines vel illos exercet, quando ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem vel exercentem Ordines ſacros. 113.n.19.

Irregularis ſuſcipiens ordines nouam irregularitatem non incurrit, ſed tantùm peccat mortaliter. ibid.n.20.

Qui ſeriò, ſcienter, ſolemniter ex officio miniſtrare præſumit in ſacris Ordinibus, quos non habet, ipſo facto irregularitatem incurrit, in qua, quando delictum eſt publicum, ſolus Papa diſpenſat. ibid.n.21.

Apoſtatæ à religione ſunt irregulares dum ſunt in actu apoſtaſiæ. ibid. num.22.

Irregularitas incurritur ratione infamiæ Primo, ex quocumque crimine inducente infamiam, ſi illa ſequatur. Secundo, ex quocumque delicto enormi & depoſitione digno, ſi ſit notorium & manifeſtum. Tamen ex nullo crimine quantumuis enormi, dummodo occultum ſit, contrahitur irregularitas, niſi in iure expreſſum habeatur, quale eſt homicidium occultum. ibid.n.23.

Infamia iuris incurritur ipſo facto radicaliter, quando aliquis committit delictum, ob quod impoſita eſt in iure pœna infamiæ, ſed talis executio

ſio pœnæ dependet à ſententia iudicis declarantis tale crimen fuiſſe commiſſum à tali perſona, cui ſecundùm iura impoſita eſt pœna infamiæ ipſo facto. ibid. n. 24.

In multis caſibus ex delicto proprio homines ſunt infames. 114. n. 25.

Irregularitas ex infamia contrahitur etiam ſine propria culpa ex crimine alieno perſone coniunctæ. ibid.

Irregularitas infamiæ aliquando contrahitur ex vili conditione perſonæ, quæ oritur ex vſu artis infamis & muneris ignominioſi, modo aliquo iure conſtet tale munus inducere infamiam. ibid.

Non ſunt irregulares ſuſpecti de hæreſi, coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi. Secus quando ſuſpicio oritur ex eo, quod fauent hæreticis, vel illos recipiunt vel defendunt. ibid. n. 26.

Quando ſuſpicio oritur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter huiuſmodi ſuſpicionem, ſed ſolùm propter infamiam, ſi crimen ſit notorium. ibid.

Irregularitas quoad modos quibus tollitur,

IRREGVLARITAS tribus modis tollitur, per baptiſmum, per profeſſionem religionis, & per diſpenſationem. ibid.

Per baptiſmum tollitur omnis irregularitas conſurgens ex proprio delicto, & ex Canonica infamia. ibid. 2

Per profeſſionem in approbata religione tollitur ſolùm irregularitas ex defectu natalium, quoad ordines, non autem quoad Prælaturam. ibid. 3.

In omni irregularitate iure humano introducta diſpenſare poteſt Summus Pontifex. ibid. 4

Epiſcopus in ſua diœceſi exiſtens, diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus ex delictis occultis, excepta illa quæ prouenit ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentioſum. ibid. 5

Delictum dicitur ad forum contentioſum deduci, quando delinquens accuſatus fuit de aliquo delicto, & nondum ſe purgauit in iudicio nec definitiuè liberatus fuit. 115. ibid.

Quando delictum deductum ad forum contentioſum, eſt iam iudicio finito punitum, probabilius eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare. ibid.

Epiſcopi non poſſunt diſpenſare cum forenſibus ſeu non habentibus firmum domicilium in eorum diœceſi, in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus Papalibus, licet poſſint eos abſoluere à caſibus Papalibus occultis. ibid.

Probabile eſt Epiſcopum, vrgente magna neceſſitate poſſe diſpenſare cum irregulari ex homicidio occulto, vt miniſtret in ordinibus ſuſceptis. ibid.

Probabilius eſt, facultatem diſpenſandi, quam habent Epiſcopi ex priuilegio Tridentini, competere etiam alijs Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt Capitulo ſede vacante, aut Cardinali in Eccleſia ſui tituli. ibid. 6

Epiſcopus irretitos aliqua irregularitate vel cenſura, poteſt alteri facultatem dare, qui ſecum diſpenſet in caſibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt cum ſubditis. ibid. 7

Epiſcopus eo ipſo quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit litteras dimiſſorias, cenſetur cum eo diſpenſare in irregularitatibus, in quibus poteſt. ibid. 8

Prælati regulares virtute priuilegiorum facultatem amplam habent, vt cum ſuis ſubditis in quacumque irregularitate diſpenſare valeant. ibid. 9.

Religioſi mendicantes ea virtute priuilegiorum diſpenſare etiam poſſunt in quacumque irregularitate cum ſæcularibus ſicut poteſt Diœceſanus. 116. 11

Verius eſt, quando per Iubilæum vel bullas aliquas conceditur facultas à Papa abſoluendi à quibuſcumque caſibus, cenſuris, pœnis, & ſententijs, non intelligi conceſſam eſſe facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto. ibid. 11.

Non extat in iure certa, & determinata verborum forma in concedenda diſpenſatione irregularitatis. ibid. 12.

Diſpenſatio irregularitatis poteſt dari extra ſacramentum pœnitentiæ. ibid.

Irregularitas aufertur etiam ablata cauſa, ob quam fuerit contracta: quando ſolùm pro aliquo tempore lata fuit. ibid. 13.

Probabile eſt abſentes poſſe diſpenſari ab irregularitatibus ex delicto. ibid.

I R R E G V L A R I T A S.

Quibus modis tollatur.

OMNIS irregularitas, quæ ex proprio delicto contrahitur, tollitur per Baptiſmum ſicut & illa quæ oritur ex infamia proueniente ex proprio facto ſeu delicto: irregularitates tamen ex bigamia, ex defectu natalium, & corporis procedentes, per Baptiſmum non tolluntur. 117. 1

Irregularitas ex defectu natalium, vel quæ ex infamia contracta eſt ob delictum parentum per profeſſionem ſolemnem religionis approbatæ tollitur iure communi; ſimiliter per tria vota ſimplicia emitti ſolita in Societate IESV poſt biennium probationis, tollitur irregularitas hæc ex defectu natalium. ibid. 2

Irregularitas poteſt tolli per diſpenſationem, non autem per abſolutionem, niſi illa ſit ex delicto. ibid. n. 3.

Irregularis diſpenſatus indefinitè ad ordines non poteſt promoueri ad maiores, niſi fortè ex ſubiecta materia aliter colligatur. ibid.

Diſpenſatus verò ad maiores, cenſetur etiam diſpenſatus ad minores. ibid. n. 4.

Tria ſunt obſeruanda pro obtinenda vel concedenda diſpenſatione circa irregularitates contractas, vt talis diſpenſatio legitimè fiat. ibid. 5

Superior diſpenſans debet attentè conſiderare grauitatem irregularitatis, de qua petitio diſpenſationis eſt facta: difficilius enim diſpenſatur in grauioribus, quàm in alijs. ibid. 6

Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt tollere omnem irregularitatem, vel in ea diſpenſare, ſecundùm totum vel ſecundùm partem. ibid. 7.

Si Pontifex abrogaret legem, quæ imponebat pœnam alicuius irregularitatis, cenſentur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolùm contrahendæ, ſed etiam contractæ. Limitatur tamen hoc dupliciter. ibid.

Irregularitas bigamiæ quæ oritur ex delicto, etiam alieno, ſecundum probabilem Doctorum ſententiam, eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis, & à Prælatis regularibus reſpectu ſubditorum. 118. n. 8.

Diſpenſatus in vna irregularitate ob vnam cauſam contracta, diſpenſatus non manet in cæteris irregularitatibus contractis ob alias cauſas. ibid. n. 9.

Probabile eſt, contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium ab eo committatur; hinc non eſt opus exprimere numerum homicidiorum, in petitione diſpenſationis, propter quæ petens contraxit irregularitatem. ibid.

Quædam irregularitates ſine vlla diſpenſatione tolluntur. ibid. 10.

Iubilæus,

IVBILÆVS apud Hebræos vocabatur annus quinquagenarius, qui remiſſionis erat: apud Chriſtianum populum indulgentias ſignificat, quæ in ampliſſima forma conceduntur. 119. 1.

In anno Iubilæi omnes indulgentiæ plenariæ ſuſpenduntur. Non ſuſpenduntur autem conceſſæ pro defunctis, vel altaria priuilegiata, nec conceſſæ pro articulo mortis, nec bulla cruciata. ibid. 2.

Priuilegia Epiſcoporum, & regularium abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis non ſuſpenduntur in anno Iubilæi. ibid.

Vt acquirantur indulgentiæ Iubilæi tria facienda ſunt. ibid.

Probabilius eſt, non poſſe quem bis, ter, vel pluries indulgentiam Iubilæum ſibi quærere, etiamſi bis, ter, vel pluries faciat requiſita ad Iubilæum. ibid. 3.

Confeſſio peccatorum reſeruatorum pluries facta tempore iubilæi eſt valida. ibid.

In Indulgantijs, quæ in forma iubilæi conceduntur, ſex opera iungi ſolent; *Eccleſ. viſitatio, oratio. Ieiunium, eleemoſyna, confeſſio, & communio.* 120. 4

Opera iniuncta pro conſecutione Iubilæi poſſunt completi per opera aliàs præcepta. ibid.

Probabile eſt hæc opera præſtari poſſe intra duas hebdomadas. Oppoſitum tamen in praxi eſt conſulendum præciſa aliqua neceſſitate vel rationabili cauſa. ibid.

Opera præſcripta impleri poſſunt in diuerſis locis; vnde ſi quis in patria ſua promulgato Iubilæo deſignatas ibidem Eccleſias viſitauerit, & poſtea ex aliquo negotio è patria diſcedat, poteſt ieiunium, confeſſionem, communionem in alia diœceſi peragere. ibid.

Qui omiſit ex malitia opera præſcripta in Iubilæo poteſt vltimo die illud lucrari, ſi dicta opera à confeſſario commutentur: vnde hæc commutatio fieri poteſt die Dominico ſecundæ hebdomadæ. ibid.

Qui de confeſſarij conſenſu diſtulit confeſſionem poſt tranſactum Iubilæum, poteſt ab illo abſolui à caſibus reſeruatis poſt elapſum Iubilæum commiſſis. ibid.

Quando eleemoſyna indeterminatè præcipitur ad lucrandam indulgentiam, ſufficit quæcumque minima, & parua: ſi vero demandetur eleemoſyna pro cuiuſque facultate, tunc maior impendenda eſt à diuite, quàm ab egeno. ibid.

Non ſufficit ad lucrandum iubilæum eleemoſyna ſpiritualis, ſed debet eſſe realis, & temporalis. ibid.

Religioſi, Moniales, vxores ſerui, filij, familias, pauperes, ſi non poſſint dare aliquam eleemoſynam, debent commutationem petere in aliud opus pium. ibid.

Quando in Bulla iubilæi non determinantur preces ſufficit orare iuxta mentem Pontificis, quaſcumque orationes recitando: & probabile eſt

ſufficere

Digitized by Google

ſufficere orationem mentalem. ibid.

Quando indulgentia conceditur in Iubilæo viſitantibus Eccleſiam, vel orantibus in eccleſia, obtinetur hæc ab eo, qui accedit ad Eccleſiam, ſed cùm nequeat ingredi corporaliter præ hominum concurſu, orat ante fores Eccleſiæ. ibid.

Pro lucranda indulgentia conceſſa viſitantibus quinque altaria, ſatis eſt præces fundere ex vno loco, ſine motu de vno ad aliud altare. ibid.

Habens phyſicam, aut mortalem impotentiam confitendi tempore iubilæi, ſi poſt alia opera communicet cum ſola contritione, non lucratur iubilæum. ibid.

Si quis die veneris confiteretur, & in Sabbato antequam indulgentiam conſequatur, peccaret mortaliter, probabile eſt non teneri iterum confiteri. ibid.

Omnia opera præſcripta non debent indiuidue ita eſſe bona, vt ſi peccato veniali inficiantur, aut circumſtantia aliqua vana, nihil valeant ad conſecutionem indulgentiæ. 121.ibid.

Confeſſarius habens facultatem abſoluendi à reſeruatis tempore Iubilæi poteſt abſoluere pœnitentem, qui intra tale tempus peccatum aliquod reſeruatum commiſit, modo pœnitens habeat intentionem præſtandi neceſſaria ad iubilæum. ibid.

Qui obtinuit priuilegium quo poſſet à caſibus reſeruatis abſolui, poteſt ab iſtis abſolui, etiamſi occaſione priuilegij libentius ſe præcipitauerit in caſus reſeruatos, ſi tamen hic caſus excipiatur, abſolui non poterit. ibid.

Ille dicitur peccare in confidentiam priuilegij vel gratiæ, cui principale motiuum lapſus eſt gratia, vel priuilegium certo tempore conceſſum. ibid.

Iubilæus non differt ab indulgentia plenaria, & pleniſſima. ibid.6.

Indulgentiæ plenariæ conceſſæ per modum Iubilæi non important facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, & cenſuris iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.

Probabile eſt pœnitentem remanere abſolutum à reſeruatis oblitis, etiamſi non petat expreſsè, & explicitè abſolutionem à reſeruatis, dum tempore iubilæi vel extra confitetur bona fide ſacerdoti priuilegium habenti circa reſeruata. ibid.

Qui à cenſuris, & à peccatis reſeruatis bona fide fuit abſolutus tempore Iubilæi, remanet directè abſolutus, nec reincidit in caſus reſeruatos, vel in cenſuras, etiamſi poſtea voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum iubilæum præſcribuntur. ibid.

Probabilius eſt pœnitentem abſolutum à caſibus, & cenſuris virtute Iubilæi, non peccare mortaliter, ſi poſtea non lucretur Iubilæum. ibid.

Qui virtute iubilæi vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi confeſſarium approbatum, probabile eſt, illum poſſe eligere confeſſarium approbatum ab ordinario alterius diœceſis. ibid.

Iubilæus.

Ivbilævs deriuatur à voce Hebraica Iobal, quæ denotat gaudium & lætitiam vniuerſalem, quæ mediante ſonitu tubæ, ſeu buccinæ promulgabatur. Per iubilæum in Eccleſia ſancta Dei intelligitur non ſolùm annus Sanctus, qui hodie vigeſimo quoque quinto anno celebratur, ſed etiam plenarium indultum abſoluendi à peccatis reſeruatis & cenſuris, cum indulgentia plenaria. 122.n.1.

Tempore Iubilæi regularis approbatus à ſuo prouinciali ad audiendas confeſſiones Fratrum ſuæ Religionis, non poteſt eligi in confeſſarium à ſæcularibus, ſi non ſit approbatus ab aliquo Epiſcopo ad audiendas confeſſiones ſæcularium. ibid.2

Nonnulli probabile putant Prælatum alicuius Religionis non approbatum ab aliquo Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas, poſſe eligi in confeſſarium à ſæcularibus tempore Iubilæi. Contrarium tamen eſt tenendum. ibid.3.

Qui tempore Iubilæi obtinuit commutationem votorum, ſed aliquorum oblitus eſt, non poteſt tranſacto eo tempore à dictis votis oblitis commutationem petere, non obſtante, quòd non ſit lucratus Iubilæum. Secus ſi Iubilæum obtinuit. 161.4

Si aliquis omnia opera iniuncta pro conſequendo Iubilæo feciſſet, & mane die Dominico vellet confiteri & communicare, ſed inaduertenter aliquid cibi vel potus ſumpſit, poteſt lucrari Iubilæum ſi confeſſarius commutet communionem in aliquod opus pium. ibid.5

Qui noluit lucrari Iubilæum & in ſecunda hebdomada die Sabbatho mutat propoſitum, poteſt lucrari Iubilæum, dummodo commutentur ieiunia, nam reliqua facere poterit die Dominico. ibid.

Qui compleuit intra hebdomadam omnia opera in Iubilæo iniuncta, ita vt vltimum opus ſit ieiunium Sabbathi, ſi iterum mane in die Dominica incidat in caſum reſeruatum, poteſt ab illo virtute Iubilæi abſolui. ibid.6

Tempore Iubilæi communio poteſt fieri quocumque die hebdomadæ præſcriptæ, etiamſi in diplomate præſcriptum ſit vt communio fiat in Dominico die, qui ieiunia proximè ſequitur. 123.7

Probabile eſt communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatiſfaciendum oneri communionis iniuncto ad lucrandum Iubilæum, ſi eadem communio non ſit vltimum opus in Iubilæo præſcriptum: licet alij hoc non admittant. ibid.

Pueri, qui ex defectu ætatis non ſunt capaces communionis poſſunt lucrari Iubilæum faciendo cætera opera præſcripta, modo commutetur communio in aliquod aliud opus pium: idem dicendum de infirmis, & patientibus tuſſim, vomitum, &c. ibid.8

Confeſſarius poteſt commutare ieiunia Iubilæi, aliaque opera præſcripta etiam vltimo die ſequentis hebdomadæ, in quo terminatur tempus lucrandi Iubilæum. ibid.9

Quando in Bulla Iubilæi vel indulgentiæ dicitur, *Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, vel omnibus contritis & confeſſis, &c. Concedimus indulgentiam*, non ſufficit contritio, ſed neceſſaria eſt confeſſio, ſaltem ſi ſuſceptor indulgentiæ poſt vltimam confeſſionem commiſerit peccatum mortale. Licet ſufficere contritionem nonnulli doceant. n.10.

Parochus, quandiu retinet beneficium curatum, non ſolùm eſt eligibilis per Iubileum intra eandem diœceſim, vbi habet beneficium, ſed extra, & vbique terrarum. ibid.n.11

Nonnulli probabile putant Parochum, qui beneficio Parochiali renunciauit, poſſe eligi in confeſſarium tempore Iubilæi. Sed contrarium eſt probabilius. 124.Ibid.

Quando in bulla Iubilæi iniungitur vt opera poſſint commutari per confeſſarium electum, ſi quis iam elegit confeſſarium & ab eo eſt facta commutatio, non tamen ei confeſſus ſua peccata, ſed alteri, commutatio valet. ibid.12.

Probabilius eſt, delegatam poteſtatem in votis diſpenſandi & illa commutandi, extendi, etiam tum ad iuramenti pia abſolutè facta, tum ad vota iuramento ex propoſito confirmata, tum etiam ad vota iurata, tametſi iuramentum & votum eiuſdem materiæ concomitanter ſe habeat. ibid.13

Probabile eſt, quando in Bulla Iubilæi conceditur commutatio votorum omnium, exceptis votis caſtitatis & religionis, comprehendi vota peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum & ad D.Iacobum. ibid.14

Secundùm quoſdam non iuuat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, ſi oppoſitum ſit verum: multi tamen Doctores moderni contrarium ſuſtinent probabiliter. ibid.n.15.

Iudex.

Ivdex à ius dicendo nuncupatur, quaſi ius dicens, ſiue ab eo, quod iure diſceptet. 125.n.1

Quinque conditiones deſiderantur in Iudice, vt rectè iudicare poſſit, *Poteſtas, veritas, Forma iuris, ſcientia, & animæ puritas.* ibid.

In iudice neceſſaria eſt poteſtas & iuriſdictio ad validitatem ſententiæ. ibid.

Iudicis poteſtas & iuriſdictio, vel eſt ordinaria, vel delegata, vel arbitraria, vel acceſſoria. ibid.2

Iudex peccat mortaliter, iudicans aliquem abſque aliqua ex dictis poteſtatibus. ibid.3

In quibus peccent iudices vſurpatione iudicij. ibid.

Iudex excommunicatus non peccat vſurpatione iudicij, ſi excommunicatio eſt occulta; & eius ſententia publica eſt valida: ſi tamen eius excommunicatio ſit publica, & iudex ſit denunciatus nominatim vel notorius clerici percuſſor, ſententia & eius acta ſunt irrita. ibid.4

In iudice requiritur veritas, vt ſcilicet, ſecundùm allegata & probata iudicet. 126.5

Veriùs eſt non poſſe iudicem condemnare reum, qui per teſtes eſt probatus criminoſus, v.g. homicidia, quem tamen certò nouit innocentem iudex. ibid.

In cauſis ciuilibus & criminalibus minoribus demptionis vitæ vel mutilationis innocentis, ſi iudex non poſſit falſitatem detegere, poteſt ſeruare iuris ordinem iudicando ſecundùm allegata & probata. ibid.6

Probabilius eſt, ſupremum principem non poſſe ex priuata ſcientia: etiam contra fidem actorum, ſententiam proferre, tam condemnatoriam, quàm abſolutoriam. ibid.7

Iudex ſupremus quantumuis ſit certus de crimine, ordinariè non poteſt condemnare niſi citatum & auditum, niſi in quibuſdam caſibus. ibi.8

Iudex in conferendis officijs, electionibus, diſpenſationibus &c. non tenetur ſequi publicam ſcientiam, omiſſa priuata. ibid.9

Forma iuris in iudice neceſſaria, conſiſtit in modo procedendi in præparatorijs; In ferenda ſententia: Et in pœna imponenda. ibid.10

Iudices regulares ſine ſtrepitu iudicij ac figura ſimulis & apicibus iuris omnibus poſtpoſitis ſuorum cauſas agnoſcunt. ibid.

In iudice neceſſaria eſt ſcientia, qua rectè ſciat ſuo munere fungi; & ex imperitia iudicandi, tenetur ad intereſſe parti læſæ. 127.11

Vitæ puritas in Iudice requiritur, quæ duplex eſt, interior vna, exterior altera. ibid.12

Iudex validè iudicat exiſtens in peccato mortali. ibid.

Iudex per ſe loquendo, non peccat iudicando in peccato mortali, ſecluſo ſcandalo. ibid.

Iudex tenetur cauſas iudicare & celeriter expedire; & ſi notabiliter differat

Digitized by Google

rat expeditionem,tenetur ad reſtitutionem parti læſæ. ibid.
Iudex non poteſt compellere partes ad compoſitionem,etiamſi ſit ſupremus.tamen quando lis eſt longa & difficilis, & iura vtriuſque dubia, poteſt compellere per modum ſententiæ. ibid. 13

Iudicium Publicum.

Modvs procedendi iudicijs,vel eſt per accuſationem, vel per denuntiationem,vel per inquiſitionem. 128.n.3
Iudex via accuſationis iuridicè procedit, quoties delata accuſatione interrogat teſtes, & habita ſemiplena probatione procedit interrogandum reum. ibid.
Iudex via denunciationis procedit,quoties crimine, de aliquo,apud ipſum delato,ex officio procedit ad capiendas informationes. ibid. 2
Quid autem ſit denunciatio & quotuplex vide verb. *Denunciatio.*
Inquiſitio triplex eſt,generalis,ſpecialis & mixta. ibid. 3
Infamia eſt frequens vox bonorum & proborum virorum,quæ hominem de tali crimine rationabiliter ſuſpectum reddit. ibid. 4
Clamoroſa inſinuatio eſt vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extra iudicium. ibid.
Indicia,alia ſunt leuia,alia grauia,alia indubitata. ibid.
Semiplena probatio varijs modis haberi poteſt. ibid. 5
Vt iudex faciat inquiſitionem omninò generalem, non eſt neceſſe vt aliqua infamia præceſſerit,vel accuſatio,vel denuntiatio. ibid. 6
In hac inquiſitione generali,interrogati ſubditi,non debent patefacere criminoſos occultos,qui nulla talis criminis infamia laborant. ibid.
Quando crimen eſt manifeſtum, iudex habet ius inquirendi in genere quis fecerit,non tamen in particulari an Petrus fecerit. 129.7
Modus procedendi per ſpecialem inquiſitionem, qua intenditur pœna delinquentis, requirit præuiam infamiam vel clamoroſam inſinuationem. ibid. 8
Ad infamiam non ſufficit quòd duo vel tres etiam iurati viderint reum committentem crimen; ſed requiritur vt rumor de eo ſparſus ſit per maiorem partem viciniæ vel collegij,vel vniuerſitatis in qua commoratur. ibid.
Ad inquiſitionem ſpecialem non ſufficit infamia orta, poſtquam reus eſt incarceratus,cùm antea nulla eſſet. ibid.
An ſpecialiter inquirendum contra Prælatum, præter ſimplicem infamiam neceſſaria eſt ſemper clamoroſa inſinuatio: contra ſubditum verò ſufficit ſola infamia. ibid.
Modus procedendi per inquiſitionem mixtam,qua inquiritur ſpecialiter de perſona,& generatim de crimine, requirit præuiam infamiam, vel ſemiplenam probationem,& accuſationem. ibid. 9
Iudex inferior ordinariè relaxare non poteſt pœnam à iure taxatam, etiamſi accuſator vel pars læſa conſentiat;ſecus ſi pœna ſit impoſita in ſatisfactionem partis;vel ſi ſit arbitraria. p.165.n.10
Iudex peccat mortaliter liberando reum, quando bonum commune poſtulat eum debere occidi;aut ſi pœnam mortis commutet in mulctam pecuniariam. 130.11
Iudex regulariter loquendo non poteſt condemnare reum,à quo ipſe vel eius miniſtri veritatem commiſſi criminis extorſerunt promiſſa impunitate,ſeu fictis promiſſionibus &c. ibid. 12
Periculoſum eſt aliquando pro reis intercedere in ijs,quæ ab arbitrio iudicis non dependent. ibid. 13
Iudices tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici; poſſunt à litigantibus aliquid loco ſtipendij accipere;pro exercendo iuſtitiæ officio, quando illis ſtipendium à Repub.vel ab alio aſſignatum non eſt. ibid. 14
Iudex Eccleſiaſticus tam ordinarius quàm delegatus habens beneficium cui eſt annexa iuriſdictio, non poteſt à litigantibus munera vel ſportulas accipere. ibid. 15
Iudices ſæculares tam ordinarij quàm delegati poſſunt munus accipere iuxta legitimam loci conſuetudinem. ibid.
Xenia accipi poſſunt à quocumque Iudice. ibid.
Iudex ſæcularis poteſt petere expenſas, quas facit dum proficiſcitur extra domicilium; Eccleſiaſticus ordinarius non poteſt, niſi in duobus caſibus. ibid.
Forma iuris,quam iudex ſeruare debet in ferenda ſententia, in hoc conſiſtit,vt ſententia,feratur iuxta diſpoſitionem iuris, & legis. ibid. 16
Arbiter debet ſeruare formam iudicij, quam ordinarij iudices ſeruant, niſi quatenus in eis aliqua de illa remiſſa fuiſſent. ibid.

Iudex, Iudicium publicum.

Ivdex competens cenſetur aliquis multis modis, vt ex iure ciuili & canonico colligitur: poteſt enim quis ſortiri forum ratione cauſæ; criminis;originis;domicilij;loci;delicti;perſonæ;contractus;vel ratione rei,de qua agitur,&c. 13.n.1
Iudicis obligationes præcipuæ ſunt quatuor. ibid.
Iudex tam ſuperior,quàm inferior,per ſe loquendo,tenetur ſecundùm verba legis iudicare, quoties cauſa propoſita ad leges humanas pertinet,ex quarum obſeruatione nihil ſequitur legi diuinæ vel naturali repugnans. 132.3
Quando ſeruatis verbis legis ratione loci,temporis vel perſonæ ſequeretur aliqua iniuſtitia vel iniquitas,tunc non ſolùm Princeps, ſed etiam inferior iudex,non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm æquitatem, rectæ rationis dictamen iudicare debet. ibid.
Iudex poteſt aliquando ſupplere defectum Aduocati & partium,imò tenetur laborare vt veritas detegatur, & ſecundùm ipſam poſſit iudicare,necnon curare vt falſitas inueniatur. ibid. 4
In pari dubio iuris vtriuſque partis, tenetur iudex fauere poſſidenti: ſi neuter poſſideat,tenetur iudex inter vtrumque diuidere. Si res indiuidua ſit,ſorte diſtribuenda eſt,vt vni res, alteri verò dimidium æſtimationis conferatur. ibid. 5
Quando dantur duo vota æqualia, poſſe iudicem licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua fert ſententiam docent quidam; ſed verius eſt in hoc caſu teneri iudicem ad reſtitutionem eius quod accepit: ſaltem poſt ſententiam. ibid. 6
Vbi competentia ſuper iuriſdictione vertitur inter iudicem Eccleſiaſticum & ſæcularem:iudex Eccleſiaſticus tanquam maior, & maiori dignitate præfulgens,cognoſcere debet, an ſua ſit iuriſdictio, nec arbitros eligere tenetur. ibid. 7
Peccata,quæ iudices directè concernunt,hæc ſunt. Primò, iniuſtam ſententiam ſcienter proferre. Secundò,ſi ex ignorantia craſſa vel affectata proferat ſententiam iniuſtam. Tertio, ſi ſententiam iniuſtam protulit ex eo, quod diſcuſſionem, aut examen debitum cauſæ neglexit. Quarto,ſi permittat ſe corrumpi prece vel pretio, muneribus, aut obſequijs.Quinto,ſi remittat pœnas,non puniens maleficia ex amicitia, vel auaritia,&c. 133.n.8
Iudicium, vt hic accipimus, nihil aliud eſt,quàm actus legitimus duarum perſonarum,ſcilicet,Actoris, & Rei ſuper eadem quæſtione, ſub eodem iudice contractus. ibid.n.9
Iudex requiritur ad ferendam ſententiam; accuſator ad accuſandum, quando crimen non eſt manifeſtum.Et reus ad reſpondendum: hę perſonæ ſubſtantialiter concurrunt ad iudicium. Aliæ vero perſonæ contingenter concurrunt ad iudicium. ibid.
Iudicium acceptum pro determinatione facta à iudice competenti in materia iniuſtitiæ,eſt actus elicitus à iuſtitia. ibid. 10
Vt iudicium ſit ſecundùm iuſtitiam,tres conditiones ſunt neceſſariæ ibid.n.11.
Iudicium tribus modis redditur illicitum.Primo,quando deeſt iudici auctoritas ſuper reo vel cauſa. Secundo,quando iudex iniuſtè procedit, amore,odio vel alia paſſione. Tertio, ſi iudex ex leuibus ſignis & ſuſpicionibus aliquem condemnet. 134.11
Iudicium redditur nullum.Primo,ratione iudicis incompetentis. Secundo,ratione perſonæ agentis,Tertio,ex defectu rei, quæ ſub tali iudice tractari non poteſt. ibid.
De iure naturæ vel diuino non eſt,vt inquiſitionem præcedat infamia, aute condemnationem præcedat accuſatio,ſed tantum de iure humano,quod eſt conforme iure & rationi naturali:in quo poteſt Pontifex, vel Princeps diſpenſare. ibid. 13
In iudicijs extraordinarijs, quinque funguntur vice veri accuſatoris. ibid.
In aliquibus caſibus poteſt procedi ad inquirendum,tam in genere,quàm in ſpecie,abſque præcedente infamia.Quorum primus eſt, quando inquiſitio neceſſaria eſt ad impediendum crimen læſe maieſtatis,aut hęreſis,vel apoſtaſiæ. ibid. 15
Quando in inquiſitione non intenditur condemnatio,aut pœna inquiſiti, ſed ad conferendum beneficium, Officium,&c.vel cum inquiritur de impedimento matrimonij, ne quis in gradu prohibito contrahat; non requiritur præcedens infamia. ibid. 15
Quando quis confeſſus eſt publicè crimen ſuum, extra tamen ordinem iuris: vel quando delictum committitur coram ipſis iudicibus; vel quando iudex in generali inquiſitione comperit aliquem deliquiſſe; vel quando ſuſpicio communis ſupplet vicem infamiæ. In his caſibus poteſt procedi ad ſpecialem inquiſitionem. ibid. 16
Superiores Clericorum & Religioſorum non poſſunt contra eos procedere in criminibus grauibus,niſi eo modo,quo alij iudices,ſcilicet,ſine aliquo accuſatore formali,aut virtuali, & ſine ordine iudiciali,quamuis ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſicut decet religioſos. ibid. 17

Iudicium temerarium.

Ivdicivm temerarium dicitur, quod de alicuius peccato aliove infami malo ex leuibus indicijs concipitur:& differt à ſuſpicione, opinione, & dubio. 135.n.1.
Iudicium temerarium mortale peccatum eſt, quando quis iudicat firmiter & deliberatè de aliquo graui malo proximi,abſque ſufficienti fundamento. ibid. 2
Iudicium temerarium veniale peccatum erit in quinque caſibus. ibid.
Probabilius eſt, peccatum eſſe mortale ex leuibus indicijs iudicare aliquem eſſe ſpurium,vel ortum à Iudæis &c. ibid. 3
Qui temere iudicat in re graui de aliquo indeterminatè, nullum conci-
piendo

piendo in particulari,non peccat mortaliter. ibid.4
Qui de alio male ſuſpicatur, vel iudicat cum ſufficienti fundamento, non poteſt ſuam opinionem,vel iudicium alijs manifeſtare;niſi fiat ad honeſtum finem. ibid.5
Non eſt opus in confeſſione explicare quale fuerit iudicium temerarium dicendo, iudicaui proximum eſſe furem &c. nec contra quam perſonam,fuerit ne Eccleſiaſtica vel ſæcularis. ibid.
Iudicium temerarium eſt peccatum contra iuſtitiam, & quando alteri manifeſtatur, non manifeſtatis leuibus iudicijs, eſt mortale obligans ad reſtitutionem,poſita grauitate materiæ. 136.6
Dubia in meliorem partem poſſunt explicari poſitiuè ſeu affirmatiuè,vel negatiuè. ibid.7
Dubium vel eſt rebus,vel de perſonis. ibid.
Dubia de rebus non ſunt in meliorem partem interpretanda, ſed ſuis æſtimanda momentis. ibid.
Dubia de perſonis regulariter loquendo tenemur explicare negatiuè in meliorem partem,non poſitiuè ſeu affirmatiuè. ibid.
Licitum eſt aliqua ratione dubia in peiorem partem explicare per quamdam ſuppoſitionem,quando agitur de damno vitando,aut de remedio ad præcauendum malum adhibendo. ibi.8

Iudicium temerarium.

IVDICIVM temerarium & ſuſpicio ex tribus potiſſimum cauſis prouenire ſolent Primo, ex prauitate, ſeu malitia iudicantis: Secundo, ex odio,inuidia,& liuore animi. Tertio, ex longo vſu & experientia. ibid.1.
Suſpicio prout comprehendit dubitationem, opinionem & iudicium temerarium, eſt mala, & peccatum, tum iure naturali,tum etiam iure diuino prohibitum. ibid.2
Probabile eſt, peccare mortaliter illum,qui ex leuibus indicijs temere & voluntarie de proximo ſuſpicatur graue ſcelus. Non eſt tamen improbabilis ſententia negans eſſe mortale, ſi ſuſpicio non habeat aſſenſum firmum. ibid.3
Vt iudicium temerarium ſit peccatum mortale, requiruntur quatuor. Primo, vt ſit certum. Secundo, vt ſit plene deliberatum. Tertio, vt ſit de materia graui. Quarto, vt procedat ex leuibus coniecturis. 137.num.4
Peccatum mortale committi poteſt aliquando iudicando proximum temere de culpa veniali. ibid.5
Graue aliquod malum,tametſi nullum ſit peccatum, grauis materia in iudicio temerario eſſe poteſt,ſi per illud vel honor vel fama proximi notabiliter lædatur. ibid.6
Vt in ſuſpicione vel iudicio temerario peccetur mortaliter, non eſt ſatis quomodocumque deliberate ſuſpicari, aut iudicare in re graui, ſed oportet, quod aduertas & aduertendo ſcias, aut ſaltem dubites ex ſignis inſufficientibus,& de graui malo proximi dubitare,ſuſpicari,vel iudicare. ibid.7

Iuramentum. Quoad eius diuiſionem, & materiam.

IVRAMENTVM eſt atteſtatio diuini numinis, vel inuocatio diuini teſtimonij ad fidem faciendam vel promiſſionem firmandam. 138.1
Duo requiruntur ad eſſentiam iuramenti, intentio ſcilicet iurandi, ſeu Deum teſtem faciendi,& locutio,qua in teſtem vocetur. ibid.
Formulæ quædam in quibus non eſt iuramentum. ibid.
Ruſtici continentes ſe iuraſſe,& blaſphemaſſe, interrogari debent, quomodo iurarint præſertim circa ſua pecora. ibid.
Cenſetur eſſe iuramentum in iſtis, *Coram Deo loquor, Deus ſcit ita eſſe* &c. ibid.2
Iuramentum per falſos Deos, non eſt verùm iuramentum, nec obligat, niſi ex conſcientia erronea. ibid.
Ad iuramentum ſufficit tacita Dei inuocatio. ibid.4
Tribus modis poteſt creatura in teſtem adduci. ibid.5
Ad iuramentum non requiruntur verba determinata,ſed ſufficit, vt quis Deum adducat in teſtem. ibid.6
Iuramentum,aliud verbis concipitur,aliud nutu, vel alio ſigno, aut manu ſublata, aut tactu Euangeliorum &c. aliud fit per ſimplicem conteſtationem,aliud per execrationem. ibid.7
Iuramentum aliud fit per Deum;aliud per creaturas; aliud eſt ſolemne; aliud ſimplex:aliud eſt aſſertorium, aliud promiſſorium: porrò iuramentum,aliud eſt abſolutum,aliud conditionale. 139.8
Quando pœnitentes confitentur iuramenta falſa,aut vera ſine neceſſitate,non eſt neceſſarium illa narrare indiuidualiter, ſed ſat eſt dicere *toties falsò iuraui.* ibid.
Materia iuramenti debet eſſe res licita & non peccaminoſa. ibid.
Res indifferens aut impoſſibilis,aut impeditiua maioris boni.ſeu contraria diuinis conſilijs,non eſt materia iuramenti. ibi.10
Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem:quæ primariò, & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat; ſecus ſi reſpiciat fauorem perſonæ priuatæ. ibid.11

Iuramentum promiſſorium & eius obligatio.

PROMISSIO aut iuramentum factum contra prius iuramentum aut contra votum,aut promiſſionem priorem validam,non obligat. ibid.1
Si quis exterius iuret ſine animo iurandi,non obligatur ex vi iuramenti, ſi tamen iuramentum alteri ſit cauſa alicuius damni tenetur taliter iurans illud reſarcire. ibid.2
Probabile eſt, illum, qui iurat animo quidem iurandi,non tamen ſe obligandi,non teneri;quamuis contrarium ſit etiam probabile. 140.ibid.
Verius eſt, ſi quis iuret abſque animo implendi, naſci obligationem. ibid.
Quoties iuramentum rationabiliter exigitur,peccatum mortale committitur iurando cum animo non iurandi, vel cum animo non ſe obligandi. ibid.3
Iuramentum appoſitum contrai,cui error & dolus cauſam dedit,irritum eſt:imò probabile eſt,iuramentum non obligare, quando dolus ſolùm verſatur circa rei qualitatem,vel cauſam promiſſionis aut contractus. ibid.4.
Iuramentum promiſſorium metu graui extortum iniuſtè, obligat, modò factum ſit animo ſe obligandi & de re licita. ibid.5
Theologorum ſententia communis eſt, violationem iuramenti metu extorti,eſſe peccatum mortale,ſi materia ſit grauis. ibid.6
Promiſſio interna facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, ſed reuocari poteſt abſque peccato mortali ante acceptationem. ibid.

Iuramentum. Quoad conditiones illius vt ſit licitum.

Vide tenendum eſt iuramentum eſſe licitum poſita neceſſitate & concurrentibus quibuſdam conditionibus. 141.1
Vt iuramentum ſit licitum tria requiruntur,ſcilicet,veritas, iuſtitia & iudicium. ibid.2
Iuramentum aſſertorium eſt peccatum mortale in omni materia etiam leui, quoties iurans credit non eſſe verum quod aſſerit. Idem dicendum quando quis rem dubiam iurat vel certam vt dubiam. ibid.3
Iudicium requiſitum in iuramento conſiſtit in hoc, vt fiat cum neceſſitate & reuerentia. ibid.4
Iuſtitia iuramenti in hoc conſiſtit, vt iuramentum non fiat de re illicita. ibid.5.
In cauſis ciuilibus maſculus ante 14.annum,& puella ante 12. annum non admittantur ad iuramentum ſolemne in iudicio: In criminalibus non admittitur minor 20.annis. ibid.6
Periuri repelluntur à iuramento emittendo in iudicio. ibid.7
Sacerdotibus & Prælatis interdicitur iurare in iudicio ſine graui cauſa, & neceſſitate. ibid.
Iuramentum poteſt præſtari per nuncium vel procuratorem, modò procurator, ſpeciale mandatum habeat ad iurandum & lex non reſiſtat. ibid.8.
In certis caſibus & ex iuſta cauſa licitè poteſt exigi iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus. ibid.9
Ex cauſa iuſta licitum eſt iurare cum aliqua amphibologia, quando verba,quæ vſurpantur ſunt ex ſignificatione ſua ambigua, & vtrumque ſenſum tam iurantis,quam interrogantis recipientia. 142.10
Quando verba non ſunt talia,ſed in ſenſum verum detorquentur ex ſolo aliquo addito mente iurantis concepto, ſemper eſt mendacium & conſequenter periurium mortale. ibid.
Nullus amphibologiæ vſus fraudi,dolo iniuſto,vel iniuriæ alieni ſuffragari debet aut poteſt:vnde qui in tali caſu amphibologia vtitur, ſi nocumentum ſit graue,mortaliter peccat:ſecus ſi nocumentum ſit & iuſtè inferatur. ibid.
Qui legitimè ad iuramentum compellitur à ſuperiore, vel qui ſe ſua ſponte offert ad iurandum ſine neceſſitate,peccat mortaliter,ſi iuret id quod eſt verum ſecundùm mentem ſuam, falſum autem ſecundùm mentem petentis. ibid.11.
Regula generalis ſit,quod omnis amphibologia, ſiue in verbis,ſiue reſtrictionibus,& intentionibus mentalibus conſiſtat, quæ iuſtitiæ, fidelitati vel charitati proximo debitæ in aliqua materia graui aduerſatur, eſt peccatum mortale. ibid.

Iuramentum. Quoad peccatum iurantis ex conſuetudine, & violantis iuramentum.

CONSVETVDO iurandi per ſe non eſt peccatum mortale; ſecus de conſuetudine iurandi,& mentiendi,& coniungendi mendacia cum iuramento. 143.1.
Aduertens ſe habere conſuetudinem peierandi, & non adhibens remedia ad illam tollendam mortaliter peccat, quoties aduertit. ibidem 2.
Habens firmum propoſitum abſtinendi in futurum ab huiuſmodi iuramentis poteſt abſolui. ibid.
Poſtquam pœnitens paruam conſuetudinem efficaci propoſito retractauit, tunc conſequentia falſa iuramenta, & verba blaſphemiæ non im-

putabuntur ad peccatum, cum non ſint voluntaria. ibid.
Probabilius eſt tranſgredientem iuramentum in re parua ſeriò promiſſa, peccare mortaliter, ſiue ſit tota materia, ſiue pars tantùm. ibid. 3
Tenetur iuramentum adimplere, qui iurauit de infligenda alicui pœna, quam iuſtè poteſt infligere, modò cauſa propter quam adimpleri debeat, non ſit variata. ibid. 4
Iuramentum cadens ſupra propoſitum vel promiſſionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex diſpoſitione iuris, eo modo explicandum eſt, quo explicatur & obligat ipſa promiſſio, ibid. 5.
In dubio iuramentum ita explicandum eſt, vt quantum fieri poteſt, minùs obliget, ſeruata verborum proprietate. ibid.

Iuramentum. Quoad eius relaxationem & de pœnis periurij.

PRINCIPALIS pœna periurij vtroque iure irrogata, eſt infamia. 144. 1
Multæ aliæ pœnæ tam iure Pontificio, quàm Cæſareo inflictæ ſunt contra hoc crimen committentes. ibid.
Obligatio à iuramento tolli poteſt, vel impediendo ne illam ab initio inducat, vel tollendo iam inductam. ibid. 2
Impediri poteſt obligatio iuramenti per legem, quando lex ſtatuit vt iuramentum contractui vel promiſſioni alicui adiectum ſit irritum. ibid.
Obligatio iuramenti iam inducta tolli poteſt mutatione materiæ, ſi nempè materia iuramenti fiat illicita. ibid. 3
Ceſſat obligatio iuramenti condonatione, ſeu relaxatione eius in cuius fauorem factum eſt iuramentum. ibid.
Iuramenti obligatio tollitur irritatione facta per ſuperiores, quibus ſubiecta eſt materia iuramenti. ibid. 4
Iuramenta minorum non poſſunt irritare curatores: iuramenta tamen impuberum poſſunt irritari à tutoribus. ibid.
Iuramenti vinculum tollitur etiam commutatione, vt ſi ille, cui factum eſt, concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promiſſum eſt, præſtari. ibid. 5
Poteſtas ordinaria commutandi iuramenta competit Epiſcopis & alijs prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos. ibid.
Ex poteſtate delegata, regulares commutantes vota ex priuilegio, poſſunt etiam commutare iuramenta de eadem materia. ibid.
Vnuſquiſque poteſt ſuum iuramentum commutare in melius: in æquale autem vel minus bonum non poteſt iuramentum commutari, ſine authoritate illius qui ad hoc habet poteſtatem. 145. 6
Iuramentum factum in fauorem hominis & valdè acceptatum, non poteſt commutari ab alio, ipſo inuito. ibid.
Iuramenti obligatio tollitur diſpenſatione, quam dare poteſt Summus Pontifex ex cauſa in omni iuramento, ceſſante damno tertiæ perſonæ: Epiſcopus idem poteſt, cum ſibi ſubditis. ibid. 7
Quicumque poteſt à voto abſoluere, à iuramento etiam de eadem re emiſſo abſoluere poteſt. ibid.
Iuramenta abſoluta caſtitatis, religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ Romanæ & Compoſtellanæ, quæ nullam promiſſionem Deo factam includant; diſpenſari poſſunt ab Epiſcopis, & conſequenter à confeſſoribus ordinum mendicantium. ibid.
Prælati regularium exempti ab ordinario circa ſuos ſubditos poſſunt in iuramentis diſpenſare, ſicut Epiſcopi. ibid. 8
Confeſſores regulares ordinum mendicantium ex priuilegijs poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, & conſequenter in omnibus iuramentis. ibid.
Diſpenſans in iuramento ſine cauſa rationabili peccat, & irrita eſt diſpenſatio in foro conſcientiæ. ibid. 9
Quando cauſa non eſt ſufficiens ad diſpenſandum, poteſt iuramentum partim relaxari & partim commutari, habita ratione cauſæ. ibid.
Dantur aliquæ cauſæ relaxandi iuramentum, quamuis emiſſum in fauorem tertij. ibid. 10

Iuramentum.

INVOCARE diuinum teſtimonium nihil aliud eſt, quàm Deum in teſtem vocare, ſeu præcari, vt Deus veritatem rei quam profert quis atteſtetur, tanquam id quod eſt ab ipſo Deo ſcitum & verum. 146. 1
Non eſt iuramentum, niſi quis velit verba quæpiam vſurpans formaliter vel virtute inuocare diuinum teſtimonium ad alicuius veritatis teſtimonium. ibid.
Iuramentum aſſertorium dicitur, quando diuinum teſtimonium inuocatur ad confirmandam enunciationem de præſenti, aut de præterito. Promiſſorium vero dicitur, ſub quo etiam comminatorium comprehenditur, quando diuinum teſtimonium adducitur, ad confirmandam enunciationem de futuro. ibid. 2
Iuramentum aſſertorium ſolùm requirit vnam veritatem, videlicet præſentem vel præteritam, quæ aſſeritur. Promiſſorium verò, duplicem, præſentem nempe, & futuram. ibid.
Iuramentum execratorium non conſiſtit per ſe & formaliter in ipſa execratione, ſed conſiſtere dicitur in execratione, tanquam in ſigno quodam à poſteriori ipſius iuramenti. ibid.
Periurus, qui fecit iuramentum execratorium, communiter loquendo, vnum tantùm peccatum mortale committit periurij. Si tamen quis eſſet ita proteruus, & ſibiipſi infeſtus, vt ea animo peruerſo & ſerio mala illa verè à Deo imprecari intendat contra ſeipſum vel alios, tunc duplex peccatum committeret, vnum periurij, alterum execrationis contra charitatem propriam. ibid. 3
Non eſt de eſſentia iuramenti, vt explicitè interponatur verbum iuro, vel quid ſimile: imò ſine vlla verborum prolatione Deus vocari poteſt in teſtem, vt ſi rogatus ac iuſſus manu crucem, aut librum Euangelij tangat, intendens, & ſignificans ſe iurare. 147. 4
Ad rationem iuramenti ſufficit, quod Deus tacitè, ſiue expreſſè quocumque modo inuocetur in teſtem aſſertionis ſiue verbis, ſiue ſignis, ſiue nutibus ſignificantibus intentionem iurantis. ibid.
Aliquando in foro externo neceſſarium eſt fieri iuramentum tactis Euangelijs, alioquin vim vllam non habebit, quantùm iuris effectum attinet. ibid.
Sicut veritas in iuramento tribus modis conſiderari poteſt, ita triplex falſitas poteſt eſſe in iuramento. ibid. 5
Iuramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, ſemper eſt peccatum mortale in quacumque materia adhibeatur. ibid. 6
Iuramentum etiam promiſſorium ex defectu veritatis conſiſtentis in concordia vocis cum animo interiori faciendi quod promittitur, ſemper eſt peccatum mortale, ſiue res quæ promittitur ſit licita, ſiue illicita, ſiue parua, ſiue magna. ibid.
Probabilior, ac tutior opinio aſſerit iuramentum promiſſorium de re licita ob defectum veritatis de futuro, ſemper eſſe peccatum mortale, etiamſi materia promiſſa ſit parua & hæc ſententia rationibus fulcitur: quanquam oppoſitum ex principio extrinſeco non ſit improbabile. ibid. 7
Ex defectu iuſtitiæ mortaliter peccat contra religionem, qui iurat ſe commiſſurum aliquod peccatum mortale: venialiter autem peccabit, ſi iuret ſe facturum peccatum veniale. 148. 8
Ex defectu iudicij iuramento contingit peccatum, quandò quis res veras ſine iuſta cauſa, & neceſſitate iuramento confirmat; ſed hoc peccatum communiter eſt ſolum veniale. ibid. 9
Quando deeſt iudicium ex parte inquiſitionis neceſſariæ ad videndum, an id quod iuramento aſſeritur, verum ſit, necne tunc defectus iudicij erit mortale, vel veniale peccatum, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. ibid.
Iuramentum per falſos Deos illicitum, & peccatum mortale eſt, obligat tamen iurantem, dummodo licitum ſit, quod iuratur. ibid. 10
Iurare verum per falſos Deos, grauius eſt peccatum, quàm iurare falſum per Deum verum. ibid. 11
Iuramentum promiſſorium non obligat ad ea, nec ad eos euentus, qui rationabili intentione iurantis, vel interpretatione iuris, cenſentur excepti. ibid. 12
Quædam conditiones in omni iuramento promiſſorio ſimpliciter, & abſolutè facto, ſubintelligendæ ſunt ex iure communi ad hoc, vt iuramentum obliget; quarum prima eſt, *Saluo iure, & authoritate Superioris,* 149. 17
Secunda conditio eſt, *Obſeruatio fidei, propter quam iuratur*, hæc conditio habet tantùm locum in promiſſione reciproca mutuò ſe reſpiciente. ibid.
Tertia conditio eſt, *Niſi is, in cuius gratiam, & vtilitatem iuratum eſt, obligationem tacitè, vel expreſſè remittat.* ibid.
Quarta conditio eſt, *Si res in eodem ſtatu permanſerint, ſiue notabiliter mutata non fuerint.* ibid.
Qui iniquè, & irrationabiliter ab altero adigitur ad iurandum, non peccat quocumque modo alterum decipiat circa ſenſum orationis de futuro, quàm confirmat iuramento, non tenetur illud adimplere iuxta mentem alterius, ſecundùm probabilem Doctorem ſententiam; quamuis alij oppoſitum doceant. ibid. 14.
Iuramentum per metum præſtitum latroni, de non denunciando illum iudici, vel Eccleſiæ non obligat, in caſu, quo occurreret præceptum obligans iurantem ad denunciandum. Valeret autem iuramentum, quando non eſſet obligatio illum denunciandi. ibid. 15
Iuramentum homini præſtitum ita eſt perſonale ex parte iurantis, vt eius obligatio ex iuramenti vinculo nunimè ad hæredes, & ſucceſſores iurantis tranſeat. ibid. 16.
Iuramentum non eſt perſonale ex parte eius, cui præſtatur, & ſic tranſit in hæredes ipſios. 150. 17.
Iuramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto ratione illius dignitatis, non amplius obligat eo ab illa dignitate remoto. ib. 18
Ex iuramento confirmatorio promiſſionis ab altero acceptatæ conceditur actio in externo foro, tam ciuili, quàm canonico. ibid 19
Laicus ratione iuramenti conueniri poteſt coram iudice Eccleſiaſtico, ſimiliter etiam coram iudice laico, nec ob iuramentum mutatur forum, ſed additur forum foro. ibid. 20.

Si iu-

Digitized by Google

Si iuramentum ſit factum ſoli Deo, de eiuſmodi iuramento ſolus Eccleſiaſticus iudex cognoſcit. ibid.

Iudex ſæcularis poteſt cogere laicos ad condonandam obligationem iuramenti metu, aut iniuria extorti, quando conſtat de recipientis turpitudine, & tenentur ipſum relaxare: idem poteſt iudex Eccleſiaſticus. ibid. 21.

Iuramentum contra ſimplicem promiſſionem non incipit obligare, ſi ceſſet obligatio ſimplicis promiſſionis: ſecus eſt de iuramento valido ab initio, quod ceſſat obligare, ſi res de qua eſt, fiat illicita. ibidem num. 22.

Iuramenti aſſertorij obligatio maior eſt quàm voti. Sed ſi nihil Deo promittas, ſed ſolum homini, ſi quid ſimile Deo voueas, probabilius eſt, maiorem eſſe voti obligationem. 151. 23

Iuramenta parentum, herorum, aut dominorum, quibus iurant ſe punituros filios, famulos, aut ſeruos, communiter non obligant: idem dicendum eſt de iuramentis puerorum leuiter iurantium ſe accuſaturos alios pueros apud parentes, vel magiſtros? ibid. 24

Iuramentum vrbanitatis gratia præſtari ſolitum in ingreſſu, vel egreſſu alicuius loci, non ingrediendi, aut egrediendi prius, non eſt obligatorium. ibid. 25

Iuramenta inter emendum, & vendendum vſurpari ſolita, non emendi auctori pretio: aut non vendendi viliori, non ſunt obligatoria. ibid.

Promiſſo prodiga, iuramento firmata ſolum obligat; iuxta quoſdam, quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas, non verò quoad incrementum: ſed non minùs probabile eſt integrè obligare. ibid. 26

Iuramentum ſoluendi vſuras, obligat. ibi. 27

Qui iurauit ſeruare ſtatuta Reipublicæ, Collegij, Vniuerſitatis alicuius, Confraternitatum, Officij, &c. tenetur ea ſeruare, quæ ſunt maioris momenti, & ea quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in vſu. ibid. 28

Iuramentum de ſeruando ſecreto, ſiue non reuelandis ijs quæ in capitulo definitorio apud regulares, Concilio, &c. tractantur, intelligi debet, quatenus materia ſecretum poſtulat, & valde interſit eam non euulgari, tunc enim eius violatio mortalem culpam continet. 152. 29

Quando materia leuis eſt, probabilius eſt, etiam tranſgreſſionem iuramenti eſſe mortalem: quamuis probabile ſit eſſe tantùm venialem culpam, ſiue res illa ſit totalis, ſiue partialis materia iuramenti. ibid.

Ad iudicandum, an promiſſiones humanæ, etiam iuramento firmatæ obligent ad mortale, non eſt ſpectandum, qualis ſit materia promiſſa in ordine ad diuinū obſequium, cuius intuitu nihil promiſſum eſt, ſed qualis ſit in ordine ad hominem, in cuius gratiam fit, & quantum illius interſit promiſſionem illam impleri. ibid. 30

In Eccleſia Dei eſt legitima ſpiritualis poteſtas ex iuſta cauſa verè relaxandi iuramenta promiſſoria, & non ſolum declarandi ea in certo caſu non obligare. ibid. 31

Quædam ſunt iuramenta, præter quinque communia, quorum relaxatio ſoli Romano Pontifici reſeruatur. ibid. 32

Iuramenti irritatio dupliciter poteſt fieri, directè, nempe, & indirectè. ibid. 33.

Iuramentum, & votum inter ſe differunt. 1. ex parte obiecti. 2. ex parte materiæ. 3. ex parte diſpenſationis. 4. ex parte diſpenſationis reſpectu materiæ. ibi. 34

In iuramentis relaxandis caueri debet, ne iniuria fiat tertiæ perſonæ. ibid.

Ad iuramenti irritationem non eſt neceſſaria iuriſdictio Eccleſiaſtica, nec conſenſus eius qui iurauit, nec cauſa, ſed ſatis eſt, quod irritans habeat dominium ſuper re iuramento promiſſa. ibid. 35

Superior, qui conſenſit in iuramenta ſubditorum; aut pater in iuramenta filiorum, &c. non poteſt ampliùs ſine peccato abſque cauſa irritare; quale autem peccatum ſit? quidam dicunt rarò eſſe mortale, niſi vel ſcandalum, vel contemptus grauis intercedat: alij volunt, eſſe mortale, quod reducitur ad ſacrilegium. ibid. 36

Quando iuramentum eſt præſtitum in obſequium, lucrum, vel commodum alterius, obligatio illius ceſſat remiſſione partis, cui præſtitum eſt. Secus, ſi principaliter in Dei honorem, in cuius obſequium res iuramento promiſſa cedit, tunc non poteſt homo, cui iuratur hoc iuramentum remittere. 153. 37

Quando iuramentum eſſet principaliter in Dei honorem præſtitum, at tota res promiſſa cedit in fauorem partis, quidam negant id iuramentum poſſe à parte remitti, probabilius tamen eſt, mutuo conſenſu remitti poſſe. ibid. 38

Iuramentum de non petenda iuramenti relaxatione facti latroni de danda illi certæ pecuniæ ſumma ad tuendam vitam iuxta aliquos non eſt validum, ſed contrarium eſt dicendum, nempe peti debere prius iuramenti huius poſterioris relaxationem, & deinde prioris. ibid. 39

In ſimilium iuramentorum relaxatione cauendum eſt, ne aliquid in religionis Chriſtianæ contemptum cedat. ibid.

Si quis relaxationem iuramenti metu extorti, aut ſoluendi vſuras petat ad eum effectum, vt à ſolutione ſit liber in vtroque foro, citanda eſt pars, aliàs relaxatio non valeret: Secus ſi relaxatio petatur pro ſolo conſcientiæ foro. ibid. 40

Vinculi iuramenti relaxatio directa, quæ fit per modum diſpenſationis, vel abſolutionis, ad Eccleſiaſticos tantùm Prælatos pertinet: Indirecta autem iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ temporalis, etiam ad ciuilem poteſtatem pertinere poteſt, dummodò perſona cui remittitur ſubdita ſit. ibid. 41

Princeps ſupremus & lex ciuilis, poſſunt irritum reddere iuramentum laici ſibi ſubditi in contractibus ad forum ſæculare ſpectantibus, impediendo vim illius antequam præſtetur, ne ex illo obligatio oriatur, quando id exigit finis politicus, & bonum ſuæ Reipublicæ. ibidem num. 42

Ius, Iuſtitia.

Ius deriuatur à iubendo, cuius participium facit iuſſum: & idem eſt quod lex, ſiue regula præſcribens modum aliquem operandi cum quadam neceſſitate, vt ad finem aliquem perueniatur, & vitium, & pœna, aut incommodum aliquod vitetur. 154. 1

Ius aliquando capitur pro eo quod dicitur æquum & iuſtum: aliquando pro eo quod dicitur, poteſtas & actio moralis, quam quis habet ad rem aliquam. ibid.

Ius aliud eſt æquale, aliud inæquale. ibid. 2

Ius inæquale diuiditur in deſpoticum, paternum & diuinum. ibid.

Ius æquale eſt duplex, aliud dicitur ius in re, & eſt illud, quod quis habet circa rem quaſi in actu & non in potentia tantùm. Aliud dicitur ius ad rem, quod non ita applicat & appropriat rem perſonæ, vt res ipſa per ſe ſit obligata, licet perſona debitoris, poſſit eſſe obligata ad eam rem reddendam. 155, 3

Ad comparandam ius in re non ſatis eſt habere titulum, qualis eſt legitima emptio vel donatio, ſed vlterius requiritur rei traditio genere aliquo traditionum, quæ requiritur & ſufficit ad poſſeſſionem comparandam. Aliàs ſine traditione comparatur ſolùm ius ad rem. ibid.

Ad comparandum ius in re circa res incorporeas, præter titulum non ſemper eſt neceſſaria traditio, quando ſcilicet id peculiariter aliquo iure ſancitum eſt; vt ad comparandum ius in re in beneficio Eccleſiaſtico, ſatis eſt vt præcedat collatio & ſequatur acceptatio. ibid.

Ius tripliciter diuiditur. Primò, in ius naturale, & poſitiuum Secundò, poſitiuum, in diuinum & humanum. Tertiò, humanum, in ius Gentium ciuile, & Canonicum. ibid. 4

Ius naturale dicitur illud, quod vbique eandem vim habet, cuius obligatio oritur ex natura rei, quæ præcipitur. Ius poſitiuum eſt illud, cuius obligatio oritur à præcepto & voluntate præcipientis. ibid.

Ius poſitiuum diuinum eſt, quod à Deo, aut Chriſto quatenus homo eſt ſimulque Deus, de ijs, quæ ad naturale ius non ſpectant, latū eſt; quale eſt præceptum Baptiſmi, Confeſſionis, Euchariſtiæ, & ſimilium. ibid.

Ius humanum ſunt reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo poteſtate; ſiue lata ſint ab Eccleſiaſticis, ſiue à Principibus ſæcularibus. ibid.

Ius gentium eſt ius humanum, quo omnes, aut ferè omnes gentes vtuntur. ibid.

Ius ciuile dicitur illud; quod eſt conditum per ſæculares poteſtates, & eſt duplex; commune Cæſareum quod continet libros iuris Ciuilis, nempe, *Inſtituta Imperatoris, Digeſtum vetus, Digeſtum nouum. Inforti atum, librum Authenticorum & Codicem.* ibid. 5

Alterum ius ciuile eſt illud particulare, quod continetur in legibus, Pragmaticis atque Conſtitutionibus vniuſcuiuſque Regni, vel Prouinciæ. ibid.

Formulæ communes quæ hodie ſunt communiter in vſu. pro citationibus omnium librorum iuris ciuilis Cęſarei. ibid.

Ius Canonicum eſt id, quod per Eccleſiam, eiuſque miniſtros, quatenus tales ſunt, traditum eſt, & continet quinque libros, *Decretum. Decretales, Sextum, Clementinas & extrauagantes.* ibid. 6

Decretorum liber compilatus fuit Boconiæ, anno Domini 1120. à Magiſtro Gratiano Monacho S. Benedicti, & hodie correctus, auctus, innumeriſque additionibus illuſtratus à Gregorio XIII. 156. ibid.

Modus intelligendi citationes huius libri Decretorum. ibid.

Decretales ſunt epiſtolæ, quas diuerſi Summi Pontifices reſpondendo diuerſis quæſtionibus, in Concilijs, & extra reſcripſerunt. ibid.

Allegatio libri Decretalium quomodo demonſtretur. ibid.

Tertius liber Canonici iuris, dicitur, *Sextus liber Decretalium*, adiunctus ſcilicet, quinque alijs libris Decretalium epiſtolarum. Collectus fuit à Bonifacio VIII. Pontif. max. ibid.

Quartus liber, dicitur, *Clementinorum*, id eſt Conſtitutionum quas Clemens V. in Concilio Viennenſi, & extra condidit. Quomodò hic liber allegetur. ibid.

Quintus liber eſt *Extrauagantium* Conſtitutionum: quarum quædam dicuntur, *Communem*. Aliæ ſunt Ioannis XXII. ibid.

Omnia hæc iura Canonica contenta in Decretalibus, Sexto Clementinis, & Extrauagantibus auctoritatem habent irrefragabilem, dummodo per Conſtitutionem, vel iuſtam conſuetudinem contrariam non ſint abolita. ibid.

Iuſtitiæ nomen deductum eſt à iure ſiue à iuſto. Definitur. Iuſtitia eſt conſtans voluntas, & perpetua, ius ſuum cuique tribuendi. ibid. 7.

Digitized by Google

Iuſtitia differt à reliquis virtutibus moralibus. ibid.8
Iuſtitia præſtantiſſima virtus eſt inter virtutes Cardinales, cuius ſubiectum eſt voluntas. Tamen virtus iuſtitiæ longè inferior eſt tribus virtutibus Theologicis. ibid.9
Iuſtitia alia eſt particularis, alia eſt generalis. 157.10
Iuſtitia vniuerſalis, ſeu legalis, differt à iuſtitia particulari eſſentialiter. ibid.11.
Iuſtitia legalis non differt à virtute pietatis erga patriam: ſi tamen nomine iuſtitiæ legalis intelligatur virtus, quæ ſpectat bonum publicum, quatenus debitum à parte toti probabile eſt iuſtitiam legalem à pietate diſtingui. ibid.12
Iuſtitia legalis, alias eſt in Principe, alia in ſubditis. ibid 13
In Republica triplex habitudo, ſeu ordo inuenitur. Primò, eſt partis ad partem. Secundo, communitatis ad ſingulas partes. Tertiò, ſingularum partium ad communitatem. ibid.14
Iuſtitia diſtributiua eſt iuſtitia particularis, cuius munus conſiſtit in conferendis Officijs, dignitatibus & præmijs, iuxta qualitates & merita perſonarum, quibus talia diſtribuenda ſunt. ibid.
Iuſtitia cõmutatiua eſt iuſtitia particularis, quæ vnicuiq; reddit ęqualiter iuxta proportionem arithmeticam quidquid proprię eſt ei debitũ. ib.
Iuſtitia commutatiua cum diſtributiua aliquando permiſcetur & aliquando diſtinguitur. ibid.15
Inter patrem, & filium, dominum ac ſeruum, maritum ac vxorem, non eſt iuſtitia ac iuſtum, propriè ac ſimpliciter, ſed ſecundùm quid & per ſimilitudinem. 158.16
Iuſtitia vindicatiua eſt valde affinis iuſtitiæ commutatiuæ, & ad eam reducitur; nihilominus deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, quatenus pęna quæ pro iniuria & debito ſumitur, damnum integrũ non reſarcit. ib.17
Si aliquis iniuriam ſibi ipſi faciat, non peccat contra iuſtitiam: iniuria enim tendit in aliam perſonam diſtinctam, non ad ſeipſum. ibid. 18
Sicut nullus poteſt facere iniuſtum per ſe formaliter loquendo, niſi volens; ita nec vllus pati iniuſtum, niſi nolens: quamuis per accidens, & quaſi materialiter loquendo, poſſit quis iniuſtum vel nolens facere, vel volens pati. ibid. 19
Fieri poteſt, vt quis iniuriam faciat, & tamen nemo ſit, qui iniuria afficiatur. ibid.
Qui aliquid iniuſtum facit contra proximum ſuum ex ſuo genere mortaliter peccat: tamen ratione paruitatis materiæ vel inaduertentiæ inculpabilis, vel ignorantiæ facti, talis peccaret tantùm venialiter. ib.20.
Qui committeret iniuſtitiam in materia leui, quando dominus putatur valdè ægrè laturus, peccaret mortaliter, non peccato furti, ſed peccato ſcandali. ibid.

L.

Legatum.

LEGATVM eſt donatio quædam defuncto relicta & ab hærede præſtanda. 159.1
Legatum preſsè ſumptum non differt à fideicommiſſo particulari ſolùm in hoc, quod quando verba teſtatoris diriguntur ad legatarium, dicitur legatum: quando autem ad hæredem, cui præcipit vt hoc detur Titio, dicitur particulare fideicommiſſum. ibid.
Quando hoc verbum *lego*, adijcitur vniuerſalitati bonorum nullo expreſſo hærede, ſignificat inſtitutionem hæredis ex præſumpta teſtatoris voluntate. ibid.
Legatum pure & ſimpliciter factum abſque conditione vel determinatione diei, debetur legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris. ibid. 2
Legatum ſub conditione expreſſa relictum non debetur niſi adueniente conditione. Legatum autem ſub conditione tacita quæ ex diſpenſatione iuris ſubintelliguntur, ſeu ex voluntata teſtatoris, non debetur mortuo legatario: vt ſi legans dicat, Relinquo tibi centum in ſingulos annos. ibid.
Legatum ſub conditione, ſi non nupſerit, vel ſi Religionem non ingrediatur, in foro exteriori eſt validum, etiamſi legatarius conditiones non adimpleat. ibid. 3
An autem idem ſit dicendum in foro conſcientiæ? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Legatum relictum alicui perſonæ determinatæ vt matrimonium ineat, debetur, ſi religionem ingrediatur. 160.4
Quando legatum non certæ perſonæ matrimonio collocandæ, ſed indefinitè pro virginibus maritandis relinquitur, an poſſit dari puellæ Religionem ingredienti? plurimi negant niſi aliter præſumatur de mente teſtatoris: ſed contrarium eſt etiam probabile. ibid.
Legatum relictum fœminis in matrimonium collocandis, regulariter non poteſt conferri viduis ſecundò nubentibus: niſi deficiant fœminæ nubiles ætate, quibus poſſet id legatum conferri. ibid. 5
Legatum factum pro maritanda certa aliqua puella, peti non poteſt ante ætatem nuptijs aptam: imò legatum in genere relictum pro maritandis fœminis, non poteſt tradi fœminæ, quæ nondum ad annum duodecimum peruenit. ibid.
An legatum relictum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittatur per tranſitum ad ſecundas nuptias? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.6
Legatum vſusfructus vel alimentorum relictum vxori à viro expreſſa conditione, quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, non amittitur per tranſitum ad tertias & vlteriores. ibid. 7
Legatum relictum alicui ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittitur vnica fornicatione admiſſa & hoc quoad vtrumque forum, ſi legatum relictum ſit à marito, vel eius filijs, aut filijs ipſius vxoris, aut alterutrius coniugis conſanguineis. Secus ſi ab extraneo relictũ ſit. ib. 8
Legatum ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi non amittitur à fœmina ampleaus virorum, aut tactus impudicos ſemel atque iterum patienti. Secus, quando fœmina toties in hos tactus labitur, vt arbitrio boni viri poſſit ea fœmina dici impudica, ac inhoneſtè viuens. ibid.
Legatum vxori relictum à viro quamdiu cum filijs legantis commorata fuerit, non amittitur vxore tranſeunte ad ſecundas nuptias & volentes cum prædictis filijs habitare. 161.9
Omnis & ſolus ille, qui teſtari poteſt, poteſt legare; legatum enim non relinquitur, niſi in teſtamento vel codicillo. ibid.10
Omnes perſonæ capaces bonorum, modo non ſint perſonæ omninò incertæ, ſunt etiam capaces legatorum. ibid.
Legata incerta ratione incertitudinis perſonæ, ex aliquo extrinſeco accidente, non debentur in foro exteriori: tenebitur tamen hæres in foro conſcientiæ, in tali caſu illud legatum inter eas diuidere, ſi in id conſentiant. ibid. 11
Quamuis Fratres Minores de Obſeruancia, & Capucini, eorum que Monaſteria, aut Eccleſiæ hæredes inſtitui non poſſunt, legata tamen ipſis relinqui poſſunt per modum piæ donationis, ſeu eleemoſynæ, cum limitationibus infra ponendis. 162.12
Quando legatum eſt tantæ quantitatis, vt videatur relinqui in fraudem, ſiue ſub nomine ac forma legati hæreditas dari: tunc Fratribus dictis non licet tale legatum acceptare. ibid.
Si Fratribus Minoribus legetur domus, ſeu habitatio ſeiuncta ab eorum Monaſterio talem poſſidere non poſſunt. ibid.
Si Fratribus Minoribus dictis legetur annuus reditus perpetuus vel ad longum tempus pro eorum victu & veſtitu, talis legati Fratres non ſunt capaces. Secus ſi annuus reditus legetur pro luminibus, aut ornamentis Eccleſiæ, pro vino vel frumento ad quotidianum ſacrificium neceſſario. ibid.
Si legato rei mobilis, ſeu immobilis adijciatur modus, qui repugnet dictorum Fratrum profeſſioni; vt ſi legetur vinea ad eam retinendam, excolendam & fructus pro vino, quotidiano colligendos; talis legati fratres non ſunt capaces. ibid.
Si abſolutè dictis Fratribus legatus ſit fundus valet legatum, cùm illud vendi poſſit ac debeat & ea pretio neceſſitati fratrum ſubueniri. ibid.
Si pecunia legata ſit pro veſtitu Fratrum & veſtimentis tunc non indigeant, valet legatum, atque in alias neceſſitates eorumdem, auctoritate Ordinarij conuertendum erit. ibid.
Non poſſunt Fratres Minores exigere in iudicio legata ipſis relicta; licet extra iudicium poſſint implorare Officium iudicis, vt compellat hæredem, vt obligationi ſatisfaciat. ibid.
Probabile eſt hæredes teneri in conſcientia ſoluere Fratribus Minoribus legata ipſis relicta in caſu, quo ij ſint illorum incapaces; quantumuis tutius ſit abſtinendum eſſe à receptione talium legatorum. ibid.
Legata, ſimpliciter relicta tranſmittuntur ad hæredes legatarij, licet is, ante aditam hæreditatem decedat, tamen poſt mortem teſtatoris: peti tamen non poſſunt priuſquam hæreditas adita ſit. ibid.
Legata ab hæredibus peti debent, ab executoribus autem, quando ſunt conſtituti vniuerſales diſtributores bonorum omnium defuncti in pauperes, aut in alia opera pia. ibi. 14
Legatum peti poteſt vniuerſim, vbi hæreditas, aut maior hæreditatis pars exiſtit: item vbi hæres habet domicilium. ibid. 15.
Quando de teſtatoris voluntate conſtat vbi legatum ſoluendum ſit, ibi eſt ſoluendum. Si legetur res teſtatoris determinata in indiuiduo, ibi ſoluenda eſt vbi illa exiſtit. ibi. 16.
Legatum rei alienæ, etiamſi fiat ad pias cauſas, iure Canonico, inualidum eſt: & in foro conſcientiæ non obligatur hæres ad ſoluendum huiuſmodi legatum: aliter eſt dicendum de iure ciuili, quando teſtator ſciebat rem alienam eſſe. ibid. 17.
Vt legatum dicatur pium duo requiruntur. Primò, eſt pietas perſonæ cui ſit legatum. Secundò, vt ſiat cauſa pietatis. ibi. 18.
Legata ad pias cauſas valent, & ſunt præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit, aut quoad hæredis inſtitutionem teſtamentum aliquo defectu laboret: modo liberis teſtatoris legitima inſtitutionis titulo relicta fuerit. 183.19.
Multis priuilegijs gaudent legata pia, quibus non gaudent alia non pia. ibid. 20.
Tres actiones competunt legatario ratione legati ad conſequendum legatum. Primò, eſt perſonalis. Secundò, eſt actio hypothecaria. Tertiò, eſt rei vendicatio. ibid. 21
Ex multis cauſis hæres liberatur à ſolutione legati. ibid. 22

Prin-

Digitized by Google

Princeps ſupremus derogare poteſt teſtamento & legato facto ad cauſam profanam, conuertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam vel piam. Idem poteſt Summus Pontifex in legatis pijs. ibid.13.
Epiſcopus ex iuſta cauſa & conſentiente hærede, ſi ob legata grauetur, & loco pio, cui res relicta fuerat, poteſt legatum pium relictum ad certum vſum, conuertere in alium pium vſum. ibid.14

Legatus.

Legati Apoſtolicæ Sedis ſunt in triplici differentia; alij enim dicuntur, Legati à latere; alij Legati miſſi; alij Legati nati. 164.1
Ex Legatis Apoſtolicæ Sedis, quidam non ſunt iudices; alij verò iudices ſunt. ibid.2
Legati à latere quædam priuilegia ſunt propria. Primò, abſoluere percuſſores Clericorum, etiamſi percuſſio fuerit enormis. Secundò, conferre beneficia Prouinciæ ad quam mittitur, in hoc concurrens cum Ordinario. Tertiò, in exemptos Prouinciæ iuriſdictionem exercere. ibid.3.
Legatus miſſus, qui non eſt à latere, non poteſt abſoluere percuſſores Clericorum extra ſuam Prouinciam, qui cum excommunicatione contracta in Prouincia, in qua eſt legatus, ad ipſum accedunt, niſi aliud ei fuerit conceſſum. ibid.4
Legatus natus aliam facultatem non habet à iure abſoluendi percuſſores Clericorum, quàm eam, quam habet, quatenus Epiſcopus eſt. ibid.
Legatus, etiamſi non ſit à latere, poteſt regulariter in ſua Prouincia, aut in ſuis Prouincijs ea omnia, quæ poſſunt reliqui Ordinarij eiuſdem Prouinciæ & aliquid amplius. ibid.5
Quamuis legati iudices ſint Ordinarij in Prouincijs ad quas deſtinati ſunt à Sede Apoſtolica & poſſint actores vocare reos in prima inſtantia ad iudicium coram Legato, prætermiſſo alio ſuo iudice Ordinario: hodie tamen in Concilio Tridentino reſtricta eſt quoad hoc legatorum poteſtas. 165.6
Ad legatum quemcumque poteſt appellari prætermiſſo medio, aut medijs; vt ſi appelletur ab Epiſcopo, poteſt immediatè appellari ad Legatum prætermiſſo Archiepiſcopo. ibid.7
Legatus audire poteſt cauſas & exercere ſuum munus in qualibet parte Prouinciæ, aut Prouinciarum, in quibus eſt legatus. ibid.8
Legati in Concilijs Prouincialibus & extra Concilia poſſunt ſtatuta condere, quæ perpetuo durent, etiam finita legatione, non tamen contra conſuetudinem Prouinciæ, nec contra priuilegia eidem à Summo Pontifice conceſſa. ibid.9
Legatio Legati nati ſolùm expirat morte ipſius, aut amiſſione dignitatis cui id Legati munus eſt annexum, continuatur tamen in ſucceſſore in illa dignitate. ibid.10
Legatio aliorum legatorum multis modis finitur. ibid.
Legatus à latere poteſt dare facultatem regularibus exemptis, vt poſſint eligere confeſſarium non approbatum à Prælato regulari. ibid.11
Legatus à latere poteſt in tota ſua Prouincia excipere confeſſiones, alijſque id munus committere, abſoluere à reſeruatis per Ordinarios ſuæ Prouinciæ, eorumque facultatem generalem & abſolutam delegare, prudenter tamen, diſpenſare, aliaque præſtare, quæ Ordinarij poſſunt. ibid.12.
In generali reuocatione approbationum, quæ fit ab aliquo Epiſcopo, exiſtente intra Prouinciam legato à latere non reuocantur approbationes factæ ab ipſo Legato. 166.ibid.
Licentia Legati à Latere ſufficit vt regulares Prædicatores poſſint prædicare in Diœceſibus exiſtentibus intra Legati Prouinciam. ibid.13
Regulares in edictis Legatorum à latere aliàs habentium ſuper eos iuriſdictionem, minimè comprehenduntur ſub nomine Eccleſiaſticorum, niſi exprimantur. ibid.14
Regularis à Legato habens facultatem abſoluendi religioſos Ordinis à reſeruatis in ipſo ordine, poteſt ea vti etiam extra Prouinciam ipſius Legati delegantis. ibid.15
Delegatio facta à Legato de latere non expirat eius morte, aut finito Officio, niſi ſit facta ad beneplacitum perſonæ, aut Officij, vt aliqui volunt. ibid.16

Legitima portio.

Legitima portio eſt pars hæreditatis aliquibus à lege decreta. Hæc legitima portio filiorum in varijs regnis varia eſt. ibid.1
Alia legitima portio dicitur *Falcidia* à Falcidia auctore, quæ debetur iure inſtitutionis & eſt quarta pars totius hæreditatis, quam inſtitutus hæres retinet & detrahit ſibi de ſingulis legatis, &c. 167.2
Altera legitima portio dicitur Trebellianica à Trebellio Auctore, quæ debetur iure inſtitutionis. ibid.3
Filius in legitimam portionem viuente patre habet ius non in re, ſed ad rem. ibid.4
Legitima portio filiorum poteſt iure, vel ex toto adimi, vel ex parte diminui, conſuetudine, ſtatuto, lege vel ſcripto iure, quando filijs aliunde ſuppetunt bona, vnde viuant. ibid 5
Hæredi inſtituto in minori quantitate, quàm eſſet debita legitima, permittitur actio ad ſupplementum vſque ad integram legitimam portionem. ibid.6
Legitimæ debitæ deſcendentibus, aut aſcendentibus nullum grauamen, modus, conditio aut dilatio poteſt à teſtature apponi, & ſi apponatur, ipſo iure omnia irrita ſunt. ibid.7
Verius eſt legitimam debitam iure naturæ amitti per crimen patris in læſam maieſtatem. ibid.8
Iure Authenticarum Conſtitutionum aucta creditur parentum legitima, ita vt tertia pars ex bonis filij parentibus debeatur. ibid.9
Falcidia in multis caſibus ceſſat. ibid.10
Quarta Trebellianica ſimiliter in multis caſibus ceſſat. ibid.11

Legitimatio.

Legitimatio eſt natalium reſtitutio quoad ea, quæ filijs illegitimis poſitiuo iure denegata ſunt. 168.1
Legitimatio eſt duplex, quædam iuris diſpoſitione, nempe per ſubſequens matrimonium: alia eſt per reſcriptum Principis, aut alterius, qui ad id habet à Principe facultatem. ibid.
Legitimatio item, vna eſt ad Eccleſiaſtica iura, ordines, beneficia, quam ſolus Papa iure proprio conferre poteſt. Altera eſt legitimatio ad ciuilia iura, puta hæreditatem, ſucceſſiones, officia ac dignitates, quam conferre poteſt Princeps ſupremus & Reſpub. libera ſubditis ſuis. ibid.
Verior & communior ſententia eſt poſſe Papam legitimare filios natos, ante matrimonij irriti diſpenſationem, quando impedimentum ob quod id matrimonium fuit irritum, iure Pontificio eſt inductum, ita vt diſpenſatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractum eſt quaſi à principio fuiſſet validè initum. ibid. num.2.
Non poteſt Pontifex legitimare prolem quoad temporalia & ſæcularia, extra loca ſuæ temporalis iuriſdictionis, quando nata fuit nullo præcedente matrimonio irrito, ſed ex concubitu omnino fornicario: in aliquo tamen caſu id Pontifex poſſet. 169.3
Legitimare non poteſt Pontifex prolem genitam matrimonio irrito propter impedimentum dirimens, quod ſit iuris diuini naturalis; quia radicem nullitatis illius matrimonij nequit Pontifex in diſpenſando auferre. ibid.4
Cenſetur Pontifex in matrimonij radice diſpenſare, ac conſequenter legitimare prolem quoad omnia, etiam in terris ſibi temporaliter non ſubiectis, quando explicat ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, vt ex tunc, id eſt, vt ab initio contractus legitimum cenſeatur. ibid.5.
Quando Papa diſpenſat vt matrimonium ſemel contractum inualidè ob impedimentum iure humano inductum, iterum ineatur, hæc diſpenſatio non ſeruit, vt proles ante diſpenſationem nata aliquo modo legitimetur: ſecus ſi nata ſit poſt diſpenſationem. ibid.6
Legitimatio, ſeu natalium reſtitutio, à relaxatione differt, quia filius, qui alioqui legitimus non eſt, lege & iure ſoluitur, quam relaxationem iuris, diſpenſationem appellant. ibid.7
Vt legitimatio vim & locum, habeat, in eius petitione & impetratione, ne ſubreptitia iudicetur, id exprimi debet, quod impediret omnino, quominus Princeps naturalem & ſpurium natalibus reſtitueret, vel ſaltem impediret ne cito & facile id concederet. ibid.8
Vt Princeps poſſit natalibus reſtituere, ſeu legitimare filium, neceſſarius eſt ipſius filij conſenſus, qui legitimus fit; imo & patris, ſi viuat: mortuo autem patre, debent vocari ipſius patris inteſtati ſucceſſores. 170.9
Filius naturalis vel ſpurius non poteſt auctoritate Principis fieri legitimus etiam viuente & annuente patre, ſi filij naturales & legitimi ipſius patris non conſenſerint. p.215.10
Poteſtas legitimandi prolem conceſſa in diſpenſationibus ſacræ pœnitentiariæ, confert ad hoc, vt proles ſuccedere poſſit vtrique parenti, ordinari, recipere beneficium & promoueri ad omnia officia ſpiritualia & temporalia, pro ſolo tamen foro conſcientiæ. ibid.11

L E X.

Quoad eius diuiſionem & conditorem.

Lex eſt ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. ibid.1
Lex, alia eſt æterna, alia naturalis, alia diuina, alia humana. ibid.2
Lex diuina ſubdiuiditur in Diuinam naturalem, & Diuinam poſitiuam. ibid.
Lex humana, alia eſt Eccleſiaſtica, alia ſæcularis. ibid.
Lex naturalis eſt duplex; prima dicitur per ſe nota & indemonſtrabilis, ſecunda, quæ non eſt ita clara, & per ſe nota. ibid.3
Lex naturalis non eſt mutabilis ſecundùm ſe, ſed ſemper obligat ma-

pentibus iiſdem circumſtantijs & non mutata materia. 171.4
Lex naturalis eſt indiſpenſabilis;quamuis Deus diſpenſare poſſit circa materiam naturæ in ijs,quæ ab ipſo Deo dependent. ibid.5
Summus Pontifex poteſt iuſta de cauſa in aliquibus,quæ ſunt de iure naturæ vel diuino diſpenſare,vt in ijs,in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ. ibid.
Lex ferri debet ab eo,qui publicam poteſtatem, iuriſdictionem & vim cogendi habet. ibid.6
Leges eccleſiaſticas ferre poſſunt Summus Pontifex in toto orbe : Epiſcopus in ſua diœceſi;Cardinales in loco ſeu Eccleſia ſui tituli ; Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante . Abbates exempti , in ſuis quaſi diœceſibus. ibid.
Leges ciuiles ferre poſſunt Imperator.Reges,Principes ſupremi, Regina Reſpublicæ. ibid.7

L E X.

De lege naturali,Veteri & Euangelica.

IVris nomen multis modis à Doctoribus denominari ſolet , ſed illis omiſſis , *Lex* ſecundùm propriam nominis Etymologiam à ligando deriuatur:vnde debet eſſe ſcripta,vt ab omnibus legi poſſit,vel ſaltem in cordibus hominum deſcripta,& debet eſſe obligatoria. ibid.1
Verius eſt , legem naturalem non eſſe propriè legem præcipientem , ſed indicantem,quid agendum,vel cauendum ſit, & quid ex natura rei ſit intrinſecè bonum vel malum , vnde poteſt dici dictamen rationis oſtendens quid faciendum, aut fugiendum ne , Deus mediante tali actione offendatur. 172.2
In lege diuina naturali ſunt aliqua præcepta quæ ſemper & ad ſemper obligant,qualia ſunt illa, quæ prohibent malum abſolutè quod eſt intrinſecè malum, ibid.3
Secundùm ius etiam naturæ ſunt aliqua præcepta, quæ non obligant ita ſimpliciter & abſolutè quoad ſemper , ſed ſolummodo manentibus quibuſdam circumſtantijs , quibus deficientibus & mutatis non obligant ita rigoroſè,vnde in illis quandoque poteſt fieri aliqua diſpenſatio. ibid.
Lex Moſaica,ſeu Veteris Teſtamenti fuit bona,iuſta & Sancta ; tamen erat imperfecta. ibid.4
De fide eſt , totam legem veterem latam eſſe ab ipſo Deo tanquam proprio & immediato legiſlatore , & eſſe legem diuinam propriè dictam. 173.5.
Ante legem Moyſi datam nulla alia fuit tradita à Deo plura diuina præcepta continens:tempore enim illo regulabantur homines iuxta dictamen rationis ſecundùm diuinam legem naturalem. ibid.6
Quamuis legis veteris præcepta multa ſint , ad tria tamen genera reducuntur,ſcilicet,*ad Moralia,Cæremonialia, & Iudicialia*, ibid.7
Præcepta moralia veteris legis non minus nunc obligant Chriſtianos , quàm olim Iudæos , nec ſunt aliquo modo abrogata, neque abrogari poſſunt. ibid.8
Lex Moſaica continens præcepta cæremonialia ceſſauit & abrogata fuit in ipſa morte Chriſti, ibid.9
Præcepta iudicialia euacuata ſunt per Chriſtum;mutato enim ſtatu populi,etiam leges populum concernentes mutandæ ſunt. ibid.10
Lex vetus non ſtatim à morte Chriſti fuit mortifera ſic nimirum , vt illicitum eſſet eam ſeruare:ſed ſolùm tunc, quando promulgatio Euangelij ſufficienter per Apoſtolos facta fuit. 174.11
Lex Euangelica pluribus,varijſque nominibus denominari ſolet , dicitur enim,Lex fidei;Lex ſpiritus vitæ, ſeu gratiæ . Lex amoris . Lex Noui Teſtamenti.Lex Euangelica.Lex noua. ibid.12
De fide eſt,Chriſti Domini legem,quæ dicitur Euangelica,eſſe veram legem præceptiuam & propriè dictam. ibid.13
Præcepta legis Euangelicæ tripliciter diuidi poſſunt , vel enim ſunt præcepta moralia ſecundùm legem naturalem , vel ſacramentorum , vel fidei. ibid.14
Variæ differentiæ adducuntur,in quibus,Lex Euangelica differt à veteri. ibid.15.

L E X.

Quoad eius conditiones & materiam.

AD condendam legem ſex conditiones requiruntur . 175.1
Lex debet intimari communitati, in cuius vtilitatem & commodum fertur,& hoc fit per publicationem. ibid.
Promulgatio legum quæ feruntur ab aliquo populo,vel ciuitate vel Epiſcopo , vel à Principe inferiore , facienda eſt in ipſo populo , vel ciuitate vel curia Principis , iuxta morem receptum in ſingulis locis . ibid.2.
Leges latæ ab Imperatore , vel Rege vel Principe habente plura regna vel prouincias,promulgari debent in ſingulis prouincijs . ibid.3
Probabilius eſt , bullas Pontificias non requirere ſpatium duorum menſium ab earum promulgatione, vt obligent: ſed ſufficere vt in curia Romana publicentur,niſi aliter in bullis exprimatur. 176.4
Leges reuocatoriæ priuilegiorum & indulgentiarum vim obligandi non habent,quouſque promulgatæ ſint,non ſolum in Prouincia, ſed etiam in ciuitate ac parochia. ibid.
Leges ab Imperatore conditæ non obligant niſi poſt duos menſes ab earum promulgatione : ſed quod leges Pontificias probabilius eſt ſtatim poſt promulgationem obligare. ibid.5
Lex vſu non recepta,vi caret , quamuis ſit auctoritate Principis conſtituta & legitimè promulgata. ibid.6
Lex condita à legitimo ſuperiore cum intentione obligandi populum, etiamſi non acceptet legem,valida eſt,& obligationem inducit , populo illam non acceptante. ibid.7
Lex acceptata quoad vnam partem,non obligat ſimpliciter,ſed ſolum quoad eam partem , quæ acceptatur : & acceptata in vna prouincia & non in altera ſe obligat ſolùm in ea,in qua recepta eſt . ibid.8
Ille non excuſatur à peccato,qui abſque ſufficienti cauſa legem promulgatam non ſeruat,vel in cauſa eſt ne acceptetur. ibid.9
Primi qui conſuetudinem contra legem inducunt,delinquunt,niſi ex aliquo accidenti excuſentur:ſucceſſores tamen non peccant. ibid.
Probabilius eſt,in dubio an lex promulgata fuerit acceptata, præſumendum eſſe fuiſſe acceptatam. ibid.10
Ad ſubſtantiam & rationem legis, non requiritur Scriptura , tanquam conditio neceſſaria. ibid.11
Actiones humanæ ſunt materiæ legum, quamuis ex ſe indifferentes ſint 177.12
Actus interni ſecundùm ſe præcisè conſiderati non poſſunt à lege humana præcipi vel prohiberi , niſi quatenus ſunt neceſſarij ad eſſe phyſicum aut morale actus externi. ibid.13
Vide *Conſuetudo* n.3. *Præceptum*.

L E X.

Quoad eos qui legibus tenentur.

SVBIECTVM legis eſt homo,ſubditus,capax rationis, iuxta mentem legis. ibid.1.
Infidelis aut Catechumenus non aſtringitur legibus Eccleſiaſticis . ibid.
Pueri qui nondum ad rationis vſum peruenerunt, non aſtringuntur legibus humanis:in dubio autem de rationis vſu,poſt ſeptennium, illis tenentur. ibid.
Princeps per ſe,& directè ſuis legibus ex coactiua non tenetur, ex iure tamen , & æquitate naturali ac diuina quoad vim directiuam obligatur, ſi leges habeant materiam accommodatam Principi. ibid.2
Quando Princeps non ſua auctoritate,ſed cum populo legem condit, tenetur ad obſeruantiam talis legis. ibid.
Princeps,qui ſuas leges non obſeruat, non peccat mortaliter,niſi iuraſſet eas ſeruare, 178.3
Clerici , aliique Eccleſiaſtici non tenentur legibus ciuilibus ex vi coactiua,ex vi verò directiua tenentur illis vrgentibus in commune bonum, & non repugnantibus ſacris Canonibus,& officio clericali. ibid.4
Verius eſt regulares exemptos non teneri obſeruare leges ſynodales Epiſcoporum,niſi ex decentia,& ratione ſcandali vitandi. ibid.
Probabile eſt , ſeculares intra monaſteria regularium exemptorum exiſtentes, non teneri ad leges ſuæ diœceſis ; niſi ad feſta,& interdicta. ibid.
Peregrini ſeu viatores ligantur legibus generalibus latis à Summo Pontifice,& acceptatis in loco vbi reperiuntur. ibid.5
Probabilius eſt , peregrinos non teneri legibus vel conſuetudinibus locorum in quibus reperiuntur,ſi non habeant intentionem ibi conſtituendi domicilium,vel ibi manendi maiore anni parte. ibid.
Peregrini tenentur legibus locorum per quos tranſeunt,ratione ſcandali, ratione contractus,ratione rei ſitæ in loco legiſlatoris ; & quando eædem leges obligant in proprio territorio; & quando violatio legum vergit in damnum illius loci. ibid.6
Probabilius eſt vagos, qui nullibi certam ac conſtantem ſedem ac domicilium habent,teneri ad leges , & conſuetudines locorum in quibus etiam obiter reperiuntur. 179.7
Iuxta mentem quorumdam, probabile eſt , vagos nullis ſtatutis particularium locorum teneri: & exinde in caſus Papæ reſeruatos tantùm incidere,non autem in caſus ab alijs reſeruatos, ibid.
Probabilius item eſt peregrinos in alium locum per modum tranſitus, & hoſpitij confluentes,non teneri ſeruare leges,& conſuetudines ſui domicilij modò ipſi & ſimul res, circa quam operantur , & operatio ipſa ſint extra territorium. ibid.8
Ob fugiendam obligationem legis,licet tranſire ad locum, vbi lex non obligat. ibid.
De hac materia, vide plura v. *Clericus, Ieiunium II,Communio ſacra & Confeſſio I. Miſſa VIII.*

Digitized by Google

L E X.

Quoad eius obligationem, & de lege pœnali.

Lex humana tam ciuilis, quàm eccleſiaſtica obligare poteſt in conſcientia; non tamen omnis lex humana in conſcientia obligat. 180.1.

Regula prima, qua cognoſci poteſt, quando lex humana obliget ad peccatum mortale, quando vero ad veniale, fundatur in intentione legiſlatoris. ibid.2.

Secunda regula deſumitur ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur, modo aliud non conſtet de mente legiſlatoris, aut niſi materiæ leuitas non excuſet. ibi.3.

Quando in lege adhibetur verbum Iniungimus, Mandamus; vel præcipio ex vi voti vel iuramenti, vel in virtute ſanctæ obedientiæ, &c. eſt obligatio ſub mortali. ibi.4.

Tertia regula eſt grauitas materiæ quæ præcipitur ex grauitate enim, vel leuitate materiæ licet colligere grauem legis obligationem vel leuem. 181.5.

Legiſlator non poteſt legem ferre obligantem ſub mortali in re quę leuis eſt in ſe, & per ordinem ad finem, ſeu ſecundùm circumſtantias illi coniunctas. ibid.

Probabilius eſt ſuperiorem circa materiam graue obligare poſſe ſub veniali. ibi.

Vt poſſit cognoſci an materia ſit grauis, vel leuis, vir prudens iudicabit; ſpectando finem, & circumſtantias quibus legiſlator adductus eſt ad legem condendam. ibid.

Quarta regula eſt, communis ſenſus Eccleſiæ, prudentum exiſtimatio talem legem obligare ad mortale. ibid.6.

Quando grauis pœna corporalis, aut temporalis alicui legi iuſtæ apponitur, quæ ex ſua natura præſupponit culpam mortalem tunc lex illa, ſeu mandatum obligat ſub mortali. ibid.7.

Lex continens grauem pœnam non obligat ſub mortali, quoties pœna in re leui imponitur tantummodo ad terrorem. ibid.

Lex eccleſiaſtica aliquid præcipiens, aut prohibens ſub graui aliqua cenſura, vel pœna eccleſiaſtica, obligat ſub mortali. ibid.8.

Probabilius eſt, omnem legem humanam pœnalem ſiue Eccleſiaſticam, ſiue Ciuilem, obligare ſub mortali, aut veniali iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem, niſi aliunde conſtet de contraria legiſlatoris mente. ibid 9.

Leges quæ non ſunt propriè pœnales, & præceptiuæ, ſed potiùs conuentionales, & conditionales, aut modales, in conſcientia non obligant. 182.10.

Quamuis leges humanæ poſſint aliquando obligare cum periculo vitæ; raró tamen fit, vt eæ obligent cum tanto periculo. ibid.

In aliquibus caſibus lex humana obligat cum periculo vitæ. ibid.

Lex iniuſta non obligat in conſcientia, nec peccat, qui legem iniuſtam non obſeruat, præciſo ſcandalo, & perturbatione Reipublicæ. ibi.11

Lex multis modis poteſt dici iniuſta. ibid.

Lex quæ fundatur in præſumptione facti non obligat, ſi veritas facti in contrarium. ibid.

Omnia quæ habentur in iure Canonico non obligant, nec habent vim legis. ibid.2

Probabilius eſt declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium non habere vim legis licet maximi ſint ponderis, & ab iis recedendum non ſit, ſine firmiſſimo fundamento. ibid.

Ex decreto *Vrbani VIII.* nulla fides tamquam declarationibus Cardinalium adhiberi debet, niſi ſint in Authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac ſecretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ. 183.ibid.

Deciſiones Rotæ etiam Romanę non habent vim legis, quamuis habeant maximam authoritatem. ibi.13.

L E X

Quoad cauſas, quibus ceſſat illius obligatio.

Multæ ſunt cauſæ, quibus obligatio legis ceſſat. ibid.1.

Lex antea recepta vim obligandi amittit per legem poſteriorem contrariam, ſeu per reuocationem, ſeu per reſtrictionem præcedentis legis, iuxta conditionem, ſeu reſtrictionis qualitatem. ibid.2.

Vt lex ceſſet per abrogationem duæ conditiones ſeruandæ ſunt. 1. vt ſit cauſa pertinens ad bonum commune. 2. vt abrogatio legis promulgetur. ibid.

Legis obligatio ceſſat, ceſſante cauſa motiua ſeu finali legis in totum, & reſpectu totius communitatis; ſecus ſi ceſſet tantummodo reſpectu particularis perſonæ. ibid.3.

In dubio, an cauſa ceſſauerit in totum, ſiu reſpectu totius communitatis, præſumendum eſt non ceſſaſſe. 184.4.

Lex non poteſt abrogari per non vſum, ſeu conſuetudinem purè negatiuam, poteſt autem per eam, quæ inuoluit actus contrarios. ibi.5.

L E X

De lege Humana.

Ad conſtitutionem legis poſitiuæ humanæ, tria neceſſario concurrunt. ibid 1.

Legis proprietates, ſeu conditiones ſunt. Primò, vt ſit honeſta. Secundò, vt ſit iuſta. Tertiò poſſibilis. Quarto, neceſſaria, vel vtilis. Quinto, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. 185.2.

Omnis lex poſitiua non ſolius rationis, ſed etiam voluntatis actum includit. ibid.3.

Ad ſubſtantiam & rationem legis requiritur, vt teneat, ac liget conſcientiam; vnde ſi lex neminem alliget, legis vim & naturam non habet. ibi.4.

Pater poteſt quidem præcepta filiis imponere per poteſtatem dominatiuam, ſeu œconomicam, non autem illis legem ferre, niſi publicam habeat poteſtatem. ibid.5.

Romanus Pontifex poteſt licitè, & validè condere leges Canonicas obligantes totam Eccleſiam omneſque Chriſti fideles vbique degentes ad earum obſeruantiam, etiam ſine conſenſu, & conſilio Cardinalium. ibid.6.

Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ ad ferendas leges pro ſua Diœceſi non indigent conſenſu ſuorum Clericorum, vel Capituli Eccleſiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, niſi in caſibus in iure expreſſis, vel in aliquibus rebus grauioribus, quæ ſpecialem rationem, & neceſſitatem præſeferant. ibid.7.

Archiepiſcopi, Patriarchæ non poſſunt extra Prouinciale Concilium leges ferre obligantes totam Prouinciam: excepto forte tempore viſitationis Prouinciæ. ibid.

Illi omnes, quibus competit poteſtas condendi leges per iuriſdictionem delegatam, poſſunt leges condere. ibid.8.

Probabile eſt, delegari poſſe feminis facultatem condendi leges Eccleſiaſticas, & ſpirituales, à Summo Pontifice. Non eſt tamen deleganda à Summo Pontifice facultas alicui ferendi leges in totam Eccleſiam independenter ab approbatione ipſius. ibid.

Non omnia, quæ in Decreto Gratiani continentur, habent vim legis obligantis in foro conſcientiæ, niſi ex Decretis Pontificijs, vel Concilijs Generalibus deſumpta ſint. 186.9.

Sententiæ Sanctorum Patrum vim legis non habent, etiamſi in Decreto ſint inſertæ, niſi vſu & conſuetudine tanquam leges receptæ ſint, vel à Sede Apoſtolica fuerint Canonizatæ, vt ſunt illæ, quæ inter Decretales reperiuntur. ibid.

Sententiæ Patrum poſſunt vim legis habere, quatenus teſtantur de præcepto diuino, vel Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico. ibi.

Regulæ Cancellariæ, in rigore loquendo, non ſunt propriè leges, ſi iuxta morem, & conſuetudinem in alijs legibus receptam, non publicentur. Tales tamen regulæ obligant tanquam præcepta impoſita eis, qui officijs Cancellariæ præſunt, vel dic eas obligare per modum conſuetudinis receptæ ſciente Principe, & conſentiente. ibid.10.

An autem ſtylus curiæ habeat vim legis. Quidam affirmant, alij negant, niſi quando datur formale præceptum Papæ. ibid.

Super aliqua lege licet ſupplicationem porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam non ſeruare. ibi.11.

Vt lex per non vſum authoritate careat, non requiritur certum tempus, ſed ſolum repugnantia per actus contrarios numero ſufficienti arbitrio prudentum. Intellige, de lege quæ in principio ſuæ promulgationis non recipitur, ſed illi contrauenitur. ibid.12.

Leges Pontificiæ, & religionum ponentes priuationem ab officijs, & Prælaturis actualibus ipſo facto, ſeu abſque vlla declaratione, non obligant tranſgreſſores, vt facto delicto deponant officia per ſeipſos, ſed requiritur ſententia iudicis declaratoria criminis. ibi.13.

Lex, quæ antea non fuit acceptata à maiori parte communitatis poteſt ſubſequenti tempore acceptari, & conſequenter obligationem parere. ibid.14

Quando lex fuit acceptata à maiori parte communitatis, ſi quis illorum, qui eam non acceptarunt, illam frangeret, peccaret mortaliter. E contra ſi maior pars communitatis eam, non ſeruant, poterit minor pars maiori conformari. ibid.

Qui ignorat promulgatam eſſe legem reſciſſoriam alicuius contractus, licet non peccet contrahendo contra legem donec lex ad ipſius aures aliqua ratione perueniat, non tamen validè celebrat contractum. 187.15.

Summus Pontifex, dum in aliena diœceſi exiſtit, non tenetur legibus, illius in cuius territorio, vel Regno, vel Epiſcopatu reperitur. ibid.16.

Legatus Papæ non afficitur legibus Epiſcopi, in cuius diœceſi reperitur. ibid.

Imperator aliuſue Princeps non tenetur ſeruare leges municipales oppidorum, ſeu Prouinciarum ſibi ſubditarum, modo non ſint confirmatæ ab ipſomet Principe; vel non habeat primam habitationem in eo loco,

pro

Digitized by Google

pro quo fertur lex. ibid.
Legati Principum non ſunt ſubiecti legibus ſpecialibus, quibus Princeps, ad quem ſunt miſſi, regit ſuam communitatem; extra ius naturale, & gentium. ibi. 17.
Legati, ſeu Oratores Principum non ſubijciuntur legibus, aut edictis ordinariorum, ſiue etiam Synodi diœceſanæ, ſed ſolùm iuri communi. ibi. 18.
Dari poteſt caſus, vt quis non teneatur neque ad leges particulares patriæ, neque ad illas alterius loci. ibid.
Quando dubitatur, an lex obliget ſub mortali, vel tantummodò ſub veniali; probabile eſt obligare tantùm ſub veniali. ib. 19.
In explicanda legis obligatione verbis obſcuris expreſſa, inſpiciendum eſt, quo pacto huiuſmodi verba vt plurimum accipi ſoleant in legibus, & penſatis omnibus coniecturis, quod veriſimilius eſt, iudicandum eſt. 188. ib.
Quædam leges ſunt purè pœnales, quædam verò pœnales mixtæ. Lex purè pœnalis eſt illa, quæ nihil facere præcipit, aut prohibet, ſed tantùm imponit pœnam aliquid facienti, aut omittenti. Lex pœnalis mixta eſt, quæ non ſolùm aliquid fieri præcipit, aut prohibet, ſed etiam pœnam imponit contrauenienti. ibid. 20
Lex pœnalis poteſt aliquando obligare in foro conſcientiæ homines ad ſuſtinendas pœnas, tam actiuas, quàm paſſiuas, ante omnem ſententiam declaratiuam, quando in tali lege eſt appoſita particula illa, *ipſo facto, ipſo iure, abſque alia iudicis declaratione*, ſi aliunde ſeruetur æqualitas. ibi. 21.
Quamuis poſſit ſupremus Princeps ex plenitudine poteſtatis ſubditos priuare ob crimen graue, dominio vel iure acquiſito ante omnem iudicis ſententiam; non tamen ſatis conſtat tales leges hactenus tanta ſeueritate latas, etiam vſu receptas eſſe. ibid.
Lex pœnalis obligat iudicem ad pœnam in lege præſcriptam infligendam reo iuxta acta, & probata: quamuis poſſit iudex diminuere taxatam pœnam à lege, quando interueniunt aliquæ circumſtantiæ, id poſtulantes, iuxta prudentis arbitrium. p. 238. n. 220.
Supremus Princeps poteſt pœnam ipſam in totum relaxare, remittendo delictum gratioſè, quando ita in Domino iudicauerit expedire. ibid.
Lex pœnalis vtens verbo, aut participio ſignificante actionem futuri temporis, ſententiam à iudice ferendam continet. ibid. 23.
Lex pœnalis vtens verbo imperatiui modi; quamuis ſit temporis præſentis, ſententiam continet ferendam, ſed non ſemper. 189. ibi.
Quoties lex pœnalis vtitur verbis ſolis comminatorijs, lex illa ſententiam ferendam continet: niſi poſt huiuſmodi dictiones comminatorias, addantur aliæ, quæ apertè ſententiam latam ſignificent. ibid.
Quoties lex pœnalis continet dictionem, de qua dubium eſt, an latam, vel ferendam exprimat ſententiam, in dubio dicendum eſt continere ferendam ſententiam. ibid.
Sententia lata erit, quoties in lege pœnali apponuntur verba ſignificantia legis tranſgreſſorem pœnam appoſitam incurrere. ibid.
Leges humanæ, ſtatuta, ſeu decreta vniuerſaliter prolata, interpretationes, conditiones, & ciuiles intelligentias ſuſcipiunt. ib. 24
Lex tam Eccleſiaſtica quàm ciuilis, ob bonum publicum, poteſt perſonas quaſdam ad contrahendum inhabiles reddere, & earum contractum irritare. ibid. 25.
Quinque modis poteſt accidere, vt lex humana contractum, vel quemuis alium actum improbet. ibid.
In legum interpretatione potius ſequenda eſt mens legislatoris, quàm verba. ibi. 26.
Verba legis, alteriuſque diſpoſitionis, in dubio intelligenda ſunt ſecundùm communem vſum, & acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda eſt, ſi nihil aliud obſtet. 190. ibid.
Quatuor cauſæ cogunt recedere, vel à communi, & vſitata, vel à propria verborum acceptione. ibid.
Quando verba legis plures habent ſenſus proprios, ſed non conſtat quem ſenſum legislator intenderit, ſi legislator commodè adiri nequeat, in pœnis benignior, & ſtrictior pars explicanda eſt, in fauorabilibus verò latior, &c. ib. 27.
Lex pœnalis ob paritatem rationis non extenditur ab vno caſu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna perſona ad aliam. ibid. 28.
Argumentum à ſimili, aut ab identitate rationis valet in alijs legibus, non autem in legibus pœnalibus. ibi.
In lege fauorabili probabiliter facienda eſt extenſio ad ſimiles caſus, quos ob identitatem rationis adæquatæ, credibile eſt legislatorem eos comprehendere voluiſſe: contrarium tamen eſt etiam probabile. ibi. 29.
Multis modis cognoſci poteſt, aliquem caſum in lege non comprehendi, quamuis verba legis ad ipſum extendi videantur. ibi. 30.

Locatio, & conductio.

[Loc]atio eſt contractus quo perſona, vel res aliqua, ad vſum vel fructum certo conceditur. 191. 1.
Conductio eſt contractus quo perſona vel res ad vſum, vel fructum comparatur pretio. ibid. 2.
Omnes res quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi ſpecialis extet prohibitio. ibid. 3.
Pecunia ad pompam accipientis, vel ad pignus locari poteſt, modò pecuniæ dominium perſeueret apud locatorem, & ſtet ipſius periculo. ibid. 4
Locare alteri poteſt conductor rem quam ipſe conduxit, modò aliter non ſit deductum in pactum cum primo locatore. ibid. 5.
Locationis, & conductionis contractum inire poteſt qui facultatem habet emendi, & vendendi, niſi ſpecialiter prohibeatur. ibid. 6.
Quando duo vel plures habent domum vel fundum communem, & vnus vult vni locare, alter verò non vult, mittendæ ſunt ſortes, aut recurrendum eſt ad iudicem pro concordia. ibid. 7.
Locatio tranſit ad hæredem, ſeu ſucceſſorem vniuerſalem: ſucceſſor verò ſingularis, vt eſt emptor, donatarius, legatarius, non tenetur ſtare contractui locationis celebrato ab eo, cui ſucceſſit. Ibid. 1.
Conductor non tenetur ſoluere penſionem ſingulari ſucceſſori, niſi anteceſſor locator ceſſerit illi ius ſuum. ibid. 2.
Minor, vel pupillus tenetur finita tutela, vel cura ſtare locationi factæ à ſuo tutore vel curatore. 192. 3.
Colonus, qui agrum ſeminauit, non poteſt expelli ab emptore, ſi dominus agrum vendiderit. ibid.
Fiſcus tenetur ſtare locationi factæ per condemnatum ante patratum delictum, ſi ipſi ſuccedat in omnibus bonis. ibid.
Prælatus ſucceſſor tenetur ſtare locationi antea factæ nomine ipſius Eccleſiæ, ſecus ſi locatio facta fuerit nomine proprio. Idem dicendum de beneficiario. ibi. 5
Res locata perit domino, ſi caſu fortuito pereat. ibid. 6.
Conductor tenetur de dolo, de culpa lata, & de leui, non autem de leuiſſima, nec de caſu fortuito. ibid. 7.
Locator tenetur conductori, ſi locet illi rem vitioſam, & exinde conductor damnum capit. ibid.
Iure communi penſio ſoluenda eſt in fine anni, niſi aliter conuentum ſit, aut probet conſuetudo. ibi. 1.
Locator rei fructiferæ, remittere tenetur totam penſionem, quando ſterilitas, vel calamitas anni eſt tanta, vt conductor nihil ex re conducta perceperit. ibid.
Quando calamitas, vel ſterilitas non eſt tanta, facienda eſt remiſſio penſionis pro rata. ibid.
Locator poteſt penſionem augere, quando aliquo anno eſt extraordinaria vbertas proueniens ex cœli clementia. ibi. 2.
Locatio finitur lapſu termini conſtituti, vel mutuo contrahentium conſenſu. 193. 3.
Locator non poteſt rem locatam repetere nondum finito locationis tempore, niſi in certis caſibus. ibid. 4.
Licitum eſt conductorem priuare conducto, ſi per biennium continuum vltra terminum præfixum diſtulit ſolutionem penſionis debitæ pro re conducta vltra biennium. ibid.
Expelli etiam poteſt conductor ante tempus, quando domus, quam elocaſti, tibi incipit eſſe neceſſaria ad habitandum: vel ſi egeat refectione, vel ſi conductor re conducta abutatur. ibid. 5.
Locator tenetur aperire conductori vitium rei locatæ. ibid. 1.
Locator tenetur ad reſarciendas expenſas neceſſarias factas à conductore in reſarcienda re conducta. ibid. 2.
Si conductor aliquas fecit expenſas ad ſui commodum, & vſum non poteſt petere expenſas à locatore. ibi.
Locator tenetur ad onera, & tributa impoſita pro re locata, niſi aliter conuenerit cum conductore. ibid. 3.
Locatoris obligationes quinque ſunt, ſicut & conductoris. ibid. 4.

Locatio, & conductio.

Res quæ vnico actu conſumuntur, vt pecunia, panis, vinum, oleum, & ſimilia, non poſſunt locari, niſi fortè locentur ad oſtentationem, & pompam. 194. 1.
Locari poteſt pecunia quoad vſum, retento illius dominio iuxta probabilem ſententiam. ibid.
Conductor in tribus caſibus ex caſu fortuito tenetur. ibid. 2.
Qui ex pacto renunciat caſibus fortuitis in genere, non cenſetur renunciare rariſſimis, & extraordinarijs, de quibus nullus omninò eſſe poterat timor: licet quidam contrarium ſentiant. ibid.
Conductor, qui euentibus omnibus fortuitis renunciauit, etiam extraordinarijs, non tenetur augere penſionem propter inſolitam vbertatem. Secùs quando fertilitas fructuum ex cœli clementia, vel caſu inſolito prouenit, qui præuideri non ſolet. ibid. 3.
Quando inter locatorem, & conductorem fuit pactum, vt certum quoddam pretium ſoluatur, pacto ſtandum eſt: quo ceſſante, illud pretium erit iuſtum, quod paſſim eo loco dari ſolet ibid. 4.
Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapſo tempore conuento, ſciente, & patiente locatore, ſub eiſdem conditionibus cenſetur

ſetur contractus locationis renouatus. ibid.

Medicus, qui locauit operas ſuas pro tota familia determinata, tunc aucta familia, licitè poteſt exigere auctiorem mercedem, ſicut è contra, diminuta familia, mercedem diminuere tenetur. ibid. 6.

Famulo, qui abſque vlla mercede, ſed ſola ſpe alicuius beneficij, vel officij conſequendi, famulatur, mercedem non tenetur ſoluere Dominus, ſi poſtea eum nullo beneficio afficiendum curauerit. ibid. 7.

Si famulus tacitè intenderet dominum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium Eccleſiaſticum, eſſet ſimonia, & Dominus hoc aduertens teneretur ei iuſtam mercedem ſui ſeruitij erogare. ibid.

Qui locat oues, & boues, non poteſt obligare conductorem ad reddenda ea animalia ſic locata, æquè integra, & ſana, niſi tale onus locator iuſta mercede compenſet, cùm conductor id oneris gratuitò ſubire recuſat. ibid. 8.

Locare boues ad colenda prædia ſub certo pretio, hac tamen lege, vt conductor alios boues eiuſdem ætatis, quam habebant iſti, qui conducti ſunt tempore conductionis, reddere teneatur, vſurarium eſt, niſi locator minuat penſionem, vel aliunde compenſet onus, quod imponit conductori. ibid.

Res locari poteſt eo pacto, vt conductor eius periculum ſuſcipiat, & tunc ratione talis oneris, & periculi ſuſcepti conductor poteſt iuſtam mercedem erigere. ibid. 9.

Ex tali pacto locatio non tranſit in venditionem: ſuſceptio enim periculi non facit venditionem, vel emptionem. ibid.

Conductor, qui non potuit vti re conducta, aut fructus ex ea percipere, propter aliquod impedimentum ſuperueniens abſque ſua culpa, vt propter bellum, peſtem, &c. non tenetur ſoluere penſionem ad ratam temporis, quo non potuit vti re conducta. ibi. 10.

Si conductor non potuit vti, vel frui re conducta ob caſum, vel impedimentum ſuperueniens ex parte ipſius, tenetur ſoluere penſionem. ibid.

Inter locationem, & venditionem magna eſt affinitas; tamen eſt differentia in duobus. ibid. 11

Si res aliena elocata boni alicuius fide, poſtea euicta ſit, debet locator petere à Domino rei, vt conductorem eadem penſione rei frui ſinat: ſi noluit, tenetur conductori aliam rem non minus commodam locare, ſi poſſit, alioquin de penſione remittere cogitur. 196. 12.

Quando culpa, vel dolo locatoris res locata euicta fuit, ille omninò præſtare cogitur, quanti conductoris intereſt. ibid.

Quando neſcitur, caſune, an culpa, vel dolo conductoris, aut cuſtodis, res locata perierit; conductor, cuſtos, &c. obligantur ad vtrumque oſtendendum; niſi graues coniecturæ, ſiue iudicia pro hominis innocentia adſint. ibid. 13.

In dubio non præſumitur incendium ortum culpa conductoris, niſi locator culpam oſtendat. ibid.

Ex locatione duæ actiones naſcuntur. 1. dicitur actio ex locato, quæ datur locatori aduerſus conductorem. 2. vocatur actio ex conducto, quæ datur conductori contra locatorem. ibid. 14

Locationis tempore finito, non poteſt inuitus retineri conductor, nec hæredes illius; neque è contra cogitur locator eidem, vel alteri locare. ib. 15.

Locatio tribus modis finitur. 1. mortuo conſenſu. 2. lapſu temporis ad quod res locata eſt. 3. ſi res locata omninò pereat. ibid.

Si plures res locatæ fuerint, & vna ex eis perempta ſit, finietur locatio tantùm ex parte, ſi etiam plures mercedes conſtitutæ ſunt. Si vnica fuerit merces, quamuis plures res, vna pereunte, locatio ceſſat. ibid.

Ludus.

LVDVS eſt contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, vt victori cedat, quod vterque depoſuit. ibid. 1.

Ludus ex natura ſua licitus eſt & ex ſe res indifferens: fieri tamen poteſt illicitus ex multis circumſtantijs. ibid. 2.

Ludus peccatum mortale non eſt ratione affectus lucri, nec ex circumſtantia perſonæ, modò abſit ſcandalum, nec ex circumſtantia loci ſacri niſi fiat cum irreuerentia Dei, vel Eccleſiæ, nec ex circumſtantia temporis præcisè. 197. 3.

Ludi hiſtrionum ſunt liciti, modo honeſtè fiant, ſecus ſi turpiter, & inhoneſtè. ibid. 4.

Clerici non poſſunt facere ludos laruales, & tamquam rei mortalis peccati damnantur niſi forte hoc facerent breui tempore, & abſque ſcandalo. ibid.

Ad iuſtitiam contractus ludi requiritur vt ludens habeat liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponit. ibid. 1.

Filius familias de bonis caſtrenſibus ludere poteſt abſque conſenſu patris non de aduentitijs, & profectitijs. ibid.

Sicut maior 25. annis non poteſt aliquid à minore lucrari, ita nec minor à maiore. ibid.

Vxor non poteſt de bonis communibus, & dotalibus ludere ſine licentia viri, niſi iuxta morem patriæ: de paraphernalibus poteſt. ibid. 2.

Religioſus de conſenſu Prælati ludere aliquid poteſt modò ludus non ſit illicitus etiam laicis, nec excedat. ibid

Ludens aliena pecunia non facit lucrum ſuum quod ludendo acquirit. ibid. 3.

Qui lucratus eſt à fure vel vſurario, poteſt ſibi retinere rem ludo acquiſitam, ſi eius rei dominium ſpectabat ad vſurarium, vel furem. 198. ibid.

Ad iuſtitiam ludi requiritur vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi, quæ ſeruantur in eo loco in quo luditur; alioquin tenetur ad reſtitutionem. ibi. 4.

Qui fingit ſe ignarum alicuius ludi, in quo eſt exercitatiſſimus, vt ea ratione trahat ad ludendum alium, qui verè eſt ignarus, tenetur reſtituere quidquid ab eo tali fraude decepto, lucratus fuit. ibi. 5.

Qui auctionem factam ab altero colluſore acceptauit, eò quòd à tertio inſpectore chartharum vtriuſque colludentis admonitus fuit, vt eam acceptaret, tenetur ad reſtitutionem, ſi ante monitionem decreuerat non acceptare. ibid. 6.

Ad iuſtitiam ludi requiritur etiam, vt alter alterum per iniuriam, minis, fraude conuitijs ad ludum non pertraxerit. ibi. 7.

De ratione ludi etiam eſt, per ſe loquendo, vt quis lucrari non poſſit plura quàm colluſor ab eo lucrari queat, & ſic debet eſſe æqualis conditio ludentium. ibid. 8.

Acquiſita per ludum lege prohibitum ſine dolo, fraude vi ab eo, qui res ſuas alienare potuit, tuta conſcientia retineri poſſunt, dummodò lex tranſlationem dominij rei non impediat. 199. 1.

Qui luſit ludo vetito intendens non ſoluere, aut intendens ſolutum repetere, non poteſt retinere quæ lucratus eſt eo ludo. ibid. 2.

Qui ludo vetito pecuniam perdidit eamque ſoluit, non poteſt propria authoritate recuperare perditum, aut illius compenſationem ſumere. ibid. 3.

Quando luditur pecunia abſente, in ludo vetito, præſtita fide de ſoluendo, an transferatur dominium rei amiſſæ in lucrantem, ita vt eam perdens in conſcientia ſoluere teneatur? alij affirmant, & alij negant probabiliter. ibid. 4.

Ludus.

LVDVS variè accipitur. 1. poteſt ſumi vt eſt actus virtutis. 2. vt eſt actus cupiditatis. 3. vt eſt quidam contractus inter colluſores. 200. 1.

Qui ludit cum intentione lucrandi etiam magnam quantitatem non peccat mortaliter. Imo probabile eſt, ludum principaliter propter lucrum non eſſe peccatum etiam veniale. ibid. 2.

Ludus prohibitus alearum, & taxillorum quamuis in magna quantitate, per ſe hodie laicis non eſt peccatum, attenta lege naturali, & humana poſitiua, iura enim ciuilia, & Canonica prohibentia hos ludos iam per contrariam conſuetudinem ſunt abrogata. ibid.

Ludus alearum, & taxillorum, & ſimiles, iure Canonico prohibentur etiam Clericis; ſed vt aduertunt Doctores, maximè illis prohibetur frequentia in eo ludo, iura enim loquuntur de aleatoribus. ibid. 3.

Præcepti huius grauitas, & obligationis in Clericis iudicanda eſt ex conſuetudine regionis, ex ſcandalo, ex frequentia, ex quantitate pecuniæ ludo expoſitæ, & alijs ſimilibus circumſtantijs, quæ facilè variari poſſunt. ibid.

Ludere ludis prohibitis non eſt peccatum mortale religioſis, in ijs religionibus, in quibus eiuſmodi ludi iam vſu recepti videntur, & permiſſi, dummodo religioſus eam ſolùm pecuniam exponat, quàm liberè in ſui commodum, vel recreationem expondere poteſt. ibi. 4.

In religionibus, vbi tam exactè regularis diſciplina viget, vt huiuſmodi ſint penitus interdicti, graue peccatum foret viam, & aditum eiuſmodi ludis etiam titulo recreationis aperire. ibid.

Religioſus, qui extra Monaſterium de conſenſu Superioris in Curia, vel vniuerſitate gratia addiſcendi litteras moratur, non habet ius exponendi aliquid ludo prohibito, aut indecenti religioſo, qualis eſt ludus alearum, &c. ſecus quando ludus eſt honeſtus. ibid.

Probabile eſt, quod licet religioſus qui expendit in vſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem ſibi à Prælato conceduntur peccet mortaliter, ſi materia eſt grauis, ij tamen qui ab illo talia lucrantur, ad nullam reſtitutionem tenentur. ibid. 6.

Probabile item eſt, quod religioſus, & aliæ perſonæ alienare prohibitæ poſſint abſque reſtituendi onere, plus lucrari, quàm perdere, modo colluſor ſciat ſe ludere cum eo, qui alienare non poteſt, & nihilominus vult ludere. ibi.

Filius familiâs qui vnico iactu ſolum poteſt perdere quinque, non poteſt, ſingulis iactibus ad vno eodemque lucrari pluſquam quinque. Si autem plures ſint in quos ludit poterit totidem ab vnoquoque ludentium lucrari, quot ipſe vnico iactu perdere poterat 201. 7.

Filius familiâs, qui poteſt perdere quinque, ſi ſucceſſiuè lucretur triginta, vel quinquaginta, poteſt ea ludo exponere, & perdere, quando idem ludus perſeuerat: quando autem ludus eſt alius, licet de lubrilita e iuxis non

Digitized by Google

ris non poſſit ludere totum quod lucratus eſt, quia patri acquirit; nihilominus de æquitate conſcientiæ, ſi ludat cum eodem à quo lucratus eſt, & perdat, poteſt alter compenſare id quod perdiderat. ibi.

Quando filius familiâs nihil alienare potens lucratur centum, poteſt colluſor poteſt ab eodem tantumdem lucrari per alios ſequentes ludos, non ſolum continuos, vel ſimiles, ſed etiam tempore diſtantes, ac genere diuerſos; modo lucrum apud eundem filiumfamiliâs perſeueret, & non ſit conſumptum. ib. 8.

Qui ludit cum muliere coniugata, poteſt licitè ſibi retinere lucrum, quod ab ea acquiſiuit, in ſeptem caſibus. ibid. 9.

In certis caſibus lucrifaciens à ſeruo, poteſt ſic acquiſitum ab eo iuſtè retinere. ibid. 10.

Qui à minore per ludum aliquid acquiſiuit, ſi minor ſit pubes, & curatore careat, non tenetur lucrans reſtituere, donec minore reſtitutionem petente, iudex lucrantem ad eam cogat. ibid. 11.

Si minor curatorem habeat, vel ſi impubes, pubertati tamen proximus ſit, lucrans tenetur reſtituere, poſito, quod non obligetur naturaliter ludens ſine tutoris auctoritate: ſed ſtando in contraria ſententia, quod tunc obligetur naturaliter non teneretur reſtituere, donec ſic perditum non repetitur coram iudice à tutore vtente beneficio reſtitutionis. ibid.

Qui in ludo prohibito perdidit, & promiſit ſe nunquam repetiturum: quidam putant non poſſe repetere, vel ſibi retinere quod perdidit: verius tamen eſt oppoſitum, ſi ſolum promiſit ſimplici verbo abſque iuramento. 202. 12.

Qui iurauit ſoluere, & non repetere, tenetur ad vtrumque ſeruandum. ibid.

Qui iurauit ſoluere non poteſt ante ſolutionem iuramenti relaxationem ab Epiſcopo petere, quam dare non poteſt ſine conſenſu eius, cui factum eſt. Contrarium tamen videtur probabile. ibid.

Iuramentum vel votum non ludendi, quatenus includit ludum honeſtum, qui opus virtutis eſt, non obligat. Si autem iurans vel vouens intenderet per illud votum vel iuramentum ſe obligare, ad abſtinendum à ludo licito, votum, & iuramentum eſſent valida. Si non conſtet de iurantis intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt. ibi. 13.

Qui vouit non ludere ſub pœna certæ peregrinationis, aut eleemoſynæ, non da ſola prima vice votum debet intelligi; niſi pœna per votum promiſſa grauiſſima ſit, quę iterari non ſolet, qualis eſt peregrinationis Romanæ, &c. aut exorbitantis eleemoſynæ. ibi. 14.

Quando eſt ſolùm de ſubeunda pœna in caſu ludi, non autem de ludo vitando, ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis ſit dubium de intentione vouentis, de primo ludo videtur probabiliter votum eſſe intelligendum. ibid.

Qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, poteſt etiam diſpenſare cum habente votum non ludendi, modo adſit iuſta cauſa, qualis videtur ſubtractio occaſionis peccandi mortaliter in eo, qui aſſuetus eſt mortaliter peccare ludendo contra votum. 203. 15.

Habens poteſtatem diſpenſandi, & commutandi vota, meliùs faciet commutando votum non ludendi, quàm diſpenſando quia rarò adeſt cauſa iuſta in eo voto diſpenſandi. ibid.

Qui aleatores in domo ſua recipiunt, adminiſtrando ad ludum mortaliter illicitum aliter non futurum, menſas, chartas, candelas, aut alia in tali ludo neceſſaria, peccant mortaliter: imò aliquando tenerentur ad reſtitutionem. ibi. 16.

Laici, qui ſunt ſpectatores ludi mortaliter illiciti, non peccant mortaliter, quando ex contemplatione dumtaxat ſucceſſus ludi, modique ludendi abſque alterius mali appetitione, delectantur: ſecus de illis, quibus complacet ludus, vt eſt prohibitus, aut peccatum mortale, quod in ludo committitur. ibid. 17

Clerici beneficiati, aut in ſacris conſtituti, & religioſi, ſi per multum tempus eiuſmodi ludis interſint, iuxta quoſdam peccatum mortaliter; quod alij negant, niſi ſint cauſa ludi, vel omittant corrigere, quando tenentur, vel complaceant in ludo mortali. ibid.

Si quis vtatur fraudibus contra leges ludi, tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus eſt, imò & eius, quod alter iuſtè lucraturus erat, niſi fraude impeditus fuiſſet. ibi. 18.

Si quis videat colluſorem non numerare omnia puncta, quæ habet, quæ ſi numeraret lucraretur, an teneatur ſi non admonet, lucrum reſtituere; quidam putant teneri; ſed contrariam ſententiam probabiliter tenent multi, vbi adeſt conſuetudo ſic ludendi. ibid.

Qui inſpicit ludentes in hoc caſu, non peccat contra iuſtitiam non admonens ludentem errare in computandis punctis, niſi id promiſerit, licet interdum peccet contra charitatem. ibid.

Qui accipit primum locum, quem in ludo chartarum appellant manum, cùm tamen colluſori deberetur, peccat, & ſi ob id aliquid lucratur, ad reſtitutionem tenetur: ſecus ſi non conſtet præcisè ratione prioris loci lucratum fuiſſe. ibid. 19.

Quando contingit lucrari præcisè ratione prioris loci, tunc tenebitur reſtituere non ſolum totum quod lucratur, ſed inſuper tantumdem quod ipſe amiſſurus erat. ibid.

Ludere pro Oratione Dominica, vel ſalutatione Angelica, quidam improbare videntur, & irreuerentiæ notare, imò & ſimoniæ. Rectiùs tamen docent alij id eſſe licitum. ib. 26

Luxuria.

LVXVRIA à luxu dicitur, & ſtrictè ſumpta accipitur pro exceſſu in re venerea. 204. 1.

Luxuria ex ſuo genere peccatum eſt mortale, & præterea vitium capitale. ibid. 2.

Filiæ luxuriæ internæ ſunt *cæcitas mentis inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror vel deſperatio futuri.* ibid.

Filiæ externæ luxuriæ ſunt, *Turpiloquium, Scurrilitas, Ludicritas, & Stultiloquium.* 205. 3.

Peccatum luxuriæ dicitur contra naturam, vel quia eſt contra dictamen rationis, vel naturalis, quia eſt contra ordinem generationis. ibid. 4.

Natura actus venerei, vt ex eo poſſit conceptio fieri prolis eiuſdem ſpeciei, poſtulat quinque. ibid.

Quinque modis poteſt eſſe peccatum contra naturam in materia luxuriæ. ibid.

Mollities, ſeu pollutio eſt peccatum mortale, ſi plenè voluntaria ſit; aliàs eſt peccatum veniale, vel nullum. ibid. 5.

Pollutio dupliciter poteſt eſſe voluntaria, 1. per ſe, 2. in cauſa. ibid. 6.

Tria requiruntur vt aliquod peccatum ſit voluntarium in cauſa. ibid.

Qui expertus eſt ſe pollui ex equitatione abſque conſenſu periculo non tenetur pedeſter incedere. ibi. 7.

Pollutio ſequens ex ebrietate, vel ex auditione confeſſionum, vel ex ſtudio propter concionem, non eſt mortale peccatum, modò abſit periculum conſenſus. ibid.

Parochus non tenetur deſerere officium, etiamſi expertus ſit pollutiones voluntarias procurare, ſumpta occaſione ex laſciuiis auditis in confeſſione, dummodo proponat vlteriùs huiuſmodi peccato non conſentire. ibid.

Pollutio præter intentionem ſubſecuta ex tactu licito; & neceſſario, licet ſit, præuiſa excuſari poteſt à mortali, ſit ceſſet periculum conſenſus. ibi. 8.

Pollutio proueniens ex fricatione pudendorum facta ad ſedandum magnum pruritum, ab aliquibus excuſatur à mortali, modo abſit conſenſus periculum. ibid.

Accubans ſic, vel aliter, & ſentiens ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſomno, vel in vigilia, dum abeſt periculum conſenſus, non tenetur aliter decumbere. ibid.

Cauſæ, in quibus pollutio præuidetur, quædam ſunt ex luxuriæ genere per ſe turpes, & ad luxuriam directè pertinentes, vt tactus, aſpectus, amplexus, verba turpia. Aliæ non ſunt ex genere luxuriæ, vt nimius potus, eſus, equitatio. 10.

Cauſæ proximæ, aliæ notabiliter influunt in pollutionem, vt viſus, tactus pudendorum alterius: aliæ parum influunt, vt eſt viſus curioſus, lectio curioſa. ibid.

Valde tenuis eſt obligatio vitandi pollutionem in cauſis, quæ per ſe, & proximè non ordinantur ad illam, quales ſunt quæ ad luxuriam non pertinent, modo per illas non intendatur, & ceſſet periculum conſenſus in delectationem. ibid.

Pollutio præuiſa, & non intenta in gulæ peccatum etiam mortali, non habet ſpecialem pollutionis malitiam mortalem, ſi probabile conſenſus periculum abſit. ibi. 11

Nullus actus habet malitiam mortalem inter ſolutos, eo quod ſit pollutionis præuiſæ, & non intentæ cauſa, niſi ſecluſo pollutionis periculo, eſſet mortalis contra ſexum decalogi præceptum. 207. 12.

Pollutio non eſt mortalis, quæ ſequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, modò non ſit intenta, & ceſſet probabile conſenſus periculum. ibid.

Qui dedit cauſam culpabilem pollutioni, & antequam illa ſubſecuta fuerit, pœnituit legitimè cauſæ datæ, vacat culpa pollutio poſtea ſubſecuta. ibi. 13

Nullo modo licitum eſt pollutionem deſiderare, aut de ea iam facta gaudere cauſa voluptatibus, etiamſi ſine culpa acciderit. ibi. 14.

Probabile eſt, licitum eſſe illam deſiderare ſimplici affectu ſine omni libera cooperatione, cauſa ſanitatis, vel ſedandæ tentationis; & ob eaſdem rationes, de illa iam facta gaudere. ibid.

Pollutio nocturna ſecundùm ſe, & in ſe peccatum non eſt. ibid. 15.

Pollutio tripliciter poteſt accidere in ſomnis, & ob tres cauſas. ibid.

Vt pollutio nocturna ſit peccatum mortale ex cauſa antecedente, requiritur vt cauſa ſit appoſita tempore vigiliæ ex intentione ad hunc finem, vel de ea facta gaudere ob delectationem veneream inde ſecutam. ibid.

Numquam licet directè pollutionem procurare propter ſanitatem, nec hac de cauſa ſumere medicinam vt pollutio eueniat; licitum tamen eſſet medicinam ſumere reſoluentem ſemen in ſanguinem vel in alium humorem. ibid. 16.

Fœmina, quæ propter ſemen corruptum patitur accidentia venenoſa,

poteſt

Digitized by Google

poteſt conari fricando vel adhibendo medicamentum, ad expellendum ſemen corruptum, quod eſt noxium ſanitati. ibid.
Non licet cooperari ad ſeminis iam è lumbis deciſi effuſionem, quamuis retentio ſaluti corporis graue detrimentum allatura ſit. 208.17.
Quando pollutio in ſomnis incœpta eſt in naturali fluxu, licet illam non impedire ob morbi periculum, ceſſante periculo conſenſus in delectationem. ibid.
Pollutio ſiue ſit per contrectationem membri abſque ſeminatione, vt in impubere, ſiue per ſolam cogitationem ex propoſito, ſiue per externam procurationem, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei. ibid.18.
Pollutiones poſſunt eſſe diuerſæ ſpeciei ratione circumſtantiæ habentis diuerſam ſpecie malitiam. ibid.
Procurare magnam commotionem ſpirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam diſtillationem, per media aliàs etiam licita, peccatum eſt mortale: ſecus ſi commotio ſit leuis. ibid.19.
Ratio vniuerſalis ad ferendum iudicium de grauitate, vel leuitate delectationis venereæ, ab experimento illam ſentientis eſt deſumenda: ſi enim delectationem ferè turbantem rationem ſentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis, & grauis iudicabitur; quæ circumſtantiæ ſi deficiant, leuis, & modica reputari debebit. ibid.
Voluntaria ſeminis emiſſio extra vas inter coniugatos, aut is congrediendi modus ex quo illa ſequatur, eſt peccatum mortale. ibi.20.
Maritus non poteſt abſque peccato mortali deſiſtere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula: de conſenſu tamen vxoris poteſt, modò ipſa non ſeminarit, & non ſit periculum pollutionis extra copulam in vtroque vel ſaltem in altero coniuge. ibid.
Poteſt maritus ex conſenſu vxoris ob morbi periculum ſe retrahere ab inchoata copula, licet ex hoc aliquando ſequatur pollutio. ibid.
Maritus ex cauſa vrgentiſſima poteſt relinquere imperfectam copulam, etiamſi fœmina ſeminauerit. ibid.
Fornicans poteſt, & tenetur deſiſtere ab inchoata copula etiamſi fœmina renuat, & etiam ſeminauerit, aut ſit periculum pollutionis extra vas. ibid.
Sodomia duplex eſt alia Imperfectior, alia perfectior. 209.21.
An autem in Caſum reſeruatum ſodomia incidat fœmina cum fœmina congrediens, &c. ibid.
Rei huius vitandi criminis ſecundum multas leges, ius Canonicum, & ius Ciuile &c. ſunt multis pœnis obnoxij. ibid.
Ad incurrendas tales pœnas, neceſſarium eſt vt peccatum ſit in ſua ſpecie Conſummatum. ibid.
Vtrum Copula ſodomitica cum fœmina comprehendatur ſob caſu reſeruato ſodomiæ. ibid.
Vtrum Impuberes Incidant in caſum reſeruatum Sodomiæ. ibid.
Vtrum bulla Pij V. contra Clericos ſodomitas obliget in foro conſcientiæ. ibid.
Sodomia aliquando habet aliam malitiam. ibid.22.
Beſtialitas eſt Coniunctio Carnalis cum re alterius ſpeciei. ibid.23.
Coniunctio naturalis facta modo indebito inter coniuges eſt peccatum mortale, quoties interuenit tanta inordinatio, vt ſequi non poſſit generatio: quamuis rarò hoc contingat. ib.24.
In peccatis contra naturam quæ ſint grauiora. 210.25.
Remedia quædam contra luxuriam. ibid.26.
Plura de hoc vitio, vide verb. *Adulterium. Fornicatio. Raptus. Stuprum. Inceſtus. Sacrilegium II. Beſtialitas. Virginitas.* & infra verb. *Sodomia.*
Luxuria apud morales nihil aliud eſt, quàm intemperantia libidinis in re venerea: eius materia eſt libido virtuti caſtitatis oppoſita, quæ ſine peccato mortali extra legitimum matrimonium exerceri non poteſt. ibi.1.
Delectationes moroſæ, quæ ſunt peccata mortalia, non habent omnem malitiam operis externi, ac proinde nec varias ſpecies ſortiuntur, iuxta varietatem eorum, quæ in opere externo reperiuntur. ibid.2.
Delectatio de ſodomia, pollutione, & beſtialitate, quæ peculiarem dicunt oppoſitionem cum caſtitate diſtinctam à malitia fornicationis, eſt ſpecialiter exprimenda in confeſſione. ibid.
Delectatio coniugati cum non ſua, includit ſpecialem iniuſtitię malitiam contra propriam vxorem in confeſſione aperiendam: licet contrarium ſit probabile. 211.3.
*H*abens abſolutum votum caſtitatis peccat contra religionem, & caſtitatem, ſi delectetur de re aliqua turpi: ſecus ſi vouerit tantum abſtinere ab opere externo. ibid.
Peccata contra naturam, nempe mollities, ſodomia, & beſtialitas non ſunt vnius ſpeciei infimæ, ſed ſubalternæ: & ita inter ſe differunt ſpecie, quidquid in contrarium nonnulli improbabiliter dicant. ib.4.
Vera, & certò tenenda ſententia docet circumſtantias eſſe ſpecie diuerſas in confeſſione aperiendas, ſi quis pollutionem procuret proprijs tactibus, quam ſi procuret tactibus alienis, & inter alienos diuerſam eſſe ſpeciem, ſi procuret tactibus fœminæ, quàm viri. ibi.5.
Peccans cum virgine ſodomiticè non tenetur in confeſſione dicere illam eſſe virginem: imò probabile eſt, neque teneri exponere ſodomiam commiſiſſe cum muliere, licet aliqui contradicant. 212.6.
Clericus committens vitium beſtialitatis, non incurrit pœnas Extrauagantis Pij V. contra Sodomitas. ibi.7.
Ad incurrendas pœnas dictæ Extrauagantis, vbi eſt vſu recepta, requiritur ſententia iudicis, ita vt ante illam, Clerici in conſcientia dictas pœnas non incurrant. ibid.8.
Clericus ſodomita occultus habens beneficium, dignitatem vel officium, poteſt abſque noua prouiſione à Confeſſario abſolui, ſi ſit contritus: nec eſt ſuſpenſus, nec irregularis, quamdiu delictum manet occultum. ibid.9.
Beſtialitas eſt grauiſſimum ſcelus inter omnia, quæ contra naturæ ordinem ab hominibus committuntur; hoc crimen punitur pœna mortis, & flammarum poſt mortem. ibid.10
Beſtialitatis peccatum illud eſt etiam, quod committitur cum Dæmone in corpore aſſumpto: & hoc crimen nefandiſſimum multo grauius eſt peccato ſodomiæ, ac beſtialitatis ſimplicis cum bruto. ibid.11.
Omnes beſtialitates ſunt eiuſdem ſpeciei, quantum eſt ex natura actus id eſt, ipſius concubitus ſecundùm ſecum ſuppoſito, non eiuſdem ſpeciei. Ex parte tamen affectus poteſt eſſe diuerſæ ſpeciei. 213.12.
Poteſt ex parte effectus adiuncto quandoque patientis affectu, ſeu conſenſu, variari beſtiale peccatum mulieris cum Dæmone. ibid.
Peccata contra naturam, licet concurrere nequeant cum peccatis luxuriæ naturalis, in eadem ſpecie, & in eodem actu, ſi tamen conſideretur deformitas ex parte iniuriæ, vel irreuerentiæ, quæ determinat ſpecies luxuriæ naturalis, ſic concurrere poſſunt. ibi.14.
Copula habita cum fœmina dormiente, quæ in illam ante ſomnum conſenſit, eſt eiuſdem ſpeciei, ac eſſet, ſi *haberetur* cum illa vigilante. Si autem ante ſomnum in eam non conſenſerit, quidam volunt talem copulam continere etiam malitiam raptus; an autem hoc ſit probabile, tu Lector iudica.

M.

Magia.

MAGIA duplex eſt, naturalis ſcilicet; & ſuperſtitioſa. ibid.1.
Magia ſuperſtitioſa ex genere ſuo peccatum eſt mortale: ex ignorantia, vel inaduertentia quidam actus magici excuſari poſſunt à mortali. ibid.2.
Operatio ad magiam pertinens cognoſci poteſt, vel ex conditione cauſarum, vel ex conditione operationis, vel ex conditione effectus. 214.3.
Magiæ ordinariè alia crimina ſunt adiuncta, de quibus magi ſunt interrogandi à confeſſarijs, & iudicibus: puta hæreſis, Apoſtaſia, Idololatria, Blaſphemia, Luxuria, &c. ibid.4.
De magia vide *Superſtitio.*

Maleficium.

MALEFICIVM eſt ars, ac poteſtas nocendi alijs ex pacto expreſſo, vel tacito cum dæmone. ibid.1.
Maleficium duplex eſt, amatorium, ſcilicet ad excitandum amorem, & veneficium ad nocendum alijs. ibid.
Maleficia omnia ad quinque genera reuocantur. ibid.2.
Remedia maleficij poſſunt eſſe, vel naturalia, vel ſupernaturalia, vel moralia. 215.3.
Ob varias cauſas ſinit nos Deus affligi à maleficis. ibid.
Malefici etiam bonis nocere poſſunt. ibid.
Diabolus nocet hominibus potius per homines, quàm per ſeipſum ob varias cauſas. ibi.
Dæmon ſuadet abuti rebus ſacris, vt maleficorum peccata reddat grauiora, & vt facilius decipiat. ibi.
Nullo modo licet, etiam pro re graui, & vrgente bono publico, maleficorum, & diuinatorum aliàs paratorum opera vti. ibid.4.
Non licet petere, vt maleficus, aut alius vno maleficio diſſoluat aliud: Si tamen petens certus ſit, quòd maleficus ſciat licitè, & illicitè ſoluere maleficium, tunc licitum eſt petere ab eo abſolutè, vt maleficium ſoluat. ibid.5
Ex quibus maleficus poſſit quis cognoſci. ib.6.
Confeſſarius in audiendis confeſſionibus maleficorum, vel maleficarum, quinque præcipuè inquirere debet. ibid.7

Magia, Maleficium.

MAGIA apud Græcos pro ſapientia accipitur, & rerum naturalium exacta cognitione, quare Magi apud illos dicebantur Sapientes. 216.1.
Magia ſuperſtitioſa, ſeu dæmoniaca omninò illicita eſt, & in iure prohibita: & illa vtentes grauiſſimum peccatum mortale committunt. ibid.
Exercentes hanc diabolicam, & abominabilem artem magiæ, dicuntur Magi, ſiue Magæ: Malefici; ſiue Maleficæ, Venefici, vel Veneficæ, Fœminæ appellantur ſtriges: aliquando lamiæ, ſagæ, ſeu incantatrices. ibid.2.

Magia ſuperſtitioſa duplex eſt, vna per pactum, ſeu ſocietatem explicitam cum Dæmone. Altera eſt per peccatum cum Dæmone implicitum. ibi. 3.
Certum eſſe poſſe Dæmones realiter quandoque uſportare huiuſmodi Veneficas in loca remota, etiam diſtantiſſima breuiſſimo tempore, & iterum poſtea eadem celeritate ad domum propriam reducere. ibi. 4.
Magiæ duplicæ proprijſſimæ ſumptæ ſpecies, ſunt incantationes, & auxilio Dæmonum: & hanc artem exercentes ſunt valde de hæreſi ſuſpecti. 217. 5
Incantare eſt verbis quibuſdam ſuperſtitioſis, vel etiam actionibus quibuſdam verbis adiunctis, aliquid ſupra naturam moliri. ibi.
Maleficium deriuatur à verbo *Malum. & facio*, & ideo à Theologis accipitur pro vi, & poteſtate nocendi alijs ex pacto facto cum Diabolo, ſiue explicito, ſiue implicito. ibid.
Malefici poſſunt ſuis maleficijs reddere hominem impotentem ad copulam carnalem: quod quinque modis fieri poteſt. ibid. 6.
Magi non habent poteſtatem alligandi Dæmones, quos vocant familiares, in annulis, ſpeculis, ſiue vaſculis, vel ad illos expellendos è corporibus hominum obſeſſorum: ſi quandoque hoc fiat, hoc fit poteſtate Dæmonum ſuperiorum, vel dæmones ſponte ſeipſos includunt. ibid. 7.
Non ſolùm eſt illicitum petere à malefico precibus, ſed etiam minis eum cogere, vt maleficium alio maleficio ſoluat. ibid. 8.
Non licet ſagam, ſeu maleficam occidere, ſi nolit maleficium tollere, etiamſi alia via non ſuppetat. Tamen poſſet maleficа cogi à iudice ad id ſignum deſtruendum. ibid.
Licite poteſt interrogari alius maleficus, an norit in quo maleficium conſiſtat, vt ſignum deſtruatur, quod ſi ille ignoret, induci non poteſt ad id per ſuam artem inueſtigandum. ibi. 9.
Quando maleficus per maleficia id à Dæmone didicit, licebit ea ſcientia vti ad deſtruendum maleficij ſignum. ibid.
Non liceret tamen ad ſoluendum maleficium remedijs ſuperſtitioſis vti. ibid.
Quomodo Confeſſarius cum Sagis vltro ad ſacram confeſſionem accedentibus ſe gerere debeat. 318. 10.

Maledictio.

Maledictio eſt imprecatio, ſeu exoptatio mali alicui facta ſub ratione mali. ibi.
Maledictio alia eſt formalis, alia materialis. ibid.
Maledictio formalis ex genere ſuo peccatum mortale eſt: licet poſſit eſſe veniale ratione paruitatis materiæ, aut ex defectu deliberationis. ibid. 2.
Maledictio materialis ſolùm peccatum veniale eſt ex genere ſuo; ratione autem circumſtantiarum poſſet eſſe grauiſſimum peccatum. ibid. 3.
Maledictio materialis, qua quis imprecatur alteri malum ſub ratione boni, vel iuſti, vel boni vtilis, non eſt peccatum. ibid. 4.
Maledicere creaturis irrationabilibus ſecundùm ſe conſideratis, vanum, & otioſum eſt; ſi in ordine ad Deum, erit blaſphemia. 219. 5.

Maledictio.

Maledictio, vt ſit peccatum mortale, tria concurrere debent. 1. vt ipſa maledictio ſit alicuius mali grauis ex animo facta. 2. vt cum plena deliberatione voluntatis. 3. vt malum quod aliter quis imprecatur ſit malum, & ſub ratione mali, vt ex odio, vindicta, ſeu inuidia, &c. ibid. 1.
Maledictio, ſiue imprecatio mali non eſt actus odij elicitus, ſed imperatus: interdum tamen maledicere proximo ſine iuſta cauſa; aduerſatur charitati, & iuſtitiæ. ibid. 2.
Omnis maledictio ad illam ſpeciem peccati pertinet, ad quam pertinet malum, quod optatur. ibid.
Quomodo dignoſcatur, quando maledictio eſt mortalis, vel venialis facta ex iræ impetu. ibid. 3.
Qui maledicit toti domui, non committit tot peccata, quot ſunt perſonæ maledictæ. ibid. 4.
Qui ex ira, vel obiurgationis cauſa grauem maledictionem in alterum effundit, vt Diabolus illum rapiat, ſine animo, & voluntate, vt id eueniat, atque ſine notabili contumelia, &c. non foret peccatum mortale. ibid.
Quando quis ex ira ſeipſum Diabolo dederet, eſto ſine animo, vt id eueniret, non videtur excuſandus à peccato mortali, & Confeſſarius debet numerum talium peccatorum interrogare. ibid.

Mandatum.

Mandatum eſt contractus innominatus, quo quis officium honeſtum gratuito expreſſè, vel tacitè ſuſcipit exequendum in gratiam alterius. 220. 1.
Generale mandatum ad illicita non extenditur: de re illicita inualidum eſt, & damna ex iniquo mandata reſtituenda ſunt. ib. 2.
Mandatarius poteſt recuſare mandatum nondum ſuſceptum: ſecus ſi iam ſuſceptum ſit; niſi ſuperueniat iuſta cauſa recuſandi. ibid.
Contractus mandati ſubſtantialia ſunt, conſenſus vtriuſque, præceſſio obligationis alicuius, vt ſit de re bona, & vt in eo dando mandans certam formam præſcribat. ibi. 3.
Mandatarius debet diligenter prudenter, & rationabiliter negotia præſtare, quando mandatum accepit abſque vllа forma expreſſa. ibid. 4
Mandatum finitur per reuocationem factam ab ipſo mandatore; per lapſum termini conſtituti; & per mortem mandatoris, vel mandatarij. ibid. 5.
In multis caſibus mandatum non finitur morte mandatoris. ibid. 6.
Præcepta ſuperiorum ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligantia, ſi non emanent per modum conſtitutionis à potenti illam facere, ſed ſint mandata ab homine, ſemper expirant mandantis morte, quamuis res non ſit integra. ibid. 7.

Mandatum.

Illi poſſunt dare, & accipere mandatum qui contrahere, niſi prohibiti ſint à mandato dando, vel accipiendo, vt prohibentur milites, curiales, pupillus, minor, religioſus. 227. 1.
Filius familiàs poteſt mandatum accipere, ſed non ſemper. ibi.
Mulier coniugata ſi mandet alicui, vt pro ea fide iubeat, ille tenetur actione mandati: Si mandet alteri, vt fide iubeat pro alio mandatum non ſubſiſtit. ibid. 2.
Ille, cuius bona publicata ſunt, ſi mandauerit alteri vt ea bona emat, valet mandatum. ibid. 3.
Excommunicatus non poteſt procurator conſtitui mandato alterius ad lites, ſiue iudicia. Si autem ſis reus, poteſt procuratorem dare, vt in iudicio illum defendat. ibid.
Seruus poteſt procuratorem dare ad ſua peculiaria negotia, non autem ad lites. ibid.
Inter mandatum, & mandatarium debet interuenire conuentio ſaltem tacita; & ex hac conuentione obligatio reciproca oritur. ibi. 4.
Mandatarius regulariter tenetur ſolùm ex dolo, & lata culpa: ſi mandatum eſſet in gratiam vtriuſque, obligaretur ex culpa leui: de leuiſſima autem teneretur, ſi cum mandante conueniſſet. ibid. 5.
Mandans tenetur mandatario ex caſu fortuito, qui potuit inito à mandante cogitari, & præuideri: & tenetur mandatarium indemnem ſeruare, quoad omnes expenſas gratia mandati factas. ibid. 6.
Si mandatarius exceſſerit mandati fines, tutum minimè eſt, & ſirmum quod facit. ibid. 7.
Mandatarius, qui mandatum ſuſcipit, non poteſt officium deſerere, tamen ex iuſtis cauſis poteſt ab officio recedere. ibid. 8.
Quando, mandatum quis dedit ad lites, poſt litem, ſiue iudicium ceptum mandans nequit procuratorem mutare, niſi vel procurator conſentiat, vel inimicus factus eſſet, &c. ibid. 9.
Si mandatum quis dederit ad negotia, non poteſt reuocare niſi ex iuſta cauſa, poſtquam res mandata geri cœpit. ibid.
In mandato interpretando quædam obſeruari debent. 222. 10.
Ex mandato duæ actiones deſcendunt, vna, quæ dicitur directa, & conuenit mandanti aduerſus mandatarium: Altera dicitur contraria, quæ conuenit mandatario contra mandantem. ibid. 11.
Mandatorum ſex genera ſunt. ibid. 12.

Martyrium.

Martyrium accipitur pro teſtimonio veritatis fidei, vel alicuius virtutis per mortis tolerantiam. ibid. 1.
Acceptatio, & perpeſſio mortis cauſa fidei, vel veræ virtutis, ſunt actus eliciti à virtute charitatis, fortitudinis, & patientia, irrogatio autem mortis eſt opus impietatis. ibi. 2.
Ad martyrium requiritur in adultis, vt adſit voluntas ſuſcipiendi martyrium: Infans verò adhuc in vtero matris exiſtens poteſt eſſe martyr ſi vna cum matre occidatur in odium fidei. ibid. 3.
Iuſtus dormiens ſi occidatur in odium Chriſti, dicitur martyr, quando Martyrium præuidit, & in illud conſenſit. ibid.
Ad martyrium omninò perfectum requiritur etiam, vt mors inferatur odio Chriſti, vel religionis Chriſtianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis. ibid. 4.
Ad martyrium requiritur vt martyr non reſiſtat tyranno. ibid. 5.
Melites pro fide Chriſti pugnantes non ſunt martyres, cum in bello occumbunt. ibid.
Martyr debet fide ſupernaturali veritatem illam credere, pro qua potiſſimùm tuenda mortem eligit. 223. 6.
In adulto ſuſcepturo martyrium requiritur ad minimum attritio ſupernaturalis, ſi adultus habeat peccatum mortale. ibid. 7.
Licet ad martyrium per ſe requiratur dolor formalis in eo qui eſt conſcius peccati mortalis probabile tamen eſt ex accidenti ſufficere virtualem,

tualem,qui clauditur in voluntate ſuſcipiendi martyrium. ibid.8.
Martyrium ex opere operato habet vim delendi omnem culpam, & conferendi gratiam iuſtificationis ſubiecto debitè diſpoſito, & tollendi omnem reatum pœnæ. ibid.9.
Martyrium non eſt ſacramentum, quamuis conferat gratiam ex opere operato. ibi.10.
Probabile eſt martyrium ſuum effectum conferre, quando martyr accepit cruciatum lethalem,ſeu vulnera de ſe mortifera. ibid.
Martyrium rarò eſt in præcepto, niſi grauis neceſſitas, & cauſa ſeſe offerat,puta ad tuendam fidem. ibid.11.

Matrimonium. Quoad eius eſſentiam.

Matrimonium vocatur alio nomine *nuptiæ,connubium,coniugium*.224.1
Matrimonium eſt maritalis coniunctio viri, & fœminæ, inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. ibid.2.
Eſſentia matrimonij conſiſtit in vinculo illo,quo formaliter ſunt ex coniuges vnici. ibi.3.
Matrimonium olim erat in præcepto: nunc autem hoc præceptum obligat ſolùm Rectores communitatum: & in neceſſitate obligat etiam religioſos,& moniales. ibid.4.
Extra neceſſitatem conſeruandæ ſpeciei tenetur quis matrimonium inire ſub mortali,quando exinde pax in Repub. dependet. ibid.
Matrimonium ante Adami lapſum inſtitutum fuit in naturæ officium, eo autem ſecuto in concupiſcentiæ remedium, & in noua lege eleuatum fuit à Chriſto in ſacramentum. ibid.5.
De fide eſt ſtatum coniugalem eſſe inferiorem cœlibatu. ibid.
Matrimonium diuiditur in legitimum, ratum & conſummatum. Aliud eſt verum,aliud præſumptum. Item aliud eſt clandeſtinum, aliud probabile in iudicio,aliud publicum. ibid.6.
Probabilius eſt matrimonium fidelis cum catechumena ex diſpenſatione Pontificis,ex parte neutrius eſſe ſacramentum. ibid.
Matrimonium infidelium fit ſacramentum, & confert gratiam cùm ambo baptizantur. ibid.
Matrimonium inter fideles, an ſemper ſit ſacramentum, alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Verius eſt verba,ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimuntur, eſſe ſibi inuicem materiam matrimonij. 225.7.
Minister ſacramenti matrimonij numquam fuit ſacerdos, nec ante, nec poſt Concilium Trident. ſed ipſi contrahentes ſunt miniſtri conficientes ſacramentum. ibid.8.
Sacerdos poteſt dici miniſter accidentarius,quatenus ex officio iungit, & benedicit contrahentibus. ibid.
Matrimonium poteſt celebrari inter abſentes per literas, vel procuratorem,poſitis quatuor conditionibus. ibid.9.
Communior ſententia eſt matrimonium contractum per literas, vel procuratorem eſſe ſacramentum. ibid.10.
Ætas requiſita ad matrimonium validè ineundum eſt pubertas; nempe annus duodecimus in fœmina, in viro autem annus decimus quartus completus. 226.11.
In dubio ante pubertatis ætatem, nec mas, nec fœmina præſumuntur generationi apti:quamuis aliquando poſſit ſupplere ætatem malitia. ibi.
Iuxta quoſdam relinquitur arbitrio iudicis iudicandum, quanto tempore ante ætatem iure præſcriptam,malitia illam ſuppleat. Alij cenſent eſſe tempus vnius integri anni. ibid.
Probabilius eſt peccatum eſſe mortale, contrahere matrimonium ante legitimam ætatem;niſi id fiat cum licentia Epiſcopi ex iuſta cauſa. ibid.

Matrimonium. Quoad illius indiſſolubilitatem.

Matrimonium ratum ſignificat vnionem diſſolubilem Chriſti cum anima exiſtenti in gratia conſummatum autem ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. ibid.1.
Probabilius eſt,aliqualem inſeparabilitatem eſſe de natura matrimonij, & ita competere etiam matrimonio rato: omnimodam tamen indiſſolubilitatem competere matrimonio conſummato ex ſignificatione vnionis Chriſti cum Eccleſia. ibid.2.
Probabilius item eſt poſſe Pontificem ex iuſta cauſa diſpenſare in matrimonio rato. ibid.3.
Matrimonij rati vinculum ex priuilegio diuino dirimitur per profeſſionem trium votorum ſolemnium in religione approbata. 227.4.
Matrimonium ratum non dirimitur per vota ſimplicia, nec per ſuſceptionem ordinum ſacrorum,& Epiſcopatus. ibid.
Vt matrimonium dicatur indiſſolubile,debet eſſe conſummatum. ibi.5.
Quando cenſeatur matrimonium conſummatum,vide ſuprà v. *Conſummatio matrimonij*.
Probabilius eſt,bimeſtre ante conſummationem matrimonij præſcriptum eſſe ſponſis,non ad profitendum, ſed ad deliberandum de religionis ingreſſu. ibi.7.
Tranſacto bimeſtris poteſt quilibet coniux ingredi religionem, ſi matrimonium nondum ſit conſummatum. 228.8.

Matrimonium. Quoad cauſam illius efficientem,

Ad matrimonium requiritur conſenſus mutuus. ibid.1.
Per nullam potentiam poteſt matrimonium conſtare abſque proprio conſenſu. ibid.
Conſenſus matrimonium conſtituens non eſt explicitè in carnalem copulam,ſed in ius,& poteſtatem ad talem copulam, implicitè autem, & virtute ad talem copulam. ibid.
Bona,quæ debent intendi à contrahentibus,ſunt bonum ſacramenti, bonum prolis,& bonum fidei. ibid.
Matrimonium contrahens debet ſaltem implicitè intendere bonum ſacramenti:non item alia duo matrimonij bona. ibi.3.
Cùm matrimonium ordinatur ad copulam,eſt peccatum veniale,ſi non principaliter ad ſobolem,vel concupiſcentiæ remedium ordinetur.ib.4
Non ſufficit conſenſus internus ad matrimonium,niſi exprimatur verbis vel ſignis. ibi.5.
Non eſt neceſſarium conſenſum vtriuſque coniugis ſimul tempore præſtari,ſed ſatis eſt temporis mora intercedente: modò conſenſus prioris coniugis non ſit reuocatus. 229.6.
Probabilius eſt, quando conſenſus alterius coniugis fuit fictus, vel metu extortus, ſatis eſſe, vt is, qui minùs legitimè conſenſit, denuò conſentiat,dum alter conſenſum non reuocauerit. ibi.7.
Quando matrimonium fuit inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis,tunc ad validandum matrim. requiritur vt conſenſus aliquo ſigno externo manifeſtetur. ibid.8.
Quomodo reualidandum ſit matrim. quando interfuit aliquis error facti vel iuris. ibid.9.
Taciturnitas non ſufficit ad exprimendum regulariter conſenſum matrimonialem;niſi quis promittat fœminæ,quæ tacet coram patre, vel matre,vel alio coram ipſius gerente, & pater vel mater, vel alius curam ipſius gerens pro ea repromittit. 230.10.
Quædam ſufficientes coniecturæ, quibus ſit certitudo moralis ficti conſenſus in matrimonium. ibi.11.

Matrimonium clandeſtinum.

Matrimonium clandeſtinum dicitur quod fit ſine parocho,& teſtibus;vel quando celebratur omiſſis denunciationibus. ibid.1.
Matrimonium ſine parocho, & teſtibus duobus poſt Conc. Trid. eſt inualidum,peccantque mortaliter ſic contrahentes. ibi.
Matrimonium clandeſtinum,hoc eſt,ſine Parocho,& teſtibus ſemper fuit illicitum tamen concurrentibus quibuſdam legitimis cauſis poterat olim licitè fieri. ibid.
Qui inuincibiliter ignorant legem irritantem Concilij inualidè contrahunt ſine Parocho,& teſtibus. ibid.
Matrimonium quod contrahitur abſque præmiſſis denunciationibus validum eſt,tamen peccatum eſt mortale ſic contrahere abſque diſpenſatione,aut legitima cauſa. ibid.2.
In denunciationibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi,& alij Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. ibid.
Denunciationes matrimoniales faciendæ ſunt à proprio contrahentium parocho,tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia publicè. 231.3.
Epiſcopus,vel Prælatus alterius contrahentis poteſt cum vtroque diſpenſare in denunciationibus. ibi.4.
Cauſæ iuſtæ diſpenſandi in denunciationibus. ibi.5.
Matrimonium conſummare denunciationibus non præmiſſis, peccatum eſt mortale. ibid.6.
Quilibet tenetur ſub culpa lethali manifeſtare impedimentum licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere, quamuis illud probare non poſſit. ibid.8.

Matrimonium. Quoad illius miniſtrum.

Miniſter ſolemnitatis matrimonij eſt parochus,& teſtes duo. 232.1.
Vbi Concilium Tridentinum non eſt promulgatum nec acceptatum quoad illud decretum, validum eſt matrimonium ſine parocho, & teſtibus. ibid.
Si incola illius loci in quo non eſt acceptatum Concil. Trident. diuertat ad locum in quo eſt acceptatum, non poteſt contrahere abſque Parocho,& teſtibus. ibid.
Quando aliquis in fraudem legis Conc. Trid. & vt contrahat ſine parocho,& teſtibus, eò proficiſcitur vbi Tridentinum non eſt acceptatum, non animo ibi habitandi, ſecundùm quoſdam matrimonium eſſet inualidum. ibid.
Et Sacræ Congregationis Cardinalium declaratione matrimonium validum eſt duobus caſibus contractum ſine parocho, etiam vbi Concilium eſt publicatum. ibid.
Matrimonium publicè contractum, ſciente maiore viciniæ parte, eſt inualidum,ſi parochus deſit. ibid.

Infideles habitantes Chriſtianorum loca, in quibus viget decretum Tridentini,non tenentur coram Parocho,& teſtibus contrahere. ibid,

Fideles inhabitantes loca vbi obligat decretum Tridentini,illud tamen inuincibiliter ignorantes,inualidè contrahunt abſque Parocho, & teſtibus. ibid.

In locis vbi Tridentinum obligat, exigitur neceſſitate Sacramenti aſſiſtentia proprij parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, vel ordinarij. ibid.2.

Parochus alterius contrahentium ſufficit. ibi.

Vagorum matrimonio, qui nullibi domicilium habent, poteſt quilibet parochus. Validè intereſſe. ibid.

Verius eſt parochum alterius contrahentis poſſe validè aſſiſtere illius matrimonio, in alterius contrahentis, qui ſibi ſubditus,non eſt, parochia. 233.3.

Probabilius eſt, parochum aſſiſtentem matrimonio non debere ſacerdotem: Alter tamen qui de licentia parochi aſſiſtit,debet eſſe ſacerdos, licet non ſit approbatus, imò excommunicatus, ſuſpenſus, &c. validè aſſiſtit. ibid.4.

Parochus non ſacerdos validè aſſiſtit matrimonio non tamen licitè cùm debeat benedictionem dare. ibid.

Matrimonium contractum coram parocho excommunicato, ſuſpenſo, vèl irregulari non tolerato eſt validum. ibid.5.

Probabilius eſt,licentiam quam dat parochus matrimonio aſſiſtendi, non eſſe actum iuriſdictionis. ibid.

Archiepiſcopus non poteſt coniungere in matrim. ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi niſi in caſu appellationis. ibid.6.

Licentiam aſſiſtendi matrimonio dare poſſunt Epiſcopus, Parochus, & eorum Vicarij,Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt Cardinales,Abbates quidam. ibid.

Licentia hæc non debet eſſe tacita,ſed expreſſa. ibid.

Proprius contrahentium parochus dicitur, qui habet poteſtatem ordinariam adminiſtrandi illis ſacramenta. ibid.

Sacerdos qui delegatam habet authoritatem aſſiſtendi matrim. non poteſt illam alteri ſacerdoti delegare, niſi ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum. ibid.

Quando matrimonium ſit validum, vel inualidum ex licentia obtenta per metum,dolum,vel mendacia. 234.7.

Parochus interdictus, ſeu prohibitus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, adhuc validè aſſiſtit, ibi.8.

Quando parochus dolo vocatus intereſt matrimonio,illud matrimonium valet,etiamſi per vim ibi detineatur: modò parochus ſit compos ſui,& externo ſenſu percipiat conſenſum contrahentium. ibid.

Parochus iniuſtum titulum beneficij habens, validè aſſiſtit matrimonio, quamdiu illo non priuatur in iudicio. ibi.9.

Vt geſta per hunc parochum valeant tria concurrere debent,ſcilicet titulus coloratus,error communis,& vt nullum adſit impedimentum iuris diuini,vel naturalis. ibid.

Huiuſmodi defectus ſuppletur etiam ab Eccleſia, quando adeſt opinio probabilis. ibid.

Geſta per illum, qui abſque legitima auctoritate intruſit ſe in officium iudicis,Parochi vel confeſſarij,ſunt inualida in vtroque foro. ibi.10.

Ad validitatem matrimonij non requiritur vt parochus, vel alius ſacerdos aſſiſtens matrimonio vtatur aliquibus verbis. ibid.11.

Ad valorem matrimonij neceſſaria eſt præter parochum,præſentia moralis,& ſimultanea duorum,vel trium teſtium. ibi.12.

Dormientes,amentes,ebrij,furioſi,quamdiu carent lucido interuallo,non ſunt teſtes idonei ad matrimonium. ibi.

Omnes aliæ perſonæ,modò ſint doli capaces, poſſunt eſſe teſtes in matrimonio. ibid.

Sponſalia poſt Tridentinum non tranſeunt in matrimonium per copulam ſubſecutam: etiamſi ſponſalia, & copula habita ſint coram Parocho,& teſtibus. *Sacra Congregatio*. 235.ibi.

Non requiritur in matrimonio vt teſtes ſint rogati; validum enim eſſet matrimonium,quamuis teſtes præſentes ſint per violentiam,modò aduertant quod agitur,poſſintque de hoc ferre teſtimonium. ibid.

An matrimonium contractū ſine præſentia Parochi,& teſtium,trāſeat ſaltem in ſponſalia de futuro;alij affirmant,alij negant probabiliter. ibi,

Religioſi ſolemnizantes matrimonia, non habita ſuper his Præsbyteri parochialis licentia ſpeciali,excommunicatione reſeruata Pontifici afficiuntur in Clement. *Religioſi de priuil.* ibid,

Solemnizare matrimonia non eſt idem quod miniſtrare, aſſiſtere, ſed ſolemnitas iſta conſiſtit in ſacerdotali benedictionis, quam ſponſi poſt matrimonium contractum,ſolemniter in Eccleſia recipiunt. ibid.

Probabilius eſt religioſum ſolemnizantem matrimonia,hoc tempore,ſine ſpeciali facultate,affici ſola ſuſpenſione Concilij Tridentini, in quam excommunicatio illius Clementinæ in hac parte commutata videtur, vt declarauit *Sacra Congreg.* ibid.

Contrahentes abſque Parocho, & teſtibus, puniendi ſunt pœna graui arbitrio Ordinarij. ibid.

Matrimonium conditionale,

Multæ conditiones poſſunt apponi contractui matrimonij. 236.1.

Matrimonium initum ſub neceſſaria conditione eſt abſolutum, & validum, modò contrahentes non habuerint intentionem ſuſpendendi conſenſum,vſque ad conditionis euentum. ibi.2.

Matrimonium ſub aliqua conditione turpi celebratum, quæ ſit contra ſubſtantiam matrimonij,irritum eſt,ſi conditio adiungatur,vt de futuro præſtanda: ſecus ſi apponatur de præterito,vel de præſenti. ibid.3.

Probabilius eſt conditionem honeſtam, contrariam bonis matrimonij irritare illud. ibid.4.

Conditio turpis, vel impoſſibilis quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij habetur pro non adiecta,modò conſenſus ſit abſolutus.ibi.5.

Conditio honeſta, & poſſibilis de præſenti; vel præterito, adiecta matrimonio illud non vitiat, nec ſuſpendit;ſi autem conditio ſit de futuro, ſuſpendit vſque ad conditionis euentum. ibid.6.

Matrimonium contractum inter habentes impedimentum ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, validum eſt, adimpleta conditione, ſeu adueniente conditione. ibi.7.

Verius eſt ſponſalia inter eos, qui habent aliquod impedimentum dirimens,eſſe valida, appoſita conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, ita vt adueniente conditione diſpenſationis incipiant obligare. ibid.

Matrimonium contractum ſub conditione impertinenti de futuro,non eſt validum,antequam verificetur conditio. ibid.8.

In conſcientiæ foro ſtandum eſt intentioni contrahentis matrimon. ſub conditione,qualiſcumque conditio ſit. ibid.9.

MATRIMONIVM.

Quoad eius naturam,& proprietates,

MATRIMONIVM dicitur à matre,non quidem adhuc maternitate obtenta, ſed cum ſpe ſtatim adipiſcendi: vel dicitur matrimonium, quaſi matrem muniens. 237.1.

Matrimonium,eſt coniunctio maritalis ex mutuo conſenſu viri,& mulieris,inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. ibid.2.

Inter matrimonium Fidelium,& Paganorum triplex eſt diſcrimen. ib.3.

In matrimonij Sacramento ſunt illa tria, quæ in quolibet ſacramento conſiderantur,videlicet,*Sacramentum tantùm, res Sacramenti, & res ſimul,& Sacramentum*. ibid 4.

An matrimonium ſit Sacramentum inter Fideles initum, & valeat in ratione contractus,ſi contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem ſacram, ſed tantùm vt contractum; Nonnulli affirmant,alij negant probabiliter. ibid 5.

An matrimonium Infidelium,cùm ambo baptizantur,fiat Sacramentum, eiſque gratiam conferat? Probabile eſt,quòd ſic etiamſi nouus conſenſus non interueniat. Alij nouum conſenſum requirunt,ſed placet ſententia aſſerens nullo modo poſſe effici Sacramentum. 238.6.

Ad matrimonium contrahendum inter abſentes non requiritur in procuratoribus diuerſitas ſexus. ibi 7.

Verba, quibus vti poterit procurator in contrahendo matrim. nomine mandantis, poſſunt eſſe iſta,aut ſimilia. *Talis conſentit in te, vel accipit te in virum,vel uxorem me mediante,vel recipio in virum, & uxorem nomine talis perſona.* Et tunc coniux præſens reſpondere poterit. *Et ego te mediante accipio talem in virum meum,vel in uxorem meam* ibid.

Concilium Tridentinum declarauit, & declarat matrimonia clandeſtina,quæ in poſterum à Fidelibus ſine præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, & ſaltem duorum aliorum teſtium celebrantur omninò nulla,& irrita. ibi.8.

Veritas Catholica eſt, Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina,& de facto irritat, & annullat,1. directè annullando immediatè ipſum contractum,2. indirectè inhabilitando perſonas. ibid.

Matrimonij clandeſtini pœna *prima* eſt, vt filij nati ex eo, quando fuit nullum ob quodcunque impedimentum,ſint illegitimi, etiamſi parentes fuerint in bona fide:& ad hanc pœnam incurrendam, non requiritur ſententia iudicis. 239.9.

Ratio aſſignatur, cur nati ex fornicatione legitimentur per ſubſequens matrimonium putatiuum, nati verò ex matrimonio putatiuo clandeſtino non ſint legitimi. ibid.

Secunda pœna eſt,quòd mulier ſpoliata à viro quaſi poſſeſſione maritali, non reſtituitur ante omnia,ſicut reſtituenda eſſet, ſi matrimonium factum fuiſſet in facie Eccleſiæ. ibid. 10,

Tertia pœna eſt, ſi ignoranter intra gradus prohibitos matrimonium contractum ſit,neglectis denunciationibus,ſeparandum eſt, & carere debent contrahentes,ſpe diſpenſationis obtinendæ. ibid.

Pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinum ſine parocho, & teſtibus,ſunt 1. eſt inhabilitas ad ſic contrahendum 2. pœna eſt arbitraria. 3. in aliquibus diœceſibus eſt excommunicatio lata. ibi.11.

Parochus, & quiuis alius ſacerdos, qui matrimonijs clandeſtinis præſens

eſt,vel

Digitized by Google

eſt, vel ſciens talia matrimonia, non prohibet, iure antiquo ſuſpendendus eſt ab officio: ſed hac pœna correcta eſt per Tridentinum, habebit tamen locum, ſi matrimonium ſit clandeſtinum ob omiſſionem denunciationum. ibid. 12.

Epiſcopus poteſt facultatem diſpenſandi in denunciationibus committere, & delegare aliqui viro fide digno; idem poteſt generalis eius vicarius, in caſu aliquo ſpeciali, non tamen generaliter. 240. 13.

Epiſcopus aliquando tenetur in denunciationibus diſpenſare, vt prætermittantur: & quando adeſt cauſa legitima diſpenſandi, non poteſt diſpenſando imponere mulctam pecuniariam applicandam pijs operibus. ibid. 14.

Quando ius ex aliqua cauſa præcipit diſpenſationem in denunciationibus, tunc ſi nolit iudex diſpenſare, poteſt appellari quoad effectum deuolutiuum, & ſuſpenſiuum. ibid. 5.

Parochus poteſt ex officio prætermiſſis denunciationibus, vel in toto, vel in parte aſſiſtere matrimonio, quando non patet aditus ad ſuperiorem, & interim vrget neceſſitas, periculum eſt in mora, & cauſa eſſet talis, ex qua teneretur ſuperior diſpenſare. ibid. 16.

Quando matrimonium inualidè contractum fuit ratione alicuius impedimenti occulti alterius coniugis, tunc ceſſante impedimento, vel obtenta à Pontifice diſpenſatione, vt poſſit de nouo coaleſcere, & fieri validum, neceſſe eſt quod de nouo vterque coniux iterum expreſsè conſentiat, habita prius cognitione inualiditatis præcedentis conſenſus. ibid. 7

Non eſt neceſſe, vt talis conſenſus mutuus præſtetur de nouo coram parocho, & teſtibus, quando impedimentum fuit occultum, & illud parochus, & teſtes ignorant: ſecus ſi noſſent. ibid.

Quando nullitas matrimonij eſt omninò ignota alteri coniugi, nec poteſt ei manifeſtari abſque graui periculo, neque vllus conſenſus poteſt extorqueri à viro; tunc poſt impetratam impedimenti diſpenſationem, aut poſt illius ceſſationem, poteſt mulier reddere debitum, animo & affectu maritali ex parte ſua, & hoc ſufficit, ſecundùm probabilem ſententiam Doctorum. ibi. 18

Si quis contraxerit matrimonium per verba de præſenti cum duabus fœminis ſub conditione de futuro contingenti; tunc matrimonium erit contractum cum illa, cuius conditio appoſita prius adimplebitur: ſi vero vtriuſque conditio ſimul tempore adimpleatur; neutrum matrimonium valebit. ibi. 19.

Parochus non debet permittere, vt contrahentes dent mutuum conſenſum matrimonij conditionatum, ſed abſolutum, & liberum, propter inconuenientia. 241. 20.

Quando matrimonium celebratum eſt ſub conditione de materia contingenti, neceſſe eſt poſt Concilium Trident. ad hoc vt matrimonium ſit validum, vt verificata conditione notificetur Parocho, & teſtibus, qui fuerunt præſentes tali conſenſui tradito ſub conditione, ſiue de futuro, ſiue de præterito, ſiue de præſenti. ibi. 21.

Conditio adiecta contractui matrimonij, vt alter coniux non teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere eſt contra matrimonij ſubſtantiam, & illud inualidum reddit. ibi. 22.

Certa fide tenendum eſt, matrimonium initum à filijs, abſque parentum conſenſu eſſe validum, nec poſſe annullari. ibid. 23.

Non poſſunt parentes cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, ſed liberè contrahere debent, vel alium ſtatum eligere. ibid.

Filius regulariter non tenetur implere ſponſalia quæ abſque ſuo conſenſu patri promiſit: ſi tamen multum interſit parentum, vt filius tale matrimonium ineat, tenetur filius ſub mortali obedire parenti illud præcipienti, niſi fide aliorum ſponſalium cum altera aſtrictus ſit. ibid. 24.

Probabilius eſt teneri quidem filios ſub culpa lethali conſilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud ſequi, & ita licitè poſſe inuitis ipſis, prius tamen conſultis, inire matrimonium, quod volunt, modo non ſequatur ſcandalum. ibid. 25.

Matrimonium. Quoad illius impedimenta.

Fide Catholica tenendum eſt, poſſe Eccleſiam impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere. 242. 1.

Vt Summus Pontifex ritè, & rectè valeat impedimenta matrimonij indicere, deſideratur iuſta cauſa. ibid. 2.

Probabilius eſt Principem ſæcularem poſſe impedimenta dirimentia ſibi ſubditis ex iuſta cauſa indicere niſi Summus Pontifex hanc ſibi poteſtatem reſeruaſſet. ibid. 3.

Conſuetudo legitimè præſcripta; aut rationi conſona, vires habet inducendi nouum impedimentum dirimens. ibid. 4.

Matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, culpa lethalis eſt. ibid. 5.

Impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, ſunt quatuordecim. 243. 6.

Impedimentum erroris.

In matrimonio poteſt contingere error quadruplex, ſcilicet perſonæ, conditionis ſeruilis, qualitatis, & fortunæ. ibid. 7.

Quilibet ex his erroribus, vel eſt antecedens actum, vel eſt concomitans. ibid.

Matrimonium contractum cum errore antecedente circa ſubſtantiam perſonæ, inualidum eſt, etiam iure naturali. ibid.

Error perſonæ concomitans, reddit matrimonium inualidum. ibi 8.

Matrimonium celebratum cum errore qualitatis, ſeu dolo antecedente, non eſt inualidum; niſi qualitas in qua erratur, apponatur per modum conditionis. ibid. 9

Quomodo dignoſci poſſit, quando error qualitatis redundet in errorem perſonæ. ibid. 10.

Impedimentum erroris ſeruilis.

Error ſeruitutis non reddit iure naturali irritum matrimonium, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico. ibid. 11.

Error conditionis efficit matrimonium nullum, quando conditio errantis ſit deterior, ſecus ſi fiat melior. 244. 12

Quando Dominus ſeruum tradit liberæ matrimonium neſcienti ſeruitutem, hoc ipſo illum liberat à ſeruitute. ibi. 13.

Seruus validè poteſt contrahere matrimonium cum ſerua, vel libera inuito Domino, modò ſeruitus ſi nota perſonæ liberæ. ibid.

Quando matrim. de conſenſu Domini contractum eſt, non poteſt dominus abſque peccato mortali vendere ſeruos in locis diſtantibus, in quibus non poterunt ſibi debitum reddere. ibi. 14.

Vir in ſeruum poteſt ſe vendere poſt contractum matrimon. etiam vxore renitente, non ita vxor abſque conſenſu viri. ibi. 15.

Impedimentum voti.

Certa fide tenendum eſt, votum ſolemne caſtitatis emiſſum in profeſſione valida religionis approbatæ, dirimere matrimonium etiam conſummatum factum poſt profeſſionem. ibid. 16.

Votum ſimplex quod emittunt Patres Societatis peracto biennio, habet vim etiam dirimendi matrim. ſubſequens. ibid.

Probabilius eſt, ſolo iure eccleſiaſtico matrimonium dirimi poſt ſolemnem profeſſionem contractum. ibid. 17.

Impedimentum cognationis carnalis.

Cognatio carnalis, ſeu conſanguinitatis eſt vinculum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite, deſcendentium, carnali propagatione contractum. 245. 18.

In linea recta aſcendentium, & deſcendentium in conſanguinitate, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ dempto ſtipite. ibi. 20.

Quando perſonæ quarum gradus quæruntur, ſunt in linea tranſuerſa æquali, eodem gradu diſtant inter ſe, quo diſtant à communi vtriuſque ſtipite proximo. ibid. 21

Quoties perſonæ conſanguineæ in linea tranſuerſa diſtant inæqualiter à communi ſtipite, eo gradu diſtant inter ſe quo gradu alter magis remotus diſtat è communi ſtipite. ibi. 22

Matrimonium in primo tantum gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, vt inter parentes, & filios, eſt ipſo iure naturæ irritum. ib. 23.

Probabilius eſt, ſolo etiam iure naturæ attento, matrimonium eſſe inualidum in primo gradu æquali lineæ tranſuerſæ, vt inter fratrem, & ſororem. ibi. 24.

Matrimonium contractum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, tam in linea recta, quàm tranſuerſali, iure eccleſiaſtico inualidum eſt. ibid. 25.

Impedimentum cognationis ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum ex ſtatuto eccleſiæ, conſurgens propter collationem baptiſmi, vel confirmationis, vel ſuſceptionem recipientis hæc ſacramenta. 246. 26.

Hæc cognatio ex ſolo iure eccleſiaſtico dirimit matrimonium poſt illam celebratum: ſi autem matrimonio ſuperueniat, illud non diſſoluit. ibid.

Poſt Tridentinum, duplex eſt tantùm ſpecies cognationis ſpiritualis paternitas nempe, & compaternitas. ibid. 27.

Parochi incidentes in tactum libidinoſum, aut delectationem moroſam circa puellam à ſe baptizatam, vel circa fœminam cuius aliquam prolem baptizarunt, debent has circumſtantias explicare in confeſſione, quia talis actus, vel conſenſus ad inceſtum reducitur. ibid.

Cognatio ſpiritualis contracta à viro non transfunditur ad vxorem, nec è contra. ibid. 28.

Ad contrahendam cognationem in baptiſmo, vel confirmatione, multa requiruntur. ibid. 29.

Iuxta probabiliorem ſententiam non confirmatus inceſtus labe non inquinabitur, cognoſcens fœminam, cuius patrinus fuit in confirmatione. ibid.

Quando nulli deſignantur patrini, probabilius eſt, neminem ex tangentibus baptizatum contrahere cognationem. ibid. 30.
Qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem, ipſe contrahit cognationem, non autem procurator. ibid. 31.

Impedimentum cognationis legalis.

Cognatio legalis eſt propinquitas quarumdam perſonarum ex adoptione proueniens. 247. 32.
Triplex eſt cognationis legalis ſpecies. ibid.
Probabilius eſt, cognationem legalem ortam ex adoptione imperfecta non dirimere matrimonium. ibi. 33.
Quatuor requiruntur, vt aliquis adoptare poſſit. ibid. 34.
Cognatio legalis inter quos impediat, & dirimat matrimonium. ib. 35.
Filius adoptatus poteſt matrimonium contrahere cum filia adoptati: & adoptatus poteſt contrahere cum filia illegitima adoptantis. ibid 36.
Hoc impedimentum eſt iure Eccleſiaſtico inductum. ibid.
Cognatio legalis ſuperueniens matrimonio iam contracto, non impedit debiti petitionem. ibi. 37.

Impedimentum criminis.

Crimen quod matrimonium impedit, & dirimit, eſt occiſio coniugis alicuius cauſa contrahendi cum eius coniuge. ibi. 38.
Vt hoc crimen ſolius homicidij inducat impedimentum dirimens multa requiruntur. ibid.
Non eſt reus huius impedimenti, qui dedit mandatum occidendi, ſed poſteà reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis. ibid.
Impedimentum criminis non reddit machinantem inhabilem ſimpliciter ad quodcumque aliud matrimonium. ibid.
Alterum crimen inducens impedimentum dirimens, eſt, adulterari ſcienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium de facto, vel dare fidem de contrahendo. ibid. 39.
Ad incurrendum hoc impedimentum multæ conditiones requiruntur. 248. ibid.
In certis caſibus non incurritur hoc impedimentum, etiamſi ſequatur homicidium, vel adulterium. ibid, 40.
Hoc impedimentum criminis à fidelibus tantùm incurritur, & requiritur vt totum delictum ſit commiſſum poſt baptiſmum. ib. 41.

Impedimentum diſparitatis cultus.

Inter diſpares cultu, id eſt, inter fidelem, & infidelem eſt irritum matrimonium iure eccleſiaſtico: imò inter perſonam baptizatam, & catechumenam; ibid. 42.
Matrimonium inter fidelem, & hæreticam, vel apoſtatam; vel excommunicatam, validum eſt, quamuis illicitum ſit; ſecluſa conſuetudine in contrarium. ibid.
Matrimonium fidelis cum hæretica eſt licitum ex magna aliqua, & eximia cauſa, etiam cum probabili periculo peruerſionis. ibid.
Matrimonium infidelium quamuis ſacramentum non ſit eſt tamen contractus, & vt talis valet. 249. 43.
Quando vnus infidelium conuertitur ad fidem altero perſeuerante in infidelitate diſſolui poteſt matrimonium. ibid.
Probabilius eſt in hoc caſu non diſſolui matrimonium prius, donec fidelis ad alias nuptias tranſeat. ibid. 44.
Quoties infidelis monitus conuerti renuit, licet fideli tranſire ad religionem, vel ordines, aut votum caſtitatis emittere. ibid. 45.
Quando alteruter parens ſolus fidelis eſt, proles doli capax, non eſt cogenda ad fidem: ſi autem doli capax non ſit, parentis conditionem ſequi debet, qui ad fidem conuertitur. ibi. 46.

Impedimentum violentiæ, vel metus.

Matrimonium per metum grauem ſeu cadentem in conſtantem virum iniuſtè incuſſum iure Eccleſiaſtico eſt inualidum. ib. 47.
Metus incuti poteſt ab extrinſeco, id eſt homine, iuſtè, vel iniuſtè. 250. 48.
Matrimonium eſt validum, quando metus incutitur à cauſa libera, non tamen ad hunc finem, vt matrimonium ineatur, ſed ob aliam cauſam. ibid. 49.
Inualidum eſt matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur, non ſolùm contrahere matrimon. ſed etiam illud per copulam conſummare. ibid. 50.
Vt metus grauis irritet matrimonium, non eſt neceſſe, vt incutiatur ab altero contrahente, ſed ſatis eſt ſi incutiatur ab alio. ibid. 51.
Matrimonium celebratum cum metu cadente in conſtantem virum, adiuncto iuramento, non eſt validum. ibi. 2.
Contra Dominos temporales, magiſtratus, & alios cogentes directè, vel indirectè ſubditos, vel alios ne matrimonia liberè contrahant, lata eſt excommunicatio in Tridentino. ibid. 53.

Probabiliſſimum eſt ſponſalia metu graui contracta non firmari iuramento. ibid.

Impedimentum Ordinis.

Ordo ſacer validè, & ſine graui metu ſuſceptus, iure eccleſiaſtico dirimit matrimonium ſubſequens. ibid. 54.
Numquam fuit permiſſum in eccleſia, ſiue Latina, ſiue Græca, ſacro ordine præditos matrimonium inire: quamuis Græcis iam coniugatis, permiſſum ſit ſacros ordines ſuſcipere, & vti matrimonio ante ſacros ordines celebrato. 251. 55.
Initiatus ordine ſacro matrim. contrahens peccat mortaliter, & eſt excommunicatus, incurritque irregularitatem etiam ante conſummatum matrimonium. ibid. 56.
Quando coniugatus poteſt facere, diuortium quoad thorum, & habitationem, aut religionem intrare, poteſt etiam inuita vxore ad ordines ſacros promoueri. ibid. 57.
Coniugatus de conſenſu libero vxoris, licitè poteſt ſacros ordines ſuſcipere, modò vxor ingrediatur religionem ſi ſit iuuenis, aut ſaltem voueat caſtitatem, ſi ſit ſenex. ibid.
Qui ſacros ordines ſuſcepit de conſenſu vxoris non poteſt petere nec reddere debitum: qui autem ſine illius conſenſu non poteſt petere, tenetur tamen reddere: imò talis eſt irregularis. ibid.
Ordines Minores nullum impedimentum matrimonio præſtant. ib. 58.

Impedimentum ligaminis.

Per impedimentum ligaminis, ſignificatur vinculum prioris matrimonij quo durante poſterius eſt irritum. ibid. 59.
Plures vxores habere diuino iure in Euangelica lege prohibitum eſt; nec in hac vxorum pluralitate poteſt Summus Pontifex diſpenſare. ibid.
Polygamia mulieris eſt contra ius naturæ; polygamia autem viri eſt præter ius naturæ, nec admittit diſpenſationem humanam, ſed tantùm diuinam. ibid.
Quatuor fines matrimonij conſtitui poſſunt 1. Suſceptio, & educatio prolis 2. communis vitæ ſocietas 3. remedium concupiſcentiæ 4. vt ſit ſacramentum Chriſti, & Eccleſiæ. ibid.
Veritas Catholica eſt binas, ternas, quaternas, & vlteriores nuptias prioribus, diſſolutis, licitas eſſe, ac verum ſacramentum. ibi. 60.
Conſuetudine introductum eſt, vt ſecundis nuptijs benedictio impertiatur, quando alter coniux benedictionem non ſuſcepit. ibid.
Vt poſſit coniux ſuperſtes cum alio matrimonium inire, debet eſſe certus de morte alterius coniugis. 252. 61.
Vxor quæ ſecundò nupſit, credens priorem coniugem eſſe mortuum, tenetur recedere à ſecundo viro, poſtquam cognouit priorem coniugem ſuperſtitem eſſe. ibid.
Iudicis prudentis arbitrio relinquitur attentis occurrentibus circumſtantijs iudicandi, quænam probatio mortis prioris viri ſit ſufficiens, vt vxor ſecundò nubere poſſit. ib. 62.

Impedimentum publicæ honeſtatis.

Honeſtas publica eſt propinquitas ex ſponſalibus validis, & certis proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter honeſtatem eius. ibi. 63.
Honeſtas publica extenditur ſolùm ad primum conſanguinitatis gradum, cum affinibus autem alterius ſponſi non oritur. ibi.
Impedimentum publicæ honeſtatis non eſt inductum iure naturæ, vel diuino, ſed iure Eccleſiaſtico. ibid. 64.
Hoc impedimentum eſt perpetuum, nec morte alterius ſponſi, nec diſſolutione ſponſaliorum extinguitur: quamuis quidam ſuſtineant ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis, nullum naſci impedimentum, vt declarauit *Sacra Congregatio*. ibid. 65.
Ex ſponſalibus conditionalibus nulla oritur honeſtas publica ante conditionis euentum, ſi conditio ſit de futuro: ſi autem conditio ſit de præſenti, vel præterito, ſtatim oritur hoc impedimentum, ſi conditiones verè extent. ibid. 66.
Ex matrimonio rato conſurgit etiam impedimentum hoc publicæ honeſtatis, & extenditur vſque ad quartum gradum conſanguinitatis. ib. 67.
Ex matrimonio rato irrito quacumque ex cauſa oritur hoc impedimentum publicæ honeſtatis, modò non ſit ex defectu conſenſus. 253. ibid.
Ex matrimonio rato inualido non inducitur impedimentum publicæ honeſtati diſſoluens priora ſponſalia valida. ibid.
Ex matrimonio rato conditionato, conditione de futuro ſuſpendente conſenſum, non oritur hoc impedimentum ante impletionem conditionis. ibid.

Impe.

Digitized by Google

Impedimentum affinitatis.

P. 253. 254. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.

Impedimentum impotentiæ.

IMPOTENTIA coeundi perpetua, naturalis aut accidentalis, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. ib.75

Impotentia perpetua coeundi dicitur, quæ non poteſt remoueri arte humana, aut ſine probabili periculo animæ, aut corporis. ibid.

Impotentia, quædam eſt perpetua, quædam temporalis, perpetua quædam eſt abſoluta reſpectu omnium, quædam reſpectiua reſpectu huius vel alterius ſimilis. ibid.

Impotentia perpetua coeundi antecedens matrimonium, dirimis illud iure naturali, & eccleſiaſtico. 255.76.

Impotentia temporalis matrimonium non dirimit, excepta impotentia ratione ætatis. ibid.

Impotentia perpetua matrimonio ſuperueniens non dirimit illud. ibid.

Probabilius eſt, impotentes cum impotentia perpetua, & cognita, non poſſe inire matrimonium in ordine ad caſtè viuendum. ibid.

Impotentia ex parte fœminæ vocatur arctitudo, quæ ſi tanta ſit, vt ſemen recipere intra vas non poſſit, irritat matrimon. ib.77.

Impotentia ex parte fœminæ poteſt eſſe perpetua reſpectu vnius viri, quæ non erit reſpectu alterius. ibid.

Fœmina arcta quæ medicorum iudicio poteſt fieri apta proprio viro per inciſionem, tenetur illam pati, iuxta communem ſententiam, quamuis quidam contrarium probabiliter ſentiant. ibid.

Impotentia accidentalis matrimonio non obſtat, vt ſi ex ſola ſenectute proueniat. ibid.78.

Matrimonium contrarium cum Eunucho qui vtroque teſte caret, vel ſpadone qui caret ſemine, irritum eſt: ſecus ſi vnus tantum teſtis illi deſit. ibid.

Infirmi exiſtentes in articulo mortis, quamuis iam non poſſint coire, habiles ſunt ad matrimonium. ibid.

Impotentia ex maleficio conſurgens dirimit matrimonium ſubſequens, ſi illud ſit perpetuum. 256.79.

Maleficium cenſetur perpetuum, ſi vel non niſi alio maleficio tolli poſſit, vel miraculo. ibid.

In dubio, an maleficium matrimonium præceſſerit, vel factum fuerit poſt, probabilius eſt præſumi factum fuiſſe ante, & conſequenter eſſe impedimentum dirimens. ibid. 80.

Coniuges laborantes impotentia perpetua, non poſſunt debitum petere, vel reddere, vel delectari tangendo, oſculando. ibid.81

Quando non conſtat impotentiam eſſe perpetuam, permittuntur coniuges ſimul habitare per triennium, vt matrimonium conſumment, quo tempore ſi non potuerint, conſummare, ſeparandi ſunt. ibid.

Secluſo incontinentiæ periculo iura permittunt cohabitationem, & vt vir habeat tanquam ſororem, quam non poteſt habere vxorem. ibid.

Impotentia matrimonio ſuperueniens illud non dirimit ſiue ratum, ſiue conſummatum fuerit. ibid.82

Quando vir poſt matrimonium in eam impotentiam incidit, vt intra vas fœmineum ſeminare nequeat, nequaquam licitus erit coniugalis acceſſus; ſed tantùm tactus, oſculum, & amplexus, ſi pollutionis periculum abſit. ibid.

Hermaphroditus in quo ſexus eſt æqualis, & neuter præualet, poteſt eligere quem ſexum ipſe voluerit, & ſecundum illum contrahere matrimonium. ibid.83

Quando vnus ſexus præualet poteſt matrimonium iniri iuxta ſexum qui in ipſo præualet. ibid.

Hermephroditus in quo vterque ſexus eſt æqualis, facta ſemel electione ſexus, & iuxta illum ſemel contracto matrimonio, non poteſt abſque graui peccato mortuo coniuge ſecundùm alium ſexum contrahere. ibid.

Sterilitas non obeſt valori matrimonij. ibi.84

Probabilius eſt coniugium fœminæ eſſe validum non potentis parere abſque manifeſto mortis propriæ periculo, ſi copulæ apta ſit. ibid.

Matrimonio item habilis eſt fœmina, quæ filios omnes pareret mortuos. ibid.

Quoad illius impedimenta.

QVANDO ſponſi, ſiue alter ſponſus in actu contrahendi ſub falſo errore exiſtimabat ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens, quod verè non ſuberat, probabile eſt tale matrimonium non eſſe validum: ſed contrarium eſt probabilius, in caſu, quo contrahentes intendant contrahere quantum in ipſis eſt. 258.1.

Summus Pontifex licitè poteſt reddere inhabiles ad matrimonium perſonas priuatas ex graui cauſa; imo probabile eſt in pœnam alicuius grauis delicti poſſe Papam reddere aliquam perſonam perpetuo inhabilem ad matrimonium. num.2.

Vt Pontifex poſſit impedimenta matrimonium dirimentia conſtituere, requiritur ad hoc iuſta cauſa; qua non exiſtente probabile eſt; Matrimonium contra eiuſdem prohibitionem initum valere. 259.3

Dum Pontifex interdicit ſuo præcepto, aut conſtitutione matrimonium per ſimplicem prohibitionem, præceptum hoc non habet vim irritandi, contra prohibitionem initum. num.4.

Si præcepto Pontificis adijceretur decretum generale irritans non referens ſe ſpecificè ad matrimonium, ſi nihilominus contrahatur, illud erit validum. ibid.

Si clauſula decreti irritantis faciat ſpecificam matrimonij mentionem id irritans, ſic haberet vim irritandi, ſi contra prohibitionem initum ſit. ibid.

In Principe infideli omni, tempore fuit, & eſt ſuprema poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia ex iuſta cauſa ſuis infidelibus. nu.5.

An principes gentiles ſtatuentes impedimenta matrimonium dirimentia, obligent etiam Fideles in ſuis partibus commorantes, qui ciuiliter ſunt illis ſubiecti? Affirmant multi, ſed probabilius negant alij. ibid.

Poteſtas inducendi matrimonij impedimenta hodie Romano Pontifici eſt reſeruata, ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente. num.6.

§. I.

De impedimento erroris.

Matrimonium contractum cum errore qualitatis perſonæ propter dolum eſt validum. ibid.7.

Quando quis exiſtimat ducere in vxorem talem determinatam perſonam, ſed per errorem, ſiue dolum, contrahit cum alia, matrimonium non tenet: ſecus quando error eſt ſolùm de nomine, & non de perſona. 260 ibid.

Matrimonium, quod liber contrahit cum ſerua, neſciens ſtatum ſeruitutis illius, ſi poſtea cognita ſeruitute, & nullitate contractus, habeat copulam cum ea affectu maritali, fit validum, ſi adſit nouus mutuus conſenſus. num.8.

Si dominus det nuptui ancillam ſuam alicui libero, celando ſeruitutem ancillæ, tunc talis ancilla fit libera, n.9. & matrimonium tale eſt validum. ibid.

Quando dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, an fiat libera? negant plurimi, ſed affirmatiua ſententia eſt probabilis. ibid.9.

§. II.

De impedimento Voti.

Matrimonium conſummatum per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem in religione approbata, non irritatur, nec dirimitur reluctante altero coniuge. ibi.11.

Matrimonij conſummati vinculum per profeſſionem religionis ex mutuo conſenſu coniugum non ſoluitur, niſi per alterius coniugis mortem naturalem, quamuis quoad copulam, & habitationem ſit impeditum. ibid.12.

§. III.

De impedimento Ordinis.

PROBABILIVS eſt, obligationem, qua tenentur Clerici ſacrorum ordinum ad continentiam ſeruandam non conſurgere immediatè ex Conſtitutione Eccleſiæ, ſed ex voto caſtitatis, quod Eccleſia ſuo præcepto coniunxit Ordini ſacro. ibid.13.

Recipiens ſacros Ordines voluntariè, cum intentione tamen poſitiua non ſe obligandi ad votum caſtitatis, tenetur nihilominus ad eam ſeruandam, nec licitè, nec validè poteſt matrimonium inire. 261.14.

Idem dicendum eſt de eo, qui recipit Ordinem ſacrum, neſciens in tali receptione Ordinis, annexum eſſe caſtitatis votum: hic enim non poteſt validè matrimonium inire. ibid.

An autem Ordinatus ſacris Ordinibus poſtquam peruenit ad annos diſcretionis, ſed ante decimum ſextum annum ſuæ ætatis completum; teneatur ad caſtitatem ſeruandam? Probabile, eſt quòd non ſi ordine vti nolit. Sed probabilius eſt, teneri, nec validè poſſe matrimoniũ inire. 152

Votum caſtitatis Ordini ſacro anneæum, iuxta quoſdam ex natura ſua, & per ſe eſt ſolemne inſtar voti profeſſorum: quod alij negant, dicentes eſſe tantùm ſolemne per accidens. ibid.16.

§. IV.

De impedimento conſanguinitatis.

CONSANGVINITAS deriuatur à Con, & ſanguine, quaſi ſignificans ſanguinis vnitatem, & ſic definitur. Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium carnalium propagatione contractum. ibi.17.

In computatione graduum conſanguinitatis in linea recta, Ius ciuile non diſcrepat à iure Canonico: In linea autem collaterali videtur diſcrepare. 262.18.
Verius eſt, omnes gradus conſanguinitatis, vel affinitatis Leuitici 18. prohibitos, nō eſſe de iure naturali irritantes matrimonium in illis initum, atque adeo non obligare omnes illos in lege Euangelica. ibi.19.
Olim Eccleſia coniugium interdixerat vſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum, poſtea reſtricti ſunt gradus conſanguinitatis vſque ad quartum gradum incluſiuè, nō ſolùm in linea collateralium, ſeu tranſuerſa, ſed etiam in recta aſcendentium, & deſcendentium linea. ib.20.

§. V.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis dirimens matrimonium contrahendum, in duobus tantum ſacramentis, nempe in baptiſmo, & confirmatione contrahitur. ibid.21.
Iure antiquo triplex erat cognationis ſpiritualis ſpecies, nempe, Paternitas, compaternitas, & fraternitas. Per Tridentinum ablata eſt fraternitas, & reſtricta compaternitas. ibid.22.
Hodie poſt Tridentinum permittitur, vt poſſint ad ſummum eſſe duo patrini, vir ſcilicet & mulier; non duo viri, vel fœminæ duæ. 263.23.
Infidelis incapax eſt huius ſpiritualis cognationis contrahendæ ſicut, & Catechumenus. ibi.24.
Fidelis baptizans, vel confirmans, vel tenens filium infidelis, non contrahit cognationem cum patre, vel matre infideli, nam infidelis illam non contrahit, ergo neque illam contrahet fidelis. ibid.

§. VI.

De impedimento criminis.

Ab impedimento criminis incurrendo propter adulterium cum fide data, excuſat ignorantia probabilis, & iuſta coniugij alterius; imò probabiliter etiam craſſa, & ſupina. ibi.25.
Quando dubitatur dum adulterium admiſſum eſt, vel fides data, an ſuperſtes eſſet alter coniux, impedimentum incurretur, ſi verè tunc viuebat. ibid.
Quando dubium eſt; an fides data ſit, vel adulterium commiſſum, non eſt locus huic impedimento. ibid.
Matrimonium promittens alteri poſt mortem coniugis mortaliter peccat, & ſimiliter acceptans huiuſmodi promiſſionem: imò talis promiſſio eſt inualida. nu.26.
Hoc impedimentum non incurritur, ſi quis haberet copulam cum coniugata viuente eius marito, & poſt mortem illius promitteret matrimonium. ibid.
Ad contrahendum hoc impedimentum; requiritur, vt adulterium, & promiſſio interceſſerint durante eodem matrimonio, & non in diuerſis coniugijs ſeu matrimonijs. ibid.
Promiſſio de matrimonio contrahendo ab adultero facta, vt inducat impedimentum dirimens, debet eſſe externa, & acceptata: An autem taciturnitas inducat acceptationem; Negant quidem, alij affirmant probabiliter. ibi.27.
Homicidium ab adultero, & adultera perpetratum animo, & intentione contrahendi matrimonium inter ſe, ſi ea intentio non ſignificetur exteriùs; non inducit impedimentum dirimens. 264.28.
Quando vir vxorem occidit animo ducendi non certam, & determinatam fœminam, ſed incertam, non eſt impedimentum dirimens. Secùs ſi animus eſſet ducendi hanc, vel alteram, aut vnam ex pluribus, & cum his præceſſerit adulterium. nu.29.

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

Inter filios legales nullum eſt impedimentum cognationis legalis cùm nullo iure ſtatuatur. ibi.30
Impedimentum cognationis legalis non procedit inter adoptiuum, & filiam naturalem adoptantis, ſi ſit illegitima. ibid.
Cognatio legalis impediens, ac dirimens matrimonium inter adoptantem, & adoptatū, eiuſque deſcendētes, non protrahitur in infinitum, vt dicunt quidam, ſed dirimit ſolum matrimonium vſque ad quartum gradum in linea recta deſcendentium, non tamen aſcendentium. 31.

§. VIII.

De impedimento diſparitatis cultus.

Quando infidelis conuerſus ad fidem habet plures vxores ſeparandus eſt ab illis, dempta prima, quæ ſola eſt legitima vxor: In caſu tamen quo hæc monita noluerit ad fidem conuerti, & liceat conuerſo matrimonium illud dirimere, poſſet quamcumque aliam, quæ conuertitur ducere. n.32.
Apud Indos noui orbis tenetur conuerſus ad fidem, ab infideli diuertere, nec illi licet habitare cum infideli: ne tamen periculum vitæ, vel grauis damni conuerſo immineret ex ſeparatione, poſſet abſque peccato ad tempus cohabitare, modò non adſit periculum peruerſionis. ibid.33.
Si infidelis ſit innocens, fidelis autem adulterij reus, tunc ſi infidelis ex ratione adulterij diuertat, non poteſt fidelis prius matrimonium diſſoluere: niſi poſtea infidelis etiam adulterium committat. n.34.
Matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante baptiſmum ſicut diſſoluitur per nouum matrimonium conuerſi, ita etiam diſſoluitur per eius profeſſionem ſolemnem iuxta quorundam ſententiam: ſed apud alios hæc opinio patitur difficultatem. ib.35.
Quamuis probabile ſit poſſe Pontificem ex aliqua iuſta cauſa matrimonium conſummatum infidelium diſſoluere, ſi ad fidem conuertantur; contrarium tamen videtur probabilius. 265.36.
Matrimonia contracta inter ipſos infideles ſunt valida, & legitima in ratione contractus, niſi adſit aliquod impedimentum dirimens iure naturæ, vel apud ipſos dirimens ſecundùm eorum leges. ibid.37.

§. IX.

De impedimento ligaminis.

Dubius de morte coniugis, contrahendo cum alio validè contrahit ſi duo concurrant. 1. vera mors coniugis. 2. vtriuſque partis verus conſenſus per verba de præſenti: grauiter tamen peccat. nu.38.
Vt mulier poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, requiritur certus nuncius, & fama de morte viri: In tali tamen caſu, mulier non peccaret, ſi ad ſecundas nuptias tranſiret cum probabili perſuaſione ac præſumptione, atque iuſtiſſima credendi cauſa, quòd prior maritus mortuus ſit, vt docet probabilis quorundam ſententia. ibid.
Iudex Eccleſiaſticus in tali caſu indiciorum, & probabilis præſumptionis, non poteſt licentiam dare tranſeundi ad ſecundas nuptias. ibid.
An autem ſufficiat vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire? Affirmant quidam, negant alij. ibi.39.
Per famam ſufficienter non probatur mors coniugis, niſi alijs adminiculis adiuuetur. n.40.
Vt fama plenè probet mortem coniugis, quædam conditiones deſiderantur. 266.ibid.

§. X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

Probabile eſt, impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum: ſed contrarium eſt etiam probabile. ibi.41.
Impedimentum publicæ honeſtatis, iuxta quoſdam, non oritur ex matrimonio contracto ſine Parocho & teſtibus, vbi Tridentinum eſt receptum: nihilominus dicendum eſt oriri, ex quadam declaratione Sacræ Congregationis. ibi.42.
Quando poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona, contrahit ſponſus matrimonium de præſenti cum eius ſorore, & non conſummauit, tenetur priori fidem ſponſalium præſtare, ineundo cum illa matrimonium: ſi autem cum poſteriori conſummaſſet, cum neutra poſſet validè illud inire. ibid.43.
Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro contingenti, poſſibili honeſta cum Maria, ineantur ſponſalia abſoluta cum eius ſorore; poſt Concilium Trident. non inducitur hoc impedimentum ex poſterioribus ſponſalibus quia ſunt irrita. ibid.44.
Ex matrimonio celebrato inter impuberes, niſi malitia ſuppleat ætatem, non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis. Sed admiſſa ſententia aſſerente tale matrimonium reſolui in ſponſalia, impedimentum hoc incurretur vſque ad primum gradum. 267.45.

§. XI.

De impedimento affinitatis.

Affinitas, ex copula coniugali orta non eſt Eccleſiæ inuentum, ſed quid naturale inſtar conſanguinitatis. ibid.46.
Infidelis, qui cum vxore conſummauit matrimonium tempore infidelitatis, non poteſt poſt baptiſmum validè contrahere cum conſanguinea illius vſque ad quartum gradum, dummodò illud matrimonium fuerit validum. ibi.47.
Probabile eſt, ex copula fornicaria iure naturæ non oriri, vllum vinculum vnde ſi quis in infidelitate fornicatus fuerit cum aliqua, poteſt poſt baptiſ-

baptiſmum docere conſanguineam eius intra gradum prohibitum. Contrarium docent nonnulli,non minus probabiliter. ibid. 48
Affinitas dicitur quaſi confinitas, ſeu finium propinquitas eo quòd duæ cognationes inter ſe diuerſæ copulantur mediante carnali copula habita inter virum & mulierem, & altera ad alterius fines accedit. ibid. num. 49.
Affinitas poteſt etiam contrahi inter conſanguineos ipſos & cognatos, ſi nempe ipſi ſe carnaliter commiſcerent. ibid.

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

Impotentia coeundi dirimens matrimonium ſubſequens debet eſſe perpetua,ita vt non poſſit aliqua arte humana remoueri,ſine periculo vitæ patientis,vel ſine miraculo,vel ſine offenſa Dei. ibid. 50
Matrimonium eſt inualidum contractum cum perpetuo impotente, ſed poſt matrimonium facto potente per miraculum. 268. ibid.
Ad valorem matrimonij non ſatis eſt poteſtas vas fœmineum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud. ibid. 5
Quando vir ſeminare poteſt intra vas, & fœmina capax eſt ſeminis virilis recipiendi,ſed eſt impotens ad ſeminandum, validum,eſt matrimonium: ſed hoc non eſt certum;contrarium enim eſt probabile. ibid.
Impotentia coeundi in viro frequenter ex frigiditate conſurgit; tamen aliquando poteſt etiam ex nimio calore procedere, & ſi id impedimentum ſit perpetuum, quod nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ ceſſat,dirimet matrimonium. ibid. 52
Quando impotentia in viro prouenit ex abominatione mulieris, quia ita deformis eſt,vt nullatenus cum illa ad coitum moueri poſſit,diſſoluetur matrimonium,ſi remedijs adhibitis, ac experientia triennali non ceſſet. ibid.
Quamuis fœmina reſpectu vnius viri arcta præſumatur talis reſpectu omnium: hæc tamen præſumptio non eſt iuris,& de iure,ſed iuris tantùm; ac proinde recipit probationem in contrarium ob vtriuſque viri diſſimilitudinem. ibid. 3
In dubio, an fœmina fuerit cognoſcibilis à priori viro, ſicut fuit à poſteriori,oportet conſtare de diſſimilitudine, ne præſumatur prius matrimonium validum,ac reſtaurandum. ibid.
Quando vir ita debilis eſt,aut ſenex,vt virgineum vas penetrare nequeat, cùm poſſet corruptæ, ſi ope medicinæ abſque mortis periculo ſubueniri poſſit fœminæ virgini,vt reddatur apta tali viro imbecilli, non eſt cenſendum impedimentum perpetuum, ac proinde matrimonium initum eſt validum. ibid. 54
Si vir impotens ad virginem, non probet ſe potentem ad corruptam ſuccumbet, & diſſoluetur matrimonium: in dubio enim impotens ad vnam,præſumitur talis ad omnes,ſuppoſito non intereſſe maleficium, ibid.
Quoties matrimonium diſſoluitur ob vtriuſque coniugis perpetuum impedimentum,vterque non poteſt ad alias nuptias tranſire: quando autem ob alterius tantum impedimentum, non impeditus poteſt ſecundo licitè, & validè nubere, ſi tamen impotentia non eſt abſoluta, ſed reſpectiua,datur vtrique licentia contrahendi cum alia perſona, erga quam non eſt impotens. ibid. 55
Impotentia perpetua ad copulam coniugalem matrimonium ſubſequens dirimens,ex duabus præſertim cauſis prouenit, nempe ex frigiditate viri,& ex maleficio: Et quæ ſint ſigna frigiditatis in viro, & quæ ſigna maleficij. 269. 56
Maleficium cenſetur perpetuum,& matrimonium dirimens, ſi non poſſit auferri per opus humanum,niſi per aliud maleficium,vel per miraculum,ſecus ſi per Eccleſiæ exorciſmos. ibid. 57
In dubio,perpetuum ne ſit,an temporale maleficium,præſumetur perpetuum, quando triennio coniuges dederunt operam carnali copulæ, nec perficere potuerunt. ibid.
Diſſolutione matrimonij facta legitimè per Eccleſiam ratione maleficij, ſiue vtriuſque coniugis, concedenda eſt vtrique coniugi licentia ad alias nuptias tranſeundi, quando maleficium eſt particulare reſpectu vnius,aut alterius tantùm: & ſi ſecundum matrimonium conſummetur,prius inſtaurandum non eſt. ibid. 58
Quando maleficium eſſet generale reſpectu omnium, tunc ſi maleficiatus diſſoluto priori matrimonio per Eccleſiã ad aliud tranſiret; idque conſummaret,ſeparandus eſſet, & inſtaurandum prius matrimonium: idem dic,ſi talis fornicaretur cum aliqua. ibid.

Matrimonium.

Quoad impedimenta non dirimentia.

Impedimenta matrimonium non dirimentia ſunt quinque. 270. 1
Interdictum iuris eſt impedimentum non dirimens matrimon. quale eſt tempus Aduentus,& Quadrageſimæ. ibid.
Matrimonij contractus, traductio ſponſæ in domum ſponſi, & conſummatio ipſa non ſunt prohibita tempore Aduentus & Quadrageſimæ, ſi abſque ſolemnitate fiant, niſi contraria vigeret conſuetudo. ibid.
Solemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi peccatum mortale eſt,tempore Aduentus,& Quadrageſimæ. ibid.
Catechiſmus ante Concilium Trident. erat impedimentum impediens matrimonium,ſed hodie eſt ſublatum. ibid.
Sponſalia prius celebrata cum vna perſona impediunt matrimonium cum alia. ibi. 3.
Votum ſimplex caſtitatis,vel ingrediendæ religionis, vel ſuſcipiendi ſacros ordines,vel non nubendi,impedit matrimonium contrahendum. ibid. 4
Habens votum caſtitatis ſeu religionis peccat mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ religionis ante conſummationem matrimonij,iuxta probabiliorem ſententiam. In tribus tamen caſibus probabile eſt hoc licere. ibid.
Roganti, an matrimonium contractum cum voto caſtitatis validum ſit,veritas aperienda eſt, præciſo periculo peccati in interrogante. ibid. 5.
Septem crimina impediunt matrimonium contrahendum. ibid. 6
Inceſtus, id eſt copula habita cum conſanguinea coniugis intra quartum gradum, impedit matrimonium cum quacumque alia poſt inceſtum: non autem inceſtus cum propria conſanguinea. ibid, 7
Raptus alienæ ſponſæ ſiue de præſenti ſiue de futuro impedit matrimonium cum rapta & cum quacumque alia. ibid. 8
Vxoricidium priuata authoritate factum impedit matrimonium cum quacumque alia. ibid. 9
Suſceptio proprij filij vel alterius coniugis in Baptiſmo vel Confirmatione animo inſidiandi matrimonio, impedit matrimonium contrahendum cum alia,mortuo coniuge. 271. 10
Quintum crimen eſt Presbytericidium. ibid. 11
Sextum impedimentum eſt ſolemnis pœnitentia. ibid. 12
Septimum impedimentum eſt, matrimonium ſcienter cum moniali contractum. ibid. 13
Conſuetudo videtur iam legitimè præſcripta, vt affectos aliquo ex his impedimentis minimè petita diſpenſatione matrimonium ineat, excepto voto,ſponſalibus & interdicto. ibid. 14
Confeſſarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili & culpabili mortaliter matrimonium inualidè contraxit,quamuis admonitio non ſit profutura. ibid. 15
Quando pœnitens inualidè contraxit ex ignorantia inuincibili iuris vel facti, & nullus ſperatur fructus ex admonitione, ſed potiùs timetur ſcandalum, tenetur,nec poteſt confeſſarius pœnitentem admonere: ſecus ſi ſperetur fructus. ibid.
Modus cognoſcendi,an aliquis laboret ignorantia inuincibili, ibid. 16
Quando pœnitens dubius interrogat confeſſarium vel alium de aliquo impedimento, tenentur hi aperire veritatem, quamuis credant ſe nihil profuturos. ibid.
Quando confeſſarius credit admonitionem non ſtatim profuturam, ſed breui tempore, tenetur admonere laborantem ignorantia inuincibili impedimenti. ibi, 17
Coniux non poteſt abſolui negans debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam iniuſtam cauſam,quamuis, inuincibiliter ignoret impedimentum dirimens. ibid. 18
Probabilius eſt,confeſſarium teneri non abſoluere negantem debitum ex ira vel indignatione & inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens. ibid.

Matrimonij diſpenſationes.

Summus Pontifex non poteſt in vllo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente diſpenſare, excepto voto ſolemni religioſorum. 272. 1
Solius eſt Summi Pontificis diſpenſatio in omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis,tam dirimentibus,quàm non dirimentibus. ibid. 2
Quando poſt contractum matrimonium detegitur impedimentum dirimens,Epiſcopus poteſt in illo diſpenſare,poſitis his circumſtantijs, vt matrimonium ſit contractum bona fide ab vtroque, vel ab altero: vt impedimentum ſit occultum, matrimonium publicum; vt coniuges non poſſint ſeparari abſque ſcandalo;vt non pateat aditus ad Pontificem,vel eius Nuncium. ibid. 3
Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis, quæ matrimonio ſuperueniunt,& impediunt debiti petitionem. ibid. 4
Probabile eſt Epiſcopum poſſe ex vrgentiſſima neceſſitate in impedimentis dirimentibus diſpenſare per ſe,vel per alium, etiam antequam matrimonium ſit contractum. ibid.
Quidam ſentiunt Religioſos mendicantes habere priuilegium à *Leone X.* ad diſpenſandum cum ijs,qui ſcienter aut ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis, modò id notorium non ſit,nec in iudicium deductum;ſed hoc priuilegium non eſt in vſu, nec conceſſum fuit,niſi pro vnico ſolo actu. ibid.

Priuilegia conceſſa à *Gregorio XIII*, Patribus Societatis Iesv viuæ vocis oraculo propartibus vltramontanis, vt poſſint diſpenſare in foro conſcientiç cum ijs qui clandeſtinè matrimonium contraxerunt;vt denuò ſecretò contrahant non ſeruata forma Concilij: Item vt poſſint diſpenſare cum ijs,qui contraxerunt cum impedimento criminis, modò ſunt reuocata per bullam Vrbani VIII *Alias Fœlicis*. ibid.

In impedimentis non dirimentibus poteſt Epiſcopus diſpenſare ex conſuetudine,excepto voto caſtitatis perpetuæ & religionis. ibid.

Multæ ſunt cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus. ibid.

Quomodo ſe gerere debeat confeſſarius,cui conceditur à ſacra pœnitentiaria facultas diſpenſandi in impedimentis matrimonij. 275.6

MATRIMONIVM.

Quoad diſpenſationes impedimentorum illius,

Dispensare nihil aliud eſt,quàm aliud penſare, ſiue aliud decernere circa aliquam legem inſtitutam:vnde diſpenſatio eſt iuris communis relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt diſpenſare: ſeu relaxare. ibid.1

Matrimonium conſummatum baptizatorum non poteſt ab Eccleſia, nec à Summo Pontifice diſſolui. 274.2

Probabile eſt Pontificem,non poſſe diſpenſare in matrimonio rato Fidelium,ſed non conſummato, nec illud diſſoluere: ſed probabilius eſt poſſe ex graui,& iuſta cauſa. ibid.

Poſito quod Epiſcopus probabiliter poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus,etiam ante contractum matrimonium ex cauſa maximè vrgente;ſequitur;poſſe hanc poteſtatem Vicario ſuo, & cuilibet alteri in prædicto caſu,delegare. ibid.3

Summus Pontifex poteſt, & ſolet in ſecundo gradu conſanguinitatis, non ſolùm cum magnis Principibus,& ob publicam cauſam,ſed etiam cum perſonis inferioris notæ, licet non adſit cauſa publicum bonum, ſed priuatum. n.4

Cauſæ, ob quas ſolet Pontifex diſpenſare in gradibus conſanguinitatis. 275.ibid.

Quo propinquior eſt gradus, eo vrgentior cauſa exigitur ad diſpenſandum. num.5

Difficilior eſt diſpenſatio,ſi diſtantia gradum conſanguinitatis, vel affinitatis in linea tranſuerſa ſit inæqualis, maximè ſi diſtantia vnius partis ſit primi gradus à ſtipite. ibid.

Quando propinquior gradus ſtipiti fuerit primus, nullatenus valet diſpenſatio, in qua ſolius remotioris mentio ſit, vt declarauit Pius V. ibid.

Cui conceditur poteſtas diſpenſandi in aliquo gradu, poteſt in eo diſpenſare,quamuis mixtus ex alio propinquiori:modò alter eorum non diſtet à ſtipite in primo gradu. ibid.6

Quando impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis concurrunt, ſi explicetur affinitas ex copula licita proueniens, valebit diſpenſatio, etſi publica honeſtas taceatur,ſecus ſi tacita ſit ſolius affinitatis in genere mentio. ibid.

In poteſtate diſpenſandi in affinitate, includitur quoque publica honeſtas cum illa concurrens. ibid.

An diſpenſatio obtenta à Pontifice poſtquam præceſſit copula inter conſanguineos,vel affines,ſit valida, ſi eius copulæ nulla mentio fiat in petitione diſpenſationis. Quidam affirmant; non deſunt tamen Doctores contrarium ſuſtinentes;quorum ſententia eſt probabilior,quando diſpenſatio petitur pro foro externo, modò ea copula non probetur in externo foro. ibid.7

Si diſpenſatio obtenta ſit pro ſolo foro conſcientiæ, & in reſcripto præcipitur, *niſi copula fuiſſet inter eos habita*, tunc tenentur pœnitentes fateri veritatem Confeſſario, cui committitur executio diſpenſationis. ibid.

Quando ſponſi habuerunt inter ſe copulam, hac ſpe & intentione facilius obtinendi diſpenſationem,neceſſe eſt, non ſolum exprimere copulam,ſed etiam hanc ſpem,& intentionem. 276.8

Diſpenſatio obtenta ſuper impedimento publicæ honeſtatis, ſeu cognationis ſpiritualis,& legalis,tacita copula inter impetrantes habita, valida eſt;quamuis quidam contradicant. ibid.9

In conſanguinitate,affinitate, vel publica honeſtate, neceſſarium eſt exprimere in petitionem, an diſtantia gradum ſit in linea recta, vt diſpenſatio non ſit ſubreptitia. ibid. 10

Quando impedimentum eſt cognatio ſpiritualis,exprimendum eſt, an ſit filiatio ſpiritualis, vel compaternitas: An cognatio ſpiritualis ex duplici capite contracta ſit. n.11

In impedimento publicæ honeſtatis conſurgentis ex matrimonio rato, non ſolùm exprimendum eſt publicæ honeſtatis impedimentum eſſe in primo gradu verùm etiam adeſſe ob matrimonium ratum. n.12

Quando contingit error in petitione diſpenſationis,explicando maiorem gradum,vt tertium,cùm tamen ſit minor, vt quartus,non vitiatur diſpenſatio. Secus ſi contra, vt ſi minor exprimatur pro maiore, etiamſi ex ignorantia. ibid.13

Quando erratur circa ſpeciem impedimenti,quamuis impedimentum, quo exprimitur,maius ſit, diſpenſatio eſt ſubreptitia & irrita. ibid.

Quando adſunt plura impedimenta, probabilius eſt, omnia impedimenta coniunctim in eadem petitione eſſe explicanda & non ſufficere quodlibet impedimentum per ſe in diuerſis petitionibus ſeparatis exponere,& de quolibet ſingulari diſpenſationes obtinere:licet contrarium ſit etiam probabile. ibid.14

Quando adeſſent duo impedimenta, vnum conſanguinitatis publicum, alterum affinitatis occultum, quod explicari non poteſt ſine infamia mulieris,tunc permittitur, quod in vna petitione publicè petatur diſpenſatio impedimenti publici, & poſtea à ſacra Pœnitentiaria obtineri poterit diſpenſatio impedimenti occulti pro foro conſcientiæ. 215. ibid.

Quando petitur diſpenſatio ad contrahendum cum conſanguinea & allegatur pro ſola cauſa,quod copula præceſſerit, quæ tamen non præceſſit, diſpenſatio eſt nulla Secus ſi cum copula allegentur aliæ veræ cauſæ, puta periculum ſcandali & infamiæ, ſi verè periculum tale ſubſit. ibid.5

Diſpenſatio eſt valida in impedimentis matrimonij, quando erratur in nomine perſonæ petentis diſpenſationem. ibid.16.*Remiſſiuè*.

Quando erratur in nomine Diœceſis, cuius erat is, cui impetratur diſpenſatio,an hæc ſit valida? *Remiſſiuè*. ibid.17

In forma diſpenſationum quæ à ſacra Pœnitentiaria expediuntur pro foro conſcientiæ,prima eſt clauſula,vt executor qui debet exequi diſpenſationem, *ſit Doctor in iure Canonico,vel Magiſter in Theologia, vel diſcretus vir confeſſor ex approbatis ab Ordinario*. ibid.18

Approbatus ab Ordinario cum limitatione,nempe,pro confeſſionibus virorum,non autem mulierum,iuxta quoſdam,poteſt eligi ad expediendas has diſpenſationes ſiue viris, ſiue fœminis conceſſas. Alij dicunt non poſſe exequi huiuſmodi litteras, niſi in fauorem earum perſonarum, ad quarum confeſſiones audiendas ab Ordinario admiſſus fuit. Vtrumque probabile. ibid.

Ex priuilegio Bullato Gregorij XIII. poſſunt has diſpenſationes exequi Sacerdotes Societatis Iesv & alij Mendicantes. modo ſint approbati ab Ordinario, & ad id ſpecialem habeant facultatem à ſuis Superioribus. ibid.

Expedicio litterarum ſacræ Pœnitentiariæ hodie debet fieri in ſacramentali confeſſione & non extra propter clauſulam ſolitam apponi, *Quatenus audita Sacramentali confeſſione,&c. vel in actu ipſo Sacramentalis confeſſionis,nec aliter,nec alio modo*. ibid.19

Quando confeſſio, quæ requiritur ad validam expeditionem iſtarum litterarum eſt inualida ex defectu doloris, aut integritatis circa alia peccata,non autem circa id,de quo petitur diſpenſatio, non eſt inualida ipſa expeditio. 278.ibid.

Pœnitens, vbi ſemel litteras ſacræ Pœnitentiariæ cuidam confeſſario præſentauit,ſi ille nolit diſpenſationem concedere,poteſt alium adire, & ab eo ipſam obtinere. ibid.20

Clauſula in reſcriptis ſacræ Pœnitentiariæ, *Propter periculum incontinentia*, vt verificetur, non ſufficiunt quæcumque tentationes, nec quodcumque lapſus periculum vnius vel alterius, ſed exigitur maximum frequentis lapſus periculum. ibid.21

Clauſula,in qua mandatur confeſſario veritatem cauſæ indagare,verificatur, dummodo confeſſarius diligenter examinet veritatem precum vocato ipſo ſolo cum quo diſpenſaturus eſt,examinato. ibid.22

Si confeſſarius aliunde ſciat, quàm ex confeſſione ſacramentali, preces allegatas in ea petitione eſſe falſas aut tacitam eſſe veritatem neceſſariò explicandam, non debet diſpenſare, etiamſi pœnitens eas veras eſſe aſſerat. ibid.

Clauſula continens monita & conſilia danda à confeſſore verificatur, monendo eum cum quo diſpenſandum eſt, vt ſincerè veritatem explicet, ſignificando ei quantum illius interſit, ne diſpenſatio ſuo valore fruſtretur. ibid.23

Clauſula iniungens opera in quæ debent commutari votum caſtitatis, vel religionis,admixta partim diſpenſatione,ligat confeſſarium, ne pro arbitrio ea mutare poſſit, ſed illa coniungere præciſè tenetur, ſecundùm quod in breui continetur. ibid.24

Clauſula iubens dilaniari litteras per confeſſorem,vbi diſpenſationem expedierit, & ſi parti reddantur, nihil illi ſuffragentur, verificatur, ſi poſtquam hæ litteræ parti reſtitutæ fuerint, dilanientur, aut comburantur,&c. ibid.25

Clauſula, quæ habetur in diſpenſationibus ad matrimonium inſtaurandum inualide initum cum impedimento dirimente, *Dummodo impedimentum inde proueniens occultum ſit*: Verificatur,quando non eſt publicum, nec ſcitur in maiori parte viciniæ, vel collegij,vel Parochiæ. ibid.26.

Occultum etiam dicetur impedimentum, ſi verbi gratia, copula ipſa ſit publica in ratione copulæ, non verò in ratione impedimenti, id eſt, ſi ſciatur copula, at non ſciatur illud eſſe impedimentum dirimens matrimonium. 279.ibi.

Quando impedimentum iam eſt deductum ad forum contentioſum,

non

non dicitur occultum niſi pœnitens in eo foro fuerit abſolutus. ibid.
Clauſula, quæ apponitur aliquando in litteris ſacræ Pœnitentiariæ, *Vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate*, non eſt de eſſentia diſpenſationis,ſed inſtructio confeſſarij. ibid.27
Clauſula *Gratis vbique* denotant nihil pro his accipi poſſe etiam per viam compenſationis. ibid.28
Quando inter conſanguineos mutua præceſſit promiſſio contrahendi matrimonium,*Si Papa diſpenſauerit*;communibus expenſis diſpenſatio ſoluenda eſt. ibid.29
Si alteruter deſiderans perſonæ conſanguineæ matrimonium ipſa inconſulta diſpenſationem impetrauit, ſoli impetranti incumbet integras expenſas ſoluere. ibid.
Qui obtenta de communi conſenſu diſpenſatione, iniuſtè renuit matrimonium, tenetur ad integras diſpenſationes expenſas. Secus verò ſi iuſte. ibid.30
Si aliter doloſè contraxerit habens animum reſiliendi etiam licitè v.g. ingrediendo religionem, tenetur ad integras expenſas. ibid.
Idem dicendum,quando dubius eſſet tempore contractus,an ingreſſurus eſſet religionem, nihilominus conuentionem fecit petendæ diſpenſationis,non explicato hoc dubio. ibid.
Qui alteri culpabilem reſiliendi cauſam præbet, itavt reſiliens nequeat abſque damno proprio & dedecore id matrimonium inire,tenetur,qui in culpa fuit integras expenſas ſoluere. ibid.31
Neque ſponſus, neque ſponſa fornicantes ante promiſſionem matrimonij,tenetur ad integras expenſas diſpenſationis, ſi illa obtenta nolint inter ſe matrimonium contrahere. 280.
Ille cuius culpa poſt matrimonij promiſſionem contrahitur impedimentum dirimens,tenetur, ſi commodè poſſit, proprijs expenſis diſpenſationem impetrare,vt ſponſalia perficiantur. ibid.

Mendacium.

Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi ſeu falſum dicendi. ibid.1
Mendacium formaliter & directè opponitur veritati. ibid.
Mendacium diuiditur in mendacium quod tranſcendit veritatem in maius,& in mendacium quod deficit a veritate. ibid.
Mendacium ex parte finis diuiditur in pernicioſum, officioſum & iocoſum. ibid.
Omne mendacium eſt peccatum. ibid.3
Mendacium iocoſum & officioſum abſque iuramento prolatum, etiam in perfectis eſt tantùm peccatum veniale, ſecluſo ſcandalo. ibid.4
Mendacium pernicioſum ex genere ſuo cum deliberatione prolatum, eſt peccatum mortale,niſi ex materiæ leuitate excuſetur. ibid.5
Mendacium prolatum ſine graui damno etiam in iudicio vel in ſacramento confeſſionis,non eſt mortale,modo non ſit coniunctum cum iuramento:& non ſit circa materiam neceſſariam confeſſionis. ibid.6
Qui vendendo mendacijs affirmant rem ſibi tanti ſtetiſſe, vel tanto pretio alijs vendidiſſe,vt plurimùm peccant venialiter mendacij peccato. ibid.
Qui iniuria afficitur poteſt contumelioſo dicere *Mentiris*. ibid.
Non licet viro quamtumuis honorato occidere eum qui ſibi dicit contumelioſè *Mentiri*. ibid.
Fœmina non eſt rea mendacij, dum bonis artibus & medijs alias licitis defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo matrimonium contrahit. ibid.
Qui habitu & veſtibus mentitur ſexum non peccat mortaliter,modò non adſit periculum grauis ſcandali,vel alia lex hoc ſpecialiter prohibens ſub peccato graui. ibid.
Mendacium non eſt, cùm quis vtitur amphibologia, vel reſtrictione tacita. ibid.
Plura de mendacio vide verb.*Iuramentum III.& IV.*

Mendacium.

Mendacium deriuatur à verbo mentior, quod falſum dicere ſignificat, vnde mentiri, eſt contra mentem ire:mendacium autem definitur eſſe falſam ſignificationem vocis,cum intentione fallendi, ſeu dicendi falſum. ibid.1
Mendacium,diuiditur in iudiciale & extraiudiciale: in formale & materialem iocoſum, officioſum,& pernicioſum. ibid.
Mendacia non ſunt loci, qui ita proferuntur vel aguntur, vt ex ipſo agendi vel pronunciandi modo ſatis intelligatur falſum eſſe, quod exterius enunciatur. ibid.2
Mendacia non ſunt locutiones tropicæ & figuratæ, ironiæ, hyperbolæ, fabulæ & parabolæ,amphibologiæ,ſeu locutiones ambiguæ,quę duos ſenſus habent. ibid.
Mendacium ita intrinſecè & per ſe malum eſt,vt nullo caſu licitè fieri poſſit. ibid.3
Dari poteſt ignorantia inuincibilis reſpectu mendacij officioſi, itavt proferens mendacium officioſum vel iocoſum excuſetur ab omni culpa 282.num.4.
Non eſt per ſe malum, ſed interdum licitum ſi ob iuſtam cauſam fiat, celare alteri veritatem aliquam, per verbi æquiuocationem aut facti diſſimulationem. ibid.5
Si nulla iuſta cauſa ſit celandi veritatem, tunc,licet æquiuocè loqui, aut per ſimulationem agere non ſit mendacium, eſt tamen dolus malus, atque peccatum contra veritatis virtutem. ibid.
Mendacium veniale abſque iuramento prolatum, in viris perfectis ex natura actus non ſit mortale: licet per accidens ratione ſcandali poſſit eſſe mortale. ibid.6
Mendacium ex imperfecta animi deliberatione, eſt ſolùm peccatum veniale.Imò nec mortale eſt in prædicatore,ſi mentiatur in eis, quæ non ſpectant ad doctrinam, puta allegando dictum in certo capite Scripturæ,quod tamen alio capite continetur. ibid.7
Qui centum mutuo accepit & reddit,poteſt,imquè conuentus in iudicio ad ea centum ſoluenda, abſque vllo mendacio actoris petitionem negare. 283.8
Qui accepit centum,& ſoluit quinquaginta & repetuntur ab eo centum, poteſt ſine mendacio iurare ſe non accepiſſe mutuo centum, quia quinquaginta iam ſoluit,ac reddidit. ibid.

Meritum.

Meritum propriè dictum,eſt opus, cui ex iuſtitia debetur merces: ſicuti & contra merces dicitur id quod operi alicui debetur ex iuſtitia. ibid.1.
Meritorum tria ſunt genera apud Theologos. Primò, vocatur de rigore iuſtitiæ. Secundò,dicitur,de condigno. Tertiò,appellatur de congruo: hoc autem meritum de congruo differt à merito de condigno. ibid.
De fide certum eſt,quòd homo poteſt aliquid verè & propriè ſimpliciter mereri apud Deum,ex gratia,ſeu per gratiam operando. ibid.2
Mereri poteſt homo apud Deum de condigno, & ſecundùm aliquam iuſtitiæ æquitatem, abſolutè loquendo: & contrarium dicere eſt temerarium. ibid.
Mereri non poteſt homo aliquid à Deo ſimpliciter ſecundùm abſolutam æqualitatem,ſeu ſecundùm perfectum rigorem iuſtitiæ. ibid.
Ad meritum præmij apud Deum requiritur proprius, & poſitiuus actus voluntatis; vnde in ſola carentia actus mali non poteſt meritum inueniri ſine actu. 284.3.
Mereri non poteſt homo vitam æternam ſine gratia,tam habituali, quàm actuali, ſiue homo conſideretur in ſtatu naturæ integræ, ſiue in ſtatu naturæ corruptæ. ibi.4.
Ad meritum de condigno,ſex conditiones requiruntur, quarum prima eſt,vt ſit opus bonum. ibid.5
Secunda conditio ad meritum, eſt,vt opus ſit liberè factum, id eſt, requiritur libertas non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate naturali. ibi.6.
Tertia eſt, vt opus bonum, & liberè factum aliquo modo in Dei obſequium actualiter,vel virtualiter referatur. ibid.7.
Quarta conditio ad meritum de condigno,eſt,quod opus fiat ex gratia,& in ſtatu gratiæ. ibi.8.
Quinta eſt,quòd operans ſit in ſtatu viæ,ſed vt is,qui meretur, ſit viator. Status autem viæ dicitur totum tempus, in quo non eſt peruentum ad terminum: viator autem eſt homo, qui viuit in corpore mortali, conditione mortali. ibid.9.
Sexta conditio ad meritum de condigno eſt, quòd præcedat pactum, ſeu promiſſio de mercede. 285.10.
Prima gratia, id eſt, donum illud quo aliquis iuſtificatur non cadit in meritum de condigno, id eſt, nullus poteſt ſibi mereri primam gratiam. Imò, neque de congruo poteſt quis mereri primam gratiam actualem, quamuis probabile ſit, quod fideles per opera ex auxilio gratiæ Dei facta,mereri poſſint de congruo primam gratiam habitualem. ibi.11.
Nullus iuſtus, ſiue Angelus, ſiue purus homo,poteſt alijs mereri de condigno primam gratiam.ex congruo tamen poteſt. ibid.12.
Homo iuſtus per bona opera, & per mandatorum Dei obſeruantiam, meretur augmentum gratiæ, & charitatis:& hoc certum eſt ex fide. 286.nu.13.
Iuſtus non poteſt mereri de condigno perſeuerantiam in gratia; tamen probabile eſt perſeuerantiam ipſam acceptam pro continuatione bonorum operum vſque in finem, poſſe mereri iuſtos ex congruo per orationes,& alia pietatis ſtudia. ibid.14.
Perſeuerantiam poteſt quis mereri de congruo,per inſtantes preces,bonaque opera ad hoc directa. ibid.
Bona temporalia,quatenus iuſtum ſuo modo etiam adiuuant, vt ad beatitudinem peruenire poſſit, cadunt in meritum de condigno, non tamen ſecundùm ſe ſpectata. ibid.5.
Non tantùm iuſti,ſed etiam peccatores poſſunt per opera mortaliter bona de congruo mereri bona temporalia. ibid.

Metus.

Metus.

Metus eſt inſtantis periculi, vel futuri cauſa mentis trepidatio. ibid. 1.
Metus alius eſt intrinſecus, alius extrinſecus. ibid.
Metus quidam eſt cadens in conſtantem virum, qui & iuſtus, probabilis, & grauis appellatur: quidam eſt cadens in virum inconſtantem, & vocatur timor iniuſtus, improbabilis, leuis & vanus. ibid. 2
Vt metus cadat in conſtantem virum, quinque conditiones deſiderantur. ibid.
Metus cadens in conſtantem virum eſt timor alicuius mali, quod viro conſtanti eſt formidabile, vt metus mortis, mutilationis, exilij, ſeruitutis &c. ibid. 3
Ad metum grauem pertinet metus reuerentialis, quo filius timet offenſionem parentum, pupillus tutorum, ſubditus Principis, vxor viri, monachus Abbatis clericus Epiſcopi. ibid.
Geſta ex metu mortis excuſantur à peccato, modò non ſint ex obiecto & intrinſecè mala & in odium, ſeu contemptum religionis Chriſtianæ non imperentur. 287. 4

Metus.

Metvs, alius eſt concuſſiuus; alius impreſſiuus; alius compulſiuus potentiæ, alius tacitus & reuerentialis; alius metus perfidiæ. ibi. 1
Verius eſt, non ſatis eſſe, vt dicatur metus cadens in conſtantem virum, vt malum conſtanter caueat, ſed debere eſſe timorem grauis mali in ſe conſiderati. ibid. 2
Metus cadens in conſtantem virum dicitur reſpectiuè, & proinde, qui reſpectu vnius eſt cadens in virum conſtantem, non eſt talis ſæpè reſpectu alterius, qui fortior eſt: vnde minor metus deſideratur in fœmina, quàm in viro. ibid. 3
Metus mortis vel alterius mali grauis commutati meis conſanguineis vſque ad quartum gradum, & affinibus ex matrimonio, imò, & amico intimo, ſufficiens eſt ad reſcindendum meum contractum. ibid. 4
Metus ſolus reuerentialis ſine minis & verberibus, quo quis ducitur ad incundum matrimonium, vel celebrandum contractum, non cadit in virum conſtantem; nec ſufficiens eſt ad reſciſſionem: quamuis contrarium quidam probabile putent, ſi indignatio non ſit leuis, ſed grauis & diuturna, licet non adfuerint minæ & verbera. 288. 5
Metus reuerentialis datur in eo, qui iure aliquo ſubiectionis alteri ſubeſt, ibid.
Preces importunæ ſecluſa omni alia ratione timendi, iuxta quoſdam incutiunt metum cadentem in conſtantem virum, ſufficientem ad contractuum reſciſſionem. Alij negant, etiamſi præcibus his coniunctus ſit metus reuerentialis. Sed probabilius eſt, preces huiuſmodi vnà cum metu reuerentiali, incutere metum cadentem in conſtantem virum. ibid. 7
Metus, ſeu probabile periculum grauis damni, regulariter loquendo, excuſat à tranſgreſſione legis humanæ, & conſequenter à peccato. ibid. 8.
Metus gehennæ malus eſt, ſi ſit propriè ac principaliter finalis cauſa obſeruationis legum; ſed bonus & honeſtus eſt, ſi ſit tantum cauſa impulſiua, ſeu finalis ſecundaria. ibid.
Qui metu mortis non ſeruat legem humanam, excuſatur à peccato, etiamſi lex pœnam capitis tranſgreſſoribus imponat. ibi. 10
Quando quis minatur alicui mortem, niſi carnes humanas ederet, licitum eſt eis veſci: tamen non tenetur quis carnes humanas comedere, ad tuendam vitam, ſed poteſt potiùs mortem pati, ſequendo opinionem probabilem. ibid.
Qui lege, aut voto abſtinentiæ à carnibus eſt obſtrictus, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur carnibus veſci, ſi non habeat alios cibos & euidenter conſtet carnes illi neceſſarias eſſe ad tuendam vitam. ibid. 11
Carthuſiani laudabiliter in mortis periculo à carnibus abſtinent, quando alij cibi ſuppetunt, ita vt illis fas non ſit, cuiuſcumque ægritudinis occaſione, carnibus veſci. ibid.

M I S S A.

Quoad eius eſſentiam.

Missae nomine intelligitur actio illa ſacra, qua conficitur Chriſti corpus, quod Deo in miſſa offertur, & à ſacerdote ſumitur per communionem. ibid. 1
Nomine ſacrificij miſſæ, intelligitur externa & ſenſibilis actiò, qua res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo ac ſolemni ritu à publico miniſtro in honorem Dei aliquo modo immutetur. ibi. 2
Subſtantialis ſacrificij miſſæ mutatio in eo potiſſimùm ſita eſt, quòd Chriſtus, qui naturaliter homo viuus eſt, cibo potuique in idoneus, niſi occidatur, in hoc ſacramento quaſi iterum mortuum accipiat eſſe, in quo iam tanquam occiſus comedi & ſanguis eius poſſit potari. 290.
In quo poſita ſit ratio formalis & materialis ſacrificij. ibid.
Partes eſſentiales ſacrificij miſſæ ſunt conſecratio, oblatio & conſumptio. ibid. 3
Probabilius eſt, ad ſacrificium miſſæ vtriuſque ſpeciei panis & vini conſecrationem requiri; nec in hoc poſſe Pontificem diſpenſare. ibid. 4
Oblatio poſt conſecrationem eſt de eſſentia ſacrificij. ibid. 5
Probabilius eſt ad miſſæ ſacrificium requiri ſacerdotalem ſumptionem quatenus eſt immutatio victimæ oblatæ. ibid. 6
Miſſæ ſacrificium differt toto genere ab omnibus ſacrificijs, tum legis naturæ, tum Moſaicæ. Accidentaliter autem differt à ſacrificio quod Chriſtus poſt cœnam obtulit, non eſſentialiter. ibid. 7

M I S S A.

Quoad eius effectus & valorem.

Evcharistiae ſacrificium non confert primam gratiam & remiſſionem peccatorum per ſe & ex opere operato, ſed per modum impetrationis, non quidem ſemper efficaciter, ſed ſufficienter ex parte ſua. 291. 1
Probabilius eſt ſacrificium miſſæ non remittere culpam, etiam peccatorum venialium per ſe ex opere operato, & ſine ſpeciali actu ſuſcipientis. ibid. 2
Bona temporalia per modum impetrationis poſſunt aliquo modo eſſe effectus ſacrifitij miſſæ. ibid. 3
Valor miſſæ ſeu fructus primus dicitur generalis, ſecundus ſpecialis. Tertius medius. ibid.
Triplex eſt fructus ſacrificij miſſæ. *Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius,* ibid.
Miſſæ ſacrificium ex directa inſtitutione ſua habet vim ſatisfactiuam pro pœna temporali debita peccato mortali, & veniali, & ob id dicitur ſatisfactorium. ibid. 4
Miſſæ valor, quatenus offertur à ſacerdote, non eſt infinitus intenſiuè: valor autem generalis miſſæ eſt infinitus extenſiuè. ibid. 6
Effectus ſacrificij miſſæ reſpondens oblationi ſacerdotis, qui medius nuncupatur, vt ſic finitus eſt, & vnus tantum. ibid. 7
Si miſſæ ſacrificium ſpectetur quoad impetrationem, præciſo merito & ſatisfactione, eſt valoris infiniti. ibid.
Si fructus miſſæ conſideretur, qui reſpondet offerentibus, vt offerentes ſunt, eſt etiam valoris infiniti extenſiuè. ibid.
Miſſa vt ſacrificium eſt, valorem accipit ex opere operato: & vt includit preces & orationes, valor miſſæ reſpondens precibus eſt ex opere operantis. 292. 8
Miſſæ ſacrificij fructus quibus tribuatur. ibid. 9
Ad fructus miſſæ recipiendos, habitualis gratia requiritur, & viatoris ſtatus, qui tamen etiam exiſtentibus in purgatorio conuenit. ibid. 10
Miſſæ ſacrificium non poteſt offerri pro excommunicatis: bene tamen pro infidelibus, & paganis. ibid.
Fructus ſacrificij, qui nulli applicatur vel incapaci, reponitur in theſauro Eccleſiæ vt proſit fidelibus in commune. ibid.
Beatis non prodeſt ſacrificium, niſi quatenus per ipſum coluntur & honorantur. ibid.
Miſſa non prodeſt damnatis in inferno exiſtentibus: nec paruulis decedentibus cum peccato originali. ibid.

M I S S A.

Vt eſt ſacrificium.

Missa ſecundùm propriam rationem formalem eſt ſacrificium: nam in ea continentur illa tria, quæ pertinent ad eſſentiam ſacrificij; nempe, conſecratio, oblatio, & conſumptio. ibid. 1
Sacrificium in communi, eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei oblatæ in ſignum diuinæ excellentiæ legitime inſtitutum: differt autem ſacrificium ab alijs oblationibus, quæ Dei cauſa fiunt. 293.
An autem vnum idemque ſit ſacrificium quod quotidie in Miſſa offertur, atque illud, quod eſt olim in cruce immolatum? Tridentinum docet, quod vna eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa. ibid. 2
De fide eſt, Miſſam eſſe inſtitutam à Chriſto, quoad ea quæ ſunt de ſubſtantia ſacrificij. Miſſa autem quoad totam actionem vt includit omnes cæremonias, eſt inſtituta ab Eccleſia. ibid. 3
Pluribus figuris ſignificatum, & multis oraculis Prophetarum vaticinatum fuit in lege veteri Miſſæ ſacrificium. ibid. 4
Verba conſecrationis panis ſtatim ſortiuntur ſuum effectum & ponunt viuum Chriſtum, totum, non mutilum, cum ſanguine & oſſibus in hoſtia conſecrata, ante conſecrationem vini. ibid. 5
Conſtans eſt Theologorum opinio, vnum dumtaxat miſſæ ſacrificium eſſe; quod conſtat duabus partibus & duobus ſignis, videlicet, conſecratione panis, & conſecratione vini. 294. 6
Sacrificium Miſſæ vnum dicitur, non plura, nec multiplicantur ſacrificia, ad nu-

ad numerum Sacerdotum Miſſas celebrantium,ſed in omnibus Miſſis reperitur & replicatur per multos Sacerdotes. ibid.
Quamuis ex probabili opinione poſſit Summus Pontifex diſpenſare, ob publicam & vrgentem neceſſitatem & iuſtam cauſam,vt in altera tantùm ſpecie panis vel vini ſacrificium & Sacramentum fiat verum; non poteſt tamen diſpenſare, vt Miſſæ ſacrificium celebretur in conſecratione aquæ loco vini. ibid.7
Nonnulli opinati ſunt Sacerdotem in Miſſa iure diuino non teneri conſumere corpus Dominicum à ſe conſecratum,ſed ſatisfacere ſuæ obligationi ſumendo hoſtiam ab alio præconſecratam.Sed hæc opinio,ab alijs probabilis non diiudicatur. ibid.8
Quando Parochus nullam habens maiorem hoſtiam, minorem conſecrauit,ſi vereatur populi ſcandalum in eleuatione minoris noſtræ, poteſt in eleuatione Sacramenti alteram maiorem hoſtiam, quæ aſſeruatur in Pixide, populo oſtendere, modo illi hoſtiæ altera parua in illo ſacrificio conſecrata,ſit iuncta. ibid.
In caſu neceſſitatis, ſi maior hoſtia haberi non poſſit, licet adhibere vnam ex Minoribus in Miſſa priuata & ſecreta; imò vrgente cauſa publicè id fieri poſſet,monitis prius adſtantibus, ne ſcandalum ſequatur. ibid.
Res oblata in ſacrificio Miſſæ principaliter eſt Chriſtus Dominus, ſiue corpus, & ſanguis eius, non vt in propria ſpecie, ſed vt ſub ſpeciebus panis & vini exiſtentia. Panis autem & vinum pertinent ad rem, quæ ſacrificatur, ac proinde ad ſacrificium, non vt ea quæ principaliter Deo ſacrificantur, ſed vt materia tranſiens, ex qua corpus & ſanguis Domini conſecrantur. ibid.9
Panis, & vinum offeruntur in hoc ſacrificio, etiam tanquam materia ex qua conficitur ſacrificium. ibid.
Miſſæ ſacrificium habet maximam dignitatem & excellentiam, tum ratione rei oblatæ,tum ratione modi offerendi in ſe; tum ratione ſignificati. 295.10
Sacerdos celebrans poteſt offerre ſacrificium pro ſeipſo ſacrificante, & tunc duplicem habebit effectum ſacrificij. ibid.11
Principalis offerens,qualis eſt Chriſtus, non poteſt pro ſeipſo offerre ſacrificium,mediante Sacerdote offerente. ibid.
Fideles, qui ſunt cooperatores ſacrificij Miſſæ poſſunt etiam ſuo modo pro ſeipſis offerre ſacrificium mediante Sacerdote offerente. ibid.
Iuxta vſum Eccleſiæ poteſt & debet Sacerdos pro alijs hoc ſacrificium offerre; imò & quilibet alius non Sacerdos offerens poteſt pro alio ſacrificium offerre,eo modo quo ad ipſum ſpectat. ibid.
Hoc ſacrificium debet offerri pro vniuerſa Eccleſia militante, & pro omnibus membris illi colligatis,id eſt; pro baptizatis viuentibus, qui nec per infidelitatem,nec per excommunicationem ſunt ab ea eiuſque communicatione ſeiuncti. ibid.12
Pro Cathecumenis fidelibus nondum baptizatis poteſt offerri hoc ſacrificium,& illis prodeſt quoad fructum impetrationis, non ſatisfactionis. ibid.
Si Cathechumeni moriantur ante Baptiſmum & per illos non ſtetit quin Baptiſmum ſuſciperent,poteſt pro illis offerri ſacrificium: ſecus ſi ex mera negligentia ſua & culpa graui non petierint Baptiſmum. ibid.
Pro quibuſcumque infidelibus poteſt offerri hoc ſacrificium, quatenus eſt impetratorium, dummodo per Eccleſiam excommunicati non ſint. ibid.
Pro infidelibus maiori excommunicatione ligatis non toleratis non licet offerre ſacrificium, publicam perſonam agendo;in iure enim hoc prohibetur.Secus ſi denunciati non ſint. ibid.
Varij variè ſentiunt, quando excommunicatus vitandus eſt in gratia, nondum tamen abſolutus,& per eum non ſtat quin abſoluatur, an liceat pro eo offerre ſacrificia & communia Eccleſiæ ſuffragia? Negatiua ſententia eſt probabilior. ibid.13
Certiſſima de fide ſententia eſt, hoc ſacrificium Miſſæ poſſe offerri, etiam vt impetratorium, pro animabus Purgatorij, & illis prodeſſe quoad pœnas, quæ per obligationem huius ſacrificij remitti poſſunt. 295.14
Miſſæ ſacrificium vt eſt propitiatorium,non poteſt offerri pro Beatis qui in cælo regnant.Tamen poteſt aliquo modo pro illis offerri,quatenus eſt laudis & gratiarum actionis. ibid.15
Sacrificium Miſſæ non offertur Sanctis,ſed ſoli Deo viuo & vero in cultum latriæ: vnde templa & altaria non fiunt immediatè primariò & per ſe ad Sanctorum honorem, ſed ſecundariò, vt ſcilicet Deus in Sanctis & per Sanctos honoretur. ibid.
Hoc ſacrificium non poteſt offerri pro damnatis & impijs defunctis, quando eos in peccato mortali mortuos eſſe conſtiterit. Vbi quid ſentiendum de hiſtoria animæ Traiani precibus D.Gregorij à pœnis gehennæ liberatæ,vt à quibuſdam refertur. ibid.

MISSA.

Quoad eius miniſtrum

Miniſter proprius ex officio ſacrificij miſſæ eſt ſacerdos. 297.1
Vt ſacerdos ritè officio ſuo fungatur, debet habere intentionem celebrandi,& præterea fidem & gratiam. ibid.
Miſſa exiſtentis in peccato mortali habet ſuum effectum quatenus nomine Chriſti & Eccleſiæ offertur: & miſſa mali ſacerdotis minus valet, quàm probi,ſi ſacrificium conſideretur ſecundùm merita ipſius ſacerdotis. ibid.
Chriſtus Dominus principaliter etiam nunc offert hoc ſacrificium, ſacerdos autem eſt proprius miniſter Chriſti Domini, tanquam inſtrumentum principaliter ſacrificantis:Populus vero Chriſtianus ſuo modo offert etiam miſſæ ſacrificium. ibid.
Sacerdos,qui miſſam celebrauit in peccato mortali,ſatisfacit obligationi ſi pro ea ſtipendium accepit. ibid.2
Miſſa ſacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel ſuſpenſione, vel irregularitate prodeſt alijs: & excuſatur à peccato talis ſacerdos quoties non celebrando incurreret infamiam, vel aliud graue detrimentum. ibid.3
Nullus ſacerdos tenetur quotidie celebrare. 298.4
Sacerdos curam animarum habens tenetur per ſe vel per alium celebrare diebus quibus populus tenetur miſſam audire. ibid.
Parochus non tenetur ſingulis diebus feſtis & Dominicis ad applicationem ſacrificij pro populo: ſed tantùm in præcipuis feſtiuitatibus, aut ſemel in hebdomada. ibid.
Sacerdos legitimè non impeditus peccat mortaliter, ſi numquam celebret toto anno;ſecus ſi miſſam dicat in præcipuis feſtiuitatibus,ter aut quater in anno. ibid.5
Beneficiarius tenetur iuxta intentionem fundatoris miſſas celebrare, & quidem quotidie,ſi hoc exigat fundatio: niſi iuſta de cauſa vel ratione honeſtatis ſacrum prætermittat. ibid.6
In Eccleſijs Cathedralibus Conuentualibus & Collegiatis præceptum eſt vt ſaltem vna miſſa celebretur dempta feria ſexta paraſceues, ſi ſit conueniens numerus Sacerdotum. ibid.7
In Eccleſijs Cathedralibus & collegiatis eſt obligatio ſub mortali cantandi duas miſſas,vnam de feſto, alteram de feria in ferijs Quadrageſimæ,Quatuor temporum,Rogationum & Vigiliarum, ſi in eis occurrat feſtum duplex,vel ſemiduplex,vel Octaua. ibid.
Eccleſiæ regularium non ſunt Collegiatæ,ſed propriè vocantur conuentuales. ibid.
Feria quinta in cœna Domini vna tantùm miſſa publicè à primario ſacerdote celebrari ſolet: priuatim tamen aliæ miſſæ dici poſſunt matutino tempore. 299.
Feria ſexta paraſceues nullus ſacerdos veram & propriam miſſam celebrare licitè poteſt. ibid.
Sabbato Sancto vna tantùm miſſa publicè celebranda eſt.Priuatas autem miſſas conſultiùs eſt omittere. ibid.
Capellanus,qui tenetur miſſas celebrare,poteſt per alium ſupplere: ſi verò tenetur per ſeipſum celebrare, poteſt miſſas differre in aliud tempus ob impedimentum. ibid.8
Sacerdos accipiens à pluribus plura ſtipendia pro miſſæ celebratione,non poteſt vnica miſſa omnibus ſatisfacere,etiamſi ſtipendia ſimul ſumpta non excedant quantitatem neceſſariam ad ſtrictam ipſius ſacerdotis ſuſtentationem pro vnico die. ibid.9
Sacerdos,qui tenuem eleemoſynam accipit pro miſſis celebrandis, tenetur totum ſacrificij valorem reſpondentem tradentibus eleemoſynas applicare. ibid.10
Qui tenetur onere miſſæ quotidianæ ratione beneficij aut eleemoſynæ acceptæ,non ſatisfacit huic oneri, regulariter loquendo, dum miſſam conuentualem cantat, ſi teneatur miſſam applicare pro Capituli obligatione. 300.11
Probabile eſt,ſecluſa conſuetudine in contrarium,miſſam conuentualem poſſe applicari prò quocumque voluerit Prælatus. ibid.
Capellanus tenetur quotidie miſſam applicare fundatori, ſi conſtet de quotidiana obligatione. ibid.12
Sacerdos non ſatisfacit ſuæ obligationi applicando fructum ſatisfactionis defuncto,reliquos verò fructus alteri. ibid.
Qui tenetur miſſam quotidie celebrare, licet poſſit ſemel in hebdomada titulo honeſtatis à celebratione abſtinere,non poteſt tamen eodem die miſſam alibi,aut pro alio celebrare. ibid.13
Obligatus ad quotie celebrandum, tenetur per alium ſupplere ſi pluries in hebdomada velit titulo honeſtatis aut alia de cauſa abſtinere à celebratione. ibid.
Qui ex promiſſione vel ex fundatione tenetur celebrare miſſas vel de Requiem vel de Beata &c. per ſe loquendo, infideliter aget, ſi alias celebret miſſas; non peccat tamen ſi miſſam celebret de feſto occurrente. ibid.14
Quando Sacerdos accepit ſtipendium pro celebrandi miſſa in altari priuilegia-

Digitized by Google

uilegiato pro defunctis, ſecundùm veriorem ſententiam, ſatisfacit obligationi celebrando in alio altari & applicando indulgentiam plenariam quam aſſequitur in virtute coronæ vel medaliæ benedictæ. ibid. 301

Qui promiſit miſſam in aliquo altari priuilegiato determinato, non ſatisfacit obligationi celebrando in alio cum applicatione indulgentiæ ſuæ medaliæ. ibid.

Prælatus poteſt ſuis ſubditis præcipere, vt miſſam celebrantes habeant intentionem applicandi eius valorem ad ipſius Prælati intentionem. ibid. 15

Probabilius eſt, ſacerdotem regularem applicantem miſſas contra intentionem ſuperioris, valere huiuſmodi applicationem; peccare tamen religioſum contra votum obedientiæ. ibid.

M I S S A.

Quoad locum, tempus & horam, quibus ſit celebranda.

Missae ſacrificium fieri tantùm debet in locis Epiſcopi auctoritate conſecratis. 302. 1

An autem, quando oratorium priuatæ domus eſt tantùm diuino cultui dedicatum, atque permanenter, poſſit Epiſcopus concedere licentiam, poſt Concilium Tridentinum, vt in ipſo miſſa celebretur? quidam affirmant, alij negant. Cæterum, ſi oratorium priuatæ domus ſit permanenter dicatum cultui diuino & habeat ingreſſum expoſitum, vt quilibet ingredi poſſit, Epiſcopus poſſet concedere licentiam, vt in ipſo celebretur. ibid.

Multiplex eſt neceſſitas, vt poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. ibid.

Verius eſt priuilegia mendicantium celebrandi extra Eccleſiam cum altari portatili, non eſſe reuocata per Conc. Trident. non decet tamen vti talibus priuilegijs, niſi aliqua vrgentiſſima neceſſitas inſtet. 303.

Poſt Concilium Tridentinum *Gregorius XIII.* conceſſit Patribus Societatis licentiam celebrandi extra Eccleſias in duobus caſibus. Et *Pius IV.* conceſſit Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranenſis vt poſſint celebrare in cellis ſeu Cameris ſuorum infirmorum, nulla Ordinariorum licentia requiſita. ibid.

Moniales ſubiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs, gaudent dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum. ibid.

Probabile eſt, Epiſcopo contradicente & prohibente poſſe adhuc Regulares non obſtante Decreto Concilij Tridentini celebrare in grangijs & cellis particularibus. 304.

Celebrare in Eccleſia violata per ſe eſt peccatum mortale: In certis tamen caſibus hoc liceret. ibid.

Sacerdotes ſæculares poſſunt in altaribus virtute talium priuilegiorum erectis celebrare, ſi dirigatur priuilegium ad loca religioſorum: ſecus ſi dirigatur ad illorum perſonas. ibid.

Qui ex titulo vel ex conuentione tenetur in aliqua Eccleſia vel altari celebrare, non poteſt in alia Eccleſia vel altari abſque peccato mortali celebrare, niſi hoc faciat ex iuſta & rationabili cauſa. ibid. 2

Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi miſſas pro ijs à quibus vel pro quibus ſtipendium accepit mortaliter peccat; & fieri poteſt vt aliquando obligandus ſit ad reſtitutionem ſtipendij accepti. ibid. 3

Sententia affirmatis ſacerdotem ſatisfacere miſſas anticipatè dicendo, pro eo, qui poſtea ſibi tradet eleemoſynam à ſacra Congregatione improbata & condemnata fuit. ibid. 4

Sacerdos, qui tenetur ſingulis hebdomadis aliquas miſſas celebrare pro fundatore per ſe loquendo ſatisfacit illas in hebdomada antecedente celebrando, niſi contrarium ſpecialiter exprimatur in functione capellaniæ. ibid.

Iure ordinario ſemel tantum in die ſacrificare licet, excepto die Dominici natalis. 305. 5

In aliquibus caſibus licitum erat olim ob extraordinariam neceſſitatem celebrare bis in die ſacerdoti ieiuno: modò autem ſtandum eſt legitimæ locorum conſuetudini. ibid.

Quamuis parochus habens duas parochias poſſit duas miſſas celebrare: in die tamen Paraſceues non poteſt nec tenetur duplex ſepulchrum erigere in vtraque eccleſia, ſed poterit tantùm in principaliori. ibid.

Hora ſeu tempus celebrandæ miſſæ regulariter incipit ab aurora vſque ad meridiem: quamuis in neceſſitate ob honeſtam cauſam liceat ante auroram vel poſt meridiem celebrare. ibid. 6

Religioſi poſſunt ex priuilegio per tres horas ortum ſolis, & itidem per tres horas poſt meridiem miſſas dicere: imò duabus horis immediatè poſt mediam noctem. ibid.

Tres miſſæ, quæ in die Natiuitatis celebrantur, ex conſuetudine poſſunt noctu celebrari. p. 381. 7

Si quis vellet ea nocte poſt matutinum vnam tantùm miſſam celebrare, non adſtringeretur ad primam, ſed poſſet ſecundam, vel tertiam celebrare. ibid.

Verius eſt non peccare mortaliter eum, qui celebrat miſſam ante matutinum recitatum. ibid. 8

Prælati in celebratione miſſarum in diebus feſtis non tenentur mutare ritum ſuarum Eccleſiarum præcipiente Epiſcopo feſtum aliquod obſeruari. ibid.

M I S S A.

Quoad requiſita ad illius celebrationem.

Ivre communi miſſa celebranda eſt in Eccleſia conſecrata ab Epiſcopo, aut ſaltem benedicta, aut in oratorio ab Epiſcopis deſignato (ſecluſo priuilegio) & in altari lapideo conſecrato, integro, & non enormiter fracto, quod debet eſſe firmum vel portatile. 306. 1

In mari vel in flumine vbi periculum imminet effuſionis ſanguinis, non poteſt miſſa celebrari. ibid.

Ex conceſſione *Clementis VIII. & Pauli V.* Patres Societatis nauigantes in Indias vel longinquas partes, quando mare eſt tranquillum, & non adeſt periculum effuſionis ſanguinis, ad nutriendam deuotionem nauigantium poſſunt in mari celebrare. ibid.

Non poteſt miſſa celebrari ſine altari, tam firmo, quàm portatili conſecrato. Si quis tamen metu mortis adigeretur ad ſacrificandum ſine altari, calice conſecrato aut veſtibus ſacris, poſſet hoc modo ſibi conſulere, modò in contemptum fidei aut eccleſiaſticæ poteſtatis metus non incutiatur. ibid.

Requiritur præterea ad miſſam patena, & calix conſecratus, & chriſmate perunctus, confectus ex argento, vel auro, vel ſtanno; non autem ex aurichalco, vel ære. ibid. 2

Calix, patena, palla & corporalia non poſſunt tangi à laicis abſque peccato ſaltem veniali, ſecluſo ſcandalo, & contemptu. ibid.

Probabile eſt calicem remanere conſecratum, ſi in non conſecrato quis bona fide celebret. Idem dicendum de Eccleſia polluta, & de veſtibus nondum benedictis. ibid.

Ad Miſſæ ſacrificium requiruntur corporalia benedicta, & confecta ex tela linea aut canabea quoad eam partem, qua continetur calix, quæ debent eſſe munda. ibid. 3

Duæ etiam mappæ requiruntur vel ſaltem vna duplicata, ex tela confecta, & benedicta. ibid. 4

Veſtes ſacræ præterea requiruntur, id eſt, alba, cingulum, amictus, manipulus, ſtola, & planeta: quæ amittent benedictionem, quando ita franguntur, vt non ſint aptæ ad vſum, ad quem fuerunt deſtinatæ. ibid.

Omiſſio harum veſtium præciſa inaduertentia, & magna celebrandi neceſſitate inducit peccatum mortale. ibid.

Sacerdos non debet cooperto capite celebrare, niſi aliter cogat neceſſitas, & petita ab Epiſcopo licentia: & inſuper debet eſſe indutus calceis. ibid.

Ad miſſam celebrandam requiritur etiam liber ſaltem continens canonem: & crux in altari. 307. 5

Lumen etiam requiritur, quod ex conſuetudine conficitur ex cera, quamuis in neceſſitate ſufficiat candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo. ibid.

Dum ſe veſtibus induit ſacerdos debet recitare preces ab Eccleſia præſcriptas, quarum tamen omiſſio non eſt peccatum mortale iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.

Sacerdos debet adhibere aliquem maſculum ſibi miniſtrantem, non autem fœminam; quamquam in neceſſitate quando non eſt alius non ſit mortale illam adhibere. ibid.

Sacerdos extra neceſſitatem ſine miniſtro celebrans, non poteſt excuſari à mortali. ibid.

Sine rationabili cauſa frequenter abſque tonſura, & habitu clericali ad celebrandum accedere, etiamſi abſque contemptu fiat, à peccato mortali non poteſt excuſari. ibid.

M I S S A.

Quoad defectus in illa contingentes, & corrigendos.

Defectvs contingens circa ſubſtantialia miſſæ, puta circa materiam panis, & vini ſupplendus eſt, vt in miſſali præſcribitur. ibid. 1

Sacerdos, qui malitioſè noluit conſecrare hoſtiam, & poſt ſumptionem calicis ipſum pœnitet erroris, debet hoſtiam conſecrare ob integritatem ſacrificij. ibid. 2

Quando animal aut aranea decidit in calicem ante conſecrationem, alia materia ſumenda eſt, eaque offerenda, & conſecranda: ſi poſt conſecrationem ſumendæ ſunt ſpecies conſectatæ, extracto illo quod eſt noxium, ſi non incommodè fieri poſſit: ſin minus, ſpecies linteo aut ſtupa exſiccari debent & comburi, &c. 308 3

Quid agendum ſacerdoti, ſi poſt ſumptionem aduerti, vel monitus fuit vinum fuiſſe veneno infectum, & quid, ſi hoſtia conſecrata vel ſanguis in terram cadat. ibi.

Sacerdos aduertens ſe aliquid omiſiſſe ſpectans ad integritatem formæ, quomodo debeat ſupplere defectum? Et quid, quando dubitat an habuerit intentionem conſecrandi? Quid, ſi ante conſecrationem aduertat

Digitized by Google

aduertat non miſcuiſſe aquam vino; vel hoſtiam eſſe notabiliter fractam. Vel ſi hoſtia cadat in calicem. Vel ſi ſpecies vini conſecrati congelentur. ibi.4.
Quomodo ſit ſupplendus defectus Sacerdotis, qui ante vel poſt conſecrationem deficit, vel dubitatur an conſecrauerit. ibid 5.
Sacerdos in miſſa nihil ex electione omittere debet, & præcipuè in Canone, non ſemper tamen eſt mortale aliquid omittere; ex paruitate enim materiæ, omiſſio poteſt eſſe ſolùm peccatum veniale. ibi.6.
Qui per obliuionem, aut negligentiam in miſſa aliquid omiſit, v.g. *Gloria, Credo*, aliquam collectam, vel ſi legit alienam Epiſtolam, aut Euangelium, non tenetur poſtea repetere; tamen ſi omiſſum eſſet de ſubſtantia conſecrationis, aut aliquid neceſſariò requiſitum ad ſubſequentes cæremonias, teneretur. ibid.
Sicut celebrans tenetur ad omnia quæ præſcribuntur in miſſali, ita vt nihil poſſit omittere, ita nihil poteſt addere de ſuo ſine peccato. ibid.
Rubricæ miſſalis communiter non obligant ad mortale, niſi contineant eſſentiam, ſeu quaſi eſſentiam ſacrificij, vel non dimittatur tanta illarum pars, vt nouus ritus in Eccleſia non introducatur. ibid.
In omiſſione ſacrorum rituum in miſſa poteſt interuenire peccatum mortale ex grauitate materiæ v. g. ſi omittatur mixtio aquæ, ſi panis azimus, ſi fractio hoſtiæ, ſi mixtio cum ſanguine, ſi eleuatio hoſtiæ poſt conſecrationem, &c. In omiſſione aliorum rituum poteſt ſacerdos etiam peccare mortaliter ob contemptum, & grauem incuriam in illis addiſcendis, & practicandis. 309.ibid.

M I S S A.

Quoad ſtipendium dandum ſacerdoti pro ea celebranda.

Sacerdos pro celebranda miſſa poteſt eleemoſynam, ſeu ſtipendium in ſui ſuſtentationem accipere, & illud in pactum deducere antequam miſſæ ſacrum faciat, abſque labe ſimoniæ. ibid.1.
Sacerdos, qui abſque ſtipendio promittit alicui miſſam ſe pro illo oblaturum, non ſemper tenetur eam offerre. ibid.
Sacerdos obligatus ad quotidie celebrandum ex titulo, vel ex conuentione, non poteſt nouas eleemoſynas accipere pro celebratione miſſarum, & omnibus vnica miſſa ſatisfacere. ibid.2.
Qui plures collegit eleemoſynas, & vnicum applicauit miſſæ ſacrificium, tenetur ad reſtitutionem. ibid.3.
Pro miſſis celebrandis ſtipendium ab omnibus ſacerdotibus ſumi poteſt, ſiue pauperes ſint, ſiue diuites: tantùm verò accipere poteſt, quantum fert taxa Epiſcopi, vel legitimæ conſuetudinis. ibid.4.
Maximè expediret, quòd Epiſcopi in ſuis diœceſibus ſtipendia miſſarum determinarent, iuxta Epickeiam, & conſiderationem rationabilem, attentis Terrarum, Regionum, Perſonarum, Occupationum, modorum, & omnium quæ occurrunt, circumſtantijs. ibid.
Paciſcentes de ſtipendio non poſſunt obligare ſuos ſucceſſores, & grauare iniuſtis ſtipendijs. 310.ibi.
Peccat mortaliter ſacerdos, & tenetur ad reſtitutionem poſita materia graui, qui pro miſſæ celebratione accipit, & exigit importunè ab inuitis eleemoſinam ſupra taxam ab Epiſcopo præſcriptam, aut legitima conſuetudine receptam. ibid.5.
Sicut in reliquis pretijs rerum datur ſummum, infimum, & mediocre; ita in miſſa dicenda triplex diſtingui poterit ſtipendium, ſupremum, infimum, & mediocre: ideo vbi ſtipendium non eſt taxatum lege ſuperioris ſed priuata duntaxat æſtimatione, licitum erit ſacerdoti vſque ad ſupremum ſtipendium pro miſſa etiam ex pacto petere. ibid.
Mirum eſt, Opificum, & mechanicorum ſtipendia ſingulis diebus, conſiderata calamitate temporum, & caritate annonæ, augeri; Sacerdotes autem Domini cogi diminuta ſtipe velut mendicare. ibid.
Titulo paupertatis non poteſt ſacerdos ad vitæ ſuſtentationem ſupra taxam exigere. ibid.6.
Qui detentus infirmitate per 13. dies non celebrauit, non tenetur per alium ſupplere ad ratam temporis quo non celebrauit, ſi iuxta Capellaniæ inſtitutionem tenebatur ad onus quotidianæ celebrationis. Imò quidam hoc extendunt, etiamſi ſacerdos ægrotaret per duos menſes, modò fundator mentem ſuam non explicuerit ſe non intendere dare ſtipendium, niſi quotidie celebranti, quacumque cauſa excluſa. ibid.7.
Sacerdos, qui plura colligit ſtipendia pro celebratione miſſarum, non poteſt per alios ſacerdotes ſatisfacere, retenta ſibi parte eleemoſynarum inſcio dante, & inſcijs ſacerdotibus. ibid 8.
Decreta S.Congregationis Concil. Sanctiſſ. D. N. Vrbani *diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, de celebratione Miſſarum.* ibid.
Declarationis aliquot Sacr. Congreg. Concil. Sanctiſs D.N. Vrbani Papæ VIII. *authoritate edita, ſuper Decretis eiuſdem Congreg. de celebratione Miſſarum.* 311.ibi.
Nullus ſacerdos ratione vnius miſſæ, poteſt plura ſtipendia, ſiue ab vno, ſiue à pluribus recipere. 312.9.
Sacerdos non poteſt duplex ſtipendium pro vna miſſa accipere applicando partem ſolitam vni, & alteri partem propriam. ibid.
Sacerdos maius ſtipendium poteſt accipere, pro obligatione dicendi miſſam ſummo mane, vel ad loca diſtantia, vel pro miſſa ſolemni vel in diebus feſtis. ibid.10
Quando datur ſtipendium, non pro applicatione ſacrificij, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel pro commoditate populi, vt miſſam audiat, poſt ſacerdos alienam eleemoſynam accipere pro applicatione ſacrificij, abſque peccato, & obligatione reſtitutionis. ibid.
Epiſcopi, Abbates, Generales Ordinum ex Concilio Tridentino poterant Miſſas Capellaniarum, & Anniuerſariorum iuſta de cauſa ad minorem numerum reducere. Hodie talis facultas Epiſcopis, Abbatibus, & Generalibus à prædicto Concilio tradita, reuocata eſt per dictum decretum. ibi.11
Vrbanus VIII. conceſſit Fratribus Minimis, vt legata miſſarum perpetua, exigua, ad rationem 50. ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet miſſa quotidiana reducerentur. Idem conceſſit Minoribus Conuentualibus vt reductio miſſarum fieri poſſit ad rationem ſexaginta ſcutorum. ibid.
Probabilior eſt ſententia affirmans horum priuilegiorum non fieri communicationem pro alijs ordinibus. ibid.

M I S S A.

Vbi variæ quæſtiones de Miſſa proponuntur & reſoluuntur.

Sacerdos in Miſſa vt rectè officio ſuo fungatur, non poteſt minores hoſtias poſt conſecrationem ponere extra aram & multò minus dare alteri diſtribuendas, niſi poſt communionem in Miſſa; quamuis à quibuſdam hæc opinio non admittatur. 316.1
Cùm integritas ſacrificij ſit de iure diuino, neceſſarium eſt quod ſacrificium inceptum perficiatur; vnde ſi moriatur Sacerdos, poſt conſecrationem, debet perfici ab altero, ſi adſit, etiamſi ſit non ieiunus, vel ſit excommunicatus, aut irregularis. 316.2
Quando contingit Sacerdotem mori vel infirmari poſt conſecrationem vnius ſpeciei, quidam dicunt probabiliter, ſecundum Sacerdotem debere non ſolùm conſecrare ſanguinem, ſed etiam priùs alteram hoſtiam: ſed conſultius eſt non conſecrare alteram hoſtiam. ibid.
Probabile eſt, quando Sacerdos deficit poſt conſecrationem, non teneri alterum, ſi adſit, ſub peccato mortali perficere ſacrificium. ibid.
Totum Miſſæ ſacrificium proferri debet cum quadam morali continuatione, ſine magna interruptione, cum ſit vnum & vnum dicatur: vnde poſtquam ſacra Miſſæ actio incepta eſt, debet ad exitum perduci per ſuas partes, & ſi Sacerdos voluntariè notabilem eius partem omittat, mortaliter peccat. ibid.3
Conceduntur tamen à Doctoribus aliqui caſus, in quibus ſolet ac poteſt Miſſæ ſacrificium interrumpi. ibid.
Si Sacerdos poſt conſecrationem inceptam recordetur ſe non eſſe ieiunum, debet perficere ſacrificium: ſi meminerit ſe peccatum aliquod mortale commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi & ſatiſfaciendi: ſi recordetur ſe eſſe excommunicatum, aut interdictum aut irregularem, debet habere propoſitum petendi abſolutionem, ac diſpenſationem. ibid.4
Si Sacerdos meminerit alicuius prædictorum impedimentorum Canone iam cepto, tenetur ſub culpa mortali perficere, vt vitetur ſcandalum, præhabita tamen contritione & propoſito petendi abſolutionem vel diſpenſationem. ibid.
Si antequam Canonem inciperet, Sacerdos ſolius peccati non confeſſi meminit, Miſſam debet perficere præhabita contritione. Si verò meminit ſe cenſura aliqua ligatum, totiùs eſt Miſſam inchoatam dimittere, ſi non ſequatur ſcandalum, aliàs perficienda eſſet. ibid.
Quando celebrans in altari meminit ſe non eſſe Sacerdotem, aut non ritè ordinatum, tenetur Miſſam dimittere, ſi conſcientiam deponere non poteſt. 317.
Licet Sacerdoti ſumere reliquias Sacramenti Euchariſtiæ, poſt ſumptam calicis ablutionem: licet quidam contrarium doceant. ibid.5
Quando reliquiæ fuerunt præconſecratæ ab alio Sacerdote in alio ſacrificio, multi negant poſſe ſumi poſt ablutionem calicis: non deſunt tamen Doctores contrarium ſuſtinentes. ibid.
Si Sacerdos Euchariſtiam miniſtret poſt ſumptam communionem & poſt purificatoriam digitorum ablutionem vini & aquæ, poteſt licitè reliquias à communicantibus relictas, vel ab alio Sacerdote, ſi fortè illas poſtea reperit in altari, vel corporali ſumere, modo commodè ſeruari non poſſint in ſacrario. ibid.
Quando reliquiæ inueniuntur in patena vel calice, non poteſt Sacerdos per ſe loquendo, prædictas reliquias ſumere poſtquam ab altari receſſit; ſecus tamen eſſet ex accidenti, quando illæ reliquiæ non poſſent conſeruari ſine maiori irreuerentia. Nonnulli nihilominus aſſerunt licere Sacerdoti in ſacrificio, dum adhuc ſacris veſtibus eſt indutus, ſumere reliquias hoſtiæ inuentas in calice. ibid.
Quamuis Miſſale Pij V. vetet ablutionem capere antequam Sacerdos celebrans alios communicet: tamen Gregorius XIII. diſpenſauit cum religioſis Societatis Iesv. ibid.

Semper eſt peccatum mortale communicare, vel Miſſam dicere, quando minima quantitas cibi vel guttula aquæ per modum cibi vel potus præſumitur, ſiue ſumatur aduertenter, ſiue inaduertenter, dummodo Euchariſtia ſumatur cum animaduerſione præſumptæ aquæ vel cibi. Secus dicendum ſi per modum ſaliuæ, aut reſpirationis ſumatur, vel attrahatur. ibid. 6

Offa panis in vino non eſt conſecrabilis, quoad ſpecies ſanguinis: vinum tamen inhibitum in offa panis antea conſecratum, retinet conſecrationem. ibid. 7

Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſſas pro ijs, à quibus, vel pro quibus ſtipendium accepit, differendo celebrationem illarum ad longum tempus, peccat mortaliter. ibid. 8

Sacra Eminentiſſ. DD. Cardinalium Congregatio permittit Sacerdotibus, vt, ſi oneribus Miſſarum iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſint noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere: & per modicum tempus intelligunt Doctores ſpatium duorum menſium. ibid.

Intentio actualis vel ſaltem virtualis requiritur in Sacerdote eodem tempore Miſſæ ad applicandum fructum ſacrificij illi, qui ſtipendium præbuit: non eſt tamen improbabile, quod ſufficiat intentio habitualis. ibid. 9

Quandonam fructus miſſæ à Sacerdote debeat applicari, vt effectus ſequatur? Quidam volunt debere applicari ante vel in ipſa conſecratione: alij dicunt ſufficere ſi ante ſumptionem fructus applicetur. Tutius eſt ad maiorem certitudinem fructum applicare ante Miſſam. ibid. 10

Fructus ſacrificij Miſſæ non poteſt à Sacerdote alicui validè applicari ſub conditione in futurum contingente, ibid. 11

Secus eſt quando conditio præterito, aut præſenti tempore impleta eſt. ibid.

Sacerdos ſacrificium offerens in perſona Eccleſiæ, non poteſt nec licitè, nec validè aliquem excludere, quem Eccleſia in ſua generali intentione includit vel aliquem includere, quem excluſum Eccleſia eſſe vult. ibid. 12

Sacerdos vt priuata perſona ſacrificium offerens & Deo ſupplicans in memento, poteſt fructum, tum impetrationis, tum ſatisfactionis ex opere operantis ſecundum priuatam ſuam diſpoſitionem prouenturum, applicare cuicumque homini capaci, quamuis excommunicatus non toleratus ſit. ibid.

Sacerdos celebrans in altari priuilegiato, vel indulgentia proſit defunctis, non eſt opus vt ſit in gratia. 320. 13

Quando Sacerdos dicit Miſſam in altari priuilegiato, non ſolùm indulgentiam, ſed & ſacrificium defuncto applicare debet. In rigore tamen non videtur ſemper neceſſariam, niſi verba reſcripti, ſeu priuilegij id ſonent. ibid. 14

Miſſa celebrata in altari priuilegiato, quatenus altare priuilegiatum eſt, non quatenus miſſa eſt ſacrificium & opus ſatisfactorium, prodeſſe non poteſt viuentibus. ibid. 15

An ſit licitum & laudabile viuentem ſibi Miſſam pro defunctis celebrari facere, & exequias celebrari, quaſi ipſe mortuus eſſet? Multi ſuſtinent id licitè, & ſalubriter fieri poſſe: quod nonnulli negant. ibid.

Præſtat vt fideles curent celebrari pro ſe Miſſas ante mortem quàm poſt. ibid. 16

Quamuis in regulis Miſſalis præcipiatur crucem apponi in altari, dum Miſſa celebratur; omiſſionem tamen crucis Doctores non iudicant eſſe mortalem, ſed ad ſummum venialem, modo contemptus abſit. 321. 17

Celebrare ſine lumine in altari eſt peccatum mortale: ex qua verò materia conſtare debeat hoc lumen, non conſtat ex iure: tamen ex conſuetudine Eccleſiæ, requiritur vt cerea candela accenſa ſit, ſi haberi poſſit: ſin minus in neceſſitate ſufficit candela ſebacea, aut etiam lucerna ex eo. ibid. 18

Si incepta Miſſa lumen extinguatur in tali Eccleſia ac loco vbi aliud commodè inueniri non poteſt, ante verba conſecrationis inchoatam, non eſt licitum Miſſam perficere, etiamſi præceptum Eccleſiæ vrgeat audiendi ſacrum, imò etiamſi moribundus viatico indigeat. ibid.

Si lumen deficiat poſtquam conſecratio eſt incepta poteſt & tenetur Sacerdos ſacrificium ſine lumine perficere. ibid.

Miſſam dicere abſque corporali lineo & benedicto ab Epiſcopo vel alijs habentibus ad id poteſtatem ex priuilegio Pontificio, eſt mortale: ibid. 19

Non poteſt Sacerdos, extra caſum neceſſitatis, celebrare ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, & illa omittere eſt peccatum mortale. ibid. 20

In caſu neceſſitatis licet Sacerdoti Miſſam dicere ſine illis, ſi vrgeat præceptum audiendi Miſſam in die Feſto, & non inuenirentur alia in loco vbi Sacerdos eſt celebraturus. ibid.

Omnes veſtes ſacræ, quibus induitur Sacerdos in celebranda Miſſa, debent eſſe benedictæ; excipiunt tamen aliqui probabiliter cingulum. ibid.

Veſtes ſacræ, quibus veſtitur Sacerdos in Miſſa, præter decentem ornatum, quem repræſentant, habent etiam ſuas myſticas, & ſacras ſignificationes, diuinis myſterijs plenas. ibid. 21

Omiſſio harum veſtium præcisà inaduertentia, eſt peccatum mortale: prætermittere autem vnam vel alteram ex minoribus, quando magna vrget neceſſitas celebrandi, licitum eſſet celebrare cum amictu alba & caſula, adhibito honeſto cingulo, ſi aliæ haberi non poſſint. 322.

Licet veſtes prophanas virorum, aut mulierum illuſtrium, applicare ad ſacrum vſum, quia conſuetudo ſic inualuit. ibid. 25

Non eſt licitum Sacerdoti Miſſam celebraturo, ire ad altare cum baculo, ſi ſacris veſtibus ſit indutus. ibid.

M I S S A.

Quoad illius præceptum.

Qvilibet fidelis adultus baptizatus completis ſeptem annis tenetur diebus feſtis, & Dominicis miſſam audire, niſi legitimo detineatur impedimento. ibid. 1

Probabilius eſt non ſatisfieri præcepto de audienda miſſa ab eo, qui voluntariè vagatur circa aliqua negotia: ſi plenè aduertat ſe diſtractum eſſe. ibid.

Ad miſſæ præceptum implendum requiritur corporis præſentia moraliter ſumpta: & intentio ſaltem virtualis audiendi miſſam, & inſuper attentio vel ad res ſacras, vel ad ea quæ dictis aut factis ſignificantur, vel ad diuina. 323. 2

Minor attentio requiritur, & neceſſaria eſt in miſſa, quàm in horis canonicis. ibid.

Qui miſſam vel eius partem notabilem diebus feſtis non audit ex ſuo genere mortaliter peccat. ibid. 3

Miſſę notabilis pars dicitur, dimidia miſſa aut etiam tertia pars eiuſdem. ibid.

Probabile eſt, illum, qui voluntariè, & ſine neceſſitate exit ante conſecrationem, & vtraque facta redit, peccare mortaliter. ibid.

An qui non poteſt miſſam integram audire, quia v. g. venit in medio miſſæ, teneatur ſaltem audire illam partem quæ reſtat? varij variè ſentiunt, ſed dicendum eſt accedentem cauſa audiendi ſacri tempore, quo præfatio dicitur ſi non ſit aliud, teneri audire. ibid.

Qui miſſam audit ſiue de Sancto, ſiue de Mortuis, ſiue priuatam, ſiue ſolemnem, ſatisfacit præcepto audiendæ miſſæ. ibid. 4

Impletur etiam præceptum, dum quis vnam partem miſſæ audit ab vno ſacerdote, aliam ab alio. ibid.

Quidam dicunt non eſſe graue peccatum priùs ab vno ſacerdote audire poſteriorem partem miſſæ, & deinde ab alio priorem Item ſatisfacere præcepto, qui ſacrum duorum ſacerdotum media ex parte eodem tempore audiret, vnam verbi gratia vſque ad conſecrationem, & aliam eodem tempore à conſecratione vſque ad finem: ſed hæ ſententiæ ſunt à Doctoribus diiudicandæ. ibid.

Cœcus vel ſurdus qui intereſt miſſæ cum deuotione, præcepto ſatisfacit, ſicut, & ille, qui miſſam audit per metum, attentè tamen. 374. 5

Qui miſſam audiuit neſciens eſſe diem feſtum, non tenetur aliam miſſam audire. ibid.

Qui miſſæ interfuit animo non ſatisfaciendi præcepto, auditione illius miſſæ, ſed cum intentione audiendi aliam, non tenetur aliam reipſa audire, tenetur tamen ille deſiſtere ab actuali intentione non ſatisfaciendi. ibid.

Qui tempore miſſæ notabiliter confabulatur vel dormiat, nugatur, vel ridet cum alijs, pingit, aut alios docet, &c. non ſatisfacit præcepto: ſi tamen per hæc non impediretur attentio, talis ſatisfacere præcepto. ibid 6

Qui toto tempore miſſæ confitetur peccata ſua, non ſatisfacit præcepto, ſi commodè poteſt confeſſionem in aliud tempus differre, nec adeſt neceſſitas præcepti profeſſionis. ibid. 7

Aliqui excuſantur ob neceſſitatem communicandi tempore miſſæ vel propter intentionem audiendi eodem die aliud miſſæ ſacrum, aut propter bonam fidem, aut ratione paruitatis materiæ. ibid.

Confeſſarius ob eaſdem cauſas videtur poſſe excuſari, ſi tempore miſſæ confeſſiones audiat, modò ſimul intendat audire miſſam, ſi illam non velit, vel non poſſit dicere. ibid.

Miſſa non eſt prætermittenda propter auditionem verbi diuini. ibid.

Miſſa à quocumque ſacerdote licitè audiri poteſt, modo non ſit nominatim excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, degradatus, vel publicus clerici percuſſor, publicus concubinarius, & denunciatus. ibid.

Præceptum miſſæ audiendæ adimpletur, quocumque in loco miſſæ ſacrum audiatur, ſiue in propria parochia, ſiue in Eccleſijs religioſorum ſiue extra Eccleſiam. ibid. 9

Fieri poteſt vt non audiens miſſam in propria parochia peccet, nempe, ſi quis nolit eam audire ex contemptu proprij ſacerdotis, aut quando parochus declarat ea, quæ parochiani ſcire tenentur. ibid.

Sententia affirmans priuilegijs regularium derogatum eſſe, vt fideles poſſint ſatisfacere præcepto Eccleſiæ audiendo miſſam in eorum Eccleſijs, probabilitate non caret. ibid.

Non

Non conſtat ſatis inter doctores bullam Pij V. *Etſi mendicantium Ordines*, fuiſſe reuocatam per gregorium XIII. in bulla *In tanta negotiorum mole*; quia dubium eſt, an bulla Gregorij fuerit publicata. ibid.

Peregrinus non tenetur audire miſſam ſi peruenerat ad locum in quo celebratur dies feſtus, qui non celebratur in proprio territorio, niſi habeat intentionem ibi manendi maiori anni parte. 325.10

Parochianus, in cuius parochia celebratur dies feſtus, non peccat mortaliter miſſam non audiendo, ſi ante meridiem futurus ſit extra limites parochiæ, vbi non eſt dies feſtus. ibid.

M I S S A.

Quoad cauſas excuſantes ab illa audienda.

Ob impotentiam corporalem excuſantur ab audienda miſſa, qui non poſſunt miſſam audire abſque damno graui corporali, proprio vel alieno. ibid.

Ob impotentiam ſpiritualem excuſatur ille, qui non poteſt miſſam audire abſque graui detrimento ſpirituali proprio vel alieno. ibid.

Ex impotentia morali excuſatur ab audienda miſſa ille, qui nequit audire miſſam abſque graui detrimento ſui, aut proximi, ſiue illud ſit animæ, ſiue corporis, ſiue famæ, ſiue honoris, ſiue lucri, ſiue alterius boni. ibid.3

Qui præuidet in die feſto ſe non poſſe audire ſacrum ab hora nona tenetur præuenire, & audire hora ſeptima vel octaua. ibid.

Probabilius eſt, puellam, quæ credit ſe ab adoleſcente laſciuo, & fragili concupiſcendam, ſi domo exeat, poſſe relinquere miſſam ſed non teneri. ibi.4

Qui non poteſt miſſam ob aliquod impedimentum audire, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die miſſam audire. ibid.5

Inculpabilis ignorantia, rationalis obliuio, vel inconſideratio excuſant fideles ab audienda miſſa, ſicut & cenſura. ibi.6

Vide v. *Excommunicatio lit.* n.10. & 11.

M I S S A.

Quoad præceptum Eccleſiæ de illa audienda.

CERTUM eſt dari in Eccleſia præceptum Eccleſiaſticum ac poſitiuum audiendi Miſſam omnibus diebus Feſtis. 326.1

Præceptum hoc inducit grauem obligationem, ita vt illud tranſgredi omnino, vel vno tantùm die pro quo obligat, ſine vlla legitima cauſa excuſante, peccatum mortale ſit. ibid.2

Sacerdos tenetur celebrare ad effectum implendi præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa in diebus Feſtis, quando non adeſt alius Sacerdos, cuius Miſſam audiat, & ipſe ſine notabili incommodo celebrare poteſt. ibid.

Qui in die Feſto non poteſt concionem & Miſſam audire, per ſe loquendo, tenetur potiùs concionem, quàm Miſſam omittere: tamen ex accidenti poteſt contingere, vt quis teneatur Miſſam omittere pro concione audienda. ibid.3

Miſſa ex præcepto Eccleſiæ audienda ſub peccato mortali in diebus Feſtis & Dominicis illa eſt, in qua fit noua conſecratio. ibid.4

Quamuis communiter pueri incipiant habere vſum rationis cùm ſeptennium attingunt, & in hac ætate præcepto audiendi Miſſam obligentur: tamen hac de re non poteſt certa regula tradi, cùm quidam citiùs, alij verò nec etiam in decimo ætatis anno perfectum rationis vſum habeant. 327.5

Qui ſponte tempore Miſſæ animo diſtrahitur, vana audiendo, fœminas, aut ludos ſpectando, ſcribendo, pingendo, dormitando, aut interius tantùm aliena cogitando per notabilem Miſſæ partem, non implet hoc præceptum. ibid.6

Attentio in Miſſa poteſt, eſſe triplex: alia enim eſt attentio ad ea quæ Sacerdos dicit, vel facit non vltra progrediendo, ſed ſolùm attendendo vt ad rem, quandam ſacram: hæc attentio eſt omnium infima, tamen ſufficiens. ibid.

Secunda attentio eſt ad ea, quæ illis verbis vel factis ſignificantur, & hæc eſt melior. Tertia eſt ad Deum, quæ eſt attentatio ſuprema & finis cæterarum. ibid.

Qui volunt confabulari tota Miſſa, aut mercaturam tractare, mortaliter peccant: ſi autem colloquia non ſint continua, ſed per paruam miſſæ partem, licet ſæpius miſceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, &c. non eſſet peccatum mortale. ibid.

Non eſt improbabile illos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, qui ſecundum externum habitum Miſſæ decenter interſunt, licet interna mente Deo vel diuinis non intendant. 328.7

Qui habet licentiam vt poſſit audire Miſſam in Oratorio domus ſuæ, ſi ſit infirmus & non poſſit adire Eccleſiam, non tenetur illam in diebus Feſtis audire. ibid.8

Extat decretum S. Congregationis, quo cauetur, vt licentia celebrandi Miſſam in priuato Oratorio concedatur cum hoc onere, vt ſolùm priuilegiarius & eius familiares ſatisfaciant præcepto, audiendo diebus Feſtis Miſſam in præfato Oratorio, alij verò non ſatisfaciant. ib.9

Audientes Miſſam in Oratorijs Epiſcoporum, Regularium & in Oratorijs ex priuilegio Bullæ Cruciatæ ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ. ibid.

Probabilius eſt vnicum tantùm peccatum committere, qui duo præcepta de eodem Feſto colendo, aut de eadem Miſſa audienda violat, & ideò non eſſe hanc circumſtantiam duorum præceptorum in confeſſione aperiendam: quamuis contrarium ſit etiam probabile. 329.10

Ex communi ſententia, ſi aliquis per ſententiam iudicis declaretur commiſiſſe crimen, cui eſt annexa excommunicatio & non declaretur incurriſſe excommunicationem, vitandus eſt, & licitè non poteſt à fidelibus eius Miſſa audiri, ſi eſt Sacerdos. Fauorabilior tamen ſententia ſuſtinet ipſum non eſſe vitandum. ibid.11

Non eſt prohibitum Chriſti fidelibus, ex vi ſolius cenſuræ, dummodo nullum aliud detur impedimentum peccati in ipſis excommunicatis toleratis Miſſas ab eis petere, vel illorum Miſſas audire, etiamſi alij Sacerdotes præſentes ſint, qui nullam excommunicationem habeat. ibid.12

Non tamen improbabilis ſententia aſſerens Sacerdotem excommunicatum toleratum celebrando peccare mortaliter, licitum autem eſſe fidelibus audire illius Miſſam, non tamen id ab eo petere, ne illius peccato cooperentur. ibid.

Certum eſt apud omnes, licere fidelibus Miſſam audire Sacerdotis, qui irregularis factus eſt miniſtrando in excommunicatione, ſi nullum aliud impedimentum ex parte illius obſtet, non tamen petere. 330.13

Quando quis per ſententiam iudicis fuit condemnatus de irregularitate, ante denunciationem excommunicationis incurſæ, communis ſententia eſt, huiuſmodi irregularem vitandum eſſe in diuinis nec licere ipſius Miſſam audire, etiamſi nullum aliud impedimentum obſtet. Sed alij putant id licere, non tamen illam ab eo petere. ibid.

Si quis ſit ſuſpenſus ab officio & ordine per ſententiam iudicis, licitum eſt illius Miſſam audire, modo ante ſuſpenſionem nullam excommunicationem incurrerit, de qua ſit denunciatus: non tamen licet ab eo Miſſas petere durante illa ſuſpenſione: licet quidam contradicant. ibid.14

Concubinarius notorius, aut fornicator iuxta quoſdam eſt ipſo iure ſuſpenſus, & fit irregularis, ſi in eadem ſuſpenſione celebret, vnde licitum eſt illius Miſſam audire, non tamen illam petere. Sed hodie poſt Tridentinum talis ſuſpenſio non eſt in vſu, ſed tantum talis poſt monitionem eſt ſuſpendendus. ibid.5

Regula generalis eſt, vbi alterius copia Sacerdotis non adeſt licitum eſſe petere Miſſas ac audire, Sacramenta recipere, à Sacerdote publico, aut occulto peccatore: tamen ſi præſentes ſint alij Sacerdotes, qui abſque peccato id præſtare poſſint, illicitum eſſet, hæc ab eo petere. ibid.

Ab obligatione audiendi Miſſam diebus Dominicis & Feſtis excuſantur omnes excommunicati etiam tolerati & interdicti, tam generaliter, quàm ſpecialiter, ſiue interdictum ſit perſonale, ſiue ſit locale, licet per eos ſiet, quin abſoluantur, & abſolutionem procurare neglexerint. ibid.16

Mons pietatis.

Mons pietatis eſt ſumma pecuniæ vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubueniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum. 331.1

Conditiones, quibus Mons pietatis conſtituitur. ibid.

In monte pietatis ſeruatis conditionibus non eſt vſura, ſed potius pietas & iuſtitia, vt declarauit *Leo X.* ibid.2

Homo priuatus poteſt huiuſmodi montem inſtituere, etiamſi pecuniam illam ſub onere alicuius cenſus accepiſſet, & exigere à mutuatarijs quantum opus eſt vt ſe indemnem præſtet. ibid.3

Ex communi ſententia non poſſunt deponentes pecuniam apud Montes pietatis aliquid vltra ſortem recipere, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente, & ſi recipiant, eſt manifeſta vſura. ibid.4

Ex indulto Summorum Pontificum pluribus in locis deponentes pecunias apud Montes pietatis tuta conſcientia quatuor vel quinque pro centum vltra ſortem annuatim recipere poſſunt. ibid.

Titulus primus ob quem lucrum iuſtum euadit ex depoſitis ſupra Montem pietatis, eſt emolumentum magnum quod præſtat quis communitati, nempe vt poſſit mons ſubleuare egenos: & hoc emolumentum eſt pretio æſtimabile. 332.5

Secundus eſt, obligatio, quam ipſe mons ſuſcipit in ſe mutuandi pauperibus pro tanta Summa. ibid.

Tertius eſt, ſi pecunia non cenſeatur mutuari, ſed accommodari, ita vt tranſeat in locatum: quod fieri poteſt accedente declaratione Principis, & exigente bono publico. ibid.

Quartus, ſi lucrum accipiatur intuitu tranſlationis dominij, & priuationis eiuſdem, non autem intuitu mutui. ibid.

Denique lucrum iſtud quinque pro centum redditur iuſtum, quia percipitur ex taxatione Principis, quæ iuſta eſt. ibid.

Mons pietatis poteſt exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro ſoluendis penſio-

Digitized by Google

nibus ſeu cenſibus, aut quocumque alio titulo pecunijs debitis depoſitantibus:imò pro paranda,& inſtruenda domo, in qua conſeruentur quæ pertinent ad montem. ibid.6

Quando Mons pietatis habet pecuniam ſibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore,ita vt non tranſeat in dominium montis, poteſt etiam tunc à mutuatarijs aliquid exigere intuitu expenſarum,non ſecus ac ſi pecunia eſſet propria montis. ibid.7

Mons pietatis poteſt exigere expenſas pro miniſtris, quas exigit à cæteris,etiam ab ijs,qui dant pignora, quæ non indigent labore & cura vt conſeruentur,vt ſunt vaſa argentea,gemmæ,&c. ibid 8

Mons pietatis non poteſt aliquid exigere à mutuatarijs in ſuipſius argumentum, niſi omnes qui ſunt de loco inter ſe conſentiant: & tunc id quod ſoluitur,fit per modum donationis. ibid.9

Contra impugnantes in Concionibus aut diſputationibus Montem pietatis eſt excommunicatio lata. ibid.

Mons pietatis.

Mons pietatis plus exigere poteſt vltra ſortem ab ijs, qui diutiùs vtuntur mutuo. 333.1

Quando perſona priuata erigit Montem pietatis, & retinet dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, probabilius eſt,quòd ſemper poſſit exigere expenſas à mutuatarijs, quæ ſufficiant pro miniſtris & conſeruatione Montis, etiamſi fundator Montis non ſe obligauerit ad mutuandum in perpetuum: quamuis aliqui contrarium doceant. ibid.num.2

Varij variè ſentiunt, apud quem ſit dominium veri Montis pietatis, quando fundator illud dominium à ſe abdicauit. ibid.3

Montes pietatis fundati pro pauperibus,non poſſunt mutuare diuitibus, ſi cedat in præiudicium pauperum, ſecus ſi non cedat. ibid.4

Mons pietatis mixtus eſt ſumma pecuniæ confecta partim ex eleemoſynis & gratuita collatione, partim ex contributionibus perſonarum particularium, qui pecuniam deponunt in Monte cum pacto vt recipiant quatuor vel quinque pro centum annuatim ab ipſo monte, & vt deponentes poſſint repetere capitale quando voluerint. Mutuatarius verò debet dare pignora & inſuper ſoluere quatuor vel quinque pro centum tradenda deponentibus vltra id, quod ſoluendum eſt ab ipſis ad conſeruationem Montis,&c. ibid.5

Prædictus Mons eſt vſurarius ex parte deponentium, ſi inter deponentes & Montem ſolus contractus depoſiti intercedat. Si autem talis contractus depoſiti tranſeat in mutuum,non poteſt vi mutui aliquid accipi vltra ſortem,ſine labe vſuræ; ſed bene ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis ipſis deponentibus. ibid.

Ex parte ipſius Montis non eſt vſurarius dictus Mons ex parte expenſarum, ſi ex moderatæ ſunt, nec ſuperant quæ Mons accipit, expenſas quas facit;nec ex parte eius,quod recipit à mutuatarijs. 334.ibid.

Mons mixtus non poteſt aliquid recipere pro mutuatione,quæ fit ex pecunijs in eleemoſynam datis, præter expenſas illi correſpondentes & neceſſarias ad mutuationem. ibid.

Adducitur Bulla Pauli III.in fauorem Montis pietatis Ferrarienſis, quæ incipit,*Charitatis opera.* ibid.

Ex communi ferè Doctorum ſententia, Summi Pontifices poſſunt declarare tum legem diuinam,tum etiam naturalem, quòd videlicet in aliquo caſu particulari non obliget,dummodo declaratio rationabilis ſit. ibid.

Licitus eſt Mons,quem Princeps vel Reſp. pecunijs indigens cauſa belli, aut alia de cauſa inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias hac lege,vt donec illa reſtituat,ſoluat quinque vel ſex pro centum, reſeruata ſibi facultate reſtituendi ſingulis ſortem principalem. p.416.6

Differentia inter Montem pietatis & vſurarium multiplex eſt. ibid.7

Murmuratio.

Mvrmvratio tripliciter accipitur: ſed propriè eſt querela cum impatientia in his,quæ homo debet patienter ferre. 335.1

Murmuratio mala triplex eſt,& de prima,quæ eſt contra Deum;& tripliciter fit. 1.de anima ſeueritate Dei.2. de anima benignitate.3. ob aeris intemperiem. ibid.2

Murmuratio ſecunda fit communiter contra Prælatos, & ſuperiores. 336.ibid.3

Tertia murmuratio fit contra ſocium ſeu proximum. ibid.4

Murmuratio mala ſemper eſt peccatum,veniale aut mortale, ſecundùm conditionem perſonarum, circumſtantiarum, animarum, &c.In religioſis autem omnis murmuratio ſæpiſſimè eſt grauis. ibid.6

Pœnæ quas Deus infert pro vitio murmurationis,multiplices in ſcripturis enarrantur. 337.7

Murmuratio eſt mortalis quæ eſt cum odio Dei,vel hominum, vel tanta diſplicentia quòd decidat murmurator à charitate Dei, vel proximi, vel cùm ex locutione murmuris ſequitur notabile ſcandalum alijs. ibid.

Prælatus ſeu ſuperior audiens aliquem detrahentem religioſis ſubditis ſuis,& non reſiſtens,peccat mortaliter. ibid.8

Prælatus debet patienter ferre religioſorum ſuorum murmurationes,& detractiones,eaſque ſtudioſè oſtendat ſe ignorare. ibid.9

Tenentur tamen Prælati debitis pœnis ſuam defendere exiſtimationem, ne graue introducatur ſcandalum, & ſub mortali propriam famam redimere obligantur. ibid.

Murmurationes clauſtralium ſunt tres præcipuæ. 1.quando murmurant, taxando omnes actiones Prælati. 2. quando aliqui fratres exaltantur, ipſis poſtpoſitis. 3. ſi eis magna & pinguis, pretioſa pictancia non detur. ibid.10

Qui de cibarijs murmurant,ſunt in triplici differentia. ibid.

Murmuratio ortum ducit ab vnoquoque vitiorum capitalium,& ex malignitate,otio,inconſideratione propriorum defectuum. 338.11

Pauci ſunt,qui hoc vitium penitus euitent. ibid.

Mutuum.

Mvtvvm eſt contractus, quo quis alteri rem ſuam tradit numero, pondere vel menſura conſtantem, vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione vt ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur. ibid.2

Mutuum differt à commodato,& permutatione. ibid.

Mutuum diuiditur in expreſſum ſeu formale, & in tacitum ſeu explicitum ac virtuale. 339.2

Ex mutuo iure naturæ obligantur omnes, qui poſſunt contrahere, niſi priuilegio iuris poſitiui eis conceſſum ſit,vt in certis caſibus non obligentur. ibid.3

Hoc priuilegium conceſſum eſt filio familias, Eccleſiæ, Ciuitatibus & minoribus ibid. ibid.

In multis caſibus filius ſeu filia familiàs tenetur ad reſtitutionem mutui accepti. ibid.4

Quando aliquid mutuo traditum eſt Eccleſiæ, vel loco pio,vel oppido, An Eccleſia &c.teneatur ad reſtitutionem. ibid.

Si tutor nomine pupilli,vel curator nomine minoris mutuum acceperit, non tenetur ille poſtea maior factus ſoluere, niſi creditor probauerit id in eius vtilitatem eſſe conuerſum. ibid.6

Mutuum & vſura.

Mvtvvm,cùm ſit fundamentum & quaſi ſedes vſuræ,definitur, quod eſt datio,ſiue traditio rei in pondere,numero,vel menſura conſiſtentis facta eo animo,vt ſtatim fiat accipientis,cum obligatione,vt poſtea tantumdem eiuſdem rationis ac qualitatis reddatur. 340.1

Mutuum,ſecundum iuriſperitos diuiditur in naturale,& ciuile: item ratione rei; ratione temporis; & ratione perſonæ. ibid.2

Mutuum aliquando eſt in præcepto: & obligat maximè in duobus caſibus. ibid.3

Mutuum dare poteſt is,qui non eſt lege prohibitus: illi autem lege prohibentur,quibus eſt interdicta libera ſuarum rerum adminiſtratio.ibi.4

Procurator alicuius generalis,ſine ſpeciali mandato non poteſt mutuum dare;ſecus ſi habeat liberam bonorum adminiſtrationem. 341.5

Ad mutui rationem pertinet vt mutuum ipſa rei quæ datur traditione contrahatur:vt adſit in mutuo contrahentium conſenſus: vt res ſit ex eorum numero,quæ mutuò dari poſſunt: vt ſit gratuitum non mercenarium. ibid.6

Mutuantis obligationes ſunt duæ.Prima eſt,admonendi mutuatarium de vitio rei mutuatæ. Secunda eſt,non repetendi mutuum ante tempus. ibid.7

Mutuatarij obligationes ſunt. Primò reſtituendi rem ſuo tempore. Secundo,reddendi rem eandem in ſpecie. Tertio,reddendi rem mutuatam in eadem quantitate,in qua fuit accepta.Quarta eſt,reddendi rem mutuatam æquè bonam. Quinto,reddendi rem in omni euentu, quo ipſa periret,etiam caſu fortuito. ibid.8

Princeps ſæcularis vſuram in Republica permittens non peccat, ſicut & proſtibula,ad euitanda maiora mala: qua parte tamen ius ciuile videtur vſuras approbare tanquam licitas, & cogit ad ſolutionem,eatenus eſt abrogatum per ius Canonicum. ibid.9

Verius eſt Principes ſęculares non poſſe dare Iudęis poſitiuam licentiam exercendi vſuras abſque Pontificis auctoritate,& diſpenſatione propter ius Canonicum illud prohibens: quamuis quidam contrarium doceant. ibid.

Conſentaneum valdè iuri naturali eſt,& naturalis conditio mutui,vt pro nummis aureis mutuo datis,non poſſit mutuatarius inuito mutuante alterius generis nummos argenteos ęreoſque ſoluere:licet quibuſdam Doctoribus contrarium placeat. ibid.10

Vſurarius eſt contractus pro pretio anticipato conducere operas mercenarij,ſi contractus fiat ſub ratione mutui, itavt teneatur is, qui pecuniam accipit,reddere eam pecuniæ ſummam ei,qui dedit. 302.11

Quando contractus celebratur ſub ratione locationis, itavt pecuniam illam non recipiat tanquam mutuatam, ſed tanquam ſibi datam in ſtipendium laboris futuri,contractus non eſt vſurarius. ibid.

Qui

Qui mutuat ea lege vt mutuatarius coactè ratione mutui obligetur ciuiliter ad conducendum agrum mutuantis, eſt vſurarius: ſecus ſi mutuum detur ad ſumptus in agro colendo neceſſarios. ibid. 12

Vſurarius eſt, ſi mutuans in agri locatione, ratione mutui augeat pretium illius. Imò etiamſi pretium non augeat in caſu quo pauci ſunt coloni, qui velint agrum condocere, dat autem mutuum, vt mutuatarius conducat agrum eodem pretio, quo tempore copiæ mercatorum locatus fuerat. ibid.

Vſuram non committit, qui mutuat gratia recuperandi quod ſibi liquido debetur ex iuſtitia: ſecus ſi mutuet gratia recuperandi debitum litigoſum, vel quod ſibi debetur lege charitatis vel gratitudinis. ibid. 13

Vſura eſt, ita mutuare, vt teneatur mutuatarius recipere dimidium mutui in pecunia, & dimidium mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata. ibi. 14

Non eſſet contractus vſurarius, ſi mutuans non obliget mutuatarium ad accipiendum in mercibus, ſed dicat petenti mutuum, nolo tibi pecuniam meam mutuare, vendam tamen tibi merces iuſto pretio, quibus diuenditis poteris tibi ſubuenire. ibid.

Vſura eſt, aliquid ſupra ſortem accipere pro onere numerandi pecuniam, ſiuè pecuniæ ſumma ſit modica, ſiue magna, niſi accipiatur titulo lucri ceſſantis. ibid. 15

Non eſt abſolutè licitum mutuare pecuniam acceptam ab vſurario, cum pacto vt mutuatarius ſoluat vſurario quod mutuans ſoluturus erat. 343. 16

Quando in mutuo ſoluendo non eſt conſtitutus certus terminus nullum eſt peccatum ex natura rei diſſimulare, & non repetere mutuum, niſi tempore quo maiori pretio venditur. ibid. 17

Mutuator peccat contra iuſtitiam, qui operam dat ne mutuatarius quando ipſi vtile & commodum eſt, mutuum reſtituat, ſed eo ſolum tempore, quo eius pretium augetur, ibid.

Qui mutuat pecuniam auream vel argenteam, poteſt cum mutuatario paciſci, vt tantumdem in pecunia aurea vel argentea reſtituatur. Mutuans verò in pecunia ærea, non poteſt paciſci cum mutuatario, vt auream vel argenteam pro ea ſibi reſtituat. ibi. 18.

Vſurarium eſt dare pecuniam argenteam pro aurea cum aliquo lucro, ſi ratione mutui illud lucrum recipiatur: ſecus ſi ratione venditionis vel permutationis. ibid.

Mutuare centum cum pacto, vt ſi mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſi autem vltra duos annos viuat, reddat duplum, verius eſt contractum non eſſe vſurarium, ſed licitum. ibid. num. 19

Probabilius eſt vſuram non committi ab eo, qui debet Caio centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit quinquaginta hoc pacto, vt Caius expectet per biennium alios quinquaginta: licet contrarium ſit etiam probabile. ibid. 20

Quando mutuatarius eſt in mora culpabili reddendi mutuum, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur ad illius compenſationem. ibid. 21

Qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, illis non computatis in ſortem principalem, eſt vſurarius. 344. 22

In duobus tamen caſibus creditor non tenetur fructus pignoris in ſortem computare. ibid.

Vſurarius eſt gener, ſi ſocer velit ſoluere dotem, & ipſe renuat eam accipere, ſed poſtulet, vt ſibi in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus percipiat, ſalua ſorte principali. ibid. 23

Quando ſocer non ſoluit dotem genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, licet genero fructus illos percipere non computandos eos in dotem, vt illis ſuſtentet onera matrimonij. ibid.

Si hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſecutum repetere: & ſi nullum intereſſe incurrit poteſt percipere fructus pignoris, donec ei ſua dos ſoluatur: nonnulli tamen docent non poſſe. ibid. 24

Vendere alicui fundum, vel domum, & reſeruare ſibi fructus annuales, vel redditus donec ſoluatur pretium, non eſt vſurarium; contrarium tamen non eſt improbabile. 345. 25

Qui titulo donationis, vel emptionis accipit aliquid ab vſurario per vſuram extortus, tenetur idem, ſi ſit fructiferum cum ſuis fructibus reſtituere mutuatario, à quo vſurarius illud acquiſiuit per vſuram, modò domino hoc emeretur, ſecus ſi ex eius conſenſu tacito, vel præſumpto. ibid.

Qui titulo gratuito, vel oneroſo accipit aliquid vſu conſumptibile per vſuras extortum ab vſurario habente alia bona vnde reſtituat, peccat quidem, ad illius tamen reſtitutionem non tenetur. ibid.

Qui per modum donationis, vel eleemoſynæ aliquid accipit ab vſurario, non habente alia bona præter vſuraria, peccat contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem accepti tenetur quia ſunt aliena. ibid.

Vſurarius non habens bona, niſi reſtitutioni obnoxia, poteſt valide emere domos, vel agros, in eorum pretium tradendo pecuniam, quam per vſuram extorſit. ibid.

Quando vſurarius non inductus, ſed ſponte res ſuas etiam titulo gratuito alienat, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiamſi ſciat ipſum per eiuſmodi contractus, fieri impotentem ad ſoluendum. ibi. 27.

Quando vſurarius inductus ad donandum, vel alienandum, donat vel alienat, qui ab eo accipit, aduertens eum ſic reddi impotentem ad ſoluendum, tenetur ad reſtitutionem, ſi hæc impotentia ſit cauſa non ſoluendi; ſecus non. ibid.

Qui prouocauit vſurarium ad dandum, vel alienandum, ſciens per hoc fore impotentem, tenetur eſſe paratus ad reſtituendum, quandocunque viderit illum velle ſoluere ſuis creditoribus, & non poſſe per impotentiam, cuius ipſe eſt cauſa. ibid.

Vxor, filij, & ſerui Vſurarij non habentis, niſi bona fœneratitia, & reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis victum, & veſtitum capere: extra hunc caſum non poſſunt. ibid. n. 28.

Vxor; & filij vſurarij, qui ſuo labore, ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarem vſurarij impotentis ſoluere vſuras, quantum inſumunt licitè poſſunt de his bonis decenter viuere, iuxta ſtatum patris vſurarij. ibid. 29.

Quando vſurarius præter bona vſuraria habet alia iuſtè acquiſita, poſſunt vxor, & filij eius ex illis victum quærere. ibid.

Vxor, quæ competentem attulit dotem, ex bonis licitè acquiſitis ab vſurario obnoxijs tamen reſtitutioni, licitè poteſt pro ſe, & filijs ſuis neceſſaria alimenta ſuſcipere, ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno. ibid.

Bona per vſuram extorta vſu conſumptibilia, non ſunt obligata pro vſuris ſoluendis obligatione reali, ſed perſonali tantùm, quando vſurarius habet alia bona iuſtè acquiſita ad ſatisfaciendum ſufficientia. Secus ſi non habeat alia bona, præter vſuraria. 346 30.

Famuli, qui miniſtrando vſurarijs alia bona non habentibus, ex quibus poſſint vſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantùm emolumenti afferunt bonis talium vſurariorum, quantum pro victu, veſtitu, & ſtipendijs inſumunt, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur; ſecus ſi ſeruiant tantùm ad pompam. ibid 31.

Qui ſciunt vſurarium non habere alia bona, quàm fœneratitia, non poſſunt locare illi operas ſuas, nec artifices poſſunt aliquid ab eo accipere in pretium rerum ſuæ artis, quibus non indiget extremè: Secus, ſi bona fide locent operas ſuas ignorantes impotentiam illius ad reſtituendum vſuras. ibid.

Notarius, qui bona fide conficit inſtrumentum ignorans illud eſſe vſurarium, ſed reuera eſt tale, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. ib. 32

Si ſuſpicetur notarius in contractu ibi latere vſuram, vel aliam iniuſtitiam, tenetur indicare contrahentibus, & ſi poſt narrationem probabiliter iudicet ibi nullam eſſe vſuram, inſtrumentum conficiat, deponendo dubium. Ibid.

Si verò dubitet prudenter, an talis contractus ſit vſarius, non conficiat inſtrumentum. ibid.

Si notarius conficiat inſtrumentum vſurarium in quo vſura palliatur in fauorem tantùm mutuatarij petentis mutuò pecunias, grauiter peccat, licet non ſit obligandus ad reſtitutionem: ſecus ſi tale inſtrumentum faceret inuito mutuatario. ibid.

Teſtes qui ſcienter interueniunt contractui vſurario, tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, niſi hoc faciant bona fide, aut conſentientibus mutuatarijs. ibi. 33

Quando conſtat contractum aliquem vſurarium eſſe, hoc delictum eſt mixti fori, & datur locus præuentioni. Si verò ſit dubium, an contractus ſit vſurarius, pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum declarare. ibi. 34.

N.

Negotia geſta.

NEGOTIA geſta dicuntur, cùm abſque mandato formaliter, aut virtute negotium alterius vtiliter geritur: ſi verò præcedat mandatum formaliter, aut virtute, non erit contractus negotiorum geſtorum, ſed mandati. 347. 1.

Negotiorum geſtor is dicitur, qui negotia alterius vtiliter gerit abſque eo quòd de iis habeat ab illo mandatum formaliter, aut virtute: & in hoc quaſi contractu requiritur abſentia illius, cuius negotium geritur. ibid.

Negotium alienum quatuor modis geri poteſt 1. cura, & officio, 2. reipſa, 3. ratihabitione, 4. ipſa negotij geſti actione. ibid. 2.

Qui gerit negotium alterius, tenetur ſolùm ex dolo, & lata culpa, quando negotium geſtum eſt in bonum ſolius abſentis; ſi in bonum vtriuſque, tenetur de culpa leui; de caſu autem fortuito regulariter non tenetur, niſi in ſex caſibus. ibid. 3.

Ex parte negotia gerentis oritur obligatio ad reddendam rationem eorum quæ geſſit, & quæ recepit. Ex parte eius, cuius negotium geſtum eſt, reſpondet actio directa aduerſus negotiorum geſtorum. ibid. 4.

Quando quis putans ſe agere negotium vnius, geſſit negotium alterius, reſultat ex eo negotio geſto actio negotiorum geſtorum inter eum, cuius res illa erat, & negotij illius geſtorem. ibid.

Si quis nomine alterius aliquid recipiat, & alter id ratum habeat, oritur inter recipientem,& hunc actio negotiorum geſtorum. ibid.
Si quis habeat multa negotia, quæ gerantur, & aliquis gerat vnum eorum,& reliqua omittat,quæ à nullo gerantur, regulariter non tenetur de his,quæ non geſſit. ibid.5
Incipiens gerere negotium,& deſiſtens ab eo antequam perficiatur, tenetur de damno, ſua cauſa ſubſequuto &c. ibid.
Quando is,cuius negotium geritur, expreſſè ſignificauit, ne alius ipſius negotium gereret, non tenetur ad expenſas factas poſt admonitionem,ad factas ante tenetur;ſi nulla præceſſit admonitio, & negotium vtiliter geſtum eſt,tenetur expenſas abſoluere. ibid.6
Quando aliquis gratis, animoque liberali expendit aliquid in alterius commodum, non poteſt mutare animum poſt tale negotium liberaliter factum, & petere expenſas illas actione negotiorum geſtorum: talis tamen poteſt mutare animum, antequam negotium incipiat. ibid.7.
Inter negotiorum geſtorem, & procuratorem, eumve, qui ad id habet mandatum, diſcrimen hoc eſt,quod negotiorum geſtor, neque dominium,neque poſſeſſionem ei comparat,cuius negotium gerit. Procurator verò,& qui mandatum habet,comparat. 348.8
Ex quibuſdam alijs, quaſi contractibus in iure expreſſis, oritur actio negotiorum geſtorum. ibi.9
Pupillus tenetur tutori actione negotiorum geſtorum pro expenſis neceſſarijs,quas fecit in ipſius negotijs: Ad alias autem expenſas pupillus non tenetur,niſi quatenus eſſet factus ex ijs locupletior. ibid.10

Notarius.

Notarivs creari poteſt à Papa, Imperatore, Rege, & Repub. non agnoſcente ſuperiorem,&c. ibid.1
In notario publico neceſſaria ſunt ſcientia,obligatio, veritas, fidelitas & iuſtitia. ibid.
Notarius debet habere ſcientiam mediocrem earum rerum quæ ad officium pertinent. ibid.
Notarij obligatio eſt,conficere inſtrumenta & conſcribere acta de quibus rogatus fuerit. ibid.2
Notarij veritas & fidelitas in multis conſiſtit. ibid.3
Iuſtitia in notario requiſita conſiſtit in conficiendo inſtrumento & iniuſto pretio exigendo. ibid.4
Notarius pretium iniuſtum, aut aliquid vltra taxam exigens, peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem, ſi quantitas recepti notabilis, ſit. ibid.
Notarius legens vel ſcribens ſententiam in cauſa ſanguinis, irregularis eſt. ibid.3
Notarius,cui ſalarium alia ratione conſtitutum non eſt,poteſt aliquid accipere,v.g.decimam vnius aurei partem, pro litteris dimiſſorijs vel teſtimonialibus,loco ſtipendij. ibid.5

Nouatio. Delegatio.

Novatio eſt prioris debiti, ſeu obligationis in aliam obligationem, vel ciuilem,vel naturalem, transfuſio, atque tranſlatio, itavt prior perimatur. 349.1
Nouatio à verbo nouo eſt dicta, & à noua obligatione, quæ loco prioris ſuccedit. ibid.
Nouatio fit multipliciter, vel mutata perſona in ſecunda obligatione: vel adhibito,aut remiſſo fideiuſſore;vel accepto,aut remiſſo pignore; vel facto augmento,aut decremento in quantitate debita; vel variato termino,&c. ibid.2
Hodie ſancitum eſt, vt facta quacunque variatione in ſecunda obligatione,non cenſeatur facta nouatio,ac proinde nec cenſeatur extincta prior obligatio,niſi contrahentes exprimant, ſe animo nouandi efficere ſecundam obligationem, ſed vt cum priori obligatione maneat ſecunda. ibid.3
Delegatio,ſeu delegare eſt vice ſua alium dare reum creditori, vel cui creditor iuſſerit:eſt autem delegatio ſpecies quædam nouationis. ibi.4

Nouitiatus,Nouitius.

Qvoad locum,in quo nouitij educari debent,extant decreta Summorum Pontificum Clementis VIII.& Vrbani VIII. 350.1
Religionem ingrediens debet mutare habitum, illumque de ea religione,quam ingreditur,per manus Prælati, vel alterius de eius licentia ſuſcipere. ibid.2
Habitus religioſorum eſt triplex,nimirum,habitus probationis, conuerſionis,& profeſſionis. ibid.
Ad nouitiatum ætas legitima eſt pubertas completa, nempe in viro 14. anni completi,in fœmina verò duodecim. 351.3
Quamuis aliquis per plures annos in religione fuerit, non cenſetur omnino expleuiſſe annum probationis,donec 16. ætatis annum impleat. ibid.
An autem vi Tridentini puella duodecim annis minor poſſit ad habitum regolarem admitti? Affirmant quidam; negant alij ex quadam declaratione ſacræ Congregationis. ibid.
Attento iure antiquo, poſſunt parentes filium impuberem, religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat: niſi peculiari religionis ſtatuto caueatur,ne infans,aut impubes admittatur. ibid.4
Impubes ſic à parentibus monaſterio oblatus, nequit reſilire, donec pubertatem completam adipiſcatur. ibid.
Quando impubes propria ſponte abſque prædicta oblatione religionem ingreditur, poteſt quandocunque voluerit exire, donec profiteatur. ibid.
Quando impuberes religionem ingrediuntur abſque parentum vel tutorum conſenſu,poſſunt parentes, vel tutores id factum irritare: & impuberem reuocare,niſi anno,& die id diſſimulando, conſenſerint, quo tempore tranſacto reuocare nequibunt. ibid.
Amentes,& furioſi ad probationis habitum admitti non poſſunt, & ſunt inhabiles ad religionem. ibid,5
Si quis tempore amentiæ receptus eſſet, & poſtea vſum rationis recuperaret,annus probationis computandus non eſt à tempore receptionis, ſed à tempore,quo conſenſum,mediante vſu recuperato, præſtitiſſet. ibid.
Amentia,ſeu furor citò tranſiens ex morbo ſuperueniens, & durat octo, vel quindecim dierum ſpatio,non impedit curſum anni nouitiatus:licet quidam contrarium doceant. ibid.
Si poſt expletum probationis annum, & ante profeſſionis emiſſionem in amentiam incidat, ac poſtea mentis compos effectus ratam habeat probationem,poterit ad profeſſionem admitti. ibid.
Coniux, qui dedit alteri licentiam religionem ingrediendi, poteſt illam reuocare,antequam alter coniux profiteatur. 352.7
Ingreſſus vnius coniugis in religionem à principio factus ſine licentia alterius,poteſt poſtea confirmari, & ratus haberi per ſuperuenientem conſenſum illius. ibid.
Qui habet fratres, vel ſorores in graui neceſſitate conſtitutos, non tenetur cauſa eis ſubueniendi,ad differendum religionis ingreſſum. ibid.9
Quando fratres ſunt adhuc ſub cura parentis, & ſic cenſetur augere neceſſitatem,& indigentiam eius,hac ratione parentis poteſt quis obligari etiam ad fratres ſuos. ibid.
Conſtitutio Sixti V. qua redduntur inhabiles, & ad receptionem & ad profeſſionem, qui ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum ſunt grauati,in certis caſibus non habet locum. ibid.10
Non licet Parentibus religionem ingredi,non prouidendo priùs qualiter filij educari valeant, ſi nondum ſint emancipati; ſecùs ſi iam ſint emancipati,& graui neceſſitate non laborent. 353.11
Si pater relictis filijs abſque prædicta cura iniquè ad religionem tranſeat, & in ea profiteatur, valida erit profeſſio: nec tenetur profeſſus egredi ad eis ſubueniendum, ſed tantùm tenetur iuxta ſuum ſtatum, & ſalua regulari obſeruantia illis proſpicere. ibid.
Si quis promiſerit perſonam ſuam alicui,vel etiam communitati, poteſt promiſſione non impleta religionem ingredi, etiamſi medio iuramento ſe obligaſſet: hoc tamen non procedit in eo, qui vltra promiſſionem iuramento firmatam, aliam obligationem iuſtitiæ habet, ibid. num.12
An autem hic ingrediens religionem teneatur de damno ſecuto ex eo quòd fides ſeruata non fuit? probabilius eſt hunc non teneri perficere per alium,nec ad æſtimationem,nec ad damna. ibid.
Qui aliquod obſequium homini promiſerat, ſi exeat tempore nouitiatus, tenebitur illud exequi, ſecus ſi poſt profeſſionem expelleretur. ibid.
Verius eſt non permitti coniugi adultero tranſire ad religionem, inuito innocente, etiam lata diuortij ſententia, & ſi ingrediatur, poſſe poſt profeſſionem reuocari: licet contrarium quidam doceant. ibi.13
Validè mutat ſtatum adulter poſt diuortij ſententiam, ſi id ſciat innocens,nec contradicat. ibid.
Quando coniux innocens dat licentiam ingrediendi religionem adultero, non eſt neceſſarium, vt ipſe etiam ad religionem tranſeat, vel votum caſtitatis emittat. ibid.
Quando vxor innocens poſtdiuortium recuſat reconciliari marito; tunc dicitur eidem licentiam tranſeundi ad religionem concedere. ibid.
Hermaphroditus inhabilis eſt ad ingreſſum religionis, quicunque ſexus in eo præualeat, & ſi taceat ſuum defectum in ingreſſu religionis, eo cognito poſtea, Prælatus eum expellere debet, & habitu ſpoliare, etiam poſt profeſſionem. 354.14
Impotens ad ſeruanda religionis eſſentialia, & etiam accidentalia præcepta,& obſeruantias,inhabilis eſt ad religionis ingreſſum, & profeſſionem,& tam receptus,quàm Prælatus recipiens mortaliter peccant: tamen profeſſio eſt valida. ibid.15
Regularis tranſiens cum licentia ad aliam religionem, tenetur ibi integrum annum nouitiatus perficere: licet aliqui contrarium doceant. ibid.16
Si religioſus tranſeat ad aliã religionem,vt ſit Prælatus ſufficit profeſſio tacita,

Digitized by Google

tacita, nec requiritur annus probationis, etiamſi tranſitus fiat ad ſtrictiorem religionem. ibid.
Nouitius antequam admittatur ad profeſſionem, tenetur ſcire ſubſtantiam obligationis ſuæ regulæ, nempe agnoſcere, ſe mediante voto profeſſionis obligari ad obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, & etiam ad alia præcepta contenta in regula. ibi. 17.
Nouitius, quamdiu religionis habitum retinet, non poteſt licitè matrimonium contrahere, quamuis ſi de facto contrahat, matrimonium ſit validum. 355. 18.
Probabilius eſt, continuationem anni nouitiatus, & probationis debere eſſe vſque ad profeſſionem ſine vllo interuallo temporis: quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid. 19
Annus nouitiatus non interrumpitur, quando nouitius tempore probationis de licentia ſui ſuperioris, cauſa infirmitatis curandæ in parentum domo, vel ad viſitanda loca ſancta per aliquod tempus à monaſterio exiret. ibid. 20.
Non interrumpitur etiam annus nouitiatus, ſi nouitius, retento habitu perterritus ſeueritate ſuperioris, vel magiſtri monaſterium occultè exeat cauſa ſe celandi, dummodò animum habeat redeundi. ibid.
Nouitius de iure non poteſt eligi ad vllam Abbatiam, ſeu Prælaturam in ſua, vel in alia religione: bene tamen ad Epiſcopatum. ibid. 21.
Beneficia ſæcularia poſſunt conferri nouitio, quamuis ſi profiteatur, ea ſtatim vacent. ibid.
Iure antiquo nouitius eſt incapax beneficij regularis, quod ſolis profeſſis eſt conferendum: poſt autem Tridentinum poteſt dari beneficium regulare non profeſſis, imò & his qui habitum nondum ſuſceperunt, modo habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur. 356. 22
Duplex ſolemnitas petitur à Concilio Tridentino, vt renunciatio bonorum à nouitio facta, ſit valida. 1. vt licentia Epiſcopi, ſeu eius vicarij ordinarij, non foranei interueniat. 2. vt renunciatio fiat intra bimeſtre ante profeſſionem. ibi. 23.
Nouitius non poteſt beneficio renunciare, niſi ſeruata forma, & ſolemnitate Decreti Concil. Trident. ibid. 24.
Nouitius non poteſt donationem cum huiuſmodi ſolemnitate factam, ante profeſſionem renouare. ibi. 25.
Vt donatio à nouitio cum ſolemnitate dicti decreti facta ſit firma, requiritur, vt profeſſio ſit valida. ibid. 26.
Sub decreto Concilij comprehenditur patrimonium, cuius titulo ordinatus eſt nouitius: imò comprehenditur renunciatio officiorum publicorum temporalium. ibid. 27.
Sub Tridentino decreto non comprehenduntur eleemoſynæ paruæ per nouitios factæ: nec victus, & veſtitus, quem pro ſe tribuunt nouitij monaſterio, &c. 357. 28.
Probabilius eſt, renunciationem factam à nouitio ante ingreſſum religionis, intuitu tamen monaſterij, vel religionis, non comprehendi decreto Concilij, & ſic eſſe validam, vt declarauit Sacra Congregatio. ibid. 29.
Nouitius poteſt quocumque tempore condere teſtamentum, ante, vel poſt religionis ingreſſum, non ſeruatis ſolemnitatibus Concilij Tridentini, & confirmatur profeſſione. ibid. 30.
Nouitius tamen non poteſt facere donationem inter viuos, nec contractus magni momenti irreuocabiles: licet poſſit facere donationem remuneratoriam non obſtante decreto Concilij. ibid.
Donatio facta à nouitio non habet effectum, ſi profeſſio non ſequatur, & moriatur ante profeſſionem, ſtante decreto Concilij Trident. quamuis iure antiquo probabile ſit talem donationem eſſe validam. ibi. 31.
Nouitius poſt profeſſionem non poteſt teſtamentum prius à ſe conditum reuocare, aut mutare. ibid. 32.
Iure conceditur religioſo, qui habebat filios, & ante profeſſionem, nullam bonorum ſuorum præmiſit diſpoſitionem, poſſe inter eos diuidere bona: hæc tamen iuris diſpoſitio, non procedit in ſtatibus minoribus. ibid.
Nouitius poſt profeſſionem poteſt interpretationem dubiæ, & obſcuræ ſuæ voluntatis in teſtamento non ſatis explicatæ, facere. 358. 33.
Probabilius eſt teſtamentum nouitij, & volentis ingredi religionem indigere ſolemnitatibus iuris communis. ibi. 34
Solemnitates petitæ in nouitiorum teſtamento, ſunt eæ, quas ius ciuile inducit. ibid.
Diſpoſitio facta à minori intuitu ingreſſus in religionem, etiamſi fiat in fauorem perſonæ priuatæ, valida eſt ſine authoritate curatoris, & decreto iudicis, ſi bona ſint immobilia. ibid.

O.

Obedientia.

OBedientia materialis, ſeu generalis, nihil aliud eſt, quàm omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etſi non ea intentione expreſsè fiat. 359. 1.
Inobedientia eſt omiſſio eiuſdem actus præcepti. ibid.
Obedientia materialis non eſt ſpecialis virtus, ſed generalis, & inobedientia vitium generale. ibid.
Obedientia formalis, ſeu ſpecialis eſt illa, qua quis aliquid facit ea expreſſa intentione, quia ſuperior ita mandat, & hæc eſt ſpecialis virtus ibid.
Inobedientia formalis eſt vitium inclinans ad omittenda præcepta eo quod præcepta ſunt, & hæc inobedientia eſt vitium ſpeciale. ibid.
Obedientia, alia eſt perfectionis, & alia neceſſitatis. ibid.
Obedientiæ, & inobedientiæ obiectum eſt ſolum præceptum ad culpam obligans. ibid. 2.
Obedientia formalis non eſt ſub præcepto, nec Prælatus poteſt iubere religioſo, vt hoc modo operetur. ibid. 3.
Inobedientia formalis eſt peccatum mortale ex genere ſuo grauiſſimum: materialis vero, aliquando eſt veniale, aliquando mortale peccatum. ibid. 4.
Vt obedientia religioſa ſit Deo grata, & meritoria debet fieri ſine mora. ibid. 5.
Secunda conditio, vt fiat ſine querela, & murmuratione. 360. 6
Tertia conditio obedientiæ eſt, vt gratanter, & hilariter fiat. ibid. 7.
Quarta conditio obedientiæ eſt, vt fiat fortiter, & perſeueranter. ibid. 8.
Sicut obedientia omnium bonorum genitrix, & promotrix eſt, ita & inobedientia omnium origo malorum. ibid. 9.
Obedientiæ votum eſt præcipuum inter omnia eſſentialia vota. ibi. 10
Religioſus non peccat non obediendo, niſi ſibi de re aliqua ponatur expreſsè, vel tacitè formale præceptum. 361. 11.
Verius eſt ſubditum in re dubia teneri obedire Superiori: quod habet locum etiam in militibus, dum à ſuo Principe vocantur ad bellum. ib. 12
Subditus non tenetur, nec poteſt licitè obedire, ſi ipſe certus ſit ſuperiorem præcipientem dubitare quoque an id quod iubetur ſit licitum. ibid. 13.
Religioſi ex voto obedientiæ non ita tenentur regulas ſeruare, vt tranſgreſſio cuiuſuis ſit culpa mortalis, aut venialis. ibid. 14.
Religioſus, qui paſſim, & quaſi ex conſuetudine ſtatuta ſuæ religionis, etiam ad culpam non obligantia violat, non peccat mortaliter. ibi. 15.
Quando ſtatuta religionis obligant ad ſolam venialem culpam, tranſgreſſio illorum poſſet eſſe mortalis, non quidem ratione frequentiæ, ſed ratione periculi proximi tranſgreſſionis votorum, &c. ibid.
Religioſus habens propoſitum faciendi contra omnes, vel præcipuas ſuæ religionis regulas, etiam ad culpam non obligantes, peccat mortaliter. 362. 16.
Religioſus non tenetur eſſe perfectus, tenetur tamen ad id tendere, & operam dare, vt perfectionem charitatis comparet. ibid. 17.
Non tenetur religioſus niti ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera ad illam valentia, ſed per illa quæ ſunt præſcripta in regula. ibid. 18.
Contrauenitur huic præcepto tendendi ad perfectionem, quando eſt contemptus conſiliorum, quibus peruenitur ad perfectionem. ibid.
Contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem peccat religioſus mortaliter, ſi ſeruans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religioſæ. 363. 19.
Sæcularis peccat venialiter, ſi ſola præceptorum obſeruatione contentus, proponeret ſe conſilia non ſeruaturum, quia ſibi præcepta non ſunt, non ex eorum contemptu. ibid. 20.
Laudes obedientiæ ex *D. Auguſtino.*

Obſeruatio vana.

Obſeruatio vana dicitur, cùm aliqua fiunt, vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent. ibid. 1.
Obſeruationis vanæ ſuperſtitio, differt à ſuperſtitioſa diuinatione. ibid.
Obſeruationis vanæ tres ſunt ſpecies, ars notoria, obſeruantia ſanitatum, & obſeruantia euentuum. ibid. 2.
Ars notoria eſt ſuperſtitio, qua quis credit ſe conſecuturum ſcientiam abſque labore per quædam ieiunia, orationes, inſpectiones figurarum, & alia ſimilia vana: & hæc ſuperſtitio eſt peccatum mortale ex ſuo genere. ibid.
Obſeruatio ſanitatum eſt, quando adhibentur aliqua verba, vel alia ſigna, aut ceremoniæ inanes ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, vel ad ſe præſtandum immunem contra læſiones hoſtium vel caſus fortuitos. ibid. 3.
Effectus ſuperſtitioſus cognoſcitur, vel quando media inutilia adhibentur, tamquam neceſſaria ad illum effectum; vel ex modo operandi, vel quando effectus ſuperat exigentiam, & actiuitatem cauſarum naturalium. ibid. 4.
Obſeruatio hæc ſanitatum eſt ſuperſtitio mortalis ex genere ſuo: poteſt tamen hæc obſeruatio vana eſſe peccatum veniale, vel propter ignorantiam vincibilem non craſſam, vel ſi quis his vanitatibus det operam non quaſi efficacibus, ſed ex leuitate. 364. ibid.
An autem ex paruitate materiæ hæc obſeruatio vana poſſit eſſe veniale? probabilius eſt quòd non. ibid.
Familiæ aliquæ non ſunt ſimpliciter de ſuperſtitione damnandæ, quæ dant operã medendis quibuſdam morbis, vt rabido morſui canis. ib. 5.

Obſer-

Obſeruantia euentuum eſt, quando fortuitò aliquid occurrit, vel accidit homini, ex quo ſibi vel alteri aliquid aduerſi, vel læti coniectat, & inde actiones ſuas moderatur. ibid. 6

Odium.

Odium eſt alienatio, ſeu auerſio voluntatis ab eo quod æſtimatur, vt malum. ibi. 1.
Odium aliud eſt inimicitiæ, aliud abominationis. ibid.
Vtrumque odium, aut tendit in Deum, aut proximum. ibid.
Odium vt eſt, ſpeciale peccatum directè repugnans charitati, eſt omnium peccatorum grauiſſimum. nu. 2.
Odium abominationis erga Deum per ſe, & ex genere ſuo mortale peccatum eſt: nec eſt veniale ex paruitate materiæ. ibid. 3.
Odium inimicitiæ erga proximum in aliquibus caſibus eſt tantùm peccatum veniale, vel nullum. ibid.
Probabilius eſt omnia odia proximi non eſſe eiuſdem ſpeciei; & ideò diuerſitatem odiorum eſſe aperiendam in confeſſione. ibid. 4.

Oratio.

Oratio eſt decentium rerum petitio, ſiue ad ipſum Deum dirigatur, ſiue ad alios propter ipſum Deum. 365. 1.
Oratio triplex eſt, vna publica, vel priuata; Secunda, mentalis, aut vocalis. Tertia, obſecratio, vel poſtulatio, vel actio gratiarum. ibid. 2.
Oratio neceſſaria eſt adultis ad ſalutem ex præcepto religionis. ibid.
In quibus caſibus oratio ſit in præcepto. ibid. 3.
Summa petendorum à Deo comprehenſa eſt in oratione Dominica. ibid 4.
Orare conuenit ſoli naturæ rationabili, ſcilicet Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis qui ſunt in purgatorio; damnatis verò propriè non competit orare. ibid. 5.
Veritas Catholica eſt, ſanctos eſſe noſtris precibus inuocandos, tanquam amicos Deo chariſſimos, vt pro nobis orent. ibid. 6.
Orandum eſt pro omnibus; qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris. ibid. 7.

Oratorium.

Oratorium propriè eſt locus aptus ad orandum, & eſt duplex, publicum ſcilicet, & priuatum. ibi. 1.
In oratorijs priuatis miſſa celebranda non eſt, niſi de licentiam Summi Pontificis, ex Decreto Pauli V. & Vrbani VIII. ibid.
Non obſtantibus dictis Breuibus, & Tridentino, poſſunt Epiſcopi hodie in aliquo caſu particulari ex iuſta cauſa diſpenſare, vt celebretur extra Eccleſiam in oratorijs priuatis cum altari portatili. 366. 2.
Ex ſtylo curiæ dum Pontifex concedit licentiam celebrandi in oratorijs priuatis, ſolent apponi quædam conditiones, nempe, vt oratorium ad hoc decenter extructum, & ornatum exiſtat, ab ordinario loci approbandum. ibi. 3.
Secunda conditio, vt miſſa poſſit celebrari per quemcumqe ſacerdotem ſæcularem, vel regularem de licentia ſuperiorum. ibi.
Tertia, vt confeſſio intelligatur, ſiue iurium parochialium præiudicio, ac exceptis quibuſdam diebus. ibid.
Quarta, vt alij, præter familiares illius perſonæ, cui licentia datur ibidem miſſæ interuenientes diebus feſtis de præcepto, ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia minimè liberi cenſeantur. 367. ibid.
Qui habuit licentiam celebrandi in oratorio domus ſuæ in aliqua ciuitate, ſi transferat domicilium in aliam, poteſt hoc priuilegio vti. ib. 4.
Habens indultum oratorij priuati in domo ſua, vt ibi miſſam audire poſſit, non poteſt illud erigere in villa. ibi. 5.
Epiſcopus, dum eſt in aliena Diœceſi, poteſt erigere altare priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare, in oratorio priuato, abſque licentia Ordinarij loci illius, dummodo non ſit in Vrbe Roma. ibi. 6.

ORDO.

Quoad eius eſſentiam inſtitutionem, & numerum.

Ordo eſt ſacramentum, quo ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam in miſſæ ſacrificio traditur. 368. 1.
Ordinis ſacramentum creditur inſtitutum à Chriſto in vltima cœna, cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. ibi. 2.
Catholica veritas eſt, ſeptem ſaltem Eccleſiaſticos ordines ſemper in Eccleſia fuiſſe. ibid. 3.
Probabilius eſt Epiſcopatum non eſſe ordinem diſtinctum à Presbyterio, nec diſtinctum ſacramentum. ibid.
Verius eſt primam tonſuram non eſſe ordinem. ibid.
Cardinalatus non eſt ordo ſacer, nec imprimit characterem, nec fuit à Chriſto domino inſtitutus. ibid.
Papatus non conſtituit ordinem diſtinctum ab Epiſcopatu, neque imprimit diſtinctum characterem. ibid.
Extra controuerſiam eſt, ordinem ſacerdotalem eſſe verè, ac propriè ſacramentum: Idem dicendum eſt de Epiſcopatu iuxta communiorem ſententiam. 369. 4.
Communior ſententia eſt, omnes ordines eſſe ſacramenta: omnes tamen ordines rectè dicuntur vnum ſacramentum ordinis. ibid.

ORDO.

Quoad eius materiam, & formam.

Materia remota ſacramenti ordinis eſt inſtrumentum aliquod, quod ordinibus initiandis traditur, in ſignum poteſtatis ſpiritualis, quam recipiunt. ibid. 1.
Proxima materia huius ſacramenti, eſt eiuſdem inſtrumenti traditio ab ordinante, & eiuſdem acceptatio ab ordinando. ibid.
Ordinatio ſacrorum ordinum valida non erit, ſi Epiſcopus proferat verba, & purus ſacerdos materiam tangendam ordinando porrigat: ſecus dicendum de ordinibus minoribus. ibid.
Contactus realis, & Phyſicus materiæ eſt de eſſentia ſacramenti; in ſacerdotio tamen non eſt neceſſe hoſtiam, & vinum immediatè tangere, ſed ſufficit attingere calicem, & patenam. ibid. 2.
Probabile eſt, neque ad ſubſtantiam huius ſacramenti, imò neque ad præceptum implendum, debere talem contactum ſimul eſſe in eodem inſtanti mathematico cum prolatione verborum, ſed ſufficere, ſi ſimul ſint moraliter, ſine interpoſita mora. 370 ibid.
Materia remota ſacerdotalis ordinis eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia: materia verò proxima eſt traditio calicis cum vino vitis, & patenæ cum hoſtia ex frumento. ibid. 3.
Ex duplici poteſtate ſacerdotis, duplex etiam materia ſacerdotij aſſignatur, prima eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia; ſecunda eſt impoſitio manuum vnà cum his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* ibid.
Probabile eſt conferri ordinem ſacerdotalem, ſi quis ſolo pane, & calice vacuo ex obliuione initiaretur: quamuis tutius ſit repetendam eſſe ordinationem ſub conditione, ſi non es ordinatus. ibid.
Materia Diaconatus eſt liber Euangeliorum cum impoſitione manus. ibid. 4.
Materia ordinis Subdiaconatus eſt traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ; & traditio libri Epiſtolarum. ibid.
Materia Acolythatus remota duplex eſt, nempe candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus; proxima eſt porrectio horum inſtrumentorum. 371. ibi.
Exorcizatus materia remota eſt liber exorciſmorum, proxima eſt traditio eiuſdem libri. ibid.
Lectoratus materia remota eſt liber continens, prophetias veteris, & noui teſtamenti. ibid.
Oſtiariatus materia ſunt claues Eccleſiæ. ibid.
Forma Sacramenti Ordinis ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur. ibid. 5.
Epiſcopus proferens formam, debet etiam exhibere materiam tangendam. ibid.
Sacerdotis officium eſt conficere ſacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare ſacramenta, excepta confirmatione, & ordine, prædicare verbum Dei, & populum benedicere. ibid. 6.
Ad Diaconum pertinet publicè, & cum ſtola Euangelium legere in Eccleſiæ, aſſiſtere ſacerdoti ſacrificanti; ferre pyxidem in qua corpus Dominicum repoſitum ſit ab vno altari ad aliud, imò in neceſſitate abſente præsbytero infirmis Euchariſtiam præbere pro viatico, &c. ibid.
Subdiacono competit aquam ad miniſterium altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas altaris, & corporalia abluere, &c. ibi.
Acolythi officium eſt porrigere ſubdiacono vrceolos cum vino, & aqua &c. ibid.
Exorciſtæ eſt imponere manus ſuper energumenos, illiſque exorciſmos legere ad fugandos dæmones, &c. ibid.
Lectoris eſt legere prophetias, & ſcripturas in Eccleſia. ibid.
Ad Oſtiarium pertinet claudere, aperire, & cuſtodire Eccleſiam. ibid.

ORDO.

Quoad eius miniſtrum, & ſubiectum.

Ordinarivs miniſter ſacramenti ordinis eſt Epiſcopus, & quidem proprius. 372. 1.
Epiſcopi licet ſint excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, priuati Epiſcopatu validè conferunt hoc ſacramentum, quamuis illicitè. ibid.
Angelus ex diſpenſatione diuina, & extraordinaria Dei lege poteſt ordines conferre; ſi quis tamen ordinaretur à Diabolo, nulla foret talis ordinatio. ibid.
Cardinales præsbyteri, imò & quilibet ſimplex ſacerdos poteſt conferre

minores

minores ordines ex facultate Summi Pontificis. ibid.
Abbates Preſbyteri, ius mitræ, & baculi habentes, benedicti ab Epiſcopis, poſſunt iure conferre primam tonſuram, & ordines minores ſuis ſubditis. ibid.
Abbates ex declaratione ſacræ Congregationis poſſunt etiam primam tonſuram, & ordines minores conferre ſæcularibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubiectis, nec non alijs regularibus, qui dimiſſorias Epiſcopi, vel Prælati attulerint. ibid.
Abbates non poſſunt ordinare ſuos nouitios. 463. ibid.
Probabilius eſt, ſi nouitius ordinandus ſit, debere ordinari ab Epiſcopo, in cuius diœceſi exiſtit monaſterium probationis, non verò ab Epiſcopo in cuius diœceſi commorabatur antequam nouitiatū ingrederetur. ibi.
Ordines ſacri non videntur poſſe à ſimplici ſacerdote etiam de conſenſu Papæ, vel ab alio quàm Epiſcopo conferri. ibid.
Ordinatio Epiſcopi non poteſt niſi à tribus Epiſcopis fieri, ſine Papæ diſpenſatione. ibid.
Epiſcopus non poteſt ſubditis alterius, ſine licentia proprij Epiſcopi ordines, vel primam tonſuram conferre, quamuis ſit Archiepiſcopus. 373. 2.
Proprius Epiſcopus ille appellatur, qui eſt Epiſcopus originis, vel domicilij, vel beneficij. ibid.
Epiſcopus electus, & confirmatus, quamuis nondum conſecratus poteſt concedere ſuis ſubditis litteras dimiſſorias, vt ab alio Epiſcopo ordinentur. ibid. 3.
Capitulum, ſede vacante, non poteſt dimiſſorias concedere intra annum à morte Epiſcopi; niſi quis ita ſit arctatus, vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum, niſi ordinetur. ibid.
Qui ordines accipit ab alieno Epiſcopo ſine licentia Papæ, aut abſque litteris dimiſſorijs ſui ordinarij, incapax eſt beneficij, & remanet ſuſpenſus quoad executionem ordinis. 374. 4
Conferens primam tonſuram ſibi non ſubdito, ſuſpenſionem incurrit, iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.
Non licet Epiſcopo ordinare non ſuum ſub ſpe ratihabitionis; quamuis poſt factum poſſint excuſari in foro conſcientiæ, tam ordinans, quàm ordinatus, ratione bonæ fidei. 465. ibid.
Ex conſtitutione *Vrbani VIII.* Vltramontani non poſſunt ordinari ab vllo Epiſcopo in Italia exiſtente, etiamſi habeant litteras ſuorum Prælatorum, niſi illæ eædem à Nuncijs Apoſtolicis in illis partibus commorantibus, deinde à Vicario Papæ examinatæ, & probatæ fuerint in alma vrbe, ſub pœna, &c. ibid.
Itali ordinati ad primam tonſuram, vel ad alium ordinem maiorem, vel minorem cum falſis teſtimonijs, priuantur Priuilegio fori, &c. ibid.
Regulares Vltramontani non comprehenduntur ſub hoc decreto. ibid.
Epiſcopo abſente, vel non habente ordinationes, Prælati regulares, ex declaratione S. Congreg. poſſunt ſuis ſubditis dare dimiſſorias, eoſque mittere ordinandos ad quemlibet Epiſcopum. ibid.
Si regularis ordinetur ſine literis dimiſſorialibus ſui Prælati ſacro ordine remanet ſuſpenſus quamdiu ſuo ſuperiori videbitur expedire. ibid.
Si regularis aliquis laicus ad clericatum aſcendat extra obedientiam Prælatorum ordinis, omni clericali honore priuari debet, & ad priſtinum ſtatum reduci. ibid.
Litteræ dimiſſoriæ ſemel conceſſæ ſemper valent, nec morte, vel ceſſatione officij concedentis expirant, niſi per ſucceſſorem reuocentur. ibid.
Iure diuino inhabiles ſunt ad ordines fœminæ, non baptizati, hermaphroditus ſi æquè aut magis participet fœmineum quàm virilem ſexum; inuiti. ibid. 5.
Qui per metum ordinatur iniuſtè, validè quidem ordines recipit, voto tamen caſtitatis non adſtringitur, nec ad recitandum diuinum officium: ſecus ſi vis, vel metus iuſtè ſit incuſſus. 375. ibid.
Infantes furioſi perpetuò & amentes ordinandi non ſunt, ſi tamen ordinibus initientur, characterem recipiunt. ibid.
Illis, qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam, iuxta communiorem ſententiam, non validè conferuntur ordines, ſi illos nullo modo priùs expetierint. ibid.
Iure naturæ ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis apti non ſunt perpetuò amentes, omnino cœci, muti, priuati manibus. ibid. 6.
Iure Eccleſiaſtico inhabiles ſunt omnes irregulares. ibid.
Vt adultus validè ordines recipiat requiritur debita materia, debita forma, & intentio tam miniſtri, quàm recipientis; vt cum fructu, requiritur bonitas gratiæ. ibid.
Vt ritè, & canonicè quis ad ordines promoueatur requiruntur, multa: nempe, ætas conueniens; vt ordinandus ſit confirmatus, & initiatus prima tonſura; ſcientia ſufficiens ad vſum vniuſcuiuſque ordinis; teſtimonium morum; interſtitia temporum; vt ordinandus non ſit irretitus aliqua cenſura; inordinata receptio: deinde titulus, vel patrimonij, vel beneficij, vel paupertatis, ſeu profeſſionis ſolemnis. ibid. 7.
Qui dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines, vel beneficia, vel ad alium actum requiſitum, non poteſt promoueri. ibid.
Qui mala fide per fraudem promouetur ſine titulo, incurrit ſuſpenſionem, ſicut & ille qui recipit ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio. ibid.
Probabilius eſt, Tridentinum non innouaſſe pœnam ſuſpenſionis iure communi latam contra ordinatos ſine titulo; ſed tantùm onus alimentorum Epiſcopis impoſuiſſe. ibid.

ORDO.

Quoad illius effectus, & tempus illum conferendi.

CATHOLICA fides docet, Ordinis ſacramentum habere duplicem effectum primus eſt duplex gratia, habitualis nempe, & iuſtificans inquantum eſt ſacramentum, & propria, qua dignè, qui recipitur ordo, à ſuſcipiente miniſtretur. ibid. 1.
Secundus effectus ordinis eſt character, qui imprimitur tam in maioribus, quàm in minoribus ordinibus, & integrè confertur, cum integra materia, & forma completur in ſingulis. ibid. 2.
Ordines ſacri, iure Eccleſiaſtico non diuino habent adiunctum onus cœlibatus. 376. 3.
Probabilius eſt, ſacros Eccleſiæ miniſtros obligari ad continentiam immediatè ex proprio voto, quod ſuſceptione ordinis ſacri emittere debeat, ſi verò accidat aliquem non vouere, vel ex malitia: vel ex ignorantia, per legem Eccleſiaſticam ad continentiam obligari, & inhabilem fieri ad matrimonium. ibid.
Apud Græcos, nec licita, nec valida vnquam fuerunt coniugia poſt ſacerdotium ſuſceptum; quamuis Pontifex ex graui cauſa poſſit cum vno aut alio ſacerdote diſpenſare vt vxorem ducat. ibid.
Prima tonſura quouis tempore, quocumque die, & feriato conferri poteſt: minores verò ordines, quibuſcumque diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus: imò in rigore iuris non videtur prohibitum quacumque die illos conferre. ibid. 4.
Ordines ſacri ſolis præſcriptis temporibus generalium ordinationum tradi poſſunt, v.g. in Sabbato Quatuor temporum anni, & in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbato Sancto. ibid.
Quamuis ordines ab Epiſcopo inter miſſarum ſolemnia, & ieiuno conferri debeant: ſi tamen ſecus fiat, ordinatio tenet, nec vllam ſuſpenſionem incurrit ordinans, vel ordinatus. ibid.
Epiſcopus ex iuſta cauſa poteſt maiores ordines conferre manè diei Dominicæ immediatè ſequentis generalem ordinationem, modò continuetur ieiunium tam ab ordinante, quam ab ordinato. ibid.
Ordinatus extra tempora legitima, abſque Summi Pontificis diſpenſatione incurrit ſuſpenſionem ab Ordinis executione, à ſolo Papa diſpenſabilem. ibid.
Epiſcopatus non poteſt conferri niſi in die Dominica. ibid.
Religioſi poſſunt extra tempora ordines recipere, cùm in hoc habeant multa priuilegia. ibid. 5.

Ordinis Sacramentum.

ORDINES minores cùm ſint verè Sacramentum, ſi conferantur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo aut etiam degradato, non poteſt Eccleſia illorum collationem irritare. 377. 1.
Collatio primæ tonſuræ poteſt ab Eccleſia irritari, quia non eſt ordo, nec ſacramentum. ibi.
Probabile eſt materiam, & formam ſacramenti ordinis eo modo, quo illas Chriſtus inſtituit, vbique terrarum eaſdem eſſe, Chriſtum tamen in particulari non determinaſſe materiam, & formam materialiter ſumptas, ſed genericè ſolùm ſtatuendo, ac iubendo, vt in collatione horum, & illorum ordinum, in quibus ipſe ita volebat, adhiberetur manus impoſitio, ac inſuper porrigerētur ſymbola externa, per quæ vniuſcuiuſque ordinis poteſtas deſignaretur, quoddam verò ſymbolum eſſet adhibendum reliquiſſe determinationi Eccleſiæ. ibi. 2.
Qui veſperi attigit annum iure requiſitum pro aliquo ordine ſuſcipiendo, iuxta probabiliorem ſententiam, non poteſt manè præcedenti illum ſumere. 378. 3.
In ſupputanda ætate ordinandorum, ſemper dies biſſextilis eſt includendus, quamuis nonnulli contrarium doceant. ibid.
Epiſcopus in aliena Diœceſi poteſt conferre ſuis ſubditis primam tonſuram, ſine licentia ordinarij loci illius, quia non eſt ordo. ibid. 4.
Epiſcopus conferens ordines in aliqua Diœceſi de licentia Diœceſani, ordinare poteſt, non ſolùm perſonas eidem ordinario ſubiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœceſum, modò à ſuis proprijs ordinarijs litteras dimiſſorias habeant ad recipiendos Ordines, illaſque præſentent Epiſcopo ordinario. Sed alij Doctores aſſerunt non requiri nouam licentiam in hoc caſu ordinarij loci, ſed ſufficere generalem, quam habet. ibid.
Verius eſt, dum Prælatus religionis, vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, non cenſeri eum vices ſuas committere Epiſcopo, vt diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo poteſt proprius Prælatus diſpenſare. ibi. 5
Regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſorijs ſuorum Prælatorum, ipſo facto ſunt ſuſpenſi, 379. 6.

Quibus

Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit ſuſpenſionem: nec irregularis eſt, ſi ſic ordinatus adueniente mala fide ante legitimam ætatem, celebret. ibid. 7.

Ordinatus per ſaltum, licet ſit impeditus ad ſuperiores ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentum non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus. Si autem talis in malè ſuſcepto ordine, vel prætermiſſo miniſtrauerit ante diſpenſationem, fiet irregularis, & in ea irregularitate non poterit Epiſcopus diſpenſare, ex Concilio Tridentino. ibid. 8.

Ordinatus per ſaltum eſt tantum ſuſpenſus ab eo ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, non autem ab vſu ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit. ibid.

Epiſcopus ordinans ſubditum alienum ex ratihabitatione proprij, in tribus caſibus excuſatur à cenſura ſuſpenſionis. ibid. 9.

Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui ordines per ſaltum, ſiue ignoranter, ſiue etiam ſcienter ſuſcepit, vt prætermiſſos ordines recipiat, in malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint recipiendi, aſcendat. ibid. 10.

Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtrauit in ordine malè ſuſcepto, quando delictum eſt occultum; ſi autem delictum eſt publicum, non poſſet, ex vi Tridentini, ſecus virtute priuilegiorum. ibid.

Epiſcopus, qui non recepit minores ordines, aut ſubdiaconatum, vel diaconatum, poteſt alijs conferre illum ordinem, quem non recepit; quidquid in contrarium nonnulli dicant ſine fundamento. ibid. 11.

Qui naſcitur caſu fortuito in loco vbi parentes non habent domicilium, fingitur natus in loco domicilij, & ſic proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius diœceſis, vbi parentes habent domicilium. 380. 12.

Qui habet duo domicilia, & in diuerſis diœceſibus, poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad ordines promoueri. Filius verò illius debet recipere ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt. ibid.

Scholare, & ſtudioſi, qui per multos annos in vniuerſitatis commorantur, non contrahunt ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam redeundi: vnde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt vniuerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum. ibid.

Filij eorum, qui in vniuerſitate vxorem duxerunt animo in patriam redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, vbi ſita eſt vniuerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum. ibi.

Filius ſuſceptus ex fornicatione matre certo loco manente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certius procedit: vnde ordinandus eſt ab Epiſcopo domicilij materni. ibid.

Epiſcopus poteſt ordinare aliquem ratione beneficij, etiamſi illud ſit tenue. ibi. 13

Ex Concilio Tridentino poteſt Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium ſtatim reipſa illi conferat. 475. 14.

Epiſcopi titulares hoc priuilegio non gaudent, & contrarium facientes, ipſo iure per annum ab exercitio Pontificalium ſunt ſuſpenſi. ibid.

Vt Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiare, debet ille in ſeruitute per triennium continuatum completum perſeueraſſe, nec ſufficeret annum tertium fuiſſe cœptum. ibid.

Sufficit ſeruitium triennale eſſe incœptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum: tamen non poſſet Epiſcopus ordinare familiarem in religione remota morantem, quamuis expenſis Epiſcopi vixerit. ibid.

Hæc facultas Epiſcopo conceſſa ordinandi ſuum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi ſtatim ordinato congruum beneficium; & per verbum *ſtatim*, aliqui intelligunt quamprimum beneficium vacauerit, ſed melius alij dicunt non debere excedere decem dies.

P.

Pactum.

PActum eſt duorum conſenſus atque conuentio, ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum. 381. 1.

Pactum, aliud dicitur nudum, aliud veſtitum. ibid.

Pactum veſtitum parit obligationem in vtroque foro: pactum autem nudum non parit obligationem in foro ciuili. ibi. 2.

Pactum legis commiſſoriæ illud eſt, quod apponitur venditioni, ita vt ſi intra certum tempus emptor non ſoluerit pretium, res non ſit empta. ibid. 3.

Pactum adiectionis in diem eſt, quando aliquid venditur ea ratione, vt ſi alius intra tempus definitum maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res non ſit vendita. ibid. 4.

Pactum.

PACTVM multipliciter diuiditur, 1. in conuentum, ſeu expreſſum, & in tacitum, 2. in perſonale, & reale, 3. diuiditur, quod aliud ſit in rem, & aliud in perſonam, 4. in nudum, & veſtitum. ibid. 1.

Pactum veſtitum dicitur ſex modis, 1. re, 2. verbis, ſcilicet in ſtipulando, 3. literis, 4. conſenſu, 5. cohærentia contractus, 6. interuentu rei. ibid.

Pactum nudum non veſtitur aliquo prædictorum, ſed tantùm conſiſtit in meris, & puris finibus conuentionis. ibid.

Pactum eſt duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſus; tamen pactum generalius eſt nomen, quàm contractus. 382. 2

Pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conuentio, & promiſſio inter ſe differunt, & diſtinguuntur. ibid. 3.

De ratione pacti ſunt tria, 1. quod iſte actus generatur inter plures, 2. quod partes ſint præſentes per ſe, vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant, 3. quod verba præmittantur à ſpondente. ibid.

Pacti cuiuſque proprius effectus eſt naturalis obligatio. Definitur autem obligatio, iuris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ, vel faciendæ. ibid 4.

Diſcrimen inter promiſſionem, & pactum quoad obligationem, hoc eſt, quod ex promiſſione iam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis: at ex pacto naſcitur obligatio ex parte vtriuſque paciſcentis. ibid.

Actio eſt duplex, vna quæ dicitur perſonalis, altera realis. ibid.

Omne pactum turpe, vel quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur: quale eſt pactum legis commiſſoriæ. ibid. 5.

Pactum legis commiſſoriæ dicitur quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitam non ſoluto: hoc tamen pactum permittitur in emptione, & non in pignoribus. ibid.

Pactum initum per Prælatos religionum mendicantium, cum Rectoris, vel perſonis Eccleſiarum vbi habitant, ex iure communi debet perpetuò ſeruari, ſi ſit ſuper iuribus parochialibus, vel alijs quibuſcumque & factum cum aſſenſu ſuorum conuentuum, licet non interuenerit aſſenſus Prouincialis, vel Generalis, vel Papæ reſpectu Fratrum Minorum. 383. 6.

Iure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito. ibid 7

Pacta, & promiſſiones, quibus vnus alteri concedit, vt non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut vt id exigi ab eo non poſſit, ipſo iure nulla ſunt, & irrita, quia contra bonos mores. ibid 8.

Inualidum item eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, vt non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit. ibid.

Pacta nulla ſunt, quæ manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, vel facilè afferre moribus poſſunt, quos eſſe expedit in bene inſtituta Republica. ibid.

Pacta legis commiſſoriæ, & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris fauorem appoſita, in multis conueniunt. ibid. 5

Pallium.

PALLIVM eſt ornamentum ad modum ſtolæ ſacerdotalis crucibus nigris intextum ſuper alia ornamenta delatum, humeros ad inſtar corona pectuſque circumdans, antè dependens, ſignificans plenitudinem Pontificalis officij. ibid. 1

Papa.

PAPA dictus eſt, quaſi admirabilis: eò quòd ſit Vicarius Chriſti, & Dei. 384. 1.

Papæ iuriſdictio non confertur à Cardinalibus per electionem, ſed poſtquam ij perſonam deſignarunt, à Chriſto prouenit. ibid. 2.

Papa errare non poteſt in decretis fidei vniuerſalibus, ſeu quæ toti Eccleſiæ proponit: quamuis quoad ſuam perſonam in hæreſim etiam notoriam incidere poſſit. ibid. 3.

Papa errare poteſt, etiam vt publica perſona in dijudicandis particularibus quæſtionibus, quæ plerumque de facto ſunt. ibid. 4

Romanus Pontifex varijs titulis eſt decoratus, communiter enim vocatur Papa; Epiſcopus Epiſcoporum, & Pontifex maximus, &c. ibid. 1.

Papa, ſeu Romanus Pontifex eſt S. Petri ſucceſſor in vicariatu Chriſti. ibid. 2.

Communis Theologorum opinio eſt, nihil eorum quæ ſunt iuris diuini, poſſe Papam, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamuis ex iuſta cauſa poſſit hunc, vel illum à iuris diuini rigore eximere 385. 3.

Romanus Pontifex habet authoritatem declarandi, quæ ſunt obſcura, vel ambigua in iure diuino. ibid.

Non poteſt Papa quicquam abrogare, vel mutare eorum, quæ iure naturali

Digitized by Google

rali præcipiuntur,vel prohibentur. ibid. 4.
Iura ciuilia, quæ ſunt per ſe bona, vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare. Si tamen iura ciuilia aliqua ratione iuri naturali,ac diuino aduerſentur, vel iuri canonico repugnent, poteſt Papa ea iura relaxare, mutare, & abolere: ſi nihil repugnent, non ſolet, nec poteſt Papa abſque iuſta cauſa tollere, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. ibid. 5.
Quando de eadem re contrariæ inneciuntur leges Imperatoriæ, & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam:ſi autem materia legis eſt temporalis non concernens animarum periculum, non poteſt lex Pontificia abrogare legem Imperatoriam,ſed vtraque ſeruanda eſt in ſuo foro. ibid.
Papa, ſi conferatur cum Chriſto, non habet plenitudinem poteſtatis, ſed tantùm ſuam quandam portionem, ſecundum menſuram donationis Chriſti:ſi tamen Papa cum cæteris Epiſcopis comparetur; meritò dicitur habere plenitudinem poteſtatis. ibid. 6.
Papa poteſt conſtitutionem condere de formula, & ratione eligendi futurum Romanum Pontificem. ibid. 7.
An Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem? non conueniunt Doctores, alijs affirmantibus,alijs negantibus. ibi. 8.
Piè credendum eſt Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum. ibid. 9.
Probabilior ſententia aſſerit, Papam non poſſe eſſe hæreticum, neque vt Summum Pontificem, neque vt priuatum Doctorem, & conſequenter non poſſe in controuerſijs fidei,& morum errare,aut in hæreſim labi. Probabile tamen eſt,Papam,vt priuatum hominem,poſſe in hæreſim incidere. 387.10.
Papa, vt perſona particularis poteſt, iuxta quorundam ſententiam, fieri ſchiſmaticus: tamen probabile eſt,quod Spiritus Sanctus qui Eccleſiam regit,nunquam ſit permiſſurus, vt Papa legitimus in ſchiſma incidat. ibid.
Fide diuina credimus,hunc,vel illum,qui nunc clauum Eccleſiæ tenet,eſſe verè, & propriè Summum Pontificem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti vicarium in terris,ſecundum probabiliorem ſententiam. ibi. 11
Papa eſt iudex controuerſiarum fidei: Scripturarum ſacrarum declarator, & approbator,omnis falſæ, apocriphæ, & temerariæ doctrinæ cenſor, &c. & multa alia poteſt circa regimen Eccleſiæ. ibi. 12

Parentes.

Parentvm nomine,præcipuè intelligi debent ij,qui carnaliter nos genuerunt;deinde etiam alij ſuperiores. 388.1
Quæ ſint obligationes parentum erga filios. ibid. 2.
Parentes negare poſſunt alimenta filijs in quinque caſibus. ibid. 3.
Ad tria præcipuè,& generaliter tenetur Pater erga filios,& filias. ibid. 4.
Tria præſtare tenentur famuli heris ſuis; & tria viciſſim Dominus debet ſeruo. ibid. 5.
Clerici erga Prælatos ad multa tenentur,ſicut & beneficiarij. ibid. 6.
Epiſcopi ad multa tenentur erga ſubditos, & in primis ad reſidentiam. 389.7.
Quæ ſint virtutes Principis Laici,& quæ eius peccata. ibid. 8.
Obligationes viri erga vxorem ſuam. ibid. 9.
Obligationes vxoris erga virum ſuum. ibid. 10.
Obligationes diſcipulorum erga magiſtros. ibid. 11.
Obligationes magiſtrorum erga diſcipulos. ibid. 12.
Præceptum quartum Decalogi de honorandis parentibus;primariò, & directè ad virtutem pietatis pertinet. 390.1.
Pietas eſt virtus,quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos, patriam,& amicos,tanquam quędam ſecundaria principia,quibus ſubſiſtimus,& conſeruamur. ibid.
Parentes ex eadem virtute pietatis tenentur curam habere filiorum: quæ cura in duobus præcipuè conſiſtit, nempe,vt filijs in ſpiritualibus, & temporalibus de neceſſarijs prouideant. ibi. 2.
De peccatis parentum circa curam filiorum in ſpiritualibus. ibid.
Parentes de iure naturæ filijs tenentur alimenta præſtare: at ſi filij adulti ſint,& per ſeipſos ſuſtentare ſe poſſunt, vel aliunde per alios, tunc parentes eis alimenta debent tantùm ea æquitate naturali, & iure communi ſcripto,tum ciuili,tum canonico. ibid. 3.
Parentes adeò ſtrictè obligat ius naturæ dandi alimenta filijs, vt non ſolùm legitimis,ſed etiam illegitimis,& ſpurijs ex quocumque damnato concubitu ea dare teneantur,quod præcepit ius canonicum;licet ius ciuile huiuſmodi filijs alimenta detrahat:ſed ſtandum eſt iuri canonico. ibid.
Si parentes de aliquo crimine accuſet filius,ſiue ciuiliter,ſiue criminaliter mortaliter peccat,etiamſi crimen ſit verum. ibid. 4.
In tribus caſibus licet filio accuſare parentes, & contra eos teſtificari, 1. poteſt filius agere contra parentem ſibi alimenta denegantem, 2. quando pater intentat Reipublicę traditionem,antequam crimen ſit factum non licet,niſi iuridicè cogantur à iudice,& non ſint alij teſtes, 3. quando pater eſt hæreticus occultus. ibid.
Quando pater publicè proſcriptus eſſet à patria, & à Principe data facultas,vt impunè poſſet occidi,non licet filio parentem occidere,quamuis aliqui ſuſtineant poſſe. ibid.
Maritus tenetur vxori,non ſolùm actibus internis, verum etiam externis honorem,& amorem,imò etiam obedientiam in ijs,in quibus eſt vxori ſub eſtus,exhibere. 391.5.
Grauiter peccat maritus verba infamatoria proferens contra vxorem, etiamſi in ea ſine animo infamandi prolabatur,& quamuis non ſequatur infamia. ibid.
Maritus peccat mortaliter, impediens ne vxor adimpleat præcepta iuris naturalis,vel diuini, imo & Eccleſiaſtici, ſi hoc faciat ſine iuſta cauſa. Secus ſi impedimentum afferat ſolùm circa ea,quæ non ſunt ex præcepto debita. ibi. 6
Maritus tenetur domus, & vxoris curam, & adminiſtrationem habere, prouidendo res neceſſarias victui,& veſtitui,malos mores vxoris corrigere,& peccatorum occaſiones auertere. ibid.
Vxor tenetur amorem, honorem, & obedientiam marito exhibere in ijs, in quibus ei ſubiecta eſt; vnde grauiter peccat vxor, dum notabiliter inobediens eſt circa ea, quæ ad bonos mores, & familiæ gubernationem pertinent; vt ſi illa gubernare vellet ſpreto viro peccatum mortale committeret. ibid. 7.
Poteſt tamen vxor aliquando abſque peccato ſe ingerere in adminiſtrationem domus, vt ſi vir eſſet morioſus, prodigus, & dilapidaret bona familiæ,amens,vel fatuus,vel abſens. ibid.
Serui,& famuli debent deferre honorem debitum dominis aliàs grauiter peccant,ſi eos contemnant,irrideant,vel negligant;& præſtare obedientiam in rebus, in quibus dominis ſubijciuntur,non tamen ijs, quæ per ſe mala ſunt. ibid. 8.
Serui dicuntur illi,qui non ſunt ſui iuris,ſed emi ſolent à dominis,aut iuſto bello capiuntur. Famuli verò dicuntur illi,qui ſtipendio, & mercede locant ſeipſos ad tempus in obſequium domini. ibid.
Domini tenentur famulorum,& aliorum ſibi ſubditorum curam habere; alias ſi circa ſalutem ſibi ſubditorum ſuperiores negligentes notabiliter ſint,grauiter delinquunt. ibid. 9.
De peccatis dominorum circa curam famulorum, & ſeruorum in ſpiritualibus. ibid.
Dominus, ſeu herus tenetur præſtare famulo alimenta ad eius famulatum congruentia: ſi famulus ægrotet, debentur illi impenſæ, quas dominus aliòqui faceret, ſi valeret: non tamen cogitur herus eas impenſas ſoluere, quæ immodicæ ſunt, & ingentes;ſecus ſi morbus ſit leuis. 391.10.
Quando morbus famuli grauis eſt, itaut indigeat magnis ſumptibus, non peccat dominus tranſmittendo ægrotum ad hoſpitalem domum. ibid.

Parochus.

Parochvs debet eſſe legitimus; viginti quinque annorum; intra annum à collatione beneficij debet fieri ſacerdos. ibid. 1
Parochus ex officio ſuo ad multa tenetur. ibid. 2.
Parochus auditurus confeſſiones eorum qui peſte infecti ſunt,qualiter ſe gerere debeat. 393.3.

Parochia, Parochus.

Parochia dicitur partitio curæ: hinc parochialis Eccleſia eſt locus, in quo præsbyter ab Epiſcopo eſt deputatus ad ſacramenta, & alia ſpiritualia populo miniſtranda. ibid. 1.
Parochialis Eccleſia dignoſcitur ex eo,quòd habeat populum certis limitibus,ac finibus,diſtinctum,non autem ſi bapiſterium habeat, vel cœmeterium. ibid.
Parochia largè aliquando ſumitur pro tota Epiſcopi,diœceſi, cùm parochiæ diſtinctæ non erant. 394.2.
Parochus dicitur quaſi parochus,qui apud Græcos eſt incola,ſiue habitator in loco,ac proinde non parochus, ſed parochus eſt dicendus præſbyter Eccleſiæ parochialis ab Epiſcopo deputatus ad Verbum diuinum, & ſacramenta fidelibus miniſtranda,quamuis vulgo d carur parochus. ibid. 3.
Parochus, ſeu parœchus in iure vocatur Rector illius Eccleſiæ populi, cui præficitur. Vocati ſunt etiam olim parochi Præsbyteri Cardinales,id eſt principales. Item vocantur Plebani, Curiones, ſiue curati à cura. ibid.
Duodecim conditiones ordinariè in Eccleſia parochiali reperiuntur,quæ parochum, & parochiam conſtituunt, & vocantur iura parochialia. ibid. 4.
Primum ius parochiæ parocho competens eſt. vt ad ſolum parochum pertineat ius omnibus ſacramentum Baptiſmi miniſtrare, itaut ſi alius ſacerdos extra neceſſitatem abſque Epiſcopi, vel parochi licentia ſaltem tacita illud ſolemniter miniſtret, peccet mortaliter. ibi. 5.
Secundum ius parochi eſt, vt populus parocho ſubiectus ſemel in anno eidem parocho ſuorum peccatorum ſacram confeſſionem faciat, vel

alteri

alteri ſacerdoti de eius licentia. ibid.6
Ex priuilegijs tamen Summorum Pontificum, quæ modò ſunt in vſu ferè per totum orbem, Parochiani etiam tempore Paſchalis præcepti, poſſunt confiteri religioſis mendicantibus, & per talem confeſſionem ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, etiamſi Parochi licentia non adſit, vt decreuit Clemens VIII. ibid.6.
Tertium ius Parochiæ eſt, vt Parochiani teneantur Sacramentum Euchariſtiæ in Parochia ſaltem in Paſchate de manu Parochi, vel alterius Sacerdotis de illius licentia ſuſcipere. 396.7
Sumens Euchariſtiam de manu alterius, quàm proprij Parochi, abſque eius licentia, non ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico de Paſchali communione. ibid.
Quartum ius Parochi eſt, quòd Parochiani diebus Dominicis, & feſtis in propria Parochia miſſam parochialem audiant. ibid.8
An Epiſcopus poſſit cogere populum, vt in diebus Dominicis, aut ſolemnioribus feſtis, ad propriam parochiam conueniat? Alij affirmant, alij negant. 397.9.
Quintum ius parochi eſt, miniſtrare ſuis parochianis Sacramentum Extremæ vnctionis. 398.10.
Sextum ius Parochi eſt, quòd matrimonia debeant in propria parochia; & à proprio parocho, vel ab altero ſacerdote de eius, vel ſuperioris licentia, celebrari. ibid.11.
Septimum ius parochi eſt ſuos parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare; Ex priuilegijs autem Summorum Pontificum poſſunt religioſi mendicantes laicorum cadauera ſepulturæ tradere in ſuis cœmeterijs, Eccleſijs, ſi inibi ſepulturam elegerint. ibid.12
Octauum ius parochi eſt percipere decimas, quæ ſoluendę ſunt illi Eccleſiæ parochiali, in qua ſuſcipi debent Sacramenta; niſi aliter conſuetudine receptum ſit. ibid.13.
De iure ordinario decimæ prædiales illi parochiæ debentur, in cuius diſtrictu ſunt prædia. ibid.
An parochia, quæ de nouo aliquot agros, vel proprietatem intra terminos alterius parochiæ acquirit, ei teneatur decimas ſoluere de agris acquiſitis? Quidam negant, alij affirmant. 399.14
Nonum ius parochiale eſt primitiarum perceptio. Primitiæ autem dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum: hodie tamen pleriſque in locis primitiarum oblatio per deſuetudinem abolita eſt. ibid.15.
Decimum ius parochi eſt oblationes fidelium recipere. Oblationes autem dicuntur illæ res, quæ inter miſſarum ſolemnia altari offeruntur, ab his, qui miſſæ ſacrificio interſunt. ibid.16.
Ex communi Doctorum ſententia nullum extat præceptum diuinum, nec Eccleſiaſticum de oblationibus in Eccleſia faciendis tempore miſſæ parochialis; parochiani autem, nec poſſunt ad id cogi cenſuris, vel alijs pœnis: tamen oblationes poſſunt longa conſuetudine introduci. ibid.
Oblationes, quæ de iure debentur, clerico Eccleſiæ, ſeu parocho ſunt offerendæ ad quem ius decimarum ſpectat. Hinc ſi aliquid offeratur in certo ſacello, quod ſitum ſit intra parochiam, presbytero parochiæ rectori debetur, niſi dictæ oblationes, offerantur hac intentione, vt in honorem, vel ornatum ſacelli inſumantur, vel niſi aliter vſu receptum ſit per contrariam conſuetudinem. 400.17.
Si quid offeratur clerico priuato rem diuinam facienti in aliqua parochia de iure, & conſuetudine recepta ad parochum pertinet, vel ad alium ſacerdotem, ad cuius iuriſdictionem altare ſpectat. ibid.
Quæ offeruntur à fidelibus in monaſterijs religioſorum, & eorum ſacellis intra certam parochiam conſtitutis, iure debentur parochiæ ipſius rectori, niſi Pontificis priuilegio ipſis religioſis attributæ fuerint. ibid.
Laici nunquam poſſunt ius acquirere in oblationes. ibid.
Non omnium perſonarum, nec omnium rerum oblationes recipit Eccleſia: offerentes enim debent eſſe Chriſtiani, & ab Eccleſia non præciſi, ſeu excommunicati. ibi.18
Oblationes fratrum diffidentium, ſi notorij ſint Eccleſia non recipit, nec raptorum hominum, nec vſurariorum, nec ſacrilegorum, nec eorum qui per vim extrahunt ſeruos ſuos ad ſacras ædes confugientes, nec meretricum, &c. ibid.
Vndecimum ius Parochi, eſt ius accipiendi canonicam portionem. Canonica portio eſt certa quantitas, quæ Epiſcopo, vel parocho ratione funeris præſtatur, à ſacris Canonibus approbata, & iure decretorum debita. ibid.19.
Hæc canonica portio parochialis, quoad quantitatem, & quotam, in qua ſoluitur parochus, varia eſt, ſecundùm varia iura, & diuerſas conſuetudines, nam aliquando eſt quarta, quandoque tertia, aliquando verò media. ibid.
Canonica portio debita Eccleſiæ parochiali, non ſolùm in parte, ſed etiam in totum, poteſt conſuetudine, vel præſcriptione præſcribi: ad præſcribendum tamen in huiuſmodi, ſi conſuetudo ſit cum titulo, ſufficit tempus 40. annorum: ſi verò ſit ſine titulo requiritur tempus immemoriale. 401.20
Si quis diſceſſit è loco domicilij ad aliquem locum, animo redeundi, & ibi moritur, ſi alibi eligat ſepulturam, canonica portio debetur parochiæ domicilij. ibid.21.
Si quis dimiſſa Eccleſia, in qua conſueuerunt ſepeliri eius maiores, eligat ſepulturam in alia Eccleſia, dimiſſa parochiali, quarta ſoluenda eſt, non Eccleſiæ ſuorum maiorum, ſed illi in qua recipiebat ſacramenta, & habebat domicilium. ibid.
Si quis in ægritudine conſtitutus ingrediatur religionem, & illius habitu non aſſumpto, moriatur, & ibi eligat ſepulturam, ſoluenda erit canonica portio Eccleſiæ parochiali ſecus ſi aſſumpto habitu intra annum nouitiatus moriatur. ibid.
Si quis æqualiter habeat domicilium in diuerſis parochijs, & in tertio loco eligat ſepulturam, verius eſt, illi debere, in qua deceſſit. ibid.
Canonica portio ſoluenda non eſt iure communi ab hæredibus defuncti, ſed ab Eccleſijs, vbi quis ſepelitur relicta propria, de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris. ibid.22.
Iure communi Clementinæ *Dudum, de ſepulturis*, religioſi tenentur ad huiuſmodi canonicam portionem ſoluendam; hodie tamen fermè in totum reuocata eſt per Pontificum priuilegia; vnde religioſi modò non tenentur ad huiuſmodi portionem ſoluendam. ibi.23.
Monaſteria fundata ante annos 40. ante Concilij Tridentini confirmationem, quæ quartam ſoluebant, etiam nunc eam ſoluere tenentur; ſecus ſi tunc eam non ſoluebant. Illa verò quæ poſt Tridentinum ſunt conſtructa à ſolutione quartæ ſunt libera. 402.24.
Vltimum ius, ſeu qualitas conſtituens Eccleſiam parochialem, eſt, quod ſolùm habeat vnum Paſtorem, ſeu parochum: quamquam in aliquibus locis non obſeruetur, vbi in vna parochiali Eccleſia duo ſunt parochi cum æquali iure. ibid.25.
Iure cautum eſt, ne Eccleſia ab Epiſcopo conſecretur, niſi ad minus pro duobus clericis ſuſtentandis ſufficiat. ibid.
Concilium Trident. ſtatuit, vt in Eccleſijs, vbi tam numeroſus populus exiſtit, vt vnus Rector ſufficere non poſſit, Epiſcopi cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta miniſtranda, & cultum diuinum celebrandum. ibid.
Idoneitas eligendi ad parochialem Eccleſiam regendam conſiſtit in ordine ad regimen animarum, & Eccleſiæ ſibi committendæ: vnde maximè ſunt attendendi mores, & prudentia in eligendo. ibi.26.
Parochialis Eccleſia, eiuſque Parochus maximam habet præeminentiam, 1. eſt, vt nomine beneficiorum, beneficia curata non veniant, 2. Parochus in ſua propria Eccleſia iuxta quoſdam, dicitur Prælatus, 3. eſt, quod Parochus intra propriam Eccleſiam debet præcedere omnes alios maiores, & ſuperiores in dicendis Miſſis ſolemnibus, &c. ibi.27

Paupertas, religioſa.

PAVPERTAS religioſa eſt votum ſolemne, quo quis profitetur ſe nihil habere, nec habere poſſe, & hoc voto religioſi omnes, & ſinguli impediuntur, ne proprium quid habeant. ibi.1.
Non obſtante voto paupertatis religioſus retinet dominium, ſeu ius honoris, ac famæ ſuæ, ſicut ius eligendi, præſentandi conferendi; item regulare beneficium, atque iuriſdictionem ſpiritualem habere. ibi.
Contra paupertatis votum peccat religioſus ſi rem quampiam ſine ſuperioris ſui conſenſu expreſſo, tacito, aut præſumpto accipiat, retineat, occultet, abſumat, permutet, alteri donet. ibid.2
Conſenſus præſumptus Prælati eſt, quando iuſtam ob cauſam mihi perſuadeo, ſi Prælatus ſciret me talem rem habere, accipere, abſumere, expendere, contentum fore: licet illi diſpliceat quod clam hæc fiant. ibid.
Ad conſenſum præſumptum, non ſufficit taciturnitas ſuperioris videntis religioſum aliquid accipere, vel expendere, & non contradicentis, ſi ea taciturnitas ſit ſola quædam permiſſio: ſecus ſi non ſit pura permiſſio, ſed approbatio quædam. ibid.
Vt licentia ſuperioris excuſet religioſum à tranſgreſſione voti paupertatis, requiritur vt illa ſit voluntariè conceſſa. ibid.
Conſenſus probabiliter præſumptus ſuperioris liberat regulares à vitio proprietatis, etiamſi ſuperior adiri facilè poſſit, vel res differri. ibid.
Ex varijs principijs, vel circumſtantijs poteſt conijci conſenſus approbatiuus, & tacitus Prælati. ibid.
Contra paupertatis votum peccat religioſus, etſi tantùm comeſtibilia abſque Prælati licentia accipiat, & abſumat. ibid.3.
Maior quantitas horum eſculentorum, ſeu poculentorum requiritur ad conſtituendum peccatum mortale, ſeu furti, ſeu proprietatis, quàm in rebus alijs. ibi.
Vſus rerum non conſumptibilium, v. g. librorum abſque Superioris licentia ſæpè excuſatur à mortali ob materiæ paruitatem. 405.4.
Paupertatis votum violat religioſus, ſi pecuniam vel aliam rem ſibi à Prælato deſtinatam ad certum vſum, contra eiuſdem voluntatem in alium vſum expendat; vel per culpam latam amittat, aut deſtruat. ibid.5.
Paupertas religioſa violatur à religioſo, ſi quæ ab alijs, ipſi donata ſunt, accipiat ac retineat ſine Prælati conſenſu. ibi.6.
Monaſterium non obligatur ex contractu, vel delicto ſui religioſi, niſi quatenus conſenſum præbuit, vel exinde aliquid commodi accepit. ib.

Paupertatis religionis tranſgreſſor eſt religioſus, ſi aliqua abſcondat ne ſuperior ſciat, & de eis diſponat. ibi.7
Procuratores, Oeconomi, & ſimiles bonorum monaſterij adminiſtratores, tranſgreſſores ſunt voti paupertatis, ſi rem quamcumque ſeu domeſtico, ſeu externo largiantur, aut expendant, aliter quàm ſuperiorum voluntas poſtulat. 406.8.
Paupertatis votum violant Prælati expendentes, & donantes bona conuentus aliter quàm ordinis regula vel conſuetudo præſcribat, & talis alienatio tamquam irrita, eſt reſtitutioni obnoxia. ibid.
Probabilius eſt peculium iure communi antiquo permiſſum eſſe religioſis ex licentia Superioris. ibid.9.
Probabiliter ſuſtineri poteſt etiam hodie licere religioſis peculia, poſitis quibuſdam conditionibus, non obſtante Decreto Concilij Tridentini. ibid. 10.
Religioſus habens ex legitima Superioris licentia peculium, non poteſt id pro libito ſuo in quoſuis vſus expendere; ſed tenetur in honeſtos, & pios: nec poteſt hoc Prælatus ei concedere. 407.11.
Religioſus malè expendens peculium ex ſuperioris licentia non incurrit pœnas proprietatis: idem dicendum de Prælato ſuperflue expendente. ibid.
Nonnulli recentiores contra communem doctrinam, admittunt probabilem opinionem illam quæ docet religioſum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vſus qui ſibi placuerint, aut in ſuas honeſtas recreationes, ſi in vſus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipientem in tali caſu non teneri reſtituere. Sed tu Lector indica. ibid,
Religioſus peccat mortaliter, qui de licentia ſuperioris, poſſidet multa ſuperflua reſpectu ſui ſtatus. ibid.
Verius eſt huiuſmodi religioſum contra paupertatem peccare. ibid.
Neceſſarium religioſis dicitur, ſine quo res non poteſt decenter, & congruenter eo ſeruari. ibid.
Superfluum dicitur, quod penſatis omnibus circumſtantijs religionis perſonæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam ſtatus religioſorum eſt neceſſarium. ibid.
Religioſus, qui de licentia ſuperioris vtitur rebus ita abũdanter, vt reliqui religioſi patiantur neceſſitatem, peccat, & aliquãdo mortaliter. 408.ib.
Superiores, qui ſuperflua ædificia, aut nimis curioſa conſtruunt, dummodo illa excedant ſtatum paupertatis, aut decentiam ſui ſtatus, peccant mortaliter. ibid.
Circa mobilium ſuperfluentiam vel conuenientiam poteſt religioſus tuta conſcientia ſtare arbitrio prudentis, niſi de exceſſu arbitrij conſtiterit. ibid.
Cauſa iuſta peculij concedendi Monacho, eſt neceſſitas, aut vtilitas grauis, priuata aut publica. ibid.12.
Prælatus religionis non miniſtrans neceſſaria ſubditis cum commodè poteſt præbere, & ſic peculijs cauſam præbens, peccat mortaliter: ſicut & ſubditi dantes peculijs cauſam reſiſtendo vitæ communi. ibid.13.
Contra paupertatis votum non peccat religioſus accipiens ſine licentia ſuperioris à diuite pecunias non pro ſe, ſed vt pauperibus vel conſanguineis diſtribuat nomine donantis, 409.14.
Religioſus accipiens ab alio pecuniam tantùm in cuſtodiam, vt eam reddat quoties dominus voluerit, per ſe non facit contra paupertatem, licet poſſit eſſe contra obedientiã, & contra decentiam religioſam ſi occultè fiat: hoc tamen limitandum eſt, dummodo talis religioſus non ſit ex Minoritis de Obſeruantia, & Capucinis. ibid.
In votum paupertatis peccat religioſus, ſi rem donatam acceptet ſine ſuperioris licentia, quamuis in fauorem alterius. ibid.15
Omnia bona religioſi, de quibus ipſe antea non diſpoſuit, per profeſſionem iure communi tranſeunt in monaſterium, modò habeat ius ſucceſſionis. ibid.16.
Ius ſuccedendi habent iure Canonico, & ciuili omnia monaſteria regularium, præter domos, & Collegia Societatis Ieſu, Minorum de Obſeruantia, & Capucinorum. Verum huic iuri ſuccedendi in profeſſi bona apud Hiſpanos, Gallos, & Belgas, contraria conſuetudine legitimè præſcripta derogatum eſt. ibi.
Religioſus beneficiarius, interim dum beneficium obtinet, habet redditnum adminiſtrationem, tum ad ſui ſuſtentationem, tum ad alias pias cauſas. Reditus verò parochiarum, quæ monaſterijs incorporatæ ſunt, ad monaſteria pertinent, non ad vicarios regulares obedientiarios. ibid.17.
Religioſus habens beneficium extra ſuum monaſterium, vel ordinem, acquirit beneficio, non monaſterio: modo beneficium non ſit de menſa ipſius Prælati, ſeu ipſius monaſterij: quia ſi eſſet ſic monaſterio vnitum, tunc id non procederet. 410.18.
Non poteſt Prælatus religioſo alicuius rei vſum irreuocabilem concedere; imò nec Pontifex concedere hoc poſſet monacho ſic manenti. ibid.19.
Legatum relictum religioſo vel moniali, ea lege, vt ad ipſos, non autem ad monaſterium pertineat, ſic debet interpretari, quo ſubſiſtere, & ſeruari poſſit. ibid.
Legatum factum religioſo corruit cum expreſſa conditione, quòd omnino quoad omnia pertineat ad religioſum, non ad monaſterium. 411.ibid.
Religioſi, ſeu moniales non debent acceptare legatum cum conditione relictum, quod Prælatus vel Abbatiſſa in tali legato non poſſit ſe intromittere, & caſu quo ſe intromittat, legatum pertineat ad quemdam extraneum. ibid.
Legatum relictum Fratri Minori de danda certa quantitate pecuniæ, expendi debet iuxta dantis voluntatem, in neceſſitates præſentes, vel imminentes ipſius religioſi. ibid.
Pœnæ iure Canonico decretæ religioſo proprietario ſunt tres 1. priuatio ſacræ ſepulturæ poſt mortem. 2. expulſio extra monaſterium. 3. priuatio vocis actiuæ & paſſiuæ per biennium. ibi.20.
Quædam reſponſa ſacræ Congregationis Concilij circa caput ſecundum Concil. Trident. *ſeſſ.25 de regul.* ibid.

Paupertas religioſa.

Paupertatis religioſæ quatuor ſunt gradus. 412.1.
Probabilius eſt ſemper fuiſſe in Eccleſia vſitatum, vt in ſtatu perfectionis paupertas eſſet per abdicationem proprietatis, ſaltem quantùm ad vſum, atque id eſt moraliter neceſſarium ad proprium ſtatum perfectionis. ibid.
Paupertas, quæ reddit religioſum incapacem dominij, non fuit à principio vſitata in Eccleſia in aliquo ſtatu religioſo, ſed poſtea iuſtis de cauſis introducta eſt vniuerſaliter à temporibus Iuſtiniani Imperatoris. ibid.
Certum eſt de fide, laudabile eſſe illorum religioſorum inſtitutum, qui paupertatem tam in particulari, quam in communi profitentes, quoad carentiam poſſeſſionum, ac certorum redituum, non ex ſolis eleemoſynis, ſed ex proprio labore manuum aluntur. ibi.2
Laudabile eſt religioſum inſtitutum, in quo paupertas etiam in communi, quoad carentiam redituum, & bonorum ſtabilium ſeruatur, & non ex labore manuum, ſed ea ſolis eleemoſynis, vel ſponte oblatis, vel etiam mendicando petitis viuitur. 413.ibid.
Varij variè ſentiunt, quænam paupertas inter eas, quæ a religioſis communitatibus obſeruatur, ſit omnium præſtantiſſima: Probabilior tamen ſententia aſſerit perfectiorem eſſe paupertatem tam in particulari, quàm in communi, quoad ſtabiles reditus, vel poſſeſſiones, per ſe loquendo, & ex vi ſtatus. ibid.3.
Paupertas religioſa triplicem gradum habet; vna dicitur paupertas profeſſionis; ſecunda dicitur paupertas vſus; & tertia paupertas affectus, ſiue voluntatis. ibid.4
Nullus religioſus poſt ſolemnem paupertatis profeſſionem poteſt habere proprium: & appellatione proprij, non ſolum intelligitur dominium, & proprietas rei, ſed etiam vſus, & vſus fructus, poſſeſſio, & adminiſtratio, prout ſunt iuris, non facti. 414.5.
Verius eſt religioſum eſſe inhabilem ad dominium retinendum, vel in poſterum acquirendum, ex ſola Eccleſiæ conſtitutione. ibid.6.
Verior ſententia ſuſtinet poſſe Pontificem diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, quando occurrit iuſta cauſa diſpenſandi, licet contrarium ſit etiam probabile ibid.7.
Sanctè, & laudabiliter religioſi ex eleemoſynis emendicatis viuunt: per accidens tamen aliquando eſt illicitus vſus eleemoſynarum religioſis: nempe ſi ab actibus religioſis deſiſterent, vellentque ſua culpa in religione otioſam vitam, ac inutilem tranſigere. 415.8.
Quale autem peccatum ſit in religioſo ſic viuenti? dicendum eſt eſſe mortale, ſi religioſus ab eis actibus deſiſtat ex formali beneficij eleemoſynarum contemptu: ſi abſit contemptus, ingratitudo illa ſolum eſt venialis: tales tamen religioſi non tenentur reſtituere, quæ ex eleemoſynis in proprios vſus conſumunt. ibid.
Prælatus non poteſt pro ſuo arbitrio, & libera voluntate bona monaſterij in quos voluerit vſus expendere. ibid.9
Licita eſt conſuetudo quarumdam religionum, in quibus ex ſuperiorum licentia religioſis certi annui reditus taxantur pro victu, & veſtitu, dummodò religioſis facultatis ſibi traditæ terminos non excedant, & reformationi à ſuperioribus faciendæ obtemperare ſint parati. ib d.10.
Monialis, cui externus centum aureos ad ſuum libitum expendendos conceſſit, poteſt ex ſuperioris licentia ſæculari eos tradere, vt cenſum ſibi quotannis ſoluat, dum vixerit, atque ea defuncta centum illos aureos ſibi retineat, modo concedens noluerit dominium in monaſterium transferri. Si verò ita dati ſunt, vt dominium in monaſterium tranſierit, nequit monaſterium id efficere abſque conſenſu Prouincialis, aut Generalis. ibid.
Religioſus habet dominium quaſi beneficij, & agit, non monaſterij, ſed ſuo nomine ad illud poſſidendum, retinendum, recuperandum, & illud non Eccleſiæ, ſed ſibi acquirit. 416.11.
Probabile eſt, ſecundùm quoſdam, donationes regularis beneficiarij in vſus prophanos eſſe validas, dum beneficium adminiſtrat, & accipientem ab illo non teneri reſtituere: quamuis communis ſententia contrarium doceat. ibid.
Quamuis religioſus ſit proprietarius, & peccet contra votum paupertatis

patis aliquid alienando abſque expreſſa, vel tacita ſuperioris licentia; tamen ſecundùm aliquorum ſententiam, non foret peccatum mortale ſic accommodare res ad proprium vſum deſtinatas, quando commodans, vel mutuans eſſet ſecurus de reſtitutione illarum, ac conſeruatione. ibid.12.

Religioſus non peccat mortaliter, dando vel accipiendo ſecundùm vſum communem, & permiſſum ſuæ religionis. ibid.13

Non cenſetur culpa mortalis, quando religioſus ſubditus, ſciret, vel bona fide crederet eum erga ſe eſſe ſuperioris affectum, vt libenter ſibi concederet. Si ſciret illum tali re indigere, aut tale quid deſiderare, aut dono dare. ibid.

Religioſus donans, vel accipiens ex voluntate præſumptiua ſuperioris, rationabiliter præſumens ſuperiorem, hic, & nunc licentiam conceſſurum, non peccat vtendo Epicheia: maximè ſi res vrgeat, & ſuperior non ſit præſens, vel ad nutum. ibid.

Religioſus agens de licentia ſuperioris, poteſt dare ex ijs, quæ ſibi pro expenſis itineris, pecunijs à Prælato dantur, quidquid ſubtraxerit, vel parciùs comedendo, vel quia à ſæcularibus inuitatur, ea tamen conditione, vt ſi ei pecunia defecerit, non teneatur religio eam ſoluere. 417.ibid.

Religioſus iter agens de licentia poteſt acceptare pecuniam etiam aliquatenus ampliorem pro expenſis itineris ſibi à ſæcularibus in itinere datam, & quod ſuperfuerit, donare pauperibus. ibid.

Religioſus peccat mortaliter dicendo aliquid eſſe, ſuum volendo illud eſſe ſuum, quoad verum dominium, & proprietatem complacendo, eo quod ſit ſuum. Si autem dicat rem illam eſſe ſuam quoad vſum, adminiſtrationem, vel ſimplicem detentionem ſacti, non peccat. n.14.

Probabilius eſt religioſum eſſe proprietarium, tranſgreſſorem voti paupertatis, & peccare mortaliter, poſita materia notabili, quia contra ſuas conſtitutiones recipit nutum ſtipendium pro prædicationibus, confeſſionibus, aut miſſis, &c. ibi.15.

Religioſus accipiens ſtipendium pro miſſis in præcedenti caſu, non tenetur reſtituere, ſed expendere in proprios vſus, ſi licentiam ſuperioris habeat ad aliqua ſic expendenda; ſi ea careat, tenetur ſuperiori ſic acquiſitum tradere. ibi,

Contra votum paupertatis peccat religioſus promittens miſſas, ſine ſuperioris licentia, vt eleemoſyna pro illis miſſis celebratis detur ſuo conſanguineo indigenti, vel cuicunque alteri. ibi.16.

Religioſus contra votum paupertatis non peccaret, promittens pauperi Sacerdoti ex mera charitate miſſas, vt liberet eum à tali onere, dum ipſe non haberet alias obligationes ſatisfaciendi alijs miſſis, vel ratione promiſſionis, vel obedientiæ. ibid.

Prælatus regularis poteſt concedere religioſo profeſſo peculium ad quoſcumque vſus indeterminatos, itaut poſſit in vitam donare, & diſponere quiduis in eos vſus, & eo modo in quos, & quomodo ipſe Prælatus poſſet diſponere. 418.17.

Cauſæ, vt ſuperior poſſit licitè concedere ſuis ſubditis peculium, ſunt, 1. quando conuentus præ paupertate non poteſt religioſo neceſſaria ſuppeditare, 2. quando religioſus eſt extra monaſterium iuſto titulo, 3. ſi ſit officialis publicus, 4. eſt vtilitas monaſterij, 5. conſuetudo religionis introducta. ibi.

Maior cauſa deſideratur ad concedendum peculium ex monaſterij rebus, aut proprio labore comparatis, quàm in rebus conceſſis à ſæcularibus alicui, &c. ibid.

Licentia habendi peculium ab vno ſuperiore conceſſa, non ſemper à ſuperioribus, ſucceſſoribus eſt renouanda. ibi.18.

Peccatum Quoad eius diuiſionem, & diſtinctionem.

PECCATVM generaliter ſumptum eſt defectus perfectionis debitæ ineſſe, in ordine ad aliquem finem. 419.1.

Differunt vitium, & peccatum. ibid.

Peccatum aliud eſt actuale, aliud habituale. ibid.

Peccatum actuale eſt dictum, factum, concupitum contra legem æternam. ibid.

Lex æterna accipitur pro ratione, & voluntate diuina, qua Deus vult vt nihil inhoneſtum, fiat. ibid.

Peccatum diuiditur in originale, & actuale: Actuale in mortale, & veniale. ibi.2.

Peccatum aliud eſt commiſſionis, aliud omiſſionis; aliud cordis, aliud oris, aliud operis. ibid.

Peccatum aliud contra Deum, aliud contra proximum, aliud contra ſeipſum. ibid,

Peccata alia ſunt per exceſſum, alia per defectum: denique alia ſunt carnalia, alia ſpiritualia. ibid.

Peccatum rectè diuiditur in mortale, & veniale: peccatum mortale eſt, quod mortalem animæ adfert: veniale eſt, quod facilè veniam conſequitur. 420.3.

Fide tenendum eſt peccata eſſe quædam ſuapte natura venialia. ibid.

Malitia peccati mortalis conſiſtit in contemptu amicitiæ diuinæ, & in aüerſione ab vltimo fine. ibid.

Malitia peccati venialis conſiſtit in repugnantia cum recta ratione ſalua amicitia diuina. ibid.

Malitia peccati mortalis eſt mortaliter infinita, tum obiectiuè, tum comparatiuè. ibi.

Malitia peccati venialis eſt quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis, habet tamen ſuam quamdam infinitatem. ibid.

Peccatum veniale aliud eſt genere, aliud ex paruitate materiæ, aliud ex indeliberatione. ibi.4.

Regulæ quibus diſcerni poteſt peccatum mortale à veniale, ex quibus certum vel probabile iudicium formari poteſt, ſunt, *Scriptura diuina: ſenſus vel conſenſus fidelium, ratio humana.* ibid.5.

Peccata contra virtutes Theologicas, vel religionis virtutem, vel iuſtitiam, & quæ ad luxuriam pertinent, ſunt ex genere ſuo mortalia: quæ autem quiſpiam contra ſolum bonum proprium perpetrat, ſunt ex genere ſuo venialia. ibid.

Peccatum quodcunque ex genere ſuo lethale, & in quacumque materia, poteſt fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu. 421.6.

Peccatum mortale ex genere in veniale tranſit ratione paruitatis materiæ, ſi hæc paruitas in eo reperiatur. ibid.7.

In quibuſdam peccatis hæc paruitas minimè reperitur, quoties ſcilicet, contingit integram irreuerentiæ, & offenſionis rationem in materia parua inueniri. ibid.

Peccata huiuſmodi ſunt illa, quæ immediatè, & directè circa Deum verſantur, vt odium Dei, contemptus ipſius, infidelitas, formalis blaſphemia, periurium aſſertorium, & ſimonia. ibid.

Peccatum cenſetur veniale ratione paruitatis materiæ, quando res quæ præcipitur, vel prohibetur eſt parua, non ſolum ſecundùm ſe, verùm etiam per ordinem ad finem, vel circumſtantias, propter quas talis res præcipitur, vel prohibetur. ibid.

Quando res parua ſecundùm ſe efficitur grauis ratione finis, vel circumſtantiæ, tunc eſt materia peccati mortalis. ibid.

Communior, & tutior in praxi ſententia affirmat in rebus venereis non dari paruitatem materiæ excuſantem à mortali. ibid.

Peccatum veniale non tranſit in mortale, ex eo quòd nouum præceptum ſuperioris, aut diuinum naturale illud prohibens accedat, ſed erit ſola duplex venialis culpa. 422.8.

Peccatum veniale non tranſit in mortale ratione vſus, & conſuetudinis committendi venialia. ibid.

Veniale non tranſit in mortale ex peccantis dignitate aut ſanctitate. ibi.

Probabilis eſt, habentem voluntatem committendi omnia peccata venialia, ſolaque mortalia vitandi, peccare mortaliter: quòd locum habet præcipuè in religioſis. ibid.

Quoties parua poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari mortaliter poſſunt; vnde multiplicatio tranſgreſſionis præcepti in materia parua, non conſtituit grauem, ac culpam lethalem. ibid.

Quando plurium tranſgreſſionum paruæ materiæ inter ſe moraliter vniuntur, & coaleſcunt, ſiue ſecundum ſeipſas, ſiue ſecundùm effectum ab ipſis productum, tunc completur malitia mortalis in vltima tranſgreſſione. ibi.9

In materia iniuſtitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione magna conſurgit, ac ſufficiens ad mortale. 423.10.

Item hæc continuatio conſurgit in materia intemperantiæ, & in feſtorum obſeruatione, ibid,

Paruæ materiæ diuerſorum præceptorum non coaleſcunt in vnum nec faciunt quantitatem notabilem mortaliter peccaminoſam. ibid.

In materia de voto, ex leui materia tranſgreſſionis ſæpius repetitæ circa leuem materiam, coaleſcere & conſurgere poteſt aliquid notabile, in quo fundari poſſit ratio mortalis peccati. ibid.

Generaliter paruum, & magnum non abſolutè æſtimandum, ſed cum comparatione ad totum cuius pars eſt, vt intelligatur, ſit ne ſufficiens mortalis peccati materia necne. ibi.11

Peccatum veniale ex genere tranſit in mortale, ratione finis mortalis adiuncti; ratione ſpecialis contemptus, vel inobedientiæ: ſi ponatur in eo vltimus finis; ratione ſcandali: ratione periculi proximi in mortale incidendi: ratione conſcientiæ erroneæ. ibid.12.

Idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris, non poteſt fieri mortale: nec è contra. ibid.

Probabilius eſt, non poſſe aliquem peccare venialiter, qui non poſſit mortaliter. 424.13.

Communior ſententia docet peccatum veniale poſſe conſiſtere cum ſolo originali. ibid.14

Peccatum commiſſionis, & omiſſionis.

PECCATVM commiſſionis eſt quod aduerſatur præcepto negatiuo, omiſſionis verò, quod affirmatiuo. 425.1.

Præceptum negatiuum eſt, quod vetat aliquam actionem realem: Affirmatiuum quod iubet actionem, ibid.

Digitized by Google

Peccatum commiſſionis differt ſpecie à peccato omiſſionis, ſed materialiter tantùm, niſi formaliter. ibi. 2.
Peccatum commiſſionis grauiùs eſt peccato omiſſionis. ibid. 3.
In peccato commiſſionis neceſſe eſt moraliter loquendo, reperiri aliquem actum, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi, quamuis ſimpliciter, & phyſicè ſecundùm poſſibilitatem logicam aliter fieri poſſit. ibi. 4.
Actiones quæ cauſa ſunt opus debitum omittendi, malæ ſunt, & peccata, etiamſi aliàs bonæ eſſent. ibi. 5.
Actiones, quæ neque ſont cauſa omiſſionis præcepti, neque ſunt talis occaſio, ſed ipſam omiſſionem nudè comitantur, ſi aliunde non ſint malæ, non ſunt peccata, etiamſi ſint incompoſſibiles cum executione præcepti. ibid.
Actio, quæ per ſe primò eligitur, & ſecundùm ſe ſola conſiſtere non poteſt cum obſeruatione præcepti quod omittitur, etiamſi eligatur poſt voluntatem omittendi, dicitur cauſa illius, & eſt mala: illa verò actio, quæ ſecundariò eligitur, cum priore comes tantùm eſt, ideo non mala. 426. ibid.
Vtroque tempore peccatur peccato omiſſionis, & quando cauſa omiſſionis potuit, ac debuit vitari, & cùm cauſa voluntaria omiſſioni datur, & cùm accidit ipſa omiſſio, modo tamen hæc in ſua cauſa maneat voluntaria. ibid. 6.
Ipſum externum omiſſionis peccatum tunc exiſtit, quando occurrit articulus præcepti. ibid.

Peccatum. Quoad illius cauſas.

Certvm eſt peccatum habere aliquam caoſam. num. 1.
Peccatum ſecundùm materiale, cauſatur à voluntate creata; ſecundùm vero formale, non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. ibid.
Peccatum habet varias caoſas tum internas, tum externas. ibid. 2
Intra hominem ſunt 1. voluntas, quæ eſt directa, & integra cauſa peccatum, actum malum eliciens, & in ſe ſuſcipiens, 2. Intellectus, vt proponens voluntati bonum commutabile, nec attendens ad regulam ſibi præſcriptam. 3. Imaginatio, & appetitus, vt inclinantes voluntatem ad conſenſum peccati. ibid.
Extra hominum ſunt peccatorum cauſæ: Illecebræ mundi, & carnis: diabolus: homo. 427. ib.
Peccatorum cauſæ internæ ſunt quatuor; ignorantia intellectus, paſſio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati. ibid. 3
Peccatum ex ignorantia, ſeu imperitia eſt, quod à vincibili ignorantia voluntarium diminuente, tanquam à cauſa per accidens procedit. ibi.
Peccatum ex paſſione, ſeu infirmitate eſt, quod fit ex modo appetitus ſenſitiui minuente libertatem voluntarij: talia ſunt peccatum vehementi ira, triſtitia, libidine, &c. ibid.
Peccatum ex malitia eſt, quod ex plena libertate committitur. ibid.
Inter hęc tria peccatorum genera, grauiſſimum eſt peccatum ex malitia; deinde ſequitur peccatum ex paſſione. ibid. 4.
Vnum peccatum poteſt, & ſæpe ſolet eſſe cauſa alterius peccati, idque ſecundùm omnia quatuor cauſarum genera. ibid. 5.
Homo poteſt ſuaſu, & conſilio ſuo, alijſque modis eſſe cauſa, ſeu potiùs occaſio peccati alterius. ibid. 6.
Primus homo habuit peculiarem rationem cauſandi peccatum in poſteros per naturalem propagationem. ibid.
Peccatum originale, origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione, transfuſum omnibus, & ineſt vnicuique proprium. ibid.
Quamuis B. Virgo Maria, quatenus peccauit in Adamo, habuerit obligationem, ſeu neceſſitatem contrahendi peccatum originale, probabiliſſimum tamen eſt, de facto præſeruatam fuiſſe, ne cum peccato originali conciperetur, & naſceretur. ibid.
Diabolus eſt author omnium peccatorum occaſionaliter, plurimorum cauſaliter. ibid.
Obiecta ſenſibilia, ſeu res exteriores cauſæ nonnumquam peccati eſſe ſolent. ibid.
Orthodoxa ſententia eſt Deum verè, ac propriè loquendo, nullo modo eſſe cauſam authorem peccati. ibid. 7.
Certum eſt Deum eſſe cauſam omnis actus ſecundùm genus naturę conſiderati, ſiue in quantum eſt ens, & actus, atque adeò eſſe etiam cauſam actus peccati, ſeu actus peccato ſubſtrati, tametſi non ſit cauſa peccati formaliter. ibid.

Peccatum. Quoad eius diſtinctionem ſpecificam, & numericam.

Peccata cordis dicuntur illa, quæ complentur in ipſa ratione, & voluntate, vt odium Dei, vel proximi, &c. Peccata oris ſunt illa, quæ conſummantur in ore, vt detractio, mendacium, &c. Peccata operis ſunt illa, quæ opere ipſo perficiuntur, vt furtum, homicidium, &c. 429. 1.
Peccata quæ complentur in corde, ac voluntate differunt ſpecie à peccatis, quæ perficiuntur, & conſummantur in ore, vel opere. ibid.
Peccata neque ſunt paria, neque neceſſario connexa. ibid. 2.
Inæqualitas peccatorum ſpecifica, & principalis deſumitur à diuerſitate obiectorum, ſeu finium intrinſecorum, prout vnum obiectum magis

quam alterum rationi repugnat. num. 3.
Peccati grauitas attenditur, vel ex dignitate, & perfectione virtutis, cui opponitur; vel ſecundum eius cauſas; vel ex circumſtantijs; vel ex conditione perſonæ peccantis, vel in quam peccatur; vel ex nocumento ſiue corporali, ſiue temporali, ſiue ſpirituali, quod peccans ſibi aut alteri infert. ibid.
Peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundùm oppoſitas virtutes, ac per conſequens ſecundùm priuationes rectitudinis virtutum oppoſitarum; & hoc eſt diſtingui ſecundùm obiecta. ibid. 4.
Diuerſitas præceptorum materialis ſola non diuerſitatem ſpecificam peccatorum. ibid. 5.
Quando præcepta ſunt diuerſa formaliter, & ex parte obiecti ſpecie diſtincti etiam in materia eiuſdem virtutis, peccata quæ illis præceptis opponuntur ſunt diuerſæ ſpeciei. ibi.
Diſtinctio numerica peccatorum internorum deſumenda eſt ex diſtinctis numero malitijs, ſeu contrarietatibus ad rationem. ibid. 6
Tot erunt diſtincta numero peccata intra eamdem ſpeciem, quot erunt actus voluntatis moraliter interrupti circa idem obiectum peccati. ibid.
Actus voluntatis cenſetur moraliter interruptus, quando voluntas prior eſt, vel per contrariam voluntatem reuocata, vel per voluntariam ceſſationem ab actu. ibid.
Probabiliſſimum eſt, in eodem actu poſſe dari plures malitias ſolo numero diſtinctas, & in confeſſione aperiendas. 431. 7.
Quando circa duo, vel plura obiecta diſtincta, duo vel plures actus ſucceſſiuè verſantur, non vnum tantummodo peccatum committitur, ſed plura. ibid.
Peccata quæ ſermone complentur, multiplicantur ſpecie, & augentur numero, quando verbum ſeu ſermo dirigitur, & refertur ad obiecta ſpecie diuerſa, iuxta probabiliorem ſententiam. 432. 8.
Peccata, quæ opere conſummantur ſpecie multiplicantur, vel ex obiectis ſpecie diſtinctis, vel ex fine, vel ex circumſtantijs mutantibus ſpeciem. ibid. 9.
Peccata operis numero multiplicantur, vel ex multiplicatione operis interrupti moraliter, vel ex multiplicatione obiectorum, quæ numero diſtinguuntur. ibi. 10
Vſus totius Eccleſiæ habet actus præcedentes, & concomitantes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem, non eſſe numero diſtincta peccata, nec in confeſſione eſſe neceſſariò explicanda, ſed ſufficere dicere actum principalem. ibi. 11.
Probabiliſſimum eſt oſcula, tactus, amplexus, qui copulam ſubſequuntur eſſe explicanda in confeſſione: quamuis contrarium in praxi obſeruetur. ibid.
Si actus qui præcedunt, vel comitantur actum principalem, habeant malitiam diſtinctam ab actu principali, diſtinguuntur numero, & ſunt diſtinctè exprimendi in confeſſione. ibid.
Quando tactus, oſcula, vel amplexus non fiunt ex affectu fornicationis, ſed tantum ob libidinem in ipſis repertam; ſi fornicatio poſtea fiat ex aliò affectu, tunc erunt peccatum diſtinctum à fornicatione. ibid.

Peccatum. Quoad illius effectus.

Peccatvm formaliter ſumptum eſt in ſola voluntate; denominatiuè verò poteſt eſſe in intellectu ſeu ratione, in imaginatione, & appetitu ſenſitiuo, in ore & opere. 433. 1
In ſenſualitate nullum eſt peccatum ſine ordine ad voluntatem cum dependentia tamen à voluntate, poteſt eſſe peccatum in ſenſualitate, ſeu appetitu ſenſitiuo. ibi. 2.
Vt motus ſenſualitatis culpabiles ſint ex parte libertatis requiritur aduertentia ex parte intellectus; & conſenſus ex parte voluntatis. ibid.
De fide eſt motus ſenſualitatis primò primos, id eſt præuenientes rationem, & voluntatem, non eſſe peccata mortalia. ibid.
Motus ſenſualitatis primò primi non ſunt peccata venialia: ſicut nec primi motus voluntatis, & intellectus. ibid.
Motus ſecundò primi, id eſt, qui partim ſequuntur rationem, partim pręueniunt, vt plurimùm ſunt peccata venialia. ibi.
Motus ſecundò ſecundi, id eſt perfectè deliberati, ſunt peccata pro ratione materia, venialia vel mortalia. ibi.
Vt motus appetitus ex cauſa voluntaria non ſint peccata, etiamſi expreſſè voliti, & in ſeipſis eſſent peccata mortalia, requiritur, vt quis expertus ſit ſe non incurrere probabiliter periculum conſentiendi per voluntatem in tales motus, & vt cauſa voluntaria quæ adhibetur, habeat vel honeſtatem, vel vtilitatem vel neceſſitatem aliquam. 434. 3.

Peccatum. Quoad illius effectus.

Peccatorvm effectus potiſſimi ſunt tres: *Corruptio naturæ, Macula animæ, Reatus pænæ:* ibi. 1.
De fide eſt, peccatum corrumpere naturam, vt patet ex Tridentin. ibid.

Peccatum neque tollit, neque minuit principia naturæ, aut eius proprietates naturales. ibid.
Peccatum tollit harmoniam animæ, per quam ſenſualitas rationi, & ratio plenè ſubijciebatur Deo, item corporis impaſsibilitatem, & immortalitatem. ibid.
Peccatum impedit inclinationem ad bonum, non tollit. ibid.
Secundus effectus peccati eſt *macula in anima* poſt peccatum relicta, quæ non niſi gratia abluente, & animæ inhærente, tolli poteſt. 435.2
Macula peccati non eſt reatus, ſeu obligatio ad pœnam, ſed defectus, ſeu priuatio nitoris animæ. ibid.
Ex peccato veniali contrahitur etiam macula ex parte. ibid.
Tertius effectus peccati eſt *reatus pœnæ*; qui nihil aliud eſt, quam quod homo peccatum dignus ſit pœna: atque adeo ad pęnam luendam diuinitus ordinatur. ibid. 3.
Aliud eſt culpa, aliud pęna, aliud reatus pęnæ, aliud debitum pœnæ. ibid.
Peccatum mortale perſonale meretur pęnam æternam, tum damni, tum ſenſus. ibid. 4
Peccatum veniale meretur pęnam temporalem, tam damni, quam ſenſus: per accidens tamen peccatum veniale coniunctum mortali perſonali, in inferno punitur æterna pęna. ibid.

Peccatum.

Inter peccatum, vitium, & culpam eſt diſcrimen. 436.1.
Virtus habet tres gradus, nam alia eſt vera, alia viua, alia perfecta. ibid. 2.
Peccatum, aut vitium eſt contra naturam, id eſt, contra rectam rationem. Virtus autem non ſolùm naturalis, & acquiſita, ſed etiam ſupernaturalis, & infuſa, eſt naturæ hominis valdè conueniens, vtpote illam exornans, & perficiens. ibid. 3.
Peccata reſpectu appetitus ſenſitiui, partim ſunt conſentanea naturæ humanæ, partim diſſentanea, partim non conſentanea. ibid.
Grauitas peccati omiſſionis ſpecifica æſtimanda eſt ex obligatione legis; imò etiam ea difficultate, quæ operi eſſet adiuncta. 437.4
Vt omiſſio quæpiam ſit voluntaria, & culpabilis, requiruntur tria, 1. eſt, quod quis potuerit agere, 2. quod debuerit, 3. quod non egerit. ibid. 5.
Vt opus, ſeu effectus omiſſionem conſequens, ſit voluntarius, atque adeo imputetur illi, qui quippiam omittit, hæc tria requiruntur, 1. quod effectum illum impedire potuerit, 2. quod eundem impedire debuerit, 3. quod non impedierit. ibid.
Ex præcedenti doctrina reſoluuntur hinc multi caſus. ibid.
Quando cauſa, ſeu occaſio omiſſionis, non fuit actus aliàs malus, & prohibitus, eſt vnum numero peccatum, quod reuocatur ad peccatum omiſſionis. Secùs, quando cauſa omiſſionis fuit actus alioquin malus, & prohibitus, tunc habet diſtinctam malitiam in confeſſione explicandam. ibid. 6.
Vt quis peccati mortalis ſit reus, & peccet mortaliter requiritur plena, & perfecta cogitatio, ſeu expreſſa aduertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, ſeu ſcrupulus peccati. ibdi. 7.
Ad peccatum mortale, non ſufficit, vt aliquis potuerit ſimpliciter, vel debuerit malitiam conſiderare, ſed requiritur expreſſa conſideratio malitiæ, vel ipſius periculi, vel expreſſa dubitatio, ſeu ſuſpicio aliqua malitiæ, vel periculi, alioquin inaduertentia: ſeu obliuio cenſetur inuincibilis, & inculpabilis. ibid.
Sano modo intelligendi ſunt Doctores, & iura dicentia, quod *ſcire, & debere ſcire paria ſunt.* Dicendum eſt igitur, quod debere ſcire æquiparatur ſcientiæ modo præceſſerit cognitio, ſeu cogitatio malitiæ, vel eius periculi, ſeu dubium, aut ſaltem ſcrupulus. ibid.
Probabile eſt ad peccatum mortale requiri plenam aduertentiam malitiæ quatenus malitia eſt mortalis, & non ſufficere cognitionem malitiæ in genere. Sed probabilior ſententia aſſerit ſatis eſſe, vt homo aduertat ad malitiam. 438.
Ad diſcernendum conſenſum perfectum, & imperfectum in dubijs ad peccatum mortale requiſitum, regula prima eſt. ibid.
Quando homo rei prauæ appetitum aduertens, ſe ita diſpoſitum ſentit, vt quamuis facilè rem exequi poſſet, non exequeretur, vt plurimum iudicandum eſt, aut nullum, aut imperfectum conſenſum adfuiſſe. ibi. 8.
Regula ſecunda. Quando dubitans eſt vir bonus, & bonis moribus imbutus, timidæque conſcientiæ, & peccatis diſſentire ſolet, credendum eſt eum non perfectè conſenſiſſe, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiſerit. ibid.
Tertia regula eſt. Quando quis dubitat, an dormiens, vel vigilans, an ſui compos, an potiùs ebrietate, aut phreneſi captus, aliquid voluerit, dixerit, aut fecerit, non leue iudicium eſt, plenam deliberationem, & conſenſum defuiſſe. ibid.
Non eſt ſignum ſufficiens ad probandum conſenſum ſola delectationis perſeuerantia poſt plenam aduertentiam. ibid.
Ad operis malitiam contra conſcientiam errantem, verius eſt opus eſſe, vt id indicium actus perſeueret, dum opus contra conſcientiam errantem ſit, vt peccato imputetur; nec ſufficere, vt virtute perſeueret. ibid. 9.

Penſio, Penſionarius.

Penſio eſt ius certæ penſionis ad tempus exigendæ, aut ſoluendæ, ex determinato beneficio, aut à beneficiario eccleſiaſtica beneficia poſſidente. 439.1.
Penſio differt à beneficio in duobus. ibi.
Penſio duplex eſt, laica, & clericalis. ibid. 2.
Penſio clericalis, vna eſt ſimpliciter ſpiritualis altera media, ſiue mixta. ibid.
De iure communi nullus poteſt penſiones imponere, niſi Summus Pontifex: in certis tamen caſibus, conſuetudine iam præſcripta, & ex iuſta cauſa penſionem conſtituere poſſunt Epiſcopi. ibid. 3
Non poteſt Princeps ſine conſenſu Pontificis penſionibus Abbates onerare, niſi ſub beneplacito Papæ: quod antequam interueniat, nullas vires habet vlla promiſſio, aut effectum obligatio. ibid.
Qui ante beneplaciti Papæ interuentum vtitur effectu talis reſeruationis exigendo, aut recipiendo penſionis ſolutionem, non excuſatur à pęna ſimoniæ, & tenetur recipiens ad reſtitutionem: vt traditur in bullis *Pij IV. & V.* ſuper confidentijs editis. ibid.
Legati à latere poſſunt etiam ex cauſa rationabili penſiones imponere, eodem modo, quo Epiſcopi. ibid. 4.
Papa omnibus perſonis, tam veris quàm fictis poteſt penſiones conferre, etiam fęminis, infantibus irregularibus. ibid. 5
Penſionarij obligationes multæ ſunt. ibi. 6.
Peccata quæ in materia penſionis committi poſſunt, reducuntur ad iniuſtitiam, iniquitatem ſimoniam, & confidentiam. 440.7.
Penſionarius contra iuſtitiam peccat, ſi exigat ſine iuſto titulo penſionem vel non verificata conditione narrata. ibid.
Penſionarius cõtra æquitatem peccat ſi beneficiario omnino grauato, vel exiguos fructus colligente, integram penſionem vel exigere. ibid. 8.
Simoniacè peccari poteſt in materia penſionum; ſed hæc ſimonia illicita eſt, quia prohibita. ibi. 9.
Penſio quæ datur ad officium aliquod ſpirituale, non poteſt pretio vendi, neque redimi abſque vitio ſimoniæ. ibid. 10.
Penſio quæ fundatur in titulo merè temporali, poteſt vendi pretio, & redimi ſine ſimonia. ibid.
Probabilius eſt ſtando ſoli rationi licet redimere penſiones mixtas etiam ſine authoritate Papæ. ibid.
Penſiones mixtæ ex praxi recepta ſolent redimi, ſeu extingui conſentiente penſionario, quinque annatis. ibid.
Qui non habet facultatem transferendi, non poteſt vllo modo de penſione ipſa, quoad ius ipſum exigendi fructus contrahere illam vendendo. permutando, &c. ibi. 11.
Qui poteſt transferre penſionem, non poteſt id facere accepto pretio ſine ſimonia. ibi. 12.
Non committitur confidentia ſimoniaca, quando penſio ceditur, transfertur confertur cum confidentia vitioſa, interueniente pacto de actione omnium, vel partis fructuum, in fauorem conferentis vel alterius. ibi. 13.
Penſio debet eſſe moderata; conſuetudine iam ferè introductum eſt, vt pro penſione ex beneficio tertia redituum pars extrahatur. ibi. 14.

Penſio.

Pensio clericalis, quæ datur titulo Eccleſiaſtico perſonæ clericali tonſura initiatæ, non eſt res, ſiue ius profanum, ſed eſt ius ſpirituali rei annexum, vt conſequens; quamuis non ſit improbabilis ſententia Canoniſtarum ſuſtinens eſſe tantùm ius profanum per ſe à beneficijs diſtinctum. 441.1.
Penſio neque poteſt conſtitui, neque transferri interueniente pecunia, quæ tanquam pretium ſoluatur pro tranſlatione, aut conſtitutione penſionis. ibid 2.
Penſionarius liberè poteſt cedere penſioni priuata authoritate; niſi ſit ordinatus ſacris ordinibus ad titulum penſionis, tunc requiritur licentia Epiſcopi. ibi. 3.
Poteſt quis cedere penſionem alteri durante propria vita, pro certa pecuniæ ſumma nullo iure ſibi reſeruato, ad habendum, tenendum, liberè diſponendum, imò & donare alteri fructus penſionis, abſque vlla ſimonia; quamuis negent nonnulli recentiores. ibid. 4
Penſio conceditur tantùm ex tribus cauſis in Gallia, quæ iure communi ſunt approbatæ, 1. ad litem de beneficio dirimendam, 2. ne reſignatus nimio detrimento afficiatur, 3. in permutatione beneficij. 442.5.
In Hiſpania, & Italia admittuntur etiam penſiones, quas vſus curiæ Romanæ induxit, & approbauit. ibid.
Aliud eſt penſionem imponere ipſi beneficiario, aliud verò in ipſo beneficio. ibi. 6.

Digitized by Google

Epiſcopi, vel alij locorum ordinarij non poſſunt penſiones in beneficijs conſtituere de iure communi: quamuis ex conſuetudine iam præſcripta penſionem conſtituere poſſint Epiſcopi in caſibus numero præcedenti relatis. ibid.

De iure poſſunt Epiſc. penſiones imponere perſonis beneficiariorum: ſed hæc penſio ad ſucceſſorem in beneficio non tranſit. ibid.

Cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis, vel ſunt lucratiuæ, vel oneroſæ. ibid. 7.

Penſionis capax eſt beneficium ſimplex cuiuſcumque valoris ſit, regulariter loquendo. Beneficium parochiale minoris valoris quàm 100. aureorum, non eſt capax penſionis, regulariter loquendo Epiſcopatus; cuius reditus mille aureos non attingit penſionem non admittit. ib. 8.

In beneficio cuius reditus conſiſtit in quotidianis diſtributionibus; pro præſentibus, iure antiquo penſio non conſtituebatur; iure autem nouo conſtituitur, quando exprimitur. ibid.

Quando penſio datur laico pro miniſterio merè temporali, non vacant per matrimonium penſiones ſic conſtitutæ: ſecus ſi penſio alicui collata ſit titulo clericali, vt loco beneficij. 443. 9.

An autem penſiones extinguantur profeſſione ſolemni religionis; Quidam docent non extingui. Alij affirmant, & hæc ſententia eſt tenenda in ijs caſibus, in quibus penſiones extinguuntur per contractum matrimonij. ibi. 10.

Penſiones non extinguuntur per vota biennij ſimplicis in ſocietate Ieſu emitti ſolita, ſed durant, donec religioſus ille, vel profeſſionem ſolemnem, vel vota coadiutorum formatorum emittat. ibid.

Penſionarius, qui mutato clericali habitu, militarem induit, & efficitur miles, ipſo facto non amittit penſionem. ibid. 11.

Penſionis eſt incapax religioſus ſuper beneficio ſæculari, ſiue ſimplici, ſiue curato obtinendæ, abſque diſpenſatione ſummi Pontificis, imò & ſuper beneficio regulari. 444. 12

Prælatus regularis conferens monacho beneficium regulare poteſt imponere illi ex iuxta cauſa penſionem ſoluendam alteri monacho eiuſdem monaſterij ad nutum ſuum reuocabilem. ibid. 13.

Conſtitutio Pij V. quæ incipit, *Ex proximo*, obligatio penſionarios, qui vt Clerici penſiones accipiunt, ſub mortali ad dicendum officium Beatæ Virginis, eo modo, quo obligantur beneficiarij perſoluere horas Canonicas, & ſub iiſdem pęnis: quidquid in contrarium aliqui doceant. ib. 14

Quando penſio reſeruata fuit in capite, ſeu Perſona vnius, ſed in commodum, & vtilitatem alterius, vt fit in Hiſpania, quidam docent illum teneri ad officium B. V. in cuius commodum aſſignata eſt penſio; alij ſuſtinent illum teneri, qui verè eſt penſionarius, & qui habet ius penſionis, & non commodum, in cuius capite, & perſona conſtituta eſt penſio: vtraque opinio eſt probabilis. ibid. 15.

Penſionarius, qui conſentit penſionem redimi, accepta nonnullorum annorum anticipata ſolutione, probabiliter non tenetur ad officium B. Virginis. ibid. 16.

Qui ceſſit penſioni ſolùm in partem, non manet exemptus ab obligatione huius officij. Secus ſi liberaliter ceſſit penſioni in totum. ibid.

Si Clericus penſionarius nomen dedit in ordinem militarem, cùm facultate retinendi penſionem, non tenetur ad officium B. Virginis, ſed ſatisfacit recitando orationes Dominicales, & Angelicas à religione præſcriptas. 445. 17.

Si Clericus penſionarius fiat miles Lauretanus, & nubat obligatur retenta penſione, & virtute illius militiæ ad officium paruum B. Virginis. ib.

Penſionarius, qui tanquam Clericus recipit fructus, & officium paruum B. Virginis omiſit; tenetur ad reſtitutionem omnium fructuum faciendam fabricæ, vel pauperibus, non eſt tamen improbabile teneri tantùm reſtituere tertiam partem fructuum. ibi. 18.

Penſionarius poteſt compenſare reſtitutionem debitam pro omiſſione officij B. Virginis, cum eleemoſynis, quas dedit medio illo tempore, quo non recitauit officium. ibid.

Pignus.

PIGNVS, latè ſumptum, res eſt ſubiecta, vel obligata pro debito, vt ſi aliter ſatisfactum non fuerit, inde ſatisfieri poſſit: ſtrictè ſumptum addit traditionem eius creditori, vel alteri loco illius. ibid. 1.

Pignoris obligatio naſcitur, vel ex Prætoris iuriſdictione, vel ex partium conuentione, vel ex iuris conſtitutione. ibid. 2.

Pignus aliud dicitur Prætorium, aliud conuentionale, aliud legitimū. ib. 2

Pignus legitimum ſeu hypotheca eſt, quæ neque iudicis præcepto, neque partium conuentione, ſed legis diſpoſitione conſtituitur; vnde tacita hypotheca vocari ſolet. ibi. 3.

Pignori ſubijci poſſunt non ſolùm res corporales quædam exiſtunt, verùm etiam quæ erunt, & futuræ ſperantur. 446. 4

Illa non poſſunt eſſe pignori, quæ non poſſunt vendi. ibid. 5

Qui habet liberam ſuarum rerum, vel aliorum bonorum adminiſtrationem poteſt pignori dare: aliàs non. ibid. 6.

Varia peccata circa pignora poſſunt contingere. ibid. 7.

Pignus, & Hypotheca.

Ex pignore duæ oriuntur obligationes. Aliæ pertinent ad debitorem, qui rem oppignorauit: aliæ ad creditorem, qui pignus ſuſcepit. Ex parte debitoris obligationes ſunt tres. ibi. 1.

Ex parte creditoris obligationes ſunt quinque. 447. 2.

Creditor computare debet in ſortem fructus agri ſterilis ſibi dari in pignus, quem non colebat dominus antea quia ſterilis reputabatur, limita; niſi fructus eſſent modici, & labores magni momenti in agro colendo. ibid. 3.

Non ſolùm fructus, quos pignus iam attulit, verùm etiam quos tuliſſet, negligentia tamen ipſius creditoris non tulit; tenetur creditor in ſortem computare. ibid. 4.

Fructus deducendi in ſortem à creditore ſunt illi, quos pignus dolo, vel lata culpa ſua non tulit, imò etiam ex leui, quamuis non ex leuiſſima, vel caſu fortuito. ibid.

Qui domum inhabitat ſibi à debitore datam in pignus, debet pretium vſus domus computare in ſortem, ſecundùm quantitatem penſionis, qua illa domus locari conſueuit. Limita in caſu; quo nullus adſit, qui velit eam domum pignori obligatam conducere; tunc creditori nihil debet pro habitatione. ibid. 5.

Qui pignus ab aliquo accepit, poteſt illud alteri oppignorare, non ſolùm ſemel, aut bis, ſed etiam centies, dummodò ſolùm det, & obliget in tanta pecuniarum quantitate, quantam ipſe primo debitori credidit. ibid. 6.

Pignus conuentionale, ſi debitor ſit in mora ſoluendi, vendi poteſt à creditore, ſi inter eos ſit conuentum, vt illud vendere poſſit. Si nihil eſt conuentum, tunc præter moram requiritur trina denunciatio facta debitori. ibid. 7.

Si nihil conuenerit inter creditorem, & debitorem, denunciandum debitori completo ſolutionis tempore, vt ſoluat debitum, quòd ſi intra biennium non ſoluerit, tunc creditor poteſt pignus vendere. ibi.

In venditione pignoris iudicialis expectandi ſunt quatuor menſes poſt latam ſententiam, antequam ad pignus capiendum procedatur. Poſt pignus apprehenſum ad alios duos menſes debitor eſt expectandus, antequam pignus vendatur, &c. ibi. 8.

In iure canonico aſſignantur tres cauſæ, in quibus creditor, ſeu pignoratarius non cogitur fructus pignoris in ſortem computare, quarum prima eſt. ibi. 9.

Quando maritus pro dote vxoris ſibi promiſſa, & non ſoluta recipit pignus, vt ex eo fructus colligat, donec promiſſam ſibi dotem accipiat. ibid.

Secunda cauſa. Quando Titius dat Caio feudum nomine, & iure feudi, quem deinde ipſe Titius loco pignoris accepit à Caio, qui in feudum ſuſceperat fundum; tunc fructus illius pignoris Titius facit ſuos, nec cogitur eos computare in ſortem debiti. ibid.

Tertia cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis eius, cui datur. ibid.

Dum res oppignorata, ſeu hypothecata variatur, remanet ſemper ſubiecta pignoris res ita variata. ibid. 10

Quando ſylua ſubiecta pignori, vel hypothecæ ceditur, ſolùm remanet ſubiectum imò etiam, & ipſa ligna inciſa. ibid.

Quando res ſubiecta hypothecæ melior redditur, & augmentum accipit, ſolum ipſum, & ipſumet augmentum remanet ſubiectum hypothecæ.

In pignoribus prohibetur omne pactum turpe, quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum ſit, inter quæ eſt pactum legis commiſſorię. 449. 11.

Obligatio pignoris, vel hypothecæ multis modis ſoluitur. ibid. 12.

Ex pignore duæ actiones oriuntur; vna dicitur pignoratitia, & eſt actio perſonalis. Altera eſt hypothecaria, ſiue ſeruiana, quæ eſt actio realis. ibid. 13.

Pignoratitia actio duplex eſt, vna directa, quæ competit debitori in creditorem. Altera contraria, quæ competit creditori in debitorem. ibid.

Pœna.

Pœna eſt id quod pro culpa infertur: nomine autem pœnæ loquendo iuridicè, & non Theologicè venit ſolum corporalis. ibid.

Pęna à Theologis duplex ponitur, priuatiua, ſcilicet, & poſitiua. ibi. 2.

Pęna à Iuriſperitis diuiditur ſecundùm ſe in ſpiritualem, corporalem, & pecuniariam. ibid. 3.

Ex parte cauſæ pœnam inferentis conſtituitur pęna legalis, iudicialis, & conuentionalis. 450. 4

In fauorabilibus pęna impoſita à iure in vno caſu, videtur impoſita in alio, quando illa duo in iure æquiparantur, ſed in pęnalibus contrarium eſt dicendum. ibid. 5.

Pęna impoſita à iure, vel ſtatuto in aliquo delicto, locum non habet in actu vicino ipſi delicto, niſi quis actum perficiat: ſecus ſi per decretum Iudicis ſit imponenda. ibi. 6.

Pęnæ poſitiuæ, quæ ad ſui executionem aliqua actione indigent, ſiue imponantur ipſo iure, ſiue facto, non incurruntur ſine ſententia iudicia

& executione per ipſum. ibid. 7.
Pœnæ priuatiuæ, quæ nullam ad ſui executionem actionem deſiderant, ſed ſecum trahunt executionem, vt cenſuræ, irregularitas, nulla opus eſt ſententia ad illas incurrendas. ibid.
Probabilius eſt pœnam conuentionalem non deberi ante iudicis ſententiam. ibid. 8.
Pœna à teſtatore adiecta debetur ſtatim, ac incurritur in foro conſcientiæ, nulla expectata iudicis ſententia, aut executione. 451. 1.
Pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, commiſſo crimine pro quo ſunt impoſitæ, ſtatim incurruntur, nulla expectata iudicis ſententia, quando ipſo iure, aut ipſo facto ſunt latæ. ibid. 2.
Pœna amiſſionis beneficij ipſo iure, aut ipſo facto, quæ paſſim habetur in iure, non debetur ante latam ſententiam declaratoriam criminis, niſi clarè appareat in contrarium eſſe intentionem legiſlatoris. ibid.
Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus aliquis ipſo iure priuatur officio, vel beneficio, hoc efficiunt vt ſtatim amittat titulum ipſum, retinet tamen poſſeſſionem, qua priuari non poteſt, niſi cognita cauſa. ibid.
Probabilius, eſt illum non teneri ad reſtitutionem, cuius bona ob crimen iuſtè ſunt confiſcanda, ſi hoc fraude, aut mendacijs impediat; & ſic pœnam legis non eſſe ſoluendam, iudice non condemnante reum. ibid. 3.
Ex præcedenti doctrina reſoluuntur multi caſus, in quibus non eſt obligatio reſtituendi pœnam. ibid.
Lex pœnalis poteſt per conſuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam: & è contra poteſt conſuetudo abrogare legem, quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam. 451. 4.
Pœna negatiua de non contrahendo matrimonium cum tali perſona, ſiue cum quacunque in communi, non poteſt licitè, neque validè imponi. ibid. 5.
Pœnam ſtatutam à lege pro aliquo crimine non poteſt iudex ordinarius regularis, vel alius commutare, minuere vel augere; ſecus dicendum de iudice ſupremo, qui poteſt in lege diſpenſare. ibid. 6.
Pœnam ordinariam poteſt iudex augere, quando crimen eſt extraordinarium, idque ex iuſta cauſa, non verò ad libitum. Similiter, & minuere, iuſta ad id ſuadente cauſa. ibid.

Pœnitentia. Vt eſt Virtus.

Pœnitentia, vt eſt virtus, nihil eſt aliud quàm dolor animi ſeipſum affligentis, vel punientis ob malè commiſſa, vel omiſſa. 453. 1.
Pœnitentia vt virtus eſt, conuenit in quinque cum ea, vt eſt ſacramentum. ibid. 2.
In alijs quinque differunt virtus, & ſacramentum pœnitentiæ. ibid. 3.
Pœnitentia non eſt virtus Theologica, ſed moralis per ſe infuſa, & ſupernaturalis. ibid. 4.
Obiectum materiale pœnitentiæ vt fugiendum, eſt malum culpæ; vt amplectendum, eſt aliquod opus bonum. ibid. 5.
Obiectum formale pœnitentiæ eſt reſarcire diuinam iniuriam, & velle ſatisfacere pro pœna ibid.
Actus pœnitentiæ, alij ſunt externi alij interni. ibid. 6.
Ad veram pœnitentiam interiorem ſex partes requiruntur. ibid. 7
Pœnitentiæ exterioris tres ſunt ſpecies, vna dicitur ſolemnis, altera publica, tertia ſecreta ſacramentalis. ibid. 8.

Pœnitentia. Vt eſt ſacramentum, de eius inſtitutione, neceſſitate, & precepto.

Pœnitentia eſt ſacramentum nouæ legis à Chriſto inſtitutum, cùm dixit, *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. 454. 1.
Pœnitentia definitur ſacramentum reconciliationis poſt lapſum in actibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis conſiſtens. ibid. 2.
In ſacramento pœnitentiæ eſt res tantùm; ſacramentum tantùm; & res ac ſacramentum ſimul. ibi. 3.
Pœnitentiæ ſacramentum in lege noua neceſſarium eſt medium ad ſalutem, in re vel in voto, ſi homo baptizatus in mortale peccatum ſit lapſus. ibi. 4.
Quomodo peccatum mortale remittatur per ſacramentum pœnitentiæ in voto ſuſceptum. ibid. 5.
Qui contritione iuſtificatus eſt à peccato mortali, iure diuino tenetur peccatum illud confiteri, & recipere abſolutionem. ibid. 6.

Pœnitentia. Quoad effectus primarios ſacramenti Pœnitentiæ.

Effectus primarij ſacramenti pœnitentiæ ſunt quatuor. Remiſſio peccati mortalis. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem. Sacramentalis gratia: & ablatio reliquiarum peccatorum. ibi. 1.
Extra caſum naturalis obliuionis, vel inconſiderationis, nunquam remittitur peccatum ſine formali actu pœnitentiæ; quando autem deeſt pœnitentia formalis, neceſſarius eſt actus dilectionis Dei ſuper omnia, ſeclusſo ſacramento, & Martyrio, ibid. 2.
De fide eſt, vnum peccatum mortale non poſſe remitti ſine alio de potentia Dei ordinaria. 455. 3.
Licet pœnitentia per ſe, & directè tantùm deleat peccata confeſſa; per accidens tamen, & indirectè delentur etiam oblita, & omiſſa ex cauſa excuſante. ibid.
Commutatio pœnæ æternæ in temporalem eſt ſecundus effectus ſacramenti pœnitentiæ. ibi. 4.
Gratia ſacramentalis, id eſt, ſpeciale auxilium diuinum ad vitanda peccata eſt tertius effectus ſacramenti pœnitentiæ. ibid. 5.
Quartus effectus eſt tollere reliquias peccatorum ex parte, vt propenſiones in praua obiecta relictas ex varijs. ibid. 6.

Pœnitentia. Quoad illius effectus ſecundarios.

Effectus ſecundarij ſacramenti pœnitentiæ ſunt tres. Remiſſio venialium. Viuificatio operis ſacramenti fide ſuſcepti. Reſtitutio in priſtinam dignitatem, & merita. ibid. 1
Remiſſio peccati venialis eſt beneficium gratiæ, nec poteſt viribus naturæ comparari, ſine auxilio Dei gratuito. ibid.
Nullum veniale dimitti poteſt, cùm de eo voluntas actu, vel virtute ſibi complacet. ibid. 2.
Ad tollenda venialia ſufficit virtualis pœnitentia. ibid.
Contritio tollit reſpectiuè omnia peccata venialia, de quibus habetur; Attritio autem in peccatore non eſt ſufficiens ad venialia delenda. 456. 3.
Omnia peccata venialia, cum quibus homo iuſtus moritur, remittuntur quoad culpam in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore. ibi. 4.
Peccatum veniale coniunctum cum mortali remittitur per ſacramenta, imò veniale per ſe ſolùm in homine iuſto remittitur per ſacramenta ex opere operato. ibi. 5.
Per ſacramentalia remittuntur peccata venialia, ſed non ex opere operato iuxta tutiorem ſententiam. ibid. 6.
Sacramentalia ſunt remedia quædam ab Eccleſia inſtituta, quibus ſolet attribui effectus remiſſionis venialium; & ſunt nouem. ibid. 7.
Secundus effectus ſecundarius pœnitentiæ eſt, quod viuificat opus ſacramenti fictè ſuſcepti. ibi. 8.
Tertius effectus minus præcipuus pœnitentiæ eſt, in priſtinam dignitatem reſtituere: ita vt opera bona per peccatum mortale mortificata reuiuiſcant. ibi. 9.
Omnia, & ſola opera reuiuiſcunt, quæ aliquando vixerunt, nempe opera ſupernaturalia iuſtorum, quibus Deus promiſit vitam æternam. ibid.
Pœnitentia, vt eſt virtus ſpecialis, eſt diſtincta virtus à reliquis virtutibus. 457. 1.
Pœnitentia non eſt verè, & propriè ſpecies iuſtitiæ propriè dictæ: continetur tamen ſub iuſtitia analogicè, & per quandam ſimilitudinem, tanquam pars illius poteſtatiua. ibid. 2.
Actus virtutis pœnitentiæ eſt ſimpliciter neceſſarius lapſis ad iuſtificationem expreſsè, aut ſaltem implicitè, & virtualiter, ſeu æquiualenter. ibid, 3.
Actus virtutis pœnitentiæ, ſicut & actus aliarum virtutum, vt fidei, ſpei, religionis, &c. quamuis ſit diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam, non tamen eſt vltima diſpoſitio, ſed ſolus actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum. ibid.
De fide, eſt in noua lege, ſeu gratiæ dari verum Sacramentum pœnitentiæ: In lege autem naturæ, & in lege veteri ſcripta non fuit Sacramentum pœnitentiæ. ibid. 4.
Omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, debet neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum illud non committendi, ita vt excludat actualem omnem affectum ad peccatum. ibid. 5.
Probabile eſt, per quemcumque actum meritorium habentem oppoſitionem cum venialibus, vel relatum à merente ad eorum remiſſionem, remitti etiam venialia, 458. 6.
De potentia Dei ordinaria, non poteſt remitti peccatum veniale abſque mortali: ſecus de potentia Dei abſoluta. ibi. 7.
Peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam, non redeunt; nec vlla potentia redire poſſunt per peccatum de nouo commiſſum. ibid. 8.
Peccata ſemel remiſſa non redeunt, nec etiam redire poſſunt propriè, & formaliter de potentia Dei ordinaria, quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum. ibid.
De potentia Dei abſoluta reatus peccatorum præcedentium redire poteſt per ſubſequens peccatum. ibid.
Peccata præterita dimiſſa aliquo modo, & quaſi per accidens redeunt ratione ingratitudinis, & maioris deformitatis, quæ in peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſorum continetur: vnde tale peccatum grauiùs punietur. ibid.

Pœn.

Digitized by Google

Pontificalium vſus.

Episcopis non licet in Eccleſijs Abbatialibus exemptis ſuarum diœceſum Pontificalia exercere, niſi priùs habita Abbatum licentia: licet poſſint vti Pontificalibus in dictis Eccleſijs, abſque aliquo exercitio iuriſdictionis, ſine Abbatum licentia. 459.1

Epiſcopi in locis exemptis non poſſunt ordinationes celebrare, Confirmationis Sacramentum miniſtrare, calices conſecrare & corporalia benedicere, &c. quia hæc ſunt iuriſdictionis. Poſſunt tamen in Eccleſijs exemptis Pontificalia exercentes, baldachinum exigere, vt decreuit ſacra Congregatio. ibid.2

Pontificalia inſignia, & ornamenta ſunt, Mitra, Baculus Paſtoralis, Annulos, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirotecæ, & Crux pectoralis. ibid 3

Negant nonnulli, poſſe Epiſcopum in aliena diœceſi, aut loco alterius iuriſdictionis extra diœceſim, Miſſam ſolemnem in Pontificalibus celebrare. Tamen affirmatiuam ſententiam defendunt multi Authores; tam de iure antiquo, quàm de iure nouo Concilij Tridentini. ibid.4

Poſſeſſio. Poſſeſſor.

Possessio dicitur à pedum poſitione: accipitur autem poſſeſſio pro actu poſſidendi, & ſic eſt poſſeſſio facti: ius autem poſſidendi, dicitur poſſeſſio iuris. 460.1

Poſſeſſio facti eſt detentio rei corporalis vel apprehenſio, adminiculo corporis, & animi & iuris. ibid.2

Poſſeſſio iuris eſt ius inſiſtendi alicui rei, tamquam ſuæ non prohibitæ poſſideri. ibid.3

Poſſeſſio diuiditur in ciuilem, naturalem & mixtam. ibid.4

Poſſeſſio acquiritur apprehenſione vera; apprehenſione ficta; legis diſpoſitione. ibid 5

Apprehenſio vera eſt, quæ fit manibus vel pedibus. ibid.

Poſſeſſio iuris fictione acquiritur ſine apprehenſione corporali multis modis. ibid.6

Poſſeſſio, legum diſpoſitione interdum transfertur abſque vlla vera vel ficta apprehenſione, ſi leges ita ſtatuant. ibid 7

Poſſeſſio [illegible] ſeruitutum duobus modis acquiritur. ibid.8

Poſſeſſio rei immobilium, tam ciuilis, tum naturalis, multis modis amittitur. ibid 9

Priuilegia poſſeſſionis bona fidei plurima ſunt. 461.10

Poſſeſſionem non efficit, ſed retentionem apprehenſio, & inſiſtentia in ſe corporea, ſi aliquo animo fiat, quàm habent eam, vt ſuam. ibid.n.1

Poſſeſſio eſt, aut cum bona fide, aut cum mala fide. Cum bona fide poſſeſſio eſt, quando quis iuſto errore ductus rem habet cognitione, & opinione domini, cum non ſit dominus. Cum mala fide eſt, quando quis ſciens ſe non eſſe dominum, perinde elegerit, ac ſi dominus rei eſſet. ibid 2

Non eſt bona fides, quando ex craſſa, aut ſupina facti ignorantia oritur, vt quoties quis hac ignorantia putat rem eſſe alienam. ibid.

Ex ignorantia iuris naturalis, non conſurgit bona fides ad acquirendos fructus, vt ſi quis norit rem eſſe furtiuam: ignoret tamen ſibi non licere eam emere. ibid.3

Inuincibilis iuris humani ignorantia, ſatis eſt ad producendam bonam fidem ad fructus acquirendos. ibid.

An dubia fides, qua quiſpiam poſſidet rem dubitans, an ſit ſua, ſit dicenda bona, an mala fides; Quidam dicunt eſſe bonam, alij verò malam; ſed dicendum eſt, dubitantem non cenſeri habere bonam fidem ad inchoandam poſſeſſionem, quamdiu manet dubitatio. 462.4

Speculatiuè loquendo, datur medium inter malam, & bonam fidem: ſi hæc practicè ſpectentur, nequit inter vtramque medium dari. ibid.

Fides quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicitur bona, vel mala, nempe, *ciuiliter*, & *canonicè*. Fides mala ciuiliter eſt illa, quæ eſt contra diſpoſitionem legis ciuilis fides mala canonicè dicitur illa, quæ inuoluit peccatum mortale. ibid.5

Si bona fides ciuilis ſit ſine peccato, eam nõ damnat, nec damnare poteſt lex Eccleſiaſtica. ibid.

Poſſeſſor malæ fidei ciuilis, vt præſcribat, præſupponit bonam fidem Canonicam, id, eſt, conſcientiam non læſam peccato mortali inſtar acceptionis vel detentionis. ibid.

Præceptum.

Præceptum eſt motio ſuperioris aut legis imperatiua alicuius faciendi vel omittendi ex debito, id eſt, ex neceſſitate ſalutis. ibid.1

Præceptum differt à mandato, & conſilio. ibid.

Præceptum in lege veteri fuit triplex, ſcilicet, morale, iudiciale, cæremoniale. ibid.2

Præceptum morale aliud eſt affirmatiuum, aliud negatiuum. ibid.

Præceptum de ſingulari bono non habet rationem legis, niſi ſecundum ordinem ad bonum commune. hoc eſt, quando commune omnibus eſt ibid.3

Præceptum finitur morte præcipientis: lex autem donec à ſucceſſore, vel conſuetudine abrogetur perſeuerat. ibid.

Nullum præceptum ſiue diuinum, ſiue naturale, ſiue humanum impleri poteſt, niſi per actum humanum, & liberum, quo quis velit efficere id, quod præceptum iniungit. ibid.5

Ad præcepti impletionem non exigitur intentio ſatisfaciendi præcepto per id opus. ibid.5.

Præcepta negatiua impleri poſſunt ſine vlla intentione, & voluntate; affirmatiua minimè, cùm requirant actionem liberam. ibid.

Veriùs eſt illum, qui fecit pœnitentiam impoſitam à confeſſario abſque intentione illam implendi, imò cum intentione contraria, non teneri denuò illam facere. 464.ibid.

Probabilius eſt obligationi iuſtitiæ non ſatisfieri, abſque animo illi ſatiſfaciendi. ibid.

Item probabilius eſt præcepto ſatisfieri, etiamſi adſit voluntas, & intentio non ſatisfaciendi præcepto per illud opus. ibid.6

Qui intentionem habet non ſatisfaciendi præcepto, etiamſi illud materialiter exequatur peccat mortaliter, non contra illud præceptum ſpeciale, ſed contra præceptum naturale diuinum, quo quiſque ſubiectus eſſe tenetur legi, & legiſlatori. ibid.7

Certum eſt per actus, qui peccata ſunt, ſatisfieri præceptis. 577.8

Pluribus præceptis ſatisfieri poteſt vnico actu. ibid.9

Tranſgreſſio operis duplici præcepto iniuncti, non eſt duplex culpa, neque circumſtantiam in confeſſione aperiendam continet; ſed tunc demum erit duplex culpa, quando præcepta ad diuerſas virtutes pertinent. ibid.10

Poteſt vno, & eodem tempore, diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfieri quando vnum non impedit aliud. 465.11

Quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, eſt violandum, quod minus obligat, quia ceſſat. ibid.12

Quando attentis omnibus circumſtantijs vis maior neutrius præcepti incompatibilis conſtat, vtrumuis elegi poteſt. ibid.13

Præcepta Decalogi ſunt iuris naturalis. ibid.14

Præceptum ſuperioris de re leui non obligat ad mortale, etiamſi qui præcipit id velit, & iubeat in virtute ſanctæ obedientiæ. 578.15

Finis præcepti non cadit ſub præceptum. ibid.16

Præceptum eſt motio ſuperioris imperatoria ad aliquid agendum vel fugiendum ex neceſſitate. ibid.1

Præceptum ex parte materiæ diuiditur in generale & ſpeciale, Generale præcipit bonum, & prohibet malum in genere. Speciale verò certæ virtutis actum præcipit vel ſpecialis vitij actum prohibet. 466.2

Peccatum commiſſum contra ſpeciale præceptum contentum ſub generali, tantùm eſt vnum: ſed peccatum commiſſum contra plura ſpecialia præcepta, quorum vnum in alio non continetur, non vnum, ſed plura ſunt. ibid.

Præceptum diuiditur ex fine in morale, quod ad rectam morum inſtitutionem, cæremoniale quod ad Dei cultum; & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. ibid.3

Hæc tria genera præceptorum in omni lege fuerunt, tam naturali, quàm Moſaica & Euangelica; ſed ita vt duo poſteriora diuerſa eſſent in diuerſis legibus, & primum idem eſſet in omnibus. ibid.

Præcepta Decalogi tantùm ſunt decem, prout nomen ipſum teſtatur. Sortitur enim Decalogus hoc nomen, ex numero decem præceptorum, quibus conſtat. ibid 4

Præcepta omnia moralia veteris legis reducuntur ad decem præcepta Decalogi. Sed aliqua pertinent ad Decalogum antecedenter alia in ipſo Decalogo formaliter & expreſsè continentur. Alia denique ſe habent ad Decalogum tanquam quid primum, & præambulum, vt ſunt præcepta fidei, ſpei & charitatis. ibid.5

Decalogus fons eſt omnium legum, tam Eccleſiaſticarum, quàm ciuilium, cùm ex illo deducantur quæcumque præcipiuntur legitimè. ibid.

Præcepta moralia, quæ conſequenter ſe habent, & Decalogo ſunt ſuperaddita, non diſtinguuntur à præcepto principali, nec faciunt diuerſa præcepta Decalogi, ſed omnia ad vnum finem tendunt. ibid.6

Præcepta moralia diuinæ legis ſunt de omnibus actibus virtutum, ſeu lex diuina proponit præcepta moralia de actibus omnium virtutum. 467.7

Quomodo ſeptem capitalia peccata, quæ communiter mortalia appellantur, ad decalogum reducantur, & quo præcepto prohibeantur. ibid.8 ibid.8

Tranſgreſſio diuinorum præceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter eſt peccatum mortale, niſi paruitas materiæ, inaduertentia, aut mentis ſobreptio aliquando excuſet à culpa mortali. ibid.9

Grauitas peccatorum, quæ contra præcepta Decalogi committuntur, conſideranda eſt iuxta qualitatem præcepti, contra quod fit tranſgreſſio. ibid.

Prædicatio.

Prædicatio eſt ſermo publicus quantùm ad locum, & generalis quantùm ad intentionem ex conſuetudine habentis certam formam. 468.num.1
Prædicare poſſunt Papa, Epiſcopus, Prælati eccleſiaſtici ſi ſint Diaconi, & ex commiſſione omnes clerici tam ſæculares quàm regulares, modò ſint Diaconi. ibid 2
Non licet laico prædicare, nec mulieribus publicè, etiamſi ſit Abbatiſſa; licitè tamen exhortantur. ibid.
Prædicator ſcienter prædicans falſa miracula, vel fingens vitam Sanctorum aliter quàm ſit, vel pronuncians falſas indulgentias, falſas reliquias, grauiter peccat. ibid.
Contra Prædicatores impugnantes in concionibus aut diſputationibus Montem Pietatis, eſt excommunicatio lata. ibid.
Quilibet ex Societate Ieſu, qui ad hoc idoneus repertus fuerit, & per Præpoſitum deputatus, etiamſi ſacris ordinibus non ſit initiatus, poteſt prædicare. ibid.
Religioſi de licentia ſuorum Prælatorum, & petita benedictione ab Epiſcopo, licet non obtenta, poſſunt prædicare in ſuis eccleſijs: in parochijs autem, & alijs Eccleſijs, requiritur expreſſa ſui ſuperioris, & Epiſcopi licentia. ibid. 3
Patres Societatis, dum itinerantur ex priuilegio *Gregor. XIII.* facultatem prædicandi habent vbique, modò ſint approbati ab vno Epiſcopo, & non contradicat Parochus proprius. ibid.
Mortale eſt prædicare ſine legitima licentia, vel valde inutilia, aut ſcienter falſa in fidei doctrina, &c. & quidem Regularibus in Concil. Tridentino præcipitur, vt ne prædicent etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum, niſi prius à ſuis ſuperioribus examinati, & approbati fuerint. ibid. 4
Poſſunt regulares ex cauſa rationabili ab officio prædicandi, à ſuis ſuperioribus ſuſpendi. ibid.
Prædicare in ſtatu peccati mortalis occulti non eſt mortale; ratione tamen ſcandali, contemptus verbi Dei, vel modi prædicandi poteſt eſſe mortale. ibid. 5
Prædicare non eſt actus ordinis ſacri, nec officium diuinum prohibitum interdicto, aut ſuſpenſo à diuinis. ibid. 6
Religioſi Mendicantes ſemel examinati in vna Diœceſi ad prædicandum, non debent in ea amplius examinari. ibid.
Ex decreto Concilij Tridentini vniuerſi Præpoſiti curam animarum gerentes, oues ſuas in his, quæ Dei ſunt, ac eorum inſtituta concernunt, inſtruere, ac eorum ſcelera eis annuntiare, ac eas verbi Dei prædicatione paſcere debent per ſeipſos, vel per alios, ſi legitimè impediti fuerint. 469.1
Ad idem muneris prædicationis tenentur Archipresbyteri & Eccleſiarum Rectores animarum curam gerentes per ſe vel per alios, in diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus. ibid.
In Eccleſijs Parochialibus, quæ Monaſterijs ſunt ſubiectę & nullius ſunt Diœceſis, Prælati eorumdem Monaſteriorum ad id præſtandum à Metropolitanis compelli poſſunt. ibid.
Abbates diœceſim habentes, in Parochijs vbi Parochi prædicare non valent, alios idoneos deputent impenſis eorum, qui tenentur. ibid.
An autem fideles obligentur diebus Dominicis, & Feſtis ad audiendam prædicationem in Parochia? Quidam affirmant, alij negant; quia per contrariam conſuetudinem obligationi audiendi Verbum Diuinum in propria Parochia eſt derogatum: ibid. 2
Contra præceptum Diuinum peccant toties Parochi mortaliter Verbi Diuini prædicationem prætermittentes, quoties populus grauiter indiget prædicatione. 471.3
Præciſa graui populi neceſſitate non peccant grauiter Parochi, ſi interdum, vel ſæpius non prædicent: ſecus ſi duobus vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionentur. ibid.
Quando in eadem vrbe vel Parochia non deſunt prædicatores docentes ea, quæ populus ſcire tenetur, excuſantur Parochi non prædicantes. ibid.
Prædicatio Verbi Dei ea commiſſione Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ex proprio inſtituto poteſt religioſis conuenire: & de facto à diuerſis Pontificibus facultas prædicandi regularibus conceſſa eſt. ibid. 4
Regulares prædicare volentes in ſuis Eccleſijs & ſuorum Ordinum tenentur ſe præſentare Epiſcopo & ab eo benedictionem petere, tametſi eam non obtineant. ibid. 5
An Bulla Pij V. *Etſi Mendicantium Ordines*, fuerit reuocata per Gregorium XIII. per Bullam, *In tanta negotiorum mole*? Alij negant, Alij affirmant. ibid.
Fratres Prædicatores & Minores poſſunt in Eccleſijs, ac locis ſuis, ac plateis communibus liberè populo & Clero Verbum Dei proponere, hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter celebrari. 472.6
Prædicator regularis, ſiue ſæcularis in tribus caſibus à prædicatione eſt ſuſpenſus, ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. In Concilio verò Tridentino ſunt tres alij caſus, in quibus regularis ab Epiſcopo tanquam à Sedis Apoſtolicæ delegato ſuſpendi poteſt, licet de facto non ſit ſuſpenſus. ibid. 7
An autem Epiſcopus poſſit prædicatorem regularem exemptum, in caſibus à iure expreſſis, ſuſpendere à prædicatione, aut ſuſpenſum declarare? Probabile eſt quòd non, ſed affirmatiua ſententia communiter practicatur. ibid.
Ad munus prædicationis ſunt eligendi viri nonniſi idonei ætate, doctrina & probitate, ac morum honeſtate præditi, exemplo & alijs, ſed maximè prudentia ſummopere commendati, &c. ibid. 8
Qualis debeat eſſe Prædicatorum doctrina, & à quibus, quam maximè debeant abſtinere, habetur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. cuius textus refertur. ibid. 9

Prælatus.

Prælatus largè dicitur quilibet habens curam; ſtrictè autem is ſolus eſt Prælatus dicendus, qui habet aliquam iuriſdictionem fori contentioſi; vt qui Eccleſiæ collegiatæ ſæculari vel regulari præficitur. 474.1
Cognitio iudicialis aliquorum criminum puta furti, adulterij, homicidij, &c. inter regulares non exemptos, iure communi pertinet ad Epiſcopum: Ex conſuetudine tamen Abbas de criminibus ſuorum regularium cognoſcit, exceptis ijs, quæ depoſitione digna ſunt præſertim notoria, & ſcandaloſa. ibid.
In Prælatis regularibus duplex eſt poteſtas, vna dicitur dominatiua ſeu œconomica, altera politica, ſeu iuriſdictionis. ibid. 2
Prælatorum poteſtas in ſubditos eſt ordinaria. 475.3
Prælatus regularis poteſt ſubditum in conſcientia per legem, & præcepta obligare. ibid. 4
Prælatus non poteſt ſuis ſubditis actum purè internum ſecundum ſe præcipere; actum vero internum, qui ſpectat ad complementum actus externi, vel qui neceſſarius eſt ad eſſe phyſicum, & morale actus externi, poteſt præcipere, & prohibere indirectè, & conſequenter. ibid. 5
Prælatus regularis non poteſt quidquam præcipere, quod certo conſtat eſſe contra regulam religionis; niſi ſuper ea parte regulæ poſſit diſpenſare ea iuſta cauſa. ibid. 6
Prælatus regularis non poteſt ſubditos obligare ad ea, quæ ſunt omnino ſupra regulam. ibid. 7
Prælatus poteſt aliquid præcipere ſubdito, quod ſit ſupra regulam: 1. in pœnam criminis admiſſi. 2. ſi putetur neceſſarium ad ſeruanda vota. 3. ob aliquam publicam neceſſitatem. ibid.
Prælatus non poteſt ea, quæ ſunt præter regulam ſubditis iniungere, dummodò ad regulam quoquo modo non reducantur. ibid. 8
Prælato præcipienti infra regulam non tenetur religioſus obedire, niſi adſit iuſta cauſa ita præcipiendi. ibid.
Religioſus tenetur ad parendum Prælato præcipienti, quæ ſunt ſecundùm Regulam ſuæ religionis, & non obediendo peccat mortaliter, ſi tale præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale. ibid. 9
Prælato iubenti præcepta omnibus Chriſtianis communia, tenetur religioſus ex voto obedientiæ obedire. ibid.
Probabilius eſt fratres Minores ex virtute præcepti regulæ ſuæ teneri obedire in omnibus quæ promiſerunt, & non ſunt contraria regulæ; etiamſi ſint ſupra regulam. ibid.
Prælati Fratrum Minorum non poſſunt ad mortalem culpam ſubditos obligare, niſi ea quæ præcipiunt ſint valde neceſſaria ad conſeruandam regularem obſeruantiam. ibid.
Prælatus Generalis cum Capituli generalis maiore parte, inuitis alijs, imò conſentientibus omnibus capitularibus non poteſt noua ſtatuta edere arctantia ſingulos religioſos ad nouam vitam auſteriorem non promiſſam. 476.10
Sixtus IV. Fratrum Minorum ſtatuta reuocauit, & annullauit obligantia ad mortale extra regulam. ibid.
Non obſtante prædicta conſtitutione *Sixti IV.* Prælati Ordinis Minorum in occaſione graui poſſunt præceptum ſubditis imponere obligans ad mortale, & ſub pœna excommunicationis, modo illud præceptum non edatur per modum ſtatuti permanentis. ibid. 11
Prælati Ordinis Minorum non tenentur proferre ſententiam excommunicationis in ſcriptis; ex priuilegio *Leonis X.* quando fertur excommunicatio per modum præcepti. ibid.
Prælati regulares non poſſunt ſibi reſeruare abſolutionem ab excommunicatione à ſe lata, iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.
Omnia ſtatuta religionis Minorum obligantia ad culpam vſque ad tempora *Sixti IV.* per eundem ſunt ſublata, & reuocata, & redacta, vt ſolùm obligent ad pœnam: tenebuntur tamen fratres ad ſtatuta poſtea facta, & de cætero facienda auctoritate Apoſtolica. ibid.
Prælati regulares non debent eſſe faciles ad ferenda præcepta obligantia ſubditos ſub peccato mortali. 477.12
Prælatus religionis, regulariter loquendo, non intendit obligare ſubditos, vbi adeſt probabile vitæ periculum, ſi illud non eſt per ſe materiæ præceptæ annexum, nec à ſuperiore præuiſum, aut excogitatum. ibid. 13

Digitized by Google

Prælatus regularis poteſt præcipere aliquid ſubditis cum eorum vitæ periculo, quando præceptum dirigitur ad conſeruationem communis boni religionis. ibid.
Prælatus tempore peſtis poteſt præcipere ſubditis, vt religioſis eodem morbo contagioſo ægrotantibus, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus cum vitæ periculo miniſtrent. ibid.
Prælatus non poſſet ſuis religioſis præcipere, vt externis peſtilentiæ morbo laborantibus, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus inſeruiant: tamen religioſis Mendicantibus hoc præceptum poſſet imponi à Prælato, deficientibus parochis, vel alijs ſacerdotibus, vel non ſufficientibus numero ob multitudinem populi. ibid.
Generalis alicuius religionis non poteſt præcipere religioſis ſubditis ſuis vt ad Indos, infideles, hæreticos, & ſchiſmaticos, vbi imminet periculum martyrij, cauſa eorum conuerſionis procurandæ tendant; niſi ad hoc ſpeciali voto religioſi ſe obligarint. ibid. 14
Prælatus regularis renuncians Prælaturæ coram alio, quàm legitimo ſuperiore ſuo, irrita eſt renunciatio in ordine ad Eccleſiam, valida tamen eſt in ordine ad ipſum renunciantem. 478. 15
Quamuis Superiores religionum poſſint amouere, & ſpoliare Prælatos manuales de ſuis Prælaturis manualibus ad libitum ſine cauſa, id tamen non erit licitum pendente accuſatione, vel inquiſitione, contra aliquem. ibid. 16
Poteſtas Prælatorum regularium iuſta exiſtente cauſa poteſt reſtringi & coarctari à ſuis Prælatis maioribus. ibid.
Quæ ſint virtutes requiſitæ in Prælatis. ibid. 17
Prælaturæ munus his temporibus eſt valde durum. n. 18.
Quænam obſeruanda ſint à Prælatis pro prudenti ſubditorum regimine. ibid. 19
Prælati munia ſunt ſex præcipua. 480. 20

Præſcriptio.

Præscriptio tripliciter accipitur apud iuriſtas, & Theologos. 481. 1
Ad præſcriptionem requiruntur quatuor. ibid. 2
Præſcriptio non datur ſine poſſeſſione propria. ibid. 3
Ad præſcriptionem requiritur etiam bona fides: poſſeſſor enim malæ fidei vllo tempore non præſcribit. ibid. 4
Etſi per accidẽs quis toto tempore ad præſcribendum neceſſario, excuſatur aliquando à culpa non reſtituendi, quia tunc non eſt ſoluendo, &c. nihilominus præſcribere nequit. ibid.
Dubitans an res ſit ſua, non habet bonam fidem, ſi inchoat poſſeſſionem cum eo dubio. ibid. 5
Ad præſcribendum non prodeſt iuris clari ignorantia etiam inculpabilis; quamuis ſufficeret ad præſcribendos fructus ex illa re perceptos. ibid. 6
Iuris dubij error vel ignorantia, id eſt, de quo ſunt Doctorum variæ opiniones, ſufficit ad præſcriptionem. ibid.
Ignorantia facti prodeſt ad præſcribendum concurrentibus alijs conditionibus. ibid. 1
Mala fides auctoris nocet ſucceſſori vniuerſali, non particulari. 482. 7
Si quis in beneficio aut alia dignitate eccleſiaſtica ſuccedit alicui defuncto mala fide poſſidenti aduerſus alium, ad quem tale beneficium vel dignitas pertinebat, poteſt illud cum bona fide præſcribere, non computando tempus poſſeſſionis malæ fidei prædeceſſoris. ibid.
Qui bona fide accepit rem alio titulo, vt legati, donati, empti, ab auctore malæ fidei, poteſt eam præſcribere tempore ordinario, præterquam in duobus caſibus. ibid. 8
Ad præſcribendum requiritur titulus probabiliter præſumptus, id eſt, qui bona fide putetur validus: aliquando tamen non requiritur titulus ad præſcriptionem. ibid. 9
Ad præſcriptionem magis neceſſaria eſt bona fides quàm titulus, nam ſine bona fide numquam currit præſcriptio. ibid. 10
Ad præſcriptionem requiritur etiam continuatio poſſeſſionis tempore legibus definito. ibid. 11
Res mobiles corporales præſcribuntur poſſeſſione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præſentes: & per quadriennium inter abſentes. ibid.
Ad vſucapionem rerum mobilium ſine titulo requiruntur anni 30. ibid.
Res immobiles, & incorporeæ præſcribuntur contra priuatos inter præſentes cum titulo per ſpatium decem annorum, & inter abſentes per ſpacium 20. annorum. ibid.
Contra rem immobilem Eccleſiæ, (modò non ſit Romana) vel loci pij, requiritur ſpatium 40. annorum: Contra verò Eccleſiam Romanam, requiritur decurſus 100. annorum, quod etiam extenditur ad monaſteria. ibid.
Bona Principis tamquam priuati, eodem tempore, quo priuati bona, præſcribuntur. ibid. 12
Contra leges ciuiles præſcribitur conſuetudine 10. annorum contra legem canonicam requiruntur 40. quamuis probabile ſit ſufficere etiam 10. ibid. 13
Qualiter præſcribantur ſeruitutes. ibid. 14
Præſcriptio transfert dominium in poſſeſſorem bonæ fidei legitimo tempore, etiamſi abſit negligentia in eo contra quem præſcribitur: vnde præſcriptio excuſat è reſtitutione. ibid. 15
Quædam res non poſſunt præſcribi. 483. 16
Præſcriptio tunc dicitur procedere, quando poſt inchoationem legitimè continuatur: non procedit autem, quando non incipit: dormit autem, quando poſtquam eſt inchoata, ceſſat aliquo tempore. ibid. 17
Contra præſcriptionem datur reſtitutio in integrum minoribus ætate; pijs locis & eccleſijs; maioribus etiam in præſcriptione 10. & 20. annorum. ibid. 18

Præſcriptio.

Præscriptionis beneficium duabus de cauſis ob bonum publicum introductum eſt. ibid. 1
Poſſeſſor bonæ fidei poſt legitimi temporis decurſum directum ac plenum rei, quam vſucapit, dominium omni iure ſibi comparat, & eam poſtea à quouis poſſeſſore tanquam dominus vendicare poteſt. ibid.
Emens rem furtiuam bona fide, ſi per triginta annos illam poſſideat: quamuis poſtea ſciat fuiſſe alterius, non tenetur ad reſtitutionem. ibid.
Ad vſucapiendum, ſeu præſcribendum cauſa aliqua poſſeſſionis requiritur, vnde in iure ponuntur quidam tituli, quibus res vſucapi poteſt, nempe, *Pro ſoluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro ſuo, pro tranſacto, pro iudicato, pro permutato, pro ſocio.* 484. 2
Si quis aliquo titulo bono, *vt pro emptore, pro donato,* &c. habeat rem, quàm ſcit eſſe alterius, tamen ob rationes ſibi iuſtas non tradit vero domino, ſecundùm communem ſententiam, talis eſt poſſeſſor malæ fidei, & in foro conſcientiæ nullo tempore præſcribit. Tamen nonnulli ſuſtinent, quod poſſeſſor malæ fidei præſcribit debita manantia ex actionibus perſonalibus: ſecus verò ex actionibus realibus. p. 601. 3
Præſcriptio alia eſt propria & rigoroſa, & eſt illa, quæ à iure Cæſareo, & Canonico approbatur. Alia eſt impropria, quæ potiùs negatio actionis repetendi coram iudice appellatur. 485. 4
Præſcribi poſſunt in conſcientia bona quæ per ſententiam ſunt applicata fiſco, & quæ tenetur reus tradere ſi petantur, etiamſi habeat, malam fidem eiuſdem. ibid. 5
Quando quis bona naufragantium accipit ſuadens ſibi ea eſſe derelicta à proprijs dominis, non peccans in eorum retentione, aut ablatione, poteſt ea vſucapere & præſcribere. Secus ſi imprudenter & falſo iudicet rem pro derelicto habitam. ibid. 6
Probabile eſt poſſe eſſe cum mala fide ciuili gabellarum præſcriptionem in vtroque foro, ſi non petantur. ibid. 7
Præſcribere poteſt hæres legatum contra legatarium, ſi ipſe legatarius intra triginta annorum ſpatium, quod taxatum eſt à lege ad præſcribendas actiones perſonales, non petat legatum. 486. 8

Præſumptio.

Præsumptio eſt triplex, vna dicitur hominis; alia eſt iuris, alia eſt iuris & de iure. ibi. 1
Quamuis contra præſumptionem iuris & de iure, non admittatur probatio directa, admittitur tamen indirecta. ibid.
Præſumptio dicta eſt à dictione præ, id eſt ante, & ſumptio, hoc eſt ante ſumptio; ante enim legitimas probationes aliquid ſumit pro vero, ibid. 2
Præſumptio, indicium, coniectura, ſignum, ſuſpicio & adminiculum inter ſe differunt. ibid.
Præſumptio illa eſt, quæ interdum oritur à probabilius, & dicitur præſumptio iuris vel hominis: item oritur à neceſſarijs, & tunc appellatur præſumptio iuris & de iure. ibid.
Præſumptio & indicia ad inquirendum & torquendum paria eſſe non oportet: ad inquirendum enim leuiora ſufficiunt indicia, quàm ad torquendum & damnum. 487. 3
Indicium ad generaliter inquirendum oritur ex teſtimonio cuiuſlibet teſtis, etiam inimici: ex aſſertione vulnerati ſuperuenientis: ex fama: ex graui inimicitia: ex teſtimonio propinquorum vulnerati vel occiſi. ibid.
Ad inquiſitionem ſpecialem præter famam & grauem inimicitiam, numerantur inter indicia, fuga rei; teſtimonium ſocij criminis, aliquibus tamen in caſibus, &c. ibid.
Præſumptiones & indicia ſufficientia ad torturam, quamuis relinquantur arbitrio iudicis, talia tamen ſunt; quando vnus teſtis omni exceptione maior atteſtatus eſt de viſu ipſius geſti actus & commiſſi delicti. ibid. 4
Præſumptio ſecunda oritur ex confeſſione extraiudiciali accuſati, vt tamen ſit locus huic præſumptioni, quatuor ſunt neceſſaria. ibid.
Præſumptio tertia ad torturam oritur ex fama, modo ſit vehemens, vel aliqua alia adminicula concurrant. ibid. 5
Præſumptio quarta oritur ex fuga: hoc tamen non procedit, quando talis

fuit

Digitized by Google

fuit accuſatus & vocatus ad iudicium, & venit, nec quando aliqua iuſta vel colorata cauſa ſubeſſe poteſt vt hic abeſſe cœperit. 488.6

Qui iuſtè carcere mancipatus aufugit animo non redeundi, fuga hæc iudicium facit ad torturam: ſi fugiat fracto carcere vel ruptis compedibus cum conſpiratione, hæc fuga facit iudicium non ſolùm ad torturam, ſed etiam plenam probationem, quoad condemnationem. ibid.

In duobus caſibus ſola fuga abſque conſpiratione plenam probationem criminis facit. Primò, in crimine hæreſis. Secundò, quando Magiſtratus tempore ſyndicatus fugit. ibid.

Præſumptio quinta ad torturam oritur ex teſtimonio ſocij criminis, modo concurrat alia præſumptio, vel adminiculum, aut indicium: duo tamen ſocij criminis ſufficiunt ad torturam ſi deponant; licet ſint ſingulares, ſed non ſemper. ibid.7

Quando præſumptio eſt iuris, & de iure, ſententia, ferri poteſt: ſi autem eſt præſumptio iuris tantùm, quæ tamen contraria probatione non fuit improbata, ſententia etiam ferri poteſt. Idem dicendum ſi præſumptio eſt hominis tantùm, ſi ſit violenta. ibid.8

Præſumptio violenta eſt, quando apparet coniectura mali, & non boni, & cùm omnia ſigna ſunt mali & nulla boni. ibid.

Quando præſumptio eſt probabilis, vel leuis, vel temeraria ſententia ferri non debet in eum, aduerſus quem ſumpta eſt. ibid.

Præſumptio, quæ eſt virtuti ſpei & magnanimitati contraria vt refertur ad voluntatem, in genere ſignificat quendam animi motum ad aliquid agendum, quòd excedit agentis facultatem, & hæc vagatur per materias diuerſas. 489.9

Præſumptio reſpectu legis & iuris debiti conſiſtit in hoc, quod quis cognita voluntate ſuperioris, vel cognita lege, eam tranſgredi præſumit: & hæc non eſt ſpeciale vitium, & peccatum, ſed circumſtantia generalis ad legis contemptum pertinens. ibid.

Grauitas præſumptionis qua aliquis aggreditur id, quod ſuperat vires ſuas, plerumque eſt venialis; in tribus tamen caſibus eſt mortalis. ibid.

Præſumptio, quatenus opponitur virtuti ſpei per exceſſum eſt affectus quo ſperamus aliquid à Deo, inordinatè tamen & huius præſumptionis varij ſunt modi. ibi.10

Primus modus eſt, quo quis ſperat conſequi beatitudinem & remiſſionem peccatorum proprijs viribus, & eſt præſumptio Pelagiana & hæreſis. ibid.

Secundus modus eſt, quo quis ſperat ſe obtinere poſſe à Deo remiſſionem peccati ſine pœnitentia, aut beatitudinem ſine bonis operibus, & eſt præſumptio Lutherana, quæ vix committi poteſt ſine tali hæreſi: ſemperque eſt mortalis. ibid.

Tertius modus eſt, cùm quis ſpe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in ſenectutem, aut finem vitæ differt: hoc peccatum eſt mortale, quando tempus occurrit, quando præceptum pœnitentiæ obligat. ibid.

Precarium.

Precarium eſt quod precibus petenti vtendum conceditur, tandiu quandio is qui conceſſit, patitur & non reuocauerit. ibid.1

Quæ pertineant ad ſubſtantiam contractus precarij. ibid.

Qui precario accepit & habet, ſolum tenetur ex dolo, & lata culpa, non autem, &c. ibid.3

Precarium quatuor, modis ſoluitur: ibid.4

Quando precarium conceditur non ad tempus finitum, &c. 490.5

Ex precario conceſſo ſimpliciter & abſolutè, &c. ibid.6

Precarium differt à precaria. ibid.7

Precario dare & accipere poſſunt omnes, qui contrahere queunt. ibid.1

Precarium differt à mutuo, &c. ibid.2

Qui precarium dedit poteſt ſuo arbitratu etiam ſine vlla cauſa illud reuocare, &c. ibid.3

PRIVILEGIVM.

Quoad eius diuiſionem & conceſſionem.

Privilegivm eſt veluti priuata lex in alicuius fauorem data. 491.1

Priuilegium diuiditur in reale & perſonale. ibid.

Priuilegium perſonale, aliud eſt propriè ac ſingulariter perſonale; aliud communiter perſonale, aliud corporale. ibid.2

In dubio priuilegium iudicandum eſt reale, quando eſt fauorabile ſeu purum beneficium: ſi autem priuilegium ſit contra ius vel præiudicet tertio, iudicandum eſt perſonale. ibid.3

Priuilegium aliud dicitur gratioſum, aliud remuneratorium: aliud conuentionale: aliud purum: aliud ob commune bonum vel priuatum: aliud purè fauorabile aliud odioſum. ibid.4

Priuilegium aliud eſt quod proprio motu Principis confertur, aliud verò in gratiam petentis. ibid.5

Priuilegium aliud eſt in corpore iuris canonici inſertum: aliud verò extra corpus iuris. ibid.

Priuilegium conferre poteſt omnis & ſolus ille qui legem condere, ibid.6

Priuilegium quod eſt contra ius, conferri poteſt tantùm illis, qui aliquo modo ſunt ſubditi: priuilegium verò præter ius conferri poteſt etiam non ſubditis. ibid.7

De eſſentia priuilegij non eſt ſcriptura ſeu bullario; licet ad faciendam fidem in iudicio illa neceſſaria ſit. ibid.8

Omnia priuilegia viuæ vocis oraculo conceſſa ſunt reuocata per *Gregorium XV. & Vrbanum VIII.* 492.ibid.

Oraculum viuæ vocis eſt conceſſio ſeu gratia oretenus facta ſine ſcriptura à Summo Pontifice. ibid.

Probabile eſt, per Conſtitutiones *Gregorij* & *Vrbani* non reuocari oracula viuæ vocis, quæ poſtea per bullam vel breue fuerunt confirmata ex Certa ſcientia ſeu plenitudine poteſtatis. ibid.

Sub hac reuocatione non veniunt priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum, Sacrorum Canonum & Apoſtolicarum Conſtitutionum, aut ſtatutorum religionis dummodò non contineant aliquam gratiam priuilegium aut indultum. ibid.

Priuilegium per bullam vni religioni conceſſum, & viuæ vocis oraculo alteri communicatum, non cenſetur his conſtitutionibus reuocatum. ibid.

Probabile eſt indulgentias viuæ vocis oraculo conceſſas, non eſſe ſublatas. ibid.

Viuæ vocis oracula, quæ ſuum ſunt ſortita effectum ante Conſtitutionem *Gregorio XV.* per illam non ſunt reuocata: An autem ſint ſuper Conſtitut. *Vrbani VIII.* eſt dubium. ibid.

In multis differunt priuilegium motu proprio conceſſum, & ad inſtantiam partis. ibid.9

Priuilegium. Quoad eius qualitates.

Privilegivm vel diſpenſatio validè poteſt obtineri abſque mandato vel ſcientia illius, in cuius fauorem fit, imò etiam ipſo inuito. 493.1

Priuilegium non habet vim donec acceptetur ab eo cui conceditur aut ab ipſius nuncio vel procuratore, qui vicem illius gerat. ibid.2

Priuilegium alicui conceſſum poteſt à concedente reuocari antequam à priuilegiatio acceptetur. ibid.3

Reuocatio iuriſdictionis non valet antequam innoteſcat illi cui conceſſa fuerat; & hæc reuocatio debet intimari ab ipſo reuocante per epiſtolam, aut alium ipſius nomine. ibid.

Priuilegij materia debet eſſe honeſta, rationabilis, & fauorabilis ad agendum aliquid, vel non agendum. ibi.5

Priuilegiarius, per ſe loquendo, non tenetur vti ſuo priuilegio, niſi in duobus caſibus. ibid.

Vt validi ſint actus facti virtute priuilegij, requiritur vt ſeruetur forma ſubſtantialis contenta in priuilegio. ibid.6

Quando priuilegiarius, fuit abſolutè & abſque loci determinatione conceſſum, priuilegiarius poteſt tali priuilegio vti in quolibet territorio concedentis. ibid.7

Priuilegiarius, per ſe loquendo, poteſt vbique etiam extra territorium concedentis vti priuilegio perſonali ſibi conceſſo abſque determinatione loci, modò in alieno territorio non extet ſpecialis aliqua prohibitio. ibid.8

In priuilegijs explicandis ſeruanda eſt verborum proprietas iuxta verborum ſignificationem vel vſum communem; modò nihil abſurdi ſequatur. 494.9

Priuilegium quod eſt contra ius, aut quod alteri damnum infert, ſtrictè explicandum eſt. ibid.10

Priuilegium contentum in corpore iuris, non eſt ſtrictè explicandum ſicut, & diſpenſatio, quæ per legem aut Canonem conceditur. ibid.11

Poteſtas concedendi priuilegium vel diſpenſationem, latè eſt interpretanda, ſeruata verborum proprietate. ibid.12

Poteſtas diſpenſandi non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertij, vel quando præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad diſpenſandum. ibid.13

Priuilegium quod dicitur ad inſtar, eſt illud, quod alicui conceditur per ſimilitudinem, vel æquiparationem ad aliud conceſſum alteri. ibid.14

Priuilegium cenſetur ſolummodò conceſſum ijs perſonis vel rebus, quæ ſunt in priuilegio poſitæ, vel quæ in eo comprehenduntur, propter ſignificationem vocis aut propter materiæ aut actionis connexionem, vel propter iuris diſpoſitionem. ibid.15

Priuilegium. Quoad illius amiſſionem.

Priuilegium ſeptem modis præcipuè amittitur. 495.1

Priuilegium gratioſum extinguitur per reuocationem concedentis ibid.2

Priuilegium datum in remunerationem, vel præuia pecunia, vel per contractum oneroſum, non poteſt reuocari, niſi fiat compenſatio à reuocante. ibid.

Priui-

Priuilegium datum non ſubdito, ab eoque acceptatum, regulariter loquendo, reuocari non poteſt, niſi fiat pernicioſum Regi vel regno. ibi.
Priuilegij reuocatio duplex eſt, vna expreſſa, & altera tacita, Expreſſa vel fit in ſpecie, vel per clauſulam generalem ibid. 3
Per clauſulam, *non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis* non cenſentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continentur niſi eorum quoque clauſula derogatoria exprimatur. ibid.
Per hanc clauſulam generalem non reuocantur priuilegia in corpore iuris non contenta, quibus inſertum eſt, quod ſublata cenſeri non debeant, niſi ſpecialis eorum mentio fiat. ibid.
Reuocatio facta per clauſulam generalem non extenditur ad priuilegium conceſſum per modum contractus, niſi exprimatur: neque ad priuilegia contenta in Concilijs generalibus: imò ſi priuilegium contineatur in Tridentino, neceſſaria eſt mentio Tridentini. ibid.
Priuilegij tacita reuocatio fit per actum Principis contrarium, qui non poſſit ſubſiſtere abſque derogatione priuilegij, modo Princeps recordetur ante conceſſi priuilegij. ibid. 4
Priuilegium quod non continetur in corpore iuris non reuocatur per legem poſteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium, niſi in ea expreſſa mentio fiat priuilegiorum. ibid.
Priuilegium reuocatur per ſententiam contra priuilegium latam ab eo, qui poteſt priuilegium auferre. ibid.
Vt reuocatio priuilegij facta per legem habeat ſuum effectum, requiritur publicatio reuocationis. ibid. 5
In reuocatione generali priuilegiorum, non cenſentur reuocata priuilegia regularium, & præcipuè Mendicantium, quia ſunt ob merita conceſſa. ibid.
Probabilius eſt per bullam Cruciatæ vbi illa publicatur, non reuocari vel ſuſpendi priuilegia regularium. ibid.
Priuilegium quod in ſolius priuilegiarij fauorem conceſſum eſt, amittitur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiato, & acceptatam à concedente. 496. 6
Prælati, & cæteri religioſi non poſſunt renunciare priuilegijs ſui ordinis, ſeu religioni conceſſis. ibid.
Priuilegium amittitur, & finitur lapſu temporis præſcripti, ſeu ceſſatione conditionis ſub qua conceſſum fuerat. ibid. 7
Priuilegium amittitur per vſum materialiter, & formaliter contrarium priuilegio. ibid. 6
Priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum, præciſà proteſtatione, amittitur ſecundùm quid in vtroque foro per quemlibet actum materialiter, & formaliter contrarium priuilegio, modo fiat ab eo qui poteſt priuilegio cedere. ibid. 9
Priuilegium perſonale extinguitur per mortem illius; cui conceſſum fuerat: Reale vero minime, ſed ſequitur rem. ibid. 10
Quando facultas alicui conceditur expreſſo perſonæ, & dignitatis nomine, priuilegium cenſetur perſonale. ibid.
Gratia facta ſeu priuilegium ritè obtentum non ceſſat morte concedentis, modò conceſſum ſit ſimpliciter ſine aliqua conditione. ibi. 11
Gratia facienda extinguitur morte concedentis re integra, id eſt, ſi priuilegiarius nondum cœperit illo vti. ibid.
Probabilius eſt, commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, alijſque rebus, quæ in foro externo Ordinarijs committuntur, in foro interno confeſſoribus, non expirare morte concedentis, etiam re integra. 497. 12
Priuilegium ritè obtentum ſeu gratia facta ſunt, quæcumque licentiæ alicui conceſſæ abſolutè, & abſque temporis determinatione. ibi. 13
Priuilegium amittitur ſeu finitur, quod eſt contra leges vel ius alterius, ceſſante tota ipſius cauſa, modo priuilegium nondum mandatum ſit executioni. ibid. 14
Priuilegium amittitur per abuſum, non quidem ex ipſa rei natura, ſed iuris diſpoſitione. ibid. 15
Priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum, amittitur per non vſum ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti autem inter abſentes. ibid. 16
Priuilegia, quæ abſolutè ſunt gratiæ in nullius grauamen cedentes, regulariter loquendo, nullo tempore etiam longiſſimo, amittuntur per non vſum. ibid.
Priuilegium mandinarum amittitur per non vſum ſpatio ab ipſo iure præſcripto. ibid.
Priuilegium conceſſum eccleſiæ, ceſſat per non vſum quadraginta annorum, contra Eccleſiam Romanam neceſſarius eſt non vſus 100. annorum, & ſimiliter contra Monaſteria. ibid.

Priuilegium. Quoad confirmationem, innouationem, & vſum Priuilegiorum perſonarum regularium.

Privilegia regularium ſolent confirmari, vel *in forma communi*, vel *ex certa ſcientia*, vel *ex plenitudine poteſtatis*, vel cum clauſula, *non obſtante lege diſponente in contrarium*. 498. 1
Confirmatio priuilegij in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, ſi erat inualidum. ibid.
Confirmatio priuilegij *ex certa ſcientia*, habet vim nouæ conceſſionis talis priuilegij. ibid
Priuilegia Fratrum Minorum ad hunc vſque diem fuerunt confirmata à varijs Pontificibus; *ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis*. ibi. 2.
Confirmatis priuilegijs alicuius religionis *ex certa ſcientia*, cenſentur etiam confirmata priuilegia ad illius inſtar, alteri religioni conceſſa. ibid.
Quando Papa confirmat *ex certa ſcientia* priuilegia vnius Ordinis, non cenſetur confirmare *ex certa ſcientia* priuilegia propria alterius ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis. ibid.
Confirmatio *ex certa ſcientia* non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum, falſum, ſeu ſubreptitium; reualidaret tamen priuilegium reuocatum per ſpecialem bullam. 499. 4.
Clauſula in confirmationibus priuilegiorum poſita, *Quatenus ſunt in vſu*, confirmat tantum priuilegia illa, quæ ſunt in obſeruantia ſuumque valorem retinent, non autem ea, quæ inualida, & amiſſa ſunt per non vſum, vel per contrarium vſum. ibid. 5.
Clauſula, *Et ſacris Canonibus*, non eſt intelligenda, de illis, qui in corpore iuris inſerti ſunt, ſed de canonibus inſertis in Tridentino. ibi. 6.
Per Clauſulam, *Et decretis ſacris Concilij Tridentini non aduerſantur*, probabilius eſt non reuocari omnia priuilegia quouis modo contraria ipſi Concilio, ſed tantùm ea, quæ expreſsè in illo reuocantur per clauſulam, *Non obſtantibus*, &c. ibid. 7.
Non poſſunt regulares modò vti priuilegijs ſuis in foro conſcientiæ, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concil. Trident: ibid. 8.
Clauſula in priuilegijs appoſita, *ut non cenſeantur reuocata, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat* ſufficienter verificatur, ſi in ſecundo priuilegio apponatur, *Non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, etiamſi de verbo ad verbum, de illis mentio expreſſa fieri deberet*. ibi. 9.
Innouatio priuilegij interdum refertur ad ſolum inſtrumentum, quia vetuſtate fortè conſumuntur, & ideò innouatio eius conceditur: aliquando poteſt referri ad rem ipſam, vt ius antiquitus conceſſum poſtea innouatur. 500. 10.
Innouatio inſtrumenti priuilegij non confert ius nouum: innouatio vero ipſius gratiæ, ſeu priuilegij, regulanda eſt ad inſtar confirmationis. ibid.
Generales Ordinum, Capitula Generalia, & Prouincialia poſſunt tollere, limitare, ſeu reſtringere ſibi ſubditis vſum quorumcumque priuilegiorum apoſtolicorum. ibi. 11
Capitula generalia, vel Prouincialia non poſſunt tollere aliquid; quod ſit contra vſum ſacrorum Canonum. ibid.
Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio. ibi. 12

Priuilegium. Quoad illius communicationem.

Privilegiorvm communicatio in hoc conſiſtit, quod ius vni conceſſum per aliquod priuilegium, alteri etiam conceditur, per quamdam extenſionem, & multiplicationem. 501. 1.
Religioſi Mendicantes habent inter ſe communicationem priuilegiorum. ibi. 2.
Pro Ordine Prædicatorum extat bulla communicationis à *Leone X.* conceſſa. ibid. 3.
Pro Ordine Minorum eſt bulla *Alexandri VI. Leon. X. Clem. VII. Pauli IV. Pii IV. & Pii V. Gregorii XIII. Sixti V.* ibid. 4.
Pro Ordine Minorum Capucinorum extat bulla *Clementis VII.* ibid.
Aliæ religiones mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia. ibid. 5.
Religiones etiam Monachales, & alij non mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia. ibi 6.
Moniales gaudent priuilegijs religionis, quam profitentur, vnde moniales Sanctæ Claræ, Immaculatæ Conceptionis, & Tertiariæ gaudent priuilegijs Fratrum Minorum. ibid. 7.
Moniales Ordinis Prędicatorum gaudent priuilegijs ordinum mendicantium. 502. 8.
Priuilegia odioſa, & pœnalia, in quibus aliquæ pœnæ ſunt ſtatutæ non veniunt ſub prædicta priuilegiorum communicatione. ibi. 9.
Priuilegium alicui religioni conceſſum cum certa reſtrictione, & poſtea communicatum alteri, non intelligitur communicatum cum eadem reſtrictione. ibi. 10.
In communicatione priuilegiorum non communicatur vſus vel non vſus priuilegij, ſed ius vtendi priuilegio. 503. 11.
Priuilegia conceſſa vni monaſterio vnius ordinis, cenſentur etiam conceſſa omnibus Monaſterijs eiuſdem ordinis. ibid. 12.
Priuilegium conceſſum vni religioſo tantùm, non conceditur alijs Religioſis eiuſdem ordinis. ibi.
Priuilegium conceſſum Prælatus vnius conuentus, illud participabunt omnes Prælati conuentuales. ibid.
Priuilegium conceſſum vni Eccleſiæ, vel prouinciæ ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, ſiue Prouinciam, ſiue locum. ibi. 44.

Re

Digitized by Google

Religio communicans in priuilegijs cum alijs ordinibus, ac ſi illi ſpecialiter conceſſa fuiſſent, poteſt vti dictis priuilegijs contra illum ordinem, cui primùm fuerunt conceſſa. ibid. 13
Communicatio priuilegiorum intelligenda eſt non ſolum de priuilegijs conceſſis tempore, quo facta eſt gratia prædictæ communicationis, verùm etiam de poſtmodum concedendis. ibid. 14
Fratres mendicantes vti, & potiri poſſunt priuilegijs conceſſis Societati Ieſu. ibid.

Priuilegium. Quoad illius interpretationem.

Interpretatio iudicialis priuilegiorum regulariter ſpectat ad Principem concedentem, id eſt, Romanum Pontificem. 504. 1
Interpretatio doctrinalis, & magiſtralis fieri poteſt à Religionum Prælatis, imo Generales iuridicè poſſunt interpretari priuilegia, & his interpretationibus ſtare tenentur religioſi. ibid.
Non poſſunt Prælati Eccleſię interpretari priuilegia Fratrum Minorum, & Societatis Ieſu. ibid. 2
Cùm dubium aliquod extat in priuilegio aliquo inter Iuriſperitos, & Iudices, in fauorem regularium interpretatio fieri debet. ibid.
Priuilegia regularium, quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi, poſſunt extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio. ibid. 3
Priuilegia conceſſa corpori ſeu communitati, quorum ipſa communitas collegialiter ſumpta non eſt capax, ad ſingulos protrahuntur, & extenduntur. ibid. 4
Priuilegia ſingularibus perſonis religionis cōceſſa, ad Prouinciales, & Generales eiuſdem, etiamſi à concedente non exprimatur, extendi certiſſimum eſt, niſi aliud ex mente concedentis conijciatur. ibid. 5
In fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas venit appellatione Monachorum: in materia tamen non proportionabili, & odioſa ſecus. ibid.
Priuilegia ſecundùm conſuetudinem ſunt declaranda, atque interpretari debent. ibid. 6
Regulæ ſpeciales pro interpretatione priuilegiorum. ibid. 7

Priuilegium.

Priuilegium fori conceſſum Eccleſiaſticis non poteſt per poteſtatem ciuilem integrè reuocari, neque ex parte diminui, vel limitari, aut reſtringi; imò nec reſtrictè declarari cum legis auctoritate poteſt virtute ſolius ciuilis poteſtatis. 505. 1
Priuilegium vel facultas conceſſa retrotrahitur ad validandum actum præteritum, qui ſine ea facultate fieri non poterat. ibid. 2
Priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi quatenus continent poteſtatem diſpenſandi latè ſunt interpretanda; quamuis aliqui contrarium doceant. ibid. 3
Priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi prout continent actualem iuris diſpenſationem, ſunt ſtrictè interpretanda, & non extendenda vltra propriam verborum ſignificationem & naturam. 506. 4
Priuilegium ſtrictè ſumptum eſt ſingulare ius contra ius commune inductum: Priuilegium largè ſumptum vſurpatur pro quacumque conceſſione præter ius facta. ibid. 5
De ratione priuilegij eſt, vt aliquem effectum habeat in priuilegiato, quia aliàs eſſet inutile. ibid. 6
Priuilegium aliud dicitur ſcriptum, aliud non ſcriptum. Scriptum dicitur illud, quod non ſolùm ore pronunciatur à concedente, verùm etiam ſcriptura authentica exprimitur vt fidem faciat publicam. ibid. 7
Priuilegium non ſcriptum dicitur illud, quod conceditur abſque ſcriptura & in Pontificijs conceſſionibus ſolet vocari viuæ vocis oraculum. ibid.
Priuilegium Bullarum dignoſcitur à conceſſo viuæ vocis oraculo tantùm ex ipſa forma loquendi, qua illa exprimuntur; ſiquidem in priuilegio Bullato loquitur ipſe Papa; in oraculis verò loquitur alia perſona referens, & atteſtans, quid Papa conceſſerit, &c. ibid.
Priuilegium aliud eſt per ſe non ſcriptum, quod à nemine ita eſt expreſsè conceſſum, vt ſcribi poſſit, ſed vſu quodam & tacita conniuentia Principis comparatum eſt, & huiuſmodi erit priuilegium conſuetudine præſcripta interdictum. 507. ibid.
Ad priuilegium, per conſuetudinem introducendum contra ius, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad abrogandam legem per conſuetudinem. Si introducatur vltra, aut præter ius priuilegium, dicendum eſt illud obtineri per modum præſcriptionis, & ideò iuxta exigentiam materiæ maius vel minus tempus poſtulare. ibid.
Conſtitutio Vrbani VIII. & Gregorij XV. adducitur, de reuocatione priuilegiorum viuæ vocis oraculo conceſſorum. ibid. 8
Quando viuæ vocis oraculum tale fuit, vt in illo tota communitas religioſa induxerit conſuetudinem rationabilem, præſcriptam tempore legitimo & requiſito à iure, quamuis reuocatum ſit virtute dictarum Conſtitutionum viuæ vocis oraculum, non tamen eſt reuocata conſuetudo legitima. ibid.
Quando viuæ vocis oraculum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis & ſignatum eſt ſigillo officij publici, quod exercet ſiue Cancellariæ, ſiue Pœnitentiariæ, non cenſetur reuocatum Conſtitutione dicta Vrbani VIII. ibid.
Reuocatio prædicta Vrbani VIII. non comprehendit viuæ vocis oracula communicantia priuilegium alicui religioni, aliàs conceſſum per Apoſtolicum diploma. Sed hæc opinio ad praxim non eſt deducenda inconſulto Summo Pontifice. ibid.
Conſtitutio Vrbani VIII. iuxta quoſdam Doctores, ſolùm reuocat ea viuæ vocis oracula, quæ non ſunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa ſcientia: & hoc non eſt contra ſtylum Curiæ Romanæ: quæ tamen omnia alij negant. ibid.
Quamuis omnia viuæ vocis oracula eſſent reuocata per Bullam Vrbani VIII. nihilominus omnes confeſſores regulares priuilegiati expoſiti & approbati à ſuis Superioribus & Epiſcopis probabiliter poſſunt diſpenſare, tam cum inceſtuoſis ad debitum coniugale petendum, quàm cum illis, qui illicitè matrimonium contraxerunt cum impedimento voti ſimplicis caſtitatis, vt etiam poſſint petere & reddere quovſque duret matrimonium. ibid.
Priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum & conſiſtit in potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum, renunciari poteſt ab ipſo priuilegiato, in cuius ſolius fauorem conceſſum eſt. 509. 9
Priuilegium quod habet effectum momentaneum & ſolùm datur per modum diſpenſationis tollentis aliquod impedimentum vel vinculum poſtquam ſemel conceſſum eſt, renunciabile non eſt. ibid.
Priuilegij renunciatio duplex eſt, vna impropria, quæ conſiſtit in puro non vſu actuali priuilegij; altera propria, qua quis tollit à ſe ius & poteſtatem vtendi. ibid.
Religioſi Mendicantes gaudent priuilegijs Mendicantium, & non Mendicātium conceſſis & concedendis à Sede Apoſtolica, & ſimiliter confirmationibus, & innouationibus eorum priuilegiorum. 510. 10
Ordines Mendicantes præcipui ſunt quatuor; quibus alios ſex adiunxit Eccleſia. ibid.
Probatur hæc communicatio priuilegiorum inter dictos religioſos ex conceſſionibus Pontificum. ibid.
Ordines non mendicantes hic expreſſi in priuilegijs Mendicantium communicant. ibid. 11
Plurimi etiam non Mendicantes priuilegijs non Mendicantium communicant. ibid.
Priuilegiorum communicatio non ſolum intelligitur de priuilegijs Ordinum, qui tunc extabant, quando priuilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum. 511. 12
Priuilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones, approbationes & alia huiuſmodi non ſunt iam ſimpliciter priuilegia, ſed iura quæſita. ibid. 13
Non eſt cenſendum Pontificem ſuis literis & Bullis velle priuare Regulares ſuo illo iure acquiſito etiamſi clauſulā reuocatoriam generalem priuilegiorum regularium adhibeat. ibid.
Priuilegia regularium non amittuntur per non vſum, niſi legitimum tempus cucurrerit ad præſcriptionem. ibid. 14
In priuilegio reali duplex eſt non vſus; alius enim dicitur priuatiuus, alius contrarius. ibid.
Vt præſcriptio fiat non vſu priuatiuo tres conditiones requiruntur. Primò, vt oblata fuerit occaſio vtendi priuilegio, & non vtatur. Secundò, vt detur ſcientia talis priuilegij. Tertiò, vt detur potentia illo vtendi; id eſt non detur impedimentum. ibid.
Vt præſcriptio fiat per non vſum contrarium, requiritur vt fiat non à quodam priuato, etiamſi ſit, v.g. vnum Monaſterium, aut plura, ſed requiritur vt ſit totus ordo, cuius illud Monaſterium, aut plura ſunt. ibid.
Priuilegia inter regulares per contrarium vſum non amittuntur niſi ſpatio centum annorum. ibid.
Priuilegia regularium ſola reuocatione vel ſententia Pontificis amittuntur. 512. 15
In reuocatione generali priuilegiorum non cenſentur reuocata priuilegia regularium præcipuè Mendicantium, licet apponantur verba generalia & geminata. num. 16
In dubio, an priuilegium ſit reuocatum, nec ne, cenſendum eſt non eſſe reuocatum. ibid.
Bullæ, quibus priuilegium aliquod conceditur regularibus, non debent neceſſario publicè promulgari, vt priuilegium in eiſdem contentum valeat, ſed ad ſummum requiritur, vt illis quorum intereſt authenticè ordine iuridico exhibeantur. ibid. 17
Priuilegium quod non continet præiudicium tertij ſtatim eſt validum, & illo poteſt vti quis abſque promulgatione. Si vero contineat, debet prius notificari illi tertio vt illi conſtet & poſſit reclamare. 513. ibid.
Vt alij ad quos pertinet teneantur priuilegijs priuatis parere vel eis non contrauenire, ſufficit in foro conſcientiæ notitia priuilegij moraliter

Digitized by Google

liter certa, de qua probabiliter dubitari non poſſit. In foro autem exteriori, neceſſaria eſt oſtenſio indulti per inſtrumentum Authenticum, &c. ibid.

Priuilegium vt ſortiatur effectum ſuum debet acceptari ab eo cui conceditur, aut ab ipſius nuntio vel Procuratore, qui vicem ipſius gerat: licet quidam putent priuilegium obtentum prodeſſe ignoranti. ibi. 18

Matrimonium validum eſt contractum coram aliquo Sacerdote facultatem habente ab Ordinario, vel Parocho, modo talis licentia fuerit ab ipſo Sacerdote acceptata, vel ſaltem ab ipſius nuncio. ibid. 19

Ille, cui ſuperior conceſſit priuilegium motu proprio vel ad inſtantiam alterius, quàm priuilegiarij, non poteſt tali priuilegio vti antequam acceptetur à priuilegiario, vel ab ipſius Procuratore. ibid.

Ille, qui per nuncium priuilegium obtinuit, ne poſſit ab aliquo excommunicari, non poteſt ab aliquo excommunicari, poſtquam priuilegium à nuncio vel Procuratore acceptatum fuit. ibid.

Priuilegium prodeſt priuilegiario antequam innoteſcat illi, in cuius damnum conceſſum eſt, & ſufficit acceptatio per nuntium vt priuilegiatius incipiat frui priuilegio ante aliam notitiam. ibid.

Probatio.

Probatio eſt rei dubie per argumenta ſeu media oſtenſio: & hæc probatio multiplex eſt. 514. 1

In omni cauſa Eccleſiaſtica, & ſæculari, ciuili & criminali ad plenam probationem contra alterum præter actorem vel accuſatorem requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes omni exceptione maiores. ibid. 2

In probationibus conſiſtit tota virtus cauſarum, pondusque litis & exitus controuerſiæ. ibid. 1

Regula communis inter Iuriſperitos eſt, quod is, qui dicit, vel affirmat, probare debet: & hæc regula habet locum in omnibus cauſis, etiamſi actor eſſet vir nobilis & expertæ fidei, & è contra reus ſordidus & mendax. ibid. 2

Hæc regula habet locum non ſolùm in actore, ſed etiam in reo, vt ſicut actor ſuam affirmatiuam probare tenetur, ita etiam reo incumbat onus probandi ſuas exceptiones affirmatiuas. 515. ibi.

Reus non poteſt cogi docere ius ſuum, nec oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis; quia non eſt diſputandum de non iure ipſius, ſed de iure actoris. ibid.

In multis caſibus hæc regula non habet locum. Primò, quando præſumptio iuris eſt contra reum; tunc enim non actori affirmanti, ſed reo neganti probandi onus incumbit. ibi. 3

Præſumptio hominis violenta, quæ ſufficit ad condemnandum, multò magis ſufficiet ad transferendum onus probandi in aduerſarium. ibid.

Aduerſus præſumptionem iuris & de iure non datur regulariter probatio in contrarium: in certis tamen caſibus datur, quorum præcipuus eſt, confeſſio partis habentis prædictam præſumptionem in fauorem. ibid. 4

Secundus, quando probatio admiſſa fuit ex conſenſu partis, ſiue expreſſo, ſiue tacito, eo, quia non reclamauit, ſed paſſa eſt probationes admitti: tunc probationes factæ præſumptionem iuris & de iure tollunt. ibid. 5

Tertius modus probandi contra præſumptionem iuris & de iure eſt, quando probatio fit per indirectum: ſed hoc non habet locum, quando probatio fit per indirectum: ſed hoc non habet locum quando lex adimeret omnem probationem, ſiue directam ſiue indirectam. 516. 6

Quartus modus eſt, quando probatio fieret per notorium. ibid. 7

Quintus, quando quis vult probare ad hoc, vt in integrum reſtituatur ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa videbitur. ibid. 8

Sextus, eſt, quando fit probatio per proteſtationem, quæ vel præceſſit actum, vel in ipſo actu interuenit; modo proteſtatio fuerit fundata vel veſtita iuſta cauſa. ibid. 9

Negatiua pura, quæ aliàs indeterminata dicitur, nullo modo probari poteſt. ibid. 10

Negatiua contracta loco & tempore, poteſt ſaltem indirectè probari. ibid. 11

Primus & præcipuus modus probandi negatiuam numeratur confeſſio partis aduerſæ, per quam non ſolum determinata, ſed etiam indeterminata negatio probari poteſt. ibi. 12

Secundus modus probandi negatiuam, eſt iuramentum. ibid. 13

Tertius & frequens modus probandi negatiuam, fit per coarctationem loci vel temporis: imò per coarctationem perſonæ vel alterius rei determinatæ. 517. 14

Quartus modus probandi negatiuam quæ dependet à tertio, fit, quando probatur oppoſita affirmatiua. ibi. 15

Quintus modus fit per inſpectionem ſcripturæ, vel alterius ſubiecti, vel rei euidentiam. ibid. 16

Sextus modus fit per ipſos auctores ipſios negatiuæ deponentes de facto proprio. ibid. 17

Quidam affirmant teſti ſoli credi debere, quando deponit de negatiua dependente à facto proprio, maximè quando nullum poteſt habere conteſtem. Contrarium tamen ab alijs meritò ſuſtinetur, quando agitur de præiudicio alterius. ibid. 18

Communis ſententia eſt, vt ſoli teſti de facto proprio deponenti, tunc demum credatur, quando alia indicia, vel aliæ coniecturæ cum dicto eius concurrunt: inſuper, ſi ſit perſona honeſta, & ſine affectione deponat non ad proprium commodum, ſed ad vtilitatem alterius. ibid.

Regulariter magis creditur teſtibus deponentibus affirmatiuam quàm negatiuam, non ſolùm quando ſunt pares numero, ſed etiam quando ſunt impares; etiamſi teſtes affirmantes nullam cauſæ rationem redderent. 518. 19

Quando affirmatiua & negatiua à ſenſu corporeo non poſſet percipi, & deberet vtraque probari per medium alicuius ſenſati & ſigni affirmatiui, tunc tantùm crederetur negantibus, quantùm affirmantibus. ibid.

In negatiua coarctata loco, tempore, rebus, vel perſonis, tantùm creditur teſtibus negantibus, quantùm affirmantibus & pari paſſu ambulant negatiua & affirmatiua. ibid. 20

Vt probatio coarctatæ negatiuæ ſit efficax & probationi affirmatiuæ æquiualeat, oportet, vt in ea probanda teſtes remoueant actum à ſenſu, non autem ſenſum ab actu, quando qualitas coarctationis ſuadet. ibid.

Ille, qui negat factum, regulariter non probat; vnde negatiua facti ſatis efficaciter probatur eo ipſo, quod contrarium non probatur; limitatur, niſi præſumptio iuris ſit contra negantem, &c. vbi limitationes aliæ duæ adducantur. ibid. 21

Negatiua facti probanda eſt ab eo, qui ſe fundat in illa; limitatur tamen aſſertio tripliciter. 519. 22

Negatiua iuris probanda eſt à negante, quando negatur illud, quod eſt de genere permiſſorum: quod procedit ſiue negatiua proponatur ab actore, ſiue à reo. ibid. 23

Proceſſiones.

Clerici omnes, etiam exempti, tam ſæculares, quàm regulares, etiam Monachi, tenentur ad proceſſiones publicas accedere & ad id compelli poſſunt à locorum Ordinarijs non tenentur tamen exempti comparere, niſi vocentur. ibid. 1

Summus Pontifex quoſdam regulares, qui clauſuram ſeruant, vt ſunt Carthuſiani, Benedictini & Ciſtercienſes, exemit ne inuiti compellantur ab Epiſcopo, aut ab alijs intereſſe publicis proceſſionibus, niſi pro cauſa publica. 520. 2

Poſt Concilium Tridentinum Gregorius XIII. conceſſit religioſis Societatis Iesv exemptionem ab intereſſentia in ſupplicationibus, ſeu precibus & proceſſionibus publicis. ibid.

A prædicta lege eundi ad proceſſiones eximuntur illi religioſi, qui diſtant ab vrbe, ſeu loco vltra vnum miliare: imò ſufficit diſtantia dimidij miliarij, vt non teneantur regulares accedere ad proceſſiones, prout declarauit S. Congregatio. ibid. 3

Fratres Minimi olim non poterant cogi proceſſionibus intereſſe, iuxta eorum mare magnum, niſi ad aliquas ſpecificatas, ſed hodie tenentur ad omnes, iuxta Tridentinum. ibid. 4

Fratres Sancti Hieronimi in Hiſpania non tenentur ad incedendum in publicis proceſſionibus, ex Conceſſionibus Pij V. ibid.

Religioſi, qui ex legitima præſcriptione 40. annorum poſt Tridentinum Concilium, non ſunt conſueti accedere ad proceſſiones, non poſſunt ad id compelli, dummodo aliquando fuerint vocati, & illi ire renuerint. ibid. 5

Religioſi exempti priuilegio Sedis Apoſtolicæ à lege eundi ad proceſſiones, ſi ab Epiſcopo vocati pluries acceſſiſſent, non amittunt ſuum priuilegium per contrarium vſum, quia precario acceſſiſſe videntur. ibid.

Epiſcopi non poſſunt per cenſuras cogere regulares vocatos accedere ad proceſſiones, ſi venire recuſent, ſed bene per alias pœnas Eccleſiaſticas. ibid.

Lites ac controuerſias omnes, quæ de præcedentia inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quam regulares in proceſſionibus publicis, aut ijs, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, accedere ſolent, Epiſcopus omni appellatione remota, componit. 521. 6

Circa præcedentiam Ordinum Mendicantium inter ſe in proceſſionibus priuatis & publicis, adducitur Conſtitutio Gregorij XIII. *Expoſcis*. ibid. 7

Regulares de iure non poſſunt facere proceſſiones extra ſuos Conuentus: licet quidam putent hoc eis eſſe licitum per triginta paſſus extra ambitum Monaſterij, ſed verius eſt ſtandum eſſe, conſuetudini locorum. 522. 8

Procurator.

Procvrator dicitur, qui aliena negocia mandato Domini adminiſtrat. ibid. 1

Procurator alius eſt ſpecialis, alius generalis, alius ad lites ſiue iudicia, alius ad alia negotia tractanda. ibid.

Procurator, & quiuis alius mandatarius aut delegatus, litteras, & ſi : n am ſui mandati vel commiſſionis exhibere debent. ibid. 2

Perſona coniuncta ſine mandato admittitur ad agendum pro altero, modo caueat alterum ratum habiturum. ibid.

Procurator ad negotia ad minimum debet eſſe 17. annorum; ad iudicia autem viginti quinque. ibid. 3

Procurator ad iudicia de culpa leui imò etiam de leuiſſima tenetur: procurator verò ad negotia, tantùm tenetur de culpa lata. ibid. 4

Procurator ad negotia datus, alium ſubſtituere poteſt, procurator autem ad iudicia minimè. ibid.

Procurator eſſe non poteſt furioſus, nec infamis, ſurdus, mutus, accuſatus de crimine, ſeruus, excommunicatus, vel conſtitutus ab excommunicato. ibid. 5

Religioſus non poteſt eſſe procurator, niſi in caſu ſui monaſterij ex licentia ſuperioris: nec clericus in ſacris vel beneficiatus coram iudice ſæculari niſi in cauſa propria, vel ſuorum vel Eccleſiæ, aut perſonarum miſerabilium. ibid.

In procuratore requiruntur, ſcientia, diligentia, veritas, & iuſtitia. ibid. 6

Quæ ſint peccata procuratoris. ibid. 7

Procurator, qui obtinuit gratis acta à Notario, vel modicum ſoluit pro actibus Curiæ, vel gratis habuit Aduocatum, poteſt vltra ſuum ſalarium retinere id, quod erat debitum Notario, & Aduocato. Sed non ſemper. 523. 1

An Procurator vel negotiorum geſtor, cui conſtitutum eſt ſalarium 100. aureorum in ſingulos annos, ſi poſtea ſubſtituat alium Procuratorem, cui dedit tertiam partem ſalarij, tuta conſcientia retinere reliquum poſſit? Quidam negant, alij affirmant. ibid. 2

Procurator, qui litigantis cauſam ſponte ſuſcepit non conductus, poteſt peracta cauſa retinere ſibi ſtipendium, quod litigans ſoluiſſet Procuratori, quem conduxiſſet, ſi ob id aliquod lucrum perdidit, vel ei acceſſerit aliquod damnum, ſecus ſi gratis ſuſcepit tale munus. ibid. 3

Procurator poteſt fungi Aduocati, vel Notarij, Officio & ſtipendium accipere, modo illud faciat æquè bene & ſine clientis damno. ibid. 4

Procurator pro memoriali in facto compoſito diebus Feſtis ſalarium accipere poteſt, ſicut Iuriſperitus pro conſilio, & Aduocatus pro informatione iudicis & pro allegationibus. 524. 5

In Procuratore ad matrimonium conſtituto nulla deſideratur ætas, nec qualitas alia, præter eam, quam ius naturale expoſcit ad explicandum conſenſum nomine alterius, nimirum rationis vſus. ibid. 6

Procurator non præſumitur reuocatus, etiam in mandato ad delinquendum, quod durare præſumitur. Ab hac tamen regula receditur præſumptionibus & coniecturis, hic expreſſis. ibid. 7

Procurator cuius perſonæ electa eſt induſtria, alium ſuo loco ſubſtituere non poteſt. ibid. 8

Procurator facit dominum incidere in pœnam, licet non habeat ſpeciale mandatum, quando dominus ſcit & patitur: ta enim patientia habetur loco mandati. ibid. 9

Procurator a negotia acquirit actiones directè & immediatè non ſibi, ſed principali. ibid. 10

Procurator, ſiue ad negotia, ſiue ad lites, reddere tenetur ei, cuius eſt Procurator, rationem adminiſtrationis, & reddere quidquid ex adminiſtratione ad ipſum peruenit. ibid.

Iure communi interdicitur religioſis munus Procuratoris vel Aduocati ob . niſi Superioris licentia & vtilitas Monaſterij concurrant. ibi. 11

Hanc . centiam poteſt concedere immediatus religioſis Superior. Fratres tamen Minores de licentia ſuorum Superiorum, non poſſunt eſſe Procuratores. 525. 12

Nomine vtilitatis Monaſterij, vt religioſus munus Procuratoris licitè obeat, intelligitur & ſufficit vt ea ſit indirecta Monaſterij indigentis, nempe, ad magnam paupertem ſubleuandam, & æs alienum ſoluendum: li cequ dam volunt eam vtilitate debere eſſe directam. ibid. 13

Procuratoris vel Aduocati munus obire poteſt religioſus in aliquibus caſibus. Primò, ſi ſit Superior religionis, Secundò, in negotijs Abbatis Monaſterij, vel cuiuſcumque religioſi eiuſdem religionis. Tertio, pro miſerabilibus perſonis tuendis. Quartò, quando plures religioſi proſequuntur vnum negotium & conueniunt in idem, poteſt vnus conſtitui Procurator pro alijs. ibid. 14

Mandatum Procuratorium ad iudicialia acceptatum à religioſo abſque Superioris licentia nullius eſt momenti, & ita geſta virtute illius ſunt irrita, Sed quoad actus extraiudiciales ſunt valida, quamuis religioſus peccet. ibid. 15

Profeſſio.

Potestas admittendi ad profeſſionem alicuius religionis delegabilis eſt, modo fiat ab eo, qui talem poteſtatem iure ordinario habet: & non ſolùm ex commiſſione, ſeu delegatione. 526. 1

Si Epiſcopus vel quiuis alius, nomine alterius, qui poteſtatem habet incorporandi religioni, profeſſionem admittat valida erit profeſſio, etiamſi religio ſit exempta; & admittens ſit laicus. ibid.

Profeſſio emiſſa in manibus eius, qui non habet facultatem à Prælato religionis, ſed ſub ſpe ratihabitionis ipſius Prælati, eſt valida ſtatim ac Prælatus illam ratam habet, nec videtur neceſſarius nouus conſenſus ipſius profeſſi. ibid. 2

Profeſſio eſt valida, ſi eam acceptet Superior excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor, ſiue alius ex eius commiſſione. ibid. 3

Profeſſio ab excommunicato emiſſa valida eſt, quia non eſt acquiſitio beneficij, ſed ſtatus: & Prælatus admittens ad profeſſionem excommunicatum, non peccat, ſi non eſt denunciatus, nec publicus Clerici percuſſor: ſecus ſi talis ſit; tunc enim peccabit venialiter tantùm cum admittendo: niſi in profeſſione addantur preces ab Eccleſia inſtitutæ: tunc erit peccatum mortale, propter communicationem in diuinis. 523. 4

Profeſſiones tacitæ non tolluntur per Tridentinum, ſed in ſuo priſtino valore adhuc manent; dummodo inducantur tranſacto Nouitiatus anno & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis. ibid. 5

Ad valorem profeſſionis tacitæ quædam requiruntur. ibid.

In religionibus vbi Nouitiorum habitus non diſtinguitur ab habitu profeſſorum, per eius delationem inducitur tacita profeſſio, ſi Nouitius per annum integrum & continuum illum deferat, ac expleto 16. ſuæ ætatis anno, modo concurrant conditiones dictæ numero præcedenti. ibid. 6

Quando habitus Nouitiorum ab habitu profeſſorum patenter diſtinguitur, per nullam cuiuſcumque temporis delationem talis habitus Nouitiorum, profeſſio tacita inducitur. Si tamen expleto Nouitiatus anno, vltra declarationem habitus perſeueraret triduo exercens actum profeſſis ſolis competentem, eſſet tacitè profeſſus. ibid.

Si verò peculiarem habitum profeſſorum ſuſcepit, ſimulque actum ad profeſſos dumtaxat ſpectantem geſſit, non eſt neceſſaria tridui perſeuerantia, ſed immediatè inducitur profeſſio tacita. ibid.

Non inducitur tacita profeſſio modis ſupradictis, quando Nouitius vel Conuerſus in contrarium proteſtatur. 528. 7

Profeſſio inualida ex defectu conſenſus profitentis, nullam ex ſe inducit obligationem: per accidens tamen talis profeſſio poteſt aliquem effectum habere, magis in externo foro, quam in foro animæ. ibid. 8

Profeſsio talis inualida ratione ignorantiæ quamdiu exiſtimatur valida perinde obligat, ac ſi eſſet veram: nam ex conſcientia erronea obligatio oritur. ibid.

Et hac profeſſione inualida oritur obligatio quoad forum externum permanendi in religione, ſeruandique regulam, quoad vſque probetur nullitas profeſſionis. ibid.

Profeſſio inualida ex defectu tantùm conſenſus religionis, nullam ex ſe inducit obligationem etiam in foro conſcientiæ, modo apertè conſtet religionem non præbuiſſe conſenſum. ibid. 9

Profeſſio ex iure Eccleſiaſtico inualida nullam per ſe inducit obligationem niſi in iure exprimatur: quamuis per accidens ex ea oriri poſſit aliqua obligatio. ibid. 10

Iure antiquo profeſsio inualida inducit obligationem in iure expreſſam, tribus in caſibus. 529. 11

Religioſus dubius de validitate ſuæ profeſſionis, non poteſt ſe eximere à iugo religionis ſua auctoritate, ſed potius obligandus, eſt talis ad ratificandam profeſſionem; quia in dubio profeſſio, præſumitur valida, niſi contrarium probetur. ibid. 12

Quando religioſus eſt certus coram Deo de nullitate ſuæ profeſſionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur illam ratificare, quantumuis per ſententiam publicam cogatur in religione manere. ibid. 13

Conſulunt Doctores vt hic inualidè profeſſus & hoc in foro Eccleſiæ probare non poteſt, vel priorem profeſſionem ratam habeat, vel oblata commoda fugiendi occaſione in partes remotas ſecedat, vbi ſine ſcandalo viuere poſſit. 530. ibid.

Quando profeſſio inualida probari poteſt coram Eccleſia, non debet, nec poteſt is, qui publicè profeſſus eſt, relinquere habitum & ſtatum propria auctoritate, ſed tenetur cauſas nullitatis profeſsionis coram Superiore ſuo & Ordinario deducere. ibid.

Si talis religioſus abſq; licentia deſerat religionem, grauiter peccat, quamuis Apoſtata non ſit & conſequenter ad religionem redire non tenetur. Tamen multi putant talem inualidè profeſſum teneri profeſſionem poſt quinquennium ratificare, ſi profeſſio irrita fuit ob ipſius culpam. ibid.

Iuxta Tridentinum, qui contra profeſſionem reclamare intendit, tria ſeruare debet. ibid. 14

Religioſus qui dimiſſo habitu reclamare voluit & ob habitus dimiſſionem non fuit auditus, poteſt poſtea reclamare reaſſumpto habitu. ibid.

Superior coram quo deduci debent cauſæ nullitatis profeſsionis, eſt immediatus Monaſterij Prælatus. Nomine autem Ordinarij intelligitur Epiſcopus vel domicilij ipſius religioſi antequam religionem ingrederetur; vel Epiſcopus in cuius diœceſi ſitum eſt Monaſterium. ibid.

Quinquennium deſtinatum in Tridentino ad reclamandum contra profeſsionem irritam currit à die ipſa profeſsionis, & debet eſſe continuum, non obſtante ignorantia, aut alio impedimento facti. ibid. 5

Tranſacto quinquennio religioſus reclamans poteſt audiri remedio extraor.

Digitized by Google

traordinario beneficij reſtitutionis in integrum aduerſus quinquennij lapſum, ratione ignorantiæ, vel alterius impedimenti ad reclamandum. Quidam tamen hoc non concedunt. ibid. 16

Decretum Tridentini denegans audientiam profeſſis poſt quinquennium, non intelligitur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum. 531. 17

Profeſſus tacitè compellere poteſt religionem, in qua eſt tacitè profeſſus, vt eum ad profeſſionem expreſſam admittat. ibid. 18

Superior religionis cogere poteſt tacitè profeſſum ad expreſſam profeſſus, vt eum ad profeſſionem expreſſam admittat. ibid. 18

Superior religionis cogere poteſt tacitè profeſſum ad expreſſam profeſſionem emittendam ſi in ea religione diſpoſitum ſit, vt fieri debeat profeſſio expreſſa, alias non. ibid.

Religioſus validè profeſſus, qui tractu temporis in morbum incidit vel ob ſenectutem redditur impotens ad ſeruandam religionis regulam, reclamarè non poteſt contra profeſſionem. ibid. 19

Ad profeſſionem expreſſam neceſſario deſideratur exterior aliqua forma, quæ mutuum conſenſum religionis & religioſi ſufficienter explicet, vt vinculum eius conſurgat: quare profeſſio expreſſa nullis verbis indiget, ſed poteſt nutibus, aut ſcripto fieri. ibid. 20

Mutus à natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri, quando ita perſpicaci intellectu prædictus eſt, vt ſignis doceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſſitque ſignis conſenſum exprimere. ibid.

Vt expreſſa profeſſio fiat, iure communi non eſt, neceſſarium vllum ſcriptum, ſed ſufficit vt ſola voce negotium totum tranſigatur. Sed poteſt eſſe neceſſarium, vt obuiet ei, qui contrauenit profeſſioni. ibid. 21

Iure tamen ſpeciali aliquarum religionum requiritur, vt profeſſio in ſcriptis fiat, vel ea ſcripto legatur. 532. ibid.

Iure communi & ſtandu in ſola rei natura ſolum ſcriptum ſufficit ad profeſſionem expreſſam: tamen iuxta communem Eccleſiæ conſuetudinem legenda eſt ſcriptura illa publicè à profitente, ſi id facere poſſis. ibid.

Profeſſio expreſſa varijs formulis ſolet emitti, iuxta varia religionum inſtituta: aliquando enim tria ſubſtantialia religionis vota exprimuntur; quandoque ſola obedientia, aut vita ſecundum regulam illius religionis promittuntur. ibid. 22

Quamuis religionis regula certam profitendi formam præſcribat non ſunt tamen ea verba ita neceſſaria, vt alijs facta, profeſſio ſit irrita, niſi à regula irritetur. ibid.

Ex parte Prælati recipientis non eſt neceſſaria forma verborum ſpecialis, ſed ſatis eſt, ſi ille aliquod ſignum externum exhibeat per quod oſtendat, ſe profeſſionem acceptare. ibid.

Vt profeſſio conuenienter fiat, requiritur vt illa coram teſtibus fiat, & de illa Eccleſiæ poſſit conſtare: tamen de ſubſtantia profeſſionis non eſt, vt coram teſtibus emittatur. ibid.

Profeſſio poteſt fieri per Procuratorem, niſi regula prohibeat, tamen quinque conditiones deſiderantur, vt procurator validè nomine abſentis, profiteatur. ibid. 23

Profeſſio ſolemnis ob malum finem emiſſa, eſt irrita, ſi malus ille finis ſit finis caſtitatis, obedientiæ & paupertatis, puta ad vanam gloriam. Item ſi profeſſio ordinetur ad malum finem obtinendum à Deo, vel ad gratias agendas pro malo obtento. 533. 24

Profeſſio valet, quando malus finis eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiáſque agendum pro illo obtento. ibi. 25

Valida eſſet profeſſio, ſi quis profiteretur dirigendo votum ſuum ad obedientiam paupertatem & caſtitatem, & animum haberet malum, puta ad viuendum lautè, aut luxurioſè, &c. ibid.

Profeſſio emiſſa ob fidem indifferentem principalem eſt inualida: ſi tamen talis finis ſit tantùm ſecundarios, vel cauſa impulſiua, profeſſio teneret. ibid. 26

Si dubium ſit omnibus circumſtantijs perpenſis, an profeſſio facta ſit ob finem indifferentem, vel bonum, tenendum eſt emiſſam fuiſſe ob finem bonum, ac proinde eſſe validam. ibid.

Promiſſio.

PROMISSIO gratuita eſt datio fidei deliberata, vera, & ſpontanea, de re licita, & poſſibili. ibid. 1

Promiſſio facta homini etiamſi maioris boni ſit impeditiua, adimplenda eſt: ſecus de promiſſione facta Deo. 534. 2

Promittens Deo ſe ducturum fœminam quam deflorauit ſub promiſſione matrimonij, tenetur promiſſionem adimplere. ibi. 3

Qui promiſit Deo ſe ducturum aliquam in vxorem ob vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, in quæ frequenter labitur, tenetur ad matrimonium. ibid. 4

Probabilius eſt illum, qui promiſit Deo ſe ducturum meretricem, vt illa ſe recipiat ad meliorem frugem, val pauperem in honorem Dei, non teneri promiſſionem implere. ibid.

Promiſſio interna iure naturæ, & poſitiuo non obligat, niſi fiat per modum voti. ibid. 5

Promiſſio interna facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, ſed reuocari poteſt ſaltem abſque peccato mortali ante acceptationem niſi iuramentum ſit factum Deo. ibid. 6

Promiſſio ante patrationem operis praui, cuius cauſa ipſa eſt facta, eſt inualida: patrato autem opere malo, verius eſt promiſſorem obligari ſoluere promiſſum. ibid. 7

Omnes promiſſiones, quarum implerio eſt illicita, iure naturę irritæ ſunt; & probabile eſt etiam eſſe irritas iure poſitiuo. ibid. 8

Verius eſt omnem promiſſionem ſerio factam animo promittendi in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligare ſub peccato mortali ad ſui impletionem. ibid. 9

In quatuor caſibus promiſſio acceptata, & valida deſinit obligare. 535. 10

Promiſſio ante acceptationem ordinariè nullam parit obligationem naturalem aut ciuilem. ibid. 11

Vt promiſſio vel donatio facta abſenti validè poſſit acceptari, quænam requirantur. ibid. 12

Verius eſt promiſſionem vel donationem poſſe validè acceptari, ſi contingat donatorem mori ante inſinuationem, & ipſa donatio ante mortem facta ſit ex parte donatoris, miſſa epiſtola, vel nuntius, qui illam abſenti inſinuet, vel rem tradat. ibid.

Quando donatio ante mortem donatoris non eſt facta ex parte ipſius: ſed ſolùm mandata fieri per nuntium, aut procuratorem, ſed nondum acceptata vel adimpleta fuit, non poteſt donatio validè acceptari poſt mortem donatoris, & res illa reſtituenda eſt hæredibus illius, qui donauit. ibid.

Si culpa nuntij vel procuratoris donatio non fuerit tempeſtiuè facta ante mortem donantis: ſecundùm aliquos, tenetur nuntius ad duplicem reſtitutionem, hæredibus nempe, & donatario: non eſt tamen improbabile teneri tantùm donatario. ibid.

Mandatum factum ad pias cauſas non expirat morte mandantis. ibid.

Quinam poſſunt promiſſionem lucratiuam vel donationem abſenti factam acceptare? ibid. 13

Promiſſio, regulariter loquendo, ſtatim adimplenda eſt, ſi terminus non fuerit aſſignatus. ibid. 14

Plura de promiſſione vide v. *Donatio. Sponſalia* 1. & 2. *Votum* 1.

Prudentia.

Prudentia eſt virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honeſtum ſit, quid turpe. 536. 1

Prudentia verſatur circa actiones ſingulas. ibid. 2

Prudentiæ obiectum, effectus, & finis, eſt agere honeſtè. ibid. 3

Contra prudentiam dupliciter peccatur; per exceſſum & per defectum. ibid. 4

Per defectum contra prudentiam peccatur, præcipitatione, inconſideratione, inconſtantia & negligentia. ibid.

Qualia ſint peccata præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, & negligentia. ibid. 5

Per exceſſum contra prudentiam peccatur ſex modis, prudentia carnis, aſtutia, dolo, fraude, ſollicitudine temporalium, & ſollicitudine futurorum. ibid. 6

Prudentia carnis dicitur, qua quis viuit ſecundùm carnem. ibid. 7

Aſtutia eſt notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu decipiendi coniuncta. ibid. 8

Dolus eſt aſtutiæ executio ſiue verbis ſiue factis. ibid. 9

Fraus eſt executio aſtutiæ per facta. ibid. 10

Solicitudo temporalium eſt nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conſeruandis, ibid. 11

Q.

Quarta parochialis, & Epiſcopalis.

QVARTA eſt quadrans, ſeu quarta pars rei de qua agitur. 537. 1

Quarta parochialis debetur illi parochiali Eccleſiæ, in qua quis de iure ſepeliendus eſſet. ibid. 2

Quarta Epiſcopalis debetur Epiſcopo de legatis pijs & funeralibus, oblationibus factis Eccleſiæ ſeu locis pijs ſibi ſubiectis. ibid. 3

Quomodo vigore Concilij Tridentini hanc ſoluere teneantur religioſi. ibid. 4

Religioſi non tenentur ſoluere quartam de miſſis, de candelis quæ dantur in manibus religioſorum. ibid. 5

Quando Eccleſia parochialis eſt interdicta ſua culpa parochianus alibi eligens ſepulturam, non debet quartam funeralem: ſecus ſi parochia cauſam interdicti non dederit. ibid. 6

Quarta funeralis non debetur de relictis pro ædificatione & reparatione Eccleſiarum, monaſteriorum & aliorum locorum piorum. ibid. 7

Ordinarij cogentes religioſos, aut teſtamentarios, vel hæredes ad quartam ſoluendam in locis vbi eam non ſoluunt ab hinc quadraginta

annis;ipſo facto interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ; cæteri excommunicantur. ibid.8

R.

Raptus.

Raptus eſt peccatum luxuriæ, quo perſona aliqua abducitur cum violentia, ad actum turpem cum ea exercendum. ibid.1

Ad raptum requiritur violentia ipſi perſonæ, vel ijs ſub quorum cura eſt, & abductio cauſa libidinis vel matrimonij. 538.2

Abductio ſponſæ per verba de futuro conſentientis, iure ciuili eſt raptus, ſi parentes inuiti ſint; at iure canonico non eſt raptus, ſi abducatur ad matrimonium conſummandum cum ea. ibid.3

Raptor mulieris honeſtæ, ſiue mulier ſit virgo, ſiue vidua, coniugata ſiue ſoluta, iure ciuili punitur pœna mortis. 667.4

Raptoribus mulierum iure canonico conſtitutæ ſunt tres pœnæ. ibid.5

Raptus mulieris & omnes conſilium, auxilium & fauorem præbentes, iure nouo Tridentini ſunt ipſo facto excommunicati, infames, & omnium dignitatum incapaces, poſt ſententiam Iudicis. ibi.6

Raptor, ſiue matrimonium contrahat, ſiue non, cum rapta, tenetur ad decenter dotandam raptam arbitrio Iudicis. ibid.7

Inter raptorem, & raptam declaratur in Tridentino matrimonium nullum, quamdiu rapta manet in poteſtate raptoris, etiamſi libere conſentiat. ibid.8

Raptus eſt, quando puella etiam ſub nullius poteſtate conſtituta nolens abducitur, vnde ad raptum violentia deſideratur. 539.1

Raptus non eſt, ſi puella abductioni conniueat, poſtea vero renitens cognita ſit, ſed tantùm erit copula vi extorta, E contra raptus erit, ſi fœmina initio abductioni reſiſtat, ſed poſtea copulæ conſenſit. ibid.

Quando fœmina ſui iuris importunis precibus abducitur, tunc dicendus eſt raptus, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur. ibid. 2

Quando raptor à copula ſe abſtinuit pœnitentia ductus, & noluit habere, quamuis potuerit, non eſt Ordinarius raptus pœnis obnoxius, ſed extraordinarijs: ſecus ſi copula ſubſecuta non fuerit, quia ad eam peruenire non potuit; limita, niſi rapta ſit Monialis. ibi.3

Verius eſt, pœnis raptus non eſſe obnoxiam fœminam, ſi virum rapiat, ſed alia pœna extraordinaria puniendam eſſe. ibid.4

Ad pœnas incurrendas raptoribus iure decretas, licet deſideretur violenta de loco ad locum abductio, ad effectum abducendi: in foro tamen conſcientiæ vt raptus ſit, ſufficit, quod vis inferatur fœminæ ad copulam extorquendam: & hæc copula ſpecie diuerſa eſt à ſimplici fornicatione in confeſſione explicanda. ibid 5

Raptus propriè non eſt, quando fœmina abſque vi aliqua, fraudibus, vel ignorans cognoſcitur, vt ſi quis rem habeat cum fœmina dormiente, aut putante eſſe virum ſuum. Tum ea copula reducitur ad raptum, & talis circumſtantia eſt in confeſſione exprimenda. ibid.

In foro conſcientiæ raptus eſt fœminæ cuiuſcumque ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur, aut abducatur. Imo ad ſpeciem hanc raptus neceſſario confitendam, nihil refert, ſiue vir rapiat fœminam, ſiue fœmina virum. ibid.6

Raptus minime grauis eſt, quando rapitur fœmina meretrix, grauior, quando vidua; multo grauior quando rapitur virgo. Grauior item, quando coniugata vel conſanguinea vel affinis. Grauiſſimus quando reperetur Monialis, vel quæ voto dicata eſt Deo. at omnium grauiſſimus eſſet raptus ad turpem actum. ibid.

Circumſtantia raptus non eſt neceſſariò explicanda in confeſſione, ſi virgo ſponte conſentiat. Si autem parentes actualiter repugnent, erit talis circumſtantia in confeſſione aperienda, ſecus autem minimè: quamuis contraria ſententia ſit communis, quoad priorem partem. 540.7

Raptor, qui proprio motu fœminam rapit, non vt ſecum, ſed vt cum alio matrimonium contrahat, non ſubditur pœnis decreti Concilij Tridentini: proinde valet matrimonium, cum illo tertio initum ſi fœmina liberè conſentiat; quamuis nondum extra raptoris poteſtatem ſit. ibid.8

Si tamen quis rapuit ad inſtantiam initури matrimonium; tunc matrimonium cum illo erit inualidum, niſi prius fœmina in loco tuto conſtituatur; & incurret ille qui inſtigauit, cæteras pœnas tanquam verus raptor. Qui verò raptum exercuit, incurret excommunicationem & cæteras auxiliantium pœnas. ibid.

Regulares.

Religiosus ſtatus eo ipſo quod per Eccleſiam approbatur, eſt ſtatus ſacer & Eccleſiaſticus: hinc regulares ea vi ſui ſtatus à ciuili & laica poteſtate exempti ſunt, & quidem iure Diuino in Eccleſiaſticis cauſis, ſeu ad res ſpirituales ordinatis. 541.1

Contra regularem exemptum extra Clauſtrum notoriè delinquentem non poteſt Epiſcopus formare proceſſum iuridicum, & cum tali proceſſu illum remittere ad ſuum Prælatum ab eo puniendum: licet quidam contrarium doceant. ibid.2

Regularis exemptus delinquens in alieno Monaſterio exempto, non poteſt puniri ab Epiſcopo, nec à Prælato Monaſterij, ſed à ſuo. ibid.

Regularis manens de Superiorum licentia ſub regulari Obſeruantia in aliquo membro vel grangia ſui Monaſterij pro religionis ſeruitio, ſi delinquat, non ab Ordinario, ſed à ſuo Superiore puniri debet. ibid. num.3

Regularis, qui retento habitu religionis propriæ ſæcularem induit, vt ſic incognitus incedat, iuxta multorum ſententiam, excommunicationem iuris incurrit; contrarium tamen eſt ſatis probabile. num.4

Vt regularis dictam excommunicationem incurrat, non eſt opus, vt recedat abſque Superioris licentia, habitumque deponat, ſed incurret deponendo habitum, etiamſi obtenta licentia habeat. 542.5

Ex communiori ſententia, ad hanc excommunicationem incurrendam, non ſufficit ſola temeraria habitus religioſi dimiſſio, ſed requiritur quoque alterius habitus aſſumptio. ibid.6

Regularis, qui ſuæ religionis habitu depoſito, alterius religionis amictum aſſumit, excommunicationem hanc incurrit, ſi illam non ingrediatur. Si autem ad illam tranſeat contra iura, verius eſt non incurrere: licet quidam ſuſtineant contrarium. ibid.7

Regularis profeſſus induens habitum Nouitiorum excommunicatione hac afficitur, quoties Nouitij non eodem veſtium genere vtuntur, quo profeſſi: aliàs non. ibid.8

Regularis ad beneficium Parochiale alicuius Eccleſiæ promotus, afficitur hac excommunicatione dimittendo temerè habitum ſuæ religionis. ibid.9

Regularis creatus Epiſcopus vel Cardinalis non ſubijcitur huic excommunicationi non deferendo habitum ſuæ religionis. ibid.

Regularis vtens veſtimentis prophanis peccat mortaliter: talia ſunt ea, quæ ſunt propria ſæcularium, vt veſtimenta ſerica, aut auro ornata, &c. quæ non decent ſtatum & paupertatem religioſam. 543.10

Regulares profeſſi accedentes ad quæuis ſtudia extra oppidum ſui Monaſterij abſque licentia ſui Prælati, & conſilio Conuentus, vel maioris partis, excommunicationem iuris incurrunt: ſecus ſi accedant ad ſtudia ſui oppidi, vel ad Monaſterium ſuæ religionis in alio oppido exiſtens, vbi ſunt ſtudia intra Clauſtrum. ibid.11

Nomine Prælati, cuius conſenſus hic requiritur cum conſilio Conuentus, non tantùm ipſe Abbas intelligitur, ſed etiam eius locum tenens. Imò nomine Prælati venit Generalis, aut Prouincialis in Monaſterijs exemptis, vel etiam Epiſcopus, in non exemptis. ibid.12

Licentia hæc inualidè obtenta vel per dolum vel metum grauem vel à Superiore non habente ad id facultatem, non ſufficit ad excuſandum ab hac cenſura. ibid.13

Quando licentia accedendi ad ſtudia obtinetur à Prælato immediato, ſatis eſt, vt Prælatus conſilium Conuentus audiat, & non requiritur conſenſus ipſius Conuentus. ibid.

Prælatus regularis alicuius Monaſterij audiens ſtudia abſque ſui ſuperioris licentia non afficitur hac cenſura. 544.14

Regulares è Clauſtro exeuntes ad audiendas leges, aut phyſicam, & intra bimeſtre non redeuntes, excommunicationem iuris incurrunt. ibi.15

Regularis non afficitur hac cenſura audiendo leges, aut Medicinam in eadem ciuitate, ſi ad Monaſterium ſerò redeat: contra nonnullos contrarium docentes. ibid.

Regulares audientes ius ciuile vt melius ad cognitionem iuris Canonici deueniant, excommunicationem non incurrunt. ibid.16

Regularis, qui non quidem exiuit animo audiendi præfatas ſcientias, ſed mutata poſtea voluntate permanet extra Clauſtrum per duos menſes principaliter animo eas audiendi afficitur hac cenſura. ibi.17

Quando regularis exiuit Clauſtrum eo animo, vt audiret leges vel phyſicam, poſtea autem non audiuit, an incidat in hanc cenſuram? Alij affirmant; alij negant probabiliter. ibid.

Regularis exiens è Clauſtro, vt doceat leges vel phyſicam, non ligatur excommunicatione: ſicut nec ligatur regularis, qui Clauſtro exiuit animo audiendi has ſcientias, ſi intra duos menſes ad Monaſterium redeat, ibid. 18

Regularis non habet perſonam legitimam comparendi in iudicio, ſiue tanquam actor ad agendum, ſiue tanquam reus ad ſe defendendum, regulariter loquendo, abſque licentia Superioris. ibid. 19

Hinc regularis non poteſt conuenire, nec conueniri ratione contractus cum eo initi, nec libellus contra regularem formandus eſt, ſed conueniendum Monaſterium & contra id formandus libellus. ibid.

Si actio criminalis ob aliquod delictum à regulari commiſſum intentetur, ipſe eſt conueniendus & contra ipſum formandus eſt libellus, habetque perſonam legitimam ad ſe defendendum abſque Superioris licentia, quamuis Superior poſſit ei aſſiſtere. 545.20

Regularis in aliquibus caſibus poteſt agere & conuenire in iudicio. Primo, quando eſt in ſcholis ſtudendo cum licentia Superioris. Secundo, quando Superior eſt abſens, aut obijt. Tertio, ſi Prioratum

præ-

Digitized by Google

Præfecturam vel aliam adminiſtrationem in titulum beneficij ſaltem manualis habeat. Quarto, ſi agere velit de quocumque iure ſibi competente per profeſſionem, electionem vel collationem Canonicam, vel alio quolibet titulo, cum eſt capax. Quinto, ſi ſuum Superiorem accuſare velit. ibid. 21

Quando regularis accuſat Superiorem, ſunt ei miniſtrandæ de rebus Monaſterij expenſæ, donec cauſa debitum finem accipiat, non ſolùm victus, ſed etiam expenſæ neceſſariæ ad litem proſequendam: niſi accuſans habeat peculium aliquod vnde expenſas ſoluat, tunc Monaſterium non tenetur. ibid.

Regularis non poteſt de iure quemquam accuſare præter proprium Abbatem, niſi duplex concurrat conditio; licentia nempe Abbatis, & vtilitas Monaſterij. ibid.

Regulares non poſſunt Tabellionis Officium exercere: ſi tamen aduerſus hanc prohibitionem, regularis qui in ſæculo erat Tabellio; conficiat inſtrumentum, validum eſt, niſi ſpecialiter religioſo interdictum ſit publicè vti eo Officio. ibid. 22

Regularis poſt profeſſionem poteſt complere & ſignare inſtrumenta, quæ dum Tabellio erat in ſæculo confecerat, modo id faciat ex licentia Superioris; imò poteſt Monaſterium conueniri, vt Monachus ante Notarius hæc inſtrumenta perficiat. ibid.

Regulares non poſſunt fideiubere, niſi cum licentia Prælati, & maioris partis Capituli: nec Prælatus poteſt ſine maioris partis Capituli conſenſu facultatem fideiubendi concedere, aliàs fideiuſſio erit irrita. ibid. 23

Regulares ex Superioris licentia poſſunt ad Doctoratus gradum promoueri in Theologia & iure Canonico. An autem idem dicendum ſit de promotione ad Doctoratum in iure ciuili, & Medicina? Alij affirmant, alij negant. ibid. 24

Generalis Ordinis Prædicatorum in quolibet Capitulo Generalis poteſt vni ex Fratribus in Theologia prouecto & præuio examine idoneo inuento, Magiſterij honorem & docendi licentiam conferre, ſeruatis aliàs ſeruandis. 546. 25

Fratribus Minoribus prohibitum eſt conferri gradum Magiſterij in aliqua vniuerſitate, niſi curſus per Conſtitutiones Apoſtolicas & ſui Ordinis inſtituta perfecerint, & aliàs idonei exiſtant. ibid.

Regularis miſſus à Superiore ad litteras addiſcendas, cenſetur quoque licentiam habere, vt ad Lectoratus gradum promoueatur: & proinde expenſas in tali gradu factas & neceſſarias, tenetur Monaſterium ſoluere, modo ſumptuoſæ non ſint. ibid.

Monachi & Canonici regulares ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibentur accedere ad Curias Principum ſæcularium, abſque licentia ſuorum Prælatorum cum intentione prædictis ſuis Prælatis nocendi, aut Monaſterijs. ibid. 26

Hac cenſura non ligantur accedentes ad Curiam animo nocendi alicui religioſo ſui Monaſterij, qui Prælatus non ſit, vel alteri religioni, aut alteri Monaſterio: nec quilibet regulares, ſed tantummodo Monachi & Canonici regulares. ibid.

Regulares omnes tenentur ad obſeruandas regulas & ſtatuta Ordinum ſuorum, tam in habitu, & conuerſatione, quam in orationibus, diuinis Officijs, Sacramentorum receptionibus & alijs huiuſmodi, quæ à ſuis inſtitutoribus ordinata ſunt. ibid 27

Religio.

Religio à religando nos Deo eſt dicta: & ſtrictè & proprio modo accepta, eſt, quæ ex religioſis alicui religioni per Apoſtolicam Sedem approbatæ per profeſſionem addictis componitur, in qua religione tria vota ſubſtantialia promittuntur. 547. 1

Poteſtas recipiendi volentes ingredi religionem & habitum religionis concedendi, primò & principaliter in Summo Pontifice reperitur. ibid.

Secundò hæc poteſtas immediatè eſt in qualibet religione approbata per Pontificem, & in ſola illa. Sed quia non poteſt ab illo toto immediatè exerceri, ſequitur eam eſſe in Prælatis, quibus religionis cura demandata eſt. ibid.

Iure communi non ſatis cautum eſt, an ad ſolos Prælatos ſpectet Monachorum receptio, an ſimul cum Capituli conſilio: proinde in vnaquaque religione attendenda eſt, vel regula, vel priuilegium à Sede Apoſtolica conceſſum, vel conſuetudo præſcripta. ibid. 2

De iure ſpeciali quarumdam religionum non poteſt Abbas recipere Monachum ſine conſilio Capituli. 548. 3

Poſt conſtitutionem Sixti V. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, nullus ad regularem Ordinem admitti debet, niſi in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, accedente definitorum conſenſu: extra vero capitula, non niſi accedente trium vel quatuor Patrum conſenſu, prout ipſe Pontifex ordinauit in alia moderatoria dictæ Conſtitutionis, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*. ibid. num. 4

In recipiendo ad Ordinem, ſufficit, quod maior pars coniunctorum conſentiat cum Prouinciali, ſiue Abbate: itavt ſuffragia vincant, quæcumque illa ſint. ibid. 5

Prælatus poteſt, per ſe ſolum admittere petentem ingreſſum, ſi Patres ſocij & Collegæ ſine rationabili cauſa denegent conſenſum, vel vbi imminet neceſſitas & periculum, quando Superior nequit commodè conſenſum requirere. ibid. 6

In religionibus, quibus receptio Monachorum ſpectat ad ſolum Prælatum ex priuilegio, aut conſuetudine, tenet receptio abſque conſilio & conſenſu Conuentus: ſecus ſi receptio ſpectet ad Prælatum & Conuentum. 549. 7

Superior & alij conſultores, quibus incumbit poteſtas recipiendi Nouitios, concurrentibus omnibus neceſſarijs, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte religionis, tenentur ex Officio & ex charitate poſtulantem admittere, ſi nulla interueniat rationabilis cauſa excuſans. ibid. 8

Superiores & conſultores graue peccatum admittunt, ſi ad religionem aliquem recipiant contra ius Canonicum; vel ſi concederent ingreſſum ijs, qui aliquo ex impedimentis per Bullam Sixti V. determinatis efficiuntur, dummodo hæc receptio ſit temerè facta & dolo. ibid. 9

Pœnas Bullæ Sixti V. incurrunt, qui ſine morum informatione quempiam aliquo ex impedimentis ſpecificatis in eadem Bulla affectum admittunt. ibid.

In quacumque ætate poſſunt omnes homines religionem ingredi vel in ea admitti, ſi vſum rationis habeant, & alioqui debitus ordo & modus ſeruetur. ibid. 10

Inhabilis eſt ad religionis ingreſſum, qui vi & metu extrinſeco compulſus illam ingreditur, & Prælatus illum recipiens ſcienter, ſicut & receptus mortaliter peccant. Secus ſi quis ingreſſum petat ex metu intrinſeco, hic recipi poteſt. ibid. 11

Similiter quando violentia aliquo iuſto titulo ea facta, vt ſi quis iuſtè poſſit mortem alteri inferre ſaltem per iuſtitiæ miniſtros, & nolit eam remittere, niſi alias religionem ingrediatur, non peccabit, nec faciet iniuriam. 550. ibid.

Nemo poteſt compelli ad religionem, niſi qui expreſsè vel tacitè ſeipſum ſponte obligauit. ibid. 12

In aliquibus caſibus de iure poteſt quis compelli religionem intrare. Primò, quando quis ſponte religionis votum emiſit: Secundo, quando coniux conſcius diſpoſitionis iuris conſenſit vt alter profiteatur religionem vel ſacros Ordines ſuſcipiat. Tertio, quando aliqui crimen aliquod commiſerunt, obquod iubentur detrudi in Monaſterium. ibid.

Tranſitus de vna religione ad aliam, etiam ſtrictiorem, non eſt licitus, abſque Prælati licentia ſaltem petita; alias eſt peccatum mortale. ibid. 13

Religioſi, ad quos fit tranſitus, nullo modo eum debent recipere abſque litteris dimiſſorijs ſui Superioris, quamuis eis conſtaret licentiam fuiſſe petitam, ſed non obtentam. 551. 14

Quando dubium eſt omnibus perpenſis, an religio, ad quam ſubditus ſe transferre cupit, ſit, necne arctior, non poteſt religioſus ille tranſire denegata ei licentia per Superiorem: ſed ad licitum tranſitum oportet vt ab eo, vel ab alio maiori Superiore, ad quem prouocatur, obtineatur licentia. ibi. 15

Superior tenetur recipere religioſum, cui conceſſit licentiam tranſeundi ad arctiorem, ſi ante emiſſam profeſſionem in ſecunda religione, reuerti vult ad priorem. ibid. 16

Quamuis omnes religiones priuilegium habeant ne à ſua religione ad aliam liceat tranſitus, hoc tamen non impedit, quin religioſus poſſit tranſire zelo melioris vitæ ad ſtrictiorem religionem, petita licet non obtenta à ſuo Superiore licentia. At ſi priuilegium neget eum tranſitum abſque licentia obtenta, ea obtinenda eſſet. ibi. 17

Solius Romani Pontificis eſt dare facultatem tranſeundi ad æquè ſtrictam religionem, nulla legitima cauſa tranſitus ſubſiſtente. ibid. 18

Abbates, & Prælati Regulares iuſta cauſa interueniente poſſunt religioſis ſubditis concedere licentiam tranſeundi ad religionem æqualem. 552. 19

Quis autem Prælatus regularis poſſit hanc licentiam concedere? Quidam docent hanc poteſtatem eſſe penès Generalem, vel Prouincialem, non autem penes Prælatum localem. Alij volunt eſſe penes Prælatum etiam Conuentualem in religionibus exemptis: ſi accedat aſſenſus Conuentus. ibi.

Iure communi Superiores Ordinum Mendicantium accedente etiam ſui Conuentus conſenſu, nequeunt ſubditis concedere facultatem tranſeundi ad religiones Monachales excepta Carthuſiana, ſine licentia Pontificis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, & profeſſio eſt irrita. ibi.

Licentia abſolutè conceſſa ex iuſta cauſa à quocumque Prælato tranſeundi ad aliam religionem, debet intelligi de ſtrictiori, aut æquè ſtricta, non verò de laxiori. ibid. 20.

Generalis Societatis Iesv poteſt concedere ſuis religioſis, etiam ſolemniter profeſſis facultatem tranſeundi ad alias quaſlibet religiones, ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ. ibid.

Licentia tranſeundi ad quamlibet religionem laxiorem Generali, vel

etiam à Pontifice conceſſa, non extenditur ad Religiones non Clauſtrales, vt ſunt militares, & hoſpitalariæ niſi exprimantur. ibi.21
Quando fit tranſitus ad ſtrictiorem religionem, nulla deſideratur cauſa: ſi tranſitus fiat ad æquè ſtrictam, verius eſt neceſſariam eſſe cauſam legitimam verùm, parua cauſa modo ſit iuſta, ſufficiens erit. ibid.22
Si tranſitus concedendus ſit ad laxiorem religionem, cauſæ huius diſpenſationis quatuor legitimæ adducuntur. 553.ibid.
Superior diſpenſans ſubditum ad laxiorem religionem, debet prius cauſæ huius diſpenſationis cognitionem præmittere. ibid.23
Religioſus legitimè tranſlatus ad aliam religionem, non tenetur ad vota ſpecialia in priori religione emiſſa. ibid.24
Religioſus tranſlatus ad aliam religionem, vt ibi ſit Prælatus & Superior, finito Officio remanet religioſus ſecundæ religionis, ſi in ea profiteatur. Sed quia talis non ſolet in hoc caſu ibi profiteri, ſequitur manere ſubditum primæ religionis. ibid.25
Tranſlatum de vna Prouincia in aliam eiuſdem religionis, poſtquam incorporatus eſt, habet locum in choro, Capitulo & alijs congreſſibus iuxta tempus, in quo emiſit profeſſionem vel aſſumpſit habitum in prima Prouincia. ibid.26
Tranſlatus de vna Religione ad aliam diuerſam, ſedere debet in Capitulo, &c. ſecundùm tempus, in quo emiſit profeſſionem in illa religione poſteriori. ibid.
Bona religioſi tranſeuntis ad aliam religionem ſtudio melioris vitæ, manent penes primum Monaſterium, ſed quidquid poſt ſecundam profeſſionem in ſecundo Monaſterio emiſſam illi obuenerit, ſpectabit ad ſecundum. ibid.27
Profeſſus in religione incapaci bonorum tranſlatus ad religionem capacem, recuperat bona poſt tranſlationem ſibi delata ad vtilitatem ſecundæ religionis capacis, vt definitum eſt in Rota. 554.ibi.
Tranſlatus de religione incapaci ad capacem auctoritate Apoſtolica, non recuperat bona, quæ ante profeſſionem obtinebat vt reſoluit Rota. ibid.
Si religioſus transferatur ad aliam religionem, non vt ibi profiteatur, ſed vt peccatorum ſuorum pœnitentiam agat, tunc vſusfructus bonorum priori Monaſterio acquiſitorum, debentur Monaſterio vbi pœnitentiam agit, remanente proprietate in priori Monaſterio, ſi eſt inops. ibid.
Religioſus hic tranſiens ad aliam religionem, nil poteſt ſecum deferre ex acquiſitis priori Monaſterio præter ſolas veſtes. ibid.28
An autem talis poſſit ſecum deferre ſcripta, vel libros à ſe compoſitos? Quidam negant probabiliter, niſi eſſent inutilia primæ religioni vel Prælato non eſſet ingratum, Contrarium tamen non eſt minus probabile. ibid.
Verius eſt Monialem, quæ transfertur cum legitima licentia ad aliud Monaſterium propria voluntate, ſeu ad ipſius vtilitatem, non poſſe ſecum deferre dotem ſuam. ibid.29
Peculium conceſſum religioſo non ex bonis Monaſterij, ſed à cognatis vel extraneis, ipſo tranſeunte ad aliam religionem pertinet ad prius Monaſterium, ſi illud ſit abſolutè conceſſum; ſecus ſi aſſignatum fuit tertiæ perſonæ, cum onere illud tradendi religioſo ſingulis annis, vel quoties ipſe petierit. ibid.30
Peculium conceſſum religioſo hac lege, vt Monaſterium in illud non ſe ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur ſecundo Monaſterio poſt profeſſionem quoad fructus percipiendos. ibid.
Religioſus tranſiens à religione bonorum incapaci vel etiam capaci ad aliam capacem, bona quæ in ſecunda religione acquirit pertinent ad ſecundam religionem. 555.31

RELIGIO.

Quoad illius ſtatum in communi.

NOMINE ſtatus ſtrictè, accipitur pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obſtricti ſumus: tres ſunt ſtatus in Eccleſia, Epiſcoporum ſcilicet; religioſorum & coniugatorum. ibid.1
Religio accipitur, vel pro virtute, vel pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro formula quadam peculiari & profeſſione, per quam homo diuino obſequio mancipatur. ibid.
Religionis ſtatus eſt fidelium ad Chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis ac obedientię, ſtabilis in communi viuendi modus. ibid.2
Ad ſubſtantiam veræ & propriæ religionis deſiderantur 1. caſtitas, paupertas & obedientia 2. vt hæc tria voto aliquo firmentur 3. vt emittantur in aliqua religione approbata per Sedem Apoſtolicam 4. vt hęc vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione. ibid.
Iure communi antiquo ſtatus Religionis veræ conſiſtere non poteſt abſque votis ſolemnibus: poſt Extrauagantem tamen *Gregorij XIII.* declarantur religioſi profitentes vota ſimplicia in Societate IESV. ibid.3
Profitentes caſtitatem coniugalem in ordinibus militantibus, licet Eccleſiaſticæ perſonæ ſint, non ſunt propriè religioſi. ibid.4
Regula ad eſſentiam religionis per ſe non eſt neceſſaria, ſed tantùm per accidens. 556.5
Irrita eſt profeſſio votorum religionis, ſi in ea conditio addatur, quæ religioſo ſtatui repugnat. ibid.6
Ex reſponſione Sacræ congreg. profeſſio valet reſeruata ſibi facultate teſtandi de ſuo patrimonio. ibid.
Religioſi non ſunt, qui edicto voto perpetuæ caſtitatis & paupertatis, obedientiam vouent præſtandam confeſſario vel Epiſcopo. ibid.7
Summus Pontifex diſpenſare non poteſt, vt manens religioſus, voto paupertatis, caſtitatis ac obedientiæ obligatus non ſit quamuis diſpenſare poſſit, vt profeſſus religionem, deſinat eſſe religioſus. ibid.8
Religioſus ad Cardinalatum, Epiſcopatum, vel ſimilem dignitatem promotus non deſinit eſſe religioſus, ac proinde obſtrictus manet eſſentialibus votis religionis, iuxta veriorem ſententiam. ibid.
Religioſus ad parochiale beneficium promotus, ſubſtantialibus religionis votis obſtrictus manet; habitumque religionis ſuæ deferre debet, & regulam obſeruare in ijs omnibus, quæ cum ſuo munere & laboribus conſiſtere poſſunt. 557.9
Regularibus parochus eximitur ab obedientia Prælatorum religionis, quando Eccleſia cui præeſt, nullatenus ſubijcitur Prælatis religionis, ſed ſubiectus manet imperio Epiſcopi. ibid.
Si Eccleſia ſubijciatur Prælatis religionis quoad ſola temporalia, eximitur regularis Parochus quoad ſpiritualia ab illorum obedientia: ſi verò eis ſubiecta ſit quoad ſpiritualia, ſolùm eximitur quoad temporalia; ſi verò ſit ſubiecta quoad omnia manet plenè eis ſubiectus. ibid.
Quando beneficium curatum regulare ſubeſt pleno iure monaſterio, poteſt regularis ille ad ſuperioris nutum reuocari: ſi autem non ſubſit pleno iure, nequit ad nutum Abbatis auferri, niſi aliter in ipſa annexione vel inſtitutione fuerit conſtitutum, vel Prælatus ius illud iam legitimè præſcripſerit. ibid.
Si regularis præficiatur Eccleſiæ curatæ ſæculari vel beneficio ſimplici ſæculari ex legitima diſpenſatione, reuocari non poteſt ab Abbate. ibid.
Abbates & prælati regulares non poſſunt pro ſuo libito amouere monachum à beneficio electiuo abſque legitima cauſa. ibid.
Status religionis ſtatim à tempore Apoſtolorum cœptus, hucuſque ſemper durauit, & auctus eſt. ibi.10
Diuerſitas ordinum prouenit, vel ex particulari fine ſeu functione, ad quem quiſque ordo ſpeciatim eſt inſtitutus, vel ex particularibus medijs & ritibus quibus vtuntur ad functionem ſuam propriam melius obeundam. ibid.11
Quatuor ſunt regulæ approbatæ, ſub quibus omnes ordines religioſi militant, præter Carthuſianos & Societatem IESV, qui habent proprias conſtitutiones. ibid.12
Illi ordines abſolutè ſunt perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinſecum ſeu functionem perfectiorem. 558.13

Religio. De intrantibus religionem.

RELIGIONEM ingredi poſſunt, qui ſunt ſui iuris; qui autem alteri ſunt obſtricti, non poſſunt, niſi illius conſenſu. ibid.1
Epiſcopi non poſſunt religionem ingredi ſine conſenſu Summi Pontificis. ibid.
Epiſcopis iure conceditur renunciatio Epiſcopatus ad ingrediendum religionem ob conſcientiam criminis; debilitatem corporis; defectum ſcientiæ; malitiam plebis; graue ſcandalum, & irregularitatem. ibid.
Coniuges poſt conſummatum matrimonium ingredi non poſſunt religionem, niſi ex mutuo conſenſu. ibid.2
Iuxta quoſdam mulier dicitur ſenex, vt vir poſſit profiteri religionem remanente illa in ſæculo cum voto caſtitatis ſi ſit quinquagenaria; iuxta alios ſi ſexagenaria: ſed verius eſt hoc arbitrarium eſſe, & ex circumſtantijs perſonæ, valetudinis, roboris & anteactæ vitæ deſumendum. ibid.
Religionem ingredi poteſt coniux inuito altero, in quatuor caſibus. ibid.3
Religionem ingredi non poſſunt, qui virginem ſub promiſſione matrimonij defloraruntur; tenentur enim implere contractum vel eam dotare, ſecundum illius conditionem. In aliquibus tamen caſibus non tenentur defloratam ducere. ibid.4
Verius eſt, illum, qui prius votum religionis aut caſtitatis emiſit, virginemque deflorauit cum promiſſione matrimonij, teneri ad contrahendum matrimonium, ſi puella votum promittentis ignorauit: ſecus ſi non ignorauit. ibid.
Ad religionem ſe conferre poteſt, qui deflorauit virginem, nulla habita matrimonij promiſſione, ſi poſtea defloratæ matrimonium promittat. ibid.
Seruus, quamdiu eſt ſeruus, non poteſt ſtatum religioſum capeſſere abſque conſenſo Domini. 559.5

Qui

Digitized by Google

Qui creditoribus non eſt ſoluendo, non poteſt ingredi, ſi intra paucos annos manens in ſæculo poſſit ſatisfacere. ibid.6.

Qui reddendis rationibus ſunt obnoxij, non poſſunt ingredi, niſi prius ſe expediant, ſi ſint ratiocinia Reipub. ibid.7.

Filius non poteſt religionem ingredi, ſi parens eius extrema, vel graui egeſtate prematur, & ipſe nequeat illi prouidere niſi manendo in ſæculo: idem dicendum de parente reſpectu filij. Limita, niſi alius poſſit, & velit prædictis ſubuenire. ibid.8.

Si filius parente in graui neceſſitate conſtituto profeſſus fuerit, tenetur egredi, ſi aliter ei ſubuenire non poteſt: ſi autem parens poſt profeſſionem filij in eam egeſtatem inciderit, non tenetur filius egredi, quamuis poſſit, obtenta licentia à Prælato. Egreſſus autem filius tenetur habitum religionis geſtare in ſæculo, & obſeruare debet eſſentialia religionis ſuæ, & maiora præcepta, ſtatimque vt neceſſitati parentum prouidit ad religionem reuerti. ibid.

Pater habens filios in neceſſitate conſtit, religionem ingredi non poteſt, ibid.

Pueri non poſſunt religionem intrare ſine conſenſu parentum, vel tutorum ante annos pubertatis; vbi autem ad illos peruenerint, efficiuntur ſui iuris quoad ſtatus electionem. 560.9.

Illegitimus non poteſt admitti in religionem in qua pater eius ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem profeſſus fuerit, ſi adhuc ſit ſuperſtes. ibid.10.

Ratione propriarum conſtitutionum excluduntur à quibuſdam religionibus homicidæ, infames, nati ex Iudæis, Sarracenis, vel hæreticis vſque ad quartam generationem. ibid.

Corpore vitiati ſunt inhabiles ad ingreſſum religionis, niſi morum integritas, inſignis doctrina, vel magna ſanguinis nobilis corporalem defectum ſuppleant: profeſſio tamen iſtorum de iure communi irrita non eſt. ibid.11.

Infames, & buffones, hiſtriones, carnifices, alijque ſimiles non debent ad religionem recipi, ſi tamen recipiantur, profeſſio illorum valida erit. ibid.12.

Ex conſtitutione *Sixti V.* criminoſi, aut de crimine ſuſpecti ad habitum religionis recipi non debent: profeſſio tamen horum iure communi valida eſt. ibi.13.

Criminoſi in hac conſtitutione dicuntur, qui facinora exorbitantia, & turpia commiſerunt, vt latrocinium, rapinam, homicidium, vel aliud delictum, quod ſit publicum, non ſolum notorietate facti, ſed iuris. ibid.

Bigami non poſſunt ad religionem in clericos recipi, bene tamen in laicos, ſicut & illiterati. ib.14.

In receptione nouitiorum inquiſitio, ſeu informatio fieri debet de conditionibus, quæ vel iure canonico vel vigore Conſtitutionum *Sixti V. & Gregory XiV.* requiruntur in ijs, qui religionis ingreſſum petunt. ibid.15.

Hodie profeſſio tenet etiamſi prædictæ informationes non fiant, ſi nouitios non eſt inhabiles de iure communi. 561.ibi.

Prælatus localis informationes culpabiliter omittens incurrit pœnas à *Sixto V.* poſitas, ſi taliter receptus aliàs fuerit criminoſus, & ligatus aliquo impedimento in conſtitutione notato, aliàs non. ibid.

In nouitijs qui in remotiſſimis partibus nati ſunt, ſufficit quòd ingreſſuri iureiurando affirment ſe nullo impedimento bullæ *Sixti V.* obſtrictos eſſe. ibid.

Hæc informatio poteſt fieri tam per eccleſiaſticos, quàm ſæculares, imò per Monachum idoneum à Superioribus deputatum, modò ſit iuridica facta nimirum per duos vel tres teſtes iuratos. ibid.

Non eſt neceſſe facere informationes præceptas à Sixto V. circa religioſum tranſeuntem de vna religione ad aliam, & in ſecunda profitentem. ibid.

Forma faciendi prædictas informationes. ibid.

Recipiendis tenetur ſub pœna lethalis colpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingreſſus, etiamſi non ſit interrogatus, modò impedimentum aduertat, aut de eo dubitet. ibid.

Religio, Quoad Nouitiatum, & Nouitios.

IVRE antiquo maſculus completo 14. ætatis anno mulier 12. ad profeſſionem admittebantur: ante annum probationis in religione expletum: poſt verò Conc. Tridentin. non licet, niſi poſt annum expletum, & 16. ſuæ ætatis annum, aliàs irrita eſt profeſſio. 562.1.

Annus nouitiatus computandos eſt de momento ad momentum: in anno verò biſſexto, duo dies debent pro vno reputari. ibi 2.

Nouitia monialis Ordinis S. Dominici iudicio medici ſtatim moritura, ante annum completum probationis, modò ætatem ſufficientem habeat, profiteri poteſt in manibus Prioriſſæ. ibid.3

Renunciatio anni nouitiatus tam ex parte nouitij quàm monaſterij non prodeſt; ſed ea non obſtante profeſſio eſt irrita. ibid.4,

Vt annus nouitiatus ſit legitimus debet eſſe integer, & continuus, & non ſufficit quod ſit interpolatus. 563.5.

Nouitiatus interrumpitur, quando nouitius recedit à religione contra obedientiæ præſcriptum per duos vel tres dies, animo non redeundi ad religionem. ibid.

An autem nouitiatus cenſeatur interruptus, ſi nouitius è monaſterio egrediatur abſque venia ſuperioris cum animo non redeundi habitum religioſum non dimittens alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Si nouitius fratrum ſui conuentus ſuffragijs de religione admittatur, & à ſuperioribus denuò ad petitionem nouitij admittatur habitu minimè dimiſſo, pro iterando anno nouitiatus, non cenſetur per hoc annus nouitiatus interruptus. ibid.

Annus nouitiatus ſufficit ad profeſſionem, etiamſi nouitius eo expleto exierit, poſtea iterum ad idem vel aliud eiuſdem ordinis, & obſeruantiæ monaſterium admiſſus fuerit abſque alio nouitiatu. ibid 6

De nouitiatus eſſentia eſt hoc tempore, vt ille peragatur in habitu religionis. ibid.7.

Nouitiatus ex legitima ſuperioris licentia poteſt peragi extra monaſterium. ibid.8.

Quoties nouitiatus fuit validus, nulla ipſius iteratione opus eſt ad profeſſionem irritam ratam habendam; imò probabilius eſt nouitiatum non eſſe iterandum, quamuis irritus fuerit. 564.9.

Recipientes ad profeſſionem nouitium in ordinibus mendicantium ante completum annum probationis, excommunicantur, nec valet profeſſio: in alijs autem ordinibus peccant mortaliter. ib.10.

Suſpenſi ab officio admittendi ad profeſſionem in prædicto caſu, irregularitatem non incurrunt, ſi aliquem profeſſionem admittant. ibid.11.

Annus nouitiatus ex cauſa iuſta poteſt prorogari. ibid.

Verius eſt nouitios non adſtringi præceptis ſtatutis religionis, & eius ſuperiorum. ibid

Nouitij gaudent priuilegio Canonis, & fori, & alijs priuilegijs religionis. ibid.12.

Caſus, qui in religionibus reſeruati ſunt, ad nouitios ſe non extendunt. ibid.13.

Probabilius eſt, nouitium ordinibus initiari poſſe ab Epiſcopo, in cuius diœceſi eſt in probatione. ib.14.

Nouitius non tenetur ad expenſas monaſterio ſoluendas, ſi ante profeſſione religione egrediatur; niſi pactum eſſet in contrarium. 565.15.

Habitus religionis non eſt reſtituendus nouitio egredienti, ſed tantum valor illius temporis, quo eum depoſuit. ibid

Probabilios eſt, nouitium à religione recedentem; non reincidere in cenſuras, ac irregularitates, à quibus in religione abſolutus fuit virtute priuilegiorum. ib.16,

Religio. Quoad profeſſionem.

PROFESSIO in religione duplex eſt, expreſſa, & tacita: tribus modis tacita profeſſio facta præſumitur. ibid.1.

Profeſſio tacita inducitur etiam ex ſuſceptione ſacrorum ordinum, vt firmauit *Sacra Congregatio.* ibid.

Vt profeſſi ſeu emiſſio trium ſubſtantialium votorum in religione valeat requiritur aptitudo perſone vouentis, vt ſcilicet habeat ætatis annum decimum ſextum completum; & hæc ætas computanda eſt de momento ad momentum. ibid.2.

Probabile eſt, vbi Conc. Trid. non eſt receptum, valere profeſſionem ante annum nouitiatus exactum in Ordinibus non mendicantibus; ſimiliter ante annum ſextum decimum ætatis. ibid.

Præterea debet vouens per annum integrum in probatione ſtetiſſe cum religioſo habitus, nullumque impedimentum habere, quod ſubſtantiale cenſeatur. ibid.

Mulier non poteſt profiteri in monaſterio virorum, vt ibi permaneat, neque hermaphroditus in quo prædominatur ſexus fœmineus, & profeſſio eſt irrita: idem dicendum de viro, & hermaphrodito reſpectu monaſteriorum monialium. 566.ib

Verius eſt profeſſionem fœminę eſſe inualidam, quæ in marem erupit: vnde nec eſt obliganda vt intret religionem virorum, ibid.

Ad valorem profeſſionis requiritur etiam conſenſus, & acceptatio expreſſa vel tacita illius, ad quem pertinet aliquem religioni incorporare, requiſito tamen priùs conſenſo maioris partis Capituli, ſeu communitatis. ib.3.

Religioſi negantes ſuffragium nouitio idoneo peccant mortaliter contra charitatem. ibid.

Generalis, aut Prouincialis poteſt ex iuſta cauſa præcipere immediato conuentus Superiori, ne quemquam ipſo inconſulto ad profeſſionem admittat, adiecto decreto reddenti irritam profeſſionem aliter factam. ibid.

Liberum eſt conuentui ex noua cauſa nouitium dimittere, etiam datis votis in eius fauorem, ante factam tamen profeſſionem. ibi.

Priuati voce actiua, & paſſiua iure communi non habent votum in receptionibus nouitiorum pro profeſſione. ibi.

Ad validitatem profeſſionis requiritur etiam animus profitendi. 567.4.

Vt

Vt valeat profeſſio, requiritur etiam vt ſponte facta ſit nullo cogente metu iuſto ac graui, aut in virum conſtantem cadentem. ibi. 5.
In dubio an metus, cuius cauſa quis emiſit profeſſionem, fuerit necne grauis, præſumendum eſt in valorem profeſſionis, cum ſcilicet fuiſſe leuem. ibid.
Quando profeſſio fuit irrita ratione ætatis, vel metus grauis, taliter profeſſus poteſt egredi, licet permanſerit per multos annos in religione, modo abſit ſcandalum, & profeſſionem non ratificauerit, poſtea ſciens eſſe irritam. ibid. 6.
Quando profeſſio ratificanda eſt, eo quod nulla fuerit ex defectu irritante ſolum profitentis conſenſum, nouus Prælati conſenſus non eſt neceſſarius: ſi verè nulla fuit ex defectu vtriuſque partis, ſcilicet Prælati recipientis, & recepti conſenſum irritante tunc neceſſarius eſt vtriuſque partis legitimus, & efficax conſenſus. ibi.
Religioſus volens reclamare contra profeſſionem prætendens illam eſſe irritam, debet cauſam deducere coram ſuperiore ſuo, & Ordinario, intra quinquennium tantum à die profeſſionis, & habitum ſemper retinens: aliàs non auditur. ibid. 7.
Cauſæ ex quibus videtur tribui ius religioſo reclamandi contra propriam profeſſionem, ſex apud Authores reperiuntur. ibi.
Profeſſio trium votorum ſolemnium in religione approbata, ratione votorum diuerſorum habet diuerſos effectus. 568. 8.
Ad quæ teneatur religioſus ratione voti obedientiæ. ibid. 9.
Quando reformatur aliqua religio, tenentur profeſſi recipere reformationem, ſi illa fiat in eſſentialibus, & in illis, ſine quibus eſſentialia vix obſeruari poſſunt ſaltem in pluribus, ſed in alijs non tenentur. ibid.
Quando præceptum ſuperioris fundatur in falſa præſumptione, non tenetur religioſus obedire ceſſante ſcandalo. 569. 10.
Ad ſubditus dubius de legitima Prælati poteſtate teneatur illi obedire, ſi ſit in poſſeſſione ſuperioritatis, alij affirmant, alij negant probabiliter, ſecus ſi dubitet, an res præcepta ſit licita, tenetur enim tunc obedire. ibid.
A quibus teneatur religioſus abſtinere ex voto caſtitatis. ibi. 11
Ad quæ teneatur religioſus ex voto paupertatis. ibid. 12.
Profeſſio nulla ex quocunque defectu, nullam ex ſe inducit obligationem, niſi profitens vouendo independenter à profeſſione intenderet ſe expreſsè per illa vota obligare. ibid.

Religio. Quoad tranſitum ab vna religione ad aliam.

Transitvs ab vna ad aliam arctiorem religionem licitus eſt, niſi aliud obſtet iure diuino naturali, & humano. 570. 1.
Quatuor conditiones ſeruandæ ſunt, vt integrum, ſit regularibus ad aliam religionem migrare. ibid. 2.
Conuerſi, & oblati qui profeſſionem non emittunt, poſſunt ad arctiorem religionem tranſire eo modo quo profeſſi alij. ibid.
Omnes religioſi vnius monaſterij poſſunt ſimul tranſire ad ſtrictiorem religionem petit à Superiore licentia licet non obtenta: Idem dicendum de Monialibus, modò concurrant quatuor conditiones. ibid.
Superior à quo licentia poſtulari debet tranſeundi ad arctiorem religionem eſt etiam Abbas conuentualis, niſi aliter per particulares conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas conſtitutum ſit. Sed quoad Fratres Minores petenda licentia eſt vel à Generali, vel Prouinciali. ib.
Hæc licentia Prælati ex vi iuris communis non eſt de ſubſtantia huius translationis, ſed requiritur tantum vt actus rectè fiat. ibid.
Ex Decreto S. Congregationis nulli hodie permittitur ad arctiorem religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit. 571. ibi.
Regulares poſſunt cum facultate prælati obtenta tranſire ad ordinem laxiorem, ſi iuſta cauſa ſubſit, & conſenſus Capituli interueniat; pro nobis autem Capucinis neceſſaria eſt licentia Pontificis. ibi. 3.
Religioſi mendicantes iure communi non poſſunt tranſire ad non mendicantes præterquam ad Carthuſianos abſque facultate Pontificis. ibid. 4.
Patres Carmelitæ, Societatis Ieſu, & Capucini non poſſunt tranſire ad Carthuſianos niſi obtenta ab illorum Generali licentia. ibid. 4.
Non licet Capucinis recipere Fratres Minores de obſeruantia ſine licentia Sedis Apoſtolicæ in ſcriptis obtinenda, ſub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcumque officia, & legitimos actus. ibi.
Nullus Capucinus ad Ordinem S. Franciſci de Paula, & nullus frater Sancti Franciſci de Paula ad Capucinos ſe transferre poteſt. ibid.
Monachi Benedictini, alias S. Iuſtinæ de Padua, & Cıſtercienſes non poſſunt ad quemcumque Ordinem tranſire, etiam ad Carthuſiam ſine conſenſu generalis capituli, &c. ibid.
Multæ ſunt pœnæ iure impoſitæ contra religioſos aduolantes ad aliam religionem in caſu etiam permiſſo. ibid. 5.

Religio. Quoad religioſos eiectos, & fugitiuos.

Religiosvs non poteſt abſque iuſta cauſa expelli à religione. 572. 1.
Religioſus poteſt iuſta concurrente cauſa ob religionis vtilitatem à monaſterio expelli. ibid. 2.
Iuſta cauſa expellendi religioſum, à monaſterio, iure communi cenſetur incorrigibilitas. ibi. 3.
Incorrigibilis hoc tempore poſt decretum S. Congregationis ad effectum expulſionis cenſetur, qui vno anno in carceribus ieiunio, & pœnitentia probatus, non reſipiſcit, ſed in eiſdem, aut æqualibus grauioribus delictis perſeuerat. ibid.
Decretum Sacræ Congregationis iuſſu *Vrbani VIII.* editum ſuper præmiſſa. ibi.
Conſultum non eſt, neque conſuetum, vt monialis profeſſa ob crimen expellatur. 573. 4.
Probabile eſt, expelli poſſe religioſum in pœnam peccati qui profeſſionem emiſit tecto aliquo impedimento, quod in illa religione cenſetur eſſentiale, vel valde graue, vt ſi quis morbo epileptico laboret, aut gallico, vel ſimili contagioſo. ibi. 5.
Facultas expellendi religioſos hoc temporo pertinet ad ſolum Generalem de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus religionis eligendorum in ſingulis Capitulis Generalibus. 574. 6.
Religioſus per ſententiam à religione eiectus tenetur petere vt iterum in monaſterium admittatur. ibid. 7.
Religioſus profeſſus à religione eiectus, tenetur vota religionis ſubſtantialia ſeruare. ibid. 8.
Religioſus eiectus, earum rerum quas acquirit, ſolum vſum, & adminiſtrationem ſibi vendicare poteſt. ibid.
Verius eſt religioſum eiectum acquirere monaſterio, vel dominium, ſi eſt capax, vel ſaltem commoditatem poſt mortem ſuam, ſi non eſt capax. ibid.
Religioſus eiectus non eſt ſolutus voto ſubſtantiali obedientiæ, comparatione regularis Prælati, quamuis magna ex parte ceſſet eius executio ob defectum materiæ. ibid.
Probabilius eſt, religioſum eiectum liberari ab alijs ſuæ regulæ obſeruationibus, puta ieiunij, delectu ciborum, horis canonicis ſi in ſacris conſtitutus non ſit. ibi. 9.
Religioſus eiectus in perpetuum non tenetur aliam religionem ingredi, ſi prior illum nolit iterum admittere. ibid. 10.
Religioſus à religione eiectus, ſuſpenſus eſt quamdiu iterum non recipitur, vel ad aliam religionem non tranſit; & ſi eiectus functionem aliquam ſacrorum ordinum exerceat, irregularis efficitur. ibid. 11.
Fugitiuus à religione dicitur, qui à monaſterio ad tempus diſcedit, non animo recedendi à religione, ſed intentione poſtea redeundi; & in hoc differt ab apoſtata. ibid. 12.
Fugitiuus cenſendus eſt religioſus, ſi in carcere incluſus fugiat, exceptis quibuſdam caſibus. ibi. 13.
Non eſt improbabile fugitiuum minimè cenſendum eſſe religioſum damnatum ad triremes, ſi inde fugiat, ne cruciatus, & moleſtias eius ſtatus ferat. 575. 14.
Religioſus confugiens ad ſuperiorem abſque licentia immediati ſuperioris, vt eximatur ab iniqua vexatione immediati ſuperioris, non eſt cenſendus fugitiuus. ibi. 15.

Religio, vt eſt virtus.

Religio eſt virtus moralis, quæ debitum cultum Deo tamquam primo rerum omnium principio exhibet. ibi. 1.
Religionis obiectum proximum non eſt Deus, ſed remotum quodammodo, & indirectum, diciturque obiectum cui. ibi. 2.
Religionis obiectum materiale ſunt actiones humanæ, quibus deferimus honorem, & reuerentiam Deo. ibi.
Religio diſtinguitur ab alijs virtutibus. 576. 3.
Religio diſtinguitur à Dulia. ibi. 4.
Omnes actus omnium virtutum aliquo modo poſſunt ſpectare ad virtutem religionis, quatenus ab ea poſſunt imperari, ſeu in cultum, & gloriam Dei referri. ibid. 5.
De hac virtute vide v. *Adoratio. Iuramentum. Superſtitio. Decimæ; Oratio.*

Reliquiæ Sanctorum.

Certa fide tenendum eſt, reliquias Sanctorum meritò à fidelibus conſeruari, & cum magna reuerentia, & veneratione tractari. Contra hæreticos. 577. 1.
Nomine reliquiarum ſanctorum intelliguntur corpora, & quælibet particula illorum oſſium, ſiue carnes, ſiue dentes, ſiue veſtes, ſiue capilli, ſiue cineres, in quos redacta ſunt corpora Sanctorum illorum, non autem vermes. ibi. 2.
Reliquiæ Sanctorum duplici cultu, & veneratione coli poſſunt. Primo, cultu publico. Secundo, cultu priuato. ib. 3.
Ad cultum publicum non ſufficit, vt publicè fiat, & coram multis; ſed ſolùm ille cultus erit publicus, qui fit nomine Eccleſiæ, vt ſunt Officium diuinum, ſacrificium, Miſſæ &c. Cultus verò priuatus ille dicitur, qui exhi-

Digitized by Google

exhibetur ex peculiari deuotione colentis priuatim,quamuis ſimul fiat & publicè à multis. ibid.
Reliquiæ hominis non canonizati, nec beatificati non poſſunt proponi in templo,vel altari publicè omnibus adorandæ ſine auctoritate Summi Pontificis. ibid.
Reliquiæ Sanctorum poſſunt adorari duplici modo. Primo,per ſe,ſeu ſolitariè tanquam materia tota adorationis. Secundo, vt coniunctæ cum perſonis,quarum ſunt reliquiæ. ibid.4.
Mos antiquiſſimus eſt in Eccleſia receptus cereos, aut lampades incendendi ad monumenta Sanctorum. ibid.5.
Vt reliquiæ publicè ab vniuerſali Eccleſia colantur,duo requiruntur. Primò,vt conſtet de ſanctitate perſonæ, vel per vniuerſalem Eccleſiæ cōſenſum,ſeu traditionem,vel per Summi Pontificis canonizationem. Secundò,vt publica auctoritate Summi Pontificis,& Epiſcopi,reliquiæ proponantur vt veræ,& ad talem perſonam pertinentes. ibid.6.
Nullo modo licet Epiſcopo approbare reliquias perſonæ nondum canonizatæ,ac eas publicè venerandas exponere. 578 ib.
Epiſcopo competit approbare in ſua diœceſi reliquias Sancti ab Eccleſia canonizati. ibi.7.
Epiſcopus extra ſuam diœceſim exiſtens poteſt abſque aliqua Epiſcopi diœceſis, in qua tunc eſt licentia eam approbationem facere, atque licentiam dare, vt reliquiæ in ſua diœceſi publicè collocentur venerandæ. ibid.8.
Ad reliquiarum approbationem faciendam, tenetur Epiſcopus adhibere in conſilium Theologos, & alios pios viros, vt ſtatuit Tridentinum. ibid.
Quando grauis aliqua quæſtio ſuboritur circa reliquias nouiter inuentas, ſtaut res deducenda ſit ad Concilium Prouinciale, eiuſque ſententia expectanda,tunc deciſio non erit Epiſcopi, ſed Concilij Prouincialis. ibid.9.
Hodie vbi motus proprius Vrbani VIII. eſt vſu receptus, non poſſunt ad ſepulchra, & imagines non canonizatorum, nec Beatificorum deferri tabellæ,ac alia dona ſanctitatis,ac aliarum gratiarum receptarum indicia,& ibidem donaria hæc ob facti memoriam appendere, ſine recognitione Ordinarij. ibi.10.
Decretum Vrbani VIII. ſuper hoc refertur,cum alio decreto S.Congreg. Rituum ſeruando in recipiendis informationibus pro cauſis beatificationum,& Canonizationum Seruorum Dei. ibid.
Corpora Sanctorum, quæ dicuntur eſſe in vno loco, alijs autem prohibentibus eſſe in alis, poſſunt abſolutè coli, & adorari, ſuppoſita tamen Pontificis vel Epiſcopi approbatione. ib.11
Si poſt debitam inquiſitionem,dubium maneat,num ſint veræ reliquiæ alicuius Sancti, abſtinendum eſt ab earum veneratione, & ſtante dubio ſunt ſeparatim ſeruandæ in loco decenti. 580.12
Quando reliquiæ Sancti Canonizati ita permixtę ſunt cum alijs reliquijs nondum Canonizatorum, vt diſcerni ac dignoſci non poſſint Epiſcopus non poteſt eas venerandas proponere. ibid.
Licitum,& pium eſt reliquias collo ſuſpenſas geſtare, dummodo nulla vana circumſtantia addatur. ibi.13.
Peccatum commiſſum geſtando reliquias in collo non habet ſpecialem malitiam neceſſariò fatendam, ſi illud peccatum non ſit directè contra cultum reliquijs debitum, quale eſſet turpiter, & obſcœnè eas pertractare. ibid.14
Agni Dei cerei à Summo Pontifice conſecrati licitè adorari poſſunt à fidelibus: habent enim hæ formæ vim contra fulgura, fulmina, grandinem,incendia,tempeſtates ventorum,& imbrium. ibi.15.
Huiuſmodi Agni oleo ſancto, & Chriſmate conſecrati, non poſſunt à laicis, & Clericis in Minoribus conſtitutis tangi, non tamen peccatum mortale committunt laici; neque etiam veniale propter vſum introductum, illos tangentes ſine contemptu, ſed cum reuerentia. ibid.16.
Non licet Clericis in Minoribus conſtitutis, aut laicis calicem conſecratum,patenam,purificatorium, aut corporale tangere ſine licentia Epiſcopi;tamen tangens ſine illa non videtur pluſquam venialiter peccare præciſo contemptu. 581.17.
Laicis non eſt permiſſum tangere ſacrum Chriſma,aut oleum ſanctum,& multo minus S.Euchariſtiam,niſi in neceſſitate. ibid.
Sacrilegium eſt, & furtum mortale ſurripere vel extrahere aliquid de reliquijs alterius,niſi hoc fiat de licentia domini,aut niſi extrahantur de manibus infidelium. ib.18.
Iure communi,excepta vrbe Roma non videtur excommunicatio lata contra fures reliquiarum, niſi furtum commiſſum fuerit cum violentia,hoc eſt fores Eccleſiæ,& muros frangendo. ibid.
Reliquiæ Sanctorum transferri nequeunt, ſi ſint perpetuæ ſepulturæ traditæ abſque licentia Summi Pontificis, vel Epiſcopi,niſi aliud cogat, vt incendij. ibid.
Non poſſunt Principes etiam in bello iuſto Reliquias Sanctorum ex Eccleſijs abſtrahere, vt praxis omnium Principum Chriſtianorum oſtendit,etiamſi bello iuſto aliquam ciuitatem caperent. ib.19.

Repreſſaliæ.

Repressaliae ſunt, poteſtas capiendi, & detinendi aliena, collata à Principe,vel ciuitate in recompenſationem damni,vel iniuriarum. 582.1.
Superior qui poteſt concedere repreſſalias,ille eſt,qui non habet ſuperiorem,vel is,cui per iuſta ſtatuta hoc eſt conceſſum. ibid.2.
Contra perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona iure prohibitum eſt ſingularibus perſonis ſub pœna excommunicationis,interdicti verò communitatibus,repreſſalias concedere aut extendere. ibid.3.
Qui alicui facit facultatem vt poſſit à clerico ſibi debitore tantumdem accipere, quantum ſibi debetur, non incurrit cenſuras ſi debito modo fiat. ibid.4
Vide *Interdictum VI.* n.10.

Reſcriptum.

Reſcriptum dicitur quaſi denuò ſcriptum,poſt ius commune. ibi.1.
Reſcriptum Principis,aliud eſt gratiæ,aliud iuſtitiæ, ibid.
Reſcriptum gratiæ per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo iure irritum, reſcriptum verò iuſtitiæ validum eſt, donec ope exceptionis elidatur. ibid.
Reſcriptum ſubreptitium eſt, quoties male impetratur; ſiue tacita veritate neceſſariò explicanda, ſiue falſum ad rem conferens in precibus narrando. ibid.

Reſidentia.

Residentia dicitur aſſiduitas commorationis in loco beneficij, cauſa ſeruitij Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi. ibi.1
Omnes & ſinguli beneficiarij,qui onus per ſeipſos in loco beneficij exercere debent,ad reſidentiam obligantur. ib.2.
Non ſatisfacit præcepto reſidendi parochus, dum intra parochiæ ambitum commoratur,ſed animarum curam non exercet. 585.3.
Reſidentia, & ſeruitium perſonale exiguntur iure diuino naturali, & canonico, in beneficiarijs habentibus curam animarum. ibi.4.
Parochus hodie per bimeſtre abeſſe non poteſt à parochia,abſque ordinarij licentia,ex declaratione ſacræ congregationis. ibi.
Iure canonico requiritur reſidentia in beneficiarijs habentibus dignitates in Cathedralibus,vel collegiatis,Canonicatus,præbendas,& portiones. ibid.5.
Chriſtiana charitas,ad iuuandum Eccleſiam priuatam, vel ad dirimendum controuerſias excuſat à reſidentia. ibi.
Vrgens neceſſitas beneficiarij a reſidentia excuſat. ibid.
Debita item obedientia Papæ,vel Epiſcopo excuſat ibid.6.
Euidens Eccleſiæ vel reipublicæ vtilitas item excuſat à reſidentia. ibid.
Cauſæ aliæ excuſantes à reſidentia ſunt, audire Theologiam vel ius Canonicum ad quinquennium: Item docere eaſdem facultates. Item obſequium duorum canonicorum quod præſtant Epiſcopo,vel Cardinali in vtilitatem Eccleſiæ: Item legitima licentia. ibid.7.
Clericus abſens à beneficio reſidentiam poſtulante, fructibus priuandus eſt,cognita cauſa. ibi.8.
Verius eſt, parochum aut Epiſcopum non reſidentem aliumve curam animarum habentem, pœnam priuationis fructuum incurrere, ante vllam iudicis ſententiam pro rata abſentiæ. ibid.
Parochus,qui per breue tempus,vt per decem dies in anno, aut etiam per bimeſtre non reſidet, non tenetur ad reſtitutionem fructum tempori abſentiæ reſpondentium. 584.9.
Parochus non reſidet ſi maneat in vrbe, & parochia diſtet per tria, aut quatuor milliaria: imo parochus non ſatisfacit obligationi reſidendi ſi per miliare Italicum diſtet à Parochiæ ambitu. ibi.10.
Ad reſidentiam iure diuino in ſuis Eccleſijs omnes,quibus animarum cura commiſſa eſt,tenentur,vt Epiſcopi,Prælati,& Parochi. ibid.1.
Quamuis neceſſitas vrgens,excuſet Epiſcopos,Prælatos,& alios curam animarum habentes à reſidentia hoc tamen non procedit quoties detrimentum immineret ouium in ſpiritualibus,tunc ex nulla cauſa poſſunt abeſſe. ibid.2
Cardinales Epiſcopi non excuſantur à reſidentia etiamſi Romæ Summo Pontifici aſſiſtant, prout declarauit Gregorius XIII. per ſuum conſiſtoriale decretum: quam declarationem confirmauit, & approbauit, multaque de nouo ſtatuit Vrbanus VIII. in ſua Conſtitutione,quæ incipit,*Sancta Synodus*. Excuſantur tamen à reſidentia Cardinales illi ſex,qui habent Epiſcopatus Vrbi Romæ proximos. 585.3.
Epiſcopi ex Tridentino excuſantur à reſidentia, quando euidens Reipublicæ vtilitas hoc poſtulat, puta, ſi Epiſcopus mitteretur legatus ad Pontificem,aut ad Principes pro negotijs fidei,vel pro negotijs pacis, & Eccleſiæ. ib.4.
Reges non poſſunt propria auctoritate detinere Epiſcopos pro gubernatione alicuius regni, ſeu conſilij, abſque licentia Summi Pontificis. ibid.
Reſidentia Epiſcopi non ſolùm præſentiam corporis aſſiduam, ſed etiam
mentis

mentis ſollicitudinem,& charitatis ſtudium præ ſe ferre debet. ibid.
Epiſcopus non poteſt pro cathedralis Eccleſiæ ſeruitio, & item ſuo, aliquem ex Curatis ſuæ diœceſis ex ipſorum Eccleſijs conſtitutio in illis idoneo vicario, ad certa negotia adhibere. ibi.5.
Epiſcopus non poteſt vti opera Parochi in viſitatione, vel in alio ſeruit o ſuæ diœceſis, niſi pro tempora duorum menſium, & tunc relicto idoneo vicario. ibid.
Parochus qui habet parochiam, intra cuius limites adhuc habitant parochiani, tenetur in ea reſidere, etiamſi ſint tantum tres, vel quatuor incolæ. ibid.6.
Licet Eccleſia parochialis ſit in loco, vbi minor pars parochianorum inhabitat, & maior pars habitat longè in oppidis, parochus tamen tenetur prope Eccleſiam habitare. 586.ibid.
Inimicitiæ graues ſunt legitimæ cauſæ, propter quas quis reſidere non tenetur in parochiali Eccleſia, &c. ibid.7.
Parochus non poteſt propter aeris intemperium, extra parochiam habitare relicto in Eccleſia ſua vicario approbato. Si tamen infirmus ſit, & in loco parochiæ curari non poſſit, tunc ab ordinario poteſt ei dari dilatio trium, aut quatuor menſium, vt in vicinia habitet, conſtituto in parochia idoneo vicario. ibid.8.
Senectus in parocho non excuſat, ſed debet reſidere in parochia, etiamſi ei eſſet datus coadiutor. ibid.
Parochus poteſt ſibi vicarium ex approbatis ab ordinario aſſumere ita tamen, vt parochus ipſe etiam laboret. ibid.
Quando alicui parocho datur facultas, vt à ſua abſit Eccleſia ad tempus; debet vicarium in ſui locum ſufficere approbatum ab ordinario, dato ei iuſto ſtipendio, niſi gratis ſeruire velit. ib.9.
Vicarij, & coadiutores Rectorum parochialium inſtituti auctoritate Apoſtolica tenentur ad perſonalem reſidentiam. ibid.
Summus Pontifex poteſt dare facultatem ex iuſta cauſa, & debita, vt beneficiarius perpetuo abſit ab Eccleſia. Epiſcopus verò, Legatus, & alij locorum ordinarij, ad tempus tantùm. ibid.10.
Prælati locales religionum, cùm & ipſi curam animarum habeant, ad reſidentiam tenentur: tamen cum eis Generales Prouinciales, & alij Superiores maiores ex legitima cauſa ſuper reſidentia diſpenſare poſſunt ad certum, & determinatum tempus. ibi 11.
Iuſtæ cauſæ diſpenſandi à reſidentia, prima eſt Chriſtiana charitas, per quam intelligi debet proximorum vtilitas: modò in propria Eccleſia non ſequatur notabile detrimentum. 587.12.
Secunda cauſa eſt, vrgens neceſſitas, id eſt omne iuſtum impedimentum quo quis impeditur reſidere: tam iuſta, & rationabilis cauſa, qualis eſt abſentia pro proprijs negotijs. ibid.
Tertia cauſa eſt debita obedientia. Quarta eſt, euidens Eccleſiæ, vel rei publicæ vtilitas: nota tamen illam vtilitatem conſiderari reſpectu Eccleſiæ, in qua tenetur reſidere. ibid.
Sola iuſta cauſa non ſufficit ad excuſandum à non reſidendo, ſed requiritur etiam licentia ſuperioris. ibi.13.
Concilium Tridentinum concedit Epiſcopis, & alijs Prælatis Epiſcopo inferioribus, vt abeſſe poſſint à ſuis Eccleſijs ex iuſta cauſa per duos, aut ad ſummum per tres menſes, abſque vllo gregis detrimento. ibid.
Item Concilium concedit, & permittit reliquis Epiſcopo ſubditis animarum curam gerentibus, vt per duos menſes abeſſe poſſint. ibid.
Reſidentia, quæ iure diuino & naturali præcipitur curam animarum habentibus, eſt perſonalis, qua gregi ſuo inuigilent, omniumque, & miſerabilium perſonarum paternam curam gerant, &c. ibi.
Obtinentes in Eccleſijs cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, tenentur ad reſidentiam, ita ut non liceat eis vltra tres menſes quolibet anno à ſuis Eccleſijs abeſſe. ibid.14.
Immemorabilis conſuetudo non excuſat à reſidentia in cathedralibus, & collegiatis Eccleſijs inſignibus: in alijs verò non inſignibus poſſunt excuſari. ibid.
Quando Canonici abſunt per tres menſes à Concilio Tridentino conceſſos, non tenentur aſſignare abſentiæ cauſam, nec licentiam ſui Prælati petere, dummodo tamen omnes eodem tempore non abſint. ibid.

Reſtitutio. Quoad eius neceſſitatem.

Restitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, per quem redditur alteri ad æqualitatem, quod iniuſtè ab eo ſublatum eſt. 588.
Reſtitutio differt à ſolutione, & ſatisfactione. ibi. 2.
Reſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij: tamen neceſſaria eſt neceſſitate præcept. ibid.3
Veriùs eſt præceptum reſtitutionis eſſe affirmatiuum, naſci tamen ex præcepto negatiuo, *Non furtum facies.* ibi.4.
Obligatio reſtituendi naſcitur vel ex accepta, vel ex iniuſta acceptione, vel ex contractu. ibid.5.
Obligatio reſtituendi oritur ex ſolo delicto contra iuſtitiam, non verò contra alias virtutes. ibi.6.
Probabilius eſt, non induci obligationem reſtituendi abſque peccato mortali, præciſa obligatione ratione contractus vel officij. ibid.
Quando nulla culpa commiſſa eſt in damno inferendo, etiamſi graue damnum illatum ſit, nulla extat obligatio reſtituendi. 589.8.
Qui dans operam rei illicitæ & iniuſtæ, fuit cauſa damni non præuiſi, nec intenti, ſed per accidens prouenientis ex ſua iniuſta actione, non tenetur in conſcientia ad reſtitutionem. ibid.
Vide *Secretum. Simonia VII. Stuprum. Adulterium. Detractio II. Homicidium III.*

Reſtitutio. A poſſeſſore bona vel mala fidei facienda.

Qvi rem alienam bona fide poſſedit, credens eſſe ſuam, tenetur ex iuſtitia reſtituere ſtatim ac cognoſcit alienam eſſe. ibid.
Qui alienauit vel conſumpſit rem alienam bona fide credens eſſe ſuam; non tenetur ad reſtitutionem, niſi in aliqua re factus ſit locupletior. ibid.2.
Ille non tenetur ad reſtitutionem cui res aliena perijt caſu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis, quo ipſe rem bona fide poſſidebat credebat eſſe ſuam. ibid.3.
Qui rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incepit alienam eſſe, poteſt eam ſibi retinere, aut conſumere, aut vendere, ſi poſita ſufficienti diligentia non competit alienam eſſe. ibid.4.
Qui rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incepit alienam eſſe, ſi res ipſo vſu conſumitur, aut deterior efficitur, non poteſt illa vti. ibid.5.
Malæ fidei, & iniquus poſſeſſor debet rem alienam, vel ſi perijt æſtimationem eius Domino reſtituere, vnà cum eius incremento, & fructibus, & inſuper omne aliud damnum emergens, & lucrum ceſſans. ibi.6.
Qui rem mala fide accepit dubitans alienam eſſe, tenetur adhibere debitam diligentiam ad aſſequendam rei veritatem; & ſi veritas non poſſit inueniri, tenetur reſtituere rem inter eos, quorum eſſe dubitat ad ratam inter eos, quorum eſſe dubitat ad ratam dubij. 590.7.
Recipiens eleemoſynam ſimulans paupertatem tenetur ad reſtitutionem, vel burſæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis, & quotidianis eleemoſynis factus eſt quis diues; vel Domino, ſi magna aliqua eleemoſyna alicui donetur. ibid.8.

Reſtitutio, Cooperantium ad damnum.

Novem genera perſonarum tenentur ad reſtitutionem cooperando ad damnum alterius, præter executorem. 591.1.
Iubens vel mandans aliquod damnum fieri tacitè vel expreſsè, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti: ſi tamen mandatum reuocauerit expreſsè, vel tacitè, & mandati reuocatio innotuerit mandatario, non tenetur. ibid.2.
Ratum habens delictum ſuo nomine factum, non tenetur ad reſtitutionem, ſecundum communiorem ſententiam. ibid.
Qui conſilium præbet, hortatur, cogit, vel inſtruit ad damnum inferendum, vel mouet ad delictum faciendum, aut contractum iniuſtum tenetur ad reſtitutionem, quamuis ante factum conatus fuerit conſilium reuocare, vel alter nihilominus conſuluiſſet. ibid.3.
Qui ſuo conſilio, vel alia ratione fuit cauſa minoris damni, quàm alioquin fuiſſet illatum, non tenetur ad reſtitutionem; non liceret tamen tali conſilio damnum corporale, ſeu ſpirituale tertiæ perſonæ inferre. ibid.4.
Probabilius eſt, ob vitandum grauiſſimum peccatum alienius, non eſſe licitum tunc illum inebriare. 592.ibid.
Qui eſt cauſa maioris damni, quàm alioquin ſecutum fuiſſet, non tenetur ad reſtitutionem totius damni, ſed tantùm illius exceſſus cuius ipſe fuit cauſa. ib.5.
Ad reſtitutionem tenetur, qui furti parato accipere centum Caio, ſuaſit furari tantùm quinquaginta Titio, ſi fur de Titio non cogitauerat. ibid.6.
Qui alteri conſilium dedit, vt aliquod damnum cuidam inferret, ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſulens. ibid.7.
Qui ſuis ſubditis præcepit aliquod delictum, ex quo ipſi damnum patiuntur, tenetur & ſubditis ad reſtitutionem, & ijs contra quos delictum fuit perpetratum. ibid.
Confeſſarius, vel Theologus, vel Iuriſconſultus, vel Parochus, vel Concionator tenetur ad reſtitutionem damni, cuius ipſe fuit cauſa per culpam latam, ſeu per ignorantiam craſſam, aut per grauem negligentiam in eo conſiderando: ſecus dicendum de imperitis, & idiotis bona fide dantibus conſilium. ibid.8.
Dubitans an ex ſuo conſilio ſecutum ſit furtum, aut homicidium tenetur ad reſtitutionem, quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid.
De Mandante vide plura v. *Mandatum Homicidium III Adulterium* n.3. & ſeq.
De Conſulente vide v. *Culpa n. 6. Confeſſarius V. n. 3. Furtum I.* ib. *Vſura VI.n.3.*

Qui ſuo conſenſu efficaciter concurrit ad damnum, vel efficaci approbatione vel ſuffragio, tenetur ad reſtitutionem, modò conſenſus fuerit cauſa damni. 593.9.

De Conſentiente vide *Homicidium I. n. 29.*

Qui laudando malefactorem, vel maleficum mouet illum ad damnum proximo inferendum, tenetur ad reſtitutionem. ib.10.

Qui recipit, vel conſeruat malefactorem, vel aſſeruat prædam, vel refugium, & ſecuritatem malefactori præbet ad patrandum, vel ad non reſtituendum, tenetur ad reſtitutionem. ibid 11.

Participans, ſeu cooperans in damno alteri inferendo, actione intrinſecè mala, & ex natura ſua iniuſta, vt in furando, vel in conſumenda re aliena furto ablata, vel alia ratione tenetur ad reſtitutionem. ibid. 12.

Qui iuſto metu coactus, ſeu ex rationabili cauſa participat in opere non intrinſecè malo excuſatur à peccato, & conſequenter ab obligatione reſtituendi. ibid.

Mandans, conſulens, conſentiens, laudans & receptans tenentur ad reparationem, totius damni, ſi totius cauſa fuere; partis verò ſi ſolùm partix damni cauſam dedere; participans vel adiuuans tenetur in ſolidum, ſi cooperetur ad idem damnum indiuiduum. ib.13.

Quando plures vineam ingreſſi notabile damnum ſinguli intulerunt, tenentur ſinguli pro ſua parte; modò non ſe viciſſim excitarint, nam illo caſu tenerentur in ſolidum, cum ſinguli cenſeantur cauſa totius damni. 594. ibi.

Negatiuè quis dicitur cauſa damni, ſi non impediat damnum, dum ex officio tenetur, & fit tribus, modis, qui notantur his verbis: *Mutus, non obſtans non manifeſtans.* ibid. 14.

Ad reſtitutionem nullus tenetur ratione damni non impediti niſi ad hoc obligatus fuerit ex officio, & ex iuſtitia. ibid. 15.

Vt conſurgat obligatio reſtituendi ex omiſſione non ſufficit quòd quis teneatur ex iuſtitia ad non omittendum, ſed neceſſe eſt, vt obligatio iuſtitiæ ſe extendat ad manutenendum, id ex quo conſequitur damnum. ibid.

Omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, ſi ex culpa graui negligant, tenentur ad reſtitutionem: idem dicendum de illis, qui per modum contractus ſeſe ad alicuius rei cuſtodiam obligarunt. ibid. 16.

Probabilius eſt confeſſarium non teneri ad reſtitutionem quando culpa ſua vel malitia non admonet vel non cogit pœnitentem ad reſtitutionem faciendam, modò confeſſarij omiſſio, & negligentia non habeant rationem conſilij. ibid.

Cuſtodes ſaltuum, lacuum & vectigalium, licet teneantur ad reſtitutionem damni, quod Domini patiuntur; non tenentur tamen ad ſolutionem pœnæ, quam delinquentes ſoluiſſent, ſi ab ipſis cuſtodibus accuſati fuiſſent. ibid. 17.

Cuſtodes, qui nullo accepto pretio, ſed ex conſuetudine patriæ, aut loci, loca quædam per vices ſuas, & Turnum, vt aiunt, cuſtodiunt, quibus tamen in præmium conceditur, vt pœnam illam accipiant, non tenentur damnum, aut pœnam reſarcire. 595. ib.

Probabilius eſt, accipientem aliquid à fure vt abſolutè taceret, poſt furtum commiſſum teneri ad reſtitutionem accepti. ib. 8.

Accipiens aliquid à fure vt taceat tenetur ad reſtitutionem damni a fure illati ſi ob id fur factus eſt animoſior, & ſecurior ad furandum alioquin non furaturus. ib. 19.

Qui vi aut fraude impedit aliquem à conſequendo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel ne inſtituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, vel legatum &c. tenetur ad reſtitutionem quanti iudicio prudentis ea ſpes ipſi valebat: ſecus ſi ſine vi aut fraude, precibus aut blanditijs. ibid. 40.

Qui alterum ſuaſione aut exemplo ad peccandum induxit, non ex iuſtitia, ſed ſola charitate obligatus eſt ad emendationem ei procurandam. ibid 21.

Qui alterum fraude, dolo, vel iniuſto metu ad peccatum induxit, tenetur remouere vim, metum, fraudem & eum hortari ad pœnitentiam. ibid.

Qui ſiue vi, fraude, ſuaſione tantùm alterum à religionis propoſito, quamuis iam nouitium, extraxit, ad nullam reſtitutionem obligatur. ibid. 22.

Qui religioſum profeſſum ſuaſione aliàue cooperatione à religione abduxit, ſiue ad apoſtaſiam traxit, ex iuſtitia obligatur religioni ad reſtitutionem, quatenus poteſt. ibid.

De his vide *Confeſſarius V.* num. 4.5. *Teſtis* nu. 11. *Accuſatio* n. 9.10.11. *Culpa* n. 6.

Reſtitutio, Quoad illius circumſtantias.

Circvmstantias reſtitutionis ſunt ſex. 596. ibid.

De circumſtantiis quid.

Res aliena aut alteri debita reſtituenda eſt, ſi extat; ſi autem res ipſa non extat, re, reſtituendus illius valor, & pretium: imò omnia damna tenetur debitor reſtituere, quæ creditor iniuſtè paſſus eſt ipſius culpa ibid. 1.

Tantum reſtituendum eſt, quantum ſufficit ad faciendum æqualitatem debiti, vel damni illati, ſi quantitas debiti ſit certa: ſi vero ſit incerta, tantum reſtituatur, quantum vir prudens iudicauerit, conſideratis omnibus circumſtantijs. ibi. 2.

Pro opere illicito patrando, ſeu pro turpi cauſa nihil dari, vel accipi poteſt ante factum: patrato tamen opere illicito, de quo patrando initus erat contractus vel promiſſio, tenetur promittens ſoluere pretium, & accipiens non tenetur ad reſtitutionem. 597. 3.

Si meretrix fraude, vel mendacijs plus extorſit ab adoleſcente, quam iuſtitia patiatur, tenetur reſtituere. ibid.

Item meretrix, vel concubina tenetur reſtituere monaſterio, ſi aliquid acceperit à religioſo in pretium peccati; tamen ſi religioſus non habeat reſtrictam facultatem, poſſet ex bonis, & eleemoſynis ab ipſo acquiſitis, vel de alijs puellæ deſloratæ ſatisfacere, vel paruulos ex ea ſuſceptos alere, quia hoc opus tam eſſet pium. ibid.

Quæ pupilli aut minores dederunt meretricibus, ſunt reſtituenda per illas tutoribus, aut curatoribus minorum. ibid.

Acquiſita ob turpem cauſam reſtituenda ſunt, non ſolùm ante factum, ſed etiam ſecuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad rem accipiendam.

Cui ſit reſtituendum.

Possessor debitorum incertorum, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non poteſt, ſibi retinere poteſt, ſi proueniant ex contractu iuſto neque tenetur pauperibus erogare. ibid. 4.

Poſſeſſor malæ fidei aliuſue iniuſtus damnificator: regulariter loquendo, tenetur illi reſtitutionem facere, cui rem abdulit, ſi ad illam habeat ius. ibid. 5.

Qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroſo, non tenetur poſtquam cognouit rem eſſe alienam, reſtituere illam Domino; ſed poteſt, reſciſſo contractu reſtituere illi, à quo bona fide accepit, vt pretium ſuum recuperare poſſit. ibi 6.

Probabilius eſt, illum, qui mala fide rem alienam accepit ſciens, vel dubitans alienam eſſe, teneri illam reſtituere Domino, non illi à quo accepit. ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei, qui rem gratis à fure accepit, non poteſt eam tradere furi, niſi moraliter certus ſit rem Domino reſtituendum. ibid. 7.

Probabilius eſt, illum, qui bona fide rem furtiuam emit, & deinde eodem pretio bona fide vendidit, teneri reſcindere contractum reddito emptori pretio. 598. ibi.

Qui reſtituit creditori ſui creditoris: quod debet ſuo creditori, in foro conſcientiæ videtur ſatisfacere, modò debitum ſit liquidum; in foro tamen externo cogat tibi ſoluere. ibid. 8.

Vbi & cuius expenſis ſit reſtituendum.

Debitvm ex iniuſta acceptione reſtituendum eſt expenſis debitoris, idque eo loco vbi Dominus illam poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet, deductis expenſis, ſi quas creditor eam ſeruando, vel deferendo facere debuiſſet. ibi. 9.

Debitum ex re bona fide accepta, reſtituendum eſt in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoſcitur eſſe aliena. ibi. 10.

Quando debitum deſcendit ex contractu, vel quaſi contractu, in quo res eadem numero eſt reſtituenda, vt in commodato, depoſito, pignore, debet eo loco reſtitui, vbi fuit traditum expenſis depoſitarij, commodatarij, niſi aliter conuentum ſit. ibid. 11.

Quando ſit reſtituendum.

Qvando obligatio reſtituendi ſiue ſoluendi ex contractu deſcendit, ſolutio fieri debet tempore, quo inter partes contrahentes expreſsè vel tacitè conuentum fuit: eo tranſacto, ſi in mora culpabili debitor exiſtat, obligationem contrahit compenſandi damnum, quod exinde creditor patitur. ibid. 12.

Debitor moroſus inculpabiliter non tenetur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis, niſi aliter conuentum ſit. ibid.

Quando non fuit conſtitutus terminus ad ſoluendum in debitis ex contractu, debitor non videtur eſſe in mora, aut grauiter peccare non reſtituendo antequam admoneatur. ibid. 13.

Qui obſtrictus eſt onere reſtituendi ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ acceptionis, aut detentionis, tenetur ſtatim, ac commodè poteſt reſtituere, niſi dilationem obtineat à creditore. ibid. 14.

Qui non reſtituit ſtatim ac commodè poteſt, ſed longo tempore differt reſtitutionem, tot peccata committit, quot ſunt actus intentionis, & voluntatis moraliter interrupti. 599. 15.

Confeſſarius non debet ſeſe ſcrupuloſè gerere in inueſtigando numero peccatorum interruptorum in retinenda re aliena; ſufficit enim inueſtigare temporis ſpatium, quo res aliena detenta fuit. ibid.

Con-

Confeſſarius non poteſt abſoluere pœnitentem non habentem firmum propoſitum reſtituendi quamprimùm poterit, data opportunitate. ibid.

Quomodo ſit reſtituendum.

Modvs reſtituendi eſt, vt debita occulta reſtituantur occultè, publica verò publicè; Item res inferioris ordinis non ſunt inſtituendæ cum detrimento rerum ſuperioris: Item reſtitutio non poteſt fieri per partes, ſed tota ſimul facienda eſt, quantum fieri poteſt. Item qui non poteſt per ſe commodè reſtitutionem exequi niſi ſe prodat, curet eam exequi per alium. ibid. 16.

Quo ordine ſit reſtituendum.

Non eſt opus vllo ordine, quando bona debitoris in ſolutionem omnibus creditoribus ſufficiunt, omnibus enim integrè eſt ſatisfaciendum. ibid. 17.
Debita certa præferenda ſunt debitis incertis. ib. 18.
Res quæ in ſpecie extant certis dominis debitæ, & quarum dominium debitori acquiſitum non eſt, ea certis ac proprijs domini: integrè reſtituendæ ſunt. ibid. 19.
Quando res aliena vendita ſint, & emptor nec pignus, aut fideiuſſorem dedit, nec pretium in præſenti obtulit, nec venditor illud pro ſoluto habuit, tunc vel pretium ante omnia ſoluendum eſt, vel res reſtituenda venditori, & probabile eſt tunc venditorem habere ius prælationis. ibid. 20.
Qui habet multa debita, quorum aliqua ſunt certa, & aliqua incerta, debet prius ſoluere certa quàm incerta, ſi non eſt omnibus ſoluendo. ibid. 21.
Verius eſt, inter debita ex delicto, & ex contractu nullum eſſe ordinem, ſed ea pari iure cenſeri, ſine iure prælationis. ibi. 22.
Qui habet debita ex contractu oneroſo, & aliqua ex contractu gratioſo, tenetur prius perſoluere debita ex contractu oneroſo. ibi. 23.
Quis ordo ſeruandus ſit in ſolutione certorum debitorum. 600. 24.
Septem ſunt caſus, in quibus poſterior tempore præfertur priori habenti hypothecam. ibi. 25.
Verius eſt regulam iuris: *Qui prius eſt tempore, potior eſt iure*, non eſſe ſeruandam inter creditores chirographarios, ſeu perſonales carentes hypotheca. ibid. 26.
Inter cooperantes ad damnum quis principaliter teneatur ad reſtitutionem. ibid. 27.
Cauſa principali reſtituente, cæteræ quæ minus principaliter tenebantur, liberæ ſunt ab onere reſtitutionis. ibi. 28.
Quando plures tenentur æqualiter reſtituere, ſed vnus integrè reſtituit, cæteri tenentur ad reſtitutionem illi, qui ſoluit. ibid.
Quando plures damnum intulerunt, & Dominus cauſæ principali condonauit obligationem, cæteri qui fuerunt cauſæ minus principales liberi ſunt ab onere reſtitutionis. ib. 29.

RESTITVTIO.

Quoad cauſas excuſantes ab illa omninò vel ad tempus.

Qvatvor ſunt cauſæ excuſantes à reſtitutione ad tempus. 601. 1.
Reſtitutio differri poteſt, quando creditur allatura documentum ipſi creditori, vel alteri tertiæ perſonæ, in tempus congruum, & magis opportunum. ibi. 2.
Incommodum, & damnum quod debitori longè maius patitur quàm patiatur creditor, eſt cauſa excuſans à reſtitutione ſtatim facienda. ib. 3
Impotentia debitoris, id eſt, extrema neceſſitas, vel etiam grauis tria, vel ſuorum, vel proximi cui alter ſubuenire, niſi rem alienam, vel alteri debitam impendendo, excuſat à reſtitutione ſtatim facienda. ibid. 4.
Verius eſt, accepta in neceſſitate non eſſe obligationem ea reſtituendi tranſacta neceſſitate, modò conſumpta fuerint in ipſa neceſſitate. ibi.
Ceſſio bonorum cauſa eſt, propter quam differri poteſt reſtitutio. ib. 5.
Mercatores aut nobiles non ſunt tuti in conſcientia: nec à reſtitutione immunes, qui innumera debita contrahunt vt in victus, cultus familiæque ſplendore, fines ſunt ſui ſtatus excedant, aut in ancipites, ac temerarias negotiandi rationes ſe ingerant, eſto bona cedere velint. ibid.
Ceſſio bonorum in foro exteriori ad hoc iuuat, ne debitor poſſit conijci in carcerem, & ne, ſi poſt ceſſionem aliquid acquirat, ei poſſis auferri. 602. 6.
Clerici qui iuxta Concil. Trid. gaudent priuilegio fori, exceptis clericis coniugatis; non tenentur bonis cedere, nec poſſunt ob debita in carcerem conijci. ibid. 7.
Debitor qui differt ſolutionem debiti ex delicto, tenetur ſoluere creditori lucrum ceſſans, & damnum emergens, quod creditor ex ea dilatione patitur, ſecus ſi debitum ſit ex contractu. ibid. 8.
Licitè poteſt differre ſolutionem debitor, quando eam præſtare nequit, niſi cadat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito. ibid. 9.

De cauſis quibus omitti poſſit reſtitutio.

Remiſſio libera creditoris excuſat debitorem à reſtitutione. ibid. 10.
Vt hæc remiſſio valeat tres conditiones requiruntur. 1. vt ſit omninò libera, id eſt non extorta metu vel fraude. 2. vt poſſit condonare. 3. vt condonatio non fiat in caſibus iure exceptis. ibid.
Cenſetur parens condonare ſi in reſtitutionem debitam ratione profuſionis, & diſſipationis paternorum bonorum ab eo factæ, quando filius non maiorem quantitatem inſumpſit, quàm Pater contentus eſſet vt ſui ſuſtentationem, & honeſtas recreationes inſumeret; vnde ſi quid intra illam ſummam inordinatè, & contra voluntatem Patris compotando, commeſſando, ludendo libidinando, &c. conſumpſit, ad nullam reſtitutionem ordinariè tenetur. ibid.
Quando ſumma inordinatè inſumpta tanta eſt, vt attenta qualitate parentum & filii, omninò excedat fines alimentorum: tunc eſto conſtaret patrem, quantum in ſe eſt, liberè id remittere, ſi ita tamen tenetetur adducere exceſſum ad portionem &c. ibid.
Debitor, qui ſe compoſuit cum creditoribus contentis minori ſumma, non tenetur ad integram reſtitutionem, ſi perueniat ad pinguiorem fortunam. ib. 12
Quoties debitori conſtat de voluntate formali, vel præſumpta creditoris remittentis reſtitutionem, aut concedentis dilationem excuſatus à reſtitutione, vel poteſt eam differre. ibi.
Compenſatio eſt cauſa ſufficienter excuſans à reſtitutione. 603. 12.
Compoſitio cum Pontifice, quando incertum eſt, quinam ſint creditores, excuſat à reſtitutione, ſiue debitum ſit ex delicto, ſiue ex contractu, & inoentis. ibid. 13.
Quando creditores ſunt noti, non valet compoſitio cum Pontifice, niſi cauſa legitima ſubſit. ibi. 14.
Iuris auctoritas, nempe præſcriptio legitima, eſt cauſa ſufficienter excuſans à reſtitutione. ibid. 15.
Debitor non poteſt licitè ingredi religionem, niſi ante ſoluerit, ſi tamen ingrediatur, profeſſio valet. ibid. 16.

Reſtitutio.

Oblatio reſtituendi non oritur ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ, niſi quatenus ſimul violatur aliquod ius pertinens ad iuſtitiam commutatiuam. 604. 1.
Præceptum reſtitutionis obligat ad peccatum mortale poſita materia graui. ibid. 2
Præceptum reſtitutionis, quamuis aliquo modo ſit diſtinctum à præcepto furti reducitur tamen ad illud præceptum Decalogi negatiuum, *non furaberis*. ibid. 3
Qui tenetur reſtituere ex iniuſta acceptione, vel ex contractu, ſemper manet obligatus, etiamſi res debita pereat ſine culpa accipientis, vt contingit in furto, mutuo, &c. quando verò tenetur tantum ratione rei acceptæ, reſtituere tenetur, ſi res illa extat in ſe, vel in ſuo effectu, & valore; tamen ſi pereat ſine ſua culpa non tenetur, vt patet in depoſito 605. 4.
Qui infert damnum conſentienti abſolutè, & ſimpliciter, id eſt, abſque vllo inuoluntario admixto, non tenetur ad reſtitutionem. Secus ſi non conſentiat abſolutè, ſed inuoluntariè mixtè, tunc enim fit illi iniuria. ibid. 5.
In reſtitutione quatuor conſideranda ſunt, 1. res ipſa, 2. expenſæ factæ pro conſeruatione rei, &c. 3. fructus, qui ex re aliena percipi poſſunt. 4. lucrum quod dominus potuiſſet percipere, & damnum quod paſſus eſt ex rei alienæ priuatione. ibid. 6.
Expenſæ, quædam ſunt neceſſariæ: quædam vtiles, & quædam voluntariæ, ſeu voluptuoſæ. ibid.
Fructus dicuntur, qui ſuperſunt deductis expenſis factis in ipſorum fructuum productione, collectione, & conſeruatione. Et quidem alij ſunt naturales; alij purè induſtriales; alij mixti. ibi.
Intereſſe duplex eſt, videlicet, lucri ceſſantis, & damni emergentis. ibid.
Poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei in reſtitutione rei alienæ poteſt in foro conſcientiæ detrahere non ſolùm expenſas neceſſarias, quas dominus feciſſet, ſed etiam vtiles, quatenus eas dominus feciſſet; & quatenus ſunt domino vtiles. ibid. 7.
Expenſas voluntarias poteſt poſſeſſor bonæ fidei etiam detrahere, & habet ius exigendi ex iuſtitia æſtimationem, & dominus tenetur illam ſoluere, ſi commodè amoueri non poſſint ſine detrimento rei, aliàs poſſeſſor poteſt ſecum exportare, ſi dominus nolit ſoluere æſtimationem. ibid.
An autem dominus teneatur expenſas voluntarias poſſeſſori malæ fidei, ſine furi ſoluere, quando ſeparari nequeunt: Quidam affirmant, alij negant; quoad forum conſcientiæ: certum eſt tamen, quod in foro externo, non conceditur repetitio expenſarum voluntariarum, aut vtilium poſſeſſori malæ fidei. ibid.
Poſſeſſor malæ fidei poteſt deducere laborem, & induſtriam adhibitam ad neceſſarias, vel vtiles expenſas: licet aliqui contrarium ſentiant. ibid. 8.
Pro-

Digitized by Google

Probabilis eſt, poſſeſſorem malæ fidei teneri fructus à ſe ex re aliena perceptos,& conſumptos reſtituere vero rei domino, quamuis hic non eſſet eos percepturus, & etiamſi ex in ſe non eſſet effectus ditior ibid. 9.

Poſſeſſor malæ fidei non tenetur in foro conſcientiæ ad reſtituendos fructus,qui ex re aliena percipi poterant,ſiue ab ipſo,ſiue à domino, ſiue à quocunque alio, ſi conſtet fore,vt verus dominus eos non percepiſſet: tamen in foro externo iure ſtatutum eſt, vt hic ad fructus poſſibiles obligetur. ibi. 10.

Poſſeſſor malæ fidei tenetur eandem numero rem furto ablatam domino reſtituere,ſi ſit immixta, ſi autem res in ſpecie reſtitui non poteſt propter periculum infamiæ,vel alia iuſta de cauſa,tunc ſufficit reſtituere eius valorem. ibid. 11

Quando res iniuſtè ablata conſiſtit in numero pondere, & menſura,& eſt permiſta cum rebus proprijs furis, & diſcerni, nequit tunc ſufficit reddere æquiualentem. ibid.

Quando res malè accepta, aut detenta perit apud iniuſtum poſſeſſorem, etiam ſine culpa ſua,ſed caſu fortuito, hic tenetur ad reſtitutionem valoris rei, quamuis nullum detentor lucrum ea ex perceperit: limitatam niſi detentor ante periculum rem domino obtuliſſet. ibid. 12.

Si res eodem modo apud furem pereat, quo eſſet aliàs peritura apud dominum,nec ante eius interitum dominus rem illam alienaſſet, talis fur nihil reſtituere tenebitur. 607. ibid.

Quando res furtiua, non eſt vſu conſumptibilis, & in manu furis eſt meliorata,reddenda eſt res extans cum melioramento,deductis laboribus, & expenſis ſi quas fecerit:& hoc in foro conſcientiæ; non autem in foro externo. ibi. 13.

Si res furtiua ſit vſu conſumptibilis,conſiderandum eſt,an læſus dominus erat rem illam ſtatim venditurus, aut ſeruaturus, quando res illa viliori, aut maiori pretio vendebatur,& ſecundum hoc ſtatuendum eſt, quantum latrò reſtituere debeat. ibid.

Cauſa efficax iniuſtæ actionis, quæ tenetur ad reſtitutionem cenſetur ille omnis,qui influit,& moraliter concurrit ad actum,quo infertur damnum,faciendo quidpiam alicuius momenti,quod conducat,& iuuet ad efficiendum illum actum, quo proximo nocetur, etiamſi abſque eius opera damnum illud fuiſſet aliàs illatum. ibi. 14.

Inter perſonas quæ communiter,& ea ſuo genere,ex concurſu, & cooperatione ad furtum reſtituere tenentur,prima eſt *mandans*, ſeu *iubens*. ibid. 15.

Iuſſio duobus modis fieri poteſt,expreſsè ſcilicet,& tacitè. ibid.

Iubens,ſeu mandans tenetur ad reſtitutionem in ſolidum damno ſecuto, quo iuſſio eſt cauſa efficax iniuſtè acceptionis,vel probabiliter efficax. ibid.

Communior ſententia hoc tempore recepta eſt,iubentem,ſeu mandantem obligari in ſolidum,quando is cui præcipitur eſt ſubditus præcipientis, etiamſi aliàs paratus fuerit furari. ibi. 16.

Si non ſit ſubditus, & alter aliàs æquè paratus erat ad inferendum damnum, non videtur iubens cauſa damni, & conſequenter,nec obnoxius reſtitutioni. ibi.

Quando mandans eſt dubius, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum, nec ne tenetur moralem diligentiam adhibere, vt ſciat veritatem,& ſi hac facta adhuc dubitet rationabiliter, ad nihil tenetur. 608. 17.

Mandans,non liberatur à reſtitutione,ſi poſt illatum damnum, ex iniquo eius imperio mandatario iubeat,vt reſtituat donec mandatarius cum effectu reſtituat. ibid.

Mandans tenetur ad reſtitutionem damnorum, quando reuocatio mandati non innotuit mandatario; ſecus ſi reuocatio mandati, mandatario innotuerit. ibi. 18.

Conſulens verò etiamſi conetur conſilium reuocare,tenetur ad reſtitutionem,ſi alter,cui conſilium dedit,eius conſilio motus damnum inferat; licet aliqui probabiliter doceant,non teneri: teneretur tamen monere alterum,vt ſibi caueat. ibid.

Qui conſuluit furtum,aut homicidium,dubitat tamen,an ex ſuo conſilio ſecutum ſit furtum,aut homicidium; probabile eſt teneri ad reſtitutionem, & probabile etiam eſt non teneri:ſed dicendum eſt teneri conſulentem interrogare eum, qui conſilium dedit, & ſi alter neget ſe motum fuiſſe ex illius conſilio, liberatur conſulens à reſtitutione; ſi interrogatio hæc, non ſit poſſibilis, colligendum eſt ex circumſtantijs. ibid. 19.

Qui conſilium dedit alteri, vt hominem occideret, aut aliud damnum inferret,ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto,non tenetur conſulens ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus. 609. 20.

Quomodo debeat intelligi regula iuris, ***Nullus ex conſilio dummodò fraudulentum non fuerit,obligatur.*** ibid.

Mandans non tenetur ad reſtitutionem damnorum,quę mandatarius paſſus eſt occaſione executionis mandati, ſi non ſit ei ſubditus; ſi verò ſit ſubditus mandantis,tunc tenetur non ſolùm,læſis reſtituere damnum, ſed etiam ea,quæ ſequuta ſunt mandatario ſubdito. ibid.

Quando plures tenentur in ſolidum reſtituere, poteſt dominus rei læſus cuicumque illorum remittere actionem,quam habet contra illum in iudicio,alijs manentibus,ſiue gratia.ſicut poteſt etiam in iudicio vnum ex illis,quem voluerit conuenire,& totum ab eo exigere. ibi. 21.

Quando læſus remittit debitum principali, tunc cæteri ſunt etiam liberi in conſcientia ab omni reſtitutione. ibid.

Quando iniuſtè læſus remittit debitum alicui ex minùs principalibus, nō ideò liberatur principali à reſtitutione facienda ipſi poliato. ibid.

Quando plures ſunt æque principales, aut æquè minùs principales, ſi vni perfecta fiat remiſſio, non ideò cæteri ſunt liberi à ſuarum partium reſtitutione. ibid.

Quando multi obligantur ad reſtitutionem non in ſolidum, ſed per partes,vno ſuam partem reſtituente, cæteri ſimiliter ſuam refundere tenentur. ibid. 22.

Quando ille, qui damnum reſtituit domino fuit præcipuus, tanquam dux alios ad iniquitatem mouens, ſocijs ab omni reſtitutione deobligantur. 610. 23.

Si principalis in crimine, qui nihil de præda accepit,reſtituat velo domino,qui rem illam accepit;tenetur ei in integrum reſtituere. ibid.

Si is,qui domino totum damnum reſtituit,non accepit totam prædam, ſed res accepta inter omnes æqualiter diuiſa ſit, tunc vno reſtituente in totum,cæteri tenentur ei pro rata reſtituere. ibid.

Quando res accepta apud vnum ſolum extat,aut in ſuum vſum conſumpta eſt mala fide,tunc ipſe totum reſtituere tenetur. Si ipſe nolit reſtituere, aut non poſſit,tunc tenetur mandans,& in ipſius defectum alij. ibid.

Quando plures æqualiter concurrunt ex mutuo conſenſu ad dandum damnum,ſi vnus in integrum reſtituat,tenentur alij huic pro rata reſtituere,quantum ex præda perceperunt. ibid.

Qui non impedit damnum proximi,cùm poſſit, vt teneatur ad reſtitutionem,& peccet contra iuſtitiam, tria concurrere debent, 1. vt iuſtitia obligatus ſit loqui,obſtare, vel manifeſtare, 2. vt reipſa non impedierit damnum,quod proinde ſequutum eſt, 3. vt rationabiliter potuerit impedire. ib. 24.

Verius eſt,eum qui tacet, neque qui inducit ad tacendum teneri ad reſtitutionem,ſi non teneatur ex officio clamare contra fures. ib. 25.

Si poſt latam ſententiam iuſtam; & promolgatam, iudex pœnam pecuniariam fiſco,vel parti læſæ iam debitam à reo remittat iniuſtè,tenetur eam reſtituere ijſdem,quibus erat applicanda. ib. 26.

Quando iudex per iniquitatem non fert ſententiam,nec condemnat reum ad ſoluendas pœnas in lege impoſitas, & quas ſoluere debet, an ipſe ad illarum reſtitutionem parti læſæ teneatur? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. 611. ibid.

Qui negatiuè ſunt cauſa damni,non tenentur illud reſtituere,niſi in defectum eorum,qui poſitiuè illud damnum dederunt. ib. 27.

Inter cauſas poſitiuas, ſeu perſonas, quæ poſitiuè concurrunt ad iniuſtitiam,ſi damnificatio ſit lucroſa,primò & principaliter tenetur reſtituere is,ad quem res furtiua peruenit. ibid 28

Si eſt res conſumpta,& ab eo,qui probabiliter neſciebat eſſe rem alienam, non tenetur,niſi quantum ad id,quo factus eſt ditior. ibi.

Si mala fide eam conſumpſit,ſic primo loco tenetur reſtituere. ibid.

Quando damnificatio eſt lucroſa, nec in ea aliquid ablatum eſt, ſed tantùm irrogatum damnum, tunc primo loco reſtituere tenetur, qui ſuo nomine fecit, vel rogauit,aut ſuaſit, vt ſuo nomine fieret; qui coegit, aut fraude induxit, vel qui imperauit, quando hic habet vim coactiuam reſpectu exequentis. ib. 29.

Debitor non tenetur reſtituere,ſed ſibi potiùs ſubucnire poteſt in vitæ periculo, quàm creditori, etiamſi per iniuriam rem illam occupauerit; ſi tamen creditor ſubtractione illius rei coniectus eſt in illas anguſtias, tunc tenetur illi reſtituere. ib. 30.

Probabile eſt ſi debitor ſit in graui neceſſitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non teneri reſtituere,etiamſi contingat creditorem in parem neceſſitatem incidere, modò debitor illum in eam non coniecerit. 612. 31.

Reſtitutio poteſt differri ob vitandum magnum, & probabile periculum ſaluti animæ ſuæ,& ſuorum. ibi. 32.

Non tenentur, per ſe loquendo, reſtituere bona externa cum vitæ, aut famæ periculo,licet id poſſet,ſi vellet cum laude,& merito: per accidens tamen poteſt contingere caſus, in quo bona externa ſint reſtituenda cum detrimento famæ. ibi. 33.

Debitor non liberatur ab onere ſtatim reſtituendi,qui patitur graue damnum ex eo ſolùm, quòd ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſat illi magnum lucrum, niſi debitor hoc lucrum quærat ad ſatisfaciendum cæteris creditoribus,quibus alioquin non eſt ſoluendo. ibi. 34

Quādo res iniuſtè acquiſita in ſpecie extat,& debitor nō extremè indiget, illam ſtatim reſtituere tenetur,etiamſi ſtatum deponere cogatur. ibi.

Non poteſt debitor in toto,vel in parte reſtitutionem differre, ſi reſtituendo patitur graue damnum ex eo ſolum, quod res reſtituenda eſt magna. ib. 35.

Quando debitor iuſtè ſtatum acquiſiuit, nec reſtituere poteſt ſine graui, & notabili iactura ſui ſtatus, aut rerum ſuarum, non tenetur ſtatim reſtituere, ſed poteſt reſtitutionem differre, dummodò creditor

ſimilem iacturam ſtatus ex dilatione non patiatura ſtatur tamen citra notam paupertatis ſtatum minu ere, vt reſtituere paulatim poſſit. ib.36.
Quando ſtatus eſt iuſtè acquiſitus, ſed conſeruatur bonis omnibus alienis non tenetur debitor ſtatim reſtituere cum detrimento, aut notabili iactura ſuorum bonorum, ſi ſit moralis certitudo, quod tempore opportuno reſtituet omnia ſine illo incommodo. ib.37.
Qui non tenetur cum totali iactura ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, debet in ſumptibus ſe reſtringere diminuendo ſtatum quantum poteſt intra limites decentiæ, vt ſic paulatim reſtituere poſſit, ibid.38.
Debitor excuſatur à reſtitutione rei alienæ, ſi in ſpecie aliena res abſque dolo, aut culpa, aut ante moram periertt: ſecus ſi aliquid horum interceſſit. ibi.39.
Si res eſt in genere aliena, non liberatur debitor à reſtitutione etiamſi ſine ſua culpa, aut mora pereat: ſi vero res non ſit in ſpecie aliena, ſed tua, eius interitus non te excuſat à reſtitutione. ibid.
Qui iuris, aut iudicis ſententia aliquid non ſuum, aut alteri debitum retinet, non ſemper tutus eſt in conſcientia, aut à reſtitutione liber, ſed tantùm in certis caſibus. ib.40.
Probabile eſt, Epiſcopum poſſe concedere Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè habitis pro ſua tantùm diœceſi. ibid.41.
Rex aut Reſpublica poſſunt compoſitionem facere de bonis incertis licitè acquiſitis, non autem de acquiſitis iniuſtè. ibi.
Inter creditores perſonales tantum non habentes priuilegium prælationis, pauperior præferendus eſt ditiori, quando creditor eſt ita pauper, vt lex charitatis obliget illius indigentiam ſubleuari. 614.42.
Generalis Cruciatæ Commiſſarius habet facultatem à Papa, vt poſſit in certorum bonorum compoſitionem concedere. ibi.43.

Reſtitutio in integrum.

Reſtituere eſt aliquem reducere in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem, ibid.1.
Hoc beneficium reſtitutionis in integrum, iure concedi poteſt omnibus ætate minoribus, ſi ex contractu, vel quaſi, læſi ſint. ibi.
In duobus caſibus priuatur minor beneficio reſtitutionis. ibid.
Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Eccleſiæ, & pijs locis. ib.2.
Iure conceditur continuum quadriennij ſpatium ab ætate legitima inchoandum, pro minore, vel à tempore factæ læſionis, pro Eccleſia, ad petendam reſtitutionem ea quacumque cauſa. ibid.3
Reſpublica, Princeps, vniuerſitas ſtudioſorum, vici & ciuitates beneficium reſtitutionis in integrum petere poſſunt. ibi.4.
Minor, & Eccleſia non tantum in damno emergente reſtituuntur, ſed etiam in lucro ceſſante. ibid.5
Monaſteria non indigent aliqua reſtitutione in integrum, ſi læſio aliqua facta ſit in eorum bonis ex culpa Prælatorum, vel Monachorum intra centum annos, ſed ipſo iure debet reſcindi: Ex conceſſione *Ioannis XXII.* ib.6.

Reſtitutio in integrum.

Reſtitutio in integrum conceditur in minoribus iure Cæſareo inj ſequentibus caſibus, 1. ſi rem alicuius momenti donauit, etiam cum tutoris, ſeu curatoris conſenſu excipiuntur quidam caſus. 615.1.
Si minor læſus ſit in contractu emptionis, venditionis, &c. vel in quolibet alio contractu. ib.2.
Si in petitione mutui læſus ſit, vt quia pecuniam illam amiſit, poteſt reſtitui, niſi per creditorem probetur mutuum eſſe conuerſum in rem minoris. ibid.3.
Si mulier minor 25. annis nubat, & det ampliorem dotem, quàm conditio mariti, vel conſuetudo loci permittat. ib.4.
Si læſus in ſolutione pecuniæ ſibi facta, poteſt reſtitui in foro externo; ſi ſolutio ei facta ſit ſine auctoritate curatoris. ib.5.
Si ex quaſi contractu læſus eſt, vt quia hæreditatem minus lucroſam adiuit, vel legatum, aut hæreditatem ſibi vtilem repudiauit etiam cum curatoris conſenſu, reſtitui debet. ibid.6.
Si læſus fuit ob negligentiam tutoris, curatoris, vel procuratoris non producentis in iudicio probationes neceſſaria. ib.7
Reſtitutio in integrum dupliciter peti poteſt, 1. implorando officium iudicis, citata parte, vt quando ſolutio facta eſt, vel res ab altero poſſidetur, 2. Excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem, vel rem tradi, ſe læſum eo contractu, vel actu fuiſſe. ibid.8.
Minor non poteſt reſtitui aduerſus eos contractus, quos fecit intra quadriennium poſt vigeſimum quintum annum elapſum, quia tunc eſt maior. ibid.9.
Beneficium legis de reſtituendis minoribus in integrum, tranſit ad hæredes minoris. ibi.
Quamuis minori concedatur reſtitutio in integrum, ſi tamen fideiuſſorem adhibuit in aſſecurationem contractus non manet liber fideiuſſor, ſed tenetur loco minoris ad id, quod minori reſarcitur, aut ad intereſſe creditori. 616.10.
Reſtitutio in integrum de iure petenda eſt apud iudicem eius, contra quem petitur. ib.11.
Si Eccleſia ſe læſam inueniat ex contracto celebrato cum laico, poteſt petere reſtitutionem in integrum, etiam coram iudice Eccleſiaſtico proprio Eccleſiæ, quæ illud petit. ibid.
Reſtitutio in integrum poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ, vel Reipublicæ conceditur, ſi læſio valde enormis ſit arbitrio iudicis prudentis. ibi.12.
Reſtitutio item conceditur, ſi inculpata ignorantia, aliudve iuſtum impedimentum obſtitit, quo minùs intra quadriennium reſtitutio peteretur. ibid,
Reſtitutio in integrum datur minoribus circa præſcriptionem aduerſus ipſos iam completam, etiamſi illa ſit triginta, aut plurium annorum, ſed hoc priuilegium ſolùm conceditur quadriennio poſt impletum 25. ſuæ ætatis annum: Hoc priuilegio gaudet etiam Eccleſia, poſt completam aduerſus eam præſcriptionem. ib.13
Maioribus ætate conceditur etiam reſtitutio in integrum in præſcriptione 10. & 20. annorum quadriennio, poſtquam ſciuerint completam eſſe præſcriptionem, modò probent ſine ſua negligentia præſcriptionem fuiſſe peractam. ibid.
Doctores quoties cauſam aliquam iuſtam iudicant, vt aduerſus præſcriptionem concedatur reſtitutio, & cauſa illa non eſt in iure expreſſa dicere conſueuerunt, ex ea cauſa petendam, & concedendam eſſe reſtitutionem, ob clauſulam generalem iuriſconſulti *ſi qua alia mihi iuſta cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam.* ibi.
Quando conceditur reſtitutio in integrum minori, Eccleſiæ, & Reipublicæ, ſi res contractu gratuito ſit alienata, poſſunt repeti etiã fructus ex ea percepti, deductis expenſis, quæ in illis colligendis ſunt factæ. ib.14.
Quando res eſt alienata contractu oneroſo, vt ſi prædium ſit venditum iuſto pretio, verius eſt in foro conſcientiæ, non poſſe repeti fructus; ſecus ſi infra iuſtum pretium vendita res fuit, tunc repeti poteſt ea fructuum pars, quatenus res excedit pretium datum. ibid,

Reſtrictio mentalis,

Ex ſacra ſcriptura conſtat licitum eſſe vti æquiuocatione, amphibologia, & reſtrictione mentali, aut occultare veritatem, quando ad hoc faciendum ſubeſt rationabilis cauſa, & iuſta excuſatio, etiamſi ſciatur decipiendum fore interrogantem. 617.1.
Vt licitus ſit vſus æquiuocationis, amphibologiæ, & reſtrictionis mentalis, adducitur doctrina Maldeni communiter recepta. ib.2.
An oratio quæ ſecundùm ſe falſa eſt ſine reſtrictione mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, ita vt externo ſigno, neque implicitè, neque explicitè talis reſtrictio denotetur, & ſic à mendacio, & cordis duplicitate ſit libera? Affirmant plurimi; verùm ſententia negans vt ſecurior, & verior eſt ſuſtinenda, & quoad praxim amplectenda. 618.3.
Non ſolùm ex vi virtutis ſimplicitatis, & veracitatis, tenetur quis dum loquitur proximo ſuo ad conformandum verba ſua, non ſolùm menti, & intentioni propriæ, ſed etiam menti eius cui loquitur. ibi.4.
Ratione officij tenentur magiſtri, & Doctores non vti reſtrictionibus mentalibus, &c. ex quibus diſcipuli poſſint haurire, aut errorem contra fidem, aut licentiam peccandi, aut opinionem ſcandaloſam, aut pijs auribus offendiculum præbentem. 619.5.
Non eſt licitum in contractibus vti reſtrictione mentali, aut oratione mixta maximè quando verſatur circa ſubſtantiam contractus: & hoc verum etiam in contractibus initis cum infidelibus; & ſi quis huiuſmodi contractibus adhibeat iuramentum vtens reſtrictione mentali, peccat mortaliter. ibid.6.
Sicut non licet reo iuridicè interrogato iudicem deludere reſtrictionibus mentalibus, & amphibologicè iurare: ita illicitum eſt iudicibus interrogare reum, aut examinare teſtes, vtendo oratione mixta, cuius reſtrictio mentalis omninò occulta maneat. ibi.7.
Quando reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis iniuſtè crimen rei occultum coram iudice prodidit, ſi non ſit ſufficiens aliundè informatio ad procedendum contra eos ſocios, aut illum reum, poſſunt reus, & teſtis ille ſe offerre coram iudice, & iurare illos non feciſſe id delictum, intelligendo itaut id delictum ſubſit illi iudicio, &c. ibid.8.
Imò in prædicto caſu tenentur hac æquiuocatione vti, & formam reſtituant, ſi reus ille, & teſtis mala fide ſic iniuſtè crimen detexerint, & id poſſint abſque maiori notabiliter detrimento ſuo, & ipſis ſit ſatis, vt retractatio proſit. ibid.

R E V S.

Reus non tenetur veritatem fateri, aut iurare de calumnia, quando iudex non interrogat iuridicè, ſeu ſeruato iuris ordine. 620.1.
Probabilius eſt, reum & teſtes dubitantes, an iuridicè interrogentur, non teneri veritatem fateri. ibi.2.
Quando iudex iuridicè interrogat, idque reo notum eſt, tenetur reus

veri-

veritatem fateri,iuxta communiorem ſententiam. ibid.3.

Probabile eſt, reum non peccare mortaliter negando crimen in cauſis, tam capitalibus, quàm non capitalibus, in quibus imponeretur grauis pœna temporalis; modò non iurauerit abſolutè ſe dicturum veritatem. ib.4

Non tenetur confeſſarius reum cogere ad retractandum ſuum dictum, quando interrogatus veritatem negauit in iudicio, qui manifeſtata condemnatus fuiſſet. 625.5.

Non poteſt iudex reum infamatum, vel etiam conuictum de vno crimine, examinare de alijs criminibus, quæ nec ſuapte natura, nec indicijs connexa ſunt. ibid.6

Iudex reum confeſſum interrogare non poteſt de ſocijs criminis, nulla indiciorum ſuſpicione laborantibus, niſi crimen tale ſit, quod neceſſario ſocium requirat,vel niſi crimen publicam perniciem tendat. ib.7.

Rei confeſſio, ſeu teſtificatio non efficit probationem niſi inſuper aliud indicium vel alterius,rei in tortura conſenſus accedat. ibid.

Reus non peccat contra iuſtitiam aperiendo crimina quamuis occulta teſtium, ſi illa crimina valeant ad infirmandum illorum teſtimonium: ſecus ſi illa manifeſtatio non ſit neceſſaria ad propriam defenſionem. ibid.8.

Reus accuſatus de crimine,quod iuridicè probari nequit,non peccat contra iuſtitiam negando crimen, & ſi aliter ſe tueri non poſſit, dicendo accuſatorem mentiri,& calumniari. ibid.9.

Reo tortura adhiberi poteſt criminibus grauioribus, quæ pœnam corporalem,vel triremium merentur,ad probationis ſubſidium. ib.10

Indicia ſufficientia ad torquendum reum ſunt, vnus teſtis omni exceptione maior, confeſſio rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo. ibi.11.

Reus ſemel tortus iterum torquendus non eſt,niſi fortè nouum indicium adſit, vel niſi indicia antea habita grauiſſima ſint, vt vehementem pariant præſumptionem parati criminis. ibid.

Torqueri non debent impuberes,ſenes decrepiti,mulier prægnans,vir nobilis,Doctores,& Conſiliarij Principum, eorumque liberi, niſi in criminibus exceptis. ibi.12.

Reus per ſe loquendo, non tenetur obedire ſententiæ, quæ nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus; quamuis non poſſit reus per vim in hoc caſu ſe defendere contra iudicem, vel ipſius miniſtros. ibid.13.

Reus non ſolùm ante ſententiam,verùm etiam poſt iudicis ſententiam fugere poteſt è carcere,etiamſi in carcere detineatur ob debita, licet teneatur prima opportunitate ſatisfacere. 622.14.

Religioſus in carcerem iuſtè coniectus à ſuo Prælato licitè non poteſt fugere,etiam ante condemnationem ſine apoſtaſiæ nota; ſecus ſi iniuſtè. ibid.

Religioſus non tenetur obedire Prælato ſuo præcipienti, vt in carcerem pergat,non aſſignata cauſa talis incarcerationis: niſi de delicti veritate apud Prælatum ſatis conſtaret. ibid.

Carcer adhibetur, vel in pœnam criminis, vel ad cuſtodiam, vel ad afflictionem. ibid.

Reus, qui poteſt licitè fugere, poteſt etiam vincula rumpere, & carcerem pertundere, imo poſſunt alij reo fugam conſulere, & vinculorum diruptionem,modo non ſunt officiales, & miniſtri iuſtitiæ: Imo probabile eſt licitum eſſe eidem captiuo porrigere inſtrumenta, quibus vincula incidat,& carcerem effringat:non tamen licet ad id iuuare reum. ibid.15.

Præciſa vi, & iniuria licet decipere cuſtodem, vt reus opportunitatem fugiendi capiat. ibi.16.

Reus negans veritatem non tenetur ad ſoluendam pœnam, quam manifeſtata veritate perſoluiſſet, modò ad illam non teneretur iure naturæ ante ſententiam ob actionem iniuſtam,vel contractum. ibi.17.

Reus.

Reo numquam licet falſum crimen obijcere teſti ad eius dictum infirmandum,ſiue teſtis falſum,ſiue verum deponat,ſiue ordinem iuris ſeruet,ſiue non. 623.1.

Quando delictum eſt occultum,itaut iuridicè probari non poſſit,reus non peccat mortaliter contra iuſtitiam, ſi accuſatori notam mendacij, & calumniæ imponat: ſecus ſi delictum iuridicè probari poſſit,tunc enim peccat mortaliter contra iuſtitiam reus, & tenetur ad reſtitutionem famæ. ibi.2.

Quamuis reus teneatur veritatem aperire, dum ſeruato iuris ordine interrogatur à iudice: hoc tamen habet locum, niſi aliter de rationabili iudicis voluntate præſumatur, & niſi aliter per Epikeiam iudicetur, & hoc exemplis probatur. ibid.3.

Probabilius eſt, quando reo dubium eſt, an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa inditia contra ipſum, poſſe occultare veritatem,& non reſpondere. 624.4.

Ex communi ſententia, reus, qui iuridicè interrogatus perſeuerat in neganda veritate,non eſt abſoluendus, donec illam confiteatur, & maximè quando eſt per teſtes conuictus,& condemnatus. ibid.5.

Contrarium nihilominus eſt maximè probabile, nempe, reum non teneri ſe offerre ad fatendam veritatem,quam negauit,nec teneri in conſcientia ad retractandum dictum, ſed ſufficere, vt doleat de peccato, & ſit paratus ad reſpondendum,ſi iterum interrogetur. ibid.

Cautus debet eſſe confeſſarius in expoſtulando à reo hoc propoſitum;ſed ſatis eſt vt in genere proponat cauere in poſterum peccata.

Quando reus iam à iudice abſolutus fuit, aut punitus, aut per fugam è carcere, iam eſt extra iudicis poteſtatem, tunc abſolui poteſt à confeſſario impoſita illi pro mendacio ſalutari pœnitentia,ſi iudici mentitus ſit. ibi.6.

Quando reus iniuſtè negauit crimen, conuictus per duos teſtes, & condemnatus ducitur ad ſupplicium, iuxta quoſdam, non poteſt abſolui, quin verum ante executionem ſententiæ fateatur: Tamen in rigore probabile eſt ad id faciendum non teneri, ſed ſufficere, vt illud peccatum confeſſario confiteatur,à quo abſolui poterit, niſi alicui aliàs notabile damnum ſequeretur. 625.7.

Hæreticus tamen, qui comburitur, eo quòd negatiuus ſit, non eſt abſoluendus niſi publice crimen fateatur. ibid.

Quando reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſoluere probabilius eſt non teneri ad reſtitutionem. ibid.8.

Qui iniuſtè in carcere detinetur,& condemnatur ad mortem,etiamſi alia via non poſſit euadere,non poteſt occidere carceris cuſtodem: ſi tamen cuſtos ſciat euidenter in carcere illum iniuſtè detineri,& ad mortem damnari, tunc in carcere detentus, non habens aliam viam euadendi mortem, iuxta aliquorum ſententiam, poteſt cuſtodem carceris occidere,ſed hæc ſententia apud alios eſt dubia. ibid.9.

Reus iuſtè condemnatus, ſi iniuſtitia eſt manifeſta, poteſt ſe defendere,& licitè iudici reſiſtere,modò id ſine ſcandalo, & perturbatione Reip. facere poſſit. ibid.10.

Quando reus prudenter eſt dubius de ſententiæ iuſtitia, & iudex monitus nolit rem maturiùs conſiderare,poteſt tunc reus ſe defendere à iudice, tanquam ab inuaſore ceſſante ſcandalo. ibid.

Innocens, qui ſecundùm allegata, & probata nocens probatus eſt, & ad mortem condemnatus, non poteſt ſe à iudice, nec à miniſtris iuſtitiæ per vim defendere,poſſet tamen talis licitè ſe defendere, vel fugiendo ſi poſſit,vel recipiendo ſe in locum munitum, vel eripiendo ſe è manibus miniſtrorum cum aliqua vi,ſine ſanguine,tamen,& vulnere. ib.11.

Reus iuſtè damnatus ad mortem,quamuis poſſit fugere, vt mortem euadat,licet tamen ei ibi manere,& patienter mortem expectare. ibid.12.

Iniuſtè damnatus, ſi poſſit, fugere debet:niſi habeat aliquam cauſam rationi conſonam, vt exercendæ alicuius virtutis, licitè tunc poteſt in carcere manere,& mortem expectare patienter: imò aliquando manere tenetur,ratione profeſſionis fidei,& ſcandali. ibid.

Reus iuſtè captus, & ad mortem damnatus, qui à iudice,vel cuſtode dimittitur à carcere præſtito iuramento,vel fide ſimplici data de redeundo, tenetur ſub periurij, vel violatæ fidei reatu ad carcerem redire, quamuis certò ſciat ſe moriturum. 626.13

Quando carcer erat iniurioſus puta tyranni, vel iudicis incompetentis, vel competentis, ſed non procedentis ſecundùm ordinem iuris, aut quando accuſatus eſt innocens, ſed ſecundum allegata, & probata cenſetur nocens,& reus,an propter iuramentum teneatur redire? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Reus damnatus iuſtè, vt fame pereat poteſt comedere cibos illi ab alijs ſubminiſtratos: An autem teneatur comedere cibos oblatos ſub peccato mortali? Quidam affirmant;ſed magis placet licitè poſſe, vel licitè relinquere cibos,& ſinere ſe mori. ibi.14.

Damnato ad mortem,vt fame pereat,omnes poſſunt ei miniſtrare potum, & cibum, exceptis iuſtitiæ miniſtris, nullus tamen ad id obligatur. ibid.15.

S.

Sacramentum Quid, quotuplex, & illius neceſſitas.

SAcramentum apud Antiquos tum pro pignore & iuramento, tum pro re ſacra,& ſigno rei ſacræ,tum pro cæremonia conſecrante ſumptum eſt. 627.1.

Sacramentum apud Theologos, eſt ſignum ſacrum non ſolùm ſignificans verùm etiam infallibiliter efficiens rem ſacram ſanctificantem homines. ibi.4.

Sacramentum tripliciter dici poteſt ſignum, ſcilicet rememoratiuè demonſtratiuè,& prognoſticè. ib.3.

Sacramentum & ſacrificium in multis differunt. 1. Obiecto perſonali. 2. modo operandi 3. ratione cultus. ibid.

De fide eſt, ſacramenta legis gratiæ eſſe ſeptem,nec plura, nec pauciora, ibid.4.

In ſtatu innocentiæ non fuerunt ſacramenta: in ſtatu vero naturæ, qui durauit vſque ad Moyſen, fuit aliquod remedium inſtitutum pro paruulis à Deo,pro adultis fuit ſacrificium. In ſtatu legis ſcriptæ fuerunt aliqua ſacramenta, videlicet circumciſio, ſacrificium, Agnus Paſchalis,& alia. ib.5.

Plures differentiæ poſſunt aſſignari inter noua, & vetera ſacramenta. ibid.6.

Circumciſio inſtituta fuit à Deo,& tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem ſcriptam Moyſi traditam,& obligabat omnes ab Abrahamo deſcendentes. ibi.7.

Plura de circumciſione vide ſupra *v. Circumciſio.*

Sacramenta nouæ legis non ſunt abſoluta, & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem,ſuppoſita tamen Chriſti inſtitutione aliqua ſunt neceſſaria neceſſitate medij,vt baptiſmus,& pœnitentia. ibi.8.

Sacramentum. Quoad eius formam, & materiam in genere.

De fide eſt omnia ſacramenta nouæ legis conſtare materia, & forma, vel vt alij dicunt,rebus,& verbis. 628.1.

Verbum ſacramentale non eſt concio, vt volunt hæretici, ſed eſt certa formula verborum,quæ ex Chriſti inſtitutione, & intentione Eccleſiæ pronunciata ſuper elementum perficit ſacramentum. ibi.

In omni ſacramento hæc duo, *res, & verba* ſemper ſunt neceſſaria, ſed formaliter diſtincta non materialiter. ibid.

In ſacramentis,quæ in vſu,ſeu actione tranſeunte conſiſtunt, duplex eſt materia,remota,& propinqua. ibid.2.

De fide eſt, materiam, & formam ſacramentorum eſſe determinatas à Chriſto: quapropter Eccleſia non poteſt mutare, & variare materiam ſacramentorum. 629.3.

Quamuis omnes materiæ,& formę ſacramentorum ſint à Deo vel à Chriſto inſtitutæ,non tamen ſingulæ quoad ſpeciem, ſed aliquæ quoad genus tantùm, determinandæ quoad ſpeciem ab ipſis Apoſtolis, vel Eccleſia. ibi.

Item ex diuina inſtitutione,forma ſacramentorum, quæ neceſſariò adhibenda eſt in ſacramentis determinata eſt. ibid.4.

Mutatio in forma ſacramentorum poteſt contingere, vocum variatione, additione,ſubtractione,corruptione,tranſpoſitione, interruptione, verbis ſynonymis,vel æquiuocis. ibi.5.

In conficiendis ſacramentis nemo poteſt confingere priuatim aliqua verba,alijſque vti,ad ſignificandum id,quod ſignificant verba formæ. ibid.6.

Qui,ſeclusa neceſſitate, in conficiendis ſacramentis vtitur materiæ, vel forma dubia grauiter peccat. ibid.7

Illa materia,& forma quæ ſatis eſt ad verum ſacramentum in vna Eccleſia, eſt etiam ſufficiens in quacumque alia de neceſſitate ſacramenti, non autem de neceſſitate præcepti. 630.8.

In conficiendis ſacramentis requiritur quædam coniunctio, ſeu ſimultas temporis inter aliquam ſaltem partem formæ, & aliquam partem materiæ: quamuis non ſit improbabile, ſufficere moralem coniunctionem. ibid.9.

Inter dolorem peccatorum,& confeſſionem debet etiam eſſe moralis coniunctio. ibid.

Sacramentum. Quoad cauſam efficientem.

Solus Deus eſt primarius auctor, & inſtitutor ſacramentorum, Chriſtus [illegible] ſacramentorum per poteſtatem excellentiæ. 631.1.

P[illegible] ſacramenta eſt prorſus incommunicab[illegible] omnimodam independentiam,quæ ſoli Deo competit. [illegible] autem excel[illegible] potuit Chriſtus communicare,ſed non communicauit. ibid.

Cauſa miniſterialis ſacramentorum eſt miniſter, qui concurrit ad conficiendum ſacramenta in nomine,& virtute Chriſti. ibi.2.

Solus homo de poteſtate Dei ordinaria eſt ſacramentorum miniſter: non tamen omnis homo baptizatus,ſed is tantùm qui ritè in Eccleſia ordinatus eſt[illegible] baptiſmo,& matrimonio. ibid.

Angeli poſſunt [illegible] miniſtri ſacramentorum ex diuina diſpenſatione: imò de potentia Dei abſoluta poſſet Dæmon validè de mandato Dei aſſumpto corpore,miniſtrare ſacramenta. ibi.

De fide eſt,miniſtrum ſacramenti verè animam abluere, peccata remittere,& peccatorem iuſtificare. ibid.

Ad neceſſitatem ſacramenti requiritur, vt miniſter intendat conferre homini ſacramentum ſaltem implicitè, ſi facere velit quod vera eccleſia ſolet,aut quod Chriſtus inſtituit. ib.3.

Non eſt neceſſarium in miniſtro ſacramenti, vt intendat id facere quod facit Eccleſia Romana, ſed quod facit Eccleſia Chriſti vera quæcumque demum illa ſit. ibid.

Ad conficiendum ſacramentum non eſt neceſſaria actualis intentio, ſed virtualis ſufficit,habitualis verò nec ſufficit,nec neceſſaria eſt. 632.ib.

Si in principio ſacerdos habeat malam,vel nullam intentionem, & ante finitam prolationem formæ mutet propoſitum,non conficitur ſacramentum, idem dicendum ſi in principio habeat rectam, & poſtea nolit conficere. ibid.

Si miniſter intendat conferre ſacramentum, non tamen effectum ſacramenti, vel ſi intendat effectum dimidiare, ſacramentum propter hoc non irritatur. ibid.

Ad ſacramenti valorem requiritur intentio miniſtri abſoluta, conditionalis vero de futuro non ſufficit,bene tamen de præſenti,& præterito. ibid.4.

Intentio miniſtri in conficiendis ſacramentis debet dirigi ad materiam præſentem vel perſonam,qualiſcumque illa ſit. ibid. 5.

Fides aut probitas miniſtri non requiritur ad validam ſacramenti miniſtrationem quoties adeſt materia,forma,& intentio miniſtri. ibi.6.

Ad licitam ſacramentorum adminiſtrationem requiritur in miniſtro deputatio,& conſecratio fides,& probitas. 633.7.

Si contingat miniſtrum ſacramenti non eſſe verè contritum, ſed dumtaxat attritum,cum probabili tamen exiſtimatione quod eſt verè contritus,non peccat miniſtrando ſacramentum. ibid.

Probabile eſt, non eſſe mortale alijs extra miſſam Euchariſtiam miniſtrare; ſimiliter probabile eſt miniſtrum ſacramenti licitè poſſe aliquando miniſtrare ſacramentum in peccato mortali,ſi ex temporis anguſtia, & vrgente neceſſitate non poſſit actum contritionis elicere. ibid.

Probabilius eſt exercentem functiones ordinum,tam minorum, quàm ſacrorum,cum conſcientia peccati mortalis; per ſe loquendo, non peccare mortaliter, præciſa adminiſtratione ſacramentorum facta à miniſtro,tanquam ad illam deputato,& conſecrato. ibi.8.

Probabilius eſt,communicantem alios in peccato mortali non toties quoties hoſtias diſtribuit peccare mortaliter, ſed vnum tantum peccatum mortale committere indignæ adminiſtrationis. ibi.

Item probabile eſt, non eſſe tot peccata mortalia, quot confeſſarius in mortali exiſtens audit,& abſoluit perſonas continuato miniſterio, ib.

Non licet à malo miniſtro petere ſacramentum, qui ſine peccato illud conferre non poteſt. ibid.

Semper poſſum à peccatore etiam non tolerato petere ſacramentum. quando meum ius,vel *neceſſitas*,vel vtilitas ſuperat legem Eccleſiæ, & extinguit vim legis naturalis de vitando ſcandalo, aut non cooperando peccatis alterius. ibid.

Quando miniſter eſt in peccato mortali, non tamen notatus cenſura Eccleſiaſtica, minor neceſſitas ſufficiet,vt poſſim inducere ad miniſtrandum ſacramentum. ibid.

Peccatori publico non ſunt adminiſtrandi ſacramenta,ſiue publicè petat ſiue occultè: peccatori autem occulto adminiſtranda ſunt ſacramenta,ſi publicè petat non tamen quando petit occultè. ibid.

SACRAMENTVM.

Sacramenti nomen ab Eccleſiaſticis, & Catholicis Scriptoribus quatuor præcipue modis vſurpatur. 634.1.

Sacramentum poteſt dupliciter conſiderari,1. phyſicè,& ſi non poteſt definiri, 2. moraliter, & ſic quodammodo eſt vnum, ac definiri poteſt. ibid.2.

Sacramentum non incommode definiri poteſt, vt ſit cæremonia ſignificans,& efficiens ſanctitatem. ibid.3.

Arca Noë, tranſitus maris rubri, manna,ſerpens æneus, fluxus aquæ de petra,& aliæ figuræ veteris teſtamenti,non fuerunt Sacramentum: nec matrimonium veteris legis: nec ſacrificium: nec Imagines Chriſti, & Sanctorum, nec aqua benedicta, nec prima tonſura;nec profeſſio religionis;nec benedictio Abbatis,Abbatiſſæ,&c. ib.4

Propriè ad rationem Sacramenti pertinet, vt perpetuam,ſeu ſtabilem inſtitutionem,ac vſum habeat pro ſtatu durantis Eccleſiæ. ibid.

Ante lapſum humani generis nulla inſtituta fuerunt Sacramenta: Poſt lapſum autem oportebat inſtitui Sacramenta, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur in Chriſtum Saluatorem venturum. ibi. 5.

Congruentiæ plures afferri poſſunt,cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis,& rebus ſenſibilibus,ac materialibus,quæ reduci poſſunt ad tria capita 1. eſt ex parte Dei, 2. ex parte hominis ſecundum ſe accepti. 3. ex parte eiuſdem hominis,vt eſt pars,& membrum vniuerſitatis. ib.6.

De fide eſt,in lege gratiæ fuiſſe inſtituta Sacramenta;congruentiæ autem huius inſtitutionis ſunt quatuor, 1. ex parte Dei 2. ex parte Chriſti. 3. ex parte Eccleſiæ,4. ex parte naturæ lapſæ. ibi.7.

In Sacramentis nouæ legis res ſe habent, vt materia,verba vt forma; quamuis quidam velint res,& verba eſſe materiam Sacramenti,ſignificationem eſſe formam, ibid.8.

Materia & forma in ſacramentis ſunt partes intrinſecæ,& eſſentiales in quolibet ſacramento nouæ legis. 636.9.

In caſu extremæ neceſſitatis non ſolum non poteſt adhiberi Sacramentum cum materia dubia, ſed etiam adeſt obligatio charitatis ſic miniſtrandi,duplici conditione poſita,1. vt detur euidens neceſſitas ex parte recipientis,2. vt Sacramentum ſub conditione conferatur. ibi.10.

In prædicto caſu, ſi recipientes Sacramenta ſuperuixerint, eſſent denuò eis miniſtranda Sacramenta ſub conditione. ibid.

Quando rationabile dubium occurrit,an per mutationem ſenſus formæ perierit,ex iteranda eſt,& quidem ſub conditione,maximè in Baptiſmo Confirmatione,& Ordine,quæ non poſſunt iterari, ſi autem ſit tantùm ſcrupulus,is deponendus eſt ſicut & dubium leue. ibi.11.

Ad conficienda Sacramenta,non ſufficit intentio qua quis ſuſcepit Ordines hoc animo vt fieret Sacerdos,& Miniſter Eccleſiæ, quia illa intentio

vide-

Digitized by Google

videtur habitualis pro tempore, quo Sacramenta conficiuntur: licet quidam doceant ſufficere. ibi. 2

Vbinam, & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum. 637.13.

Quamuis ad valorem Sacramenti in adultis requiratur poſitiuus conſenſus, ſeu intentio, & voluntas recipiendi illud; tamen ſufficit conſenſus habitualis, id eſt præteritus non reuocatus. ib. 54.

Imò non eſt neceſſarius conſenſus ſpecialis, ſed ſufficit quilibet etiam generalis: & hunc conſenſum præſumit Eccleſia in moribundo, quem extremè vngit, quamuis hoc Sacramentum non petierit. ibid.

In Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij non eſt ſatis quòd præceſſerit voluntas ea recipiendi, & non ſit reuocata, quia actus pœnitentium, & contrahentium ſunt materia iſtorum Sacramentorum. ibid.

Sacramentum. Quoad illius effectus.

Sacramentorvm effectus eſt duplex: primus communis omnibus, qui eſt gratia, id eſt, quoddam ſupernaturale donum, quo efficimur Deo grati: ſecundus, eſt aliquorum tantùm ſacramentorum proprius, qui eſt character. ibi. 1.

Gratia in ſacramentis poteſt dupliciter conferri; ex opere operantis nempe, & ex opere operato. ibid.

De fide eſt, omnia ſacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato. ibid. 2.

Triplex gratia confertur in ſacramentis. ibid.

Baptiſmus, & pœnitentia, ſunt ſacramenta mortuorum, & ideo inſtituta ſunt ad tollenda mortalia, & ad conferendam primam gratiam: reliqua verò ſunt ſacramenta viuorum, id eſt, per ſe inſtituta pro iuſtificatis, ad iuſtitiæ augmentum. 638.3.

Peccatum non eſt obex gratiæ ſacramentum, niſi quatenus eſt in conſcientia, ſeu notitia peccatoris. ibid.

Sacramenta quæ per ſe inſtituta ſunt ad augendam gratiam ſanctificantem ſi in ſubiecto gratiam primam non inueniant, operantur, & conferunt illam, modò in ſuſcipiente nullus obex iuſtificationis ſit. ibi.

Ad valorem ſacramenti requiritur in adultis ſuſcipiendi propria voluntas ſeu intentio ſaltem interpretatiua paruuli verò, & perpetuo amentes, ſacramenta ſuſcipiunt in fide, ac voluntate Eccleſiæ ac Chriſti. ibid. 4.

Ad valorem ſacramenti non requiritur prædeſtinato, nec iuſtitia, nec pœnitentia, nec fides, vt contra hæretico docent Catholici: excepto ſacramento pœnitentiæ, in quo hoc peculiare eſt, vt diſpoſitio ſuſcipientis, ſit ſubſtantialis pars ſacramenti. ibid.

Ad conſequendam primam gratiam in ſacramentis baptiſmi, aut pœnitentiæ requiritur in intellectu fides; & in voluntate attritio, ſeu dolor animi ex motiuo ſupernaturals ſuſceptus de peccatis. ibi. 5.

Qui accedunt ad Eucharitiam, vel alia ſacramenta, credentes in gratia exiſtere, cùm verè ſint in peccato mortali, debent actum attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant, & iuſtificentur. ibi.

Idem ſacramentum confert æqualem effectum in ſubiecto æquè diſpoſito: Idem tamen ſacramentum, in ſubiecto melius diſpoſito confert maiorem gratiam. ibi. 6.

Gratia quæ confertur in ſacramentis, non eſt diuerſa eſſentialiter, ſed eſt euſdem ſpeciei in omnibus ſacramentis; accidentaliter tamen eſt diuerſa. 639.7.

Probabilius eſt, ſacramenta eſſe cauſam moralem inſtrumentalem gratiæ; quamuis probabile etiam ſit ſacramenta ad modum cauſæ phyſicæ eſſe cauſas gratiæ. ib. 8.

Sacramenta producunt gratiam immediatæ, gratia vero quæ producitur per ſacramenta, dicitur educi de potentia animæ. ibid. 9.

Sacramenta numquam cauſant gratiam ante ſuſceptionem illorum: & quando baptiſmus in voto ſuſceptus delet originale peccatum, & pœnitentia in voto delet actuale, non eſt effectus ſacramentorum ex opere operato, ſed diſpoſitionis ipſius operantis. ibi. 10.

Si quis putet ſe contritum, & tantùm attritus ſit, nihil ipſi proderit votum ſacramenti ad perfectam iuſtitiam conſequendam, niſi realiter ſacramentum applicetur. ibid.

Non omnis effectus ſacramentalis poteſt obtineri ex vi voti ipſius, character enim numquam ſic imprimitur, nec obtinetur remiſſio omnis pœnæ. ibid.

Sacramenta quæ conſiſtunt in vſu, gratiam conferunt in eo inſtanti intrinſeco, in quo materia, & forma habent perfectam ſignificationem. ibid.

Probabile eſt, omnia ſacramenta habere effectum gratiæ ſanctificantis, recedente fictione: excepto Sacramento Euchariſtiæ. ibi. 11.

Sacramentalia.

Sacramentalivm nomine intelligunt Fideles, aut actiones, aut res ſacras, quibus peccatorum venialium remiſſio obtinetur. 640.1

Sacramentalia cauſant remiſſionem venialium ex opere operantis, & per modum impetrationis, ſecundùm omnes. ibid.

An autem Sacramentalia cauſent remiſſionem peccatorum venialium ea opere operato, & ex inſtitutione ſua? Plurimi negant: Alij aſſerunt cauſare in homine bene diſpoſito circa Deum vltimum finem per gratiam, & bene affecto actualiter circa res ſacras, & diuinas. ibid.

Aqua benedicta non ſolùm cauſat venialium remiſſionem, ſed plures alios effectus, quales ſunt, ſanitas corporis, auerſio inſidiarum dæmonum defenſio à phantaſmatibus, & verſutijs inimici. 641.2.

An autem aqua benedicta, ſignum crucis exorciſmi Eccleſiæ hos effectus operentur ex opere operato, an ſolùm ex opere operantis; Quidam aſſerunt hos effectus non cauſari ex opere operato, ſed ſolùm impetratoriè, ratione precum Eccleſiæ. Sed Thomiſtæ ferè omnes affirmant cauſari ex opere operato, ſed non ſemper. ibi.

Sacrilegium extra genus luxuriæ.

Sacrilegivm eſt violatio rei ſacræ, res autem ſacra vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata eſt. ibi. 1.

Tres ſunt ſpecies ſacrilegij, vna contra perſonas ſacras, altera contra loca ſacra, tertia contra res alias ſacras. ibi. 2.

Sacrilegium contra perſonam quatuor modis contingere poteſt. ibi. 3.

Omnia quæ fiunt contra ſanctitatem loci ſacri, ad ſecundam ſpeciem ſacrilegij pertinent. 642.4.

Sacrilegium committitur quoties fit id, quod iure prohibetur in loco ſacro, ſeu in Eccleſia. ibid. 5.

Eccleſia polluitur occiſione hominis quæ ſit culpabilis: effuſione iniurioſa humani ſanguinis; effuſione humani ſeminis; ſepultura excommunicati vitandi: & ſepultura non baptizati. ibid. 6.

Quando ſepelitur excommunicatus vitandus, illius oſſa proijcienda ſunt è loco ſacro, ſi dignoſci poſſint ab oſſibus fidelium. ibi. 7.

Eccleſia non polluitur, quando in ea Catechumenus ſepelitur ante ſuſceptum baptiſmum; nec cùm filius ſepelitur cum matre, quæ moritur in partu cum filio. ibid.

Polluta Eccleſia cenſetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum; polluto verò cœmeterio non cenſetur polluta Eccleſia. ibi. 8.

Diſcrimen eſt inter Eccleſiæ pollutionem, & execrationem: nam polluta Eccleſia polluuntur etiam altaria omnia, quæ in ea fixa ſunt, & viceverſa. At ſi Eccleſia execretur combuſtis, aut corruentibus parietibus, non ideò altaria noua conſecratione indigent. ibid.

Eccleſiæ pollutæ reconciliatio fieri debet, vel per Epiſcopum, ſi Eccleſia erat conſecrata, vel etiam per ſimplicem presbyterum ſi tantùm benedicta. ibi.

Simplex ſacerdos non poteſt reconciliare Eccleſiam conſecratam ſine priuilegio ſedis Apoſtolicæ. ibid.

Eccleſiæ tunc demum cenſentur pollutæ, quando cauſæ memoratæ ſunt publicæ, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem, aut probationem iuridicam. 643.

Probabile eſt Eccleſiam non cenſendam eſſe pollutam, donec Iudicis ſententia declaratum ſit illam eſſe pollutam. ibid.

Sacerdos celebrans in Eccleſia polluta ante reconciliationem non eſt, irregularis: imò probabile eſt illum neque incurre e ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ. ibid.

Probabilis eſt ſententia affirmans eccleſiam pollutam, remanere conſecratam, quando quis in ea poſt eius pollutionem celebrauit. ibi.

Tres actus forenſes prohibiti fieri in Eccleſia ſunt placitum, vbi de ſanguinis effuſione agitur: Mercatus, Furtum. ibi. 9

Sacrilegium non committeretur ab eo, qui iuxta Eccleſiam ſurriperet Parocho gladium, vel quid aliud quod non poſſidet nomine Eccleſ. ibid.

Eccleſiam infringere, & ſuis bonis ſpoliare ſacrilegium eſt: & contra effringentes, & ſpoliantes Eccleſias, conſtituta eſt pœna excommunicationis ipſo facto. ibid. 10.

Violatio immunitatis loci ſacri ſacrilegium eſt. ibid.

Ad ſacrilegium pertinent ea peccata, quibus res ſacræ temerantur, vt abutendo ſacramentis, profananda ſacra vaſa, violando imagines in contemptum religionis, &c. ibid. 11.

Sacrilegium.

Sacrilegivm diſtinguitur in tres ſpecies, vna contra perſonas ſacras; altera contra loca ſacra; tertia contra res alienas ſacras. ibid. 1

Hæc diuiſio ſacrilegij iuxta Diuum Thomam eſt in ſpecies infimas, ſeu vltimas: licet alij doceant eſſe in ſpecies ſubalternas continentes ſub ſe alias ſpecies infimas. 644. ibid.

Qui furatur rem ſacram de loco ſacro, tenetur vtramque circumſtantiam in confeſſione explicare. ibid. 2.

Sacrilegium committitur, quando regularis, vel monialis, vel aliquis in ſacris ordinibus conſtitutus ſæcularem polluit tangendo illum impudicè, & patiens pollutionem tenetur in confeſſionem circumſtantiam perſonarum explicare. ibid. 3.

An furtum rei non ſacræ de loco non ſacro ſit ſacrilegium? Negant iuris ciuilis interpretes, affirmant Theologi; maximè ſi res illa ſub iure, &

Digitized by Google

quaſi poteſtate Eccleſiæ ſit depoſita: ſecus ſi res illa prophana per accidens,& caſu ſit in loco ſacro. ibid.4.
Non omne peccatum, quod perſona ſacra committit eſt ſacrilegium propriè, ſed illud ſolùm quod directè committitur contra ſanctitatem perſonæ. 645.5.
Si quis contra perſonam ſacram iraſcatur, nolens tamen verberare, aut furtim ab eius domo quippiam ſurripiat, non eſt ſacrilegium propriè, erit autem ſi eam percutiat, ſeu percutere velit. ibi.
Vt ſacrilegium cenſeatur, conſiderandum eſt ad quid perſona, vel res ſit ſanctificata,& videndum ſi contra illud ad quod ſanctificata dicitur, actum ſit. ibid.
Sacrilegium committitur exercendo cauſas ciuiles ſæculares id Eccleſijs, & earum cœmeterijs; de rigore tamen iuris vetitum non eſt cauſas Eccleſiaſticas in Eccleſijs peragere; quamuis decentius ſit, vt peragantur in palatio Epiſcopi, vel alio loco extra Eccleſiam. ibi 6.
Placita iudicum,& miniſtrorum ſæcularium, non ſolùm prohibentur fieri in Eccleſijs, vel cœmeterijs, ſed ſi inibi exercita fuerint, ipſo iure irrita ſunt. ibid 7.
Non prohibentur fieri in Eccleſijs actus iuriſdictionis gratioſæ,& voluntariæ, ſed tantùm illi, qui cum ſtrepitu iudiciali fiunt. ibid.
Hæc irritatio non extenditur ad placita, quæ in domibus Eccleſiæ extra Eccleſiam fiunt, vt in domo parochi,&c. ibid.
Epiſcopi, alijque Prælati iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentes, non poſſunt concedere iudici ſæculari facultatem exercendi in Eccleſijs iudiciales actus. ibid.
Sacrilegium non committit exiſtens in Eccleſia cum animo furandi, fornicandi, vel occidendi, niſi intendat hæc facere in Eccleſia. ib.8.

Sacrilegium in materia luxuriæ.

SACRILEGIVM hoc eſt peccatum luxuriæ, quo perſona Deo dicata, vel locus ſacer, vel alia res ſacra fœdatur per actum venereum. 546.1.
Hoc ſacrilegium fieri poteſt quinque modis. ibid.
Probabilius eſt ſacerdotem ſimul, & religioſum peccantem luxuriæ peccato ſolùm committere ſimplex ſacrilegium, etſi altera circumſtantia alteram nonnihil iuuet ad augendum peccatum intra eandem ſpeciem. ibid,2.
Probabilius eſt, non eſſe culpam lethalem coniugalem concubitum intra locum ſacrum in caſu neceſſitatis exercitum. ibid.3
Nomine loci ſacri in hac materia, intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, cœmeteria,& oratoria conſtituta auctoritate Epiſcopi, & deputata ad diuinum cultum. ibi.4.
Sacrilegium ex ſuo genere eſt peccatum mortale: ratione autem inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ, poteſt eſſe veniale. ibi.5.
Quando ſacrilegium eſt mortale, pœnitens non ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe toties ſacrilegium commiſiſſe; ſed tenetur materiam circa quam commiſit ſacrilegium aperire. ibid.
Per deſiderium libidinoſum vel contractum turpem abſque pollutione, non committitur ſacrilegium, niſi quando deſiderium tenderet ad habendam copulam in loco ſacro, vel ſi contactus turpis eſſet cum periculo pollutionis. 647.6.

Satisfactio.

Satisfactio, quæ eſt pœnitentiæ virtutis actus, quædam eſt voluntaria ſolutio,& iniuriæ Deo per peccatum illatæ, compenſatio. ibid.1
Vt opera noſtra de condigno ſatisfactoria dicantur pro illa purgatorij pœna, quæ peccato reſpondet, non adhuc plenè quoad pœnam remiſſo, quædam conditiones requiruntur. ibid.2.
Ad ſatisfaciendum non eſt neceſſe vt actio procedat ex formali voluntate ſatisfaciendi, ſed ſatis eſt, vt procedat ex quacumque voluntate placendi Deo, aut ſuæ ſaluti æternæ. ibid.
Satisfactio ſacramentalis eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, conſiſtens in operibus pœnalibus,& laborioſis taxatis a confeſſario. 648.3.
Satisfactio impoſita à confeſſario eſt pars ſacramenti pœnitentiæ integralis tantùm non eſſentialis: vnde validum eſt pœnitentiæ ſacramentum, in quo ſacerdos nullam iniungit ſatisfactionem, etiamſi ſacerdos tunc fortè peccet. ibid.
Tenetur confeſſarius regulariter aliquam ſatisfactionem pœnitenti imponere aliqui tamen excipiuntur caſus, in quibus ſacerdos excuſatur ab iniungenda pœnitentia. ibid.4
Opera pœnalia quæ iniungi poſſunt à confeſſario ſunt, ieiunium, oratio, eleemoſyna: imò in ſatisfactionem poſſunt iniungi opera aliàs præcepta. ibid.5.
Non ſolùm poſſunt iniungi opera in particulari pro ſatisfactione ſacramentali, verùm etiam in generali, vt ſi confeſſarius abſoluendo dicat, *Quidquid boni feceris,& mali ſuſtinueris ſit tibi in remiſſionem peccatorum:* quamuis aliqui hoc non concedant. ibi.
Menſura ſatisfactionis imponendæ à confeſſario lege Eccleſiæ non taxata; debet tamen imponi proportionata ſatisfactio, conſiderata grauitate peccatorum,& diſpoſitione pœnitentis. 649.6.
Salubrius eſt confeſſum cum pauca leuiſſimaque pœnitentia acceptata relinquere in manu Dei puniendum in purgatorio, quàm cum magna non adimplenda detrudere ipſum in infernum. ibid.
Confeſſarius ex iuſta & rationabili cauſa poteſt in confeſſione,& non extra, diminuere, & commutare pœnitentiam à ſe vel ab alio confeſſario inferiori, vel æquali, vel etiam ſuperioris iniunctam. ibid.7.
Confeſſarius qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, non poteſt pœnitentiam, quæ pro reſeruatis à ſuperiore impoſita eſt, commutare: licet probabile ſit id poſſe confeſſarium in neceſſitate. ibi.8
Probabilius eſt, pœnitentem, qui oblitus eſt totius pœnitentiæ, alias iniunctæ teneri iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur. ibid.9.
Probabilius item eſt, pœnitentem non poſſe propria auctoritate pœnitentiam in æquale, aut in melius commutare. 650.10.
Quando facta eſt commutatio pœnitentiæ, liberum eſt pœnitenti eligere quam pœnitentiam voluerit, primam videlicet, aut ſecundam. ibid.
Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem,& humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptamque adimplere, ſi tamen illi videatur nimia, poteſt rogare confeſſarium vt illam mitiget. ibid.11.
Obligatio adimplendæ pœnitentiæ grauis, ex ſuo genere grauis eſt, vnde pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam. ibid.12.
Pœnitens obligatur ad implendam pœnitentiam quamprimùm commodè poteſt, ſi confeſſarius non determinet tempus. ibid.
Pœnitentiæ a confeſſario iniunctæ in ſatisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita, ſatisfit per ſuſceptionem indulgentiæ, & per alia pia opera ſatisfactoria: ſecus quando pœnitentia iniungitur in remedium,& medicinam peccati. ibi.13.
Tempore Iubilæi poteſt confeſſarius leuiores pœnitentias imponere, obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæum: & hoc pacto poteſt etiam confeſſarius prouidere pœnitenti, quem inuenit grauatum multis pœnitentijs ex anteactis confeſſionibus, quas non impleuit. ib.
Satisfactio, ſeu impletio pœnitentiæ iniunctæ à confeſſario, ex opere operato remittit pœnam temporalem peccatis debitam, & hoc ex Chriſti inſtitutione. ibid.14.
Probabilius eſt pœnitentem, qui pœnitentiam iniunctam à confeſſario adimplet in ſtatu peccati mortalis, præcepto quidem confeſſarij ſatisfacere, effectum tamen ſatisfactionis non conſequi, quamdiu in ſtatu peccati perſeuerat. 651.5.
Probabile eſt, pœnitentiam factam in ſtatu peccati mortalis ſortiri ſuum effectum ſublato obice. ibid.16.
Satisfactio ſacramentalis iniuncta à confeſſario, non poteſt per alium adimpleri, niſi confeſſarius aliud expreſſerit. ibi.17.

Satisfactio,

Cùm peccator ad Deum conuertitur, non ſemper cum culpa vniuerſa pœna remittitur. ibid.1.
Satisfactio impoſita à confeſſario, quæ eſt compenſatio pœnæ temporalis non ſemper ſufficit ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam, itaut ex peracta nihil luendum pœnitenti in purgatorio remaneat. ibid.
Satisfactio ſacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato; imo probabile eſt, ſatisfactionem ſacramentalem, quando actualiter impletur, habere vim cauſandi aliquem nouum gradum gratiæ, & de facto illum cauſare in ſubiecto diſpoſito. 652.2.
Satisfacere poſſumus Deo per pœnas, quas neceſſariò patimur, ſeu per flagella ab eo immiſſa, vt ſunt bellum, fames, infirmitas, &c. modò tamen voluntariè acceptentur,& aliquo modo in Deum referantur. ib.3
Satisfactio hæc fit non ſolùm per flagella ad eum finem à Deo immiſſa, ſed per omnia quæcunque illa ſint, & ex quibuſcunque cauſis proueniant, dummodò voluntariè acceptentur,& referantur in Deum. ib.4.
Satisfactio neceſſaria eſt ad conſequendam remiſſionem pœnæ purgatorij, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medij. ibid.5,
Satisfactio ſacramentalis ſemper iniungenda eſt pœnitenti ſcrupuloſo, regulariter loquendo, qui frequenter intra eandem horam accedit ad confeſſarium: non eſt tamen improbabile poſſe ſacerdotem iniungere pœnitentiam iam aliàs iniunctam. ibid.6.
Satisfactio ſacramentalis, per ſe loquendo, poteſt iniungi à confeſſario, tam ante, quàm poſt abſolutionem: conſuetudo tamen obtinuit, vt prius imponatur. 653.7
Satisfactio ſacramentalis impleta ante abſolutionem, non habet ſuum effectum ex opere operato, etiamſi pœnitens ſit in gratia. ibid
Non poteſt confeſſarius obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priuſquam illum abſoluat, quando ſatisfactio eſt tantùm vindicta: ſecùs ſi conſideretur pœnitentia, vt eſt curatio, aut medicina. ibid.8
Si pro ſatisfactione ſacramentali à confeſſario iniuncta ſit eleemoſyna, pœnitens ſatisfacit tradendo eleemoſynam pauperi extremè indigenti, cui aliàs tenebatur ex præcepto charitatis ſubuenire: ſecus ſi tenebatur illi pauperi ex iuſtitia, aut ratione reſtituendi incerta. ibi.9
Quando pœnitentia à confeſſario iniuncta ad nullum certum diem

eſt ad-

Digitized by Google

eſt addicta, quolibet die eam pœnitens implere poteſt. ibid. 10
Si pœnitentia iniungatur à confeſſario certo die adimplenda & eam prefixo tempore non adimpleuerit ſiue culpabiliter, ſiue abſque culpa; quidam negant teneri alio die adimplere, ſed dicendum eſt per ſe obligationem non ceſſare; niſi ita confeſſarius velit. ibid.
Satisfactio præſeruatiua non poteſt commutari à confeſſario in non præſeruatiuam: benè tamen in aliam præſeruatiuam, ſi commutatio fiat ex iuſta, & rationabili cauſa. 654.11
Vt ſatisfactio cenſeatur imponi in confeſſione, non eſt neceſſe, vt quis in loco iudicij, ſiue confeſſionali ſedeat, tanquam confeſſionem auditurus, ſed ſufficit, vt actus ſint ſacramentales. ibid. 12
Quando confeſſarius à confeſſionali receſſit, & pœnitens oblitus eſt pœnitentiæ impoſitæ, aut fortè confeſſarius ea obliuione non impoſuit, non eſt neceſſe vt confeſſarius ad confeſſionale reuertatur, ſed ſufficit ſi pœnitens illi innuat, & confeſſarius reſolutionem det, velut in ſacramento. ibid.

Scandalum.

Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ. ibid. 1
Scandalum aliud eſt actiuum, aliud paſſiuum. Actiuum, aliud eſt per ſe, aliud per accidens; aliud ſpeciale, aliud generale, Paſſiuum ſcandalum aliud eſt datum, aliud acceptum. ibid. 2
Peccatum ſpeciale ſcandali committitur, quoties quis dat vel dare intendit alteri occaſionem ruinæ hac intentione vt peccet. ibid. 3
Qui alium inducit ad peccatum intendens ipſius nocumentum ſpirituale, peccat duplici peccato; nempe, peccato ſpeciali & peccato, quod ab altero committitur. ibid.
Probabilius eſt ad ſpeciale peccatum ſcandali, requiri expreſſam intentionem ruinæ ſpiritualis. ibid. 4
Inducens & conſummans cum altero peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamſi non intendat ruinam proximi ſpiritualem. ibid. 5
Scandalum actiuum ex ſuo genere erit peccatum mortale; quoties quis tenetur impedire eam occaſionem, abſtinendo ab opere, quod eſt occaſio, & non abſtinet, ſiue ſit ea capeſſa ruinæ intentione, ſiue abſque illa.
Expreſsè intendere proximi ruinam non ſemper eſt mortale, ſi enim ruina ſit tantùm peccatum veniale, erit tantùm veniale peccatum illam intendere. ibid.
Quando ſcandalum generale eſt, regulariter loquendo, ſi dictum vel factum eſt mortale, etiam ſcandalum mortale erit. ibid. 7
Plures coram alijs peccantes excuſantur à peccato ſcandali, vel quia videntes ſunt in bono ſtabiles, vel ita prauis moribus ſunt imbuti, vt peccatum aliorum nihil illos moueat. ibid.
In multis caſibus cenſetur aliquis cooperari peccato alterius ſeu alterum ad peccatum inducere, vel eſſe cauſa ſcandali actiui. 656.8
Peccato ſcandali peccat, qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum, ſeu ad peccandum, etiamſi faciat vel petat aliquod opus indifferens, modo non præſtet opus indifferens ex iuſta & rationabili cauſa. ibid. 9
Vendens aromata, fucos &c. quibus mulier abutetur excuſatur à mortali. ibid.
Non excuſatur à peccato qui petit opus, quod ſine peccato fieri non poteſt, & quod alter non feciſſet, quamuis animo paratus eſſet ad illud faciendum. ibid.
Probabilius eſt circumſtantiam ſcandali ſeu inductionis ad peccatum non eſſe confitendam, ſi alter ad peccandum paratus erat. 810.§ 1
A miniſtro quantumuis malo, licet communiter recipere & petere ſacramenta, imò & ipſum inducere ad ea miniſtranda, quamdiu toleratur ab Eccleſia, & illi incumbit ex officio tibi illa miniſtrare. ibid. §. 2
Licet pecuniam mutuo accipere ſub vſura ab eo qui paratus eſt dare; Numquam tamen licet alterum inducere ad dandum mutuum ſub vſuris, ita vt inductio pro ſuo obiecto, habeat etiam talem modum mutuandi. 657.§.1
Probabile eſt, licere exigere iuramentum ab eo qui creditur peieraturus, nec eſt paratus ad peierandum, modò concurrat cauſa iuſta neceſſitatis eius iuramenti. ibi. §. 4
Multò magis certum eſt licere ab ethnico iuramentum exigere, quem ſcitur per falſos Deos iuraturum, quando exigens neceſſitate cogitur. ibid.
Probabilius eſt à mortali excuſari Chriſtianos, captos à Turcis, nauigantes metu mortis contra noſtros, aut præparantes neceſſaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda caſtra, &c. ibid. 10
Non licet his captiuis tormenta in Chriſtianos derigere, ignemque applicare, nec deprædari, aut incendere res Chriſtianorum. ibid.
Excuſantur famuli comitantes herum, dum ad meretrices accedit, ſi ab huiuſmodi comitatu deſiſtere nequeant abſque graui detrimento. ibid. §. 1
Locantes domos meretricibus vel vſurarijs excuſari poſſunt à mortali, etiam nulla alia iuſta, & vrgenti cauſa excuſante, imò etiamſi eas poſſint alijs commodè locare. ibid. §. 2
Puella quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti; à quo ſcit ſe turpiter amari, excuſatur, modo hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel vtilitate, aut ne priuet ſe ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram. 658. §. 3
Parentes aut heri, qui filijs, vel famulis non auferunt occaſionem furandi, vt de ipſorum fidelitate experimentum capiant, ipſoſque in futurum à furto patrando auertant, excuſari poſſunt. ibid. §. 4
Non licet Amaſio communiter depingere imaginem concubinæ, ſi putetur Amaſium ex imagine vſurum per libidinem, poſſet tamen excuſari pictor illam depingens ex metu mortis vel vulneris. ibid. §. 5
Publicè peccantes obligantur ad circumſtantiam ſcandali manifeſtandam in confeſſione, ob periculum, cui ſe exponunt ruinæ proximi: in duobus tamen caſibus excuſantur ab hac circumſtantia explicanda. ibid. 11
Nullum peccatum eſt committendum, ad vitandum ſcandalum proximi. ibid. 12
Ad vitandum ſcandalum infirmorum, oportet facere & omittere quidquid ſine peccato fieri aut omitti poteſt. ibid.
Ad vitandum ſcandalum Phariſaicum, nihil neceſſe eſſe facere, aut omittere cum detrimento ſpirituali aut temporali, etſi abſque peccato fieri aut omitti poſſit. ibid.
Opera conſilij non ſunt dimittenda propter ſcandalum ex malitia, at ob ſcandalum ex infirmitate aliquando ſunt differenda. ibid.
Peccatum veniale fieri poteſt mortale ratione ſcandali. ibid.

Scandalum.

Scandalum propriè dicitur lignum incuruum, quo tendicula, ſeu muſcipula ſuſtinetur, in quod impingens animal ipſam muſſipulam in ſe ſubita ruina euertit: In ſacris Scripturis nomine ſcandali ſignificatur, tum occaſio peccati tum ipſum peccatum, quod eſt ſpiritualis ruina. 659.1
Scandalum proximi ex triplici intentione contingere poteſt, 1. directè intendendo ipſam eius ruinam, 2. directè intendendo eum inducere ad actum malum, non tamen quia hoc ei malum eſt, ſed ob alium finem, 3. faciendo aliquod peccatum, aut ſpeciem peccati habens, quo credit alium inducendum ad peccatum, ſed illud non intendendo. ibid. 2
Qui alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum inducit, peccat, & tenetur hoc expreſsè, & diſtinctè confiteri. ibid.
An ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium ea ad vſuras abuſurum? Quidam negant, alij affirmant ſed dicendum eſt hoc pendere ex cauſa, qua ad deponendum hi deponentes ducuntur. ibid. 3
Quidam ſuſtinent deponentes pecuniam apud vſurarium, ſine cauſa peccare contra iuſtitiam; ſed verius eſt illud peccatum eſſe ſolùm contra charitatem, ac proinde deponentes non teneri ad reſtitutionem vſurarum, quas mutuans accepit. ibid. 4
Tabernarij, & caupones vendentes vinum bibere volenti, in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint, fore vt ij inebrientur, peccant mortaliter: licet hi poſſent aliquando excuſari. 660.5
Ad euitandum aliorum ſcandalum an ſit obligatio prætermittendi aliquod præceptum, multi negant: ſed alij affirmant: quod in præceptis poſitiuis facilitùs poteſt habere locum; ſed nunquam in negatiuis. ibid. 6
Quando ex omiſſione præcepti imminet aliud damnum graue proximo, non eſt prætereundum præceptum. ibid.

Schiſma.

Schiſma eſt voluntaria & pertinax, ſubtractio & ſeparatio ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ vel Summi Pontificis, qui Principem in Eccleſia locum tenet. ibid. 1
Schiſmatis modus eſt duplex. 1. cùm aliquis ſe ſeparat à Summo Pontifice debitam ei obedientiam denegando. 2. cùm quis ſe ſeparat à reliquis Eccleſiæ membris ſiue fidelibus in religionis cultu &c. 663.2
Schiſma diuiditur in purum & iunctum cum hæreſi. ibid. 3
Schiſma ex ſuo genere peccatum eſt mortale contra charitatem. ibid. 4
Multæ ſunt pœnæ contra ſchiſmaticos iure ſtatutæ. ibid. 5

Schiſma.

Schiſma vſurpatur dupliciter, 1. generaliter pro quauis ſciſſura, & ſeparatione, 2. ſtrictè pro diuiſione, qua quis ſe ab Eccleſia ſeiungit. ibid. 1
Hoc vitium directè aduerſatur vnitati Eccleſiæ, quæ eſt effectus charitatis. ibid.
Schiſmaticus propriè eſt, qui voluntariè ſe diuidit à capite, & corpore

Eccle-

Eccleſiæ, nolens ampliùs cum membris illius communicare in medijs ordinatis ad ſalutem. ibid.
Schiſmaticus eſt, qui ſeipſum à capite ſeparat, etiamſi non expreſsè à reliquis membris: Item qui cum rebellione, & pertinacia renuit obedire præceptis, vel Romanæ Eccleſiæ vel Romani Pontificis, nolens illam agnoſcere matrem vel iſtum Patrem, & Chriſti vicarium. 662.2
Schiſmaticus propriè non eſt, qui Romano Pontifici non obedit in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet, ſed inobedientis crimen contrahit: Item ſi quis non obtemperet, eo quod ſibi ſit eius perſona infenſa, odioſa, vel ſuſpecta. ibid.
Schiſma accidere poteſt, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſiæ: quod contingit, quando ita vult ſpirituales actiones exercere non vt pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed tanquam ſi ipſemet eſſet quoddam totum ſeorſum. ibid.3
Schiſma dupliciter poteſt aliquis facere, 1. directè intendendo diuiſionem Eccleſiæ, 2. ſolùm quaſi indirectè intendendo, v.g. dominatum, poteſtatem, & ſimilia. Si primo modo fiat, eſt peccatum ſpecialiter charitati contrarium. ibid.4
Ad ſchiſmatis malitiam contrahendam, non oportet directè intendere diuiſionem ab Eccleſia, ſed ſatis eſt velle id per quod ſeparetur quis ab Eccleſia, vel efficit diuiſionem in illa, ſiue ſit id directè præuidendo, ſiue culpabiliter ignorando. ibid.
Quando electi ſunt duo Pontifices, & vnus eſt certus Papa, de quo prudenter dubitari non poſſit, ei eſt adhærendum, & qui alteri fauent ſunt ſchiſmatici. ibid.5
Si Papa ſit dubius, itavt prudenter non poſſit cognoſci, nulli eſt adhærendum. Interea Chriſtiana plebs ſatisfaciet adhærendo ſuis Epiſcopis, Parochis, & Doctoribus Catholicis, ſemper parata adhærere illi, quem Eccleſia receperit. ibid.
Schiſmaticus non eſt irregularis, modo delictum non ſit notorium. 663.6
Qui non incurrant excommunicationem latam in Bulla cœnæ Domini contra Schiſmaticos. ibid.7

Secretum.

Secretvm accipitur pro re alicui clanculum manifeſtata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit. ibid.1
Secretum aliud eſt confeſſionis; aliud quod manifeſtatum noceret animæ, corpori, famæ, honori vel fortunis alterius; aliud quod promiſimus expreſsè vel tacitè celare. ibid.
Qui ſecretum expreſſa vel tacita conuentione reticendi ſibi commiſſum reuelat, cuius reuelatio redundat in alterius graue detrimentum, peccat mortaliter contra fidelitatem & iuſtitiam: niſi paruitas materiæ excuſet. ibid.2
Secretum detegere vni vel alteri, quos certò nouimus celaturos, non eſt peccatum mortale; niſi quod detegitur ſit aliquod peccatum graue vergens in infamiam. ibid.3
Iuſtæ ſunt aliquæ cauſæ ſecretum reuelandi. ibid.4
Secreta Reipublicæ vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet etiam ob quæuis tormenta, non licet reuelare. 654.5
Qui ſecretum reuelat abſque iuſta cauſa cum alterius detrimento, tenetur ad reſtitutionem. ibid.6
Ille cui concreditum eſt ſecretum, poteſt iudici interroganti reſpondere cum iuramento ſe nihil ſcire, addita reſtrictione, vt illi aperiat. ibid.
Aperiens & legens litteras ſigillo munitas, aut quæ ſeruabantur in ſecreto loco, mortaliter peccat, ſi hoc faciat præuidens inde notabile damnum oriturum. ibid.7
Qui legit litteras alterius ſine periculo grauis iniuriæ aut notabilis damni, ſed ob curioſitatem, mortaliter non peccat. ibid.

Sepultura.

Locvs ſepulturæ eccleſiaſticæ eſt Eccleſia & cœmeterium, quod dictum eſt, quaſi dormitorium, in quo fidelium corpora ſepeliuntur. ibid 1
Si quis fidelium corpora ſepelire negligat, cùm nullus alius adeſt, qui id officium præſtet, mortale peccatum eſt. ibid.
Iure communi ius ſepulturæ competit ſolùm Eccleſijs, quæ habent populum, ſiue Parochialibus: ex priuilegio autem hoc ius competit etiam religioſis. ibid.2
Clericis & religioſis ſeuerè prohibitum eſt in iure, ne quemquam ad vouendum aut iurandum inducant, vt potius in ipſorum Eccleſia ſepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutet. ibid.
Poſſunt, iuxta aliquos religioſi & Clerici inducere ad eligendum ſepulturam etiam obligatoria electione cum promiſſione aut iuramento in Eccleſia alterius: dummodo hoc non fiat ad alterius inſtantiam. ibid.
Qui conantur inducere ad eligendam ſepulturam cum voto, iuramento, aut promiſſione, peccant mortaliter: tamen ſi effectus electionis non ſequatur, excommunicationem *Clementinæ* non incurrunt. 66[?].ibid.
Peccat qui inducit ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud Eccleſiam, in qua de iure debet ſepeliri defunctus. ibid.
Ab hac excommunicatione incurrenda excuſat ignorantia probabilis. ibid.
Omnes puberes tam maſculi, quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam ſuam ſepulturam eligere poſſunt exceptis religioſis. ibid.3
Nouitij & Prælati ordinum, qui ſuperiorem in ordine non habent, ſepulturam extra monaſterium eligere poſſunt. ibid.
Famuli religioſorum intra monaſterium vel collegium morientes, in illorum Eccleſijs ſepeliri poſſunt ibid.
Omnes fideles ſeu baptizati in loco ſacro ſepeliendi ſunt, niſi conſtet eos in excommunicatione, aut interdicto, vel in ſtatu peccati mortalis ſeu impœnitens deceſſiſſe, vel ob crimen ſepultura ſpolientur. ibid 4
Sepultura eccleſiaſtica iure priuati ſunt, hæretici, Apoſtatæ, excommunicati, interdicti, vſurarij manifeſti, aut mortui in duello, occidentes ſcienter ſeipſos, meretrices publicæ, & omnis peccator publicus niſi pœniteant. ibid.5
In dubio an is qui ſeipſum occidit, ſcienter ſeipſum occiderit præſumitur ſcienter occidiſſe, niſi conſtet ipſum antea fuiſſe amentem aut furore tactum. ibid.
Si quis in ipſo facinore, quod nullo modo excuſari poteſt, occiſus deprehendatur, non præſumitur contritus diſceſſiſſe. ibid.
Puella ſeipſam occidens in defenſionem pudicitiæ, non eſt priuanda ſepultura Eccleſiaſtica, maximè ſi hoc fecerit ex ignorantia inuincibili. ibid.
Non poteſt concedi ſepultura Eccleſiaſtica adulto illi, qui ante mortem baptiſmum petijt etiamſi plures teſtes affirment ſe audiuiſſe petitum eſſe baptiſmum: condecens tamen erit, vt fideles non vt canem abijciant in campum adultum illum. ibid.
Morientes vno vel altero die poſt duellum, ſi ſigna contritionis oſtenderint ante mortem poſſunt ſepeliri in loco ſacro. ibid.
Sepelientes aliquem, quem Eccleſia priuat Eccleſiaſtica ſepultura, mortaliter peccat; & ſi ſepultus ſit excommunicatus vel interdictus vitandus, vel notorius, ligantur ſepelientes maiori excommunicatione. 666.6

Sepultura.

Sepvltvra materialiter ſumpta eſt locus, in quo cadauera mortuorum reconduntur. Formaliter autem ſumpta, eſt actio ſeu officium ſepeliendi pertinens ad charitatem, ſeu miſericordiam erga defunctos. ibid.1
Qui non ſepelit mortuos fideles, dum ſine ſuo graui damno, ſeu incommodo ſepelire poteſt, nec adeſt alius, qui id officium præſtet, mortaliter peccat modo ſepultura Eccleſiaſtica non ſint priuati. ibid.
Sepultura, ſeu ſepulchrum dicitur, à ſepeliendo, vel etiam à ſepiendo, eo quòd cadauera humo veluti ſepe circumdentur, & circumſepeliantur. ibid.
Omnes Catholici ſepeliendi ſunt in loco ſacro, niſi iuſta de cauſa prohibeantur: non Pagani, Iudæi, & alij infideles. ibid.
An autem Catechumeni debeant ſepeliri in loco ſacro; Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Epiſcopus habet ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam: & tribus modis poteſt dari locus ſepulturæ. ibid.3
Locus qui inſeruire debet ſepulturis fidelium, debet eſſe ſacer ſeu benedictus ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id poteſtatem habente, aliàs ſepultura Eccleſiaſtica dici non poteſt iuxta Canones. 667.4
Quamuis olim cadauera fidelium intra Eccleſiam non ſepelirentur, hodie tamen omnes fideles intra Eccleſias ſepelire licet. ibi.5
Religioſi Ordinis Minorum & Prædicatorum & alij communicantes eorum priuilegijs, habent ius ſepeliendi ſuorum laicorum & ſecularium cadauera, qui in ipſorum cœmeterijs, ſeu Eccleſijs ſepulturam elegerint. ibid.6
An autem religioſi prædicti poſſint proceſſionaliter intrare Parochiam aliam, & per ſe accipere funus, & alia conſueta facere etiam contradicente Epiſcopo & Parocho? Quidam affirmant, alij negant: ſed ſtandum eſt conſuetudini locorum. ibid.
Sepulturam eligere non poteſt pater filio impuberi de iure & ratione patriæ poteſtatis, ſed tantùm ratione conſuetudinis. ibid.7
Quando pater filio impuberi eligit ſepulturam, hæc electio non ſe extendit ad tempus, quando filius pubes moritur. ibid.
Mater etiam poteſt filio impuberi eligere ſepulturam ratione conſuetudinis, ſicut & Pater: licet aliqui contradicant. 668.8
Probabile eſt affines & conſanguineos, imò tutores qui ſuccedunt patri in cura impuberum, poſſe eligere ſepulturam affinibus & conſanguineis impuberibus, vel pupillis, non autem alios: licet multi contrarium ſentiant. ibid.9
Qui moritur abſque electione ſepulturæ, debet ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, ſi adſit, & in defectu ipſius, apud Eccleſiam Parochialem.

lem. ibid. 10
Sepulchrum maiorum illud eſt, ſecundùm quoſdam, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt. Alij tenent illud eſſe in quo ſepultus eſt pater, quod ipſe elegit ſibi & ſuis deſcendentibus, & hæc ſententia in praxi ſeruatur. ibid.
Si pater ex accidenti & non intentione ſtabiliendi ſepulchrum familiæ ſepeliatur in aliquo loco, tunc filius debet ſepeliri in ſepulchro anteceſſorum. ibid.
Electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, aut per teſtes duos conteſtes, vel etiam ſingulares: imò per codicillum, inualidum, aut ſcripturam manu propria ſubſcriptam: denique in multis locis per dictam confeſſarij. ibid. 12
Peregrinus moriens extra propriam Parochiam transferendus eſt ad propriam, ſeu ad ſepulchrum maiorum ſuorum, ſi habeat & commodè poſſit, alioquin ſepeliri poteſt in Eccleſia Parochiali in qua decedit, ſi in ea Sacramenta ſuſcepit: limita, niſi alibi elegerit ſepulturam ante mortem. 669.12
Religioſi ſepeliendi ſunt in proprijs Monaſterijs, etiamſi extra clauſtra decedant, niſi ſint ita remoti à proprijs Monaſterijs, vt commodè portari nequeant, & tunc poſſunt eligere ſepulturam: quod ſi non elegerint, ſepeliendi ſunt in Parochiali, in qua deceſſerunt. ibid.
Si in illo loco ſit aliud Monaſterium ſui Ordinis, & religioſus ſtat ſub obedientia Prælati illius Monaſterij, non poteſt hic eligere ſepulturam: at ſi non ſit ſubditus Prælato illi, poteſt: niſi Conſtitutiones religionis, aut conſuetudo aliter ſtatuerent. ibid.
Probabilius eſt Prælatum localem religionis habere facultatem eligendi ſibi ſepulturam: ſi tamen talis Prælatus eligeret ſepulturam, & poſtea decederet finita prælatura, non eſſet ſepeliendus in loco electo, ſed in Monaſterio. ibid. 13
Regularis; qui præeſt Prioratui non ſubiecto immediatè Generali, non poteſt ſibi eligere ſepulturam. ibid.
Vxor, de iure communi, poteſt ſibi eligere ſepulturam: ſi non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri: ſi plures viros habuerit, ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri. ibid. 14
Hæretici ipſo iure ſunt priuati Eccleſiaſtica ſepultura; modo manifeſtè conſtet de eorum hæreſi, etiamſi non ſint nominatim denunciati; alias priuari non debent ſepultura. Quod ſi quis non obſtante hac notorietate ſepelire illos præſumpſerit, excommunicationem incurrit. Quidam tamen volunt vt ſint denunciati. ibid. 15
In locis, in quibus hæreſes impunè graſſantur, non peccant Catholici, qui hæreticorum funus comitantur, eoſque ad ſepulturam deducunt, quando ſepeliuntur more hæreticorum: ſecùs quando ſepultura fit in loco ſacro. ibid.
Occidentes ſeipſos ſcienter & ea induſtria licet priuandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura; non tamen hæc pœna plectendus eſt ſtatim ille, qui ſe præcipitem dedit, vel qui mortuus inueniretur laqueo ſuſpenſus, &c. vnde in dubio, an ſeipſum occiderit ſcienter, ſepeliendus eſſet in loco ſacro. 670.16
Religioſus inuentus cum burſa denariorum mortuos, non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſtica ſepultura; maximè ſi factum eſt occultum: quod habet etiam locum in Fratre Minore, ſi indicia adſint ad credendum pecuniam eſſe alienam, vel creditam. ibid. 17
Meretrix, quæ inuenta eſt mortua & vulneribus plena in domo ſui amici eodem die ſtatim poſt factam ſacramentalem confeſſionem & ſacræ communionis refectionem in Paſchate, non debet priuari ſepultura Eccleſiaſtica, licet de eius contritione non conſtet. ibid. 18
Contra exenterantes vel in fruſta concidentes corpora mortuorum, aut in aquis coquentes, vt carnem ab oſſibus euellant, vt alibi tumulanda ferant, ex excommunicatio io iure lata Papæ reſeruata Hæc tamen cenſura in certis caſibus non habet locum. ibid. 19
Corpora defunctorum perpetuæ ſepulturæ tradita non poſſunt exhumari & transferri de loco ad locum, ſine Epiſcopi licentia; ſecùs eſt quando ſunt depoſita in vna Eccleſia, vt poſtea transferantur ad aliam. 671.20
Iudex laicus qui abſque licentia Epiſcopi exhumat corpus defuncti occiſi, vt ſibi conſtet de corpore delicti, frangit immunitatem Eccleſiaſticam, & ideò poteſt excommunicari. ibid.

Seruitus.

Servitvs eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur. ibid. 1
Seruitus triplex conſtituitur, vna merè perſonalis, quæ à perſona perſonæ debetur: & hæc nullo tempore vſucapi poteſt. ibid.
Altera ſeruitus eſt mixta, quæ à re perſonæ debetur; & hæc eſt triplex, nimirum vſusfructus, vſus & habitatio. ibid. 2
Seruitus mixta præſcriptione comparatur cum bona fide & titulo 10. annis inter præſentes 20. inter abſentes: & ſi deſit titulus 30. annorum ſpatio. ibid.
Tertia ſeruitus eſt merè realis, quæ rei à re debetur, & eſt duplex; Vrbana & ruſtica, quæ ſubdiuiduntur in affirmatiuas & negatiuas. ibid. 3
Vrbanæ ſeruitutes dicuntur, quæ vrbanis prædijs, id eſt, ædificijs habitandi gratia conſtructis & annexis hortis, areis &c. inhærent. ibid.
Seruitutes ruſticæ dicuntur, quæ ruſticis prædijs inhærent. 828.4
Vtraque ſeruitus, tam vrbana, quàm ruſtica diuidi ſolet in continuam ac diſcontinuam. ibid.
Seruitus reales quanto tempore præſcribatur. ibid. 5
Quid requiratur ad vſucapionem ſeruitutis negatiuæ. ibid. 6
Quomodo vſusfructus & omnes ſeruitutes reales amittantur. ibid. 7

Seruitus, Seruus.

Servitvtvm realium duo ſunt genera: nam vel ſunt ſeruitutes, quæ conſiſtunt in ſolo, & dicuntur Ruſticæ: vel conſiſtunt in ſuperficie & vocantur Vrbanæ. 672.1
Seruitutes Vrbanæ ſunt ſequentes. Seruitus oneris ferendi; tigni immittendi, ſtillicidium, vel flumen auertendi, vel non auertendi, ius altiùs tollendi vel non tollendi ædificium; ius officiendi luminibus, vel aſpectui alicuius; ſeruitus projiciendi, vel eijciendi aquam in aream, vel hortum vicini. De quibus agitur ſigillatim. ibid. 2
Seruitutes ruſticæ, vel ſunt nominatæ, vel innominatæ. Nominatæ dicuntur, quæ à iure ſpeciale nomen habent, & ſunt quatuor. Innominatæ dicuntur, quæ nomen habent ab ipſo actu, & ſunt quinque. ibid. 3
Ius ſeruitutis acquiritur quando ea contractu debetur duobus modis. Primò per traditionem. Secundò, quando is, cui debetur ſeruitus, vtitur ſeruitute, ſciente & patiente domino prædij, quod ſeruitutem debet. ibid. 4
Seruitus merè perſonalis naturæ contraria, iure gentium inducta eſt, iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcuntur. ibid. 5
Iure gentium & ciuili ſeruitus hominis quatuor modis acquiritur: & primò, iure belli, id eſt in bello iuſto captus fit ſeruus capientis, ſed hoc ius non habet locum inter Chriſtianos qui ſeruituti non ſubijciuntur, propter fidem Baptiſmi, ſed tantùm retineri poſſunt iuſtè, donec redimantur, amiſſis equis & armis. ibid 6
Apoſtatæ à fide, ſeu deſertores totius Chriſtianæ religionis, hoc beneficio non gaudent, tales enim fiunt ſerui capientium; quamuis infidelibus vendi non poſſint. ibid.
Probabilius eſt, Chriſtianos, qui in bello iuſto ea parte infidelium contra Chriſtianos capiuntur, non manere illorum ſeruos. ibid.
Seruitus ſecundò acquiritur attiotare, id eſt, qui ex ancilla natus eſt, ſiue pater ſit liber, ſiue non, ſiue ſit ex matrimonio legitimo, vel ex fornicatione, efficitur ſeruus. 674.7
Quando mater vel concepit vel tempore partus vel intermedio tempore fuit libera etſi ad momentum, proles iure Cæſareo ſeruitutem non contrahit. ibid.
Tertiò, quis fit ſeruus per iuſtam condemnationem: caſus autem pro quibus hæc pœna infligitur, ſunt quatuor. ibid. 8
Quartò, ſeruitus contrahitur per emptionem & venditionem, quando quis prima vice fit ſeruus ex libero: vt tamen venditio libertatis validè fiat, plures conditiones iure Cæſareo requiruntur. ibid. 9
Iure naturæ fas eſt parentibus vendere proles ſuas, & ex illa venditione emolumenta percipere poteſt. Ius tamen Cæſareum requirit certas conditiones. Cæterùm licet ſit permiſſa talis venditio, apud Chriſtianos tamen non videtur vſo recepta. ibi. 10
Serui bello ita iuſto capti, vt de iuſtitia capientium, & iniuſtitia aduerſariorum conſtet, poſſunt licitè fugere ad ſuos, non tamen vi reſiſtere dominis perſequentibus. Imò licitum eſt cooperari huiuſmodi ſeruis ad fugam, modo ſcandalum abſit. ibid. 11
Serui, qui à ſe vel à parentibus ſunt venditi; vel qui in pœnam iuſtè condemnati ſunt, licitè fugere non poſſunt niſi ſeruitus valdè ſit calamitoſa. 675.12
Quando ſeruus fugere non poteſt, non licet ei conſilium vel auxilium ad fugam præbere ſine peccato mortali & obligatione reſtituendi damna vero domino ſecuto ea tali fuga. ibid.
Serui fugere poſſunt, ſi non ſint iuſtè in ſeruitutem redacti, & vi repellere impedientes, & ſurripere à ſuis dominis quantum poſſunt, ſi adhuc duret bellum iniuſtum ea parte capientium. ibid. 13
Seruis iure belli captis licitum eſt fugere, ſi à dominis inducantur ad aliquod peccatum mortale, At ſi dominus ſit Iudæus, aut Paganus iuriſdictioni Principis Chriſtiani ſubiectus, vel ſi ſit hæreticus, ſeruus eo ipſo ſit liber. ibid.
Ex contractibus ſeruorum, ſiue cum dominis, ſiue cum alijs, non oritur ciuilis obligatio; vnde neque illis, neque aduerſus illos datur actio in foro ſæculari: tamen oritur obligatio naturalis, & in conſcientiæ foro tenentur ſtare contractui. ibid. 14
Serui non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſſunt abſque conſenſu domini matrimonio copulari: & grauiter peccat dominus ſi matrimonium ſerui impediat, vel puniat, quòd matrimonium eo inuito contraxerit. ibid. 15
Quando ſeruus matrimonium iniuit ex domini conſenſu, non licet domino illum in partes longinquas vendendum mittere. Si autem eo

Digitized by Google

inſcio vel repugnante, quidam ſentiunt in domino licere abſque lethali peccato: ſed alij negant citra magnam neceſſitatem. 676.16
Seruus ingreſſus religionem ſi intra triennium non repetatur à Domino, libertatem præſcribit in conſcientia. Triennium autem numerandum eſt à tempore, quo dominus conſcius fuit admiſſionis ſerui in religionem. ibid.7
Quando ſeruus intra triennium illud in quo dominus poteſt illum reuocare profitetur, an profeſſio ſit valida? Quidam negant, alij affirmant probabiliter: tamen poterit dominus ſeruum repetere poſt profeſſionem cogere ſibi & non religioni ſeruire. ibid 18

Simonia. Quid & quotuplex.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, pro temporali, vel pretio temporali. 677.1
Simonia alia eſt iure diuino prohibita, alia iure tantum Eccleſiaſt. ibid. 2
Simonia ex ſuo genere eſt contra religionem & peccatum graue mortale: & probabile eſt, non dari peccatum veniale in ſimonia ex leuitate materiæ. ibid. 3
Malitia iniuſtitiæ non ſemper cum ſimonia coniuncta eſt, at ſemper adeſt malitia contra religionem. ibid.4
Quæ ſit ſimonia iure tantùm humano prohibita? ibid.5
Deformitas ſimoniæ commiſſæ contra ius humanum in eo conſiſtit, quod dum Eccl. in reuerentiam ſacræ ſupellectilis bonorum Eccleſiaſticorum, prohibuit res aliquas pretio vendi, eaſque fecit inuendibiles propria auctoritate: vnde ſi quis eas venderet propria auctoritate, cenſeretur reb. ſacris, ad quas res ex ordinem habent facere iniuriam. ibid.
Non poteſt Papa incurrere pœnas ſimoniæ iure Eccleſiaſtico ſtatutas. ibid.
Papa poteſt contrahere culpam ſimoniæ iuris diuini. 678.6
Simonia diuiditur in mentalem, conuentionalem & realem. ibid.7
Simonia confidentiæ continetur ſub ſimonia conuentionali. ibid.
Verius eſt, ſimoniam mentalem non committi, niſi intendatur temporale tanquam pretium rei ſpiritualis, vel ſpirituale tanquam pretium rei temporalis. ibid.8

Simonia. Quoad diuiſionem pretij ſimoniaci.

Pretium, cuius traditione committitur ſimonia, aliud eſt *à manu*, aliud *à lingua*, aliud *ab obſequio*. ibid.1
In multis caſibus ſimonia committitur per munus *à manu*. 679.2
Varij caſus in quibus committitur ſimonia per munus à lingua. ibid.3
Quomodo committatur ſimonia per munus ab obſequio. ibid.4

Simonia. Quoad illius materiam.

Ad ſimoniacam pactionem duo concurrere debent; quorum vnum eſt veluti pretium: alterum eſt veluti merx. 680.1
Simoniæ propria materia eſt res aliqua ſacra ſpiritualis & ſupernaturalis. ibid.
Committitur ſimonia vendendo gratiam ſanctificantem, vendendo Chriſtum, vel Euchariſtiam: ſecùs ſi vendantur miſericordiæ opera externa. ibid.
Pro iure ſepulturæ aliquid tanquam pretium exigere, ſimoniacum eſt: ſi ſponte offeratur, accipi poteſt pro ſepultura: & maximè ſi certum locum Eccleſiæ vel cœmeterij ſibi & familiæ vendicare velit. ibid.2
Pro materia remota ſacramenti, vt eſt panis, aqua, oleum &c. poteſt exigi pretium abſque ſimonia: pro materia verò proxima ſacramenti, minimè. ibid.3
Probabilius eſt in graui vel extrema neceſſitate pecuniam tradi poſſe, non pro ipſis ſacramentis, vel eorum adminiſtratione, ſed ad redimendam iniuſtam vexationem. ibid.
Licet etiam redimere ignominiam & vexationem inferendam ſacris reliquijs Sanctorum ab hæreticis, etiamſi ipſi hæretici eas impiè vendendo peccent, dummodo hæretici in contemptum ſacrarum reliquiarum non compellant fideles directè ad illas emendas. ibid.
Quando reliquiæ exponuntur in publico ob quæſtum, ſimonia eſt, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis. Secùs ſi principale intentum ſit cultus Sanctorum in Gloriam Dei, & lucrum temporale ſit minus intentum. ibid.
Sacramentalia ſiue tranſeuntia, ſiue permanentia, ſunt propriè materia ſimoniæ. 681.4
Simoniacum non eſt vendere ipſam materiam rerum ſacrarum, ſecundùm ſe pretio æſtimabilem. ibi.
Vendens agnos Dei benedictos hodie reus eſt ſimoniæ labis iure humano vetitæ: licet ratione materiæ: ſi ſint albi, multis in locis extra vrbem licitè vendantur. ibid.
Suſcipiens ordines vel illos conferens præuia pecunia, ſimoniacus eſt: quamuis ſponte offeratur; excipiuntur candelæ & faculæ. ibid.5
Diuina officia & quæuis orationes ſunt propriè materia ſimoniæ. ibid 6
Non eſt ſimonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinſecùs adiunctis actioni ſacræ; vel pro ſuſtentatione Miniſtri, ſeu obligatione rei ſpiritualis. ibid.
Non eſt ſimonia aliquid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis, ſeu metaphyſica; ſed pro ſimplici catechiſmo ſeu doctrina & veritate fidei tradenda, aliquid accipere tanquam pretium, ſimonia eſt. ibid.7
Vendere licentiam ad docendum Theologiam vel magiſterium, ex natura rei non eſt ſimonia. ibid.8
Pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo accipere aliquid tanquam pretium, ſecundùm ſi ſimoniacum eſt. 682.9
Aliquid exigere vel accipere pro ſuſtentatione perſonæ, non eſt illicitum, ſi monaſterium inops ſit & regula ordinis permittat. ibid.
Probabilius eſt, eſſe ſimoniam iuris humani, in monaſterijs diuitibus aliquid exigere pro alimentis, ſeu onere ſuſtentationis. ibid.
Martinus V. & Clemens VII. declararunt nolle ſe vt moniales cenſuram aliquam incurrant, eo quod in ingreſſu aut profeſſione ſuarum aliquid exigant. ibi.10
Pro omiſſione actus ſpiritualis aliquid exigere, non eſt propriè ſimonia; niſi cum omiſſione coniunctus ſit actus iuriſdictionis, qui cum ipſa omiſſione pretio vendatur. ibid.11
Simoniacus non eſt, qui pretium accipit pro non audiendo ſacro, pro non recitando officium diuinum, vel non concionando, &c. licet aliundè ſit illicitum & peccatum. ibid.
Confeſſarius, qui pro pretio non abſoluit hominem ritè confeſſum & Iudex qui non abſoluit excommunicatum pro eodem pretio, quando debet eum abſoluere, committunt ſimoniam. ibid.
Si pœnitens malè diſpoſitus paciſcatur cum confeſſore, vt palam ſibi abſolutionem impertiat fictam ſine intentione abſoluendi, ne circumſtantes dubitent de eius abſolutione, non datur ibi ſimonia, quamuis ſit turpe lucrum & fugiendum. ibid.
Omnis actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ eſt materia ſimoniæ. 683.12
Si confeſſor cogat pœnitentem pœnitentiam acceptare, in qua imponit illi vt dici faciat tres miſſas pro ſuis peccatis, ſibique det eleemoſynam illarum ad illas dicendas, ſimonia eſt. ibid.
Si pœnitens minorem emat pœnitentiam a confeſſario, pro pretio & confeſſarius illud accipiat, ſimonia eſt: idem dicendum ſi illud accipiat ab aliquo tertio pro imponenda huic pœnitentia, grauiori. ibid.
Si parochus pretium accipiat pro danda licentia aſſiſtendi matrimonio, quaſi illam vendendo ſimoniacus eſt: quamuis licitè poſſit parochus petere à ſacerdote, qui licentiam petit vel totam oblationem, vel partem illius. ibid.

Simonia. Quoad materiam rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexa.

Res ſacræ per connexionem illæ dicuntur, quæ ex ſe materiales vel naturales ſunt, per coniunctionem tamen cum re ſacra cenſentur ſacræ ſeu ſpirituales. ibi.1
Aliquid poteſt dici connexum alteri vel antecedenter, vel comitanter, vel conſequenter. ibid.
Annexum ſpirituali ratione connexionis, quàm habet ad illud, eſt materia ſimoniæ generatim loquendo. ibid. 2
Beneficium quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum. ibid.3
Simonia contra ius diuinum non committitur tradendo, ſeu commutando ſpirituale pro ſpirituali præcisè; modò rei ſpirituali annexa non ſit res temporalis. 684.4.
Vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi, vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, probabilius eſt eſſe ſimoniam contra ius diuinum. ibid.5.
Summus Pontifex, facta ſeparatione præbendæ ab officio ſpirituali, poteſt beneficium dare exhibenti pecuniam, ſine ſimonia: Epiſcopus verò non poteſt. ibi.6.
Penſiones merè temporales, quæ laicis deſignantur ex Eccleſiaſticis prouentibus, ſine vitio ſimoniæ venduntur, ac redimuntur. ibid.7.
Penſiones propriè ſpirituales, quæ ad ſpirituale miniſterium deſignantur, emi ac vendi non poſſunt ſine ſimonia penſiones verò mixtæ, licet vendi, ac emi non poſſint, redimi tamen poſſunt. ibi.
Permutatio beneficiorum ſine auctoritate Epiſcopi facta, irrita eſt vt ſimoniaca ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici; licet tamen prius tractare de negotio permutationis, & etiam concludere præſtando mutuum conſenſum, in ordine ad conſenſum Prælati, vel Epiſcopi. ibid.8.
Probabilius eſt beneficia quamuis inæqualia in temporalibus permutari non poſſe cum penſione aut alia re pretio æſtimabili coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papa. ibid.9.
Beneficium reſignare in fauorem tertij, cum clauſula, *Non aliter, nec alias* in manus Ordinarij probabilius eſt nullam eſſe ſimoniam iuris diuini nec humani, quamuis ob imaginem ſimoniæ, iuxta ſtylum curiæ fieri
non

Digitized by Google

non poſſunt tales reſignationes, niſi in manibus Summ. Pontificis, ibid. 10
Qui beneficium litigioſum cum multis expenſis aſſecutus fuit & poſtea dum in pacifica poſſeſſione exiſtit, reſignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto vt alter ſoluat expenſas, ſimoniam committit, 685.11
Simonia eſt, facere coram Epiſcopo reſignationes reciprocas vel triangulares. ibid.
Orta lite de Eccleſiaſtico beneficio vel alia re ſpirituali, non prohibentur partes gratis & amicabiliter inter ſe componere. ibid. 12

Simonia. Quoad cauſas excuſantes à labe ſimoniæ.

Primvs titulus, propter quem excuſari poteſt tradens vel accipiens temporale occaſione ſpiritualis, eſt titulus liberalitatis vel gratitudinis, ibid. 1
Secundus titulus ſeu cauſa excuſans à ſimonia, eſt titulus ſuſtentationis; cauere tamen debet ſacerdos, ne plus exigat pro ſuſtentatione, quàm ferat ratio laboris & operis. ibid. 2
Tertius titulus ob quem aliquid tradi vel accipi poteſt abſque labe ſimoniæ, eſt labor extrinſecus, ſeu per accidens adiunctus operis ſacro vel ſpirituali. ibid. 3
Sacerdos poteſt exigere mercedem pro obligatione dicendi ſacri pro tali loco, & tempore & pro labore eundi ad talem locum ſatis diſſitum, ibid.
Qui procurat alteri beneficium, pro labore aliquid accipere poteſt, non tamen quatenus ille labor ordinem habet ad beneficium maioris vel minoris valoris. ibid.
Quartus titulus eſt, priuatio libertatis vel alterius commodi temporalis, quo quis ſe priuat faciendo ſpirituale opus. 686.4
Quintus titulus excuſans tradentem aliquid temporale à crimine ſimoniæ, eſt iniuſta vexatio; iuſta autem vexatio non excuſaret. ibid. 5
Non committitur ſimonia tradendo pecuniam ſubornanti, qui pecunia vel importunis precibus corrumpit electores, ne meipſum eligant, ibid. 6
Conſuetudo excuſat à labe ſimoniæ iuris humani traditionem vel acceptionem rei temporalis pro ſpirituali. ibid. 7
An electores committant ſimoniam paciſcendo, *Elige tu illum, & ego eligam iſtum.* Vide v. *Electio.* n. 14

Simonia. Quoad illius pœnas.

Nvlla ſimonia inducit pœnas iuris ipſo facto, niſi in ordine, beneficijs & religionis ingreſſu. ibid. 1
Simonia realis in ordinibus multas pœnas inducit. ibid.
Qui beneficium confert vel procurat alteri per ſimoniam realem, eligendo præſentando, poſtulando, inſtituendo, &c. eſt ipſo facto excommunicatus, 687.2
Qui beneficium per ſimoniam acquirit, eſt ipſo facto excommunicatus & omnis prouiſio & collatio huiuſmodi eſt nulla; fitque inhabilis ad idem beneficium obtinendum. ibid.
Hæc inhabilitas per ſolum Papam tollitur quando ſimonia eſt publica & deducta ad forum contentioſum ſi verò eſt occulta, per Epiſcopum poteſt tolli; imò & à confeſſarijs ordinum mendicantium. ibid.
Simonia realis circa religionis ingreſſum inducit tam dantibus quàm accipientibus excommunicationem; conuentu ſeu Capitulo ſuſpenſionem: & ſimoniacè admiſſi ad religionem, videntur iure inhabiles ad manendum in illo monaſterio. ibid. 3
Licet ſimonia committatur dando aliquid pro ingreſſu ſeu receptione ad habitum, pœnæ tamen iuris non incurruntur, niſi profeſſio ſubſequatur. ibid.
Simonia confidentiæ externa erit & pœnas iuris inferet, ſi alicui beneficium procures cum pacto, vt idem illud tibi vel alteri aliquando reſignet. ibid. 4
Simonia confidentiæ eſt, admittere in beneficiorum reſignatione, præſentatione & collatione, acceſſus, regreſſus & ingreſſus. ibid.
Quas pœnas inferat ſimonia confidentiæ. ibid.
Nulla ſimonia conuentionalis excepta ea quæ confidentiæ dicitur, inducit ipſo facto vllas pœnas iuris poſitiui. 688.
Bullæ Pij IV. *Romanum Pontificem*: & Pij V. *Intolerabilis*, non ſunt in Germania receptæ. ibid.
Probabile eſt, pœnas ſimoniæ non incurri in caſu quo adeſt tantùm ſimonia iuris poſitiui & humani; licet contraria ſententia ſit communis. ibid. 5
Confeſſarij ordinum mendicantium poſſunt abſoluere à quacunque ſimonia, eique annexa excommunicatione & ſuſpenſione: etiamſi illa commiſſa eſſet in ordine conferendo aut ſuſcipiendo. ibid.

Simonia. Quoad obligationem reſtituendi ſimoniacè accepta.

Pretivm acceptum pro re ſpirituali reſtituendum eſt iure diuino, etiamſi res ſpiritualis nondum tradita ſit; & hæc reſtitutio debet fieri illi, qui tradidit. ibid. 1
Probabilius eſt, quando beneficium eſt traditum, & ſimonia completa, pretium eſſe reſtituendum Eccleſiæ, etiam ante Iudicis ſententiam. ibid.
Pretium ſimoniacè, ſed non iniuſtè acceptum, non eſt obnoxium reſtitutioni iure naturali diuino: Pretium verò ſimoniacè ſimul & iniuſtè acceptum eſt reſtituendum. ibid. 2
Verius eſt rem ſpiritualem per ſimoniam acquiſitam, non eſſe iure diuino dimittendam. 689.3
Res ſpiritualis ſimoniacè accepta, iure Eccleſiaſtico non eſt reſtituenda, niſi ſit beneficium aut penſio ſpiritualis. ibid. 4

Simonia.

Qvi promittit pecuniam pro beneficio animo non verè emendi vel ſoluendi, ſed ſolùm intentione decipiendi & recipiendi beneficium, iuxta quorumdam ſententiam, non committit verè ſimoniam, etiamſi promiſſionem firmet inſtrumento vel iuramento ficto & ſimulato. Nihilominus talis in foro externo præſumetur ſimoniacus, & in foro conſcientiæ reus erit ſimoniæ, non tamen conuentionalis. ibid. 1
Materia ſimoniæ confidentialis ſunt tantum beneficia Eccleſiaſtica, non autem penſiones. 690.2
Pretium quod in hac ſimonia interuenire poteſt & debet, duplex tantùm eſſe poteſt: vnum eſt idem beneficium, quod renunciatur, vel confertur, vt eidem renuncianti, vel conferenti vel alteri reddendum. Aliud eſt fructus eiuſdem beneficij, ſeu pars eorum eiſdem conferenda. ibid.
Calix, vel aliæ res ſacræ poſſunt locari pro pretio, habita ratione materiæ, ſine ſimonia, ſicut & poſſunt vendi: licet quidam probabiliter contrarium ſuſtineant. ibid. 3
Commendæ ſpirituales, ſeu Clericales, ſiue temporales ſint, ſiue perpetuæ, ſunt materia ſimoniæ contra ius diuinum. ibid. 4
Commendæ militares per ſe ſpectatæ non ſunt materia ſimoniæ; non eſt tamen licitum eas vendere directè & formaliter. ibi. 5
Hoſpitalia Eccleſiaſtica, id eſt, Rectoriæ, ſeu officia regendi, quæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica & loca religioſa auctoritate Epiſcopi fundata, & dantur in titulum, materia ſunt ſimoniæ contra ius diuinum. ibid. 6
Quando officium gubernandi hoſpitale non habet functionem vllam ſpiritualem, ſed tantùm temporale regimen, non eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum, ſed iure humano interdictæ, ſi hoſpitale fuerit auctoritate Epiſcopi fundatum. ibid.
Præſtimonia ſunt materia ſimoniæ, & vendi non poſſunt, eodem modo, quo cætera beneficia. 691.7
Sacramenta vt ſunt res ſacræ, ſunt propriiſſima materia ſimoniæ iuri naturali contrariæ: tamen ſi pecunia tradatur pro matrimonio, vt eſt contractus, non committitur peccatum ſimoniæ. ibid. 8
Dare vel promittere aliquid temporale ſub pacto vt alter maneat obligatus ad opus ſpirituale, ſimonia eſt. Secus ſi detur aliquid de præſenti alicui, vt faciat opus ſpirituale vel de præcepto vel de conſilio in ſolius operantis vtilitatem, relicta ei libertate faciendi tale opus. ibid. 9
Actus concionandi eſt materia ſimoniæ & ſine illius labe vendi non poteſt; tamen prædicantibus temporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium: non autem ad emendum prædicationis verbum, 692.10
Stipendium ſuſtentationis ſub pacto ponere licet prædicatoribus vt habet conſuetudo ab Eccleſia approbata. ibid.
Tranſactio, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur vel retinetur, eſt mala & ſimoniaca. ibid. 11
Tranſactio in materia ſpirituali non beneficiali cum aliqua compenſatione per largitionem vel ceſſionem alterius rei vel iuris ſpiritualis proportionati non eſt ſimoniaca, etiamſi tranſactio fiat propria auctoritate ex conſenſu partium. ibid. 12
Tranſactio non eſt licita in materia beneficiali priuata auctoritate abſque labe ſimoniæ: poteſt tamen honeſtari auctoritate Epiſcopi vel Prælati. ibid. 13
In caſu tranſactionis ad dirimendam litem poſt Epiſcopus abſque ſimonia vni applicare beneficium litigioſum, cum onere vt alteri parti colliganti beneficiarius quamdiu viuet ſoluat penſionem. 693.14
An autem penſio impoſita poſſit ſemper beneficio, itavt tranſeat ad ſucceſſorem in beneficio, quamdiu penſionarius viuit: Alij negant, alij affirmant. ibid.
Rationes aſſignantur cur Prælatus applicat in hoc caſu tranſactionis aliquid temporale parti cedenti iuri ſuo. ibid. 15

Actus

Actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ etiam contentioſæ, ſunt materia ſimoniæ, ad quam vitandam gratis exerceri debent. ibi. 16
Quando per ſpiritualem poteſtatem exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & proximè verſantur in materia temporali, vt cauſæ merè ciuiles inter Clericos, vel ſi vendatur à Prælato licentia docendi, &c. An ſi materia ſimoniæ? Alij negant, alij affirmant probabiliter. ibid. 17
Exigere pretium pro diſpenſationibus eſt ſimonia contra ius diuinum, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare: tamen iuſtis de cauſis alijs illa traditio & exactio pecuniæ poteſt eſſe licita, & ſtylus Romanæ Curiæ approbat. ibid. 18
Omnes homines cuiuſcumque conditionis ſint, ſimoniæ iure naturali & diuino vetitæ labem contrahere poſſunt, etiamſi ſint infideles: pœnis tamen ſtatutis contra ſimoniacos hi non afficiuntur. 694. 19
In omni materia, in qua committitur ſimonia contra ius diuinum, etiam Papa peccabit eodem genere peccati, ſi illam pro temporali vendat. ibid. 20
Papa poteſt culpam ſimoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere, niſi rationabilis cauſa ſubſit, ob quam illa lege cenſeatur exemptus, vel in ea ſecum diſpenſet. ibi. 21
Simoniam iure Canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere poſſunt. ibid. 22
Contrahens cum Pontifice, vel cum eius Miniſtris de re ſpirituali, ex ipſius Pontificis tacito vel expreſſo conſenſu, ſimoniam non incurrit, ſi illa ſolum iure Canonico ſit introducta: ſecus, ſi in ſimoniæ materia contrahat, quæ iure diuino vetita eſt. ibid. 23
Qui ſimoniam ſolo iure poſitiuo prohibitam exercens, ſciente & diſſimulante Pontifice, iuxta quoſdam, à ſimoniæ culpa contra ius Canonicum excuſantur: ſed alij exiſtimant tolerantiam Pontificis non ſemper excuſare. ibid.
Pontifex vendendo alicui beneficium, & committens cum illo ſimoniam, cenſetur cum illo diſpenſare ſaltem quoad pœnas iuris. 695

Societas.

Societas eſt conuentio duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vſum vel quæſtum communem, & ad hunc contractum quatuor requiruntur. ibid. 1
Societas, alia eſt omnium bonorum; alia negotiationis, alia artis; alia animalium; alia officiorum. ibid. 2
Societas contrahitur vel ex parte finis; vel ex parte materiæ; vel ex parte temporis. ibi. 3
Societatis contractus licitus eſt, ſeruatis duobus. ibid.
Contractui ſocietatis poſſunt iuſtè adnecti alij duo, puta aſſecuratio quędam capitalis: poteſt etiam locare fructus, & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere. ibid. 4
Ad ſocietatem animalium tres conditiones requiruntur. 696. 5
Contractus ſocietatis animalium in duobus caſibus eſt illicitus. ibid. 6
Damna, quæ patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis debent eſſe communia, modo non eueniant ex leui culpa ſocij: damna verò propria, quæ ſocius tantùm ex occaſione ſocietatis patitur, non debent eſſe communia. ibid. 7
Expenſæ, quæ non ſuperfluè fiunt à ſocio apponente induſtriam, faciendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis, niſi aliter conuentum ſit inter ſocios. ibid. 8
Eleemoſynæ, quas facit ſocius apponens induſtriam, ſi moderatæ ſunt & diſcretæ, ſiantque intuitu fœlicis exitus ſocietatis, ſoluendæ ſunt ex communibus lucris. 697. 8
Probabilius eſt, quando pro conſeruatione mercium vel capitalis; vel acquiſitione lucri faciendæ ſunt aliquæ expenſæ, teneri ſocium etiam ex iuſtitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab alijs petere, ſi non poſſit extrahi pecunia ex ſocietate. ibid. 10
Societatis contractus poteſt celebrari ab ijs, qui facultatem habent diſponendi ad ſuum libitum de rebus, quas conferunt ad ſocietatem. ibid. 1
Societatem celebrare non poſſunt, qui à lege impediuntur. ibid.
In ſocietate vnuſquiſque ſociorum in conſcientia & in foro exteriori tenetur alijs ſocijs de toto damno, quod lata, aut leui culpa vel dolo ipſius aduenerit, tam in capitali, quod deperditum eſt, quam in lucro, quo carent cæteri ſocij. ibid. 2
Societatis contractus iuſtus eſt ac licitus, modo negotiatio in qua eſt ſocietas contracta, ſit licita & honeſta: requiritur inſuper vt omnia quæ in ſocietate ponuntur, ſiue ſint pecuniæ, ſiue operæ vel induſtria à principio numerentur, & ex illis fiat quaſi vna ſumma pecuniæ omnibus communis. ibid. 3
Verius eſt totam pecuniam ab aliquo poſitam, ſecundùm totum ſuum valorem eſſe ſortem conferentis illam, & iuxta, proprium illius valorem eſſe conferendam illi partem lucri, quando fiet illius diſtributio, & non iuxta quantitatem periculi. 698. 4
Æqualitas, quæ in contractu ſocietatis requiritur habet latitudinem iuxta prudentis arbitrium & iudicium, pro maiori vel minori labore & pro maiori vel minori æſtimatione operæ & induſtriæ. ibid. 5
Si pecunia in ſocietate poſita pereat, ſoli ponenti perit: ſiue pereat ante operas, ſiue poſt, ſiue iactura eius in principio, ſiue in medio, ſiue in fine negotiationis fiat. ibid. 6
Apponens pecuniam poteſt cum altero ſocio conuenire vt pecunia ſit communis, & ſi pereat, æquè pereat ſocio, eiuſque periculum & damnum ſit commune. ibid.
Quando intercedit iuſtum pactum; quo tradens pecuniam reijcit illius periculum in alterum ſocium, ſoluto iuſto pretio pro grauamine impoſito, ſors capitalis perit ſocio, in quem periculum tranſlatum fuit. ibid.
Non poteſt iniri ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam vnus ex ſocijs in commune contulit, aliquo caſu fortuito perierit, eam alter ſocius reficere teneantur; hoc enim pactum cum ſocietatis natura & ſubſtantia pugnat. ibid. 7
Quando in ſocietate non fuit expreſſum, an apponens pecuniam vellet eam facere communem cum ſocio, vel an vellet tantummodo lucrum ac damnum facere commune, ſtandum eſt conſuetudini regionis, vel locorum, vel etiam negotiorum. 699. 8
Quando de conſuetudine non conſtat, nec de voluntate apponentis pecuniam, tota principalis pecunia, ſi integra permaneat, ad eum iure ipſo communi pertinet, qui in ſocietatem eam contulit, nec præſumitur voluiſſe apponentem in commune eam conferre. ibid.
In contractu trium contractuum, Societatis, nempe, aſſecurationis, ſortis & venditionis lucri incerti maioris pro minore certo, vt adſit iuſtitia, non requiritur vt hi contractus formaliter & expreſsè fiant, ſed ſufficit ſi per vnum, in quo illi tres æquiualenter & implicitè contineantur, modo ſeruetur æqualitas. Tamen vt ſecuriùs in hoc contractu procedatur, quinque conditiones debent incurrere. ibid. 9
In ſocietate omnium bonorum, tam præſentium, quam futurorum & in ſocietate omnis lucri, diſtribuenda ſunt omnia bona, quæ tunc extant, omne lucrum, ſimiliter & damna, ſiue expenſæ, modo non proueniat ex delicto & culpa ſocij. ibid. 10
Nomine ſocietatis ſimpliciter vocatur illa, quæ in omni quæſtu conſiſtit, quæ niſi fuerit expreſsè conuentum vt ſit omnium bonorum, intelligitur contracta, vt ſit viuuctſorum, quæ veniunt ex quæſtu. ibid.
Quæſtus intelligitur, qui ex opera, artificio, induſtria, cura vel diligentia cuiuſque prouenit. ibid.
In tali ſocietate non communicatur hæreditas, legatum, vel ſi quid donatum eſt, quia non veniunt ex quæſtu, ſed ex liberalitate, charitate, &c. ibid.
Inter fratres cenſetur contracta ſocietas quæſtus, eo ipſo quod habent patrimonium indiuiſum & vterque negotiatur. Bonorum tamen omnium ſocietatem non contrahunt, niſi exprimant. ibid. 11
Frater habens cum fratre hæreditatem vel patrimonium indiuiſum, non tenetur cum eo communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici officij adminiſtratione. 700. 12
Si frater contracta cum altero fratre ſocietate ſimpliciter impendit bona ſua caſtrenſia vel quaſi in communem vtilitatem poteſt illa repetere pro rata, modo illas expenſas non fecerit animo donandi, ſeu gratis. ibid.
Societas ſimpliciter diſſoluitur, & finitur quatuor modis. Primò, morte naturali cuiuſuis ex ſocijs, ſed non ſemper. Secundò morte ciuili alicuius ſociorum per exilium. Tertio, ceſſione bonorum facta ab aliquo ſociorum. Quartò, finito tempore ad ſocietatem conſtituto, aut finita negotiatione. Denique finitur per mutuum conſenſum ſociorum. ibid.

Solutio.

Solutio eſt exhibitio eius quod debetur, aut rei alterius loco illius, quando illa ſolui non poteſt, de voluntate creditoris. ibid. 1
Facta ſolutione, liberi manent ab obligatione & debito, non ſolùm debitor ipſe, hæredeſque ipſius, ſed etiam pignora ac fideiuſſores, & quicumque acceſſoriè vna cum debitore tenebantur. ibid. 2
Qui ſe obligauit ad factum, non tenetur ad illud, ſed ſatisfacit etiam inuito creditore, ſoluendo ei intereſſe, niſi promiſſio fuerit iurata: licet quidam contrarium doceant. ibid. 3
Quando res determinata debetur in indiuiduo, aut aliquid ex rebus ita determinatis, & id traditur alteri vt deferat ad creditorem, ſiue is deſignatus ſit à creditore, ſiue non, modo debitor in ea tradenda non fuerit in culpa, tunc ſi pereat, perit creditori, niſi debitor obligatus eſſet de caſu fortuito. 701. 4
Quando debetur res indeterminata in indiuiduo, vt ſumma certa pecuniæ, tunc ſi tradatur deſignato à creditore & poſtea pereat, perit creditori & non debitori. ibid.
Quando creditor debitori ſuo mandauit, vt quod ſibi debet; ſoluat alteri, ſi antequam debitor id executioni mandaret; creditor verbo, aut internuncio, aut epiſtola reuocet mandatum, cuius notitia ad debitorem peruenit ante ſolutionem, non liberatur debitor ab iterata ſolutione. Secùs ſi ſoluiſſet alteri ante notitiam reuocationis mandati. ibid. 5

Digitized by Google

Quando quis in ſtipulationes, vel contracto ſe obligaret ad ſoluendum, vel ei cum quo contrahit, vel tertio aſſignato, tunc ſi fiat principali, ſiue adiecto, debitor liberatur ab eo debito. ibid.
Solutio facta creditori valida eſt, eſto accuſetur de crimine propter quod veniant illi confiſcanda ſua bona: niſi accuſetur de crimine læſæ maieſtatis humanæ, vel niſi bona illa, ſint iam annotata, id eſt, ſequeſtrata ob illud crimen. ibid. 6
Quando dies certus, aut tempus certum & determinatum fuit conſtitutum intra quod aliquid ſolui debet, tunc dies ille, aut terminus temporis interpellat pro creditore aduerſus debitorem, vt id ſoluat: & tranſacto eo die, aut termino debitor tenetur ad intereſſe & damna, aut ad pœnam ſi fuit appoſita. ibid. 7
Quando dies, aut terminus certus fuit ſolutioni præſcriptus, eo tranſacto, creditor agens aduerſus debitorem, habet fundatam ſuam intentionem; & ſi inſtrumentum abſque ſententia iudicis paratam habet executionem, locus non eſt purgationi moræ. ibid. 8
Quando dies, aut terminus ſolutioni præfixus non eſt certus, tunc dies non interpellat pro creditore, ſed vt debitor conſtituatur in mora, neceſſe eſt, vt debitum ab eo exigatur, poſtquam congruum tempus aduenit. ibid. 9
Quando aliquis errore ductus, id tanquam debitum ſoluit, quod nullo modo erat debitum neque ciuiliter, neque naturaliter, conceditur illi actio ad illud repetendum. ibid. 10
Quando aliquis petit aliquid tanquam ſolutum à ſe & indebitum, ad eum probare ſpectat fuiſſe indebitum, quia nullus præſumitur ſoluere indebitum: limita, ſi qui ſoluit, erat minor, mulier miles, aut ſimplex agricola. ibid.
Qui ſciens ſe non debere aliquid illud ſoluit, præſumitur id donare, eaque de cauſa non poteſt illud poſtea repetere, quando accipiens vt donatum etiam illud accepit. 702. 11
Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe & non eſſe, ſi per errorem ante conditionem expletam ſoluatur, repeti poteſt tanquam ſolutum per errorem, quod adhuc erat indebitum. ibid. 12
Quando aliquid ſolutum fuit vi ſententiæ, quæ in rem iudicatam tranſiit, eſto non debitum ſit, non conceditur repetitio illius tanquam indebiti: niſi quando ſententia lata fuit falſis allegationibus, aut falſis inſtrumentis, aut teſtibus; vel quando cauſa eſt publica, ad minorem, aut ad Eccleſiam pertinet. ibid. 13
Quando iudicium terminatum fuiſſet iuramento deciſorio delato in defectum probationum alteri contendentium, tunc eo ipſo quod poſtea perſpicuæ probationes comperirentur in contrarium, concederetur repetitio. ibid. 14

SORTES.

Sortium contractus eſt, quo aliqui ius habentes in aliqua re, conueniunt, vt mittantur ſortes, quibus conſter, quibuſuam illam obtinere debeat. ibid. 1
In huiuſmodi contractu poſſunt duo contractus aliquando interuenire. Prima eſt emptionis & venditionis. Secunda eſt contractus ſortium, qui eſt inter illos, qui incurrunt ad ſortes. ibid.
Contractus ſortium, licitus eſt, ſi fraudes abſint & iniquæ qualitates. Si tamen in ſortibus mittendis aliquid fiat, quo aliqui eorum inter quos ſortes mittuntur, minus ſint expoſiti commodo lucrandi vel periculo admittendi, eſſet iniuſtus, cum obligatione reſtituendi. ibid. 2
Caſus quidam in quibus licitus ſit vſus ſortium. ibid. 3
Domini rerum quæ ſortibus exponuntur, licitè lucrantur iuſtũ pretium earum rerũ: ſimiliter, ſi in aliquẽ ex ijs qui contribuerunt ſors beneficiata caderet abſque alia fraude, is poteſt eam licitè lucrari. 703. 4
Miniſtri licitè accipiunt ſtipendium ſui laboris, modò adſint tres conditiones. Sed illud ſtipendium pro miniſtris, videtur potius ſoluendum eſſe à contribuentibus ad ſortes, quàm à venditore rerum. ibid.

SPES.

Spes eſt virtus Theologica diuinitùs infuſa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem, per merita ex diuina gratia prouenientia. ibi. 1
Spes abſolutè loquendo; eſt infallibilis, cum innitatur fidei cuius certitudo per accidens tamen ex parte noſtri poteſt eſſe incerta, & fallax. ib. 2
Spei præceptum affirmatiuũ per ſe obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra ſpem, & exiſtit in periculo deſperationis. ib. 3
Per accidens obligatur etiam quis ad eliciendos actus ſpei, quando quis tenetur ſe ad Deum conuertere per pœnitentiam. ibid.
Spei præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper, cùm numquam ſit deſperandum vel præſumendum. ibid. 4
Virtuti ſpei ſecundùm defectum opponitur deſperatio; cũ quis deſperat ſe remiſſionem peccatorum, & gloriam æternam conſecuturum. ibi. 5
Peccata tum præſumptionis, tum deſperationis, numquam ſunt venialia ex parte materiæ. ibid.

Spes Theologica.

Spei obiectum materiale primarium eſt beatitudo æterna. Secundarium verò, gratia, virtutes & alia bona opera, imò etiam & naturalia bona, prout ad beatitudinem conſequendam conducunt. 704. 1
Fides, ſpes & charitas ſunt tres virtutes re diuerſæ & diſtinctæ ex re & materia obiecta, in qua verſantur; actione item & officio, quod præſtant, & obeunt, ac facultate, cui inſunt. ibid. 2
Spes, quæ eſt virtus Theologica, non manet in Beatis. ibid. 3
Spes in damnatis apud inferos non reperitur: nec manet in hæreticis; & per deſperationem hominis excluditur, eijcitur & tollitur. ibid. 4
Spes manet in peccatoribus fidelibus, qui gratiam per peccatum amiſerunt, non deſperant tamen, neque præſumunt ſolis ſuis viribus veniam, aut gloriam conſequi, vel ſola Dei miſericordia abſque vllis bonis operibus. 705. 5
Spes permanet in ijs, qui poſt obitum ignis Purgatorij pœnas ſuſtinent, donec plenè mundati in cæleſtem hæreditatem admittantur. ibid.
Certum eſt de fide dari præceptum affirmatiuum ſpei. ibid. 6
Si alicui reuelaretur à Deo ſua damnatio, hic non poteſt, nec debet ſperare: tamen non poteſt propriè & poſitiuè deſperare de miſericordia Dei: & deberet euitare omnia peccata, & ſingula præcepta, præterquam ſpei, ſeruare. ibid. 7
Contra ſpei præceptum tribus modis peccatur. Primò, non ſperando, quando oportet. Secundò; deſperando. Tertiò, præſumendo. ibid. 8
Deſperatio eſt motus quidam appetitus ſenſitiui auertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: vnde deſperare eſt nolle amplius conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, eo quod exiſtimetur impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, vt non putetur obuentura. ibid. 9
Deſperatio eſt ſemper peccatũ, ſi ſpectemus legem ordinariã Dei. 706. 10
Deſperatio, quæ oritur ex infidelitate, eſt grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei. ibi. 11
Deſperatio ex genere ſuo grauius eſt peccatum, quàm quodlibet eorum, quæ opponuntur virtutibus moralibus. ibid. 12
Deſperatio poteſt eſſe coniuncta cum hæreſi, & poteſt eſſe ſine hæreſi & infidelitate. ibid. 13
Deſperatio multas radices habet, ex quibus pullulat. ibid. 14
Præſumptio, cùm refertur ad intellectum, ſignificat coniecturam, vel iudicium de alicuius intentione, aut facto, ex ſignis quibuſdam exterioribus. ibi. 15
Præſumptio cum refertur ad voluntatem, ſignificat motum quemdam appetitus rationalis, quo quis ſe extendit ad aliquid quod eſt ſupra ipſius poteſtatem. ibid.
Præſumptio ſtrictè ſumpta, eſt vitium ſpei contrarium, quo inordinatè nititur Deo, aut viribus creatis. ibid. 16
Præſumptio hæc, vt opponitur ſpei, eſt peccatum: ſi enim nitatur proprijs viribus, vt faciebant Pelagiani, grauem iniuriam infert gratiæ Chriſti: ſi nitatur ſolo Deo, excluſis bonis operibus, vt faciunt Lutherani, grauiſſimum periculum adfert. 707. ibid.
Præſumptio Pelagiana maiorem Chriſto infert iniuriam: Lutherana autem eſt periculoſior. ibid.
Præſumptionis peccatum reperiri poteſt cum hæreſi, & ſine hæreſi: nihilominus tamen hoc peccatum vix poteſt eſſe ſine hæreſi; quod aduertere debent Confeſſarij. ibid. 17
Præſumptio, quæ tollit fundamentum ſperandi excludit habitum ſpei: quæ autem tantùm in modo peccat, poteſt cum virtute ſpei conſiſtere. ibid. 18

Spolium Eccleſiaſticum.

Spolium Eccleſiaſticum eſt, quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortem ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius nec ex teſtamento pertinet, nec ab inteſtato. ibid. 1
Iuxta veteres Eccleſiæ Canones bona Clericorum poſt obitum relicta, debebantur Eccleſiæ vel ſucceſſori: modo tamen tanquam debita ad fiſcum Pontificium ſpectant. ibid. 2
Vſu receptum eſt in tota Germania, Gallia, Luſitania & Belgio, vt nulla beneficiariorum, etiam Epiſcoporum bona, tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertineant. ibid.
In Regno Caſtellæ ſola Epiſcoporum ſpolia, non autem aliorum beneficiorum Papæ ſoluuntur: in Italia vero, omnium beneficiorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ debentur. ibid.
Spolium trahit originem à verbo *Spolio*, & ſignificat id, quo quis exuitur vel priuatur violenter. ibid.
Spolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubiecta bona patrimonialia vel quaſi patrimonialia Clericorum. 708. 3
Bona, quæ Clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtria comparata relinquit, nullo prorſus hærede relicto intra decimum gradum, iure communi acquiruntur Eccleſiæ: ſi autem Clericus nulli erat Eccleſiæ adſcriptus, ad Epiſcopum deueniunt: in locis autem vbi ſpoliorum vſus inualuit, fiſcus Apoſtolicus ſuccedere poteſt. ibid. 4
Qui beneficium tenue habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario, non videtur ſpoliandus; vt ſunt habentes beneficia vel penſiones non excedentes valorem triginta ducatorum aureorum. ibid. 5

Quod ſupereſt ex redditibus beneficij tempore mortis beneficiarij, ſpolio Eccleſiaſtico debetur, niſi beneficiarius teſtari poſſit: non computãtur tamen inter ſpolia, quæ quis à beneficiario accepit viuente. ibid.6

Bona comparata & empta ex redditibus beneficij non neceſſarijs ad congruam ſuſtentationem, non ſunt bona exempta ab onere ſpoliorum: ſecus, ſi hæc bona ante mortem donata fuerint. ibi.7

Penſionarius hoc ipſo quod pẽſionarius eſt, nõ eſt exceptus à ſpolio. ib.8

Sub ſpolium non cadunt vtenſilia domeſtica relicta poſt mortem beneficiarij, ſed pertinent ad illum, cui relicta fuerunt, vel qui ſuccedit ab inteſtato. ibid.9

Nomine ſpoliorum non veniunt bona quæcumque ad vſum & cultum diuinum deſtinata, vt ſunt ornamenta, libri, vaſa, &c. ſed Eccleſiæ vel Monaſterio in quo habuit beneficium, debentur, etiamſi illud poſtea renunciauerit. ibid.

Bona religioſorum vndecumque vel quomodocumque fuerint acquiſita pro ſpolijs habentur & ad fiſcum Pontificis pertinent, vbi ſpoliorum vſus eſt: in alijs locis pertinent ad Monaſteria, in quibus illi primo profeſſionem emiſerunt. ibi.10

Spolio ſubijciuntur acquiſita negotiatione illicita, aut alio modo per ſacros Canones prohibito, etiamſi Clericus habuerit facultatem teſtandi. 709.11

Spolium debetur ante ſententiam iudicis. ibid.12

Cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum; ſex hic adducuntur. ibid.13

Sponſalia.

Sponsalia dicta ſunt à ſpondendo: ſponſi autem quaſi alteri promiſſi; ſponſor qui promittebat, & contractus ipſe, ſponſalia. ibid.1

Ad ſponſaliorum validitatem ex diſpoſitione iuris, requiritur ætas ſeptem annorum, tam in maſculo quàm in fœmina. ibid.2

Sponſalia contrahere poſſunt parentes pro filijs in neceſſitate, tutores, curatores, & conſanguinei curam gerentes infantium, qui nondum peruenerunt ad ſeptimum annum, modo conſenſus expreſſus vel tacitus filiorum poſtea accedat. 710.3

Sponſalia contrahere ante ſeptennium an ſit peccatum mortale; alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Probabilius eſt, non maiorem vſum rationis requiri ad ſponſalia contrahenda, quàm ad peccatum mortale. ibid.

Ad validitatem ſponſaliorum requiritur vt adſit promiſſio deliberata, & voluntaria. ibid.4

Item ad ſponſaliorum valorem requiritur vt promiſſio ſit acceptata; & repromiſſio ex parte alterius. ibid.5

Vltimum requiſitum ad ſponſalia eſt, vt promiſſio ſponſaliorum exterius manifeſtetur ſaltem aliquo externo ſigno. ibid.6

De verbis quibus poteſt contrahi matrimonium de futuro vel de præſenti. ibid.7

In ſponſalibus, quando verba habent duplicem ſenſum, in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni, ſecundum quam verba proferuntur. 711.8

Quando verba ſunt dubia, & non conſtat de intentione proferentium, ſtandum eſt iudicio fori externi, modo non innitatur falſæ præſumptioni. ibid.9

Sponſaliorum obligatio.

Obligatio ex ſponſalibus veris conſurgens, eſt ſub mortali. ibid.1

Qui ficto animo, & ſimulato matrimonium promiſit, per ſe loquendo, non obligatur ad nuptias contrahendas: ratione tamen alterius dãni quod alter patitur, aut ſcãdali vitandi, teneretur ſtare promiſſioni. ib.2

Qui habuit copulam cum fœmina malæ famæ ſub ficta promiſſione matrimonij, non tenetur eam ducere, ſed ſatisfaciet pretium copulæ ſoluendo, ſi conſueuerat corpus ſuum locare. ibid.3

Qui virgini promiſit coniugium, & ex ſpe ſeu conditione vſuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamſi fictè promiſiſſet. ibid.4

Excipiuntur aliquot caſus, quibus non tenebitur eam ducere, ſed ſufficiet aliter damnum ſarcire. ibid.

Probabilius eſt, fictum promiſſorem matrimonij multò dignioris conditionis non teneri defloratam ducere prorſus ignaram exceſſus illius, ſed tantùm reſtituere inſtar vi vel fraude deflorantis. 712.5

Poſt contractum peractum ſponſaliorum, vterque ſponſus ex iuſtitia obligatus eſt ſub mortali ad nuptias contrahendas, etiamſi ſponſalia fuerint clandeſtina. ibid.6

Liberi, qui parentibus inſcijs, & inconſultis ſponſalia temerè contrahunt contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam peccant; quamuis non teneantur illorum conſilium ſemper ſequi. ibid.7

Liberi datam fidem ſponſaliorum ſeruare tenentur, tametſi imparis conditionis ſponſis promiſerunt, inconſultis aut inuitis parentibus; niſi ex tali matrimonio timeatur familiæ dedecus ſcandali, diſcordiæ. ibi.8

Sponſaliorum diſſolutio.

Sponsalia diſſoluuntur per matrimonium ſubſequens validè celebratum cum alia perſona. ibid.1

Probabile eſt diſſoluto matrimonio priora ſponſalia etiam iurata diſſolui, & adimplenda non eſſe, niſi forte ratione damni ſponſæ antea defloratæ. 713.2

Probabilius eſt priora ſponſalia non diſſolui per ſecunda iurata, etiam copula ſubſecuta. ibid.3

Sponſalia puberum mutuo conſenſu, & mutua remiſſione libera ipſorum ſponſorum diſſoluuntur, etiamſi iurata fuerint. ibid 4

Si duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, pũbes tamen factus poteſt quilibet. ibid.

An ſponſalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto reſilire, alij negant, alij affirmant probabiliter. ibid.

Sponſalia diſſoluuntur per fornicationem ſequentem, tam viri, quàm fœminæ, & per lapſum alterius in hæreſim, apoſtaſiam, vel infidelitatem, etiamſi iurata ſint. ibid.5

Sponſalia ſoluuntur per morbum quemlibet contagioſum ſuperuenientem alteri ſponſo: quæ intelligenda ſunt, ex parte illius, qui eſt innocens. ibid.6

Sponſalia diſſoluuntur quoties denuo agnoſcitur notabilis morum aſperitas, & ſæuitia alterius, vel ob graues, & capitales inimicitias inter ſponſos ortas. ibid.7

Sponſalia ſoluuntur per ſuperueniens impedimentum iuris matrimonium dirimens. Item quando ſuperuenit aliquid poſt ſponſalia, quod ſi ſuperueniret ante, mutaret rationabiliter animos ſponſorum ad contrahendum. ibid.8

Sponſalia diſſoluuntur per votum ſimplex religionis & caſtitatis præcedens: ſi verò votum caſtitatis ſuperueniat ſponſalibus, probabilius eſt illa non diſſoluere. ibid.9

Ordines ſacri ſuſcepti poſt ſponſalia diſſoluunt illa; minores verò minimè. ibid.

Sponſalia ſoluuntur per ingreſſum religionis etiam iurata. 714.10

Sponſalia diſſoluuntur ſi tempore quo fiunt, apponatur etiam dies, & terminus de matrimonio contrahendo; tunc lapſus termini eximit ab obligatione illum per quem non ſtetit. ibid.11

Sponſalia ſoluuntur per abſentiam alterius in regionem longinquam abſque licentia. ibid.12

Sponſalia diſſoluuntur cùm ſuperuenit inter ſponſos affinitas. ibid.13

Dolus dans cauſam contractui ſponſaliorum, adhibitus ab altero contrahente cõſcio, & participe doli, ipſo iure facit ſponſalia irrita. ib.14

Sponſalia conditionata non ſunt valida, nec obligant donec impleatur conditio expreſſa in contractu ſponſaliorum; vnde hac impleta poſſunt diſſolui. ibid.15

Quando conſtat de cauſa ſufficiente ad diſſoluenda ſponſalia, nulla etiam cum iudicio auctoritas. ibid.16

In quibus caſibus poſſint ſponſalia propria auctoritate diſſolui. ibid 17

Iudex coram quo diſſoluenda ſunt ſponſalia, eſt iudex Eccleſiaſticus Ordinarius vel delegatus. ibid.18

Sponſalia non poſſunt abſque auctoritate iudicis diſſolui, quando dubitatur de ſufficientia cauſæ. ibid.19

Illæ ſolæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium, quando impedimentum eſt perpetuum, ſecùs quando eſt temporale. 715.1

Probabilius eſt ad valorem ſponſalium non ſufficere ſeptennium moraliter completum vt ſi duo, vel tres dies deficerent, ſed exigi ſeptennium mathematicè, completum, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret: ſufficeret tamen ſi vltima ſeptennij dies ſit incœpta. ibid.2

Quando rationis vſus via ordinaria vel per miraculum acceleratur, iuxta communionem ſententiam, ad valorem ſponſalium, requiritur cum vſu rationis ætas ſeptennio proxima: quamuis ſit probabile eſſe in hoc caſu valida iure naturæ & in foro conſcientiæ; forum tamen externum iudicabit inualida, niſi diſtantia ſit parua. ibid.3

Sponſalia incerta non ſunt propriè & perfectè ſponſalia: tamen redduntur certa & perfecta, quando promiſſor poſtea determinat perſonam, vel poſtea cum vna earum habet copulam. 716.4

Quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere vnam ex filiabus, quas habet, non tenetur aliquam tradere, ſi Caius interim cognoſcat vnam earum. ibid.5

Non licet ſponſis, neq; parentibus, conſanguineis, vel amicis ſtrictiſſimis eorum apponere pœnam in ſponſalibus etiã iniuſtè reſilienti, aut recedẽti à ſpõſalibus, & ſi apponatur, erit ipſo facto nulla: ſecus ſi apponatur inter omninò extraneos ipſis ſponſis, tũc enim valida eſt pœna. ib.6

Sponſorum amici, vel eorum parentes, aut propinqui poſſunt pœnam apponere, qua ſe obligent ad curandum, vt matrimoniũ celebretur. ibid.

Inter contrahentes ſponſalia poteſt conueniri, vt qui iniuſtè reſilierit, ſoluat alteri damnum, quod ei emerſerit, ex eo quod facta ſint ſponſalia, & ipſe ab eis recedat: lucrum autem diuitiarum ex matrimonio ſequendum non poteſt accipere. ibid.7

Probabilius eſt, pœnam contractui ſponſalium adiectam non firmari iuramento, & id iuramentum non obligare. ibid.8

Probabilior item ſententia aſſerit ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, eſſe valida; modo tale ſit impedimentum, quod in eo ſoleat Pontifex diſpenſare & vt etiam adſit iuſta cauſa, diſpenſandi. 717.9

Sponſalia metu viri conſtantis inita, ſunt ipſo iure nulla an autem fiant valida, ſi iuramentum accedat, vel ſaltem iuramentum ſit obſeruandũ, donec relaxetur? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.10

Spon-

Sponſalia diſſolui poſſunt ex parte alterius ob notabilem ſæuitiam aduenientem, aut cognitam poſt ſponſalia. ibid. 11
Qui tempore celebrationis ſponſaliorum ignorabat hoc vitium, ſed ita erat animo affectus, vt ſi vitium cognouiſſet, nihilominus ſponſalia contraxiſſet, non poteſt reſilire. ibid.
Alter ſponſus poteſt licitè & ſine peccato contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius ſi alter conſcius eſſet, poſſet licitè à ſponſalibus promiſſis reſilire modo defectus alterius ſponſi reddant nuptias minus appetibiles. Secùs autem, ſi defectus tales ſunt, qui reddunt matrimonium pernicioſum. 718. 12
Dum defectus non eſt pernicioſus & nondum deuenit in notitiam alterius ſponſi, poteſt ignarum illius defectus renuentem compellere, vt adimpleat ſponſalia promiſſa: ſecus ſi defectus ſint pernicioſi. ibid.
Quoties poſt ſponſalia inita inſurgit quæcumque noua cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in nobis, ſiue in moribus, &c. ſiue quæcumque alia conuenientia, quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa retraxiſſent animum illius ſponſi, à promittendo, poteſt hic à ſponſalibus reſilire etiam iuramento firmatis. ibid. 13
Omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia, quæ poſtea ſuperueniunt, ſunt etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda pariter, ſi præcedebant, & ignorabantur, tamen poſtea ante matrimonium contractum deteguntur. ibid. 14
Non poteſt ſponſa diſſoluere ſponſalia propter fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam: propter fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam: propter autem fornicationem ſponſæ conceditur ius ſponſo dirimendi ſponſalia. ibid. 15
Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, ſponſus poteſt reſilire à ſponſalibus, non autem ſponſa: quamuis quidam velint in hoc caſu vtriuſque ſponſi delicta compenſari. ibid. 16
Vir poteſt à ſponſalibus recedere, quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit; imò ſi poſt fœmina tactus impudicos alterius patiatur. Secus dicendum, ſi vir omninò inuitus & culpæ expers fornicationem pateretur, vel tactus impudicos cum alia haberet. ibid. 17
Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium amittit ius reſiliēdi, ſi copulam habeat cum ſponſa, ſi ſponſalia fuerint valida, & animum habuerit implendi ſponſalia per eam copulā. 719. 18
Si acceſſit ad ſponſam non eo animo, an cenſeatur verè remittere ius reſiliendi? Negant quidam; alij affirmant. ibid.
Quando ſponſalia fuerunt inualida, non tenetur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus ſciens eſſe irrita. ibid.
Sponſalia puberum ex mutuo contrahentium conſenſu diſſoluuntur, modo remiſſio ſpontè fiat, non coactè, aliàs nulla erit. ibid.
Quando ſponſalibus iuramentum adiectum eſt in partis fauorem, mutuo conſenſu poſſunt diſſolui; ſed ſi principaliter in honorem Dei factum eſt, ſecundùm quoſdam, pars non poteſt remittere, ſed probabilius eſt mutuo conſenſu diſſolui poſſe. ibid.
Ad diſſoluendum ſponſalia ob aliquod impedimentū impediens matrimonium cum quo contrahere eſt peccatum, ſufficit vnus teſtis fide dignus, modo in eo concurrant quædam qualitates hic expreſſæ. ib. 20
Quando allegatur alia cauſa, qua exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere, vt ſi allegetur fornicatio ſponſæ, non ſatis eſt vnius teſtimonium, ſed duplicis. ibid.
Ad diſſoluenda ſponſalia etiam iurata, ſufficit ſola fama impedimenti, non tamen rumor. 720. 21
Quando vterque ſponſus fatetur impedimentum, ſatis eſt vt diſſolui poſſint ſponſalia. Si alter tantùm, & eſt ille, qui matrimonium celebrari optat, ſatis eſt etiam. Denique ſi fatens impedimentum ſit ille, qui matrimonium recuſat, non ſtatur eius confeſſioni. ibid.

Sponſio.

Sponsio eſt contractus, in quo duo de veritate vel euentu alicuius rei contendentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, vt id eius ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus. ibid. 1
Hic contractus ex ſua natura licitus eſt, per accidens tamen poteſt eſſe illicitus. ibid.
Ad iuſtitiam huius contractus tres conditiones requiruntur. ibid.
Qui certò nouit rem de qua certatur vel ex ſcientia, vel ex diuina reuelatione, vel experientia ſenſuum, non poteſt iuxta veriorem ſententiam ſponſionem facere: quamuis contraria non ſit improbabilis. ibid. 2
Si quis certo rem ſciret, & poſtea incipiat dubitare, poteſt adhuc ſpondere. ibid. 3
Sponſiones cum conditione illicita, ſunt illicitæ, & legibus ciuilibus damnatæ: lucrum tamen acquiſitum ex huiuſmodi ſponſionibus non eſt ex obligatione reſtituendum, ſi partum ſit abſque dolo, & fraude. ibi. 4
Sponſione facta inter Titium, & Caium, quòd Titius currendo vel ſaltando vincet Caium, & deinde Caius non vult currere, aut ſaltare, obligatur Caius ſoluere quod eſt in ſponſione depoſitum. 725. 5
Sponſiones ſuper vita, morte vel futura electione Pontificis, & Cardinalium, iure poſitiuo prohibitæ ſunt ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ reſeruatæ Pontif. & irritæ redduntur. ibid. 6

Stipulatio.

Stipvlatio eſt contractus, qui verbis perficitur, præcedente interrogatione vnius, qua ab altero petit, an promittat vel adſtringat ſed ad dandum aliquid, vel faciendum, & ſubſecuta reſponſione, ac ſponſione alterius, qua promittat id ſe facturum, aut concedat. ibid. 1
Stipulans dicitur ille, qui interrogat, ac petit promitti ſibi ab alio: ille verò à quo ſtipulatur, promiſſor nuncupatur. ibid.
Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum valida eſt, etiamſi interrogatio fiat in vno idiomate & promiſſio in alio, modo ſe inuicem intelligant ſaltem per interpretem. ibid. 2
Inter abſentes, hoc eſt, inter adeò diſtantes, vt vnus ſignificationem vocis alterius percipere nequeat, non poteſt perfici ſtipulatio. ibid.
Vt valida ſit ſtipulatio neceſſe eſt, vt non ſolùm ſtipulans & promittens præſentes ſint, ſed etiam vt reſponſio continuo poſt interrogationem ſequatur, antequam promittens ad alia diuertat; aliàs inualida erit ſtipulatio. ibid. 3
Stipulatio inducta eſt, vt ea firmentur contractus innominati, & ſic valeant, ampliùſque pœnitentiæ locus non ſit. ibid.
Omnis ſtipulatio fieri poteſt, aut ſimpliciter & purè, aut ſub conditione, aut in diem certum. ibid. 4

Stuprum.

Stvprvm generatim ſignificat omnem concubitum legibus vetitum: ſtrictè vero capitur pro virginis defloratione. 722. 1
Probabilius eſt, non dari ſpeciem ſtupri abſque raptu, atque ita violationem virginis ſponte conſentientis, quamuis ſub cura paterna, non differre à ſimplici fornicatione. ibid.
Stuprator, qui per vim aut fraudem aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorſit, abſque etiam promiſſione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium vel commodè dotare, vel curare, vt æquè bene nubat, ac ſi virgo eſſet. ibi. 1
Stuprator ad nullam tenetur reſtitutionem, ſi puella liberè conſenſit, modo non manifeſtauerit copulam occultam. ibid.
Probabilius eſt, illum, qui precibus importunis, vel muneribus, vel ſuaſionibus ac blanditijs aſſiduis copulam à virgine extorſit, nō teneri ad reſtitutionem, niſi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis. ibi. 3
Stuprator non tenetur ad aliquā reſtitutionem faciendā patri, ſub cuius cura eſt ipſa puella, quæ deflorata fuit conſentiens & non inuita. ibi. 4
Probabilius eſt delectationes moroſas in puella virgine circa adoleſcentem, & è contra non habere ſpecialem malitiam in confeſſione aperiendam. ibid 5
Quando in ſtupro de conſenſu puellæ commiſſo adeſt alia malitia moralis, vt contra charitatem proximi, & pietatem debitam parentibus, inimicitiæ, cædes, &c. tenetur pœnitens hāc circumſtantiā explicare. ib.
Fœmina, quæ violenter à viro aliquo cognoſcitur, non peccat, ſi eiuſmodi copulæ non conſentiat, & impediat quantùm in ſe eſt, talem violentum effectum cum conatu, & renixu corporis. ibid.
Stuprator virginis duplex ei damnum infert, naturale, nempe, violationem Clauſtri virginalis, & pecuniarium, quod eſt damnum quod patitur in ordine ad matrimonium, quia violata maiorem requirit dotem, vt æquè ac antea nubat. 723. 1
Stuprator ſolùm tenetur pro damno temporali, ſeu pecuniario in ordine ad matrimonium, non autem pro damno violationis Clauſtri virginalis, quod non eſt pretio æſtimabile. ibid.
Quando puella eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, non tenetur corruptor ei aliter damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit: licet alij contrarium doceant. ibid. 2
Quando puella vi deflorata fuit & ſtupratorem non vult in coniugem admittere, aut parentes nolunt eam illi tradere, vel ſi ſtuprator fingebat ſe nobilem & diuitem, vt eam deciperet, tenetur ſtuprator ad honeſtam dotem puellæ tradendam, & proinde ipſa iuſtam compenſationem exigere poteſt. ibid. 3
Stuprator per vim & metum ac fraudem excuſatur à reſtitutione, Primò, ſi ſtuprata liberè eam remittat. Secundò, ſi æquè ac benè nupſit, ac ſi non eſſet violata. ibid. 4
Violator, qui cognouit fœminam per vim vel fraudem, quæ aliàs quidem cognita fuerat ab alio, ſed publicè habebatur virgo, tenetur ad aliquam reſtitutionem arbitrio prudentis ratione damni & infamiæ. ib.
Si fœmina concepit ex copula illa violenta & fraudulenta, tenetur vir ex iuſtitia alere fœtum & ſoluere fœminæ omnes expenſas quas facit & damna, quæ paſſa eſt, & quæ ſecuta ſunt ratione conceptionis & partus. ibid.
Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta, quæ virgo in populo habebatur: non tenetur in foro conſcientiæ ſub peccato eam ducere, etſi fictè matrimonium promiſerit, neque ei aliquid reſtituere, ſi occultè id fecit: ſi res autem venit in publicum, obligatur hic ad reſtitutionem arbitrio prudentis viri. ibid. 5
Qui puellam non defloraui, ſed accedendo ad locum vbi illa eſſet, in cauſa eſt vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi ſequatur, ſi puella liberè conſentiat ſollicitationi, ſollicitas ad nullam reſtitutionem tenetur. Secus ſi vi, metu vel dolo, aut mendacijs ſollicitata eſt. ibid. 6

Subſtitutio.

SVBSTITVTIO eſt vocatio vnius,aut plurium ad hæreditatem in locum alterius vel aliorum & fit ſex modis. ibi. 1
Subſtitutio vulgaris eſt,quà quiuis iure non prohibitus, poteſt ſubſtitui à quouis teſtatore. ibid. 2
Subſtitutio pupillaris eſt,quâ quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit. ibid. 3
Subſtitutio exemplaris eſt , cùm filio amenti , vel ſurdo ſimul & muto, vel prodigo fit ſubſtitutio. ibid. 4
Subſtitutio fidei commiſſaria eſt, qua hæres grauatur , vt totam hæreditatem,vel partem eius aliquotam alteri reſtituat. ibid. 5
Subſtitutio reciproca eſt ea,qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur.ibi.6
Subſtitutio compendioſa eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones . ibid.7
Subſtitutio in hæreditate , quædam eſt indirecta , & quædam directa . Indirecta eſt , quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum , qui eam illi reſtituat . Directa eſt , quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio. 725.1
In fidei commiſſaria ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianicæ; in ſubſtitutione directa non. ibid.
In dubio an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fidei commiſſaria , cenſendum eſt ſubſtitutionem eſſe directam. ibid.
Si quis ſimul ſubſtituatur alteri directè,& indirectè , in optione eo pacto inſtituti eſt eligere , quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere maluerit. ibid.
Ex duplici capite hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres,nempe, quia non poteſt , & hoc caput appellatur impotentiæ, vel quia non vult,& hoc caput dicitur voluntatis. ibid. 8
Quando teſtator hæredi aliquem ſubſtituit vulgariter,exprimit ſolum vnum caput,aut partem illius,cenſetur ex iuris diſpoſitione, in eo capite;aut parte capitis intelligere reliqua. ibid.
Subſtitutio pupillaris eſt,quando teſtator dicit , ſi filius meus infra pupillarem ætatem decedat,ſubſtituto Petrum ; tunc ſuccedet Petrus in caſu, non ſolum quoad relicta à Patre , verùm etiam quoad omnia alia pupilli bona,ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſomet pupillo, modo ſubſtitutio ſit directa,& non per verbum obliquum. ibid. 3
Hodie ſi ipſe impubes,cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus , aut exhæredatus non appoſite cauſa ex legitimis ad exhæredandum,quamuis teſtamentum quoad hæredem inſtitutionem ſit nullum,validum, tamen eſt,quoad legata,fidei commiſſa , &c. in quibus ſanè directæ etiam ſubſtitutiones comprehenduntur. ibid. 4
Subſtitutio pupillaris expreſſa,poteſt fieri tripliciter. Primò,verbis generalibus. Secundò,verbis ſpecialibus. Tertiò,verbis ſpecialiſſimis . ibi. 5
Subſtitutio pupillaris expirat. Primò,ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur. Secundò, ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus pupillarem ætatem egreditur. Tertiò,ſtatim ac filius efficitur ſui iuris,viuente patre. 726.6
Subſtitutio exemplaris fieri poteſt,non ſolùm amentibus , ſed etiam ijs , qui ſurdi ac muti ſimul ſunt,modo tamen ſcribere neſciant . Idem dicendum de prodigo,cui bonorum adminiſtratio interdicta eſt . ibi. 7
Subſtitutum dare poteſt exemplariter filio Pater,ſicut & Mater: ſed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem , obtinebit in bonis , quæ habuerit ex parte matris. ibid. 8
Subſtitutio exemplaris expirat eo ipſo , quòd is cui facta eſt ad ſuam mentem redit. ibid.
Subſtitutio fidei commiſſoria dicitur à fide , quia teſtator fidit hæredi & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. ibid. 9
Vt hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis , inuitaretur ad adeundã hæreditatem,iure conceſſum eſt ei, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſet quartam partem eius,in quo inſtitutus eſt. ibi.
Si hæres grauatus adire non vellet hæreditatem,poteſt ad id cogi per iudicem,vt continuò eam reſtituat;ſi autem coactus eam adiret, amittat huiuſmodi quartam,quæ vocatur Trebellianica. ibid.
Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam , ſeu cùm ſubſtitutus eſt cauſa pia,non poteſt detrahi quarta Trebellianica,niſi hæres, qui grauatur,ſit cauſa pia. ibid. 10
Teſtator poteſt prohibere deductionem Trebellianicæ , itavt hæres grauatus abſque talis portionis deductione , teneatur hæreditatem reſtituere. ibid.
Subſtitutio fideicommiſſaria , qua teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem , & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem,intelligenda eſt ſub tacita conditione , ſi hæres decedat ſine filijs vel deſcendentibus:ſed hoc non procedit in tribus caſibus , vt quidam obſeruant. 727.ibid.
Si hæres grauatus,hæreditate adita in delictum incidat,ob quod bona illius à fiſco abdicantur,ea frui poteſt fiſcus donec moriatur hæres grauatus ,vel alia ratione tempus reſtitutionis adueniat niſi teſtator alienationem prohibuerit. ibid. 11
Si hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommiſſarium donec profeſſus naturaliter moriatur,vel donec adimpleatur conditio, ſub qua teſtator voluit hæreditatem deferri fideicommiſſario ;tunc enim Monaſterium percipiet vſumfructum,donec ſequatur mors naturalis religioſi. ibid.
Si illud Monaſterium ſit incapax ſuccedendi,probabilius eſt id fideicommiſſum ſtatim deberi fideicommiſſario poſt profeſſionem . ibid.
Hæc profeſſio in religione ſucceſſionis incapaci , an cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij;duplex eſt ſententia , vna affirmatiua , altera negatiua probabilior. ibid. 12
Nouitius Ordinis Minorum de Obſeruantia & Capucinorum grauatus poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere , ſi ipſe ante profeſſionem in alium tranſtulit ius ad ſe pertinens in ea bona , valida eſt tranſlatio,nec ſubſtitutus ſuccedet, ante mortem naturalem talis religioſi. ibid.
Subſtitutio fideicommiſſoria expirat ac nulla redditur,ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è viuis diſcedat ; excipiuntur tamen tres caſus. ibid. 13

Suffragium.

SVFFRAGIVM de ſui ratione importat quandam auxiliationem , quæ fit alteri. 728. 1
Suffragia alia ſunt ſatisfactoria ex opere operato , alia ex opere operantis. ibid.
De fide eſt,fideles,dum in hac vita degunt , poſſe ſe inuicem iuuare ſuffragijs, mò & defunctos. ibid .
Prælati religionum poſſunt cuicumque voluerint ſubditorum merita, & orationes,oblationes,aliaque opera meritoria applicare , antequam conſtituantur in vniuerſali theſauro Eccleſiæ. ibid.
Huiuſmodi participationes iuuant ijs quibus conceduntur , non ſolùm ſpiritualiter,ſed etiam corporaliter. ibid.
Probabilius eſt,non poſſe Prælatos ſatisfactiones ſubditorum alijs applicare,ſi ipſi reſiſtant,aut nolint,vel ſi ipſi ſubditi illis indigeant. ibid.
Suffragium ſiue opus bonum,ſi conſideretur vt ſatisfactorium, non prodeſt facienti,quoties alteri applicatur: Si vero opus conſideretur vt meritorium,prodeſt ipſi applicanti ad meritum vitæ æternæ . ibid. 2
Probabilius eſt ſatisfactionem non habere effectum infallibilem in eo cui applicatur. ibid. 2
Multa requiruntur,vt ſuffragium alteri proſit. ibid. 3
Opus ſatisfactorium ex opere operato prodeſt alijs , etiamſi offerens ſit improbus,& non exiſtat in gratia. ibid. 4
Conditiones requiſitæ in eo;cui ſuffragium offertur ſunt, 1. indigentia. 2. vt ſit in gratia. 3. vt peccata pro quibus exhibetur ſatisfactio , iam ſint deleta quoad culpam. 729. 5
Suffragium,vt à Theologis accipitur, eſt auxilium quoddam quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ,vel aliquid huiuſmodi. ibid. 1
Suffragia non ſunt offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus , quibus per ſe ac propriè prodeſſe non poſſunt. ibid. 2
Suffragia viuorum non poſſunt prodeſſe damnatis in inferno ad expiationem pœnæ, ſeu terminationem , quam ſuſtinent propter peccata mortalia, quorum remiſſionem in hac vita non obtinuerunt . ibid. 3
Suffragiorum non ſunt capaces pueri morientes cum ſolo peccato originali;hi enim perpetuo puniuntur pœna damni. ibid.
Suffragia viuorum prodeſſe poſſunt animabus Purgatorij, non ſolùm ad aliquam mitigationem pœnarum , ſed etiam ad integram remiſſionem. 730.4
An ſuffragia viuorum proſint animabus Purgatorij per modum impetrationis , vel per modum ſolutionis & ſatisfactionis condignæ ? Eſt dubium inter Theologos. ibid.
Certum eſt Sanctos Beatos interdum orare pro animabus Purgatorij : ſed non impetrant gratuitam remiſſionem alicuius pœnæ, ſed illorum oratio ordinatur , vt ſatisfactiones viuorum à Deo pro illis animabus acceptentur,&c. ibid. 5
Suffragia viuorum pro mortuis ſunt ſimpliciter de iuſtitia & infallibiliter acceptata,ſecundùm totum ſuum valorem , pro quocunque offerantur:licet quidam doceant defunctis prodeſſe tantùm ex miſericordia Dei. ibid. 6
Qui diſponit ſuffragia pro ſe fieri,etiamſi non ſtatim fiant , percipit fructum illorum , quantum ad efficaciam , quæ erat ex opere operantis principaliter agentis. 731.7
Quidam petant totam ſatisfactionem eſſe poſitam in actu vouendi ac præcipiendi tale opus , & poſtea ex vi ſolius externi effectus nihil ſatisfactionis addi per ſe loquendo ; nihilominus quod tale opus externum per ſe addat ſatisfactionem,ſuſtinent multi. ibid.

Superbia.

SVPERBIA propriè ſumitur , vt eſt immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus , ſiue ijs in rebus , quibus honor & reuerentia debetur . ibid.
Superbiæ obiectum adæquatum eſt excellentia in genere , vt extendit ſe ad excellentiam abſolutam & relatiuam , ab vtraque tamen per ſe abſtrahens. ibid. 2
Quatuor à *D.Gregorio* aſſignantur ſpecies ſuperbiæ. ibid.
Superbia ex genere ſuo & in gradu completo eſt peccatum mortale grauiſſimum peccatorum , incompleta autem ſuperbia eſt tantùm peccatum veniale. ibid. 3

Super-

Superſtitio.

Sᴠᴘᴇʀsᴛɪᴛɪᴏ eſt vitium religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum, id eſt, quando quis exhibet cultum diuinum, cui non debet, vel eo modo quo non debet. ibid. 1
Superſtitio alia eſt cultus indebiti ſeu incongrui, alia, ratione rei cultæ. ibid. 2
Superſtitio cultus indebiti, quædam eſt cultus falſi ſeu pernicioſi, alia eſt cultus ſuperflui. ibid.
Superſtitio ratione rei cultæ diuiditur in alias ſpecies; videlicet, idololatriam, diuinationem, vanam obſeruantiam, magiam & maleficium, 732. 3
Superſtitio quæ dicitur cultus falſus, eſt mortale peccatum ex ſuo genere; ſuperſtitio autem cultus ſuperflui, non eſt mortale peccatum, ſed tantùm veniale. ibid. 4
De ſuperſtitione vide *Aſtrologia* n. 3. *Diuinatio*. *Obſeruatio vana*. *Magia*.
Surdus vide *Mutus* ſuprà.
Superſtitio in eo conſiſtit, quod quis exhibeat diuinum cultum, cui non debet, vel eo modo quo non debet: & hæc ſuperſtitio plerumque fit vel ex tacito vel expreſſo pacto cum Dæmone. ibid. 1
Pactum expreſſum cum Dæmone fit, aut verbo, aut opere & intentione. Pactum tacitum cum Dæmone tunc interuenit, quando quis cognitionem ſoli Deo reſeruatam ſeriò & ex intentione medijs vanis & indebitis habere procurat. ibid.
Malitia pacti expliciti cum Dæmone in eo conſiſtit, quod ſocietas, fœdus, & amicitia ineatur cum declarato Dei & ſui hoſte. ibid. 2
Pactum implicitum cum Dæmone poteſt interuenire vel formaliter, vel materialiter. ibid.
Celebrans pactum expreſſum cum Dæmone, non eſt formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti, ſi non celebretur cum expreſſa conditione quod homo abneget fidem. Talis tamen ſit ſoſpectus de apoſtaſia à fide. ibid. 3
Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, eſt id neceſſariò exprimendum in confeſſione. 733. 4
Ad ſuperſtitionem pertinet inuocare Dæmonis auxilium, etiam ad ea, quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare, ſiue id fiat ex pacto explicito, ſiue implicito. ibid. 5
Qui à Dæmone in iis rebus, quas naturaliter poteſt præſtare, auxilium expoſcit, eſt ſuſpectus in fide, & eius delictum pertinet ad inquiſitores in locis vbi Inquiſitio viget. ibid.
Superſtitionis peccatum, vt plurimum oriri ſolet ex quodam inordinato deſiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, quem difficilè, aut nunquam exiſtimant homines conſequi poſſe, nec ſperant à Deo, & ideò recurrunt ad artes ſuperſtitioſas. ibid. 6

Suſpenſio. Quid & quotuplex.

Sᴠsᴘᴇɴsɪᴏ eſt Eccleſiaſtica cenſura priuans Clericum vſu Eccleſiaſtici officij aut beneficij, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum vel ad tempus. ibid. 1
Suſpenſio, alia eſt ab officio tantùm; alia à beneficio tantùm; alia eſt ab officio & beneficio ſimul. Alia eſt pœnalis, alia medicinalis. Alia eſt a iore, alia ab homine. ibi. 2
In quibus differat ſuſpenſio à cæteris cenſuris. 734. 3

Suſpenſio. Quoad eius cauſas & effectus.

Pᴏᴛᴇsᴛᴀs ferendi ſuſpenſionem eſt à Chriſto, inſtitutio vero ab Eccleſia. ibid. 1
Is poteſt ſuſpendere, qui poteſt excommunicare. ibid.
Cauſa ſubiectiua ſeu materialis remota ſuſpenſionis eſt clericus quicumque, excepto ſummo Pontifice. Non laicus, neque fœmina. ibid. 2
Incautè agunt plures confeſſarij, dum laicos & fœminas etiam abſoluunt à ſuſpenſione. ibid.
Suſpenſionem generaliter à iure latam non incurrunt Epiſcopi, niſi fiat ſpecialis, de ipſis mentio. ibid.
Communitas & quælibet humana congregatio ſuſpendi poteſt. ibid.
Cauſa materialis proxima eſt peccatum; & quidem ſi grauis ſit ſuſpenſio, requirit peccatum mortale; ſi leuis, poteſt ferri pro culpa veniali. ibid. 3
Forma ſuſpenſionis non eſt determinata in iure. ibid. 4
Suſpenſio ab homine ob contumaciam, requirit antequam feratur præuiam admonitionem: ſi in pœnam delicti, minimè. ibi.
Finis ſuſpenſionis eſt animarum vtilitas. ibid. 5
Effectus ſuſpenſionis ſunt, 1. ſuſpenſus peccat mortaliter ex ſuo genere exercendo actum, à quo eſt ſuſpenſus. 2. ſuſpenſus ab ordine incurrit irregularitatem exercendo ſolemniter actum ordinis ſacri. ibid. 6
Tertius effectus ſuſpenſionis eſt; quod ſuſpenſus priuatur communione illorum in eo, in quo eſt ſuſpenſus. 735. 7
Acta iuriſdictionis propriæ per ſuſpenſum à iuriſdictione ſeu ab officio, inualida ſunt, ſi ſuſpenſus ſit denunciatus; aliàs valida ſunt. ibid. 8
Suſpenſio abſolutè lata abſque limitatione expreſſa vel tacita, ſuſpendit ab omnibus, id eſt, ab officio, & beneficio; ſecus ſi ſuſpenſio lata ſit cum expreſſione alicuius effectus particularis. ibid. 9
Suſpenſus ab ordine, non ob id ſuſpenſus eſt à iuriſdictione, nec è contra. ibid. 10
Suſpenſus à Pontificalibus tantùm, ſuſpenditur ſolùm ab exercitio eorum, quæ concernunt vſus Ordinis Epiſcopalis, non tamen ab his quę iuriſdictionis ſunt. ibid.
Suſpenſus à minori ordine ſuſpenditur etiam à maiori: ſuſpenſus à ſuperiori, non cenſetur ſuſpenſus ab inferiori. ibid.
Suſpenſus ab ordine, eſt etiam ſuſpenſus ab ijs actibus iuriſdictionis, qui ſunt fundati in ordine. ibid. 11
Verius eſt, ſuſpenſum ab officio prædicandi non incurrere irregularitatem, etiamſi concionetur cum ſolemnitate. ibid.
Suſpenſus ſimpliciter ab officio, intelligitur ſuſpenſus ab ordine & iuriſdictione. ibi. 12
Suſpenſus ab officio ſimpliciter, non eſt ſuſpenſus à beneficio: aliter tamen ſuſpenſus debet per alium ſupplere onera ſui beneficij. ibi. 13
Suſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ priuat actu ſolemni cuiuſcumque ordinis ex officio intra Eccleſiam: priuatque ſepultura Eccleſiaſtica, ſi impœnitens deceſſerit. ibid. 14
Suſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ temporalibus & ſpiritualibus, prohibet adminiſtrationem temporalem & ſpiritualem, non verò ſuſpendit ab ordine. ibid. 15
Suſpenſio à diuinis officijs prohibet ne clerici poſſint recitare in choro pſalmos, intereſſe illis, tanquam clerici. 736. 16
Suſpenſio à beneficio ſimpliciter, eſt priuatio vſus iuris ad recipiendum temporale emolumentum fructuum beneficij. ibi. 17
Nemo tenetur ex vi præcepti Eccleſiaſtici vitare ſuſpenſum aut non communicare aut loqui cum ipſo. ibid. 18

Suſpenſio. Quoad illius durationem & abſolutionem.

Sᴠsᴘᴇɴsɪᴏ lata ſimpliciter abſque conditione & limitatione temporis, durat donec auferatur per abſolutionem: lata verò cum temporis, determinatione, eo elapſo ceſſat. ibid. 1
Suſpenſio ab officio ſimpliciter lata abſque loci determinatione, valet pro omni loco; ſicut & ſuſpenſio à beneficio. ibid. 2
Suſpenſio lata in puram pœnam tollitur, vel per temporis lapſum; vel per diſpenſationem ſuperioris; vel per abſolutionem. ibid. 3
Quamuis probabile ſit ſuſpenſionem latam cum conditione *donec ſatisfeceris*, ceſſare exhibita ſatisfactione, tutius tamen eſt contrarium. ibi.
Abſolutio ſuſpenſionis ab homine pertinet ad eum, qui tulit ſententiam, vel ad eius ſucceſſorem, vel ad ſuperiorem. ibid. 4
A ſuſpenſione in pœnam poſſunt abſoluere priuilegiati mendicantes. ibid.
Quando ſuſpenſio eſt lata ad certum tempus vel in perpetuum, poteſt tantùm auferri ab auctore Canonis, ex poteſtate ordinaria. ibid.
Suſpenſio lata ob contumaciam & ob perſeuerantiam illa non poteſt tolli niſi ab auctore illius, vel ſuperiore, vel ſucceſſore, antequam tollatur contumacia. ibid. 5
A ſuſpenſione reſeruata lata à iure, tantùm poterit illam tollere eius auctor: & ſi ſit reſeruata Papæ & delictum occultum, tollere poteſt Epiſcopus. ibid.
A ſuſpenſione non reſeruata abſoluit quilibet Ordinarius; non verò Parochus, nec ſimplex ſacerdos. ibid.
Forma abſolutionis à ſuſpenſione non eſt determinata in iure. 737. 6

Suſpenſio.

Sᴠsᴘᴇɴsɪᴏɴɪs nomen ſignificat rem aliquam ſuſpenſam, ſeu independentem, dubiam & incertam relinquere; & tripliciter ſumitur. 738. 1
Suſpenſio quatenus eſt cenſura Eccleſiaſtica, ſuſpendit & impedit vſum & exercitium officij, aut beneficij Eccleſiaſtici in totum, vel in partem. ibid.
Suſpenſionis cenſura probabiliter contrahi non poteſt pro culpa aliena. Sed contrarius eſt probabilius: vnde Prælatus poteſt aliquando ſuſpendere totam communitatem propter culpam maioris partis, ſiue Superioris eiuſdem communitatis. ibid. 2
Clericus ſuſpenſus ab ordine Superiori, non cenſetur ſuſpenſus ab exercitio inferioris ordinis. 739. 3
Quando Sacerdos ſimpliciter eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, non cenſetur ſuſpenſus ab alijs functionibus ſacerdotalibus, quæ Miſſæ celebrationi non ſunt annexæ. ibid.
Clericus per cenſuram ſuſpenſus ab ordine inferiori, cenſetur aliquo modo ſaltem indirectè impediri ab exercitio Ordinum Superiorum propter indecentiam. ibid. 4
Sacerdos ſuſpenſus ab ordine Diaconatus, non poteſt licitè Miſſam celebrare; neque Epiſcopus ſuſpenſus à Sacerdotio poteſt functiones

Epiſcopales exercere; tamen talis Sacerdos celebrando, non incurrit irregularitatem, licet peccet mortaliter. ibid.
Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali extendit ſe tantùm ad eos actus Ordinis, qui Epiſcopo proprij ſunt, & Sacerdoti iure Ordinario competere non poſſunt; cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificalibus. ibi. 5
Epiſcopus celebrans in Pontificalibus, & ab eis ſuſpenſus, non incurrit irregularitatem. ibid.
Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum, non poteſt etiam minores conferre, bene tamen Tonſuram; quia non eſt Ordo. ibid. 6
Si Epiſcopus ſuſpendatur à collatione certi Ordinis videtur poſſe alios Ordines conferre, quamuis digniores: licet contrarium non ſit improbabile. ibid.
Suſpenſus à beneficio in opinione quorumdam, ſuſpenditur etiam à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi prouenientè ratione beneficij, à quo eſt ſuſpenſus: tamen dicendum eſt, talem ſuſpenſum poſſe eligere, & beneficia conferre. ibi. 7
Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij, grauiter peccat, & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia: & hi fructus ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ, detractis ijs qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum. ibid. 8
Suſpenſus à beneficio vſurpans ſibi fructus beneficij, non incurrit irregularitatem. 740. ibi.
Suſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, vniuerſaliter intelligenda eſt, id eſt, ab omni beneficio, vbicunque illud ſit, vel poſſideatur. ibid. 9
Ex violatione ſuſpenſionis incurritur irregularitas, non ſolum quando per exercitium maioris ordinis violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinandum tempus. ibid. 10
Probabilius eſt, eum, qui ſuſpenſionem incurrit in ſua ordinatione, in caſibus iure expreſſis, ſi miniſtret in illo ordine in ipſa miſſa ordinationum, puta ſi ſubdiaconus cantet epiſtolam, Diaconus Euangelium; vel ſi ſacerdos conſecret; non fieri irregularem. ibi. 11

Suſurratio.

SVSVRRATIO eſt occulta oblocutio contra proximum, quà poſſit diſſolui amicitia & oriri diſcordia inter amicos. ibid. 2
Suſurratio formalis ex ſuo genere peccatum eſt mortale contra iuſtitiam grauius detractione & contumelia. 741. 2
Suſurratio materialis ex genere ſuo non eſt peccatum mortale; ſed aliquando erit veniale, aliquando mortale. ibid.
Suſurratio aliquando poteſt excuſari à mortali ratione indeliberationis & inaduertentiæ: imo licita eſt ad diſſoluendam amicitiam perniciosam. ibid. 3
Non licet mediis illicitis ob propriam vtilitatem per ſuſurrationem alium excludere ab amicitia & gratia. ibid. 4
Omnes ſuſurrationes ſunt eiuſdem ſpeciei; quamuis poſſint tales circumſtantiæ ſuſurrationi accidere vt trahatur in diuerſam ſpeciem neceſſario in confeſſione exprimendam. ibid. 5

T.

Tentatio Dei.

TEntatio Dei eſt actus contra religionem, quo quis abſque iuſta cauſa aliquid dicit vel facit ad capiendam experimentum de diuina perfectione. ibid. 1
Tentatio Dei, vna eſt expreſſa, altera tacita ſeu interpretatiua. ibid. 1
Tentatio Dei regulariter loquendo eſt peccatum mortale, ſi fiat abſque iuſta cauſa. poteſt tamen eſſe veniale ratione inconſiderationis & paruitatis materiæ. ibid. 3
Iuſta cauſa Deum tentandi expreſsè pro alijs eſt neceſſitas, & vtilitas: hoc tamen non niſi valde cautè eſt faciendum. 742. 4
In confeſſione exprimendum eſt, an tentatio Dei fuerit tacita vel expreſſa. ibid. 5

Teſtamentum.

TESTAMENTVM eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod poſt mortem ſuam fieri vult, cum directa hæredis inſtitutione. ibid. 1
Teſtamentum differt à Codicillo in duobus. ibid.
Teſtamentum, vnum dicitur in ſcriptis ſeu clauſum; alterum dicitur nuncupatiuum ſeu apertum ſine ſcriptura. ibi. 2
Ad teſtamentum in ſcriptis ſeu clauſum requiruntur quinque. ibid.
Ad teſtamentum nuncupatiuum ſeu apertum duo requiruntur. ibid.
Ad teſtamentum militare factum in territorijs, requiruntur & ſufficiunt duo teſtes rogati, ſi autem factum ſit in conflictu hoſtium, nulla iuris ſolemnitas requiritur. ibid. 3
Vt teſtamentum ad pias cauſas ſit validum pro foro externo ſufficiunt duo teſtes; pro foro autem conſcientiæ non ſunt neceſſarij teſtes. ibid. 4
Teſtamentum abſque ſolemnitate iuris, in quo cauſa pia non eſt hæres inſtituta, valet quoad legata pia in ipſo contenta; imo probabile eſt teſtamentum ad pias cauſas valere etiam quoad legata prophana, ſi deſit iuris ſolemnitas. 743. ibid.
Varijs modis relicta ad pias cauſas dicuntur. ibid.
Teſtamentũ ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus iuris in foro conſcientiæ validum eſt, non in exteriore. ibid. 5
Teſtari poteſt quilibet, niſi iure prohibeatur, modo ſufficientem rationis vſum habeat & liberam bonorum adminiſtrationem. ibid. 6
Illi non poſſunt teſtari, qui vel ſufficienti rationis vſu carent, vel iuris diſpoſitione prohibentur: & qui ſint illi. ibid.
Religioſi cum licentia ſuperioris poſſunt aliquid donare, tempore mortis etiam per ſchedulam ſcriptam. ibid.
Religioſus profeſſus non poteſt mutare teſtamentum ſuum tamquam dominus: ſed tamquam optimus interpres ſuæ voluntatis. ibid.
Omnes lege non prohibiti inſtitui poſſunt hæredes & legatarij. ibid. 7
Qui ſunt inteſtabiles actiuè propter delictum, ſunt etiam inteſtabiles paſſiuè, id eſt, non poſſunt capere ex teſtamento. ibid.
Fratres Minores de Obſeruantia & Capucini non poſſunt inſtitui hæredes: poteſt tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui ſeu legatum, vt vendatur per alios & fratribus pretium tradatur. ibid.
Hæredes poſſunt inſtitui non ſolùm priuati, ſed etiam communitates, vt Eccleſia, ciuitas, oppidum, collegium &c. non autem ciuitas hoſtium aut communitas Iudæorum. ibid. 8
Filij naturales poſſunt inſtitui hæredes vniuerſales à parentibus, ſi non habeant prolem legitimam. ibid. 9
Ab inteſtato naturalis non ſuccedit, niſi in ſexta parte bonorum: Matri autem carenti prole legitima etiam inteſtatæ, naturalis ſuccedit ex aſſe. ibid.
Spurij non poſſunt aliquid accipere à patre ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter viuos; debentur tamen ſpurijs alimenta: ſi tamen legitimentur poſſunt hæredes inſtitui. 744. 10
Filia non poteſt exhæredari, eò quòd matrimonium contraxerit inuito patre vel cum indigno: ſi verò filia turpem vitam agat priuari poteſt hæreditate. ibid. 11
Pater poteſt vni filio plus relinquere quàm alteri, ex iuſta cauſa & ſecluſo ſcandalo; modo reliqui filij non priuentur legitima portione. ibid. 12
Executores vltimarum voluntatum poſſunt inſtitui omnes, qui de iure non prohibentur: vnde Epiſcopi, vel clerici, ſeu ſacerdotes ſæculares, fœminæ poſſunt ſuſcipere executionem teſtamenti. ibid. 13
Religioſus clauſtralis non poteſt eſſe executor teſtamenti, niſi cum licentia Prælati: ſi autem extra clauſtra perpetuo degat licitè, non indiget Prælati licentia, vt ſit executor. ibid.
Religioſi clauſtrales teſtamenti executores, rationem debent reddere locorum ordinarijs, etiamſi ab aliorum iuriſdictione ſint exempti. ibid.
Fratribus minoribus de Obſeruantia & Capucinis munus executoris teſtamentarij omninò iure prohibitum eſt neque Prælatus in hoc diſpenſare poteſt. ibid.
Electio pauperum, in quos eleemoſyna ab executore diſtribuenda eſt, poteſt Fratribus Minoribus committi à teſtatore, modò ipſimet Fratres in pauperes non diſtribuant. ibid. 14
Electio & nominatio ipſorum executorum teſtamenti, cum licentia Prælati, Fratribus Minoribus committi poteſt: imo conſtitui poſſent ijdem Fratres & alij religioſi commiſſarij ad faciendum teſtamentum nomine committentis. ibid.
Teſtamentum ad pias cauſas valet etiam quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates: ſi tamen ille qui teſtatur ad pias cauſas, facultatem non habet teſtandi ad alia, tunc legata non pia ſunt inualida. 745. 8
Cauſa piorum legatorum, quando hæres, qui illa tenetur ſoluere eſt ſæcularis, eſt mixti fori. ibid. 2
Cauſa hæc, ſiue in Eccleſiaſtico, ſiue in ſæculari foro tractetur, iudicandum eſt iuxta diſpoſitionem iuris Canonici. ibid.
Teſtamentum ad pias cauſas manu propria teſtatoris ſcriptum valet etiam ſine teſtibus, dummodò liquidò conſtet quòd ſcriptura ſit facta manu defuncti. 746. 3
Teſtamentum ad pias cauſas factum manu teſtatoris ſolùm ſubſcriptum, etiam ſine teſtibus, vim teſtamenti obtinet. ibid.
Teſtator moriturus, qui cœpit facere teſtamentum, aut codicillum, & morte præuentus non abſoluit, licet irritum ſit quoad alia, valet tamen quoad relicta pia, de quibus iam diſpoſuit. ibid. 4
Si tamen cauſa pia in hoc caſu ſit inſtituta hæres, quidam docent non eſſe tradendam totam hæreditatem cauſæ piæ, ſed recurrendum eſſe ad arbitrium prudentis viri. ibid.
Si quis ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſchedula ſine ſui ipſius ſubſcriptione, eo animo vt poſtea reciperetur à Notario, non valeret etiam quoad cauſas pias: ſecus ſi ſchedula inueniretur ab eo ſubſcripta. ibid.

Quan-

Quamuis regulariter ſecundùm ius Ciuile non valeat diſpoſitio vltimæ voluntatis, quæ confertur in alterius arbitrium, tamen valet in diſpoſitione ad pias cauſas. ibi. 5.

Etſi iure ciuili hæredis declaratio nutu facta irrita ſit, tamen in teſtamento ad cauſas pias, ſicut & in legato, ſufficit voluntatem defuncti quocumque ſigno externo declaratam eſſe. ib. 6

Qui natura mutus pariter, ac ſurdus eſt, non prohibetur voluntatem ſuam vltimam ad cauſas pias quomodocunque poteſt manifeſtare. ibid.

Teſtamentum inter liberos non ſubſiſtit, quando voluntas teſtatoris non fuit plenè, ac perfectè declarata. ibid.

In teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria inſcriptio temporis, id eſt, anni, menſis, diei, neque loci. ibid. 7.

Primum teſtamentum legitimè factum, & in quo ſunt omnia requiſita, vt ſit validum, reuocatur per ſecundum legitimè etiam factum, etiò in ſecundo ſit minor ſolemnitas. ibid. 8.

Teſtamentum coram ſupremo Principe factum validum eſt abſque alia ſolemnitate teſtium; dummodo conſtet teſtatorem ſuam voluntatem non mutaſſe poſtea, &c. 747. 9

Miles, qui teſtamentum condit, dum in bellica expeditione verſatur, quocumque modo voluntatem ſuam vltimam declararit voce, aut ſcripto, ea rata cenſetur. ibid. 10

In teſtamento facto tempore peſtis, vt ſit validum, quidam requirunt etiam ſeptem teſtes, alij quinque, & alij duos. ib. 11

In conficiendis teſtamentis potius conſeruandæ conſuetudines, & leges, ſtatutaque Regnorum, Prouinciarum, & locorum, quàm ius commune Cæſareum. ibid.

Teſtamentum ſemper vſque ad mortem reuocari poteſt, & mutari, dummodò ſecundum teſtamentum habeat ſolemnitatem à iure requiſitam: ſed hoc vltimum quidam in foro conſcientiæ non adquirunt. ibid. 12.

Reuocatur etiam teſtamentum primum pro vtroque foro, quando teſtator illud rumpit, & lacerat, an ſcindit, ſigillum, aut illud cancellat, & delineat. ibid.

Teſtamentum continens aliquid contra leges iuſtas, etiamſi iuramento confirmatum ſit, reuocandum eſt: ſi autem bene compoſitum ſit, & ex omni parte perfectum ſi iurat... à teſtatore reuocetur, erit de facto reuocatum, & nullius roboris, & poſterius in vtroque foro valebit, licet reuocans ſit periurus. ibid. 13.

Teſtamenti executor dicitur ille, qui eſt legitimè nominatus, ſeu à iure conſtitutus, principaliter ad exequendam voluntatem teſtatoris; & hic vel eſt legitimus, vel datiuus. 748. 14.

Nullus ad munus executoris teſtamentarij acceptandum cogi poteſt: ſi tamen religioſus ad id acceptandum à ſuperiore compellatur, debet obedire. ibid.

Ex charitate tenetur quis ad acceptandum tale munus, ſi ſine ſuo graui damno poſſet proximi rebus conſulere, vel quando ad id poſſet per iudicem compelli. ibid.

Executores teſtamentorum vbi primùm acceptarunt munus, tenentur in conſcientia ſub graui culpa, quamprimum potuerint ante annum, & menſem, imò & ante ſex menſes, ſi legata ſint pia, & nulla fuerit cauſa differendi, teſtamenta executioni mandare. ib. 15.

An executio teſtamenti facta per religioſum, ſine vlla licentia ſuperioris valeat? Quidam negant, alij affirmant probabiliter. ibi. 16.

Executor teſtamenti, ſiue religioſus ſit, ſiue non, poteſt legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum, ſibi ipſi tanquam pauperi, ex toto, vel ex parte applicare, ſicut poteſt alijs pauperibus; & ſi executor ſit religioſus, poteſt ſuo monaſterio aliquid largiri, ſi eſt pauper. ibi. 17

Epiſcopus data negligentia executorum, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur teſtamentum exequi; hoc tamen non procedit in tribus caſibus. 749.

De iure communi, iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, compellere poteſt hæredes, vel executores laicos ad exequendas vltimas voluntates, ſi negligentes ſint: ſed quoad cauſas pias ſolus Eccleſiaſticus id poteſt. ibid.

Si nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus ſit, executio pertinet ad hæredes, etiam quoad legata pia. Excipiuntur legata pro redemptione captiuorum, & alimentis. ib. 19

Epiſcopus executor teſtamenti tenetur reddere rationem coram ſuo Metropolitano, non autem coram iudice ſæculari; clerici autem coram iudice Eccleſiaſtico dumtaxat conueniendi ſunt, pro executione facta teſtamenti. ib. 20.

Variæ pœnæ in iure ſtatutæ ſunt contra negligentes executores teſtamentorum. ibid. 21

TESTIS.

Omnes habentes vſum rationis, teſtes eſſe poſſunt, ſi iure non ſint prohibiti. 750. 1

Septem genera perſonarum iure prohibentur teſtimonium ferre. ibid.

Teſtes minùs idonei admittuntur tamquam idonei, quando delictum eo tempore, vel loco patratum eſt, vt alij teſtes haberi non poſſint. ibid.

Quamuis teſtis minus idoneus non probet ſemiplenè, facit tamen indicium, quod cum alijs coniunctum ſufficit ad torturam. ibid.

Teſtificari non poteſt filius contra patrem in criminibus; niſi in crimine læſæ maieſtatis humanæ, & diuinæ. ibid. 2.

Teſtes priuilegiati de iure non tenentur ex vi monitorij reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi non ſint alij teſtes. ibid.

Filia iure diuino, & naturali communis tuendæ religionis, tenetur matrem ſuam ſagam, ac veneficam ad iudicem deferre. ibid.

Teſtes duo ſufficiunt, & requiruntur in criminalibus, vt aliquis condemnetur. 751. 3.

Vt teſtes duo plenè probare dicantur præter accuſatorem, quatuor exiguntur. ibid. 4.

Quando teſtes actoris, & rei diſcordes ſunt in pertinentibus ad ſubſtantiam facti, iudicandum eſt pro reo. ibid. 5.

In quibus caſibus teſtis legitimè, & iuridicè interrogatus à iudice tenetur reſpondere, & veritatem aperire poſito eius præcepto. ibid. 6.

Teſtis in multis caſibus non tenetur veritatem fateri. ib. 7.

Teſtibus in caſibus in quibus non tenetur reuelare iuratus, non tenetur etiam iuratus, modò iuramentum ſuum conuenienti modo intellexerit. ibid.

Teſtis tenetur teſtificari & ſe offerre ad teſtimonium in criminibus, quando proximus graue damnum iniuſtè alioquin pateretur, modò ſperet ſe profuturum ſuo teſtimonio. ibi. 8.

Quando teſtimonium alicuius eſt neceſſarium ad liberandum reum ab iniuſta morte, vel graui malo, tenetur teſtis non vocatus ſe offerre: ad condemnandum autem reum non tenetur, niſi crimine læſæ maieſtatis diuinæ vel humanæ. ibid.

Teſtis, qui falſum teſtificatur, peccat tantùm venialiter, quando iudex iuridicè non procedit, modò abſit iuramentum: quando autem iudex iuridicè procedit, peccat mortaliter; niſi ex paruitate materiæ excuſetur. ibid. 9.

Teſtis falſum deponens ex ignorantia, vel inaduertentia, vel obliuione non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad reſtitutionem: ſi autem ſcienter vel ex ignorantia craſſa, tenetur; & ad retractationem. ibid. 10.

Probabile eſt, teſtem non teneri ad reſtitutionem, ſi citatus à iudice fugiat vel ſe occultet, vel aliqua arte iudicis interrogationem eludat. 752. 11.

Quando teſtis eſt ita inhabilis, vt ab illa particulari atteſtatione à iure repellatur, non tenetur iudici interroganti reſpondere, etiamſi ſit iudex competens. ibid. 12.

Quando teſtis non in totum à iure repellitur, ſed ſolùm eius non admittitur, quamuis inhabilis ſit ex quocumque capite, dum legitimè interrogatur tenetur reſpondere. ibid.

Teſtes ſingulares non plenè probant, quando plures teſtes requiruntur. Teſtes autem ſingulares dicuntur, quando non concordant in eo, quod deponunt, ſed vnus deponit aliquid, & alter aliud. ibi. 2

Teſtes ſingulares non ſolum non probant in indiuiduo, aut in ſpecie, ſed neque etiam in genere, quamuis quidam aliter ſentiant. 753. 3.

Quando agitur de aliquo ſecundum genus, v. g. an aliquis ſit fur: & teſtes ſingulares actiones furti deponunt, non tanquam id de quo teſtentur, ſed tanquam rationem ſui dicti, ita vt teſtificatio procedat de furto in genere, tunc ſufficiunt ad plenè probandum teſtes ſingulares. ibid.

Teſtes ſingulares plenè probant, quando agitur de re permanenti, & de probando actu, vel delicto, quod in quadam continuatione conſiſtit: ſed vt faciant plenam fidem, debet res permanens eſſe talis conditionis, quod non potuerit variari, ratione temporis, aut loci, aut alterius circumſtantiæ, ſecundum quam teſtes ſingulares ſunt: ſecus ſi potuit variari. ibi. 4.

Quando iudex per viam accuſationis procedit exiſtente accuſatore, & ſolum vnus eſt teſtis, qui crimen nouit, & ille in iudicio productus eſt, an rogatus à iudice crimen fateri teneatur? Quidam negant, alij affirmant; alij dicunt non teneri, ſed poſſe ſi velit. ibi. 5.

Quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur: Quidam affirmant teneri teſtem reum manifeſtare: alij negant, niſi præceſſerit infamia, vel ſaltem ſemiplena probatio, & accuſatio de criminis auctore. ib. 6

Teſtis non tenetur teſtificari, quando non ſibi conſtat ſeruatum eſſe ordinem iuris à iudice interrogante. 754. 7.

Quando teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridicè, necne interroget, & crimen non eſt in perniciem publicam, tunc teſtis, & reus hoc modo dubitantes, non tenentur reſpondere. ibid.

Quando crimen eſt in damnum alterius publicum, vel particulare, adhuc imminens, & quod adhuc eſt in fieri, tunc rectè iudex interrogat, & teſtis, licet dubius tenetur reſpondere. ibid.

Si verò huiuſmodi crimina non pendent in futurum, ſed ſint iam facta non

Digitized by Google

non tenetur teſtis reſpondere, niſi præceſſerit infamia, aut indicia probata. ibid.

Teſtis idoneus eſt ille, qui eſt omni exceptione maior, id eſt, cui nihil poteſt à iure opponi, nec à iudice repelli. Minus idoneus eſt, qui poteſt à iure repelli, & cui poteſt aliquid opponi. ibid. 8

Inter teſtes idoneos cenſentur etiam religioſi, non ſolum in cauſis iudicialibus, ſed etiam in inſtrumentarijs: in primis tamen cauſis requiritur licentia ſuperioris, in ſecundis verò minimè. ibid.

Vt religioſi non exempti teſtificentur coram Epiſcopo, nulla indigent licentia, ſi verò ſint exempti, requiritur licentia. ibid.

Teſtimonium religioſi ſine licentia ſuperioris coram iudice ſæculari, vel alio non ſuo, valet, niſi pars opponat defectum licentiæ ad teſtificandum, & nihilominus admittatur, tunc non valeret. ibid.

Teſtes poſſunt eſſe religioſi in teſtamento, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur. ibid.

Religioſi non ſunt compellendi ad teſtificandum, niſi quando aliter veritas haberi non poteſt; & tunc ad id poſſunt cogi per Prælatum ſuum regularem, non verò per iudicem ſæcularem, nec per Ordinarium loci, ſi ſint exempti. ibid.

De iure Canonico admittuntur in teſtes mulieres laicæ, quando aliter veritas haberi non poteſt; multo magis admitti debent moniales contra alias moniales. 715.9

Religioſi, & moniales poſſunt aſſiſtere matrimonio, vt teſtes: quamuis ſummoperè deceat eos ab huiuſmodi munijs abſtinere. ibid.

Iudex tam ſæcularis, quàm regularis, cùm veritas non poteſt haberi à ſuſpecto, & inuicto, niſi per torturam, licitè poteſt teſtem ad id torquere. ibid. 10.

Arbitrio iudicis prudentis, & boni relinquitur, an omnes, vel duo, aut tres teſtes, qui interfuerunt delicto, debeant torqueri. ibid.

In cauſis fidei omnes præter inimicos capitales in teſtes admitti poſſunt ſine tortura. ibid.

Quando teſtes inhabiles admittuntur ad teſtificandum, ſi torqueantur, tortura purgat eorum defectum, & fidem faciunt contra reum, licet aliàs ſine tortura non probarent. ibi. 11.

Teſtis in cauſis criminalibus, & ciuilibus magnæ quantitatis, aut qualitatis, numquam poteſt deponere in ſcriptis, etiamſi legeret ſcripturam; in cauſis autem ciuilibus parui præiudicij valeret dictum in ſcriptis, vbi talis conſuetudo. ib. 12.

Tamen mutus tantùm, vel ſurdus tantùm non prohibetur ferre teſtimonium ſuper cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus. ibid.

Teſtis vocatus ab aliquo vt teſtimonium reddat, tenetur etiam manifeſtare, quæ pro aduerſario faciunt, & ſi illa taceat tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti alteri ex taciturnitate. ib. 13.

Teſti varianti ab his, quæ prius in iudicio dixerat, non eſt adhibenda fides maximè quando ſibi contrarius eſt in eadem depoſitione; tunc enim eius dictum tanquam falſum in totum reijcitur. 716.14.

Teſtis varius dicitur ille, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuerſis, vel primò teſtificatur per verbum *Credo*, & deinde aſſertiuè vel primò ait ſe nihil ſcire, & poſteà deponit de veritate, &c. ibid.

Teſtis non dicetur varius, ſi ſtatim in iudicio corrigat propriam teſtimonij depoſitionem, tunc vltima eius depoſitio valida erit. ibid.

Teſtis varians in ſuis depoſitionibus torqueri poteſt, nec facit fidem, niſi firmet dictum in tortura. ibi.

Vt teſtis torqueri poſſit, requiritur quod fateatur ſe facto interfuiſſe, & quod variatio ſit in ſubſtantialibus, ac etiam in cauſa criminali, & quòd non ſit in dignitate conſtitutus, niſi in criminibus exceptis. ibid.

Teſtis, qui ſcienter, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, tenetur in ſolidum omnia damna reſtituere; ſi tamen reus iam ſufficientiſſimè per alios erat teſtes conuictus, & teſtimonium eius nihil effecit, ad reſtitutionem non tenetur. ib. 15

Qui alios induxit ad falſum teſtimonium dicendum, tenetur ex iuſtitia eos monere, vt ſe retractent, quòd ſi nolint, tenetur eos, & totam ſuam machinationem, etiam cum periculo vitæ iudici aperire, vt innocens liberetur. ibi. 16.

Qui eos non induxit, nec fuit cauſa teſtimonij illorum, tenebitur ſolùm lege charitatis, & fraternæ correctionis, eos monere, & ſi nolint, eos manifeſtare, non tamen cum vitæ periculo; modò ſpes ſit retractationem eſſe profuturam. ibid.

Quando concurrunt plures falſi teſtes, & omnes ſunt efficax cauſa damni, & nullum eſt inductor, tenetur quilibet ſeorſum ſe retractare, etiam cum periculo vitæ, & quilibet in ſolidum tenetur reſtituere, ſi ſpes ſit retractationem eſſe profuturam aliàs non. ibid.

Teſtis, qui pecunias accepit, vt verum fateatur, peccat, & tenetur eas reſtituere, ſicut iudex, vt rectam ferat ſententiam. ibi. 17.

Quando teſtis accepit pecunias, vt falſum deponat, tenetur ad ſic acceptum reſtituendum in conſcientia ante vllam iudicis ſententiam, & inſuper tenetur parti reſtituere damnum illatum. ibi.

Teſtis poteſt licitè expenſas accipere, dum extra ſuum domicilium ad ferendum teſtimonium proficiſcitur: imò & damnum emergens, & lucrum ceſſans poteſt petere pro tempore, quo ſe detinuit cauſa ferendi teſtimonij. ibid.

Tortura.

Tortura reorum introducta eſt in pœnam delicti; ſed in ſubſidium probationis: nec poteſt adhiberi, niſi quando crimen eſt ſemiplene probatum, vel præcedunt vrgentia indicia, & in criminibus grauioribus, quæ pœna mortis, mutilationis, vel triremium caſtiganda ſunt. 757. 1.

In crimine hæreſis iudices ad torturam proniores eſſe debent, quia crimen eſt occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. ibid.

Tonſuræ non poteſt iudex ſubijcere ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitimè eſt conuictus per teſtes, etiamſi nolit crimen fateri: excipiuntur tamen duo caſus, in quibus tortura poteſt adhiberi. ibid. 2.

Reus torqueri poteſt, quando eſt ſemiplena probatio, vel indicia æquipollentia quòd ſocios criminis habuerint: in crimine autem hæreſis ſine vllo indicio complicum infertur tortura ſuper complicibus. ibid.

Reus poteſt torturæ ſubijci, quando eſt fama publica, quod ſit auctor criminis, modo ſit fama vehemens, & adminiculata. ibi. 3.

Indicium ſufficiens ad torturam eſt confeſſio rei extra iudicium, quæ ſit ſpontanea. Item aſſertio duorum, vel trium ſociorum cum iuramento.

Item, fuga ſtatim patrato delicto antequam accuſetur, & citetur, maximè ſi coniungatur fama, & communis ſuſpicio, &c. ibid. 4.

In delictis occultis, & difficilis probationis ſufficiunt minora indicia, & non ita probata plenè ad torquendum. ibid.

Antequam iudex reum ſubijciat torturæ, tenetur concedere illi indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit, præfixo certo termino ad ſe purgandum, etiamſi illam reus non petat ſed non ſemper. 758. 5.

Reo etiam propalanda ſunt nomina teſtium; non tamen in cauſa hæreſis, vt obſeruat praxis ſacræ Inquiſitionis. ibid.

Iudex regularis tenetur etiam dare reo ſubdito copiam indiciorum, etiamſi ipſe reus illam non petat. Tamen probabile eſt nomina teſtium non eſſe reuelanda, antequam tortura adhibeatur. ibid. 6.

Confeſſio facta in tortura non valet, minimè data opera indiciorum, quando iudex tenetur illam dare abſque eo quod petatur, etiamſi poſtea ratificetur extra tormenta, & ex tali confeſſione non ſit puniendus reus. ibi. 7.

In caſibus verò in quibus non tenetur iudex dictam copiam dare non petenti, valet talis confeſſio, & hoc in cauſis regularium omninò ſeruandum eſt. ibid.

Vt regularis poſſit condemnari vi confeſſionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam poſt aliquod tempus, quale poſſet eſſe ſpatium trium dierum. ibid.

Licet iudices ſæculares poſſint iuſtè repetere tormenta in cauſis tamen regularium hoc non decet, niſi aliter ſuadeat, ſiue grauitas delicti, ſiue vehementia indiciorum de nouo ſuperuenientium longè maiorum prioribus. ibid.

Regulares mitiùs torquendi ſunt, tum ob metum excommunicationis, ſi excedatur in tortura, ea eius modo, tum ob reuerentiam ſtatus religioſi. ibid.

Tranſactio.

Tranſactio eſt de re dubia, & lite incerta, needum finita, non gratuita pactio, ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo. ibi. 1.

Tranſactio eſt contractus innominatus, facio vt facias, vel do vt facias. ibid. 2.

Tranſactio de re dubia valida eſt, tam in foro conſcientiæ quam externo; & ad iuſtitiam eius requiritur, vt inter tranſigentes æqualitas ſeruetur. 759. 3

Qui non poteſt alienare bona aliqua, nec etiam poteſt tranſigere circa illa aut compromittere. ibi. 4.

Tranſactio ſuper alimentis, ſi relicta ſint ex vltima voluntate, & præſtanda ſint in futurum, abſque iudicis auctoritate inualida eſt, niſi iuramento firmetur. ibi. 5

Qui habet bona vinculata, non poteſt tranſigere circa illa, nec compromittere: tranſactio autem fieri poteſt in delictis capitalibus, quæ pœna ſanguinis, imo & mortis digna ſunt excepto adulterio, non verò in delictis alijs. ibi. 1.

Non poteſt tranſigere, aut compromittere procurator alicuius conſtitutus ad agendum, ac defendendum, niſi ad id habeat ſpeciale mandatum. ibi. 2.

Tranſactio valida eſt, alienatione prohibita, in quatuor caſibus. ibid.

Tranſactio particularis, hoc eſt, circa rem particularem, vel res particulares in tranſactione expreſſas, non extenditur ad alias res. ibid. 4.

Quando tranſactio fuit particularis circa rem; ſi fuit vniuerſalis, quoad actiones, tunc res illa peti ab eo non poteſt ex quacumque alia cauſa, ſeu titulo, quo de nouo comperiatur ad ipſum pertinuiſſe. ibid.

Quan-

Quando tranſactio eſt generalis, & eam antecedit petitio generalis, tunc intelligenda eſt tranſactio generaliter, etiam quoad incognita, quæ tunc non occurrebant: tamen tranſactio non extenditur ad res dolo occultatas. 760.5.
Tranſactio generalis ſequuta poſt petitionem particularem ſi poteſt reſtringi ad ſola illa particularia contenta in petitione, non intelligitur de rebus alijs; ſecus ſi non poſſit reſtringi ſalua proprietate ſermonis: tunc tranſactio extenditur ad omnia. ibid.6.
Ex tranſactione non debetur tributum, ſeu gabella, etſi pecunia detur alteri tranſigentium, vt à lite recedat; niſi fraus adeſſet, & ſimularetur tranſactio, cùm reuera ſit emptio, & venditio. ibid.
Compoſitio latiùs patet quàm tranſactio eſt enim pactio de re aliqua, vel circa quam nulla eſt controuerſia, aut eſſe poteſt. ibi.7.
Compoſitio diuidi poteſt in eam, quæ eſt de re, circa quam nullum eſt dubium, & in eam, de qua eſt dubium ad quem pertineat, vel pertinere in futurum debeat. ibid.8.
Quando vnus contendentium aliquid tribuit alteri, quaſi in pretium, vt recedat à lite, vt condonet ius, quod prætendere poterat circa rem illam eſt tranſactio; quæ interuenire non poteſt in ſpiritualibus. ibid.
Quando amicabiliter lis componitur arbitrio prudentis, vt lites finiantur, & ſeruetur pax, ſiue diuidendo rem, aut emolumentum, aut aliunde compenſandum; hæc compoſitio interuenire poteſt etiam in rebus ſpiritualibus, & beneficialibus. ibid.

Tutela

Tutela eſt ius, & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſua ſponte ſe tueri nequit, à iure ciuili data ac permiſſa. ib.1.
Tutor dicitur, qui pupillum, aut pupillam morte patris, vel emancipatione ſui iuris factum, vel factam tuetur. ibid.
Tutela, alia dicitur teſtamentaria; alia legitima; alia datiua. ibi.2.
Tutela durat vſque ad 14. annum completum in mare & 12. in fœmina deinde incipit cura vſque ad 25. completum in vtroque. ibid.
Tutor poteſt inſtitui ille, qui alterius curam ſuſcipere poteſt, & à iure non prohibetur. ibid.3.
Tutores eſſe non poſſunt, impubes, minor, furioſus, mente captus, prodigus, mutus, ſurdus, ſeruus, fœmina, religioſus, creditor, vel creditor pupilli. ibid.
Tutelam filiorum ſuſcipere poſſunt mater, & auia, ſi velint; ſi tamen mater, & auia tranſeant ad ſecundas nuptias, contracto matrimonio tutelam ipſo iure amittunt. ibi.
Ad ſuſcipiendam tutelam non poſſunt clerici cogi. ibid.
Tutor tenetur ex eadem culpa, qua negotiorum geſtor, nempe ex dolo, culpa lata, & leui. 765.4.
Tutori, vel curatori ſalarium à principio eſt conſtituendum, alioquin non debetur, niſi iuſta cauſa interueniat. ibid.
Tutor tenetur pupillos intactos conſeruare à criminibus, & illos bonis moribus imbuere item præſeruare res eorum ab iniuria; item mobilia bona eorum conuertere in prædia, ex quibus percipiant fructum. ibid.5
Quando ad ſoluendum æs alienum vendenda eſſent aliqua pupilli bona tutor debet primo alienare res inutiles, deinde minus vtiles, vltimo loco bona ſtabilia. ib.6.
Tutor, & curator tenentur quamprimùm poterunt facere inuentarium coram notario de rebus pupilli, vel minoris, niſi cauſa neceſſaria, vel iuſtiſſima impediantur, vel in contrarium eſſet conſuetudo, vel iudex ex cauſa remitteret. ibi.7.

Tutela, Tutor.

Religioſi non poſſunt eſſe tutores teſtamentarij, aut datiui, id enim eis à iure interdicitur. 761 1.
Verius eſt religioſos, nec poſſe tutelam legitimam ſuſcipere; nec poſſe cogi accipere tutelam miſerabilium perſonarum. ib.2.
Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti tutores, & curatores eſſe non poſſunt teſtamentaria, aut datiua tutela; legitima vero, quando proximiores ſunt in gradu pupillo, eſſe poſſunt, ſed non tenentur. ibid.3.
Epiſcopus tutor, aut curator eſſe non poteſt, niſi miſerabilium perſonarum; quarum etiam Clerici tutores, aut curatores eſſe poſſunt, ſi aliàs earum bona perirent. 762.ib.
Qui debitor eſt minoris, aut furioſi, mente capti, aut prodigi, tutor, aut curator illius eſſe non poteſt, ſicut nec ille cui minor aliquid debet: ſi autem tutor, aut curator poſteà efficiatur debitor, aut creditor minoris, tunc debet ei adiungi alius. ibid.
Qui Regi eſt obligatus, ita vt bona ipſius Regi tacitè ſint obligata, non poteſt eſſe tutor, aut curator. ibid.4.
Miles, qui in militia eſt occupatus, & qui morbo perpetuo, vel alio ſimili impedimento eſt impeditus, nec tutor, nec curator eſſe poteſt: & quis excuſatur à tutela, & cura alterius propter paupertatem, ſi tota ſua induſtria, ac tempore indigeat ad ſeipſum ſuſtentandum. ibid.
Tutor poteſt pupillum impuberum religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat, modo non ſit inuitus: quod etiam habet locum circa puellas impuberes. ibi.5.
Tutor, & curator tenentur conſeruare omnia iura, bona, & actiones ſui pupilli, ſeu minoris, &c. Vnde tutores legitimi, alijque dati abſque inquiſitione ſatiſdare, & cautionem præſtare, rem pupilli ſaluam fore, antequam adminiſtrent: ſed tutores, & curatores qui teſtamento ſunt dati, non ſatiſdant. ibi.6.
Si ille, cui ſatiſdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minus idoneam, conceditur minori, mente capto, aut prodigo, actio aduerſus illum, quantum ipſis intererat, idoneam eſſe receptam. ibid.
Bona curatoris, & tutoris tacitè ſunt hypothecata minori, aut pupillo à puncto tutelæ, aut curæ ſuſceptæ. ibi.
Tutor, vel curator, qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit; tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis; vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus, vel minor: Imo tenentur hi ad reſtituendos fructus omnes, deductis expenſis, quos ex bonis pupilli, ſeu minoris percipere poterant, ſed ſua culpa non perceperunt. ib.7.
Tutor, vel curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt, poteſt ſine iudicis decreto, vendere, permutare, atque alienare congruo tempore, & hoc in locis vbi exiſtunt. ibid.
Tutela, aut cura iure communi finitur. 1. quando pupillus, aut pupilla ad annos pubertatis peruenit, 2. ſi impubes de conſenſu arrogetur, tranſit in poteſtatem patris arrogantis, 3. amittitur tutela morte, vel pupilli, vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, 4. ſi tutela ſub conditione, aut ad certum tempus data ſit, adueniente conditione, aut finito tempore 5. quando tutor diſſipat bona pupilli, &c. hic remouendus eſt. ibid.8.
Quando tutela, aut cura finitur, rationem integram adminiſtrationis tutor, & curator reddere tenentur. 763.ibid.

V.

Vana gloria.

VAna gloria eſt appetitus inordinatus gloriæ, circa opera à ſe facta, vt ab hominibus laudatur; & differt vana gloria ab ambitione, & ſuperbia. ib.1
Appetitus gloriæ multis modis poteſt eſſe inordinatus. ibid.2.
Appetitus vanæ gloriæ ex genere ſuo non eſt peccatum mortale, niſi in quantùm Dei, & proximi charitati opponitur; quod fieri poteſt multis modis. ibi.3.

Venatio.

Venatio eſt exercitium ordinatum ad captionem animalium terreſtrium. ibid.
Venatio ex ſua natura licita eſt; quamuis Princeps, vel Magiſtratus, vel Reſpub. imo Dominus agri illam prohibere poſſit. ib.
Princeps qui ius venandi ſibi reſeruat, obligatur ad cauenda damna, quæ feræ poſſent inferre agris vicinorum. ibid.2.
Impediens iniuſtè alterum piſcari, aut venari tenetur ad reſtitutionem probabilis lucri impediti; non tenetur tamen ad reſtitutionem feræ quæ capta non eſt. ibid.
Venatio eſt illicita Clericis, & Monachis, quando eſt ſaltuoſa, clamoroſa, & periculoſa: ſi vero talis non ſit, videtur concedi poſſe clericis recreationis cauſa; ſed non religioſis. ibid 3.
Venatio poteſt eſſe mala, quia eſt contra publicam vtilitatem, vt quando feræ ſunt grauidæ; ſed hæc venatio non eſt peccatum mortale, niſi ex ipſa inferretur notabile damnum Reipublicæ. 764.4.
Qui venatur in loco interdicto, peccat quidem contra iuſtitiam, & pro ratione iniuriæ, vel damni mortaliter, vel venialiter, cum obligatione compenſandi damnum, acquirit tamen dominium illorum, quæ capit. ibid.5.
Venatio illicita eſt, quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis, vel conceſſionis; & talis venator tenetur ad reſtitutionem habita ratione damni, vel lucri ceſſantis. ibi.6.
Qui venatur vel occupat feras manſuetas, vel manſuefactas, poſtquam naturalem libertatem acquiſierunt, non tenetur ad reſtitutionem; ſecus ſi venetur feras manſuetas; poſtquam libertatem naturalem amiſerunt, ibid.7.

Venditio.

Venditio eſt contractus, qui mutuo conſenſu perficitur, & vltro citroque emptorem, & venditorem obligat. 765.1.
Pactum venditioni appoſitum de retrouendendo in fauorem ſolius venditoris, facit rem tunc minùs valere: Appoſitum autem in fauorem

ſolius emptoris, tunc res plus valet, quàm alioquin valeret. ibi. 2.

Venditio cum pacto retrouendendi, ſiue in fauorem ſolius vendentis, ſiue ſolius emptoris: ſiue in fauorem vtriuſque contrahentis, caret labe vſuræ, & iniuſtitiæ, poſitis quibuſdam conditionibus, ib. 3.

Venditio, qua venditur res credita pecunia pretio rigoroſo, & poſtea eadem ſtatim redimitur numerata pecunia medio, vel infimo pretio, per ſe loquendo, caret labe vſuræ, modò talis retrouenditio non deducatur in pactum à primo venditore. ibid. 4.

Cauſæ, ob quas licitum eſt interdum pluris rem vendere, quàm per ſe ipſa alioquin valeret, aut venderetur, ſunt: Multitudo emptorum, & copia pecuniæ: Affectus ad rem quæ venditur: Lucrum ceſſans venditori, & damnum emergens; Periculum amittendi totum, vel partem pretij: Modus vendendi. ibid. 5.

Excuſari poſſunt, qui rem minoris, quàm valeat emunt à venditore, qui neceſſitate compulſus offert emptori vendendam. ib. 6.

Non licet rem cautiùs vendere extraneis, & peregrinis, quàm indigenis, & naturalibus, ſi excedantur limites iuſti pretij. ib. 7

Probabilius eſt, res quæ non habent pretium legitimum, vel vulgare, non poſſe vendi pro arbitrio venditoris, ſed iuxta prudentis, & intelligentis iudicium. 766. 8.

Venditor non poteſt rem carius vendere, eo quod res ſit valde vtilis, vel commoda emptori. ibid. 9.

Indigentia communis emptorum, eſt cauſa ſufficiens ad augendum pretium non autem particularis emptoris. ib. 10.

Extraordinariæ expenſæ, labores, pericula, & infortunia, quæ mercatores, ſubeunt, non ſunt cauſa ſufficiens ad augendum pretium taxatum. ib. 11.

Mercator poteſt pretium augere ratione officij mercaturæ, non poſſunt tamen mercatores plus vendere, quàm ſit præſcriptum à lege, vel à communi æſtimatione. ib. 12.

Venditores, qui mendacijs affirmant rem ſibi ſtanti ſtetiſſe, vel tanto pretio alijs vendidiſſe, vt pertrahant emptorem ad rigoroſum pretium, regulariter peccant tantùm venialiter: Idem dicendum de emptoribus affirmantibus rem alias minoris emiſſe, vel ſibi minoris offerri, vt ad infimum pretium deſcendant. ibid. 13.

Venditionis contractus eſt nullus, quoties tacetur vitium notabile, quo cognito, emptor non emiſſet. ibid. 14.

Venditionis cōtractus non eſt inualidus, quando vitium quod reticetur in venditione non eſt notabile abſolutè, neque reddit rem notabiliter minùs vtilem ad vſum, ad quem res ipſa emitur. ib. 15

Venditor, per ſe loquendo, non tenetur manifeſtare emptori vitium parens, niſi quando emptor vitium non cognoſcit ex ignorantia inuincibili. ib. 16.

Venditor interrogatus de occultis rei vitijs, tenetur illa manifeſtare, quamuis non ſint notabilia in ſe, vel in ordine ad vſum ad quem res emitur. 767. 17

Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei, validus eſt, non poteſt tamen venditor cognito vitio tantùm accipere, quantùm accepiſſet, ſi res vitio caruiſſet. ibi. 18

Quando venditor vino generoſo apponit aquam, qua appoſita vinum nō eſt effectum deterius eo, quod paſſim venditur ab alijs, fieri poteſt vt non peccet, ſi vendat eo pretio, quo ab alijs venditur; quamuis accendi ſint venditores ab huiuſmodi mixtionibus. ibi. 19

Emptor, qui reſtituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum non manifeſtatum, tenetur reſtituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expenſis, & æſtimatione induſtriæ. ibid. 20.

Vt emptor dominium rei emptæ acquirat, requiritur mutuus conſenſus emptoris, & venditoris; traditio rei, & quod emptor ſoluat pretium, vel ſaltem venditor fidem habeat de pretio ſoluendo. ib. 21.

Fructus pendentes tempore venditionis, ſiue maturi ſint, ſiue non, pertinent ad emptorem quoad valorem quem habent tempore venditionis. ibid.

Quando res vendita tradita eſt emptori, ſed pretium nondum fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto, fructus rei venditæ quoad valorem quem acquirunt poſt venditionem, pertinent ad venditorem. ibid.

Quando venditor rem tradidit emptori ſoluto pretio, vel habita fide de pretio, fructus omnes pertinent ad emptorem. ibid.

Venditor non tradendo rem venditam tempore determinato, tenetur in foro conſcientiæ emptori ad intereſſe intrinſecum, & extrinſecum, ſi emptor ſoluit, & obtulit pretium venditori. ibid.

Ad quem pertineant fructus medij temporis, contractu diſſoluto. ib. 22

Quando res vendita perit, vel deterior fit poſt traditionem, perit emptori, etiamſi pretium nondum ſit ſolutum ſimiliter emptori perit ante traditionem, ſi res ſit certa, & determinata: ſi autem ſit indeterminata, ante traditionem periculum interitus pertinet ad venditorem. ib. 23

Si vendatur incertum de certis, vt decem oues de duobus vel tribus gregibus, &c. tunc ſi greges ex quibus iſtæ venduntur abſque venditoris culpa pereant, liber manet venditor ab implendo contractu, ſolumque tenetur ſoluere pretium quod accepit. 768. ibid.

Monopolium dicitur, cum vnus vel pauci efficiunt, vt ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipſis libuerit: & ſit quatuor modis. ibi. 24.

Quando venditores conſpirant inter ſe pretio, quid non eſt ſupra legitimum, vel ſupra vulgare ſummum, non peccant contra iuſtitiam, quamuis bene contra charitatem. ibid.

Contra tale monopolium venditorum, emptores poſſunt conſpirationem inire, vt non emant merces niſi pretio infimo. ibi.

Monopolium licitum contingit, quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo ſolus certum genus mercium vendere valeat, modò Princeps iuſtum pretium mercibus taxet. ibi. 25.

Probabilius eſt quando vnus vel duo, vel tres emunt omnes merces, vt ipſi ſoli eas vendant, eo quo volunt pretio, illos peccare mortaliter contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. ibid. 26

Si quis vi aut fraude impediat ne maior copia mercium aliunde importetur vt maneat caritas in Repub. peccat contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi Reip. & mercatoribus. ib 27.

Venditor tenetur de euictione, id eſt, ad procurandum, quantum in ſe eſt, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditam, & ad ſeruandum illum indemnem, ſi ab aliquo tanquam ſua euincatur in iudicio. ibid. 28.

Euictio non ſolùm habet locum venditione, ſed etiam in alijs contractibus oneroſis; in contractibus verò lucratiuis, ſeu gratuitis non ſecluſo pacto, & culpa contrahentis. ibi. 29.

Venditor, & quicumque alius, qui alio titulo rem alienauit, non tenentur de euictione in aliquibus caſibus. ib. 30

Quoties reſpublica annonæ grauatur inopia, poteſt quis cogi vendere res proprias, quæ ad victum pertinent, imo poteſt cogi à poteſtate publica ad vendendas domos, prædia & agros, ſi id ſpectet ad bonum commune. 769. 31.

Vicarius.

Vicarius communiter eſt, qui alterius vicem, non ſuum gerit officium; ſtrictè autem, ac propriè eſt vicarius Eccleſiæ parochialis. ibid. 1.

Vicarij, quidam ſunt perpetui, quidam temporales vt mercenarij; Alij ſunt iuriſdictionales. Alij generales. ibid.

Vicarius perpetuus dicitur, qui canonicè a perſona Eccleſiæ de auctoritate Epiſcopi eſt inſtitutus, & certam debet percipere portionem: hic non poteſt amoueri per rectorem. ibid. 2

Vicarium perpetuum facit auctoritas Epiſcopi, non rectoris. ibid.

In certis caſibus dari debet ab Epiſcopo ad tempus vicarius parochiæ, vbi parochus adminiſtrare non poteſt, idque ſumptibus Parochi ibid.

Aliquando poteſt, & debet Epiſcopus coadiutorem dare, ſine nouæ parochiæ conſtitutione. ibid.

Vicarius perpetuus alium vicarium perpetuum inſtituere non poteſt, temporalem poteſt ad modicum tempus. ibi. 3.

In conſtitutione vicarij perpetui requiritur conſenſus rectoris, & patroni; temporalem tamen vicarium ſolus Epiſcopus dare poteſt ex cauſa. ibid. 4.

Vicarius perpetuus deputari non debet, niſi in parochialibus habentibus latitudinem parochiæ, vel aliam neceſſitatem. ibid.

Vicarius perpetuus habet curam animarum indiſtinctè, quoad omnium effectum, etiam quoad commoda. 770. 5.

Vicarius Epiſcopi, quidam eſt generalis ſimpliciter, ſeu principalis; quidam foraneus, qui & officialis dicitur. ib. 6.

Vicarij excommunicati ſucceſſor non eſt excommunicatus, niſi communicet in crimine damnato. ib. 7.

Vicarij Epiſcopi, ipſo excommunicato, non poſſunt cognoſcere, de cauſis quia idem eſt conſiſtorium. ibid.

Vicarij iuriſdictio ceſſat mortuo Epiſcopo, vel excommunicato vitando ibid.

Vicarius temporalis ſimpliciter non poteſt ſubſtituere vicarium, niſi habeat ſpeciale mandatum ſubſtituendi, vel de hoc ſit conſuetudo; poteſt tamen aliquam partem ſuæ poteſtatis alicui committere, licet non totam ibid. 8.

Vicarius ex tacito, vel expreſſo Principis, legis, aut Reipubl. conſenſu à iudice Ordinario loco ſui conſtitutus, vt ex proprio ſuo tribunali vniuerſaliter iuriſdictionem vice ſui exerceat, non eſt iudex delegatus, ſed ordinarius. ibid. 1.

Vicariorum iuriſdictio expirat mortuo principali, aut illo amoto ab officio, ac iuriſdictione: quod non contingit in alijs iudicibus ordinarijs, qui non expirant eorum morte, qui illos iudices conſtituerunt. ibid. 2.

Vicarij Generalis Epiſcopi iuriſdictio ſuſpenditur, ſuſpenſa iuriſdictione Epiſcopi per ipſius excommunicationem, nempe, quando eſt denuntiatus, vel notorius Clerici percuſſor: & hoc verum etiam quoad negotia cœpta. 771. ibi.

Vicarius Generalis Epiſcopi habet iuriſdictionem ordinariam; & quoties in aliquo decreto mentio ſit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud expoſcat, intelligitur non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Vicarius eius Gene-

Digitized by Google

Generalis, Vicarius Capituli Sede vacante, &c. ib. 3.

Vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, non ſunt Ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius Vicario. ibid.

Vicarij ipſi non poſſunt loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito, poſſunt tamen ea cauſa, vt iuſtæ abſentiæ, aut ægritudinis, ad tempus modicum Vicarios creare, qui ea eodem tribunali iudicent. ibid. 4.

Quando Epiſcopus vnica commiſſione, dum conſtituit Vicarium committit illi aliquem, aut aliquos caſus, eſt Vicarius ordinarius, etiam quoad caſus commiſſos. Si autem diuiſim, & ſeorſim committantur illi caſus eſt, iuriſdictio delegata, niſi in commiſſione fiat expreſſa mentio vicariatus. ibi. 5.

Vicarius Generalis Epiſcopi, ſi ſit ſacerdos, poteſt ex officio audire confeſſiones in tota diœceſi, & alijs licentiam audiendi concedere, quamuis non ſit ſacerdos. ibi. 6.

Vicarius Generalis Epiſcopi non poteſt licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in ſua diœceſi, niſi ſpeciale mandatum habeat. 772. 7.

Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt ex officio intereſſe matrimonio, & alij ſacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere, non autem Vicarius foraneus, niſi omnes cauſæ matrimoniales illi delegentur. ibid. 8

Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Eccleſia, de ijs, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, niſi Epiſcopus hanc facultatem diſpenſandi ſibi referuet. ibi. 9.

Vicarius foraneus non poteſt in his diſpenſare abſque commiſſione ſpeciali. Imò nec poteſt hanc facultatem Vicarius Generalis generaliter concedere, ſeu delegare, ſed tantùm ad vnam, vel alteram cauſam. ibid.

Vicarius foraneus dicitur, qui iuriſdictionem habet extra ciuitatem in qua eſt Epiſcopi ſedes, in aliqua parte diœceſis: eius tribunal non cenſetur idem quod Epiſcopi; ab eius ſententia poteſt appellari ad Epiſcopum: non habet dignitatem. ibid.

Vicarius Generalis Epiſcopi ratione ſui muneris non poteſt beneficia conferre, niſi Epiſcopus id ei ſpecialiter commiſerit: conceſſis autem tali facultate poteſt tantùm ea conferre, quæ iure ordinario ad Epiſcopum ſpectant, non verò ea quæ iure ſpeciali conferre poteſt. ib. 10.

Vicarius non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo, a quo talem poteſtatem accepit; Vicarius enim vnam perſonam Epiſcopo facit. Limita, ſi Vicarius vt Ordinarius conferre, ſecus ſi vt delegatus. ib. 11.

Subſtitutus a Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, poteſt conferre beneficia Vicario ſubſtituenti. 773. ib.

Vicarius habens ſpecialem facultatem conferendi beneficia, poteſt ea conferre, cùm extra diœceſim exiſtit. ib. 12.

Vicarius debet creari idoneus ſcientia, ætate, & moribus, qui ſit forenſium rerum, & cauſarum peritus. Laicus autem non poteſt eſſe Vicarius, nec matrimonio iunctus. ibi. 13.

Vicarij Epiſcoporum poſſunt eſſe Prælati regulares, & religioſi de illorum licentia, ſi ſint exempti; exceptis fratribus minoribus. ibi. 14.

Quorumdam ſententia eſt, Epiſcopum teneri conſtituere Vicarium, ſed contrarium amplexata eſt ſacra Rota. ib. 15

In generali Vicarij conceſſione conceduntur ea tantùm, quæ in generali mandato continentur, etiamſi clauſulam Epiſcopus poſuiſſet, *dantes, & concedentes ei plenam, & liberam poteſtatem*. Non tamen poteſt Vicarius expedire, quæ ſpeciale mandatum poſtulant. ibi. 16.

In commiſſione Vicariatus, non eſt neceſſe exprimere nominatim omnes caſus, ſufficit enim aliquos exprimi cum clauſula generali, & ad omnia alia, etiamſi ſpeciale mandatum exigant. ibid

Inter Vicarium, & Delegatum eſt differentia; nam Delegatus eſt ille, cui iudex committit cauſam in locum ſui ipſius, & vices ipſius gerit; ſed Vicarius eſt, quem ſuperior conſtituit loco abſentis, defuncti, vel impediti. ib 17

Quando Vicarij conſtituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, itaut vice eorum ibi conſtituantur, habent iuriſdictionem ordinariam, non delegatam. Vicarij autem conuentuum conſtituti à Prælato locali iuriſdictionem delegatam habent, & non poſſunt ſubdelegare. ibid.

Vicarijs conſtitutis à Generali, aut Prouinciali, omnia Priuilegia Prælatis localibus conceſſa, ipſis communicantur; imò tempore quo eorum durat officium videntur tales eſſe verè Prælati, nec poſſunt Superiores locales limitare eorum Vicariorum auctoritatem. ibid.

Vicarij conſtituti à Guardianis non ſunt verè Prælati, nam in præſentia Guardianorum nullam habent auctoritatem, & ſi Guardianus moriatur ſeu priuetur, ſtatim deſinunt eſſe Vicarij, quod non contingit in alijs Vicarijs, qui inſtituti ſunt à Prouinciali. 774. ib.

Vicarius conſtitutus à Guardiano poteſt ab ipſo amoueri: ſecus ſi à Superiore maiore: hic enim non poteſt à munere Vicariatus amoueri inconſulto Superiore. ibid.

Virginitas.

Virginitas accipitur, tum pro integritate ſignaculi virginalis, libidinoſæ contagionis expertæ; tum pro voluntate, & propoſito illius integritatis ſeruandæ, vel perpetuo, vel ſaltem vſque ad tempus coniugij. ibid. 1.

Fide tenendum eſt contra hæreticos, ſtatum virginitatis, ſtatui coniugali eſſe præferendum. ibi. 2.

Virginitas prout dicit ſtatum fœminæ, quot modis amittatur. ibi. 3.

Virginitatis virtus recuperabiliter amittitur omnibus illis modis, quibus amittitur caſtitas. ibi. 4.

Mulier dormiens, aut ebria non amittit virginitatem, ſi à quopiam viro cognoſcatur; modò eo fine non ſe inebriauerit vel dormierit: vbi deciduntur alij caſus. ibid.

Virgo per vim corrupta naturaliter virgo non eſt, moraliter tamen, & in genere moris virgo cenſetur. ib.

Virginitatis virtus irrecuperabiliter amittitur à fœmina, quoties voluntariè copulam habet cum viro, vel polluitur; in viro autem non tollitur virginitas irrecuperabiliter, niſi voluntariè polluatur. ibi. 5.

Virgo vi oppreſſa, ſi res eſt occulta, poteſt conſecrari; non autem quando violatio eſt notoria. ibi. 6.

Sponte corrupta poteſt velari ſi carnis integritatem retinet: illa verò quæ voluntariè clauſtri virginalis violationem paſſa eſt, ſiue per copulam, ſiue per aliam turpitudinem, non poteſt conſecrari abſque peccato mortali. 775. ib.

Viſitatio.

Viſitatio nihil aliud eſt, quàm exceſſus inquirere, & inquiſitos caſtigare, & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare, & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. ibid: 1

Ius viſitandi, & poteſtatem habet omnis Prælatus Eccleſiaſticus cui iuriſdictio, & adminiſtratio conuenit. ib. 2.

Viſitare poſſunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem, Legati à latere. Legati Pontificij qui non ſunt à latere ſed dicuntur nati. Legati autem, qui miſſi ſiue Nuncij Apoſtolici vocantur, poſſunt quidem viſitare, ſed non debent, niſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum, vel neceſſitas poſtulet. ibid.

Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi ius viſitandi habent; Decani autem, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani, & alij inferiores viſitandi ius habent, ſi id longa conſuetudine præſcripſerint. ibid.

Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus, alijſque regularium Præfectis competit ius viſitandi Monaſteria ſibi ſubiecta. Imò quædam Abbatiſſæ, & Prioriſſæ viſitare poſſunt Monaſteria, & alia loca ſibi ſubiecta, per religioſos probatoſque viros, & ibi ceſſabit officium Ordinarij. ibid.

Capitulum ſede vacante poteſt viſitare Eccleſias Epiſcopatui ſubiectas; imò Capitulum aliquando ſuperſtite adhuc Epiſcopo ex præſcriptione, vel priuilegio viſitandi ius habet. 776. ibid.

Vicarius generalis Epiſcopi hoc ius viſitandi non habet, niſi ſpecialiter id ad Epiſcopo ſit commiſſum. ibid.

Viſitator quilibet debet prius viſitare, & emendare ſeipſum, & familiam ſuam; eijciendo prius trabem de oculo ſuo, quam feſtucam de oculo fratris ſui. ibi. 3.

Viſitari poſſunt, & debent à Summo Pontifice omnia regna, prouinciæ, terræ, & gentes, totus enim Chriſtianorum orbis eſt Summi Pontificis Diœceſis. ibid.

In ſpecie viſitare poteſt Summus Pontifex per ſe, vel per alios omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & quoſcumque Eccleſiaſticos cuiuſcumque conditionis ſint. ibid.

Viſitat etiam Imperatorem, & Reges quoſcumque necnon alios Principes, Duces, marchiones &c. Iudices, cæteroſque magiſtratus, ſicut omnes Eccleſias tam Cathedrales, quàm Collegiatas, &c. ibid.

In Concilio Tridentino ſtatuitur vt Patriarchæ, Primates metropolitani, & Epiſcopi propriam diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint per ſuum generalem Vicarium, viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe vel viſitatores ſuos, compleatur, viſitare non prætermittant. ibid. 4.

Viſitatio Eccleſiarum, quæ nullius ſunt diœceſis, ad Epiſcopum etiam ſpectat, cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior. ibid.

Epiſcopi in viſitatione ſuarum diœceſum incipere debent ab Eccleſiis Cathedralibus earum, & Capitulis Eccleſiarum ipſarum Cathedralium. ibid. 5.

Concilij Tridentini decreta non ſuſtulerunt facultatem alias ex immemorabili obſeruata conſuetudine, Decano, & Capitulo, ſingulares capituli ipſique ſubiectas perſonas cumulatiuè cum Epiſcopo, ſeorſum tamen ab eodem, viſitandi, & corrigendi. ibid.

Non licet Epiſcopo viſitationem aggredienti, proponere edicta, quibus

ſubde-

Digitized by Google

ſobditi inbeantut crimina detegere. ibid.

Hoſpitale nouitec fundatum, ipſo fundatore ſoperſtite, viſitari non poteſt niſi habeat formam Eccleſiæ, aut ſit fundatum auctoritate Epiſcopi. 777.6.

In dubio præſumitur hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi, ſi locus ab antiquo ſit io forma Eccleſiæ vbi ſacerdotes celebrant, & cymbalum eſt conſtitutum ſuper tectom, &c. ibi.

Non poteſt Epiſcopus viſitare Hoſpitale, quando fundator io fundatione Epiſcopum à viſitatione exclusit. ibi.

Iuxta Tridentinum, hoſpitalia, & confraternitates, quæ ſunt ſub immedia ta Regum protectione, Epiſcopi viſitare non debent ſine eorum licentia. ib.7.

Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus viſitat loca exempta, Summo Pontifici immediatè ſubiecta: niſi talia loca ſint ſubiecta alicui alteri Prælato, tunc Prælatus viſitabit, non Epiſcopus. ib.8.

Epiſcopis non competit ius viſitandi Eccleſias Ordinum militarium, & aliorum regularium exemptorum. ib.

Eccleſiæ regularium, quibus cura animarum ſæcularium perſonarum eſt annexa, in concernentibus ipſam curam Ordinario ſunt ſubiectæ, & ab eodem viſitari poſſunt. ib 9

Ordinarij poſſunt viſitare capellas confraternitatum laicorum erectas in Eccleſijs regularium. 778.10.

Commendata monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in qoibus non viget regularis obſeruantia, ab Epiſcopis etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſinguli viſitari debent. ibi. 12.

Ex Concilio Tridentino, vbi agitur de viſitatione, aut morum correctione, proceditur omni, & quacunque appellatione, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita ſemota, quæ executionem nullo modo impedire, aut ſuſpendere poteſt. ib.12

Quando Epiſcopi procedont ſine proceſſu, & ſine ſcriptis, etiam carcerando, & carceratos detinendo, ſi carcerati appellauerint, poteſt iudex appellationis cognoſcere de prætenſo exceſſu in corrigendo, interim tamen noo ſuſpenditur executio eorum quo ab Ordinario decreta ſunt. ibid.

Si Epiſcopus formato proceſſu, & ſeruatis ſeruandis procedat, tunc à ſententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ ſuſpendit iudicatum. Aliàs in cauſis viſitationis, aut correctionis morum, appellatio quoad effectum deuolutiuum tantum admittitur. ibid.

Viſitator Eccleſiaſticus ſi excedat modum viſitationis, & correctionis veluti amouendo poſſeſſorem triennalem &c. à beneficio, tunc eſt locus appellationi, & ſententia viſitatoris non eſt exequenda appellatione remota. ibi.

Viſitator, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Prouincialis non poteſt impediri, quantumcumque ſuſpectus ſit, ne viſitet ex officio viſitatione generali, & ordinaria, prout decreuit Paulus V. ib.13.

Ex iure Canonico certum eſt poſſe iudicem Ordinarium ex iuſta cauſa recuſari; modo recoſaos ſeruet, quæ io eodem iure ſunt decreta. De iure autem ciuili ſufficit dicere ſe iudicem habere ſuſpectum dummodò iuret recuſans ſe calumniæ cauſa illum non recuſare. 779.14.

Regulares poſſunt recuſare, vt ſuſpectum iudicem ordinarium ex iuſta cauſa, quamuis quidam contrarium doceaut. ib.15.

Si apud regulares adſit ſtatutum de non recuſando iudice Ordinario, intelligi debet de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta, & graui. ib. 16.

Statutum omninò tollens recuſationem iudicis ex quacumque cauſa, videtur irritum; quia iniuſtum, & contra iuſtitiam, bonum publicum, & legem naturalem. ib.

Viſitatores debent quanto citius poſſunt ſe expedire ne grauent ſubditos ſoos expenſis. 780.17

Eccleſiæ inferiores viſitantibus moderatas procurationes ſoluere tenentur, iuxta modum, & qualitatem iure præfinitam. ib.

In viſitationem præter procurationem ab Eccleſijs, nihil muneris accipere poteſt viſitator; non tantùm ipſe, ſed nec etiam quiſquam ſuorum ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac reſtituendi duplum infra menſem non obſtante remiſſione partium. ib.

Contra viſitationem, iure communi, vel ſpeciali competentem præſcriptio multis modis contingere poteſt: præſcriptio autem tollens omninò viſitationem, non valet, & iure prohibetur, ſed præſcriptio, quæ viſitationem transfert, vel alijs accumulat, admittitur. ibid. 18.

Votum quid? & quotuplex.

Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo bono meliori. 781.1.

Ad votum requiritur deliberatio, & perfecta animaduerſio eius quod fit. ibid. 2.

Vouet inualidè mente captus, aut amens dum eſt debitutus vſu rationis. ib. 3.

Deliberatio neceſſaria ad votum debet eſſe, vel virtualis, vel formalis. ibid 4.

Vouere leuiter ſine debita, & matura deliberatione eſt peccatum veniale regulariter; quamuis aliquando poſſit eſſe mortale, imò nec peccatum. ibid.

Ad valorem voti requiritur, vt actus ſit ſimpliciter liber, ea libertate, quæ ſufficeret ad peccandum mortaliter. ib. 5.

Qui ad ordines ſacros accedit ſciens illis annexum eſſe votum caſtitatis, ſed illud poſitiuè reſpuit, non tenetur ad caſtitatem ex vi voti, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. 782. 6.

Ex voto facto cum animo vouendi, ſed abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligatio, non oritur obligatio. ib.7

Ex voto facto cum animo vouendi, & ſe obligandi, ſed cum intentione non adimplendi, oritur obligatio ex vi voti. ib.8.

Qui fictè vouet abſque animo vouendi, aut ſe obligandi, peccat venialiter ſi votum ſit ſimplex; mortaliter vero, ſi votum ſit publicum, aut ſolemne. ibid.

Votum irritum reddit error, ſed ſit circa ſubſtantiam voti, aut aliquo modo in ſubſtantiam redundet, ſitque cauſa vouendi. ib. 9

Multis modis poteſt error eſſe circa ſubſtantiam voti. ibid.

Votum ſimplex factum per errorem, & dolum circa cauſam finalem, & motiuam; non eſt validum; votum autem ſolemne eſt validum. ibid. 10.

Ceſſante cauſa finali voti, vel iuramenti, etiam ipſius obligatio ceſſat. ibid. 11.

Votum eſt validum factum per dolum, vel errorem circa cauſam impulſiuam. ib. 12.

In dubio an cauſa voti fuerit finalis, vel impulſiua tantùm, cenſetur fuiſſe impulſiua. ibid.

Votum ſoli Deo fieri poteſt mediatè, vel immediatè, tacitè vel expreſsè. ibid. 13.

Votum tribus modis poteſt fieri Sanctis. ibid.

Votum diuiditur in reale, perſonale, & mixtum. Item in temporale, & perpetuum.

Item in ſimplex, & ſolemne. Item in expreſſum, & tacitum. Item in conditionale, & abſolutum. Item in conditionale ſimpliciter, & pœnale. 783.14.

Votum ſolemne, & ſimplex iuxta communiorem ſententiam ſunt eiuſdem ſpeciei. ibi. 15.

Ad rationem voti ſolemnis non exiguntur verba, ſed ſufficiunt ſigna vocem indicantia. ib. 16.

Votum ſolemne fieri poteſt per procuratorem, modo concurrant quinque conditiones. ib. 17

Votum pœnale non obligat pro ſola prima tranſgreſſione niſi pœna eſſet grauiſſima, & quæ iterari non ſolet. ib. 18.

Votum. Quoad eius materiam.

Materia voti dicitur omne id quod poſſumus promittere in Dei cultum; hæc materia duplex eſt, vna proxima, alia remota. 784. 1.

Votum factum de rebus, quæ repugnant conſilio, non eſt validum, niſi aliqua cauſa ſuperueniat, faciens, vt id quod erat opus conſilij, non ſit amplius opus conſilij. ib. 2.

Vt aliquid ſub votum cadat, ſeu ſit materia voti debet eſſe in noſtra poteſtate. ibid 3.

Votum de non peccando mortaliter, eſt validum, quamuis non expediens: votum de non peccando venialiter ex plena aduertentia eſt validum, ſed non conſulendum. Votum vero de non peccando ſimpliciter, eſt materia incapax, & inualidum. ib. 4.

Votum non vouendi irritum eſt: ſi quis tamen voueat ſe non voturum niſi io ſcriptis, & coram confeſſario vel aliquibus perſonis, validum eſſet votum. ibid.

Votum non petendi irritationem, commutationem, diſpenſationem iuxta probabiliorem ſententiam non eſt validum; ſecus ſi tale votum fiat non petendi irritationem, &c. abſque legitima cauſa. ibid.

Vouet inualidè, qui duo vota ſimul emittit impoſſibilia volens ſe ad vtrumque pro eodem tempore obligare, ſecus ſi diuerſo tempore ſint adimplenda. 785. 5.

Opus indifferens, id eſt, qood neque habet rationem honeſti, nec praui, non cadit ſub votum; res tamen indifferens poſſet aliquando eſſe materia voti. ib. 6.

Qui dubitat an res promiſſa ſit indifferens, vel bona, tenetur votum implere; ſi autem dubitetur an materia voti ſit licita, non tenetur, nec poteſt. ib. 7.

Votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinenda bona temporalia, validum eſt. ib. 8.

Actio mala, id eſt, peccatum mortale, aut veniale non poteſt eſſe materia voti. ibi. 9.

Vouere peccatum veniale, iuxta veriorem ſententiam eſt peccatum mortale; quamuis talis vouens poſſit excuſari ex ignorantia. ibi.

Votum de actione bona ſub conditione turpi, validum eſt; ſicut, & votum

pro

Digitized by Google

pro bono effectu qui ſequatur ex actu turpi, modo non ordinetur votum ad actum turpem. ib. 10
Votum factum in gratiarum actionem pro actu turpi, validum eſt: ſimiliter, & votum factum ſub conditione turpi, quæ habeat rationem puræ conditionis, non autem cauſæ vel rationis voti; tamen votum ad obtinendum auxilium pro actu turpi nullum eſt. ibi.
Actio præcepta poteſt eſſe materia voti, & per tale votum nouum vinculum inducitur. ibid. 11.
Tertiarij *S. Franciſci* promittentes ſeruare mandata Dei, non peccant particulari circumſtantia voti in confeſſione explicanda, ita vt ſit duplex peccatum, ſi violent aliquod præceptum Decalogi, modo profitentes maiorem ſibi obligationem imponere ſpecialiter non intendant. ibid.

Votum? Quoad eius obligationem.

Certa fide tenendum eſt contra hæreticos votum per ſe, opus bonum eſſe, & laudabile, atque adeò meritorium, ſi fiat ab eo, qui ſit in Dei gratia. 786. 1.
Votum obligat in conſcientia, atque ita ſub peccato. ib. 2.
Votum violare peccatum eſt mortale ex genere ſuo: ex paruitate tamen materiæ, vel defectu animaduerſionis poteſt eſſe veniale, quamuis violetur tota materia voti. ibi. 3.
Tranſgreſſio omnium votorum eſt eiuſdem ſpeciei infimæ nec aliquo pacto variatur ex diuerſitate materiæ promiſſæ, quando ea alio præcepto præter votum non eſt iniuncta. ibid.
Qui ex voto tenetur ieiunare, ſecundùm probabiliorem ſententia, ſolùm peccat prima vice, quando carnes comedit. 787. ib.
Qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, vel bibere vinum toties peccat, quoties comedit vel bibit. ibid.
Vouens non comedere carnes tali die, poteſt illis veſci, quando medicus iudicat id eſſe neceſſarium pro remedio morbi. ibid.
Qui pluries idem votum repetit, & confirmat, non contrahit multiplicem obligationem: idem dicendum de iuramentis multiplicatis circa eamdem rem. ibid.
Qui votum de opere ſupererogationis frangit, vnum ſpeciale peccatum committit: qui vero votum de opere poſito ſub præcepto, duplex ſpeciale peccatum committit. ibid.
Votum in materia graui factum ſimpliciter, & abſolutè ſemper obligat ad mortale; ſi autem fiat *reſtrictè* cum intentione expreſſa non ſe obligandi ſub mortali, probabile eſt non manere obligatum niſi ad veniale. ibid. 4.
Votum in materia leui non poteſt obligare ad mortale, etiamſi vouens habuerit intentionem obligandi ſe ſub mortali; niſi materia leuis ad finem grauem referatur. ibi. 5.
Dubius de voto ante diligentiam adhibitam tenetur ad illud ſeruandum: poſt diligentiam autem, non tenetur. ibid. 6.
Non peccat mortaliter ille, quem pœnitet vouiſſe, modò non habeat intentionem omittendi rem promiſſam. 788, 7.
Qui vouit aliquid minutum ſingulis diebus faciendum, non peccabit mortaliter, etiamſi per plures dies omittat, ſi ita intendat ſe obligare in ſingulos dies, vt obligatio ſit diei affixa. ib. 8.
Votum adimplendum eſt tempore præfinito à vouente. ibid.
Qui vouit, & tempus adimplendi votum non definiuit, tenetur votum ſuum adimplere, cùm primùm iudicio prudentis commodè poterit. ibid.
Vouens aliquid determinata die faciendum, nec illud implens, non tenetur ea tranſacta, adimplere ſi is qui vouit præcipuè rationem habuit ad temporis deuotionem quando autem tempus adijcitur vt executionis terminus tantùm ne vltra differatur, tunc tranſacto illo tempore, adhuc manet obligatio voti. ibid.
Votum habens caſtitatis, non ſolùm tenetur abſtinere ab illicitis actibus venereis internis, vel externis, verùm etiam à contractu matrimonij. ibid. 9.
Votum habens non nubendi, peccat nubendo: contracto tamen matrimonio poteſt petere, & reddere debitum; imò talis non peccat contra votum fornicando. ibid. 10.
Votum non fornicandi non æquiualet voto non nubendi: & habens votum non fornicandi, non tenetur abſtinere ab actu coniugali licito. ibid. 11.
Votum non cognoſcendæ fœminæ, non eſt votum caſtitatis, & ſi talis vouens diſcernere non poſſit mentem ſuam, & fornicationibus deditus erat, id votum de ſolo concubitu illicito accipiendum erit: Si vero ex ſpeciali caſtitatis affectu ductus eſt ad vouendum, tunc votum de concubitu licito, & illicito accipiendum erit. ibid.
Qui certam aliquam religionem vouit ingredi, tenetur ad id, dum in ea religione viget regularis obſeruantia, non tenetur tamen, dum in ea non ſeruatur regula. 789. 12.
Qui religionem indeterminatè in genere vouit, hic ſi non admittatur in vno ordine, debet tentare alium. ib. 13
Qui alicuius determinatæ religionis inſtitutum, ſeu profeſſionem vouit, & ad illam non fuit admiſſus, non tenetur aliam tentare, ſed abſolutè ceſſat votum. ibid. 14
Qui vouit religionem ingredi, aut in ea profiteri, ſed ad religionis ingreſſum; vel ad profeſſionem non fuit admiſſus, vel fuit eiectus, non tenetur ex vi voti ad ſeruandam caſtitatem. ibid. 15
Qui religionem in genere vouit antequam ingrederetur vel profitetur, non tenetur aliam religionem ingredi, vel inquirere, poſtquam eiectus fuit à religione iam facta profeſſione. ibid. 16
Votum perſonale non obligat, niſi perſonam vouentis: ſi autem votum ſit reale & ante mortem non perſolutum, obligat hæredem, poſtquam hæreditatem adijt. ibi. 17
In quatuor caſibus tenetur votum perſonale habens, illud per alium adimplere, aut commutationem procurare. ibid.
Quando votum eſt mixtum, obligat hæredem qua reale, non obligat qua perſonale. ibid.
Votum perſonale ſimpliciter factum non poteſt per alium adimpleri; vnde impotens ad illud non tenetur per alium adimplere. ibid. 18
Qui non poteſt votum reale per ſeipſum adimplere, tenetur adimplere per alium: votum verò mixtum, qua perſonale eſt, non poteſt per alium adimpleri; qua reale, debet adimpleri per alium. ibid.
An voto ſatisfaciat, qui peregrinationem in aliquem locum pium promiſit, & illum poſtea cauſa alicuius negotij adit? aut ſtipendio conductus, ſi in eo loco ſe ob aliquas cauſas inueniens, inuiſat templum illud? Standum eſt intentioni vouentis. ibid. 18
Votum adimplendum eſt ſecundùm eas circumſtantias, quas vouens vouit, & ad quas ſe intendit obligare. 790. 19
Regulæ ſeruandæ in explicatione voti, quando non conſtat de vouentis intentione. ibid.
Qui ſciens duo vota eſſe incompatibilia, ea ſimul emittit pro eodem tempore implenda, tali voto non tenetur. ibi. 20

Votum. Quoad eius deobligationem.

Voti obligatio ceſſat, ſublata cauſa finali, propter quam factum fuit votum. ibi. 1
Voti obligatio ſimiliter ceſſat, quoties ſuperuenit notabilis mutatio, & difficultas, quæ ſi præuiſa fuiſſet, votum iudicio prudentis factum non fuiſſet. ibid. 2
Voti obligatio tollitur vel ſuſpenditur, quoties tempore adimpletionis voti, materia voti facta eſt illicita, aut maioris boni impeditiua, aut indifferens, aut impoſſibilis. ibid.

VOTVM I.

Voti nomen deductum eſſe videtur à voluntate vouentis, quaſi à primo mouente eo quod voluntas mouet rationem ad promittendum Deo aliquid circa ea, quæ eius voluntati ſubduntur. 792. 1
Votum ſolummodò fit Deo vel immediatè & expreſsè vel mediatè & tacitè, vt quando vota fiunt Sanctis. ibid.
Votum factum ex metu graui illato à cauſa intrinſeca, validum eſt & obligatorium. Similiter quoties metus non eſt incuſſus gratia extorquendi voti, ſiue proueniat à cauſa naturali, ſiue libera, quantumuis grauiſſimus ſit non irritat votum. 792. 2
Votum factum ex metu graui iniuſtè incuſſo à cauſa extrinſeca, ſeu libera, id eſt ab homine, ad extorquendum votum, non eſt validum, ſed irritum, nullam habens vim obligandi vouentem ad talem promiſſionem adimplendam. ibid.
Quando vouens non cognouit metum ſibi incuti ad extorquendum votum, illud videtur validum, etiamſi minans haberet animum incutiendi metum ad talem finem. ibid.
Metus grauis ſeu cadens in virum conſtantem incuſſus iniuſtè gratia extorquendi voti, ſolo iure Eccleſiaſtico votum irritat, quamuis quidam velint, etiam iure naturali. ibi. 3
Votum metu graui extortum non ſolùm iure naturæ, ſed etiam Eccleſiaſtico eſt validum ab infideli emiſſum. ibid.
Votum eſt adimplendum, quando dubitatur an factum fuerit per metum grauem: probabile tamen eſt non eſſe obligatorium. ibid. 4
Votum metu graui emiſſum & iuramento confirmatum, non obligat ratione iuramenti. 793. 5
Materia ad vouendum eſt ſufficiens nec conueniens, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria & neceſſariò ſequitur à cauſa naturali, vt eſt votum de moriendo &c. ibid. 6
Opus malum ſeu illicitum mortaliter vel venialiter non poteſt eſſe materia voti. ibid. 7
Votum multis modis poteſt eſſe illicitum. 1. promittendo opus malum, quod in ſe eſt illicitum. 2. promittendo opus bonum, ſed propter finem malum, 3. promittendo Deo aliquod opus bonum in gratiarũ actionem pro re aliqua illicita obtenta. 4. promittendo aliquod bonum, ſed ob finem illicitum obtinendum. In his caſibus votum eſt nullum & committitur peccatum. ibid. 8
Quando quis promittit licitum pro petitione licita, ex cauſa tamen turpi pendente; hoc votum quamuis illicitum, eſt tamen validum, & obli-

Digitized by Google

& obligatorium,ſi conditio adimpleatur. ibid. 9.

Votum factum contra prius votum,ſeu iuramentum eſt validum, ſi vtrũque votum ſit compoſſibile, itaut vnum,alterum non impediat quoad executionem, & tenetur vouens vtrumque votum adimplere, dum poterit. ibi. 10.

Quando votum ſecundum eſt incompoſſibile cum priori, & eſt Deo gratius, hoc eſt adimplendum. Si ſecundum eſt minus gratum Deo, ſeruandum eſt prius: ſi vtrumque votum eſt æquale,& ambo ſunt incompoſſibilia,adimpleat vouens quodcunque voluerit. 794.ib.

Votum factum contra prius iuramentum, ſi ſit incompoſſibile cum iuramento,ſeruandum eſt iuramentum. ibid.

Promiſſio de re aliqua contra prius votum non eſt valida, quia eſt de re illicita. Tamen geſta rei licitæ contra prius votum, regulariter loquendo,valida ſunt,quamuis illicita.Idem dicendum de iuramento,niſi aliunde ſint irrita. ibi. 11.

Votum rei bonæ,ſed propter finem temporalem,ſeu indifferentem, non eſt validum, ſi finis ille ſit ipſius rei promiſſæ principalis, & totalis. Contrarium tamen eſt etiam probabile. ib. 12.

Si quis rem bonam voueat,tanquam medium,vt à Deo impetret rem temporalem,ſeu indifferentem,obligabitur voto. ibid.

Votum validum eſt, quo quis vouet aliquid, quod à principio eſt indifferens,aut malum, aut impoſſibile, aut contra conſilia,ſi tempore executionis materia eſt,apta,ſeu bonum paſſibile,aut conſilijs conſonũ. ib. 13

Quamuis ſolus homo viator ex ſe,& ex natura rei poſſit Deo vota facere, tamen quilibet homo non poteſt validè votum facere, ex quo inſurgat obligatio illud adimplendi. ib. 14

Validè vouere non poſſunt iure naturæ omnes,& ſinguli infantes, & pueri antequam adepti ſint vſum rationis, nec amentes, nec ſtolidi, aut phrenetici,aut ebrij,quandiu in tali ſtatu ſunt. 795.ib.

Ex iuris præſumptione ante ſeptennium non præſumitur puer habere vſum rationis ad vouendum. ibi.

Poſt Concilium Trid. nemo poteſt voto religionis ſolemni obligari ante 16. annum expletum: nec ſacris ordinibus initiari ante 22. ætatis annum: ſi tamen quis doli capax ante annos pubertatis ordinem ſacrum ſuſcipiat, poteſt ſe obligare voto ſolemni continentiæ, & tale votum Eccleſia acceptat. ibid.

Vota parentum vouentium infantes religioni, non obligant infantes,niſi ipſi poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint,tale votum liberè, & ſpontaneè ratificauerint vel approbauerint. ib. 15

Seruus nullum votum reale poteſt validè emittere: niſi habeat aliqua bona, quæ à domino ſuo auferri non poſſint. Poteſt item illa vota emittere,quæ non impediunt dominium,& obſequium domini ſui,nec irritari à domino poterunt. ib. 16.

Neque vir, neque vxor vouere aliquid poteſt, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimoniales, ſine alterius conſenſu. ib. 17.

Vxor vouere poteſt ea,quæ non ſunt in præiudicium viri,ſicut è contra, vt ſunt vota de non mentiendo,de non adulterando,& ſimilia. ibi.

Epiſcopi non poſſunt vouere ſine licentia Papæ, vel poſt Epiſcoporum votum emiſſum implere, per quod diſſoluitur vinculum quo ſuæ Eccleſiæ ſunt adſtricti. ibi. 18.

Nec poſſunt Epiſcopi,quippiam vouere,quod in graue ſuarum Eccleſiarum,quibus præſunt,detrimentum,cedat,ſine licentia Papæ, puta, longam aliquam peregrinationem. 796.ib.

Epiſcopus voueat religionem poſtquam iam eſt conſecratus, tenetur petere licentiam à Papa,qua obtenta tenetur votum implere, non obtenta autem liber eſt à voto. ibid.

Si Epiſcopus vouit religionis ingreſſum ante conſecrationem ſuam tenetur prius votum implere. ibid.

Si Epiſcopus voueat aliquam longam peregrinationem ſine licentia, quamuis ad eam non teneatur, tenetur tamen ad expenſas, quæ factæ fuiſſent eundo, & redeundo;laborem autem itineris,vigilijs,ieiunijs,& orationibus compenſare debet: quamuis quidam hoc non approbent. ibid.

Votum modicæ,vel peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum poſſunt Epiſcopi emittere ſine licentia Papæ, ibid.

Clerici in dignitate conſtituti, aut curam animarum, ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes, non poſſunt aliquam longam peregrinationem, aut aliquid aliud in detrimentum Eccleſiarum, quibus præſunt,ſine licentia Epiſcopi vouere. Alia autem vota emittere poſſunt. ib. 19.

Poſſunt etiam hi votum religionis facere, & exequi, quantumuis contradicat Epiſcopus,nec tenetur ab eo licentiam petere, vt votum ſuum religionis exequantur. ibi.

Filiusfamilias pubes votum reale ante 25. annum emittere non poteſt quin à parentibus irritari queat, vel à curatoribus: niſi habeat bona caſtrenſia,vel quaſi. ib. 26.

Religioſi poſſunt votum emittere abſque Superioris conſenſu, quamdiu Prælatus non commutauerit,diſpenſauerit,aut irritauerit. Si tamen aliquid regulæ repugnans vouerit,non poteſt votum exequi antequam Superior conſentiat,& in regula diſpenſet. ibi.

Vota facta ab aliqua communitate pro ſe, & ſuis Succeſſoribus, tenentur ſucceſſores illius populi ſeruare,ſi de conſenſu Epiſcopi emiſſa ſunt: & hoc non ratione voti,ſed ratione conſuetudinis acceptatæ,quæ vim legis habet. ib. 21

Donatarius non tenetur ad realia donantis vota, ſi donans ſua vota præſtare nequiuit,aut non ſit ſoluendo,aut mortuus ſit,etiamſi donatarius acceperit ſciens donantem, effici impotentem ob id ad perſoluendum votum. 797.22.

Hæres illius, qui profeſſionem in religione approbata emiſit,non tenetur ad vota realia religioſi profeſſi, niſi fortè hæc vota prius acceptata fuerint ab eo in cuius fauorem facta ſunt. ib. 23.

Si religioſus tempore profeſſionis expreſsè intenderit ſua vota non extingui,nec in onera religionis commutari,probabilius eſt,nec monaſterium,nec quemcumque alium hæredem teneri ea perſoluere. ibid.

Quando vouens emiſit votum reale ſimpliciter, & eo non adimpleto mortuus eſt, obligatio voti tranſmittitur ad hæredem poſtquam hæreditatem adijt. ib. 24.

An autem obligetur hæres,ſi defunctus ante mortem expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri? Quidam negant,alij affirmant probabiliter. ibid.

Quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei,& ſolutio pœnæ, ea re non vitata,duplex votum eſt ſaltem virtute, alterum abſolutum, alterum conditionale. ib. 25.

Quando votum fit de ſola pœna, & res vitanda ponitur ſub conditione, in cuius euentu promittitur pœna,vt ſi quis voueat religionem,ſi luſerit, tunc eſt vnicum ſolius pœnæ ſubeundæ votum, caſu quo ludatur. ibid.

Quando materia principalis voti,vel iuramenti verè pœnalis eſt incepta, non obligat votum pœnale: & idem dicendum, ſi eſſet votum ſolius pœnæ,caſu quo verè pœnale eſt. ibi. 26.

Quando aufertur principalis voti obligatio per irritationem,commutationem,vel diſpenſationem ante incurſam pœnam aufertur conſequenter oblatio pœnæ. Secus ſi præuaricatio voti ſemel accidit,ideoque pœna contracta eſt. ibid. 27.

Votum pœnale obligat ad pœnam toties quoties illud violauerit,quando vouens expreſsè illud intendit: E contra ſi expreſſit ad ſolam primam vicem,ſola ea obligatur. 798.28

Quando vouens nihil expreſſit;ſed abſolutè dixi,voueo non ludere, & ſi ludero voueo dare centum in eleemoſynam,tunc vouens non ſolùm pro prima vice obligatur, ſed ſemper, & toties quoties præuaricabitur votum,ſi pœna iterabilis eſt, ſi verò iterari non ſoleat, de prima vice tantùm votum intelligendum eſt, vbi non conſtaret de alia expreſſa vouentis intentione. ibid.

Probabile tamen eſt,quando ſolum eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi,illud obligare tantùm ad pœnam pro prima vice. ibid.

Quando tranſgreſſio voti pœnalis immunis eſt à culpa ratione oblinionis excuſatur etiam à pœna: idem dicendum ſi quis ſit immemor pœnæ, votum tranſgreditur. ib. 29

Votum merè conditionale eſt,quando conſenſus non eſt ſtatim perfectus & abſolutus,ſed pendet ex futuro euentu poſito ſub conditione,& non quaſi determinatione temporis, nec res promiſſa ponitur quaſi odioſa pœna,& ſupplicium alicuius rei. ib. 30

Votum conditionale aliquando eſt verè tale; aliquando autem tantùm apparenter. ibi.

Conditio,quæ in voto apponitur, aut eſt contra ſubſtantiam voti, aut eſt impoſſibilis, aut turpis, aut neceſſaria, aut contingens,& honeſta. ibid.

Votum factum ſub conditione contra naturam, & ſubſtantiam voti, aut rei,quæ voto promittitur,eſt inualidum. ibi.

Votum factum ſub conditione impoſſibili, inualidum eſt; ſiue conditio impoſſibilis ſit præſentis,ſiue præteriti,ſiue futuri temporis,etiamſi vouens reputaret eam conditionem poſſibilem. ib. 31.

Conditio turpis vt plurimum reddit votum inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire;ſi tamen in aliquo caſu vouens ad illam conditionem turpem non dirigat votum, illud eſſet validum. 799.32.

Conditio neceſſaria non ſuſpendit voti valorem, ſed ſtatim eſt perfectè obligans:ſi tamen tempus aliquod promiſſioni adijciatur, non obligabit votum vſque ad id tempus. ibi.

Conditio contingens futuri temporis, & honeſta ſuſpendit voti obligationem,illudque verè conditionale reddit,non obligans, donec ea euenerit, ſed ſi votum conditionale ſit diſtinctiuum, impleta vna parte obligat. ib. 33.

Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, & vouens intendit ſe obligare dependenter ab adimpletione omnium conditionum, deficiente vna,deſinit obligatio voti. ibi. 34.

Si mens vouentis ſit ſe obligare dependenter diuiſiuè,obligabit votum, vna eueniente,etſi cæteræ deficiant. ibid.

Quando dubium eſt vtro horum modorum intenderit ſe obligare, non tenetur quis ſtare voto, antequam adimpletæ ſint omnes conditiones appoſitæ copulatiuè per particulam &. Non verò diſiunctiuè, per particu-

Digitized by Google

eiuſdem vel. ibid.
Conditio apponi debet in ipſo vouendi,ſeu promittendi actu,non poſteà. ibid.
Vouens aliquid ſub conditione futura non poteſt aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti executionem,ſecuta conditione: Limitatur tamen hæc propoſitio dupliciter. ib.35.
Si aliquis per fraudem impediat, quominus conditio eueniat, an voto obligetur perinde,ac ſi conditio impleta eſſet: Probabile eſt quod non: ſed contrarium eſt probabilius. ib.36.
Qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit, tenetur voto, ſed non ſemper. 800.37
Qui vouit aliquid ſub conditione ſi alius ſibi conſuluerit, vel voluerit, non poteſt ab eo petere ne id conſulat, aut vt nolit, ne voto teneatur. ibid.38.
Qui Deo vouet ſe ingreſſurum religionem ſub conditione conſenſus paterni,ſtatim obligatur,& cenſetur impleta conditio, ſi pater re cognita voto conſentiat,licet poſteà diſſentiat. ib.39
Qui votum religionis emiſit ſub conditione paterni conſenſus,ſi de facto procuret precibus,& rationibus, ne pater conſentiat: An talis faciat votum? alij negant,alij affirmant. ibid.
Laudabile eſt,& ſecundùm ſe bonum conſulere aliquibus ingreſſum religionis,imò etiam vt ſe obligent voto ad ingrediendum, ſed non ſemper, id aliquibus erit expediens. ib.40.
Qui votum religionis emiſit, tenetur facere quantum in ſe eſt, vt ad religionem admittatur, moralem diligentiam, & humano modo poſſibilem adhibendo: nec ſufficiet ficta petitio,exteriùs manifeſta verbis, aut nutibus. ibid.41
Qui vouit mori in religione,cenſetur votum religionis emiſiſſe, & profeſſionis,& perſeuerantiæ. 801.2.
Votum volendi ingreſſum religionis,non eſt votum religionis:vnde ſatisfiet huic voto habita ſemel ea firma voluntate, nec obſtabit matrimonio ineundo. ibid.
Qui vouit religionem,ad quam probabiliter putat ſe admittendum,ſi votum religionis manifeſtet non tenetur manifeſtare; quamuis non ſit improbabile teneri. ibi.43.
Vouens principaliter caſtitatem,& religionem, tenetur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam,etſi à voto religionis liber ſit,eo quòd non admittatur. ibi.44.
Quando principaliter vouit religionem, & veluti acceſſoriè caſtitatem, liberatus voto religionis, liberatur quoque voto caſtitatis. ibid.
In dubio,an quis vouerit caſtitatem principaliter,& independenter à religione,conſideranda ſunt verba voti. ibid.
Habens votum religionis,& illam ingrediens animo exeundi,voto non ſatisfacit,ſed tenetur voluntatem mutare ex vi voti,& habere animum experiendæ religionis,num eius inſtitutum ſibi conueniat. ibi.45.
Si quis intrauit religionem animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propoſitum ſuum, ſatisfaceret voto, aliter non. ibid.
Vouens ſe ingreſſurum religionem,& in ea perſeueraturum, ſed profeſſurum,iuxta quoſdam Doctores,ſatisfacit voto ingrediendo bona fide ad religionem experiendam, & poſteà ex iuſta cauſa egrediendo, ſed verius eſt teneri ex vi voti perſeuerare,& profiteri:ſi autem expellatur, non teneri iterum ingredi. ib.46
Verius eſt vouentem religionem abſolutè, nihil de exeundi libertate determinando,non ſatisfacere voto, retrocedendo ex ſola libertate nouitijs conceſſa,ſed exigi iuſtam exeundi cauſam. 802.47
Quædam iuſtæ cauſæ adducuntur egreſſus, vt vouens religionem, & ab illa egrediens cenſeatur voto ſatisfeciſſe. ib.48.
Qui poſt votum religionis matrimonium contraxit cum animo conſummandi, peccat mortaliter: ſemel tamen conſummato matrimonio poteſt petere,& reddere debitum; at ſoluto matrimonio, vel legitimo diuortio facto,tenetur ingredi religionem. ibid.
Qui vouit arctiorem religionem ſi ingrediatur laxiorem, peccat quidem mortaliter, at ſi profiteatur, valida eſt profeſſio, & manet liber à voto ſtrictioris. ib.50.
Vt hic peccet ingrediendo laxiorem (in qua nimirum profitere vouit) requiritur,vt non ſolùm vouerit ingredi ſtrictiorem,ſed etiam profiteri in ea: at quando non eſt votum profitendi in ſtrictiori, ſed tantùm ingrediendi,licebit quandoque in laxiori profiteri. ibid.

Votum. Quoad illius irritationem.

Voti irritatio eſt annullatio voti facta ab eo,qui ſuper hoc poteſtatem, & dominium habet:& hæc irritatio duplex eſt. 803.1.
Omnia illorum vota irritari poſſunt,qui alteri,vel perfectè,& in omnibus, vel ſaltem quoad materiam,quam vouerunt ſubiecti ſunt. ibid.
Votum ſemel in irritum reuocatum,nunquam reuiuiſcit. ibid.
Summus Pontifex directè non poteſt irritare vota omnia Chriſtianorum; nec Epiſcopus ſubditorum; nec Rex vaſſallorum, ib.2.
Summus Pontifex poteſt irritare ea vota religioſorum, quæ poſſunt irritari ab eorum Prælatis. ibid
Summus Pontifex indirectè poteſt irritare vota cuiuslibet fidelis; Epiſcopi autem, & alij Prælati ſuo modo idem facere poſſunt reſpectu ſuorum ſubditorum. 804.3.
Vota ſeruorum poſſunt à Domino etiam inuitis ſeruis irritari, ſi ipſi Domino præiudicant,aliàs non: Vota tamen famulorum non poſſunt irritari ab hero. ib.4.
Non poteſt dominus irritum reddere votum caſtitatis ſui ſerui. ibid.
Probabilius eſt, ea tantùm vota vxoris à marito irritari poſſe, quæ vel iuri eius incommodant, vel ad familiæ adminiſtrationem pertinent. ibid 5.
Votum quod emiſit vxor adimplendum poſt mortem mariti, non poteſt vir irritare. ibi.
Votum non petendi debitum factum ab vxore poteſt irritari à marito; imò vir poteſt validè irritare vota vxoris emiſſa cum ipſius licentia. ibid.6.
Vota mariti irritari poſſunt ab vxore, quæ incommodum illi afferunt, & quæ aliqua ex parte eius iuri præiudicant. ibid.
Votum continentiæ emiſſum communi conſenſu vtriuſque coniugis, vel quo vterque ex pacto vouet ingreſſum religionis, &c. non poteſt ſaltem licitè ab vllo coniugum irritari; quamuis contrarium non ſit improbabile. ib.7.
Omnia vota religioſorum poſſunt irritari à Prælato, & ſuperiore, præter votum religionis arctioris. ib.8.
Prælatorum vota non poſſunt ab eis irritari,aut alijs irritanda committi; quamuis poſſint in votis ſecum diſpenſare, vel diſpenſationem ſuo confeſſario committere. ibid.
Prælatus poteſt irritare vota ſuorum religioſorum, quæ ſunt reſeruata Papæ,quamuis in his diſpenſare non poſſit. ibid.
Superior poteſt irritare votum religioſi,quamuis in illud conſenſerit, vel illud confirmauerit;peccat tamen mortaliter ſuperior,qui abſque iuſta cauſa tale votum irritat,ſecundum probabiliorem ſententiam. ib.9.
Prælatus localis non poteſt irritare vota ſui ſubditi emiſſa ex licentia generalis,vel alterius Superioris maioris;licet tamen Prælato inferiori ſuſpendere ſubdito vſum illius licentiæ aliqua iuſta de cauſa, donec ſuperiori,à quo facultas obtenta eſt,cauſæ illius facultatis reuocandæ ſignificentur. ibid.
Votum de licentia Generalis emiſſum poteſt ab inferiore Prælato diſpenſari. ibi.
Poteſtas irritandi vota poteſt alteri à legitimo ſuperiore delegari.805.10.
Vota nouitiorum non poſſunt irritari à Prælato; benè tamen ſuſpendi, ſi impedimento ſint probationi, & ſint perſonalia: vota verò realia non poſſunt ſuſpendi. ibid.11.
Religioſus votum emittere abſque ſuperioris conſenſu;ſuperior tamen poteſt votum irritare etiam inuito vouente;non autem commutare. ibid.12.
Vota omnia impuberum irritari poſſunt à Patre,vel tutore, imò, & à matre auo,& auia mortuo patre,ſi ſint loco tutoris;etiam poſt impubertatem. ib 13
Vota puberum non poſſunt à parentibus irrita reddi, niſi quatenus diſciplinæ familiæ,& patriæ poteſtati obſunt. ib.14.
Vota realia puberum irritari poſſunt tum à parentibus, tum à tutoribus vſque ad 25. annum; ſi tamen pubes habeat bona caſtrenſia vel quaſi, non poſſunt ipſius vota irritari. ibid.

VOTVM II.

Quoad eius irritationem.

Irritatio votorum impropria,& indirecta ſuppoſita ſubiectione vndecunque orta,iure naturæ competit ſuperioribus. 806.1.
Irritatio propria,& directa quæ competit Prælatis religionum, Patri, Domino, Marito irritandi vota,ſecundùm communiorem ſententiam, non iure Canonico, vt volunt quidam, ſed ex iure naturali deſcendit, ibid.
Poteſtas irritandi commutandi,vel diſpenſandi vota extenditur ad vota quatumuis interna. ib.2.
Habentes dominatiuam poteſtatem irritandi vota,non ſolùm emiſſa, ſed etiam in poſterum emittenda,poſſunt irritare,interdicendo ſubditis, ne ipſis inconſultis vota emittant. ibid.3.
Quando ſuperior ſolum vouendi actum interdicit, nihil circa materiam voti diſponens,culpa eſt vouere contra id præceptum,at votum eſt validum. ibi.
Varij variè ſentiunt,an Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis,implenda tamen tempore illius ſolutæ?Probabilior tamen ſententia aſſerit, eam poteſtatem omnibus Superioribus habentibus dominatiuam poteſtatem competere. 807.4.
Verius eſt, quod quando poteſtas Superioris, cuius tempore votum emiſſum eſt, non eſt omnino extincta, aut omnino ſuſpenſa, ſed quoad aliquid manet, poteſt irritare votum ſubiectionis ſuæ tempore

Digitized by Google

emiſſum,etſi illud iam tranſierit,dummodo eo tranſacto non ſit denuo confirmatum. ibid.5.

Quando Superioris poteſtas eſt omnino extincta,aut omnino ſuſpenſa, non poteſt ille irritare vota ſubiectionis ſuæ tempore emiſſa. ibid.

Curator poteſt irritare puberum minorum vota omnia realia,& mixta, quæ pater irritare poterat, dum tamen minor ætas durat, non poteſt. ibid.6.

Pater autem poteſt illa vota irritare quandiu filius eſt ſub ſua poteſtate, etſi viginti quinque annum excedat. ibid.

Vota realia de peculio caſtrenſi, vel quaſi, non poteſt curator irritare, vota autem perſonalia puberum minorum præiudicantia gubernationi domeſticæ, quæ irritari poſſunt à patre, poſſunt etiam à curatore. ibid.

Quando plures minori curatores ſunt conſtituti, quilibet ipſorum poteſt eius vota irritare. ibid.

Curator datus maiori ratione prodigalitatis, poteſt irritare illius vota realia eo tempore curæ emiſſa tantùm, & non alia. 808.7.

Mater, quæ filiorum curatrix non eſt, nulla vota realia puberum poteſt irritare. ib.8.

Mater viuente,aut longè abſente patre nulla impuberis vota poteſt verè irritare, nec etiam defuncto patre, ſi impubes ille tutorem habeat: tamen in vtroque caſu poteſt mater voti obligationem ſuſpendere,quando ei vota illa præiudicant ex parte materiæ. ibi.

Mater poteſt quæcumque filij impuberis vota irritare, quando, aut pater obijt,aut ita longè abeſt,vt per epiſtolam conſultus nequeat reſpondere longiſſimo tempore expectato, dummodò in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis tutor. ibid.

Verius eſt filijs impuberibus,aut minoribus prætendentibus notabiliter ſe læſos in votis,non competere reſtitutionem in integrum. ib.9.

Vota ante ſubiectionem emiſſa nequeunt propriè, & directè irritari, ſed tantum imperfectè,& indirectè,id eſt,ſuſpendi à poteſtate ſequenti dominatiua,quatenus obſequio ei debito præiudicant. ibid.10.

Quando ſuperiores,qui non poſſunt perfectè irritare vota ante ſubiectionem emiſſa,ſed tantum ſuſpendere, concedunt poſtea facultatem implendi, aut ceſſat eorum poteſtas, vota reuiuiſcunt, & priſtinam obligandi vim recuperant. ibi.

Excipiuntur tamen vota ante religionis profeſſionem emiſſa, quæ ſi per profeſſionem non extinguantur, poſſunt profeſſionem à Superioribus irritari non aliter, quàm ſi poſt profeſſionem emiſſa eſſent. ibid.

Poteſtas irritandi vota religioſorum competit Summo Pontifici:Epiſcopo reſpectu non exemptorum, Generalibus,Prouincialibus,Superioribus localibus,Abbatiſſis,Priorſſis,&c. viſitatoribus,niſi aliàs iuriſdictio eſſet ad aliquos actus limitata. 809.11.

Hæc facultas non competit horum Prælatorum Vicarijs, niſi in abſentia eorum,quando tota conuentus gubernatio ad ipſos ſpectaret,tanquam vices illius gerentes. ibid.

Superior Prælatus poteſt ſibi reſeruare aliquam votorum irritationem. ibid.

Licet Prælati religionum poſſint irritare vota ſuorum ſubditorum hinc tamen excipienda ſunt uota, quæ vltra tria religionis ſubſtantialia, emittuntur in aliquibus religionibus, ex approbatione Sedis Apoſtolicæ. ibid.

Votum ? Quoad illius commutationem.

Commutatio eſt ſubſtitutio operis honeſti loco alterius per votum promiſſi. 810.1.

Commutatio voti in melius opus ſit,uel in minus,uel in æquale. ibi.

Votum ſuum poteſt quicunque ſua auctoritate commutare in melius,niſi ab Eccleſia ſit prohibita talis commutatio:melius autem dicitur, quod eſt Deo gratius. ibid.

Quamuis probabile ſit,ad commutationem voti in æquale, non deſiderari auctoritatem ſuperioris;tutiùs tamen eſt, ut id non fiat,niſi ſuperioris auctoritate,vel ſaltem prudentis confeſſarij. ibid.2.

Quando dubium eſt, vel opinio, an ſit æquale,non licet commutare votum in id,quod dubitatur eſſe æquale. ibid.

Voti commutatio in melius fieri poteſt ſine cauſa: in æquale autem, debet eſſe aliqua iuſta cauſa,quamuis parua ſatisſit. ib.3.

Probabilius eſt,uotum reale poſſe ex iuſta cauſa commutari in perſonale, & è contra. ibi.

Omnia uota ante emiſſa commutantur auctoritate iuris in vota religionis, quæ in profeſſione fiunt, niſi vouens explicitè contrarium intendat. ibi.4.

Poteſtas ordinaria commutandi,vota reſidet penes Summum Pontificem, Epiſcopos,& alios gaudentes ordinaria poteſtate diſpenſandi;quam etiam delegare poſſunt. ibi.5.

Confeſſarij ordinum mendicantium ab ordinario approbari poſſunt omnia vota etiam iurata commutare in alia pietatis opera; exceptis quinque reſeruatis. ibid.

Priuilegia regularium cum ſint fauorabilia,ſunt latè interpretanda,quantùm eorum verba patiuntur. 811.

Religioſi priuilegiati poſſunt commutare vota etiam facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum priuilegiorum. ibid.

Religioſi virtute horum priuilegiorum poſſunt commutare omnia vota, etiam Summo Pontifici reſeruata quando in illis poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibi.

Religioſi per dicta priuilegia,non ſolùm ſubditorum illius diœceſis, in qua ſunt expoſiti ad confeſſiones,verum etiam quorumcumque vndequaque venientium,vota commutare poſſunt. ibid.

Quicumque habet poteſtatem diſpenſandi ordinariam,vel delegatam, habet etiam poteſtatem commutandi,non tamen è contra. ibid.6.

Qui ex poteſtate ordinaria, vel delegata poteſt commutare, poteſt etiam commutare debitum ſeu obligationem ex violatione voti contractam. ibid.7.

Probabilius eſt,commutationem, quæ ſit per priuilegium, aut bullam, ab eo qui caret poteſtate diſpenſandi,debere fieri in æquale, vel penè æquale,ideſt,quod æquè gratum eſt Deo. ib.8.

Votum factum in fauorem vnius Eccleſiæ, poteſt commutari in aliquod opus magis pium,propria auctoritate,ſi votum ſit ſecretum: poſt acceptationem autem rectoris illius Eccleſię;non poteſt commutari abſque illius conſenſu. ibid.

Facta commutatione voti,probabile eſt liberum eſſe vouenti obſeruare materiam priorem voti, relicto eo,in quod prius fuit commutatum, etiamſi commutatio ſæpius facta fuerit. ib.9.

Votum in quod præcedens fuit commutatum, poteſt multoties commutari, ſi facultas commutandi vota non ſit limitata ad vnam vicem. 812.10.

Facultas diſpenſandi, vel commutandi vota alicui conceſſa, etiam extenditur ad vota poſt conceſſionem facultatis facta. ibid 11.

In conceſſione facultatis commutandi vota, ordinariè non conceduntur vota reſeruata Summo Pontifici,niſi exprimantur. ibi.12.

Vota reſeruata Pontifici,non poſſunt in opera euidenter meliora, præter religionem commutari. ibid.

Licet probabile ſit illum,qui voluntariè,vel ex obliuione,vel alia cauſa non curauit vota ſua commutari, quibus obſtrictus erat, poſſe tranſacto tempore Iubilæi commutationem obtinere, ab eodem confeſſario, vel ab alio:Contrarium tamen eſt tutius. ib.13

Commutatio votorum, abſolutio cenſurarum, diſpenſatio ſuper irregularitatem, iuramento, petitione debiti, &c. poteſt dari extra ſacramentum confeſſiones, & in neceſſitate in abſentia per ſcriptum. ibid.14.

Vota tempore Iubilæi commutata non reuiuiſcunt, ſi poſtea pœnitens non præſtet neceſſaria ad conſecutionem Iubilæi. ibid.15

Probabilius eſt illum non peccare mortaliter, qui obtenta votorum commutatione poſtea voluntariè omittit opera Iubilæi. ib.16.

Quando votum caſtitatis perpetuæ, aut religionis fuit à Summo Pontifice commutatum in aliam materiam non reſeruatam, poteſt hanc Epiſcopus,vel confeſſarius priuilegiatus in aliam commutare. ibi.17.

Pro commutatione voti religionis ſemper debet imponi aliquod vinculum perpetuum. 613.8.

Ad commutandum votum peregrinationis expendi debent expenſæ, quas facturus erat,qui vouit:item conſiderandus eſt labor itineris, &c. ibid.19.

Votum. Quoad eius diſpenſationem.

Diſpenſare in voto nihil aliud eſt,quam relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem. ib 1.

Diſpenſatio differt ab irritatione,& commutatione. ibid.

Certum eſt de fide in Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi in votis, & iuramentis. 814.2.

Poteſtas diſpenſandi in votis iure ordinario competit ſolis Prælatis habentibus iuriſdictionem in foro externo,qualis eſt in Epiſcopo confirmato ante ordinationem. ibid. 3.

Poteſtas diſpenſandi ſuper omnia vota eſt tantùm in Summo Pontifice iure diuino. ibi.

In Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis eſt poteſtas ordinaria diſpenſandi ſuper omnia uota,quæ reſeruata non ſunt,in ordine ad ſubditos ſuarum diœceſum. ib.4.

Subditorum nomine,cum quibus diſpenſare poteſt Epiſcopus veniunt illi,qui habent domicilium in diœceſi; & qui incœperunt habitare cum intentione,& ibi manendi maiore anni parte;& uagi. ib.

Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem poſſunt diſpenſare in uotis ſuorum ſubditorum exemptorum. ib.5.

Cum religioſis exemptis poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis,& irregularitatibus,ex licentia ſuorum ſuperiorum. ib 6.

Prælatus,aut alius habens facultatem generalem diſpenſandi in votis poteſt ſecum diſpenſare in votis,aut dare facultatem alteri, qui ſecum diſpenſet. ib.7.

Habentes iuriſdictionem delegatam diſpenſandi in vniuerſum cum aliqua communitate,cuius ipſi ſunt partes,poſſunt in iiſdem rebus ſecum quo-

quoque directè diſpenſare: ſecus de illo, qui limitatam poteſtatem habet diſpenſandi cum certis perſonis. ibid.

Vt diſpenſatio valida ſit, requiritur vt ſubſit iuſta cauſa, etiam reſpectu Papæ. ibid. 8

Iuſtæ cauſæ generatim diſpenſandi in votis ſunt, vtilitas Eccleſiæ; honor Dei; vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiuſdem. ibid.

Rarò vtendum eſt pura diſpenſatione ſeu relaxatione voti, quare plerunque vtendum commutatione, quæ diſpenſationem admixtam habeat. ibid.

Poteſtas diſpenſandi in votis delegari poteſt ab habente facultatem ordinariam perſonis habilibus, id eſt clericis. 815.9

Confeſſores Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi. ibid. 10

Regulares aliarum religionum poſſunt vti priuilegijs Societatis Ieſu abſque eo quod à ſuis Generalibus ea mendicent. ibid.

Prouinciales Ordinum mendicantium poterant olim concedere confeſſoribus ſuis approbatis ab ordinario, facultatem diſpenſandi ad petendum debitum cum his, qui ante matrimonium caſtitatem vouerant: ſed modò hæc poteſtas eſt eis ſublata per Conſt. *S. D. N. Vrbani VIII.* ibid. 11

Vota Summo Pontif. reſeruata ſunt, ***votum caſtitatis perpetuæ; votum religionis approbatæ: votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum; votum ad S. Iacobū Compoſtellanū, & votum ad terram Sanctā.*** ib. 12

In generali facultate diſpenſandi in votis, non comprehenditur facultas diſpenſandi in votis reſeruatis. ibid.

Hæc quinque vota cenſentur ex conſuetudine reſeruata Pontifici, etiamſi fiant ſolùm cauſa deuotionis. ibid. 13

Epiſcopus poteſt diſpenſare, in voto religionis non approbatæ in voto caſtitatis non perpetuæ; in voto non fornicandi; in voto non nubendi; in voto ſuſcipiendi ordines ſacros, in voto virginitatis, &c. ibi. 14

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis integræ, quando imminet graue periculum magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ, expectando diſpenſationem Papæ, vel Legati. ibi. 15

Quando coniuges poſt contractum, & conſummatum matrim. communi conſenſu vouerunt continentiam, poteſt Epiſcopus diſpenſare; ſi periculum incontinentiæ vtrique vel ſaltem alteri eorum ingruit, vt debitum petant, & reddant. ibi 16

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis emiſſo poſt contractum matrimonium ante conſummationem? Negant quidam, alij affirmant. vtraque ſententia eſt probabilis. ibid.

Quando votum caſtitatis emiſſum fuit metu licet non omninò iuſto ſeu graui, ratione cuius ſit irritum, poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibi. 17

Quando votum caſtitatis eſt acceſſorium, & dependens ab alio voto principali non reſeruato, poteſt Epiſcopus diſpenſare: ſecus quando votum principale eſt reſeruatum, acceſſorium verò non. ibid 18

Quando votum caſtitatis eſt verè conditionale ſub conditione de futuro, poteſt Epiſcopus diſpenſare, modo conditio nondum ſit impleta: in voto autem facto ſub conditione de præſenti aut præterito non poteſt diſpenſare. ibid. 19

Vouens diſiunctiuè caſtitatem vel ieiunium perpetuum, poteſt eligere partem, in qua Epiſcopus poteſt diſpenſare. 817.10

Quando dubitatur an votum caſtitatis ſit validum, vel reſeruatum poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid. 21

Probabilius eſt, votum pœnale caſtitatis emiſſum in pœnam delicti ſub conditione, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, etiam adimpleta conditione. ibid. 22

In voto facto in vtilitatem alterius, & ab illo acceptato, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi adſit conſenſus illius in cuius fauorem factum eſt. ibi. 23

Parochi, aut alij ſacerdotes non habent poteſtatem ne in articulo mortis diſpenſandi, aut commutandi vota. ibi. 24

Probabilius eſt Prælatos regulares poſſe commutare aut diſpenſare in votis nouitiorum. ibid. 25

Abbatiſſa non poteſt diſpenſare in votis ſuarum nouitiarum, & profeſſarum. ibid.

Probabile eſt habentem facultatem diſpenſandi vel commutandi vota poſſe etiam iuramenta, quibus nullum ius homini acquiritur. ibi. 26

Summus Pontifex poteſt in ſolemni voto caſtitatis ordini ſacro annexo diſpenſare. ibid. 27

Votum caſtitatis ſolemne religioſorum poteſt relaxare Summus Pontifex, ſi iuſta cauſa ſubſit. ibid. 28

Habentes generale priuilegium commutandi, & diſpenſandi vota, poſſunt ea omnia vota commutare, & diſpenſare, quæ ab Epiſcopis iure ordinario commutari poſſunt. ibi. 29

De commutatione, & Diſpenſatione voti.

Commvtatio, & redemptio voti differt à diſpenſatione: quia per diſpenſationem tollitur voti vinculum, non autem per commutationem; in qua ſola voti materia tranſmutatur, eodem vinculo manente. 818.12

Poteſtas commutandi vota eſt iuriſdictionis ſpiritualis à Chriſto conceſſa, non autem à iure naturali profecta; & ad illam exigitur iuriſdictio in foro externo. ibid. 13

Poteſtas commutandi vota in rem manifeſtè meliorem, vel euidenter æqualem, non eſt actus iuriſdictionis, ſed fieri poteſt proprio cuiuſque vouentis arbitrio. 819.

Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ, Cruciatæ, Iubilæi, vel Priuilegiorum, poſſunt commutare vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium. ibid. 14

Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pont. quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiunt, poſſunt quoque ea à priuilegiatis commutari. ibid. 15

Quando autem Epiſcopo diſpenſare conceditur ratione ſolius neceſſitatis imminentis, eo quòd Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, non poſſunt ea commutari per priuilegia. ibid.

Omnia vota quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſunt per Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, & Priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari, ſi iuſta cauſa ſubſit. ibid. 16

Enumerantur hic omnia vota in quibus Epiſcopus, regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare. ibid.

Si quis ante matrimonium contractum vel poſt tamen conſummatum religionem voueat, non poſſunt regulares vi priuilegiorum diſpenſare cum illo, vt debitum petat, aut reddat. ibid.

In commutatione voti attendenda eſt maior dignitas materiæ ſubrogatæ, reſpectu ſolius materiæ promiſſæ; nulla tamen eſt habenda ratio vinculi voti. 820.17

In commutatione voti non ſemper reputatur melius, aut æquale, quod ſuapte natura eſt tale, ſed quod hic, & nunc Deo gratius eſt, aut æquè gratum præſtari à vouente. ibid.

Cùm dignitas materiæ promiſſæ augeatur ex dignitate finis, commutatio illius indigebit ſubrogatione præſtantioris materiæ. ibid. 18

In commutatione voti habetur ratio difficultatis implendi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam. ibid.

In commutatione voti peregrinationis, duo ſunt conſideranda, & labor itineris, & expenſæ ratione peregrinationis faciendæ, ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. ib.

Si quis peregrinaretur ad locum deſtinatum, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret, quia reditum non vouit. ib.

In commutatione votorum non requiritur ſimilitudo, itaut votum reale commutari debeat in reale, & perſonale in perſonale. ib 19.

Ad voti commutationem non eſt opus, vt materia ſubrogata ſit æqualis prioris promiſſæ quoad magnitudinem, durationem, aut numerum, modò ſit æqualis in ratione obſequij diuini. ib.

Commutatio voti conditionati poteſt fieri in votum abſolutum proportionatum, & ſi conditio nondum impleta ſit, poteſt fieri in minus bonum: Si poſt impletam conditionem debet fieri in æquale: idem eſt de voto pœnali conditionato. ib.

Quando non commutatur votum principale, ſed ſola conceditur dilatio illius implendi, aliquali commutatione debet ſuppleri, modica tamen, & quo maior eſt dilatio, eo minor eſſe debet commutatio. ibid. 21.

In commutandis votis maximè attendenda eſt vouentis fragilitas, & curandum ne nimis grauetur. ibid.

Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio perfectæ caſtitatis; niſi per vltimum votum intendat quis ſe ad perfectam caſtitatem obligare. 821.22.

Quamuis votum caſtitatis, ſeu religionis emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta dicatur poſſe irritari, non inde ſequitur poſſe Epiſcopum in eo diſpenſare, & confeſſarium illud commutare virtute priuilegij. ib. 23.

Facultas regularium ſuper vota commutanda, & diſpenſanda extenditur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis, quando expreſſus vouentis finis fuit non ad vitanda ea loca, ſed ad alium finem. ib. 24.

Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis, & religionis cenſentur conceſſa vota triplicis peregrinationis, etſi non exprimantur, licet quidam non improbabiliter contrarium doceant. ib. 25.

Epiſcopus, & regulares poſſunt diſpenſare, & commutare votum, quod fit à vouente animo ſe obligandi, ad non petendam diſpenſationem illius niſi à Papa. ib. 26.

Omnes habentes poteſtatem diminutiuam, poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam inuitis vouentibus. ib. 27.

An autem diſpenſatio poſſit dari inuito vouente? Quidam negant, ſed melius alij affirmant: Commutatio verò non poteſt fieri inuito vouente. ib.

Facultas regularium circa vota perſonarum ſæcularium, non poteſt ab eis ſubdelegari. 822. 28.

Regulares occurrente iuſta cauſa poſſunt dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi deſignauerit.* ib.

Qui

Digitized by Google

Qui modo dicto obtinuit commutationem alicuius voti, quandiu non eſt deſignata materia, in quam fit talis commutatio, non tenetur voto; ſecus ſi commutatio non ſit facta, ſed cauſa tantùm inchoata. ibid.
Non peccat Prælatus, aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi vota & commutandi, diſpenſando, nulla admixta commutatione, quando eſt ſufficiens talis diſpenſationis cauſa. 822.29
Prælatus tenetur diſpenſare in voto, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis ſpirituale diſpenſationem exigit; nec commutatio ſufficit ad vitandum tale damnum. ibid. 30
Delegatus, qui habet priuilegium diſpenſandi in fauorem alterius, puta per Bullam vel Iubilæum, ſi poſt ſui electionem & acceptationem, deneget diſpenſationem, iuſtam cauſam habens pro ea concedenda, infidelis eſt & iniuſtus. ibid.
Delegatus habens priuilegium in ſui fauorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, eo quod nemo teneatur ſuo priuilegio vti. ibid.
Epiſcopus & delegatus priuilegiatus poſſunt commutare vel diſpenſare in voto facto in fauorem tertij abſque conſenſu illius, in cuius fauorem & vtilitatem vergit votum, modo ab eo non fuerit acceptatum: contra quoſdam Canoniſtas. ibid. 31
Probabilius eſt Prælatos potentes diſpenſare, cenſeri facto ipſo diſpenſare, quoties admittunt ad aliquem actum, eum, quem ſciunt impedimentum iuris habere illum, vt ſi admittant ad matrimonium eum, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe. ibid. 32
Idem dicendum eſt in irritatione votorum; non autem in commutatione. ibid.
Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis, non requiritur conſtitutio veri domicilij, cum animo permanendi in eius diœceſi, ſeu habitandi, ſed ſatis eſt, ſi fideles ibi habitent cum animo permanendi maiori anni parte. ibid 33
Vagorum vota poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo vbi inueniuntur, quia nullibi habent domicilium. 833

Vſura. Quid, & quotuplex.

Ad rationem vſuræ requiritur mutuum. ibi. 1
Materia mutui generaliter ſunt res, quæ conſiſtunt in numero, pondere, & menſura. ibid.
Ad vſuram requiritur lucrum vltra ſortem, id eſt, vltra ſummam capitalem: quod debet eſſe res pretio æſtimabilis. ibid. 2
Vt lucrum ſit vſurarium, requiritur vt proueniat ex vi mutui, id eſt ratione mutuationis; ſiue lucrum principaliter intendatur ex mutuo, ſiue non. ibid. 3
Vſura accipitur vel pro lucro, ſeu obiecto ipſius mutuationis; vel pro contractu vſurario; vel voluntate ſic contrahendi. ibid. 4
Lucrum vocatur acquiſitio rei ſupra ſortem pecunia æſtimabilis, & aliàs indebitæ. ibid.
Vſura alia eſt formalis, & aperta; alia eſt virtualis, & palliata. Alia eſt realis, & externa, alia mentalis, & interna. ibid. 5
Vſura non ſolùm iure poſitiuo, diuino, vel humano, ſed etiam naturali illicita eſt. ibid 6
Non licet ex mutuo principaliter ſperare lucrum, quod detur ex obligatione iuſtitiæ propter mutuum. 824 7
Probabilius eſt committi vſuram deducendo amicitiam in pactum, mutuando. ibid. 8
Vſura mentalis non committitur ab eo, qui mutuat alteri pecuniam indigenti, ſperans illum gratum fore, ac liberalem; imò quamuis excitet mutuatarium ad aliquid ſibi in remunerationem mutui tradendum ex liberalitate. ibid. 9
Vſurarius mentaliter eſt, qui dat mutuò pecunias Principi, ſperans lucrum ex mutuo tamquam pretium. ibid.
Regulæ, quibus cognoſci poſſit animus vſurarius. ibid. 10

Vſura. Quoad pacta ratione ipſius actionis mutuandi.

Pacta & obligationes, quæ mutuans exigit pro aſſecuratione rei mutuatæ, neque continent aliquod lucrum, licita ſunt, & abſque vſura. ibid. 1
Vbicumque ſunt tria hæc, mutuum, lucrum ex illo, & pactum, eſt vſura formalis. ibid.
Omnis pactio per quam mutuatario imponitur onus, & obligatio quaſi ex iuſtitia ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur, labem vſuræ continet. ibid.
Vſura committitur ab eo, qui tradit alteri mutuum cũ pacto, vt mutuatarius teneatur præſtare munus à lingua, ab obſequio à manu. 825. 1
Vſurarius eſt mutuans mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuatori vendat officium, vel priuilegium, vel eximat ab aliquo onere, vel vt ſibi vel alteri conferat beneficium, &c. ibid 3
Vſura eſt in mutuante, qui mutuo dat oleum vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuum reſtituat in re diuerſæ rationis. ibid. 4
Qui mutuat alteri centum nummos ſoluendos in tritico tempore meſſis pretio communi, vſura eſt, modo mutuans intendat celebrare contractum mutui, non emptionis. ibid.
Pactum de remutuando vel emendo iuſto pretio in officina mutuantis, non eſt vſurarium, modo tantùm inducatur obligatio gratitudinis, non autem alia maior. ibid. 5
Mutuans his pactis vſurarijs, tenetur obligationem relaxare, & reſtituere, quantùm valet illa obligatio ſeu grauamen: non tamen lucrum, modo non adſit exceſſus iuſti pretij. ibid.
Qui mutuat fœminæ cum intentione, vel pacto, vt ſui copiam faciat in pretium mutui, vſuram committit: ſicut & qui mutuat medico hoc pacto, vt teneatur curare, & mederi. ibid. 6
Si mutuatarius exigat iniuſtam vindictam priuatam vel iniuſtam ſatisfactionem pro fama, aut honore, non eſt pactum vſurarium: ſi tamen iuſtam, non poteſt alterum obligare pacto iuſtitiæ vt condonet. ibid. 7
Pactum in mutuo vt reſtituatur in eadem menſura, non eſt vſurarium, etiamſi pretium eius creuerit, & ſi æqualiter dubitetur, an res tempore ſolutionis ſit plus vel minus valitura. ibid 8
In contractu mutui, & alijs contractibus ſolutio facienda eſt iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus, ſiue valor decreſcat, ſiue creſcat. ibid. 9
In mutuo, ſi non ſit expreſſum ſub qua materia pecunia reddenda ſit, poteſt reddi in quacumque placuerit debitori, modo ſit idem valor. 826. 10
Pactum de reddendo mutuo in alia materia ab ea quam accepit mutuatarius, eſt vſurarium: ſecus vt reddantur totidem nummi ſiue maioris; ſiue minoris ſint valoris. ibid.
Quando Principis auctoritate variantur menſuræ, ſoluenda eſt res mutuata in ea menſura, qua fuit accepta. ibid. 11

Vſura. Quoad damnum emergens, lucrum ceſſans, &c. ab ea excuſans.

Damnum emergens dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet vel quæ ipſi debentur. ibid. 1
Licitum eſt mutuatori in principio contractus paciſci cum mutuatario de aliqua pecunia vltra ſortem reddenda, ratione periculi damni ex mutuatione impendentis. ibid.
Si mutuator in principio contractus nullum inijt pactum cum mutuatario de præſtando damno emergente, mutuatarius non tenetur illud præſtare, modò non fuerit in mora ſoluendi, aut non fuerit cauſa iniuſta damni. ibid.
Vt mutuator licitè poſſit exigere damnum emergens ex mutuo, tres conditiones requiruntur. ibid. 2
Quando mutuatarius eſt in mora culpabili, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur mutuatarius ad illius compenſationem, etiamſi damnum non fuerit deductum in pactum ab initio. ibid. 3
Lucrum ceſſans dicitur illud, quod quis non percipit, eo quòd mutuum alteri dederit. ibid. 4
Licitum eſt de lucro ceſſante paciſci ab initio cum mutuario. ibid.
Vt pactio de lucro ceſſante in mutuo ſit licita, tres conditiones requiruntur. ibid. 5
Prima conditio eſt, vt mutuatio ſit cauſa cur ceſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa vel probabili. ibid.
Secunda conditio, vt non exigatur tantum, quantum eſt lucrum ſperatum ſed minus, quantum ſcilicet valet illa ſpes lucri deductis expenſis. 822. 6
Tertia conditio eſt, vt lucri ceſſantis compenſatio non ſtatim exigatur dato mutuo, ſed conuenientiori interuallo. ibid. 7
Licitum eſt aliquid exigere ratione periculi ſortis, vel difficultatum aut expenſarum, quę in ea recuperanda metuuntur, modo tria concurrant. ibid. 8
Quando ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſat aut damnum impendit, nec periculum vllum metuitur, non videtur poſſe aliquid accipi ſupra ſortem: quamuis ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur mutuator, & obligationis non repetendi ante tale tempus; quidam putant poſſe aliquid exigi ſine vitio vſuræ, vt habet vſus burſæ Antuerpienſis. ibid. 9
Ratione fideiuſſionis poteſt aliquid accipi: vſura tamen eſſet remittere mutuatario obligationem dandi fideiuſſorem, ſub conditione, vt ſibi mutuanti ſoluat id, quod dediſſet fideiuſſori. 828. 10
Poſitis quatuor conditionibus licitum eſt paciſci, vt mutuatarius aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit. ibi. 1
Probabile eſt, & fortè probabilius hanc pœnam conuentionalem ſoluendam non eſſe ante iudicis ſententiam. ibid. 2
Pactum legis commiſſoriæ in pignoribus per ſe loquendo illicitum eſt, & vſurarium. ibid 3
Qui dat mutuum, & viciſſim recipit pignus à mutuatario tenetur mutuans fructus, pignoris in ſortem computare, ſi pignus tantum propter

Digitized by Google

get ſecuritatem ſortis datum ſit; ſecus ſi vt creditor interim eo fruatur loco pecuniæ. ibid. 4

Vſura eſt, ſecluſo lucro ceſſante aut damno emergente, anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda. ibid. 5

Creditum non planè certum, ſed periculoſum ac litigioſum, & cum difficultate exigendum, poteſt abſque labe vſuræ minoris emi quàm valeat, ab eo, qui non eſt cauſa difficultatis, prout difficultas & incertitudo ſolutionis, maior vel minor fuerit. ibid.

Vſura. Quoad accipientes ad vſuras, & pœnas vſurariorum.

Mvtvatario non licet petere ab vſurario mutuum ſub vſuris, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris. 829. 1

Promiſſio vel ſolutio vſuræ facta ex iuſta cauſa non eſt mala: receptio vero vſurarum ex parte vſurarij eſt intrinſecè mala, & contra iuſtitiam. ibid.

Petere mutuum ab vſurario ex cauſa neceſſaria, ideſt, ex qualibet cauſa conuenienti, & vtili, propria vel alterius, nullum eſt peccatum. ibid. 2

Probabilius eſt illum, qui ab vſurario petit mutuo pecuniam ad vana, & inutilia, vt ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos, peccare mortaliter, etiamſi vſurarius aliàs paratus eſſet dare ad vſuram. ibid. 3

Multæ ſunt pœnæ iure ſtatutæ contra manifeſtatos vſurarios. ibi. 4

Vſurarius manifeſtus ſeu notorius cenſetur, qui ſententia iudicis condemnatus eſt de hoc crimine; vel qui confeſſus eſt hoc crimen in iudicio; vel cuius crimen probatum eſt in iudicio per duos teſtes; vel qui ita palam tradit ad vſuram, vt hoc negari non poſſit. ibid. 5

Vſurarij quantumcumque manifeſti, iure communi non ſunt excommunicati: bene tamen per ſtatuta quarumdam Diœceſeon. ibid.

Sepelientes manifeſtos vſurarios excommunicationem incurrunt: & nomine ſepelientium intelliguntur non ſolùm illi, qui corpus in loco ſepulturæ collocant, ſed etiam Parochi ſeu alij ſacerdotes qui funeribus intereſſunt. ibid.

Ad pœnas incurrendas contra vſurarios requiritur vt ſententia particularis declaratoria criminis in ipſos ſit ſpecialiter denunciata. 830. ibid.

Qui præfatam excommunicationem contraxit abſolui non poteſt, donec ſatisfecerit illis, quibus iniuriam intulit, publicum vſurarium ſepeliendo. ibid.

Clericus manifeſtus vſurarius, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio & monitus non deſiſtens, deponendus. ibid. 6

Eccleſiaſtici non poſſunt vſurarijs extraneis locare domos aut permittere in eis habitare. ibid.

Vſura. Quoad earum reſtitutionem.

Vſurarius mutuator non acquirit dominium earum rerum, quod per exteriorem ſeu realem vſuram vltra ſortem extorquet à mutuatario. ibid. 1

Res vſu conſumptibiles, ſi miſceantur ita cum alijs ſimilibus rebus vſurarij, vt diſcerni nequeant, tranſeunt in dominium vſurarij. ibid.

Fructus, quos percepit vſurarius ex re aliena accepta per vſuram, reſtituendi ſunt mutuatario. ibid. 2

Vſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem vſuræ; ſi intendat aliquid accipere ex vi mutui, tamquam ex iuſtitia debitum, & mutuatarius etiam eo animo det. ibid. 3

Quando mutuatarius dat gratuito, & ex beneuolentia, ſed vſurarius id non aduertens accipit tamquam datum ex obligatione ſtricta, ratione mutui, tunc non tenetur ad reſtitutionem ex parte rei, ſed ſolùm ratione conſcientiæ erroneæ. ibid.

Acceptum per realem vſuram eſt reſtituendum, quæcumque res ſit, ſiue in ſe, ſi extet, ſiue in valore, ſi non extet: damnum item illatum & lucrum ceſſans, &c. 831. 4

Omnes illi tenentur ad reſtitutionem, qui agunt partes vſurarij, ſunt cauſa efficax cur vſuræ ſoluantur, vel ſolutæ non repetantur. ibid. 5

Qui pecuniam ſuam apud vſurarium depoſuerunt, non tenentur ad reſtitutionem, modò non ſuaſerint vt vſuras exigeret nec ſint earum participes. ibid. 6

Bona vſurarij non remanent hypothecata pro ſoluendis debitis remanent tamen talia bona obligata reſtitutioni. ibid. 7

Hæres vſurarij tenetur ad reſtitutionem eorum bonorum; quæ in ſpecie extant, & quæ conſtat eſſe aliena. ibid. 8

Quando bona vſurarij excedunt vſuras; ſeu alia debita perſoluenda, nihilque in illis reperitur alienum idem numero perſeuerans, tunc debita ſunt diſtribuenda inter hæredes pro rata hæreditatis. ibid.

Vſurarij hæres in foro animæ non tenetur ad plura reſtituenda, quàm in hæreditate acceperit. ibid.

Legatarij & donatarij non tenentur ad reſtitutionem, etiamſi omnes hæredes deficiant, ſi illa, quæ hæredibus relicta ſunt, ſufficiunt ad ſoluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam. 832. 9

Vſus. Vſusfructus.

Vsvs eſt ius dumtaxat vtendi re aliena; ſalua eius ſubſtantia. ibid. 1

Qui habet ius vſus nudi ſine vſufructu parum poteſt. 832. 2

Vſusfructus eſt ius vtendi & fruendi aliena re, ſalua illius ſubſtantia. ibid. 3

Diſcrimen eſt inter dominium, vſum & vſumfructum. ibid.

Vſus & vſusfructus propriè loquendo, non poſſunt conſtitui niſi in rebus immobilibus. ibid.

Vſusfructus duplex eſt, vnus legalis, alter conuentionalis. ibid.

Quæ ſint obligationes vſufructuarij. 833. 4

Multis modis amittitur vſusfructus. ibid. 5

Vſusfructus acquiſitus monacho ante profeſſionem, tranſit cum illo ad monaſterium poſterius à tempore, quo in poſteriori profitetur, ſi poſterius eſt ſucceſſionis incapax, perit à tempore illius profeſſionis & conſolidatur cum proprietate. ibid.

Quando vſusfructus poſt profeſſionem monacho relictus eſt contemplatione monaſterij, permanebit in priori monaſterio: ſi contemplatione monachi, tranſibit cum illo ad poſterius monaſterium ſi eſt ſucceſſionis capax. ibid

Vſusfructus paternus in aduenticia filij bona, expirat ipſius patris profeſſione, & pertinet ad filium, quando religio eſt ſucceſſionis incapax. ibid. 6

Quando religio eſt ſuccedendi capax, veriùs eſt & probabilius vſumfructum nequaquam extingui nec diminui, ſed totum pertinere ad monaſterium toto paternæ vitæ tempore. ibid.

Pater in ſæculo manens, vſumfructum, quem in bonis aduentitijs filij habebat, non amittit per filij profeſſionem. ibid.

Vide *Actus humanus* II I, n. 10. *Dominium* I, n. 13.

F I N I S.

ANT 1762215

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F. 6.